586

Vol. 1 p 278

#

Gavanti

(Bartholomei)

# THESAURUS
20378

## SACRORUM RITUUM

*AUCTORE REV. PATRE*

## D. BARTHOLOMÆO GAVANTO

CONGR. CLER. REG. S. PAULI, S. R. CONGR. CONSULTORE &c.

*CUM NOVIS OBSERVATIONIBUS, ET ADDITIONIBUS*

## R. P. D. CAJETANI-MARIÆ MERATI

*Clerici Regularis, ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Conſultoris.*

EDITIO NOVISSIMA;

*CETERIS OMNIBUS EMENDATIOR, ET LOCUPLETIOR;*

Cui, præter quadringenta circiter alia Decreta, quæ ſive ante, ſive poſt editam a MERATO ſeriem uſque in præſens ab ead. Sac. Rit. Congregatione emanarunt, addita ſunt ex ipſomet GAVANTO

PRAXIS DIOECESANÆ SYNODI, ET VISITATIONIS EPISCOPALIS,

ET MANUALE EPISCOPORUM, brevibus notis illuſtrata.

## TOMUS PRIMUS

Complectens omnia GAVANTI Commentaria

IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

VENETIIS MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA ZERLETTIANA.

Superioribus Annuentibus.

# JESU CHRISTO
## ÆTERNO DEO,
ÆTERNIQUE PATRIS
VERO, AC CONSUBSTANTIALI FILIO;

REGI REGUM,
ET DOMINANTIUM OMNIUM DOMINO;
IN NATURA HUMANA SIBI ASSUMPTA

SACERDOTI
SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH
IN ÆTERNUM FACTO,
QUI, UT PURGATIONEM
PECCATORUM FACERET,
SEMEL IN ARA CRUCIS
NON HIRCORUM, AUT VITULORUM,
SED PROPRIO EFFUSO SACRATISSIMO SANGUINE;
SEMETIPSUM OBTULIT
IMMACULATUM DEO,
EODEMQUE RENOVATO SACRIFICIO
SOLA OFFERENDI RATIONE DIVERSA
SACERDOTUM MINISTERIO
QUOTIDIE, ET IN OMNI LOCO
SUPER MENSA EUCHARISTICA
MYSTICE IMMOLATUS
AD CONSUMMANDUM IN ÆTERNUM SANCTIFICATOS
VERE SACRIFICATUR, ET OFFERTUR:
HUIC OBLATIONI MUNDÆ,
HUIC HOSTIÆ SANCTÆ, ET IMMACULATÆ,
HUIC PONTIFICI MAGNO, ÆTERNOQUE

SACERDOTI
A PECCATORIBUS SEGREGATO
OMNEM, QUAM IMPENDIT, OPERAM
IN EXPLANANDIS SACRIS RITIBUS
AD DIGNE PERAGENDUM
SACROSANCTUM MISSÆ,
DIVINÆQUE LAUDIS SACRIFICIUM
EXACTE SERVANDIS,
OFFERT, ET CONSECRAT

*Indigniſſimus ejus Servus*
Cajetanus-Maria Merati.

# PRÆFATIO AUCTORIS

## COMMENTARIORUM IN RUBRICAS MISSALIS, ET BREVIARII ROMANI.

*Ad Benignum Lectorem.*

DE Sacris Ritibus, & de iis præcipue, qui ad Miſſam, & Horas Canonicas attinent, ſcripſere ad hanc diem non pauci tum antiqui, tum recentiores graviſſimi, & ſapientiſſimi viri: ſed libere dicam quod ſentio: nemo rem noſtram in hoc genere pertractavit integre: nam alii, ut potiſſimum Hæreticos arguerent: alii, ut agitarent ſcholaſticas quæſtiones, vel de moribus, officiis, & conſcientia: alii, ut Myſteria depromerent e Ritibus, quos ſupponunt: Ritus autem ipſos vel obſoletos referunt, vel noſtros imminute, vel additis aliorum Ritibus ſuperflue, vel ſuboſcure ſignificant: de Miſſa tantum alii, alii de Feſtis, alii de Horis Canonicis tantum; & una omnes omnia quidem illuſtrarunt, ſed ea colligere cuique difficillimum. Certe literalem Rubricarum Romanarum ſenſum nemo hactenus eſt proſecutus. Quare optarunt plurimi, e quibus honoris ergo, nominandi ſunt, Silvius Antonianus, Robertus Bellarminus, Scipio Cobellutius, Julius Roma, Franciſcus Boncompagnus S. R. E. Cardinales, doctrina, pietate, & moribus præclariſſimi, Neapolio Comitolus Peruſinus Epiſcopus virtutum gloria clarus, & alii Eccleſiæ adminiſtri, ut volumine breviori, quoad ejus fieri poſſet, ea omnia comprehenderentur ſummatim, quæ in Miſſali & Breviario Romano continentur, & ea præſertim, quæ videntur ſufficere ad communiorum Sacerdotum inſtructionem, & ad integram, tum Miſſæ, tum Horarum Canonicarum diſciplinam perdiſcendam, indicata cujuſque Ritus origine Chriſtiana (ne a Gentilibus, aut Hebræis edocti videamur) tum allata cauſa ſive hiſtorica, ſive myſtica ſolidiori, tum demonſtrata obligatione, quare culpa obſtringamur, denique uſu proprio, & exquiſito cujuſque Ritus in re dubia explanato. Iiſdem ergo ſuadentibus principibus viris, morem gerere cum ego cuperem, arduum hoc negotium multis ab hinc Annis ſum aggreſſus, & omnem movi lapidem, cum legendo, tum a peritioribus ſciſcitando, tum diſputando in utramque partem, tum poſtremo hæc eadem ſcripta S. R. C. examini, quod fuit rigoroſum, ſubjiciendo, acerrimis ingenio, judicio, prudentia, & in omni doctrinarum genere peritia clariſſimis deſignatis judicibus Jo. Garzia Millino, & Tiberio Muto S. R. E. Cardinalibus, Dominis meis illuſtriſſimis, & toto Orbe celeberrimis; ita ut, Deo dante, mihimetipſi ſatisfecerim (utinam aliis) & optatum finem ſim aſſecutus præſenti volumine.

Originem autem cujuſque Ritus velut Indicem commonſtramus, quoad ejus fieri poteſt, vel Auctore certo, ſi eſt, nominato; vel commemorato eo, qui ante alios de Ritu meminit, quo facile videre eſt, qua ætate erat in uſu; & in hanc cauſam adjecimus indicem Summorum Pontificum, quorum Decretis aut invectus, aut firmatus fuit Ritus, adnotato juxta Anno, quo quiſque obiit: Sacrorum item Conciliorum in opere citatorum, & quo Anno celebrata fuerunt; nec non aliorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, penes quos mentio eſt de Ritibus noſtris.

Cauſas hiſtoricas eas vocamus in Ritibus, quæ ad literam, ut ajunt, dedere Ritum: myſticæ ſunt eæ, quæ ſenſum reddunt, vel allegoricum, vel tropologicum, vel anagogicum: quas fere nunquam (niſi tacentibus aliis) ex noſtro ingenio, ſed ex majorum, uti par eſt, auctoritate congerimus, citato tantum Auctore Primo, a quo cæteri deinceps acceperunt: neque tamen omnes, quas legimus, cauſas præſertim myſticas allegamus, ſolidioribus contenti, & gravioribus.

Obligationem definient Theologi Doctores, & probabiliorem ſequemur ſententiam in re controverſa. Modernos potius citamus, quam antiquos, & eos, qui præ manibus hodie ſunt Sacerdotum: tum quia hi citant antiquiores; tum quia iidem multa decernunt, quæ antiquos fugerunt, occaſione forte tunc temporis non data: ſignificamus autem omiſſa diſputatione, quid ſit agendum, ut propoſitæ brevitati conſulamus; &

quæ hactenus in controverſiam venere tum de Miſſa, tum de Horis, putamus omnia fuiſſe in hoc volumine commemorata.

Ad uſum cujuſque Ritus proprium enunciandum, uſi ſumus antiquioribus libris, Miſſalibus Vaticanis MS. tum Decretis Sacræ Rituum Romanæ Congregationis, quæ a multis deſiderata ſunt; tum is regulis, quæ, me quoque præſente, & ſæpius urgente, datæ ſunt ab iis, qui Clementis VIII. auctoritate recognitioni Miſſalis, & Breviarii Romanorum interfuerunt.

Totius operis ordo is erit, ut a Miſſa incipiamus, tanquam a nobiliori parte: deinde ita nos collaudante Cardinale Bellarmino, ordine Rubricarum ſervato, recitatoque earundem textu, addemus ad ſingula verba, ubi eſt opus, commentaria, & notas; hoc enim pacto nihil nos effugiet. Addemus tandem Appendices non inutiles, ne a Clero (quantum in nobis eſt) deſiderari quidquam poſſit in ordine ad Miſſam, & Canonicas Horas. Eccleſiaſtico ſtylo, & faciliori utemur, docente nos Hugone Victorino qui ſcripturus, & ipſe de Sacris Ritibus ait: Communibus verbis rebus ipſis, de quibus agitur, cognatis, opus explicare congruentius duximus, quam ſchematum varietatibus involvere, & res per ſe fulgidas, decolorando verba colorare. Peritiores autem benignos imploramus lectores, quos etiam liberos cum Innocentio III. optamus correctores; ut quæ minus aſſecuti ſumus, ea nobis indicent, meliora ſuppeditantes, & illud interea non denegantes, quod optabat idem Sanctus Pontifex in fine librorum de Myſteriis Miſſæ; ut apud miſericordiſſimum Judicem pro peccatis Auctoris devotas preces effundant, ſive Miſſam, ſive Horas Canonicas recitaturi, ad Deum Optimum Maximum, & præpotentem acceſſerint. Vale benigne lector.

---

# PRÆFATIO AUCTORIS

## NOVARUM OBSERVATIONUM, & ADDITIONUM AD GAVANTI COMMENTARIA.

*Studioſo, & Benevolo Lectori.*

ECcleſia, Divina inſtitutione, & Apoſtolicis monitis, & præceptis formata, in eo ſemper operam multam poſuit, & ſingulare ſtudium adhibuit, ut Sacra noſtra Myſteria ſumma cum dignitate, & decentia peragerentur, totuſque Sacrorum ordo rite, ac recte procederet. Probe novimus Deum, monente Paulo, Deum eſſe ordinis, non confuſionis; e Cœlo delapſam ad homines terrenam Hierurgiam; a Cœleſti formam ſumere, ac modum, ita ut iſtius quædam ſit in Terris imago, & imitatio. Ab ipſo Apoſtolo latam habemus legem, & non ſemel inculcatam, ut ab iis præcipue, quæ ad Dei cultum pertinent, omnia ad ædificationem, & ſecundum ordinem fierent. Quia vero ſatis, ſuperque conſtat externos Ritus Chriſtiani, & publici cultus ad conciliandam Sacris reverentiam, ad excitandam in Populis pietatem, ad ſervandam Myſteriis gratiam, & majeſtatem, jam inde ab Apoſtolica ætate fuiſſe inductos, & obſervatos; ſi altius vellemus aſſurgere, & ducto a primis Eccleſiæ Sæculis initio uſque ad noſtra tempora deducere vacaret narrationem, totamque ab origine rem deſcribere: non ſolum facile foret monſtrare, quæ Chriſtianæ Religionis, eandem eſſe Sacrorum Rituum ætatem: ſed haud ægre quoque oſtendi poſſet ad vitandam varietatem, & cavendam confuſionem, jam inde ab ipſa origine, aut originibus proximo tempore fuiſſe in publico, Sacroque Dei cultu ordinem aliquem, & rationem præſtitutam; dataſque Ritibus illis certas leges, & regulas, quas eos ſequi oporteret, qui Sacris operabantur.

Superſunt adhuc de re Liturgica monumenta eorum inſcripta auguſtis nominibus, quos Eccleſia poſt Chriſtum habuit primos fundatores. Quod ſi quis contendere vellet præferre opera illa ſuppoſitum nomen; & per aliquot Sæcula, uſque dum Sacramentalia, & Ritualia conſcriberentur, certas eas, & ſtatutas leges memoriæ mandatas, & per conſtantem praxim notas, & obſervatas fuiſſe: nos non admodum difficiles haberet, & moroſos, modo nobis jure largiatur, merito libros illos liturgicos, officia, ordines, curſus, & ſi quo alio ſunt nomine, ſcripto commiſſos, ut

ſervaretur memoria tranſmittenda ad poſteros, & ab oblivione, & neglectu tutius & facilius vindicaretur, venerandæ eſſe antiquitatis, & auctoritatis; nec ab heri, aut nudiuſtertius datas, & ſcriptas eas leges, & regulas, quas recens ætas dixit Rubricas.

At de iſtis hic dicere nihil attinet: neque enim agere de Sacrorum Rituum, ac Ritualium librorum origine, uſu, utilitate, vel neceſſitate noſtri eſt ſtudii. Oſtendere, ut Sacri Ritus fuerint ab ipſis Apoſtolis inſtituti; ut ſucceſſive auctubus creverint; ut pro facta ſibi divinitus poteſtate, & auctoritate, & pro ſuo item judicio & prudentia, aut novos induxerit, aut veteres aliquos abrogaverit Eccleſia; ut ad Sacrorum majeſtatem, & gratiam, Populorum eruditionem, & pietatem faciant; quo primum tempore, quove fine Rituales leges fuerint ſcripto commiſſæ, Ritualeſque, & liturgici libri conſcripti: res eſt multis curis ab eruditis, & polemicis abunde tractata, & diſputata. Nihil horum æquus, & prudens rerum æſtimator, imo nec exactor improbus poſtulaverit a nobis, qui hoc tantum negotii ſuſcipimus, ut de Ritibus Miſſalis, & Breviarii, quatenus recentis, & probatæ ſunt praxeos, commentemur. Non animus hic eſt Sacros Myſtas inſtructos reddere ad Palæſtram, ſed inſtituere ad Altare: quare hic quærant non quæ faciant ad diſputationem, ſed quæ conferant ad Sacra agenda. Eſto autem intra limites praxeos contineri propoſitum ſit, ita ut alterius loci, & fori videantur eſſe quæ pertinent ad eruditionem, & controverſiam; nihilominus tamen, quandoque ſepta ſubmovere, aut ſaltem dilatare juvabit; & hac, illac ſparſa bene multa reperiet lector amans Rituum Eccleſiaſticorum, quibus delectari ſolet recens ætas, & ſint ad guſtum ſtomachi non faſtidientis. Hoc autem fiet pro loco, & re nata, nec citra modum, aut delectum, præcipue ubi theoria aliqua fuerit praxim, & regula antegreſſa. Si extra ſcepta, & præfixas metas egredi, & vagari quandoque contingat, non longe admodum, aut late digrediemur: erit excurſus, qui nos a via minime deducat.

His poſitis, abs re non erit de univerſa operis ratione, & cauſis, quibus ad illud ſuſcipiendum inducti ſumus, lectores noſtros paucis monere. Saluberrima de noſtris Ritibus præcepta, & inſtituta non ſine Fidelium ſcandalo, & Sacrorum contemptu minus ſervari, & minus ſervari, quod minus ſciantur; frequens erat, & juſta admodum piorum æque ac doctorum hominum querimonia. Magnam equidem eſſe hujus generis librorum copiam ajebant, & ingentem profecto eſſe numerum eorum, qui Sacros Ritus explicandos, aut illuſtrandos ſuſceperunt: at hanc ipſam copiam, & multitudinem, parere confuſionem, & inducere ſatietatem; paucos etiam eſſe, qui omnes libros legere ſuſtineant, pauciores adhuc, qui ſibi comparare velint, aut poſſint: quod ſi comparare poſſent, & vellent, vix foret animus, aut ſuppeteret otium evolvendis: nam utut præcipui, & ſelectiores deligerentur, requirerent totum hominem, ad alia plerumque diſtractum, totamque ætatem aliis quoque debitam negotiis, occuparent: ſic fieri, ut ipſa copia faciat inopem. E re igitur fore arbitrabantur, ſi unus aliquis Auctor, iſque promiſcuus, & proletarius conſarcinator, ſed rerum liturgicarum mire peritus, & ſubacti judicii, cui tuto fidere quiſque poſſit, eligeretur, auctus, & illuſtratus edendus in lucem, potius enim, quam novum edere, præſtare vetus aliquod opus conſtantis famæ, & exiſtimationis auctum, & illuſtratum emittere; ex quo uno proponerentur, & exponerentur omnia, aut præcipua, quæ factu, & ſcitu digna viderentur, & opportuna; additis ſuo loco recentibus Summorum Pontificum, & Sac. Rituum Congreg. Decretis, quibus corrigerentur, ſi quæ emendanda in dicto opere reperiantur, & innoteſcerent omnia ea, quæ ad praxim Sacrorum Rituum, & ad Rubricas tum Miſſalis, tum Breviarii Romani magis, magiſque illuſtrandas conferre poſſunt.

Nec diu, nec multum laborandum fuit de Auctore: talem ſiquidem, ac tantum facile fuit invenire in inclyto, & celeberrimo Gavanto. Vix alius Scriptor huic propoſito magis accommodus. In hac diſciplinæ parte prodierunt utique Scriptores multi laudatiſſimi: at verbo abſit injuria, & invidia, inter multos, eoſque laudatiſſimos jure merito dederis Gavanto principem locum, ſive doctrinam ſpectes, ſive diligentiam. Si cætera deeſſent argumenta, Scriptoris meritum plus ſatis probarent tot ejus operis editiones. Nulli nobis detrahere animus eſt, nec ullius volumus elevatam, aut imminutam exiſtimationem: cæterum in tanta hujus argumenti librorum copia vix, ac ne vix quidem opus occurret toties prælo commiſſum, quod ætatem tulerit, & cui ſua ſemper conſtiterit fama, & exiſtimatio. Jam inde ab Anno 1628. Romanis typis apud Franciſcum Caballum unico tomo in folio emi-

emiſerat in lucem Gavantus ſua Commentaria ſub hoc titulo: *Commentaria in Rubricas Miſſalis, & Breviarii*. Ex quo innotuit, ea cupiditate, eoque ſtudio, & plauſu hoc opus acceptum fuit, ut brevis, omnibus ferme exemplaribus diſtractis, nova curari debuerit editio, quo fieret ſatis votis eorum, qui undequaque illud quærebant, & flagitabant. Factum id eſt Anno 1630. & iterum excuſum eſt opus, quod prodiit ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ duobus tomis quaternaria, ut ajunt, forma, novo hoc inſcriptum titulo: *Theſaurus Sacrorum Rituum, ſeu Commentaria in Rubricas Miſſalis, & Breviarii, &c.* Novam hanc editionem Auctor ipſe recenſuit, novis Decretis locupletavit, & auxit plusquam trecentis notis aſteriſco indicatis. Ex hac poſteriore ab ipſo Auctore aucta, & recognita, Venetiis, Pariſiis, Lugduni, Coloniæ, & alibi inſignium, & illuſtrium locorum uſque ad quartam ſupra vigeſimam, quod ſciamus, novæ curatæ ſunt editiones, non ſine aliquo ſuo auctario: inſerta enim ſunt operi pauca quædam recentiora Decreta; additaque incognita, & alia, quam Gavanti manu, tenues quædam notæ, aliquando nullo ſigno, aliquando vero hoc ſigno ✠ indicatæ.

Cum novam magis adhuc auctam, & illuſtratam Gavanti editionem doctis, ac piis viris placere vidiſſem; & æque mihi ac illis perſuaſum foret; bene conſultum id eſſe, & dignum, quod maximam gratiam iniret apud eos, qui Sacra colunt: non multis expugnandus fui, nec admodum urgendus, ut hoc negotii quantumvis ingratum (laborandum ſiquidem erat in alieno fundo) in me ſuſciperem; ratus id licere, & convenire quam maxime homini, cui agitur decimus octavus Annus, ex quo cenſeri datum eſt inter eos, quos Sacra Rituum Congregatio habere dignatur Conſultores, quoſve profecto ea juvat præjudicata opinio, quod in lectione, & praxi Rubricarum ſint admodum verſati, & exercitati.

Habes ſuſcepti operis cauſas: reſtat modo, & neceſse videtur præfari quid a nobis præſtitum fuerit in hoc opere, ut intelligas quid ab eo fuerit expectandum. Poſtquam de iterata hac editione fuiſset ſtatutum, prima cura fuit primumque ſtudium, ut quantum fieri poterat, Gavanti textus emendatus prodiret, & limatus. Quare a nobis non mediocris diligentia adhibita eſt, ut præſtantiſſimas Auctoris editiones præſto haberemus: cum autem a nobis undequaque conquiſitæ, & collectæ fuiſsent; male habuit animum, quod in non paucas inciderimus, erantque exauctoribus, quæ per vulgus circumferebantur, tot ſpiſſis, & pinguibus mendis ſcatentes, ut nos miſereret admodum Auctoris alioquin clariſſimi, cujus videremus vel faciem primam, Typographorum ſive vitio, ſive oſcitantia fœde inquinatam, & depravatam. Nec certe aliud expectari poterat per toties iteratas editiones a bibliopolis, quibus fere magis curæ eſt quæſtus, quam res literaria. Cum enim alii ex aliis codicibus feſtinanter tranſcriberentur, & excuderentur, nec ullus forte eſſet, qui præeſset emendationi, quæ prioribus irrepſerant menda, non ſolum adhærebant poſterioribus, ſed nova identidem ſubrepebant rudibus, ignaris, & præpropere feſtinantibus, ut potius protruſum, quam diligenter excuſum opus videretur. Eluere has ſordes eſt qui putet inter Herculeos labores, & quam plenum ſit moleſtiarum, & faſtidii negotium, facile intelligit qui amet capere, aut ceperit unquam experimentum. Vincendum fuit faſtidium, ut Sacrarum Cæremoniarum ſtudioſi haberent, quo juvari poſsent, & delectari.

Poſtquam omnibus modis conſultum eſset, ut integra, & emendata prodiret editio; proxima cura fuit, quod tamen primum, & caput eſse oportet, ut novis Obſervationibus, & Additionibus opus illuſtretur: & quidem initio animus fuerat breves tantum notas addere ſubjiciendas poſitis a Gavanto: ſed cum procedente opere viderem ſic rem jejune admodum, & frigide tractari, ita ut inglorium videri poſset ſtudium, nos vero nec liberaremus fidem, nec pacta opera defungeremur; contra vero rem ſedulo accurantibus, & minutatim diſcutientibus, aliud ex alio incideret in mentem, & veluti veniret ſub manum, quod materiam præberet notabilium Obſervationum: fieri non potuit, ut prurigine ſtyli laborantes manus cohiberentur. Rivulus incœpit, ſed crevit in fluvium, & in eam formam aſſurrexit noſtra Commentatio, ut novum opus haberi poſſit: nec me pœnitet admodum laboris, ne quid ab æquo lectore in hoc genere argumenti deſiderari debeat, quod eſſe poſſit ex uſu.

In toto opere ducem nobis ſequendum propoſuimus Gavantum, ſequendum vero ingenua libertate, non venali obſequio: ſtudioſos nos profitemur tanti Auctoris; at non ita uſque ad ſuperſtitionem tenaces, ut religioni ducamus vel latum unguem ab ejus mente, & ſententia diſcedere. In dubiis, & controverſiis, ubi res

anceps,

anceps erat, & dubia, prima cura fuit adire Rubricam, accurate excutere, & juxta illam noſtram ſubjicere opinionem: uſitatæ pluribus praxeos habita eſt ſua ratio, cum probe noverimus, optimam interpretem legis eſſe conſuetudinem. Adſerta a Gavanto, ubi vera, aut vero ſimiliora ſunt viſa, non modo pro viribus defendere, & tueri contendimus; ſed novis a Sacra Congregatione editis Decretis, ubi fieri potuit, confirmavimus: non ita tamen cum illo nobis agendum rati ſumus, ut ubi dixit, pro ratione ita eſſe debeat ſola auctoritas, & malimus cum illo errare, quam cum aliis recta ſentire: non ea nobis impoſita eſt lex, & dura neceſſitas, ut jurati in verba Magiſtri quaſlibet ex ejus opinionibus clypeo, ut ajunt, & haſta debeamus defendere, & tueri. Alicubi hanc nobis induſimus libertatem, ut ſecus ſentiremus ac Gavantus, ideoque noſtra hæc adnotata diximus Obſervationes: id tamen ubi factum eſt, factum ut non levi aliqua, & frigida conjectatione, ſed ſolida, & firma ratione, ſalvo ſemper eo, qui tanto viro debetur, honore, eaque modeſtia, & moderatione, ut ita fieri non ſolum patienter ferat, ſed libenter velit ipſe Gavantus: diſceſſum enim eſt ut plurimum ab ejus mente, ubi diſcedere coegit editum aliquod ab ejus obitu Decretum, cui ille, ſi viveret, nollet refragari.

Hæc autem Decreta maximum operis monumentum, & ſummum præſidium, ut decet, eſſe amamus. Univerſo operi in duos tomos diſtributo, ſumpto initio ab Ann. 1603. indicem, ſeu catalogum Decretorum S. C. R. præmiſerat Auctor producendum uſque ad Annum 1628. huic in altera editione pauca quædam implicavit, quæ quamvis profecta a Sac. Congr. quæ Epiſcoporum, & Regularium negotiis præſidet, ad Sacros tamen Ritus pertinebant; iiſque adjecta ſunt alia excerpta a Cæremoniario Jo. Alcozer. Verum cum inde ad noſtram ætatem nova bene multa prodierint, ſupplenda fuerunt; congeſtaque in unum cum iis, quæ Gavantus exhibuerat, in duos copioſos catalogos, quorum alter juxta methodum a Gavanto ſervatam, ea complecteretur, quæ pertinent ad Rubricas Miſſalis, alter ad Rubricas Breviarii, ordine chronologico, juxta ſeriem temporum ſunt diſtributa. Suis ſunt etiam iſta inſerta locis: ſed operæ pretium duximus eorum quoque catalogum texere, & juxta ordinem temporum, ut mox diximus, collecta in unum digerere, ut eſſent in promptu, ſi quando forent conſulenda. Optimam hic fidem, & ſolicitam curam adhibuimus, quo nata eſſent tempore facere tutam, ac certam fidem, ne ſcrupulus ſuboriri unquam poſſet de eorum authenticitate. Exegimus enim illa ad ipſa authographa, imo ex autographis ipſis non ſemel exſcripſimus, cum nobis facilis permitteretur aditus ad Tabularia, & Archetyporum fieret uſura a Sacerdote Antonio Celli Romano, eorumdem Tabulariorum Cuſtode; qui hic a nobis ob ipſius comitatem, & ardens, quo fervet, deſiderium promovendi hoc genus ſtudiorum, non ſine laudis præconio erat opportune commemorandus. Miſſa autem fecimus, quæ ab Auctoribus aſſerta, citata, aut indicata, in Tabulariis, & regeſtis S. R. C. reperiri non potuerunt ne ſcilicet apocripha, aut dubia genuinis. & certis fidem detraherent. Quoad iſta Decreta unum, & alterum eſt, de quo monitum volumus lectorem. Series Decretorum ab Anno tantum 1602. uſque ad præſentem Annum 1736. ducitur, quod ſcilicet per id tantum temporis referri cœperunt in acta, & deſcribi in Tabulis, quæ vocant Regeſta. Abſolutus erat, & veluti obſignatus uberrimus, & Decretorum dives chronologicus catalogus, erantque Decreta ibi digeſta, citata in opere, juxta numeros illis præfixos; cum ad manus noſtras & quædam alia pervenerunt Decreta, de quibus eadem adhibita eſt cura, ut de eorum authenticitate conſtaret: ſi quid moveretur, omnia turbari, & ſubverti contigiſſet; quare expeditum magis viſum eſt, illa rejicere in appendice, & habenda veluti Decreto Canonem; quam priorem catalogum multo ingratoque labore reconcinnare, & refingere. Mirari vero, & multo minus ſubeat criminari, ſi in Decretis illis diverſa quandoque, imo adverſa pronuntientur, & edicantur: Norunt qui in Divinarum diſciplinarum fonte vel ſumma labia proluerunt quæ Divino jure ſunt ſcita, puta Sacramenta, & quæ ad eorum ſubſtantiam pertinent, ea ſemper immutata permanere fixa, & immobili lege: at quæ ad diſciplinam pertinent, & Ritus, Eccleſiaſtica auctoritate conſtituta, Eccleſiaſtica item auctoritate pro tempore, & moribus ſubiere variationem; quare mirum videri non debet, nec abſonum, ſi quandoque pronuntietur, & edicatur ſecus ac fuerit olim ſtatutum. Animadvertere etiam lubet, quod hujuſmodi Decreta aliquando ſunt Municipalia, ut vocant, pro aliquo nempe determinato loco, ſeu Diœceſi; aliquando vero univerſalia, ſeu quæ pro univerſali Eccleſia ex declarationibus a S. C. datis inſerun-

tur;

tur: mirum igitur videri non debet, ſi quandoque Decretum aliquod particulare, editum pro caſu tantum, de quo agitur, non conſonet Decretis univerſalibus: quæ quidem omnia omnibus explorata eſſe debent.

Supererat tandem ſummi oneris, & non minoris induſtriæ ingratiſſimus omnium labor, Tabularum ſcilicet digeſtio in uſu eorum, quibus cura eſt conficere Kalendaria Eccleſiaſtica, & ordinem digerere Divini Officii. Suas ediderat Gavantus Tabulas, ſed quarum vix ullus, aut difficilis admodum modo ſit uſus. Ab ejus enim obitu tot factæ ſunt in Breviario, & Miſſali mutationes, & additiones, ut vix, ac ne vix quidem, nec citra acrem animi contentionem ad præſentem rerum ſtatum aptari poſſint; ut frequentes eorum teſtantur lapſus, qui iis plus nimio amant fidere. Novas igitur in hoc opere fingere neceſſe fuit: ampliores damus, quam quas Gavantus emiſerat; quarum adeo facilis eſt uſus, & intellectus, ut non magno labore, & ſtudio inde ejus operis conficiendi rationem habeant expeditam, qui tyrones in ea arte ſunt minus verſati. Omittendum minime putavi catalogum Auctorum, quorum in hoc opere fit mentio. Præſtantiſſimos illos ferme omnes hic habebis laudatos, quos poſt Gavantum recens noſtra protulit ætas, quæ hoc genere ſtudiorum quammaxime delectatur: ſi cætera deſint, hinc ſtudioſus lector ſaltem de nomine noſcet Auctores, qui in hac materia ſcripſerunt, ut ſicubi interſit, & ipſi uſum præbere valeant propius inſpecti, & conſulti: ſat nobis fuit ad fontes digitum intendere.

Quia ingrati animi eſt diſſimulare, per quos utcumque profeceris, jus, & æquum poſtulat, ut non ſine laude ii a me commemorentur, qui huic editioni, ſive ampliandæ, ſive ornandæ ſymbolas contulerunt. Commemorandus autem mihi cum primis eſt Reverendiſſimus Franciſcus Gervaſius Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci: cum hoc mea frequentius communicavi conſilia. Is me opere, & conſilio non ſemel juvit; & hunc potiſſimum conſului, ubi nodus aliquis vindice dignus in praxi Sacrarum Cæremoniarum incideret: quem ille pro ea, qua pollet rituum peritia, neſcias an facilius, vel felicius ſolverit. In antiquorum vero Rituum, rerumque Liturgicarum difficilioribus quæſtionibus examinandis, præſtantium virorum in Urbe degentium pariter conſilium adhibui, præſertim vero Franciſci Paſtoris resbyteri Pedemontani in Sacra eruditione verſatiſſimi. Denique habenda eſt mihi ratio Dominici Luchini Piſaurienſis Presbyteri qui in conficiendis memoratis Tabulis, labore, & tædio me levavit: quam ſit ejus artis apprime peritus, ac diligens, hæ ipſæ Tabulæ teſtes erunt locupletes.

Hæc habui, quæ ad novam hanc editionem Theſauri Sacrorum Rituum conferre poſſe putavi, de quibus te, amice lector, monitum eſſe optabam: Sua cuique plus æquo quandoque placent, ſuiſque ſtudiis quiſque ſemper impenſius delectatur: at niſi me meus fallat amor, his ſatis feciſſe puto propoſito mihi inſtituto, quod erat opus edere, ex quo omnia ſuppeterent, quæ forent ſcitu opportuna, & uſibus neceſſaria; ita ut eo habito haud ægre foret carere cæteris. Gavanti Theſaurus ubi primum prodiit, ſummo applauſu, & ingenti favore exceptus eſt: parem gratiam ſpondere juvat, ubi in majus, meliuſque provectus editur. Hoc unum nobis curæ fuit, tuis commodis, eruditioni, & uſibus ſtudere: tu, lector benevole, favens noſtris ſtudiis, utere, & vale.

### DE HAC NOVA EDITIONE

# MONITUM.

Novam tibi ſiſtimus, amice Lector, Gavanti editionem, utiliorem quidem cunctis, ſed ad uſum præcipue Epiſcoporum magis expeditam: utpote quæ præter quadringenta circiter alia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, quæ ſive ante, ſive poſt editam a Merato ſeriem emanarunt: continet etiam tres alios ejuſdem Auctoris Tractatus, *Praxim* ſcilicet *Diœceſanæ Synodi*, & *Viſitationis Epiſcopalis*, & *Manuale Epiſcoporum*, qui propter eorum raritatem, a plurimis jamdudum expetebantur. Quis, quantuſque Gavantus Vir fuerit, diſces ex parvo ejuſdem Elogio, quod non in Secundo, (ut in præcedenti factum fuerat editione), ſed in exordio hujus Primi Voluminis tibi exhibemus, addito inſuper Indice omnium Operum tam editorum, quam meditorum Clariſſimi Viri. De Merato vero, qui tantum de hiſce Commentariis ſibi promeruit, perbreve quoque ſubnectere elogium juvat.

DE

Digitized by Google

# DE VITA, ET SCRIPTIS
# BARTHOLOMÆI GAVANTI
## Congreg. Regul. S. Pauli Epitome Auctore L. A.

NAtus eſt Gavantus Mediolani anno ſalutis MDLXIX. honeſtis, piiſque Parentibus, qui licet fortunæ bonis non abundarent, honeſtum tamen gradum ſemper tenuerunt in Patria, in quam vicina relicta Modoetia celebri quondam Urbe, eorum Majores habitatum conceſſerant. Ad Sacrum Fontem Bernardini nomen illi impoſitum fuit, cœpitque ab ineunte ætate imbui literis, ac diſciplinis, in quibus progreſſus faciebat adeo magnos, ut quantus futurus eſſet matura ætate, facile conjici poſſet. Adoleſcens adhuc clericali militiæ nomen dedit, & quatuor minores ordines ſuſcepit. Interim humanarum rerum vanitatem, ac pericula animo revolvens, terrenarum illecebrarum laqueos evadere, Deoque ſe totum tradere cogitabat, quo vocante feliciter, quod cupiebat, explevit: Ingreſſus enim eſt Mediolani Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli, quam Vulgo vocant Barnabitarum (quod prima, quam in ea Civitate obtinuerunt, Eccleſia, Apoſtolo Barnabæ fuerit dedicata) annum agens XVIII. V. Kalend. Sextiles, anno a Chriſto nato MDLXXXVII. atque Ordinis habitu indutus Bartholomæus eſt appellatus. Exacto probationis anno in diſciplinæ regularis ſtudiis, & humilitatis exercitationibus, ſolemnibus votis ſe pridie Kalendas Novembris ſequentis anni arctius aſtrinxit. Dein Dialecticæ, Philoſophiæ, ac Theologiæ operam navavit, quibus abſolutis, cum magnam de ſe feciſſet expectationem, licet nondum Sacerdos, ut Clericos Adoleſcentes Congregationis Rhetoricam doceret, Cremonam moderatores miſerunt, nec fefellit conceptam ſpem, ejus etiam felicitatem in docendo, tradendiſque artis bene dicendi præceptis abunde comprobarunt plures præſtantes, abſolutique Concionatores, qui ex ejus Schola in publicum prodierunt. Ibi Sacro Subdiaconatus, & Diaconatus ordine inſignitus fuit: Inde Mediolanum Cremona profectus per manus Celeberrimi Viri Federici Borromæi Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Mediolanenſis Archiepiſcopi, Sacerdos conſecratur: Quo tempore cum Patres ut honorificentiſſime exciperent novum Archiepiſcopum Borromæum modum excogitarent, quo ſingularia obſequii ſigna oſtenderent, & teſtarentur quantum Conſobrino ſuo Carolo Borromæo Sanctæ Mem. deberent, cujus beneficio, & auctoritate amplificata Congregatio fuerat; Auguſtino Torniello, quem honoris cauſa nomino, Congregationis tunc Moderatori ſupremo in mentem venit, non alio, quam Litterario apparatu Literatiſſimum, & eruditiſſimum Virum excipere: illius autem probe, & ordinate diſponendi munus Bartholomæo potiſſimum demandatum fuit, qui felici ſucceſſu, politiſſimis metro partim, partim ſoluta elogiaſtica oratione, emblematum quoque, & impreſſiarum deſcriptis, & diſpoſitis tabulis, munere impleto; eorum etiam non paucorum adoleſcentum ex ſuis, qui alii latina, græca alii, alii etruſca lingua Præſuli plauſerunt, hebraico ipſe, quem probe callebat, ſermone, pervenuſta habita oratione, agmen feliciſſime clauſit. Sacerdotio, ut diximus, inſignitus Bartholomæus, Sacerdotis munera cœpit exequi diligenter. Erat propterea in audiendis ſacris Confeſſionibus aſſiduus, in concionibus ad Populum habendis indefeſſus; quo quidem in officio ſui temporis facile Princeps, Concionatores Excellentiores, vel dicendo æquavit, vel eis etiam palmam eripuit: Tanta illi erat in voce ſuavitas, in motu venuſtas, in geſtu ars, tanta denique ingenii, & loquentiæ vis, ut diſtincte, explicate, abundanter verba faciens, quod Oratoris eſt, moneret, doceret, delectaret. Cujus rei teſtis Italia, quam totam, ut animarum ſaluti provideret, ſuis laboribus peragravit. Habuit enim Conciones quadrageſimali tempore in inſignioribus Italiæ Civitatibus trigeſies quinquies cum magno animarum fructu, quod ipſi præcipue cordi erat, nec non ſui exiſtimatione; ſibi enim eruditionis non fucatæ, ſed ſolidæ famam comparavit. Ex quo factum eſt, quod cum iter faceret, ut morem gereret precibus, & auctoritati Summorum virorum, qui eum audiendi ſtudio tenebantur, extemplo ſæpius prædicaverit, mirantibus omnibus publice dicendi facilitatem, elegantiam, ac rerum ordinem: hoc tamen nullo negotio præſtabat Bartholomæus, quia tum memoria præditus ſingulari, tum ſtudiorum aſſiduitate amplam rerum ſegetem animo complectebatur. Sacram Scripturam, ſanctos Patres diu, noctuque terebat, & unius anni ſpatio omnia D. Auguſtini opera perlegit. Romæ ſtatim ut Carolus Borromæus in Sanctorum numerum fuit relatus, hujus admirabilis Viri nomen propagaturus, ter in hebdomada concionari eſt aggreſſus magna Populi frequentia, quam vix, ac ne vix quidem capere poterat anguſtia Eccleſiæ, in qua rem Divinam agebant Patres, quum Templum D. Carolo ſacrum erigeretur. Tanti fuere Doctorum ſuffragiis pretii Conciones ejus, ut eorum exempla cogeretur ſæpius evulgare, aliquæ etiam typis commiſſæ fuerint, ipſo licet invito, inter quas una de Pace, altera de Cineribus S. Jo: Baptiſtæ Genuæ habitæ, ex quibus facile eſt colligere quantum dicendi laude floruerit, licet ejus voce, geſtu, ac lateribus ſint deſtitutæ, quæ maximo ornamento ſunt Oratori. Occupatiſſimus miniſterio concionandi, ſemper tamen in Choro divinis Officiis intereſſe voluit, licet levamen aliqud cæteris Prædicatoribus dari curaverit, quum leges relaxandi animi, juſſu Patrum conſcripſit. Sacro Quadrageſimæ tempore, etſi magnis laboribus fractus non ſolum abſtinebat a cibis per eos dies interdictis, ſed quotidiano ſe quoque macerabat jejunio, ſemperque, ubi in Collegio morabatur, publicæ menſæ intererat. Quod multi ex Congregatione in vinea Domini laborarent cupidiſſimus, nunquam adoleſcentibus perſuadere deſtitit, quod ad hoc Studium omnes cogitationes ſuas converterent: alios allicere, alios hortari, alios manuducere ubique locorum ſolebat. Hinc regendæ Sæcularium nobili Congregationi, quam de Pace appellabant, præfectus cum fuiſſet, ad eam Univerſa pene Civitas illum audiendi gratia confluebat. Ad Urbem miſſus, ut Populo ſaluti eſſet, quem in Domino diligebat, novas artes meditabatur, quibus inſignia pietatis exempla ab Urbe cæterarum principe proficiſcerentur. Ob eam cauſam Humilitatis Congregationem in Eccleſia D. Caroli inſtituit anno 1611. quæ poſt ſæculum durat, in quam Patritiæ, & Principes Fœminæ conveniebant, & religioſe piis exercitationibus dabant operam. Noſocomia inviſere, ſuppetias ferre periclitantibus, eleemoſynas Pauperibus elargiri ipſi erat familiare, tantaque fuit hujus Congregationis opinio, ut brevi auctoritate Apoſtolica confirmata fuerit, & privilegiis Indulgentiiſque ampliſſimis donata: Qualibet die Veneris hora XXII. in Templum congreſſæ publicæ venerationi propoſita SS. Euchariſtia, & D. Caroli aliquot reliquiis, de Domini Paſſione ad ſemihoræ ſpatium diſſerentem audiebant, per quadrantem meditabantur, hinc canentibus Muſicis unum ex Pſalmis, quos Graduales vocant, aliquibus precibus exercitationi accommodatis, & hymno conſueto, accepta benedictione dimittebantur. Caroli Borromæi, in quo colendo erat Studioſiſſimus, cultum amplificaturus enixæ repetitis ſupplicationibus, Eccleſiæ ſuæ eidem dicatæ inſigne obtinuit ornamentum a Capitulo Baſilicæ D. Pe-

tri

tri, unum ſcilicet ex Vexillis ejus effigiem exhibentibus, quod ipſo die, quo Sanctorum Catalogo adſcriptus fuerat, Urbis, & Orbis venerationi fuerat expoſitum, quo conſecuto, ut ejus translatio ſplendidior, & ad Populum pie excitandum efficacior foret, religioſa admodum, celebrique pompa transferendum curavit: Inſtituta Supplicatio certo viarum ambitu circumſcripta, cui interſuere quatuordecim Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quatuor Epiſcopi, Prælati quamplurimi, Clerus & Populus frequentiſſimus, cum omnia gratiſſimo ſono, hymnis, Pſalmis, & tubatum etiam clangore perſonarent, ad Eccleſiam D. Caroli ventum eſt, & ibi honorificentiſſime eximium munus collocatum. Interea Clementis VIII. Pontificis juſſu Miſſione inſtituta, Oſtiæ portum, & ejus vicinitates cum P. D. Homobono de Bonis luſtravit, illius regionis incolas ad omnem virtutem vehementer accedens, & ſatagens, ut frequens Sacramentorum uſus reviviſceret. Tot, & tam magnis occupationibus diſtrictus pro animarum ſalute, & quidquid otii nanſciſci potarat totus erat in ſacris Ritibus, & Cæremoniis, nihil enim ad Divinum cultum pertinens non dignum arbitrabatur, in quo curam omnem, & diligentiam collocaret, nec diu optime inſtructus delituit; percrebreſcente enim in dies ejus eruditionis, & ingenii fama in Urbe, inter ſacræ Rituum Congregationis Conſultores adſcitus fuit: io qua tale principatum obtinuit, ut tanquam oraculum docti etiam Viri ipſum conſultum venirant; tum maxime quum in lucem editis in Miſſalis, & Breviarii Rubricas Commentariis, lectionibus pro Sanctorum Octavis, & aliquibus in Martyrologium animadverſionibus, eruditionis ſuæ fontes publici juris fecit. Memini audiviſſe me quondam a Religioſo viro affirmari, in publica ſui Conventus menſa lectum fuiſſe quoddam Pontificis Decretum, in quo, cum magna orta eſſet de ritibus diſceptatio; Pontifex ut litem dirimeret: quidquid Gavantus judicaſſet, ratum, ac firmum eſſe voluit, ſeque ejus ſententiæ ſuffragari dixit. Certe inter peritos Viros, quos Summi Pontifices Clem. VIII. & Urbanus item VIII. in Breviarii Romani Emendatione adhibuerunt, fuit & Gavantus, ut ipſe humillime de ſe ſentiens teſtatur Cap. 3. Sect. 2. in Rubricas Breviarii Romani his verbis – *Urbanus VIII. Pontifex Maximus adhibitis aliis peritiſſimis Viris, & me minimo inter eos, qui & adfui Clementinæ recognitioni &c.* Ipſum quoque multum opere profuiſſe in corrigeodis Tabulis de occurrentia & concurrentia ex Sect. 3. cap. 6. perſpicuum eſt. Illum proptarea chariſſimum habuit, & ſumma in exiſtimatione Urbanus VIII. & ejus ſuaſu Rituum Congregationi, quæ in examine vitæ, rerumque geſtarum illuſtrium ſanctitate Virorum, Cardinalium tantum, & Prælatorum ſuffragiis agebatur, quod lectiſſimi probative Doctores ex religioſorum Conventibus addereotur, ſancivit, inter quos ſua ſponte ipſum adeſſe voluit, & primum inter Regulares ſubſellium obtinere. Quum Romæ moris eſſet ſacra interdicere advenis Presbyteris, ni ſacrarum Cæremoniarum experimentum facerent, Gavanto id munus demandatum fuit; ipſoque abſente facultas facta Præpoſito Barnabitarum Romani Collegit, unum ex Patribus deligendi, qui ipſos ſacris ritibus erudiret, quem honorem Congregatio ob ejus labores obtinuit. In Generalibus Comitiis Mediolani habitis Anno MDCXXXII. quum nihil antiquius habereut Patres, quam ut rite ſacra peragerentur, & idem Ritus in ſuis Eccleſiis ſervaretur, intelligerentque neminem in bac arte cum Bartholomæo comparari poſſe: corrigendi, addendique munus in Cæremoniali ejus induſtrio hoc monito commiſere: *Variis diverſis temporibus mutationes, additiones, deletiones in Cæremoniali factas, cum tandem expediat ſuis in locis inſerere, ut typis committatur, electus eſt ad hoc munus peragendum P. D. Bartholomæus Gavantus.* Quod ita abſolutum numeris omnibus edidit, ut major diligentia nunquam fuerit deſiderata. His non eontentus, alios erudiendi ſtudio tenebatur, cum occaſiones omnes arripiebat, ut ad Ritus ſuos informaret, tum exteris aditum dabat ipſum ſciſcitatum conveniendi. Fortaſſe nimius, ac ſcrupuloſus aliquibus videbatur, cum minima quæque errata reprehenderet: nec publicum ſubire periculum ſui ordinis, Clericos, & Sacerdotes facile patiebatur, quos, & probe tenere ritus, & privato experimento accurate exequi, ipſi non eſſet perſpicuum. Manuale Epiſcoporum componere aggreſſus brevi abſolvit, & libros de Viſitatione, & Synodo luculentos addidit, volens Præſulibus, & Parochis gratificari, in quibus ita dilucide, ac diſtincte omnia, quæ Viſitationis tempore peragenda ſunt, quæque Synodo cogendæ, ordinandæ, ac diſſolvendæ neceſſaria, perſecutus eſt, ut nihil ante id tempus fuerit accuratius publicæ utilitatis gratia conſcriptum. Quibus editis Libris egregium adeo nomen conſecutus eſt, ut in ore omnium eſſet Gavantus. Multi Cardinales, & Epiſcopi ejus teneri deſidario cæperunt, & ipſum literis petere, ut eorum Synodis præſens omnia rite diſponeret, ſeque beatos prædicabant, cum ab ipſo Romæ tot occupationibus præpedito, hoc poterant obtioere. Cremonam ſe contulit Cardinali Campori, Neapolim Cardinali Franciſco Boncompagno, Spoletum Cardinali Alphonſo Vicecomiti, Ferrariam Cardinali Magalotti, Peruſiam Neapolioni Comitolo, Eugubium Carpegnæ, Mutinam Rangoni Epiſcopis, ut morem gereret, quorum Synodis ut Rituum Magiſter præfuit. Derthonæ etiam, ac Novariæ interfuit Synodis, a Coſimo Doſſenio, & Carolo a Baſilica Petri coactis, qui ejus opera frequentius utebantur, quum fraterua quædam cum ipſis intercederet neceſſitudo, quod Clerici Regulares ejuſdem Congregationis, Epiſcopi fuerint renunciati; ſecundi etiam Synodum edendam diligenter curavit. Præterea Card. Bonviſius Barit Archiepiſcopus, Patavinus, Cremenſis, Aſſiſienſis, & Ariminenſis Epiſcopi, dum Diœceſes inviſerent ſuæ commiſſas ſollicitudini, ipſum comitem adhibuere, ut Clerum iis ſtudiis, quibus ipſe exellebat, imbueret. Cum Romæ moraretur Card. Tiberius Muti frequenter ipſum adibat, dubitationes proponebat ſuas, & ab ejus reſponſis ne latum quidem unguem, diſcedebat. Cardinalis Aſculanus cum Maceratæ celebri pompa Sacra facere aggrederetur, Clericos ſuos, & Cæremoniarum Magiſtros commonefecit his verbis: *Gavantus præſens eſt*. Nec intra Italiæ oras ejus fama contineri potuit, ſed ad remotiores Provincias pervaſit. Germaniam primo, dein Galliam penetravit. Cum Eminentiſs. Card. de Arach Pragenſis Archiepiſcopus ſibi maxime neceſſarium eſſe intelligeret abuſus complures, qui negligentia, & incuria quadam in Eccleſiam ſuam irrepſerant, tollere, & Eccleſiæ ſuæ Ritus ad Romanæ Eccleſiæ Cæremonias conformare, ſæpe illum invitavit per Epiſtolas, comitatis plenas, ut Bohemiæ iter aggrederetur. Neque ullis Gavanti excuſationibus moveri potuit, ut a propoſito diſcedaret, eum Pragam invitandi. Tandem pene litteris ejuſdem Principis obrutus, Urbanum VIII. ſupplex adit, precaturque ut poteſtatem ſibi faciat Roma diſcedendi, ut tanto Præſuli obſequaur: Poſtulata tamen facere noluit Pontifex, ſed *Reſcribe*, inquit, *te auctoritate noſtra Univerſæ Eccleſiæ beneficio in Breviarii Romani emendatione occupatum*. Meliori conſilio uſus eſt P. Bondier Gallus ordinis S. Benedicti, eruditione cum paucis conferendus, qui ſex vicibus Romam Pariſiis venit, cum ut Sacrarum Cæremoniarum uſum ediſceret, tum ut librum de Ritibus, quem typis committere meditabatur, ejus ſententia, quæ plurimi apud intelligentes erat, firmaret; In cujus præfatione quanti ipſum faceret, declaravit hri verbis; *Juravi iu verba hujus Magiſtri, & ab omnibus colendi, qui poſt ipſum de Sacris ritibus, & de Morali Theologia egerunt*. Quod ſi ſerius ſupremum diem obiiſſet, ab univerſo Galliæ Clero poſtularus fuiſſet, ut Pontificale Gallicum emendaret, quod multi illius Regni Epiſcopi ſummopere exoptabant. Sed urinæ copia, & difficultate morbum periculoſum nactus, Mediolani in lectum decidit, integris tamen ſemper ſenſibus. Cardinalis Trivultius, cujus erat in amicitia, ipſum inviſit extremis diebus, cui il-

le

le in cubitum nixus pro tanto beneficio gratias humiliter egit, tantam humanitatem in Viro Clariſſimo multis commendans. Hinc Medicorum conſilio in cubiculo deambulare conatus eſt duobus innixus Patribus, qui ipſum viribus pene deſtitutum ad latera ſuſtentabant. Expleta brevi ambulatiuncula: *Nunc cubitum eatur*, dixit, *extrema inſtat virium defectio*. Hæc ſemihoræ ſpatio, antequam animam efflaret, protulit: Quo tempore Supremus Congregationis Moderator ſuperveniens a ſtudiorum recognitione, ut valeret, interrogavit, cui ille: *Morti proximus, quum tamen quinquaginta annis ſub obedientia vixerim, non petita facultate, & Paternitatis tuæ benedictione diſcedere haud poteram.*

Interea ingraveſcente morbo Patres ipſum extrema unctione munire feſtinabant. Accidit autem quod quidam miniſtrabat, partim dolore, partim periculo actus, palmas, ut moris eſt in ſæcularibus viris, vellet inungere, quas ille invertens, inquit: *Dorſum manus Sacerdotibus fas eſt illinire*: In quibus verbis Rituum Sacrorum Magiſtro maxime congruentibus deceſſit, ætatis ſuæ anno LXVIII. Domini vero MDCXXXVIII. pridie feſtum Aſſumptæ in Cœlum Virginis, in qua colenda, præterquam quod diebus ſingulis ipſius officium recitabat, & precationem, quam Coronam vocant, adhibebat; nullum ſtudii genus vitæ ſuæ curſu prætermiſerat, quo ejus dignitatem amplificaret, ſepultuſque eſt in Eccleſia D. Barnabæ. Gavanti ſtatura mediocris fuit, forma elegans, matura ætate venerationem conciliabat. Frons ampla, & prominens; ſubrubeus Capillus, & barba, Naſus aduncus, magni oculi, & ſubnigri, erecta Cervix, omnia denique ad multam auctoritatem a natura ei accommodata. Robuſtum Corpus ſortitus, tam proſpera uſus eſt valetudine, ut fere numquam medicina indiguerit; ſique ei clauſum repente non fuiſſet ulcus fluidum in crure, quo redundantes expellebat humores, in annos plurimos vitam producturum periti viri judicaverant, ſed ad finem perductis multo cum detrimento Ferrariæ, & Cremæ Synodis, verſis in urinam humoribus, eaque per totum corpus diffuſa, paucis diebus copia pene ſuffocatus fuit. In dictis cum ſuis jocabatur relaxandi animi gratia ita ingenioſe, & feſtive, ut ejus conſuetudinem omnes appeterent, venuſtis enim ejus, argutiſque facetiis mira voluptate capiebantur. Nec tantum in ſacris Cæremoniis illuſtrandis vitam traduxit, ſed quod præcipuum eſt, virtutibus animum exornare ſtuduit ſemper, & præter quæ ſparſim in ejus vita attigimus de ſalutis animarum zelo, de perpetuo Dei cultus ſtudio, de ſingulari in Beatam Virginem obſequio; quæ Deo voverat Religioſorum more, quamdiu vixit religioſiſſime ſervavit. In Choro cæteriſque Eccleſiaſticis functionibus aſſiduus, quamvis Conciones habere, Præſulibus inſervire in Diœceſum viſitationibus, & Synodis frequentiſſime deberet. Humilitatem mirifice coluit. Etſi enim Summis Viris, Epiſcopis, Cardinalibus, Pontificibus acceptiſſimus eſſet, innumeræque Civitates, & Ampliſſimi Præſules ejus deſiderio flagrarent, ſummis honoribus afficerent, ipſe tamen nihil ſibi in tanta Doctrinæ fama arrogare, ſed Deo acceptum referre cum gratiarum actione ſolebat. Corpus affligebat ſuum, ac inter cætera flexis ſemper genibus officium perſolvebat, nec unquam ſedendi facultatem a Præpoſitis petiit, vel ipſe Superior commodis ſuis indulſit, licet ob nervorum vitium in cruribus ſtare non poſſet. Eximium extremo vitæ ſuæ tempore tolerantiæ dedit exemplum; Vexatus acerbiſſimis doloribus numquam queſtus eſt, & quum rogaſſet qui aderant, ut ſibi auxiliarentur, quo ſe poſſet in aliud latus componere, doloris acerbitatem pauliſper moderaturus, ſtatim poſtulata corrigens; *Heu*, inquit, *morti proximus delicias quæro*. Studiorum fuit egregius Cultor, & amplificator, & præter Conciones, & libros typis commiſſos, quos ſupra ſignificavimus, de Capituli Generalis mandato vitam, & res geſtas Venerabilis Servi Dei Coſimi Doſſenii, primum Generalis Cler. Reg. S. Pauli, dein Derthonenſis Epiſcopi, Italica lingua deſcripſit; quæ calamo exarata in Tabulario ſupremi Moderatoris aſſervatur. Ejus tandem virtuti Congregatio nonnulla debet conſtituta Collegia. Cum enim Genuæ Quadrageſimali tempore Conciones habuiſſet, invitatus a Card. Horatio Spinula Archiepiſcopo, tantum cuivis hominum generi placuit, ut eum Ordinem expetere cæperint vehementer omnium vota, & libens Reſpublica facultatem ultro faceret in ea tam celebri Urbe commorandi, & Collegii ædificandi, cui ipſe primus præfuit. Fulginei idem accidit; Expleto Quadrageſimali labore certatim ei varias Eccleſias, ac pia loca Cives offerebant, ut domum ibi conſtrueret: Placuit Bartholomæo locus, quem Miſericordiam nuncupabant, & cum jacta eſſent noſtræ Eccleſiæ fundamenta curavit, Carolo Borromæo dicatam erigi, ut in Umbria unam ſaltem Eccleſiam eximiæ vir ſanctitatis obtineret: Quod teſtatur Ughellus in Italia Sacra his verbis: *Porphyrius Felicianus Patribus Barnabitis locum Fulginei fecit, qui ædificato Templo, primi in Umbriam S. Caroli Cardinalis invexere venerationem*. Interim in veteri Eccleſia ſæpius concionari, ſacras obire exercitationes, Sacramentorum uſum promovere, & ardenti quo flagrabat zelo, aſſidua ſollicitudine, & conatu omni animarum lucra quærere cæpit. Sed (ut frequentiſſime aſſolet) non abſuit bene actis invidia, & livor. A quibus minus debuerat, maledictis, contumeliis, falſiſque criminibus impetitus, abſente Epiſcopo, Romam profecto, etiam a Concionibus habendis, & Confeſſionibus excipiendis, prohibitus, & interdictus fuit. Sed brevi virtus invidiam ſuperavit. Quandoquidem ad Eccleſiam reverſo Epiſcopo, quum pene univerſa Civitas ejus cauſam ageret, cognita criminationum falſitate, non modo utraque ei reſtituta facultas; ſed multis laudibus ejus ſtudia approbata fuere: quapropter quotidie miniſtrare Sacramenta; & diebus Feſtis Evangelia exponere, & rudioribus elementa fidei explanare, quandiu Fulginei manſit, conſuevit diligentiſſime. Tantis autem vexationibus circumventus inſigne habuit ſolatium, amicitiam ſcilicet V. P. Jo: Baptiſtæ Vitelli Fulginatenſis (Patrem enim Cives appellare; & D. Philippus Nerius Sanctum conſueverat, quamvis vir eſſet Sæcularis) cujus ope, & Auctoritate in tanto diſcrimine facilius invidorum artes deluſit, quod nobis ejus probitatis argumentum eſt ſingulare, qui in intimam tanti Viri familiaritatem venire potuit, & ejus Patrocinio defendi. Peruſinum etiam Collegium ejus nomini attribuitur: Enimvero Neapoleo Comitolus, qui Romæ ipſum noverat, idoneos Miniſtros Eccleſiæ ſuæ comparare volens, Colleg. Cler. Reg. S. Pauli munifice Peruſiæ erexit, & duos ex illis in Majori Eccleſia ſacræ Pœnitentiariæ perpetuo munere decoravit, tantique Bartholomæum fecit, ut totius Diœceſis viſitationem ampliſſima facta facultate res omnes ſacras recognoſcendi, ipſi committere non dubitaverit, quam ille quadraginta dierum ſpatio feliciter abſolvit. Nec favere deſtitit ullo unquam tempore ejus exiſtimationi Congregatio, ſed ejus amplificare dignitatem ſtuduit ſemper. In præpoſitum electus fuit Collegiorum S. Pauli Bononiæ, S. Erculani Peruſiæ, S. Alexandri Mediolani, S. Pauli Genuæ, S. Mariæ Lauretanæ Spoleti, S. Caroli Fulginei, in quorum adminiſtratione, & majorum inſtituta obſervari curavit diligentiſſime, & rara facilitate uſus eſt. Dein Provincialis Romanæ Provinciæ, & Viſitator Generalis, pluries in Generalibus Comitiis Cancellarii munere functus; Poſtremo Aſſiſtens Generalis creatur; quo in munere finem vivendi fecit, & Congregationi, quæ ejus memoriam æternam ſervabit, Eccleſiæ & ſummis Pontificibus, qui ut tanti viri merita remunerarentur, alios elegerunt ex eo ordine diverſis temporibus, qui ejus locum in Rituum Congregatione occuparent, & ſuperioribus annis Benedictus XIII. perpetuum Conſultoris Officium in Barnabitarum Congregatione decrevit; poſtremo bonis omnibus, & eruditis ſui deſiderium reliquit. Ultra hæc pauca, quæ breviter attigi, alia non pauca, nec levia de hoc viro, fama, & traditione loquente, commemorare audivi: Sed nihil quod finem ſcribentis in dubium vocare poſſet in medium proferre volui,

ma-

maluique ſobrius haberi, ſed verax, quam nimis facilis, & credulus. Scio in ea illum vixiſſe Congregatione, quæ virtutes colat magis, quam jactet: Atque ideo, plura me, juſſum præſertim ea, quæ poſſem, properato colligere, latere potuiſſe. Ipſe ſibi ſufficiens, ultra innumeros, qui de illo cum laude ſcripſerunt, Laus, & Commendatio eſt. Præclariſſima, quæ Gavantus edidit Volumina, ſunt hæc;

I. THeſaurus Sacrorum Rituum, ſive Commentaria in Rubricas Miſſalis, & Breviarii, *quibus denuo impreſſis addidit utiliſſimas Appendices. Romæ Typis Cam. Apoſtol. 1627. Tom. II. in 4. ibid. 1630. Pariſiis 1652. & alibi pluries, atque recentius Romæ cum notis Cl. Hieronymi Baruffaldi, editio recuſa Auguſtæ Vindelicorum. Anno vero 1736. 1737. 1738. vol. IV. in 4. prodiit Romæ apud Salvionum peregregia editio Gavanti noſtri, nempe hoc titulo:* Theſaurus Sacrorum Rituum: „ ſæpius editus, nunc „ vero correctior, & locupletior adjectis Summorum „ Pontificum, & S. R. C. Decretis uſque ad præſens „ emanatis noviſque Obſervationibus, & additionibus Cajetani Mariæ Merati Clerici Regul. ejuſdem Sac. Rit. „ Congreg. Conſultoris " *T. I. & II. complectuntur Gavanti Commentaria in Rubricas Miſſalis, reliqui duo habent Commentaria ad Rubricas Breviarii Romani, Ordinem perpetuum, & generalem recitandi Divini Officii, Gavanti vitam, & Indices Auctorum, quibus uterque Auctor uſus eſt.*

II. Obſervatorium Romanum. *Bononiæ* 1624. *in* 8. *Neapoli, Pariſiis, & alibi.*

III. Enchiridion, ſeu Manuale Epiſcoporum. *Romæ apud Cavallum* 1631. *in* 4. *Pariſiis, Venetiis, apud Junctas cum additamentis* 1652. *& alibi.*

IV. Additiones ad Manuale pro Viſitatione Diœceſis *atque* Synodis condendis (*mortuo jam Gavanto*). *Romæ* 1638. *in* 4. *& Pariſiis* 1639. *& ut ſupra* 1652.

V. Cæremoniale Clericorum Reg. S. Pauli. *Mediolani apud Malateſtam. II. edit.* 1713. *in* 4.

VI. Ordo perpetuus recitandi Divinum Officium. *Venetiis, & Romæ.*

VII. De Synodo Diœceſana. *Romæ apud Caballum* 1628. *in* 4.

VIII. Prediche Quadrageſimali dell' Avento, ed Autunnali. *Has omnes editurus erat, ut teſtatur Leo Allatius in* Apipus Urbanis.

IX. Predica nella traslazione delle Ceneri di S. Giambattiſta. *Genova* 1608. *in* 4.

X. Ragionamento nella Coronazione del Sereniſſimo Agoſtino Pinello Doge di Genova. *ivi* 1609. *in* 4.

XI. Diſcorſo nel giorno Anniverſario dell' unione di Genova. *ivi*. 1606. *in* 4.

XII. Orazione, dell' Umiltà di San Carlo. *Milano* 1607. *in* 4.

XIII. Regula recreationis Cler. Reg. S. Pauli *MS. penes ſuos.*

XIV. Vita Coſmæ Doſſenæ Epiſcopi Derthonenſis *MS. ut ſupra.*

XV. *Schedæ quædam* de Viris illuſtribus Congreg. S. Pauli *MS. in fol. ibid.*

XVI. *Epiſtolæ plures de Sacris Ritibus ad Cardinalem Federicum Borromæum anni MDCV. & MDCVI. cum reſponſionibus. Extant in Collectione Ambroſiana alibi citata.*

XVII. *Aliæ II. autographæ ad Franciſcum Caſatum de Ritibus Eccleſiaſt. altera xv. Junii MDCXXX. altera xxvi. Julii MDCXXXI. Romæ datæ ſunt. MSS. penes amiciſſimum Canonicum Jo. Andream Iricum.*

XVIII. *Carmina varia, ex Allatio loco citato ſic*: Adoleſcens mitiores etiam coluit Muſas, modo in Senium vergens ſacris interdum carminibus ludit.

XIX. Vita & Res geſtæ S. Pauli Apoſtoli. *Extat in editione Commentariorum in Rubricas Miſſalis, & Breviarii. Romæ* 1618. *in fol.*

XX. S. Bartholomæum eſſe Nathanaelem Diſſertat. *Extat ibidem.*

XXI. *Inſcriptiones & Elogia tam Italico, quam Latino, atque Græca Sermone conſcripta occaſione Viſitationis Collegii S. Barnabæ a Cardin. Fed. Borromæo peractæ ut diximus ita in vita ejuſdem Gavanti.*

XXII. Orazione ſopra la pace detta in Roma. *Ex eadem Vita.*

XXIII. Brevi Diſcorſi ſopra la Paſſione del Redentore recitati nella Congregazione dell' Umiltà in Ruma. *Ex eadem Vita.*

*In Catalogo Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi T.* 1. *pag.* 321. num. 390. *legitur*: Claudii Arnaud Epitome Theſauei Sacrorum Rituum Selecta quæque notatu digniſſima ex animadverſionibus Bartholomæi Gavanti in Rubricas Miſſalis, & Breviaeii Romani continens, adjectis quibuſdam notulis ad earumdem intelligentiam. *Venetiis apud Junctas* 1644. *in* 24.

*Extant de Gavanto Epigrammata duo: primum eſt Franciſci Rugerii Congreg. de Somaſcha, alterum Alexii Ledeſmæ.*

*Omnia fere ejus opera in unum volumen edita fuere Pariſiis per Jo: Poſt Via Jacobea ſub ſigno S. Spiritus* 1652. *in cujus editionis Præfatione magnis celebratur encomiis, ſicuti ab Auguſtino Barboſa in Opere* de Canonicis, & de Officio Parochi: *A Jo: Petro Creſcentia in* Præſidio Romano, *ab Andrea Victorello, a Leone Allatia in Libro* Apes Urbanæ *pag.* 59. *a Philippo Picinello in* Athenæo *pag.* 69. *A Carolo Gueto Soc. Jeſu in ſua* Heortologia, *a Michaele Bauldry in* Manuale Sacrarum Cæremoniarum, *a Macro in* Hierolexico, *a Moreria in* Lexico, *nec non a P. Bendier Benedictino Caſſinenſi Gallo ſupra relata.*

# DE VITA ET SCRIPTIS
# CAJETANI MARIÆ MERATI
## CLERICI REGULARIS

*Sacræque Rituum Congregationis Conſultoris*

## COMMENTARIUM.

CAJETANUS MARIA MERATUS Caroli Merati, ac Jacobinæ Bergontiæ honeſtæ apud Venetos originis, nonnulliſque ex Patritiis familiis ſanguine junctæ Filius, tertio nonas Decembris, anni 1668. Venetiis natus, ſpretis ipſo ætatis flore mundi illecebris, Clericis Regularibus, Caroli Fratris natu majoris exemplar ſequutus, adſcribi voluit, votaque ſolemnia in S. Nicolai Tolentinatis duodecimo Calendas Septembris anni 1685. emiſit, aſſumpto Cajetani Mariæ nomine, cum illud Dominici ſacris undis accepiſſet, Philoſophicis, Theologiciſque eruditus diſciplinis, Græcæque linguæ inſtructus rudimentis, Philoſophiam & ipſe ſuos ſodales Florentiæ docere juſſus, clarorum virorum illius Civitatis ſcientiarum altricis gratiam ſibi conciliavit, quos inter commemoratione dignus eſt Antonius Magliabechius, Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarius literatiſſimus ac celeberrimus, cujus conſuetudinem, quoad vixit, litterario coluit commercio. (*a*) Pergratam tunc nactus eſt occaſionem experimentum capiendi de præſtantiſſimo Angeli Mariæ Quirini ingenio, qui publica Philoſophicis de rebus diſputatione jam tum ab adoleſcentia ſuos inter Monachos Caſſinenſes magnam ſui ſpem excitarat, quemadmodum & ipſi Quirino pergratum contigit ſuos inter Adverſarios Meratum habere, cujus rei memoriam poſteris ipſe conſignare voluit Quirinus, Cardinalis deinceps immortalis memoriæ. (*b*) E Philoſophicis translatus ad Theologicas tradendas in urbe Roma diſciplinas, quinquennio ſumma cum laude Theologiam Scholaſtico-Dogmaticam profeſſus eſt. Venetias inde reverſus formandis totum ſe dedit, ex Clericorum Regularium inſtituto, mortalium moribus, tum ſacris concionibus, tum conſcientiis temperandis, ultimoſque mittentibus anhelitus ope omni adjuvandis, nullis parcens laboribus, nullis deterritus impedimentis, incommodiſque. Quamobrem cum apud alios Venetos Patritios magnam ſibi exiſtimationis laudem collegit, tum vero maxime apud Franciſcum Cornelium Senatorem ampliſſimum, qui ad Annam Anglorum Reginam Veneti Senatus nomine Orator deſtinatus, Meratum difficili ea in legatione comitem voluit, ſuæ conſcientiæ rerumque ſacrarum, quæ Londinenſi in Palatio Venetis Oratoris forent adminiſtrandæ, ob quas ſex e clauſtris delegerat probatos viros, moderatorem. Quamobrem Meratus ſpe ductus nonnullius utilitatis afferendæ tum Catholicis, qui magno numero apud Londinenſes habentur, tum Proteſtantibus, Cornelio viro & oratione gravi & auctoritate, ſuaviſſimis quoque moribus ornato, morem gerere decrevit. Menſe itaque Julio 1705. Londinum ut univerſi pervenere, tantam in perſolvendis divinis laudibus, in Sacrarum rerum tractatione, in precum ſtudio Religionem præſetulit, ut non ſolum homines Catholicæ communionis, verum etiam ejuſdem Adverſarii, qui frequentes Venetum Oratorem veniebant ſalutatum, ejuſdem ſacellum haud raro inviſerent, Meratum ſacram liturgiam tanto animi vultuſque cultu peragentem inſpecturi, atque vel inviti veneraturi. Ad hæc crebras habebat modo in Veneti, modo in aliorum Principum Romanæ communionis Oratorum Sacellis Italica lingua Conciones, partim veriſſima confirmanda noſtra Religione, partim vindicandis ab Heterodoxorum cavillis Romanæ Eccleſiæ dogmatibus, partim denique caſtis moribus ſuadendis; quas ipſe conciones neglecto ſermonis cothurno, compoſitaque oratione, plauſuque populari, Sacræ Scripturæ veritate, ac floſculis exornare ſolebat, depromptis identidem rationum momentis ex ipſis penitioris Philoſophiæ ſontibus; unde oratio ſententiarum gravitate, verborum ponderibus, argumentorumque vi adeo apta erat atque robuſta, ut Pruteſtantes ipſi ſæpe eam admirarentur, Catholici vero laudarent aſſenſu tanto, eorum ut animos ſibi devinceret, eorumque arbiter eſſe videretur. Tribus ferme annis in Anglia tranſactis Italiam ipſe repetiit, ob aeris inclementiam; Cornelius enim legationem nondum abſolverat. Venetias delatus ad priſcum vitæ genus rediens, nihil viro impigro jactura temporis moleſtius, otii impatiens, quidquid illi a regularis diſciplinæ uſu, atque æternæ animarum ſalutis procuratione ſupererat temporis, legendo, ſcribendoque tranſigere ſolebat. Demiſſe tamen de ſe ſentiens nulla ratinne adduci potuit, ut provinciam etſi ſplendidam, multumque rei Catholicæ profuturam in ſe ſuſciperet, Fridericum nempe Saxoniæ Electorem, Poloniæ deinceps Regem, Romanæ communionis, ad quam accedere cogitabat, præceptis inſtruendi: ad quod onus cum ob ſcientiæ cognitionem, rerum gerendarum peritiam, tum ob ingentem veræ Fidei dilatandæ ardorem exquiſite obeundum parem cognoverat Michael Barbius Cl. Reg. qui a Cardinali Franciſco Pignatello juſſus fuerat, aliquem ut ex ſua Teatinorum Familia in eum finem ſeligeret: qui quidem honos tanti habendus foret, ut in Sacrum Cardinalium Senatum fuerit cooptatus Joannes Baptiſta Salernus S. J. ad eam deinceps ſpartam delectus. Hoc ferme tempore parum abſuit, quin a triumviris Patavini Licæi moderatoribus Hieronymo Textorio Monaco Caſſinenſi publicus S. Scripturæ Profeſſor ſufficeretur. Facere tamen non potuit, quin Domus Sancti Nicolai Tolentinatis Præfecturam anno 1713. ſuſciperet, qua triennio adminiſtrata ſingulari prudentiæ laude, vigilique veteris obſervantiæ cuſtodiendæ ſtudio, Romam Comitiis Ordinis Generalibus interfuturus ſe contulit. In iis Generalis noſtræ Congregationis Procurator electus munera omnia obi-

(*a*) Extant Merati ad Magliabechium Epiſtolæ aliquot inter Epiſtolas Clar. Venetorum ad Magliabechium, Florentiæ anno 1746.
(*b*) Quirinus Commentario de rebus ſuis T. 1. p. 15. Brixiæ 1749.

Digitized by Google

obivit ita diligenter, ut non ſolum noſtratibus, verum etiam ſummo ſe probaverit Hierarchæ, univerſoque ſacro Collegio, ſacris potiſſimum concionibus, quas prima magni jejunii Feria Generalis Cl. Reg. Procurator in Sacra Quirinali Æde quotannis latine habere debet. Perfuncto eo munere, cum in CLEMENTIS XI. conſpectum una cum reliquis, qui Comitiis Generalibus interfuerant, Patribus veniſſet, Pontifex Maximus ingeniorum ac virtutum exiſtimator optimus, benevoloque in Clericos Regulares animo, cum univerſam familiam, tum vero Meratum maxime commendavit, quem ad ſe vocatum, honore ſane ſingulari, in Conſultorum numerum cooptavit Sacræ Congregationis Rituum. Huic addictus Congregationi ea ingenii vi, doctrinarum pondere, ſacræ eruditionis copia propoſitas quæſtiones verſare cœpit, ut quoties ad auguſtos Patres referret, eorum animos mirifice ſibi intentos experiretur, ejuſque reſponſa cæteris ut plurimum præferri contingeret. Quamobrem ſimul doctus celebratus a doctiſſimis, quibus Romana Urbs florere ſolet, ſimul doctior ex eorum conſuetudine evadens, in omnium exiſtimationem cum veniſſet, ipſa illuſtriora Eccleſiæ Capita in rebus graviſſimis eum conſulere, ejuſque uti opera & calamo conſueverunt. Vallemanus imprimis, Albanuſque ſenior Pontificis ex Fratre Nepos Cardinales ornatiſſimi, ſtudiorum Collegii Romani S. Bonaventuræ, ( uti dicunt ) Examinatoris munus, quod clarioribus conferri ſolet Theologis, ei contulerunt. INNOCENTIUS deinde XII., qui poſt CLEMENTEM XI. ad Summi Pontificatus apicem pervenerat, Londinenſium, quos ſupra commemoravimus, quoſque typis tunc Meratus vulgarat (*a*) ſermonum lectione mirifice captus, plurimi eum fecit, perinde ac CLEMENS XII. Innocentii in Cathedra Petri Succeſſor. Affixus adeo litteris, Congregationiſque negotiis, adminiſtrare tamen Ordinis munera denuo oportuit, cum ſemel a Congregatione ſua, ac iterum a Summo Hierarcha CLEMENTE XII. juſſus a conſiliis eſſe ſupremi Præſidis. Tantam ejus eruditionem una cum acri vividoque ingenio animadvertens Proſper Cardinalis Lambertinus vir doctiſſimus, auctor ei fuit, Opus ut Gavanti *in Rubricas Miſſalis, Breviariique Romani* novis acceſſionibus, criticiſque obſervationibus illuſtraret. Quod opus brevi a Meraro completum typiſque Romanis vulgatum, ut ab ipſomet accepit, perlegitque Lambertinus, PONTIFEX deinde MAXIMUS BENEDICTUS XIV. vocatus, ſuo de conſilio gloriatus eſt ſæpius cum apud alios, tum vero maxime apud Joannem Meratum Cajetani ex fratre Nepotem, qui ob præclaram ſcientiarum cognitionem, rerumque gerendarum peritiam, noſtræ & ipſe Congregationis Conſultor electus eximia BENEDICTI XIV. in ſe benevolentiæ argumenta expertus eſt. Laudavit inſuper ſuis in operibus, quam ſæpiſſime Meratianum opus idem BENEDICTUS XIV. a quo laudari ſumma laus eſt: atque ex hiſce ejus laudibus illa eſt animadverſione digna, qua Merati fidem in exhibendis Decretis ita commendat: *Queſto Decreto è nell' Indice de' Decreti al num.* 282. *ſtampati dopo la Parte Seconda del tomo I. dell' opera del P. Merati, Indice molto eſatto, e compoſto ſu i Regiſtri della Sacra Congregazione de' Riti* (*b*). Quæ Pontificis auctoritas, vel ipſa ſatis eſſe poteſt ad labefactandas præcipuas, quas Merato objecit Michael Cavallerius, vir cæteroquin doctus, criminationes (*c*). Cæterum Lambertinus ſtatim ad Summi Pontificatus apicem ut pervenit, de Merati ſalute certior fieri voluit, quem cum intellexiſſet paullo ante apoplexia ictum, ægre tulit, præſentiens occaſionem ejus pro meritis, proque ſingulari ſuo erga eum amore ornandi, ſibi oblatam. Nihilotamen minus ægrotum honeſtare voluit cum frequentibus, iiſque nobiliſſimis ad eum miſſis ſuo nomine ſalutandum nuntiis, deque ſua ægritudine perſcrutantibus, tum Pontificia ſua Majeſtate ſemel, iterum, ac tertio ad ædes S. Silveſtri ægrotum ipſum inviſendo, ſanctiſſimiſque verbis recreando, Pontificiaque conſolando Benedictione. Præterea homine vita functo, uni ex Clericis Regularibus locum conſtituit in Congregatione Rituum perpetuo duraturum, quem Theatinis honorem ob præclara in primis merita ſe conferre profitetur Pontifex Cardinalis Thomaſii & Cajetani Mariæ Merati. Sed ipſum præſtat Pontificis Diploma hic exſcribere:

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

*INſignem Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum familiam, dum olim minores dignitatum gradus tenebamus, eo, quo par erat, benevolentiæ & amoris ſtudio adeo proſequebamur, ut in hoc Sacroſancti Apoſtolatus Apice, licet immeriti, modo conſtituti, majoribus Apoſtolicæ noſtræ charitatis, benignitatiſque teſtimoniis complecti ſummopere optemus; in hanc vero cogitationem animum noſtrum jure & merito inducunt luculenta pietatis & religioſæ perfectionis exempla cum ſacrarum doctrinarum ſplendore, atque æterna Animarum ſalute conjuncta, quæ ab initio illius inſtitutionis in Catholicæ Eccleſiæ utilitatem verbo & exemplo in dies proferre pergunt Religioſiſſimi ejuſdem Alumni. Poſtulant enim & a Nobis expectant illi præcipue Viri, qui huic familiæ nomen dederunt, & cujus gloriam longe lateque propagarunt, ut juſtos & debitos honores eiſdem perſolvamus. Unus inſtar omnium enituit, Nobis ( quod ſemper maximi faciemus ) ſumma neceſſitudine conjunctus, immortalis memoriæ Vir & Venerabilis Dei Servus Joſephus Maria dum vixit S. R. E. Presbyter Cardinalis Thomaſius nuncupatus, doctrinæ præſtantia, morum ſanctimonia, & auſteriſſima vivendi forma clariſſimus & ſpectatiſſimus, qui ſummo genere natus, adoleſcens adhuc, jure prioris hæreditatis abdicato, humaniſque rebus valere juſſis, præclarum hoc inſtitutum amplexus eſt, & ex uberrimis Patrum fontibus, & ex veneranda antiquitatis codicibus ſtudia, vigilias, omneſque elucubrationes ſuas in Proximi commodum, & in Eccleſiæ præſidium derivavit. Alter vero Cajetanus Merati non ita pridem ejuſdem veſtigia attingere alacriter ſtuduit, & egregia ſuæ eruditionis ſpecimina, quæ omnium judicio probantur, & manibus teruntur, ſcriptis etiam mandavit. Cum igitur a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris quamplurima prodierint exempla Nobis ad imitandum relicta, quibus in hac Alma Urbe Noſtra alia Officia nonnullorum Religioſorum Conventuum Alumnis ita ſemper addixerunt, ut munera hujuſmodi, tamquam ſibi debita vindicantes, eorum Præſides, quo laudabilius exercerentur, optimum quemque ſuorum omni ſtudio, atque cura conquirerent. Hinc eſt, quod Nos motu proprio ac ex certa ſcientia & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine volumus, ac decernimus, ut deinceps perpetuis*



(*a*) Venezia 1721. (*b*) De Sacrificio Miſſæ p. 424. Patavii 1747.

(*c*) Adverſus Cavallerii opus inſcriptum: *In authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta Comment. T. I.* &c. librum Italice vulgavit Venetiis ann. 1755. ſub nomine *Carlo de Ponivalle* Joſeph Meratus Cl. Reg. Cajetani conſanguineus.

*futuris temporibus unus ex Conſultoribus Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſita, ſuccedente illius pro tempore vacatione, uni ex Congregationis dilectorum Filiorum Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum profeſſoribus concedi, & aſſignari debeat. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non prædictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenore præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Martii MDCCXLV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.*

D. Cardinalis Paſſioneus.

Verum eo ut redeamus unde diſceſſimus, Meratum Occidentalium Liturgiarum collectionem, novaſque in reliqua Gavanti opera ad ſacros Ritus ſpectantia illuſtrationes molientem apoplexiæ ictus anno 1740. invaſit, incomodaque quadriennio uſus valetudine, natura tandem fatiſcente, recentique ictu correptus obiit in oſculo Domini anno 1745. ſexto Nonas Septembris Nativitati Virginis Mariæ, quam omni colebat ſtudio, ſacro, inclinato jam in poſtmeridianum tempus die. Selectiſſimam reliquit librorum ſupellectilem, ad res imprimis Liturgicas facientem, quorum numero haud parvo Pontifex ipſe ſuam locupletare voluit Bibliothecam. Quanta porro cum laude Commentaria in Gavantum emiſerit celebriorum elogia virorum oſtendunt. Ea enim magno ſibi uſui fuiſſe ingenue profitentur præter Benedictum XIV. quamplurimoſque alios, Joannes Hieronymus Gradonicus Cl. Reg. *in diſſertatione de nova operum S. Gregorii Magni editione* (a) Spiridion Talù in collectione Decretorum autenticorum Sac. Rit. Congregationis (b) & Robertus Sala Abbas Ciſtercienſis, qui Cardinalis Bonæ Opera illuſtraturus integras pro re nata Meratianas inſerere Obſervationes operæ pretium exiſtimavit (c): oſtendunt inſuper quamplurima Operis Epitoma, (d) inter quæ duo ſunt præſtantiora, quorum alterum ea dumtaxat complectitur, quæ ad Cæremonias Hebdomadæ Majoris ſpectant; alterum vero univerſi eſt operis (e). Illud ipſum repetitæ confirmant etiam extra Italiæ limites, (f) editiones; inter quas præſens hæc Veneta, quæ ſexta appellari poteſt, cæteris utilior eſt, cum ob reliqua, quæ complectitur Gavanti Opera, aliquot ad paginarum oras aſperſa adnotationibus ex Benedicti XIV. aureo de Synodo Diœceſana Tractatu depromptis, tum ob Decretorum augmentum, ab anno 1738. quo Meratianum Romanis typis vulgatum fuit opus, ad hæc uſque tempora.

Quæ vero omnia ſcripſit ſunt hæc:

*La Verità della Religione Criſtiana, e Cattolica dimoſtrata ne' ſuoi Fondamenti, ne' ſuoi Caratteri, Pregi, Miſterj, e Dogmi contenuti nella Profeſſione della vera Fede, Ragionamenti Polemici compoſti dal P. D. Gaetano-Maria Merati Cherico Regolare Profeſſore di Sacra Teologia, e Conſultore della Sacra Congreg. de' Riti. Venezia 1721. nella Stamperia Baglioni. Parte Prima, e Seconda.*

*Theſaurus Sacrorum Rituum a R. P. D. Bartholomæo Gavanto Congreg. Cler. S. Pauli S. R. Conſultore olim concinnatus, & ſæpius editus, nunc vero correctior, & locupletior, adjectis Summ. Pontif. & S. R. C. Decretis uſque ad præſens emanatis, noviſque Obſervationibus, & Additionibus Cajetani-Mariæ Merati Cler. Reg. ejuſdem S. R. C. Conſultoris. Tomus I. Pars Prima complectens I. & II. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Miſſalis. Romæ ex Typographia Vaticana apud Jo: Mariam Henricum Salvioni 1736. in 4.*

*—— Pars altera Tomi I. complectens III. IV. & V. nempe ultimam partem Commentariorum Gavanti ad Rubricas Miſſalis cum Indicibus Decretorum, Verborum, & Rerum notabilium, quæ continentur in toto hoc primo Tomo. Romæ apud eumdem 1737. in 4.*

*—— Tomi ſecundi Pars Prima complectens omnia Gavanti Commentaria ad Rubricas Breviarii Romani, cum Indicibus Decretorum, Rerum &c. Romæ apud eumdem 1738, in 4.*

*—— Tomi Secundi Pars altera & ultima continens Ordinem perpetuum, & generalem recitandi Divini Officii, Gavanti vitam, & Indices Auctorum, quibus uterque Auctor uſus eſt, Romæ apud eumdem 1738. in 4.*

*La Vita ſoavemente regolata dalle Dame, che ſtando nel Mondo vogliono applicare ſenza una grande auſterità di Penitenza alla Perfezione Criſtiana, ed alla Santità de' coſtumi. Operetta tradotta dal Franceſe nell' Italiano. Venezia 1708. Preſſo Giacomo Tomaſini. In 12.*

*Per le Lodi di S. Gaetano Fondatore de' Cherici Regolari Orazione detta in Venezia nel giorno della ſua Feſta dal P. D. Gaetano-Maria Merati Cher. Reg. in Venezia 1723. Preſſo Giacomo Tomaſini. In 12.*

*Li Miſteri Principali della noſtra Santa Fede.*

*Lettere ſcritte dal P. D. Gaetano-Maria Merati Cher. Reg. ad Antonio Magliabecchi. Extant inter Epiſtolas Cler. Venetorum ad Magliabecchum Florentiæ 1746.*

Alias adornarat Elucubrationes, alia exorſus eſt Opera, quæ immaturo morbo correptus affecta tantummodo reliquit, atque Romæ extant in S. Silveſtri Quirinalis Bibliotheca, quæ ſunt.

*Obſervationes, & Additiones in Enchiridion, ſeu Manuale Epiſcoporum, pro Decretis in Viſitatione, & Synodo de quacumque re condendis &c. P. D. Bartholomæi Gavanti.*

*Obſervationes in Liturgias Occidentales.*

*Conſultationes Sac. Rit. Congr. exaratæ occaſione Dubiorum eidem S. R. Cong. exhibitorum.*

*De differentia inter Feſta Paſchatis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti.*

*In Decretales Gregorii IX. juſſu compilatas Notæ, & Obſervationes.*

*De mutationibus Miſſalis Chaldæi Nationis Maronitarum.*

*Urbis Monimentorum Epitome.*

APPRO-

(a) *Diſſertatio de nova S. Gregorii Magni editione procuranda ſecundis curis retractata & aucta*, extat ad calcem vindiciarum S. Gregorii Magni adverſus criminationes Caſimiri Oudini. Romæ 1753. (b) Venetiis 1760. (c) Auguſtæ Taurinorum 1749.

(d) *Brevis inſtructio circa ſacras Cæremonias Hebdomadæ Majoris, cui de novo acceſſerunt notæ ex abſolutiſſimis Commentariis in Rubricas Miſſalis & Breviarii Romani a Cajetano Maria Merati Cl. Reg. &c. Monachii* 1741. quod opus Anonymum, ſcimus tamen ab Joanne Heldevech Cl. Reg. elucubratum.

(e) *Compendio delle Cerimonie Eccleſiaſtiche del P. Gavanto con le Addizioni del P. Merati*, Venezia 1752. opus Anonymum, ſed a Cajetano Malfacto Cl. Reg. concinnatum.

(f) Auguſtæ Vindelicorum ſumptibus Jodoci Muller anno 1740. prodiere *Novæ Obſervationes & Additiones ad R. P. D. Bartholomæi Gavanti in Rubricas Miſſalis & Breviarii Romani, adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rituum Congreg. Decretis uſque ad præſens emanatis a R. P. D. Cajetano Maria Merati Cl. Reg. Commentaria &c.*

# APPROBATIONES THEOLOGORUM.

COmmentaria in Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, quæ dudum magno omnium plauſu vulgaverat notiſſimus P. D. Bartholomæus Gavantus Cleric. Regul. Sancti Pauli: cum poſt tot annorum decades a prima eorum editione pluribus in dies emergentibus Sac. Rit. Congreg. Decretis, nonnulla illic expreſſa, velut antiquata in deſuetudinem abierint, pleraque uberiori indigerent diſquiſitione, ac fere omnia inibi diſpoſita nova recenſione, litura, ac fortaſſe emendatione digna eruditis cenſerentur; eadem proinde ad incudem revocanda ſuſcepit Reverendiſſimus P. D. Cajet. Maria Merati Cler. Reg. Theat. S. R. C. Conſultor; qui ut melius publico Eccleſiæ bono, Cleri præſertim utriuſque, utilitati, & eruditioni conſuleret, vigili cura, longo ſtudio, atque invicto labore, prædicta Commentaria denuo recognita, emendata, uberrimis notis illuſtrata, pluribus documentis ex priſca Eccleſiæ diſciplina petitis comprobata cum antiquioribus Liturgicis, ac Ritualibus libris ſedulo collata, Sacræ item Rituum Congregationis præfatæ Decretis omnibus hucuſque editis locupletata, multa denique rerum acceſſione, omnigenæque eruditionis Eccleſiaſticæ veteris, ac novæ copioſa meſſe referta, ſolerti ſimul, ac juſta criterio diſcuſſa, aucta, & in plures tomos digeſta diſpoſuit. Sic autem ampliori forma, ac materia donata, ut prœlo etiam donari valeant juſſu Reverendiſſimi P. Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Palatii Apoſt. Magiſtri, dicta Additamenta attente legi, & diligenter excuſſi, nec ullum quidpiam offendi ſolidæ pietati, bonis moribus, vel ſanæ Fidei abſonum, aut virga cenſoria dignum; quinimo Auctoris demiratus doctrinam, & eruditionem ubique illum comperi nedum Catholicum, Religioſum, ac pium, ſed & dum Sacrorum Ritum antiquitatem, & originem, ſcire ſcrutatur, eorumdem ſimul majeſtatem, & Sanctitatem tuetur, ac vindicat: *Habet* idcirca *opus vocem ſuam*, ut cum mellifluo meo Doctore Bernardo loquar, vocem virtutis, vocem ſcientiæ, & pietatis, vocem timoris Domini, qua in lucem edi clamat: in eo enim quidquid ad myſticos Ritus pertinet nihil non fundatum in montibus Sanctis Scripturarum, antiqua traditione firmatum, Conciliorum, Patrum, ac veterum Scriptorum auctoritate communitum conſpicitur, quibus imbutus Auctor: *Habet in portis omnia poma* (quemadmodum de Dilecto ſuo ſponſa in Canticis *cap. 7. num. 3.*) *Nova, & vetera ſervavit* nobis, nova nimirum Eccleſiæ militantis placita, & Decreta, ac vetera triumphantis monumenta, utraque invicem ita colligata, apteque diſpoſita, ut dubia quæque explanentur, traditæ regulæ firmentur, ac denique quoad Rituum formam, varietates, Myſteria, & ſignificationes nihil ulterius deſiderandum ſuperſit. Hoc itaque eximium opus muneris omnibus abſolutum, quod Religioſum illud, & rationabile obſequium juxta Apoſtolum ad Rom. 17. Deo Optimo Maximo jure præſtandum præ cæteris exhibet, in quo Sancta quæque juſta, & pia, quæ ad Dei cultum, & honorem ſunt, continentur, ut in lucem prodeat ad majorem ipſius Dei gloriam, ad Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ornatum, & Fidelium ædificationem, cenſeo, & exiſtimo, ſi videbitur Reverendiſſimo Patri S. P. A. Magiſtro, cujus mandatis obtemperans hæc lubens pro veritate ſubſcripſi. Romæ ex Monaſterio Sancti Barnardi hac die 29. Septembris 1735.

*D. Joannes Baptiſta Fiorentini Abbas ex-Generalis,*
*Sacr. Congr. Indicis, & Rituum Conſultor.*

---

THeſaurus Sacrorum Rituum, ſeu Commentaria in Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, olim a P. D. Bartholomæo Gavanto Congregationis noſtræ Clericorum Regularium S. Pauli, vulgo Barnabitarum, typis donatus, nunc vere Theſauri nomen ſibi vindicat, cum ſuis Obſervationibus, & Additionibus de ipſo profert nova, & vetera Reverendiſſimus P. D. Cajetanus Maria Merati Clericus Regularis, ac Sacr. Rituum digniſſimus Conſultor. Eaſdem Obſervationes, & Additiones de mandato Reverendiſſimi Patris Fr. Joannis Benedicti Zuanelli Sacr. Apoſtolici Palatii vigilantiſſimi Magiſtri evolvi erebro, cunctanter conſideravi, admiratus impenſe Auctoris eruditionem, immenſum prorſus laborem, diligentiam ſummam in eorumdem Rituum originibus perquirendis, in antiquatis abrogandis, novis promovendis, uſitatioribus indicandis, & minutim quidquid ad Sacras functiones rite obeundas conferre noverit ſuggerendo. Ejuſmodi libri evulgationem merito quamplures Chriſtiani Orbis Eccleſiæ peroptant, opulentiſſimum quo ditentur ærarium ſperantes ad uberes Altiſſimi Benedictiones reportandas, cum ſtabunt Sacerdotes, ac eorum Miniſtri in gradu ſuo. Præcepta, Cæremoniaſve Domini exacte cuſtodiendo; ſervata Domus Dei Majeſtate, Fidelium mentes viſibilibus, recteque diſpoſitis pietatis, ac Religionis ſignis ad myſticam Divinorum contemplationem feliciter ſubvehentur. Typis ergo iterum demandetur multoties excuſus Theſaurus, ſed mendis deterſus, Obſervationibus illuſtratus, Additionibus cumulatus, ut qui novas comparando divitias magnum veteribus pretium addit, publicæ, quam pollicetur utilitati, publica etiam luce conſulat. Datum Romæ ex Collegio SS. Blaſii, & Caroli hac die 10. Septembris 1735.

*D. Joſeph Alciati Cler. Reg. S. Pauli Præpoſiti Generalis Aſſiſtens.*

Com-

COmmentaria in Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, quæ olim ediderat magni nominis vir Bartholomæus Gavantus Clericorum Regularium S. Pauli ornamentum, & decus, eadem poſt iteratas impreſſiones a mendis, quæ irrepſerant, expurgata, novis illuſtrata Obſervationibus, copioſis Additionibus locupletata, variiſque, ac plurimis eruditionibus referta, Orbis Catholico exhibere ſtatuit vir eruditiſſimus R. P. D. Cajetanus Maria Merati Clericus Regularis; qui, ſicut Sacræ Rituum Congregationis Conſultores omnes præcedit antiquitate, ita neminem ſubſequitur Sacrorum Rituum peritia, & cognitione. Hos præclariſſimi viri labores, jubente Reverendiſſimo Patre Joanne Benedicto Zuanelli Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro ſumma animi voluptate perlegi; eoſdemque attente perluſtrans nihil reperi, quod non omnigenam auctoris eruditionem redoleat in præſcrutandis tum antiquis, tum recentibus Eccleſiæ Ritibus, ſummumque non præferat ſtudium in Sacrarum Cæremoniarum praxi dirigenda, juxta S. R. C. Decreta improbo labore ab eodem collecta ad tuto dirimendas explanandaſque quæſtiones, quæ hac in re ſæpiſſime oriuntur: quo factum eſt, ut opus multis egregium nominibus, ita numeris omnibus abſolutum evaſerit, ut nihil ultra ad perfectam, completamque Sacrorum Rituum notitiam aſſequendam valeat deſiderari. Prodeat igitur in lucem Sacra hæc Eccleſiaſticorum Rituum Œconomia, ad univerſum Clerum in Sacris miniſteriis peragendis plenius inſtituendum: ea enim duce, quotquot in Cæremoniis rite exercendis erudiri cupiunt, me judice, non errabunt. Ita cenſeo, ſalvo, &c. Ex noſtro Collegio SS. Vincentii, & Anaſtaſii Idibus Octobris, Anno 1735.

*Leo Bertolotti C. R. Min. Procurator Generalis, & Sacr. Congreg. Indicis, ac Rituum Conſultor.*

---

NOvas Obſervationes, & Additiones ad Commentaria Adm. Rev. Patris D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Clericorum Regularium S. Pauli in Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani a P. D. Cajetano Maria Merati Congregationis noſtræ Theologo, & Sacræ Congr. Rituum Conſultore, ſummo ſtudio, & labore elucubratas, non exigua animi voluptate pervolvimus: nil ſane Catholicæ veritati, aut bonis moribus diſſonum, nihil quod Sacris Cæremoniis, Sacriſque Ritibus recentibus, aut antiquis adverſetur, offendimus; plurimum autem, quod Eccleſiæ Miniſtris in ſuis muneribus rite, ac laudabiliter obeundis prodeſſe poſſit. Tanto igitur operi, omnigena eruditione referto, Decretorumque antehac a Sac. Rit. Congr. editorum acceſſione uberrima locupletato, deeſſe tantum putamus publicam lucem, qua profecto dignum cenſemus. Ita nos, de relatis Additionibus, apprime Auctori ſuo conſentaneis, ſentiendum duximus, a Reverendiſſimo P. noſtro Præpoſito Generali cenſores delegati. Romæ ex Ædibus Divi Andreæ de Valle, die 10. Menſis Septembris 1735.

*D. Franciſcus Maria Serſalis C. R. Sacrorum Canonum Lector & S. Indulgentiarum, ac S. Reliquiarum Conſultor.*

*D. Franciſcus Mazetti C. R. Sacræ Theologiæ Lector.*

---

## *FACULTAS REVERENDISS. PATRIS PRÆPOSITI GENERALIS Ordinis Clericorum Regularium.*

HOc opus, nimirum *Novas Obſervationes, & Additiones, &c.* factas a P. D. Cajetano Maria Merati noſtræ Congregationis Theologo, Commentariis Adm. Reverendi P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cler. Reg. S. Pauli in Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, a Patribus, quibus commiſimus approbatas, typis mandari poſſe, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmavimus. Romæ die 21. Septembris 1735.

*D. Nicolaus Antinori Præpoſitus Generalis Cler. Reg.*

Loco ✠ Sigilli,

*D. Joannes Franciſcus Cagnola C. R. Secretarius.*

NOI

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza *a Guglielmo Zerletti* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato *Theſaurus Sacrorum Rituum*, *Auctore R. P. D. Bartholomaeo Gavanto*, *ec.* oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova

Dat. li 20. *Luglio* 1768.

(
( *Alviſe Vallareſſo Rif.*
( *Franceſco Moroſini 2. Cav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 351. al Num. 2491.

*Davidde Marcheſini Segr.*

INDEX

# INDEX TITULORUM

## COMMENTARIA IN RUBRICAS MISSALIS

### Dividuntur a Gavanto in quinque Partes; & Partes in Titulos plures.

### PARS PRIMA

*Continet Rubricas generales primi ordinis, & Titulos XX.*

DE Duplici. I. 28
De Semiduplici, & Simplici. II. *ibid.*
De Feria, & Vigilia. III. 29
De Miſſis Votivis Sanctæ Mariæ, & aliis. IV. 31
De Miſſis Defunctorum. V. 41
De Tranſlatione Feſtorum. VI. 45
De Commemorationibus. VII. *ibid.*
De Introitu, Kyrie eleiſon, Gloria in Excelſis. VIII. 49
De Orationibus. IX. 52
De Epiſtola, Graduali, Alleluja, Tractu, & Evangelio. X. 57
De Symbolo. XI. 60
De Offertorio, Secretis, Præfationibus, & Canone. XII. 64
De Communione, Orationibus, Poſtcommunione, Ita miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, & Evangelio S. Joannis. XIII. 67
De ordinanda Miſſa ex ſupradictis Rubricis. XIV. 70
De Hora celebrandi Miſſam. XV. *ibid.*
De his, quæ clara voce, aut ſecreto dicenda ſunt in Miſſa. XVI. 72
De ordine genuflectendi, ſedendi, ſtandi in Miſſa Privata, & Solemni. XVII. *ibid.*
De coloribus paramentorum. XVIII. 74
De qualitate paramentorum. XIX. 76
De præparatione Altaris, & ornamentorum ejus. XX. 79

### PARS SECUNDA.

*Continet Ritum ſervandum in celebratione Miſſæ, & Titulos XVII.*

DE præparatione Sacerdotis celebraturi. I. 85
De ingreſſu Sacerdotis ad Altare. II. 96
De principio Miſſæ, & confeſſione facienda. III. 105
De Introitu, Kyrie eleiſon, & Gloria in Excelſis. IV. 111
De Oratione. V. 118
De Epiſtola, Graduali, & aliis uſque ad Offertorium. VI. 122
De Offertorio uſque ad Canonem. VII. 133
De Canone Miſſæ uſque ad conſecrationem. VIII. 148
De Canone poſt conſecrationem, uſque ad Orationem Dominicam. IX. 156
De Oratione Dominica, & aliis uſque ad factam communionem. X. 159
De communione, & Orationibus poſt communionem dicendis. XI. 175
De Benedictione in fine Miſſæ, & Evangelio S. Joannis. XII. 177
De iis, quæ omittuntur in Miſſa pro Defunctis. XIII. 182
De iis, quæ addenda ſunt in Miſſa, quæ celebratur ad Altare, in quo expoſitum eſt SS. Sacramentum. XIV. 187
Ordo Miſſæ, & partium ejuſdem additio juxta ordinem temporum. XV. 198
Myſtica expoſitio Miſſæ ſecundum ordinem totius vitæ Chriſti. XVI. *ibid.*
Canonis expoſitio literalis. XVII. 200

### PARS TERTIA

*Defectibus circa Miſſam adhibeti remedia Titulis XII.*

DE defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus. I. 201
De defectibus in Materia. II. *ibid.*
De defectibus Panis. III. *ibid.*
De defectibus Vini. IV. 204
De defectibus Formæ. V. 206
De defectibus Miniſtri. VI. 207
De defectu intentionis. VII. *ibid.*
De defectibus diſpoſitionis animæ. VIII. 209
De defectibus diſpoſitionis corporis. IX. 210
De defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus. X. 211
De Rubricis præceptivis, & directivis. XI. 214
De obligationibus aliis Sacerdotum circa Miſſam. XII. 219

### PARS QUARTA

*Complectitur Rubricas proprias, & Titulos XIX.*

DE Rubricis Miſſarum de Adventu. I. 224
De Quatuor Temporibus Adventus. II. 227
De Natali Domini, & Feſtis ſequentibus. III. 231
De Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam. IV. 238
De Dominicis a Septuageſima uſque ad Fer. 4. Cinerum. V. 239
De Feria 4. Cinerum uſque ad Dominicam de Paſſione. VI. 242
De Dominica de Paſſione, & Hebdomada majore. VII. 247
De Feria quinta in Cœna Domini. VIII. 256
De Feria ſexta in Paraſceve. IX. 268
De Sabbato Sancto. X. 283
De die ſancto Paſchæ uſque ad Feſtum Trinitatis. XI. 302
De Feſto Trinitatis, Corporis Chriſti, & Dominicis poſt Pentecoſten. XII. 309
De Rubricis propriis Miſſarum de Sanctis. XIII. 323
De Benedictione candelarum, & Proceſſione in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis. XIV. 324
De Feſtis, in quibus cantandæ ſunt duæ Miſſæ in Collegiatis. XV. 329
De Rubricis Miſſarum communium SS. XVI. 331
De Rubricis Miſſarum Votivarum in fine Miſſalis. XVII. 332
De Rubricis Miſſarum pro Defunctis. XVIII. 334
De Rubricis Benedictionum. XIX. 335

### PARS QUINTA,

NEMPE ULTIMA

*Appendices additæ, quinque hæ ſunt.*

TAbulæ locorum pro uſu Tabellarum ſequentium. I. 341
Tabellæ Auroræ, Meridiei, & mediæ noctis. II. 342
Aliæ Tabellæ ut ſupra, ad uſum Horologii Rotalis. 346
De menſuris propriis ſacræ ſupellectilis ad Miſſam congruentioribus. III. 351
De nitore, & munditia prædictæ ſacræ ſupellectilis. IV. *ibid.*
Proſodia Verborum in Miſſali Romano. V. 352
Reſolutio dubitationis de Miſſis pro Defunctis. 353

CON-

# COMMENTARIA
# IN RUBRICAS
## MISSALIS ROMANI.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

## PARS PRIMA.

(*a*) Rubricæ (*b*) Generales (*c*) Miſſalis.

### *GAVANTUS.*

RUBRICÆ. ) Rubrica proprie *ex Collumella lib.* 5. *cap.* 8. eſt ſpecies quædam terræ rubri coloris, qua ſolent Artifices ducere lineas ad opera ſua concinnanda; Antequam, inquit, explantes arbuſculam, rubrica notato partem ejus. Accipi etiam ſolet pro genere coloris *a Plinio lib.* 35. *cap.* 6. *&* *S. Iſidoro Etbym. lib.* 19. *cap.* 17. Hac autem terræ ſpecie ſolebant antiqui librorum titulos, capita, & indices notare, *Juven. Sat.* 14. & præſertim titulos, & inſcriptiones legum. Unde ille: *Perlege rubras majorum leges*, ideſt, rubrica aſperſas: cum itaque leges opportune hoc loco præſcribantur ad Miſſam celebrandam, & rubeus color in titulis, & capitibus adhibeatur: ideo Rubricæ ſunt appellatæ.

Et quidem leges ipſas Miſſalis, quam paucilſimas tamen, rubro colore ſcriptas vidi, & legi in Miſſalibus M. SS. Bibliothecæ Vaticanæ antiquiſſimis, & deinceps in aliis multis apud Venetos impreſſis, ante tempora Pii V. Sed vocem ipſam, *Rubricæ*, non legi uſurpatam in Miſſalibus, ante annum 1557. neque in titulum communem legibus Miſſæ, niſi a Pio V.

Nam ſeparatim a Miſſalibus habebantur Rituales libri, ſeu Directoria: nomen autem uſurpabatur hoc modo, R. ca, quod præſertim videre eſt in Inventario Sacrarii, ſeu Sacriſtiæ Pontif. tempore Bonifacii VIII. quod aſſervatur in Biblioth. Vaticana, & ibidem *in Vol.* 4279. *fol.* 227. a Magiſt. Cæremoniarum Urbani VI. ſcripta fuere hæc verba: *Rubricæ Novæ:* pro titulo libri, ubi etiam *fol.* 228. citat, & nominat antiquas Rubricas; quare extra Miſſale, Vox *Rubricæ* perantiqua eſt, & leges ipſæ antiquiſſimæ: quamvis aliis titulis (e quibus Ordo Rom. & quod a Græcis *τυπικον*) variis temporibus in lucem editæ; in Miſſali vero, nonniſi eo tempore, & modo, quo adnotavi.

(b) *Generales.* ) Diſtinguuntur hæ a propriis de Tempore, de Sanctis, & aliis, de quibus infra. Generales autem complectuntur ea, quæ generatim accidunt Miſſæ, & octo ea ſunt. Concordantia cum Officio; Diſcordantia ab eodem; Commemoratio, ut in eodem; Ordo, tum partium Miſſæ, tum Miſſarum inter ſe; Varietas Temporis, Vocis, & Situs Corporis; Apparatus Sacerdotum, & altaris; Ritus privatæ Miſſæ, & ſolemnis; Defectus in Miſſa occurrentes; de quibus in ſequentibus agitur: nam in prima parte Rubricarum, de concordantia cum Officio agitur in primis tribus titulis: ad Diſcordantiam ſpectant tituli tres ſequentes. De Commemoratione habes *in tit.* 7. Ordo partium Miſſæ patet *ab* 8. *uſque ad* 13. Miſſarum vero inter ſe *tit.* 14. Varietas temporis traditur *tit.* 15. Vocis, *tit. ſeq.* & Situs corporis *tit.* 17. Quæ attinent ad apparatum *tit.* 18. 19. 20. doceberis. In altera vero parte, Ritus fuſe deſcribuntur in titulis 13. & Defectibus remedia adhibentur in poſtremis decem. Certe generalium harum legum magna ex parte Collector, ſi minus auctor, fuit Joannes Burchardus Papæ Cæremoniarius, qui ſcripſit primus Ordinem exquiſitum celebrationis Miſſæ, ſine diſtinctione tamen titulorum, ſeu Capitum, concordatque fere in omnibus, etiam in verbis ipſis cum Ritu ſervando in celebratione Miſſæ; de quo nos in altera parte, & ibidem pro occaſione data, leges addidit aliquas a majoribus acceptas, de quibus nos in prima hac parte agimus. Additæ ſunt aliæ, quæ quando nullo certo auctore a nobis referantur, adſcribendæ erunt traditioni, ſeu auctoritati Pii V. vel Clementis VIII. quod & de toto opere ſemel dixiſſe ſit ſatis. Uſus autem imprimendi in Miſſalis initio, præter Ordinarium Miſſæ (quod in centro Miſſalis una cum Canone ſemper eſt habitum) & tradendi diſtinctiſſimos, & minutiſſimos ritus celebrandi, non eſt antiquior, quod viderim, anno 1542. quo prædictus Ordo Burchardi Venetiis initio Miſſalis primum dicitur in lucem editus.

(c) *Miſſalis.* ) Deducta vox a Miſſa, de qua mox dicemus. Auctorem autem Miſſalis credit *Amalarius lib.* 4. *c.* 35. fuiſſe S. Gregorium Papam, fortaſſe & vocabuli auctor fuit; ſed quia Romani Miſſalis eſt mentio *in libro Sacr. S. Gregorii*, ideo auctorem eum puto, quatenus illud meliorem ad formam redegit. * Baronius enim docet *in Annal. An.* 102. quod antiqua traditio ſibi vendicat eam, quæ latinis, univerſæque occidentali Eccleſiæ præſcripta eſt ſacræ Miſſæ forma (quibuſdam exceptis, quæ poſtea ſunt addita, vel mutata) a S. Petro Apoſtolorum Principe; cum ejus inſtitutionis nullum aliud ſit principium, & originem demonſtrare. Sanctus autem Clemens, quem acceperat a S. Petro ritum offerendi ſacrificium, Miſſam nempe ipſam, Rom. Ecc. ſcriptis conſignaſſe, dicitur *ex Proclo Conſtantinopol. Epiſcopo citato a Baronio ibid.* Vocabatur etiam Sacramentale, quod nunc Miſſale, **Ex** *Lindano pro Liturgia S. Petri c.* 22. Item liber myſteriorum *a S. Hier. dum loquitur de S. Hilario in Catalogo Scriptorum*. Liber Sacramentorum *a Concil. Rhemen. apud Burchard. lib.* 3. *cap.* 97. Libellus *a Greg. Turon. lib.* 2. *de Hiſt. Franc. c.* 22.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. a — *Et leges ipſæ antiquiſſimæ &c.*) Ab ipſomet titulo Rubricarum generalium deſumit doctiſſimus Gavantus ſuorum Commentariorum initium, & poſtquam ſapienter *Rubricæ* nomen expendit, eaſdem Rubricas optime aſſerit eſſe ipſas Miſſalis leges, & quidem antiquiſſimas; & revera aliquas etiam, non vero omnes, a primis Eccleſiæ temporibus inſtitutas, vetuſtorum Patrum, Apoſtolorum auctoritate pariter comprobatas eſſe, colligitur ex Conc. Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 5. ubi ait; in Miſſa *Cæremonias adhiberi, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, Veſtes aliaque id genus multa, quæ ex Apoſtolica diſciplina, & traditione derivant.* Colligitur eadem veritas ex nonnullorum Patrum auctoritatibus, præſertim vero ex Sancto Juſtino Martyre, & id optime obſervat Theodoricus Ruinart *inter acta ſincera Martyrum in admonitione ad ejuſdem S. Juſtini Martyris acta n.* 10. ubi ait: *quod ex illius ſcriptis præcipuorum Sacræ Religionis noſtræ Myſteriorum veritas confirmatur, Sacramentorum Ritus, præcipuæque Liturgiæ Sacræ partes exponuntur*; & ex inferius a nobis dicendis eadem veritas magis comprobabitur. Prædictas autem Cæremonias, & Ritus, temporis proceſſu, a Pontificibus auctas, & reſtitutas, vel contractas, Eccleſia ſemper retinuit, & ad poſteros tranſmiſit, quæ in noſtris Miſſalibus adhuc perleguntur, additis tamen aliis, quæ de novo inſtituuntur, officiis, immutatiſque aliis, prout locorum, & temporum varietas poſtulavit, quæ in uſu erant, Ritibus, & Cæremoniis. Nemo quippe inficiari poteſt adeſſe in Eccleſia poteſtatem de novo inſtituendi, veteres abrogandi leges, quas Rubricas appellamus, prout Eccleſiæ majeſtati, & utilitati, ab eadem Eccleſia divinitus illuſtrata congruum judicatur. Præfatæ Rubricæ Miſſalis dividuntur in Præceptivas, & Directivas, de quibus late Gavantus agit infra part. 3. tit. XI. & cum eodem etiam nos ibi diſſeremus.

Materia, circa quam verſantur prædictæ Miſſalis leges, ſunt Ritus, & Cæremoniæ ſervandæ in celebratione Miſſæ, idque patet, quia in his præſcribendis, & explicandis, omnes Rubricæ Miſſalis verſantur. Cæremonia, quæ eſt actio ſan-

ſancta cum exteriori Religionis cultu, hoc nomine appellatur etiam apud Gentiles.

Circa hujus nominis *Cæremonia* etymologiam, variæ ſunt Auctorum opiniones. Macrobius *lib. 3. Saturnal. c. 3.* cenſet *Cæremonias* a carendo dictas fuiſſe; idem exiſtimat S. Auguſtinus *lib. 2. Retract. cap. 37.* quorum auctoritates referuntur a Doctiſſimo Viro Joſepho Vicecomite Ambroſiani Collegii Doctore *lib. 1. de Antiquis Baptiſmi Ritibus cap. 2.* Joachimus Camerarius *problemate 4. decur. 3. in Diſputat. de quorumdam nominum orig. Cæremoniam*, veluti *gerimoniam* a gerendo derivatam credit, ut indicentur ea quæ in Sacris, ſolemni Ritu, geri debent. Quamquam & alterum ibidem etymon addit, ut ſit a Charitate. Alii volunt Cæremonias dici a Cerere, ita Angel. Cont. *adverten. 3. ex S. Thoma* relatus a Turrino in *Direct. Sacrificant. cap. 1.* quaſi Cereris munia, ſive dona, quia antiquitus primæ oblationes, quę profecto ſunt Cęremonię, Cereri fiebant ex primitiis frugum. Joſephus Scaliger relatus a Voſſio *v. Cæremonia* cenſet *Cæremonias* dici ab antiquo vocabulo *Cærus*, ideſt *Sanctus*; unde in Saliari Carmine *Cærus manus*, ideſt *Sanctus, bonuſque*. Ita a *Cærus* erit *Cæremonia*, ut *a Sanctus Sanctimonia, a Caſtus Caſtimonia, a Cultus Cultimonia*, qua voce, idem, Tertullianum uti, arbitratur *libro de Pallio c. 4. circa fin.* Alios Auctores idem ſentientes indicat Jacobus Pontanus *volum. 2. Progymn. latin. annot. in Progymnaſ. 24.* A prędictis omnibus longe diſcrepat Valerius Maximus *lib. 1. cap. 1.* ubi *Cæremoniæ* originem ad Cęre oppidum Tuſcię, non longe a Tarquiniis ſitum, referri oportere arbitratur, hac occaſione, quod Roma a Gallis capta, cum Flamen Quirinalis, & Virgines Veſtales, omiſſa rerum ſuarum cura, Simulacra Deorum ab hoſtibus erepta, inter ſe onere partito traducerent, ad prędictum oppidum primum devenerunt; ubi quia benigne, ac humaniter hoſpitio ſuſceptę fuerunt, Romani grata memoria pręſtitere, ut omnis Divinus Cultus, atque Religio *Cæremonia* a Cęre vocaretur. Idem narrat Florus *lib. 1. cap. 13.* & ante hos Livius *lib. 7. cap. 1.* ubi idcirco *Cære* appellat *Sacrarium Populi Romani, Diverſorium Sacerdotum ac receptaculum Romanorum Sacrorum*. Idem ſcribit Feſtus de verb. ſignificat. Hanc ultimam ſententiam prę aliis ſupra relatis ſibi probari ſcripſit Joſephus Vicecomes *loc. ſupracit.* cui ſubſcribendum eſſe crediderim, cum ſit hęc opinio cęteris probabilior; & equidem quamvis aliquot Cęremonię in carendo poſitę ſint, nemo tamen de Cęremoniis liturgicis ac aliis id affirmare poterit; ſicut e contra quę multę in abſtinendo ſitę ſunt, conſentaneum non eſt, eas a gerendo dictas fuiſſe. Commentitium pariter eſt *Charitatis*, aut *Cereris* nomen adducere ad inveſtigandam Cæremonię etymologiam, cum nihil in eo pręter vocis ſimilitudinem invenire poſſimus. Cęri autem vocabulum licet *Sanctum* ſignificet, non ideo tamen putandum eſt ab eo Cęremonię nomen oriri; cum multi Romani Scriptores externorum vocibus uti non conſueverint, quia propriis abundabant. His permotus rationibus rejecit dictas ſententias, & poſtremam, quam adduxit, amplexus eſt laudatus Vicecomes, optime ſubdens: quod ſi opponatur, non videri uſquequaque veram Cęremoniarum vocem ab oppido *Cære* advectam eſſe, quia hoc vocabulo utuntur etiam Divini Scriptores in Sacris paginis, quę profecto ante Romam captam exaratę fuerunt, facile huic exceptioni occurri poteſt; Sacra ſiquidem literarum volumina hebraico Charactere, ac lingua ſcripta fuerunt; unde Cęremoniarum nomen in ipſis primigenio idiomate non reperitur expreſſum, ſed Interpretes, qui poſtmodum eadem Sacra Monumenta latino idiomati reddiderunt, retinentes ejuſdem rei ſignificationem *Cæremoniæ* vocabulo uſi ſunt: & equidem id intellexit D. Auguſtinus *loc. ſupracit.* quando dixit, quod *Cæremoniæ* nomen non eſt in uſu literarum Sacrarum, nimirum in primigenio idiomate earundem ſcripturarum. Super ejuſdem nominis etymon alii quoque Auctores conſcripſerunt; pręſertim vero omni laude commendandus Card. Bona *lib. de Divin. Pſal. cap. 19. §. 3.* noſter Franciſcus Magius, in ſacris cęremoniis, & rebus Aſceticis eruditiſſimus, in ſuo opere *de Divin. Offic. & Choro opuſc. 2. diſquiſ. 1.* qui non ſolum prędicti nominis originem, ſed etiam Sacrarum Cęremoniarum efficaciam, & utilitatem ad divinum cultum explicant. Super ejuſdem nominis etymologia videri poſſunt etiam Pitiſcus in Lexico Antiquitatum Romanarum v. *Cæremonia*, necnon Macrius in ſuo Hyerolexico v. *Cæremonia*.

Diximus ſupra, materiam circa quam verſantur Rubricę eſſe Cęremonias, & Ritus: quid veniat nomine ritus, prout diſtinguitur a Cęremonia non conveniunt Doctores. Macrius loc. cit. vult Cęremoniam eſſe ipſam actionem Sanctam, qua Divinus Cultus peragitur; ritum vero eſſe modum, quo actio ipſa ſacra facienda eſt. Cardinalis autem Bona loc. pariter ſupracit. docet, Cæremonias proprie loquendo eſſe Ritus Sanctos in Sacrificiis, & Divinis Officiis ad Dei cultum adhibitos. Noſter vero Paulus Quarti in ſuis Commentariis in Miſſalis Rubricas quæſt. procemiali ſect. 1. punct. 2. ait Cæremoniam communiter ſumi pro ritu accidentali, eamque ſic deſcribi poſſe; *Eſt actio Religioſa ad cultum, & decentiam Sacrificii ab Eccleſia inſtituta*. Hanc etiam definitionem tradit Suarez ab eodem allegatus. Ad perfectam intelligentiam hujus definitionis; ſciendum eſt, ritus Miſſæ dividi communiter in eſſentiales, & accidentales, qui pertinent ad ornatum ejuſdem Sacrificii; & poſſunt eſſe de neceſſitate præcepti, non vero Sacramenti. Ritus eſſentialis Miſſæ eſt a Chriſto inſtitutus, & conſiſtit in Conſecratione utriuſque Speciei, vel etiam Communione Sacerdotis celebrantis, ut tenent nonnulli Theologi, & ut explicat idem Quarti in appendice ſui operis. Ritus vero accidentalis conſiſtit in actionibus, & precibus, aliiſque circumſtantiis ab Eccleſia adjunctis, quæ dicuntur Sacramentalia, & Cæremoniæ Sacræ, ut videre eſt apud Bellarminum *lib. 2. de Sacramentis cap. 29. & ſeqq.* Suarez *tom. 3. in 3. part. diſput. 15. ſect. 1.* Averſam *de Sacrif. quæſt. 11. ſect. 12.* & Molpheſ. *Summ. tract. 3. cap. 12. num. 26.* Ex dictis patet Cæremoniam ſacram confundi cum ritu accidentali, non autem convenire cum ritu eſſentiali: Cæremonia enim minus late patet, quam ritus; cum ritus quamcumque circumſtantiam ad Miſſæ ſolemnitatem requiſitam, ſive ab Eccleſia, ſive a Chriſto inſtitutam; ſive eſſentialem, ſive accidentalem ſignificet: Cæremonia autem nihil aliud ſignificet, niſi ritum accidentalem ab Eccleſia præſcriptum.

Procedit Quarti ad dividendas Cæremonias in eas, quæ ſunt intrinſecæ ipſi Miſſæ, & partes ejuſdem, & conſiſtunt, dicit ipſe, tum in verbis, tum in geſtibus Celebrantis, de quibus late Suarez *diſput. 83. & 84.* & in eas, quæ ſunt circumſtantiæ extrinſecæ ejuſdem Sacrificii, ut locus, tempus, vaſa, & veſtimenta Sacra, &c. Dicit præterea, quod illæ Cęremoniæ, quæ conſiſtunt in geſtibus, quædam inductæ ſunt propter decentiam operandi, nec habent aliam ſignificationem, ex. gr. quod Sacerdos dum ſignat ſeipſum, ponit ſiniſtram ſub pectore; & aliæ inductæ ſunt propter ſignificationem moralem, vel myſticam, v. g. mixtio aquæ cum vino, digitorum ablutio, Crucis ſigna, de quibus Divus Thomas *3. part. quæſt. 83. art. 4. & 5.*

Verum, pace tanti Viri, ego diſtinguerem Cæremoniam Sacram a ritu, dicendo, ritus Sacros conſiſtere in illis precibus, Epiſtola, Evangelio &c. quæ juxta Eccleſiæ diſpoſitionem recitari debent in Miſſa; Cæremoniam autem conſiſtere in ſolis geſtibus, quibus prædictæ preces juxta ejuſdem Eccleſiæ præſcriptum peragi debent ad majorem ornatum, & decentiam Sacrificii, quod celebratur: & revera Cæremonialia, ſeu libros Cæremoniarum vocamus illos, qui non orationes, & preces dicendas præſcribunt, ſed modum quo illæ dicendæ ſunt; e contra Rituales nuncupamus illos, qui continent preces, ſeu alias Orationes, quas recitandas præſcribunt.

Ritus, quoniam in verbis regulariter conſiſtunt, vel ſunt partes Miſſæ ordinariæ; quia ſcilicet ſemper ingrediuntur ejus compoſitionem; vel ſunt extraordinariæ, ſive mobiles, quia non ſemper ejus compoſitionem ingrediuntur, ſed ad majorem quandoque adduntur ſolemnitatem, atque ornatum.

Partes ordinariæ ſunt: Sacerdotis in Miſſæ principio *Confeſſio generalis, Introitus, Oratio, Epiſtola, Graduale*, vel ejus loco, ut tempore Paſchali *duo verſus cum quatuor Alleluja, Evangelium, Offertorium, Præfatio &c.* Extraordinariæ vero ſunt Pſalmus *Judica, Gloria in excelſis, Sequentiæ poſt Epiſtolam, Tractus, Credo, Communicantes proprium &c.* Et verba, quæ adduntur in quibuſdam Miſſis Solemnioribus Feriæ V. in Cœna Domini, Sabbati Sancti, infra octavam Paſchæ, Pentecoſtes, ac ejus vigiliæ, ad Orationem *Hanc igitur oblationem &c.*

Ex partibus ordinariis, quædam ſunt notabiles, ſeu principales, aliæ vero modicæ, & minus principales. Notabiles ſunt Miſſæ initium, Sacerdotis videlicet *Confeſſio generalis cum precibus annexis, Epiſtola, Evangelium, Hoſtiæ, & Calicis oblationes cum formis verborum, quibus perficiuntur, Præfatio Miſſæ, Canon*, imo juxta communiorem ſententiam *ſingula ejuſdem Canonis verba, Oratio Dominicalis poſt Canonem*, Oratio *libera nos*, verba quæ dicuntur in fractione Hoſtiæ, & commixtione particulæ cum Sanguine, trina *Agnus Dei* repetitio, Orationes, ante Communionem, & *Domine, non ſum dignus*. Modicæ vero partes ordinariæ ſunt *Populi ſalutationes, Graduale*, vel ejus loco duo verſus cum quatuor *Alleluja*, Antiphona, quæ *Offertorium* dicitur &c.

II. Gav. lit. b. — *Ordo Burchardi Venetiis initio Miſſalis primum dicitur in lucem editus anno 1542.*) Ita opinabatur præclariſſimus Gavantus, ſed revera Ordo Burchardi neque primum editus eſt anno 1542. neque tunc primum Miſſali præfixus; nam reperitur impreſſus in initio Miſſalis Romani anno 1534. ſub hoc Titulo: Ordo celebrationis Miſſæ a Burchardo conſcriptus, ut refert Card. Bona lib. 2. Rer. Liturg. cap. 1. n. 6. & idem Ordo a Miſſali ſejunctus antea prœlo mandatus fuerat Romæ anno 1502. teſte eodem Eminentiſſimo Bona *lib. 2. cap. 20. num. 5.* Deinde idem Ordo Burchardi traditus Typis fuit Venetiis *Anno* 1523. & inſertus Libro, cui Titulus *Liber Sacerdotalis nuperrime ex Libris Sac. Rom. Eccl. &c. collectus, atque compoſitus, ac auctoritate SS. D. N. Leonis X. approbatus*. Verum quamvis præfatus Sacerdotalis liber, in quo continetur Ordo Miſſæ a Joanne Burchardo Cappellæ Pontificiæ Cæremoniarum Magiſtro

giſtro compoſitus, a mox laudato Pontifice approbatus, appareat die 2. *Novembris. An.* 1520. ut colligitur ex ejuſdem diplomate Apoſtolico: nihilominus prœlo Veneto duntaxat commiſſus fuit per Melchiorem Seſſam, & Petrum de Ravanis *Anno* 1523. ſub Hadriano VI. P. M. Ex his omnibus magis magiſque apparet, prædictum Ordinem Miſſæ a Joanne Burchardo elucubratum publici Juris factum fuiſſe longo tempore ante *A.* 1542. Denique idem liber non ſolum reperitur nunc veteribus Miſſalibus præfixus, & libris Sacerdotalibus inſertus, ſine diſtinctione Titulorum; ſed etiam editus eſt, ſeparatus a Miſſalibus, & libris Sacerdotalibus; non confuſus, ſed cum diſtinctione Titulorum, ſeu Capitum, quæ editio primum hoc modo prodiit ex Romanis Typis *Anno* 1559. *per Antonium Bladum Impreſſorem Cameralem*, quem quidem rariſſimum librum, ita in Titulos diſtributum, & ejuſdem editionis apud me retineo.

III. Gav. lit. c — *Ideo Auctorem eum puto &c.*) optime autumat Doctiſſimus Gavantus Sanctum Gregorium non poſſe cenſeri Auctorem libri Sacramentorum, ſive Romani Miſſalis, niſi quatenus illum in meliorem formam redegit. Digeſſerat enim, ante Gregorium Magnum, Miſſarum Ordinem etiam Gelaſius Papa; & hæc Miſſalia ſeparatim extabant *Anno Domini* 831. in Abbatia Centulenſi, ſive S. Richerii. In Chronico enim præfati Monaſterii *lib.* 1. *cap.* 3. *tom.* 4. *Spicilegii Dacheriani* in Indice Bibliothecæ ita recenſentur. De libris Sacrarii, qui Miniſterio Altaris deſerviunt. Miſſales Gregoriani tres. Miſſalis Gregorianus, & Gelaſianus modernis temporibus ab Albino ordinatus. Miſſales Gelaſiani XIX. Unius ex illis codicibus Gelaſianis mentionem faciunt Doctiſſimi Viri, Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 25. *numer.* 10. & ante eum Joannes Morinus *in Appendice Manuſcriptorum ad Commentarium de Pœnitentia* editum Pariſiis *Anno* 1651. *pag.* 52. ubi ait: *ſe eum Codicem ſæpius Petavianum appellaſſe a ſuo poſſeſſore Domino Petavio Viro Ampliſſimo, & Parlamenti Pariſienſis Senatore integerrimo*. Deinde ſubnectit, quod idem Codex pertinebat ad potentiſſimam Svecorum, & Gothorum Reginam Chriſtinam, &c. Poſtquam igitur longo temporis tractu in præfatis Bibliothecis delituit prædictus Codex Gelaſianus, compluribus ab hinc ſæculis literis majoribus & quadratis exaratus; tandem præfata sereniſſima Regina perhumaniter concedente, prœlo Romano commiſſus fuit, & publicam lucem aſpexit *Ann.* 1680. cura, & ſtudio Venerabilis, & in Rebus Liturgicis Eruditiſſimi viri Joſeph Mariæ Thomaſii Congregationis noſtræ Presbyteri, & deinde Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Verum quamvis Gelaſio Pontifici referatur prædictus antiquiſſimus Sacramentorum Codex, nihilominus neque ipſe adſtrui poteſt Auctor talis Miſſalis, ſeu Sacramentorum libri; Anaſtaſius ſiquidem Bibliothecarius in vita memorati Pontificis aſſeverat ipſum non compoſuiſſe, niſi Præfationes, & Orationes, ſeu Collectas: *Fecit Sacramentorum Præfationes, & Orationes cauto ſermone*. Ex quibus inferre eſt ante ipſum Pontificem extitiſſe in Eccleſia Romana Sacrorum Myſteriorum, ſeu Sacramentorum Codices. Et id fatetur idem Thomaſius in ſua laudata Præfatione, in qua aſſeverat nonnulla contineri in Sacramentario a ſe edito, quæ ſtylum Leoninum apertiſſime redolent; unde nemo inficiari poteſt, antiquiora hoc Gelaſiano extitiſſe Sacramentaria, quibus utebantur Romani Pontifices, & quæ a Gelaſio in meliorem formam redacta fuere; præſertim multarum Præfationum, & Orationum adjectione. Quam vero Gelaſius anterioribus Codicibus Sacramentariis operam commodavit, eandem Sanctus Gregorius Magnus citea finem Sæculi VI. collocavit in Gelaſiano, a quo nonnulla vel ſubtraxit, vel adjecit, vel immutavit, id referente Joanne Diacono in vita ipſius Gregorii lib. 2. cap. 17. his verbis. *Sed & Gelaſianum Codicem de Miſſarum Solemniis multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis Evangelicis lectionibus in unius libris volumine coarctavit*. Et hinc factum eſt, quod ab hujus Sancti Pontificis reformatione totum illud opus Miſſalium precum Gregorianus Codex appellari cœperit, eoque quotquot conſecuti ſunt Pontifices uſi fuerint.

Dum hæc ſcriberem, Clariſſimus Vir Joſephus Blanchini, olim Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis Canonicus, nunc vero Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter, aliud Gelaſiani Codicis exemplar ex Archivio prædictæ Cathedralis extractum Prolegomenis Tomi 4. Anaſtaſii Bibliothecarii inſeruit, tituloque Sancti Leonis adornavit, tum quia Leoninum Stylum redolet, tum quia Gelaſiano a Thomaſio edito eſt antiquius. Poſt diligentiorem vero rei hujus inquiſitionem, & accuratius Codicis examen, Sacramentarium illud non Leoninum, ſed purum putumque eſſe Gelaſianum nullo additamento interpolatum compertum eſt. Argumenta autem id aperte demonſtrantia ſunt, 1. Ingens Præfationum numerus, quæ in Veronenſi Codice leguntur, quibus abundaſſe Sacramentarium purum Gelaſianum teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius. 2. Commemoratio S. Simplicii Pontificis Gelaſii Prædeceſſoris, Leone vero in Pontificatu poſterioris. 3. Tempus ordinationis Gelaſii rectiſſime in Codice illo aſſignatum in Miſſa anniverſaria conſecrationis Pontificum; Quibus magis magiſque confirmatur Gelaſianum Codicem a Thomaſio editum non eſſe purum integrumque Gelaſianum, ſed ut Thomaſius ipſe aſſeverat, multa in eo legi a poſterioribus Pontificibus adjecta, & aliqua detracta; tum quia pro ſingulis Miſſis una, & quandoque nulla Præfatio in eo aſſignatur; Blanchini vero exemplar pluribus abundat pro Miſſis ſingulis. Nihilominus quia Codex ille Leonis Titulum præfert, quandocumque illum a nobis citari contigerit, Leoninum appellabimus. Ad Gregorianos Codices redeamus.

Gregoriana exemplaria paſſim extant tum MSS. in Bibliotheca Vaticana, & alibi, tum etiam typis impreſſa. Primus omnium Codicem Gregorianum, tranſcriptum ex MSS. Colonienſ. in lucem emiſit Doctiſſimus Pamelius, notiſque marginalibus adornavit *in Tomo* 2. *ſui Liturgicon Eccleſiæ Latinæ, Coloniæ Anno* 1571. Rurſus Clemente VIII. in Apoſtolico Throno ſedente, juxta exemplar MSS. quod in Bibliotheca Vaticana ſervatur, Romæ ex Typographia Apoſtolica Vaticana *Anno* 1593. Typis datus eſt ſimilis alius Codex Gregorianus, cura, & ſtudio Doctiſſimi Viri Angeli Rocca Papæ Sacriſtæ, qui etiam eundem paucis quibuſdam, ſed eruditis notis explicavit. Demum in lucem edidit Pariſiis *Anno* 1642. eundem Codicem Gregorianum Clariſſimus Vir Hugo Menardus Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri, quem Codicem diligentiſſime contulit cum exemplari exiſtente in Bibliotheca Corbejenſi Monaſterii Sancti Eligii, eumque etiam eruditiſſimis notis, & obſervationibus illuſtravit. Unuſquiſque præfatorum Virorum ſuam editionem, ut germanum Gregorii fœtum commendat, ſed ita inter ſe diſſident prædicti Gregoriani editi Codices, ut difficile ſit, ut ait Vener. Cardin. Thomaſius, litem decidere; & quamvis tantorum Virorum Judex eſſe nolit, tamen pro veritatis amore, fateri compellitur, ſe Codici Pameliano præ reliquis adhærere ob illas rationes, quas breviter indicat in ſua erudita præfatione, quam ſuis Sacramentorum Codicibus adtexuit. Correctionem omnibus hucuſque editis dabimus in noſtra collectione Liturgiarum Occidentalium ex antiquiſſimo Codice, qui erat in Bibliotheca ejuſdem Reginæ Svecorum. Præter prædictos Authenticos Romanæ Eccleſiæ Sacramentorum libros, extitit etiam alia quidem, ſed privata Miſſalis libri confectio per Albinum, ex utroque Gelaſiano nimirum, & Gregoriano Codice conflata, & hoc Titulo inſcripta: *Miſſalis Gregorianus, & Gelaſianus modernis temporibus ab Albino ordinatus*: ſic legitur in Chronico Centulenſi *lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 4. Spicilegii Dacheriani in Indice librorum *Anno* 831. numeratorum, ut ſuperius dixi. Prætermittenda non eſt hoc loco eruditiſſimi Viri Petri Le Brun obſervatio, qui *tom.* 2. *diſſert.* 2. *pag.* 160. aſſeverat ſe plures Sacramentarios Codices MSS. perlegiſſe, qui Gregorii nomen præſeferunt; hodiernum tamen Miſſale Romanum eſſe omnibus magis Gregorianum, immo purum Gregorianum eſſe, ſi quaſdam Miſſas recentes exceperis.

IV. Gav. ead. litt. c. *Vocabatur etiam Sacramentale*. Liber Miſſæ, qui nunc Miſſale dicitur, antiquitus appellabatur *Sacramentale*. Item *Liber Sacramentorum*, & etiam *Liber Myſteriorum*, ea præſertim ratione, quia inter cuncta Eccleſiæ Sacramenta illud conſtat eſſe præcipuum, quod in Miſſæ officio ſupra menſam ſacratiſſimi Altaris celebratur, & fuit ſolemne apud vetuſtiſſimos Eccleſiæ Patres Sacramenta antonomaſtice appellare Chriſti Corpus & Sanguinem, cum in Altari conficiuntur in Miſſa, ut advertit mox laudatus Cardinalis Thomaſius in ſua Præfatione; reddendo rationem, ob quam ſub Sacramentorum Titulo ſuos Codices evulgaverit.

Antiqui Libri Liturgici, & Miſſales, quibus Eccleſia utebatur in Miſſarum ſolemniis celebrandis, non uno, ſed triplici volumine comprehenſi ſeorſim reperiebantur. Primus continebat Orationes, Precationes, Præfationes, & alia ſimilia, quæ a Sacerdote celebrante ad Altare recitabantur. Aliud reperiebatur volumen, in quo continebantur Evangelia a Diacono, & Lectiones ſpirituales ab aliis miniſtris dicendæ. Tertius denique continebat Antiphonas, Tractus, Gradualia, Reſponſoria, & alia hujuſmodi, quæ a Choro canebantur. Primum ex prædictis voluminibus eſt illud, quod Sacramentarii nomen exinde eſt conſecutum, ſeu Sacramentorum liber appellabatur, & de quo mox mentionem fecimus. Secundum D. Hieronymi hortatu in Eccleſiam Romanam introductum dicitur a Damaſo Papa, quia diſtributio Lectionum per totum anni circulum, quæ in eo continentur, fuit ab eodem S. Hieronymo ordinata, ut teſtatur ipſius prologus in capite ejuſmodi libri, qui Comes dicitur præfixus, ſi tamen prologus ille genuinus eſt, quod video a multis in dubium revocari. Hunc Comitis librum a Sancto

Hieronymo fuiſſe compoſitum, veteres, qui de rebus Liturgicis tractatus edidere, uno conſenſu fatentur. Micrologus de *Eccleſiaſticis Obſervationibus cap.* 25. Divo Hieronymo hunc librum attribuit his verbis: *Liber etiam Comitis, ſive Lectionarius, quem S. Hieronymus compignavit, &c.* In eadem ſententia verſatur Joannes Beleth *in Rationali Divinorum Officiorum cap.* 57. ubi ait: *Inſtituit Beatus Hieronymus rogatu S. Damaſi Papæ, quæcumque ex veteri, & novo Teſtamento leguntur in Eccleſia.* Berno Augienſis *cap.* 1. *Beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lectionarii, ut ipſius teſtatur prologus appoſitus in capite ejuſdem Comitis*: (ſic eum appellavit.) Ab hac ſententia recedunt plures ex recentioribus, qui tamen valida contra ſententiam veterum argumenta non proferunt. Quamvis autem daretur Hieronymum libri hujus non eſſe Auctorem, negari tamen non poteſt vetuſtiſſimum eſſe, & ſaltem paulo poſt Hieronymi mortem editum; cujus etiam habetur mentio in Charta Cornutiana: *Item Codices Evangeliorum quatuor, Apoſtolum, Pſalterium, & Comitem.* Ex quibus verbis recte inferebat Doctiſſimus Mabillonius *lib. 6. de Re Diplomatica*, Auctorem Comitis Hieronymo coævum fuiſſe, vel ſupparem. Hinc liber in lucem emiſſus fuit a Pamelio *in* 2. *Tomo ſui Liturgici Latini*, deinde fragmentum veteris Capitularis, Evangeliorum, ac integrum Comitis librum, abundanter tamen interpolatum, (ut ait Cardinalis Thomaſius in admonit. ad Lectorem) edidit Stephanus Baluzius in notis ad Capitularia Regum Francorum *Tom.* 2. *colum.* 1156. & 1309. Præterea aliud ejuſdem Lectionarii exemplar typis iterum committi curavit Romæ anno 1691. cit. Card. Thomaſius in volumine, cui Titulus, *Antiqui libri Miſſarum Romanæ Eccleſiæ.* Optimum vero Hieronymi Comitem habebat Schultingius, quem deficiente pecunia typis mandare non potuit; *Comitem*, inquit ipſe admonitione propria ad Lectorem, *ſive Lectionarium B. Hieronymi, ſimiliter ob defectum ſumptuum premere fui compulſus, cum hujuſmodi ro modo numquam ſit editus, qualem ego manuſcriptum penes me aſſervo, in quo longe plus, & amplius eſt præſtitum, quam in ejuſmodi Comitis, per Doctiſſimum Pamelium ante Tomum ſecundum Liturgicon, editione.* Dolendum profecto eſt Codicem hunc in Germanicis Bibliothecis adhuc latere, & in novo Theſauro Anecdotorum a Patre Pex compilato deſiderari. Jacturam fortaſſe reparabit ſupra laudatus Joſeph Blanchini Congregationis Oratorii Presbyter, qui mihi aſſeruit, ſe egregium Comitem inveniſſe in Bibliotheca Vallicellana, & hic locum habebit in magna Collectione Rerum Liturgicarum Occidentalium, quam, Deo dante, Viriſque eruditis conſilium, & operam commodantibus, in lucem emittemus.

Hoc loco animadvertendum occurrit in quibuſdam M. Ss. Codicibus alium fuiſſe librum Epiſtolarum a Subdiacono dicendarum, alium vero Evangeliorum, quæ a Diacono recitabantur. Tertius ex dictis libris, qui *Antiphonarium* Miſſæ inſcribitur, Sancto Gregorio Magno ab antiquis Codicibus, & Scriptoribus attribuitur. Hoc Miſſæ Antiphonarium forte iis libris comprehendebatur, quos Paulus Papa Pipino in Galliam miſit, ut ſcribit *Epiſt.* 25. Codicis Carolini: *Direximus excellentiſſimæ præcellentiæ veſtræ, & libros quantos reperire potuimus, ideſt Antiphonale, & Reſponſale.* Hujuſmodi pariter Antiphonarium ſupralaudatus Jacobus Pamelius evulgari curavit, & in 2. *Tomo ſui Liturgici Latini* poſt Divi Hieronymi Lectionarium adtexuit, novamque ejuſdem Antiphonarii Miſſarum, ſicuti & Lectionarii, ut mox dixi, editionem curavit Clariſſimus Vir ſupralaudatus Cardinal. Thomaſius, in qua ſua editione Officia Feriarum, quæ in M. SS. Codicibus erant, cum Officiis Feſtorum commixta diſcrevit eo ordine, quo in modernis libris continentur.

Præter hos libros Miſſales ita diviſos, & diſcretos, reperiebatur *Miſſale Plenarium*, ita dictum, quia comprehendebat non ſeorſim, ſed unitos omnes tres antedictos libros. De hoc Miſſali Plenario mentionem faciunt Acta Murenſis Monaſterii *pag.* 31. ubi legitur: *Sunt & hic Miſſales libri quinque, tres pleniter ſcripti ſunt; quartus vero habet Graduale cum Orationibus; quintus tantum Orationes habet.* Rurſus Leo IV. Homilia de Cura Paſtorali præcipit, ut *Miſſale Plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Eccleſia habeat.* Ratherius Veron. *in Synodica ad Presbyteros*, & Regino *in inquiſitione Epiſc. cap.* 10. habent hęc verba: *Inquirendum ſi Miſſale Plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Eccleſia habet; nam ſine iis Miſſa perfecta non celebratur.* Denique Leo Oſtienſis *lib.* 3. *cap.* 19. librum ad Miſſam deſcribi curavit. *Namque uſque ad illud tempus in plenario Miſſali tam Epiſtolæ, quam Evangelia legebantur: Quod quam eſſet inhoneſtum, modo ſatis advertitur.* Hęc collecta ſunt ex Gloſſario Caroli Du Freſne, ſeu Du Cange, ut alii citant. In celeberrima Bibliotheca Angelica Almę Urbis extat antiquiſſimus Codex talis Miſsalis Plenarii, comprehendentis omnia, quæ in Miſsæ celebratione tam a Sacerdote, quam a Miniſtris, & Choro dicebantur. Quę quidem Miſsalia Plenaria neceſsaria erant cuicumque Sacerdoti, quando celebrabant Miſsas privatas. Vide quę de his libris erudite ſcripta ſunt a Doctiſſimo Bocquillot in Tr. Hiſtorico Liturgię ſacrę *lib.* 1. *cap.* 9.

Gravis agitatur quęſtio inter Doctores Liturgicos: utrum quatuor primis Eccleſię ſęculis extarent libri Miſſales manu exarati, quibus uterentur Sacerdotes in peragendo ſacrificio, an memoriter tantum recitarentur ab iiſdem orationes, Preces, &c. dum Miſſam celebrabant? Eruditiſſimus Joſeph Vicecomes *Volum.* 4. *ſuarum Obſervat. lib.* 7. *cap.* 10. ſubſtinet librorum Miſſalium uſum in Re Divina vetuſtiſſimum eſſe; in qua ſententia verſatur pariter Card. Bona *Rerum Liturgicarum lib.* 1. *c.* 8. & *c.* 25. *n.* 10. ibi enim fatetur fuiſſe ab initio Eccleſię certas Liturgiarum formulas *ab Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris* compoſitas, quam veritatem propugnat *cit. c.* 8. Denique in eandem ſententiam deſcendit, eamque validis rationum & auctoritatum momentis tuetur mox laudatus Lazarus Andreas Bocquillot in citato Tractatu Hiſtorico Gallice conſcripto de ſacra Liturgia *lib.* 2. *cap.* 9. contra Petrum Le Brun, qui *tom.* 2. *ſuarum Explicationum differt.* 1. acerrime ſuſtinet per ſolam traditionem ſervatum fuiſſe ordinem Liturgię, & normam conſecrationis uſque ad quintum Eccleſię ſęculum.

Verum non huic ſecundę, ſed primę ſententię libentius adhęreo; tum quia ſi non omnes, ſaltem aliquę quoad majorem ſui partem ex prędictis antiquis Liturgiis admittendę profecto ſunt, tamquam genuini fœtus illorum Auctorum, quibus communiter tribuuntur; tum quia id pariter oſtenditur auctoritate S. Juſtini, qui in *Apologia* 2. quam circa *A. C.* 140. ad Imperatorem Antoninum Pium ſcribebat, ait: *Solis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in Urbibus, vel ruri degunt, in eumdem locum Conventus fit. Et Commentaria Apoſtolorum, aut Scripturæ Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quieſcente, Præſidens orationem habet, qua Populum inſtruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur. Sub hæc conſurgimus communiter omnes, & precationes profundimus. Precibus autem peractis, panis offertur, & vinum, & aqua. Et Præſidens iterum quantum pro virili ſua poteſt preces, & gratiarum actiones fundit, & Populus fauſte acclamat, Amen, & diſtributio communioque fit eorum, in quibus gratiæ ſunt actæ, cuique præſenti, & abſentibus per Diaconos mittitur.* Ex quibus verbis S. Martyris conjicere licet extitiſſe tunc Codicem aliquem, in quo perlegebantur dictę preces, gratiarum actiones, ſcripturę Prophetarum, &c. Rurſus id evincitur auctoritate Divi Hieronymi, qui in Catalogo Scriptorum, dum loquitur de S. Hilario Pictavorum Epiſcopo, ait: *Eſt ejus & liber Hymnorum, & Myſteriorum alius*, ubi, *Myſteriorum libro* Codicem Miſſalem intelligi, compellitur fateri quicunque Miſſam a priſcis Scriptoribus Myſterium nuncupatam fuiſſe non ignorat. Colligitur eadem veritas ex Epiſtola S. Athanaſii *ad ubique Orthodoxos*, in qua is graviter queritur, quod Ariani, labes, ac ruina Catholicę Religionis, altis tenebris gentilitatis oppreſſi, quibus propoſitum erat Chriſtianam pietatem evertere, ſacros omnes libros, qui Eccleſiaſtico uſui deſtinati erant, admoto igne, conſumpſiſſent. Sed quinam libri magis ſacri, quam illi, quibus Rei Divinę peragendę Ritus, & Ordo conſignati erant? Ita optime ponderat laudatus Vicecomes. Denique ex Divo Auguſtino clariſſime eruitur eadem veritas antiquorum Codicum Liturgicorum; nam in Epiſtola ad Paulinum, explanando illa verba Apoſtoli Pauli *ad Timotheum c.* 1. *v.* 1. *Obſecro igitur primum omnium fieri Obſecrationes, Orationes, Poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*; explanando, inquam, Sanctus Doctor in Epiſtola ad Paulinum *num.* 16. prędicta Apoſtoli verba, ait: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa incipiat benedici: Orationes cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Eccleſia Dominica Oratione concludit.* Deinde addit: *Ideo in hujus ſanctificationis præparatione exiſtimo Apoſtolum juſſiſſe proprie fieri Orationes, vel (ut nonnulli minus perite interpretati ſunt) adorationes; hoc eſt enim ad votum, quod uſitatius in Scripturis nuncupatur* εὐχὴ. *Interpretationes autem, ſive ut veſtri Codices habent, poſtulationes fiunt cum Populus benedicitur; tunc enim Antiſtites, velut Advocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati, quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit: quam his etiam verbis commendavit.* Liquet ergo ex D. Auguſtino hanc omnium, aut fere omnium Eccleſiarum ipſius ęvo fuiſſe conſuetudinem, ut fierent obſecrationes, antequam panis, & vinum inciperent benedici, & ſanctificari; deinde orationes, quarum voce ſapientiſſimus Vir Joannes Mabillon *lib.* 1. *Liturgiæ Gallicanæ c.* 4. *n.* 3. intelligi, *Canonem Miſſæ* ab Auguſtino, cenſet: aſſerverat prętérea Auguſtinus, Antiſtites Populo inter Miſſarum ſolemnia benedictionem dare, preces effundere, ad gratias agendas poſt acceptam, & diſtributam Euchariſtiam, & hæc omnia cenſebat fieri ex Pauli inſtitutione; quod quidem nonniſi conjiciendo, & interpretando dicit S. Doctor: ſed in dubium verti nequit, quod omnes prædictæ preces, obſecrationes, &

ora-

Digitized by Google

rationes fuerint in uſu, ut diximus, Divi Auguſtini ævo apud omnem fere Eccleſiam; quo poſito, quis audeat opinari prædicta omnia non fuiſſe ſcriptis conſignata, ſed ſolum memoriæ mandata a Sacerdotibus? optime ponderat Bocquillot, quod non omnis homo pollet memoria Sidonii Apollinaris ad memoriæ mandandos integros libros, ſicut ipſe faciebat in ſacris Myſteriis peragendis: cogitur itaque fateri, etiam primis Eccleſiæ ſæculis in uſu fuiſſe ſacros Liturgicos libros, quibus Sacerdotes utebantur in Miſſæ celebratione.

Unicum habet hæc ſententia præſidium in Magni Baſilii verbis, qui *lib. de Spiritu Sancto cap.* 2. ait: *Verba invocationis, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum ſcripto nobis reliquit?* ex quibus verbis tam Petrus Le brun, quam Tillemontius in notis ad vitam S. Jacobi Apoſtoli inferunt, ante Baſilium Liturgias ſcriptis non fuiſſe mandatas. Celeberrimam hanc objectionem ſolide tandem diluit eruditiſſimus Julianus Garnerius Monachus Congregationis S. Mauri nuperus Baſilii editor, cujus hic obſervationem exſcribimus: Non ſtatuit hoc loco Baſilius, quod ab eo eruditorum nonnulli, in his præſtantiſſimus Scriptor Euſebius Renaudot *Liturg. Oriental. Diſſert.* 1. *cap.* 2. doceri exiſtimant; Euchariſtiæ, & Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum preces, & ritus, ne in Eccleſiis quidem ad Sacerdotum uſum ſcripta ſervari. Merito illud quidem ex hoc capite colligitur, ſummam olim adhibitam fuiſſe cautionem, ne quid de myſteriis non ſolum ad Gentiles, ſed etiam ad Catechumenos permanaret: ac recte obſervat Scriptor modo laudatus, myſteria initiandis viva voce exponi; initiatis breviter, & obſcuriuſcule in Concionibus indicari ſolita, cum hac *ἀνεκφωνήτως* formula: *norunt initiati*. Perincommode enim fuiſſent vulgata, quæ Catechumenis ſpectare non licebat; nec leve periculum erat, quod vileſcerent myſteria, ſi violata arcani ſanctitas fuiſſet. Sed tamen Baſilius dum ſcripta negat, hæc inſtituta, non de veterum Scriptorum libris, non de Liturgiis ſcripto conſignatis, ſed de Scripturis ſanctis loquitur. Liquet primo Pneumatomachos, dum glorificandi modum *ὡς ἄγραφον* rejiciunt, hoc tantum nomine argutias ſuas prætexuiſſe, quod in Scripturis non legeretur *cum Spiritu Sancto*. Hinc Baſilius illis inſtituta, non ſcripta opponit; in primis invocationis verba, quæ quidem negat ab ullo Sanctorum fuiſſe ſcripta, quia neo apud Apoſtolum, nec in Evangelio commemorantur. Sæpe alias apud Baſilium *ἄγραφα* dicuntur, quæ non extant nominatim in Scripturis. In libro, ſive epiſtola de Fide, Moralibus præfixa, cum quidam ab eo poſtulaſſent *ὁμολογίαν ἔγγραφον confeſſionem ex ſcripturis petitam*, *pag.* 223. profitetur ſe non uſurum verbis *ἀγράφοις*, ideſt, quæ in Scripturis non leguntur. Unde *conſubſtantiale* in illa Fidei confeſſione non reperitur. Ariani apud Athanaſium *lib. de Decr. Nic.* queruntur, quod Nicæni Patres *ἀγράφους λέξεις dictiones non ſcriptas* admiſiſſent. Secundo, nihil veri dixiſſet Baſilius ſi confeſſionem Fidei in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & alia ejuſmodi inſtituta, quæ vocat *ἄγραφα*, nullo prorſus ſcripto conſignata eſſe contendiſſet. Horum enim non infrequens apud antiquos Scriptores mentio. Quin etiam ipſe Baſilius glorificandi modum, quem inter *ἄγραφα* inſtituta numerandum fatetur, in ſcriptis veterum Patrum ſæpe occurrere demonſtrat *cap.* 29. Fruſtra ergo ſententiæ ſuæ præſidium a Baſilio petunt, qui preces Liturgiæ ſero admodum contendunt litteris mandatas fuiſſe. Hæc Garnerius *tom.* 3. Operum S. Baſilii: miramur autem eruditiſſimum Bocquillot acerrimum ſententiæ noſtræ Patronum, celeberrimum hunc Baſilii textum ſibi non objeciſſe, qui cæteroquin eſt præcipuum opinionis adverſæ fundamentum.

## R U B R I C A.

d *Miſſa quotidie dicitur ſecundum ordinem Officii de* (e) *Feſto duplici, vel ſemiduplici, vel ſimplici, de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octava, & extra ordinem Officii Votivæ, vel pro Defunctis.*

## G A V A N T U S.

d *Miſſa*. Vox Latina eſt, & antiquiſſima, a vulgo potius introducta, multipliciter ejuſdem rei ſignificativa.

Latina eſt, non Hebræa, velut aliæ voces *Alleluja*, *Amen*, & ejuſmodi, quas Græci Patres retinuere; ab Hæbreis aliquam originem ducit: unde *Baronius Anno* 34. *n.* 59. a Jacobo uſurpatam vocem, *Miſſach*: ideſt, ſpontaneam oblationem in Liturgia dicit. Miſſa vero ab iiſdem Græcis nunquam uſurpatur, ſed eam, *Liturgiam*, publicum opus; vel *Jerurgian*, ſacrum opus *apud Ignatium non ſemel*; vel *Myſtagogiam*, ſummum miniſterium, *Nazianzenus pluries*; vel *Proſphoram*, oblationem, *can.* 3. *Apoſtol.* vel *Thyſiam*, ſacrificium, *idem can.* 3. vel *Tsletin*, myſterium vocavere *Durand. lib.* 2. *can.* 3. vel *Teletin*, myſterium vocavere *Durand. lib.* 2. *de rit. cap.* 1. neque Latinus quiſquam eam exaravit cum aſpiratione, *Miſacb*, *ut Hæbrei*.

Antiquiſſima eſt, a Clem. *epiſt.* 3. ab Evariſto, *inquit Burchardus tertio Decretal. cap.* 27. Certius autem a S. Ambroſio *lib.* 5. *epiſtol.* 33. *dubitante Azorio lib.* 10. *cap.* 58. *quæſt.* 5. *de epiſtola Evariſti*, a vulgo potius introducta eſt vox, ſumpto vocabulo a publicis illis verbis, quæ in fine dicuntur: *Ite, Miſſa eſt*: ait *Azor. ibi quæſt.* 1.

Miſſionem autem ſignificat (mitto, quod Baronius in Martyrologio prima Octobris docet, apud Francos ſignificare quandoque per Synecdochen Feſtivitatem ipſam, de qua fit Miſſa) ſicut Remiſſa ſignificat Remiſſionem *apud Tertullian. lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 18. *& Cyprian. de bono patient.* Miſſio enim, tum precum populi per Sacerdotem ad Deum, *Alcuinus de Divinis Offic. cap. de celebr. Miſſæ*: tum Chriſti, qui miſſus eſt a Patre ad nos, *Durand. Ration. lib.* 4. *cap.* 5. tum ejuſdem Chriſti a nobis ad Deum ad placationem ſolutionemque inimicitiarum inter Deum, & Homines, *Rupertus Abbas lib.* 2. *de Divin. Offic. capit.* 20. tum Catechumenorum, qui poſt Evangelium a Diacono dimittebantur, *Rabanus Inſtit. Cleric. lib.* 1. *cap.* 32. tum Fidelium, qui tanquam Rei joti ſacrificio, veluti cuidam judicio interſunt (unde & Canon Miſſæ Actio dicitur) ideſt, cauſa in judicium deducta ab Advocato Sacerdote; peracta vero cauſa dimittuntur Rei, *Durand. loc. cit.* Dicta eſt etiam Collectio, & Dominicum, *ex Baronio Anno* 303. quia colligebantur uti ad rem Dominicam. Alia nomina Miſſæ, ultra 80. a SS. Patribus uſurpata recenſet *Joſeph Vicecomes de Miſſæ ritibus lib.* 1. *cap.* 7.

Quod ad rei definitionem attinet, Miſſa ſignificat verum ſacrificium incruentum Chriſti, ab eodem inſtitutum iis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod ſecum habet rem externam ſenſibilem, quæ fit ſacra, & mutationem patitur, & offertur Deo per legitimum Miniſtrum, certis ritibus, & cæremoniis; vel ad delenda peccata, vel ad gratias agendas pro beneficiis; vel ad opem invocandam; vel ad ſupremum dominium profitendum; in quibus propria ſacrificii ratio conſiſtit; *fuſius Azor. lib.* 10. *cap.* 18. *quæſt.* 5. *neque noſtri eſt inſtituti mere Scholaſticas quæſtiones hic enodare.*

Primam vero Miſſam celebravit S. Petrus in die Pentecoſtes, *ex conjecturis Anton. Democharis Tomo* 2. *de Sacrificio Miſſæ, cap.* 4. quia, *inquit*, eo die Hebræi *Deuter.* 16. offerebant oblationem ſpontaneam, *Miſſach*, quæ erat tritici. Petrus igitur eandem obtulit in pane azymo, in Cœnaculo Sion. Eadem docet *Pamelius Tomo* 1. *Liturg. Eccleſ. Latinæ*. Neque dicas, Jacobum celebraſſe primam, *de conſecrat. diſt.* 1. *cap. Jacobus*, *ex Synodo ſexta*, quia Petrus ordinem præſcripſit, Jacobus evulgavit; quo modo conciliat Scriptores *Vvalden. lib. de Sacrament. tit.* 12. *cap.* 28. & de Petro abſolute docent *Clement. epiſt.* 2. *Iſidor. lib.* 1. *de offic. cap.* 53.

e *De Feſto duplici*, *&c.* Quid ſit Feſtum duplex, &c. dicemus, cum de Rubricis Breviarii agemus.

### Novæ obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

V. Gav. lit. d -- *Miſſa vox Latina eſt*, *&c.* Huic noſtri inſignis Auctoris ſententiæ adſtipulantur etiam nonnulli alii præclariſſimi Viri, nimirum Cardin. Bellarminus *lib.* 5. *de Miſſa cap.* 1. Cardin. Bona *de Rebus Liturgicis libro* 1. *cap.* 1. Petrus Le Brun Congregationis Oratorii Gallicani Preſbyter *tom.* 1. *cap.* 1. ſuarum eruditarum Explicationum ſuper Miſſæ Cæremoniis, Bocquillot in ſuo Tractatu Hiſtorico ſuperius allegato *lib.* 5. *cap.* 1. Grancolas in Tractatu de Miſſa, & Divino Officio *part.* 1. *pag.* 1. Claudius de Vert *tom.* 1. *Explicat. part.* 1. *cap.* 1. Antonius Bellote in præclariſſimo ſuo opere inſcripto: *Ritus Eccleſiæ Laudunenſis part.* 2. *Obſerv. pag.* 58. *&* 106. Omnes præfati Auctores adſtruunt incruentum novæ legis Sacrificium *Miſſam* appellatum fuiſſe a Miſſione, ſeu dimiſſione Populi, & licentia diſcedendi, de qua infra.

VI. Gav. ead. lit. d. -- *Non Hebræa*. Contra Gavantum, *Miſſam* eſſe Hæbraicum nomen ex voce *Miſſach*, quæ habetur in Deuteronomii *cap.* 16. & quæ ſignificat *oblationem*, ſuſtinent præter Baronium, Joannes Reuchinus *lib.* 2. *Hebraicarum eruditionum*, Claudius de Sainctes in ſua erudita Præfatione Liturgiis SS. Patrum præfixa, Genebrardus *de Liturgia Apoſtolica cap.* 7. Antonius Demochares adverſus Miſoliturgos *Tom.* 2. *cap.* 1. Joannes Maria Turrinus in Directorio Sacrificantium *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 4. & Joannes Baptiſta Scortia de Sacrificio Miſſæ *lib.* 1. *cap.* 1. Præterea nonnulli alii, quorum aliqui nulla auctoritate SS. Patrum innixi aſſerunt Apoſtolos ab Hebræis, Latinos a Petro Apoſtolorum Principe *Miſſæ* vocabulum accepiſſe. Verum Bellarminus *loc. ſuperius cit.* optime obſervat, & poſt eum Cardinalis Bona, quod ſi vox iſta Hebraica Apoſtolis in uſu fuiſſet, etiam certe tenuiſſent etiam Græci, & Syri, atque aliæ Nationes, ſicut retinuerunt alias ſimiles voces, nimirum *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Oſanna*, *Satan*, *Sabbatum*, *Paſcha*. Hæc vocabula Hebraica per Græcos ad nos devenerunt, cum Apoſtoli ipſi, & vetuſtiores PP. iiſdem proximiores græce ſcripſerint. Quoniam vero apud antiquos Græcos Scriptores nulla fit mentio hujus vocis; Rurſus quoniam neque a Patribus Hebraicam Linguam callentibus, Origene, Epiphanio, Juſtino, Hieronymo, uſurpatur tale nomen, liquido conſtat, ex Hebræis ad Chriſtianos talem vocem non derivaſſe.

VII. Gav. ead. lit. d -- *Sed eam Liturgiam publicum opus &c.*) A Græcis PP. ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium

*Liturgia* vocatur, & quamvis hæc vox apud Grammaticos denotet quodcumque publicum munus ſeu miniſterium; attamen apud Chriſtianos ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabuſis conſuetudo invaluit, ut pro Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini fuerit accepta. Nulla ſiquidem functio eſt, nullumque miniſterium magis publicum, quam actio Sacerdotis Deo Sacrificium offerentis. Hinc *Actorum cap. 13.* vox illa *Miniſtrantibus illis Domino*, legitur λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ. *Sacrificantibus vero ipſis Domino*, Quod quidem miniſterium nihil aliud fuiſſe traditur, quam Sacrificium; atque ideo Textum ſic vertit Eraſmus: *Cum illi Domino ſacrificarent*: alii vero plurimi eruditi Scriptores prædicta verba interpretantur: *ſacrificantibus vero ipſis Domino*. Hinc tranſlatus eſt, & affixus Liturgiæ Titulus a SS. PP. Baſilio, Gregorio, Nazianzeno, Joanne Chryſuſtomo, Cyrillo Alexandrino, & aliis, libro illo, ſeu monumento, in quo Rei Divinæ conficiendæ Ritus præſcribitur. Obſervat tamen eruditus Vir Congregationis noſtræ Theologus Vincentius Riccardus in ſuo Commentario ad S. Proclum *de Traditione Divinæ Miſſæ*, quod quando PP. voce *Liturgiæ* in prædicta ſignificatione utuntur, fere ſemper cum adjuncto efferant, *Myſticæ* vel *Sacræ*.

VIII. Gav. ead. lit. d -- *Antiquiſſima eſt, a Clemente epiſtola 3. &c.*) Redit iterum Gavantus ad dictionis Latinæ *Miſſa* antiquitatem adſtruendam, atque antiquiſſimam eſſe. Et revera in Epiſtolis Romanorum Pontificum primi, & ſecundi ſæculi, præfata vox *Miſſa* reperitur ad ſignificandum Euchariſticum Sacrificium. Neminem quidem latet prædictorum Pontificum, qui Siricium præceſſerunt, Decretales Epiſtolas a pluribus eruditis Viris tamquam ſuppoſititias reſpui, & reprobari, verum prætereundum non eſt, quod quamvis pleræque dictarum Epiſtolarum, prout communiter circumferuntur, vehementer ſuſpectæ ſint de aliqua interpolatione, & aliis defectibus, non ideo tamen ſunt omnino reſpuendæ, ſed venerandæ, & in auctoritatem recipiendæ cum delectu opportuno; ita aſſerit, & ſolidis fundamentis hanc ſuam ſententiam comprobat ſapientiſſimus Card. de Aguirre *Tom. 1. Concil. Hiſpan. diſſert. 4.* & Annatus in ſuo Apparatu ad Poſitivam Theologiam *tom. 2. lib. 6. art. 5.* aſſeverat, quod quamvis ob conjecturas hinc inde pro utraque parte certantes ſatis liquido non conſtet, an genuinæ ſint, vel ſuppoſititiæ mox memoratæ veterum Pontificum ad Siricium uſque Decretales Epiſtolæ: ſatis tamen conſtare eas Theologi veneratione dignas, & non ſpernendas eſſe, ſaltem ubi Canonibus antiquis minime adverſantur. Ex quo igitur Evariſtus Papa *epiſt. 2.* Decretali, item Alexander Papa *epiſt. 1.* ſimiliter Teleſphorus epiſtola ad omnes univerſaliter Chriſti fideles *Miſſæ* nomine uſi ſunt, ſatis evincitur præfati nominis antiquitas. Sed ut certiora etiam argumenta adducantur ejuſdem antiquitatis, proferam Textum Epiſtolæ Pii ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum datæ Anno Chriſti 166. initio præfatæ Epiſtolæ ſic loquitur S. Pontifex; *Soror noſtra Exuperia, ſi bene recordaris, titulum Domus ſuæ pauperibus aſſignavit, ubi nunc commorantes Miſſas agimus*. Ita pariter Cornelius Papa in ſua Epiſtola *ad Lupicinum* pariter Viennenſem Epiſcopum ſcripta circa Annum 254. ait; *Non licuiſſe tunc Chriſtianis neque in cryptis notioribus publice Miſſas agere propter acerrimam perſecutionem*. Præfatæ autem duæ Epiſtolæ Pii, & Cornelii Summorum Pontificum communiter tamquam genuinæ admittuntur, & nonniſi a paucis quibuſdam ſeverioris critices prurigine laborantibus in cenſu Apocrypharum etiam iſtæ habentur; ex quibus omnibus evincitur etiam ante ævum Ambroſianum ſolemne fuiſſe in Eccleſia Latina uſurpare nomen *Miſſa* ad ſignificandum prædictum myſterium; quapropter falſum eſt, Divum Ambroſium primum omnium tale nomen protuliſſe, ut aſſeverat Bocquillot *lib. 1. cap. 1.* quando in *epiſt. 13.* ad Marcellinam Sororem ait; *Ego manſi in munere, Miſſam facere cœpi*; *& ſerm. 34. Moneo vos, ut qui juxta Eccleſiam eſt, & ſine gravi impedimento poteſt, quotidie audiat Miſſam*. Obſervat Mabillon. in *Tract. de vocibus Miſſæ, & Communionis*, S. Hilarium Pictavienſem Epiſcopum prædicta voce *Miſſa* uſum fuiſſe, *quem*, inquit, *ſecutus Ambroſius*, locum tamen Hilarii non indicat, niſi fortaſſe memoria lapſus ſit. Amicus quidam noſter, Vir alias doctrina, ac eruditione conſpicuus putabat *Miſſæ* nomen Apoſtolicum eſſe, ea ratione ductus, quod non ſemel in Jacobi Liturgia legatur: quam opinionem Vir eruditus hauſiſſe videtur a Joſepho Vicecomite, qui *lib. 1. de Miſſæ Ritibus cap. 3.* hujus vocabuli antiquitatem ex Jacobi Liturgia demonſtrare conatus eſt. Neuter animadvertit Jacobi Liturgiam non fuiſſe latino idiomate exaratam, ſed græco, vel potius hebræo, ut opinatur clariſſimus Leo Allatius in *diſſert.* a ſe edita pro hujus Liturgiæ veritate. Porro in græco Textu, quem unice ſequi debemus, non dicitur *Miſſa*, ſed in primo loco a Vicecomite laudato habetur λειτουργία, in ſecundo autem ἱερουργία. Quare ſi prædicti Viri argumentum antiquitatis ex latina verſione deducere volunt, fateantur oportet Jacobi Liturgiam Apoſtolico ævo in latinum idioma fuiſſe tranſlatam, quod tamen nemini perſuadere valebunt.

IX. Gav. ead. lit. d -- *Miſſio enim eſt tum precum Populi &c.*) Optime Gavantus interpretatur, & explicat dictionem Latinam *Miſſa*, ex eo quod Miſſa ſit veluti Miſſio, tum precum Populi per Sacerdotem ad Deum, tum Chriſti, qui miſſus eſt a Patre ad nos, & qui iterum mittitur a nobis ad Deum, ad ſolvendas inimicitias, quæ ſunt inter Deum, & Homines. Et hæc *Miſſæ* etymologia comprobatur etiam auctoritate D. Thomæ, qui *3. part. quæſt. 83. art. 4. ad 9.* ait: *Et propter hoc etiam Miſſa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, ſicut populus per Sacerdotem; vel quia Chriſtus eſt hoſtia nobis miſſa a Deo: Unde in fine Miſſæ Diaconus in feſtivis diebus Populum licentiat, dicens: Ite, Miſſa eſt, Scilicet Hoſtia ad Deum per Angelum, ut ſcilicet ſit Deo accepta*. Ita pariter Rupertus Abbas *lib. 2. de Divin. Offic. cap. 23.* ait; *Sacroſanctum Altaris miniſterium idcirco Miſſa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum, & Homines, ſola valens, & idonea mittitur Legatio*.

X. Gav. ead. lit. d -- *Tum Catechumenorum, qui &c.*) Evangelicæ Legis Sacrificium, Miſſa nuncupatur juxta Gavantum, alioſque DD. ſuperius allegatos, ex Populi Miſſione, ſeu dimiſſione. Miſſio autem in veteri Eccleſia duplex erat, una ſermone poſt Evangelium abſoluto, quando Catechumeni a Diacono dimittebantur his verbis; *Si quis eſt Catechumenus exeat foras; vel ſi quis non communicat det locum*, ut ait Divus Gregorius *lib. 2. Dialogorum cap. 22.* & hæc dicebatur *Miſſa, ſeu Miſſio Catechumenorum*, de qua S. Auguſtinus *ſerm. 237.* ait; *Ecce poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis, manebunt Fideles*. Quam ſententiam clare etiam docuit S. Iſidorus Hiſpalenſis dicendo *lib. 2. Orig. cap. 16. Miſſa tempore Sacrificii eſt, quando Catechumeni foras mittuntur clamante Levita: Si quis Catechumenus remanſit, exeat foras: & inde Miſſa: quia Sacramentis Altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur*. Reliqua Sacrificii parte expedita, & Re Divina peracta, alia ſequebatur dimiſſio Populi, nimirum dimittebantur etiam Fideles baptizati, & hæc Miſſa Fidelium vocabatur. Dimittebantur autem iis verbis a Diacono prolatis; *Ite, Miſſa eſt*. De hac poſt conſummatum Sacrificium concluſione, & Fidelium dimiſſione mentionem faciunt Florus Lugdunenſis, & Remigius Antiſiodorenſis in fine Expoſitionis Miſſæ, dicendo; *Miſſa nihil aliud intelligitur, quam dimiſſio, id eſt abſolutio, quam celebratis omnibus, tunc Diaconus eſſe pronunciat, cum Populus a ſolemni obſervatione dimittitur*. Hæc verba ab Alcuino tranſcripta reperiuntur etiam in libro Sacramentorum D. Gregorii, ubi *Feria 6.* Paraſceves legitur; *Deinde communicat ipſe, & omnis Clerus, & fiant Miſſæ*: quo in loco Pamelius optime obſervavit; *Ex poſtrema hac clauſula colligere eſt cur Miſſa nuncupetur, nempe a dimittendo Populo*.

Ejuſmodi Fidelium dimiſſiones completo Sacrificio, cum in noſtris, tum etiam in Liturgiis Græcorum Orientalium paſſim reperiuntur. Ita in Liturgia S. Jacobi legitur Diaconum dicere; *In pace Chriſti eamus*; in Liturgia S. Baſilii: *Ite in pace*; in Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi: *In pace progrediamur*: ita pariter in Liturgia S. Marci: *Ite in pace*; ob hanc, inquam, duplicem dimiſſionem Catechumenorum, & Fidelium, *Miſſa* nuncupatum eſt incruentum novæ Legis Sacrificium; quod quidem nomen, ut advertit Le Brun *loc. ſupracit.* poſt *Annum* 400. affixum fuit omnibus officiis Eccleſiaſticis, cum diurnis, tum nocturnis. Hinc Caſſianus, qui floruit circa *Annum* 400. in hoc ſenſu applicabat præfatum nomen, cum dicebat: *Poſt Miſſam nocturnam lib. 2. cap. 7. Poſt Orationem miſſam cap. 14. Congregationis miſſam lib. 3. cap. 7. Poſt vigiliarum miſſam cap. 8.* In eodem ſenſu S. Pater Benedictus in ſua Regula *cap. 11.* ait: *Poſt expletionem vero trium pſalmorum recitentur Lectio una, Verſus, & Kyrie eleiſon, & miſſæ ſint*. Ubi, ut obſervat Edmundus Martene in ſuo eruditiſſimo Commentario ad præfatam Regulam; Miſſa non ſumitur pro Sacrificio Euchariſtico, ſed in alio ſenſu, nempe ut tale verbum ſignificet Collectas, ſeu Orationes; quæ *Miſſæ* dicuntur eo quod in illis expreſſe preces ad Deum mittamus, dicentes: *Oremus, &c.* ut tradit etiam Joannes de Turrecremata, Hugo Menardus, & alii relati a laudato Martene ibidem; in quo pariter ſenſu dicitur, Monachos plures Miſſas, etiam poſt Completorium feciſſe. Rurſus obſervare etiam lubet cum P. Le Brun, quod ob antedictam duplicem dimiſſionem, primam Catechumenorum, ſecundam vero Initiatorum, evenit, quod circa *Annum* 500. nomen *Miſſa* in plurali uſurparetur, & diceretur: *Miſſarum ſolemnia*, ad ſignificandum etiam unum tantum Miſſæ Sacrificium. Ita legitur apud Cæſarium Arelatenſem *ſerm. 81.* ubi ait: *Tunc fiunt Miſſæ . . . . quando munera offeruntur, & Corpus, & Sanguis Chriſti conſecrantur*. Cæterum hæc vox *Miſſa* ſumitur pariter pro tota Divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit, & Cathecumenorum, & Baptizatorum dimiſſionem, quæ quidem acceptio nunc adeo in ore omnium communis eſt, ut recentiores vix aliud intelligant nomine *Miſſæ*.

Genebrardus *de Liturgia Apoſtolica* agens, relatus a Card. Bona *lib. 1. cap. 1.* & Gilbertus Grimaldus *in ſua Liturgia Sacra* gallice conſcripta *cap. 1.* explodere adnituntur prædictam etymologiam, veluti nimis frigidam, & modicæ reve-

rentiæ

rentiæ erga tantum Myſterium, cum a minima ſui parte vel accidente, auguſtiſſimum Sacrificium *Miſſa* appelletur; quando, docente Platone in Cratylo, ex propria rei nota nomina deduci debent. Verum præfati Auctores hac tantum ratione moti perperam reſpuunt antedictam etymologiam, ſeu talis obſcuri nominis impoſitionem auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacrificio. *Hæc* dictitare poſſunt illis, quibus Ethicorum in Chriſtianos Eccleſia naſcente Debacchantium furor perſpectus non eſt; ſed longe videtur aliter illis, qui memoria repetunt ea tempora, quibus Tyranni rem Chriſtianam divexabant. Igitur Fidei noſtræ Proceres, vetereſque Chriſtiani Latiui, ſummo conſilio, obſcuro *Miſſæ* nomine uſi ſunt ad Rem Divinam ſignificandam, nimirum, ut hominibus falſas Religiones colentibus, hoc nomen ſymbolicum ignotum eſſet, & ne Fideles ipſi proderentur, qui tunc in locis abditis, & retruſis, ac horis antelucanis ſacros conventus habebant. Unde *natio latebroſa*, & *lncifugax* dicta fuit apud Minutium Felicem, & Ludolph. *Comment. lib.* 3. *cap. 6. n.* 63. relatus a Le Brun *Tom.* 3. *ſuarum Explicationum diſſert.* 12. *art.* 1. ait: *Antiquiſſim Chriſtianorum, cum per tria fere ſæcula publicos cœtus habere non liceret, in ſpeluncis, & cryptis, ſed plerumque in cœmeteris, cultui ſacro vacare cogebantur: Gentiles enim eos ubique turbabant, & omne ſacrum Inſtrumentum diripiebant. Igitur panes, vinum, Calicem, & alia ad ſacram Cœnam pertinentia palam ferre non poterant, ſed vel linteaminibus involuta, vel aliter occultata ad locum, ubi Eccleſia congregata erat, portabant.* Sicut igitur locum, & tempus, ita etiam Sacrificium ipſum, ſub involucro præfati obſcuri nominis, celare ſtuduerunt, ut facilius profanis hominibus, & hoſtibus Chriſtianæ Fidei tam inſigne Myſterium occultaretur, & ne ſanctum canibus objiceretur, ſicut recte obſervat Caſalius *de veteribus Chriſtianorum Ritibus cap.* 9. & ante eum Joſephus Vicecomes de Miſſæ Ritibus *lib.* 1. *cap.* 7. qui hæc ſubnectit: *Satis conſtat veteres Eccleſiæ Scriptores legentibus, Fidei Chriſtianæ Myſteriis imbutos, olim ſummo ſtudio elaboraſſe, ut myſtica ſua ſacra Gentilium non modo oculis, ſed etiam intelligentiæ ſubducerent.*

Hæc omnia confirmat recentiſſime Nicolaus Antonellus in ſua erudita *Diſſertatione de Titulis a S. Evariſto in Urbe diviſis n.* 25. ubi aſſeverat maximæ curæ Chriſtianis fuiſſe, ut diſciplinam Arcani ſervarent; & ne Myſteria Gentilibus prolata deſpicerentur, Euchariſtiam, quæ a Pontifice ad Presbyteros Titulares mittebatur, communi, & vulgari nomine *Fermentum* appellabant; hoc enim vocabulo iiſdem Gentilibus facilius occultabatur Myſterium. Nam Acolythi, qui ſacram aſportabant oblationem ad Titulos, facile poterant eludere curioſas interrogationes Gentilium, ſi ab ipſis interrogati, quid ſecum ferrent, reſpondiſſent: *Fermentum.* Frequens quippe erat inter populares homines *Fermenti* tranſmiſſio: & ideo ſi reſpondiſſent ſe geſtare *Fermentum*, facile ſe expedire poterant, & importunas Gentilium inquiſitiones effugere; cum facile admodum eſſet, ut de re vulgatæ, & communi fidem adhiberent, animumque ad credendum ita eſſe, ut aſſerebatur, inducerent.

Hanc eamdem ſententiam, ante mox laudatum Antonellum, tradiderat eruditiſſimus Vir Angelus de Nuce Archiepiſcopus Roſſanenſis, cujus verba referuntur a Joanne Ciampino *in libro de perpetuo Azymorum uſu cap.* 7. putabat igitur prædictus Archiepiſcopus: *Particulæ Euchariſtici Panis nomen Fermenti inditum fuiſſe ad eludendas curioſas interrogationes Paganorum, &c.* Quo enim vulgarior vox *Fermenti*, eo tutius occultabatur Myſterium; idcirco ab Acolytho conſulto uſurpabatur. Rurſus in eamdem ſententiam abit Joannes Mabillon in ſua Diſſertatione *de Azymo, & Fermentato cap.* 10. ubi quærens cur Euchariſtia *Fermentum* dicta ſit, aſſerit hoc vocabulo appellatam Euchariſtiam fuiſſe, ut ſub hujuſce nominis cortice, atque velamine Myſterium hoc Gentes lateret. Per ea enim tempora mos Patribus erat, ut Euchariſtiæ Sacramentum nonniſi enigmatice deſignaretur. Ceterum hoc nomen valde congruum, & aptum erat ad Euchariſtiam ſignificandam; nam ſicut Fermentum Farinæ maſſæ immixtum totam unit, atque conglutinat; ita ſacra Euchariſtia appellatur a D. Auguſtino in Joannem *tr.* 27. *Signum unitatis, vinculum charitatis*; & miſſa ad Titulos a Summo Pontifice, ſignum erat unionis, & Charitatis, qua Populus in ſuis Titulis ſeorſim veniens, Epiſcopo ſuo uniebatur. Hinc ſupra laudatus Angelus de Nuce apud Ciampinum, aſſerebat: *Nihil igitur Arcanum in hac Fermenti voce quærendum, neque dici debet, quod Fideles participabant Fermentum miſſum ab Epiſcopo, ſed participaſſe dicendi ſunt de pane conſecrato, qui nihil Fermento ſimile habebat, ſed tantum vocabulum prudenter uſurpatum in illius Miſſitatione ad ejus occultationem Arcani Sacramenti.* Hæc Angelus de Nuce. Ex quo igitur congruenter & aptiſſime tale nomen impoſitum fuerit ab Eccleſia Euchariſtiæ Sacramento, hinc fit, quod citra ullum mendacium præfatum nomen uſurparent Acolythi, ut facilius a Gentilium inquiſitionibus ſe expedirent. Græci autem Rem Divinam non obſcuris, neque æquivocis, ſed clarioribus vocabulis expreſſerunt; vel quod vocum propriarum retinendarum ſtudioſiores erant; vel quod tantus perſecutionis æſtus apud illos commotus non eſſet. Cæterum objectam a Geoebrardo, atque Grimaldo difficultatem tot argumentis impugnavit D. De Vert *Tom.* 1. *cap.* 1. ut omnem ea de re dubitationem ſubſtuliſſe videatur.

Duo hic Lectorem monere debemus. Primum, quod quamvis Sacrificium Euchariſticum communiori vocabulo *Miſſa* nuncupetur, aliis tamen nominibus, tam a Latinis, quam a Græcis PP. inſignitum eſt, ut obſervat etiam Gavantus; Latini enim 1. ab antiquiſſimis temporibus *Collectam* appellavere, quia tempore Miſſæ colligebatur in unum Populus, ut Sacrificio intereſſet. Hoc nomine Sacrificium appellatur a Tertulliano in fine *lib. de fuga*, Optato Milev. *lib.* 2. Irenæo *lib.* 3. *cap.* 3. & Auguſtino *in Breviculo collationum*, ſicut & in aclis SS. Martyrum Saturnini, & ſociorum die 11. Februarii apud Bollandum. 11. *Dominicum* a Cypriano vocatur *ep.* 63. ad Cæcilium, & aliis in locis, quemadmodum & ab Auguſtino *ep.* 86. vet. edit. ut ſignificaretur, Sacrificium Euchariſticum præcipuam eſſe functionem, quæ ex Domini inſtitutione, & præcepto in Eccleſia peragitur. 111. In Concilio Carthaginenſi ſub Cœleſtino Papa dicitur *Agenda*, cujus Concilii Canon inſertus eſt in Capitularibus Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 134. Anaſtaſius etiam Bibliothecarius in Leone II. inquit: *Ne Mauri Epiſcopi Agenda celebraretur*, quod nomen paſſim legitur in Antiphonario D. Gregorii, & in aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis, præſertim ubi tractant de officio mortuorum. 1v. Miſſa dicta eſt *Communio*, quia *per illam cum Chriſto commercium habemus, ac Carnem ipſius, & divinitatem percipimus, atque adeo nos inter nos communicamus*; quæ eſt obſervatio S. Joannis Damaſceni *lib.* 4. *de Fide Orthod. cap.* 12. v. Tandem non ſemel appellata fuit *Oblatio*, quia in ea Chriſtus Agnus ſine macula offertur, & immolatur, de qua voce vide quæ erudite notata ſunt a Pamelio ad lib. Tertulliani *de cultu Fœminarum cap.* 11.

Multiplex etiam apud Græcos Scriptores nomen ſortitum eſt Sacrificium. 1. Communiſſime dictum eſt *Liturgia*, cujus vocis a nobis ſupra mentio agitata eſt. 11. a S. Dionyſio *cap.* 1. *Eccl. Hier.* dicitur *Myſtagogia*, ſecreta videlicet actio. Hinc Catecheſes a Cyrillo Hieroſolymitano conſcriptæ, in quibus de hoc Sacrificio pertractat, dictæ ſunt *Myſtagogicæ*. 111. Idem S. Dionyſius *cap.* 3. *ejuſdem libri*, *Synaxim* appellat, quod nomen licet pro quacumque Fidelium Congregatione uſurpari ſoleat, a Dionyſio tamen ſemper ſumitur pro Sacrificio, ut obſervat Pachimeres in paraphraſi ad illud caput Dionyſii, his verbis: *Synaxis minime intelligenda populi Congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, ſed cum Deo conjunctio, communioque.* 1v. Quandoque *Telete* nuncupatur, id eſt conſecratio, perfectio, qua voce utitur Syneſius in fine *epiſt.* 58. v. Dicitur *Anaphora*, ſcilicet elevatio, ſurſum elatio, quia ſurſum ad Deum fertur. Ita Anaſtaſius Sinaita *Orat. de Synaxi*. v1. Dicitur *Proſphora*, quæ vox oblationem ſignificat. Vide apud noſtrum Vincentium Riccardum *in comment. ad orat.* 6. *Procli* Patrum Teſtimonia, qui *Proſphoram* pro Sacrificio acceperunt. v11. Tandem Epiphanius *hæreſ.* 73. *OEconomiam* appellat, quo nomine vocatur ſæpiſſime a Patribus Myſterium etiam Incarnationis; eſt autem œconomia provida rei adminiſtratio ad aliorum commodum, & utilitatem ordinata, quæ tam in Incarnatione, quam in Euchariſtia mirabiliter eluxit. Qui plura de hac re ſcire deſiderat, adeat Doctiſſimos Viros Cardinalem Bona *lib.* 1. *cap.* 3. Joſephum Vicecomitem *lib.* 1. de Ritibus Miſſæ *cap.* 7. Joannem Dartis *de conſecr. dist.* 1. *tract. de Euch. cap.* 19. & Theophilum Raynaudum in Onomaſtico: hi omnes plura in citatis locis Miſſæ nomina collegerunt, nobis præcipua indicaſſe ſufficiat.

Præterea obſervandum eſt ipſum Miſſæ nomen ab antiquis Scriptoribus non ſemper uſurpatum fuiſſe I. pro Sacrificio, cujus rei ignoratio graviſſimis etiam Viris errandi occaſionem præbuit. Vidimus ſupra hoc nomen ſæpiſſime acceptum fuiſſe pro dimiſſione tam Catechumenorum, quam Fidelium, ſicut etiam pro lectionibus, & precibus, quæ ab initio Liturgiæ uſque ad dimiſſionem Catechumenorum explentur. 11. Sumitur Miſſa pro Collectis, ſive Orationibus, quæ in Miſſa recitari conſueſcunt: Concilium Milevitanum 2. *cap.* 12. Placuit ut Preces, vel Orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur: Concilium Toletanum 4. *Can.* 13. Componuntur ergo Hymni ſicut componuntur Miſſæ, ſive Preces, vel Orationes. Hoc ſenſu intelligenda eſſe verba Regulæ S. Benedicti *cap.* 17. ubi legitur: *Et fiant Miſſæ, & Miſſæ ſint*, contendunt Doctiſſimi Viri Smaragdus Abbas in expoſitione Regulæ S. Benedicti, Hugo Menardus in notis ad *cap.* 23. & 24. Concordiæ Regul. aliique Scriptores a Martene laudati in comment. ad dictum caput Regul. S. Benedicti, cui opinioni etiam ipſe conſentit. 111. Miſſa accipitur pro lectione. Ita San. Aurelianus in Regula Monaſterii, quod juſſu Childerici Regis Arelate conſtructum fuit, ubi modum pſallendi præſcribens ait: *In Natali Domini, & Epiphania tertia hora noctis ſurgite, dicite unum nocturnum, & facite ſex Miſſas de Iſaia Propheta: iterum dicite ſecundum nocturnum, & legantur aliæ ſex de Evangelio. In Epiphania ita: in primo unum nocturnum; deinde, de Da-*

*tiſe Propheta facito illas ſex Miſſas*. Et mox: *in Martyrum feſtivitatibus tres, aut quatuor Miſſæ fiant: primam Miſſam de Evangelio legite, reliquas de paſſionibus Martyrum*. Conſentit Magiſter in Regula his verbis: *Eo ordine, quo Miſſæ a Clericis celebrantur, ideſt cum minor Clericus Apoſtolum perlegerit, ſequitur major Diaconus Evangelia ſancta lecturus*. Evidentiſſimum eſt hiſce in locis Miſſæ nomen uſurpari pro lectione; miror autem Menardum intellexiſſe collectas, quaſi vero collectæ, ex Prophetis, ex Apoſtolo, ex Evangelio deſumerentur. IV. Sumitur quandoque pro hora Canonica, ſeu pro Divino Officio. Ita Caſſianus *lib. 2. cap. 13.* poſt *Miſſam nocturnam*, ſcilicet *poſt nocturnum Officium* dormire non oporteat; cui concinit Agathenſe Concilium *Can. 30.* his verbis: *Hymni matutini vel veſpertini diebus omnibus decantentur, & in Concluſione matutinarum, vel veſpertinarum Miſſarum poſt hymnos Capitella de Pſalmis dicantur*. Fallitur autem aperte Joſeph Vicecomes *l. 1. de Ritibus Miſſæ cap. 2.*, citatum Caſſiani locum de dimiſſione Monachorum intelligens. V. *Miſſa* non ſemel a mediæ ætatis Scriptoribus pro ipſa feſtivitate accepta fuit: Statuta S. Adelardi a Martene laudata: *Iſti ſunt dies, in quibus eis ab opere Dominico parcendum eſt*: Nativitas Domini... *Miſſa Domnæ Balthildæ*. Antiquæ conſuetudines Germaniæ M. S. num. 30. apud eundem: *Diebus Dominicis, & Feſtis ab ipſis Kalendis Octobris uſque in Miſſam S. Martini*. Hoc ſenſu paſſim accipitur Miſſa in Capitularibus Regum Francorum, ut obſervarunt etiam Vicecomes *loc. cit.* & Card. Bona *lib. 1. cap. 2. numer. 51.* VI. Laudatus Vicecomes putat Miſſæ vocabulum cuique eccleſiaſtici ordinis muneri attributum fuiſſe, quod probat auctoritate Anacleti apud Gratianum Decret. *par. 2. cauſa 7. quæſt. 1. cap. 28.* ſed locus ab illo indicatus Miſſarum celebrationem pro Sacrificio Euchariſtico manifeſte accipit. Non placet etiam ejuſdem Vicecomitis obſervatio ſtatuentis Miſſam aliquando pro nundinis acceptam fuiſſe; id autem oſtendit ex *l. 3.* Capitulariium *cap. 23.* ubi hæc ſtatuuntur. *De latronibus præcipimus: quicumque poſt Miſſam S. Joannis latroni manſionem dederit, ſi Francus eſt, cum duobus ſimiliter juret, ſe latronem eum fuiſſe non ſciſſe*. Negare nolim locum huic ſtatuto dediſſe Nundinas, quæ ipſis diebus S. Joannis Baptiſtæ ſolemnia præcurrentibus, aut ſubſequentibus, multis in locis haberi ſolebant; nil tamen vetat ſtatuti verba intelligere de feſtivitate ipſa S. Joannis, ut ſenſus ſit: ſi quis poſt feſtum S. Joannis (quo tempore Nundinæ celebrantur) latroni manſionem dederit. VII. Idem Vicecomes credit Miſſæ nomen adhibitum fuiſſe pro agapis, ſive conviviis, quæ a veteribus Chriſtianis fieri ſolebant ſingulis Dominicis, in cujus rei confirmationem profert verba Felicis I. *epiſt. 4. ad omnes Epiſcopos: Non in aliis locis, quam in Domino ſacratis, Miſſas celebrare, nec Sacrificia Deo offerre debemus*. Sed præterquamquod illius epiſtolæ veritas a Vicecomite non probatur, evidens eſt hoc loco eſſe idem Miſſam, ac Sacrificium, & Auctorem epiſtolæ unam, eandemque rem diverſis vocabulis ſignificare voluiſſe. Legi poſſunt in hanc rem Cardinalis Bona, Vicecomes, Martene, Menardus in locis citatis.

XI. Gav. ead. lit. d -- *Offertur Deo per legitimum Miniſtrum certis Ritibus, & Cæremoniis*.) Paulo ante indicavit Gavantus optimæ Miſſæ definitionem, aſſerendo eam eſſe verum Sacrificium incruentum Chriſti ab eodem inſtitutum &c. Et quidem nullus Catholicus revocat in dubium Euchariſtiæ Sacramentum, Myſterium omnium maximum, fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum in ultima Cœna, quam cum Diſcipulis ſuis fecit, ut ex Evangeliſtarum, & Divi Pauli verbis aperte colligitur. Fateri etiam debemus hoc Sacrificium celebrari in Eccleſia Dei certis Ritibus & Cæremoniis traditis ab ipſis Apoſtolis, quibus Servator hoc ineffabile Myſterium commendavit, quando eos Sacerdotes inſtituit illis verbis, *Lucæ cap. 22. v. 19. & Concil. Trident. ſeſ. 22. cap. 9. Can. 2.* de Sacrificio Miſſæ: *Hoc facite in meam commemorationem*. Oſtenditur prædicta veritas ex verbis Apoſtoli, quæ habentur in *epiſt. ad Hebræos cap. 13. v. 10.* quibus memorat Altare, ſuper quo Euchariſticum Sacrificium celebrabatur: *habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*. Ex quibus Apoſtoli verbis manifeſte indicatur Ritus incruentum Sacrificium offerendi, & Chriſti Corpus conſecrandi ſuper Altare, in quod Sacerdotibus Judæorum non licebat ſuas victimas immolare. Idem Apoſt. *in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 21.* præfatum Altare Menſam Domini appellat. Rurſus idem Apoſt. in eadem *epiſt. ad Corinth. cap. 11. v. 34.* ait: *Cætera autem cum venero diſponam*. Quæ verba ſignificant confuſe ea, quæ pertinent ad Ordinem, & Ritum, quo ſacra Myſteria celebrari debent, ut S. Auguſtinus *in epiſt. 54. n. 8.* juxta novam editionem, *alias 118. ad Januarium* tradit, dicendo; *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia) ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur*. Denique in ejuſdem Pauli Apoſtoli *ep. 2. ad Timoth. cap. 11. v. 1.* leguntur hæc verba. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes pro omnibus Hominibus*. Quæ quidem verba Pauli Apoſtoli D. Auguſtinus, *in ep. 149. n. 16. alias 69. ad Paulinum*, interpretatur juxta communem uſum totius ferme Eccleſiæ Catholicæ de precationibus, quæ in Re Divina conficiendæ proferuntur. *Sed eligo*, inquit, *in his verbis hoc intelligere, & quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia, ut* Precationes *accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt Domini Menſa, incipiat benedici*. Orationes, *cum benedicitur, &c.* & ſequentia verba S. P. Auguſtini legi poſſunt ſuperius, ubi a nobis per extenſum allata fuerunt. Ex quibus omnibus iterum colligitur Auguſtini ævo omnium, aut fere omnium Eccleſiarum conſuetudinem fuiſſe ex Apoſtolica auctoritate inſtitutam, & ex Pauli verbis ſignificatam, ut fierent Obſecrationes, antequam Panis, & Vinum benedici inciperent: deinde Orationes, quæ Canonem Miſſæ ad mentem Auguſtini ſignificant, ut interpretatur doctiſſimus Jo. Mabilloo *lib. 1.* Liturgiæ Gallicanæ *cap. 4. n. 3.* Ex his, inquam, & reliquis aliis, quæ a P. Auguſtino traduntur, evincitur ab ipſius Eccleſiæ primordiis Precibus, ac Ritibus ab Apoſtolico fonte derivatis, Sacrificium Euchariſticum celebratum fuiſſe.

Irrefragabili D. Pauli auctoritati concinit pariter teſtimonium Sancti Clementis I. hujus nominis Romani Pontificis, & Apoſtolorum Diſcipuli, qui *ep. 1. ad Corinth.* ſcripta circa Annum Domini 97. §. 40. inter Epiſtolas Romanorum Pontificum recentiſſimæ editionis, ait: *Cum ergo hæc nobis manifeſta ſint, etiam in divinæ cognitionis profunda introſpicientes cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus juſſit peragere ſtatutis temporibus, oblationes, & officia perfici, neque temere, vel inordinate fieri præcepit, ſed præfinitis temporibus, & horis, ubi etiam & a quibus celebrari vult ipſe excelſiſſima ſua voluntate definivit; ut Religioſe omnia ſecundum beneplacitum facta, accepta eſſent voluntati ejus. Qui ergo aſſignatis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti, & beati ſunt*. His verbis laudatus Pontifex, ac Martyr monet Corinthios, ut exacte ſervent Ritus, & Cæremonias ab Apoſtolis inſtitutas in oblationibus, & officiis perficiendis. Auctor pariter Canonum illorum, qui illuſtri Apoſtolorum titulo inſcripti reperiuntur, tradit, Divinarum Scripturarum Libros, & certas preces in Sacrificio obeundo recitatas fuiſſe. *Canone* enim nono ſtatutum legimus, ut communione priventur omnes Fideles, qui ingrediuntur ad Sacrificium, & ſcripturas audiunt, in precatione autem, & ſacra Communione non permanent.

Denique ſacros Miſſæ Ritus magna ex parte ab Apoſtolica traditione originem ſuam trahere docuit pariter S. Juſtinus illis vulgatiſſimis verbis, quæ leguntur in ſua Apologia 2. Anno Domini 140. ad Imperatorem Antoninum ſcripta: *Solis, qui dicitur, die*, inquit, *omnium qui vel in Urbibus, &c.* cujus integrum textum ſupra pariter perhibui. Ex quo Juſtini textu plane eruitur conſuetudo Apoſtolorum Canonibus conformis, ut in Miſſæ Sacrificio ſacræ Scripturæ Libri legerentur, & deinde ab Epiſcopo explicarentur. Denique precibus, & gratiarum actionibus Sacrificium ipſum conficeretur, & Euchariſticus Panis Sacrificio aſtantibus diſtribueretur, abſentibus vero per Diaconos mitteretur; quæ omnia profecto ſtatutis temporibus peragebantur. Idem obſervat P. Maſſuet apud Iræneum *lib. 1. cap. 3.* ut videre eſt apud eundem variarum Liturgiarum *cap. 4. §. 9.* Lubet etiam addere ſuffragium Divi Baſilii, qui floruit Anno 370. ad prædictam veritatem magis, magiſque commonſtrandum, ſcilicet de ſacrorum Rituum Apoſtolica origine. Igitur Præfatus S. Antiſtes, & Doctor, *in libro de Spiritu Sancto cap. 27.* ait: *Dogmata, & inſtituta, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus e doctrina ſcripto prodita: quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in Myſterio, ideſt in occulto, tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſane, vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint Jura Eccleſiaſtica*. Et paucis interjectis enunciat in hunc cenſum venire *ſignum Crucis, converſionem ad Orientem in precatione*, ac alia ſimilia nonnulla adducit, quæ omnia ſupervacaneum eſt referre; ſed concludendum ſolummodo eſt ex Baſilii pariter teſtimonio certos Ritus, ac Cæremonias ab Apoſtolis ſtatutas fuiſſe, quæ non interrupta traditione ad nos pervenerunt.

Eadem veritas aſſeritur pariter a S. Innocentio I. Romano Pontifice, qui Anno 400. Apoſtolicam Sedem regebat, in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, in qua ait: *Si inſtituta Eccleſiſtica, ut ſunt a Beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdotes, nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus, & conſecrationibus haberetur. Sed dum unuſquiſque, non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendum, inde diverſa in diverſis locis, aut Eccleſiis, vel teneri, aut celebrari videntur, ac fit ſcandalum Populis, qui dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi aut Eccleſias non convenire, aut ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis Viris contrarietatem inductam. Quis enim neſciat, &c.* Reliqua verba dabuntur infra ſub numer. XV. S. Innocentio concinit Vigilius pariter Romanus Pontifex in ſua *epiſtola ad Profuturum Bracarenſem Epiſcopum* ſcriptam *A. D.* 538. in qua ſacræ orationis Canonem, quem *precem Canonicam* vocat, ex Apoſtolica traditione acceptum

aſſe-

Digitized by Google

aſſeverat, his verbis: *Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diviſum, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare.* Et paucis interjectis ſubnectit: *Quapropter, & ipſius* Canonicæ Precis *Textum direximus ſubter adjectum, quem Deo propitio ex Apoſtolica traditione accepimus.* Præfatis Pontificibus, & aliis allegatis Eccleſiæ Patribus undequaque conſentiunt Iſidorus Hiſpalenſis, qui floruit initio ſeptimi ſæculi *in lib.* 1. *de Eccleſiaſt. Offic. cap.* 15. Etherius Epiſcopus Uxamenſis, & Beatus Presbyter in libris adverſus Elipandum Toletanum (*l.* 1. *pag.* 89. *in Tom.* ſingulari inſignium Auctorum Petri Stevartii) quibus pariter concinit VValfridus Strabo *in libro de Rebus Eccleſ. cap.* 22. nec non Rupertus Abbas Tuitenſis *lib.* 11. *de Divin. Offic. cap.* 21. ubi *ait: Et ſicut traditum a Domino per Moyſen Sacrificii veteris Ordinem, præcipue David, & Salomon, Sacerdotum, & Levitarum miniſterio, Cantorum multiplici numero, Pſalmorum Divinorum tripudia, Templi, vel Altaris illuſtri Gloria, ſacrorumque multitudine Vaſorum ſplendidius amplificaverunt: Sic traditum a Domino mirabilem novi Sacrificii Ritum per primos Apoſtolos Sancta Romana Eccleſia ſuſcipiens, religioſa Fide amplexata eſt, fideli cura conſervavit, diligenti apparatu exornavit.*

Rationi conſonæ ſunt præfatorum Auctorum aſſertiones; nam quamvis Apoſtoli ab initio Eccleſiæ, ut teſtari videtur Gregorius Magnus *lib.* 7. *epiſt.* 63. *Sola Oratione Dominica Hoſtiam conſecrarint*: attamen certiſſimum eſt, quod dum cœpit augeri multitudo Fidelium, cœperunt etiam ipſi Apoſtoli lectiones, preces, & Cæremonias adjicere, quibus Sacrificii dignitas clarius emineret, & creſcente Fidelium pietate, ac fervore major ipſi Sacrificio veneratio conciliaretur. Et equidem cum omnibus compertum ſit, quod in Miſſæ celebratione omnes Orientis, & Occidentis Eccleſiæ Ritus quoſdam communes ab initio habuere; nempe lectiones ſacrarum Scripturarum initio Liturgiæ; Pſalmorum, aliorumque Canticorum recitationem; Oblationem Panis, & Vini aqua mixti; Conſecrationem utriuſque, verbis Chriſti Domini cum benedictione, ac ſigno Crucis a Sacerdote facto; Orationem Dominicam, & gratiarum actionem poſt ſacram Communionem: hinc evincitur hos omnes Ritus omnibus Eccleſiis communes ab unico, nempe Apoſtolico Fonte derivaſſe; quamvis poſtea deſignatio certarum ex Scriptura lectionum, Pſalmorum, aliarumque precum numerum, & definitionem pro locis, ac temporibus varios extitiſſe omnibus notum ſit. Illi, qui priorem modum attenderunt, Auctores Miſſæ, ordinem ubique uniformem fuiſſe dixerunt, inter quos eſt Iſidorus *lib.* 1. *cap.* 15. & poſt eum Eutherius *lib.* 1. *pag.* 89. & Beatus Presbyter *in libris adverſus Elipandum Toletanum* diſertis verbis aſſeruerunt: *Ordo Miſſæ, vel orationum, quibus oblata Deo Sacrificia conſecrantur, primo a S. Petro eſt inſtitutus, cujus celebrationem uno eodemque modo univerſus peragit Orbis.* Uno, inquam, eodemque modo intelligebant præfati Auctores modum quemdam in ſumma communem, quem ab initio omnes, ut dixi, habuere Eccleſiæ, & quoad Rituum ſubſtantiam, & habita ratione modi illius generalis precum, Pſalmorum, &c. uniformis, non reſpiciendo ad Ritus quoſdam, ſingulis Eccleſiis, ſeu Regionibus proprios, ad orationes peculiares, & ad alia id genus: nam quoad iſta multum profecto diſcriminis agnoſcebant, non tantum inter Orientalem, & Occidentalem, ſed etiam inter Latinas invicem Eccleſias.

Ex præfatis omnibus intelligi poteſt quibus auctoritatibus, & rationibus permoti Patres Tridentini docuerunt *ſeſs.* 22. de Sacrificio Miſſæ *cap.* 5. *Cæremonias ab Eccleſia adhibitas, ut Myſticas Benedictiones, Lumina, Thymiamata, Veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & Majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc viſibilia Religionis, & pietatis ſigna ad Rerum Altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Jure merito igitur hæc ſacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ.* 7. *de Sacram. Can. XIII.* anathematis fulmine percellit omnes eos, qui receptos, & approbatos Eccleſiæ Ritus contemnunt, aut omitti ſine peccato poſſe contendunt.

Hanc quæſtionem de præcipuis Miſſæ Ritibus pro maxima ſui parte ab Apoſtolica doctrina, & traditione derivatis, egregie pertractat Dominicus Georgius *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *de Liturgia Romani Pontificis*. Rurſus eandem ſententiam edocet etiam Euſebius Renaudotius *Tom.* 1. *Liturgiarum Orientalium in diſſert. ibi præfixa cap.* 3. ubi deſcribit Ritus illos, in quibus conveniunt Orientales, & Occidentales Eccleſiæ, eoſque ab Apoſtolico Fonte profluxiſſe aſſeverat. Quod inficiari nequit Grabius ipſe, etſi Heterodoxus, de quo P. Maſſuet *citat. lib.* 1. *cap.* 3. *lit. B.* & bene ſe res habet, quod Grabius ſuis candidior fateatur, *Illos qui in omnibus iſtis Liturgiis* (Apoſtolicis) *exprimuntur, quique jam olim ubique inter ſacra myſteria uſitati fuerunt Ritus ex Apoſtolica traditione fluxiſſe. Eccleſias enim ab Apoſtolis inſtitutas formam aliquam, & ritum offerendi Sacrificium, cui tam arcta ſit, & præcipua cum Religione connexio, non accepiſſe, quis ſanus ſibi perſuadeat? Non quod tamen Liturgias omnes Apoſtolicas iis, quorum nomine inſigniuntur, adjudicare velim. Sufficit Liturgiarum antiquiorum, ſi non Scriptores, ſaltem primos Auctores eſſe Apoſtolos.* Et Grotius voto pro pace Eccleſ. *pag.* 670. tit. de Miſſa: *Conſenſus*, inquit, *Liturgiarum per omnia loca, ac tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum ſuum ſanctificet, eaque faciat Corpus & Sanguinem Chriſti, me dubitare non ſinit, venire hoc a prima Apoſtolorum inſtitutione.*

XII. Gav. ead. lit. d -- *Primam vero Miſſam celebravit S. Petrus.*) Diſſident Auctores ſuper Apoſtolo, qui primus omnium poſt Chriſti Domini Reſurrectionem Miſſæ Sacrificium confecit, & ſuper tempore, quo prædictum primum Sacrificium celebratum fuit. Genebrardus in ſuo *libro de Apoſtolica Liturg.* cenſet Jacobum fratrem Domini primum omnium Apoſtolorum Rem Divinam confeciſſe Hieroſolymis. Verum contrariam ſententiam tenet Antonius Demochares (à Gavanto citat.) *Tom.* 2. *de Miſſa cap.* 5. cui ſententiæ ſuffragatur etiam Joſeph Vicecomes *de Ritibus Miſſæ lib.* 5. *cap.* 16. Card. Bona *de Rebus Liturg. lib.* 1. *cap.* 5.

Iſti enim omnes cum pluribus aliis cenſent S. Petrum, aliorum Apoſtolorum Principem, & Coriphæum Miſſæ dicendæ initium feciſſe. Et revera nemini hæc prærogativa convenientius tribui poteſt, quam Petro, quem ut ait Leo Magnus (*ſerm.* 3. *in ſua aſſumptione*) *omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ PP. Chriſtus præpoſuit, cui conſortium potentiæ ſuæ tribuit Divinæ Dignitatis.* Aſterius vero Amaſenus clarius favet prædictæ communiori ſententiæ dicendo (*Homilia in Principes Apoſtolorum*) *Sicut Petrus primus omnium Gentibus, & Iſraelitis tamquam Epiſcopus, & Paſtor omnium prædicavit; Ita credendum eum primum Sacrificium obtuliſſe.* Hanc pariter ſententiam tradidit Albinus Flaccus *lib. de Divin. Offic. cap. de celebrat. Miſſæ*; & Hugo a Sancto Victore, qui aſſerunt utique Petrum Apoſtolum, primum omnium Sacrificium celebraſſe, ſed Antiochiæ, non vero Hieroſolymis. Verum non eſt recedendum a Gavanti, & communi Auctorum opinione, qui adſtruunt Hieroſolymis Apoſtolos Sacrificium feciſſe longe antea, quam Antiochiæ rei Divinæ operarentur. Caute igitur intelligendi ſunt præfati Auctores, ita ut non ſicut ſonant eorum verba intelligere oporteat; nam quod ajunt Antiochiæ primam Miſſam celebratam fuiſſe, id accipiendum eſt juxta Joſephi Vicecomitis ſanam interpretationem de Re Divina, quæ primum apparatiſſima pompa confecta fuit (quamquam hoc etiam ſit mera divinatio Vicecomitis, neque præfati Auctores in hac re tanti faciendi ſint, ut noſtrum aſſenſum detorqueant) quandoquidem longe antea Hieroſolymis Apoſtoli Sacrificium Divinum celebrarunt, cui loci circumſtantiæ favent Actus Apoſtolorum, in quibus *cap.* 2. legimus: *Apoſtolos accepto Spiritu Sancto hortatos eſſe Populum ad pœnitentiam*; & continuo ſubditur *fuiſſe eos perſeverantes in communione fractionis Panis, & orationibus*; ex quibus eruitur Hieroſolymis ſtatim poſt acceptum Spiritum Sanctum Sacrificium Euchariſticum peregiſſe, & cœleſtem Panem Fidelibus diſtribuiſſe.

Ex præfatis Actuum Apoſtolorum verbis eruitur pariter primum Sacrificium ab Apoſtolis non fuiſſe celebratum, niſi poſtquam ad illud diſpoſiti fuerunt Divinæ gratiæ plenitudine, qua, in die Pentecoſtes, illabente Spiritu Sancto ſuper ipſos, perfecte imbuti fuerunt. Similia enim verba ante deſcriptam Miſſionem Spiritus Sancti protulit Sanctus Lucas *Actuum Apoſtolorum cap.* 1. & ibi nullam facit mentionem fractionis Panis, ſed tantum dicit: *Erant perſeverantes unanimiter in oratione, & obſecratione*; quia nimirum, ut optime ponderat Card. Bona *cit. lib.* 1. *cap.* 5. cum ante Pentecoſten nondum ſatis eſſet promulgata Lex Evangelica, nec decebat novum offerri Sacrificium, Sacerdotio nondum translato. Quapropter, ut etiam conſentit ſapientiſſimus Cardin. de Lambertinis in ſua 20. notificatione, non ſunt audiendi illi, qui opinantur Apoſtolos in triduo Mortis Chriſti Domini utique Miſſam non celebraſſe, ſed ſtatim poſt Reſurrectionem Domini depulſa mœſtitia ſacrum peregiſſe, ut ſuadere contendit Rayn. *in tract. de prima Miſſa* (qui habetur in *Tom.* 6. ſuorum Operum) *ſect.* 1. *cap.* 1. ſed potius adhærendum eſt antedictæ Gavanti ſententiæ ab aliis communiter propugnatæ, nempe ante Spiritus Sancti Adventum litatum non fuiſſe; cui quidem ſententiæ favet Heſychius *lib.* 4. *in Leviticum cap.* 9. his verbis: *Tunc Chriſtus Sacrificium ſuum innoteſcere cœpit* (ideſt notum fecit) *ex quo Spiritus adveniens Parthos, & Medos, & Elamitas, & omnium Gentium primitias ad Apoſtolorum Cœnaculi ſuperiora collegit.* Suffragatur etiam Paſchaſius *libro de Corpore, & Sanguine Domini cap.* 21. ubi ait: *Ex quo renovati ſunt SS. Apoſtoli per Adventum S. Spiritus de Cœlis, & inebriati muſto Charitatis; ex eo ſane credimus hunc Calicem in Eccleſia conſecratum: quoniam ille Spiritus veritatis, in quo renovati ſunt ex vetuſtate, induxerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudine doctrinæ.* Ex quibus omnibus firmata remanet Gavanti ſententia, nimirum primum Chriſtianæ Eccleſiæ Sacrificium, non a Jacobo, ſed a Petro Apoſtolorum Principe; non Antiochiæ, ſed Hieroſolymis, & quidem in ipſomet Cœnaculo, in quo Spiritum Sanctum Apoſtoli acceperunt, peractum fuiſſe.

XIII. Gav. ead. lit. d -- *Petrus igitur eandem obtulit in*

*Pane*

Digitized by Google

*Pane Azymo.*) Joannes Ciampinus in ſuo libro inſcripto: *Conjectura de perpetuo Azymorum uſu, cap. 3. pag. 43.* ſuffragatur ſententiæ Gavanti; cit. enim loc. dicit. *Non temere aſſeritur illos* (nempe Apoſtolos) *ſi omnium, quæ eis præceperat Jeſus diligentiſſimi obſervatores, atque cuſtodes fuerunt, fuiſſe etiam in uſu Panis Azymi, quem a Chriſto Domino acceperant.* Verum Card. Bona *lib. 1. c. 23.* conſentire videtur Arcudio, qui *lib. 3. de Sacram. cap. 3.* ait: *Apoſtolos veriſimile eſſe pro varietate locorum, Gentium, & temporum, modo Azymo modo fermentato uſos fuiſſe, & conſecraſſe Panem illum, qualem in domibus Fidelium reperiebant, ſive Azymum, ſive fermentatum.* Quæ Bonæ ſententia probabilior mihi videtur; nullum enim præceptum obligabat Apoſtolos ad conſecrandum in pane azymo, quia licet pro certo habeam cum communiori ſententia, Chriſtum in ultima Cœna non alio pane, quam azymo uſum fuiſſe, prout in diebus Azymorum Lex vetus præcipiebat, & in eo Corporis ſui Sacramentum admirabile inſtituiſſe: nihilominus nullum impoſuit præceptum de azymo potius, quam fermentato pane adhibendo in Sagrificio Euchariſtico: & ſicut certiſſimum eſt, & inconcuſſum Fidei dogma utrumque panem, tam Azymum, quam fermentatum, legitimam eſſe Sacramenti materiam, & utrumque ab Eccleſia approbari pro validitate Sacramenti; ita communis eſt ſententia Theologorum, nullum ſuper Azymo potius, quam fermentato urgere Divinum præceptum, ſed ſolum Eccleſiaſticum, præſcribens Latinis Sacerdotibus uſum Azymi, Græcis vero uſum fermentati, ut liquet ex Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino, & ex literis unionis, necnon ex motu proprio Pii V. qui incipit: *Providentia Romani Pontificis, &c.* in quo revocans omnes facultates, vel licentias celebrandi, Græcos more Latino & Latinos more Græco, ſubdit: *Quibuſvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis, præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac perpetuæ ſuſpenſionis a Divinis, pœnis, diſtrictius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco Ritu hujuſmodi licentiarum, & facultatum, aut alio vis prætextu, Miſſas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere non præſumant.*

Mox laudatus Ciampinus in fine capitis primi allegati operis recenſet Catalogum Auctorum, qui uſque ad Concilium Florentinum, in quo concordia Græcorum cum Eccleſia Latina inita fuit, ſcripſerunt de uſu Azymi, & fermentati. In ſequentibus vero capitibus congerit varias aliorum ſententias circa eandem materiam, poſt dictum Concilium ab iiſdem expoſitas, & propugnatas. Præcipui vero, qui de Azymi, & fermentati uſu in Eccleſia Occidentali ſcripſerunt, ſunt Doctiſſimus Jacobus Sirmondus, qui in ſingulari de hac re diſſertatione edita *A. 1651.* & reperitur in tom. 4. ſuorum operum, probare conatus eſt uſum fermentati octingentis, & amplius annis in Eccleſia Latina viguiſſe, recepta autem Azyma medio illo intervallo, quod a ſchiſmate Photii ſub Pontifice Nicolao I. uſque ad turbas Michaelis Cerularii ſedente Leone IX. effluxit, ideſt medio illo tempore, quod ab Anno 867. ad 1054. interceſſit. Rigidam hanc Sirmondi ſententiam ſolus, quod ſciam, tuitus eſt Launoyus in Diſſertatione, quam memorant Ephemerides Pariſienſes *Anno 1697. pag.* 20.

Opinionem hanc mitigavit numquam ſine laude nominadus Card. Bona *lib. 1. Rerum Liturg. cap.* 23. qui ſtatuit uſum Azymorum in Eccleſiis Occidentalibus communi lege ſancitum, ubique receptum fuiſſe prope finem noni ſæculi, vel initio decimi; a temporibus vero Apoſtolorum uſque ad prædictum tempus, promiſcuum fuiſſe uſum Azymi panis, ac fermentati. Hanc Bonæ opinionem cum nonnulli acriori cenſura perſtringerent, ejus verba in pravum ſenſum detorquentes, clarius poſtmodum explicavit, & ſolidioribus momentis firmavit in ſecunda ſui operis editione, quam etiam plures eruditi ſecuti ſunt, nimirum Franc. Maria Florentinius in Diſquiſit. de antiquo uſu fermentati panis, & Azymi a Filio ejus edita, Edmundus Martene *lib. de Antiq. Eccleſ. Rit. pag.* 308. Grancolas *tom. 1. de Antiquis Liturg. pag.* 564. Juvenin. *diſſert. 4. de Sacram. Eccleſ. quæſt.* 2. §. 5. Contra vero Sirmondi, ac Bonæ ſententiam impugnare conati ſunt laudatus Ciampinus, Franciſcus a S. Auguſtino, Macedo in *Diſſert. Theologica de Ritu Azymi, & fermentati* in 16. capita diviſa, quam Veronæ *Ann.* 1677. in lucem emiſit. In eo autem Cardinalem Bona nimis acriter impugnare videtur, præſertim cum Eminentiſſimi Auctoris ſententia ineluctabilibus principiis inniti ipſemet fateatur in epiſt. ad eumdem ſcripta Anno 1672. die 18. Novembris. Eandem Bonæ opinionem refutavit Doctiſſimus Mabillonius in Diſſert. de pane azymo, ac fermentato, quam ſcripſit, & evulgavit ab eodem Cardin. Bona rogatus, ut ex pluribus conſtat Cardinalis epiſtolis. Reperitur hæc Diſſertatio poſt Præfationes Mabillonii in ſæc. Benedict. & in Bibliotheca ſelecta de Ritu azymi, & fermentati impreſſa Venetiis 1729. uno tandem Capite auctam, quod Bonæ Conſilio in prima operis editione Mabillonius omiſerat, edidit Antonius Vincentius Thuilier inter opera poſthuma Mabillonii, & Ruinartii, ubi legi etiam poteſt celebre Thomaſini de hac Mabilloniana Diſſertatione judicium. Scripſit etiam de hac re eruditiſſimus Chriſtianus Lupus in Scholiis ad acta S. Leonis IX. Capite V. uſque ad XII. quibus addere lubet nuperum clariſſimum Scriptorem Antonium Sandini, qui inter 12. Diſſertationes, quas ex Eccleſiaſtica Hiſtoria depromptas Paravii edidit Anno 1729. undecimam compoſuit, de perpetuo azymorum uſu in Eccleſia Latina; & P. Honoratum a S. Maria, qui eamdem ſententiam eruditiſſime propugnavit Vol. 2. Diſſert. IV. & V. ejus operis Gallice exarati ſub titulo: *Reflexion ſur les Regles de la Critique*, quæ nunc latino ſermone donantur, & prœlo Veneto parantur. Pro dicta opinione ſcripſerunt etiam nonnulli ex Græcis Viri doctiſſimi, quos inter Barlaamus *Tom. 26. Bibl. PP.* edit. Lugdun. Gennadius in eodem *Tom. pag.* 573. Hi omnes ut perpetuum azymorum uſum apud Latinos tueantur, provocant ad traditionem Apoſtoli Petri, de qua vide Coteletium *Tom. 3. Monum. Eccleſ. Græca pag.* 665. & ad exemplum Chriſti, quem in Euchariſtici Sacrificii inſtitutione pane azymo uſum fuiſſe, non ſolum omnes ferme Orthodoxi fatentur, ſed etiam pleriique Hæretici, inter quos Scaliger *de emendat. Temporum pag.* 567. Buxtorphius *diſſertat. philologico-theolog. pag.* 246. & Baſnagius *in Annal. polit. Eccl. Anno Domini* 33. aliique; Attamen ut dicam quod ſentio, mihi perſuadere non poſſum Latinam Eccleſiam nuſquam in fermentato pane conſecraſſe, nam cum invictiſſimis argumentis oſtenderint Sirmondus, ac Bona Euchariſtiam per plura ſæcula ex populi oblationibus fuiſſe confectam, incredibile omnino videtur Fideles panem azymum ſemper paratum habuiſſe, quem Altari conſecrandum offerrent, quod argumentum meo quidem judicio numquam plene ſolvetur.

Pro fermentati panis uſu videndus eſt Meletius inter opera Joannis Damaſceni *Tom.* 1. edit. Michaelis Le Quien *pag.* 647. & Maximus Peloponeſius Hiero-Monachus in Diſſert. de Euchariſtia contra Latinos cum verſione Jenkini Thomaſii edita inter hujus Diſſertationes Aledorf 1712. 8. *pagina* 385. *& ſeq.* aliique Scriptores a Ciampino laudati, quibus addere lubet Anonymum quemdam Syrum in Codice Colbertino, qui teſte Renaudotio *Tom.* 1. *Liturg. Oriental. pag.* 140. de hac controverſia omnium eruditiſſime ſcripſit; ſicut, & Joannem cognomine Ebn-Botlan Medicum Bagdadenſem, cujus tractatum arabice ſcriptum pro Michaele Cærulario Anno Alexandri 1365. Martyrum 760. Hegiræ 445. ideſt anno Chriſti 1053. ſe reperiſſe teſtatur in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ idem Renaudotius *tom.* 2. *pag.* 65. Porro uſque adeo exarſit Orientalium quorumdam in Latinos odium, ut propriam ſententiam, non ſine Evangelici textus depravatione, Liturgiæ etiam inſerere non dubitarint. Hinc legimus in Liturgia Matthæi Paſtoris apud eundem Renaudotium: *Cumque Teſtamentum novum, quo vetus aboleretur tradere vellet, panem fermentatum, in quo myſterium vitæ tegebatur, accepit:* quod etiam additum reperitur in Liturgia Maruthæ. In ea vero, quæ dicitur Ignatii Patriarchæ Antiocheni ſic habetur: *Accepit panem perfectum*, quaſi innuere vellent, panem azymum non eſſe perfectum: notat tamen Renaudotius temerarium hoc facinus recentiorum Orientalium eſſe, non veterum. Quamvis autem pleræque Orientales Eccleſiæ utantur pane fermentato (cui Syri, & Neſtoriani addunt ſalis micam, & ſtillam olei) attamen nonnullæ Latinorum conſuetudinem imitantur. Sic Armeni ab antiquiſſimis temporibus azymo pane uſi ſunt: Maronitæ etiam præter cæterorum morem Euchariſtiam in azymo pane conficiunt. Quo tempore, & qua de cauſa azymo uti cœperint, difficile eſt invenire, ut ait Cardinalis Bona; ipſi tamen affirmant, antiquiſſimam eſſe in ſuis Eccleſiis hanc conſuetudinem, quod Bonæ non omnino placet; inquit enim, quod ejus initium deſignare non poſſunt; atqui hoc ipſo probatur Ritum quempiam eſſe vetuſtiſſimum, cum ejus initium ignoratur. Et revera jam a ſexto ſæculo Syrorum Eccleſia ad Sacrificium azymis utebatur, ut teſtatur Joannes Aſiæ Epiſcopus, qui ſub Juſtiniano floruit. Verba Joannis hæc ſunt relata a doctiſſimo, & eruditiſſimo Aſſemanno *tom.* 1. *Bibliotheca Orientalis pag.* 410. *&* 411. Ea propemodum tempeſtate excogitavit Diabolus in regione Perrhorum errorem quorumdam, qui nec panem comedere, nec aquam libere ſe ſe jactabant. Quidam itaque ex fratribus, quorum Monaſteria necdum cognita ſunt, & alii Archimandritæ ejus loci inanem gloriam, & vanum nomen apud vulgus aucupantes, de ſe ipſis falſo prædicabant, quaſi panem non comederent, nec aquam biberent, & a vino abſtinerent, Nazaræorum more; neceſſitati autem cibi, & potus ſanctorum myſteriorum uſu per ſummam impietatem ſuccurrebant. Sacra ergo oblatione plerumque ſuſtentabantur. Ea propter bucellam, quam ipſi conficiebant, diu fermentabant, & data opera condiebant, ut fieret eis in cibum potius, quam in myſterium Corporis Chriſti, quod in azymis manducatur. Nil clarius afferri poterat ad probandam vetuſtiſſimam Syrorum conſuetudinem in azymis conſecrandi. Merito igitur Illuſtriſſimus Aſſemannus poſt Joannis teſtimonium iſta ſubtexuit. Hinc colligas azymi uſum ad Sacram Liturgiam in Syrorum Eccleſia eſſe antiquiſſimum, quem Maronitæ, & Armeni in Oriente hactenus retinuerunt. Ritum conficiendi Sacrificium in azymis obſervabant etiam Ebionitæ ſæculo quarto, teſte Epiphanio. An Orienta-

lium

Digitized by Google

lum Catholicorum morem imitabantur? Fatentur nonnulli, inficiantur alii; rem plane incertam definire non audemus.

XIV. Gav. ead. lit. d — *In Cœnaculo Sion.*) Super loco, in quo B. Petrus Apoſtolus primam Miſſam celebravit ſatis ſuperius mentem meam aperui, inhærendo ſententiæ Gavanti, cui conſentit etiam Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 5. Primum nempe Chriſtianæ Eccleſiæ Sacrificium Hieroſolymis peractum fuiſſe, & quidem in ipſomet Cœnaculo, in quo Apoſtoli Spiritum Sanctum acceperunt. Supereſt nunc, ut progrediamur ad diſcutiendas breviter alias circumſtantias illius primæ Miſſæ a Divo Petro celebratæ; nimirum quibus Ritibus, & Cæremoniis, quo apparatu, ſeu indumento, & qua lingua tale Sacrificium oblatum fuit; & ſimiliter quomodo cæteri Apoſtoli in illius Eccleſiæ naſcentis primordio, ſacris operati fuerint. Divus Gregorius Magnus *libro* 7. *epiſtol.* 63. ad Joannem Syracuſanum Epiſcopum ſcribit: Apoſtolos ſola Oratione Dominica Euchariſticam Victimam obtuliſſe, pronunciando procul dubio verba Conſecrationis. Divo Gregorio concinit VValfridus Strabo *cap.* 22. *de Rebus Eccleſ.* ubi ait. *Quod nunc agimus multiplici Orationum, Lectionum, Cantilenarum, & conſecrationum officio, totum hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximi, ut creditur, orationibus, & commemoratione Paſſionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit, agebant ſimpliciter.* Ab iis tamen diſſentire videtur Divus Chryſoſtomus, qui *Homil.* 27. *in epiſt. ad Corinth.* ait: *Cum ſacras illas Cœnas accipiebant Apoſtoli, quid tunc faciebant? nonne in Preces convertebantur, & Hymnos? nonne in ſanctas Vigilias? nonne in longam doctrinam, & multæ Philoſophiæ plenam?* Sententiæ Chryſoſtomi ſuffragatur etiam Proclus Conſtantinopolitanus in Libello *de Traditione Miſſæ*. Eadem ſententia confirmari poteſt iis teſtimoniis, & argumentis, quæ ſuperius adduximus demonſtrando ſacros Ritus, qui in Miſſæ celebratione adhibentur, quamplures ab Apoſtolico fonte derivaſſe. Nihilominus prædictæ duæ oppoſitæ ſententiæ, & diſſidentes Patrum conciliari poſſent, dicendo: ab initio breviſſimum fuiſſe Liturgiæ Ritum, ita exigente Chriſtianæ tunc naſcentis Eccleſiæ ſtatu, & conditione; poſtea vero creſcente Fidelium numero, & devotione, Apoſtoli cœperunt adjicere ſacrarum Scripturarum Lectiones, Preces, & Cæremonias, & ut Sacrificii Euchariſtici dignitas clarius eluceſceret, & ut majorem venerationem Auguſtiſſimo Sacrificio conciliarent: ſive etiam dici poſſet, Apoſtolos contractam ſacrificandi formulam adhibuiſſe, quando periculum imminebat, ne a perſecutoribus inter litandum deprehenderentur; prolixiorem vero, quando tale periculum non imminebat.

Super alio dubio propoſito de apparatu, quo D. Petrus primam Miſſam peregit, diſſident inter ſe Auctores; VValfridus Strabo *lib. de Rebus Eccleſ. cap.* 24. & Radulphus Tungrenſis *de Canonum obſervantia propoſit.* 23. opinantur, Apoſtolos ab initio naſcentis Eccleſiæ communi indumento ſacris operatos fuiſſe, quorum ſententiæ adhæret etiam Joſephus Vicecomes *lib.* 1. *de Miſſæ apparatu cap.* 2. Nicolaus Alemannus *in Diſſert. de Parietinis Lateranenſibus cap.* 9. uſum ſacrarum veſtium in Sacrificio peragendo non ſolum Apoſtolis, ſed etiam Apoſtolicis Viris nimis inconſulte denegavit. E contra vero Valdenſis, Democbares, Baronius, Stapletonius, Du Suſſy, quos refert, & ſequitur Cardin. Bona *lib.* 1. *cap.* 5. fatentur quidem Chriſtum non aliis, quam propriis veſtibus indutum, Euchariſticum Myſterium inſtituiſſe; Apoſtolos vero non vulgaria, ſed ſacra indumenta adhibuiſſe in oblatione divini Sacrificii; in cujus ſententiæ comprobationem Bona allegat Honorium *in Gemma Animæ cap.* 89. dicentem: *Apoſtolos, & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus Miſſam celebraſſe*: & poſtea ſubdentem: *Sed Clemens tradente Petro Apoſtolo uſum ſacrarum veſtium ex Lege ſumpſit, & Stephanus Papa in ſacris veſtibus Miſſas celebrare conſtituit.* In quibus verbis apertam Antilogiam reperit mox laudatus Card. Bona; nam ſi tradente Petro uſus ſacrarum veſtium ſancitus eſt, quomodo Apoſtoli, & eorum ſucceſſores Apoſtolorum Principis traditionem, ſeu præceptum neglexerunt in quotidianis veſtibus celebrantes? Hæc clariſſimus Auctor Radulphus Tungrenſis *de Canonum obſervantia propoſ.* 23. tradidit: *Ab initio ſiquidem cum adhuc novella eſſet Eccleſia, Apoſtoli cum ſanctificatione Crucis, & Oratione Dominica, prout in quibuſdam Scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis veſtibus, & ligneis Calicibus celebrabant. Sed B. Clemens, ut dicit Gemmæ, tradente B. Petro, uſum ſacrarum veſtium ex Lege ſuperpoſuit.* Allegatur hæc auctoritas Radulphi Tungrenſis a Joſepho Vicecomite in ſuo Volumine 4. quod eſt de *Miſſa Apparatu lib.* 1. *cap.* 2. Sed verba, quæ allegantur excerpta ex libro inſcripto, *Gemma &c.* fatetur ſe minime reperire potuiſſe, quamvis alias diligenter talem librum legerit. Verum adnotare eſt, quod in exemplari præfati operis, quod habetur in Bibliotheca SS. PP. *lib.* 1. *cap.* 89. in quo agitur de veſtibus, & Calicibus, vere reperiuntur eadem verba, prout referuntur a Radulpho Tungrenſi, & a Cardin. Bona; In alio vero exemplari ejuſdem operis, nempe, *Gemma Animæ de Divinis Officiis*; inſerti in collectione Hyttorpiana prædicta verba vere non reperiuntur, & tale opus non eſt diviſum in quatuor libros, ſed ſolum partitur in ſexaginta capita, quorum ultimum eſt *de Proceſſione publica*, & illud de veſtibus, & Calicibus non habetur. Unde dicendum eſt Joſephum Vicecomitem loqui de hoc exemplari, in quo præfata verba non reperiuntur.

Intermiſſum ſermonem reſumendo, & redeundo ad reſolutionem propoſitæ diſquiſitionis, nimirum, quibus veſtibus Apoſtoli ſacrum miniſterium peregerint; in expoſitarum ſententiarum diſſidio, media via incedendum eſſe crediderim, nimirum primam Miſſam a S. Petro celebratam utique fuiſſe veſte communi, & Apoſtolos ipſos, cum ſacris operati ſunt, non ſubito ſingularia, & a communi uſu ſejuncta indumenta adhibuiſſe: ſed iidem Apoſtoli ſicut ad conciliandam Auguſtiſſimo Sacrificio venerationem paulatim in eo peragendo preces, & Cæremonias adjecerunt, ut pietas Fidelium adſtantium, ac fervor magis accenderetur; ita etiam ipſimet Apoſtoli, præcipue vero B. Petrus, ſingularium in Miſſæ Sacrificio veſtium uſum præſcripſerunt. Hoc vero comprobari etiam poteſt nonnullis textibus, quos affert Andreas Du Sauſſay *lib.* 6. *cap.* 6. ſuæ Panopliæ Sacerdotalis, & Dominicus Georgius *in tom.* 1. *Liturg. Rom. Pontificis cap.* 3. *num.* 7. & 8. ubi optime obſervat, quod quando legimus apud Auctorem libri Pontificalis a S. Stephano I. *A. D.* 253. ſancitum: *Sacerdotes, & Levitas veſtibus ſacratis in uſum quotidianum non uti, niſi tantum in Eccleſia:* optime, inquam, obſervat mox laudatus Georgius, quod tunc obrepſerat fortaſſe abuſus, ut veſtibus ſacris hi Miniſtri extra Sacrificium uterentur, qui abuſus a Stephano Papa ſublatus eſt. Cæterum, idem Georgius *ibidem n.* 8. omnino negat veſtes, quæ ſacrificando inſerviebant in communi uſu Clericis fuiſſe, & ſentit Romanos Pontifices, miniſtroſque ſacris veſtibus in Miſſarum ſolemniis a primis uſque temporibus uſos eſſe. Sed noſtra hæc ſententia comprobatur præſertim auctoritate Concilii Tridentini, a quo *ſeſſ.* 22. *cap.* 5. inter cætera, quæ pia Mater Eccleſia in Sacrificio adhibet tamquam ab Apoſtolica diſciplina, & traditione accepta, etiam veſtes ſacræ enumerantur.

Non me latet aliquos probare hoc aſſumptum, noſtramque ſententiam deducere ex illis verbis: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*, quæ leguntur in *epiſt.* 2. *D. Pauli ad Timotheum cap.* 4. intelligentes nomine Penulæ veſtem ſacram, quam Latini Planetam vocant. Hanc opinionem amplectitur Joſeph Vicecomes *lib.* 2. *de Miſſæ Apparatu cap.* 28. Inſignis tamen Theologus Gulielmus Eſtius in ſuis Commentariis ad præfatam Epiſtolam rejicit prædictam interpretationem, & cenſet Penulam ſignificare librum veteris Teſtamenti. Card. Baronius ad Annum Chriſti 58. *num.* 67. & 68. agitat hanc controverſiam, & relata utraque opinione concludit his verbis; *Verum ex his duabus recitatis ſententiis, vel de volumine, vel de ſacra veſte, alterutram, quam velit, Lector ſequatur: ſed magis placet, ut volumen ſacræ Legis intelligi debeat.* Card. autem Bona *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 8. adhæret ſententiæ aſſerenti Penulam fuiſſe quoddam veſtimenti genus, in quam ſententiam deſcendit etiam P. Calmetus in ſuo eruditiſſimo Dictionario Biblico *tom.* 2. *verb.* Penula. Et recentiſſime eruditiſſimus vir Philippus Bonaroti in ſuis diligentiſſimis obſervationibus ſuper aliquibus fragmentis vaſorum antiquorum vitreorum, quæ in Romanis Cœmeteriis reperta ſunt, magnum præbet præſidium huic ſecundæ ſententiæ; nam in Tabula 16. figura 2. explicando quoddam vitrum, in quo videntur effigies Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Laurentii, oſtendit communem Penulam parvam fuiſſe veſtem ad itinerandum aptam, quæ deinde habitus civilis evaſit, & illuſtrium perſonarum proprius, qui pertingebat uſque ad talos, & adſtruit Planetas Eccleſiaſticas, ſeu Caſulas originem habuiſſe ab his nobilibus Penulis, non vero ab antiquis valde parvis, & pro itinerantibus valde aptis. Hæc colliguntur ex laudato Bonaroti. Cæterum Cardinalis Bonæ, Calmeti, & ejuſdem Bonaroti ſententiam tamquam certam teneo, quia *Penulam*, ſeu *Pænulas* ſignificare veſtem ſpiſſam, frigori, & imbribus arcendis aptam, aſſerit etiam Pitiſcus in ſuo Lexico Antiquitatum Romanarum, idque comprobat auctoritate Tertulliani *Apologetici cap.* 2. & Horatii *epiſt.* 1. *v.* 11. 17. Idem ſentiunt Bulèngerus lib. de ſacris veſtibus, Bart. de Penula, Voſſius in *Lex. Etbymol.* & alii relati ab eodem Pitiſco. Improbabilis igitur omnino eſt illorum ſententia, qui ſtatuunt Penulæ nomine veteris Legis intelligendum eſſe volumen; nam cum Paulus poſtea Timotheum roget, ut cum Penula ſuos etiam libros mittat, manifeſtum eſt Penulam a Libro eſſe diſtinctam: ſicut etiam rejicienda eſt alia ſententia, quæ Penulam a Paulo quæſitam cenſet fuiſſe veſtem ſacram; nam Penulæ nomine intelligere non poſſumus aliud, quam quod Pauli tempore per illud nomen ſignificabatur. Conſtat vero ex citatis ſuper Scriptoribus, Penulam veſtem fuiſſe itinerariam, non autem ſacram. Quapropter recte affirmavit Gretſerus in Commentariis ad *cap.* 6. Codini nullum inter veſtes ſacras Penulæ locum fuiſſe; cui ſententiæ primum ſubſcripſerat Ferrarius in prima *tractatus ſui de Re Veſtiaria* editione; at in ſecunda in fine *cap.* 37. opinionem mutavit, & cum Baronio credidit Penulam fuiſſe veſtem Sacrificantium.

Progredimur nunc ad diſcutiendum qua lingua Apoſtoli in Eccleſiæ primordio Miſſam celebraverint. Joannes Eckius *lib.* 2. *de Sacrificio Miſſæ* aſſeverat Apoſtolos, & eorum Succeſſores, nonniſi Hebraica lingua uſos fuiſſe in Miſſa celebranda uſque ad tempora Hadriani Imperatoris: Et tunc ſolum Sacerdotes cœpiſſe in lingua Græca Sacrum Myſterium peragere.

Sed

Sed nullius auctoritati hæc ſua ſententia innititur; & ut advertit Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 4. nullum reperitur apud veteres prædictæ ſententiæ fulcimentum; quinimo multa ab eodem Purpurato adducuntur argumenta, quæ eam convellunt. Mox laudatus Eminent. Bona aſserit Apoſtolos, eorumque Succeſsores eo idiomate in ſingulis Regionibus uſos fuiſse, quod tunc illis commune, & vernaculum erat: & ita Hieroſolymis Chaldaica; Antiochiæ, Alexandriæ, & in aliis Græcorum Civitatibus Græca; Romæ vero, & in toto Occidente Latina Lingua celebraſse cenſet. Comprobat autem hanc ſuam ſententiam eruditiſſimus vir antiquiſſima, & immemorabili Eccleſiæ conſuetudine. In Occidente ſiquidem non extant antiquæ Liturgiæ; in Oriente vero, quamvis multæ ſint diverſorum idiomatum Nationes, quæ Chriſtiana profeſſione cenſentur; veteres tamen non habent Liturgias niſi in Græca, qua Græci & Melchitæ, & in Chaldaica Lingua, qua Maronitæ; Neſtoriani, & Jacobitæ per varias Provincias diſperſi utuntur. Verum hic cum Martene *lib.* 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus *art.* 2. animadvertere lubet prædictis ultimis verbis Eminentiſſimum Auctorem reſtringere omnes antiquarum Liturgiarum preces ad tres illas linguas, quamvis, ut initio dixerat, non ſolum illis tribus linguis, ſed Apoſtolos, eorumque Succeſſores eo idiomate in ſingulis Regionibus uſos, quod tunc illis commune, & vernaculum erat: & revera alias etiam linguas in ſacris Liturgiis adhibitas fuiſſe nonnullis exemplis, & argumentis comprobat Martene loc. cit. Igitur hoc tantum poſſumus aſſeverare, hodiernum Eccleſiaſticæ diſciplinæ uſum obtinuiſſe, ut Miſſa non niſi tribus linguis Hebraica, Græca, & Latina cantari præcipiatur; ut loquitur Honorius Auguſtodunenſis *lib.* 1. *cap.* 92. *de Gemma Animæ*, cum multis, ac juſtis rationibus maternam, ac vernaculam linguam ſuis Legibus Eccleſiæ proſcripſerit, & nonniſi aliquo ſpeciali privilegio ab hac Lege aliquam Nationem diſpenſaverit. Sic Sæculo nono Sclavis ad fidem Chriſtianam converſis Joannes VIII. permiſit, ut divina Officia, & ſacram Liturgiam lingua Sclavonica peragere poſſent. Laudandus tamen eſt prædictus diſciplinæ Eccleſiaſticæ uſus præſcribens regulariter Liturgias non eſſe celebrandas, niſi tribus præfatis linguis Hebraica, Græca, & Latina.

Confert enim multum ad unitatem in Eccleſia ſervandam Sacrum Myſterium fieri aliqua lingua non vulgari, alicui Populo tantum nota, ſed communi multis gentibus; ex diverſitate ſiquidem linguarum in divinis Officiis admiſſa, grave periculum ſubeſſet diſſenſionum, & ſchiſmatum, & aliquando urgeret neceſſitas mutandi verba Sacrificii; cum illa quæ uno tempore ſunt vulgaria, talia eſſe alio tempore deſinant. Deinde ejuſdem Auguſtiſſimi Sacrificii Majeſtas requirit linguam magis venerandam, & gravem, quam ſint illæ, quibus vulgares paſſim utuntur. Sancta igitur Mater Eccleſia, & in Liturgia Latina has tres linguas tantum admiſcet; verba enim Græca ſunt *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon* &c. verba Hebræa ſunt *Alleluja*, *Amen*, *Sabaoth*, *& Oſanna*; reliqua vero Latina; & non niſi præfatis tribus linguis regulariter ſancivit Miſſam celebrari poſſe; non ſolum quia congruentiſſimum judicavit illis ſolis linguis ſacrificium Chriſti incruentum celebrari debere, quibus ejuſdem Servatoris cruentum Sacrificium, & nomen hujus ſacratiſſimæ victimæ, quæ pro ſalute omnium mactabatur in Ara Crucis, in titulo ejuſdem Crucis expreſſum fuit; ſed etiam quia, quamvis multa ſint genera linguarum, præfatæ tamen tres ſunt nobiliores, & principales, ex quibus cæteræ tamquam rivi ex fontibus ſunt derivatæ. Requirit autem Sacrificii Majeſtas, ut mox diximus, nonniſi his nobiliſſimis linguis peragi: Latina enim non eſt uſitata niſi apud Eruditos in Occidente; & in Oriente Græca: Lingua ſiquidem, cujus ſolet eſſe uſus in divinis Officiis apud Eccleſiam Orientalem, non eſt Popularis, ſed erudita, & omnibus, ſed tantum Eruditis cognita. Hanc igitur Eccleſiæ Chriſtianæ conſuetudinem omnes venerari debemus, neque audacter improbare, ex eo quod Populus vulgaris non percipiat verba, quæ in Miſſa proferuntur; quia primarius divinorum Officiorum finis, non eſt inſtructio Populi, ſed cultus, & laus Dei. Horum omnium præceſſit exemplum in veteri Teſtamento; nam cum Populus Hebræus poſt captivitatem Babylonicam Chaldaice loqueretur, Pſalmos tamen, & Scripturas ſemper hebraice cantavit, & legit: quem morem in Synagogis etiam noſtri temporis Hebræi obſervant. Noluit igitur Deus mutari idioma Scripturæ, & ſuorum Officiorum, licet mutata fuerit Populi lingua. Quapropter concludendum eſt ſapientiſſime ab Eccleſia hunc Ritum ſervari, ut quo Idiomate Miſſæ primum celebratæ ſunt, eodem ſemper celebrentur, licet ab indoctis, & rudibus talis Sacrificii verba non intelligantur.

Tamquam pro certo admiſimus Liturgiam aliquando Hebraico idiomate celebratam fuiſſe; quamvis contrariam ſententiam edoceat Joſeph Vicecomes *volum.* 3. *lib.* 3. *cap.* 20. ubi concedit majores noſtros ſacris quidem operatos fuiſſe Græca, vel Latina lingua, numquam tamen Hebraica, & quamvis admittat Chriſtum Sacrificii Euchariſtici Inſtitutorem, Miſſæque Auctorem, Hebraico ſermone uſum fuiſſe in tanti Sacrificii inſtitutione; non ideo concedit Apoſtolos, etiam ſi Hieroſolymis Sacrum peregerint, Hebraico, ſed ſolum Græco idiomate in Miſſæ celebratione uſos fuiſſe, hac præſertim ratione motus, quia S. Jacobus, qui illam Eccleſiam primum adminiſtravit, Græce ſcripſit ſuam Liturgiam. Euſebius vero Renaudotius in *Diſſert. de Liturgiarum Orientalium origine, & Auctoritate cap.* 6. ubi diſſerit de Linguis, quibus Liturgiæ ab initio, & ad hæc uſque tempora celebrari ſolitæ ſunt, cum diſtinctione aliqua procedit in deciſione hujus quæſtionis, aſſerendo, quod ſi per linguam Hebraicam intelligatur Hieroſolymitana, quæ tempore J. C. vulgaris erat in Palæſtina, & quæ Hebraica vocatur in novo Teſtamento, licet ſit ſolum affinis Hebraicæ, non detrectat aſſerere hac lingua Hebraica Miſſam antiquitus celebratam fuiſſe: Sed non idem adſtruit de pura lingua Hebraica, quam Plebs illiterata non intelligebat; Dicit enim neminem veterum prodidiſſe, primos Chriſti Diſcipulos prædicta lingua pura Hebraica, Sacra ſua celebraſse; a qua Renaudotii ſententia recedendum profecto non eſt; nam quamvis Judæi, & Iſraelitæ Hebraicam linguam abſoluta captivitate Ægyptiaca ad Babylonicam uſque, omnino puram, & ab exterarum Linguarum permixtione illibatam ſervaverint, ita ut illo tempore nullam notabilem mutationem ſubierit: nihilominus poſt captivitatem Babylonicam familiaris linguæ Hebraicæ uſus numquam amplius fuit purus inter Judæos, ſed primo Chaldaico-Babylonico idiomate ſunt locuti, ita ut Avorum ſuorum Hebraicam linguam vix intelligerent, & præſertim illi, qui Babylone degebant. Ita tamen Chaldaice omnes loqui cœperunt, ut Hebraiſmos aliquos tam in verbis, quam in pronunciationibus nihilominus retinerent: & poſtquam in Terram ſuam a captivitate Babylonica abſoluti regreſſi ſunt, linguæ Chaldaicæ uſum etiam magis corruperunt, & mediam quandam invexerunt linguam partim ex Hebraica, partim ex Chaldaica, aliiſque dialectis, & idiotiſmis juxta diverſitatem exterorum, quibuſcum converſabantur. Hæc autem Lingua, quæ erat tunc Populo Hebraico vernacula, e Regione, quam ipſimet Hebræi incolebant, Syriaca, & Judaica appellata eſt; cujus mixtæ, & Syriacæ linguæ, ut obſervant Buxtorfius, & VValtonius, variæ erant dialecti; nam dialectus Galilæa adeo diſcrepabat ab Hieroſolymitana, ut ex Sancti Petri Sermone, illum eſse Galilæum collegerint. Hujus autem Syriacæ, vel Syro-Chaldaicæ linguæ maxima hæc exurgit prærogativa, quod Chriſti Domini ore ſancto fuerit prolata; ipſi namque, ejuſque Diſcipulis fuit vernacula, atque etiam Legem ſuam Evangelicam, vitæque æternæ promiſsa, quibus omnis noſtra ſpes nititur, in ea primum lingua Mundo promulgavit. Rurſus hæc lingua Syriaca eſt illa, quam Chriſtiani per Orientem ſibi fere propriam fecerunt; ſiquidem utriuſque Teſtamenti verſionem in hac dialecto habuerunt, & in eadem celebraſse Sacra non eſt dubitandum, ut etiam cenſet Claudius Fraſsen in ſuo doctiſſimo Opere inſcripto: *Diſquiſitiones Biblicæ lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. circa finem: Hac eadem lingua conſcriptum fuiſse Matthæi Evangelium tanto unanimi veterum conſenſu teſtatum eſt, ut mirum ſit novitios quoſdam Scriptores id in dubium revocare, atque etiam falſitatis arguere, ut optime edocet Remigius Cæillerius Monachus Benedictinus in ſua eruditiſſima Hiſtoria Generali Scriptorum Sacrorum *lib.* 2. *cap.* 2. *artic.* 3. *num.* 3. Ubi etiam ſubnectit Sanctum Matthæum prædicta lingua Evangelii ſcribendi conſilium ſuſcepiſse, ut ea ſuppleret, quæ Hebræis deeſse poſsent, & idcirco eadem lingua in ſcribendo uſus eſt, qua illos viva voce inſtituerat; alias monitis, dum coram eſset, traditis, infirmius ſupplementum attuliſset. Quid enim illis profuiſset Liber eo ſermone ſcriptus, quem ipſi non intelligerent? Ita etiam Erneſtius Tenxelius in ſuis animadverſionibus ex Divi Hieronymi Commentario in Matthæum oſtendit, non Hebraica lingua proprie dicta, ſed Chaldæa, ſive ut alii appellari malunt Chaldæo-Hieroſolymitana conſcriptum fuiſſe, quod Nazareni venditarunt Matthæi Evangelium. Nec aliam intelligi putat Fabricius in *Bibliotheca Eccleſiaſt. pag.* 31. a Grecis Patribus, qui Matthæum hebraice ſcripſiſſe tradunt; quandoquidem in novo Teſtamento hac dictione idem ſignificatur idioma, quo tunc vulgus Judæorum Hieroſolymis utebatur. Inde autem conficitur nullum Hebræorum Matthæi Evangeliorum, quæ Munſterus, Mercerus, Tiliuſque vulgarunt, genuinum eſſe poſſe. Hæc præfati Auctores: ex quibus omnibus optime inferri poſſe crediderim, quod ſicut præfata lingua conſcriptum, & promulgatum fuit primum Chriſti Evangelium, ita eadem lingua ab Apoſtolis, & Diſcipulis Chriſti primitus ſacram Liturgiam celebratam fuiſſe, & non ſolum Hieroſolymis, ſed ubicumque talis Lingua vernacula erat. Quapropter in hoc ſenſu optime ſubſiſtit ſententia Renaudotii, quod lingua Hebraica in primitiva Eccleſia Miſſa dicta fuerit.

Idque magis evincitur *ex Epiſtola* 247. Joannis VIII. ad Sſentopulcrum Comitem Moraviæ, in qua permiſit Sclavis, ad fidem Chriſti prædicatione Sancti Methodii converſis, ſacram Liturgiam lingua Sclavonica peragere; in dicta enim Epiſtola, præter alia, habentur hæc verba: *Quoniam qui fecit tres Linguas principales, Hebræam ſcilicet, Græcam, & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem, & gloriam ſuam.* Ex quibus verbis Summi Pontificis clare colligitur ſacram Liturgiam celebratam fuiſſe his tribus linguis Græca,

He-

Hebraica, & Latina; unde nullo modo denegandum eſt Apoſtolos uſquam Hebraica lingua uſos fuiſſe in Miſſæ celebratione, ut prætendit Joſeph Vicecomes. Abſque eo quod officiat huic noſtræ ſententiæ, quod Liturgia Divi Jacobi, græce reperiatur conſcripta, non vero hebraice; nam ab initio etiam eumdem Apoſtolum hebraice Hieroſolymis Sacris operatum fuiſſe, pro certo habendum eſt, & proceſſu temporis etiam lingua Græca Miſſam celebraſſe minime denegamus. Sicut denegandum non eſt adhuc reperiri aliquam Liturgiam in præfato Syro Chaldaico, vel Syriaco idiomate exaratam; & eſt illa, qua utuntur Maronitæ, qui Libanum incolunt. Hi enim eadem utuntur lingua, qua Chriſtus Dominus creditur uſus fuiſſe, ut tradit Balthaſsar Francolinus *in ſuo Tyrocinio Theologico* §. 4. *n.* 76. Quæ quidem lingua a Cardinali Bona *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 4. Chaldaica nuncupatur; unde ait, in Occidente non inveniri, niſi antiquas Lirurgias Latinas; in Oriente vero, quamvis multæ ſint diverſarum linguarum nationes, quæ Chriſtiana profeſſione cenſentur; veteres tamen Lirurgias non habent niſi Græca, qua Græci, & Melchitæ, & Chaldaica lingua, qua Maronitæ, Neſtoriani, & Jacobitæ per varias Provincias diſperſi utuntur. Vocat vero ibi linguam Chaldaicam illam, quam alii Syriacam, vel Syro-Chaldaicam appellant, quæ ſcilicet ex lingua Hebraica, & Chaldaica orta eſt, & qua Hebræi, ut dixi, Babylone degentes captivi loquebantur, & quæ a regione, in quam poſt captivitatem regreſſi ſunt, Syriaca ab aliquibus dicta fuit, ab aliis vero Syro-Chaldaica, & denique a nonnullis etiam Hebraica, quia Populo Hebraico vernacula erat. Et hæc ſatis ſint pro hac celebri quæſtione diligenter diſcuſsa ab Auctoribus Liturgicis.

XV. Gav. ead. lit. d — *Petrus ordinem præſcripſit, Jacobus evulgavit.*) Contra eos, qui aſserunt Jacobum primam Miſsam Hieroſolymis celebraſse, docet hic Gavantus, Petrum Apoſtolorum Principem, omnium primum Miſsæ ordinem præſcripſiſse; Jacobum vero poſtea evulgaſse. Nos ſuperius oſtendimus cum eodem Gavanto Petrum Hieroſolymis in Cœnaculo Sion primum Sacrificium ante omnes alios Apoſtolos peregiſse. Nunc Gavanto pariter conſentimus, & dicimus, vere Petrum primum omnium Liturgiam, ſive ordinem, & Ritus præcipuos, quibus Miſsa celebratur, inſtituiſse. Præſertim vero acerrime ſuſtinemus Romanam Miſsam, ſeu Liturgiam Divo Petro tamquam primo ſuo Conditori, & Inſtitutori referendam eſse. Quæ quidem veritas, & auctoritatibus luculentis, & validis rationibus manifeſta reddi poteſt: Sanctus enim Innocentius I. in epiſtola a nobis ſupra allegata ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, præter alia, ſcribit hæc verba præciſa: *Quis enim neſciat, aut non advertat, id, quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum. Præſertim cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjectas, nullum inſtituiſse Eccleſias, niſi eos quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſsores conſtituerant Sacerdotes.* Ex quibus Innocentii verbis liquet Romanam Eccleſiam a Sancto Petro ſuam Liturgiam, ſeu Ordinem, & Ritus, quibus Miſsa celebratur, accepiſse; & in omnes Occidentis Regiones, aut ipſius Petri, aut ſuorum primorum ſucceſsorum ſtudio eumdem Miſsæ ordinem fuiſse deductum. Innocentio I. concinit pariter Vigilius Pontifex, cujus verba ſuperius retulimus. Ita etiam Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis *Lib.* I. *Cap. XV.* de Eccleſiaſticis Officiis, dicendo: *Ordo Miſſa, vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia conſecrantur, primum a Sancto Petro eſt inſtitutus, cujus celebrationem uno eodemque modo univerſus peragit Orbis.* In eadem verſantur ſententia Etherius Epiſcopus Uxamenſis, & Beatus Presbyter in libris adverſus Elipandum Toletanum, & alii a nobis ſuperius allegati, inter quos VValfridus Strabo, qui floruit circa Annum Domini 840. in lib. de Rebus Eccleſiaſticis cap. 22. hæc tradidit: *Et Romani quidem uſum obſervationum a B. Petro Principe Apoſtolorum accipientes, ſuis quiſque temporibus, quæ congrua judicata ſunt addiderunt. Quorum morem ideo in ſacris Rebus tam multæ Gentes imitantur, quia & tanti magiſterii ex Apice Apoſtolico primordiis clarent, & nulla per Orbem Eccleſia æque, ut Romana ab omni fæce Hæreſum cunctis retro temporibus pura permanſit.* In eandem ſententiam, nimirum Romanam Liturgiam, non quoad omnem ſuam partem, ſed quoad præcipuas ſaltem, Divo Petro tribuendam eſse, deſcendunt pariter Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus *cap.* 3. *art.* 2. §. 7. Grancolas in ſuo lib. de antiquis Liturgiis *pag.* 51. Le Brun Tom. 2. ſuarum Explicationum ſuper Cæremoniis, & precibus Miſsæ *diſsert.* 2. *art.* 2. & Dominicus Gregorius in ſuo primo Volumine de Liturgia Romani Pontificis *lib.* 1. *cap.* 2. Hi tres recentiſſimi, & eruditiſſimi Viri concordes ſunt in defendenda antedicta ſententia quoad Romanam Liturgiam D. Petro, tamquam primario Conditori adſcribendam, iiſdem auctoritatibus innixi, quas mox allegavi. Congrua etiam rationi eſt hæc opinio; nam Petrum Apoſtolorum Principem Romam adventaſse certiſſimum eſt, (quidquid oblatrent contra hanc irrefragabilem veritatem Heterodoxi, & pravæ mentis Auctores) Romanamque Eccleſiam rexiſse, & ibi Apoſtolicam Cathedram ab Antiochia translatam, pro ſuis etiam ſucceſsoribus in Romano Epiſcopatu, totiuſque Eccleſiæ Magiſterium, & Principatum firmaſse; quibus poſitis, nemo inficiari poteſt ſupremum antedictum Sacerdotem Romæ tuo ſui regiminis tempore certis ſtatutis Ritibus, Cæremoniis, Precibus, Collectis, & ſanctæ Scripturæ Lectionibus Miſſam celebraſſe; qui quidem Miſſæ celebrandæ ordo ab ipſo inceptus, inſtitutus, & obſervatus, profecto ſive ſcripto conſignatus, ſive verbali traditione aliis Romanæ Eccleſiæ Presbyteris, & ſuis ſucceſſoribus in Romana Cathedra communicatus fuit, & temporis ſucceſſu aliis precibus, aliiſque Ritibus adauctus. Sed hæ ſucceſſivæ Additiones non officiunt quin prædicta Liturgia Romana debeat D. Petro, tamquam ſuo primo Conditori, & Inſtitutori, referri.

Sic Jacobum Apoſtolum eſſe illius Liturgiæ Inſtitutorem, quæ ejus nomine inſcripta eſt, acerrime ſuſtinet Leo Allatius in Symmictis *pag.* 176. Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 8. *n.* 3. & alii, qui obligant in comprobationem ſuæ ſententiæ perpetuam traditionem veterum, & Græcæ Eccleſiæ conſenſum, quæ prædictam Liturgiam, ut legitimam ſemper agnovit, & ut Jacobi genuinum opus recepit. Græcorum opinioni accedunt quoque Syri, qui teſte Abrahamo Ecchelenſi in notis ad Hebedieſu de Scriptoribus Chaldaicis *p.* 135. aſſerunt, primum omnium, qui Liturgiam ſcripſerit, & aliis eas ſcribendi facem prætulerit, fuiſſe Sanctum Jacobum. Laudarus Abraham confirmat hoc teſtimonio Jo; Maronis, qui ſexto vertente Sæculo vivebat: Synodus quoque Trullana hanc ſententiam approbaſſe videtur; nam *Can.* 32. ex Liturgia Sancti Jacobi probat vinum aqua mixtum in Sacrificio Miſſæ eſſe offerendum, ut refellat Hydropaſtarum errorem, qui ſolam aquam offerendam, pertinaciter affirmabant. Manuel Malachus in nono canone *cap.* 220. ait eamdem Jacobi Liturgiam in uſu fuiſſe uſque ad tempora Baſilii Magni, ejuſque meminit S. Proculus Sæculi V. Auctor in tract. de Traditione Divinæ Liturgiæ, quod opus etſi nonnulli S. Proclo abjudicent, genuinum tamen ipſius fœtum eſſe erudite demonſtrat noſter Vincentius Richardus in notis ad eumdem tractatum. Denique Cyrillus Hieroſolymitanus multa profert in ſuis Myſtagogicis Catecheſibus, quæ ita ſunt hunc Liturgiæ ſimilia, ut facile colligas ex ea fuiſſe deprompta. Eorum vero argumenta, qui Liturgiam hanc Divo Jacobo eripiunt, id unum oſtendunt, alia reperiri in eadem Liturgia, quæ Jacobo tribui non poſſunt, neque illius tempori correſpondent; ſed nos non inficiamur a Jacobi ſucceſſoribus aliqua addita fuiſse, ſicut contigit omnibus Liturgiis, & veteribus Sacramentariis, quæ tamen nihilominus adhuc ſuo principali Inſtitutori adjudicantur, & in hoc ſenſu etiam ſapientiſſimus Cardinalis Gotti in ſuo recentiſſimo, & præclariſſimo opere inſcripto: *Veritas Religionis Chriſtianæ tom.* 1. *cap.* 4. §. 9. inhærens ſapientiſſimo pariter Cardinali Bellarmino, prædictam Liturgiam Jacobo aſſeri poſſe fatetur: & revera ita pariter Gelaſio Summo Pontifici adſcribitur Codex ille Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, qui, ut ſupra innuimus, cura, & ſtudio Cardinalis Thomaſii in lucem emiſſus fuit, quamvis talem Codicem non ex integro præfatus Pontifex condiderit, ſed ſolum illum ordinaverit, & præfationes, aliaſque preces ei adjecerit. Rurſus quamvis nonnulla præfato Codici poſt præfatum Pontificem appoſita fuerint, quæ ipſum profecto non ſapiunt; nihilominus ſemper ipſi adjudicatus fuit; & eodem modo, & ob eaſdem rationes Sacramentarium, quod uſque ad præſens tempus Gregorianum appellamus, Divo Gregorio Magno tribuimus. Cur igitur, & his, & aliis validioribus rationibus ſuffulti, Romanam Liturgiam D. Petro, ceu primo Inſtitutori, & Conditori aſcribere non debemus? & de hac Romana Miſſa inferius aliqua alia addemus, cum de multiplicibus Miſſarum generibus nobis diſcurrendum pariter erit, inter quas præcipuum locum Miſſa Romana promeretur.

### Novæ aliæ Obſervationes in ſuperioris Rubricæ Textum, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

XVI. Rub. *Miſsa quotidie dicitur.* Quoniam in animum induximus, non ſolum Obſervationibus Gavanti Commentaria, ſed etiam novis Additionibus totum hunc ſuum Theſaurum illuſtrare, idcirco ſuper præfatis Rubricæ verbis, quæ Gavantus prætermiſit in ſuis Commentariis, nos expoſitiones noſtras prodere, operæ pretium ducimus. Tria autem pro recta explanatione dictorum verborum conſideranda ſunt, cum tria in ipſis contineantur. Primo indicatur obligatio, ſeu uſus quotidie celebrandi: Secundo proponitur conformitas, quæ debet eſſe inter Miſſam, & Officium. Tertio explicatur diverſitas Miſsarum de Feſto duplici, ſemiduplici, &c.

Quoad primum, nimirum *Miſsa quotidie dicitur*, doctiſſimus Joannes Mabillon in Præfatione ad Sæculum ſecundum Ordinis S. Benedicti §. 4. *n.* 36. adnotat, Viros pios nonnullos per Sæculum ſeptimum rem ſacram quotidie frequentaſse, id quod anterioribus Sæculis non tam obvium videbatur. Idem clariſſimus Auctor *Præfat.* 1. *in Sæculum* 3. §. 6. *n.* 52. adſtruit Miſsæ quotidianæ celebrationem jam inde a Sæculo ſexto frequentatam Sacerdotibus piis, circiter octavum Sæculum amplius commendari cœpiſse. Statutum vero de hac re nullum inveniſse aſseverat ante Annum 855. quo Synodus Ticinen-

quo Synodus Ticinenſis ita decrevit *cap. 2. Statuimus, ut non tantum Dominicis diebus, & præcipuis Feſtivitatibus, Epiſcopi Miſsas celebrent; ſed cum poſſibile fuerit quotidiana quoque Sacrificia frequentent.* In Gallia etiam idem ſtatutum eodem tempore emanavit; idque colligitur ex Ridulphi Svetionici Epiſcopi *cap. 3.* ita Presbyteros alloquentis: *Habete quæſumus ſtudium in Pſalmos cantando, in Divinos Libros legendo, in Canonicas Horas conſtituendo, ideſt Primam, Tertiam, Sextam, Miſsarum quoque quotidiana celebratione.* Sed hæc ſtatuta potius exhortationis, quam Legis, aut Præcepti vim habuiſſe ibidem oſtendere contendit præfatus Mabillonius.

Verum Edmundus Martene in Rebus ſacris, non minus, quam Mabillonius peritus *Tomo* 1. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus *libro* 1. *articul.* 3. adſtruit, & oſtendit, quod quamvis primis Eccleſiæ temporibus dumtaxat die Dominico Miſſæ Sacrificium peractum fuerit; quia id ſatis innuit Sanctus Juſtinus Martyr in Apologia 2. ubi agens de Chriſtianis Conventibus: ſolius meminit Dominicæ: Sanctus tamen Epiphanius tradit tres in hebdomada dies ad id muneris ſtatutos fuiſſe ab Apoſtolis, Dominicam ſcilicet, & quartam, ſextamque Feriam. Hæc enim habet in expoſitione Fidei Catholicæ: *Sacri porro Conventus, & Synaxes, ab Apoſtolis inſtituti ſunt his potiſſime diebus, quarta, ſextaque Feria, & Dominica:* eamque ſententiam confirmare videtur Tertullianus *lib. de Oratione*. Hiſce diebus Sabbatum adjecit Sanctus Baſilius *in epiſt. 289. ad Cæſaream Patritiam*. Verum tempore Sancti Auguſtini variæ erant Eccleſiarum conſuetudines, ut ipſe ait epiſt. 54. novæ editionis ad Januarium: *Alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico.* In Africa tamen jam tum quotidiani Sacrificii uſum invaluiſſe colligitur ex ejuſdem S. Auguſtini *Serm. 58. de Oratione Dominica ad Competentes*, in quo ait: *Oratio quotidie dicenda eſt vobis cum baptizati fueritis. In Eccleſia enim ad Altare Dei quotidie dicitur iſta Dominica Oratio, & audiunt illam Fideles. Non ergo timemus ne minus diligenter eam teneatis; quia etſi quis veſtrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie tenebit.* Idem confirmat in epiſtola 98. dicendo: *Nonne ſimul immolatus eſt Chriſtus in ſe ipſo, & tamen in Sacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur?* Eumdem Miſſæ quotidianæ uſum, etiam in Eccleſiis Hiſpaniæ viguiſſe, eruitur ex hoc Concilii Toletani primi, *Ann.* 400. celebrati, Canone: *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra Civitatem, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, aut Caſtello, aut Vico, aut Villa ad Eccleſiam, ad Sacrificium quotidianum non acceſſerit, Clericus non habeatur.* Idem aſſerendum eſt de Eccleſia Conſtantinopolitana, quia in Homilia 3. D. Joannis Chryſoſtomi in epiſtola ad Epheſios hæc leguntur: *Fruſtra habetur quotidiana oblatio fruſtra ſtamus ad Altare, nemo eſt qui ſimul participet.* Idem pariter eruitur ex Sermone 25. inter falſo adſcriptos S. Ambroſio in nova editione; unde probabiliſſimum eſt, etiam in Eccleſia Mediolanenſi ſacrum Myſterium quotidie peractum fuiſſe. Idem pariter eveniſſe in aliis Eccleſiis, & Monaſteriis, vertente Sæculo V. oſtendit Martene loco ſupracit. in ſeqq. vero Sæculis quotidiana oblatio in præcipuis etiam Eccleſiis uſuveniſſe, non eſt dubitandi locus; cum in ordine Gelaſiano & in Sancti Gregorii Sacramentario habeantur Miſſæ deſcriptæ pro omnibus Dominicis, & pro omnibus Quadrageſimæ, & Paſchalis hebdomadæ Feriis; quæ Dominicarum Miſſæ infra hebdomadam repetebantur, quando propria non occurrebat. Excipiendæ tamen ſunt Dominicæ poſt Sabbatum quatuor Temporum, & Feria V. Quadrageſimæ, quæ Officio proprio in præfatis ordinibus vacare repetiuntur ob illas rationes, quas adducit Martene.

Tertullianus de Jejuniis *cap.* 14. ait: *Nobis certe omnis dies, & etiam vulgata conſecratione celebratur.* Et Cardinalis Bona *libro* 1. *cap.* 18. §. 4. altius etiam a præfato tempore repetit uſum quotidianæ celebrationis; Andreas etenim Apoſtolus, quotidie ſe Hoſtiam incruentam immolaſſe teſtatus eſt, ut referunt ejus Acta a Presbyteris Achajæ conſcripta.

Innocentius I. *in epiſt. ad Exuperium Epiſcopum Toletanum* docet, ideo Sacerdotibus ſervandam pudicitiam: quia non præterit dies, qua a Sacrificiis Divinis vacent. Sanctus Petrus Chryſologus *Serm. 5. de Chriſto* ait: *Hic eſt Vitulus, qui in Epulum noſtrum quotidie, ac jugiter immolatur.* Sanctus Baſilius quotidie *ſacris operatus eſt*, ut ſcribit Amphilochius in ejus Vita, idemque Baronius de Sancto Ambroſio aſſeverat. D. Cyprianus *epiſt.* 14. ad Cornelium ait: *Epiſcopatus noſtri honor grandis, & gloria eſt, pacem dediſſe Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, Hoſtias Deo, & Victimas præparemus.* Alia teſtimonia veterum Patrum de uſu quotidiani Sacrificii affert idem Card. Bona, etiam *cit. lib. 5. cap.* 14. in quo ex profeſſo agit de uſu perpetuo Miſſarum privatarum, & hinc occaſio ei præbetur agendi etiam de uſu Miſſæ quotidianæ.

Ex ſupradictis liquido conſtat contra cit. Mabillonium, non ſolum a Sæculo VI. ſed etiam ſuperiori valde tempore, Miſſæ quotidianæ celebrationem a piis Sacerdotibus frequentatam fuiſſe; imo Miſſas privatas quod attinet, ſi Feriam VI. & Sabbatum majoris hebdomadæ apud Latinos, & omnes Ferias V. Quadrageſimæ excipias, quibus adde omnes Ferias VI. Quadrageſimæ apud Eccleſiam Mediolanenſem, & totum Quadrageſimale tempus, præter Sabbata, Dominicas, & Feſtum Annunciationis apud Græcos; non ſolum fuit licita omnibus diebus quotidianæ Miſſæ celebratio, ſed etiam pluries una die celebrare olim permiſſum fuit pro cujuſcumque Sacerdotis arbitrio; ita ut alius bis, alius ter, alius quoties ei libebat, Miſſas in eadem die iteraret; credentes tanto amplius Deum ad miſericordiam flecti, quanto crebrius paſſio Chriſti commemoratur, ut tradit VValfridus Strabo *lib. de Rebus Eccleſ. cap.* 25. idque ex Fidelium Virorum relatione accepiſſe ſe adſtruit; qui etiam refert Leonem III. Pontificem novies aliquando in eodem die Sacrificium celebraſſe. Verum enarratæ Sacerdotum devotioni aliquos limites a ſacris Canonibus præfixos fuiſſe legimus; nam trigeſimus ſeptimus inter eos, qui ſub Ecdaro Anglorum Rege dati ſunt, ita habet: *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos Miſſam ſæpius in ullo die celebret, quam ter ad ſummum.* Idem ſtatuerunt Leges Presbyterorum Nortumbrienſium *capit.* 18. & Concilium Seleguſtadienſe. *An.* 1022. *Can.* 5. Poſtea vero Alexander Papa II. qui obiit Anno 1073. decrevit, ne plus, quam una in die Miſſa ab uno Sacerdote celebraretur, ut legitur *in Decreto Gratiani de Conſecrat. Diſtinct. 1. Can.* 53. ubi habetur: *Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum Mundum redemit. Non modica res eſt unam Miſſam facere; & valde felix eſt, qui unam Miſſam digne celebrare potuit.* Addit nihilominus idem Pontifex ibidem. *Quidam tamen pro Defunctis unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit.* Inter quos numerantur Sanctus Anſelmus, & Sanctus Albertus, quorum Vita legitur apud Bollandum die ſeptimo Aprilis, in qua hoc narratur. Verum neque etiam pro Defunctis modo licet, præter aliam Miſſam celebratam in eadem die, & ſacrum facere, & ſolummodo in ſolemni die Nativitatis Domini tres, ut olim, permiſſum eſt cuilibet Sacerdoti Miſſas celebrare, illis Ritibus, & Cæremoniis quæ ab Eccleſia, & Sac. Rituum Congregatione præſcriptæ ſunt. Ita Innocentius III. ſtatuit *in cap. Conſuluiſti de celebratione Miſſarum*, his verbis: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi neceſſitatis cauſa ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare.* Et ibidem *cap. Te referente* Honorius III. *quacumque Sacerdos dignitate præfulgeat, plures eodem dies Miſſas dicere non audeat*; & hæc eſt praxis totius Eccleſiæ, tam Orientalis, quam Occidentalis, & communis Theologorum ſententia, a qua nemo poteſt recedere, quin reus evadat graviſſimi criminis. Inter Eruditos nullus ignorat, antiquitus, non ſolum in die Nativitatis Domini, ſed etiam in aliis ſolemnibus Feſtivitatibus plures Miſſas a Sacerdotibus celebratas fuiſſe. Sic in die Circumciſionis Domini, ſeu Kalendis Januarii in vetuſtiſſimo Gellonenſis Monaſterii Sacramentorum libro, tres reperiuntur Miſſæ adſignatæ, quorum prima, & ſecunda inſcribitur *in Octava Domini*, tertia inſcribitur *Miſſa ad prohibendum ab Idolis*. Secunda tamen eſt de B. Maria, ut indicant Orationes: & revera in veteri Frontoni Calendario ante Ann. 900. exarato, duæ tantum Miſſæ indicantur; prima de Octava Nativitatis, ſecunda vero de Sancta Maria, quæ etiam tempore Durandi celebrabatur in dicta die, ut ipſe aſſeverat *in Rationali lib. 6. cap.* 5. Rurſus in præfato Monaſterii Gellonenſis Sacramentario ante Annos 900. conſcripto non ſolum tres, ut in antiquis Sacramentorum libris, ſed quatuor adſignantur Miſſæ cantandæ in ſolemnitate Nativitatis D. N. J. C.

Joannes Frontonus mox laudatus in ſuis eruditiſſimis prænotatis ad Calendarium ab ipſo editum §. 10. aſſerit in die quoque Paſchatis tres fuiſſe Miſſas; *Primam Sabbatinam de nocte, Secundam de die, Tertiam in conceſſionem ordinum, quæ non adnotatur, quia ſumitur de Communi*; ita præfatus doctiſſimus Vir. Verum in Feſto Paſchæ non fuiſſe olim collatos ſacros Ordines prætendit probare editor Sancti Leonis *in 6. Diſſertatione* ad opera ejuſdem Sancti Pontificis. In veteri Miſſali Gallicano a Cardinali Thomaſio in lucem emiſſo per totam Paſchæ Octavam adnotantur duæ Miſſæ, una matutinalis pro Neophytis, altera de die.

Tempore Sancti Auguſtini bis litabatur Feria V. in Cœna Domini; ſemel mane a jejunis, & ſemel ſero a refectis; quod nec ipſe improbat, reſpondens ad Januarium *epiſt.* 54. novæ editionis, qui eum ea de re interrogaverat. Verum in antiquo Codice Rhemenſi S. Remigii, & in Noviomenſi Sanctæ Mariæ, ac in Gellonenſi, necnon in Ordine Gelaſiano, tres adſignatur Miſſæ in eadem Feria V. in Cœna Domini. Prima pro reconciliatione pœnitentium; Secunda Chriſmatis dicta pro confectione ſacri Chriſmatis; Tertia ad veſperum, de ipſa diei ſolemnitate. His quarta additur in veteri Codice Bibliothecæ Regiæ Gallicanæ Annorum circiter 900. de qua ſicut de ſupradictis mentionem facit eruditiſſimus Martene *loc. cit. n.* 8.

Ex eodem Martene eruitur, quod in optimæ notæ M. S. libro Sacramentorum Eccleſiæ Turonenſis ante Annos 800. exarato, tres pariter deſcribuntur Miſſæ in Vigilia Aſcenſionis Domini, præter eam, quæ eſt de Litania majori. In Ordine

autem

autem Gelaſiano duæ adſignantur in Aſcenſu Domini ; & in Codice Gellonenſi duæ adduntur Miſſæ in Litania majori, ideſt in Rogat. primo die unica, ſecundo die duæ, & ſic tertio die, præter eam, quæ eſt de Vigilia Aſcenſionis. Præterea in aliis etiam Domini, necnon Sanctorum ſolemnitatibus repertuntur plures Miſſæ, quæ in dictis diebus cantabantur. Liquet igitur olim Miſſas non privatas modo, ſed quoque ſolemnes, plures eadem die ab uno Sacerdote celebratas fuiſſe ; de qua Miſſarum pluralitate erudite tractat ſupra citatus Edmundus Martene *lib. 1. de antiquis Eccleſ. Ritibus*. Card. Bona *lib. 1. cap. 18. num. 5. & ſeqq.* ubi agit de diebus, quibus in veteri Eccleſia plures Miſſæ celebrabantur; quos quidem dies ipſe vocat Politurgicos, ad differentiam illorum dierum, in quibus nulla dicebatur Miſſa, quos vocat Aliturgicos ; alios vero, in quibus unica tantum a quolibet Sacerdote dicebatur Miſſa, Liturgicos appellat. Præter allegatos, legi etiam poſſunt alii Auctores agentes de earum Miſſarum pluralitate in eadem die ; præſertim vero Joannes Baptiſta Thiers in *tom. 1. lib. poſthumi de Superſtitione*, Grancolas *tom. 2. pag. 371.* Mabillonius in Præfat. ad Sæculum 2. Bened. Chriſtianus Lupus, qui de hac re fuſiſſime agit in Scholiis ad citatum Decretum Alexandri II. quod perperam a Burio Alexandro I. tributum fuit, Gervaſius Dorobernenſis *in Actis Pontificum Eborac. pag. 1649.* Menardus *in notis ad Sacrament. Gregorianum pag. 167.* Sed talis Miſſarum multiplicitas in eodem die ab eodem Sacerdote celebrandarum, ut diximus, nunc ſuſpenſa omnino remanet, & ſolum permittuntur illæ tres, quæ in Nativitate Domini quolibet Anno a quolibet Sacerdote peraguntur.

Cæterum reſumendo ſermonem Miſſarum quotidie celebratarum ; quamvis eam opinionem amplexus fuerim, quæ docet priſcis etiam Eccleſiæ Sæculis hunc morem invaluiſſe quotidie offerendi incruentum Sacrificium ; non ſum tamen is, qui aſſeram eundem morem communem fuiſſe omnibus presbyteris ; quinimo hæc conſuetudo quotidie celebrandi neque poſt ſextum Sæculum fuit univerſalis omnibus Sacerdotibus, ut optime oſtendit Edmundus Martene *lib. 2. de Monachorum Ritibus cap. 6. §. 3.* ubi aſſeverat, quod olim nonniſi aliqui perfectiores Monachi multa cum laude, & Religione quotidie ſacris operabantur, inter quos recenſentur S. Goar Eremita, cui, teſte VVandelberto *in ejus Vita num. 7. Sæculo ſecundo Benedictino pag. 282.* erat ſolemnis conſuetudo, ut omni die Miſſarum ſolemnia celebrans Sacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti pro ſtatu Eccleſiæ offerret. Ita pariter S. Geremarus Abbas Haviacenſis, de quo Anonymus in ejus Vita ait : *Offerebat ille Sacrificium per ſingulas dies cum lacrymis, & contritione cordis* : Kalenſes Monachi, quibus Bertiſſa Parthenonis Kalenſes Abbatiſſa quotidie pro ſalvatione Animarum Fidelium, & recto ſtatu Eccleſiæ Domino Hoſtias ſacras jubebat offerre, & alii, quos loco cit. congerit Martene. Verum quamvis nonnulli olim quotidie celebraverint Presbyteri, idque ipſum ſolitariis permittere videatur Grimalaicus in Regula ſolitariorum *cap. 36.* tamen paucorum erat iſta virtus, peneque omnes Auguſtiſſimi Myſterii horror a quotidiano celebrandi auſu arcere ſolebat ; nam præter Ninienſes Monachos, apud quos ex octo Presbyteris unus dumtaxat ſacroſanctum Sacrificium offerebat, ſingularia hæc, quæ produximus, aliquorum Monachorum exempla, qui quotidie offerrent, quid aliud docent, quam alios non ita frequenter celebraſſe? Nam ſi generalis Miſſas dicendi conſuetudo extitiſſet apud omnes Monachos, fruſtra iſti hac de re tamquam de ſingulari facinore laudarentur, cum aliis omnibus foret commune. Hæc exſcribere placuit ex laudato Martene, qui aliis pariter argumentis comprobat Monachos Sacerdotes etiam poſt Sæculum ſextum a quotidiana Sacrificii celebratione abſtinuiſſe : ſic de S. Rodingo Abbate Bellilocenſi legitur in ejus Vita ſcripta a Ricardo Abbate *num. 12.* quod feſtivis dumtaxat diebus celebrabat ; florebat autem Rodingus poſt medium Sæculum ſeptimum : Sæculo vero octavo in Concilio Clovesbonienſi celebrato Ann. 747. *cap. 14.* ſancitum fuit, ut Dominicus dies legitima veneratione a cunctis celebretur, ſitque divino tantum cultui dedicatus, omneſque Abbates, ac Presbyteri iſto ſacratiſſimo die in ſuis Monaſteriis, ac Eccleſiis maneant, Miſſarumque ſolemnia agant. Præfatum Concilium habetur apud Spelman. *tom. 1.* Concil. Angliæ. Ex quo colligitur aliis hebdomadæ diebus prædictos Monachos Sacerdotes a Sacrificio abſtinuiſſe. Et Sæculo decimo Sanctus Anſtens Abbas Mettenſis, ut habetur in Sæculo V. Benedictino *pag. 388.* *Omnibus Dominicis, & feſtivitatibus Sanctorum celebrioribus Miſsas publice dixit ; ad hoc unaquaque IV. Feria privatim.* Præterea non videmus Cluniacenſes ex Udalrico, Alemannos Monachos ex conſuetud. Germaniæ, neque Ciſtercienſes Presbyteros, quotidie Miſſas feciſſe ; imo de Ciſtercienſibus conſtat ex libro ſuorum uſuum, Presbyteros ſæpius in ipſis etiam Dominicis non celebraſſe, ſed privatim tantum communicaſſe. De Carthuſianis vero exploratum eſt ipſis olim non fuiſſe licitum quotidie Sacrificium offerre ; ut colligitur ex epiſtola, quam ſcripſit Petrus Bleſenſis ad Alexandrum Carthuſianum novitium, ut eum in vitæ Monaſticæ propoſito retineret, quod ille abjicere volebat, eo quod Miſſam quotidie celebrare ſibi fas non eſſet. Hæc conſuetudo vigebat apud Carthuſianos, etiam circa medietatem Sæculi XIV. ut patet ex Apparatu Petri Boerii ad Conſtitutionem Benedicti PP. XII. ubi ad *cap. 27.* ita loquitur : *Unde non quotidie, imo raro ſacrificat Carthuſienſis ordo ; ſicut enim ſolet generari ex aſſiduitate contemptus, ſic attenditur ex ipſa raritate devotio.* Aliam rationem reddit Guido in Statutis *cap. 14.* ubi ait : *Raro hic Miſſa canitur, quoniam præcipue ſtudium, & propoſitum noſtrum eſt ſilentio, & ſolitudini vacare, &c.* Ex quibus omnibus, & ex aliis, quæ refert Martene cit. loc. patet Sacerdotes Monachos non ita frequenter olim Miſſas feciſſe, etſi nunc in omnibus Religioſorum hominum familiis ſinguli quotidie celebrare ſoleant Sacerdotes.

XVII. Rubr. *Secundum ordinem Officii*.) Procedendo ad explanationem aliorum verborum ſupradictæ Rubricæ : Miſſa regulariter debet eſſe conformis Officio, ſeu horis Canonicis, præſertim Miſſa principalis ſeu Conventualis. Dixi regulariter, quia dantur nonnullæ exceptiones, ex. gr. Sabbatis Adventus, & in Vigiliis, quæ veniunt infra Octavas, Miſſæ non correſpondent Officio, ut videbimus ſuo loco, nimirum Titulo 3. in Commentariis, & Additionibus ad illa verba Rubricæ, *Miſſa dicitur de Vigilia*. Et *Part. 4. Tit. 1.* in quo explicantur Rubricæ Miſſarum de Adventu. Ratio antedictæ conformitatis Miſsæ regulariter cum Officio videtur eſſe, quia ab Eccleſia deſtinantur ſinguli dies, vel in cultum, & honorem alicujus Sancti, vel in memoriam alicujus myſterii, & operis divini ; & conſequenter ipſa Eccleſia ordinat in eumdem finem omnes ſacras functiones cujuslibet diei, quales præcipue ſunt Officium Canonicum, & Miſſa ; ſic enim integrum cultum, & non dimidiatum exhibet illis, quos intendit colere. Hinc Miſſa, & Officium convenire debent non ſolum in ordine ad Deum ultimum finem, ſed etiam in ordine ad finem proximum, videlicet ad cultum talis Sancti, vel talis myſterii venerationem. Ubi breviter advertendum, quod quamvis Sacrificium non debeat offerri niſi ſoli Deo, ob ſupremum Latriæ cultum, quem continet ; nihilominus offertur etiam ipſi Deo in honorem Sanctorum, nempe in gratiarum actionem de illorum victoriis, ut loquitur Concil. Trid. *ſeſs. 22. cap. 3.* Itaque ſemper Deus in ſe principaliter adoratur, & colitur ; vel ut mirabilis in Sanctis ſuis ; vel ut Sanctus in omnibus operibus ſuis.

Supereſt etiam alia ratio aſſignanda dictæ conformitatis Miſsæ cum Officio, nimirum quia Officium eſt præparatio & diſpoſitio ad Miſſam ; unde in Rubricis præſcribitur, ut ſaltem Matutinum cum Laudibus præmitti debeat celebrationi Miſsæ. Diſpoſitio autem debet eſse proportionata ultimæ, & ſublimiori formæ, ad quam diſponit ; & idcirco Officium, & Miſsa regulariter debent habere conformitatem inter ſe.

XVIII. Rub. *De Feſto duplici, vel ſemiduplici*.) Juxta hæc verba ejuſdem Rubricæ : Miſsa dicitur vel de duplici, &c. vel de Dominica, vel de Feria : Ritu magis, vel minus ſolemni ob diverſa, vel inæqualia merita Sanctorum ; qui juxta Apoſtoli mentem differunt ſicut ſtellæ in claritate, ut notat Durandus *in Rat. lib. 7. cap. 1.* vel propter beneficia per ipſos in Eccleſiam collata ; unde Apoſtolus *1. ad Timoth. cap. 5. verſ. 17. Qui laboraverunt verbo & doctrina duplici honore digni habeantur*. Poteſt etiam non incongrue afferri illud ex Hymno in laudem Sancti Joannis Baptiſtæ.

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis ; duplicata quoſdam :
Trina te fructu, cumulata centum
  Nexibus ornant.

Quod alludit ad parabolam ſeminis Evangelici *Matthæi cap. 13.* producentis fructum, vel trigeſimum, vel ſexageſimum, vel centeſimum ; in aliquibus enim Sanctis eſt fructus trigeſimus, & ſimplex, cui correſpondet Officium ſimplex ; in aliis eſt ſexageſimus, & duplicatus ; cui correſpondet Officium duplex, in aliis eſt ſemiduplex, qui medio modo ſe habet pro Officio ſemiduplici. Centeſimus denique ſpectat ad meritum excelſum Sanctorum inſignium, pro quibus fit Officium primæ Claſſis. Dicitur etiam Miſsa nedum de Sanctis duplicibus, vel ſemiduplicibus, de quibus mox locuti ſumus, ſed etiam de Dominica, vel de Feria, &c. de quibus dicemus infra ſub ſuis Titulis.

Hæc collecta ſunt ex noſtro doctiſſimo P. Quarti *part. 1.* Commentariorum in primum ordinem Rubricarum Miſsalis Romani *pag. mihi 32. & ſeqq.* in Proœmio.

Novæ aliæ Additiones, & Obſervationes ad præfatam Rubricam, & Gavanti Comment. in quibus referuntur, & explicantur varia genera Miſsarum, quarum aliquæ adhuc frequentantur ; aliæ vero non ſunt amplius in uſu. Rurſus aliquæ ſunt præceptæ ; aliquæ vero tantum permiſsæ ; & aliquæ etiam ab Eccleſia proſcriptæ.

XIX. Poſtquam multa a nobis in præcedentibus Obſervationibus adnotata ſunt de Miſsæ præſertim antiquæ Sacrificio ; & iterum multa pariter dicenda remanent de hodiernæ Miſſæ partibus, veſtibus, Ritibus, & Cæremoniis : idcirco ut omnibus a nobis dicendis via ſternatur, operæ pretium ducimus brevi, & clara methodo nonnulla Miſsarum genera in his Prænotionibus Liturgicis proponere, & explanare.

Pri-

Digitized by Google

Primum Miſſarum genus, ſeu diſtinctio repetenda eſt ex parte Auctorum, aut Nationum præſertim Occidentalium, a quibus eædem Liturgiæ fuerunt inſtitutæ, ſeu frequentatæ: hujuſmodi autem ſunt Miſſa, ſeu Liturgia Romana, Ambroſiana, Gallicana, Mozarabum, ſeu Mozarabica, Africana, Hibernica, Clementina, ſeu S. Clementis, Dionyſiana, ſeu Sancti Dionyſii Areopagitæ, Patriarchina, ſeu Aquilejenſis, Illyrica, ſeu Sclavonica, Trevirenſis, ſeu Sancti Simeonis Syracuſani, Illyricana, & Bobienſis.

XX. Missa Romana eſt illa, quæ ut ſuperius diximus, Auctorem ſui præcipuum S. Petrum Apoſtolorum Principem recognoſcit, & quæ nunc eſt in uſu apud omnes fere Occidentales Eccleſias, & cujus celebrationem uno eodemque modo Latinæ peragunt Eccleſiæ. Hujus Romanæ Liturgiæ triplex ſtatus, ſeu ordo, conſiderandus occurrit, ut optime advertit Jo: Mabillon *lib. 1. cap. 2. de Liturgia Gallicana num.* 4. Unus Primigenius, qui ab Eccleſiæ naſcentis exordio uſque ad Gelaſium fuit receptus. Alter Gelaſianus, qui Auctorem, ſeu potius amplificatorem habuit Gelaſium Papam hujus nominis primum. Tertius eſt ille, qui Gregorianus dicitur, ex nomine Gregorii Magni, qui Gelaſianum ordinem coarctavit, correxit, & in meliorem formam redegit. Hic ultimus Miſſæ Romanæ ordo adhuc apud omnes fere Occidentales Eccleſias in uſu eſt. Ordo Gelaſianus, qui a tempore ſui Auctoris, uſque ad Gregorium Magnum perſeveravit, & in aliquibus Eccleſiis, ut veriſimile videtur, aliquanto poſt, deinde diu delituit; ſed tandem unicum, quod ſupererat hujus ordinis exemplar nongentis Annis vetuſtius, Romanis typis commiſſum fuit, & publici juris factum, ut ſuperius diximus ſumma pietate, & ſtudio, numquam ſatis commendati noſtri Ven. Cardin. Thomaſii. Ordo vero purus, putuſque Gelaſianus a me ille putatur, quem clariſſimus Blanchinus ſupralaudatus nuperrime vulgavit *in 4. tom.* Anaſtaſii Bibliothecarii editionis Vaticanæ, & de quo ſupra mentionem fecimus. Qualis autem fuerit primigenius hujus Romanæ Liturgiæ ſtatus, ſeu ordo, difficillime ob temporis injuriam conſtare poteſt, cum antiquior Codex, qui modo extet præfati ordinis Miſſæ Romanæ ſit Gelaſianus mox memoratus, cæteri vero perierint. Hoc unum tamen certum eſt (ut præfatus Thomaſius advertit in ſua præfatione) Romanæ Eccleſiæ Sacramentorum Codicem, qui Gelaſii olim appellatione donatus fuit, non eſſe integrum ejuſdem Pontificis opus; ſed Leoni Magno, magna ex parte, ejuſque Prædeceſſoribus Rom. Pontificibus, præſertim vero D. Petro, ut ſuperius numer. XV. commonſtravimus, ceu primo Conditori, qui ejuſdem ordinis prima fundamenta jecit, tribuendum eſſe. Qui plura de Romanæ Liturgiæ origine, Ritibus & ordine ſcire deſiderat, adire poterit Card. Bona *de Rebus Liturgicis lib. 1. cap. 7. & 8.* Mabillon. *de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 2. §. 4. 5. & 6.* Grancolas *de antiquis Liturgiis pag.* 400. Le Brun *tom. 2. diſſert. 2. art. 3.* Edmundum Martene *lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus art.* 51. in quo expoſitionem Miſſæ Romanæ ante Annos nongentos ſcriptam refert.

XXI. Missa, seu Liturgia Ambrosiana, & quæ etiam Mediolanenſis dicitur, eſt illa, quam VValafridus Strabo ante Annos octingentos *lib. de Rebus Eccleſ. cap.* 22. D. Ambroſio Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtiti adſcribit his verbis: *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, tam Miſſæ, quam cæterorum diſpoſitionem Officiorum ſuæ Eccleſiæ, & aliis Liguribus ordinavit; quæ & uſque hodie in Mediolanenſi tenentur Eccleſia.* Joſeph vero Vicecomes *lib. 1. de Ritibus Miſſæ cap.* 22. tueri conatur Ritus Eccleſiæ Mediolanenſis a Sancto Barnaba Apoſtolo inſtitutos fuiſſe, a B. Miroclete juxta Apoſtolicam inſtitutionem auctos, a Beato vero Ambroſio eoſdem Ritus illuſtratos, amplificatos, & meliorem in ordinem redactos; ideoque Ambroſianus poſt ejus obitum vocitari cœpiſſe. In eandem ſententiam videtur abire Le Brun *tom. 2. diſſert. 3. art.* 1. in quo erudite diſſerit de Hiſtoria hujus Liturgiæ. Primæ tamen Strabonis ſententiæ conſentit Mediolanenſis Eccleſia, & totius Italiæ traditio, a qua ſine evidenti ratione, ut ait Card. Bona, recedendum non eſt. Verum quicumque talis Liturgiæ Inſtitutor fuerit, id pro certo habendum eſt etiam ipſam fuiſſe mutationibus obnoxiam, ut colligi poteſt ex diverſis Miſſalibus illius Eccleſiæ, diverſis temporibus editis, nempe An. 1560. juſſu Sancti Caroli Mediolanenſis Archiepiſcopi; Anno 1594. juſſu Gaſparis præfatæ Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopi; & Anno 1640. juſſu Cæſaris Montii ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi, & S. R. E. Cardinalis; & recentiſſime Anno 1712. moderante præfatam Eccleſiam Joſepho Archinto S.R.E. Cardinali. Prædictorum Rituum diverſitatem, & mutationem referunt Edmundus Martene *lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus Ordine III.* necnon laudatus Le Brun, cit. loc. Ordo antiquus vero præfatæ Miſſæ Ambroſianæ in lucem editus fuit a Pamelio inter ſua Liturgica Latinorum, Anno 1571. Rurſus præter mox allegatos Auctores de Ritibus, ordine, & Hiſtoria hujus Miſſæ, tractant Mabillon, *lib. de Liturgia Gallicana cap. 3. n. 8.* Grancolas *de Antiquis Liturgiis a pag. 77. uſque ad pag.* 400. Card. Bona *lib. 1. de Rebus Liturg. cap.* 10. Beroldus, qui floruit circa Annum Domini 1123. in ſuo Opere MS. quod caute aſſervatur in Archivio ejuſdem Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ, & de quo mentionem faciunt Joannes Petrus Puricellus *in ſua eruditiſſima Diſſertatione Nazariana cap. 97.* Le Brun, & Vicecomes loc. ſupracit. De myſtico ſenſu Rituum Ambroſianorum librum edidit Carolus Settala Epiſcopus Tortonenſis idiomate Italico. Rationale vero Cæremoniarum ejuſdem Miſſæ Ambroſianæ, & modum eam celebrandi edidit Petrus Caſola Canonicus Mediolanenſis Eccleſiæ.

XXII. Missa, seu Liturgia Gallicana eſt illa, quæ in Galliis ante Pipinum, & Carolum Magnum uſitata erat. Non unam tamen tantum, ſed plura, & diverſa fuerunt exemplaria Gallicanæ Liturgiæ; ſed idem in omnibus ſervabatur ordo precum, licet Orationes diverſæ legantur; unde liquet prædictarum Liturgiarum, non unum, & eundem fuiſſe Auctorem, ſed plane plures; qui quidem, ut ait Mabillon, adhuc ſunt ignoti etiam apud ſolertiores Rerum Antiquarum Inveſtigatores. Sed puto memoratum Mabillon locutum fuiſſe de Liturgiis, quæ modo extant; de aliis enim quæ temporis injuria perierunt, aliter dicendum eſſe crediderim: nam D. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum tribuit Sancto Hilario Pictavorum Epiſcopo quemdam Miſſæ Ordinem, ſeu Liturgiam; de eo enim S. Antiſtite ait: *Eſt ejus & liber Hymnorum, & liber Myſteriorum alius*, ubi pro Myſteriorum libro Codicem Liturgicum, ſeu Miſſale debere intelligi fateri compellitur quicumque Miſſam a priſcis Scriptoribus Myſterium nuncupatam fuiſſe non ignorat, ut alibi diximus. Gennadius pariter Maſſilienſis in Catalogo Scriptorum Illuſtrium tradit Voconium Caſtellani Mauriteni Oppidi Epiſcopum compoſuiſſe, præter alios libros, etiam Sacramentorum egregium volumen. Idem Gennadius adſtruit; Muſæum Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyterum, hortatu Sancti Venerii Epiſcopi multos exaraſſe libros, inter quos Sacramentorum egregium, & non parvulum volumen, cujus nomine liber Miſſalis intelligendus eſt, & hoc ex ipſo Gennadio ſatis eruitur: ex Concilii quoque Rhemenſis verbis idem magis commonſtratur apud Burchardum *lib. 3. cap.* 97. ubi legitur: *Expleta Miſſa, Codex cum Patena, & Sacramentorum liber cum veſtibus Sacerdotalibus ſub ſera recondantur.* Præfatis Auctoribus calculos ſuos addunt Joſeph Vicecomes *volum. 4. de Miſſæ Apparatu lib. 7. cap.* 19. necnon Bocquillot *in ſuo Tract. Hiſt. de Sac. Liturg. lib. 1. cap.* 9. qui etiam ſubnectit Gregorium Turonenſem *lib. 1. Hiſtoriæ cap.* 11. mentionem facere de quodam Miſſali a Sidonio compoſito, cui ipſe quamdam præfationem adjecerat. Liturgiam Gallicanam a Romana fuiſſe diverſam, nemo eſt, qui in dubium revocare poſſit: ſicut etiam exploratiſſimum eſt veteres Liturgias, & Ritus in Gallicanis Eccleſiis abrogatos, & Romanos loco illorum introductos fuiſſe ante Annum Chriſti octingenteſimum, Carolo Magno in Galliis imperante, qui Sancti Gregorii Sacramentarium a Romana Eccleſia adhibitum recepit ab Hadriano PP. I. & Capitulare edidit, quo præſcripſit, ut in poſterum Gallicanæ Eccleſiæ ordine Romano uterentur in celebrandis Divinis Myſteriis: & hæc Liturgiæ Gallicanæ in Romanam mutatio tanta conſenſione univerſæ Galliæ Eccleſiarum facta eſt, ut regnante Carolo Calvo præfati Magni Nepote, Liturgiæ, & Gallicanorum Rituum notitia penitus in omnium mente deleta eſſet. Non obſtante tamen tanto Gallorum neglectu, & tanti temporis intervallo elapſo ab octavo Sæculo, uſque ad Annum 1680. tandem tria Miſſalia Gallicana, Romæ in lucem emiſſa fuere a ſupra laudato Card. Thomaſio. Primum ab eodem inſcriptum fuit, Miſſale Gothicum, ſeu Gallicanum vetus; ſecundum vero Miſſale Francorum; tertium denique Miſſale Gallicorum vetus; redditque rationem clariſſimus editor in ſua præfatione, ob quam prædictis appellationibus adnotaverit mox memorata tria ſacra volumina. Hæc tria Miſſalia Gallicana, Pariſiis Anno 1685. recuſa fuere, una cum Lectionario Gallicano, tunc ſolum primum edito, accedente diſquiſitione de Curſu Gallicano, necnon eruditiſſimis notis, & obſervationibus: & omnia hæc, opera & ſtudio celeberrimi Viri Joannis Mabillon, qui pariter quartam edidit Miſſam Gallicanam, quæ reperitur in primo Tomo ſui Muſæi Italici. De præfatis Gallicanis Liturgiis ſatis erudite tractat mox laudatus Mabillon in præfato ſuo volumine de Gallicana Liturgia; Cardinalis Bona *lib. 1. de Rebus Liturgicis cap.* 11. Card. Thomaſius *in præfatione ſuorum Codicum Sacramentalium*; Le Brun *tomo 2. diſſert.* 4. Grancolas *de antiquis Liturgiis a pagina 319. uſque ad pag.* 360. Martene *lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus c. 3. art. 1. n. 9. & ſequentibus*, & Joſeph Vicecomes *de Miſſæ Ritibus lib. 2. c.* 7.

XXIII. Missa Mozarabum, seu Mozarabica eſt illa, qua olim Hiſpania, & vicinæ Regiones utebantur: antiquum Hiſpanum Officium fuit etiam *Gothicum* appellatum, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi ibidem dominabantur, *Mozarabicum* pariter vocitatum fuit, quia cum Arabes Sæculo octavo Hiſpaniam pene omnem occupaſſent, Chriſtiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo *Mozarabes*, id eſt mixti Arabibus, dicti ſunt. Cardinalis Baronius ad Annum 1063. prædicti Mozarabici Officii Auctorem fuiſſe putat Iſidorum Hiſpalenſem, qui profecto ſi non ab initio

justi-

Digitized by Google

inſtituit, ſaltem amplificavit, & illuſtravit; plures etenim alios Mozarabicæ Liturgiæ manus admoviſſe aſſerit Martene *lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 2. artic. 1. num. 12.* Rurſus de Inſtitutione, Ritibus, & ordine ejuſdem Miſſæ Hiſpanicæ, ſeu Mozarabicæ ſermonem habent Vaſcus in Chronico, & ex illo Pamelius *tom. 1. ſui Liturgicon. Eccleſiæ Latinæ:* Card. Bona *lib. 1. cap.* 51. Grancolas *de antiquis Liturg. pag.* 309. Le Brun, *tom. 2. diſſert.* 5. Mabillon *lib. 1. de Liturg. Gallicana cap. 2. n.* 9. & recentiſſime Joannes Pinius Societatis Jeſu, qui eruditiſſimum edidit Tractatum Hiſtorico-Chronologicum de hac Mozarabica Liturgia, eumque adtexuit ad Tomum VI. menſis Julii Antuerpiæ impreſſum Anno 1729. ſua, aliorumque PP. Societatis cura, & ſtudio, qui Acta Sanctorum, inhærendo Bollandi, & Henſchenii veſtigiis ſapientiſſime, & Univerſo plaudente Orbe deſcribunt. Ante præfatos omnes tamen de hac Liturgia Mozarabica tractavit Alvarus Gomecius *lib. 2. de Rebus geſtis a Card. Ximenio Archiepiſcopo Toletano.* Antiquum Mozarabicum Officium, quamvis a Viris Sanctis, & Orthodoxis compoſitum fuerit, Hiſpania tamen ab Infidelibus devaſtata, ita erroribus refertum erat, ut Elipandus Toletanus Epiſcopus ex ipſis Officiis depravatis plura acceperit teſtimonia ad ſuam hæreſim, de Filiatione Dei adoptiva in Chriſto Domino adſtruendam, ut aſſerit Albinus Flaccus in libro adverſus *eundem* Elipandum. Officium Mozarabicum viguit in Hiſpania, & in Gallia Narbonenſi, aliiſque Gothorum Regionibus, donec Alexandri II. Papæ auctoritate paulatim abrogari cœpit, ejuſque loco Romanum ſubſtitui. Anno vero millesimo ſexageſimo tertio, quo Remirus, ſeu Ranimirus in Aragonia regnabat, congregata eſt Jaccæ in eodem Regno Synodus, in qua agente Remiro abrogatum eſt Officium Gothicum, ſeu Mozarabicum, & loco illius Romanum admiſſum, ut oſtendit Antonius Pagius *in ſuis eruditiſſimis Adnotationibus Baronianis ad Annum* 1060. *n.* 2. Sanctus Gregorius VII. eodem Anno, quo in Cathedra Apoſtolorum Principis adſcitus fuit, nimirum *A. D.* 1073. cogitavit de penitus abrogando in tota Hiſpania Officio Mozarabico, & Romano inducendo. Hanc in rem Hugonem Cardinalem illum ipſum, qui Alexandro II. miſſus fuerat in Hiſpaniam iterum deſtinavit, qui ſtatim in Aragoniam cum quibuſdam Monachis Cluniacenſibus perrexit, & Epiſcopos apud Sanctum Joannem Penatenſem congregavit. Epiſcopi itaque ordinem Officiumque Romanum jam antea a Sancio Ramiro Aragoniæ Rege, & eodem Hugone Card. Legato, in quædam loca introductum, Anno milleſimo ſeptuageſimo tertio Monachorum Cluniacenſium opera recepere. Totum id liquet *ex epiſtola 63. lib. 1. Regiſtri Gregoriani*, in qua Gregorius VII. Sanctium Ramirum de ejuſdem Romani Officii admiſſione gratulatur. Verum quamvis ab Aragonenſibus fuerit facile admiſſum Officium Romanum, promovente Sanctio Rege hujus nominis Primo; majori tamen cum difficultate ab aliis Hiſpaniarum Regibus admiſſum fuit, licet ab Alphonſo Legionis, & Caſtellæ, & a Sanctio Navarræ Regibus id petiiſſet Gregorius VII. ut liquet *ex ejus epiſt. 64.* ejuſdem lib. 1. data 14. Kalend. April. Indict. 12. (ideoque eodem Anno quo prior) qua Pontifex utrumque Regem hortatur, ut demum Romanam Eccleſiam, ceu Matrem recognoſcant, ejuſdem Ordinem, & Officium recipiant. Sed illud receptum non fuiſſe in iiſdem Regnis ante Urbani II. tempora, nempe ante Annum 1088. probare contendit Franciſcus Pagius *in ſuo Breviario Pontificum Romanorum, &c. tom. 2. in Urbano II. num.* 8. Quamvis prædicto tempore, & curantibus præfatis Pontificibus in omnibus Hiſpaniæ Regnis, Ordo Mozarabicus jam deſciviſſet, & loco illius fuerit introductus ordo Romanus; nihilominus Mozarabicum Officium iterum inſtauravit in Hiſpania mox memoratus Card. Ximenes, qui Anno 1500. Miſſale Mozarabicum Toleti excudi mandavit, & inſtituit Sacerdotum Collegium, qui quotidie Divina Officia, & Miſſarum ſolemnia, uſque in hodiernum diem, ſervato Ritu Mozarabico, in quinque Paræciis, & in Sacello a præfato Cardinali ædificato in majori Eccleſia Toletana celebrant. In prædicto Miſſali juſſu Cardinalis Ximenes evulgato aliqua, imo multa adjecta ſunt, quæ in antiquo Miſſali Mozarabico profecto non reperiebantur, nec reperiri potuerunt, ut obſervat Petrus Le-Brun *tom. 2. ſuarum explicat. diſſert. 5. poſt art. 3. pag.* 332. neque id diffitetur Cardinalis ipſe Ximenes, qui in Epiſtola dedicatoria ſincere affirmat nonnulla veteri Mozarabico Ritui ex Romano ſe addidiſſe; nonnulla a veteri expunxiſſe. Duo tam Miſſalis Mozarabici, quam Breviarii exemplaria, quamvis rariſſima ſint, hic Romæ vidimus; unum in Bibliotheca Corſina, quam Clemens XII. feliciter Regnans mirum in modum auxit, locupletavitque; alterum in Bibliotheca Cardinalis de Alteriis. Hæ ſunt quatuor celebriores Liturgiæ, quæ in Eccleſia Occidentali frequentatæ fuere, & quæ Gallicana excepta, adhuc in aliquibus Eccleſiis frequentantur, ut liquet de Miſſa Mozarabica, & Ambroſiana; quarum prima, ut mox diximus, in aliquibus Paræciis, & Sacello Eccleſiæ Toletanæ; ſecunda vero in Eccleſia Mediolanenſi celebratur: Romana autem, ſeu Gregoriana nunc apud omnes Occidentales Nationes in uſu eſt. Miſſa enim PP. Prædicatorum, & huic ſimiles Carthuſienſium, & Carmelitarum aliæ a Gregoriana abſolute cenſendæ non ſunt, nec ob pauca, in quibus ab illa differunt, diſtinctæ Liturgiæ ſunt appellandæ, ut oſtendit Marcellus de Cavaleriis *in Statera Sacra ſit. Præliminari* 2. *num.* 30. *& ſeqq.* & conſentire videtur etiam Cardinalis Bona *lib. 1. cap. 7. num.* 5.

XXIV. Miſſa Africana eſt illa, quæ antiquitus apud Africanos Chriſtianos in uſu erat, a Romana profecto diverſa, quamvis Africanas Eccleſias ſicut in Fide, ita & in Ritibus cum Romana primis Eccleſiæ Seculis conveniſſe, aperte colligatur ex Cypriano, Optato Milevitano, & Auguſtino; præſertim vero Tertulliano hanc veritatem reſtante *libro de Præſcriptionibus Hæreticorum* illis verbis: *Videamus Romana Eccleſia quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis Eccleſiis conceſſerit*; & *libro de Jejunio*, ubi Romanum Pontificem alloquitur: *Vide quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Iſta ſolemnia, quibus tunc præſens patrocinatus eſt ſermo, nos quoque in diverſis Provinciis fungimur, in ſpiritum invicem repræſentati; lex eſt Sacramenti.* Quod autem eædem Africanæ Eccleſiæ poſtmodum ab eadem Romana diſcreparint quoad Ritus in Officiis perſolvendis, & in ſacris operandis; Sacrificii tamen ſubſtantiam, quæ Rituum diverſitate non labefactatur, inconcuſſam permanſiſſe, exploratum omnibus eſt. Et equidem Marius Victorinus Afer *lib.* 1. adverſus Arium citat ſententiam hauſtam ex Liturgia Africana, quæ in ordine Romano non reperitur. *Sicut*, inquit, *& in oblatione dicitur: Munda ſibi Populum circumvitalem æmulatorem bonorum operum circa ſuam ſubſtantiam venientem.* Ita pariter Fulgentius Ruſpenſis in fragmentis editis a Sirmondo *cap. 14. in epiſtola prima ad Corinth.* affert quoddam teſtimonium Liturgiæ Africanæ, quod in Romana non extat. Ex quibus, & ex aliis conjecturis ſuſpicatur Cardin. Bona *lib. 1. cap. 7. §.* 3. Ritum Africanum tunc conveniſſe cum Mozarabico. Ita pariter Jacobus a Vitriaco *lib. de Hiſtoria univerſali cap.* 81. in eandem venit ſententiam, dicendo: Chriſtianos, qui in Africa, & Hiſpania ſuo tempore, ideſt Sæculo XIII. verſabantur, Mozarabes nuncupatos, eadem Liturgia uſos fuiſſe. Verum ex Iſidoro Hiſpalenſi *lib. 1. de Divinis Officiis c.* 13. & ex D. Aug. *ſerm.* 227. Mabillon. *lib. 1. de Liturgia Gallicana c. 2. §.* 13. eruit apud Africanos antiquum Liturgiæ Ritum diverſum fuiſſe etiam a Mozarabico. De prædicta Africana Miſſa, ſeu Liturgia, præter mox laudatum Mabillon, mentionem pariter faciunt Grancolas *a pag. 262. uſque ad pag.* 299. necnon Joſeph Vicecomes *lib. 2. de Miſſæ Ritibus c.* 3. & Card. Bona *lib. 1. Rerum Liturgicarum c. 7. n.* 3.

XXV. Miſſa Hibernica eſt illa, quæ antiquitus apud Hibernos, & Britones in uſu fuit. Ritus hujus Miſſæ qualis fuerit, non plane compertum eſt; modum tamen ſacrificandi talium Populorum a Romano diverſum fuiſſe, colligi poteſt ex D. Bernardo *in lib. de Vita Malachiæ c. 3. & 8.* ubi Malachias barbaras conſuetudines dictarum Gentium abrogaſſe, & Romanos Ritus introduxiſſe, necnon Canonicum Divinæ Laudis Officium invexiſſe in illas Eccleſias memoratur. Quæ pauca colligere potui ex Mabillon *lib. 1. c. 2. de Liturgia Gallicana n.* 14. qui ſolus inter Auctores Liturgicos de præfata Hibernica Liturgia brevem hanc mentionem facit.

XXVI. Miſſa Clementina, ſeu S. Clementis Liturgia eſt illa, quæ reperitur *in lib. 8. Conſtit. Apoſtolicarum*, & quæ Clementis Romani Pontificis, & Apoſtolorum Diſcipuli nomen præſefert. De hac Liturgia teſtimonium perhibet S. Proclus Archiep. C. P. *in Tractatu de Traditione Divinæ Miſſæ*, ubi in principio ait: *Multi quidem, & alii Divinæ Eccleſiæ Paſtores, & Doctores, qui Sanctis ſucceſſerunt Apoſtolis, ſacroſanctæ Miſſæ editionem ſcriptis demandantes tradiderunt Eccleſiæ, quorum primi, eique præclariſſimi cenſentur, B. nimirum Clemens ſummi illius Apoſtolorum Principis Diſcipulus, & Succeſſor, qui ſacris Apoſtolis ei dictantibus, illa edidit.* Hæc S. Proclus, interprete doctiſſimo Viro Vincentio Riccardo, qui in ſuo Commentario ad prædicta verba. Sanctiſſimo Antiſtiti, & Doctori ſubſcribit, dicendo: *In primis* (nimirum B. Clemens) *ſacrificandum Ritum Cæremoniaſque ſcriptis demandavit, ut videre eſt lib. 8. Conſtit. Apoſtolicarum*: & in patrocinium ſui aſſumpti advocat auctoritatem Marci Epheſ. in expoſit. Miſſæ dicentis: *Nam in Liturgia Sanctorum Apoſtolorum a Clemente conſcripta.* Qui paucis interjectis ſubdit: *Hæc quidem Divi Apoſtoli per B. Clementis ſcriptionem Eccleſiæ tradiderunt.* Card. vero Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis Anno 92. loquens de hac Clementina Liturgia ait: *De S. Clementis Liturgia idem fere dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Jacobi, eam vere Clementis eſſe, ſed a poſterioribus auctam*; & paucis interjectis ſubnectit: *Meminerunt Liturgiæ S. Clementis Proclus Patriarcha C. P. lib. 7. de Traditione Divinæ Miſſæ; & Nicolaus Epiſcop. Methonenſis in libro de Veritate Corporis Chriſti; necnon Beſſarion Card. in lib. de Sacram. Euchariſtiæ.* Labæus vero *in ſua Diſſert. Hiſtorica* ſuper eodem Auctore, & de eadem Liturgia loquens ait: *Non eſt quod quidquam modo addam iis, quæ Eminentiſſimi doctrina, ac pietate, Cardinales Baronius, & Bellarminus aliqua jam obſervarunt.* Hæc Labæus, qui adhærere videtur huic ſententiæ, quam pariter tradidit, ut ipſe fate-

tur, ſapientiſſimus Cardin. Baronius ad Annum 102. *num.* 13. In eamdem ſententiam deſcendit pariter Aanatus *lib.* 4. *art.* 6. *n.* 7. ſui Apparatus ad Theologiam Poſitivam. Quapropter etiamſi libri octo Apoſtolic. Conſtitutionum, qui Clementis nomine decorantur, ſint ſuppoſititii, ut opinantur præfati Bellarminus, & Annatus; non inde ſequitur ſuppoſititiam pariter eſſe dictam Liturgiam Clementis nomine inſignitam, & quæ dictis Conſtitutionibus inſerta reperitur. Alii tamen Scriptores, qui negant Clementem Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctorem eſſe, ab eo pariter abjudicant Miſſam, quæ pars illarum notabilis eſt: ſed quidquid ſit de Auctore talium Conſtitutionum, liquet jam quod etiam illi, qui eas tamquam ſuppoſititias rejiciunt, Liturgiam tamen B. Clementis in illis contentam veluti genuinam admittunt. Præterea etiamſi eadem ſententia ferenda eſſet de hac Clementis Liturgia, ac de Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuo nomine inſcriptis; certum tamen apud omnes, & exploratum nunc eſt, ut ait Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. c.* 8. *n.* 4. quod ſi ab Apoſtolis immediate dictatæ non fuerunt, Concilio tamen Nicæno antiquiores ſunt, & in illis continetur Diſciplina Eccleſiaſtica, qua Orientalis Eccleſia ſub Ethnicis Imperatoribus ante Magnum Conſtantinum regebatur, ut eruditiſſimus Vir Joannes Morinus docet *part.* 2. *de ſacris Ordinationibus pag.* 20. cui adſtipulatur Joannes Fronto *in Prænotatis ad Kalendarium Romanum* §. 5. Petrus de Marca *lib.* 5. *Concordiæ c.* 2. Auctorem præfatarum Conſtitutionum ſaltem Sæculo tertio floruiſſe tradit, idque omnibus hodie perſuaſum eſſe adſtruit. Firmum igitur remanet, quod Miſſa Clementis nomine inſcripta, ſi non genuinus fœtus dicti Pontificis, ſaltem antiquiſſima eſt: & ſi non præciſe ab Apoſtolis tradita, ac ab eorum ſucceſſoribus aucta, ſaltem ut a Patribus ſecundi, vel tertii Sæculi uſurpata admittenda eſt; & ideo ejus teſtimonio doctiſſimus Card. Bona frequenter utitur.

XXVII. Missa Dionysiana eſt illa, quam D. Dionyſius Areopagita tradit *cap.* 3. *Eccleſ. Hierarchiæ*: quæ quidem Liturgia a pluribus tanquam Apoſtolica cenſetur; quia ſi Dionyſius Auctor talis Liturgiæ vere fuit Areopagita Athenarum Epiſcopus, & S. Pauli Diſcipulus, conſentaneum profecto eſt Sacrificii Ritus, & Cæremonias ab eo Apoſtolo accepiſſe, a quo Chriſtianis Dogmatibus, & Evangelica Doctrina imbutus fuerat. Idcirco autem nos hoc loco hujus Liturgiæ mentionem facimus, tamquam Occidentalis, quia de eodem Sancto Dionyſio fertur fuiſſe Pariſiorum Antiſtitem, primumque omnium, qui in Galliam Chriſtianam Fidem invexerit; quo admiſſo profecto ibidem ſua Liturgia uſum fuiſſe denegandum non eſſet.

Verum duo ſuboriuntur dubia, quorum primum eſt: utrum opera, quæ ſub Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur, ſint ipſius vere genuina, aut alterius ab eo longe recentioris, & quinti Sæculi, Auctoris. Alterum vero dubium eſt, utrum Dionyſius Areopagita, de quo nunc agimus, fuerit vere Pariſiorum Antiſtes. Primi inter Græcos, qui talia opera tanquam Dionyſii Areopagitæ propria cum ipſius laude citarunt, fuere Leontius *lib. de Sectis, Act.* 3. *& lib.* 2. *contra Neſtorium, & Eutichetem*: & Anaſtaſius Sinaita *lib.* 7. *Anagogic. Contemp. in Hexameron.* Præterea certum eſt ejuſdem Areopagitæ, ſuorumque operum primam mentionem factam fuiſſe in collatione habita Conſtantinopoli in Palatio Juſtiniani Imperatoris, Anno 532. inter Catholicos, & Severianos, ſive Acephalos, in collatione ſecundæ diei: & quamvis in eo congreſſu, utpote ab Hæreticis citata, tanquam ſpuria ab Orthodoxis rejecta fuerint, nihilominus poſtea præmiſſo maturo examine, agnoverunt eorumdem operum ſanam, & admirabilem doctrinam, eamque libenter admiſerunt, & tributum Areopagitæ nomen Auctori nunquam deletum fuit. Inter Latinos autem Auctores, primus, qui præfatos libros tanquam Divi Dionyſii genuinos citavit, fuit Sanctus Gregorius Magnus *Homilia* 34. cui plures alii deinde adſtipulati ſunt. De eorumdem librorum Auctore nulla agitabatur quæſtio, quæ poſtea excitata fuit a Criticis ſeptimi, vel octavi Sæculi, quorum argumentis ſatisfecit Theodorus relatus a Photio *Cod.* 1. *Sed utinam* (ait Cardin. Bona *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 5. ex quo hæc collegimus) *aut ille extaret, aut epitomen reſponſionum ejus Photius excerpſiſſet, forſitan enim ſolidas Dionyſii vindicias haberemus.* Sapientiſſimus Card. Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad Annum* 71. prædicta opera Divo Dionyſio Areopagitæ pariter adjudicat, & congerit nonnullos antiquos Romanos Pontifices ultra Gregorium Magnum, necnon aliqua Concilia, quorum auctoritate ſuam comprobat ſententiam. Poſt Bellarminum vero nonnulli alii etiam primi ſubſellii Auctores, nimirum Baronius, Del Rio, Haloixius, Sauſſay, Menardus, Emmanuel a Schelestrate, Natalis Alexander, Petrus Annatus, & recentiſſimus Cardinalis Cozza, aliique in ejuſdem vulgaris, & communis ſententiæ patrocinium ſcripſerant contra Eraſmum, Laurentium Valla, Blondellum, Dallæum, Gulielmum Cave, Cocum, Rivetum, alioſque Hæreticos; necnon contra Morinum, Launojum, & alios paucos Catholicos, qui pariter in contrariam ſententiam abierunt.

Quoad aliud dubium, nimirum utrum Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus fuerit hic Areopagita, & antea Athenienſis Antiſtes a S. Clemente in Galliam miſſus ad annuntiandum Chriſti Evangelium; vel utrum Dionyſius Pariſienſis in Gallias directus a S. Clem. primo Eccleſiæ Sæculo fuerit alius ab Areopagita: rurſus, utrum ad medium Sæculum tertium hujus Dionyſii miſſio referenda ſit, ut ſuſtinent nonnulli cum Gregorio Turonenſi; eſt gravis controverſia Sæculo ſuperiori a Viris eruditis diſcuſſa, cujus hinc inde allata argumenta legi poſſunt in Diſſertatione Hiſtorico-Critica Franciſci Pagii, quam Antonius Pagius ejuſdem Nepos præfixit *Tom.* 4. *Breviarii Hiſtorico-Chronologici Romanorum Pontif.* Videri pariter poſſunt ea, quæ adnotantur a Franciſco Maria de Aſte ex noſtra Congregatione Archiepiſcopo Hidruntino in ſuis eruditiſſimis Diſceptationibus in Romanum Martyrologium, 7. Idus Octobris, ubi quæſtionem hanc inſtituit, & ſuo more erudite pertractat. Præterire non debeo Hilduinum Abbatem Monaſterii Sancti Dionyſii in ſuo opere inſcripto: *Areopagitica*, ſeu *de Rebus geſtis, paſſione, & ſcriptis Sancti Dionyſii Areopagitæ*, fuiſſe in ſententia Dionyſium Pariſienſem, Athenis primum fuiſſe Epiſcopum, ipſumque ſubrogato ſibi alio Epiſcopo, Romam profectum eſſe, indeque a Sancto Clemente PP. in Gallias directum fuiſſe, ubi poſtquam aliquot Annos Pariſienſem rexit Eccleſiam, martyrio coronatus eſt. Hanc ſuam ſententiam eruit Hilduinus, non ſolum ex Actis Sancti Dionyſii a Viſbio teſte illius martyrii oculato conſcriptis, quæ vetuſtate pene abſumpta, ab interitu vindicavit in ſuis Areopagiticis; ſed etiam ex antiquis libris Miſſalibus ab eo in epiſtola ad Ludovicum Pium memoratis. Hilduino adhæret Natalis Alexander *in ſelectis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Capitibus tom.* 1. *diſſert.* 13. ubi probat Sanctum Dionyſium Pariſienſem non eſſe ab Areopagita diſtinguendum.

Noſtri inſtituti ratio non patitur has duas quæſtiones ex profeſſo diſcutere, & ingenii tenuitas pariter non permittit præfatas controverſias a Viris doctiſſimis agitatas, propoſitis hinc inde gravibus difficultatibus dirimere, & componere. Satis igitur erit eorumdem opiniones, & oppoſitas ſententias innuiſſe, ut oſtendatur a nobis fundamentum, cui innixi, præfatam Liturgiam inter Occidentales, ſaltem opinando, & ſub dubio recenſeri poſſe credimus; quia Dionyſium Areopagitam (ſi vere is fuit talis Liturgiæ Auctor, & Pariſienſis Antiſtes) legitime inferri poſſet, ut diximus, eandem Liturgiam in tali Eccleſia introduxiſſe.

XXVIII. Missa Patriarchina, seu Aquilejensis eſt illa, quæ antiquitus in uſu fuit apud Eccleſiam Aquilejenſem Metropoliticam, & Patriarchalem. De hac Liturgia, & de Ritibus particularibus antedictæ Eccleſiæ ſcribit Walafridus Strabo *de Divinis Officiis cap.* 25. ubi hæc habet: *Traditur ſiquidem Paulinum Forojulienſem Patriarcham ſæpius, & maxime in privatis Miſſis circa immolationem Sacramentorum Hymnos vel ab aliis, vel a ſe ipſo compoſitos, celebraſſe. Ego vero crediderim, tantum, tantæque ſcientiæ Virum, hoc, nec ſine auctoritate, nec ſine rationis ponderatione feciſſe.* Ughellius pariter in ſua Italia Sacra *Tom.* 5. *pag.* 24. edit. Rom. hanc eandem veritatem confirmat, & *pag.* 235. enarrat: *Quod Comenſis Eccleſia uſque ad Annum* 1598. *proprio canendi Ritu, ut vocant, honoris gratia Patriarchinum, quem poſtea Clemens VIII. ſuſtulit, Romano inducto uſa eſt; quæ omnia videntur teſtari a S. Hermagora, Comenſes fuiſſe inſtitutos in fide, illorumque paſtorem Aquilejenſi, tanquam Metropolitano, fuiſſe ſubjectum.* In Archivio antedictæ Cathedralis Comenſis conſervatur adhuc Breviarium Patriarchinum nuncupatum ſecundum uſum Eccleſiæ Comenſis correctum, & auctoritate Apoſtolica approbatum, die 21. Octobris 1583. & copia hujus approbationis profertur a Le Brun *Tom.* 2. *in Appendice*; quæ eſt *poſt tertiam Diſſertationem* §. 2. ubi pariter aſſeverat ſe omnem diligentiam adhibuiſſe, ut inveniret Codicem Liturgiæ Patriarchinæ; ſed voti ſui compos fieri nequivit. Ego vero exemplar unum typis traditum Miſſalis Patriarchini vidi apud doctiſſimum Virum Bernardum Mariam de Rubeis Ordinis Prædicatorum ab ipſo ſumma cautela cuſtoditum. De hac Aquilejenſi, ſeu Miſſa Patriarchina, cujus Ritus perduravit uſque ad finem Sæculi XIV. ut innuimus, nullus alius fuſius ſcribit, quam mox memoratus Le Brun loc. cit. & deinde in quadam additione, quam perhibet poſt §. 2. 2. *art. diſſert.* 9. De hac etiam Liturgia nonnulla quamprimum edet in notis ad libros rerum Liturgicarum Card. Bona Vir clariſſimus D. Rubertus Sala Ord. Ciſterc. Congregationis Reformatæ.

XXIX. Missa seu Liturgia Illyrica eſt illa, qua utuntur Roxolani, ſeu Moſcovitæ, qui quamvis ab Epiſcopo quodam Greco, & Schiſmatico a cultu Idolorum ad Chriſti Fidem converſi fuerint, ab eodemque Græcorum Ritus acceperint; ſermone tamen Illyrico in ſuis Officiis utuntur. Eadem lingua, ut tradit Cardinalis Bona *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 4. in uſu eſt apud Chriſtianos Tartaros circa Tauricam Cherſoneſum; apud Circaſſos, & quaſdam Ponticas Nationes, itemque in Servia, Miſſia, Boſnia, Bulgaria, Ruſſia Minori, Regis Poloniæ ſubjecta; in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lithuaniæ, & in aliis finitimis Regionibus, in quibus Græci Ritus pariter vigent. In Iſtria vero, in Liburnia, & in Dalmatia Littorali, Miſſa & alia Officia lingua pariter Illyrica, ſeu Sclavonica celebrantur, ſed ſervatur ibidem Ritus Romanus. Uſus talis linguæ in ſacris Eccleſiæ functionibus cœpit Sæ-

ſæculo

culo nono, quo Moſcovitas Chriſtianæ Raligiooi nomen dediſſe ſub Imperio Baſilii Macedonis oſtendit Baronius in Appendice *Tom. VII. de Ruthenis a Sede Apoſtolica receptis*: alii tameo id ſerius contigiſſe opinantur, nimirum vertente Sæculo decimo, imperantibus Baſilio Juniore, & Conſtantino. Verum negari non poteſt quin ante prædictum tempus, nempe ante Anoum 872. ab Hadriano PP. Moravis permiſſum fuerit, ut lingua Sclavonica in Miſſis, & Officiis uterentur, ut tradit in Vita Sancti Cyrilli, & Sancti Methodii Bollandus. Rurſus hanc eandem facultatem Divina Officia, & Miſſam Sclavonica lingua celebrandi Moravis, ab Hadriano II. conceſſam, confirmavit Joannes PP. VIII. Anno 880. *epiſt.* 847. ad Sfentopulcrum Moraviæ Comitem data, quæ refertur a Baronio eodem Anno. In eadem tamen epiſtola dictus Pontifex ſtatuit in omnibus Eccleſiis terræ Moravorum, propter majorem honorificentiam, quod Evangelium Latinæ legeretur, & poſtmodum Sclavonica lingua tranſlatum, in auribus Populi latina verba non intelligentis, annuntietur.

Eandem, Sclavonica lingua, Miſſam, & Officium Divinum celebrandi licentiam confirmavit etiam Innocentius IV. Ann. 1248. cujus epiſtola, ad quemdam in Sclavonia Epiſcopum, legitur apud Odericum Rainaldum ad eundem Annum *num.* 52. & vigore ejuſdem Privilegii in Eccleſia Sancti Hierooymi Illyricorum hujus almæ Urbis in die Feſto Sancti Hieronymi, dum celebratur Miſſa ſolemnis, canitur idiomate Illyrico Epiſtola in *Choro* ab uno ex Beneficiatis ejuſdem Eccleſiæ; Evangelium vero ab uno ex Canonicis, & a Subdiacono legitur eadem Epiſtola in idiomate Latino, ſicut Evangelium in eodem idiomate a Diacono. Eadem facultate uſam eſſe Eccleſiam Græcam erga Ruthenos, ſeu Moſcos, poſtquam per Prædicatores Conſtantinopoli miſſos Chriſti Fides eis illuxit; cum Græcis tamen Ritibus exercenda, ſcribit Papebrochius *in diſſert.* 18. ſubjuncta Pontificatui Nicolai I. *in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, quæ eſt de lingua Sclavonica in ſacris apud Bulgaros Moravoſque recepta, & in Ephemeridibus Græcomoſcis*, quas præfixit *Tom.* 1. Sanctorum Menſis Maji, docet id factum eſſe ſub Annum Chriſti milleſimum, quando Eccleſia Conſtantinopolitana erat optime Romanæ unita.

Thomas Archidiaconus Spalatenſis *in Hiſtoria Epiſcoporum Salmitanorum edita a Jo: Lucio cap.* 16. tempore Alexandri II. adſtruit a Legato Sedis Apoſtolicæ coactam fuiſſe Syoodum omnium Epiſcoporum Dalmatiæ, & Croatiæ, in qua ſtatutum fuit, ne quis de cætero præſumeret Divina Myſteria celebrare in lingua Sclavonica, ſed debere uti tantum Latina, vel Græca. Idem ſtatuit Gregorius VII. Alexandri ſucceſſor *lib.* 7. *epiſt.* 11. data ad Uratislaum Bohemiæ Ducem, in qua ſic ſcribit: *Quia nobilitas tua poſtulavit, quod ſecundum Sclavonicam linguam apud vos Divinum celebrari annueremus Officium; ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere*: & paucis interjectis ſubdit: *Unde ne id fiat, auctoritate Beati Petri inhibemus, teque ad honorem Omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis reſiſtere præcipimus*. In provinciis tamen ſupranominatis, ut notat Cardinalis Bona, dudum recepta conſuetudo prævaluit.

XXX. Missa Trevirensia, seu Sancti Simeonis Syracusani eſt illa, quæ Treviris conſervatur, & ideo Trevirenſis nunc appellatur, prædicto tamen Divo Simeoni Syracuſano adſcribitur, & reputatur ante Anoos minimum 800. deſcripta. Is enim Religioſus vir una cum Reverendiſſimo Dom. Popone Trevirenſi Epiſcopo, ex Palæſtina, quam Religionis cauſa cum ipſo inviſerat, in Galliam, & Trevirim advenit; cui poſt reditum, idem Dominus Archiepiſcopus Poppo in ſuo Epiſcopatu, ſi vellet, manendi facultatem præbuit, & libentiſſime coonceſſit. Ex Revelatione autem Dei proſpectans ſibi locum, idem famulus Chriſti, ubi ſolus poſſet vacare orationi, in turri, quæ antea nigra Porta vocabatur, parvulum tugurium expetiit, ubi Dominus Præſul præſente Clero, & Populo, in Feſtivitate Sancti Andreæ illum incluſit, & quaſi mortuum, ut vere erat ſæculo, devotiſſime ſepelivit. Recluſus igitur vir Dei ſilentio, & jejuniis attenuavit corpus: in primis aliquando ſolo pane, aliquando autem reficiebatur aqua infuſo legumine; ibique tandem contemplationi, & ſummæ abſtinentiæ addictus ſanctiſſime obiit, ut refert Evervinus Abbas Monaſterii Dolejenſis in vita, quam de eo ſcripſit, demandante ſupradicto Archiepiſcopo Poppone, in qua tamen de prædicta Liturgia tributa D. Simeooi nullam mentionem facit; ſicut pariter Octavius Cajetanus Soc. Jeſu in ſuis animadverſ. ad prædictam vitam Sancti Simeonis Syracuſani nullum verbum de eadem liturgia profert. Nihilominus quia Treviris oſtendebatur hæc cum ſumma veneratione, & eam refert VVilhelmus Lindanus Epiſcopus Gandavenſis in Calce ſuarum Adnotatiooum in Liturgiam D. Petri Apoſtoli: rurſus quia de ea pariter mentionem facit Gavantus, in Indice Auctorum, quos ipſe novit ſcripſiſſe de Sacris Ritibus verb. *Liturgiæ Sancti Petri &c. p.* 1. *tit.* 13. *in Rubric.* 2. *lit. R.* Itidem quia eam memorat Joaones Antonius Pallotta *in ſuo tract. Rituum Sacrorum, & Myſteriorum cap.* 23. & Marcellus de Cavalleriis Ordinis Prædicatotum *in ſua ſtatera Sacra Tit.* 29. *n.* 71. hinc de prædicta Liturgia non videtur dubitandi locus; ſed ſolum in dubium verti poteſt ejuſdem Liturgiæ antiquitas: ex quo enim



præfatus Sanctus Simeon Syracuſaaus diem ſuum clauſit Kalendis Junii 1037. intelligere non poſſum, quomodo Lindanus, & Gavantus ſupracit. reputent dictam Liturgiam vetuſtiorem octingentis annis, niſi dicatur Liturgiam illam non ab eo compoſitam, ſed repertam, vel ab Oriente delatam.

XXXI. Missa Illyriciana eſt illa, quam Mathias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgenſium Princeps, & rigidorum Lutheranorum errorum ſorde inquinatus, in antiquo codice MS. ſe reperiſſe tradit, eamque prælo commiſit Argentinæ, Anno 1557. ſub hoc Titulo: *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam circa 700. Domini annum in uſu fuit, bona fide ex vetuſto, authenticoque codice deſcripta*. Sed Titulus mentitur; eſt enim ipſamet Miſſa Romana, ſed mutila, & variis orationibus interpolata. Mutilam dixi, quia in ea deſiderantur Introitus, Collectæ, Epiſtola, Graduale, Evangelium, Offertorium, &c. Unde falſum eſt, quod ipſemet Illyricus opinatur in Epiſtola præliminari ad Principem Palatinum Rheni, nempe, eam liturgiam in uſu fuiſſe in Occidente, præſertim in Gallia, & in Germania, antequam Romana Miſſandi ratio ubique recepta eſſet. Hujus Miſſæ ab Illyrico editæ varia fuit fortuna. Primo enim Triumphos de ea egerunt Lutherani, quaſi per ipſam Catholica Dogmata convallerentur: unde Philippus II. Hiſpaniarum Rex, ut bachantium Hæreticorum ſubſanationes reprimeret, ejus lectionem interdixit, & a Sac. Congregat. pariter in odium præſertim improbi editoris, qui perverſo animo Eccleſiæ Catholicæ nocendi, eam evulgaverat, ejus lectio prohibita fuit. Verum Lutherani videntes tandem Miſſam Illyricianam catholicis dogmatibus favere, ſuiſque erroribus adverſari, omnem impenderunt operam, ut illam ſupprimerent. Tunc Catholici proficientes ex hac Hæreticorum palinodia, eandem Liturgiam atteotius perluſtrarunt, eamque ad confirmanda Euchariſtiæ, Confeſſionis, & ſuffragiorum pro Mortuis Dogmata, perutilem invenerunt, & idcirco Catholicæ Eccleſiæ rem facere arbitrati ſunt, ſi Miſſam Illyricianam a Lutheranis ſuppreſſam iterum Typis committerent; ſicut fecerunt Carolus Le Cointe in *tom.* 2. *ſuorum Annalium Eccleſiaſticorum Francorum ad ann.* 601. *n.* 20. cum variis notis, & obſervationibus, necnon Card. Bona in calce ſui præclariſſimi operis de Rebus Liturgicis; & denique Edmundus Martene in *Lib.* 1. *de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap.* 4. *art.* 12. De hac Liturgia egregie tractat mox laudatus Cardin. Bona *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 2. *& ſeqq.* ubi diſcurrit de ejuſdem Miſſæ antiquitate, uſu, & auctoritate. Sermonem paritee eruditum ſuper eadem Liturgia inſtituunt Grancolas *de Antiquis Liturgiis p.* 360. Martene *loc. cit.* & Mabillon *lib.* 1. *de Liturgia Gallicana cap.* 3.

XXXII. Missa, seu Liturgia Bobiensis eſt illa, quam eruditiſſimus Joannes Mabillon reperit in Bibliotheca percelebris, & perantiqui Monaſterii Bobienſis, & quam idem clariſſimus Auctor in fine *tom.* 1. *ſui Muſæi Italici*, ex integro refert, eamque intitulavit: *Liber Sacramentorum Eccleſiæ Gallicanæ*. Cujus tituli reddit rationem in Præfatione eidem Sacramentario præfixa num. x. quam infra dabimus. Codex prædictæ Liturgiæ ſcriptus apparet ante Annos 1000. & quidem literis majuſculis, ut ex appoſito ſpecimine in dicta Præfatione num. VIII. periti intelligere poſſunt. Laudatus editor prædictæ Liturgiæ num. IX. quærit cujus Provinciæ potuerit eſſe hoc Miſſale; & quamvis fateatur obvium non eſſe decidere hanc quæſtionem, opinatur tamen forte fuiſſe ad uſum maximæ Provinciæ Sequanorum, ideſt Veſontionenſis, in qua ſitum eſt Luxovienſe Monaſterium, unde Columbanus Bobium migravit. Et huic conjecturæ favere dicit Miſſam de Santo Sigiſmundo Rege Burgundiorum. Procedit ulterius ad aſſerendum hunc codicem certe non fuiſſe ad uſum Monachorum Bobienſium, quia nihil in eo occurrit de SS. Bobienſibus Columbano, ejuſve Diſcipulis; nihil item de rebus monaſticis, non Benedictio Abbatis, non Benedictiones pro Monaſterii officinis, & alia hujuſmodi. N. vero X. fatetur, quod hic codex poteſt dici *Liturgia Bobienſis*, & idcirco a nobis prædictæ Liturgiæ hic titulus præfixus eſt, quamvis præfatus Mabillon afferat, præferendum eſſe titulum, quem ille tali codici præfixit, nimirum: *Liber Sacramentorum Eccleſiæ Gallicanæ, &c.* propterea quod in fine codicis, ubi libri Sacri recenſentur, extremo loco ponitur *Sacramentorum uſus*. Quo nomine, ait Mabillon, librum de Re ſacra majores noſtri ſolebant deſignare, ut diximus etiam nos ſuperius loquendo de Sacramentariis Gelaſiano, & Gregoriano. Gallicanum vero appellat tale Sacramentarium, quia, ut ſuperius innuimus, ſupponit illud tranſlatum fuiſſe ex Provincia Veſontionenſi, & ex Monaſterio Luxovienſi a Sancto Columbano ad Monaſterium Bobienſe.

De prædictis Liturgiis occidentalibus hæc carptim delibavimus, ſed fuſiori ſermone de iiſdem, aliiſque fragmentis earundem Liturgiarum latinarum differendum promittimus in Collectione Liturgiarum omnium occidentalium tam certarum, quam dubiarum; integrarum, & mutilarum, &c. quam, Deo dante, in lucem emittemus.

Præter mox recenſitas Miſſas, ſeu Liturgias, quarum diſtinctio repetita fuit ex parte Auctorum, aut Nationum, a quibus frequentatæ fuerunt, & adhuc aliquæ frequeotantur, nonnulla alia Miſſarum genera nunc dabimus, quarum diſtin-

ctio repetitur ex variis Ritibus, & circumſtantiis accidentalibus, quibus eædem Miſſæ peractæ ſunt. Huic autem Miſſarum claſſis accanſeri poſſunt Miſſa Solemnis — Dominica — Aurea — Cantata — Alta — Publica — Poplica — Communis — Conventualis — Secunda in Clero — Capitularis — Parochialis — Decenſita Privata — Baſſa — Secreta — Familiaris — Peculiaris — Specialis — Singularis — Media — Solitaria — Occulta.

XXXIII. Missa Solemnis in communi ſenſu dicitur illa, quæ omnem ſolemnitatem habet, Cantus, Thuris, Miniſtrorum Sacrorum, earumque Cæremoniarum, quas præſcribunt Rubricæ Miſſalis commentatæ a Gavanto *p. 2. a tit. 1. uſque ad* 12. de quibus pariter diſcurrit Caſtaldus *Lib. 2. Sect. 9.* Bauldry *p. 3. tit. 3.* Biſſus, & alii paſſim. Sacrificii Euchariſtici ſolemnibus verbis, & Sacro Cantu, Rituque ab Apoſtolis celebrati meminit S. Proclus Archiepiſcopus C. P. de traditione Divinæ Miſſæ, ubi ait: *etenim poſtquam Salvator noſter in Cælum aſſumptus eſt Apoſtoli priuſquam per omnem Terram diſpergerentur conſpirantibus animis convenientes ad tota die orandum convertebantur, & cum multam conſolationem in Myſtico illo Dominici Corporis ſacrificio poſitam inveniſſent, & longa Oratione Miſſam decantabant; hæc enim divina Sacra una cum docendi oratione conjuncta cæteris rebus anteponenda exiſtimabant.* Quibus verbis (ait Antonius Caracciolus in ſuis eruditiſſimis notis ad noſtras Conſtitutiones) etſi Proclus non exprimit quoto die Apoſtoli Miſſam ſolemniter celebrarent; Lucas tamen ſignificat *Actorum cap. 2.* frequenter Sacrum feciſſe illis verbis: *erant autem perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum, & Communicatione fractionis panis, & Orationibus.* Sanctus item Auguſtinus apud Ivonem Carnotenſem *tom. 2. cap. 119.* tradit — diebus Solemnibus publica Miſſarum Sacra, coacto Clericorum Populique conventu, celebrata — unde deducit præfatus Caracciolus Ritum Dominicis, aut ſolemnibus potiſſimum diebus ſolemne Sacrum celebrandi ab Apoſtolorum Ævo deduci. Sub hoc genere Miſſæ ſolemnis continetur Miſſa Papalis, de cujus Ritibus, & Cæremoniis tractat Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis in ſuo Libro inſcriptu: *Rituum Eccleſiaſticorum, ſive ſacrarum Cæremoniarum S. R. Eccleſiæ.* Sub eodem genere continetur pariter Miſſa Pontificia Epiſcopalis, cujus Ritus, & Cæremoniæ deſcribuntur in Cæremoniali Epiſcoporum. Da iis tractant pariter Caſtaldus, Bauldry, Biſſus, Gerlacus Vinitor; necnon Paris de Craſſis olim Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, & Epiſcopus Piſaurenſis in lib. cui titulus: *de Cæremoniis Cardinalium, & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus*: In quo, ut ex prædicto titulo apparet, etiam de Cæremoniis, quæ ad Cardinales ſpectant docte diſſerit. Denique ſub hoc genere continetur Miſſa Pontificalis Abbatialis, de cujus Ritibus, & Cæremoniis agunt præſertim Zacharias a Mutina *in Cæremoniali Caſſinenſium*; Donatus Ramerius *in Rituali Monaſtico, Romano ritui, ac Cæleſtinorum uſui conformi*; necnon Auctor Cæremonialis Canonicorum regularium Congregationis Sancti Salvatoris. Pro hac Miſſa Abbatiali, videndum eſt pariter Decretum Generale emiſſum a Sacr. Rit. Congregatione, approbante etiam Alexandro VII. Anno 1659. 27. Septembris, datum in noſtro Indice; & legenda pariter ſunt alia Decreta ſub die 12. Junii 1660. ſpectantia ad eoſdem Ritus Abbatiales, & Monaſticos. Sub hoc genere Miſſæ Solemnis continetur etiam Miſſa, quæ dicitur Canonicalis, nimirum illa, in qua Dignitate, vel Canonico, Solemniter celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono inſerviunt.

XXXIV. Missa Dominica ſignificat Miſſam majorem ſolemnem; in ſtatutis enim MSS. Eccleſiæ Lugdunenſis hæc habentur: *Nullus Clericus de Terra debet intrare Chorum per ſe ſolum ad Miſſam Dominicam in feſtivis diebus, ex quo Angelicus Hymnus inceptus eſt.* Et in ejuſdem Eccleſiæ pariter ſtatutis Anni 1251. in quibus deſcribitur numerus Miniſtrorum, qui inſervire debent Celebranti ad Miſſam ſolemnem, hæc leguntur: *Singulis diebus Dominicis feſtivis Sacerdoti Canonico Miſſam Dominicam celebranti debent aſſiſtere duo minores Sacerdotes Vicarii duorum Canonicorum Sacerdotum, unus a dextra parte Altaris, & alius a ſiniſtris, &c.* ex quibus patet Miſſam ſolemnem, ſeu majorem appellari Miſſam Dominicam.

XXXV. Missa Aurea. Quoniam mox egimus de Miſſa ſolemni, quæ apparatiſſima pompa conficitur, iden congruum arbitramur exponere hic Miſſam illam, quæ *Aurea* ab aliquibus appellata fuit. De hac ſermonem habet Buſchius de Reformat. Monaſterii apud Leibnit. *Tomo 2. Scriptorum Brunſvic. pag. 484. Hildensheim etiam Sabbato poſt Conciones (i. Communes, videl. Communio) quæ Conciones Dominica poſt Michaelis incipiunt, per hebdomadam perdurantes; Aurea Miſſa ab omnibus Canonicis totius Civitatis, & a cunctis Prælatis, & Religioſis cujuſcumque Ordinis, etiam Mendicantibus per tres, aut quatuor horas decantari ſolet de B. Maria Virgine in Organis. Unde cunctis præſentibus dantur notabiles præſentiæ Prælatis, ſicut mihi pullus charitatis, pretioſis conditus, pullus aſſatus, dimidia ſtopa vini, cuneus ſive albus panis, & tam magnus, quam omnibus nobis ad menſam ſufficeret, & quatuor ſolidi dantur. Singulis vero Fratribus dantur duo ſolidi Lubicenſes pro præſentia.* Ex quibus verbis colligitur quare talis Miſſa *Aurea* appellatur, nimirum ob ſuam maximam magnificentiam, id quod confirmat Chronicum Sancti Godeh. Hildensb. ibidem *pag. 408.* ubi habetur: *Item Miſſam ſingulis Annis inſtituit de Beata ſemper Virgine Maria, quam ob ſuam magnificentiam Auream vocamus.*

XXXVI. Missa Cantata, prout diſtinguitur a ſolemni, ſicut eam diſtinguit Joſeph Vicecomes *de Miſſa Ritibus lib. 5. cap. 7.* eſt illa, quam cum Sacerdote ſine Miniſtris ſacris celebrante, Cantores muſico concentu alternant: patet igitur diſcrimen inter hoc Miſſæ genus, & aliud ſuperius explicatum, nempe Miſſæ ſolemnis, cujus nomine venit rigoroſe Miſſa illa, quæ apparatiſſima pompa conficitur, cui Miniſtri ſacri, & Clericorum ordines inſerviunt. De hoc ſecundo Miſſæ genere iterum redibit ſermo paulo infra, cum de Miſſa Media diſcurremus.

XXXVII. Missa Alta eadem ac Miſſa ſolemnis cum cantu: de hac fit mentio in Charta Anno 1377. apud Rymer. *Tom. 7. pag. 139. uſque ſummum Altare ad Altam Miſſam celebrandam acceſſeram.*

XXXVIII. Missa Publica eſt illa, cui intereſſe utrique ſexui promiſcue licet, & quæ coram Populo peragitur: hanc Miſſam Walfridus Strabo *cap. 22. legitimam appellat*: ab Amalario vero *cap. 8.* vocatur *Generalis*, & in Concilio Vaſionenſi *cap. 20.* appellatur *Miſſa publica*, quæ dicitur talis non a loco publico, quia olim in cryptis, & abditis locis celebrabatur, & tamen publica appellabatur, ut mox dixi, ſed a conventu Populi circumſtantis, offerentis, & communicantis in tali Miſſa. Miſſas autem ejuſmodi publicas ante horam diei tertiam non celebrari ſtatuit Telephorus PP. ut refert Anaſtaſius, ſive alius libri Pontificalis Auctor; quod quidem Decretum referunt Amalarius *lib. 3. cap. 42.* & Strabo *cap. 22.* ſed hos deceptos fuiſſe a Pſeudo-Iſidoro, qui primorum Pontificum Epiſtolas Decretales finxit, & conſarcinavit, totique Eccleſiæ tamquam legitimas merces obtruſit, aſſerunt alii nonnulli eruditiſſimi viri, inter quos Cardinalis Bona, qui *lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 21. num. 5.* loquens de prædicto Teleſphori conſtituto, ait: *Quid magis alienum a conditione illius Sæculi, quo Chriſtiani, furentium Imperatorum gladios declinantes, ſummo ſtudio latitabant, quam hujus legis editio, qua nullo modo poterat obſervari?* Noctu, & in occultiſſimis locis conveniſſe Fideles ad Synaxim, Tertullianus *in libro de fuga in perſecutione*, & alibi nos docet, qui aliquot Annis poſt Teleſphorum ſcribere cœpit, imperante Severo; Teleſphorus autem Martyr occubuit Hadriano imperante, Anno Chriſti 137. Probabilis igitur ſententia eſt, & magis congrua, quam refert Baronius ad Annum 382. hanc tertiæ horæ præfixionem ad Miſſam publicam celebrandam fuiſſe ſancitam a Sancto Damaſo, ex præſcripto, ut ajunt, Canonis Nicæni, qui tamen non extat. De his plura alia tradit Cardinalis Bona loc. cit. Concilium etiam Aurelianenſe tertium *Canon. 14.* Bracarenſe Anno 572. *Can. 9.* idem præſcribunt: & Gregorius Turonenſis de Vitis Patrum ait: *Facta quoque hora tertia, cum Populus ad Miſſarum ſolemnia conveniret, &c.* Denique Theodulphus Aurelian. *in Capitulis cap. 45.* hæc habet: *ut Miſſæ, quæ per dies ſolemnes a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas Populus a publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia Canonice fiunt, abſtrahatur.* Ut fœminarum acceſſus in Monachorum Monaſteria vitetur, habetur conſtitutum Gregorii Magni pro Monachis apud Baronium, Anno 601. *n.* 55. *& lib. 4. epiſt.* 43. nimirum: *Miſſas quoque publicas ab eo* (Epiſcopo) *in Cœnobio omnino fieri prohibemus, ut in Servorum Dei receſſibus, & eorum receptaculis nullo popularis præbeatur occaſio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum.* Idem Pontifex *lib. 5. epiſt. 46.* ad Epiſcopum Piſaurienſem hæc ſcripſit: *Cum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum ſit, ut locum ipſum abſque Miſſis publicis dedicares.* Eadem leguntur in aliis ejuſdem Pontificis epiſtolis, & in Concilio Lateranenſi I. Anno 1122. *Canon. 17.* vetantur Abbates, & Monachi Miſſas publicas cantare.

XXXIX. Missa Publica. Hoc nomine appellabatur ſecunda Miſſa, quæ in Feſto Sancti Laurentii aſſignata reperitur in Sacramentario S. Gregorii ex Codice Gellonenſi apud Marten. *de Eccleſiaſtica Diſciplina in Divinis recitandis Officiis pagina* 575. qui refert ſic inſcriptam eſſe. *Item ad Miſſam Poplicam in die ejuſdem.* Prima vero ſub hoc titulo prænotatur: *Natale Sancti Laurentii mane prima.* Monachi Sancti Mauri in ſuis eruditiſſimis Additionibus ad Gloſſarium Caroli Du-Freſne optime adnotant hoc loco manifeſtum contigiſſe errorem ponendo *poplica* pro *publica*.

XL. Missa Communis eadem ac publica, ut colligitur ex Braulio Cæſarauguſtano in epiſtol. Vitæ S. Æmiliani præfixa, ubi hæc habet: *De eadem quoque ſolemnitate, ut Miſſa recitaretur communis injunxi dilecto filio meo Eugenio Diacono, &c.*

XLI. Missa Conventualis eſt illa, quam Rectores Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum quotidie celebrare facere tenentur ſolemniter cum cantu poſt Tertiam juxta temporis conformitatem, & Divini Officii recitationem. De hac Miſſa ſermo habetur in Concilio Toletano habito Anno 1565. inter Hiſpan. *Tom. 4. pag. 76.* ubi leguntur hæc verba: *Quoniam Miſſa Conventualis, ad quam omnes olim convenire*

*ſole-*

*ſolebant, magna celebritate peragenda eſt . . . . ſtatuit Synodus, ne in diebus Dominicis, & Feſtis colendis a tempore decantatæ Epiſtolæ uſque ad ipſam Communionem, Miſsæ privatæ in Eccleſiis celebrentur.* Thomas Franciſcus Rotarius in ſua Theologia Regularium *Tom. 3. lib. 1. cap. 4. punct. 4. n. 4.* adnotat quod Miſſa Conventualis in variis Ordinibus Regularium diverſum nomen ſortitur: alii eam vocant Miſsam Canonicam, alii Miſsam Tertiæ, alii Majorem, alii Publicam, & alii Communem. De obligatione celebrandi hanc Miſsam Conventualem, & de aliis ad eam ſpectantibus agit Gavantus *part. 3. tit. 12. n. 5.* & nos fuſius etiam diſseremus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus eodem loco.

XLII. Missa secunda in Clero eſt illa, quam conſtituit Deuſdedit Romanus Pontifex, qui initio ſeptimi Sæculi regebat Eccleſiam. Ita tradit Auctor libri Pontificalis in Vita prædicti Pontificis, cujus loci explicatio multorum vexavit ingenia. Petrus Urbevetanus in ſuis Scholiis hanc Pontificis conſtituti rationem aſſignat: quia tunc forſitan adinſtar Græcorum non cantabatur in Eccleſia niſi una Miſſa, quod magis ædificabat ſecundum antiquos. Urbevetani explicatio Cardinali Bona non placuit, quia, inquit ipſe *lib. 1. cap. 14. n. IV.* ex Leonis Teſtimonio (quod legitur 10 epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum) patet morem iterandi Sacrificium multo ante in Romanam Eccleſiam inductum fuiſse. Baldinus, petita venia ab Eminentiſſimo Scriptore, Urbevetani ſententiam amplectitur in notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium recentiſſime impreſsum hic Romæ *Tomo* 4. in Vita præfati Pontificis Deuſdedit, contenditque conſtitutum ab eodem PP. ut in Clero poſt ſolemnem Miſsam, altera privata ab altero ex Clero haberetur; ſive nova plebs in Baſilicam conveniret, ſive non; ſive una eſset, ſive plures Baſilicæ, hac ratione permotus, quod tunc certe primum inductus in Eccleſia Latina videatur Ritus, ut plures Miſsæ in eadem Eccleſia celebrarentur, & plura Altaria pro iis celebrandis conſtruerentur. Nos petita a Baldino venia Cardinalis Bona opinioni adhæremus, & putamus cum P. noſtro Berlendi in ſua erudita Diſsert. de Oblationibus §. 8. *num. 4. pag.* 98. & Chriſtiano Lupo *in Scholiis ad Concilium Romanum Alexandri II. Pontificis Tom. 5. Venetæ editionis pag.* 153. Decretum PP. Deuſdedit dirigi ad Cathedrales Eccleſias, & ab ipſo imponi præceptum, ut incerta, aut Feſtorum inter ſe, aut ipſorum cum Dominicis, aut quibuſdam Feriis concurrentia, obligentur ad duas ſolemnes Miſsas celebrandas, quod fortaſse jam antea peragebatur, ſed ex ſola conſuetudine, non tamen ex præcepto, quod poſtmodum a Pontifice Deuſdedit impoſitum fuit. Neque libri Pontificalis verba, de privata Miſsa intelligi poſse videntur; nam cum ait hunc Pontificem conſtituiſse *ſecundam Miſsam in Clero*, ſatis innuit huic Miſsæ Clerum intereſse debuiſse, ac proinde ſolemnem fuiſse, non vero privatam; quæ confirmari poſsunt ex iis, quæ diximus in Miſsa Poplica. Quod vero ait eruditiſſimus Baldinus hujus Papæ temporibus, tunc primum invectum eſſe Ritum in Eccleſia Romana, ut plures Miſſæ in eadem Eccleſia celebrarentur, non ita faciles damus; etenim plures ante præfatum Pontificem Miſſas, uno eodemque die in eadem Eccleſia celebratas fuiſſe, etſi cætera deeſſent, id invicte probaret Leonis Sacramentarium a Joſepho Blanchino vulgatum, in quo juxta majorem, minoremque Feſtorum ſolemnitatem, plures, aut pauciores aſſignantur Miſſæ dicendæ; has vero Miſſas ab uno Presbytero celebratas fuiſſe nemo mihi perſuadebit. Etſi vero unius Eccleſiæ quondam unum erat Altare, plures tamen in eo Miſſas unoquoque die celebrare fas erat, ait doctiſſimus Mabillon Præfatione prima in Sæculum tertium Ordinis Sancti Benedicti *obſervat. 12. ſub n. 77.* idque probat ex Concilio Autiſſiodorenſi, quod Anno 578. celebratum fuit, & in cujus *cap.* 10. habentur hæc verba: *Non licet ſuper uno Altario in una die duas Miſſas dicere, nec in Altario, ubi Epiſcopus Miſſam dixerit, ut Presbyter in illa die Miſſas dicat.* Quibus ſane verbis prærogativa quædam Epiſcopo ſupra cæteros Presbyteros tribuitur, ut ſcilicet in illo Altari, in quo Miſſam dixiſſet Epiſcopus, non liceret ea die Presbytero Sacrificium offerre: ergo (argute infert Mabillon) Presbyteris aliis poſt alios Miſſas in eodem Altari celebrare licebat, alias fruſtranea eſſet Concilii additio de Epiſcopis. Hoc aſſumptum illuſtratur facto Gregorii Turonici Epiſcopi, qui cum ab æmulis *apud Chilpericum eſſet accuſatus maledicentia in Fredegundem, apud Brannacum Villam reſtitit, ad hoc cauſa, ut dictis Miſſis in tribus Altaribus ſe de his verbis exueret Sacramento.* Ad quid enim non in uno, ſed in tribus Altaribus Gregorius celebravit Miſſas tres, niſi quia uni Sacerdoti id in uno Altari non licebat? Ex præfato *cap.* Concilii Antiſſiod. deducitur etiam in eadem Eccleſia non ſolum unum, ſed plura fuiſſe Altaria; quia ſi vetitum erat Presbytero dicere Miſſam in Altari, in quo celebrarat Epiſcopus, in alio igitur celebrare licebat. Et quidem Sæculo ſexto Burdigalæ in Eccleſia Sancti Petri duplex erat Altare, ut ſcribit laudatus Gregorius Turonenſis *lib. 1. de Gratia Martyrum cap.* 33. Illuſtre eſt etiam in hanc rem exemplum Palladii Sanctonenſis Epiſcopi in Gallia, qui referente Gregorio Magno *lib. 5. epiſt. 50. vet. edit.* tredecim collocarat Altaria in Eccleſia, quam in honorem BB. Petri, & Pauli, Laurentii, & Pancratii ipſe conſtruxerat. Morem hunc non inchoaſſe Palladium, ſed majorum exempla fuiſſe ſecutum, argumentis ſupra relatis oſtenditur. Neque etiam credibile eſt Gregorium probaturum fuiſſe Palladii factum, ſi vetus illa primorum Eccleſiæ temporum conſuetudo adhuc in Gallia, & in Occidente viguiſſet. Cæterum, ſi verum amamus, fatendum eſt morem plures Aras erigendi in una, eademque Baſilica, jam a Sæculo quarto in uſu fuiſſe apud quaſdam Occidentis Eccleſias, quod graviſſimo Ambroſii teſtimonio probatum imus. Sanctiſſimus enim Doctor *epiſt.* 20. earum quæ in prima Claſſe continentur ad Sororem ſuam, Anno 385. ſcripta, agens de Baſilica, quam Ariani occupare tentaverunt, & quam ipſe ab eorum aggreſſione defenderat. *Non ego*, inquit, *vallabor circumfuſione populorum, nec Altaria tenebo vitam obſecrans, ſed pro Altaribus gratius immolabor.* Et in fine Epiſtolæ ait: *Nec mora nunciatur Imperatorem juſſiſſe, ut recederent Milites de Baſilica . . . . quæ tunc plebis lætitia fuit . . . . certatim hoc nunciare Milites irruentes in Altaria oſculis ſignificare pacis inſigne*: quem locum de pluribus in una Baſilica Altaribus intelligendum eſſe nemo non videt, nec ipſi Hæretici diffitentur: quamvis Baſnagius celebris inter Heterodoxos ad Annum Chriſti 426. peculiarem hanc Mediolanenſium conſuetudinem fuiſſe contendat.

XLIII. Missa Capitularis dicitur illa, quæ celebratur diebus feſtivis ſolemniter cum Miniſtris paratis, & cum cantu in iis Eccleſiis, ubi eſt ſufficiens numerus Capellanorum ſeu Presbyterorum, & congrue fieri poteſt: de hac Miſſa mentionem facit Corſettus *tract. 1. part. 4. cap. 25. ſect. 4. num.* 17.

XLIV. Missa Parochialis eſt conventus Fidelium, in quo preces publicas, & Sacrificium offerunt Miniſterio Paſtoris, diſcuntque ab eo, quæ vitare, quæve præſtare debeant ad propriam ſalutem, & proximi ædificationem. De hac Miſſa Parochiali Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis, & evitandis in Miſsæ celebratione* declarat obligationem, qua tenentur Parochiani prædictæ Miſſæ Parochiali intereſſe, ait enim: *Moneant etiam* (Epiſcopi) *eundem Populum, ut frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis accedant.* Ex quibus verbis colligitur, quod Fideles tenentur Miſſæ Parochiali dictis diebus intervenire, niſi ratio honeſta excuſet, Da hac Miſſa Parochiali tractat Bonaventura Beſean Prædicator Capuccinus in ſuo opere inſcripto: *Parochophilus, ſeu de quadruplici debito in parochia propria perſolvendo*: alius etiam Auctor lingua Gallica, Anno 1679. Tractatum edidit de Miſſa Parochiali.

XLV. Missæ Decensitæ in Charta, Anno 760. apud Baluz. *in append. ad Capitul. colum. 1393. duas portiones tam de terræ vineis . . . vobis viſus ſui condonaſſe, ut omni tempore Miſsæ ibidem Decenſitæ eſse debeant.* Quid veniat nomine Miſſæ Decenſitæ valde obſcurum eſt: Monachi præfati Benedictini opinantur illud verbum ſignificare Miſſas, quæ decenti cultu celebrari debent.

XLVI. Missa Privata, prout diſtinguitur a Miſſa ſolemni, eſt illa, quæ privatim, & peculiariter ſine cantu, uno duntaxat Clerico miniſtrante, ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato celebratur. Quapropter hæc Miſſa, ut bene advertit Bocquillot *lib. 2. cap. 7.* poteſt eſſe publica, quando fit cum conventu Populi offerentis, & communicantis, &c. De hujuſmodi Miſſis privatis erudite differunt Martene *de antiquis Monachorum Ritibus cap. 6.* necnon mox laudatus Bocquillot toto *cap. 7. & 8. lib. 2. in tract. Hiſtorico de Liturgia.* Miſſa vero privata, prout diſtinguitur a publica eſt illa, in qua ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat: Hæretici Miſoliturgi utramque Miſſam privatam prohibitam eſſe comminiſcuntur. Verum utriuſque generis privatas Miſſas, tamquam licitas probandas eſſe, & commendandas, Catholica Doctrina eſt, eamque demonſtrat Card. Bona *lib. 1. cap.* 14. ubi pariter refert varios veteres Auctores, quibus oſtendit perpetuum Miſſarum privatarum uſum. Concilium vero Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 6.* docet, quod nullæ Miſſæ ſint omnino privatæ, partim quod omnes a publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Chriſti pertinent, celebrantur; partim quod in omnibus communicare poſſint Fideles, ſaltem ſpiritualiter; partim, quod omnes fiant in gratiarum actionem pro morte Chriſti, quæ eſt commune beneficium. Uſus tamen invaluit, ut quæ fiunt abſque publico conventu, privatæ, ſeu peculiares dicantur, ut liquet ex *cap. & hoc attendendum de conſecr. diſtinct.* 1. vel quæ celebrantur ſolo Sacerdote ſacramentaliter communicante; quæ tamen, ut dixi, non reprobantur, ſed commendantur ab Eccleſia Catholica, quia Miſſæ celebratio potiſſimum fit ad Sacrificium Deo offerendum, eumque ſic laudandum, honorandum, ac Populo propitiandum; non autem neceſſario ad Populum Sacramento reficiendum, unde quando præter Celebrantem nullus alius communicat, non fit fruſtra Sacrificium, quia ſemper obtinetur finis principaliter intentus in Sacrificio, quod offertur.

XLVII. Missa Bassa eadem, quæ privata, ſeu quæ ſubmiſſa voce celebratur, ut legitur apud Lobinellum *Tom. 2. Hiſt. Britan. p.* 1604. hoc eſt ſine cantu, & in Charta Fertiei de Cluniaco apud Miræum *Tom. 2. pag.* 1345. legitur: *Alii vero*

*quinque Beneficiati non hebdomadarii celebrabunt per turnum ſingulis hebdomadis viginti baſſas Miſſas*. In aliis etiam Monumentis, quamvis reperiatur prædicta vox *Baſſa* pro indicanda Miſſa privata, quæ ſubmiſſa voce dicitur; nihilominus, ut adnotant eruditiſſimi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri in novis ſuis Additionibus ad Gloſſarium Cangianum, ſeu Caroli Du-Freſne *Tomo* 4. *col.* 814. etiam de Miſſis privatis frequens eſt hæc formula *cantare Miſſam*, præſertim in Sancti VVillelmi *Conſt. Hirſang. lib.* 1. *cap.* 86. ubi habetur: *Sacerdos ſi privatam Miſſam cantare voluerit, innuit converſo cum ſigno Crucis, quod eſt ſignum cantandæ Miſſæ*. Rurſus eadem Miſſa privata dicitur etiam *Plana*, ſic eam appellat Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 9. *Celebrans in eo ſive ſolemnes, ſive planas Miſſas.*

XLVIII. Missa Secreta eſt eadem ac Privata, ſeu Baſſa, & hoc nomine appellatur in actis Epiſc. Cenoman. *pag.* 72. ubi habetur: *Nunquam a die ordinationis ſuæ coenoverunt diem præterire, ut non Miſſam, aut publicam, aut ſecretam celebrarent.*

XLIX. Missa Familiaris eſt etiam ex genere privatarum, & eſt eadem, quæ pro Familiaribus inſcribitur in libro Sacramentorum Gregorii Magni *pag.* 256. edit. Menardi, vel eſt eadem omnino ac Miſſa privata, cui opponitur Miſſa publica. In hoc ſenſu facit mentionem de hac Miſſa Eadmer *lib.* 1. Vitæ Sancti Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis *cap.* 14. *Si aliquando a celebratione ipſius Sacramenti impediebatur, eos qui Miſſam Familiarem debebant, ſuam pro Anima Fratris Miſſam dicere faciebat.* Vide etiam Ordinarium Canonicorum Regularium Sancti Laudi Rotbomagenſ. apud Joannem Abrinc. Epiſcop. *de Eccleſiaſt. Offic. pag.* 291. *Excepto, quod Miſſas familiares non dicant*, nimirum privatas: vide denique Udalricum *lib.* 1. Conſuetudinum Cluniacenſium *cap.* 7.

L. Missa Peculiaris pariter idem ſignificat ac Miſſa privata: hac notione exprimitur in Capitulis Theodulphi Aurelianenſis *cap.* 45. *Ut Miſſæ, quæ per dies Dominicos peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita publice fiant, ut per eas Populus a publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia Canonice fiunt, abſtrahatur.* Et in Concilio Lambethenſi, Anno 1282. *cap.* 2. *Sacerdotes inſuper caveant univerſi, ne Miſſarum peculiarium, ſeu familiarium ſe celebrationi obligent, quo minus valeant Canonice commiſſam ſibi Eccleſiam officiare, ut tenentur.* In Concilio vero Salenguſtadienſi, Anno 1022. *cap.* 10. & in Capitulari Anglicano incerti Auctoris *cap.* 4. ſuperſtitionis cujuſdam mentio fit, qua quidem laici, ac maxime Matronæ *Miſſas peculiares, hoc eſt de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaele quotidie audiebant pro aliqua divinatione*, quæ ibi vetatur.

LI. Missa Specialis eſt pariter Miſſa privata, de qua mentionem faciunt Capitul. Theodorici Cantuarienſis *cap.* 10. edit. Jacobi Petiti, in quo legitur: *Centum viginti Miſſæ ſpeciales ſingulæ cum tribus pſalteriis, & cum trecentum Palmatis excuſant annum, ſcilicet pœnitentiæ.* In epiſt. pariter Caroli Magni ad Faſtradam Reginam de Victoria Avarica, hæc leguntur: *Et Sacerdos unuſquiſque Miſſam ſpecialem feciſſet, niſi infirmitas impediſſet.* Et io Vita Alcuini *num.* 26. ut refert Du-Freſne in ſuo Gloſſario verb. *Miſſa ſpecialis*, legitur: *Levitice ſe præparans, ſuo cum Sigulſo Presbytero Miſſarum colebat ſolemnia ſpecialium uſque ad horam tertiam.*

LII. Missa Singularis eadem quæ privata, ſeu ſpecialis, de qua mox ſupra. Hoc nomine Miſſam privatam exprimit Eddius Stephaous in Sancto VVilfrido *cap.* 61. ubi habetur: *Nam omni die pro eo Miſſam ſingularem celebrare, &c.*

LIII. Missa Media dicitur illa, quæ participat de Miſſa privata, & ſolemni; nam cum ſolemni habet cantum; cum privata vero convenit in hoc, quod celebratur ſine Miniſtris ſacris, ſed cum uno tantum, vel duobus Acolythis: unde patet hanc Miſſam non differre ab illa, quæ ſimpliciter cantata dicitur, de qua ſuperius locuti ſumus. De Cæremoniis, & Ritibus, quibus hæc Miſſa celebranda eſt, agunt Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. Bauldry *part.* 3. *tit.* 13. *cap.* 9. *& ſeqq.* Gerlacus Vinitor *part.* 4. *tit.* 12. *&* 13. Totinius in Cæremoniali PP. Camaldolenſium *lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 15. Jo: Merinerus in Cæremoniali Fratrum Minorum *par.* 2. & alii; ſed omnium optime Benedictus XIII. qui ad cæteras præclariſſimas dotes, quæ Pontificem ſummum ornabant, maximam Eccleſiaſticorum Rituum peritiam adjecerat. Videatur opuſculum ejus Italice inſcriptum: *Avvertenze Pratiche Ceremoniali, &c. cap.* 2. ubi rem hanc exactiſſime tractat. De Ritibus ſervandis in hac Miſſa etiam nos agimus in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad *tit. VII. part.* 2. *an. XLII.* uſque ad *XLVI.* incluſive.

LIV. Missa Solitaria, prout a Privata, & Plana diſtinguitur, intelligitur illa, quæ a ſolo Sacerdote, nemine præſente, & reſpondente fiebat olim in Monaſteriis. Miſſæ hujuſmodi ſolitariæ olim, ut dixi, celebrabantur ex Indulgentia in Cœnobiis, ut loquitur Edvenſis, ſive ex privilegio Canonicarum Sanctionum. Verum ſublatis tunc hujuſmodi privilegiis, diſtricte prohibitum fuit, ne quis Sacerdos ſolus ſine ullo Miniſtro Sacrum Myſterium conficiat. Hujuſmodi autem Sanctiones Miſſam Solitariam prohibentes afferuntur a Joſepho Vicecomite *lib.* 5. *de Miſſæ Ritibus cap.* 4. necnon a Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 5.

LV. Missa, seu Sacrificium Occultum eſt Sacrificium Schiſmaticorum, qui ſe ab Eccleſia ſegregant, & in ſuis Conventiculis Sacrificia offerre præſumunt. Ita explicat Eckius Divum Baſilium *in Pſal.* 115. prope finem, ubi ait: *Non in latebris deliteſcens Sacrificabo, ſed publicum exhibeo tibi ſacrificium*; nempe ad differentiam Sacrificii Schiſmaticorum, quod, ut dixi, appellabatur occultum. De hoc Sacrificio occulto Schiſmaticorum mentionem facit Bellarminus *Lib.* 6. *de Miſſa cap.* 10. *in fine.*

Tertia Miſſarum diverſitas deſumitur ex iis, pro quibus Sacerdos Hoſtiam ſalutarem Deo offert; hujuſmodi autem ſunt Miſſa votiva -- Adventitia -- Nuptialis -- pro defunctis -- Animarum -- pro Vivis -- Spontanea -- Legata --

LVI. Missa Votiva ſtricte accepta ea ſola cenſenda eſt, quæ non convenit cum Officio diei, nec ab Eccleſia præſcribitur dicenda; ſed dicitur a Sacerdote juxta ipſius votum, ſeu voluntatem, puta de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Angelis & de aliis, prout infra io noſtris Obſervationibus ad Tit. IV. §. 1. Late vero ſumpta, Miſſa Votiva dicitur illa, quæ licet non ſit ad arbitrium Sacerdotis, & non concordet cum Officio, præſcribitur tamen dicenda tali die ab Eccleſia, non ratione Feſti alicujus, ſed voto, ſeu devotione ipſiuſmet Eccleſiæ: talis eſt Miſſa B. M. dicenda in duobus prioribus Sabbatis Adventus, etiamſi non dicatur Officium de B. M. ſed Feriale. Hæc Miſſa non dicitur ſtricte Votiva, quia non pendet ex voto, & delectu Sacerdotis; dicitur autem late Votiva, quia ejuſmodi Miſſa licet noo conveniat cum Officio, eſt tamen præſcripta ab Eccleſia ex devotione ipſius Eccleſiæ erga B. V. Nequaquam vero eſt talis, nec ullo modo cenſenda eſt Votiva, Miſſa de Feria, ſeu de Vigilia, quæ in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis præter Miſſam Feſti occurrentis dici debet; tum quia præſcribitur ejuſmodi Miſſa ab Eccleſia, nec pendet ex voluntate Sacerdotis; tum quia convenit etiam non Officio quidem, ſed Commemorationi dictæ Feriæ, ſeu Vigiliæ eo die factæ. Qua item ratione Miſſa pro Defunctis die ſecunda Novembris, ſicut & prima die cujuslibet menſis non impedita, Votiva non eſt; cum & præſcribatur ab Eccleſia, & Officio, quod ipſis itidem fit, conveniat; alias ſemper eſt Votiva. Cæterum de hujuſmodi Miſſarum Votivarum Origine, Ritu, &c. erudite tractant Joſeph Vicecomes de Miſſæ Ritibus *lib.* 3. *cap.* 15. *& ſeqq.* Martene de Antiquis Monachorum Ritibus *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 41. Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 3. Grancolas *in* 1. *part. Antiqui Sacramentarii pag.* 433. Liber Sacramentorum Sancti Gregorii Magni *edit. Menardi pag.* 255. Antiquæ Definitiones Ordinis Ciſtercienſis *diſt.* 5. *cap.* 7. Carolus Guvetus *in ſua Heortologia lib.* 4. *toto cap.* 21. Quart. *part.* 1. *toto tit.* 4. Gavantus vero de hujuſmodi Miſſis Votivis tractat *part.* 1. *tit.* 4. *necnon Part.* 4. *tit.* 17. cujus doctiſſimis Commentariis nos quoque ibidem aliqua adjicimus: denique prædictarum Miſſarum Votivarum genera varia pro diverſitate perſonarum, vel pro diverſis eventibus, & periculis celebrandarum deſcribuntur in antiquis Sacramentariis, necnon in noſtris recentibus Miſſalibus.

LVII. Missa Aoventitia eadem, quæ Votiva in Epitome conſtitutionum Eccleſiæ Valentinæ *tom.* 4. Conciliorum Hiſpaniæ *part.* 171. inter alia agens de ordine, qui circa celebrationem Miſſarum tam Beneficiorum in Eccleſia fundatorum; .... *quam etiam Votivarum, & ut dicunt, Adventitiarum haberi debent.* Nunc autem Miſſa Adventitia eadem eſt ac Miſſa, quæ dicitur Manualis, nimirum quæ celebratur juxta mentem illorum, qui offerunt eleemoſynas pro Miſſa celebranda.

LVIII. Missa Nuptialis eſt illa, quæ celebratur in benedictione Nuptiarum, de qua Concilium Toletanum, anno 1323. inter Hiſpan. *tom.* 3. *pag.* 572. ubi hæc verba habentur: *Qui alieno Parochiano, abſque alia teſtimoniali Sacerdotis proprii Miſſam celebraverit Nuptialem, trecentos morabetinos nobis ſolvere teneatur.*

LIX. Missa pro Defunctis, seu Defunctorum, eſt illa, quæ pro Fidelium Mortuorum ſuffragio celebratur juxta Rubricas in Miſſali deſcriptas, De hujuſmodi Miſſarum Origine, Diviſione, & Ritibus eruditiſſime diſcurrit Vicecomes de Antiquis Miſſæ Ritibus tot *lib.* 4. *a cap.* 1. *uſque ad cap.* 21. Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 2. *& cap.* 15. *n.* 4. Grancolas in antiquo Eccleſiæ Sacramentario *p.* 1. *a pag.* 492. *uſque ad pag.* 538. videndum eſt etiam Concilium Vaſionenſe 2. *c.* 43. Vaſenſe 3. Bracarenſe habitum Anno 543. *Canone* 16. aliud Bracareoſe Anno 1572. *Canone* 10. Alcuin. *lib. de Divinis Offic. cap. de exequiis Mortuorum*; VValfridus Strabo *de rebus Eccleſiaſt. cap.* 21. *&* Durand. *lib.* 5. *Rational. cap.* 5. *n.* 18. Noſter vero Gavantus de Ritibus ſervandis in Miſſis Defunctorum agit in hac *p.* 1. *tit.* 1. *& p.* 4. *tit.* 18. cui inhærendo, etiam nos ibidem oonnulla addemus, & obſervabimus. Apud prædictos Auctores, necnon apud Codices Sacramentarios varia deſcribuntur genera Miſſarum pro Defunctis, quæ ibi videri poſſunt.

LX. Missa Animarum eadem ac Miſſa, quæ Cantatur pro Defunctis: de qua in Vita B. Metildis Reginæ *n.* 9. 10. & apud Durand. *lib.* 5. *Ration. cap.* 5. *n.* 18.

LXI. Missa pro Vivis dicitur illa, quæ pro hominibus adhuc viventibus celebratur, Ratione autem circumſtantiarum,

Digitized by Google

rum, quæ hominum vitam comirari ſolent, hæc Miſſa multiſariam partitur, veluti cum pro gravi moleſtia affectis, vel pro iter agentibus, vel pro agonizantibus, vel pro remiſſione peccatorum, &c. Sacrificium Deo offertur.

LXII. Missa Spontanea vocatur illa, quæ ſola dicentis Religione, & pietate celebratur, & offertur vel pro Vivis, vel pro Defunctis.

LXIII. Missa Legata eſt illa, quam Teſtamento, vel alio Inſtrumento aliquis Fidelium inſtituit: tam hæc, quam ſuperior nunc ſunt in uſu: & ut ait Vicecomes *lib.* 1. *cap.* 7. habent veterum firmamenta; ſed Prima non indiget probationibus; Altera vero ſatis conſtat ex eo, quod Sanctus Ambroſius pro Anima Valentiniani Imperatoris Sacrificium inſtituit. Sed amplius liquet hoc genus Miſſarum Legatarum, ex more introducta dandi ſtipendium Sacerdoti propter Miſſæ celebrationem. De qua materia eruditiſſimum ſermonem inſtituit *in* 2. *part.* ſuæ Diſſertationis Hiſtorico-Theologicæ *de Oblationibus ad Altare*, quam recentiſſime evulgavit Noſter P. Franciſcus Berlendi, Venetiis, Anno 1733.

Alia præterea ſunt genera Miſſarum, quarum diſtinctio deſumitur vel ex tempore, vel ex loco, vel ex Sacris functionibus, vel ex aliis circumſtantiis, in quibus tales Miſſæ celebrantur. Ad hoc Miſſarum genus reducuntur Miſſæ, quæ appellantur de Tempore -- Quadrageſimalis -- Paſchalis -- de Jejuniis -- Lunatica -- Dominicalis -- Ferialis -- Annualis -- de Expectato -- de Sanctis -- Perfecta -- Imperfecta -- Catechumenorum -- Sacramentorum -- Fidelium -- Præſanctificatorum -- Sicca -- Nautica, ſeu Navalis -- Biſaciata, Triſaciata, &c. -- de Luce -- de Aguinaldo -- Matutinalis -- Cardinalis -- Minor -- Peregrinorum -- Veſpertina -- Nocturna -- de Galli Cantu -- Dici -- Nova Novella -- Scrutinii -- de Traditione Symboli -- Chriſmalis -- ad prohibendum ab Idolis -- pro Decimis -- pro Requie Sanctorum -- Revocata.

LXIV. Missæ de Tempore vocantur illæ, quæ correſpondent variis Anni Eccleſiaſtici temporibus, in quibus Vitæ, Paſſionis, & Doctrinæ Chriſti Myſteria, Fideique noſtræ Sacramenta recoluntur.

LXV. Missæ Quadragesimales vocantur illæ, quæ in Quadrageſima dicuntur. Ita appellantur in Concilio Vaſionenſi *cap.* 20. & Vaſenſi *cap.* 3.

LXVI. Missa Paschalis dicitur illa, quæ in ſingulis ſeptimanæ Paſchalis Feriis agitur, in Miſſali Gothico *pag.* 342. 343. & in Gallicano *pag.* 480.

LXVII. Missa de Jejuniis vocatur illa, quæ die Jejunii celebratur; de hac mentio habetur apud Martene *tom.* 4. *Anecdotorum col.* 706. ubi ex Statutis Eccleſiæ Cadur. eam colligit; In ipſis enim leguntur hæc verba: *Miſſæ de Jejuniis in hora nona poterunt celebrari, aliæ vero in ea celebrentur.* Hæc Miſſa Jejunii refertur etiam in Liturgia Gallicana, ſeu in Miſſali Gothico illuſtrato a Mabillon *pag.* 231. *& ſeq.*

LXVIII. Missa Lunatica eſt Miſſa, quæ celebratur die Lunæ; hæc memoratur in Statutis Confratriæ Clericorum apud Pontiſaram.

LXIX. Missa Dominicalis eſt illa, quæ Dominicis diebus cani ſolet: de qua fit mentio a Joanne Abricenſi Epiſcopo *lib. de Eccleſiaſt. Offic. pag.* 23. ita Du-Freſne ſupra. In Miſſali tamen Gothico *a pag.* 292. Miſſa Dominicalis dicitur illa, quæ cantabatur in Dominicis de Adventu; tunc enim Dominicæ Adventus ſeptem numerabantur, quarum prima erat illa, quæ ſequebatur Feſtum Sancti Martini. Qua ratione Doctiſſimus Mabillon aſſerit in ſuis notis hujuſmodi Miſſas aſſignatas fuiſſe pro Dominicis poſt Pentecoſtem, non de Advent.

LXX. Missæ Feriales dicuntur illæ, quæ ſingulis hebdomadæ Feriis canuntur; priſcis quippe temporibus, ait Belethus *cap.* 51. & ex eo Durandus *lib.* 4. *ration. cap.* 1. *n.* 28. *hæreſibus pullulantibus, & Trinitatem impugnantibus ex inſtitutione Alcuini Magiſtri Caroli Magni, rogatu Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini ſtatuentis; Prima Feria de Trinitate dicebatur, Secunda Feria de Sapientia, Tertia Feria de Spiritu Sancto, Quarta de Charitate, Quinta de Angelis, Sexta de Cruce, Septima de B. Virgine.* Ceſſante tamen tali cauſa nunc Miſſæ Feriales non celebrantur juxta prædictam regulam; ſed quando non dicitur Officium de aliquo Sancto, vel de aliqua Octava, ſed de Feria currente, tunc Miſſa Ferialis eſt, quæ correſpondet Feriali Officio: unde ſi Feria non habet Miſſam propriam, ſicut habent omnes Feriæ Quadrageſimæ, Vigiliarum, &c. tunc pro Miſſa de Feria reſumitur, & dicitur Miſſa de Dominica præcedenti; & hæc dicitur Miſſa Ferialis. Cur autem antiquitus in Septima Feria de B. M. V. Miſſa inſtituta fuerit, id initium habuiſſe tradit idem Belethus, & ex eo Durandus, a Miraculo, quod in quidam Eccleſia Conſtantinopolis ſingulis Sabbatis contingebat; de quo Du-Freſne fuſe in ſuo Gloſſario prædicto v. *Miſſa Ferialis*. Alicubi vero, ut recenter adnotant ibidem Monachi Sancti Mauri, Miſſæ Feriales ſolemnes, & publicæ vocantur; Feriæ enim interdum dicti ſunt dies Feſti.

LXXI. Missa Annualis vocatur illa, quæ ſingulis diebus per Annum dicitur: & talis denominatio colligitur ex ſtatutis Ciſtercienſibus apud Martene *tom.* 4. Anecd. col. 1265. in quibus legitur: *Nulli Abbatum liceat amodo alicui perſonæ quotidianam Miſſam concedere, vel annualem.*

LXXII. Missa de Expectato habetur in Miſſali Ambroſiano, in quo inſcribitur *de Expectato*, & eſt illa, quæ celebratur ſolemniter in die, vigiliam Nativitatis Domini præcedente: cui Miſſæ in Miſſali Gotbico, ſeu Gallic no reſpondet præparatio ad Veſperam Natalis Domini, ut notat Mabillon *lib.* 2. *de Liturgia Gallicana, cap.* 4. optime corrigendo verbum *Præfatio*, ſicuti habetur in prædicto Miſſali Gallicano loco dicendi *Præparatio ad Veſperum Natalis Domini.*

LXXIII. Missæ de Sanctis dicuntur illæ, quæ in honorem Sanctorum agi ſolent, cum illorum memoria annua ſolemnitate recolitur. Etiam de his videri poteſt Vicecomes de Miſſæ ritibus *lib.* 1. *cap.* 4. *& ſeqq.* necnon Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 15. & Carolus Du-Freſne *in ſuo Gloſſario v. Miſſa pro Feſto Sancti alicujus.*

LXXIV. Missa Perfecta eſt illa, in qua perfectum conficitur Sacrificium, nempe quando Sacerdos conſecrat, & ſumit Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini.

LXXV. Missa vero Imperfecta dicitur illa, in qua Corpus, & Sanguis Chriſti non conficiuntur, ut eſt *Miſſa Præſanctificatorum*, & aliæ, de quibus infra.

LXXVI. Missa Catechumenorum eſt ſub genere imperfectarum, cum ſit illa pars Miſſæ, quæ conſtabat iis tantum Ritibus, qui peraguntur ab Introitu uſque ad Offertorium excluſive; & dicebatur talis, quia abſoluto ſermone poſt Evangelium, dimittebantur Catechumeni ab Eccleſia.

In varias tamen Claſſes dividebantur Catechumeni: quidam enim ab infidelitate ad Fidem converti deſiderantes, audiebant in Eccleſia verbum Dei; & iſti dicebantur *Audientes*. Alii audito ſermone procumbebant in genua; & vocabantur *Subſtrati*, ſeu *genua flectentes*. Alii in Fide recte inſtructi Baptiſmum petebant, & appellabantur *Competentes*, nempe Simul petentes. Qui vero ex iſtis in albo Baptizandorum deſcripti erant, nuncupabantur *Electi*. Verum a Sanctis PP. duæ Claſſes tantum, nempe Catechumenorum, & Competentium commemorantur; quia nomine Catechumeni, Audientes, & Subſtratos intelligunt; & Electos a Competentibus, ut plurimum non diſtinguunt. Et equidem Sanctus Iſidorus *lib.* 2. *de Divinis Officiis cap.* 21. ait: *Competentes ſunt, qui jam poſt Doctrinam Fidei, poſt Continentiam vitæ ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant; ideoque appellantur Competentes, id eſt gratiam Chriſti petentes; nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt.* Sic etiam Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus *in Libro de Sacramento Baptiſmi ad Carolum Magnum cap.* 1. utrorumque prædictorum Catechumenorum diſcrimen ſic proponit: *Differt ſane inter Catechumenos, & Competentes: Catechumeni itaque ſunt, qui primum de Gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Chriſto, audiunt Verbum Fidei, ſed nondum appellantur Fideles. Competentes autem ſunt, qui jam poſt Doctrinam Fidei, poſt Continentiam vitæ, gratiam Chriſti percipere feſtinant. Ideoque appellantur Competentes, id eſt gratiam Chriſti petentes.* Carolus tamen Du-Freſne in ſuo Gloſſario tres eorum ordines diſtinguit, ſcilicet Catechumenorum, Genuflectentium, & Competentium. De quarto nullam mentionem facit, nempe *Electorum*; ſed hunc ultimum ordinem memorat Martene de *Antiq. Eccl. Rit. part.* 1. *lib.* 1. *art.* 6. qui ex prædicto numero detrahendos eſſe arbitratur, *Genuflectentes*, quia ſpecialem ordinem non conſtituebant, ſed erant Catechumeni ſimpliciter dicti, qui in pœnam commiſſi alicujus peccati, verbum Dei genuflexi audire cogebantur. Itaque juxta eundem, tres tantum diſtinguendi ſunt Catechumenorum gradus, ſcilicet *Audientium, Competentium, & Electorum*; quos ſupra explicavimus.

Catechumeni ſimpliciter dicti compellebantur ab Eccleſia exire ſtatim poſt dictum Evangelium, vel peractum ſermonem; Competentes vero dimittebantur ab Eccleſia ſolum immediate ante Conſecrationem, cum pro ipſis aliquantulum a Fidelibus preces funderentur: unde ad orationem, quæ fit ſuper Catechumenos, expectantes genua flectebant: quando autem pronunciatum fuerat a Diacono: *Catechumeni procedite:* tunc & ipſi exibant. Hæc aſſerit Macrius *in ſuo Hierolexico v. Catechumenus*, afferendo in comprobationem ſui aſſumpti Canonem V. Synodi Neocæſarienſis; in quo tamen non habetur ſermo, niſi de pœnitentia danda Catechumenis pro delictis commiſſis in Curriculo Catechumenatus. Verum de hac multiplici expulſione Catechumenorum ſermo habetur pariter *in lib.* 5. Conſtitut. Apoſtolicarum. Rurſus de eadem mentionem faciunt Claudius de Vert *tom.* 1. *cap.* 1. *pag.* 21. necnon Card. Bona *lib.* 1. ubi ait: *Primi omnium voce Diaconi poſt Evangelium, & ſermonem admoniti exibant Infideles, & poſt illos Catechumeni primi generis, & pœnitentes ſecundi: his egreſſis monebat Diaconus Populum, quid peteret a Deo pro Catechumenis ſecundæ claſſis, qui Subſtrati dicebantur, quibus etiam indicebat, ut capita inclinarent orationibus Sacerdotum, quibus ſuper illis recitatis, & ipſi exibant. Idem Ritus, his egreſſis, erga Energumenos ſervabatur; & his poſt preces dimiſſis, vocati aderant Competentes, & Electi; & poſtquam iſti, oratione item ſuper eos porrecta, receſſerant, idem Diaconus, &c.* De hac Miſſa Catechumenorum eruditiſſime diſcurrit mox laudatus Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 10. Emmanuel a



Digitized by Google

Schelestrare in ſuo celebri opere *de Diſciplina Arcani*, *cap.* 6. ubi tractat de tempore, quo cœpit, & deſiit Diſciplina ſolemniter dimittendi Catechumenos ah Eccleſia; denique agunt etiam pereruditе de hac Miſſa Catechumenorum Antonius Bellotte in ſuis obſervatinnibus Eccleſiæ Laudunenſis *pag.* 366. & alibi: ſupra laudatus Mactius in ſuo Hierolexico v. *Catechumenus*; Du-Freſne v. *Miſſa Catechumenorum*; Claudius de Vert. loc. cit. & Jo: Grancolas *in* 2. *part. Antiqui Eccleſiæ Sacramentarii pag.* 1. *& ſeqq.* multa congerit, quæ ſpectant ad antiquam Catechumenorum Diſciplinam; in 1. vero *p. pag.* 571. agit etiam expreſſe de Miſſa Catechumenorum; & *pag.* 574. breviter tractat de Miſſa pœnitentium, & Energumenorum, de qua nos diſtincte non egimus, quia confunditur cum Miſſa Catechumenorum; Energumeni enim expellebantur ab Eccleſia poſt Evangelium, ſicut Catechumeni. Tertii autem generis pœnitentes, qui ſubſtrati dicebantur, etiam ipſi cum Energumenis, & Catechumenis dimittebantur; ad pœnitentes vero primi, & ſecundi generis nihil pertinebat Miſſa Catechumenorum: primi enim extra Eccleſiam commorabantur; ſecundi vero, licet intra fores Eccleſiæ in propileo manerent, ibique lectionem Scripturarum audirent; quia tamen nullæ erant ſuper eos manuum impoſitiones, nullæ orationes, idcirco ante Catechumenos expellebautur. Porro de variis pœnitentium gradibus v. Bona *lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 3. & Bellotte in ſuis Obſervationibus *pag.* 69. *& ſeqq.*

LXXVII. Missa Sacramentorum eſt illa, quam Miſſæ Catechumenorum opponit Ivo Carnotenſis *epiſt.* 219. in qua ſcilicet ſacra Myſteria peraguntur, a quibus arcebantur Catechumeni, ut mox obſervabimus. Hoc nomine vocatur hæc Miſſa (de qua iterum infra ſub nomine Miſſæ Fidelium) in vita Gregorii VII. PP. Sæculo ſexto Benedictino *part.* 2. *pag.* 455. *Unde contingit, ut ipſe Salvator horrenda eum viſions deterreret, cum forte poſt inchoatam Miſſam Catechumenorum reſideret ... inter hæc urgente hora ſurgendi ad lectionem Evangelii multi Fratres innuerunt, ut excitaretur ... Itaque ventum eſt ad Miſſam Sacramentorum, & tunc neceſſario expergefactus celebrandi cauſa Myſtrii.*

LXXVIII. Missa Fidelium eſt Miſſa perfecta, & eadem cum Miſſa Sacramentorum dicta, de qua ſupra; & ita dicebatur illa Liturgiæ pars, cui Fideles, & pœnitentes, qui *Conſiſtentes* appellabantur, intererant, & complectebatur Offertorium, Præfationem, Hymoum Cherubicum, Canonem, Orationem Dominicam, Communionem, & Poſt Communionem. De hac pariter fuſe, & erudite ſermonem inſtituit mox laudatus Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 16. Utriuſque Miſſæ, Catechumenorum videlicet, & Fidelium meminit, ut dixi ſupra, Ivo Carnotenſis *epiſt.* 219. quarum priorem vocat Catechumenorum, alteram vero Sacramentorum, quia in hac ſacra Myſteria peraguntur. Sermonem reſumendo de Miſſis imperfectis, ultra Miſſam Catechumenorum, ſub eorum genere continentur pariter ſequentes Miſſæ: Præſanctificatorum -- Sicca -- Nautica -- Biſaciata -- Triſaciata, &c.

LXXIX. Missa Præsanctificatorum, quæ continetur ſub genere imperfectarum, vocabatur illa, in qua Sacerdos communicabat, ſed non conſecrabat, & cum careret conſecratione, dicebatur Miſſa Præſanctificatorum, & Miſſa Imperfecta. Origo hujus Miſſæ repetenda eſt a Synodo Laodicæna, quam Baronius Annis 114. Nicænum Concilium præceſſiſſe oſtendit. Sancitum enim in dicta Synodo fuit *Can.* 49. *Non oportere in Quadrageſima panem offerre, niſi Sabbato, & Dominica tantum.* In Synodo vero Trullana *Can.* 52. ſancitum eſt: *Quod in omnibus Sanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annunciationis die fiat Sacrum Præſanctificatorum.* In Eccleſia Orientali adhuc ſervatur hic mos præſcriptus in Trullano Concilio. Occidentalis autem Eccleſia non utitur Præſanctificatorum miniſterio, niſi Feria 6. Paraſceves. De Ritu, ac modo hujus Miſſæ Præſanctificatorum celebrandæ, late, & erudite diſcutrit Leo Allatius *in epiſt. ad Naudæum*, quæ reperitur in calce operis ſui eruditiſſimi *de Eccleſia Occidentalis, atque Orientalis perpetua conſenſione.* Conſiſtit autem Ritus hujus Miſſæ Præſanctificatorum præſertim in hoc, quod die Dominica præter illius diei Oblationem, alii quinque panes conſecrantur, ſeu Hoſtiæ pro totidem ſequentibus Feriis, uſque ad Sabbatum. Tunc ſingulis diebus ſub Veſperam conveniunt Sacerdotes in Eccleſia, & in ipſa, veſpertinarum precum Officio, panis particulam in Dominica præcedenti conſecratam, ſumunt, præmiſſis quibuſdam Pſalmis, Lectionibus, & Orationibus, quas refert doctiſſimus P. Goar in ſuo Græcorum Euchologio. Mox laudatus Allatius alio modo deſcribit hunc Ritum dicendo: *Dominico die quilibet Sacerdos venturæ hebdomadæ dies, quibus celebraturus eſt, digitis ipſe ſuis numerat: inde tot particulas panis in Oblatione abſcindit, quot Miſſas dicturus eſt; eas cum particula eo die ſumenda conſecrat, & conſecratas, Sanguineque Dominico intinctas, uti moris eſt, conſervat in Pyxide; ex qua poſtmodum celebraturus, tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium uſum relictis, haurit, & diſco reponit, & in Altare majus advectam conſumit:* hæc Allatius; ſed Martene *part.* 2. *lib.* 1. *de antiq. Eccleſ. Ritib. c.* 3. *n.* 15. optime adnotat, quod ea, quæ dicit Allatius de particulis conſecratis in Sacra Pyxide conſervandis, pretioſo Sanguine intingendis, non obſervantur in omni Eccleſia Orientali, maxime vero Conſtantinopoli; ubi particulæ ſiccæ in Pyxide reconduntur. De prædicta Miſſa Præſanctificatorum late, & erudite juxta morem ſuum diſſerit Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 15. & Grancolas *Tom.* 2. antiquarum Liturgiarum, ſeu 1. *part. antiqui Sacramentarii pag.* 427. Claudius de Vert *tom.* 1. *pag.* 80. *& ſeq.*

LXXX. Missa Sicca vocatur illa, quæ caret non ſolum conſecratione, ſed etiam ſumptione Corporis Chriſti Domini: unde non eſt niſi larva, & ſimulatio quædam veræ Miſſæ; & idcirco optime appellatur *Miſſa Sicca, & Jejuna*, loco Miſſæ veræ, & perfectæ a privata quorumdam devotione introducta in gratiam infirmorum, eorumque, qui domo exire, & Miſſæ publicæ intereſſe nequibant. Ordo hujus Miſſæ deſcribitur a Prudentio Trecentiæ Epiſcopo, qui floruit ante Annos octingentos in ſuo MS. Pontificali poſt Miſſam inſcriptam: *Pro infirmo, qui proximus eſt morti.* Deſcribit etiam ordinem hujus Miſſæ Guillelmus Durandus *in Ration. Divinorum Officior. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 23. necnon liber Sacerdotalis *cap.* 34. a Leone X. approbatus, & Anno 1523. ſub Hadriano VI. Venetiis impreſſus, & iterum Anno 1560. Venetiis recuſus apud Joannem Variſcum, & ſocios. Denique deſcribit etiam ordinem hujus Miſſæ Joannes Burchardus in ſuo libro, cui titulus. *Ordo Miſſæ, &c.* Romæ impreſſo apud Antonium Pladum Impreſſorem Cameralem, Anno 1559. *Rubr.* 16. *pag.* 40. *a tergo, & ſeq.* Ejuſmodi Miſſa maxime locum habuit in Regno Galliarum, ut tradit Guido de Monte Rocherii in Enchiridion Sacerdotum *tract.* 4. *c.* 7. Quod ſpectat ad hujus Miſſæ antiquitatem, de ea fit mentio juxta aliquorum ſententiam apud Socratem *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib.* 5. *c.* 22. *& Concilium Carthaginenſe* 3. *Can.* 29. eam videtur innuere, decernens: *Ut Sacramentum Altaris nonniſi a jejuniis hominibus celebretur; Defunctorum vero commendatio ſolis orationibus fiat, ſi illi qui faciunt jam pranſi inveniantur.* Cæterum de Ritibus, & antiquitate hujus Miſſæ præter Auctores ſupra allegatos, diſſerit etiam Bocquillot *l.* 2. *cap.* 7. dicendo cum Martene, quod Carthuſienſes adhuc frequentant in Cellis ſæpius Miſſis Siccas, quarum unam de B. Maria videre eſt in eorum Breviario edito An. 1587. ut refert laudatus Martene *l.* 1. *cap.* 3. *art.* 1. *n.* 18. Hanc Miſſam tamen Siccam in Conc. Pariſienſi, An. 1212. *cap.* 12. prohibitam nonnulli cenſent his verbis: *De Sacerdotibus, qui Miſſarum multitudine onerati conductitios alios Sacerdotes habent, vel Siccas Miſſas faciunt ... propter quæ ipſos oportet conductitios habere Sacerdotes, vel alia eis vendere facienda, ut a prædictis ſe exonerent, ne Siccas Miſſas faciant pro Defunctis, ſub eadem diſtrictione prohibentur, &c.* Mihi tamen videtur prædictum Concilium non abſolute probibere hanc Miſſam, ſed ſolum declarare, hujus Miſſæ recitatione non ſatisfieri oneribus celebrandi Miſſas. Ante prædictum Concilium vetantur Presbyteri ejuſmodi Miſſas celebrare abſque Communione *in Capitul. Carol. M. l.* 1. *cap.* 6. ex qua prohibitione colligitur Miſſam Siccam non nuperam, ſed antiquam fuiſſe. Hæc referuntur in Gloſſario Cangiano v. *Miſſa Sicca.* De Canone prædicti Concilii Pariſienſis mentionem etiam facit Martene loco ſupra cit. *n.* 19. Improbant etiam hanc Miſſam Siccam Guillelmus Eſtius *Orat.* 13. *Theologica*, & Laurentius Laudmeterus *l.* 1. *de veteri Clerico, & Monacho cap.* 84. Sylvius *in* 3. *par. q.* 83. *art.* 2. *q.* 2. Mercerus *in tract. de Sacrific.* & alii. Eam tamen e contra laudat, & commendat Genebrardus *in lib. de Liturgia Apoſtolica* Gallice conſcripto c. 30. qui etiam teſtatur ſe Anno 1587. Taurini in Exequiis viri cujuſdam nobilis, qui veſpere ſepeliebatur, hujuſmodi Miſſæ cum Sacris Miniſtris ſolemniter celebratæ interfuiſſe, cui profecto diſſentiri non auſim, cum de tali Miſſa Sicca habeatur Ordo deſcriptus in laudato libro Sacerdotali, in quo exhibetur totus Ordo celebrandi Miſſam Joannis Burchardi Doctoris Argent. & Cappellæ Pontificiæ Cæremoniarum Magiſtri: & cum talis Miſſa ibi conſtet, quod non ſolum ſecrete, ſed etiam publice fuerit recitata, videtur non dubitandum, quod tunc fuerit permiſſa, & nondum prohibita. Quarti etiam *p.* 1. *tit.* 14. *dub.* 4. tenet per ſe loquendo, non videri illicitum Miſſam Siccam recitari coram infirmo, vel alio diu impedito ab auditione Sacri ob auctoritates ſupra allegatas: ſed quia hoc tempore in deſuetudinem abiit hæc Cæremonia, cenſet recitari non debere abſque licentia Epiſcopi, ad quem pertinet cura legitima uſus Sacrorum Rituum. Idem tamen Auctor procedit ad aſſereodum non videri licitum, nec permittendum recitari Miſſam Siccam in Eccleſiis, vel Oratoriis deſtinatis ad Sacrum faciendum, & ad verum Sacrificium offerendum, ne rudioribus detur occaſio erroris, & confundendi Miſſam veram cum apparenti; & ne ſimiliter detur occaſio iniquis Sacerdotibus celebrandi loco veræ Miſſæ, Miſſam cum fictione, & abſque Conſecratione, quod eſt grave ſacrilegium: quæ abſurda (inquit ipſe) ceſſant in navi, ubi ſcitur non poſſe dici veram Miſſam. Hæc autem Miſſa Sicca in navi celebrata, vocatur

LXXXI. Missa Navalis seu Nautica, & dicitur talis, quia eſt Miſſa Sicca aliquando a Sacerdotibus recitata in loco fluctuante, & vacillante, ut in mari, & fluminibus, in quibus per continuam navium vacillationem adeſt periculum effuſionis pretioſi Sanguinis e Calice; & idcirco loco Miſſæ Perfectæ, & integræ, ad ſatisfaciendum devotioni navigantium recitari ſolebat hæc Miſſa Sicca, cujus ordinem pariter deſcribit Quarti loc. ſupracit. Hanc Miſſam S. Ludovicus Galliarum

Rex

Rex quotidie celebrare faciebat quando a partibus tranſmarinis in Galliam redibat. De hac Miſſa Nautica, ſeu Navali, & ejuſdem Ritibus ſermo habetur, & ordo deſcribitur in laudato libro Sacerdotali a Leone X. approbato. in quo pariter continetur ordo Miſſæ Siccæ recitandæ coram infirmo. Ad prædictam Miſſam Navalem quod attinet videri poſſunt ea, quæ tradit Card. Bona *lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 15. *n.* 6. *&* 7. & quæ adnotata ſunt in Gloſſario Cangiano recentiſſime edito cum novis eruditiſſimis additionibus ad Joinvillam *pag.* 38. 39. Cæterum Miſſas Perfectas etiam in ipſis navibus celebratas fuiſſe, tradunt Scriptores, inter quos Joannes Monachus in Vita S. Wlfrani *n.* 4. & Euſebius Priolus in Oratione funebri Petri Delphini apud Martene *Tom.* 3. *ampliſ. Collect. col.* 1224. Hujuſmodi tamen uſus celebrandi Perfectas Miſſas in navibus, plene non probatur per ea, quæ tradit Matthæus Paris, Anno 1247. ubi de Cardin. Legato Apoſtolico ſcribit: *Cum navim aſcenſurus eſſet ... juſſit cuidam Fratri de Ordine Prædicatorum in ipſa Miſſam celebrare, quod & factum eſt non ſine multorum, qui hoc non præviderant, admiratione.* Sed de prædictis Miſſis Perfectis in navibus minime celebrandis ſermonem fuſiorem habebimus cum Gavanto *hac part.* 1. *tit.* 20. *lit. f*

LXXXII. Missa Bifaciata, et Trifaciata, &c. ſunt pariter ex genere illarum, quæ omnino imperfecte, & æquivoce tantum Miſſæ dici poſſunt. Pro harum intelligentia ſciendum eſt, quod Sacerdotes olim a variis Miſſis celebrandis ſe exonerabant, plures ſcilicet ſub uno Canone Miſſas peragendo. Et ita in quadam compoſitione inter Priorem de Ghiſortio, & Romanum Presbyterum S. Gervaſii de Ghiſortio, Anno 1181. facta, prædictus Prior de conſenſu Abbatis majoris Monaſterii, approbante Mauritio Pariſienſi Epiſcopo contentionis Arbitro, & Judice, confirmante Rottodo Rothomagenſi Archiepiſcopo, licentiam celebrandi duas Miſſas ſub uno Canone conceſſit Sacerdoti, quæ quidem compoſitio (ut refert Martene loc. ſupracit. n. XX.) conſervatur in Archivio majoris Monaſterii. Ita etiam Eremita quidem Sanctitate conſpicuus in Diœceſi Belvacenſi, An. 1191. quatuor Miſſas ſub uno Canone, divinitus juſſus, celebraſſe dicitur apud Thomam Cantipratenſem *lib.* 1. *de Apib. cap.* 3. *n.* 9. De hujuſmodi Miſſis Gregorius Caſſander in præfatione ad Ordinem Romanum hæc habet: *Ante pauca quoque Sæcula in Galliis multum uſitatæ fuerunt Miſſæ vulgo dictæ Bifaciatæ, Trifaciatæ, Quadrifaciatæ, videlicet cum plures Miſſæ diverſi argumenti uſque ad Offertorium ſæpius iteratæ, tandem uno Canone concludebantur: adverſus quas ſtudioſe ſcribit Petrus Cantor in verbo Abbreviato. Eas omnino obſoletas exiſtimo.* Hucuſque citatus Caſſander. Originem hujus abuſus adſcribit, & refert mox laudatus Petrus Cantor Sacerdotum avaritiæ, qui cum ſcirent vetitum eſſe plures Miſſas in die celebrare, has plurium Miſſarum mutilationes invenerunt, ut devotioni plurium petentium Miſſæ Oblationem, hoc modo ſatisfacerent ſub unica tantum Conſecratione, & Canone, repetendo alias Miſſæ preces, ut plura pro uno Sacrificio ſtipendia hac fraude lucrarentur: Ejuſmodi Miſſas barbaro vocabulo Bifaciatas, Trifaciatas, &c. Petrus Cantor appellavit, quia veluti duplicem, vel triplicem faciem habebant, eaſque ceu monſtruoſus, & contrarias Divinæ Inſtitutioni, & Eccleſiæ conſuetudini jure improbat, & deteſtatur. Hujuſmodi autem Miſſæ in ſuperius citato Concilio Pariſienſi Anno 1212. quod in MS. Codice reperiſſe fatetur Martene loco ſupracit. *n.* 19. probabiliter reprobatæ fuerunt: & forſan non approbando ſupra expoſitam compoſitionem, quam Martene refert loc. cit.

Hoc addendum ſupereſt circa ejuſmodi Miſſas celebrandi rationem: quod plures aliquando uno tantum concludebantur Canone; ſed interdum una etiam illarum duobus Canonibus peragebatur, reſervata uſque ad ultimum Canonem Communione. Hunc abuſum acriter perſtrinxit Synodus Toletana XII. *Can.* 5. his verbis: *Relatum eſt nobis quoſdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis Sanctæ gratiam percipere, quot Sacrificia in una die videntur offerre, ſed in uno die ſi plurima per ſe Deo offerant Sacrificia, in omnibus ſe Oblationibus a Communione ſuſpendunt, & in ſola tantum extremi Sacrificii Oblatione Communionis Sanctæ gratiam ſumunt: nam quale eſt Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans participaſſe dignoſcitur? ergo hoc modis omnibus eſt tenendum, ut quotieſcumque Sacrificans Corpus, & Sanguinem Jeſu Chriſti in Altario immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Chriſti, ſe participem præbeat.* Celebrationem etiam Sacrificii, omiſſa Communione, aperte damnavit Canon nonus Apoſtolorum. Utraque autem hæc Miſſa Sæculo 13. reprobata fuit ab Augerio Epiſcopo Conſeran. nam in ſuis MSS. ſtatutis, An. 1280. exaratis hæc ait: *Nullus plures Miſſas ſub uno Canone, vel cum uno Sacrificio, vel unam cum duobus Canonibus, vel Sacrificiis celebrare præſumat; quamvis ſub uno Canone poſſint plures Hoſtiæ conſecrari. Reprobandi ergo ſunt, qui incœpta Miſſa de die, vel alia, procedentes in ea uſque ad Offertorium, & tunc incipiunt aliam forte de Spiritu Sancto.* De prædictis Miſſis Bifaciatis, & Trifaciatis agunt Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 15. §. 7. Bocquillot *lib.* 1. *c.* 7. & Du-Freſne in ſuo Gloſſario.

LXXXIII. Missa de luce eadem ac Miſſa in Aurora: vide infra Miſſam de Galli Cantu.

LXXXIV. Missa de Aguinaldo: de ea Concilium Mexicanum, An. 1585. inter Hiſpan. *tom.* 4. *pag.* 356. ait: *Miſſæ vero, quas Hiſpanice de Aguinaldo vocant, antequam dies illuxerit, ut celebrentur, &c.* Sic autem dicta hæc Miſſa videtur, quod ſummo mane, quaſi diei primitiæ Deo offerretur.

LXXXV. Missa Matutina, seu Matutinalis vocabatur illa, quæ celebrabatur ſolemniter, vel poſt Primam æſtate; vel hyeme poſt Tertiam: ideo autem dicebatur *Matutinalis* eo quod mane decantaretur, ut paſſim teſtantur Monaſteriorum Benedictinorum tum editæ, tum manuſcriptæ conſuetudines, ſtatuta Landfranci, & Concordia Dunſtani, ad differentiam alterius Miſſæ Solemnis, quam Conventualem appellabant, & quæ meridie celebrabatur. Hujus rei luculentum teſtimonium exhibet Charta Sancti Angilberti pro Monaſterio Centulenſi in ejuſdem Monaſterii Chronica *lib.* 2. *c.* 11. ab Hariulpho relata, & habetur *tom.* 4. *Spicil. Dacher. pag.* 470. ubi hæc inter alia leguntur: Illud etiam obſervari præcipua devotione mandamus, ut nulla dies prætereat abſque Sacrarum Miſſarum decantatione, videlicet, ut ſi non plus, vel XXX. a Fratribus diverſorum Chororum per diverſa Altaria Miſſæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de Conventu, quæ mane, & meridie ſolemniſſime celebrantur. In Bobienſi Monaſterio Sæculo X. hæc Miſſa dicebatur poſt Matutinos, ut colligitur ex libro Miraculorum S. Columbani Abbatis *cap.* 7. Sæculo 2. Benedictino *pag.* 44. Ejuſdem Miſſæ mentionem facit Venerabilis Beda in Vita S. Benedicti Biſcopii *n.* 17. *lib.* 2. & habetur in Sæculo 2. Benedictino, ubi refert Ceolfridum Abbatem, qui An. 716. obiit - primo mane Miſſam in Eccleſia Beatæ Dei genitricis... quinta Feria communicantibus, qui aderant - cantaſſe. Hæc Miſſa in quamplurimis Monaſteriis quotidie cantabatur, in aliis vero nunquam; & idcirco nulla Miſſæ Matutinalis mentio fit in Rituali, ſive Ordinario Caſſinenſium, tempore Oderiſii Abbatis deſcripto. Ciſtercienſes, ut habetur in libro uſuum Ciſtercienſium *cap.* 60. Dominicis tantum, certiſque Solemnitatibus duas in Conventu Miſſas celebrabant, & idem nonnullis diebus faciebant quoque Burſfeldenſes, ut habetur in eorum Ordinario *cap.* 47. Cluniacenſes vero, & alii communiter Nigri Monachi quotidie. Dicebatur autem hæc Miſſa vel pro Monaſterii Benefactoribus, vel pro neceſſitatibus, perſoniſque publicis: unde S. Angilbertus in ſua pro Centulenſibus Monachis Charta jubet, ut in duabus de Conventu Miſſis quæ mane, & meridie ſolemniſſime celebrantur: *Quot die memoria Sanctiſſimi Papæ Hadriani, & glorioſi Domini mei Auguſti Caroli, conjugis, & prolis ejus teneatur.* Prædicta Charta habetur *Spicil. Dacher. tom.* 4. *pag.* 470. & Sanctus Dunſtanus in Concordia Regulari Monachorum, Sanctimonialiumque Angliæ præſcribit *cap.* 1. ut - Eadem Matutinalis Miſſa pro Rege, vel quacunque neceſſitate imminente celebretur - In libro vero Miraculorum S. Bercharii Abbatis *n.* 13. qui liber habetur in Sæculo 2. Benedictino, legitur, quod Adſo Dervenſis Monaſterii Abbas juſſit celebrari Miſſam Matutinalem pro Heriberto Comite gravi morbo laborante. De hujuſmodi Miſſarum Matutinalium origine, uſu, atque Ritibus videndi ſunt Martene ex quo ſupradicta collegimus *tom.* 1. *de Monachorum Ritibus lib.* 2. *cap.* 5. Vicecomes *de antiq. Miſsæ Ritibus lib.* 3. *cap.* 27. necnon Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 22.

LXXXVI. Missa Cardinalis. De hac Miſſa hoc loco agimus, quia erat Miſſa Matutinalis celebrari ſolita in Ara, quæ Cardinalis appellabatur. De hac Miſſa fit mentio in Sæculo 3. Benedictino *part.* 1. *pag.* 132. ubi referuntur Miracula S. Bertini, & in prædicta pagina inſeruntur hæc verba: *Nam poſt Sanctum Paſchalis Reſurrectionis diem, tranſcurſis duodecim diebus, die Dominico, hora, qua Cardinalis Miſsæ conventus publice agebatur, &c.* Quæ verba (ut optime ponderant Monachi Congregationis Santi Mauri in ſuis Additionibus ad Gloſſarium Cangianum *tom.* 4. *col.* 817. ſub dicto verbo *Miſsa Cardinalis*) accipienda videntur de Publica, ſeu Solemniori Miſſa: quæ quidem eſt etiam Caroli Du-Freſne Auctoris dicti Gloſſarii ſententia in voce *Cardinalis*, ubi Altare Cardinale præcipuum interpretatur: haud gratis certe, cum ibidem *Altare Capitanum*, & apud Bovonem *Ara Principalis* idem Altare vocetur. Cenſet tamen Jo. Mabillon (relatus ab iiſdem Monachis) Sæculo ſupracit. *pag.* 146. *Altare Cardinale* idem eſſe, quod primum Altare in Apſide, ſeu in fronte Baſilicæ pone majorem Aram locatum (quæ Aræ ita locatæ in Apſide Baſilicæ pone majorem Aram adhuc reperiuntur in quatuor Romanis Patriarchalibus Baſilicis) in quo Miſſa Matutinalis celebrari ſolebat: id firmat cit. Mabillonius, necnon Martene loc. ſupra cit. *num.* 3.

LXXXVII. Missa Minor eadem pariter quæ Matutinalis, & refertur a prædictis Monachis Sancti Mauri loc. ſupracit. & eadem col. 821. de qua etiam fit mentio in Sæculo 2. Benedictino *pag.* 44. ubi ſermo habetur de Miraculis Sancti Columbani, & ſequentia leguntur: *Finitis vero Matutinis, & ad minorem Miſsam venientibus ipſe advenit; Diaconus vero in ambonem aſcendens Evangelium pronuntians, &c.* Martene, quoque loc. ſupracit. vocat Miſſam Matutinalem Solemnem Minorem, quia cantabatur ſine Miniſtris, ad differentiam alterius Miſſæ Conventualis ſub meridie decantatæ, quam appellat Miſſam Solemnem Majorem.

LXXXVIII. Missa Peregrinorum erat pariter Miſſa Matutinalis-

Digitized by Google

tutinalis, ita probabiliter denominata, quia pro commoditate pauperum, & peregrinorum celebrabatur, & oblata eis tribuebantur. De hac Miſſa Gatid. *Diſciplinæ Farſ. cap. 2.* mentionem facit dicendo: *Poſt Capitulum aliquantulum intervallum factum ſonent ſignum ad Matutinalem Miſſam pro adunatione pauperum, & Sacerdos, qui alia hebdomada Majorem Miſſam cantaverat, Miſsam Peregrinorum dicat, & oblata tribuat.* Hanc etiam Miſsam referunt laudati Monachi ſupracit.

LXXXIX. Missa Vespertina, ſeu Serotina, quæ etiam Quadrageſimalis dicta eſt, erat illa, quæ ſub Veſperam celebrabatur, videlicet circa quintam, aut ſextam horam poſt meridiem, ut obſervat Joannes Prævotius in ſuis notis ad librum de Officiis Eccleſiaſticis Joannis Abrincenſis Epiſcopi *n.* 273. De hujuſmodi Miſſis erudite juxta morem ſuum differit Vicecomes loc. ſupracit. *cap.* 28. *& ſeqq.* in quibus diligenter inquirit: unde Miſſarum Veſpertinarum uſus originem duxerit; quibus diebus prædictæ Miſſæ dicerentur; & utrum poſt ſumptum cibum, vel a jejunis celebrarentur. Caſalius pariter de veteribus Chriſtianorum Ritibus *cap. 9. pag. mihi 96. & ſeqq.* agit de hac Miſſa Veſpertina. Macrius *in ſuo Hierolexico v. Miſſa Sicca pag. mihi 367.* cenſet Miſſam Veſpertinam, ſeu Veſpertinalem non fuiſſe veram Miſſam, ſed tantum Siccam: quia in ea, ait ipſe, a Sacerdotibus ante ſolutionem jejunii conſecrata Hoſtia Dominicæ præcedentis ſumebatur, adeoque conveniebat cum Miſſa Sicca, quia non conſecrabatur Hoſtia; & ab eadem Sicca diſcriminabatur, quia in Veſpertinali ſumebatur Hoſtia conſecrata, in Miſſa vero Sicca nulla habetur Hoſtiæ Conſecratio, neque Hoſtiæ conſecratæ ulla habetur ſumptio. Sed melius diceretur, poſito quod in Miſsa Veſpertina ſolum ſumatur Hoſtia antecedenter conſecrata, ejuſmodi Miſſas Veſpertinales convenire omnino cum Miſſis Præſanctificatorum. Præterire non debeo, quod prædictæ Miſsæ tam Matutinæ, quam Veſpertinæ cenſebantur Privatæ, non vero Publicæ a Concilio Vaſen. celebrato Ann. 329. propterea quod nulla Lex præcipiebat, quod in Miſſis Fideles intereſse deberent. De Miſſis quoque Matutinis, & Veſpertinis reperiuntur Sanctiones in Concilio Agathenſi *cap.* 30. & in Concilio Aurelianenſi III. *cap.* 28. Rurſus de Miſſis Veſpertinis mentio facta eſt etiam in Concilio Mariſconenſi *Can.* 9. ubi dicitur has Miſsas ordine Quadrageſimali celebrari; quia nimirum in Quadrageſimæ Feriis ad Veſperam differebantur; Concilium vero Bracarenſe II. *Can.* 9. iiſdem Miſſis Veſpertinis aſſignat horam nonam, vel decimam.

XC. Missa Nocturna erat illa, quæ noctis tempore celebrabatur. Plures olim fuiſse Miſsas Nocturnas, antiqua Monumenta declarant; at ex his ea ſola permanſit, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Reliquæ Miſsæ Nocturnæ prohibitæ ſunt, & in deſuetudinem omnino abierunt, quarum præcipua erat Miſsa Sabbati Sancti, pertinens ad diei ſequentis noctem, in qua Chriſtum reſurrexiſse creditur. Joannes Prævotius ſuperius allegatus *num.* 272. aſserit in Sabbatis quatuor Temporum celebratas fuiſse Miſsas Nocturnas: ait enim, quod ob Officii prolixitatem, & Sacram Ordinationem, Miſsa ſæpe uſque ad noctem Dominicæ protendebatur. De his Miſſis Nocturnis videri poteſt Card. Bona *lib. 1. cap.* 21. §. 4.

XCI. Missa de Galli Cantu eſt eadem, quæ de Aurora hodie dicitur: de hac ſermonem habet Gaufridus Voſienſis in Chronico *part. 1. cap. 27. tom. 2.* Bibliothecæ Labbeanæ, ubi habentur hæc verba: *Miſsam de Galli Cantu Dominicæ Nativitatis in Eccleſia puellarum Sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Regulam, decantavit* (Urbanus II. PP.) *Miſsam de Luce in Baſilica Regali apud Sanctum Martialem celebravit: inde triumphaliter coronatus ad Sedem Apoſtolicam Epiſcopalem.* Hinc Jo: Mabillon Miſsam de Galli cantu *tom.* 5. Annal. Benedictinorum *pag.* 361. interpretatus eſt eſse primam Dominicæ Nativit. quæ celebratur in nocte, & *Miſſam de Luce* opinatus eſt eam, quæ dicitur in Aurora.

XCII. Missa Diei erat illa, quæ dicebatur poſt Miſſam Matutinalem, orto jam die, de qua mentionem facit Joannes Epiſcopus Abricenſis *de Officiis Eccleſiaſt. pag.* 36. allegatus a Carolo Du-Freſne in ſuo Gloſſario v. *Miſſa*.

XCIII. Missa Nova: ita denominatur illa, quæ a novo Sacerdote, prima celebratur, in Concilio Valliſoletano, Anno 1322. inter Hiſpan. *tom. 3. pag.* 558. ubi habentur hæc verba: *Miſſam novam poſt conſecrationem infra ſex menſes ſolemniter celebrant, niſi legitime fuerint impediti.* Et Concilium Taraconenſe, Anno 1591. ibidem *tom. 4. pag.* 564. ait: *Atque etiam quæ in primo Sacerdotis cujuslibet Sacrificio, quas novas Miſſas vocant, &c.*

XCIV. Missa Novella eadem, ac prædicta Miſsa Nova, quæ ſic *Novella* dicitur *in epiſt.* 125. Petri Delphini apud Martene *tom. 3. ampliſs. collect.* 1071. *D. Benedictus Dominica proxima Miſsam Novellam celebraturus eſt, neque magno* (ut moris eſt) *apparatu.*

XCV. Missa Scrutinii erat illa, quæ in Feria IV. hebdomadis quartæ Quadrageſimalis celebrabatur, & quæ ad Catechumenos directa intelligebatur; nam incipiendo ab Introitu de illis eſt ſermo; in illis verbis (*cum ſanctificatus fuero in vobis effundam ſuper vos aquam mundam*) in eo pariter ſenſu legitur epiſtola, ac clarius Evangelium, in quo habetur cæci nati miraculum, Natatoria Siloe viſum recipientis; quod Symbolum revera Catechumeni eſt, qui ſpirituale lumen in Sacro Baptiſmatis fonte recipit, ut in Homilia ejuſdem diei explicat Divus Auguſtinus. De hac Miſſa mentionem facit Macrius in ſuo Hierolexico v. *Scrutinium*, ubi etiam advertit, quod in ordine Romano prædicta Feria antonomaſtice vocabatur, *Feria Scrutinii*. Scrutinia in Eccleſia Romana ſeptem in Quadrageſima celebrata fuiſſe conſentiunt omnes Auctores, qui de Ritibus Eccleſiaſticis ſcripſerunt; quæ quidem Scrutinia non erant niſi examina, & inſtructiones Catechumenorum, qui baptizari in proximo debebant. Primum ex dictis Scrutiniis fiebat in Feria IV. & ſecundum in Sabbato tertiæ Quadrageſimalis hebdomadæ. Tertium vero, quartumque Scrutinium fiebat in iiſdem diebus quartæ hebdomadæ ſequentis: & quia tertium ſolemnius erat cæteris, teſtante Amalario *lib. 1. de Eccleſ. Officiis cap. 8. de ſecunda varietate quartæ hebdomadæ Quadrageſimæ*, ubi loquendo de prædicta quarta Feria ait: *Eadem die agitur Scrutinium tertium, quod maximum eſt inter ſeptem Scrutinia*: Idcirco illa Feria appellabatur, ut diximus, antonomaſtice, Feria Scrutinii. Quintum autem, & ſextum Scrutinium convocabatur in iiſdem diebus quartæ, & quintæ Quadrageſimalis hebdomadæ. Ultimum tandem erat in quarta Feria ſextæ hebdomadæ. Verum juxta ſententiam Vicecomitis *lib. 3. de Baptiſ. cap.* 23. quartum quintum, & ſextum Scrutinium nullum tempus certum, ſed varium Epiſcopi arbitratu habuerunt. Juxta autem ſententiam Edmundi Martene *lib. 1. de Eccleſiæ Ritib. art.* 11. *n.* 3. quartum, & quintum Scrutinium habebantur hebdomada quinta; ſextum vero, & ſeptimum hebdomada ſexta. Sed in Epiſtola Jeſſe Ambianenſis Epiſcopi ab eodem Martene citata, ſextum, & ſeptimum Scrutinium in aliis diebus fiebant. Denique juxta ſententiam Card. Bona ſeptimum Scrutinium habebatur in Vigilia Paſchæ, & pro prædictis examinibus in qualibet præcedenti Dominica, vel alio die invitabatur univerſus Fidelium cætus, & in Dominica Palmarum, ut mox dicemus, tradebatur Symbolum Competentibus; a quibus repoſcebatur reddendum, vel in Feria quinta majoris hebdomadæ, quæ vocatur in Cœna Domini, ut in Canone Laodiceni Concilii continetur, vel in Sabbato Sancto juxta Ordinem Romanum, ut teſtatur Amalarius ſupracitatus *c.* 12. De hujuſmodi Scrutiniis, quæ præmittebantur Baptiſmo conferendo Catechumenis Competentibus, præter citatos Auctores, longum, & eruditum ſermonem inſtituit Menardus in ſuis commendatiſſimis notis, & obſervationibus in librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ *pag.* 118. ubi affert Libellum Theodolphi de Ordine Baptiſmi, & deinde *pag. 136. & ſeqq.* in quibus ſuis notis, & obſervationibus textum præfati Auctoris illuſtrat.

Prædicta tamen Scrutinia in ſola Romana Eccleſia, aut in Eccleſiis, quæ Ritum Romanum ſequebantur, celebrata fuiſſe contendit Vicecomes *in l. 3. de Baptiſmi Ritibus c.* 21. ſed Martene *loc. ſuperius cit. art. 11. n.* 2. obſervat quod ſuæ ipſius Eccleſiæ oblitus fuiſſe videtur Doctiſſimus vir, nam Mediolanenſis, uti & Africana, Hiſpanica, Gallicana, atque etiam Græca, quæ proprium, non Romanum Ordinem obſervabant, ſua æque habuere Scrutinia. De Mediolanenſi prædictus Martene locupletiſſimum dicit ſe perhibere teſtem Divum Ambroſium *in lib. de Myſteriis c.* 1. ubi ſic loquitur: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis ſignificavimus cum apertionis celebrantes Myſterium, diceremus, Epheta, quod eſt adaperire, ut venturus unuſquiſque ad gratiam, quid interrogaretur cognoſceret, quid reſponderet meminiſſe deberet.* quibus verbis ſolemniſſimum omnium Scrutinium, quod dicitur *in apertione aurium* deſignat. De Africana, & de Hiſpanica, teſtes pariter locupletes producit laud. Martene. Ad Gallicanam vero Eccleſiam quod ſpectat, nullum dubitandi locum permittit vetus Miſſale Gallicanum a V. Card. Thomaſio editum, cujus *c.* 9. inſcribitur: *Ad faciendum Scrutinium*: & hæc ſint ſatis de hac Miſſa Scrutinii. Qui plura ſcire cuperet de hac materia, adire poterit ſuperius allegatos Sapientiſſimos Auctores.

XCVI. Missa in traditione Symboli erat illa, quæ adhuc habetur in Miſſali Gothico Gallicano *pag.* 318. & eſt ſeptima Quadrageſimæ. Ita vero inſcribitur, quia illo die, nempe in Dominica Palmarum, tradebatur Symbolum Competentibus. Hi enim dicta Dominica ſe conferebant in Eccleſiam humiliata cervice, ſubſtrato cilicio, nudis pedibus inſufflabantur, exorcizabantur, Satanæ renuntiabant ejuſque pompis, & operibus, & Symbolum eis tradebatur, nimirum exponebatur; jejunia eis indicebantur, quæ uſque ad Baptiſmi diem ſervare deberent cum abſtinentia ab uxoribus; quæ omnia plana fiunt a S. Auguſtino *lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos c. 1. & lib. de Fide, & Operibus c.* 6. Et S. Ambr. *lib.* 5. *ep.* 33. ait: *Sequenti die* (*erat autem Dominica*) *poſt Lectiones, atque Tractatum dimiſſis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſteriis tradebam Baſilicæ.*

Divo Auguſtino ſubſcribit S. Iſidorus *lib. de Offic. Eccl. c.* 27. de die Palmarum, ubi ait: *Hoc die Symbolum Competentibus traditur propter confinem Dominicæ Paſchæ Solemnitatem; ut qui jam ad Dei gratiam percipiendam feſtinant, Fidem, quam confiteantur, agnoſcant.* Hoc idem colligitur ex Concilio Agathenſi

Digitized by Google

thenſi apud Gratianum *diſt. 4. de Confecr. Can. 56.* in quo ſancitur: *Symbolum etiam placuit ab omnibus Eccleſiis una die, ideſt ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis publicæ in Eccleſia Competentibus prædicari.*

Aſſeverat Martene loc. ſuperius cit. n. XI. eam fuiſſe conſuetudinem Gallicanæ, Hiſpanicæ, & Mediolanenſis Eccleſiæ, tradere nempe Symbolum prædicta Dominica in Ramis Palmarum, ſed n. XII. idem ait, longe alium fuiſſe Eccleſiæ Romanæ morem, idemque colligit ex Ordine Romano, traditum ſcilicet fuiſſe Symbolum, & etiam Orationem Dominicam, Feria quarta hebdomadæ quartæ Quadrageſimæ, in ſolemniſſimo omnium Scrutinio *in apertione aurium* dicto. Alius etiam extitit uſus Africanæ Eccleſiæ, in qua Symbolum tribus ante Paſcha hebdomadis, ſcilicet Sabbato ante Dominicam quartam Quadrageſimæ tradebatur reddendum octo poſt diebus, ſcilicet Sabbato ante Dominicam quintam, in qua tradebatur Oratio Dominica; & ipſa octavo poſt die reddenda, nimirum Sabbato ante Dominicam Palmarum; ac demum Sabbato Sancto redditum fuiſſe ſecundo Symbolum propter eos, qui prima vice illud memoriæ minus tenaciter retinuerant. Ita idem Martene *l. c. n. 13.* qui ulterius procedit. n. XIV. ad aſſerendum aliam fuiſſe Eccleſiæ Bethlemitanæ, & aliam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conſuetudinem, quo ad dies tradendi Symbolum.

Modus autem, qui ſervabatur io traditione Symboli, accurate deſcribitur a Martene ibidem *n. 16.* Rurſus optime etiam deſcribitur in Ordine Romano, qui habetur in Collectione Hittorp. *in denunciatione Scrutinii ad Electos*, & refertur a Card. Bona *lib. 1. c. 16. §. 2.* his verbis: *Præmiſſis exorciſmis, lectiſque initiis quatuor Evangeliorum, Symbolum ipſis recitabatur, primum Græce, deinde Latine, addita Præfatione Paræneticà, & ſubjuncta Appendice in ejuſdem Symboli commendationem. Orationem quoque Dominicam nefas erat Catechumenis diſcere, vel recitare, ſed eam audiebant poſt Symboli traditionem, adjecta ſingulis petitionibus, brevi, & ſolida expoſitione*, quam perbibet mox laudatus Card. Bona *lib. 2. cap. 15.* & habetur etiam talis expoſitio in Codice Gelaſiano a Cardin. Thomaſio edito *pag. 58. & ſeqq.* In Miſſali autem Gallicano veteri, Romæ edito, curante eodem Card. Thomaſio, & iterum recuſo Pariſiis, opera, & ſtudio Joannis Mabillon n. XI. datur expoſitio, vel traditio Symboli, & n. XII. datur expoſitio Evangeliorum io aurium apertione ad electos.

Ad dies vero reddendi Symbolum quod attinet, certum eſt in Eccleſia Romana aſſignatum fuiſſe Sabbatum Sanctum, ut liquido conſtat ex S. Gregorii Papæ lib. Sacramentorum a Pamelio edito, in quo prædicta die legitur Oratio *Ad reddentes* cum hac Rubrica: *Dicit Dominus Papa poſt: Piſteves?* ΠΙΣΤΕΥΕΙΣ, ideſt *credis?* qua interrogatione Symbolum reddentibus facta incipiebant. In Eccleſia autem Africana octavo (ut ſuperius innuimus) poſt illius traditionem die, Symbolum reddebatur, ut præter Auguſtinum docet Ferrandus Diaconus *in ep. ad S. Fulgentium*, quæ inter Fulgentianas eſt undecima. In Coocilio vero Laodicæno *Can. 46.* decernitur, ut baptizandi Fidei Symbolum diſcant; & quiota Feria ultimæ ſeptimanæ Epiſcopo, vel Presbytero Competentes reddere debeant. Ita etiam Martinus Bracarenſis *c. 49.* idem ſtatuit bis verbis: *Oportet autem in ipſis diebus, ut ii, qui baptizaudi ſunt, Symbolum diſcant: & quinta Feria noviſſimæ ſeptimanæ Epiſcopo, vel Presbytero reddatur.* Sed ex Ordine Gelaſiano id tantum præſtabant Sabbatorum die mane. Gelaſio conſentiunt antiqui Codices M.SS. Gelonenſis, Rhemenſis, Sancti Remigii, Noviomanenſis, Regius Gallicanus, & alii. De hujuſmodi Miſſa in Symboli traditiooe breviter loquitur ſuperius laudatus Joannes Mabillon lib. de Liturgia Gallicana in ſuis notis, & obſervationibus, quæ habentur §. XXXII. poſt legeoda io Dominica Palmarum.

Circa præfati Symboli traditionem quæſtio eſſe poſſet: utrum baptizandis traderetur Symbolum Nicænum, an vero Conſtantinopolitanum? Edmundus Martene *lib. 1. de antiq. Rit. Eccl. cap. 1. art. 11. n. 10.* exiſtimat poſt Concilium Conſtantinopolitanum primum Cathecumenis, antequam baptizarentur, traditum eſſe Symbolum Nicænum; & ſuam opinionem probat auctoritate Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, Anno quingenteſimo trigeſimo ſexto celebrati, ubi actione 6. hæc leguntur: *Nam ſpecialiter Symbolum tre-centorum decem, & octo SS. Patrum, in quo baptizantur, ipſæ tres ſanctæ Synodi conſona confirmarunt.* Sed cum Symbolum Conſtantinopolitanum in Nicæni locum ſuffectum fuerit, nomine non mutato; unde omnes Conſtantinopolitana poſteriores Synodi, & Patres quoties de Nicæno Symbolo loquuntur, paſſim intelligunt Conſtantinopolitanum, neque tamen Conſtantinopolitanum, ſed Nicænum vocant; & etiam hodie nos, quod ad Miſſarum ſolemnia cantamus, Nicænum dicimus, cum tamen ſit Conſtantinopolitanum, ut obſervavit Lupus *tom. 1. Conc. c. 4.* eum, inquam, Conſtantinopolitanum Symbolum Nicænum appellatum fuerit, ſuſpicandi locus datur in prædicto loco, & aliis locis a Martene citatis, ſermonem eſſe de Symbolo Conſtantinopolitano, quod, ut adnotavi, dicitur Nicænum; quia in illo Nicæna Fides magis expolita fuit, & confirmata: hinc ipſemet Martene fatetur in vulgato Ordine Romano, in Ordine Gelaſiano, in Pontificali Saliſburgenſi, io vetuſtiſſimo Codice Rhemenſi Annorum 900. & in primo Ordine Scrutinii Codicis Gelonenſis notari Conſtantinopolitanum Symbolum, non Nicænum: & ſane convenientius videtur, ut optime etiam obſervat Franciſcus Pagius in ſuo Breviario Hiſtorico Sæculo IV. n. 18. Conſtantinopolitanum Catechumenis traditum fuiſſe, ut de Divinitate Spiritus Sancti edocerentur, quæ in Symbolo Nicæno clare expreſſa non erat, ut fuit in Conſtantinopolitano.

XCVII. MISSA CHRISMALIS erat illa, quæ dicebatur quando conficiebatur Sacrum Chriſma: de qua fit mentio in libr. Sacramentorum Sancti Gregorii Magni in Codice Rhemenſi, & a Menardo in ſuis notis, & obſervationibus *pag. 77.* necnon a Carulo Du-Freſne in ſuo Gloſſario v. *Miſſa*: Talis Miſſa ſic inſcripta habetur etiam in ſupracitato Codice Gelaſiano *pag. 68.*

XCVIII. MISSA AD PROHIBENDUM AB IDOLIS, de qua fit mentio in Codice Rhemenſi apud Menardum, eſt illa, quæ celebratur in die Circumciſionis Domioi ad evellendas, quæ olim Kalendis Januarii ab ipſiſmet Chriſtianis obſervabantur, Paganorum ſuperſtitiones. De hac pariter mentionem facit mox allegatus Du-Freſne, in ſuo Gloſſario, v. *Miſſa*, & de qua nos etiam locuti ſumus ſuperius, ubi egimus de pluralitate Miſſarum in eadem die. Hæc pariter Miſſa ſic inſcripta reperitur in ſapracit. Codice Gelaſiano *pag. 19.*

XCIX. MISSA PRO DECIMIS SOLVENDIS erat illa, in qua Epiſcopus prædicare debebat, ut Plebs Decimas redderet. De hac Miſſa habetur Sermo 277. in nova Appendice Sermonum Sancti Auguſtini Cæſario adſcriptus: & habitus eſt paulo ante Nativitatem Sancti Joannis Baptiſtæ. Quibus ex rebus darentur Decimæ, patet ex *n. 1. Decimæ tributa ſunt egentium Animarum: redde ergo tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus: quod ſi Decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet Agricola; quodcumque te paſcit ingenium Dei eſt: & inde Decimas expetit unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde Decimas.* Huc ſpectant epiſtolæ Epiſcoporum Provinciæ Turonicæ ad Plebem ſcriptæ in Concilio Turonenſi 2. & *Can. 5.* ſecundæ Synndi Mariſconenſis: videri etiam poteſt liber Cypriani de Lapſis, editionis Oxonienſis ſub finem libri. Hujus Miſſæ fit mentio in antiquiſſimo Lectionario Gallicano, edito a præclariſſimo Mabillon *in lib. 2.* de Liturgia Gallicana ſub. n. LXXVII, ex cujus notis, & obſervationibus collegi ea, quæ mox expoſui.

C. MISSA PRO REQUIE SANCTORUM OBLATA eſt illa, quæ habetur in Miſſali Mozarabico, intitulata: *Pro ſpiritibus Pauſantium, ſeu Confeſſorum*: fiebat enim antiquitus Miſſæ oblatio, etiam pro requie eorum, qui Sancti credebantur, nimirum, ut pro eorum requie gratiæ Deo redderentur. Hunc faciunt omnia ea, quæ adnotat Pamelius in librum Tertulliani ad Martyres *n. 22.* ubi referens verba S. Cypriani, quæ habentur *in ep. 16. ad Confeſſores, & Martyres*, & ea quæ habentur *in epiſt. 6. n. 7. nunc 37.* in hunc modum ſcribentis: (loquendo de aliquibus Martyribus) *Denique & dies eorum, quibus excedunt, ut Commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus, & devotiſſimus frater noſter ... ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere Beati fratris noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitus tranſeunt, ut & celebrentur hic a nobis Oblationes, & Sacrificia, ob Commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum, Domino proſperante, celebrabimus.* Rurſum *ep. 34. Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies, Anniverſaria Commemoratione celebramus.*

Præterea laudatus Pamelius ibidem allegat Divi Auguſtini Textum (qui tamen Auguſtini non eſt) ex libro de Virginibus excerptum, in quo indicatur Eccleſiæ conſuetudo Sacrificium pro Martyribus offerendi, his verbis; *Perhibet præclariſſimum teſtimonium Eccleſiaſtica auctoritas, in qua Fidelibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad Altaris Sacramenta recitentur.* Poſt quæ verba Sancti Doctoris ſubdit Pamelius *cit. loc. Gratulatoriæ ergo preces, erant, quibuſcum Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignitatis contuliſſet: tum ſimile donum Cælitus ſibi dari concordibus notis flagitabant, ceu adhuc canit Eccleſia: Gaudeamus in Domino, & reliqua.* Ita pariter Tertullianus *in lib. de Corona Militis*, ait: *Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis Annua die facimus*: quæ poſteriora verba Pamelius, in ſuis eruditiſſimis adnotationibus, pro Natalitiis Martyrum intelligit, & eodem modo explanat, quo paulo ante, nimirum, quod celebrabantur Sacrificia ad reddendas Deo grates pro Martyrum Corona illis conceſſa, quorum Annua Natalitia recolebantur. Ex quibus omnibus liquet in quo ſenſu antiquitus offerebatur Miſſa etiam pro Requie Sanctorum. De qua Miſſa mentionem pariter fecit ſuperius laudatus Mabillon eodem loco.

CI. MISSA REVOCATA dicebatur illa, in qua Populus antea dimiſſus, denuo ad Sacrificium revocabatur. Favet huic interpretationi Gregorius Turonenſis *in lib. 1. de Gloria Martyrum c. 51.* ubi eodem loquendi modo utitur: *Vade, & vigila totam noctem in honore, ac revoca Miſſas, & liberaberis a Plaga.* Ideſt (ut notat Doctiſſimus Mabillon *lib. 1. de Liturgia Gallicana §. 4.*) celebra Miſſas; nam familiare eſt Gregorio, ut Miſſæ etiam a laicis celebrari dicantur. De hac Miſ-

ſa

ta Revocata mentionem facit Fortunatus in libello de Vita Sancti Germani Pariſiorum Epiſcopi *cap. 60.* itemque *in lib.* 1. de Vita Sanctæ Radegundis, cujus verba referuntur a Mabillon loc. ſuperius citato.

Ultimo loco recenſebimus genus illarum Miſſarum, quæ prohibitæ, & proſcriptæ fuerunt ab Eccleſia, quarum aliquas jam ſupra expoſuimus, inter quas numerari poſſunt Miſſa Occulta, Solitaria, Veſpertina, Biſaciata, &c. Nocturna (non autem illa, quæ celebratur nocte Nativitatis) nunc vero deſcendendimus ad paucas ſequentes explicandas, quales ſunt Miſſa Revelata - Judicii - & pro Morte Inimicorum.

CII. Missa Revelata erat quædam Miſſa ſuperſtitioſa, quæ ſequenti Canone proſcripta fuit in Concilio Valentino, Anno 1565. inter Hiſpan. *tom. 4. pag. 73. Synodus præcipit ſuperſtitioſum cultum Miſſarum, quæ dicuntur Revelatæ, & S. Amatoris, & aliarum quarumcumque ſimilium aboleri: certum etiam Candelarum numerum, qui ſpeciem ſuperſtitionis habet, rejiciendum eſſe duxit.*

CIII. Missa Judicii erat illa, quæ celebrari olim conſueverat cum aquæ fervidæ, ſeu ferventis, vel etiam ferri candentis examine, & judicio, quando veritas ab aliquo erat eruenda; qui Ritus ſolemnis erat etiam Sæculo XI. Sancta enim Cunegunda, Sancti Henrici II. Cæſaris Conjux, hoc improbo examine ferri candentis purgata fuit: ſed talis Miſſa poſtea fuit abrogata, & proſcripta. Ritus hujus Miſſæ in eum, qui ad purgationem damnatus erat, deſcribitur a Dunſtano Archiepiſcopo Dorobernenſis Eccleſiæ his verbis: *Cum homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes: accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos in Eccleſiam, & coram omnibus illis, cantet Presbyter Miſſam, & faciat eos ad ipſam Miſſam offerre.* Totus Ordo hujus Miſſæ refertur a Doctiſſimo P. noſtro Aloyſio Novarino *in lib. 5. Sacrorum Electorum c. 40. pag. 225.* necnon a Macrio *in ſuo Hierolexico v. Miſſæ Judicii pag. mihi 364.* Plures etiam ejuſdem Judicii Miſſas, ex variis Codicibus MSS. collegit, & evulgavit Edmundus Martene *tom. 3. lib. 2. de antiquis Eccl. Rit.*

CIV. Missa pro Morte Inimicorum erat illa, de qua in Canone *quicumque Sacerdotum, Diſt. 26. quæſt. 1.* ſic habetur: *Plerique etiam Sacerdotum ſauciati inimicitiæ dolo, Miſſam pro Requie Defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis ſtudent celebrare hominibus, ut is pro quo ipſum offerunt Sacrificium, mortis incurrat periculum.* Hæc Miſſa antiquitus frequentabatur in Hiſpania: ſed jure merito, tanquam ſuperſtitioſa, & vindicativa condemnata, & prohibita fuit ſub graviſſimis pœnis, *Anno 694. in Concilio Toletano Can. 5.* De hac pariter Miſſa mentionem facit Macrius in ſuo Hierolexico, v. *Miſſa pro Morte Inimicorum*, pagina mihi 366.

Ecce præcipua, & diverſa Liturgiarum, & Miſſarum genera, quæ ſummo labore ex variis Eccleſiaſticis Monumentis, necnon ex ſelectis Auctoribus colligere potui, ut nihil deſideretur ad Coronidem harum Prænotionum. Fateri compellor me quidem in his Liturgicis Prænotionibus, & veluti Præliminaribus obſervationibus nimium diu moratum eſſe: ſed erudito Lectori hoc, ut ſpero, gratum accidet; cui tamen ne moleſtus ſim, in ſequentibus Obſervationibus, & Additionibus contractiorem ſtylum, & conciſiorem methodum me adhibiturum promitto.

## R U B R I C A.

### De Duplici I.

*Miſſa dicitur de duplici illis diebus, quibus in Calendario ponitur hæc vox, duplex, & in Feſtis mobilibus quandocunque Officium eſt duplex, in duplicibus dicitur* (f) *una tantum Oratio, niſi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, ut propriis Miſſis aſſignatum eſt. Quando dici debeat, Gloria in excelſis, & Credo, inferius ponitur, in propriis Rubricis.*

### *G A V A N T U S.*

(*f*) *Una tantum Oratio.* Vide infra *tit. 9.* de Orationibus, cur una tantum.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *Miſſa dicitur de duplici illis diebus, &c.*) Miſſa regulariter reſpondet Officio; unde illis diebus, in quibus recitatur Officium duplex, ſive ſub Ritu duplici, debet reſpondere Miſſa pariter de duplici: idem dicendum eſt de Dominica, quæ in hac re æquiparatur duplicibus. Exceptiones ab hac regula dabimus infra in titulo de Feria, & Vigilia, & etiam in titulis de Miſſis Votivis, & Defunctorum. Hoc loco tamen obſervandum eſt, quod Sacerdos dicto licet Officio de duplici, vel de Dominica, ſi celebret ex obligatione, vel ex devotione in Eccleſia aliena, ubi colitur Feſtum aliquod ſolemne v. g. Patroni vel Dedicationis, &c. vel aliud quoque Feſtum cum ſolemnitate, conformare ſe debet in Miſſa celebranda tali Eccleſiæ; adeoque Miſſam dicere de tali Feſto, ex Miſſali Romano, & quæ generaliter pro omnibus eſt approbata; alioquin de Communi, & cum Ritu illius Eccleſiæ dicere *Gloria*, & *Credo*, & unicam tantum Orationem ſine Commemoratione Officii a ſe recitati, niſi ſit dies Dominica, vel Feria major, de quibus ſemper fit Commemoratio. Hæc eruuntur ex Decretis S. R. C. ſub die 11. Junii 1701. & quæ dantur in noſtro Indice *ſub n.* 558. *& ſeqq. & ſub n.* 434. ex quibus etiam colligitur, quod ſi quis celebret in Dominica infra Octavam talis Feſti in ea Eccleſia, celebrato Officio de Dominica, dicere quidem debet Miſſam de ea, ſed cum colore Paramentorum convenienti Octavæ; & ſi velit cum Commemoratione de Octava, omiſſa tunc Oratione tertia: quod conſtat ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 560. Eruuntur pariter hæc omnia etiam ex Piſart in ſua expoſitione ſupra prædictum titulum, qui *n.* 5. proponit hoc dubium. Quid debeat facere Sacerdos, ſi habens Officium æque ſolemne, inveniat ſe foris in Eccleſia aliena, ubi v. gr. agitur de Dedicatione, vel alio ſimili Feſto? Et reſpondet, quod quamvis ſe pariter huic Eccleſiæ conformare poſſit in celebranda Miſſa, faciendo Commemorationem Officii ſui; communius tamen videtur, ut de ſuo v. gr. Patrono, Miſſam dicat abſque Commemoratione Feſti ibidem celebrati: In colore tamen Paramentorum debet ſe conformare Eccleſiæ, in qua celebrat: & allegat auctoritatem cujuſdam S. R. C. Conſultoris, & Primarii SS. D. N. Clementis XI. Cæremoniarum Magiſtri, qui ad prædictum quæſitum reſpondit.

II. Rubr. & Gavantus lit. f. - *Una tantum Oratio, &c.*) Quarti *part. 1. tit. 3. de duplici* aſſignat duplicem rationem litteralem, cur in duplicibus una tantum Oratio dicatur, niſi facienda ſit aliqua Commemoratio. Prima eſt ſingulare meritum Sanctorum, quos Eccleſia veneratur ſub Ritu duplici, quorum ſingularem virtutem, & Sanctitatem unica, & ſingulari deſignat Oratione. Altera ratio eſt, ut prædictos Sanctos majori attentione, & fervore devotionis colant Fideles unica Oratione, ne diſtrahantur ad plura.

Feſta duplicia, de quibus agitur in ſuperiori Rubrica, quædam dicuntur primæ Claſſis, quædam ſecundæ: rurſus aliqua ſunt quæ majora dicuntur, & alia, quæ minora appellantur; ut patet ex Tabellis in Breviario Romano appoſitis poſt Rubricas generales, & explicat late Caſtaldus *lib. 1. ſect. 2. cap. 1. & ſeqq.* necnon Gavantus *tom.* 2. hujus ſui Theſauri *ſect. 3. cap. 3.* ubi etiam nos aliqua adjiciemus.

Quarti ſupracit. *part. 1. tit. 1. dub. 5.* proponit quæſtionem: utrum de Sancto Titulari alicujus Capellæ poſſit in eadem Capella, vel Altari celebrari Miſſa ſub Ritu duplici: quæ quidem quæſtio procedit præſertim de Sancto, de quo non fit Officium, & de die ipſius Feſto. Huic dubio cum prædicto Quarti reſpondendum eſt negative: quia cum Sanctus prædictus non ſit deſcriptus in Calendario, non poteſt propria auctoritate, neque Ordinarii loci, celebrari Miſſa de die, quæ non eſt conformis Officio recitato: in Decretis enim Breviario Romano præfixis habetur: locorum Ordinariis addere non poſſe Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, & conſequenter nec Miſſas, & docet id etiam Gavantus *ſect. 3. cap. 12. num. 15.* quod ſi idem Sanctus ſit deſcriptus in Calendario ſub Ritu ſemiduplici, vel ſimplici, ſub eodem Ritu celebrandum de eo erit, & non ſub altiori Ritu, quia hoc ipſum prohibetur in Decretis prædictis. Si tamen prædictus Titularis alicujus Capellæ eſſet Sanctus canonizatus, vel in Martyrologio Romano deſcriptus, de eo juxta ejuſdem Quarti *part. 1. titul. 4. dub. 7.* ſententiam, quæ eſt etiam communis inter Doctores, poſſet dici Miſſa Votiva: & quia celebraretur in die feſtivo ejuſdem Sancti, talis Miſſa poſſet celebrari cum *Gloria in excelſis*, quia licet ſit Miſſa Votiva, & non conveniat cum Officio diei, ſitque ad arbitrium Sacerdotis, eſt tamen de Feſto, ſeu de Sancto ipſo, die ejus Natali: unde cum Gavanto infra *tit. 9. n. 16. lit.* i poteſt dici Miſſa ex utroque, votivo ſcilicet, & feſtivo mixta. Ita etiam docet Guvetus *libro 4. capite 21. quæſt. 10.* qui optime ſubnectit (& ſequitur ex ſupradictis a nobis) quod ſi prædicta die occurrat Feſtum aliquod duplex vel Dominica, vel alia dies impedita, non poſſet celebrari dicta Miſſa Sancti Titularis alicujus Capellæ, quia, ut diximus, non poteſt dici ſub Ritu duplici, ſed ſolum tanquam Votiva. Utrum autem de Sanctis locorum Epiſcopis non deſcriptis in Calendario poſſit celebrari Miſſa cum Officio ſub Ritu duplici, & ſic etiam de Sanctis, quorum habetur Reliquia, reſolventur a nobis hæc dubia cum Gavanto *in 2. tom.* ubi agemus de Rubricis Breviarii Romani.

## R U B R I C A.

### De Semiduplici, & Simplici. II.

*Miſſa de Semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur hæc vox, Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infra octavas. In Semiduplicibus tam Feſtis, quam Dominicis, & infra Octavas dicuntur plures Orationes, ut infra dicetur in Rubrica de Orationibus.* (g) *Infra Octavam dicitur Miſſa ſicut in die Feſti,* (h) *niſi propriam Miſſam habuerit; in Dominicis vero ſicut in propriis locis aſſignatur. De Simplici dicitur Miſſa, ſicut de Semiduplici, ut ſuis locis ponitur.*

### *G A V A N T U S.*

(g) *Infra Octavam.* Octava namque eſt ejuſdem Feſti prorogatio, *teſte Radulpho Tungrenſi de Canonum obſervat. propoſ.* 19.

Digitized by Google

19. (b) *Niſi propriam Miſſam habuerit*. Unde infra Octavas Paſchæ, Pentecoſtes, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli accidit.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *Præterea in Dominicis, &c.*) Inter Feſtivitates, quas Eccleſia celebrat ſub Ritu ſemiduplici, nempe ſub Ritu medio, inter Ritum duplicem, & ſimplicem, primum obtinent locum illæ, quæ magis immediate ad Chriſtum Deum, ac ad ejus vitæ Myſteria pertinent: unde ab Eccleſiæ exordio ſpecialiter dicata fuit in ejus cultum prima dies hebdomadæ, quæ per antonomaſiam dicitur dies Domini, ſeu Dominica: & rationes adduntur *in ſexta Synodo Generali cap.* 8. Prima, & potiſſima eſt, quia hanc diem ipſe Criſtus ſua Reſurrectione conſecravit: ſecunda, quia hac eadem die deſcendit Spiritus Sanctus in Apoſtolos: tertia ob Creationis initium, & Mundi exordium: unde canit Eccleſia: *Primo die, quo Trinitas Beata Mundum condidit, vel qua reſurgens Conditor, &c.* de quibus Myſteriis diei Dominicæ tractant D. Auguſtinus *ſerm.* 254. & 251. *de Tempore*; & D. Leo *epiſt.* 8. *ad Dioſcorum cap.* 2. unde etiam dedicata eſt hæc dies in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, ut patet ex *cap. Quoniam de Feriis*; & ex Ritibus, Hymnis, & Reſponſoriis, quibus utitur Eccleſia diebus Dominicis. Lege Durandum in Rationali *lib.* 6. *cap.* 114. Recolitur autem ſingulis Dominicis per Annum memoria prædictorum Myſteriorum ſub Ritu ſemiduplici; in propriis vero Feſtivitatibus Paſchæ, & Pentecoſtes &c. ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, ut dignum eſt.

II. Rubr. & Gav. lit. g -- *Infra Octavam &c.*) Octavarum uſus eſt in Eccleſia antiquiſſimus, de quibus agit Durandus *lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 45. & introductæ fuerunt ad majorem Solemnitatem præcipuarum Feſtivitatum. Hinc Radulphus Tungrenſis *propoſit.* 19. ait: *Magnitudo Feſti a Nobis exigit, ut prius illud incipiamus, & tardius terminemus. Prævenimus Vigilia; prorogamus cum ad Octavarum diem Feſtum protendimus: præveniamus ergo, & prorogemus, ut ardentius quod debemus recolamus, quæque uno die minus poſſumus, reliquis diebus compenſemus.* Ex Paulo Quarti *part.* 1. *tit.* 2. plura de Ovactarum antiquitate, & origine dicemus in noſtris Additionibus ad *tom.* 2. *Gavanti Sect.* 3. *cap.* 8.

III. Rubr. *De Simplici dicitur Miſſa, &c.*) Quarti *part.* 1. *tit.* 14. *dub.* 3. inſtituit quæſtionem: utrum poſſit dici Miſſa integra de S. Simplici, quando juxta Rubricas Miſſalis fieri debet de eo ſola Commemoratio, ratione v. gr. occurrentis Feſti Semiduplicis, ſeu alicujus Feriæ majoris Adventus, vel Quadrageſimæ &c. vel diei infra aliquam Octavam non privilegiatam &c. & reſolvit in dicto caſu Sacerdotem vel ex ſua particulari devotione, vel ex alia cauſa, ſi voluerit, utique de Sancto illo Simplici poſſe recitare Miſſam de ſuo Communi; ſi non habeat propriam ſub Ritu Semiduplici cum Commemoratione Officii currentis, de quo legit Horas Canonicas. Ita eandem ſententiam tenet Gerlacus Vinitor *part.* 1. *tit.* 2. *in Adnotationibus*. Juxta igitur hanc ſententiam poteſt dici Miſſa integra de Sancta Thecla in die Sancti Lini vigeſima tertia Septembris; & ita pariter Miſſa SS. Triphonis, &c. Martyrum in die Sancti Andreæ Avellini decima Novembris cum debitis Commemorationibus. In tali autem Miſſa Feſti Simplicis concedit Quarti poſſe dici Hymnum Angelicum *Gloria in excelſis, &c.* quia eſt partim Feſtiva, partim Votiva, eamque appellari poſſe Semifeſtivam, aſſerit idem Auctor: quia neque omnino concordat cum Officio, neque omnino diſcordat; cum fiat in Officio ejuſdem Sancti Simplicis Commemoratio. Poteſt etiam dici talis Miſſa Semifeſtiva: quia celebratur in die Natali ejuſdem Sancti Simplicis, juxta ea, quæ diximus in noſtris Obſervationibus ad Titulum præcedentem ſub num. II.

## R U B R I C A.

### De Feria, & Vigilia. III.

1 *Miſſa de Feria dicitur quando non occurrit Feſtum, vel Octava, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. Mariæ. In Feriis tamen Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamſi Duplex, vel Semiduplex Feſtum, (i) vel Octava occurrat, in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis (k) cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto poſt Tertiam, & alia de Feria poſt Nonam.*

## *G A V A N T U S.*

Miſſæ de Feria fit mentio in Lectionario Sancti Hieronymi.

(i) *Vel Octava*. Ideſt, dies Octava * quidam explicant de quolibet die infra Octavam; ita ut occurrente Feria ex predictis in die infra Octavam, dici debeant duæ Miſſæ, de Octava, & de Feria: ſed in Miſſali, in Vigilia SS. Petri, & Pauli, quando occurrit in Sabbato (occurrente nimirum Sancti Leonis Feſto in Dominica) item & in Vigilia Aſſumptionis B. V. non præſcribuntur duæ Miſſæ, de Octava, & de Vigilia; ergo neque in aliis ſimilibus erunt dicendæ. Neque dicas, eſſe caſum iis locis omiſſum: tum quia in recognitione Miſſalis notatæ ſunt diligentiſſime, me præſente, duæ Miſſæ, quando debent dici, in propriis locis; tum quia diverſa eſt ratio inter Feſtum, ac diem Octavam, & diem infra Octavam: Feſtum enim ſemel accidit in anno; dies Octava eſt æqualis fere Ritus cum ſuo Feſto: at dies infra Octavam ſæpius occurrit, & ſine injuria omitti poteſt, de qua propria ſequitur Rubrica *num. ſequenti*.

(k) *Cantantur duæ Miſſæ*. Idem habetur infra *tit.* 7. *n.* 2. qua de re commodius, cum de defectibus *tit.* 11. *num.* 7. & *ſeqq.*

Duarum autem Miſſarum de Feſto, & de Feria meminit *Micrologus de Eccleſ. obſervat. cap.* 48. & 58. Cur altera poſt Tertiam, altera poſt Nonam, dicemus *infra tit.* 15.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *Miſſa de Feria dicitur &c.*) Dies hebdomadæ Feriarum nomine diſtinguuntur ex antiquiſſimo uſu Eccleſiæ, quem S. Sylveſter Papa ſuo Decreto firmavit, ut notatur in lectionibus Breviarii in Feſto ejuſdem Sancti; unde patet Feriam proprie dici a feriando. Durandus *in Rationali libro* 7. *cap.* 1. *n.* 12. aſſignat rationem, propter quam etiam Dominica prima Feria dici poteſt, quia dies immediate ſequens Feria ſecunda vocatur, eſtque nomen Sacrum, non ex Ritu Gentium, ſed ex Sacra Sriptura deſumptum. Durandus *ſupra*, & ex eo Quarti *part.* 1. *tit.* 4. *de Feria, & Vigilia*. De Ferriarum nomine, & etymologia erudite diſcurrit juxta morem ſuum ſapientiſſimus Joſeph Vicecomes de Miſſæ Ritibus *lib.* 3. *cap.* 10. ubi non approbat ſententiam Rabbani aſſerentis Sylveſtrum Papam Auctorem fuiſſe Feriarum nomina diebus imponendi. Cætera apud eundem clariſſimum Auctorem videri poſſunt.

II. Gav. lit. i. - *Non præſcribuntur de Octava, & de Vigilia*. Quamvis in Feriis Majoribus, ſcilicet Quadrageſimæ, in Feriis quatuor Temporum, & Vigiliarum dicantur duæ Miſſæ, nempe Conventuales in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, cadente Feſto, &c. ut in Rubrica, & cadente die Octava: tamen hoc non verificatur in die infra Octavam, quia tunc juxta Gavantum *ſupra*, & Quarti *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 1. & *num.* 2. Turrinum *part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 1. & alios communiter, unica tantum dicitur Miſſa Conventualis, nempe de Vigilia.

Nec urget contra hanc praxim, & Doctrinam, quod eadem Miſſa, quæ celebratur infra Octavam, celebretur etiam die Octava: ac proinde ſicut cadente Feria hujuſmodi in die Octava, duæ dicuntur Miſſæ; ſic etiam cadente in die infra Octavam, dici debeant duæ Miſſæ, non minus ac die Octava. Non urget, inquam, quia ut paulo infra, magnum diſcrimen intereſt in hoc caſu, inter diem infra Octavam, & inter diem Octavæ. Deinde etiamſi eadem ſit Miſſa materialiter, ideſt quoad Orationem, Evangelium, & alias ſui partes; non eſt tamen eadem formaliter, & quoad Ritum: dies enim infra Octavam eſt ſub Ritu Semiduplici, dies vero Octavæ ſub Duplici. Deinde quatenus hæc ratio non ſufficeret, totam profecto dirimit controverſiam, ob identitatem rationis, Rubrica peculiaris ſuperior in Vigilia Aſſumptionis, & in Vigilia SS. Petri, & Pauli cadente in Sabbato, quando dies Sancti Leonis cadit in Dominica; quibus in caſibus non præſcribuntur duæ Conventuales: quapropter idem dicendum de omnibus Vigiliis cadentibus infra Octavas.

III. Rubr. & Gav. lit. k - *Cantantur duæ Miſſæ, &c.*) De hujuſmodi Miſſis Conventualibus agit fuſius Gavantus *part.* 3. *de Defectibus tit.* 11. *n.* 7. quo loco etiam nos fuſius, & commodius agemus, adducendo ibi varia Decreta ſpectantia, necnon Doctrinas pertinentes ad Miſſas Conventuales.

## R U B R I C A.

2 *In Vigiliis autem, & Feriis Quatuor Temporum, vel Feria ſecunda Rogationum, quæ veniunt infra Octavam, (l) Miſſa dicitur de Vigilia, vel Feriis ſupradictis, cum Commemoratione Octavæ: præterquam infra Octavam Corporis Chriſti, in qua in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, una de Octava poſt Tertiam, alia de Vigilia poſt Nonam: in Miſſis autem Privatis dicitur Miſſa de Octava cum Commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ, vel prædictis Feriis fiat Officium de aliquo Feſto, tunc dicitur Miſſa de Feſto cum Commemoratione Octavæ, & Vigiliæ, vel Feriarum prædictarum. Quod ſi Vigilia occurrat in die alicujus Feſti ex majoribus primæ Claſſis, in Miſſa non fit Commemoratio de ea, ſicut nec in Officio.*

## *G A V A N T U S.*

(l) *Miſſa dicitur de Vigilia*. In his caſibus diſcordat Miſſa ab Officio; quia his Miſſis propriis convenit, ut cedat ea Miſſa, quæ infra Octavam ſæpius repetitur: Populus etiam, quia ad Miſſam, non ad Officium convenire ſolet, cum Miſſa de his Feriis ad luctum movetur, & animatur.

Dubitabatur de Vigilia Sancti Joannis Baptiſtæ infra Octavam Corporis Chriſti, quæ excludat Semiduplicia Feſta: ſed hoc

hoc non obſtabat, quia ſemiduplex transfertur cum Officio, & Miſſa; Vigilia vero non transfertur, & Miſſam tantum habens non tollit Officium de Octava, neque Miſſam de eadem, quæ ſæpius infra Octavam dici ſolet.

Communior erat etiam hæc ſententia Anno 1628. ut patet ex Calendariis diverſis ejuſdem Anni, quo occurrerunt Vigiliæ S. Joannis, & SS. Apoſtolorum infra Octavam Corporis Chriſti, quod nimirum Miſſa de Vigilia dicenda eſſet cum Commemoratione Octavæ juxta Rubricam antiquam contra quam neque urgebant ea, quæ afferebantur: non auctoritas P. Ruiz, ſeu Alcozer Miſſam de Octava cum Commemoratione Vigiliæ, gratis, & ſine majorum Decreto præſcribentium: non aliorum congruentiæ; quia ajebant deperdi Indulgentias conceſſas Octavæ Corporis Chriſti, omiſſa de Sacramento Miſſa, an deperduntur in Feſto Duplici infra eam Octavam occurrente? Neque quia concordare debebat cum Officio Miſſa; quod non eſt verum, cum infra eandem Octavam poſſint dici Miſſæ Votivæ, & de Requiem, quocumque die non eſt Duplex. Neque quia Miſſa de Sacramento magis excitaret ad pietatem Populos, quam Miſſa de Vigilia, quæ certe, ex Alcuino in Paraſceve, excitat ad imitandas paſſiones Martyrum.

Hæc ex vi Rubricarum priorum: ſed nova Rubrica opus fuit, ut legitime Miſſa dici poſſet de Octava cum Commemoratione Vigiliæ: quæ nuper, ut ſupra, decreta fuit in recognitione Miſſalis ſub Urbano VIII. ubi dictum, ne infra Octavam Corporis Chriſti diceretur Miſſa Votiva, vel de Requiem: item ne fieret infra ipſam de Duplici vere translato.

Quæres ex prædictis: cur in Cathedralibus, & Collegiatis non dicuntur duæ Miſſæ, una de die infra Octavam, alia de Vigilia; ſicut infra Octavam Omnium Sanctorum, una dicitur de die infra Octavam, alia pro Defunctis in Commemoratione omnium Defunctorum? At ecce diſparitas, poteſt enim in Miſſa Vigiliæ fieri Commemoratio de die infra Octavam, de qua non poteſt fieri in Miſſa Defunctorum.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

IV. Gav. lit. l. - *In his caſibus diſcordat Miſſa ab Officio, &c.*) Optime hic docet Gavantus, quod occurrente Vigilia, vel Feria aliqua majori infra aliquam Octavam, Miſſæ non ſolum Conventuales, ſed etiam Privatæ, debent dici de tali Vigilia cum Commemoratione Octavæ. De Octava vero in tali caſu nulla debet dici Miſſa, tamquam propria illius diei, ſed ſolum poteſt dici in gradu Miſſæ Votivæ: unde veriſſimum eſt quod docet idem Gavantus, quod tali die Miſſa non eſt conformis Officio; Officium enim eſt de Octava, & Miſſa eſt de Vigilia, vel de illa Feria majori: ſic v. g. die 14. Auguſti, in qua occurrit dies quarta infra Octavam Sancti Laurentii, & Vigilia Aſſumptionis B. M. V. recitatur quidem Officium de Octava S. Laurentii, Miſſa vero non debet dici de tali Octava, ſed de Vigilia Aſſumptionis, cum Commemoratione Octavæ: ita ut non ſolum Miſſa Conventualis, ſed etiam Miſſæ Privatæ talis diei debeant eſſe de Vigilia Aſſumptionis cum Commemoratione Octavæ Sancti Laurentii. Cur autem diſcordet in hoc caſu Miſſa ab Officio, ratio eſt, quia infra Octavam ſæpius repetitur eadem Miſſa illius Feſti, de quo fit Octava: & idcirco diſpoſitum fuit, ut cedat Miſſa de Octava Miſſæ propriæ de Vigilia, vel de alia Feria majori, quæ in illa die dici debet tamquam propria illius diei. Deinde, ut Populus, qui frequentius ad Miſſam convenire ſolet, quam ad Officium, moneatur obligationis jejunii per Miſſam de Vigilia. Et eadem eſt ratio de Feriis quatuor Temporum, de Feria II. Rogationum, infra aliquam Octavam occurrentibus. Diſcutit prolixe hanc quæſtionem Lucas Joſephus Cerracchinus *tom.* 1. ſuorum Dubiorum ſuper Rubricas Miſſalis, & Breviarii *dub.* 7. & valide propugnat hanc communem, & certiſſimam ſententiam: verum non ſubſiſtit id quod afferit *pag. mihi* 170. de Decreto edito a S. R. C. ſub die 24. Januarii 1682. in quo ſupponit concedi Monachis Caſſinenſibus, ut tempore Quadrageſimæ, celebrantibus ex privilegio Feſtum S. Benedicti cum Octava, poſſint diebus occurrentibus infra dictam Octavam dicere ſolam Miſſam Conventualem de Feria; cæteras vero Miſſas Privatas debeant celebrare de dicta Octava cum *Gloria*, & *Credo*: nam in Directorio Divini Officii perſolvendi juxta Ritum Monaſticum ab omnibus ſub Regula Sancti Benedicti militantibus, & præcipue Congregationi Caſſinenſi ſpecialiter accommodato, & Patavii edito, anno Domini 1733. die 23. Martii, quæ eſt dies infra Octavam prædicti Patriarchæ, præſcribitur, quod *Miſſa Conventualis, necnon Privata (non excluſis Miſſis Votivis, & de Requiem) dicatur de Feria currenti*. En igitur quod ipſimet PP. Caſſinenſes fatentur non habere hoc privilegium celebrandi diebus infra dictam Octavam, quando occurrit in Quadrageſima, Miſſas Privatas de Octava cum *Gloria*, & *Credo*: ſed ſolum poſſunt dicere memoratas Miſſas Privatas in tali caſu, & talibus diebus, in gradu Miſſæ Votivæ, nimirum ſine *Gloria* & *Credo*, cum Commemoratione Feriæ, & cum Evangelio Sancti Joannis in fine. Ex Decreto igitur diei 24. Januarii 1682. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 460. In quo præſcribitur *quod dicti privilegiati debent dicere Miſſam Conventualem de Feria*; ſolum permittitur exinde, quod poſſint dicere Miſſas Privatas de Sancto, cujus celebrant Octavam Ritu votivo; nunquam vero præſcribitur in tali Decreto, quod dicant ſolam Miſſam Conventualem de Feria, & alias Privatas de Sancto Benedicto; ſed innuitur quod reliquæ Miſſæ privatæ, vel debeant dici de Feria, vel poſſint dici de Requiem, vel Votivæ de aliquo Sancto. Hoc loco adnotandum eſt quod juxta ſententiam Caroli Guyeti *lib.* 4. ſuæ Heortologiæ *cap.* 5. *quæſt.* 5. *in fine*; in dicta Miſſa Vigiliæ occurrentis infra aliquam Octavam debet dici *Credo* etiam extra Dominicam, ſi talis Octava illud habeat: non enim talis Vigilia eſt ſimplex, ſeu ferialis, ut ſunt aliæ Vigiliæ communes: ſed Feſtiva, & Dominicalis, adeoque capax Symboli aliunde debiti. Hæc Guyetus, cujus ſententia eſt Gavanti contraria, ut videbitur infra in Titulo XI. de Symbolo lit. *n.* in fine: & Gavanti ſententiam etiam nos amplectimur in noſtris Obſervationibus ibid. n. XIV.

V. Gavant. ead. lit. *l.* -- *Communior erat hac ſententia, &c.*) Olim ante recognitionem Miſſalis Romani, auctoritate Urbani VIII. factam, non levis erat controverſia inter Rubricarum Interpretes: utrum occurrente Vigilia, ex. gr. Sancti Joannis Baptiſtæ infra Octavam Corporis Chriſti, dici deberet Miſſa de Vigilia cum Commemoratione Octavæ, vel e contra Miſſa de Octava cum Commemoratione Vigiliæ. Gavantus hoc loco in prima editione ſui præclariſſimi operis, afferebat dicendam eſſe Miſſam de Vigilia cum Commemoratione Octavæ, inhærendo regulæ in ſuperiori Rubrica traditæ. Caſtaldus vero in ſua Praxi Cæremoniarum *lib.* 1. *ſect.* 6. *num.* 9. edita ante Gavanti Theſaurum, ſuſtinebat dicendas eſſe Miſſas Privatas de Octava cum Commemoratione Vigiliæ, & in Collegiatis cantari debere duas Miſſas, unam de Octava, & alteram de Vigilia, &c. & ſuſtinebat hanc ſententiam ob privilegia particularia talis Octavæ Corporis Chriſti. Tandem ſublata fuit omnis controverſia, & lata ſententia in favorem hujus ſecundæ opinionis, ut patet ex ſuperiori Rubrica, in qua addita fuit hæc exceptio: *Præterquam infra Octavam Corporis Chriſti*.

Ex huc uſque dictis ſequitur claram eſſe rationem, cur in prædictis Vigiliis occurrentibus infra aliquam Octavam, unica tantum debeat dici Miſſa Conventualis, nimirum de Vigilia, cum Commemoratione Octavæ in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis: ſi enim non poteſt dici Miſſa Privata de illo die infra Octavam, multo minus de eadem Octava poterit Miſſa Conventualis celebrari. Sed e contra, ſi in diem infra Octavam, in qua ſimul cadit Vigilia, incidat feſtum novem Lectionum, eo caſu duæ Miſſæ Conventuales cantandæ ſunt in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis; prima de Feſto cum Commemoratione Octavæ, ſed ſine Commemoratione Vigiliæ; altera vero de Vigilia cum aliis duabus Orationibus juxta Rubricarum diſpoſitiones. Huc optime facit, quod in Calendario Urbis, & in novo Miſſali edito Romæ, Ann. 1714. habetur die 14. Decembris: *Si hodie occurrat Feria IV. quatuor temporum, Miſſæ dicuntur de Feria cum Commemoratione Octavæ, & tertia Oratio de Spiritu Sancto, cum Præfatione de Octava*, cui quidem Rubricæ conſonum eſt Decr. datum in noſtro Indice *n.* 687. Die vero 15. Decembris: *Si hodie occurrat Feria IV. quatuor Temporum in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, dicuntur duæ Miſſæ; una de Octava, altera de Feria cum Commemorationibus aſſignatis, & in hac Miſſa dicitur Præfatio communis*. En igitur ſemper magis confirmatum iri, quod occurrente Vigilia, vel Feria majori infra aliquam Octavam, licet Officium recitetur de illa die infra Octavam; Miſſæ tamen dicuntur de Feria, & nulla dicitur de Octava. E contra vero in die Octava ejuſdem Feſti, Miſſæ quidem dicuntur de Octava, & unica tantum de Vigilia, & idcirco in Cathedralibus, & Collegiatis in tali caſis, cantantur duæ Miſsæ Conventuales in die Octavæ; ſed in die infra Octavam, unica dicitur Miſsa Conventualis de Vigilia, vel Feria illa majori cum Commemoratione Octavæ.

Gerlacus Vinitor in ſuis adnotationibus ſuper hanc Rubricam *part.* 1. *tit.* 3. §. 3. adnotat in Miſsa Vigiliarum, & Feriarum majorum infra Octavam, nunquam dici *Gloria in excelſis*, neque *Credo*, & ſemper dici Præfationem communem, quæ cum ſuo cantu dicitur in diebus ferialibus, præterquam in Miſſis Litaniarum majorum, quæ Paſchalem Præfationem habent. Verum cum in ſupradicta prima Rubrica Miſsalis editi Romæ Anno 1714. diſpoſitum fuerit, quod die 14. Decembris, quæ eſt infra Octavam Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, ſi occurrat Feria IV. Temporum, Miſsa dici debeat de Feria cum Commemoratione non ſolum, ſed etiam cum Præfatione de Octava Conceptionis; infertur non ſubſiſtere doctrinam Vinitoris quoad Præfationem communem dicendam ſemper in talibus Miſſis Vigiliarum, & Feriarum majorum, quæ infra aliquam Octavam dici debent, in quibus fit Commemoratio talis Octavæ: e contra vero ſubſiſtit talis Doctrina in Miſſis Conventualibus Vigiliarum, & Feriarum majorum (juxta diſpoſitionem ſecundæ Rubricæ ſupra expoſitæ) quia in illis Miſſis, ſicut non fit Commemoratio Octavæ, ita neque dicitur Præfatio ejuſdem, ſi habeat propriam.

### R U B R I C A.

3 *Si Feſtum habens Vigiliam celebretur Feria ſecunda Miſſa,*

*Vigi-*

*Vigiliæ dicitur in Sabbato, ſicut etiam de ea fit Officium, excepta Vigilia Nativitatis Domini, & Epiphaniæ.*

G A V A N T U S.

Ad Rubricas Breviarii ſpectat hujus Rubricæ ſenſus; & eſt *Radulph. propoſ.* 19. Sicut etiam jejunium anticipatur, quod ab Hebræis fieri ſolitum pridie Sabbati, in quo jejunandum eſſet, teſtatur *Moyſes Ægyptius de Tempor. cap. de Sab. &c. de jejunio*, neque Dominico die jejunare debemus *diſtinct. 16. cap. utrum*, & paſſim dicitur a Sanctis Patribus.

R U B R I C A.

4 (m) *Miſſa Vigiliæ in Adventu occurrentis, dicitur cum Commemoratione Feriæ Adventus, licet de ea non ſit factum Officium, Vigilia Nativitatis excepta.*

G A V A N T U S.

(m) *Miſſa Vigiliæ*. Dicitur eadem ratione, quam ſupra diximus de Vigilia infra Octavam, quia propriæ Miſſæ cedere debet minus propria diei.

Occurrit alicubi Feſtum novem Lectionem in Vigilia intra Adventum, & quæſitum eſt: quo ordine in Miſſa de Feſto dicantur Orationes de Adventu, & Vigilia, & an Evangelium Vigiliæ legatur in fine; Reſpondi Orationem de Adventu dici ante Orationem Vigiliæ: quia licet de Miſſa Vigiliæ alius ſit ordo, in Miſſa tamen alia dignior eſt Oratio, quæ dicitur in Officio: ſimilem fere caſum habes in Feſto Sancti Leonis 28. Junii, in cujus Miſſa Oratio de Vigilia poſterior eſt, licet in Sabbato Miſſæ Vigiliæ præferatur Miſſæ de Octava Sancti Joannis. Evangelium vero non legitur in fine: quia nec in Officio legitur, neque in Miſſa quatuor Temporum legitur de Vigilia, quæ occurrit in ea.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VI. Gav. lit. m. -- *Evangelium vero non legitur in fine.*) Si occurrat alicubi Feſtum novem Lectionum in Vigilia intra Adventum v. gr. ſi Feſtum Sancti Saturnini alicubi celebretur ſub Ritu Duplici, vel Semiduplici, & occurrat intra Adventum; cum eadem die occurrat etiam Vigilia Sancti Andreæ, quæritur an Evangelium dictæ Vigiliæ legi debeat in fine Miſſæ; & huic quæſito reſpondet Gavantus ſupra negative, dicendo: *Evangelium vero non legitur in fine*, adducendo hanc rationem; quia nec in Officio, neque in Miſſa quatuor Temporum legitur de Vigilia, quæ occurrit in ea. Cæremoniale Monaſticum *lib. 4. cap. 11. n. 10.* conſentit Gavanto aſſerendo: *quod in dicto caſu in Miſſa de Sancto, ſecunda Oratio erit de Adventu, tertia de Vigilia, quamvis alioquin Miſſa Vigiliæ præferatur Miſſæ Adventus; in fine vero dicetur Evangelium Sancti Joannis, atque idem fiet in Vigilia Sancti Thomæ, niſi in quatuor Temporibus occurrat; tunc enim dicetur Miſſa de quatuor Temporibus cum Commemoratione Vigiliæ, ſed ſine Evangelio ejuſdem in fine*. Rationem ſuæ ſententiæ affert Gavantus etiam *tit. 13. lit. i*, ubi aſſerit in Feriis Quadrageſimæ, & quatuor Temporum, ideo in fine Miſſæ non debere dici Evangelium Vigiliæ, ſi quæ occurrat in dictis Feriis, quia de ea lectio non eſt Homilia in Officio. Guyetus tamen *lib. 4. cap. 6. q. 4.* ſuſtinet in caſu ſupra expoſito Feſti occurrentis in aliqua Vigilia intra Adventum, &c. legendum eſſe Evangelium Vigiliæ in fine Miſſæ, hoc argumento ductus, nimirum, quia quamvis ratio a Gavanto allata, quoad Ferias Quadrageſimæ, & quatuor Temporum, valere poſſit; haud tamen idem eſt in Caſu propoſito Feſti occurrentis: nam ideo in Feſto prædicto non legitur Homilia Vigiliæ, quia de ea non fit Commemoratio ad Laudes; quæ ſi fieret, haud legeretur Homilia ad Matutinum, cum nihil impediat: unde per accidens eſt, quod legitur. Ratio vero, cur occurrente Vigilia in Feriis Quadrageſimæ, & quatuor Temporum, non recitetur Evangelium in fine Miſſæ, non eſt ea, quam tradit Gavantus non diſſentiente Guyeto, nimirum, quia omiſſum fuit ad Matutinum: ſed quia tunc duæ Miſſæ Conventuales dici non præſcribuntur, in quo tantum caſu legitur Evangelium Vigiliæ in fine Miſſæ privatæ. In noſtra autem hypotheſi non impedit tempus Adventus, quin dicantur duæ Miſſæ in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, una de Feſto, alia de Vigilia, ut præſcribit ſuperior Rubrica *n. 1.* quæ ſic habet: *in Feriis tamen Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamſi Duplex, vel Semiduplex Feſtum occurrat ..... cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam.* Idem etiam præſcribitur in Rubrica 7. *n.* 2. ex quibus omnibus infertur, quod etiam in Miſſis Privatis dici debet Evangelium Vigiliæ in fine, par ſiquidem eſt utriuſque ratio. Huic Guyeti Sententiæ conſonat etiam praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis, quæ hac die 29. Novembris præſentis Anni 1734. quo hæc ſcribo, celebrat Feſtum translatum Sancti Gregorii Tertii PP. ſub Ritu Duplici, & poſt Nonam, Miſſam Solemnem Conventualem celebrat de Vigilia, & in Privatis Miſſis legit Evangelium Vigiliæ Sancti Andreæ, ut in ejuſdem Baſilicæ Calendario hac eadem die legere mihi occurrit, quod etiam ſtatum fuerat Anno 1729. in Vigilia ejuſdem Sancti Andreæ occurrente pariter infra Adventum, & cum Feſto translato Sancti Nicolai PP. I. ſub Ritu Duplici. In hoc ſolum caſu Evangelium prædictæ Vigiliæ omitti deberet, quando Evangelium Feriæ, vel Vigiliæ idem omnino eſſet cum Evangelio Feſti occurrentis, ut contingeret in Feſto Expectationis B. Mariæ Virginis, quando incideret in Feriam quartam quatuor Temporum: tunc enim Rubrica ejuſdem Miſſæ diſerte præſcribit omittendum fore Evangelium Feriæ in fine Miſſæ. Prædictæ Guyeti, & noſtræ ſententiæ ſavet etiam Biſſus *lit. E. n. 157. §. 6.* ubi ait cum Guyeto, quod ſi in dicta Vigilia occurreret Feſtum aliquod Duplex, vel Semiduplex, in fine Miſsæ de tali Feſto non debet legi Evangelium Feriæ, quæ non habet proprium, ſed Evangelium Vigiliæ: quamvis hoc Evangelium lectum non fuerit in Officio, in quo ideo lectum non fuit, quia neque ad Laudes facta eſt Commemoratio Vigiliæ: e contra vero, ſicut in Miſſa fieri debet poſt Feriam talis Commemoratio; ita in fine convenienter legitur ejuſdem Vigiliæ Evangelium.

R U B R I C A.

5 *Si in Quadrageſima, & quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicatur Miſſa de Feria cum commemoratione Vigiliæ.*

G A V A N T U S.

Miſsa in his caſibus concordat integre cum Officio, & ceſſat ratio, quam ſupra diximus: propriam Miſsam cedere debere Miſsæ non ita propriæ: neque Populus eget monitione ad jejunium, quod ſignificatur per Miſsam propriam Quadrageſimæ, ſeu quatuor Temporum.

R U B R I C A.

6 *Tempore Paſchali non dicitur Miſſa de Vigilia, niſi in Vigilia Aſcenſionis, qua tamen non jejunatur, ſicut nec in Vigilia Epiphaniæ.*

G A V A N T U S.

Cur non jejunatur in his Vigiliis? dicimus non jejunari, quia lex nulla eſt de his ob lætitiam Natalis Domini, & Reſurrectionis ejuſdem.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VII. Pro Coronide Obſervationum, & Additionum ſpectantium ad hunc Titulum de Feria, & Vigilia, lubet colligere Decreta, quæ a S.R.C. emanarunt pertinentia ad Vigilias Feſtorum in communi, & in particulari.

Vigilia Sancti Matthiæ Apoſtoli occurrens in Feria 3. poſt Dominicam Quinquageſimæ non poteſt anticipari cum jejunio; ita S.R.C. in Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 508.

Quadrageſimæ, Adventus, & vigiliarum temporibus, necnon in diebus Rogationum, occurrente aliquo Feſto Duplici, vel Semiduplici, non licet poſt Primam celebrare Miſsam prædictarum Feriarum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ: ita eadem S.R.C. in Decreto dato a nobis *ſub n.* 548.

Occurrente Vigilia S. Joannis Baptiſtæ in Feſto Corporis Chriſti, licet jejunium anticipetur die 22. Junii; tamen in Miſsa, & Officio nihil fit de eadem Vigilia: ita S.R.C. in Decreto *ſub n.* 601.

Vide etiam aliud Decretum *ſub n.* 281.

In Vigilia Epiphaniæ Miſsæ Votivæ, & Defunctorum celebrari non poſsunt: ita in Decreto dato *ſub n.* 635.

Vide etiam Decretum *ſub n.* 514. Et aliud *ſub n.* 607.

De Miſſis (*n*) Votivis Sanctæ Mariæ, & aliis. IV.

G A V A N T U S.

(*n*) *Votivis*. Large hic ſumitur votum pro voluntate, & deſiderio Miſsæ: igitur quæ voluntate dicuntur, Votivæ nuncupantur: non tamen debet eſse voluntas irrationabilis, puta, ut Sacerdos breviorem celebret Miſsam, &c. Votivarum autem Miſsarum eſt mentio *in Vita Sancti Germani Antiſiodor. cap. 16. apud Sur. tom. 4.*

R U B R I C A.

1 *In Sabbatis non impeditis Feſto Duplici, Semiduplici, Octava, Vigilia, Feria Quadrageſimæ, vel quatuor Temporum, vel Officio alicujus Dominicæ, quæ ſuperſit, in præcedens Sabbatum traslato, dicitur Miſſa de S. Maria ſecundum varietatem temporum, ut in fine Miſſalis ponitur.*

2 *In adventu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Miſſa Principalis de ea, cum Commemoratione de Adventu, niſi fuerint quatuor Tempora, vel Vigilia, ut ſupra.*

G A V A N T U S.

Sabbatum dicatum eſse conſtat Beatæ Virgini Deiparæ. Miſſæ vero Sanctæ Mariæ in Sabbato dicendæ Auctor fuit Albinus Caroli Magni Præceptor, qui rogatu Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, eam inſtituit una cum aliis de Trinitate, de Angelis, de Spiritu Sancto, & de Cruce, quæ adhuc ſunt in uſu. Meminit hujus Ritus Micrologus *cap.* 60. Urbanus II. *in Concilio Claromontano* 1096. Officium in Sabbato B. Virgini deſtinavit: *Radulphus propoſ.* 20. & a Monachis Eccleſiæ Occidenta-

dentalis inductum eſse hunc Ritum, Anno 1056. *ſcribit Baronius. Durandus autem in Ration. lib.4. cap.* 1. quinque affert cauſas. Prima eſt, & ſecundum eondem originaria, quod olim Conſtantinopoli, cum ante quamdam Imaginem B. Virginis penderet velum, quod eam velabat; in ſexta Feria poſt Veſperas recedebat velum, nullo movente, & Cœlum verſus deferebatur, ita ut a Populo imago tota conſpici poſset: celebratis autem in Sabbato Veſperis, deſcendebat ipſum velum, & velabat imaginem, ut prius, uſque ad ſequentem Feriam ſextam: quo miraculo ſancitum eſt, ut eo die ſemper de Beata Virgine cantaretur. Altera eſt, quia in Sabbato poſt mortem Chriſti tota Fides in ſola Virgine manſit; quæ tamen ratio a modernis Theologis, & merito reprobatur. Tertia, quia dies Sabbati eſt quaſi janua ad Dominicam diem, quo ſignificatur æterna vita; Maria vero Janua Cœli, & Porta lucis fulgida. Quarta eſt, ut conjungatur Feſtivitatis Matris cum Solemnitate Dominica, quę eſt Filii. Quinta, ut ſit feſtivus dies ille, quo Deus ab omni opere quievit, requievit autem in Maria, ut in Tabernaculo ſuo.

Et licet in Adventu Rubrica pręſcribat Miſsam Conventualem de B. V. non excludit tamen Privatas Miſsas; imo a fortiori in ferialibus eas concedit; cum eæ quotidie dici queant, quando non eſt Dominica, neque Duplex: & eo caſu, ſcilicet in Sabbato, etiam in Privatis Miſſis dicitur Hymnus Angelicus, *ex tit.* 8. *n.* 4. Ex prædictis orta eſt quæſtio, an Miſſa de B. V. in Sabbato ratione Officii de eadem, dicenda ſit Votiva? affirmat Caſtaldus in Praxi *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 4. *n.* 2. cum Ruiz ibi citato: quia, inquit, Officium B. V. in Sabbato eſt ex voto Eccleſiæ. Potior eſſet ratio, ſi diceret, de ea tradi ſub titulo, *de Miſſis Votivis*, de quo nunc agimus. Negant alii; quia de ratione Votivæ Miſſæ eſt, quod non correſpondeat Officio, ut dicitur infra *tit.* 15. *num.* 5. at hæc correſpondet Officio: ergo non eſt Votiva. Sed quæſtio eſt de nomine: nam votivum quidem dicitur, quod a voto habet originem; ſed minus proprie dicitur votivum, quod in Sabbato ex antiquo voto Eccleſiæ dicitur. Hodie namque eſt in præcepto Officium cum Miſſa de B. V. in Sabbatis non impeditis, ut ſupra, & probamus *tom.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 9. *n.* 1. Proprie igitur illud eſt votivum, quod eſt mere voluntarium, & ad libitum fit, ſine peccato: neque proprie Miſſa de B. V. in Sabbato ratione Officii, quod eſt in præcepto, poteſt dici Votiva. Titulus autem de Miſſis Votivis comprehendit omnes, etiam minus proprie Votivas: unde ſupra *num.* 2. facit Eccleſia de præcepto Votivam Miſſam de eadem B. V. in Sabbatis Adventus, ubi cantatur Conventualis Miſſa, quæ cum non reſpondeat Officio de Adventu, Votiva eſt; non tamen ad libitum omitti queat, ob illud verbum, *dicitur*, quod eſt præceptivum: & confirmatur, quia Miſſa de B. V. in Sabbato ratione Officii Simplicis, debet cantari poſt Sextam, ut infra *tit.* 15. *n.* 2. Votiva autem poſt Nonam, *ibid. n.* 5. non eſt ergo Votiva.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *In Adventu autem, &c.*) in Sabbatis Adventus non impeditis Officio, aut Feſto novem Lectionum, quamvis non recitetur Officium de Sancta Maria in Sabbato, ſed dicatur Officium de illa Feria; Miſſa tamen Principalis dicitur de Beatiſſima V. M. (nempe Votiva illa, quæ eſt in Miſſali *de Sancta Maria ab Adventu, uſque ad Nativitatem Domini*, quæ incipit: *Rorate*) unde etiam in hoc caſu Miſſa diſcordat ab Officio, diciturque talis Miſſa in Paramentis albis, cum Commemoratione Feriæ de Adventu, &c., niſi tamen fuerint quatuor tempora, vel Vigilia v. g. S. Andreæ, vel S. Thomæ Apoſtoli, & multo magis Vigilia Nativitatis Domini: his enim in ejuſmodi Sabbatum incidentibus, dicitur Miſſa Principalis non de Sancta Maria, ſed de Sabbato quatuor Temporum, vel de Vigilia occurrente. Porro in Miſſa hujuſmodi S. Mariæ in Sabbato tempore Adventus, dicitur *Gloria* ſine *Credo*, Oratio ſecunda de Feria Adventus, tertia de Sancto Spiritu, aut de Feſto Simplici, ſi tale occurrat, Præfatio conſueta de S. Maria, nempe *Et te in Veneratione, &c.* In fine *Ite: &c.* & Evangelium S. Joannis. Quamvis autem in hujuſmodi Sabbatis, in quibus Officium, & Miſſa diſcordant, color paramentorum Sacerdotalium debeat eſſe conformis Miſſæ Votivæ de Sancta Maria, nempe albus; color tamen Altaris, nempe antependii correſpondet Officio, ſaltem dum recitantur Horæ Canonicæ; atque ideo debet eſſe violaceus: ſed dum cantatur Miſſa, inhærendo noſtro Gavanto *Tit.* 18. hujus primæ partis in fine, & praxi omnium Baſilicarum Urbis, color debet eſſe albus. Ex ſupradictis colligitur etiam quinam color adhiberi debeat in Miſſis Vigiliarum, quæ dicuntur in diebus infra aliquam Octavam occurrentibus, de quibus ſupra fuit ſermo.

II. Gavant. lit. n. -- *Non excludit tamen privatas Miſſas, &c.*) Ex quo ſuperior Rubrica præſcribat in prædicto caſu, quod Miſſa Principalis, ſeu Conventualis dicenda ſit de Sancta Maria, videtur non excludere Miſſas Privatas de Feria, ut etiam docet Gavantus ſupra; quæ ſi dicantur, reſumi debet Miſſa Dominicæ præcedentis ſine *Gloria*, & *Credo*, ac ſine *Alleluja*, & verſu ſequenti poſt Graduale; & in ea ſecunda Oratio erit: *Deus qui de B. M. V.* tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, niſi facienda ſit Commemoratio *ſimplicis*: tunc enim ſecunda eſt de Simplici, tertia *Deus, qui de B. M. V.* Præfatio communis, in fine *Benedicamus, &c.* & Evangelium Sancti Joannis. Halden in Ephemerologio Eccleſiaſtico *part.* 5. *tit.* 64.

III. Gavant. eadem lit. n. -- *Cum non reſpondeat Officio de Adventu, &c.*) Ex quo prædicta Miſſa de S. Maria Sabbatis Adventus non correſpondeat Officio, in hoc ſenſu Votiva dici poteſt, ut notat Gavantus ſupra: Verum quia talis Miſſa non eſt ad libitum, ſed præcepta a Rubrica ſuperiori; & quia debet cantari poſt Sextam, ut docet idem Gavantus ſupra, & etiam infra *tit.* 15. *n.* 2. non poteſt abſolute, & ſtricte dici Votiva: Votivæ enim cantantur poſt Nonam, ut infra videbimus.

## R U B R I C A.

3 *Aliis diebus infra hebdomadam, quando Officium fit de Feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici poteſt aliqua ex Miſſis Votivis, etiam in Principali Miſſa, quæ vocatur Conventualis, ſecundum ordinem dierum in fine Miſſalis aſſignatum, cum Commemoratione Feriæ, de qua factum eſt Officium. Quæ tamen Miſſa, & omnes aliæ Votivæ in Miſſis Privatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum; quocumque die Officium* (o) *non eſt Duplex, cum Commemoratione ejus, de quo factum eſt Officium, & Commemoratio item Feſti Simplicis, ſi de aliquo occurrat eo die fieri Commemoratio in Officio. Id vero paſſim non fiat, niſi rationabili de cauſa. Et quoad fieri poteſt, Miſſa* (p) *cum Officio conveniat.*

## *G A V A N T U S.*

Ab Albino inſtitutore Votivarum Miſsarum alius decretus fuerat Ordo; nam in Dominica dicebatur Miſſa de Trinitate, Feria ſecunda de Sapientia, Feria tertia de Spiritu Sancto, Feria quarta de Charitate, Feria quinta de Angelis, Feria ſexta de Cruce, Sabbato de S. Maria. *Microl. ſup.* nunc autem Feria ſexta, & Sabbato immutatis, & remanentibus, ut prius in Feriam ſecundam tranſlata eſt Miſſa de Trinitate, quæ eſt propior Dominicæ, Miſſæ de Angelis, & de Spiritu Sancto Ferias inter ſe commutavere: Feria ſcilicet tertia data Angelis; quia natura proximiores Trinitati; Feria quinta Spiritui Sancto, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ; illi quidem fortaſſe, quia die quinta creationis aquæ, ſuper quas Spiritus Dei ferebatur, omne reptile, & omne volatile produxerunt, huic autem, quia eo die inſtituta fuit a Chriſto Domino. Miſſa de Sapientia non eſt amplius in uſu, & Miſſæ de Charitate ſuffecta eſt Miſſa Apoſtolorum Petri, & Pauli flagrantium præ aliis amore, & charitate, vel quia ea Feria Romam ſunt ingreſſi, *ut ab erudito viro ſe didiciſſe ſcribit Vicecomes lib.* 3. *de Rit. Miſſæ cap.* 18. Denique Miſſa de Cruce, cui addita eſt alia de Paſſione, aſſignata fuit Feriæ ſextæ, in qua Chriſtus Cruci affixus fuit, cujus Ritus Auctores facit Monachos Occidentales Anno 1056. Card. Baronius. Sed Alcuinum cenſeo potius aſſignaſſe certis diebus Miſſas votivas, quia Pelag. II. meminit Præfationis de Trinitate, & Sanctus Gregorius habet Introitum Miſſæ de eadem in ſuo Antiphonario.

(o) *Non eſt Duplex.* Utrum in Dominicis dici poterunt Votivæ? nequaquam, quia ſupra dicitur: *Aliis diebus infra hebdomadam*, hoc eſt a Dominica ad Dominicam, & expreſſius dicitur hoc idem circa finem Miſſalis, in Rubrica poſita inter Miſſas Votivas poſt Miſſas de B. V. in hæc verba: *Aliæ Miſſæ Votivæ pro diverſis rebus, quæ dici poſſunt quocumque die, niſi fuerit Dominica, vel Officium Duplex*: eadem enim eſt omnium Votivorum ratio, unde & præcedentes Votivæ Miſſæ Feriis particularibus, nullæ Dominicæ fuerunt aſſignatæ in Rubrica ante eaſdem; & de Dominica quidem, quia feſtiva eſt, congrua eſt Rubrica, & hoc recte quidem, tum quia Duplex Solemnitatem habet; tum quia in Feria inferioris gradus pluralitas Orationum, & in præparatione, gratiarumve actione poſt Miſſam, non duplicatæ Antiphonæ minus incongruunt Miſſæ Votivæ, quam in Feſtis Duplicibus, in quibus una tantum Oratio dicitur, & prædictæ Antiphonę duplicantur, ex quo conſequenter dicendum eſt, prohiberi Votivas in iis etiam diebus, in quibus prohibetur fieri de Feſto Duplici, argumento a fortiori ſumpto: nempe infra Octavam Epiphanię, Paſchatis, Pentecoſtes, in Feria 4. Cinerum, in hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, & ita decrevit S. R. C. die 28. Auguſti 1627. Tamen pro re gravi, de qua infra, poterunt cantari Miſſę Votivę, etiam in Feſtis non majoribus, cantata item altera de die.

Neque putes huic Rubricę derogari in Pontificali Romano, in ordinatione Presbyterorum, quibus in fine pręſcribitur, ut poſt primam Miſſam celebrent alias de Spiritu Sancto, de Beata Virgine, & pro Defunctis; id enim intelligitur, ſalvis Rubricis Miſſalis; alioquin abſonum eſſet, celebrata prima Miſsa in Natali Domini, in tribus Feſtis ſequentibus recitare Miſſas Votivas prędictas, & pro Defunctis, ut patet.

Dubi-

Dubitatum eſt, an exceptio Miſſarum Votivarum in Dominicis intelligatur etiam quando in die feriali fit Officium de Dominica anticipata poſt Epiphaniam, ſeu Pentecoſtem, ſeu Octavam Nativitatis Domini, ſed vere verba Rubricæ ſonant ipſum diem Dominicum, qui colitur a Populo, cui non convenit Miſſa Votiva Privata.

( p ) *Cum Officio conveniat*. Rubrica loquitur de Privatis Miſſis, nam Conventualis Miſſa debet ſemper concordare cum Officio, *cap. cum creatura, de celebrat. Miſſ.* ubi verbum, *mandamus*, obligat ad mortale; *ex Bonacina de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 4. *n.* 7. *cum communi*, *&* *in cap. quidem*, *&* *in cap. &* *hoc*, *de conſecr. diſtinct.* 1. *Lege Azor lib.* 10. *cap.* 32. *qu.* 7. & nota quod neque omitti poteſt pro Miſſa Defunctorum *in dict. cap. cum creatura*.

* Ex quibus S. R. C. die 25. Junii 1611. & die 28. Januarii 1612. decrevit, teneri Canonicos omnino ad cantandam Miſſam de die, ut lucreotur diſtributiones. Et die 16. Januarii 1627. duo reſpondit, alterum, quod ob Miſſam Votivam, ſeu pro Defunctis non poteſt omitti Miſſa Conventualis; quod intellige, ſalva eadem hac Rubrica de Votivis aſſignatis ſingulis diebus in fine Miſſalis cum Officio de Feria, & pro Defunctis *tit. ſequenti num.* 1. *&* 2. alterum eſt, quod neque poteſt iotroduci conſuetudo in contrarium Ritum; & quoad illud primum perſtitit in eadem ſententia die 12. Julii 1628.

Conventualis igitur Miſſa erit ſemper de die, vel in feriali Officio erit Votiva, ut ſupra, ſecundum ordinem dierum aſſignatum in fine Miſſalis, non autem Votiva ad libitum Cleri, ſeu Laicorum: Privatæ vero Miſſæ poterunt dici Votivæ quæcumque; in diebus non Duplicibus, neque Dominicis non ſervato dicto ordine dierum, arbitrio rationabili Celebrantis: non tamen convenit, puta infra Octavam B. V. dicere Votivam de eadem, tum quia magis colitur Beata Virgo cum Miſſa de Octava; tum quia ſecunda Oratio eſſet de eadem B. V. cujus recitatur Officium, tum quia fit ſatis obligationi pro Miſſa Votiva, ſi recitetur longior Miſſa Feſtiva.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

IV. Rubr. & Gavant. lit. o — *Non eſt Duplex*, *&c.* ) Agunt hoc loco Rubrica, & Gavantus de Miſſis Votivis, de quibus vide ea, quæ a nobis tradita ſunt ſupra in noſtris prænotionibus Liturgicis num. LVI. ſed de hujuſmodi Miſſis Votivis, nos, ut ibi innuimus, inhærentes Gavanti veſtigiis, nonnulla hic trademus: & quia multa ſunt, quæ pro earum praxi, & Ritu colliguntur ex Auctoribus; ideo operæ pretium ducimus clara, & diſtincta methodo procedere in hac materia. Sit igitur.

### §. I.

*de Miſſarum Votivarum multiplici genere.*

V. Miſſæ Votivæ ſunt triplicis generis. Primi generis ſunt illæ, quæ dicuntur de aliquo Sancto, vel de aliqua Solemnitate, de qua juxta Rubricas Miſſalis per Anni circulum celebratur dies Feſtus. Quænam autem Miſſæ dicendæ ſine de prædictis Sanctis, & Solemnitatibus, & quo Ritu ſint celebrandæ, dicemus infra ſuo loco.

Secundi generis Miſſæ Votivæ (ſequendo ordinem a Caſtaldo deſcriptum *lib.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 4.) ſunt illæ, quæ habentur in Miſſali Romano poſt Commune Sanctorum, & Dedicationis Eccleſiæ. Hujuſmodi autem Miſſæ ſingulis diebus per hebdomadam aſſignatæ, octo recenſentur, videlicet: Feria ſecunda de SS. Trinitate, Feria tertia de Angelis, Feria quarta de Apoſtolis, Feria quinta de Spiritu Sancto, vel SS. Sacramento, Feria ſexta de Sancta Cruce, vel de Paſſione, Sabbato de Beata Maria Virgine.

VI. Hujuſmodi autem Miſſæ octo ſecundi generis poſſunt dici loco Miſſæ Conventualis in diebus ferialibus, juxta diſpoſitionem ſuperioris Rubricæ, quæ habetur *n.* 3. Cæterum in aliis diebus, & loquendo de aliis Miſſis Votivis, non poteſt Miſſa Votiva ſuffragari pro Conventuali: & hoc clare conſtat ex Decretis a S. R. C. emiſſis quæ dantur in noſtro Indice *ſub n.* 198. *&* *ſub n.* 204.

Adnotandum tamen eſt, quod in Feria ſecunda pro Miſſa Conventuali, poteſt etiam dici Miſſa Defunctorum loco Miſſæ Votivæ SS. Trinitatis; ut habetur in Rubrica Miſſalis præfixa his octo Miſſis Votivis.

Tertii generis Miſſæ Votivæ, quæ olim erant tredecim, modo quatuordecim enumerantur, quæ habentur in fine Miſſalis Romani, videlicet: Prima pro eligendo ſummo Pontifice, Sede vacante; Secunda in die Creationis, & Coronationis Papæ, ejuſdemque Anniverſario; Tertia in Anniverſario Conſecrationis Epiſcopi; Quarta ad tollendum ſchiſma; Quinta pro quacumque neceſſitate; Sexta pro remiſſione peccatorum; Septima ad poſtulandam gratiam bene moriendi; Octava contra Paganos; Nona tempore belli; Decima pro pace; Undecima pro vitanda mortalitate, vel tempore peſtilentiæ; Duodecima pro Infirmis; Decimatertia pro Peregrinantibus, vel iter agentibus; Decimaquarta pro Sponſo, & Sponſa.

VII. Nuperrime huic tertio Miſſarum generi addita fuit illa, quæ ſeptimo loco poſita eſt, nempe, ad poſtulandam gratiam bene moriendi, pro qua extat Decretum a Sac. R. C. editum die 20. Martii 1706. & datum eſt in noſtro Indice *ſub n.* 599. quæ quidem Miſſa compoſita fuit a Ven. Cardin. Thomaſio, demandante Summo Pontifice Clemente XI. ſan. mem.

### §. II.

*De diebus, in quibus poſſunt, vel non poſſunt celebrari Miſſæ Votivæ.*

VIII. Miſſarum Votivarum tertii generis, prima, ſecunda, tertia, & decimaquarta, dicuntur Votivæ, quia non ſunt de die; non tamen dici poſſunt quocumque tempore: ſed prima, Sede vacante tantum: ſecunda, & tertia in Anniverſaria die Creationis Papæ, vel Epiſcopi tantum; decimaquarta in Benedictione Nuptiarum. Prima, quæ eſt de Electione, & ſecunda, quæ eſt pro Coronatione, & Creatione Summi Pontificis, celebrari poſſunt etiam in Dominicis, & aliis Feſtivis diebus, ut tradit Caſtaldus *loc. cit.* & Gavantus *part.* 4. *tit.* 17. *n.* 18. Verum quoad primam, nempe, quæ dicitur pro eligendo Summo Pontifice, Gerlacus Vinitor, qui *part.* 1. *tit.* 4. *in adnotat.* §. 11. *&* 12. convenit cum Caſtaldo §. 13. loquitur cum aliqua exceptione, aſſerendo cum Gavanto, quod Miſſa pro eligendo Summo Pontifice, prima vice tantum dici poteſt etiam in Dominica, ſeu Feſto Duplici.

Secunda pariter ex dictis Miſſis tertii generis, quæ eſt pro Coronatione, & Creatione Summi Pontificis, etiam in Dominicis, & aliis Feſtivitatibus dici poteſt, ut tradit Caſtaldus *cit. loc. n.* 5. occurrentibus nempe in die Anniverſaria Creationis & Coronationis Papæ; quam ſententiam tenet pariter Turrinus *part.* 2. *ſect.* 1. *c.* 2. citans pro ea Gavantum *part.* 4. *tit.* 17. *n.* 18. qui tamen ſubobſcure loquitur, confundens veluti hanc Miſſam cum illa de eligendo Pontifice, quæ ſolum prima vice juxta ipſum poteſt celebrari in Dominica, ſeu aliis diebus Feſtivis. In Anniverſario autem Epiſcopalis Conſecrationis, quamvis Caſtaldus idem ſentiat, nempe de tertia Miſſa præfati tertii generis; nihilominus Turrinus loc. cit. contra Caſtaldum aſſeverat inhærens Gavanto loc. cit. non poſſe celebrari dictam Miſſam tertiam diebus Dominicis & Feſtivis; ſed prædictis diebus dicendam eſſe Miſſam de Dominica, vel die Feſtivo, cum Commemoratione pro Epiſcopo, prout clare diſponit Cæremoniale Epiſcoporum *l.* 2. *c.* 35. & Concilium Provinciale Mediolanenſe IV. *de his quæ pertinet ad Sacrificium*, *&c.* De quo videri etiam poteſt Decretum S. R. C. die 4. Aprilis 1705. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 593.

IX. Utrum autem unica tantum Miſſa Solemnis, vel etiam Privatæ Miſſæ dici debeant his diebus Coronationis, & Creationis Papæ, & Conſecrationis Epiſcopi, eſt dubium a præfato Turrino diſcuſſum; in cujus deciſione reſolvit, quod etiam Miſſæ Privatæ in Conſecrationis Epiſcopi Anniverſario, dici debent: hac ratione motus, quia in Rubrica Miſſalis ſic habetur: *In die &c. dicitur Miſſa*: ergo cum Rubrica non limitet, nec nos limitare debemus. Secundo, quia in Miſſali habemus, quod in eadem Miſſa dicitur *Credo*; loquendo autem de Miſſa Solemni hoc videtur ſuperfluum: ergo de Privatis intelligendum eſt, dicit Turrinus: nec approbat quod docet Caſtaldus *l.* 1. *ſect.* 10. *n.* 41. nempe Sacerdotes tantum Cathedralis, non vero alios Diœceſis teneri ad prædictam Miſſam Anniverſariam celebrandam: Concilium quippe Mediolanenſe IV. quod in margine citat pro ſe, hoc non exprimit; imo *c. de his quæ pertinent ad Sacrificium Miſſæ*, contrarium ſentit; ubi dicit in Calendario notandam hanc diem; ut a Sacerdotibus, & reliquo Clero (& indefinite loquitur) Sacrificiis recolatur.

Procedit ulterius Turrinus, aſſerendo, quod in Anniverſario Creationis, & Coronationis Papæ, etiam Miſſæ Privatæ debeant dici de tali Creatione &c. ab omnibus Sacerdotibus, ſupponens quod in aliis Diœceſibus celebretur hoc modo ab omnibus Sacerdotibus Anniverſ. Conſecrationis Epiſcopi: & revera ſi ſubſiſteret hæc ſententia, non poſſet rejici alia prior, cum Papa ſit Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ. Verum circa hanc quæſtionem, omne ſubmovet dubium praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis, & aliarum Baſilicarum Urbis, in quibus in Anniverſaria die tam Creationis, quam Coronationis Summi Pontificis, cantatur poſt Nonam, adeoque poſt Miſſam Conventualem, unica tantum Miſſa Solemnis, quæ eſt de Creatione, vel Coronatione &c. & aſſumitur illa, quæ eſt in Cathedra Romana 18. *Januarii*, cum unica Oratione tantum, quæ eſt pro Papa, nempe *Deus omnium Fidelium Paſtor*, *&c.* cum *Gloria*, & *Credo*, & *Præfatione de Apoſtolis*, in colore albo. Præter hanc Miſſam Solemnem dicendam etiam in diebus Feſtivis, ut ſupra; ab aliis Sacerdotibus, etiam earumdem Baſilicarum, nulla dicitur Miſſa Privata, neque ulla fit Commemoratio de tali Anniverſario Creationis, & Coronationis Papæ: & puto ſic fieri reſpective in aliis Diœceſibus in die Anniverſario Conſecrationis ſui Epiſcopi; cum revera nihil aliud præſcribatur *a Cærem. Epiſc. loc. ſupracit.* Pro Miſſa Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi, vide etiam, quæ traduntur a Gavanto *part.* 4. *tit.* 17. *n.* 20. & ea quæ ibidem *ſub. n.* 4. adnotantur a nobis.

X. Decima vero quarta Miſſarum Votivarum tertii generis, quæ eſt pro Sponſo, & Sponſa, his præſentibus, poteſt cele-



Digitized by Google

brari qualibet die, exceptis diebus Dominicis, & aliis Feſtis de præcepto; ut colligit Gavantus *loc. cit. num.* 22. ex Rubrica tali Miſſæ in Miſſali præfixa: imo Halden *part.* 3. *ſit.* 7. *pag. mihi* 254 addit, exceptis etiam diebus Duplicibus; nam, ſi Benedictio Nuptiarum facienda ſit die Dominico, vel Feſto Duplici; tunc juxta Miſſale, & Rituale Romanum *tit. de Matrimonio*, dicitor Miſſa de Dominica, vel Feſto, *cum Gloria in Excelſis*; *& Credo*, ſi illa Miſſa id requirat; cum Commemoratione tamen Miſſæ, pro Sponſo, & Sponſa, ac reliquis, quæ pro eorum Communione, & complemento Benedictionis, in eadem Miſſa habentur in Miſſali; quod inter alia monet, in fine Miſſæ Dominicalis, aut Feſtivæ dicendum tunc eſſe pro more Evangelium S. Joannis: color, qui ad Miſſam tunc adhibetur, Dominicæ, vel Feſto illi Duplici, aut diei privilegiato convenire debet. Quæ autem porro ſint obſervanda in praxi, circa Benedictionem Sponſorum, vide apud Gavant. *part.* 4. *tit.* 17. *a n.* 23. uſque ad 26. incluſive.

XI. Decem vero Miſſæ quæ remanent dicti tertii generis, & aliæ Miſſæ, Votivæ primi, & ſecundi generis, dici poſſunt quacumque die, Dominica non occurrente, aut Duplici, vel Officio, quod Duplex excludat, v. g. occurente Officio Vigiliæ Nativitatis Domini, Feriæ IV. Cinerum, Vigiliæ Pentecoſtes &c. Magis tamen convenire videntur Miſſæ Votivæ bis diebus infra hebdomadam per Annum, habentibus Officium feriale, dummodo non ſit reſumenda Miſſa Dominicæ impeditæ: & ob paritatem rationis, ait Turrinus *part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 2. etiam dummodo non ſit anticipanda aliqua Dominica, cujus ſedes ab aliquo Feſto, vel Dominica majori occupetur, puta ſecunda poſt Epiphaniam, cujus Officium fiat in Sabbato, quando Septuageſima vindicat ſibi diem proximum ſequentem. Verum cum Gavanto ſupra *hoc titulo IV. lit. o* §. *Dubitatum eſt*, advertimus abſolute loquendo, etiam prædictis diebus, in quibus reſumitur Miſſa Dominicæ, poſſe dici Miſſam Votivam. Solum igitur in illis Feriis, in quibus reſumitur Miſſa Dominicæ, non poteſt cantari Miſſa Votiva, ex illis octo, quæ ſunt ſecundi generis, correſpondens tali Feriæ, quæ ſuffragetur pro Miſſa Conventuali: quia in dicto caſu Miſſa Conventualis debet eſſe de illa Dominica, quæ fuit impedita.

XII. Ex his omnibus, & ex Rubrica Miſſalis præfixa Miſſis octo, quos nos ſecundi generis appellamus, liquet, quod quamvis illæ Miſſæ aſſignentur, prima de Trinitate pro Feria 2. ſecunda de Angelis pro Feria 3. &c. nihilominus pro Sacerdotis devotione, quacumque die dici poſſunt per hebdomadam, dummodo Feſtum Duplex non occurrat &c. Verum ſi cantentur in diebus a Rubrica aſſignatis, poſſunt ſuffragari pro Miſſa Conventuali, ut patet ex ſuperiori Rubrica, & ex Decretis Sac. Congreg. a nobis ſupra allegatis.

Quamvis Miſſæ Votivæ Privatæ dici non poſſint currente Officio Duplici, vel Dominica &c. pro re tamen gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa, Miſſa Solemnis quacumque die, etiam Dominica, ac Duplici cantari poterit, non tamen in majoribus Solemnitatibus. Quænam autem ſit res gravis pro licita Votivæ Miſſæ decantatione, exprimitur in Decreto Sac. R. C. ſub die 19. Maji 1607. quod datur in noſtro Indice *ſub n.* 58. & explicabimus §. XI. in quo agemus de Miſſa Votiva Solemni.

Ratio autem, ob quam Eccleſia inducatur ad tolerandas Miſſas Votivas Privatas, diebus infra hebdomadam per Annum habentibus Officium feriale, potius quam in ferialibus diebus Adventus, Quadrageſimæ, Vigiliæ, vel in Feſto Semiduplici, vel Simplici, eſt, ut tradit Turrinus ſupra *cap.* 2. Primo, quia in ferialibus diebus extra Adventum, Quadrageſimam &c. non aſſignatur Miſſa peculiaris, ſed de præcedenti Dominica; ac proinde dicendo Miſſam Votivam, nulla Miſſa in libro Miſſali poſita ſic omittitur; omitteretur autem ſi facile concederentur Votivæ in Feriis, quibus dicenda eſt Miſſa Dominicæ impeditæ, vel ferialis Adventus, Quadrageſimæ, aut Vigiliæ, vel Feſti ex ſupradictis, quæ omiſſio non facile permittitur. Hæc Turrinus. Sed in eo, quod ſpectat ad Ferias Adventus omnino fallitur: nam illæ non habent Miſſam propriam, ſed in iis reſumitur Miſſa Dominicæ præcedentis, ſicut in aliis Feriis per Annum. Secunda Turrini ratio eſt, quia diebus ferialibus non impeditis per Annum, Miſſa Votiva ab Officio diei minus diſcordat, quam eadem Votiva ab Officio feriali Quadrageſimæ, Semiduplicium, &c. quæ Officii diſcordantia maxime ab Eccleſia cavetur. Quapropter etiamſi in prædictis Feriis Quadrageſimæ, & aliis diebus, in quibus Semiduplex Officium recitatur, abſolute loquendo; Miſſæ Votivæ celebrari poſſint; tamen hæ dici non debent, niſi interveniente aliqua rationabili cauſa: unde qui ut citius ſe expediant, vel ſimili aliqua levi occaſione permoti, Miſſam currentem in Votivam permutarent, contra Rubricæ diſpoſitionem profecto operarentur.

De Miſſa autem Votiva alicujus Sancti eo die, quo ille obiit, vel quia Titulus eſt Altaris, ſeu Capellæ; quomodo, & quando poſſit celebrari, dicemus infra in §. 7. de Ingreſſu ad Miſſam Votivam, & diximus ſupra *tit.* 1. *n.* 2. noſtrarum Obſervationum.

XIII. Supereſt nunc, ut hoc loco colligamus S. R. C. Decreta, Declarantia quibus diebus Miſſæ Votivæ Privatæ vel Solemnes non poſſunt, vel poſſunt celebrari.

Miſſæ Votivæ acceptatæ pro diebus Duplicibus, vel aliis privilegiatis, auctoritate Apoſtolica permittitur, ut poſſint transferri in alios dies non impeditos. S. R. C. 19. Maji 1614. Et datur in noſtro Indice *n.* 143.

Miſſarum ob multitudinem jam acceptarum, & pro quibus ſatisfaciendis non ſufficiunt dies non impediti; ex ſpeciali gratia Sanctiſſimi conceditur, ut ſufficiat applicare valorem Miſſæ currentis, & ordinariæ pro Vivis, & Defunctis, qui poſtulaverunt Miſſas Votivas. S. R. C. 19. Maji 1614. Et datur in noſtro Indice *ſub. n.* 144.

XIV. In diebus, in quibus non poteſt fieri de Feſto Duplici, prohibentur Miſſæ Votivæ &c. Ita declaravit S. R. C. die 28. Auguſti 1627. Et datur in noſtro indice *ſub num.* 217.

Conceditur tamen privilegium Monachis Congr. Vallis-Oletanæ canendi ſingulis diebus Miſſam Votivam de B. V. S. R. C. 29. Novembris 1633. Et datur in noſtro Indice *ſub num.* 273.

Miſſæ Votivæ, quas ex obligatione Capitulum tenetur per hebdomadas celebrare certis diebus præſcriptis, in quibus multoties occurrit Feſtum de præcepto, debent transferri in alteram diem non impeditam de præcepto. S. R. C. 9. Decembris 1634. Et datur in noſtro Indice *ſub n.* 277.

Miſſæ Votivæ non poſſunt dici ullo modo in Dominica Palmarum. S. R. C. 14. Aprilis 1646. Et datur in noſtro Indice *ſub. n.* 289.

Miſſa Votiva de B. V. in Vigilia Pentecoſtes non poteſt dici. S. R. C. 19. Auguſti 1651. Et datur in noſtro Indice *ſub n.* 306.

Miſſa Votiva de B. M. V. cum *Gloria*, & *Credo* poteſt celebrari ob publicam cauſam, & ratione concurſus. S. R. C. 8. Junii 1658. Et datur in noſtro Indice *ſub numer.* 328.

Miſſa Votiva Solemnis de B. M. V. poteſt celebrari in die Dominica ratione concurſus Populi. S. R. C. 20. Novembris 1662. Et datur in noſtro indice *ſub n.* 377.

Miſſa Votiva Cantata de B. M. V. cum *Gloria*, & *Credo* poteſt celebrari in die Dominico cauſa voti, ſeu alia cauſa. S. R. C. 16. Junii 1663. Et datur in noſtro Indice *ſub n.* 411.

Miſſa Immaculatæ Conceptionis qualibet die Sabbati non conceditur. S. R. C. 20. Julii 1669. Et datur in noſtro Indice *ſub. n.* 437.

Non poſſunt celebrari Miſſæ Votivæ infra Oct. Corporis Chriſti. S. R. C. 21. Junii 1670. Et datur in noſtro Indice *ſub. n.* 442. Et aliud 15. Septembris 1714. Et datur in noſtro indice *ſub. n.* 627.

Miſſa Feſtivitatis Conceptionis, non poteſt celebrari in Sabbato, ut Votiva. S. R. C. 30. Decembris 1679. Et datur in noſtro Indice *ſub n.* 453.

Religioſi, aut Religioſæ profeſſio ſub re gravi numerari non poteſt, ita ut cani poſſit Miſſa Votiva Solemnis: & licet ſit conſuetudo cantandi in tali caſu Miſſam de Spiritu Sancto in Dominicis, vel Duplicibus; eſſe tamen abuſum declaravit S. R. C. 24. Julii 1683. Et datur in noſtro Indice *ſub. n.* 462.

Miſſæ Votivæ de Venerabili, vel de B. M. V. in cantu fundatæ, non poſſunt dici in Duplicibus, aliiſque diebus Duplicia excludentibus; ſed cantari debent Miſſæ de Feſto currenti cum applicatione Sacrificii, ſicque ſatisfieri, & Benefactorum mentem impleri, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, quam abuſum eſſe declaravit S. R. C. 24. Julii 1683. Et datur in noſtro Indice *ſub. n.* 463.

Miſſæ Votivæ prohibentur infra Octavam Nativitatis Domini. S. R. C. 25. Septembris 1706. Et datur in noſtro Indice *ſub n.* 603.

Et iterum die 15. Septembris 1714. Et datur in noſtro Indice *ſub n.* 628.

In Vigilia Epiphaniæ Miſſæ Votivæ celebrari non poſſunt. S. R. C. 10. Decembris 1718. Et datur in noſtro Indice *ſub. n.* 635.

Præterea occaſione expoſitionis Sanctiſſimi Sacramenti, pro Oratione continua quadraginta Horarum Clemens XI. in Conſtitutione 9. quæ habetur in ejus particulari Bullario *part.* 2. & quæ incipit Italice: *Eſſendo ſtate fatte, &c.* §. 10. præſcribit: Quod ad Altare, ubi exponitur SS. Sacramentum, non celebretur alia Miſſa, quam Solemnis pro expoſitione, & repoſitione: & ultra Conventualem (in Eccleſiis, in quibus adeſt obligatio eam cantandi) celebretur poſt Nonam Miſſa SS. Sacramenti Votiva pro re gravi; exceptis tamen omnibus illis Dominicis, quæ ſunt primæ vel ſecundæ Claſſis, & omnibus diebus, quibus ratione Calendarii, tam univerſalis, quam particularis illius Eccleſiæ, in qua fiat expoſitio, fiat Officium itidem primæ, vel ſecundæ Claſſis; ac excepta etiam Feria 4. Cinerum, & Feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ; item in omnibus diebus infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes; Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecoſtes, & die Octava Epiphaniæ; in quibus Dominicis, aliiſque diebus, & Feriis exceptis, cantetur Miſſa Conventualis cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione: & ita ſervari mandavit in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium. Die vero media celebratur Miſſa Votiva Solemnis de Pace, ut enunciatur in dicta Conſtitutione, quæ datur etiam a nobis inter noſtras Obſervationes ad tit. 14. ſecundæ Partis. Ex diſpoſitione contenta in præfata inſtructione inferunt communiter recentiores non poſſe celebrari Miſſam Solemnem Votivam pro re gravi in diebus primæ & ſecundæ Claſſis.

§. III.

## §. III.

*De quibus Sanctis, vel Solemnitatibus dici poſſint, vel non poſſint Miſſæ Votivæ.*

XV. De tempore, ex. gr. de Dominica, de Adventu, de Quadrageſima, &c. item in Feſtis mobilibus, v. g. de Paſchate, Aſcenſione Domini, &c. Miſſæ Votivæ certiſſimum eſt quod non celebrantur. Verum de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Paſſione Domini, de Sanctiſſimi Corporis Chriſti Sacramento, &c. Miſſæ Votivæ dici poſſunt: attamen non eæ, quæ in ſuis Feſtivitatibus habentur, ut videbimus infra; ſed eæ, quæ in fine Miſſalis aſſignantur ut Votivæ de præfatis Myſteriis, & Solemnitatibus: Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 4. *n.* 2. Gerlacus Vinitor *part.* 1. *tit.* 4. §. 3. Hagerer in Appendice de Miſſis Votivis *tit.* 2. §. 1. De ſupradictis Myſteriis Chriſti Domini, Reſurrectione, vel Aſcenſione, ſeu Nativitate, aut quovis alio, quamvis non habeatur Miſſa Votiva propria, ſicut habetur de Trinitate, &c. nihilominus ſi de præfatis Myſteriis exigatur Miſſa, cenſet Guyetus *lib.* 4. *cap.* 21. *qu.* 2. poſſe dici Votivam de Sanctiſs. Trinitate, ſeu etiam, ut vult Cæremoniale Monaſticum *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 6. diei occurrentis, cum intentione venerandi Feſtivitatem, ſeu Myſterium, cujus petitur Miſſa. Quæ enim incommoda, Gavantus *par.* 4. *tit.* 17. *n.* 8. ſequi ait, ex mutationibus faciendis, ſi exigatur Miſſa de Aſſumptione, vel Nativitate B. V. v. gr. in Introitu *Gaudeamus omnes in Domino* vocis illius *diem Feſtum in Commemorationem*, & aliis ſimilibus; ea longe plura, & incongruentiora occurrunt in Miſſis Myſteriorum Chriſti Domini, puta in omittendis *Alleluja* in Introitibus Paſchæ, Aſcenſionis, &c. in ſubſtituendis Graduali, Tractu, aut duplici verſu pro ratione temporis, &c. Similiter ſi exigatur Miſſa Votiva de Reliquiis ejuſdem Chriſti Domini, puta *de Faſciis*, *de Corona Spinea*, *de Lancea*, *de Clavis*, *de Sacra Sindone*, *&c.* item & *de Nomine Jeſu*, dici poteſt Miſſa de Cruce, vel Paſſione, vel diei occurrentis cum intentione venerandi prædictas Reliquias; niſi forte de eiſdem habeatur Miſſa propria legitime approbata; ſicuti in aliquibus Miſſalibus, & pro aliquibus locis reperitur *Miſſa de Lancea*, *& Clavis Domini*, approbata, & conceſſa a Bonifacio VI. & Innocentio VI. ut dicatur per Germaniam proxima Feria 6. poſt Octavam Paſchæ non impedita Feſto novem Lectionum: ſic etiam reperitur particularis Miſſa de Corona Spinea approbata pro toto Ordine Ciſterciensi, & dicenda etiam in Eccleſiis Monialium ejuſdem Ordinis utentium Breviario Romano, necnon in Eccleſia Canoniſſarum Lateranenſium Viturclen. Diœceſis Balneoregienſis: rurſus habetur quoque Miſſa peculiaris de Sacra Sindone ab Eminentiſſimo Card. Bona compacta, & conceſſa pro toto Sereniſſimo Sabaudiæ Dominio: & denique Miſſa SS. Nominis Jeſu approbata, & dicenda nunc in tota Univerſali Eccleſia, Dominica II. poſt Epiphaniam.

De Sanctis vero non deſcriptis in Calendario, quamvis non poſſit celebrari Officium Divinum ad ſatisfaciendum propriæ obligationi, niſi adſit ſpecialis conceſſio, & conſequenter non poſſint dici Miſſæ propriæ eorumdem Sanctorum ſecundum ordinem Officii: poſſunt nihilominus dici Miſſæ Votivæ de quocumque Sancto, de cujus Canonizatione conſtat, vel ex Martyrologio, vel alias: cui ſententiæ favere videtur Gavantus *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 13. Guyetus *lib.* 4. *cap.* 21. *quæſt.* 2. præſertim Quarti *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 7. ubi citat pro ſua ſententia nonnullos Theologos, præſertim vero Bellarminum *tom.* 1. *Controv. lib.* 1. *cap.* 7. Ratio autem præter alias, quas adducit in comprobationem hujus communis ſententiæ, eſt; quia juxta Rubricas poſſunt dici Miſſæ Votivæ de Sanctis, abſque ulla exceptione. Hanc quæſtionem tractat etiam noſter Paſqualigus *tom.* 1. *de Sacrif. Miſſæ quæſt.* 270. Diximus poſſe dici Miſſam de quocumque Sancto, de cujus Canonizatione conſtat, &c. ex quo infertur hoc nomine venire Sanctos toleratos tantum, hoc eſt illos, de quorum Canonizatione, nec ex Martyrologio, nec alias conſtat; ſed ſolummodo, vel ob miracula patrata, vel aliunde ab hominibus, ſciente, & non contradicente Eccleſia, Sancti appellantur, & coluntur privato, non vero publico, & univerſali cultu ab Eccleſia conceſſo.

XVI. Gravis agitatur quæſtio inter Theologos: utrum poſſint dici Miſſæ Votivæ de Beatis, nondum canonizatis. Prima ſententia concedit poſſe dici prædictas Miſſas Votivas de Beatis a quocumque, & quomodocumque, & quavis die, ſcilicet in qua ſit permiſſa celebratio Miſſæ Votivæ: quia hoc ipſo, quod Sedes Apoſtolica Beatorum Faſtis aliquem adſcripſit, & dignum, in cujus honorem ſemel celebrari poſſit Miſſa; quilibet recitans Miſſam, quacumque die, & in quacumque Eccleſia in honorem illius Beati, id facit auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quæ abſtulit impedimentum, &c. Ita Paſqualigus *tom.* 1. *de Miſſæ Sacrificio quæſt.* 277. *num.* 3. *& ſeqq.* & alii Auctores, quos congerit Quarti *part.* 1. *titul.* 4. *dub.* 6. *v. Prima ſententia*, *& ſequent.* Communior tamen ſententia, & vera (quam ſequitur idem Quarti *loc. cit. v. Secunda ſententia*) negat in honorem Beati nondum canonizati poſſe dici Miſſam extra diem aſſignatam, vel ab aliis perſonis, vel in aliis Eccleſiis, non expreſſis in diplomate Beatificationis: idque deducit ex *cap.* 1. *de Reliquiis*, *& Veneratione Sanctorum*, tum ex Decreto S. R. C. die 10. Septembris 1652. & quod exhibetur in noſtra Appendice noſtri Indicis Decretorum, ubi habetur: *Non poſſe tam Sæculares, quam Regulares cujuſcumque Ordinis, & inſtituti excedere limites verbales Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, Officii cum octava, &c.* Præterea veritas hujus ſecundæ, & communis ſententiæ confirmari etiam poterit ex aliis Decretis S. R. C. quæ dantur in noſtro Indice *ſub num.* 331. & *ſub n.* 363. necnon 366. ex quibus omnibus eruitur nemini licere aliquem venerari cultu publico abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. In caſu autem noſtro de Beatis, licentia non eſt conceſſa eos publice colendi recitatione Divini Officii, & oblatione Sacrificii, niſi determinatis perſonis, & pro diebus, & locis determinatis, ergo non eſt licitum prædictos limites excedere, & quacumque die, in quacumque Eccleſia, pro cujuslibet devotione Miſſam Votivam alicujus Beati celebrare. Huic communi ſententiæ ſubſcribunt etiam Biſſus *lit. M.* n. 231. §. 26. necnon Guyetus ſupracitatus.

Supereſt nunc, ut mentionem faciamus Decreti S. R. C. ſub die 8. Aprilis 1628. in una Urbis, & dati in noſtro Indice *ſub n.* 228. in quo prohibetur Miſsa ſpecialis *de quatuordecim Auxiliatoribus*, quæ impreſsa erat olim Venetiis: ſic pariter in eodem Decreto rejecta fuit Miſsa *de Patre Æterno*, Matriti olim edita, nec non Miſsa S. Gregorii intitulata *pro Vivis*, *& Defunctis*.

Convertendo vero ſermonem ad Miſsam de quatuordecim Auxiliatoribus, nempe de Sanctis Georgio, Vito, Blaſio, Dionyſio, Pantaleone, Eraſmo, Cyriaco, Chriſtophoro, Achatio, Euſtachio, Ægidio, Catharina, Margarita, Barbara; ſi celebretur Miſsa Votiva de iſtis Sanctis, quamvis non poſſit dici illa, quæ fuit proſcripta a S.C. cujus mox innuimus Decretum: nihilominus, ſi ſpecialis devotio petentium requirat Miſsam de his Sanctis, cenſet Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 2. *num.* 3. poſse dici Miſsam de pluribus Martyribus ex Communi Sanctorum: tum quia plures ex prædictis Sanctis Martyrii palmam adepti ſunt; atque adeo major pars trahit ad ſe minorem; tum quia, cum nullus in his Apoſtolus contineatur, proximi dignitate ſunt ipſi Martyres; atque adeo ex hoc capite merito de ipſis potius quam de Confeſsoribus, & de Virginibus Miſſa legitur: maxime cum pro pluribus Martyribus Miſsæ in Miſsalibus deſcriptæ extent; non item pro pluribus Confeſsoribus in eo extantes reperiantur.

Rurſus ſi quis habeat onus celebrandi Miſsam Votivam de Sanctiſſimo Roſario, vel S. M. de Monte Carmelo, quamnam Miſſam Votivam celebrare debeat, agit Gavantus *part.* 4. *tit.* XVII. n. 9. & nos cum eodem ibidem ſermonem habebimus in noſtris Additionibus *num.* II. Interea recolantur Decreta data in noſtro Indice *ſub. n.* 189. & *ſub n.* 229. in quorum primo ſtatuitur Miſſam propriam Sanctiſſimi Roſarii non niſi PP. Prædicatoribus eſse conceſsam; in ſecundo vero decernitur Miſsam S. M. de Monte Carmelo pariter non niſi a quibuſdam Regularibus poſſe dici; ut paulo infra *ſub num.* XXX.

## §. IV.

*Quæ, & quales Miſſæ Votivæ dicendæ, vel non dicendæ ſint de illis Sanctis, vel Solemnitatibus, ſeu Myſteriis, de quibus conceſſum eſt ab Eccleſia Miſſas Votivas celebrari.*

XVII. Præmittimus ante omnia Decretum Sac. R. C. in quo mandatur, non amplius dici debere quaſdam Miſsas Votivas de aliquibus Sanctis, & de aliquibus Solemnitatibus.

Sacra Rituum Congregatio de ordine Sanctiſſimi mandat non amplius dici quaſdam Miſsas Votivas, in quibus Ritus, & veritas verborum violatur, prout in ſequenti Decreto, videlicet: Sanctiſſimus Dominus Noſter Paulus Papa V. vivæ vocis oraculo, declaravit, & ſancivit, amplius recipi aut dici non debere quaſdam Miſsas Votivas, ſeu Collectas, quæ propriæ ſunt Solemnitatum, aut in Miſsali Romano deſignantur; ejuſmodi ſunt Miſsæ Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis D. N. J. C. Nativitatis, Purificationis, Aſsumptionis B. M. V. Sancti Joannis Baptiſtæ, & aliæ ejuſmodi, quæ proprios habent Introitus. vel Collectas extra proprios dies, vel Octavas, abſurdum eſset dicere: quæ vero Miſsæ hujuſmodi jam permiſsæ eſsent, aut receptæ, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ut illis omiſſis ſatisfaciat dicendo Miſsam de tempore occurrenti.

Miſsæ autem Votivæ aliorum Feſtorum, aut Solemnitatum, in quibus veritas, & Ritus verborum non violatur, nihil prohibet, quin dici poſſint; ſed quantum fieri poteſt curare debent Sacerdotes, ut omnes Miſsæ Votivæ, ad eas quæ Miſsalis aſſignatæ ſunt reducantur; ne Eccleſiæ Ritus ad cujuslibet arbitrium, propriæ devotionis prætextu temere mutentur.

XVIII. Lubet hic exhibere Indicem Miſsarum Votivarum, in quarum celebratione appeime ſervatur Ritus verborum, & veritas: qui quidem Index, tamquam a Sac. R. C. editus, refertur in Appendice prima Synodi Diœceſis Balneoregienſis habitæ Anno Domini 1710. & impreſsæ Viterbi *pagina* 8.

Ægidii Abbatis 1. Septembris.
Ambroſii Epiſc. & Doctoris 7. Decembris.
Antonii Abbatis 17. Jenuarii.
Apparitio S. Michaelis Archangeli 8. Maji.
Auguſtini Epiſc. Doct. 28. Auguſti.
Bernardi Abbatis 20. Auguſti.
Barnabæ Apoſtoli 11. Junii.
Calliſti Pepæ, & Mart. 14. Octobris.
Chryſogoni Mart. 24. Novembris.
Cypriani, & Juſtinæ Mart. 26. Septembris.
Damaſi Pepæ, & Confeſſ. 11. Decembris.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli 29. Septembris.
Dominici Confeſs. 4. Auguſti.
Fabiani, & Sebaſtiani Martyrum 20. Jenuarii.
Felicis, & Adaucti Martyr. 30. Auguſti.
Franciſci Confeſs. 4. Octobris.
Franciſci de Paule 2. Aprilis.
Gregorii Nazianzeni Epiſc. 9. Maji.
Hieronymi Conf. & Doct. 30. Septembris.
Hilarii Epiſc. & Confeſs. 14. Januarii.
Hilarionis Abbatis 21. Octobris.
Ignatii Epiſc. & Martyr. 1. Februarii.
Inventio S. Crucis 3. Maji.
Joannis ante portam Latinam 6. Maji.
Joannis Chryſoſt. Epiſc. & Confeſſ. 27. Januarii.
Lucæ Evangeliſtæ 18. Octobris.
Ludovici Regis Francorum Confeſſ. 25. Auguſti.
Marci Papæ, & Confeſs. 7. Octobris.
Mariæ Magdalenæ 22. Julii.
Matthæi Apoſtoli 21. Septembris.
Matthiæ Apoſtoli 24. Februarii.
Nazarii, & Sociorum Mart. 28. Julii.
Petri Martyris 29. Aprilis.
Pontiani Papæ & Mart. 19. Novembris.
Quadragiota Martyrum 10. Martii.
Septem Fratrum Martyr. 10. Julii.
Sergii, Bacchi, & Sociorum Martyrum 7. Octobris.
Stanislai Epiſc. & Mart. 7. Maji.
Thomæ de Aquino Conf. 7. Martii.
Timothei Epiſc. & Mart. 24. Januarii.
Vincentii, & Anaſtaſii Mart. 22. Januarii.
Viti, & Modeſti Mart. 15. Junii.
Zephyrini Papæ, & Mart. 26. Auguſti.

## EX COMMUNIBUS.

Unius Martyris Pontif. Introit. *Statuit.* Oratio *Infirmitatem &c.*
Martyris tempore Paſchali, Introitus *Protexiſti*, *&c.* Quando dicitur Oratio *Infirmitatem*.
Doctoris Introit. *In medio Eccleſiæ.* Oratio *Deus qui populo &c.*
Abbatis Introitus *Os Juſti meditabitur.* Oratio *Interceſſio nos*, *&c.*
Virginis Martyris Introitus *Me expectaverunt*, *&c.* Oratio *Indulgentiam &c.*

Poſt editionem hujus Indicis, & publicationem allegati Decreti editæ fuerunt aliæ Miſſæ, quæ pariter dici poſſunt etiam in gradu Miſſarum Votivarum, quin varietur veritas & Ritus verborum, quæ in dictis Miſſis habentur.

Ex Decreto allegato a prædicta Synodo liquet, quod loquendo de Miſſis Votivis primi generis, nempe de Miſſis Votivis Sanctorum, quando dicitur Miſſa Votiva alicujus Sancti, debet aſſumi Miſſa propria illius Sancti, ſi habeatur in Miſſali, vel in proprio illius loci, in quo Miſſa dicitur, dummodo tamen veritas, & Ritus verborum non violetur; & ideo excluduntur aliquæ Miſſæ aliquot Feſtivitatum e Claſſe Votivarum.

Si tamen poſſit variari v. *Hodie*, ubi reperitur, & mutari in Oratione vox *Natalitia*, *Feſtivitas*, *Solemnitas*, & alia hujuſmodi in vocem *Commemoratio*, aut *Memoria*; tunc poteſt aſſumi Miſſa Feſtivitatis dicti Sancti; deſumptis ſi opus fuerit, vel Tractu, vel altero verſu poſt Paſcha, vel Graduale extra tempus Paſchale, ex Miſſa de Communi: vel ſi non poteſt ob dictam rationem dici Miſſa de Feſto talis Sancti, cujus celebrari debet Miſſa Votive; tunc tota hæc Miſſa dicatur de ſuo Communi, prout ratio temporis, ſive Paſchalis, ſive non Paſchalis exigit. Ite Gavantus *part.* 4. *tit.* 17. *Rubr.* 1. *num.* 13. Guyetus *lib.* 4. *cap.* 21. *quæſt.* 3. Cærem. Monaſt. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 1. Hagerer in Appendice *tit.* 1. *num.* 19. *&* 20. Sic autem dictum illud temperat Guyetus loc. cit. totam Miſſam de Communi poſſe accipi pro ratione temporis Paſchalis, vel non Paſchalis; ut tamen, quæ Sancti alicujus propriiſſima ſunt, ea quocumque tempore dicantur, pute verſus S. Andreæ, S. Martini, S. Franciſci; Communio S. Ignatii, S. Agathæ, & ſimilia. Miſſæ autem quædam in quibuſdam Miſſalibus ad calcem additæ aliquorum Sanctorum, quæ ſunt vel proſcriptæ, vel non legitime approbatæ, nunquam debent aſſumi pro dicendis Miſſis Votivis talium Sanctorum, de quibus tales Miſſæ titulum præſeferunt.

Si petatur Miſſe Votive alicujus Sancti infra Octavam ejuſdem, ſi de eo fiat Octava, ſed in die, in quo Officium non fiat de die infra Octavam, ſed de alio Sancto Semiduplici, puta ſi infra Octavam S. Georgii, ubi celebratur cum Octave, peteretur Miſſa ejuſdem Sancti, ſed die 26. Aprilis, quo die cadit Feſtum Semiduplex Sanctorum Martyrum Cleti, & Marcellini, in eo caſu debet dici Miſſa S. Georgii juxta Ritum Miſſæ Votivæ: non enim dicenda eſt Miſſa S. Georgii more diei infra Octavam: quia cum diſcordet ab Officio, & dicatur pro libito, utique debet eſſe Miſſa Votiva; ut colligitur ex Decreto S. R. C. 2. *Decembris* 1684. dato in noſtro Indice *ſub num.* 479. Neque obſtat quod Octave reputetur unum & idem Feſtum: id enim eſt verum quando perſeverat Officium Octavæ; ſecus vero quando interrumpitur, eo quod fiat Officium alicujus Feſti: tunc enim pro ea die non perſeverat Officium Octavæ. Rurſus neque obſtat, quod fiat Commemoratio Octavæ, & etiam ratione Octavæ dicatur *Credo*, in Miſſa de Feſto Semiduplici, ſi talis Octava illud exigat: quia inde non ſequitur, quod Miſſa infra Octavam dicenda in gradu Miſſæ Votivæ, tunc concordet cum Officio: & ideo ſemper cenſenda eſt Miſſa Votiva; ex Biſſo *tom.* 2. *lit. M. num.* 181. §. 12. & ex Hagerer *in Appendice tit.* 1. §. 2. *num.* 9. *&* §. 1. *num.* 10. ubi ednotat hoc idem dicendum de Miſſa Votiva B. M. V. celebranda infra aliquam Octavam ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, in die in quo fit de aliquo Feſto Semiduplici: quod etiam confirmatum remanet ex Decreto mox allegato, his verbis... *Qui celebrat Miſſam de B. M. V. eo die, quo fit de aliquo Feſto Semiduplici infra Octavam ejuſdem B. M. V. debet dicere Miſſam de Octava, ſed more Votivo ſine* Gloria, *& ſine* Credo, *niſi fuerit Sabbatum; quia tunc dicenda erit* Gloria, *ſine* Credo: cui concordat aliud ejuſdem Congreg. Decretum datum ſub noſtro Indice *n.* 474.

Non ſequitur tamen ex hucuſque dictis quod occurrente aliqua Vigilia infra aliquam Octavam, v. g. Vigilia Aſſumptionis infra Octavam S. Laurentii, ut diximus ſupra in titulo de Feria, & Vigilie; ſi exigatur Miſſa Votiva S. Laurentii, non ſequitur, inquam, tunc poſſe dici in tali Miſſa Votiva, Hymnum Angelicum *Gloria*, *&c.* quia quamvis Officium recitatum fuerit de S. Laurentio; Miſſa tamen propria illius diei eſt Miſſe Vigiliæ Aſſumptionis; non vero Miſſa infra Octavam S. Laurentii: unde licet Miſſa Votiva, quæ dicitur de S. Laurentio, correſpondeat Officio; attamen quia non eſt Miſſa præſcripta e Rubrica, tamquam dicenda illa die, ſed eſt Miſſa, quæ dicitur pro libito Sacerdotis, ſemper eſt in gradu Miſſæ Votivæ, ideoque ſine *Gloria*.

XIX. Si ab aliquo petatur Miſſa Votiva in honorem plurium Sanctorum Martyrum, vel Confeſſorum, vel Virginum, quorum quilibet, vel ſaltem aliqui habent aliam, vel propriam, vel de Communi ſumptam Miſſam, vel ſaltem Orationem; tunc Miſſa videtur bene celebranda de Communi talium Sanctorum reſpective, & ſecundum tempus: ita ut ſi petetur Miſsa in honorem Martyrum Pontificum, vel non Pontificum, &c. tunc ſumenda ſit Miſsa de Communi talium Martyrum tempore Paſchali, vel extra illud, prout ompe tempus, & Sanctorum qualitas exigit. Et quandoquidem, ut ſupponitur, locus determinatus non ſit, poterit eligi ex primo, vel ſecundo loco, prout placuerit, & devotio ſuggeſſerit: nec quidquam in ipſa Miſsa mutatur, niſi quod ea, quæ in Orationibus ponuntur in ſingulari, dicantur in plurali, ſicut etiam præſcribitur in Rubrica Breviarii, *in Comm. Pontif. & Confeſſ.* Quod ultimum intelligendum eſt ſi petatur Miſſa Votiva in honorem *plurium Confeſſorum Pontificum*, *& non Pontificum: Virginum tantum, ac nec Virginum, nec Martyrum*; nam cum in Miſsali habeatur Commune plurimorum *Martyrum*, Commune plurimarum *Virginum*, *& Martyrum*; non habetur tamen Commune plurimorum *Confeſſorum*, *&c.* Ite Hagerer *loc. cit.* §. 2. *n.* 6.

XX. Si dicenda ſit Miſsa Votiva de Sanctis, quorum habentur Reliquiæ inſignes, ſi fuerint omnes ejuſdem qualitatis, puta omnes Martyres, vel omnes Confeſsores, Miſsa dicatur de Communi Martyrum, vel Confeſsorum, ut ſupra. Si vero fuerint Martyres alii, alii vero Confeſsores, aut Virgines, Miſsa erit dicenda de Communi Martyrum; niſi quod in Orationibus tacenda erit qualitas Martyrum, vel ſumendæ erunt Orationes de Miſsa S. Callyſti Papæ, & Martyris 14. Octobris. Ite Guyetus. *lib.* 4. *cap.* 21. *q.* 3.

XXI. Tandem ſi ſit celebranda Miſsa Votiva de omnibus Sanctis, erit dicenda Miſsa de Feſto omnium Sanctorum, excepto quod loco Introitus *Gaudeamus*, *&c.* apte ſatis reponi poſset Introitus *Timete Dominum*, *&c.* ut in Feſto S. Cyriaci, &c. Mart. 8. Auguſti, Oratio vero erit *Concede quæſumus*, *&c.* quæ eſt prima inter Orationes diverſas ad libitum. Quod ſi ſupradicta Miſsa Votiva de omnibus Sanctis ſit celebranda tempore Paſchali, poterit dici Miſsa, quæ ponitur in Miſſali pro Communi plurimorum Martyrum tempore Paſchali; ideſt *Sancti tui*, *&c.* cum Oratione *Concede quæſumus*, *&c.* Ex Guyeto, & Biſso locis citatis.

XXII. Pro Miſsa Votiva S. Joannis Baptiſtæ poterit dici Miſsa, ut in Feſto Nativitatis ejuſdem: verum cum hac exceptione, quod Oratio, Secrete, & Poſtcommunio ex ejuſdem Sancti Vigilia commodius aſsumi poterunt abſque ulla mutatione; & ſic ſervabitur Decretum Sac. Congregat. a nobis ſupra expoſitum. Tractus talis Miſsæ poſt Septuageſimam erit *Deſiderium.* Verſus alter tempore Paſchali *Juſtus germinabit*,

ex

ex Miſsa poſita ſecundo loco in Communi Confeſſoris non Pontificis. De ejuſdem Sancti Præcurſoris Decollatione, poterit dici Miſsa Votiva eadem, quæ eſt in ipſomet Feſto: at tempore Paſchali, *Protexiſti*, ut in Feſto S. Marci, retentis Orationibus, Epiſtola, & Evangelio, &c. Ex Guyeto ſupra, &c.

XXIII. Si requiratur Miſsa Votiva in honorem Sanctorum Innocentium tempore Paſchali, poterit dici Miſsa, quæ habetur in Miſsali pro pluribus Martyribus tempore Paſchali, cujus Introitus incipit: *Sancti tui, Domine*: ſed Pſalmus erit *Laudate pueri Dominum, &c.* retinendo tamen ſemper ea, quæ in Miſsa propria ſunt peculiaria huic Feſto, puta Orationem, & Verſum poſt Epiſtolam, omiſſis verbis *Hodie Feſtivitatis, Solemnitatis &c.* Biſsus *tom. 2. lit. M. n.* 181. §. 12.

## §. V.

### *Quæ Miſſæ Votivæ ſecundi generis dicendæ ſint, de quibus ſupra.*

XXIV. Poſtquam §. antecedenti expoſuimus quænam Miſsę Votivæ dicendæ ſint de illis Sanctis, de quibus in primo Miſſarum genere celebrari poſsunt Miſsæ Votivæ: nunc procedimus ad proponendas Miſsas Votivas illorum Myſteriorum, Feſtivitatum, & Sanctorum, de quibus in ſecundo Miſsarum Votivarum genere brevis ſermo a nobis habitus fuit.

Igitur, ut ad aliqua particularia de his Miſſis ſecundi generis deſcendamus, initium deſumimus a Miſsa de Sanctiſſima Trinitate, quæ inter prædictas Miſsas ſecundi generis, primum locum ſibi vendicat. Miſsa igitur Votiva de hoc Sacroſancto omnium primo, & incomprehenſibili Myſterio, eadem dicenda eſt, quæ celebratur in Dominica, & Feſto ejuſdem SS. Trinitatis, ſed ſine *Gloria*, & *Credo*. In ea Oratio ſecunda erit diei currentis: tertia vero illa, quæ alioquin eſset ſecunda in Miſsa diei currentis; Præfatio ea, quæ eſt propria in Feſto SS. Trinitatis.

In Miſsa vero illa Votiva de SS. Trinitate, quæ dicitur pro gratiarum actione, ſub una eademque concluſione, cum Oratione prima dicitur alia Oratio tantum, *Deus, cujus Miſericordiæ, &c.* in Miſſis Solemnibus cantandis pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa; in Miſſis vero Privatis, ſecunda Oratio erit Officii de more, & tertia de gratiarum actione, quæ incipit, ut ſupra, *Deus, cujus Miſericordiæ*, cum ſuis ſolitis concluſionibus, Gavantus *par. 1. tit. 7. n. 7. lit.* n, Biſſus *lit. M. n.* 233. Guyetus *lib.* 2. *c.* 21. *q.* 13. §. 2. Gerlacus Vinitor *par. 1. tit. 7. n. 7.* §. 7. Hagerer *loc. cit. n. 7.* Halden *par. 3. tit. 7.* In Feria 2. cujuſcumque hebdomadæ, in qua Officium fit de Feria, Miſsa Principalis, ut diximus, poteſt etiam eſse Miſsa pro Defunctis, quæ dicenda eſt ut in quotidianis Defunctorum cum tribus Orationibus, ac ſine Sequentia. Secundo loco deſcribitur Miſsa Votiva de SS. Angelis in fine Miſsalis dicenda in Feria 3. ſed ſemper cum *Gloria*, & ſine *Credo*, quacumque die dicatur ſecunda Oratio diei currentis; tertia vero illa, quæ alioquin eſset ſecunda in Miſsa diei currentis; Præfatio communis.

Si petatur Miſsa Votiva S. Michaelis Archangeli, poterit dici Miſsa, ſervatis ſervandis, ut in ejus Dedicatione 29. *Sept.* Sic etiam de Angelis Cuſtodibus, poterit dici Miſſa Votiva, ea, quæ habetur in Miſsali *die* 2. *Oct.* in Feſto dictorum Angelorum. Eodem modo diſcurrendum eſt de Miſſis Sanctorum Archangelorum Gabrielis, & Raphaelis, quæ ſunt a S. Romana Eccleſia approbatæ; in quibus omnibus Miſſis Præfatio erit de Communi.

XXV. Tertia inter Miſsas Votivas ſecundi generis, quæ aſſignatur dicenda in Feria 4. eſt de Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo (quæ extra tempus Paſchale dicenda, ut habetur in fine Miſsalis) ſemper ſine *Gloria*, & *Credo*, & cum aliis duabus Orationibus, ut ſupra, & cum Præfatione Apoſtolorum. Illo autem tempore, quo dicitur Oratio *A cunctis*, dici debet in hac Votiva loco *A cunctis*, alia Oratio de Sancta Maria; nempe *Concede, &c.* ne ſcilicet bis fiat explicita mentio in Orationibus Sanctorum Petri, & Pauli. Halden loc. cit. Si vero ſit dicenda Miſsa Votiva dictorum Apoſtolorum tempore Paſchali; tunc ea aſsumi debet, quę ponitur in Feſto S. Marci occurrentis die 25. Apr. retentis tamen Oratione, Epiſtola, & Evangelio ex propria Miſsa Votiva ſupradicta SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ eſt in fine Miſsalis, & incipit *Mihi autem, &c.* Si petatur Miſsa Votiva alterius Apoſtoli a SS. Petro, & Paulo, tunc erit dicenda Miſsa, quæ habetur in proprio Feſto talis Apoſtoli juxta ea, quæ diximus ſupra, mutato nomine *Nativitatis in Commem.* & omiſso verbo *Hodie*, ſi in Miſsa Feſti habeatur, demptis etiam *Gloria*, & *Credo*.

XXVI. Si petatur Miſsa Votiva de omnibus ſimul Apoſtolis; cum de omnibus ſimul Apoſtolis, nulla ſit Miſsa Communis, obvia eſt Votiva de SS. Petro, & Paulo, dempta prima Oratione, cujus loco dici poterit Oratio ex Feſto SS. Simonis, & Judæ, 28. Oct. omiſso ly *Simonem & Judam*, prout etiam in Secreta, & Poſtcommuniona; vel omittenda ſunt verba *Petri, & Pauli*; vel his retentis, addenda ſunt verba *& aliorum Apoſtolorum*, ut facit ipſa Eccleſia in Oratione *Protege*, quæ habetur in Laudibus, & Veſperis Officii parvi B. V. M. ratio eſt, quia integra Miſsa Apoſtolorum Petri, & Pauli Votiva (Oratione dempta) convenire cenſetur etiam cæteris Apoſtolis, prout conſideranti patet. Ita Hagerer *loc. cit.* §. 18. Verum Guyetus loc. ſuprac. aſserit in tali Miſsa Votiva de omnibus Apoſtolis poſse ſumi Epiſtolam de Feſto S. Thomæ: *Jam non eſtis hoſpites, & advenæ, &c.* tempore autem Paſchali, quæ aliunde ſupplenda ſunt, ſumantur ex Miſsa S. Marci, prout præſcribit Rubrica Miſsalis poſt Miſsam SS. Petri, & Pauli Votivam. Et quod dictum eſt de omnibus Apoſtolis, ſi in honorem quorumdam tantum Apoſtolorum Miſsa Votiva petatur, idem intellige, niſi iidem Miſsam habeant Communem ex. gr. SS. Simon, & Taddæus, vel SS. Philippus, & Jacobus, aut ratio manifeſta aliud ſuadeat. Ex Hagerer loc. cit.

*Gavant. Tom. I.*

Si vero petatur Miſsa Votiva de S. Petro tantum, aut de S. Paulo ſolum, etiam tunc dicitur Miſsa Votiva communis utrique Apoſtolo, cum intentione venerandi Apoſtolum, cujus Miſsa Votiva petitur: numquam enim ſeparandi ſunt ii, quos Eccleſia conjungit. Gavantus *par. 4. tit. 17. n. 6.*

Si quis petat Miſsam Votivam in honorem Converſionis S. Pauli: vel dicatur Miſsa Votiva communis utrique Apoſtolo, ut ſupra, & ut docet Gavantus ſupra eod. tit. & n. vel ſi dicatur Miſsa Converſionis S. Pauli, fiat Commemoratio S. Petri, ut docet idem Gavantus ſupra, necnon Gerlacus Vinitor *par. 1. tit. 7.* §. 9. & Hagerer ſup. §. 15.

Denique advertimus, quod ſi occurrat celebrari Miſſam Votivam poſt Septuageſimam; in eo caſu poſt Epiſtolam dicatur Tractus, ut notatur in Miſsa Votiva SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli; vel *Deſiderium*, ut in Feſto S. Mathiæ. Guyetus *lib. 4. cap. 21. quæſt. 3.*

XXVII. Quarta Miſsa Votiva ſecundi generis dicenda in Feria 5. extat in fine Miſsalis poſt tertiam præcedentem, & eſt *de Spiritu Sancto*, in qua omittitur *Gloria*, & *Credo*; & ſecunda Oratio dicitur diei currentis; tertia, illa, quæ alioquin foret ſecunda; Præfatio dicitur propria, ut in Pentecoſte, omiſſis tamen extra tempus Pentecoſtes verbis illis *Hodierna die*. Porro circa Orationem primam hujus Miſsæ, notandum occurrit, quod in Miſsa Votiva *de Spiritu Sancto* (ſeu Solemnis, ſeu Privata) in ordine ad poſtulandam Sancti Spiritus gratiam dicatur; tunc loco Orationis *Deus qui corda Fidelium*, dicenda ſit Oratio *Deus, cui omne cor patet, &c.* quæ cum correſpondente ſibi Secreta, & Poſtcommunione, habetur in fine Miſsæ Votivæ de eodem Sancto Spiritu. Gavantus *ſupracit. par. 4. tit. 17. n. 16.* Biſsus *lit. M. n.* 233. §. 2. qui inhærendo Rubricæ Miſsalis poſt Miſsam de SS. Trinitate addit, quod Miſsa Votiva Spiritus Sancti dici etiam poteſt pro gratiarum actione; & tunc, ut ipſemet docet eadem *lit. M. n.* 235. in ea addenda eſt Oratio *Deus cujus miſericordiæ, &c.* In Miſſis quidem Solemnibus ſub unica concluſione cum prima Oratione, in Miſſis vero Privatis ſecunda Oratio dicenda erit Officii de more, & tertio loco prædicta *Deus cujus Miſericordiæ, &c.* ſub concluſione ſeparata a concluſione primæ Orationis, ut fit ſi pro gratiarum actione celebretur Miſsa de SS. Trinitate, ſicut ſupra adnotavimus: & idem ſervari debet quando pro gratiarum actione dicitur Miſsa de B. M. ut infra; quæ pariter, ut ſupradicta Rubrica tradit, poteſt dici pro gratiarum actione.

XXVIII. Nonnulli exiſtimant, quod in Miſsa Votiva de Spiritu Santo dicenda ſit ſecunda Oratio de *Sancta Maria*: quia in Miſsa Votiva de Sancta Maria, dicitur Oratio *de Spiritu Sancto*: ſed ut ait Biſsus *lit. O n. 77.* §. 3. ex ſimplicitate, & ex ignorantia Rubricarum, præfati loquuntur: etenim Miſsa Votiva de Spiritu Sancto, quoad Orationes ab aliis non diſcrepat; ideoque in ea Oratio ſecunda erit de Officio diei, & tertia *A cunctis*: vel alia, quæ pro tempore occurrit; ſicut recte docet Quarti *par. 1. tit. 4. dub.* 1. §. 4. & Tornellius *in Miſcellaneis ad Miſſam n.* 17.

XXIX. Quintum locum inter prædictas Miſſas ſecundi generis vindicat ſibi Miſſa Votiva de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento dicenda in Feria 5. & reperitur in Miſſali poſt Miſſam Votivam præcedentem de Santo Spiritu. Hæc pariter Miſſa Votiva, dicitur ſine *Gloria*, & *Credo*; ſecunda Oratio diei currentis; tertia, illa, quæ alioquin eſſet ſecunda diei currentis; Præfatio eadem, quæ in Feſto Nativitatis Domini, ſed ſine hujus *Communicantes*. Hoc loco notandum occurrit, quod qui ex indulto Apoſtolico, qualibet Feria 5. non impedita Officio novem Lectionum, recitant Officium SS. Corporis Chriſti, licet dicant Officium, ut in die Feſto; Miſſam tamen debent celebrare non ut in die Feſto, ſed hanc Communem, ſeu Votivam, ut cenſuit S. R. C. in Decr. 12. Jul. 1664. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 418. Verum tunc hæc Miſſa non dicitur more Votivæ, ſed tamquam correſpondens Officio recitato, adeoque cum *Gloria in excelſis*. Rurſus eadem S. R. C. die 4. Julii 1705. in Decreto dato in noſtro Indice *ſub num.* 595. declaravit, quod in hac Miſſa Votiva Sanctiſſimi Sacramenti, ſecundo loco dici debeat Oratio temporis occurrentis; non vero illa, quæ aſſignatur infra Octavam Corporis Chriſti. Unicum ſupereſt advertendum, quod in hac Miſſa de V. Sacramento, inclinandum eſt caput ad illa verba Collectæ *Deus qui nobis ſub Sacramento, &c.* Ita apud P. Gobat *tract.* 3. *n.* 731. *lit.* e, tradit Pater Didacus de Avendanno ob rationes ibi allatas.

Sicut pro Feria quinta habentur in Miſſali duæ Miſſæ Votivæ, nempe *de Spiritu Sancto*, & *de Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento*; ſic Feria ſexta in eodem Miſſali exhibentur duæ pariter Miſſæ, nempe *de Cruce*, vel *de Paſſione Domini* dicendæ; pro quibus debent ſervari eædem Rubricæ, ac de aliis ſupra: ſed ambæ hæ Miſſæ particularem habent Præfationem de Cruce, etiam tempore Paſchali. Si dicantur vero hæ duæ Miſſæ Votivæ tempore Paſſionis, in his dicendis non omittitur Pſalmus *Judica me Deus*, cum ſuo *Gloria Patri*, ſicut omittitur in Miſſis de tali tempore Paſſionis: & hoc colligitur ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 440. edito die 31. Auguſti 1669. Aliud enim Decretum, quod allegatur ad Hagerer ſupra §. 3. vulgatum die 10. Februarii 1647. a nobis non allegatur; quia in Regeſtis Sac. R. C. reperiri non potuit. Cæterum non eſſe omittendum præfatum Pſalmum in Miſſis Votivis de Paſſione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra hebdomadam Paſſionis, cenſent etiam Biſſus *litt. P num.* 255. §. 1. & Bauldry ab eodem allegatus: hac ratione ducti, quia tales Miſſæ ſunt Votivæ, non vero de tempore Paſſionis; in quibus a Dominica Paſſionis incluſive, uſque ad Sabbatum Sanctum excluſive, omittitur præfatus Pſalmus juxta diſpoſitionem Rubricarum.

Octavo loco inter Miſſas ſecundi generis, juxta ordinem a nobis expoſitum, ponuntur in Miſſali quinque Miſſæ Votivæ B. M. V. pro temporis diverſitate. Orationes autem, quæ in hac Miſſa Votiva de B. M. V. dicuntur, ſunt ſecunda Oratio de Officio diei, tertia vero de Spiritu Sancto; quæ tamen omittitur, ſi occurreret Commemoratio alicujus Simplicis, Vigiliæ, vel Feriæ majoris quia completus eſt numerus ternarius Orationum: Guyetus *lib.* 4. *c.* 22. *q.* 12. niſi alias Orationes ad majorem numerum libeat addere, ut fieri poteſt in Feſtis Simplicibus, &c. In Sabbato autem, quando de S. Maria factum eſt Officium; tunc ſecunda Oratio erit de Spiritu Sancto; tertia Eccleſiæ, vel pro Papa. Si loco alicujus ex his Orationibus facienda eſſet aliqua Commemoratio, quæ fieri debet ſecundo loco; tunc tertia Oratio diceretur de Spiritu Sancto, aliis, nempe Eccleſiæ, vel pro Papa, omiſſis.

In Adventu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato (etiam in caſu, quo Feſtum novem Lectionum non occurrit) ſed de currente Feria Adventus; dicitur tamen, ut ſupra adnotavimus, etiam tunc Miſſa Principalis de B. M. nempe ea, quæ inter ejus quinque Votivas primum locum ſibi vindicat, cum Commemoratione Adventus, & cum tertia Oratione de Spiritu Sancto: niſi tamen fuerint quatuor Tempora, vel Vigilia, ut ſupra; quia tunc Miſſa Principalis non dicitur de S. Maria, ſed de illa Feria 4. Temporum, aut Vigiliæ, ut ſuo loco dictum eſt.

Qui in Adventu celebrat Miſſam Votivam de B. V. v. gr. Miſſam Votivam de Doloribus B. M. V. a Sede Apoſtolica pro univerſa Eccleſia approbatam; tunc ſecundam Orationem aſſumet de Officio diei currentis, de Feſto v. gr. Semiduplici, ſi tale eo die occurrat; tertiam vero de Adventu. At ſi fuerit factum eo die Officium de Feria; tunc ſecunda Oratio in ejuſmodi Miſſa Votiva de B. V. erit de Adventu, tertia de Spiritu Sancto, quarta, ſi dicatur, erit pro Eccleſia, vel pro Papa, quinta ad libitum Celebrantis. Halden *par.* 3. *tit.* 7. & Piſart ab eo allegatus *in Sacerd. Evangel. parte* 4. *titul.* 1.

XXX. Oritur dubium inter Rubricarum explanatores; quænam Miſſa ſit legenda, quando petitur Miſſa Votiva *de SS. Roſario*, vel *S. Mariæ de Monte Carmelo*. Certiſſimum enim eſt, inhærendo Decretis S. Congr. quæ dantur in noſtro Indice *ſub num.* 189. & *ſub num.* 229. non poſſe dici Miſſas proprias conceſſas Ordinis Prædicatorum & Carmelitis. Quænam ergo in caſu poſito dicenda ſit pro Votiva *SS. Roſarii*, & *Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo*, reſpondet noſter Gavantus *par.* 4. *tit.* 17. *n.* 9. conſulendam eſſe Sac. R. C. quæ aliquando pro dictis Miſſis conceſſit Miſſam Votivam, ut in Miſſali. Verum quoniam poſt hæc conceſſæ ſunt pro univerſa Eccleſia Miſſa *SS. Roſarii* pro prima Dominica Octobris, in qua ejus Feſtum celebratur; necnon Miſſa *S. M. V. de monte Carmelo* die 16. Julii: Videtur nunc prædictæ obligationi poſſe ab omnibus ſatisfieri, dicendo reſpective dictam Miſſam *SS. Roſarii*, & aliam *S. Mariæ de Monte Carmelo*, ſervatis ſervandis pro ſolitis Ritibus Miſſæ Votivæ. De hujuſmodi Miſſis ſermonem etiam facimus in noſtris Obſervationibus *ad tit. XVII. par.* 4. *num.* 2.

Præterire non debeo Miſſam aſſignatam Feſtivitati Concept. B. M. V. non eſſe dicendam in Sabbatis, ut liquet ex Decreto S. R. C. 30. Sept. 1679. & eſt in noſtro Indice *ſub n.* 453. Denique licet in his Eccleſiis, in quibus adeſt inveterata conſuetudo cantandi Miſſam Votivam de B. V. ſingulis diebus Sabbatis, poſſit hic pius uſus, ſeu Populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Feſto Duplici impeditis: non eſt tamen omittenda Miſſa Conventualis; ut pariter colligitur ex Decreto ejuſdem Congreg. 2. Decembris 1684. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 468.

XXXI. In præfatis Miſſis Votivis B. V. tunc ſolum dicendus eſt Hymnus Angelicus *Gloria in excelſis* (attamen ſine *Credo*, etiam in Miſſa Cantata Principali) quando eæ dicuntur, aut cantantur in Sabbato; non autem ſi dicantur, aut cantentur extra Sabbatum. tunc enim ſecluſo ſpeciali privilegio, dicuntur ſine *Gloria*, & *Credo*: niſi ſi pro gravi, aut publica Eccleſiæ cauſa, cantentur ſolemniter cum unica Oratione per modum Miſſæ Votivæ Solemnis: nam tunc, quocumque die cantentur, cantantur cum *Gloria*, & *Credo*; juxta inferius dicenda, & juxta Decretum S. R. C. 8. Jun. 1658. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 328. ſicut etiam poteſt dici *Gloria*, & *Credo* in Miſſa Votiva B. V. cantata ex voto die Dominico, ut ſuperius diximus, & conſtat ex Decreto a nobis dato, *ſub n.* 401.

Quod autem Angelicus Hymnus recitandus ſit in Miſſis Votivis etiam Privatis B. M. V. quæ dicuntur in Sabbato, diſerte colligitur ex Rubr. VIII. Miſſalis *n.* 4. in qua hæc habentur: *In Miſſis Votivis non dicitur, etiam tempore Paſchali, vel infra Octavas, niſi in Miſſa B. Mariæ in Sabbato.* Gravis tamen oritur difficultas inter Auctores, quomodo intelligendum ſit illud *in Sabbato*: nimirum an de iis Sabbatis tantum, in quibus Officium ipſum, adeoque Miſſa dicitur de B. M. an vero etiam de aliis, quibus non dicitur Officium B. M. Poſtremum a Gavanto defenditur *par.* 1. *tit.* 8. *n.* 4. *lit.* z, e contra Doctiſſimus Guyetus *lib.* 4. *c.* 21. *q.* 11. Innocentii III. Pontificis auctoritate permotus, contendit Hymnum Angelicum in eo tantum Sabbato eſſe dicendum, in quo B. M. V. recitandum eſſet Officium; aut in quo perinde Miſſa de ipſa dicitur, atque ſi factum fuiſſet Officium, quod contigit in duobus prioribus Sabbatis Adventus. Utriuſque opinionis fundamenta Hierurgiæ ſuæ Biſſus inſeruit *lit. G. n.* 35. §. 1. 2. & 3. ea lectori examinanda reliquens, ut prudenter ſententiam eligat, licet ſe a Gavanti doctrina non recedere fateatur. Sed prudens, & probus lector eliget Gavanti ſententiam, quam & Rubricæ verba docuiſſe, & S. R. C. Decreta confirmaſſe, certo cognoſcimus. Profecto ſi alia fuiſſet Rubricæ Auctoris intentio, ab illa regula debuiſſet excipere ea Sabbata, in quibus non fieret Officium de B. M. ne nobis occaſionem errandi præberet: at cum diſerte præſcribat, nulla Sabbatorum facta diſtinctione, Hymnum Angelicum in Miſſa Votiva B. V. eſſe dicendum; ſatis oſtendit regulam illam ad quæcunque Sabbata referri debere. Atque ita intelligendam eſſe Rubricam, Sac. R. C. non uno Decreto probavit: Anno enim 1607. 19. Maii *in Placentina*, hæc ſtatuit prædicta Congregatio: *Gloria in excelſis Deo dicitur in Miſſis Votivis B. V. tam in Sabbatis Feriarum, quam in Sabbatis Adventus, licet ipſa die Officium non fiat de Beata Virgine.* Quod Decretum habes in noſtro Indice *ſub n.* 67. Similia decrevit eadem Congregatio, Anno 1609. 29. Jul. *in Segobien.* Hæc Decreta ſi Guyeto, & Biſſo cognita fuiſſent; nec ille a Gavanti placito receſſiſſet; nec iſte liberum lectori feciſſet, quam vellet amplecti ſententiam. Præterea ſi vera eſſet opinio Guyeti, non poſſet quis in Sabbato infra aliquam Octavam B. M. V. recitans Officium de aliquo Sancto Semiduplici, celebrare Miſſam Votivam de B. V. cum *Gloria in excelſis*, cum de ea non fiat Officium: attamen S. R. C. contrarium aperte decrevit, Anno 1684. 2. Dec. Vide noſtrum Indicem *ſub n.* 474. & 479. Ex quibus perſpicuum eſt Gavantum noſtrum, jure optimum Rubricarum interpretem a Guyeto nuncupatum, optime interpretatum fuiſſe prædictam Rubricam; ex quo ejuſdem Gavanti interpretationem S. R. C. non uno tantum, ſed multiplici Decreto confirmaverit. Innocentii autem III. quæ opponitur auctoritas a Guyeto allata, nihil profecto officit Gavanti, & communi ſententiæ: cogimur enim dicere Ritum Innocentii ævo vigentem, a recentioribus Rubricæ diſpoſitionibus, & Sac. R. C. iteratis Decretis fuiſſe mutatum.

Hoc loco obſervandum occurrit, quod ſi quis in Vigilia Aſſumptionis B. M. V. in Sabbatum incidente peteret Miſſam Votivam de B. M. V. Sacerdos celebrans ſatisfacere poſſet ſuo oneri, celebrando dictæ Vigiliæ Miſſam, non tamen cum *Gloria in excelſis*, ratione coloris violacei (quo in tali Miſſa uteretur) juxta Rub. XVIII. Miſſalis *n.* 5. & juxta Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 57. Quod ſi magis placeret Sacerdoti celebrare tunc veram Miſſam Votivam de B. M. V. eidem tempori convenientem, poſſet utique eam celebrare, ſed cum colore albo; & dicere Hymnum Angelicum, ſed abſque Commemoratione dictæ Vigiliæ; ne bina in eadem Miſſa B. M. V. diceretur Oratio; attamen primus modus ſatisfaciendi tali oneri magis arridet Joſepho de Brend allegato ab Hagerer ſuperius citato §. 1. *n.* 11. In eadem ſententia eſt Guyetus *lib.* 4. *cap.* 21. *qu.* 9. dicendo, quod in prædicto caſu, licet dicatur in Miſſa Vigiliæ Præfatio Communis; quia tamen tota illa Miſſa Vigiliæ eſt de B. V. alia perperam Votiva aſſumeretur.

XXXII. Item dicimus, quod infra aliquam Octavam B. M. V. qui debet Miſſam Votivam de eadem B. V. M. celebrare, eam dicat de illa Octava cum *Gloria*, & *Credo*, non autem Votivam; nec eam de Feſto more votivo (ut diximus ſupra cum Gavanto ibi citato) ſuppoſito tamen, quod etiam diei Officium eo die ſit de Octava, ſeu melius de die infra Octavam. Quod ſi celebretur Miſſa de B. V. M. eo die, quo ſit de aliquo Feſto Semiduplici infra Octavam ejuſdem B. V. tunc quamvis dicatur Miſſa de dicta Octava, tamen dicitur ſine *Gloria*, & *Credo*, ſed more votivo; niſi tamen fuerit Sabbatum; quia tunc ratione Sabbati dicetur *Gloria*, ſed ſine

*Credo*

*Credo*, juxta Decretum Sacræ R. C. 2. Dec. 1684. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 474.

XXXIII. Præterea tametſi quando Miſſæ Votivæ de B. V. Privatæ dicuntur in Sabbato, dicantur cum *Gloria*, non tamen dicitur etiam tunc in iis *Credo* extra caſum ſuperius dictum, quod dicantur ſolemniter pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa, cum unica Oratione. Gobat *tract.* 3. *num.* 712. & Halden citato loco §. *Notandum tertio*. Quando in Sabbato factum eſt Officium de Sancta Maria in Sabbato, licet Miſſa, quæ dicitur de Sancta Maria in ejuſmodi Sabbato, ſit una ex ſupradictis quinque Votivis de Sancta Maria tempori occurrenti conveniens; attamen, quia tunc non dicitur per modum Votivæ, utpote concordans cum Officio diei; ideo tunc Oratio ſecunda eſt *de Spiritu Sancto*; tertia vero *Eccleſiæ*, *vel pro Papa*, prout ambæ notantur in fine Votivarum *de S. Maria* in recentioribus Miſſalibus; niſi in hujuſmodi Sabbato occurrat Feſtum Simplex, aut ratione Menſis, dicenda ſit Oratio *Fidelium*; tunc enim ſecunda Oratio eſt *de Simplici*, aut *Fidelium*; tertia autem *de Spiritu Sancto*: niſi & hæc ob aliquam ulteriorem faciendam Commemorationem, omittatur; ut contingit quando in Sabbato, quo fit de Sabbato, duo Feſta Simplicia occurrunt; aut præter Commemorationem faciendam de Simplici, ſimul ratione Menſis, dicenda ſit Oratio *Fidelium*, de qua ſuo loco. Quando vero ſive in Sabbato, ſive alio infra hebdomadam die dicitur de Beat. Virg. una ex ſupradictis quinque Miſſis Votivis per modum Votivæ (verb. gr. in Feſto Semiduplici, aut in aliqua Vigilia, &c.) tunc ſecunda Oratio ſemper dicitur de Officio illius diei, vel de Vigilia: tertia vero erit *de Spiritu Sancto*: niſi propter aliam Commemorationem faciendam loco hujus tertiæ, alia Oratio ponenda ſit; ut fieri poteſt, ſi Miſſa Votiva B. V. dicatur in die, in quo occurrit Feſtum Semiduplex, & aliud Feſtum Simplex, vel aliqua Vigilia, ſeu Feria major. Halden ſupra eodem loco.

XXXIV. Animadvertendum denique eſt, quod in Miſſis tam proprie Votivis B. M. V. quam non Votivis de eadem B. M. in Sabbato dictis, Præfatio eſt de B. V. *Et te in veneratione &c.* ac in earum fine, dicendum eſt *Ite Miſſa eſt*; & Evangelium S. Joannis, &c. In Miſſis vero Votivis Beatæ M. V. extra Sabbatum dictis, dicitur quidem eadem Præfatio, necnon in fine earum pariter Evangelium S. Joannis, ſicuti in omnibus Miſſis Votivis, non tamen *Ite Miſſa eſt*: eo quod extra Sabbatum, etiam illæ Votivæ, quæ dicuntur de B. M. dicuntur ſine *Gloria*. De coloribus autem adhibendis in Miſſis Votivis B. M. & aliorum Sanctorum, ſeu Solemnitatum, dicemus §. ſequenti.

XXXV. Quæ Miſſæ Votivæ ſint dicendæ pro diverſis rebus, & quæ ſpectant ad tertium Miſſarum genus, nullum verbum facimus, quia hæ deſcribuntur ſatis in Miſſali: & quod ſpectat ad earum Ritus, & partes, colligi poteſt, & ex iis, quæ ſuperius diximus de talibus Miſſis tertii generis, necnon ſecundi, & primi; & ex iis, quæ dicemus infra agendo de coloribus, & partibus omnium Miſſarum Votivarum.

## §. VI.

### *De coloribus adhibendis in Miſſis Votivis.*

XXXVI. In Miſſis Votivis primi generis, nempe de Sanctis, aut Feſtivitatibus, quæ Anniverſaria Celebritate recoluntur ab Eccleſia, idem adhibetur color, ac in die eorumdem Feſtorum, & Sanctorum. Quarti *par.* 1. *tit.* 4. *dub.* 4. *v.* 14. & deducitur ex Rubrica XVIII. Miſſalis; *n.* 1. *&* 3. *in fine*. Ab hac regula tamen excipi debet Miſſa Votiva de SS. Innocentibus, in qua, ſi ut Votiva dicatur, colore rubeo utendum eſt; quamvis in die Feſto, extra Dominicam, violaceus adhibeatur. Ita ex Rubrica Miſſalis citata *n.* 3. quæ abſolute docet; *Rubeo colore utitur in Miſſis Votivis ſupradictorum Feſtorum*: inter quæ numeratur etiam Feſtum SS. Innocentium. Quod autem in Feſto eorumdem Innocentium color violaceus adhibendus ſit, rationem reddit, ut videbimus, Gavantus infra in hac prima parte *titul.* 18. ſeu Rubrica *num.* 5. dicens: quia eo die ploratus matrum accidit, de quo in Evangelio: *Vox in Rama audita eſt*, *&c.*

In aliis Miſſis Votivis ſecundi, & tertii generis, juxta ordinem a nobis aſſumptum, & quæ exhibentur circa finem Miſſalis, adhibendus eſt color, ut ſequitur. In Miſſa de Cruce color rubeus; in Miſſa de Paſſione color violaceus. In Miſſis vero Votivis de SS. Trinitate, de Angelis, de SS. Euchariſtiæ Sacramento, & de B. M. color albus eſt adhibendus. At in Miſſa de Spiritu Sancto color rubeus; & de Apoſtolis, ut in eorum die Feſtivo.

Ad Miſſas Votivas tertii generis quod attinet: pro eligendo Summo Pontifice, ſive dicatur Miſſa de Spiritu Sancto, ſive illa quæ exhibetur in fine Miſſalis pro dicta cauſa, color rubeus eſt adhibendus. Pro Creatione, & Coronatione Papæ, albus; & ſimiliter pro Anniverſario Conſecrationis Epiſcopi. Pro Miſſis ad tollendum Schiſma, & aliis ibi in Miſſali contentis, uſque ad Miſſam pro iter agentibus incluſive, color violaceus: ita colligitur ex Rubrica Miſſalis, & tradit Quarti loc. cit. Item in Miſſa pro felici morte impetranda, noviſſime conceſſa, color violaceus eſt adhibendus: & hoc patet etiam ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 599. ex quo etiam habetur, quod prædicta Miſſa in Miſſali, debet inſeri poſt Miſſam pro remiſſione peccatorum; unde decimum quartum locum talium Miſſarum occupabit Miſſa, quæ eſt pro Sponſo, & Sponſa; in qua celebranda, color albus eſt adhibendus. Halden *loc. cit.* §. *Reliquæ decem Miſſæ*.



XXXVII. Etiam in Miſſa Votiva, quæ cantatur pro re gravi, debet ille color adhiberi, quo utimur in Feſto, cujus Miſſa celebratur; & hoc conſtat ex Decreto, quod datur in noſtro Indice *ſub n.* 431. Cæterum, quamvis in Miſſis votivis paramenta Celebrantis debeant eſſe convenientia Miſſis, quæ celebrantur; nihilominus Altaris paramenta debent correſpondere Officio, quod recitatur in Choro; niſi forte Miſſa Votiva ſit pro re gravi, & publica Eccleſiæ cauſa, cum ea ſolemniter celebretur: nam tunc etiam Altaris paramenta cum Miſſis convenire debent. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 6. *c.* 4. *n.* 6. & Gerlacus Vinitor *par.* 1. *tit.* 18. *in adnot.* §. 1.

## §. VII.

### *De ingreſſu ad Miſſam Votivam, & aliis uſque ad Orationes.*

XXXVIII. In omnibus Miſſis Votivis, quæ non ſunt de *Requiem*, dicitur Pſalmus *Judica me Deus*, & terminatur cum *Gloria Patri*, tam ad Introitum, quam etiam in fine Pſalmi *Lavabo*, etiam in Miſſis Votivis *de Paſſione*, vel *de Cruce*, vel aliis quibuſcumque, quæ dicuntur infra hebdomadam Paſſionis: & hoc deducitur ex Decreto a nobis ſupra allegato, & dato in noſtro Indice *ſub n.* 440. & in hoc etiam conveniunt omnes Sacrarum Rubricarum interpretes: quia, ut diximus, Pſalmus *Judica*, & *Gloria Patri* ad Introitum, nec non ad finem Pſalmi *Lavabo*, ſolum in Miſſis de tempore, hoc eſt illis quæ ſunt de Dominica, aut Feria currente, non autem in Miſſis de Feſtis, aut Votivis, etiamſi ſint de Paſſione, tempore Paſſionis omittuntur.

Rurſus in quacumque Miſſa Votiva tempore Paſchali in fine Introitus, dicuntur duo *Alleluja*, & in fine Offertorii, & Communionis additur *Alleluja* ubi non habetur.

XXXIX. In Miſſis Votivis Privatis, etiam tempore Paſchali, vel infra Octavas, juxta Rubricam Miſſalis, hac *par.* 1. *tit.* 8. *n.* 4. etiam in Miſſa Votiva de Titulari, vel Patrono, juxta Decretum datum in noſtro Indice *ſub nu.* 323. non eſt dicendus Hymnus Angelicus ſive *Gloria in excelſis* niſi fuerit Miſſa Votiva Angelorum: quo nomine veniunt etiam Miſsæ propriæ Sancti Michaelis, & Sancti Gabrielis, &c. dicitur autem *Gloria* in Miſſis omnibus Votivis Angelorum, quia Angeli hunc Hymnum in medio paſtorum cecinerunt; ut ait Durandus *lib.* 5. *cap.* 13.

Ita etiam idem Hymnus recitatur in Miſsa Votiva de B. V. M. in quolibet Sabbato, ſicut dicimus ſupra agendo de hujuſmodi Miſſis Votivis B. M. V. & conſtat ex Decretis datis *ſub n.* 67. & *ſub n.* 474. & *ſub n.* 479.

XL. Ita a prædicta regula excipiendæ ſunt Miſsæ etiam Votivæ Solemnes, quæ pro re gravi aut publica Eccleſiæ cauſa cantantur: nam in his tam *Gloria*, quam *Credo* dicuntur; modo Miſsa Votiva non ſit talis, quæ debeat dici in paramentis violaceis: nam ſi ſit talis Miſsa Votiva, etiamſi Solemnis dicatur in violaceis paramentis, cujuſmodi v. g. eſt illa, quæ inter Votivas tertii generis intitulatur, *pro quacumque neceſſitate*; etiam in illa nec *Gloria* dicitur, nec *Credo*, niſi decantetur in Dominica; quia tunc ratione Dominicæ dicitur quidem *Credo*, non tamen *Gloria in excelſis*: uti habetur tum in propria Rubrica pro talibus Miſſis Votivis in fine Miſsalis præfixa; tum etiam in Rubrica generali Miſsalis in fine; nec non in Decretis datis in noſtro Indice *ſub n.* 57. & *ſub n.* 431. Sic etiam in Miſſa Votiva de B. V. celebrata ob publicam cauſam, & ratione concurſus, poteſt dici *Gloria* cum *Credo*, juxta Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 328.

XLI. Denique quando dicitur Miſsa Votiva de aliquo Sancto eo die, quo idem obiit, vel quia Titulus eſt Altaris, de quo tamen non recitatur Officium, poteſt dici ejus Miſsa Votiva cum *Gloria*: ita colligitur ex Gavanto *hac* 1. *par. tit.* 9. *in Rub. n.* 16. *lit.* i §. *In Miſſa de Sancto*. Ita pariter docet Quarti *par.* 1. *tit.* 14. *dub.* 3. qui vocat hanc Miſsam Semifeſtivam: quia, ut bene notat Gavantus, eſt partim Votiva, & partim Feſtiva, ſive mixta ex votivo, & feſtivo: ex Votivo, quia diſcordat ab Officio; ex Feſtivo, quia eo die obiit Sanctus, de quo dicitur Miſsa. Prædictam ſententiam tenent etiam Arnaud *part.* 1. *tit.* 3. Lohner *par.* 4. *tit.* 2. §. 3. *n.* 1. Hagerer ſupra §. 3. & Macrius *V. Miſſa Votiva*.

## §. VIII.

### *De Orationibus dicendis in Miſſis Votivis.*

XLII. In Miſſis Votivis Privatis ſecunda Oratio ordinarie eſt de eo, de quo fit Officium, ſive illud ſit Feſtum, ſive Feria; tertia vero, quæ aliunde ſecundo loco dicetur in Miſsa correſpondente Officio diei: & ut diximus, ſupra, aliquando ratione alicujus Octavæ, vel Feriæ majoris, & Sancti Simplicis, poſsunt, & debent dici etiam quatuor, vel quinque Orationes, &c. Non eſt tamen neceſse in Miſsa Votiva, ſicut etiam in Miſsa de Semiduplici, vel de Simplici, dicere

plures Collectas ſemper impares numero, puta tres, quinque, vel ſeptem, & hoc conſtat ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub nu.* 476. unde non admittitur Doctrina Hagerer *ſuprac. loc.* §. 4. & nonnullorum aliorum, qui pro certo ſupponunt ſemper in Miſſa Votiva, vel de Semiduplici & Simplici dicendas eſſe Collectas impares numero.

Dixi regulariter loquendo, ſecundam Orationem in Miſſa Votiva dicendam eſſe de eo, de quo factum eſt Officium, ſive illud ſit Feſtum, ſive ſit Feria. Sed ab hac regula excipienda eſt Miſſa Votiva *de SS. Petro*, vel *Paulo* Apoſtolis; tunc enim ſecunda Oratio dicitur de alterutro dictorum, juxta qualitatem Miſſæ, quæ dicitur; tertia vero de die, vel Feſto currente, &c. Biſſus *lit. O n.* 77. §. 4. & Hagerer *cit. loc.* §. 4. *n.* 2.

XLIII. Quænam Orationes ſint dicendæ in Miſſa Votiva de B. V. ne eadem inutiliter repetantur, legantur ea, quæ ſupra diximus agendo de talibus Miſſis Votivis *Beatæ* Matiæ Virginis, de qua cum poſſit pariter celebrari Miſſa ſolemnis pro gratiarum actione, necnon privata, in his dicendæ ſunt Orationes eo modo, & numero, quo dicuntur, quando pro gratiarum actione celebratur Miſſa *de Sanctiſſima Trinitate*, vel *de Spiritu Sancto*.

Cæterum in illa regula generali ſupra tradita, quod tertia Oratio Miſſæ Votivæ Privatæ debeat eſſe, quæ ſecundo loco diceretur in Miſſa correſpondente Officio diei currentis, ſatis explicatur quæ Orationes ſint dicendæ in Miſſis Votivis, quæ dicuntur ab Adventu uſque ad Nativitatem Domini; ab Octava Epiphaniæ uſque ad Feſtum Purificationis B. M. V. a Feſto prædicto Purificat. B. M. V. uſque ad Dominicam Paſſionis, &c. unde ne in longum protrahamus ſermonem, omittimus omnia ea, quæ prolixe tradit Hagerer *loc. cit. a n.* 3. *uſq. ad n.* 10. qui ſemper diſcurrit cum falſo ſuppoſito, quod in Miſſis Votivis, ſicut in aliis de Semiduplici neceſſario Orationes debeant ſemper eſſe numero diſpares.

XLIV. Hoc unum tantum advertimus, quod tempore Paſſionis, nempe a Dominica Paſſionis, &c. ſi dicatur Miſſa Votiva, tunc in ea, ſecunda Oratio erit de Feria, tertia vero *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: poſſunt enim abſolute dici etiam eo tempore tres Orationes, aut plures, ut videbimus infra in Miſſis, quæ non ſunt de tempore Paſſionis, ſed Votivæ, vel de aliquo Feſto Semiduplici: & in hoc convenit etiam Halden *loc. cit.* §. *Si tempore*.

Quamvis in Miſſa Privata Votiva, tres ſaltem debeant eſſe Orationes; in Miſſa tamen Votiva Solemni, quæ celebratur *pro re gravi*, vel *publica Eccleſiæ cauſa*, unica tantum Oratio eſt dicenda. Biſſus *ſupracit. loc.* §. 5. Sed Miſſæ *pro gratiarum actione* additur alia Oratio, ut ſupra etiam diximus, & ambæ dicuntur ſub unica concluſione. Obſervat Biſſus cum Guveto *loc. cit.* quod in Miſſis Solemnibus *pro re gravi*, vel *pro publica Eccleſiæ cauſa*, in Rubrica non præcipitur Oratio de Officio diei: quia ſupponitur hanc Miſſam eſſe cantandam præter Miſſam Conventualem, quæ cantanda eſt de Officio diei. Cæterum ſi ſola Miſſa *pro re gravi* cantaretur, ſatis probabiliter idem Guvetus Cæremoniali Monaſt. inhærens *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 8. ait: quod in dicta Miſſa Votiva pro re gravi, in dicto caſu facienda eſſet Commemoratio diei currentis, & aliæ Commemorationes, quæ fierent in Feſto Solemni, nempe de Dominica, de Octava privilegiata, de Feria majori occurrente, &c. Biſſus ſupra. Sequitur etiam ex hoc, ut obſervat Biſſus ibidem, quod in Miſſa votiva, quæ cantatur pro expoſitione, & repoſitione SS. Sacramenti in Oratione quadraginta Horarum, ſi cantetur ſola Miſſa de eodem, & non cantetur alia Miſſa de Officio: tunc præter orationem Votivam de Sacramento, addenda eſſet Oratio de Officio illius diei currentis.

## §. IX.

### *De Graduali, Tractu, & Credo dicendis, vel non dicendis in Miſſis Votivis.*

XLV. Tempore Adventus, quando in Miſſis ferialibus omittitur *Alleluja* in *Graduali* cum ſuo *verſu*; in Miſſis tamen Votivis quibuſcumque, etiam in colore violaceo dictis, illud non omittitur. Gavantus *par.* 4. *tit.* 17. *n.* 11. Hagerer *ſup.* §. 15. *&c.* & Halden. *loc. cit. nempe par.* 3. *tit.* 7. *de Miſſa Votiva pag. mihi* 229. Idem intellige, ſi extra Septuageſimam dicendæ ſint Miſſæ Votivæ diebus quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur; ita deſumitur ex Gavanto, ex Hagerer locis citatis, & ex Halden loc. cit. quia Miſſæ Votivæ non ſunt Miſſæ de tempore, & participant aliquid de Feſtis, quorum ſunt Votivæ, in his autem poſt *Graduale* decet extra Septuageſimam audiri *Alleluja* ad exprimendam aliqualem lætitiam. Gavantus, & Halden loc. cit.

A Septuageſima uſque ad Paſcha in Votivis ſemper dicitur *Tractus*, etiam his diebus, quibus non dicitur Miſſa Feriæ: Lohner *par.* 4. *tit.* 2. §. 3. *n.* 4. & Hagerer ſupra §. 5. *n.* 2. Exemplum habetur in Miſſis Votivis B. M. V. quæ poſitæ ſunt in fine Miſſalis.

Unde autem in Votivis *Alleluja*, cum ſuo verſu tempore Paſchali, vel extra illud, *Tractus* in Septuageſima in defectu deſumendi ſint, tradit Gavantus *infra par.* 4. *tit.* 17. *Rub.* 1. *n.* 10. Notat Halden cit. loc. quod ſi Miſſa Votiva alicujus Sancti dicatur eo tempore, quo alioquin poſt *Epiſtolam*, ſeu Lectionem dicendum eſt in Miſſa *Graduale*, vel poſt Graduale *Tractus*, vel omiſſo Graduali *duo verſus cum quatuor Alleluja*, & Miſſa illa Votiva, quæ dicenda eſt, horum aliquo careat; tunc *Graduale*, vel *Tractus*, vel *verſus illi cum quatuor Alleluja* deſumi pro ea debent de Communi illorum Sanctorum, de quibus Miſſa Votiva celebratur.

Ex eodem Halden loc. cit. habetur quod ſi infra Octavam Paſchæ pro *re gravi*, aut *publica Eccleſiæ cauſa* cantanda ſit Miſſa Solemnis, non eſt in ea dicendum *Graduale*, ſed quatuor *Alleluja* cum *duobus verſibus*: eo quod *Graduale* conveniat quidem Miſſis illius *Octavæ Paſchalis*; non tamen Miſſæ Votivæ Paſchali, quæ infra illam dicitur. Hæc Halden ex Ruiz, & ex Gavanto, qui addit, neque in fine talis Miſſæ Votivæ dicendum eſſe ad *Ite Miſſa eſt* duplex *Alleluja*.

XLVI. Quoad Symbolum, ſive *Credo* dicendum in Miſſis Votivis, certiſſimum eſt apud omnes, quod in Miſſis Votivis Privatis nunquam dicitur *Credo*, etiam ſi celebrentur infra aliquam Octavam: & patet hoc ex Rubrica Miſſalis, quæ habetur hac *par.* 1. *tit.* 11. In Miſſis vero Votivis Solemnibus pro *re gravi*, vel pro *publica cauſa*, dicitur *Credo*, etiamſi dicantur in paramentis violaceis, ſed in Dominica; & hoc conſtat ex ſupradicta Rubrica. Poteſt etiam dici *Credo* in Miſſa Cantata de B. V. M. in die Dominico, ratione voti: ita ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub num.* 401. Sic etiam in Miſſa Votiva de eadem B. M. V. cantata ob publicam cauſam, vel ratione concurſus, poteſt dici *Credo*: ita ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub num.* 323. & *ſub num.* 470. nec non *ſub num.* 474. & denique *ſub num.* 479. conſtat, quod in aliis caſibus particularibus numquam poteſt dici *Credo* in Miſſis Privatis Votivis.

## §. X.

### *De Præfationibus, & Reliquis Miſſæ Votivæ partibus.*

XLVII. In Miſſis Votivis tam Privatis, quam ſolemniter cantatis pro *re gravi*, & *publica cauſa*, quæ propriam habent Præfationem, dicitur ſemper propria Præfatio: ſi vero non habeant Præfationem propriam, dicitur Præfatio Communis, vel de tempore, vel de Octava, infra quam contigerit Miſſas Votivas celebrari: ita colligitur *ex Rubrica IV. tit.* 12. hujus primæ partis. Verum Piſart. in libello, cui titulus: *Cæremoniæ Eccleſiæ certis quibuſdam diebus &c. pag.* mihi 12. & Halden *par.* 3. *tit.* 7. *de Miſſis Votivis pag.* mihi 230. excipiunt ab hac regula Miſſas Votivas, quæ dicuntur infra Octavam Nativitatis Domini: nam juxta ipſos intra hanc Octavam in Miſſis etiam Votivis Rubricæ non permittunt aliam dici *Præfationem*, niſi de Nativit. Domini, cum ejuſdem *Communicantes*. Sed quia in Decreto edito *die* 25. *Septembris*, *Anno* 1706. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 603. & ex alio approbato a Clemente XI. dato in noſtro Indice *ſub num.* 628. Sacra Rituum Congregatio ſtatuit quod -- Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ Votivæ Privatæ, & pro Defunctis -- Ideo certiſſime hæc opinio non habet amplius locum in Miſſis Privatis Votivis infra eamdem Octavam: in Miſſis vero Votivis ſolemniter pro re gravi, infra eamdem Octavam celebrandis, dicenda eſt Præfatio juxta cit. Rubricam generalem 12. *n.* 4. Hinc fit, quod etiam in dicta Octava, inhærendo tali Rubricæ, ſi cantetur Miſſa Votiva Solemnis pro re gravi, &c. quæ habeat propriam Præfationem, non eſt dicenda Præfatio Nativitatis, ſed Præfatio propria dictæ Miſſæ Votivæ; quæ tamen non excludit *Communicantes de Nativitate*; ut patet ex Decreto edito 28. Aug. 1627. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 216. Hanc noſtram ſententiam tenet etiam Hagerer *pag. mihi* 219. allegans ſupradicta Decreta; & Joannes Baptiſta Pittonus in Collectione Deciſ. ad Sacros Ritus *pag.* 427. de qua re vide etiam quæ dicemus infra *par.* 4. *tit.* 3. in noſtris Obſervationibus *num.* 15.

Et revera hoc etiam evenit, & admittitur ab omnibus in Miſſis Votivis habentibus propriam Præfationem, ſi dicantur infra Octavam Aſcenſionis quæ habet propriam *Præfationem*, & proprium *Communicantes*; nam in dicto caſu, in Miſſa illa Votiva, dicetur *Præfatio* propria illius Miſſæ Votivæ; *Communicantes* vero dicetur de Aſcenſione, etiam in caſu, quo nulla fuerit facta Commemoratio de Octava Aſcenſionis: adeoque datur caſus in quo ſeparari debet *Communicantes a Præfatione*. Id quod contingit in aliis caſibus v. g. in Feſto SS. Philippi, & Jacobi, & in Feſto Inventionis S. Crucis, ſi occurrant infra Octavam Aſcenſionis, ut dicemus ſuo loco: & hoc eſt etiam juxta Decretum quod emanavit die 16. *Junii* 1663. *in una Granaten.* & datum in noſtra Appendice ad Indicem Decretorum.

In Miſſis autem Votivis, quæ propriam *Præfationem* non habent, tunc dicitur *Præfatio* de tempore, nempe vel Quadrageſimali, vel Paſſionis, vel Paſchali: nam extra hæc tempora dicenda eſt Præfatio Communis, ſive ultima, ut in ordine Miſſæ, niſi occurrat aliqua Octava. Nam ſi Miſſa aliqua Votiva, non habens propriam Præfationem, quocumque tempore dicatur infra aliquam Octavam; tunc Præfatio etiam Miſſæ Votivæ infra illam Octavam dictæ, dicenda eſt de Octava: & hoc colligitur *ex Rubrica generali titul.* 12. *n.* 4. *hujus*

*primæ*

*primæ partis*; nec non ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub num.* 628.

Quod ſi Feſtum, cujus Octava celebratur, habeat inſuper proprium *Communicantes*, vel etiam proprium *Hanc igitur*; etiam hæc dicenda erunt in eadem Miſſa Votiva infra illam Octavam dicta: & hoc colligitur ex ſuperius dictis. Excipiendæ ſunt ab hac regula Miſſæ de *Requiem*: nam in Miſſis Defunctorum non dicitur alia *Præfatio*, quam Communis, ſive ultima; nec aliud *Communicantes*, aut *Hanc igitur*, quam Commune, ut eſt certum apud omnes.

XLVIII. Qui tamen in Sabbato recitat Officium de B. V. ſi celebret Miſſam Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere, ut diximus, *Gloria in excelſis*, ſed neque *Præfationem* de B. V. quamvis de ea Commemorationem facere debeat: idque conſtat ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub num.* 475. Ita pariter quando fit per Annum a privilegiatis Officium de Conceptione Immaculata, vel etiam Sanctæ Mariæ in Sabbato, ut diximus, vel de Sanctiſſimo Sacramento; ſi dicatur Miſſa Votiva non habens *Præfationem* propriam, *Præfatio* talis Miſſæ debet eſſe de Communi, vel de tempore, ut ſupra nempe Quadrageſimali, vel Paſchali &c. ita pariter colligitur ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 608.

XLIX. In Miſſa Votiva de Spiritu Sancto, quæ habet *Præfationem* propriam, omittenda ſunt in tali *Præfatione*, ut diximus etiam ſupra, illa verba *hodierna die*; cum hæc non congruant extra Octavam Penteccoſtes.

L. Expleto Canone, & aliis omnibus uſque ad Communionem, ea peracta, etiam in Miſſis Votivis dicitur *Communio*, cui tempore Paſchali additur *Alleluja*. Dicuntur præterea *Orationes poſt Communionem* eodem modo, & ordine, ut in principio Miſſæ, & repetito *Dominus Vobiſcum*, in Miſſis privatis Votivis ſemper dicitur *Benedicamus Domino*; quia regulariter in iis non dicitur *Gloria in excelſis*. Excipiendæ itaque ſunt ab hac regula Miſſæ illæ Votivæ, nempe *Angelorum* quotidie, *B. M. Virginis in Sabbato* tantum, in quibus dicitur *Gloria in excelſis*, quia in his repetito *Dominus Vobiſcum*, dicitur *Ite Miſſa eſt*, non vero *Benedicamus Domino*. Uno verbo ſemper ac in Votivis dicitur *Gloria in excelſis*, ſive Privatis, ſive Solemnibus, correſpondere debet *Ite Miſſa eſt*, non vero *Benedicamus Domino*.

LI. Quoad ultimum Evangelium omnium Miſſarum Votivarum, tam Privatarum, quam Solemnium, ſemper dicitur Evangelium S. Joannis, *In principio erat Verbum, &c.* hæc colliguntur ex Rubrica *tit.* 13. *hujus primæ Partis*.

## §. XI.

### *De Miſſa Votiva Solemni.*

LII. Sæpius memoravimus ſupra Miſſas Votivas Solemnes, quæ aliquando dicuntur etiam in diebus Duplicibus, vel Feſtivis; ſed tantum pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa. Quid autem ſub verbis *pro re gravi* intelligendum ſit, colligi poteſt ex Decreto evulgato die 19. Maji 1607. dato in noſtro Indice *ſub n.* 58. videlicet -- Res gravis pro licita Votivæ Solemnis decantatione ea eſt, pro qua convenit Clerus cum Epiſcopo, vel apud Regulares in eorum comitiis generalibus, ſeu provincialibus, cum cantatur Miſſa pro re eorumdem judicio gravi -- In prædicto Decreto, verba illa, *pro qua convenit totus Clerus cum Epiſcopo*, ſubintelligenda ſunt, ubi hic reperitur; ut notat Hagerer loc. cit. in additione pro Miſſis Votivis Solemnibus. Cauſa autem publica, qua interveniente poteſt cantari Miſſa Solemnis Votiva, apud Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 1. *n.* 7. vocatur ea, pro qua pariter totus Clerus cum Epiſcopo (iterum intellige ubi reperitur) convenire ſolet, quales ſunt: ſi votum, pro malo gravi avertendo factum, ſit exolvendum; aut gratiæ pro accepto aliquo magno beneficio ſolemniter ſint agendæ; aut cum precatio quadraginta Horarum inſtituta ſit: item ſi pro acquirendo gravi, & publico beneficio, vel avertendo malo, quod rationabiliter timetur, ſupplicetur. Ex quibus colligitur, non quamlibet cauſam gravem, vel publicam ſufficere ad hoc, ut Miſſa Votiva Solemnis cum *Gloria*, & *Credo* dici poſſit: ſed eam, quæ concernit, vel per ſe, vel per accidens notabiliter Communitatem, vel ſaltem notabilem ejus partem. Item nobilem, & præcipuam quamdam familiam, ex cujus conſervatione Communitati publicæ multum utilitatis recidere poteſt. Item ex conſervatione perſonæ Regis, Principis, aut etiam Filii unigeniti familiæ illuſtris: quia ejuſmodi caſus concernunt totam Communitatem. Hæc omnia ita collecta tradit pariter Hagerer *loc. cit. num.* a.

LIII. Non ſufficere autem pro re gravi, & multo minus pro publica Eccleſiæ cauſa profeſſionem alicujus Religioſi, vel Religioſæ, jam diximus ſupra: & colligitur ex Decreto ibi citato, nempe dato in noſtro Indice *ſub n.* 462. Sed quod ait Gavantus infra *tit.* 8. *lit.* b, & quod traditur in Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 58. eam rem dici gravem, pro qua, ut diximus, convenit Clerus cum Epiſcopo, quæ verba non ſic accipienda ſunt, quaſi ipſe conventus Cleri cum Epiſcopo faciat eſſe rem gravem; ſed quod ſignum ſit, ex quo arguitur eſſe talem. Cæterum quamvis poſſet æque eſſe neceſſitas privata, & ſingularis de re gravi, haud tamen pro ea convenire ſolet Clerus cum Epiſcopo ut pro publica: ideoque Rubrica utrumque ſimul junxit, dicendo: *Pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa*, quod & Rodericus *tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 15. ſic fuſius exponit: *Quando*, inquit, *fit aliqua proceſſio, quæ nunquam fit niſi pro re gravi, vel quando aliquæ Miſſæ dicuntur in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Regularibus, vel Parochialibus, pro ſalute Principis, vel totius Reipublicæ; vel pro aliqua intentione temporali bonum commune immediate concernente; vel quando fit in gratiarum actionem pro aliqua re gravi petita, & obtenta, veluti pro victoria parta, &c.* Hæc collegimus ex Guyeto *lib.* 3. *cap.* 21. *q.* 12.

LIV. Prædictæ Miſſæ Votivæ Solemnes pro *re gravi, vel publica cauſa*, dici poſſunt in omnibus Feſtis etiam Duplicibus, dummodo non ſint primæ Claſſis: ita Gavantus hoc *tit. lit.* o, quem ſequitur Diana, Lohner *p.* 4. *tit.* 2. §. 1. *n.* 7. Arnaud *p.* 1. *tit.* 4. *n.* 13. quapropter cum excipiantur ſolum Feſta primæ Claſſis, ſequitur juxta hos Auctores, quod dictæ Miſſæ poſſunt celebrari etiam in Dominicis privilegiatis, dummodo non ſint primæ Claſſis. E contra Miſſæ Votivæ Solemnes pro cauſa gravi non poſſunt dici Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Paſſionis, Palmarum cum tota hebdomada Sancta; in Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum ſeqq. duobus diebus; in Dominica in Albis, in Dominica SS. Trinitatis, in Dominica prima Adventus: quia præfatæ Feriæ, & Dominicæ ſunt primæ Claſſis. Hæc colliguntur ex Quarti *part.* 1. *tit.* 4. §. *nota* 2. & ex Fagioli in Calendario perpetuo Rationale *in adnot. in Menſe Februarii n.* 13. & ex Hagerer ſupra §. 4. vide tamen quæ diximus ſupra §. 2. in fine. Prædictæ autem Miſſæ Solemnes Votivæ pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa, quando celebrantur, debent cantari regulariter poſt Nonam. Gavant. *ſupra hoc tit. lit.* n *in fine*; & *Rubr.* 15. *de hora cantandi Miſſam n.* 4. Multa alia, quæ ſpectant ad hanc Miſſam Solemnem Votivam *pro re gravi*, nempe quot Orationes in ea dicendæ ſint; utrum poſſint ſuffragari pro Miſſa Conventuali; quando non poſſit dici *Gloria in excelſis*, & *Credo*, ſparſim a nobis ſupra ſatis ſuperque tradita ſunt.

## De Miſſis Defunctorum. V.

## R U B R I C A.

1 (q) P*Rima die cujuſque Menſis (extra Adventum, Quadrageſimam, & tempus Paſchale) non impedita Officio Duplici, vel Semiduplici, dicitur Miſſa Principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, & Benefactoribus, & aliis. Si vero in ea fuerit Feſtum Simplex, vel Feria, quæ propriam habet Miſſam, aut reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo reſumi poſſit: in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis* (r) *dicantur duæ Miſſæ, una pro Defunctis, alia de Feſto Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Eccleſiis non Cathedralibus, nec Collegiatis dicatur Miſſa de die cum Commemoratione generaliter pro Defunctis.*

## *G A V A N T U S.*

(q) *Prima die*. Suffragiorum pro Defunctis in Kalendis mentio eſt *apud Alcuinum de Divin. Offic.* qui excludit tempus Paſchale, *cap. de Exequiis mortuorum*.

(r) *Dicantur duæ Miſſæ*. Cur duæ Miſſæ in occurſu cum Feſto Simplici, vel Feria prædicta? quia in Miſſa de Defunctis non poteſt fieri Commemoratio de Feſto, neque de Feria: neque omitti debet ſemel in Menſe, quoad fieri poteſt, Miſſa principalis pro Defunctis in Collegiatis, neque item omitti Feria prædicta, vel Feſtum Simplex. Heu, negligitur hæc Rubrica, quæ tamen habet verbum: *Dicantur*: quod eſt præceptum.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium

I. Rubr. & Gav. lit. q -- *Prima die, &c.*) Agitur in hoc titulo de Miſſis Defunctorum, poſtquam in præcedenti de Miſſis Votivis ſermo habitus fuit. De veteri conſuetudine dicendi Miſſas pro Mortuis, erudite diſſerit juxta morem ſuum Joſeph Vicecomes *volum.* 1. *de Ritibus Miſſæ lib.* 4. *cap.* 2. in quo oſtendit prædictam conſuetudinem, uſque ab Apoſtolicis temporibus ductam eſſe. *Cap. vero ſequenti* auctoritatibus antiquorum Patrum comprobat Miſſas oblatas fuiſſe pro pluribus, ſive omnibus Defunctis; & capitibus ſeqq. nempe 7. diſcurrit de Miſſa pro Mortuis die obitus celebranda, antequam quis ſepulturæ mandetur: *cap. vero* 8. ſermonem habet de Miſſa pro Mortuis, 3. die poſt obitum in Eccleſia olim frequentiſſima, hujuſque etiam cauſam & originem demonſtrat: & *cap.* 9. progreditur ſimiliter ad oſtendendam originem, & cauſas celebrandi Miſſas pro Mortuis die 7. ab alicujus obitu, & *cap.* 11. eodem modo erudite tractat de Miſſis Mortuorum die 30. ab eorum obitu celebrandis. *Cap. vero* 13. oſtendit antiquitatem, & cauſas Miſſarum celebrandarum pro Mortuis in Anniverſario eorum die: quapropter, qui curioſitati ſatisfacere deſiderat, evolvere poterit ea, quæ præfatus Sapientiſſimus Auctor ibidem tradidit: necnon ea quæ edidit circa eandem mate-

riam Grancolas in *tom.* 1. antiqui Sacramentarii Eccleſiæ a *pag.* 492. uſque ad *pag.* 538.

R U B R I C A.

2 *Præterea* (ſ) *Feria ſecunda cujuſcumque hebdomadæ, in qua Officium ſit de Feria, Miſſa Principalis dici poteſt pro Defunctis. Si autem fuerit propria Miſſa de Feria, vel de Feſto Simplici, vel reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, ut ſupra, in Miſſa de die fiat Commemoratio (ut dictum eſt) pro Defunctis. Excipiatur tamen* (t) *Quadrageſima, & totum* (u) *tempus Paſchale: & quando per annum Officium eſt Duplex, vel Semiduplex; quibus temporibus non dicitur Miſſa Conventualis pro Defunctis* (x) (*niſi in die depoſitionis Defuncti, & in* (y) *Anniverſario pro Defunctis*) *neque pro eis ſit Commemoratio. Miſſæ autem Privatæ pro Defunctis* (z) *quocumque die dici poſſunt,* (a) *præterquam in Feſtis Duplicibus, & Dominicis diebus.*

*G A V A N T U S.*

(ſ) *Feria ſecunda.* Fecit enim eo die Firmamentum Deus, quod & Cœlum appellavit, quo Defunctorum animas transferri quamprimum hac eadem die petimus. Vide miram Sanctæ Matris Eccleſiæ pro defunctis ſolicitudinem, quæ initio Menſis & Hebdomadæ pro iiſdem orat; quinimo eos purgantes onorat Feria ſecunda poſt diem Dominicum, quo Eccleſiæ triumphanti tributa jam ſolvit, ſequentibus diebus militantem juvat. Ortum habet hic Ritus in Feria ſecunda a Monachis Gamungenſibus *ex Petro Damiano* 1056. *& idem in Annal. notavit Baronius Anno eodem.*

(t) *Quadrageſima.* Ergone dicitur Officium Defunctorum in Quadrageſima abſque ulla eorumdem Commemoratione in Miſſa? fit quidem Commemoratio in Miſſa, ſed in tertia Oratione, quæ communis eſt Vivis & Defunctis: Cur autem non excipitur Adventus? quia Feriæ ſecundæ non habent Miſſas proprias, ut in Quadrageſima: & convenit, quia dicitur in Adventu Officium Defunctorum, cui reſpondet Miſſa.

(u) *Tempus Paſchale.* Mortuorum memoria mœſtitiam habet, quæ non congruit lætitiæ ſummæ Paſchali, & ad unum Chriſtum tunc eſt attendendum. *Duran. lib. 6. cap.* 72.

(x) *Niſi in die depoſitionis.* Non deberet corpus ſepeliri defuncti ſine Miſſa, *Durand. lib. 7. de Offic. Mortuorum*, quod erat in uſu, *teſte Tertull. lib. de anim. cap.* 51. *& Auguſt.* 9. *Confeſſ. cap.* 12. *de funere Monicæ matris*: & omni tempore, cadavere præſente, poteſt celebrari pro Defunctis; niſi in Paraſceva, quo die Corpus Chriſti immolari non debet; & eo caſu differendæ ſunt Exequiæ in craſtinum, in quo poſt Miſſam Sabbati Sancti poſſet alia Miſſa celebrari pro Defuncto: quod intellige juxta patrios mores Durandi; ubi nimirum viget conſuetudo ſepeliendi Defunctos ſimul cum Miſſa, & nunquam ſine ea abſque ſcandalo. Si quis autem in die Paſchæ moriatur, corpus ejus reſervetur in ſequentem diem ob reverentiam Paſchæ. *Idem ibidem, & Rituale Rom. Pauli V.* in Dominicis, & Feſtis Miſſam Defunctorum inſepulto corpore concedit S. R. C. 23. Maji 1603. Feſta hoc loco intelliguntur de præcepto æqualia Dominicis, non tamen magnæ Celebritatis, ut verbis utar Ritualis Rom. puta primæ Claſſis; & eſſe debet præſens corpus in Eccleſia: ſed & Rubrica loquitur de Miſſa Solemni, non autem de Privatis, quæ atiam inſepulto, hoc eſt præſente corpore in Eccleſia, non poſſunt dici in Dominicis, neque in Duplicibus.

(y) *Anniverſario.* Anniverſaria dies Defunctorum habet uſum antiquiſſimum, *Clem. lib. 6. Conſtitut. Apoſt. cap.* 48. *& Tertull. de cor. militis*, ut ſicut Sanctis ea dies prodeſt ad gloriam, ita Defunctis ad ſalutem, *Amal. lib.* 3. *cap.* 44. Unde ſi contingat Anniverſaria dies in Feſto celebrari, debet mutari in præcedentem diem, ut citius Defunctis conſulatur, *Durand. loc. cit.* quæ ratio militat atiam in tertio, ſeptimo, & trigeſimo. Sed in ſequentem diam non impeditam ſæpius tranſtulit Anniverſarias pro Defunctis, ſeu alias pro iiſdem Miſſas Sacra Rituum Congreg. *die* 27. *Septembris* 1608. *& die* 19. *Maji* 1614. Quomodocumque vero fiat mutatio (ſi de perpetua in alium diem mutatione agatur) ab eo faciendam puto, qui commutare poteſt ultimas voluntates, *ex Clem. quia contingit. de relig. dom.*

(z) *Quocumque die.* Concil. Cabillon. *de conſ. d.* 1. *viſum*: quotidia vult orari, & ſacrificari pro Defunctis. *Sancta enim eſt, & ſalubris cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* 2. *Machab.* 12.

(a) *Præterquam in Feſtis, &c.* Ne minuatur Solamnitas Feſti Duplicis, & lætitia Paſchalis, quam repræſentat dies Dominicus, dierum princeps. *S. Ignat. Epiſt. ad Magneſianos.* Adde conſequenter, & a fortiori, neque in iis diebus, in quibus de Duplici fieri non poteſt, quamquam in primo triduo majoris hebdomadæ hortatur nos Conſtitutio Apoſtolica *lib.* 5. *cap.* 13. ad orandum pro iis, qui pereunt: quæ verba impotiara ſolent Sactificium apud Sanctos Patres. Sed poteſt etiam fieri Sacrificium ſine Miſſa de Requie pro Defunctis. Qua ratione Ritus antiquus, & novus non diſcordant.

Sacra tamen Rit. Congreg. tolerari poſſe cenſuit Miſſas de Requie in Duplici Feſto, quod non eſt de præcapto, ut teſtatorum voluntates adimpleantur. 1. *Septembris* 1607. *& rurſus* 20. *Junii* 1626. non ait, ad arbitrium vivorum, quod bene nota, ſed pro implenda lege Defunctorum. Dixi: *quod non eſt de præcepto:* quia atiam in Feſto de præcepto ſi cadat illud in diam aſſignatum pro Altari privilegiato, puta Feriam ſecundam, extra quam privilegium Altaris pro Defunctis eſt nullum, non poteſt adhuc Miſſa dici de Requia; uti decrevit eadem Sacra Congregatio die 14. *Aprilis* 1627.

Quod non ſit omnino dicenda Miſſa de Requie Privata in Feſtis Duplicibus, Sac. Congr. annuente Summo Pontif. Alexand. VII. noviter ſuo Decreto firmavit dia 5. Auguſti 1662. quod habetur in fina hujus primi tomi.

Nuvæ obſervationes, & Additiones, &c.

II. Gav. lit. x. -- *Omni tempore cadavere præſente, &c.*) Aſſerit hoc loco Gavantus, cadavere præſente, omni tempore poſſe celebrari Miſſam pro Defunctis, excepto dia Paraſceves: & eo caſu dicit differendas eſſe Exequias in craſtinum, in quo poſt Miſſam Sabbati Sancti poſſet (ait ipſe) celebrari alia Miſſa pro Defunctis juxta ſententiam Durandi; maxime ubi viget conſuetudo ſepeliendi Defunctos ſimul cum Miſſa. Verum nullo modo poteſt in Sabbato Sancto *Miſſa de Requie in die obitus*, etiam præſente cadavere, celebrari: & hoc ex duplici capite, nimirum, quia Sabbatum Sanctum eſt Duplex primæ Claſſis; & idem juxta Decretum inferius dandum, non poteſt celebrari Miſſa Defunctorum in ea die: deinde quia juxta aliud Decretum die 11. *Februarii, &* 11. *Martii* 1690. & datum in noſtro Indica *ſub n.* 495. in Sabbato Sancto celebrationes Miſſarum Privatarum omnino prohibentur in quibuſcumque Eccleſiis, &c. & unica tantum Miſſa Conventualis una cum Officio ajuſdem Sabbati Sancti celebrari præcipitur. Quapropter nullo modo poteſt ad praxim deduci prædicta Durandi ſentantia, quam Gavantus videtur admittere, ſeu ſaltem non improbare.

Quoniam vero omni tempore, cadavere præſente, dixit Gavantus poſſe Miſſam Defunctorum celebrari; hoc loco congruum eſt exhibere nonnulla S. R. C. Decreta declarantia, quibus diebus poſſint, vel non poſſint celebrari Miſſæ Privatæ, val Cantatæ de Requie.

Non poſſunt cantari Miſſæ de Requia in Feſtis Duplicibus primæ Claſſis, etiam præſente cadavere; & multo minus dicenda eſt una Miſſa Privata. Ita S. R. C. 5. Julii 1698. & in noſtro Indice *ſub n.* 525.

Miſſæ Defunctorum in die depoſitionis Defuncti, poſſunt ſolemniter celebrari in diebus, in quibus cadit Feſtum Duplex alicujus Sancti, dummodo Feſtum non ſit de præcepto, juxta Rubricas Breviarii Rom. S. R. C. die 19. *Septembris* 1654. & in noſtro Indice *ſub n.* 315. *Hoc Decretum intelligendum eſt, non præſente cadavere: nam etiam in Feſtis de præcepto, dummodo non ſint primæ Claſſis, poteſt celebrari Miſſa Solemnis Defunctorum cadavere præſente.*

In Dominicis, & Feſtis poteſt celebrari Miſſa de Requia pro Defunctis inſepulto cadavere S. R. C. 23. Maji 1603. & in noſtro Indice *ſub n.* 16. *Hoc Decretum intelligendum eſt de Miſſa unica Solemni: nam Miſſæ Privatæ in diebus Feſtivis celebrari non poſſunt, etiam præſente cadavere.*

In diebus, in quibus non poteſt fieri de Feſto Duplici, prohibentur Miſſæ *de Requie*, nimieum, infra Octavas Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & Feria 4. Cinerum, in hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes: 28. Auguſti 1627. & in noſtro Indice *ſub n.* 217. Prohibentur Miſſæ Privatæ Defunctorum, in Feſto Duplici, &c. ut patet ex Decreto dato in noſtro Indica *ſub n.* 396. Eædem Miſſæ Privatæ prohibentur atiam præſente cadavere; ut colligitur ax Decreto dato *ſub n.* 505. nec non ax alio *ſub n.* 622.

In Vigilia Epiphaniæ prohibentur Miſſæ de Requie; 21. Aprilis 1697. & in noſtro Indice *ſub n.* 514. & 10. Decembris 1718. & in noſtro Indice *ſub n.* 635.

Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ Privatæ pro Defunctis: 25. Sept. 1706. & in noſtro Indice *ſub n.* 603.

Infra Octavam Corporis Chriſti prohibentur Miſſæ Defunctorum. 21. Junii 1670. & in noſtro Indice *ſub n.* 442.

Durante expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, occaſione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa Privata de Requie &c. 2. Dec. 1684. & in noſtro Indice *ſub n.* 472.

Dum Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum, occaſione quadraginta Horarum, non poſſunt Miſſæ Defunctorum celebrari, etiamſi ex præſcripto Teſtatorum eſſent celebrandæ; ſed ab iis congruentius eſt abſtinendum. 27. Aprilis 1697. & in noſtro Indice *ſub n.* 511.

Sacerdotes habentes Officium Semiduplex, Simplex, aut Feriale, ſi celebrent in aliqua Eccleſia, in qua fiat de Duplici, non poſſunt dicere Miſſam de Requie. S. R. C. 11. Junii 1701. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 558.

Regulares in alienis Eccleſiis, in quibus calebrant Miſſam Votivam vel de Requie, ad ſatisfaciendum oneribus, poſſunt & ipſi eaſdem ibi Miſſas celebrare; quamvis in ſuis Eccleſiis occurrat Feſtum, aut Officium Duplex. S. R. C. 2. Junii 1701. & in noſtro Indice *ſub n.* 558.

Miſ-

Digitized by Google

Miſſæ non poſſunt celebrari pro Animabus Purgatorii una hora poſt meridiem. 24. Novembris 1663. & in noſtro Indice *ſub num.* 415.

Ex quo in primo ex Decretis a nobis hic expoſitis ſancitum ſit, quod in Feſtis primæ Claſſis non poſſit celebrari Miſſa Solemnis Defunctorum, etiam præſente cadavere; cenſerem non poſſe celebrari dictam Miſſam in prima Dominica Adventus, Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Reſurrectionis, & Dominica Pentecoſtes, cum duobus diebus ſeqq. die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Feſto Corporis Chriſti, & in aliis Feſtis primæ Claſſis. Non me latet aliquos concedere celebrationem talis Miſſæ ſolemnis Defunctorum præſente cadavere, tota hebdomada majori (præterquam in Feria 6. Paraſceves,) & a fortiori, in Feria 4. Cinerum &c. Verum quia in Rubrica VI. de Translatione Feſtorum *n.* 1. præſcribitur, quod de Sancto Titulari alicujus Eccleſiæ, quando majori aliquo Feſto, vel Dominica occurrente, debet transferri in alium diem; præſcribitur, inquam, in tali Rubrica, quod nihilominus in tali Feſto Solemniori, vel Dominica poſſint cantari duæ Miſſæ Solemnes, una de dicto Feſto Solemniori, vel Dominica; Altera vero de dicto Feſto titulari Eccleſiæ, quod transferri debet; ſed exceptis diebus ſupradictis, nempe Dominica 1. Adventus, Feria 4. Cinerum, Dominica 1. Quadrageſimæ, & Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori &c. hinc ſequi videtur, quod ſi in dictis diebus prohibetur Miſſa Solemnis de illo Feſto translato, & quæcunque etiam alia Miſſa Votiva Solemnis pro re gravi, ut notat Bauldry *part. 3. tit. 6. de Translatione Feſtorum*; pariter probibita ſit Miſſa Solemnis Defunctorum, etiam præſente cadavere. Nam ſi hæc non permittitur ex vi primi Decreti allegati in diebus primæ Claſſis, verb. g. in Feſto Aſſumptionis B. M. V. in Feſto omnium Sanctorum; & aliunde in prædictis Feſtis non probibetur Miſſa Solemnis prædicti Sancti titularis Eccleſiæ, ſi transferri debeat: a fortiori debet cenſeri prohibita Miſſa Solemnis Defunctorum, etiam præſente cadavere, in omnibus illis diebus primæ Claſſis, in quibus non poteſt cantari Miſſa Solemnis prædicti Sancti translati; cum hæc videatur magis privilegiata, quam dicta Miſſa Solemnis Defunctorum præſenre cadavere. In dicto autem caſu, cum non poſſit cantari Miſſa Solemnis Defunctorum, debet applicari pro Defuncto, cujus cadaver eſt præſens, Miſſa illa Solemnis, quæ cantatur de die Feſto, vel Dominica illa primæ Claſſis &c.

III. Gavant. eadem lit. x -- *Quæ etiam inſepulto, hoc eſt præſente corpore, in Eccleſia non poſſunt dici in Dominicis, nec in Duplicibus.*) Gavantus inhærendo Rubricis, aſſerit hoc loco Miſſas Privatas Defunctorum, etiam inſepulto, & præſente cadavere, non poſſe dici in Dominicis, neque in Duplicibus: & revera hæc eſt communis ſententia inter Rubriciſtas, quæ confirmari poteſt Decretis ſupra allegatis Sac. R. C. Nihilominus recentiſſime propoſita fuit hæc quæſtio a Reverendiſſimo Patre D. Cæſare Benvenuti Abbate Privilegiato perpetuo inter Canonicos Lateranenſes; & impreſſa reperitur ejus deciſio in ſui calce Operis continentis Ritum Miſſæ Solemnis: & reſolvit in Feſtis Duplicibus poſſe dici Miſſas *de Requie* Privatas, præſente corpore, ſub quibuſdam moderationibus ab eodem expoſitis; uſque dum Sacr. Congreg. aliter decernat. Sed cum revera Sac. Congreg. hoc jam decreverit, idque præſertim in Decreto diei 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*, reſpondendo ad decimum quartum dubium; in quo declaravit tanquam abuſum abolendum -- conſuetudinem illam dicendi Miſſas Privatas *de Requie* corpore præſente, & inſepulto; dum cantatur Miſſa Solemnis diebus, quibus fit de Officio Duplici -- quod quidem Decretum, ut ſupra innuimus, datur in noſtro Indice *ſub n.* 505. hinc cenſeo prædictam ſententiam Abbatis Benvenuti non poſſe habere locum, & in praxi non eſſe admittendam etiam ob Decretum datum *ſub num.* 622.

IV. Gav. lit. y -- *Anniverſaria dies Defunctorum habet uſum antiquiſſimum &c.*) Breviter oſtendit hic Gavantus antiquitatem celebrandi Miſſas pro Mortuis Anniverſario die illorum obitus, ſed fuſiori calamo de hac antiquitate, & origine Anniverſariorum pro Defunctis, ut ſuperius innui, differit Joſeph Vicecomes de antiquis Miſſæ Ritibus, *volum. 1. lib. 4. cap.* 13.

V. Gav. lit. z -- *Si contingat Anniverſaria dies in Feſto celebrari, debet mutari in præcedentem diem.*) Optime docet hic Gavantus, quod ſi Anniverſaria dies alicujus Defuncti contingat in Feſto celebrari, debeant mutari in præcedentem diem, ut citius Defunctis conſulatur. Verum hic, & Durandus, & Gavantus loquuntur de Feſtis de præcepto, in quibus revera non poteſt celebrari Miſſa Solemnis in die Anniverſaria: nam ſi ſermo ſit de Feſtis Duplicibus tantum, prædictæ Solemnes Miſſæ in Anniverſaria die non excluduntur. Sed ut facilius innoteſcant S. R. C. Declarationes, & Deciſiones ſuper dubia propoſita in diebus Anniverſariis pro Defunctis; congruum mihi videtur ſubnectere ſequentia Decreta ſpectantia ad prædictam materiam.

Officium Anniverſarium, vel Septenarium, vel Tricenarium Defunctorum poſt obitum, ſi cadat in die Dominico, vel Feſtivo, transfertur in diem ſequentem, cum eadem Solemnitate. 23. Maji 1603. & in noſtro Indice *ſub n.* 20.

Anniverſaria & aliæ Miſſæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito poſſunt transferri in diem ſequentem 26. Septembris 1608. & in noſtro Indice *ſub n.* 92.

Hoc idem colligitur ex alio Decreto edito die 19. Maji 1614. dato in noſtro Indice *ſub n.* 143.

Anniverſaria, & Miſſæ *de Requie*, quæ ex voluntate Teſtatorum cum cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus inciderit in Feſto Duplici majori 23. Auguſti 1669. & in noſtro Indice *ſub n.* 625.

Anniverſaria Mortuorum infra Octavam Corporis Chriſti, non ſunt facienda, niſi præſente corpore. 12. Septembris 1671. & in noſtro Indice *ſub n.* 448.

Durante expoſitione SS. Sacramenti occaſione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa Privata de *Requie*, licet occurrat Officium hujuſmodi Miſſas admittens; neque cantari poteſt Miſſa Defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive Anniverſario ſatisfaciendo. S. R. C. 2. Decembris 1684. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 47. & id confirmatum etiam fuit a Clemente XI. in ſua inſtruct. pro dicta expoſitione quadraginta Horarum Vulgata Anno 1705.

Anniverſaria, ſeu Miſſæ quotidianæ Cantatæ de *Requie* relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum pro certis diebus, iiſque impeditis de Dominico, ſeu Feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de Feſto Duplici majori, non tamen de præcepto. Ita S. R. C. indulſit Canonicis Lateranenſibus hoc dubium proponentibus die 4. Maji 1686. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 483.

In Anniverſario translato ob Feſtum de præcepto, recitanda eſt Oratio prout in Miſſali, ſcilicet non omittendo illa verba *cujus Anniverſarium Depoſitionis diem commemoramus*. 4. Maji 1686. & in noſtro Indice *ſub n.* 485.

In Anniverſario occurrente in Feſto Duplici ſecundæ Claſſis, non poteſt cantari Miſſa de *Requie*. 5. Julii 1698. & in noſtro Indice *ſub n.* 524.

In die Anniverſarii, & Depoſitionis, non poteſt cantari Defunctorum Miſſa loco Conventualis. 5. Junii 1698. & in noſtro Indice *ſub n.* 527.

Si Anniverſarium anticipetur, & poſtponatur poſt aliquos dies, poteſt dici Miſſa, ut in Anniverſario. 5. Julii 1698. & in noſtro Indice *ſub n.* 529.

Ex privata devotione Parochianorum petentium ſæpius per Annum Anniverſaria pro Defunctis parentibus, fratribus &c. poteſt cantari Miſſa de *Requie* in ruralibus Eccleſiis, in Feſto Duplici minori, & altera Miſſa Cantata de Feſto; ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes; dummodo ſermo ſit de die vere Anniverſaria a die obitus. 19. Junii 1700. & in noſtro Indice *ſub n.* 547.

Sicut autem Anniverſarium, ſic ſi trigeſima, vel ſeptima, vel tertia dies ab obitu Defuncti incidat in diem Dominicam, poteſt anticipari, vel transferri in diem immediate ſequentem; ut docet Gavantus ſupra, & cum eo Turrinus *part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. & in his Miſſis Solemnibus translatis, eadem Solemnitas ſervanda eſt, quæ adhiberetur, ſi in propria die celebraretur. Quod ſi Anniverſarium, ut bene advertit Turrinus cit. loc. vel tertia, aut ſeptima &c. caderet in Dominica Palmarum; tunc transferenda eſſet talis Miſſa uſque ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, & cum eadem Solemnitate celebranda, ob eamdem rationem.

VI. Gav. lit. a -- *Ne minuatur Solemnitas Feſti Duplicis, &c.*) Supra a nobis nonnulla fuerunt expoſita Decreta declarantia, quibus diebus poſſint, vel non poſſint dici Miſſæ de Requie: unde ea iterum revolvenda ſunt, ut perfecte intelligatur ſenſus hujus Rubricæ, & Gavanti Commentarium.

VII. Gav. ead. lit. a -- *Sacra tamen Rituum Congr. tolerari poſſe declaravit, &c.*) Affert Gavantus Decretum S. R. C. editum die 1. Septembris 1607. & refertur etiam in noſtro Indice ſub *n.* 71. in quo habentur hæc præciſa verba -- Tolerari poſſunt Miſſæ de Requiem in Duplici Feſto, quod non eſt de præcepto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur -- Verum huic Decreto derogatum fuit per alia poſteriora Decreta; præſertim vero per illud diei 5. Auguſti 1662. & datum in noſtro Indice *ſub. n.* 396. ubi habetur -- Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, &c. præcipitur, ut Miſſas Privatas pro Defunctis in Duplicibus, nullatenus celebrare audeant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in Feſtum Duplex; tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam; ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit; ſed dicantur de Feſto currenti, cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorumdem Benefactorum, &c.

VIII. Gavant. ead. lit. a -- *In diem aſſignatum pro Altari privilegiato, &c.*) Docet Gavantus quod ſi Feſtum de præcepto cadat in diem aſſignatum pro Altari privilegiato, pura feriam ſecundam; non poteſt adhuc Miſſa dici de Requiem ut decrevit S. R. C. ab eo citata, cujus Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 206. Quoniam hic ſermo habetur de Miſſis in Altari privilegiato celebratis, opportunum eſt tradere hoc loco omnia Decreta pertinentia ad Miſſas, quæ pro Defunctis celebrantur in Altaribus privilegiatis.

Non licet celebrare Miſſam pro Defunctis, nimirum de Requiem, in Altari privilegiato, in feriis 5. & 6. ſi occurrat feſtum

pri-

primæ, vel ſecundæ Claſſis. 25. Septembris 1649. & in noſtro Indice *ſub n.* 298.

Nemini licet facere Octavas pro Defunctis ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Eccleſia, &c. 13. Auguſti 1667. & in noſtro Indice *ſub n.* 432.

Miſſæ de Feſto Duplici celebratæ in Altari, pro Animabus perpetuo privilegiato, & in quo proinde etiam in Duplicibus ſint celebrandæ Miſſæ de Requiem ex obligatione, ſuffragantur, ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis, juxta formam privilegiorum, &c. 22. Januarii 1667. in noſtro Indice *ſub n.* 430.

Prædictum Decretum Alexandri VII. extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum privilegiata, &c. S. R. C. 23. Septembris 1669. approbante Clemente IX. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 439.

Prædicta Decreta Alexandri VII. & Clementis IX. circa Miſſas Defunctorum in Altari pro Animabus privilegiato, non celebrandas aliquibus diebus, licet loquantur tantum de Feſtis Duplicibus; intelligenda tamen ſunt, & locum ſibi vindicant, etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis, &c. aliiſque Anni diebus, quibus Miſſæ Defunctorum juxta Ritum, & morem Eccleſiæ, ac Rubricarum celebrari nequeunt: quatenus nimirum Miſſæ, quæ iiſdem diebus celebrari poſſunt, ſi ad præfata Altaria privilegiata celebrentur; per ipſas ita celebratas ſatisfiat injunctis obligationibus: & quoad Indulgentias per dicta privilegia Apoſtolica conceſſas, Animabus Fidelium Defunctorum, in Purgatorio exiſtentibus, ſuffragantur prædictæ Miſſæ, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum. 4. Maji 1688. in noſtro Indice *ſub n.* 490.

Videantur etiam eadem Decreta iterum confirmata a Clemente XI. in noſtro Indice *ſub n.* 623.

Ex Decretis mox expoſitis, clare conſtat, quod Miſſæ, etiam de Officio duplici celebratæ ad Altare privilegiatum, eò die, quo recitatum eſt Officium Duplex, eodem modo ſuffragantur Animabus in Purgatorio exiſtentibus, ac ſi dictæ eſſent de *Requiem*. Oritur tamen dubium: utrum Sacerdos ille, qui juxta Calendarium proprium, Officium recitavit de Duplici: celebrans in Eccleſia aliena, in qua recitatum eſt officium de Semiduplici, vel de Feria; celebrans in Altari privilegiato, dicere debeat Miſſam de Requiem ad hoc, ut privilegium Defunctis ſuffragetur: an vero ſatisfaciat, ſi celebret Miſſam correſpondentem Officio Duplici, quod recitavit? Huic dubio reſpondendum eſſe crediderim, quod cum ex Decreto S. R. C. ſub die 11. Julii 1701. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 558. poſſit dictus Sacerdos in tali caſu celebrare in prædicta aliena Eccleſia Miſſas Votivas, vel de Requiem ad ſatisfaciendum ſuis oneribus; hinc fit, quod in prædicto caſu tenetur celebrare Miſſam de Requiem, ut privilegium præfati Altaris, in quo celebrat, ſuffragetur Defunctis, pro quibus offert Sacrificium: privilegium quippe Alexandri VII. ſolummodo habet locum in illis Miſſis de Feſto Duplici, vel die occurrenti celebratis, in quibus non poſſunt juxta Rubricas, & ſpecialia Decreta celebrari Miſſæ de Requiem. Cum igitur in præfato caſu, & inhærendo antedicto Decreto, prædictus Sacerdos in aliena Eccleſia celebrans, poſſit dicere Miſſam de Requiem, ut ſatisfaciat ſuæ obligationi, & Indulgentias Altari privilegiato conceſſas pro Animabus in Purgatorio exiſtentibus acquirat; debet profecto Miſſam non de ſuo Officio Duplici, ſed de Requiem celebrare. Ita etiam præſcindendo a tali Decreto, ſentit Hagerer *in ſua appendice tract.* 2. *n.* 10.

IX. Gav. ead. lit. a -- *Quod non ſit omnino dicenda Miſſa de Requiem Privata in Feſtis Duplicibus.*) Ex Decretis S. C. a nobis ſupra expoſitis, ſatis liquet hæc veritas, quod in Feſtis Duplicibus, etiam præſente cadavere, non poſſiut dici Miſſæ Privatæ Defunctorum.

## R U B R I C A.

3 *In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die depoſitionis, & in Anniverſario Defuncti dicitur una tantum Oratio; & ſimiliter* (b) *in die tertia,* (c) *ſeptima,* (d) *trigeſima, & quandocumque pro Defunctis ſolemniter celebratur: in aliis Miſſis, plures; ut de Feriis, & Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.*

## *G A V A N T U S.*

Oratio, *Fidelium*, erit ultima, *Burchard.* ubi plures dicuntur Orationes.

(b) *In die Tertia.* Præter diem obitus, ſeu depoſitionis, & Anniverſarium, qui celebriores reputantur, Solemnes habiti ſunt, tertius, ſeptimus, & trigeſimus, conſtanti Eccleſiæ ab Apoſtolis traditione. Caveant igitur ii, qui nominant in Miſſa alios dies quartum, quintum, vigeſimum, & ejuſmodi: quia neque in Rituali novo, prout neque in Miſſali, ponuntur alii dies a prædictis. Et Tertii quidem meminit *Clem. lib.* 6. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 48. propter eum, inquit, qui tertia die reſurrexit; vel ut purgetur anima, quæ triplicis eſt naturæ, iraſcibilis, concupiſcibilis, & rationalis; vel ut in ea Sanctæ Trinitatis imago integre reparetur. *Alcuinus loc. cit.* vel ut abſolvatur a peccatis, quæ patravit, cogitatione, verbo, & opere. *Durandus loc. cit.*

(c) *Septima.* Myſteria Septimæ diei ſcribit *Ambroſ. Orat. de Fide Reſurrect.* quia ſymbolum eſt futuræ quietis. Addit *Alcuinus*, ut anima ſuo corpori reconcilietur: illa namque (ut diximus) tripliciter peccare ſolet, & corpus item quadrupliciter ob humores quatuor, quibus conſtat. *Durand.* vult ſignificari vitæ totius purgationem, quæ ſeptem diebus in orbem ducitur. Fortaſſe ab *Eccleſ.* 22. hic Ritus ortum habet: *Luctus mortui ſeptem dierum*; vel a Joſeph Ægypti Prorege, qui ſeptem implevit dies luctus ſuper defunctum patrem ſuum. *Gen.* 50.

(d) *Trigeſima.* Trigeſimum diem commendat *S. Ephrem in ſuo Teſtamento apud Surium tomo* 1. derivaturque Ritus a morte Aaron, & Moyſis, quos flevit Populus triginta diebus. *Numer.* 20. *Deuter. ult.* Vel quia Dominus baptizatus eſt Annum agens trigeſimum. *Alcuin.* Vel quia in hac menſura ætatis Chriſti reſurgemus omnes. *Idem.* Vel quia hac ætate Adam creatus fuit, ſecundum communiorem Doctorum ſententiam; vel ut quidquid in Decalogo legis Defuncti deliquerint, in Sanctæ Trinitatis miſericordia deleatur, *Hugo de Miſſ. obſerv. lib.* 3. *cap.* 37. nam ter decies conſtituunt triginta. Trigeſimum numerum obſervant alii, ea ratione, ut per triginta dies fiat Miſſa pro Defunctis; ſolemnius autem tertia die, ſeptimaque, intra triginta, & ipſamet trigeſima. *Amalar. lib.* 4. *cap.* 42. Ritus autem triginta dierum a Sancto Gregorio Papa, 4. *Dialog.* 55. præſcribitur Abbati Pretioſo pro Monacho Juſto iis verbis. *Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium ſtude; ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius, Hoſtia ſalutaris non offeratur.* Ex quibus intelligere poſſunt celebraturi Miſſas, quas vocant Sancti Gregorii, hoc eſt, inſtitutas, aut approbatas a S. Gregorio, quod primo non eſt neceſſe, ut idem Sacerdos per Menſem celebret diebus triginta; ſed neceſſe eſt, ut offeratur Hoſtia per Menſem, ſive ab uno, ſive a pluribus, ut patet ex iis verbis: *ſtude offerre*; neque addit Abbati *per te*, quod eſſet onus grave. Secundo, ſufficit offerri Sacrificium, non autem omnes Miſſæ dicendæ ſunt Ritu proprio de Defunctis, quia in Dominicis intercurrentibus prohibetur. Tertio, continuis diebus fieri debent, *ut nullus omnino prætermittatur dies*, remota ſuperſtitione, quam vetuit *Trident. ſeſſ.* 22. ratione numeri; neque diſcontinuantur ob triduum majoris hebdomadæ, quo ex uſu Eccleſiæ probato non debet celebrari. Doctores autem, qui volunt eas poſſe diſcontinuari, vel uno dici die, omnes 30. concludunt valere, tamquam triginta Miſſas; ſed non ut eæ, quas inſtituit S. Gregorius, ut ex ejuſdem verbis patet.

* Dubitatum aliquando fuit, edito Decreto Sac. Congreg. de quo infra, prohibente quaſdam Miſſas S. Gregorii pro Vivis, & Defunctis; an prohibitæ cenſeantur prædictæ triginta Miſſæ S. Gregorii? at negavit S. R. C. *die* 18. *Octobris* 1628. & prælo datum eſt Decretum, petentibus Monachis S. Gregorii de Urbe.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

X. Rubr. *In die Commemorationis omnium Defunctorum, &c.*) Hæc ſuperior Rubrica præſcribit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, qui Solemnis habetur pro Defunctis, unicam tantum Orationem, in Miſſa pro iiſdem celebrata, eſſe dicendam. Quoniam vero hic ſermo habetur de hac Solemni die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, opportuna ſe offert occaſio adtexendi hic collecta in unum omnia S. R. C. Decreta, quæ ad Miſſas Defunctorum, in tali die celebrandas, ſpectant.

Miſſa, ut in die obitus præſente corpore, ultra Miſſam de Communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Sacra Rituum Congreg. 14. Aprilis 1646. & in noſtro Indice *ſub n.* 291.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia poſſunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. 4. Auguſti 1663. & in noſtro Indice *ſub n.* 411.

Nemini licet facere Octavas pro Defunctis ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Eccleſia, &c. 13. Auguſti 1667. & in noſtro Indice *ſub n.* 432.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ſi alicubi occurrat Officium Duplex minus, Miſſæ ſunt celebrandæ de Requiem, juxta Decretum diei 5. Octobris 1686. & in noſtro Indice *ſub n.* 488.

Ita etiam juxta Decretum aliud die 19. Junii 1700. & in noſtro Indice *ſub n.* 543. S. R. C. ſtatuit in tali caſu Officium faciendum eſſe de Duplici; ſed Miſſas celebrandas eſſe de Requiem. Verum per aliud Decretum editum die 12. Julii 1716. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 631. derogatum eſſe videtur duobus antedictis Decretis: cum in tali caſu præſcribatur a S. C. quod Officium Duplex minus ſit transferendum in primam diem non impeditam, & quod celebrentur Miſſæ, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Sed licet derogare videatur, attamen reipſa non derogat, nam ſub illo Decreto Sac. Cong. providit pro Eccleſia particulari

ob

ob ſpecialem ſolemnitatem Reliquiarum inſignium, ut ex ipſo Decreto conſtat. Sed ceſſante ſpeciali ſolemnitate ſtandum eſt antedictis Decretis; & firmatur aſſertio noſtra ex noviſſimo Decreto ab ipſamet S. R. C. dato ſub die 5. Maji 1736. ut in noſtro Indice *ſub n.* 683.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quotannis occurrente in aliqua Eccleſia die Octava Dedicationis ejus, Miſſæ Privatæ ſunt celebrandæ de Defunctis, ſed dicendæ ſunt duæ Miſſæ Conventuales, quarum una ſit de Octava, altera de Defunctis juxta Rubricas. Si vero talis dies Octava incidat in Dominicam, omnes Miſſæ ſunt celebrandæ de die Octava; cum Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum in tali caſu transferatur in diem ſequentem. S. R. C. 2. Auguſti 1698. & in noſtro Indice *ſub n.* 536.

*Advertendum eſt hoc Decretum poſſe ſubſiſtere cum Decreto ſuperius expoſito diei 12. Julii 1716. Quia dies Octavæ, &c. non poteſt transferri in alium diem, ſicut transferri poteſt Officium illud Duplex minus, de quo ſermo eſt in antedicto Decreto.* Vide etiam Guyetum *lib.* 4. *cap.* 8. *q.* 5. *n.* 3.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, non poteſt celebrari Miſſa Solemnis de Requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. 22. Januarii 1701. & in noſtro Indice *ſub n.* 549.

XI. Gavant. lit. h -- *Præter diem obitus, ſeu depoſitionis, &c.)* Non ſolum in die Commemorationis omnium Defunctorum, ſed etiam in die depoſitionis, & Anniverſario Defuncti, dicitur una tantum Oratio; & ſimiliter in die 3. 7. & 30. qui, ut notat Gavantus, Celebriores, & Solemnes reputantur: in quibus diebus talis Miſſa Solemnis dicitur poſt Nonam, juxta Rubricam XV. *n.* 3. de qua infra.

Denique unica dicitur Oratio, quandocumque pro Defunctis ſolemniter celebratur. Verum hæc regula non habet locum in Miſſis Solemnibus Defunctorum, quæ dicuntur in die prima Menſis non impedita, vel Feria 2. dum Miſſa Principalis fit pro Defunctis; ut habetur in Rubricis primæ Miſſæ inter Miſſas Votivas ſecundi generis. Pro prædicta exceptione citatur a Piſart, in expoſitione hujus Rubricæ *pag. mihi* 10. Decretum Sac. Congr. ſub die 20. Martii 1681. in quo habetur -- Licet in Miſſa Solemni in die obitus, & Anniverſarii ſolemnis, dicenda ſit unica Oratio; hoc tamen non habet locum in prima Menſis, vel Feria 2. dum Miſſa Principalis fit pro Defunctis -- Sed hoc Decretum ita conceptum, & ſaltem ſub prædicta data, non extat in Regeſtis S. R. C. quapropter non ex vi talis Decreti, ſed aliunde probatur dicta exceptio, nimirum ex regula tradita pro Miſſis Conventualibus ferialibus, in quibus regulariter tres ſaltem Orationes debent dici, & etiam pro peculiari regula talis Miſſæ Menſualis Defunctorum; ut optime notat Turrinus *part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4.

Reſumendo ſermonem de Miſſa ſolemni celebranda in die obitus alicujus Defuncti, notandum eſt, quod non ſolum in die obitus poteſt celebrari Miſſa Solemnis, ſed juxta Decretum diei 4. Maji 1686. datum in noſtro Indica *ſub n.* 484. -- Cum primum habita fuerit certa notitia de obitu alicujus perſonæ, cantari poterit Miſſa de Requiem in Feſto Duplici etiam majori, quod non ſit de præcepto -- Hoc Decretum habetur in una Canonicorum Regularium Lateranenſium ſub dicta die, & reperitur etiam inter Rubricas Breviarii Franciſcani *tit.* 3. *de Offic. ſimpl. ſub n.* 47. unde videtur hoc Decretum eſſe univerſale pro omnibus. Gavantus autem ante prædictum Decretum *part.* 4. *tit.* 18. *in ſuis Commentariis n.* 15. aſſerebat, quod pro eo, qui proxime obiit, longe tamen a nobis, prima vice poteſt dici Miſſa, ut in die tertio, omiſſo verbo *tertio:* cui ſententiæ lubens ſubſcribit etiam Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *quæſt.* 28. ſubdens, quod cum in tertio die præſcribatur Miſſa, ut in die obitus, dicenda ergo eſt in dicto caſu prima Miſſa, juxta ſtatum, & conditionem perſonæ defunctæ. Biſſus pariter docuit dicendam eſſe in tali caſu Miſſam, prout in die obitus *lit. M. n.* 243. §. 3. *& ſeqq.*

In die obitus Summi Pontificis dicitur ea Miſſa, quæ prima habetur in Miſſali inter Miſſas Defunctorum, ideſt illa, quæ ponitur pro die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, cum unica tantum Oratione, quæ erit *Deus, qui inter ſummos Sacerdotes, &c.* ut ponitur in Miſſali. Pro defuncto Cardinali Epiſcopo, dicitur eadem Miſſa, ut ſupra, cum Oratione *Deus, qui inter Apoſtolicas, &c.* dicendo *Epiſcopum Cardinalem*. Si vero fuerit tantum Presbyter, dicitur *Presbyterum Cardinalem*. Si autem erit ſolum Diaconus, Miſſa erit ut ſupra, & Oratio *Inclina, Domine, &c.* in qua dicetur *Diaconi Cardinalis, &c.* Pro defuncto Epiſcopo in die obitus, ſeu depoſitionis, dicetur eadem Miſſa, ut ſupra, cum Oratione *Deus, qui inter Apoſtolicos, &c.* Pro defuncto Sacerdote, quamvis Rubrica nihil diſponat; tamen in die ſui obitus, ſeu depoſitionis, dicenda videtur eadem Miſſa, ut ſupra cum Oratione, ut in Miſſali, pro Sacerdote aſſignata. Ita Biſſus *lit. M. n.* 243. §. 3. *& ſeqq.* Pro aliis Defunctis vero, ſive Clericis, ſive laicis in die obitus, dicitur illa Miſſa, quæ ſecundo loco habetur intra Miſſas Defunctorum, cum unica Oratione congruente perſonæ defunctæ, quæ regulariter erit *Deus, cui proprium eſt, &c.* Biſſus *cit. loc.* Ex quibus deducitur, quænam pro dictis Defunctis Miſſæ dicendæ ſint in die tertio, ſeptimo, & trigeſimo, & Anniverſario eorumdem obitus, qui dies Solemnes reputantur; & quæ poſt horam Nonam, ut diximus, celebrantur. Oratio vero pro perſonis laicis, &c. in die tertia, ſeptima, & trigeſima erit *Quæſumus, Domine*... in Anniverſario *Deus indulgentiarum*; quæ Oratio etiam dicitur ſi pro tota ex. gr. familia Anniverſarium celebretur; quamvis Epiſcopi, vel etiam Summi Pontifices ſub ea comprehendantur; ſecus ſi pro pluribus Summis Pontificibus, vel Epiſcopis, &c. celebretur Miſſa: quia in his caſibus Orationes propriæ, in plurali tamen numero dici debent; ut videre eſt in fine Miſſalis.

XII. Rubr. *In aliis Miſſis, plures, &c.)* Quamvis in ſupradictis Miſſis celebratis in præfatis diebus Solemnibus pro Defunctis, vel pluribus, vel pro uno tantum, unica dicatur Oratio, conveniens, ut diximus, conditioni perſonæ, vel perſonarum, pro qua, vel pro quibus dicitur Miſſa; in Miſſis tamen quotidianis tres dicuntur Orationes, quæ ſunt in Miſſali aſſignatæ: unde in his Miſſis quotidianis de *Requiem*, quoad numerum Orationum, ſervatur eadem regula, ac de Feria, & Simplicibus, ſeu Semiduplicibus. Quando Miſſa applicatur generaliter pro Defunctis, regulariter dicuntur illæ Orationes, quæ in Miſſali pro Miſſis quotidianis poſitæ ſunt. Verum ſi Miſſa celebretur pro aliqua, vel pro aliquibus determinatis perſonis, primo loco dicitur Oratio pro iis, pro quibus Miſſa celebratur; ſecunda, & tertia, quæ ſecundo, & tertio loco ponuntur in Miſſa quotidiana Defunctorum. Lohner *part.* 4. *tit.* 3. §. 2. *n.* 4. Sacerdos tamen celebrans, poterit ſecundo loco aliam quoque Orationem dicere, ex. g. pro parentibus ſuis, ſeu pro ſuo patre, vel matre ſua. Quarti *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 1. *verſ. Reſpondeo*, *n.* 7. Quando plures dicuntur Orationes in Miſſis Defunctorum, ultimo loco ſemper dicenda eſt Oratio *Fidelium*, quæ eſt generalis pro Defunctis. Gavantus *part.* 4. *tit.* 15. §. 11. & Hagerer in appendice *tit.* 2. *de Miſſis de Requiem*, §. 2. *n.* 4. Dictum eſt autem *in Miſſis Defunctorum:* nam ſi in aliis Miſſis eadem Oratio, vel alia pro Defunctis per modum Collectæ, ſeu Commemorationis dicatur; tunc ſemper ponitur penultimo loco; & habetur in *Rubrica ſequenti tit.* 7. *n.* 6.

Ex dictis ſequitur, in Miſſis quotidianis pro Summo Pontifice, dicendam eſſe Orationem *Deus, qui inter Summos Sacerdotes, &c.* pro Cardinalibus, Orationes aſſignatas *poſt Miſſam quotidianam Defunctorum*; pro Epiſcopo, *Da nobis, Domine;* pro Sacerdote; *Præſta quæſumus*, vel Oratio *Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes, &c.* quæ omnia colliguntur ex Gavanto *part.* 4. *tit.* 18. *n.* 12.

Supra ſatis innuimus, quod in Miſſis quotidianis celebratis etiam pro una certa, & nota perſona, non unica tantum, ſed plures, nempe tres dicendæ ſint Orationes; quarum prima elicienda eſt ex numero illarum, quæ poſt Miſſam quotidianam in Miſſali Defunctorum deſcriptæ ponuntur; ut ab illis eliciantur quæ neceſſariæ ſunt pro varietate perſonarum, ad recitandas Collectas. In prædicto igitur caſu eliciatur prima Oratio conveniens conditioni perſonæ, in cujus ſuffragium offertur Sacrificium; ſecundo loco dicatur alia Oratio pro libito Sacerdotis celebrantis; tertia verò ſemper *Fidelium*, ut diximus ſupra.

## R U B R I C A.

4 (e) *Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & depoſitionis Defuncti, & quandocumque in Miſſa dicitur una tantum Oratio: in aliis autem Miſſis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.*

## *G A V A N T U S.*

(e) *Sequentia*. Proſa, ſive Sequentia, hoc eſt *Dies iræ, dies illa*. Significat autem jubilationem: & hoc nomine quamcumque Sequentiam vocat Ordo Romanus; ut idcirco cantari debeat, cum ſolemnius celebratur pro Defunctis. Sequentia quoque appellatur, quia per cantus amœnitatem ad ſequentia præparat. *Hugo Victor. de Offic. Eccl. lib.* 2. *cap.* 19. vel quia ſequitur, *Alleluja*, in aliis Miſſis Feſtivis, *Cornelius Scultingius*, qui & Proſam eam dici putat, quia lege metri caret.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XIII. Rubric. & Gav. lit. e -- *Sequentia*. Proſa, hoc eſt, *Dies iræ, dies illa, &c.)* De hac Sequentia, quæ dicitur in Miſſis Defunctorum, quinam fuerit illius Auctor variæ ſunt Scriptorum opiniones. Leander Albertus, Latino Cardinali Urſino Ordinis Prædicatorum adſcribit, Lucas Wadingus, Thomæ de Cælano Ordinis Minorum; alii apud eumdem Wadingum, S. Bonaventuræ, vel Matthæo Aquaſparto Exgeneralibus Minorum, & Cardinalibus. Poſſevinus in Appar. Sacro tribui ait Auguſtino Bugellenſi Pedemontano Ordinis S. Auguſtini, ſubdens ibidem, verum Auctorem eſſe Humbertum quintum Generalem Ordinis Prædicatorum. Arnaldus Vojon, *lib.* 5. ligni Vitæ *cap.* 70. a quibuſdam aſſerit adjudicari S. Gregorio Magno, nec deſunt denique, qui etiam D. Bernardo eam tribuunt. Notat autem Petrus Cirvelus in expoſitione Miſſalis *lib.* 2. *cap.* 115. impropriæ dici Sequentiam in Miſſis Defunctorum,

Digitized by Google

rum, quia hoc Officium, nec *Alleluja*, nec *Sequentiam* debet habere, quæ ſunt cantica lætitiæ, nam Sequentia poſt *Alleluja* additiò ſuffecta eſt, neumata autem ſunt diſtinctiones, ut vocant Muſici, notæ illæ, quæ in fine prædictæ vocis *Alleluja* prolixe decantantur. Ex eo deducitur hanc ſequentiam nulli ex antiquis Auctoribus referendam eſſe, ſed alicui ex recentioribus, cum Ritus Eccleſiaſtici immutari cœperunt, ut cenſet Card. Bona *de Rebus Liturgicis lib. 2. cap. 6. n. 6.* ex quo hæc omnia collecta ſunt, & ipſi profecto eſt adhærendum: nam in antiquis libris, qui *Proceſſionales* vocantur, a Beato Humberto ſupra allegato ordinatis, Sequentia hæc inſerta non reperitur, & in Miſſalia Venetiis excuſa, pro PP. Prædicatoribus, primo inductam fuiſſe, aſſeverat P. Joannes de Palentia in notis ad Ordinarium PP. Prædicatorum, ex quibus colligit etiam Marcellus de Cavalleriis *in Statera Sacra tit. 17.* nec B. Humbertum, nec alios Latino Card. Urſino antiquiores, prædictam Sequentiam compoſuiſſe. De prædicta Sequentia dicenda in Miſſis Defunctorum rurſus fuſe loquitur Gavantus *in part. 4. hujus primi tomi tit. 18.*

Prædicta autem Sequentia pro Defunctis, ſive *Dies iræ, &c.* dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & depoſitionis Defuncti, & quandocumque in Miſſa dicitur una tantum Oratio: in aliis autem Miſſis pro Defunctis, dicitur ad arbitrium Sacerdotis, ut patet ex ſupradicta Rubrica. Quoad reliquas partes Miſſæ Defunctorum, quocumque tempore in tali Miſſa dicitur *Præfatio Communis*: & hoc habetur *in titulo, ſeu Rubrica* 12. *hujus primæ partis n. 4.* Idem etiam eſt dicendum de *Communicantes*, & *Hanc igitur &c.* quæ nunquam variantur in Miſſa Defunctorum; Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 12. §. 1.* In fine Miſſæ non datur *Benedictio*, neque dicitur *Benedicamus Domino*, ſed ut videbimus in titulo, ſeu Rubrica 13. ſecundæ partis, *De iis quæ omittuntur in Miſſis Defunctorum*, loco *Benedicamus Domino*, dicitur *Requieſcant in pace*, & in fine Miſſæ, nunquam aliud Evangelium legitur, quam S. Joannis, *In principio erat Verbum &c.*

Cætera, quæ ſpectant ad Ritus, & Cæremonias talis Miſſæ, ſive Solemnis, ſive Privatæ Defunctorum, legi poſſunt in Commentariis Gavanti *ad prædictum titul. 13. & ad tit. 17. quartæ partis*, quibus etiam ibi adjiciemus ea, quæ nobis videbuntur opportuna, & neceſſaria pro Ritu exacto celebrandi dictas Defunctorum Miſſas, quæ ſemper debent celebrari in colore nigro, vel ſaltem violaceo, ut patet non ſolum *ex Rubrica, ſeu tit. 18. hujus primæ partis, de coloribus paramentorum*, ſed etiam ex Decreto S. R. C. ſub die 25. Junii 1670. dato in noſtro Indice *ſub n. 444.*

## De Translatione Feſtorum VI.

### R U B R I C A.

1 *IN dicendis Miſſis ſervetur Ordo Breviarii de Translatione Feſtorum Duplicium, & Semiduplicium, quando majori aliquo Feſto, ſeu Dominica impediantur. In Eccleſiis autem, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi, ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de Feſto, excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Reſurrectionis, & Dominica Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Feſto Corporis Chriſti.*

### *G A V A N T U S.*

De Tranſlatione Feſtorum, & nos docebimus in Rubrica Breviarii. Vide hoc loco ſolutiores leges Miſſæ, quam Officii Divini, quia Populus concurrit ad audiendum potius Miſſam, quam Veſperas, & alias Horas, ideo conceditur poſſe fieri alteram Miſſam Solemnem de Feſto Tranſlato. Excepti dies in Rubrica nova ſub Urbano VIII. apertam habent cauſam, & rationabilem, ut Populus attentior fiat ad myſteria eorumdem dierum, in fine vero prædictarum duarum Miſſarum, Evangelium dicitur Sancti Joannis, non aliud Feriæ, val Feſti occurrentis.

* Prædictæ item duæ Miſſę ea ratione cantandæ erunt, ut altera de die poſt Horam congruentem, *de qua infra tit. 13. num. 2.* altera de Feſto (cum nullam habeat cum Officio connexionem) poſt Nonam: ſi hoc accidat in temporibus Pentecoſtes, ambæ quidem poſt Nonam; ſed illa prius de die, quæ cum Officio concordat; poſtea de Feſto, ad cujus Miſſam Populus eo libentius, quo tardius, convenire ſolet: & licet in hoc caſu nulla Hora ſit media inter utramque Miſſam, quod *titul. ſequent. n. 2.* convenire docebimus: tamen eſt caſus unicus, & privilegiatus ob concurſum Populi.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *In Eccleſiis autem, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, &c.)* In diebus a ſuperiori Rubrica expreſſis, nempe Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, &c. non ſolum non poſſunt dici, nec cantari Miſſæ Votivæ, licet pro re gravi; ſed etiamſi Feſtum Titularis Eccleſiæ occurrat his diebus; quamvis cum Populi concurſu, non poteſt ultra Miſſam diei cantari Miſſa dicti Titularis Eccleſiæ, cujus Officium transfertur.

In aliis autem diebus, in quibus ex conceſſione ſuperioris Rubricæ poſſunt cantari duæ Miſſæ Solemnes ratione Tituli Eccleſiæ, vel Feſti alicujus Solemnis cum magno concurſu Populi; primá de Officio diei dicitur poſt Tertiam, altera vero de tali Feſto tranſlato poſt Nonam, cum unica Oratione, *Gloria in excelſis*, & *Credo*, ſi illud tale Feſtum admittat; imo etiam cum propria Præfatione, ſi eam habeat. Guyetus *lib. 4. cap. 8. quæſt. 6.* Biſſus lit. *T. n. 73.* §. 22. quibus adjicere lubet, quod etiamſi prædicto Feſto non conveniret Symbolum, nihilominus ſi Miſſa Solemnis prædicti Sancti cantaretur in aliqua ex Dominicis non exceptis, Symbolum adhuc eſſet dicendum, ſeu cantandum ratione Dominicæ; eo modo, quo in titulo de Miſſis Votivis præſcribitur dicendum eſſe Symbolum in Miſſa Votiva Solemni pro re gravi, etiam in colore violaceo calebrata, ſi dicatur in die Dominico; & hoc ratione dictę Dominicæ.

In fine autem prædictæ Miſſæ Solemnis Feſti tranſlati, dicitur ſemper Evangelium Sancti Joannis, *In principio, &c.* Cætera quæ ſpectant ad hanc materiam de Tranſlatione Feſtorum, inhærentes noſtri Gavanti veſtigiis, fuſiori calamo trademus, quando de eadem re nobis agendum occurret, in explanandis Rubricis Breviarii Romani. Solum hoc loco damus ſequentia S. R. C. Decreta, quæ ad aliquas dirimendas quæſtiones, & decidenda dubia inſervire poterunt.

Miſſa Solemnis de Sancto Joſepho, quando ejus Feſtum incidit in Feriam 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, non poteſt cantari. Ita Sacra Rituum Congreg. die 4. Auguſti 1663. & datur in noſtro Indice *ſub n. 402.*

Nulla eſt diſparitas inter tranſlationem Feſtorum Apoſtolorum, & illam Evangeliſtarum. 18. Septembris 1666. & in noſtro Indice *ſub n. 427.*

In Eccleſiis, ubi quotidie non cantatur Miſſa, ſi occurrat Feſtum Patroni, ſeu Titularis, diebus, quibus non poteſt de eo fieri Officium; nihilominus poteſt diebus non exceptis a Rubrica Miſſalis *tit. 6.* de Tranſlatione, cantari Miſſa de Patrono, ſeu Titulari; licet non cantetur altera Miſſa concordans cum Officio. 28. Auguſti 1704. in noſtro Indice *ſub n. 586.*

Tranſlato Feſto, in cujus dia conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia. S. R. C. 30. Septembris 1679. & habetur in Catalogo Decretorum, ſpectantium ad Breviarium Romanum.

Hoc Decretum intelligendum eſt niſi ax ſpeciali privilegio aliter decernatur: ſicuti revera aliter decretum, & conceſſum fuit ex ſpeciali privilegio ab Innocentio Papa XI. pro Feſto tranſlato S. Benedicti; ut conſtat ex ejuſdem Pontificis Bulla, edita die 26. Septembris 1679. & quæ habetur in Officiis propriis Sanctorum Monaſtici Ordinis S. Benedicti, impreſſis Patavii, Anno 1715.

## De Commemorationibus. VII.

### R U B R I C A.

*COmmemorationes in Miſſis fiunt, ſicut in Officio. De Feſto Simplici fit Commemoratio in Miſſa, quando de eo in Officio facta eſt Commemoratio in primis Veſperis. Quando autem de eo fit Commemoratio tantum ad Laudes, in Miſſa Solemni* (f) *non fit Commemoratio de eo, ſed in Miſſis tantum Privatis.* (g) *Excipitur Dominica Palmarum, & Vigilia Pentecoſtes, in quibus nulla fit Commemoratio, etiam in Miſſis Privatis de Feſto Simplici occurrente, licet facta ſit in Officio. De Dominica fit Commemoratio, quando in ea agitur de Feſto Duplici. De Octava fit Commemoratio, quando infra Octavam celebratur aliquod Feſtum; niſi illud Feſtum fuerit de exceptis in Rubrica Breviarii de Commemorationibus. Item quando infra Octavam fit de Dominica.*

### *G A V A N T U S.*

Pendet hæc Rubrica a ſimili in Rubricis Breviarii *tit. 9.* ubi eam examinabimus.

(f) *Non fit Commemoratio.* Quod fit, ut Feſtum ſecundæ Claſſis diſtinguatur a Feſtis Duplicibus minoribus, in quarum Miſſa ſolemni fit de Simplici Commemoratio, a Feſto vero primæ Claſſis diſtinguitur, quia nec in Miſſis Privatis Feſtum primæ Claſſis Commemorationem de Simplici admittit.

(g) *Excipitur Dominica, &c.* Diſcordant hæ duæ Miſſæ ab Officio, ut abunde patet in Lectione Paſſionis pro Evangelio, ratione cujus Paſſionis, de Sanctis non eſt facienda mentio, & licet Faria 3. & 4. fiat in Miſsa Commemoratio de Simplici occurrenti, Officium tamen earum Feriarum non eſt tam ſolemne, quam Dominicæ Palmarum. Unica autem Oratio Solemnitatem ſignificat majorem. Item Vigilia Pentecoſtes diſcordat ab Officio in Collecta, & colore paramentorum. Præterea hæ duæ Miſsæ pendent ex Benedictionibus ſolemnibus Palmarum, & Fontis Baptiſmalis, ut imitari debeant Solemnitates majores, unde nunquam omittuntur, cedentibus omnibus aliis Feſtis, etiam primæ Claſſis.

Mo-

Digitized by Google

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. f — *Quod ſit in Feſto ſecundæ Claſſis.*) Aſſerit hic Gavantus inhærens Rubricæ, quod in Feſtis ſecundæ Claſſis ſit Commemoratio Feſti Simplicis in Miſſis tantum Privatis, non vero in Miſſa Solemni, & hoc ſemper verum eſt, dummodo de dicto Simplici facta ſit Commemoratio ad Laudes, ut contingit in Feſto Sancti Jacobi Apoſtoli die 25. Julii, in cujus Officio *ad Laudes* ſit Commemoratio Sancti Chriſtophori Martyris, & ideo de eodem ſit Commemoratio in Miſſis Privatis, non vero in Miſſa Solemni. Quia autem Miſſa media, quæ cantatur ſine Miniſtris Sacris non reputatur Solemnis, ut diximus ſupra, idcirco etiam in ea debet fieri dicta Commemoratio Sancti Simplicis, id docentibus etiam Benedicto XIII. in ſuis Opuſculis, *opuſ.* 11. *pagina mihi* 174. & Biſſo *v. Miſſa Solemnis num.* 237. §. 2. aliter tamen dicendum eſt, ſi Miſſa illa media reputetur tamquam ſolemnis.

II. Gav. ead. lit. f — *In Miſſis Privatis Feſtum primæ Claſſis &c.*) Quamvis verum ſit, quod in Feſto primæ Claſſis nulla fiat Commemoratio Simplicis, neque in Miſſis Privatis; attamen ab hac regula excipiendam eſſe ſecundam Miſſam Nativitatis Domini, in qua ex ſpeciali diſpoſitione ſit Commemoratio S. Anaſtaſiæ *Virg. & Mart.* non ſolum in Miſſis Privatis, ſed etiam Solemnibus, putat Biſſus *lit. C. n.* 365. §. 2.

Fallitur tamen, non enim ſit S. Anaſtaſiæ Commemoratio, quia ſit Feſtum ſimplex, ſed quia ſecunda illa Miſſa in Eccleſia S. Anaſtaſiæ celebrabatur, ut colligitur ex antiquiori Ordine Romano apud Hytorp. qui Ritus adhuc Seculo decimoquarto in Eccleſia Romana vigebat, teſte Jacobo Cajetano in Ordine ſuo, in quo hæc leguntur *pagina* 327. *Summo igitur mane Pontifex indutus Miſſalibus veſtimentis vadit ad S. Anaſtaſiam, ut celebret ibi Miſſam ſecundam.* Idem legitur in Ordine Amelii *num.* 10. ex quo etiam diſcimus, quod abſente, Pontifice ab Urbe, hanc Miſſam celebrabat Cardinalis, Titulum habens S. Anaſtaſiæ, & in ejus defectu primus Cardinalium Presbyterorum. Placet hoc loco innuere, quod in antiquo Codice Turonenſis Eccleſiæ Annorum 800. a Martene relato de antiqua Eccleſiæ diſciplina *cap.* 12. Collecta de S. Anaſtaſia præmittitur Orationi de Nativitate Domini. Imo antiquiſſimus Codex Parthenonis B. Mariæ Calenſis ab eodem Scriptore laudatus, duas habet Præfationes, unam de Nativitate, alteram de S. Anaſtaſia. Ex quo fortaſſe conjici poſſet antiquitus ſecundam Miſſam in die Natalis Domini fuiſſe de S. Anaſtaſia, quod tamen abſque gravi teſtimonio certo non affirmarem. De hac re iterum ſermonem agemus, cum loquemur de ſecunda Miſſa in Feſto Nativitatis Domini.

In prædictis Feſtis primæ Claſſis, quamvis non ſit facienda Commemoratio Feſti Simplicis, ſit tamen Commemoratio, I. de die Octava alicujus Feſti, quæ poſſit occurrere cum tali Feſto primæ Claſſis, II. De Dominica, niſi ſit vacans, ſeu talis, de qua nec in Officio, nec in Miſſa aliquid ſit, ex. gr. ſi Feſtum Nativitatis Domini in diem Dominicam incidat, III. ſit Commemoratio de Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti, ut colligi poteſt ex Rubrica Breviarii poſt tabulam Occurrentiæ *num.* 2. 3. 5. IV. de Feriis ſit Commemoratio in Adventu, Quadrageſima, quatuor Temporibus, & Rogationibus, ex Rubrica hujus tit. *n.* 2. infra ponenda, V. de Dominica anticipata in Sabbatis ante Dominicas Septuageſimæ, & ultimam poſt Pentecoſten, utpote quæ non habent rationem Vigiliæ, ſed quaſi Feriæ majoris, prout colligitur ex Rubrica Breviarii *tit.* 4. *n.* 4. ubi præſcribitur abſque ulla limitatione, quod ſi tota hebdomada impedita ſit Feſtis novem Lectionum etiam tranſlatis, &c. tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia Dominicæ, & de ea fiat Commemoratio in Laudibus tantum, & conſequenter etiam in omnibus Miſſis, cum ibi nulla habeatur exceptio.

E contra vero in dictis Feſtis primæ Claſſis, ut bene notat Hagerer in *ſua Appendice tit.* 3. *n.* 4. nulla debet fieri Commemoratio, I. de aliis diebus infra Octavas occurrentibus, e. g. in Feſto SS. Petri, & Pauli occurrente infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, nulla ſit Commemoratio de S. Joanne Baptiſta, niſi tamen de ſpeciali privilegio, vel indulto conſtet: II. nec de Simplici occurrente, ut ſupra diximus: III. neque de Vigilia, ut ex Rubrica, quæ habetur ſupra *tit.* 3. *n.* 2. excepta Vigilia Epiphaniæ, de qua in Rubrica *tit.* 9. *n.* 2. Commemoratio fieri jubetur; IV. neque dicitur Oratio imperata a Superiore velut *Deus Refugium*, &c. ut habetur ex Decreto diei 28. Auguſti 1617. dato in noſtro Indice *ſub n.* 219. & ut colligitur ex alio Decreto diei 2. Decembris 1684. dato in noſtro Indice *ſub n.* 471. in quo eadem Collecta prohibetur etiam in Feſtis ſecundæ Claſſis.

In Feſtis autem ſecundæ Claſſis præter Commemorationem de Feſto Simplici in Miſſis Privatis tantum, debent fieri aliæ Commemorationes, quæ fiunt in Feſtis primæ Claſſis, ut ſupra.

Item de Vigilia occurrente; & de eadem, ſi propter Feſtum ex. gr. S. Jacobi in Feria ſecunda occurrens, Vigilia in Sabbato præcedenti anticipanda ſit. Deinde ſit Commemoratio de Octavis in Duplicibus ſecundæ Claſſis occurrentibus infra Octavam Nativitatis Domini, ut notatur in Breviario, & Miſſali, quia habent ſpeciale privilegium.

Non ſit tamen Commemoratio in diebus ſecundæ Claſſis de aliis Octavis, ideſt de diebus infra Octavas, niſi vel ex Rubrica, vel privilegio ſpecialiter exprimatur. Nec urget contra hanc regulam, quod ſi fiat Commemoratio de Simplici, multo magis deberet fieri de die infra Octavam, cum ſit nobilior Feſto Simplici; nam, ut optime advertit Biſſus *lit. C. n.* 363. §. 12. de die infra Octavam ſit Commemoratio ſæpius, quam de Feſto Simplici: & ideo non officit, quod aliquando omittatur Commemoratio diei infra Octavam.

Quænam autem Commemorationes faciendæ ſint in Feſtis Duplicibus, Semiduplicibus, &c. facile colligi poteſt ex Rubricis tum Breviarii, tum Miſſalis; & ex iis, quæ tradit Gavantus in ſuis Commentariis ad Rubricam nonam hujus primæ partis, quibus ſi opus fuerit aliqua adjiciemus ad explananda dubia, quæ poſſunt occurrere in hac materia.

Circa Commemorationes, quæ debent fieri in Miſſis Votivis, ſatis ſuperque diximus in noſtris Obſervationibus ad *tit.* 4. in quo agitur de præfatis Miſſis.

### R U B R I C A.

2. *De Feria ſit Commemoratio in Adventu, Quadrageſima, quatuor Temporibus, Rogationibus, & Vigiliis, quando Miſſa dicenda eſt de Feſto illis temporibus occurrente. Sed in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Feriis, Rogationibus, & Vigiliis prædictis, quæ habent Miſſas proprias, dicuntur duæ Miſſæ, una de Feſto, alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia,* (h) *abſque ulla utrorumque Commemoratione: in Feſtis tamen majoribus primæ Claſſis nihil ſit de Vigilia occurrente, ut dictum eſt ſupra.*

### G A V A N T U S.

Omnia patent ex ſupradictis, & licet Miſſa Vigiliæ ſumatur a Communi, dicitur tamen propria Vigiliæ, cui aſſignatur; & ideo non omittenda.

Sed quæritur: Cur occurrente Feſto in prædictis Feriis dicantur duæ Miſſæ Conventuales; occurrente autem Feſto Duplici in Dominica, quæ eſt dignior prædictis Feriis, non dicantur duæ Miſſæ, altera de Feſto, altera de Dominica? Reſpondet *Francolinus, aliud agens, de tempore Horarum Canonicarum, part.* 1. *c.* 16. *n.* 18. in prædictis Feriis unam cantari poſt Tertiam, aliam poſt Nonam, & horæ mediæ ſunt præparatoriæ ad ſequentem Miſſam: Miſſæ vero Dominicæ, & Feſti Duplicis cantandæ eſſent ambæ poſt Tertiam. At ſecundum hunc Auctorem incongrue cantantur Miſſæ duæ, nulla mediante Hora Canonica, quæ eſt quaſi ad Miſſam præparatoria. Addo ego, reſumi poſſe Miſſam Dominicæ in ſequenti hebdomada; Populumque item non teneri niſi ad unam Miſſam audiendam; quam igitur audiet? Audiat unam de Feſto, & Dominica ſimul cum duobus Evangeliis merito a Populo audiendis. Sed dato quod non poſſit reſumi Miſſa Dominicæ infra hebdomadam, non videtur hæc omittenda, cum ſit dignior, quam Miſſa de Feriis prædictis; ergo ſaltem in eo caſu cantandæ forent duæ, de Feſto & Dominica, & altera immediate poſt alteram, cantata Tertia, ſicuti in quatuor Temporibus Pentecoſtes poſt Nonam poſſunt duæ Miſſæ cantari, de Feria, & de Sancto Titulari Eccleſiæ ob Feſtum, & concurſum Populi, juxta Rubricam ſuperiorem de Tranſlatione Feſtorum. Nihilominus tamen eſt ille caſus peculiaris, ratione Feſti, & diſpar eſt ratio in Miſſis de Dominica, & de Feriis majoribus; nam in his intendit Eccleſia ſine præjudicio Feſti excitare Clerum, & populum ad actus humilitatis, & pœnitentiæ cum genuflexione ad Orationes in Miſſa, & Officio proprio earum Miſſarum: qui actus non conveniunt Dominicis, in quibus ob memoriam Dominicæ Reſurrectionis ſtamus ad Orationes, neque genuflectimus: & ideo omitti non vult integras Miſſas de Feriis prædictis: de Dominicis autem vult tantum Commemorationem cum Oratione, & lectione Evangelii, ſi a Feſto majori impediantur. Porro Francolini ratio adeo vera eſt, ut idcirco nulla ſit Rubrica de duabus Miſſis dicendis, & de quatuor Temporibus, & de Vigiliis S. Matthæi & S. Thomæ, ſi in eumdem incidant diem, quia eſſent ambæ cantandæ poſt Nonam, ut dicemus *tit.* 15. *n.* 2. nulla Hora media inter illas; quod eſt valde notandum. Omnino vero negamus, nomine Feriarum, de quibus in hac Rubrica, comprehendi etiam Dominicam: tum quia eſt contra ſenſum, & uſum communem; tum quia S. R. C. nomine Feſti novem Lectionum intelligit etiam Dominicam: 12. Martii 1618. ergo non eſt Feria prima; neque in ea duæ Miſſæ ſunt cantandæ, ut in Feriis, & Sabbato prædictorum temporum in Rubrica.

(h) *Abſque ulla utrorumque.* Adverte, quod ſi præterea facienda ſit Commemoratio Feſti Simplicis, vel de die infra Octavam; hæc Commemoratio facienda erit in Miſſa de Feſto, *ut habes in Miſſali die* 28. *Junii*, 27. & 20. *Septembris*: & ſimiliter, puta in Adventu, ſi alicubi occurrat Feſtum in Vigilia S. Thomæ Apoſtoli, cantandæ ſint duæ Miſſæ, & de Feſto, & de Vigilia; Commemoratio Feriæ Adventus fiet in Miſſa de Vigilia, quia ſunt ejuſdem rationis; tertia Oratio deinde erit, quæ ſecundo loco alias diceretur.

R U-

### R U B R I C A.

3 *Quando infra hebdomadam dicuntur Miſſæ Votivæ, poſt primam Orationem ſemper dicatur Oratio ejus,* (i) *de quo ſit Officium; ut ſupra explicatum eſt in propria Rubrica.*

### G A V A N T U S.

(i) *De quo ſit Officium.* Ut aliqua vel minima ratiooe concordet cum Officio Miſſa Votiva, debet de Officio fieri Commemoratio. *Joannes Burchard.* Tertia vero erit ea, quæ alias ſecundo loco diceretur, *ut infra indicatur tit. 9. n.* 14. in his verbis: *dicuntur plures, ut in Feſtis Simplicibus*, de quibus ibidem *n.* 16.

### R U B R I C A.

4. *Quando ſit Commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feriæ Commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.*

### G A V A N T U S.

Patet ratio, ut concordet cum Officio. *Burchar.*

### R U B R I C A.

5. *In faciendis Commemorationibus ſervetur ordo ut in Breviario. De Dominica ante Diem infra octavam; de die infra Octavam ante Ferias prædictas; de Feriis prædictis ante Feſtum Simplex; de Feſto Simplici ante Orationes, quæ ſecundo, vel tertio loco dicendæ aſſignantur: & hæ dicuntur* (k) *ante Orationes Votivas; in quibus Votivis ſervetur deinde dignitas Orationum, ut de Sancta Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sacramento, de Sancta Cruce ante Votivam de B. Maria: & de Angelis, & S. Joanne Baptiſta ante Apoſtolos & ſimiliter in Aliis.*

### G A V A N T U S.

(k) *Ante Orationes Votivas.* Præcedunt quæcumque Orationes, quæ ab Eccleſia certum habent locum. Votivæ, ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, poſteriorem occupant locum: & ſicut Votiva, v. g. de Spiritu Sancto, cedit Commemorationi Feſti Simplicis; ita cedere debet Oratio, *A cunctis*, vel aliis, quæ ſecundo, vel tertio loco jubentur dici. Cæteris autem paribus attenditur dignitas eorum, de quibus eſt Oratio. *Ita Burchard.* Videtur durum aliquibus, ſed rationabile eſt legem communem præponi arbitrio, hoc eſt, legi privatæ, quam facit ſibi Sacerdos in Orationibus Votivis, quæ non concordant cum Officio.

### R U B R I C A.

6 *Si facienda ſit Commemoratio pro Defunctis, ſemper ponitur* (l) *penultimo loco. In Miſſis autem defunctorum nulla ſit Commemoratio pro Vivis, etiamſi Oratio eſſet* (m) *Communis pro Vivis, & Defunctis.*

### G A V A N T U S.

(l) *Penultimo loco.* Ratio Innocentii Papæ Tertii *de Myſteriis Miſſæ lib.* 2. *cap.* 27. eſt, quia finis ad ſuum debet torqueri principium: non igitur dignitatis ergo, ſed, ut a Vivis, de quibus in prima Collecta, ad Vivos, de quibus in ultima, fiat regreſſus. (m) *Communis pro vivis, &c.* Hoc ſancitum eſt poſt tempora Innocentii III. qui concedebat, *loc. cit.* Orationem *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul, & Mortuorum, &c.* in Miſſis etiam Defunctorum. Sed plane æquum eſt Defunctis ſuffragia dari in Miſſis Vivorum, *ut ſupra n. 6. dictum eſt*: & in Miſſis Defunctorum ſolis Defunctis operam dare, excluſis Vivis in Collectis; quibus omni tempore, & in primo *Memento*, ſecrete ſatis ſuperque eſt proviſum, etiam in Miſſa de Defunctis. Significatur etiam non poſſe Defunctos in Purgatorio juvare viventes. *Durandus lib. 4. cap.* 15. cujus ſententia eſt probabilior. *S. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 83. quem ſequitur *Navar. de Orat. c.* 20. *num.*19. *contra Medinam.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

III. Rubr. & Gav. lit. l — *Penultimo loco, &c.*) Præſcribit hic Rubrica, quod ſi in Miſſa Officii alicujus diei facienda ſit Commemoratio pro Defunctis, ſemper penultimo loco fiat. A Sacra autem Rituum Congreg. 2. Decembris 1684. ſtatutum eſt, quod in Miſſa Privata de Feſto Semiduplici, vel Simplici, &c. poſſit in penultimo loco dici Collecta, etiam pro particulari Defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus, &c.* & datur in noſtro Indice *ſub n.* 473.

Lubet nunc exhibere hic alia Decreta S. R. C. ſpectantia ad hunc titulum de Commemorationibus faciendis in Miſſis; ut inde facilius reſolvantur dubia, quæ poſſunt ſuboriri.

In Collecta, Epiſcopus non poteſt cogere Regulares ut faciant Commemorationem ipſius. S. R. C. 19. Junii 1602. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 2.

Miſſa de Dominica, ſeu de Feſto Duplici, ſi illa die occurrat, debet dici cum Commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Miſſalis; quando debet fieri a Canonicis particularis Proceſſio cum SS. Sacramento in diebus Dominicis cujuslibet Menſis. S. R. C. 7. Decemb. 1653. *in Fanen.* & in noſtro Indice *ſub n.* 313.

Qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadrageſima, occurrente die infra aliquam ejuſmodi Octavam in Feria 4. Cinerum, nullam debent facere Commemorationem de Octava, neque in Miſſa, neque in Laudibus. S. R. C. 24. Januarii 1682. & in noſtro Indice *ſub n.* 459.

In diebus infra aliquam Octavam occurrentibus in Quadrageſima, debent Privilegiati, celebrantes dictam Octavam, dicere Miſſam Conventualem de Feria occurrenti, cum Commemoratione Octavæ, &c. 24. Januarii 1682 & in noſtro indice *ſub n.* 460.

Advertendum hoc loco, quod etiam Miſſæ Privatæ in dicto caſu debent eſſe de Feria (ut diximus ſupra in titulo de Feria, & Vigilia) cum Commemoratione Octavæ; non excluſis tamen Miſſis Votivis, & de Requiem.

In Feria 6. poſt Octavam Aſcenſionis, occurrente aliquo Feſto novem Lectionum, niſi tale Feſtum fuerit ex Solemnioribus, facienda eſt Commemoratio in Miſſa dictæ Feriæ. S. R. C. 4. Aprilis 1705. & in noſtro indice *ſub num.* 594.

### R U B R I C A.

7 *Quando dicuntur plures Orationes,* (n) *prima tantum, & ultima cum ſua concluſione terminatur: &* (o) *ante primam & ſecundam Orationem tantum dicitur, Oremus: ante primam dicitur etiam* (p) *Dominus vobiſcum.*

### G A V A N T U S.

(n) *Prima tantum, & ultima.* Et prima quidem terminatur, quia eſt propria Miſſæ; ultima vero, quia comprehendit alias, & quaſi eas colligit; quæ ideo Collectæ dicuntur; quamquam aliæ cauſæ ſunt, cur Collectæ dicantur, *ut infra titul.* 9. Quandoque prima, & ſecunda Oratio ſub una concluſione dicuntur, ut unica videatur Oratio in *Miſſa celebrari*; quod præſertim jubetur fieri in collatione Ordinum, Conſecratione Epiſcoporum, Virginum, Eccleſiarum, & Altarium; Benedictione Abbatiſſarum, Cœmeterii; Benedictione, & Conſecratione Regum, & Reginarum. Atque in his caſibus uniri duas Orationes ſub uno, *Per Dominum*, docet *Burchard. in Ord. celebrandi Miſſam.* An vero Orationes illæ, quæ poſt Miſſam Votivam de Trinitate habentur pro gratiarum actione ſub eadem concluſione cum prima recitandæ ſint, negamus in Miſſis Privatis: nam, quod dicitur in oppoſitum in Miſſali Romæ edito 1621. additum fuit ſine ſuperiorum facultate, me penitus rem indagante: & hic eſſet nimis novus Ritus in Miſſa Privata. In iis autem, quæ ſolemniter dicuntur pro re gravi, uſus Capellæ Papalis eſt, ut de duabus fiat una ad Solemnitatem. Sed verba Rubricæ *tit.* 9. *n.* 14. quæ remittunt lectorem ad locum proprium, de Miſſa Solemni ſunt, ut ibidem expreſſe dicitur iis verbis: *quando ſolemniter*: in loco autem proprio Miſſalis editi ſub Urbano VIII. præſcribitur unica concluſio: ergo in Miſſa ſolemni, non autem in Privata: & confirmatur, quia ibidem additur, *In aliis* (hoc eſt non Solemnibus) *dicuntur plures ut in Feſtis Simplicibus.*

(o) *Ante primam, & ſecundam.* Ita Ordo Romanus, ut invitetur Populus ad Orationem: qua etiam de cauſa ſalutatur Populus iis verbis, de quibus mox, *Dominus vobiſcum*: ut ait *Innocen. lib.* 2. *cap.* 26.

(p) *Dominus vobiſcum.* Ordo Romanus hoc habet; quæ ſalutationis forma ad verbum legitur *Ruth* 2. & 2. *Paral.* 15. fere ſimili uſus eſt Gabriel Angelus ſalutando Mariam, *Dominus tecum*, & alter Angelus ad Gedeonem, *Jud.* 6. ſed vim & efficaciam habet a Chriſto, qui dixit: *Ego vobiſcum ſum, Matth. ultimo.* Ritus autem emanat a Clemente, *ex Gemma lib.* 1. *cap.* 87. vel Anacleto Papa, *ex Hugon. Vict. lib.* 2. *cap.* 11. vel ab utroque, *ex Radulpho loc. cit. propoſ.* 23. & eſt ſenſus: Dominus in vobis maneat, & petitionibus veſtris effectum tribuat, *Durand. lib.* 4. *cap.* 14. vel Sacerdos ſe habere pacem cum Populo docet, *ex. P. Damiani opuſc. de Dominus Vobiſcum*: vel dicitur ad excitandos animos ad Orationem, *Rupert. l.* 1. *c.* 31. Dicitur autem, Dominus, non Deus, quia Dominus poteſtatis eſt titulus, *Turrecrem. in cap. Jacobus, de conſ. diſt.* 1. Alia addemus infra ſuis locis propria, *part.* 2. *tit.* 5. *n.* 1.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

IV. Rubr. & Gav. lit. p. — *Dominus Vobiſcum, &c.*)

Completo Angelico Hymno *Gloria in excelſis*, de quo infra, vel, ſi iſte Hymnus non dicatur, dicto ultimo *Kyrie eleiſon*, antequam Sacerdos incipiat primam Orationem, Populum ſalutat dicens, *Dominus vobiſcum*: ſuper qua ſalutatione ultra ea, quæ Gavantus erudite dicit, addendum eſt hanc ſalutationem antiquiſſimam eſſe; imo ab Apoſtolis inſtitutam, prout affirmat Concilium Bracarenſe I. *Can.* 21 in quo hoc Decretum edidit — *Placuit, ut non aliter Presbyteri Populum, ſed uno modo ſalutent, dicentes, Dominus ſit vobiſcum, ſicut in libro Ruth legitur, & ut reſpondeatur a Populo, Et cum Spiritu tuo: ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum, omnis retinet Oriens, & non, ſicut Priſcilliana pravitas, immutavit.* Priſcillianus enim, ut notat Garzias Loayſas ad hunc Canonem, non ſemel tantum, ut moris eſt in Eccleſia Latina, & prima vice: ſed ſemper

per ab Epiſcopis dicendum eſſe *Pax vobis*, contendebat. In prædictum Canonem mendum irrepliſſe nonnulli viri docti obſervarunt, ut pro *Oriens*, *Occidens* legi debeat; id quod etiam advertit Card. Bona *lib. 2. cap. 5. n. 1.* nam in Eccleſia Orientali cum Sacerdotes ſalutant Populum, dicunt Pax *omnibus*, ſicut conſtat ex Liturgiis Baſilii, & Chryſoſtomi; & ſemel tantum in Liturgia Sancti Marci reperitur hæc formula ſalutandi Populum; *Dominus ſit ſemper cum omnibus nobis*.

Pontifex, vel Epiſcopus, ut mox innuimus, in Eccleſia Occidentali, cum Populum ſalutat prima vice, ante primam Orationem, non dicit *Dominus vobiſcum*, ſed *Pax vobis*: quia Chriſtus Dominus his verbis locutus eſt ad Diſcipulos poſt ſuam Reſurrectionem, (ut legitur apud Joannem *cap.* 20.) cujus typum gerunt Pontifex, & Epiſcopus. Verum, ut poſtea demonſtret Epiſcopus ſe eſſe de numero cæterorum Sacerdotum, dicit, ut alii Sacerdotes, *Dominus vobiſcum*, cum alias Populum ſalutat: ita Innocentius III. *lib. 2. de Myſteriis Miſſæ cap.*42. & hic Ritus eſt conformis Canoni ſuperius allegati Concilii I. Bracarenſis.

Quoniam vero tamquam pluribus dicitur *Dominus vobiſcum*, olim ſtatutum fuit, ne quis celebrare præſumeret, niſi duobus ſaltem præſentibus, & adſtantibus; ne mendaces invenirentur Sacerdotes, ſi ad unum ſolum præſentem dirigerent prædictam ſalutationem *Dominus vobiſcum*, & hæc alia verba *Orate fratres*. Extat Canon de hac re apud Gratianum *de Conſecration. diſtinct. 1. cap. 61.* ubi leguntur hæc verba: *Statutum eſt, ut nullus Presbyterorum Miſſarum Solemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus, &c.* Verum hoc nimis ſcrupuloſe ſancitum fuit: & revera alienum eſt a praxi communi Eccleſiæ: quia celebratur communiter Miſſa Privata, etiam cum unico tantum Miniſtro præſente, & inſerviente. Nulla igitur abſurditas eſt, ut advertit etiam Cardin. Bona *lib. 1. cap. 13. n. 6.* quod in plurali ſalutatione dicat Celebrans *Dominus Vobiſcum*; quamvis cum uno ſolo Miniſtro præſente Sacrificium peragat; ſicut Sacerdos, cum ſolus recitat nocturnas, & diurnas preces, ſine ullo mendacio omnia pluraliter profert, quæ plurali numero in Divinis Officiis digeſta ſunt: dicit enim *Venite, adoremus*, *Venite exultemur*, *Oremus*, *Benedicamus*, *&c.* cum nemo illic ſit, qui ſecum adoret, exultet, &c. Cur igitur idem non licebit Sacerdoti Miſſam celebranti, cum id agat in perſona totius Eccleliæ, & per hanc ſalutationem ſalutetur Eccleſia (ut aſſerit Alexander Alenſis *part. 4. quæſt. 36.*) cujus Corpus unum eſt, unius Fidei unitate ſubſiſtens, & vivificantis Spiritus una virtute perfuſum?

De hac ſalutatione *Dominus vobiſcum* erudite diſcurrunt Antonius Bellotte in ſuis obſervationibus ad Ritum Eccleſiæ Laudunenſis *pag.* 303. Claudius de Vert *tom. 1. pag.* 95. & 96. & aliis in locis; Petrus Le Brun *tom. 1. pag.* 198. Grancolas de antiquis Liturg. *pag.* 477. Card. Bona *lib. 2. cap.* 5. & Natalis Alexander in ſua Theologia Dogmatica, & Morali, *lib. 2. art. 5. n. 6.* qui pariter tractant de reſponſione *& cum ſpiritu tuo*, quam Miniſter præbet Celebranti nomine omnium aſſiſtentium. Aliqua alia ſpectantia ad hanc ſalutationem dicemus quoque nos in Additionibus noſtris, quas dabimus infra.

## R U B R I C A.

6 *Cum vero dicuntur plures Orationes, & una Oratio eadem ſit cum alia ibidem dicenda; Oratio hujuſmodi, illa ſcilicet, quæ eadem eſt, non alia,* (q) *commutetur cum alia de Communi, vel propria, quæ ſit diverſa. Idem ſervetur in Secretis, & Orationibus poſt Communionem.*

## G A V A N T U S.

(q) *Commutetur cum alia.* Quænam commutanda eſt, prima, an altera? prima manet, altera mutatur eo modo, quo præſcribitur clare in Dominica Septuageſimæ, quando venit ante Feſtum Purificationis B. Virg. cujus Secreta eadem eſt cum Secreta prædictæ Dominicæ; & illa mutatur, quæ ſecundo loco ponitur.

* Dices: quomodo fiet mutatio ſecundæ Orationis de Feria, vel Dominica, vel de iis, quæ ſunt ad libitum, quando eſt eadem cum prima de Sancto? nam hic accidit caſus in Feſto quadraginta Martyrum occurrente in Feria quinta Cinerum, & item in Feſto S. Martini Epiſcopi in Dominica XXII. poſt Pentecoſten: vel cum præcipitur Oratio *Deus refugium*. Verum in his caſibus poterit ſumi Oratio ſecreta Feriæ ſextæ Cinerum, vel Dominicæ XXIII. vel ea quæ proxime ſequitur pro quacumque tribulatione, reſpective ad caſus prædictos; ut eadem ſit regula in favorem Orationis primæ, quæ non debet mutari; & ita accidit in praxi, quia Celebrans, qui non prævidit Secretas, dicit primam de Sancto; mox advertens, ſecundam eſſe eandem, non poteſt non mutare ſecundam.

## De Introitu, Kyrie Eleiſon, & Gloria in excelſis VIII.

## G A V A N T U S.

JAM aggredimur partes integrantes Miſſæ, quæ in primordiis Eccleſiæ, ordinante Petro, & Apoſtolis, duæ tantum fuerunt, ſcilicet, Conſecratio cum verbis propriis, & Oratio Dominica. *Gregorius Papa in Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum*, cujus Miſſæ quaſi veſtigium remanet in Paraſceve, in qua tamen non fit Conſecratio. Idem Petrus Antiochiæ addidit tres Orationes. *Innoc. III. in Prol. ad lib. Miſt. Miſſæ*, Collectam, Secretam & Poſtcommunionem, *ex Lindano ad Liturgiam Sancti Petri*. Creſcente vero cultu Chriſtianæ Religionis adjecta ſunt alia, quæ viſa ſunt decentius convenire, quandoque alia dempta, alia mutata in melius. *Lindanus* autem *in Apologia* pro Liturgia Sancti Petri Græca, quæ valde ſimilis eſt Gregorianæ, contendit probare a Sancto Petro fuiſſe præſcriptam totam Miſſam latinam, paucis exceptis; & ſucceſſores ejuſdem vel firmaſſe aliqua Decretis, vel reſtituiſſe neglecta, quod & nos cum Baronio ſupra affirmavimus: ab initio vero non erat tutum moram longam trahere in Sacrificio, *ex Simone Græco apud Lindanum ibidem*.

Nunc agamus de ſingulis juxta titulos Rubricarum, dilatis cauſis de Chriſto myſticis in alteram Rubricarum generalium partem.

## R U B R I C A.

(r) 1 *Introitus ſemper eodem modo dicitur cum* (ſ) *Gloria Patri, ut in Ordinario, præterquam* (t) *tempore Paſſionis, & in Miſſis Defunctorum, ut etiam ibi adnotatum eſt.*

## G A V A N T U S.

(r) *Introitus.* Vel quia, introeunte Sacerdote ad Altare, dicitur, qui paulo ante dixerat, *Introibo ad Altare Dei*; ita *Microl. de Eccleſ. obſervat. cap. 1.* vel quia ſit quaſi procemium Miſſæ. *Conrad. lib. 1. Cæremon. cap.* 1. vel quia Populo introeunte, Pſalm. cantabatur, *Rhenan. ad Tertull. de coron. militis*. A Sancto Greg. dicitur *Antiph.* ab Ambroſ. *Ingreſſa*.

Componitur regulariter ex Pſalmo Davidis, verſu ejuſdem Pſalmi, *Gloria Patri: Sicut erat*, & repetitione Pſalmi. Dixi, *regulariter ex Pſalmo*: nam Cæleſtinus I. Papa conſtituit, ut Pſalmi CL. ante Sacrificium cantarentur antiphonatim, quod antea fiebat, *ex Dion. de Eccl. Hierar. cap. 3. & Caſſiano lib. 3. de Inſtit. Mon. cap. 11.* ſed non ubique. Antiphonatim autem, hoc eſt, non totum Pſalmum recitabant antiqui, ut ajunt quidam *apud Radulph. propoſ.* 23. ſed, ut docet *Alcuin. loc. cit.* ex omnibus Pſalmis excerpebant Antiphonas. *Baron.* tamen *Ann.* 418. explicat Decretum Cæleſtini de tuto Pſalterio cum Antiphonis ante Miſſam cantando in Eccleſia Romana, & *Bellarm.* idem ſentit *lib. 2. de Miſſa*, *cap.* 16.

Irregulares vero Introitus ſunt perpauci, qui non ex Pſalterio, ſed ex Prophetis, ſeu aliis Scripturæ libris ſunt hauſti, ut in Nativitate Domini: *Puer qui natus eſt &c.* in Aſcenſione: *Viri Gallilæi, &c.* Verſum tamen ex Pſalmo, qui cantabatur, retinuit S. Gregorius Papa, *ex Durando lib. 4. cap.* 4. Dixi *verſum ejuſdem Pſalmi*; quia quando Introitus incipit a primo verſu Pſalmi, tunc verſus introitus eſt, qui proxime ſequitur in Pſalmo: quando vero incipit a verſu de ſequentibus in Pſalmo, verſus eſt idem, qui eſt primus in Pſalmo. Exempla patent in Miſſali, nimirum in Nativitate Domini; *Dominus dixit ad me, &c.* verſus eſt: *Quare fremuerunt gentes*: in Dominica prima Adventus: *Ad te levavi animam meam, &c.* verſus eſt de ſequentibus in Pſalmo: *Vias tuas Domine, &c.*

(ſ) *Gloria Patri.* Additum eſt, quaſi ad finem Pſalmi, ex inſtituto Damaſi Papæ, quamquam ante Damaſum compoſita fuiſſe laus hæc fertur a Nicæna Synodo; imo ab Apoſtolis, *ex Baſilio etiam fluxiſſe probat Baron. Anno* 325. Nicænum addidit, *Sicut erat*, &c. *Baron. ibidem ex Concil. Vaſenſis Can.* 7.

De repetitione Pſalmi, ſeu Introitus, *Durandus*, *& Radulphus loc. cit.*

(t) *Tempore Paſſionis.* Nam tunc omittitur laus Trinitatis, *Gloria Patri, &c.* ita *Microl. cap.* 52. tum quia Introitus ſunt de Paſſione Chriſti; tum quia propter humiliationem capitis noſtri proximam, omittenda eſt glorificatio SS. Trinitatis, in qua Filius Dei eſt idem cum aliis Perſonis Divinis. Prima cauſa redditur a *Durando lib. 6. cap. 60. in Dominica de Paſſione*; altera *ab Amal. de Eccl. Officiis lib. 4. cap.* 20.

(u) *Defunctorum.* Indicia lætitiæ omittuntur in his Miſſis ad imitationem Officiorum, quæ aguntur in morte Domini. *Alcuin. circa finem libri.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. & Gav. lit. r -- *Introitus, vel quia, &c.*) Cantus, qui ad exordium Miſſæ uſurpatur ab Eccleſia, communiter appellatur Introitus: quia per eum introitur ad Officium Divinum, ut volunt Amalarius *lib. 3. de Eccleſiaſt. Officiis cap.* 5. Alcuinus *lib. de Divinis Officiis*, & vetus quidam Anonymus in expoſitione totius Miſſæ ex concordia Scripturarum Divinarum, quæ teſte Cardin. Thomaſio in Diſquiſit. præmiſſa antiquis libris Miſſarum, extat in Ordine Romano MS. Bibliothecæ Vallicellanæ.

II. Gav. ead. lit. r -- *Dicitur Antiphona.*) Cur Introitus appellatur *Antiphona* non dicit Gavantus: ratio tamen ea eſt, ut oſtendatur genus modulationis, nempe alternus cantus: *Antiphona* enim teſte *Iſidoro lib. 6. Originum. cap. 19. ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus ſcilicet Choris alternatim pſallenti-*

*lentibus*. Hinc Romani Ordines, Antiphonaria, & Auctores Eccleſiaſtici vocant *Antiphonam* ad Introitum.

Ejus inſtitutio non eſt antiquior Cæleſtinn I. Pontifice: nptime enim laudatus Thomaſius oſtendit ante Cæleſtini tempora ordinem Miſſarum in Occidente a Lectionibus incœpiſſe: & quamvis contrarium ex Auguſtino *lib*. 2. *Retract*. *cap*. 11. videatur inferri; nihilominus Auguſtinum eo loci non intelligendum eſſe de Introitu Miſſæ, optime probat eruditiſſimus Cardinalis ibidem. Primus itaque Cæleſtinus hunc Antiphonæ concentum ad Miſſæ Introitum inſtituit: etenim in veteri Catalogo Romanorum Pontificum ediro ad Henſchenio, & Papebrochio *tom*. 1. *Menſis Aprilis* hæc leguntur de Cæleſtino: *Hic fecit, nt Pſalmi centum quinquaginta deberent ante Sacrificium pſalli; quod ante non fiebat, niſi tantum Epiſtola Pauli Apoſtoli, & Sanctum Evangelium; & ſic Miſſæ celebrabantur*. Eadem teſtantur iber Pontificalis, Walafridus Strabo, Honorius, Micrologus, Berno, Amalarius, & quotquot veteres de his rebus ſcripſerunt. Putat autem idem Doctiſſimus Cardinalis Cæleſtinum hos Ritus Antiphonæ mutuatum fuiſſe ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo, qui idem modulationis genus ab Orientalibus dudum acceperat. Porro Gavantus hic, & Genebrardus *lib. de Apoſtol. Liturgia cap*. 17. contendunt ante Cæleſtinum Pſalmos in Introitu Miſſæ fuiſſe cantatos; quod ex Dionyſio Areopagita *lib. de Eccleſ. Hierarchia cap*. 3. & Caſſiano, probare ſe poſſe confidunt: ſed utrumque Scriptorem, ſuppreſſo tamen Gavanti nomine, impugnat Emin. Bona *lib*. 2. *cap*. 3. *num*. 1. nam & Dionyſii Areopagitæ opera apud ipſum Eminentiſſimum Auctorem, necnon apud alios Doctiſſimos Scriptores valde dubia ſunt, nea certo eidem Dionyſio Areopagitæ, Pauli Apoſtoli prædicatione ad Fidem converſo, adſcribuntur; Caſſianus vero *lib*. 2. *Inſtit*. *cap*. 13. & *lib*. 3. *cap*. 5. Miſſam ſumit pro Hora Canonica, ſeu pru curſu Divini Officii: ut etiam præter laudatum Cardinalem aſſerit, & probat Edmundus Martene in ſuo eruditiſſimu Commentario ad Regulam Sancti Benedicti *cap*. 17. nbi confirmat talem Miſſæ acceptionem etiam auctoritate Concilii Agathenſis, in cujus *Can*. 30. hæc habentur, *Hymni matutini, vel veſpertini diebus omnibus decantentur, & in concluſione matutinarum, vel veſpertinarum Miſſarnm: poſt Hymnus capitella de Pſalmis dicantur*. Ex quibus liquet aucturitatem Caſſiani nihil ſuffragari ſententiæ Genebrardi, & Gavanti: quia revera citatis locis non ſumit Miſſam pro Sacrificio Euchariſtico; ſed pro Horis Canonicis, ſeu pro Monachorum conventu ad Divinum Officium perſolvendum.

III. Gav. ead. lit. r -- *Qnia quando introitus incipit a primo verſu Pſalmi, &c.*) In Antiphonis, quibus incipitur Miſſæ Introitus, regula eerta eſt, quæ etiam expreſſe traditur in quodam Codice MS. Archivii Canonicorum S. Petri: & quotieſcumque Introitus deſumitur ex aliquo Pſalmo, idem ipſe Pſalmus inchoatur poſt Introitum ipſum: & ſic revera ſervatur in quovis Introitu Miſſalis, exceptis quatuor Miſſis, quæ recentiori tempore aptatæ ſunt, ſcilicet Miſſis Transfigurationis Domini, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, S. Franciſci Xaverii, & S. Ignatii. In Miſſa quoque S. Ignatii ponitur *Gloriabuntur in te omnes*, qui eſt penultimus Pſalmi 5. *Verba mea*: quando juxta prædictam regulam, ponendum eſſet initium ejuſdem Pſalmi *Verba mea*.

IV. Gav. ead. lit. r -- *Irregulares vero Introitus*.) Durandus *lib*. 3. *Rational*. *cap*. 5. & Gavantus hic, irregulares Introitus vocant eos, qui non ex Pſalterio, ſed ex Prophetis, aliiſque Scripturæ libris deſumpti ſunt; quorum nonnulla exempla a Gavanto, plura a Card. Bona producuntur *cit*. *cap*. *n*. 3. Verum his etiam addendi ſunt illi, qui neque ex Scriptura decerpti ſunt, quemadmodum cenſendi ſunt illi: *Salve Sancta Parens: Gaudeamus omnes in Domino: Benedicta ſit Sancta Trinitas*: qui in Antiphonario Gregoriano non reperiuntur. Illud autem hoc loco non eſt prætermittendum, quod quamvis in Antiphonario S. Gregorii omnes Introitus ex Pſalmis juxta antiquum morem deſumpti ſint; nihilominus aliqui nunc ſunt ab illa regula recedentes, quos propterea Durandus *lib*. 4. *cap*. 5. *Ration*. vocat irregulares, ut *Puer natus eſt nobis*, in die Nativitatis Domini; *Viri Gallilæi*, in die Aſcenſionis; *Spiritus Domini, &c.* in die Pentecoſtes; *Nunc ſcio vere*, in die S. Petri ad Vincula; *Stabant juxta Crucem*, in Feſto ſeptem Dolorum B. M. V. & alii pauci ex aliis Scripturis.

V. Gav. lit. ſ -- *Gloria Patri additum eſt*.) Poſt Introitum olim integer Pſalmus; nunc unus ejuſdem Pſalmi verſiculus decantatur cum *Gloria Patri*, qui verſus ab antiquis Patribus Hymnus glorificationis dictus eſt. Nicephorus *lib*. 6. *Eccleſiaſt. Hiſtoriæ cap*. 24. ejus Auctorem facit Flavianum Monachum Antiochenum. Alii vero a Synodo Nicæna inſtitutum aſſerunt; ſed vetuſtiorem eſſe, & ab Apoſtolis (ut ſupra obſervat noſter Gavantus.) traditum fuiſſe, demonſtrat Baronius Ann. 325. & Card. Bona *in lib. de Div. Pſalm. cap*. 16. §. 6. Athanaſii, & Baſilii teſtimonio id probat. Cum enim Fideles ab initio Eccleſiæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Baptizati eſſent; ipſis tribus Perſonis hunc Hymnum glorificationis canere didicerunt: quare probabile eſt, ut docet Henricus *lib*. 9. *de Miſſa*, *cap*. 32. *n*. 1. in Eccleſia Græca hunc cœptum eſſe a prædicto Flaviano Antiocheno, adjuvante Chryſoſtomo; & in Latina Eccleſia Sanctum Hieronymum obtinuiſſe a Damaſo Papa, ut in fine cujuſcumque Pſalmi diceretur; ut legitur in Vita Sancti Damaſi Papæ, & idem innuit Gavantus ſupra.

Cætera, quæ ſpectant tum ad *Introitum*, tum ad *Gloria Patri*, videri poſſunt apud Card. Bona *lib*. 2. rerum Liturgicarum *cap*. 3. & alibi; ex quo excerpta ſunt nonnulla, quæ hic nos quoque tradidimus. Eruditiſſime etiam de hac prima parte Miſſæ diſſerit Hugo Menardus in ſuis doctiſſimis notis, & obſervationibus ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ *part*. 3. Præter duos allegatos præclariſſimos Auctores, egregie quoque diſcurrunt de Miſſæ introitu Edmundus Martene de antiq. Eccl. Ritibus *lib*. 1. *artic*. 3. Antonius Bellotte in ſuis obſervationibus a *pag*. 372. uſque ad *pag*. 375. Grancolas de antiquis Liturg. a *pag*. 457. uſque ad *p*. 464. Claudius de Vert, & Petrus Le Brun uterque 1. *tom*. ſuorum operum Liturgicorum.

## R U B R I C A.

2 *Kyrie eleiſon dicitur novies poſt Introitum alternatim cum Miniſtro, ter Kyrie eleiſon, ter Chriſte eleiſon, ter Kyrie eleiſon.*

## *G A V A N T U S.*

Poſt *Apoſtolicos Hebræos* cœperunt Græci facere Miſſam, Hadriano Primo imperante, *Durand*. *lib*. 2. *cap*. 1. obiit ille *Anno Domini* 140. Vox autem græca *Kyrie eleiſon*, invenitur in Liturgiis S. Jacobi, & Sancti Marci. *Durand*. *lib*. 2. *c*. 13. A Græcis Sylveſter ad Romanos eam tranſtulit. *Radulph*. *propoſ*. 23. Fuiſſe vero in uſu in tota Italia, teſtatur *Concil*. *Vaſen*. *Can*. 3. ante Sanctum Gregorium 150. Annis, *ex Bellarm*. *lib*. 2. *de Miſſa cap*. 16. Idem ſcribit *Auguſt*. de omnibus Chriſtianis contra *Paſcentium epiſt*. 178. & ſignificat *ex eodem ibidem*, *Domine miſerere*. Novies autem in Miſſa dici docet *Gregor*. *lib*. 7. *epiſt*. 63. qui ſe dicit reſtituiſſe, non inſtituiſſe hunc Ritum cum alternatione partim a Sacerdote, partim a Popnlo, quod non faciunt Græci: nimirum, ter *Kyrie*, ter *Chriſte* (quod etiam Romanorum eſt, non Græcorum) & ter *Kyrie*. Addit *Amalar*. *lib*. 3. *cap*. 6. cauſam: quia ante omnem Orationem ſpecialem Sacerdotum, neceſſe eſt præcedere miſericordiam Domini; ut ſerenetur mens Sacerdotis ad ea intendenda, quæ ore dicit, & ut dignus ſit Deum alloqui, & exaudire. *S. Thom*. 3. *part*. *quæſt*. 83. *art*. 4. notat (quod prius notaverat *Innoc*. *III*. *lib*. 2. *cap*. 19.) ter dici ad Patrem, ter ad Filium Chriſtum, ter ad Spiritum Sanctum; additque Sanctus Thomas ad ſignificandum, quod omnes Perſonæ ſunt in ſe invicem.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VI. Gav. lit. u -- *Invenitur in Liturgiis S. Jacobi, & S. Marci*.) Non ſolum in præfatis Liturgiis Jacobi, & Marci, ſed etiam Baſilii, & Chryſoſtomi reperitur prædicta precatio *Kyrie eleiſon*, quæ eum græca vox ſit, ſignificat *Domine, miſerere*. In Liturgia Jacobi multoties repetitur tam a Celebrante, quam a Populo, dum in eadem legitur -- Poſt Lectionem, & Doctrinam, Diaconus dicit, *dicamus omnes Kyrie eleiſon, &c.* Populus dicit ter *Kyrie eleiſon*. Item Diaconus Collectam Catholicam, & univerſalem facit: *In pace Dominum oremus*. Populus, *Kyrie eleiſon*. Item Populus ter *Kyrie eleiſon*. Item Populus duodecies *Kyrie eleiſon* -- Similia leguntur in Miſſa Marci, Baſilii, & Chryſoſtomi, & Baſilius ipſe de hac precatione, quem Græci Litaniam appellant, diſſerit ſcribens ad Neocæſarienſes. Græci, & Ambroſiani multum frequentant ad Horas hanc invocationem *Kyrie eleiſon*; & in Miſſa Ambroſiana repetitur in tribus locis, nimirum poſt Hymnum *Gloria in excelſis*, poſt Evangelium, & in fine Miſſæ: in Miſſa vero Romana, dicitur novies poſt Introitum, ut præſcribit ſuperior Rubrica alternatim cum Miniſtro, ideſt ter *Kyrie eleiſon*, ter *Chriſte eleiſon*, & ter *Kyrie eleiſon*: ter, ut notat Gavantus ex D. Thoma, dicitur ad Patrem, ter ad Filium Chriſtum, ter ad Spiritum Sanctum: ſed cur dicatur ter *Kyrie eleiſon* ad Patrem, & iterum ter ad Spiritum Sanctum, ratio eſt, quia Pater, & Spiritus ſunt ejuſdem tantum naturæ: ad Filium vero dicitur ter *Chriſte eleiſon*: quia Filius quamvis ſit ejuſdem naturæ Divinæ cum illis; eſt tamen & alterius ſubſtantiæ, ſeu naturæ, oempe humanæ, quam aſſumpſit, & ſecundum quam unctus eſt a Deo oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, non oleo viſibili, ſed inviſibilis Divinitatis plenitudine, & ideo *Chriſtus*, id eſt, *Unctus* vocatur. Cujus unctionis redundantia, & effuſione, hominis miſertus eſt (quem latrones ſpoliatum, & vulneribus confoſſum, ſemivivum reliquerant) plagas ejus oleo gratiæ ſuæ perfundendo, & curando. Rurſus quare in Miſſa decantetur novies dicta precatio, alias rationes adducunt etiam Durandus *in ſuo Rational*. *lib*. 4. *cap*. 12. necnon Illuſtriſſimus Hieronymus Chriſpi Ravennæ Archiepiſcopus in ſua erudita Diſſertatione *Myſteriorum Evangelicæ legis, &c.*

VII. Gav. *A Græcis Sylveſter ad Romanos tranſtulit*.) Quamvis Gavantus aſſeveret, inhærendo Radulpho Tungrenſi, a Græcis ad Romanos Sylveſtrum dictam precationem tranſtuliſſe: hoc tamen incertum eſt. Amalarius, Strabo, Micrologus, & alii fere omnes Officiorum Eccleſiaſticorum explanato-

res

Digitized by Google

res Gregorio Magno hoc tribuunt : ſed multis annis ante S. Gregorium in Eccleſia Latina hujus precis inſtitutionem uſurpatam fuiſſe conſtat ; ut optime denotat Gavantus ſupra ex Concilio 2. Vaſenſi ſub Felice IV. *cap.* 3. adeoque Annis centum, & quinquaginta circiter ante Gregorii ætatem : prædicti autem capitis, & Synodi verba hæc ſunt -- *Quia tam in Sede Apoſtolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiæ Provincias dulcis, & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa*, ut Kyrie eleiſon *frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur : placuit etiam nobis, ut in omnibus Eccleſiis noſtris iſta tam Sancta conſuetudo, & ad Matutinos, & ad Miſſas, & ad Veſperas Deo propitio intromittatur* -- Quapropter melius reſpondit idem Gregorius Magnus *lib.* 2. *epiſt.* 63. ſe Cæremonias antiquas Eccleſiæ Romanæ conſervare, non autem a Græcis accipere : id quod etiam ex eo probat, quod apud Græcos dicatur *Kyrie eleiſon* a Populo ; apud Latinos a Sacerdote : & quod Græci non interponant *Chriſte eleiſon*, ut Latini faciunt (& nos jam ſupra innuimus, & explicavimus) ſed ſimpliciter dicant *Kyrie eleiſon*. Non eſt autem mirum, ut alibi etiam adnotavimus, ſi Græco, necnon Hebræo idiomate utatur Latina Eccleſia in Sacris Myſteriis peragendis, ſicut facit proferendo has voces hebraicas -- *Amen* -- *Alleluja* -- *Sabaoth* -- *Oſanna* : id enim ideo inſtitutum eſt, ut oſtendatur unam eſſe Eccleſiam, quæ ex Hebræis, & Græcis primum, deinde ex Latinis coadunata eſt : vel quia Miſteria noſtræ Fidei, & Sacra Lyturgia, ut alibi ſatis indicavimus, tribus hiſce linguis ab Apoſtolis, eorumque immediatis ſucceſſoribus conſcripta, vel ſaltem celebrata fuerit : quæ quidem linguæ in Titulo Crucis quemadmodum conſecratæ ſunt ; & ſicut cruentum Chriſti Sacrificium tribus hiſce principalioribus linguis omnibus nationibus fuit manifeſtatum ; ita congruum omnino eſt, ut etiam in ejuſdem Salvatoris Sacrificio incruento celebrando, eaſdem tres principaliores linguas adhibeat Eccleſia.

Agunt de prædicta deprecatione valde erudite Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 1. Menardus loc. ſupracit. *pag.* 5. Edmundus Martene *lib.* 1. *de Antiq. Eccleſ. Ritibus cap.* 4. Stephanus Duranti de Ritibus Eccleſiæ *lib.* 2. *cap.* 13. Antonius Bellotte *in ſuis obſerv. pag.* 375. Petrus Le Brun. *tom.* 1. *pag.* 164. Grancolas *de antiq Liturg. pag.* 464. & Claudius de Vert. *in* 1. *tom.*

## R U B R I C A.

3 *Gloria in excelſis, dicitur, quandocumque in Matutino dictus eſt Hymnus, Te Deum, præterquam in Miſſa* (x) *Feriæ quintæ in Cœna Domini, &* (y) *Sabbati Sancti ; in quibus Gloria in excelſis dicitur, quamvis in Officio non ſit dictum, Te Deum.*

## *G A V A N T U S.*

Hymnus Angelicus ita dictus eſt, quia illum cecinere Angeli in Nativitate Domini ; cui addidere reliqua uſque ad finem varii Doctores, *ex Concil. Tolet.* 4. *Can.* 12. quo modo conciliari poſſent qui eum tribuunt Apoſtolis, *Clem. lib.* 7. *Conſtit. cap.* 48. & qui Teleſphoro, *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 20. & qui Symmacho, *Berno cap.* 25. *de Officio Miſſæ*, & qui S. Hilario Pictav. *Alcuin. cap. de Celeb. Miſſæ*, qui verius in Latinum tranſtulit, ait *Bovius ad Apoſtol. Conſt. Clem. cap.* 47. *lib.* 7. Ut autem dicatur in Miſſa, conſtituit Teleſphorus, *ex Innoc. loc. cit & ex epiſt.* 1. *ejuſdem Teleſphori*. Idem aſſerunt *Damaſus*, *Rabanus*, *& alii complures apud Durand. lib.* 2. *cap.* 14. Symmachus præterea juſſit recitari in diebus Dominicis, & in Natalitiis Martyrum, *ex Alcuin. Amalar. & aliis*, quia in Dominicis ſignificatur Reſurrectio Chriſti, per quam Sancti ſociati ſunt in gloria, & laudibus Angelorum, *Durand. lib.* 4. *cap.* 13. tribuit Stephano *Schluting.* quod in Dominicis dicatur : & citat *librum Pontific. tom.* 1. *ſuæ Bibliothec. part* 1. *cap.* 26. Item in omni Feſto dicitur, quod plenum habet Officium, hoc eſt, novem Lectiones (exceptis Adventu Innoc. Sexto, & a Septuageſima ad Paſcha) *ex Decret. Leon. IX. teſte Democh. tom.* 4. *cap.* 15. *Microl. cap.* 2. *&* 45. Item toto tempore Paſchali, quod ſtatum æternæ gloriæ, & pacis ſignificat. *Hugo Victor. lib.* 2. *cap.* 4. Deinde quando in Officio dicitur *Te Deum*, *de Celebrat. Miſſæ cap. Conſilium ex Innoc.* III. quia hi duo Hymni continent laudes SS. Trinitatis.

(x) *Feria quinta in Cœna Domini*. Dicitur Hymnus Angelicus in hac Miſſa, *Can. Porro, de Conſecrat. diſtinct.* 1. ex inſtitutione Nicolai Papæ, & quia gaudium ea die eſt ob inſtitutionem Sacramenti. *Durand. de Cœna Domini* ; & in Ordine Romano præſcribitur.

(y) *Sabbati Sancti*. In cujus Miſſa ideo cantatur *Gloria in excelſis*, quia pax data eſt renatis fonte Baptiſmatis, & proxima eſt Reſurrectio Salvatoris. *Durand. de Miſſa Sabbati Sancti*. Paſcha item dici poteſt præſens : Miſſa enim dicitur Reſurrectionis, quæ nocte ſequenti celebratur : & hujus Ritus meminit etiam Ordo Romanus.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XIII. Gav. lit. u -- *Ut autem dicatur in Miſſa conſtituit Teleſphorus*.) Anaſtaſius in Vita S. Teleſphori ait ipſum conſtituiſſe, ut ante Sacrificium diceretur Hymnus Angelicus, de quo ſupra Gavantus, hoc eſt *Gloria in excelſis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hæc prima hujus Hymni verba e Cœlo ad nos Angelorum Chorus invexit, & ideo, ut bene notat noſter Auctor, Hymnus Angelicus dictus eſt. Cætera autem, quæ recitantur in eodem Hymno, a quo addita fuerint, multiplex eſt Auctorum ſententia, quos refert Gavantus ſupra. Quidam Teleſphorum, qui Anno 126. Romanæ ſuſcepit regimen Eccleſiæ, eorum Auctorem faciunt, ejuſque ſententiæ, ut innuit Gavantus, eſt Innocentius III. loco ab eo citato, & alii, quibus addi poteſt etiam Sigebertus in Chronico. Sed hanc opinionem rejicit Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 4. quia Auctor libri Pontificalis nequaquam aſſeverat Teleſphorum ea verba addidiſſe ; ſed tantum conſtituiſſe, ut ante Sacrificium Hymnus diceretur Angelicus : & tunc forſitan, ait Bona, verba tantum Evangelica in uſu erant, ſicut extant in Liturgia Jacobi ; non vero integer Hymnus. Obſervat etiam idem Eminentiſſimus Auctor tempore Sancti Athanaſii jam in uſu fuiſſe, cum hic libro *de Virginitate* verſus finem de præfato Hymno mentionem fecerit his verbis : *Hymnumque dicito : Gloria in excelſis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te, adoramus te, &c.* quæ ſequuntur : unde concludit, PP. Concilii IV. Toletani circa Annum 633. celebrati, & allegati etiam a Gavanto ſupra, cautius locutos eſſe, qui *Can.* 12. ajunt : *Reliqua, quæ ſequuntur poſt verba Angelorum Eccleſiaſticos Doctores compoſuiſſe, quicumque illi fuerint.*

IX. Gav. ead. lit. u -- *Symmachus præterea juſſit, &c.*) Ex ſupradicto Anaſtaſio habemus pariter, juxta Gavanti noſtri ſententiam, Symmachum conſtituiſſe, ut omni die Dominico, & in Natalitiis Martyrum Hymnus diceretur Angelicus. Antea ſiquidem tantum in Miſſa nocturna Nativitatis Dominicæ cantari ſolebat ex Teleſphori Decreto, ſi vera ſunt quæ Sigebertus in Chronico, & Innocentius III. loco a Gavanto ſupracitato tradit : ſed, ut mox diximus, tempore Teleſphori verba tantum Evangelica in uſu erant. Conſtitutum vero Symmachi ad totum præfatum Hymnum extenditur ; quia, ut ſuperius oſtendimus, jam antea compoſitus erat : quapropter rejiciendi ſunt illi, qui talem Hymnum Symmacho adſcribunt. Obſervandum tamen eſt, quod ſi Conſtitutum Symmachi ad omnes Presbyteros extendatur, dicendum eſt, Sanctum Gregorium illud reſtrinxiſſe ad ſolos Epiſcopos ; Miſſæ enim Ordinem in libro Sacramentorum deſcribens, ait : *Item dicitur Gloria in excelſis Deo, ſi Epiſcopus fuerit, tantummodo die Dominico, ſive diebus Feſtis ; a Presbytero autem minime dicitur, niſi in ſolo Paſcha : quando vero Litania agitur, neque Gloria in excelſis Deo, neque Alleluja canitur.*

X. Gav. ead. lit. u -- *Quando in Officio dicitur Te Deum, &c.*) Intelligitur hæc regula, quando Miſſa dicitur correſpondens Officio, in quo dicitur *Te Deum* : alias, ſi diceretur Miſſa Conventualis talis diei v. g. in Vigilia Aſſumptionis, in qua Miſſa conveniens tali diei eſt de Vigilia, non vero de die infra Octavam S. Laurentii ; tunc in illa Miſſa Vigiliæ non eſt dicendum *Gloria* : quinimo ſi illa die diceretur Miſſa de S. Laurentio, licet correſponderet Officio, adhuc non diceretur *Gloria* : quia in tali caſu Miſſa eſſet in gradu Miſſæ Votivæ, ut diximus in Titulo de Feria & Vigilia.

Quando autem dicendus ſit hic Hymnus *Gloria in excelſis*, quando non, in Miſſis Votivis, tradit Gavantus infra, & nos ſatis ſuperque diximus in Obſervationibus, & Additionibus ad eaſdem Miſſas Votivas.

## R U B R I C A.

4 *In Miſſis Votivis non dicitur, etiam tempore Paſchali, vel infra Octavas, niſi in Miſſa* (z) *Beatæ Mariæ in Sabbato, &* (a) *Angelorum : & niſi Miſſa* (b) *Votiva Solemniter dicenda ſit pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa ; dummodo non dicatur Miſſa cum paramentis violaceis : neque dicitur* (c) *in Miſſis Defunctorum.*

## *G A V A N T U S.*

Innoc. III. *In cap. Concilium de Celebrat. Miſſ.* ait in profeſtis (ideſt, procul a Feſtis) non dici Hymnum Angelicum apud Romanos ; ut inter Commemorationem, & Solemnitatem appareat differentia : & hoc aſſerit ſpecialiter obſervari in Miſſis B. Mariæ, quod, *ex Radulph. propoſ.* 13. debent obſervare, qui diligunt decorem domus Dei : nam ſicut decor eſt illum in Feſtivitatibus recitare ; ita decor eſt illum omittere in diebus privatis : jucundius enim in Feſtivitatibus ſuſcipitur, quod in profeſtis ſupprimitur, & tacetur. Hæc ille.

(a) *Beatæ Mariæ in Sabbato*. Ita legendum omnino, non autem interpunctione, ut olim in Miſſalibus Venetis, & aliis mendoſis, in quibus legebatur hoc modo : *niſi in Miſſa Beatæ Mariæ, in Sabbato*. Superfluum enim eſſet illud *in Sabbato* : nam vel intelligis de Miſſa in Sabbato, quando de ea ſit Officium in Sabbato ; & eo caſu *Gloria* dicitur, quia in Officio dictum eſt *Te Deum*, & pertinet ad Rubricam Superiorem *num.* 3. neque illa eſt Votiva, nam Votiva non concordat cum Offic. *tit.* 15. *n.* 5. vel intelligis de vere Votiva, quæ dicitur in Sabbato principali de Adventu, *de qua ſupra tit.* 4. *n.* 2. & tunc additum fuiſſet in hac Rubrica, *Sabbato*



Digitized by Google

*de Adventu*: vel intelligis de mere Votiva, quæ ad libitum dicitur, etiam in Sabbato, & omnino diſcordante ab Officio, & eo caſu ſufficeret dixiſſe, *in Miſſa Beatæ Mariæ*, abſolute, quocumque die dicatur. Ne igitur ſuperfluat illud *in Sabbato* amove comma, ſeu diſtinctionem, & dic præſcibi hoc loco, quod in Votivis Beatæ Mariæ, quæ dicuntur in omni Sabbato, etiam Adventus, quatuor Temporum, Vigiliarum, ſeu Feſti Semiduplicis (non in aliis diebus extra Sabbatum) dicatur in iis tantum Hymnus Angelicus; ita ut hoc ordine Beatæ Virgini operam demus. Primo in Feſtis ipſius cum Hymno Angelico, Symbolo Apoſtolorum, & Præfatione propria, quod nemo negat. Deinde in Sabbato (quod habere nonnihil Solemnitatis in honorem Beatæ Virginis docuimus *ſup. tit.* 4.) cum Hymno Angelico, & Præfatione propria; ſive concordet, ſive diſcordet Miſſa Beatæ Virginis ab Officio; quod hoc loco pie conceditur omni Sabbato. Tertio in reliquis diebus, & Votivis Miſſis ejuſdem, dicatur tantum Præfatio propria ejuſdem B. V. Confirmatur hæc Rubrica ab alia, quæ babetur in Ordine Miſſæ, in Miſſali poſt Hymnum Angelicum, videlicet: *Sic dicitur etiam in Miſſis Beatæ Mariæ, quando dicenda eſt*; ergo non ſemper dicendum eſt *Gloria in excelſis*. Senſus autem horum verborum eſt: *Sic*, ideſt, eodem modo, quo immediate ſupra deſcriptus eſt, dicendus eſt Hymnus Angelicus, non additis amplius iis verbis, quæ ante Pium V. in dicto Hymno addebantur a Sacerdotibus in honorem B. Virginis: *Quoniam tu ſolus Sanctus, Mariam ſanctificans: tu ſolus Dominus, Mariam gubernans; tu ſolus Altiſſimus, Mariam coronans*: & alia verba, quæ amplius non ſunt in uſu.

Neque poſt recognitionem Miſſalis datus eſt bic Hymnus cuicumque Miſſæ de B. Virg. quidquid in vulgus ſparſerit aliqui, & falſo, imo S. R. Cong. deleri juſſit, Anno 1627. de quibuſdam Calendariis inſigniorum locorum, Decretum falſo adſcriptum eidem Congregationi contra banc Rubricam de Hymno Angelico in Votivis B. Mariæ.

(a) *Et Angelorum. Burchard.* & merito, quia prima verba Hymni fuere primo prolata ab Angelis. *Luc.* 1.

(b) *Votiva Solemniter, &c.* Supra diximus cum Innocent. III. omitti Hymuum Angelicum in privatis diebus, ut appareat differentia inter Solemnitatem, & Commemorationem. Si ergo Solemnitas adſit aliqualis: vel ratione temporis, puta, quia Sabbatum dicatum B. V. vel quia eo die obiit ille, de quo dicitur Miſſa, quaſi in ejus Feſto, licet non dicatur Officium, *ut in Cæremoniali ſuo Petrus Ruiz notavit, & bene*; vel ratione cauſæ gravis, aut publicæ conceditur Miſſis Votivis Hymnus Angelicus, Æſtimatur etiam Solemnis ratione loci, qua ratione privilegium dicitur fuiſſe datum Sacroſanctæ Ædi B. V. Lauretanæ, ut ibidem in omnibus Miſſis B. V. dici queat *Gloria in Excelſis*; & babetur *in Synodo ultimo Lauret. tit.* 11. ; 4. *ſub Card. Rom.* Res autem gravis ea eſt, pro qua convenit totus Clerus cum Epiſcopo; vel apud Regulares in eorum Comitiis generalibus, ſeu provincialibus, cum cantatur Miſſa pro re, eorumdem judicio, gravi; ſi tamen paramenta adhibeantur violacea, tunc non dicitur *Gloria*, neque *Credo*: & Sacra Ritum Congr. 19. *Maij* 1607. utrumque declaravit. Quare ex dictis ſublatum eſt privilegium de *Gloria in excelſis*, datum Minoribus ab Alexandro IV. & Sixto IV.

(c) *In Miſſis Defunctorum.* Hoc notat *Amalar. lib.* 3. *cap.* 44. quia tunc non eſt locus lætitiæ, quam indicat Hymnus Angelicus; ſicuti nec in diebus luctus Adventus, & Septuageſimæ ad Paſcha.

Hoc loco addendum videtur, neque dici *Gloria in excelſis*, in Vigiliarum Miſſis, quæ veniunt infra Octavam, licet in Officio dictum ſit *Te Deum*; quia hæ Miſſæ non concordant cum Officio: & habetur hic Ritus in Miſſali in Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptionis Beatæ Virginis: continet enim Hymnus cœleſtem gloriam, *ex S. Thom. 3. part. quæſt. 83. art.* 4. quæ cum Vigilia non conſonat.

## De Orationibus IX.

### GAVANTUS.

ORatio, & Collecta idem. Ejuſdem uſus ab Apoſtolis *ex Orig. homil.* 11. *in Jer.* explicat *Ordo Romanus*, quaſi ſit Collectio, ut Miſſa, & Miſſio: vel quod ex Divinis Scripturis colligatur Oratio; vel quia dicitur ſupra Collectam, ideſt, Populum Collectum, *Alcuin. ut ſupra*; vel quia Sacerdos omnium preces in ea colligit, *Micrologus cap.* 3. vel quia adſtantes ſe debent colligere, ut orent, *S. Bonav. de Myſter. Miſſæ*. Dicitur etiam Benedictio *ab Amalar. II. cap.* 9. *ex* 1. *Cor.* 14. Brevis autem eſt, ne multum loquentes oremus, *Matthæi* 6. Docet *Dionyſius epiſtol. ad Demoph.* preces fieri ante Myſteria. Orationes compoſuit Ambroſ. ex *Gemma lib.* 1. *cap.* 87. & in Miſſali Romano multæ ſunt illius, ut ſuis locis indicabimus; a Gelaſio Papa auctæ, & limitatæ fuerunt, *ex Sigeb. A. D.* 487. A Sancto Gregorio deinde, quibuſdam additis, vel detractis, in ordinem, & librum Sacramentorum redactæ; *VValf. Strabo de reb. Eccleſ. cap.* 22. *& Micrologus c.* 61. Concilia *Carth.* 3. *Can.* 23. *Milev. Can.* 12. quibus aderat S. Auguſt. reficiunt non probatas.

### RUBRICA.

1 *In Feſtis Duplicibus dicitur una tantum Oratio; niſi ſit facienda aliqua Commemoratio, ut dictum eſt ſupra.*

### GAVANTUS.

Romana traditio unam Orationem tribuit cuique Miſſæ, *Microlog. cap.* 4. quia unus Introitus, una Epiſtola, unum Evangelium, *Amal. in prol. de Divinis Offic.* Unum eſt Offic. *Radulph. prop.* 23. & Fidei, ſeu unitatis Sacramentum denotat. *Innocent. III. lib.* 4. *cap.* 27.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

I. Rubr. *Niſi facienda ſit aliqua Commemoratio, &c.*) De Commemorationibus faciendis in Duplicibus primæ, & ſecundæ Claſſis jam egimus ſupra in titulo de Commemorationibus. Nunc ſeſe offert occaſio tractandi aliqua de Commemorationibus dicendis in Feſtis Duplicibus majoribus, & minoribus. I. igitur dicimus, quod omnes illæ Commemorationes, & eodem ordine, quo faciendæ ſunt in Duplicibus primæ, & ſecundæ Claſſis, debent fieri a fortiori, etiam in Duplicibus majoribus, & minoribus. Solum hic advertimus, quod ſi occurrant duo dies infra duas Octavas cum aliqua Dominica, in aliquo Feſto Duplici; prima Oratio eſt dicenda de dicto Feſto Duplici, ſecunda de Dominica, tertia de Octava digniori, & quarta de Octava minus digna. II. advertimus, quod in his Duplicibus fiunt ſolitæ Commemorationes de Feriis majoribus Adventus, Quadrageſimæ, quatuor Temporum. III. debet fieri Commemoratio de Simplici Feſto occurrente. Ultimo loco dicitur Oratio imperata a Summo Pontifice, vel Epiſcopo. Advertimus tandem cum Vinitore, quod non ſunt laudandi illi, qui in Feſtis Duplicibus ſolent addere Orationem pro infirmis, navigantibus &c. aut pro aliis privatis neceſſitatibus: conſultus enim, qui Rubricas obſervare voluerit, faciet, ſi omiſſis hujuſmodi Orationibus, devotioni, vel occurrentibus neceſſitatibus, ipſo Sacrificio, quod offertur, nec non interiori actu mentis in ipſo Memento, ſatisfacere ſtudeat; Gerlacus Vinitor *par.* 1. *tit.* 9. *in adnot.* §. 13.

### RUBRICA.

2 *In Feſtis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum, & a Purificatione uſque ad Quadrageſimam dicitur ſecunda Oratio, A cunctis, tertia ad libitum.*

### GAVANTUS.

Sicut in Officio fiunt Commemorationes de Beata Virgine, SS. Apoſtolis, S. Patrono, ſeu Titulari, & de Pace; ita in Miſſa dicitur ſecunda Oratio, *A cunctis*, cujus eſt auctor Innocent. III. ex *Duran. lib.* 4. *cap.* 15. in qua ſupradicta memorantur: nam litera N. nomen exigit Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, ubi celebratur; tertia vero additur, quia impari numero gaudet Deus, *ex Innocent.* III. & tres dicendæ in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, *idem Innoc. ibid.* vel quia Chriſtus ter oravit in horto, *Microl. ſupra*; vel quia in memoriam ejus, qui tertia die reſurrexit, *Clem. lib.* 2. *Conſt. cap.* 13. & tres approbat dici *Concil. Laodic. cap.* 10. Numerus impar eſt indiviſibilis, & unionem hoc loco ſignificat Eccleſiæ orantis. In tertia Oratione ad libitum, cavere debet Sacerdos pro ſua modeſtia, ne coram Prælato ſuo, ſeu Principe dicat Orationem, quæ habet titulum, *Pro ſeipſo Sacerdote*. Ita *Burcard. in Ordine celebrationis Miſſæ*.

* Dices: cur in Oratione *A cunctis*, in qua continentur omnia ſuffragia, ſeu communes Commemorationes Officii, ut dictum eſt, nulla mentio fiat de Cruce, de qua in Officio: Reſpondeo, non ſemper fieri de Cruce in Officio Commemorationem: & fuiſſe incommodum, modo eam demere, modo addere in Oratione *A cunctis*, pro varietate Miſſæ ferialis, ſeu de Sancto. Deinde tota Miſſa Commem. eſt de Cruce; qua etiam de cauſa tempore Paſchali fit in Offic. Commem. de Cruce, non in Miſſa.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

II. Gav. *Tertia vero additur, &c.*) In Miſſa de Feſto Semiduplici, ſi nulla alia eſt facienda Commemoratio, dicuntur ultra Orationem Feſti, aliæ duæ Orationes &c. prout declarat Gavantus, & juxta temporum rationem, ut habetur in Miſſali. Cæterum in Semiduplicibus poteſt contingere, quod debeant dici etiam quatuor, vel quinque Orationes: neculla urget neceſſitas, quod ſi dicantur quatuor, debeat ſemper dici quinta Oratio; ita ut ſemper Orationes debeant eſſe numero impares, nempe tres, vel quinque, vel ſeptem, &c. & hoc eſt jam declaratum a S.R.C. in ſuo Decreto diei 2. *Decembris* 1684. & in noſtro Indice dato *ſub n.* 476. in quo habetur.

Non eſt omittenda una ex aſſignatis Orationibus in Miſſa, veluti tertia *A cunctis*, ſi ſecunda eſſet de Feſto Simplici; ut ejus loco dicatur Oratio, veluti *Deus Refugium*: ſed poſt tertiam Orationem *A cunctis*, poteſt & imperata dici; cum in Miſſa de Semiduplici, & Simplici, vel Votiva non ſint neceſſario dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel ſeptem.

Hoc

Digitized by Google

Hoc confirmatur etiam ex Decreto ſubſequenti S.R.C. ſub die 17. *Aug.* 1709. & dato in Appendice noſtri Indicis, nimirum.

In iis diebus, quando 3. Oratio in Miſſis eſt ad libitum, ac ex juſſu vel Summi Pontificis, vel Epiſcopi, in Miſſis debet apponi aliqua ſpecialis Oratio pro publica indigentia, non debet prætermitti 3. ad libitum, ut loco illius dicatur alia imperata; ſed debet utraque dici, & 3. quæ eſt ad libitum Sacerdotis, & 4. imperata, vel contra Turcas, vel ad petendam pluviam, &c.

III. Gav. *A cunctis, in qua continetur, &c.*) Litera N. quæ habetur in Oratione *A cunctis*, exigit expreſſionem nominis Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, ubi Miſſa celebratur: aliquando additur nomen familiæ, vel etiam nomen ab aliquo caſu, aut alio modo v. g. Petri *Cæleſtini*, Joannis *Chryſoſtomi*; nunquam vero additur nomen loci, de quo eſt Sanctus Titularis; ſic nunquam dicitur Joannis *Damaſceni*, aut Gregorii *Nazianzeni*, quod in Officio, & in Miſſa ſervari debet: & licet ſit expreſſum in Calendario, ut v. gr. *Borromæi*; non tamen dici debet in Oratione, niſi ſit etiam expreſſum. Bauldry. *part.* 3. *tit.* 9. *de Orationibus n.* 1. & Gerlacus Vinitor *part.* 5. *tit.* 9. *de Orationibus in adnot.* §. 5.

Et hæc omnia confirmata remanent ex Decreto S. R. C. 22. *Decembris* 1624. & in noſtro Indice *ſub n.* 196. in quo habetur -- Dum Regulares Ordinis Minimorum in Orationibus, verſiculis, cæteriſque actibus inter Divina Officia occurrentibus, Sanctum Franciſcum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere ly *de Paula* -- Huc etiam facit ſequens Decretum conforme Rubricæ poſitæ in Miſſali poſt Orationem *A cunctis*.

In Oratione *A cunctis*, nomina Patronorum S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptiſtæ præponenda ſunt Apoſtolis -- Ita habetur in Decreto ſub die 22. *Auguſti* 1620. & in noſtro Indice *ſub n.* 179.

Ex quo autem in Decreto recentiſſime Vulgato a Benedicto XIII. die 19. *Decembris* 1726. & in noſtro Indice *ſub n.* 650. nomen S. Joſeph in Litaniis Sanctorum collocandum ſit ante nomina Apoſtolorum, inferendum eſt, quod in Oratione *A cunctis*, ſi S. Joſeph eſſet Patronus, ſeu Titularis Eccleſiæ, ejus nomen præponendum eſſet dictis Apoſtolis. Quod ſi plures fuerint alicujus Eccleſiæ Titulares, vel Patroni, conſiderandum eſt, utrum ſint juncti ſimul per ſe, & per modum unius, ut ſunt v. g. SS. Gervaſius, & Prothaſius, SS. Joannes, & Paulus; vel utrum ſint uniti per accidens, ut ſunt SS. Blaſius, & Carolus. Si primum, ambo ſunt nominandi ſimul, quia ſe habent per modum unius: ſi ſecundum, is tantum nominandus eſt in Oratione *A cunctis*, qui principalis conſideratur, aut de cujus nomine Eccleſia nuncupatur. Ita Guyetus *lib.* 3. *cap.* 29. *quæſt.* 7.

Utrum autem a Regularibus in Oratione *A cunctis*, nominandus ſit Patronus ſui Ordinis ultra Titularem Eccleſiæ, Guyetus *loc. cit.* improbat illos, qui omiſſo Titulari Eccleſiæ, ſolum nominant Patronum ſui Ordinis; non improbat tamen illos Regulares, qui omittunt nominare dictum ſui Ordinis Patronum. Verum non negat quin poſſit uterque nominari, nempe & Titularis Eccleſiæ, & Patronus Ordinis. Quis autem eorum præponendus ſit cæteris paribus, hoc dependet a quæſtione, quam tractabimus in Rubricis ſpectantibus ad Breviarium, nempe cujus Commemoratio præponenda ſit, quando fiant Commemorationes, ſeu Suffragia Sanctorum.

Denique ſi Eccleſia, in qua celebratur Miſſa, ſit dicata Sanctiſſimæ Trinitati, Sanctiſſimo Salvatori, vel alicui Sancto ex nominatis jam in Oratione *A cunctis*; tunc loco nominandi in illa littera N. Sanctum Titularem, ne is iterum repetatur, poteſt exprimi nomen alterius Sancti, cujus præcipua memoria, vel inſignis Reliquia habetur in dicta Eccleſia. Si vero non ſit aliquis ejuſmodi, tunc nominari poteſt alius Sanctus pro arbitrio, & devotione Sacerdotis celebrantis. Ita Guyet. *loc. cit.*

Supereſt nunc, ut hoc loco tradantur ſequentia Decreta, quæ ultra ſuperius data, ſpectant pariter ad Orationes dicendas in Miſſa Feſti Semiduplicis.

In Miſſa Privata de Feſto Semiduplici, &c. poteſt in penultimo loco dici Collecta pro particulari Defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus, qui nos &c.* ſed ob id non eſt omittenda ulla ex aſſignatis Collectis pro tempore aſſignatis, puta *A cunctis*, vel *Eccleſiæ*. S. R. C. 3. Decembris 1684. in noſtro indice *ſub n.* 473.

In Collecta, vel Miſſa contra Paganos non poteſt mutari nomen Paganorum, dicendo Turcarum S. R. C. 3. Julii 1689. & in noſtro Indice *n.* 491.

## R U B R I C A.

3 *In Feſtis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Epiphaniæ uſque ad Purificationem dicitur ſecunda Oratio Deus, qui ſalutis; tertia, Eccleſiæ, vel pro Papa, Deus omnium Fidelium.*

## G A V A N T U S.

Secunda Oratio de B. Virg. ob ejuſdem partum dicitur uſque ad Officium Purificationis, etiam tranſlatum: tertia pro Eccleſia, vel pro Papa.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

IV. Gav. *Etiam tranſlatum, &c.*) Si præfatum Feſtum Purificationis transferatur, non erit continuanda ſupradicta Oratio *Deus, qui ſalutis*, uſque dum factum ſit Purificationis Officium, ut vult Gavantus ſupra; ſed in Feſto Semiduplici ſecunda Oratio tunc erit *A cunctis*, tertia ad Libitum uſque ad Feriam 4. Cinerum. Ita Halden *part.* 2. *tit.* 2. *pag.* 52. *col.* 1. quod etiam declaravit S. R. C. ſequenti Decreto, nimirum.

Quæſitum fuit, an cum ex Decreto S. R. C. 2. Julii 1681. edito, dicenda ſit Antiphona Beatiſſimæ Virginis *Ave Regina Cælorum* cum Verſ. *Dignare me*, in fine Completorii, die ſecunda Februarii, licet transferatur Officium Purificationis, dici debeat in ſuffragiis (quando fit de Officio Semiduplici, vel Simplici, &c.) Verſ. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, cum Oratione *Concede nos famulos, &c.* & in Miſſa, ſecunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum: & S. R. C. affirmative reſpondit, die 14. Februarii 1705. & hoc Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 588.

## R U B R I C A.

4 *In Feſtis Semiduplicibus a Feria 4. Cinerum uſque ad Dominicam Paſſionis, ſecunda Oratio de Feria; tertia, A cunctis.*

## G A V A N T U S.

Secunda de Feria, de qua in Officio fit Commemoratio, tertia *A cunctis*, ob alias Commemorationes, & ſuffragia; quæ in eodem fiunt Officio.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

V. Gav. *Secunda de Feria.*) In prædicto caſu, nimirum a Feria 4. Cinerum uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive, in Miſſa de Feſto Semiduplici, veriſſimum eſt, quod ſecunda Oratio erit de Feria; quæ nunquam omittitur, etiamſi aliæ Commemorationes eſſent faciendæ; ſicut etiam obſervatur tempore Adventus; & tertia Oratio in Quadrageſima erit *A cunctis*, ſed in Adventu, cum non dicantur ſuffragia Sanctorum in Officio, loco Orationis *A cunctis*, tertia Oratio erit *Deus, qui de B. Mariæ, &c.* & hæc non habebit locum, ſi aliqua alia occurrat Commemoratio facienda. Biſſus *tom.* 2. *lit. O. n.* 72. §. 12.

Hoc loco dandum eſt ſequens S. R. C. Decretum ſpectans ad Feriam 2. Quadrageſimæ.

Quæſitum fuit, an occurrente Commemoratione Sancti Simplicis, in Feria 2. Quadrageſimæ, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, debeat in Miſſa quarto loco dici Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum, &c.* pro Commemoratione Defunctorum? & S. R. C. reſpondit ſufficere tertiam Orationem *A cunctis*: quod ſi dicatur quarta *Omnipotens*, quinta erit ad libitum: Ita die 4. Maji 1709. *in Piſtorien. ad primum dubium*; & datur in noſtro Indice *ſub n.* 613.

Procedimus ad exhibendum hoc loco etiam aliud ſequens Decretum, quod juvare poterit pro explicatione ſubſequentis Rubr.

Secundo quæſitum fuit, an occurrente dicto caſu Feria 2. poſt Dominicam Paſſionis, quando pariter dictum eſt Nocturnum Defunctorum; quot, & quæ Orationes dicendæ ſint in Miſſa? Et S. R. C. reſpondit dicendam eſſe ſecundam Orationem de Simplici, non vero aliam: eadem die 4. Maji 1709. & in noſtro Indice *ſub n.* 614.

## R U B R I C A.

5 *In Semiduplicibus a Dominica Paſſionis uſque ad Dominicam Palmarum, ſecunda Oratio, de Feria; tertia, Eccleſiæ, vel pro Papa.*

## G A V A N T U S.

Omittuntur enim Commemorationes in Officio, & conſequenter etiam in Miſſa: tamen pro Eccleſia, vel ejus Capite adhuc eſt orandum. Quod ſi hoc tempore cantandæ ſint duæ Miſſæ, de Feſto, & de Feria; in Feſto Semiduplici, ſecunda erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, neque dicetur tertia Oratio. Ita Romæ fit: & minuitur numerus Orationum in Miſſa, ſicut & ſuffragiorum in Officio; cujus rei cauſam *n.* 8. afferemus.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VI. Gavant. *Quod ſi hoc tempore cantandæ ſint duæ Miſſæ, de Feſto, & de Feria, &c.*) Diſponit ſuperior Rubrica, quod in Feſtis Semiduplicibus occurrentibus in Feriis a Dominica Paſſionis uſque ad Dominicam Palmarum, in Miſſa tres dici debent Orationes, prima de Feſto, ſecunda de Feria, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Verum optime notat Gavantus hic, quod ſi prædicto tempore cantandæ ſint duæ Miſſæ, una de Feſto, & altera de Feria, ut revera cantantur in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, & aliis etiam Regularium; tunc in Miſſa de Feſto Semiduplici, ſecunda Oratio erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, quin dicatur tertia Oratio: ſed non progreditur ad explicandum, quot in altera Miſſa Conventuali de Feria dicendæ ſint Orationes. Halden in ſuo Ephemerologio Eccleſiaſtico *part.* 1. *tit.* 18. adnotat, quod ſi cum Feſto Semiduplici occurrat Feſtum Simplex; tunc in prima Miſſa Con-

ventuali, quæ erit de dicto Feſto, ſecunda Oratio erit de Feſto Simplici occurrente tantum, omiſſa tertia Oratione *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: ſi vero non occurrat Feſtum Simplex, ſecunda Oratio in ejuſmodi Miſſa Conventuali feſtiva, erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa* tantum: in neutro enim caſu, tunc addenda eſt tertia Oratio in ea Miſſa. In Miſſa vero Conventuali altera, quæ dicitur de Feria, Oratio ſecunda erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa* tantum: non enim in ea fieri debet Commemoratio ullius Feſti die illo occurrentis. Hæc ex Halden *loc. cit.* cui adderem, quod ſi in prima Miſſa ex dictis duabus Conventualibus jam dicta eſſet Oratio *Eccleſiæ* ſecundo loco, nullo occurrente Feſto Simplici; tunc in ſecunda ex dictis Miſſis congruum foret dicere ſecundo loco aliam Orationem *pro Papa*. Ex hucuſque dictis colligitur, quod in Miſſa Conventuali Feſti Semiduplicis occurrentis in Feriis Quadrageſimæ ante Dominicam Paſſionis, dicendæ ſunt tres Orationes, prima de Feſto, ſecunda vero, & tertia eædem, quæ aſſignantur in Miſſa de Feria, de qua non fit Commemoratio in prædicta Miſſa Conventuali, ut notum eſt omnibus; nec minuitur numerus Orationum; ut notat noſter Gavantus infra *part. 4. tit. 15. n. 4.*

Reſumendo nunc ſermonem de prædicto Feſto Semiduplici occurrente a Dominica Paſſionis uſque ad Dominicam Palmarum, & de Miſſa Privata ejuſdem Feſti; certiſſimum eſt ex diſpoſitione ſuperioris Rubricæ, tres debere dici Orationes, primam de eodem Feſto, ſecundam de Feria, tertiam *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*; quamvis in Miſſis de tempore, & de Feriis, quæ occurrunt a Dominica Paſſionis uſque ad Feriam quintam in Cœna Domini, duæ tantum præſcribantur Orationes dicendæ, prima de Feria, ſecunda vero *Eccleſiæ*, *vel pro Papa*. Quibus poſitis gravis oritur controverſia inter Rubricarum explanatores, utrum occurrente dictis diebus ferialibus, nimirum a Dominica Paſſionis uſque ad Dominicam Palmarum, aliquo Feſto Simplici, debeant dici duæ Orationes tantum, nimirum de Feria, & de Feſto Simplici; vel utrum debeat addi tertia Oratio, nimirum *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Dubium hoc oritur ex verbis Rubricæ appoſitæ in Miſſa Dominicæ Paſſionis, ubi legitur -- *Ab hac die uſque ad Feriam quintam in Cœna Domini poſt Orationem diei dicitur, vel contra Perſecutores Eccleſiæ, Oratio* Eccleſiæ tuæ, &c. *vel pro Papa* Deus omnium Fidelium: deinde ſubnectitur: *Non dicitur tertia Oratio*. Noſter Gavantus in ſuis Commentariis ponendis ad hanc Rubricam *n.* 8. docet, quod ſi in prædictis diebus occurrat Commemoratio de Simplici; omitti omnino debeat tertia Oratio; & quod dicantur tantum duæ Orationes ad ſenſum Rubricæ, ut ipſe ait. Verum contra Gavantum inſurgit Guyetus *lib. 4. cap.* 18. *quæſt.* 28. ubi validis profecto rationum momentis refellere conatur Gavanti ſententiam, quam Rubricæ in primis, deinde & rationi plane eſſe contrariam, licet clarius demonſtrare contendit: & quia eadem quæſtio procedit etiam de Feſto Simplici occurrente in Feriis infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, a quarum Miſſis Gavantus pariter tertiam Orationem excludit; hinc Guyetus profert in primis, ad eum confutandum, textus omnes Rubricarum, quibus Gavantus ſuam adſtruit aſſertionem; a quibus referendis nos abſtinemus; curioſus enim lector facile præfatum Auctorem adire poteſt. Non omittam tamen adducere poſtremum, quod ipſe putat validiſſimum argumentum, quo utitur ad ſuam comprobandam ſententiam, nimirum Orationum in Feſtis Semiduplicibus par omnino eſt, idemque numerus, ac Dominicarum, ſeu Feriarum temporis, in quo occurrunt; ut conſtat ex tota hac Rubrica 9. de Orationibus. Si ergo in hebdomada Paſſionis duæ, ut ait Gavantus, tantum ſunt Orationes; quare tres ponuntur in Semiduplicibus infra illam occurrentibus? ſic enim habet Rubrica *n.* 5. *in Semiduplicibus a Dominica Paſſionis, &c.* An non ſi privilegium eſt illius temporis, ut duæ tantum habeantur Orationes, tranſire æque debet ad Feſtum Semiduplex in eo occurrens, atque omiſſio ſuffragiorum in Adventu tranſit ad Semiduplex illo tempore occurrens? Imo vero adhuc nobilius eſt Semiduplex, quam talis Feria, ſiquidem ipſi præfertur, & tamen huic negatur a Gavanto tertia Oratio, quam Rubrica expreſſe illi concedit. Hoc argumento veluti telo putat Guyetus confodere Gavantum: verum quia hoc argumentum nimis probat, nihil mihi videtur probare contra Gavanti ſententiam: nam ex quo Semiduplex ſit nobilius Feria, & ex quo in eo dicantur tres Orationes in Miſſa, juxta diſpoſitionem ſuperioris Rubricæ; non ſolum evinceretur eſſe dicendam tertiam Orationem in Miſſa Feriæ, occurrente Feſto Simplici, ſed etiam non occurrente tali Feſto, cum non deceat Feſtum nobilius Feria habere plures Orationes in ſua Miſſa, quam habeantur in Miſſa Feriæ. Potius igitur ſuadent aliæ rationes a Guyeto adductæ: ſed ſuper hac re nullam audeo proferre ſententiam quouſque a S. R. C. decidatur hoc dubium valde controverſum inter Rubriciſtas in Urbe degentes. Si aliquod igitur, ut ſpero, Decretum deciſivum emanabit (ultra pauca jam edita, quæ adhuc apparent valde obſcura) dum hoc opus ſub prælo eſt; de illo mentionem faciam in altera parte hujus tomi, ubi ſermo fiet de Dominica, & hebdomada Paſſionis, necnon Paſchæ, & Pentecoſtes.

R U B R I C A.

6 *In Feſtis Semiduplicibus ab Octava Paſchæ uſque ad Aſcenſionem, ſecunda Oratio de Sancta Maria*, Concede nos; *tertia, Eccleſiæ, vel pro Papa.*

G A V A N T U S.

In his, & ſequentibus, quando in Officio ceſſant Commemorationes de Sanctis, & de Pace, ceſſat etiam Orat. *A cunctis*. Sed quia B. Virgo nunquam ceſſat orare pro nobis, & Feſta Filii ſunt etiam Matris; neque a Sanctis quidquam obtinemus, quod a Deo per manus Mariæ prius non donetur; ideo tempore Paſchali, infra Octavas Aſcenſionis Corporis Chriſti, & Sanctorum, in eorumque Vigiliis, ſecunda oratio eſt de B. Virgine: præterquamquod hoc Sacrificium de ea Mundo fuit generatum, inquit *Honorius in Gemma Animæ lib.* 1. *cap.* 104.

R U B R I C A.

7 *In Feſtis Semiduplicibus infra Octavas occurrentiaus, ſecunda Oratio dicitur de Octava; tertia, quæ ſecundo loco infra Octavam ponitur.*

G A V A N T U.

Sicut in Officio fit Commemoratio de Octava; ita & in Miſſa in ſecunda Oratione, & conſequenter, quæ ſecunda erat, tertium obtinet locum.

R U B R I C A.

8 *Infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, in Miſſa de Octava dicuntur duæ tantum Orationes, una de die, alia Eccleſiæ, vel pro Papa.*

G A V A N T U S.

Valet hic ea ratio, quam affert *Durandus in Dominica de Paſſione*, in qua ceſſant Commentationes Sanctorum in Officio; ut ſcilicet noſtra intentio feratur in Chriſtum ſolum, ſpes noſtra elevetur ad unicum ejus ſingulare refugium. Addimus igitur in tempore Paſſionis, Paſchatis, & Pentecoſtes, aliam Orationem tantum pro Eccleſia, vel pro Papa, pro quibus præcipue orandum, nullo alio mediante Advocato, neque B. Virg. quia Chriſtus, & Spiritus Paraclitus ſunt tunc temporis ſupremi, & unici Advocati noſtri. Si in prædictis occurrat Commemoratio de Sancto, non dicitur tertia Oratio, ad ſenſum Rubricæ.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VII. Gav. *Si in prædictis occurrat Commemoratio de Sancto Simplici, non dicitur tertia Oratio.*) Suſtinet hic Gavantus, ut mox expoſuimus, quod in prædictis Feriis a Dominica Paſſionis uſque ad Dominicam Palmarum, & infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, ſi occurrat aliquod Feſtum Simplex, de eo fieri quidem debet Commemoratio in Miſſa; ſed præter hanc Orationem non eſſe addendam tertiam, nimirum *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ſed iterum dico: Guyetus ſupra laudatus *loc. cit.* acerrime tenet in prædicto caſu Feſti Simplicis dicendam eſſe tertiam Orationem Eccleſiæ, vel pro Papa; & hoc colligere dicit ex verbis Rubricæ Miſſalis in Miſſa Feriæ 4. poſt Paſcha, ubi habetur -- *Ab hac die uſque ad Sabbatum in Albis incluſive, poſt Orationem diei, dicitur una ex ſequentibus Orationibus tantum, niſi facienda ſit aliqua Commemoratio Feſti Simplicis occurrentis*. Ex qua particula *Niſi* deducit Guyetus exceptionem ejuſdem Rubricæ, nimirum eſſe quidem dicendas duas Orationes tantum, ſed niſi occurrat Feſtum Simplex, de quo debebat fieri Commemoratio; in quo caſu non duæ, ſed tres, dicit ipſe, dicendæ ſunt Orationes: ſed ſuper hac quæſtione alibi mentem noſtram aperiemus, ut ſupra innuimus.

R U B R I C A.

9 *Infra alias Octavas, & in Vigiliis, quæ jejunantur (excepta Vigilia* (d) *Nativitatis Domini, & Pentecoſtes) dicuntur tres, una de die, ſecunda de S. Maria, tertia Eccleſiæ, vel pro Papa. Sed infra Octavas S. Mariæ, & in Vigilia, & infra Octavam omnium Sanctorum, ſecunda Oratio dicitur* (e) *de Spiritu Sancto, Deus, qui corda; tertia Eccleſiæ, vel pro Papa.*

G A V A N T U S.

Pro prima parte Rubricæ attulimus congruentem rationem, *in hoc eodem tit. n. 6.*

(d) *Nativitatis Domini, &c.* Hæ Vigiliæ habent rationem Feſti Duplicis, & Solemnioris.

(e) *De Spiritu Sancto*. Quia in prima Oratione, vel explicite, vel implicite, ut in Vigil. & infra Oct. omnium Sanctor. Mariæ merita imploramus; ideo in ſecunda Oratione eam denuo invocare non debemus. Sit igitur ſecunda de Spiritu Sancto, qui eam obumbravit & fœcundam reddidit; quem Ritum viguiſſe apud aliquos in Officio parvo Beatæ Virginis, ut poſt Orationem de Beata Virgine fieret ſemper Commemoratio de Spiritu Sancto, & de omnibus Sanctis, ſcribit *Radulphus propoſ.* 20.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VIII. Rubr. *Infra alias Octavas, &c.*) Neque præter Octavam

vam Paſchæ, & Pentecoſtes, ſecunda Oratio dicitur de S. Maria, tertia Eccleſiæ, vel pro Papa: tunc enim non dicitur Oratio *A cunctis*: quia neque in Officio fiunt Commemorationes Sanctorum, quibus prædicta Oratio correſpondet. Cur autem non dicatur Oratio *A cunctis* in Vigiliis, in quibus fiunt Commemorationes Sanctorum, ratio eſſe poteſt, quia in Vigiliis ſolent Fideles ferventius orare, mente per jejunium elevata: & ideo in Miſſa præſcribuntur Orationes dicendæ de Sancta Maria, & pro Eccleſia, quæ magis fovent devotionem, & pietatem.

IX. Gav. lit. e - *Secunda de Spiritu Sancto*.) In diebus vero infra Octavas Sanctæ Mariæ; prima Oratio eſt propria ejuſdem; ſecunda de Spirito Sancto, quæ ſemper dicitur in ſupradictis Miſſis Beatæ Mariæ; quia ipſa eſt Sacrarium, & ſingulare habitaculum Spiritus Sancti. Quarti *par. 1. tit. 9. n. 9.* Reliqua patent ex Commentariis noſtri Gavanti.

R U B R I C A.

10 *In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, ſecunda de Octava; & in die Octava dicitur una tantum Oratio, niſi facienda ſit aliqua Commemoratio.*

*G A V A N T U S.*

Ratio eſt, quia de Octava fit Commemoratio in Dominica: tertia vero Oratio omittitur ad majorem Solemnitatem. In Octava dicitur una tantum Oratio, quia eſt Duplex Officium.

Accidit in Dominica privilegiata fieri tantum Commemorationem de die Octava, quæ non transfertur; & tunc in Miſſa, ſecunda Oratio erit de Octava: neque tertia dicitur, quia dies eſt Octava, & nobilior, quam Dominica infra Octavam, in qua duæ tantum dicuntur.

Novæ obſervationes, & Additiones, &c.

X. Rubr. *Dicuntur duæ Orationes, &c.*) Traditur in hac Rubrica Regula dicendi duas Orationes in Dominicis infra aliquam Octavam: & nihilominus non excluditur tertia Oratio, ſi occurrat Feſtum Simplex: unde ſemper etiam ex hac Rubrica magis, magiſque confirmare contendit ſuam ſententiam Guyetus, quod infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes debeat pariter dici tertia Oratio, ſi occurrat Feſtum Simplex. Imo reperio in ſuperiori Rubrica, quando fit ſermo de die Octavæ, eundem modum loquendi ac in Rubrica, quæ habetur in Feria 4. poſt Paſcha: nimirum præſcribitur in ſuperiori Rubrica. *Et in die Octava dicitur una tantum Oratio, niſi facienda ſit aliqua Commemoratio*: ex quo modo loquendi clare exprimitur, quod occurrente aliqua Commemoratione debeant dici duæ Orationes, una de die Octavæ, altera de Feſto Simplici, vel alio, de quo debeat fieri Commemoratio. Quapropter cum habeantur eædem particulæ *Tantum*, & *Niſi* in ſuperiori Rubrica de Octava, quæ habentur etiam in Feria quarta poſt Paſcha; hinc colligi poteſt illas particulas non excludere ſecundam, vel tertiam reſpective Orationem, ſi occurrat Feſtum Simplex: nihilominus lectorem remittimus ad ea, quæ dicemus locis ſupra citatis ſuper dicta controverſia.

R U B R I C A.

11 *In Dominicis dicuntur tres, ut in Ordinario aſſignantur, quibuſdam exceptis, ut ſuis etiam locis notatur.*

*G A V A N T U S.*

Cauſam habes *ex Clemente ſupra n. 2.*

Excipitur Dominica Paſſionis, in qua duæ tantum dicuntur, ob rationem ſupra allatam *n. 8.* item Dominica Palmarum, in qua una tantum Oratio, *tit. 7. n. 1.* item Dominica in Albis, quæ unicam habet Orationem, quia ejus Officium eſt Duplex.

R U B R I C A.

12 *In Feſtis Simplicibus, & Feriis per Annum, niſi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in Semiduplicibus: aut* (f) *quinque, poſſunt etiam* (g) *ſeptem ad libitum.*

*G A V A N T U S.*

Plures tribus non dicuntur in Semiduplicibus, niſi ob Commemorat.

(f) *Quinque*. Propter quinquepartitam Chriſti Paſſionem. *Microl. cap. 4.*

(g) *Septem*. Quia Chriſtus in Oratione Dominicali ſeptem inſtituit petitiones; *Microl. ut ſupra*; vel ob ſeptiformis gratiæ Spiritum. *Innocent. III. lib. 2. cap. 27.*

Plures etiam poſſunt dici; ſed tædio eſſent audientibus; *Ex Microlog. loco citato*. ' Contigit Romæ An. 1628. in Eccleſia Anglorum dici octo Collectas de præcepto: nimirum de Feſto Sancti Sylveſtri, de Dominica infra Oct. Nativit. de quatuor Octavis, de quinta Octava S. Thomæ Titularis, & ultimam juſſu Pontificis *Deus refugium*.

Ad libitum vero hoc loco non ſignificat, quod quaſcumque velis Orationes dicas, ſed eas prius, quæ in Rubricis aſſignantur pro ſecunda, vel tertia, & tunc ſupra illas, quæ tibi magis placent, addere poteris alias cum debito ordine, & numero.



Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XI. Gav. *Plures tribus non dicuntur in Semiduplicibus; &c.*) Hujuſmodi Orationum, quæ etiam Collectæ appellantur; quia dicebantur quando Populus congregabatur in Eccleſiis ad eas dicendas, juxta antiquam Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem; una tantum dicebatur; ſicut unus dicebatur Introitus, unica legebatur Epiſtola, & unicum Evangelium; ut referunt Innocentius III. *lib. 1. cap. 27.* & Radulphus Tungrenſis *prop. 13.* Verum idem Innocentius, necnon Micrologus *cap. 4.* aſſerunt, quod ſuo tempore dicebantur ſemper tres, aut quinque, aut ſeptem Collectæ in honorem SS. Trinitatis, vel Reſurrectionis J. C. vel in Commemorationem quinque plagarum Chriſti Domini; & ſeptem, ad obtinenda ſeptem dona Spiritus Sancti. Sanctus Carolus etiam in primo Mediolanenſi Concilio prohibet: *Ne plures tribus, vel ad ſummum quinque Orationes... dici poſſint, niſi ibi Eccleſiæ inſtitutum aliud poſtulet*: & in ſuis inſtructionibus pro Miſſæ celebratione, ſtatuit, ut cum plures ſunt Orationes, aut Collectæ, numero diſpari recitentur, & ſeptem non excedant. Porro hæc Orationum multiplicatio in Monaſteriis cœpiſſe videtur: etenim in Concilio Matiſconenſi, Anno 627. celebrato, Agreſtinus Monachus Luxovienſis, Sancti Columbani Regulam ſuperſtitionis accuſans, inter cætera, quæ viro Sanctiſſimo objecit, unum erat, quod Miſſarum Solemnia contra inſtitutum Eccleſiæ morem multiplicatione Collectarum celebraret. Agreſtinum tamen confutavit ejuſdem Monaſterii Abbas Euſtathius his verbis, in eodem Concilio relatis: *Multiplicationem Orationum in Sacris Officiis omnibus proficere Eccleſiis: quia dum plus Dominus quæritur, plus invenitur; & cum uberius Oratione pulſatur, citius exaudire probatur.*

Circa numerum talium Orationum in Miſſis dicendarum, debent inpræſentiarum a nobis exacte ſervari regulæ a Rubricis, & a S. R. C. præſcriptæ, inter quas habetur, quod in Dominicis per Annum, in Feſtis Simplicibus, & Feriis, non dicantur minus quam tres Orationes, ut in Semiduplicibus; in quibus, ut notat poſtea Gavantus, non debent dici plures, niſi facienda ſit aliqua Commemoratio. Unde in Semiduplicibus non poteſt augeri numerus Orationum ad libitum Celebrantis: quinque tamen, aut ſeptem, ait Turrious *part. 2. ſect. 2. cap. 2.* poſſunt dici in Simplicibus, & Feriis; non quatuor, aut ſex, niſi ubi numerum talem exigerent Commemorationes. Non eſt igitur præſcriptum a Rubricis, quod ſemper in Semiduplicibus, Simplicibus, & Feriis, Orationes, quæ dicuntur in Miſſa; debeant eſſe impares numero, & hoc declaratum eſt a S. R. C. 2. *Decembris* 1684. in Decreto dato in noſtro Indice *ſub n. 476.* ut ſupra etiam de hoc locuti ſumus.

Præterire non debemus, prædictas Orationes collocandas eſſe ſervata earum dignitate, ut præſcribit Rubrica; & ex ſolo Miſſali eſſe deſumendas, videlicet, aut de tempore, aut de proprio Sanctorum, aut de Communi, aut ex Orationibus diverſis poſt Miſſas Votivas; non ex aliis libris: quia ſunt quidem aliquando ad arbitrium Celebrantis, quoad numerum, non quoad acceptionem; quia nunquam poteſt Sacerdos eas depromere, unde maluerit, ſed ex Miſſali tantum; ut colligitur *ex Rubrica 7. hujus primæ partis num.* 5.

R U B R I C A.

13 *In feriis Quatuor Temporum, & ubi plures leguntur Lectiones hujuſmodi, plures Orationes dicuntur poſt ultimam Orationem ante Epiſtolam, ut ſuis locis in proprio Miſſarum de Tempore.*

*G A V A N T U S.*

Leguntur enim plures Lectiones in Feriis quartis, & Sabbatis Quatuor Temporum. Præterea in Feria quarta ante Sabbatum, *Sitientes*, Dominica Quadrageſ. & in Feria quarta majoris hebdomadæ. Quia vero Epiſtola magis attinet ad Sacrificium Miſſæ, quam Lectiones præcedentes; idcirco multiplex Oratio, quæ ad Sacrificium propius accedit, immediate ante Epiſtolam collocari debet.

R U B R I C A.

14 *In Miſſis Votivis, quando Solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa, dicitur tantum una Oratio: ſed in Miſſa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur, In aliis dicuntur plures, ut in Feſtis Simplicibus.*

*G A V A N T U S.*

Unitas orationis dicit, & ſignificat Solemnitatem, ut in Duplici patet. In Miſſa vero pro gratiarum actione additur alia ſine diſtinctione a prima, *ut notavimus ſupra tit. 7. n. 7. et aſſerit Burchardus*.

In Votivis Privatis ſecunda Oratio eſt, de quo fit Officium; tertia erit, quæ ſecundo loco dicitur in Miſſa de Officio, exceptis Votivis iis, de quibus numero ſequenti. Oratio pro gratiarum actione tertio loco dicitur.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XII. Nonnulla eſſent hic addenda Gavanti Commentario: ſed quia ea, quæ ſpectant ad Miſſas Votivas, omnia tradidimus, & quidem fuſe in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Commentaria Gavaoti in titulum, ſeu Rubricam quartam hujus *primæ partis*, quæ eſt de Miſſis Votivis, idcirco videamur quæ ſuperiori dicto loco a nobis addita ſunt.

R U B R I C A.

25 *In Votivis Beatæ Mariæ, ſecunda Oratio dicitur de Officio illius diei, & tertia de Spiritu Sancto; ſed in Sabbato, quando de ea factum eſt Officium, ſecunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia, Eccleſiæ tuæ, vel pro Papa.*

(h) *In Votivis de Apoſtolis, quando ponitur Oratio, A cunctis, ejus loco dicitur Oratio de Sancta Maria, Concede nos famulos.*

G A V A N T U S.

Orationem de Spiritu Sancto convenire Miſſæ B. Virg. diximus *hoc eod. tit. num. 9.* * & ſemper dicitur, quia eſt Rubrica generalis, etiam tempore Adventus, Paſſionis, & Paſchali, in quibus aſſignatur aliis Miſſis Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*.

(h) *In Votivis de Apoſtolis &c.* Non dicitur Oratio *A cunctis*, ne fiat nova mentio Apoſtolorum Petri & Pauli: nam de his Apoſtolis tantum Rubrica loquitur. Ne vero pereat deinde memoria Beatæ Virginis, quæ habetur in omiſſa Oratione *A cunctis*, dicitur ejus loco *Concede*, de Sancta Maria.

In aliis autem temporibus, quando non dicitur *A cunctis*, nulla accidit mutatio.

*Quæres:* an ſimilem ob cauſam in Miſſa Votiva de Patrono, ſeu Titulari, qui nominatur in litera N. in Oratione *A cunctis*, debeat fieri ſimilis mutatio Orationum? Reſpondeo, ſatis eſſe in eo caſu, vel tacere in Oratione *A cunctis* nomen Patroni, ſeu Titularis, ne de eodem bis fiat mentio in Collectis; vel nominare poteris vice illius alium pro tua devotione.

R U B R I C A.

26 *Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri* (i) *Commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur ſecundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ alias ſecundo loco dicenda erat.*

G A V A N T U S.

(i) *Commemorationem*. Intellige hic Commemorationem Sancti, non ad libitum Sacerdotis, ſed eam, quæ facta eſt in Officio, ut in Sabbato, quando fit Officium B. Mariæ Virginis cum Commemoratione Feſti Simplicis; tunc enim Oratio de Spiritu Sancto erit tertio loco dicenda; quod valet etiam in Miſſis non Votivis, ut dictum eſt ſupra *tit. 7. num. 5.*

Atque hinc ille Ritus non ſatis placet dicendi quatuor Orationes in Dominicis, & Feriis Quadrageſimæ. Prima de Feria, ſecunda de Vigilia, vel Feſto Simplici, tertia *A cunctis*, quarta *Omnipotens*.

Accidit etiam a Superiore decerni pro publica cauſa quotidie dicendam Orationem *Deus Refugium noſtrum*, ſeu aliam; & tunc vel dicitur loco tertiæ ad libitum, vel additur uti Commemoratio in Duplicibus, Semiduplicibus, & Dominicis. Sacra Rituum Congregatio *die 28. Auguſti 1627.* omitti decrevit regulariter prædictam Orationem in Feſtis primæ Claſſis; in aliis vero ſecundæ Claſſis communior uſus inſigniorum Eccleſiarum Urbis eſt, ut neque dicatur in Miſſis Privatis, nedum in Solemni, a qua ſola excluditur Commemoratio de Feſto Simplici; quæ conſuetudo mihi placet.

* Ita vero addatur hæc Oratio, ut nulla omittatur ex iis, quæ in Miſſali cuique Miſſæ ſingillatim, & nominatim aſſignantur: imo in iis, in quibus tertia eſt ad libitum, potes eam dicere, & addere *Deus refugium*: ea ratione tamen, ut ſerves debitum numerum, videlicet quatuor in Dominicis, & Semiduplicibus; & quinque in Simplicibus, Ferialibus, & Votivis, juxta ſuperiorem Rubricam *num. 12.*

In Miſſa de Sancto, cui titulus eſt Altaris, de quo tamen non recitatur Officium, ſed Miſſa tantum ad ejuſdem Altare, in die Feſto illius (quia non debet omitti Oratio ejus, de quo fit Officium) convenit, ut tertia ſit Oratio, quæ tunc temporis ſecundo loco dicenda foret, eſt enim hæc Miſſa ex votivo, & feſtivo mixta: ex votivo, quia diſcordat ab Officio, ex feſtivo, quia eo die obiit Sanctus, de quo Miſſa: & ideo dicitur in ea Hymnus Angelicus, ut ſupradiximus.

R U B R I C A.

27 *In concluſione Orationum hic modus ſervetur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur, Per Dominum noſtrum &c. Si ad Filium, Qui vivis & regnas cum Deo Patre. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, concluditur, Per eundem Dominum noſtrum. Si in fine Orationis, ejus fiat mentio, Qui tecum vivit. Si facta ſit mentio Spiritus Sancti, in concluſione dicitur: In unitate ejuſdem Spiritus Sancti, &c. Alia quoque in dicendis Orationibus ſerventur, quæ ſuperius in Rubrica de commemorat. dicta ſunt.*

G A V A N T U S.

Oratio ad Patrem ut plurimum dirigitur, juxta doctrinam Chriſti, *Matthæi 6. & Joan. 16. & ex Decr. Carthag. Conc. cap. 23.* & tunc concluſio fit hoc modo: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*: quod ſumptum eſt ex Epiſt. ad Rom. 5. *Innoc.* III. *lib. 2. cap. 26.* Raro ad Filium dirigitur, nec antiquitus, ut notat *Bellarm. de Miſſ. lib. 2. cap. 16.* ut Filius etiam credatur Deus: & eo caſu concluſio fit, *Qui vivis, & regnas*. Nunquam de facto ab Eccleſia ad Spiritum Sanctum in Miſſa Collecta dirigitur: quia donum eſt, & a dono non petitur donum, ſed a donatoribus ille procedit, *Durand. lib. 4. cap. 15.* diriguntur tamen Hymni, & ſequentiæ ad eum; & poſſent etiam dirigi Collectæ, quod Eccleſia non fecit adhuc.

Reliqui concluſionum modi per ſe patent, & qua de cauſa variandi, ut nimirum concinant ſenſui Orationis ultimæ, *ex Nav. de Oration. cap. 19. num. 169.* quam concludunt. Si ad ipſam Trinitatem dirigitur Oratio, dicitur: *Qui vivis, &c.* ne videatur ſeparari Chriſtus a Trinitate.

Hoc autem eſt commune omnibus concluſionibus, ut mentio in iis fiat ſemper Sanctiſſimæ Trinitatis; ut intelligamus, nullum fieri præjudicium reliquis Divinis Perſonis, quæ in Oratione taceri videntur, dum conſummatio oſtendit, nullum eſſe diſcrimen in Trinitate. *Fulgent. lib. 2. ad Monimum quæſt. 1.*

*In unitate Spiritus ſancti Deus*, ita legendum eſſe, non autem præponendam vocem *Deus*, tradit ex Romana auctoritate *Radulph. propoſ. 23.*

Additur *Amen* in fine, ut communem Orationem, quam Sacerdos obtulit, omnes confirment.

*Idem Ibidem*; meminitque hujus Ritus reſpondendi *Amen*, *S. Auguſt. epiſt. 178. & tract. 41. in Joan.* & quia vox Hebræa eſt, quæ ſignificat apud nos idem quod *fiat*, in precationibus uſurpata eſt Apoſtolorum tempore, *1. Cor. 14.* tam a Græcis, quam a Latinis; nunquam fuit paulo infra recenſenda. Significat etiam, *Verum eſt. Orig. tr. 33. in Matth. Ambr. de iis, qui initiantur Myſteriis lib. 1. cap. 9.* & in hoc ſenſu concordat *Amen* cum Orationis potius concluſione, quam cum Oratione: quaſi affirmet Populus, verum eſſe, regnare Deum in unitate Spiritus Sancti. *Innocent.* III. *lib. 2. cap. 26. Durand. lib. 2. cap. 17.*

Notat *Navarrus de Oration. cap. 19. num. 171.* concluſionem abbreviari, & dici: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*: quod in Canone fit, quando ſcilicet non præcedit, inquit ille, *Dominus vobiſcum*: quod verum eſt ut plurimum, non autem ſemper.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XIII. Gav. lit. i — *Et tunc concluſio fit hoc modo: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*) Hæc Orationum clauſula vetuſtiſſima eſt, & jam Sæculo VI. a tota Africana Eccleſia uſurpabatur: etenim Sanctus Fulgentius in Epiſtol. ad Ferrandum Diaconum hæc habet: *in Orationibus Sacerdotum: per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti; per univerſas Africæ Regiones Catholica dicere conſuevit Eccleſia.* Dicimus autem, Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; ut ſciamus nos per Filium accipere quidquid nobis datur a Patre; & ut pareamus Chriſto jubenti in Evangelio Joannis *cap. 15. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hinc celebris illa Optati Milevitani Sententia adverſus Donatiſtas *lib. 3. Paganum vocas eum, qui Deum patrem per Filium ejus ante Aram rogaverit.* Placet referre obſervationem Micrologi *cap. 6:* qui contendit concluſionem hanc ita exprimendam eſſe, *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui tecum vivit, & regnat Deus*: & poſtpoſitionem hujus vocis *Deus*, his verbis *Spiritus Sancti*, tunc fuiſſe recentem. *Sciendum*, inquit, *in illa uſitata concluſione Per Dominum noſtrum, quod Romanus Ordo, & antiquiſſima exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur: qui tecum vivit, & regnat Deus. Quod tamen Moderni poſt nomen Spiritus Sancti ſubjungere ſolent: & hæc utique conſuetudo etiam apud Romanos uſquequaque adeo invaluit; ut antiquæ traditionis executio jam non ſine ſcandalo locum habere poſſit.* Hæc Micrologus, cujus acriorem cenſuram probare non poſſum: ſive enim poſtponatur, ſive præferatur nomen *Deus*, nequaquam concluſionis ſenſus levi illa mutatione corrumpitur, nec ullum ſcandalum parere poteſt. Certe etiam tunc Eccleſia Romana modum a Micrologo reprehenſum obſervat: & neſcio, an præter Ambroſianam Eccleſiam, antiquior ille modus alibi obſervetur.

XIV. Gav. lit. i — *Reliqui concluſionum modi per ſe patent.*) Ut breviter exponamus modum concludendi Orationes, advertimus cum ſupradicto Gavanto, Biſſo *lit. C. n. 410. §. 3.* Hippolyto a Portu *de Cultu Dei, & hominum ad tit. 5. Rubr. 1. in ſuis adnot. num. 19.* advertimus, inquam, quod in Oratione ad Patrem directam, ſi nominetur Filius, dicitur in concluſione Orationis *per eundem Dominum*, niſi nominetur in fine Orationis; ſiquidem tunc dicitur *Qui tecum, &c.*

Digitized by Google

*&c.* ſi nominetur Spiritus Sanctus in Oratione, dicimus *In unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus*, etiamſi nominetur in medio alicujus Orationis, Addit Biſſus *loc. cit.* quod ſi contingeret, ut duæ, vel plures Orationes eſſent unica concluſione terminandæ; tunc in concluſione ſit dicendum: *In unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus*, *&c.* licet Spiritus Sanctus non eſſet nominatus in ultima Oratione, ſed in alia antecedenti: pro qua re affert exemplum Miſſæ pro gratiarum actione; in qua dicuntur duæ Orationes ſub unica concluſione terminatæ; & in hac concluſione dicitur *In unitate ejuſdem Spiritus Sancti, Deus*, *&c.* licet Spiritus Sanctus nominetur tantum in prima Oratione; huic tamen ſententiæ Biſſi obſtare videtur Decretum allatum in noſtro Indice *ſub n. 695.*

XV. Gav. *Si ad Trinitatem dirigatur Oratio.*) Quamvis Gavantus dicat terminandam eſſe Orationem *Qui vivis, & regnas, &c.* nihilominus Biſſus ſupra §. 6. advertit eſſe attendendum modum, quo perſonæ in illa Oratione nominantur, & ita dicendum: *per eundem Dominum noſtrum, &c. In unitate ejuſdem Spiritus Sancti, &c.* vel *per Chriſtum, &c.* Exemplum adducit illius Orationis *Suſcipe, Sancta Trinitas*, quam lotis manibus dicit Celebrans in Miſſa; in qua, quia peculiariter exprimitur nomen Filii, concluditur *per eundem Dominum noſtrum*. In alia vero Oratione, quam Celebrans dicit, dicto *Ite Miſſa eſt*, nempe *placeat tibi, Sancta Trinitas*; quia nulla Perſona ſpecialiter exprimitur, idcirco concluditur *per Chriſtum Dominum noſtrum*.

XVI. Gavant. *Additur Amen in fine.*) De hac voce *Amen*, quæ dicitur in fine Orationis, niſi aliter præſcribatur a Rubrica, erudite diſcurrunt Cardin. Bona *lib. 2. cap. 5. n. 6.* Grancolas *Tract. de Miſſa pag. 36.* Sicut etiam *in lib. de antiq. Liturg.* ubi pariter agit de Collectis, & Orationibus, quæ in Miſſa dicuntur. Ita etiam de prædicto verbo *Amen*, tractat Biſſus *lit. A. num. 310.* §. 1. ubi aſſerit hoc verbum dici in fine Orationis ex Decreto Anacleti Papæ; ut refert Hugo Victorinus *lib. 2. cap. 11.* Verum id prædicto Anacleto confirmante, non vero primum ſtatuente: nam de hujus vocis uſu poſt Orationem loquitur Apoſtolus 1. ad Corinthios *cap. 14.* Videri etiam poterunt antiquiſſimi PP. Juſtinus Apolog. 2. Dionyſius Alexandr. Epiſt. ad Sixtum, apud Euſeb. Cyrill. Hieroſol. Catech. 5. myſtag. Hieronymus in præfat. *lib. 2.* Commentar. in Epiſtol. ad Galat. Auguſtin. *lib. 2.* contra epiſt. Parmeniani *cap. 7.*

## De Epiſtola, Graduali, Alleluja, & Tractu, ac de Evangelio. X.

### R U B R I C A.

1 *Poſt ultimam Orationem dicitur* (k) *Epiſtola: qua finita, a Miniſtris reſpondetur,* (l) *Deo gratias. Et ſimiliter, quando leguntur plures Lectiones, poſt ſingulas dicitur, Deo gratias; præterquam* (m) *in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor temporum,* (n) *& in fine Lectionum Feria ſextæ in Paraſceve, & Sabbati Sancti.*

### *G A V A N T U S.*

(k) *Epiſtola.* Sonat Epiſtola ſupermiſſionem, ſeu ſupererogationem, quia literæ, quæ mittuntur, habent aliquid ſupra id, quod viva voce nuntius refert: ideoque Epiſtolæ vocantur.

Eſt igitur Epiſtola miſſa ſupra, ſive ultra Teſtamentum vetus, & Evangelium. *Alcuin. de Div. Officiis.* Auctores legendi Epiſtolam in Miſſa fuere Apoſtoli, & habetur in Liturgia S. Petri: tum ſucceſſores Apoſtolorum *ex Can. 10. Apoſtol. Dionyſ. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3. Clem. lib. 2. Conſtitut. cap. 57.* Alexander autem Papa, qui dicitur Auctor *ab Honor. in Gemma cap. 88.* fortaſſe Decreto Ritum ſtabilivit. Ante Anaſtaſium Paulus tantum legebatur *ex Demochare tom. 4. cap. 15.* deinde vero non ſolum Pauli legebantur Epiſtolæ, *Walafridus Strabo cap. 22.* ſed etiam aliorum Apoſtolorum, & Prophetarum; quod clare aſſerit *S. Juſtin. Apol. 2.*

Porro per totum Anni curriculum ex prophetis, & Apoſtolis collegit, & ordinavit Epiſtolas, & Lectiones S. Hieron. *in lib. qui dicitur Lectionarius, vel Comes S. Hier.* ut docet *Berno cap. 2.* Damaſo approbante, *ex Radulph. propoſ. 23.* eo fine, ut per Lectionem præparemur ad Myſteria, *ex Cabaſila, pag. 24.*

Et in Lectionibus quidem veteris Teſtamenti initium eſſe ſolet *In diebus illis*: finis autem: *ait Dominus omnipotens*: quia in libris illis hæc ſæpe ſunt in uſu. Titulus etiam Sapientiæ communis eſt Lectioni Proverbiorum, Canticorum, & Eccleſiaſtici: quia hi libri dicuntur Sapientiales, ex SS. Patrum antiquo uſu, & Ritu. In Epiſtolis vero Pauli eadem de cauſa fit initium ab ea voce *Fratres*; & finis eſt *In Chriſto Jeſu Domino noſtro.* In aliis item Apoſtolicis Epiſtolis ob eandem cauſam utimur initio voce illa *Chariſſimi*, uſitata a Petro, & Joanne in ſuis Epiſtol. *Durandus lib. 4. cap. 16.*

Certe in Dominicis Epiſtola ſolet eſſe de novo Teſtamento, quia Dominicus dies Reſurrectionem Domini, & tempus gratiæ repræſentat. *Durandus lib. 2. de Rit. cap. 18.*

Sed cur ante Evangelium legitur, cum ſit minoris dignitatis? Primo, quia deſignat Officium Joannis Baptiſtæ, *Rupert. lib. 1. cap. 32.* qui fuit utriuſque Teſtamenti, quorum ſunt Epiſtolæ, *Innoc. III. libr. 2. capit. 29.* Deinde *ex Alcuin.* mos fuit Apoſtolorum, ut bini ante Dominum irent *Luc. 10.* Tertio *ex Walafr. loc. cit.* ut animus audientium a minoribus ad majora ſentienda proficiat, & gradatim ab imis ad ſumma conſcendat. Alias duas cauſas lege apud *Durand. loc. cit.* quæ minus mihi placent.

(*l*) *Deo gratias. Burchard.* Auguſtini Sæculo conſueverunt dicere Monachi, cum hominibus occurrebant: *Deo gratias*, quod ipſe ſcribit *Auguſt. ad Pſal. 132.* adeo erat tunc in Miſſa, & Officio uſitatum. Gratias autem agimus Deo, quod doctrinæ ſuæ panem nobis frangere dignatur, *ex Ruperto lib. 1. de Divin. offic. cap. 14.* ſi Pauli erat Epiſtola, dicebatur in fine, *Pax tecum, ex Auguſt. epiſt. 163.*

(m) *In fine quintæ Lectionis.* Omittitur reſponſio Miniſtri, ne interrumpatur Textus, & ſenſus, ut ibidem legenti patet.

(n) *Et in fine Lectionum, &c.* Sunt hi dies luctus, in quibus abſtinemus etiam a *Gloria Patri, &c.* & ſimilibus loquendi modis feſtivioribus.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. lit. K. *Auctores legendi Epiſtolam in Miſſa fuere Apoſtoli, &c.*) Ritum hunc legendi Epiſtolam, ſeu Lectionem aliquam Sacræ Scripturæ, ab Apoſtolis derivaſſe certiſſimum eſt, ut etiam aſſeverat Card. Bona *lib. 2. cap. 6. n. 1.* Antonius Bellotte in ſuis obſervationibus *pag. 366.* Grancolas *in tract. de Miſſa pag. 37. & de antiq. Liturg. pag. 504.* Præfatus Bona notat, quod antiqui Codices Sacramentorum tam editi, quam MSS. *Poſt Collectam*, aſſerunt, *ſequitur Apoſtolus*, id eſt Lectio ex Apoſtolo: tametſi enim ipſa Lectio ex aliis quoque libris veteris, & novi Teſtamenti deſumatur; ut plurimum tamen ex Apoſtolo Paulo accipitur; ac propterea ſolius Apoſtoli, in prædictis Codicibus fit mentio, & in ipſis Epiſtolis, Apoſtolus appellatur.

Ratio autem cur in Miſſa legatur Epiſtola ante Sacrificium, eſt, quia hoc Sacrificium eſt Myſterium Fidei, ut dicitur in forma Conſecrationis Calicis; & ideo conveniens fuit, ut præcederet Inſtructio Fidei per Lectionem Prophetarum, & Apoſtolorum. Quare Coocilium Cathaginenſe IV. *Can. 84.* & refertur in *cap. Epiſcopus de Conſecratione diſtinct. 1.* ſic ſtatuit: *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.* Rationem hujus Decreti reddit D. Thomas *part. 3. quæſt. 83. art. 4. ad 4.* quia in ea parte Miſſæ continetur inſtructio Populi. Perſicus *lib. 3. cap. 2. dub. 2. §. 5. de Epiſtola.*

Obſervandum occurrit in his Sacris Lectionibus, quod quando hæc deſumuntur ex Libris Moyſis, vel Salomonis, de eorum nominibus non fit mentio. Ideo autem reticetur nomen Moyſis in Lectione libri Geneſis, v. gr. quia Dominum exacerbavit, quia hæſitavit ad aquas contradictionis. De Salomone tacetur nomen, quia deceptus fuit a mulieribus, & propter infamiam Idololatriæ. Ita ſentit Joan. Baptiſta de Rubeis *in ſuo novo Rationali Div. Offic. libr. 2. cap. 28.* Verum genuina ratio eſſe videtur, quia illis libris in Sacris Bibliis nomen Moyſis, & Salomonis non præfertur.

In Miſſa Solemni cantatur Epiſtola a Subdiacono; quamvis in antiqua Subdiaconi Ordinatione, ſive ex Concilio Carthaginenſi, ſive ex Aquiſgranenſi, ſive ax Ordine Romann, nihil prorſus reperiatur, quod ad legendam Epiſtolam referri poſſit, ut fuſius oſtendunt Hallier *de materia, & forma Ordinationis §. 16. numer. 46.* & Morinus *de Sac. Ordinat. part. 3. exerc. 12. cap. 3.* Lector autem olim per traditionem Codicis ordinabatur: qui Ritus adhuc hodie perſeverat; & in Eccleſia Orientali traditur eis Codex Epiſtolarum S. Pauli, quas publice legunt in Eccleſia. Quo vero tempore cœperint Subdiaconi legere Epiſtolam, dubium eſt. Exiſtimant aliqui Sæculo octavo hoc contigiſſe: nam Amalarius, qui initio Sæculi IX. claruit *lib. 2. cap. 11. Minor*, inquit, *qua de re ſumptus ſit uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſime*, non ergo ſemper, *legat Lectionem ad Miſſam; cum hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in Conſecratione commiſſum: neque ex literis Canonicis, neque ex nomine ſuo.* Et in fine capitis, ſubdit: *Sed poſtquam ſtatutum eſt a Patribus noſtris, ut Diaconus legeret Evangelium, ſtatuerunt, ut Subdiaconus legeret Epiſtolam, vel Lectionem.*

At quando id ſtatutum fuerit, non dicit *Amalar.* Quare Card. Bona de rebus Liturg. *lib. 2. cap. 6. n. 3.* exiſtimat ante cœpiſſe Diaconos legere Evangelium, quam Epiſtolam Subdiaconos. Certum tamen vidatur, Subdiaconos jam a Gregorii Magni temporibus in Eccleſia Romana Epiſtolam recitaſſe: quippe Gregorius ipſe in Concilio Romano decrevit, ut Diaconus Evangelicæ Lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exolveret; Pſalmos vero, ac cæteras Lectiones Subdiaconi recitarent. Videatur Epiſt. 44. libri 4. vetaris editionis.

Huc ſpectat ſequens Decretum, nimirum - Quod deficiente Subdiacono pro Miſſa Solemni, data neceſſitate poteſt permitti

per

Digitized by Google

per Superiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in Minoribus Ordinibus ad cantandam Epiſtolam, paratus abſque manipulo. Ita S. R. C. die 6. Julii 1698. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 330.

Cæterum de Ritu, & antiquitate canendi Epiſtolam in Miſſa Solemni, & eam dicendi in Miſſis Privatis, tractant erudite ſupra allegati Auctores, nimirum Card. Bona, Bellotte, Grancolas, & præter iſtos Hugo Menardus *in not. & obſerv. in libr. Sacram. S. Gregorii Papæ pag.* 7. necnon Jo: Anton. Pallotta *lib.* 2. *cap.* 12. qui etiam agunt de illis verbis *Deo gratias*, quæ Miniſter profert poſt lectam Epiſtolam a Sacerdote in Miſſa Privata, vel ab Acolytho, ſubmiſſa voce, poſt cantatam Epiſtolam in Miſſa Solemni.

## R U B R I C A.

2 *Poſt Epiſtolam dicitur* (o) *Graduale, quod ſemper dicitur* (p) *præterquam Tempore Paſchali, cujus loco tunc dicuntur duo verſus, ut habetur in Rubrica in Sabbato in Albis.*

## *G A V A N T U S.*

(n) *Graduale.* Seu Gradale: *Rabanus lib.* 1. *cap.* 33. eo quod cantabatur in inferiori gradu, *Ordo Rom.* vel juxta gradus pulpiti, in quo legebatur Evangelium, *Raban. ibidem:* vel quia cantabatur, dum Diaconus aſcenderet gradus pulpiti Evangelici *ex Walafrid. cap.* 22. *& Rhenano ad Tertull. de cor. milit.* vel in gradibus Altaris: *Durand. lib.* 4. *cap.* 19. Cantari autem cœpit Auctore Cœleſtino Primo, *ex Sigebert. Ann. Domini* 426. *& Rupert. lib.* 2. *de Div. Offic. cap.* 21. Ambroſius compoſuit *ex Radulph. prop.* 23. Gelaſius, & Gregorius item, *ex Durand. loc. cit.* appellantur in Antiphonario Gregor. *Reſponſoria.*

(q) *Præterquam tempore Paſchali.* Quia *ex Rupert. lib.* 1. *cap.* 34. Graduale lamentum indicat, & laborem, quæ non congruunt cum tempore ſummæ lætitiæ Paſchalis. Summa vero fuit lætitia poſt recuperatum Thomam in Dominica in Albis, in cujus Sabbato ideo ceſſant Gradualia: eorum autem loco dicuntur duo verſus, qui nihil ſiniſtrum, aut triſte ſonant. *Innoc. loc. cit. cap.* 33. quod ſi infra Oct. Paſch. Graduale dicitur, id fit propter recenter Baptizatos, *Rupert. lib.* 8. *cap.* 1.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

II. Rubr. & Gav. lit. o — *Graduale, &c.*) Graduale idem ſonat ac Gradale, & componitur ex aliquibus verſibus, qui ſemper dicuntur in Miſſa poſt Epiſtolam, excepto tempore Paſchali; tunc enim dicuntur duo verſus cum quatuor *Alleluja*, ut notatur in Miſſali in Sabbato ante Dominicam in Albis. Tempore autem Paſchali omittitur Graduale, quia hoc eſt ſignum doloris, & laboris; illuc vero tempus exultationis. Rupertus Abbas *lib.* 1. *cap.* 34. nec obſtat quod Graduale dicatur a die Paſchæ uſque ad Sabbatum in Albis excluſive: tunc enim dicitur pro renatis fonte Baptiſmatis; ut intelligant, ac diſcant, quod in vocatione, qua vocati ſunt, laborare, & continuo ſe ſe exercere debeant. Ex eodem Ruperto *lib.* 8. *cap.* 1. Sed advertendum eſt, quod licet infra Octavam Paſchæ dicatur Graduale in Miſſa de tali Octava, nihilominus, ſi pro re gravi cantaretur aliqua Miſſa Solemnis Votiva, tunc poſt Epiſtolam talis Miſſæ non eſſet dicendum Graduale; ſed loco illius, duo verſus tali Miſſæ convenientes cum quatuor *Alleluja*. Ita Biſſus *lit. G. n.* 54. §. 2. *& ſeq.*

Dicitur autem Gradale, ſeu Graduale, ex loco, ubi cantabantur olim dicti verſus, nimirum a gradibus, vel Altari, ut ait Gavantus ſupra; vel quia cantabantur juxta gradus ambonis, ſive editoris ſuggeſti, quos aſcendebat Diaconus, ut pergeret ad cantandum Evangelium. Ita Rabanus *lib.* 1. *cap.* 33. Cantantur autem eo tempore in Miſſa Solemni dicti verſus intitulati *Gradale*, ſeu *Graduale*, ne in ſilentio vacet totum illud tempus, antequam cantetur Evangelium. Ita Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 16. *de Miſſa.* Romæ præfatum Graduale ſolet a Cantoribus celerius, ſeu tardius cani, ut reſpective ad functiones Diaconi commenſuretur.

Nomen Reſponſorii accepit dictum Gradale, ſive Graduale, vel quia Lectioni Sacræ Scripturæ convenire, & correſpondere debet: vel quia uno canente, Chorus conſonando reſpondet; ante autem id ſolus quiſque agebat; nunc vero unus interdum, interdum duo, vel tres communiter canunt, Choro in pluribus reſpondente. Ita Vener. Cardinal. Thomaſius *in præfatione antiq. librorum Miſſarum pagina* 21. ubi affert etiam textus variorum Ordinum Romanorum, in quibus deſcribuntur varii modi pro diverſitate temporis cantandi tale Reſponſorium, ſeu Graduale Miſſæ. Aſſerit Iſidorus *lib.* 1. *cap.* 8. *de Eccleſ. Officiis*, Reſponſoria ab Italis inventa eſſe; ſed a quo præciſe, & quo tempore inſtituta ſint, incertum eſt. Sunt qui eorum Auctorem adſtruunt fuiſſe Cœleſtinum: Alii vero Gregorium Magnum. De Gregorio certiſſimum eſt quod in ſuo Antiphonario per ordinem digeſſit, quæ in ſingulis Miſſis per Annum cantari ſolent ad uſum pſallendi, vel aliquos Pſalmi verſiculos, vel integrum Pſalmum inter Epiſtolam, & Evangelium: verum multo antiquiorem Gregorio fuiſſe ſaltem in Africa, ex Auguſtino clare oſtenditur initio ſermonis 73. Cætera quæ pertinent ad Sacram eruditionem prædicti Gradualis in Miſſa dicendi, tradit Cardinalis Bona *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. nec non Cardinalis Thomaſius, qui pariter pererudite diſcurrit de dicto Graduali in citata præfatione præfixa *ſuis antiquis libris Miſſarum, a pag.* 21. *uſque ad pag.* 29. & in alia præfatione alterius ſui operis, cui Titulus *Reſponſorialia, & Antiphonaria Romanæ Eccleſiæ pag.* 4. *& ſeqq.* Præterea agunt etiam de hoc Graduali Hugo, Menardus, Antonius Bellotte, & alii Auctores a nobis ſuperius citati in Obſervationibus ad Rubricam ſuperiorem de Epiſtola.

## R U B R I C A.

3 *Poſt Graduale dicuntur* (q) *duo Alleluja, deinde Verſus, & poſt Verſum, unum Alleluja. Tempore Paſchali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud Alleluja, poſt ſecundum Verſum: & quando dicitur* (r) *Sequentia, non dicitur poſt ultimum Verſum, ſed poſt Sequentiam.*

## *G A V A N T U S.*

(q) *Duo Alleluja.* Uſurpatur *Alleluja* in Liturgia S. Petri hoc loco. Poſt lectum lætitia ſequitur, *Rupert. lib.* 2. *cap.* 35. & peregrina vox eſt, ut idem ait, ad exprimendum peregrinum gaudium, quod in Cœleſti Hieruſalem nos manet: eſt enim vox Hebræa, quæ ſignificat, *laudate Dominum, Auguſt. in Pſalm.* 118. cum plenitudine tamen gaudii, & exultationis, Auctore *S. Thoma poſt Gloſſ. in cap.* 19. *Apoc.* unde & in diebus mœroris omittitur. *S. German. in Theoria* explicat, *Al*, id eſt venit: *El*, Deus, *via*, laudate. Alias refert ſignificationes. *Durand. lib.* 4. *cap.* 20. Primam *ex Auguſtino*, Salvum me fac Domine. Secundam *ex Hieronymo*, Cantate laudem Domino. Tertiam *ex Gregorio*, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ſed eſt *S. Germani loc. cit.* vel lux, vita, ſalus. Quartam *ex Petro Autiſſiodor.* Altiſſimus legatus eſt in Cruce, legebant Apoſtoli, jam ſurrexit. In aliam linguam transferri non debet, ſicut nec *Amen*, propter ſanctiorem auctoritatem, *Iſidor. lib.* 1. *de Div. Offic. cap.* 13. nam de Hieroſolymitana Eccleſia translata fuit ad Romanam a S. Hieronymo, juſſu Damaſi, ut docet *S. Greg. lib.* 7. *epiſt.* 63. qui & eandem vocem reſtituit *ex Rupert. lib.* 1. *cap.* 35. non ſimpliciter, ſed inſtituit, ut caneretur etiam extra tempus Paſchale; ut explicat *Baron. ex Auguſtin. in Pſalm.* 106. *cum ſcribit de Damaſo Anno* 384. quod enim erat in uſu Hieroſolymis ante Damaſum, & Damaſus Romæ ordinaverat; fortaſſe deinde omiſſum fuerat uſque ad tempora Gregorii: & ſicut *Kyrie*, vox Græca, ita & *Alleluja*, vox Hebræa a Latinis uſurpantur: ut omnis lingua in Miſſa confiteatur, quia Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. *Innoc.* III. *lib.* 1. *cap.* 33.

Quod autem dicendum ſit in Miſſa poſt Graduale, ſeu Epiſtolam, habetur *in Ordine Romano*: & geminatur ob geminam, quam expectamus, glorificationem animæ, & corporis. Additur *verſus*, & alterum *Alleluja*, quaſi intermixtum ſit Graduale, tum luctu, tum lætitia, ne deficiamus in hac vita ærumnarum plena. *Durand. loc. cit.* Quod dicitur de *Sequentia*, & *Alleluja* in hac Rubrica, habet *Burchard.* ut ultimum locum prope Evangelium impleat *Alleluja*.

(r) *Sequentia.* Diximus *ſupra*, 1. *part. tit.* 5. vocari jubilationem ab Ordine Romano; & cur dicta ſit Sequentia, docuimus *ibidem*. Primum earum Auctorem ferunt fuiſſe Abbatem Notgerum, ſeu Notherum Sancti Galli, & Nicolaum Papam eas approbaſſe, *Radulph. propoſ.* 23. Eas etiam fuiſſe in uſu Romæ tradit *Walafr. Strabo capit.* 22. Verum SS. Ambroſio, & Auguſtino adſcriptas fuiſſe aliquas Sequentias ſcribit *Durand. lib.* 2. *cap.* 22. Pulchre igitur junguntur Sequentiæ cum vocibus *Alleluja* ad explicandam Paradiſi lætitiam ineffabilem in Solemnioribus Feſtis, puta in Paſchate, & Pentecoſtes; cujus Sequentiæ, *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus, &c.* Auctor eſſe perhibetur Robertus Franciæ Rex, *apud Trithemium, & Durand. lib.* 4. *cap.* 22. *circa Ann.* 1003. vel Hermannus Contractus, *ex Ligno vitæ lib.* 5. *cap.* 70. In feſto Corporis Chriſti Auctor eſt Sequentiæ S. Thomas Aquinas: quam tamen tribuit S. Bonaventuræ *Joann. Rioche lib.* 4. *compend. temporum cap.* 71. *col.* 3. ſed primum puto verius. De Sequentia Paſchatis mentionem ſubobſcuram facit *Auctor Gemmæ Anim. lib.* 3. *cap.* 135.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

III. Gav. *Additur verſus Alleluja, &c.*) Præter ea, quæ tradit Gavantus in ſupradictis Commentariis, quoad ea, quæ ſpectant ad Sacram eruditionem dicti Hymni *Alleluja*, nonnulla exaravit Ven. Cardin. Thomaſius in cit. præfatione præfixa ſuis antiquis libris Miſſarum *pag.* 29. ubi inter cætera dicitur Sozomenum *lib.* 9. *cap.* 39. *Hiſtoriæ Tripartitæ* aſſerere ſemel in Anno, die ipſo Paſchæ tantum, *Alleluja* Romæ cantari ſolitum fuiſſe; cujus tamen dicta Card. Baronius ad diem 5. Aprilis pluribus Sancti Hieronymi teſtimoniis refellit: ſed utriuſque ſententiam conciliare ſtudet cit. Thomaſius, dicendo, quod in die tantum Paſchæ cantabatur quidem Ritu publico dictum *Alleluja*; cæteris vero diebus ex B. Hieronymi traditione quiſque ſuo arbitratu, ut mallet, *Alleluja* cantare.

Cæte-

Cæterum Sæculo ſexto jam ad Miſſas cantabatur *Alleluja* Romæ, non ſolum Paſchatis die, ſed per totam conſequentium dierum Quinquageſimam Paſchalem. Perlegantur reliqua, quæ cit. loco tradit Thomaſius, & ea quæ pariter edidit Cardin. Bona *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. circa originem, & Ritum præfati Hymni *Alleluja*.

IV. Gav. lit. r — *Primum eorum Auctorem ferunt fuiſſe Abbatem Notgerum, &c.*) Poſt *Alleluja* in aliquibus Feſtivitatibus dicitur Sequentia, quæ, ut ait Gavantus, vocatur Jubilatio ab Ordine Romano, & appellatur Sequentia, quia per cantus amœnitatem ad Sequentia præparat. Ita Hugo Victorinus *de Offic. Eccleſ. cap.* 19. vel quia ſequitur ad *Alleluja*. Dicitur etiam Proſa, quia caret lege metri, ut notat Cornelius Schulting. relatus a noſtro Gav. *tit.* 6. *hujus primæ partis lit.* e.

Quamvis Gavantus ſupra innuat primos Auctores Sequentiarum, quæ aliquando dicuntur in Miſſa; nihilominus quibus Auctoribus referendæ ſint illæ Sequentiæ, quæ dicuntur in variis Solemnitatibus, adhuc incertum eſt: varii varia tradunt: videantur igitur Cardin. Bona *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. Biſſus *lit. S. n.* 186. Grancolas *de antiq. Liturg. pag.* 511. Pallotta *cit. loc.* Marcellus de Cavaleriis *in Storia Sac. tit.* 52. & Antonius Bellotte *in ſuis obſervat. pag.* 413.

R U B R I C A.

4 *A Septuageſima uſque ad Sabbatum Sanctum* (ſ) *non dicitur Alleluja, neque dicitur in Miſſis de Feria in Adventu, Quatuor Temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur: exceptis Vigilia Nativitatis Domini,* (t) *ſi venerit in Dominica, &* (u) *Vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, ac Quatuor Temporibus Pentecoſtes. Nec dicitur in Feſto* (x) *SS. Innocentium* (y) *niſi venerit in Dominica.*

G A V A N T U S.

(ſ) *Non dicitur. Leo XI. de Conſ. diſt.* 1. *hi duo, & Concil. Toletan.* 14. *Can.* 10. prohibent in Quadrageſima dici. Vox enim tantæ lætitiæ audienda non eſt in diebus mœroris, & triſtitiæ, cujuſmodi ſunt a Septuageſima ad Sabbatum Sanctum; tum Feriæ Adventus, & quatuor Temporum; tum Vigiliæ, quæ jejunantur, *Alcuin. de Div. Offic. c. de Septuageſima.* Idem affirmat de Vigiliis *cap. de Fer.* 6. *in Paraſc.* Stillicidium eſt enim *Alleluja*, gaudii cœleſtis, *Rupert. lib.* 1. *c.* 35.

(t) *Si venerit in Dominica. Burcard.* quam nullo tempore jejunare, ſed ſemper feſtivam eſſe, Dominicæ Reſurrectionis auctoritas cogit. *Alcuin. l. c. de Feria* 6.

(u) *Vigilia Paſchæ &c. Burchar.* idem docet in duabus Vigiliis prædictis. In his autem ſolemnioribus diebus licet jejunemus, lætitiæ tamen plena ſunt omnia in Divinis Officiis celebrandis.

(x) *Sanctorum Innocentium. Burchar.* propter plorationem Rachel, quæ in figura præceſſit luctus Matris noſtræ Sanctæ Eccleſiæ; aut quia tempus erat, quo tunc ad Inferni clauſtra deſcendebant paſſi. *Alcuin. cap. Offic. Vir erat in terra.*

(y) *Niſi venerit in Dominica.* Quæ regina eſt dierum ob Domini Reſurrectionem, *ex Ignat. ſup. cit. & Alcuin. ſupra de Feria* 6.

R U B R I C A.

5 *A Septuageſima uſque ad Paſcha, ejus loco dicitur* (z) *Tractus, qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, ut ſuis locis ponitur,* (a) *nec dicitur in Feriis a Septuageſima uſque ad Quadrageſimam, quando reperitur Miſſa Dominicæ.*

G A V A N T U S.

(z) *Tractus.* De eo *in Ordine Roman.* Tractus autem, hoc eſt, luctus, *ex eodem Ordine Romano de Septuageſima*, a trahendo dictum eſt, quia tractim cantatur: *Alcuin. de Septuageſ.* & veluti tractæ voces lugubres gemitibus, & ſuſpiriis admixtæ ſunt, *Azor. lib.* 10. *cap.* 36. *quæſt.* 8. Auctor tractuum, vel Cœleſtinus apud *Bernonen. de Officia Miſſæ cap.* 25. vel Gelaſius apud *Rupert. lib.* 2. *de Div. Offic. c.* 21. vel Teleſphorus apud *Duran. lib.* 4. *c.* 21. vel hi omnes perfecere.

Humilitatis vero Tempore dici ſolet, & ſemper in cauſa humilitatis ponitur, *Amalar. lib.* 2. *cap.* 3. unde a Septuageſima ad Paſcha locum habet Tractus; quia tunc mortem, quæ intravit in Mundum per invidiam Diaboli, lugemus, *Rupert. lib.* 5. *cap.* 13. vel miſeriam vitæ præſentis, *Innoc.* III. *lib.* 2. *c.* 32.

(a) *Nec dicitur.* Iis certe diebus cantatur Tractus, quibus frequentior eſt Populus, ut ad luctum excitetur, nempe Dominicis diebus, & in Quadrageſimæ Feriis ſecundis, quartis, & ſextis, *Duran. lib.* 4. *c.* 21.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

V. Gavant. lit. z. — *Tractus dicitur a trahendo &c.*) Omnes Rubricarum interpretes conveniunt cum Gavanto, circa hujus nominis *Tractus* etymologiam, cum vere dicatur a trahendo: quia revera continuata ſerie modulationis (ut ait Card. Thomaſius in præfat. ſuperius cit.) unius Cantoris non interrupta reſponſionibus aliorum intercinentium perageretur; ſic enim *tractim canere* dicitur cantor, quemadmodum Latini *tractim dicere, tractim tangere, &c.* a trahendo, ſcilicet in longum ſine intermiſſione, non interrumpendo ſeriem Orationis, aut percuſſionis, vel ſuſurri. Amalarius *lib.* 3. *c.* 12. Hoc autem eſt diſcrimen inter Reſponſorium, & Tractum, quod primo Chorus reſpondet; Tractui vero nemo. Ex eodem Amalario cit. ab eodem Card. Thomaſio. Tractus totus dicebatur ab uno ſolo Cantore, qui erat diverſus ab illo, qui cantabat Graduale, ſive Reſponſorium.

Alia, quæ ſpectant ad originem, & Ritum prædicti Tractus, traduntur a cit. Cardin. Thomaſio, necnon a Card. Bona *lib.* 2. *c.* 7. *pag.* 5. a Stephano Duranti de Ritibus Eccleſiæ *lib.* 2. *c.* 2. & a cæteris aliis Auctoribus, a nobis ſupracit. qui agunt erudite de omnibus Miſſæ partibus.

R U B R I C A.

6 *Dicto Graduali, ſeu Alleluja, ſeu Tractu,* (b) *dicitur Evangelium;* (c) *& in principio Evangelii dicitur: Dominus vobiſcum. Reſpondetur: Et cum ſpiritu tuo.* (d) *Deinde: Sequentia Sancti Evangelii ſecundum N. Reſpondetur:* (e) *Gloria tibi Domine:* (f) *In fine Evangelii a Miniſtro reſpondetur; Laus tibi Chriſte. Quod etiam dicitur in fine illius partis Paſſionis, quæ legitur in tono Evangelii,* (g) *præterquam Paraſceve. Poſtea ſi dicendum eſt, dicitur Credo.*

G A V A N T U S.

(b) *Dicitur Evangelium.* Vox Græca, quæ latinitate donata ſonat bonum nuntium, *Iſidor. lib.* 1. *c.* 11. accipitur hic pro textu hiſtoriæ Evangelicæ: quem Apoſtoli in Miſſa legebant; quod *Sculting. part. cap.* 19. ex eo Pauli deducit, quod de Luca ait: *Cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* Succeſſores Apoſtolorum legi curarunt in Miſſa, ut teſtantur *Liturgiæ omnes, & Strabo c.* 22. Alexander Papa firmavit uſum Decreto, *Radulph. propoſ.* 23. *& Gemma lib.* 1. *cap.* 88. eſt autem Evangelium principale omnium, quæ dicuntur in Miſſa: ſicut enim caput corpori præeminet, & illi reliqua conſentiunt; ita Evangelium ſe habet cum toto Miſſæ Officio, *Rupert. lib.* 1. *c.* 37. Verbum verbi eſt, Sermo ſermonis, & Sapientia Sapientiæ. *Innocentius* III. *lib.* 2. *c.* 47. Evangeliarium per Annum Hieronym. compoſuit, ex *Gemma lib.* 1. *c.* 87. certas enim ſtatas Lectiones Evangelicas legi teſtatur *Auguſtinus Prolog. in epiſt. Joann.*

(c) *Et in principio Evangelii.* Ita *Ordo Romanus*; ut Populus, ait, ſilentium præbeat, attentus, & benevolus fiat; quod oſtendit ille per ea verba: *Et cum ſpiritu tuo*: quod notat *Rupert. lib.* 1. *c.* 36. nam & Apoſtoli ſalutabant primum dicentes: *Pax huic domui, Gemma lib.* 1. *cap.* 23.

(d) *Deinde Sequentia, &c.* Ex *Ordine Romano*, quo docilis etiam fiat idem Populus. *Rupert. loc. cit.* Sequentia vero hoc loco eſt numeri pluralis, id eſt, ea quæ ſequuntur in Textu Evangeliſtæ, *Durand. lib.* 4. *cap.* 23.

(e) *Gloria tibi, Domine. Chryſoſt. in Liturgia.* Dicat qui promptior non eſt, ut cum fructu capiat verba Evangelii, *Gloria tibi, Domine*, ita *Amal. lib.* 3. *cap.* 18. vel qui capiunt, Glorificant Dominum, qui mittit Verbum ſalutis; ut dicitur *Actorum* 11. *Rupert. lib.* 1. *cap.* 36. Vel Sapientiam, & ſermonem Dei hunc eſſe, omnes nos credentes clamans: *Gloria tibi Domine.* Ita explicant *Sanct. Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum.*

Ante Textum Evangelii præmittitur: *In illo tempore*: præterquam quando eſt initium Evangelii, vel in primis verbis Textus deſcribitur tempus proprium illius narrationis, ut *Anno quintodecimo; Eliſabeth impletum eſt, &c.*

(f) *In fine Evangelii* refert *Durand. lib.* 4. *c.* 24. varios Ritus: quidam dicebant *Amen*, hoc eſt, verum vel fiat. Alii, *Deo gratias.* Alii *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Nos Chriſtum laudamus, de quo narratum eſt in Evangelio: ſed verba non ſunt antiquiora Burcardo, qui ea refert, & ante eum nemo.

(g) *Præterquam in Paraſc.* quæ Chriſto fuit dies improperii, non laudis.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VI. Rubric. & Gavant. lit. h — *Dicitur Evangelium, &c.*) Morem legendi Evangelium in Miſſa, antiquiſſimum eſſe, ab Apoſtolis derivatum, nemo eſt, qui in dubium revocet, cum omnes SS. Patres, hanc veritatem conteſtentur; quorum auctoritates congerit Cardinalis Bona *lib.* 2. *cap.* 7. necnon Joſaph Catalanus in ſuo recenti, & erudito opere, *de Codice Sancti Evangelii lib.* 2. *cap.* 1.

VII. Rubric. eadem litera h — *In principio Evangelii, &c.*) Evangelium, quod in Miſſa Privata legitur a Sacerdote celebrante, in Miſſa Solemni, antiquitus legebatur ab aliquo ex Lectoribus, ad quos ſpectabat Divinæ Scripturæ Lectiones in Eccleſia recitare, ut tradit Sanctus Cyprianus *ep.* 34. qui Aurelianum, & Cœleſtinum Confeſſores ad Lectoris gradum, ut Evangelium legerent, evexerat. In Hiſpania vero id quandoque Subdiaconos præſtitiſſe conſtat ex Concilii primi Toletani *Canon.* 4. celebrati Anno 401. Certum nihilominus eſt præſentem

Ritum

Ritum recitandi Evangelium a Diacono in Miſsa ſolemni antiquiſſimis etiam temporibus in Eccleſia, tam Græca, quam Latina viguiſſe: id enim ſtatutum legimus *lib. 2. Conſtit. Apoſtol. cap. 57.* & a Concilio Vaſenſi coacto Anno 529. cujus Canon 2. hæc habet: *Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſe ipſum non potuerit prædicare: SS. Patrum Homiliæ a Diaconibus recitentur: ſi enim ſunt digni Diaconi, quæ Chriſtus in Evangelio locutus eſt, legere; quare indigni judicentur SS. Patrum expoſitiones publice recitare?* ejuſdem antiqui Ritus mentionem facit Hieronymus in Epiſtola ad Sabinianum, ubi ait: *Evangelium Chriſti, quaſi Diaconus lectitabas.* Aliæ auctoritates, quibus confirmari poteſt hæc veritas, adducuntur a Cardin. Bona, & a Joſepho Catalano, nec non a Biſſo *tom. 1. litt. E. n. 547. §. 1. & ſeqq.*

Idem præfatus Bona obſervat cum aliis eruditis, quos ſuppreſſo nomine citat, ſolemnem hanc Evangelii lectionem non fuiſſe olim tributam Diacono ex vi ordinationis: quamvis enim antiqui Sacramentorum Codices, Evangelii a Diacono lecti meminerint; nunquam tamen in eorum Ordinatione, traditum eis librum Evangeliorum apparet, nec ea verba prolata, quæ hodie in uſu ſunt: *Accipe poteſtatem; &c.* quæ forma deeſt etiam in antiquiſſimo Codice MS. Bibliothecæ Caſanatenſis, qui continet Ritus conferendi Sacros Ordines.

Cætera ſpectantia ad Ritus, & Cæremonias adhibitas in cantando ſolemniter Evangelium a Diacono, quibus ornatus veſtibus, qua in parte Eccleſiæ, quibus luminibus, quomodo prævia thurificatione, & alia hujuſmodi, videri poſſunt apud cit. Auctores, nimirum, Cardin. Bona, Joſephum Catalanum, Antonium Bellotte, Grancolas *loc. cit.* Martene *lib. 1. art. 5. de antiq. Eccleſ. Ritibus.* Solum hæc pauca hic lubet tradere, nimirum quod Diaconus priſcis temporibus in ambone Evangelium legebat, erantque in Eccleſia, pro viris, & mulieribus loca diſtincta. Diaconus vertebat ſe verſus Meridiem, ad partem ſcilicet virorum, at nunc vertitur ad Aquilonem: cujus mutationis cauſam, & originem ex Miſſis Privatis proceſſiſſe, in quibus Sacerdos non in ambone, ſed in Altari verſus Septentrionem legit Evangelium, tradit Micrologus *lib. 1. cap. 9.* Hinc apparet quam verum ſit, multa hodie pro Lege haberi in his, quæ pertinent ad Eccleſiaſticas obſervationes, quæ partim ex abuſu irrepſerunt: quorum originem, cum recentiores ignorent, varias conantur congruentias, & myſticas rationes invenire; ut ea ſapienter inſtituta vulgo perſuadeant. Porro iſti, ut ſcite Hieronymus de Origine dixit: *Ingenii ſui adinventiones faciunt Eccleſiæ Sacramenta:* quibus autem Cæremoniis impræſentiarum utatur Diaconus in Miſſa ſolemni, & Sacerdos in Miſſa Privata, quando legitur Evangelium, nos exacte tradimus, inſiſtendo Gavanti veſtigiis *in part. hujus ſui Theſauri tit. 6.*

De Symbolo XI.

## R U B R I C A.

(h) S*Ymbolum dicitur* (i) *poſt Evangelium* (k) *in omnibus Dominicis per Annum, etiamſi in illis fiat de Feſto, in quo aliàs non diceretur, vel Dominica vacet.* (l) *In tribus Miſſis de Nativitate Domini, & deinceps uſque ad octavam B. Joan. Apoſtoli incluſive.* (m) *In epiphania, & per Octavam. Feria quinta* (o) *in cœna Domini* (o) *In Paſchate Reſurrectionis, & per Octavam.* (p) *In Aſcenſione Domini, & per Octavam.* (q) *In Pentecoſte, & per Octavam.* (r) *In Feſto Corporis Chriſti, & per Octavam.* (ſ) *In omnibus Feſtis Beatæ Mariæ, & per Octavas.* (t) *In Feſtis duodecim Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, & per Octavas.* (u) *In utraque Cathedra Sancti Petri, & in Feſto S. Petri ad Vincula. In Feſtis Converſionis, & Commemorationis S. Pauli Apoſtoli. In Feſto S. Joannis ante portam Latinam. In Feſto S. Barnabæ Apoſtoli.* (x) *In Feſtis Inventionis, & Exaltationis S. Crucis.* (y) *In Transfiguratione Domini.* (z) *In Feſtis Angelorum.* (a) *In feſto S. Mariæ Magdalenæ.* (b) *in Feſtis quatuor Doctorum, videlicet, Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, & Hieronymi, addito Feſto S. Thomæ de Aquino, & S. Bonaventura. Item in Feſtis Doctorum, Athanaſii, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, & Joannis Chryſoſtomi.* (c) *In die Octavarum S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentii.* (d) *In Feſto omnium Sanctorum, & per Octavam.* (e) *In Dedicationibus S. Salvatoris, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli. In Anniverſario Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & per Octavam. In die* (f) *Conſecrationis Eccleſiæ, vel Altaris. In Feſtis Sanctorum,* (g) *quibus dedicata eſt Eccleſia, & ubi* (h) *habetur Corpus, vel inſignis Reliquia Sancti, de quo agitur. In die Creationis, & Coronationis Summi Pontificis, & in Anniverſario ejuſdem diei. In die, & in Anniverſario* (i) *Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi. Item in omnibus Feſtis,* (k) *quæ in Dominicis, & infra Octavas celebrantur, in quibus ratione Dominicæ, & Octavæ dici debet. Item in Feſto* (l) *Patroni alicujus loci, vel Tituli Eccleſiæ (non autem alicujus Capellæ, vel Altaris) & in Feſtis Principalibus Ordinum, & per eorum Octavas, in Eccleſiis tantum illius Ordinis. Item dicitur Credo, in Miſſis Votivis, quæ ſolemniter pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa celebrantur, etiamſi dicantur in paramentis violaceis in Dominica.*

## *G A V A N T U S.*

(h) *Symbolum.* Hoc eſt indicium, ſeu ſignum, ſeu collatio: quia Symbolum Apoſtolorum eſt indicium Fidei, ejuſdemque Regula, & continet omnes articulos ejuſdem, ut ait *Iſidor. lib. 2. de Div. Offic. c. 2.* Hymnologia Catholica, ſeu Hierarchica Euchariſtia dicitur a Dionyſ. *apud Lyndanum ad Liturgiam S. Petri.* Symbolum autem, quod recitamus in Miſſa, non eſt Apoſtolorum, quod initio Eccleſiæ cantabatur in Miſſa *ex Dyoniſ. Areop. c. 3. de Eccleſ. Hierarch. & habetur in Liturgia S. Petri.* Neque eſt Nicænum, quod deinde recitari juſſit in Miſſa Sanctus Marcus, qui Sancto Sylveſtro ſucceſſit, *ex Bernone cap. 25. de Officio Miſſæ;* quod tamen negat Baronius *Anno 325. & probat ex Ruffino in Symbolum;* ſed eſt Conſtantinopolitanum, cum additione, *Filioque procedit,* facta in Concil. Toletan. ſub Leone I. *ex Baron. Anno 447.* ſeu in Concil. Rom. a Damaſo, ut probat *Stephan. Durand. lib. 2. c. 24.* & optime. Quod Symbolum idem Damaſus Papa dici decrevit, *ex Rupert. lib. 2. cap. 21.* & quaſi eſſet aptis modulis ſonorum, inquit *Strabo cap. 22.* Neque tamen Conſtantinopolitanum purum, ſed dici poteſt Eccleſiaſticum, *ex Demochare tom. 4. c. 15.* Purum enim a Gregor. Nyſſeno ſcriptum fuit, & approbatum in Concil. Conſtantinopol. *ex Niceph. lib. 12. c. 15.* de quo *Baron. Ann. 381.* quod paulo diverſum eſt ab eo, quod dicimus. Romæ vero non dicebatur, ut ex mox dicendis patebit.

(i) *Poſt Evangelium.* Ex Decreto S. Marci Symbolum poſt Evangelium dicitur. *Radulph. propoſ. 23.* ut per Sanctum Evangelium corde credatur ad juſtitiam, & per Symbolum ore fiat confeſſio ad ſalutem: *Strabo c. 22.* omnes enim errorum impietates, perfidiæque blaſphemias calcat, & ob hoc in univerſis Eccleſiis pari confeſſione a Populo conclamatur, *Iſidor. lib. 1. c. 16.* Dicendum eſt autem, quod ideo Eccleſia Romana non recitabat, quia (ut inquit Berno ſe hoc audiviſſe a Romanis) nulla unquam fuit hæreſeos fæce infecta. Nam Henric. Imper. inſtante, Benedictus Papa Octavus hunc Romæ Ritum inſtituit, *ex eodem Bernone,* qui aderat, *cap. 2. de quibuſdam ad Miſſam ſpect.* Baron. quoque Ann. 1014. ſub Benedicto VIII. cœptum eſt Symbolum Conſtantinopolitanum dici in Miſſa Romæ, ita ut non antea, tradit, & dolet mutatum fuiſſe Romæ hunc Ritum, Romanæ Fidei intemeratæ teſtem.

(k) *In omnibus Dominicis. Walafr. Strabo cap. 22. ex Concilio Toletano:* quia in Symbolo habetur articulus Reſurrectionis Chriſti. *Innoc. III. lib. 2. c. 51.*

(l) *In tribus Miſſis.* De natali Domini docet *Microl. cap. 46.* De Octava, quia omnes dies infra Octavam pro una Feſtivitate computantur, ut tradit *Radulph. propoſ. 23.* & quia Octavæ ſignificant reſurrectionem mortuorum, quæ continetur in Symbolo. *Innoc. III. loc. cit.* Sed adverte, quod in Octava S. Stephani dicitur *Credo* propter Octavam S. Joannis Apoſtoli; de quo eſt eadem regula cum Apoſtolis, ut mox dicemus.

(m) *In Epiphania. Microlog. ubi ſupra:* quia Feſtum Domini, & in eo celebratur præterea Feſtum Baptiſmatis, de quo in Symbolo, *Confiteor unum Baptiſma;* quod adnotavit *Innocentius Tertius loco cit.* ubi & Symboli meminit infra Octavam Epiphaniæ recitandi.

(n) *In Cœna Domini. Innocentius Tertius loc. cit.* quia, inquit, ad Euchariſtiam reſpicit illud: *Sanctorum communionem:* quod quamvis non legatur in Symbolo Miſſæ Conſtantinopolitano; puto contineri tamen in eo ejuſdem verbo: *Unum baptiſma:* per quod una eſt Sanctorum generatio, & per Euchariſtiam deinde, quæ lac dicitur *1. Pet. 2.* una lactatio, & nutritio: vel in eo verbo: *unam Sanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam,* ut explicat *Durand. lib. 4. c. 25.*

(o) *In Paſchate Reſurrectionis, Radulph. & Innoc. locis citatis:* & ratio patet, quia de Reſurrectione Domini in Symbolo fit Commemoratio.

(p) *In Aſcenſione Domini.* Quia Feſtum Domini, *Micrologus,* & habetur articulus: *Innocentius Tertius.*

(q) *In Pentecoſte. Radulphus ſupra,* quia dicitur: *Credo in Spiritum Sanctum;* ut ait *Innocentius Tertius.*

(r) *In Feſto Corporis Chriſti.* Ratione ſupra allata de Cœna Domini. Urbanus Quartus inſtituit.

(ſ) *In omnibus Feſtis B. Mariæ. Microl. c. 46.* quia de ea in Symbolo *Innocent. Tert.* qui tamen mentionem facit Oct. tantum Aſſumptionis B. Virginis; non Octavæ Nativitatis ejuſdem.

(t) *In Feſtis duodecim Apoſtolorum.* De Apoſtolis *Microlog. loc. cit.* quia Symboli Auctores, & quia dicitur in Symbolo, *Apoſtolicam Eccleſiam,* quod habet *Durand. lib. 4. cap. 25.* Evangeliſtæ cenſentur Apoſtolici viri, & Symbolum in eorum Feſtis dicebatur, *teſte Durando ibidem.*

(u) *In utraque Cathedra &c. Microl. loc. cit.* & ratio patet, ex titulo Apoſtolico, de ſeptem his Feſtis.

(x) *In Feſtis Inventionis, &c. Microlog. ibid.* de his duobus

bus Feſtis, & de Cruce fit mentio in Symbolo: *Crucifixus etiam pro nobis*.

(y) *In Transfiguratione Domini. Durandus ibidem tradit.* Feſtum Chriſti eſt: non ergo renueret *Micrologus*, *nec Innocent.* III. quorum temporibus hoc Feſtum deſiderabatur.

(z) *In Feſtis Angelorum, Innoc.* III. *loc. cit.* docet: & ea ratione, quia cum dicimus *Creatorem Cœli, & Terræ* intelligimus Deum Creatorem Angelicæ naturæ, & humanæ: in Symbolo Miſſæ expreſſe dicitur *& inviſibilium*, hoc eſt, Angelorum: A Damaſo decretum fuiſſe Symbolum in Feſtis Angelorum, ſcribit *Craſſus lib. 2. c. 30. in ſuo Cæremoniali*.

(a) *Sanctæ Mariæ Magdalenæ*. Favet *Innoc.* III. quia in Chriſti Reſurrectione ea fuit Apoſtolorum Apoſtola.

(b) *Quatuor Doctorum*. Ea ratio eſſe poteſt, quia ipſi docuere Populos, & explicatunt Symboli Myſteria: eo verbo quoque fortaſſe ſignificant, *Catholicam Eccleſiam*: argumento ſimili ſumto a Durando ſupra in verbo *Apoſtolicam*, pro Apoſtolis. Et in Feſtis quidem quatuor Doctorum Latinorum dici teſtatur *Burchardus*: imo dicitur etiam fuiſſe decretum a Gregorio XI. & Urbano VI. in aliis Græcorum, & Sancti Thomæ juſſit Pius V. ſicut & Sixtus V. illud addidit Feſto Sancti Bonaventuræ.

(e) *Octavarum S. Joannis Baptiſtæ, &c.* Ita *Innocent.* III. ſed ea, inquit, de cauſa, quia veniunt infra Octavas Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Aſſumptionis B. Virginis; unde & Præfationes dicuntur de Apoſtolis, & de B. Virgine. Qua ratione dicitur etiam Symbolum in eorum Feſtis, ſi occurrant infra Octavas alicujus Patroni loci, ſeu Tituli Eccleſiæ; licet de Octava nulla fiat Commemoratio in prædictis Feſtis.

(d) *Omnium Sanctorum. Microl. loc. cit.* & ratio eſt; quia in hoc Feſto veneramur B. V. Apoſtolos, & alios, quibus congruit recitatio Symboli. *Innoc.* putat hoc Feſtum eſſe Dedicationis Eccleſiæ omnium Sanctorum, de qua ſtatim.

(e) *In Dedicationibus. Microlog. loc. cit.* addit & cauſam *Innoc.* quia in Symbolo dicitur: *Sanctam Eccleſiam*, & valet in quatuor his feſtivis caſibus Eccleſiarum.

(f) *Quibus dedicata eſt Eccleſia*. Scribit *Duran. lib. 4. c. 25.* hoc fuiſſe in uſu apud quoſdam.

(g) *Habetur corpus &c.* Symboli recitatio, cum ſit nobiliorum Feſtorum propria, videtur addere ſolemnitatem Miſſæ, in qua illud præter ſupradictos dies recitatur; & idcirco extenditur ad præſentem, & ſequentes caſus in Rubr. deſcriptos. In Translatione vero Sanctorum non dicerem Symbolum, niſi Officium ſit Duplex; quod Translationi principalis tantum Patroni concedere ſolet Sacra Rituum Congregatio.

Uſus recitandi Symboli in Feſtis Sanctorum, quibus dicata eſt Eccleſia, ſeu ubi habetur inſignis Reliquia, non fuit, ut opinor, ante Annum 1393. in quo Bonifacius IX. conceſſit recitari Symbolum in Feſto S. Franciſci in propria Eccleſia, & ubi corpus ejus requieſcit; ut refert F. Lucas Wadingus *tom. 4.* Annal. eodem Anno *n. 1.*

Quæ vero ſit inſignis reliquia Sancti, ratione cujus dici queat *Credo* in Miſſa, eam eſſe ne dubites, ratione cujus Offic. Duplex recitari poteſt. Gregor. XIII. Ann. 1573. conceſſit Eccleſiis Hiſpaniarum, ut poſſint facere Offic. Duplex de Sancto, cujus habetur caput, brachium, crus; quibus Sacra Rituum Congreg. die 8. Aprilis 1682. tanquam inſignem reliquiam addidit eam partem corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva. Quod ſi corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in Miſſa recitari debet: prædicta vero intellige de Reliquiis approbatis, ut declaravit eadem Sacra Congregat. *die 3. Junii* 1617. & præterea *die* 8. *Aprilis* 1628.

(h) *Creationis &c.* Et jure in tribus his caſibus: quia Domnus Apoſtolicus nominatus in Litaniis, caput eſt Eccleſiæ Cathedralis, & Apoſtolicæ, de qua & in collectis, quia pares ſunt illæ duæ pro Eccleſia, & pro Papa, quæ cum alternativa ad libitum Sacerdotis præſcribuntur.

(i) *Electionis, &c.* Si in Conſecratione Eccleſiarum, quanto magis in Conſecratione Epiſcoporum, & pertinent Epiſcopi ad eum articulum: *Catholicam Eccleſiam*. Audi Ambroſium *in Oratione de obitu fratris ſui*: Advocavit Satyrus ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit, niſi veræ Fidei gratiam, percunctatuſque ex eo eſt, utrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana conveniret Eccleſia. Denique Vicarii ſunt Apoſtolorum, ut dicitur *in Ordine Romano, ex Concilio Nicæno c. 4. de Conſecratione Epiſcopi*. In die Conſecrationis Epiſcopi aſſerit dici Symbolum, *Burchardus*.

(k) *Quæ in Dominicis. Innoc.* VII. decrevit dici *Credo* in Feſtis S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentii, quando veniunt in Dominicis; *ut in Breviario Veneto* 1521. *narratur*: & hac eadem ratione dicendum erit etiam Symbolum in Vigiliis Nativit. Domini & Epiphaniæ: & in Octava Innocentium ſi venerint in Dominica, nimirum ratione Dominicæ vacantis.

(l) *Patroni alicujus loci*. Patronus & Titularis Eccleſiæ ſunt quidem primæ Claſſis: non ideo tamen illis convenit, ut dicatur *Credo*, quia non dicitur in Feſto S. Joannis Baptiſtæ, quod eſt primæ Claſſis; ſed quia cum locus fiat celebrior, concurrente Populo ad Feſtum Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ, æquum eſt, ut Sanctam Fidem Populus ibidem cum Clero conclamet, & profiteatur. Dicitur *Credo* in Feſto S. Joannis Baptiſtæ in propria Eccleſia, ob locum, & concurſum Populi; & ob eundem concurſum dicitur etiam in Miſſis Votivis, quæ ſolemniter celebrantur pro re gravi, *de qua vide ſupra tit. 8. n. 4.* * Solus autem concurſus Populi ſine alio Solemnitatis titulo, non facit, ut legitime dicatur *Credo*, ex Rubricis: alioquin in Eccleſiis ruralibus in omnibus Feſtis diceretur *Credo*.

In Vigiliis autem, quæ veniunt infra Octavam, & habent Symbolum, non tamen dicitur Symbolum, ſicut neque Hymnus Angelicus, quod habetur in Miſſali ex ſimili Rubrica, in Miſſa Litaniarum majorum in Feſto S. Marci; eadem enim eſt ratio in his Feriis majoribus: imo a fortiori, ſi non in Rogationibus; ergo nec in Vigiliis, quibus illæ præſtant.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. litt. h. - *Symbolum autem, quod recitatur in Miſſa, non eſt Apoſtolorum, quod initio Eccleſiæ, &c.*) Ejectis ab Eccleſia Catechumenis, pœnitentibus, & aliis, qui finito ſermone in ea remanere non poterant, incipit Miſſa Fidelium, cujus initium deſumitur a Symbolo; quod diebus Dominicis, & in aliis quibuſdam Feſtis cantari conſuevit. Triplex autem eſt Symbolum. Primum Apoſtolorum, ab ipſis ſcilicet Apoſtolis conditum, quo ſolo velut teſſera Fidei noſtræ, uſa eſt Eccleſia uſque ad tempora Nicæni Concilii. Secundum eſt ab ipſa Synodo Nicæna compoſitum contra hæreſim Arianam. Tertium denique eſt Conſtantinopolitanum a Synodo prima Conſtantinopolitana vulgatum adverſum Macedonii errores; quod Symbolum, cum in paucis differat a Nicæno, non raro ab Auctoribus cum iſto confunditur; ut fit etiam a nobis, qui Symbolum Conſtantinopolitanum recitantes in Miſſa, Nicænum appellamus. Eſt & aliud Symbolum, quod vulgo creditur Athanaſii Alexandriæ Patriarchæ; ſed nullus eſt illius uſus in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

Apoſtolorum Symbolum primis Eccleſiæ temporibus inter Miſſarum ſolemnia recitari conſueviſſe, Gavantus hic, & Antonius Bellotte *in ſuis obſerv. ad Rit. Eccleſ. Laudun. p.* 437. ex Dionyſio Areopagita, & S. Petri Liturgia demonſtrare conatur. Verum cum & opera ſub nomine Dionyſii Areopagitæ vulgata, aliqui docti Scriptores ſuppoſititia eſſe contendant, & Liturgia S. Petri, qualis modo edita eſt, ſit a quopiam Græco recentiore conſcripta; nullum ex his ſcriptis argumentum certum peti poteſt pro Gavanti ſententia. Itaque prorſus incertum eſſe putamus, num tribus primis Eccleſiæ Sæculis Apoſtolorum Symbolum alicujus fuerit uſus in Sacrificio Miſſæ. De Nicæno igitur tantum, vel Conſtantinopolitano, quæſtio inſtitui poſſe videtur. Quis illud in Liturgia primum dici præceperit, adhuc ignoratur. Radulphus Tungrenſis *propoſ.* 23. & Berno Augenſis *c.* 25. quorum ſententiam amplexi ſunt Gavantus hic, aliique Scriptores, exiſtimant a Marco Summo Pontifice Sylveſtri ſucceſſore decretum fuiſſe, ut Nicænum Symbolum in Sacrificio Miſſæ decantaretur. At Innocentius III. *lib.* 3. de Miſteriis Miſſæ *c.* 4. cum pluribus aliis ſcribit Sanct. Damaſum illud ad exemplum Græcorum recitari juſſiſſe: Verum hæc & ſine ullo antiquo teſte dicuntur, & ipſis antiquis teſtibus contradicunt. Græci enim in vivis degente Damaſo Papa, nondum hunc Ritum admiſerant: ſcribit enim Theodor. Lector *Hiſtor. Eccleſ. pag.* 563. edit. Valeſ. quod Timotheus Conſtantinopolitanus Epiſcopus *Symbolum Fidei trecentorum, & octodecim Patrum in ſingulis Collectis recitari præcepit in odium Macedonii*, quaſi *ille non ſuſciperet Symbolum, quod antea ſemel recitabatur quotannis die Magno Paraſceves, ſive Dominicæ Paſſionis, dum Epiſcopus baptizandos catechizaret*. Idem vero Theodorus poſt, & Nicephorus Calliſtus *lib. 15. c. 28.* ſcribunt Petrum Fullonem inſtituiſſe, ut Symbolum in omni Conventu recitaretur, quæ in ſpeciem pugnantia, Bona atque Martene ita conciliari poſſe contendunt, ut Petrus in Antiochena, Timotheus in Conſtantinopolitana Eccleſia, hunc morem induxerint.

Ab Orientalibus paulo poſt tranſiit ad Hiſpanos hæc diſciplina. Legitur de hac re Canon 2. Synodi Toletanæ 3. ſub Recaredo Rege coactæ Anno 589. *Sancta conſtituit ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, & Galleciæ* (putat Martene legendum eſſe *Galliæ* Narbonenſis ſcilicet) *ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt CL. Epiſcoporum Symbolum Fidei recitetur, & priuſquam Dominica dicatur Oratio, voce clara Populo decantetur*. Serius cœpit hic Ritus in Gallia, atque Germania, nimirum ſub Carolo Magno ineunte Sæculo nono, id eis permittente Leone III. Pontifice; ut colligitur ex collatione habita inter Breviarum Vormatienſem Epiſcopum, Jeſſe Ambianenſem, & Adalardum Abbatem Corbejenſem cum præfato Leone. Hæc collatio recitatur a Baronio ad Ann. Chriſti 804. *n.* 60. Hinc Walafridus Strabo *cap.* 22. libri de Rebus Eccleſiaſt. ſcribit - *Apud Gallos, & Germanos poſt dejectionem Felicis hæretici ſub glorioſiſſimo Carolo Francorum Rectore damnati idem Symbolum latius, & crebrius in Miſſarum cœpit Officiis recitari* - Quæ verba inquit Martene *de antiq. Eccleſ. Ritib. lib. 1. c. 4. art. 4. pag.* 376. indicare videntur jam antea Symbolum in Miſſis recitatum fuiſſe; ſed non ita latius, & crebrius, ac poſt damnatum Felicem: ut quod aliquando, & aliquibus in locis duntaxat erat in uſu, poſtmodum ab omnibus ubique frequentaretur.

Sa-

Digitized by Google

Supereſt quæſtio de tempore, quo Symbolum Conſtantinopolitanum in Miſſa recitari cœpit apud Romanos; quæ ſane quæſtio magnam difficultatem involvit. Berno Augienſis Abbas in lib. de Rebus ad Miſſam pertinentibus *c.* 2. tradit Romanam Eccleſiam uſque ad tempora Henrici Imperatoris Symbolum poſt Evangelium non decantaſſe - ſed ab eo interrogati, inquit Berno, cur ita facerent, me coram aſſiſtente, audivi eos hujuſmodi Reſponſum reddere, videlicet, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fæce infecta; ſed ſecundum Sancti Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcuſſa; & ideo magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea deſiit, quam omnium conſenſu id Domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam Miſſam illud decantarent - Id contigit Anno 1014. Ab hoc igitur Anno jubente Benedicto VIII. cœpit Romæ cantari Symbolum, & ideo, inquit Cardin. Bona *lib.* 2. *c.* 8. §. 2. nec in Ordine Romano, nec in priſcis Sacramentorum Codicibus, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Remigium, & alios, qui ante prædictum Annum Romanæ Miſſæ Ordinem explanarunt, ulla Symboli mentio reperitur. Placuit hæc opinio viris eruditiſſimis, Baronio, Menardo, Chriſtiano Lupo, Antonio Bellotte, Grancolaſio, imo & Gavanto noſtro, & innumeris aliis. Verum Doctiſſimus Mabillon in Commentario *c.* 6. *pag.* 43. fretus auctoritate Ordinum Romanorum, 2. 5. & 6. longe ante Annum 1014. Symbolum in Pontificali Miſſa recitatum exiſtimat. Et ne quis ſecundum Ordinem interpolatum ſuſpicetur, refert Amalarium in Ecloga ſuper hoc libello, eundem locum commentari. Quare per illud intervallum, quod a Sæculo nono ad undecimum effluxit, Symboli recitationem intermiſſam a Romanis arbitratur. Edmundus Martene loc. cit. Mabillonii Sententiam amplexus eſt, quam etiam prolatis Walafridi, & Leonis Tertii auctoritatibus confirmavit. Negat tamen Sæculo decimo intermiſſam fuiſſe Romæ recitandi Symboli conſuetudinem: nam, inquit, ſi Bernonis verba attenta mentis conſideratione perſcrutemur, non negant abſolute apud Romanos Symbolum in Miſſa dictum fuiſſe, ſed decantatum; quia revera ſolemni modulatione, ut in aliis Eccleſiis non cantabatur, ſed ſolum recitabatur: cujus reſponſionis teſtem ampliſſimum profert Leonem III. in præcitata collatione cum Aquiſgranenſis Concilii Legatis - *Quod vero*, inquit Leo, *aſſeritis, ideo vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe. Quid ad nos? nos enim idipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere quidpiam eidem Symbolo inferendo præſumimus.* - Hanc nos opinionem libenter amplectimur, quamquam ſecundus Ordo Romanus objici poſſe videatur; in quo *pagina* 46. iſta leguntur: *poſt lectum Evangelium candelæ in loco ſuo extinguuntur, & ab Epiſcopo, Credo in unum Deum, cantatur.* Verum cum dicat Symbolum ab Epiſcopo, non autem a Choro fuiſſe cantatum, ut ante dixerat de Hymno *Gloria in Excelſis*; illa verba de ſimplici Lectione intelligi poſſe videntur. Hoc modo explicari non poſſunt verba Ordinis 6. *Sin autem Epiſcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere*, Credo in unum Deum: *& ita omnis Chorus incipiens*, Patrem omnipotentem, *ad finem uſque perducat*. Sed hunc Ordinem in uſu fuiſſe apud Romanam Eccleſiam ante undecimum Sæculum certo argumento probari non poteſt. Quod ſi quis Ordinem hunc ante Sæculum undecimum ſcriptum eſſe contenderit; interpolatum tamen fuiſſe negare non poterit, cum in eo iſta legantur: *Epiſcopo dicente* per omnia Sæcula Sæculorum *accipiat benedictionalem librum, & converſus ad Populum dicat*, humiliate vos ad benedictionem, *& Clero reſpondente* Deo gratias, *porrigat Epiſcopo*; quem Ritum nunquam ab Eccleſia Rom. fuiſſe ſervatum, nullus ignorat.

II. Rubr. & Gavant. lit. i - *Poſt Evangelium ex Decreto Sancti Marci, &c.*) Ubi Symbolum recitari cœpit in Miſſa, ſtatim illius recitatio lectionem Evangelii ſecuta eſt; quem Ritum ſemper utraque Eccleſia ſervavit, exceptis Hiſpaniis; ubi ex Decreto tertiæ Synodi Toletanæ ſancitum eſt, ut Symbolum ante Orationem Dominicam recitaretur; qui mos adhuc in Miſſali Mozarabico perſeverat; in quo poſt Conſecrationem, & aliquot breviſſimas preces, dicit Presbyter: *Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus*, quo dicto, Chorus recitat Fidei Symbolum, videlicet: *Credimus in unum Deum.*

III. Gav. lit. h - *Cum additione: Filioque procedit, &c.*) Graviſſima eſt inter Scriptores non ſolum Liturgicos, ſed & Hiſtoricos, ac Theologos controverſia, quis Symbolo hanc particulam primum addiderit. Auctores nonnulli docti, & eruditi ſibi perſuaſerunt particulam hanc in Concilio Romano ſub Damaſo additam fuiſſe; a qua ſententia non videtur abhorrere ipſe Gavantus. Mirum eſt opinionem hujuſmodi ſectatores habere potuiſſe: nam cum ex citata collatione Leonis III. cum Legatis Gallicanis, appareat, Leonem graviter conqueſtum fuiſſe, quod Galliarum Eccleſiæ Symbolum cum illa adjectione cantarent; evidens eſt ante Leonem III. particulam illam a Romanis lectam non fuiſſe, ac proinde Damaſo perperam adſcribi: imo cum Leo additionem illam reprehendiſſe videatur, jure colligere poſſumus id additum Symbolo, inconſulta Apoſtolica Sede.

Rejecta igitur iſta ſententia, placet nobis Aguirii Cardin. opinio *tractat.* 4. *de Trinitat. diſput.* 42. *ſect.* 2. ſtatuentis particulam illam adjectam fuiſſe Symbolo a Synodo Toletana III. quam poſtmodum imitatæ ſunt 4. 6. & 8. & Forojulienſe Concilium: quæ eſt etiam opinio Baronii, aliorumque Scriptorum. Certe nullum Synodo Toletana antiquius monumentum reperitur, in quo legatur Symbolum cum voce illa *Filioque*. Approbata tandem fuit additio hæc ab Eccleſia Romana; cui tamen Græci proceſſionem Spiritus Sancti a Filio negantes non acquieverunt; donec congregato Generali Concilio Ferrariæ, Anno 1438. completo poſtmodum Florentiæ, unanimi Latinæ, Græcæque Eccleſiæ conſenſu firmata fuit. De Symbolis autem erudite tractarunt more ſuo Card. Bona loc. ſuprac. Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus *lib.* 1. *c.* 9. Grancolas in Libro de antiquis Liturgiis *pag.* 530. Antonius Bellotte in ſuis obſervationibus loc. ſupracit. Petrus Le Brun *tom.* 1. *art.* 8. per totum; Auctor Anonymus tractatus Miſſæ Parochialis Gallice exarati *part.* 2. *c.* 11. *art.* 1. 2. & 3. Claudius de Vert *tom.* 3. *pag.* 122.

IV. Rubr. & Gav. *Symbolum dicitur.*) Eccleſia triplici ex cauſa, ut optime Guvetus obſervat *lib.* 3. *c.* 28. *quæſt.* 3. Symbolum in certis Feſtis recitare conſuevit: ratione Myſterii, ut contingit in omnibus Feſtis Chriſti Domini, & B. M. V. horum enim Myſteria vel implicite, vel explicite in Symbolo continentur: ratione doctrinæ Fidei non tam ſuſceptæ, ac propugnatæ, quam verbo, ſcriptoque traditæ, atque annuntiatæ; qua de cauſa dicitur in Feſtis Apoſtolorum, ac Doctorum: tandem ratione Celebritatis dicitur in Feſtis Patronorum, & aliis propriis locorum, ſeu Eccleſiarum. &c. & hæc quidem generatim dicta, mox ſunt ſpecialibus definienda, paucis tamen, cum multa erudite a Gavanto noſtro expoſita ſunt.

V. Gav. lit. k - *In omnibus Dominicis.*) Unum hic obſervo cum Biſſo *lit. C. n.* 562. §. 31. quod omittitur dictum Symbolum, ſeu *Credo* in Miſſa Dominicæ, quando de ea fit in Sabbato antecedenti.

VI. Rubr. & Gav. lit. z - *In Feſtis Angelorum.*) Videtur pauceis ab hinc Sæculis non ubique receptum fuiſſe morem recitandi Symbolum in Feſtis Angelorum: Radulphus enim Tungrenſis *propoſ.* 23. refert vulgatum ſequens carmen, quo exprimebantur Feſta Symbolo carentia: *Angelus, & Virgo, Martyr, Præſul, ſine Credo.* In Eccleſia tamen Romana Radulphi ævo dicebatur; quod Innocentii III. auctoritate Gavantus oſtendit.

VII. Gavant. lit. b - *In Feſto Divi Thomæ, & Sancti Bonaventuræ,*) In Miſſalibus poſt Benedictum XIII. editis, præſcribitur recitandum eſſe *Credo* etiam in Feſtis SS. Anſelmi, & Iſidori Hiſpalenſis: quibus nuperrime a S. R. C. annuente eodem Pontifice conceſſum fuit Officium, & Miſſa de Communi Doctorum; & his addi poteſt Feſtum S. Petri Chryſologi, de quo modo ab univerſali Eccleſia recitatur Officium ſub Ritu Duplici, tamquam de Doctore: quia mens Rubricæ Miſſalis eſt, quod in Feſtis Doctorum ſemper dicatur *Credo*, dummodo ſint Feſta Duplicia; ſicut explicat Guyetus *lib.* 3. *c.* 28. *quæſt.* 3. & ex eo Biſſus *lit. C. n.* 560. §. 15. immo addit Guyetus loc. cit. quod in illis Galliarum Eccleſiis, quæ in Feſto S. Hilarii dicunt ad *Magnificat* Antiphonam *O Doctor, &c.* debeat in ejus Miſſa etiam Symbolum recitari: & hac ratione apud Monachos Caſſinenſes dicitur Symbolum in Feſtis SS. Ildephonſi, Leandri, & Bedæ; quia coluntur ab ipſis tamquam Eccleſiæ Doctores ſub Ritu duplici, referente Biſſo loc. ſupracit.

VIII. Rubr. *In Anniverſario Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & per octavam.*) Quærit Guvetus loc. cit. an non etiam recitari Symbolum poſſit in alienæ Eccleſiæ Dedicatione, puta Cathedralis in tota Diœceſi? & reſpondet poſſe: quia quamvis id taceat Rubrica; ſuadere tamen videtur exemplum Dedicationis Baſilicæ Salvatoris, & SS. Petri, & Pauli, item uſus Fratrum Minorum in Feſto Portiunculæ. Certe valet in omni caſu ratio, quam Innocentius III. affert *lib.* 2. *de Myſteriis Miſſæ c.* 52. quod in Symbolo habeatur: *Sanctam Eccleſiam*. Huic Guveti placito ſubſcribit etiam Biſſus lit. C. *n.* 560. §. 18. Hinc etiam fit, quod cum totus Clerus Sæcularis debeat celebrare Dedicationem Eccleſiæ Cathedralis, in Civitate quidem cum Octava; in Diœceſi vero ſine Octava; ut decrevit S. R. C. 2. Maji 1619. & refert Gavantus in hoc ſuo Theſauro Sacrorum Rituum *tom.* 2. *ſect.* 8. *c.* 5. *ſub n.* 5. & quidem ſemper ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, etiam in Diœceſi; ut aſſerunt Gavantus ibi, & Arnaudus in Epitome *part.* 3. *tit.* 39. *ſub. num.* 2. necnon Biſſus *lit. D. num.* 31. §. 6. Regulares autem, ut colligitur ex Decreto edito die 11. Februarii 1702. cum teneantur prædictum Officium recitare tantum ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis ſine Octava; quæ quidem Decreta per extenſum dabimus in Indice poſito in ſecundo tomo, in quo agemus de Rubricis ſpectantibus ad Breviarium Romanum, hinc, inquam fit, quod prædicti omnes celebrantes Miſſam Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis extra eandem Eccleſiam, adhuc tenentur dicere Symbolum in Miſſa ob rationem ſupradictam, nimirum quia Symbolum, ſeu *Credo* convenit ſimpliciter Feſto Dedicationis Eccleſiæ. E contra vero in Feſto Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſi ſit Feſtum Martyris, Confeſſoris, Virginis, &c. Symbolum non eſt recitandum, niſi in propria Eccleſia Titularis, de quo celebratur Feſtum; ut patet ex Decreto infra dando, & quod ha-

betur

Digitized by Google

betur in noſtro Indice *ſub num.* 608. Ratio diſcriminis eſt; quia in Feſtis SS. Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ſeu Viduarum, non dicitur *Credo*: unde aliqui conati ſunt tribus hiſce verbis MVC *non credit* exprimere dictam communem ſententiam de Feſtis Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, & Virginum; indicando per literam, M, Symbolum numquam dici in Feſtis alicujus *Martyris*, per literam, V, non dici idem Symbolum in Feſtis alicujus Virginis, aut Viduæ, alteriuſve non Virginis, excepta S. Maria Magdalena; & per literam, C. indicare voluerunt non debere dici Symbolum in Feſto cujuſcumque Confeſſoris, ſi non ſit Doctor Eccleſiæ; & niſi prædicti omnes Sancti, & Sanctæ ſint Patroni, aut Titulares Eccleſiæ totius, non Capellæ tantum in eadem Eccleſia; aut niſi venerint talia Feſta Martyrum, Virginum, & Confeſſorum in Dominicis, & infra Octavas Feſtorum Symbolum habentium; ſicut conſtanter occurrunt Octava S. Joannis Baptiſtæ infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Octava S. Laurentii infra Octavam Aſſumptionis. In Feſto S. Stephani, & SS. Innocentum dicitur *Credo*, quia Duplex hoc Feſtum incidit infra Octavam Nativitatis Domini illud requirentem; ſicuti & in Octava ejuſdem S. Stephani, quia occurrit infra Octavam S. Joannis Apoſtoli, cui convenit *Credo*; in Octava vero SS. Innocentum omittitur, quia celebratur extra dictas Octavas.

IX. Rubr. *In die Conſecrationis Eccleſiæ, & Altaris.*) Prædictam Rubricæ diſpoſitionem extendit Guyetus etiam ad Octavas, non quidem Altaris, quia tales Octavæ non fiunt, ſed Eccleſiæ: & ratio eſt, quia ſi dicitur *Credo* in Octava Anniverſariæ Dedicationis Eccleſiæ, a fortiori recitari debebit per totam Octavam Conſecrationis ejuſdem; cum ipſamet Anniverſaria Dedicatio, non ſit niſi Conſecrationis primum factæ recenſio.

X. Rubr. & Gav. lit. g - *Et ubi habetur Corpus vel inſignis Reliquia Sancti.*) Diximus ſupra in Feſtis etiam SS. Martyrum, Virginum, & Confeſſorum poſſe dici *Credo* in illis Eccleſiis, quarum ipſi ſunt Titulares: nunc procedimus ad aſſerendum poſſe etiam dici Symbolum in illis Eccleſiis, in quibus aſſervatur aliqua eorumdem Sanctorum inſignis Reliquia, & quidem approbata. Hic autem conſiderare debemus cum Gavanto ſupra, & cum Biſſo ſupracitato §. 20. quod quæcumque pars corporis non eſt cenſenda ſufficiens Reliquia, ut in Miſſa dicatur *Credo*: ſed debet eſſe talis entitatis, ut Officium poſſit fieri Duplex. Ad cognoſcendum vero quando Officium poſſit fieri Duplex ratione Reliquiæ, attendenda ſunt ea, quæ ex regiſtro Decretorum S. R. C. habentur in principio Breviarii Romani, ubi declaratur, quod Reliquia inſignis ſit *Caput, Brachium, Crus, aut alia pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva, & legitime ab Ordinario approbata.* Non eſt igitur inſignis Reliquia cenſenda (ut etiam advertit Quarti *part.* 2. *tit.* 11. *dub.* 3.) Manus, Pes, aut aliud fruſtum, niſi in dictis partibus paſſus ſit Martyr. Cenſebitur autem etiam adhuc *integra pars* Caput v. gr. tametſi ex pluribus fragmentis conſtet per artificialem unionem conjunctis; modo adſint omnia fruſtra, ſeu fragmenta, quæ requirantur ad integritatam ejuſdem membri; & ita apte ſimul conglutinentur, ut appareat integrum caput, brachium, &c. Quarti *part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4. & ex eo Lohner *part.* 2. *tit.* 17. *n.* 1.

Hoc loco rurſus advertere eſt, quod non poteſt celebrari Feſtum de prædicta inſigni Reliquia, niſi in Eccleſia ubi aſſervatur, & non alibi; ut liquet ex Decretis S. R. C. Breviario Romano præfixis: quod ſi contingat ex aliquo privilegio extra dictam Eccleſiam celebrari Feſtum ejuſdem Reliquiæ; tunc in Miſſa non poteſt dici *Credo*, ut clare ſtatuitur in Decreto S. R. C. 2. Decembris 1684. & dato in noſtro indice *ſub num.* 502. ubi hæc habentur - In Eccleſiis, ubi aſſervatur inſignis Reliquia alicujus Sancti, quando celebratur Miſſa, dicitur cum *Credo*, extra vero talem Eccleſiam ſine *Credo* dicitur - Idem etiam colligitur ex alio Decreto ejuſdem diei; in quo declaratum fuit, quod cum Canonici Regulares Lateranenſes per Decretum ſub die 16. Decembris 1679. recitare poſſint, ac valeant Officia Sanctorum, quorum inſignes Reliquiæ in Baſilica Lateranenſi aſſervantur, non ideo in Miſſis debent dicere *Credo*. Denique advertimus, quod ad hoc, ut poſſit dici *Credo* in illa Eccleſia, ubi Reliquia inſignis aſſervatur, non eſt neceſſe, quod eadem Reliquia ſit expoſita; quia ſuperior Rubrica, & S. R. C. Decreta hanc conditionem non exprimunt: ſufficit ergo, quod talis Reliquia in dicta Eccleſia habeatur, & nihil aliud requiritur.

Denique animadvertere eſt, quod juxta ſententiam P. Halden *part.* 3. *tit.* 2. *in fine*, etiam in Miſſis de Beatis (ubi de his celebrare eſt permiſſum) eſt dicendum Symbolum, ſi adſit inſignis Reliquia.

XI. Rubr. & Gav. lit. l - *Patroni alicujus loci.*) Dubitari poteſt, an etiam in Feſto ſecundario Patroni, vel Titularis debeat, vel poſſit Symbolum in Miſſa recitari. Gavantus ſupra litt. h concedit Symbolum dici poſſe in Feſto Translationis Patroni tantum principalis, ea conditione, quod Feſtum celebretur ſub Ritu Duplici. Guyetus loc. cit. Gavanti conditionem approbat; quæ ſi in aliis quoque Patronorum minus principalium Translationibus, ſeu Feſtis ſecundariis reperiatur; haud tamen eis tribuendum Symbolum putat, niſi uſus ob Solemnitatem invaluit. Verum a prædicta Gavanti ſententia recedere cogimur; quia in Decreto Sac. R. C. die 19. Junii 1700. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 544. ita ſtatuitur - In Feſto Translationis Patroni principalis Cathedralis ſub Ritu Duplici majori, non poteſt in Miſſa dici Symbolum, nec in ipſa Eccleſia Cathedrali, nec conſequenter per totam Diœceſim.

XII. Rubric. *Non autem alicujus Capellæ, vel Altaris.*) Poſtquam Rubrica declaravit in Feſto Patroni alicujus loci, vel Tituli Eccleſiæ dicendum eſſe *Credo*, excipit tamen Feſtum Tituli alicujus Capellæ, vel Altaris, id quod etiam ſupra innuimus: ſed talis Rubricæ exceptio intelligenda eſt de Miſſis Privatis; non vero de Miſſa Solemni; nam de hac S. R. C. die 1. Aprilis 1662. ita decrevit; ut habetur in noſtro Indice *ſub num.* 394. Miſſa cum Gloria, & Credo poteſt decantari in illa Eccleſia, ubi eſt Altare erectum ſub invocatione alicujus Sancti ratione concurſus ad præſcriptum Rubricarum.

XIII. Rubr. *In Feſtis principalibus Ordinum, &c.*) Nomine Feſtorum principalium venire ſolent ea omnia, quæ Ritu primæ Claſſis celebrantur, ſcilicet vel Inſtitutoris Ordinis, ſeu principalis Tituli, vel Patroni, &c. Utrum autem ſub eodem nomine principalium Sanctorum comprehendantur etiam inſigniores Ordinis Profeſſores, dubitatur ab Auctoribus. Guyetus cenſet ſervandum eſſe in hoc caſu legitimum cujuslibet Ordinis uſum; neque tamen facile concedendum alios ſub nomine principalium venire, quam qui Ritum obtinent Duplicium, ſaltem ſecundæ Claſſis. Biſſus hanc doctrinam amplectitur loco cit. §. 27. & confirmat ex Cæremoniali Monaſtico: in quo ſtatuitur recitandum eſſe Symbolum in Feſto Sanctorum omnium Monachorum Ordinis S. Benedicti, licet ſit tantum ſecundæ Claſſis. Addit apud Monachos ſui Ordinis recitandum etiam eſſe in Feſto S. Scolaſticæ, quod ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis celebrant cum Octava, ex conceſſione Clementis IX. Favet etiam praxis omnium fere Ordinum Regularium; qui in Feſtis ſuorum Sanctorum ſecundæ Claſſis, Symbolum recitare non dubitant: cui praxi, & ſententiæ non ita facile ſubſcribo, etiamſi talia Feſta ſecundæ Claſſis celebrentur cum Octava; nam quamvis Feſtum S. Laurentii ſit ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis, & celebretur cum Octava ab Eccleſia univerſali; nihilominus quia Sanctis Martyribus non convenit *Credo*, idcirco in tali Feſto non dicitur *Credo*, niſi in Eccleſia Titulari ejuſdem: ut liquet etiam ex Decreto ſupra inſinuato, & dato in noſtro Indice *ſub num.* 609. a fortiori ergo concedi debet *Credo* in Feſto Sanctorum Confeſſorum alicujus Ordinis particularis, etiamſi ab eodem celebrentur ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis, & cum Octava. Hinc contrariam conſuetudinem abrogandam eſſe non dubitaverim; & ſolum concederem *Credo* in Miſſa Solemni, ubi celebratur Feſtivitas aliqua ex dictis cum magno Populi concurſu: neque Cæremoniale Monaſticum quidquam officit: ideo enim in Feſto omnium Sanctorum Monachorum præſcribit recitandum Symbolum; quia in Feſto illo colitur etiam S. Benedictus; cui ex Rubrica convenit *Credo*, ut principali Patrono.

XIV. Gav. lit. l - *In Vigiliis autem, quæ veniunt infra aliquam Octavam.*) In Vigiliis, quæ occurrunt infra aliquam Octavam, ſi celebretur Officium Octavæ, Miſſæ, ut diximus ſupra in titulo *de Feria, & Vigilia*, Miſſæ, inquam, non ſolum Conventuales, ſed etiam Privatæ non dicuntur de Officio tunc currente, ſed de dicta Vigilia; in quo caſu unica de eadem cantatur Miſſa Conventualis; & cum non dicatur Miſſa correſpondens Officio, ſi prædicta Octava habeat *Credo*, Guyetus *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 5. *in fine*, aſſerit in tali Miſſa Vigiliæ dicendum eſſe *Credo* cum Commemoratione Octavæ: quia talis Vigilia, ait ipſe, non eſt Vigilia Simplex, ſeu ferialis, ut ſunt aliæ Vigiliæ communes, ſed Feſtiva, & Dominicalis, adeoque capax Symboli aliunde debiti. Hæc Guyetus, ut notavimus etiam ſupra cit. tit. *de Feria, & Vigilia*. Sed pace tanti viri cenſeo non eſſe recedendum a noſtri Magiſtri ſententia ſupra expoſita: unde etiam in talibus Vigiliis non eſt dicendum Symbolum; cum tales Vigiliæ non poſſint dici ullo modo Feſtivæ, & Dominicales. Suadeor etiam contra Guyeti opinionem, & libentius adhæreo Gavanti placito; quia certiſſimum eſt, quod occurrente Feſto S. Marci infra Octavam Paſchæ, in Miſſa Rogationum non eſt dicendum. *Credo*, ut habetur in Decreto diei 5. Julii 1698. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 530. Ex quo optime arguit Joannes Baptiſta Pittonus aſſerens tale Decretum, quod neque dicendum eſt Symbolum in dicta Miſſa Rogationum, ſi prædictum Feſtum S. Marci occurrat in quali bet Dominica: nam ſi non poteſt dici *Credo* in eadem Miſſa Rogationum ratione Feſti Sancti Marci illud admittentis; neque poterit dici ratione Dominicæ: ob eandem igitur rationem, neque in Vigilia incidente infra aliquam Octavam debet dici *Credo*. Denique conſiderandum eſt, quod ſententiæ Gavanti conſentit praxis omnium Eccleſiarum: & revera in Directorio Romano hujus Anni 1735. die 24. Decembris,

bris, in qua incidit Feria 4. Quatuor Tempocum, & eſt infra Octavan; Conceptionis B. M. V. præſcribitur prædictæ Octavæ; Miſſam vero eſſe dicendam de Feria currenti, cum ſecunda Oratione de Octava, tertia de Spiritu Sancto, & Præfationem B. M. V. cum Verſ. *Et te in conceptione*, ſed ſine *Gloria*, & *Credo*.

Supereſt nunc, ut præter aliqua Decreta ſparſim exhibita in noſtris hiſce Additionibus, aliqua alia tradamus ſpectantia ad hanc Rubricam.

Miſſa de Sancto Titulari, vel Patrono celebratur cum *Gloria*, & *Credo*. S. R. C. die 4. Auguſti 1657. & in noſtro Indice *ſub num.* 323. In Miſſa Patroni minus principalis, non dicatur *Credo*. S. R. C. 2. Decembris 1694. & in noſtro Indice *ſub num.* 479.

In Miſſis de Beatis nnn debet dici *Credo*. 12. Julii 1664. & in noſtro Indice *ſub num.* 419.

In Feſtis SS. Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, quæ celebrantur ſub Ritu Duplici Majori, non eſt dicendum Symbolum in Miſſa. 19. Junii 1700. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 545.

Quando in Miſſis Votivis pro re gravi debeat, vel non poſſit dici *Credo*, jam expoſuimus in noſtris Additionibus ſpectantibus ad tales Miſſas.

## De Offertorio, Secretis, Præfationibus, & Canone. XII.

### R U B R I C A.

1 *Poſt Symbolum, vel ſi non ſit dicendum, poſt Evangelium,* (o) *dicitur: Dominus vobiſcum,* (p) *Oremus,* (q) *deinde Offertorium: poſtea fit Oblatio cum Orationibus, ut in Ordine Miſſæ. Quæ oblatione facta, dicuntur* (r) *Orationes ſecretæ,* (ſ) *ſecundum numerum Orationum, quæ clara voce in principio dictæ ſunt: ſed ante primam Orationem* (t) *non dicitur Dominus vobiſcum, nec aliquid aliud; ſed dicto, Suſcipiat Dominus Sacrificium, abſolute dicuntur:* (u) *neque etiam ante ſecundam Orationem dicitur Oremus.* (x) *Terminatur autem prima, & ultima Oratio, ut dictum eſt ſupra in Rubrica de Orationibus, & ſecreto dicuntur uſque ad illa verba in concluſione,* (y) *Per omnia Sæcula Sæculorum, quæ clara voce proferuntur, & incipitur Præfatio.*

### *G A V A N T U S.*

(o) *Dicitur: Dominus vobiſcum. Ordo Roman.* & Introitum demonſtrat ad illud Officium, dum ſalutat Sacerdos operarios ſuos, *Amalar. lib. 3. cap.* 19. invitaturus quoque ad Orationem monet, niſi Dominus ſit nobiſcum, non poſſe nos orare. *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 53.

(p) *Oremus. Ordo item Rom.* quo docemur, ut ſtabiles ſimus in Fide, quam profeſſi ſumus in Symbolo, *Steph. de Adven. de Sacr. Altar. cap.* 12. vel precamur, ut voluntarium Sacrificium acceptabile ſit Domino, nec deſpiciatur cum ſacrificio Cain, *Amalar. loc. cit.*

(q) *Deinde Offertorium. In Ordin. Roman. & in Antiphon. S. Gregorii* nomen hoc habetur. Porro Offertorium, *Auctore Iſidoro lib. 6. Etymolog. cap.* 19. quaſi ob fertum, fertum enim dicitur oblatio, quæ in Altari offertur. Fertum, ſive feretum, *ait Feſtus*, genus ibi dictum, quod crebrius ad Sacra ferebatur; vel dicitur Offertorium, ab offerendo, quia tunc oblationes fiunt, *Innoc. III. 2. cap.* 55. vel eſt offerentium Canticum; *Gemma Anim. lib. 1. c.* 97. Offerendam vocat etiam *Amalarius lib. 3. cap.* 36.

Quis Auctor? Cæleſtinus *ex Democbare tom. 4. cap.* 15. Eutychianus *ex Petro* ab *Apmeer de Offic. Miſſæ*. S. Gregorius *ex Gemma Anim. lib. 1. cap.* 88. inclinaverat prior in hanc ſententiam. *Vvalafridus Strabo cap.* 22. Ordo ſane conveniens, *inquit Innocent. ſup.* nam ſequitur prædicationem Evangelii Fides in corde, laus in Offertorio, fructus in Sacrificio. Addit *Alcuin. de Celebr. Miſſæ*, ad imitationem Populi Iſrael hoc fieri, qui oblationes, & vota cum laude Deo offerre conſueverat.

(r) *Orationes ſecretæ*. Quia ſecreto dicuntur, *Amalar. lib. 3. cap.* 20. Ordo Romanus eas hoc nomine vocat.

(ſ) *Secundum numerum Orationum*. Habet *Radulph. propoſ.* 23. *& ante eum Beleth. cap.* 43.

(t) *Non dicitur Dominus, &c.* Jam enim dixit Sacerdos, *Dominus vobiſcum, & Oremus*, ante Offertorium: quæ ſalutatio, & invitatio antiquitus erat ordinata ad Orationem ſecretam; & ante illam ab Offertorio nulla prorſus interponebatur Oratio, ut notat *Microlog. cap.* 11. ſecundum uſum Romanum. Orationes enim, quæ nunc dicuntur in Oblatione, habent originem a Gallicana Eccleſia; ut dicemus *tit. 6. part. 2. Rubricarum generalium*, ubi de ipſa Oblatione.

(u) *Neque dicitur Oremus. Burcbard.* tum quia dictum eſt ante Offertorium; tum quia ejus vice proxime ante dicitur, *Orate fratres*: tum quia (& hæc eſt magis propria ratio) Orationes ſecreto dicendæ ſunt: quis dicat ergo, *Oremus*? an alta voce? inconcinna interruptio: an ſubmiſſa voce? quos invitamus non audientes? omittimus igitur convenientius.

(x) *Terminatur autem prima, &c. Burcbard.* iiſdem de cauſis, quibus ſupra *de Commemorationibus tit. 7. num. 7. & de Oratione tit. 9.*

(y) *Per omnia Sæcula Sæculorum*. Non eſt hoc initium Præfationis, ſi proprie loquamur, ſed finis Orationum: vult *Innocentius Tertius lib. 2. cap.* 61. eſſe finem Orationum, & eſſe principium Præfationis: ut oſtendatur, ait, Chriſtus lapis angularis, qui fecit utraque unum, propeque paſſionem Judæos continens, & Gentiles, qui per Philippum adierunt Jeſum. *Joan.* 12. ſed de nomine videtur quæſtio.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. q. - *Dicitur Offertorium ab offerendo, &c.*) In Miſſa ſolemni poſt Symbolum, & quando non dicitur, poſt Evangelium Sacerdos ſalutat Populum, & excitat ad orandum: tunc Chorus canit Antiphonam, quæ Offertorium nuncupatur, quia antiquo more Populus interim ſua dona offerebat. In primitiva enim Eccleſia, omnes qui communicaturi erant, offerre conſueverant ad Altare panem pro ſe ipſis conſecrandum: unde in Fabiani Papæ epiſt. 3. (quæ tamen dubia eſt) decernitur, ut in omnibus diebus Dominicis ab omnibus viris, & mulieribus oblatio tam panis, quam vini fieret: ex Perſico *de præcipuo Sacerdotis Officio lib. 3. dub. 3. n.* 52. qui offerendi mos adhuc viget in multis Eccleſiis, præſertim in Pagis, & Oppidulis ruſticorum; qui cum priſcarum conſuetudinum tenaciores eſſe ſoleant, ſupervenientibus mutationibus, haud facile acquieſcunt. Verum hujuſmodi oblationes, non in uſum Sacrificii cadunt, ſed Parocho, vel pauperibus diſtribuuntur. Imo plerumque pecunia offertur: nam cum Populi communio refrigeſcente charitate ceſſaſſet; & ad uſum Celebrantis Modica panis particula ſufficeret; panis vero pro uſu Sacrificii a Clericis formaretur; cœpit Populus, ut ait Honorius *in Gemma Animæ lib. 1. cap.* 66. pro oblatione panis, ſive farinæ, denarios offerre. Sed de hac re videantur ea, quæ tradunt Card. Bona *lib. 2. cap. 8. n.* 3. Antonius Bellotte *in ſuis obſervationibus Eccleſ. Laud. pag. 467. & ſeqq.* Auctor Anonymus tractatus Miſſæ Parochialis Gallice conſcripti 2. *part. cap. 12. art. 1. & ſeqq.* & in ſua recenti erudita diſſertatione Italice elucubrata, & Venetiis impreſſa, Anno 1733. noſter P. Franciſcus Berlendi, aliique Auctores, quos dabimus in noſtris Additionibus *ad tit. 7. 2. part. hujus Theſauri n.* 31.

Ceterum nomine Offertorii, ſive Offerendæ, ut Amalarius, & alii veteres loquebantur, relati a Card. Bona *lib. 2. cap. 8. n.* 3. ea omnia comprehenduntur, quæ a Sacerdote, & Miniſtris fiunt; & recitantur a ſalutatione *Dominus Vobiſcum*, facta a Sacerdote poſt Symbolum, vel poſt Evangelium, uſque ad ſecretæ Orationis concluſionem; cum Sacerdos alta voce intunat: *Per omnia Sæcula Sæculorum*. Quarti *part. 1. tit.* 12. de Offertorio.

II. Gav. ead. lit. q - *Quis Auctor, &c.*) Quis Antiphonam, quæ in Miſſali Offertorium intitulatur, inſtituerit, incertum eſt. Plerique a Gregorio Magno primo inſtitutam aſſerunt; quia in ſuo Antiphonario propriam ſingulis Miſſis aſſignavit: ſed jam vigebat in Africa hæc conſuetudo, ut ſcribit Auguſtinus *lib. 2. Retract. cap.* 11. Verum cum ex Menardo in notis ad S. Gregorii Sacramentarium *pag.* 7. habeatur, quod in in Codice MS. Rodradi, & Ratoldi, Offertorium ſit Antiphona, quæ dum cantabatur, Populus ſua dona in Altari offerebat juxta antiquum Ritum, & Ritus iſte præceſſerit ævum Gregorianum; hinc deducitur talem Antiphonam non eſſe adjudicandam Gregorio Magno, tamquam primo Inſtitutori. Unde fit, quod quamvis prædicto Gregorio Honorius *in Gemma animæ* tribuat talem Antiphonam; alii tamen diverſimode opinantur, inter quos Walafridus Strabo *cap.* 22. Alii referunt talem Antiphonam Cæleſtino; alii vero Eutychiano Summis Pontificibus, Biſſus *lit. O n.* 30. §. 1.

In Miſſis Defunctorum habetur Offertorium compoſitum ad modum Reſponſorii cum ſuis verſibus, ſicut antiquitus omnia Offertoria erant; quæ poſtea ad majorem commoditatem abbreviata ſunt, relicto ſolo Offertorio Miſſæ Defunctorum; quæ in pluribus aliis differt a Ritu aliarum Miſſarum; ut obſervat Durandus *in Rationali Div. Officior. lib. 4. cap. 27. n.* 4. & Biſſus *loc. cit.* ex eodem.

In prædicto Miſſæ Mortuorum Offertorio, intellectu difficillima ſunt illa verba deprecativa, nempe, *ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum*: Animæ enim Purgatorii, pro quibus preces Deo porriguntur, jam ſunt in ſtatu ſalutis; & Tartarus, ſcilicet Infernus eas abſorbere nequaquam poteſt; neque in obſcurum infra Purgatorium cadere periclitantur; cur igitur funduntur tales preces? Gravis quidem difficultas, cui nihilominus ſatisfit dicendo, prædictam Antiphonam recitari conſueviſſe in actu agonis, ut optime obſervat etiam Grancolas *in antiqua Eccleſiæ Sacramentario part. 1. de Miſſis Mortuorum pag.* 356. & Macrius *in ſuo Hierolexico, v. Offertorium*. Eccleſia igitur, dum eadem verba, & eandem deprecationem adhibet in Miſſa, & etiam in agendis funeralibus Defunctorum, retrotrahit tales preces ad momentum tranſitus, & obitus, & conſiderat animas in eo momento, quæ e corpore migrant, ac ſi ante tribunal Judicis tunc conſtituerentur; unde in eo ſenſu ac-



Digitized by Google

ceptæ tales preces non ſignificant, quod ſententia Judicis etiam poſt multum tempus ab obitu ſuſpenditur, uſque in diem extremi Judicii. Prædicta omnia confirmantur ex aliis precibus Eccleſiæ effuſis, partim in Adventu, partim in Nativitate Domini, perinde ac ſi Deus foret incarnandus, vel naſciturus, proferendo illa verba: *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum, &c. O Adonai veni ad redimendum nos. Emitte Agnum, Domine, Dominatorem Terræ. Orietur ſicut Sol Salvator Mundi, & deſcendet in uterum Virginis.* Sic enim orando Eccleſia retrotrahit tales preces ad tempus Prophetarum, & præcedens Domini Jeſu Chriſti Nativitatem, & ita repræſentando Myſterium olim factum, petit fructum ejus nobis applicari. Ita pariter repræſentando per antedicta verba, quæ habentur in agenda Mortuorum, ſtatum Animæ in mortis momento, & tempore agonis; nihil aliud intendit, niſi impetrare aliquod ſolarium pro Animabus illis, quæ e corpore jam migrarunt, & in carcere Purgatorii retinentur. Alia videri poſſunt ſpectantia ad hanc eamdem materiam apud ſupracit. Macrium, & Grancolas, nec non apud Doctiſſimum Franciſcum Sylvium *in ſuis commentariis in 3. partem S. Thomæ quæſt.* 100. *ar.* 6.

Solum in Miſſa Sabbati majoris hebdomadæ omittitur Offertorium, cujus omiſſionis rationem aſſignabimus in noſtris Obſervationibus ad *titul.* 10. *part.* 4.

III. Gav. lit. t - *Orationes, quæ nunc dicuntur in Oblatione, &c.*) Poſt Antiphonam, quæ Offertorium dicitur quinque ſunt Orationes, nempe *Suſcipe Sancte Pater, Offerimus tibi, Domine, In Spiritu humilitatis, Veni ſanctificator, Suſcipe Sancta Trinitas*, quæ non ſunt valde antiquæ, nec in Eccleſia Romana ante 700. Annos dicebantur. Ratio eſt, quia Micrologus, qui floruit Anno Chriſti 1070. *lib. de Eccleſ. obſerv. cap.* 11. ſcribit, Orationem *Veni ſanctificator*, juxta Ordinem Gallicanum recitari; & illam *Suſcipe Sancta Trinitas*, non ex aliquo Ordine, ſed ex Eccleſiaſtica conſuetudine, Romanum tamen Ordinem, nullam Orationem inſtituiſſe poſt Offertorium ante Secretam. Et confirmatur, quia Alcuinus, Amalarius, Walafridus, Remigius, Rupertus, Hugo, & alii veteres Scriptores de rebus Eccleſiaſticis non meminerunt prædictarum orationum; ſed tranſeunt ab Offertorio ad Secretas. Imo Radulphus Tungrenſis, qui floruit circa Annum Chriſti 1150. refert tantum ea, quæ ex Micrologo attulimus, ipſumque citat. Hanc ſententiam amplectuntur etiam Cardin. Bellarminus *lib.* 2. *de Miſſa cap.* 17. necnon Card. Bona *lib.* 2. *rerum Liturgicar. cap.* 8. quibus adſtipulantur Grancolas *tom.* 2. *de antiquis Liturgiis pag.* 552. Martene *lib.* 5. *de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap.* 4. *art.* 6. Antonius Bellotte in ſuis Obſervationibus *ad Ritus Laudun. pag.* 467.

IV. Gav. lit. u - *Orationes ſecreto dicendæ ſunt, &c.*) Poſt quinque præfatas deprecationes dicuntur Orationes a Sacerdote, quæ vocantur ſecretæ; & debent eſſe tot, quot clara voce dictæ fuerunt ante Epiſtolam, eodem omnino ordine, ac prædictæ Orationes, quæ alta voce recitatæ fuerunt. Cætera de his Orationibus ſecretis tradit ſufficienter Gavantus ſupra, & pro quali bet Miſſa, ſive de Communi, ſive propria deſcribuntur in Miſſali. Unica quæſtio eſſe poteſt: utrum illa verba, *per omnia Sæcula Sæculorum*, quæ clara voce proferuntur a Sacerdote poſt ultimam ex dictis Orationibus ſecretis, ſint finis talis Orationis, an principium Præfationis? Biſſus *lit. O num.* 82. §. 1. adhæret doctrinæ Innocentii III. qui docet ea verba eſſe finem Orationis, & principium Præfationis ſimul; ad ſignificandum Chriſtum Dominum eſſe lapidem angularem qui facit utraque unum. Verum Micrologus *lib. de Eccleſ. obſerv. cap.* 7. & Amalarius *lib.* 3. *de Eccleſ. Officiis cap.* 19. tenent quod prædicta verba *per omnia Sæcula, &c.* pertineant præciſe ad finem ſuperiorum Orationum; cum quibus convenit D. Thomas 3. *part. qu.* 83. *art.* 4. *In. O.* quam ſententiam libenter amplector. Etiam de his Orationibus ſecretis, quoad illarum eruditionem Sacram, videri poſſunt ſupra ſæpius allegati Auctores, qui de his Miſſæ partibus ſuas diſſertationes inſtituerunt.

## RUBRICA.

5 (z) *Præfationes autem dicuntur, ut in Ordine Miſſæ adnotatum eſt, & (a) quæ in Quadrageſima, Tempore Paſſionis, (b) & Paſchali, & infra Octavas propriæ aſſignantur, dicuntur etiam (c) in Dominicis, & Feſtis, quæ illis temporibus celebrantur; niſi illa Feſta propriam Præfationem habeant.*

## GAVANTUS.

(z) *Præfationes.* Hoc eſt Prælocutiones ante Canonem. *Alcuin. de Celebr. Miſſæ.* Originem habent ab Eccleſiæ primordiis, *ex Clem. lib.* 8. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 16. Dionyſium Auctorem facit *Honor. Gemm. lib.* 1. *cap.* 89. & Leonem Papam *ibid.* Præfationis communis auctorem Gelaſium dicit *Alcuin. loc. cit.* aut cantari juſſit, *ut ait Gemma*, aut forte limavit, quæ tamen habetur in Liturgia S. Petri Græca.

Novem Præfationes enumerat, ut antiquas, & approbat Pelagius Papa Secundus *Epiſt.* 4. nimirum Paſchalem, de Aſcenſione Domini, de Pentecoſte, & de Natali Domini, (quæ dicitur etiam in Miſſa de Sacramento Altaris *ex Radulph. loco cit.*) de Epiphania, de Apoſtolis, de Sancta Trinitate, de Cruce, de Jejunio Quadrageſimali. *Sigebertus de Pelagio ad An. D.* 581. *& Can. invenimus de Conſecrat. diſt.* 1. & hoc fortaſſe ordine compoſitæ fuerunt, nam ordine temporis poſitæ ſunt in Miſſali, quo eas cantari contingit. His *teſte Radulph. ibid.* addidit decimam de Beata Virgine Maria Urbanus II. *in Conc. Placentia celebrato, Anno* 1095. *ex Baron. vel ex Bellarm. lib.* 2. *de Miſſ. cap.* 17. *Ann.* 1080. *& habetur Can. Sanctorum*, §. *fin. diſt.* 70. Angeli vero omnes in Præfatione nominantur implicite in verbo, *Virtutes*, *ex Alcuin. loc. cit.* quia Dominus Virtutum, id eſt, Angelorum, ipſe eſt Rex gloriæ. *Pſal.* 23. ideoque nominantur paulo ante Conſecrationem, quia creduntur Sacrificio adeſſe. *Microl. cap.* 11.

*Surſum corda*; de Jeremia ſumptum eſt. Legit *Clem. Conſtit. lib.* 8. *cap.* 16. Surſum mentem; ex quo datur intelligi, corda eſſe caſus accuſativi. *Gratias* agamus, de Apoſtolo. *Radulph. loc. citat. Beata Seraphim*, Alcuinus legit *Seraphin*, & vult eſſe plurale generis neutrius; Seraphim autem eſſe generis maſculini; illud ab Hebræis, hoc a Græcis derivare. Sed fallitur, quia in Liturgia S. Petri legitur, *Seraphim* per generis neutrius. Miror, Caroli Magni magiſtrum hæc minutiora perſequi, ſed minima Dei maxima ſunt, & maxime obſervanda. Pleniorem Præfationis declarationem lege *apud Durand. lib.* 2. *cap.* 31.

Concluditur Præfatio Hymno triſagio, ſeu Angelico, quem Victorialem *Liturg. S. Petri*, Triumphalem *SS. Jacobus, & Marcus in Liturgiis*, Cherubicum *S. Germanus in Theoria*, *Alcuinus* Primævum vocant, & quamvis vulgo hujus Hymni, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* feratur auctor Sanctus Sixtus; hic quidem Decreto firmavit, ut Sacerdote incipiente, Populus proſequeretur; ſed antea erat in uſu in Liturgiis prædictis, & meminit *Clemens lib.* 8. *Conſtit. cap.* 16. deſumptus autem eſt partim ab *Iſaia* 6. partim ab *Evang. Matth.* 2. in quo Trinitas adoratur in unitate, & benedicitur Incarnatio Verbi, quod venit in nomine Domini. Addidit S. Ignatius illud, *Benedictus qui venit, &c.* ſi credimus *Remigio Antiſiodorenſi in expoſitione Miſſæ* bis dicitur *Hoſanna*, id eſt, Salva quæſo, ab antiquis temporibus. *Ordo Romanus* ſemel Angelorum nomine, ſemel noſtro, quia Hymnus hic partim ab Angelis, partim ab hominibus concinitur, ut per Chriſtum immolatum, genus humanum ſociatum fuiſſe Angelis fateamur. *Gemma cap.* 42. *lib.* 1. Concil. autem Vaſenſe *Can.* 6. ſtatuit, ut diceretur in omnibus Miſſis, etiam Defunctorum.

(a) *Quæ in Quadrageſima.* Etiam in Feriis Præfationem Dominicæ dici, ſcribit *Microl. cap.* 50.

(b) *Et Paſchali.* Eandem recitari præfationem uſque ad Aſcenſ. tradit *Microl. cap.* 55.

(c) *In Dominicis, & Feſtis, &c.* Generale eſt Præfationum, ut eorum temporibus, & diebus in omni Miſſa continueritur, ubi propriæ non habentur. *Radulph. propoſ.* 23. per quod patet ratio ſequentium Rubr. *n.* 3. *&* 4. Excipe Feſt. S. Joan. Evangel. cui datur Præfatio Nativit. ex antiquo uſu Capellæ Papalis, licet habeat Præfationem propriam; & item diem Octavæ S. Stephani, quæ eſt infra Octavam S. Joannis, in qua dicitur Præfatio de Nativit. in gratiam ejuſdem Nativit.

Excipe quoque Miſſam de Feria privilegiata, ut Litaniarum majorum in Feſto S. Marci ex Rubrica propria, & Miſſam Feriæ quartæ Temporum occurrentem in Octava Nativit. B. V. in quibus dicitur Præfatio communis, ita S. R. C. die 12. Decembris 1626. * & a ſimili Miſſam Vigiliæ S. Joannis, ſeu Apoſtolorum infra Octavam Corporis Chriſti, ſeu in die Octava.

Ratio eſt, quia prædictæ Miſsæ ſunt feriales, in quibus diſſonaret cantus ſolemnis Præfationum, puta, de Corpore Chriſti (ferialis cantus non habetur ejuſdem in Miſsali) & ideo ſicut in Miſsa ſolemni Præfatio communis non poteſt non cantari, ita etiam in Miſsa Privata de Vigilia, communis Præfatio recitari debet. Præterea congruit communicatio Præfationum feſtivarum aliis feſtivis, & votivis, quæ aliqualem habent rationem Feſti, non autem Feriis & Vigiliis, unde de iis in ſeq. *n.* 3. *&* 4. regula datur, de his nihil Rubr. nihil, inquam, ut non dicas eſse caſu omiſſum.

### Novæ Obſervationes, & Additiones. &c.

V. Gav. lit. z - *Originem habeat ab Eccleſia primordiis, &c.*) In libro Pontificali de Gelaſio legitur, *quod fecit Sacramentarium, Præfationes, & Orationes canto ſermone.* Ad quæ verba Emmanuel a Schelestrate in notis habet: *Extat in Bibliotheca Palatina Vaticana Sacramentarium MS. Annorum circiter mille, in quo continentur Præfationes ante Gregorii tempora in Eccleſia Romana uſu recepta, de quibus hoc loco mentio reperitur: unde non male illud Sacramentarium Gelaſianum vocatur:* ita allegatus Shelestratius. Hinc quidam referunt Gelaſio Romano Pontifici Præfationum inſtitutionem: ſed Cardin. Bona *lib.* 2. *rerum Liturgicar. cap.* 10. concedit quidem plures Præfationes a Gelaſio editas fuiſse; nihilominus pro certo habet in ipſis Eccleſiæ primordiis, ut ait noſter Gavantus ſupra, extitiſse uſum Præfationum in Miſsæ Sacrificio; & earum inſtitutionem, vel Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris tribuendam eſse cenſet; idque probat, quia integra, noſtræque ſimillima Præfatio legitur in Jacobi Apoſtoli Liturgia; ejuſque mentio reperitur apud Sanctos Patres Gelaſio, & Ambroſio antiquiores, inter quos præſertim recenſet Cyprianum, Cyrillum Hieroſolymitanum, & alios. Rurſus Præfationes ubique receptæ, atque uſitatæ fuerunt, cum reperiantur in Liturgiis omnium



Digitized by Google

Eccleſiarum, & Nationum tum Orientalium, tum Occidentalium, quarum aliquas refert Card. Bona *citato cap. num.* 2. ubi pariter ait, extare aliquot libellos Præfationum in Bibliotheca Vaticana; & Cornelium Sculting. *tom.* 1. *Bibliothecæ Eccleſiaſticæ part.* 2. *cap.* 32. laudare librum editum Coloniæ ab Henrico Gravio, in quo ſunt ducentæ quadraginta Præfationes propriæ. Ambroſiani unam habent Præfationem Romanæ ſimilem; at in Miſſis propriis, ſive de Feſto, ſive De Dominica, aut de Feria, propriam canunt Præfationem. Ita pariter Mozarabes varias habent Præfationes; in quibus vel Myſteria ejus Feſtivitatis, quam tunc celebrant, vel Sancti, de quo eſt Miſſa, laudes, & encomia decantant. In Sacramentario Gregoriano propriæ item extant Præfationes in ſingulis Miſſis ab Ambroſianis diverſæ: ita pariter in Codice Gelaſiano, Gothico, Gallicano, & in Codice Lennino recentiſſime evulgato, ut ſupra innuimus, ſingulares non modo in Feſtis Solemnibus, ſed & in Dominicis occurrunt Præfationes. Denique in Græcis, & Orientalibus Liturgiis non una, & eadem eſt illarum diſpoſitio. Unaquidem ſingulis propria eſt; ita ut Jacobi Liturgia ſuam habeat, ſuam Baſilii, ſuamque Chryſoſtomi Liturgia; ſenſus tamen ſemper idem eſt omnium Præfationum in tot diverſis Deo gratias agendi formis, quas continent: & omnes ſicut iiſdem pene verſibus incipiunt; ita omnes Hymno Cherubico, *Sanctus Sanctus Sanctus* concluduntur.

VI. Gav. ead. lit. z. *Novem Præfationes enumerat ut antiquas, & approbat Pelagius PP. II. epiſt.* 4.) Epiſtolam, quæ Pelagio II. tribuitur a Gavanto non 4. ſed 9. recenſet Franciſcus Pagius in Vita ejuſdem Pontificis *num.* 17. & quamvis eandem epiſtolam referant etiam, & tamquam genuinam approbent Baronius *tom.* 7. *Anno* 590. & Binius *tom.* 4. *Conciliorum*, aliique paſſim; nihilominus idem Pagius *loc. cit.* Grancolas *tom.* 1. *de antiquis Liturgiis pag.* 599. & ante eos primus omnium Card. Bona *lib.* 2. *rerum Liturgicar. cap.* 10. *num.* 3. vehementer dubitavit, ne alterius forte Pontificis recentioris ſit prædicta epiſtola, & Pelagio per errorem tributa: hac ratione motus, nimirum, quia ſi ætate Pelagii, illis tantum Præfationibus Romana Eccleſia, tamquam dudum in ea receptis, & approbatis utebatur; quomodo Gregorius ejus immediatus ſucceſſor, Sacrorumque Rituum tenaciſſimus cuſtos, alias novas inſtituit? Suſpicionem auget Joannes Diaconus, qui cum res a Gregorio Magno geſtas minutiſſime in ejus Vita congeſſerit; nullam tamen de aliis novis Præfationibus ab eo contra morem priſcum Romanum inſtitutis, mentionem facit. Accedit, quod in libris antiquis Sacramentorum, qui Romanæ Eccleſiæ titulum præſeferunt, præſertim Gelaſiano, & Leonino, de quibus ſupra, aliiſque poſterioribus, nimirum Gregoriano, &c. vix ulla Miſſa eſt, cui propria, & peculiaris Præfatio non aſſignetur. Præterea ſi Pelagius II. Auctor eſſet hujus epiſtolæ ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ directæ, ipſiſque mandaſſet non ſervendas eſſe niſi novem dictas Præfationes; profecto Eccleſiæ Galliarum ejus Decreto paruiſſent; conſtat tamen, quod ante Pipini, & Caroli Magni tempora, Eccleſia Gallicana non ſuſcepit Romanæ Miſſæ Ritum, & Ordinem, ſed propriis Officiis uſa eſt; ut alibi nos oſtendimus agendo de Miſſali Gallicano, in quo aſſignantur propriæ Præfationes omnibus fere Miſſis. Hæc demonſtrare videntur prædictam epiſtolam, & Decretum in ea contentum, Pelagio II. adſcribi non poſſe. Quod ſi hæc ſententia non placeat, hoc ſaltem negari non poterit (inquit Card. Bona) uſum Eccleſiæ Romanæ, de quo Pelagius teſtatur, poſt ejus deceſſum antiquatum fuiſſe, ejuſque Decretum de novem Præfationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, niſi Sæculo X. vel XI. & revera nonniſi in Miſſalibus ſcriptis poſt annum 1200. illæ novem Præfationes dumtaxat reperiuntur; quibus poſtea duæ additæ ſunt, una communis antiquiſſima, quæ Gelaſii, ſive Gregorii creditur eſſe; altera de B. Virg. ab Urbano II. inſtituta in Concilio Placentino, de quo Gavantus ſupra, vel Claromontann, ut aliis videtur. Card. Bonæ ſententiam amplexus eſt etiam eruditiſſimus Baluzius, tam in epiſtola ad eundem ſcripta poſtridie Kalendas Decembris, Anni 1672. quam in notis ad Antonium Auguſtinum; ubi Pelagii II. epiſtolam ſuppoſititiam oſtendit ex titulo ipſo epiſtolæ, quæ data dicitur *ad Epiſcopos Germaniarum, atque Galliarum*: ibi enim probat, hoc ſcribendi genus in uſu eſſe non potuiſſe, niſi ſub finem octavi Sæculi.

VII. Gav. lit. e. *Excipe quoque Miſſam Feriæ quartæ, &c.*) Quamvis veriſſimum ſit, quod occurrente Feria quarta Temporum in Octava Nativitatis B. M. V. tunc in Miſſa Feriæ debeat dici Præfatio communis, juxta Decretum a Gavanto citatum, datum in noſtro Indice *ſub numer.* 202. nihilominus advertendum eſt, quod in Miſſali recenter Romæ impreſſo typis Collegii Propagandæ Fidei, Anno 1714. habetur in Rubrica die 14. Decembris (in qua ſit Officium de infra Octavam Conceptionis) *Si occurrat Feria quatuor Temporum, Miſſa dicitur de illa Feria cum Commemoratione Octavæ, & cum Præfatione B. M. V.* Optime ita præſcribitur in tali Miſſali: quia in illa die non dicitur niſi una Miſſa Conventualis, & hæc de illa Vigilia, ſicut & aliæ Privatæ; nulla vero de B. M. V. niſi Votiva, juxta ea, quæ a nobis dicta ſunt in Obſervationibus *ad tit. de Feria, & Vigilia*. E contra vero in primo caſu adducto a Gavanto, cum ſermo ſit de die Oct. Nativ. B. M. V. in illa die dicitur Miſſa Conventualis, & omnes Miſſæ Privatæ de tali Octava; & alia poſtea dicitur Miſſa Conventualis de Vigilia, in qua nulla ſit Commemoratio Octavæ B. V. & in qua non debet dici ejuſdem Octavæ Præfatio, juxta allegatum Decretum. Inhærendo eidem Decreto, Præfatio communis erit dicenda in Vigilia S. Joan. Baptiſtæ, vel SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſi occurrerit infra Octavam Corporis Chriſti in Eccleſiis ſcilicet Cathedralibus, & Collegiatis; quibus onus incumbit in tali Octava privilegiata, ut dicimus ſupra *de Feria, & Vigilia*, cantandi duas Miſſas Conventuales, primam de Octava poſt Tertiam, & ſecundam de Vigilia poſt Nonam, in qua nulla ſit Commemoratio Octavæ Corporis Chriſti; & hinc non dicenda eſt ejuſdem Octavæ Præfatio, ſed communis. Item idem ſervandum in Feria quatuor Temporum, ſi in ea venerit Octava Conceptionis B. M. V, in qua pariter cantandæ eſſent duæ Miſſæ Conventuales: item & in aliis caſibus ſimilibus. Idem dicendum eſt de Miſſa Feriali, quæ dicitur infra aliquam Octavam occurrentem in Quadrageſima, ab aliquibus privilegiatis; de quibus vide Decretum *ſub num.* 460. tunc enim Præfatio erit de Quadrageſima, licet Octava propriam haberet; ita tenet Guyetus *lib.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 1. Auctores, qui erudite tractant de Præfatione Miſſæ, ſunt ſæpius laudati Card. Bona loc. cit. Antonius Bellotte in ſuis Obſervationibus *pag.* 513. Edmundus Martene *de antiq. Eccleſ. Ritibus art.* 7. Grancolas *de antiq. Liturg. pag.* 594. Petrus Le Brun *tom.* 1. *pag.* 389. & Stephanus Duran. *lib.* 2. *cap.* 31.

Supereſt nunc ſubnectere ſequentia S. R. C. Decreta pertinentia ad Ritus Præfationum.

Qui in Sabbato recitat Officium B. M. V. volens celebrare Miſſam Votivam de Sancto, non debet dicere Præfationem B. M. V. ſed communem. 2. Decembris 1684. & in noſtro Indice *ſub n.* 475.

Si Feſtum SS. Philippi, & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis occurrat infra Octavam Aſcenſionis, Præfatio in Miſſa erit de Apoſtolis; Communicantes vero de Aſcenſione. 28. Auguſti 1627. & in noſtro Indice *ſub n.* 216.

Decreta ſpectantia ad Præfationes Miſſarum Votivarum, allegata a nobis fuerunt in §. 10. talium Miſſarum.

## R U B R I C A.

3 *Si infra Octavam alicujus Feſti, quod habet Præfationem propriam, occurrat Feſtum ex majoribus, non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat Commemoratio in Miſſa.*

4 *In Miſſis Votivis dicitur etiam Præfatio propria, ſi propriam habeant; ſi vero non habuerint, dicitur Præfatio de tempore, vel Octava, infra quam contigerit hujuſmodi Miſſas celebrari: alioquin Præfatio communis. Et quando aliqua Miſſa Votiva pro cauſa publica ſolemniter celebratur, dicitur* (d) *in cantu ſolemni, ut in Duplicibus. In Miſſis Defunct. quocumque tempore ſemper dicitur Præfatio communis.*

## *G A V A N T U S.*

(d) *Cantu ſolemni*. Qui nimirum aſſignatur Feſtis Spiritus Sancti, Trinitatis, Sanctæ Crucis, S. Mariæ, &c. demptis verbis, quæ non congruunt Votivæ Miſſæ; ut in Præfatione ſolemni de Spiritu Sancto omittenda ſunt ea verba in cantu *hodierna die*, quæ conveniunt tantum Feſto Pentecoſtes, non Votivæ Miſſæ.

Monendum hoc loco Votivas Miſſas infra Octavam Nativ. Domini non habere aliam Præfationem, quam de Nativitate, ſicut & Feſtum S. Joannis argumento a fortiori; & item, quod Præfatio de tempore, & de die, idem ſonat in hac Rubrica. *Hæc poſtrema verba addita ſunt ab alia manu, non a Gavanto.*

## R U B R I C A.

5 *Poſt Præfationem incipitur* (e) *Canon Miſſæ ſecreto; in quo ſerventur omnia, ut in Ordine Miſſæ. Ubi vero* (f) *infra actionem,* (g) *Communicantes, & Hanc igitur, vel alia, variari contingit, ſuo loco in propriis Miſſis adnotatur.*

## *G A V A N T U S.*

(e) *Canon*, Ideſt Regula, Canon vox uſurpata a S. Gregorio *lib.* 11. *epiſt.* 16. qui & precem nominavit, *lib.* 7. *epiſt.* 63. Regulam vocat Eccleſiaſticam *Ambroſ. in epiſt. ad Timoth. cap.* 2. Legitimum, *Optatus Milevit. lib.* 2. *contra Parmen.* Secretum, *Baſil. de Spiritu Sancto cap.* 27. Ordinem precum *Iſidor.* 1. *de Divinis Officiis cap.* 15. *& a Dionyſio loc. cit.* dicitur Actio, quia ex *Vvalafr. cap.* 22. in ea actione eſt legitimus Ordo, & Regula fixa & ſtabilis ad Sacramenta conficienda. Auctor illius neſcitur; antiquior eſt Ordine Romano, in quo habetur Canon, ut jam uſitatus, & in Liturgia S. Petri totus habetur, ſed partim auctus, ſaltem Sanctorum nominibus poſt mortem Petri. Antiquior eſt omni memoria, inquit *Bellarm. mox citan. loco*; & quia nulla ibidem ſit mentio Confeſſorum, probat idem *lib.* 2. *de Miſſa cap.* 20. fuiſſe finitum totum ante Concilium Mogunt. in quo Feſta Confeſſorum habentur. Putat *Innocent. III. lib.* 3. *cap.* 10. fitum ante

San-

Google

Sanctum Sylveſtrum. Tamen ultimus, qui addidit Canon, fuit S. Gregorius, ut dicemus, a quo *loco cit.* dicitur fuiſſe a Scholaſtico compoſitus, quem putant eſſe Gelaſium doctrina clariſſimum. *Innoc. III. lib. 3. cap. 10. & Honor. in Gemma Anim. lib. 1. cap. 90.* De Muſæo Maſſilienſi dubitat *Pamellius in Liturgiis*, qui ſcholaſtico ſermone ſcripſit librum Sacramentorum circa Annum 490. Vel de Victoriano Voconio Mauritaniæ Epiſcopo, qui compoſuit Sacramentorum volumen, & vixit inter tempora SS. Hieronymi, & Gregorii Papæ. Sed ſicuti vere compoſitus fuit a pluribus, ex Domini verbis, ex Apoſtolorum traditionibus, & Sanctorum Pontificum Inſtitutionibus, juxta Concil. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 4.* ita pars ejuſdem antiquior eſt altera; ut patebit ex Auctoribus ſingularum partium; de quibus *in ſecunda parte Rubricarum generalium titulo octavo, & ſequentibus*, agemus commodius.

(f) *Infra actionem*, Hoc eſt, Canonem, ob rationem ſupra allatam.

(g) *Communicantes, &c.* Varietas hæc habetur in libro Sacramentorum S. Gregorii. *Micrologus cap. 12.* hæc habet, in ſummis Feſtivitatibus quædam Canoni in illo loco, ubi dicitur, *Communicantes*, vel *Hanc igitur oblationem* interponimus; quæ tamen ex antiquioribus, & emendatioribus Sacramentariis interponenda eſſe didicimus, videlicet in Nativitate Domini, in Epiphania, in Cœna, in Paſcha, in Aſcenſione, in Pentecoſte, quæ ſane cum noſtris Miſſalibus concordant. Dantur autem *caſus*, quod ſeparari debeat, *Communicantes* a ſua Præfatione, nam infra Octavam Aſcenſionis, ſi occurrat Feſtum Sanctorum Philippi, & Jacobi, *Præfatio* erit de Apoſtolis; *Communicantes* de Aſcenſione, licet in Miſſa nulla fiat Commemoratio, idemque accidere poteſt in Inventione Sanctæ Crucis, & in Miſſis Solemnibus Votivis, quæ dicuntur infra eandem Octavam, & habent Præfationem propriam.

Ratio vero eſt, quia *Communicantes* habet infra illam Octavam quaſi rationem de tempore; ſicut haberet etiam Præfatio de Octava in prædictis Feſtis, ſi propriam Præfationem non haberent, ut dicitur *in titulo hoc eodem nu. 3. & 4.* & licet nulla fiat Commemoratio de Octava, dicitur tamen *Communicantes*; ſicut in Offic. dicitur ad Primam, & in fine Hymnorum in prædictis Feſtis, *Qui ſcandis ſuper ſydera*, neque enim ideo unitur *Communicantes* Præfationi, ut una ſimul vel dicantur, vel omittantur, ſed ut facilius utrumque reperias. Atque ita decrevit tandem S. R. C. die 28. Auguſti 1627.

## Novæ obſervationes, & Additiones, &c.

VIII. Gavant. lit. e - *Auctor illius neſcitur, &c.*) Veriſſime ſcribit Gavantus auctorem Canonis ignorari, quippe nonnulli a Muſæo Presbytero Maſſilienſi; alii a Voconio Epiſcopo Caſtellanenſi in Mauritania Sæculi V. Scriptoribus, qui teſte Gennadio Sacramentorum libros ediderunt, compoſitum Canonem arbitrantur; ut etiam notat hic Gavantus. Anonymus quidam Mellicenſis, qui ſæculo duodecimo tractatum compoſuit de Scriptoribus Eccleſiaſticis, primo editum a Bernardo Pez in ſuo novo Theſauro Anedoc. & ſecundo vulgatum a Joanne Alberto Fabricio in Bibliotheca Eccleſiaſtica, *pag. 143. tom. 2.* credidit Miſſæ Canonem a S. Clemente Alexandrino fuiſſe conſcriptum. Ejus verba, quoniam paucis nota erunt, hic placet exſcribere - *Miræ autem*, inquit, *eruditionis, & eloquentiæ fuit. Orationem illam Sacerdotis, quam Canonem dicimus, ipſe compoſuit; quæ & ab omni Eccleſia tanti eſt habita, ut in Conſecratione Corporis Domini perpetuo juſſa ſit recitari* - Neminem futurum eſſe credimus, cui poſſit hæc ſententia placere: & fortaſſe Auctor hic ſciens a Clemente Alexandrino Canonem Eccleſiaſticum eſſe conſcriptum, ut teſtatur Photius Codice III. putavit Canonem illud Eccleſiaſticum eſſe Canonem Miſſæ; in quo ſane deceptus eſt Aldelmus Epiſcopus, qui octavo Sæculo floruit, in libro de laudibus virginitatis *cap. 23.* Canonem a Gregorio Magno editum exiſtimat. Verum ipſe Gregorius *lib. 6. epiſt. 64.* ait a quodam Scholaſtico fuiſſe compoſitum: quis autem fuerit Scholaſticus hic, aut quo tempore vixerit, Gregorius ſilentio præterit. Aliqui, teſte Gavanto hic, putant fuiſſe Gelaſium Summum Pontificem, inter quos Radulphus Tungrenſis; ſed ex libris Ambroſii *de Officiis & Sacramentis* diſcimus, Canonem ante Gelaſium conditum fuiſſe; neque probabile eſt Gregorium Scholaſtici titulo donaſſe prædeceſſorem ſuum virum Doctiſſimum, & inter Pontifices nemini ſecundum. Non deſunt etiam, qui putent per precem, quam Gregorius ait a Scholaſtico compoſitam, non debere intelligi Canonem, ſed Orationem quamdam actioni Miſſæ inſertam; hanc opinionem primus amplexus eſt Jacobus Janſonius in ſuis Liturgicis, *lib. 3. cap. 11.* Placuit hæc opinio Doctiſſimo Maldonato in ſuo MS. tractatu de Cæremoniis Miſſæ, ubi contendit Gregorium non de integro Miſſæ Canone intelligendum eſſe, ſed de particulari illa Oratione, quæ incipit *Hanc igitur*, & quam ſolum a Scholaſtico ſcriptam affirmat. En integram Maldonati cenſuram relatam a Petro Le Brun *tom. 2. diſſert. 2. art. 2. num. 9. pag.* 147. - Quod item Scholaſticus non fuerit auctor Canonis, hinc liquet, quod cum Gregorius eo loco reddat rationem, cur introduxiſſet illa quatuor ait, ſibi durum viſum fuiſſe, quod illa Oratio, quam Scholaſticus compoſuit, diceretur; & Oratio Domini ſuper Corpus, & Sanguinem non diceretur - Significat ergo illam Orationem, quam Scholaſticus compoſuit, fuiſſe unicam, & dictam fuiſſe ſuper Corpus, & Sanguinem Domini: ergo totus Canon non fuerat compoſitus a Scholaſtico. Aliud ejuſdem rei argumentum eſt, quod Canonis verba reperiantur apud Auctores antiquiores Scholaſtico. Denique Scholaſticus homo erat privatus, Scholaſtici enim erant viri quidam Eccleſiaſtici gradus, quibus curæ erat juventutem docere. Horum Eccleſiæ Sapientum, qui Scholaſticorum nomine decorabantur, ſæpe mentionem faciunt Hieronymus, & Gennadius in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum. Severus quoque Sulpitius, loco dicendi *vos Sapientes*, dicit, *vos Scholaſtici*, Dialog. 2. & Divus Gregorius commendat virum quemdam doctiſſimum Scholaſtici titulo, dicens, viro clariſſimo Scholaſtico, *lib. 10. Regiſtri epiſt. 2.* Cum ergo Gregorius (qui Pontifex erat) reprehenſus fuerit ob res minutas, quanto magis Scholaſticus reprehenſus fuiſſet, homo privatus, & qui rem tam gravem, qualis eſt Canon, recens in Eccleſia invexiſſet? Libenter Maldonati opinionem amplecteremur; ſed Gregorium ibi de integro Canone loqui, ipſe contextus epiſtolæ evincit; ut ait Bona *lib. 2. cap. 11. num. 2.* Præterea quædam ſunt in Maldonati cenſura, quæ probare non poſſumus: nam quod ait Canonis verba reperiri apud Auctores antiquiores Scholaſtico, nullius momenti eſſe videtur; etenim ſi certo conſtaret tempus, quo dixit ille Scholaſticus, optimum quidem eſſet hoc argumentum; ſed cum ignoremus qua ætate floruerit, affirmari ſine divinatione non poteſt, verba Canonis reperiri apud Scriptores illos vetuſtiores, quare dicendum omnino videtur integrum Canonem a Scholaſtico eſſe compoſitum. Ex hoc tamen non licet arguere Miſſæ Canonem ex Apoſtolica traditione non deſcendere: Vigilius enim Pontifex ante Gregorium in epiſtola ad Eucherium, ſive ad Profuturum, ut ex MSS. Codicibus colligit eruditiſſimus Baluzius in notis ad librum Antonii Auguſtini de emendatione Gratiani, & in epiſtola ad Cardinalem Bona ſcripta Anno 1672. quam ego perlegi, Vigilius, inquam, diſerte teſtatur, quod Canonem ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus; quod pariter Tridentinæ Synodi auctoritate firmatur, hæc enim *ſeſſ. 22. cap. 4.* docet conſtare Canonem ex ipſis Domini verbis, ex Apoſtolorum traditionibus, ac SS. Pontificum Inſtitutionibus. Quæ in ſpeciem cum Gregorio pugnantia hac ratione poſſumus conciliare, ut dicatur quod Vigilius, & Tridentini PP. de ſubſtantia Canonis loquuntur, quam ab Apoſtolica traditione deſcendere, libentiſſime confitemur; Gregorius autem loquitur de verbis ſive ſtylo, quo Canon exaratus eſt: & ſane verba, & ſtylum ipſum ab Apoſtolis emanaſſe, parum habet probabilitatis; neque enim tam eleganter ſcribebant Apoſtoli. Obſervandum nihilominus eſt cum Bona, Petro Le Brun, Grancolas, Bellotte, aliiſque Scriptoribus, neminem ex Pontificibus poſt Gregorium Magnum quidpiam Canoni vel addidiſſe, vel immutaſſe. Hoc unum reperitur apud Anaſtaſium, quod Gregorius III. ſæviente adverſus Imagines, & Sanctorum Reliquias Leone Iſauro Imperatore, Oratorium ædificavit in honorem omnium Sanctorum; & a Sacerdotibus in ipſo Miſſas agentibus, hanc clauſulam poſt illa Canonis verba, *& omnium Sanctorum ſuorum*, dici inſtituit: *Quorum Solemnitas hodie in conſpectu tuæ Majeſtatis celebratur, Domine Deus noſter, in toto Orbe terrarum*, quod tantum pro illo Oratorio inſtitutum fuit; atque ideo notante Walafrido Strabone *cap. 22.* non eſt Canoni, qui generaliter dicitur, adnotandum. Porro obſervandum hic Canonem variis nominibus inſignitum fuiſſe: Gregorius laudata epiſtola, *Precem* appellat; Vigilius *Textum Canonicæ precis*. Concilium Eboracenſe tempore Cœleſtini III. *Miſſæ ſecretum* nuncupat, Cyprianus *Orationem*, alii *Actionem* dicunt, ut Walafridus, quia in eo Dominica Sacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur qua de cauſa in ipſo Canone in Oratione, quæ incipit *Communicantes*, titulus apponatur *infra Actionem* (melius teſte Bona *loc. cit.* legendum eſt *intra Actionem*, quemadmodum in MSS. Codicibus reperitur) quia nimirum actio Sacrificii ibi proprie continetur. De ſigulis partibus Canonis aliqua etiam ſparſim *in 2. part. tit. 8. & ſeqq.* hujus Theſauri cum Gavanto adjiciemus.

Supereſt nunc, ut recenſeamus breviter Auctores, qui de præfato Canone Miſſæ erudite diſſeruerunt. Hi autem ſunt Stephanus Durantis *lib. 2. cap. 32. & ſeqq.* Edmundus Martene *de antiquis Eccleſ. Ritib. lib. 1. art.* 8. Hugo Menardus *in ſuis notis, et obſerv. ad Sacrament. Gregorian. pag.* 12. Card. Bona *lib. 2. cap.* 11. Antonius Bellotte *in ſuis obſerv. a pag. 529. uſque ad pag.* 563. Gracolas *de antiqu. Liturg. pag.* 603. Petrus Le Brun *tom. 1. pag.* 399. Gabriel Biel in ſacri Canonis Miſſæ luculentiſſima expoſitione. Franciſcus Vander Veken e Societate Jeſu *de Canone Sacrificii Miſſæ*. Fraciſcus Pagi *in Vita Gelaſii PP. n.* 15. Oliverius Bonartius *de Sacroſanct. Sacrif. Miſſæ lib. 2. cap. 20. et ſeqq.* Anonymus *in tract. de Miſſa Parochiali* Gallice conſcripto 3. *part. cap. 1. & ſeqq.* Natalis Alexander *tom. 1. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis lib. 2. art. 6. n. 15. et ſeqq.*

## De Communione, Orationibus poſt Communionem, ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, de Benedictione, & Evangelio S. Joannis. XIII.

### RUBRICA.

1 EXpleto canone, & aliis omnibus uſque ad Communionem, ea peracta, dicitur (h) *Communio*, et *Orationes*

*tiones* (i) *poſt Communionem, eodem modo, & ordine, ut in principio Miſſæ, & repetito, Dominus vobiſcum, dicitur* (l) *Ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, pro temporis ratione. Ita Miſſa eſt, dicitur* (m) *quandocumque dictum eſt, Gloria in excelſis. Cum non dicitur, ejus loco dicitur, Benedicamus Domino, reſpondetur* (n) *Deo gratias. In Miſſis Defunctorum dicitur* (o) *Requieſcant in pace, reſpondetur. Amen.*

### G A V A N T U S.

(h) *Communio.* De hac *Ordo Romanus, & Antiphonar. Gregor.* & cantabatur dum Populus communicabatur. Tradit *Rupert. lib. 2. cap.* 18. ſolitam dici poſt cibum ſalutarem in gratiarum actionem. Cœleſtino *Demochares tom. 4. cap.* 15. Gregorio tribuunt Auctores *Gemma lib. 1. cap. 90. & Hugo Victor. de Eccleſ. Offic. lib. 2. cap.* 11. Deducit hunc Ritum *S. Thom. 3. par. q. 83. art. 4.* ab Hymno dicto a Chriſto, & Apoſtolis poſt cœnam. Nunc cantari debet poſt *Agnus Dei*, immediate, niſi fiat Populi communio, ad quam ea cantatur.

(i) *Orationes poſt Communionem.* Idem docet *Microl. c.* 19. quas Orationes Collectas etiam vocat *Ordo Romanus*. Ad complendum, titulus earum eſt, *in Sacrament. Gregor.* Benedictiones appellat *Vualafr. l. c.* quæ pro communicatis dicebatur; neque alia tunc in fine benedictio dabatur, *Microlog. cap.* 21.

(l) *Ite Miſſa eſt, &c.* A Leone inſtitutum fuiſſe ſcribit *Radulph. propoſ. ult.* quod tamen habet *in Liturgia S. Petri*, & expreſſius *in Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap.* 23. & quidem in Feſtis, concurrente Populo, dimittitur ille ſolemniter; niſi triſtitia temporis inſinuanda ſit, ut in Dominicis Quadrageſimæ, & ejuſmodi; in ferialibus autem, ubi devotiorum eſt acceſſus ad Miſſam, ii ſunt potius detinendi in Divinis benedictionibus. *Microl. cap.* 46. ſed Clem. utitur verbis: *Ite in pace*: a Chriſto deducit hunc Ritum *Vualdenſis tom. 3. tit. 4. c. 44. num.* 7. qui in fine cœnæ dicit: *Surgite, eamus hinc.*

(m) *Quandocumque dictum eſt, Gloria.* Docet *Microl. c. 19. & 46.* ſolemnis autem eſt dimiſſio, ait *Rupert. lib. 2. cap.* 20. & gaudium ſonat commune Hymno Angelico, & Cantico, *Te Deum*, unde ſe invicem conſequuntur, ſicut cantus Angelorum, & iter paſtorum ad Chriſtum. *Durand. lib. 7. cap.* 1.

(n) *Deo gratias.* Hoc loco uſurpari innuit *Dionyſius c. 3. Eccleſ. Hierarch. iis verbis:* in gratiarum actionem Sacram deſinit, cum omni Eccleſiæ Sacra plenitudine, *Auguſt.* etiam *epiſt. 59. ad Paulinum*; participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludit; quod *Amalar. lib. 1. c.* 34. de hoc Ritu declarat.

(o) *Requieſcant in pace.* Explicat *Durand. lib. 4. c.* 47. ut requies concedatur, quam eis optamus; ſed antea meminit hujus Ritus *Steph. Edvenſ. de Sacr. Alt. cap.* 18.

* Dicitur autem hoc loco ſemper in plurali numero, licet pro uno dicatur Miſſa.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rub. & Gav. lit. l — *Ite Miſſa eſt, &c.*) Poſt completas Orationes Communioni ſubjungi ſolitas, & poſt ultimam Populi ſalutationem, in Privata Miſſa Sacerdos, & in ſolemni Diaconus denuntiat completum eſſe Sacrificium, dicens: *Ite Miſſa eſt.* Utebantur his, vel æquivalentibus vocibus veteres Chriſtiani poſt lectionem Evangelii, & exhortationem, ut dimitterent Catecbumenos ab Eccleſia; ut diximus in noſtris Obſervationibus Præliminaribus *n.* 10. & vocabatur hæc prior Sacrificii pars, ut alias diximus, Miſſa Catechumenorum: quia ea parte peracta, mittebantur alta hac Diaconi voce, *foras.* Expleta vero poſtea reliqua Sacrificii parte, poſt Communionem dimittebantur etiam Fideles Chriſtiani iiſdem ferme verbis, Diacono dicente: *Ite Miſſa eſt.* Ab hujus vocis emiſſione loco ſupra allegato cum nonnullis clariſſimis Auctoribus, arbitrati ſumus, Euchariſticum Sacrificium Miſſam appellatum fuiſſe. Neque ante impertitam prædictam facultatem, diſcedere olim per Sacros Canones licuit; ut patet ex Conciliis Agathenſi *cap.* 47. & Aurelianenſi *cap.* 28. allegatis in *cap. Omnes Fideles de conſecr. diſt.* 1. quo facit illud Chryſoſtomi homilia de Eccleſ. non condemn. — *Ingreſſus es in Eccleſiam? o homo, ne exeas niſi dimittaris.*

II. Gavant. ead. lit. l — *A Leone inſtitutum fuiſſe ſcribit Radulphus, &c.*) De prædicta Sacrificii concluſione loquitur Florus in expoſitione Miſſæ, Amalarius *de Eccleſiaſticis Officiis l. 3. c.* 6. Durandus *in Rationali Divin. Offic. l. 4. c.* 57. Demochares *de Obſerv. Miſſæ c.* 15. & alii quamplures; quam a Leone inſtitutam fuiſſe perperam, ut notat ſupra Gavantus, aſſerit Radulph. *de obſerv. Can. propoſ.* 23. cum & in Liturgia, quæ Divi Petri nomine decoratur, necnon in aliis Liturgiis Orientalibus conſimiles ſæpius legantur adſtantium Populorum dimiſſiones, quas adduximus in loco ſupracitato *num.* 10.

Cæterum per prædicta verba *Ite Miſſa eſt*, fiebat dimiſſio Populi in diebus feſtivis, quando Populus Sacrificio intereſſe ſupponebatur. In ferialibus autem omittebatur talis dimiſſio, quia tunc ſoli Eccleſiaſtici reperiri ſolebant; quibus non fiebat miſſa, ſeu dimiſſio, cum ad Divina Officia perſolvenda remanere deberent in Eccleſia: hinc in prima noctis Nativitatis Dominicæ Miſſa, *Ite Miſſa eſt*, non dicebatur; quia Populus, qui ad Laudes audiendas remanere debebat, non dimittebatur ab Eccleſia; ut colligitur ex Belehet *cap. 49. Rationali Divin. Officii*, qui Auctor floruit circa Annum 1153. & ex Micrologo *cap.* 34. qui ante ipſum floruit; & addit rationem cur in Adventu Domini, Septuageſima, aliiſque diebus pœnitentiæ dicatis, locum non habeat prædictus dimiſſionis uſus; quamvis eodem tempore frequens ſit Populi conventus, a Sacris Myſteriis utique dimittendus; cenſetque ob temporis triſtitiam, ſequi talem reticentiam. Bellarminus vero *lib. 2. de Miſſa c.* 27. ait: videtur neſcio quid lugubre præſeferre, quod non publica denunciatur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedit. Cæterum Cardin. Bona *lib. 2. cap. 20. num.* 2. abſolute cenſet, tunc potius dimiſſionem olim omiſſam fuiſſe, quando Fideles omnes, Miſſarum ſolemniis peractis, non ſtatim abibant, ſed permanebant in Eccleſia, donec recitatis Canonicis precibus, & ſtatione ſoluta, abire fas erat; deinde morem hunc extenſum eſſe ad Miſſas minus Solemnes, & quotidianas.

III. Rubr. & Gavant. lit. m — *Quotieſcumque dictum eſt Gloria, &c.*) Juxta Ritus recentiores, tamen, non uno ſemper, ac eodem Ritu concluditur Miſſæ celebratio. In Feſtis quidem, & Solemnitatibus, quotieſcumque ad Matutinum Hymnus *Te Deum* decantatur, & ad Miſſam *Gloria in excelſis Deo*, eadem, qua ſupra dictum eſt, concluſione, nimirum per verba *Ite Miſſa eſt* terminatur Miſſa: in aliis vero diebus, quibus in Miſſa non dicitur præfatus Hymnus *Gloria in excelſis*, clauditur Sacrificium per verba *Benedicamus Domino*; quibus invitatur Populus ad gratias Deo referendas pro completo Miſſæ Sacrificio. De hoc recenti modo concludendi Miſſæ Sacrificium, ſermonem facit etiam Micrologus *c.* 46. quem refert Petrus Le Brun *tom. 1. pag.* 663. qui fuſiori calamo diſſerit etiam ſequentibus paginis de prædicto Ritu dimittendi Populum per verba *Ite Miſſa eſt.*

### R U B R I C A.

2 *Dicto* (p) *Placeat, datur* (q) *Benedictio, quæ a Celebrante ſemper datur in Miſſa, præterquam in Miſſis Defunctorum. Deinde legitur* (r) *Evangelium Sancti Joannis, In principio, præmiſſo Dominus vobiſcum, & Initium, ut moris eſt; quod Evangelium nunquam prætermittitur in Miſſa; niſi quando fit de Feſto in aliqua Dominica, vel Feria, quæ habet Evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Excipitur Dominica quarta Adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Miſſæ, quando in ea occurrit Vigilia Nativitatis Domini, quia nec in Officio lectum eſt.* (ſ) *In tertia Miſſa de die Nativitatis Domini legitur in fine Evangelium de Epiphania: Cum natus eſſet Jeſus. Et in Dominica Palmarum in Miſſis Privatis legitur Evangelium, quod ponitur in Benedictione Palmarum, quod etiam lectum eſt in Officio. In Vigiliis, quæ occurrunt in Quadrageſima, vel Quatuor Temporibus, non legitur* (t) *Evangelium Vigiliæ in fine Miſſæ. Et ſimiliter* (u) *in Miſſis Votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium, niſi ſancti Joannis.*

### G A V A N T U S.

(p) *Placeat.* Hujus meminit *Microlog. cap.* 22. quamquam poſt datam Benedictionem.

(q) *Benedictio.* De hac a Sacerdote hoc loco danda indicium eſt *in Liturgia S. Petri, & in libro Conſtitution. Apoſtolicarum cap.* 23. Expreſſe de ea ſcribit *Hieronym. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum*, cujus verba de Benedictione hac explicat *Micrologus c.* 21. qui & addit cauſam; ut qui non communicatus deſcendit, ſaltem benedictus a Sacerdote recedat: habetur etiam de *Conſecr. diſt. 1. cum ad celebrandum ex Concil. Aurelian. 1. cap. 28. & Agathen. cap. 47. eadem diſt. Miſſas.*

(r) *Evangelium S. Joannis.* In Liturgia Sancti Petri habentur hæc verba in fine. *Deinde plenitudo legis, & Prophetarum*: legebatur ergo aliquid; & Lindanus citat Liturgiam S. Simeonis Syracuſani ante Annum 800. in cujus fine lectio jubebatur. Apud quoſdam lectio Evangelii S. Joannis fuit in uſu *ex Durand. lib. 4. cap. 24. & cap. quidam de Celebrat. Miſſ.* tum *in Concil. Salegunſt. titul. de ſuffrag. cap.* 22. Additum ergo denuo eſt quoad omnes, *& Burchar. habet*; ut Divinitatis, & humanitatis Chriſti quaſi circulari ſigillo facto, ut opinor, toti Sacrificio extremam manum imponamus, & ut tanti beneficii jugiter recordemur, ait *Suar. part. 3. diſp. 83. ſect.* 1. Ejus loco legitur Evangelium, quod in Officio lectum eſt pro nona Lectione; ut Miſſa concordet cum Officio & nullum Evangelium in Miſſali poſitum prætermittatur, quin aliquo modo publicetur Populo in Miſſa, ſaltem per modum Commemorationis in fine Miſſæ. Item ſi quis fortaſſe primum Evangelium non audierit, in fine ſaltem Miſſæ audire poterit alterum, *ait Suarez loc. cit.* Ex his autem ratio patet Rubricarum ſequentium de Dominica quarta Adventus, cujus Evangelium non modo non lectum eſt in Officio Vigiliæ Nativitatis Domini, ſed & ſufficienter lectum eſt pridie in Miſſa Sabbati Quatuor Temporum.

(ſ) *In tertia Miſſa Nativitatis Domini.* Ne in eadem Miſſa legatur bis idem Evangelium, legitur illud Epiphaniæ; quod & convenit Nativitati Chriſti, & in fine occaſionem præbet adorandi cum genuflexione, ut ad ea verba: *Et Verbum ca-*

ro

*ro factum eſt*, quando nimirum dicitur, *& procidentes adoraverunt eum*,

(t) *Evangelium Vigiliæ*. Quia nec in Officio lectum eſt, ideo neque legitur in fine Miſſæ.

(u) *In Miſſis Votivis*. Quia Votivæ diſcordant ab Officio; cujus Evangelium, vel nobiliori loco in Miſſa legendum eſt, vel omittendum; idcirco ſemper in iis legitur Evangelium Sancti Joannis.

* Dicitur etiam Evangelium Sancti Joannis in fine Miſſæ de Feſto, in quo nulla fit Commemoratio Feriæ privilegiatæ, *ut in tit. 7. n. 2.* quando ſcilicet dicuntur duæ Miſſæ de Feſto, & de Feria ſive utrorumque Commemoratione.

### Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

IV. Rubr. & Gav. lit. p - *Placeat*, *&c.*) Dimiſſo Populo, ſeu prolatis illis verbis *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, Sacerdos in medio Altaris recitat ſubmiſſa voce Orationem, quæ incipit, *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* quam Card. Bona *lib. 2. cap. 20. n. 3.* ſe legiſſe aſſeverat in omnibus fere Miſſalibus antiquis, etiam ante Annum milleſimum exaratis: reperitur etiam talis Oratio in Miſſa Illyrici, & in aliis apud Menardum.

Adnotat pariter Petrus Le Brun *tom. 1. ſuarum explicat. pag.* 670. hanc Orationem reperiri in pluribus antiquis Sacramentariis ſcriptis *ante* finem Sæculi XI. De hac mentionem faciunt Micrologus *cap.* 22. Radulphus Tungrenſis, Alexander de Ales, & alii, qui fatentur, ſtatim ac compoſita fuit hæc Oratio, non in ipſo Miſſæ Sacrificio, ſed poſt ipſum omnino completum, a Sacerdote privatim recitatam fuiſſe; quia autem eſt antiquior Benedictione, quæ datur nunc a Sacerdote, inſtituta fuit recitari ante dictam Benedictionem in Miſſali Romano, ut fatetur etiam Bellotte in ſuis obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis *pag.* 677. ubi etiam explicat ex Biel ſenſum verborum, quæ in tali Oratione recitantur. Cæterum in aliquibus antiquis Miſſalibus Benedictio præcedit hanc Orationem, ita in Miſſali Romano Venetiis impreſſo Anno 1493. in altero Miſſali anni 1500. Romæ edito, in Miſſali Rhemenſis Eccleſiæ Anno 1553. & in pluribus aliis.

V. Rubric. & Gavant. lit. q - *Benedictio*, *&c.*) Recitata præfata Oratione, ſequitur juxta recentiorem Ritum Benedictio, quæ a Sacerdote Populo datur, quam olim ante Communionem Epiſcopus largiri ſolebat; ut notat Cardinalis Bona *loc. ſupracit. num.* 4. Ritus benedicendi Populum præfato modo, & in dicta circumſtantia eſt additio Miſſæ facta poſt Sæculum X. ut advertit Petrus Le Brun *libro ſupracitato pag. 674. & ſeqq.* ubi ait, quod aliquæ Eccleſiæ Cathedrales in Gallia, quæ adhuc antiquam diſciplinam obſervant, ſicut etiam PP. Carthuſiani, hujuſce Benedictionis Ritum nondum ad praxim deduxerunt. In Eccleſia tamen Orientali ſtatim poſt prima Sæcula viguit uſus impertiendi Benedictionem Populo, & in Liturgia Clementina, quæ reperitur *in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. cap.* 25. longa legitur Benedictio, quæ dabatur immediate poſt Populi dimiſſionem. Reperitur pariter ſimilis Benedictio in Liturgia Sancti Chryſoſtomi; ut legitur in *Euch. Græc. pag.* 87. & in Liturgia Sancti Baſilii; ut habetur pariter *in dicto Euch. pagin.* 175. & ibi mentio fit, quod dabatur talis Benedictio poſt Populi dimiſſionem. Etiam Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Antiſtes, qui floruit circa Annum 600. *in lib. 1. cap. 17. de Divinis Officiis*; ſermonem habet de Benedictione danda a Celebrante, ſed non explicando in qua Miſſæ parte hæc impertiebatur; Concilium tamen Toletanum IV. celebratum Anno 633. declarat talem Benedictionem dandam eſſe inter Orationem Dominicam, & Communionem.

Refert etiam prædictus Le Brun *pag.* 677. reperiri nonnulla antiqua Sacramentaria, in quibus legitur Benedictio Epiſcopalis, quæ dabatur Populo ante *Agnus Dei*, nimirum ante Communionem; ut nos quoque, cum Cardinali Bona mox adnotavimus, præfata Benedictio legitur in Sacramentario, quod aſſervatur in Eccleſia Meldenſi, & quod exaratum cenſetur tempore Drogonis dictæ Cathedralis Antiſtitis, & Caroli Magni Filii naturalis. In Sacramentariis Gregoriano, Gelaſiano, & Leonino non habentur niſi Orationes, quæ appellantur Benedictiones ſuper Populum poſt Communionem, & hinc eſt quod Auctores Liturgici, qui Sæculo IX. floruerunt, nimirum Amalarius, Florus, Rabanus Maurus, Walafridus, Remigius Antiſſiodorenſis, qui Ordines Romanos explanarunt, nullam mentionem fecerunt de hujuſmodi Benedictionibus Epiſcopalibus; & ſolum ultimam Orationem, quam Celebrans dicit ante *Ite Miſſa eſt*, Benedictionem appellarunt. In primo Concilio Aurelianenſi celebrato Anno 511. legitur *Canon* 28. in quo habetur - *Cum ad Celebrandas Miſſas in Dei nomine convenitur, Populus non ante diſcedat, quam Miſſæ Solemnitas compleatur; & ubi Epiſcopus non fuerit, Benedictionem accipiat Sacerdotis*; quæ verba repetuntur a Micrologo *cap.* 21. ubi ait, loquendo de Populo Miſſæ aſſiſtente: *Prius tamen ab Epiſcopo benedicitur, ſi adeſt, ſin autem a Presbytero, qui Miſſas celebravit*; nihilominus non fuit communiter acceptus iſte Ritus benedicendi Populum; nam Ordo Ciſtercienſis, & Ordo Præmonſtratenſis, inſtituti Anno trigeſimo circiter poſt Micrologum, nihil adnotarunt in ſuis Ordinariis de Benedictione impertienda in fine Miſſæ; & in antiquo Ordinario PP. Prædicatorum *lib.* 2. ſic legitur - *Et ſi conſuetudo Patriæ fuerit, & extranei fuerint hoc expectantes, det Benedictionem juxta morem Patriæ* - Ita refert Marcellus de Cavalleriis *in ſua Statera Sacra tit. 29. num.* 50. In Miſſali vero PP. Carmelitarum impreſſo Anno 1514. idem advertitur; ſicut in eorum Ordinario exarato 1279. hoc adnotabatur; unde evincitur Ritum talis Benedictionis ſenſim introductum fuiſſe. Durandus eum refert ad Annum 1286. PP. Carthuſienſes *in ſuis nuperrimis Conſtitutionibus ſtat. 3. compil. cap. 1. num.* 58. ita ſtatuerunt - *Sacerdotes noſtri Ordinis dum celebrant in Eccleſiis, quæ non ſunt de ordine noſtro, conforment ſe cum aliis Sacerdotibus ... in benedicendo Populis poſt Miſſam.*

In pluribus antiquis Miſſal. Eccleſ. Germaniæ legebatur hic modus benedicendi - *Adjutorium noſtrum*, *&c*, *Sit nomen Domini*, *&c. Oremus*. *Cæleſti benedictione benedicat nos*, *& vos Divina Majeſtas*, *& una Deitas*, *Pater*, ✠ *& Filius*, ✠ *& Spiritus* ✠ *Sanctus*, *Amen* - Idem ferme modus benedicendi legitur in pluribus antiquis Miſſalibus Gallicanis, ut refert Le Brun *loc. cit. pag.* 681. apud quem legi pariter poſſunt varii modi Benedicendi Populum in fine Miſſæ.

Incongruum hoc loco non erit obſervare, quod olim Presbyteri etiam ter populo benedicebant; cujus rei teſtem ampliſſimum damus Burchardum Magiſtrum Cæremoniarum Capellæ Pontificiæ, qui hæc habet - Deinde extenſis manibus hinc, & inde ſuper Altare, ipſum Altare oſculatur, erigit ſe, & adhuc tranſverſus ad illud, voce intelligibili, elevans oculos ad Deum, ac manus extendens, elevans, & jungens dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*, junctis ſic manibus ante pectus, ac demiſſis ad terram oculis, vertit ſe ad manum ſiniſtram, hoc eſt ad latus ſuum dextrum, & per girum, tertium Populo benedicit. Primo verſus cornu Epiſtolæ, ubi manu dextra ſignum Crucis producens ſuper Populum, voce intelligibili dicens, *Pa✠ter*; tum in medio ſimili voce dicens, *& Fi✠lius*; deinde verſus cornu Evangelii dicens, *& Spiritus* ✠ *Sanctus*. Reſp. *Amen*. Hic Ritus uſque ad S. Pium V. perduraſſe videtur, qui facultatem Presbyteris abrogavit ter Populo benedicendi in Miſſis Privatis; quamquam conceſſerit, ut in Miſſa Solemni priorem conſuetudinem obſervarent; nam inter Rubricas Miſſalis Romani, Anni 1587. hanc lego - In Miſſa Solemni omnia facit, ut ſupra, hoc excepto, quod ter Populo benedicit: primo a cornu Epiſtolæ, dicens, *Pater*, ſecundo ad medium Altaris, dicens, *& Filius*, tertio a cornu Evangelii, dicens, *& Spiritus Sanctus*. Tandem trina hæc Presbyterorum Benedictio prohibita eſt in Miſſali Romano Clementis VIII. auctoritate recognito; in quo diſerte præſcribitur, ut Presbyteri etiam in Miſſa Solemni unam tantum Benedictionem impertiantur.

VI. Rubr. & Gav. lit. r - *Evangelium S. Joannis*, *&c.*) Poſtquam Sacerdos Benedictionem Populo impertitus eſt, legit initium Evangelii S. Joannis, ut in Ordine Miſſæ; niſi aliud Evangelium vel Vigiliæ, vel Dominicæ ſit legendum, juxta diſpoſitionem Rubricarum Miſſalis. S. Pius V. in ſua reformati Miſſalis Romani editione, dictum S. Joannis Evangelium regulariter legendum eſſe præſcripſit ad jugem recordationem Incarnationis Verbi Divini; de quo fuſim Suarez *diſp. 83. ſect.* 1. antea vero ſine certa lege ex ſola conſuetudine a quibuſdam dici, ab aliis vero omitti pro cujuſcumque arbitrio ſolebat; ut Paris Craſſus in Cæremoniali Summi Pontificis inedito *cap.* 65. teſtatur, referente Card. Bona *lib. 2. cap. 20. n.* 5.

Et revera reperitur tale Evangelium in Sacerdotali veteri Leonis X. tamquam in fine Miſſæ dicendum; ſed adhuc non ex præcepto, ut communiter cenſetur. Miſſale MS. Bibliothecæ Palatinæ *num.* 501. & apud Vaticanum *num.* 3807. necnon Miſſale Rhemenſis Eccleſiæ Ann. 1553. ſicut & illud Noviomenſis Eccleſiæ Ann. 1541. hoc ipſum Evangelium dicendum eſſe ſtatuunt, dum Sacerdos Sacris veſtibus exuitur. Sariſburienſe vero Miſſale; ſicut & aliud ad uſum Hoſpitalis Anglorum Rothomagi, editum Anno 1511. decernunt, ut Sacerdos in redeundo ab Altari recitet prædictum Evangelium Sanctis Joannis. E contra in Rituali Caſſinenſium, in conſuetudinibus Monachorum Germaniæ, aut Cluniacenſium, in libro uſuum Ciſtercienſium, & in Ordinario Carthuſienſium, nulla penitus fit mentio ejuſdem Evangelii; ut tradit Martene de Antiquis Monachorum Ritibus *lib. 2. cap. 4. num.* 19. ubi addit, quod prima Ritus iſtius mentio occurrit ſibi in Ordinario Burſfeldenſium; in quo præſcribitur, quod Sacerdos, Benedictione completa, incurvatus ante Altare dicat hanc Orationem: *Placeat tibi Sancta Trinitas*, *&c.* deinde erigendo ſe dicat: *Dominus vobiſcum*, & *Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem*. Cæterum adeo verum eſt recentem eſſe hujus Evangelii præſcriptionem in fine Miſſæ, ut PP. Societatis Jeſu promiſcue legerent vel Evangelium S. Joannis, vel illud B. V. *Loquente Jeſu ad turbas*, *&c.* juxta eorum Conſtitutiones; & adhuc quædam Galliarum Eccleſiæ veterem Ritum obſervant, non legendo in fine Miſſæ memoratum Joannis Evangelium; ut notat Du Moleon in ſuo Itinere Liturgico. Denique qui ſolemniter celebrat in Pontificio Sacello, ejuſdem Evangelii recitationem etiam nunc in fine Miſſæ omittit. Videri poſſunt in hanc rem Bellotte *pag.* 679. Le Brun *tom. 1. pag.* 687. Cardin. Bona, Martene in locis citatis, & alii.

## De Ordinanda Miſſa ex ſupradictis Rubricis. XIV.

### RUBRICA.

1 *Supradictis Rubricis cognitis, ſi quis velit ordinare Miſſam diei, recurrat ad Ordinarium Miſſarum de Tempore, vel de Sanctis, ſecundum qualitatem Officii. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum ſit, & propria Miſſa non fuerit de Feria, dicatur Miſſa præcedentis Dominicæ, omiſſis Gloria in excelſis, & Symbolo: præterquam tempore Paſchali; in quo ſemper dicitur, Gloria in Excelſis, ut ſupra, excepta Miſſa Rogationum: & in Adventu (x) prætermittitur Alleluja, poſt Graduale, cum ſuo verſu. Si dicenda ſit Miſſa Votiva, requiratur poſt Commune Sanctorum ſuo loco. Si plures Orationes dicendæ ſint, requirantur poſt Miſſas Votivas, ſuo loco de ſingulis rebus ſingulæ. Si pro Defunctis dicenda ſit Miſſa, habetur poſt Miſſas Votivas cum Collectis diverſis, circa finem Miſſalis. Ordo totius Miſſæ cum Præfationibus, Canone, & aliis dicendis, habetur ſuo loco cum Proprio Miſſarum de Tempore.*

### GAVANTUS.

Ex his colligitur Ordo Miſſalis, quam optime inſtitutus ſit; in quo primum habentur Miſſæ de Tempore, ab Adventu ad Paſcha, a Paſchate ad Adventum: hæ ſunt Miſſæ, ut ita dicam, de Vita Chriſti per Annum diſtributæ. Deinde Miſſæ de Sanctis ab Adventu item ad Adventum, ſive finem Novembris, & hæ ſunt propriæ. Tum communes de iiſdem. Quarto loco Votivæ, & pro variis neceſſitatibus. Poſtremo loco pro Defunctis, qui extremam in pace clauſerunt diem. Canon vero medium Miſſalis jure occupat locum cum Ordine Miſſæ, qui communis eſt omnibus Miſſis.

(x) *Præterquam Alleluja*. Feriæ Adventus ſunt quaſi Vigiliæ ſummæ Feſtivitatis Natalis Domini; in iiſdem erat jejunium, ut dicemus titulo ſequenti, ad mœrorem repræſentandum Sanctorum Patrum expectantium: quare ſicut in Vigiliis, & aliis jejuniorum diebus *ex Alcuin. de Div. Offic. cap. de Paraſceve*, omittimus feſtiviſſimum Allelujaticum melos; ita & in Feriis Adventus. Repete ea, quæ diximus ſupra *tit.* 10. *ad num.* 4.

Accidit aliquando obſtinate peti ab aliquibus Miſſam celebrari de Sancto infra ejuſdem Octavam, ſed in die, in quo fit Officium de alio Sancto Semiduplici cum Commemoratione Octavæ: puta, exigunt Miſſam de Sancto Joanne Baptiſta in Feſto Sancti Leonis II. ſeu Miſſam Sancti Antonii Patavini infra ejuſdem Octavam, & ſæpe infra Octavam Corporis Chriſti; ſeu Miſſam de B. V. in Feſto Sancti Nicolai Tolentinatis, & ſimiles Miſſas: quo Ritu hæ Miſſæ celebrabuntur? neque enim a Rubricis Votivæ Miſſæ prohibentur dici infra prædictas Octavas, neque in Feſtis Semiduplicibus: at neque meræ Votivæ eæ videntur eſſe, ratione propriæ Octavæ, intra quam eæ petuntur dici. Multis autem hac de re a me quærentibus, reſpondi, ſalvo meliori judicio, & Sac. R. C. arbitrio, Feſtivas eas non eſſe, quia horis Canonicis non correſpondent; & Votivas eſſe hoc potiſſimum capite, quia non correſpondent Officio, quæ eſt Votivarum nota *in tit. ſeq.* 15. *num.* 5. tum quia ſupponimus infra Octavas proprias eas occurrere, tranſacto Feſto: & licet Octava tota repetetur unus, & idem dies Feſtus, unde & Miſſa Feſti repetitur per totam Octavam; tamen id locum habet, quando perſeveret Officium de Octava ſimul cum Miſſa; ſecus, ſi diſcordat Miſſa ab Officio. Poſito igitur, quod eæ ſint Votivæ potius, quam Feſtivæ; Ritum Votivarum in iis obſervarem, ſi obſtinate exigantur, aut ſi negari non poſſunt ſine petentis offenſione.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

I. Rubric. *Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum, &c.*) Hic obſervare lubet cum Gerlaco Vinitore ſuper hoc titulo, quod Miſſæ, quæ in Romano Miſſali non habentur, aut a Sede Apoſtolica nondum ſunt approbatæ, licite celebrari non poſſunt: ſimiliter Miſſæ certis Regularibus tantum conceſſæ, non poſſunt ab aliis dici, nec etiam in ipſorummet Regularium Eccleſiis. Item neque a Capellanis Sæcularibus, propriis in Eccleſiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario: quo caſu Capellani Miſſam quidem recitabunt de Sancto, de quo Moniales recitant Officium; ſed cum Miſſali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi. Quod ſi nulla ſit Miſſa in Miſſali Romano, quæ concordet cum Officio Monialium, puta *de Spina*, & *Corona*; tunc dicti Capellani dicere poſſunt Miſſam de Cruce, vel de Paſſione. Hæc omnia, & alia confirmata remanent per ſubſequentia Decreta S. R. C.

Capellani Sæculares propriis in Eccleſiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere poſſunt Miſſam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium; ſed cum Miſſali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel Communi. S. R. C. 20. Novembris 1628. & in noſtro Indice *ſub num.* 238.

Exteri celebrantes in Eccleſiis Regularium, ſervatis ſervandis, poſſunt in Miſſis ſe uniformare cum fratribus, quoad *Credo*, & quoad numerum Orationum more Duplicium. S. R. C. 11. Julii 1701. & in noſtro Indice *ſub n.* 559.

Facultas celebrandi cum Miſſali Romano pro Capellanis Monialium, intelligi debet pro omnibus, & ſingulis, qui ex debito tenentur celebrare in Eccleſiis ipſarum Monialium, dummodo celebrent cum Miſſali Romano. S. R. C. 11. Februarii 1702. & in noſtro Indice *ſub num.* 561.

Prohibitio facta in declaratione (de qua Anno 1668. 9. Junii) Sacerdotibus Sæcularibus, etiam Capellanis, ne celebrent Miſſam de Requiem in Eccleſiis Regularium, in quibus recitatum ſit Officium Duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto eorumdem ſui Ordinis, intelligi etiam debet pro Eccleſiis Monialium. S. R. C. 11. Februarii 1702. & in noſtro Indice *ſub n.* 562.

Licet in poſterum, tum Confeſſariis, tum Capellanis, quarumcumque Monialium ſervitio addictis Miſſas Sanctorum de quibus ipſæ recitant Officium celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de Communi; non vero Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sac. Congr. conceſſas. S. R. C. 20. Novembris 1717. & in noſtro Indice *ſub num.* 634. Vide etiam Decretum datum *ſub num.* 557. *& ſeqq.*

A prædictis regulis excipienda eſt Miſſa propria de Sancta Tereſia Virgine; quæ poteſt dici ab omnibus Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus confluentibus in Eccleſia Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ubicumque exiſtentis; ut liquet ex Decreto S. C. edito die 27. Julii 1720. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 634. Quinimo idem privilegium conceſſit Benedictus XIII. die 10. Januarii 1726. in Decreto, quod incipit *Sanctiſſimus, &c.* Romæ impreſſo, etiam Sacerdotibus quibuſcumque confluentibus ad Eccleſias Ordinis Carmelitarum antiquæ obſervantiæ, nimirum de ibi dicenda Miſſa propria Sanctæ Tereſiæ.

Rurſus excipienda pariter eſt Miſſa propria Sancti Benedicti, juxta Decretum die 10. Februarii, 1727. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 651. in quo liquet Benedictum Papam XIII. indulſiſſe, ut in Feſto Sancti Benedicti Miſſa ipſius propria in Eccleſiis tam Monachorum, quam Monialium præfati Ordinis ubicumque exiſtentibus, ab omnibus etiam Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus ad eas confluentibus, cum Miſſali Monaſtico in poſterum celebrari poſſit, & debeat.

Notandum hoc loco occurrit, quod noſter Paſqualigus de Sacrif. novæ Legis *tom.* 1. *tract.* 1. *quæſt.* 279. *n.* 3. probat, quod ſi conceſſio Miſſæ ſit facta etiam pro confluentibus, poſſunt confluentes celebrare etiam per Octavam, ſi ſit conceſſa, quia tota Octava vocatur dies Feſtus, dies Natalitius.

Denique excipitur etiam a prædictis regulis Miſſa de Corona Spinea, Feria 6. ante Dominicam Paſſionis ſimiliter conceſſa in Eccleſia Canoniſſarum Regularium Lateranenſium Terræ Viturclani Diœceſis Balneoregien. ex Decreto particulari S. R. Congreg. die 3. Martii 1731. & ſi quæ ſunt aliæ hujuſmodi conceſſiones, pariter excipiendæ ſunt a prædictis regulis.

## De Hora Celebrandi Miſſam. XV.

### RUBRICA.

1 *Miſſa Privata, ſaltem poſt Matutinum, & Laudes, quacumque hora (y) ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt.*

### GAVANTUS.

(y) *Ab aurora uſque ad meridiem*. Nempe in luce, qui ex *S. Thom.* 3. *par. qu.* 83. *art.* 2. *ad* 4. Chriſtus ait: me oportet operari, donec dies eſt: *Jo.* 9. *addit Suar. diſp.* 80. *ſect.* 4. nec ante auroram regulariter ad opus publicum conveniri, nec poſt meridiem jejunium protrahi: ubi etiam concedit horam cum dimidia ante ortum Solis ex cauſa. Tertiam partem horæ ante auroram, vel poſt meridiem, eſſe notabilem partem, & ſufficientem ad lethale peccatum, docet *Azor. lib.* 10. *cap.* 25. *qu.* 6. minor quam tertia pars horæ excuſat a lethali, *ex Soto* 4. *diſt.* 4. *qu.* 2. *art.* 2. *concedit Nav. in Manual. cap.* 25. *num.* 85. *& alibi*, celebrari poſſe ex cauſa rationabili poſt meridiem, contra quem cum communi opinione ſcripſit *Francol. tract. de tempore Hor. Can.* 1. *part. cap.* 41. juſta vero cauſa eſſe poteſt, poſt Miſſam Solemnem tardius cantatam in Feſtis vel poſt concionem longiorem: addit *Suar.* ut fiat de licentia Epiſcopi, ſi commode haberi poteſt.

Privilegiati, ut hora ante, vel poſt celebrare queant, poterunt hora ante, vel poſt ſtatam horam a Summiſtis regulariter conceſſam celebrare: alias non eſſet privilegium.

Ubi vero non eſt aurora phyſice, attendatur ea moraliter, & politice, quando ſcilicet ibi terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam regionum conſuetudinem. Qua de re opportunam movente quæſtionem Theodoſio Rubeo in Mathematicis peritiſſimo, juſſu SS. D. N. Urbani VIII. in pleniore Congr. coram Eminentiſſimo Card. Oregio, ea bene diſcuſſa, ivimus omnes in hanc eandem ſententiam, die 18. Septembris 1634. Variis igitur horis celebrari privatim poteſt: quia fit in Miſſa memoria Paſſionis, quæ accidit mane; Mortis, quæ hora nona, Reſurrectionis, quæ item mane; & Aſcenſionis, quæ hora tertia, vel ſexta contigiſſe creditur, *Durand. lib.* 4. *cap.* 1.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. lit. y - *Ubi concedit horam cum dimidia ante ortum Solis*

Digitized by Google

*Solis, ex cauſa, &c.*) Hanc ſententiam tenet etiam Biſſus *lit. M. num.* 202. §. 2. nimirum, quod poſſit celebrari Miſſa una hora cum dimidia ante Solis ortum, imo Layman, Dicaſtillus, De Lugo, Tamburinus, & alii, quos ſuppreſſo nomine citat, & ſequitur Tonellius in Sac. Enchiridio *lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *n.* 8. *&* 9. tenent poſſe celebrari Miſſam etiam duabus horis ante Solis ortum. Imo in caſu neceſſitatis, nempe dandi Viaticum moribundo, ſi non adeſſet Particula conſecrata, Diana, & Gobat relati a Biſſo *loc. cit.* & a Turrino *part.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 2. aſſerunt poſſe celebrari Miſſam ſtatim poſt mediam noctem, etiam abſque licentia Epiſcopi, attenta urgentia Divini præcepti de communicando infirmo, ſed Caſtropalaus hanc ſententiam non approbat.

III. Gav. ead. lit. y. - *Ubi non eſt aurora phyſice, attendatur moraliter, &c.*) Hæc Gavanti ſententia approbatur etiam a S. R. C. per ſubſequens Decretum.

Ubi non eſt Aurora phyſice pro licita Miſſarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando ibi terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam regionum conſuetudinem. S. R. C. 18. Septembris 1634. & in noſtro Indice *ſub num.* 276.

Quoniam autem hic eſt ſermo de hora celebrandi Miſſam, hic lubet ſubnectere etiam duo alia Decreta S. R. C. ad præſentem materiam ſpectantia, nimirum.

Non poteſt prohiberi celebratio Miſſæ in Oratorio ruri ædificato per laicum, antequam celebretur Miſſa Parochialis. 31. Maji 1629. & in noſtro Indice *ſub n.* 242.

Miſſæ celebratio in Eccleſia, ſeu Oratorio, ſitis in territorio, & extra mœnia alicujus Oppidi, & prope viam Romanam, non poteſt prohiberi, antequam celebretur in Eccleſia Parochiali, & Matrice, non obſtante Decreto Epiſcopi in Synodo Diœceſana edito, celebrationem hujuſmodi prohibente. Sac. R. C. 30. Auguſti 1664. & in noſtro Indice *ſub n.* 420.

II. Rubric. *Uſque ad meridiem, &c.*) Ex prædictis Rubricæ verbis deducitur non licere poſt meridiem celebrare Miſſam, neque Privatam, neque Solemnem: nihilominus eſt certum apud omnes poſſe Miſſam inchoari in meridie, ita ut terminet poſt meridiem: imo in magnæ alicujus Feſtivitatis die ob concurſum Populi, & ratione Solemnitatis, non deſunt Auctores, qui aſſerant poſſe celebrari Miſſam una hora poſt meridiem, poſt Concionem, & Miſſam Solemnem. Ita Tonellius ſupra *loc. cit.* & alii apud eumdem, quorum tamen ſententiam Biſſus *loc. cit.* approbare non audet, niſi in caſu, quo debeat dari Viaticum infirmo.

## R U B R I C A.

2 *Miſſa autem Conventualis, & Solemnis ſequenti ordine dici debet. In Feſtis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta* (z) *in Choro* (a) *hora tertia. In Feſtis Simplicibus, & Feriis per Annum* (b) *dicta Sexta. In Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecoſtes, & Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis ſint dies ſolemnes, Miſſa de Tempore debet cantari* (c) *poſt Nonam.*

## G A V A N T U S.

Miſſa Solemnis ſemper dicitur poſt aliquam Horam, etiam in nocte Nativitatis Domini, ut Horæ Canonicæ ſint quaſi quædam ad Miſſam præparatio. *Francolin.* 1. *part. cap.* 38. poſt varias Horas, ut majori præparatione, minorive pro Miſſarum varietate, ſeu dierum fiat Miſſa.

* Hoc loco notandum eſt, quod Miſſa Parochialis ſine cantu eſt Privata, non Conventualis, de qua in his Rubricis, licet ad eam conveniat Populus ſeu loci Clerus; quo poſito, multa facile definire poteris circa Rubricas Miſſalis.

(z) *In Choro.* Presbyterium dicitur *in epiſtol. SS. Cornelii, & Cypriani.* Sanctuarium Altaris in *Concil. Bracaren.* 1. *num.* 31. Sancta Sanctorum *in Turonen.* 2. *cap.* 4. Chorus *in Tolet.* 4. *num.* 17. hoc eſt conſenſio cantantium, *ex Auguſt. in Pſal.* 49. unde & Corona dicitur *ab Iſidor. lib.* 1. *de Offic. cap.* 3. quia in modum coronæ *ait Amalar. lib.* 1. *cap.* 3. a Chorea deducit *Gemma lib.* 1. *cap.* 139. Græca vox ſignificat lætitiam in *Platone* 2. *de leg.*

(a) *Hora tertia.* Non ante horam tertiam cantari Miſſam juſſit Teleſphorus ex *Amalar. lib.* 3. *cap.* 42. *de conſecr. diſtinct.* 1. *nocte, & ibidem cap. & hoc*: & de Solemni intellexit *Durand. loc. cit.* S. Caſſius Narnienſis Epiſcopus hac eadem hora celebrare conſuevit, laudatuſque de Cœlo fuit, *apud S. Gregor. in Dialogis.* In Feſtis autem hora tertia obſervatur, ea fortaſſe ratione, *inquit Amalar.* quia ea hora Chriſtus aſcendit in Crucem, apud Marc. *cap.* 15. hoc eſt, linguis Judæorum clamantium, crucifige, vel *ex Microlog. cap.* 58. quia inter reliquas paſſionis Chriſti horas, tertia Reſurrectioni Domini, ſive Nativitati ejuſdem propinquior eſſe videtur, vel *ex Radulph. propoſ. ult.* quia ea hora miſſus fuit Spiritus Sanctus; vel *ex Concil. Aurel.* 3. *cap.* 11. ut facilius redire poſſint ad veſpertina Officia in Feſtis, Sacerdotes præſertim, quibus eos non decet deeſſe, vel *ex Auguſtin. apud Burchardum lib.* 3. *cap.* 54. ut Populus ante cibum conveniat Miſſam, & Concionem auditurus. Hinc *ex Collect. Martini Bracar. cap.* 6. *& habetur Can. fin. diſt.* 44. tertia hora dicitur Sacra, quia Sacris Miſſarum ſolemniis dicata, ab Italis Aurea, *ex Alphonſ. de Torres* 3. *part. cap.* 4. *n.* 14.

Si propter terræ frigiditatem Populus veniat tardius ad Eccleſiam pro Miſſa ſolemni, præſtat differri tempus recitandi horam tertiam, quam cantare Miſſam de Feſto, ſeu Dominica poſt Sextam. Ita cenſuit S. R. C. *referente Alcozer in ſuo Cæremoniali.*

(b) *Dicta Sexta.* In profeſtis (cujuſmodi ſunt Feſta Simplicia, & Feriæ) poſt Sextam. *Gemma Alcuin. lib.* 1. *cap.* 113. quia, inquit, ea Chriſtus manibus Gentilium crucifixus eſt. *Joan.* 19. & quia in profeſtis neque lætitia, neque luctus, ſed quid medium videtur habere locum; lætitia in Feſtis horam tertiam requirit, luctus nonam. *Franc.* 1. *par. de tempor. Hor. Can. cap.* 28. *n.* 3.

(c) *Poſt Nonam.* In jejuniis ita inſtituiſſe Pelagium ſcribit *Durand. loco ſupracit. & in cap. Solent. diſtinct.* 1. *de Conſecrat.* hoc idem jubetur. Horæ nonæ meminit in Quadrageſima *Ambroſ. ſerm.* 8. *in Pſal.* 118. *& Amalar. lib.* 1. *cap.* 7. quia in ea *Amalar. ait lib.* 3. *cap.* 42. expiravit Dominus; & quia ad Veſperam jejunabatur, *Micrologus cap.* 49.

Item in Adventu, quia Adventus fere æquiparatur Quadrageſimæ, *Hugo Victor. lib.* 4. *de ſpec. Miſſ. cap.* 4. *&* 9. In Adventu Jejunium erat, *Durand. lib.* 6. *cap.* 1. *de Adventu*; & de Romanis teſtatur *Radulphus propoſ.* 16. imo & univerſale jejunium illud vocat *Raban. de Inſtitut. Cleric. lib.* 2. *cap.* 22. quod a Sancto Perpetuo Turonen. Epiſcopo inſtitutum fuit, *ex Gregor. Turon. lib. Hiſtor.* 10. *cap.* 31. *& Concil. Matiſcon. Can.* 6. ſancivit in Feriis 2. 4 & 6. ſaltem obſervandum eſſe, cum quotidianum præcepiſſet Turonenſe 2. *Can.* 13.

### Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

III. Gavant. lit. a - *Referente Alcozer in ſuo Cæremoniali, &c.*) Hoc loco obſervare lubet cum Turrino *part.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 2. quod ſi cantandæ ſint plures Miſſæ ob occurſum Feriæ majoris, v. gr. cum Feſto duplici, cantetur Miſſa de Feria poſt Nonam, de Sancto poſt Tertiam, non approbando uſum aliquarum Eccleſiarum, quæ cantant Miſsam de Sancto poſt Nonam, & ferialem poſt Miſsam diei. Ratio hujus aſsertionis eſt: quia *titulo* 3. hujus primæ partis ſupra, Rubrica Generalis *num.* 1. expreſse præſcribit Miſsam de Feſto cantari poſt Tertiam, de Feria poſt Nonam. Ex hac item regula, ſi occurrat cum Vigilia Aſcenſionis Feſtum aliquod, quo caſu cantandæ ſint tres Miſsæ, de Sancto ſcilicet, de Vigilia, & de Rogationibus; Miſsa tamen Vigiliæ cantatur poſt Sextam, ac ſi eſset Feria per Annum; quia quamvis ſit Vigilia, non tamen jejunatur; & Miſsæ ſolius Vigiliæ habentis jejunium aſſignatum eſt in ſuperiori Rubrica tempus poſt Nonam, ut contra Alcozer docet noſter Gavantus *part.* 4. *tit.* 5. *num.* 9. Miſsa vero de Rogationibus dicetur poſt Nonam, ut citata Rubrica *tit.* 3. *n.* 1.

## R U B R I C A.

3 *Miſſa autem Defunctorum dici debet* (d) *poſt Primam diei: ubi vero dicuntur eorum Vigiliæ mane poſt Matutinum diei, dictis hujuſmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici poteſt Miſſa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Miſſa Conventualis dicitur poſt Nonam, quia eo die eſt principalis. In die etiam depoſitionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigeſimo, aut Anniverſario ſolemni, in quo fit concurſus Populi, poterit ſimiliter dici ultimo loco poſt Nonam.*

## G A V A N T U S

(d) *Poſt primam diei.* Properandum enim eſt in ſuffragiis Defunctorum; at in diebus aliis, de quibus in hoc numero, recte poſt Nonam; tum quia diſcordat ab Officio; tum quia hora nona & ipſe Chriſtus emiſit Spiritum; tum quia hora nona mœroris eſt, ut in die jejunii.

## R U B R I C A.

4 *Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Miſſam Conventualem Miſſæ* (e) *in Nativitate Domini, quarum prima dicitur poſt mediam noctem, finito Te Deum laudamus, in Matutino; ſecunda in aurora, dictis Laudibus, & Prima; tertia vero in die poſt Tertiam, vel ubi aliter* (f) *ex diſpenſatione Apoſtolica diſponatur.*

## G A V A N T U S.

(e) *In Nativitate Domini.* De prima Miſſa in nocte extat Canon Theleſphori *de Conſecr. diſt.* 1. *nocte*, quia nocte natus eſt Chriſtus, de ſecunda in aurora, *ibidem*, quia paſtores ea hora creduntur adoraſſe Chriſtum natum. Plura in Rubr. de Nativit.

(f) *Ex diſpenſatione Apoſtolica.* Intellige de conceſsa poſt Concil. Trident. quod prohibet, ne aliis horis, quam debitis, Miſsæ celebrentur, *ſeſſ.* 22. ſublatis quibuſcumque privilegiis, ut declaravit Sacra Congregatio ſuper Concilio.

## R U B R I C A.

5 *Miſſa Votivæ, quia non correſpondent Officio, ſi ſolemniter celebrentur pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa cum Populi frequentia, dicantur poſt Nonam.*

*GAVANTUS.*

Duplicem habet cauſam; diſcordantiam ab Officio, & frequentiam Populi, qui dum tardiori Miſſæ intereſt, quaſi ſuo jejunio Orationi publicæ vires addit.

### De iis, quæ clara voce, aut ſecreto dicenda ſunt in Miſſa. XVI.

RUBRICA.

1 *IN Miſſa Privata clara voce dicuntur Antiphona, & Pſalmus ad Introitum, Confeſſio, & quæ ſequuntur, excepta Oratione, Aufer a nobis, &, Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, &c. Item, Introitus, Kyrie eleiſon, Gloria, in excelſis, Dominus vobiſcum, Oremus, Flectamus genua, Levate, Oratio, vel Orationes, Prophetia, Epiſtola, Graduale, Verſus, Tractus, Sequentia, Evangelium, Credo, Offertorium, Orate fratres, ſolum hæc duo verba, Præfatio, Nobis quoque peccatoribus, ſolum hæc tria verba, Item, per omnia Sæcula Sæculorum, &c. cum Pater noſter, Per omnia Sæcula Sæculorum, cum Pax Domini, Agnus Dei, Domine non ſum dignus, hæc quatuor verba tantum, Communio, Oratio, vel Orationes poſt Communionem, Humiliate capita veſtra Deo, Ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, vel Requieſcant in Pace, Benedictio, & Evangelium, In principio, vel aliud Evangelium. Alia omnia* (g) *dicuntur ſecreto.*

*GAVANTUS.*

Hæc eadem *Burchard.* Quæ hic clara voce dicenda enumerantur, habent apertam cauſam, ut audiantur a Populo; ſpeciales cujuſque cauſas enarrabimus, cum de iiſdem ſingillatim infra ſuis locis agemus.

(g) *Dicuntur ſecreto.* De prece cum ſilentio in Miſſa, *Clem. lib.* 8. *Conſtitut. Apoſtolic. cap.*12. *Concil. Laodic. Can.*19. *Trident. ſeſſ.* 22. *Can.* 5.

Cauſæ multæ. Primo, quia ſecretum Myſterium eſt, *Hugo Vict. Erud. Theol. in Specul. Eccleſiaſt. cap.*7. Secundo, quia ſignificantur in hoc Sacrificio latere Sacrificia antiqua, *Amalar. lib.* 3. *cap.* 19. Tertio, & e contra, hoc Sacrificium latuiſſe in antiquis, *Gemma lib.* 1. *cap.* 40. Quarto, ſilentium Sacerdotis latibulum Chriſti indicat, *Innocent. III. lib.* 2. *cap.* 54. multoties enim latuit in vitæ ſuæ curſu Chriſtus, unde & in Miſſa multiplex ſilentium. Quinto, in Paſſione Chriſti diſcipuli non niſi occulte confitebantur Chriſtum, *S. Thom.* 3. *partr, quæſt.* 83. *art.* 4. *ad* 6. Sexto, ut videatur Sacerdos loqui cum Deo, quo cum corde loquimur clamantes magis, quam ore. Septimo, ne Populus tædio afficiatur, neque Sacerdos longo clamore voce deficiat, *Gemma lib.* 1. *cap.* 103. Poſtremo, ne ipſa verba in Sacrificio potiſſima aſſiduitate aurium vileſcant, *Alcuin. de Celebrat. Miſſæ*; nam repetuntur in omni Miſſa, & memoriæ facile mandarentur, quod de Canone præſertim intellige, qui ſine culpa gravi non poteſt alte totus legi. *Ita Doct. communiter.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubric. *In Miſſa Privata clara voce dicuntur, &c.*) Quoniam pia Mater Eccleſia, inter alios hujus Sacroſancti Sacrificii Ritus, quibus Celebrans uti debet in legenda Miſſa, plura diverſimode inſtituit, nimirum, *clara, alta, convenienti, intelligibili, mediocri, ſubmiſſa, vel aliquantulum elevata voce, & ſecreto eſſe proferenda*; ne quivis Sacerdos pro arbitrio, & voluntate ſua quævis pronunciare præſumat, ideoque quiſquis Celebrans diligenter attendat quænam ſit differentia inter ea, quæ clara, vel alta voce dicenda ſunt, pro quo notandum eſt idem eſſe *clara, convenienti,* & *intelligibili voce*, videlicet tali voce, ut commode a circumſtantibus audiri poſſit. *Alta voce* utitur Cæremon. Epiſc. pro iis quæ in Officio, vel Miſſa cantantur; *Mediocri* vero, *ſubmiſſa, & aliquantulum elevata*, pro aliis, quæ non tacite, nec prorſus alte, ſed taliter dicuntur, ut a Miniſtris, & aliquibus tantum circumſtantibus percipi poſſint, cum aliquali tamen differentia: quod vero ſecreto dicendum eſt, ita a Sacerdote intra ſe diſtincte, ac labiorum motu proferatur, ut tamen non a circumſtantibus audiatur.

II. Gavant. lit. g *Canon non poteſt ſine culpa gravi alte totus legi.*) Canonem ſecrete eſſe legendum, communis ſententia eſt, & a Rubricis præſcriptum: verum magna agitur controverſia inter aliquos recentes Rubricarum explanatores, utrum ſemper Canon ſecrete recitatus fuerit a Celebrante? Cardinalis Bona *lib.* 2. *rerum Liturgicarum cap.* 13. §. 1. exiſtimate videtur Miſſæ Canonem alta voce uſque ad decimum Eccleſiæ Sæculum fuiſſe recitatum. Bonæ ſententiam acriter tueri conatus eſt de Vert. Non omnibus tamen eorum argumenta placuere: etenim Anno 1710. Vallemontius Theſaurarius Cluniacenſis, aſſertum, erudito opere confutavit; cui titulus eſt – *Du ſecret des Myſteres, ou l'Apologie de la Rubrique des Miſſels Diſſertation Theologique, & hiſtorique* – Vallemontii diſſertationem impugnavit Anonymus Auctor in tractatu Bruxellis edito Anno 1717 ſub titulo: *Apologie de M. de Vert ou remarques critiques ſur le livre de M. Vallemont du ſecret des Myſteres.* Vallemontium defendit Petrus Le Brun *diſſert.* 15. *tom.* 4. Non eſt virium noſtrarum tantas componere lites. Illud certo ſtatuere poſſumus, Ritum hunc a Rubrica præſcriptum longe ante Sæculum 10. in Eccleſia viguiſſe: etenim in ordine Romano a Martene edito *tom.* 4. Theſaur. Anec. ille Ritus diſſerte præſcribitur: Ordo autem ille ſpectat ad Sæculum 7. Non deſunt alia argumenta, quibus eadem veritas confirmetur; ſed placuit hoc unum teſtimonium adducere ab illis Auctoribus prætermiſſum. Legant citata opera qui majorem hujus controverſiæ notitiam exoptant.

RUBRICA.

2 *Sacerdos autem maxime curare debet, ut, quæ clara voce dicenda ſunt, diſtincte & apposite proferat; non admodum feſtinanter, ut advertere poſſit, quæ legit, nec nimis moroſe, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortaſſe in eadem Eccleſia tunc temporis celebrant; neque tam ſubmiſſa, ut a circumſtantibus audiri non poſſit; ſed mediocri, & gravi, quæ devotionem moveat, & audientibus ita ſit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ vero ſecreto dicenda ſunt, ita pronunciet, ut ipſemet ſe audiat, & a circumſtantibus non audiatur.*

*GAVANTUS.*

Non eget Commentario, ſed monitione. Primo, ne clara voce dicantur ea prima verba: *Memento, Domine, famulorum, &c.* Secundo, ne ſecretas alias Orationes addat Celebrans. Tertio, verba Conſecrationis ſecreto dicantur.

RUBRICA.

3 *In Miſſa Solemni, quando dici debent a Celebrante, Gloria in excelſis, & Credo, intonantur, & cantantur, Dominus vobiſcum, & Orationes ante Epiſtolam, Dominus vobiſcum, Oremus ante Orationes, & ante Offertorium, Præfatio, Per omnia Sæcula Sæculorum, cum Pater noſter, Per omnia Sæcula Sæculorum, cum Pax Domini, & Orationes poſt Communionem. Alia, quæ in Miſſa Privata dicuntur clara voce, in Miſſa Solemni a Celebrante dicuntur ſubmiſſa voce.*

*GAVANTUS.*

Eadem Burchardus.

### De Ordine genuflectendi, ſedendi, & ſtandi, in Miſſa Privata, & Solemni. XVII.

RUBRICA.

1 *IN Miſſa Privata Sacerdos genuflectit, quando legit Evangelium S. Joannis, In principio, ad illa verba & Verbum caro factum eſt; & in Evangelio Epiphaniæ, Cum natus eſſet Jeſus, ad verba illa, Et procidentes adoraverunt eum. Item in Evangelio Feriæ 4. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, ad illa verba in fine, Et procidens adoravit eum. Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Miſſis de Cruce ad illa verba in Epiſtola, In nomine Jeſu omne genu flectatur, &c. & quando legitur Paſſio, ad illa verba, Expiravit, vel Emiſit ſpiritum; ut ſuis locis notatur. Item genuflectit cum dicit, Flectamus genua. Item quando in Quadrageſima dicit in Tractu verſ. Adjuva nos Deus, &c. & in omnibus Miſſis de Spiritu Sancto, cum dicit verſ. Veni, Sancte Spiritus, reple, &c. Item quando Sacramentum in Altari diſcoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud tranſit in medio Altaris, & quandocumque in Ordine Miſſæ, & in Ritu ſervando in celebratione Miſſæ notatur, quod debet genuflectere,*

*GAVANTUS.*

Prima duo habet *Burchardus*.

Uſus genua flectendi ortum habet ab antiquis; & habetur expreſſe 3. *Regum cap.* 8. ut omittam gentilitios Ritus; tum a Chriſto *Luc.* 22. & a Sancto Stephano *Act.* 7. Finis illius duplex eſt, ad orandum, & ad adorandum: ille ſignificatur *a S. Ambroſio lib.* 6. *Hexamer. cap.* 9. Flexibile genu, quo Domini mitigatur offenſa, ira mulcetur, gratia promovetur. De hoc autem *Alcuin. cap. de Paraſceve* ait: Per hunc habitum corporis mentis humilitatem oſtendimus. Et *Honorius in Gemma lib.* 1. *cap.* 117. cadimus in terram, ait, ut Chriſtum in carne adoremus; ut item memoremus nos in Adamo cecidiſſe, & mole corporis gravari ingemiſcamus; & ut lapſum animæ noſtræ in vitia; dum corpore ad terram cadimus, pœnitendo fateamur. Unde & *Raban. ibid.* 2. *de Inſtit. Cler. cap.* 41. inflexio genuum, inquit, pœnitentiæ, & luctus eſt indicium. In Liturgia Sancti Petri, pœnitentiam facere eſt genuflectere, *ut ibi notat Lindan.* Quare in primis quinque caſibus hujus Rubricæ, quis non videat, adorationis ergo genuflecti? & item in duobus ultimis erga Spiritum Sanctum, & Sacroſanctam Euchariſtiam. In ſexto vero, ad *Flectamus genua*, oraturi genuflectimus,

Google

mus, in ſeptimo ad illa, *Adjuva nos*, cum Tractus idem ſit, ac luctus, ut docuimus *ſupra tit.* 10. genuflectimus ad indicandum ſolemnem luctum. *Raban. ubi ſupra*.

Et quamvis Concilium Nicænum, *Can.* 40. *in vulgatis exemplar. vel* 29. *apud Turrianum*, ſtatuerit, non genuflectendum in Dominicis, neque tempore Paſchali, ſed a ſtantibus orandum eſſe, ad ſignificandam libertatem, *ut ait Rupert. lib.* 8. *cap.* 3. quam Chriſtus ſua Reſurrectione nobis acquiſivit; tamen non prohibuit adorationes cum genuflexione; quod bene nota pro mox dicendis.

### R U B R I C A.

2 *Circumſtantes autem in Miſſis Privatis ſemper genuflectunt*, (h) *etiam tempore Paſchali*, (i) *præterquam dum legitur Evangelium*.

### G A V A N T U S.

Eadem & *Burchardus*.

(h) *Etiam tempore Paſchali*. Tam ad doctrinam in Privata Miſſa audiendam, quam ad Orationem, & Myſteria tremenda, titulo adorationis curvantur genua a Populo in tota Miſſa * niſi dicamus, Privatam Miſſam audiri, ſicut & privatas fieri preces, etiam tempore paſchali, genibus flexis a quomodo oravit Sanctus Paulus in littore Tyri genibus poſitis *Act.* 20. paulo ante Pentecoſtem; non enim ea fuit Oratio ſolemnis, *judice Lor. in eum textum*.

(i) *Præterquam dum legitur Evangelium*. Anaſtaſii Papæ Decreto *de Conſecr. diſtinct.* 1. *Apoſtolica*, Sacerdotes, & cæteri omnes ad Evangelium ſtare debent, ut promptiores ſe oſtendant ad credendum, & obediendum Evangelio. Sed antiquior Clemens *lib.* 2. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 61. teſtatur Apoſtolos conſtituiſſe, ut etiam laici aſſurgant ad Evangelium: imo vero & capita nudabantur in *Ordine Roman.* quod & hodie obſervatur.

### R U B R I C A.

3 *In Miſſa Solemni Celebrans genuflectit* (k) *ad omnia ſupradicta, præterquam ad* (l) *Flectamus genua: & tunc ipſe ſolus ſtat; Diaconus vero, & Subdiaconus, & omnes alii genuflectant. Ad verſum vero* (m) *Adjuva nos, Deus, &c. & ad verſum, Veni, Sancte Spiritus, genuflectit in die* (n) *Annunciationis Beatæ Mariæ, & in tribus Miſſis Nativitatis Domini, etiam quando cantatur in Choro, Et incarnatus eſt, &c. Aliis diebus, ſi ſedeat, cum cantantur ea verba, non genuflectit, ſed* (o) *caput tantum profunde inclinat apertum:* (p) *ſi non ſedet, genuflectit*.

### G A V A N T U S.

(k) *Ad omnia ſupradicta*. Cum privatim legit, & iterum, quando publice dicuntur, ſicuti fit ad verſum, *Et incarnatus eſt, &c.* in Symbolo privato, & publico, ſi non ſedet Celebrans.

(l) *Flectamus genua*. In Miſſa Privata ipſemet Sacerdos dicit, *Flectamus*; & genuflectens exemplo ſuo docere debet alios. In Solemni ſufficit, ut Diaconus invitans Populum, idem faciat. Sacerdos autem Deum orans regulariter ſtare debet, qui præfefert perſonam Chriſti ſtantis, *Act.* 6. & orantis Patrem in Cœlis. *Amalar. lib.* 4. *cap.* 4. & 7. *Durand. lib.* 5. *cap.* 5.

(m) *Adjuva nos, Deus, &c.* Quæres fortaſſe hoc loco: cur in Solemni Celebrans genuflectit uſque ad finem dictorum verſuum, qui in Privata Miſſa genuflectere jubetur nonniſi ad prima verba? Reſpondeo, quod in Privata debet Sacerdos commode poſſe legere verſum in libro; & ideo ſufficit, ut genuflectat ad prima verba, in Solemni ea cantat Chorus, neque Celebrans eſt in aliis tunc occupatus, genuflectit autem Celebrans utroque genu in medio Altaris poſt lectum a ſe Evangelium. De verſu, *Adjuva nos* tradit hunc Ritum in Privata Miſſa. *Burchardus*.

(n) *Annunciationis B. Mariæ, &c.* ut nimirum his diebus majori cum veneratione adoretur Myſterium articuli, & Feſti propriiſſimum. Ante Radulphum Romani nunquam ad hæc verba: *Et incarnatus eſt*, genuflectebant, *propoſ.* 23. ſed Ritum tamen tradit hujus genuflexionis in omnibus Miſſis. *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 118.

(o) *Caput tantum profunde inclinat*. Quia jam genuflexit, quando ſubmiſſa voce cum Miniſtris ad Altare Symbolum recitavit: caput autem inclinat apertum.

* Idem præſtare debent Miniſtri, qui cum Celebrante ſedent.

(p) *Si non ſedet genuflectit*. Scilicet in ſuperiori Altaris gradu, neque vero ſtare convenit ad verba tantæ Filii Dei humilitatis, ſedere potius convenit, quam ſtare: quia ſedendo, addita capitis profunda inclinatione, contrahitur, & minoratur homo.

### R U B R I C A.

4 *Miniſtri ſemper genuflectunt cum Celebrante, præterquam* (q) *Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, & Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba, ad quæ eſt genuflectendum,* (r) *ipſe verſus librum, Celebrans, & omnes alii verſus Altare genuflectunt*.

### G A V A N T U S.

(q) *Subdiaconus, &c.* In hoc caſu ſe gerunt, ac ſi ille marmoreum eſſet legile, & Acolythi marmorea candelabra, neque textus Evangelicus demitti debet, neque lumen illius, ut ita dicam, humiliari. *Cæremon. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 10. *& ſeq.*

(r) *Ipſe verſus librum*. Ne videatur recedere a libro, in quo legere ſequentia debet, alii verſus Altare, ubi eſt Crux, cui debetur adoratio.

### R U B R I C A.

5 *In Choro genuflectitur ab iis, qui non ſunt Prælati,* (ſ) *ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo. In Miſſis autem* (t) *Feriarum Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur, ac Miſſis Defunctorum, genuflectunt omnes, etiam ad Orationes, & dicto per Celebrantem, Sanctus, uſque* (u) *ad Pax Domini, &* (x) *ad Orationes poſt Communionem, & ſuper Populum,* (y) *excepta Vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, ac Nativitatis Domini, & Quatuor Temporibus Pentecoſtes. Et ſimiliter ab omnibus genuflectitur* (z) *quando elevatur Sacramentum*.

### G A V A N T U S.

(ſ) *Ad Confeſſionem*. Diximus enim ſupra, genuflexionem eſſe indicium pœnitentiæ *cum Rabano*, Prælati vero ſtant ob eorum Dignitates, Abbates, & Protonotarii, & ii nempe, qui uti poſſunt rochetto, ſi ſæculares ſint, & iis digniores, ſicut etiam Canonici, quando ſunt parati, alias non. *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. De genuflexione ad Confeſſionem id fere docet *Burchard.* Cantores autem, ſi tunc cantant Introitum, non genuflectunt, quia ſtare debent ad lectorile.

(t) *Feriarum Adventus, &c.* De Orationibus in Quadrageſima docet *Microl. cap.* 50. eadem eſt ratio in Adventu, & diebus jejuniorum, *ut diximus ſupra tit.* 14. *n.* 2. Item in Miſſis Defunctorum ad luctum, *ex Rabano*, indicandum. Omnes autem genuflectunt, ad unum.

(u) *Ad Pax Domini*. Si enim danda eſt Pax, a Clero ſtante eſt danda, *Cæremon. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 24. Sed & *Pax Domini*, in hoc loco Miſſæ, Reſurrectionem Chriſti ſignificat. *Innoc.* III. *lib.* 6. *cap.* 4. ob quam ſtandum eſt, ut in Dominicis, & tempore Paſchali.

(x) *Ad Orationes poſt Communionem*. Quia ejuſdem rationis ſunt cum primis, quæ dicuntur ante Epiſt. *Ex Microl. cap.* 19.

(y) *Vigilia Paſchæ, &c.* Hæ Vigiliæ ſunt feſtivæ, & ſolemnes, per modum Feſti Duplicis celebratæ; præterquamquod Vigiliæ Paſchæ, & Pentecoſtes ad Paſchale tempus attinent, quo ſtantes oramus, qua eadem ratione his etiam additæ nunc ſunt Rubricæ in poſtrema recognitione Miſſalis quatuor Tempora Pentecoſtes.

(z) *Quando elevatur Sacramentum*, tradunt *Honorius* III. *de Celebr. Miſſ. cap. Sane, & Chryſoſt. apud Durand. lib.* 2. *cap.* 40. quia adoramus Chriſtum in Sacramento, & genuflectimus in expiationem blaſphemiæ Judæorum, qui dicebant flexo genu, *Ave Rex Judæorum*, lege *Turrecrem. in Can. Quoniam, de Conſecr. diſtinct.* 3. Ab omnibus autem initio Canonis genuflectitur. *Cæremon. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 8.

* Dubitant non pauci in prædictis caſibus, quando unicum genu, & quando duo genua ſint flectenda? & Celebrans quidem in Miſſa Privata juxta uſum communiſſimum ab initio ad finem uſque, unico tantum genu debet flectere, ut facilius ſurgat. In Miſſa item Solemni ad ea omnia, quæ ſunt communia Privatæ Miſſæ, duobus autem genibus flectere debet in Miſſa Solemni ad prædicta, quæ a Choro cantantur, & regulariter, quando cum aliqua morula in prædictis eſt genuflectendum, & quaſi orandum.

Miniſtri vero intra Miſſam eadem ſervare debent, quæ facit Celebrans, ut expeditius illi miniſtrent, ad *Flectamus genua*, ambobus genubus flectant, & ad elevationem SS. Sacramenti.

Subdiaconus Patenam tenens non tenetur genuflectere toties quoties Celebrans, quia non illi tunc miniſtrat, ut Diaconus, qui eſt illi a latere proprius Miniſter, ſemper autem genuflectit cum eo eidem vicinus.

Alii de Clero a Conſecratione uſque ad Communionem duo genua flectere debent, cum tranſeunt ante Altare, & item, quando patet Sacramentum in Altari, quod etiam faciunt Cardinales in Capella Papæ: duo quoque ad *Flectamus genua*, ad Confeſſionem, Orationes jejuniorum, Verſus, &c. de quibus ſupra, quando cum aliqua mora præſcribitur genuflexio ratione cantus, vel actionis longioris.

De Miſſa coram Sacramento in Altari expoſito, & genuflexionibus eo caſu debitis, dicemus in proprio capitulo, ſeu titulo.

### R U B R I C A.

6 *In Miſſa item Solemni Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſedere poteſt a cornu Epiſtolæ juxta Altare, cum cantatur, Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, & Credo, alio tempore ſtat ad Altare, vel genuflectit, ut ſupra*.

### G A V A N T U S.

Poſſunt etiam ſedere, dum cantatur Epiſtola, & Graduale, ſi datur tempus, ex Decreto S. R. C. relato *ab Alcozer in ſuo Cæremoniali*, & ſemper ſedent cooperto capite. Latus Epiſtolæ

ſtolæ congruit, a qua parte eſt credentia, & ut cedat latus Evangelii Epiſcopo ſedenti, ſi adſit.

R U B R I C A.

7 *In Choro non ſedent, qui actu cantant, reliqui autem poſſunt ſedere, quando Celebrans ſedet, & præterea* (a) *dum cantatur Epiſtola, & Prophetiæ, Graduale, Tractus, vel Alleluja, cum Verſu, ac Sequentia, & ab Offertorio uſque* (b) *ad incenſationem Chori, & ſi non incenſetur, uſque ad Præfationem, & ad Antiphonam, quæ dicitur* (c) *Communio. Ad alia* (d) *ſtant, vel genuflectunt, ut ſupra.*

*G A V A N T U S.*

Eadem *Burchardus in Ordine Miſſæ.*

(a) *Dum cantatur Epiſtola, &c.* Sedetur ad Epiſtolam, *Ambr. in Epiſt. ad Corinth.* ut majori deinde reverentia aſſurgamus ad Evangelium, *Rupert. lib. 1. cap. 32.* Anima quoque, ad doctrinam ſedendo, fit ſapientior, qui vero non attendunt iis, quæ leguntur, venialiter ſaltem peccant, *ex Suarez. lib. 3. de Hor. Can. cap. 12. n. 20.* Acolythi vero nequaquam ſedeant ad Epiſtolam; & quando ſedent una cum Celebrante, ſedeant ſuper Altaris gradu in cornu Epiſtolæ facie verſa ad Celebrantem, non ad Populum.

(b) *Ad incenſationem Chori.* Incenſum enim adoletur ſtanti, *Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 23.* & hic ſimul adverte, quod dum oblata incenſantur, adhuc in Choro ſedent. *Cær. Epiſc. ib.*

* Vellent aliqui tamen, quod Clerus ſtaret ad incenſationem Crucis, ſicut ſtat ad incenſationem Epiſcopi, ſed Epiſcopo ſtante, ſtat etiam Chorus; & hæc propria cauſa, non autem incenſatio ejuſdem, unde, quia Papa ſedet, dum incenſatur, non aſſurgunt Cardinales, niſi Papa incenſato.

(c) *Quæ dicitur Communio.* Non enim, ut alias, cantatur hæc Antiphona, dum Populus communicatur, quo caſu ob reverentiam Sanctiſſimi Sacramento exhibendam ſtandum eſſet, ſed cantatur poſt Communionem Sacerdotis, dum ablutionem ſumit, quando neque ratio eſt genuflectendi, neque ſtandi, ergo ſedeant, quamquam monet adhuc *Cæremon. Epiſcop. lib. 2. cap. 8. ut Communio* cantetur immediate poſt *Agnus Dei*, quod ſi accidat fieri, facta Communione Celebrantis, & aliorum, eo caſu ſedetur.

(d) *Ad alia ſtant.* Quænam ſunt hæc alia, ad quæ ſtare Clerus jubetur? nimirum primo ad Introitum. *Alcuin. Quid ſignificent veſtimenta*, quo excitantur operarii Chriſti, & invitantur ad opus, *Amalar. lib. 2. cap. 5.* hoc eſt, ad Sacrificium, ad quod ingreditur Sacerdos, opus vere ſummum.

Item ad Orationem, exceptis diebus jejuniorum, ut ſupra, quibus genuflectimus.

Item ad Evangelium ratione ſupra allata, *cum Decreto Anaſtaſii hoc tit. n. 2.*

Item ad Præfationem, in qua ſtamus, ut ſurſum corda, & corpora ſimul habeamus; nec genuflectimus, niſi initio Sacri Canonis. *Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap. 8. ut ſupra dictum eſt.*

Item ſtatim depoſito Calice ſtandum erit, quia *hoc eodem tit. n. 5.* genuflectere debemus in diebus jejuniorum, uſque ad *Pax Domini*. Ergo regula erit, quod in Feſtis ſtare debemus poſt elevationem Sacramenti uſque ad Antiphonam, quæ dicitur *Communio*, ad quam ſedetur.

Item ad Orationem poſt communionem, quæ rationis ejuſdem eſt cum prima ante Epiſtolam, ut pluries diximus.

Standum præterea erit uſque ad finem Miſſæ, quia neque ſedere, neque genuflectere jubemur.

Stare autem Solemnitatem ſignificat; ſicut genuflectere, ut diximus, mœrorem, & luctum.

Denique a laicis etiam prædictæ regulæ ſervari poſſunt in Miſſa Solemni.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Hic nihil eſt addendum: quia omnia quæ ſpectant ad ordinem genuflectendi in Miſſis Privatis, & Solemnibus, dicemus ſuo loco in Obſervationibus ad Commentaria ſecundæ partis hujus Theſauri. Sic etiam videantur omnia ea, quæ a nobis adduntur, quoad ordinem ſedendi, præſertim in Miſſa Solemni, exhibebimus enim pariter ibi Decreta Sac. R. C. ſpectantia ad hunc Ritum, nempe in Obſervationibus ad Rubricam 5. *n. 2. part. 2. hujus Theſauri.*

Videatur etiam *Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 18. n. 4.* ubi ait -- Si quiſpiam Canonicus veniat inchoato jam Officio, vel Miſſa abſque eo, ut aliquos ſalutet, vel ab aliis ſalutetur, ſtatim genuflectit in medio verſus Altare, aliquantulum orans; mox ſurgit, & facit profundam reverentiam Altari, & Epiſcopo ſi adeſt; deinde ſalutat Canonicos, & alios de Choro circumſtantes, tunc, & non prius ei aſſurgentes, & eum reſalutantes, & vadit ad locum ſuum. Et ſi forte tunc eſſet principium Horarum, & diceretur in Choro *Deus in adjutorium, &c.* vel *Gloria Patri, &c.* aut Hymnus; vel in Miſſa Oratio, aut Epiſtola, aut Evangelium; vel denique aliud fiat, ad quod Chorus, vel ſtat, vel eſt inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram; expectabit reſpective ſtans vel inclinatus, vel ſeparatim genuflexus in medio Chori, prout ipſe Chorus, donec ea perficiantur; mox factis reverentiis, & ſalutationibus, ut ſupra, ibit ad locum ſuum.

## De Coloribus Paramentorum. XVIII.

R U B R I C A.

1 *Paramenta Altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum, debent eſſe coloris convenientis Officio, & Miſſæ diei, ſecundum uſum Romanæ Eccleſiæ; quæ* (e) *quinque coloribus uti conſuevit, Albo, Rubro, Viridi, Violaceo, & Nigro.*

*G A V A N T U S.*

Veſtes Sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, ornatum auctæ ſunt; nam primis temporibus communi indumento veſtiti Miſſas agebant, *VValafr. cap. 24.* & B. Clemens, *inquit Honorius in Gemma lib. 1. cap. 80.* tradente B. Petro, uſum ſacrarum veſtium ex lege decrevit. Sancta vero eſſe & honeſta, S. Stephanus Papa juſſit, *de Conſecr. diſt. 1. veſtimenta ex illius epiſtol. 1. ad Hilar.* Anacletus meminit Sacrarum veſtium *epiſt.* 1. Hinc S. Hieron. *lib. 13. in cap. 44. Ezechiel.* Religio Divina, ait, alterum habitum habet in Miniſterio, alterum in uſu, vitaque communi: quo loco utitur *Alcuin. cap. Quid ſignificent veſtimenta.* Et revera, ſi Sacerdotes antiqui veſtes habuere ad Sacrificia non communes; nos in communi veſte ſacrificabimus? novi fiant in Chriſto homines, *ait Hieronym. loc. cit.* moribus nimirum, & veſtibus. Denique fortaſſe, ideo in veſte cœnatoria Chriſtus Dominus hoc Sacrificium inſtituit, *Joann. 13.* quam fuiſſe ſyndonem albam docet *Baron. Anno Domini 34. n. 39.* At de ſingulis veſtibus infra dicemus nunc de coloribus earumdem.

(e) *Quinque coloribus.* Totidem enumerat colores *Innoc. III. lib. 1. cap. 65.* quamvis nigrum confundere videatur cum violaceo, quatuor principales faciens colores, quatuor coloribus antiquarum veſtium legalium reſpondentes, Biſſi, Purpuræ, Hyacinthi, & Cocci, *Exod. 28.* Certum autem eſt, quod poſt Sylveſtrum varius color fuit in uſu, ſi forte antea lino, vel lana tantum utebantur: nam Machario donata fuit ſtola a Conſtantino Magno filis aureis texta, *Theodor. lib. 2. Hiſtor. cap. 27.* Planeta Sancti Gordiani patris Sancti Gregorii erat coloris caſtanei, *ex Joanne Diacono lib. 4. cap. 83.* forte eſt idem color, qui viridis.

R U B R I C A.

2 *Albo colore utitur a Veſperis Vigiliæ* (f) *Nativitatis Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ incluſive, exceptis Feſtis Martyrum, quæ infra eam veniunt. Feria quinta* (g) *in Cœna Domini, &* (h) *Sabbato Sancto in Officio Miſſæ; & ab illo die uſque ad Sabbatum in Vigilia Pentecoſtes ad Nonam, in Officio de Tempore, præterquam in Miſſa Litaniarum, & Rogationum. In Feſto* (i) *Sanctiſſimæ Trinitatis. In Feſto* (K) *Corporis Chriſti. In Feſto* (l) *Transfigurationis Domini. In Feſtis* (m) *Beatæ Mariæ Virginis, præterquam in Benedictione candelarum, & Proceſſione, quæ fit in Feſto Purificationis ejuſdem. In Feſtis* (n) *Angelorum. In Nativitate* (o) *Sancti Joannis Baptiſtæ. In principali Feſto* (p) *Sancti Joannis Evangeliſtæ, quod celebratur infra Octavam Nativitatis Domini. In utraque* (q) *Cathedra Sancti Petri. In Feſto Sancti* (r) *Petri ad Vincula.* (ſ) *In Converſione Sancti Pauli. In Feſto* (t) *Omnium Sanctorum. In Feſtis* (u) *Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum, & Doctorum. In Feſtis Sanctarum* (x) *Virginum non Martyrum, & nec Virginum, nec Martyrum. In Dedicatione, &* (y) *Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris, ac* (z) *in Conſecratione Summi Pontificis, & in Anniverſario Creationis, & Coronationis ejuſdem, & Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi. Item* (a) *per Octavas prædictorum Feſtorum, quæ Octavas habent, quando dicitur Miſſa de Octava; & in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica: præterquam in illis Dominicis, quibus tributus eſt color violaceus.* (b) *In Miſſis Votivis ſupradictorum Feſtorum, quocumque tempore dicantur. In Miſſa* (c) *de Sponſo, & Sponſa.*

*G A V A N T U S.*

Albus color adhibitus eſt in Sacrificiis, teſte *Hieronymo contra Pelagian.* & ſignificat gloriam, gaudium, & innocentiam, *ex eodem Hieron. in Ezech. & aliis Patribus.*

(f) *Nativitatis.* Quia natus eſt Chriſtus carens originali peccato: Et in Epiphania propter ſplendorem ſtellæ, *Innoc. loc. cit.*

(g) *In Cœna Domini.* Propter confectionem Chriſmatis, quod mundationi animarum deſervit; & in Evangelio Miſſæ de lavandis pedibus agitur. *Idem ibid.* Adde veſtem cœnatoriam Chriſti fuiſſe albi coloris, *ex Baron. ſupra citato hoc eodem tit.*

(h) *Sabbato Sancto, &c.* Nam Reſurrectionis Angelus teſtis, & nuncius ſtola candida coopertus apparuit. *Idem Innoc.* Veſtimentum ejus ſicut nix. *Matth. 28.* In Aſcenſione quoque Chriſti ſteterunt Angeli juxta Apoſtolos in veſtibus albis. *Actor. 1.* cujus Ritus Paſchalis meminit *Palladius in libello de Vita S. Niceta Lugd.*

(i) *San-*

(i) *Sanctiſs. Trinitatis*. Quis purior Deo? Et hoc docet *Directorium Divini Officii ante Annum* 1557. *cit. in Miſſali eodem Anno* 1557. *impreſſo Venetiis*.

(k) *Corporis Chriſti*. Eadem ratione, qua ſupra, in Cœna Domini, color albus adhibetur.

(l) *Transfigurationis Domini. Ex prædicto Directorio, & Miſſali*: nam in ea veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix. *Matth*. 17. Et nubes lucida obumbravit eos.

(m) *Beatæ Mariæ Virginis. Ex eodem Directorio*, quia prior ſuo Deo creatura nequit intelligi. *Damaſcen*.

(n) *Angelorum*. De quorum nitore Deus ad Luciferum: ubi eras cum me laudarent aſtra matutina? *Job* 38. & hæc *Innocentius* III. *loc. cit. in hanc Rubricam*.

(o) *Sancti Joannis Baptiſtæ*. Qui natus eſt ſine peccato, ſanctificatus in utero. *Idem ib*.

(p) *Sancti Joannis Evangeliſtæ. Ex prædicto Directorio*, de quo tamquam de Virgine, & Virginis altero filio tunc fit Feſtum, naſcente Chriſto primogenito Virginis.

(q) *Cathedræ S. Petri. Innoc. III. ſupra*, in qua veneramur Petrum tamquam Pontificem.

(r) *Petri ad Vincula. Ex prædicto Directorio*, tum ob ejuſdem innocentiam declarandam; tum ob Angelicam liberationem: in albis enim forte Angelus apparuit Petro.

(ſ) *In Converſione Sancti Pauli. Innoc*. III. *ſupra*, ad ſignificandam primam ejus Sanctitatem baptiſmalem.

(t) *Omnium Sanctorum*. In quo fulget præcipue nomen Deiparæ Virginis, & leguntur eo die amicti ſtolis albis, *Innoc*. III. Aliqui Trinitatem includunt in hoc Feſto ob primum Feſti Reſponſorium: ſed Feſtum eſt B. Virginis, & Sanctorum, ut patet *ex Martyrologio Romano*.

(u) *Confeſſorum*. Ad indicandum candorem, & morum in illis, & doctrinæ in Doctoribus, *Innocentius* III. *loc. cit*. Idem fiat in Feſto Stigmatum Sancti Franciſci. S. R. C. 9. Decembris 1623.

(x) *Virginum &c*. In teſtimonium puritatis, & caſtitatis earum, quia albo colore gaudet caſtitas.

(y) *In Conſecratione Eccleſiæ*. Nam Eccleſia virgineo nomine nuncupatur ab Apoſtolo. 2. *Cor*. 11. *Innoc. ſupra*.

(z) *In Conſecratione Summi Pontificis &c. Innocent*. III. *loc. cit*. Ratio eſſe poteſt, quæ ſupra de Pontificibus eſt allata.

(a) *Per Octavas, &c. Ex eodem Directorio*, quia ſupra diximus, totam Octavam eſſe unum, & idem Feſtum.

(b) *In Miſſis Votivis*. Quia ſequitur naturam principalis Feſti id, quod eſt votivum, & militat eadem ratio coloris in Votivis, quæ in Feſtis. Quod de votivis dicitur, multo magis verum eſt in Feſtis Translationum, Apparitionum, & ſimilium Feſtorum.

(c) *De Sponſo & Sponſa*. Quia ſupponitur in ſponſa benedicenda carnis integritas: unde viduæ nuptias non benedicimus. *Ritual. Roman. de Sacram. Matrim*.

Exceptionum in hac Rubrica omiſimus cauſas, quia in ſequentibus patebunt.

## R U B R I C A.

3 *Rubeo colore utitur* (d) *a Vigilia Pentecoſtes in Miſſa uſque ad Sabbatum ſequens, finita Nona, & Miſſa. In Feſtis* (e) *Sanctæ Crucis*, (f) *in Decollatione S. Joannis Baptiſtæ. In Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, & in Feſtis aliorum Apoſtolorum (exceptis Feſto principali S. Joannis Evangeliſtæ poſt Nativitatem, & Feſto Converſionis S. Pauli, & Cathedra Sancti Petri, & ejus Vinculorum.) In Feſto S. Joannis ante portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Apoſtoli. In Feſti Martyrum, excepto Feſto SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica, ſi autem* (g) *in Dominica venerit, utitur rubeo, in ejus vero* (h) *die Octava ſemper utitur rubeo, quocumque die occurrat. In Feſtis Sanctarum* (i) *Virginum, & Martyrum, &* (k) *Martyrum non Virginum. Item* (l) *per Octavas prædictorum Feſtorum, quæ Octavas habent, quando fit de Octava, in Dominicis infra eas Octavas occurrentibus, eodem modo, ut dictum eſt ſupra de colore albo. Item in Miſſis Votivis ſupradictorum Feſtorum, & in Miſſa* (m) *pro eligendo Summo Pontifice*.

## *G A V A N T U S.*

Rubeus color, ſeu purpureus indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem, humano ſanguini ſimilis eſt, igneam refert naturam, ex quibus facile patebunt ſequentes Ritus.

(d) *A Vigilia Pentecoſt. Innoc*. III. *loco citato*, propter Sancti Spiritus fervorem, qui in igne deſcendit *Act*. 2. & propter poteſtatis plenitudinem in igne ſignificatam, Apoſtoliſque datam; *ex Tobia Corona de Templis, part*. 1. *cap*. 49.

(e) *Sanctæ Crucis. Ex citato Directorio*, quæ Sanguine Chriſti conſecrata fuit, & Paſſionem illius indicat rubeus color.

(f) *In Decollatione, &c. Innoc*. III. ob effuſionem ſanguinis.

(g) *In Dominica venerit. Ex eodem Directorio*, ratione Dominicæ, quæ ſemper eſt feſtiva, cui & idcirco eo die conceduntur Hymnus Angelicus, & Alleluja; feſtivus enim SS. Martyrum color eſt rubeus, qui ut feſtivus eſt, Dominicæ congruit, ut rubeus vero, convenit Officio de Innocentibus quod fit in Dominica.

(h) *Die Octava. Ex eodem Directorio*. Octava enim glorificationem denotat. *Amalarius lib*. 4. *cap*. 29. & 36.

(i) *Virginum, & Martyrum*. Quia Martyrium præfertur virginitati. *Innoc*. III. *loc. cit*.

(k) *Martyrum non Virginum*. Quia pro Chriſto ſanguinem fuderunt.

(l) *Per Octavas prædictorum*. Ratione ſupra allata numero præcedenti *ex citato Directorio*.

(m) *Pro eligendo Summo Pontifice*. Quia æquivalet Miſſæ de Spiritu Sancto.

## R U B R I C A.

4 *Viridi colore utitur ab Octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſive in Officio de tempore, excepta Dominica Trinitatis, ut ſupra, exceptis Dominicis infra Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum ſervatur, exceptis etiam Vigiliis, & quatuor Temporibus, ut infra*.

## *G A V A N T U S.*

Eadem *in citato Directorio*. Viridis color medius eſt inter colores, *ait Innoc*. III. *loc. cit*. & ideo utimur eo in diebus ferialibus, & communibus, inquit ille, cujuſmodi ſunt dies ab Octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum in Officio de tempore. Dies etiam Dominici minus ſolemnes ſunt his temporibus, & communes vocantur ab Innoc. comparative ad alias Dominicas, & Solemnitates Anni.

## R U B R I C A.

5 *Violaceo colore utitur a prima Dominica Adventus in primis Veſperis uſque ad Miſſam Vigiliæ Nativitatis Domini incluſive; & a Septuageſima uſque ad Sabbatum Sanctum ante Miſſam incluſive, in Officio de Tempore, excepta Feria quinta in Cœna Domini, in qua utitur albo, Feria ſexta in Paraſceve, in qua utitur nigro, ut infra, &* (n) *Benedictione Cerei in Sabbato Sancto, in qua Diaconus illius Præfationem dicens ſolus utitur albo, ea autem finita, violacea ut prius. Item in* (o) *Vigilia Pentecoſtes ante Miſſam, a prima Prophetia uſque ad Benedictionem Fontis incluſive. In* (p) *Quatuor Temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur, exceptis* (q) *Vigilia, & Quatuor Temporibus Pentecoſtes, in Miſſa* (r) *Litaniarum in die S. Marci Evangeliſtæ, & Rogationum, & in Proceſſionibus, quæ his diebus fiunt. In Feſto* (ſ) *SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In Benedictione* (t) *Candelarum in die Purificationis Beatæ Mariæ, & in Benedictione Cinerum, ac Palmarum, & in ipſa Dominica in Palmis, & in earumdem, ac generaliter in* (u) *omnibus Proceſſionibus*, (x) *exceptis Proceſſionibus Sanctiſſimi Sacramenti, & quæ fiunt* (y) *in diebus ſolemnibus, vel pro gratiarum actione. In Miſſis* (z) *de Paſſione Domini*: (a) *pro quacumque neceſſitate: pro peccatis: ad tollendum ſchiſma: contra Paganos: tempore belli: pro pace: pro vitanda mortalitate: pro iter agentibus: & pro infirmis*.

## *G A V A N T U S.*

Eadem fere habet *citatum Directorium*, tempore Innocentii Tertii. Niger color adhibebatur iis diebus, quibus a nobis violaceus, quo utebatur Eccleſia tunc temporis bis tantum in Anno; in Feſto Innocentium, & in Dominica Lætare, diebus, inquam, afflictionis, & abſtinentiæ, pro peccatis, pro Defunctis, inquit ille; nunc autem convenientius violaceo utimur ad Adventu ad Natalem Domini, & a Septuageſ. uſque ad Paſcha.

(n) *Benedictione Cerei*. Pertinet enim ad Paſchale Sacramentum. *Durand. lib*. 3. *cap*. 18.

(o) *Vigilia Pentecoſtes*. Eadem ratione, qua Vigilia Paſchæ, afflictionis indicandæ cauſa, & Catechumenorum humilitatis ante Baptiſmum.

(p) *Quatuor Temporibus, Durand. lib*. 3. *cap*. 18. afflictioni enim debitus eſt color violaceus.

(q) *Vigilia, & Quatuor Temporibus Pentecoſt*. quæ ſunt feſtiva, ut diximus.

(r) *Litaniarum*. Quæ cum mœrore quodam celebrantur.

(ſ) *Sanctorum Innocentium*, quia eo die ploratus matrum accidit, de quo in Evangelio: *Vox in Rhama audita eſt, ploratus, &c. Matth*. 2. & licet legatur idem in Octava, color tamen eſt alius, rubeus nimirum, & feſtivus, ratione allata ſupra, *Amalar*. Item alia eſt ratio coloris violacei, quia deſcenderunt ii in limbum: *ex Microlog. cap*. 36. quæ communis eſt Joannis Baptiſtæ, in cujus tamen decollatione rubeo utimur, adde, illos non plene fuiſſe de novo Teſtamento.

(t) *Candelarum, &c*. In Cinere, & Palmis cum Paſſione Domini patet ratio coloris violacei: in candelarum vero Benedictione, & Proceſſione color niger adhibebatur, *ex Alcuin*. ſed diximus ſupra, *ex Innocent*. III. nigrum pro violaceo uſurpatum fuiſſe, fortaſſe ratio eſſe poteſt prophetia Simeonis ad Matrem Chriſti: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: nam alioquin Miſſa pertinet ad puritatem Virginis ejuſdem,

quæ

Digitized by Google

quæ purificari dicitur, & celebratur cum colore albo, *Durandus autem lib. 2. cap. 28.* annuam Simeonis expectationem in hoc Ritu ſignificari tradit.

(u) *In omnibus Proceſſionibus.* Hoc eſt, in iis, quæ inducunt ad Jubilæum conſequendum, vel pluviam impetrandam, vel quid ſimile; nam in his caſibus cum luctu, & dolore eſt procedendum.

(x) *Exceptis Proceſſionibus SS. Sacramenti.* Quæ colore albo adhibito fiunt, ratione allata in Feſto ejuſdem Sacramenti.

(y) *In diebus ſolemnibus*, Nam in his color adhibendus eſt, qui congruit Feſto, vel Miſſæ poſt Proceſſionem cantandæ.

(z) *De Paſſione Domini*. Ad Miſſam de Cruce color rubeus, ut ſequatur qualitatem Feſti principalis, in quo effuſio Sanguinis Chriſti repræſentatur. Ad Miſſam vero de Paſſione violaceus, ut reſpondeat Dominicæ de Paſſione, cum qua participat in titulo, & Sacramento mortis Chriſti.

(a) *Pro quacumque neceſſitate, &c.* In his novem caſibus, & ſimilibus, habent præcipuum locum luctus, afflictio, & pœnitentia.

R U B R I C A.

*6 Nigro colore utitur Feria ſexta in Paraſceve; & in omnibus Officiis, & in Miſſis Defunctorum.*

*G A V A N T U S.*

Mortis eſt propriiſſimus color niger apud omnes, *Innoc. III. loc. cit. cap. 65.* Acatii tempore erat hic Ritus in uſu, *ex lib. 1. Collectan. Theodor. Lectoris.*

Regula vero in mutandis coloribus, ea eſt, ut mentio fiat in primis Veſperis Feſti. Si autem Veſperæ non ſint integræ, is color adhibendus eſt initio Veſperarum, qui congruit illi de quo dicitur Capitulum. Si Officium, & Miſſa diſcordent, color Altaris ſequatur Officium; veſtium autem Sacerdotis ſit color Miſſæ conformis; quæ diverſitas accidere ſolet in Feria tertia Rogationum, & in Vigiliis infra Octavas. Pro Miſſa vero Solemni convenit, ut pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Miſſæ; quod adnotavit *recte P. Ruiz in ſuo Cæremon.*

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. litt. m -- *Dominica Lætare, &c.*) In Dominica tertia Adventus, & quarta Quadrageſimæ, quam Gavantus ſupra, appellat Dominicam *lætare*, debemus adhibere paramenta ſolemniora tam pro Celebrante, quam pro Altari, ſed coloris violacei, in defectu roſacei, Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap.* 13. §. 11. Gerlacus Vinitor ſupra §. 7. Quinam autem colores adhibendi ſint in Miſſa pro gratiarum actione, & in Miſſa pro impetranda gratia bene moriendi, nec non in aliis Miſſis Votivis, ſatis diximus in §. 6. talium Miſſarum Votivarum. Agitant quæſtionem Rubriciſtæ: num in veſtibus Sacerdotalibus & Altaris omnes ſimul quatuor colores, nimirum, *albus, viridis, rubeus, & violaceus, ſeu niger*, adhiberi poſſint? & an liceat Sacerdotibus uti una planeta indifferenter pro unaquaque Miſſa cujuſcumque generis?

Primam quæſtionem reſolvit Turrinus *part. 1. ſect. 4. cap. 4. pag.* 157. dicendo veſtem in ſe habentem quatuor colores, æque apparentes, quamvis de ſingulis coloribus participet, in neutro illorum, determinationem peculiarem ſumere poſſe; & proinde neque eſſe albam, neque rubeam &c. & conſequenter, ea neque tanquam alba, neque ceu rubea uti poſſe extra caſum neceſſitatis. Si tamen unus ex dictis coloribus v. g. albus, cæteris prævaleat; tunc dicta planeta erit reputanda alba, & tanquam tali uti poſſumus. Diximus extra caſum neceſſitatis non debere adhiberi dictas planetas mixti coloris (quamvis hic ſit uſus communis multarum Eccleſiarum); nam in caſu neceſſitatis non improbamus talem uſum; quia ſicut in hoc caſu poſſumus uti veſte alba pro nigra, cum Rubrica de coloribus paramentorum non ſit tam rigoroſa; ita multo magis poſſumus uti planeta mixti coloris.

Secundum dubium reſolvit idem Turrinus, dicendo, hoc eſſe contra mentem Inſtitutoris Rubricarum; qui ideo colores diſtinguit, ut altera planeta adhiberetur, altera excluderetur; & habent in ſe unuſquiſque Myſteria propria; ut Gavantus, Durandus, & alii Auctores ſupra.

Præterea noſter P. Quarti *part. 1. tit.* 18. *Rubr.* 2. quærit, utrum color auri in veſtibus Sacris æquivaleat cunctis coloribus, aut ſaltem rubeo, & albo? & huic quæſito affirmative reſpondet, quia aurum, lucidum habet, per quem albo aſſimilatur; & igneum, per quem rubeo, & concludit exceptis violaceo, & nigro, cæteris coloribus aureum æquivalere; eoque pro rubeo, albo, & viridi nos uti poſſe, etiam in communi uſu: idque etiam affirmat Gerlacus Vinitor *loc. cit.* Turrinus tamen ſupra, quamvis fateatur veſtes aureas feſtivas eſſe; adhiberi tamen poſſe de rigore pro veſtibus omnium colorum minime aſſentitur, quia color auri, nec albus, nec rubeus eſt, ſed color flavus, qui approximat viridi; ergo ſicuti albo pro viridi, aut rubeo uti non licet, extra neceſſitatem, ſic neque planeta aurea pro alba, & rubea, ſed pro viridi tantum, cujus colori approximat, ut dictum eſt, adhiberi poteſt. Ita Turrinus ſupra; ſed nobis ſupradicta Quarti ſententia magis arridet.

II. Gav. lit. p -- *Afflictioni debitus eſt color violaceus, &c.*) Ex quo, ut optime dicit Gavantus, color violaceus debitus eſt afflictioni; hinc fit non poſſe uti colore cæruleo, loco violacei, tam in paramentis Sacerdotalibus, quam in paramentis Altarium. Ita Gerlacus Vinitor ſupra §. 9. Quoniam vero de colore cæruleo hic ſermonem habemus, non abs re erit obſervare, quod nonnulli putarunt cæruleum colorem antiquiſſimum fuiſſe, quia cærulei coloris erant veſtes Redemptoris, vel ut Nonnus ſuper Textum Divi Joannis *cap.* 19. refert, erant vinacei coloris, inter rubeum, ſcilicet & violaceum: hinc ob reverentialem conſimilitudinem veſtium Domini noſtri Jeſu Chriſti in primitiva Eccleſia omnes Clericos veſtibus coloris violacei uſos fuiſſe Card. Baronius ſibi perſuaſit *ad Annum* 393. Verum poſtquam Monachi ad Ordines, & ad Sacerdotium promoveri cœperunt, color niger ſucceſſit, ſic eorum modeſtia, & mundi contemptu dictante; ut ait Divus Hieronymus *in epiſtol. 22. & in Epitaph. S. Marcellæ.* Retentus fuit autem color violaceus in veſtibus Epiſcoporum; necnon familiarium Summi Pontificis, Caudatariorum S. R. E. Cardinalium, Cæremoniariorum Eccleſiarum Cathedralium, Epiſcopo ſolemniter celebrante, & Clericorum in Seminariis Epiſcopalibus degentium, ne omnino uſus pervetuſtus aboleretur, ut noviſſime obſervavit Clericatus *de Sacrificio Miſſæ deciſ.* 22. Nollem quidem a Sapientiſſimi Baronii ſententia recedere; nullum tamen pro antiquitate cærulei, vel vinacei coloris firmum argumentum afferri poteſt; imo primis Eccleſiæ Sæculis indiſtinctum fuiſſe Clericorum habitum, probabiliſſimum eſt; ſubſequentibus temporibus colore albo potius uti cœperunt, ut eruditiſſime oſtendit Cæſar Benvenuti Canonicorum Regularium Lateranenſium Abbas in ſuo opere Italice inſcripto -- *Diſcorſo iſtorico Cronologico della vita comune dei Chierici de' primi ſei Secoli della Chieſa, ricerca 8. cap.* 1. ubi probat ſuam ſententiam, præſertim auctoritate Sancti Cypriani, nec non Sancti Hieronymi, qui in Epiſtola ad Nepotianum ex Monacho Clericum factum, ait; quod *non abſque amictu lineo incedere; ſed pretium veſtium linearum non habere laudabile eſt.* Laudatus Auctor placitum ſuum comprobat etiam auctoritate Divi Auguſtini, qui Clero ſuo nonniſi album colorem præſcribebat; unde Populum advertit, dicens: *Nemo det tunicam lineam, niſi in communi, qualem decenter ferre poſſit Presbyter, aut Diaconus -- ſermone 2. de moribus Clericorum*; quinimo allegatus Benvenuti ibidem oſtendere ſtudet Jeſum Chriſtum etiam juxta Abulenſis ſententiam in Matthæum *cap. 28. quæſt. 46. n. 21.* indumento albi coloris uſum fuiſſe, ſed albedine remiſſa, non vero fulgenti.

Supereſt nunc, ut hic recenſeamus Auctores, qui erudite tractant de prædictis Sacris coloribus, & deinde exhibeamus Decreta S. R. C. ad prædictam coloris materiam pertinentia.

Celebriores igitur Auctores, qui de coloribus differunt, ſunt Innocentius III. *de Myſteriis Miſſæ lib. 1. cap.* 65. Gulielmus Durandus *in Ration. Div. Offic. lib. 2. cap. 18. §. 6.* Joſeph Vicecomes de Miſſæ Apparatu *lib. 1. cap.* 12. Andreas Du Sauſſay Epiſcop. Titul. *in ſua Panoplia Cleric. cap. 2. lib. 4. cap. 6. art. 4. §. 1. & 2.* Joannes Gaſpar Krauſen, anno 1707. in diſſertatione Vittembergæ impreſſa, Abbas Dominicus Georgius in libro, cui titulus: *Degli abiti Sacri del Sommo Pontefice, &c.* & Bartholomæus Piazza in ſuo opere Italice exarato, & intitulato: *L'Iride Sacra.*

Decreta autem, quæ a S. R. C. emanarunt, hæc ſunt.

In Feſto Stigmatum Sancti Franciſci adhibetur color albus. 9. Novembris 1623. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 193.

Exteri celebrantes Miſſam in Eccleſiis Regularium, debent adhibere eundem colorem, quo utuntur prædicti Regulares. 11. Junii 1701. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 557.

Tam fratres celebrantes in aliqua Eccleſia aliena, quam propria, debent uti eodem colore, qui in illa Eccleſia adhibetur. 11. Junii 1701. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 560.

De qualitate Paramentorum. XIX.

R U B R I C A.

1 *In Officio Miſſæ, Celebrans ſemper utitur planeta ſuper albam.*

*G A V A N T U S.*

Qua de re ſuo loco, cum de aliis veſtibus Sacerdotalibus *part. 2. tit. 1.*

R U B R I C A.

2 *Si autem ſit Epiſcopus, & ſolemniter celebret ſuper Dalmaticam, & tunicellam.*

*G A V A N T U S.*

De his etiam, cum de veſtibus Pontificalibus, *part. 2. tit. 1.*

R U B R I C A.

3 (d) *Pluviali utitur* (e) *in Proceſſionibus,* (f) *& Benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in Officio* (g) *Laudum, & Veſperarum, quando ſolemniter dicuntur. Eodem utitur* (h) *aſſiſtens Celebranti in Miſſa Pontificali. Item, quando Celebrans* (i) *poſt Miſſam Defunctorum facit in fine Abſolutionem.*

*G A V A N T U S.*

(d) *Pluviali.* Pluviale, & cappa ſunt idem, *Durand. lib. 2. cap. 1.* & forma quidem, & uſus pluvialis ſimiles ſunt cappæ; quam

quam deſcribit *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 227. Propria veſtis, inquit, eſt Cantorum, & apud nos quoque Cantorum eſt pluviale *jux Cæremon. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 3. in Veſperis a ſingulis ordinibus, inquit ille, portatur, ergo cappa hæc Honorii non eſt caſula, quæ ſolius Sacerdotis eſt, aut Diaconi, & ſubdiaconi ad ſummum contra conjecturam *Iſidor. lib.* 15. *orig. cap.* 12. *& contra Durand. lib.* 2. *cap.* 9. qui volunt, cappam eſſe caſulam. Sicut autem deſcribitur, cappa habet, *inquit Honor.* in ſupremo caputium, ad pedes pertingit, fimbrias habet, ante aperta manet; & quis non videat hæc omnia convenire pluviali tantum? cappa eſt, quia capit totum hominem. Cappam etiam ruſtici vocant, quod Latini tugurium, *Durand. ait loc. cit.* Cappannam ruſtici noſtri; & pluviale quaſi tugurium eſt contra pluvias, ideoque pluviale vocitatur. Imo vero apud laicos quoque cappa ea dicebatur, ut nos vidimus ante paucos annos, quæ caputium habebat, ad differentiam mantelli, quod caputio caret, cujus caputii uſus erat abſque dubio ad tuendum caput tempore pluviæ, ſicut in itinere caputio feltri utimur, unde, & pluvialis laicorum cappa dici poterat, pari itaque modo cappa Eccleſiaſtica cum caputio adhibita propriiſſime in Proceſſionibus extra Eccleſiam, caputio tegens Sacerdotem, cum plueret, pluvialis nomen, ut opinor, eſt adepta. Impluvia dicebatur ea veſtis, qua Sacerdotes per imbrem utebantur, *ex Varrone*, pluviale item quaſi fluviale dici poteſt, quia lineæ, quæ in ora anteriori ſunt, fluvii, ſeu flumina, a Græcis vocantur *ποταμοὶ*.

Facile quoque accidere potuit, quod *Ignatius Braccius Recinetenſis*, (*cujus laus eſt in etymologiis omnium vocum Italicarum, Græcarum, Latinarum, & Hebræarum, quarum parat immenſum opus*) poſtremò me monuit, a Plebe & Plebano, quem Piviero vocavere, Academici Florentini, & vulgo, Piovano dicimus, additam eſſe vocem Italicam, Piviale, aut Pieviale, aut Piovale, quod poſtremum latinitate donantes appellavere Pluviale. Ea enim veſtis eſt in uſu frequentiore apud Parochos in Sacramentorum adminiſtratione. *Item autem Honor. cap.* 233. concedit, cappam deduci poſſe a caſula, ideſt, parva caſa. Caſulam antiquam fuiſſe ſcio valde ſimilem pluviali noſtro, excepto caputio, & anteriori parte, quæ in caſula non erat aperta; unde & reflectebatur caſula utrimque ſuper brachia Sacerdotis, & in elevatione Hoſtiæ ideo poſterior caſulæ pars, ut hodie, elevatur ad brachia Sacerdotis magis expedienda. Ambroſiani veſtigium retinent amplioris antiquæ caſulæ tam latæ, quam longæ, & nos, cum de caſula, ex antiquioribus eam indicabimus infra. Adde, quod *in Ordine Romano in Conſecratione Epiſcopi* Ordinandus prima vice ante Ordinantem conſtituitur cum cappa ſuper albam, cingulum, & ſtolam; certe non cum cappa Epiſcopali lanea ordinaria, quæ non adhibetur ſuper albam, & ſtolam; ſed cum cappa, ideſt, pluviali; ſecunda vero vice *ibidem* conſtituitur item Ordinandus cum planeta ſuper dalmaticam, manicas, ſandalia, quæ conſona ſunt Conſecrationi Epiſcopi in Pontificali moderno; ergo cappa non eſt caſula, ſed quaſi caſula, & eſt pluviale. Vides cum forma ſimul & uſu antiquitatem? Vide Myſteria, *ex Gemma loc. cit.* 227. hæc veſtis converſationem denotat, caputium vero ſupernum gaudium, quod eſt caput converſationis, dicente Apoſtolo, *noſtra converſatio in Cœlis eſt*, ad pedes pertingit ob perſeverantiam, aperta manet ante quia ſanctè converſantibus æterna vita patet, in fimbriis labor ſignatur. *Hæc Gemma*. Charitatem quoque ſignificat cappa hæc, *ibi cap.* 234.

*Durand. loc. cit.* In cappa hac intelligi docet glorioſam corporum immortalitatem, unde illa utimur in Feſtis majoribus, & patent anteriores partes cappæ; quia corpora, inquit, facta ſpiritualia nullis animam obturabunt anguſtiis, *ibid.* ipſe utitur vocabulo pluvialis, ante quem apud alium Auctorum non inveni hanc vocem.

(e) *In Proceſſionibus*. Proceſſio quaſi progreſſio, procedendo in publicum. *Durand. lib.* 2. *cap.* 10. cujus origo, an a Purificatione B. Virginis cum Joſepho, Simeone, & Anna? vel certius ex Hiſtoria Evangelica a turbis in die Palmarum? *Tertull. lib.* 2. *ad uxorem* meminit Proceſſionum, *& Ambr. ſer.* 8. Aliæ vero ſunt ordinariæ, ut in Feſto Purificationis, in Dominica Palmarum, in Litaniis majoribus, & minoribus, in Feſto Corporis Chriſti; de quibus dicetur in propriis Rubricis. Aliæ extraordinariæ, quæ auctoritate Epiſcoporum fieri ſolent; quarum exempla multa refert *Durand. loc. cit.* in his præfertur Crux cum luminibus, quorum auctorem faciunt S. Joannem Chryſoſtomum: *Socrates, & Sozomenus citati a Cæſare Franciotto in obſerv. circa Myſteria totius Anni*. Crux autem a Regularibus cum velo pendente, ſeu pallio, ex Decreto Sac. Rituum Congr. 4. *Januarii* 1617. * ad indicandam ſubjectionem, & inferioritatem reſpectu Cleri ſæcularis, eadem ratione, qua baculo Abbatiali appenditur velum, ſeu ſudarium nodo ejuſdem, ad differentiam baculi Epiſcopalis, quod notatur *in Actis Eccleſ. Mediolan. de ſupel. Eccleſ. lib.* 2. & mulieri datur velamen ſupra caput, ſubjectionis indicium ſub viro 1. *Corinth.* 2. Porro Ritus deferendi Crucem ante Annum 398. *teſte Baronio ibidem* fuit in uſu, & imago Chriſti terga debet vertere Clero ſequenti, quaſi Chriſtus præire videatur, niſi ſit Archiepiſcopalis, vel Papalis, in qua imago Crucifixi reſpicit Archiepiſcopum, vel Papam, quaſi ex illius aſpectu in ſumma animarum cura ii recreentur; ut indicatur in *Cæremon. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 55. *& lib.* 2. *cap.* 16. *& aperte in Cæremon. Marcelli lib.* 3. *cap.* 20. *& Craſſi lib.* 2. *cap.* 42. etiamſi inter Crucem, & Prælatum incedant Canonici, ut expreſſe dicitur in *Cæremonial. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 15. *cit.* contra recentiores quoſdam, qui diſtinguunt in Cruce Archiepiſcopali, quando immediate præcedit Archiepiſcopum, & quando Canonici præcedunt eumdem poſt ejus Crucem.

Cum igitur proceſſio ſit quædam Clerici cum Populo itineraria converſatio, recte pluviale adhibetur, quod, ut diximus, Sanctæ converſationis formam deſignat.

(f) *Et Benedictionibus*. Hoc eſt, cinerum, cereorum, palmarum, Sacrarum imaginum, &c. quæ, cum ſolemnes ſint, pluviale jure merito exigunt, neque aliud indumenti genus aptius eſſe poteſt Benedictioni ſolemni, quæ fit extra Miſſam. Sunt aliæ Benedictiones, quæ non fiunt in Altari, & in fine Miſſalis de rebus variis habentur, in quibus ſatis eſt ſtola cum ſuperpelliceo uti.

(g) *Laudum, & Veſperarum*. Laudes, & Veſperæ ſunt pares numero Pſalmorum, Hymnorum, & ratione Canticorum Evangelicorum; ut dicemus in Rubricis Breviarii: Pluviale in iis conceditur ad Solemnitatem, *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 3. *&* 7. Qui almutiis utuntur, eas deponant, cum pluviale induunt, ſicut exuunt cappas ii Canonici, qui bis utuntur.

(h) *Aſſiſtens Celebranti*. Ordo Rom. dat cappas Presbyteris aſſiſtentibus Papæ celebranti. Vides hic etiam cappas idem eſſe, ac pluvialia?

(i) *Poſt Miſſam Defunctorum &c.* Miſſa finita, deponenda eſt caſula, quæ ergo nunc ad Abſolutionem ſolemnem aptior erit veſtis, quam pluvialis cappa, veſtis, & ad omnia magis communis? neque benedicitur quia communis eſt cuicumque Eccleſiaſtico, neque ordinata ad Sacrificium Miſſæ.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad
Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. d -- *Pluviale, & cappa ſunt idem*.) Pluviale, ut optime obſervat Gavantus cum Honorio *in Gemma Animæ lib.* 1. *cap.* 227. idem eſt ac cappa; cappa etenim proceſſu temporum auctoritate ſuperiorum ad meliorem formam redacta, & mutato capucio in ornamentum a tergo pendens inter veſtes Sacras retenta eſt ſub antiquo nomine pluvialis, & modo pluviale communiter vocatur, vel caſula proceſſoria cit. a Cypriano Epiſcopo Tolonen. in vita S. Cæſarii Arelaten. apud Mabillon. *lib.* 1. Liturgiæ Gallicanæ *cap.* 7. *num.* 2. Pluviale autem utitur Celebrans in Proceſſionibus, Benedictionibus, & aliis Sacris functionibus, ut conſtat ex Rubrica citata. Ratio literalis eſt, ut etiam in veſtibus appareat diſcrimen inter Sacrificium, quod in Miſſa peragitur, quo nihil ſanctius a Fidelibus tractari poteſt; ex Tridentino *ſeſſ.* 22. in Decreto de obſervandis in celebratione Miſſæ, ut inquam, ſit diſcrimen inter Sacrificium, & alias Sacras functiones, quia in Miſſa Sacerdos utitur planeta, ſeu caſula, quæ ad uſum Sacrificii ſingulariter eſt deſtinata & benedicta. Non eſt tamen confundenda caſula cum cappa, ut optime notat Biſſus litera *G. num.* 149. contra Durandum *lib.* 2. *cap.* 1. qui vult quod nomine cappæ intelligatur caſula, quod eſt falſum, ut patet ex deſcriptione cappæ, quam affert Honorius *loc. cit.* ubi dicit, quod cappa habet in ſupremo capucium, deinde ad pedes pertingit, & a parte ante eſt aperta, caſula autem erat antiquitus ex omni parte clauſa, de qua fuſius diſcurremus in primo titulo ſequentis ſecundæ partis. Decet autem, ut in Benedictionibus, & aliis functionibus ſolemnioribus extra Sacrificium, planeta non utatur, ſed loco illius pluviali, quod aptiſſimum indumenti genus videtur ad decens Sacerdotis ornamentum ſuper albam.

Eodem utitur Aſſiſtens Celebranti, quia inde reſultat major veneratio erga Celebrantem, & ipſam Sacram functionem; tribuitur etiam Cantoribus ad majorem ſolemnitatem, quia non eſt veſtis propria Sacerdotis, ut planeta, ſeu caſula, ſed communis aliis. Ex Honorio, *in Gemma Animæ ſupracit.* & Quarti ſupra *titul.* 19. *a n.* 5. *uſque ad n.* 3. incluſive.

Quamvis ſupradictum pluviale non ſit benedicendum, ex Gavanto ſupra, nihilominus Quarti ſupra *dub.* 2. vult, quod tam pluviale, quam dalmaticæ (licet de his nihil expreſſum inveniatur apud Auctores, nec earum Benedictionem videantur inſinuare) debeant benedici ea Benedictione, quæ aſſignatur in Miſſali pro indumentis Sacerdotalibus in genere.

Explicato quid veniat nomine pluvialis, & aliis ad talem veſtem ſpectantibus, progredimur nunc ad exponendum, quid veniat nomine cappæ Eccleſiaſticæ. Cappa igitur ſignificat etiam cappam magnam, ſeu longam, cum capucio pellibus, vel ſerico ſecundum temporum exigentiam ſubſuto; qua utuntur Cardinales, Epiſcopi, & in multis Cathedralibus etiam Canonici. Romæ vero in Eccleſiis Patriarchalibus, Beneficiati quoque cappa magna utuntur; ſed differt a Canonicali in colore Pelliceæ: nam Beneficiatorum eſt cinericii coloris; Canonicorum vero candidi armelini. Cappa hæc ab habitus Monachalis forma deſumpta fuit, quando hi Eccleſiam gubernarunt; & dicitur *cappa choralis* a Matthæo Pariſio: igitur cappa ſignificat Sacerdotalis dignitatis eminentiam: Rupertus *c.* 1. *Apocal.* Caudæ vero longitudo denotat, quod uſque ad diem extremum Judicii ſit dignitas Sacerdotalis duratura: defertur tamen hæc cauda ſub brachio involuta, & plicata, quia dignitas Eccleſiaſtica manifeſtari non debet, niſi urgente neceſſitate ad Dei honorem, & animarum ſalutem. Pellis, quæ in collo ejuſdem, & circa pectus ſubſuta eſt, Prælatum meminit peccatorem

eſſe:

Digitized by Google

eſſe; Divus Auguſtinus contra mendacium *c.* 10. ſeu, ut Origeni placet, ob mortis memoriam. Macrius v. Cappa *pag. mihi* 115. & *ſeqq.* Verum recentiſſime Petrus Morettus in ſua erudita diſcept. epiſtolari de ritu variandi Chorale indumentum *p.* 78. uſum capparum cenſet a Canonicis Regularibus ſeu Clerico-Monachis originem trahere; & colligit ex Conſtitutionibus totius ordinis Canonicorum Regularium, illos habitum induiſſe Chorale, & alicubi etiam nunc induere ſimillimum deſcripto in Conſtitutionibus Eccleſiæ Lateranenſis, & Vaticanæ: idem etiam colligi aſſerit ex cæteris Canonicorum Regularium documentis; hancque habitus ſimilitudinem mirifice comprobant multiplicis ſpeciei imagines Clerico-Monachorum, inciſæ in Catalogo ordinum Religioſorum, & in libro Eccleſiaſt. Hierarchiæ, quos Bonanus Societ. Jeſu recenter evulgavit.

De manipulo, & reliquis indumentis Sacerdotalibus, mentionem faciemus in Obſervationibus noſtris ad Gavanti Commentaria in 1. tit. 2. partis paulo inferius.

## R U B R I C A.

4 *Cum Celebrans utitur pluviali, ſemper* (l) *deponit manipulum: & ubi* (m) *pluviale haberi non poteſt, in Benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Celebrans ſtat ſine planeta cum alba, & ſtola.*

## G A V A N T U S.

(l) *Deponit manipulum.* Manipulus non adhibetur cum pluviali, & fortaſſe, quia ille fletum, & dolorem ſignificat, ut infra docebimus, ideo non concordat cum pluviali, quod diximus ſignificare converſationem cœleſtem, & *ex Durando* glorioſam corporum immortalitatem, quæ fletum non admittit.

Dices: fiunt Proceſſiones flebiles: ergo congruit in illis manipulus fletus, & doloris. Reſpondeo, extra Miſſam nullum eſſe manipuli Sacerdotalis uſum: & de hoc Ritu plena ratio penes Auct. deſideratur adhuc.

(m) *Pluviale haberi non poteſt,* &c.) Planeta cum ſtola eſt habitus ad Miſſam tantum; & ideo potius ſtola ſuper albam ſufficit, deficiente pluviali. Verum licet in hoc habitu procedat Celebrans, ac ſi haberet pluviale; non tamen hinc ſequitur, ſtolam gerere vicem pluvialis; ut ex verbis patet, quod male inferunt alii.

* Stola vero una cum alba in modum Crucis ante pectus geſtari debet cingulo de more conjuncta, & utrimque religata: quod ſi adhibeatur una cum ſuperpelliceo, ſoluta pendebit a collo hinc inde, quia ligari in modum Crucis non poteſt; & eodem modo ſive cum pluviali, ſive abſque eo adhibeatur illa: favet autem *Concil. Bracar.* 3. *c.* 3. ſignum, ait, in ſuo pectore præparet Crucis: licet enim ibi loquatur de ſtolæ uſu in Miſſa; extra Miſſam tamen forma Crucis, ſi fieri poteſt, muniri pectus decet; quod ex uſu didici apud nos communiori.

## R U B R I C A.

5 (n) *Dalmatica, &* (o) *tunicella utuntur Diaconus, & Subdiaconus in Miſſa Solemni,* (p) *& Proceſſionibus,* (q) *& Benedictionibus, quando Sacerdoti miniſtrant.*

## G A V A N T U S.

(n) *Dalmaticam.* Eam aſſignat Diacono *Ordo Romanus.* Sanct. Sylveſter Diaconis conceſſit, *ex Damaſo.* In Dalmatia fuit reperta. *Alcuin. Quid ſignif. veſt. Iſidorus* 19. *etymolog. cap.* 22. primo textam ibidem fuiſſe ſcribit: ejuſdem vero uſus in Eccleſia fuit ante Sylveſtrum: nam *Sanctus Cyprianus meminit, & Eutychianus Papa, apud Durandum lib.* 2. *c.* 9. Sacerdotum enim erat habitus, & caſulis introductis dalmatica data eſt Diaconis. *Walafridus Strabo cap.* 24. qui tamen a *Vicecomite lib.* 3. *de Miſſæ apparatu c.* 26. jure refellitur, cum antea *lib.* 3. *cap.* 29. probaverit ille fuiſſe caſulam in uſu Sacerdotum tempore Apoſtolorum; quod & nos infra ſuo loco oſtendemus. Uſi ſunt etiam Dalmatica Reges ſummi: quorum nomina vide apud *Baronium in not. Mart. ad* 31. *Maji.* Neque vero Sylveſter omnibus Diaconis eam conceſſit, ſed tantum Romanæ Eccleſiæ, & in diebus tantum ſolemnibus in ſignum lætitiæ, *diſt.* 76. *cap. de jejun. ex Concil. Salegaſt.* exteris autem ex privilegio Roman. Pontific. *ut ait Gregor. lib.* 7. *epiſt.* 3. *ad Aregium,* qui *epiſtola* 28. & 113. *ejuſdem lib.* 7. tradit aperte fuiſſe Romanorum tantum Diaconorum propriam veſtem. Erat etiam regula, quod dalmatica adhiberetur cum *Gloria in excelſis, ita Microl. cap.* 46. hoc eſt, ubi *Gloria,* ibi dalmaticæ uſus; non e converſo: nam in Dominicis Gaudete, & Lætare, utimur dalmaticis; non autem dicimus, *Gloria in excelſis.*

Forma antiqua dalmaticæ erat ſine manicis, & *Ammian. Marcellin. lib.* 14. vocavit eam pectoralem tuniculam, quam nos cum manicis ad cubitum vocamus Italice *Tunicella*: pertuſas habet alas, *Amalarius lib.* 2. *cap.* 21. duas item lineas ante, & retro, *ibidem*; manicæ latæ ſunt, ex *Alcuino ſupra*; ubi etiam notat formam habere Crucis; alia habebat, quæ noſtræ non habent: *vide Innocentium* III. *vel Amalarium locis citatis, & citandis.* Significat ergo dalmatica lætitiam: item curam proximorum; *Ivo Carnoten. Serm. de ſignif. Indum.* formam Crucis gerit, ut ea indutus mundo ſit Crucifixus, *Alcuin. ſupra*; pertuſas alas habet, ut Chriſtum imitetur, qui lancea fuit perfoſſus in latere, *Amal. ſupra*: latas manicas, ut ſit liberalis, qui ex officio cum Stephano Protomart. miniſtrare debet menſis, *Innoc.* III. *lib.* 1. *c.* 56. cum gemina dilectione Dei, & proximi, quam indicant duæ lineæ ante, & retro, *Amalar. ubi ſupra*: Dalmaticæ denique uſus fuit ſuper albam, & conſequenter cum amictu, & cingulo, quæ conceduntur Diacono *in Concil. Narbon. c.* 12. ex Ritu antiquiore. * De alba, ut Diaconi veſte, mentio eſt *in Ordo Rom. de Concil. Propoſ. Celebr.* amictus autem, & cingulum comitantur albam.

(o) *Tunicella.* Subdiaconi miniſtrabant in albis tempore S. Gregorii Papæ *lib.* 7. *ep.* 63. jubet *Ordo Rom.* eis tradi congruas veſtes Subdiaconales, & mappulas in ſiniſtra; ſed quas veſtes non explicat. Subtile cum minori manica datum Subdiaconis ſcribitur *in Gemma lib.* 1. *c.* 229. hoc eſt tunicella, idec ſic appellata, quia minor eſt dalmatica Diaconali. Ante Gregorium neſcio quis, *ait ipſe loc. cit.* induit Subdiaconum; qui modus loquendi excludit Sylveſtrum, quem faciunt quidam hujus Ritus auctorem, & indicat per errorem id eſſe factum, unde Gregorius removit Subdiaconalem veſtem. *Conc. Bracar.* 1. *c.* 27. appellat tunicam, & pares in veſte facit Diaconum, & Subdiaconum, fortaſſe ex prædicto abuſu, quem poſtea correxit S. Gregorius, quoad Subdiaconos; nunc eorumdem ſtrictior eſt veſtis quam Diaconorum; & ideo dicta eſt etiam ſubucula *ab Amalar. lib.* 2. *c.* 22. Significat autem loricam juſtitiæ, quæ communis eſt virtus, *Gemma ubi ſupra,* ſed eadem ſignificat, quæ dalmatica; niſi quod Subdiaconus minori tunica indutus, ſi ad minorem virtutis gradum, quam Diaconus perveniat, tolerandus eſſe videtur. * Suppone albam tunicellæ: *ex Concil. Narbon. cit.* conſequenter amictum, & cingulum, ut ſupra diximus de Diacono.

(p) *Et Proceſſionibus.* Ad majorem nempe ornatum celebrantis Sacerdotis. Scripſit recentior Miniſtris eiſdem dari poſſe in Proceſſione SS. Sacramenti ſtolas Sacerdotales ſupra cottam; ſed hoc videtur contra Bullam Pii V. in qua prohibetur mutatio, additiove Rituum; & contra rationem, ne ii videantur æquales Celebranti; & contra uſum Eccleſiarum communem, quem maximi faciendum exiſtimo in Sacris Ritibus.

(q) *Et Benedictionibus.* Quæ ſcilicet fiunt ſolemniter; non tamen cinerum, cereorum in Purificatione Beatæ Virginis, nec Palmarum; in quibus dalmatica, & tunicella prohibentur in ſequenti numero.

## R U B R I C A.

6 *In diebus vero* (r) *jejuniorum* (*præterquam in* (ſ) *Vigiliis Sanctorum*) *& in Dominicis, & Feriis* (t) *Adventus, &* (u) *Quadrageſimæ, ac* (x) *in Vigilia Pentecoſtes ante Miſſam* (*exceptis* (y) *Dominica Gaudete, etiamſi ejus Miſſa infra hebdomadam repetatur, & Dominica Lætare, Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto in* (z) *Benedictione cerei & in Miſſa, ac* (a) *quatuor Temporibus Pentecoſtes*) *item in Benedictione* (b) *candelarum, & Proceſſione in die Purificationis Beatæ Mariæ, & in Benedictione* (c) *Cinerum, & Benedictione* (d) *Palmarum, & Proceſſione, in Cathedralibus, &* (e) *præcipuis Eccleſiis utuntur* (f) *planetis plicatis ante pectus; quam planetam Diaconus* (g) *dimittit, cum lecturus eſt Evangelium, eaque tunc ſuper ſiniſtrum humerum ſuper ſtolam complicatur; aut ponitur aliud genus ſtolæ latioris in modum planetæ plicatæ, & facta Communione reſumit planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam, cum lecturus eſt Epiſtolam, quam legit in alba; & ea finita, oſculataque Celebrantis manu, planetam* (h) *reſumit ut prius.*

## G A V A N T U S.

(r) *Jejuniorum.* Interdicit *Gemma lib.* 3. *c.* 45. dalmaticas tempore jejunii; quia diximus, dalmaticam ſignificare lætitiam, quæ in jejunio facile deſideratur.

(ſ) *Vigiliis Sanctorum.* Vigilia eſt principium Feſti, *Radulph. propoſ.* 19. ergo & lætitiam aliqualem, non plenam, habet, cum in eadem jejunemus.

(t) *Adventus.* Tempore Adventus in aliquibus locis omitti dalmaticas ſcribebat *Amal. lib.* 3. *c.* 40. & *lib.* 4. *c.* 30. ut avidius, inquit, reſumatur, feſtivius, quod aliquando omittitur; & item ad inſinuandum tempus veteris Teſtamenti in Adventu; ratione cujus major eſt gloria novi Teſtamenti in Nativitate Domini, *ib.* addit *Honor. Gemma lib.* 3. *c.* 1. quia veſtes innocentiæ, & immortalitatis ſignificatæ per dalmaticas, nobis per Chriſtum natum redditæ ſunt, non ante Chriſtum natum; vel quia ante Nativitatem Chriſti, neque Lex, neque Evangelium in iis ſignificatas, dalmaticas gerunt, cum claritate pateant, *Rupertus lib.* 3. *c.* 2. *tit.* 3.

(u) *Quadrageſimæ.* A Septuageſima uſque ad Cœnam Domini a dalmaticis abſtinuere in quibuſdam locis, ajunt *Ordo Rom. & Alcuin. cap. de Septuageſ.* antiquo vero more omitti, indefinite ſcribit *Microl. c.* 47.

(x) *In Vigilia Pentecoſtes.* Diximus ſupra, Vigiliam hanc eſſe parem Vigiliæ Paſchatis: In Miſſa vero lætitia perfunditur Eccleſia; ideoque, & dalmaticæ ſunt in uſu ad Miſſam, non ante Miſſam.

(y) *Dominica Gaudete.* Ecce lætitia: ergo cum dalmaticis: idem affirmandum de ſequentibus, ut patet.

(z) *Benedictione Cerei.* Quæ tota eſt feſtiva, ſicut etiam Miſſa Sabbati Sancti.

(a) *Quatuor Temporibus Pentecoſtes*. Dalmaticæ his temporibus deferuntur ob Solemnitatem Spiritus Sancti a Conſtantino ca. 2.

(b) *Candelarum*. Ob anxiam Simeonis expectationem, in- *Durand. lib. 3. c. 18.*

(c) *Cinerum*. Quia dies ſolemnis jejunii, & initium eſt Quadrageſimæ, quæ excludit dalmaticas.

(d) *Palmarum*, &c. Quæ Paſſionem Domini ſapit potius, atque lætitiam inanem turbarum: flevit enim Chriſtus ſedens ſuper aſinum. *Luc. 19.*

(e) *Præcipuis Eccleſiis*. Præcipuas intellige, præſertim, quæ ſunt Collegiatæ inſignes Canonicorum Cleri Sæcularis, & quæ ob alias cauſas præcipue a Populo, ſeu a majoribus declarantur; dantur enim Eccleſiæ minores, præſertim apud Regulares, de quibus num. ſequenti. Sed inſignioribus Regularium Eccleſiis conceduntur planetæ plicatæ a Sac. Rit. Congreg. teſte Alcozer in ſuo Cæremoniali.

(f) *Planetis plicatis*. Diacono, & Subdiacono dantur planetæ ſæpius in *Ordin. Roman.* caſula datur Diacono. *Alcuin. de divin. ſignif. veſt.* Item Subdiacono ea ratione, quia imitari debet Diaconum, *ab Honorio in Gemma lib. 1. cap. 231.* quæ elevantur ante, ut liberius miniſtrare valeant, *Durand. lib. 3. cap. 11.* Puto etiam ad differentiam caſulæ Sacerdotalis; quæ cum ſignificet charitatem ſecundum omnes Auctores, qui ſcripſerunt de Ritibus, intelligant Miniſtri primo in prædictis diebus teneri fere ad eandem perfectionem, ad quam Sacerdos in aliis temporibus; deinde ex charitate, non ex timore debere miniſtrare Altari. *Durand. ubi ſupra.*

(g) *Dimittit*. Dimittitur autem caſula ab utroque lecturo Epiſtolam, ſeu Evangelium, quaſi profiteantur in proprio miniſterio legenti, eam non eſſe propriam veſtem, *Rupert. lib. 3. cap. 2.* & Subdiaconus quidem dimittit caſulam, quæ charitatem denotat, lecturus Epiſtolam, quæ ſignificat legem veterem, legem timoris, non amoris; Diaconus verò induit aliam, ſeu eandem complicatam in ſiniſtro humero ad latus lecturus Evangelium, legem ſcilicet amoris, ut in ſiniſtris, & in dextris, in adverſis, & proſperis, charitatem ore, & opere doceat; tum Evangelio, tum miniſterio uſque ad conſumptionem Sacramenti. *Durandus loc. cit.*

(h) *Reſumit*. Caſula a Subdiacono poſt Epiſtolam reſumitur, quia poſt legem timoris data eſt lex charitatis. Diaconus vero reſumit circa finem Miſſæ, quia non ſufficit inchoaſſe in charitate, ſed in ea finiendum eſt, *idem ibid.* Vel dic cum *Amalario lib. 3. cap. 25.* lecturos exui caſulis, quaſi milites expeditos contra errores. Duplicatam denique Diaconus portat caſulam ab Evangelio ad Communionem, ut quæ ore prædicat, jugum Domini portans, opere quoque impleat, liberius, & expeditius miniſtrando, *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 231.* Lege *Ragon. Vict. de ſpecial. Miſſæ obſervat. lib. 3. cap. 9.* ubi in caſula Miniſtrorum, quæ collum circuit, utrumque brachium, pectus, & humeros veſtit; docet charitatem, quæ exigitur in voce collo formanda, in opere corde, & in aliorum onere portando.

R U B R I C A.

7 *In minoribus autem Eccleſiis, prædictis diebus jejuniorum, alba tantum amicti miniſtrant* (k) *Subdiaconus cum manipulo*, (l) *Diaconus etiam cum ſtola ab humero ſiniſtro pendente ſub dextrum.*

*G A V A N T U S.*

Non enim congruunt Dalmaticæ ratione dierum, neque caſula ratione locorum.

(k) *Subdiaconus cum manipulo*. Manipulum Subdiaconi propria veſtis eſt, *in Ord. Rom.* qui tradit eis mappulas in ſiniſtra; de quibus dicemus infra cum de veſtibus Sacerdotis. Verum hic nota, quod licet Sacerdoti fuerit datus manipulus ab initio ad tergendam pituitam oculorum, & narium; ut ibi probabimus; & fortaſſe eadem de cauſa a S. Sylveſtro fuerit idem conceſſus Diacono ſub nomine pallæ linoſtinæ ad lævam (linum enim aptum eſt ad tergendum oculos, & nares) non tamen Subdiacono datus fuit in hanc eandem cauſam manipulus, ſed ad tergendas ſordes Vaſorum Sacrorum; quod bene notavit *Durand. lib. 3. c. 8.* cumque in ſiniſtra cum aliis gerit, ad expeditius miniſtrandum, *Rupert. lib. 1. c. 33.*

(l) *Diaconus, cum ſtola*, &c. Stola Diacono datur *ab Ordine Rom.* quia Orarium eſt, hoc eſt Oratorum, ſeu Concionatorum, *Alcuin. ſupra*; quam ab Apoſtolis datam Diacono fuiſſe probabilius puto, tanquam de ſubſtantia Ordinationis ejus; non a Sylveſtro nomine pallæ linoſtinæ ad lævum humerum, quod vult *Vicecomes de apparatu ad Miſſam*: nam ad lævam, hoc eſt ad manum lævam, explicat *Innoc.* III. *lib. 1. c. 43. ubi de manipulo agit*: vide infra de manipulo. Verum a ſiniſtro humero ad latus dexterum, *ex Conc. Bracar. 1. c. 27.* ut ab activa laborioſa, ad contemplativam ſuavem tranſeat. *Honor. in Gemma lib. 1. c. 230.* vel, ut portet hic jugum Domini in ſiniſtra, id eſt, in præſenti vita cum ſpe quietis futuræ in dextra, *Durand. lib. 2. c. 9.* Cæterum, dexteram Diaconi partem vult eſſe liberam ob miniſterium Altaris, *Conc. Tolet. 4. cap. 39.* quæ rationes etiam valent pro caſula complicata ad modum ſtolæ. Diaconus autem, cum induit ſtolam, oſculetur Crucem, quæ eſt in medio ejus. *Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 9.*



II. In inſignioribus Regularium Eccleſiis Sacra Congregatio conceſſit uſum planetarum plicatarum, teſte Alcozer, relato a Gavanto in Indice ſuorum Decretorum; quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub n. 247.*

De prædictis planetis plicatis fuſe agimus in prima Dominica Adventus.

De Præparatione Altaris, & Ornamentorum ejus. XX.

R U B R I C A.

(m) A*Ltare, in quo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrandum eſt, debet eſſe* (n) *lapideum, &* (o) *ab Epiſcopo conſecratum: vel ſaltem* (p) *ara lapidea, ſimiliter ab Epiſcopo conſecrata in eo inſerta; quæ* (q) *tam ampla ſit, ut Hoſtiam, & majorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur* (r) *tribus mappis, ſeu tobaleis mundis, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem* (ſ) *benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.* (t) *Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri poteſt, diei Feſto, vel Officio convenientis. Super Altare* (u) *collocetur Crux in medio* (x) *& candelabra ſaltem duo cum* (y) *candelis accenſis hinc, & inde in utroque ejus latere. Ad Crucis pedem ponatur* (z) *tabella, Secretarum appellata. In cornu Epiſtolæ* (a) *cuſſinus ſupponendus Miſſali: & ab eadem parte Epiſtolæ paretur* (b) *cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus*, (c) *parva campanula;* (d) *ampullæ vitreæ vini, & aquæ cum pulvicula, &* (e) *manutergio mundo in feneſtella, ſeu in parva menſa ad hæc præparata. Super Altare* (f) *nihil omnino ponatur, quod ad Miſſæ Sacrificium, vel ipſius Altaris ornatum non pertineat.*

*G A V A N T U S.*

(m) *Altare*. Locus hic ſupponitur Sacer, vel deputatus ab Epiſcopo *c. Nullus de Conſec. diſt. 1. ex S. Sylveſtro*; ſaltem ſit benedictus Ritu proprio *in Rituali Rom. Pauli V.* Non poteſt autem Epiſc. deputare Oratoria in domo privata, *ex literis Card. Lancellotti ad Epiſcopos datis, nomine Pauli V.* 10. Martii 1615. ut ibi fiat Miſſa, *citatis a Scortia lib. 2. c. 13. imo ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. de obſervan. & evitan. in Sacrif. Miſſæ*, Non tamen intelligitur domus privata palatium Epiſcopi, ut notavit *Carolus Epiſcopus Novar. in Comment. Canon. ad c. Miſſarum 13. de Conſecr. diſt. 1.* in eo enim Capella deputari poteſt pro Miſſa celebranda; quod ſi violetur locus (*qua de re optime Suarez diſt. 81. ſect. 4.*) non poteſt ibi celebrari ſine peccato. *Azor. lib. 10. cap. 26. per totum.* Deducunt vocem hanc, *Altare*, ab altitudine. *Feſtus, & alii*, quaſi ſit alta Ara: *Walafrid. c. 5.* vel alta res, *Gemma lib. 1. c. 122.* vel ab alendo: quia igni Altaris addebatur alimentum. *Iſidor. lib. 15. Origen. c. 4.*

Patet Altaris uſus in Scripturis Sacris a Noe, qui primus ædificavit Altare; & in novo Teſtamento 1. *Cor. 9. Heb. 13.* Sixtus II. decrevit, ut Miſſa non fiat niſi in Altari, *Radulph. propoſ. 23.* & ſignificat, Primo menſam Domini, *Amalar. lib. 1. c. 24.* Secundo Crucem. *Bern. de Cœna Domini.* Tertio Chriſtum, per quem Sacrificia acceptantur a Deo. *Gemma lib. 1. c. 134.* forma Corporis Chriſti eſt Altare, ait *Ambr. lib. 4. Sacr. c. 13.* ideo præeminet in Eccleſia, ut Chriſtus inter membra ejus, *Rupert. lib. 5. c. 30.* Gradus illius virtutes ſunt, quibus ad Chriſtum itur, *Hugo Victor. in Canon. Miſſæ c. 2.* Quarto ſignificat Eccleſiam ſpiritualem, cujus cornua ſunt quatuor mundi plagæ. *Durand. lib. 1. c. 2.*

(n) *Lapideum*. Ex inſtitutione S. Sylveſtri *in Conſec. diſt. 1. cap. Altaria ex Conc. Hippon. c. 6.* id eſt, prius hoc decrevit in Romana Eccleſia S. Sylveſter Papa, quod habes in Breviario in Feſto Dedicationis Salvatoris: nam a Græcis factitatum eſſe prius ſignificat. *Dionyſ. cap. 3. Eccleſ. Hierarch.* ex lapide, quia petra erat Chriſtus, 1. *Corinth. 20.* nullum foramen habet *ex Actis Eccl. Mediol.* ad deſignandam undequaque plenitudinem, & integritatem Chriſti, *S. Thom. 3. part. quæſt. 82. art. 5.* vacuum enim erat Hebræorum Altare ſine Chriſto.

(o) *Ab Epiſcopo conſecratum*. *Ex Dionyſ. de Eccl. Hier. c. 4.* ad indicandam gratiæ pinguedinem *ex S. Cypr. Conc. Agath. de Conſecr. diſt. 1. c. Altaria*, quod non fit (præter Sanctum Chriſma pinguedinis prædictæ Symbolum) ſine Reliquiis Sanctorum, ex Decreto Felicis II. *apud Radulph. l. c. & cap. Placuit, de Conſecr. d. 1. ex Conc. Affricano.* Sunt autem hæ de ſubſtantia Conſecrationis, *ex Azor. l. 10. c. 27.* & debent eſſe Sanctorum ab Eccleſia approbatorum, ut reſpondit Sacra Conc. Trid. Cong. Epiſc. Interamnenſi 13. Septembris 1593. *apud Piaſecium part. 1. c. 5. n. 7.* etiam Chriſtus, hoc eſt, unctus, appellatur: conſecratus a Deo caput Sanctorum: *. convenienter autem, *ait S. Auguſt. ſerm. 37. in Appendice de diverſis*, & quaſi pro quodam conſortio ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, ubi mors Domini quotidie celebratur, ſcilicet, ut, qui propter mortem ejus mortui fuerant, ſub Sacramenti ejus Myſterio requieſcant. Hæc ille.

Si vero ſub Altari, vel ſub ejus gradibus humata ſint cadavera defunctorum, non debet in eo celebrari, donec alio tranſ-

transferantur. *Congr. Card, ſuper notitia Epiſc.* 10. *Novembris* 1599.

Porro ab Epiſcopo eſt conſecrandum, *Hormiſda Can. Nullus de Conſec. diſt.* 1. duratque Conſecratio uſque ad amotionem tabulæ, vel fractionem quomodocumque ſigilli Reliquiarum; fuſius *Suarez diſp.* 81. *ſect.* 5. illud eſt mirandum, *quod in prato ſpirituali legitur c.* 4. & 10. dari a Deo Angelum cuſtodem Altari conſecrato.

(p) *Ara lapidea.* Ara ab ariditate ex igne, *Servius*, vel quaſi area plana, vel ab ardore ſic dicta, quod in ea ardebant Sacrificia, *Gemma lib.* 1. *c.* 122. vel ara Græce, precatio Latine, *Walafr. c.* 5. ubi addit, quod imprecatio dicitur antara. Dicta fuit etiam tabula itineraria *ab Ordin. Rom.* Item tabula Altaris, *de Conſecr. diſt.* 1. *c. Concedimus*, *ex Concil. Tribur.* Antimenſe quoque *a Balſamone ad Concil. ſextum Can.* 31. & *a Nicephoro apud Belingerum lib.* 3. *cap.* 30. denique Viaticum *cap. ult. de privil. in* 6. *a Bonifacio Octavo*,

Lapidea debet eſſe vel incluſa, vel ſuperpoſita ligneæ, vel alterius materiæ. *Azor, lib.* 10. *c.* 27. *q.* 2. Hic autem jubetur, ut ſit incerta ad majorem cautelam: ſed tamen emineat aliquantulum; ut ejus limites a Sacerdote facile dignoſci poſſint.

(q) *Tam ampla ſit*, &c. Intellige, ut commode capiat iſta tempore Conſecrationis Hoſtiæ, & Calicis, *Sylveſt. verbo Altare n.* 1. Ante Conc. Moguntiacum, unde ſumptum eſt, *cap. Concedimus* (*mendoſe Triburienſi datur*) circa Annum 900. nulla eſt mentio aræ quoad nomen; res autem erat in uſu tempore perſecutionum, & S. Ambroſius ea uſus eſt celebrans in domo quadam privata Romæ: ejuſdem vero uſus nimis frequens compreſſus fuit *in Conc. Senonenſi*: & tandem in *Conc. Mediolan.* 4. decretum eſt, ut majora ſaltem Altaria Eccleſiarum Parochialium conſecrarentur. Hæc *Carolus Novar, ad cap. Nullus Presbyt.* 24. *de Conſecr. diſt.* 1,

(r) *Tribus mappis.* Veſtiendum eſt lineis Altare ex Decreto Bonifac. III. *apud Polidor. Virgil. lib.* 5. *c.* 6. & *Conc, Rhem. apud Burchar. lib.* 3. *cap.* 39. & *ex S. Clemente ep.* 2. *ad Jacobum fratrem Domini, ſive ad alium, ut notat Bellarminus de Scriptor. Eccleſiaſt. cum Jacobus tunc obierit*; & *ad Simeonem, qui dictus eſt frater Domini directam eam fuiſſe, docet Severinus Binias in Notis ad eandem in* 1. *tomo Concil.* ibi S. Clemens pallam vocat Altaris veſtem, quia palla palam eſt, & foris, *teſte Varrone*; & palliat Sacra Myſteria, *ex Durand. lib.* 4. *c.* 29. Syndones etiam dicuntur *in Actis Mediol. Eccleſ.*

Quæ debent eſſe tres; vel ea ratione, quia in hac Rubrica indicitur, vel quia indicatur *de Conſecr. diſt.* 2, *cap. Si per negligentiam, a Pio*: ubi ſit mentio de effuſione ſanguinis, uſque ad quartum linteum, incluſo ſcilicet Corporali; & quia in honorem cedit Sanctiſſimæ Trinitatis, *Angelus, verbo Corporale*, docet debere tres eſſe. Duplicatam unam concedit Rubrica, ut ſint tres: non ergo duæ, tuta conſcientia ſufficiunt,

(ſ) *Benedictis.* Niſi neceſſitas aliud ſuadeat. *Sylveſter, verbo Benedictio, quæſt.* 5. *Azor. lib.* 20. *c.* 28. *quæſt.* 8. *Imo Suarez hac de re negat jus aliquod eſſe*, 3. *part. diſp.* 81, *ſect.* 6. Benedictio tamen earum eſt *in Ordine Romano.* Veſtes autem Altaris ſignificant gloriam Sanctorum, quorum Reliquiæ ibidem ſunt. *Gemma lib.* 1. *c.* 234. & *Amalar. l.* 1, *c.* 12.

Obſerva, *quod in Cærem. Epiſc. ſancitum eſt l.* 1. *c.* 11. ne ullæ coronides ligneæ circa Altaris angulos ducantur; ſed earum loco apponi poterunt faſciæ ex auro, vel ſerico elaboratæ; quibus ipſa Altaris facies apta redimita ornatior appareat; & vere coronides ligneæ corrodunt etiam planetas,

(t) *Pallio quoque ornetur.* Pallium hoc, quod item a palliando dicitur, non ſolet benedici ſeparatim ab aliis paramentis: nec in Rituali, Pontificalive extat propria Benedictio: poteſt etiam ſine eo celebrari, puta, ſi Altare eſt ornatum auro, vel lapide pretioſo. Velum videtur appellari *a Clemente op.* 2. niſi Calicis ſit velum, *in Conc. Rhemenſi apud Ivon. lib.* 3. *c.* 97. erant in uſu ad ornatum anterioris partis Altaris; & palliorum auro contextorum eſt mentio apud *Anaſtaſ. in Hormiſda*, ubi & tabularum, quas palliis aptius extendendis adjungimus. Significat autem pallium ornamentum virtutum in Chriſto; *Durand. lib.* 1. *c.* 2. ſicut ejuſdem auriphrygium charitatem; *ibidem* decet etiam habere in medio ſui Crucem, *ex Fortunato lib.* 2. *ep.* 3.

(u) *Collocetur Crux*, &c, *Ordo Rom.* habet Benedictionem Crucis, Meminit Crucis aureæ in Altari *Beda lib.* 2. *Hiſtor. Angl. c,* 20. & *Baron. Anno* 878. *n.* 43. *Innoc.* III. *lib.* 2. *c.* 21. qui dicit collocari Crucem in medio candelabrorum, quæ ſaltem ſint duo, quia Chriſtus per Crucem fecit utraque unum, *Epheſ.* 2. negat autem eſſe de præcepto *Suarez*, Crucem in Altari locandam in Miſſa, *diſp.* 61. *diſt.* 6.

Crux certe in Altari eſt tamquam ſignum Regis in regia; ut Paſſionis memoriale, & ut veſtigia Crucifixi ſequamur. *Gemma lib,* 1. *c,* 135, *ideo in Cærem. Epiſc, lib,* 2. *c.* 12. monemur, ut locemus Crucem, & cum imagine Crucifixi, & in Altaris medio prealtam; ita ut pes Crucis æquet altitudinem candelabrorum; & Crux ipſa tota candelabris ſupereemineat, Myſtica ratio eſt; quia Chriſtus etiam in Cruce major eſt ſuper omnes Populos ſignificatos in candelabris,

Illud hoc loco quæri debet: an in Altari, in quo continue in Tabernaculo immobili clauſum Sanctiſſimum aſſervatur Sacramentum, collocanda ſit Crux cum Crucifixo in medio Altaris ante ipſum Tabernaculum? Cui quæſtioni Romæ ſæpe agitatæ, ut reſpondeam, præmitto, *cum Cærem. Epiſc. lib.* [illegible] *cap.* 12. maxime decere, ut ibi Miſſæ non celebrentur; quod antiquitus obſervatum eſſe teſtatur; & loquitur ibi etiam de Miſſis Planis, Vide textum, & attente lege; quo caſu, ſi Crux eo non ſit, non eſt contra Rubricam hanc, quæ expreſſe loquitur de Altari in quo Miſſæ Sacrificium faciendum eſt. Si vero ibidem ſit celebrandum, quod non prohibetur abſolute *in Cæremon. loc. cit.* & non negat Miſſale *infra tit,* 2. *n.* 2. & *tit.* [illegible] *numer.* 6. tunc eſt affirmandum, collocandam eſſe Crucem in hoc Altari. Primo, quia hæc Rubrica loquitur indefinite de Altari, ubi facienda eſt Miſſa, ut Sacerdos actu ſibi revocet in memoriam Paſſionem Chriſti; quæ memoria magis ex Crucis aſpectu, quam ex ipſa Euchariſtia excitatur. Statutum enim ideo eſt a SS. PP. *ait Bonavent. de Myſt. Miſſæ*, ne quiſquam in aliquo loco Miſſam celebret, niſi ibi imago poſita ſit Crucifixi. Deinde non incongruit; figuram cum figurata adeſſe ſimul; quæ eſt potiſſima ratio Adverſariorum: nam facta Conſecratione Hoſtiæ remanet Crucifixi imago in eadem Hoſtia ſimul cum Corpore Chriſti, & toto Chriſto. Tertio, in Miſſa Solemni ad hoc Altare celebrata jubetur Sacerdos, *infra tit.* 4. *n.* 6. genuflectere ob Sacramentum latens in Turri, ſed Tabernaculo, antequam incipiat incenſationem, quam certe proſequetur ille, *ut in eod. tit. num.* 4. nimirum ter incenſando Crucem, nam alioquin remota Cruce, quid incenſabit in medio? non Crucem, quæ non eſſet ex ſuppoſitione: neque Sacramentum, quod latet; cui quidem genuflectimus, ut illud adoremus; ſed illud incenſare (Romano more) non ſolemus niſi pateat aperte. Quarto, uſus multarum Eccleſiarum Orbis inſigniorum eſt, ut ante prædictam Turrim, ſeu Tabernaculum immobile, collocetur Crux in medio, Romæ non eſt una, vel altera, in eo Altari, ubi diſtribuitur Populo Sacra Synaxis; quia indicare volunt ibidem non celebrari debere juxta monitionem ſupra allatam, *ex Cærem. Epiſc.* Quinto, in oſtiolo Tabernaculi immobilis ſolet etiam pingi imago Chriſti in Cruce, vel ſedentis in Sepulcro: cur igitur potius depicta in oſtio Tabernaculi, quam ſeparatim in Cruce ante oſtium? Sexto, in Proceſſione SS. Sacramenti ante illud præcedit Crux cum Crucifixo: quæ ergo major eſt ratio in Proceſſione, quam in Altari? & præſertim cum in dicta Proceſſione Sacramentum pateat; in Altari lateat in Tabernaculo clauſum. Hanc quæſtionem concludat Synodus Turonica ſecunda ſub Pelagio Primo *Can.* 3. quæ definit, quod Corpus Domini in Altari ſub Crucis titulo, non in armario (*legit Pamellius in Liturgiis, non in imaginario ordine*) componatur, hoc eſt, ad baſim Crucis in medio Altaris erectæ, ut explicat *Durand. l.* 1. *de Rit. c.* 16. ſeu in meditullio Altaris ſub Cruce; ut declarat *Baronius tom.* 7. *Anno* 570. quod hodie Romæ cernitur in Capella Sixtina S. Mariæ Majoris, & S. Carolus juſſit *in Concil. Provinciali* 3. *Inſtruct. ſupel. Eccleſ. lib.* 2.

Quæritur præterea, an in Altari, cujus icon, ſeu tabula picta, ſeu ſtatua, eſt ipſamet Chriſti Crucifixi imago, debeat item collocari altera Crux cum imagine Crucifixi intra ipſa candelabra; Sed Rubrica noſtra abſque ulla limitatione inter candelabra Crucem præſcribit generaliter; & ratio favet, quia ob oculos Sacerdotis ea debet eſſe, tum ad orandum, tum ad eam incenſandam, tum ad Myſterium: *ex Innoc.* III. allatum ſupra, de Chriſto mediatore utriuſque Populi.

(x) *Et candelabra ſaltem duo*, Idem *Innoc, ibid.* quibus ſignificantur Populi, præſertim Judaicus, & Gentiles. De candelabris *S. Clemens Epiſt.* 2. *ad Jacobum*, & *Athanaſ. Epiſt. ad Orthodoxos.* Melchiad. Papa Decreto ſtabilivit hunc Ritum, *apud Burchar, lib.* 5. *c.* 7.

* Ait Rubrica: ſaltem duo, quia in Solemnioribus Miſſis regulariter ſex in recta linea debent adhiberi; quod conjicitur ex trina hic inde Altaris incenſatione, prout (*ait Rubr, part.* 2. *tit.* 4. *n.* 4.) diſtribuuntur candelabra: quatuor etiam in minus Solemnibus adhiberi ſolent pro dignitate Miſſarum; ſed & plura quam ſex poni poſſunt, *ex tit.* 4. *part.* 2. *n.* 5. Myſticas rationes duorum luminum recenſet *Tobias noſter de S. Templis par.* 1. *c.* 62.

(y) *Cum candelis accenſis.* Sub Teleſphoro lumina fuiſſe ad Miſſam adhibita, ſcribit *Auctor Breviarii Chronol. Tertull. meminit adverſus Valentinianos c.* 2. & 3. puto, ad literam, quia in cryptis fiebat Miſſa. De his *in cap, Literas, de Celebrat. Miſſ. ex Honor.* III. Ordo item Roman. requirit lumen in Miſſa, in typum illius luminis, cujus Sacramenta conficimus; ſine quo & in meridie palpabimus, ut in nocte. *Micrel. c.* 11. lumen hoc ſignificat etiam fidem Populorum, quos, ut diximus, denotant candelabra, *Innoc.* III. *ubi ſupra*, vel charitatem Chriſti in Sacrificio, *ex Auguſtino ſerm.* 215. *de tempore.* vel quia Chriſtus, ut ignis, rubiginem peccatorum conſumit, *Biel, lect.* 13. vel quia expectamus ſponſum cum lumine, *ex Hieron. epiſt.* 20. vel ad devotionem excitandam, *Sot.* 4. *diſt.* 13. *qu.* 2. *art.* 4. vel ad lætitiam, quam Sacramentum indicat æternam, *Gemma lib.* 1. *c.* 118.

An ſufficiat unicum lumen? Concedit in neceſſitate *Azor. lib.* 20. *c.* 8. *quæſt.* 5. & ex cera debet eſſe: unde dicti fuere Ceroferarii; cereorumque mentionem eſt apud SS. Patres, & *præſertim indicat S. Athan. epiſtola ad Orthodoxos cum Prudentio in Hymno de S. Laurentio*,

An

An verò poſſit adhiberi ſebaceum ex ſevo? negat *Suarez diſp.* 81. *ſect.* 6. concedit in neceſſitate *Azor. loc. cit.* Cave tu a numero candelarum ſuperſtitioſo, contra quem *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. & * numero ambitioſo: nam in Miſſis Privatis, niſi aliud exigat ratio Feſti, accendere quatuor candelas in Altari, non convenire Vicariis Generalibus, licet ſint Protonotarii, ſicuti nec iiſdem miniſtrari a duobus Capellanis decrevit S. R. C. die 7. Auguſti 1627.

(a) *Tabella Secretarum*. Ad majorem commoditatem hæc præſcribitur; ſicut etiam commodius eſt paraſſe in cornu Evangelii tabellam, in qua legi poſſit Evangelium S. Joannis, *In principio*, quod in tabella Secretarum ſcribi, ſeu imprimi ſolet; aliqui adhuc commodius parant ante Miſſam in cornu Epiſtolæ tabellulam aliam, in qua legitur Pſalm. *Lavabo inter innocentes &c.*

(a) *Cuſſinus*. De quo *Ord. Rom.* & pulvinar appellat, rationem addit *Innoc.* III. *lib.* 2. *c.* 41. deſignatur, ait, in eo miniſtranda eſſe temporalia prædicanti verbum Dei: eſt enim ad quietem. *Hug. vero lib.* 2. *cap.* 20. ſignificare docet cor tenerum audientis, & prædicantis Verbum Dei, quod continetur in Miſſali: non lapideum, ut Judæorum.

(b) *Paretur cereus*. Forte ad hunc uſum deſerviebant canthari ceroſtati. *Apud Clem. Ep.* 2. *& Damaſ. in Sylveſtro*; & hic ideo jubetur poni in parte Epiſtolæ, quia miniſter in eadem parte genuflexus reperitur paulo ante Conſecrationem. Verum ratione Feſti ſolemnioris poterunt etiam accendi duo cerei ad elevationem in utraque parte, ad excitandam magis circumſtantium Fidem, quæ lumen eſt. In cornu vero Epiſtolæ regulariter accenditur, quia legem antiquam refert, lumen, inquam, obſcurum, & ſub cortice figuratum antiqui Teſtamenti latens, tum Agni Paſchalis, tum Mannæ, & ejuſmodi, ſi addatur alter in cornu Evangelii, deſignabit Fidem clariorem, tempore Evangelii: & ideo congrue in Feſtis Solemnioribus accenditur. In ſignum denique adorationis accenduntur cerei, *Hieron. ep.* 20. *ad Marcellam*.

(c) *Parva campanula*. Tintinnabulum & cloca ſunt idem, *Durand. lib.* 1. *de Rit. c.* 22. ex tinitu tin tin dicitur tintinnabulum, *ex Hieronymo Magia de tintinn. c.* 1. qui & petaſum, id eſt, ad formam galeri, & nolam, & ſodonem, & campanam vult eſſe unum & idem. Campanæ nomen habetur *apud S. Hieron. in regul. Sanctimon.* unde patet; Ritum antiquiorem eſſe Sabiniano Papa. Ad excitandos circumſtantes, ad lætitiam exprimendam, & ad cultum Sanctiſſimi Sacramenti adhibetur campanula: fuſius *Amalarius lib.* 3. *c.* 1. *& Rupert. lib.* 1. *cap.* 16. Sabinianus Papa dicitur ſtatuiſſe pulſationem campanæ ad Horas Canonicas, *Durand. lib.* 1. *c.* 4. nam ligna pulſabantur pro campanis, in Sæculo, quo vixit Sanctus Anaſtaſius Perſa Martyr circa Annos 610. *ex ſeptima Synodo Act.* 4. apud Cæſaream in delatione Reliquiarum ejuſdem Sancti Anaſtaſii. Vulgo fertur, Paulinum Nolanum Epiſcopum Nolarum, id eſt, campanarum uſum in Eccleſiam invexiſſe, hoc eſt, ad rem Sacram: nam Gentiles ante Chriſtum iis uſi ſunt, *ex Angelo Rocca de campanis*: cui placet, auctorem dici Sanctum Paulinum coævum Sancto Hieronymo: ideo à civitate Nolæ, & regione Campaniæ dictas fuiſſe nolas, & campanas: eadem docet *Polidor. Virgil. de invent. lib.* 3. *c.* 18. Meminit Benedictionis campanarum *Alcuinus*, *& Baron. ſcribit* de Joann. XIII. campanam benedicente, Anno 968. *lege eundem ad Annum* 615. *tom.* 8. meminit campanarum in Cœna Domini *Ordo Rom.* Cæterum miſericordiam Dei annuntiant campanæ, ut olim Hebræorum tubæ clangentes: *Et erit recordatio veſtri coram Domino*, *Num.* 10. unde & eos, qui campanas pulſant, Sacris vult ſuperpelliceis indui *Concil. Colonienſe part.* 3. *c.* 31.

(d) *Ampullæ vitreæ*. *Ordo Rom.* vocat amulas; nam amula eſt vas, in quo vinum offertur. *Durand. lib.* 1. *c.* 7. Alii cum aſpiratione hamulam dicunt, ab hamis, de quibus etiam *Damaſus in vita Sancti Marci Papæ*, *& Anaſtaſ. in Sylveſtro*, quæ erant argenteæ: * erant quidem argenteæ; nunc autem vitreæ jubentur in Rubrica, ne contingat error in Calice, ob denſiorem materiam hamularum, qua difficile vinum dignoſcitur ab aqua. Sunt autem hamæ vaſa aquaria rotundioris formæ, & ventris globoſioris *apud Turnebum lib.* 19. *adverſariorum c.* 23. *ex Plinio*. Vides hic amulas ad uſum vini & aquæ? ampullas appellamus quaſi parum amplas; *Walafr. cap.* 54. urceus dixit *Clemens Epiſt.* 2. * urceolos *Conc. Carthag.* 4. *c.* 6. gemelliones *Ordo Romanus qualiter Miſſa celebretur*; ut explicat *Panvin. interpret. vocum obſcurarum*. Amula tamen propria vini eſt, ſcyphus aquæ. *Iſidor. lib.* 2. *de Off. c.* 10.

(e) *Et manutergia*. Vocis, & rei mentio in *Concilio Carthaginenſi* 4. *c.* 5. *& apud Iſidor. loc. cit.* Rubrica deſignat locum manutergio, non ſupra Calicem, quod minus decet.

(f) *Nihil omnino ponatur*. Non birretum Sacerdotis, ſive in principio, ſive in fine Miſſæ, quod valde indecens eſt, neque ſudariolum ad emungendas nares, quod potius ſub planeta, vel a cingulo pendens ad dexteram portandum erit: neque almutia celebrantis Canonici, ut videatur Canonicus; quæ omnia ad Sacrificium non ſpectant, neque ad ornatum Altaris.

Illud monendi ſunt hoc loco Sacerdotes, cum de Altari ſit ſermo, quod ubi celebravit Epiſcopus proprius in ſua Diœceſi, ea die ne ibidem faciant Miſſam ſine ejuſdem Epiſcopi licentia; quæ tacita ſufficit, quando neceſſitas urget, ne perdant ſcilicet aliqui Miſſam: vel ſi conſecrandæ ſint Hoſtiæ pro infirmis, *ex Homobono noſtro tract.* 4. *q.* 139. *& aliis*, *quos citat*, non autem ex vi legis *de Conſecr. diſt.* 2. *cap. In Altari*: quia ibi loquitur textus de Miſſa Cantata ab Epiſcopo; ſed tum *ex Decreto Concilii Antiſſiodorenſis*, *c.* 10. ubi apertiſſime hoc jubetur, ut non celebretur ibidem poſt Miſſam Privatam Epiſcopi; tum ex bona conſuetudine legum interprete, tum ex doctrina *Angel. Sylveſtri*, *Tabien. & Armil. verbo Altare*; tum ex ratione Gloſſæ ob honorem, inquit, qui Epiſcopo debetur. Alicubi abrogatum eſſe hanc conſuetudinem, tradit *Azor. lib.* 10. *cap.* 27. *quæſt.* 10. ſed nos, ea, qua decet reverentia, retineamus.

A fortiori ubique abſtinendum erit a celebratione Miſſæ, ubi Papa eo die celebravit; cujus propria Diœceſis eſt totus Orbis. * Idem fiat cum Legato a latere intra fines ſuæ legationis; cujus rei cauſa ex prædictis patet.

Sciendum quoque eſt, in Altari privati Oratorii, cui conceditur ex privilegio Apoſtolico celebratio Miſſæ (exceptis Solemnioribus Feſtis) non poſſe in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, Pentecoſte, Annuntiatione, Aſſumptione Beatæ Virginis, Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, ex Decreto Sac. Rituum Congregationis. 17. *Novembris* 1607. quo declaratur magis Decretum *Concilii Agathen. c.* 21. *de Conſecrat. diſt.* 1. *Si quis*.

* Ordinarii locorum optant addi prædicto Feſtorum numero Feſtum Patroni principalis loci, quod eſt primæ Claſſis, & præcipui cultus in proprio loco, & meo judicio eſſet addendum ab ipſiſmet privilegiatis abſque novo Decreto in gratiam proprii Patroni principalis. Nomine Paſchatis, & Pentecoſtes, dies prima dumtaxat intelligitur, ex communi ſenſu, uſu Romano, & modo loquendi, & ex DD. in materia de Interdicto *Sylveſt. v. Interdictum*, 5. *quæſt.* 2. quare Feriæ ſequentes non ſunt exceptæ, licet ſint ſolemniora Faſta, quæ excludunt alia Solemnia, etiam primæ Claſſis: multo minus excluduntur alii dies infra Octavas: de qua, re dubitavere nonnulli, ea moti ratione, quia Octava reputatur dies unus a Radulpho Tungrenſi; quæ ratio non valet in omnibus.

In iis item Oratoriis, quæ ſeparata ſunt a domibus in agro, prope domos privatas, ſicut poteſt Epiſcopus celebrationem Miſſæ concedere; ita maxime decet, ut ea moderatione concedatur, qua fiat unica tantum Miſſa ibidem in die, & ad commoditatem certæ familiæ, nec in die Feſto, niſi celebrata Miſſa Parochiali; quæ leges Bononiæ, & alibi ritè obſervantur.

Addam in gratiam Regularium, quod in Oratoriis, quæ ſunt in domibus Religioſorum privilegia Societatis Jeſu participantium, juxta conceſſionem Gregorii XIII. ſi ea deputentur ad Miſſam celebrandam a Provinciali, poterunt ibidem Sacerdotes alii non Regulares celebrare. *Scortia cap.* 13. *lib.* 2.

Nunquam in Mari, neque in flumine celebrari debet, ob periculum effuſionis Calicis; & eſt communis *contra Durand. lib.* 4. *cap.* 1. neque enim imitandi ſunt Luſitani, quos defendit *Scortia loc. cit. n.* 5. exemplis hiſtoricis, quæ potius admirationem habent, quam poſtulent imitationem.

Denique nihil refert, quo nomine vocentur, Oraculum, Cellula, Capella: nam Oraculum vocat *Anaſt. in Leone IV.* Cellulam *Georgius Codinus in Conſtantinop. apud Bellingerum lib.* 3. *cap.* 31. Capella fuit apud antiquos pias domus itineraria ex pellibus caparum fabricata, & a pellibus his Capellas, earumque Cuſtodes Capellanos vocitabant. *Gemmæ vero lib.* 1. *cap.* 228. deducit Capellam a capeo, quod ſignificat domum, ad quam confluunt pauperes pro recipienda eleemoſyna; quod vere congruit Capellæ Eccleſiaſticæ, in qua velut mendici oramus Deum. Addit *Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 9. idem eſſe in Gallia apud ruſticos cappam, & tugurium, quam Itali cappannam dicunt: & forte inde duplici pp, dicta eſt Cappellam, quaſi ſit tugurium Deo minus dignum, *Baron. in notis Martyrol. ad diem* 11. *Junii* docet, cappellam, & cubiculum, de quo *Matth.* 6. *Intra cubiculum tuum*, *& ara*, eſſe idem; Cubiculariosque SS. Petri, & Pauli a S. Leone conſtitutos; *ut dicitur in Breviario Romano*, fuiſſe Capellanos: notat etiam Oratorium, & Sacellum, minus tamen proprie, idem ſignificare: recentius autem Oratorium, quam Cubiculum appellatum eſſe; & Sacellum, quam Oratorium.

HActenus de Altari, & ornamentis, & uſu ejuſdem juxta Rubricam Miſſalis, quæ neceſſaria ad Miſſam celebrandam comprehendit, & ut ita dicam, ſubſtantialia: accedant alia; quæ hoc loco tacere non debemus.

Nam umbraculum, ſeu baldachinum ſuper Altare appendi convenit forma quadrata, colore ubi commode fieri poſſit, conformi colori cæterorum paramentorum, pro temporum, ac Celebritatum varietate: quod ſi Ciborium adſit ſuper Altare ex lapide confectum, umbraculum omitti poteſt. Hæc *in Cæremon. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 12.

Tabernaculum, in quo aſſidue Diviniſſima ſervatur Euchariſtia, conopæo ſerico; vel ſimilis materiæ veſtiri debet, ejus item coloris, cujus eſt Altaris pallium: quamquam pro colore nigro, violaceus congruentior erit in honorem Chriſti

viventis, quod probabimus *infra 3. part. tit. de Feria quinta in Cœna Domini.*

Vaſa quoque Sacrarum Reliquiarum exponi ſolent hinc inde, vel inter candelabra, *ut Cæremon. Epiſcop. loc. cit.* vel in gradu ſuperiori. Qua in re cavendum illud erit, ne unquam ſupra locum Sacramenti, præſertim ſi exponatur Populo pro Oratione publica, ea vaſa collocentur: decet enim ſedere Dominum in altiori loco ſupra ſervos ſuos; ſicut diximus de Cruce prælata ſuper ipſa candelabra.

In Feſtis ſolemnioribus plura candelabra debent apponi; non tamen ut ultra ſex in linea recta, etiam in Miſſa Solemni, non Pontificali; quæ neque omnino æqualia erunt, ſed ab utroque Altaris latere ſurgent, ita ut ex eis altiora ſint immediate prope Crucem. In Feſtis autem minus Solemnibus pauciora, ſaltem quatuor apponenda forent, ut ſupra diximus.

Floribus item, & exquiſitis quibuſdam ramulis apte, & concinne diſpoſitis, ſeu veris, ſeu fictis pro temporum varietate, ſive in vaſculis elegantibus, ſive alia ratione ornari poterunt Altaria, exemplo Nepotiani, quem hac de re perhonorifice S. Hieronymus commendat.

Gradus Altarium veſtiri poterunt tapetibus, & præſertim ſuppedaneum illud, quod proximum eſt Altari, ſuper omnes gradus: in eoque arcula apponi poſſet ad ſputum excipiendum a latere Evangelii, ne fœdetur ſuppedaneum tapeteve, aut pavimentum circum Altare.

Lampadem ardere ante unumquodque Altare, plures ante Altare majus, ſuadet auctoritas *Cæremonial. Epiſc. loc. cit.*

Telis ſtragulis Altaria contegi decet, finitis Miſſis, & ante Miſſas, detractis ſtragulis, mappæ ipſæ detegendæ forent ſcopulis ad id tantum paratis, ut mundiſſimæ ſemper appareant. Ita S. Carolus in Regulis, & Inſtructionibus de nitore, & munditia Eccleſiarum; quas ad verbum compoſitas a Carolo a Baſilica Petri præpoſito tunc Generali noſtro, & ad uſum Congregationis noſtræ editas, tranſtulit Sanctus, ac pius vir in acta Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis, ad totius Eccleſiæ utilitatem, & ſplendorem.

Denique ſepimento Altaria munda conſervantur, quo arceantur & laici, ne Altaribus inhæreant indecore. Alia, quæ ad nitorem, & munditiam totius ſupellectilis prædictæ ad Altaris uſum ſpectant, dabimus infra, & debitas cujuſque rei menſuras. Atque hic eſto finis Rubricarum Primæ Partis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

I. Rubr. & Gavant. lit. m. -- *Altare.*) Cum nulla unquam fuerit ſine Sacrificio Religio, nec ullum ſine Altari Sacrificium, neceſſe eſt a Religionis noſtræ primordiis fuerint Altaria in Eccleſia, cum in ea omnium maximum offeratur Sacrificium: & quamvis Hæretici veritatem Eucharistici Sacrificii negantes, inficientur Aras etiam antiquitus extitiſſe; nihilominus tot ſunt in Sanctis P. teſtimonia in illius rei confirmationem, ut cæcutire omnino videantur, qui contrarium aſſerere non dubitarunt. Hinc nonnulli ex Heterodoxis tot PP. auctoritate convicti, candide faſſi ſunt, Eccleſiam primis Sæculis ſuas Aras habuiſſe, in quibus Deo Sacrificium offerret. Et quidem nonnulla de Altarium in Chriſtiana Eccleſia origine, materia, forma, Conſecratione, Ritu, &c. erudite ſcripta ſunt a Gothofredo Voigio in libro poſthumo, & primum in lucem edito a Joanne Alberto Fabricio, typis Spieringianis, Anno 1709.

Cujus materiæ fuerint Altaria primis Eccleſiæ Sæculis, an ex ligno confecta, vel lapide, adhuc incertum eſt. Communis fert eruditorum opinio primis Eccleſiæ temporibus Altaria fuiſſe lignea. Profecto Chriſtus Dominus in vulgari, ac lignea menſa incruente ſe ipſum Patri obtulit in Sacrificium; & Apoſtolos etiam Chriſti exemplo in Aris ligneis conſecraſſe perſuadere videtur & naſcentis Eccleſiæ ſimplicitas, & neceſſitas transferendi Altaria propter ingruentes perſecutiones. Servatur etiam nunc Romæ in Baſilica Lateranenſi Altare ligneum, in quo Divus Petrus, & reliqui Pontifices uſque ad Sylveſtrum, incruentum Deo Sacrificium obtuliſſe dicuntur, ſicut & aliud in Eccleſia non Sanctæ Praxedis, ut ſcripſit Florentinus in Exercitatione ad diem primum Auguſti, ſed in Eccleſia Sanctæ Pudentianæ, ut tradidit clariſſimus Præſul Franciſcus Blanchinus in ſuis notis Anaſtaſianis ad Pium I, Summum Pontificem; necnon Arringhius in Roma Subterranea *lib. 5. cap. 43. n. 9.* & Mabillonius in Muſæo Italico *tom. 1, pag. 60.* fuſius vero de hoc ligneo Altari in Tit. S. Pudentianæ aſſervato, ſcripſit D. Carolus Maria de Era in ſuis Vindiciis, nondum evulgatis, veterum monumentorum prædicti Tituli, ſeu Eccleſiæ *lib. 2. cap. 3.* Cæterum nobis arridet Cardinal. Bonæ opinio ſtatuentis antiquiſſimis illis temporibus tam ligneas, quam lapideas Aras uſitatas fuiſſe, prout rerum, locorumque opportunitas ferebat; quamvis ligneorum Altarium uſus expeditior videretur, quia facilius de loco in locum transferri poterant. Reddita Eccleſiæ pace frequentiores fuerunt Aræ lapideæ, & nonnulli, quos inter Gavantus ipſe hoc titulo litera n, a Sylveſtro PP. ſancitum exiſtimant, ut Altaria lapidea eſſent, neque liceret alicui Miſſam in Ara lignea celebrare; hujus tamen Decreti veritatem in Dubium revocant Bona *lib. 1. cap. 20. n. 1.* & Martene *lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus c. 3. art. 6. n. 4.* cum nullum hujus Decreti Sylveſtro ſuppoſiti in antiquis Scriptoribus veſtigium appareat: & revera poſt Sylveſtrum etiam in multis Eccleſiis Altaria ex ligno conficiebantur; ut pluribus oſtendit Martene loco laudato. Quidquid autem ſit de Sylveſtri Decreto, certum eſt antiquiſſimum eſſe morem celebrandi in Ara lapidea; ut innuimus ſupra, & hic addimus Concilium Epaunenſe, Anno 9. Sæculi ſexti celebratum ſtatuiſſe, ut Altaria niſi lapidea Chriſmatis unctione non conſecrentur, qui Canon legi poterit in *tomo* 10. Conciliorum edit. Pariſienſis *fol. 645.* Idem Canon reperitur etiam in Gratiani Decreto *part. 3. diſtinct. 1.* ubi legitur: *Altaria ſi non fuerint lapidea, Chriſmatis unctione non conſecrentur.* In Capitularibus Caroli Magni quoque, ſancitum legitur: *Non conſecranda Altaria niſi lapidea, appendice 1. cap. 1.* & habetur etiam *tom. 2.* Conciliorum edit. Pariſienſis *fol.* 301. Rationem cur ex lapide facta ſint Altaria ſuppeditat Simeon Theſſalonicenſis de Templo apud Bevereg. not. pandect. Can. Nimirum: *Ex lapide autem eſt Altare, quia Chriſtum refert, qui etiam Petra nominatur, tamquam fundamentum noſtrum, & caput anguli, & lapis angularis; & quia Petra, quæ olim Iſraelem pavit, hujus menſæ imago fuit.* Laudati Simeonis liber extat *in tom.* 22. magnæ Bibliothecæ PP. edit. Lugdunenſ. Aniſſonianæ, anno *1667.* Cæterum prædictam conſuetudinem, & inſtitutionem celebrandi in Ara lapidea in præceptum profecto tranſiit; cum nonniſi in Altari conſecrato Sacrificium peragi liceat. Lubet hoc loco aliqua addere de Altaribus metallicis: priſci enim Chriſtiani non ſolum de ligno, lapideve, ſed etiam de metallo curabant Altaria facere: ita Pulcheria Arcadii filia, Theodoſii ſoror, aureum, & pretioſum dedicavit Altare in Eccleſia Conſtantinopolitana; ut refert Sozomenus *Hiſtor. Eccleſ. lib. 9. cap. 1.* ubi legitur, quod ex auro, gemmiſque pretioſis admirabile quoddam donarium, & ſpectaculum omnium pulcherrimum pro virginitate ſua, & Imperio Fratris, Sacram Menſam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dedicavit. Romani etiam Pontifices, aliique idem metallum ad Altaria adhibuerunt; hinc illud portatile in Eccleſia Ratiſponenſi ad Sanctum Emerannum pondo marcarum auri ſeptem, & ſexaginta, Henrici IV. tempore extructum. Non deſunt qui putant, quod fuerint laminæ aureæ in modum Altarium ita fabrefactæ, ut ipſa Altaria lapidea, vel lignea iis, ceu veſte, circumdarentur. Id autem non obſcure ſignificat Anaſtaſius, ſeu alius auctor libri Pontificalis in Vita Hadriani I. qui Sæculo octavo vixit, & quæ inſerta reperitur *tom.* 18. Conciliorum edit. Pariſienſis *fol.* 36. his verbis: *In Baſilica Sanctæ Dei Genitricis, quæ eſt ad Præſepe, in Altari ipſius Præſepis fecit laminas ex auro puriſſimo hiſtoriis depictis, penſantes ſimul libras centumquinque, &c.* Simile quid legitur in Vita ejuſdem Pontificis prædicto *tom.* Conciliorum *fol.* 38. *& fol.* 39. *& tom.* 20. *fol.* 192. de Leone III. Summo Pontifice in eodem libro Pontificali. Ex argento quoque reperio Altaria conſtructa; & hoc legitur in Vita Sixti III. Sæculo V, necnon in Vita Hilarii PP. eodem Sæculo.

Quod ſpectat ad formam Altarium, certum eſt ligneæ Arcæ ſimilitudinem habuiſſe: hujuſmodi enim eſt illud, quod Romæ cernitur in Æde S. Pudentianæ, ſicut & illud, quod S. Sylveſter in Lateranenſi Baſilica conſecravit. Lapidea vero cava erant, ut in illis ſervari poſſent Reliquiæ Sanctorum. Cætera, quæ ſpectant ad originem, materiam, & formam Altarium, legi poterunt apud laudatos Scriptores; ſicut & apud Bocquillot in ſua Hiſtoria de Liturgia Sacra, & Jo: Baptiſtam Thiers in opere ſingulari, quod de Altaribus ſcripſit.

II. Gav. lit. m -- *Non poteſt Epiſcopus deputare Oratoria in domo privata.*) Certiſſimum eſt, ut notat Gavantus, non habere Epiſcopos facultatem deputandi Oratoria, in quibus celebrentur Miſſæ in quacumque domo privata: ſoli enim Summo Pontifici competit hæc auctoritas concedendi licentiam celebrandi in privatis Oratoriis, ut per literas circulares ſingulis Epiſcopis ſignificavit Congregatio Concilii juſſu Pauli V. apud Clericatum de Sacrificio Miſſæ *deciſ. 12. ſub n. 59.* & refert etiam Paſqualigas *de Sacrif. novæ Legis tom. 1. quæſt.* 447. *n. 3.* Nomine autem Oratorii privati venit illud, quod in particulari domo inſervit uſui privato, nullamque habet portam in via publica, ſive ingreſſum indifferentem omnibus permiſſum, ad differentiam Oratorii publici, quod debet ſemper habere oſtium in via publica; quæ quidem publica Oratoria ſolent etiam habere unicam campanulam. Ita Quarti *part. 3. ſect. 5. tit. 10. n. 1.*

In prædictis autem Oratoriis privatis, quamvis concedatur a Summis Pontificibus licentia Miſſam celebrandi; nihilominus in ſuis Diplomatibus Apoſtolicis nonnullæ continentur clauſulæ, & exceptiones, quæ perlegi poſſunt apud Paſqualigum, Tamburinum, La Croix, & alios, exemplaria talium Diplomatum referentes, & explicantes in ſuis tractatibus de Miſſæ Sacrificio. Præſertim vero hæ clauſulæ leguntur in Brevi Apoſtolico Innocentii X. ad cujus normam ejuſdem ſucceſſores ſolent tales facultates elargiri. Inter limitationes autem, & clauſulas expreſſas in præfatis Diplomatibus, habetur, quod in prædictis Oratoriis privatis poſſit qualibet die unica tantum Miſſa celebrari; & quod in diebus ſolemnioribus Paſchatis, Nativitatis Domini, &c. nulla poſſit dici Miſſa; ut notat Gavantus ſupra, & habetur pariter in Decretis S. R. Cong. ſpectantibus dicta Oratoria privata, quæ hinc exhibentur.

In privatis Oratoriis, & privilegiatis non poteſt celebrari Miſſa in Feſtis ſolemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania,

Feria

Feria 5. in Cœna Domini, Paſchate, Aſcenſione, Pentecoſte, Annunciatione, Aſſumptione B. M. V. Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum &c. S. R. C. 17. Novembris 1607. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 74.

Quamvis in hoc Decreto prohibeatur Miſſa in privatis Oratoriis diebus Paſchatis, & Pentecoſtes; notandum tamen eſt, quod nomine Paſchatis, & Pentecoſtes venit tantum prima dies; ut tradunt plures Doctores, quos refert, & ſequitur Doctiſſimus noſter P. Paſqualigus *de Sacrific. novæ Legis tom.* 1. *quæſt.* 639. *num.*2. Præterea adnotandum etiam eſt circa Feſtum Annunciationis B. Mariæ Virg. quod vigore prædicti Decreti intelligitur prohibita Miſſæ celebratio in Oratoriis privatis, etiam eo die, ad quem transfertur Annunciatio, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus; prout ſtatutum fuit in Decreto emanato 1690. 11. Februarii, & 11. Martii dato in noſtro Indice *ſub num.* 495. Deinde advertere debemus, quod in prædictis Oratoriis privatis neque poteſt celebrari Feria quinta in Cœna Domini; ut colligi poteſt ex Decreto emanato 1712. 15. Martii, & dato in noſtro Indice *ſub n.*620. & talis prohibitio intelligenda eſt etiam eo Anno, in quo in tali Feria quinta occurrit Feſtum Sancti Joſephi, vel Annunciationis; licet in dictis caſibus aliquæ permittantur Miſſæ Privatæ in Eccleſiis, & Oratoriis publicis; ut liquet ex Decretis emanatis 1692. 13. Septembris, & 1716. 12. Septembris. Denique neque celebrari Miſſa permittitur in prædictis Oratoriis in Sabbato Sancto; ut clare patet ex allegato Decreto emanato An. 1690. 11. Februarii, & 11. Martii.

Miſſæ plures non poſſunt celebrari in Capellis privatis nobilium. Ita Sacra Rituum Congregatio 13. Februarii 1667. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 428.

In Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licet Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis celebrare, ubi unica Miſſa, quæ in indulto conceditur celebrata fuerit; prout videre eſt etiam reliqua contenta in Decreto Apoſtolico emanato die 15. Decemb. 1703. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 579.

Sacra autem Concilii Congregatio die 30. Maji 1699. in Neapolitana ſtatuit, quod ſi regulares celebraverint Miſſas in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis, vel poſtquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica Miſſa in Apoſtolico indulto conceſſa, poteſt Epiſcopus in eos animadvertere, ſervata forma Concilii: refert hoc ſtatutum Monacellus in Formulario legali practico *part.* 1. *tit.* 6. *formula* 20. *ſub. num.* 21.

In privatis cubiculis Regularium prohibetur erectio Altaris, in quo Miſſa celebretur, ſub quocumque prætextu. Sacra Rituum Congregat. approbante etiam Innocentio XIII. 13. Maji 1623. & in noſtro Indice *ſub num.* 648.

Miſſæ Sacrificium peragi poteſt in publico Oratorio extra aliquod Oppidum conſtructo de licentia Epiſcopi in diebus ſolemnibus Anni, etiam contradicente Parocho pro commoditate villicorum circumhabitantium; dummodo habeat omnia requiſita ad Eccleſiam, vel ſaltem ad publicum Oratorium conſtituendum. S. R. C. 2. Sept. 1661. & in noſtro Indice ſub *n.* 329.

III. Gav. ead. lit. m -- *Non tamen intelligitur domus privata Epiſcopi.*) Quamvis Epiſcopi in propria domo privata poſſint habere Oratorium, in quo celebretur quotidie Sacrificium Euchariſticum; nihilominus extra domum propriæ habitationis non licere Epiſcopis in domibus laicis erigere Altare, ſtatuit Clemens XI. ut habetur in Decreto a nobis dato ſub *n.* 578. Verum prædictum Decretum, ad Epiſcopos quod attinet, moderatum fuit ab Innocentio XIII. die 3. Maji 1723. in ſua Conſtitutione edita ſuper Eccleſiaſtica diſciplina in Regnis Hiſpaniarum ſub *n.* 23. prædicta autem Conſtitutio incipit his verbis: *Apoſtolici Miniſterii*, *&c.* Eandem moderationem quoad Epiſcopos confirmavit Benedictus XIII. die 17. Septembris 1724. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *In ſupremo Militantis Eccleſiæ*: & rurſus in Synodo Romana habita An. 1725. *tit.* 15. *cap.* 3. ubi iterum referuntur præciſa verba Innocentii XIII. quæ dantur etiam in noſtro Indice ſub *num.* 649.

IV. Gav. ead. lit. n -- *Miſſa non fiat, niſi in Altari.*) Certiſſimum eſt Sacrificium Euchariſticum peragi non poſſe, niſi in Altari ſive fixo, ſive portatili, & ab Epiſcopo conſecrato. Dubitatur tamen, utrum in caſu neceſſitatis, v. g. deferendi Viaticum infirmo, poſſit Miſſa celebrari extra Altare conſecratum. Quarti *part.* 3. *tit.* 20. *dub.* 7. ſuſtinet nunquam licere abſque Altari conſecrato celebrare, niſi adeſſet periculum vitæ, vel infamiæ; dummodo tamen metus non eſſet incuſſus in contemptum Religionis, ſed ſolum ob alium finem indifferentem; cui ſententiæ adhæret etiam Biſſus *lit. A. n.* 243. §. 6.

Hujuſmodi Altaria, in quibus offertur quotidie Euchariſtica Victima, debent eſſe munda; ideoque laudabile erit bis ſaltem in Anno ea, finitis Miſſis, ſpoliare, & ſcopis reverenter undequaque mundare: id etiam fieri debet quotieſcumque mutantur mappæ; & ut facilius mundæ cuſtodiantur, laudabile erit pannum lineum ceratum ad menſuram Altaris factum, ſuper ipſius menſam ſternere. Gerlacus Vinitor in ſuis adnotationibus ſuper hunc titulum *n.* 7. qui hoc eruit ex Actis Eccleſiæ Mediolanenſis *part.* 4. *cap.* 14. *tit. de menſa, Altari, & tela cerata.*

Ut Altaris mappæ mundæ ab omni pulvere, cera, aliave ſorde conſerventur, finitis Miſſis contegantur tela viridi, aut aliis ſtragulis: prius vero leviter puriſſima ſcopula ejus generis, quod pro veſtimentis adhibetur, purgentur; & idem fiat quando mane eadem Altaria deteguntur, ut ſemper mundiſſima appareant. Gerlacus Vinitor §. 11. cum Gavanto ſupra, & ex Actis Eccleſiæ Mediolanenſis.

V. Gav. lit. o -- *Ara lapidea, &c.*) Communis eſt ſententia Doctorum aram Altaris, ſuper qua peragitur Sacrificium, debere eſſe lapideam; nec poſſe conſtare duobus lapidibus adunatis, quia alioquin in duobus Altaribus fieret Conſecratio, in uno Hoſtiæ, in altero Calicis. Debet igitur lapis conſtituens aram eſſe unus, & integer, illiuſque extenſionis, quæ a Gavanto ſupra deſcribitur.

Decreta autem pertinentia ad hanc materiam Altarium fixorum, ſeu portatilium, hæc ſunt:

Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet non obſtante Conſtitutione Synodali; dummodo habeat ſolitum Reliquiarum repoſitorium. S. R. C. 10. Novembris 1612. & in noſtro Indice ſub *num.* 132.

Altare ligneum ſi quis voluerit ædificare in ſua Capella, non indiget facultate S. Rituum Congr. dummodo Altare ligneum cum Sacro lapide parieti colligatum amovibile non ſit, & altaris portatilis imaginem non præſeferat. Sac. Rituum Cong. 3. Decembris 1661. & in noſtro indice ſub *num.* 393.

Cancellos qui circumſtant Altaria Presbyteri tantum, & Clerici, ingrediantur; neque ullo modo ibi Sæculares, maxime dum divina Myſteria celebrantur admitti debent, idque ſæpe Patres admonent, & Apoſtolica Decreta præſcribunt; ut liquet in Concilio Romano *ſupracit. tit.* 28. *cap.* 4.

VI. Gav. lit u -- *Quæritur, an Altari, cujus icon, ſeu tabula, &c.*) Superior Rubrica præſcribit in Altari, ubi Sacrificium peragitur, ponendam eſſe Crucem inter candelabra: de qua late Gavantus in ſuis ſupra expoſitis Commentariis. Quærit autem hoc loco, utrum collocanda ſit talis Crux, quando in Altari eſt icon, ſeu tabula picta, ſeu ſtatua, ubi eſt Crucifixi imago: & reſolvit hoc non ſufficere; ſed adhuc juxta diſpoſitionem Rubricæ debere poni Crucem diſtinctam ab illam imagine. Nihilominus alii, quos refert Quarti *part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 10. in fine, ſentiunt, quod in prædicto caſu non requiritur Crux altera, ſeu diſtincta ab icone, ſeu imagine Crucifixi, ſi ſit in proſpectu, & ob oculos Sacerdotis: hac ducti ratione, quia quando Rubrica præſcribit ponendam eſſe Crucem inter candelabra, debet intelligi regulariter, quando icon Altaris non eſt tabula, ſeu ſtatua Crucifixi, cum habetur finis intentus a Rubrica per iconem, vel imaginem Crucifixi: quæ quidem ſententia propugnata, a Diana, Tamburino, Trimarchio, Griſolio, relatis a Quarti, quoad ſtatuam Crucifixi in Altari collocatam loco iconis, vel tabulæ, confirmata remanet per Decretum S. R. C. 4. Auguſti 1663. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 400. in quo habetur.

In Altari, in quo adeſt magna ſtatua Sanctiſſimi Crucifixi, non eſt neceſſe, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Miſſa.

Aliam quæſtionem proponit noſter Quarti loc. cit. nimirum, utrum ſufficienter adimpleatur diſpoſitio Rubricæ, ſi ponatur in Altari Crux nuda inter candelabra ſine imagine Crucifixi. Gavantus ſupra videtur requirere Crucem cum imagine Crucifixi, quod revera optimum conſilium eſt; ſed cum Rubrica nihil exprimat de imagine Crucifixi, videtur fieri ſatis diſpoſitioni, ſi ponatur ſola Crux ſine ulla imagine Crucifixi inter candelabra: & ita tenet etiam Biſſus *litt. A. num.* 284. §. 2. imo addit Quarti ſufficere prædictam Crucis imaginem in tabula, vel pariete depictam. Verum idem Quarti loquens de parva Cruce, quæ aliquando eſt in ſummitate Tabernaculi, in quo ſervatur, Sanctiſſimum Sacramentum, dicit hanc non ſufficere; quia non eſt ob oculos Sacerdotis celebrantis, neque apta fini, propter quem Crux adhibenda præſcribitur.

VII. Gravis etiam agitatur quæſtio inter Doctores: utrum in Altari, in quo eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum, debeat apponi aliqua parva Crux, quando in eodem Altari Miſſa celebratur. Gavantus *part.* 2. *tit.* 14. *n.* 6. ſententiam tenet negativam, non ex profeſſo, ſed obiter: nam loquendo de incenſatione Altaris quando eſt expoſitum SS. Sacramentum, ait: *Pro Cruce, quæ adeſſe non debet, incenſatur Sacramentum.* Gavanto adhærent Biſſus *lit. C. num.* 486. §. 1. Bauldry, & alii multi. Contrariam tamen ſententiam tuentur Paſqualigus *tom.* 5. de Sacrificio novæ Legis *quæſt.* 715. *n.* 1. ubi ait: *Neceſſaria eſt Crux pro obſervantia Rubricæ in Altari, ſive ibi conſervetur Euchariſtia, ſive non, ſive ibi ſit expoſita, ſive non.* Favet etiam huic ſententiæ Paulus Maria Quarti *part.* 2. *ſuorum Comment. in Miſſalis Rubricas tit.* 20. necnon Didacus Diaz de Eſcobar peritiſſimus Cæremoniarum Magiſter Metropolitanæ Hiſpalenſis Eccleſiæ in Directorio Divini Officii, quod ipſe evulgavit Anno 1683. Denique amplectuntur hanc ſententiam Henao *tom.* 2. *de Sacrif. Miſſæ diſput.* 25. *ſect.* 5. *nu.* 90. *&* 91. Oliverius Bonarcius *de Miſſæ Sacrif. lib.* 1. *cap.* 19. *a.* 3. Cæremoniale PP. Excalceatorum SS. Trinitatis *part.* 1. *cap.* 2. §. 2. *n.* 11. necnon Cæremoniale PP. S. M. de Mercede Redemptionis Captivorum *tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 6. a qua quidem ſententia recedere non poſſumus, quia hæc controverſia nunc eſt deciſa a S. R. C. quæ *die* 24. *Maji* 1707. *in una Senarum* ſtatuit, & declaravit, nunquam omittendam eſſe Crucem in Altari, etiam ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum; quod quidem Decretum datur in noſtro Indice ſub *n.* 604.

& eſt maxime commendandum, quia eſt conforme Rubricæ, quæ indefinite loquitur de Cruce apponenda ſupra Altari, ubi Sacrificium celebratur, nullam admittendo exceptionem; quando autem lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus; ſive igitur ſit expoſitum Sacramentum in Altari, ſive non, ſemper adeſſe debet Crux cum imagine Crucifixi.

Neque officit, quod ubi eſt figuratum, nempe Chriſtus Dominus realiter præſens ſub ſpeciebus Euchariſticis, non requiratur figura, nempe Crux cum imagine Crucifixi; nam figuratum eſt quidem præſens realiter ob oculos Fidei, & mentis; non vero ob oculos corporis: Rubrica autem præſcribit præſentiam figuræ, quæ ſit ob oculos corporis Sacerdotis celebrantis; ut facilius actus ſibi revocet in memoriam Paſſionis Chriſti, ejuſque cruentum Sacrificium; quæ quidem memoria, attenta infirmitate noſtrarum diſtractionum, magis ex Crucis ſenſibilis aſpectu, quam ex ipſa Hoſtia conſecrata excitatur; ut fatetur etiam Gavantus ſupra, ubi ſuſtinet requiri Crucem in Altari, ubi eſt reconditum SS. Sacramentum: & idcirco ſtatutum eſt a SS. PP. ut ait Divus Bonaventura *de Myſterio Miſſæ*, etiam a Gavanto relatus -- Ne quiſquam in aliquo loco Miſſam celebret, niſi ubi imago poſita ſit Crucifixi.

Rurſus neque incongruum eſt figuram cum figurato adeſſe ſimul: ut bene enim ponderat Quarti, nullum eſt inconveniens, ut ubi eſt perſona Principis, ibi ſint etiam ejus inſignia, & imago: axioma autem illud: *ubi eſt figuratum debet ceſſare figura*: intelligi debet, ut explicat idem Quarti, de Sacrificiis veteris legis, quæ erant figura Sacrificii Crucis, & Chriſti crucifixi, non vero de imagine Crucis, & Crucifixi, quia repræſentatur ipſa realis Crucifixio jam conſummata; quæ omnibus modis recolenda eſt, & memoriæ commendanda, dum celebratur idem Chriſti Sacrificium incruentum: alioquin poſt Conſecrationem jam peractam, oporteret removere Crucem ab Altari, ne ſimul cum figura eſſet præſens figuratum; & tamen etiam poſt Conſecrationem, juxta Rubricarum diſpoſitiones, requiritur Crux cum imagine Crucifixi in Altari, ubi Sacrificium peragitur: imo nullum eſt inconveniens, quod in eademmet Hoſtia conſecrata habeatur impreſſa imago Crucifixi.

Cæterum, utrum præfata Rubrica de apponenda Cruce ſupra Altari ſit præceptiva, & obliget ſub gravi, Averſa *de Sacrif. Miſſæ quæſt.* 11. *ſect.* 3. affirmativam tenet ſententiam, negativam alii amplectuntur quoad culpam peccati mortalis in omiſſione talis Crucis; ſed ad ſummum culpam venialem committi ab iis, qui non ſervant talem Ritum, communior ſententia ſuſtinet: de prædicto enim præcepto ſub mortali non conſtat neque ex jure, neque ex conſuetudine, quæ fuerit hoc animo introducta. Communiter tamen ita ſervatur, ait Anellus *lib.* 8. *cap.* 8. *dubio* 8. ex majori devotione, & ad Rubricæ directivæ, vel ad ſummum præceptivæ ſub levi culpa ſatisfaciendum. Hanc ſententiam tenet Div. Thomas *Quodlibeto* 9. *art.* 5. Suarez *diſput.* 81. *ſect.* 6. Vaſquez *diſput.* 233. *cap.* 3. De Lugo, Bonacina, & alii, quos citant, & ſequuntur Diana *part.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 28. & Quarti ſupra citatus *dubio* 10. & recentiſſime Raphael ab Heriſſonio in ſuo libro, cui titulus *Manuductio Sacerdotis*, &c. *tract.* 1. *ſect.* 5. *capite* 3.

Inſerenda hic ſunt duo ſequentia Decreta, utpote ſpectantia ad præſentem materiam.

Ante oſtiolum Tabernaculi Sanctiſſimi Sacramenti, in quo depicta eſt imago D. N. J. C. non eſt retinendum vas florum, vel quid ſimile; ſed poteſt collocari in humiliori, & decentiori loco. Sac. R. C. 22. Januarii 1701. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 555.

Cruces Altarium, ſeu Proceſſionum non ſunt benedicendæ de præcepto. S. R. C. 11. Julii 1704. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 584. Sententiam huic Decreto conformem amplectitur Pignatellus *tom.* 9. *conſult.* 89. ubi dicit imagines, quæ adhibentur in Templis poſſe, ſed non debere neceſſario benedici.

VIII. Gav. lit. y -- *Puto ad literam, quia in criptis fiebat Miſſa*, &c.) Cereorum uſum in Eccleſia fuiſſe etiam tempore perſecutionum, tot a noſtris Auctoribus probatum eſt argumentis, ut inſanire omnino videantur Hæretici, qui id in dubium revocare conati ſunt: unam hic S. Prudentii afferemus auctoritatem, quæ rem clariſſime demonſtrabit: itaque Chriſtianus ille Vates in Hymno, quem in honorem S. Laurentii compoſuit, ſic Tyrannum alloquentem inducit:

Hunc eſſe veſtris orgiis
Moremque, & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis
Libent, ut aureo Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare Sacrum Sanguinem;
Auroque nocturnis Sacris
Adſtare fixos cereos.

Ridiculum autem foret alios hic intelligere cereos, quam qui in celebratione Myſteriorum adhibebantur. Idcirco vero primis illis temporibus cereis utebatur Eccleſia, quia Sacrificia noctu celebrabantur; quod & laudati verſus produnt, & non una Tertulliani auctoritas confirmare poſſet. Aliam vero rationem, quam hic Gavantus aſſignat, nimirum, quia in cryptis fiebat Miſſa, etſi poſſit videri probabilis, non ſola tamen eſt, atque præcipua: non enim prioribus illis Sæculis Fideles ſemper in cryptis Sacros conventus agebant. Reddita vero Eccleſiæ pace etiam in die accenſi ſunt cerei, non ad fugiendas tenebras, ut ſcite Hieronymus adnotavit; ſed vel in lætitiæ ſignum, vel ad majus Sacrificii decus, & pompam; hanc conſuetudinem cum Vigilantius ſuperſtitionis argueret, merito caſtigatus eſt ab Hieronymo. Videri poſſunt quæ de cereorum antiquitate in Eccleſia eruditiſſime ſcripta ſunt a Joſepho Vicecomite *lib.* 7. *de Miſſæ apparatu cap.* 25. a Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 7. & a Doctiſſimo Epiſcopo Sueſſionenſi in confutatione Claudii de Vert §. 26.

IX. Gav. ead. lit. y -- *An ſufficiat unicum lumen*, &c.) Aliquod lumen, dum Miſſa celebratur, requiritur ex gravi Eccleſiæ præcepto; ut fert communis ſententia Doctorum, quam refert Suarez *tomo* 3. *in* 3. *partem diſp.* 8. *ſect.* 6. §. 3. & adeo urget hoc præceptum, ut ſine ullo lumine licitum non ſit celebrare etiam ad communicandum infirmum moribundum; ut tenent Henriquez *lib.* 9. *de Euchariſtia cap.* 26. Bellarminus, Fagundez, & alii apud Quarti *part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 21. & conſequenter a culpa lethali immunis non eſt, qui totam Miſſam, vel partem illius notabilem in quocumque caſu nullo ardente lumine celebrare auderet. An autem duo requirantur lumina ex vi præcepti Eccleſiaſtici, video a Doctoribus diſputari. Placet nobis Azorii ſententia, cui adhæret noſter Gavantus ſupra, nimirum ſaltem in caſu neceſſitatis unico ſolo ardente cereo poſſe Miſſam peragi. Cętera ad hanc luminum materiam ſpectantia, ſatis reſolvit idem præclariſſimus Auctor; & idcirco nihil aliud addimus.

X. Gavant. lit. f -- §. *Nunquam in Mari*, &c.) Gavanti ſententiam ſequitur etiam Rotarius ejuſdem Congregationis Cleric. Reg. S. Pauli ſcriptor inſignis, atque Theologus *tom.* 3. *ſuæ Theologiæ Regularium lib.* 1. *cap.* 2. *punct.* 12. *n.* 9. Motus non ſolum ratione periculi effuſionis Sanguinis, quod generaliter imminet celebrantibus in navi; ſed etiam quia in navibus vix reperiri poteſt locus decens pro Sacrificio; pro qua ſententia citat etiam Homobonum de examine *tom.* 1. *tractat.* 4. *cap.* 14. Suarez, Angelum, Silveſtrum, Dianam, & alios: ſubdit vero, quod loquendo de navigatione Indica, quæ fieri nequit niſi in magnis navibus, & in quibus per plures, & plures Menſes notabilis hominum quantitas reperitur, poſſit celebrari, tranquillo tamen Mari, & ſereno Cœlo, & a peritis naucleris habito teſtimonio de morali certitudine, quod nullum inſtet periculum: tunc enim, ait ipſe, quia in magnis illis navibus nullum eſt irreverentiæ periculum, & facile invenitur necdum locus decens ab omni immunditia, & fœtore purgatus; ſed ſolet etiam adeſſe Capella magnifice ornata, atque periculum effuſionis Sanguinis ex improviſa Maris commotione facile occurritur, quia pro brevi tempore celebrationis Miſſæ nautarum peritia has commotiones prævidere poſſet, & ante Miſſæ initium Sacerdotem monere ne celebret; ob has, inquam, rationes tenet præfatus Auctor poſſe in magnis illis navibus Miſſam celebrari, quam ſententiam ſuſtinet etiam Giribaldus *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 65. Caſtropalaus *tract.* 22. *punct.* 8. *num.* 10. Fagundez *lib.* 1. *Præcept.* 5. *Eccleſ. cap.* 10. *n.* 15. Verricell. *tit.* 8. *de Sacramento Euchariſtiæ, quæſt.* 133. *n.* 14. & *ſeqq.* & *quæſt.* 134. Schiara in *Theologia Bellica tom.* 2. *lib.* 7. *difficult.* 3. *num.* 9. & 10. Scortia *de Sacrif. Miſſæ lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 5. aliique apud Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 40. & *part.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 45. & alii apud Dandin. *de ſuſpectis de hæreſi cap.* 3. *ſect.* 1. *ſubſect.* 4. *n.* 15. & *ſeqq.* qui etiam ſubdit nullo modo dici ſuſpectum de hæreſi Celebrantem ſupra Mare. Præfati omnes, inquam, Doctores in ea verſantur ſententia, quod habentes privilegium Altaris portatilis, dum Mare eſt tranquillum; & Cœlum eſt ſerenum, & abſit periculum effuſionis Sanguinis, poſſint in magnis navibus, & in loco ibi decenti, & honeſto celebrare. Et quamvis contrariæ opinionis Doctores, nimirum Turrecremata *in Cap. Concedimus num.* 5. *de Conſecratione diſt.* 1. Graſſ. *deciſ. aur. part.* 1. *cap.* 42. *n.* 10. Pax Jordanes *elucubrat. part.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. Antonellus *de loco legali lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. ſuſtinent non poſſe dictos privilegiatos etiam ſuper magnis navibus in Mari, vel flumine tranquillo uti Altari itinerario ad Miſſam celebrandam, hoc præſertim argumento permoti, quia Mare eſt inſtabile, ſuper quo fidere non convenit Sacra Myſteria, & ſpecialiter Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti; nihilominus quia experientia comprobatum eſt in Mari tranquillo ſub Cœlo ſereno in magnis navibus anchoratis nullius inconvenientis adeſſe periculum, nec in brevi ſpatio Miſſæ Mare vehementer conturbari poſſe; ideo non eſt improbanda ſententia illorum, qui hanc facultatem concedunt: & equidem in navigatione ad Indos ſuper navi ſe celebraſſe dicit Franciſcus de Lugo *lib.* 5. *de Sacramentis cap.* 6. *quæſt.* 1. *num.* 9. & 14. Quod ſi in caſu aliquo non prævideretur tempeſtas, ſeu Maris commotio, quæ inopinate evenire poſſet, hoc nihil officit probabilitati ejuſdem ſententiæ: in tali enim eventu non prævíſo a nautis etiam peritioribus, deberet Sacerdos ſe gerere eo modo, quo in aliqua Eccleſia faceret Celebrans, ſi terræmotus non prævíſus inſurgeret.

Non deſunt tamen Auctores, qui adſtruunt in prædictis navibus Indicis ſpeciale privilegium celebrandi conceſſum fuiſſe a Clemente VIII. & Paulo V. & hoc refert Pignatellus *tom.* 8. *conſultat.* 124. *n.* 1. & recentiſſime non ſolum dignitate, ſed etiam ſcientia, ac pietate Eminentiſſimus Card. Petra in ſuis doctiſ-

doctiſſimis Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas *Conſtit.* 2. *Urbani V.* docet in hac re concludendum eſſe, ex ſola conceſſione Altaris portatilis minime inferri, quod quis poſſit eo uti in navibus cujuſcunque ſint generis: tum quia in hujuſmodi privilegio apponi ſolet clauſula, quod eo quis utatur *in loco honeſto*, & *tuto*, ut in *Conſt.* 57. Gregorii XIII. ad favorem PP. Miſſionariorum Societatis Jeſu; unde excluduntur, ait ipſe, naves quæ ſunt loca non tuta; tum quia Epiſcopi prohibere debent, ne Miſſæ Sacrificium celebretur in navigiis, ut ex reſolutionibus S. C. apud Dianam citatum *reſol.* 45. §. *ult.* & Pignatellum *cit. conſult.* 124. *n.* 4. ubi adducit reſolutiones Congregationis S. Officii. Imo ex ſtylo, & conſuetudine id comprobari, proſequitur idem Eminentiſſimus Auctor, quia recurritur ad Summum Pontificem ad obtinendum hoc indultum: unde non ex ſolo privilegio Altaris portatilis; ſed ex illo ſpeciali celebrandi ſuper Mare cenſet ſecutas fuiſſe celebrationes per Miſſionarios, alioſque in caſibus adductis a ſupracitatis Doctoribus. Hinc etſi milites Hieroſolymitani habuiſſent privilegium Altaris portatilis; nihilominus petierunt ſpeciale privilegium celebrandi in ſuis magnis navibus occaſione longæ navigationis in alto Mari contra Infideles: & prævio voto S. C. Concilii ſub die 13. Martii 1706. Clemens PP. XI. conceſſit dictæ Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ, ut in ſuis navibus, quæ ſunt magni ponderis, ac firmæ ſtructuræ, cum unaquæque ſuſtineat quinquaginta ænea tormenta bellica, celebrari faciat Miſſam, eo duntaxat tempore, quo Mare eſt tranquillum, & Cœlum ſerenum, & cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, ſeu Diaconi; itaut adeſſe non poſſit periculum effuſionis ſanguinis in dicta celebratione: habetur hoc privilegium in particulari Bullario Clementis XI. *part.* 1. *Conſtit.* 26. quæ incipit: *Exponi nobis*. Olim tamen denegatum fuit Principi Philiberto indultum, quod poſſet celebrari Miſſa ſuper ſuis triremibus, quia iſtæ modico flante vento facile moventur: magnæ autem naves anchoris alligatæ immobiles fere ſtant; & ideo in his, cum nullum ſubſit periculum, ſtante Mare tranquillo, effuſionis Sanguinis conceditur Apoſtolicum indultum celebrandi Miſſam. Rurſus dictum privilegium fuiſſe paſſim denegatum a Summis Pontificibus, aſſeverat Card. Albitius *de Inconſtantia in Fide cap.* 34. *n.* 131. & ubi plures caſus talis denegationis adducit, ultra illam, quæ data fuit, ut mox innuimus, Principi Philiberto, quoad celebrationem ſuper triremibus.

Cæterum plura extare antiquitatis monumenta, ex quibus colligitur non tantum pluries in Mari Miſſas celebratas extitiſſe; ſed continuo ſuper naves Euchariſtiam deferri olim ſolitum fuiſſe, colligitur ex Baronio ad Annum 57. & Annum 404. & Annum 700. ex Surio de S. Ludovico *ad diem* 25. *Auguſti*, & ex S. Gregorio, S. Ambroſio, & Metaphraſte, Verricell. *de Apoſtolicis Miſſionibus tit.* 8. *quæſt.* 471. *n.* 9. Paſqualigo *de Sacrif. novæ Legis quæſt.* 133. *n.* 3. & *ſeqq.* Et hæc ſint ſatis pro præſenti materia, & pro complemento hujus 1. Partis.

# C O M M E N T A R I A
# I N R U B R I C A S
## M I S S A L I S R O M A N I.

## P A R S S E C U N D A.

Ritus ſervandus in celebratione Miſſæ.

ALtera pars Rubricarum generalium in duo capita dividitur; quorum alterum ea complectitur, quæ ad integram & acuratam Miſſæ celebrationem ſpectant, nempe Ritus, & Cæremonias; alterum ea continet, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, ne male celebratio fiat, videlicet, defectus occurrentes, quibus & adhibentur remedia. Sufficiens ergo hujus partis eſt diviſio, ut rite ſemper, & male nunquam celebretur.

### De præparatione Sacerdotis celebraturi. I.

R U B R I C A.

*SAcerdos* (a) *celebraturus Miſſam, prævia Confeſſione Sacramentali, quando opus eſt, & ſaltem* (b) *Matutino cum Laudibus abſoluto, Orationi aliquantulum vacet, &* (c) *Orationes inferius poſitas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacriſtia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem neceſſaria habentur:* (d) *accipit Miſſale, perquirit Miſſam, perlegit; & ſignacula ordinat ad ea, quæ dicturus eſt. Poſtea* (e) *lavat manus, dicens Orationem inferius poſitam. Deinde* (f) *præparat Calicem* (*qui debet eſſe vel aureus, vel argenteus aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul* (g) *cum Patena itidem inaurata,* (h) *ab Epiſcopo conſecratus*) *ſuper ejus os* (i) *ponit purificatorium mundum, & ſuper illud Patenam* (l) *cum Hoſtia integra, quam leviter extergit, ſi opus eſt, a fragmentis, & eam tegit* (m) *parva palla linea, tum* (n) *velo ſerico: ſuper velo ponit* (o) *burſam coloris paramentorum, intus habentem* (p) *Corporale plicatum, quod ex lino tantum eſſe debet, nec ſerico, vel auro in medio intextum; ſed totum album, & ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem* (q) *ſimul cum palla benedictum.*

*G A V A N T U S.*

(a) *Sacerdos*. Ita dictus eſt quaſi Sacra dans, vel Sacra dos, id eſt, ipſamet Sanctitas; vel Sacer dux, vel Sacra docens; nam docere debet verbo, ducere exemplo, Sanctus eſſe, & Sacra aliis dare, ut Sancti fiant.

De Confeſſione Sacramentali dicemus infra, cum de defectibus animæ. Hoc loco monebo tantum, ne Sacerdos indutus Sacerdotalibus indumentis confiteatur, ſed antequam ea veſtiat: hoc enim magis decet; quod & notavit *Didacus Murilius in Scala ſpirit. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13.

* (b) *Matutino cum Laudibus*. Miſſam ante Matutinum ne præſumamus dicere, aperte his ipſis verbis vetuit Innocent. IV. *ad Epiſc. Tuſcul. Can.* 11. Recenſet *Barboſa de poteſt. Epiſc. part.* 2. *alleg.* 24. *n.* 15. Auctores viginti, quos ipſe ſequitur, negantes eſſe peccatum mortale, celebrare Miſſam ante Matutinum: & ibidem numerat alios decem & novem, quibus addi debet *Francol. de tempore Hor. Can. cap.* 42. affirmantes eſſe peccatum mortale: inter quos duo Sancti numerantur, S. Antoninus, & S. Raymundus: excuſat autem juſta cauſa. *Silv. v. Miſſa* 1. *quæſt.* 6. Quid facies, pie lector, in re tam dubia, in qua totidem ſunt hinc inde Auctores pro affirmativa ſanctiores? Præterea vero duo Summi Pontif. Innoc. IV. & Pius V. qui collocavit hunc inter defectus graviores, *tit.* 10. *de Defectibus n.* 1. inter eos defectus, qui de communi DD. ſententia non accidunt ſine culpa mortali de ſuo genere: ego certe tutiorem, quæ in Rubrica eſt, ſequor libentius ſententiam.

(c) *Orationes inferius poſitas*. Scilicet Antiphonam *Ne reminiſcaris*, quæ in Duplicibus duplicatur; & pariter ante eas Miſſas, quæ Ritu Duplici celebrantur, hoc eſt cum unica Oratione, ſive ſit Votiva pro re gravi, ſive pro Defunctis, (quamquam pro Defunctis omitti poſſunt Antiphona, & Pſalmi, ut dicemus infra) & tempore Paſchali additur *Alleluja*. Pſalmos quinque habes cum Orationibus: *Quam dilecta tabernacula, &c.* de quibus mentio eſt apud *Microlog. cap.* 1. & 23. ut interius, inquit, & exterius Sacerdos ſummo Sacerdoti placere valeat: addit *Innoc.* III. *lib.* 1. *cap.* 47. ut quidquid immundum quinque ſenſuum tranſgreſſione commiſit Sacerdos, quinque Pſalmorum Oratione detergat: quædam enim continentur in ipſis, quæ recte conveniunt celebraturis Miſſam, ut legenti patet. Eoſdem hoc loco inſtituit Cæleſtinus I. *ex Durand. lib.* 4. *cap.* 2. Microl. unam tantum Orationem pro peccatis novit; Innoc. III. plures, quæ, inquit, manifeſte pertinent ad impetrandam cordis, & corporis munditiam, & munimen; ex quo conjicio de iiſdem Orationibus eum loqui, quæ apud nos ſunt in uſu: numero ſunt ſeptem juxta numerum petitionum Orationis Dominicæ, ad ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti obtinendam: has ego legi *in Miſſali MS. Vaticano ante* 300. *Annos ſcripto, vol.* 4743. Oratio Conſcientias, eſt Ambr. *ex Pamelio in Sabb. Dom.* 5. *Advent. Ambroſiano more*. Septem autem verſus præcedentes reſpondent iiſdem ſeptem Orationibus. * Cum autem habeatur in titulo, & Rubrica: *Pro temporis opportunitate*; inde patet, nullum eſſe peccatum, ſi celebraturus eas omittat; & communius omittuntur ii Pſalmi a Sacerdotibus.

(d) *Accipit Miſſale*. Nec ſine libro Miſſa celebranda eſt; alias graviter peccatur. *Navar. cap.* 25. *n.* 85. *Azor. lib.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 4. Neque aliud Miſſale, niſi Pii V. adhiberi poteſt a Romanis, ex ejuſdem Pii Bulla. * Conveſtitur Miſſale ab accuratioribus proprio integumento coloris Miſſæ convenientis, tum ad decorem, tum ad reverentiam in eo contentorum. Quod autem hoc loco jubetur, ut perlegatur Miſſa, ſive prælegatur, eo fine dicitur, ut ſi mutanda ſit Oratio, maxime Secreta, quæ ſit eadem cum alia, puta Commemorationis, & Feſti, opportunæ mutationi ſit proviſum; & præterea ne accidat error in prolatione verborũ cum ſcandalo auditorum.

(e) *Lavat manus*. Ut ſpiritualiter mundet actus, *Innoc.* III. 2. *cap.* 49. & propter reverentiam tanti Sacram. *Dur. ſup. cap.* 3.

(f) *Præparat Calicem*. Calix a voce Græca, *Kylix, ex Macrob. lib.* 5. *Saturn. cap.* 2. ab aqua calida dictus, ut ajunt *Varro lib.* 4. *Latini ling. & Feſtus lib.* 3. quam vino mixtam habebant veteres in deliciis, *ut Perſius docet*; * vel ab alia voce Græca, Χαλὸν, quæ lignum ſignificat. *Iſidor. lib.* 20. *orig. cap.* 5. nam ex ligno, ait, fiebant Calices. Porro in Calice argenteo conſecraſſe dicitur Chriſtus *a Baronio, ex Beda Anno* 34. *n.* 63. vereor tamen ne Calix hic, in quo, *ut narrat ibidem* Beda,

*Beda*, ſervatur ſpongia potus aceti miniſtra, & habet duas anſas hinc inde, adhibitus fuerit potius ad potandum Chriſtum felle, & aceto, quam ad ultimam cœnam. Valentiæ venerantur Calicem lapideum alium pretioſum ex agatha, quam vocant, quo dicunt uſum fuiſſe Chriſtum in ultima cœna: *lege Carthagenam de Euchar. homil. 26.* ἀγαθὸν, latine bonam: & quid bonum ejus, niſi vinum hujus Calicis germinans Virgines? *Zachar. 9.* inde mos inolevit, quod non in alio vaſe, quam in Calice Sanguis conſecretur: *ex Paſchaſio de Sanguine, & Corpore Domini in cap. 20.* Vaſculum dixere Patres, *Concil. Tribur. cap. 18.* Vas myſticum *Syneſius Conſtit. 2.* Poculum *Clem. lib. 8. Conſtit. cap. 15.* Poculum *Sanctus Nazianz. orat. 25.*

Ligneos autem adhibuere Calices Apoſtoli, *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 89.* deinde vitrei decreti ſunt a Zephyrino, *apud Damaſum in ejus Vita*; & Calicem vitreum fractum, a S. Donato Aretino reſtitutum, habes *in lib. 1. Dial. S. Greg. cap. 7.* Sed & tunc temporis argentei erant in uſu apud aliquos; *ut notat Baron. in notis Martyrolog. 7. Auguſti, ex Auguſt. epiſt. 165.* Urbanus argenteos, & aureos inſtituit, *de Conſecr. diſt. 1. cap. Vaſa, ex Concil. Triburienſi cap. 18.* non ex ære, neque auricalcho fiant, ne ærugo generetur, neque vomitus provocetur; potius ex ſtamno, *ead. diſt. cap. ut Calix, ex Concil. Rhemenſi cap. 6.*

Octo angulis formabantur, *ex Prudentio apud Bulengerum lib. 2. cap. 20.* Imaginibus etiam decorabantur, quos effigiatos hiſtoria Paſtoris, & ovis docet *Tertull. de pudicit. cap. 7. & 10.* & imaginatos Calices ideo appellat S. Remigius in ſuo teſtamento. Quid? idem inſcripſit in Calice proprium nomen, citra vanitatem, *apud Sur. tom. 1.* Calicem vero gemmatum miſit Epiph. Conſtantin. ad Hormiſdam; unde etiam *in Ord. Rom.* paratoria dantur, id eſt, capſæ ad Calices recondendos. Solebat (quod doleo) dicere S. Boniſ. Mart. & Epiſc. Ultrajectenſis: quondam aurei Sacerdotes utebantur ligneis Calicibus; nunc lignei Sacerdotes aureis Calicibus. *Walafr. Strabo c. 24. & in c. Vaſa.*

(g) *Cum Patena.* Patena, ſeu Patina, vox tamen prima eſt frequentior. Diſcus *in Liturgia S. Jacobi* appellatur. A patendo eſt dicta, *Amalar. lib. 3. cap. 27.* vel quia patula eſt, *Walaf. cap. 24.* Patenæ vero ejuſdem fuere materiæ cum Calicibus. Forma earumdem nunc multo minor, quam antiquarum; nam erant *apud Damaſum in vita S. Silveſtri* ponderis quindecim, vel triginta librarum, cum multi in Miſſa communicarent, patena adhibita tunc temporis pro Pyxide.

(h) *Ab Epiſcopo conſecratus.* Habetur Conſecratio hæc *in Ordine Romano*; & durat Conſecratio donec frangatur, vel intus de novo aureo liniatur, *Suarez diſp. 81. ſect. 7.* idcirco Calix, & Patena vocantur vaſa Sacra *a Sixto de Conſt. diſt. 1. cap. In Sancta*, & ungi Calicem expreſſe juſſit Silveſter, *ex Innoc. III. epiſt. Decret.* Hinc fit, quod non omnibus licet illa vaſa tangere: non licuit Subdiaconis ante Conc. Laodic. *ubi cap. 11.* iiſdem interdicitur eorum contactus; fuit conceſſus in *Bracaren. 1. cap. 28.* inferioribus autem aliis negatus in *Concil. Rom. 2. c. 9.* niſi mappula adhibita, *juxta Ord. Rom.* An vero ſub mortali? negat *Bonac. diſp. 4. quæſt. ult. punct. 9. n. 20.*

Quid ſi Sacerdos bona fide adhibeat Calicem non conſecratum? an egeat Conſecratione? negat Diana *tract. 14. de Celebr. Miſſarum reſol. 69.*

(i) *Ponit Purificatorium.* Neque nomen purificatorii, neque rem apud antiquos de Ritibus Scriptores inveni. *Durand. lib. 4. cap. 55.* perfuſionem digitorum appellat purificationem; & inde purificatorium ad extergendum digitos perfuſos, & Calicem dictum eſſe patet. *Burchard.* vocat purificatorium.

Quærunt: an ſit benedicendum? negat *Suarez 3. part. diſp. 81. ſect. 8.* Quare nec in Ritualibus invenitur Benedictio propria, ſicuti neque veli, neque burſæ Corporalis, de quibus ſtatim dicemus: ratio eſſe poteſt, quia ſine his videbatur Sacrificium non incommode fieri poſſe: utebantur enim parvis mantilibus a manipulo diverſis, ad tergendas manus, & mappulis quibuſdam, *ex Beda in Collect. cap. de ſeptem Ordinibus*, quas & tenebant manibus, *ex Durand. lib. 3. cap. 6.* ſed decentius fit proprium adhibendo purificatorium; quod ut ab aliis lineis pannis ad tergendas manus dignoſcatur, convenit, ut in medio illius pingatur Crux; *ut in Conc. Provinciali 3. Mediol. in inſtruct. ſupell. lib. 2. fuit decretum.*

(l) *Cum Hoſtia.* De hac plenius, & commodius infra *tit. 7. n. 2.*

(m) *Parva palla linea.* Ad differentiam Corporalis, quod & Palla dicebatur, *Can. Sacratas, diſt. 23. ex Sother.* nam erat Corporale magna palla; palla vero a palliando, *Durand. lib. 4. cap. 29.* veſtimentique genus eſt, *ex Baiſio de re veſtiaria cap. 13.* Ceterum *Innoc. III. lib. 2. cap. 56.* eam diſtinguit a Corporali, quatenus Calicem tegit: antiquitus enim Corporale quoque tegebat Calicem altera ſui parte, *ib.* * S. Anſelmus antiquior, *in lib. de diverſ. Sacram.* putat tutius, quod Calix operiatur, ne aliquid indecens in illum cadat: ergo eo tempore palla fuit in uſu apud aliquos: quia non præcipit, ſed ſuadet Anſelmus, quod eſt tutius, geritque vicem Corporalis, ſed diviſi: quare & ejuſdem materiæ debet eſſe, cujus eſt Corporale, de quo paulo poſt dicemus. Cur autem vulgo *Animetta* vocatur? Auctor Græcus, *in Liturg. quadam cit. a Vicecom. lib. 7. cap. 5.* eam vocat Pſichiam, & Pſichi ſignificat animam; vel quia intra Corporale plicatum aſſervatur, quaſi anima intra corpus.

Qui duplicem adhibent pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hoſtia, approbante, ut ajunt, Summo Pontifice, non ſunt reprehendendi; non tamen imitandi ſunt ab aliis ſine Pontificia facultate: eſſet enim additio Ritus, quæ eſt a Pio V. prohibita.

(n) *Tum velo ſerico.* De hoc antiqui. *Clem. Can. 72.* & quia lavari jubetur, e lino conjicitur fuiſſe. Pepli, ſudarii, & aeris, quo operiuntur Sancta, meminit *Chryſoſt. in Liturg.* vocat *S. Germanus in Theoria* velamen, & velamentum; & ſignificare docet aerem tenebroſum noctis Paſſionis Domini, & lapidem monumenti. Serica vela donata fuerunt Hormiſdæ ab Epiphanio cum Calice gemmato; de quo ſupra, *ut in epiſt. Hormiſdæ*; & benedici ſolita cum aliis veſtibus puto, quia in *Can. cit. 72.* ſanctificata dicuntur: docet *Amalar. præfat. 2. de lib. de Eccleſ. Offic.* apud Romanos Calicem involutum ſudario ad Altare porrigi; velumque inde dicitur, quia velando Calicem, ejuſdem etiam velata eſſe Myſteria ſignat.

* *Victorianus Premol. in memor. Cler. part. 3. cap. 7.* numerat velum hoc inter alia neceſſaria ſub mortali, nullo Auctore, nulla ratione allata; quod non placet ex dictis ſupra, cum de purificatorio ageremus.

(o) *Burſam.* Peram vocat *Chronicum Moguntin.* Sed burſam *Burchard.* convenitque, ut Crucem in medio habeat, ut mos eſt. Non videtur in uſu fuiſſe ante Concilium Rhemenſe, in quo *cap. 5.* jubetur recondi Corporale ſimul cum libro, ſeu cum Calice, quæ vero pars ejus aperta eſt, in hoc caſu Celebrantem reſpiciat, velo anteriori ſuper eam revoluto, ut Calix commodius deferri queat a Sacerdote ad Altare: intra quam burſam (alias ſuperflua burſa eſt) omnino recludatur Corporale (neque gratis diſtinguas, utrum plures, an pauciores in Eccleſia dicantur Miſſæ) ut cautius, & decentius Corporale deferatur. Pius V. diſpenſavit cum Hiſpanis, ut extra burſam Corporale portari queat, *ex Hieron. Cantono in ſuo Ordinari Divin. Offic.* Vereor ergo, ne pigeat aliquos educere Corporale de burſa: & quid ſi in via in terram cadat?

(p) *Corporale plicatum.* Palla dicitur a *Clem. epiſt. 2. ad Jacobum.* Syndon *ab Iſid. Peluſ. lib. 1. cap. 123.* Palla Corporalis *in Ord. Rom. tit. de Pallis.* Corporale vero dicitur, quia in eo ponitur Corpus Chriſti, *Alcuin. cap. 2. de Celebr. Miſſæ*, ejuſque auctor eſt Euſebius Papa ante Sylveſtrum, quem communiter auctorem dicunt: *Lege Burchar. lib. 3. Decret. cap. 99.* Sixtum auctorem facit *Polid. Virg. lib. 6. cap. 12.*

Ex lino debet eſſe, *c. Conſulto, de Conſecr. diſt. 1. ex Epiſt. Euſeb. & Sylveſt.* quia ſyndonem Chriſti repræſentat, *ibid.* Ex cannabe fieri poſſe concedit *Azor. lib. 10. cap. 28. quæſt. 3.* neque debet miſceri alia materia etiam pretioſiore, *ex Concil. Rhemenſ. cap. 3.* ſed hoc intellige in inferiori parte tam Corporalis, quam pallæ parvæ: nam in illius extima, & pallæ ſuperiori parte poteſt ſericum, & aurum addi; ut ait *Suar. 3. part. diſp. 81. ſect. 6.* Nunc ara breviori facta, brevius etiam eſt Corporale, quam apud antiquos.

Quod attinet ad plicaturam Corporalis, docet *Alcuin. loc. cit.* ita plicandum eſſe, ut nec initium, nec finis appareat; quod & hodie obſervatur ab accuratioribus in Eccleſiaſtica diſciplina: quia, inquit, Corporale ſignificat Linteamina, & Sudarium præſertim capitis Chriſti. Cum autem caput Chriſti ſit Deus, qui nec initium habet, nec finem; eadem, ut in Corporali Sacra palla pallietur, & abſcondantur, quam maxime decet.

(q) *Simul cum palla benedictum.* *Cap. Conſulto, de Conſecr. diſt. 1.* neque benedicitur palla ſeparatim; quia eſt unum quid, & veluti pars Corporalis; nec in Pontificali datur diſtincta Benedictio: unde & eodem cultu veneranda ſunt, & adeo, ut non modo non tangenda ſint a laicis, nec a Sacratis fœminis, *Can. Sacratas, diſt. 23. ex Sothero*, ut Damaſus ait; non ex Sixto, ut ait Platina; ſed neque lavanda ea ſunt in communi vaſe, ut ſtatuit S. Clemens, & *in Ord. Rom.* habetur ejuſdem Decretum. Poſſunt quidem Corporalia tangi poſt eorumdem Benedictionem, & lotionem, ſed non poſt uſum, neque poſt lotionem iterum debent benedici. *Sylveſt. verbo Corporalia.* Si vero immunda adhibeantur notabiliter, peccatum mortale eſt. *Emmanuel Sà, verbo Sacra n. 5.* & eſt Communis. De eorumdem vero vetito contactu, an ſit peccatum mortale, dic, ut ſupra de Calice.

## Nuvæ Obſervationes, & Additiones, &c.

I. Gavant. lit. c -- *Et tempore Paſchali additur Alleluja.*) Ita etiam ad finem cujuſcumque Pſalmi debet dici *Gloria Patri*, tempore Paſſionis, excepto ultimo triduo; quia hujuſmodi preces Rubricas Officii, non vero Miſſalis ſequuntur. Hippolytus a Portu, de cultu Dei, & hominum, &c. *tit. 1. Rubr. 1. n. 3.*

II. Gavant. lit. e -- *Lavat manus &c.*) Hinc deducitur errare omnes illos, qui ſtatim lavant manus, & deinde accipiunt Miſſale, Miſſamque perquirunt, & ſignacula ordinant: hæc enim omnia debent peragi ante manuum lotionem; & deinde manibus lotis præparandus eſt Calix. Philippus Angeli, in Praxi Miſſæ Privatæ *part. 1. tit. 1.*

III. Gavant. lit. f -- *Porro in Calice argenteo confecraſſe dicitur Chriſtus.*) Quamquam hoc aſſeratur a Baronio ex Beda A. C. 34. *n. 63.* vetetur tamen rationabiliter Gavantus, ne Calix hic (de quo loquitur Adamnanus Abbas *l. 1. de locis Sanctis cap. 8.* non autem Beda, ut ſibi Baronius perſuaſit) ſit ille, quem Chriſtus adhibuit, quando Sacratiſſimam Euchariſtiam

insti-

Digitized by Google

nſtituit. Et revera Chryſoſtomus, *Homilia 51. in Matthæum*, aſſeverat Calicem Domini, nempe in quo Chriſtus Dominus Euchariſticum Sacrificium peregit, non phyſice, ſed myſtice pretioſum fuiſſe; negatque ex metallo nobiliori factum eſſe his verbis: *Non erat ex argento illa Menſa, nec ex auro ille Calix, quo Chriſtus Diſcipulis Sanguinem præbuit ſuum: pretioſa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia ſpiritu abūdabant.*

IV. Gavant. ead. lit. f. -- *Nunc lignei Sacerdotes, aurei Calicibus, &c.*) Negari non poteſt fuiſſe in veteri Eccleſia uſum Calicum ligneorum: interrogatus ſiquidem S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus in Concilio Triburienſi Sæculo 9. habito, an in vaſculis ligneis liceret Sacrificium peragi? Reſpondit, ut refert hic Gavantus: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur: nunc contra lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus.*

Verum Card. Bona *lib. 1. cap. 25. rerum Liturgicarum* cenſet ex verbis Bonifacii inferri non poſſe uſum lignei Calicis fuiſſe communem in primitiva Eccleſia; ſed credit S. Antiſtitem, potius zelo Dei ſuccenſum præteritorum comparatione ſua tempora redarguiſſe. Sed quia Concilium Triburienſe ſtatuit, ne quis deinceps Sacra Myſteria in ligneis vaſculis conficere præſumat; & quia Canones quoque editii in Anglia ſub Edgaro Rege c. 41. Calicem fuſilem eſſe decernunt; vetantque ne omnino in ligneo fiat Conſecratio; hinc idem Cardin. Bona fateri cogitur ſaltem in aliqua Eccleſia, vel propter rerum penuriam, vel propter Sacerdotum incuriam, invaluiſſe uſum Calicum ligneorum.

Qui plura ſcire deſiderat de Sacrorum Calicum antiquis Ritibus, materia, forma, variis ſpeciebus, & denominationibus, perlegere poterit ea, quæ tradunt eruditiſſimi viri Joſeph Vicecomes de Miſſæ Apparatu *lib. 6. cap. 8. uſque ad cap. 17. incluſive*: Caſalius de veteribus Sac. Chriſtianorum Ritibus *cap. 11.* Card. Bona *loc. cit.* Andreas Du-Sauſſay, in ſua Panoplia Sacerdotali *lib. 8. a pag. 182. uſque ad pag. 281.* noſter P. Aloyſius Novarinus in *l. 5. Sacrorum Electorum cap. 94. 95. 96.* Antonius Bellotte in ſuis obſerv. ad Ritus Eccl. Laudunenſis *pag. 446. & ſequent.* Joannes Ciampinus in tract. de pane azymo, & ferment. &c. *pag. 169. 175. 179.* Lazarus Bocquillot in tract. Hiſt. Liturg. Sac. Gallice exarato; Carolus Du-Freſne in Gloſſario; Dominicus Gregorius Liturg. Rom. Pontificis diſquiſit. de Sac. Miniſt. *cap. 3.* & inter Heterodoxos Joannes Doughtei Anglo Britannus *in lib.* cui titulus *de Calicibus Euchariſt. veterum Chriſt.* impreſſo Bremæ, Anno 1694. in 8. necnon Gothof. Voigt. in ſuo libro de Altaribus veterum Chriſtianorum *cap. 12. n. 10. & ſeqq.*

V. Gavant. lit. g. -- *Patena adhibita tunc temporis pro Pyxide.*) Patenæ, quæ antiquitus pro Fidelium communione deſerviebant, Miniſteriales vocabantur; & quia tunc omnes in Miſſa communicabant, amplæ adhibebantur: nunc autem, quia pauci in Miſſa communicant, minor Patena rite adhibetur, quæ a Græcis Diſcus appellatur. De Patenarum miniſterialium, vel communicalium uſu, materia, forma, & Conſecratione, vide mox allegatos eruditiſſimos Auctores, nimirum Joſephum Vicecomitem ibidem *a cap. 18. uſque ad cap. 26.* Card. Bona *cit. loco §. 3.* Andream Du-Sauſſay *l. 9. a pag. 281. uſque ad pag. 300.* & Aloyſium Novarinum *toto cap. 97.* quibus adde Joannem Mabillon Comment. in Ord. Rom. §. 8. & Dominicum Georgium *loc. cit.* Hoc loco animadverto antiquitus duplicem in Miſſa Patenam adhibitam fuiſſe, unam ad Cleri, alteram ad Populi communionem; ut conſtat ex Ordine Rom. 5. *pag. 68.*

VI. Gavant. lit. h -- *Vel intus de novo auro liniatur.*) Ex his Gavanti, & ex ſuperioribus Rubricæ verbis, colligitur, Calicem debere eſſe aureum, vel argenteum, aut qui habeat ſaltem cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum Patena pariter inaurata. Verum *tit. 10.* de defectibus in ipſo miniſterio occurrentibus, nulla fit mentio de inauratione cuppæ argenteæ; niſi forte dicatur hoc ibi jam ſupponi, juxta diſpoſitionem ſuperioris Rubricæ. Idem dicendum eſt de Patena, quam & intus deauratam eſſe decet. In Canone vero *Ut Calix 145. de Conſecr. diſt. 1.* ſimpliciter dicitur, ut Calix Domini cum Patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat; & Claudius La Croix *lib. 6. part. 2. dub. 5. quæſt. 47.* aſſerit, Auctores paſſim negare cuppam argenteam intus deaurandam eſſe: ſed verba allegatæ Rubricæ, clare nimis loquuntur de intrinſeca inauratione cuppæ.

VII. Gavant. ead. lit. h -- *Idcirco Calix, & Patena vocantur vaſa Sacra, &c.*) Ex contextu Rubricæ, & ex verbis Gavanti eruitur, aliud eſſe rem aliquam conſecrari ab Epiſcopo; aliud ab eo benedici, vel ab alio facultatem habente: in Conſecratione ſiquidem intervenit unctio Chriſmatis, non vero in Benedictione: inter ea autem quæ conſecranda ſunt, numerantur Calices, quibus Sacerdotes utuntur in Sacrificio celebrando. De Calicibus conſecrandis loquitur Innocentius III. *lib. 1. Decretal. cap. Cum veniſſet*; ubi mentionem facit de unctione adhibenda in Conſecratione Altaris; & expreſſe pariter loquitur de Chriſmate, quo ungi debent Calix, & Patena, quando conſecrantur.

VIII. Gavant. ead. lit. h -- *Hinc fit quod non omnibus licet hæc vaſa tangere.*) Auctor libri Pontificalis in S. Sixto Romano Pontifice, qui Anno Domini 116. Romanam Eccleſiam regendam ſuſcepit, aſſerit, dictum Pontificem conſtituiſſe, ut Sacra vaſa ab aliis, quam a Sacris Miniſtris non tangerentur, & ideo hoc vetuit, quia tam calix, quam Patena erant vaſa conſecrata: idem decrevit poſtea Concilium Laodicænum a Gavanto allegatum, & Anno circiter 363. celebratum; in quo *Canone 21.* ſancitum eſt, Subdiaconum non debere contingere vaſa Sacrata: & Concilium Agathenſe, Anno 506. ſub Symmacho *Can. 66.* ſtatuit, non oportere Sacratos Miniſtros contingere vaſa Dominica: Subdiaconis tamen data facultas iſta eſt in Concilio Bracarenſi ſub Joanne III. Anno 563. *Can. 10. Placuit, ut non liceat cuilibet ex Lectoribus Sacri Altaris vaſa portare, niſi his, qui ab Epiſcopo Subdiaconi fuerunt ordinati.* Ex Ordine tamen Romano 5. *pag. 68.* manifeſtum eſt, etiam Acolythis in Eccleſia Romana, eandem licentiam conceſſam fuiſſe.

IX. Gavant. ead. lit. h -- *Quid, ſi Sacerdos bona fide adhibeat Calicem non conſecratum? &c.*) Diana *part. 2. tract. 14. de celebratione Miſſæ reſolut. 69.* allegatus a Gavanto, & *part. 5. tract. 16. reſol. 60.* tenet in caſu prædicto, Calicem non conſecratum non egere amplius conſecrari, & eandem ſententiam tuentur Trimarchius, Peyrinus, & alii, quos citat, & ſequitur Niger in Addit. ad Ruiz *part. 6. animad. 8. num. 4.* Alii vero idem etiam eſſe dicendum ſuſtinent, etiamſi mala fide quis celebret in Calice, & Patena non conſecratis. Ita Sà *verbo Eccleſ. a. 19.* Tambur. opuſc. de Sac. Miſſæ *lib. 1. cap. 1. §. 4. n. 2.* quibus adhærere videtur Henricus Piſart in appendice, ad expoſitionem Rubricarum Miſſalis *n. 5.* ea ratione motus, quia ad rationem peccati quidem in ſimilibus aliquid facere poteſt bona fides, quod non facit mala fides, nimirum, qui ignoranter Calice non conſecrato utitur, utique non peccat; ſi vero ſcienter, & mala fide Calicem non conſecratum in Sacrificio peragendo quis adhibeat, a gravi peccato non excuſatur. Cæterum, ſi in primo caſu ratione contactus Sacramenti Euchariſtici conſecrantur Calix, & Patena; ratione ejuſdem contactus, etiam in ſecundo caſu, eadem Altaris vaſa conſecrata evadent, & apta ad Sacrificium reddentur.

Attamen Cardin. de Lugo *de Euch. diſp. 20. n. 91.* Suarez *diſp. 91. ſect. 7. §. Alia autem forma*; & alii, quos citat, & ſequitur Paulus Maria Quarti in Commentariis ad Rubr. Miſſal. *p. 2. tit. 1. dub. 3.* & mox laudatus Piſart, ibidem, negant in dictis caſibus vaſa non conſecrata, non indigere alia Conſecratione: quia ea, quæ pendent ex inſtitutione Eccleſiæ, non poſſunt ſuppleri alio Ritu diverſo ab eo, quem Eccleſia deſignat, & determinat. Cum autem Conſecratio, qua vaſa Altaris redduntur apta ad Sacrificium, fuerit inſtituta ab Eccleſia ſub certis & determinatis Ritibus, & verbis per determinatas perſonas adhibendia; hinc fit, quod non adhibito tali Ritu, & tali forma verborum, per idoneam perſonam, nunquam evadunt vaſa conſecrata, id eſt Calix, & Patena non redduntur apta ad Sacrificium; & quamvis Sacramentum Euchariſtiæ ſit digniſſimum plusquam ſit unctio Chriſmatis, & Benedictio Epiſcopalis; nihilominus non habet alios effectus, quam quos ipſe Chriſtus illi attribuit ſuo fini proportionatos. Quapropter non habet effectus aliorum Sacramentorum, nec Sacramentalium, quæ ex libera inſtitutione Eccleſiæ dependent. Juxta hanc ſententiam Corporale, mappæ, & veſtes Sacerdotales, quæ vere benedictæ non ſunt, proportionaliter tales non evadent, niſi per Benedictionem in eum finem ab Eccleſia inſtitutam; & Templa non conſecrantur per Miſſas in eis dictas; ſed per ſolam formam, & Ritus ab Eccleſia inſtitutos ad Conſecrationem inducendam in Templa prædicta.

X. Gavant. lit. i -- *Quærunt: An ſit benedicendum? &c.*) Quamvis Suarez teneat purificatoria non eſſe benedicenda; nihilominus ex verbis Gavanti, & ex ratione ab ipſo allegata concludendum videtur pro Benedictione purificatorii, cum Sacrificium ſine eo commode fieri non poſſit: cui accedit, quod quamvis non aſſignetur peculiaris Benedictio pro velis, dicat tamen ſe exiſtimare ea cum aliis veſtibus benedici ſolita; ut videre eſt inferius, ubi loquitur de velo ſerico, &c. Sed fortior ratio, quæ militat pro Benedictione purificatorii, eſt, quia magis propinque Sacrificio inſervit purificatorium quam velum: ut optime ponderat Piſart *loco ſuperius citato n. 6.* ubi ſubnectit, quod cum quandoque aliquæ particulæ Corporis, aut guttæ Sanguinis Dominici purificatorio adhærere poſſint ex Calicis exterſione, aut abſterſione digitorum in negligentibus præſertim, & minus accuratis Sacerdotibus; hinc eadem benedicenda eſſe cenſet, nec laicorum manibus tractanda, adhærens ſententiæ Layman *tract. 5. cap. 6.* Quoniam vero purificatorii pariter peculiaris non reperitur Benedictio, ſumatur, inquit, una, quæ convenientior apparet, v. g. Benedictio linteaminum, mutata in ſecunda Oratione, voce *Altare*, in vocem *Calicem*. De his, & aliis Benedictionibus paramentorum, infra cum eodem Gavanto ſermonem habebimus.

XI. Gavant. lit. m -- *Antiquitus enim corporale quoque tegebat Calicem altera ſui parte.*) Veriſſimum eſt, quod antiquitus Corporalia longiora, & latiora fuerunt, quam nobis ſint in uſu: unico enim Corporali tota tegebatur ara, & a parte poſteriori, ſupra Calicem elevabatur, eumque contegebat; & hinc vocabantur pallæ, nec aliæ a Corporali diſtinctæ tunc adhibebantur pallæ; talibuſque magnis Corporalibus adhuc utuntur PP. Carthuſiani antiquis Ritibus addictiſſimi; necnon Eccleſia Lugdunenſis in Gallia; ut refert D. Du-Moleon, in ſuis itineribus Liturgicis Gallice exaratis, *pag. mihi 57. & pagina 60.* Ita pariter viget hic uſus in Eccleſia Sanctæ

Crucis Aurelianenſi; ut tradit idem Auctor *part.* 200. & in Eccleſia B. V. Rothomagenſi, ut idem refert *pag.* 286. & hinc eſt, quod Joannes Stephanus Duranti *lib.* 1. *de Eccleſ. Ritib. c.* 12. *n.* 8. aſſerit, Romanos, Italos, & Alemannos duobus Corporalibus uti, quorum utrumque pure lineum eſſe debet; Gallos vero uno tantum. Nomine ſecundi Corporalis intelligitur parva palla, quæ nunc communiter adhibetur ad Calicem contegendum, quæ eſt a Corporali diſtincta, ſed ejuſdem materiæ cum ipſo, cum quo pariter benedici debet, ut inferius dicetur. Agit erudite de Corporali Joſeph Vicecomes *vol.* 4. *ſuarum obſerv. Eccl. lib.* 7. *c.* 1. & *ſeqq.* Card. Bona *lib.* 1. *c.* 25. §. 11. Antonius Bellotte *in ſuis obſerv. ad Ritus Eccl. Laudunenſis pag.* 454. & *ſeqq.* Claudius de Vert *tom.* 3. *ſuper Rubric.* 69. Lazarus Andreas Bocquillot *in ſuo tract. hiſtor. de Sacr. Liturg. l.* 1. *c.* 5. *pag.* 88. Videri etiam poſſunt Ordo Rom. 1. *n.* 12. & Ordo 2. inter evulgatos a Jo. Mabillon *n.* 9. Item Ordo 6. *n.* 7. qui ibi de Sacris Corporalibus mentionem faciunt.

XII. Gavant. ead. lit. m. -- *Qui duplicem adhibent pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hoſtia, non ſunt reprehendendi.*) Hic uſus duplicis pallæ, unius ad cooperiendum Calicem, alterius, ſuper qua collocatur Hoſtia, ante, & poſt Conſecrationem, uſque ad uſum Patenæ, ut facilius colligantur fragmenta; hic inquam uſus a S. Cajetano, & a Paulo IV. Summo Pontifice Congregationis noſtræ conditoribus, ipſo naſcentis Religionis ſuæ exordio invectus fuit, & a Clemente VII. Pontifice Maximo approbatus; ut late oſtendit Joſeph Silos in Hiſtor. ejuſdem Congregat. Cleric. Regul. *tom.* 2. *lib.* 9. *pag.* 390. & *ſeqq.* necnon Franciſcus Magius in ſuo Galateo Religioſo *diſquiſ.* 20. Et Paſqualigus de Sacrificio novæ Legis *quæſt.* 792. Hunc nobis alterius pallæ uſum commendarunt pariter alii Summi Pontifices, necnon nonnulli Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & denique Petrus Ruiz, de præparat. Sacerdotis §. 11. *fol.* 266. ac Joannes Alcozer tract. de Miſſa Privata *Gloſſ.* 1. *fol.* 960. Trimarcus in Cærem. & Niger in addit. ad Ruiz *part.* 1. *præſup.* 3. *quæſt.* 10. quos refert laudatus Magius, citato loco.

XIII. Gavant. ead. lit. m -- *Non tamen imitandi ſunt ab aliis, &c.*) Huic Gavanti ſententiæ neganti hujus pallæ uſum, aliis Sacerdotibus, adhærent noſter Megalius *tom.* 2. *variar. reſol.* 199. & Paulus Maria Quarti in Rubricas Miſſalis *part.* 2. *tit.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 4. cui videtur talis Ritus permiſſio perſonalis; & ideo perſonas, quibus permittitur non egrediens. Sed his non obſtantibus in noſtris Eccleſiis, omnes externos Sacerdotes hanc pallam poſſe in Divinis Myſteriis uſurpare, tenent ex noſtris Molpheſius in Summa *tract.* 9. *cap.* 11. *n.* 61. & *ſeqq.* Joſeph Silos, Franciſcus Magius locis citatis, & Paſqualius de Sacriſ. Miſſæ *q.* 793. hac ratione permotus, quia uſus pallæ ſub Hoſtia non importat diverſum Ritum a Romano; ſed potius acceſſionem quamdam ad eundem Romanum Ritum coadjuvandum, ut decentiori modo ſe habeat. Rurſus ex eodem Paſqualigo, hujus pallæ uſus ſub Hoſtia invectus eſt; ut fragmenta ſuper ipſa remaneant, & poſſint facilius colligi, & in Calicem immitti. Et proinde talis uſus eſt inductus tanquam obſervantia interpretativa ordinarii Ritus, reducens ipſum ad majorem commoditatem colligendi fragmenta. Siquidem Ritus ordinarius eſt, quod Hoſtia ponatur ſuper Corporalis; & hic Ritus obſervatur ſecundum ſubſtantiam; ſed addit circumſtantiam: quod non ponatur ſuper parte Corporalis, tanquam ſejuncta a reliquo Corporali, quia ratione circumſtantiæ hujuſmodi provenit facilior collectio fragmentorum. Igitur, cum declaratio virtualiter contineatur in declarato, ut obſervant Decianus *Conſil.* 243. *in fine*, Socin. Jun. *Conſil.* 95. *n.* 74. hinc poteſt unuſquiſque ſequi hanc interpretativam obſervantiam, ſeu declarationem, ubi eam reperit: quia non erit ſequi novum Ritum, ſed ordinarium declaratum ab obſervantia. Hanc Paſqualigi ſententiam, quoad hanc partem non improbat Tonellius in ſuo Sac. Ench. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 6. nec Bulla S. Pii V. *in Miſſali Rom.* edita hunc Ritum, & hanc conſuetudinem abrogavit; ſed potius excepit illis verbis, niſi conſuetudo ab ipſa prima inſtitutione a Sede Apoſtolica approbata ſit; id quod obſervat Paſqualigus *in citata quæſt.* 793. ubi pariter negat contra Paulum Mariam Quarti, quod talis Ritus, ſeu pallæ uſus ſub Hoſtia, dicendus ſit perſonalis: quia non continet aliquid conceſſum perſonis; ſed eſt ipſemet Ritus Romanus, cum circumſtantia ſpeciali declarativa; ſeu ſic interpretatus, ut commodiori modo, & decentiori peragatur.

Idem Paſqualigus in eadem quæſtione ſuſtinet etiam omnes eos, qui Ritui Romano non ſunt addicti, poſſe uſurpare hunc pallæ uſum, in quibuſvis Eccleſiis: quia etiam ipſi poſſunt recipere aliquam interpretationem, ſeu additamentum circumſtantiæ ſupra Ritum proprium, quod concernat majorem decentiam, & ſecuritatem, nimirum, ne Sacræ Hoſtiæ fragmenta pereant. Idemque ibidem aſſerit multo magis probabile eſſe, quod unuſquiſque Ritui Romano addictus, extra Clericorum Regularium Eccleſias amplecti poſſit hujus pallæ uſum, ob ſupradictam rationem; & hanc eandem ſententiam docuit, ſuaſitque ad praxim deduci Doctiſſimus Cardinalis Baronius Sacrorum Rituum zelo, & peritia nemini ſecundus: quippe cum Turioſana (ut refert Silos *tom.* 2. *Hiſtoriæ Cong. Cler. Regul. lib.* 9. *fol.* 389.) *Quæ urbs eſt in Aragonia, Sacra adminiſtraret Didacus Yeſpes, Antiſtes qua doctrinis, qua probitate conſpicuus: torquebat hunc ea maxime cura, ne quid fragmentorum e Miſſæ Sacrificio deperiret. Videbantur namque ſibi haud ita accurate colligi poſſe, quin diligentiam aliqua effugerent. Cumque creſceret in dies ſtimulus, atque acriter vellicaret, perſcribere ad Cæſarem Cardinalem Baronium rem ſtatuit; ratus fore, ut vir Sapientiſſimus, aut præſenti aliquo remedio fragmentorum jacturæ occurreret, aut ſaltem animum componeret plus nimio anxium. Et Baronius quidem cum alia quædam in rem opportune Epiſcopo ſignificavit; tum illud addidit, percommodam nempe fore pallam, qua ex laudabili inſtituto, Regulares Clerici uterentur. Quod ubi Antiſtes re ipſa comprobavit, & adhibuit ipſe Ritum, & in morem ſua in Eccleſia ſubinde induxit, qui hodie perdurat.* Hactenus Silos. Exemplum literarum Cardinalis Baronii fatetur laudatus Magius apud ſe habuiſſe; & adſtruit in Archivio illius Cathedralis Eccleſiæ Turiaſonenſis authographum extare.

XIV. Gavant. eadem lit. m -- *E lino conjicitur fuiſſe.*) Quamvis antiquitus velum, quo Calix tegebatur, lineum fuerit; præſcribitur tamen a Rubrica velum Calici imponendum, debere eſſe ſericum coloris convenientis.

XV. Gavant. lit. q. -- *Neque Benedicitur palla ſeparatim.*) Certiſſimum eſt Corporalia ſimul cum palla eſſe benedicenda una, & eadem Benedictione: & ſicut præſcribitur hoc de palla, qua tegitur Calix; idem dicendum eſt de altera palla, qua utimur nos Clerici Regulares; de qua mox mentionem fecimus. Rurſus advertendum eſt ſub die 22. Januarii, Anno 1701. emanaſſe hoc Decretum. In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda palla a parte ſuperiori drappo ſerico cooperta. Ita S.R.C. in una *Camaldulenſium ad* 6. *dubium* -- Pallæ igitur, quamvis modo a Corporali ſejunctæ, ſemper tamen debent eſſe ex eadem materia confectæ, ac Corporalia ipſa, nempe ex candida, ſubtili, ſed firma tela, ſemperque etiam nitidæ, & mundæ eſſe debent.

XVI. Gavant. eadem lit. q. -- *Unde & eodem cultu veneranda ſunt.*) Hanc ſequelam, quam ex Canone *Sacratas de Conſecr. diſt.* 1. deducit Gavantus, non approbat Henricus Piſart in ſua appendice ſuperius citata §. 6. quo ad pallam Calicem tegentem, ſcilicet eodem cultu venerandum eſſe, quo Corporale: alia ſiquidem res erat, quando non ſeparabatur ab ab ipſo Corporali. Quidquid tamen ſit de intellectu præfati Canonis, quia talis palla immediate Chriſti Sanguinem reſpicit, & tegit, in veneratione ſemper eam haberi decet. De altera vero palla, quam noſtra adhibet Congregatio, ſuper qua ponitur Hoſtia conſecrata, nemini dubium eſſe poteſt, quin ſumma veneratione ſit contrectanda, & non poſſit a laicis, neque a Sacratis fœminis tangi, niſi poſt ejuſdem ablutionem ab aliquo Diacono factam; ut de Sacris Corporalibus præſcribitur in capite, *Nemo per ignorantiam, de conſecrat. diſtinct.* 1. *ubi ita diſponitur: Pallas vero, & vela Sanctuarii ſi ſordidata fuerint, miniſterio Diaconi cum hominibus Miniſtris intra Sanctuarium laveut, non ejicientes foras a Sacrario: & velamina Dominicæ menſæ abluant: ne forte pulvis Dom. Corp. male decidat, &c.*

Utrum autem graviter peccent Sanctimoniales, ac laici, qui Corporalia primum lavant, controvertitur a Doctoribus. Affirmativam ſententiam tuebatur Villalob. *part.* 1. *ſum. tract.* 8. *diffic.* 29. *n.* 5. & eos a mortali ſolum excuſat, qui ſummis digitis ſic prehendunt, ut nihil niſi extrema contingant; neque manus aut digitos in eandem aquam immitant. Venialiter vero peccare Sanctimoniales, & laicos, ſi Corporalia, purificatoria, & pallas in prima lotione lavant, cenſent Ludovicus a S. Joanne *in ſumma quæſt.* 11. *de Euchar. art.* 19. *dub.* 2. *diffic.* 3. Paulus Maria Quarti *in Rubricas Miſſalis part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 2. *dub.* 6. necnon Paſqualigus *quæſt.* 795. hac ratione ductus: quia, quod prima lotio fiat a laicis non dicit aliud ſupra lotionem, quæ fit a perſonis Sacris, ratione cujus prohibita eſſe poſſit quoad laicos, niſi contactum: ſed ſi Corporalia tangantur a laicis ſine contemptu, tradunt communiter eſſe veniale peccatum: imo quamplures, ſi ex cauſa id fiat, nullum intervenire peccatum cenſent: ergo idem dicendum ſi primo Corporalia vel a laicis, vel a Sanctimonialibus abluantur. Mox allegati Auctores, præſertim vero Paſqualigus, tenent, quod quamvis deceat, ut aqua, in qua Corporalia, & purificatoria abluta ſunt, in peculiarem piſcinam, quæ Sacrarium appellatur, debeat projici; peccatum tamen nullum eſſe, ſecluſo contemptu, eam extra Sacrarium in locum decentem projicere: quia ea de re nullum præceptum extat; & dictum Canonem, *Nemo per ignorantiam*, quoad hanc partem lotionis eſſe tantummodo directivum: quapropter id ſolum omnino ſervandum eſſe, quod exigitur ex ipſa natura rei, ſcilicet, ut ne in locum immundum dicta aqua projiciatur. Sed venia tanti viri contraria ſententia eſt amplectenda; præſertim prima, quia in Ordine Romano allegato etiam a Joſepho Vicecomite *tom.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *obſervat. Eccleſiaſt.* præſcribitur, quod: *ubi pallæ corporales lotæ fuerint, nullum linteamen ibidem debet aliud lavari, ſed ipſa aqua in Baptiſterium debet vergi.*

## RUBRICA.

a *Quibus ita diſpoſitis accedit ad paramenta, quæ* (r) *non debent eſſe lacera, aut ſciſſa, ſed integra,* (ſ) *& decenter munda, ac pulchra, &* (t) *ab Epiſcopo item,* (u) *vel alio facultatem habente benedicta;* (x) *calceatus pedibus, & indutus veſti-*

*veſtibus ſibi convenientibus, quarum exterior* (y) *ſaltem talum pedis attingat, induit ſe, ſi ſit Prælatus ſæcularis, ſupra* (z) *rochettum; ſit ſit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos ſæcularis, ſupra* (a) *ſuperpelliceum, ſi commode haberi poſſit; alioquin ſine eo ſupra veſtes communes, dicens ad ſingula* (b) *ſingulas Orationes inferius poſitas.*

### *G A V A N T U S*

* Paramenta non debent poni in Altari, in quo Miſſa eſt facienda, niſi pro ſolis Epiſcopis, & Cardinalibus; ut decrevit Sac. Rituum Congregatio *die*, *7. Julii* 1612. Deficiente vero Sacriſtia, aut menſa ſeparata, ſi in caſu neceſſitatis ponantur in Altari, nunquam tamen in medio, ſed in cornu Evangelii collocentur.

Birretum deponens Sacerdos, ut paramenta induat, ne illud ſuper Miſſale deponat, neque ſuper Calicem. Scopis item ſe purget, & mundet a pulvere.

(r) *Non debent eſſe lacera*. Si figura paramenti deſtruitur, vel inepta ſit ad uſum Sacrum, amittitur quoque Benedictio, *arg. cap. quod in dubiis de Conſecr. Eccleſ. vel Alt. ex Suarez*, 3. *part. diſput.* 82. *ſect.* 2. Cingulum ergo nondum ruptum poteſt nodo reparari: quod ſi rumpatur, altera quidem parte poteris uti; non autem toto per nodum reſarcito ſine nova Benedictione, quia forma amiſſa eſt: & nota, quod ligamina, quibus vere te cingis, ſunt magis de forma cinguli, quam illæ ejuſdem partes, quæ pendent verſus terram; ut ſcias ferre judicium de eodem iterum benedicendo.

(ſ) *Et decenter munda*. Lethale peccatum admitti docet *Silv. verb. Miſſa* 1. *quæſt.* 2. §. 3. ſi enormiter quis cum immundis celebret paramentis; lavanda vero ſunt in proprio vaſe, *ex Conc. Ilerd. Cart.* 3. *de conſ. d.* 4. *c. omnis*.

(t) *Ab Epiſcopo benedicta*. * Sacra vocat, hoc eſt benedicta indumenta ante alios primus *S. Anacletus Papa epiſt.* 2. *tum Sotherus epiſt.* 1. deinde Sacrata dicta ſunt, *cap. Veſtimenta, de Conſecr. diſt.* 1. *ex Stephano*: quod autem docet *Navar. in Man. cap.* 26. *n.* 84. de veſtibus, intelligitur etiam de cingulo, contra *Scotum* 4. *diſt.* 13. *qu.* 2. An vero benedictio veſtium præcipiatur ſub mortali? affirmat *Navar.* & habentur *in Ord. Rom.* præter cingulorum Benedictiones, etiam omnium veſtium Sacerdotalium.

* Quod autem ab Epiſcopo ſint benedicenda, docet expreſſe *Innoc. III. lib.* 1. *Myſt. Miſſæ cap.* 9. & adduot DD. Benedictionem hanc eſſe Ordinis Epiſcopalis, non juriſdictionis; quam idcirco Epiſcopus aliis delegare non poteſt ſine facultate Papæ.

(u) *Vel alio habente facultatem*. Hac de re dicemus infra in proprio loco circa finem Miſſalis, ubi de paramentorum Benedictione.

(x) *Calceatus pedibus*. Præceptum volunt eſſe *Silv. verbo Miſſa*, *&* *Sotus* 4. *diſt.* 13. *qu.* 2. ſed nonniſi ad majorem honeſtatem, & decentiam hoc præſcribi notat *Suar.* 3. *part. diſp.* 82. *ſect.* 3. Ordo Romanus *de Paraſceve*: non licet, inquit, Presbyterum, Diaconum, vel Acolythum ad Altare miniſtrare per nudos pedes: & *Exod.* 13. Cum calceamentis edebatur Agnus, quo ſignificatur aſperitas vitæ *ex Nazianz. Orat.* 42. & promptitudo ad omnia, *ex Eſaia Abb. tract.* 22. laudandi vero ſunt Clerici Regulares noſtri, qui in Sacriſtia deponunt etiam communes crepidas, ſeu calceos, & alias ibidem ad id paratas crepidas induunt, ad majorem nitnrem, & Sacri Miniſterii ſplendorem.

(y) *Saltem talum pedis*. Veſtis Cleric. erat antiquitus etiam talaris; unde & vocatur Caracal. *Beda teſtante de geſtis Angl. lib.* 1. *cap.* 7. *&* *eum exponente Baronio*, *Ann.* 303. Io Clericis peregrinis, & ruſticanis tolerandæ videntur breviores veſtes; non tamen ſupra medium crus. *Homob. tract.* 4. *q.* 145.

Veſtis autem, & tonſura ſunt ſibi invicem correlativa, de qua *Dion. Eccl. Hierar. part.* 2. *cap.* 3. *&* *Baronius Anno* 58. *n.* 13. Extat Bulla Sixti V. contra non ferentes habitum, & tonſuram graviſſimis impoſitis pœnis. Significat tonſura abjectionem terrenarum cogitationum, *Aug. lib. de contemptu Sæculi*; tum vitiorum reſecationem, *Steph. Edvenſ. in prol. lib. de Sac. Altaris*; tum regiam Sacerdotis dignitatem, *Iſidor. lib.* 2. *de Offic. cap.* 4. tum coronam Chriſti ſpineam, quam peccatores denotant, portandam a Sacerdote, *S. Germ. in Theoria*. De hac *Ezechiel* 16. *ut legit Hier.* coronam gratiarum ſuſcipiet vertex tuus. Conc. autem Palentinum ſub Urbano VI. definivit, coronam Sacerdotis eſſe debere ad menſuram majoris Hoſtiæ. Tolet. 4. coronam Clerici ad menſuram minoris Hoſtiæ: ergo Diaconorum, & Subdiaconorum erit formæ mediæ.

(z) *Rochettum*. Dicebatur linea, quia ex lino, *in Ord. Rom.* & quidem hoc ordine numerantur ibi veſtes Pontificis: linea amictus, linea dalmatica (quam *ibid.* vocat albam) cingulum, dalmatica, orarium, ſtola, & planeta: ergo linea Pontif. ante amictum, rochettum erat. Remanſit in linea Sanctus Cyprianus prope martyrium, ex Pontio, hoc eſt in rochetto, *ait Baron Ann.* 261. alii explicant in alba; ſed aſſentior Baronio. * Quod ſi verum eſt, adhuc habes antiquiorem lineæ, ſeu rochetti uſum apud Adonem *in Martyrl.* 26. *Novemb.* ubi Sanctus Alexander Epiſcopus, & Martyr ſub Antonio dicitur ſuſcepiſſe gladium ſtans in linea: quo fere loquendi modo utitur Pontius in Sancti Cypriani morte. Nomen eſt novum, cujus Synonymum eſt riccha *apud Craſſ. lib.* 1. *cap.* 21. Gallica profecto vox, Avenione forte, cum degerent ibidem Summi Pontif. introducta: nam in Calepini dictionario ſeptem linguarum Latina vox, Supparus, Gallice ſic vertitur, Roquet. Supparus autem *ex Varrone lib.* 4. *de Latina lingua* dictus eſt, quod ſupra induatur; ſicut ſubucula, quod induatur ſubtus. Ignatius Braccius a Græco deducit idiomate: Primo, ut ſimplex vocabulum a ῥόαις, quod, ut vetera lexica teſtantur, corymbi ſunt ornatus gratia Sacerd. ſtolis annexi, atque ita dicti ob mali punici ſimilitudinem: limbus autem rochetti lineis corymbis, aut alio ſimili artificio acu pingi ſolet. Deinde, ut vocabulum compoſitum, ex ῥῦ, & Χιτὼν: ſiquidem ῥῦ particula molle, & delicatum ſignificat, *ut magnus ait Etymologiſtes*; Χιτὼν tunicam ſignificat *ex eodem*, & præcipue lineam, ita ut Rochiton, Græce, ſit Latinis tunica mollior, & delicatior. Idem ab Hebræo deduci poſſe docet, a verbo, Rab, quod eſt ſpectare, intueri; & a nomine, *Chetam*, quod eſt lineum, qua ratione rochettum eſſet linum ſpectabile, ſeu veſtis linea ſpecioſa. Hæc ille argute. Manicas habet anguſtiores, ut ad opera bona manus ſint expeditiores: in cæteris ſignificationem communem habet cum ſuperpelliceo; de quo ſtatim ſcribo.

(a) *Superpelliceum*. Antiquitus induebatur hæc veſtis ſupra tunicas pelliceas, de pellibus animalium factas, *Durand. l.* 3. *c.* 1. ad indicandam innocentiam ſupra peccatum Adæ, quem veſtivit Deus tunica pellicea; ideoque coloris albi eſt hæc veſtis. * Meminit *S. Hier. l.* 1. *adverſus Pelag.* candidæ veſtis ad uſum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & reliqui Ordinis Eccleſiaſtici in adminiſtratione Sacramentorum: quæ vero alia inferiori Clero potuit eſſe communis veſtis, niſi ſuperpelliceum? Et item laxa, quia Clericalis vita debet eſſe in eleemoſynis larga, *Gem. lib.* 1. *cap.* 232. induitur ſupra communes veſtes, quia charitas operit multitudinem peccatorum: & habet formam Crucis, ut Paſſionis Chriſti veſtigia imitetur Eccleſiaſticus. *Durand. loc. cit.*, qui, *&* *cap. ſeqq.* in ſuperpelliceo, veſte prima ante amictum, intelligit fidem.

Sed unde cotta dicitur? Hetruſci vocant cottam quam veſtem, & togam Latini appellant. Joachimus Perionius *de linguæ Gallicæ cum Græca cognatione l.* 3. vocabulum Gallicum, *Cotte*, a Græca voce deducit Χιτώνιον, quæ tuniculam ſignificat; mutatiſque inter ſe literis duabus factum eſſe ait, Cothinium. Χιτώνιον autem eſt diminutivum a Χιτὼν, de quo diximus ſupra, cum de rocchetto. Pagninus *in Enchiridio* ait, *Chitam*, vel *Chetam* ſignificare linum, unde & *Chituna*, ideſt tunica linea; quamquam *Angelus Canonius* putet hæc Punica potius eſſe vocabula, quam Hebræa. Ignatius Braccius addit, non incongrue *a cottis*, quod apud Dores caput ſignificat, *ex Rodig. lib.* 7. *cap.* 23. cottam dici poſſe, eo quod in eam caput primo inferatur; mox reliquo corpore velato ſolum fere caput ex ea conſpiciatur erectum. Extendebatur ultra medias tibias ſuperpelliceum Clericale, *Conc. Baſil. ſeſſ.* 21 & camiſia ideo dicta eſt *a Codino de Offic. Conſtantinopolitanis*, *apud Bulg. Lib.* 2. *cap.* 59. ad uſum Lectorum, & Pſalmiſtarum.

(b) *Singulas Orationes*. *Severus Alexandrinus* meminit precum ad Sacras veſtes induendas. *Steph. Endevenſ. de Sacram. Alt. cap.* 10. habet eandem precem ad manipulum, qua nos utimur. *Chryſoſtom. in Matth. homil.* 38. indicat recitari aliquas preces; & certe convenit, cum ſint hæ Sacræ veſtes ad Sacrificium ordinatæ.

Concordant Orationes hæ majori ex parte cum ſignificationibus veſtimentorum Sacerdotalium tropologicis, ſeu moralibus, quas antiqui tradidere, & nos infra enarrabimus. Sed dubitari poteſt, an Orationes originem ducant a prædictis interpretationibus; an vero interpretationes ab Orationibus? Crederem ego, Orationes omnes, ut ſic ad Miſſam præparatorias, longe poſteriores eſſe, etiam poſt Durandum, qui ſequutus antiquiores, de ſtola ſcribit ſignificare jugum Domini, & caſulam charitatem, *citato Ordine Rom. in Ordinatione Presbyteri*; quæ interpretationes diſcordant ab Orationibus hodie dicendis ad ſtolam, & caſulam induendas: illam enim in Oratione appellamus ſtolam immortalitatis; hanc vero jugum Domini ſuave. Senſus autem dictarum Orationum patebit, cum infra de Myſteriis veſtimentorum agemus in fine hujus tituli.

Neque debent omitti hæ preces ſine cauſa; alias lethale peccatum eſt, *Navar. cap.* 25. *n.* 73. licet *Burchard. Decretorum etiam Doctor* moneat, non ex præcepto, ſed ex devotione eas dici ſolitas eſſe. Excuſat *Suarez diſp.* 82. *inter part. initio*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XVII. * - *Paramenta non debent poni in Altari, in quo Miſſa eſt facienda, niſi pro ſolis Epiſcopis, & Cardinalibus.*) Non ſolum Epiſcopi, & Cardinales, ſed etiam Prælati Epiſcopis inferiores, qui Pontificalium uſu fruuntur, Sacras veſtes ex Altari ſumere poſſunt; ſed ſolum quando Pontificaliter Divinis vacaturi ſunt; prout declaravit, & decrevit Sac. Rit. Congr. 27. Septembris 1659. in decr. gen. §. 11. quod datum eſt in noſtro Indice *ſub. n.* 348.

XVIII. Gavant. lit. y - *Veſtis autem, & tonſura ſunt ſibi invicem correlativa.*) Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *de Reform. &* *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. pariter *de Reformat.* varia præſcribit de veſtibus, & tonſura Clericorum. Accedunt pariter in omnibus Diœceſibus varia Decreta Synodalia, & Epiſcoporum ſanctiones, quibus Clerum ſuum ad decentiam, & veſtium Clericalium modeſtiam inſtruunt, & dirigunt. Præſertim vero in Concilio Romano celebrato Anno 1725. a Benedicto Papa XIII. *tit.*

16. *cap.*

16. *cap.* 3. ſancitum eſt, quod ,' qui ignominiam ſæcularis habitus, & comas capitum pro Chriſti amore depoſuerunt, veſte, ac tonſura Clericis congruente ſemper utantur, cumamque fictitiam, vulgo *Perucca*, aut *Cerchietti*, vulgo *Girelli*, nunquam adhibeant. Sed ante præfati Concilii ſanctionem editum jam fuerat, in quo præſcribitur, quod - Miſſa non poteſt celebrari cum cæſarie ficta - Ita S. R. C. 3. Auguſti 1652. *In Mileuitana*. Datur hoc Decretum in noſtro Indice *ſub n.* 308.

XIX. Gavant. lit. z - *Rochettum dicebatur linea &c.*) Statutum eſt, quod - Regulares rochettum non deferant; niſi ex tali ordine fuerint, cui indumentum hujuſmodi competat - Ita Sac. R. C. die 27. Septembris 1639. in Decreto generali §. 9. & in noſtro Indice datur hoc decretum *ſub n.* 346.

## R U B R I C A.

3 *Ac primum accipiens* (c) *amictam circa extremitates, & cordulas* (d) *oſculatur illum in medio, ubi eſt Crux. & ponit ſuper caput, & mox declinat ad collum, & eo veſtiam collaria circumtegens, ducit cordulas ſub brachiis, & circumducens per dorſum ante pectus reducit, & ligat. Tum* (e) *alba induitur, caput ſubmittens; deinde* (f) *manicam dexteram brachio dextro, & ſiniſtram ſiniſtro imponens, albam ipſam corpori adaptat, elevat ante, & a lateribus, hinc inde,* (g) *& cingulo per Miniſtrum a tergo ſibi porrecto ſe cingit. Miniſter elevat albam ſupra cingulum circumcirca, ut honeſte dependeat, & tegat veſtes: ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter ſupra terram æqualiter fluat. Sacerdos* (h) *accipit manipulum,* (i) *oſculatur Crucem in medio, &* (l) *imponit brachio ſiniſtro, deinde ambabus manibus* (m) *accipiens ſtolam ſimili modo* (n) *deoſculatur, & imponit medium ejus collo; ac tranſverſando eam* (o) *ante pectus in modum Crucis* (p) *ducit partem a ſiniſtro humero pendentem ad dextram; & partem a dextro humero pendentem ad ſiniſtram; ſicque utramque partem ſtolæ* (q) *extremitatibus cinguli hinc inde ipſi cingulo conjungit.*

## G A V A N T U S.

(c) *Amictum*. Ab amiciendo dicitur amictus: Anabolagium, ambolagium, analogium, humerale, & amictus eadem ſunt *in Ord. Rom.* Superhumerale dictum eſt *ab Alc. cap. Quid ſignif. veſt.* Humerale *ab Honorio quoque in Gem. lib.* 1. *cap.* 201. quia humeros tegit. *Raban.* 1. *inſtit. Cler. cap.* 15. vocat Ephod-Bat, & & eſſe ab Hebræis deductum ad noſtros ſcribit: eo Apoſtoli ſunt uſi. Orale, de quo *Innoc.* III. *c.* 53. putat Vicecomes eſſe amictum; ſed idem Innoc. diſtinguit ab amictu, *de quo cap.* 50. hic enim ante albam, illud poſt albam induitur: diverſa eſt utriuſque forma, ut Romæ videre eſt; & orale quod hodie dicitur, fanon, *a Marc. in Cærem. Pap. lib.* a. *cap.* 14. eſt propria Papæ veſtis.

Caput amictu cingitur, tum collum, dorſum, & pectus: de collo *Amalar. lib.* 2. *cap.* 17. de vittis reliqua cingentibus *Gemma ſupra, & Innoc.* III. *lib.* 1. *cap.* 50. Myſteria aperiemus infra.

(d) *Oſculatur illud in medio*. Cruces in veſtibus Sacerdotalibus adhibitas eſſe eſſe a tempore Sancti Marci Papæ, *tradit Baron. An.* 336. hodie in amictu, manipulo, & ſtola Cruces adeſſe ſolent ad recolendam Domini Paſſionem: ſicuti ſtola imponitur collo cum oſculo, ut ait *Durand. lib.* 3. *cap.* 5. ita ſimili Ritu imponendus eſt capiti amictus in honorem Sanctæ Crucis. Omittant igitur hoc loco ſignum Crucis; quod præter Rubricam ſibi faciunt quidam manu, & amictu ſimul a fronte ad pectus; vel ſignent ſe, antequam accipiant amictum: nam antiqui ter ſe ſignabant, *ut ſcribit Severus Alexandr. de Ordin. oblationis*, ante amictum, & manu tantum. Quod autem ſuper caſulam reflectitur amictus a Regularibus, indicant hunc Ritum, *Rupert. lib.* 1. *cap.* 19. *& Innoc.* III. *lib.* 1. *cap.* 58. ex quo ſequitur ſimplicis amictus uſum eſſe valde novum.

(e) *Alba induitur*. Poderis eſt appellata a *Nazianz. Or.* 3. quia Græci vocant pedes, podas, & hæc veſtis ad pedes demittitur, *Durand. lib.* 3. *cap.* 9. Camiſia *ab Amalar, cap.* 18. Tunica *a Rabano loc. cit. cap.* 17. Tunica linea *ab Ivone ſermon.* 3. *de iadum.* Dicta quoque eſt Linea Dalmatica *ab eodem Ordine Romano ſuper n.* 2. *citato*: ubi etiam & abſolute Linea, quia ex lino. Denique ſupparus *ab Alcuino*. Alba vero ante amictum ab Ambroſianis: a Romanis autem poſt amictum induitur; *ut in Liturg. Chryſ. in Conc. Cartag.* 4. *cap.* 41. *& in Ord. Rom.*

(f) *Manicam dextram brachio, &c. Burch.* Motus enim naturalis a dextra eſt in ſiniſtram; & creditur Chriſti manus dextra prius affixa fuiſſe, quam ſiniſtra, *ex Beata Birgitta lib.* 1. *cap.* 10. *& lib.* 4. *cap.* 70.

(g) *Et cingulo, &c. Ord. Rom.* Cingulum nominat *Alcuin. ſupra*, Zonam, Baltheum, *Joan. Diacon. in vita S. Gregor. lib.* 4. *cap.* 80. *& Gemma Ann. lib.* 1. *cap.* 201. Duarum ejuſdem ſummitatum meminit *Innoc.* III. *lib.* 1. *cap.* 37. fortaſſe enim tunc temporis, ut apud nos, extremitates cum ornatu erant. *Leo IV. in epiſt. ad Epiſcopos*, non meminit cinguli (quia non eſt veſtis) inter veſtes Sacerdotales.

(h) *Accipit manipulum*. Quarto loco indui manipulum ſcribit aperte *Raban. loc. cit. cap.* 18. alii, vel negligunt ordinem veſtium, vel Epiſcopalium ordinem ſervant. Mappulam *Ord. Rom.* appellat, qua pituita oculorum, narium, & oris detergebatur, inquit *Alcuin. loc. cit.* Sudarium - *Alcuin. idem, & Amalar. cap.* 17. quo ſudor abſtergitur. Cingulum brachiale, *Ord. Rom. in Conſecr. Epiſcop.* Fanonem *Leo IV. Epiſt. ad Epiſc. & Gemma c.* 208. Manipulum *Rub. lib.* 1. *cap.* 33. *& Hugo Victor. in Spec. cap.* 6. Phanonem, & Mantile *Rabanus de inſtitut. Cler. lib.* 1. *cap.* 18. qui & mappam parvam vocaverunt. Linteum, Cincticulum Sacerdotale, *Heſychius apud Balenger. lib.* 1. *cap.* 42. Aerem *Chryſoſt. in Liturgic.* Decem ergo nomina certa manipulus habuit; & apud aliquos Patres in uſu fuiſſe tradit *Concil. Rhemen. apud Burchardum lib.* 2. *c.* 50. & nomina quidem ſunt ad placitum, ſed res eadem eſt apud prædictos: tum ex fine, ad tergendum pituitam, & ſudorem; tum ex eo, quia in læva ſecundum omnes portabatur.

Dubitatur: an idem ſit cum manipulo mappa illa linoſtima, quia ex lino erat apto ad tergendum, quam conceſſit Diaconibus S. Silveſter, ut cum dalmaticis ad lævam uterentur? affirmans ſententia placuit valde Roberto Card. Bellarmino, quo cum eam communicavimus. Vox ipſa linoſtima, vim facit, quaſi linoſtoma, quæ ex duabus conſtat vocibus Græcis, altera ſignificante linum, altera os: nam uſus manipuli erat ad tergendum os, & oris pituitam ut diximus: *S. Iſidor. lib.* 19. *Orig. cap.* 22. habet *Linoſtema*, quam dicit ibidem eſſe ex lana, linoque contextam; & ſic dictam, quia in ſtamine linum; in trama (hoc eſt ſubtegmine) lanam habet. Stolam volunt eſſe alii, *ex Damaſo citato in Act. Eccleſ. Mediol.* de cujus tamen expoſitione non conſtat; & ſtola potius lævum, non lævam tegit, humerum, pectus, & dextram partem conveſtit. Manipulus proprie lævam partem tantum ornat: fimbrias additas manipulo deſcribit *Rupert. loc. cit.* qui primus inter Scriptores eum manipulum appellavit. Quod ſi hanc vocem legas apud Severum Alexandrinum, ſeu Stephanum Edvenſem, adverte, quod eſt interpretum vox recentiorum, non Græcorum Auctorum Ruperto antiquiorum.

(i) *Oſculatur Crucem in medio.* Ut ſupra de amictu eſt dictum.

(l) *Et imponit brachio ſiniſtro*. Concordant omnes citati Auctores, eo fine, ut brachium dextrum liberius ſit ad miniſterium: unde & ideo Miniſtri, manipulos deponunt in induendo Pontifice, ut longe ſint expeditiores in eo miniſterio; quod notat *Durand. lib.* 3. *cap.* 5. Adde, quod dextra manu commodius tergebantur oculi, & os, mappula pendente a læva manu: ligari vero debet manipulus infra cubitum, non ſupra, nec longius a manu; ut ex prædicto fine, & uſu conſtat.

(m) *Accipiens ſtolam*. Orarium eam vocat *Ord. Rom.* in genere maſculino; alii in genere neutro: quia Oratorum, hoc eſt Prædicatorum habitus eſt, *ex Alcuino ſupra*: quare non datur niſi Presbyteris, & Diaconibus, quorum tantum munus proprium eſt concinandi. Ab Oratione deducit *Beda vocabulum in Collectam. cap. de ſeptem ord.* quia in Oratione, & miniſterio Sacramentorum frequens eſt ſtolæ uſus. Stola dicta eſt etiam *in Ord. Rom.* a Græco ϛολὴ, idest, indumentum, vel a ϛέλλω, id eſt orno. Ad genua tradit, *ex Amalar. lib.* 2. *cap.* 20. nam licet ſtola eſſet veſtis candida pertingens ad talos uſque, ut ait *Auctor Gemmæ lib.* 1. *cap.* 204. tamen, introducta alba, ſeu camiſia Sacerdotali, mutata eſt ſtola in torquem: *ut ib. & apud Durand. l.* 3. *cap.* 5. cum fimbriis eam deſcribit *Rupert. lib.* 1. *c.* 33. ejuſque uſus habetur *in Actis S. Clem. Metenſis, patrui S. Clem. Papæ apud S. Antonin. part.* 1. *tit.* 6. *cap.* 26. qui ſtola ſua cinxit draconem. Sed & *Cedrinus apud Balgen. lib.* 1. *cap.* 38. ſcribit: Auguſtæ ſtolas Apoſtolorum fuiſſe repertas.

Stolam vero in Miſſa omnino adhibendam eſſe decrevit *Concilium Bracar.* 3. *cap.* 3. *& habetur* 23. *cap. Eccleſiaſtica*.

(n) *Deoſculatur*. *Durand. loco citato*, ut de oſculo amictus ſupra diximus: & imponit collo, ut torquem, ait *Gemma loc. cit.* non longe a collo, contra quoſquam; longe enim a collo eſt proprium Epiſcopi.* Premens cervicem & utrumque humerum, ait *Conc. Bracar. citatum*: ſi premit cervicem, ergo prope collum.

(o) *Ante pectus in modum Crucis*. Ita *Conc. Brac. loc. cit.* quod tamen Innoc. III. tempore Romæ non obſervabatur; ut ipſe indicat *lib.* 1. *cap.* 54. niſi forte dicamus, eum ibi loqui de ſtola Pontificali, in qua neque hodie obſervatur prædicta forma Crucis, quia Crucem pectoralem Epiſcopus habet.

(p) *Ducit partem a ſiniſtro humero. Burchard.* Hoc autem eſt notandum diligenter, tum quia a ſiniſtro ad dextrum latus ſtolæ ductio prior in memoriam revocat me eſſe prius Diaconum, quam Sacerdotem (ſtola namque Diaconalis eſt ab humero ſiniſtro ad dextrum latus) ſicut Epiſcopus prius induit tunicellam Subdiaconi, & poſtea dalmaticam Diaconi, ut quaſi per gradus meminerit ſuæ ſummæ dignitatis; tum quia in Ordinatione Sacerdotis eodem prorſus modo aptata fuit ſtola collo ejuſdem ab Epiſcopo, & ſic ad ejuſdem rei memoriam eſt continuandum; tum quia hac ratione, ſi bene advertas, pars dextra ſtolæ formans Crucem in pectore remanet ſuperior ſupra partem ſiniſtram ejuſdem; quod infra *tit.* 3. in ſimili caſu, non caſu fieri dicendum eſt, pollice dextero inquit Rubrica, ſuper ſiniſtrum poſito, in modum Crucis. Meminit autem hujus Ritus in ſtola diſtincte, *Ivo Carnot. ſerm. de ſignif. indumentorum*.

(q) *Extremitatibus cinguli, &c.* Et hoc etiam deſcribit *Ivo ibidem cum Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 54.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XX. Gavant. lit. c - *Ab amiciendo dicitur amictus*.) Amictus inter veſtes Sacerdotales hodie in Romana Eccleſia primum locum

cum

Digitized by Google

cum tenet; induitur enim ante omnem aliam veſtem: antiquitus vero vigebat uſus accipiendi amictum poſt albam; ut colligitur ex Ordine Romano quinto ex vulgatis a Joanne Mabillon, *tom.* 2. *ſui Muſæi Italici*. Miſſale pariter plenarium Vaticanum, Annorum ſupra ſeptingentorum, relatum a Dominico Georgio, loco inferius citando, præcipit pariter amictum ſumendum poſt albam, & cingulum, adjecta illa precatione, quæ refertur ab eodem Georgio. Hic uſus induendi amictum poſt albam perſeverat adhuc in Eccleſiis Lugdunenſi, & Mediolanenſi: etenim in Miſſa Ambroſiana, juſſu Sancti Caroli edita, poſt cingulum præcipitur, ut imponatur amictus: ſed Miſſale Romanum Vellicellanum Sæculi 11. accipiendum amictum ante albam indicat; unde colligitur ante prædictum Sæculum in Romana Eccleſia hunc morem invaluiſſe induendi amictum ante albam, & quamcumque aliam veſtem Sacerdotalem. Præter ea, quæ tradidit Gavantus ſupra de amictu, videri poſſunt, quæ fuſiori calamo exaravit Joſeph Vicecomes de Miſſæ Apparatu *lib.* 2. *cap.* 3. *& ſeqq.* ubi agit de nominibus variis, quibus hæc veſtis appellata fuit; item de materia, forma, vario uſu, necnon de veteri more adhibendi amictum in Chriſtianorum Sacris. Legi pariter poterunt ea, quæ de amictu tradidit Andreas Du-Sauſſay in Panopl. Sac. *lib.* 1. *a pag.* 1. *uſque* ad 8. Card. Bona *lib.* 1. *rerum Liturgic. cap.* 24. *n.* 3. Antonius Bellotte in ſuis obſerv. ad Ritus Eccl. Laudunenſis *pag.* 240. Lazarus Bocquillot in ſuo tract. hiſt. de Liturg. *cap.* 7. *n.* 4. & recentiſſimus Dominicus Georgius *tom.* 1. *de Liturg. Rom. Pontif. cap.* 15.

XXI. Gav. lit. d - *Oſculatur illum in medio, &c.*) Sacerdos ſibi amictum imponens oſculari eum debet in medio, ubi eſt formata Crux; ſi autem careat amictus Cruce; vel mutetur, vel pollice imprimatur Crux, ſi commode fieri poteſt, ut aliquo modo Crux oſculetur. Angel. *part.* 1. *tit.* 1. *n.* 1. *& part.* 3. *tit.* 1. *n.* 29. Oſculatum amictum debet Sacerdos immediate inducere non ſuper collum, ſed prius ſupra caput, & deinde eo veſtium collaria circumtegere. Hinc graviter invehitur Gerlacus Vintor *part.* 2. *tit.* 1. *num.* 28. in Sacerdotes collaria ſua ante celebrationem deponentes; cum Rubricæ collaria amictu tegi debere, clare præſcribant.

XXII. Gavant. lit. e - *Poderis eſt appellata, &c.*) Deſcribit hic Gavantus albam, nempe ſecundam veſtem Sacerdotalem: verum qui plura ſcire deſiderant de variis albæ nominibus, veteri more eam induendi, de materia, ex qua confici debet, necnon de ejuſdem forma, origine, & aliis hujuſmodi, evolvere poterunt Joſephum Vicecomitem ſupracitatum *a cap.* 7. *uſque ad cap.* 12. & Andream Du-Sauſſay, *qui toto lib.* 2. *ſuæ Panopliæ Sacerdotalis, nempe pag.* 13. *uſque ad* 34. de hac materia erudite differit: Card. Bona *loc. cit.* §. 4. Antonium Bellotte *loc. cit. pag.* 243. Lazarum Bocquillot *cit. loc. n.* 6. & Dominicum Georgium *cit. loc. cap.* 16.

XXIII. Gavant. lit. f - *Motus enim naturalis a dextra eſt in ſiniſtram.*) Albæ manica dextra (elevante illam, & extendente Miniſtro) imponenda eſt brachio dextero, depoſita, & convoluta ſupra humerum ſiniſtrum, & ſuper brachii ſiniſtri partem ſuperiorem ejuſdem albæ parte ſiniſtra; ut Sacerdotis manus ſiniſtra expeditior ſit ad veſtiendum dexterum brachium: poſtmodum manica ſiniſtra elevata pariter a Miniſtro, ſiniſtro brachio aptetur per miniſterium manus dexteræ Sacerdotis, & Miniſtri. Ita Caſtaldus, Tornellius, Bonamicus, quos refert; & ſequitur Hippolytus a Portu in ſuis adnotationibus ad hanc Rubricam *n.* 6.

XXIV. Gavant. lit. g - *Cingulum nominat, &c.*) Vinculum, ſeu ſubligaculum illud, quo Sacerdotes albam præcingunt, tribus nominibus compellatum eſt, nimirum cingulum, zona, & baltheum, ut ex veteribus Auctoribus collegerunt Joſeph Vicecomes *loco ſuperius allegato cap.* 13. necnon Dominicus Georgius *cit. loc. cap.* 17. Inter veſtes miſſales, præfatum cingulum, alii ſecundo, alii tertio loco collocarunt; ut tradit laudatus Vicecomes. Alia nonnulla ad hoc veſtimentum Sacerdotale ſpectantia, nimirum, qui fuerint cingulorum colores, quæ materia, quinam Ritus in eo præcingendo, quæ preces recitandæ, &c. late explicant mox allegati Auctores, necnon Antonius Bellotte loco ſuperius cit. *pag.* 245. & Andreas Du-Saſſay, *toto lib.* 3. *ſuæ Panopliæ Sacerdotalis a pag.* 34. *ad* 62. Die vigeſima Januarii 1701. emiſſum fuit a S. R. C. hoc Decretum circa cinguli materiam - Sacerdotes in Sacrificio Miſſæ congruentius utuntur cingulo lineo, quam ſerico. Ita reſpondit S. R. C. *in una Camaldulenſium* ad 7. *dubium* - Et ſub die 8. Junii 1709. *in una Bracaren.* ad 4. *dubium*, S. R. C. declaravit Sacerdotes poſſe uti cingulo coloris paramentorum. Primum ex dd. Decretis datur in noſtro Indice *ſub nu.* 553. ſecundum vero *ſub numer.* 616.

Romanus Pontifex præter cingulum adhibet etiam ſuccinctorium, cujus nomine venit ſubcingulum illud, quod dependet a cingulo, quo ſtola Pontificis cum ipſo cingulo colligatur. De hoc ſuccinctorio mentionem faciunt Innocentius III. *libr.* 1. *Myſteriorum Miſſæ cap.* 52. & Gulielmus Durandus in Rationali, &c. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. Honorius Auguſtodunenſis, *Gemma Animæ lib.* 1. *cap.* 206. Hugo a S. Victore de Sacramentis *l.* 1. *cap.* 49. & Cardinalis Bona *rerum Liturg. lib.* 1. *cap.* 24. §. 15. qui tradit neminem hodie in Eccleſia Latina uti ſuccinctorio, niſi ſolum Romanum Pontificem, quando ſolemniter celebrat; ac eſſe inſtar parvi cujuſdam manipuli, & a ſiniſtro latere pendere: & equidem in Cæremoniali S. R. E. a Marcello Corcyrenſi edito fit mentio de ſuccinctorio Romani Pontificis *in lib.* 2. *cap.* 14. In cæremoniali vero Epiſcoporum nulla fit mentio de prædicto ſuccinctorio; nihilominus ſuccinctorium fuiſſe unum ex novem ornamentis Epiſcoporum, tradit Div. Thomas *lib.* 4. *in Magiſtrum Sententiarum diſtinct.* 24. *art.* 3. Rurſus de Epiſcoporum ſuccinctorio mentionem etiam faciunt Bruno Epiſcopus Signinus, qui obiit Anno Domini 1111. nec non Sicardus Cremonenſis, relati a Gregorio mox citato, qui ſubnectit ſe cenſere omiſſum fuiſſe ſuccinctorium ab Epiſcopis, ex quo iis, ex Cæremonialis Epiſcoporum præſcripto, ſtola aptetur modo diverſo: nam diſponitur *lib.* 2. *cap.* 8. §. 14. ut ad eam commodius aptandam chordulæ retro, & ante ipſi ſtolæ annectantur, quibus firmari poſſit, ne huc illucque vagetur. Hæc citatus Georgius.

XXV. Gavant. lit. h - *Mappulam Ordo Romanus appellat, quia pituita oculorum, &c.*) Cardinalis Bona *lib.* 1. *rerum Liturg. cap.* 24. §. 5. adſtruit, quod: *Mappulæ, ſive ſudarii lintei uſus duravit, donec in locum ejus manipulus, non ad tergendas ſordes, ſed ad ornatum ſuffectus eſt; qui propterea ejus materiæ, & texturæ eſt, ex qua ſtola, & planeta fieri ſolent.* Deinde ſubnectit ſe conjicere hanc mutationem mappulæ in manipulum ſecutam eſſe Sæculo decimo, ex quo Alcuinus, & Amalarius, qui Sæculo nono vixerunt, mappulæ uſum tunc viguiſſe oſtendant. Verum huic ſententiæ Cardinalis Bonæ opponitur Dominicus Georgius *tom.* 1. *de Liturg. Rom. Pontificis cap.* 30. §. 3. ubi ex aliquibus antiquitatis monumentis editis poſt prædicti Sapientiſſimi Cardinalis deceſſum, demonſtrat, manipuli nomen in miniſterio Altaris antiquius eſſe Sæculo 10. In Codice ſiquidem Monaſterii Sancti Dionyſii in Francia, ſub Caroli Magni tempora ſcripto, inter preces ad Sacra indumenta accipienda; habetur Oratio ad *Manipulum*. Ita ex Martene *part.* 1. *de veteribus Eccleſiæ Ritibus lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 12. colligit laudatus Georgius, qui deinde ſubdit, quod Wifredus Comes Barchinonenſis & Widinilles Comitiſſa, Anno Dom. 888. 12. Kal. Maji, quo die dedicata eſt a Godemaro Epiſcopo Auſonenſi Eccleſia S. Mariæ Rivipullenſis, tradiderunt eidem Eccleſiæ, vel prædicto Pontifici, id eſt Comites, *Calicem, & Patenam de auro, Miſſale, Lectionarium, planetam, & albam, ſtolam, & manipulum.* Hæc eruit præfatus Auctor ex appendice Marcæ Hiſpanicæ *nu.* 45. *pag.* 817. Præterire non debeo eundem Dominicum Georgium *in eodem eruditiſſimo ſuo opere libr.* 2. *cap.* 4. §. 2. referre ex Mabillon. Annal. Bened. *lib.* 25. §. 33. ad Annum Dom. 781. donationem Aldegaſtri Monaſterio Obonenſi apud Aſtures factam, cujus verba ſunt: *ad ornamenta vero Eccleſiæ* (dant) *octo veſtimenta* (forte ad ornandum Altare) *tres mantos, ſeu caſulas, ſex ſtolas, & quinque manipulos, quatuor Corporalia, & quinque pallas, & ſex ſabanas, ſeu manutergia, duas literatas, & quatuor ſine ſerico: unam cuppam ſericam, & tres Calices, duos ſcilicet ex argento, & unum ex petra; unum Miſſale, unam Crucem ex argento, & duas ex ligno, quatuor frontales ex ſerico, duas campanas ex ferro. De libris: Lectionarium, Reſponſorium, duo Pſalteria, unum Codicem dialogorum, ſcilicet Sancti Gregorii, & unam regulam de Ordine Sancti Benedicti, &c. - Facta Charta Teſtamenti 16. Kal. Februarii æra octingenteſima decima octava:* hoc eſt Anno Dom. 781. Ex quibus clare evincitur, non ſolum Sæculo 9. ſed etiam Sæculo 8. & rem, & nomen manipuli inter Sacras veſtes fuiſſe.

XXVI. Gavant. lit. h - *Rupertus loc. cit. qui primus inter Scriptores eum manipulum appellavit,*) Noſter præclarus Auctor adhærens Sententiæ Joſephi Vicecomitis, qui *Volum.* 4. *ſuarum obſerv. lib.* 2. *c.* 34. aſſerit manipuli uſum in locum linteæ ſyndonis non niſi Ruperti Abbatis ætate, hoc eſt A. D. 1120. introductum fuiſſe; noſter, inquam, Auctor, tali ſententiæ inhærens, cum eodem Vicecomite aſſerit, quod Rupertus Abbas primus eum manipulum appellavit. Verum ex prædicta Aldegaſtri donatione, & ex aliis, quæ mox attulimus, corruunt ejuſmodi opiniones: conſtat ſiquidem ante Ruperti tempora manipulum fuiſſe in uſu, & inter Sacras veſtes enumeratum fuiſſe, ejuſque nomen ante Rupertum reperiri expreſſum. Quæ dicta ſunt in Vicecomitis, & Gavanti ſententiam, refellunt etiam opinionem Claudii de Vert, cui placet mutationem mappulæ in manipulum Sæculo tantum duodecimo contigiſſe; quamvis non ignoraret manipuli vocem ante illud Sæculum in uſu fuiſſe, *tom.* 2. *pag.* 319. Ultimo loco adnotare lubet cum Card. Bona manipulum proprium Subdiaconi indumentum, ut Scholaſtici exiſtimant, veteri uſu non fuiſſe; ut colligitur ex Lanfranco Cantuarienſi, qui epiſtola 13. dicit: *In Cœnobiis Monachorum, etiam laici, cum albis induuntur, ex antiqua Patrum inſtitutione ſolent ferre manipulum.* Verum hæc conſuetudo, ut in notis ad eandem epiſtolam vir eruditus Lucas Dacherius obſervat, abrogata poſtmodum fuit in Concilio Pictavienſi ſub Paſchali II. *cap.* 5. ſtatuente, ut nemo Monachorum deinceps manipulis utatur, niſi fuerit Subdiaconus. Manipulo noſtro reſpondet apud Græcos epimanicium, de quo agit Goar in notis ad Chryſoſtomi Liturgiam *n.* 12. Cum planeta totum corpus ambiret, ut infra videbimus; manipulus extremo loco, brachio expedito imponebatur: & hic Ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in ſolis Epiſcopis remanſit, quibus peracta Confeſſione a Miniſtris imponitur; priſco autem more, poſt Confeſſio-

nem

Digitized by Google

nem caſula elevari ſolebat; & tunc a Miniſtro imponebatur Sacerdoti manipulus. Alia ad Manipulum ſpectantia videri poſſunt apud mox allegatos Auctores, necnon apud Aodream Du-Sauſſay *lib. 4. ſuæ Panopliæ Sacerdotalis*, & apud Antonium Bellotte in ſuis obſerv. ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis *pag.* 247. ac Claudium de Vert *tom. 2. ſuarum explic. Sac. Cær. pag.* 315. *lib. 2. cap. 2. & alibi*.

XXVII. Gav. lit. l — *Ligari vero debet manipulus infra cubitum.*) Huic Gavanti ſententiæ adhærent Tonellius, Bonamicus, Cabrinus, & alii, quos refert Hippolytus a Portu in ſuis adnot. *ad tit. 1. Rubr. 3. n.* 10. In hac eadem ſententia verſatur pariter Bauldry *part. 1. cap. 16. num. 9.* E contra vero ſuſtinent manipulum imponendum eſſe ſupra cubitum, Lohner *part. 6. tit. 1. §. 7. lit.* l, cui adhæret Hippolytus a Portu *cit. loc.* ex eo quia ſi manipulus ligetur ſupra cubitum, minus impediet Sacerdotem in ſuis functionibus; & poſt Conſecrationem nullum erit periculum tangendi, & extrudendi Sacratiſſimam Hoſtiam extra Corporale, imo etiam extra Altare: certum præterea eſt apud omnes firmandum eſſe manipulum aciculis, aut chordulis, ne decidat e brachio Sacerdotis.

XXVIII. Gav. lit. m — *Accipiens ſtolam, &c.* Hoc nomen *Stola* apud profanos Scriptores tam Græcos, a quibus fluxit, quam Latinos, qui illud uſurparunt, muliebrem veſtem ſignificat ad talos uſque demiſſam. Erat autem proprium matronarum veſtimentum; ut docet Octavius Ferrarius de re veſtiaria, *lib. 3. cap.* 17. Et Lazarus Baylius *in cap. 17. lib.* 1. pariter de re veſtiaria; adeo ut impudicæ mulieris nora foret brevior tunica; & Tertullianus *lib. de pallio cap.* 4. inter ſigna ejuratæ pudicitiæ recenſet matronam in publico ſine ſtola. Interdum tamen ſumptam legimus ſtolam pro totius corporis indumento & tunica vulgari, non ſolum mulierum, ſed etiam virorum uſui accommodata, tam in profanis, quam in Sacris literis. Hinc Nonius Marcellus *in lib: de proprietate ſerm. cap.* 14. obſervavit ſtolam veteres nominaſſe, non honeſtam veſtem ſolum, ſed etiam omnem, quæ corpus tegeret; hinc etiam *Geneſ. cap.* 41. legitur quod cum Pharao conſtituit Joſeph ſuper univerſam Terram Ægypti, veſtivit eum ſtola hyſſina; & ipſe Joſeph *Geneſ.* 45. ſingulis fratribus ſuis proferri juſſit binas ſtolas, id eſt veſtes mutatorias; ut una depoſita, feſtiviori die aſſumere poſſent aliam. Eodem ſenſu uſurpatur pro tunica muliebri *in lib. Judic. cap.* 16. ubi dicitur: *Accepit ſtolam ad decipiendum illum*: quapropter ſtola primario uſu non aliud fuit, quam tunica talaris, ſeu veſtis ab humeris ante, & retro ad pedes uſque profuſa. Hinc Durandus in Rationali *lib. 3. cap. 5. num. 6.* dicit, quod: *Stola antiquitus fuit veſtis candida pertingens uſque ad veſtigia, qua Patriarchæ utebantur ante Legem; quam primogeniti, cum Benedictionem patris acciperent, induebant, & Domino victimas ut Pontifices offerebant: ſed poſtquam alba cœpit portari, mutata eſt in torquem.* Quapropter optime dicit Gulielmus Burius in ſuo onomaſtico etymologico v. *Stola*, quod ſicut Canonici quidam Auguſtiniani pro integro rochetto, tantum faſciam aliquam lineam portant, inſtar parvi ſcapularis; ita modo ſtola, quæ quondam integra erat veſtis, eſt tantum aliqua faſcia e collo Sacerdotis hinc inde dependens, data Preſbyteris, & Diaconis, quorum munus eſt prædicare verbum Dei a quibus fertur ſuper uno tantum humero ſiniſtro ſub axillam dexteram connexa, ad diſtinctionem Sacerdotum, qui utroque humero portant a collo quidem ante pectus in modum Crucis cingulo conjunctam, quando celebrant; ſolutam vero hinc inde, quando ab ipſis adhibetur in aliis Sacris miniſteriis una cum ſuperpelliceo: ſicut etiam hoc modo geſtatur ab Epiſcopis, ut videbimus infra, etiam cum Sacris operantur, ob rationem, quam paulo inferius adducit Gav.

Stola igitur, de qua nunc eſt ſermo, & cui quartum inter veſtes Sacerdotales locum veteres Chriſtiani attribuerunt (vel quia tunc non adhibebatur manipulus; vel quia hic ultimo loco imponebatur, ut videbimus) ab Auctoribus Eccleſiaſticis optime deſcribitur: quod ſit veſtis Sacra, longa, non lata, & veluti torques a collo demiſſa, & ad anteriora deſcendens uſque infra genua Sacerdotis Divino Miniſterio defungentis. De origene, de antiquo uſu, de materia, de forma, de colore, & de modo induendæ ſtolæ, præter antiquos Liturgicos Auctores, Albinum Flaccum, Alcuinum, Rabanum Maurum, Amalarium, Fortunatum, Walafridum Strabonem, Rupertum Abbatem, Honorium Auguſtodunenſem, Gulielmum Durandum, & alios, eruditiſſime diſſerunt Joſeph Vicecomes *volum.* 4. quod eſt *de Miſſæ apparatu, lib. 2. cap. 18. & ſequent.* Andreas Du-Sauſſay *lib. 5. ſuæ Panopliæ Sacerd.* Antonius Bellotte in ſuis obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis *pag. 239. & ſeq.* Cardinalis Bona *lib. 1. rerum Liturg. cap. 24. §. 6.* Dominicus Georgius *t. 1. de Liturg. Rom. Pontificis lib. 1. cap.* 20. Joannes Baptiſta Thiers in ſua erudita diſceptatione de ſtola in Archidiaconorum viſitationibus geſtanda a Parochis, præſertim *cap.* 15. & Bocquillot in tract. hiſt. de Liturg. *cap. 7. n.* 8.

XXIX. Gavant. eadem lit. m — *Orarium eam vocat Ordo Romanus, &c.*) Nonnulli Auctores Liturgici ſtolam idem eſſe cenſent, quod orarium: hinc Binius in Concilio Laodicæno ſub Sylveſtro *cap. 22. tom. 1. part. 1.* ait: *Orarium idem eſt in antiquis Patribus quod ſtola; quæ eſt veſtis Sacra, non lata, cujus uſus Sacerdotibus, ac Diaconis conceſſus, Subdiaconis interdictus eſt.* Hoc ipſum confirmat Concilium Bracarenſe *c.* 27. apud eundem Binium. Appellatur igitur ab aliquibus PP. & Conciliis ſtola, *Orarium* ab orando, ſive orationem ad Populum habendo: alii vero Auctores, quos refert Bellotte *cit. loc.* ſtolam diſtinguunt ab orario, quatenus ſtola in pleriſque Scripturæ locis pro tunica ſumitur. Denique ab aliis, ut videre eſt apud Vicecomitem *cit. loc.* ſtola vocata fuit etiam *Palla linoſtima*, forte quia tunc ex lino conficeretur; & ab aliis, ut tradit Walafridus Strabo *c.* 24. de rebus Eccleſiaſticis, dicta fuit *Pallium linoſtimum*: ait enim cit. loc. *Sylveſter ordinavit, ut Diaconi dalmaticis in Eccleſia uterentur, & pallio linoſtimo eorum læva tegeretur.* Anaſtaſius tamen, ſive alius Auctor libri Pontificalis, aſſerit Zoſimum, qui Pontificiam Sedem A. C. 417. regebat, conſtituiſſe, ut Diaconi lævas tectas haberent de palliis linoſtimis: unde eſt, quod nonnulli nomine hujus pallæ intelligunt ſtolam Diaconalem ex lino, & lana contextam, quam Diaconi in humero ſiniſtro deferunt, ad differentiam ſtolæ Sacerdotalis a collo ante pectus pendentis, ut mox diximus; ſed uſus præfatæ ſtolæ Diaconalis a tempore Concilii Laodiceni A. circiter 363. celebrati, ut pariter innuimus, jam invaluerat.

XXX. Gavant. lit. n — *Et imponit collo, ut torquem, non longe a collo.*) Inter Auctores Liturgicos quæſtio agitatur, quomodo ſtola ſit aptanda collo Sacerdotis; utrum caſula ſit contegenda, vel potius debeat apparere: Patres Societatis Jeſu ſtolam collo ita aptant, ut Crux ſtolæ a planeta non contegatur, ſed exterius appareat. Dominicus Flumara in Cæremoniali Cleric. Regul. Min. *part. 1. cap.* 22. hunc uſum approbat: præſcribit enim quod Sacerdos *Stolam circa collum aptabit, ita ut non excedat collare tunicæ, & Crux in medio appareat.* In Cæremoniali pariter Cler. Reg. S. Pauli *lib. 1. cap.* 8. ita de ſtola Sacerdos admonetur: *Collo a tergo aptabit, ut in medio Crux appareat.* Hoc idem præſcribitur in Cæremoniali Auguſtinianenſium Diſcalceatorum *lib. 5. cap.* 13. & in Cæremoniali PP. Cappucinorum a Zacharia Boverio edito *lib. 1. cap.* 4. E contra noſter Andreas Caſtaldus in Cæremoniali *lib. 2. cap. 15. num.* 4. præſcribit, quod Sacerdos *ſtolam ita circa collum collocet, ut ultra non protrahatur; neque rurſus adeo ſupra collum extollatur, ut planetæ ſummitatem excedens appareat, ſed decenter aptetur*: & idem in praxi Cæremoniarum *lib. 2. ſect. 7. cap. 1. num. 12. Stola*, inquit *circa collum ita accommodari debet, ut a ſuperflua caſula tegatur*: ſuamque aſſertionem comprobat dicendo: *Omnes enim, qui de Eccleſ. Ritibus ſcripſerunt, caſulam ſuper alia omnia indumenta collocandam dixerunt; ita ut cætera infra ipſam poſita non appareant*: & de noſtro more aptandi hoc modo ſtolam ſubnectit: *Propterea noſtræ Congregationis PP. Sacrorum Rituum obſervantiſſimi, ita ſtolam adaptant, ac vitta ipſi cingulo a poſteriori firmant, ut nullo modo ſupra caſulam elevari poſſit; quod etiam a Romano Pontifice, & Prælatis omnibus obſervatur.* Hunc noſtrum morem approbant, & Caſtaldo ſubſcribunt Videus Bonamicus *part. 1. obſerv. 2. num.* 6. Hippolytus Tonellius in Enchiridio *lib. 2. tit. 1. not. in Rubr. 3. num.* 5. ubi ait: *Stolam ſibi imponit non longe a collo, ac ſi torquem imponeret ſibi.* Idem docet Honorius Auguſtodunenſis *lib. 2. cap. 24. Gemmæ, &c.* & Durandus in Rationali *lib. 3. cap.* 5. Verſantur pariter in hac ſententia Sarnell. *part. 4. §. 3. n.* 7. Angel. *part. 3. n.* 3. Archipreſbyter Gervaſius in catalogo errorum ſuæ inſtruct. *n.* 14. & recentiſſime Ludovicus Gerardus Epiſcopus Cortonenſis in compendio errorum, qui accidunt Sacerdoti celebranti *cap. 2. n.* 14.

## RUBRICA.

4 *Si Celebrans ſit Epiſcopus* (r) *non ducit ſtolam ante pectus in modum Crucis, ſed ſinit hinc inde utraſque extremitates pendere, & antequam accipiat ſtolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam* (ſ) *oſculatur, & collo impoſitam ſinit ante pectus chordulis pendere*: (t) *manipulum quoque non accipit ante ſtolam, niſi in Miſſis Defunctorum; ſed accipit ad Altare, cum in confeſſione dicit, Indulgentiam, illumque prius oſculatur.*

## GAVANTUS.

(r) *Non ducit ſtolam in modum crucis.* Qui ante pectus geſtat ejus loco Crucem pectoralem, quam ante ſtolam accipit, ut ſolus notat *Innoc. III. c.* 53. qua de re infra cum de veſtibus Pontificalibus.

(ſ) *Oſculatur.* Scribit *Durand. lib. 3. cap.* 9.

(t) *Manipulum quoque.* De quo idcirco *Innoc. idem cap. 43. & 59.* poſt caſulam Epiſcopalem agit: apertius *Durand. lib. 4. cap.* 7. & idem habetur *in Ordine Rom.* cauſamque cum aliis dabimus infra *num.* 6.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XXXI. Gavant. lit. r — *Non ducit ſtolam in modum Crucis.*) In recentibus Miſſalis Romani Rubricis, poſt illa verba, *ſi Celebrans ſit Epiſcopus*, adduntur hæc alia, *vel Abbas, ut ſupra*; ex quibus deducitur, quod non ducere ſtolam in modum Crucis ante pectus, convenit non ſolum Epiſcopis, ſed etiam Abbatibus, qui Pontificalium uſu fruuntur: probabile tamen eſt hoc Abbatibus convenire, ſolummodo quando pontificaliter celebrant; ſicut tunc ſolum ex Altari ſumere poſſunt veſtes, ut ſuperius diximus; quia tunc ſolum ad inſtar Epiſcoporum ante pectus parvam Crucem geſtant.

RU-

R U B R I C A.

5 *Poſtremo Sacerdos accipit* (u) *planetam.*

*G A V A N T U S*

(u) ***Planetam*** *Ord. Rom.* Uſitatum eſt vocabulum planetæ, quidquid neget Durandus apud Latinos antiquiores reperiri, *lib. 1. cap. 9.* ubi negat, fuiſſe nunquam a Græcis uſurpatum. Planeta vero errorem ſonat, & limbus planetæ Sacerdotalis errabundus erat utrimque; & idcirco ad brachia reflectebatur, ſublevabatur, *inquit Honor. in Gemma lib. 1. cap.* 207. Pænula quoque dicta fuit, non tamen ea, de qua Paulus 2. *Timoth. 4. Vide Baron. Anno* 58. *num. 69.* Caſula item dicitur *ab eodem Ordine Romano*, hoc eſt, parva caſa, *in Gemma loco citato*. Infula *ab Hugone Victor. in Specul. Eccleſ. cap. 6.* Tunica item *a Severo Alexandrino ad Ord.' oblat.* Cappa *ab Iſidor. lib. 15. Orig. cap.* 12. ex conjectura tantum, quia capit totum hominem: ſed vide, quæ diximus de pluviali *in prima parte, tit. 19. n. 3. contra Durandum*. Phelonium dicitur *in actis Eccleſ. Mediol. part. 4. lib.* 2. Planetæ S. Petri meminit *Hugo Cluniacenſis in Vita S. Hugonis Abb.* quæ aſſervatur Pariſiis: ergo ab Apoſtolis ortum habet. Erant planetæ totæ clauſæ; poſt tempora Ruperti diviſæ ſunt, *& Innoc. Indicat. l. 1. cap.* 42. *&* 58. olim cum Cruce, etiam in parte poſteriori: nunc cum columnæ potius ſpecie, recentiori uſu, quæ ad Paſſionem Domini ſpectat, quaſi Sacerdos ſit inter Columnam, & Crucem Chriſti.

* Qui aliquam prædictarum veſtium ſponte omiſerit, peccat mortaliter ex *communi Doct. ſententia*. Qui vero aliquod ex indumentis omittit in caſu neceſſitatis, non peccat, ait *Diana tract. 4. de Celebr. Miſſ. reſ.* 58. ſed non explicat, quod omitti queat. Ego puto albam, ſtolam, planetam ſingillatim omnino neceſſaria eſſe.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XXXII. Gavant. lit. u - *Uſitatum eſt vocabulum planetæ, &c.*) Poſtrema veſtis Sacerdotalis, planeta appellatur, de cujus vocis etymologia, & antiquitate ſapienter tractat juxta morem ſuum Joſeph Vicecomes *vol. 4.* quod eſt *de Miſſæ apparatu lib. 2. cap. 27.* Variis, aliiſque nominibus hoc Sacerdotale indumentum pariter appellatum fuit, nimirum *Pænula*, *Caſula*, de quibus pariter diſſerit mox laudatus Vicecomes *cap.* 28. & poſt ipſum Andreas Du-Sauſſay *lib. 6. Panopl. Sacerd. cap. 1. &* 2. Dominicus Georgius de Liturg. Rom. Pontificis *tom. 1. lib. 2. c.* 24. Bocquillot *cap. 7. §. 10. & 11. ſui tract. hiſt. de Liturg. Sac.* necnon Claudius de Vert *tom. 3. variis locis*, & Card. Bona *lib. 1. rerum Liturg. cap.* 24. §. 8. ubi optime deſcribit formam antiquæ caſulæ, ſive planetæ, dicendo, quod planetæ rotundæ prorſus erant, totum ambientes hominem a collo uſque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur: qua de cauſa neceſſarium erat, ut Sacerdotes operari, & manibus libere uti poſſent, eas ſuper brachia revolvere, & complicare; ſicque indutos Pontifices, & Sacerdotes in priſcis Eccleſiarum parietibus cernimus: hoc etiam ex vetuſtiſſimis Sanctorum Patrum tum Orientalis, tum Occidentalis Eccleſiæ iconiſmis, qui ex antiquis, & authenticis exemplaribus expreſſi ſunt, conſpicimus; in quibus primitivæ Eccleſiæ Sacerdotes depicti cernuntur, eo ſchemate, quo Divinis conſueverant operari Myſteriis. Apud Orientalem Eccleſiam ſunt etiam hodie caſulæ, ſeu planetæ ejuſdem formæ: in Latina vero Eccleſia ad evitandum incommodum proveniens ex amplitudine talis formæ, totum corpus cum brachiis circumcludentes planetæ a lateribus paulatim ſcindi, & decurtari cœperunt, donec ad formam, quæ hodie eſt in uſu, redactæ ſunt. Quoniam vero planeta, ſeu caſula, totum Sacerdotis corpus involvebat, unde caſula, quaſi parva caſa dicebatur; ut tradit Honorius Auguſtodunenſis *in Gemma lib. 1. cap.* 267. hinc ortus eſt uſus, ut a Diacono tum Sacrificio miniſtrante, Sacerdoti Divinam Hoſtiam, & myſticum poculum elevanti ad ſupremum cultum, defluentis in ejus brachia, manuſque oneris pondus alleviaretur; ut ponderat Du-Sauſſay *lib. 6. cap.* 11. vel ne pedibus obverſatis Sacerdoti genua flectenti impedimento eſſet, elevabantur extremæ oræ Sacræ veſtis. De quo more, Rituque adhuc in Romano Cæremoniali de officio Diaconi hæc Rubrica extat; *Dum Celebrans genuflectit poſt Conſecrationem Hoſtiæ, ſtatim poſteriorem planetæ partem, per infimam partem in medio capit ſiniſtra, & elevat: & ſtatim facta elevatione antequam Celebrans genuflectat, eam deponit ſine oſculis, dextera vero Celebrantem circa brachium dexterum ſuſtentat, dum ſurgit.*

Et infra: *Dum Celebrans conſecrato Calice genuflectit, ipſe iterum capit planetam, & eam elevat, ut prius* (nempe Diaconus) qui uſus adhuc perſeverat, tametſi ceſſante cauſa, ſuperflua ſit talis praxis: ut animadvertunt præclariſſimi mox laudati Auctores, Card. Bona, & Du-Saſſay loc. cit. nam adeo deciſa eſt planeta impræſentiarum, ut vix quoad utrumque latus infra humeros dependeat; & adeo decurtata, ut vix ultra genua protendatur; tantum abeſt, ut pertingat uſque ad talos. Alia ſpectantia ad antiquitatem, materiam, formam, uſum & Ritus caſulæ, ſeu planetæ, necnon ad myſticas ejuſdem ſignificationes, legi poſſunt apud mox allegatos Auctores, aliosque antiquiores Sacrorum Rituum expoſitores, congeſtos in collectione Hittorpiana, & in Bibliotheca maxima SS. Patrum, qui hanc materiam doctiſſime diſcuſſerunt.

XXXIII. Gavant. ead. lit. u - * *At ego puto albam, ſtolam, planetam, omnino neceſſaria eſſe.*) Paulus Maria Quarti *p. 2. tit. 1. ſect. 4. dub.* 5. refert nonnullos Doctores, qui cenſent omiſſionem ſolius cinguli, ſine juſta cauſa, fore peccatum veniale, quia eſt veſtis minus conſiderabilis: & aliqui addunt etiam omiſſionem ſolius manipuli fore peccatum veniale, ob materiæ levitatem; ſecus ſi utraque prædicta veſtis ſimul omitteretur. Idem Quarti *dub. 6.* autumat in caſu gravis neceſſitatis, ut ad communicandum moribundum, licitum eſſe celebrare abſque prædictis veſtibus minoribus; nullo modo vero, urgente quacunque neceſſitate, celebrari poſſe abſque veſtibus majoribus, nimirum alba, ſtola, & planeta, vel ſaltem abſque aliqua illarum, quia cenſetur prævalere præceptum Eccleſiæ, ob reverentiam hujus Sacrificii neceſſitati privatæ alicujus infirmi. Lohner vero *part. 6. tit. 1.* §. 9. cenſet peccatum eſſe mortale, ſi ſine omnibus præfatis veſtibus (extra caſum, quo mors, aut aliud graviſſimum damnum, non cedens in contemptum Religionis immineret) quis celebraret; & aſſerit cum P. Gobat ita omnes Doctores ſentire: ſed Tamburinus *opuſc. de Sacrif. lib. 1. cap. 3.* §. 1. tenet in nullo ſimpliciter caſu, ſine omni veſte Sacra celebrari poſſe: Layman vero *lib. 4. tract. 5. cap. 6.* & Gobat citati ab eodem Lohner, docent per accidens in gravi neceſſitate, ſine aliqua ex his veſtibus, v.g. ſine ſtola, aut manipulo licite celebrari poſſe: gravem autem neceſſitatem, ſeu cauſam judicant illi eſſe, ſi v.g. grave murmur, aut ſcandalum Populi timendum, aut infirmus communicandus ſit; non autem ſi præciſe præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, aut regulæ, ſeu fundationi beneficii ſatisfaciendum ſit. Ego vero cenſerem non eſſe recedendum a noſtri Auctoris allegata ſententia, nimirum, albam, ſtolam, planetam omnino neceſſarias eſſe ad celebrationem Sacrificii; ita ut in nullo caſu poſſit ſine illis Sacrificium peragi, ut tenet etiam Suarez *diſp.* 82. *ſect.* 3. Cajetanus *part. 2. quæſt. 96. art. 4.* & alii Doctores ibidem agentes de obligatione legum humanarum, huic præſertim innixi fundamento: quia ex omiſſione majorum veſtium Sacerdotalium tanta reſultat irreverentia, & tantum generatur ſcandalum, ut etiam periculo mortis præponderet. Verum quidem eſt, quod mox laudatus Suarez numerat ſtolam inter minores veſtes; ſed certe ſtola eſt veſtis propria Sacerdotis; & in *Canone* 8. *diſt.* 23. ſingulariter præcipitur.

R U B R I C A.

6 *Si ſit Epiſcopus, & ſolemniter celebret,* (x) *accipit paramenta, & alia, ut in Cæremoniali.*

*G A V A N T U S.*

(x) *Accipit Paramenta.* Hoc eſt caligas, amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, ſtolam, tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, mitram, anulum, & manipulum; de quibus hoc loco, quia in Miſſali hoc ordine nominantur: omittamus tamen ea, quæ ſunt communia Sacerdoti.

Caligæ, ſandalia, *apud Sanctum Hieronymum in Iſai. lib. 5. cap.* 20. ſunt idem. Soleæ dicuntur *ab Alcuin. cap. Quid ſignif. veſtim.* ſed diſtinguuntur in habitu Epiſcopali, *ex Innoc. III. lib. 1. cap.* 48. nam caligæ primum induuntur uſque ad genua, & ſandalia generis fœminini, ſeu ſandalium apud alios, pedes tantum contegunt, *Ivo Carnoten. ſerm. de ſign. indum. Sacer.* Caligæ quia ligantur ſic dictæ, *ex Iſid. lib. 19. Orig. cap.* 34. Cambagi, & pedules in *Ordine Rom.* Compagi, *a S. Greg. lib. 7. epiſt.* 28. Campobi, *ab Amalar. lib. 2. cap.* 18. quorum uſus ab Apoſtolis manat, *ex Rabano lib. 1. inſtit. Cleric. cap.* 22. & probat *ex Marci cap. 6.*

De Cruce pectorali, quam Philacteria * ſeu Filacteria (eo quod filo ſuſpendi ſoleret, *Vicecom. ait*) appellat *S. Gregorius Papa lib. 12. epiſt. 7. ut notat Baron. ex Jo. Diacono, Anno* 604. *&* 827. & Encolpium vocat *Nicephorus Epiſcop. Conſtant. ad Leo. III. Pap. ut exponit idem Bar. Anno* 811. ſolus aperte ante alios *Innoc. III. ait*, Crucem appellans pectoralem; quia pectus ornat, ut ſupra ſignificavimus *n. 4.* & laminæ Hebrææ eam ſuffectam eſſe tradit *idem ibidem*.

Tunicellæ, & dalmaticæ originem, & cauſas attulimus ſupra *in prima part. tit. 19. n. 5.* quæ ambæ *in Ordine Romano* ad uſum Pontificis aliquando dictæ fuerunt dalmatica major, & minor, quia altera latior, altera ſtrictior. Cur autem utraque datur Epiſcopo? an quia in eo eminenter omnium Sacrorum Ordinum ſunt gradus? an quia duorum Teſtamentorum cuſtos? Ita *Dur. ſupra cap. 10. & 11. ex Hugone Victorin. in Specul. Eccl. cap. 6.* Antea vero non induebant dalmaticas Epiſcopi ſine Papæ licentia, ut indicat *S. Greg. lib. 7. epiſt. 113. ad Areginum, & habetur can. Communis filius. diſt.* 23. primumque a Sylveſtro conceſſa eſt Epiſcopis dalmatica, *ex Durand. lib. 3. cap.* 11. hoc eſt aliquibus, ſed ſicuti ea, quæ *in Ordine Romano* lanea erat, ſerica deinde fuit, *ex Eduenſi cap.* 11. ita quæ aliquorum erat, omnium deinde Epiſcoporum facta eſt communis veſtis.

Chirothecæ *ab Ordine Romano* dicuntur manicæ, quia manuum ſunt ornamenta; convenit enim, ut Epiſcopi quælibet pars ornatior appareat: ab Apoſtolis deducit hunc Ritum *Gem. lib. 1. de antiq. Rit.* 215. Mitra, ſeu Apex *ex Auguſt. 2. Civ.* 15.

ſeu

Digitized by Google

ſeu ſertum cum gemmis, *ex Ennodio de mitra Sancti Ambroſii*, ſeu corona Sacerdotalis, *ex Ammiano Marcell. lib.* 29. ſeu corona gloriæ, *ex Euſebio Cæſarienſi lib.* 10. *Hiſtor. cap.* 4. ſeu pileum generis neutrius, vel galea, vel tiara *ex Iſidor. lib.* 19. *Orig. cap.* 21. ſeu infula, *ex Hug. Vict.* 19. *l.* 1. *de Sacr. c.* 55. ſeu cidaris, *ex Alcuino cap. de ſingulis veſtibus*; ſeu phryginm *ex Niceph. l.* 14. *c.* 34. quod impoſuit capiti S. Sylveſtri Conſtantinus, ſeu lorum, *ex Balſamone apud Buleng. de veſt. Pontif. l.* 1. *c.* 6. ſeu auriphrygium circulare, *ab Innoc. III. in Ser. de S. Sylveſtro* (nomina multa, eadem res) ab Apoſtolis ortum habet, *ex Baron. An.* 34. *n.* 298. & inter Epiſcopi inſignia enumeratur, ad ornandum illius caput, & erudiendum Epiſcopum, ut infra. * Abbatibus non fuit conceſſa ante Annum 1091. quod Urbanus II. eam dedit S. Petro Cavenſi Abbati Cluniacenſis Ordinis, qui & eandem ut ſibi minus congruam recuſavit, *Acta Concil. Benev.* Alii docent ante Annum 1000. a Sylveſtro II. datam fuiſſe mitram Abbati S. Savini Placentino, & a Leone IX. Anno 1040. Abbati S. Juſtinæ Patavino; & extant hodie diplomata Placentiæ, & Patavii. Mitra vero (ut alia taceam nomina) *ex Varrone lib.* 1. *de ling. Lat.* vox eſt Latina, Græca, & Syriaca, vel Hebræa, quæ verba interpretatur Joſephus Scaliger hoc modo: mitra Syriacum, diadema Græcum, vitta Latinum, idem ſignificant in lingua ſua, nempe vinculum. *Cæl. Rodig. lib.* 16. *cap.* 10. *a μίτος* eam deducit, quod ſignificat filum, ut *μίτρα* ſit quaſi vitta ex filo: erat enim faſcia ad obligandum caput, *ex Hier. in Iſa.* 3. ad uſum fœminarum in capite, *Judith. cap.* 10. virorum etiam *ex Gorophio in ſuo Vertnnno*. Sacerdotum quoque *Exod.* 39. ubi LXX. cidarim legunt ex biſſo. Duo redimicula addebant Phryges in Feſtis Solemnibus per maxillas fluentia; *ex Hieron. in Prolog. in Ezech. cap.* 21. *verſ.* 26. vel ſub mentum ligabantur, *ex Buleng. loc. cit.* quæ in noſtra mitra habentur, & forte ab iiſdem Phrygibus auriphrygiata mitra aliquid accepit; de qua *in Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 17. Duo cornua mitræ accepta puto a cidari Hebræorum referente quaſi cornua Moyſis ex conſortio Dei. *Nic. Lyran. Ex.* 28. *ex Joſeph.* aſſerit, quod mitra in acutum tendebat, & quod lamina aurea ſecundum aliquos coroiculata erat.

Pars mitræ S. Sylveſtri aſſervatur Romæ in Eccleſia S. Martini in montibus, quæ acutam formam refert, non altiorem palmo communis manus: ſerico & auro eſt contexta, coloris cærulei, cum imagine B. V. & pueruli Jeſu inter duos Angelos ſtantes, Diaconali veſte indutos. Valentiæ quoque viſitur mitra S. Auguſtini altioris formæ, & item acutæ, qui, ut ſupra, eam apicem appellavit; ſerica eſt, & alba, quam cingit, & dividit a cuſpide linea cærulea ſerico, & auro texta: teſtatur eandem eſſe *Martinus V. in ſerm. de S. Monica*: ſimilem ego vidi Bononiæ in Eccleſia S. Stephani, auro, & margaritis ornatam, quæ erat S. Iſidori Hiſpalenſis, cujus corpus ibidem quieſcit: ex quibus probatur antiquitas formæ in noſtra mitra.

* Quod ſi velis cum Abb. Couſtantino Cajetano, opuſc. de tribus Hiſpaniarum Patronis, alium eſſe Iſidorum, non Hiſpalenſem, quem ille recte probat Hiſpali mortuum & ibidem quieſcere corpus ejus; ſed Italoſiculum in Sicilia Epiſcopum, qui Bononiæ obiit; non perit argumentum noſtrum de antiquitata: quia hi duo Iſidori ex eodem Cajetano fuere condiſcipuli Sancti Gregorii Magni, & coætanei. Lubens Auctores nomino, honoris, & veritatis ergo; quod & facere debuerat recentior, qui de jure Abbatum ſcribens, in ſuum librum tranſtulit ipſamet verba, quæ de mitra, & aliis Abbatialibus veſtibus in hoc volumine ſcripſi, tacito Auctoris nomine, nominato in levioribus aliis a ſe non ſemel.

Regula vero eſt, mitram, & baculum in Epiſcopis eſſe correlativa, ut dicitur *in Cærem. Epiſc. l.* 1. *cap.* 17. & licet in Miſſali nihil de baculo, quia ad eum aſſumendum nullam Epiſcopus recitat Orationem, ſicut ad alia ornamenta præſcriptas Orationes recitat in Miſſali poſitas; quarum cauſa de his hoc loco cum Miſſali agimus: tamen de eo breviter hæc notabo, ne baculo omiſſo, a lectore ſine baculo corripiar.

Baculus, virga paſtoralis, pedum, ferula, & capuita ſunt ſynonyma, *ex Ivone Carnot. epiſt.* 8. *& Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 217. Cambuttam alii vocant apud *Petrum Comeſtorem in Hiſt. Exodi cap.* 52. Cambuttam vocat *Ordo Romanus in Dedic. Eccleſ.* ſed capuita, & cambutta, corruptæ ſunt voces, a cambura voce barbara, quæ ſignificat baculum retortum. Porro tres habet partes, ſummam retortam, ut pedum paſtorum recurvum ad colligendas, *ut ait Feſtus*, oves, mediam rectam, imam acutam: talis eſt S. Saturnini Apoſtolorum diſcipuli, qui Toloſæ cum imagine Sancti antiquiſſima habetur, & Valentiæ S. Auguſtini baculus, qui eſt eburneus, & rotundus; & item S. Iſidori, quem ego vidi Bononiæ, ut ſupra, cum mitra ejuſdem: datur enim Epiſcopo ad regimen animarum; unde verſus:

*Curva trahit mites: pars pungit acuta rebelles.*

Et ſub imagine præfata Sancti Saturnini legitur iſte verſus:

*Curva trahit, quos virga regit, pars ultima pungit.*

Ut refert *Hugo Victorin. Specul. Eccleſ. cap.* 6. *Innoc. autem III. lib.* 1. *cap.* 62. affert hoc carmen Auctore incerto:

*Collige, ſuſtenta, ſtimula vaga, morbida, lenta:*

Id eſt, collige vagos, ſuſtenta debiles, & punge pigros. Eſt autem baculus ultimum Epiſcopi ornamentum. *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 10. quem geſtat ille manu ſiniſtra, quæ cordis eſſe dicitur, & partem curvam populo vertit. *Cæremon. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 8. nec ornatur ſudario, quod convenit Abbatiali, *Acta Mediol. Eccleſ. in Inſtruct. fabr. Eccleſ.* ad differentiam Epiſcopalis.

Anulus datur Epiſc. *de qua Optat. Milev. lib.* 1. *contra Parmenidem, & Ordo Rom. in Conſecratione Epiſcopi*, qui & aureus debet eſſe. *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 46. & benedictus, ut *in Ord. Rom.* daturque ad honorem, & ſignificationem, quod Eccleſiæ ſuæ ſponſus eſt, & quod velut anulo ſignatorio non omnibus omnia revelare Myſteria debet, *ait Iſidor.* 1. *de Eccleſ. Offic. cap.* 5. & regulariter quidem in digito indice manus dextræ defertur: neque in gemma ſculptum quid eſſe debet, *ex Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 9. ſed in Miſſa Pontificali jubetur Epiſcopus geſtare anulum in digito anulari dextræ manus, *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 7. *& lib.* 2. *cap.* 8. * qui & in eodem digito in Conſecratione datur concelebraturo cum Conſecrante, *Pontif. Rom.* Alii caveant, ne unquam anulum geſtent in Miſſa, qui expreſſe prohibitus fuit Protonotariis non participantibus, quibuſcumque Doctoribus a S. R. C. *die* 11. *Februarii* 1623. * & item Canonicis Cathedralium Eccleſiarum, qui ſe majores æſtimabant Protonotariis, *die* 20. *Novembris* 1628. Canonicorum vero nomine hac in re intelliguntur etiam dignitates, ſive ſint, ſive non ſint de gremio Capituli.

Ultima veſtis Epiſcopi eſt manipulus. *Ord. Rom.* de quo ſupra diximus non pauca. Hoc loco quæritur, cur ille ſit ultima veſtis Epiſcopi? Solus *Durand. lib.* 4. *cap.* 7. hunc Ritum in Epiſcopo declarat: & primo, inquit, quia dum eum accipit in confeſſione ante Miſſam, ornamentum accipiens inferioris Ordinis, & ab inferiori Miniſtro, id eſt Subdiacono; cujus propria veſtis eſt manipulus, humilietur Epiſcopus coram Deo. Secundo, ut quod ore confitetur ſe peccaſſe, per fructum boni operis, qui ſignificatur in manipulo ad brachium ligato, reſipiatur in mente. Tertio, ut conceſſa temporalia per manipulum adumbrata, videatur accipere per alienam manum, & cum ſui cognitione in humilitate; ne ob temporalia elevetur in ſuperbiam. Quarto, ad notandum, quod tunc bonorum operum manipulum cum præmio portabimus cum Chriſto, quando ad Altare Dei æterni tribunal Judicis pervenerimus; nam Epiſcopus typum gerit Chriſti capitis noſtri.

De gremiali Epiſcopi, quia ad ejus gremium ponitur ita dicto, neque Miſſale, neque nos loquimur: & præterea nihil de eo occurrit dicendum, niſi quod Epiſcopo deſervit tantum ſuper femora, cum planetam indutus ſedet. Succinctorium dici putat *Vicecom. lib.* 3. *c.* 15. ſed *Innoc. III. lib.* 1. *c.* 10. tertium ſuccinctorium dat locum: tum ſolus Papa eo utitur, *Cærem. Papæ lib.* 2. *cap.* 14. & uſus ejus eſt circa renes, *ex Ivon. Carnot. loc. cit.*

Pluviale item eſt veſtis Epiſcopi ad horam Tertiam, Veſperas, Laudes, & Proceſſiones, de quo diximus ſupra: de quibus autem Miſſale tacet, ut de pallio Archiepiſcopi, orali Papæ, & aliis ejuſdem veſtibus ad Miſſam ſpectantibus, alias, Deo dante ſcribemus.

Nunc breviſſimam prædictorium omnium indumentorum ſubjiciamus ſignificationem, quam ſupra promiſimus, quæ triplex eſt, Anagogica, Allegorica, Tropologica, ſeu Moralis.

Anagogica ſignificatio eſt de Chriſto, cujus imago glorioſa eſt Epiſcopus.

Allegorica eſt de paſſione Chriſti, quam Sacerdos minus glorioſe veſtitus indicat.

Tropologica, ſeu Moralis, eruditionem continet, conformem moribus Sanctorum quorumcumque Miniſtrorum Eccleſiaſticorum, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi.

*Expoſitio Anagogica veſtium Pontificalium, de Chriſto.*

CAligæ, & ſandalia denotant Incarnationem Chriſti; de qua *in Pſal.* 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum. Ex Stephano Edvenſi de Sacram. Alt. cap.* 11.

Amictus latibulum capitis, id eſt Divinitatis in Chriſto. *Idem Steph. cap.* 1.

Alba Reſurrectionis gloriam. *Idem Edvenſ. ibid.* Novitatem vitæ in Chriſto. *Innoc. III. lib.* 2. *c.* 36. & munditiam ejuſdem. *S. Bonavent. de Myſteria Miſſæ.*

Cingulum charitatem Chriſti, cujus extremitates duæ ſunt; fecit, & docuit. *Innoc. cap.* 37. Majeſtatem Deitatis. *S. Germ. in Theoria.* Virginitatem Chriſti, *Bonavent. loc. cit.*

Crux pectoralis paſſionem Chriſti, exempla paſſionum aliorum Martyrum, quorum Reliquiæ in Cruce aſſervantur. Nihil apud Auctores inveni in hoc ſenſu anagogico.

Stola deſignat obedientiam Chriſti, *ex Stephano Edvenſi loc. cit.* & voluntariam ſervitutem. *Bonaventura loc. cit.*

Tunicella doctrinam Chriſti inconſutilem, quæ ſcindi non poteſt. *Innoc. c.* 39.

Dalmatica miſericordiam Chriſti erga nos latam, & largam. *Ibidem cap.* 40.

Chirothecæ, hœdorum pelliculæ, ſimilitudinem carnis peccati in Chriſto. *Idem cap.* 41.

Planeta Eccleſiam univerſalem, Chriſti veſtem: poſteriorem quidem partem antiqui Teſtamenti; anteriorem novi. *Idem cap.* 42. integra ea erat undique clauſa antiquitus, quia una Eccleſia eſt, *Rupert.* 1. *cap.* 22. Plenitudinem gratiæ Chriſti. *Ex Biel. lect.* 11. indicat.

Mitra

Mitra ſummam Chriſti honorificentiam, *Innoc. cap.* 44. baculus poteſtatem. *Idem cap.*45.

Anulus perfectionem donorum Spiritus Sancti in Chriſto. *Idem cap.* 46.

Manipulus in læva beatitatem Chriſti, qui viator, comprehenſor erat, *idem cap.* 43. vel humilitatem Chriſti, *Bonavent. de Myſter. miſſ.* vel amorem cordis ad paſſionem, *Tolet. lib.* 2. *cap.* 2. Fuſius iſta leges explanata locis citatis.

*Expoſitio Allegorica Veſtium Sacerdotalium de Paſſione Chriſti.*

AMictus ſignificat velamen faciei Cheiſti. *Gabr. Biel. in Can. lect.* 11. ſeu coronam ſpineam, nam velat caput, non faciem, amictus. *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 5.

Alba veſtem ab Herode Chriſto datam. *S. Thom. quæſt.* 4. *art.* 7.

Cingulum flagellum a Pilato juſſum, *Durand. lib.* 3. *c.* 4. vel funes. *S. Thom. loc. cit.*

Manipulus funem, quo captus eſt. *Sanct. Thomas loco citato.*

Stola ligaturam ad Columnam, *Durand. cap.* 5. vel Crucem. *S. Thom. loc. citato.*

Caſula purpureum veſtimentum coram Pilato, *S. German. in Theoria.*

Sex numero ſunt Sacerdotales veſtes, in quarum ſenario numero, *ait Zachar. adnot. de Miſſ. lib.* 2. *cap.* 1. recolenda eſt illius paſſio, qui ſex diebus creatum mundum, ſexta ætate, ſexta die, & hora ſexta eundem repatavit.

*Expoſitio Tropologica omninm veſtium Poatificalium, & Sacerdotalium.*

MUltæ ſuot, eæque ornatiſſimæ Sacerdotis tunicæ, quia Sacerdotalis Ordo eſt veluti oculus ipſius Dei, vel Eccleſiæ, quibus per Zachar. *capit.* 2. dicitur: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*; & ſicuti multis tunicis munitur oculus, & tegitur, iiſque adeo ſpecioſis, ut Iridis ſpeciem referat; quod late docet *Galenus de uſu partium lib.* 10. ita Sacerdotes tam variis, tamque ornatis voluit Deus veſtiri tunicis; ut memores eſſent, ſe tamquam oculos a Deo diligi, illudque muneris ſui proprium eſſe, ut in Eccleſia Dei oculorum vice fungantur.

Itaque caligæ, & ſandalia monent, greſſus rectos eſſe faciendos, & genua roboranda in præparationem Evangelii, quod eſt proprium Epiſcoporum, & prædicatorum, & item affectuum cuſtodiam, qui ſunt pedes animæ, *ex Ivone Carnot. ſerm. de ſignif. indum.* concordant hæc cum Oratione, quæ dicitur ad caligas.

Amictus docet decem: Labores eſſe ferendos. *Alcuin. cap. Quid ſignific. veſtim.* Vel cuſtodiam vocis, quæ formatur in collo. *Amalar. libr.* 2. *cap.* 17. Vel ſpem cœleſtium, qua onus portamus, cujus vittæ duæ ſunt Fides, & operatio, timor pœnæ, deſiderium gloriæ. *Honor. in Gemma lib.* 1. *capit.* 201. Vel juſtitiam. *Hugo Victor. in Specul. Eccleſ. cap.* 6. Vel munditiam bonorum operum. *Rabanus de inſtit. Cleric. libr.* 1. *c.* 15. Vel galeam ſalutis, *Gemma lib.* 1. *cap.* 82. concordat hoc cum propria Oratione. Vel fortitudinem operum cum duabus quaſi vittis, intentione, & fine. *Innocent. lib.* 1. *cap.* 50. Vel Fidem, *Biel. lect.* 12. Vel fiduciam, *Scotia lib.* 2. *cap.* 8. Vel contemplationem. *S. Thom. quæſt.* 83. *art.* 5.

Alba connotat duodecim. Perſeverantiam. *Alcuinus ſupra.* Vel caſtigationem totius corporis. *Amal. ſupra capit.* 18. Vel caſtitatem totius vitæ. *Gemma ſupra c.* 202. Vel munditiam animæ. *Hugo Vict. loc. cit.* & concordat cum peopria Oratione, quæ dicitur ad albam. Vel munditiam carnis, *Idem Erud. Theolog. lib.* 1. *cap.* 46. Vel cootinentiam. Vel ſummam juſtitiam. *Raban. cap.* 16. *ſupra.* Vel novam vitam Sacerdotis. *Rupert. ſupr. cap.* 20. Vel loricam juſtitiæ. *Gemma lib.* 1. *cap.* 82. Vel munditiam vitæ latam in libertatem filiorum Dei. *Innocentius III. ſupra cap.* 51. Vel Fidem, & innocentiam. *S. Thom. loc. cit.*

Cingulum indicat ſeptem: Diſcretionem moderatricem virtutum omnium. *Alcuin. ſupra.* Continentiam, *Amalar. ſupra, cap.* 22. Cuſtodiam cordis. *Gemma cap.* 203. Caſtitatem corporis. *Hugo Vict. ſupra.* Fervorem continentiæ, ne ſit remiſſa. Raban. *cap.* 17. concordat cum Oratione propria. Arcum contra hoſtes. *Gemma lib.* 1. *cap.* 83. Fortitudinem. *Hyſich. lib.* 5. *in Levit.*

Crux pectoralis memoria eſt Paſſionis Chriſti, & Martyrum, ut eam Pontifex recondat in pectore. *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 53. concordat cum ſua Oratione.

Stola decem ſignificat. Jugum Chriſti eſt, feratur ergo utroque humero, *Alcuin. ſupra*, ad genua tendit ad humilitatis indicium, *Amalar. ſup. cap.* 20. ab humeris ad utrumque latus deſcendit, ut per arma juſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris muniamur; cingulo colligatur, quia virtutes virtutibus juvantur. *Ivo Carnot. ſupra.* Obedientiam Evangelii ſignificat, quæ tum a ſiniſtro humero activæ vitæ; tum a dextro cootemplativæ Crucem in pectore format, & mundo crucifixum facit. *Gemma lib.* 1. *cap.* 204. Fortitudinem cum perſeverantia. *Hugo dicto cap.* 6. Munditiam vitæ, *Idem ſupra cap.* 48. Orarium ad pectus eſt, ut ore, & corde precetur. *Raban. ſupra capit.* 19. Haſta eſt contea hoſtes. *Gemma ſupra cap.* 82. Memoria eſt Paſſionis Domini, & Crucis in pectore. *Bonavent. in Myſteriis Miſſæ.*

Tunicella, quæ non videtur in Epiſcopo, demonſtrat virtutes intimas Epiſcopi proprias. *Amalar. libr.* 2. *capite* 22.

Dalmatica immaculatæ vitæ typus eſt. *Durand. ſupra cap.* 11. Liberalitatis erga pauperes. *Innoc. III. cap.* 56. & ideo fuit etiam data Diaconis, quorum munus erat præcipuum miniſtrare menſis. *Act.* 6. Religionis immaculatæ, quæ *ex Jacobo eſt apud Deum Patrem; viſitare pupillos, & viduas in tribulatione, & immaculatum ſe cuſtodire. Amalarius cap.* 21. *ſupra.* Charitatis geminæ. *Victorin. ſupra, cap.* 6.

Chirothecæ maous tegunt, ut opus ſit in publico, intentio in occulto. *Gemma cap.* 215. vel exempla Sanctorum præ manibus habenda eſſe monet. *Durand. part.* 3. *cap.* 12.

Planeta, quæ ſuper omnes eſt, charitatis eſt ſymbolum. *Alcuin. ſupra*; ideo duplex eſt, ante pectus, & poſt humeros, ut Deus ametur, & proximus, amicus, & hoſtis, *Amalar. cap.* 19. parva caſa eſt, quæ totum hominem tegit, charitas. *Gemma lib.* 1. *cap.* 207. Vel prudentiam cum charitate duæ caſulæ perſuadent. *Hugo ſupra, cap.* 6. contra hoſtes clypeus eſt, *Gemma dicto cap.* 82. reliqui ſupra citati charitatem interpretantur. Pars anterior ſtrictior eſt, quia Deus unus, poſterior eſt latior, quia proximi amor eſt multiplex. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 2. Obedientiam denique ſignificat *ex Bellarmino noſtri Ordinis in Doct. Concil. Trid. pag.* 3. *cap.* 5. *n.* 6. Concordare poteſt Oratio propria cum prædictis, quia jugum amoris caſula eſt; & ſtola jugum patientiæ, inquit *Suar.* 3. *par. diſp.* 83. *ſect.* 2.

Mitra cum duobus cornibus ſcientiam requirit utriuſque Teſtamenti contra hoſtes. *Hugo Victorin. ſupra cap.* 6. duæ vittæ, ſeu fimbriæ poſteriores ſunt, Spiritus, & Litera: ad humeros pendent, ut, quod docet Epiſcopus, opere compleat. *Innoc. III. cap.* 60. Baculus correctionem paſtoralem docet, ea ratione, qua *Hugo Victorin. d. cap.* 6.

*Per baculum rectum doceas Epiſcope recte*
*Vivere, per flexus ferri, properes miſereri.*

Annulus fidei Sacramentum eſt cum Sponſa, a qua numquam diſcedendum eſt, *ex Steph. Edvenſ. de Sacram. Altar. cap.* 2. fertur in digito indice manus dexteræ, quia digitus index ſalutaris dicitur a *Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 9. digitus autem ſignificat Spiritum Sanctum, cujus dono Epiſcopus diſtribuit in Oratione Cleric. *Innoc. III. cap.* 46. In gemma nihil ſculptum eſſe debet, *ex Synodo Mediol. de Sacra ſupellectili*; ut Deum ipſum in anulo venerentur Epiſcopi.

In Miſſa vero Pontificali fertur anulus in digito dexteræ manus, non autem ſiniſtræ, quod eſt ſponſæ proprium, & item in digito anulari, qui eſt remotior ab indice; ne indice quaſi coronato ab anulo, Epiſcopus uti videatur ad Conſecrationem Corporis Chriſti, ſi, quod ſentio, dicere liceat: nam anulus corona manuum dicitur a Sapientioribus, & coram Chriſto digitorum coronam deponere convenit, ſeu remotius ſaltem geſtare: unde & aliis ut dictum eſt ſupra, prohibetur uſus annuli in Miſſa; tum ad differentiam Epiſcopi; tum ad humilitatis indicium coram SS. Sacramento, quod manu tractari debet.

In manipulo ſeptem diſce: quia portatur in ſiniſtra, præſentem vitam laborioſam repræſentat. *Alcuinus ſupra.* Repudium mundanæ cogitationis, quia eo tergebatur pituita. *Amalar. ſupra c.* 24. Pœnitentiam cum fletu, ad tergendas animæ labes. *Gemma An.* 208. & coocordat cum Oratione, quæ dicitur ad manipulum. Vigilantiam contra accidiam, quia eo tergebantur oculi. *Edvenſ. cap.* 10. contra hoſtes clava eſt. *Gemma dict. cap.* 82. Diſcretionem devotam. *Biel. lect.* 12. Retributionem futuram bonorum operum. *Rupert. lib.* 1. *cap.* 33. *ex Pſalm.* 125. *Venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.*

Verum clauſula ſit cum *Ivon. Carnot. ſerm. cit.* Ornamenta hæc, ait, non ſunt virtutes, ſed virtutum inſignia, quibus tamquam ſcripturis utentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem ſua facta dirigere. Provideat ergo, inquit *Innoc. III. cap.* 64. diligenter Epiſcopus, & attendat Sacerdos ſtudioſe, ut ſignum ſine ſignificato non ferat, ut veſtem ſine virtute non portet; ne forte ſimilis ſit ſepulchro deforis dealbato, intus autem omni pleno ſpurcitia; quiſquis autem Sacris indumentis ornatur, & honeſtis moribus non induitur, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam jam honor non commendet veſtium, ſed ſplendor animarum. *Hæc Innoc.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XXXIV. Gav. lit. x - *Accipit paramenta, hoc eſt caligas, &c.*) Etiam hoc loco animadvertere eſt, quod in Miſſalis Romani Rubricis recenter impreſſis, poſt illa verba, quæ habentur in ſuperiori Rubrica, nimirum: *Si ſit Epiſcopus*, adjiciuntur hæc alia: *vel Abbas, ut ſupra, habens uſum Pontificalium.*

De veſtibus Sacerdotalibus, ſcilicet, amictu, alba, cingulo, &c. egit ſuperius præclariſſimus noſter Auctor, eumque noſtris Obſervationibus, & Additionibus proſecuti ſumus. Progreditur nunc, inhærendo textui Rubricæ, ad explicanda indumenta illa, quibus Epiſcopi Divinam rem ſolemniter peragentes utuntur: hujuſmodi ſunt caligæ, ſandalia, Crux pectoralis, tunicella, dalmatica, chirothecæ, mitra, baculus paſtoralis, &c. Ad illuſtranda Gavanti Commentaria aliqua adjicienda forent, etiam circa præfatas veſtes Pontificales: verum ne nimius ſim, & ne in immenſum creſcat hoc opus, ſatis duco lectorem remittere ad Auctores illos, qui de præfatis Epiſcopalibus indumentis

tis ſuſo, & eruditn calamo conſcripſerunt. Evolvi igitue poſſunt Andeas Du-Sauſſay in ſua Panoplia Epiſcopali; Joſeph Vicecomes *lib. 3. de Miſſæ apparatu*, necnon Dominicus Georgius *tom. 1. de Liturg. Rom. Pontificis lib. 2. cap. 13. & ſeqq.* Antonius Bellotte agit paeitet de baculi paſtoralis uſu, & figura *pag.* 239. de diſceimine veto baculi paſtoralis Græcorum, & Latinorum *pag.* 92. ſuarum obſervationum ad Ritus Eccleliæ Laudunenſis. Idem diſcurrit de mitræ Epiſcopalis antiquitate, uſu, forma, &c. *pag. 142. & ſeqq.* De anulo vero Epiſcopi, & de cooceſſione ornamentoeum Pontificalium ſolis Epiſcopis juee ordinaeio facta, idem agit *a pag. 87. uſque ad pag. 93.* De prædictis omnibus denique ſummatim, ſed ſuo more ſapienter diſſerit Cardin. Bona *lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 23. a n. 9. uſque ad n. 15. incluſive.*

XXXV. Gavant. ead. lit. x - *Anulus datur Epiſcopo, &c.*) Noo ſolum Epiſcopo datue anulus cum gemma deferendus in Miſſa, ſed etiam Abbatibus habentibus uſum Pontificalium; ut advertit Biſſus *v. Anulus n.* 373. Quando autem Gavantus dicit, quod eegulariter in digito indice anulus deferei debet, id intelligit extea Miſſam. Præter prædictos, nullus alius poteſt deferre anulum cum gemma io Miſſa.

Decretum a Sac. R. C. emiſſum die 29. Auguſti 1601. in quo ſancitur quod Peotonotaeius titularis non participans poteſt apponere pileum ſupee inſignibus, & habere anulum dum celebrat, dummodo non cum gemma. Referunt Corradus in praxi diſpenſationum *lib. 5. cap. 6. ſub n.* 52. necnon noſter Gavantus in Manuali Epiſcopoeum *v. Protonotarii* in additionibus *ſub numer.* 3. & Barboſa in ſumma Apoſtolicarum deciſiouum *v. Protonotarius*; quia tamen, ut adveetit Clericatus de Sacrif. Miſſæ *deciſ. 49. ſub num. 47. &* 48. credit, quod idem ſit anulus cum gemma & ſine gemma. Verum quidquid ſit de hoc, certum eſt nobis non conſtare de dicto Decteto: quia in eegiſteis S. R. C. quæ non incipiunt niſi ab anno *1602.* eeperiei non poteſt, & quamvis extitiſſet, ipſi derogatum fuiſſet per poſteriora Decteta a Gavanto io ſuo ſuperiori Commentaeio allata; in quibus ſancitum eſt, quod anuli uſus in Miſſa prohibetur Protonotaeiis non participantibus, & quibuſcumque Doctoeibus, necnon Canonicis Cathedralium Eccleſiarum. Sed moderata fuerunt hæc duo Decreta pee aliud poſterius editum die 4. Auguſti 1565. datum in noſtro Indice *ſub num.* 413. in quo ſtatuitur, quod Poſſunt Canooici Miſſam celebrare cum anulo aureo, & de rigore uti, ſed ſine gemma, & ſine aliqua effigie. Ita S. R. C. *in una Dalmatiarum* reſpondit ad 2. dubium: quod quidem Decretum confirmari videtur ab illo, quod aſſetitue emiſſum ſub die 22. Auguſti 1601. de quo ſuperius mentionem fecimus.

Prætertire hic non debeo, quod quamvis Canonici uti poſſint anulo ſupradicto in celebratione Miſſæ, non poſſunt tamen uti palmatoria, vulgo *Bugia*; ut decrevit S. R. C. ſub die 11. Julii *1699. in Vicentina*; quod Decretum datum eſt in noſtro Indice *ſub n.* 541.

XXXVI. Gav. ead. lit. x - *Ultima veſtis Epiſcopi eſt manipulus.*) Quærit hic Gavantus cum Durando, cur manipulus ſit ultima veſtis Epiſcopi, & quamvis nonnullas adducat tationes; nihilominus eam præteeit, quæ magis congrua videtue, nimirum, quod cum planeta antiquitus totum corpus ambiret, ut ſuperius vidimus, priſco mote poſt Confeſſionem a Miniſtris elevari ſolebat; eaque ſuper brachia Sacerdotis celebrantis apte complicabatur, & tunc brachio ſiniſtro diſcooperto, & expedito, manipulus extremo loco imponebatur: hic autem Ritus, qui omnibus Presbyteris tunc communis erat, nunc in ſolis Epiſcopis eemanſit; quibus peracta Confeſſione a Miniſtris in brachio ſiniſteo prope cubitum manipulus collocatur. Hæc omnia comptobaotue auctoritate Ordinis Romani 14. in quo legitur: *Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris, planetam ſuper brachia Pontificis apte complicent, & ſi Pontifex prope Altare induitur, Subdiaconus in ipſa plicatura brachii ſiniſtri collocet, & quaſi abſcondat manipulum Pontificis tradendum ſibi ab Acolytho. Quod ſi Pontifex longe ab Altare veſtiatur, non debet Subdiaconus tunc imponere manipulum, ſed debet ipſum portare cum libro Evangeliorum; & cum Pontifex pervenerit ad Altare, imponat, & aptet manipulum prædicto modo.* Et paulo infeeius poſt iſta verba; *Quod ſi Pontifex juxta Altare induatur*, habentue hæc alia: *Pontifex autem inclinatus paululum ante Altare Confeſſionem facit aſſiſtentibus ei Capellano a parte dextera, & Diacono a ſiniſtra; Subdiaconus vero ſi debet immittere manipulum Pontifici, immittat.*

XXXVII. Gavaot. ead. lit. x - *De gremiali Epiſcopi, &c.*) Gremiale eſt pannus, qui in gremio Epiſcopi celebrantis ponitue cum ſedet & cum Ordines confert, de quo agit Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 1. cap. 11.* Hoc gremiale ſubcinctorium appellari putat Vicecomes de Miſſæ apparatu *lib. 3. cap.* 15. ut notat etiam noſter Gavantus; ſed revera, ſuccinctoeium cum gremiali non debet cooſundi, quia eſt peculiare ſolius Summi Pontificis ornamentum, quo utitur quando ſolemniter celebrat, eſtque inſtar parvi cujuſdam manipuli, & e ſiniſteo latere pendet; de hoc ſuperius mentionem fecimus, cum de cingulo locuti ſumus.

XXXVIII. Gavant. ead. lit. x - *Pluviale item eſt veſtis Epiſcopalis.*) De pluviali cum eodem Gavanto ſupeeius, nempe *part. 1. tit.* 19. ſermooem babuimus. De aliis veeo, quorum Miſſale mentionem non facit, ut de pallio Archiepiſcopi, ſicut Gavantus nihil tradit, ita pariter nos ejus veſtigiis inhærentes, de eodem pallio, necnoo de orali Papæ, & de aliis ejuſdem veſtibus, omnia ſilentio præterimus; & ſolum mentionem facimus de Auctoeibus, qui eruditas diſceptationes inſtituerunt ſuper præfato indumento Archiepiſcopali, & Pateiarchali: hi autem ſunt Joannes Garnerius *in libro de diurno Roman. Pontif. variis locis, præſertim vero diſſert. 3. ſuæ appendicis*: Chriſtianus Lupus *diſſert. 2. de Africanæ Eccleſiæ ad Sedem Apoſtolicam provocationibus c. 7. necnon 13. & alibi*; Petrus de Marca *lib. 6. cap. 6. de concord. Sacerdotii, & Imperii*; Dominicus Georgius *tom. 1. Liturg. Rom. Pontif. lib. 2. cap.* 25. Biſſus *in Hierurgia, v. Pallium Archiepiſcopale.* Cantellius *in Hiſtor Metropolit. Sedium.* Franciſcus Pagius *in Vita Sancti Marci Pontificis Roman.* qui aono Domini 336. Thronum Apoſtol. conſcendit; Carolus Du-Freſne *in ſuo Gloſſar.* Thomaſſinus de veteri, & nova *Eccleſ. diſcipl. t. 1. lib. 2. a cap. 53. uſque ad* 57. ſed fuſius præ cæteeis, & eruditiſſime tractat hanc mateeiam de pallio, nunquam ſatis commendatus Joſeph Vicecomes *lib. 4. de Miſſæ apparatu a cap. 1. uſque ad* 13. necnon Cardin. Bona *lib. 1. rerum Liturgicar. cap. 23. num.* 16. & Nicolaus de Bralion in toto ſuo opere ſupee hac mateeia, impreſſo Pariſiis Aono 1648. in 8. His addi poſſunt Theodoricus Ruinart in *diſquiſ. hiſt. de Pallio Archiepiſc. inter opera poſthuma tom.* 3. Feanciſcus Florens *ad lib. 1. Decretalium tit. 8. de uſu, & auctoritate pallii, tract.* 8. & denique Marcus Paulus Leo Romanus e Societate Jeſu *de auctoritate, & uſu pallii Pontificii.*

De orali vero Papæ, & de aliis ejus otnamentis, indumentiſque Pontificalium, erudite agit pluries laudatus Dominicus Georgius in ſuo præclariſ. opere *de Liturg. Rom. Pontif. tom.* 1.

## De Ingreſſu Sacerdotis ad Altare. II.

### R U B R I C A.

1 *Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu ſiniſtra Calicem, ut ſupra præparatum, quem portat elevatum ante pectus, burſam manu dextera ſuper Calicem tenens; &* (a) *facta reverentia Cruci, vel imagini illi, quæ in Sacriſtia erit, capite cooperto accedit ad Altare,* (b) *Miniſtro cum Miſſali, & aliis ad celebrandum neceſſariis (niſi ante fuerint præparata)* (c) *præcedente, ſuperpelliceum induto; procedit autem oculis demiſſis, inceſſu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum tranſire ante Altare majus capite cooperto, faciat ad illud reverentiam; ſi ante locum Sacramenti,* (d) *genuflectat, ſi ante Altare, ubi celebretur Miſſa, in qua elevatur, vel tunc* (e) *miniſtratur Sacramentum, ſimiliter genuflectat, & detecto capite illud adoret: nec ante ſurgat, quam Celebrans depoſuerit Calicem ſuper Corporale.*

### G A V A N T U S.

(a) *Facta reverentia.* Hæc vox, quæ hoc loco primum occurrit, *Reverentia*, eſt nomen genericum, quod habet ſpecies, id eſt inclinationem capitis, vel genuflexionem; poniturque in ſequentibus Rubricis juxta ſpecificam ſignificationem, quæ rei congruit, cui fit reverentia; quod ſemel dixiſſe ſit ſatis; & hoc loco reverentia fit capite cooperto, & profunde *ex numer. ſequent.* inclinato; non enim verbum illud *cooperto*, concordat tantum cum ſequenti, *accedit*; ſed etiam cum peæcedentibus; nec inconvenit, cum paulo poſt idem bis præſcribatur, quando tranſit Sacerdos ante Altare majus, in quo item Crux eſſe debet, *juxta Rubr. ſuperiorem in prima parte tit.* 20. Coopertum veeo caput hoc loco ſignificat cum bireto: quare de Regularibus non loquitur Rubrica, * quos neque decet uti bireto, niſi ſint Canonici Regulares.

Prima fit hoc loco de Sacris imaginibus meotio, de quibus præclare ſcripſit *Tobias noſter de Sacris Templis part. 1. cap.* 63.

(b) *Miniſtro cum Miſſali.* Si Miſſale tantum geſtandum erit, quod magis deceret, illud portet Miniſter ambabus manibus erectum ante pectus, maous apponens angulis inferioribus ejuſdem; cæterum ſine Miniſteo celebrari non debet. *De fil. Presbyt. tit. 17. cap. Propoſuit, ex Alex. III.* ſub mortali, *ex S. Thoma qu. 83. art. 5. ad* 12. neque Miniſtee fœmina ſit, *Azor. lib. 10. cap. 29. ubi fuſius, ex cap. Inhibendum, de cohabit. Cleric. ex Conc. Mogunt.* Unus autem ſufficit Miniſter, *ex Concil. Nannet. c. 30. apud Ivon. 3. part. c. 70.* poſſet tamen excuſare neceſſitas, ut ſine Miniſteo fieret Miſſa, & Sacerdos reſponderet ſibi, ut ad *Orate fratres*, & ad *Kyrie*; vel prædicere laico præſenti, quæ reſpondeee debet, ne Populus careat Miſſa. *Suar. diſp. 83. ſect.* 2.

(c) *Præcedente.* Eodem modo incedeote, ut mox dicitue de Sacerdote, oculis demiſſis, & inceſſu modeſto, factis debitis reverentiis Cruci in Sacriſtia, Altarique majoei ſimul cum Celebeante; a latere ſiniſtro ejuſdem, paulo poſt eum.

(d) *Genuflectat.* Cooperto adhuc capite, ne amota manu dextra, cadat aliquid de Calice. Sacramento vero patente in Altari caute ſe geeat, dum amovet manum dexteram ad detegendum caput, juxta peoximam Rubricam. * Neque incedat idcirco longius aperto capite; quod titulo majoris reverentiæ aliqui faciunt, ſed minus caute ob Calicem, quem manu geſtant.

(e) *Miniſtratur Sacramentum.* Eodem modo fiat, ſi expoſitum ſit in Altari SS. Sacramentum, vel ſi advertat in Altaribus

inuo-

Digitized by Google

minoribus adhuc eſſe poſt Conſecrationem Sacramentum. * Hoc loco ſimiliter ſignificat quidem genuflexionem unico genu; ſed in elevatione Hoſtiæ uſque ad Calicis depoſitionem duobus genibus ſit adoratio.

* Si vero tranſeat ante Altare, in quo ſit expoſita ſolemniter Reliquia inſignis Sancti, de quo ſit Feſtum ibidem, convenit ut apertum caput inclinet illi profunde: in aliis Reliquiarum expoſitarum caſibus habeatur ratio Altaris tantum.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ privatæ, a diſceſſu Sacerdotis a Sacriſtia, uſque ad primum acceſſum ad Altare.

I. Rubr. *Accipit manu ſiniſtra Calicem.*) Quamvis ſuper hæc Rubricæ verba nihil ſe extendat in ſuo Commentario Gavantus; nihilominus aliqua animadverienda ſunt, nimirum, quod Sacerdos nihil ponere debet ſuper Calicem præter ea, quæ a Rubrica præſcribuntur, non ſudariolum, ſeu manutergium ad emundandas nares; præſcribitur enim hoc in Decreto a S.R.C. edito ſub die 1. Septembris 1703. in quo ſtatuitur, quod - *Sacerdotes non debent deferre manutergium ſuper Calicem tam eundo, quam redeundo ab Altari*- Quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 564. Debet igitur ſudariolum pendere a parte dextera cinguli ſub planeta. Biſſus in Hierurgia *tom.* 2. *Lit. S. n.* 205. citans noſtrum Gavantum hoc *tom.* 1. *tit.* 20. Hippolytus a Portu in ſuis adnotationibus *ad tit.* 2. *n.* 1. & Archipresb. Franciſcus Gervaſi in catalogo errorum *n.* 15. Item neque rem aliam ſupra burſam ponat, nec clavem Sacrarii, neque Patenam cum Hoſtis pro communicantibus. Cæremoniale PP. Diſcalceatorum SS. Trinitatis *part.* 2. *cap.* 1. §. 2. *nu.* 3. Denique neque perſpicilla, ſius utatur; ſed ea tradere debet Miniſtro deferenda. Bauldry *part.* 3. *tit.* 2. *n.* 1. *in notis*, & Gervaſi *loc. cit.* Itaque Sacerdos omnibus paramentis Sacris indutus, accipit birretum, eoque caput tegit; & deinde accipit manu ſiniſtra Calicem per nodum. Caſtaldus *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 31. Tobias Lobner *part.* 2. de Ritibus in ipſa Miſſa obſervandis *tit.* 3. *n.* 1. quem deferre debet, nec nimis diſtantem, nec pectori adhærentem, & ita ut ejus ſummitas pertingat ad mediam pectoris altitudinem. Hippolytus a Portu *loc. ſuperius cit. num.* 3. manu dextera poſita ſuper burſam Calicis, nimirum, extenſis manus dexteræ apertæ digitis, ad firmandam dictam burſam, ne aliquid decidat. Hippolytus a Portu *ibidem n.* 4. & Paulus Maria Quarti *part.* 2. *tit.* 2. §. *Quoad primum*, necnon Caſtaldus *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 31. & Biſſus *tom.* 2. *lit. S. num.* 20. §. 3. & denique Tonellius *lib.* 2. *tit.* 2. *Rubr.* 1. *n.* 2. qui tamen ibidem *Rubr.* 1. *n.* 1. adjungit decere, quod Sacerdos antequam accipiat Calicem ſalutet aperto capite alios Sacerdotes, ſi qui forte ſunt in Sacriſtia; idemque eſſe obſervandum poſt Miſſam, depoſito prius Calice. Verum non videmus in praxi obſervari, quod hæc reverentia fiat aperto capite: alias ſi Sacerdos paratus deberet alios Sacerdotes ſalutare in Sacriſtia aperto capite, majorem honorem præberet ipſis, quam Cruci, cui Sacerdos, ut infra dicemus, reverentiam facit capite cooperto; quod obſervat Biſſus *tom.* 2. *lit. S. num.* 20. §. 4. Quapropter cum Rubrica Miſſalis de hac reverentia a Tonellio excogitata, nihil enunciet; ſatius videtur eam prætériri debere.

II. Gav. lit. a - *Cui ſit reverentia.*) Sacerdos accepto Calice, ut ſupra, antequam a loco paramentorum diſcedat, facit Cruci, vel imagini, quæ in Sacriſtia eſt, reverentiam capite cooperto profundam, hoc eſt profunda capitis, & humerorum inclinatione; ut quoad hoc ultimum tenet Corſettus *tit.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 12. Bonamicus *part.* 2. *num.* 4. & Archipresbyter Gervaſi ſupra §. *Dapoi*. Advertendum tamen eſt Bauldryum *part.* 3. *tit.* 2. *num.* 1. docere quod ſi Sacerdos non deferat Calicem (quia forte rationabili de cauſa eſt jam ad Altare præparatus) procedit junctis manibus, & caput detegit imagini, quæ eſt in Sacriſtia, & Altari quando tranſiens ante illud genuflectit, vel profunde ſe inclinat, quia manus non habet occupatas. Quoad reliqua vero ſuperius dicta, tenent communiter omnes Rubriciſtæ cum Gavanto. Cæterum cum impræſentiarum de reverentia, ſeu inclinatione mentio facta ſit; ſciendum eſt inclinationes ab Auctoribus peritioribus ad tres reduci claſſes, quæ dicuntur Profunda, Media, & Infima. Inclinatio profunda ſit capitis, atque humerorum profunda incurvatione; & bene deſcribitur in Cæremoniali PP. Diſcalceatorum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo *part.* 1. §. 3. ubi dicitur, quod profunda inclinatio, ſeu integra, eſt cum ſtando, ita deorſum flectitur caput, & corpus; ut in modum Crucis manus ambæ diſpoſitæ utrumque genu facile contingant. Hanc profundam inclinationem facit Sacerdos, quot in Rubricis præſcribitur profunde eſſe inclinandum; veluti dum Altari, in quo celebraturus eſt (ſi in eo non aſſervetur Sanctiſſimum Sacramentum,) aut Prælatis in Rubrica ſpecificatis, exhibet reverentiam; & dum dicit *Confiteor*, &c. *Munda Cor meum* &c. *Jube Domne benedicere* &c. *Dominus ſit in corde meo* &c. *Te igitur clementiſſime Pater* &c. *Supplices te rogamus* &c.

Inclinatio media dicitur illa, quæ ſit capitis, & modica humerorum inclinatione. Hæc inclinatio media ſit, quoties in Rubricis abſolute aliquantulum eſſe inclinandum præſcribitur, velut ad verſ. *Deus tu converſus*, &c. uſque ad *Aufer a nobis*, excluſive, cum dicit *Oramus te, Domine*, &c. *In ſpiritu humilitatis* &c. *Suſcipe Sancta Trinitas* &c. *Sanctus* uſque ad *Benedictus, qui venit*, excluſive. Item ad utramque Conſecrationem, dum cubitis ſuper Altare poſitis profert verba Conſecrationis. Ad *Agnus Dei*, & tres ſequentes Orationes ante Communionem; ad *Domine, non ſum dignus*, &c. & dum ſumit Corpus Domini, Denique dicens *Placeat tibi Sancta Trinitas*, &c.

Inclinatio infima eſt illa, quæ ſit ſola capitis inclinatione. Hæc inclinatio infima, nempe ſolius capitis ſubdividitur ab aliquibus in tres alias claſſes, quarum prima vocatur Minimarum maxima, ſecunda Minimarum media, tertia Minimarum minima. Prima, nimirum minimarum, ſeu ſimplicium reverentiarum maxima conſiſtit in capitis profunda inclinatione, quæ trahit ſecum modicam etiam humerorum inclinationem. Secunda, nempe minimarum media comprehendit notabilem ſolius capitis inclinationem. Tertia, ſeu minimarum minima abſolvitur levi capitis inclinatione. Primam ex dictis inclinationibus ſibi vindicat nomen Jeſus, tranſitus ante Crucem Altaris, acceſſus ad eam, & receſſus ab ea, prolatio plurium verborum, in quibus proferendis præſcribitur a Rubricis inclinandum eſſe caput, ut ad *Gloria Patri, & Filio*: & cum ſub Hymno *Gloria in excelſis* dicitur *Adoramus te, gratias agimus tibi*, &c. & cum ſub *Credo* dicitur *In unum Deum - Jeſum Chriſtum - Simul adoratur*, &c. Secunda ſit cum proferimus nomen Mariæ, quod eſt proprium Deiparæ. Tertia denique ſit cum proferimus nomina Sanctorum & Papæ viventis; de quibus ſuo loco dicemus. Regulariter igitur prima ex dictis inclinationibus correſpondet adorationi latriæ, ſecunda adorationi hyperduliæ, & tertia cultui duliæ, & amiſſa hac inclinationum diviſione majori claritate, & facilitate conciliantur diverſæ Rubricarum, & Doctorum Rubriciſtarum dictiones, ac diſpoſitiones. Hæc collecta ſunt ex Bauldry *cap.* 3. *cap.* 5. *n.* 1. ex Gerlac. Vinitore *part.* 2. *tit.* 2. §. 13. & *ſeqq.* ex Hippolyto a Portu, Conſtantino Hagerer Franciſco Gervaſi, Pennatio & aliis.

III. Gavant. lit. b - *Illud portet Miniſter*, &c. Miniſter accepto Miſſali, & deportato, ut docet Gavantus, debet Cruci, ſeu imagini, quæ eſt in Sacriſtia, genuflectere, ut docet Bauldry *par.* 3. *cap.* 17. *n.* 13. ad differentiam Sacerdotis, qui profundam tantum inclinationem facit: vel etiam ipſemet Miniſter profunde eidem imagini ſe inclicet; ut Bonamicus *part.* 3. *n.* 83. Hippolytus tamen a Portu ſupra *n.* 5. cenſet, quod, ſi in Sacriſtia adſit Crux, tunc a Miniſtro ſit genuflectendum, ſi vero ſit in prædicta Sacriſtia imago tantum alicujus Sancti, tunc a Miniſtro facienda ſit profunda inclinatio. Deinde accedens ad fontem aquæ benedictæ, quæ ſolet eſſe ante oſtium Sacriſtiæ, accipiat aſperſorium, ipſumque reverenter oſculando Sacerdoti porrigat, atque ab eo genuflexus aſpergatur. Piſcara, Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 1. *n.* 7.

IV. Gavan. ead. lit. b - *Neque Miniſter fœmina ſit.*) Optime obſervat hic Gavantus præfatum Miniſtrum debere eſſe maſculum: adhibere enim fœminam in Miſſæ miniſterio prohibetur a jure Canonico his verbis: *Prohibendum quoque eſt, ut nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare, aut intra cancellos ſtare, ſive ſedere.* Ita in *cap. Prohibendum lib.* 3. *Decretalium tit.* 2. Idem prohibetur pariter expreſſe in *part.* 3. Rubricarum Miſſalis *tit.* 10. *de defect. in miniſterio ipſo occurrent.* unde omnis uſus in contrarium deteſtabilis abuſus eſt; ut recte oſtendit Boſco *diſp.* 5. de Sacrificio Miſſæ, relatus ab Henrico Piſart *parte* 2. *tit.* 2. *in obſerv.* unde potius eſſet celebrandum ſine ullo Miniſtro, quam fœminam admittere. Ita Scortia de Sacrificio Miſſæ *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 2. Tonellius *lib.* 1. *cap.* 1. §. 9. *n.* 5. & 6. Abreù in inſtit. Paroch. *lib.* 4. *n.* 111. Gobat in experim. Theolog. *tract.* 3. *n.* 393. qui cenſent talem probibitionem obligare ſub gravi: poſſet tamen fœmina longe ab altari reſpondere Sacerdoti; nunquam vero ampullas, &c. miniſtrare; ut tenet Alozz. in alphabeto morali *v. Miſſa ſect.* 3. *n.* 67. & communiter DD. Item miniſtrante viro circa Altare, Monialis e Choro reſpondere poteſt; idque nullo jure prohibitum eſſe docet Card. de Lugo de Euchar. *diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 103. allegatus a Tonellio *loc. cit. n.* 7. qui pariter *n.* 9. notat cum Paſqualigo *qu.* 349. quod Celebrans qui pro Miniſtro uteretur ſuo filio illegitimo, graviter delinqueret, niſi caſus neceſſitatis excuſaret; vel Miſſa celebraretur in loco ſecreto, aut etiam in publico, dummodo a circumſtantibus ignoraretur talem Miniſtrum eſſe illegitimum filium Sacerdotis. Ita pariter Biſſus tomo 2. *liter. M. n.* 162. §. 2. Tradunt præterea Abreù, ſupracitato *n.* 10. & Alozz. *cit. n.* 50. parum referre, quod Miniſter bene, vel male pronuntiet, laudabilius tamen eſſet adhibere Miniſtrum habilem, & bene inſtructum, quia negotium eſt magni ponderis. Biſſus ſupracitato §. 3.

V. Gavant. ead. lit. b -- *Poſſet tamen excuſare neceſſitas, ut ſine Miniſtro*, &c.) Caſus neceſſitatis, in quibus ſine Miniſtro celebrari poteſt, ſunt, quando debet dari Viaticum infirmo, vel urget præceptum de audiendo Sacro, ne Populus careat Miſſa, ut notat noſter Gavantus. Item tempore peſtis ad vitandum mortis periculum, ſine Miniſtro celebrari poteſt, quod jam fuiſſe poſitum in uſu, refert Gobat ad Pax Jordanum *loc. cit. n.* 390. Cenſetur etiam caſus neceſſitatis, ſi Sacerdos debeat celebrare ad lucrandum neceſſarium ad ſuæ vitæ ſuſten-

tationem, & ad celebrandum ratione fundationis; idem Gobat *n.* 395. Præterea, etiam extra caſum neceſſitatis, ſi non poſſit haberi Miniſter idoneus, dummodo adſit, qui poſſit miniſtrare ampullas, poſſe Sacerdotem, eo ſolo adhibito, Sacra peragere, docet Abreu *loc. cit. num.* 108. *& num. ſeq.* excuſat Parochum, qui ſic celebravit, ne tanto Sacrificii fructu, ſe ſuaſque oves privaret. Verum adverti debet, quod docet Gavantus noſter, nimirum, quod in tali caſu Sacerdos poſſet ſibi reſpondere, ut ad *Orate fratres*, & ad *Kyrie*, vel prædicere laico præſenti, quæ reſpondere debet, & quæ dicenda ſunt. Tandem cenſetur caſus neceſſitatis, ſi Sacerdos jam Miſſam incœperit, & Miniſter abeat, expectatuſque aliquantulum, non revertatur. In tali caſu Henriquez, & Quarti *par.* 2. *tit.* 2. *ſect.* 4. *dub.* 1. relati a Tonellio *numer.* 4. *loc. citat.* cenſent Sacerdotem debere proſequi ſine Miniſtro Miſſam inceptam, etiamſi Miniſter abierit ante Canonem. Hoc loco animadvertendum eſſe cenſeo, non competere Vicariis generalibus celebrare cum duobus Miniſtris: extat enim Decretum, editum die 7. Auguſti 1627. a S. R. C. in quo ſancitum eſt -- Ad Miſſam Vicarii generalis non debent accendi quatuor candelæ in Altari, niſi hoc fieret propter ſolemnitatem diei Feſti; nec illi aſſiſtere debent duo Capellani cum cottis -- Quod Decretum datum eſt in noſtro Indice *ſub n.* 215.

VI. Gavant. lit. e -- *Eodem modo incedent.*) Facta, ut ſupra diximus, Cruci, ſeu imagini in Sacriſtia reverentia, Miniſter ante ipſum Sacerdotem oculis demiſſis, gravi ac modeſto inceſſu procedat ad Altare, quem ſequitur ipſe Sacerdos item oculis demiſſis, inceſſu gravi, erecto corpore, ut in Rubrica. An liceat Sacerdoti tunc recitare ſubmiſſa voce Pſalmum aliquem, ex. gr. *Miſerere*, aut aliquid aliud, non conveniunt Doctores, affirmant Bonamicus *par.* 2. *num.* 4. Angel. *par.* 1. *tit.* 2. *num.* 14. §. *Tempore*, negant Cabrinus *cap.* 3. §. 3. *Quidem*. Premolus *par.* 3. *cap.* 9. §. 2. *Quidem reliqui ſolent*, *&c.* Ego cum Hippolyto a Portu ſupra *num.* 11. negativæ ſententiæ adhærendum eſſe crediderim, quia nihil imperatur in Rubrica recitandum in acceſſu ad Altare, ſicut imperare debuiſſet, & ut de facto imperat in receſſu.

VII. Gavant. lit. e -- *Eodem modo fiat, ſi expoſitum ſit in Altare Sanctiſſimum Sacramentum.*) Si contigerit Sacerdotem tranſire ante Altare, ubi expoſitum ſit Sanctiſs. Sacramentum, debet prius genuflectere, vel unico genu, ut volunt aliqui, & præſertim Bauldry *par.* 3. *tit.* 2. *de ingreſſu Sacerd. ad Altare n.* 1. *in notis n.* 3. & Biſſus *tom.* 1. *lit. G n.* 24. §. 2. & ratio eſt, quia regula generalis ad faciendam genuflexionem utroque genu, eſt, quando fit aliqua pauſa; hic autem nulla pauſa eſt facienda, & idcirco, &c. Verum juxta communem uſum Romæ receptum Sacerdos in dicto caſu genuflectere debet utroque genu, & poſtea deponere birretum, & caput deinde profunde inclinare, poſtmodum debet ponere birretum in capite antequam ſurgat, & ſine alia reverentia proſequi ſuum inceſſum cum birreto in capite. Quapropter non ſunt approbandi ii, qui ad majorem reverentiam, ut ipſi dicunt, capite apereo abeunt, quouſque ſint extra conſpectum Altaris, in quo eſt expoſitum Auguſtiſſimum Sacramentum, tum quia operatur contra Rubricam, tum quia adeſt periculum, quod aliquid de Calice decidat. Præterire non debeo, quod in prædicto caſu, & in ſimilibus, birretum non eſt ponendum ſupra Calicem, ut male plerique faciunt; ſed eſt porrigendum Miniſtro, vel tenendum ab ipſo Sacerdote manu dextera inclinata, & cum parte aperta birreti verſus ſe. Ita docet Cæremoniale Miſſæ Privatæ Cardinalis Cantelmi auctoritate editum *cap.* 1. §. 7. Gervaſi in inſtruct. Miſſæ Privatæ *cap.* 2. §. *Quando poi*.

Si Sacerdos tranſeat ante Altare, in quo tunc elevatur, vel miniſtratur Sacramentum, genuflectat utroque genu (quia in iſto caſu facit pauſam, ſeu morula intercedit) cum birreto in capite: deinde eo detecto Sacramentum adoret (porrigendo prius birretum Miniſtro, quod magis convenit, vel tenendo illud in manu dextera demiſſa, ut mox dixi) capite profunde inclinato; nec ante ſurgat, quam Celebrans depoſuerit Calicem ſupra Corporalem: & aliqui addunt, vel donec fuerit peracta Communio Fidelium. Verum contra hanc ſecundam opinionem extat Decretum, in quo ſancitur, quod -- Sacerdos Miſſam celebraturus, tranſiens ante Altare, ubi ſit Populi Communio, non debet permanere genuflexus, donec, & quouſque terminetur Communio. Ita S. R. C. 5. Julii 1698. *in Colen. ad* 19. *dubium* -- & datur in noſtro Indice *ſub num.* 531. Redeundo nunc ad ea, quæ dicebam, Sacerdos antequam ſurgat, ponat birretum in capite; & ſine aliqua genuflexione, ſive reverentia proſequatur viam ſuam, ut ſupra pariter diximus. Quod ſi advertat in Altaribus minoribus adhuc eſſe poſt Conſecrationem Sacramentum, genuflectat unico genu, deinde detegat caput (& non prius, ut male plerique faciunt, & minus caute ob Calicem, quem manu geſtant) & facta adoratione Sacramenti, ponere debet birretum, priuſquam ſurgat, ut ſupra dictum eſt. Bauldry *par.* 3. *Rubr.* 1. *num.* 3. Polaccus, Bonamicus, Cabrinus, Lohner, & Tonellius, quos refert a Portu ſupracit. §. 14.

Oritur hic dubium, quod non facile poteſt reſolvi ex Rubrica, neque ex Auctoribus: nimirum, quomodo ſe gerere debeat Sacerdos eundo per Eccleſiam, quando advertit, quod in pluribus Altaribus minoribus ineſt Sacramentum ob Miſſam, quæ ibi celebratur, poſt Conſecrationem; nimirum, utrum debeat in tali caſu genuflectere ad omnia Altaria, in quibus dictæ Miſſæ celebrantur? Ad hoc reſpondendum videtur, quod nimis incommodum foret in tali caſu Sacerdoti eunti per Eccleſiam genuflectere ad omnia Altaria, cum deberet ſe vertere modo ad hanc, modo ad illam partem, excepto igitur quando tranſiret immediate ante Altare, cui magis particulariter appropinquaret, tunc deberet genuflectere unico genu, deinde caput aperire, & poſtea prius caput tegere, & deinde ſurgere, ut mox diximus, vel etiam poſſet genuflectere unico genu abſque eo quod caput detegat: quia cum Sacramentum ſit abſconditum ob Sacerdotem celebrantem, eſt in illo Altari, quaſi eſſet in Tabernaculo, & ſic communiter Romæ fit. Rurſus, ſi per Eccleſiam fiat ei obviam Sacerdos deferens SS. Sacramentum; tunc genuflectendum erit, donec tranſeat, & quidem utroque genu, quando immorandum eſt, unico vero genu, ſi in tranſitu & abſque mora genuflectendum erit dicto Sacerdoti eunti per Eccleſiam. Quarti *part.* 2. *tit.* 2. *numer.* 1. Tonell. *lib.* 2. *titul.* 2 *Rubr.* 1. *in notis numer.* 6. §. *Hujuſmodi*. Si contigerit Sacerdotem tranſire ante Altare majus, in quo non aſſervatur Sacramentum, faciet cooperto capite profundam reverentiam Cruci: Miniſter vero in hoc caſu debet genuflectere: juxta vero ſententiam Venantii *tit.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. etiam Miniſter in dicto caſu facit tantum profundam reverentiam Cruci; quod tamen haud libenter admitto. Debet idem Miniſter ſemper genuflectere, & ſe inclinare, dum Sacerdos genuflectit, aut ſe inclinat. Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 1. *num.* 8. Corſettus *tract.* 1 *parte* 1. *cap.* 1. *num.* 12.

VIII. Gavant. ead. lit. e -- *Convenit, ne apertum caput inclinet illi profunde.*) Hanc Gavanti ſententiam, nimirum, quod ſi Sacerdos tranſeat ante Altare, in quo ſit expoſita ſolemniter Reliquia inſignis Sancti, de quo fit Feſtum, aut quia eſt in magno honore apud populum, debeat capite aperto illi profunde inclinare; hanc inquam ſententiam tuentur pariter Lohner *part* 2. *tit.* 4. *num.* 3. Corſettus *de Rubr. Gener. cap.* 2. *numer.* 14. Arnaud. *part.* 2. *tit.* 2. *num.* 4. Moncius *in inſtruct.* §. 5. *num.* 25 E contra vero Tonellius ſupra §. *Caput*, Cabrinus *cap.* 8. § *Quando vero*, Bauldry cit. *num.* 3. Hippolytus a Portu ſupra *num.* 12. negativam ſententiam amplectuntur, præſertim ob hanc rationem, quam adducit poſtremus ex allegatis Auctoribus, nimirum, propter paritatem de Cruce expoſita tum in Sacriſtia, tum in Altari, cui exhibetur proportionata reverentia, ſed tecto capite; tum etiam quia dexteram tenere debet ſuper Calicem, ne aliquid labatur. Idem Hippolytus a Portu cit. §. *Si forte*. De aliis Reliquiis, quæ forte diſtribuuntur ad ornatum Altaris, nulla eſt habenda ratio, ac ſi non eſſent; ſed ſolum de Altari ratio haberi debet; ut tenent noſter Gavantus hic necnon Lohner, Bauldry, Hyppolitus a Portu ſupra *num.* 12 §. *Hæc eadem*: & de Altari quidem, ſi SS. Sacramentum in eo reperiatur: alioquin nullam Altari illi, vel aliis exhibendam eſſe reverentiam, tenent Lohner, & Hippolytus a Portu *ſupra* ex eo quod Rubricæ de ſolius Altaris majoris conſideratione ſermonem habeant.

Si igitur in Altari, in quo oſtenditur illa inſignis Reliquia aſſervetur pariter SS. Euchariſtia; tunc ſufficit ſi Sacerdos tecto capite genuflectat, abſque eo quod alia exhibeatur reverentia. Ita Tonellius, & a Portu *ſupra*, necnon Carolus Venanzi *in ſua praxi Sac. Cærem. cap.* 2. cum in genuflexione includatur profunda inclinatio.

Lubet præterea adjicere, quod ſi Sacerdos tranſierit per Chorum, in quo cantetur, *Gloria Patri*, finis alicujus Himni, vel alia Oratio, in qua caput inclinandum eſt, debet manere reverenter inclinatus, donec perficiatur. Ita Caſtaldus *lib.* 1. *c.* 16. *num.* 8. Moncius ſupra *n.* 2. & a Portu ſupra. §. *Si tranſierit*.

Item quando Sacerdos tranſit per medium Chori, in quo eſt Clerus, vel tranſierit ante illum, debet ſalutare Clericos, qui in eo ſunt, cooperto capite; ſicut etiam Epiſcopus paratus ſalutat Canonicos in eo exiſtentes. Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 28. Bauldry *loc. citat.* & Biſſus *tom.* 1. *lit. G. num.* 24. §. 3.

Rurſus ſi Sacerdos accedens ad Altare, obviam habeat alium Sacerdotem ab Altari redeuntem, ſequens viam a latere ſuo dextero, eum tecto capite ſalutat. Bauldry *tit.* 12. *de Benedict. Rubr.* 6. *not. num.* 1. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 12. *Rubrica* 6. *numer.* 3. Simon a Larciano *in Sac. Cæremon. Sylva libro* 4. *capit.* 4. *v. Si vero*, & Hippolytus a Portu §. *Si obviam*, contra Lohner *de Sacrificio Miſſæ part.* 2. *tit.* 4. *n.* 4. qui tenet tunc Sacerdotes nullam ſibi invicem debere exhibere reverentiam.

Neminem ſalutare debet aperto capite; ſed ſi forte ante Prælatos, Magnates, Clerumque, ut ſupra adnotatum eſt, tranſeat, tantum cooperto capite plus, minuſve ſeſe inclinet, prout eorum poſtulat dignitas: quia univerſaliter dum Calicem defert, nemini caput aperire debet, Caſtaldus *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 31. & alii quos refert, & ſequitur Hippolytus a Portu ſupra §. *Si forte*: necnon Archipresbyter Gervaſi loc. ſuprac. Nemini autem convenit, quod caput aperiat: quia dexteram ſuper Calicem tenere debet, ne aliquid decidat, præſertim Patena cum Hoſtia; quod magis curandum eſt, ob Sacrificii reverentiam, quam caput Prælatis, aut quibuſcumque Magnatibus detegere. Quarti ſupra *titul.* 2. §. *Quod ultimum*, & a Portu *loco citat.* Alia ratio de non diſcooperiendo capite in caſu adducto eſt manifeſta: quia Sacerdos dum tenet Calicem, non detegit caput, etiam dum genuflectit ante Altare in quo eſt incluſum SS.

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentum; ut ſupra innuimus, & bic infra dicemus. Biſſus *tom.* 1. *lit.* G. *num.* 24. §. 3. Cæterum neminem alium etiam ſalutatus ſalutat. Bonamicus *part.* 2. *n.* 4. Hippolytus a Portu, & Archipr. Gervaſi *locis citat.* Si igitur tranſeat ante Altare, in quo SS. Sacramentum reperitur in Tabernaculo incluſum, genuflectere debet Sacerdos unico genu dextero, & capite tecto, ut aperte loquitur Rubrica; quæ eſt exacte obſervanda, niſi alicubi capitis aperitionem exigeret legitima conſuetudo ob majorem Populi ædificationem.

Pro coronide bujus noſtræ obſervationis, animadvertere eſt, quod ſi Sacerdos accedens ad Altare non deferat manu Calicem (quia forte rationabili de cauſa eſt jam ad Altare Calix præparatus) procedit, ut ſupra etiam dixi, junctis manibus ante pectus: & tunc detegit caput imagini, quæ eſt in Sacriſtia, & Altari, in quo ſervatur SS. Sacramentum, quando tranſiens ante illud genuflectere debet, eo quia manus non habet occupatas: & ob eandem rationem debet pariter caput detegere Epiſcopo Diœceſis, necnon Cardinali, Legato Apoſtolico, & magno Principi, ſi illi obviam occurrunt egrediendo e Sacriſtia, & ad Altare procedendo.

## R U B R I C A.

2 *Cum pervenerit ad Altare, ſtans ante illius infimum gradum* (f) *caput detegit, birretum Miniſtro porrigit, & Altari, ſeu imagini Crucifixi deſuper poſitæ profunde inclinat. Si autem in eo ſit* (g) *Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tunc aſcendit ad medium Altaris; ibi* (h) *ad cornu Evangelii ſiſtit Calicem, extrahit Corporale de burſa, quod* (i) *extendit in medio Altaris, & ſuper illud Calicem* (l) *velo coopertum collocat; burſam autem ad cornu Evangelii. Si* (m) *in Altari paramenta accepit, hoc idem facit, antequam deſcendat ab Altari, ut miſſam inchoet.*

## G A V A N T U S.

(f) **Caput detegit.** *Sanctus Paulus* 1. *Corinth.* 11. *Omnis vir orans velato capite deturpat caput ſuum: caput viri Chriſtus:* ſignum enim eſt libertatis, ſicut in fœminis, & Sacerdotibus Hebræis velatio capitis indicium eſt ſervitutis, & ſubjectionis. Nudo capite, quia non erubeſcimus, ait *Tertull. lib. de Oration.* Zacharias itaque Papa *cap. Nullus de Conſecr. diſtinct.* 1. juſſit, ne velato capite Sacerdotes adſtarent Altari; peccaret autem, ſi abſque juſta cauſa, & ſine diſpenſatione tecto capite, etiam pileolo, quis celebraret. Si vero neceſſitas adſit, & difficile ſit petere diſpenſationem, vel oon ſæpe accidit, excuſatur a peccato. *Sylveſter verbo Miſſa* 1. *quæſt.* 2. §. 1. ſed eo caſu ſecreto celebret. *Navar. de Celebrat. Miſſæ conſil.* 7. *n.* 1. & quamvis ibi concedat, *idem Navarr.* poſſe reoovare antiquum Ritum amiciendi caput amictu, qui ante albam aſſumitur; negat tamen, niſi incommodæ valetudinis gratia. *Azor. ſupra cap.* 28. *quæſt.* 26.

Verum Sedi Apoſtolicæ reſervata eſt hæc facultas concedendi pileoli uſum, tum ex Decreto, quod eſt Papale, & in Coocil. Rom. tum ex praxi Romana: nam Sacra Congreg. Cardin. ſuper negotia Epiſcoporum 2. *Januarii* 1590. & 17. *Januarii* 1595. conceſſit extra Canonem, uſum pileoli Epiſcopo Faventino; & reſpondit Archiepiſcopo Urbinati, eo non poſſe uti ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Idem ſenſit Sacra Rituum Congreg. 31. *Jannarii* 1626. & 24. *Aprilis eodem Anno*, ad Papam ſcilicet ſpectare hanc diſpenſationem.

* Aſſerunt DD. diſpenſationem hanc (ſine qua non ſufficit juſta cauſa, ut dicitur *in defect. tit.* 10. *n.* 1. *Si celebrat*, inqoit, *capite cooperto ſine diſpenſatione*) fieri poſſe ab Epiſcopo: & id dicunt quidem, ſed noo probant. At Canon ille tam Epiſcopo, quam Presbyteris prohiber, ne velato capite aſſiſtant Altari. An ergo Epiſcopus, cui fuit prohibitum a Papa, ſecum ipſe, & cum aliis diſpenſabit? *Joan. Andreas poſt Hoſt. in cap.* 1. *de ſup. negl. præl. in* 6. dicit notabile verbum (obſervante boc *Sylveſt. verbo Diſpenſatio, quæſt.* 13.) Ubi Canones, ait, imponunt legem ipſis Epiſcopis, non diſpenſat Epiſcopus, niſi hoc reperiatur conceſſum: & Romæ vidi pauperes gratis diſpeoſatos a Summo Pontifice. Hinc prædictæ S. Congreg. conſtaoter remittuot ad Papam, ut diſpenſet; & ita reſpondit rurſus Sac. Rituum Congreg. *die* 26. *Februarii*, & 7. *Auguſti* 1628. a qoibus noo decet diſſentire Decretis. Vide initio Miſſalis recogniti ſub Urbano VIII. Decretum hac de re impreſſum.

(g) *Tabernaculum.* Hic prima mentio de Tabernaculo immobili SS. Sacrameoti, quod appellatum eſt Paſtophorium a *Clemente lib.* 8. *Conſtitut. Apoſtol. cap.* 13. boc eſt Thalamus, *ex Hieronym. cap.* 40. *in Ezech.* Ad formam columbæ fabricabatur illud ætate S. Baſilii, *ex Amphil. in ejus Vita*; item ex auro, vel argeoto; *ibid.* Armariolum ligneum erat *apud Renerum S. Laurentii, de quo Durand. lib.* 1. *cap.* 16. * Quod autem hic dicitur, *Genuflectens debitam facit reverentiam*, iotellige unico genu, nt alias diximus.

(h) *Ad cornu Evangelii ſiſtit.* Ad cornu nobilius prima vice Calicem excipit; ſed revera hoc fit, quia cornu Epiſtolæ occupatur a Miſſali.

(i) *Extendit in medio Altari.* Solent multi acu pingere Crucem in Corporali, circa oram, & in medio: tunc congruit, ut latus illud ad anteriorem partem Altaris referatur. *Acta Mediolan. Eccleſ.* Oſculantur autem eandem Crucem oſculaturi Altare; quod nec approbo, oec reprobo. Certe, coovenit, ut ora Corporalis oram Altaris tangat; ut manus intra Corporale poſt Conſecrationem contineantur commodius.

(l) *Velo coopertum.* Io anteriori parte lateat totus Calix, quouſque relevato Calice releventur propria Paſſionis Chriſti Myſteria, ut dicemus, cum de Offertorio. Habet igitur Myſterium velatus Calix.

(m) *In Altari paramenta.* Ex tolerantia boc dicitur, deſinente Sacriſtia, & eo caſu fiat, quod ſupra diximus *tit.* 1.

Novæ Obſervationes, & Additiones &c. pro Ritu Miſſæ privatæ, a primo ingreſſu Sacerdotis ad Altare uſque ad deſcendendum ab eodem Altari.

IX. Gavant. lit. f - *Caput detegit.*) Cum Sacerdos ad Altare pervenerit, Miniſter ſiſtit ſe ad ipſius dexteram & facta cum ipſo reverentia, melius tamen genuflexione prout ſupra innuimus, deinde ſtans ibidem, accipit a dicto Celebrante birretum manu dextera, cum oſculo tantum illius; illudque nullo modo recipit ſupra Miſſale, ſed ad minorem ſiniſtræ manus digitum appendit, Bonamicus *par.* 1. *obſerv.* 3. *n.* 1. Durandus de Ritib. Eccleſ. *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 22. Hippolytus a Portu *in Rubr.* 2. *hujus tituli n.* 3. & Bauldry *parte* 1. *cap.* 17. *n.* 15. qui ſubnectit loquendo de Miniſtro: *Poſtea genuflectit, licet Celebrans non genuflectat.* Celebrans vero ante infimum Altaris gradum, detecto capite, ut ſupra, Altari tantum profunde ſe ioclinat, ſi ibi non aſſervetur Sanctiſſimum Sacrameotum.

Utrum vero Miniſter ſemper, quando traoſit ante medium Altaris, ratione Crucis ibi propoſitæ genuflectere debeat, non conveniunt in boc Sacrorum Rituum explanatores. Negativam ſeotentiam tuentur aliqui, quos ſuppreſſo nomine refert Bauldry ibidem *n.* 17. affirmativam vero ſententiam idem Bauldry ſuſtinet, ſicut etiam Bonamicus *part.* 1. *obſerv.* 12. *n.* 11. & Hippolytus a Portu *ſupra n.* 4. quibus adhærendum eſſe crediderim ob rationem a Bauldry adductam, nimirum quia Miniſtri Sacri Solemni Miſſæ inſervientes jubentur a Rubrica Miſſalis *par.* 2. *tit.* 2. *n.* 7. in medio Altaris, in quo ſit ſola Crux, ſemper genuflectere; qui procul dubio ſunt privato Miniſtro & ſimplici Clerico multo digniores. Citatus tamen Bauldry aſſerit, quod ſi talis ſit conſuetudo in aliquibus Eccleſiis, ut idem Miniſter tantum ſe inclinet ad Altare, in quo non eſt Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti; illam non audet improbare, cum graviſſimi Auctores id ſentiant. Verum quamvis Miniſter in multis actibus traoſiens ante Crucem, ſe tantum profunde inclinet, juxta præfatam conſuetudinem, & ſeoteotiam, nihilominus concurrens cum Celebrante & ipſo genuflectente, aut ſe profunde inclinante, prædictus Miniſter ſemper genuflectere debet, ut accidit in primo acceſſu ad Altare, & in ultimo receſſu ab eodem.

X. Gavant. ead. lit. f - *Peccaret autem, ſi ſine diſpenſatione tecto capite, etiam pileolo quis celebraret.*) Certiſſimum eſt nullum poſſe celebrare cum pileolo, ſine Pontificis diſpenſatione, & boc declaravit S. R. C. die 31. Januarii, & 24. Aprilis 1626. *in Firmana, & Veliterna* his præciſis verbis - Facultas concedendi uſum pileoli in Miſſa ſpectat ad Papam - Quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub num.* 197. Deinde hoc idem declaravit Sacra Congregat. Epiſcoporum, 2. Januarii 1690. & 17. ejuſdem 1685. ut refert Baruffaldus in Commentariis ad Rituale Romanum *titul.* 80. §. 5. *num.* 51. Denique cum per Sacram Rituum Congregation. deciſum fuerit - Parochos deferentes Sacramentum ad infirmos non debere uti pileolo, neque de die, neque de nocte ſine ſpeciali Sacr. Congr. licentia - quod quidem Decretum emiſſum fuit die 3. Auguſti 1695. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 509. & iterum boc idem confirmavit Sacra Congregat. die 21. Januarii 1696. ex boc infertur multo minus poſſe Sacerdotem uti pileolo io Miſſæ celebratione, non interveniente diſpenſatione Summi Pontificis, & etiam ſi obtenta fuerit talis facultas, nullus tamen poteſt uti pileolo tam in Solemni, quam in Privata Miſſa, a Præfatiooe uſque ad peractam Communionem, ut docet Pyrr. Corrad. *in praxi diſpenſ. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 31. Polac. *part.* 1. *num.* 13. *in aphoriſ.* & eſt communis Doctorum ſententia.

XI. Gavant. lit. g - *Genuflectens debitam facit reverentiam.*) Dixi Sacerdotem ſe inclinare debere Cruci exiſtenti ſuper Altare, in quo ipſe Sacrum debet peragere: verum ſi in eo Altari ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti; tunc & ipſe geouflectens debitam facit reverentiam, id eſt facit genuflexionem, quæ eſt reverentia debita Sacramento; ut advertunt Tonellius *lib.* 2. *titul.* 2. *Rubrica* 2. *num.* 2. Archipresbyter Gervaſi in ſua instruction. §. *Giunto il Sacerdote*; necnon Carolus Venanzi in ſua Praxi Sacr. Cærem. *cap.* 2. ubi repreheodit eos, qui materialiter intelligunt verba illa: *Genuflectens debitam facias reverentiam ſi in Altari ſit Tabernaculum SS. Sacramenti*, quæ habentur in ſuperiori Rubrica. Male igitur aliqui imperiti aliam reverentiam addunt poſt genuflexionem, cum genuflexio ipſa includat revereotiam illam, quæ a Robrica citata præſcribitur: & talis genuflexio facienda eſt unico genu tantum, in plano Capellæ, juxta Cærem. Epiſcop. *lib.* 15. *cap.* 15. §. 5. & Gerlacum Vinitorem *part.* 2. *tit.* 2. *in adnotat.* §. 17. Juxta tamen fere communem praxim ſit talis genuflexio ſupra infimum Altaris gradum. Ita Biſſus *tom.* 2. *lit.* S. *num.* 20. §. 5. Hippolytus a Portu ſupra *n.* 5.

Iſta reverentia, vel genuflexione facta, Sacerdos aſcendit ad medium Altaris, & Miniſter pariter ſurgit, & per planum ad partem lateralem Epiſtolæ deambulans, deponit birretum loco congruo. Caſtaldus *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 9. Bauldry *par.* 1. *cap.* 17 *num.* 57. & alii cum Hippolyto a Portu ſupra *num.* 6. & poſtmodum præfatus Miniſter per idem Epiſtolæ cornu aſcendit ad Altare, ubi depooit librum clauſum ſuper cuſſinum, collocando partem, quæ aperitur verſus medium Altaris. Bauldry, & Hippolytus a Portu *loc. cit.* ita ut pars inferior Altare tangat, ſuperior autem pulvino adhæreat; & ita ut Miſſalis nra adæquet otam cuſſini, medium Altaris reſpicientem, ne dum aperietur idem Miſſale a Sacerdote, ab Altaci decidat. Minister per eandem viam deſcendens, vadit per planum, & facta in medio Capellæ conſueta genuflexione ſiſtit genuflexus a parte anteriori Evangelii in plano diſtanti per duos, aut tres circiter cubitos ab infimo gradu loci commoditer; ut ſic aliquantiſper ſit poſt Celebrantem. Hæc omnia tradita, & collecta ſunt ab Hippolyto a Portu ſupra *loco cit.*

XII. Gavant. lit. h - *Sed revera hoc fit, &c.*) Sacerdos itaque poſtquam aſcendit, & pervenit ad medium Altaris, ibi ad cornu Evangelii Calicem deponit, non ob aliquod Myſterium, ſed ad majorem commoditatem, quia cornu Epiſtolæ occupatur a Miſſali, ut cum Gavanto ſupra docent etiam Gerlacus Vinitor cit. §. 18. Biſſus ſupra §. 6. a Portu *num.* 7. Quarti *part.* 2. *tit.* 2. *Rubric.* 2. *a.* 3. Poſtea ſtatim ambabus manibus explicato velo revoluto ſuper Calicem in parte anteriori, accipit ſiniſtra manu burſam, a qua dextera manu extrahit Corporale eo modo, quo infra dicemus. Gervaſi ſupra §. *ſubito*. Unde deducitur, quam aperte errent ii, qui auctoritate propria deferunt Corporale extra burſam; cum, ut extra eadem deferatur Corporale, requiratur Apoſtolica diſpenſatio: nam Sanctus Pius V. hoc diſpenſavit cum Hiſpanis; ut tradit Hieronymus Cantonus in ſuo Ordine Divini Officii, relatus a noſtro Gavanto ſupra *part.* 2. *tit.* 1. *n.* 1. *lit. M.* Ut igitur Sacerdos extrahat Corporale, apprehendit illud manu dextra ab ore burſæ. Quomodo autem Corporale debeat eſſe plicatum in burſa, vide Gavantum ſupra *tit.* 1. *lit. P.*

XIII. Gavant. lit. i - *Extendit in medio Altaris.*) Extracto Corporali modo prædicto, illud extendit in medio Altaris, ubi eſt ara conſecrata, & extendit illud ambabus manibus, ita ut non excedat anteriorem Menſæ, ſive Altaris partem. Quarti *par.* 2. *tit.* 2. *Rubrica* 2. *a.* 3. Archipresbyter Gervaſi *ſupra*, & Hippolytus a Portu *tit.* 2. *Rubrica* 2. *in adnot. num.* 9. ſed nihilominus Corporalis ora extremitates anteriores Altaris tangat; ut de tempore Conſecrationis Sacerdos intra Corporale manus contineat, dum genuflexionem facit Sanctiſſimo Sacramento. Anonymus Italus *cap.* 2. §. *Subito*, & Hippolytus a Portu ſupra *ibidem*. Quod ſi in Corporalis extremitate reperiatur aliqua Crux acu picta, hæc extremitas collocetur ad partem anteriorem Altaris; ut Sacerdos Altare deoſculans, illam pariter oſculetur. Ita præter Gavantum ſupra, docent etiam Tonellius, *libro* 2. *tit.* 2. *Rubrica* 2. *n.* 3. Bonamicus *part.* 2. *n.* 5. Lohner *part.* 2. *tit.* 15. *n.* 1. Philippus Angeli *part.* 1. *n.* 3. §. *Quando*, & Hippolytus a Portu ſupra *ibidem*.

XIV. Gavant. lit. l - *Velo coopertum collocat.*) Deinde ambabus manibus Calix collocatur ſuper Corporale, undequaque coopertus, vel ad minimum in parte anteriori, quando veli brevitas non pateretur amplius: & hoc uſque dum perficiatur Miſſa, quæ dicitur Catechumenorum, ſcilicet uſque ad Offertorium: quia in Miſſa, quæ dicitur Fidelium, ſcilicet ab Offertorio uſque ad peractam Communionem idem Calix diſcoopertus remanet; cum magis expreſſe revelari debeant Myſteria Paſſionis Dominicæ. Quarti ſupra, & Bauldry *part.* 3. *ſupra num.* quos refert, & ſequitur inhærens noſtro Gavanto Hippolytus a Portu ſupra §. 10. Pars burſæ aperta medium Altaris reſpiciat; dummodo imagines Sanctorum, aut quid ſimile in illa non repræſentetur; tunc enim illarum habenda eſſet ratio, ne eorum caput invertatur. Burſa vero ſupradicta deponitur, manu ſiniſtra, quæ illam jam apprehendit, dum ſuper Altare manu dextera habetur Corporale; deponitur inquam ad cornu Evangelii, ut præſcribit ſuperior Rubrica in loco quidem congruo, v. gr. inter candelabra, non ſub candelabro, ne liqueſcente cera deturpetur. Ita advertit Tonellius ſupra, necnon Biſſus ſupra allegatus, Moncius, Philippus Angeli, allegati ab Hippolyto a Portu ſupra *n.* 11.

XV. Gavant. lit. m - *Ex tolerantia hic dicitur, deficiente Sacriſtia.*) Si deficiente Sacriſtia Sacerdos Paramenta acciperet ab Altari, tunc ſupradicta omnia faciat antequam deſcendat ab eo pro facienda Confeſſione. Quomodo autem ſint ſumenda paramenta ad Altare, docet Gavantus noſter ſupra *part.* 2. *tit.* 1. *n.* 2. ubi dicit quod Sacerdos in tali caſu ſumat paramenta ad Altare, non quidem in medio, ſed in cornu Evangelii. Ita etiam Bauldry hic, Quarti *part.* 2. *tit.* 2. *ſect.* 4. *dub.* 4. & Biſſus *tom.* 2. *lit. P. n.* 28. §. 11. Ad Altare vero, in quo eſt expoſitum Sacramentum, nullus omnino ſumere debet paramenta: ſed deficiente Sacriſtia in alio loco, a Presbyterio remoto ob reverentiam tanti Sacramenti, paramenta ſumantur. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. *art.* 1. *n.* 2. & Biſſus *ſupra*.

R U B R I C A.

3 *Si eſt conſecraturus* (n) *plures Hoſtias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem ſuper Patena manere non poſſint, locat eas ſuper Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice Conſecrato, vel* (o) *vaſe mundo* (p) *benedicto ponit eas retro poſt Calicem, & alia Patena, ſeu* (q) *palla cooperit.*

*G A V A N T U S.*

(n) *Plures Hoſtias*. Hoc eſt Particulas, ita dictas *infra tit.* 10. *n.* 6. de qua voce *vide Baronium Ann.* 57. *n.* 149. *ubi Tertullian. de Monogam. cap.* 11. eas vocat Buccellas, *& S. Aug.* Particulas. *Alvaſpinaus* tamen explicat Tertullianum, *in notis ad eundem*, de eleemoſynis, quæ pane erogato fiebant.

(o) *Vaſe mundo*. Id eſt Pyxide, *infra* tit. 10. *n.* 6. quam vocem uſurpat *Sanctus Leo Papa ad Mich.* Ciborium etiam a cibo, quem continet, appellavit; & parvum Ciborium *S. Chryſoſtom. homil.* 42. *in Acta Apoſtolorum*. Turtim vocat quæ a Diacono geſtari poterat, fortaſſe ob formam, *Gregor. Turonen. lib.* 1. *de gloria Martyr. cap.* 86. frequentius Pyxidem *Symmachus Papa in lib. Pontificali*. Arca illuſtrationis Dei dicta eſt ab *Heſychio apud Buleng. lib.* 2. *cap.* 18.

(p) *Benedicto*. *Burchardus* ait, conſecrata: late tamen ſumitur hic Conſecratio pro ſimplici Benedictione, quæ habetur in *Ord. Rom.* ſine unctione: decet enim Pyxidem benedici ſaltem ut Corporale; & ab eo benedici poteſt, a quo & Corporale.

Nec eſt neceſſe, quod ſit ejuſdem materiæ, cujus eſt Calix, vel Patena, quia nullum jus de hac re, *Suarez* 3. *parte diſput.* 81. *ſect.* 7. qui monet, in vaſe inferioris materiæ, carente etiam auro lito, includendum eſſe aliud vas lineum ſimile Corporali, ob reverentiam tanti Sacramenti: ſed melius eſt linire auro vas interius ad dignoſcenda, & colligenda fragmenta: & experientia teſte, amylum, quo linum illud imbuitur, generare ſolet animalia quædam minuta in Pyxide.

(q) *Palla cooperit*. Si Pyxis proprium habet operculum, eodem tegatur.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ab eodem ingreſſu, uſque &c.

XVI. Gavant. lit. n - *Plures Hoſtias, hoc eſt Particulas.*) Quando conſecrandæ ſunt plures Particulæ pro communione laicorum Fidelium, & aliorum non celebrantium, quæ ob quantitatem ſuper Patenam manere non poſſunt (quando enim Particulæ paucæ ſunt, uti quinque vel ſex, debent poni ſupra Patenam, & ſubtus Hoſtiam, ad offerendas illas una cum Hoſtia ſimul, & poſt oblationem ponantur ſupra Corporale ſeparatæ ab Hoſtia; ita tamen, ut remaneant ſupra petram Sacram, & ex parte ſiniſtra Celebrantis, juxta communem uſum, ſed ante Calicem, juxta Rubricam ſuperiorem) Sacerdos dum aptat Calicem initio Miſſæ, eas locat ſuper Corporale, ita, ut mox diximus, remaneant ſupra petram Sacram, & ante Calicem, juxta ſuperiorem Rubricam, ut docent etiam Quarti *hic*, Biſſus *litera S. n.* 20. §. 8. & Hippolytus a Portu *tit.* 2. *Rubr.* 3. *num.* 3. aut juxta uſum magis communem, a parte Evangelii, ſeu a ſiniſtris Celebrantis; ut docent Cæremoniale Miſſæ privatæ *cap.* 11. *de Conſecrat. Particularum, & de Commun. Fidelium*, §. 1. necnon Gervaſi ſupra §. *Se poi*. Obſervandum etiam, quod quando ſunt ſuper Corporale, numquam moventur neque ad oblationem, neque ad Conſecrationem. Cæremoniale Miſſæ Privatæ *ſupra*. Si vero dictæ Particulæ ſint in aliquo Calice, vel vaſe mundo conſecrato (qui Calix, vel vas ponitur retro, ſeu poſt Calicem, mox allegati Auctores loc. cit.) cooperitur alia Patena, vel palla.

XVII. Gavant. lit. q - *Si Pyxis proprium habeat operculum, &c.*) Nomine vaſis intelligitur hic Pyxis, & quidem intus inaurata, ut docet noſter Gavantus ſupra, quæ loco pallæ cooperiri debet proprio operculo, quod habeat in ſummitate parvam Crucem, Biſſus *ſupra*: cooperienda tamen eſt velo, & quidem pretioſo, taliterque elaborato, ut ipſi Pyxidi bene aptetur. Gavantus noſter infra *de menſuris Sac. ſupel.* & Biſſus *tom.* 2. *lit. V. num.* 16.

R U B R I C A.

4 *Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epiſtolæ; Miſſale ſuper cuſſino aperit, reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accommodat. Deinde rediens ad mediam Altaris, facta primum* (r) *Cruci reverentia* (ſ) *vertens ſe a cornu Epiſtolæ, deſcendit* (t) *poſt infimum, gradum Altaris, ut ibi faciat Confeſſionem.*

*G A V A N T U S.*

Aperitio libri ad Sacerdotem ſpectat, qui repræſentat Agnum aperientem librum. *Apocal.* 5. *ex Innoc. III. lib.* 2. *c.* 3.

(r) *Cruci reverentia*. Cum capitis inclinatione, quod in ſequentibus obſerva; & fit ſemper profunda, *ut ſupra a.* 2. *dictum eſt.*

*Multi adducunt ſimilem Cruci reverentiam, collocato Calice in Altari, antequam accedat ad librum aperiendum; qui Ritus placet, uti valde pius; & habetur *in libello de Cærem. Miſſæ edito Romæ* 1628. eo quia fit poſt actionem circa Calicem, quæ moram habet.

(ſ) *Vertens ſe a Cornu Epiſtolæ*. Senſus horum verborum eſt juxta motum naturalem; qui clarius deſcribitur *infra* tit. 5. *n.* 1. cum Celebrans dicturus eſt *Dominus vobiſcum*; & militat in utro-

Digitized by Google

utroque caſu eadem ratio motus a dextra Sacerdotis, quæ eſt ſiniſtrum latus Altaris.

(t) *Poſt infimum gradum*. Non ſupra gradus, ſed in plano Capellæ, ad humilitatem coram Deo magis indicandam.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ privatæ, ab eodem primo ingreſſu, uſque &c.

XVIII. Gavant. lit. t - *Cruci reverentia cum capitis inclinatione.*) Quamvis hanc reverentiam Cruci faciendam Rubrica non præſcribat, antequam Sacerdos accedat ad cornu Epiſtolæ, ut ibi Miſſale ſuper cuſſino aperiat; non eſt tamen damnabilis pius multorum uſus, qui faciunt in dicta circumſtantia inclinationem ſimplicem, vel mediocrem Cruci. Cæremoniale Miſſæ Privatæ *cap.* 1. §. 2. *num.* 10. §. 5. Bauldry *part.* 3. *tit.* 2. *Rubric.* 4. *in notis num.* 1. & Gavantus noſter ſive melius alius Anonymus in additione ad ejus Commentarium facta, & aſteriſmo connotata; necnon Hippolytus a Portu *tit.* 2. *Rubr.* 4. *tom.* 1. permotus a regula generali, quæ docet a Sacerdote inclinandum eſſe in Miſſa, quoties tranſit ante Crucem, vel accedit, aut recedit ab ea; niſi paulo ante receſſum, aut paulo poſt acceſſum præſcribatur a Rubrica deoſculatio Altaris, aut alia inclinatio, ut cum dicitur Symbolum. Non deſunt tamen Auctores, qui contrariam ſententiam tuentur; & hi ſunt Bonamicus *part.* 2. *num.* 1. Polaccus *part.* 2. §. 5. Quarti *poſt partem* 2. *tit.* 13. *dub.* 4. *in compendio* §. 2. Mox Sacerdos facta, ut ſupra, dicta reverentia, accedit ad cornu Epiſtolæ manibus junctis, ut ibi aperiat Miſſale ſuper cuſſino collocatum, ut præſcribit ſuperior Rubrica; apertoque Miſſali reperit Miſſam, & ſignaculis reviſis, ea iterum ſuis locis aptat. Libro a ſe, ut dixi, non a Miniſtro aperto, redit Sacerdos ad medium Altaris manibus ante pectus junctis: ibi facit Cruci profundam reverentiam juxta communiorem ſententiam: nonnulli enim per uſum contrarium ſatis receptum, præſertim Romæ, non cenſent indecens, ſi quis faciat mediocrem tantum inclinationem. Ita Cæremoniale Miſſæ Priv. *cap.* 1. §. 2. & Gervaſi *ſupra* §. *Riveduti li Signacoli*.

Adnotare eſt etiam hoc loco, quod Celebrans non debet oculos ad Crucem elevare antequam faciat reverentiam; neque deinde ibidem immorari, ut faciat aliquam Orationem, & recitet v. gr. *Actiones noſtras*, vel aliam, antequam deſcendat in planum pro incipienda Miſſa, ut nonnulli gratis faciunt: quia hoc eſt expreſſe contra Rubricam, ut advertunt Gervaſi in catal. errorum *num.* 29. Hippolytus a Portu *ſupra Rubr.* 4. *in adnot. num.* 4. & alii.

Facta autem Cruci debita reverentia, Celebrans ut ſe vertat, retrahit ſe aliquantulum a medio Altaris; ne directe deſcendendo, Cruci vel Tabernaculo terga vertat. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 2. *Rub.* 4. *num.* 4. Gervaſi *ſupra*; Angeli in catalogo errorum *num.* 5. §. *In via ad*, &c. & Hyppolitus a Portu *ſupra num.* 5. Et quidem vertendo faciem non ad partem Evangelii, ſed ad cornu Epiſtolæ, & humeros ad prædictum cornu Evangelii, eodemmodo, quo ad *Dominus vobiſcum* infra dicemus: & ratio eſt, quia cum ordo motus naturalis ſit ad ſiniſtra a dexteram, quando quis ſe vertit; ideo dextera Sacerdotis, quæ reſpicit ſiniſtrum Altaris latus, nempe cornu Epiſtolæ, Celebrans ſe vertit ad partem Epiſtolæ; ut etiam Gavantus *ſupra*; Quarti *part.* 2. compend. edit. noſtræ, §. 2. de ingreſſu Sacerdotis ad Altare, & Hippolytus a Portu, necnon Gervaſi *loc. ſupracit*.

Advertendum pariter eſt, quod Sacerdos ab Altari ad Confeſſionem faciendam non prius deſcendere debet, quam in Altari cerei accenſi ſint, aliaque ad Sacrificium in Altari neceſſaria parata. Octavius Frangipanus *in direct. Eccleſ. diſcipl. cap. de Divin. Offic. num.* 65. relatus a Vinitore *part.* 2. *tit.* 3. *in adnot.* §. 1. Item dum deſcendit ab Altari, ut faciat Confeſſionem, caveat ne inter deſcendendum faciat ſignum Crucis verſus Populum. Vinitor *ſupra* §. 7.

Igitur Sacerdos cum primum deſcendit poſt infimum Altaris gradum pro facienda Confeſſione, ſemper tamen oculis demiſſis, & manibus ante pectus junctis, non debet ſtare ſuper gradus, ſed in plano Capellæ; ut docet Rubrica *in tit. ſeq.* & noſter Gavantus ibi *Rubr.* 1. *lit.* d. Verum ſi in Altari plures extant gradus quam tres, & in diverſos ordines diſtinguantur, tunc ſufficit deſcendere poſt infimum gradum primi ordinis. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 1. *numer.* 12. Gerlacus Vinitor *part.* 2. *tit.* 2. *in adnot.* §. 27. Baldaſſarius *part.* 1. *cap.* 1. Quod ſi nullus adſit gradus, prout in Oratoriis privatis, & in anguſtioribus locis ſolet contingere: tunc vertat ſe, ut ſupra, & ſe ſiſtat in tali loco, ut inter ipſum, & Altare ſit aliqua diſtantia. Vinitor *ſupra*, & alii communiter.

## R U B R I C A.

5 *in Miſſa Solemni* (u) *Miſſale apertum ſuper Altare, Calix vero, & (x) alia neceſſaria præparentur (y) in credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipſe autem (z) procedit cum Diacono, & Subdiacono, qui capite coperto, ſimul cum eo tenens manus junctas ante pectus.* (a) *Acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accenſis, quæ deinde (b) collocantur ſuper credentia, & cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris* (c) *antequam aſcendat ad Altare, facit cum ipſis (ut infra) Confeſſionem.*



## *G A V A N T U S.*

Ritus, & Cæremoniæ in Miſſa Solemni ſervandæ, parcius in Rubricis Miſſalis ſunt deſcriptæ, tum quia de his in Cæremoniale Epiſcoporum, paulo ante Miſſalis recognitionem actum erat ſatis, tum quia minutiora proſequi non videbatur in Miſſali peropportunum; quare, ne quid in his noſtris Commentariis Sac. Rituum ſtudioſiores deſiderent, addam ſuis locis non pauca, imo plurima, quæ in Congregat. habita ſuper Miſſalis recognitione, ſub Clemente VIII. me quoque præſente, declarata fuerunt, adnotata jam magna ex parte in Cæremoniali Congregationis noſtræ multo cum labore noſtro, & juſſu Capituli generalis noſtri, ejuſdemque auctoritate approbato, & edito, & locupletius, Anno 1637.

Illud autem primum admonebo, Miſſam Solemnem, de qua hic loquimur, dici in Rubrica Principalem, & Conventualem. Publicam vocat *Ordo Romanus titulo de Dedicat. Eccleſ. & Concil. Vaſenſ.* 1. *cap.* 2. Canonicam *Sanct. Gregorius in libro capitulari cap.* 45. Generalem *Microl. cap.* 45. tum eam fuiſſe antiquiorem Privata, ut *ex Dion. de Eccleſiaſt. Hierarch.* colligitur, *& Clemente in Conſtit. Apoſtolicis*, nam *Baron. Ann. tantum* 418. Miſſæ Privatæ novit originem.

Ea vero eſt Solemnis hoc loco, quæ in Feſtis Solemnioribus cantatur, in qua nihil omittitur, quod ad Solemnitatem indicandam ſpectat, nam in profeſtis cantantur quidem Miſſæ cum Miniſtris; ſed aliquando abſque incenſatione Altaris, & Chori, ſine credentia, ſine oſculo pacis; quæ tolerantur potius, quam conceduntur in Collegiatis (ajunt) ut inter Feſta, & profeſta appareat differentia; quo caſu Subdiaconus portat Calicem; Diaconus librum de Sacriſtia ad Altare. Hic depoſito, & aperto libro, deſcendit ad Celebrantem, cum quo Confeſſionem facit: interim Subdiaconus, explicato Corporali, collocat Calicem in medio Altaris, quod etiam innuitur *infra tit.* 7. *n.* 9. *initio*; eodemque modo finita Miſſa, revertuntur in Sacriſtia. Toleranda hæc ſunt potius, quam concedenda: & de his non ſcribimus, quæ minus approbamus.

(u) *Miſſale apertum ſuper Altare*. Per Cæremoniarium, aut Sacriſtam poni debet, antequam Celebrans incipiat Confeſſionem, ſin minus illud antequam veniat ad Altare collocatum fuerit: quia etiam in Miſſa Privata aperitur Miſſale ante Confeſſionem.

(x) *Alia neceſſaria*. Nimirum Miſſale unum, ſeu duo, pro Epiſtola, & Evangelio cantandis; velum longum pro Subdiacono, pelvicula cum urceolis, & manutergio, Calix cum purificatorio, Hoſtia in Patena, palla cum velo, burſa cum Corporali; Calix autem erit in medio credentiæ; cætera hinc inde.

(y) *In credentia cooperta linteo*. Erit hæc brevis, demiſſa, ſimplex, a latere Epiſtolæ, ſine gradibus, ſine Cruce, vel imaginibus coperta linteo uſque ad terram undequaque pendente. *Cæremon. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 12.

(z) *Procedit cum Diacono, &c.* Antequam exeant e Sacriſtia, Celebrans imponat, capite aperto, incenſum in thuribulum, miniſtrante Diacono naviculam; & Thuriferario thuribulum, cum Benedictione, eo modo prorſus, qui deſcribitur *infra tit.* 4. *n.* 4. & nos ibidem exponemus. Thuriferarius autem portans thuribulum manu dextra, in anulum quidem majorem pollice immiſſo, anulum vero catenæ mediæ, ſive operculi anulari digito ſubſtentans, & naviculam, illius ſcilicet pedem, ſiniſtra manu tenens, ita ut pars, quæ aperitur, a parte exteriori ſit, non pectus reſpiciat, præcedit ante omnes, ſicut in Sacris Proceſſionibus; Diaconus, & Subdiaconus, de quibus hic, procedunt capite coperto, unus poſt alium. *Hugo Victor. de Offic. Eccl. lib.* 2. *c.* 14. Pares autem cum Celebrante, ſi hic pluviali indutus pro aſperſione aquæ benedictæ. *Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 30. & 31.

(a) *Acolythi, &c.* Latine, Ceroferarii; quorum ordo apud *Baron.* idem eſt, ac Acolythorum, *Anno* 58. *n.* 70. qui ſint pares ſtatura, ut æqualia in motu ſint candelabra. Ferant autem eadem illi, ita ut, qui a parte dextera incedit, apponat dextram nodo candelabri medio, ſiniſtram pedi ejuſdem, & qui a ſiniſtra incedit, e converſo ſiniſtram nodo, dextram pedi. Si adſit Cæremoniarius, procedit ſolus poſt Acolythos. *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 3. *in caſu ſimili*.

(b) *Collocantur ſuper credentia*. Ante Confeſſionem. *Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 8. & collocantur accenſæ in cornibus menſæ anterioribus, ad differentiam candelabrorum, quæ collocantur in Altari, & ut ſuis præſto ſint Acolythis.

Birreta Celebrantis (qui dat Diacono ſuum) & Miniſtrorum, deponuntur a Cæremoniario extra credentiam ſuper aliquod ſcamnum, puta ubi ſunt ſeſſuri, vel in alio loco decenti.

(c) *Antequam aſcendat*. Genuflectit, ſi in Altari eſt Tabernaculum SS. Sacramenti; vel ſi non eſt, caput profunde inclinat Cruci, antequam incipiat Confeſſionem. Miniſtri vero omnes, etiam Cruci, quæ in Altari eſt, genuflectunt in tota Miſſa, *ut in tit.* 4. *n.* 7. *expreſſe habetur*, ſimile quid habes in Abſolutione poſt Miſſam Defunctorum, in qua Diaconus genuflectit Cruci quam portat Subdiaconus: ergo genuflectunt Cruci inferiores Miniſtri ad differentiam Celebrantis: ad Confeſſionem autem genuflectunt Acolythi, & Thuriferarius prope credentiam. Cæremoniarius, ſi adeſt, genuflectit ubi vult a latere commodiori ad functionem ſuam; cui neque ſtanti aſſignari poteſt certus locus in presbyterio; ut plurimum ſtabit a cornu Epiſtolæ.



Digitized by Google

Porro proceſſio ante Miſſam antiqua eſt, & habetur *in Ordin. Roman*, cum Acolythis candelabra, & incenſum portantibus: cujus Myſteria, ſicut & ſequentium Rituum, uno in loco collecta poſt finem Miſſæ totius indicabimus una cum Myſteriis Miſſæ Privatæ.

Si in hac Proceſſione contingat tranſire ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, fiat, ut ſupra, in Miſſa Privata; ſed Celebrans ſemper detegit caput, quia non geſtat Calicem, & genuflectat medius inter miniſtros, qui & eadem cum eo præſtare debent.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, ab iis, quæ præparanda ſunt pro Miſſa Solemni, uſque ad ejuſdem initium.

XIX. Gav. *Ritus, & Cæremoniæ in Miſſa Solemni ſervandæ parcius in Miſſali ſunt deſcripta*) Optime fatetur hic Gavantus Ritus, & Cæremonias in Miſſa Solemni ſervandas in Miſſali parce deſcriptas eſſe; hinc nos omnem curam adhibebimus, ut in his noſtris Obſervationibus, & Additionibus nihil deſit, quod ad exacte peragendas prædictas Cæremonias ſit neceſſarium: & ut debito ordine procedamus expendemus ante omnia

Ea, quæ præparanda ſunt ad Miſſam Solemnem.

In Sacriſtia ſuper menſam oblongam, & majorem extendantur eleganter paramenta omnia conſueta, Sacerdotalia in medio; veſtimenta vero Diaconalia a dextris, & Subdiaconalia a ſiniſtris, coloris convenientis Feſtivitati. Extendantur igitur tres albæ, & totidem cingula, tres manipuli, duæ ſtolæ, Dalmatica, & tunicella, prima pro Diacono, ſecunda pro Subdiacono, ſi eis utantur; alias duæ planetæ plicatæ, quando eis indui debent. Item extendatur planeta, ſeu caſula pro Celebrante, & etiam pluviale, ſi ſit facienda aſperſio aquæ benedictæ, ut contingit in diebus Dominicis. Rurſus præparetur thuribulum cum navicula, & thus intus cum cochleari, deinde duo candelabra cum candelis accendendis, pro Ceroferariis.

XX. Gavant. lit. u. *Miſſale apertum ſit ſuper Altare.*) In Miſſa Solemni Miſſale aperitur ſuper ſuum cuſſinum, ſitum in altari in cornu Epiſtolæ, cum ſuis ſignaculis, ſuis locis ordinatis, ut docet Gavantus hic.

XXI. Gav. lit. x. *Alia neceſſaria, nimirum Miſſale, &c.*) Alia pariter debent præparari pro Miſſa Solemni, & poni ſuper credentiam, quæ parari debet in cornu Epiſtolæ, in plano Presbyterii, antequam Sacerdos veniat ad Altare; & ſi fieri poteſt ita collocetur, ut illius pars anterior reſpiciat Aquilonem, vel eam partem, quæ pro Aquilone habetur, pro ſitu loci. Bauldry *part. 3. cap. 2. art. 2. num. 2.* & Biſſus *lit. C. num.* 552. & Cærem. Monaſt. *lib. 3. cap. 4.* §. 1. ſuper eandem credentiam ponatur Calix paratus, ut tradit Gavantus *ſupra hac lit. X.* Sed advertendum eſt, quod pars burſæ aperta ſuper Calicem reſpiciat parietem, ut bene adminiſtretur, & exhibeatur per Cæremoniarium Diacono ſuo tempore. Bauldry *ſupra n. 4.* Biſſus *ſupra* §. 3. necnon Hippolytus a Portu *tit. 2. Rubr. 5. in Adnot. n. 2.* §. *Quomodocumque*.

In dextero cornu verſus Altare ponatur pelvicula cum ampullis, quæ quantum fieri poteſt omnino vitreæ ſint; & harum una ſit plena vino albo, ſi poſſit haberi; altera plena aqua; & ambæ ſuis operculis coopertæ; & prope ipſas ponatur parvulum manutergium. Bauldry *cit. n. 3.* & Biſſus *ſupra* §. 3.

In cornu ſiniſtro ponatur Miſſale, quod debet inſervire Diacono pro Evangelio, & Subdiacono pro Epiſtola: aliqui ſuper credentiam ponunt etiam Miſſale pro Celebrante, quod cum cuſſino poſt primam incenſationem ponitur ſuper Altare ab uno ex Acholythis: ſed melius eſt ſervare Rubricam, quæ præſcribit dictum Miſſale debere poni ſuper Altare ante Miſſæ initium. Hæc Miſſalia ab aliquibus cooperiuntur tegumentis coloris Miſſæ convenientis; quod eſt valde laudabile, & juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 1. cap. 12.* §. 15. & habeant prædicta Miſſalia ſignacula ſuis in locis recte diſpoſita. Item ſuper credentiam poni poteſt thuribulum cum navicula, finita incenſatione Altaris initio Miſſæ; carbones tamen, qui in eo ſunt, prius extrahantur. Quod ſi thuribulum non ponatur ſuper credentiam, appendi poterit in aliquo loco remoto a parte Epiſtolæ. Prope ſupradictas ampullas ponunt aliqui inſtrumentum pacis cum velo coloris paramentorum ad illius manubrium appenſo: alii hoc inſtrumentum ponunt ſuper Altare a parte Epiſtolæ inter candelabra. Bauldry *ſupra n. 4.* & Biſſus §. 4. & 5. Si ſit facienda Sanctiſs. Communio, vel conſecrandæ Particulæ relinquendæ in Tabernaculo, poterit ſuper credentia præparari Pyxis, vel Calix, cum Particulis conſecrandis: quod ſi Pyxis jam ſit in Tabernaculo cum aliis Particulis conſecratis; tunc Particulæ conſecrandæ præparentur alio decenti modo ſuper credentiam, deferendæ ad Altare paulo ante Oblationem. Biſſus *lit. C. n.* 552. §. 6.

Item ſuper credentiam ponatur campanula pulſanda ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti; præterea in parte ſiniſtra ponatur velum oblongum, ſeu humerale plicatum pro Subdiacono coloris paramentorum: in multis tamen Eccleſiis velum prædictum extenditur ſuper Calicem, & ſuper alia; & favet Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 1. cap. 12.* §. 14. licet aliqui velint quod prædicta ſupra credentiam poſita tantum ſint cooperienda, quando celebrare debet Epiſcopus. Advertendum tamen eſt, quod burſa Corporalis, ubi eſt talis conſuetudo cooperiendi prædicta laudato velo, non debet tegi, ſed debet eſſe poſita deſuper; ut cum Diaconus ſuo tempore debet illam ad Altare deferre, eam commodius de credentia per manus Cæremoniarii, vel alterius Miniſtri, parte aperta ad ſe converſa, accipere poſſit. Bauldry *n. 4.* & Biſſus §. 7.

Debent autem ſuper credentia omnia ita diſponi, ut locus relinquatur pro ponendis candelabris, quæ Ceroferarii deferunt de Sacriſtia; utrum vero relinquendus ſit locus in angulis anterioribus, an poſterioribus, dicemus infra ſuo loco. Item loco etiam convenienti, atque a conſpectu Populi remoto prope Altare, ſi commode fieri poſſit, vel in Sacriſtia, ſi non multum diſtet, ponatur vas parvum cum prunis ardentibus, ac forcipibus, pro immittendo igne in thuribulum. Poſſunt etiam ſuper eandem credentiam poni candelulæ, ſi forte opus ſit, ſicut etiam faces, ſeu intortitia quot ſufficiunt ſecundum numerum aſſignatum ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ſicuti & duo extinctoria, vel unum pro extinguendis, & accendendis cereis. Caſtaldus *lib. 1. ſect. 9. cap. 1. n. 9.* & Bauldry *ſupra num. 5.* & *part. 1. cap. 15. art. 1. n. 1.* Præterea in latere Epiſtolæ paretur ſcamnum oblongum cum poſtergali, panno decenti viridi opertum, pro Celebrantis, & Miniſtrorum Sacrorum ſeſſione. In medio ejuſdem ſcamni ponatur pulvinum pro ſupradicto Celebrante, ſicut etiam ſuper dicto ſuo ſcamno extendatur tapete; ut colligitur ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 3.* §. 4. & ex communi uſu. Utrum vero ſint præparanda ſedilia, vel unum ſcamnum oblongum, in quo omnes tres ſedere poſſint; ſervandam eſſe Eccleſiarum conſuetudinem vult Biſſus *tom. 2. littera S. n.* 118. §. 2. Hippolytus vero a Portu *cap. 1. de Miſſa Solemn. num. 4.* §. *Ultra Scamnum*, vult quod certe præparandum ſit ſcamnum, ſi Cardinalis, aut Epiſcopus loci ordinarius, & ſuperior illi Miſſæ præſens intereſſet: extra vero hunc caſum, concedit quod poni poſſunt etiam tres ſedes nobiliores; dummodo ſedes Celebrantis ſit nobilior, & ſedes Miniſtrorum non ſint brachiatæ.

Verum puto inhærendum eſſe Decreto a Sacr. Rituum Congr. emanato die 15. Januarii 1611. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 113. in quo ſancitum eſt, quod „Sacerdos, Diaconus & Subdiaconus ſolemniter celebrantes poſſunt, & debent ſedere in banco, dum cantatur *Gloria*, & *Credo*, *&c.* etiam ſi ſint Beneficiati, vel Capellani, prout ſedent Canonici, non obſtante qualibet conſuetudine„ Unde juxta hanc ſanctionem numquam concedenda eſt *ſedes brachiata* Celebranti, neque alia ſedes aliis Miniſtris: & hæc eſt praxis omnium Baſilicarum Romanarum, & omnium fere Cathedralium, ita ut Canonici Miſſam celebrantes, non ſolum coram Epiſcopo nulla utantur ſede, ſed ſemper aliquo ſcamno oblongo, tapete, vel panno cooperto; ſed etiam abſente Epiſcopo in eodem ſcamno ſedent, & quidem ſemper a latere Epiſtolæ, juxta Decreta S. R. C. quæ dantur in noſtro Indice *ſub n.* 142. *&* 208. quorum primum editum fuit die 19. Maji 1614. ſecundum vero 12. Junii 1627. Nec contra ſuperius dicta officit, quod in prælaudato primo ex dictis Decretis dicatur „Canonici Miſſam Celebrantes coram Epiſcopo non debent ſedere in ſede cum poſtergali, ſed in aliquo ſcamno oblongo, &c. quaſi inferri poſſit, quod abſente Epiſcopo poſſint dicti Canonici ſedere in ſede: nam uſus, & praxis communis, ut diximus, ſatis declarant, quod non ſolum coram Epiſcopo, ſed etiam eodem abſente adhibendum eſt ſcamnum oblongum; numquam vero ſedes a præfatis Canonicis.

Idem Hippolytus a Portu *cit. loc.* approbat, quod ſi celebraret Provincialis, aut Generalis alicujus Religionis in Eccleſiis ſuæ Provinciæ, vel Ordinis, ſedere poſſet ad partem Evangelii, ſicut ſedet Epiſcopus, loquendo præciſe de ſeſſione ratione loci, pro qua opinione citantur Bordonus *Conſil. Reg. part. 2. num. 7.* Diana *part. 2. tractat. 13. & part. reſolut.* 34. necnon Rodericus *tom. 1. quæſt. 12. art. 5.* quia Abbates Regulares, etiam non Pontificantes ibi ſedent; prout præſcribit Cæremoniale Canon. Regul. Sancti Salvatoris *cap.* 17. §. 56. verum ſuper hac quæſtione doctiores judicent.

Aliqui pro Cæremoniariis volunt deſtinari debere duo ſcamnula in tali ſitu, ut primus Cæremoniarius dum admonet, a Celebrante, & Miniſtris; ſecundus vero Cæremoniarius a Clericis videri poſſint. Ita Caſtaldus *lib. 1. ſect. 1. cap. 1. num.* 22. Bauldry *part. 3. art. 5. num.* 5. & ſi adſint præfati duo Cæremoniarii, primus ſedere poteſt in plano anguli, prope cornu Epiſtolæ apud Celebrantem; ſecundus vero Cæremoniarius prope cancellos, uterque faciem directe ad ſe invicem convertendo. Ex Hippolyto a Portu *ſupra* §. *Pro cæremoniariis*. Si vero unus dumtaxat adeſſet Cæremoniarius, poſſet hic ſedere cum aliis apud Celebrantem, vel ejus aſſiſtentes.

Ad magis comprobandam prædictam ſententiam utuntur aliqui Decreto edito a Sacr. R. C. 8. Maji 1617. *in Patavina*, & confirmato ſub die 30. Aprilis 1701. *in Viterbien.* dato vero in noſtro Indice *ſub num.* 160. Verum ponderatis verbis dicti Decreti, ſermo ibi eſt de Magiſtro Cæremoniarum exercente ſuum officium ad Veſperas, & Laudes ſolemnes; non vero ad Miſſam. Quod quidem aſſumptum magis comprobatur ex verbis ſupplicationis porrectæ S. R. C. a Cæremoniariis Eccleſiæ Patavinæ, in qua hæc habentur „Cum in Eccleſia Patavina adſit ſubſtitutus Magiſter Cæremoniarum, qui eſt ex numero Capellanorum ejuſdem Eccleſiæ; & quando celebrantur

Veſpe-

Veſperæ, & Divina Officia ſolemniter in Eccleſia Cathedrali, induitur veſte violacea, & baculum ſericum virgulis argenteis ornatum manu geſtare ſolet, & apud Celebrantes aſſiſtere, ut eis commode cæremonias ſubminiſtrare poſſit; quia dum Veſperæ ſolemnes a Canonico hebdomadario celebrantur, ipſe Canonicus celebrans ſedere ſolet in Choro in primo ſtallo, ſeu ſede ab ea parte, in qua eſt tabella Chori; & Aſſiſtentes ipſius Canonici celebrantis pluvialibus induti ſedent inferius in ſecunda luna Chori, ſuper omnes Capellanos; quæritur in quo loco tunc ſedere debeat dictus ſubſtitutus Magiſter Cæremoniarum. An apud dictos Aſſiſtentes Celebrantis, quos ducere debet ad præintonandas Antiphonas Canonicis, prout Canonici prætendunt? an vero ſedere debeat inter Capellanos in ſuo ſtallo, ſeu loco, in quo ſedere ſolet quando officium præfatum Magiſtri Cæremoniarum non exercet, ut dicti Capellani prætendunt? -- Et propoſito hujuſmodi dubio, quod iiſdem omnino verbis adhuc reperitur deſcriptum in regeſtis Sanct. Rom. Congr. hæc reſpondit, prout expoſuimus in Decreto dato in noſtro Indice *ſub num.* 160. Decretum vero, quod allegatur *in Viterbien.* editum die 30. Aprilis 1701. nihil aliud ſtatuit, niſi id, quod decretum fuit in antedicta *Patavina*: quapropter evincitur ex Decretis hujuſmodi numquam probari, quod in Miſſarum Solemniis debeant concedi ſcamna ad ſedendum Magiſtris Cæremoniarum: nam in Miſſa Solemni præter Celebrantem, & Sacros Miniſtros nullus alius ſedere debet: & hæc eſt praxis omnium Baſilicarum Urbis, & aliarum Cathedralium, a qua non eſt recedendum.

Si Evangelium legatur in pulpito, & Epiſtola in alio pulpito, vel ambone, parari etiam debent pannis pretioſis, ſed præcipue pulpitum Evangelii, coloris Miſſæ convenientis. *Cærem. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 12. §. 18. & Bauldry *ſupra num.* 7.

Hora aſſignata pro Miſſa Solemni celebranda, omnes tam Celebrans, quam Miniſtri, qui inſervire debent, in Sacriſtiam conveniant; ad hoc ut ſinguli ſumant paramenta ſibi pro ſuo miniſterio convenientia, in eadem Sacriſtia præparata. Antequam vero paramenta recipiant, decens eſt, quod non tantum Celebrans, ſed etiam omnes alii Miniſtri aliquantulum orent; ut tantum miniſterium digne, ac meritorie exercere valeant. Bauldry *citat. art.* 3. *num.* 1. & Biſſus *litera H. num.* 47. §. 1.

Deinde Acolythi, id eſt Ceroferarii, & Thuriferarius, ac Navicularius lavant manus, & poſtea induunt cottas: Diaconus vero, & Subdiaconus loti prius manibus induunt ſibi paramenta convenientia (adjuvantibus Acolythis quemadmodum adjuvat, & veſtit Sacerdotem Acolythus, ſeu Miniſter in Miſſa Privata) excepto manipulo, quem aſſumunt poſtquam ipſi Celebrantem veſtiverint. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *artic.* 1. *num.* 3. & alii, quos refert a Portu *cap.* 1. *de Miſſa Solemni ad titul.* 2. *Rubric. in ſuis adnotat. num.* 3. §. *Quoad Miniſtros*: ubi etiam refert Auctores illos, qui aſſerunt præfatos Miniſtros debere induere etiam dalmaticam, & tunicellam ſolum poſtquam adjuverint, & veſtiverint Celebrantem: ſed ipſe contrariam ſequitur ſententiam. Controvertunt Doctores, an prædicti Sacri Miniſtri recitare debeant Orationes in Miſſali aſſignatas pro quacumque veſte? Affirmant Caſtaldus *libro* 1. *ſect.* 7. *capit.* 1. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *capit.* 4. *num.* 1. negant vero Bauldry *part.* 1. *capit.* 12. *artic.* 1. *num.* 3. & a Portu: quia in Rubricis de ſolo Celebrante ſermo eſt, & non de Miniſtris Sacris: unde recitatio ſupradictarum Orationum remittitur eorum arbitrio.

Celebrans autem dictis Pſalmis, & Orationibus pro Miſſæ præparatione lavat manus, porrigente aquam primo Acolytho, & Miniſtris exhibentibus manutergium acceptum a ſecundo Acolytho, ſi Celebrans ſit in aliqua dignitate conſtitutus, aut diei Celebritas exigat majorem ſolemnitatem; alias accedere debet ad lavatorium in Sacriſtia, vel prope Sacriſtiam exiſtens. Bauldry *part.* 3. *capit.* 12. *art.* 3. *num.* 2. Lotis autem manibus accedit ad paramenta, quibus indui debet, dicens ad ſingula Orationes in Miſſali aſſignatas aperto capite. Bauldry ſupra *num.* 5. Miniſtri vero Sacri Celebrantem adjuvant in paramentis induendis, advertendo, quod omnia principalius faciat Diaconus; ita ut Subdiaconus tantum adjuvet.

Primo igitur Diaconus accipit amictum, quem oſculatur prope Crucem, quæ eſt in medio, poſtea illum Celebranti offert; qui Crucem in medio amictus deſignatam oſculatur; quem deinde capiti ejuſdem Celebrantis imponit, mox declinat ad collum: deinde illum etiam Subdiacono adjuvante aptat circa collum, ita ut Collaria omnino contegat; & chordulas pendentes, poſt tergum ductas, ante pectus ligat: poſtea ambo Miniſtri Sacram albam accipiunt, itemque Celebranti, prout opus eſt, accommodant, quam cingulo a tergo porrecto conſtringunt, & eandem albam Acolythi aptant: ita ut æqualiter diffluat, & veſtes contegat. Poſtea Subdiaconus accipit manipulum, quem oſculatur prope Crucem, eumque porrigit Celebranti oſculandum in Cruce, quæ eſt in medio: tum oſculata Celebrantis manubrachio ejus ſiniſtro illum imponit, & ligat, non ſupra cubitum, ſed infra. Diaconus accipit ſtolam ambabus manibus & oſculatur eam prope Crucem, quæ eſt in medio, quam offert Celebranti oſculandam in eadem Cruce media; & poſtea imponit medium ejus collo Celebrantis, & accommodat ante pectus in modum Crucis, ducendo partem, quæ a ſiniſtro humero pendet, ad dexteram; & partem, quæ ab humero dextero pendet, ad ſiniſtram; ita ut pars dextera ſit ſupra ſiniſtram: & ſic ſtolam in modum Crucis poſitam, firmant Miniſtri, extremitatibus cinguli pendentibus a lateribus. Poſtremo iidem Miniſtri Sacri accipiunt planetam, quam Celebranti imponunt, & convenienter accommodant: tamen ſi ſit facienda aſperſio aquæ benedictæ, ut fit omnibus diebus Dominicis, loco planetæ imponunt pluviale. Hæc omnia colliguntur ex Cæremon. Epiſcop. *libro* 1. *capit.* 9. §. 1. & *capit.* 10. §. 2. *libro* 2. *capit.* 8. §. 12. & *ſeq.* & tradunt Lohner *part.* 3. *titul.* 2. *de Officio Diaconi* §. 1. *numer.* 1. & *titul. de Officio Subdiaconi num.* 1. Bauldry *part.* 3. *ſupra a num.* 4. *uſque ad num.* 9. *incluſive*, & *part.* 1. *capit.* 12. *articul.* 1. *num.* 4. & *capit.* 13. *art.* 1. *num.* 2. Biſſus *litera H. numer.* 46. §. 3. & Hippolytus a Portu ſupra §. *Poſtmodum*. Dum ſic induitur Celebrans veſtes aliquo modo ſibimet adaptat, ne videatur immobile ſimulacrum. Bauldry *part.* 3. *ſupra num.* 8. vel manus tenet conjunctas ante pectus, aut extenſas, prout ad Orationem, juxta contingentiam. Hippolytus a Portu *ſupra*.

Dum hæc peraguntur, Navicularius, & Thuriferarius accendunt candelas Altaris, incipiendo a proximioribus Cruci; quo facto redeunt ad Sacriſtiam, ubi etiam accendunt candelas, quæ ſunt in candelabris, quæ Acolythi Ceroferaris deferre debent.

XXII. Gavant. litera z -- *Antequam exeant e Sacriſtia, &c.*) Peractis omnibus neceſſariis, ut ſupra diximus, tam pro Altari, quam pro Miniſtris, poſt Tertiam, vel aliam Horam juxta temporum opportunitatem, Celebrans ſolitis indutus paramentis, de quibus ſupra, ſicut & Miniſtri, proceſſurus ad Altare pro Miſſa Solemni celebranda, antequam exeat de Sacriſtia ſtans verſus imaginem principalem in recta linea cum Miniſtris, habens Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris cum Thuriferario, qui ſtabit a dextris Diaconi, ad commodius thuribulum miniſtrandum, & ſi adſit Navicularius ſtabit a ſiniſtris ipſius Thuriferarii; Ceroferarii vero erunt hinc inde lateribus omnium poſtremi; ſi vero eſſet Sacriſtia anguſta, Ceroferarii ſtare poterunt retro Celebrantem, & Miniſtros in alia linea; in medio vero eorum Thuriferarius, & Navicularius: ſic igitur omnibus diſpoſitis Celebrans aperiens ſibi cum Miniſtris caput, quod cooperuerant tempore illo intermedio, miniſtrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, imponit (ubi tamen mos eſt imponendi, nam in aliquibus Eccleſiis hic Ritus non eſt in uſu) incenſum in thuribulo, eo modo quo deſcribetur infra. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 5. Bauldry *part.* 3. *tit.* 13. *c.* 11. *art.* 4. *n.* 1. Biſſus *tom.* 1. *lit. C. n.* 197. Hippolytus a Portu *ſupra n.* 3. §. *Sacerdote parato*; & Cærem. Cleric. Regul. S. Pauli *lib.* 1. *conſil.* t. An Celebrans debeat de more tunc benedicere incenſum dicens: *Ab illo benedicaris, &c.*? non conveniunt Doctores: negat Corſettus *ſupra*; affirmant vero Lohner, Arnaudus, Bauldry, & noſter Gavantus *ſupra*, quibus adhæret a Portu *loc. ſupracit.* hac ratione moti, quia Epiſcopus in Miſſa Pontificali priuſquam exeat ex Sacello, ſeu ex Secretario, ut proceſſionali Ritu procedat ad Altare, in quo Miſſa eſt celebranda, imponit, & benedicit thus; ita præſcribente Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 8. §. 23.

Impoſito incenſo in thuribulo Celebrans, & omnes alii antequam e Sacriſtia diſcedant, profundam faciant inclinationem Cruci, aut imagini principali; in quo conveniunt omnes Doctores; ſed diſputant, an nudis capitibus inclinare ſe debeant tunc præfatæ Cruci, ſeu imagini? Negat Corſettus *tr.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. affirmant vero Bauldry, Biſſus, & Hippolytus a Portu loc. cit. hac ratione ducti, quia tunc Celebrans non defert Calicem; ratione cujus in Miſſa Privata tecto capito inclinare ſeſe & Cruci, & Præſulibus, ac Principibus, docuimus ſupra. Poſtea cooperiunt caput, & Miniſtri capite tecto, non aperto, ut præſcribit Cæremoniale Cleric. Regul. S. Pauli *lib.* 1. *c.* 5. ſalutant Celebrantem, qui eis aliquantulum ſe inclinat, capite pariter tecto: Præfata omnia colliguntur ex Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. c. 8. & ex Bauldry *part.* 3. *art.* 4. *n.* 2. & 3. & *par.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 6. ex Lohner *par.* 2. *tit.* 3. *de Ritu Solemni n.* 2. quos refert & ſequitur Hippolytus a Portu *ſupra n.* 4. §. *Celebrans*; quibus hoc ſolum addendum eſſet, quod Celebrans ante oſtium Sacriſtiæ (niſi facienda ſit aſperſio ſolemnis, quæ fieri ſolet in Dominicis diebus) aſpergit juxta aliquorum uſum Miniſtros, & Acolythos ante ſe unico genu flexos; deinde ad Altare procedunt inceſſu gravi, oculiſque ad terram demiſſis hoc ordine. Primus omnium præcedit Thuriferarius nudo capite portans thuribulum fumigans, hoc modo: manu ſiniſtra illud tenens per manubrium, ut dicitur infra in obſervatione 15. ad titulum 4. eadem manu (ſi non adſit Navicularius) inter indicem, & pollicem, naviculam, ejus pede arrepto tenens; ita ut pars, quæ aperitur, ſit a parte exteriori: cum vero incedit, dextera per catenulas thuribuli vas elevatum portat, & a ſe paululum remotum; ne forte ſuper pelliceum aduri, vel commaculari contingat; illud tamen leviter agitabit, ne ignis extinguatur. Dixi ipſum debere deferre naviculam manu ſiniſtra, ſi non adſit Navicularius: nam ſi adeſt, ipſe procedit a ſiniſtris Thuriferarii, deferens manu dextera naviculam, manu ſiniſtra pectori admota. Si vero ſit dies Dominicus, & facienda ſit aſperſio aquæ benedictæ; tunc Thuriferarius loco Thuribuli defert vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, &c.

Lubet tamen animadvertere, quod juxta Totinii ſententiam in Cæremoniali FP. Camaldulenſium *lib.* 1. *c.* 20. *n.* 3. Thuribu-

lum delatum a Thuriferario, per quatuor fere digitos debet eſſe apertum, & per planum a ſuperpellicèo remotum, & ſine incenſo, niſi prius impoſuerit Celebrans, altera manu, pectori admota, etiamſi deferat naviculam; cujus cornua debent reſpicere dextrum, ac ſiniſtrum humerum Acolythi eam deferentis.

Rurſus prætèrire non debemus, quod juxta Cæremoniale Papale *lib.* 3. ſect. 5. *cap.* 2. Acolythus, ſive Cæremoniarius accipit thuribulum cum prunis ardentibus, Reponit catenularum annulos in manu ſua ſiniſtra; itaut dependeat thuribulum; naviculam autem incenſi portat dextera cum apertura naviculæ a parte exteriori; ut etiam nos innuimus ſupra, quamvis Totinii opinio non ſit rejicienda.

Denique juxta Cæremoniale Clericorum Minorum *part.* 2. *c.* 3. Acolythus Miniſter, ſeu Navicularius quando adeſt, geſtabit naviculam non manu dextra, ſed ſiniſtra. Sic illi ex Cæremoniali Epiſcoporum *libr.* 1. *c.* 2. & Caſtaldo in praxi *lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 4. ſed Cæremoniale Ambroſianum *lib.* 1. *titul.* de Thuriferariis ita ſtatuit: Acolythi Thuriferarii duo ſaltem ſint, quorum unus a ſiniſtris naviculæ pedem portet: alter vero a dextris thuribulum; uterque tamen, & naviculam, & thuribulum unica manu dextera elevata æqualiter cum ſiniſtra portabit.

Secundo, poſt prædictos ſequuntur Acolythi, ſeu Ceroferarii cum candelabris accenſis, ea deferentes nudis, & diſcoopertis manibus; ille, qui eſt a parte dextera ponit dexteram ſuam in medio candelabri globo; ſiniſtram vero in pede ad angulum: Ceroferarius autem, qui eſt ad ſiniſtram accipit e contra globum candelabri ſua manu ſiniſtra; ſua vero dextera pedem dicti candelabri; poſtea Miniſtri unus poſt alium, manibus ante pectus junctis, tecto capite: ultimus omnium Celebrans capite cooperto, manibuſque pariter junctis ante pectus: Cæremoniarius vero, ſi unicus ſit, nudo capite, & manibus junctis debet incedere poſt Acolythos, & ante Subdiaconum. Bauldry *part.* 3. *capite* 11. *art.* 4. *n.* 3. & Biſſus *tom.* 2. *littera O n. n.* 422. Verum Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. *n.* 17. Corſettus *tract.* 1. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. & Hippolytus a Portu ſupra *n.* 5. tenent, Cæremoniarium debere præcedere omnes, etiam Navicularium, & Thuriferarium; non autem incedere immediate ante Subdiaconum, nec a ſiniſtris poſt Celebrantem, ut opinantur alii hoc loco debere incedere: quia ſi primus, Cæremoniarius præcedet omnes, poterit impedimenta ſubmovere obviantia in via ad Altare, v. g. aperire aditum inter Populi frequentiam, aperire januas forte clauſas, & alia hujuſmodi; quod non ita facile poterit ſupplere Thuriferarius, & multo minus ipſemet Cæremoniarius, ſi incedat ante Subdiaconum. Hæc Hyppolytus a Portu ſupra cit. ubi addit, quod ſi duo aderunt Cæremoniarii, conciliari poterunt diverſæ Doctorum ſententiæ, dicendo, quod ſecundus Cæremoniarius præcedat Thuriferarium, & primus incedat ante Subdiaconum. Poſtea ſequitur Subdiaconus ſolus, & poſt eum Diaconus, ultimo loco Celebrans, & hi tres tecto capite, ut ſupra diximus, & manibus junctis ante pectus. Bauldry, & Biſſus *ſupra*, &c.

Animadvertere tamen eſt hic, quod ſi Celebrans ſit cum pluviali, ut fit in Benedictione candelarum, aſperſione aquæ benedictæ, &c. tunc Diaconus, & Subdiaconus procedunt pares cum Celebrante, Diaconus videlicet a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris, elevantes a lateribus fimbrias pluvialis ejuſdem Celebrantis; Diaconus quidem elevat manu ſiniſtra, dextera pectori admota; Subdiaconus vero elevat manu dextera, ſiniſtra pectori admota. Bauldry *ſupra*, Corſettus *tractat.* 1. *parte* 1. *capite* 5. *de Celebratione num.* 2. & Biſſus *ſupra* §. 1.

Præterea advertendum pariter eſt, quod ſi Sacriſtia ſit retro Altare; tunc parati pro Miſſa Solemni exeant, ſi fieri poteſt, per portam a latere dextero Evangelii, & regrediantur per portam a latere Epiſtolæ, ſi duæ ſint, poſt finem Miſſæ. Biſſus *tom.* 1. *lit.* C. *n.* 197. §. 6. & Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *n.* 11.

Prædicti parati, ſi procedendo tranſeant ante Altare majus, ad quod forte Miſſa non ſit celebranda, omnes genuflectunt unico genu, capite diſcooperto, dummodo in eo aſſervetur Sanctiſſimum Sacramentum; ſi vero non adſit Sacramentum, nihilominus omnes genuflectunt Cruci, excepto ſolo Celebrante, qui tantum profunde Cruci ſe inclinat: quod ſimiliter faciunt Miniſtri Sacri, niſi ſint Eccleſiæ Cathedralis Canonici. Si autem tranſeat ante SS. Sacramentum expoſitum, tunc omnes utrumque genu flectunt, capite diſcooperto; quod idem obſervare debent, ſi tranſeant ante aliquod Altare, ſupra quod jam ſit Hoſtia conſecrata, vel miniſtretur Sacramentum: ſed in hoc caſu ſatis eſt, ſi flectant unicum tantum genu. At ſi contingat eos tranſire ante Altare, in quo elevetur Sanctiſſimum Sacramentum, omnes genuflexi expectant, quouſque Sacerdos depoſuerit Calicem ſuper Altare. Biſſus *ſupra* §. 3. *&* *tom.* 2. *lit.* S. *n.* 20. §. 3. Miniſtri quidem Sacri a lateribus Celebrantis, Ceroferarii in locis ſuis, habentes Thuriferarium medium, & Navicularium ab ejus ſiniſtris ſi adſit. Aliis Altaribus privatis nulla fiat reverentia, niſi forte ratione Sanctiſſimi Sacramenti, quia tunc debet ſervari regula ſuprapoſita. Ex Biſſo hic, & ex aliis communiter.

Si Celebrans, & Miniſtri tranſeant ante, vel per Chorum; tunc debent nudo capite ſalutare omnes in Choro exiſtentes, qui etiam ſtantes nudo capite, reſalutant cum profunda reverentia, exceptis prælatis, qui caput non detegunt, ſed ſtando capite cooperto conſalutant. Ex Cæremoniali Epiſcoporum recognito ſub Benedicto Papa XIII. fel. record. *lib.* 2. *cap.* 17. §. 1. & ex Bauldry *cit. n.* 5. necnon ex Biſſo *ſupra* §. 4. Quod ſi Altare ita ſitum ſit, ut Celebrans ad illius medium accedere non poſſit, quin prius tranſeat per partem Evangelii, aut Epiſtolæ, v. gr. quando Sacriſtia eſt retro poſt Altare, aut alio modo, tunc Miniſtri illius partis parum retrocedere debent, ut Celebranti tranſitum faciem præbeant, cui profunde illi tunc ſe inclinant (quibus præfatus Celebrans ſimplici, vel ad ſummum mediocri capitis inclinatione reſpondet) videlicet Diaconus & Subdiaconus, & primus Ceroferarius, ſi tranſeat per latus Epiſtolæ; & viceverſa Subdiaconus, & ſecundus Ceroferarius, ſi per latus Evangelii tranſeat. Bauldry ſupra *n.* 6. Biſſus ſupra §. 2. & Gerlacus Vinitor *part.* 4. *tit.* 3. *in adnot. in Miſſam Solemnem* §. 8.

Si vero pergatur ad Altare recta linea, dum ad illud accedunt, Diaconus, Thuriferarius, & primus Ceroferarius recedunt a parte Epiſtolæ; Subdiaconus vero, Navicularius, quando adeſt, & ſecundus Ceroferarius a parte Evangelii, ibique expectant Celebrantem. Bauldry *num.* 7. Biſſus *ſupra*, & Vinitor §. 9. Cum autem ad infimum Altaris gradum pervenerit; an cum Celebrante Miniſtri, & Acolythi, ſeu Clerici conſiſtere debeant in recta linea, æqualiter ante ſupradictum infimum Altaris gradum, non conveniunt Sac. Rituum interpretes. Affirmativam ſententiam amplectuntur Bauldry *part.* 3. *ſupra numer.* 8. *&* *part.* 1. *cap.* 15. *art.* 3. *n.* 2. necnon Biſſus *litera C. n.* 197. §. 1. negativam vero ſententiam tuentur noſter Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 1. *n.* 11. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 2. Hippolytus a Portu ſupra *n.* 7. quibus adhærendum eſſe mihi videtur: quia Presbyterium communiter non eſt tam amplum, ut commode, & cum debita diſtantia inter ſe omnes diſponi poſſint: tum quia nec in Miſſa Pontificali, Miniſtri omnes ſtant in eadem linea cum Epiſcopo; præter Presbyterum aſſiſtentem, qui ſtat a dexteris ejus, & Diaconum Miſſæ, qui a ſiniſtris, & apud eum modicum retro ſtat Subdiaconus. *Cæremon. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 8. §. 30. Igitur, præſertim ſi locus Presbyterii nimis anguſtus ſit, recta linea in plano ſequenti ordine ſeſe diſponant, videlicet:

Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis; Celebrans in medio; Diaconus a dexteris ejus; retro poſt Subdiaconum unus Acolythus Ceroferarius cum candelabro; retro poſt Diaconum alter Acolythus Ceroferarius cum candelabro; retro poſt Celebrantem Thuriferarius cum thuribulo a dexteris; & a ſiniſtris ipſius Navicularius cum navicula, quando etiam ipſe reperitur. Quod ſi ſupradictus Presbyterii locus non ſit anguſtus, Ceroferarii ſe locabunt hinc inde aliquantulum a gradibus Altaris diſtantes, & modicum retro Miniſtros Sacros, nimirum primus Ceroferarius a dextris Diaconi, alter a ſiniſtris Subdiaconi. Si adſit, ut decet, Cæremoniarum Magiſter, hic ſtabit ut plurimum in cornu Epiſtolæ; cui tamen determinatus locus aſſignari nequit, cum de ratione ſui officii ſit omnia ordinare: unde modo unum, modo alium, ſecundum quod ipſe opportunum judicabit, locum tenebit. Biſſus *ſupra* §. 2. & Bauldry *n.* 8.

Omnibus ut ſupra diſpoſitis, Celebrans detegit caput (quod idem faciunt Miniſtri Sacri) & præbet ſuum birretum Diacono, qui illud recipit, cum quaſi oſculo illius; ut tradit Bauldry *part.* 3. *cap.* 10. *art.* 4. *n.* 9. & Hippolytus a Portu *ſupra n.* 7. §. *Celebrans, & Miniſtri*; a quo tamen quaſi oſculo abſtinendum eſt, ſi Miſſa celebretur coram Sanctiſſimo Sacramento expoſito. Poſtea Cæremoniarius, vel alius colligit a Diacono, & Subdiacono omnia birreta, & ea poſt factam genuflexionem ponit ſuper ſcamnum deputatum ad ſedendum. Biſſus, Bauldry *ſupra, & cap.* 31. *ar.* 1. *n.* 6. & alii cum Gavanto *ſupra*: nunquam tamen in Altari ponantur; quod etiam in Miſſis Privatis obſervandum eſt; Gerlacus Vinitor *part.* 4. *tit.* 3. §. 10. vel ſi ſcamnum non ſit paratum, quia fortaſſe propter reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti expoſiti ſedendum non eſt, tunc birreta ponantur in alio decenti loco; non vero ſuper credentiam, & multo minus, ut dictum eſt, ſuper Altare. Biſſus *ſupra loco cit.*

Detectis capitibus genuflectunt omnes unico genu, ſi Tabernaculum adſit cum Venerabili incluſo. Gavantus *ſupra*, Arnaudus ſupra *par.* 2. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *c.* 1. *tit.* 11. & alii communiter &c. & unuſquiſque quidem in ſuo loco, hoc eſt Celebrans cum Miniſtris Sacris genuflectit ſuper infimum gradum Altaris; Clerici vero in plano Capellæ genuflectunt. Hippolytus a Portu *ſupra*, & Benvenuti *in inſtruct. pro Sacerd. Celebr. in Miſſa Solemn.* Quod ſi non adſit Sacramentum in Tabernaculo incluſum (ut adeſſe non deberet, *ex Cæremon. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 12. §. 8.) tunc ſolus Celebrans profundam facit reverentiam; cæteri vero omnes Cruci genuflectunt unico genu, ut ſupra diximus, ad differentiam Celebrantis. Gavantus *ſupra*, & cum eo omnes communiter. Si vero Diaconus, & ſubdiaconus eſſent Canonici Eccleſiæ Cathedralis, etiam ipſi cum Celebrante profundam Cruci reverentiam faciunt. Bauldry *part.* 3. *ſupra, eodem n.* 9.

Ceroferarii vadunt ad credentiam (facta ut ſupra genuflexione) & ſupra eandem deponunt candelabra cum candelis accenſis, in angulis anterioribus ejuſdem, juxta ſententiam Gavanti *ſupra*, necnon Cabrini, Corſetti, & Nicolai de Bralion, ut ſint commodiori uſui iiſdem Ceroferariis ad ea citius ſumenda de credentia. Bauldry tamen *part.* 1. *cap.* 4. *tit.* 3. nec non Biſſus *lit.* C. *num.* 552. §. 8. tenent prædicta candelabra collocari

debe-

Digitized by Google

debere in angulis poſterioribus credentiæ: tum quia ibi commodius, & ſecurius ponuntur; tum quia talis videtur communis conſuetudo. Prædicti Ceroferarii diſcedendo ab Altari, & accedendo ad credentiam, hunc Ritum obſervent;

Statim erecti a genuflexione cum aliis facta, ſecundus Ceroferarius, qui eſt in cornu Evangelii primo diſcedat expectatus a primo Ceroferario, qui eſt in cornu Epiſtolæ: ut ita ſimul ad credentiam pro deponendis candelabris accedant. Advertat autem ſecundus Ceroferarius, ne aliam genuflexionem, aut reverentiam faciat dum tranſit ante medium Altaris; ſed recto tramite pergat, & ſe uniat primo Ceroferario, qui eſt poſt Diaconum in cornu Epiſtolæ; & deinde una cum eo vadant ambo ſimul ad credentiam, ibique deponant candelabra, ut dixi. Primus ponit ſuum candelabrum ad dexterum latus propius Altare; ſecundus ad ſiniſtrum latus credentiæ remotius ab Altari: deinde vel ibi genuflectunt a lateribus credentiæ, quaſi collaterales candelabris, manibus junctis, facie ad Altare converſa; vel recedunt a Presbyterio, utpote inutiles, donec iterum ſumere debeant candelabra, quando Evangelium cantari debet, juxta Eccleſiarum conſuetudines. Si remaneant in Presbyterio, donec Celebrans aſcendit ad Altare, manere debent genuflexi uſque ad finem Confeſſionis a lateribus credentiæ, non ante eam, ſed quaſi collaterales candelabris, quatenus fieri poteſt; primus ſcilicet ad dexterum latus verſus Altare; ſecundus ad ſiniſtrum, manibus junctis, facie ad Altare converſa, ſe ſignantes, & pectus cum aliis, dum dicunt *Mea culpa*, percutientes. Bauldry *part. 3. tit. 13. cap. 11. de Miſſa Solemni art. 4. n. 10.* Thuriferarius vero etiam facta genuflexione cum aliis recedit, & in plano prope cornu Epiſtolæ genuflexus manet &c. agitans aliquantulum thuribulum apertum: Cæremoniarius, ſi adſit, genuflectit in loco apto, & commodo ad functionem ſuam; ut plurimum vero ſtat, vel genuflectit ad partem Epiſtolæ, niſi ſit alibi occupatus. Bauldry *ib. n. 12.* Juxta conſuetudinem vero nonnullarum Eccleſiarum, Thuriferarius, & Navicularius, quando Celebrans erectus incipit Miſſam, remanent retro illum aliquantum diſtantes, ambo genuflexi; nec ſe erigunt, niſi quando Celebrans, & Miniſtri aſcendunt ad Altare ad faciendam primam Altaris incenſationem ante Introitum Miſſæ.

RUBRICA.

6 *In Miſſa Pontificali omnia ſerventur, ut in Cæremoniali ordinatur; cujus ordinem Epiſcopus nunquam prætermittat, quandocumque cum Diacono, & Subdiacono paratis celebrat.*

*GAVANTUS.*

De Miſſali Pontificali nihil habet amplius Pontificale modernum poſt editionem Cæremonialis Epiſcoporum, in quo tradita eſt integra Pontificalis Miſſa. Quare in præcedentibus, & ſequentibus pro *Pontificali* intellige Cæremoniale Epiſcoporum.

De principio Miſſæ, & Confeſſione facienda III.

RUBRICA.

1 *Sacerdos cum primum deſcenderit* (d) *ſub infimum gradum Altaris, convertit ſe ad ipſum Altare; ubi ſtans in medio,* (e) *junctis manibus ante pectus, extenſis, & junctis pariter digitis, &* (f) *pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito in modum Crucis (quod ſemper ſervatur, quando junguntur manus, præterquam poſt Conſecrationem) detecto capite, facta prius Cruci, vel Altari profunda reverentia, vel ſi in eo ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Miſſam.*

*GAVANTUS.*

(d) *Sub infimum gradum*. Clarior loquendi modus, & habetur *n. 4.* ante infimum gradum.

(e) *Junctis manibus*. Meminit *Nicol. Rom. Pontifex ad Conſult. Bulgarorum reſcribens* de conſtrictis ante pectus manibus in Oratione: & ait fieri humilitatis gratia: quia in Evangelio (*Matthæi 22. Ligatis manibus*) reproborum manus ligari reperiuntur, quaſi dicat orans; Domine, ne ligari manus præcipias, quia ecce jam eas ligavi, & ecce in flagella paratus ſum. *Hæc ille*. Item junctio manuum devotionem ſignificat, *Durand. lib. 4. cap. 7.* ſupplices etiam manus indicant ſupplicio deſtinatas eſſe.

(f) *Pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito in modum Crucis*. Ita *Burchardus*. Quadrat junctioni manuum ſecundum prædicta; nam forma hæc, & ſignum Crucis excitant ad humilitatem, & devotionem; & videtur hoc Ritu quaſi formari modus vinculi manuum, de quo paulo ante.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, a deſcenſu Sacerdotis ab Altari, uſque ad Miſſæ ſeu Confeſſionis initium.

I. Gavant. litera e -- *Junctis manibus, &c.*) Quemadmodum ut ſe Sacerdos humiliet coram Deo deſcendit ſub infimum Altaris gradum; ita nobiliorem locum ſibi proprium occupat ſtans in medio ante Altare, ut ſui muneris ſervet dignitatem: quando autem celebrat ad præſentiam Superioris ſe recipit ad latus, ut ſuo loco dicemus. Quarti *part. 2. tit. 3. Rub. 1. §. Convenit*; & a Portu *tit. 3. Rub. 5. in addit. n. 3.* Stans igitur Sacerdos in medio plano Capellæ, ante ſupradictum infimum gradum, junctis manibus ante pectus extenſis, & junctis pariter digitis abſque ulla geſticulatione in prædicta manuum junctione, manui approximatur; ita ut quilibet digitus, ſuum ſimilem tangant; v. g. index manus ſiniſtræ indicem manus dexteræ, medius ſiniſtræ medium dexteræ; nulla tamen cogit neceſſitas, ut in qualibet ſui parte totaliter ſe tangant, quod etiam verificatur de anterioribus, & inferioribus manuum palmis, dummodo inepte non diſtent inter ſe, Bonamicus *part. 1, obſerv. 11. n. 2.* neque directe faciem Celebrantis, neque terram directe reſpiciant. Idem Bonamicus *ſupra*, & Gervaſi *in catalogo errorum n. 34.* necnon *in inſtructione cap. 3. §. Diſceſo.* Itaque manus ſic junctæ, prout dictum eſt, planetam ne tangant, quantum fieri poteſt. Idem Gervaſi *ſupra*, & Caſtaldus *lib. 2. cap. 8. n. 1.* necnon a Portu ſupra *n. 4.* Id quod facile aſſequemur, ſi cubitos pectori propius accommodaverimus, quam lateribus. A Portu *ſupra n. 4.* In ſupradicta manuum conjunctione ſemper junguntur digiti, prout ſupra expoſitum eſt: ſolum excipitur, ne poſt Conſecrationem pollex dexter ponatur ſuper ſiniſtrum in modum Crucis, cum non disjungantur tunc pollices ab indicibus. Bauldry *part. 3. cap. 4. n. 1.* Sacerdos itaque detecto capite, remoto etiam pileolo (de quo ſupra ſatis locuti ſumus) & facta prius Cruci, vel Altari profunda inclinatione capitis, & humerorum; ita ut, ſicuti obſervat modernus Auctor, poſſit manibus extenſis tangere genua; *Cærem. Miſſæ Priv. cap. 1. §. 1.* & Gervaſi ſupra *cap. 2. §. E Giacchè*; vel ſi in eo Altari ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, tunc faciet genuflexionem unico genu, cui non addenda eſt alia inclinatio; & poſtea erectus incipit Miſſam, ut infra dicemus. Notandum hoc loco eſt, quod quando Sacramentum non aſſervatur in Altari, ſed ad latus in cornu Evangelii, ut adhuc in multis locis incluſum eſt extra Altare; tunc non debet illi fieri genuflexio a Sacerdote, antequam incipiat Confeſſionem. Bauldry *ſupra*, & Biſſus *tom. 2. lit. S, n. 20. §. 10.*

RUBRICA.

2 *Si Celebraturus ſit coram Summo Pontifice, ſiſtit ſe ante infimum gradum Altaris* (g) *a cornu Evangelii ante ipſum Pontificem, ubi genuflexus expectat.* (h) *Accepta Benedictione erigit ſe, & ſtans aliquantum verſus ad Altare incipit Miſſam. Si autem ſit* (i) *coram Cardinale, Legato Sedis Apoſtolicæ, aut Patriarcha,* (l) *Archiepiſcopo, & Epiſcopo,* (m) *in eorum reſidentiis, vel loco juriſdictionis; ſtans ante infimum gradum a cornu Evangelii, ut ſupra, expectat: dato ſigno facit profundam reverentiam Prælato, & verſus ad Altare incipit Miſſam.*

*GAVANTUS.*

(g) *A cornu Evangelii*. Eo quia Summus Pontifex occupare debet locum medium ante Altare, utpote nobiliorem: idem locus debetur aliis Prælatis; Miniſter autem erit in cornu Epiſtolæ. Si vero locus non capiat Prælatum in medio; nihilominus Celebrans prædicto in cornu Miſſam incipiat.

(h) *Accepta Benedictione*. A Papa petit Celebrans Benedictionem, non ab aliis inferioribus Papæ; quibus profunde tantum inclinat caput, quia veſtibus paratus eſt Sacerdotalibus; illi vero etiam genuflectit tamquam ſummo Sacerdoti.

(i) *Coram Cardinale*. Addit *Burchard.* in loco ſui Tituli, ſeu Cardinalatus: ſed vere ubique Terrarum Card. aliquam juriſdictionem habent, & ſummam in toto Orbe præeminentiam, *Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 4.* tamquam Conſiliarii Papæ: unde & ubique mozzettam, ſeu birrum lacernum induunt, indicium juriſdictionis; & eſt (colore rubeo excepto) veſtis Epiſcopalis. *Apud Baron. de Sancto Cypriano Anno 261.* Plura de birro *Gabriel Pennotus in hiſtor. tripartita Can. Reg. lib. 1. cap. 22.*

(l) *Archiepiſcopo*. In intra ejuſdem Provincia, in qua idcirco & ipſe mozzettam induit.

(m) *In eorum reſidentiis*. Epiſcopis datur hic honor in Eccleſiis etiam Regularium, & exemptis intra ſuas diœceſes, in quibus uſum habent rochetti nudi, & mozzettæ, quæ ſunt plenaria juriſdictionis indicia.

Docet *Microl. cap. 22.* Sacerdotem ſacrificaturum debere ſe inclinare Epiſcopo pro licentia celebrandi; id eſt ſi proprius eſt Epiſcopus.

* Cum aliis Principibus, & Prælatis debet Sacerdos ita ſe gerere, ut eos quidem honoret, ſed parcius, quem prænominatos in Rubrica, puta antequam accedat ad Altaris gradus, Calicem tenens manibus, ut ſupra, ſeſe illis inclinet, capite tecto profunde, & profundius pro dignitate perſonarum. Item præſtare poterit in fine Miſſæ recedens ab Altaris gradibus, dum adhuc eſt in plano Capellæ.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ coram Summo Pontifice, ſeu Cardinale, &c.

II. Gavant. lit. g. -- *Utpote nobiliorem.*) Sacerdos celebraturus coram Summo Pontifice, ſiſtit ſe ante infimum gradum Altaris a latere in cornu Evangelii; Miniſter autem erit in plano Capellæ a latere in cornu Epiſtolæ. Antequam vero incipiat Miſſam, genuflectit in plano, in eodem ſcilicet loco in quo Confeſſionem facere debet; & ita genuflexus ad Summum Pontificem ſe vertens expectat ab eo Benedictionem.

III. Ga-

III. Gavant. lit. h -- *A Papa petit Celebrans Benedictionem, non ab aliis inferioribus Papæ.*) Sacerdos igitur coram aliis Prælatis, Summo Pontifice inferioribus celebraturus, quamvis genuflexionem faciat in cornu Evangelii; non tamen genuflectit Prælato, neque expectat Benedictionem: hoc enim ſolum Summo Pontifici eſt præſtandum, ut Summo Sacerdoti: qua Benedictione accepta, ſurgit, & aliquantulum verſus Altare ſe vertens, incipit Miſſam, proot in Ordinario Rubrica ſupra *n.* 2. & Gavantus *ibidem lit. H.* necnon Biſſus ſupra §. 11. & a Portu *part.* 2. *cap.* 4. *tit.* 3. *Rubrica* 2. *in adnot.*

IV. Gavant. lit. i -- *Coram Cardinale, &c.*) Coram Cardinale ubique Terrarum; coram Legato Sedis Apoſtolicæ in tota ſua Legatione; coram Patriarcha in toto ſuo Primatu; coram Archiepiſcopo in tota ſua Provincia; coram Epiſcopo in tota ſua Diœceſi, & etiam in Eccleſiis Regularium, quomodolibet exemptis, ſed exiſtentibus infra fines talis juriſdictionis, in quibus habent uſum rochetti nudi, & mozzettæ, quæ ſunt plenariæ juriſdictionis ſigna; debet Sacerdos coram prædictis celebrans adimplere ea, quæ tradit Gavantus ſupra, nimirum non petere ab illis, utpote Papa inferioribus, Benedictionem; ſed illis tantum profunde inclinare caput, ut ſupra dictum eſt, poſtquam accepit ſignum ab aliis reſpective celebrandi Miſſam. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 16. *n.* 4. Bauldry *part.* 3. *cap.* 9. *n.* 1. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 14. & a Portu *ſupra* inhærentes noſtri Gavanti, & communi ſententiæ. Idem præſtare debet, quod præſtat ad præſentiam ſupradictorum, ſi celebret coram Abbate benedicto, & habente uſum mitræ, & baculi, vel alio ſimili Prælato exempto, & habente pariter uſum Pontificalium, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ex paritate dignitatis, in locis tamen ſuæ juriſdictionis. Bauldry *part.* 3. *cap.* 9. *n.* 5. *& tit.* 6. *Rub.* 6. *n.* 3. a Portu *ſupra n.* 5.

Si autem contingat Sacerdotem celebrare coram Prælatis extraneis, ſive coram proprio Prælato, ſed in aliena Diœceſi; tunc ita ſe gerere debet, quoad prædicta, ac ſi illi non adeſſent. Lohner *part.* 4. *tit.* 6. *n.* 9. Bauldry *ſupra n.* 52. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 14. Nihilominus ſi contingat celebrare coram Prælato proprio, ſed in privato Oratorio ipſius Prælati, & ad præſentiam ſolius ſuæ familiæ; tunc juxta ſententiam Tonellii *lib.* 2. *tit.* 14. *n.* 9. Moncii de Miſſa coram Prælato, §. 2. & Hippolyti a Portu *ſupra n.* 6. tunc, inquam, idem agere deberet cum dicto Prælato, ac ſi celebraret in ejus juriſdictinne.

* V. *Cum aliis Principibus, &c.*) Principum Sæcularium, etiam magnorum, qooad præſentem circumſtantiam nulla foret habenda ratio, ſicut non habetur Prælatorum extraneorum: nihilominus debet haberi ratio eorum dignitati juxta conſuetudinem locorum legitime introductam: neminem quidem in via detecto capite ſalutare debet Sacerdos, quando Calicem defert; ſed ſolum eo cooperto Prælatis, & Magnatis pro perſonæ dignitate ſe inclinare: ut docet Tonellius *part.* 2. *tit.* 2. *Rubr.* 1. *in notis n.* 6. §. *Si Sacerdos*; & ut nos ſupra adnotavimus ſuo loco. Præterea Sacerdos antequam Miſſam incipiat, & ea finita, ſalutat convenienti inclinatione dictos Magnates; id, quod duobus modis fieri poteſt. Primo antequam Miſſam incipiat, poſtquam Altaris gradus deſcendit, & antequam ſe ad ipſum Altare convertat, eos ſalutet; & in fine dum eſt in Capellæ plano, ab Altari diſceſſurus. Secundo modo ſic: poſtquam deſcendit Altaris gradus pro facienda Confeſſione, prius ſe ad Altare convertat, ut ei genuflexionem faciat, ſeu reverentiam, prout decet; poſtea ſe ad Prælatum, ſive ad Magnates vertat, quibus debitam facit inclinatinnem; & iterum ad Altare converſus, Miſſam incipiet. In fine vero, lecto ultimo Evangelio, ab eodem loco ſe ad eos ſalutandos convertat. Quinam autem ex his duobus modis eligendus ſit, praxis, & conſuetudo docebunt. Certe modus ſecundus videtur convenientior; tum quia initio Miſſæ prius fit reverentia Altari, deinde Prælatis, vel Magnatibus, quod utique magis decet; tum quia in fine fortaſſe non ſemper illi expectant donec Sacerdos deſcenderit Altaris gradus in plano Capellæ.

Prætereundum non eſt, quod Sacerdos celebrans coram proprio Epiſcopo in loco ejus juriſdictionis, vel in ejus Oratorio privato, prout ſupra, debet ad illum ſe convertere, dum dicit *Tibi Pater*, & *te Pater*; cui pariter, poſtquam dedit ſignum ut celebrare poſſit, & facit, ut diximus, prnfundam reverentiam, ad licentiam ſacrificandi obtinendam; ut cum Micrologo adnotavit Gavantus ſupra, & docent pariter Lobner, & Bauldry ſupra: qua reverentia facta verſus ad Altare incipit de more Miſſam, faciendo iterum profundam inclinationem, aut genuflexionem Altari, prout aderit, vel non aderit incluſum in Tabernaculo Sacramentum, & muniens ſe ſigno Crucis, dicit: *In nomine Patris. &c.* & ſic proſequitur.

Reliqua ſpectaotia ad hanc Miſſam celebrandam coram Summo Pontifice, Cardinale, Epiſcopo, &c. traduotur *ad tit.* 6. *Rub.* 2. in Commentariis Gavanti, & in noſtris Obſervationibus.

## R U B R I C A.

3 *Si autem ſolemniter celebrat coram Summo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis, in Eccleſiis eorum juriſdictionis, ſtans a ſiniſtris Prælati, facit cum eo Confeſſionem, & alia ſervat, ut in Cæremoniali ordinatur.*

4 *Stans igitur Celebrans* (o) *ante infimum gradum Altaris, ut ſupra producens manu dextera a fronte ad pectus* (o) *ſignum Crucis, dicit intelligibili voce. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Et poſtquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari Celebrantem, etiamſi Sacramentum elevet: ſed contineat proſequi Miſſam ſuam uſque ad finem. Quod item obſervatur in Miſſa Solemni, & ſimul* (p) *etiam a Miniſtris.*

## *G A V A N T U S.*

(o) *Ante infimum gradum.* Id eſt in plano Capellæ.

(o) *Signum Crucis.* Ante omnem actum manus pingat Crucem: *S. Hieron. epiſt.* 22. *ad Euſt. c.* 16. & manu dextera, *en Juſtino Martyre ad Orthod. reſp. ad quæſt.* 118. & manu plena, hoc eſt, quinque digitis ad qoinque vulneta Chriſti ſignificanda: *Durand. lib.* 2. *cap.* 46. ſed tribus digitis ſignum Crucis exprimendum eſſe, quia ſub invocatione Trinitatis imprimitur ajebat *Innoc.* III. *l.* 2. *cap.* 45. & memorat *Leo IV. epiſt. ad Epiſcopos*; ita ut manus a ſuperiori deſcendat in inferius, & a dextera tranſeat ad ſiniſtram: quia Chriſtus de Cœlo deſcendit io Terram, & a Judæis tranſivit ad Gentiles. Quidam tamen, *ſubdit ille*, a ſiniſtra producunt in dexteram (quod nos hodie præſtamus) quia de miſeria tranſire debemus ad gloriam, ſicut & Chriſtus de morte tranſivit ad vitam. *Hæc Innocent.* ubi etiam habes invocationem Trinitatis, *In nomine Patris, &c.*

(p) *Etiam a Miniſtris.* Intellige de Miniſtris paratis, noo de inferioribus. Sed expediret Miſſas Privatas lacere procul ab Altari, ubi Miſſa fit Solemnis, vel omittere pulſationem campanulæ ad elevationem, judicio prudeotis Sacriſtæ.

### Novæ Obſervationes, & Additiones &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ ſervando in ipſius initio.

VI. Gavant. lit. o *Ante omnem actum manus pingat Crucem.*) Sacerdos itaque pro incipienda Miſſa producit ſibi a fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dexterum ſignum Crucis, dicens intelligibili voce: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et proſequitur Confeſſionem. Aptiſſime incipit Eccleſia initium Miſſæ a ſalutifero Crucis ſigno, & invocatinne SS. Trinitatis, a qun omnia auſpicari ſemper Chriſtianis ſnlemne fuit, teſte Tertulliano, qui *lib. de coron. milit. cap.* 1. ioter ea quæ ex traditione ſine ullius ſcripturæ teſtimonio uſurpantur, hnc etiam recenſet: quia oportet a Deo incipere, & ejus auxilium invocare, ſine quo nihil boni inchoatur, nihil boni perficitur; & idcirco nomen SS. Trioitatis invocatur. Sanctus vero Cyrillus Hieroſolymitanus *in cathec.* 13. *Non pudeat*, ait, *nos Crucifixum confiteri; ſed in fronte confidenter ſignaculum Crucis digitis imprimatur; & in aliis omnibus Crux fiat, in panibus cmmedendis, &c.* Idem docet S. Cyprianus *epiſt.* 58. D. Ambroſius *de Iſaac, & Anima cap.* 8. & alii communiter. Quilibet igitur Chriſti Athleta opus præſertim grande aggreſſurus, præmunire ſe debet Crucis ſigno ad terrendos inimicos, ad fugandos Dæmones; ut monet D. Hieronymus *loc. a Gavanto ſuperius cit.* quapropter potiori ratione hoc facit Sacerdos in Miſſæ initio Crucis Myſteria celebraturus; ut latius explicat ooſter Molpheſius, *ſumm. tract.* 3 *cap.* 11. *de partibus Miſſæ*. Quarti *part.* 2. *tit.* 3. *Rubr.* 4. Claudius de Vert *tom.* 3. *cap.* 1. *in Rubr.* 1. Petrus le Brun *tom.* 1 *part.* 5. *art.* 2. Auctor anonymus tractatus Miſſæ Parochialis Gallice exarati *part.* 2. *art.* 3.

VII. Gavant. eadem lit. o -- *Sed tribus digitis ſignum Crucis exprimendum eſſe.*) In efformando prælaudato Crucis ſigno nobis Chriſtianis mos eſt manu integra tribus digitis Crucis ſignum efformare: hinc merito legimus antiquitus vetitum, ne unico digito Crucis ſignum efformaretur, propter Monophiſitas Hæreticos, qui unico digito Crucem effingebant: quandoquidem ipſi in Chriſto poſt unionem duarum naturarum Divinæ, & humanæ, has io unam coaluiſſe affirmabant; quod dum ſe uno digito ſignabant, ſatis aperte indicare viderentur; ut refert Nicephorus *lib.* 18. *cap.* 53. Nobilis ad hanc rem eſt hiſtoria Meletii Antiocheni Epiſcopi apud Nicetam *lib.* 1. *cap.* 25. *theſ. Orth. Fid. Meletio igitur docenti in Concione, Divinum Filium Æterno Patri eſſe conſubſtantialem, Archidiaconus Arianæ factionis, qui aderat, manu os occluſit; at ille tribus digitis expanſis ſingillatim, tum in unam adductis, quod voce non potuit, ſigno declaravit, ſe Trinitatem Perſonarum Divinarum, & unicam Divinam eſſentiam credere*; quo facto Meletius omnem a ſe Arianiſmi ſuſpicionem amovit. De hoc Ritu efformandi Crucem tribus digitis videri poſſunt ea, quæ tradit de Vert. *loc. cit.*

Si antequam Sacerdos Miſſam incipiat, elevetur in Altari vicino Sanctiſſima Eucharistia, dum accommodat Calicem, aut requirit Miſſam, proſequatur quæ peragit: deinde deſcendens ad planam terram utrumque genu flectat io infimo gradu, ſi depoſitus nondum fuerit Calix; & item genuflectat utroque genu in eodem infimo gradu, ſi nondum inchoato *In nomine Patris*, dum deſcendit ab Altari, elevetur Hoſtia; nec ſurgat niſi depoſito Calice. Bauldry *part.* 3. *tit.* 3. *Rubr. apud ipſum* 3. *n.* 8. Cabrinus *cap.* 8. §. *Celebrans non debet*, & Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 2. ſed ſi incœperit jam Miſſam (dum fit prædicta elevatio Hoſtiæ) eam continuare & proſequi debet uſque ad finem: eſt enim unica moralis actio, quæ unionem moralem partium requirit; & conſequenter contiouationem, cui opponitur interruptio. Biſſus *lit. S. n.* 20. §. 15. & Hippolytus a Portu *ſupra Rub.* 2. *in adnot. n.* 8. ubi advertit ſe dixiſſe moralem

ut

Digitized by Google

ut includeret actiones illas phyſicas, v. g. Panegyrim, Concionem; quæ licet non habeantur de lege ordinaria in Miſſa; tamen faciunt unum morale cum Miſſa, ſi habeantur.

Pro Ritu Miſſæ Solemnis.

VIII. Gavant. lit. p -- *Etiam a Miniſtris, Intellige de Miniſtris paratis.*) Celebrans erectus cum Miniſtris Sacris, facta debita reverentia, ut ſuo loco adnotatum eſt, manibus junctis; deinde dextera ſe ſignans a fronte ad pectus, ſiniſtra extenſa; & admota pectori (quod idem faciunt Miniſtri) incipit Miſſam, dicens: *In nomine Patris, &c.* eamque proſequitur cum Miniſtris Sacris, ut in Ordine Miſſæ: & ab hoc loco, nec ipſe, nec Miniſtri advertere debent ad quemquam in alio Altari celebrantem; manuſque ita teneant junctas ante pectus, ut ſi fieri poteſt, planetam, aut dalmaticam, ſive tunicellam non tangant, neque ei prorſus ſubmittant. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *n.* 13. & Gerlacus Vinitor *part.* 4. *tit.* 3. §. 13.

Dum Celebrans incipit *In nomine Patris*, Miniſtri inferiores maneant genuflexi a latere Altaris prope credentiam in cornu Epiſtolæ in plano, videlicet Thuriferarius in medio, primus Ceroferarius a dextris, & ſecundus a ſiniſtris illius, ut alibi diximus; & ſi aderit Navicularius, vel alius Acolythus, dictus *de Libro*, tenebit locum a ſiniſtris Thuriferarii, & Ceroferarii, hinc inde omnium poſtremi in recta linea omnes junctis manibus ſe ſignantes dum dicitur *In nomine Patris*, & percutientes pectus, ad illa verba *Mea Culpa*: Biſſus *lit. C. n.* 193. §. 7. & ſtatim ac Celebrans incipit *in nomine Patris*, in Choro cantetur Introitus. *Cær. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. §. 30. Biſſus *ſupra*, & Bauldry *loc. cit. n.* 16. Cæremoniarius genuflectat in loco, in quo maluerit, cum neque ſtanti, neque genuflexo certus in Presbyterio locus aſſignari poſſit. Gavantus *ſupra tit.* 2. *ſub lit.* C. Arnaudus *hic*, & Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *n.* 12. qui ſubdit, quod, ut plurimum Cæremoniarius ſtat, vel genuflectit ad partem Epiſtolæ, & ſatis congruenter, niſi ſit aliter occupatus. Caſtaldus vero *lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 1. *n.* 19. docet, quod ſi Cæremoniarius genuflectat poſt Celebrantem in caſu contingenti, commodior erit Celebranti, & ad implendum ſuum munus. Quoties Celebrans ſe ſignat, aut caput inclinat, toties ipſe quoque ſe ſignat, & caput inclinat; non tamen ad ejuſdem Confeſſionem ſe inclinat, aut percutit pectus. Iterum, quando Miniſtri Confeſſionem faciunt, profunde ſe inclinat verſus Altare, ſi genuflectat in latere Epiſtolæ, & pectus cum illis percutit, & verſus Celebrantem ſe inclinat, dum illi dicunt *Tibi Pater, & te Pater.* Lohner *part.* 3. *titul.* 4. *n.* 5. & Hippolytus a Portu *tit.* 2. *de Miſſ. Solemn. in adnot. n.* 8. §. *Cæremoniarius.*

R U B R I C A.

5 *Cum ſeipſum ſignat, ſemper ſiniſtram* (q) *ponit infra pectus, in aliis Benedictionibus cum eſt ad Altare, & benedicit oblata, vel aliquid, ponit eam ſuper Altare, niſi aliter notetur. Se ipſum benedicens, vertit ab ſe palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis junctis, & extenſis a fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dextrum, ſignum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo, totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis, & extenſis, quod in omni Benedictione obſervatur.*

*G A V A N T U S.*

Eadem omnia *Burchardus.*

(q) *Ponit infra pectus.* Ita ut ſiniſtra ſit extra terminos Crucis a dextra impreſſæ; ſed tamen ſupra cingulum eam ponat. Reliqua patent, & habentur *apud Innocentium* III. *citato loco.* Cur autem benedicens aliis rebus in Altari ponit ſiniſtram ſuper Altare, cauſam dabimus *infra tit.* 7. *n.* 5. nam in utroque hoc caſu non decet ſiniſtram manum ſuſpenſam quaſi in aere teneri, ſed deponi debet, ut quieſcat; cum proportione tamen ad terminum, ad quem movetur dextera: & hæc docent Rubricæ.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ tam Solemnis, quam Privatæ, in ipſius Miſſæ initio.

IX. Gavant. lit. q -- *Ponit infra pectus.*) Sacerdos dum ſe ſignat (quod idem faciunt Miniſtri) dicens *In nomine Patris &c.* tangit materialiter (non moraliter in aere, ſed verſa ad ſe palma manus dexteræ, & omnibus illius digitis junctis, & extenſis) frontem tribus mediis dexteræ digitis. Baldaſſarius *part.* 1. *cap.* 1. §. *Fatto queſto.* Dum dicit *& Filii* tangit pectus; dum dicit *& Spiritus* tangit humerum ſiniſtrum, dum dicit *Sancti* tangit humerum dextrum: ita communiter omnes: poſtea dicit *Amen.* Celebrans, nec Miniſtri caput inclinent dum ſe ſignant, ſed erectum habere debent. Bauldry *part.* 3. *tit.* 3. *Rub.* 4. *n.* 1. Vinitor *part.* 2. *tit.* 3. §. 8.

X. Gavant. eadem lit. q -- *Cur autem benedicens aliis rebus in Altari, &c.*) Sacerdos benedicens aliquid in Altari, ideo ſiniſtram ponit ſuper Altare, quia non decet ſiniſtram manum quaſi in aere ſuſpenſam tenere; ut docet noſter Gavantus. Hoc idem ſervari debet quoties præſtandum eſt aliquid unica manu, v. g. quando vertenda ſunt folia Miſſalis, vel aliquid ſimile agendum eſt; tunc enim alia manus deponi debet; ut obſervat ſupracit. noſter Gavantus, & cum eo Vinitor *ſupra* §. 9.

Deinde dicenda ſunt omnia fideliter, ut in Miſſali, nihil addendo, nihil demendo, nihil immutando, cum omni attentione, diſtinctione, & gravitate, cavere debet etiam Sacerdos, ne nimium præceps ſit, atque feſtinus; ita nec æquo tardior, aut prolixior ſit, magiſque rationem habere debet publicæ ædificationis, quam ſui affectus; quod ut honeſte fiat, ſemihoræ ſpatium Miſſis Privatis & neceſſarium eſſe, & ſufficere arbitratur Gerlacus Vinitor *ſupra* §. 12.

R U B R I C A.

6 *Poſtquam dixerit, In nomine Patris, &c. ut ſupra jungens iterum manus ante pectus, pronunciat clara voce Antiphon.* (r) *Introibo ad Altare Dei: Miniſter retro poſt eum ad ſiniſtram genuflexus (& in Miſſa Solemni Miniſtri hinc inde ſtantes proſequuntur) Ad Deum, qui lætificat juventutem meam. Deinde Sacerdos eodem modo ſtans incipit, & proſequitur cum Miniſtro, vel Miniſtris alternatim Pſalmum:* (ſ) *Judica me, uſque ad finem, cum Gloria Patri. Quo finito, repetit Antiphonam; Introibo, cum Miniſtris, ut ſupra. Qui Pſalmus* (t) *nunquam prætermittitur, niſi in Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de Tempore,* (u) *a Dominica Paſſionis incluſive; in quibus ſemel tantum dicta Antiphona, Introibo, cum Miniſtris, ut ſupra, Sacerdos ſtatim ſubjungit Verſ. Adjutorium, &c. ut infra. Cum in fine Pſalmi, dicit, Gloria Patri, &c. Caput Cruci inclinat.*

*G A V A N T U S.*

(r) *Introibo ad Altare Dei.* Habet *Ambroſ. lib.* 4. *de Sacram. cap.* 2. & docet ſolitum dici *Microl. cap.* 23.

(ſ) *Judica me Deus, &c.* Habet *Microl. ibidem*, & ex Decreto Cœleſtini dici aſſerit *Durand. lib.* 4. *cap.* Cum *Platina*, qui Martinum Caſſinatem citat.

(t) *Nunquam prætermittitur, niſi, &c.* Quoniam in Miſſis Defunctorum, & Paſſionis tempore, abſtinemus a verſu lætitiæ, *Gloria Patri, & Filio*, quo Pſalmus, *Judica*, concludi debet; ideo Pſalm. totus omittitur, præterquam quod lætitiæ quoque Pſalmus eſt, dum dicitur contra triſtitiam: *Quare triſtis es anima mea?* at in his caſibus non eſt fuganda triſtitia.

(u) *A Dominica Paſſionis.* Docent aliqui recentiores Hiſpani, hanc Rubricam ſervandam eſſe quoque in Miſſis Votivis de Cruce, & Paſſione, tempore Paſſionis, & alteram item, de qua infra, ad *Lavabo*, ut non dicatur *Gloria.* Sed vere diſpar eſt ratio: nam hæ Votivæ ſunt, hoc eſt, non concordant cum Officio de tempore, tum Miſſa de Cruce diſcordat etiam in colore paramentorum a tempore Paſſionis.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ ab initio Pſalmi: Judica me Deus, uſque ad finem ejuſdem Pſalmi.

XI. Gavant. lit. r -- *Introibo ad Altare Dei.*) Formato ſigno Crucis (eo modo quo ſupra *n.* 9. diximus) Sacerdos iterum manus jungit ante pectus, deinde pronunciat voce clara, & intelligibili Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei.* Miniſter vero in Miſſa Privata genuflexus ad cornu Evangelii in plano aliquantulum poſt Celebrantem a ſiniſtris ejus, vel ſi ſint plures graduum ordines, ante infimum gradum ſupremi ordinis, & manibus junctis reſpondet, &c. Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *de Miniſt. Miſſ. Priv.* unicus enim debet eſſe talis Miniſter Miſſæ Privatæ, cum -- *Neque Vicariis generalibus, etiamſi ſint Protonotarii, duo Miniſtri cum cotta concedantur* -- ut ſtatutum eſt a S. R. C. die 6. Auguſti 1627. & alibi diximus. Decretum citatum eſt in noſtro Indice *ſub n.* 215. Cum igitur Sacerdos incipit Miſſam, dicens: *In nomine Patris*, Miniſter pariter ſe ſignat cum eo, eique reſpondet, poſtquam dixit *Introibo, &c.* ſubnectens, *Ad Deum qui lætificat, &c.* ſimiliter reſpondet ei ad Pſalmum *Judica me Deus*, conformando vocem ſuam voci Sacerdotis quoad fieri poteſt. Bonamicus *part.* 1. *obſerv.* 7. *n.* 3. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 1. Hæc autem dicens Miniſter ſtat pariter erectus, & non inclinatus, quantumvis genuflexus. A Portu *tit.* 3. *Rubr.* 4. *in adnot. n.* 6.

Initio Miſſæ Sacerdos elata voce pronunciat ſupradictam Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei, ex Pſalmo* 42. ſibi ſtatuens, & proponens finem, & ſublimem terminum, ad quem tendit, & ad quem dirigere debet reliquas actiones, nempe Altare Dei, & oblationem Sacrificii, quo nihil dignius, & ſublimius excogitari poteſt, ex Tridentino *ſeſſ.* 22. *in Decreto de obſerv. in Celebr. Miſſæ*, ut ſic cautius procedat Sacerdos, & ad devotionem excitetur. Deinde recitat ut ſupra cum Miniſtro totum prædictum Pſalm. 42. qui aptiſſimus eſt eidem Miſſæ initio, quo ſe diſponit Sacerdos celebrans ad ingreſſum Altaris, & ad aſcenſum ad montem Dei. Quarti *part.* 2. *tit.* 3. de principio Miſſæ *n.* 6. & Card. Bona in tractatu aſcetico de Miſſæ Sacrificio *cap.* 5. §. 4.

XII. Gavant. ead. lit. r -- *Habet Ambroſius l.* 4. *de Sacramentis.*) Hanc Antiphonam in Miſſæ initio tempore S. Ambroſii dici conſueviſſe videtur aſſerere Gavantus ſupra, & expreſſe id adſtruit Stephanus Duranti, *de Rit. Eccl. Cath. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. ſed perperam, ut optime advertit Card. Bona *lib.* 2. *n.* 3. nam liber de initiandis D. Ambroſii *cap.* 8. & *lib.* 4. *de Sacram. c.* 2. quæ duo loca citari ſolent in comprobationem hujus aſſertionis, nec de Sacerdote, nec de Miſſa loquuntur, ſed de recenter baptizatis. *His abluta Plebs*, a.t

Ambro-

Digitized by Google

Ambroſius loco priori, *dives inſignibus ad Chriſti contendit Altaria dicens, Introibo ad Altare Dei; ad Deum qui lætificat juventutem meam. Depoſitis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventute cæleſte illud feſtinat adire convivium;* & *lib. cit. de Sacram. Veniebas*, inquit, *deſiderans ad Altare, quo acciperes Sacramentum. Dicet Anima tua: Introibo ad Altare Dei; ad Deum, qui lætificat juventutem meam. Depoſuiſti peccatorum ſenectutem, ſumpſiſti gratiæ juventutem; hoc præſtiterunt tibi Sacramenta cæleſtia*, Baptiſmi videlicet, & Confirmationis, de quibus in præcedenti ſermo fuit.

XIII. Gavant. lit. ſ -- *Judica me Deus &c.*) Pronunciata a Sacerdote cum Miniſtro dicta Antiphona, incipit cum eodem Miniſtro alternatim recitare Pſalmum: *Judica me Deus*; quem Pſalmum non ante ducentos Annos ab Eccleſia Romana fuiſſe ſuſceptum, tradit Claudius de Vert *tom. 3. part. 1. cap. 1. in Rubr. 6.* Hæc tamen ſententia validiſſimis impugnatur argumentis: Micrologus enim a Gavanto ſupracit. qui ordinem Miſſæ Romanæ deſcribit, hunc Pſalmum ante Miſſam recitatum fuiſſe teſtatur; *Paratus*, inquit *cap. 23. Sacerdos venit ad Altare, dicens Antiphonam*, Introibo ad Altare Dei, & *Pſalmum*, Judica me Deus, *poſt quem ſequitur Confeſſio*. Addimus inconcuſſum Innocentii III. Pontificis teſtimonium, quo D. de Vert caſtigetur incuria: *Pontifex* (Innocentii verba ſunt *lib. 2. de Myſt. Miſſ. cap. 13.*) *ad Altare perveniens, & ad ſe ipſum revertens, antequam ordiatur Sacrum Officium, de peccatis ſuis cum aſtantibus confitetur, Pſalmum illud præmittens, qui manifeſte per totum ſibi ad hoc dignoſcitur pertinere, & convenire.* Judica me Deus; *ut diſcretus a gente non Sancta, & ab homine liberatus iniquo, ad Altare Dei dignus introeat*. Accedit Radulphi Tungrenſis auctoritas, qui hunc morem ab Eccleſia Romana in alias emanaſſe fatetur. *Sacerdos igitur paratus*, ait Scriptor ille Sæculi XIV. *veniens ad Altare, Romam ordine dicit Antiphonam* Introibo *cum Pſalmo* Judica, *& facit Confeſſionem*. Demum in Miſſali Romano ante Annos quingentos exarato, quod extat M. S. in Bibliotheca Angelica, hæc leguntur: *Cum autem indutus fuerit, accedat ad Altare, & dicat*, Introibo ad Altare Dei. Reſp. ad Deum, &c. *Pſalmum* Judica me Deus: *tum inclinet ſe ante Altare, & dicat*, Confiteor Deo, &c. His atque aliis, quæ afferri commode poſſent, teſtimoniis, Scripturis Galli funditus labefactatur opinio. Opponit tamen idem Claudius de Vert ſilentium Ordinis Romani XIV. acutiſſimum ſane telum; ſed eam tantum ferit dexteram, quæ illud imperite vibravit. Quid hoc Romani Ordinis teſtimonio diſertius; *Indutus Dominus Papa* (ſunt ipſiſſima illius Ordinis verba *in t. 2. muſæi Italici pag. 329. num. 71.* cujus nobis ſilentium tam confidenter obtruditur) *omnibus Pontificalibus, dicit ante Altare verſic.* Introibo ad Altare Dei. Reſ. Ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Deinde Papa incipit Pſalmum*, Judica me Deus; *completur tam per eum, quam per aſtantes. Demum repetit*, Introibo ad Altare Dei. Reſp. Ad Deum, &c. Videatur idem Ordo *pag. 314. n. 60. 318. n. 62. 324. n. 66. 316. n. 63.* Nolim cum Petro Le Brun ex hac obſervatione malæ fidei Theſaurarium Cluniacenſem arguere; adeo tamen turpis eſt error, ut *Viro ad eruendam, & aſſerendam ſimplicem, ac nudam Rituum Eccleſiaſticorum veritatem nato* condonari abſque ſcrupulo nequeat. Scimus quidem hujuſmodi Ritum ante Miſſalis recognitionem a Pio V. peractam, ab omnibus non fuiſſe receptum, utpote arbitrarium, & hinc a quibuſdam omiſſum, (ut etiam nunc ab Eccleſiis Mediolanenſi, & Laudonenſi, a Dominicanis, & Carthuſianis omittitur) ab aliis recitatum in ipſo Sacrario (ut ab Eccleſiis Senonenſi, & Rhemenſi, & olim ab Eccleſia Aurelianenſi) ab aliis dum Sacerdos pergeret ad Altare; quem Ritum ſervant hodie Carmelitæ, & aliquæ Galliarum Eccleſiæ. Verum alienam conſuetudinem adſcribere velle Eccleſiæ Romanæ, abſque ullo legitimo teſte, *Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes*. Cæterum octingenti, & amplius Anni ſunt, ex quo hic Pſalmus cum ſua Antiphona ante Miſſam recitari conſuevit; cum reperiatur in codice Chilio ab Eminentiſſ. Bona vulgato, in appendice rerum Liturgicarum, quippe octingentorum Annorum ætatem ſuperare videtur. Alia quæ ſpectant ad originem, & uſum recitationis prædicti Pſalmi in Miſſæ exordio, legi poſſunt apud Cardin. Bona *lib. 2. cap. 2. num. 3.* necnon apud Jo. Grancolas *lib. de antiquis Liturgiis pag. 450. & in tract. de Miſſa pag. 4.*

XIV. Gavant. lit. ſ -- *Et ex Decreto Cæleſtini dici aſſerit Durandus lib. 4. &c.*) Hoc loco Gavantus videtur adhærere opinioni Durandi aſſerentis ex Decreto Cœleſtini Summi Pontificis, (qui Anno 422 Romanam cæpit regere Eccleſiam) recitationem prædicti Pſalmi in Liturgiæ exordio inſtitutam fuiſſe; cujus rei profecto nullum eſt argumentum: legimus enim in Anaſtaſio Bibliothecario Cœleſtinum præſcripſiſſe quidem recitationem centum quinquaginta Pſalmorum ante Miſſæ Celebrationem; non vero recitationem tantum prædicti Pſalmi; *Judica me Deus*, ante Liturgiæ initium. *Hic conſtituit* (en verba Anaſtaſii, ſeu alterius Auctoris lib. Pontificalis in Vita Cœleſtini Papæ) *ut Pſalmi David ante Sacrificium pſallerentur antiphonatim, quod ante non fiebat; recitabantur tantum Epiſtolæ Pauli, Evangelium; & ſic Miſſæ fiebant*. Hinc, & ex aliis ſupradictis magnum robur communi ſententiæ accedit; & idcirco omnes Auctores Liturgici mox expoſitam Durandi ſententiam communiter rejiciunt. Dubitant tamen, utrum ex inſtitutione Cœleſtini canerentur omnes integri Pſalmi Davidici; & an quædam Antiphonæ tantum ex Pſalmis excerptæ? Cardinalis Bona *lib. 2. rer. Liturg. cap. 3. num. 1.* autumat nonniſi prædictas Antiphonas cum uno tantum integro Pſalmo decantari conſueviſſe.

XV. Gavant. lit. t -- *Sed vere diſpar eſt ratio.*) Optime decidit Gavantus, quod in omnibus Miſſis Votivis de Paſſione, & de Cruce, etiam tempore Paſſionis dicitur prælaudatus Pſalmus, *Judica me Deus, & Gloria Patri*, in Introitu, & ad Pſalmum *Lavabo*, quia non ſunt Miſſæ de tempore, ſed Votivæ: idem pariter docent Biſſus *tom. 2. lit. P. num. 255. §. 1. & 2.* Vinitor *ſupra §. 13.* & Turrinus in *directorio Sacrificantium part. 2. ſect. 2. c. 1.* ubi ex profeſſo agitat hanc quæſtionem, & ſatis docte noſtri Gavanti ſententiam pariter propugnat. Denique in eadem ſententia verſatur Hagerer *in append. tit. 1. de Miſſis Votivis privatis §. 3.* ubi allegat Decretum S. R. C. ſub die 10. Februarii 1647. quod tamen non reperitur in regeſtis Sac. Congr. extat quidem aliud Decretum datum in noſtro Indice *ſub n. 440.* & editum a S. R. C. die 21. Auguſti 1669. *in Tornacen.* in quo ſancitur -- Miſſa B. M. V. ſub invocatione ſeptem Dolorum Feria 6. infra hebdomadam Paſſionis, ab iis, qui gaudent hujuſmodi indulto, debet recitari cum Gloria ad Introitum, & cum Pſalmo *Judica me Deus* ad Confeſſionem, ſed ſine *Gloria in excelſis*. Ex quo liquet, quod prædicta Miſſa tunc dicebatur in gradu Miſſæ Votivæ, cum prohibita fuerit recitatio Hymni *Gloria in excelſis;* & nihilominus præſcriptum fuit, quod non omittatur recitatio Pſalmi *Judica me Deus* ad Confeſſionem, *& Gloria Patri* ad Introitum.

Dum Sacerdos in fine Pſalmi dicit *Gloria Patri*, tam ipſe, quam Miniſter inclinat profunde caput ſolummodo, non corpus, ideoque inclinatione minima, ſeu ſimplici; in qua tamen aliqualem humerorum inclinationem talis capitis inclinatio ſecum trahit: unde debent ſe inclinare inclinatione minimarum maxima, de qua ſermonem fecimus in noſtris Obſerv. & Addit. *tit. 2. Rubr. 1. n. 1. lit. A.* dicto Gloria Patri in fine Pſalmi, Sacerdos repetit Antiphonam *Introibo*, non addendo particulam *&*, ideoque non dicendo *& Introibo ad Altare, &c.* Baldaſſarius *cap. 1. §. Quando*, Angel. *in catal. errorum, num. 8. in Conf.* Tonel. *lib. 2. tit. 3. Rubr. 6. num. 2.* & Gervaſ. *in catal. errorum num. 37.*

## RUBRICA.

7 *Repetita Antiphona, Introibo, dextera manu producens ſignum Crucis a fronte ad pectus dicit V. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. R. Qui fecit Cælum, & Terram. Deinde Altari ſe profunde inclinans junctis manibus dicit,* (x) *Confiteor, ut in Ordine Miſſæ; & proſequitur eodem modo ſtans inclinatus, donec a Miniſtro, vel Miniſtris dictum ſit Miſereatur. Cum incipitur a Miniſtris, Confiteor, ſe erigit; cum dicit:* (y) *Mea culpa, ter pectus dextra manu percutit, ſiniſtra infra pectus poſita.*

## *GAVANTUS.*

(x) *Confiteor Deo*. Liturgia S. Jacobi a Confeſſione incipit, *Azor. lib. 10. c. 36. q. 1.* Damaſum autem auctorem facit, quod apud Romanos ſit in uſu, *Radulph. prop. 23.* Pontianum *Berno de offic. Miſſ. c. 25.* & recte ſolet eſſe juſtus in principio accuſator ſui. *Prov. 18.* Meminit *Aug.* Confeſſionis hujus *ſerm. 48. de tempore*. Neque addas arbitrio tuo in Confeſſione hac Patroni nomen, aut alterius Sancti: quia Pius V. hoc expreſſe conceſſit Eccleſiis Hiſpaniarum: ergo non ſine Papæ licentia fieri debet additio. *Bull. Pii V.*

(y) *Mea culpa, ter pectus, &c.* Percutimus pectus exemplo Publicani. *Luc. 18.* quaſi peccata intus incluſa conteſtante, *ex Cypr. lib. de Oration. Dom.* vel ac ſi cogitationes velimus a corde pellere, *ex Hieron. in vita Hilarionis;* vel quia tunſio pectoris eſt contritio cordis, *ex Auguſt. enarrat. 2. in Pſalm. 31.* vel *ex Nicol. I. cap. 54. ad Bulgar.* ſignamus, quod in nobis ferimus, antequam Deus feriat; vel flagellis, & percuſſionibus nos dignos fatemur, *ex Euthimio;* vel mundari cor optamus, & evacuari ſordibus, *ex Hieron. contra Luciferianos;* vel ut excitemus cor noſtrum, ait *Theophil.* vel ad placandum judicem, ultionem de nobis ſumimus, *ex Chryſoſtom. hom. 41. ad Pop.* vel ut caſtigemus carnem noſtram, qua Deum offendimus, *ex Auguſt. in Pſal.* Ab Apoſtolis ortum habet hic Ritus, *ex Navar. de Hor. Canon. cap. 4.* Inclinationis autem ante Altare, quæ fit in Confeſſ. antequam aſcendatur, meminit *Cypr. epiſt. 64.* tunſioniſque pectoris hoc loco ad Confeſſionem. *Auguſt. ſerm. 43. de tempore ſupra cit.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Pſalmi, Judica me Deus, uſque ad finem Confeſſionis.

XVI. Gavant. lit. x -- *Confiteor Deo, &c.*) Repetita Antiphona, antequam dicat *Confiteor*, Sacerdos dicit verſum *Adjutorium noſtrum, &c.* diſtribuendo voces, ita ut quando dicit *Adjutorium* ſignet frontem; quando dicit *Noſtrum* ſignet pectus; quando dicit *In nomine* ſignet ſiniſtrum humerum; quando dicit *Domini* ſignet dexterum humerum. *Cæm. Epiſc. lib. 1. c. 25. §. 5.* & Bauldry *part. 3. c. 3. n. 3. & alibi*. Miniſter pariter ſic ſe ſignat. Caſtaldus *lib. 2. ſect. 1. c. 5. n. 2. & 3.* Corſettus *tract. 1. par. 1. c. 1. n. 15.* Bauldry *par. 1. c. 17. n. 1.*

XVII. Gav. ead. lit. x -- *Liturgia S. Jacobi a Confeſſione incipit.*) Veriſſimum eſt, quod Liturgia S. Jacobi a Confeſſione incipit; cujus formula datur in illa, quæ vulgata fuit a Claudio

de

de Sainctes, Anno 1560. Antuerpiæ ex officina Platiniana. Incipit autem talis Confeſſio his verbis: *Peccatorum multitudine inquinatum ne me ſpreveris Domine Deus noſter*; & paucis interjectis: *Peccavi in Cælum, & coram te, neque dignus ſum, &c.* ſed hæc Confeſſio fiebat a Sacerdote priuſquam ad Altare accederet. Idem (ad tradita per Antonium Bellotte *in ſuis obſervationibus pag.* 354.) teſtari videtur Liturgia D. Chryſoſtomi, quæ habet Confeſſionem in apparatu, nullam in ipſa Divini Myſterii Celebratione: unde procul ab Altari talis Confeſſio fieri conſuevit; ut probat prædictæ Liturgiæ præparatio relata ab eodem Bellotte cit. loc. Idem mos præmittendi Sacrificio hanc generalem Confeſſionem reperitur in aliis etiam Liturgiis Eccleſiarum Orientalium, præſertim in ea, quæ Divi Marci Evangeliſtæ nomen præfert, & etiam in ea, quæ Divo Baſilio tribuitur, & in aliis relatis a Cardin. Bona *lib. 2. c. 2. n. 4.* Unde dubitandum non eſt quin aliqua formula generalis Confeſſionis antiquiſſima ſit, & Apoſtolicæ traditionis, ut fatetur idem Cardin. Bona *cit. loc.* quinimo non ſolum antiqui Chriſtiani, ſed etiam ipſimet Judæi in veteri Lege Confeſſionem in omnibus Sacrificiis præmittebant, quam Hebræi Doctores, inquit Fageus allegatus a Bellotte *cit. loc. p.* 353. vocabant, *Viddin, Haddenarin*, fiebatque his verbis: *Profecto Domine peccavi: inique egi, prævaricatus ſum coram te, pœnitet me, & pudet operum meorum; nec ad ea unquam revertar:* quibus prolatis incboabant Sacrificium: & hæc Confeſſio deſumpta videtur ex Levitico *c.* 16. *verſ.* 1. & hinc forſan æmulando, & imitando hunc pium Sacerdotum Judæorum uſum, orta eſt Chriſtianæ Liturgiæ Confeſſio in ipſo Sacrificii exordio, tum etiam a naturali inſtinctu, quia exordium operum bonorum eſt confeſſio malorum, ut ſcripſit Auguſtinus *tract. 12. in Joann. ſub fin.* & ut habetur Proverbiorum *cap. 18. verſ. 17. Juſtus prior eſt accuſator ſui*; id quod etiam advertit noſter Gavantus *ſupra* referens hunc textum. Vide Huetium *qu. Alnet. lib. 2. cap. 20. n. 4.*

XVIII. Gav. ead. lit. x -- *Damaſum autem auctorem facit, quod apud Romanos ſit in uſu.*) Nonnulli recentiores, ſilentibus omnibus priſcis Scriptoribus, innixi auctoritati Radulphi *de obſerv. Can. propoſ.* 23. adſtruunt, quod Damaſus Papa natione Hiſpanus, qui Romanum Pontificatum ſuſcepit An. Dom. 370. præſcripſit, ut Presbyter Confeſſionem faceret antequam accederet ad Altare. Alii vero auctorem hujus Confeſſionis ante Miſſam faciunt Pontianum, qui Ann. 230. Romanus Pontifex electus fuit, adducentes in comprobationem hujus aſſertionis auctoritatem Bernonis Abbatis Augenſis *de officio Miſſæ cap.* 25. qui quidem Auctor nec unum quidem verbum ſuper hac re ſcripſit, & ejus libellus, *De quibuſdam rebus ad Miſſæ officium pertinentibus terminatur, cap.* 7. unde admirari non deſino quomodo allegetur ejuſdem libelli *cap.* 25. Itaque ſi ſermo ſit de aliqua formula Confeſſionis generalis emittendæ ante Miſſæ initium, cenſerem hanc antiquiorem eſſe & Damaſo, & Pontiano Summis Pontificibus: quia, ut ſupra diximus, cum Card. Bona, talis Ritus antiquiſſimus eſt, & ab Apoſtolico fonte derivatus. Si autem ſermo ſit de formula illa Confeſſionis, qua nunc utitur Romana Eccleſia, certiſſimum profecto eſt hanc inſtitutam non fuiſſe neque a Pontiano, neque a Damaſo, cum ſit eorum ævo valde poſterior: & revera Micrologus, qui floruit circa undecimum Sæculum, refert *cap.* 13. diverſam formulam ab ea, de qua nunc ſermo eſt, & quæ in antiquis Miſſalibus, necnon Ritualibus revera reperitur. Verum tamen eſt, quod in multis MSS. ante Annum 1300. eadem prorſus legitur Confeſſionis generalis formula in Miſſæ exordio dicenda, quæ nunc in Miſſalis S. Pii V. ſtatuta eſt: unde fit, quod Petrus Le Brun *tom.* 1. *part.* 1. *part.* 4. aſſeverat Romanam Eccleſiam poſt initium Sæculi 13. prædictam formulam adhibuiſſe; in Concilio 3. Ravennæ habito Ann. 1314. ſequens Canon, qui habetur in Rubrica 15. ſancitus eſt -- Quoniam in Confeſſionibus, quæ fiunt publice in Introitu Miſſæ, & alias, varii diverſimode confitentur; ſtatuimus, & de cætero obſervari præcipimus per totam Provinciam Ravennatem Confeſſiones hujuſmodi fieri ſub hac forma: *Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, &c.* Suppreſſit igitur præfatum Concilium omnes alias, variaſque formulas talis Confeſſionis: & prædictam ſolam, quæ nunc communis eſt, in omnibus ſuis Eccleſiis, ut uniformitas ſervaretur, dicendam eſſe ſtatuit.

Qui ſcire deſiderat varias hujus Confeſſionis formulas, quæ antiquitus in uſu erant, & quæ in variis antiquis Liturgicis codicibus adhuc extant, evolvere poteſt ea, quæ ſuper hac materia erudite collegerunt Card. Bona *lib. 2. cap. 3. n. 4. & ſeqq.* Grancolas *lib. de antiq. Liturgiis a pag. 447. uſque ad pag. 453.* necnon Bellotte *loc. ſuperius cit.* qui pariter nonnulla alia tradunt, quæ ſpectant ad originem, Ritum, diverſumque modum, qui etiam nunc ſervatur ab aliquibus in proferenda hac publica, & generali Confeſſione in Sacrificii Euchariſtici exordio. Inter prædictos varios modos faciendi hanc Confeſſionem præterire non poſſum illum, quem obſervat Rhemenſis Eccleſia ab ipſis Apoſtolorum temporibus orta, & edocta, ut bene ait Bellotte; in qua Celebrans aſſumptis in Sacrario veſtibus, ibique ante imaginem Crucifixi profunde inclinatus Confeſſionem facit cum Miniſtris, qua peracta Chorum ingreditur: tum Sacerdos ſtans in medio ejuſdem Chori profunde ſe inclinat altari; deinde facie ad Chorum converſa dicit: *Orate pro me fratres, & ego pro vobis*: mox ad Altare converſus in infimo gradu ſtans, & profunde inclinans dicit: *Aufer a nobis Domine, &c.* demum manibus junctis ſuper Altare, dicit *Oramus te, &c.* ut in Ordine Miſſæ. Eundem mortem ſervat Laudunenſis Eccleſia, prædictæ Rhemenſis Metropolitanæ ſuffraganea. Rurſus eundem Ritum æmulantur etiamnum hodie, licet aliquantulum diverſimode, Monachi Cluniacenſes Ordinis Sancti Benedicti, necnon rigidioris diſciplinæ Carthuſianæ ſectatores, qui generalem Confeſſionem ante gradus Altaris a parte Evangelii, verſa facie ad Auſtrum peragunt ſine ſtola, ſine caſula (utpote quæ ſunt innocentiæ, & charitatis ornamenta); & ideo eas aſſumere non præſumunt, niſi poſt peractam prædictam Confeſſionem, & niſi mediante ipſa fuerint Deo reconciliati, exemplo Publicani, & Magdalenæ, quorum alter a longe ſtans, nolebat nec oculos ad Cœlum levare; altera vero ſtans retro ſecus pedes Jeſu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Non eſt tamen improbandus Ritus Romanus, & communis emittendi talem Confeſſionem publicam, & generalem a Sacerdotibus etiam Sacris veſtibus indutis, qui jamjam Sacramentali Confeſſione purgati, vel cum nihil ſibi conſcii ſunt, quo ſe nocentes agnoſcant, Sacerdotalia indumenta ſumunt, & ad Aram accedunt, antequam iterum Confeſſionem publicam, & generalem proferant: quia cum hoc Sacrificium pro univerſis Chriſtifidelibus offeratur ab Eccleſia; hinc in tali publica Confeſſione peragenda, quivis Sacerdos nedum ſua ſed aliena, veluti propria peccata, in ipſo Liturgiæ Sacræ exordio confitetur. Omnes enim cum ſimus unum Corpus in Chriſto, quidquid mali ineſt in ipſo Corpore, id commune ſibi faciunt Sacerdotes; quibus incumbit communes omnium Fidelium injuſtitias Deo irrogatas ferre, & reparare injurias. Et revera in Ordine Divinæ Miſſæ Armenorum, Sacerdos faciens hanc publicam Confeſſionem, poſtquam dixit *Confiteor, &c. omnia peccata quæ commiſi, quibus peccavi cogitatione, verbo, & opere*; ſubnectit, *& pro omnibus peccatis, quæ homines perpetrarunt, mea culpa, mea maxima culpa.* En igitur, quod Sacerdos Sacrum peragens, & Chriſti Domini Perſonam gerens (qui peccata noſtra pertulit in Corpore ſuo ſuper lignum, ut fieret propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi) Confeſſionem generalem nomine omnium efficit, pro omnibus veniam impetrare, & omnium crimina Sacrificio Euchariſtico, quod peragit, expiari intendit.

XIX. Gavant. eadem lit. x -- *Neque addat arbitrio ſuo in Confeſſione, &c.*) In hac generali, & publica Confeſſione non addendum eſt nomen Patroni, aut alterius Sancti, ut docet Gavantus ſupra: quia cum Pius V. hoc expreſſe conceſſerit tantum Eccleſiis Hiſpaniarum: unde optime infertur ſine licentia Papæ fieri non debere ejuſmodi additionem; ex qua ratione ait Guvetus in ſua Heortologia *lib. 3. cap. 29. quæſt.* 8. Sequitur non eſſe damnandos illos, quibus id æque conceſſione Pontificis, aut jure Breviarii proprii, aut denique conſuetudine præſcripta, nec abrogata, uſitatum eſt -- Rurſus cum Sacerdos dictam Confeſſionem facit, non ſe vertat modo ad unam, modo ad aliam partem quando dicit: *Vobis fratres*, vel *Vos fratres*: quia nullum præſtare debet reverentiæ ſignum erga Miniſtrum, aut Populum. Quarti *in comp.* §. 3. Biſſus *lit. S. n.* 20. & alii communiter. Utrum vero pronunciando illa verba *Beatæ Mariæ*, & *B. Mariam* inclinandum ſit caput inclinatione minimarum media, hoc eſt inclinatione mediocri, non conveniunt Auctores: affirmant Polaccus *part.* 1. §. 1. negat vero Hippolytus a Portu *tit. 3. Rubr. 5. in adnot. n.* 5. cui adhærendum eſſe cenſeo, quia ſi Sacerdos non debet caput inclinare dum dicit *Oremus*, ſi inclinatum jam habeat, multo minus in hoc noſtro caſu, & ſimilibus, v. g. in tribus Orationibus Communionem Celebrantis præcedentibus, in quibus nominatur nomen *Jeſus*. Præterea ſi dicendo Confeſſionem Sacerdos reperitur jam inclinatus inclinatione omnium maxima, hoc eſt profunda, ad quid ſupraddere deberet minorem aliam inclinationem capitis, ſcilicet aut minimarum mediam, proferendo nomen *Mariæ*, aut minimarum maximam, cum profert nomen *Jeſus*?

XX. Gav. lit. y -- *Mea culpa, ter pectus, &c.*) Cum Sacerdos dicit mea culpa, pectus percutiat dexteræ manus digitis omnibus ſimul junctis, clauſis, & curvis (tenendo ſiniſtram apertam ſubtus pectus) qui Ritus obſervari debet tum a Celebrante, tum a Miniſtro; Caſtald. *lib.* 2. cap. 7. *n.* 1. Bonam. *part.* 1. *obſerv.* 10. *n.* 1. licet non ſint improbandi, qui aperta palma, & extenſa pectus percutiunt, cum urbanius ſe gerunt, & circa hoc a Rubr. nihil expreſſe fuerit præſcriptum. Caveant tamen tam Sacerdos, quam Miniſter a percuſſione vehementi, quam effugient, percutiendo palma aperta: nam pectoris percuſſione non oſſa, ut ait D. Auguſtinus, ſed ipſum cor nos conterere ſignificamus. Vinitor *part. 2. tit. 3.* §. 17. & Gervaſius in catalogo errorum *n.* 38. Modeſte igitur, & non ſonore in hac circumſtantia pectus eſt percutiendum. Nonnulla, quæ ſpectant ad Sacram eruditionem hujus percuſſionis pectoris, videri poſſunt apud Cardin. Bona *de rebus Liturg. lib. 2. cap.* 2. *n.* 7. necnon apud Grancolas *in lib. de antiq. Liturg. pag.* 453. ubi adnotat, quod in aliquibus Ritualibus præſcribitur prædicta pectoris percuſſio, cum dicitur *Locutione*: in aliis vero MS. ſe legiſſe aſſerit: *Inter pronunciandum hæc verba, Cogitatione, Locutione, Opere, & Omiſſione, tertio pectus tundat.* Dicto *Mea maxima culpa*, proſequitur Sacerdos Confeſſionem

Digitized by Google

nem, ſtans eodem modo inclinatus ut ſupra, donec a Miniſtro ſit dictum, & completum *Miſereatur tui*, *&c.* Miniſter vero dum dicit *Miſereatur* caput verſus Sacerdotem profunde inclinat in reverentiæ ſignum. *Ex Cærem. Epiſcop. cap.* 8. §. 31. Poſt *Confiteor*, ſeu ante Orationem *Miſereatur*, nec Celebrans, nec Miniſter ſubjungit *Deo gratias*, aut particulam *Amen*, cum ſit contra Rubricam.

Cum a Miniſtro incipitur *Confiteor*, Celebrans erigit ſe. Miniſter in recitanda Confeſſione obſervat ea, quæ ſuperius adnotavimus pro Sacerdote; ſed in dicendo *Tibi Pater*, & *Te Pater* caput verſus Sacerdotem profundius inclinat. *Ex Cæremon. Epiſcop. ſupra*. Remanet autem Miniſter inclinato corpore, inclinatione profunda verſus Altare, uſque dum Sacerdos incipiat *Indulgentiam*; qua incœpta a Sacerdote, ſe erigit, & ſeſe ſignat ſigno Crucis.

## R U B R I C A.

8 *Si eſt coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in eorum Provincia, Civitate, vel Diœceſi conſtitutis, ubi dicit, Vobis fratres, dicat; Tibi Pater: ſimiliter in fine, ubi dicit, Vos fratres, dicat; Te Pater; quod dicens, Summo Pontifici genuflectit, aliis Prælatis profunde ſe inclinat.*

9 *Cum Miniſter, & qui interſunt (etiamſi ibi fuerit Summus Pontifex) reſpondent, Confiteor, dicunt, Tibi Pater, & Te Pater, aliquantulum converſi ad Celebrantem.*

## *G A V A N T U S.*

Vide hoc loco dignitatem Sacerdotis, cui coram Papa dicitur a circumſtantibus, tibi Pater, & te Pater.

Quid dicendum ſi plures adeſſent Cardinales, ſeu Prælati æquales? ſicuti nemo eorum oſculatur Evangelium; ita non videtur dicendum *Vobis Patres*, & *Vos Patres*; ſed tamen uſus obtinuit, ut in numero plurali hæc dicantur.

## R U B R I C A.

10 *Facta a circumſtantibus Confeſſione, Celebrans ſtans reſpondet,* (z) *Miſereatur veſtri, &c. Deinde producens manu dextera a fronte ad pectus ſignum Crucis, dicit, Indulgentiam, &c. (& ſi eſt Epiſcopus* (a) *accipit manipulum, oſculando illum in medio) & ſtans inclinatus junctis manibus proſequitur, Deus tu converſus, & quæ ſequuntur in Ordine Miſſæ, clara voce uſque ad Orationem,* (b) *Aufer a nobis, &c. & cum dicit, Oremus,* (c) *extendit, & jungit manus.*

## *G A V A N T U S.*

(z) *Miſereatur*, *&c.* Habet *Microl. loc. cit.* & item *Indulgentiam*. Ad *Miſereatur* Miniſtri adhuc inclinati manent ſicut ad *Confiteor*; ſtant autem ad *Indulgentiam*.

(a) *Accipit manipulum*. Vide ſupra, quæ diximus, *tit.* 1. *n.* 4. *de manipulo Epiſc.*

(b) *Aufer a nobis*. Habetur hæc Oratio *in Ordine Rom. poſt Litanias in Benedictione Eccleſiæ*: quis huc tranſtulerit ignoratur.

(c) *Extendit*, *& jungit manus*. Extenſione manuum quaſi colligit Sacerdos aſtantium corda; junctione quaſi cogit eadem in unum ad Orationem: unde & clara voce dicit *Oremus*. Ita *Melchior Hulamus de Cærem. Miſſæ*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Confeſſionis, uſque ad deprecationem, Aufer a nobis.

XXI. Gavant. lit. z -- *Habet Microl. loc. cit.*) Facta Confeſſione a circumſtantibus, nimirum a Miniſtro, vices circumſtantium gerente, a Portu *ſup. Rubr.* d. *in adnot. n.* 1. Celebrans ſtans adhuc erectus, reſpondet *Miſereatur veſtri*, veſtri (inquam) non tui: quia, ut dixi, Miniſter facit Confeſſionem nomine circumſtantium. Sacerdos hanc precem dicens, nullatenus ſe convertit ad Miniſtrum, neque ad Populum. Dicendo *Dimiſſis peccatis veſtris*, non addat *Omnibus*, nec ad *Indulgentiam*, addat *Omnium*: deletum eſt enim in Miſſali novo correcto, *Omnibus*, *& Omnium*, quæ in antiquo Miſſali habebantur; & ideo non licet illa amplius addere. Bauldry *part.* 3. *tit.* 3. Vinitor *ſupra* §. 16. Baldaſs. *part.* 1. §. *Finito*. Miniſter autem adhuc inclinatus profunde, reſpondet in fine *Amen* Bauld. *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 20.

Cæterum formula hujus precis *Miſereatur*, refertur utique a Microl. *cap.* 23. ſed aliis verbis expreſſa, nimirum *Miſereatur omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua; liberet te ab omni malo, & confirmet te in omni opere bono: & perducat nos pariter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi in vitam æternam. Amen*. In aliis vero Miſſalibus poſt illa verba: *Liberet te ab omni malo*, leguntur, hæc alia: *Conſervet te in omni opere bono, & perducat te per interceſſionem Sanctorum ad gloriam ſempiternam*; alias varias & diverſas formulas hujus precis, quæ exſtant in antiquis Ritualibus, & Pœnitentialibus, & Miſſalibus, recenſet Jo: Grancolas *in lib. de antiq. Liturg. pag.* 453.

XXII. Gavant. eadem lit. z -- *Stant autem ad Indulgentiam, &c.*) Prolata prædicta prece *Miſereatur*, Sacerdos producens manu dextera a fronte ad pectus ſignum Crucis, ut ſuperius innuimus, dicit *Indulgentiam*, *&c.* & dum ſe ſignat diſtribuit verba; ita ut quando pronunciat *Indulgentiam*, ſignet frontem; dum pronunciat *Abſolutionem*, ſignet ſe infra pectus; dum pronunciat *& Remiſſionem*, ſignet humerum ſiniſtrum; dum pronunciat *Peccatorum noſtrorum*, ſignet humerum dexterum. A Portu *ſupra n.* 5.

Hæc dicendo, non ſolum Sacerdos erectus manet, ſed etiam Miniſter erigit ſe a profunda inclinatione, quando Sacerdos incipit *Indulgentiam*, *&c.* & modo ſupradicto ſeſe ſignat. Bauldry, Caſtald. Bonamic. & alii.

Auctores, qui loquuntur de prece *Miſereatur*, nullam faciunt mentionem de hac prece *Indulgentiam*, *&c.* ut advertit Grancolas *ſupra cit. pag.* 455. Micrologus tamen eam refert expreſſam his verbis: *Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen*; & in antiquis Ritualibus legitur cum aliquibus additionibus, ſicut etiam in Miſſali Lugdunenſi. Alia, quæ ſpectant ad eruditionem ejuſdem precis, legi poſſunt apud cit. Grancol.

XXIII. Gav. lit. a -- *Accipit manipulum*, *&c.*) Manipulus extremo loco, brachio jam expedito imponebatur; qui Ritus, ut ſupra diximus, tunc communis erat omnibus Presbyteris; nunc vero in ſolis Epiſcopis remanſit, quibus peracta Confeſſione, ſeu poſt *Indulgentiam*, a Miniſtro imponitur. Card. Bona *de rebus Liturg. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 5. Expleta autem Confeſſione & prolatis prædictis precibus, ſubduntur aliquot verſiculi ex Pſalmis deprompti, prout in Ordine Miſſæ; in quibus dicendis Sacerdos ſtat inclinatus, & junctis manibus ante pectus, inclinatione mediocri, qua inclinatione Miniſter quoque ſe inclinat: & poſtquam Sacerdos recitaverit ſuum verſiculum, reſpondebit alternatim integre, juxta Ordinem Miſſæ, ſed nec nimis feſtinanter, nec voce nimis remiſſa; quod ſemper obſervare debet dum Sacerdoti reſpondet. Hæc omnia reſpective traduntur a variis Auctoribus, quos refert a Portu *ſupra n.* 6. Proſequitur igitur Sacerdos dicens: *Deus tu converſus*, *&c.* & ea quæ ſequuntur in Ordine Miſſæ, clara voce, ſcilicet ordinaria, uſque ad *Oremus* incluſive; quod verbum *Oremus* profert adhuc inclinatus mediocriter, ut erat.

XXIV. Gavant. lit. c -- *Extendit*, *& jungit manus.*) Cum dicit *Oremus* disjungit bene manus & denuo eas jungit, non autem elevat uſque ad humeros; *Cærem. Miſſæ Priv. cap.* 4. §. 2. nec humiliat manus tunc; a Portu *ſup. n.* 11. nec elevat faciem in Cœlum. Poſtea ſubmiſſa voce recitat Orationem *Aufer a nobis*, *&c.* de qua prece infra aliqua dicemus.

## R U B R I C A.

11 *Et tunc, ſi coram Summo Pontifice, aut aliis Prælatis, ut ſupra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit ſecreto, Aufer a nobis, ut in Ordine Miſſæ.*

## *G A V A N T U S.*

In Miſſa Solemni Miniſtri inclinent, percutiant ſibi pectus, ut ſupra; ſed ad *Oremus* non deducant manus, quod ſolius eſt Sacerdotis invitantis. Item manus ſemper junctas teneant a principio Confeſſionis uſque ad finem. Signa quoque Crucis ſibi adhibeant, quod etiam in tota Miſſa obſervent, excepto Subdiacono, dum Patenam tenet.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, coram Summo Pontifice, &c.

XXV. *Si coram Summo Pontifice*, *&c.*) Si Sacerdos celebret coram Summo Pontifice, aut aliis Prælatis, ut ſupra diximus, antequam aſcendat ad Altare, genuflectit Summo Pontifici; aliis vero Prælatis reverentiam adhibet ſumma inclinatione. Quando autem eſt ſuper Altare, ſoli Deo vacat, eumque adorat oblatione Sacrificii, uſque ad dimiſſionem Populi; nam daturus Benedictionem, caput verſus Prælatum inclinare debet, ut ſuo loco dicemus. Quarti *part.* 1. *tit.* 3. *n.* 11.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, a Confeſſione uſque ad Introitum, &c.

XXVI. *In Miſſa Solemni Miniſtri inclinent*, *&c.*) Celebrans in Miſſa Solemni peragit Confeſſionem, prout in Miſſa Privata: cum dicit *Vobis fratres*, & *Vos fratres*, aliquantulum ſe inclinat ad Miniſtros Sacros, videlicet dum dicit *Vobis*, *& Vos*, ſe convertit ad Diaconum; dum dicit *Fratres*, ad Subdiaconum; quod idem facit dum dicit *Miſereatur veſtri*. Cærem. *Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. §. 81. Bauld. *p.* 3. *cap.* 11. *de Miſſa Solemni art.* 4. *n.* 15. a Portu *cap.* 1. *de Miſſa Solemni tit.* 2. *Rubr.* 5. *n.* 8. & alii apud eundem.

Hæc inclinatio Sacerdotis erga Miniſtros ſucceſſiſſe videtur oſculo, quod in Ordine Romano VI. *pag.* 71. inter evulgatos a Mabillon., Pontifex dabat Presbyteris duobus: deinde Diaconibus, peracta Confeſſione: ecce verba dicti Ordinis: *Pontifex... Presbyteris, qui eum ducebant, ſive Diaconibus, manus ejus oſculantibus, propriaque repetentibus loca, inclinans ſe, Deum pro peccatis ſuis deprecetur: tunc erectus, primum Presbyteris duobus, deinde Diaconibus per ordinem, omnibus pacis oſcula dabit*. Similia quædam habentur *in Ordine Romano I. pag.* 66. deinde in Miſſa Illyrici habetur hoc idem de Epiſcopo ſolemniter Celebrante. Miniſtri vero Sacri in Miſſa Solemni, de qua

nunc

Digitized by Google

nunc loquimur, dum dicunt *Miſereatur tui*, uſque ad ejus finem, ſemper manent inclinati profunde verſus Celebrantem pariter adhuc profunde inclinatum; *Cærem. Epiſc. ſupra*, & Rubriciſtæ omnes communiter; & dum dicunt *Confiteor*, Celebrans erigit ſe; Miniſtri vero profunde inclinati convertunt ſe ad Altare, & ad illa verba *Tibi Pater*, *& Te Pater*, item profunde inclinati convertunt ſe ad Celebrantem: *Cærem. Epiſc. ſupra*, Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *num.* 6. *& cap.* 1. *n.* 4. aliique omnes Sacrarum Rubricarum expoſitores, dum dicunt *Mea culpa*, dexteræ digitis ſimul junctis pectus percutiunt, eo modo, quo adnotatum eſt *ſupra* de Celebrante in Miſſa Privata.

XXVII. Gavant. *In Miſſa Solemni*, *&c.*) Præterea adnotandum hic eſt, quod ſi adſit Epiſcopus in propria Diœceſi, licet non celebret, ſed tantum aſſiſtat Miſſæ Solemni, Celebrans debet ad Confeſſionem reſpondere Epiſcopo uſque ad *Indulgentiam* incluſive (& non ultra,) non vero ſimul cum illo dicere: *In nomine Patris*, *&c.* Ita ſancitum eſt etiam a Sac. R. Congreg. 4. Auguſti 1663. cujus Decreti copia data eſt in noſtro Indice *ſub n.* 409. Nomine autem Confeſſionis hic venit etiam antiphona, & Pſalmus præcedens formulam Confeſſionis, nempe *Confiteor*, *&c.* Rurſus advertere debemus, quod Epiſcopus, de quo loquimur, ſit in loco ſuæ juriſdictionis, neque præſens ſit ejus Metropolitanus, vel Patriarcha, vel Cardinalis, vel Legatus Sedis Apoſtolicæ. Item requiritur pariter habitus certus in dicto Epiſcopo v. g. vel pluviale, & mitra in ſolemnioribus Feſtis, vel ſaltem cappa Pontificalis in Feſtis minus ſolemnibus. Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 9. & Vinitor *part.* 1. *tit.* 10. *n.* 1.

Peracta Confeſſione, dum Celebrans erectus dicit precem *Miſereatur veſtri*, *&c.* donec totam hanc precem perfecerit, ipſi Miniſtri Sacri adhuc manent inclinati verſus Altare; cum vero Celebrans dicit *Indulgentiam*, *&c.* prælaudati Miniſtri Sacri erigunt ſe, & ſe ſignant cum eo. Ad verba *Deus tu converſus*, *&c.* inclinat ſe cum Celebrante (non tamen, ut advertit Gavantus ſupra in hanc Rubricam, deducant manus ad vocem *Oremus*, ſed ſolus Celebrans disjungit manus adhuc inclinatus, & ſtatim conjungit) ſed ſe profundius inclinant, quam Celebrans. Biſſ. *lit. C.* -- *n.* 197. §. 8. Bauld. *ſupra*, & a Portu *loc. ſup. citat.*

Statim ac Celebrans incipit Confeſſionem (nimirum Antiphonam, & Pſalmum *Judica me Deus*, qui ſimul cum *Confiteor* integrat partem illam Miſſæ, quæ dicitur Confeſſio, ut ſupra diximus, & ut notat Turrin. *part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1.) Chorus incipit cantare *Introitum*, & deinde *Kyrie eleiſon*. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 30. & Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *n.* 16. Verum illi, qui cantant *Introitum*, dum fit Confeſſio, non genuflectunt; non enim ipſi, ut alii, faciunt Confeſſionem. Bralion in *Cærem. Canonicorum p.* 2. *cap.* 2. *n.* 8.

Ex uſu tamen communiſſimo Sacrarum Baſilicarum Urbis, in quibus adeſt ſchola Cantorum præcinentium dictum *Introitum*, omnes Canonici, quamvis non ſint parati, ac etiam in pluribus aliis Eccleſiis tum Collegiatis, tum non Collegiatis, in quibus eſt ſchola aliqua Cantorum, omnes alii de Choro faciunt Confeſſionem bini, & bini, ut fit a Canonicis in Miſſa Pontificali; quo caſu non genuflectunt, ſed ſtant omnes, ut advertit de Bralion ſupra *n.* 7. idque deducit ex *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. §. 33. Si autem ab exiſtentibus in Choro non fiat modo prædicto Confeſſio, nec cantetur Miſſæ *Introitus*, tunc omnes genuflexi manere debent, prout genuflectunt etiam laici in dicta circumſtantia; ſicut præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *loc. ſupra cit.*

## De Introitu, Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis. IV.

### R U B R I C A.

1 *DUM dicit*, *Auſer a nobis*, *&c. Celebrans junctis manibus aſcendit ad medium Altaris*, *& ibi inclinatus*, *manibuſque item junctis ſuper eo poſitis*, *& ita ut digiti parvi dumtaxat frontem*, *ſeu medium anterioris partis tabulæ*, *ſeu menſæ Altaris tangant*, *reſiduo manuum inter Altare*, *& ſe retento*; *pollice dextro ſuper ſiniſtrum in modum Crucis poſito* (*quæ omnia ſemper obſervantur*, *cum manus junctæ ſuper Altare ponuntur*) *ſecreto dicit*, *Oramus te Domine*, *&c. & cum dicit*: *Quorum Reliquiæ hic ſunt*, (d) *oſculatur Altare in medio* (e) *manibus extenſis æqualiter hinc inde ſuper eo poſitis*, *quod ſemper ſervat*, *quando oſculatur Altare*, *ſed poſt Conſecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deoſculatione ſive Altaris*, *ſive libri*, *ſive alterius rei*, (f) *non producitur ſignum Crucis pollice*, *vel manu ſuper id*, *quod oſculandum eſt.*

### *G A V A N T U S.*

(d) *Oſculatur Altare.* Meminit *Juſtin. in fin. Apol.* 2. oſculi Altaris inter orandum, in ſignum venerationis: hoc autem loco fit, *ex Innoc. III. lib.* 2. *c.* 15. ut ſicut Altare Chriſtum deſignat, ita Sacerdos meminiſſe debet deſiderii, & amoris ſponſæ: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, *ibid.* Eſt etiam oſculum ſignum reverentiæ, unde Eſther oſculabatur apicem virgæ Regis. Caveat ergo ne audiat Celebrans vocem illam: *Oſculo Filium hominis tradis? Durand. l.* 2. *c.* 57. Caveat item, ne oſculetur a latere Altaris; ſed in medio Altaris illud item oſculetur, ubi ſunt Reliq. Sanct.

Monet *Hieron. Cantonus in ordin. Div. off.* quod ubi non ſunt Reliquiæ Sanct., ex diſpenſatione Apoſtolica, in Altari, omitti debent verba: *Quorum Reliquiæ hic ſunt*: eoque caſu oſculum Altaris fieri debet ad ea, *Indulgere digneris*: & bene monet.

(e) *Manibus extenſis*, *&c*, Hæc *Durand. lib.* 4. *cap.* 39. quia, inquit, ſi renuit operari, amor non eſt, *ſecundum Gregorium*; & quia omnium temporalium curam deponere debet, qui tanto Sacrificio operam dat, *Idem*; vel ad pacem indicandam a Chriſto utrique Populo nunciatam, qui ſignificatur in utroque latere Altaris. *Edvenſ. cap.* 12. Junctio item manuum ad anteriorem, & ſuperiorem Altaris partem ſignificat Chriſtum feciſſe utraque unum. *Scortia l.* 3. *c.* 12.

(f) *Non producitur ſignum Crucis.* Quia Altare, vel Ara eſt conſecrata, liber etiam, & aliæ res aliis de cauſis ſanctificatæ.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ a deprecatione Auſer a nobis, uſque ad initium Introitus.

I. Gavant. *Dum dicit*; *Auſer a nobis*, *&c.*) In Miſſa Privata, data Abſolutione, & dicto clara voce *Oremus*, ut ſuo loco admonuimus, Sacerdos dicit ſecreto Orationem *Auſer a nobis*, *&c.* quam dum dicit, junctis manibus aſcendit ad medium Altaris. Si nulli ſint gradus, aut pauci, aſcendens ad Altare Celebrans, lente aſcendat; ut terminans vocem ultimam Orationis pertingat ad medium Altaris. Dum Sacerdos incipit aſcendere, ſurgat & Miniſter, & genuflectat ſuper ultimum Altaris gradum: Caſtald. *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 12. Bauldry *part.* 1. *c.* 17. *n.* 22. ubi vero nulli ſunt gradus, ſed ſolum ſuppedaneum, tunc Miniſter ſtet in eodem plano, non ſuper, ſed prope ſuppedaneum genuflexus. Caſtald. *ſupra*, Bonamic. *part.* 1. *obſerv.* 5. *n.* 3. Corſettus *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 16. & Ordo Romanus continet hanc precem, *Auſer a nobis*, in Officio Dedicationis Eccleſiæ poſt Litanias; Microl. vero *cap.* 23. (ut obſervavit etiam Gavant. *in Rubr.* 10. *tit.* 3. *lit. B*) eam refert, ſed ante Sacerdotis Confeſſionem; in Liturgia vero Illyrici, evulgata a Cardinale Bona, eſt ante Pſalmum *Judica &c.* In omnibus fere Liturgiis Sacerdos conſimilem aliquam precem recitat, dum ad Sacram Aram accedit; quas quidem varias, ſed conſimiles preces recenſet Jo: Granc. *in lib. de antiquis Liturg. cap.* 456.

II. Gav. lit. d -- *Caveat item ne oſculetur a latere Altaris.*) Sacerdos itaque inclinatus mediocri inclinatione manibuſque junctis ſuper Altare poſitis, Altare oſculatur omnino in medio, & non ad latera; ut autem congruenter ſe inclinet Sacerdos in hac circumſtantia, & alia ſimili, aliquantulum ab Altari retrocedat; quod etiam obſervet, quando ad Altare debet facere genuflexionem: Biſſus *lit. S. n.* 20. §. 18. Bauld. *part.* 3. *tit.* 4. *Rubr.* 1. *n.* 1. manus vero ponantur junctæ ſuper Altare, hoc modo, ita ut ſex digiti longiores ſimul juncti innitantur menſæ Altaris. Bauld. *ſupra*, & Vinitor *part.* 2. *tit.* 4. *in adnot.* §. 2.

Digiti vero parvi dumtaxat frontem, ſeu medium anterioris partis tabulæ, ſeu antependii tangant, reſiduo manuum inter Altare, & ipſum Celebrantem retento, pollice dextro ſuper ſiniſtrum in modum Crucis poſito (quæ omnia ſemper obſervantur, cum manus junctæ ſuper Altare ponuntur) advertendo ſemper, ne parvi digiti, qui extremitatibus ſuis anteriorem partem menſæ Altaris tangunt, ab aliis digitis disjungantur. Bauldry *part.* 3. *cap.* 4. ex ſuperiori Rubrica, Polacc. in Aphoriſm. *part.* 1. & alii communiter.

Hæc omnia ſemper obſervantur cum manus junctæ ſuper Altare ponuntur ante Conſecrationem: quia poſt Conſecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur, donec ipſi poſt Communionem Sacerdotis purificati, & abſterſi fuerint.

Sacerdos poſt precem *Auſer a nobis* ſecreto pariter dicit *Oramus te*, *Domine*, *per merita*, *&c.* ex quibus patet, hanc Orationem inchoandam eſſe, quando junguntur manus modo deſcripto ſuper Altare, & non ante, neque poſt: Angel. *in catal. errorum n.* 12. *de Confeſſ.* & Gervaſi *in catal. errorum n.* 39.

III. Gavant. ad. lit. d -- *Ubi non ſunt Reliquiæ Sanctorum*, *&c.*) Sacerdos cum dicit illa verba, *Quorum Reliquiæ hic ſunt*, oſculatur Altare, non ad latera ipſius, ſed in medio, ut diximus, æqualiter, & recte ſe inclinando, manibus uſque ad pulſum excluſive extenſis, æqualiter hinc inde ſuper Altare poſitis; extra Corporale tamen collocentur, niſi Corporale eſſet nimis magnum, ideoque geſtus eſſet inconcinnus; Bauld. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Oſculatur vero Sacerdos Aræ menſam ad venerandas Sanctorum Reliquias ibi reconditas, & ad impetrandum eorum patrocinium. Quarti *part.* 2. *tit.* 4. *Rubr.* 1. *n.* 1. §. 3.

Quod ſi ex diſpenſatione Apoſtolica, vel ex incuria, nullæ in Altari conſerventur Reliquiæ Sanctorum (intellige de Reliquiis, quæ eſſe debent in Ara conſecrata; non de illis, quæ ponuntur ad ornamentum ſuper Altare) an omitti debeant verba iſta, *Quorum Reliquiæ hic ſunt*, controvertunt Doctores: nam Gavant. ſupra, quem ſequuntur Arnaudus *part.* 2. *tit.* 4. *n.* 2. Quarti ſupra *in dubiis conſ. ſect.* 1. *dub.* 1. Bauld. *part.* 3. *tit.* 4. *Rubr.* 11. *num.* 1. Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 3. *num.* 2. Simon Buongiovanni a Larciano *in Sacrarum Cæremoniarum Silva lib.* 4. *cap.* 7. *in notationibus*, Lohner, Vinitor, Angel. & alii; docet, inquam, Gavantus ex Hieron. Cantonio, *in ordinario Div. off.* quod ſi in Altari non ſint Reliquiæ Sanctorum, omittenda ſunt illa verba, *Quorum Reliquiæ hic ſunt*; quia, inquit Quarti ſupra, quod prædicta verba valde impro-

prie

Digitized by Google

ptie uſurparentur in caſu, de quo loquimur: unde Sebaſtianus Fantonus *in Cæremon.* PP. Carmelitarum *lib.* 2. *Rubr.* 53. *n.* 6. ait, quod ſi in Altari Reliquiæ non fuerint, nec in lapide conſecrato, debent omitti præfata verba, & Oratio hoc modo recitari: *Oramus te, Domine, per merita omnium Sanctorum tuorum, ut indulgere digneris, &c.* & tunc Sacerdos oſculetur Altare. Hoc idem ex antiquis Rubricis notarunt Silveſter *v. Altare n.* 1. & Angel. *v. Altare n.* 3. In Miſſali Romano non apponitur ea exceptio, quia ſupponit ſemper Reliquias in Altari; & ne detur occaſio negligendi Ritum condendi in eo Sanctorum Reliquias. Nihilominus Caſtropal. *part.* 4. *tract.* 22. *punct.* 9. *n.* 6. vult, quod ſit dicenda tota Oratio integra in caſu ſupradicto, ac ſi eſſent Reliquiæ in Altari; & dicit hoc eſſe faciendum ſaltem ex decentia, & conſuetudine. In hanc ſententiam deſcendit pariter Tonell. *l.* 1. *c.* 2. §. 4. *n.* 4. necnon Biſſus *lit. S. n.* 20. §. 18. hac ratione ducti, quia cum de more ibi collocentur Reliquiæ Sanctorum, ſufficit hoc ad veritatem prædictæ communis Orationis, quamvis in hoc, vel illo Altari Reliquiæ deſiderentur: regulæ enim Miſſalis, Orationeſque, ſicut & leges humanæ, non ſunt pro hoc, vel illo caſu particulari, ſed pro communibus caſibus: attendunt ſiquidem id, quod communiter contingit; & ideo ſimpliciter latæ cenſentur veræ, quamvis in uno, vel altero caſu deficiant: & hæc eſt communis reſolutio in materia de legibus, ut docet Fagundez de præcepto Eccleſ. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 8. Et revera in aliis caſibus ad praxim deducitur hæc ſententia: nam etiamſi unus tantum ſit Miſſæ aſſiſtens, dicitur a Celebrante *Dominus vobiſcum*, quaſi eſſent plures: etiamſi non adſit niſi Clericus, qui Miſſæ inſervit, dicitur pariter a Celebrante *Miſereatur veſtri*, non vero *tui*. Ita pariter Moniales dum dicunt *Confiteor* in Choro, utuntur communi formula, etiam ex Decreto Sac. Congreg. nimirum dicunt *Tibi Pater*, non vero *Tibi Mater*: & in Defunctorum Exequiis, etiamſi perſona defuncta ſit fœmina, dicitur tamen: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine*. Denique plures habentur expreſſiones in Canone, quæ non verificantur in omnibus caſibus particularibus, ſed ſolum communiter, & generaliter: quapropter idem dicendum crediderim de prædictis verbis. *Quorum Reliquiæ hic ſunt, &c.*

## RUBRICA.

2 *Oſculato Altari accedit* (g) *ad cornu ejus ſiniſtrum, id eſt Epiſtolæ; ubi ſtans verſus Altare, & producens a fronte ad pectus* (h) *ſignum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Miſſæ, & proſequitur junctis manibus. Cum dicit Gloria Patri, tenens junctas manus,* (i) *caput inclinat verſus Crucem. Cum repetit Introitum, non ſignat ſe, ut prius; & eo repetito, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, ubi ſtans verſus illud ſimiliter manibus junctis, dicit eadem voce ter,* (l) *Kyrie eleiſon, ter, Chriſte eleiſon, & iterum ter, Kyrie eleiſon, alternatim cum Miniſtro. Si Miniſter, vel qui interſunt, Celebranti non reſpondeant, ipſe ſolus novies dicit.*

## GAVANTUS.

(g) *Ad cornu ejus ſiniſtrum*: Appellat *Ivo Carnoten. ſerm. de conven. novi, & veteris Sacrificii* Epiſtolæ latus dexteram partem Altaris, & ſignificare dicit Iſraelitas, qui erant a dextris Dei: ſed quod eſt ſiniſtrum, ſibi eſt dextrum, reſpectu dextræ Celebrantis. Idem habet *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 22.

(h) *Signum Crucis, &c. Burchard.* Et hic præciſe Miſſa incipit: quare convenit, ut ſignum Crucis faciat Sacerdos.

De introitu, & ejus partibus egimus *ſup. part.* 1. *tit.* 8. *n.* 1.

(i) *Caput inclinat.* Cum Trinitati datur gloria, Crucifixo reverentiam exhibemus, in quo tota Trinitas ob unitatem eſſentiæ cum Verbo reperitur eſſe: & eo caſu ſatis eſt convertere caput ad Crucem, non perſonam: quod in ſequentibus nota.

(l) *Kyrie eleiſon. Supra tit.* 8. *num.* 2.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ ab initio Introitus, uſque ad Kyrie eleiſon.

IV. Gavant lit. g. -- *Ad cornu Epiſtolæ.*) Sacerdos oſculato Altari, ſine ulla Cruci inclinatione, ut advertit Bauldry *part.* 3. *tit.* 4. *num.* 1. & alii communiter, quia ſe inclinavit oſculando Altare; quod ſemper ſervatur in pari caſu; quemadmodum nulla fit Cruci tali particularis inclinatio in acceſſu, vel receſſu a medio Altaris, quando a Rubrica præſcribitur alia reverentia, v. g. quando dicendum eſt *Credo*. Tonell. *lib.* 3. §. 4. *num.* 2. & apud ipſum Caſtald. Alcozer; &c. ſed manibus de more junctis ante pectus, & naturaliter ambulando, ideoque ſiniſtrum latus convertendo verſus Altare (quod proportionaliter ſemper faciet) accedit ad ſiniſtrum cornu Altaris, id eſt cornu Epiſtolæ; Hippol. a Portu *tit.* 4. *Rubr.* 2. *in adnot. num.* 1. quod quidem cornu Epiſtolæ dici poteſt pars Altaris dextera, ſicut & cornu Evangelii, ut cum Ivone Carnot. advertit Gavantus *ſupra*, dicitur pars Altaris ſiniſtra: loquitur tamen Ivo reſpectu Celebrantis, qui dum eſt ad Altare facie ad illud verſa, a dexteris habet cornu Epiſtolæ, a ſiniſtris vero cornu Evangelii. Biſſus *lit. C. num.* 533. *& lit. S. num.* 20. §. 19.

V. Gavant. lit. h -- *Signum Crucis, &c.*) Stans igitur Sacerdos in prædicto cornu Epiſtolæ erectus & corpore, & capite, vertendo faciem verſus Altare (caveat ne Introitum incipiat adhuc ambulando verſus cornu Epiſtolæ; quod contingere poſſet in illis Miſſis, quarum Introitus memoriter retinetur) & producens ſibi a fronte ad pectus ſignum Crucis, quo etiam Miniſter ſe munit, Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. incipit intelligibili voce Introitum (qui nunquam omittitur, niſi Sabbato majoris hebdomadæ, non modo in Solemni, verum etiam in Privatis Miſſis, ſi dicantur; de quarum prohibitione in tali die ſuo loco ſermonem habebimus) & tunc proſequitur eadem clara voce, & manibus junctis ante pectus.

VI. Gavant. lit. i -- *Crucifixo reverentiam exhibemus.*) Cum dicit *Gloria Patri*, junctis pariter manibus, caput inclinat verſus Crucem inclinatione ſimplici, ſeu ſimplicium maxima: Tonell. *lib.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 3. Bonamic. *obſerv.* 12. *num.* 1. hanc eandem inclinationem faciet & Miniſter, Corſettus ſupra *num.* 17. neuter tamen oculos elevabit; quod ſervari etiam debet in pari caſu. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 4. *Rubr.* 2. *num.* 3. Baldaſſar. *cap.* 2. §. *Comiuciando*.

VII. Gavant. eadem lit. i -- *Satis eſt convertere caput ad Crucem, non perſonam.*) Hanc Gavanti ſententiam amplectuntur Corſettus *tract.* 2. *part.* 1. *ſect.* 1. *num.* 4. Vinitor *part.* 2. *tit.* 4. *in adnot.* §. 7. Arnaud. & alii; nihilominus contrariam opinionem, nimirum in prædicto caſu converti debere ad Crucem etiam perſonam Sacerdotis ſeu corpus cum capite aliquantiſper, tuentur Bauld. *par.* 3. *tit.* 4. *Rubr.* 2. *n.* 2. Angel. *in cat. errorum n.* 2. Tonell. & alii, quos refert Hippol. a Portu *ſup. n.* 7. hac ratione permoti, quia revera illa converſio, & motus videtur facilior, & naturalior ad ſignificandam intentam reverentiam erga Crucem.

Dum Sacerdos repetit Introitum, non ſe ſignat iterum: tale enim ſignum fit tantum ratione principii: Vinitor *ſupra*, necnon Gervaſi *ſupra*, & Benvenuti *pag.* 9.

VIII. Gavant. lit. l -- *Kyrie eleiſon ſupra, &c.*) Repetito *Introitu*, junctis manibus ante pectus, prout junctas tenebat, accedit ad medium Altaris, naturaliter deambulando, & idcirco dexterum latus ad Altare volvendo; ubi ſtans verſus illud erectus & corpore, & capite, ſimiliter manibus junctis, dicit voce intelligibili, & ordinaria ter *Kyrie eleiſon*, ter *Chriſte eleiſon*, & iterum ter *Kyrie eleiſon* alternatim cum Miniſtro.

Hinc patet errare illos, qui incipiunt *Kyrie*, dum procedunt, & antequam ad medium Altaris pervenerint; & multo magis errare illos, qui nondum repetito *Introitu* pergunt ad medium ipſius Altaris, cum aperte operentur contra Rubricam: antequam tamen incipiat primum *Kyrie eleiſon*, debet facere reverentiam Cruci minimarum, ſeu ſimplicium maximam, non elevando oculos; id quod ſemper obſervare debet, quoties accedit, vel recedit a medio Altaris; niſi paulo ante receſſum, vel paulo poſt acceſſum præſcribatur reverentia facienda a Miſſali; ut accidit quando oſculatur Altare, & poſt Evangelium dum dicitur *Credo*, quia ſtatim ad verbum *Deum* præſcribitur reverentia facienda. Caſtald. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 10. Vinitor *ſupra* §. 8. Gervaſi *cap.* 2. §. *Notiſi qui*. Tonell. Lohner, & alii; de quo quidem etiam nos ſuperius locuti ſumus.

Si autem dum Sacerdos dicit *Kyrie eleiſon*, nullus ſit, qui ei reſpondeat; tunc ipſemet Sacerdos dicat *Kyrie eleiſon* novies ordine ſupradicto. Biſſus *ſupra* §. 20.

## RUBRICA.

3 *Dicto Kyrie eleiſon, Sacerdos ſtans* (m) *in medio Altaris, &* (n) *manus extendens, elevanſque uſque ad humeros (quod in omni manuum elevatione obſervatur) voce prædicta incipit, ſi dicendum ſit, Gloria in excelſis. Cum dicit Deo, jungens manus,* (o) *caput Cruci inclinat; quo erecto, ſtans junctis manibus ante pectus, proſequitur uſque ad finem. Cum dicit, Adoramus te, Gratias agimus tibi, & Jeſu Chriſte, Suſcipe deprecationem noſtram, & iterum, Jeſu Chriſte, caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine, Cum Sancto Spiritu ſe ipſum* (p) *a fronte ad pectus ſignat, interim abſolvens, In gloria Dei Patris, Amen.*

## GAVANTUS.

(m) *In medio Altaris.* Quia mediator Chriſtus eſt, quem repræſentat Sacerdos: *diſt.* 10. *Quoniam*, & quia Angeli media nocte Nativitatis Chriſti in medio paſtorum hunc Hymnum cecinerunt. *Durand. lib.* 5. *cap.* 13.

(n) *Manus extendens, &c.* Ad decentiam motus hic terminus manuum præſcribitur uſque ad humeros, non ad Myſterium; & elevatio earum deſignat, quod cœleſtia diligimus; *ex Orig. hom.* 11. *in cap.* 17. *Exodi*: extenſio vero vim affectivam orantis. *Ex Baſil. cap. Iſai.*

De Gloria in excelſis, vide ſupra *tit.* 8. *n.* 3.

(o) *Caput Cruci inclinat.* In ſex locis caput inclinatur in hoc Hymno: & ratio eſt ſummæ reverentiæ; ideoque caput inclinatur Cruci, quæ eſt in medio. Caput Deo inclinatur, *ait Burchard.* at Deus in Altari eſt in Cruce: ergo Cruci inclinemus, ut docet *Chryſoſtomus in Liturgia*.

* Monet *Jo. Baptiſta Conſtant. in monit. ad Curatos*, genuflectendum eſſe ad verbum *Adoramus*, & in Symbolo ad Verbum *Adoratur*, ſi nimirum ibi eſt Sacramentum: ſed gratis dicit, nullo Auctore.

(p) *A fronte ad pectum ſignat.* Hoc eſt ſigno Crucis, ſicut etiam in fine Symboli: quia Hymnus Angelicus, & Symbolum ſunt de verbis Evangel. quod Crucem continet. *Beleth. cap.* 50. At ſiniſtram infra pectus pone, ut ſupra; & junge manus in verbo *Amen* in fine.

Novæ

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Kyrie eleiſon, uſque ad Hymnum, Gloria in excelſis Deo.

IX. Gavant. lit. n -- *Manus extendens, &c.*) Dicto ultimo *Kyrie*, Sacerdos ſtans in medio Altaris, quod eſt pars ejuſdem nobilior, & in qua dicuntur partes Miſſæ inſigniores, Quarti *par.* 2. *tit.* 4. *Rubr.* 3. *n.* 1. manus extendens uſque ad humeros, dicit clara voce, ſi dicendum ſit, *Gloria in excelſis Deo*.

X. Gavant. lit. o -- *Caput Cruci inclinat.*) Dicendo prædictum Hymnum Angelicum, cum dicit *Deo*, jungens manus, caput Cruci inclinat; quod ut venuſte fiat, poterunt extendi manus, dum dicitur *Gloria*, elevando eas uſque ad humeros, & non ultra eorum latitudinem, aut altitudinem, dum dicitur *In excelſis*; jungi vero dum dicitur *Deo*: & advertatur, quod dum Sacerdos profert vocem illam *Deo*, duo præſtat: alterum eſt jungere manus ante pectus de more; alterum vero eſt inclinare caput, ut ſupra, inclinatione minimarum minima, hoc eſt ſimplici, nunquam tamen elevantur oculi, imo neque caput, neque corpus; & manus dum extenduntur non debent poni ſuper Altare, quod multi gratis faciunt & præter Rubricam; ſed eæ, quæ junctæ erant immediate extenduntur. Bauld. *part.* 3. *de Ritib. ſervand. cap.* 11. Biſſ. *ſupra*; Gervaſ. *ſupra cap.* 4. §. *Terminato*, & alii relati ab Hippol. a Portu *ſupra n.* 5.

Sacerdos igitur poſtquam protulerit illa verba, *Gloria in excelſis Deo*, eo modo, quo mox innuimus, junctis manibus ante pectus, proſequitur Hymnum uſque ad finem; ſed cum dicit *Adoramus te*, caput Cruci inclinat inclinatione minimarum maxima, quia plura ſunt verba; Hippol. a Portu *tit.* 3. *Rubr.* 4. *n.* 8. *in adnot.* quod idem facit dum dicit *Gratias agimus tibi -- Jeſu Chriſte -- Suſcipe deprecationem noſtram --* & iterum *Jeſu Chriſte*.

XI. Gavant. lit. p -- *Hoc eſt ſigno Crucis.*) Quando in fine dicti Hymni dicit *Cum Sancto Spiritu*, Sacerdos ſe ipſum a fronte ad pectus ſignat ſigno Crucis; & ut recte ſe ſignet, diſtribuat verba hoc modo: quando dicit *Cum Sancto* portet dexteram ad frontem; cum dicit *Spiritu* portet ad pectus; cum dicit *In gloria* portet ad humerum ſiniſtrum; cum dicit *Dei Patris* portet ad humerum dexterum. A Portu *ſup. tit.* 4. *Rub.* 3. *in adnot. n.* 13.

XII. Gavant. eadem lit. p -- *Et junge manus in verbo Amen in fine.*) Hanc Gavanti opinionem amplectuntur Quarti *part.* 2. *tit.* 4. *Rub.* 3. Corſettus *tract.* 2. *part.* 1. *ſect.* 1. *n.* 1. Lohner *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 5. & alii. Contrarium tamen tenet Tonell. *lib.* 2. *tit.* 4. *in notis ad Rubr.* 3. Bonamic. Polac. & Monac. quos refert & ſequitur a Portu *ſupra n.* 14. tum quia conjunctio illa non requiritur ad Crucis ſignum complendum; tum quia eſſet actus ſuperfluus, cum immediate disjungendæ forent manus, & denique quia talis conjunctio videtur præter Rubricam.

## R U B R I C A.

4 *In Miſſa Solemni Sacerdos facta Confeſſione* (q) *aſcendit cum Miniſtris ad medium Altaris; ubi dicto, Oramus te, Domine, &* (r) *oſculato Altari ponit* (ſ) *incenſum in thuribulum,* (t) *miniſtrante Diacono naviculam, &* (u) *Thuriferario thuribulum. Diaconus parum inclinatus verſus Celebrantem dicit: Benedicite, Pater reverende: &* (x) *oſculatur cochlear, & manum Celebrantis ante, & poſt. Celebrans* (y) *ter incenſum ponit in thuribulum, dicens interim: Ab illo benedicaris: & depoſito cochleari, producens manu dextra ſignum Crucis ſuper thus in thuribulo, illud* (z) *benedicit. Poſtea Diaconus* (a) *dimiſſa navicula, accipit thuribulum, & dat Celebranti, oſculata prius catenularum ſummitate, & manu illius dextra. Qui facta Cruci profunda reverentia, eam ter incenſat nihil dicens; & facta iterum Cruci reverentia,* (b) *incenſat Altare ter ducens thuribulum æquali diſtantia,* (c) *prout diſtribuuntur candelabra a medio ejus uſque ad cornu Epiſtolæ: ubi demiſſa manu, thurificat illius poſtremam partem inferiorem,* (d) *mox ſuperiorem, bis ducto thuribulo; & converſus ad Altare, elevans manum incenſat ejus planitiem, ſeu menſam in parte anteriori, ter ducens thuribulum uſque ad medium; ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu uſque ad cornu Evangelii: & pariter incenſata inferiori, & ſuperiori parte ipſius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc ſtans ibidem, elevans thuribulum, ter incenſat ſuperiorem tabulæ partem verſus medium Altaris, ut fecit in cornu Epiſtolæ: deinde manu aliquantulum demiſſa, incenſat anteriorem ejus partem, ſeu frontem ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii uſque ad medium Altaris; & facta Cruci reverentia, incenſat ſimiliter triplici ductu reliquam partem anteriorem uſque ad cornu Epiſtolæ; ubi reddito thuribulo ipſi Diacono, ab eo ipſe ſolus incenſatur.*

## *G A V A N T U S.*

(q) *Aſcendit cum miniſtris.* Diaconus ſiniſtra manu Subdiaconus dextra albam, & veſtem anteriorem Celebrantis paululum elevant, dum ille aſcendit.

(r) *Oſculato Altari.* Miniſtri non oſculantur, neque tangunt Altare, ſed ſuo quiſque loco genuflectit; & ſtatim ſurgit; quod ſemper obſervent.



(ſ) *Incenſum in thuribulum.* Hic primum thuribuli nomen habetur. Thymiamaterium appellat *Ambroſ. lib.* 4. *de Sacr. cap.* 1. Thymiama ſignificat incenſum; *Canon.* 3. *Apoſt.* meminit *& Damaſ. in vita Soteris, & Silveſtri*: uſumque ad nos ab Hebræis manaſſe docet *Bellar. lib.* 2. *de Miſſ. cap.* 15. Sed nota, ſi quidquam aliud miſceatur cum incenſo, major quantitas ſemper eſſe debet incenſi, ut dicitur *in Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 23. ut incenſum dici queat. Thuribulum autem ſignificat Chriſtum igne Spiritus Sancti plenum, & odore bono. *Amal. lib.* 3. *cap.* 5. *&* 18. Tres catenulæ tres denotant uniones in Chriſto, quibus Divinitas, & humanitas junguntur, ſcilicet unionem carnis ad animam, Divinitatis ad carnem, & ejuſdem ad animam: quarta catenula Deitatis ad compoſitum. *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 17.

(t) *Miniſtrante Diacono naviculam.* Datur illi navicula aperta ſine oſculis a Thuriferario. Navicula vero dicitur, quia formam navis refert. Acerra dicta tit *a Tertulliano Apolog. adverſus Gentil. cap.* 9.

Subdiaconus in hoc caſu ſtat a ſiniſtris Celebrantis.

(u) *Thuriferario thuribulum.* Hoc eſt ſuſtentante Thuriferario anulum majorem manu ſiniſtra, & elevato altero anulo operculi manu dextera, eademque manu complectente catenulas circa medium eorum inter operculum, & thuribulum, flexoque quaſi genu dextero, offerente thuribulum æqualiter elevatum ad naviculæ altitudinem Celebranti.

(x) *Oſculatur cochlear, & manum.* Oſculum rei quæ porrigitur fit ad fidem, & dicitur oſculum Fidei; oſculum vero manus eſt ad venerationem, ait *Hier. in Ruffinum*: utrumque oſculum requirit *Craſſ. lib.* 1. *cap.* 20.

(y) *Ter incenſum ponit, &c.* Manum ſiniſtram pectori admovet Celebrans, & dextera ſumit ter, & immittit ter incenſum in thuribulum de navicula.

(z) *Benedicit.* Non addit *In nomine Patris, &c.* Benedictis vero incenſi eſt aliqua *in Liturgiis S. Baſilii, & S. Chryſoſt.* Apud nos cum manu fit, & loquimur cum incenſo ipſo: *Benedicaris*.

(a) *Dimiſſa navicula.* In manu Thuriferarii, qui ſine oſculis, demiſſo operculo ſtatim tradit thuribulum Diacono.

(b) *Incenſat Altare.* Habetur *in Liturgia S. Jacobi*: tum *Dion. c.* 3. *& Ambr. in Luc. c.* 1. aſtruunt Altaris incenſationem: ſed initio Miſſæ eam faciendam eſſe, & apud quaſdam Eccleſias fuiſſe tunc in uſu, ſcribit *Hugo Vict. de off. Eccl. l.* 2. *c.* 14. Fit autem incenſatio ad repræſentandam gloriam Dei, qui in nebula apparebat; tum ad reverentiam loci, ut malus odor inde pellatur concurrentis Populi; *Bellar. l.* 2. *de Miſſ. c.* 15. tum ad repræſentandum odorem bonum Chriſti, *ex S. Germano in Theoria*, tum Orationem ad Deum dirigendam eſſe, *ex Pſalm.* 140. *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 5. demum ad expellendos etiam dæmones. *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 17.

(c) *Prout diſtribuuntur candelabra.* Non enim incenſantur candelabra. Si pauciora ea ſint, quam ſex, adhuc triplici ductu thuribuli ea pars eſt incenſanda, *ut ſeq. num. dicitur*.

(d) *Mox ſuperiorem &c.* Id eſt ſemel inferiorem, ſemel ſuperiorem, non unamquamque partem ſemel, & iterum.

Nihil in tota hac incenſatione a Celebrante dicitur.

Novæ Obſervationes, & Additiones &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, a fine Confeſſionis, uſque ad primam incenſationem.

XIII. Gavant. lit. q -- *Diaconus ſiniſtra manu, Subdiaconus dextera, albam, &c.*) In Miſſa Solemni Sacerdos facta Confeſſione, & dicto *Oremus* aſcendit, ut in Miſſa Privata, manibus junctis ad Altare, ſubmiſſa voce dicendo: *Aufer a nobis, &c.* Diaconus vero, & Subdiaconus nulla tunc facta genuflexione, aſcendunt pariter cum Celebrante; & aſcendendo hinc inde, albam, & veſtem anteriorem Celebranti elevant, Diaconus ſiniſtra, Subdiaconus vero dextera, utraque inverſa, & altera utriuſque manu infra pectus admota; quod in ſimilibus ſemper faciunt. Lohner *part.* 2. *n.* 3. Bauldry *part.* 1. *c.* 9. *art.* 1. *n.* 13. Hoc modo comitantur Celebrantem ad Altare, ubi dum hic dicit Orationem *Oramus te, Domine*, & oſculatur Altare, illi genuflectunt unico genu, manibus junctis ante pectus, & ſtatim ſurgunt: hoc loco fit genuflexio propter primum acceſſum ad Altare. Statim ac prædicti aſcendunt ad Altare, Clerici ſurgunt omnes, & Cæremoniarius (Clericus quoque de libro, vel Navicularius ſi adſint) necnon Thuriferarius, & ſtant in locis ſuis facie ad Altare converſa.

Thuriferarius vero poſtquam ſurrexit (& Navicularius a ſiniſtris ejus ſi aderit) aſcendit per gradus Epiſtolæ laterales, fere ad medium Altaris ſuper ſuppedaneum; ubi facta genuflexione ſtans a dextris Diaconi ante Celebrantem, naviculam, quam tenet in manu dextra, quæque reſpicere debet pectus ejus ex ea parte, quæ aperiri debet, vel ſemiapertam tradit Diacono dextra, & miniſtrat thuribulum Celebranti, ut ſupra, ſi vero adſit Navicularius, tunc ipſe porrigit naviculam apertam. Ex Bauldry *part.* 1. *cap.* 15. *art.* 3. *num.* 3.

XIV. Gav. lit. r -- *Oſculato Altari, &c.*) Celebrans dicto *Oramus te, Domine* inclinatus de more oſculatur Altare, ut in Miſſa Privata: Miniſtri vero Sacri, ut diximus, faciunt genuflexionem unico genu Cruci, non oſculantes Altare, manibus junctis, nunquam tamen ſuper Altare poſitis, nec ipſum Altare tangentes, & ſtatim a genuflexione ſurgunt.

Celebrans oſculato Altari, ſtans in medio illius convertit fa-



Digitized by Google

ciem ſuam aliquantulum ad partem Epiſtolæ: Subdiaconus ſtat a ſiniſtris Celebrantis, & facie verſa ad Altare; Diaconus vero ad dexteram ejuſdem Celebrantis, & Thuriferarius ad dexteram Diaconi: Cæremoniarius denique ſit in ſuppedaneo poſt Thuriferarium.

XV. Gavant. lit. f -- *Hic primum thuribuli nomen habetur.*) Thuribulum non ſolum Thymiamaterium, ſed etiam Suffitorium dicitur ab Anaſtaſio; & eſt vas ex argento, vel alio metallo artificioſe elaboratum, in quo thura, & alii odores inceduntur in Solemni Oblatione. Prædictum autem thuribulum, juxta uſum Rom. nunc ita efformatur, ut ſit convenientis capacitatis, & a tribus catenulis ſuſtineatur, quæ manubrio in ſummitate innectuntur. Operculum talis vaſis annexam habet quartam, & minorem catenulam, quæ ex minore pendens anulo, & tranſiens per manubrium, in parte ſuprema ipſius operculi terminatur. Manubrio eſt annexus in medio major anulus, & ambo anuli ſint ita capaces, ut in anulum minorem, ſive operculi, digitum anularem, ſe auricularem immittat Thuriferarius; pollicem vero in majorem anulum, ſive vaſis, palma manus dexteræ aperta, & verſa ad Celebrantem: altitudo catenularum ſolet eſſe quatuor circiter palmorum; ut cum ſit incenſatio, ſiniſtra incenſantis manente ad pectus immota, ipſum thuribulum dextera facile duci poſſit. In ſuprema parte operculi habet globum annexum, altitudinis unius pollicis cum medio, in quem ipſa operculi catena deſinit. Auctor libri Pontificalis ſcribit, Sergium feciſſe thymiamaterium, ſeu ſuffitorium, vel thuribulum *aureum magnis cum columnis, & cooperculo, quod ſuſpendit ante Imagines tres aureas B. Petri Apoſtoli, in quo incenſum, & odor ſuavitatis feſtis diebus dum Miſſarum ſolemnia celebrantur omnipotenti Deo opulentius mittitur.* Uſum porro eorum, vel ſimilium vaſorum, in quibus thura, & varii odores adolentur in ſolemni oblatione, ex Apoſtolica traditione, & Moſaicæ Legis exemplo profluxiſſe oſtendit Card. Bona *lib.1. rerum Liturg. cap. 25. n. 9.*

XVI. Gavant. lit. t -- *Miniſtrante Diacono naviculam.*) Interim Diaconus accipit manu dextera naviculam ſemiapertam a Thuriferario, vel a Naviculario ſi aderit, de manu pariter dextera ipſius ſine oſculo porrigentis, ut docet Gavantus ſupra. Diaconus igitur ſtatim ſiniſtra manu ad naviculam tenens, ita ſe vertit ad Celebrantem a dexteris ejuſdem cum eadem navicula, ut pars ejus aperta reſpiciat Celebrantem ipſum. Bauld. *part. 2. cap. 9. art. 2.* nomine autem naviculæ intelligitur parvulum quoddam vas, in quo aſſervatur thus boni odoris, quod poſtea ex eo extractum in thuribulum immittitur. Eſt pariter navicula ex eodem metallo, quo thuribulum, & debet continere parvulum cochlear, quo utimur ad extrahendum thus ab illa. Sic autem dicitur, quia ad inſtar parvæ navis formari ſolet, ut notat etiam Gavantus: ejus ſynonyma ſunt Acerra, Hannapus, Incenſorium, Pyxis; de quibus vide Macrium in ſuo Hierolexico.

XVII. Gavant. lit. u -- *Thuriferario thuribulum.*) Thuriferarius inclinatus miniſtrat thuribulum Celebranti hoc modo: manu ſiniſtra teneat ſuperiorem anulum thuribuli; manu vero dextera in parte inferiori teneat thuribulum apertum elevatum, complectendo catenulas circa medium earum inter operculum, & thuribulum, quod elevatum æqualiter ad naviculæ altitudinem ſuſtinet, illudque ſic elevatum offert Celebranti; ut commode idem Celebrans ex navicula incenſum in thuribulum immittere poſſit, & ne ſe inclinare cogatur. Caſtaldus *lib. 2. ſect. 2.* & Bauldry *part. 2. cap. 9. art. 5. n. 4.*

XVIII. Gavant. ead. lit. u -- *Flexoque quaſi genu dextero.*) Ut apte Thuriferarius poſſit porrigere thuribulum Celebranti modo mox expoſito, tradit Gavantus, quod debeat eſſe non ſolum inclinatus, ſed etiam ſemiflexus. Gavanti ſententiam amplectuntur etiam Solarius *in Cæremon. Minimorum part. 3. cap. 4.* Arnaudus necnon Corſettus *part. 1. c. 10. n. 1.* Bauld. *part. 1. c. 14. art. 15. n. 4.* denique Cæremonialia Minorum Obſervantium, & Conventualium. Verum Andras Guerrerus *in declaratione Rubricarum tract. 2. c. 1.* & Cæremonialia Canonicor. Regularium *c. 21.* Camaldulenſium *lib. 1. cap. 20.* Carmelitarum *lib. 2. Rub. 15.* diſponunt, quod Thuriferarius non ſemiflexus, ſed omnino ſtans, inclinato tamen capite, porrigere debet thuribulum Celebranti. Hanc ſententiam pariter tenent noſter Maggius *de officio Chori c. 3. diſquiſit. 52.* necnon Hippolytus a Portu ſupracit. *n. 6.* hac ratione moti, quia thuriferarius flexo quaſi genu ſtans, non poteſt firmus quieſcere, quin hinc inde nutans thuribulum dimoveat; adeoque ob commoditatem potius Celebrantis, quam ipſius Thuriferarii a prædictis omnibus præſcribitur hic Ritus ſtandi in Thuriferario dum porrigit Celebranti thuribulum. Advertendum tamen eſt, quod ſi Thuriferarius miniſtraret Epiſcopo, tunc deberet profecto ei genuflectere, dum thus in thuribulum imponit. Bauldry *part. 5. cap. 15. art. 1. n. 5.*

XIX. Gavant. lit. x -- *Oſculatur cochlear, & manum.*) Diaconus in prædicta circumſtantia parum inclinatus verſus Celebrantem, accepta de manu Navicularii, (ſi aderit) vel Thuriferarii, navicula ſiniſtra manu, eam tenens convertit ſe ad Celebrantem, & partem ejuſdem naviculæ apertam ei, ut mox diximus, exhibet; ſtatimque accipiens cochlear vacuum manu ſua dextera circa partem inferiorem manubrii prope vas ejuſdem cochlearis, oſculatur in manubrii ſummitate, & tradit Celebranti, cujus manum dexteram in exteriori parte, non digitos oſculatur. Deinde verſus eum inclinans dicit. *Benedicite Pater Reverende* voce intelligibili, ſed non alta; ſed ſi Celebrans eſt Epiſcopus, dicit *Pater Reverendiſſime,* ex *Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 23.* Nonnulla Cæremonialia Regularium relata a noſtro Franciſco Maggio in libro de officio Chori *opuſc. 3. diſquiſit. 13.* præſcribunt etiam Abbatibus, Generalibus, ſeu Præpoſitis pariter Generalibus in tali circumſtantia pariter debere dici a Diacono: *Benedicite Pater Reverendiſſime.*

XX. Gavant. lit. y -- *Manum ſiniſtram pectori admovet Celebrans.*) Accepto cochleari a Diacono, ſiniſtram tenens infra pectus poſitam, ter e navicula thus ſumit eodem cochleari, & ter in thuribulum immittit Celebrans: tunc vero Diaconus tenet naviculam ambabus manibus inter pollices, & indices deſuper a lateribus ipſius. Caſtald. *lib. 2. ſect. 2. cap. 2. n. 5.*

XXI. Gav. lit. z -- *Et loquitur cum incenſo ipſo: Benedicaris.*) Dum immittit Celebrans incenſum in thuribulum, tribus locis diſtinctis, ſcilicet in medio, a dexteris, & a ſiniſtris, illud benedicit, dicens quaſi cum eo loquens: *Ab illo benedicaris: In cujus honore cremaberis. Amen:* Verba autem prædicta ſic diſpenſare debet, videlicet, ut in prima thuris immiſſione dicat: *Ab illo benedicaris:* in ſecunda: *In cujus honore;* in tertia: *Cremaberis. Amen:* Lohner *part. 2. tit. 8. n. 2.* Tonellius *lib. 3. cap. 2. §. 2. n. 14.* Bauld. *part. 2. cap. 9. art. 2.* Caſtald. *lib. 2. ſect. 2. cap. 2. n. 5.* & alii Rubriciſtæ: ac ſtatim reddit Diacono cochlear, & deinde dextera manu producat ſignum Crucis ſuper thus poſitum in thuribulo, nihil dicens. Prædicta vero formula benedicendi Thus, nimirum: *Ab illo benedicaris, &c.* ſemper utetur Celebrans quoties benedicit incenſum, præterquam, cum eſt thurificaturus oblata; tunc enim adhibebit aliam formulam, ut videbimus. Advertendum hic ſupereſt, ut ſupra diximus, quod Subdiaconus toto tempore, quo prædicto modo miniſtratur incenſum, ſtare debet a ſiniſtris Celebrantis, ſed aliquantulum poſt eum, & facie aliquantulum verſa ad Altare.

XXII. Gavant. lit. a -- *Dimiſſa navicula, &c.*) Thure impoſito, & benedicto, ut ſupra, Diaconus recipit manu dextera cochlear a Celebrante, ſumens illud ab inferiore parte manubrii (oſculata prius dextera Celebrantis) ipſumque cochlear oſculatur in ſummitate manubrii, & ſtatim illud reponit in navicula, quam etiam claudit. Bauld. *part. 1. cap. 12. n. 14. & cap. 9. ſupra.* Interim vero Sacerdos ſtatim poſt reſtitutum cochlear Diacono, producit, ut diximus, manu dextera ſignum Crucis ſuper thuribulum nihil dicens; ut adnotat etiam Gavantus hoc loco. Mox Diaconus thuribulum clauſum a Thuriferario accipit manu dextera; & eidem Thuriferario reddit naviculam, quam ſiniſtra recipit; & porrigit thuribulum clauſum Diacono ſic: thuribuli ſummitatem teneat manu dextra, & extremitatem catenularum manu ſiniſtra prope vas ipſius thuribuli: porrigat autem ſic: catenularum ſummitatem ponat in dexteram Diaconi, & catenularum extremitatem prope vas in ſiniſtra Diaconi, ſine oſculis. Ut autem hoc faciat Thuriferarius, debet non habere naviculam in manu; unde vel illam det alicui Acolyto, vel thuribulum ſola manu dextera porrigat Diacono per catenularum ſummitatem. Si vero adſit Navicularius, tunc Diaconus ei reddet naviculam, & Thuriferarius porriget thuribulum primo modo ſupradicto.

Diaconus vero porrigit thuribulum Celebranti ſic: ſummitatem catenularum ponat in ſiniſtra Celebrantis, prius talem ſummitatem oſculando; catenularum extremitatem prope vas ponat in ejuſdem dextera, quam pariter oſculatur, ſed in parte exteriori; & dum Celebrans manu dextra accipit thuribulum, Diaconus manu ſiniſtra, quaſi ſuſtentet dexteram Celebrantis: ſic ſemper thuribulum exhibetur quando in illam tantum manum, cui offertur, tranſire debet. Hæc colliguntur *ex Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 23. §. 4.* Caſtaldo *lib. 2. ſect. 2.* Bauldry, Biſſo, Lohner, Corſetto, Benvenuti, & aliis.

XXIII. Gavant. lit. b -- *Incenſat Altare. Habetur in Liturgia S. Jacobi, &c.*) Hic ante omnia innuit Gavant. antiquiſſimum uſum incenſandi Altare. Aliqua addenda eſſent ſuper antiquitate, & variis modis, tum antiquis, tum recentibus hujus Eccleſiaſticæ Cæremoniæ; ſed ne nimius ſim, ſat erit innuere Ordinem Romanum primum, inter editos a Mabillon. *pag. 8.* Ordinem ſecundum *pag. 43.* Ordinem tertium *pag. 55.* & Amalar. *lib. 1. c. 5.* prædictæ Cæremoniæ ſpecialem mentionem facere. Qui plura ſcire deſiderat de origine, antiquitate, & variis uſibus hujus Sacri Ritus, legat etiam ea, quæ tradunt Card. Bona *lib. 1. cap. 25. n. 9.* Le Brun *tom. 1. part. 1. art. 9.* Bellotte *in ſuis obſerv. pag. 495. & ſeqq.* Duranti *de Rit. Eccl. lib. 1. c. 9.* necnon de Vert. *tom. 4. adnot. 11. pag. 49. & ſeqq.* qui fuſe omnes, & erudite diſſerunt de hac Cæremonia.

XXIV. Gavant. ead. lit. b -- *Incenſat Altare.*) Poſtquam Celebrans thuribulum a Diacono recepit ut ſupra, genuflectent Thuriferarius, ac Cæremoniarius e ſuis locis inde deſcendentes, in planum ſe conferunt in cornu Epiſtolæ (depoſita prius a Thuriferario navicula) & converſi ambo ad cornu Evangelii expectent ibi finem thurificationis. Eodem tempore Navicularius, ſi aderit, vel Clericus ſerviens de Libro (aliter ſupradictus Cæremoniarius, vel ipſe Thuriferarius) accedit per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ: ubi facta genuflexione Cruci, amovet cuſſinum cum Miſſale de Altari (dummodo adhuc non ſit ſuper credentia) & iterum facta debita reverentia Cruci, deſcendit extra gradus, & ibi utrumque ſuſtinet ambabus manibus ante pectus prope cornu Epiſtolæ, facie verſa ad Altare, donec thuri-

ficatio

Digitized by Google

ficatio menſæ Altaris in eodem cornu ſit completa : mox reponet dictum cuſſinum, deinde genuflectet, & revertetur ad eundem locum, ubi ſtabit iterum, donec finita ſit totius Altaris thurificatio: Bauldry *part. 1. c. 1. art. 1. num. 21.* Quarti *part. 2. tit. 4. Rubr. 4. n. 2.* amovetur autem liber cum ſuo cuſſino, ne ſit impedimento Celebranti in thurificatione. Quarti *ſupra*. Si vero juxta aliquorum morem adhuc cuſſinus, & Miſſale ſint ſupra credentia; tunc ea non removentur, & non collocantur ſuper Altare, niſi incenſatio Altaris ex illa parte completa ſit.

Dum ſuperius dicta peraguntur, Celebrans recepto, ut ſupra, a Diacono thuribulo, ſiniſtram, qua ſummitatem catenularum juxta manubrium complectitur, admovens infra pectus, eamque immobilem tenens in tota incenſatione, dextera vero eaſdem catenulas ſimul junctas prope operculum firmas tenens, medius inter Miniſtros Sacros vertit ſe ad Altare, & facit Cruci profundam inclinationem, etiam ſi eſſet in ea veræ Crucis particula. Bauld. *part. 2. c. 9. art. 2. & 3. n. 5.* Biſſus *lit. S. n. 72. §. 4.* Miniſtri vero Sacri, ac primus Cæremoniarius, ſi aderit, ſemper genuflectunt Cruci, comitantes Celebrantem, licet ipſe eidem tantum ſe incliuet. Bauld. *part. 1. c. 12. art. 1. n. 15. & cap. 13. art. 1. n. 7.* de Brallon *in Cærem. Canonic. part. 2. c. 3. n. 9.*

Facta Cruci inclinatione Celebrans ter æquali ductu incenſat Crucem, nihil dicens, poſt unamquamque incenſationem tantillum quieſcens, ita ut diſtinguatur eas incenſationes eſſe tres; quibus finitis iterum Cruci profunde inclinat, genuflectentibus Miniſtris Sacris, ac Cæremoniario, ut ſupra. Cum Celebrans incipit Crucem incenſare, vel ſtatim ac primam exhibuit Cruci inclinationem, Diaconus manu ſiniſtra planetæ partem circa humeros Celebrantis paululum elevat, manu dextera infra pectus poſita. Item Subdiaconus manu dextera poſteriorem partem planetæ ſimiliter elevat, ſiniſtra pectori admota; ſic ambo comitantur in tota incenſatione Celebrantem, aliquantulum ab eo remoti.

XXV. Gavant. lit. c -- *Prout diſtribuuntur candelabra.*) Poſtea Celebrans incenſat Altare incipiens a latere Epiſtolæ; & faciem ad illud convertens, ter ducit thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra, incipiens a parte proximiori Cruci, recta linea, ter incenſat uſque ad terminum illius cornu Epiſtolæ; & advertat Celebrans has tres incenſationes eſſe faciendas, etiamſi non eſſent tria candelabra, ſed pauciora, vel plura: non enim incenſantur candelabra, ſed pars poſterior menſæ Altaris. Gavant. *ſupr.* Biſſus *ſupr. n. 5.* Horatius Chriſtiani *ſect. 2. c. 10 n. 27.* Quarti, Arnaud. & alii communiter. Interim tot paſſus promovendi ſunt, quot thuribuli tractus; quod ſemper faciendum erit juxta motum incenſationis, ut manus cum pede, quantum fieri poteſt, concordet; & in quolibet paſſu præmovetur pes, qui eſt proximior Altari. Corſettus *tr. 1. part. 2. c. 14. n. 4.* Caſtald. *l. 2. ſect. 2. c. 2. n. 8.* Bauld. *part. 2. c. 9. art. 2. n. 5.* Biſſus *ſupra loc. cit.*

XXVI. Gavant. lit. d -- *Mox ſuperiorem, &c. Id eſt ſemel inferiorem, &c.*) Cum ad cornu Epiſtolę pervenerit, & compleverit tertiam incenſationem, Celebrans ſtans ibi aliquantulum inclinat ſe, & demiſſa manu cum thuribulo, ſemel incenſat inferiorem partem lateralem Altaris, deinde ſuperiorem, bis ducendo thuribulum, ſemel in parte inferiori, ac iterum ſemel in ſuperiori: mox converſus ad Altare, & faciem ad medium vertens elevat manum, & incenſat in ſuperiori parte planitiem anteriorem Altaris circa oram ducens thuribulum obliqua linea, velut ſemicirculum a dextra ſua ad ſiniſtram, & æquali diſtantia, tertia vice, ac procedendo ad medium Altaris, ut prius, tot paſſus faciens, quot incenſationes. *Cærem. Epiſc. l. 1. c. 23. §. 5.* Deinde perveniens ad medium Altaris, ibi profundam faciat reverentiam Cruci, genuflectentibus Miniſtris Sacris, & Cæremoniario, ut ſupra; ac poſteriorem Altaris planitiem incipit thurificare a latere Evangelii, ter ducens thuribulum, prout diſtribuuntur candelabra, incipiens a parte proximiore Cruci, recta linea, ſicut ſupra dictum eſt de parte Epiſtolę; ter interim ducens thuribulum in æquali diſtantia, eo modo, quo a latere Epiſtolæ: tum parum inclinans, incenſat ſemel inferiorem, & ſemel etiam ſuperiorem partem lateralem ipſius cornu Evangelii; deinde ſtans, elevans thuribulum, nec ultra progrediens, incenſat planitiem anteriorem, ſeu menſam in cornu Evangelii: ducens thuribulum quaſi in ſemicirculum, ut ad cornu Epiſtolæ, ſed cum hoc diſcrimine, quod in parte Epiſtolæ ducit thuribulum a ſua dextera ad ſiniſtram, in cornu vero Evangelii ducendum eſt a ſiniſtra, ad dexteram: nec ibi fit ulla reverentia, quia nunquam tunc accedit uſque ad medium, ſed ſtatim quaſi retrogreditur ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulum demiſſa, incenſat partem illius anteriorem ſeu frontem ter ducens recta linea thuribulum a cornu Evangelii, uſque ad medium Altaris, ad quod iterum progreditur. Perveniens ad medium profunde inclinat Cruci, & pariter incenſat triplici ductu alteram partem anteriorem Altaris, ſeu Menſæ a medio uſque ad cornu Epiſtolæ; ubi finita incenſatione reddit utraque manu thuribulum Diacono ſtanti in ſecundo gradu, qui illud accipit utraque manu; & convertens Celebrans faciem ad ipſum Diaconum, & ibidem ſtans junctis manibus ante pectus, & ſiniſtro brachio quaſi tangens frontem Altaris, incenſatur ab eodem Diacono, cui ſe nullatenus inclinat nec ante, nec poſt incenſationem.

RUBRICA.

5 *Si vero in Altari fuerint (e) Reliquiæ, ſeu imagines Sanctorum, incenſata Cruce, & facta ei reverentia, antequam diſcedat a medio Altaris, primum incenſat eas quæ a dextris ſunt, id eſt a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum: & iterum facta Cruci reverentia ſimiliter incenſat bis alias, quæ ſunt a ſiniſtris, hoc eſt a parte Epiſtolæ: deinde proſequitur incenſationem Altaris, ut ſupra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamſi in eo eſſent plures Reliquiæ, vel imagines, ſeu etiam plura, vel pauciora candelabra.*

*GAVANTUS*

(e) *Reliquiæ*. Reliquiis, ſeu imaginibus, id eſt ſtatuis Sanctorum, (non pictis imaginibus in pariete) fit reverentia cum thure hoc loco; tamen iiſdem non inclinat caput Celebrans, ad differentiam Crucis, cui inclinare debet, ea ratione, qua abſtinemus a genuflexione, quæ fit, v. g. Epiſcopo proprio, ſi coram eo ſit Cardinalis, aut Papa. * Et hic Ritus ſervatur Romæ, ne ſcilicet fiant immediate tres capitis inclinationes, ut attente conſideranti patet. Approbat incenſationem imaginum Sanctorum *Synod. 7. Act. 4.* ergo multo magis Reliquiarum, & *S. Baſilio teſte*, hoc ipſum, quod erga conſervos bonos honor, erga ipſum Dominum commune benevolentiæ ſignum exhibetur. Honor autem & cultus Reliquiarum habetur *l. 6. Conſtit. Apoſt. cap. 30.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis ſervando in Reliquiarum incenſatione, ſi adſint in Altari.

XXVII. Gavant. lit. e -- *Reliquiis, ſeu imaginibus, id eſt ſtatuis Sanctorum, &c.*) Si in Altari fuerint Reliquiæ, ſeu imagines Sanctorum, quæ imagines debent eſſe inter candelabra, & ſculptæ, non autem in parietibus depictæ, ut obſervat Gavantus ſupra, & quidem diverſæ ab illis, quæ aliquando in tabulis depinguntur, aut circa Tabernaculum diſponuntur. Bauldry *part. 2. c. 9. art. 2. n. 11.* Quare illa particula *ſeu* explicat idem, nempe incenſandas eſſe Reliquias, ſive ſint in vaſis, ſive repoſitæ in ſtatuis, & imaginibus Sanctorum. Quarti *part. 2. tit. 4. Rubr. 5.* & quamvis incenſationem imaginum Sanctorum approbet Synodus *7. Act. 4.* relata a Gavanto; nihilominus ſuperior Rubrica peculiarem rationem habet Reliquiarum, quæ magis intrinſece pertinent ad Sanctos, quorum ſunt Reliquiæ: unde aliæ imagines ſine Reliquiis non ſunt incenſandæ in hac Miſſæ circumſtantia. Quarti *ſupra*.

Incenſata Cruce a Celebrante, & facta eidem Cruci profunda reverentia (Miniſtris vero Sacris, & primo Cæremoniario genuflectentibus ſemper, ut ſuperius diximus) antequam diſcedat a medio Altaris, ſi in medio ejuſdem Altaris ſit expoſita aliqua inſignis Reliquia, ut caput, aut brachium alicujus Sancti, immediate poſt Crucem duplici ductu incenſari debet abſque ulla inclinatione, vel reverentia ob Crucis præſentiam; Nicolaus de Brallon in Cærem. Canon. *part. 1. c. 1. de Veſper. n. 30.* cui ſolum profunde inclinare debet, utpote Chriſtum Dominum repræſentanti, quemadmodum abſtinemus a genuflexione, quæ fit v. g. Epiſcopo proprio ad præſentiam alicujus Card. Legati. Gavantus, Quarti *ſupra*, & alii.

Incenſata ſupradicta Reliquia inſigni in medio Altaris, ſi quę erit, abſque ulla capitis inclinatione, ut ſupra, Celebrans ſtans ibidem, antequam diſcedat a medio, primum incenſabit eas, quæ ſunt a dexteris, id eſt a parte Evangelii, incipiendo ab iis, quę ſunt Cruci, ſeu Tabernaculo proximiores, bis tantummodo ducens thuribulum, quamvis plures, vel pauciores fuerint Reliquiæ, aut ſtatuę, Cęrem. Epiſc. *ſupra*: nec illis inclinabit ullo modo ante, vel poſt thurificationem; & facta deinde iterum profunda inclinatione Cruci, ſimili Ritu his incenſabit alias reliquias, quę ſunt a ſiniſtris, ſeu a latere Epiſtolæ; & tandem procedat abſque nova inclinatione ad incenſandum Altare, ut ſupra expoſuimus.

Cæterum in actu thurificationis Celebrans (& Diaconus & alius quilibet proportionaliter) graviter ſe gerat, modeſte, & ſine properatione; non perſonam, non caput ullo modo moveat cum ducit, aut reducit thuribulum; quod cum movet ad ſe trahens cum brachio leviter, & competenti mora reducit, manum ſiniſtram immobiliter pectori admotam ſemper retinet; dum procedit thurificando Altare, prius pedem Altari proximiorem movet; & tot facit omnino paſſus, quot thuribuli tractus, ut jam diximus ſupra ſuo loc. Cærem. Epiſc. *l. 1. c. 23. §. 8.* Caſtald. *l. 2. ſect. 2. c. 2.* Bauldry *part. 2. c. 9. n. 17.* Biſſus *lit. S. §. 9. n. 72.*

Sed ut omnis Sacerdos facilius percipiat modum & ordinem incenſationis, necnon loca, quæ in Altari thurificari debent, & numerum incenſationum, ſicut mox declaravimus; ſequentem tabulam ſimilem ei, quam præclariſſimus Gavantus in ſecunda editione ſui Theſauri impreſſi Romæ Anno 1630. exhibuit, etiam nobis placuit hoc loco apponere.

## TABVLA PRIMA

*In qua continetur Ordo incenſandi Altare tam in Veſperis quam in Miſſa.*



Quando in Altari non sunt Reliquiæ incensata Cruce in medio, Celebrans prosequitur incensationem per num 8. et cœteros omissis numeris 4.5.6.et 7.

### R U B R I C A.

6 *Si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incenſationem,* (f) *genuflectit; quod item facit,* (g) *quotieſcumque tranſit ante medium Altaris.*

### G A V A N T U S.

(f) *Genuflectit.* Ob præſentiam SS. Sacramenti, quamvis lateat; & eo caſu non inclinat caput Cruci, quam incenſat. Adorat igitur, quod latet, & patet, Sacramentum, & Crucem; incenſat, quod manifeſte patet, id eſt Crucem. Antitypa Corporis Chriſti, id eſt Symbola vocat Euchariſtiam *Clem, lib. 6. Conſtit. cap. 26,*

(g) *Quotieſcumque tranſit.* Accidit tranſire ante medium Altaris in incenſatione bis; & textus loquitur tantum de incenſatione Altaris, non de alio tranſitu in Miſſa.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis ſervando quando reperitur Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo incluſum.

XXVIII. Gav. lit. f -- *Genuflectit ad præſentiam Sanctiſſimi Sacramenti.*) Si in Altare, quod incenſatur, ſit Sacramentum in Tabernaculo incluſum, debet ſervari regula a Gavanto ſupra deſcripta, nimirum non inclinat tunc Celebrans caput Cruci, quam incenſare debet; ſed accepto thuribulo a Diacono, antequam incenſationem incipiat, genuflectit ponens extremitatem manuum ſuper Altare, ut facilius genuflectere, & etiam ſurgere poſſit. Biſſus *ſupra* §. 4. & Benvenuti *pagina* 15. Dixi non debere tunc inclinare Cruci contra aliquos imperitos, qui male, ut advertit Tonellius, poſt genuflexionem Sacramento factam, aliam reverentiam Cruci præſtant. Biſſus *liter. S. n.* 20. §. 5. Incenſata autem Cruce iterum Sacramento genuflectit, quamvis in Tabernaculo incluſo, cum Miniſtris ut ſupra.

Advertimus hoc loco cum Gavanto *ſupra*, Quarti, Corſetto, & aliis, quod Sacerdos ſua genuflexione adorat quidem Sacramentum, ſi clauſum intra Ciborium adſit, ſed non thurificat niſi Crucem: adorat enim, quod latet, & patet, Sacramentum, & Crucem, ſed incenſat id ſolum, quod manifeſte patet, nempe Crucem. Ramerius tamen in Rituali Cœleſtinorum *lib. 3. cap. 2.* ſic loquitur: *Sacerdos thurificans Altare, primo Crucem adolere debet incenſando ante, & poſt genuflectendo; quia quod non videt adorat, & quod videt thurificat. Sed quando eſt expoſitum SS. Sacramentum extra Ciborium, illud ſimul adorat, & incenſat genuflexus, non autem Crucem.*

XXIX. Gavant. lit. g -- *Quotieſcumque tranſit.*) Item genuflectit Celebrans unico genu cum Miniſtris, quoties dum incenſat Altare tranſit ante illius medium, quod bis occurrit, nempe finita incenſatione planitiei Altaris in cornu Epiſtolæ, & finita incenſatione frontis eiſdem Altaris in cornu Evangelii, Biſſus *lit. S. n.* 72. §. 14. & Gavant. *ſupra*, qui optime adnotat, hanc genuflexionem eſſe a Rubrica præſcriptam ſolummodo, quando fit tranſitus ad incenſandum Altare; non vero quando fit alius tranſitus a Celebrante in Miſſa, niſi tamen adſit Venerabile expoſitum, Bauldry *part. 3. cap. 11. art. 4. n.* 20. & Vinitor *in Compendio part. 4. tit. 3. in adnot.* §. 20. Rurſus advertimus hoc loco, quod ſi non adſit Sacramentum in Altari, Canonici Eccleſiæ Cathedralir, licet ſint in officio Diaconi, vel Subdiaconi, nunquam Cruci genufectere tenentur, ſed ſolum prout Celebrans profunde inclinare. Bauldry *part. 2. cap. 9. art. 2. n.* 10.

### R U B R I C A.

7 *Diaconus, & Subdiaconus hinc inde* (h) *aſſiſtunt Celebranti, dum incenſat; & cum tranſeunt ante Crucem, ſemper genuflectunt, Deinde Celebrans, Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Diaconi ſtantibus in cornu Epiſtolæ,* (i) *legit Introitum, & Kyrie eleiſon. Cum vero intonat Hymnum, Gloria in excelſis Deo, Diaconus, & Subdiaconus,* (l) *unus poſt alium, ſtant a tergo Celebrantis; poſtea* (m) *aſcendunt Altare, & hinc inde Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris cum Celebrante Hymnum ſubmiſſa voce* (n) *proſequuntur uſque ad finem; quod etiam ſervatur cum dicitur Credo; & cum dicitur Dominus vobiſcum, Oratio, Præfatio, & Pater noſter, Diaconus, & Subdiaconus, ſimiliter ſtant unus poſt alterum a tergo Celebrantis.*

### G A V A N T U S.

(h) *Aſſiſtunt celebranti.* Miniſtri inſerviunt hinc inde elevando planetæ eam partem, quæ eſt circa brachia Celebrantis, ut non impediantur, altera eorum manu pectori interim admota.

Diaconus accipiendo thuribulum a Celebrante oſculatur primo manum ejus, tum catenularum ſummitatem; eumque incenſat cum inclinatione ſemper profunda capitis ante, & poſt; cui Celebrans nec modicum quidem caput inclinat.

Librum amovet de Altari Thuriferarius, ſi abeſt Cæremoniarius,

rius, & reſtituit ſtatim, quando nimirum incenſandum eſt cornu Epiſtolæ, ſeu Evangelii, tempore incenſationis hujus, & oblatorum infra. * Quod ſi adſit Aſſiſtens pluviali indutus, ejuſdem erit amovere librum. *Cæremon. Epiſcop. lib. 1. cap. 7.*

Subdiaconus autem ad incenſationem Celebrantis a Diacono, ſiſtit ſe contra cornu Epiſtolæ, neque cum Diacono caput inclinat Celebranti.

Finita incenſatione redit in Sacriſtiam Thuriferarius, qui propterea non habet locum ſtabilem in Presbyterio.

(i) *Legit Introitum*. Solus Celebrans legit, non Miniſtri; qui tamen reſpondent, & dicunt cum eo novies *Kyrie*, & *Chriſte eleiſon* in eodem cornu Epiſtolæ uſque ad nonum.

(l) *Unus poſt alium*. Diaconus ſuper ſecundum gradum, Subdiaconus in plano Capellæ ſe locant, formantes rectam lineam, tamquam ſervi poſt dominum.

(m) *Aſcendunt ad Altare*. Facta in medio tantum, ubi ſunt, prius genuflexione, non alia iterum ad Altare.

(n) *Proſequuntur uſque ad finem*. Caput inclinant Miniſtri cum Celebrante, & ſignant ſe in fine. Si ſedendum erit, parato ſcamno oblongo, & decenter veſtito a latere Epiſtolæ in plano Capellæ, poſtquam Celebrans dixerit ſecreto Hymnum Angelicum, facta Cruci a Celebrante inclinatione, ſeu genuflexione (ſi in Altari fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti) & a Miniſtris ſemper genuflexione, deſcendunt unus poſt alium per breviorem viam a latere Epiſtolæ ad ſedem paratam, in qua ſedent cooperto capite; quod tamen aperiunt cum inclinatione ad verba ſupra notata Hymni, dum cantantur a Choro. * In fine vero non ſe ſignant rurſus ſigno Crucis; quæ omnia & in Symbolo ſunt obſervanda.

Sedet Celebrans medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris; ſtant Acolythi regulariter apud credentiam.

Reverſuri vero ad Altare, dimiſſis birretis, procedunt unus poſt alium per planum Capellæ; facta in medio reverentia Altari, ut ſupra, aſcendunt quiſque ad locum ſuum, uno remanente poſt alium.

Si vero ſedendum non ſit, quod maxime decet coram Sacramento in Altari expoſito, ſtabunt apud Altare quaſi pares ex communiori uſu Romano, a principio uſque ad finem dicti Hymni cantati a Choro, & inclinabunt, ut ſupra dictum eſt; finitoque Hymno, facta a Miniſtris genuflexione ibidem, deſcendunt ad gradus ſuos, ut unus ſtet poſt alium,

Habes in fine hujus Rubricæ quoties Miniſtri ſtare debent unus poſt alium in Miſſa, id eſt novies: ergo non in aliis caſibus, quam hoc loco præſcriptis, & nunquam extra Miſſam.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, a thurificatione Diaconi faciendæ Celebranti, uſque ad initium Orationum.

XXX. Gavant. lit. h -- *Diaconus accipiendo thuribulum a Celebrante.*) Terminata Altaris incenſatione, Diaconus recipit a Celebrante thuribulum hoc modo: ſtans in ſecundo gradu Altaris, ſupponit ambas manus dexteræ Celebrantis, quam parumper quaſi ſublevans oſculatur in exteriori parte: tum ſua dextera accipit thuribulum per inferiorem partem catenularum juxta vas thuribuli, ſeu manum dexteram Celebrantis; ſiniſtra vero complectitur manubrium infra alteram ejuſdem Celebrantis manum, illudque ſtatim oſculatur; & recedens in planum a latere Epiſtolæ (abſque eo quod Altari terga vertat) ac ibidem ſtans cum Subdiacono, ante infimum gradum, a ſiniſtris ſuis aſſiſtente, manibus junctis, & ante primum Cæremoniarium, triplici ductu Celebrantem thurificat cum profunda inclinatione ante, & poſt, tenens interim ſiniſtra quidem admota pectori, & clauſa ſummitatem catenularum; dextera vero eaſdem catenulas juxta vas thuribuli. Subdiaconus in tali circumſtantia, ſemper erectus manet in loco ſupradicto nullam faciendo reverentiam; quam tamen exhibere debet Cæremoniarius ante, & poſt prædictam incenſationem, eo modo quo Diaconus ſe inclinat Celebranti. Quod Subdiaconus ad prædictam incenſationem ſiſtat ſe in plano Capellæ contra cornu Epiſtolæ, eſt ſententia Gavanti, necnon Biſſi *lit. S. n. 196.* §. 1. Bauldry *part. 1. cap. 13. art. 1. n.* 8. Nicolai de Brailon *part. 2. cap. 4. n.* 11. contra Caſtaldum, & alios opinantes Subdiaconum tunc ſtare debere poſt Celebrantem, dum hic a Diacono incenſatur.

XXXI. Gavant. ead. lit. h -- *Finita incenſatione.*) Incenſato Celebrante Diaconus thuribulum ambabus manibus, prout habet, reddit Thuriferario ſtanti quaſi a dexteris ipſius aliquantulum retro; Bauldry *part. 1. capit. 12. art. 1. num.* 16. Biſſus *lit. S. num.* 72. §. 10. qui illud recipit abſque oſculis, manum dexteram admovens ad manubrium, aut ad ipſius anulum, ſi manubrium retineatur a Diacono: deinde Celebranti reverenter inclinans, recedit ad deponendos carbones in vaſe deputato, in Sacriſtia exiſtente, vel in alio loco congruo: Gavantus *ſupra*, Bauldry *pars. 1. capit. 15. art. 3. num.* 5. deinde *redit*, & collocat thuribulum ſine igne in cornu anteriori credentiæ verſus Altare; vel ſi ex eo non extraxerit ignem, illud in alio loco decenti ponit, & ſe ad ſuum locum confert. A Portu de Miſſa Solemni *tit. 4. Rubr. 4. in ſuis adnot. num.* 27. Sub eadem liter. h docet Gavant. id, quod ſupra jam expoſuimus, nimirum Sacros Miniſtros in incenſatione elevare debere eam planetæ partem, quæ eſt circa brachia Celebrantis, &c. Et deinde admonet Thuriferarium, abſente Cæremoniario, debere tempore hujus incenſationis, & oblatorum infra, removere librum ad Altari, ne impediatur incenſatio, & debere illum cum cuſſino reſtituere ſtatim, nimirum quando eſt incenſatum cornu Epiſtolæ, ſeu Evangelii, de qua re jam nos ſatis ſupra locuti ſumus; & ſolum hic addimus eſſe uſum aliquarum Eccleſiarum, non ponere ſtatim Miſſale cum cuſſino ſuper Altare, ſed ſuper credentia; a qua non amovetur, nec transfertur ſuper Altare, niſi peracta omnino hac prima Altaris incenſatione.

XXXII. Gavant. lit. i -- *Solus Celebrans legit.*) Terminata incenſatione, Celebrans ſtat in cornu Epiſtolæ junctis manibus, prout in Miſſa Privata; ſed habens ad ſuam dexteram in ſecundo gradu Diaconum, & ad dexteram Diaconi Subdiaconum in recta linea utrumque manibus junctis, primo Cæremoniario ſtante prope angulum poſteriorem Altaris verſus ipſum Celebrantem, legit Introitum ſolus prædictus Celebrans ſubmiſſa voce; quæ omnia colliguntur partim ex ſuperiori Rubrica, partim ex Gavanto *ſupra*, alia vero ex Bauldry, Biſſo, Caſtaldo, Lohner, & Corſetto. Dicitur autem ſemper Introitus, præterquam in Sabbato Sancto, ut ſuperius etiam adnotavimus; ſicut omittitur pariter in Miſſa Solemni, Sabbato Vigiliæ Pentecoſtes. Miniſtri, dum Celebrans legit Introitum, ſe ſignent ſicut ipſe, & caput de more inclinent prout facit etiam Celebrans, quando aliter non præſcribitur in Ordine Miſſæ; Lohner *part. 3. tit. 2. num.* 8. & *tit. 3. num.* 4. Bauldry *part. 3. cap. 11. art. 5. num.* 1. Biſſus *lit. C. num.* 199. §. 11. quod facit & Cæremoniarius primus ſimul cum aliis. Bauldry *part. 1. cap. 1. art. 1. num.* 23. Dicto introitu, Celebrans cum Miniſtris in eodem cornu Epiſtolæ dicit novies *Kyrie*, *Chriſte*, &c. ſubmiſſa adhuc voce; *Cæremon. Epiſcop. lib. 2. cap.* 8. §. 36. Gavantus *ſupra*; & omnes Rubriciſtæ communiter; quod etiam ex conſuetudine omnes de Choro dicunt inter ſe bini, & bini ut diximus de Confeſſione: Bralion *part. 2. cap. 4. num.* 12. perſiſtunt autem in ſupradicto cornu Epiſtolæ Celebrans, & Miniſtri cum primo Cæremoniario uſque ad ultimum *Kyrie* cantatum a Choro, ſi ſedendum non ſit; Bauldry *part. 1. cap. 12. num.* 18. & *cap. 13. num.* 9. & ſedendum non eſt, quando moderate cantus a Choro protrahitur. Quod ſi longior effunderetur a Choro melodia, vel ſi foret legitima conſuetudo; tunc ſedendum eſſet, & procedendum ad ſcamnum oblongum, tempore quo in Choro cantatur *Kyrie*: tunc facta debita a Celebrante reverentia, & a Miniſtris genuflexione; Bauldry *part. 3. cap. 11. art. 5. num.* 3. ſemper per breviorem viam recto tramite, id eſt per latus Epiſtolæ, unus poſt alium, præcedente Subdiacono, procedunt ad ſcamnum oblongum honeſte panno decenti ornatum in plano.

Dum vero, in ſuppoſitione quod ſedeant, a Choro cantatur ultimum *Kyrir*, ſurgunt, & redeunt ad medium Altaris modo in pari caſu explicando, quando, in Choro cantantur verba prope finem Hymni *Gloria in excelſis*. Biſſus *lit. C. n.* 197. §. 12.

XXXIII. Gavant. lit. l -- *Unus poſt alium. Diaconus ſuper ſecundum gradum.*) Si tempore, quo in Choro cantantur *Kyrie*, Celebrans, & Miniſtri non ſedeant, tunc ſtabunt ad Altare in cornu Epiſtolæ, ſicut ad Introitum; & in hoc caſu, dum in Choro cantatur ultimum *Kyrie*, ibi in cornu Epiſtolæ ſe ſiſtant in recta linea unus poſt alium, & tali ordine, nimirum Diaconus ſe collocet in ſecundo gradu a tergo Celebrantis, Subdiaconus a tergo Diaconi in plano, uterque ante cornu Epiſtolæ, & dum Celebrans per ſuppedaneum tranſit junctis manibus ad medium Altaris, Diaconus per eundem ſecundum gradum, & Subdiaconus per planum eodem tempore, & ordine junctis manibus procedant ad medium ejuſdem Altaris; ibique ſe locent formantes tunc cum Celebrante rectam lineam, ut ſupra dictum eſt, tamquam ſervi poſt dominum, donec Celebrans incœperit Hymnum *Gloria in excelſis Deo*; Gavantus *ſupra hac lit. l.* Caſtaldus *lib. 1. ſect. 7. cap. 1. & 5. n. 6.* qui Hymnus *Gloria in excelſis Deo* intonatur a ſolo Celebrante poſt cantatum ultimum *Kyrie* a Choro: & dum Celebrans dicit *Gloria* disjungit manus, ſed non ponit ſuper Altare expanſas: dum dicit *In excelſis*, eas disjunctas elevat uſque ad humeros: dicens *Deo* eas iterum jungit ante pectus, non elevans oculos, ſed tantum caput inclinans, ut in Miſſa Privata; & tunc etiam Miniſtri caput inclinant, & non prius: Bauldry *part. 1 cap. 12. art. 1. num.* 18. idem quoque facit & primus Cæremoniarius ſtans in latere Altaris ad cornu Epiſtolæ. A Portu *ſupra Rubr. 7. in adnot. num. 6.*

XXXIV. Gavant. lit. m -- *Aſcendunt ad Altare. Facta in medio tantum, &c.*) Dum inchoatur a Choro *Et in Terra pax*, & non prius, facta genuflexione in loco ubi ſunt, & unde recedunt, ut docet Gavantus *ſupra hac lit.* m. quem ſequuntur Lohner *part. 3. tit. 4. num.* 5. Biſſus *ſupra* §. 3. Bauldry, Corſettus, Cabrinus, & alii; Diaconus aliquantulum in eodem ſecundo gradu Altaris recedit ad partem Epiſtolæ, ibique paululum expectat Subdiaconum aſcendentem; & ſic ambo æqualiter hinc inde aſcendunt: quod ſemper faciunt dum aſcendunt ad Altare, ut ſe collocent ad latera Celebrantis; Bauldry *part. 1. capit. 12. artic. 1. numer.* 18. Cum eo pervenerint non genufleɛtunt juxta Gavanti ſententiam, cui adhærent Bauldry, Corſettus, & alii, contra Caſtaldum *libr. 1. ſect. 7. capit. 1. numer.* 8. ſed præferenda eſt opinio Gavanti, quam pariter tuetur a Portu *ſupra num.* 8. & equidem cum jam præmiſerint genuflexionem

in loco, a quo receſſerunt, non eſt iterum repetenda in loco, ad quem perveniunt.

XXXV. Gavant. lit. n -- *Proſequuntur uſque ad finem, &c.*) Præfati Sacri Miniſtri ſtantes ibi, manibus junctis, & ſubmiſſa voce, totum Hymnum recitant ſimul potius ſubſequendo Celebrantem, qui voce altiori recitat; & ſic proſequitur uſque ad finem dicti Hymni, inclinantes ſe, & ſignantes cum eo; & cum dicunt *Amen* jungunt manus; Bauldry *part. 3. cap. 11. art. 5. n. 2.* Caſtald. *lib. 1. ſect. 7. cap. 1. & 5.* Benvenuti *pag. 25. §. Non inchoatur.* Eundem Hymnum eodem modo proſequuntur, qui ſunt in Choro, ut dictum eſt de *Kyrie eleiſon*; Bralion *ſupra*.

XXXVI. Gav. ead. lit. n -- *Si ſedendum erit, &c.*) Quia Celebrans citius præfatum Hymnum Angelicum, quam Chorus, terminat, ideo regulariter cum Miniſtris ſe confert ad ſedendum, & tunc idem Celebrans adhuc ſtans in ſuppedaneo Altaris cum Miniſtris, facit reverentiam Cruci, quæ eſt in medio, ſive genuflexionem Sacramento, ſi erit in Tabernaculo; Miniſtri vero genuflectunt ſuis locis, ut diximus ſupra, etiam Cruci, & ſtatim procedunt ad ſcamnum paratum per breviorem viam, id eſt per gradus laterales Epiſtolæ, unus poſt alium: ut tradit Gavantus *ſupra*, necnon Bauldry *part. 1. cap. 12.* & a Portu *ſupra n. 9.* aliique communiter; ſed ita tempeſtive procedunt, ut non ſint in via, dum cantatur in Choro *Adoramus te*, vel aliud ſimile, ad quod ſit inclinandum, ne cogantur ſiſtere; quod ſi contingeret, inclinent ſe verſus Altare; Bauldry *part. 3. cap. 11. art. 5. ſupra*. Præcedit itaque Cæremoniarius primus, qui a ſede Celebrantis accipit ejus birretum, & retrocedens verſus Altare, facie ad Populum converſa cedit locum tranſeuntibus Miniſtris, deſcendit poſtea Subdiaconus, & poſt eum Diaconus, & tandem poſt Diaconum Celebrans; Gavantus *ſupra*, Lohner, Bauldry, & Biſſus *ſupra*. Tam Celebrans, quam reliqui caveant, ne in convertendo ſe terga vertant Altari; quare Celebrans, & Subdiaconus, dum erunt ante ſcamnum oblongum præparatum, vertant immediate latus dexterum verſus Altare, & contra Diaconus vertat verſus Populum latus ſiniſtrum. Celebrans ſedet, Miniſtris ſuis poſteriorem planetæ partem elevantibus, ne ſedeat ſuper eam, & operit caput, Diacono, ei porrigente birretum, cum quaſi oſculo illius, acceptum a primo Cæremoniario, Biſſus *ſupra* §. 16. & Bauldry *part. 1. cap. 12. & part. 3. ſupra*. Deinde ipſe Diaconus, & Subdiaconus, acceptis ſuis birretis profunde Celebranti inclinant, & aliquantiſper ſibi invicem, & ſedent hinc inde a lateribus Celebrantis, Diaconus ſcilicet a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris; Biſſus *ſupra*, & Bauldry pariter *ſupra*, necnon Vinitor, & Benvenuti *cit. loc.* Si opus erit, Acolythi adjuvent Miniſtros Sacros elevando poſteriores dalmaticæ, & tunicellæ partes; vel ipſi Miniſtri ſibi dalmaſicæ, & prædictæ tunicellæ poſteriores partes elevant: Biſſus, Bauldry, a Portu, & Benvenuti *loc. cit. ſupra*: birreta tamen eis ab Acolythis non porrigantur, ſed ipſi Miniſtri Sacri ſibi ea accipient, ut mox dictum eſt, nec caput operiant, antequam Celebrans ſit coopertus; Biſſus, Bauldry, Benvenuti *ſupra*, & Lohner *p. 3. tit. 2. n. 9.* manus vero tam Celebrans, quam Miniſtri Sacri dum ſedent, teneant ſuper genua expanſas, omnibus digitis ſimul junctis; Biſſus, Lohner, & Benvenuti *ſupra*. Cum in Choro cantantur verba, ad quæ inclinandum eſt caput, puta *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, & his ſimilia, Celebrans, & Miniſtri debent etiam caput diſcooperire, & inclinare; Biſſus *ſupra*.

Si ante Celebrantem, & Miniſtros Sacros ſedentes elevetur, vel deferatur Sacramentum, nudo capite genuflexi illud adorent; non autem quando ſunt in via de ſcamno ad Altare procedentes; Bauldry *part. 3. c. 11. art. 5. n. 6.* & Biſſus *ſupra* §. 17.

Si ſedendum non ſit (ſicut ſedendum non eſt ante Venerabile expoſitum) an Miniſtri ſtare debeant ad Altare, quaſi pares paulo poſt Celebrantem, ea ſcilicet diſtantia, qua ab Altari diſtant, diſcrepant Doctores. Affirmant Gavantus *ſupra* Bauldry *part. 5. cap. 12. art. 1. num. 22.* Lohner *part. 3. tit. 2. n. 9.* Corſettus *de Rubr. Gen. n. 22.* negat vero Caſtaldus *lib. 1. ſect. 7. cap. 1. num. 8. & cap. 5. num. 8.* ſed amplectenda eſt ſententia affirmativa, quam pariter tuetur a Portu *ſupra n. 9.* quia, ut Gavantus aſſerit, ita fert communior uſus Romanus; tum quia in fine Rubricæ 7. ſuperius allatæ numerantur caſus, in quibus Miniſtri ſtare debent unus poſt alium; & cum iſte ibi non recenſeatur, infertur, quod non debent deſcendere unus poſt alium, ſed modo ſupradicto perſiſtere, donec totus Hymnus prædictus a Choro perſolvatur.

XXXVII. Gavant. ead. lit. n -- *Stant Acolythi regulariter apud credentiam.*) Sedentibus Celebrante, & miniſtris Sacris, quæſtio agitatur a Sacrorum Rituum explanatoribus, utrum etiam Clerici in ſcamnulis ſedere debeant? Negat Gavantus *ſupra*, dicens eos ſtare debere apud credentiam, ejuſque ſententiam amplectuntur Arnaud. *tit. 4. n. 53.* Corſettus *c. 2. de Rub. Gen. n. 14.* affirmant vero Lohner *part. 3. tit. 8. num. 3.* Caſtaldus *lib. 1. ſect. 4. cap. 2. num. 5.* Bauldry *par. 3. cap. 11. art. 5. num. 4.* Cæremon. Can. Regul. Sancti Salvatoris *cap. 29.* a Portu *ſupra num. 9.* qui pariter ibidem poſt hanc promovet aliam quæſtionem, nimirum, utrum ſedentibus Clericis ſuper aliquam ſedem humilem, Cæremoniarius uterque ſedere poſſit? & ſequitur ibi ſententiam affirmativam; quia non videtur ei congruum, quod ſedentibus Clericis reliquis, non debeat ſedere Cæremoniarius, qui eſt in ſuperiori officio conſtitutus, & deberet eſſe cæteroquin Sacerdotali dignitate inſignitus. De utraque quæſtione ſatis ſuperque nos alibi locuti ſumus, nimirum, cum de ſcamno oblongo egimus, quod præparari debet ad Miſſam Solemnem; & Gavanti ſententiam libenter amplexi ſumus, innixi communi praxi Baſilicarum Urbis, necnon aliarum Cathedralium, nihil obſtantibus Sac. Congregationis Decretis, quæ ab aliquibus contrariæ ſententiæ adducuntur: quia, ut ibi oſtendimus, præfata Decreta non loquuntur de Cæremoniario in Miſſa Solemni, ſed in Veſperis, utrum nempe ſedere, & qui locus ſedendi tunc ei concedi debeat? In eadem igitur ſententia permanendo, nec Clerici, nec Cæremoniarii ſedere debent in ſcamnulis, dum Celebrans, & Miniſtri ſedent in Miſſa Solemni.

In ſententia illorum, qui affirmant concedi debere ſcamnula prædictis Cæremoniariis, & Clericis, in Miſſa Solemni, quando cantantur a Choro verba illa, in quibus Sacerdos in Miſſa Privata caput inclinat; Cæremoniarius primus tempeſtive ſurgens aliquantulum, Lohner *part. 3. tit. 4. num. 6.* capitis inclinatione, vel etiam manus dexteræ nutu monet Celebrantem, & Miniſtros, ut aperiant caput, & inclinent; Bauldry *par. 3. c. 11. art. 5. n. 5.* Caſtald. *lib. 1. ſect. 1. cap. 1. num. 20.* Lohner *ſuper num. 6.* Hoc idem ſignum dat Clericis ſecundus Cæremoniarius, ut facilius & ipſi commoneantur; Caſtaldus ſupra *l. 1. ſect. 1. cap. 1. num. 20.* ſed non ſurget, quia nullum admonet ſibi ſuperiorem; ut docet etiam Bauldry *part. 1. cap. 1. art. 1.* qui *part. 3.* addit, quod tum Clerici, tum Cæremoniarii priuſquam ſedeant, Celebranti ſe ſe inclinabunt: hæc, & ſequentia advertimus pro iis, qui præfatorum Auctorum ſententiam amplectuntur.

XXXVIII. Gavant. ead. lit. n -- *Reverſurus vero ad Altare, &c.*) Circa finem Hymni Angelici, dum ſcilicet dicitur *Cum Sancto Spiritu* a Choro, non ſe ſignat; citius tamen, ſi opus ſit, admonentur Clerici a ſecundo Cæremoniario, ut ſurgant, Celebrans vero, & Miniſtri a primo Cæremoniario invitantur ad ſurgendum; Bauldry *part. 3. ſupra num. 6.* Lohner *part. 3. tit. 1. n. 10.* necnon Vinitor *ſupra* §. 27. qui Cæremoniarius ideo procedit tunc ante Celebrantem, & poſtmodum ſe recipit ad ſiniſtram Subdiaconi, donec procedendum ſit ab Altari. Surgunt ſtatim Miniſtri, & deponunt ſuper ſcamnum ſua birreta; Diaconus vero cum debitis quaſi oſculis, ab ipſomet Celebrante adhuc ſedente accipit ejus birretum, & deponit in loco, ubi ſedebat; Vinitor *loc. cit.* facta deinde inclinatione a Miniſtris, & a Cæremoniariis, unus poſt alium procedunt ad medium Altaris per planum Capellæ; adeoque per viam longiorem manibus junctis; Gavantus *ſupra*, Corſettus *c. 2. de Rubr. gen. n. 19.* Lohner *part. 2. tit. 10. & p. 3. tit. 2. n. 10.* & Biſſus *ſupra* §. 18. hoc eſt præcedit primus Cæremoniarius, tum Subdiaconus, deinde Diaconus, & demum Celebrans. Diaconus advertat, quod aliquantulum ſe ſiſtere debet, ut cum pervenerit ad angulum gradus infimi Altaris a parte Epiſtolæ, locum Celebranti tranſeunti cedat, quem etiam tunc ſalutat. Bauldry *part. 1. c. 12. n. 2.* Biſſus *ſupra* Lohner *part. 3. tit. 2. n. 10.*

Cum Celebrans ad medium Altaris ante infimum illius gradum cum Miniſtris pervenerit, habens Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris, & primum Cæremoniarum poſt terga, Miniſtri genuflectunt in gradu infimo Altaris profunde ſe tantum inclinante Celebrante, ſi non adſit Sacramentum in Tabernaculo incluſum; primus vero Cæremoniarius in plano genuflectit. Gavantus *ſupra*, Bauldry *part. 3. ſupra n. 6. & p. 1. c. 12. art. 5. n. 2.* Lohner *part. 3. tit. 3. n. 5. & part. 2. tit. 10. de Ritu Solemni n. 3.* Biſſus *ſupra* §. 19. Facta ab omnibus debita reverentia, ut ſupra, Altari, Celebrans aſcendit ad illud, elevantibus Miniſtris ejus anteriores veſtes, uſque ad ſecundum gradum Altaris, ſuper quem etiam aſcendit Subdiaconus; ſed Diaconus ibi ſe ſiſtit; Subdiaconus vero ſtatim deſcendit in planum Capellæ, ita ut recta linea unus ſtet poſt alium, & uterque poſt Celebrantem. Bauld. *part. 1. & 3. ſup. n. 6.* Biſſus *ſup.* Primus Cæremoniarius aſcendit per planum Epiſtolæ ad latus Altaris, in quo erat Diaconus ad Introitum, ut ibi advenienti Celebranti oſtendat Orationem, vel Orationes dicendas, & vertat folia, ſi opus ſit, Bauld. *par. 1. cap. 1. art. 1. n. 23. & 26.* Reliqui Clerici, ſeu Miniſtri inferiores, ut Ceroferarii, Thuriferarius, &c. ſtant, ut prius, prope credentiam, *ſupra*, Bauldry *part. 3. ſupra*, Benven. *ſupra* §. *Dum in Choro*. Cavere tamen debent ne ſint in via, dum in Choro cantantur illa verba *Jeſu Chriſte*, (alias oporteret ſe ſiſtere, & caput inclinare) ſed vel anticipent, vel poſtponant, prout longior, vel brevior erit via, inter ſcamnum, & Altare; quod diligens Cæremoniarius advertere debebit: & ſi dum ſunt in via ante ipſos deferatur vel elevetur SS. Sacramentum, non genuflectant, ſed ſuum iter proſequantur, ut ſupra adnotatum eſt. Biſſus *ſupra*, & Bauldry *part. 3. ſupra*.

## De Oratione V.

### R U B R I C A.

1 *Dicto Hymno, Gloria in excelſis, vel ſi non ſit dicendus, eo omiſſo, Celebrans* (o) *oſculatur Altare in medio, manibus hinc inde ſuper eo, ut ſupra extenſis; tum illis ante pectus junctis, & demiſſis ad terram oculis, vertit ſe, a ſiniſtro latere ad dexterum* (p) *verſus Populum, hoc eſt per eam*

*eam partem, quæ reſpicit cornu Epiſtolæ; & extendens, ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce prædicta,* (q) *Dominus vobiſcum, (vel ſi ſit Epiſcopus,* (r) *Pax vobis, quod dicitur tantum hoc loco, quando* (ſ) *dictus eſt Hymnus, Gloria in Excelſis*) Reſp. (t) *Et cum ſpiritu tuo; & junctis ut prius manibus* (u) *revertitur per eandem viam ad librum; ubi eas extendens, & jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit,* (x) *Oremus: tum* (y) *extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus reſpiciat alteram, & digitis ſimul junctis, quorum ſummitas humerorum altitudinem, diſtantiamque non excedat; quod in omni extenſione manuum ante pectus ſervatur.* (z) *Stans autem, ut ſupra extenſis manibus,* (a) *dicit Orationem. Cum dicit,* (b) *Per Dominum noſtrum, jungit manus, eaſque junctas tenet uſque ad finem; ſi aliter concluditur Oratio, Qui tecum, vel, Qui vivis; cum dicit, In unitate, jungit manus.*

## *G A V A N T U S.*

Hæc, & quæ ſequuntur uſque ad numerum 4. incluſive, fere omnia *Burchard.*

(o) *Oſculatur Altare.* Alia ratione hic oſculatur Altare Sacerdos ſalutaturus Populum, quaſi qui accipiat pacem a Chriſto per Altare, ut ſupra ſignificato, ut eandem det populo, pro quo ſtatim eſt oraturus; cui ideo dicit, *Dominus vobiſcum*, vel ſi Epiſcopus eſt, *Pax vobis*: extenſio vero, & junctio manuum eadem ſignificant, quæ diximus in verbo, *Oremus*, ſupra *tit.*3.

* Præter extenſionem, & junctionem manuum, addit congrue elevationem earumdem. *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8.

* Qui utuntur perſpicillis ſolent ea hoc loco deponere primum; deponant autem ea quidem ſuper Altare, numquam tamen ſuper corporale.

(p) *Verſus Populum.* Ita *Amalar. lib.* 2. *cap.* 9. quos ſalutamus, eis faciem præſentamus: & a ſiniſtro latere ad dexterum ſe vertit Sacerdos, tum quia hic motus naturalis eſt, tum quia bonum eſt omne in dextera. *Dextera Domini fecit virtutem. Durand. lib.* 4. *cap.* 14.

(q) *Dominus vobiſcum.* Illis, quæ ſupra diximus *part.* 1. *tit.* 7. *n.*17. adde haberi in *Liturgia Græca S. Petri.* Diviniſſimam hanc ſalutationem, quæ ita appellatur *a Dionyſ. de Eccleſiaſt. Hier.* Per hanc autem ſalutatur Eccleſia, etiamſi unus tantum ſit præſens, *Alexand. Alen. pag.* 4. *quæſt.* 36. & tribuitur Apoſtolis ejuſdem uſus *a Concil. Bracar.* 1. *cap.* 21.

Septem ſane vicibus dicitur in Miſſa, ſi bene numeres, *Dominus vobiſcum*, quatenus excluſis ſeptem vitiis capitalibus, ſuſcipiat Populus ſeptiformem gratiam, *ex Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 24. qui tamen indicat, *cap.* 22. vel ſuo tempore non dictum eſſe *Dominus vobiſcum* in fine Confeſſionis ante Miſſam; vel Miſſam ab eo præciſe ſumi, ab Introitu tantum: nam ſalutationes ſeptem ab eo indicatæ explicantur *a Durand. lib.* 2. *cap.*14. ut una earum ſit illa, quæ ſit ante Communionem, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, quam nos non numeramus inter eas.

Ex his etiam ſeptem vicibus ter non vertit ſe Sacerdos ad Populum, nempe in fine Confeſſionis, ante Evangelium, & in Præfatione, & in hac quidem, quia *inquit Innoc. d. cap.* 22. cor habet ſurſum ad Dominum, jamque proximo Sacrificio totus intentus eſt; ad Evangelium autem, *inquit Durandus*, totus eſt intentus ad verbum Dei annunciandum. Fere idem dicam & ego, in fine Confeſſionis totus eſt ad ſe purgandum.

Nota præterea, quod alternatim non ſe vertit, & ſe vertit ſalutaturus Populum Sacerdos, præterquam in fine Miſſæ, quia Populum mox eſt dimiſſurus. Prima, tertia, quinta vice non ſe vertit: ſecunda, quarta, ſexta & ſeptima ſe vertit; quod valet etiam ad varietatem.

(r) *Pax vobis.* Dicitur *in lib.* 8. *Conſt. Apoſt. cap.*15. Pax Dei. Illud autem habetur expreſſe *in Liturgiis S. Jacobi, & S. Baſilii*, tamquam prima vox Chriſti ab Epiſcopo, ex *S. Remigio, a quo* Innoc. III. *lib.*2. *cap.*24. ut oſtendat Epiſcopus ſe eſſe Chriſti Vicarium, ſicut in ſequentibus ſalutationibus ſe demonſtrat deinde Sacerdotem. *Idem ibid.* Tribuit Anacleto *Hugo Vict. lib.* 2. *cap.* 11. Ritum dicendi *Pax vobis*; & vere ſolius eſt Epiſcopi diſtribuere dona Chriſti, cujuſmodi pax eſt. *Ex Optato Milev. lib.* 1. *circa fin.*

(ſ) *Dictus eſt Hymnus, Gloria.* Indicat *Ordo Romanus.* Ratio eſt *Durandi loco citato*, quia in Hymno Angelico dicitur, *Et in terra Pax*, ideo ſubditur *Pax vobis*, ab Epiſc. & quia hæc ſalutatio a Chriſto facta fuit in die lætitiæ, qua plenus eſt Angelicus Hymnus.

(t) *Et cum ſpiritu tuo.* Nil melius, ait *Florus Magiſter in expoſitione Miſſæ*, quam quod optet Populus Sacerdoti, quod ipſe optat Eccleſiæ. Habetur hoc *in prædictis Liturgiis*; quod & a Populo toto reſpondebatur, teſte *Chryſoſtomo homil.* 36. *in Epiſtolam primam ad Corinthios, & Microlog. cap.* 2. nunc Miniſter reſpondet pro populo. Eſt autem ſumptum a S. Paulo 2. *Timoth. ultimo.* Neque dicitur, *Tecum*, quia ſpiritualiter officia Eccleſiaſtica fiunt, *ex Petro Damiano, de Dominus vobiſcum, cap.* 3. ut nimirum unus ſit affectus Sacerdotis, & Populi. *Amal. lib.* 2. *cap.* 9.

(u) *Revertitur per eandem viam.* Ita & *Durand. loco citato*, & ratio motus eſt ad librum ipſum.

(x) *Oremus.* Habetur in *Liturgiis SS. Petri, Jacobi, &*



*Marci.* Ante Orationes publicas dicitur ſemper, *ex Auguſt. epiſt.* 106. *ad Vitalem*: & hoc loco habet *Ordo Roman.* unde *ab Uranio Scriptore vitæ S. Paulini Epiſc. Nolani* appellatur indictio Orationis; quia invitamus alios ad Orationem, quæ ſequitur, ut patet: ſed *Durand.* innuit dici ante medium Altaris ab aliquibus; ab aliis vero, ubi Orationem ſunt dicturi, ut inter inſinuationem, & Orationem nihil omnino interponatur ibidem; quod a nobis eſt uſitatum, quia congruentius.

(y) *Extendit manus.* Ex Paulo 1. *Timoth.* 2. *Levantes puras manus*: ſcribit *Tertul. de Orat. c.* 12. manibus ſublimius elatis temperate, & probe: elatis temperate, inquit, & ideo in Rubrica præſcribuntur fines, ut humeros non excedant; in Miſſa vero ſignificat extenſionem Chriſti in Cruce, in qua ſtatim oravit pro crucifixoribus. *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 28. & ante eum *Microl. cap.* 16. ſorte deſumptum eſt a veteri Teſtamento. Nam Moyſes levans manus vicit Amalecithas. *Exod.* 17. Salomon expandit manus ſuas orans Deum. 3. *Reg.* 8.

(z) *Stans.* Stare in Oratione juſtorum eſt; genua flectere peccatorum, ex *Juſtino Martyre l. quæſt.* 115. Ritus autem ſtandi hoc loco habetur apud *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 22.

(a) *Dicit Orationem.* Vide, quæ diximus ſupra *tit.* 9. *part.*1.

(b) *Per Dominum, jungit manus.* De variis concluſionibus ſupra *tit.*9. *n.*17. Junctio manus, quod eſt devotionis, & humilitatis ſignum, reſpondet optime concluſioni Orationis; & multo magis, cum dicitur, *In unitate*, utraque ſcil. manu juncta.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, & Solemnis, ab Oratione uſque ad Epiſtolam.

I. Gav. lit. o -- *Alia ratione hic oſculatur Altare.*) Dicto Hymno Angelico, vel ſi omittendus ſit præfatus Hymnus, adhuc extenſis hinc inde manibus, & ſuper Altare poſitis extra Corporale; manibus inquam ad pulſus excluſive poſitis, & non ſolis digitis Sacerdos oſculatur Altare. A Portu *part.* 1. *Miſſ. Priv. tit.* 5. *Rubr.* 1. *n.* 3.

II. Gav. lit. p -- *Et a ſiniſtro latere ad dextrum ſe vertit.*) Deinde manibus ante pectus junctis, & oculis ad terram demiſſis ad modeſtiam; Quarti *part.* 2. *tit.* 5. *Rubr.* 5. *n.* 2. & Gervaſi *ſupra* §. *Ricongiungendo*: oculis ergo non clauſis, nec in ſuos pedes ferme defixis ad affectatam compoſitionem; ſed reſpicientibus illam plani anterioris partem, quæ vel diſtat, vel diſtare deberet per tres cubitos ab Altaris ſuppedaneo; vertit ſe a ſiniſtro latere Altaris, quod eſt dexterum Sacerdotis, & per quod incipit ipſe motum; ita ut ſiniſtra dexteram ſequi videatur. Tonel. *lib.* 2. *tit.* 5. *Rubr.* 1. *n.* 1. Bauld. *part.* 3. *tit.* 5. & Gav. *ſupra hac lit. p.* Poſtquam autem ſe vertit modo ſupradicto conſiſtit in medio & circuli, & Altaris: ibi extendit, & jungit manus ante pectus, non inclinando caput, aut manus Populo; nec innitendo Altari, quod a tergo relinquit, ne complicetur cum detrimento, & indecore planeta, forte pretioſa: Bauld. *part.* 3. *tit.* 5. *Rubr.* 1. Corſett. *tract.* 2. *part.* 1. *n.* 8. Bonamicus *part.* 2. *n.* 10. Gerv. *ſupra*, & alii: unius manus recta palma, alterius manus rectam pariter palmam reſpiciat. Polac. *part.*1. §. 10. Gervaſi *ſupra*, & digitorum extremitates ſurſum, quaſi per lineam rectam ferantur: porro totaliter disjunguntur, ſed non ultra latitudinem corporis, id eſt non extra humeros extendenda manus. Polac. & Gervaſi *ſupra*, & Bonamic. *part.* 1. *obſerv.* 11. *n.* 3. Debent tamen ſic disjunctæ aliquantulum elevari, juxta Gavanti ſententiam *ſupra*, quem ſequuntur Arnaud. *tit.* 5. *n.* 1. & Gervaſi *cap.* 4. §. *Terminato, & cap.* 5. §. *ſupracit.* & alii inhærentes omnes *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. §. 38. & 39. contra Anonymum Italum relatum ab Hippolyto a Portu *ſupra n.* 7. licet enim Miſſale nihil loquatur de tali manuum elevatione in hac, & ſimili circumſtantia; nihilominus expreſſe præſcribitur in tali caſu a Cærem. Epiſc. locis ſupracit. Illud non revocatur in dubium, quod dicturus Sacerdos *Dominus vobiſcum* intelligibili, & clara voce, debet habere manus ita junctas, ut inter digitos nullum intercedat ſpatium; Vinitor *part.* 2. *tit.* 5. *in adnot.* §. 1. & verſus ad Populum prout ſupra proferendo verbum *Dominus* adaperire debet manus, & aliquantulum elevare, prout *ſupra*; proferendo vero *Vobiſcum* ſtatim manus eaſdem conjungit. Angel. *part.* 3. *tit.* 5. *n.* 2.

III. Gav. lit. q -- *Dominus vobiſcum.*) Sacerdos igitur modo ſupradicto verſus ad Populum dicit clara voce *Dominus vobiſcum*, per quæ verba Sacerdos ſalutat Populum ſine ulla inclinatione, ut dixi, ſeu potius Eccleſiam, quapropter his utitur vocibus, etiamſi unus tantum interſit Miſſæ: ut bene advertit Gav. *ſupra hac lit. b.* necnon Angel. *ſupr.* §. *Dominus vobiſcum.*

IV. Gav. lit. t. -- *Et cum ſpiritu tuo.*) Miniſter vero, Eccleſiæ, & circumſtantium nomine reſpondet tunc Sacerdoti, *Et cum Spiritu tuo*, inclinato aliquantulum capite, & in ſuæ reverentiæ ſignum erga Sacerdotalem ſalutationem. Caſtald. *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 6. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 7. *n.* 17.

V. Gav. lit. u -- *Revertitur per eamdem viam.*) Prolatis dictis verbis a Miniſtro, Sacerdos junctis manibus ante pectus, revertitur per eamdem viam ad librum in cornu Epiſtolæ ſuper cuſſino collocatum. Ratio motus eſt ad librum ipſum, ut docet noſter Gavantus *ſupra hac lit. u.* naturaliter ambulabit Sacerdos, ſiniſtrum latus ad Altare convertendo, & ſe ſe movendo debita cum gravitate. Gervaſi *ſupr. cap.* 5. §. *Ricongiungendo.*

VI. Gav. lit. x -- *Oremus.*) Statim ut pervenit Sacerdos

ad librum, manus extendens, & ſtatim jungens ante pectus (ſed eas non elevando), Tonell. *ſuper Rubr. hac n. 2. & lib. 2. tit. 3. Rub. 10. n. 3.* caputque Cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, ibi ſtans in cornu Epiſtolæ, dicit voce conſueta, & intelligibili hoc verbum *Oremus*, indicando Orationem, quam mox debet proferre, invitando Populum ad orandum, ut optime docet Gav. *hac lit. x.*

VII. Gav. lit. y -- *Extendit manus.*) Deinde extendit iterum manus ante pectus, ita ut palma unius manus reſpiciat alteram, & digitis ſimul junctis (ita ut nullum ſpatium relinquant inter ſe, Caſtald. *lib. 2. c. 8. n. 6.* Bauld. *part. 3. cap. 4. n. 7.*) quorum ſummitas humerorum altitudinem, diſtantiamque non excedat. Gerv. *ſupra.* Vinitor *part. 2. tit. 5. in adnot.* §. 5.

VIII. Gav. lit. z -- *Stare in Oratione, &c.*) Stans igitur Sacerdos, ut ſupra extenſis manibus, dicit Orationem erectus, Angel. *part. 3. tit. 5. n. 1.* eadem ordinaria clara voce. Cavere tamen debet Sacerdos, ne unquam alterutram tantum manum teneat apertam, vel elevatam: v. g. ſi durante Oratione folium dextera vertendum ſit, tunc ſiniſtram, interim dum folium vertit, ſupra librum ponat, Vinitor *ſupra* §. 4.

IX. Gav. lit. a -- *Dum dicit Orationem.*) Percurrenda ſunt ea, quæ tradidit Gavantus ſupra *part. 1. tit. 9.* & quæ pariter nos ibi obſervavimus.

X. Gav. lit. b -- *Per Dominum, jungit manus.*) Cum Sacerdos dicit concluſionem Orationis, id eſt *Per Dominum noſtrum*, jungit manus juxta formam conſuetam eas jungendi. Ad nomen *Jeſum Chriſtum* inclinare debet caput verſus Crucem inclinatione minimarum maxima; quæ inclinatio durabit uſque ad finem concluſionis, manus tenens pariter junctas uſque ad finem. Ita communiter Rubriciſtæ.

Si plures Orationes legendæ ſint, in dubium revocant Auctores, utrum poſt manuum conjunctionem, & capitis inclinationem, poſſit ante finem concluſionis habendæ in prima Oratione reperiri ſecunda Oratio? Pro parte affirmativa ſtat Tonell. ſuper hanc Rubricam *n. 2. & lib. 2. tit. 3. Rubr. 10. num. 3.* negativam vero ſententiam aperte docet præſens Rubrica, contra quam nulla valet praxis; & ideo huic ſententiæ pariter adhæret a Portu *tit. 5. de Orat. Rub. 1. in adnot. n. 20.*

Si Oratio concludatur his verbis: *Qui tecum, &c.* vel *Qui vivis, &c.* tunc Sacerdos dicit prædictam concluſionem manibus extenſis, ſed proferens *In unitate, &c.* tunc jungit manus, & proferendo hanc concluſionem non inclinat caput, quia in hac concluſione non fit expreſſa mentio Sanctiſſimæ Trinitatis, per enumerationem Perſonarum Divinarum, ut tradunt omnes, nec ad Crucem ſe ſe convertit Sacerdos, ut multi male faciunt, Vinitor *ſupr.* §. 9. Bauld. *part. 3. tit. 5. Rub. n. 1. in notis n. 3.* Corſett. Polaccus, Bonamicus, necnon Tonellius *ſupra n. 4.* & Gervaſi pariter ſupra §. *Terminando.* Conjunget autem in prædicto caſu manus Sacerdos; & converſus ad librum pronunciabit dictam concluſionem. Gervaſi *ſup.* Quomodocumque concludatur Oratio, ſolum primam, & ultimam Orationem concluſione debita terminamus, quemadmodum ſolum primæ, & ſecundæ Orationi invitationem *Oremus* præmittimus. Gerv. *ſupra* §. *Oremus.*

## R U B R I C A.

a *Cum nominatur JESUS, caput verſus Crucem inclinat, quod etiam facit cum nominetur in Epiſtola. Et ſimiliter ubicumque nominatur nomen B. MARIÆ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Miſſa, vel fit* (c) *Commemoratio. Item in Oratione pro Papa, quando nominatur, ſemper caput inclinat, non tamen verſus Crucem. Si plures Orationes ſunt dicendæ, idem in eis, in voce, extenſione manuum, & capitis inclinatione, quod ſupra dictum eſt, obſervatur.*

## *G A V A N T U S.*

Aperta eſt cauſa reverentiæ in his nominibus. Cruci vero, quia ibi præterea eſt imago Chriſti, æquum eſt, ut ad nomen JESUS caput inclinetur, qua de re *Octava Synod. Can. 3. & Concilium Moguntinum, cap. de uſu imaginum*, §. 2.

(c) *Commemoratio.* Nomine Commemorationis hoc loco ne tamen intelligas ſuffragia communia Sanctorum in Oratione *A cunctis*, ſed Commemorationem de Feſtu Simplici Sanctorum, ſeu de Octava, ad quorum nomina, etiam in Canone, caput inclinatur.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, & Solemnis, ſervando quando profertur nomen Jeſus, Mariæ, &c.

XI. Gavant. lit. c -- *Æquum eſt, ut ad nomen Jeſus, caput inclinetur.*) Cum nomen *Jeſus* profertur, caput verſus Crucem inclinare debet Sacerdos, prout præſcribit ſuperior Rubrica, & inclinatione quidem minimarum maxima; Tonell. *ſupra Rubr. 2. n. 1.* Vinitor *ſupra* §. 8. Gerv. *ſupra* §. *Nominando*; & verſus Crucem; quia, ut ait Gavantus *ſupra*, hæc eſt ejus ſignum, & in qua Chriſtus Dominus repræſentatur, imo in qua eſt ejus imago. Quarti *part. 2. tit. 5. Rubr. n. 1.* Inclinat etiam caput verſus Crucem, quando idem nomen legitur in Epiſtola; a Portu *ſupra n. 2.* & quidem eadem inclinatione minimarum maxima.

Si quæratur ratio, cur nomini *Jeſus* major adhibeatur reverentia, quam nomini *Deus*, rationem reddit D. Thomas *part. 3. quæſt. 17. art. 2.* necnon Alphonſus Toſtatus *in Exodum cap. 20. q. 7.* nimirum, quia hoc nomen Chriſtus Dominus ſibi comparavit per ſuas virtutes, præſertim ſua humilitate, & obedientia Divino Patri præſtita, humiliando ſe, & obediendo æterno ſuo Patri uſque ad mortem, & mortem quidem Crucis, unde, ut ait Apoſtolus, propterea *Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, &c.* vel ideo Eccleſia majori reverentia colit nomen *Jeſus*, quam nomen *Deus*, quia *Jeſus* ſignificat *Redemptorem*, cum in hoc nomine ſalvemur, D. Petro atteſtante *in Act. Apoſtol. cap. 4. v. 12. Nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Plures aliæ rationes de hac majori reverentia præſtita præfato SS. nomini videri poſſunt apud Scortia de Sacrificio Miſſæ *lib. 3. cap. 10. n. 10.* Inclinat pariter Sacerdos caput dum pronunciat nomen *B. M. V.* ſed inclinatione minimarum media; Bonamicus *part. 1. obſerv. 12. n. 1.* Tonellius *ſupra Rubr. 2. n. 1.* Corſettus *ſupra*, & Gervaſi *ſupra*, ſed talis inclinatio fit quando nominatur Deipara, non ſub quocumque nomine, ſed ſub nomine *Mariæ* tantum. Gervaſi *ſupra*. Ita pariter quando profertur nomen Sanctorum, de quibus dicitur Miſſa, inclinandum eſt caput inclinatione minimarum minima. A Portu *ſupra num. 4.* Gervaſi *ſupra*. Imo etiam inclinandum eſt caput in Miſſa ad nomen Sanctorum, de quibus fit Commemoratio; ſed Commemorationis nomine non veniunt ſuffragia Sanctorum, quæ habentur in Oratione *A cunctis*: Gavantus *ſupra*, & Angel. *in catal. errorum n. 6. de Orat.* quocirca ad ſolum *Mariæ*, non autem ad nomen duorum Apoſtolorum, aut aliorum Sanctorum inclinatur caput ſupradicta minimarum media inclinatione. Bauld. *part. 3. cap. 5. n. 2.* Baldaſſarius *cap. 2. in fine*, & Gervaſi *ſupra* §. *Nell' Orazione*. Itaque nomine Commemorationis veniunt illi Sancti, de quibus recolitur ſpecialis memoria in Oratione, vel quia de illis recurrit in illa die Feſtum, aut Simplex, aut Semiduplex, aut Duplex, aut dies Octavæ, aut dies infra Octavam, aut de illo Sancto dicitur Miſſa. Gavantus *ſupra*, Tonellius, Bauldry *ſupra*, & Vinitor. §. 7.

An inclinandum ſit caput, quando nomina Sanctorum extra Orationes, & Canonem occurrunt, verb. gr. in Epiſtola, vel in Evangelio, diſcrepant Sac. Rubricarum expoſitores. Negant Tonel. *ſupra*, Bauldry *par. 3. cap. 5. n. 3.* Baldaſſ. *cap. 3.* affirmant Polaccus, Anonymus Italus *cap. 6.* §. *Ultimata*, Gervaſi *ſupra cap. 6. Detta l' Orazione*, Angel. *part. 3. tit. 1. num. 2.* Corſettus *ſupra*, & a Portu *ſupra*, *num. 5.* quorum quidem ſententia videtur probabilior; quia particula *Ubicumque*, quæ legitur in ſuperiori Rubrica, cadit non ſolum ſuper nomen *B. Mariæ*, ſed etiam ſuper nomen immediate ſubſequens Sanctorum illorum, quibus ut ſupra innuimus, in Miſſa facienda eſt capitis inclinatio. Itaque ſolum ratione Feſti, vel diei Natalitii, vel Miſſæ, quæ celebratur in honorem dictorum Sanctorum, hæc reverentia illorum nomina proferendo adhiberi debet. Biſſus *lit. S. n. 20.* §. *24.* Quarti *part. 2. tit. 5. n. 1.* e contra vero SS. nominibus *Jeſu*, & *Mariæ* inclinandum ſemper eſt caput, etiam ſi eorum Feſtum non celebretur, nec eorum Miſſa dicatur, nec eorum Commemoratio fiat: unde ſemper diſpar eſt ratio de nominibus aliorum Sanctorum, ac de ſupradictis nominibus *Jeſu*, & *Mariæ*.

Advertunt tamen aliqui Rubriciſtæ non eſſe inclinandum caput ad nomen Sanctorum, quando nominantur Sancti (de quibus Feſtum celebratur, vel fit Commemoratio) in titulo Epiſtolæ, vel Evangelii, verb. gr. *Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli*, vel *Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Joannem*. Cærem. Miſſæ Priv. *cap. 1. n. 3.*

Fit pariter ſimplex capitis inclinatio, hoc eſt minimarum minima pro Papa vivente, ſed non pro alio Prælato; hoc non ſolum in Collecta, ſed etiam in Canone, & ſemper quando nominatur. Tonell. *ſupra num. 4.* Bonamicus *part. 1. obſerv. 12. n. 1. Cærem. Miſſæ Priv.* & Gervaſi *ſupra*, §. *Nominando*. Non tamen eſt inclinandum tunc caput verſus Crucem; quæ diſpoſitio non ſolum procedit quando profertur nomen Papæ viventis, ſed etiam quando pronuntiatur nomen Sanctorum, de quibus diximus ſupra, imo & ipſius Beatæ Mariæ. Tonell. *ſupra n. 1.* Baldaſſ. *ſupra n. 1.* Polac. & Gerv. *ſupra*.

Inclinat igitur tunc caput verſus librum Sacerdos, niſi ſit in medio Altaris, puta tempore Canonis, ſi per accidens ex memoria dicat; Bauldry *ſupra*; quamvis Sacerdos ſemper ipſum legere debeat, ne præcipitet Cæremonias, aut omittat verba ejuſdem Canonis, vel aliqua adjungat, aut male illa pronuntiet, ut ſuo loco dicemus. Hæc de inclinatione capitis facienda in Miſſa adnotare placuit: quia plerique de his inclinationibus parum, imo nihil curare videntur: quod ſummopere dedecet.

Si plures Orationes dicendæ ſunt, abſque alia manuum Cæremonia percurruntur reliquæ, etiamſi forent ſeptem, aut novem. A Portu *ſupra n. 18.*

Ut plurimum prima tantum, & ultima per ordinarias clauſulas concluduntur, excepta Miſſa Feriali in Quadrageſima; in qua poſt ordinarias Orationes, ut ſupra diximus, in fine Miſſæ dictas, adjicitur nova, præmiſſis verbis *Oremus*, & deinde *Humiliate capita veſtra Deo*; caputque ad dicta verba verſus Crucem inclinatur. Lohner *part. 2. tit. 11. de Ritu communi n. 3.* Vide Decretum emanatum die 17. Auguſti 1709.

col-

Google

collocatum in noſtra Appendice, in quo declaratur, utrum ſit prætermittenda tertia Oratio ad libitum, quando ex juſſu Summi Pontificis, vel Epiſcopi in Miſſis debet apponi aliqua ſpecialis Oratio pro publica indigentia.

R U B R I C A.

3 *Si Altare ſit* (d) *ad Orientem verſus Populum, Celebrans verſa facie ad Populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus eſt, Dominus vobiſcum, Orate fratres, Ite Miſſa eſt, vel daturus Benedictionem: ſed oſculato Altari in medio, ibi expanſis, & junctis manibus, ut ſupra, ſalutat Populum, & dat Benedictionem.*

*G A V A N T U S.*

(d) *Ad Orientem*. Ex traditione Apoſtolorum orandum eſt ad Orientem. *S. Athanaſius de plur. & neceſſ. quæſt.* 14. addit cauſas, quarum prima eſt, quia ex *Pſalm.* 131. adorandum, eſt, ubi ſteterunt pedes Domini, qui *ex Zach.* 14. in monte Olivarum in Oriente ſtare dicuntur. Altera eſt, quia Deus eſt lux vera. Tertia, ut reſpiciamus Paradiſum, unde Adam ejectus fuit, ex *Clem. lib.* 8. *Conſtit. cap.* 15. & *Nyſſeni de Orat.* Quartam addit *Juſtin. ad Orthodox. quæſt.* 118. quia Oriens eſt pars honoratior Mundi. Quintam *Damaſc.* 4. *de Fide Orthodox. c.* 13. quia Chriſtus in Cruce Occaſum reſpiciebat, eodemque ſitu Cœlum aſcendit, inde eſt venturus ad Judicium. Converſi igitur ad Orientem, quaſi ſedem Chriſti, nos in Occaſu ſemper ob culpam oremus. Sextam *S. Thom.* 1. 2. *quæſt. art.* 3. *ad* 5. ad differentiam Judæorum, qui ad Occidentem orabant, ut ex ſitu Templi Salomonici colligit *Anaſtaſ. Nicæn. quæſt.* 18. Septimam *Tertull. contra Valent. cap.* 3. quia in aurora venit ad Apoſtolos Deus in Pentecoſte. Octavam *Auguſt. lib.* 1. *ſerm. Dom. cap.* 9. quia monemur convertere animum ad naturam præſtantiorem, id eſt Deum: ſicuti convertimus corpus terrenum ad cœleſte nobilius. Verum nunc ad omnem partem Miſſam celebramus, quia Deus ubique eſt; neque intelligitur hæc Rubrica de omni altari ad Orientem, ſed de eo, quo Celebrans habet & Crucem, & Populum ante faciem ſuam.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, & Solemnis, ſervando in dicendo Dominus vobiſcum, quando Altare eſt verſus Orientem.

XII. Gavant. lit. d -- *Ex traditione Apoſtolica orandum eſt ad Orientem*.) Veteres Chriſtiani, qui Deum precibus colebant, veriſſimum eſt, quod ad orientalem plagam vertebantur: quam quidem veritatem pluribus teſtimoniis comprobare poſſem; ſed ſufficiat innuere Joachimum Hildebrandum tractaſſe diligenter hoc argumentum in ſuo Rituali orantium *cap.* 1. §. 5. & *ſeqq.* De moralitate hujus diſciplinæ accurate egit pariter inter Heterodoxos Jacobus Thomaſius *diſſertat. de Ritu precandi verſus Orientem, Lipſiæ, Anno* 1670. ubi & cauſas ejuſdem varias a variis allatas diligenter expendit; & *cap.* 12. §. 122. & *ſequentib.* approbat opinionem illorum, qui cenſent talem Ritum ideo priſcis Chriſtianis placuiſſe, ut admonerentur homines Eccleſiam, veluti e nocte, ac tenebris vet. Teſtam. in lucem diemque fœderis novi emerſiſſe per prædicationem Evangelii de Chriſto. Alia hujus Ritus cauſam aſſignat Scriptor quæſtionum ad Antiochum, reſponſione ad *quæſt.* 37. *tom.* 2. operum Sancti Athanaſii: ut nimirum Fideles in amiſſam exoptatam Patriam Paradiſum, quem Deus plantavit ad Orientem, precantes intuerentur. Hunc Ritum ab Apoſtolica traditione deſcendere teſtatur diſerte Baſilius *lib.* 2. de Spiritu Sancto *cap.* 27. Chriſtianorum tamen propria non fuit hæc orandi diſciplina: nam communis fuit & Gentilibus, & Hebræis, ut ex Plutarcho in Numa, Luciano *in de domo*, & Joſepho *lib.* 2. adverſus Apionem demonſtrari facillime poſſet. Adeo priſcis Fidelibus placuit mos reſpiciendi ad Orientem, ut nedum viventes illum in precibus religioſe ſervarent; verum etiam mortui eorum corpora ſupina in ſepulchris facie Orientem reſpicerent: quod ab erudito Caſalio notatum eſt *de veter. Sac. Chriſt. Ritib. cap.* 4.

In ſequelam talis Ritus, Altaria pariter in quibus Sacra Myſteria peragebantur ad Orientem ſpectabant: hinc Socrates *lib.* 5. *Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap.* 22. de Altari Antiochenorum ad Occidentem converſo, quaſi hoc ipſum, præter alia, habuerit talem aſpectum, ita loquitur: *Eccleſia Antiochiæ Syriæ contrarium ab aliis Eccleſiis ſitum habet: nam Altare non ad Orientem, ſed ad Occidentem ſpectat*: quapropter ſi ſtructura Eccleſiæ Antiochenæ in hoc diſcrepabat ab aliis Templis, quod in illa Altare non ad Orientem, ſed ad Occaſum ſpectaverit; manifeſtum omnino eſt, quod in aliis Templis ſolemne fuit, ut Altaria, non Occaſum, ſed Orientem reſpexerint. Et revera Tertullianus adverſ. Valentini. *cap.* 3. alludens ad Chriſtianorum Templa: *Noſtræ*, inquit, *Columbæ domus ſimplex editis ſemper, & apertis ad lucem. Amat figura Spiritus Sancti Orientem*: & Iſidorus *Originum lib.* 15. *cap.* 4. loquens de veteribus Chriſtianis hæc prodidit: *Quando Templum conſtruebant, Orientem ſpectabant æquinoctialem; ita ut lineæ ab Ortu ad Occidentem miſſæ, fierent partes Cœli dextera, ſiniſtra æquales, ut qui inſuleret ac deprecaretur, rectum aſpiceret Orientem*. Paulinus quoque *Ep.* 12. ad Severum appellat hunc morem uſitatiorem: quamquam ipſe eundem non obſervaverit in Templo, quod conſtruxit: ſic enim ait: *Proſpectus Baſilicæ non, ut uſitatior mos eſt, Orientem ſpectat; ſed ad Domini mei Beati Felicis Baſilicam pertinet, memoriam ejus aſpiciens*; ex quibus legitime infertur non juris, ſed arbitrii rem fuiſſe ad Orientalem, vel ad aliam plagam Sacra Templa ædificare: quam quidem ſententiam amplexus eſt VValafridus Strabo *de Rebus Eccleſiaſticis cap.* 4. ubi ſcribit: *uſus frequentior, & rationi vicinior habet in Oriente orantes converti, & pluralitatem maximam Eccleſiarum eo tenore conſtitui.*

XIII. Gavant. eadem litera d -- *Verum nunc ad omnem partem Miſſam celebramus, quia Deus ubique eſt.*) Non ſolum nunc, ſed etiam antiquitus, non omnia Altaria Orientem ſpectabant, ſed quædam etiam Occidentem, quædam Meridiem, & quædam Septentrionem reſpiciebant, idque patet ex ſupradicto Templo Antioch. & ex iis, quæ tradit mox laudatus Strabo (qui floruit Anno Domini 440.) citat. loc. ubi ait his verbis: *Non erraſſe illos, vel errare, qui Templis, vel noviter Deo conſtructis, vel ab Idolorum ſquallore mundatis propter aliquam locorum opportunitatem, ad diverſas plagas Altaria ſtatuerunt*: additque rationem ſubnectendo: *Quia non eſt locus ubi non ſit Deus*: deinde recenſet exempla: *Veriſſima enim* (inquiens) *relatione didicimus in Eccleſia, quam apud aliam Conſtantinus Imperator cum matre Helena ſuper ſepulchrum Domini miræ magnitudinis, in rotunditate conſtituit; itemque Romæ in Templo, quod ab antiquis Pantheum dictum, a Beato Bonifacio Papa, permittente Phoca Imperatore, in honorem omnium Sanctorum conſecratum eſt, in Eccleſia quoque Beati Petri Principis Apoſtolorum Altaria non tantum ad Orientem, ſed etiam in alias partes eſſe diſtributa. Hæc cum ſecundum voluntatem, vel neceſſitatem fuerint ita diſpoſita, improbare non audemus*. Non eſt igitur novus, ſed antiquus, non prohibitus, ſed arbitrarius mos vertendi Altaria ſicut nos facimus modo ad Orientem, modo ad Occidentem, vel ad aliam plagam, prout ratio Templi, & ſitus exigit: & hinc eſt, quod prima verba ſuperioris Rubricæ intelligenda ſunt de orientali plaga non reali, ſed imaginaria: appellat ſiquidem Rubrica Altare ad Orientem illud, in quo Celebrans non ſolum Crucem, ſed etiam Populum habet ante faciem ſuam. Gavantus *ſupra*, Biſſus *tom.* 1. *litera A num.* 255. §. 1. Quarti *ſupra*, & Vinitor *part.* 2. *tit.* 5. *in adnot*, §. 10.

Horum Altarium exempla plura habemus in Baſilicis, & Eccleſiis Urbis, in quibus Aræ majores collocatæ ſunt, ſicuti antiquitus fiebat in medio Chori, nulli adhærentes parieti; in quibus Celebrans non vertit humeros ad Altare; ſed perſiſtens ſicuti eſt facie ad Populum verſa, dicit *Dominus vobiſcum, Orate fratres, &c.* eatenus enim in aliis Altaribus, quæ ſunt adhærentia parietibus, celebrando debet vertere humeros ad Altare; ut facie ad faciem Populum Sacrificio præſentem reſpiciendo ſalutet, benedicat, &c. ſed cum in dicto primo caſu jam habeat faciem ad Populum converſam, hinc opus non eſt alio motu, quo ſe vertat ad Populum: unde oſculato Altari in medio, poſitiſque hinc inde manibus, ut ſupra deſcripſimus, deinde iiſdem manibus junctis, & ſtatim expanſis, dicit *Dominus vobiſcum*; & poſtea ſequitur ut ſupra.

R U B R I C A.

4 *In quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ ſunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto Kyrie eleiſon, in medio Altaris, revertitur ad cornu Epiſtolæ; ubi ſtans ante librum extenſis, & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinat, dicit, Oremus,* (e) *Flectamus genua; illico manibus ſuper Altare extenſis, ut ſeipſum ad Altare ſuſtineat, genuflectit; & ſine mora ſurgens, eadem voce Miniſtro reſpondente, Levate, manibus extenſis dicit* (f) *Orationem ut ſupra, & in concluſione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus ſuper librum, vel Altare poſitas, ut mox dicetur de Epiſtola.*

*G A V A N T U S.*

(e) *Flectamus genua*. Habet *Micrologus cap.* 28. ut Oratio, quæ fit cum jejunio, addita humilitate ſit efficacior. *Durand. lib.* 4. *cap.* 14. Habes Ritum genuflectendi, & ſtatim ſurgendi, ad indicandum, quod propter peccatum in terram delapſi ſumus, & per benignitatem Dei revocati ſumus; *apud Baſilium libro de Spiritu Sancto, capite* 2. ubi etiam hunc eumdem Ritum deducit ab Apoſtolis.

Duo genua flecti vult *Alcoz. in ſuo Cæremoniali* ex vi verborum *Flectamus genua*; ſed vim non faciunt, quia dum ſinguli genu; plura genua tunc flectuntur.

(f) *Orationem*. Populus ſaltem acclinis eſſe debet ad Orationem uſque ad *Per omnia*; *ex Alcuino capit. de Celebration. Miſſ.* additum eſt *Amen* ab Anacleto; *ex Hugone Victorino lib.* 2. *capite* 11. de cujus ſignificatione diximus ſupra, *tit.* 9. *num.* 17.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ſervando in Quatuor Temporibus, vel alias quando dicendæ ſunt plures Orationes.

XIV. Gavant. litera e -- *Habet Ritum genuflectendi.*) In quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ ſunt plures Orationes cum Prophetiis, ſive Lectionibus, Sacerdos dictis *Kyrie* in medio Altari, facta prius minimarum maxima Cruci inclinatione, Caſtaldus *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 10. Biſſus *litera S. num.*

num. 20. §. 6. redit ad cornu Epiſtolæ; ubi ſtans ante librum extenſis, & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, Bauldry *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *n.* 2. Lohner *parte* 2. *tit.* 32. §. 1. *de capitis inclinatione*, dicit *Oremus* voce ordinaria, & clara, poſtea dicit *Flectamus genua*, non ſolum Miniſtro, ſed etiam ſingulis adſtantibus: ideoque ſi forte ſtarent, tunc genuflectere deberent; & interim ipſe quoque manibus ſuper Altare expanſis, ut ſeipſum apud Altare ſuſtineat, & hinc inde collocatis, ita ut liber inter ipſas mediet, genuflectit. Bauldry *loc. cit. Rubric.* 4. *n.* 1. Bonamicus *part.* 5. *obſerv.* 21. *n.* 10.

XV. Gavant. eadem litera e - *Dum genua flectit, vult Alcozer, &c.*) In prædicto caſu vult Alcozer Sacerdotem debere ex vi verborum utrumque flectere genu: e contra vero Gavant. *ſupra*, quem ſequuntur Tonellius Bauldry, Polaccus, Biſſus, Gerv. ſicut etiam a Portu ſupra *in adnot. Rub.* 4. *n.* 7. ſuſtinet, unicum tantum dexterum genu in prædicto caſu Sacerdotem flectere debere: quia dato, ut ſuſtinet Alcozer, quod ex vi verborum *Flectamus genua* plura genua flecti debeant; ſemper verificantur hæc verba, quando plures, & ſinguli ſuum flectunt dexterum; tunc enim veriſſimum eſt, quod plura genua flectuntur: nam ly *Flectamus genua* non refertur ſolum ad Sacerdotem id dicentem, ſed ad alios quoque præſentes. Biſſus *lit. G. n.* 28. §. 4.

XVI. Gavant. litera f - *Populus ſaltem acclinis eſſe debet.*) Poſtquam Sacerdos dixit: *Flectamus genua*, Miniſter ſtatim reſpondet *Levate*; quo vebo prolato Sacerdos quidem ſurgit, & ſtat, ſed non Miniſter, qui imo perſeverat genuflexus ad totam Orationem ſequentem, uſque ad concluſionem; Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 3. & ſi plures ſunt Lectiones, non ſurgit, niſi poſt terminatam ultimam: Lobner *part.* 3. *tit.* 8. *num.* 7. Populus vero ad dictam Orationem debet eſſe acclinis, etiamſi ſit genuflexus; Bauldry *part.* 3. *titul.* 5. *Rubrica* 4. *num.* 2. & Gavant. *ſupra*, Alcuin. *cap. de Celebr. Miſſæ*, quem ſequitur Biſſus *lit. O. n.* 85. & ſic pariter acclinis debet eſſe Miniſter, durante tali Oratione, uſque ad *Per omnia*, vel *Qui tecum*. Hippolytus a Portu *ſupra*.

Sacerdos autem poſtquam ſurrexit, manibus extenſis dicit Orationem eo modo, quo extenduntur, & extenſæ retinentur ad conſuetas Orationes: in concluſione vero Orationis manus jungit ſecundum regulam præſcriptam in aliis Orationibus; pariter caput inclinat Cruci, aut non, juxta qualitatem concluſionum: a Portu *ſupra*: dum autem legit Prophetias teneat manus ſuper librum, vel ſuper Altare poſitas, ut dicemus de Epiſtola. Biſſus, & Gerv. *ſupra*.

## R U B R I C A.

5 *In Miſſa Solemni cum dicitur, Dominus vobiſcum, & Oratio, Diaconus, & Subdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem.* (g) *Flectamus genua, dicitur a Diacono; a Subdiacono vero, Levate, illo primum genuflectente, hoc primum ſurgente:* (h) *Celebrans vero non genuflectit.*

## *G A V A N T U S.*

(g) *Flectamus genua.* Ad Diaconum ſpectat, *teſte Cæſario Arelaten. homilia* 30. *de genuflect.*

(h) *Celebrans non genuflectit.* Vide ſupra *tit.* 17. *num.* 3. *part.* 1. Miniſtri caput inclinant in Oratione eodem modo, quo Celebrans, & deceret, ut manus junctas iidem tenerent; neque Diaconus in fine Orationis tenetur dicere ſubmiſſa voce *Amen*; quod quidam putavere: ſatis enim eſt, quod a Choro reſpondeatur Sacerdoti.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, ſervanda in Orationibus, etiam quando dicendum eſt Flectamus genua.

XVII. Rubric. *In Miſſa Solemni cum dicitur Dominus vobiſcum, &c.*) Poſtquam Celebrans ad Altare pervenerit, (ut ſupra diximus, ubi egimus de Ritu Miſſæ Solemnis) illud oſculatur; idque ſemper facit quoties de ſede accedit ad Altare, niſi ſtatim oſculandum eſſet ex Rubrica; quia tunc ſufficeret illud oſculari ſemel præſcripto tempore. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 6. & 8. necnon Biſſus *lit. C. num.* 197. §. 19. & expleto totaliter Hymno a Choro, oſculatur Altare in medio (niſi tamen paulo ante illud oſculatus fuerit, poſtquam, ut mox dixi, ad Altare redierit) poſtea manibus junctis ſe ad Populum convertit; & ſic converſus dicit in cantu *Dominus vobiſcum*, extendens, elevans, & iterum jungens manus, prout in Miſſa Privata. Miniſtri vero Sacri in hoc caſu, ſtant ut prius unus poſt alium, ambo in recta linea facie ad Altare verſa; Biſſus *ſupra* §. 12. & 20. nullatenus ſe inclinantes, quemadmodum numquam ſe inclinant in hujuſmodi converſionibus. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. §. 15. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *artic.* 1. *n.* 23. Biſſus *ſupra* §. 20.

XVIII. Rubric. *Et Oratio.*) Poſtquam Celebrans dixerit *Dominus vobiſcum*, ipſe per ſuppedaneum de more, Diaconus vero a dexteris a tergo Celebrantis per ſecundum gradum, in quo reperitur, Subdiaconus vero a dexteris, & a tergo Diaconi per planum ubi eſt, procedunt ad cornu Epiſtolæ ſine ulla præcedente genuflexione; ibique Celebrans jungens manus, & inclinans de more caput Cruci, (inclinantibus hoc modo pariter caput eidem Cruci Miniſtris cum Celebrante, non tamen manus extendentibus, ſed eas junctas tenentibus) Celebrans dicit *Oremus*, deinde Orationem cantat, vel Orationes, prout fert ratio Officii, quas debet dicere ſub uno, eodemque tono, niſi aliter expreſſe notetur; & dum eas cantat, Miniſtri Sacri perſeverant eodem modo, & in eodem loco, prout ſupra. Si tamen Celebrans ad nomen *Jeſus*, aut *Sancti*, de quo Miſſa canitur, caput inclinet, ipſi pariter inclinare debent. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *ſupra*, & *cap.* 13. *art.* 1. *n.* 13.

XIX. Gav. lit. g - *Flectamus genua.*) Quando dicendum eſt, dicitur a Diacono, qui interim flectit utrumque genu, & omnes alii cum eo, excepto ſolo Celebrante, qui ſolum debet genuflectere, quando in deficientia Sacrorum Miniſtrorum ipſe cantat *Flectamus genua*; *Levate* vero dicitur a Subdiacono, qui eodem tempore ſurgit, & omnes alii cum eo. Sed advertere debent Miniſtri omnes, quod ad Orationem Sacerdotis tunc inclinati ſtare debent, & manibus junctis. Biſſus *ſupra*, & alii.

XX. Gavant. lit. h - *Miniſtri caput inclinent in Oratione.*) Quando Celebrans profert in Oratione nomen *Jeſus*, aut aliud nomen, ad cujus prolationem caput inclinet, ipſi quoque Sacri Miniſtri caput inclinare debent eo modo, quo Celebrans; Gavan. *ſupra hac lit.* h & omnes Rubriciſtæ cum eo; qui pariter optime advertit, Diaconum in fine Orationis non debere reſpondere *Amen*, ſicuti nec Subdiaconus hoc præſtat; ſatis quippe eſt, quod prædictum *Amen* reſpondeatur a Choro. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 6. & Biſſus *lit. M. n.* 151.

## De Epiſtola, Graduali, & aliis, uſque ad Offertorium. VI.

## R U B R I C A.

1 D*ictis Orationibus, Celebrans poſitis ſuper librum, vel ſuper Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel ut placuerit, librum tenens,* (i) *legit Epiſtolam intelligibili voce, & reſpondetur a Miniſtro, Deo gratias; & ſimiliter ſtans, eodem modo proſequitur Graduale, Alleluja, & Tractum; ac Sequentiam, ſi dicenda ſint. Quibus dictis, Celebrans, ſi privatim celebret, ipſemet, ſeu Miniſter portat librum Miſſalis* (l) *ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii; & dum tranſit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, & Miſſale ſic locat, ut poſterior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſive ad partem ejus, contra ſe directum.*

## *G A V A N T U S.*

(i) *Legit Epiſtolam.* De qua docuimus multa *tit.* 10. ubi etiam de Graduali, Tractu, & ſequentia. Hæc cum ſequentibus uſque ad numerum quartum excluſive *Joan. Burchardus* habet.

(l) *Ad alteram partem Altaris.* Siniſtram Altaris appellant antiqui hoc cornu: *Micrologus cap.* 9. ad Aquilonem legit. *Alcuinus cap. de Celebr. Miſſ.* quia contra Luciferum dicitur Evangelium, & contra ſequaces Diaboli, *Edvenſ. cap.* 12. & contra peccatores, *Innoc. lib.* 2. *cap.* 25. & ad Gentiles vocandos, *Ivo ſermon. de conv. vet. & novi Sacrific.* Item ad alteram partem itur, ut expeditior ſit Sacerdos in dextera ad conficienda Myſteria, *Microl. cap.* 9.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, ab initio Epiſtolæ, uſque ad finem Gradualis.

I. Gavant. lit. i - *Legit Epiſtolam.*) Dicta igitur Oratione, vel Orationibus, ſi plures ſint dicendæ, Sacerdos poſitis ſuper librum, vel ſuper Altare manibus, (ita ut palmæ manuum librum tangant, vel prout placuerit, manibus librum tenens ad arbitrium ipſius Celebrantis; vel ad majorem commoditatem, dummodo alterutram manum ſolam in aere ſuſpenſam nunquam teneat) legit Epiſtolam voce clara, & intelligibili. Biſſus *lit. G. n.* 20. §. 28. Gervaſi *ſupra cap.* 6. §. *Detta l'Orazione*, & alii, quos congerit, & approbat a Portu *tit.* 6. *Rubr.* 1. *in adnot. num.* 2.

Lecta Epiſtola reſpondetur a Miniſtro *Deo gratias* clara, & intelligibili voce, non ſolum poſt Epiſtolam, ſed etiam poſt Prophetias, exceptis ultima Lectione Danielis in Sabbato quatuor Temporum, Lectionibus Feriæ VI. in Paraſceve, & Sabbati Sancti, ne interrumpatur textus, vel ſenſus. Bauldry *part.* 1. *cap.* 11. *num.* 23. & *part.* 3. *tit.* 10. *n.* 1. Eadem ratione idem Bauldry *cit. part.* 3. opinatur omittendum eſſe *Deo gratias*, etiam in Lectionibus, ſeu Prophetiis Sabbathi Pentecoſtes; poſt quas dicitur Tractus ſolum poſt ſecundam, & tertiam.

II. Gavant. lit. l - *Ad alteram partem Altaris.* Terminata Epiſtola, & reſponſo *Deo gratias* a Miniſtro voce clara, Sacerdos, ut præſcribit ſuperior Rubrica, proſequitur *Graduale*, *Alleluja*, *Tractum*, *Sequentiam*, ſi dicenda ſint, &c. his, inquam, omnibus ab eo recitatis, ipſemet ſi privatim celebret, præſertim propter negligentiam, aut impotentiam Miniſtri fortaſſe parvuli, vel inepti, portat Miſſale ad alteram Altaris partem, id eſt ad cornu Evangelii; ſed tranſiens per medium Altaris caput Cruci inclinat, ut infra dicemus. Magis tamen decet, ut Miniſter præfatum Miſſalis librum transferat ab una ad aliam partem Altaris: Biſſus *ſupra* §. 19. Bonamicus *part.* 2. *n.* 13. Tonellius, Gervaſius *ſupra*, & alii communiter: quapropter dum a Sacerdote dicitur Tractus, ſeu Sequentia, Miniſter erigit ſe, & ambulans per planum Capellæ verſus cornu

Epi-

Digitized by Google

Epiſtolæ, genuflectit in medio dum tranſit ante medium Altaris. Caſtaldus *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 4. Bauld. *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 24. Biſſus *ſupra*, & alii; deinde per anteriorem partem Epiſtolæ aſcendit ad Altare, ubi ſumit Miſſale, & clauſum transfert, pollice ſiniſtro inter folia interjecto, in quibus Evangelium legendum deſcriptum eſt, & transfert dictum Miſſale cum cuſſino (niſi cuſſini ſint duplicati) manu dextera ſubtus cuſſinum poſita, Bauldry, Caſtaldus *ſupra*. Si non ſit deferendus cuſſinus, tunc librum deferat ante pectus, dextera manu tenente in medio partem libri, quæ non aperitur, pollice ſiniſtro, ut ſupra, inter folia interjecto; a Portu *ſupra n.* 7. qui pariter ibidem amplectitur ſententiam Corſetti, Caſtaldi, & Bonamici, aſſerentium, quod Miniſter deferens Miſſale, ambulare debet per gradum pradellæ inferiorem, ad hoc ut motus ſit expeditior, præſertim ſi gradus Altaris ſint plures, aliter ſæpe ſæpius librum expectare deberet Sacerdos otioſe; numquam tamen Miniſter tranſire debet per gradum, ſeu pradellam, in quo, vel in qua eſt Sacerdos; ut advertit Bonamicus *part.* 1. *obſervat.* 5. *n.* 7. ne tranſeundo in dictum Sacerdotem impingat; Bauldry tamen ſupra contra præfatorum ſententiam docet Miniſtrum in prædicto caſu, deferendo librum ad latus Evangelii, debere ambulare per planum, ibique genuflectere dum tranſit per medium Altaris, ſeu Capellæ.

Depoſito libro ſuper Altare modo dicendo, quamprimum deſcendit in planum directe per gradum anteriorem, ſi Bauldry ſententiam ſequi volumus ſupra *num.* 25. quod tamen non placet, quia poſſet impedire Celebrantem tunc fortaſſis advenientem ad cornu Evangelii: quapropter deſcendat per gradus laterales in planum pariter laterale Capellæ, ibique conſiſtat converſus ad Altare, donec reſponderit: *Et cum ſpiritu tuo*, *Gloria tibi Domine*; deinde ſe conferat ante gradum infimum a cornu Epiſtolæ, genuflectendo in medio Altaris, ſeu Capellæ de more, dum per medium tranſit, & converſa facie ad Evangelii latus, ita permanet, donec terminato Evangelio, dixerit: *Laus tibi Chriſte*. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 24. Caſtaldus *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 14.

Advertat tamen idem Miniſter ne accipiat librum antequam Sacerdos a cornu Epiſtolæ diſceſſerit, & accedendo, vel recedendo ab Altari, ne terga vertat ipſi Altari; unde poſtquam in cornu Evangelii librum depoſuit, convertat ſiniſtrum latus ad Altare, dexterum autem ad Populum; e contra quando deſcendit a parte laterali Epiſtolæ convertat tunc latus dexterum ad Altare, ſiniſtrum vero ad Populum. Bonamicus *part.* 2. *n.* 8.

III. Gavant. eadem litera l - *Item ad alteram partem itur.*) Defertur liber ad alteram Altaris partem non ſolum ut Sacerdos ſit expeditior in dextera parte Altaris ad conficienda Myſteria, ut ex Micrologo *cap.* 9. notat Gavantus ſupra; ſed etiam quia hæc altera pars eſt nobilior, utpote dextera pars Altaris, ut ſupra adnotavimus: nobilior autem locus tribuendus eſt Evangelio, & minus nobilis Epiſtolæ, a Portu *n.* 8. *ſupra*, ubi pariter advertit, quod juxta ſuperiorem Rubricam, ſi Celebrans ipſe transferat Miſſale, tranſeundo per medium Altaris caput Cruci inclinat; deinde accedit ad cornu Evangelii, ut deponat librum, reverſurus iterum ad medium abſque ulla alia inclinatione Cruci, quia inclinaturus eſt profunde, ut dicat, *Munda cor meum*, *&c.* Miſſale vero ſic collocet, ut pars ſuperior libri cornu poſterius Altaris reſpiciat contra ſe directum, & Sacerdoti in obliquo Evangelium legenti ſit magis accommodata. Quarti *part.* 2. *tit.* 6. *Rubr.* 1. *n.* 3. qui advertit Celebrantem non debere tunc terga vertere ad Populum, cui annuntiat Evangelium, ſed aliquantulum ad eum permanere converſum.

## R U B R I C A.

1 *Locato Miſſali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris; ibique ſtans junctis manibus ante pectus, elevatiſque ad Deum oculis, & ſtatim demiſſis, tum profundo inclinatus, dicit ſecreto,* (m) *Munda cor meum, & Jube Domine benedicere, Dominus ſit in corde meo, ut in Ordinario. Quibus dictis, vadit ad librum Miſſalis, ubi ſtans verſus illum junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce, Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo. Deinde pollice dexteræ manus ſigno Crucis* (n) *ſignat primo librum ſuper principio Evangelii, quod eſt lecturus,* (o) *poſtea ſeipſum in fronte, ore, & pectore, dicens, Sequentia, vel, Initium Sancti Evangelii, &c.* Reſp. (p) *Gloria tibi, Domine. Tum junctis iterum manibus ante pectus, ſtans ut ſupra, proſequitur Evangelium uſque ad finem. Quo finito Miniſter ſtans in cornu Epiſtolæ poſt infimum gradum Altaris, reſpondet, Laus tibi, Chriſte: & Sacerdos elevans paramper librum,* (q) *oſculatur principium Evangelii, dicens: Per Evangelica dicta, &c. præterquam in Miſſis Defunctorum, & niſi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in eorum reſidentiis; quo caſu defertur* (r) *cuilibet prædictorum oſculandus liber, & Celebrans tunc non oſculatur illum, nec dicit, per Evangelica dicta. Cum autem nominatur JESU, caput verſus librum inclinat; & eodem modo verſus librum genuflectit, cum in Evangelio eſt genuflectendum.*

*G A V A N T U S,*

(m) *Munda cor meum.* Majore Benedictione indiget, qui tradit ſemina Evangelii, quam qui accipit: *Ama, l.* 3. *p.* 18. *Et quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Rom.* 10. Orat igitur Sacerdos ſe mitti a Deo; *Innoc. loc. cit. c.* 38. & ſimilis Oratio habetur *in Liturgia Jacobi*.

(n) *Signat*, *&c.* Scribit *Innocent, III. c.* 43. de ſignando libro; & explicat, quaſi dicatur; Hic eſt liber Crucifixi. * Dum ſignatur liber, ſiniſtra manus apponi poteſt eidem libro, & uſus eſt communiſſimus, neque ſignatio hæc dici debet Benedictio, ita ut ex hoc titulo poni debeat ſiniſtra ſuper altare; quia neque manu fit, ſed pollice tantum, eoque modo, quo Epiſcopus in Confirmationis Sacramento ſignat pollice frontem ſigno Crucis, & manu ſtatim benedicit; quæ duo ſunt valde diverſa.

(o) *Poſtea ſeipſum*. Jubet *Ordo Rom.* ſignare in fronte, & pectore tantum, ut ſe oſtendat diſcipulum Chriſti, cujus Evangelium non erubeſcit, & malas cogitationes de corde pellat. *Alcuin. l. c.* De ſigno in ore, quo Confeſſio verbi Dei ad ſalutem fiat, meminit *Honor. in Gemma lib.* 1. *c.* 23. Pollice vero tantum fiunt hæc ſigna, non cum indice, & pollice conjunctis in formam Crucis.

(p) *Gloria tibi*, *Domine*. Vide ſupra, ſicuti etiam de principio Evangelii, & de ipſo Evangelio, quæ diximus, *tit.* 10. *par.* 1. *n.* 6.

(q) *Oſculatur principium Evangelii*. Tradit *Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap.* 3. *& Ordo Romanus*, quaſi dicamus, per Chriſtum reconciliationem accepimus, *Innocentius III. dicto cap.* 43. vel ex charitate evangelizamus, *Durandus lib.* 4. *cap.* 24. Pacem denique a Chriſto optamus, deletis peccatis noſtris; unde diximus: *Per Evangelica*, *&c.*

(r) *Cuilibet prædictorum*. Ob reverentiam Prælatorum datur eiſdem liber oſculandus. Si vero plures Prælati æquales intereſſent Miſſæ, nulli dabitur oſculandus, nec etiam Celebranti; ſi plures inæquales, tunc digniori tantum: *Cær. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 30. quia Chriſtus unus eſt, quem repræſentat ille, qui oſculatur librum; ut dicemus in myſtica expoſitione Miſſæ. Aut unus igitur & dignior oſculatur, aut nullus; non duo, ne dividatur Chriſtus.

Tolerari poteſt illa conſuetudo, qua defertur liber Prælato, continuante Celebrante Symbolum: quia antiquitus, dum Symbolum cantabatur, dabatur Evangelium oſculandum toti Populo: *Gemma lib.* 1. *cap.* 119. non autem placet altera, qua Prælatus oſculatur librum, dicto Offertorio, quando non dicitur *Credo*. Abuſus eſt ad brevitatem Miſſæ introductus: & Miniſter quidem deferet librum ſine ulla reverentia ad Prælatum: ſed poſtquam ille fuerit oſculatus, libro ſtatim clauſo, reverentiam illi debitam facit, ille vero tantum, qui librum oſculatur, dicere debet, *Per Evangelica*, *&c.* ſunt enim verba oſculantis propria, quæ ideo omiſſo oſculo omittuntur; ut in Miſſa Defunctorum hoc loco præſcribitur.

Ex Decretis Congregat. Cardin. ſuper negotia Epiſcoporum 22. *&* 28. *Auguſti* 1589. non defertur liber oſculandus Vicario Apoſtolico; * neque Commendatario, ſeu ejuſdem Procuratori, ex Decreto Sac. Rit. Cong. *die* 17. *Septembris* 1611. neque aliis in hac Rubrica non nominatis ſine facultate Sedis Apoſtolicæ. Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis: & illis alius liber deferendus eſt, non idem ipſe Celebrantis, qui proprium eo caſu ſemper oſculari debet librum.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ privatæ, a fine Gradualis, uſque ad finem Evangelii.

IV. Gavant. lit. m - *Munda cor meum.*) Supponit Rubrica Celebrantem ſuis manibus detuliſſe Miſſale ad cornu Evangelii: quod ſi ipſe non detulerit, ut deferre non debet ex majori decentia; tunc procedit, a parte Epiſtolæ ad medium Altaris junctis manibus ante pectus; ibique hoc modo ſtans, ſed digitorum extremitatibus faciem ſuam reſpicientibus, elevando ad Deum oculos, nimirum ad Crucifixi imaginem, & ſtatim illos demittendo, nunquam vero elevando caput, profunde tamen inclinatus inclinatione medii corporis, dicit ſecreto *Munda cor meum*, *&c.* prout in Ordine Miſſæ, voce omnino ſubmiſſa; & manus non ſuper altare ponit, ſed junctas conſervet ſemper inter pectus, & Altare. Hæc tradunt Gervaſi *in Catal. errorum n.* 30. Angel. *part.* 1. *tit.* 5. §. *De Evangelio*; Vinitor *part.* 2. *titul.* 6. *in adnot.* §. 2. Cæremon. Miſſæ privatæ *cap.* 1. §. 5. Hagerer *in Ritu exacto ſervando*, *&c. tit.* 6. *num.* 2. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 6. *n.* 1. Baldaſſarius, & alii communiter. Dicto *Munda cor meum* voce ſubmiſſa, dicit *Jube*, *Domine*, *benedicere*, non vero *Jube Domne*; quia in Miſſa Privata Sacerdos alloquitur non hominem, ſed Deum, a quo tamquam univerſum Domino petit Benedictionem: ex oſcitantia igitur typographorum in quibuſdam Miſſalibus irrepſerunt illa verba *Jube Domne benedicere*; qui titulus *Domni* convenit ſolum homini præclaro: hinc Pontifex in Litaniis vocatur *Domnus Apoſtolicus*. Vide Macrium in Hierolex. verbo *Domnus*, ubi affert hunc verſum: *Cæleſtem Dominum*; *terreſtrem dicito Domnum*; & hinc etiam Diaconus in Miſſa Solemni, qui petit Benedictionem a Celebrante, optime dicit *Jube*, *Domne*, *benedicere* antequam procedat ad cantandum Evangelium; ita etiam quilibet alius inferior Epiſcopo dicere debet *Jube*, *Domne*, *benedicere* in

Cho-

Choro, petens a ſuo Superiore Benedictionem. E contra vero Epiſcopus, quando cantare debet ultimam Lectionem, cum a Deo Benedictionem petat, quia ibi non habet hominem ſuperiorem, dicit: *Jube, Domine, benedicere*. Biſſus *litera S. num.* 124. §. 4. a Portu *ad tit. 6. Rubr. 2. in ſuis adnotat. n. 6.* Lohner *part. 6. tit. 6. n. 2.* Gerlacus, Vinitor, & Hagerer *ſupra loc. citatis*. Prolata, ut dixi, illa prece, *Jube, Domne, benedicere* in Miſſa Privata, Sacerdos ſibi ipſi ſtatim reſpondet: *Dominus ſit in corde meo, & in labiis meis, &c.* uſque ad finem: poſt quæ verba abſque facta Cruci alia reverentia vadit ad librum Miſſalis, ubi ſtans verſus illum manibus junctis ante pectus, facie converſa ante cornu Altaris, ideoque verſus librum oblique poſitum, ut ſupra, corpore. & capite erecto, non autem brachiis incumbentibus Altari, dicit voce intelligibili, hoc eſt ordinaria (non disjungens manus) *Dominus vobiſcum*; ut Populus attentior fiat ad ipſum Dominum loquentem in ſuo Evangelio: Quarti *part. 1. tit. 10. n. 6.* reſpondetur a Miniſtro: *Et cum ſpiritu tuo* eadem clara, & intelligibili voce.

V. Gavant. lit. n - *Dum ſignatur liber, ſiniſtra manus apponi poteſt, &c.)* Poſtquam Miniſter reſpondit, ut ſupra, Sacerdos disjungit manus, ponendo ſiniſtram ſuper librum, ut notat Gavantus hic: deinde pulpa pollicis dexteræ manus, non vero ungue, vel indice, neque pollice, & indice ſimul, ſignat Cruce librum ſuper principio Evangelii, quod erit legendum. Dum autem format hoc ſignum Crucis, dexteram manum totaliter extendit, cujus palmam ad librum convertit, tenendo quatuor reliquos digitos ſimul junctos. Crux, quæ pollice formatur, parva eſſe debet; Bauldry *part. 3. tit. 6. Rubr. 2. num. 1.* Lohner *part. 2. tit. 32. §. 2. n. 4.* & alii communiter.

VI. Gavant. lit. o - *Signat in fronte, & pectore tantum, &c.)* Formata modo ſupradicto Cruce parva ſuper librum, Sacerdos poſtea eodem pollice ſignat ſe ipſum in fronte, ore, & pectore, ponendo ſiniſtram manum infra ipſum pectus, & extendendo totaliter dexteram junctis aliis digitis, palmamque ipſius dexteræ ad ſe convertendo; Bonamicus *part. 2. num. 2.* & Bauldry *ſupra ex Rubr. ſuprad.* format autem non unum, ſed triplex Crucis ſignum, primum in fronte, ſecundum in ore, tertium in pectore. Bonamicus, & Gervaſi *ſupra §. Detto*. Has eaſdem tres Cruces ſibi formant pariter Miniſtri in fronte, in ore, & in pectore. Bauldry *part. 1. cap. 17. num. 25.* Lohner *part. 3. tit. 9. n. 8.* Sacerdos deinde dicens *Sequentia*, vel *Initium Sancti Evangelii, &c.* debet eſſe converſus ad cornu Evangelii, & non ad Altare; Bonamicus *part. 2. n. 14.* Polaccus *part. 1. §. 2.*

VII. Gav. lit. p. - *Gloria tibi, Domine.)* Prolatis prædictis verbis a Sacerdote, reſpondetur a Miniſtro voce ordinaria, & clara *Gloria tibi, Domine*, & tunc Sacerdos non ſe vertit ad Crucem, nec ad Sanctiſs. Sacramentum, nec caput inclinat; Bauldry *ſupra*; ſed jungit iterum manus ante pectus, ſtans ut ſupra; ſicut etiam Miniſter, & circumſtantes ſtare debent Evangelium audituri. Quarti *part. 1. tit. 17. n. 2. §. Præterquam, & part. 2. ſupra n. 4.* Proſequitur lectionem Evangelii uſque ad finem, quod certe majori pauſa, & diſtinctione quam alia, quæ dicuntur clara voce, pronunciandum eſt. Quarti *part. 2. ſupra*. Cum durante lectione Evangelii, genuflectendum, vel inclinandum fuerit caput, id nunquam fiat verſus Crucem, vel Sanctiſſimum Sacramentum, ſed verſus librum; & perſeveret ſemper Sacerdos, dum legit Evangelium, erectus verſus librum, brachiis ſeu manibus minime innitendo Altari, vel libro. Vinitor *ſupra* §. 8. Biſſus *litera S. num.* 20. §. 30. Pronuntiando itaque nomen *Jeſus*, capitis inclinatio, quæ extra Evangelium fit verſus Crucem, dum legitur Evangelium, debet fieri verſus librum ipſum; ut præſcribit eademmet ſuperior Rubrica in fine: Caſtaldus, Gavantus *ſupra*, & Quarti *part. 2. tit. 8. Rubrica 2. num. 6.* adducens hanc rationem, quia in Evangelio expreſſius repræſentatur Chriſtus Dominus, quem in Cruce, utpote quod eſt verbum ipſius Divini Incarnati Verbi; & hinc eſt, quod in octava Synodo *cap. 3.* ſtatutum fuit librum Evangeliorum, & Sacram imaginem D. N. J. C. æquo honore adorari debere. Hinc etiam pretioſiſſimis librum Evangeliorum thecis involvi; in Proceſſionibus ſuper dorſum Diaconorum; in Conciliis in ſublimi throno in medio conſeſſus poni; illo tacto jurare, ac ſi Deus præſens agnoſcatur; chartulas tandem Evangelium continentes collo appendi, antiquiſſimus mos fuit. Quando autem ob prædictas rationes genuflectendum eſt ante dictum librum, utrum faciendo hanc genuflexionem manus disjungendæ ſint, & collocandæ ſuper Altare, uſque ad pulſus, digitis junctis, non conveniunt DD. negat Bonamicus *part. 1. obſerv. 11. num. 10.* affirmant vero Tonellius *lib. 2. tit. 5. Rubr. 4. num. 2.* & a Portu *ſupra num.* 22. hac ratione moti, quia nulla poteſt aſſignari diſparitas pro genuflexione facienda in cornu Evangelii, quæ non militet pro aliis genuflexionibus faciendis in medio Altaris, & in cornu Epiſtolæ, deinde quia collocando prædicto modo manus, facilius aſſurgitur.

VIII. Gav. lit. q. - *Oſculatur principium Evangelii.)* Finito Evangelio, miniſter ſtans in cornu Epiſtolæ poſt infimum gradum Altaris in plano, eadem clara, & ordinaria voce reſpondet: *Laus tibi Chriſte*: & poſt reſponſionem ſine ulla alia reverentia ibi de more genuflectit. Lohner *part. 3. tit. 9. n. 8.* & Bauld. *ſupra*. Sacerdos autem elevans parumper librum ſine cuſſino, & aliquantulum inclinans, oſculatur principium Evangelii a ſe dicti, abſque ulla Crucis productione, neque ſuper librum, neque ſuper ſe ipſum. Vinitor *ſupra* §. 9. Cæremon. Miſſ. Priv. *cap. 7. §. 2.* Bauldry *ſupra num. 3.* ſi opus eſt invertat manu dextera paginam, depoſita ſiniſtra ſuper Altare, ut habeat principium Evangelii, quod lectum eſt, & quod oſculari debet; a Portu *ſupra n. 19.* dicens ſubmiſſa voce: *Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta*: quam Oratiunculam, ſive totam proferat immediate ante deoſculationem, ſive tantum primam ejus partem, id eſt, *Per Evangelica dicta, ante* deoſculationem; & deoſculato libro, *Deleantur noſtra Delicta*: ſive denique illam totam dicat immediate oſculato principio Evangelii, crediderim Rubricæ ſatisfacere, & quodcumque horum fieri poſſe; ſecundus tamen Ritus exactior eſt; ut etiam obſervat Nicolaus de Bralion *in Cærem. Canon. part. 2. cap. 5. n. 11.*

IX. Gavant. lit. r - *Ob reverentiam Prælatorum datur eiſdem liber oſculandus.)* Ritus, ut expleta lectione Evangelii ab Epiſcopo, vel Presbytero celebrante, ejuſdem Evangelii liber oſculetur, eſt antiquiſſimus. De hoc Ritu tractat ſapientiſſime Jonas Aurelianenſis Epiſcopus *præfatione libri 2. de cultu imaginum*, ubi ait: *Sacræ Religionis uſus adhuc in Eccleſia ſervatur, ut peracta Sacra Evangelii lectione ab Epiſcopo, vel Presbytero, cæteriſque Sac. Ordinis Religioſis, codex, in quo Evangelii lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur; ſed hoc cujus cauſa, niſi illius cujus eſſe verba creduntur, agimus?* Unde antiquitus in Miſſa Solemni, non ſolum Celebrans, ſed etiam alii e Clero dictum librum oſculabantur, in ſignum venerationis, & communionis cum Domino Jeſu Chriſto. Ad laicos vero quod attinet, etiam ipſos olim fuiſſe admiſſos ad oſculum Evangelii, teſtatur Ordo Romanus, & vetus Miſſæ expoſitio ex vetuſto codice apud Hittorpium, his verbis: *Deſcendente Diacono de ambone, Subdiaconus, qui in filo ſtat, recipit Evangelium; quod tenens ante pectus ſuum ſuper planetam, porrigit oſculandum primum Epiſcopo, aut Presbytero, deinde omnibus per ordinem graduum, qui ſteterint, & univerſo Clero, necnon Populo.* Idem teſtatur etiam Rupertus Abbas Tuitienſis *lib. 2. de Officiis cap. 1.* & Honorius *in Gemma Animæ, de antiquo Ritu Miſſarum cap. 19.* tradit Evangelium cum incenſo per Chorum delatum, & ſingulis ad oſculandum porrectum fuiſſe. Verum quamvis & Clerus & Populus priſcis temporibus ad oſculum Evangelii admitteretur; Honorius tamen III. Pontifex Maximus literis ad Matthæum Patriarcham Conſtant. *lib. 5. epiſtol. 439.* relatis ab Odorico Raynaldi ad Annum 1221. *n. 28.* in Miſſa, ſub pœna excommunicationis cuicumque ſæculari Principi Evangelii oſculum perbiberi vetuit, niſi eſſent perſonæ Oleo Sacro inunctæ: & hinc eſt, quod cum quidam Epiſcopi Polonorum Reginam nondum Sacro Ritu regia corona redimitam ad Evangelii oſculum admittere recuſarent, Paulus III. Pontifex Maximus precibus Regis obſecundans, indulſit, ut Reginæ ejus conjugi liber Evangelii inter Divina Myſteria, & Patena illi deoſculanda porrigerentur; quamvis præfata Regina nondum eſſet regio diademate coronata. Ita ſcribit Odericus Rainaldus ad Annum 1549. *n. 6.* & ex eodem Joſeph Catalanus, in ſuo eruditiſſimo opere; cui titulus: *De codice S. Evangelii, ac ſervandis in ejus lectione Ritibus, &c. lib. 2. cap.* 27. Nunc vero juxta ſuperiorem Rubricam, & Gavanti Commentarium ſolus Sacerdos celebrans Evangelium oſculatur finita ejuſdem Evangelii lectione, præterquam in Miſſis Defunctorum, & niſi celebret coram Summo Pontifice, Cardinale, Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo & Epiſcopo in eorum Diœceſibus; in quo caſu cuilibet ipſorum liber Evangelii oſculandus defertur; Sacerdos vero celebrans tunc a conſueto abſtinet oſculo, nec dicit *Per Evangelica dicta, &c.* quia hæc verba dicuntur ab eo tantum, qui librum oſculatur: ſunt enim verba oſculantis propria, ut docet Gavantus *ſupra*; & reddit rationem hujus Ritus Quarti *part. 2. tit. 6. Rubr. 2.* nimirum, quia oſculans librum ſub verbis prædictis fungitur officio mediatoris inter Deum, & Populum, cui pacem auguratur, & peccatorum remiſſionem loco Chriſti; quod pertinet ad dignitatem quandam; & idcirco ſemper digniori defertur oſculandus liber, quia Chriſtus unus eſt, quem repræſentat ille, qui librum oſculatur.

Dixi ſemper digniori præbendum eſſe librum oſculandum, ut præſcribit etiam Cærem. Epiſcop. *lib. 1. cap. 30.* quapropter ſi plures Prælati æquales Miſſæ intereſſent, tunc nulli porrigi deberet liber oſculandus, nec etiam ipſimet Celebranti: ſi vero plures Prælati aſſiſtant inæquales, tunc digniori tantum, ut dixi, dabitur liber oſculandus, juxta diſpoſitionem præfati Cæremonialis Epiſcoporum allegati a Gavanto *ſup. lit. i.* ſi vero Epiſcopus Sacris operaretur coram Cardinale, tunc ſervanda eſſet diſpoſitio clariſſima ejuſdem Cæremonialis *lib. 1. cap. 29. n. 9.* ita præſcribentis: *Liber Evangelii Celebrante Epiſcopo nulli etiam Principi, aut Prælato Miſſæ præſenti datur oſculandus poſt lectum Evangelium; ſed ſi adeſſet aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Evangelii oſculandus porrigendus eſſet, non utique liber Evangelii, quo utitur Epiſcopus, ſed alius liber conſimilis illi porrigatur.* In aliquibus tamen Eccleſiis, & præſertim Pariſiis, ut aſſerit Le Brun *tom. 1. p. 251.* viget conſuetudo, quod Subdiaconus in Miſſa Solemni deferat librum Evangelii oſculandum toti Clero, præcedente Thuriferario, a quo Clerus pariter thurificatur; & Subdiaconus cuicumque oſculanti dicit: *Hæc ſunt verba Sancta*; & quilibet oſculans librum reſpondet: *Credo, & Confiteor.*

X. Ga-

Digitized by Google

X. Gavant, ead. lit. r -- *Ex Decretis Congregationis Cardin. ſuper negotia Epiſc.*) Gavantus ſupra allegat Decretum editum ſub die 22. Auguſti 1589. a Sacra Congregatione *ſuper negotiis Epiſcoporum, &c. in Melphitana*, in quo ſancitur -- Vicario etiam Apoſtolico non eſſe tradendum librum Evangelii ad oſculum -- Allegatur etiam a Gavanto aliud ſimile Decretum ab eadem Congregatione in dicta *Melphitana* ſub die 28. Auguſti ejuſdem Anni editum, in quo habetur -- Evangelium non traditur oſculandum niſi Epiſcopis, Prælatis majoribus, & principibus magnis, non autem Gubernatoribus, & aliis Miniſtris -- Rurſus ſub die 17. Septembris 1611. aliud editum fuit Decretum a Sac. Rit. Congregat. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 118. in quo habetur, quod Commendatario, ſive ejus Procuratori non defertur liber oſculandus in Miſſa -- Sub die vero 8. Maii 1615. habetur aliud Decretum editum a Sacra Congr. Epiſcoporum *in Lancian.* relatum a Monacell. in Formul. legal. pract. *part.* 2. *tit.* 16. *formul.* 7. *ſub n.* 6. in quo ſancitum eſt, quod -- Vicarius Apoſtolicus non poteſt prætendere, quod ſibi deferatur oſculandus liber Evangelii, niſi ſit Epiſcopus -- Sub die vero 12. Octobris 1618. Sac. R. C. aliud edidit Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 169. in quo inter alia habetur, quod -- Epiſcopo extra ſuam Diœceſim non competit deoſculatio textus Evangelis -- Sub die vero 2. Septembris Ann. 1669. in Decreto Generali Sac. Rit. Congr. quod reperitur in noſtro Indice *ſub num.* 352. inter alia ſancitum eſt, quod -- Si Epiſcopus aderit Miſſæ Abbatiali celebratæ ab Abbate habente uſum Pontificalium, tunc textus Evangelii oſculandus deferri debet præfato Epiſcopo, nimirum proprio illius Diœceſis: denique præterire hic non debemus Decretum illud generale, & Epiſtolam Sac. Rit. Congreg. per extenſum allatam in Synodico Beneventanæ Eccleſiæ, in appendice ad Concilium 54. quod eſt primum Eminentiſſimi olim Card. Urſini Archiepiſcopi, deinde Benedicti XIII. Pontificis Maximi *pag.* 574. -- Cum pluries Sac. Rit. Congr. inhærendo Decretis alias editis, & ſignanter *in Lucernina* die 22. Novembris 1664. 28. Septembris 1675. & 13. Martii 1688. declaraverit nullo modo dandum eſſe Evangelium ad oſculandum ſæcularibus, etiam Præſidi in celebratione Miſſarum; necnon prohibuerit uſum baldacchini, & præſertim *in Acernina* die 26. Junii 1666. *Baren.* 5. Martii 1667. & 17. Junii 1684. *Marſicen. Poligan.* & *Meliten.* 5. Martii 1677. *Hieracen.* die 2. Octobris 1683. & *Biselten.* 23. Septembris 1684. ac inſuper denegaverit aſſiſtentiam in Presbyterio, & ſpecialiter in *Materanen.* 24. Januarii 1665. *Melphitana* 15. Junii 1665. & *Baren.* 20. Novembris 1677. & 22. Februarii 1687.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cardinales eidem Sac. Congregationi Præpoſiti mandarunt, ut prędicta Decreta prohibentia perſonis ſæcularibus oſculum Evangelii, uſum baldacchini, & aſſiſtentiam in Presbyterio, renovarentur, & copiæ illorum tranſmitterentur Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Neapolis, eiſdem injungendo, ut illa intimari facerent Superioribus Eccleſiarum ſuæ Diœceſis tam Sæcularibus, quam Regularibus; & in caſu tranſgreſſionis procederent etiam contra Regulares auctoritate ejuſdem Sac. Congregationis ad pœnam interdicti; & ita decreverunt, & in Eccleſiis Regni Neapolis omnino ſervari juſſerunt. Die 13. Martii 1688. A Card. Cibo.

Locus ✠ ſigilli. Bernardinus Caſalius S. R. C. Secretarius.

## R U B R I C A.

3 *Dicto Evangelio, ſtans in medio Altaris verſus Crucem, elevans, & extendens manus, incipit (ſi dicendum ſit)* (ſ) *Credo: cum dicit, In unum Deum, jungit manus, & caput Cruci inclinat: quo erecto, ſtans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, proſequitur uſque ad finem. Cum dicit, Jeſum Chriſtum, caput Cruci inclinat, Cum dicit, & incarnatus eſt, uſque ad, Et homo factus eſt, incluſive, genuflectit. Cum dicit, Simul adoratur, caput Cruci inclinat. Cum dicit, Et vitam venturi Sæculi, Amen,* (t) *producit ſibi manu dextera ſignum Crucis a fronte ad pectus.*

## G A V A N T U S.

(ſ) *Credo.* De Symbolo, & ejus partibus egimus ſupra *tit.* 11. Ad ea verba; *Et in Spiritum Sanctum*, non inclinatur caput, ſicuti neque ad ea: *Patrem Omnipotentem*; tantummodo in verbo *Deum*, quod nomen commune eſt tribus Perſonis, & in verbo *Jeſum Chriſtum*; de quo diximus ſupra *tit.* 5. *num.* 2. Item, quando dicit, *Adoratur* (non ultra ad ſequens verbum *Conglorificatur*) caput inclinatur, ex vi verbi ejuſdem.

(t) *Producit ſignum Crucis.* Ita *Beleth. cap.* 40. ob rationem ſupra allatam in fine Hymni Angelici; ſed antiqua Fidelium conſuetudo fuit, ut cum Symbolum Fidei recitarent, in verbis illis, *Carnis reſurrectionem*, frontem Crucis ſignaculo munirent, teſtaturque id *Ruffinus in expoſitione Symboli*. Inde forte translatum fuit ſignum Crucis ad ſequentia poſtrema verba, *ut* quaſi ſigillo Crucis, Fidei totius profeſſio firmaretur. * In verbo *Amen*, junge manus, ut diximus in fine Hymni Angelici.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Evangelii uſque ad finem Symboli.

XI. Rubric. *Dicto Evangelio &c.*) Oſculato Evangelio, ſi ſit oſculandum: ſi autem non ſit oſculandum, ut contingit in Miſſis Defunctorum, eo finito, Sacerdos portat Miſſalem cum cuſſino prope Corporale, ut facilius, ſtans in medio Altaris, poſſit ex eodem Miſſali ea legere, quæ in medio ipſius Altaris dicenda ſunt; Biſſus *lit. S. n.* 20. §. 2. Corſett. *tract.* 2. *part.* 2. *ſect.* 1. *n.* 17. & alii apud eumdem Biſſum. Deinde procedit ad medium Altaris, manibus ante pectus junctis, ibique & corpore, & capite ſtabit erectus: & ſtatim elevans, extendens, ac jungens manus, incipit, ſi dicendum ſit, *Credo*, voce ordinaria, & clara, ut in pari caſu diximus de Hymno Angelico.

XII. Gavant. lit. ſ -- *Credo.*) Dum profert Sacerdos hoc verbum *Credo*, elevat, & extendit manus, ut ſupra. Polac. *part.* 1. §. 12. Bonamicus *part.* 2. *num.* 15. Ad vocem *Unum* jungit manus, ad vocem *Deum* caput inclinat; Bonamicus, Polaccus, Gervaſi, Bauldry, & Biſſus *ſupra* §. 23. non autem elevat oculos, nec caput. Polac. Bauldry, & Gerv. Miniſter genuflexus, & manibus junctis, ad vocem *Deum* caput inclinat; Bauldry *part.* 1. *cap.* 27. *num.* 26. neuter tamen ad verba *Patrem omnipotentem*, & *In Spiritum Sanctum* caput inclinabit; ut obſervat Gavant. *ſupra*. Neque dicas ex ratione a Gavanto addacta probari, quod neque ſit inclinandum caput ad verba *Jeſum Chriſtum*: de hoc enim Sanctiſſimo Nomine militat peculiaris ratio, & quam ſuperius explicavimus, reddendo rationem, quare magis honoretur nomen *Jeſu*, quam nomen *Dei*. Poſtea Sacerdos capite erecto ſtans ibidem, junctis ante pectus manibus, ut prius, proſequitur Symbolum voce clara, & ordinaria uſque ad finem, caput inclinans inclinatione minimarum maxima ad ea verba *Jeſum Chriſtum*. Biſſus *ſupra num.* 20. §. 23. & Gervaſius *ſupra*.

XIII. Rubr. *Cum dicit: Et incarnatus eſt, &c. genuflectit.*) Ad verſum *Et incarnatus eſt*, uſque ad *Et homo factus eſt* incluſive, genuflectit unico genu, extendendo hinc inde digitos junctos manuum, & utramque manum uſque ad pulſus extra Corporale ſuper Altare ad facilius ſurgendum; ſed non debeaccipere anteriorem partem planetæ præ manibus, illam elevando, dum genuflectit modo mox explicato; & hoc obſervare debet in omnibus ſimilibus genuflexionibus: Simon a Larciano *lib.* 4. *cap.* 11. §. *Sed non debet*, & Aloyſius Gerardi Epiſcopus Cortonenſis in compendio errorum *cap.* 6. *n.* 25. genuflectit tamen Sacerdos capite, & corpore erecto, & non infra Altare demiſſo, uti plerique faciunt: a Portu *ſupra Rub.* 3. *n.* 9. ſicut etiam eſſet error genuflectere ſiniſtro genu. Eſt itaque juxta Rubricam incipere præfatam genuflexionem ad ea verba, *Et incarnatus eſt*, & finire illam ad *Homo factus eſt*, ſine inclinatione capitis, & manibus extenſis ſupra Altare; Cæremonial. Miſſæ Privatæ *cap.* 10. §. 11. & Hagerer in Ritu exacte ſervando *tit.* 6. §. *In hoc Symbolo*; qui addit, quod in Miſſis Privatis, etiam in Feſto Annuntiationis B. M. Virg. & tribus Miſſis in Nativitate Domini non utroque, ſed uno genu ſolummodo genuflectendum ſit. Ita etiam Lohner *part.* 2. *tit.* 17. *n.* 7.

XIV. Gav. lit. ſ -- *Ita quando dicit: Adoratur.*) cum Sacerdos dicit *Simul adoratur* caput Cruci inclinat inclinatione minimarum maxima: a Portu *ſupra n.* 1. ſic inclinat etiam Miniſter; Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 26. non autem inclinat caput ad ſequens verbum *Et conglorificatur*, neque cum dicit *Et in Spiritum Sanctum*. Gav. *ſupr.* & alii Rubriciſtæ communiter.

XV. Gav. lit. t -- *Producit ſignum Crucis.*) Cum vero dicit *Et vitam venturi Sæculi* manu dextera ſignat ſe ſigno Crucis, ſiniſtra pectori admota. Diſtribuit prædictas voces, ita ut tangat frontem, & pectus, dum dicit *Et vitam*; tangat humerum ſiniſtrum, quando profert *Venturi*; tangat humerum dexterum, quando pronunciat *Sæculi*. Ut autem bene diſtribuat, lente proferat verba illa, ſed præſertim propria *Et vitam*; Bauldry *part.* 3. *cap.* 3. *n.* 3. Miniſter quoque ſe ſignat eodem modo; Bauldry *part.* 1. *c.* 17. *n.* 26. & dum Sacerdos dicit *Amen* manus iterum jungit; quod fieri debet & in fine Hymni Angelici; ut tradit Gavantus, *hic*, & *tit.* 4. *lit.* p Bauldry *part.* 3. *tit.* 4. *num.* 2. Vinitor *part.* 2. *titul.* 6. §. 16. Gervaſius, aliique, quamvis de hac manuum junctione Rubrica nihil præſcribat: unde ab aliquibus ſine ſcrupulo omittitur; & hujus opinionis ſunt Bonamicus *part.* 2. *n.* 9. & Tonellius *lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 2.

## R U B R I C A.

4 *In Miſſa Solemni Subdiaconus circa finem ultimæ Orationis* (u) *accipit ambabus manibus librum Epiſtolarum, deferens illum ſupra pectus; & facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epiſtolæ* (x) *contra Altare,* (y) *& cantat Epiſtolam, quam etiam Celebrans interim ſubmiſſa voce legit, aſſiſtente ſibi Diacono a dextris, & inter Graduale, Tractum, &c. uſque ad Munda cor meum, Epiſtola cantata, Subdiaconus, facta iterum genuflexione Altari in medio, redit ad Celebrantem; & genuflectens,* (z) *oſculatur ejus manum, &* (a) *ab eo benedicitur, præterquam* (b) *in Miſſis Defunctorum.*

## G A V A N T U S.

(u) *Accipit librum.* Comitatus ab uno Acolytho, ait *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 29. procedit Subdiaconus; ſed habetur in *Cæremon. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 10. quod Cæremoniario comite procedat ad cantandam Epiſtolam; comitatur autem Subdiaconum a ſiniſtris ejuſdem, quod & alias facit, genuflectens cum eo unico genu: quod ſemper fit, niſi aliud in Rubricis præſcribatur.

(x) *Con-*

(x) *Contra Altare*. Meminit hujus ſitus *Severus Sulpitius lib. 3. de vita Sancti Martini*: ante Altare *inquit*, aſtaute, qui lectionem Sancti Pauli proferret. In dextera vero parte Eccleſiæ cantandam eſſe Epiſtolam, docet *Petrus Antiſſiodor. citatus a Durand. lib. 4. cap.* 15. nunc cantatur juxta cornu Altaris, ubi Celebrans legit Epiſtolam, in plano Presbyterii, & eſt dextra pars Eccleſiæ, intrantibus in eam.

(y) *Cantat Epiſtolam*. Non habet Subdiaconus hoc munus ex Conſecratione; ſed quando a Patribus datum eſt Diacono, ut cantaret Evangelium, datum eſt Subdiacono, ut Epiſtolam, *Amalarius lib.* 1. *cap.* 11. Soli vero Subdiacono nunc convenit, adeo ut potius Sacerdos ipſe Epiſtolam legere debeat, quam pati, ut inferior Subdiacono id exequatur. *Microlog. cap.* 8. *cap. Si Subdiac. diſt.* 34. *in Collect. Martini Bracaren.* Si vero inferior cantare velit; ne Sacras induat veſtes, de quibus loqui videtur Canon, ſed ſuperpelliceum tantum, *ut hoc eodem titulo infra n.* 8. *dicitur*.

(z) *Oſculatur ejus manum*. In uſu erat apud quoſdam, *teſte Durand cap.* 17. Forte loquitur de Romanis; nam *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 30. teſtatur idem de Romana Eccleſia.

(a) *Ab eo benedicitur*. Non in principio, ut Diaconus; *Rupertus lib.* 1. *cap.* 36. ſed in fine Subdiaconus: quia ante Evangelium lex Moſaica accepit finem in Chriſto. *Innoc.* III. *c.* 30.

(b) *In Miſſis Defunctorum*. His Miſſis non congruunt Solemnitates. *Durand. ubi ſupra*.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, ab ultima Orationes, uſque ad finem Epiſtolæ.

XVI. Gavant. lit. u -- *Comitatus ab uno Acolytho*.) Erga finem ultimæ Orationis, ſi non adeſt Magiſter Cæremoniarum, vel ejus ſocius, unus ex Acolythis, facta prius genuflectione in medio, accedit ad credentiam, & inde Miſſale aliquantulum elevatum ambabus manibus ferens, inclinando ſe tradit Subdiacono; & cum illo genuflectens in medio Capellæ poſt eum, ad locum Epiſtolæ procedit. Subdiaconus igitur poſtquam accepit ambabus manibus de manu Acolythi librum Epiſtolarum, deferens illum utraque manu ſupra pectus, & facta verſus Altare cum dicto Acolytho genuflexione, accedit, eo ipſum comitante a ſiniſtris, ad partem Epiſtolæ contra Altare, &c. Si vero adſit Magiſter Cæremoniarum, hic circa finem ultimæ Orationis, facta Cruci profunda reverentia (& non genuflexione, quia non recedit a medio) deſcendit ab Altari, & de credentia librum Epiſtolarum accipit, eundemque tenens ambabus manibus ea parte, quæ aperitur, ad ſuam dexteram conversa, accedit ad Subdiaconum ſtantem in plano Epiſtolæ poſt Diaconum. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *n.* 10. & præfatus Cæremoniarius librum Epiſtolarum per ejus latera tradit elevatum Subdiacono, qui utraque manu angulis libri inferioribus ſuppoſita (ut infra dicendum eſt de Diacono) eum accipit verſa ſibi ad invicem facie, abſque oſculis, ſed cum reciproca mediocri inclinatione; Bauldry *part.* 1. *&* 3. *ſupra*, Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 7. Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 7. *c.* 1. *n.* 10. deferens illum elevatum non tantummodo ante, ſed ſupra pectus, parte libri aperienda reſpiciente Subdiaconi ſiniſtram; Venantius *in praxi Sac. Cærem. tit.* 5. *c.* 3. *n.* 9. & vadit uſque ad medium Altaris, dicto Cæremoniario comite. Gavantus *ſupra*, & alii.

Utrum autem Cæremoniarius prædictus debeat Subdiaconum præcedere, non conveniunt Doctores. Affirmant Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 1. *n.* 22. negant Lohner *part.* 3. *tit.* 4. *n.* 7. Biſſus *litera S. n.* 195. §. 8. Bauldry *part.* 1. *c.* 1. *& cap.* 13. *ſupra*: & a Portu *part.* 2. *de Miſſa Solemni tit.* 6. *Rubr.* 4. *in adnotat. n.* 3. negativam pariter amplectitur ſententiam, quia in Miſſa Pontificali Cæremoniarius non præcedit, ſed incedit ad ſiniſtram Subdiaconi: Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *c.* 8. §. 4. unde etiam in hac Miſſa Solemni Cæremoniarius non debet Subdiaconum præcedere. Tum ipſe Subdiaconus habens a ſiniſtris Cæremoniarium, vel eo deficiente, Acolythum, portans ſibi librum, ut ſupra, procedit ad medium infimi gradus per planum, Gavantus, Bauldry, & Biſſus *ſupra*; ubi ambo faciunt unico genu genuflexionem, & mox eodem ordine pergunt ad cornu Epiſtolæ, & ſiſtunt in loco aliquantulum diſtante a gradibus Altaris.

XVII. Gavant. lit. x -- *Nunc cantatur juxta cornu Altaris*.) Poſtquam igitur pervenit Subdiaconus in planum Presbyterii contra Altare in cornu Epiſtolæ, tenens librum ambabus manibus verſus Altare, ſine nova genuflexione, incipit clara, & ſonora voce Epiſtolam, Cæremoniario ſupradicto, ſeu alio Miniſtro, ipſo abſente, a ſiniſtris ejus poſt eum ſtante, qui vertit folia, ſi opus eſt. Biſſ. *ſupra*, Bauld. *part.* 1. *cap.* 1. *ſupra*, Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *num.* 10.

Dum vero Subdiaconus cantat Epiſtolam, Celebrans ſtans in eodem loco, in quo erat, nempe in cornu Epiſtolæ, eam legit, ſubmiſſa voce, aſſiſtente ibi Diacono, qui ſine genuflexione (quia non diſcedit, nec accedit, nec tranſit ante medium) accedit ad dexteram illius, ſtans in ſecundo gradu Altaris pro ſitu loci, manibus decenter pectori admotis, non junctis, vel tenentibus librum, ſi opus eſt, vel vertentibus folia, nunquam tamen ſuper Altare poſitis; Lohn. *part.* 3. *tit.* 2. *n.* 10. Bauld. *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *num.* 25. Biſſ. *lit. C. n.* 197. §. 21. a quo loco non diſcedat Diaconus, donec accedat ad Celebrantem Subdiaconus poſt finitam Epiſtolam.

Poſtquam Celebrans finierit Epiſtolam, Diaconus ei reſpondet *Deo gratias* ſubmiſſa voce; Bauld. & Biſſ. *ſupra*; Celebrans vero in eodem loco proſequitur cætera uſque ad *Munda cor meum* excluſive. Obſervet autem Diaconus, ut caput inclinet quando opus eſt, & genuflectat ad ea verba, ad quæ genuflectit Celebrans, ſive in Epiſtola ſive in Graduali, Tractu, &c. ut in Miſſa de Cruce in Dominica Palmarum ad illa verba: *In nomine Jeſu omne genuflectatur*, & *Adjuva nos Deus*; ſicut ad alia: *Veni Sancte Spiritus*, *&c.* Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *n.* 11. Biſſus & alii. Sic etiam Cæremoniarius, vel Acolythus cum Subdiacono quando profert nomen *Jeſu* debet inclinare inclinatione profunda, hoc eſt minimarum maxima; & quando ipſe genuflectit dicendo v. g. ut *In nomine Jeſu omne genuflectatur*, debet ipſe pariter genuflectere, ut tradunt omnes communiter.

XVIII. Gavant. litera z -- *Oſculatur ejus manum*; *&c.* Finita Epiſtola Subdiaconus claudit librum, quem ut prius portat, & cum Cæremoniario primo, ſeu alio ſocio, a ſiniſtris accedit ad medium Altaris, ubi genuflectunt ambo unico genu, & facta genuflexione, eodem ordine procedunt per planum ad laterale Epiſtolæ cornu, remanente ſemper Cæremoniario, ſeu alio ſocio paululum retro ad ſiniſtram Subdiaconi. Biſſ. *lit. S. n.* 196. §. 4. Bauld. *part.* 1. *cap.* 15. *n.* 17. Utrum autem aſcendere debeat ad angulum poſteriorem Altaris, vel ad medium ejuſdem Altaris, diſcrepant Rubricarum expoſitores: primam ſententiam tenent Bauld. *ſupra*, Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *c.* 1. *n.* 11. ſecundam vero amplectitur Corſett. *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 2. *n.* [illegible] *in additionibus*. Sed a Portu *ſupra n.* 11. adhæret Auctoribus primæ ſententiæ; quia ſi Subdiaconus ad medium Altaris conſiſteret, Celebrans cum notabili ſuo incommodo ſe convertere deberet: unde multo minus ob eandem rationem Subdiaconus ſe ſiſtere deberet poſt Celebrantem. Aſcendere itaque debet ſuper altiorem gradum Altaris, id eſt ſuper ſuppedaneum, ſed in angulo a latere Epiſtolæ, vel alium commodiorem gradum; Bauld. *part.* 3. *ſup. num.* 12. ibique genuflectit utroque genu (cum Celebrans aliquantulum ſe convertit per latus ſuum dexterum, Biſſus *ſupra*) & ſic genuflexus, librum, quem clauſum ambabus manibus tenet, deflectit aliquantulum verſus Celebrantem, qui ſuper librum ponit manum dexteram, quam Subdiaconus in parte exteriori oſculatur. *Rubrica ſupra*, necnon Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *num.* 10. Lohner *part.* 2. *tit.* 13. *de Ritu ſolemni num.* 2. Bauldry *part.* 1. *cap.* 13. *ſupra*, & Biſſus *lit. S. num.* 196. §. 4.

XIX. Gavant. lit. a -- *Ab eo benedicitur*.) Deinde Celebrans adhuc aliquantulum converſus ad Subdiaconum genuflexum, & caput inclinantem, eundem, manu dextera jam deoſculata, benedicit ſignum Crucis formando, nihil dicendo, retenta ſiniſtra manu ſuper Altare. Biſſus, Bauldry, & Caſtaldus *ſupra*. Interim Diaconus, qui dum cantabatur Epiſtola, ſtabat a dexteris Celebrantis, debet aliquantulum recedere; ut cedat locum tam Subdiacono, quam Cæremoniario, ſive Acolytho, qui ambo debent utrumque genu flectere. Caſtaldus, & Biſſ. *ſupra*, Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 28. *& part.* 3. *ſupra*. Tum Subdiaconus idem tradit librum primo, vel ſecundo Cæremoniario; vel iis ambobus abſentibus Acolytho; qui illum deponit ſuper credentiam. Bauldry *part.* 3. *ſupra num.* 13. *& part.* 1. *cap.* 1. *n.* 26. *& cap.* 13. *ſupra num.* 18.

XX. Gavant. lit. b -- *His Miſſis non congruunt Solemnitates*. In Miſſis Defunctorum Subdiaconus non oſculatur manum Celebrantis poſt Epiſtolam ut declarat ſuperior Rubrica, neque præfatus Celebrans ei Benedictionem impertitur; quia hæc indicant Solemnitatem, quæ, ut notat Gavantus *ſupra* cum Durando, Miſſis Defunctorum non convenit. Biſſus *ſupra* §. 5. & Lohner *part.* 2. *tit.* 13. *de Ritu Solemni n.* 2.

R U B R I C A.

5 *Poſtea idem Subdiaconus accipit Miſſale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altare, & ibi miniſtrat Celebranti, qui in medio Altaris ſubmiſſa voce dicto, Munda cor meum. &c. & deinde lecto Evangelio, quod in fine non oſculatur, (c) delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare, (d) imponit incenſum in thuribulum. Poſtea Diaconus genuflexus ante Altare (e) dicit, Munda cor Meum, & (f) accipiens librum Evangeliorum de Altari, (g) petit Benedictionem a Celebrante, ſimiliter genuflexus in ſuperiori gradu Altaris; & (h) oſculata illius manu, (i) præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis cum candelabris accenſis de credentia ſumptis, (l) vadit cum Subdiacono a ſiniſtris ad locum Evangelii (m) contra Altare verſus Populum: ubi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accenſa, dicit, Dominus vobiſcum, junctis manibus. Cum dicit, Sequentia, &c. ſignat librum in principio Evangelii, frontem, os, & pectus: poſtea (n) ter librum incenſat, hoc eſt, in medio, a dextris, & a ſiniſtris, & proſequitur Evangelium junctis manibus. Interim Celebrans, poſt datam Diacono Benedictionem, retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ, ibi ſtat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit, Sequentia Sancti Evangelii, Sacerdos etiam ſignat ſe; & cum nominatur JESUS, caput inclinat verſus Altare. Finito Evangelio, Sacerdos (o) oſculatur librum, (p) a Subdiacono ſibi delatum, dicens: Per Evangelica dicta, &c. & a Diacono ter (q) incenſatur. Si ſit coram Prælato in ſua reſidentia,*

*ria, liber defertur ad Prælatum, ut ſupra, & ille incenſatur, ut in Cæremoniali. Poſtea ſtans in medio Altaris verſus ad Crucem, incipit, ſi dicendum ſit, Credo, ſtantibus poſt eum Diacono, & Subdiacono; deinde ad Altare accedentibus, & cum eo proſequentibus, ut dictum eſt ad Gloria in excelſis.*

*G A V A N T U S.*

(c) *Delato per Diaconum libro.* Nullo comite: comes enim datur Miniſtris ad aliquid caotandum, aut quando exeundum eſſet e Presbyterio.

(d) *Imponit incenſum.*) Eo prorſus modo, quo in principio Miſſæ dictum eſt; neque tamen Celebrans interrumperet debet Evangelium, quod ipſe legit, ut ea præſtet, quæ circa Diaconum ſunt peragenda, ſed hic expectet finem.

(e) *Dicit: Munda cor meum.* Super primo Altaris gradn altiore hoc dicit, in quo etiam verſus Celebrantem ſtantem in latere Evangelii, non omnino converſus ad eum petit Benedictionem.

(f) *Accipit librum Evangeliorum, &c.* Jubet *Ordo Romanus* Diaconum orare ante Altare; tum petere Benedictionem; deinde ab Altari accipere librum; tum a Sacerdote, qui benedicit illi, tacite dici: *Dominus ſit in corde tuo, &c.* Hæc eadem *Amalar. lib. 3. cap.* 18. docet, quaſi, inquit, de Sion exeat, lex nova, & verbum Domini de Jeruſalem; neque tamen illud prædicetur, niſi poſt Orationem, & miſſionem a majori.

Hoc loco commemorandum cenſeo venerationem adhiberi ſolitam libro SS. Evangeliorum in antiquis Conciliis, in quorum Sede nobiliori, & media, inter Epiſcopos collocabatur liber Evangeliorum; ut ſcribit *Baron. Ann.*325. & 451. ut ſcilicet Chriſtum repræſentaret. Certe liber Evangeliorum in Altaris medio poſitus majorem habet, quam alias venerationem.

(g) *Petit Benedictionem.* Dicat Diaconus, *Jube Domne*, non *Domine*: nam hoc Dei eſt, illud homiois præclari; ut probatur *ex Evod. lib. de mirac. S. Stephani*, Anno 416. Sed & Sancti Hieronymi tempore omnes Sancti, & homines alii vocabantur Domni, ſolus autem Deus, Dominus; & interim Miniſtri, qui cum Diacono ſunt, genuflexi manent; *ex Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. niſi forte ratione dignitatis Epiſcopalis illud ibidem præſcribatur; quod puto verius, & eſt in praxi communius, ut coram Epiſcopo tantum fiat.

(h) *Oſculata illius manu.* Nimirum dextera; *Innocent. loc. cit. cap.*36. hoc eſt gloriam Dei deſiderat Diaconus, de qua *Cant.* 2. *Dextera illius amplexabitur me. Hæc ille.*

(i) *Præcedentibus Thuriferario, &c.* De Thuriferario, & luminibus, *Ordo Romanus*. De luminibus ad Evangelium in ſignum lætitiæ, *Hier. adv. Vigilantium*; ut videlicet Prædicator premittat bonam opinionem, lumen, operum bonorum. *Innoc. III. c. 4. lib.* 2. Populus etiam, ut cum fructu audiat verbum Chriſti, præmittat Orationem denoratam in thuribulo ardente, & gaudium ſpirituale in cereis. *Durand. lib. 4. cap.* 24. ubi fuſius ille.

Quæritur, an Miniſtri peccent mortaliter, cantando Epiſtolam, ſeu Evangelium in peccato mortali? Affirmat *Nav. de pœnit. diſt. 6. cap.* 1. §. *Sacerdos n.* 15. cum aliis; negat *Suar.* 3. *part. q. 56. art.* 4. Cave tibi: nam de Diaconis ait Paulus 1. *Timoth. 3. miniſtrent, nullum crimen habentes.* Aliqui docent, Subdiaconum ſine manipulo miniſtrantem, quia ex officio non miniſtrat, non peccare, ſi in peccato, vel cenſura miniſtrat; neque fieri irregularrem; quod non eſt improbabile.

Quod autem hic dicitur de Evangelio coram Prælato, ut in Cæremoniali, intellige, ut alias, de Epiſcoporum Cæremoniali, in quo duo valde notanda reperiuntur circa hunc caſum, *lib. 1. cap.* 23. Alterum eſt, qnod Epiſcopus in ſua reſidentia paratus pluviali incenſatur poſt oſculnm Evangelii, & nemo alius; ſi vero interſit Miſſæ in cappa, neque ipſe incenſatur, licet oſculetur librum, neque Celebrans ibi jubetur incenſari. Alterum eſt, quod Legarus, vel alius Cardinalis, in ſuo habitu, poſt oſculum Evangelii thurificatur etiam coram Epiſcopo loci, ob dignitatem Cardinalitiam: quare ſicuti contingit aliquando, neminem oſculari Evangelium ſi v. gr. interſint plures æquales Prælati; ex eodem Cæremoniali *lib. 1. cap.* 30. ita non incoogruit omitti omnem incenſationem poſt Evangelium, Celebrantis quidem ob præſentiam Epiſcopi; & hujus, quia non eſt pluviali indutus.

(l) *Vadit cum Subdiacono.* Vadit autem Diacoous, portans librum ante pectus; *ex Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 9.* ut intelligat Prædicatorem Verbi Dei debere prius illad habere ante oculos, in corde, & in manibus, quam in ore. *Rubeus lib. 2. cap.* 33.

(m) *Contra altare verſus Populum.* Antiqui in dicto loco legebant Evangelium; quem locum vocavit Tribunal *S. Cyprianus lib. 4. epiſtol* 5. & Pulpitum, *lib. 2. epiſt.* 5. quaſi in publico ſtatutum, *ait Walafr. cap.* 6. Dicterium, *Baſil. Seleuc. lib. 2. de Sancta Thecla.* Analogium, ideſt, ſuper quo legitur, *Iſid. lib. 5. Orig.* Lectorium, *Anaſtaſ. apud Bulenger, lib.* 3. *cap.* 17. Umbonem Latini, *ex eodem lib. c.* 18. alii Ambonem, *ut in Sixto, Platina, & Caſſiod. lib. 10. hiſt. tripart. c.* 3. vel a Greco verbo ἀμβαίνω, hoc eſt aſcendo, *ex Bellarmin. lib. 2. de Miſſa cap.* 16. vel ab ambiendo, quia cingit intrantem, *Walafr. c.* 6. vel amhiendo, quod locus ille gradibus ambiatur utrimque, *Dur. loc. cit.* ſed Græca vox eſt, quæ pulpitum ſignificat, ſuggeſtum, & locum altum. Primo, ut audiatur ab omnibus, *ex Innoc. III. c.* 43. Secundo, quia palam ante oculos omnium, noo in latibulis, ut Hæretici, annuciamus Evangelium. Tertio, quia Chriſtus, docturus turbas, aſcendit in montem. Quarto, quia eminentiſſima doctrina eſt, *Amalar. lib. 3. c.* 18. Hodie communius cantatur ante Altare, & Populum; & uſus jam declaravit verba Rubricæ, quæ alioquin videntur pugnare invicem, & non pugnant, ſed locum, & ſitum quaſi medium indicant; ita ut Diaconus neque totus ſit verſus Populum, ſed inter utrumque faciem ſiſtat ſuam. Cauſas autem vide ſupra *n.* 1. Reliqua, quæ ſequuntur, patent ex ſupradictis *n.* 2.

(n) *Ter incenſat, &c.* Intellige a dextris libri, quæ eſt illius pars nobilior, & incenſatio fit ad venerationem Chriſti in ejuſdem verbis Evangelicis.

(o) *Oſculatur librum, &c.* Diaconus redit vacuus, ut poſt prædicationem contemplationi ſe dedat, *Durand. ſupra.* Liber, & thuribulum reportantur ad Sacerdotem, quia Chriſtus primus eſt, & noviſſimus, ad quem referenda omnia. *Innoc. cap.* 48. Sacerdos oſculatus ex amore, & item quia acceptat Verbum Chriſti. *Durand. ibid.* Incenſatur in Sacerdote Chriſtus, in gratiarum actionem. *Idem ibidem, & Ordo Rom.*

Dum cantatur Evangelium, Thuriferarius ſtabit poſt Diacoum ad ſiniſtram ejuſdem; *Ord. Rom.* & agitabit leviter thuribulum, elevata aliquantulum operculi catenula, ne ignis extinguatur.

Subdiaconus, & Acolythi immobiles ſtabunt, neque capita inclinabunt unquam; multo minus genuflectent, ut dictum eſt *in tit. 17. n. 4. part.* 1. Cæremoniarius poſt Diaconum ſtabit.

(p) *A Subdiacono ſibi delatum.* Subdiaconus defert librum apertum ad Sacerdotem ſine ulla reverentia tam Altari, etiam in quo adeſt Sacramentum, quam Sacerdoti, ob reverentiam Sacri Evangelii: deinde clauſo libro reverentiam faciet utrique, & deponet librum ſuper credentiam. Acolythi, finito Evangelio, deponent candelabra ſine mora.

(q) *Incenſatur.* Diaconus in plano medio ter incenſabit Celebrantem.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, a fine Epiſtolæ, uſque ad finem Evangelii, & principium Symboli ſi diceodum ſit.

XXI. Rubr. *Poſtea idem Subdiaconus accipit Miſſale Celebrantis.*) Subdiaconus ſtatim ac oſculatus fuit manum Celebrantis, & tradidit librum Epiſtolarum Cæremoniario, vel alicui Acolytho, ut ſupra adnotavimus, accipit Miſſale a Diacono cum cuſſino, & illud defert ad cornu Evangelii ſuper Altare; Caſtaldus in ſuo Cærem. *p.* 40. Biſtus *ſup.* §. *6.* & advertat, ne tranſeat per gradus Altaris, ſed per planum Presbyterii, facto in medio ſuper infimum Altaris gradum genuflexione unico genu; & ita locat librum, ut pars ejus poſterior Altaris cornu reſpiciat, non vero parietem; Bauld. *par. 3. ſupra*, Biſſus *tom. 2. lit. S. num.* 20. §. 29. & a Portu *ſupra, num.* 2. ibique ſtans, in cornu ſcilicet Evangelii io ſecundo, vel aliquo commodiori gradu, expectat Celebrantem, qui io medio Altaris, dicto ſubmiſſa voce, *Munda cor meum*, & *Jube Domne*, prout in Miſſa Privata adnotatum eſt, accedit ad cornu Evangelii, ubi legit privatim Evangelium; eique Subdiaconus ad ſiniſtram aſſiſtat; Lohner *part. 3. ſupra*, Bauldry *part. 1. ſupra*, & Biſſus *ſupra*, ſuſtentando librum manu ſiniſtra; dextera vero vertendo folia, ſi opus ſit, conformando ſe Celebranti in formaodo ſibi ſigno Crucis in fronte, ore, & pectore, capitiſque inclinatione, etiam genuflectendo ad quæ genuflectit Celebrans, & reſpondendo in principio: *Et cum ſpiritu tuo: Gloria tibi, Domine*: in fine vero *Laus tibi Chriſte.* Biſſus *ſupra loc. cit. & num.* 196. §. 6. Lohner *part. 3. tit. 3. num.* 6.

Diximus Subdiaconum debere deferre Miſſale Celebrantis: verum, an in Eccleſiis, io quibus non eſt cantus ſolemnis, neque mora inter Graduale, & Evangelium interponitur, Celebrantis Miſſale transferendum ſit per Acolythum, ut dum Epiſtola cantatur, legatur a Celebrante Evangelium cum Diaconi aſſiſtentia, non conveniunt Doctores. Affirmant Caſtald. *ſupra*, & Corſett. *tract. 1. part. 1. c. 3. n.* 11. negat vero Bauld. *part. 1. c.* 13. *ſup. n.* 19. ſicut etiam a Portu, ea ratione ductus, quia in cornu Epiſtolæ Celebrans Subdiaconum benedicere debet ſtatim poſt cantatam ab eo Epiſtolam.

XXII. Rubr. *Lecto Evangelio, quod in fine non oſculatur.*) Celebrans autem lecto Evangelio non oſculatur librum, nec dicit *Per Evangelica dicta*: hoc namque facit poſtquam Evangelium a Diacono decantatum fuerit; & ideo lecto Evangelin Celebrans ſe recipit fere ad medium Altaris; ita ut ſit inter cornu Evangelii, & medinm Altaris, facie ad ipſum Altare verſa; & ibi ſtat quouſque ſit tempus benedicendi incenſum, & Diaconum, Biſſ. *lit. S. n.* 196. §. 7. Caſtald. *lib. 2. ſup.* Bauldry *part. 3. ſupra n.* 14. niſi forte propter *Sequentiam* Celebrans ſedeat: in quo caſu circa ſequentiæ finem redit ad prædictum locum, ut ibi thus, & Diaconum benedicat. Biſſ. *ſup.* §. 8. & Vinitor *part. 4. tit. 2. de Miſſa Solemni in adnot.* §. 33. Subdiaconus vero, cum Celebrans finierit Evangelium, collocat Miſſale prope medium Altaris, ut præfatus Celebrans ſuo tempore poſſit a medio Altaris commode legere in Miſſali Offertorium, & alia, quæ legeoda ſunt; & facta ibidem genuflexione, deſcendit in planum Capellæ inter cornu Evangelii, & medium Altaris, facie ad ipſum Altare verſa. Biſſ. *ſupra*, Bauldry *part. 2. c. 13. art. 1.*

num.

num. 20. & part. 3. ſup. n. 15. Lohner part. 3. tit. 3. n. 8. & Benven. de Miſſa Solemni, §. Evangelio.

XXIII. Gav. lit. c - *Delato per Diaconum libro.*) Dum Celebrans incipit legere Evangelium, Diaconus, qui adhuc eſt in cornu Epiſtolæ, accipit de manu Cæremoniarii, vel eo abſente, de manu alicujus Acolythi librum Evangeliorum eo modo, quo Subdiaconus accepit, ut ſupra, nempe Cæremoniarius, vel alius loco ipſius, accipit de credentia librum Evangeliorum (ita ut pars, quæ aperitur ſit verſus partem dexteram prædicti Cæremoniarii; Venantius *in Praxi Sac. Cæremoniarum tit. 6. c. 3. n. 7. & 8.*) ambabus manibus per ejus latera, & elevatum tradit Diacono ſtanti adhuc in cornu Epiſtolæ, ut ſupra; qui ambabus manibus illum accipit, verſa ſibi invicem facie ſine oſculo, & mutuo ſibi mediocriter inclinantes: Diaconus ſic tenens librum portat elevatum ante pectus, tenens eum per inferiorem partem, ipſi libro ſuppoſitis ambabus manibus; ita ut pars, quæ aperitur, ſit verſus partem ſuam ſiniſtram; Venantius *in Prax. Sac. Cærem. tit. 4. c. 3. n. 12.* Bauldry *part. 1. c. 12. art. 1. n. 26.* Tum ſolus procedens a cornu Epiſtolæ, in quo erant ſine comite (comes enim datur Miniſtris, quando vadunt ad aliquid cantandum, aut quando exeundum eſt a Presbyterio, ut advertit Gavant. *ſupra* & hinc eſt, quod Subdiacono pro cantanda Epiſtola datur comes, quia ſtatim eam cantare debet) procedens, inquam, ad Altare per planum Presbyterii, & non per gradus, uſque ad locum, ubi Celebrans facit Confeſſionem, & ſuper infimum Altaris gradum in medio, ſine mora genuflectit Cruci; & facta genuflexione aſcendit ad Altare, & in medio illius ponit librum Evangeliorum jacentem, & clauſum; ita ut pars, quæ aperitur, reſpiciat cornu Evangelii; juxta ſententiam Bauld. *part. 1. ſupra;* ibique in medio præfatus Diaconus ſtans manibus junctis ante pectus, paululum verſus cornu Epiſtolæ, Celebrantem expectat, ſi nondum Evangelium legerit. Ita Nicolaus de Bralion, & Venantius *tit. 4. cap. 3. n. 11.*

XXIV. Gav. lit. d - *Imponit incenſum eo prorſus modo, &c.*) Dum Celebrans incipit legere Evangelium, vel citius, ſi opus eſt, Thuriferarius paret ignem in thuribulo, & tempeſtive, nempe quando Graduale cantabitur, vel primum Alleluja Paſchali tempore ſeu etiam initio Tractus poſt Septuageſimam, aut verſus finem Sequentiæ, quando dicitur, parabit thuribulum; & deductus per Cæremoniarum, ſi adeſt, ad Altare, aſcendit præfatus Thuriferarius per gradus laterales Epiſtolæ fere ad medium Altaris ad ſuppedaneum; Lohn. *part. 3. tit. 5. n. 7.* Bauld. *part. 5. ſupra n. 17.* & alibi; ibique facta genuflexione, deinde erectus, & ſtans a dexteris Diaconi ante Celebrantem, naviculam, quam in manu dextera tenet, tradit Diacono; deinde miniſtrat thuribulum Celebranti, eo modo, quo fecit in prima Altaris incenſatione ante Introitum, de qua ſupra. Tunc Diaconus ſtans a dexteris Celebrantis, habens naviculam in manibus ſemiapertam, & verſus Celebrantem inclinatus dicit de more: *Benedicite, Pater Reverende:* accepto tamen prius manu dextera de navicula cochleari per manubrium prope vas ipſius inter pollicem, & indicem, & alios digitos dexteræ manus, ut vas ſit propius ad manum, illud ei porrigit cum oſculis ipſius cochlearis, & manus Celebrantis in parte exteriori; de quo Ritu nos *ſupra;* Bauld. *part. 1. cap. 12. art. 1. n. 14.* Impoſito autem, & benedicto incenſo eo prorſus modo, quo in principio Miſſæ dictum eſt, Thuriferarius, recepta navicula a Diacono (ſtante interim Subdiacono in ſuo loco, ut dictum eſt) & facta genuflexione in gradu, cum Cæremoniario in ſuo loco ubi eſt, uterque deſcendit per gradus laterales Epiſtolæ, redeundo poſtea ad ſuum locum prope credentiam; Lohn. *part. 3. tit. 5. n. 3.* Bauld. *part. 3. ſupra n. 17.* Benven. *ſup. §. Impoſito.*

XXV. Gavant. lit. e - *Super primo Altaris gradu, &c.*) Diaconus vero reddita navicula Thuriferario, vel Naviculario, ſi adeſſet, deſcendens ad ſecundum gradum, genuflectit utroque genu ſuper ſuppedaneum, manibus junctis; inclinatus (inclinatione profunda) voce ſubmiſſa dicit: *Munda cor meum, &c.* Caſtald. *lib. 2. ſect. 7. cap. 1. n. 11.* Biſſ. *lit. D. n. 22. §. 12.* Bauld. *part. 1. c. 12. art. 1. n. 28.*

XXVI. Gavaut. lit. f. - *Accipiens librum Evangeliorum.*) Dicto *Munda cor meum,* ſurgit Diaconus, & ambabus manibus accipit reverenter librum Evangeliorum de Altari, ad ejus medium accedens; Bauld. *part. 1. ſupra,* & Biſſ. *ſupra.*

XXVII. Gavaut. lit. g - *Petit Benedictionem; dicat Diaconus, &c.*). Deinde Diaconus iterum genuflectit utroque genu ſuper altiorem gradum, ſeu ſuppedaneum in medio verſus Celebrantem ſtantem, ubi erat prius, id eſt, inter cornu Evangelii, & medium Altaris. Biſſ. *ſupra §. 12.* & non omnino converſum ad Diaconum, ne terga vertat Cruci, petit ab eo Diaconus inclinatus, & manibus junctis ante pectus, ſubmiſſa, ſed intelligibili voce Benedictionem, dicens *Jube Domne* (non Domine) *Benedicere.* Gavantus *ſupra,* Biſſus, Bauld. *part. 1. ſupra;* Diaconus, inquam, debet dicere *Jube Domne,* quia alloquitur ipſum Celebrantem, non vero Deum, ſicuti alloquitur Sacerdos, qui ideo debet dicere *Jube Domine,* non vero *Domne;* ut diximus, cum de Miſſa Privata. Poſtquam Diaconus petiit Benedictionem, Celebrans manibus junctis ſubjungit: *Dominus ſit in corde tuo, &c.* Lohn. *part. 3. tit. 25. de Ritu ſolemni n. 2.* Bauld. *part. 3. ſupra,* & Biſſ. *ſup.* & cum dicit *In nomine Patris* in fine ipſe ſubdens *Amen* benedicit eum dextera, ſiniſtra infra pectus poſita, extenditque manum dexteram; quam poſtea poſitam ſuper librum (quem Diaconus elevat aliquantulum, & verſus eum deflectit) tradit ipſi oſculandam in exteriori parte; Bauldry *part. 3. ſupra,* Biſſ. Lohn. & Gavant. *ſupra,* necnon Caſtald. *lib. 2. ſect. 9. n. 16.* Celebrans data Benedictione Diacono, ſtatim facta Cruci, & Tabernaculo debita inclinatione, ſe retrahit ad cornu Epiſtolæ, ibique ſtat junctis manibus verſus Altare, quouſque Diaconus incipiat *Dominus vobiſcum,* quo prolato a Diacono, tunc ſolum Celebrans vertit ſe ad ipſum Diaconum, non totaliter vertens renes Altari, ſed verſis renibus quaſi ad cornu Epiſtolæ; ſic enim vere eſt converſus ad Diaconum; & ita converſus ſtat manibus junctis ante pectus quouſque oſculatus fuerit Evangelium, & fuerit a Diacono incenſatus; Biſſus *lit. C. n. 197. §. 25.* & Bauldry *part. 3. ſupra.* Ut præfata omnia recte, & rite peragantur, Chorus ita dimetiatur ſuum cantum, ut Diaconus omnia ſuo tempore peragere poſſit, & non ſileat, niſi quando ipſe Diaconus pervenerit ad locum Evangelii; Vinitor *part. 4. tit. 2. in adnot. §. 25.* Dum Celebrans benedicit Diaconum, vel paulo tardius, Cæremoniarius deducet Ceroferarios candelabra deferentes, & ſequentes Thuriferarium, qui præcedere debet; deducet, inquam, per planum ante Altare; Bauldry *part. 1. c. 1. art. 1. n. 27. & c. 14. art. 3. n. 6. & part. 3. ſupra n. 19.*

XXVIII. Gav. lit. h - *Oſculata illius manu, nimirum dextera.*) Diaconus accepta Benedictione, & oſculata manu Celebrantis, ſurgit, & deſcendit in planum Presbyterii, ubi tenens librum Evangeliorum ambabus manibus clauſum, non ut Subdiaconus pro Epiſtola legenda, juxta Miſſalis Rubricas, ſupra pectus; ſed ut præſcribit Cærem. Epiſc. *lib. 2. c. 8. §. 44.* ante pectus; ſtat verſa facie ad Altare, habens Subdiaconum a ſiniſtris, ſecundo Cæremoniario ſtante a ſiniſtris Subdiaconi; Thuriferario vero a tergo Diaconi, cum thuribulo fumigante, Biſſus *lit. T. n. 44. §. 3.* & Bauld *part. 3. ſupra n. 19.* medio inter duos Ceroferarios ſtantes pariter a tergo Diaconi, habentes candelabra, cum cereis accenſis; & ita diſpoſiti, omnes genuflectunt; Cærem. Cleric. Regul. S. Pauli *lib. 1. c. 1.* Biſſus *lit. D. n. 123. §. 14.* & Bauld. *part. 3. ſupra;* Miniſtri quidem Sacri ſuper infimum gradum Altaris; Acolythi vero in plano Capellæ; Bauld. *part. 1. c. 14. art. 3. n. 6.* quando, eodem ſcilicet tempore, quo genuflectunt Miniſtri Sacri; ne cogantur bis genuflectere, nempe quando accedunt illuc, & poſtea quando recedunt: Caſtaldus *lib. 1. ſect. 4. c. 4. n. 4.* Lohner *part. 3. tit. 7. n. 4.* Bauldry *part. 3. ſupra n. 19. & par. 1. c. 14. art. 3. n. 6.* poſtea ſurgunt, & procedunt ad locum, ubi cantandum eſt Evangelium.

XXIX. Gavant. lit. i - *Præcedentibus Thuriferario, &c.*) Procedunt, inquam, ſervato hoc ordine videlicet: præcedit ſi adeſt ſecundus Cæremoniarius; primus quippe ſi adeſt, remanere debet ad ſiniſtram Celebrantis; a Portu *ſupra n. 13.* poſtea ſequitur Thuriferarius habens thuribulum in dextera manu; deinde Ceroferarii ambo ſimul cum candelabris: ſequitur deinde Diaconus portans librum Evangeliorum clauſum ante pectus ut ſupra, habens a ſiniſtris Subdiaconum tenentem manus junctas. Lohner *part. 3. tit. 2. n. 11. & tit. 3. n. 8.* Bauldry *part. 3. ſupra, & part. 1. c. 12. art. 2. c. 38.* Caſtald. *lib. 1. ſect. 7. n. 12.* & Biſſus *lit. D. ſupra.* Si vero eſſet anguſtia ſitus, ita ut non poſſent hoc ordine procedere; tunc Ceroferarii procedunt unus poſt alium, & Subdiaconus ante Diaconum. Si cantatur *Sequentia,* ſupradicta fiunt circa finem illius; ita tamen intempeſtive, ut finito cantu in Choro, Diaconus ſit paratus ad cantandum Evangelium ſine mora; Bauldry *part. 3. ſupra n. 20.*

De Proceſſione, quæ antiquitus fiebat ad Evangelium cantandum, & de uſu Crucis, & pulvinaris, præter thuris, & cereorum uſum ad prædictam Evangelii lectionem, erudite tractant Antonius Bellotte, in ſuis Obſerv. *pag. 421.* Jacobus Eveillon in ſuo libro de Proceſſionibus Eccleſ. *cap. 6.* necnon recentiſſime Joſephus Catalani in ſuo erudito opere de Codice S. Evangelii, &c. *lib. 2. c. 13.* qui evolvi poterunt ab iis, qui piæ ſuæ curioſitati ſatisfacere deſiderant.

XXX. Gav. lit. m - *Contra Altare verſus Populum.*) Agit pariter Gavantus ſupra de loco, in quo antiquitus legebatur Evangelium; de quo pariter multa a nobis eſſent addenda, quæ brevitatis ſtudio omittuntur, & videri poſſunt apud Auctores ſupra allegatos, quibus addi poteſt Claudius de Vert *tom. 3. Rubr. 43. & ſeqq.* Reaſſumendo igitur noſtrum ſermonem ſpectantem ad praxim hodiernorum Rituum; cum præfati Miniſtri pervenerint ad locum Evangelii, Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios, terga vertat ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur: Bauldry *part. 3. ſupra, & part. 13. art. 1. n. 21.* & Biſſus *ſupra §. 15.* Diaconus vero ſtans verſa facie ad Subdiaconum, librum Evangeliorum apertum, eidem Subdiacono tradit, qui eum ſuſtinet ambabus manibus elevatum ante pectus, & oculos ſuos; ita ut Diaconus in eo commode legere poſſit, & oculi Subdiaconi impediantur a libro, ne videant Diaconum: Bauldry *part. 1. & 3. ſupra,* Benvenuti *ſupra §. Ita diſpoſitis:* nunquam Subdiaconus ibi ſe inclinat, nec genuflectit, nec ſe ſignat, cum immobile legile repræſentet; Cabrinus *c. 3. n. 17.* Gavantus *infra lit. O.* Caſtald. *lib. 1. ſect. 7. c. 1. n. 12.* Lohner *part. 3. tit. 3. n. 8.* Bauld. *part. 1. cap. 13. ſupra.* Primus Ceroferarius locum occupabit a dexteris Subdiaconi, & alter a ſiniſtris ejuſdem, ſtantes ambo facie ad Diaconum converſa; Bauld. *part. 1. cap. 14. art. 3. n. 6. & part. 3. ſupra,* & vertentes renes ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur, quemadmodum vertit Subdiaconus, Bauldry *part. 3. ſup.* nullo modo ſe inclinantes, aut

genu-

Digitized by Google

genuflectentes, aut ſe ſignantes, cum repræſentent candelabra immobilia; Cærem. Epiſc. *l.* 2. *c.* 8. §. 46. Bauld. *part.* 1. *c.* 54. *ſupra*, Gavant. *ſupradicta lit.* O. & Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 8. necnon Lohner *part.* 3. *tit.* 7.

Thuriferarius vero, ſi ipſe immediate Diacono thuribulum miniſtrat, ſtat aliquantulum poſt Diaconum a dexteris, & ſecundus Cæremoniarius a ſiniſtris Thuriferarii; ibique monet Diaconum, quando inclinandum ſit, aut genuflectendum, & ſe ſignat cum eo in fronte, ore, & pectore. Bauldry *part.* 1. *c.* 1. *art.* 1. *n.* 28. *&* *c.* 5. *n.* 7. & Biſſus *ſupra.* Si vero prædictum munus exerceatur a ſupradicto Cæremoniario, hic ſtabit a dexteris Diaconi; & Thuriferarius cum thuribulo, quod leviter ducit ſemi apertum, ſtabit poſt Diaconum a ſiniſtris Cæremoniarii. Bauldry *ſupra c.* 15. Biſſus *ſupra*, & Lohner *par.* 3. *tit.* 6. *n.* 3.

XXXI. Rubr. *Dicit: Dominus vobiſcum junctis manibus.*) Omnibus ut ſupra diſpoſitis, Diaconus, junctis manibus ante pectus, cantat voce ſonora; *Dominus vobiſcum:* poſtea dicit, *Initium*, vel *Sequentia Sancti Evangelii*, prout convenit; *ſuperior Rubrica*; & reſponſo a Choro, *Et cum ſpiritu tuo*, ſignat textum, ſeu librum in principio Evangelii currentis pollice dextero, reliqua manu extenſa, & digitis ſimul junctis, & extenſis, ſiniſtra ſuper librum Evangeliorum poſita: Lohner *part.* 3. *tit.* 2. *n.* 11. Bauld. *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 31. & Nicolaus de Bralion *ſupra*: deinde ſe ipſum eodem pollice ſignat in fronte, ore, & pectore, ſiniſtra infra pectus poſita; Bauldry, Bralion, Lohner *ſupra*; advertens ne ſignet os ſuum, dum verba profert; Bauldry *part.* 1. *ſupra*, & a Portu *ſupra n.* 17. quod facile evitabit, ſi poſtquam ſignaverit frontem dicendo, *S. Evangelii* pauſet tantiſper, & interim ſignet os, & deinde ſignet pectus, dicendo *Secundum*, *&c.* Bauldry *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 35. a Portu *ſupra:* Celebrans autem, & omnes alii ſe ſignant eodem modo, exceptis Subdiacono, Ceroferariis, & Thuriferario, cum ſint occupati, & impediti, Bauld. *part.* 3. *c.* 11. *art.* 6. *n.* 1. & Benven. *ſupra* §. *Finito cantu*. Si genuflectendum ſit, ſolus Diaconus genuflectit verſus librum; reliqui, qui debent genuflectere, hoc facient verſus Altare; Lohner *part.* 3. *tit.* 4. *n.* 8. & Bauldry *part.* 3. *art.* 6. *n.* 3. etiam Thuriferarius cum proferuntur verba, ad quæ genuflectendum eſt, cum aliis genuflectit, facie ad Altare verſa. Vinitor *part.* 4. *tit.* 24. *n.* 9.

Poſtea, cum a Choro reſpondetur *Gloria tibi*, *Domine*, Diaconus accipit thuribulum a Thuriferario (vel ab aliquo Cæremoniario, juxta diverſitatem conſuetudinum in Eccleſiis) aliquantulum ad ipſum Thuriferarium, vel Cæremoniarium converſus, ita ut nullus terga vertat Cruci Altaris: qui autem Diacono thuribulum tradit, ipſum clauſum porrigere, ſicut etiam illud tenere debet per manubrium in dextera; vaſculum vero per catenulas in ſiniſtra, dum illud Diacono tradit; Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 4. Bauld. *part.* 1. *c.* 12. *ſupra n.* 7. a Portu *n.* 18. neque thuribulum, neque manus Diaconi oſculatur. Bauld. *part.* 3. *ſupra not.* 6. *num.* 1. & Biſſus *lit. D. num.* 123. §. 17.

XXXII. Gavant. lit. n. -- *Ter incenſat, intellige a dexteris.*) Diaconus accepto thuribulo incenſat librum Evangeliorum triplici ductu, ſemel ſcilicet in medio, poſtmodum in dextera libri, quæ eſt pars illius nobilior, quæque correſpondet ſiniſtræ Diaconi; tandem in ſiniſtra libri, quæ correſpondet Diaconi dexteræ; Gavantus *ſupra*, Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *c.* 5. *n.* 52. Biſſus *ſupra*, & alii communiter; facta tamen ante, & poſt incenſationem debita inclinatione ipſi libro propter reverentiam Sacri textus, in eo contenti: incenſet autem Diaconus præfatum librum tali tempeſtiva moderatione; ut finita ſit incenſatio, ſtatim poſtquam a Choro fuerit reſponſum *Gloria tibi*, *Domine*, ad quod etiam Chorus attendere debet, ut tardius propterea prædicta verba decantet. Bauld. *part.* 1. *&* 3. Biſſus, & a Portu *ſupra n.* 18. Incenſato libro, Diaconus reddit thuribulum Miniſtro, qui ſtare debet poſt Diaconum ad ſiniſtram ejuſdem, ut volunt Gavantus *ſupra lit.* O. §. *Dum cantatur Evangelium*, Corſett. *tract.* 1. *part.* 5. *c.* 11. *n.* 16. & Venant. *tit.* 8. *c.* 1. *n.* 8. vel potius prædictus Miniſter ſtet poſt Diaconum verſus partem ejuſdem dexteram, aliquantulum agitans thuribulum, ejuſdemque elevans operculum; ne dum cantatur Evangelium, ignis extinguatur, cum inſervire debeat poſt Evangelium ad incenſandum Celebrantem. Biſſus *tom.* 2. *lit.* T. *n.* 49. §. 4. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *c.* 5. *n.* 52. Bauld. *part.* 1. *&* 3. *ſupra*, Lohner *part.* 3. *tit.* 2. *n.* 11. Si igitur ipſemet Thuriferarius dedit thuribulum Diacono, ante incenſationem, ipſe idem illud recipere debet (ſemper tamen ſine oſculis; Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 4. *n.* 10.) quod quidem convenientius eſt; & tunc ſtabit poſt Diaconum, ut ſupra, verſus dexteram ipſius; & a ſiniſtris ejuſdem Thuriferarii poſt Diaconum ſtabit Cæremoniarius. Si vero Diaconus thuribulum a Cæremoniario acceperit; tunc eidem Cæremoniario ipſum reddet, & hic ſtatim illud tradit Thuriferario; & in tali caſu Cæremoniarius ſtare debet a dexteris, aliquantulum poſt Diaconum, & Thuriferarius pariter ſe ſiſtit poſt Diaconum a ſiniſtris Cæremoniarii, ut diximus ſupra, Bauld. *part.* 3. *ſup. art.* 6. *n.* 2. & Biſſ. *ſupra*. Diaconus reddito thuribulo, ut ſupra, proſequitur manibus junctis Evangelium cantare. Bald. *part.* 1. *ſupra c.* 12. Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 7. *ſupra*, & Biſſus *ſupra* §. 18.

Cum Diaconus incipit cantare *Dominus vobiſcum*, & Celebrans confert ſe ad cornu Epiſtolæ ut ſupra adnotatum eſt, primus Cæremoniarius, ſi adſit, ut aſſiſtat Celebranti, aſcendit ad ſecundum gradum Altaris in cornu Epiſtolæ aliquantulum poſt Celebrantem, huicque ſe conformat caput inclinando, ſe ſignando, &c. a Portu *ſup. n.* 20.

XXXIII. Rub. *Et cum nominatur Jeſus, caput inclinat.*) Diaconus ad verba *Jeſus*, vel *Mariæ*, vel *Sancti*, de quo celebratur Miſſa, aut facta fuerit Commemoratio, inclinat caput (quod ſemper facit) verſus librum; ſicut etiam inclinare debent caput Celebrans, Cæremoniarii, & omnes de Choro (exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, quia iſti ſtant ad modum legilis, & candelabrorum, ut diximus ſupra) ſed profundius verſus Crucem ad nomen *Jeſus*; ad alia nomina verſus librum. Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *c.* 8. §. 46. de Bralion *ſupra n.* 8. Bauld. *part.* 3. *ſup. &* *part.* 1. *c.* 12. *ſupra*.

XXXIV. Rubr. *Finito Evangelio.*) Diaconus finito Evangelio indicat Evangelii principium Subdiacono, Bauldry *part.* 5. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 32. (qui propterea demittit aliquantulum librum, ut poſſit initium ejuſdem ſibi demonſtratum videre) quod ſi principium fuerit in pagina præcedente, Diaconus volvere debet folium; Hippolytus a Portu *part.* 2. *de Miſſa Solemni tit.* 6. *rub.* 5. *in adnot. n.* 23. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 7. Bauld. *part.* 1. *c.* 12. *n.* 23. & ſtatim ſe retrahit, aliquantulum faciem quaſi verſus Altare convertens, ne Subdiaconum tranſeuntem cum libro Evangeliorum impediat; Bauld. *ſupr. &* *part.* 3. *ſup. n.* 6. Subdiaconus autem ſubito recta via per gradus anteriores Altaris, Turrin. *part.* 2. *ſect.* 3. *c.* 2. §. *Cum pervenerit*, defert librum Evangeliorum apertum (in folio, in quo incipit Evangelium,) elevatum ob oculos, ſolus, modeſte, nulla facta reverentia Celebranti in acceſſu, aut genuflexione, nec Altari, neque Sanctiſſimo Sacramento, etiam expoſito, ob reverentiam Sacri Evangelii, Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *c.* 8. §. 46. Arnaud. *part.* 2. *tit.* 6. *n.* 16. Gav. *infra lit.* P Corſett. *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 3. *n.* 13. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 8. Bauld. *part.* 3. *ſup. art.* 6. *n.* 4.

Cum pervenerit ad Celebrantem, indice dexteræ manus, ſi commode poteſt, initium Evang. ei monſtrat, eique oſculando offert. Caſtaldus *lib.* 1. *ſup.* Lohn. *ſupr.* Bauldd. *par.* 1. *c.* 13. *art* 1. *n.* 22.

XXXV. Gavant. & Rub. lit. o -- *Oſculatur librum.*) Celebrans ambabus manibus librum a Subdiacono delatum pro deoſculatione, ſibi appropinquat, quia ita aptius fit deoſculatio: non tamen Subdiaconus deſinit eum tenere in medio; ſed Celebrans partem inferiorem accipiens, ſibimetipſi illum appropinquare poteſt, ut oſculetur Evangelium, etſi, ut præſcribit Rubrica, illud deoſculatur aliquantulum inclinatus; ſed non ſignabit; dicet tamen *Per Evangelica dicta*, *&c.* prout ſolet dicere in Miſſa Privata, quando oſculatur Evangelium. Arnaud. *tract.* 1. *part.* 2. *tit.* 6. *n.* 16. ex Rubrica Miſſalis.

XXXVI. Gavant. lit. p. -- *Deinde clauſo libro.*) Oſculato per Celebrantem Evangelio, Subdiaconus claudit librum, & paululum retrocedens, Celebranti ſe profunde inclinat; Caſtal. *lib.* 1. *ſect.* 7. *c.* 5. *n.* 13. Bauld. *part.* 1. *&* *part.* 3. *ſup. art.* 6. *n.* 4. Turrin. *ſup.* Biſſus *lit.* S. *n.* 196. §. 10. & Gavant. *hoc loco*, ibique facit Cruci genuflexionem juxta ſententiam Lohner, & Hippolyti a Portu *ſupra*: non enim debet genuflectere in plano Capellæ, ut ſuſtinent Bauld. *par.* 1. *c.* 13. *n.* 22. & Turr. *ſupra*: quia in aliis caſibus, quando ab Altari recedit, antequam ab eodem recedat, genuflectit; non autem poſtquam in termino conſiſtit, ad quem ivit: & hoc videntur innuere etiam Gavantus noſter, necnon Arnaud. & Biſſus *ſupra* dicentes: *Facit utrique reverentiam*: ſcilicet Celebranti, & Altari. Poſt dictam genuflexionem deſcendit idem Subdiaconus in planum; & quidem non per medium, ut ſuſtinent Corſettus, & Caſtaldus *ſupra*, ſed a latere Epiſtolæ; ut tenent Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *ſupra*, Biſſus, & a Portu *ſupra*, & quia ſi deſcenderet per medium, occurreret ante Diaconum ſupervenientem, ut Celebrantem incenſet. Poſtquam igitur pervenit in dictum locum, a latere Epiſtolæ, ibi conſiſtit, & tradit librum ſecundo Cæremoniario, vel alicui Acolytho, qui deferat illum ad credentiam, reverſurus deinde ad locum ſuum. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 8. Caſtaldus, Biſſus, & Turrinus *ſupra* §. *Facta genuflexione*. Dum Subdiaconus pergit ad Celebrantem, ſequitur ſecundus Cæremoniarius, ſi adeſt, qui procedit ad medium Altaris: tum Thuriferarius medius inter Ceroferarios, ibique expectans Diaconum, qui omnium poſtremus, manibus junctis ante pectus, accedet ad ipſum omnium medium Altaris per planum Presbyterii, & ſtans in medio plani, habens quaſi a dexteris Thuriferarium, a dexteris Thuriferarii primum Ceroferarium, & quaſi a ſiniſtris ſecundum Ceroferarium, & ſtatim omnes genuflectunt (excepto Subdiacono, quia jam fecit genuflexionem, ut ſupra dictum eſt) Diaconus ſuper infimum gradum Altaris, reliqui vero in plano; Bauldry *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 32. *&* *c.* 54. *art.* 3. *n.* 6. Benvenuti *ſup.* §. *expleto:* deinde omnes ſurgunt; & Cæremoniarius, cum non habeat locum determinatum, in hoc caſu ſtabit a dexteris primi Ceroferarii, præſertim ſi ipſemet accipere debeat librum Evangeliorum a Subdiacono, qui, ut ſupra adnotavimus, poſt factam genuflectionem, deſcendere debet in planum a latere Epiſtolæ, ibique conſiſtere. Si vero præfatus Cæremoniarius velit porrigere thuribulum Diacono, ut inſinuant Nicolaus de Bralion. *ſup. n.* 52. & Bauldry *part.* 1. *c.* 1. *art.* 1. *n.* 29. tunc ſtabit quaſi a dexteris ejuſdem Diaconi, & Thuriferarius ſiſtet ſe a ſiniſtris Cæremoniarii, aliquantulum poſt eum. Ceroferarii vero facta, ut diximus, genuflexione Altari, ſine mora, redeunt per planum ad credentiam, ibique deponunt candelabra ſua, ac in loco ſuo conſiſtunt: Bauldry *part.* 3. *ſupra art.* 6. *num.* 5. Simon Buongiovanni in Sylva Sac. Cæ-

rem. *lib. 5. cap. 9.* & Corſett. *tract. 2. part. 1. cap. 2. n. 9.* & hæc eſt praxis omnium Cathedralium; qui quidem Ritus revera conſonat antiquæ Eccleſiæ Diſciplinæ, ut videre eſt apud Catalanum in ſuo codice Sancti Evangelii.

XXXVII. Gavant. lit. q. *Diaconus in plano medio, &c.*) Diaconus autem ſtans in medio, ubi eſt, accipiens thuribulum a Thuriferario erecto, & porrigente illud ſine oſculis, ut docent Caſtaldus *lib. 1. ſect. 4. c. 6. n. 10.* Bauldry *part. 1. cap. 12. & cap. 15. art. 3.* Biſſus *ſupra* (vel a Cæremoniario, ut docet de Bralion *ſupra n. 13.*) ad Celebrantem converſus, & cum debita inclinatione, id eſt, profunda ante, & poſt exhibita, Bauldry *part. 3. ſupra*, & Biſſus *ſupra*, triplici ductu eundem Celebrantem incenſat, etiam fumo deficiente; non enim ponendum eſt thus in thuribulum pro incenſando Celebrante. Biſſus *ſupra* Portu *n. 24.* Bauld. *part. 3. ſupra* Benven. *ſup. §. Expleto*. Huc ſpectat Decretum editum a S. R. C. ſub die 4. Auguſti 1663. in *Dalmatien.* & datur in noſtro Indice *ſub n. 410.* in quo declaratum eſt, quod - Finito Evangelio Miſſæ Solemnis, cui aſſiſtit Epiſcopus cum cappa, thurificandus eſt Celebrans, non vero Epiſcopus. Incenſato Celebrante, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario, vel Cæremoniario, ſi illud ab eodem accepit; & hic tunc tradit præfatum thuribulum Thuriferario; qui facta nova genuflexione Altari, illud in loco congruo reponit; ut poſſit illud reſumere tempore opportuno pro thurificatione oblatorum, ut infra; quod ſi non ſit dicendum Symbolum, tunc Thuriferarius non reponit thuribulum, ſed illud teneat præ manibus, in loco ab Altari remoto, ubi leviter item thuribulum agitat, ne ignis extinguatur pro incenſatione mox facienda. Baud. *part. 3. c. 13. art. 6.* Biſſus *lit. T n. 49. §. 5.* Benv. *ſupra*.

## R U B R I C A.

6 *Si autem ſit prædicandum, Concionator finito Evangelio prædicet; & ſermone, ſive concione expleta, dicitur Credo; vel ſi non ſit dicendum, cantatur Offertorium.*

## *G A V A N T U S.*

Hoc loco concionandum eſt, *ex Ordine Romano*, ut Concinator ſit quaſi interpres Sancti Evangelii; ſed antiquiores poſt Symbolum concionabantur. *Ex lib. 8. Conſt. Apoſt. cap. 4.*

Si Celebrans concionari velit, ſedeat ſuper ſcamno nudo, in cornu Evangelii, capite tecto, aut ſine caſula in pulpito.

Orator Romæ non utitur ſtola ſuper cottam, ob reverentiam Papæ, qui extra Sacramenta ſtola utitur. Initio concionis ſignabit ſe ſigno Crucis, quod docuit ex Corrippo Poeta Baronius *Anno* 565. ſtabant etiam auditores ad conciones, uti ad Evangelium, *ex Auguſtino lib. 50. homil. 26.* non tamen ubique, nam ſedebant. *Act. 13. verſ. 14. & apud Clem. lib. 2. Conſt. cap. 57.*

Novæ Obſervationes & Additiones &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Evangelii, uſque ad Offertorium.

XXXVIII. Gavant. lit. r. *Hoc loco concionandum eſt.*) Si inter Miſſarum ſolemnia concionandum ſit, habeatur concio ſtatim poſt Evangelium, & poſtquam incenſatus fuerit Celebrans, dummodo ipſa concio habeatur ſupra Evangelium; nam alterius argumenti infra Miſſam fieri non debet; Nicolaus de Bral. *ſupra n. 13.* quod ſi fiat concio ab ipſo Celebrante, ipſe ſedebit in cornu Evangelii ſuper nudo ſcamno apud Altare ob reverentiam ipſius Altaris, capite tamen tecto; neque decet ſedere juxta ipſum Altare in alio ſcamno: Gav. & de Bralion *ſupra*: Diaconus vero, & Subdiaconus in eodem latere, extra Altare tamen, tectis capitibus ſuper ſcamnum, faciebus ad Altare converſis, Diaconus a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris ſedebunt; Caſtald. *lib. 1. ſect. 2. cap. 6. n. 6.* vel ſedere poterunt in ſcamno, ubi cum ipſo Celebrante dum cantabatur *Gloria in Excelſis* ſedebant, relicto tamen loco ipſius Celebrantis vacuo, juxta opinionem de Bralion *ſupra*. Si vero Celebrans in pulpito prædicare velit, ad illud ſine caſula ducetur a Cæremoniario; & tunc Diaconus, & Subdiaconus ſedebunt, ubi commodius, ſecundum loci diſpoſitionem poterunt, de Bralion *ſupra*, & Biſſus *lit. C. n. 197. §. 28.* Bauld. tamen *part. 1. cap. 10. n. 8. ex Concil. Mediol. 6.* docet, quod Præpoſiti, & alii Epiſcopo inferiores ad Altare concionantes, ſtent, & aperto capite, vel ut facilius audiantur, depoſita planeta, & manipulo ſi velint, procedant ad pulpitum, & finita concione ea reſumant; in ſuggeſtu vero, capite tecto vel ſedeant, quia celebrant, vel ſtent prout maluerint: ad Altare autem ad cornu Evangelii ſtent, Miniſtris ſtantibus in plano, ad idem cornu aſpicientibus, nec candelæ Altaris extinguantur.

Si vero alius a Celebrante concionari debuerit, antequam pulpitum aſcendat, ſi ſit Clericus, ſuperpelliceo indui debet, & cum ſtola, ſi ſit Sacerdos (extra Urbem tamen: nam Romæ ob Papæ reverentiam, Concionator non adhibet ſtolam ſuper cottam, ut advertit Gavant. *ſupra*) ſi vero Concionator ſit Regularis, remanet indutus ſolo habitu ſuo regulari; ſi Canonicus, vel Dignitas cum cappa, vel almutia ſuper rochettum: ſi vero ſit Epiſcopus, & non ſolemniter celebret, habitu ordinario indutus, videlicet rochetto, & mozzetta, addita ſtola; qui ſi ſolemniter celebret, Pontificalibus indumentis cum mitra, prout *in Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 8.* ſuum munus exequitur: ſi vero Epiſcopus extra ſuam Diœceſim concionetur, non quidem mozzettam, ſed mantellettam habebit.

Si coram Cardinali, Legato Sedis Apoſtolicæ, Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo in locis juriſdictionis, concionari contingat; tunc ſermocinaturus cum debitis reverentiis antequam ſuggeſtum aſcendat, ſi ſit Clericus, vel Regularis genuflexus Benedictionem petat, dicens: *Jube Domne benedicere*; ſi vero ſit Dignitas vel Canonicus (nempe Eccleſiæ Cathedralis) profunde inclinatus Benedictionem petat. *Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 22.*

Huc ſpectant aliqua Decreta a S. R. C. emanata, nimirum - Vicario Epiſcopi non licet dare Benedictionem Prædicatori antequam pulpitum aſcendat - S. R. C. 17. Martii 1607. & datur in noſtro Indice *ſub n. 52.*

Epiſcopus, qui concionatur extra ſuam Diœceſim, nullo modo ab Epiſcopo Ordinario, etiamſi ſit Cardinalis, Benedictionem petere debet; non enim decet, ob ſupremum ordinem, & Dignitatem Epiſcopalem. Ita declaravit Sac. Rit. Congr. 28. Aprilis 1607. & datur in noſtro Indice *ſub n. 56.*

Poſtquam Concionator ſuggeſtum aſcenderit, ſtatim Cruci, vel Altari facit profundam inclinationem, vel genuflexionem, ſi ſit SS. Sacramentum ibi; mox ſalutat Clerum, & Populum tum tegit caput, & expectat tantiſper; deinde caput detegens, manibus junctis, biretum tenens ante pectus, ſi eo utatur, oculiſque ad Deum elevatis, ſignat ſe ſigno Crucis, dicens ſubmiſſa voce; *In Nomine patris, &c.* & in fine jungit manus dicens *Amen*; & ſtatim ad Altare genuflexus, clara voce dicit ſalutationem Angelicam (non vero *Regina Cœli*, etiam tempore Paſchali. Ita Cær. Epiſc. *lib. 1. cap. 22. §. 3.*) qua completa ſurgit, caput tegit, ſermonem incipit, & proſequitur de more. In fine Populum benedicit, niſi ſit præſens Epiſcopus loci, quia tunc a Benedictione abſtinet. Quod ſi adſit aliquis Prælatus magnus, non tamen in loco ſuæ juriſdictionis, antequam aliis benedicat, eidem Prælato ſe profunde inclinabit; mox ex alia parte converſus benedicet Populo. Bauldry *par. 4. art. 2. cap. 10. §. 6.* & Caſtald. *ſupra, n. 4.*

Dixi *ſupra*, Concionatorem, poſt factam Altari reverentiam, & genuflexionem, debere ſalutare Clerum, ac Populum; ſed advertendum eſt, quod ſi adſint Prælati, ac Primates, vel magni Principes, &c. ante Populi ſalutationem debet ipſis profundam facere inclinationem capite detecto, & obſervare in hac inclinatione ſequentia Decreta a S. R. C. edita, nimirum;

Concionatores debent primum Canonicos, quam Magiſtratus ſalutare, S. R. C. 3. Octobris 1615. & datur in noſtro Indice *ſub n. 148.*

Concionator debet prius ſalutare Canonicos, quam Gubernatorem Civitatis: & datur in noſtro Indice *ſub n. 499.*

Quando in Miſſa Solemni Concionator poſt ſalutationem Angelicam ſalutat Miniſtros Altaris, ſeu facit reverentiam; non eſt incongruum, ſi Miniſtri Altaris, & ipſe Celebrans, correſpondeant ſalutationi Concionatoris diſcooperiendo caput. S. R. C. 20. Julii 1686. & datur in noſtro Indice *ſub n. 486.*

Si Suffraganeus aſſiſtent concioni, ſedat in Presbyterio, Prædicatoris ſalutatio et prius dirigi debet, diſtincta ab illa Canonicorum, & Magiſtratus Sæcularis. Ita S. R. C. in *Veliterna 6. Septembr. 1666.* & datur in Appendice noſtri Indicis.

Præterea Epiſcopo prædicanti in Eccleſia Cathedrali in ambone, ubi Prædicatores Ordinarii prædicare conſueverunt ſine baldacchino, & in habitu mozzettæ, & ſtolæ, non debetur aſſiſtentia a Canonicis, & Dignitatibus; quæ aſſiſtentia ſolum debetur Epiſcopo prædicanti cum pluviali, & mitra ad præſcriptum Cæremonialis Epiſc. S. R. Congr. 19. Decembris 1643. & datur in noſtro Indice *ſub n. 286.*

Lubet hic mentionem facere de ligneo illo ſepimento, quod in noſtris Eccleſiis priſci noſtri PP. inter viros, & mulieres erigendum primi omnium, dum Sacræ Conciones habentur, inſtituerunt, ſeu potius reſtaurarunt. Id vero (ut optime obſervat Antonius Caracciolus in ſuis eruditiſſimis notis *ad cap. 7. part. 1.* noſtrarum conſtitutionum) accepere ex antiquiſſimo Eſſenorum Ritu, de quibus Philo *de vita contemplativa* ait: *Septimo die conveniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum, & mulierum cœtibus.* Et paulo inferius, *Medius autem paries a ſolo ſurgit tribus, quatuorve cubitis in modum loriculæ: ſuperiora uſque ad tectum patent: unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei ſexus conſulitur; & quod verba Doctoris exaudiuntur facile abſque obſtaculis, quæ vocem intercipiant.* Clemens Romanus, ſive alius Auctor Conſtit. Apoſtolicarum, *conſtit. 2. c. 57.* Apoſtolis tribuit hanc diſciplinam his verbis; *Horum cura, ut laici ſedeant cum omni quiete, & ordine. mulieres quoque ſeparatim ſedeant*: quocirca miratur laudatus Caracciolus; qua ratione Chryſoſtomus dixerit ſe a ſenioribus audiviſſe hos parietes non fuiſſe ab initio, niſi intelligat in Syria, aut Antiochia non fuiſſe. Verum ſola conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritate, originem hujus Ritus ab Apoſtolis repetere non poſſumus; cum illæ conſtitutiones ab Auctore IV. Sæculi ſcriptæ fuerint, ut fert communior eruditorum opinio; unde non tantam admirationem Caracciolo parere debuit ſententia Chryſoſtomi. Ligneos vero extitiſſe hos parietes ſua ætate, Chryſoſtomus tradit *hom. 74. in Matth.* his verbis: *Oportet interiore pariete viros a mulieribus ſeparari; verum, quoniam non vultis, neceſſarium eſſe PP. noſtri putaverunt ſaltem his ligneis parietibus vos ſeparari.* Meminerunt ejuſmodi ſepimenti complures alii, nimirum Divus Gregorius Nazianzenus *in oratione de Anaſt.* D. Ambroſius *ad Virg. Lapſ. c. 6.* D. Auguſtinus *de Civitate Dei lib. 3. c. 28.* Sanctus

Cy-

Cyrillus Hieroſolymitanus *in præf. ad Catech.* Ord. Rom. *Hittorpianæ collect. de officio Miſſæ* : quem quidem morem jam obſoletum PP. noſtri ad Eccleſiæ decorem honeſtatemque, ut diximus, revocarunt ; & adhuc iſta pia diſciplina obſervatur in nonnullis Eccleſiis, præſertim almæ Urbis, dum Sacri Oratores verba e ſuggeſtu faciunt.

Denique ſi fiat concio, quando SS. Sacramentum eſt ſuper Altare expoſitum, ſive ſermo habeatur in pulpito, vel ante Altare a cornu Evangelii ; ſemper tamen Concionator ſtabit capite detecto, non obſtante quacunque conſuetudine ; quam abuſum eſſe declaravit S.R.C. & ita ab omnibus, etiam quavis ſpeciali nota digni, ubique Terrarum ſervari mandavit ; & habetur hoc Decretum in noſtro Indice *ſub* n.253.

Alia ſpectantia ad Ritus antiquos Concionatorum, videri poterunt apud Franciſcum Bernardinum Ferrarium in ſuo erudito opere *de Ritu Sac. Eccleſ. Cath. Concionum* ; quæ vero ſpectant ad Ritus hodiernos, legi poterunt apud Caſtaldum, & Bauldrium ſupracit. necnon apud Cærem. Epiſcoporum.

XXXIX. Rubr. *Et ſermone, ſive concione expleta, dicitur Credo, ſi dicendum ſit.* ) Poſtquam fuerit celebrans a Diacono incenſatus ( vel poſt concionem, ſi habenda ſit ) convertit ſe ad Altare, & vadit ad medium ipſius, ubi alta voce cantat principium Symboli, ut in Ordine Miſſæ ; ſi vero non ſit dicendum *Credo*, oſculato Altari in medio, dicit verſus Populum, *Dominus vobiſcum*.

Diaconus autem poſtquam celebrantem incenſavit, & thuribulum Thuriferario, vel Cæremoniario reddit, aſcendit ad ſecundum Altaris gradum ; ibique ( ſine genuflexione, quia jam erat in medio Altaris ante infimum gradum ) ſtat dum celebrans incipit *Credo*, ſi dicendum ſit ut ſupra ; Bauldry *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 33. & Biſſus *lit. D n.* 128. §. 19. Subdiaconus vero eodem tempore ſe recipit ad medium plani poſt Diaconum, ante infimum Altaris gradum, ubi genuflectit ( quia ipſe non erat in medio ) & ſtatim ſurgit : Bauld. *part.* 1. *c.* 13. *art.* 3. *n.* 24. & dum celebrans pronunciat vocem *Deum*, uterque, imo & omnes de Clero caput Cruci inclinant ; Bauldry *part.* 1. *c.* 12. & *c.* 13. *ſup.* Celebrans vero dum dicit *Credo*, extendit, & elevat manus ; dum dicit *In unum* jungit manus ante pectus ; dum dicit *Deum* caput ipſe quoque Cruci inclinat : Bauld. *part.* 3. *c.* 11. *art.* 5. nunc, & non prius, ſcilicet poſt vocem illa *Deum* ; facta ſuis in locis ab utroque Miniſtro genuflexione, aſcendunt ad celebrantem, Diaconus ſcilicet a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris ; & cum eo manibus junctis proſequuntur Symbolum, ut & alii de Choro ; ſicut dictum eſt de Hymno *Gloria in excelſis* ; Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 12. Bauld. *part.* 3. *ſupra*, Biſſus *lit. C. n.* 197. §. 30. inclinantes ad ea verba, ad quæ inclinat celebrans. Cum vero dicunt celebrans, & Miniſtri ſubmiſſa voce verba illa, *Et incarnatus eſt*, præfati Miniſtri Sacri genuflectunt cum celebrante ; ſed ſolus celebrans cum genuflectit extendit manus ſuper Altare, ut facit in Miſſa privata, Miniſtri vero Sacri genuflectunt manibus junctis ante pectus, & non ſuper Altare poſitis, quod ab iiſdem ſemper eſt obſervandum ; Biſſus *lit. C ſup.* & adnotatum eſt, quod debent incipere genuflexionem ad ea verba, *Et incarnatus eſt*, eamque finire ad illa verba, *Et homo factus eſt*, ut diximus cum de Miſſa privata. In fine Symboli, quando dicunt, *Et vitam venturi Sæculi*, manu dextera ſe ſignant ſigno Crucis, ſiniſtra pectori admota, diſtribuendo prædictas voces ut in Miſſa privata dictum eſt, ſicut & in fine manus jungunt, ut ibi facit Sacerdos.

## R U B R I C A.

*Cum vero in Symbolo cantatum fuerit, Et incarnatus eſt, Diaconus accepta burſa de credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum ſolitis reverentiis ad medium Altaris, in quo (t) explicat Corporale, & revertitur ad celebrantem. Cum non dicitur Credo, Subdiaconus defert burſam ſimul cum Calice, ut infra dicitur.*

## *G A V A N T U S.*

Quid agendum ſit a celebrante, & Miniſtris, ad ea verba, *Et incarnatus eſt*, dictum eſt ſupra *part.* 1. *tit.* 17. *n.* 3. qui vero tempore Symboli ſtant, ad prædicta verba genuflectunt in ſuis locis verſus Altare.

(t) *Explicat Corporale.* Ita *Ordo Romanus* ; ſervatis iis, quæ ſupra docuimus initio Miſſæ privatæ, *tit.* 2. *n.* 2. Celebrans, & Subdiaconus, ſi ad Altare ſint, & non ſedeant, paululum ſecedant verſus cornu Evangelii ; ut Diacono venienti, quaſi medium Altaris totum relinquant. Diaconus autem ſolus cum debitis reverentiis portat burſam ſine comite, *ex Cærem. Epiſc. lib.* 1. *c.* 9. per viam breviorem ad credentiam, per longiorem ad Altare.

Porro memorato Incarnationis Myſterio, non prius extendit Diaconus Corporale pro initio Sacrificii : quia & Chriſtus nonniſi poſt Incarnationem Redemptioni per Paſſionem operam dedit : *Rubeus lib.* 2. *c.* 45.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, & pro Cæremoniis faciendis, dum cantatur Symbolum.

XL. Gav. lit. t. *Quid agendum ſit a celebrante, &c.* ) Si celebrans, & Miniſtri velint ſedere, recitato Symbolo ſubmiſſa voce, procedant eo modo, quo diximus ſupra, cum de Hymno *Gloria in excelſis* ſermonem habuimus ; & ita tempeſtive ad ſcamnum paratum ibunt, ut non ſint in via, dum cantatur in Choro ea verba : *Et incarnatus eſt*, &c. ne cogantur genuflectere : nam ſi id eveniat, debent omnino ubi ſunt genuflectere verſus Altare, caputque profunde inclinare ; Lohner *part.* 2. *tit.* 17. *de Ritu ſolemni n.* 2. ut a ſimili colligitur etiam ex Bauldry *part.* 3. *c.* 11. *art.* 5. *n.* 3. Si autem jam ſedeant, tunc non genuflectunt ; ſed aperto capite illud inclinant. Canonici pariter ſedentes, capite detecto, profunde ſe inclinant verſus Altare ; alii omnes de Choro genuflectent, donec finiatur dictus verſiculus, *Et incarnatus eſt*, &c. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *c.* 8. §. 55. In die tamen Nativitatis Domini, & Annunciationis B. M. V. etiamſi transferatur ejus Officium, omnes ad dictum verſiculum genuflectere debent, etiam ipſimet Miniſtri Sacri, & celebrans ; ut docuit noſter Gav. *ſupra part.* 1. *tit.* 17. *Rubr.* 7. *lit. N* & cum eo omnes Rubriciſtæ.

Si vero recitato Symbolo privare, celebrans, & Miniſtri nolent ſedere, niſi poſt prædictum verſum, *Et incarnatus eſt*, &c. decet, ut paulo antequam dicatur *Deſcendit de Cœlis*, deſcendant in planum ; ibique genuflectant ſuper infimum Altaris gradum, & caput profunde inclinent ; Lohner *ſup.* & cantato a Choro, *Et incarnatus eſt*, &c. procedant ad ſedem paratam ; Bauldry *part.* 3. *ſupra art.* 6. *n.* 10. & Biſſus *lit. G. n.* 29. §. 2.

Quando vero celebrans, & Miniſtri nolunt ſedere, ſed ſtare ad Altare, dum cantatur Symbolum ; ſtabit tunc celebrans in medio Altaris, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, ſecundum communiorem uſum Eccleſiarum Urbis, & facient inclinationem ad ea verba, ad quæ, dum cantantur in Symbolo, fit inclinatio Cruci ; De Bralion *ſup. n.* 16. & 18. Item paulo antequam cantetur in Choro *Deſcendit de Cœlis*, celebrans cum Miniſtris Sacris deſcendit ſupra gradum viciniorem ſuperiori gradui, id eſt ſupra ſecundum gradum Altaris ; & medius inter Diaconum, & Subdiaconum genuflectit cum ipſis in ipſo ſuperiori gradu, hoc eſt in ſuppedaneo in medio ante Altare, ac caput omnes profunde inclinant, dum in Choro cantatur verſus, *Et incarnatus eſt*, &c. poſtea dicto, *Et homo factus eſt*, ſurgit celebrans cum Miniſtris, & iterum accedit ad Altare, ibique ſtat medius inter eos.

Item celebrans cum miniſtris genuflectit in Symbolo, caputque profunde inclinat ad ea verba, *Et incarnatus eſt*, in die Annunciationis B. M. V. & in tribus Miſſis Feſti Nativitatis Domini, non ſolum dum privatæ cum Miniſtris dicit Symbolum, uti in genu, ut ſemper fit ; ſed etiam dum cantatur a Choro ſupradictus verſiculus ; & tunc utroque genu, quæ genuflexio fieri debet ab omnibus, tam de Clero, quam ab aliis, qui ſunt in Eccleſia, in reverentiam tanti Myſterii, quod potiſſimum prædictis diebus celebratur ; ut ait Honor. in Gemma Animæ *l.* 1. *c.* 18. & noſter Gav. *part.* 1. *tit.* 17. *Rubr.* 7. *lit. N.* & tunc celebrans, ſi nolit ſedere, genuflectit cum Miniſtris Sacris in ſupremo gradu, ſeu in ſuppedaneo Altaris in medio, ut mox dictum eſt : ſi vero ſedere velit, expectando tamen, ( quod eſt convenientius ) poſt verſum *Et incarnatus eſt*, tunc ſtat ad Altare, & paulo antequam cantetur in Choro *Deſcendit de Cœlis*, ipſe deſcendit in planum cum Miniſtris, & genuflectit in medio in infimo Altaris gradu, medius inter Sacros Miniſtros, ac caput profunde inclinat *ut ſupra* ; poſtea cantato a Choro, *Et homo factus eſt*, ſurgit, & procedit cum Miniſtris ad ſedem ſuam : Biſſus *lit. G. nu.* 29. §. 2. & *lit. C. n.* 197. §. 21. Miniſtri vero Sacri ( quilibet a parte ſua ) in ſupradictis caſibus, ac in ſimilibus, ad ea omnia, in quibus fit aliqua pauſa in genuflexionibus, debent priuſquam a Choro pronuncientur ea verba, aptare poſteriorem partem planetæ ſuper pedes celebrantis. Bauldry *part.* 3. *ſupra num* 8. & a Portu *ſupra tit.* 6. *in adnot. Rubr.* 5. *num.* 27. Si ſuperveniat Cardinalis, aut alius Prælatus loci ſuperior, dum celebrans, & Miniſtri ſedent ( quod modo diximus de Symbolo, dicatur etiam de Hymno Angelico, & de aliis, ad quæ ſedet celebrans ) ſurgunt omnes : celebrans & Miniſtri etiam aperiunt Caput, ſed non deſcendunt de ſuo gradu, ſi eum habeant ſub ſcamno, ſeu ſede : quod ſi celebrans ſit Epiſcopus, aut Abbas, non deponunt mitram ; & ſic ſtant, donec Prælatus oraverit ante Altare, in quo celebratur. Tonellus *lib.* 2. *tit.* 14. *n.* 12. & apud ipſum Gavantum in MS. quod aſſervatur *apud Nicolaum Aldinium Florentiæ*. Si vero interim cantaretur a Choro *Et incarnatus eſt*, &c. tunc omnes genuflectere debent, cum non ſedeant, & quidem Clerici in plano, Canonici ſuis in locis, celebrans cum Miniſtris in infimo gradu laterali a parte Epiſtolæ, ad quem tempeſtive procedere deberet, ſi gradus diſtarent a ſcamno oblongo, in quo ſedet ; a Portu *ſupra* ; vel potius celebrans genuflectit cum ſuis Miniſtris prope ſedem ſuam, quod quidem magis placet ; ut a ſimili colligi poteſt ex Bauld. *part.* 4. *c.* 2. *n.* 23.

XLVI. Gav. lit. t. *Diaconus autem ſolus cum debitis reverentiis portat burſam.* ) Cantato vero in Choro *Et homo factus eſt*, Cæremoniarius primus procedit ante celebrantem, illi profunde inclinat, & deinde ( ſurgente etiam ipſo Subdiacono, & præ manibus biretum tenente, necnon apud locum ſuum conſiſtente ; Gabrinus *c.* 3. *n.* 2. Lohn. *part.* 3. *tit.* 3. *num.* 19. Arnaud. *part.* 1, *tit.* 6. *num.* 2. Bauldry *part.* 3. *ſupra n.* 13. ) minus profunda inclinatione convertens ſe ad Diaconum, hunc admonet de burſa deferenda : ſurgit Diaconus, & facit reverentiam profundam celebranti ( depoſito bireto ſuper ſcamnum, in quo ſedebat ) ſimul cum Cæremoniario ; Bauldry *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 35. Lohn. *part.* 3. *tit.* 2. *n.* 13. & *part.* 2. *tit.* 17. *de Ritu Solemni n.* 3. & aliqualem Subdiacono reverentiam, hoc eſt mediocrem ; a Portu *ſupr. Rubr.* 7. *in adnot. num.* 1. tum celebrans modica capitis

cooperti inclinatione eidem reſpondet; Lohner *ſupra part. 2. &c. n.* 3. Bauld. *part. 3. ſupr. n.* 12. & Cærem. Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 1. *cap.* 1. Subdiaconus vero æqualiter Diacono cum primo Cæremoniario vadit ad credentiam, Lohner *part. 3. tit. 4. n.* 10. *& tit. 2. n.* 13. Bauld. *part. 2. cap. 12. & part. 3. ſupra*, per viam breviorem; Caſtald. *lib.* 1. *ſect. 7. cap. 5. n.* 14. Biſſus *tom. 1. lit. D. -- n.* 123. §. 22. ubi Cæremoniarius facie ad Diaconum converſa, ambabus manibus porrigit burſam Corporalium, ita ut pars ejus aperta reſpiciat Diaconum; Bauld. *part. 3. art. 1. n.* 22. a Portu *ſupra*, quam ipſe Diaconus accipit, eamque defert ambabus manibus, uſque ad oculos elevatam, & quaſi jacentem, parte aperta ad ſe converſa; Bralion *ſupra n.* 14. Biſſ. *ſupra*, & Cærem. Epiſc. *lib. 2. c. 8.* §. 54. tenens eam per latera ipſius, pollicibus, & indicibus deſuper, ſeu hinc inde; reliquis vero digitis ſubtus eam poſitis; Bauld. *part. 2. c. 12. ſupra*, & a Portu *ſupra n.* 2. & ita procedit Diaconus ſolus (Cæremoniario ad locum ſuum revertente, ibique ſtante, unde procedit ſine comite, ut docet Gavantus *ſupra ex Cærem. Epiſc.*) per planum, ſeu per longiorem viam gravi inceſſu, & modeſto, oculiſque demiſſis ad Altare cum debitis Celebranti, Subdiacono (ſi ante eos tranſeat) & Choro reverentiis, cui etiam Celebrans, ut ſupra cooperto, & Subdiaconus aperto capite correſpondent: de Bralion, & Biſſ. *ſupra*; & cum pervenerit ad medium ante infimum Altaris gradum, ibi unico genu Cruci genufleſtit ſuper eundem infimum gradum, Biſſ. *ſupra* §. 23. Lohner *part. 3. tit. 2. n.* 13. Benvenuti *ſup. §. Deinde*, & a Portu *ſupra n.* 3. Deinde ad Altare aſcendit, & in medio ſtans, ſiniſtra tenet burſam, & dextera extrahit Corporale ex ea; tum eadem ſiniſtra manu burſam ponit erectam in cornu Evangelii inter candelabra, quaſi illis adjacentem, ita ut pars aperta reſpiciat medium Altaris; Biſſ. *ſupra*, & Gerv. *in inſtruct. ſæpius citata cap. 2. §. Subito*; ſic namque commodior eſt, ut iterum in ea ſuo tempore Corporale includatur: tali vero modo eam ponat, ut neque impediat locum, ubi ponitur Miſſale, neque poſſit deturpari a cera ex candelis fluente. Manu vero dextera accepto Corporali, illud ambabus manibus explicat ſuper Altare in medio; & advertat, ut ſi eſſet aliqua Crux acu picta in Corporali, eam partem ponat verſus oram Altaris, ut Celebrans eandem oſculari poſſit, dum oſculatur Altare; & tandem, ſic ponat Corporale explicatum, ut Celebrans commode ſuper illud ponere poſſit manus poſt Conſecrationem cum Altare oſculari debebit, vel genufleſtere; Biſſ. *ſup.* Lohner *part. 3. tit. 2. n.* 13. Bauld. *part. 3. ſupra n.* 2.

Explicato Corporali, ibi apud Altare ſuper ſuppedaneum genufleſtit Diaconus Cruci unico genu, manibus ante pectus junctis; poſtea per breviorem viam, per gradus a cornu Epiſtolæ redit ad Celebrantem; cui facta profunda inclinatione, & mediocri Subdiacono, quorum uterque proportionaliter ut ſupra dictum eſt, correſpondet, tum ſedet, tegitque caput, quod idem facit Subdiaconus; Biſſus *ſup.* §. 24. de Bralion *ſup. n.* 14. Horatius Chriſtianus *ſect. 1. c. 9. n.* 27. Lohn. *part. 3. tit. 2. n.* 13. & a Portu *ſup. n.* 5. & ſedent iterum omnes, Bauld. *par. 3. ſup. n.* 13.

Si vero Celebrans, & Miniſtri Sacri non ſedeant tempore, quo a Choro cantatur Symbolum, Diaconus ſequentem modum obſervabit ad explicandum Corporale ſuper Altare. Quando in Choro cantatur verſus, *Et incarnatus eſt*, genufleſtit cum Celebrante, ut ſupra adnotavimus: finito prædicto verſu, ſurgunt omnes: Celebrans, & Subdiaconus ad Altare aſcendunt: Diaconus vero vadit ad credentiam per viam breviorem, nulla facta inclinatione Celebranti, & de credentia accipit burſam habentem intus Corporale, quam defert per longiorem viam cum debitis reverentiis Choro, ut ſupra dictum eſt; & facta genuflexione Cruci ſuper infimum Altaris gradum, aſcendit ad illud, & interim Celebrans, & Subdiaconus recedant ad cornu Evangelii, ut medium liberum relinquant Diacono, qui ibidem Corporale explicare debet; ſicut etiam ponere prius debet burſam in cornu Evangelii inter candelabra, ut ſupra diximus: advertat tamen Diaconus, ne perveniens ad Altare, ibi aliquam reverentiam Celebranti faciat; Biſſus *ſup. lit. D. n.* 123. §. 25. Explicato Corporali iterum ſe recipit Celebrans ad medium Altaris, Diaconus a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris illius, Biſſus *ſup.* §. 26. & Bauldry *part. 3. ſup. n.* 14. Hæc dicta ſint juxta ſententiam prædictorum. Cæterum inhærendo ſententiæ Caſtaldi in Cæremoniali noſtræ Congregationis *lib. 2. c. 27. n.* 12. in prædicto caſu, Diacono deferente burſam Corporalium, Celebrans paululum e medio recedit, non verſus cornu Evangelii, ſed verſus cornu Epiſtolæ; Subdiaconus quoque poſt Celebrantem retrocedit, donec Diaconus explicet Corporale: & revera cum Diaconus debeat deponere burſam a latere Evangelii inter candelabra, commodius hoc exequetur, ſi Celebrans tunc ſe recipiat ad latus Epiſtolæ.

Si autem Calix non eſſet ſupra credentiam, ſed ſuper Altare (quod tamen non convenit) tunc ſi Celebrans, & Miniſtri ſedeant, Diaconus cantato verſu *Et incarnatus eſt* a Choro, ſurgit; & factis Cæremoniis ut ſupra, accedit ſolus per longiorem viam ad Altare cum debitis reverentiis Choro, & Cruci Altaris, & ibi explicat Corporale ut ſupra diximus: ſi vero non ſit dicendum Symbolum, tunc dum Celebrans dicit Offertorium, Subdiaconus ipſe defert burſam cum Corporali, ſimul cum Calice ad Altare: de Bralion *ſupra*, Biſſus, *ſupra*, §. 27. & Bauldry *part. 1. cap. 12. art. 1. n.* 37. in quo Caſu Diaconus accipit Calicem cum burſa a Subdiacono, & in medio Altaris collocat, & explicat Corporale; burſam vero ponit ad cornu Evangelii; deinde Patenam offert Celebranti, ut infra dicemus; Bauldry *ſupra num.* 40.

Circa finem Symboli, ſi ſedeant Celebrans, & Miniſtri Sacri, dato ſigno Clericis a ſecundo Cæremoniario, deinde a primo Cæremoniario, uti poſt *Gloria in Excelſis*, Celebranti, & Miniſtris Sacris, ſurgunt omnes, & Celebrans cum Miniſtris, depoſitis birretis; præcedente primo Cæremoniario, revertitur ad Altare per planum Presbyterii, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, vel poſt ipſos, ſecundum loci commoditatem, cum debitis reverentiis Choro, & poſtea Altari; de Bralion *ſup. c.* 17. cui facta debita reverentia, Celebrans aſcendit ad illud; Miniſtri vero Sacri aſcendunt uſque ad ſecundum gradum elevantes anteriores veſtes illius: Subdiaconus deſcendit in planum non genufleſtens; Diaconus ſe ſiſtit in ſecundo gradu, uterque per lineam rectam a tergo Celebrantis, Bauld. *par. 3. ſup. art. 5. n. 6.* Biſſus *tom. 1. lit. C. n.* 197. §. 19. Benvenuti *ſupra §. Dum in Choro*.

Si vero Celebrans cum Miniſtris non ſedeat, ſed ſtet ad Altare circa finem Symboli, ſcilicet dum cantatur in Choro, *Et vitam venturi Sæculi*, Miniſtri genufleſtunt, & deſcendunt poſt Celebrantem; & ſine ulla alia genuflexione ibi ſtant, unus poſt alium dum Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, & deinde *Oremus*, ante Offertorium. Bauld. *part. 3. ſupra art. 7. num.* 1.

## RUBRICA.

8 *Si quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono, & Subdiacono, Epiſtolam cantat in loco conſueto aliquis Lector ſuperpelliceo indutus, qui in fine non oſculatur manum Celebrantis; Evangelium autem cantat ipſe Celebrans ad Cornu Evangelii, qui & in fine Miſſæ cantat, Ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, aut, Requieſcant in pace, pro temporis diverſitate.*

## *GAVANTUS.*

Antequam definiretur, quod Subdiaconatus eſſet Ordo Sacer, cantabat Epiſtolam Lector; ut colligitur *ex Clem. lib. 8. Conſtit. cap. 28. & Concil. Carthag. 4. cap. 8. & c. lector diſt.* 23. lege *Jo. Langheruciùm in Spec. Canonicorum lib. 6. cap.* 8. Adde præterea, quod in hac eadem Miſſa Celebrans dicit *Kyrie* in cornu Epiſtolæ, ut in aliis Solemnibus, item, *Humiliate capita*, ſed verſus Altare; ut dicitur *in Rubr. propria Fer. 4. Cinerum*.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Mediæ, quæ cantatur ſine Miniſtris Sacris; & primo de Miſſa cum duobus ſolis Acolythis.

XLII. Rubr. *Si quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono, &c.*) Ex ſuperioris Rubricæ textu colligitur, quod aliquando dici poteſt Miſſa ſine Miniſtris Sacris, ſed cum duobus Acolythis ſuperpelliceo indutis, ob exiguum numerum Clericorum; tunc hora debita a Sacriſta, vel Acolytho parantur ea, quæ ſunt neceſſaria ſuper Altare, nempe Miſſale, & cuſſinus, & alter liber pro Epiſtola cantanda ſuper credentiam, & alia, &c.

Celebrans vero hora competenti de more accipit in Sacriſtia, facta prius Oratione, & lotis manibus paramenta Sacra, coadjuvante uno ſaltem Acolytho Miniſtro, & ſic paratus ad Altare procedit ſequens duos Miniſtros pares incedentes; ibique facta debita reverentia Altari, & Choro, dato prius birreto primo Acolytho ſtanti a dexteris ſuis, de more incipit Miſſam prædictis duobus Acolythis reſpondentibus, hinc inde genuflexis in plano.

Si ante Miſſam facienda ſit aquæ benedictæ aſperſio, Miſſale Celebrantis tantum ponitur initio ſupra credentiam, & Acolythus primus habens a ſiniſtris alium, procedit ad Altare ante Celebrantem alba, ſtola, vel etiam pluviali, ſi fieri poſſit, indutum, vas aquæ benedictæ ferens. Celebrans vero, depoſito birreto ante Altare in manu alterius Acolythi, genufleſtit; & ſic genuflexus accepto a Miniſtro aſperſorio, qui prius oſculatur illud, & deinde manum Celebrantis, de more aſpergit Altare, & ſe ipſum genuflexum, & poſtea alios; ut dicemus infra *part. 4. tit. 19. de Rubrica Benedictionum*.

Aſperſione facta, primus Acolythus deponit vas in loco congruo, librum accipit de credentia, & illum a ſiniſtris Celebrantis tenet, qui ex eo, verſus, & Orationem cantat. Interim alter Acolythus portat de Sacriſtia manipulum, & planetam Celebrantis; & finita Oratione primus Acolythus collocat ſuper Altare Miſſale; Celebrans vero dicta Oratione, retrahit ſe verſus cornu Epiſtolæ, facta prius debita reverentia Altari, & Choro, & adjuvantibus ſupradictis duobus Acolythis, deponit pluviale (ſi eo uſus fuerit) & manipulum, deinde planetam accipit pro Miſſa: tum ſecundus Acolythus reportat pluviale in Sacriſtiam, indeque redit ad Celebrantem, qui cum ipſis Acolythis, factis debitis reverentiis, primum Choro, deinde Altari, revertitur ante ipſum pro incipienda Miſſa; ibique genufleſtit primus Acolythus a dexteris Celebrantis in plano, aliquantulum retro Celebrantem; & deinde ſervantur ab Acolythis omnia, quæ ſervari debent a Diacono, & Subdiacono. Celebrans vero dum dicit *Vobis fratres*, & *Vos fratres*, & *Miſereatur veſtri*, caput minime vertit ad Acolythos, ut ad Diaconum, & Subdiaconum. Ita Eminentiſſ. Card. Urſinus Archiepiſcopus Beneventanus, & deinde Pontifex Maximus ſub nomine Bened. XIII. in ſuis opuſculis variis de Miſſa cantanda a Celebrante ſine Miniſtris Sacris, *cap. 4. §.* 2.

Peracta Confeſſione aſcendit Celebrans ad Altare, legitque Introitum, & *Kyrie*, aſſiſtentibus Acolythis; & poſtea, dum cantatur a Choro ultimum *Kyrie eleiſon*, accedit ad medium Altaris, & ibi intonat clara voce principium Hymni *Gloria in excelſis*; quo Hymno completo Celebrans, dicto juxta morem *Dominus*

*minus*

*minus vobiſcum*, ſe recipit in cornu Epiſtolæ, ubi cantat Orationem, vel Orationes, ſi plures ſint dicendæ. Hinc advertere debemus cum Biſſo *v. Miſſa ſolemnis n.* 237. §.2. quod hæc Miſſa, quia eſt ſine Miniſtris Sacris, licet cantata, tamen Solemnis dici non poteſt: unde in hac Miſſa erit facienda Commemoratio Simplicis, ſi Feſtum, de quo celebratur Miſſa, ſit ſecundæ Claſſis; nam talis Commemoratio in Duplicibus ſecundæ Claſſis, omittitur ſolum in Miſſa Solemni, qualis iſta cenſenda non eſt, quia non cantatur cum Miniſtris Sacris, ſed cum duobus ſolis Acolythis. Hanc ſententiam tenuit etiam mox laudatus Benedictus XIII. *loc. cit.*

LXIII. Rubr. *Epiſtolam cantat in loco conſueto aliquis Lector.*) Circa finem ultimæ Orationes primus Acolythus librum accipit de credentia, & cantat Epiſtolam; qua finita, non oſculata manu Celebrantis, reportat librum ad credentiam, ſemper cum ſolitis reverentiis, & redit ad locum ſuum: alter vero Acolythus accedit ad Celebrantem, ubi ſtans reſpondet in fine Epiſtolæ; *Deo gratias*.

XLIV. Rubr. *Evangelium autem cantat ipſe Celebrans.*) Circa finem Gradualis, primus Acolythus ſe recipit ad cornu Epiſtolæ, ut inde deferat Miſſale cum cuſſino ad latus Evangelii; quo delato redit ad locum ſuum in plano: Celebrans vero cantat Evangelium de more; ad quod ambo Acolythi hinc inde in plano ſtant, & de more ſe ſignant, & genuflectunt, quando opus eſt. Utrum incenſandus ſit liber Evangelii in hoc caſu, diſſident inter ſe Auctores. Ramerius in ſuo Rituali Monaſtico *lib. 3. cap. 2.* tenet, quod in Miſſa ſine Miniſtris cantata, etiamſi cum uno ſolo Acolytho, ad Evangelium, ad Oblata, & ad Elevationem, miniſtrante eodem Clerico naviculam, & thuribulum (ſed ſolum in majoribus Solemnitatibus) debeat fieri thurificatio; in reliquis autem minoribus Solemnitatibus, quando non ſunt Miniſtri, thus non eſt adhibendum. Quando vero cantatur Miſſa cum duobus Acolythis, licet communiter excludatur thurificatio ante Introitum; attamen Caſtaldus *lib. 2. ſect. 9. cap. 2. n. 5.* Polaccus *aphoriſm. part. 2. tit. 3.* Corſetr. *part. 2. cap. 13. n. 5.* a Portu *cap. 2. ad tit. 6. Rubric. 8. in ſuis adnot. n. 3.* & Benedictus XIII. *loc. ſupracit.* tenent, quod, ſi videbitur, poterit adhiberi incenſatio ad Evangelium, ad Offertorium, & ad Elevationem SS. Sacramenti.

Neque obſtat ſententiæ dictorum Auctorum Decretum S. R. C. editum die 22. Januarii 1701. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 556. in quod habetur - In Miſſa Conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu, & Miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio - Non inquam, officit hoc Decretum: quia Miſſa, de qua nunc agimus, eſt quidem abſque Miniſtris Sacris, ſed non eſt abſque cantu: unde præfatum Decretum non afficit præſentem Miſſam.

Finito Evangelio, & incenſato Celebrante a Thuriferario, ſi Evangelium incenſatum fuerit a Celebrante, hic accedit ad Altaris medium admovens ſibi librum; intonat Symbolum, ſi cantandum eſt; & proſequitur Miſſam, &c. Sed advertendum eſt, quod inhærendo Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 510. Sacerdos non poteſt proſequi Miſſam eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum. Si igitur a Choro cantatur Symbolum & Celebrans ſit ad Altare, dum cantatur *Deſcendit de Cœlis*, ipſe deſcendit ad ſecundum gradum, ut genuflectere poſſit in ſuppedaneo ad ea verba, *Et incarnatus eſt*, *&c.* De Bralion *part. 2. cap. 4. n. 19.* Biſſus *lit. C. n.* 197. §. 52.

Lecto Offertorio a Celebrante, ambo Acolythi ſurgunt, & primus Celebranti ampullas miniſtrat; & hic idem ad lotionem manuum ejuſdem Celebrantis miniſtrat ampullam aquæ, & bacile: alius vero Acolythus mappulam porrigit, & ille primus campanulam pulſandam de more ad *Sanctus*, & ad Elevationem, defert ad Altare, & ambo genuflexi reſpondent Celebranti dicenti: *Orate, fratres*,

Ad *Sanctus*, primus campanulam pulſat, accendit unicum cereum, vel duos, ſi tot ſint: tum reverſus ad Altare, genuflectit in ſupremo gradu ipſius, dextera campanulam pulſat, & ſiniſtra planetam elevat ad Euchariſtiæ elevationem, ut in Miſſa Privata.

Sindo cerei, ut ſupra, accendi debent, ſecundus Acolythus, facta genuflexione, & ſolita reverentia Choro de more (ſi id permittat Chori ſitus) vadit in Sacriſtiam, & accenſis duabus facibus, unam capit; alter vero de Choro deputatus ad id, pariter pergens in Sacriſtiam, aliam accipit facem, eaſque ambo ad Altare deferunt pro Elevatione SS. Sacramenti, & ſemper cum debitis reverentiis, ut ſupra, qua elevatione facta ſurgunt. Primus vero Acolythus campanulam deponit, & ad cornu Epiſtolæ deſcendit, ubi manet genuflexus in infimo gradu; alii vero cum debitis reverentiis reportant ſanalia, præterquam in Miſſis Defunctorum, & Vigiliis, & Feriis, vel quando communio facienda eſt, ut ſuo loco adnotabimus. Mox ſecundus Acolythus redit ad Altare, & manet genuflexus in cornu Evangelii; alter vero, qui geſtabat aliam facem, cum debitis reverentiis Choro, & Altari, redit in Chorum. Si tamen non ſunt alii Acolythi, niſi illi duo, qui miniſtrant ad Altare, non deferuntur faces; & tunc ſecundus Acolythus manet genuflexus ut ſupra, & ambo ſe ſignant, & percutiunt pectus cum Celebrante. Si facienda erit Communio, ſerventur ea, quæ ſuo loco infra dicemus. Paulo ante ſumptionem Sanguinis ſurgit primus Acolythus, ad credentiam campanulam defert, capit ampullas, & eas Celebranti cum oſculis earum tantum, & ſolitis inclinationibus miniſtrat; tum ad Altare redit, ubi extinguit cereum, qui eſt a parte Epiſtolæ, ibique poſtea genuflectit in plano, ut prius: ſecundus vero ſurgit, dum Celebrans ſe purificat; defert librum ad cornu Epiſtolæ, & poſtea, ſi opus ſit, alium cereum extinguit; qui eſt in cornu Evangelii; ibique ut prius genuflectit in plano.

XLV. Rubr. *Et in fine Miſſæ cantat: Ite Miſſa eſt, pro temporis diverſitate.*) Quando Sacerdos in fine Miſſæ cantat *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino* pro temporis diverſitate, ambo prædicti Acolythi genuflectunt ad Benedictionem, tum ſurgunt, & ſtant ad Evangelium ultimum, hinc inde in plano, ſicut ad primum; & ſi aliud Evangelium legendum ſit, Acolythus primus librum mutat cum ſolita genuflexione Cruci, & ad cornu Epiſtolæ redit, facta iterum ante medium in plano genuflexione, ubi Celebrantis birretum capit.

Peracta Miſſa, Celebrans in planum deſcendit; ubi facta cum Acolythis debita reverentia Altari, & Choro; & ſumpto birreto, in Sacriſtiam cum Acolythis redit; ut venerat; ubi Acolythi, facta cum Celebrante profunda Cruci, vel imagini reverentia, ipſum Celebrantem, dum ſe exuit, adjuvant, & aquam, atque manutergium, ut initio Miſſæ, miniſtrant. Ex Bauld. *part. 3. c. 11.* & ex Vinitore *part. 4. tit. 12. ſupra*.

De alia Miſſa Media, ſeu minus Solemni, quæ cantatur cum uno ſolo Acolytho.

XLVI. Eſt præterea alia Miſſa media, adhuc minus Solemnis, quæ ordinarie cantatur in Eccleſiis Monialium, & ubi non eſt copia Clericorum, cum uno ſolo Acolytho; ad quam Celebrans ſedere poterit ad *Kyrie eleiſon*, *Gloria*, *Credo*, & alia: Bauld. *part. 3. c. 12. n. 1.* fieri poterit etiam in hac Miſſa incenſatio, ut in præcedenti Miſſa pariter adnotatum eſt, & ut docent Nicolaus de Bralion *part. 2. c. 11. n. 4.* & Caſtaldus *ſupra*, quamvis Bauldry *ſup.* & Vinitor *tit. 13.* necnon Polaccus *part. 2. §. 1.* velint, quod in ſimili Miſſa Altare nunquam thurificetur. Mox laudati Auctores, nimirum Bauldry, & Vinitor docent non eſſe dandam pacem in hac Miſſa, niſi forte cum inſtrumento (& hoc idem dicendum eſt de alia Miſſa mox deſcripta) quod antequam alicui oſculandum detur, prius oſculari debet a Celebrante, nempe dicta Oratione *Domine Jeſu Chriſte*, *&c.* Celebrans oſculatur Altare in medio, deinde oſculatur inſtrumentum pacis porrectum a Miniſtro genuflexo juxta ipſum in cornu Epiſtolæ; & interim ipſe Celebrans dum illud inſtrumentum oſculatur, dicit, *Pax tecum*, Miniſtro Acolytho reſpondente, *Et cum Spiritu tuo*. Dictus autem Acolythus, poſtquam Celebrans oſculatus fuerit inſtrumentum pacis, ſurgit, & facta genuflexione Sacramento unico genu, ut facilius ſurgere poſſit, vel duplici genu, ut alii præſcribunt, in ſuppedaneo Altaris, accedit ad eos, quibus danda erit Pax, iiſque ſingillatim porrigit inſtrumentum, ut illud oſculentur; Biſſ. *lit. P. n.* 91. §. 5. necnon Benedictus XIII. *loc. ſupracit. n.* 22. *& ſeqq.*

XLVII. In hac Miſſa Clericus ſuperpelliceo indutus, facta a Celebrante Confeſſione, manet genuflexus in cornu Evangelii, ibique reſpondet Celebranti, ſi opus eſt. Vinitor *loc. cit. n.* 3.

Circa finem ultimæ Orationis, factis debitis reverentiis Altari, & Choro, ſi adſit, accipit de credentia librum Epiſtolarum; & iterum facta reverentia Choro, & genuflexione in medio Altaris, ſuper infimum gradum, cantat Epiſtolam in loco conſueto: Celebrans vero legit ſubmiſſa voce Epiſtolam, ſibique reſpondet *Deo gratias*. Cantata Epiſtola, ut de more, facta genuflexione Cruci, & reverentia Choro, reponit Acolythus librum Epiſtolarum ſuper credentiam, ſine oſculo manus Celebrantis, & ſine Benedictione: tum præfatus Clericus defert Miſſale cum cuſſino ad cornu Evangelii, ut in Miſſa Privata. Regulariter iſte Clericus manet genuflexus, ut in Miſſis privatis, niſi ex accidente ſurgere cogatur, ut ad Epiſtolam, & ad alia.

Evangelium autem cantat ipſe Celebrans ad cornu Evangelii, qui & cantabit *Ite Miſſa eſt*, aut alia, quæ Diaconus cantat in fine Miſſæ: ſed ad *Humiliate capita*, ſtat Celebrans verſus Altare, ut notat Gavantus *ſupra*; *Kyrie eleiſon* tamen dicere poteſt in cornu Epiſtolæ, ut quando adſunt Diaconus, & Subdiaconus; Nicolaus de Bralion *ſupra*, in quo caſu Clericus, facta Confeſſione, debet aſcendere ad cornu Epiſtolæ, quaſi a dexteris Celebrantis, ſed paulo poſt eum; ibique ſtans reſpondere ad *Kyrie eleiſon* ſubmiſſa voce, ſed aliquantulum elevata; quo dicto redit iterum ad ſuum locum in cornu Evangelii, facta prius in medio genuflexione Cruci, & Altari.

Ad verſum *Et incarnatus eſt*, Celebrans in hac Miſſa eodem modo ſe gerit, ac in alia minus Solemni ſuperius deſcripta.

Præter prædictas Miſſas minus Solemnes in Cæremoniali Pariſienſi *par. 3. c. 9.* deſcribitur aliud genus Miſſæ minus Solemnis, quæ tamen ad Solemnem perfectam valde accedit, cum in hac miniſtret Diaconus tantum ſine Subdiacono, ſed cum uno Acolytho. De hac Miſſa pariter agitur, & deſcribitur ejus Ritus in Cæremoniali Monaſtico, Pariſiis edito Anno 1680. *lib. 3. c. 9.* quæ tamen Miſſa cum miniſterio ſolius Diaconi, cum generaliter non ſit in uſu, præterquam apud Carthuſianos, ut refert Macrius in Hierolexico *v. Epiſtola*, idcirco a deſcribendo Ritu hujus Miſſæ abſtinemus.

## De Offertorio, & aliis, uſque ad Canonem. VII.

### R U B R I C A.

1 D*Icto Symbolo, vel ſi non ſit dicendum, poſt Evangelium Celebrans oſculatur Altare in medio, & junctis*

*ctis manibus ante pectus, ibidem a manu ſiniſtra ad dexteram (ut dictum eſt ſupra) vertit ſe ad Populum; extendens, ac jungens manus dicit, Dominus vobiſcum, & junctis manibus revertitur per eandem viam ad medium Altaris; ubi extendens, & jungens manus, caputque Cruci inclinans dicit, Oremus; tum junctis, ut prius, manibus, (ſ) dicit Offertorium, & omnia quæ uſque ad finem Miſſæ in medio Altaris dicenda ſunt, dicit ibidem ſtans verſus ad Altare, niſi ubi aliter ordinatur.*

*G A V A N T U S.*

Hæc eadem, & quæ ſequuntur ad finem uſque Miſſæ Privatæ, ſunt fere verba ipſius *Burchard.* ut initio diximus.

(ſ) *Dicit Offertorium.* Lege *tit. 12. ſupra n. 1. in 1. par.*

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Symboli, uſque ad finem Offertorii.

I. Rub. & Gavant. lit. ſ. - *Dicit Offertorium.*) Dicto Symbolo, vel ſi non ſit dicendum, dicto Evangelio, eoque oſculato, Sacerdos extenſis manibus ſupra Altare extra Corporale, oſculatur ipſum Altare in medio: tum erigens ſe, & manibus junctis ante pectus, vertit ſe ad Populum per eam partem, quæ reſpicit cornu Epiſtolæ, ſeu verſus latus ſuum dexterum; & ita verſus Populum ſtans in medio, demiſſis oculis, extendens, & jungens manus, dicit clara voce *Dominus vobiſcum*, reſpondente Miniſtro, *Et cum ſpiritu tuo*; & mox junctis manibus, per eamdem viam convertit ſe ad Altare; ubi in medio extendens, & elevans uſque ad humeros, & jungens manus, caput Cruci inclinans, dicit *Oremus*; tum junctis manibus ante pectus legit Offertorium, Biſſ. *lit. S. n.* 20. §. 34. Gerv. *in inſtruct. c.* 8. §. *Finito il Simbolo.*

Sunt, qui dicunt Offertorium expanſis manibus, ſed hoc eſt expreſſe contra ſuperiorem Rubricam, quæ præſcribit: *Junctis manibus, ut prius, dicit Offertorium.* Alii dicunt Offertorium ſubmiſſa voce; alii in Miſſa de B. M. V. Offertorium *Ave Maria gratia plena, &c.* legunt flexis genibus: at contra Rubricam iſti operantur. Vinitor *part. 2. tit. 7. §. 1. in adnot.*

Ad prædictum Offertorium, ad verbum *Maria*, Sacerdos inclinet caput inclinatione minimarum media verſus librum; Benvenuti de Ritu Miſſæ Privatæ *c.* 16.

R U B R I C A.

2 *Dicto Offertorio*, (t) *diſcooperit Calicem, &* (u) *ad cornu Epiſtolæ ſiſtit, & manu dextera amovet parvam pallam deſuper Hoſtiam: accipit* (x) *Patenam cum Hoſtia, & ambabus manibus uſque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, & ſtatim demiſſis dicit, Suſcipe, Sancte Pater, &c.*

*G A V A N T U S.*

(t) *Diſcooperit.* Velum plicatur a Miniſtro, & deponitur prope tabellam Secretarum ab eadem parte Altaris, ubi Calix, ne ſuper Corporale, aut extra illud remaneat non plicatum; quod cum neque a Sacerdote plicari convenire videatur, plicetur a Miniſtro: & eſt Ritus laudabilior. Idem, explicato manutergio, in eadem parte collocabit ibidem pelviculam cum urceolis.

(u) *Ad cornu Epiſtolæ.* Nullum Myſterium. ſed quia ibi ſunt ampullæ vini, & aquæ.

(x) *Patenam cum Hoſtia.* Dicitur Hoſtia, quia eſt materia ad Sacrificium, & Hoſtiam. Item Hoſtia, quæ ante hoſtium pugnam offerebatur; *Gemma l. 1. c. 98.* Panis eſt, quia Chriſtus dedit ſe uti panem vivum. *Johan. 6.* Ex frumento eſt, cui comparavit ſe Chriſtus: *Niſi granum frumenti. Johan. 12.* Sine fermento id eſt ſine peccato, & ex prima inſtitutione in azymis; *Gemma l. 1. c. 31.* Mundiſſima debet eſſe, ex Decreto Aniceti, *apud Burchard. 1. c. 29.* in modica quantitate, ex Decreto Alex. Papæ dicentis: quanto paucior, tanto potior: *Radulph. propoſ. 23.* in modum denarii cum imagine Chriſti, ſeu literarum nominis Chriſti, quia traditus eſt, & venditus triginta denariis, & eſt verus denarius laborantibus in vinea Domini, quo etiam reparatur in nobis imago Dei: *Gemma ibid. c. 34.* formæ rotundæ: *ex Epiph. in Ancor.* integra debet eſſe, ob Chriſti integritatem: *ex Conc. Coyacenſi c. 3.* vocatur oblationis corona *a S. Greg. 4. dial. 54.* quaſi Orbis, ad ſignificandum Chriſtum, qui eſt Alpha, & Omega: Dominus orbis *Durand. l. 4. cap. 30.* & in rotunditate Hoſtiæ, Patenæ, & Calicis intellige Sacrificii noſtri perpetuitatem uſque ad finem Mundi. Figuram habet Hoſtia in altera tantum parte, quia Chriſtus, Deus, & homo eſt; ut Deus figura caret. Notat *Humber. Card. in diſ. contra Græcos*, Romanam Eccleſiam in pane, aqua & igne præparato ſacrificare tres ſubſtantias in Chriſto, Carnem, Animam, Deitatem. Imago vero Crucis in Hoſtia deducitur *a Baronio Anno* 58. *ex l. 1. dial. S. Greg. c. 11.* & ex Romanorum uſu, qui panem coquebant quadrinca inciſione in formam Crucis decuſſatam, ex quo laudabilior eſt imago Crucifixi tantum in Hoſtia, quam aliud quicquam.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Offertorii, uſque ad Hoſtiæ oblationem incluſive.

II. Gav. lit. t - *Velum plicatur a Miniſtro, &c.*) Dicto Offertorio Sacerdos diſcooperit Calicem, qui eſt in medio Altaris ſuper Corporale, removendo ab eo velum ambabus manibus; Biſſ. *ſup.* & Gerv. *ſup.* §. *Detto l'Offertorio.* Miniſter, ſi eſt Clericus cum cotta, plicet velum, non vero Sacerdos Celebrans, non reponendo illud ſupra Corporale, ut male faciunt multi, ſed ad partem Epiſtolæ, prope tabellam Secretarum, ſeu prope Corporale, non vero ſupra; Bauld. *part. 3. tit. 7. de Offertorio n. 2. not. n. 1.* Lone. *l. 2. Ru... t. t. 7. not. 1.* Lohn. *par. 2. tit. 18. n. 3.* Sarnell. *par. 4. §. 14. n. 1.* Simon a Larciano *l. 4. c. 14. verſ.* Calicem; Gherardi Epiſc. Corthonenſis *c. 7.* & Gerv. *ſupra.*

Verum noſter P. Franciſcus Magius in ſuo eruditiſſimo opere *de Sac. Cæremoniis, præſertim de Divino Officio, & Choro, diſquiſ. 52. n. 302. hæc ait: Cum hæc plicatio facile a Sacerdote ipſo fieri poſſit, cum ſuis manibus velum auſert, Miniſtrum hoc onere liberarem, ut celerius ampullas & ipſe ex abaco ſumere, & ad Altare deferre queat; quod video ab omnibus obſervari, niſi cum Sacerdos aliter innuat, aut veli alicujus ratio id depoſcere videtur: nam exceptis aliquibus Auctoribus communius alii, de velo nihil locuti, jubent ut tunc a Miniſtro ſolum ampullæ capiantur.* Hæc mox cit. Magius: quæ quidem ſententia profecto amplectenda eſt, quando Miniſter puer eſſet, aut incapax talis functionis: quia abſque dubio in hoc caſu Sacerdos ipſe diſcooperiens Calicem accipit velum ambabus manibus, quod declinat a parte poſteriore Calicis, eodem tempore illud plicando: poſtea manu ſiniſtra ſuper Altare poſita, ſola dextera extrahit velum de corporali, eodem tempore illud plicans in medio; quod poſtea relinquit prope tabellam Secretarum, vel prope Corporale a cornu Epiſtolæ, ſed nunquam intra ipſum Corporale. Biſſ. *lit. V. n. 13. §. 2.* & Gerv. *in catal. errorum n.* 58. Unde habes velum eſſe plicandum, & nullo modo ſuper Corporale relinquendum; ſuper hoc enim nihil poni debet, niſi quod Corpus, & Sanguinem Chriſti tangere, aut tegere ſolet. Lohn. *part. 2. tit. 8. pro Ritu communi n. 3.*

III. Gav. ead. lit. t. - *Idem explicato manutergio in eadem parte, collocabit ibidem pelviculam, &c.*) Repoſito a Miniſtro, vel a Sacerdote velo plicato, ut ſupra, idem Miniſter, inhærendo Gavanti ſententiæ, explicat manutergium, quod in cornu Epiſtolæ ſuper Altare ponit cum pelvicula, & urceolis deſuper. Adhærent ſententiæ Gavanti Johannes Merinetus *in Cær. Minorum Obſerv. S. Franc. par. 2. c. 2. n. 10.* Paulus a S. Johanne in Cærem. Auguſtinienſium Diſcalc. *lib. 1. c. 13.* Bauld. *par. 1. c. 17. n. 28.* & alii, quos refert Franc. Magius *diſquiſit. ſupracit. n. 303.* Verum idem Auctor adhæret ſententiæ Caſtaldi, qui *in Praxi l. 1. ſect. 4. c. 3. n. 16.* juxta Ritum a noſtri Ordinis Conditoribus inſtitutum, expreſſe præſcribit, ne aliquid ſuper Altare ponatur, unde ait: *Pro manuum lotione Miniſter adaptat mappulam ſuper brachium ſiniſtrum; & accipiens pelviculam manu ſiniſtra, dextera ampullam aquæ: & ſic manibus elevatis aliquantulum ante ſe, & a pectore diſtantibus cum debitis reverentiis, iterum accedit ad latus Epiſtolæ, & ſupra gradus, ſi plures illi ſint, aſcendat, ſin minus ante predellam, aquam ad manuum lotionem, aliquantulum dexteram elevans, in medium pelviculæ infundit. Poſtmodum vertens paulisper brachium ſiniſtrum, mappulam ad detergendas manus porrigit.* En igitur, quod linteum, ſeu manutergium juxta hanc ſententiam non debet extendi in Altaris extremitate (ut vult Gavantus infra *in Comment. ad Rubr. 6. lit. R*) quam quidem Caſtaldi ſententiam amplectitur etiam Polac. *in Aphoriſmis Cærem. 16.* docens minime conveniens eſſe ſuper Altare Sacerdotem abſtergi, aut manutergium poni. In eandem ſententiam deſcendit pariter Bonanicus *in obſerv. Eccleſ. obſerv. 6. n. 6.* ubi ait: *Ponere Sudarium, & pelviculam ſuper Altare, ſano Ritui conforme non eſt*: quamobrem Acolythum inſtruit, ut aquæ ampullam dextera, pelviculam ſiniſtra, & linteum, aut ſuper ſiniſtro brachio, aut eadem ſiniſtra manu, ſub pelvicula geſtet: denique S. Carolus in prima Synodo provinciali §. *De iis, quæ pertinent ad celebrationem Miſſæ*, Sacerdotes inſtituit, ut pileum, birretum, ſubirretum, chirothecas, ſudariolum, ac quodcunque denique hujus generis, in Altari ne ponant.

IV. Rubric. *Amovet parvam pallam deſuper Hoſtiam.*) Amoto velo a Calice, & plicato, ſive a Clerico, ſive a Celebrante, ipſemet Sacerdos poſita manu ſiniſtra ſuper Altare extra Corporale, manu dextera accipit Calicem, quem ad cornu Epiſtolæ ſiſtit, quia in eo cornu miniſtrandæ ſunt ampullæ, ut mox innuimus: deinde adhuc ſtans in medio Altaris Sacerdos amovet parvam pallam, quæ eſt ſuper Hoſtiam; quam pallam deponit ſupra Corporale verſus cornu Epiſtolæ: ſic enim erit commodius Celebranti, quando ea uti debebit ad cooperiendum Calicem. Errant non pauci, qui plicato velo, cum deberent ponere Calicem verſus cornu Epiſtolæ extra Corporale, & inde manu dextera amovere pallam pro oblatione Hoſtiæ facienda ambabus manibus, dextera accipiunt quidem Calicem ad ponendum eum ad cornu Epiſtolæ, ſed eodem tempore ſiniſtra accipiunt Patenam, cum palla ſupra, &c. contra id, quod expreſſe ordinat Rubrica; ut advertitur in *Cærem. Miſſæ Priv. c. 10. §. 12. n. 3.*

V. Rubric. *Accipit Patenam cum Hoſtia.*) Amota parva palla Sacerdos ſola manu dextera inter pollicem, indicem, & medium digitum, accipit de Calice Patenam cum Hoſtia; cui occurrendum eſt prope medium Altaris ſiniſtra manu, eam ambabus manibus tenet (id eſt iiſdem tribus digitis, *ut ſupra*) etiam ſiniſtræ manus, elevatam ſuper medium Corporalis ad altitudinem pectoris, ita tamen, ut aliquantulum diſtet ab ipſo (nec eam elevare debet, ut faciunt multi ante faciem ſuam) poſtea eodem tempore oculis ad Deum, hoc eſt ad Crucifixum elevatis, ac ſtatim demiſſis, dicit *Suſcipe Sancte Pater.* Biſſus *lit. S. n. 20. §. 83.* Baudry *part. 3.* de Ritu ſervando *tit. 7. n. 2.* Vinit. *part. 2. tit. 7. adnot. §. 4.* Gerv. *in catal. errorum n.* 58.

VI. Gavant. lit. x - *Imago vero Crucis in Hoſtia deducitur a Baronio, & ex Romanorum uſu.*) Noſter P. Novarinus *lib. Sac. Electorum*, in quo tractat *de Agno Euchariſtico cap. 6* eru-

Digitized by Google

eruditas quaſdam exhibet obſervationes circa formationem, & apparatum Hoſtiarum conſecrandarum, & c. 71. aſſerit Crucem in hoſtiis imprimi ſolitam nefas eſſe ambigere, & ut probet apud Chriſtianos variis modis in Eucariſticis formis Crucem efformatam fuiſſe, exhibet varias imagines, in quibus variæ Crucis figuræ impreſſæ apparent: in aliquibus enim videtur nuda Crux ſine Chriſto Crucifixo; in aliis vero conſpicitur Chriſtus Cruci affixus varie ſculptus; & in aliis exprimitur etiam idem Chriſtus non Cruci affixus, ſed flagellis cæſus; in aliis reſurgens ex mortuis. Agit etiam de forma Crucis, quæ in oblatis Syrorum, & Alexandrinorum apparet, Doctiſſimus Sirmondus *in ſua diſquiſ. de azymo*: de figuris vero Crucis, quæ in Græcorum Hoſtiis formantur, agit eruditiſſimus Goar in notis ad eorum Euchologium; & eaſdem figuras affert Martene *in part.* 1. *de antiq. Eccleſ. Ritibus l.* 1. *art.* 5. *n.* 28.

### R U B R I C A.

3 *Si fuerint aliæ Hoſtiæ non ſuper Patenam, ſed ſuper Corporale, vel in alio Calice, ſeu vaſe pro communione populi conſecrandæ, Calicem illum, ſeu vas* (y) *dextra diſcooperit, & intentionem ſuam etiam ad illas offerendas, & conſecrandas, dirigens, dicit ut ſupra, Suſcipe, &c. ut in Ordine Miſſæ. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea* (z) *facit ſignum Crucis ſuper Corporale, & deponit Hoſtiam* (a) *circa medium anterioris partis Corporalis ante ſe, & Patenam ad manum dextram aliquantulum* (b) *ſubtus Corporale, quam exterſo Calice, ut dicitur, cooperit purificatorio. Si autem adſit vas, ſeu Calix cum aliis Hoſtiis, ipſum cooperit alia Patena, vel palla.*

### *G A V A N T U S.*

(y) ***Dextra diſcooperit.*** Nimirum antequam accipiat Patenam cum Hoſtia; & collocat Pyxidem in medio Corporalis inter locum Calicis, & tabellam Secretarum, ut dictum eſt ſupra *tit.* 2. *n.* 3. & ſicuti non poteſt commode, ita non eſt neceſſe, ut Sacerdos eam elevet ſub prætextu oblationis; ſed ad eam tantum intentionem dirigat.

(z) *Facit ſignum Crucis.* De hoc ritu, & aliis ſignum Crucis ſequentibus in Oblatione docet *Innoc. III. l.* 2. *c.* 58. ea nempe fieri, ut per Crucis virtutem omnis conatus Diaboli effugiat, ne contra Sacerdotem, vel Sacrificium aliquo modo prævaleat; quod ſemel dixiſſe ſufficiat. Forte Ritus fluxit ab Hebræis, qui in elevatione Hoſtiæ verſus Cœlum, & Terram, antrorſum, & retrorſum eam movebant. *Ex Lyran. in Lev. cap.* 7. *& Rurgeſ. ibid.*

(a) *Circa medium anterioris partis.* Deponitur Hoſtia ſuper Aram, ubi eſt Crux cum Chriſmate ab Epiſcopo facta, quaſi Corpus Chriſti Cruci ibidem ſit affigendum. *Gemma l.* 1. *c.* 98. De hoc Ritu teſtatur *Durand.* communiter ſervato, ſed non Romæ, *l.* 4. *c.* 30. *vide inf. n.* 5.

(b) *Subtus Corporale.* Habet *Microlog. c.* 10. ob Myſteria infra declaranda in Patenæ involutione, quæ fit cum velo longo in Miſſa Solemni.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ ſervando in oblatione Hoſtiarum, ſeu Particularum facienda.

VII. Gav. lit. y -- *Et collocat Pyxidem in medio Corporalis.*) Si in Miſſa Sacerdos ſit conſecraturus plures Hoſtias, ſeu Particulas, pro communione Fidelium, in primis quando Particulæ ſunt paucæ, uti quinque, vel ſex, poni debent ſuper Patenam, & ſubtus Hoſtiam (vel etiam pro libito ſuper Corporale poni poſſunt ad partem Evangelii) ad offerendas illas una cum Hoſtia ſimul; & poſt Oblationem ponantur ſupra Corporale ſeparatim ab Hoſtia, eo tamen modo, ut remaneant ſupra petram ſacram, á parte, ſecundum communem uſum, ſiniſtra celebrantis, ſeu Evangelii, aliquantulum a majori Hoſtia diſtantes, ne tangantur a manipulo in conſecratione Calicis. Si magna ſit Particularum quantitas, poni poſſunt ſuper Coeporale ſeparatæ ab Hoſtia ut ſupra; vel intra Pyxidem, vel aliud vas. Quando ſunt ſuper Corporale, numquam moventur, neque ad Oblationem, neque ad Conſecrationem. Si ſint in aliqua Pyxide, vel alio vaſe cooperto Patena, vel palla, vel etiam proprio Pyxidis operculo, Calix, vel Pyxis Particularum collocatur poſt Calicem Miſſæ; ita ut ſit inter ipſum Calicem, & tabellam Secretarum; tempore deinde Oblarionis immediate antequam amoveatur palla a Patena pro offerenda Hoſtia, Sacerdos diſcooperiat Pyxidem, vel Calicem, ſeu aliud vas Particularum ad offerendum illas ſimul cum Hoſtia, abſque eo quod moveatur vel Pyxis, vel Calix a ſuo loco. Gav. *ſupra*, Bauldry *ſupr. Rubrica* 3. *n.* 1. Biſſus *ſupra* §. 36. Cærem. Miſſæ Privatæ *cap.* 11. §. 1. Vinitor *ſupra* §. 5. Dirigit tamen Sacerdos intentionem offerendi, etiam ad dictas Particulas, quia non eſt neceſſe, ut eas ſimul cum majori Hoſtia elevet: id enim eſſet maximum incommodum, præſertim quando Particulæ ſunt in magna quantitate. Biſſus *ſup.* & Bauld. *ſupra*.

VIII. Rubt. & Gav. lit. z -- *Facit ſignum Crucis.*) Poſt factam vero Oblationem, ideſt dicto *Suſcipe Sancte Pater*, Sacerdos utraque manu tenens Patenam cum Hoſtia, facit cum ea Crucem mediocrem, diſtinctam, & extenſam ſuper Corporale, non per quatuor ∴ puncta, ſed per lineas ✠ æquales; & advertat, in facienda hujuſmodi Cruce (quæ non debet excedere longitudinem unius palmi, juxta communem Rubriciſtarum ſententiam) ne Patena tangat Corporale: ideo in efformanda prædicta Cruce, teneat dictam Patenam elevatam, quaſi per palmum ſuper Corporale; poſtea deponit Hoſtiam quaſi in medio ipſius Corporalis in parte anteriori ante ſe; ita ut ab extremitate, ideſt ora Altaris, diſtet quaſi per palmum: Biſſus *ſup.* §. 37. Gerv. *ſup.* §. *Terminato*, & Benven. *pag.* 17. ſic enim commodius Sacerdos poterit oſculari Altare, quando opus erit; & inſuper Hoſtia vicinior eſt Cruci, quæ eſt in medio aræ conſecratæ, ſuper quam etiam convenientiſſime deponitur; ut notat Gavant. *ſup. lit. A.* -- Si autem ſuper Patenam ſimul cum Hoſtia ſint etiam aliæ Particulæ conſecrandæ, hoc eſt in parvo numero, ut ſupra adnotatum eſt; tunc facta Oblatione, & depoſita majori Hoſtia, *ut ſup.* hujuſmodi Particulæ deponantur a parte Evangelii, ut jam diximus; Patena vero ponatur a dexteris, ideſt a parte Epiſtolæ ſuper Altare, aliquantulum ſubtus Corporale; quæ exterſo Calice cooperitur purificatorio, ut infra dicemus. Biſſ. Gerv. & Benvenuti *ſup.*

Si adſit Calix, vel Pyxis cum particulis, *ut ſup.*, cooperiat prædictum Calicem Patena, vel Palla, & Pyxidem cum proprio operculo; depoſita prius Patena ſui Calicis aliquantulum ſubtus Corporale *ut ſupra*. Biſſus *ſup.* §. 28. *Cærem. Miſſæ Privatæ c.* 11. §. 1. & Gerv. *ſup.* §. *Dopo*.

Hnc loco advertere lubet, quod ſi offerantur Particulæ conſecrandæ ad Altare poſt Oblationem, poterunt ex gravi cauſa conſecrari, facta prius Oblatione earum mente tantum; ſed non ſufficere pro hac Oblatione mentali commoditatem communicare volentium, docet doctiſſimus noſter Paſqualigus *de Sarific. nov. leg. quæſt.* 30. *&* 35. ubi tamen *num.* 6. *&* 10. dicit eſſe ſolum peccatum veniale, ſi ante incœptum Canonem offerantur. Poſt Canonem vero incœptum non poſſunt admitti etiam ad dandum Viaticum: tunc enim ſatius eſt conſervare partem Hoſtiæ majoris. Tonell. *l.* 2. *tit.* 7.

### R U B R I C A.

4 *Deinde in cornu Epiſtolæ accipit Calicem, purificatorio extergit, & ſiniſtra tenens illius nodum, accipit ampullam vini* (c) *de manu Miniſtri* (*qui oſculatur ipſam ampullam, non autem manum Celebrantis*) *& ponit vinum in Calicem. Deinde* (d) *eodem modo tenens Calicem, producit ſignum Crucis* (e) *ſuper ampullam aqua, & dicit: Deus, qui humanæ ſubſtantiæ: & infundens* (f) *parum aquæ in Calice proſequitur, Da nobis per hujus aquæ, & vini Myſterium, &c. Si vero celebrat pro Defunctis,* (g) *non facit ſignum Crucis ſuper aquam, ſed imponit abſque Benedictione, dicens Orationem ut ſupra.*

### *G A V A N T U S.*

* (c) *De manu Miniſtri.* Teneat Miniſter ampullæ partem inferiorem, ita ut Sacerdos eam poſſit per aurem, ſeu manubriolum capere: recipiat item eandem manu ſiniſtra, ut alteram ſtatim miniſtret ampullam manu dextra. Offerat autem ambas cum oſculis earum, non manus Sacerdotis, & cum debita reverentia, ſaltem inclinando caput, niſi Sacerdos de majoribus exigat genuflexionem. Sed & Sacerdos ipſe propius admoveat Calicem ampullis, ita ut neque gutta cadere queat ſuper Altaris mappam.

(d) *Eodem modo tenens Calicem.* Nondum ideo data eſt regula generalis jungendi manus, antequam aliquid benedicatur, quam habes num. ſeq. ut intelligas excipi hunc caſum a regula generali, ne Calix, in quo jam eſt vinum, periclitetur, amota manu.

(e) *Super ampullam aquæ.* Aqua, ut dicemus, ſignificat Populum; Benedictioneque eget cum Cruce, ut Chriſto uniatur. *Durand. l.* 4. *c.* 30.

(f) *Parum aquæ. Ita ex Liturgia Jacobi, & ex Decreto Alexand.* 2. *de Conſ. diſt.* 2. *caput Sacramentorum*, imo ex traditione Chriſti in ultima cœna, ut ait *Cypr. epiſt.* 63 *ad Cæcil.* tum, ut ſignificetur fluxus ſanguinis, & aquæ ex latere Chriſti; *ex Alexand.* tum, ut Populus, in Apocalypſi ſignificatus per aquam, uniatur Chriſtu; *ex Cypr.* tum, ut fateamur in una perſona Chriſti duplicem naturam; *ex Niceph. l.* 1. *c.* 53. tum, ut ſignificetur introitus in vitam æternam; *ex Ambroſ. apud S. Th. q.* 74. *art.* 7.

Ex quibus illa quatuor patent, quæ in Antiphona: *O Sacrum convivium &c.* ideſt ex duabus naturis Chriſtus; memoria Paſſionis ejuſdem; gratia ex unione Populi cum Chriſto, & pignus æternæ vitæ.

Quia vero pauci ſunt electi, ideo etiam modiciſſimum aquæ vult infundi *Conc. Florent. in inſtruct. Armen.* & eo minus aquæ, quo vinum eſt debilius, ut in vinum citius converti queat ante Conſecrationem; ut monet *Azor. l.* 10. *c.* 30.

Hinc *S. Auguſt.* 17. *Civit. c.* 20. colligit, dandam eſſe Euchariſtiam cum temperatis, & ſobriis epulis; potus enim cum aqua ſobrietatem denotat apertiſſime.

(g) *Non facit ſignum Crucis.* Quia connotat Solemnitatem; & ſicut in fine Miſſæ Defunctorum non benedicitur Populus; ita nec aqua, quæ eundem Populum ſignificat, ut diximus: vel aqua hoc loco ſignificat Populum Purgatorii, qui jam eſt in gratia. *Melchior Noelamus de Cærem. Miſſæ.*

* Si guttæ vini, aut aquæ diſperſæ appareant intra Calicem, tunc vel circumacto vino Calicis uniantur, vel purificatorio abſtergantur, ne in Conſecratione oriatur dubium, an ſint eæ conſecratæ.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, obſervando a fine oblationis Hoſtiæ, & Particularum conſecrandarum, uſque ad oblationem Calicis.

IX. Rubr. *Deinde in cornu Epiſtolæ accipit Calicem, &c.* Depoſita Patena ſubtus Corporale, & præmiſſa ſimplici, vel mediocri Cruci inclinatione, accedit Sacerdos ad cornu Epiſtolæ, nimirum ad locum, ubi Calicem poſuit, & in eodem cornu accipit Calicem ſiniſtra per nodum, & dextera purificatorio eum abſtergit: deinde ſumpto prædicto purificatorio inter, vel infra digitos ſiniſtræ manus qua tenet, ut ſupra, Calicis nodum, pro extergendis guttis in Calice, dextera accipit ampullam vini de manu Miniſtri; Biſſus, Gervaſi, & Benvenuti *ſupra*, Vinitor *ſupra* §.7. & ponit vinum in Calicem (quod album eſſe debet quantum fieri poteſt) in quantitate decenti, nimirum, quæ uno hauſtu ſine interruptione a Sacerdote ſumi poſſit.

X. Rubr. & Gavant. lit. d - *Deinde eodem modo tenens Calicem producit ſignum.*) Impoſito vino, & reddita ampulla Miniſtro, eodem modo tenens Calicem, producit dextera ſignum Crucis ſuper ampullam aquæ (quæ Benedictio omittitur ſi Sacerdos celebret Miſſam pro Defunctis) & dicit eodem tempore, & non prius; *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem, &c.* & infundens parum aquæ naturalis in Calicem, proſequitur dicendo: *Da nobis per hujus aquæ, & vini Myſterium, &c.* Ad verba *Jeſus Chriſtus*, Sacerdos inclinet caput verſus Crucem inclinatione minimarum maxima. Gervaſi *ſupra*, Tandem reſtituit Miniſtro ampullam, vel deponit ſuper pelviculam, ſi ea reperiatur ſuper Altare; nunquam vero deponat ampullam ſuper tobaleam, aut manutergium. Moncius in Inſtruct. §. 93. Advertat autem Sacerdos, ne teneat Calicem elevatum, ſed ſuper Altare poſitum, dum in illum imponit vinum, & aquam; itemque Calicem bene admoveat prope ampullas, ne guttæ vini, & aquæ deturpent mappam Altaris. Biſſus *ſupra* §. 38. Bauldry *ſupra Rubr.* 4. *n.* 1.

Miniſter vero oſculatur ampullas, quas detulit de credentia ad Altare, non vero manus Celebrantis: *Rubr. ſupra*, & Gavantus *ſupra lit. C*, & eaſdem tenere debet in parte inferiori, ita ut Sacerdos poſſit eas facile per manubrium capere; offeratque eas Miniſter dextera, ſed recipiat ampullam vini ſiniſtra, ut poſſit ampullam aquæ dextera porrigere cum oſculo ejuſdem ampullæ tantum: & advertat Miniſter, ut in porrigendis ampullis debitam faciat reverentiam Celebranti cum capite; niſi Celebrans ratione dignitatis, puta Epiſcopalis, exigeret genuflexionem unico genu. Biſſus *lit. M*, *n.* 162. §. 9. Bauldry *ſupra n.* 2. Gervaſi in inſtruct. pro Miniſtr. Miſſæ Priv. *cap.* 8. *n.* 4.

XI. Gav. lit. g - *Si guttæ vini, aut aquæ diſperſæ appareant, &c.*) Quod ſi poſt vini, & aquæ impoſitionem, guttæ aliquæ diſperſæ appareant intra Calicem, circumacto vino uniantur, vel purificatorio abſtergantur, quod decentius eſt; ne poſt Conſecrationem dubium oriatur, an ſint conſecratæ. Biſſus *lit. S. n.* 20. §. 39. Gervaſi in inſtr. Miſſ. Priv. *ſupra* §. *Poſtea*, Bauldry *ſupra*, & Gavantus *ſupra*. Poſt abſterſionem Calicis Sacerdos manu ſiniſtra deponit purificatorium omnino extenſum ſuper eam Patenæ partem, quæ eſt extra Corporale, eam cooperiendo. Bauld. Biſſus, & Gervaſi *ſupra*, & a Portu *part.* 1. *de Miſſa Priv. tit.* 7. *dub.* 4. *n.* 11. Quod ſi purificatorium ſit ita latum, ut pro cooperienda Patena ſit plicandum, extremitates dicti purificatorii reſpiciant Altare, non vero Celebrantem. Tonell. *Rub.* 5. *n.* 2. Biſſus *ſupra*, a Portu, & nos etiam *ſupra*.

R U B R I C A.

5 *Impoſita aqua in Calice, & finita Oratione prædicta, accipit manu dextra Calicem diſcoopertum; & ſtans ante medium Altaris, ipſum ambabus manibus* (h) *elevatum tenens, videlicet cum ſiniſtra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert, dicens:* (i) *Offerimus tibi Domine, &c. qua Oratione dicta, facit ſignum Crucis cum Calice ſuper Corporale; & ipſum in medio* (l) *poſt Hoſtiam collocat, & palla cooperit; deinde junctis manibus ſuper Altare poſitis, aliquantulum inclinatus dicit ſecreto,* (m) *In ſpiritu humilitatis, &c. Poſtea erectus, elevans oculos manuſque expandens, & ſtatim jungens ante pectus* (n) (*quod ſemper facit, quando aliquid eſt benedicturus*) *dicit:* (o) *Veni Sanctificator, &c. cum dicit, Et benedic,* (p) *ſignat manu dextera communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem,* (q) *ſiniſtra poſita ſuper Altare.*

*G A V A N T U S.*

(h) *Elevatum tenens.*) Ita, ut cuppa Calicis non excedat oculos, neque ſit infra os; ad differentiam elevati Calicis conſecrati.

(i) *Offerimus tibi Domine.* Habet *Durand. loc. cit. c.* 30. ubi etiam indicat præcedentem, *Suſcipe, Sancte Pater &c.* Oratio vero, *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ, &c.* eſt S. Ambroſ. in Miſſa de Vigilia Nativitatis Domini; cui addita fuit mentio vini, & aquæ, in hunc locum translata, uſuque recepta.

(l) *Poſt Hoſtiam collocat.* Antiquiores a latere Hoſtiæ collocabant Calicem. *Innoc.* III. *lib.* 2. *c.* 58. teſtatur tamen *Durand. loc. cit.* communiter ſuo tempore poni Hoſtiam inter Sacerdotem, & Calicem. Calix autem hoc loco cooperitur cautelæ potius gratia, quam Myſterii, ait *Microlog. c.* 10.

(m) *In ſpiritu humilitatis.* Meminere hujus Orationis hoc loco *Steph. Eduenſ. c.* 11. & *Radulph. propoſ.* 23.

(n) *Quod ſemper facit.* Hoc intelligitur de manibus tantum, non de oculis elevandis, qui poſt Conſecrationem defigendi ſunt potius in Hoſtiam conſecratam, & * item quando utraque manus eſt libera, nec earum altera eſt occupata ad Hoſtiam tenendam, ſeu Calicem, quod accidit paulo ante eorundem Conſecrationem. Neque enim deponenda eſt Hoſtia, vel Calix in eo caſu, ut manus jungantur ad illud verbum *Benedixit*. Manus autem junctæ ſignificant Divinitatem, & humanitatem Chriſti unitas; unde virtus emanat benedictionis, *Johan. Serranus*.

(o) *Veni Sanctificator.* Habetur *in Ordine Romano* * *& in Gallicano Ordine, teſte Microl. c.* 11.

(p) *Signat manu dextra.* Ante Canonem, nullum invenio apud antiquos ſignum Crucis ſuper oblata fieri: & hoc loco puto mutatum eſſe ordinem: nam *Innoc. præd. can.* docet, accipi Patenam cum Hoſtia, & Calicem cum vino, facto ſuper utrumque diſtincte ſigno Crucis a Celebrante. Hodie vero fit ſingillatim in deponendo utroque; & deinde communiter fit unum Crucis ſignum ſuper utrumque jam depoſitum in Altari, ad commemorandam Chriſti Paſſionem, præter alias duas cauſas *n.* 3. allatas.

Ad formandas vero Cruces manu dextra, regula ſit juxta peritiores Romæ hac de re conſultos; ut formentur duæ lineæ hoc modo ✠, prout pingitur in Miſſali, non autem quatuor; & lineæ illius puncta . . . non excedant menſuram palmi communis manus. Item ex *Innoc.* III. *l.* 5. *c.* 1. tranſverſa pars Crucis fiat manu quoque tranſverſa, non ea recta, qua ad abigendas a Calice muſcas utimur. Agit hac de re fuſius Tydeus Bonamicus in proprio tractatu. Hoc idem *Leo IV. ad Epiſc.* videtur docere: *Calicem*, ait, *& oblata recta Cruce ſignate*: addit contra alium abuſum: *Non in circulo, & variatione digitorum*. Idem docuit *S. Carolus in Actis Eccleſiæ ſuæ par.* 4. *de Miſſæ Cær.* * ut nimirum tranſverſa manu pingatur pars Crucis tranſverſa tam ſuper Hoſtiam, quam ſuper Calicem, & ſuper utrumque; in hoc autem ultimo caſu ea pingi debet inter Hoſtiam, & Calicem; ita ut æqualiter fiat, & Crux a Calice ad Hoſtiam, & tranſverſe ſuper oram anteriorem pallæ, quæ Calicem tegit, quod media eſſe ſolet inter Calicem, & Hoſtiam.

(q) *Siniſtra poſita ſuper Altare. Innoc. l.* 4. *c.* 10. quia Chriſtus per Altare ſignificatus tribuit vim Benedictionis. *Jo. Serranus.*

Si facienda eſt oblatio Populi, fiat dicto Offertorio, ante oblationem Hoſtiæ. *Acta Mediol. Eccleſ. Jacobus in ſuo compendio.* Eulogiæ dictæ fuerunt, & fermentum ad diſtinctionem azymi panis; quæ oblata diſtribuebantur in fine Miſſæ vice Sacramentalis Communionis, *Baron. Anno* 313. Uſus autem colligendi oblationes in ſyndone placet, & habetur *in Ord. Rom.* Qui tamen Miſſas novas celebrant, non poſſunt circuire Eccleſ. ad oblationem, ex Decreto Sac. Congr. Trid. Concil. *ſeſſ.* 22. neque in fine oblationis debet dari Benedictio. An vero Populus oſculari debeat Celebrantis manum, ſervetur locorum conſuetudo; certe non in Miſſa Defunctorum.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſ. Privatæ, ab oblatione Calicis, uſque ad manuum lotionem.

XII. Rubr. *Finita Oratione prædicta, accipit manu dextera Calicem.*) Exterſis guttis in Calice, & poſito purificatorio ſuper Patenam, ut ſupra, Sacerdos relinquit Calicem in cornu Epiſtolæ. Bauldry *par.* 3. *tit.* 7. *Rubr.* 5. *n.* 1. atque a Portu *ſupra Rubr.* 5. *in adnot. n.* 7. unde ad medium Altaris accedens, non debet ſecum deferre prædictum Calicem. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 8. *c.* 5. *n.* 5. Quart. *part.* 2. *tit.* 7. *Rubr.* 5. *n.* 1. Biſſus *ſupra* §. 40. Sed quia aliquando propter nimiam diſtantiam a medio Altaris ad cornu Epiſtolæ, a quo Calicem deberet aſſumere, cogeretur Sacerdos diſtendere nimis, & ineleganter brachium dextrum; ideo ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ, antequam illac diſcedat, ut eat ad medium Altaris, manu ſiniſtra in nodo deprehendens Calicem deponit quidem illum in eodem Epiſtolæ cornu, ſed prope Corporale a dicta parte Epiſtolæ. Angel. *part.* 3. *tit.* 7. *n.* 5. Vinitor *part.* 2. *tit.* 7. *in adnot.* §. 12. Poſtmodum Sacerdos junctis de more manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, & facit ſolitam Cruci reverentiam: mox ſiniſtra manu ſuper Altare poſita dextera, ſtans in medio Altari, accipit Calicem diſcoopertum per nodum; cui occurens, dum eſt prope medium Altaris, ſiniſtra manu accipit per pedem. *Biſſ.* & *Gerv. ſupra.*

XIII. Rubr. & Gavant. lit. h - *Elevatum tenens, ita ut, &c.* Tenens igitur Sacerdos Calicem prædictum ambabus manibus elevatum, ita ut ſiniſtra teneat eum per pedem, dextera vero per nodum infra cuppam; ita tamen ut Calicis cuppa non excedat oculos, neque ſit infra os, ſeu infra mentum Celebrantis; ad differentiam elevati Calicis conſecrati, ut optime notat Gavantus ſupra, ideoque pes elevetur ante pectus, ſicut dictum eſt de Hoſtia. Quarti *part.* 2. *tit.* 7. *Rubr.* 5. Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 5. *n.* 7. Verumtamen pes Calicis tenendus eſt, non ſolis digitorum extremitatibus, ſed manu, & digitis. Angelus *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 49.

XIV. Rub. & Gav. lit. i *Offert dicens: Offerimus tibi Domine, &c.*) Sacerdos Calicem tenens elevatum, ut ſupra, offert cum debita intentione, dicens Orationem *Offerimus tibi Domine, &c.* intentis tamen ad Deum oculis nimirum ad Crucifixi imaginem per totam dictam Orationem *Offerimus*. A Portu *ſupr. n.* 5. Biſſus, & Gervaſi *ſupra*. Quod ſi eſſet legenda prædicta Oratio, quia forte Sacerdos ipſius oblitus fuiſſet; tunc ſufficeret elevare oculos initio Orationis, & ſtatim eos demittere, ut ſuper tabellam poſſet legere Orationem prædictam. Tonell. *Rubr.* 4. *n.* 1.

Ger-

Gervaſi *ſupra*. Dum Sacerdos offert Calicem, Miniſter cum quaſi oſculo receptam ſolam ampullam vini, vel in loco decenti reponit (facta prius Altari ſolita inclinatione, ſive adſit Venerabile in Tabernaculo, ſive non adſit, niſi ſit conſuetudo, ut idem Miniſter tantum ſe inclinet ad Altare, in quo non eſt Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti; quia tunc Bauld. *part. 1. c. 17. n. 16.* illam improbare non audet, cum graviſſimi Auctores id ſentiant, & praxis faveat) vel reportat ad Credentiam: Bonam. *part. 2. obſerv. 6. n. 5.* certe nullatenus eam collocet ſuper Altare, vel ejus gradus. Bonam. *ſupra*. An poſſit elevari manutergium ſuper Altare extenſum, ut a Celebrante poſſit facilius capi ad manus tergendas; unde non ſit neceſſarium ut apprehendat illud Miniſter ſuper brachium, aut manum ſiniſtram; non conveniunt Doctores, ut ſupra n. 3. inſinuavimus. Affirmativam ſententiam tenerat Gavantus *ſupr. hoc tit. Rubr. 2. lit. t.* Corſettus, & Vinitor, quos refert, & ſequitur a Portu *ſupr. n. 6.* ſed noſter P. Caſtald. in Praxi Sac. Cærem. *lib. 1. ſect. 4. c. 1.* contrariam expreſſe docet ſententiam, quamvis a Portu *ſupra* eum citet pro ſua ſententia affirmativa. Caſtaldi opinionem alii quoque ſectati ſunt; quos ſupra allegavimus, & quibus nos quoque adhæremus. Hanc opinionem ſecutus eſt etiam Solarius *in Cæremon. Minim. part. 3. c. 5. n. 4.* & noſter Magius *loc. cit.* aſſeverat, quod P. Raphael Averſa Generalis Cler. Min. & Sapientiſſimus Theologus, poſtquam noſtrorum morem intuitus eſt, eum commendavit, juſſitque Clericis ſuis, ut impoſterum illum omnes imitarentur. De hoc Ritu iterum erit ſermo infra *num. 23.* Igitur juxta hanc ſententiam, Miniſter dum Sacerdos dicit *Offerimus tibi Domine* reportat Ampulas vini, & aquæ ad credentiam, ubi eas reponit, ac ampullam vini cooperit ſuo operculo: mox pro manuum lotione adaptat mappulam ſuper brachium ſiniſtrum; & accipiens pelviculam manu ſiniſtra, dextra tenet ampullam aquæ: & ſic manibus elevatis aliquantulum æqualiter inter ſe, & a pectore diſtantibus, cum debitis reverentiis iterum accedit ad latus Epiſtolæ; & ſupra gradus, ſi plures ſint, ſin minus ante pradellam, aquam ad manuum lotionem præparatam tenet, expectando ibi Sacerdotem, ut docet Caſtaldus *ſupra*.

XV. Rubr. & Gav. lit. l -- *Poſt Hoſtiam collocat*.) Finita a Sacerdote ſupradicta Oratione *Offerimus, &c.* Calicis pes ab eo detinetur elevatus a Corporali ad altitudinem trium circiter digitorum: Anonymus Italus §. *Terminato*: qui a Calix ambabus manibus detinetur, & facit cum eo ſignum Crucis ſuper Corporale, quod non debet excedere latitudinem palmi, in utraque linea. Balthaſſar *ſupr.* §. *Meſſovi*; Biſſus *ſupra*, & Gerv. *c. 8.* §. *Terminato*; & ſit ambabus manibus, non autem una tantum, ut male quidam faciunt. Vinitor *ſupr.*, & Gerv. *in Catalogo error. n. 64.* Non fiat prædicta Crux per puncta, ſed per lineas æquales; & proportionaliter reliqua obſerventur, quæ de formatione Crucis facienda cum Patena *ſupra* expoſuimus: itaque formatio lineæ directæ Crucis incipit ab extremitate poſteriori Corporalis, uſque ad medium ipſius Corporalis circiter; nec hæc imaginaria Crucis formatio, cum alia pariter imaginaria, quæ cum Patena facta fuit, confundatur: Tonell. *ſupr. Rubr. 3. n. 3.* linea vero tranſverſa deducatur ferme ſuper plicaturam tranſverſam poſteriorem ſupradicti Corporalis proportionaliter; a Portu *ſupra*; & ſic hoc ſignum Crucis non formabitur ſuper Hoſtiam, quod eſt animadvertendum. Tonell. & Gerv. *ſupra*.

Poſtea Calicem in medio Corporalis poſt Hoſtiam collocat ambabus manibus; ſufficit autem, ut Calix diſtet ab Hoſtiam per ſpatium alterius Hoſtiæ circiter; Biſſ. Caſtald. & Tonell. *ſupr.* quidquid tradiderit Bonam. *part. 2. n. 18.* debere nimirum eſſe ſpatium unius circiter palmi: non enim hoc colligi poteſt ex Rubrica, quæ dicit *Paula poſt Hoſtiam*; quæ profecto male ſe explicaret, ſi per ly *Paulo poſt* vellet palmum ſignificare: eumque Calicem deinde Palla cooperit non ad Myſterium, ſed ad cautelam, ut docet Gav. *ſup.* aſſumitur autem Palla per manum dextram, ſiniſtra poſita ſuper Altare, extra Corporale, vel ut alii volunt, retinente eadem ſiniſtra pedem Calicis, aut nodum; ne forte Sacerdos in Calicem impingens nolens invertat; quod juxta Auctores citandos, ſemper obſervabit Sacerdos, ſive cooperiat Calicem, ſive diſcooperiat ad præcavendum idem periculum, præſertim poſt Conſecrationem; Angeli *par. 3. tit. 6. n. 5.* Bonam. *par. 2. n. 3.* quod periculum tamen, abſque eo quod Sacerdos Calicem ſiniſtra teneat, facile evitari poterit, ſi a propera feſtinatione ſe abſtineat.

XVI. Rubr. & Gav. lit. m -- *In ſpiritu humilitatis, &c.*) Cooperto Calice Sacerdos junctis manibus ſuper Altare poſitis, tali forma, ut minores duo digiti tangant anteriorem partem Altaris, aliis ſupra ipſum naturaliter junctis, aliquantulum, hoc eſt mediocriter inclinatus, dicit Orationem, *In ſpiritu humilitatis*, voce ſubmiſſa, & ſecreta, *Rubr. ſupra*, poſtea erectus, elevans oculos ad Crucifixi imaginem, & illos ſtatim demittens, & eodem tempore, quo elevat oculos, etiam expandens, & elevans uſque ad humeros, jungenſque ſtatim manus ante pectus, ſicut manus expanduntur, elevantur, & junguntur, dum dicitur *Oremus* ad Orationes. Gervaſi *ſupra*; Angeli *part. 3. tit. 7. n. 2.*

XVII. Rubr. & Gav. lit. n -- *Quod ſemper facit, &c.*) Prædictum Ritum ſemper obſervare debet Sacerdos, quando aliquid eſt benedicturus, ut præſcribit *Rubr. ſupra*: quæ quidem verba Rubricæ, nimirum circa modum elevandi oculos, & extendendi manus, intelligenda ſunt ſolum de elevatione manuum, non oculorum, niſi in propriis locis aliud expreſſe notetur; quod probatur ex eo, quod multoties ſuper Hoſtiam, & Calicem poſt Conſecrationem Sacerdos facit Cruces, & tamen non debet elevare oculos, qui in Hoſtia conſecrata figi debent.

Neque dicas hanc explicationem gratis afferri, eo quod Rubrica loquatur de Benedictionibus faciendis, & ideo non habere locum quoad Cruces, quas poſt Conſecrationem facit Sacerdos, quæ non ſunt Benedictiones, ut probat D. Thom. *par. 3. qu. 83. art. 5. ad 4.* cum non ſpectet ad Sacerdotes ſummum Caput omnium Sacerdotum benedicere; neque, inquam, hæc dicas: Cruces enim, quæ poſt Conſecrationem fiunt, ſunt in honorem Paſſionis Chriſti, quæ maxime in Cruce veneratur; vel etiam fiunt ad commemorandam virtutem Crucis; D. Thom. *ſup.* Biſſ. *lit. C. n. 595.* §. 8. ſed quidquid ſit, opus fuit ſupradictam ponere diſtinctionem, quia nonnulli de hoc inſipienter dubitarunt. Præterea notandum, quod dum dextera aliquid benedicitur, eſt obſervanda ſolum prædicta Rubrica, quando ambæ manus liberæ ſunt: quia aliquando ſiniſtra manus eſt occupata, & tunc manus elevari non poſſunt, neque jungi, ſicut occurrit quando Sacerdos benedicit Hoſtiam ſtatim a ſe conſecrandam, & vinum in Calice; tunc enim manu ſiniſtra tenet, vel Hoſtiam, vel Calicem; item quando in Miſſa benedicit aquam, quo etiam tempore ſiniſtra tenet Calicem. Biſſus *lit. Se n. 20.* §. *42. & 43.* Gavant. *ſupr.* Bauldry *part. 3. tit. 7. Rubr. n. 5. in notis n. 4.* Tonell. *lib. 2. n. 6.*

XVII. Rubr. & Gavant. lit. o -- *Veni Sanctificator, &c.*) Sed ut redeamus unde diſceſſimus, Sacerdos elevans oculos ad Crucifixi imaginem, expandens, & elevans uſque ad humeros, & jungens ſtatim manus ante pectus, ut *ſupra*, dicit: *Veni Sanctificator omnipotens æterne, &c.* voce ſubmiſſa, & ſecreta.

XIX. Rubr. & Gav. lit. p -- *Signat manu dextera, &c.*) Et poſita manu ſiniſtra extenſa ſuper Altare extra Corporale, dicens: *Et benedic*, format manu dextera extenſa Crucem, non per quatuor puncta, ut diximus, ſed per duplicem lineam, alteram ſcilicet rectam, alteram tranſverſam, manente pariter dextera extenſa ſuper Calicem, & Hoſtiam. Biſſ. *ſup.* §. 41. & a Portu *ſupr. n. 8.* & hic ſicut alibi quando Crux eſt communis Calici, & Hoſtiæ, oportet, ut advertunt multi, ne dum faciunt primam lineam interrumpant manum inter Calicem, & Hoſtiam, ſed faciant æqualem, & erectam verſus pectus: quamobrem, ut recte fiat inchoetur prima linea recta a medio pallæ anterioris; & ſecunda linea tranſverſa ducatur prope oram anteriorem pariter pallæ, quæ mediare ſolet inter Hoſtiam, & Calicem. Bauld. *part. 3. n. 6.* Tonell. *ſup.* n. 7. & *tit. 3. Rubr. 5. n. 1.* Bonamic. *obſerv. 9.* n. 4. Lohner *part. 2. tit. 18. n. 7.* Gav. *ſupr.* Utraque linea extendatur æqualiter alta, a Calice ad Hoſtiam, non deprimendo manum ſuper Hoſtiam ſuper Corporali poſitam, in loco humiliori a calicis cuppa. Bauldry, Tonell. Bonamic. Lohner.

XX. Gav. ead. lit. p -- *Tranſverſa pars Crucis fiat manu quoque tranſverſa, non recta.*) Vult Gavantus, prædictam Crucem ita debere fieri, ut pars tranſverſa dictæ Crucis, manu quoque tranſverſa, & plicata, non recta, fieri debeat, qua, ait ipſe, ad abigendas a Calice muſcas utimur. Huic Gavanti ſententiæ adhæret etiam Arnaud. *part. 2. tit. 7.* ubi ait: ita tranſverſa pars Crucis fiat manu quoque tranſverſa; idemque habet Solarius *in Cærem. Minimarum p. 3. c. 1. n. 15. Cærem. Minorum obſerv. & Cærem. Conventualium part. 2. c. 2. n. 9. & Cærem. Cler. Regul. S. Pauli c. 7. n. 11.* ita præſcribens: *Tranſverſum Crucis fiat quoque manu tranſverſa.* Verum Cruces in Miſſa ſuper oblata, manu ſemper extenſa, rectiſque digitis efformari oportere, ita ut etiam in tranſverſalis lineę ductibus non debeamus manum invertere, & prima recta linea a tranſverſa, ac plicata manu ſcindenda non ſit, ſed eadem manu extenſa, & digitis pariter rectis formanda ſit linea hæc ſecunda; docet diſerte Pater Caſtald. *lib. 2. c. 6. n. 8. in Cærem. noſtræ Congregationis, & in praxi Sac. Cæremoniarum lib. 2. ſect. 7. c. 3.* his verbis: *Dum ſignum Crucis ſuper oblata, vel alia benedicenda format, caveat Sacerdos, ut quaſi quatuor puncta formans, Crucem deſignet, neque manum, aut illius digitos inflectat. Sed ſemper extenſam manum, ejuſque digitos omnes tenendo, duas æquales lineas, alteram quidem rectam, alteram vero tranſverſam, quæ per medium, rectam lineam prius figuratam interſecet, diſtincte formet; advertens inſuper, ne nimis celeriter, ſed regulariter, aut uniformi motu, quaſi calamo lineas deſignans, affectione ſemota, manus ipſas ducat, atque deducat.* Caſtaldo ſubſcribit Quarti *part. 2. tit. 3. ſect. 1. dub. 5.* ubi ait: *Lineam tranſverſam formandam eſſe non manu tranſverſa, ſed extenſa in rectum*; probatque hanc ſententiam verbis ſuperioris Rubricæ, quæ ita loquitur: *Benedicendo totam manum dexteram extendat omnibus illius digitis pariter junctis, & extenſis*: *ita Rubr.* ubi nulla prorſus fit mentio de tranſverſanda manu. Mox eadem Rubrica ſubnectit; *Cum rem aliquam benedicit, parvum digitum vertat rei, cui benedicit*: in quibus pariter verbis Rubricæ, nulla fit mentio de manu tranſverſa: quapropter ſententia Caſtaldi, & Quarti, eſt profecto Rubricæ conformis. Tota vis ſupradictæ Rubricæ poſita eſt in illis verbis: *Parvum digitum vertat.* Non dicit digitos junctos, ſive manum ipſam vertat, &c. ſed ſolum *Parvum digitum*: unde veriſſimum eſt lineas Crucis non eſſe formandas acumine totius manus, ſed extremitate minoris digiti; ac propterea ſemper firmum remanet, manum dexteram nullo modo eſſe deflectendam in formanda linea tranſverſali; ſed ſemper debere remanere extenſam in tota Cruce formanda, quia lineæ Crucis formantur extremitate minoris digiti, & non acumine, ſeu longitudine totius manus; & ita adimpletur diſpoſitio Rubricæ, vertendo nimirum parvum digitum rei oblatæ, quæ benedicitur: e contra vero ſi deflecteret

to-

Digitized by Google

totam manum, non verteret Sacerdos parvum digitum oblatis, quibus benedicit; ſed parti laterali Altaris; quod eſſet contra Rubricam.

Præter Caſtaldum, & Quarti docuerunt hanc ſententiam etiam Card. Cantelmus in Cæremon. Miſſ. Priv. *cap. 6.* §. 5. Hagerer *tit. 7.* §. 5. Angel. *part. 3. cap. 14. in adnot.* & Magius *in galat. Relig. diſq.* 26. Denique prædicta ſententia confirmata fuit autentico Decreto S. R. Congr. vulgato die 4. Auguſti 1663. & quod datur in noſtro Indice *ſub n.* 406. unde compellimur in hoc caſu recedere a Gavanti, & aliorum ſententia ſupra expoſita.

Advertendum hic eſt, quod dum Sacerdos dicit Orationem ſupradictam, *Veni Sanctificator, &c.* ad verbum *Deus*, non debet inclinare caput, licet gratis contrarium doceat Polaccus *in Aphoriſ. p. 1. Cærem.* 15. & cum eo a Portu *ſup. n.* 15. ſed debet reverentiam ſolum facere, antequam diſcedat a medio Altaris poſt Benedictionem oblatorum, ut accedat ad cornu Epiſtolæ pro lavandis manibus. Biſſus *ſupra* §. 44. & Monc. relatus ab Hippol. a Portu §. 97. Tonell. & Bauld. *ſupra*.

XXI. Gavant. lit. q. *Si facienda eſt Oblatio Populi, &c.*) Si fiat oblatio a Populo, debet fieri, ut obſervat Gavantus *ſupra*. Supereſt addendum, quod Sacerdos poſt facienda Oblatione, aliquantulum retrahit ſe a medio Altaris. Fit etiam in uſu apud quoſdam, oſculare rem offerendam, & manum Celebrantis poſt Oblationem; quod non videtur inconveniens, maxime quoad rem offerendam (abſtineant tamen Mulieres ab oſculo manus Celebrantis) dummodo non fiat, ut etiam obſervat Gavantus in Miſſis Defunctorum, in quibus oſcula omittuntur. Populo faciente oblationem, nunquam datur Patena oſculanda, quia hoc prohibuit Sanctus Pius V. in Epiſtola ad Archiep. Taraconenſem; Bauld. *p. 2. c. 10. art. 1.* poteſt tamen exhiberi Crux, ſeu alia imago, juxta uſum Eccleſiaſticum. Tandem advertendum, quod in Oratoriis privatis non poſſunt oblationes recipi. Biſſus *tom. 2. lit. O, n.* 4.

De his Populi, & antiquis Oblationibus docte, & erudite diſcurrunt Card. Bona *lib. 2. c. 9.* Joan. Baptiſta Scortia; *de Sacrif. Miſſæ Sacrif. lib.* 4. Antonius Baldaſſarius *in ſua Liturg. dilucidata, part. 1. c.* 36. Antonius Bellote *in ſuis obſerv. pag.* 479. *& ſeqq.* Hieronymus Calumbus *de Angelica & humana Hierar. lib. 4. art. 4. c.* 67. Joan. Mabillon. *in ſuo eruditiſſimo Comment. præfixo ad Ordines Romanos*, quos ipſe evulgavit; Claudius de Vert. *tom. 2. ſuarum explic. Liturg. c. 2. n. 38. & ſeqq.* & recentiſſime noſter P. Franciſcus Berleudi in ſua eruditiſſima diſſertatione Italice exarata, & Venetiis impreſſa, cui titulus -- Delle Oblazioni all'Altare; diſſertazione Storica Teologica, &c.

R U B R I C A.

6 *Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epiſtolæ; ubi ſtans,* (r) *miniſtro aquam fundente,* (ſ) *lavat manus, id eſt extremitates digitorum pollicis, & indicis, dicens Pſalmum,* (t) *Lavabo inter innocentes, cum Gloria Patri, &c. qui verſus, Gloria Patri,* (u) *prætermittitur in Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de Tempore a Dominica de Paſſione, uſque ad Sabbatum Sanctum excluſive.*

G A V A N T U S.

(r) *Miniſtro aquam fundente.* Elevato prius ab eodem paululum ab Altari manutergio, ut Sacerdos illud capere queat; & tenente pelviculam in ſiniſtra, ampullam aquæ in dextera, cum oſculo ampullæ, & debitis reverentiis fundit aquam; repoſita deinde ampulla aquæ cum alia vini in loco ſuo, manutergium plicabit.

(ſ) *Lavat manus*, ait *Dionyſ. de Eccl. Hier. cap. 3. Lavatio, quæ ſummis, ſive extremis digitis adhibetur coram Sanctiſſimis ſignis, obſervatur, quaſi coram Chriſto ſpectante omnes occultiſſimas noſtras cogitationes, & ſummarum partium expiationem, &c.* Itaque in ſignum fit puritatis animarum: *Clem. lib. 8. Conſtitut. Apoſt. cap.* 11. ut puri accedamus, ait *Cyrill. Hieroſolym. Catech. 5. Myſtagog.* extergit a tactu communium manuum, & terreno pane: *Ordo Roman. de Offic. Miſſæ, & Rab. lib. 1. in fine*: a veniali, & peccatorum reliquiis emundat: *ex Sanct. Thom. tertia part. quæſt. 83. art. 5. ad primum.*

(t) *Lavabo inter innocentes manus meas.* Habetur *in Liturgia S. Petri Græca: citat S. German. in Theoria rerum Eccl.* hæc eadem verba, cum agit de hac digitorum ablutione. Ad verſ. *Gl. Patri*, qui poteſt dici; cum reditur, in medio Altaris caput inclinatur.

(u) *Prætermittitur, &c.* Vide quæ diximus *part. 1. tit. 8. n.* 1. neque illius loco dicendus eſt Verſ. *Req.*, quod aliqui ſcribere. Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine Oblationis, uſque ad finem lotionis manuum.

XXII. Rubric. *Accedit ad cornu Epiſtolæ*) Sacerdos, cum ad Orationem *Veni Sanctificator* benedixerit oblata, facta Cruci reverentia minimarum maxima, ut docent Biſſ. *lit. S. num.* 20. §. 45. & alii, junctis manibus ante pectus, accedit ad cornu Epiſtolæ: in prædicto tamen caſu omittendam eſſe Cruci inclinationem, deducitur ex Auctoribus, quos dabimus infra *num.* 28. ob rationem ibi adductam.

XXIII. Rubr. & Gav. lit. r -- *Miniſtro aquam fundente, elevato prius ab eodem, &c.*) Poſtquam pervenit Sacerdos ad cornu Epiſtolæ, ut dictum eſt, ibi ſtat; & Miniſter inclinans ſe ſe eidem Celebranti, ampullam aquæ quaſi oſculans, infundit parum aquæ in pelvim, donec Sacerdos det ſignum deſinendi: ſed ne aquæ guttulæ cadant ſupra Altare, aut Sacerdotis paramenta, Miniſter pelviculam, quaſi ad cinguli altitudinem elevare debet, ampullamque ſupra pelvim attollet, ad octo circiter digitorum menſuram, Caſtald. *lib. 1. cap. 16. num.* 16. Lohner *part. 3. tit. 9. n.* 9. Illud etiam diligenter obſervare debet Miniſter, ut ſemper ſuper eamdem pelviculæ partem aquam infundat; ne hac, illacque diſcurrens Celebrantis humectet totam manum. Præſcribit præterea Gavantus *ſupra*, ut idem Miniſter elevet paululum ab Altari manutergium; ut Sacerdos illud facile capere queat ad manus tergendas; ſed juxta ea, quæ tradidimus *ſupra n.* 14. dictum manutergium debet Miniſter præ manibus, vel ſuper brachio ſiniſtro tenere; ut præter Doctores ibi allegatos, docet hoc etiam Corſettus *tract. 1. part. 1. cap. 1. num.* 22.

XXIV. Rubr. & Gavant. lit. ſ -- *Lavat manus id eſt, &c.*) Prædicto modo aquam fundente Miniſtro, Sacerdos lavat ibi manus, id eſt extremitates digitorum pollicis, & indicis utriuſque manus, non totas manus, non os, aut labia: Polaccus *part. 1.* §. 16. Vinitor *part. 2. tit. 7. in adnotat.* §. 18. neque purificatorio, ſed manutergio a Miniſtro ſibi porrecto, non quidem in Altari, ſed ſuper Miniſtri brachio poſito (ut diximus *in Obſervationibus, & Additionibus ad Rubr. 2. n.* 3. & mox *n.* 14. unde vide ibi, quæ dicta ſunt) manus abſtergat. Vinitor *ſupra*.

Dum digitos lavat, hoc non faciat ſuper Altare, ſed converſus ad Miniſtrum, aquam infundentem: dum vero digitos abſtergit manutergio a Miniſtro porrecto, vertat ſe Sacerdos ad parietem Altaris in eodem cornu Epiſtolæ. Angel. *part. 1. tit. 7. n.* 53. & Aloyſius Gherardi *cap. 7. n.* 14. Poſtea Miniſter, recepto manutergio a Sacerdote, ſe inclinans deſcendit immiſſurus aquam in Sacrarium, aut alium locum congruum, aut in vaſculum ad id deputatum, non autem ſuper pavimentum, niſi ex neceſſitate; & tunc ſpargere debet aquam in diverſas pavimenti partes; Bonamicus *part. 1. obſerv. 6. n.* 6. & omnia reportet ad credentiam, factis debitis inclinationibus, & reverentiis, tam accedendo, quam recedendo ab Altari, manutergium plicat; & ſumpta campanula, ſi opus eſt, redit ad gradum anteriorem infimum in cornu Epiſtolæ, ubi genuflectit, poſtquam fecerit conſuetam inclinationem. Bonamicus *ſupra & parte 1. obſerv. 11. n.* 21. Lohner *part. 3. tit. 9. n.* 10. & Gervaſi *in inſtruct. pro Miniſt. Miſſæ Privatæ cap. 8. num.* 9.

XXV. Rubr. & Gav. lit. t -- *Lavabo inter innocentes manus meas*) Sacerdos dum manus lavat recitat Pſalmum *Lavabo inter innocentes, &c.* non movens ſe ab eodem Epiſtolæ loco, ubi eſt; Bonamicus *part. 2. n.* 10. & omnes communiter; & dicit ſubmiſſa, & ſecreta voce: ita autem lente verſus dicti Pſalmi proſequitur, ut totus Pſalmus ſit terminatus cum manuum abterſione: Bauld. *part. 3. tit. 7. n.* 2. Biſſus *lit. S. n.* 20. §. 45. & in fine prædicti Pſalmi *Lavabo* dicitur *Gloria Patri*.

XXVI. Rubr. & Gavant. eadem lit. t *Ad verſum Gloria Patri, qui poteſt dici cum reditur.*) Controvertitur a Doctoribus, an dici poſſit a Sacerdote illud *Gloria Patri*, dum eſt in via, redeundo a cornu Epiſtolæ ad medium Altaris: & ſententiam affirmativam amplectuntur Gavant. *ſupra* Angelus *ſupra n.* 51. Lohner *part. 2. tit. 18. n.* 8. Arnaud. *tit. 7. n.* 11. negativam vero ſententiam tuentur Bauldry *part. 3. ſupra n.* 3. Tonell. *ſupra Rubr. 7. n.* 3. Bordon. *conſ. Reg. t.* 2. a Portu *ſupr. n.* 6. & Gerv. *in inſtruct. Miſſæ Priv. ſupra* §. *Fatta la ſuddetta Benedizione, &c.* & hoc ob hanc validiſſimam rationem, quia inclinatio capitis, qualem exhibere debet Sacerdos verſus Crucem, dum dicit *Gloria Patri*, fieri debet ſine motu locali perſonæ; ut docent Diana *par. 10. tract. 3. reſp.* 34. & Bordonus *ſupra*. Poſito autem, quod non poſſit dici in via, ut revera pace Auctorum, qui primam ſequuntur ſententiam, dici non poteſt ab rationem allatam, dubitatur, an recitari debeat dictum *Gloria Patri*, ſaltem in medio Altaris? Affirmant Tonellius, Bauld. *ſupra*, Baldaſſ. *part. 2. c.* 2. Biſſus *ſupra*; Gerv. *ſupra*; negant vero Corſettus *tract. 2. part. 1. ſect. 1. n.* 22. Bordon. Diana *ſupra*, Petrus Ruiz, *in Ordin. celebrandi Miſſam part.* 3. §. 6. quibus nunc adhæret etiam ipſemet Gervaſi *in MS. mihi communicato*; & cenſet cum prædictis recitandum eſſe *Gloria Patri*, in cornu Epiſtolæ, priuſquam Celebrans ab eodem cornu Epiſtolæ diſcedat; & id revera colligitur ex verbis ſubſequentis Rubricæ ubi habetur: *Lotis manibus, & illis ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris*: ſupponunt ergo prædicta verba recitatum eſſe integrum Pſalmum, & per conſequens etiam *Gloria Patri*, cum hoc ſit pars Pſalmi. Debet igitur illud recitare dum abſtergit digitos, verſa facie ad parietem Altaris in cornu Epiſtolæ. Certum eſt tamen, quod ubicumque ex his locis dicatur (quamvis ſupradictus ſecundus Ritus magis arrideat, quia eſt conformior Rubricis Miſſalis) ſemper Celebrans Cruci caput inclinat, inclinatione minimarum maxima; in quo conveniunt omnes, præſertim vero Bauldry, Tonell. Lohner, Gerv. Baldaſſar. Biſſ. & Portu *ſupra*.

XXVII. Rubr. & Gav. lit. u -- *Prætermittitur, &c.*) Prædictus verſus *Gloria Patri* prætermittitur in Miſſis Defunctorum; cum enim dicatur in ſignum lætitiæ, non habet locum in functionibus luctus: & advertendum, quod loco *Gloria Patri*, non eſt dicendum *Requiem æternam*; ut aliquos gratis feciſſe refert Bauld. *part. 3. tit. 7. Rubrica 6. n.* 3. & Biſſus *ſupra* §. 45. Item prætermittitur verſus *Gloria Patri* ad Pſalmum *Lavabo*, in Miſſis de tempore a Dominica Paſſionis, uſque ad Sabbatum Sanctum excluſive. Sed utrum omitti debeat in Miſſis Votivis de Cruce, & de Paſſione, quæ dicuntur prædicto tempore Paſſionis, alibi reſolvemus negative cum Biſſo *lit. P. num.* 255. §. 1. quia iſtæ non ſunt Miſſæ de tempore.

R U B R I C A.

7 *Celebrans, lotis manibus, eas tergit; & illi ante pectus junctis,*

*Bis, revertitur ad medium Altaris; ubi ſtans, oculoſque ad Deum elevans, & ſtatim demittens, manibus junctis ſuper Altare, aliquantulum inclinatus dicit ſecreto Orationem, (x) Suſcipe Sancta Trinitas, &c. qua dicta, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demiſſiſque oculis ad terram, a ſiniſtra manu ad dexteram vertit ſe ad Populum; & verſus eum extendens, & jungens manus, dicit voce aliquantulum elata, (y) Orate fratres, & ſecreto proſequens, Ut meum, ac veſtrum Sacrificium, &c. (z) perficit circulum revertens junctis manibus ante pectus a manu dextra ad medium Altaris. Et reſponſo a Miniſtro, vel a circumſtantibus, (a) Suſcipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis, &c. (alioqui per ſeipſum, dicens, Sacrificium de manibus meis) ipſe Celebrans ſubmiſſa voce dicit, Amen; & manibus ante pectus extenſis, ut fit ad Orationem, ſtans in medio Altaris verſus librum dicit abſolute ſine Oremus, & ſine alia interpoſitione, Orationem, vel (b) Orationes ſecretas; cum dicit, per Dominum, jungit manus: cum dicit, Jeſum Chriſtum, caput inclinat; quod facit in prima Oratione, & in ultima, ſi plures ſint dicendæ.*

*G A V A N T U S.*

(x) *Suſcipe Sancta Trinitas*. Hanc habent precem *Stephan. Eduenſ. cap. 13. & Micrologd. cap. 11.* * non ex aliquo Ordine, inquit, ſed Eccleſiæ conſuetudine. Inclinationem *Innocentius* III. *lib. 2. cap. 60.* non tamen *Innocent.* meminit harum quinque Orationum, quas poſt Innocent. additas fuiſſe ideo putat *Bellarmin. lib. 2. de Miſſ. cap. 17.* In medio Altaris nunc orat Sacerdos, *Dionyſ. de Hierarchia Eccleſ. cap. 3.*

(y) *Orate fratres*. Leo Papa inſtituit, *ex Radul. prop. 23.* ſed de eo meminit *Sother. de conſ. diſt. 1. hoc quoque, & Chryſoſt. hom. 10. in 2. epiſt. ad Cor. ut notat Durant. lib. 2. de Rit. c. 29.* Reliqua cum ſilentio dicuntur; & cum paratur Conſecratio, tacite precari Sacerdotem, docet *S. Clem. lib. 8. Conſt. Apoſtol. 12.*

*Oremus*. Dicitur verſus Altare; *Orate fratres* verſus Populum: quia hic alloquitur Sacerdos Populum tantum, non autem ſeipſum. *Durand. lib. 4. cap. 32.*

(z) *Perficit circulum*. A dextra, ut antiqui loquuntur, ad ſiniſtram Altaris: quia ſiniſtra triſtitiam ſonat, & jam Paſſioni Chriſti appropinquat magis Sacerdos. *Circuivi*, ait David, & *immolavi, Pſal. 26.* oſtendens etiam ſe eſſe in ſiniſtra, id eſt peccatorem, pro quo orari petit. *Duran. lib. 4. c. 34.* Ad literam dici poteſt, perfici circulum, ut convertat ſe Sacerdos ad librum; ad quem ſemper ſe vertit, excepto unico caſu, ante *Offertorium*, quod a Choro cantabatur.

(a) *Suſcipiat Dominus, &c.* Paulo diverſam hanc partem habet *Remigius Antiſſiod, in expoſitione Miſſæ*; hanc ipſam *Durand. lib. 4. cap. 32.*

(b) *Orationes ſecretas*. Explicavimus ſupra 1. *part. tit. 12.* * Dicit eas Sacerdos, *in medio verſus librum*, hoc eſt, converſus ad librum, non recedens a medio. Hinc patet, aptandum eſſe librum prope Corporale, ut commodius legatur; non autem relinquendum eo loci, in quo lectum eſt Evangelium, licet hac de re taceat Rubrica.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a fine lotionis manuum, uſque ad initium Præfationis.

XXVIII. *Celebrans lotis manibus, &c.*) Lotis manibus Sacerdos, & cæteris peractis, ut mox diximus, manibus extenſis, & ante pectus junctis, redit ad medium Altaris; redit autem convertendo latus dexterum ad Altare ut naturaliter ambulet ad medium ipſius Altaris; a Portu *n. 2.* ubi ſtat erectus. Tonell. *ſupr. Rubr. 7. n. 1.* Angel. *part. 3. tit. 7. n. 7.* Gervaſi *ſupr. §. Ritornato.* Benven. *ſupr. pag. 19.* Utrum autem ſtatim, ac ad medium Altaris pervenerit, Sacerdos debeat facere conſuetam inclinationem Cruci, diſſident inter ſe DD. Affirmant Biſſus *ſup.* Lohner *part. 6. tit. 7. n. 7. lit. b.* & etiam Tonell. *ſupra*; quamvis hic *in lib. 3. c. 1. §. 4. n. 2.* ubi docuit, quod in acceſſu, & in receſſu a Cruce ſit facienda inclinatio, hanc oppoſuerit exceptionem: niſi paulo ante receſſum, vel paulo poſt acceſſum a Rubrica præſcribatur; & exemplum ipſemet dederit, ut in oſculatione Altaris, & in inclinatione capitis exhibenda ad vocem *Deum* in principio Symboli: ideoque inhærendo huic ſuæ doctrinæ, potius excludere debebat in hoc caſu Cruci reverentiam: nam hæc ſtatim fiet, hoc eſt poſt oculorum elevationem, ut infra, in dicenda Oratione, *Suſcipe Sancta Trinitas, &c.* Stando igitur prædictæ regulæ generali, tenenda eſt potius ſententia negativa, nempe non eſſe faciendam in prædicto caſu a Sacerdote Cruci inclinationem; ut docent Benvenuti *pag. 19.* & a Portu *ſupra Rubr. 6. n. 3. in adnot.* niſi tamen Sacerdos dum eſt in medio Altaris diceret *Gloria Patri*, quia tunc profecto inclinare deberet: ſed hoc dicendum eſt potius in cornu Epiſtolæ, ut ſupra adnotavimus.

XXIX. Rubr. & Gav. lit. x -- *Suſcipe Sancta Trinitas, &c.*) Stans igitur, ut ſupra, erectus Sacerdos in medio Altaris, oculoſque ad Deum elevans, hoc eſt ad Crucifixi imaginem, & ſtatim demittens abſque manuum geſticulatione, tam in elevatione, quam in demiſſione; Polacc. *part. 2. §. 16.* manibus junctis ſuper Altare poſitis, aliquantiſper inclinatus, hoc eſt mediocriter, voce ſecreta dicit Orationem, *Suſcipe Sancta Trinitas, &c.* manibus junctis, ſuper Altare poſitis tali forma, ut minores duo digiti tangant anteriorem Altaris partem, & ut alii ſupra ipſum Altare ſint naturaliter juncti. Gavant. Benven. & a Portu *ſupra*.

XXX. Rubr. & Gav. lit. y -- *Orate fratres.*) Dicta prædicta Oratione *Suſcipe Sancta Trinitas*, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, extra Corporale tamen, niſi hoc eſſet ita magnum, ut id commode fieri non poſſit; Biſſ. *ſupr. §. 18.* oſculatur Altare in medio; tum junctis manibus ante pectus, demiſſiſque oculis ad terram, a ſiniſtra manu ad dexteram, vertit ſe ad Populum, ut dicat *Orate fratres*. Hæc duo tantum verba *Orate fratres*, proferuntur voce nec ſubmiſſa, ſive ſecreta, nec alta, clara, & ordinaria, ſed mediocri, extendens ſimul, ac jungens manus de more. Caſtaldus *lib. 2. c. 16. n. 2.* Biſſ. *ſupr. §. 46.* Bauldry *part. 3. c. 2. n. 5.* & alii. Poſt dicta hæc duo verba *Orate fratres*, ſtet aliquantulum Sacerdos verſus Populum, nec ſe tam cito vertat ad Altare, ſicut quando dicit *Dominus Vobiſcum*, ſed morulam faciat. Paris de Craſſis *lib. 2. c. 4.* Biſſus *ſupr.* Tonell. *lib. 2. tit. 7. Rubr. 7. n. 3.* Bauld. *part. 3. tit. 7. Rubr. 7. n. 1.*

XXXI. Gav. eadem lit. y -- *Leo Papa inſtituit, ex Radulpho propoſ. 23.*) Gavantus ex Radulpho *propoſ. 23.* adſtruit Leonem Papam inſtituiſſe prædictam precem, & de ea mentionem feciſſe Sotherum *de Conſec. diſtinct. 1. &c.* Sed hæc eadem deprecatio *Orate fratres* reperitur, ut refert Serranus *part. 1. n. 141.* in Liturgiis SS. Marci, & Jacobi, non quidem ſub iiſdem verbis, ſed ſub aliis, videlicet: *Orate pro offerentibus, ut ſervet præſentem Sacerdotẽ, qui ea offert, Dominum Deum ſupplices imploremus.* Alias hujuſmodi formas refert Card. Bona *l. 2. c. 9. n. 6.* Itaque quamvis prædictam precem inſtituerit Leo I. ſub verbis, quibus modo fit; quoad ſubſtantiam tamen, vel ſenſum Apoſtoli tradiderunt; ut docet Stephanus Duranti *l. 2. de Rit. c. 29.* a Gavanto citat.

XXXII. Rubr. & Gav. lit. z -- *Perficit circulum, &c.*) Deinde ſine ulla capitis, aut corporis ad Populum inclinatione, vertit ſe Sacerdos ad illum, ut perficiat circulum; convertitur autem ad illum junctis manibus ante pectus a parte dextera Altaris, id eſt parte Evangelii; & dum ſe vertit perficiendo circulum integre, voce ſubmiſſa proſequitur: *Ut meum, ac veſtrum Sacrificium, &c.* Biſſus, Tonellius, & Gervaſi *ſupra*. Utrum autem Sacerdos debeat facere reverentiam Cruci, cum fuerit ad Altare reverſus poſt dicta verba, ut ſupra; cum licet in Rubricis in hoc caſu nullum habeatur verbum de reverentia facienda Cruci, Biſſ. tamen *tom. 2. lit. R. n. 82.* ſicut etiam Hippolytus a Portu *ſupr. Rubr. 7. in adnotationibus n. 13.* putant cum Tonellio *lib. 2. tit. 7. Rubr. 7.* Sacerdotem facere poſſe in ſupradicto caſu Cruci inclinationem: quia cum antea terga verterit Cruci, eſt idem, imo plus, ac ſi ab Altaris medio diſceſſerit.

XXXIII. Rubr. & Gav. lit. a -- *Suſcipiat Dominus.*) Dicto autem *Orate fratres*, Miniſter, ſeu circumſtantes reſpondent, *Suſcipiat Dominus, &c.* qui tamen hæc reſpondet, non debet ſtatim reſpondere dicto *Orate fratres*, ut plerique faciunt; ſed aliquantiſper expectare, quia prius Sacerdos proſequi debet: *Ut meum, ac veſtrum Sacrificium*, uſque ad ultima verba *Patrem omnipotentem*: neque Sacerdos reſpondeat *Amen*, antequam Miniſter integre confecerit Orationem, uſque ad poſtremas voces *Suæ Sanctæ*. Caſtaldus *lib. 2. c. 16. n. 11.* Biſſus *lit. S. n. 20. §. 46.* Lohner *part. 3. tit. 9. n. 10.* Bauldry *ſupr. n. 2. part. 1. c. 17. n. 21.* Gervaſi *ſupra*.

Quando Miniſter dicit *Suſcipiat, &c.* remanet genuflexus, ſed erectus corpore, & capite. Ita pariter in defectu Miniſtri, vel alterius reſpondentis, Sacerdos ſibimet reſpondeat, dicens, *Suſcipiat Dominus, &c. de manibus meis, &c.* erectus, & ſtans, dum hæc dicit, in eodem Altaris medio, manibus ante pectus junctis, & voce ſubmiſſa. Bonamicus *part. 2. n. 21.* Gervaſi, & a Portu *ſupra n. 15.*

XXXIV. Rubric. & Gav. lit. b -- *Orationes ſecretas.*) Quo *Suſcipiat* finito, ſive a ſe dicatur, ſive a Miniſtro, & non prius, Celebrans ſubmiſſa voce, ſemper concludit, dicendo *Amen*. Deinde manibus extenſis ante pectus, ut fit ad alias Orationes ante Epiſtolam, & ſtans in medio Altaris (ſed converſus aliquantulum ad librum, ut poſſit commode legere, qui liber debet eſſe prope Corporale, Biſſus *ſup. §. 32.*) dicit abſolute non ſolum ſine *Oremus*, ſed etiam ſine *Dominus vobiſcum* (quod ſignificatur per illa verba Rubricæ ſuperioris, & ſine alia interpoſitione) ex libro, & ſubmiſſa voce Orationem, vel Orationes ſecretas; & ſi plures ſint dicendæ, primam concludit, ſicut fit in fine primæ Orationis ante Epiſtol. Si igitur unica Oratio ſit dicenda, ſubmiſſa voce eam dicit uſque ad concluſionem excluſive; quam concluſionem alta voce legit. Si vero plures Orationes recitentur, debet primam Orationem terminare ſecrete per illa verba, *Per omnia Sæcula Sæculorum*, & debet ſibi reſpondere *Amen*: Lohner *part. 2. tit. 19. n. 2.* Bauld. *part. 3. tit. 7. n. 1.* Biſſus *ſupra §. 46.* & Gervaſi *ſupra §. Quando*: deinde ſubjungitur ſecunda, tertia, &c. Oratio, ſub unica concluſione. Lohner *ſup.*

Notandum hic occurrit, quod dum Sacerdos ſtans in medio Altaris, aliquid in Miſſali reperire debet, ſive Orationes ſecretas, ſive aliud; quantum fieri poteſt, ut debet ſola manu ſiniſtra, dextera ſuper Altare poſita; ut ita fiant actus cum omnia decentia: ſed valde laudabile erit, in Sacriſtia quærere omnia, & ſignacula ſuis locis aptare. At ubi ex neceſſitate adhibeatur dextera, manus ad invicem, non ſuper imponantur. Biſſus *ſupr. §. 45.* Tonellius *ſupr. n. 4.* & a Portu *ſup. n. 19.* Cum dicit. *Per Dominum noſtrum* jungit manus, concludit Orationes, ſicut reliquæ concluduntur; cum dicit *Jeſum Chriſtum* (& non prius) caput inclinat, *Rubrica ſuperior*, verſus Crucem inclinationem minimarum maxima, a Portu *ſup. n. 21.* Gervaſ. *ſup. §. Avvertenza.*

*ra*. Si concludatur Oratio per aliam concluſionem, tunc non inclinat caput; Gervaſi *c.5.§. Terminando*, & a Portu *ſup.*; ſed manus junguntur de more ad vocem, *In unitate*; Gervaſi, & a Portu *ſup.* quod idem facit (nempe jungit manus, & caput inclinat) in prima, & ultima tantum Oratione, non autem in mediis, quia iſtæ non terminantur per illam concluſionem. A Portu *ſup.*

R U B R I C A.

8 *Perveniens autem in concluſione ultimæ Secretæ ad verba illa, Per omnia Sæcula Sæculorum, excluſive, Sacerdos ſtans in medio Altaris, (c) depoſitis ſuper eo manibus hinc inde extenſis, dicit convenienti, & (d) intelligibili voce Præfationem. Cum dicit, Surſum corda, elevat manus hinc inde extenſas uſque ad pectus ita ut palma unius manus reſpiciat alteram. Cum dicit, Gratias agamus Domino, jungit manus: cum dicit, Deo noſtro, oculos elevat, & ſtatim Cruci caput inclinat. Reſponſo, Dignum, & juſtum eſt; elevatis, & extenſis, ut prius, manibus, proſequitur Præfationem propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit, Sanctus, junctis ante pectus manibus, inclinatus, voce mediocri proſequitur; Miniſtro interim parvam (e) campanulam pulſante. Cum dicit, Benedictus, qui venit in nomine Domini, &c. erigit ſe, & (f) ſignum Crucis ſibi producit a fronte ad pectus.*

*G A V A N T U S.*

(c) *Depoſitis ſuper eo manibus*, Ut omnem cogitatum temporalem deponat, & exercitio bonorum operum aditum ſibi faciat ad elevationem cordis. *Durand. 4. c.32.*

(d) *Intelligibili voce, Per omnia Sæcula Sæculorum*. Ut aſſentiatur Populus, & confirmet ſua voce, *Amen*, quæ Sacerdos ſecreto Deum precatus eſt. *Ex Ord. Rom. & Microl. c.3.*

De Præfatione egimus ſupra 2. *part. tit.* 12. Ritus etiam patent ex ſupradictis; nam quadrant ſingulis verbis ejuſdem Præfationis. Non vertit ſe Sacerdos ad *Dominus vobiſcum*, quia intentus eſt totus tunc ad Sacrificium, ut ſupra diximus, ex *Amalar. l.3.c. 9.* lege ſupra *tit.5.n.* 1. neque jungit manus ad *Per Chriſtum Dominum noſtrum*.

(e) *Campanulam pulſante*. Ter cum aliqua diſtinctione, tum in laudem Dei ter Sancti, tum ad excitandos aſtantium animos ad proxima Myſteria; qua de re diximus *in 2. part. tit. 20.*

(f) *Signum Crucis ſibi producit*. De hoc ſigno in fine Præfationis, *Honor. in Gemma l.1.c.42. Quia*, inquit, *ſignum Criſti recipere ſe profitetur, cui mox in imagine, hoc eſt repræſentative, per Canonem contradicitur. Canon enim*, addit ille, *Chriſti Paſſionem proxime deſignat.* Sed ſicut Hymnus primus Angelicus finitur cum ſigno Crucis, eodamque modo Symbolum; ita & alter hic Hymnus item Angelicus, non alio modo terminandus eſt, quam adhibito ſigno Crucis, & manuum junctione in fine.

Novæ obſervationes, & Additiones, &c. pro ritu Miſſæ Privatæ, ab initio uſque ad finem Præfationis.

XXXV. Rubr. & Gav. lit. c -- *Depoſitis ſuper eo manibus*; *&c.*) Dictis Orationibus ſecretis, Sacerdos cum pervenerit ad finem concluſionis ultimæ Orationis ſecretæ, ad illa ſcilicet verba *Per omnia Sæcula Sæculorum* excluſive, ſtat in medio Altaris; facie ad librum converſa, ut Præfationem legat; Vinitor *part. 2. tit.7. in adnot.* §.29. depoſitiſque ſuper Altare manibus hinc inde extenſis prope Corporale; quas manus antequam incipiat, *Per omnia Sæcula Sæculorum*, deponit abſque capitis inclinatione, vel oculorum elevatione. Gervaſi *ſup. c.8.§. In fine*; Angel. *part.3. tit.7.n.8.*

XXXVI. Rubr. & Gavant. lit. d -- *Intelligibili voce, Per omnia Sæcula Sæculorum.*) Deinde dicit Sacerdos convenienti, & intelligibili voce, nimirum eadem, qua clare reliqua in Miſſa legi ſolent: *Per omnia Sæcula Sæculorum*, ſive deinde talia verba ſint finis Orationis ultimæ ſecretæ, ſive principium Præfationis. Quart. *part. 2. tit. 7. Rubr.* 1. Poſt hæc verba proſequitur eadem voce Præfationem, dicendo, *Dominus vobiſcum*, &c. Sed non jungit manus, retinet quippe illas immotas; a Portu *Rubr. 8. in adnot. n.5.* nec vertit ſe ad Populum, quia jam proximus Sacrificio, nullo modo ſe divertit ad aliud, ut tantum opus poſſit tota applicatione perficere. Amalarius *l.3.c.9.* ubi ad nos moraliter erudiendos hæc habet: *Nec debet Arator, dignum opus exercens vultum in ſua terga referre.* Rurſus Innoc. III. de Myſteriis Miſſæ *cap.* 10. docet pariter idem dicendo, quod -- Sacerdos non ſe vertit ad Populum: quia cor habet ſurſum ad Dominum, jamque intentus eſt ad Sacrificium Altaris pertractandum.

XXXVII. Rubr. *Cum dicit: Surſum corda.*) Elevat manus uſq; ad pectoris terminos, & non ultra; Tonellius & alii cit. a Portu *ſup n.6.* ita ut palma unius manus, digitis junctis in ſuis extremitatibus, reſpiciat palmam alterius manus. *Rubr. ſupra*, Biſſus, Lohner, & Gervaſi *ſupra*.

XXXVIII. Rubr. *Cum dicit, Gratias agamus Domino, &c.* Jungit manus, ſed plus elevat eas uſque ad humeros; Biſſus, & Gervaſi *ſupra*, aliter operaremur contra Rubricæ diſpoſitionem, quæ in qualibet manuum elevatione præfigit pro termino humerorum altitudinem. Ita *Rubr. 3. tit.4. ſupra*.

XXXIX. Rubr. *Cum dicit Deo noſtro.*) Oculos elevat ad Crucifixi imaginem, & ſtatim caput inclinat; deinde demittit caput etiam inclinando inclinatione minimarum minima, dum profert prædicta verba *Deo noſtro*, ita Hippolytus a Portu *ſupra n.7. & 8.* quam inclinationem minimam etiam Miniſter exhibere debet: Bauld. *part.1. c.17. n.32.* reſpondetur deinde a Miniſtro, *Dignum, & juſtum eſt*; ut in Ordine Miſſæ: ſed voce clara, & alta, ſicut reſpondere debuit ad antecedentia.

XL. Rubr. *Reſponſo, Dignum, & juſtum eſt.*) Sacerdos elevat, & extendit manus quemadmodum elevantur, & extenduntur ad Orationem, & ſic perſeverat, donec dicatur *Sanctus*, *&c.* Angel. *part.3. tit.7. n.8.* Gervaſi *ſupra &c.*

XLI. Rubr. *Proſequitur Præfationem, &c.*) Deinde tenens elevatas modo ſupradicto manus, proſequitur Sacerdos Præfationem propriam, vel communem, juxta Rubricarum diſpoſitionem (de quibus Præfationibus egimus ſupra *part. 1. tit. 12.*) eadem voce clare, & ordinarie. Quando in Præfatione communi, & alias dicitur, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, non inclinat caput: Vinit. *part.2. tit.7. in adn* §.25. Corſett. *tr.2. part.2. ſect.2. n.4.* (nec unquam per totam Miſſam, dum dicit, *Per Chriſtum Dominum noſtrum* ſine verbo *Jeſus* caput inclinet; una ſolum vice excepta, ſcilicet in Canone poſt Conſecrationem, ante verba *Nobis quoque Peccatoribus*: Vinitor *ſupra*) e contra inclinat inclinatione minimarum media in Præfatione B. M. quando profertur hoc nomen: a Portu *ſup. n.11.* & a fortiori inclinat caput inclinatione minimarum maxima verſus Crucem ad nomen *Jeſu*, quando nominatur in prædicta Præfatione; ſicut etiam Miniſter ad prædicta verba caput inclinare debet.

XLII. Rubr. *Cum dicit Sanctus, &c.*) Nec manus ſuper Altare ponit Sacerdos, nec pectus percutit; Biſſus *ſupra* §. 49. Bauld. *part.3. Rubr.8. ſup.n.2.* Vinit. *ſup.*§.25. quod nec facit Miniſter; Bauldry *part.1. c. 17. n.32.* Vinitor *part.2. tit. 16. n.30.* ſed junctis ante pectus manibus mediocriter inclinatus, voce media inter claram, & ſubmiſſam, ſcilicet depreſſam in uno tono; Corſettus *tr.2. part.1. ſect.1. in addit. n.4.* a Portu *ſup. n.* 14. & Gervaſi *ſupra*; dicit *Sanctus*, *&c.* atque proſequitur in tali voce mediocri uſque ad finem. Anonymus Italus, Bonamicus *part. 1. obſerv.7. n.2.* & Gervaſi *ſupra*.

XLIII. Rubr. & Gav. lit. e -- *Campanulam pulſante.*) Miniſter interim, hoc eſt, dum Sacerdos dicit *Sanctus*, parvam campanulam pulſat ter interpolatim, duobus ictibus pro ſingulis vicibus; Bauld. *part.1. & 3. ſup.* Biſſus *ſupr.* §.49. Lohner *part. 3. tit.9. n.10.* & Gav. *ſup. dicta lit.* e, vel uno continuato ſono (quod tamen minus placet; Vinitor *loc. inf. citand.*) pulſat uſque dum Sacerdos dicat *Benedictus*, *&c.* tunc enim campanulam in ſecundo gradu, ad dexteram Celebrantis deponit. Vinitor *part.2. tit. 16.* §.30. Bauldry *part.1. c.17. n.32.* Lohner *ſup. part. 3. tit. 9. n. 10.* Gervaſi *in inſtruct.* Miniſtr. Miſſæ Privatæ *c.9. n.1.*

XLIV. Rubr. & Gav. lit. f -- *Signum Crucis ſibi producit, &c.*) Cum Sacerdos dicit *Benedictus, qui venit, &c.* erigit ſe & corpore, & capite; & ſignum Crucis ſibi producit a fronte ad pectus juxta morem conſuetum; & hoc idem Crucis ſignum eodem tempore ſibi format Miniſter. Bauldry, Vinitor *ſup. &c.* In formando dicto Crucis ſigno debet Sacerdos tenere hanc regulam: dum profert vocem *Benedictus*, ſignat frontem; dum profert *Qui venit*, ſignat pectus; dum profert *In nomine Domini*, ſignat humerum ſiniſtrum; dum profert *Hoſanna in excelſis*, ſignat humerum dexterum.

XLV. *cal. lit.* f -- *Hic Hymnus non alio modo terminandus eſt, quam adhibito ſigno Crucis, & manuum junctione in fine.*) Vult Gavantus, quod Sacerdos jungat manus ſolum poſt factum ſignum Crucis, ſicut fit ad finem Hymni Angelici; cui Gavanti ſententiæ ſubſcribunt Bauldry *part. 3. tit.7. Rubr.8.* Vinitor, & Gervaſi *ſup. in* inſtruct. Miſſæ Privatæ, necnon Benvenuti *pag.* 21. Biſſus vero *ſupra* §. 49. a Portu *ſup. n.* 17. & Angel. *part.* 1. *tit.7. n. 56.* tenent non eſſe faciendam manuum junctionem: quia ſtatim poſt factum ſignum Crucis, quod ſequitur eſt elevatio manuum cum elevatione oculorum, & deinde junguntur manus ſuper Altare.

R U B R I C A.

9 *In Miſſa Sollemni dicto, Oremus, Diaconus, & Subdiaconus (g) accedunt ad Altare in cornu Epiſtolæ: Diaconus amovet Calicem, ſi eſt in Altari; vel ſi eſt in credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena, & Hoſtia, coopertum palla, & velo (h) a collo ſibi pendente, (i) manu ſiniſtra tenens, & alteram manum ſuperponens velo, ne aliquid decidat de credentia (l) detulit, (m) comitatus ab Acolytho ampullas vini, & aquæ portante: ipſe Diaconus Calicem detegit, & dat (n) Patenam cum hoſtia celebranti, oſculando ejus manus: Subdiaconus extergit Calicem purificatorio; Diaconus (o) accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calicem: Subdiaconus interim (p) ampullam aquæ oſtendens celebranti, dicit, Benedicite Pater reverende; qui facta verſus eam ſigno Crucis, dicit Orationem, Deus, qui humanæ, &c. interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem, Diaconus illum celebranti dat; & pedem Calicis tangens, ſeu brachium dextrum celebranti ſuſtentans, (q) cum eo dicit, Offerimus tibi Domine, &c. quem poſtea poſitum in Altari, ut ſupra, palla cooperit. Subdiacono deinde ſtanti in cornu Epiſtolæ, (r) ponit in dextera manu Patenam, quam (ſ) cooperit extremitate veli, ab ejus humero pendentis; qui vadit poſt celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione, ibi ſtat, ſuſtinens eam elevatam uſque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Miſſis autem Defunctorum, & in Feria ſexta Paraſceves (t) Patena non tenetur a Subdiacono.*

*G A V A N T U S.*

(g) *Accedunt ad Altare*. Facta prius in locis ſuis poſt celebrantem genuflexione.

(h) A

(h) *A collo ſibi pendente.* Indicat *Ordo Romanus*, & vocat Syndonem in collo ligatam. deponitur autem velum parvum Calicis, & relinquitur ſuper credentiam, ut expeditius portetur Calix.

(i) *Manu ſiniſtra tenens.* Manu nuda, non autem cum velo pendente ab humeris; ſi vere in Sacris eſt Subdiaconus, ut par eſt.

(l) *Detulit.* Per breviorem viam defertur Calix ad Altare; & munus Subdiaconi eſt ferre Calicem in ſiniſtra, quæ eſt vita præſens: *ex vetuſto codice de Miſſa, apud Hittorpium.* Item ejuſdem eſt parare Calicem. *Innoc. lib. 2. cap. 58.*

(m) *Comitatus ab Acolytho.* Qui tamen Subdiaconum ſequitur, non præcedit; neque ab alio, quam uno ex prædictis duobus.

(n) *Patenam cum Hoſtia.* Ita *Ex Conc. Ancborytano, ſeu Ancyrano 50. diſt. Presbyteros*: datur autem cum oſculo manus celebrantis, & prius Patenæ.

Si adſint Particulæ conſecrandæ pro Communione ſollemni, delata Pyxide ad Altare paulo ante Subdiaconum a Cæremoniario, ſeu Sacriſta, eam Diaconus aperit, & collocat ſuper Corporale, antequam tradat Patenam celebranti, & eamdem elevat parumper; *ex Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap. 29.* dum celebrans Hoſtiam offert; qua depoſita & ipſe deponit Pyxidem, cooperit, & collocat poſt Calicem, ut ſupra.

(o) *Accepta ampulla vini de manu Subdiaconi.* Hoc eſt, Diaconus, manu ſiniſtra Calicem per nodum tenens, accipit ampullam vini de manu Subdiaconi; qui eamdem accipit de manu Acolythi (uterque vero accipit ſine oſculis, nec ampullæ, nec manuum) & infundit vinum in Calicem; Diaconi enim eſt componere Calicem in Altari. *Innoc. prædict. c. 59.*

(p) *Ampullam aquæ.* Hanc accipit ab Acolytho ſine oſculis Subdiaconus, & parum inclinatus oſtendit celebranti. Olim aquam ipſam celebranti tradebat infundendam ab eodem; *ex Innoc. loc. nunc cit.* nunc ipſe infundit.

(q) *Cum eo dicit, Offerimus.* Habet *Durand. præd. c. 30.* neque Sacerdotibus licet de menſa Domini tollere Calicem, niſi eis tradatur a Diacono. *Iſidor. lib. de Eccleſ. Off. c. 8.* Verbum *Offerimus*, convenit duobus ſaltem; & ideo Diaconus idem dicit cum celebrante.

(r) *Ponit in dextera manu Patenam.* Docet *vet. codex de Miſſa*, poni in ſpem vitæ æternæ poſt Calicem hujus vitæ, in ſiniſtra ab eodem Miniſtro delatum: dextra enim vitam æternam deſignat; & Patena rotunda æternitatem indicat. *Durand. c. 30.* Subdiacono, non alii datur tenenda. *Ex Innoc. c. 59.*

(ſ) *Cooperit extremitate veli.* Ex Decreto Sylverii Papæ, ait *Petrus de Raitz in ſuo Cæremoniali*, quia Myſteria adhuc ſunt tegenda; *Hugo Victor. de Off. Eccleſ. lib. 2. c. 23.* vel quia latibulum ſignificat diſcipulorum prope Paſſionem. *Innoc. c. 59.* Pars vero interior Patenæ Subdiaconum reſpicere debet, ea enim eſt nobilior, ut patet.

(t) *Patena non tenetur.* Ritus lætitiam connotans de æterna vita; quod paulo ante adnotavimus: Patena velata, non convenit Defunctorum Miſſis.

Novæ obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Sollemnis, a fine Offertorii, uſque ad incenſationem Oblatorum.

XLVI. Rubr. & Gav. lit. g -- *Accedunt ad Altare.*) In Miſſa Sollemni, dicto a celebrante *Oremus*, Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt in locis ſuis poſt celebrantem, Gavant. *ſup.* Bauldry *part. 3. tit. 11. art. 7. a. 1.* & celebrans ſubmiſſa voce, junctis manibus recitat Offertorium, Bauldry *part. 3. ſupra*, Biſſus *lit. E. a. 197. §. 84.* Subdiaconus vero per planum vadit ad credentiam, ad Altare reverſurus, ut infra dicemus. Bauldry *part. 1. c. 13. & part. 3. ſup. a. 2.* Corſett. *tract. 1. c. 3. a. 11.* Biſſus *ſupra*.

An Diaconus ſtatim poſt cantum *Oremus*, debeat aſcendere ad Altare, non conveniunt Doctores. Caſtald. *lib. 1. ſect. 7. c. 1. a. 15.* Bauldry & Biſſ. *ſup.* necnon Abbas Benvenut. *in Miſſa Sollemni §. Dum in Choro*; & de Bralion *part. 2. cap. 6. a. 1.* affirmativam tenent ſententiam; negativam vero amplectitur Lonher *part. 3. tit. 2. §. 2. n. 1.* Verum ego Auctoribus primæ ſententiæ cum Hippolyto a Portu *part. 2. de Miſſ. Sollemn. tit. 7. Rubr. 9. in adnot. a. 1.* libentius adhæren, ea ratione permotus, quia ſi Diaconus expectare deberet, donec Celebrans legerit totum Offertorium, ut docet Lonher *ſupra*, illa mora ad nihil inſerviret.

Poſito, quod ſtatim, facta prius genuflexione, ut *ſupra*, in ſuo loco Diaconus aſcendere debeat ad Altare, ut juxta noſtram ſententiam revera aſcendere debet; oritur aliud dubium inter Rubriciſtas, utrum ad ſiniſtram Celebrantis accedere debeat? Affirmant Caſtald. *ſupra*, Turrin. *part. 2. ſect. 3. c. 3. §. Finito Symbolo*: & Corſett. *tract. 1. part. 1. c. 4. a. 9.* negat vero Lonher *part. 1. tit. 2. §. 2. n. 1.* Biſſ. *ſupr.* Benv. *ſupra*, de Bralion *ſupr.* Bauld. *par. 1. c. 12. & part. 3. ſupr.* inquam negativam ſententiam pariter deſcendit a Portu *ſupra*: quia hoc ipſo, quod ad ſiniſtram Celebrantis, ſeu ad librum Diaconus perveniſſet, ut Celebranti aſſiſteret in dicendo Offertorio; Celebrans Offertorii lectionem terminaſſet, vel ex toto, præſertim ſi Offertorium eſſet breve, vel ex parte quaſi totali: quare Diaconus non inſerviret aſſiſtendo Celebranti, ut Auctores contrariæ ſententiæ intendunt: volunt enim ipſi, ut clare legitur in Turino citat. quod Diaconus ſe conferat ad librum Miſſalem, ut monſtret Offertorium Celebranti. Ex alio capite cogeretur Diaconus ſtatim a ſiniſtra Celebrantis diſcedere, & ad ipſius dexteram tranſire, ut adverſarii fatentur. Igitur Diaconus facta genuflexione in loco ſuo poſt Celebrantem, ut ſupra dictum eſt, ſtatim ad ipſius Celebrantis dexteram accedat; ut etiam videtur diſponere ſuperior Rubrica, quæ dicit: *Dicto Oremus, Diaconus, & Subdiaconus accedant ad Altare in cornu Epiſtolæ*: ei igitur, quod conformior eſt Rubricæ, acceſſus Diaconi ad dexteram, quam ad ſiniſtram Celebrantis. Ad Librum vero quod attinet, potius Cæremoniarius aſſiſtat, qui adeo aſcendente ad Altare Celebrante, accedere debet per planum ad cornu Evangelii, cum debita inclinatione Cruci. A Portu *ſupra*.

XLVII. Rubr. *Diaconus amovet Calicem, ſi eſt in Altari.*) Diaconus vero, ſi Calix eſt ad Altare, quamvis magis deceat eſſe in credentia, ut docet *Rubr. ſuperior*, facta genuflexione in loco ſuo, poſt Celebrantem, accedit ad ipſius dexteram, ut mox diximus; & amovens Calicem de medio Altaris, illum collocat verſus cornu Epiſtolæ, ubi eum detegit, & Patenam offert Celebranti, eo modo, quo infra dicemus. Interim Subdiaconus facta etiam genuflexione poſt *Oremus*, pergit ad credentiam, ut imponatur ei velum oblongum ab aliquo Cæremoniario, vel etiam ab aliquo Acolytho ſuper humeros: Turrin. & de Bralion *ſupr.* & Benvenuti §. *Subdiaconus*: vel etiam extendit ſibi adjuvantibus Acolythis circa humeros prædictum velum oblongum. *Cæremon. Epiſc. lib. 1. c. 10. §. 5. & lib. 2. c. 8. §. 00.* Tum procedit ad Altare, ut infra dicemus, ad cornu Epiſtolæ, ſequente Acolytho. Bauld. *part. 3. c. 11. art. 7. n. 4.*

XLVIII. Rubr. *Vel ſi eſt in credentia, ut magis decet, &c.*) Si vero Calix ſit in credentia, ut etiam ex Rubrica magis decet, & omnino in ea eſſe debet; tunc Subdiaconus poſt impoſitum ſibi velum oblongum, eo modo, quo paulo ante diximus, ſed ita, ut pars dextera veli longius pendeat, ut præſcribit Cæremonial. Epiſcop. *ſup.* ad hoc ut commode Calicem cooperire poſſit; Biſſ. *lit. S. n. 596. §. 13.* tunc, inquam faciat, quod infra adnotatur.

XLIX. Gav. lit. h -- *Deponitur autem velum parvum Calicis, &c.*) Impoſito velo oblongo ſerico, vel auriphrygiato ſuper Subdiaconi humeros, ut mox innuimus, controvertunt Rubricarum interpretes, an parvum Calicis velum amovendum ſtatim ſit a Calice, & in credentia relinqui debeat? Negant Caſtald. *lib. 1. ſect. 7. cap. 5. a. 15.* Bralion *ſupra*; affirmant vero Gavant. *ſup.* Bauld. *part. 3. ſupra*. Biſſus *ſupra*. Lonher *part. 3. tit. 3. a. 11.* Chriſtiani *ſect. 1. c. 10. a. 3.* Carbin. *c. 3. a. 22.* Benven. *ſupra*. Cæremon. Presbyt. Congr. Miſſionis *tom. 1. part. 2. art. 7. n. 1.* ſicut etiam a Portu *ſup. a. 4.* cui affirmativæ ſententiæ adhærendum eſſe crediderim: tum quia Rubrica Miſſalis nullam mentionem facit de prædicto parvo velo, licet ſermonem habeat de omnibus, quæ cum Calice portari debent; tum quia Calix ſine velo expeditius defertur. Amoveri igitur debet a ſecundo Cæremoniario dictum parvum velum, ut volunt Biſſus, & Benvenuti *ſupra*: vel ab ipſomet Subdiacono, ut præſcribit Cæremon. Presbyt. Miſſionis loco citato, & poſtea relinquatur ſuper credentia; quod quidem velum plicari exinde poteſt, vel a ſupradicto Cæremoniario, ut tenet Lohner *ſupr.* vel ab Acolytho, ut vult Venant. *tit. 9.* de Acolythis in Miſſa Sollemni *c. 1. a. 7.*

L. Rubr. & Gav. lit. i -- *Manu ſiniſtra tenens, &c.*) Subdiaconus accepto velo oblongo, ut ſupra, manu ſiniſtra nuda, non autem velo pendente ab humeris cooperta, accipit Calicem, Gav. *ſupr.* per medum cum ſuis requiſitis, Biſſ. *ſupr.* hoc eſt cum Patena, ſuper qua ſit Hoſtia munda palla cooperta. Cæremon. Epiſc. *lib. 2. ſupr.* Tunc dictam partem longiorem veli, ſuper ea extendit, dextramque ſupra ipſum velum, & Calicem leviter apponit, ne aliquid decidat; & ſic ad Altare procedit ſine ulla omnino genuflexione, quia non vadit, neque tranſit per medium; Biſſ. Lohner ſupra; & pergit ad cornu Epiſtolæ per viam breviorem, id eſt per latus Epiſtolæ, Bauldry, Biſſus, & a Portu *ſupra*.

LI. Rubr. & Gav. lit. m - *Comitatus ab Acolytho, &c.*) Interim dum Subdiaconus defert Calicem, primus Acolythus, vel alius deputatus, accipit ambabus manibus ampullas vini, & aquæ, illaſque elevatas uſque ad pectus ſine operculis, ſubſequens Subdiaconum, & non eum præcedens, Gav. *ſup.* refert ad cornu Epiſtolæ, porrigitque Subdiacono, *ut inf.* prius ampullam vini, mox aquæ.

LII. Rubr. *Ipſe Diaconus Calicem detegit, &c.*) Subdiaconus cum pervenerit ad Altare, deponit ſuper illud Calicem: tum Diaconus ſtans in eodem cornu Epiſtolæ, removet a Calice partem longiorem veli pendentis ab humeris ipſius Subdiaconi.

LIII. Rubr. & Gav. lit. n -- *Patena cum Hoſtia, &c.*) Deinde dictus Diaconus Patenam cum palla accipit, & converſus ad celebrantem, depoſita Palla prope Corporale, ita ut facile apprehendi poſſit, Patenam cum Hoſtia diſcooperta celebranti porrigit ambabus manibus; ita ut dextera ejus ſit verſus ſuperiorem partem, & ſiniſtra verſus inferiorem; & ita, ut celebrans ſuas manus interponere poſſit, eamque ambabus manibus capere valeat: prius tamen Diaconus, tum Patenam, tũ celebrantis manum oſculatur. Gav. *ſup.* Caſtaldus, Lohner & Bauldry *ſup.* Sed ſolus celebrans Hoſtiam offert, Biſſus *lit. C. n. 197. §. 35.* more ſolito, dicendo Orationem *Suſcipe Sancte Pater*, & poſtea deponit Hoſtiam ſuper Corporale, ut mos eſt: Patenam vero deponit ſuper Altare verſus cornu Epiſtolæ: extra Corporale quidem, ſed prope illud. At ſi Symbolum non diceretur, dicto a celebrante *Oremus*, Subdiaconus impoſito ſibi velo, ut ſupra, defert cum Calice burſam Corporalium; & cum ad Altare pervenerit cum ſupradicto Miniſtro, Diaconus ambabus manibus eam accipit (cui cedente locum celebrante) ad medium Altaris accedens explicat Corporale prius in medio genuflectens, & burſam ponit in cornu Evangelii; & facta iterum genuflexione recedit a medio (& celebrans redit ad medium Altaris ut prius) deinde redit ad Subdiaconum

Digitized by Google

num, ubi cætera peragit ut *ſup.* Bauld. *part. 3. ſupr. artic. 7. n.* 13. Biſſus *lit. S. num.* 196. §. 14. Turrin. *part. 2. ſect. 3. cap. 3. §. Finito Symbolo*.

LIV. Rubric. *Subdiaconus extergit Calicem cum purificatorio.*) Interim, dum ſcilicet Celebrans Hoſtiam offert, Subdiaconus ſiniſtra manu Calicem per nodum accipiens, & dextera manu purificatorium aſſumens, digitis ejuſdem dexteræ manus in Calicem immiſſis, cum purificatorio extergit; *Rub. ſup.* Bauldry *part. 1. cap. 13. art. 1. num.* 27. quod purificatorium deinde nodo Calicis circumvolvit, ſicque Calicem ſtatim extерſum ſine oſculis in manus Diaconi tradit, Lonher *part. 3. titu l. 3.* Bauldry *ſupra*.

LV. Rubric. & Gavant. lit. o -- *Diaconus accepta ampulla vini, &c.*) Poſtquam Diaconus a Subdiacono Calicem accepit, eum ſiniſtra tenet in nodo, non elevatum, ſed ſuper Altare poſitum, &c. Biſſus *ſupra* §. 36. & ſtatim dextera manu ampullam vini de manu ejuſdem Subdiaconi recipit, qui eamdem de manu Acolythi accipit, utroque dante, id eſt Acolytho, & Subdiacono, omnino ſine ullis oſculis, Gavant. *ſupra lit.* o. Bauldry, Lonher, & alii.

LVI. Rubr. & Gav. lit. p -- *Ampullam aquæ.*) Dum Diaconus vinum in Calicem infundit, Subdiaconus ampullam aquæ ab Acolytho ſine oſculis in dextera manu per manubrium accipit eam parum elevans, & oſtendens benedicendam Celebranti, versus illum aliquantulum inclinatus, dicit ſubmiſſa voce: *Benedicite Pater reverende.* Caſtaldus *lib. 1. ſect. 7. ſupra*, Nicolaus de Braſlion *ſup. n. 3.* & Celebrans tunc facit verſus aquam ſignum Crucis (interim manu ſiniſtra pectori admota) dicendo eodem tempore; *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ, &c.* & non prius; Cærem. Miſſæ Privatæ *cap. 6. de faciendo ſigno Crucis* §. 3. *n.* 1. quam Orationem manibus ante pectus junctis proſequitur. Biſſus *lit. C. n.* 197. §. 36. de Braſlion *ſup.* a Portu *ſup. n.* 14. & interim Subdiaconus paucas aquæ guttas in Calicem infundit; deinde reddit ampullam Acolytho, tradita ei prius ampulla vini, quam a Diacono recepit, ibique remanet, Bauldry *ſupra*, Biſſus *lit. S. ſupra*.

Si adſint Particulæ conſecrandæ pro Communione Fidelium, ſerventur ea, quæ traduntur a Gavanto *ſupra*; cum quo conveniunt etiam Bauldry, & Turrin. *ſupra*, necnon Biſſus *lit. D. n.* 123. §. 29. qui addunt, ut Pyxis, ſeu Calix talium Particularum, poſt Oblationem factam, collocetur a Diacono ſemper ſuper lapidem conſecratum, ſive ſuper Altare portatile, poſt Calicem.

LVII. Rubr. & Gavant. lit. q -- *Cum eo dicit Offerimus, &c.*) Poſt infuſionem vini, & aquæ in Calicem, Diaconus, ſi guttæ diſperſæ appareant, ut facile accidere poteſt, intra Calicem, abſtergit purificatorio. Mox tenens Calicem ſiniſtra per nodum, & dextera manu per pedem, vel alio commodiori modo, ſi fieri poteſt, porrigit Celebranti prædictum Calicem, cum oſculo pedis ipſius Calicis, & deinde manus Celebrantis; quem Celebrans capiens ambabus manibus, dextera ſcilicet nodum, ſiniſtra pedem, illum offert ſimul cum Diacono, qui ſua dextera, ſiniſtra infra pectus admota, tangere debet pedem Calicis, ſeu brachium dexterum Celebrantis ſuſtentare; ſimulque cum illo dicit idem Diaconus Orationem, *Offerimus tibi Domine, &c.* *Cæremon. Epiſcop. lib. 2. cap. 8. §. 63.* & Rubric. ſupra: Caſtaldus tamen *lib. 1. ſect. 7. cap. 1. n.* 15. docet Diaconum in prædicta circumſtantia debere ſiniſtra ſua brachium Celebrantis, dextera vero pedem Calicis ſuſtentare; ſed Bauldry, Lonher, & alii innixi verbis Rubricæ, quæ loquitur cum particula disjunctiva, firmiter tenent id, quod nos ſupra tradidimus.

Major inſurgit difficultas in quærenda ratione, ob quam Diaconus concurrat ſimul cum Celebrante ad offerendum Calicem, non vero ad offerendam Hoſtiam; cujus rei nullam rationem reddit Gavantus. Dicerem itaque ſuper hoc, ideo juxta Romanum Ritum prædictam Orationem *Offerimus tibi Domine, &c.* in oblatione Calicis non ſolum a Sacerdote, ſed etiam a Diacono recitari, tum quia Diaconus antea vinum Calici infudit; tum quia antiquitus idem Diaconus Sacratiſs. Sanguin. Populo miniſtrabat, juxta illam Laurentii Sanctiſſimi Diaconi ad Sixtum Pontificem querimoniam; quem cum ad Martyrium properantem videret, ipſe cupidus Martyrii ſic Sanctum Sacerdotem alloquens, dicebat: *Quo Sacerdos Sancte ſine Diacono properas? numquid degenerem me probaſti? experire utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem. Sanguinis*, inquit, non Corporis ſub ſpecie panis, utique, & hoc dicturus, ait noſter Caracciolus in notis doctiſſimis *ad c. 9. primæ partis noſtrorum conſtitutionem n. 4.* ſi Diacono id quoque licuiſſet. Stet igitur primoribus Eccleſiæ temporibus, Diaconorum munus præcipuum fuiſſe, communicantibus ſub utraque ſpecie Calicem Sacrum porrigere: in cujus rei comprobationem multa veterum teſtimonia affert Martene *lib. 1. de antiquis Eccleſ. Ritib. c. 4. art. 10. n.* 5. id tamen Diaconibus vetitum fuiſſe innuit S. Chryſoſtomus homilia 46. in Matthæum; ubi ſic loquitur -- *Non vides qualiter ſoli Sacerdoti licet Calicem Dominici Sanguinis præbere?* E contra ſunt, qui adſtruant ex Juſtino Martyre in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem, Diaconos ex pane, & vino, & aqua conſecratis, partes diſtribuiſſe unicuique præſentium, & ad abſentes detuliſſe. In Conc. vero Arelatenſi II. Can. 15. ſtatutum eſt, ut Diaconus *Corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumat*; cui ſuccinit Conc. Carthaginenſe IV. Can. 38. Sed hæc oſtendunt dumtaxat variam fuiſſe locorum diverſorum circa Miniſtrum Communionis conſuetudinem; Romæ tamen certum, quod Corpus miniſtrabat ſolus celebrans, ut fatetur etiam Martene loc. cit. Calicem vero etiam Diaconus porrigebat, & ad abſentes Acolythus Sacra dona deferebat: unde ſaltem juxta Romanam priſcam diſciplinam ſubſiſtit ratio adducta, ob quam Diaconus eſt conſors cum Sacerdote oblationis Calicis, non vero Hoſtiæ.

Prætetire hoc loco non debeo, quod ſupra allegata verba a Divino Laurentio prolata eruuntur ex D. Ambroſio *lib. 1. Officior. c. 41.* ubi tamen hæc præciſa leguntur: *Experire certe utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis Conſecrationem*: ſic ſcriptum eſt in antiquis codicibus tam editis, quam MS. non *Diſpenſationem*, ut in vulgatis libris correctum eſt. Huic autem lectioni, ut optime notat Card. Bona *lib. 1. c. 25. rerum Liturg. n. 4.* nullatenus formidandæ, aut corrigendæ, ſed omnino reſtituendæ, favet contextus, nam ſequitur: *Cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui Sanguinis negas?* Conſors, ſcilicet, erat Diaconus Conſecrationis, & conſummationis Sacramentorum: & Ambroſius modo loquendi illius Sæculi, non de conſecratione Sacramentali, ſed Miniſteriali locutus eſt; certum eſt enim, quod Diaconus non conſecrabat Sanguinem Chriſti, ſed eo a Sacerdote conſecrato ſanctificabat, & quodammodo conſecrabat Populum, ipſum Sanguinem Dominicum ei miniſtrando, & diſpenſando.

Cæterum prædicta formula, *Offerimus tibi Domine*, ita in numero plurali pronunciata adhibetur utique a Sacerdote, etiam in Miſſa privata, dum celebrat ſine Diacono: quia formulæ pro Solemni Miſſa inſtitutæ, ut notat laudatus Bona eodem *lib. c. 9. n.* 5. non mutantur in privata. Hujus verbi *Offerimus* meminit Auguſtinus *lib. 22.* adverſus Fauſtum Manichæum *c. 21.* dicens: Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Corporum aſſiſtens Altari aliquando dixit: *Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane* ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.

LVIII. Rubr. & Gavant. lit. r -- *Ponit in dextera manu Patenam.*) Facta Oblatione Celebrans ſolus more ſolito, id eſt, facto ſigno Crucis cum Calice, ponit eum ſuper Corporali in medio retro Hoſtiam, ita ut Hoſtia ſit inter ipſum Celebrantem, & Calicem. Cærem. Epiſc. *lib. 2. c. 8. §. 63.* Biſſ. *tom. 1. lit. C.* §. 38. & ſtatim Diaconus prædictum Calicem Palla cooperit. *Cæremon. Epiſc. ſupr.* Tum Diaconus accipiens de Altari Patenam, ponit illam in manu dextera Subdiaconi ſtantis in cornu Epiſtolæ; *Cærem. Epiſc. ſup. & Rubr. ſupra*, ita ut pars nobilior Patenæ, hoc eſt pars interior reſpiciat ipſum Subdiaconum. De Braſlion *ſup.* Gav. *ſup. lit.* ſ.

LIX. Rubr. & Gav. lit. ſ -- *Cooperit extremitate veli, &c.*) Collocatam, ut ſupra, in manu dextera Subdiaconi Patenam Diaconus cooperit extremitate veli ab humeris dicti Subdiaconi pendentis a parte dextera; *Cæremon. Epiſc. lib. 2. cap. 8. §. 63.* adjuvante tamen Cæremoniario; Bauld. *part. 1. c. 13. n.* 29. Braſlion *ſupra*; & mox ipſe Subdiaconus ſine genuflexione vadit poſt Celebrantem ad medium Altaris in planum.

LX. Rubr. *Et facta genuflexione, retro ſtat, &c.*) Ubi tunc, & non prius facta genuflexione ſuper medium infimi gradus ſtat in eodem plani medio, Rubr. *ſup.* de Braſlion *ſup.* Bauld. *part. 1. c. 13. & part. 3. ſup. n.* 8. Lohner *part. 3. tit. 3. n.* 11. nec amplius genuflectere debet, niſi ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ut infra (quamvis Celebrans, aut alii genuflectant) niſi aliter noterur. Cabrinus *c. 3. n.* 26. Bauld. *part. 3. ſup* Lohner *ſupr.*

LXI. Rub. *Suſtinens eam elevatam, &c.*) Subdiaconus, ut diximus, ſtans in plano, tenet Patenam elevatam ob oculos, uſque ad illa verba Orationis Dominicæ; *Et dimitte nobis debita noſtra: Rubric. ſupra Cæremonial. Epiſcopor. lib. 2. c. 8. §. 73.* ſuſtinet, inquam, Patenam elevatam ante oculos, ſiniſtra manu brachium dexterum ſuſtentans, Polaccus *part. 2. §. 6.* Caſtaldus *lib. 1. ſect. 7. n. 16.* a Portu *ſup. tit. 7. Rub. 9. in adnot. n.* 24.

LXII. Rubr. & Gavant. lit. t -- *Patena non tenetur.*) In Miſſis autem Defunctorum, & in Feria ſexta Paraſceves, Patena a Subdiacono non tenetur, ut etiam ſuo loco dicetur, *Rubrica ſupra*, & Gavantus *ſupra*.

Supereſt advertendum, quod dum Diaconus Patenam Subdiacono porrigit, Celebrans proſequitur Orationem, *In ſpiritu humilitatis, &c.* & *Veni Sanctificator, &c.* & interim Acolythus defert ampullas ad credentiam; Biſſ. *lit. C. n.* 197. §. 39. Thuriferarius vero cum thuribulo, & Navicularius cum navicula, accedunt ad Altare; vel Thuriferarius ſolus cum thuribulo, & navicula ſimul, ſi non adſit Navicularius, ut initio Miſſæ, Bauldry *part. 3. cap. 11. art. 7. n.* 9.

Prætetire etiam non debeo, quod in Cæremoniali PP. Auguſtinenſium *part. 4. c. 4.* præſcribitur, quod Subdiacono tantum in Miſſa Sollemni datur Patena tenenda, non vero aliis inferioris ordinis, quando contingeret in aliquo caſu neceſſitatis eos exercere Subdiaconi officium in Miſſa: ſed ego non dubitarem etiam inferiori Clerico in tali caſu poſſe Patenam tradi: ſcio enim id aliquando in Eccleſia Romana actum fuiſſe ſine ſcrupulo, etiam extra caſum neceſſitatis: id oſtendo auctoritate Ordinis Romani III. a Mabillonio vulgati, in quo hæc lego n. 16. -- Acolythus quando inchoat Pontifex Canonem venit ſub humero habens ſindonem in collo ligatam, & tenet Patenam in dextera parte ante pectus ſuum.

## RUBRICA.

10 *Dicto, Veni Sanctificator, ut ſupra Celebrans, miniſtrante Diacono naviculam, & dicente, Benedicite Pater reverende, ponit incenſum in thuribulum, (u) dicens, Per interceſſionem, &c. ut in Ordine Miſſæ. Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, (x) incenſat oblata (y) ter ducens thuribulum ſuper Calicem, & Hoſtiam, ſimul in modum Crucis, & ter circum Calicem, & Hoſtiam; ſcilicet bis a dextera ad ſiniſtram, & ſemel a ſiniſtra ad dextram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo. In prima incenſatione, Incenſum iſtud; in ſecunda, A te benedictum, in tertia, Aſcendat ad te Domine; in quarta, Et deſcendat ſuper nos; in quinta, & ſexta, Miſericordia tua. Deinde facta reverentia, (z) incenſat Crucem, & Altare, ut dictum eſt ſupra, aſſiſtente eodem Diacono, interim dicens, (a) Dirigatur Domine Oratio mea, &c. & cum incenſatur Crux, Diaconus (b) amovet Calicem ad partem Epiſtolæ, & incenſata Cruce, reponit in loco ſuo. Cum reddit thuribulum Diacono, dicit: Accendat in nobis, &c. & incenſatur ab eo: deinde Diaconus (c) incenſat Chorum, & poſtremo Subdiaconum tenentem Patenam; & ipſe Diaconus incenſatur a Thuriferario, & Thuriferarius poſtea incenſat Acolythos, (d) & Populum. Celebrans poſtquam incenſatus fuerit, lavat manus, (e) miniſtrantibus Acolythis ampullam aquæ cum pelvicula, & manutergio.*

## GAVANTUS.

(u) *Dicens, Per interceſſionem.* Ter imponit incenſum, & ſemel illud benedicit in thuribulo; ita ut ad verbum *Benedicere*, manu dextera producat ſignum Crucis ſuper thuribulum fumigans: Diaconus, & Thuriferarius miniſtrant, ut initio Miſſæ.

(x) *Incenſat oblata.* Leo Papa Primus dicitur auctor incenſationis oblatorum, in memoriam Chriſti, *ex Radulph. propoſ.* 23. neque ubique antea erat in uſu; *ex Microl. cap.* 9. *Ordo tamen Romanus* habet hunc Ritum, de quo, & ejuſdem cauſis ſupra *tit.* 4. * & Diaconus in hac incenſatione retineat pedem Calicis dextera manu, ne cadat. *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *c.* 9. *cum Miſſali.*

(y) *Ter ducens thuribulum.* Ita *Innoc.* III. *lib.* 2. *c.* 57. quo deſignari dicitur triplex unctio Mariæ; item, ut thuris, & Crucis virtute malignus hoſtis effugiat: *Durand. c.* 31. in modum Crucis, & in modum coronæ fit incenſatio; ut ex Paſſione Chriſti ad coronam Trinitatis fiat tranſitus. *Idem ib.* Crux autem fit etiam in hoc caſu, non veluti per quatuor puncta, ut *Craſſius lib.* 1. *c.* 47. docuit, ſed ſuper Calicem, & Hoſtiam, *inquit Rubr.* in modum Crucis; neque demittendum eſt thuribulum, ſicut in circulis ſequentibus, in quibus thuribulum depreſſius ducitur; ita ut circuineat Calicem. Dexteram hoc loco, & ſiniſtram Celebrantis intellige. Notat *Melchior Huelamus de Cæremoniis Miſſæ*, ſexies incenſari oblata; quia ante ſex dies Paſchæ ivit Jeſus in Bethaniam; bis circum Calicem, & ſemel converſo circulo; quia rediit Hieruſalem ad ramos palmarum, & de Hieruſalem rediit in Bethaniam: quæ, licet minutiora ſint, non ſunt contemnenda tamen.

(z) *Incenſat Crucem.* Non Sacramentum, niſi ſit expoſitum; & tunc genibus flexis in ſupremo gradu, ut dicemus infra.

(a) *Dirigatur Domine Oratio mea, &c.* Hoc idem *apud Alcuin. cap. de Celebr. Miſſæ* habetur.

(b) *Amovet Calicem.* Non extra Corporale, ſi capax eſt. Subdiaconus autem in tota hac incenſatione nihil ſe movet. Thuriferarius, depoſita navicula ſuper credentia, amovet de Altari, & reportat librum, quando opus eſt, niſi adſit Aſſiſtens.

(c) *Incenſat Chorum.* Comite Thuriferario, qui præcedit: & incenſantur omnes, quia Chriſtus communicat aliis odorem ſuum. *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 5. & quia, quæ fecit Sacerdos pertinent ad omnes. *Durand. c.* 31. Item thurificatio repræſentat diffuſionem gratiarum ſpiritualium in capite, & ab eo ad membra: *idem lib.* 4. *c.* 4. in Choro autem incenſandi ſtare debent quaſi extra ſtallum, neque illi indecore inniti: ſe mutuo invitent, antequam quilibet incenſetur a Diacono. *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *c.* 23. in quo fuſius præſcribitur ordo incenſandi Clerum.

Facit ad rem noſtram hic ordo (nam de Canonicorum, & majorum incenſatione, vide *cit. loc. Cærem. Epiſc.*) quod nimirum Celebrans, nullo majore præſente, cui triplex ductus thuribuli debeatur, triplici ductu incenſandus erit; eo præſente duplici tantum ductu. Diaconus, Subdiaconus, & alii parati duplici ductu; Sacerdotes in Choro unico ductu; cæteri ſine mora: inclinabit caput, qui incenſat, ante, & poſt, ut incenſatio finiri non poſſit ante finem Præfationis. Diaconus incenſabit omnes de Clero, exceptis Acolythis, quos ſtantes apud credentiam incenſabit Thuriferarius ante laicos de Populo. Domini locorum minorum, de quibus in Cæremoniali prædicto nulla fit mentio, ſeu Magiſtratus, incenſari poterunt a Thuriferario duplici, vel unico ductu, pro qualitate perſonarum, ii videlicet, quibus proprium ſcannum, ſeu ſedes ab aliis diſtincta parari ſolet: conſuetudo locorum laudabilis in his attendi ſolet, ad pacem tum Cleri tum laicorum conſervandam in toto incenſationis ordine, & Ritu.

(d) *Et Populum.* Incenſat ter, primo in medio, deinde verſus latus Epiſtolæ, quod eſt dextrum Populi, ubi mares diviſi a fœminis ſtare ſolebant, & ſolent in Cathedralibus Mediolanenſibus, & aliis, ex Decreto S. Caroli; tertio verſus latus aliud cum honoris ſignificatione ante, & poſt a Thuriferario adhibita. Ter autem ex communi uſu, ut adſit Thuriferarius in tempore pro incenſando Sacramento in ejuſdem elevatione, & ut ſignificetur diffuſio gratiæ Chriſti in Populum in nomine Trinitatis: ſtabit autem Thuriferarius incenſans Populum in medio Presbyterii, vel fere a latere Evangelii, ſi expoſitum eſt in Altari Sacramentum, ne eidem terga vertat.

(e) *Miniſtrantibus Acolythis.* Cum reverentiis debitis, & cum quaſi oſculis ampullæ, & manutergii ante, & poſt; ſed ſtantes Acolythi, non genuflexi miniſtrant.

Ad *Orate fratres.* Subdiaconus reſpondeat: *Suſcipiat &c.* & Celebrans tardius dicat ſecretas Orationes; ut Diaconus opportuno tempore redire queat ad dicendum *Sanctus, &c.* cum eodem. Cæremoniarius interim aſſiſtat libro, & folia vertat, quando Diaconus abeſt, niſi adſit Aſſiſtens.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, ab initio Incenſationis oblatorum, uſque ad Præfationem.

LXIII. Rubr. & Gav. lit. u -- *Dicens, Per interceſſionem &c.)* Dicto a Celebrante *Veni Sanctificator, &c.* Thuriferarius vel Navicularius adeſt, tradit naviculam Diacono, qui eam tenet coram Celebrante (ſicut & Thuriferarius thuribulum) & miniſtrat ut initio Miſſæ: unde reſumenda ſunt, & percurrenda omnia, quæ tradidimus in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Gavanti Commentaria in *Rubr.* 4. *tit.* 4. *hujus ſecundæ part. n.* 12. *& ſeqq.* & Celebrans ter imponit thus in thuribulum, dicitque, *Per interceſſionem &c.* ad verbum Diaconi *Benedicere*, reddito prius cochleari eidem Diacono, qui illud recipit cū ſolitis oſculis; ſemel manu dextera Celebrans producit ſignum ſuper Thuribulum fumigans. Gav. *ſup.* a Porta *ſup.* Caſtald. *l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 14. Tum Diaconus tradit thuribulum cum ſolis oſculis, ut in alia incenſatione, Celebranti, cujus brachium dexterum, iterum dicimus, quaſi ſua ſiniſtra ſuſtentat.

Non levis emergit ſcrupulus circa verba illa, *Per interceſſionem Sancti Michaelis Archangeli, &c.* quæ habentur in precatione, quam profert Celebrans, dum, ut mox diximus, benedicit incenſum, quod immittit in thuribulum. Cum enim Angelus, qui Zachariæ apparuit, & ſtetit a dextris Altaris incenſi, *Luc. c.* 1. ſit Gabriel, affirmante ipſo -- *Ego ſum Gabriel, &c.* videtur Michaelis nomen, non ab auctore hujus precationis eidem inſertum, ſed oſcitantia librariorum intruſum: & equidem antiquiſſimi codices Liturgici, non Michaelis, ſed Gabrielis referunt nomen. Illyrici Miſſa ab Eminent. Bona edita, ut alibi dixi, ad calcem operis rerum Liturgicarum; Miſſa Tiliani codicis a Menardo vulgata poſt Gregorii Sacramentarium; MS. Pontificale Saliſburgenſis Eccleſiæ, apud Martene *l. de antiq. Eccl. Rit.* ... 4. *art.* 12. Pontificale Sagienſis Eccleſiæ undecimo Sæculo exaratum, allegatum a Petro Le Brun *tom.* 1. *p.* 3. *art.* 7. ſicut & Miſſale plenarium ſatis vetuſtum, quod extat in Bibliotheca Angelica PP. Auguſtinenſium Romæ, legunt *Gabrielis*, non vero *Michaelis* in prædicta precatione. Cum igitur nullus antiquior codex appareat, in quo Michaelis nomen ibi legatur, dubitari non poterit germanam loci hujus eſſe lectionem, quam mox laudati codices præferunt. Merito itaque piiſſimus, & eruditiſſimus Card. Thomaſius hujus loci emendationem exoptabat. Vidit difficultatem Pariſienſis Miſſalis editor, eamque declinavit prætermittendo nomen utriuſque Archangeli *Michaelis*, & *Gabrielis*, ſed dicendo tantum in tali precatione, *Per interceſſionem Sancti Archangeli*, nullum aliud nomen exprimendo, teſte eodem Le Brun loc. cit. In Miſſali vero Meldenſis Eccleſiæ, quod Doctiſſimus Antiſtes Jacobus Boſſuet edi curavit, locus iſte fuit correctus, & *Gabrielis* nomen loco *Michaelis* appoſitum. Miramur D. de Vert, qui in nonnulla alia minoris etiam momenti, diligenter, & ſevere nimis cenſoriam virgam exercuit, Orationem hanc nullis obſervationibus luſtraſſe; cum tamen amplus animadverſioni locus non deſit. Denique prætereundum non eſt totam hanc precationem a PP. Prædicatoribus, & Carthuſianis omitti in ſuis Miſſalibus, nec adhuc ab Eccleſiis Lugdunenſi, Senonenſi, Tullenſi ac Leodienſi fuiſſe receptam. Conatur laudatus Petrus Le Brun ſenſum hujuſce precationis tueri, etiamſi legendum eſſet *Michaelis* quia in Apocalypſi c. 8. legitur, quod *Angelus ſtetit ante Altare habens thuribulum aureum*; hic autem Angelus creditur fuiſſe Michael; ſed præterquam quod in Apocalypſi nomen Michaelis non refertur, certum etiam eſt, quod auctor prædictæ precationis mentem intendit ad Zachariæ factum; quocirca non poterit non eſſe contorta quæcunque effingatur explicatio neque etiam contra manifeſtam veritatem ſtare poteſt aliqua probabilis ratio, ſeu conjectura, qualis eſt illa, quam loc. cit. affert idem Le Brun de apparitione S. Michaelis in Monte Gargano; in cujus hiſtoria legitur, quod viſus fuerit S. Michael in loco ubi ædificata eſt Eccleſia, tenens in manu ſua thuribulum: onde eſt, quod in Officio prædicti Archangeli recitatur illa Antiphona: *Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua*; hujuſmodi, inquam, conjecturæ ſatis profecto non ſunt ad prædictam difficultatem eliminandam; cum nimis manifeſtum ſit auctorem precationis, mentem direxiſſe ad exprimendum Angelum illum a Zacharia deſcriptum, qui ſtabat a dexteris Altaris incenſi, & qui eidem Zachariæ dixit: *Exaudita eſt Oratio tua.*

LXIV. Rubr. & Gavant. lit. x -- *Incenſat oblata, &c.)* Celebrans accepto thuribulo, nulla facta reverentia, etiamſi ſit expoſitum SS. Sacramentum, incenſat oblata.


LXV. Rubr. & Gav. lit. y -- *Ter ducens thuribulum, &c.)* Incenſat, inquam, hoc modo juxta diſpoſitionem Rubricæ ter du-

cens

Digitized by Google

cens thuribulum ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul in modum Crucis; ut præſcribit Rubrica, & ut deſcribitur in ſequenti delineata figura, non demittens, & elevans per quatuor partes, ut multi faciunt, quaſi quatuor puncta ſignantes: ſed ter ducens æquali altitudine thuribulum in modum Crucis per duas lineas, quarum prima erit directa, altera tranſverſalis.

*TABVLA II*
*In qua delineatur Ordo incenſandi Oblata per modum Crucis.*




Primo igitur Celebrans ducit thuribulum a capite *faſciæ* ubi adeſt *num.* 1. prope tabellam Secretarum uſque ad extremitatem anteriorem ejuſdem *faſciæ*, & ducendo hanc lineam dicit *Incenſum*; deinde ducit thuribulum ut formet lineam tranſverſam Crucis, incipiendo a capite *faſciæ*, ubi adeſt *num.* 2. in cornu Evangelii uſque ad ejuſdem extremitatem in cornu Epiſtolæ, & ſic habebitur prima Crux; & dum ducit hanc lineam traſverſalem, dicit *Iſtud*.

Secundo ducit thuribulum a capite *faſciæ n.* 3. uſque ad extremitatem, dicens, *A te*, & deinde a capite *faſciæ n.* 4. uſque ad extremitatem, dicendo, *Benedictum*; & ſic habebitur ſecunda Crux.

Tertio ducit thuribulum a capite *faciæ n.* 5. uſque ad extremitatem, dicendo, *Aſcendat*, & tandem a capite *faſciæ n.* 6. uſque ad extremitatem, dicendo, *Ad te Domine*; & ſic habebitur tertia Crux: ad ſingulas prædictas Cruces proferri debent verba prout adnotavimus, & prout in expoſita figura etiam continentur.

Crucis interſecatio debet fieri inter Calicis pallam, & Hoſtiam ad perpendiculum.

*TABVLA III*
*In qua continuatur Ordo incenſandi Oblata per modum circuli.*



Celebrans formatis tribus Crucibus ſuper Calicem, & Hoſtiam, ut ſupra deſcripſimus, demittens manum, & quaſi tangens pede thuribuli menſam Altaris, incipit quartam incenſationem ducendo thuribulum circa oblata.

Pri

Primo a dextera ad ſiniſtram, incipiendo a capite *faſciæ*, ubi adeſt *n.7.* in expoſita tabula, & proſequitur donec perficiat circulum, dicendo hæc verba: *Et deſcendat ſuper nos.* )Peracto hoc primo circulo, pauliſper ſuſpendit motus thuribuli; & ſic habebitur prima circuitio.

Secundo proſequitur quintam incenſationem eorumdem oblatorum, incipiendo a capite *faſciæ*, ubi adeſt *n.8.* & proſequitur donec perficiatur ejuſdem *faſciæ* circulus, interim proferendo hoc verbum, *Miſericordia;* quo prolato, & peracto circulo, iterum ſuſpendit pauliſper motum thuribuli; & ſic habetur ſecunda circuitio, & quinta incenſatio.

Tertio denique, celebrans ducit thuribulum a ſiniſtra ad dexteram, incipiendo a capite *faſciæ*, ubi adeſt *n. 9.* & proſequitur donec perficiatur hic tertius circulus, diceodo hoc verbum, *Tua*, & ſic habebitur tertia circuitio, & perfectio totius incenſationis ſuper oblata.

In qualibet ex his tribus circuitionibus proferuntur verba a celebrante, prout mox innuimus, & prout notantur in quolibet circulo hujus tertiæ tabulæ. Hoc loco obſervandum ſupereſt, quod quamvis in mox delineatis duabus tabulis, Cruces, & circuitiones ſuper oblata appareant inter ſe diſtantes; hoc factum eſt ex neceſſitate, quia in eadem *faſcia*, & in eadem *linea* non poterant incidi verba dicenda in qualibet Cruce, & circuitione: cæterum tres Cruces ſuper oblata, treſque circuitiones fieri debent in eadem linea, loco, ſitu, & modo, &c.

Hæc, quæ a nobis traduntur ita exacte pro incenſatione oblatorum, collegimus ex Cæremoniali PP. Eremitarum S. Auguſt.

Diaconus vero dum celebrans ſupradicto modo incenſat oblata, pedem Calicis tenet manu dextra, & in tota incenſatione, ſiniſtra manu partem poſteriorem planetæ celebrantis ſuſtinet; dextram autem ſupra pectus tenet poſt incenſationem oblatorum. Nicolaus de Bralion *part. 2. cap. 3. nu. 7.* Lohn. *part. 3. tit. 2. §. 2. n. 5.* Bauld. *part. 1. cap. 52. art. 1. n. 46.* Caſtald. *lib. 2. ſect. 2. cap. 2. n. 14.*

LXVI. Rub. & Gav. lit. z - *Incenſat Crucem, &c.*) Poſtquam incenſata fuerint oblata eo modo, quo deſcripſimus ſupra, & qui præſcribitur a Rubrica ſuperiori, Diaconus amovet Calicem e medio Altaris, quem tamen intra ipſum collocat verſus cornu Epiſtolæ; & facta debita reverentia ab utroque, vel genuflexione, ſi adſit Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo, celebrans proſequitur incenſationem Crucis; qua peracta, facta iterum ei inclinatione profunda, & repoſito a Diacono Calice in ſuo loco, proſequitur celebrans incenſationem Altaris; ut in principio Miſſæ: unde legenda ſunt, quæ ibi tradidimus, & iterum videnda prima tabula, in qua optime deſcribitur Altaris incenſatio.

Prædictus Ritus removendi Calicem non obſervatur profecto ab iis, qui juxta antiquum morem adhibent magnum Corporale, quo Calicem obducunt, ut alibi diximus: quamobrem apud Carthuſianos (qui antiquiorum Rituum cultores adhibent Corporale multo longius, latiuſque, quam nobis ſit in uſu, & ejuſdem parte poſteriore cooperiunt Calicem, & Hoſtiam) non obſervatur hic Ritus removendi Calicem in prædicta Altaris incenſatione; ſicut nos facile præſtare poſſumus, quia Calicem obducimus parva palla a Corporali ſejuncta.

LXVII. Rub. & Gav. lit. a -- *Dirigatur Domine Oratio mea, &c.*) Dum peragit celebrans hanc ſecundam Altaris incenſationem, recitat verba illa Orationis, ſcilicet: *Dirigatur Domine, &c.* uſque ad *Accendat, &c.* & ita diſpenſando prædicta verba; ut eodem tempore finem imponat Orationi ſimul, & thurificationi. Aliqui prædicta verba ita diſtribuunt, ut ſingulis prope ductibus, ſingula verba reſpondeant. Lohn. *part. 2. tit. 18. de Ritibus Solemn. n. 3.* a Portu *ſup. n. 12.* Cum celebrans terminata thurificatione reddit thuribulum Diacono, dicit: *Accendat in nobis, &c.* ut in Ordine Miſſæ.

LXVIII. Gav. lit. h -- *Thuriferarius depoſita navicula &c.*) Dum celebrans thurificat Altare, Thuriferarius, ſi non adſit alius, depoſita navicula ſuper credentia, vadit ad cornu Evangelii per planum, genuflectens in medio; & quando opus eſt, amovet Miſſale cum cuſſino de Altari, deſcenditque in planum, ubi ſtat, donec incenſata ſit pars anterior Altaris a latere Evangelii, tenens prædictum librum cum cuſſino; & faciem convertens ad Altare, & dicta parte anteriori incenſata, reponit iterum librum cum cuſſino prope Corporale: mox genuflexione facta, deſcendit recta in planum; ac in medio iterum genuflectens a tergo Subdiaconi, pergit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtabit paulo poſt Diaconum, dum ipſe incenſabit celebrantem; Bauld. *part. 3. c. 11. art. 7. n. 13.* Biſſus *litt. T n. 49. §. 6.* vel Cæremoniarius Miſſale ab Altari removet, ne impediat incenſationem; qua facta illud reponit. Bauld. *ſup.* & de Bralion *part. 2. c. 6. n. 10.*

LXIX. Rub. *Et incenſatur ab eo.*) Peracta tota incenſatione Altaris, Diaconus accepto thuribulo, ut ſupra, deſcendit in planum a parte Epiſtolæ, ad cujus ſiniſtram erit Cæremoniarius, Thuriferarius vero poſt Diaconum, qui facta cum præfato Cæremoniario profunda capitis inclinatione celebranti, eum triplici ductu incenſat, & iterum caput profunde cum Cæremoniario eidem inclinat; cui præfatus celebrans, ne medium quidem ſe inclinat debet, ut fecit in prima ſui incenſatione de qua ſupra.

LXX. Rub. & Gav. lit. c -- *Incenſat Chorum, comite Thuriferario.*) Poſtquam Diaconus incenſavit celebrantem in cornu Epiſtolæ, ſi Chorus ſit ante Altare, antequam ſalutet Chorum incenſandum, genuflectat Cruci. At ſi Chorus ſit retro Altare, tunc Diaconus ab eodem loco, in quo Celebrantem incenſavit, id eſt, a cornu Epiſtolæ, habens thuribulum præ manibus, accedit ad Chorum, præcedente Thuriferario: Biſſus *lit. D num. 122. §. 33.* ex quo ſequitur, quod juxta hanc ſententiam Biſſi, Diaconus debet in dicto loco a cornu Epiſtolæ, antequam diſcedat, genuflectere: quidquid docuerit Bauldry *part. 3. ſup. n. 56.* nimirum, quod in prædicto caſu Diaconus debeat genuflectere, quaſi ante medium Altaris a dextris Subdiaconi cum Thuriferario. Cum autem pervenerit Diaconus ad Chorum, ut illum incenſet, ſicut debet ex munere ſuo, ut patebit ex Decreto infra citando; facta primo debita genuflexione verſus Altare, deinde converſus, & ſtans in medio, ſalutat totum Chorum in gyrum, quem Diaconum, omnes in Choro exiſtentes, debita inclinatione, & detecto capite reſalutant, ſtantes, & urbanitatis gratia ſcamnis, ſeu ſtallis non adhærendo. Deinde Diaconus inchoat ſuam incenſationem, incipiendo a dignioribus, gradatim tamen; ſed præferendo illos, qui ſunt a parte primi Chori, videlicet, ubi major Dignitas reſidet, deinde eos, qui ſunt ex altera parte, & ſemper cum debitis reverentiis ante thurificationem: quod ſi adſint Prælati, vel Dignitates, vel Canonici Cathedralis Eccleſiæ, illis profundam reverentiam facere debet, non ſolum ante, ſed etiam poſt thurificationem. *Ex Cærem. Canonicorum Regular. c. 24.*

Utrum autem ſint incenſandi per ordinem ab uno Choro, deinde ad alium procedendum; an vero relictis inferioribus Chori primi debeant incenſari Superiores alterius Chori, & poſtea iterum redire ad primum Chorum, ut in eo inferiores incenſentur; concludit Biſſus, quod attendenda ſit Eccleſiarum conſuetudo; ſed juxta Decretum evulgatum a S. R. C. die 10. Maji 1607. prius debeat Diaconus incenſare Superiores ex utraque parte Chori, relictis inferioribus, & poſtea iterum redire ad primum Chorum ad incenſandos inferiores; nam in Decreto mox allegato, quod datur in noſtro Indice *ſub n. 62.* ita reſponſum fuit *in Placentina ad tertium dubium* -- Canonici omnes ex utraque parte Chori incenſandi ſunt ante Manſionarios, non obſtante conſuetudine in contrarium.

Dum Diaconus incenſat digniores in Choro, Thuriferarius ſtare debet quaſi ad latus ejus ſiniſtrum; Biſſus *lit. I. n. 81. §. 2.* & poſt incenſationem digniorum retrahit ſe ad locum commodiorem prope aditum Chori, expectans ibi finem incenſationis; Biſſus *ſup.* & Bauld. *ſup. n. 17.* & melius juxta aliorum ſententiam, ſemper ſequi debet a latere Diaconi, ut ſupra, quod mihi magis arridet, cum ſit juxta communem praxim Baſilicarum Urbis.

LXXI. Gav. eadem lit. c -- *Se mutuo invitent, antequam quilibet incenſetur a Diacono.*) Illi, qui ſunt incenſandi, ante inter ſe mutuam inclinationem facere debent; ita ut alter alterum immediate ſibi ſubſequentem capitis motu modeſte invitet ad thurificationem prius capiendam. Cæremonial. Epiſc. *lib. 2. c. 23. §. 20.* Gav. *ſup.* Biſſus *ſup. §. 3.* & Bauld. *ſup. n. 18.* Quo vero ad reſalutandum Diaconum incenſantem, obſervari debet regula Cæremonialis Epiſcoporum loc. mox cit. tradita, nimirum, quando, qui incenſatur, eſt dignior incenſante, nullam reverentiam incenſanti facit, neque modicam; ſi ſit æqualis, modicam reverentiam facere poterit; ſi ſit inferior, debita capitis inclinatione incenſantem reſalutare debet, Biſs. *ſup. §. 3.* Bauld. vero *ſup. part. 3. art. 7. n. 28.* dicit, quod omnes incenſandi, Prælatis exceptis, inclinare debent Diacono incenſanti, ante, & poſt incenſationem: quod ſi in Choro tanta ſit multitudo Clericorum, ut incenſatio finiri non poſſit ante finem Præfationis; tunc ſufficit incenſare ſeparatim illos, qui ſunt in ſedibus ſuperioribus; & reliqui inferiores poterunt incenſari ſine mora; ita ut finita ſit incenſatio paulo antequam dicatur *Sanctus*. Ita Biſs. *ſup. §. 7.* & Bauld. *ſup. eodem n. 18.* Corſettus *tract. 1. c. 11. n. 21.*

LXXII. Gav. eadem lit. c - *De Canonicorum, & majorum incenſatione. Vide Cærem. Epiſcoporum.*) Quinam ordo debeat ſervari in incenſatione Prælatorum S. Romanæ Eccleſiæ, & Regum, aut magnorum Principum, traditur a Cæremoniali Epiſcoporum *cit. lib. 1. c. 23. a n. 22. uſque ad n. 35. incluſive*: nos itaque ſolum hic ſubjiciemus Decreta S. R. C. quæ aliquid præſcripſerunt circa talem præcedentiam in thurificando.

Clerici parati thurificandi ſunt, ratione paramentorum, ante Beneficiatos. Ita S.R.C. 10. *Junii 1602. in Lauretana*; & datur in noſtro Indice hoc Decretum *ſub n. 1.*

Beneficiati parati incenſentur ante non paratos S.R.C. 30. *Auguſti 1602. in Callaritana*: & datur in noſtro Indice *ſub n. 9.*

Aſſiſtentes Epiſcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates thurificantur. S.R.C. 23. *Maji 1603. in Nolana*: & in noſtro Indice datur *ſub n. 19.*

In Eccleſia Collegiata exempta, præſente uno Canonico Cathedralis cum Epiſcopo, & Abbate Collegiatæ ejuſdem cum ſuis Canonicis, prius incenſetur Canonicus, quam Abbas S. R. C. 7. *Febr. 1604. in Alexandrina*: & in noſtro Indice datur *ſub n. 29.*

Archidiaconus, qui ſuſtinet baculum Epiſcopi, thurificandus eſt poſt Diaconos aſſiſtentes. S.R.C. 28. *Aprilis 1607. in Bracaren.* & in noſtro Indice datur *ſub n. 53.*

Sacerdos aſſiſtens, licet non ſit prima Dignitas, thurificandus eſt ante Archidiaconum aſſiſtentem a dextris, licet Archidiaconus ſit prima Dignitas. S.R.C. 23. *Junii 1607. in Vercellen.* & in noſtro Indice datur *ſub n. 70.*

Conſuetudo immemorabilis, quod eodem tempore thurificentur Canonici, & Magiſtratus, ſervanda eſt. Ita S. R. C.

1. *Septembris 1607. in Fanen.* & in noſtro Indice datur *ſub num.* 73.

Gubernator Civitatis, etiam ſi ſit uxoratus, thurificandus eſt immediate poſt Canonicos aſſiſtentes, abſente vero Epiſcopo immediate poſt Vicarium Generalem. Ita Sac. Rit. Congr. 17. *Novembris 1607. in Faventina*: & in noſtro Indice datur *ſub n.* 75.

Attendatur conſuetudo in Vicario, & Canonicis in thurificatione, & aliis, niſi Canonici ſint parati. S. R. C. 15. *Martii* 1608. & in noſtro Indice datur *ſub n.* 85.

Baro Dominus in Eccleſia Parochiali, ubi non ſunt Canonici, thurificandus eſt poſt Celebrantem, Miniſtros paratos, & Archipresbyterum. S. R. C. 17. *Septembris 1608. in Biſagnen.* & in noſtro Iodice datur *ſub. n.* 93.

Canonici parati aſſiſtentes Epiſcopo præcedunt Vicarium Generalem, & ſunt ante ipſum thurificandi. S. R. C. 6. *Martii 1610. in Tiburtina*; & antea 3. *Auguſti* 1602. *in Egitanien.* & in noſtro Iodice datur *ſub num.* 107.

Si Epiſcopus adſuerit, ipſius ſedes in cornu Evangelii, uno ſaltem gradu eminentior Abbatiali eſt erigenda .... iſque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum oſculetur .... Epiſcopus, præterea trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici ductu, moxque Abbas (niſi celebret) pariter duplici, ac ſubinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Eccleſiæ, unico tantum ductu ſunt thurificandi. Ita Sac. Rit. Cong. 27. *Septembris 1659. in Decreto generali* §. 15. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 352.

LXXIII. Gav. ead. lit. c, *Celebrans majori præſente, &c.*) Docet hic Gavantus, quod Celebrans majori præſente, cui triplex ductus debeatur, nonniſi dupplici ductu incenſari debet. Verum hic obſervare debemus, quod ſi Abbas habens uſum Pontificalium, & Pontificaliter celebret coram Epiſcopo Diœceſano, qui profecto debet incenſari triplici ductu; in tali caſu etiam ipſemet Abbas triplici pariter ductu incenſandus erit: & hoc colligitur ex Decreto edito a S. R. C. die 27. *Septembris* 1659. & habetur in Decreto generali §. 15. in noſtro vero Iodice *ſub n.* 352. in quo ſtatuitur, ut paulo ante innuimus, quod - Dictus Epiſcopus trinu dactu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (niſi celebret) pariter duplici, ac ſubinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Eccleſiæ, unico tantum ductu thurificentur - In quo notanda ſunt illa verba, *Niſi celebret*; ex quibus deducitur, quod ſi dictus Abbas celebret pontificaliter coram Epiſcopo, non duplici, ſed triplici ductu thurificari debeat: & equidem ante hoc Decretum, etiam Totinius in Cærem. PP. Camalduleu. *c.* 20. *n.* 23. tradidit: *Quod ſi adeſſet Epiſcopus, vel alius valde inſignis Prælatus, nullam in ea Diœceſi, vel Eccleſia juriſdictionem habens, thurificato Celebrante duplici ductu, vel habente ipſo privilegium Pontificalium, triplici; triplici ſtatim thurificentur ipſi, & multo magis ſi adeſſet loci Epiſcop. Metropolitanus, Nuncius Apoſtolicus, Legatus a Latere, Cardinalis, vel alius maximus Præſul, aut Princeps, &c. Ita fere Cærem. Epiſc. lib.* 1. *c.* 23. *Ut partim habeatur reverentia erga Celebrantem Sacris veſtibus ornatum, thurificando enim primo loco; partim erga Præſules, vel Principes, & ſic erga Abbatem generalem exiſtentem pro tempore, thurificando eos pluribus ductibus.* Quæ quidem ſententia Totinii conſonat præſato Decreto, nimirum, quod Celebranti coram Epiſcopo debeatur ratione paramentorum incenſatio præcedenter ad incenſationem Epiſcopi; ſed cum hoc diſcrimine, quod Epiſcopus triplici ductu, Celebrans vero duplici tantum thurificari debet, juxta Gavanti ſententiam: at ſi Celebrans ſit Abbas, habens uſum Pontificalium, & Pontificaliter celebret; tunc non duplici tantum, ſed triplici ductu, non obſtante Epiſcopi præſentia, incenſari debet. In Cærem. autem Minorum Obſ. *par.* 3. *c.* 2. §. 6. habetur - Si vero adeſſent Epiſcopi exteri, vel alii Prælati; honoris gratia ſemper thurificentur immediate poſt Celebrantem triplici ductu, ſicut & triplici ductu incenſabitur ipſe Celebrans - in Ceremon. vero Cler. Reg. Min. Dominicus Flumara *par.* 2. *c.* 3. tradit - Quod Proreges, & Gubernatores Regnorum, ac Provinciarum, thurificantur triplici ductu poſt Celebrantem, qui etiam triplici ductu thurificari debet - Huc uſque adducta ſatis indicant nullum eſſe inconveniens, quod plures perſonæ incenſentur aliquando triplici ductu: imo hoc deducitur etiam ex Cæremoniali Epiſc. *lib.* 1. *c.* 23. *n.* 32. ubi inter alia habetur - Quod ſi adſit Dominus loci, laicus, vel alius Princeps major, debeat incenſari ter, ſicut incenſatur Epiſcopus; Celebrans, Dignitates, & Canonici bis, &c. - Unde ſemper firmum remanet non eſſe contra Canonicas ſanctiones, & Rubricarum diſpoſitiones, quod plures perſonæ thurificentur aliquando triplici ductu. Inſtituit hanc quæſtionem Magius *in lib. de Sacris Cærem. præſertim in Divino Officio, & Choro; opuſc.* 3. *diſquiſ.* 16. ubi prætendit noſtrum Caſtald. *in Cærem. noſtræ Congr.* Fantonum *in Cærem. Carm. lib.* 2. *Rub.* 18. *& Cærem. Canonic. Regularium c.* 24. & alios, docere Celebrantem triplici ſemper ductu thurificari debere; & adducit etiam ex Barboſa *in Apoſt. dec. collect.* 705. *n.* 7. Decretum editum a S. R. C. ſub die 13. Januarii 1616. in quo ſtatuitur - Thurificatin juxta regulas Cæremonialis, debet fieri Celebranti triplici ductu; Dignitatibus, & Canonicis duplici; cæteris de Choro unico ductu - Verum tale Decretum non poteſt cenſeri authenticum; quia in Regeſtis Sac. Cong. non reperitur, quamvis ſit verum, quod in ipſo traditur; ſed ſolummodo non ſubſiſtit, quod in quocumque caſo Celebrans thurificari debeat triplici ductu; nam aliter profecto ſtatuitur in *Cærem. Epiſc.* ſuprac. enim loc. *n.* 32. inter alia ſtatuit, quod - Si adeſſet Legatus, vel alii Cardinales, ipſi ter; & Epiſcous, & Celebrans bis thurificari debeant - Unde falſum omnino eſt, quod ſemper Celebrans triplici ductu thurificandus ſit. Nec apud Auctores allegatos cit. loc. a Franciſco Magio reperio hanc ſententiam ita abſolute prolatam, ut ſemper Celebrans triplici ductu incenſandus ſit: unde utrumque aſſumptum ſubſiſtit, & quod Celebrans aliquando duplici ſolum ductu thurificandus eſt; & quod aliquando poſſit thurificari triplici ductu, etiamſi perſona ipſi ſuperior pariter in eadem functione tripliciter thurificetur.

Supereſt nunc, ut hoc loco exponantur Decreta edita S.R.C. in quibus præſcribitur quot ductibus perſonæ in Choro, vel extra Chorum ſint thurificandæ.

Canonici Eccleſiæ Collegiatæ thurificantur duplici ductu thuribuli; Clerici vero Parochialium Eccleſiarum unico tantum ductu. S.R.C. 19. *Jan.* 1613. *in Cæſaraguſtana*; & datur in noſtro Indice *ſub n.* 133.

Portionarii, & alii Beneficiati, ſi in omnibus ſint æquales Canonicis, & æqualiter incedant in Proceſſionibus &c. ſunt duplici ductu thurificandi, S. R. C. 21. *Martii* 1615. *in Cæſarauguſtana*; & datur in noſtro Indice *ſub n.* 147.

Abſente Epiſcopo thurificandus eſt celebrans triplici ductu. S.R.C. 30. *Jan.* 1616. & in noſtro Indice datur *ſub n.* 152.

Vicario generali ſedenti in Choro, licet ſupra Canonicos, thurificatio duplici ductu debetur, ſi tamen non ſit Prælatus. S. R. C. 14. *Jan.* 1617. *in Nepeſina*; & in noſtro Indice datur *ſub n.* 158.

Prior Collegiatæ, ſi interſit in Cathedrali, thurificandus eſt duplici ductu, ſicuti Dignitates, & Canonici, ſuper quos tamen non habet præcedentiam. S.R.C. 14. *Aug.* 1619. *in Tuſcanen.*

Dignitatibus in Choro exiſtentibus, non debetur thurificatio triplici, ſed duplici tantum ductu, non obſtante, quod ſi omiſſis diſtributionibus, perſona habens Dignitatem incedat cum Rochetto. S.R.C. 21. *Mart.* 1699. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 140.

Præter ſupradicta Decreta exhibentur etiam alia ſpectantia ad hunc Ritum thurificandi; & ideo etiam hæc hoc loco collecta tradere opportunum cenſemus.

Aſſiſtens Presbyter debet Epiſcopum thurificare ad ſedem, quicumque ille ſit; non vero Diaconus Evangelii. Sac. Rit. Congreg. 19. *Maji* 1607. *in Placentina*: in noſtro autem Indice datur *ſub n.* 63.

Dum Epiſcopus thurificat Altare, Canonici duo Diaconi aſſiſtentes debent elevare fimbrias. S. R. C. 19. *Maii* 1607. *in eadem Placentina*: in noſtro vero Indice *ſub n.* 64.

Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excuſatur ſub prætextu contrariæ conſuetudinis. S. R. C. 15. *Martii* 1608. & in noſtro Iodice datur *ſub n.* 86.

Non probatur uſus duorum thuribulorum in incenſatione perſunarum. S. R. C. 15. *Martii* 1608. & in noſtro Indice datur *ſub num.* 87.

Canonici, & Dignitates non tenentur ad Benedictionem Epiſcopi genuflectere, ſed taotum caput inclinare; nec debent genuflectere quando Epiſcopum Celebrantem thurificant; ut declaravit S. R. C. 4. *Maii* 1613. *in Oſcen.* quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub num.* 136.

In perſonarum incenſatione tota thurificatio facienda eſt cum unico thuribulo. S. R. C. 25. *Julii* 1618. *in Lucerina*: & datur in noſtro Indice *ſub num.* 168.

Hic advertendum, quod S. C. improbat uſum duorum thuribulorum in perſonarum incenſatione tantum, non vero in Proceſſionibus SS. Sacramenti, & in translationibus ſolemnibus Sacrarum Reliquiarum; in quibus duo thuribula adhiberi poſſunt: ut notat etiam Bauld. *part.* 2. *c.* 9. *art.* 1. *n.* 2. Adderem etiam, quod uſus duorum thuribulorum tolerari poteſt io perſonarum quoque incenſatione, quando urget neceſſitas ſervandi Decretum ſupra poſitum, & datum in noſtro Indice *ſub n.* 73. incenſandi eodem tempore Canunicos, & Magiſtratum.

LXXIV. *Et poſtremo Subdiaconum tenentem Patenam, &c.*) Incenſato Choro, & aliis perſonis, ſi quæ ſunt incenſandæ, Diaconus ſalutato Choro, ut prius, præcedente ſuo comite Thuriferario, redit ad Altare per eamdem viam, qua venit in Chorum habens adhuc thuribulum præ manibus; & facta ab utroque genuflexione Cruci, ipſe ſtans in parte Epiſtolæ, ſive Chorus ſit ante Altare, ſive poſt Altare; Thuriferario vero, retro ipſum ſtante; Subdiaconum incenſat duplici ductu cum mutuis inclinationibus ante, & poſt. Bauldry *p.* 3. *ſup. n.* 19. Biſſ. *lit. D. n.* 122. §. 34. ſed juxta ſententiam Caſtaldi *lib.* 1. *ſect.* 7. *c.* 5. *n. n.* 17. unico tantum ductu; quamvis a Portu *ſupra* citet Caſtaldum quaſi concedentem duplicem ductum in tali incenſatione Subdiaconi. Subdiaconus vero dum incenſatur, convertit ſe verſus Diaconum, & aliquantulum Patenam magno velo obtectam demittit, & poſtea iterum elevat. Biſſus *ſupra*, Bauldry *ſupra*, & *part.* 1. *c.* 13. *art.* 1. *n.* 31. & a Portu *ſupra*.

LXXV. Rubric. *Et ipſe Diaconus incenſatur a Thuriferario, &c.*) Incenſato Subdiacono, & facta ei inclinatione, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario ſtanti aliquantulum retro a dexteris ſuis; & aſcendit ad ſolitum ſuum ſecundum gradum ante medium Altaris poſt Celebrantem, ubi facit genuflexionem, Biſſ. *ſupra*, & Bauld. *part.* 3. *ſupr.* & *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. 48. ibique ſtat verſa facie ad Thuriferarium junctis manibus ante pectus; caputque inclinans ante, & poſt, thurificatur ab eodem duplici ductu, inclinante ſe Thuriferario pariter ipſi Diacono ante,

& poſt

& poſt thurificationem. Biſſus *ſupra n. 17. & lit. T. n. 49. §. 6.* Bauld. *part. 3. ſupr. & p. 1. cap. 15. art. 3. n. 10.* a Portu *ſupra n. 17.* Caſtaldus tamen *ſupra*, etiam hic unicam tantum thurificationem, ſeu unicum ductum Diacono concedit. Diaconus poſtea poſt incenſationem ſiſtit ſe in dicto ſecundo Altaris gradu, retro Celebrantem, facie ad Altare verſa, manibus junctis ante pectus, ubi ſtat uſque ad *Sanctus* excluſive. Biſſ. *ſupr.* & Bauld. ab eodem cit. *ſup. art. 7. a n. 16.*

LXXVI. Rubr. & Gavant. eadem lit. c -- *Thuriferarius poſt incenſat Acolythos.*) Incenſato Diacono, Thuriferarius facta genuflexione Cruci Altaris, incenſat Acolythos ſtantes apud credentiam, ut docet Gavant. *ſupr.* & Clericos alios ſi adſint, & omnes quidem ſimul, & ſine mora, & abſque particulari inclinatione, vel reverentia unicuique, ſed ad ſummum cum generali reverentia, hoc eſt cum ſimplici, & parviſſima capitis inclinatione in principio, & in fine incenſationis. De Bralion *ſect. 2. c. 1. n. 31.* Bauldry *part. 3. ſupr. n. 20.* Caſtald. *lib. 2. ſect. 2. cap. 2. n. 15.* Biſſ. *ſupra lit. T. n. 49. §. 6.* a Portu *ſupr. n. 18.*

LXXVII. Rubr. & Gav. lit. d -- *Et Populum, &c.*) Poſtremo Thuriferarius facta genuflexione in medio Presbyterii Cruci Altaris, & debita reverentia Choro, ab utraque ejus parte, ſi adſit ante Altare, Bauldry *part. 1. c. 15. artic. 3. n. 11.* procedit ad ingreſſum ſupradicti Presbyterii; & ſiſtens ſe loco convenienti, hoc eſt in medio in aditu Chori, ſeu Presbyterii, vel certe a latere Evangelii, ſi in Altari ſit expoſitum Sacramentum, ne ei terga vertat; Gavant. *ſup.*, Arnaud. *part. 2. tit. 7. n. 23.* Bauld. *part. 1. ſupra*, & Biſſ. *lit. F. n. 49. §. 6.* (qui præſcribit, quod ſemper Thuriferarius etiam Sacramento non expoſito, ſtet aliquantulum a latere Evangelii) incenſat Populum, ter ducens thuribulum, ſcilicet primo in medio, ſecundo verſus ſiniſtrum latus reſpectu ſui, quod eſt dexterum Populi; denique tertio verſus latus oppoſitum, ſeu latus Evangelii; & ante, & poſt facit reverentiam inclinando ſe, ſcilicet ter eodem ordine verſus eaſdem prædictas partes, de Bralion *ſect. 2. c. 1. n. 32.* vel facta inclinatione ab utraque parte ante, & poſt. Biſſ. *ſupra lit. T.*

Finita incenſatione Populi, & facta genuflexione Altari, ac debita reverentia Choro, ſi eſt ante Altare, Thuriferarius vadit in Sacriſtiam cum thuribulo, & parat ſunalia cum Acolythis, niſi ab alio fuerint parata. Bauld. *ſupra n. 12.*

Obſervandum eſt id, quod monet Cærem. Epiſcoporum *lib. 1. c. 23. §. 31.* nimirum, quod ſi adeſſet aliqua mulier inſignis in Eccleſia, ut Regina, vel magna Principiſſa, ut ibi dicitur; utique, & ipſi thus dari convenit in loco, ubi datetur ejus viro: ſed advertat prudens Cæremoniarius, quod nomine magnæ Principiſſæ hic videtur intelligi mulier, cujus vir non recognoſcit ſuperiorẽ; nam paulo ante, ubi mentio fit de magno Principe, additur, qui non recognoſcit ſuperiorem. Nulla tamen adeo exacta, & certa regula incenſationis, tam Eccleſiaſticorum, quam laicorum tradi poteſt; quin aliquid rationabili conſuetudini concedendum ſit; præſertim, ut ait noſter præclariſſimus Gav. *ſup. lit. c in fine*, ad pacem, & concordiam tum Cleri, tum laicorum conſervandam.

LXXVIII. Rubr. & Gav. lit. e -- *Miniſtrantibus Acolythis, &c.*) Poſtquam Celebrans fuerit incenſatus a Diacono, & dum Diaconus pergit ad Chorum incenſandum, duo Acolythi, quorum unus accipit ampullam aquæ cum pelvicula, alter accipit de credentia mappulam ad extergendas manus Celebrantis, & ita ambo ſimul, ita ut, qui habet ampullam aquæ ſit a dexteris, accedunt ad latus epiſtolæ Altaris; & ibi cum debitis reverentiis unus infundit aquam ad abluendos digitos Celebrantis, & alter ad eos extergendos porrigit mappulam, quaſi cum oſculis tum ampullæ, tum mappulæ ante, & poſt; quam extendit ſuper digitos Celebrantis madefactos, & poſtea omnia reportant ad credentiam, obſervando reliqua, ut in Miſſa Privata. Bauld. *par. 3. de Ritu ſervando c. 11. de Miſſa Solem. art. 7. n. 15.* Biſſus *lit. A. n. 104.*

LXXIX. Gav. ead. lit. e -- *Ad Orate fratres, &c.*) Celebrans poſt lotionem manuum accedit ad medium, ibique peragit alia, quæ fiunt in Miſſis Privatis, &c. & dum dicit *Orate fratres*, Subdiaconus abſque capitis inclinatione reſpondeat, *Suſcipiat Dominus, &c.* Cæremoniarius vero tunc facta genuflexione in medio gradus ſuppedaneo proximioris, per quem ambulat, aſſiſtit Celebranti ad Miſſale. In Miſſis vero Defunctorum Diaconus eſt, qui reſpondet *Suſcipiat Dominus, &c.* quia non eſt impeditus.

## R U B R I C A.

11 *Cum dicitur Præfatio, Diaconus, & Subdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem; & paulo antequam dicatur, Sanctus,* (f) *accedunt ad Altare, ubi* (g) *cum Celebrante hinc inde dicunt, Sanctus, & quæ ſequuntur uſque ad Canonem. Deinde Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, et* (h) *aſſiſtens dum dicitur Canon; niſi alius Sacerdos aſſiſtat, quia tunc ipſe ſtaret ad dexteram aliquantum poſt Celebrantem. Subdiaconus vero tunc ſtat poſt Celebrantem.*

## G A V A N T U S.

(f) *Accedunt ad Altare.* Facta in locis ſuis poſt Celebrantem genuflexione; quam rurſus faciunt, dicto ab eiſdem ultimo *Hoſanna in Excelſis*. Addita fuit ſequens Rubrica in Miſſali Romæ edito 1621. ſine majorum auctoritate, nimirum, *Si Subdiaconus non tenet Patenam, cum Diacono accedit ad Altare, ubi dicunt, Sanctus, &c.* quod monuiſſe ſit ſatis.

(g) *Cum Celebrante dicunt* Hymnum, *Sanctus, &c.* Sacerdos ipſe cum aliis neceſſario debet dicere; ne ſeipſum ſua prece videatur privaſſe, qui & ſuas voces, & aliorum Angelicis laudibus admitti deprecatus eſt in Præfatione, ut ait *Micr. cap. 11.*

*Benedictus qui venit, &c.* Non cantatur a Choro, niſi poſt depoſitionem Calicis. *Cær. lib. 2. c. 8.* * etiam in Miſſis Defunctorum: quod obſervatur in Capella Papali.

(h) *Aſſiſtens.* Non tenet manus junctas, ſed folia Miſſalis vertit, & indicat quæ ſunt dicenda a Celebrante.

Ad *Sanctus*, campanas majores pulſare convenit, ſicut in Miſſa Privata campanulam parvam, quam pulſant aliqui etiam in Miſſa Solemni; & placet per alterum ex Acolythis, ut moneantur ii, qui majores pulſare debent campanas, & tempus ignorant eas pulſandi, quia longius abſunt. Vide *part. 5. tit. 20. lit. C.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, ab initio Præfationis, uſque ad Canonem.

LXXX. Rubr. *Cum dicitur Præfatio.*) Dicta Oratione ſecreta, vel etiam pluribus, ſi plures dicendæ ſint, Celebrans cantat Præfationem, ad quam Miniſtri Sacri poſt eum ſtant, & inclinant ſe, cum dicit *Deo noſtro*, ſicut etiam omnes caput inclinare debent; Bauld. *ſupr. part. 3. n. 21.* & Cæremoniarius niſi ſit Presbyter aſſiſtens, proſequitur in aſſiſtentia ad Miſſale. Bauld. *part. 1. cap. 1. art. 1. n. 33.* Lohner *part. 3. tit. 4. n. 12.*

LXXXI. Rubr. & Gav. lit. f. -- *Accedunt ad Altare, &c.*) Juxta Rubricam, cum Celebrans cantat ultima Præfationis verba, Diaconus, & Subdiaconus, qui ſtant poſt eum, facta in locis ſuis genuflexione, ambo accedunt ad Altare (interim Cæremoniario cum inclinatione profunda conſueta retrocedente ad Evangelii cornu laterale ſupra gradũ ſuppedaneo proximiorem; Bauld. *part. 1. c. 1. art. 1. n. 24.* a Portu *ſup. n. 2.*) ſcilicet Diaconus manibus junctis, & inclinatus, ad dexteram; Subdiaconus vero ad ſiniſtram ipſius Celebrantis, pariter inclinatus, ſed non manibus junctis, utpote impeditis a Patena ſuſtentata; Celebrans quoque inclinatus, & manibus junctis; Bauld. *part. 3. ſupra*; & expectans donec Miniſtri ad latus illius acceſſerint; & cum iiſdem, ſed media tantum voce *Sanctus* pronunciat. Lohner *part. 2. tit. 20. de Ritu Miſſæ Solemnis n. 1. & 2.*

LXXXII. Gav. ead. lit. f -- *Addita fuit ſequens Rubrica, &c.*) Præfatus Ritus, quo non ſolum Diaconus, ſed etiam Subdiaconus ad Celebrantem accedere debeat, quando cantat ultima Præfationis verba, eſt ille, qui præſcribitur a ſuperiori Rubrica, & quidem ita clare, ut nullo modo in dubium verti poſſit. Certiſſimum quoque eſt eam loqui de Subdiacono Patenam tenente, cum ſupponat illum eam ſemper tenere, præterquam in Miſſa Defunctorum, de qua hoc loco non agitur. Non poteſt igitur improbari praxis omnium Eccleſiarum Regularium, & aliquarum Cathedralium, in quibus Miniſtri Sacri ſtantes ad Præfationem unus poſt alium, ad verbum *Deo noſtro* caput inclinant, & paulo ante quam dicatur *Sanctus*, genuflectunt in ſuis locis, ac mox accedunt ad latera Celebrantis, Diaconus ſcilicet a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris; & cum ad Altare pervenerint, iterum non genuflectunt, quia genuflexionem fecerunt antequam aſcenderent; ibi autem ad Altare ſtant inclinati manibus junctis (ſed Subdiaconus, qui habet Patenam, non jungit manus) & ambo cum Celebrante dicunt *Sanctus, &c.* inclinati. Non me latet Nicolaum de Bralion *part. 2. c. 7. n. 1.* contrariam ſententiam amplecti, dicendo, quod Subdiaconus, quando tenet Patenam, accedere non debet ad Altare, & hanc eſſe conſuetudinem omnium Baſilicarum Urbis; quam etſi Rubricæ contrariam, ſervari poſſe, etiam neglecta ſuperiori Rubrica, ſenſit S.R.C. die 13. Jan. 1674. apud Turrin. *part. 1. ſect. 2. c. 2. §. Solus Subdiaconus*; quapropter addita fuere huic Rubricæ in editione Romani Miſſalis hæc verba: *Si Subdiaconus non tenet Patenam, cum Diacono accedit ad Altare, ubi dicunt Sanctus, &c.* Verum teſte Gav. *ſup. hac lit. f* hæc additio facta fuit abſque Superiorum auctoritate; & ideo vim legis habere nequit, nec dici poteſt Rubrica. Rurſus allegatum a Turrino Decretum non reperitur in Regeſtis S.R.C. unde ſuppoſititium cenſendum eſt. Sola ergo conſuetudo adeo recepta, & tolerata in Urbis Baſilicis, & in nonnullis aliis Cathedralibus, ab obſervatione Rubricæ diſpenſare poſſe videtur, ait Bralion *ſup. n. 2.* quamvis vero ſecundum hanc ſententiam, & conſuetudinem, Subdiaconus, ſi Patenam teneat, in ſuo loco remaneat, ibi tamen, eodẽ tẽpore, quo Celebrans, & Diaconus, dicit *Sanctus, &c.*

LXXXIII. Rubr. & Gav. lit. g -- *Benedictus qui venit, &c.*) Ad verba *Benedictus qui &c.* Celebrans, & præfati Miniſtri Sacri ſe erigunt, & ſignant; Subdiaconus tamen non ſignat ſe, cum dexteram manum impeditam habeat, eo quod teneat cum ipſa Patenam, magno velo coopertam. Bauld. *part. 3. ſup. & par 1. cap. 12. & 13.* Bralion *ſupr. n. 5.* Turr. *part. 2. cap. 2. §. Solus Subdiaconus.*

Verum cum juxta uſum multarum Eccleſiarum, ut ſupra dictum eſt, Subdiaconus non accedat ad Celebrantem pro dicendo *Sanctus*; Diaconus hoc in caſu, facta genuflexione in ſuo loco, ſtatim accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ibique manibus junctis, & inclinatus dicit media voce cum Celebrante, *Sanctus*. Ad verba *Benedictus, &c.* erigit ſe, & ſe ſignat; & ſtans adhuc, ſiniſtra manu librum ſuſtentat; Lohner *part. 3. tit. 2. §. 2. n. 1.* Bauldry *part. 1. cap. 12. art. 1. n. 49. & part. 3. cap. 11. art. 7. n. 22.* & dextera vertit folia; digito vero oſtendit quæ legenda ſunt a Celebrante. A Portu *ſupra num. 5.*

Non cantatur a Choro *Benedictus qui venit*, niſi poſt depoſitionem Calicis; ut cum Cæremoniali Epiſcop. notat Gav. *ſup.*

LXXXIV. Rub. & Gav. lit. h - *Aſſiſtens dum dicitur Canon.*) Dicto *Sanctus*, & iis, quæ ſequuntur uſque ad Canonem, Diaconus in caſu, quo Subdiaconus acceſſerit ad dicendum *Sanctus*, facta genuflexione ad latus dexterum Celebrantis, ubi eſt, accedit ejuſdem ad ſiniſtram, ubi iterum genuflectit; quod facit ſemper, quoties de uno latere recedit ad aliud; ita ut ſemper genuflectat, in receſſu, & acceſſu, non autem in medio, ut male plerique faciunt. Bauldry *part.* 3. *c.* 11. *n.* 22. Ibi non tenet manus junctas; Gavantus *ſupra*, Arnaud. *part.* 2. *tit.* 7. *n.* 22. ſed erectus ſiniſtra manu, librum ſuſtentat, & dextera vertit folia, & digito oſtendit, quæ legenda ſunt a Celebrante; Gavant. *ſupra*, niſi aſſiſtat alius Sacerdos, qui hæc peragat; quia tunc Diaconus ſtaret ad dexteram aliquantulum poſt Celebrantem.

LXXXV. Gav. ead. lit. h -- *Ad Sanctus*, *&c.*) Cum dicitur *Sanctus* omnes genuflectunt, exceptis Aſſiſtente ſi adſit, Diacono, & Subdiacono; de Bralion *ſupra n.* 9. & primus Acolythus pulſat campanulam, ob rationem, quam aſſignat Gavantus *ſupra*; & ideo præfatus Acolythus eam accipere debet de credentia ad mediam Præfationem.

LXXXVI. Rubr. *Subdiaconus vero tunc ſtat poſt Celebrantem &c.*) Poſtquam Subdiaconus una cum Celebrante, atque Diacono abſolverit Præfationem, ut expoſuimus ſupra, ſtatim recedit, facta prius genuflexione in loco apud Altare, in quo erat; idem redit ad medium planum poſt Celebrantem, ibique ſtat. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *num.* 17. Corſett. *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 15. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 7. *num.* 22.

## De Canone Miſſæ, uſque ad Conſecrationem, VIII.

### R U B R I C A.

1 F*Inita Præfatione, ut ſupra, Sacerdos ſtans ante medium Altaris, verſus ad illud, aliquantulum elevat manus; oculiſque elevatis ad Deum, & ſine mora devote demiſſis, ac manibus junctis, & ſuper Altare poſitis, profunde inclinatus incipit Canonem, ſecreto dicens,* (1) *Te igitur, &c. ut in Ordine Miſſæ, Cum dicit: Uti accepta habeas, & benedicas: prius oſculatur Altare in medio, deinde erigit ſe, & ſtas junctis manibus ante pectus,* (1) *Cum dicit: Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc Sancta ✠ Sacrificia; dextera manu ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem. Deinde extenſis manibus ante pectus, proſequitur: In primis, quæ tibi offerimus, &c.*

### *G A V A N T U S*,

Actio prima in Canone quinque actus complectitur; manuum, & oculorum elevationem, oculorum demiſſionem, manuum junctionem, & earumdem ſuper Altare poſitionem. In primo quinario numero venerare Chriſtum in Cruce quinque plagis vulneratum; & nota *ex Rubr. propria in Ord. Miſſ.* ne diſcordare videatur a generali: quod ad primum geſtum, prima quoque verba *Te igitur* ſunt pronuncianda; neque dari debet geſtus ſine voce, qui alioquin eſſet inconcinnus. Extendens dicit, jungens dicit, elevans dicit, ſunt participia cum verbis ſimul, *in Ordine Miſſæ*, & ſic concordant Rubricæ.

(1) *Te igitur*. Crucifixus ſolet imprimi initio Canonis, ait *Honor. in Gemma lib.* 2. *cap.* 103. ut ſtatim Paſſio Chriſti oculis cordis ingeratur. Prima quoque littera T eſt figura Crucis Chriſti. *Innoc. III. lib.* 3. *cap.* 2. Auctor autem principii Canonis dicitur eſſe *S. Clem. a Radulph. propoſ.* 23. Vide quæ diximus in 1. *part. tit.* 12. *num.* 5. ubi de nomine, Auctoribus, & partibus Canonis non pauca. Hoc loco Ritus, & Cæremoniæ in primis ſunt examinandæ, & eæ, quæ ſunt ita propriæ Canonis, ut in alia parte Rubricarum hactenus proprium non habuerint locum. Senſum litteralem difficiliorum verborum afferemus infra cum Myſteriis.

(1) *Cum dicit: Hæc ✠ dona, &c. Ex reſponſo Zachariæ S. Bonifacio Moguntino* fiunt hic tres Cruces. *S. Anſelm. lib. de Sacr.* ait: *Una Cruce duo ſimul ſanctificentur*, id eſt, ubi verbum eſt commune pani, & vino, ut explicat *VVald. tom.* 3. *tit.* 4. *c.* 37. habet *Microl. c.* 14. has eaſdem. Sed nota a principio Canonis, uſque ad *Libera nos* incluſive, ubi finis eſt Canonis, *ſecundum Innoc. III.* quod ſeptem vicibus ſigna Crucis fiunt: primo hic, & ter; ſecundo ad ea, *Quam oblationem*, quinquies; tertio in Conſecratione ad ea, *Benedixit*, ſemel, & iterum; quarto poſt Conſecrationem ad ea, *Hoſtiam puram*, quinquies; quinto ad ea, *Sacroſanctum Filii tui Corpus*, ſemel, & iterum ſuper Sacramentum, & ſemel ſupra ſeipſum; ſexto ad ea, *Sanctificat*, ter; ſeptimo ad ea, *Per ipſum*, quinquies. *Innoc. III. lib.* 4. *c.* 11. addit ibidem in ordine ad Hoſtiam, & Calicem fieri ſigna Crucis 25. & quinquies quinque: tum quia, ſicut hic numerus per ſe ductus ſemper in ſeipſum reducitur, ſi ducatur in infinitum; ita Euchariſtia quantumlibet multiplicetur, ſemper eſt idem Sacrificium; tum quia quinque ſenſus hoc Sacramento perficiuntur; ſed & binarius ſignorum numerus congruit propter Carnem, & Sanguinem Chriſti; ternarius quoque propter panem, & vinum, & aquam. *Hæc ille erudite, & acute.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, ab initio Canonis, uſque ad illa verba, Una cum famulo tuo, &c.

I. Gav. *Actio prima*, *Ad primum geſtum*, *prima quoque verba*. Te igitur *ſunt pronuncianda*, *&c.*) Eſt quæſtio non parum controverſa inter Rubricarum interpretes quoad prima Canonis verba, & ſupradictam Rubricam, nimirum, utrum prima illa verba *Te igitur*, *&c.* debeant proferri ſimul cum geſtibus elevationis manuum, & oculorum; vel e contra debeant pronuntiari prædicta verba a Sacerdote poſt omnes geſtus antedictos. Gav. *ſup.* tenet, quod ad primum geſtum, prima quoque Canonis verba ſint proferenda: quia, ait ipſe, juxta regulam communem, non debet dari geſtus ſine voce, qui alioquin eſſet inconcinnus: preterea *Extendens dicit, jungens dicit, elevans dicit, ſunt participia* (proſequitur Gavantus) *cum verbis ſimul in Ordine Miſſæ, & ſic concordantur Rubricæ*. Hanc Gav. ſententiam amplectuntur Bauldry *part.* 3. *tit.* 8. *Rubr.* 1. *n.* 1. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 8. *Rubr.* 5. *n.* 5. Cabrin. *c.* 8. §. *Statim*, Arnaud. Mencius, a Portu, & alii.

Sed contra Gav., & mox allegatos Auctores, cenſent omnes geſtus, ſeu actus prædictos debere præcedere, non comitari prima verba Canonis, *Te igitur*, *&c.* adeoque incipienda eſſe dicta verba immediate poſt omnes geſtus præſcriptos, id eſt manibus ſuper Altare poſitis, qui eſt ultimus geſtus: cenſent, inquam, & tuentur hanc ſententiam ex noſtris Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 8. *c.* 6. *n.* 5. Quarti *part.* 2. *tit.* 8. *de Canone Miſſæ ſect.* 1. *dub.* 5. Magius in ſuo Galateo religioſo *diſquiſ.* 24. Alii etiam propugnant valide hanc ſecundam ſententiam, nimirum Trimarchius apud Nigrum in additionibus ad Ruiz *part.* 3. §. 7. *n.* 1. Turrinus *par.* 2. *ſect.* 3. *c.* 4. Hagcret *tit.* 8. *n.* 1. Cærem. Miſſæ Priv. *c.* 10. §. 15 Lobner *par.* 4. *de Ritu Miſſæ brev. not. illuſt. tit.* 8. *n.* 1. *& par.* 4. *n.* 66. Gervaſi *c.* 8. Benvenuti *pag.* 21. & alii relati a ſupra laudatis Magio, & Quarti; cui quidem ſententiæ validis rationum momentis adductus, adhærendum eſſe crediderim: Rubrica etenim in Ordine Miſſæ poſita, hæc eſt; *extendens*, *elevans*, *jungens*, *&c.* inclinatus dicit; quæ & concordat cum generali Rubrica ſuperiori, quæ dicit; *Elevat manus; oculiſque elevatis, & manibus junctis, & ſuper Altare poſitis profunde inclinatus dicit*, *&c.* unde ſequitur, prima illa verba Canonis *Te igitur*, dicenda eſſe a Sacerdote jam inclinato, adeoque poſt geſtus prædictos ab eo jam præſtitos; hæc utique Rubrica præſcribit, quod dicat illa verba, quando eſt jam inclinatus. Quod ſi Rubrica generalis non ſatis explicat alteram, aliæ eam ſatis explanabunt. Prima: *Elevatis oculis, & ſtatim demiſſis; tum profunde inclinatus dicit*; Munda cor meum, &c. Secunda: *Manibus junctis, & ſuper Altare poſitis, aliquantulum inclinatus, dicit ſubmiſſe*: Suſcipe Sancta Trinitas, &c. Tertia: *Stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato, dicit*: Agnus Dei, &c. Quarta: *Stans junctis manibus ſuper Altare, & capite inclinato, dicit*: Placeat, &c. Ex quibus plurium Rubricarum verbis clare eruitur a Sacerdote jam inclinato, & nondum inclinato, verba proferri debere: en igitur geſtum Sacerdotis, ejuſdem verba præcedere.

Neque dicas, in his caſibus non extenduntur manus, nec alius geſtus fit, cui verba non jungantur, ut requirit Gavantus: nam præfati geſtus non faciunt, quod verba debeant eodem tempore proferri; & hoc clare colligitur ex Cæremoniali etiam Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 8. §. 68. ubi habetur: *Manibus ſuper Altare poſitis, devote inclinatus extollit ad Crucem oculos, & eos ſtatim demittit, & incipit*, *&c.* ex quibus verbis liquet, quod poſtquam poſuerit manus ſuper Altare, poſtquam inclinatus fuerit, &c. debet prima Canonis verba proferre; ut ipſa Cæremonialis verba clare ſignificant. Preterea notat Trimarchius *loc. cit. Tunc dari geſtum inconcinnum, hoc eſt, incompoſitum, & confuſum, & intricatum, ſi obſervaretur quod docet Gavantus*. Non enim bene oculi, ac manus & elevari, & dimitti, & conjungi, & ſuper Altare poni poſſent eo momento, quo verba Canonis legi debent: neque dicas pro defendenda Gavanti ſententia, poſſe illa verba memoriter recitari; nam verba ſunt Canonis, qui totus legi debet.

Rationem vero a Gav. ſupra adductam pro firmanda ſua ſententia, Quarti *loc. ſupracit.* evertit, dicendo, & probando non ſubſiſtere, quod non debeat dari geſtus ſine voce: quia in Miſſa ſæpe præſcribuntur geſtus ſine voce, aut verbis, quæ illos comitentur, e. g. Genuflexiones, elevatio Hoſtiæ, & Calicis, &c. In Miſſa Solemni thurificatio prima Altaris; Benedictio Subdiaconi poſt Epiſtolam; nam Sacerdos facit ſuper eumdem ſignum Crucis, nihil dicens. Deinde ex aliis exemplis ſupra adductis, liquet in aliis caſibus præſcribi in Ordine Miſſæ geſtus, qui profecto verba Sacerdotis præcedere debent. Cum igitur Caſtaldi, & Quarti ſententia Rubricis, & Cæremoniali Epiſcoporum conformis videatur, eam non immerito, ut probabiliorem ſequi cogimur.

II. Rub. & Gav. lit. i - *Inclinatus incipit Canonem, ſecreto dicens, Te igitur, &c.*) Manibus igitur junctis, & ſuper Altare poſitis, profunde inclinatus, incipit Sacerdos Canonem, ſecreto dicens, *Te igitur*, voce, inquam, ſubmiſſa, & ſecreta, quæ continuatur per totum Canonem, niſi aliter notetur alicubi.

III. Rub. & Gav. lit. l -- *Cum dicit, Hæc dona, &c.*) Cum Celebrans dicit *Petimus*, tunc hinc inde ſuper Altare extra Corporale manus extendit; Gervaſi *ſup.* & ſtatim dicto prælaudato verbo, oſculatur Altare in medio. Lohn. *part.* 4. *num.* 66. Angel. *in Catal. errorum* §. *de Canone*, Gervaſi *ſupra*, *&c.* Deinde erigit ſe, & conjungit ante pectus manus juxta morem, dum dicit: *Uti*

acce-

Digitized by Google

*accepta habeas, & benedicas*; & proſequitur erectus depoſita ſuper Altare ſiniſtra manu extra Corporale dicens: *Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc Sancta ✠ Sacrificia illibata*; & dum dicit prædicta verba, dextera manu ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem: & hic, ſicut alicubi, notandum, quod quando Crux eſt communis Calici, & Hoſtiæ, oportet, ut advertunt multi, ne dum faciunt primam lineam, interrumpant manum inter Calicem, & Hoſtiam; ſed faciant æqualem, & erectam verſus pectus, abſque eo quod medietatem verſus Hoſtiam deprimant, faciendo in eadem altitudine lineam tranſverſam intra extremitatem anterioris pallæ, & intra Hoſtiam, ut utraque linea dici queat communis, & non particularis, Cærem. Miſſæ Priv. c. 4. §. 3. n. 4. Deinde extenſis manibus ante pectus, prout extenduntur manus ad Orationem, proſequitur: *In primis, quæ tibi offerimus*.

RUBRICA.

2 *Ubi dicit, Una cum famulo tuo* (m) *Papa noſtro N. exprimis nomen Papæ: Sede autem vacante, verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur, &* (n) *Antiſtite noſtro N. ſpecificetur nomen Patriachæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi Ordinarii in propria Diœceſi, & non alterius Superioris, etiamſi Celebrans ſit omnino exemptus, vel ſub alterius Epiſcopi juriſdictione. Si vero Epiſcopus Ordinarius illius loci, in quo Miſſa celebratur, ſit vita functus, prædicta verba omittuntur; quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant. Si Celebrans eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarcha, omiſſis prædictis verbis, eorum loco dicit; Et me indigno ſervo tuo. Summus autem Pontifex cum celebrat, omiſſis verbis, Una cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antiſtite noſtro N. dicit: Una cum me, indigno famulo tuo, quem gregi tuo præeſſe voluiſti, & continuat omnia, ut ſequitur; Et omnibus orthodoxis, &c.*

*GAVANTUS.*

(m) *Papa*, Nominatur, *ex Conc. Vaſen. c. 4. alias 6. tempore Leonis I. celebrato: apud Burchard. lib. 2. Decreti c.* 230. imo vero S. Clem. *lib. 8. Conſt. Apoſt. c.* 12. inſtituiſſe dicitur, ſeu obſervaſſe; qui celebrans Miſſam dicebat: *Adhuc obſecramus te pro me, qui nihil ſum: ibidem*; quod hodie idem eſt, quando *ex Innoc. III. de celebrat. Miſſæ c. 3.* ait Papa: *Una mecum indigno famulo tuo*. A Chriſto deducitur hic Ritus, qui in cœna rogavit pro Petro, ut non deficiat fides illius. *VValden. tom. 3. lib. 4. c. 37. n. 5.*

* Quod attinet ad nomen Papæ, & ſignificationem vocabuli, docet *Baron. in not. Martyrol. ad diem* 10. *Januar.* ſignificare Patrem, non autem Patrem Patrum: & cum eſſet Epiſcopis commune, tandem Gregor. VII. anno 1073. *in Synod. Rom.* ſtatuit, ut nomen *Papæ* unicum eſſet in univerſo Orbe. Plura *ibid.* ſcribit *Baron.*

Caput autem inclinatur etiam hic ad nomen Papæ, eadem enim eſt ratio, quæ ſupra dictum eſt in Collecta, ad nomen ejuſdem; de quo dubitavere nonnulli; ſed *in Rubr. de Oratione* non adeſt limitationis particula, *Tantum*.

(n) *Antiſtite noſtro N.* S. Paulus *Hebr. 13. Mementote*, inquit, *Præpoſitorum veſtrorum*: & pro Epiſcopo quidem orandum eſſe docet in Miſſa *S. Auguſt. epiſt.* 110. *in fine*.

Sed quis Epiſcopus hic nominandus? vult *Alc. de celebr. Miſſæ*, Epiſcopum nominari celebrantis; quem ſequitur *Innoc. III. lib. 3. c. 5.* Rubrica tamen noſtra Epiſcopum loci, in quo celebratur, nominari decrevit: tum quia expreſſe ait: *Ordinarius illius loci*: tum quia Romæ omitti jubet hæc verba; & placet *Bellarmino lib. 2. de Miſſa c. 21.* * Neque nominandus eſt Abbas exemptus loci, ſed Epiſcopus vicinior, ad quem pro ordinatione itur; neque enim Abbas eſt Antiſtes, de quo in Canone.

Pro Regibus orandum etiam hoc loco ſcribit *Innoc. III. loc. cit.* in eorum locis, ac Provinciis, inquit *Azorius l. 10. c. 36. q. 13.* & vere habetur hic Ritus *prædicto c.* 12. *S. Clementis, & in Liturgiis S. Baſilii, & S. Chryſoſtomi*.

Pius V. tamen, qui nihil addi voluit, conceſſit nominari in Canone Regem in Hiſpaniis. Nihil ergo tu addas ſine Papali auctoritate, contra Pii V. Bullam de Miſſali editam. Caveant etiam Regulares, ne in Canone nominent Superiores ſuos, ut Antiſtites: Ex Decr. Sac. Rit. Congr. 12. Nov. 1615. & nominantes ſuum Generalem pro Epiſcopo loci, peccant mortaliter. *Diana tract. 14. de celebr. Miſſæ reſol. 40.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ privatæ, ab illis verbis Canonis: Una cum famulo tuo, &c. uſque ad illa: Et omnibus orthodoxis, &c.

IV. Rubr. & Gav. lit. m -- *Papa nominatur*.) Inhærens ſuperiori Rubricæ, optime docet Gavantus, quod Sacerdos celebrans, quando in Canone dicit: *Una cum famulo tuo Papa noſtro N. N.* exprimit nomen Papæ viventis, & inclinat caput in reverentiæ ſignum; ſed poſtquam legitima pervenerit notitia Sedis vacantis, omittuntur prædicta verba in Canone. Adnotandum etiam eſt, quod ſupradicta inclinatio ſimplex ad nomen Papæ, ſemper fit verſus librum, & non verſus Crucem. A Portu *ſup. Rubr. 2. in adnot. n.* 1.

V. Rubr. & Gav. lit. n -- *Antiſtite noſtro, &c.*) Quando in Canone proferuntur illa verba, *Et Antiſtite noſtro*, apponitur nomen Prælati illius, qui ſimul ſit Epiſcopus, & Ordinarius loci ejus, in quo Miſſa celebratur; Gavant. *ſupr.* & alii Rubriciſtæ communiter: unde fit, proferendum eſſe nomen Archiepiſcopi, & Patriarchæ in Eccleſia, & Oratorio ſuæ Diœceſis. Proferendo autem nomen Patriarchæ (ſi ille ſit Antiſtes talis Diœceſis) nulla fit capitis inclinatio, quandoquidem de ea ſilet Rubrica. Gervaſi *ſupra*, & a Portu *ſupra n.* 3.

Quod ſi Epiſcopus loci, &c. ſit vita functus, ea verba, *Et Antiſtite noſtro*, omittuntur. Lohn. *part. 2. tit. 21. n. 3.* & Gervaſi *ſupra*. Prædicta verba, *Et Antiſtite noſtro*, omittuntur etiam a Sacerdotibus Romæ celebrantibus; quia Pontifex eſt Ordinarius Epiſcopus Urbis, & Orbis. Quarti *part. 2. tit. 8. Rubr. 2. n. 2.* Regulares pro Epiſcopo Diœceſano nominare non poſſunt ſuos Generales, ut obſervat Gavantus *ſupra*; & ut habetur in Decreto a S. R. C. edito ſub die 12. Nov. 1615. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 149. Rurſus nec Clero Sæculari nominari fas eſt ſuum Superiorem, etiam, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, quæ ſit Epiſcopali inferior: Polaccus *part. 2. §. 17. in addit.* a Portu *ſup. n.* 4. quapropter non eſt nominandus in Canone Abbas exemptus, licet habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut omnes DD. notant: nam Prælati nullius, veniunt quidem ſub nomine Ordinariorum, non autem ſub nomine Epiſcoporum: unde eorum juriſdictio non dicitur Epiſcopalis, ſed quaſi; ut declaravit Congreg. Concilii 1638. 13. Nov. teſte Nicolio *v. Nullius Diœceſis, ſub n.* 1. & Quarti *part. 2. tit. 8. in Rubr. dub.* 3.

Utrum autem celebrans in prædicti Prælati territorio, qui vere non ſit Epiſcopus, ſed juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeat, & nulli Epiſcopo prædictus celebrans ſubdatur; utrum, inquam, in hujuſmodi caſu vicinior Epiſcopus ſit nominandus, ad quem itur pro ordinibus ſuſcipiendis, non conveniunt DD. Affirmant Gavant. *ſupr.* Arnaud. *ſup. n.* 3. Cærem. PP. Cleric. Regul. S. Pauli *lib. 1. c. 7. n.* 12. negant vero Quarti *part. 2. in Rubr. ſup.* Bauldry *ſup.* Tonellius *ſup. n.* 15. Angel. *part. 1. tit. 7. n.* 61. & a Portu *ſup. n.* 15. DD. ſequentes hanc ſententiam docent, quod in dicto caſu omitti debent illa verba, *Et Antiſtite noſtro*, eo modo, quo quando locus aliquis caret Epiſcopo, quia ſit defunctus, non nominatur vicinior Epiſcopus; ſed, ut ſupra diximus, in tali caſu omittuntur prælaudata verba. Eccleſia autem, quæ nullius Diœceſis eſt, caret Epiſcopo, unde videtur comparanda cum ea, in qua Epiſcopus eſt defunctus, & ſic debent omitti illa verba in Canone, *Et Antiſtite noſtro &c.*

Hinc ſequitur etiam, quod ſi celebrans abſit a Diœceſi ſui Epiſcopi, non debeat nominare ſuum Epiſcopum, ſed Antiſtitem loci, in quo celebrat: Bauldry, Tonellius, & Gervaſi *ſup.* necnon Polaccus *ſup. n.* 3. quia cum celebrans offerat nomine totius Populi, qui adeſt, vel adeſſe poteſt, mentiretur, ſi pro nominando ſub illis verbis, *Et Antiſtite noſtro N.* pro Epiſcopo illius loci, nominaret ſuum Prælatum, qui vere non eſt aſtantium Epiſcopus. Tonellius, Quarti *ſup.* Angel. *ſup. n.* 19. Præterea ſe debet conformare aliis Sacerdotibus ejuſdem loci, in quo celebrat, in publicis precationibus. Quarti, Angel. *ſup.* & a Portu *ſup. n.* 6. Si vero ratione longi itineris, vel defectu memoriæ, non recordaretur nomen Epiſcopi loci; ſatis eſt in dicto caſu dicere pro Antiſtite noſtro *mentaliter*, intelligendo, in cujus Diœceſi celebratur. Ita pluribus relatis tenet Paſqualigus *de Sacrif. novæ Legis tom. 1. tr. 1. q. 27. ſub n.* 26. necnon Angel. *ſupra n.* 60. & a Portu *ſup. n.* 6.

Si vero Epiſcopus Ordinarius dicti loci, in quo celebratur, ſit vita functus, jam diximus ſupra, quod prædicta verba omittuntur: ſed advertendum eſt loco Epiſcopi, non poſſe nominari Vicarium Capitularem: quia licet, Sede vacante, Ordinarius ſit illius loci; non tamen eſt Epiſcopus illius Diœceſis. Rurſus neque nominari poteſt Archiepiſcopus, aut Patriarcha Provinciæ, intra quam continetur Epiſcopatus Epiſcopi defuncti, licet in eo habeat aliquam juriſdictionem: quia Archiepiſcopus, aut Patriarcha non dicitur Ordinarius in Diœceſibus Suffraganeorum. Quarti *in Rubr. dub. 3. ſup.* a Portu *ſup. n.* 7. Hoc tamen non obſervatur a Græcis, aliiſque Orientalibus, qui Patriarcham nominant, & Metropolitam.

Si Celebrans ſit Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarcha, omiſſis prædictis verbis, dicit eorum loco, *Et me indigno ſervo tuo*. Sed hic notandum occurrit, quod non ſolum Epiſcopi; & Superiores Prælati, ſed etiam Cardinales propter dignitatis eminentiam, ubicumque celebrent, orant pro ſe ipſis, non pro loci Epiſcopo, in quo celebrant. Tonell. *ſup. n.* 3. & a Portu *n.* 9.

Sicut igitur Epiſcopi non orant pro aliis Epiſcopis, quia non ſunt ipſis Superiores; ita nec Romanus Pontifex, qui non habet Superiorem in Terris, orat, niſi pro ſe. A Portu *ſupra n.* 10.

VI. Gavant. eadem lit. n -- *Nihil ergo tu addas ſine auctoritate, &c.*) In prædicto Canonis loco non eſt addendum nomen ullius Principis Sæcularis; Caſtald. *lib. 2. ſect. 6. num.* 2. & Gavant. *ſupra* ad præcavendos abuſus, qui irrepere poſſent nominando in Canone aliquem minus dignum contra Majeſtatem tanti Sacrificii in hac parte Miſſæ; niſi militet in contrarium aliquod Privilegium Apoſtolicum, quale conceſſiſſe fertur S. Pius V. pro Hiſpaniis. Gavantus *ſupra*, Quarti *quæſt. Proæmiali ſect. 2. num.* 2. vel aliqua inveterata, & legitima conſuetudo, qualis aſſeritur vigere in Gallia pro Rege; Bauldry *part. 3. tit. 8. Rubric.* 2. & Venetiis pro Duce, Polac. *in Aphoriſm. §. 17. n.* 4.

RUBRICA.

3 *Cum dicit, Memento Domine, elevans & jungens manus*

*uſque ad faciem, vel pectus, ſic junctis manibus ſtat pauliſper in quiete, (o) demiſſo aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Chriſtifidelium ad ſuam voluntatem (p) quorum nomina, ſi vult, ſecreto commemoret: non tamen neceſſe eſt ea exprimere, ſed mente tantum eorum memoriam habeat. Poteſt etiam celebrans, ſi pro pluribus orare intendit, ne circumſtantibus ſit moroſus, ante Miſſam in animo proponere ſibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipſa Miſſa orare intendit, & hoc loco generaliter, uno contextu ipſorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Miſſam orare propoſuit in Miſſa.*

## G A V A N T U S.

(o) *Demiſſa aliquantulum capite.* Non ego oculis elevatis verſus Crucem, ut multi faciunt, nec tamen clauſis, niſi forte ad majorem animi compoſitionem.

(p) *Quorum nomina ſecreto.* Eos, pro quibus orare intendit Sacerdos, appellat Suſceptos *S. Auguſt. epiſt. 59. q. 5.* quod labiis compreſſis incluſa pectoris cogitatione nominet, ait *S. Hieron. apud Durand. lib. 2. de Rit. c. 34.*

De litteris N. & N. apponi ſolitis hoc loco in Canone, meminit *Oddo Camer. in explicatione Sacri Canonis.* Antiquitus autem recitabantur nomina offerentium in Miſſa; *ex Innoc. I. epiſt. 1.* & nos eorum, qui eleemoſynam ideo dederunt, memoriam facimus.

Hoc loco dicendum videtur de applicatione Sacrificii, & quidquid ſit de valore Miſſæ; quem conciliando Doctores, dicerem infinitum eſſe in radice, ſed ad impetrandum, & ad alios effectus finitum in terminis; quia finite de eo omnes participant, minuſque, vel magis, pro minori, vel majori devotione cujuſque concurrentis ad Miſſæ Sacrificium. *Ex S. Th. 3. p. q. 79. art. 4.* Quatuor Sacerdoti, ut faciat, ego conſulerem.

Primum eſt, ut intendat prodeſſe omni meliori modo iis, de quibus Eccleſia meminit in Canone, nimirum toti Eccleſiæ, Papæ, Epiſcopo loci, & circumſtantibus, quibus Deus diſtribuat portionem Sacrificii generalem prope infinitam pro eorum capacitate, & devotionis menſura: & hæc eſt prima portio, quam ponit *Scot. quodlib. 29. art. 2. & 3.*

Alterum eſt, ut provideat ſibi ipſi Sacerdos de portione ſibi debita, quam vocat Scotus ſpecialem, & novit Deus quanta ſit a probabile vero eſt, eam poſſe dari aliis a Sacerdote nominandis pro eo titulo, quo importat pœnæ debitæ remiſſionem; quo caſu prodeſſet iis multo magis, quam ſi pro iiſdem ſequenti proxima ratione, & modo celebraret; quia certum eſt participare Sacerdotem in majori quantitate de valore Miſſæ, quam alium quemlibet, qui eumdem celebrare jubet, aut procurat; tum ex miniſterio proximiori, tum ex majori devotione, & fide, quæ inter celebrandum multipliciter excitatur.

Tertium eſt, ut ſuffragari intendat eo majori affectu, quo poteſt, & debet iis, quibus tenetur, ſive ex obedientia, ſive ex titulo beneficii, ſive legati, ſive contractus rationabilis, ſive promiſſionis, aut voti, ſive congruentis eleemoſynæ acceptæ, aut promiſſæ; & ea prorſus ratione, qua iiſdem, & ex ſenſu certo, & practico eorumdem non ſpeculativo, & diſputabili, ille tenetur ad Miſſam, ſeu plures Miſſas. tutior enim hac de re tenenda eſt ſententia. Si vero ii non egeant, aut forte ex defectu gratiæ non ſint capaces Sacrificii fructus, ſubſtituat ſtatim alios actu, & ſecunda, ut ajunt, intentione; quod docet *Suarez diſp. 38. ſect. 8. in fine*: alioquin fructus Miſſæ non applicatus remanebit in theſauro Eccleſiæ: Deus autem novit, quantum cuique de Miſſæ fructu ſit dandum; & hæc eſt, quam vocat Scotus portionem mediam.

Quartum eſt, ut aliis item prodeſſe intendat ſine aliorum præjudicio, eo ordine, & quantitate fructus, qua Deus ſcit ſe teneri, & eos ſpecialiter nominatos Deo commendet, ſive in ordine ad remiſſionem pœnæ, cum ſit ſatisfactorium, ſive ad gratiam acquirendam, & augendam, cum ſit meritorium; ſive ad quæcumque bona ſpiritualia, & temporalia, quibus illi egent, & utiliora iiſdem forent obtinenda, cum ſit etiam, imo & propriiſſime, ut ait *Bellarm. de Miſſa lib. 2. c. 3.* impetratorium.

Notat præterea *Azor. lib. 10. c. 22. q. 3.* Orationem ad *Memento*, eſſe privatam: quare in ea admitti poſſunt infideles, & excommunicati omnes, ad eorum ſalutem procurandam; *idem ibidem cum aliis DD. docet*, ſeu ad augmentum Eccleſiæ; ut *Suarez diſp. 78. ſect. 2.* ex his ergo, & tu memento, ne *Memento* in Miſſa fiat in momento, ſed cum aliqua mora.

In Commemoratione poſt *Memento* Defunctorum, eadem fere obſervet Sacerdos; & primo omnes commemoret ex inſtituto, & intentione Eccleſiæ; deinde eos, quo quibus, ut ſupra; tertio alios chariores, quos voluerit; & inter hos Auctorem hujus operis, qui commendat ſeipſum quam maxime, poſtquam obierit; & item illius animam Defuncti, quæ proxime, dum celebras (Deus novit) egreſſura eſt de Purgatorio; tibi enim de Cœlo ſtatim rependet gratiam; omnes autem Defunctos commendabis Deo in ordine tantum ad pœnarum remiſſionem; cum hoc Sacrificium pro Defunctis ſit tantummodo ſatisfactorium.

Novæ obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ privatæ, ab illis verbis Canonis: Memento Domine, uſque ad alia verba: Et omnium Circumſtantium.

VII. Rub. & Gav. lit. o - *Demiſſo aliquantulum capite.*) Celebrans, dum dicit illa verba, *Memento, &c.*) elevat, & jungit manus juxta litteram Rubricæ ſuperius præſcriptam, non uſque ad oculos, ſed uſque ad mentum circiter, *Angel. part. 1. tit. 7. n. 64. & part. 3. tit. 8. n. 3.* a Portu *ſup. n. 2.* abſque eo quod prædictæ manus demittantur, & Altare tangant, antequam eleventur; Gerv. c. 8. §. *Arrivato.* Monc. *ſup.* §. 112. ſic junctis manibus ſtat pauliſper in quiete. Igitur commemoratio vivorum, quam facit, non debet eſſe nimis brevis, ſcilicet in momento, ſed debet durare ſaltem per ſpatium unius Pater noſter; Bauldry *ſup.* Tonell. *lib. 2. tit. 8. Rubr. 3. num. 2.* Biſſus *lit. S. n. 20. §. 52.* a Portu *n. 3.* capite etiam aliquantulum inclinato: Piſart. *tit. 8. in expoſ. n. 5.* & Vinit. *part. 2. in adnot. n. 3.* unde ſequitur oculos non eſſe elevandos verſus Crucem, ſed defigendos verſus Hoſtiam ſuper Corporale poſitam. Biſſus *ſup.* & Bauld. *part. 3. tit. 8. Rubr. 3. in Notis n. 1.* Igitur amplectenda eſt noſtri Gavanti ſententia docentis, in dicto caſu oculos non eſſe claudendos, niſi forte ad majorem animi compoſitionem; contra nonnullos, qui abſolute præſcribunt in prædicta circumſtantia oculos claudi debere, ita ut non debeant in Hoſtiam defigi; hæc autem oculorum moderata demiſſio perſeverare debet, uſque ad illa verba: *Et omnium circumſtantium.* Polacc. *ſup.* Advertere etiam debet omnis Sacerdos, quod dum profert illa verba *Memento famulorum &c.* non debet ea, & ſequentia verba alta voce, ſed ſecreta proferre.

Dum Sacerdos dicit *Memento, &c.* vel prius, ſi neceſſe eſt, ſurgit Miniſter; & facta conſueta reverentia ad Altare, pergit ad capiendam virgam, & cum ea lumen ex lampade, ſi adeſt, vel ex candelabro in cornu Epiſtolæ, & accendit cereum, qui eſt in candelabro majori ad cornu Epiſtolæ, animadvertendo ne terga vertat unquam ad Altare, & celebrantem, obſervando, an ad Conſecrationis actum pervenerit. Deinde deponit virgam, & genuflectit ſuper altiorem gradum in latere Epiſtolæ prope ſuppedaneum; ſi vero nulli ſint gradus, poſt celebrantem. Gerv. *infr. citand.* In diebus feſtivis tamen, non unum tantum cereum; ſed duos accendere debet in dicto caſu. Hæc colliguntur ex Lohn. *ſup.* Bauld. *ſup. n. 33. & 34.* a Portu, & Gerv. *in inſtruct. pro Miniſt. M. S. Piſtu. c. 9. n. 2.*

VIII. Rub. & Gav. lit. p - *Quorum nomina ſecreto, &c.*) Convertendo nunc obſervationes noſtras ad celebrantem, hic manibus junctis, capite inclinato, & oculis, *ut ſupr.* demiſſis facit commemorationem vivorum Chriſtifidelium juxta ſuam piam voluntatem, attenta regula a Gavanto tradita ſupra, & ab aliis, qui pie de ea ſcripſerunt, Bauld. *ſup. Rubr. 3. n. 1.* Biſſ. *ſup. & in lit. M. n. 131.* quorum nomina tamen, ſi vult, ſecreto commemoret; ſed neceſſe non eſt exprimere, cum ſufficiat mente tantum eorum memoriam habere. Poteſt etiam celebrans ſi pro pluribus orare intendit, ne circumſtantibus ſit moroſus, ante Miſſam in animo proponere ſibi omnes illos, pro quibus in ipſa Miſſa orare intendit, Rubrica *ſupra.*

Hoc unum ſupereſt hic animadvertendum, prædictam Sacerdotis Orationem, eſſe Orationem privatam; & ideo in ea poteſt Sacerdos orare etiam pro excommunicatis vitandis, infidelibus, &c. ut obſervant Gavantus *ſup.* Tonell. *ſup.* & Quarti *ſupra in dubiis, dub. 3. &c.*

Si quis autem formulam aliquam habere deſiderat orandi ſecreto in hac Canonis parte, poterit uti illa, quam affert Seranus 2. *part. Miſſæ n. 28.* quæ eſt hujuſmodi - Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, id eſt me, & eorum, pro quo, vel pro quibus in particulari ſacrificare debeo; parentum, fratrum, ſororum, conſanguineorum, & amicorum meorum omnium, quibus fui gravamen, ſcandalum, & occaſio peccandi: omnium benefactorum meorum in ſpiritualibus, & temporalibus; omnium mihi commiſſorum in genere, & in ſpecie; omnium Epiſcoporum, Sacerdotum, & Miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ; omnium Principum temporalium cum ſuis miniſtris; omnium inimicorum meorum, & omnium Fidelium viventium ad dimiſſionem culpæ, & largitionem gratiæ, & donorum; omnium hæreticorum, ſchiſmaticorum, excommunicatorum, & infidelium ad converſionem; & tandem omnium eorum, pro quibus & vis, & ſcis me debere orare, & illo gradu, & pro illis rebus, in quo, & pro quibus teneor pro illis offerre: *& omnium circumſtantium.*

Præterire non debeo, quod antiquitus uſus erat recitandi in Miſſa nomina offerentium; ut meminit Innoc. I. qui ſedit Anno 402. *in epiſt. 1. c. 2. ad Decentium*; & refertur *in c. fin. de Conſecr. diſt. 1.* quorum nomina ſcripta erant in diptychis, quod etiam colligitur *ex D. Auguſt. epiſt. 137. ad Clerum, & plebem Hipponenſem.*

Quoniam autem hic de diptychis mentio facta eſt, & Oratio, quæ *Memento* incipit, in quibuſdam Miſſalibus M.S. *Oratio ſuper diptycha* inſcribitur, breviter innuam, diptycha tabulas fuiſſe, quæ duas habebant plicas, de quibus, earumque profano uſu plura ex Ethnicis Scriptoribus congerit Heribertus Roſvvedus in onomaſtico ad vitas Patrum. De earum vero Sacro uſu, nonnulla collegit Cardin. Bona *lib. 2. cap. 12.* & Antonius Bellotte in obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis, necnon Gavantus noſter, ſed breviter juxta tit. ſeq. *in Rubr. 2.* lit. x.

## R U B R I C A.

4 *Commemoratione vivorum facta, demiſſis, & extenſis, ut prius, manibus, continuat: Et omnium circumſtantium, &c. Similiter ſtans, proſequitur, (q) Communicantes. Cum dicit, Jeſu Chriſti, caput Cruci inclinat; in concluſione,*

*quan-*

*quando dicit*, (r) *Per eumdem, jungit manus. Cum dicis*, (ſ) *Hanc igitur oblationem, expandit manus ſimul ſuper oblata; ita ut*, (t) *palmæ ſint apertæ verſus, ac ſupra Calicem, & Hoſtiam; quas ſic tenet uſque ad illa verba, Per Chriſtum Dominum noſtrum: tunc enim jungit manus, & ſic proſequitur: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus: & cum dicis*, (u) *Bene ✠ dictam, adſcri ✠ ptam, ra ✠ tam, communiter ſignat ter ſuper Hoſtiam, & Calicem ſimul; deinde cum dicit*, (x) *Ut nobis corpus, ſeparatim ſignat ſemel ſuper Hoſtiam tantum: & cum dicit, Et Sanguis, ſemel ſuper Calicem tantum: deinde elevans, & jungens manus ante pectus, proſequitur: Fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: & inclinans caput Cruci* (y) *extergit, ſi opus fuerit, pollices, & indices ſuper Corporale, & dicit ſecreto, ut prius*, (z) *Qui pridie, quam pateretur; & accipiens pollice, & indice dextræ manus Hoſtiam, & eam cum illis ac indice, & pollice ſiniſtræ manus tenens, ſtans erectus ante medium Altaris, dicit: Accepit panem in Sanctas, ac venerabiles manus ſuas, elevanſque ad Cœlum oculos, & ſtatim demittens, dicit: Et elevatis oculis in Cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem: capuſque aliquantulum inclinans dicit, Tibi gratias agens: & tenens Hoſtiam inter pollicem, & indicem ſiniſtræ manus, dextra producit ſignum Crucis ſuper eam, dicens*, (a) *Bene ✠ dixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.*

## *GAVANTUS.*

(q) ***Communicantes.*** Siricius Papa creditur auctor hujus partis Canonis *a Radul. ubi ſup.* Lino tribuit *Nicol. de Plove in expoſit. Miſſæ*, ſed commemoratio Sanctorum in Miſſa eſt *apud S. Clem. lib. 8. conſt. Apoſt. c. 13. & Dionyſ. de Eccleſ. Hier. c. 3.* & quidem ante Conſecrationem nominantur cum Beata Virgine Apoſtoli, Summi Pontifices, Epiſcopi, Diaconi, & Laici: nempe Apoſtoli duodecim, & Martyres totidem: quia illi doctrina, & ſanguine; iſti ſanguine, & Martyrio Sacrificium hoc confirmaverunt. *Gemma lib. 1. c. 104.* Qui vero Canonem ordinavit, quos voluit, dictante Spiritu Sancto, hoc loco, & infra, nominavit: *ex Steph. Edvenſ. c. 13.* conjicit *Lindanus in Liturgia S. Petri c. 22.* cum aliis, a S. Hieronymo juſſu Damaſi catalogum hunc Sanctorum ortum habere. Iidem Sancti una cum Beata Virgine conſtituunt numerum quinquies quinque, quem ſupra in ſignis Crucis eumdem adnotavimus; quia quinquies in hac re quinque noſtri ſenſus conſummandi ſunt, ait *Hugo ibi*. Confeſſorum autem nulla fit mentio, quia editus fuit Canon ante S. Silveſtrum; *ex Innoc. III. lib. 3. c. 10.* neque ſunt paſſi, ficut Chriſtus. *Dur. lib. 4. c. 38.* ubi plura. Ultimi de toto Canone Sancti paſſi ſunt Ann. 362. nempe Joannes, & Paulus; reliqui omnes ante ipſos; & tamen poſt eoſdem additi ſunt Coſmas, & Damianus: quis cauſam novit? Paſſione priores loco ſunt in Canone, poſteriores arbitrio Auctorum Canonis; ut *Edvenſ. loc. cit.* ſignificare videtur. Eminentiſſimi denique nominantur Sancti, in quibus tamen non cæterorum Sanctorum interceſſio prætermittitur, ſed in iſtorum commemoratione omnium ſuffragia expetuntur: quia ſicut omnes in Deo uniti exiſtunt, ita omnes unum deſiderant, & rogant pro ſalute hominum, ut in uno omnes habeantur pariter, & in uno omnes pariter negligantur. *Alcuin. ſupra.* Qui nomen Sancti in Canone ex intentione omittit, non peccat mortaliter: *Diana tract. 14. de Celebr. Miſſæ reſol. 49.* ſed hæc omiſſio videtur magis injurioſa, quam omiſſio, vel mutatio nominis Epiſcopi, de qua ſupra *n. 2.* De variando, *Communicantes*, vide ſupra *part. 1. tit. 12. n. 5.*

(r) ***Per eumdem.*** In Canone quinquies ſecreto dicitur, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, & habet *Microlog. c. 16.* ob quinque recolenda vulnera Chriſti, ait *Honor. in Gemma lib. 1. c. 56.*

(ſ) ***Hanc igitur oblationem.*** Tribuit *Alcuinus* Gelaſio; *Radulph. propoſit. 23.* Leoni Magno uſque ad ea, *Placatus accipias*: reliqua uſque ad *Quam oblationem* excluſive, addita fuere a S. Gregorio; *Amalar. lib. 3. c. 23. & communiter omnes*; occaſione peſtis Romanæ, & bellorum, ait *Lopez lib. 2. c. 14. §. 1.* legitur tamen in *Liturgia S. Petri Græca*, una cum *Communicantes*.

De hujus item partis varietate in Paſchate, & Pentecoſte propter baptizatos recenter, vide locum paulo ante citatum *part. 1. tit. 12. n. 5.*

(t) ***Palmæ ſint apertæ.*** Pollice dextro adhuc ſuper ſiniſtro in modum Crucis poſito; quod recte notavit *Alcozer in ſuo Carem.* & pollicibus item ſupra, non infra manus poſitis, & junctis, quod videtur fieri commodius; & placuit Dianæ quoque *tr. 6. Miſcell. reſol. 104.* expanduntur autem manus ſuper oblata more Aaron *Levit. c. 1. ex Suar. diſp. 84. ſect. 1.* & ut intelligas, hæc Myſteria tegi etiam Angelis, nedum hominibus: *Ruper. lib. 2. c. 57.* vel innuunt Divinam protectionem, ſeu efficaciam gratiæ, quæ in hac prece poſtulantur, ex *Joan. Serano*; qui & addit vel Sacerdotem profiteri, non propriis viribus, ſed virtute ordinationis per impoſitionem manuum Epiſcopi tam mirabile opus ſe facturum.

(u) ***Benedictam, adſcriptam, &c.*** Ita loquitur *S. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. c. 5.* ergo verba ſunt antiqua. Quinque vero Cruces fieri hoc loco tradit *Microlog. c. 14.* imo & *in Liturgia S. Petri* habentur.

(x) ***Ut nobis Corpus.*** Cruces fiant continenter, non interrupte, tres; & poſtea poſt brevem moram aliæ duæ, diſpenſando verba appoſite.

(y) ***Extergit pollices, & indices.*** Ne ſint humiditate affecti, & ad majorem reverentiam.

(z) ***Qui pridie quam, &c.*** Tribuitur Alexandro uſque ad verba Conſecrationis a *VValaf. c. 22. & Microlog. c. 12.* ſed Apoſtolorum eſt periodus, *ex Alcuino* uſque ad, *Unde & memores*; cum habeantur *apud Clementem lib. 8. c. 17. & in Liturgia S. Petri citata.* Cæterum geſtus corporis in hac periodo conſonant ſingulis verbis; ut patet *ex Microlog. c. 15.*

(a) ***Benedixit.*** Meminit hujus Benedictionis cum ſigno Crucis paulo ante verba Conſecrationis *S. Auguſtinus ſerm. 19. de Sanctis.*

Non opinor, Chriſtum benedixiſſe manu formando ſignum Crucis; quia nondum data erat Cruci Deifica virtus, *Nic. de Plove in expoſitione Miſſæ* idem ſentit.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a Commemoratione vivorum facta, uſque ad Conſecr. Hoſtiæ.

IX. Rubr. *Demiſſis, & extenſis ut prius manibus, &c.*) Poſt vivorum Commemorationem demittuntur manus, quæ fuerant elevatæ uſque ad mentum circiter, & extenduntur ut prius, ſeu ut ad Orationem; & continuat Sacerdos Commemorationem vivorum, dicens voce ſecreta, ſeu ſubmiſſa: *Et omnium Circumſtantium, &c. Rubr. ſup.* & Quart. *part. 2. tit. 8. Rubr. 4. n. 1.*

X. Rubr. & Gav. lit. q - *Communicantes, &c.*) Tum proſequitur *Communicantes* manibus extenſis, & erectus ſtans, eadem voce ſecreta, ad nomina Sanctorum, quæ in hoc *Communicantes* recenſentur, ſi eo die fiat Miſſa, vel ſpecialis Commemoratio de aliquo, vel de aliquibus illorum (quod obſervatur per eorum Octavas ſi habeant) caput inclinatur inclinatione minimarum minima, quæ conſiſtit in levi capitis inclinatione. A Portu *tit. 3. Rubr. 4. in adn. n. 8. & tit. 8. Rubr. 4. in adnot. n. 3.* Lohner *part. 2. n. 77.* & Gerv. *ſupra §. Avvertirà.*

Inclinat Sacerdos caput verſus librum ad nomen Mariæ inclinatione minimarum media, quæ fit notabili capitis inclinatione. A Portu *tit. 3. ſupra &c.* Lohner *ſup. n. 75.* Gerv. *c. 5. §. Nominando, & c. 8. §. Si ricorderà.* Poſt inclinationem hanc non erigit ſe, ſed paulatim profundius inclinat adhuc caput verſus Crucem ad nomen *Jeſu*. A Portu *tit. 8. Rubr. 4. in adnot. nu. 4.* Ger. *c. 8. loc. ſupra* in concluſione ad *Per eumdem*, jungit manus de more ante pectus.

XI. Gavant. eadem lit. q - *Confeſſorum autem nulla fit mentio.*) Tradit hic Gavantus rationem, cur Beatorum Confeſſorum nulla fiat commemoratio in antedicta Canonis parte: ſed nullam reddit rationem, quare Patriarcharum, & Prophetarum nulla hic peragatur memoria: unde addendum eſſet cum Bellotte *in obſervationibus pag. 548. n. 8.* ideo prædictorum non fieri mentionem: quia licet per fidem, & devotionem Sacrificium hoc in ſpiritu cognoverint, & ſpiritualiter participaverint; Sacramentaliter tamen eo nequaquam uſi ſunt, quod longe poſt eorum tempora noſcitur inſtitutum. Omittendum tamen non eſt, in Liturgia S. Clementis, & in Liturgiis Orientalibus, etiam Patriarcharum, & Prophetarum prædicto loco mentionem fieri: nam Cyrillus Hieroſolymitanus Sacram Synaxim deſcribens Cathec. 5. myſtagogica, aſſerit Sacerdotem memoriam in ea facere SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum; ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras. Reddenda eſt etiam aliqua ratio, cur commemoratis omnibus Apoſtolis, nulla de S. Mathia fiat mentio: dicendum igitur crediderim, quia non eſt in numero illorum, quos Chriſtus Dominus immediate elegit, & Apoſtolos nominavit. Habetur autem Apoſtoli Pauli nominatio: Quia hic non ab hominibus, neque per homines electus eſt; ſed per Chriſtum ipſum (*Act. c. 9. verſ. 15.*) numero, & gradui Apoſt. additus fuit, ut eſſet vas electionis, portans nomen Domini coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael. Præterea de S. Mathia fit mentio in alia Canonis parte, quæ eſt poſt Conſecrationem, & quæ incipit illis verbis: *Nobis quoque peccatoribus*: quo loco de hoc iterum ſermonem faciemus.

XII. Rubr. & Gav. lit. r - *Per eumdem, &c.*) In concluſione ad *Per eumdem*, jungit manus de more ante pectus, ut præſcribit ſuperior Rubrica, &c.

Hoc loco advertendum occurrit quod *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem*, quando ſunt particulares de Octava aliqua, v. g. de Paſchate, de Nativitate, &c. nunquam omittuntur, etiamſi omittatur Præfatio Particularis talis Solemnitatis: & hoc conſtat ex Decreto edito die 28. Auguſti 1627. & dato in noſtro Indice *ſub n. 216.* unde ſi infra Octavam Paſchatis cantetur Miſſa Solemnis Votiva de B. Virgine pro publica Eccleſiæ cauſa, & gravi neceſſitate, Præfatio erit de B. Maria; *Communicantes* vero & *Hanc igitur oblationem* de dicta octava. Sic etiamſi Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, occurrerit infra Octavam Aſcenſionis; Præfatio in Miſſa erit quidem de Apoſtolis, vel de Cruce; ſed *Communicantes* de Aſcenſione. Solum infra Octavam Nativitatis Domini, non ſolum ſemper dicitur *Communicantes*, ſed etiam Præfatio de Nativitate, licet Miſſa occurrens propriam habeat Præfationem; ut clare patet ex Miſſa S. Joannis Evangeliſtæ, in qua non dicitur Præfatio Apoſtolorum, ſed præſcribitur dicenda Præfatio Nativitatis. Sed ſi infra dictam Octavam, cantetur aliqua Miſſa

Votiva pro re gravi; tunc Præfatio erit quidem de ea, ſi propriam habeat; Communicantes vero de Nativitate; & hoc colligitur pariter ex Decreto S. C. edito die 25. Septembris 1706. & datur in noſtro Indice *ſub n.603.* & ſic tenet etiam Lohner *de Sacrif. Miſſæ par. 4. tit. 2. §. 3. ſub n. 6.*

XIII. Gav. lit. ſ - *Hanc igitur oblationem*, &c.) Poſt invocationem Sanctorum in prædicta Oratione poſtulatam, quorum meritis precibuſque dona nobis a Deo conferuntur; in nunc allegata Oratione, nimirum, *Hanc igitur oblationem*, petimus primo, ut oblationem noſtram Deus *placatus accipiat*; ſecundo, *ut dies noſtros in ſua pace diſponat*; tertio, ut *ab æterna damnatione nos eruat*; quarto, ut in *Electorum grege nos numeret*, Bellarm. *lib. 2. de Miſſ. cap. 2.* Alia quæ ſpectant ad hanc, & ad ſuperiorem partem, fuſius explicata, videri poterunt apud Durandum *de Ritu Eccleſ. lib. 2. cap. 36.* apud Card. Bona *lib. 2. cap. 12.* & Ant. Bellotte *in ſuis obſervat. pag. 990.* & *ſeqq.* & apud Le Brun *tom. 1. pag. 445.*

XIV. Rub. & Gav. lit. t - *Palmæ ſint apertæ*, &c.) Cum Sacerdos incipit illa verba Canonis, *Hanc igitur*, &c. expandit manus ſimul ſuper oblata; ſed ne disjungat pollices, ſolummodo autem manus adaperiat ex parte inferiori ſuper oblata. Bonamic. *par. 2. n. 24.* ita ut digitorum extremitates perveniant ad medium circiter pallæ, non tamen illam tangant, pollice dextero poſito ſuper ſiniſtrum in modum Crucis; ut docet optime Gavantus *ſupra*, & cæteri Rubriciſtæ omnes cum eo. Obſervare tamen debemus, quod in prædicta circumſtantia, manus Sacerdotis debent ita extendi ſuper oblata; ut pollex dexter collocetur ſuper ſiniſtrum in modum Crucis, ſupra manus, non vero infra manus; ut declaravit S. R. C. ſub die 4. Auguſti 1663. in Decr. quod datum eſt in noſtro Indice *ſub n.407.* manus autem ita diſpoſitas tenet Sacerdos uſque ad illa verba, *Per Chriſtum*, &c. tunc enim jungit manus, quas ita claudit, ut non disjungat, ſed ſolum claudat, & retrahat ad ſe ante pectus; Tonell. *lib. 2. tit. 8. Rubr. 4. n. 3.* Biſſ. *lit. S ſup. §. 53.* Gerv. *ſupra.* & ſic manibus junctis proſequitur dicendo: *Quam oblationem tu Deus*, &c.

XV. Rubr. & Gav. lit. u - *Benedictam, adſcriptam*, &c.) Deinde depoſita manu ſiniſtra ſuper Altare extra Corporale, dextra facit tria ſigna Crucis, ut præſcribit ſuperior Rubrica, continuata, & non interrupte ad illa verba, *benedictam, adſcriptam, ratam.* Quid Sacerdos facere debeat ad verba, *Rationabilem*, &c. infra diſcutiemus.

XVI. Rubr. & Gav. lit. x - *Ut nobis Corpus*, &c.) Factis dictis tribus Crucis ſignis communibus Hoſtiæ, & Calici, ut præſcribit Rubrica ſuperior, obſervando regulam ſupra nobis traditam in formandis dictis Crucibus communibus Hoſtiæ, & Calici; procedit deinde Sacerdos ad formandas duas alias Cruces ſeparatim ad illa verba, *Ut nobis Corpus*, ſignando ſemel tunc ſupra Hoſtiam tantum; ad quod ſignum non demittit manum dexteram ſuper Hoſtiam: ſatis eſt enim ſi aliquantulum manum ad ſe retrahat, ut in linea tranſverſa Crucis cadat ſuper Hoſtiam. Angel. *in catal. errorum n. 5. de Conſecr.* cum dicit *& Sanguis*, ſeparatim ſignat ſemel, & format Crucem ſuper Calicem tantum. Advertit Beovenuti *pag. 24.* quod prædictæ duæ ultimæ Cruces non debent excedere latitudinem unius palmi, ſed forſan melius adnotat Aloyſius Gherardi Epiſc. Corthonenſis *c. 8. n. 55.* quod prædictæ duæ ultimæ Cruces debent eſſe breviores (cum ſint particulares, una ſuper Hoſtiam tantum, & una ſuper Calicem tantum) quam Cruces, quæ ſunt communes Hoſtiæ, & Calici; pro qua ſua ſententia allegat Claudium La Croix *tom. 2. lib. 6. par. 2. n. 451.*

Ut fidem ſuperius datam impleamus, hoc loco examinemus, an quinque prædictæ Cruces, id eſt tres priores communes, & duæ poſteriores particulares, interrumpendæ ſint ad illa verba intermedia: *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Plerique cum noſtro Gavanto Rubricarum interpretes docent, non interrupte Cruces eſſe faciendas, Celebranti ſuadentes, ut prædicta verba diſpenſet appoſita; quam ſententiam in praxi omnes fere Sacerdotes ſequuntur: præſcribunt alii, ut Sacerdos Cruces interrumpat, & in aliorum recitatione verborum, dexteram ſuper Altare deponat, ne in aere otioſa maneat. Ita a Portu *ad tit. 8. adnot. in Rub. 4. n. 10.* Angel. *par. 3. tit. 8.* Turrinus vero *par. 2. ſect. 3. c. 4.* mediam ſententiam tenet, dicens inſpiciendum eſſe quanam celeritate, vel tarditate proferantur hæc verba, & juxta illas geſtus eſſe formandos, quia ſi quis lentus ſit, poterit manum declinare ſuper Altare; quod ſi ſine mora proferantur, & cum aliqua celeritate, tunc locum habebit Gavanti dictum, quod communiter obſervari contingit, cum nimium nimiumque gaudeant brevitate moderni: hæc Turrinus. Alii tandem docent manus eſſe jungendas, quos inter Splendianus, Andreas Pannazzi *in epitome Sacrorum Rituum cap. 13.* ubi ſententiam hanc docte propugnat.

Poſtremam hanc opinionem Biſſus *lit. S n. 20. §. 53.* imperitiæ accuſare non dubitat: ſed ſapienter facere omnino mihi videntur qui ita ſe gerunt; nam Rubrica diſerte præſcribit, ut cum Sacerdos dicit *Benedictam, adſcriptam, ratam* tres Cruces communes faciat, hinc unumquodque ex illis verbis media Cruce partitur: ergo tres Cruces communes jam debent eſſe completæ, quando recitanda ſunt illa verba, *Rationabilem*, &c. ac proinde mora aliqua ſecernendæ ſunt a duabus poſterioribus. Quid igitur Sacerdos faciet? num dexteram geret in aere ſuſpenſam? id perquam indecorum eſt: num ſuper Altare deponet? id ſilet præſentis Rubricæ textus, & pugnat cum altera Rubrica Miſſalis *tit. 7.* ubi hæc lego: *Poſtea erectus, ſtatim Sacerdos, elevans oculos, manuſque expandens, & ſtatim jungens ante pectus (quod ſemper facit quando aliquid eſt benedicturus) dicit, Veni Sanctificator.* Itaque a Rubrica præceptum eſt, ut quotieſcumque Sacerdos aliquid benedicturus eſt, jungat manus ante pectus; atqui poſt ea verba *Rationabilem*, &c. Sacerdos immediate benedicturus eſt ſingulariter Hoſtiam, & ſingulariter Calicem: ergo ad illa verba, ex generali Rubricæ diſpoſitione, debet jungere manus, præſertim quia eo tempore utraque manus eſt libera: quare imperitiæ arguendi non ſunt qui Rubr. tam accurate ſequuntur; ſed eorum potius corrigendus eſt error, qui nulla ducti ratione, vel dexteram ſuper Altare deponunt, vel ſine interruptione quinque prædictas Cruces efformant.

Factis quinque Crucibus modo ſupra expoſito, Sacerdos elevans, & jungens manus ante pectus proſequitur: *Fiat Dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*: ad nomen *Jeſu* inclinat caput inclinatione minimarum maxima; quam alibi explicavimus in quo conſiſtat.

XVII. Rubr. & Gav. lit. y - *Extergit pollices*, &c.) Mox ſi opus fuerit extergit pollices, & indices ſuper Corporale; & melius erit eos extergere ad majorem reverentiam, & ne digiti ſint humidi: extergit autem non in medio Corporalis, ubi poſtmodum Hoſtia conſecrata collocanda erit; ſed in ejus extremitatibus. Tonell. *lib. 2. tit. 8. Rubr. 4. n. 4.* Biſſus *ſupra §. 54.* Gerv. *in inſtruct. Miſſæ Priv. cap. 8. §. Dicendo*, & alii.

XVIII. Rubr. & Gav. lit. z *Qui pridie quam pateretur*, &c.) Interim vero, dum ſcilicet extergit digitos, ſecreto dicit: *Qui pridie quam pateretur*, &c. & dum dicit *Accepit panem*, pollice, & indice dexteræ manus accipit Hoſtiam in parte ejuſdem inferiore; Gerv. *ſup.* quod ut facilius præſtet, juvabit oram Hoſtiæ premere indice ſiniſtræ manus, ut advertunt multi, & cum dicit, *In Sanctas ac venerabiles manus ſuas*, etiam accipit Hoſtiam pollice, & indice ſiniſtræ manus; ſicque eam erectam, non quaſi jacentem, ambabus manibus tenet non elevatam, ne a Populo ante Conſecrationem adoretur; Biſſ. & Gerv. ſupra; & interim utriuſque manus digiti extenduntur uniti. Bonamic. *part. 2. n. 28.* Tonell. & Gerv. *ſupra.*

XIX. Rubr. & Gav. lit. a - *Benedixit*, &c.) Stat autem Sacerdos erectus tenens Hoſtiam modo dicto ante medium Altaris, & levans ad Deum oculos, id eſt ad imaginem Crucifixi; & ſtatim demittens, ſine tamen elevatione capitis, dicit: *Et elevatis oculis*, &c.) caputque aliquantulum inclinans, inclinatione minimarum maxima, quia plura proferuntur verba, quæ hanc inclinationem merentur; deinde dicit, *Tibi gratias agens*; & tenens Hoſtiam inter pollicem, & indicem ſiniſtræ manus, aliquantulum elevatam (& non quaſi jacentem, ut male faciunt multi) non ad latus, ſed in medio Corporalis, ſupra plicaturam anteriorem circiter, producit ſignum Crucis ſuper eam, dextera manu, dum dicit voculam illam, *Benedixit*; & notandum hic, quod tam iſta, quam aliæ Cruces particulares, non debent excedere longitudinem unius palmi, imo debent eſſe breviores, quam Cruces communes, ut notavimus ſupra.

## R U B R I C A.

5 *Si adſit vas cum aliis Hoſtiis conſecrandis antequam accipiat Hoſtiam, (b) diſcooperit manu dextera Calicem, ſeu vas aliarum Hoſtiarum: cum autem ſinierit ſupradicta verba, cubitis ſuper Altare poſitis, ſtans capite inclinato, diſtincte, reverenter, & ſecreto profert verba Conſecrationis ſuper Hoſtiam, & ſimul ſuper omnes, ſi plures ſint conſecrandæ: & Hoſtiam ſuam pollicibus, & indicibus tantum tenens, dicit. Hoc eſt (c) enim Corpus meum. Quibus prolatis, Celebrans, tenens Hoſtiam inter pollices, & indices prædictos ſuper Altare, reliquis manuum digitis extenſis, & ſimul junctis (& Hoſtiis, ſi plures ſint conſecratæ, in loco, in quo a principio Miſſæ poſitæ ſunt, ſuper Corporali, vel in alio vaſe, aut Calice demiſſis) genuflexus eam (d) adorat. Tunc ſe erigens, quantum commode poteſt, (e) elevat in altum Hoſtiam, & intentis in eam oculis (quod & in elevatione Calicis facit) Populo reverenter oſtendit adorandam: & mox ſola manu dextera ipſam reverenter reponit ſuper Corporale in eodem loco, unde eam levavit, & deinceps pollices, & indices (f) non disjungit, niſi quando Hoſtiam conſecratam tangere, vel tractare debet uſque ad ablutionem digitorum poſt Communionem.*

## G A V A N T U S.

(b) *Diſcooperit.* Si Pyxidem collocaverit poſt Calicem, retrahet eam prius ad latus ipſius Calicis verſus cornu Epiſtolæ, ut ſuper ipſas quoque particulas propius verba proferat Conſecrationis; * quæ proferre debet, ſtans quidem, & inclinato capite, ſed ratentis æqualiter pedibus in ſuppedaneo Altaris; non dextro ultra ſiniſtrum, reverentiæ cauſa, quaſi deflexo.

(c) *Enim.* Additum eſt a S. Petro; *ex S. Thom. 3. part. qu. 78. art. 2. ad 5.*

Notat *Biel. lect. 38.* non vacare Myſterio, quod ſint quinque verba hujus Conſecrationis; totidem enim fuit conſummata incarnatio: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*: Publicano totidem facta culparum remiſſio: *Deus propitius eſto mihi peccatori*: Latroni totidem Cœli promiſſio: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

(d) *Adorat.* Unicogenu, ut ſtatim, & facilius ſurgere poſſit; quod & in ſequentibus obſerva; * neque cubitis ſuper Altare poſi-

poſitis adorari, ſed manibus Hoſtiam tenentibus ſuper Altare retentis, & ita ut commode ad certam uſque genuflexio fiat; neque videri Hoſtia ab omnibus poſſit. Abſtineat omnino ab oſculo Hoſtiæ, *S. Bonavent. in ſpec. diſc. part. 2. cap. 11.*

(e) *Elevat in altum Hoſtiam.* Et ſtatim reponit, neque diu elevatam tenere debet; qui ritus indicatur *Pſal. 71. Exponente Rabbi Jonatha, qui vixit ante Chriſtum, in libro collectionum: Erit placenta panis Sacrificium in capitibus Sacerdotum, qui ſunt in Eccleſia:* & licet hæc expoſitio minus probetur a *Bellarmino in Pſal. 71.* placet tamen *Galatino, Burgenſi, & aliis apud Lorinum in eumdem Pſal.* Vulgata legit: *Erit firmamentum* (Epithetum enim eſt panis, qui cor hominis confirmat. *Pſal. 103.*) *in terra in ſummis montium.* Sane hæc habet *Dionyſ. c. 3. Eccl. Hierarch.* Myſteria conficit, in conſpectu agit, reverenter oſtendens, *& Anaſtaſius Synaita de Sacra Synaxi:* panem vitæ ſuſtulit, eumque omnibus oſtendit; tamquam cibum, & potum excellentiorem cæteris, ait *Hugo Victor. in Spec. Eccl. cap. 7.* vel, ac ſi tunc Chriſtus elevetur in Crucem; & rurſus immoletur. *Gem. lib. 1. c. 46.* Item, ut a Populo ſciatur Conſecratio facta ſecreto, & adoretur Chriſtus; *Durand. lib. 4. cap.* unde & Populus genibus flexis adorat. *Ex Concil. Trevirens.*

Monet hoc loco *Nicol. de Plove*, ne in Conſecratione ipſa, elevetur Hoſtia, ita ut videatur; ne tunc nondum conſecrata adoretur. Octo vero cauſas elevationis, morales, & pias affert *S. Bonav. de Myſt. Miſſæ.*

* In elevatione Hoſtiæ digitos extenſos jungat, & item imas partes manuum, ut ſolidius, & decentius eam elevet; neque eos dividat, niſi quando reponit Hoſtiam.

(f) *Non disjungit.* Nullus antiquorum indicat hunc Ritum non disjungendi digitos, quem potius confutat, ſed male *Microl. c. 16.* Meminit *S. Thom. 3. part. qu. 83. art. 5. & Durand. poſt eum c. 41.* ob reverentiam ſcilicet Sacramenti. Digiti vero prædicti non disjunguntur uſque ad eorumdem ablutionem incluſive.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ſervando in Hoſtiæ, & aliarum Particularum, ſi quæ ſint, Conſecratione.

XX. Gavant. lit. b — *Si Pyxidem collocaverit poſt Calicem, &c.*) Antequam Sacerdos accipiat Hoſtiam, imo ante digitorum abſterſionem, Pyxidem Particularum conſecrandarum retrahit ad latus Calicis, & eam diſcooperit, ut notatur a Gavanto *ſupra*. Si Particulæ conſecrandæ ſint ſuper Corporale, ibi relinquuntur ſuper aram, ad cornu Evangelii, ut erant. Quarti *par. 2. tit. 8. Rubr. 5. n. 4.*

Cum autem finierit ſupradicta verba, nempe, *Fregit, deditque Diſcipulis ſuis*, Sacerdos cubitis ſuper Altare poſitis reverenter, manibus minime Corporale tangentibus ob decentiam, cum ibi quamprimum collocanda ſit Hoſtia conſecrata, ſtans inclinato mediocriter capite, & humeris eodem modo inclinatis, cum non poſſint cubiti ſuper Altare collocari cum ſola capitis inclinatione; Bauld. *part. 3. tit. 8. Rubr. 5. n. 2.* a Portu *ſup. n. 3.* diſtincte, reverenter, & ſecreto profert verba Conſecrationis, prout præſcribitur a Rubrica, & Gavanto *ſupra*: unica enim formæ prolatione conſecrantur ſimul magna Hoſtia, quam præ manibus tenet Sacerdos, & Particulæ, quas habet præſentes, ſuper Corporale poſitas; vel in Pyxide, ſeu alio vaſe contentas. Biſſus *ſup. §. 55.* & reliqui omnes communiter.

In conſecranda Hoſtia caveat Sacerdos, ne ullum faciat capitis motum, aut oris; nec afflet, aut barba, vel ore contingat Hoſtiam, nec capite ſignet, nec eam oſculetur peracta Conſecratione: Corſett. *tract. 2. part. 1. ſect. 2. n. 16.* Tonell. Bonamic. & alii: ſed unico contextu, & nulla interpoſita mora, inter hanc, vel illam vocem, ea verba, quæ profert, clare quidem, ſed ita ſecreto, ut a nemine circumſtantium audiantur, pronuntiet. Bauldry, Biſſ. *ſup.* & cætera obſerventur a Sacerdote, prout diſponit Rubrica, & explicat Gav. *ſup.* Notare quidem nos debemus, quod qui utuntur perſpicillis, ipſa non adhibeant, ſi poſſunt, a Conſecratione, uſque ad peractam Communionem: quod ſi iis neceſſario uti debent, capiant ea inter indicem, & medios digitos, & numquam ſuper Corporale ea deponant. Bauld. *part. 3. c. 5. n. 6.*

Prolatis verbis Conſecrationis Hoſtiæ, Celebrans eamdem Hoſtiam conſecratam tenens inter pollices, & indices ſuper Altare, reliquis manuum digitis extenſis, & ſimul junctis; & Hoſtiis, ſive Particulis, ſi plures ſint conſecratæ, in loco, in quo tempore Conſecrationis erant ſuper Corporale, vel in alio vaſe, aut Calice relictis (non enim Hoſtia conſecrata antequam elevetur, eſt deponenda, ut vas cum Particulis retro Calicem collocetur, & cooperiatur, cum hoc fieri debeat poſt Hoſtiæ elevationem) ſtatim adorat, ut dicitur infra. Biſſus *ſupr. §. 56.* a Portu *ſupra num. 7.*

XXI. Gav. lit. d — *Adorat unico genu, &c.*) Hoſtiam conſecratam Sacerdos ſtatim adorat unico genu, & cætera præſtat, prout traditur a Rubrica *ſupra*, & Gavanto. Advertat tamen, ne in genuflexione ſupradicta attollatur Hoſtia; & ut commodius a Celebrante genuflectatur, retrahantur omnino cubiti extra Altare, reductis ad extremitatem Corporalis, ibique retentis ſolis manibus, uſque ad pulſus, Hoſtiam retinentibus. Gervaſi *ſupra*, Cabrinus *c. 8. §. Celebrans*, Gavant. *ſupr.*, & alii communiter. Porro ſupradicta genuflexio, quæ fit, ut diximus, unico genu poſt Conſecrationem, ſicuti fit ante ſumptionem Sacramenti, debet fieri cum majori reverentia, & ideo cum aliqua morula.

Biſſ. *ſupr.*, & Bauldry *par. 3. c. 5. n. 6.* Facta prima adoratione, acceptam in inferiori parte Hoſtiam elevat eo modo, quo in Miſſali, & Rubrica præſcribitur: debet tamen eam elevare, ſicut etiam Calicem, perpendiculariter, hoc eſt recta linea, oculis in eam intentis: & ita ut, nec elevet Hoſtiam ſuper Calicem, nec elevet Calicem ſuper Hoſtiam; nec nimis lente, nec nimis properanter, nec diu elevatam teneat; in ejuſque elevatione digitos extenſos jungat, ſicut & imas partes manuum, ut ſolidius, & decentius eam elevet; neque eas dividat, niſi quando reponit Hoſtiam: digiti vero prædicti non disjunguntur, niſi quando tractanda eſt Hoſtia; & poſt eorumdem ablutione excluſive. Hoſtiam deponat ſola manu dextera poſt elevationem; & idem debet dici de Calice, ſiniſtra manu poſita tunc ſuper Corporale, quando Hoſtia, & Calix ſunt prope planum Altaris: ſi forte fragmenta quædam pollicibus, & indicibus adhæreant, non ad Calicis labrum admoveat, ſed affrictu digitorum inter ſe ſupra medium Calicis, curet, ut fragmenta decidant in Calicem.

XXII. Gav. lit. e — *Elevat in altum Hoſtiam, &c.*) Obſervandum hoc loco, Græcos non ſtatim poſt peractam Conſecrationem, ſed paulo ante Communionem Corpus Dominicum elevare; qui ſane Ritus in Eccleſia Græca antiquiſſimus eſt, eum illius mentionem habeant in Baſilii, ac Chryſoſtomi Liturgiis; apud Dionyſ. *c. 3. Eccl. Hierar.* Anaſtaſium Synaitam in Oratione de Sacra Synaxi: S. Germanum in contemplatione rerum Eccleſiaſt. & Sanctum Maximum in ſcholiis ad cit. Dionyſii locum. His teſtimoniis decepti nonnulli Scriptores exiſtimarunt ab ipſis Eccleſiæ primordiis elevationem in Occidente viguiſſe: falluntur tamen, Græcorum teſtimonia de Latinis Ritibus nihil probant, ut ait Card. Bona *l. 2. c. 13. §. 2.* certum quippe eſt morem hunc non ante undecimum Sæculum a Latina Eccleſia fuiſſe receptum; quod invicte demonſtrat ſilentium omnium Ordinum Romanorum Alcuini, Amalarii, Walafridi, Micrologi, Remigii Antiſſiodorenſis, Flori Lugdunenſis: qui cum omnes Miſſæ Ritus accurate deſcripſerint, nullam elevationis faciunt mentionem. Legimus quidem in Miſſali Mozarabum poſt Conſecrationem Hoſtiæ: *Hic elevetur Corpus Chriſti:* & poſt Conſecrationem Calicis: *Hic elevetur Calix coopertus cum phiala*, quod eſſet pro hujus Ritus vetuſtate validiſſimum argumentum: id tamen neminem movere debet, ut a communi ſententia recedat: nam hæc Miſſali Mozarabico addita ſunt a Card. Ximenes; ut erudite oſtendit Petrus Le Brun *tom. 2. diſſ. 5. pag. 302.* Diſplicuit Plinio obſervatio Galli Scriptoris; nullum tamen protulit argumentum, quo Bruni ſententiam everteret. Fortius urgeret Pelagii I. Decretum Ann. 557. a Martino Polono relatum in ejuſdem Summi Pontificis vita, quod ita ſe habet: *Ut memoria Defunctorum in omni Miſſa fieri debeat poſt elevationem Hoſtiæ.* Magni fecit hoc Pelagii Decretum, magni nominis Card. Perron. *l. 3. de Euchar. c. 4.* illud tamen viri eruditi rejiciunt, nec immerito: quis enim credat hujuſmodi Decretum tot Miſſæ expoſitores latere potuiſſe, qui omnia Pontificum ſtatuta ad Liturgiam pertinentia, ſive genuina; ſive apocrypha, ſuis operibus inſerebant; & ab uno Martino Polono poſt octingentos Annos eſſe detectum? cum ergo ante Sæculum XI. nullum hujus Cæremoniæ veſtigium appareat, merito ſtatuunt Doctiſſimi rerum Liturgicarum expoſitores, non ante illud Sæculum in Latinorum Ritibus fuiſſe receptam. Qua autem occaſione introductus ſit in Eccleſia Latina mos Sacramentum elevandi, ſe ignorare fatetur Cardin. Bona *loc. cit.* D. de Tert non approbandas ſuper hunc Ritum conjecturas ſuas ponit *tom. 3. pag. 261.* quas a Petro Le brun ſolide refutatas hic dedignamur exponere. Placet nobis ejuſdem Petri ſententia, quæ ſtatuit morem elevandi Euchariſtiam in Eccleſia Latina, originem a Berengariana hæreſi duxiſſe: cum enim Berengarius realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam impugnaſſet, plures viri Sanctitate præſtantes, varios Ritus invexerunt, ut Fideles publice profiterentur Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam a Berengario impetitam; cui rei mirum, quantum elevatio Sacramenti conveniat. Hinc ſtatutum eſt a Gregorio XI. ut notat etiam Gavantus *ſup.* & a Guillelmo Pariſienſi, ut ad elevationem Euchariſtiæ campanula pulſaretur; quo ſonitu monita plebs Chriſto præſenti adorationem impenderet; cujus Ritus meminit etiam Ivo Carnotenſis *Epiſt. 142.* Morales hujus Cæremoniæ (nempe elevationis Euchariſtiæ in Miſſa) rationes, plures afferunt Auctores myſtici a Gavanto ſupracitato, inter quos Div. Bonaventura, &c. Videri poſſunt, quæ de hoc Ritu ſcribunt Cardin. Bona *loc. cit.* Menardus in notis ad Sacramentarium D. Gregorii, Antonius Bellotte in obſervat. Rit. Laud. Eccl. *pag. 366.* Petrus le Brun *tom. 1. explicat. Cærem.* Grancolas *tom. 1. veterum Liturg.* & Auctor Gallici tractatus de Miſſa Parochiali.

R U B R I C A.

6 *Repoſita Hoſtia conſecrata ſuper Corporale, genuflexus ipſam veneratur: ſi adſit vas aliarum Hoſtiarum, Patena, vel palla cooperit, ut ſupra. Interim, dum Celebrans elevat Hoſtiam, accenſo prius intortitio, (quod non extinguitur, niſi poſtquam Sacerdos Sanguinem ſumpſerit, vel alios communicaverit, ſi qui erunt communicandi in Miſſa) (g) miniſter manu ſiniſtra elevat fimbriam poſteriorem planetæ, ne ipſum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod & facit in elevatione Calicis, & manu dextera (h) pulſat campanulam (i) ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quouſque Sacerdos deponat Hoſtiam ſuper Corporale, & ſimiliter poſtmodum ad elevationem Calicis.*

### G A V A N T U S.

(g) *Miniſter*. Paulo poſt Sacerdotem ad ejuſdem dextram genuflexus ſupra altiorem gradum, ſi plures ſunt gradus, manu ſiniſtra elevat partem inferiorem poſterioris planetæ, quæ, ut ſupra docuimus, errabanda utrinque ſuper brachia reflectebatur, & eadem brachia in hac elevatione impediebat; in medio eam accipit, quam deponens deinde non oſculatur.

(h) *Pulſat campanulam*. Ex Decreto Gregorii XI. *apud Naucleum gener. 42. Anno* 1240. & meminit hujus Ritus *Ivo Carnot. epiſt.* 167. ſicuti in veteri Teſtamento Levitæ tempore Sacrificii tubas clangebant argenteas, quarum ſonitu Populus provocabatur ad adorandum. *Durand. lib. 4. c.* 41. Honorio III. adſcribit Ritum *Abbas Usbergen. cum Schultin. tom. 1. part. 1. cap.* 18. Vidoni Cardin. an. 1207. *Cæſarius lib. 9. cap.* 51.

(i) *Ter*. Ideſt, cum Sacerdos adorat, cum elevat, & cum reponit Hoſtiam, ſeu Calicem: & hic Ritus, ſicuti eſt prior in Rubrica, ita decentior eſt poſteriore, quo continuate campanula pulſatur; ternario namque numero gaudet Deus, ut alias cum Innocentio III. diximus.

* Non pugnat Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 1. cap.* 29. cum Miſſali, dum in eo extinguuntur funalia poſt depoſitionem Calicis, & in Miſſali poſt Communionem: quia nimius funalium calor, & fumus Prælatis nocent; unius autem cerei non item.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, & repoſitione Hoſtiæ, uſque ad elevationem Calicis.

XXIII. Rubr. *Si adſit vas*, &c.) Repoſita Hoſtia ſuper Altare ante Calicis elevationem, ſi adſit vas aliarum Hoſtiarum, ſeu Particularum conſecratarum, Sacerdos ſtatim cooperit, præſertim ne muſca, aut quid ſimile intret in illud, quod Sacramentales ſpecies commaculare poſſit: Quarti *par. 2. tit.* 8. *Rubr. 6. n.* 1. ob quam rationem cooperitur etiam Calix cum palla ante, & poſt Conſecrationem; non vero grandior Hoſtia, & particulæ ſuper Corporale exiſtentes cooperiuntur, quia facilius a Sacerdote, utpote ipſi proximiores cuſtodiuntur. Idem Quarti *ſupra*. Inſuper dictum vas ſive ſit Calix, ſive Pyxis reconditur poſt Calicem, ubi erat prius. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 6. unde approbandi non ſunt illi, qui peracta Couſecratinne recondunt Pyxidem prædictam intra Tabernaculum, vel extra aram ſuper aliud Corporale. Card. de Lugo *de Euchar. diſp.* 20. *n.* 69. Reprehendendi pariter ſunt illi, qui nulla urgente neceſſitate, ſtatim poſt Conſecrationem diſtribuunt Populo illas Particulas tunc conſecratas; quæ cum pertineant ad idem Sacrificium, non licet eas diſpenſare Fidelibus, niſi peracto eodem Sacrificin. Quarti, de Lugo, & Tonellius *loc. cit.* Si tamen urgente aliqua neceſſitate ad aliud Altare transferri debeat, ſtatim peracta Conſecratione, prædicta Pyxis, in qua continentur Particulæ de novo conſecratæ; tunc Celebrans retrahat ſe ad cornu Evangelii, & ibidem genuflexus utroque genu adoret. Tonellius *ſupra*, & Corſettus *ſupra n.* 8.

XXIV. Gav. lit. g -- *Manu ſiniſtra elevat*, &c.) Dum Hoſtia elevatur a Secerdote, Miniſtet profunde inclinat, manu dextera pulſat campanulam, ut ſtatuit Rubrica, & mauu ſiniſtra elevat poſteriorem partem planetæ Celebrantis; quæ controvertitur, utrum ſit oſculanda ab eodem Miniſtro, dum illam apprehendit Bonamic. *par. 3. n.* 94. Affirmativam tenet ſententiam; Bauld. vero *par. 1. ſup.* Lohn. *par. 3. tit. 9. n.* 10. & plures alii ſuſtinent non eſſe nſculandam in tali caſu a Miniſtro planetam oh eas rationes, propter quas eam non oſculatur Sacerdos, dum eam ſumit, nimirum, quia nulla in ea continetur Crux: præterea coram Sacramento nihil eſt oſculandum, ut notat Gerv. cit. *ſupra*.

XXV. Gav. lit. h -- *Pulſat campanulam*.) Idem Miniſter, dum Hoſtia elevatur, profunde inclinat, & campanulam pulſat manu dextera ter, ut præſcribit Rubrica ſuperior, & Gavant. lit. i; prima vice, quando Sacerdos genuflectit; ſecunda vice, quando Sacerdos Hoſtiam elevat; tertia vice, quando ipſe Sacerdos Hoſtiam deponit. Bauld. *part. 1. ſupra & part. 3. ſupra num.* 2. Caſtald. *lib. 2. c. 16. num.* 19.

Quando poſt depoſitionem Hoſtiæ Sacerdos iterum genuflectit, ut illam adoret, non pulſat campanulam; unde animadvertat Miniſter, ut tertia vice pulſet campanulam in depoſitione Hoſtiæ, non in genuflexione, immediate ſubſequenti depoſitionem. Bonamicus *ſupr.* deponit autem planetam poſt campanulæ pulſationem abſque oſculis. Bauld. *par. 1. ſupr. n. 36. & par. 3. ſupra n.* 1. Alius Ritus pulſandi campanulam non ter, ſed continuate, ſicut a Gav. cenſetur minus decens, ita etiam a nobis non videtur alteri ſupra expoſito præferendus: eodem modo, & abſque oſculis debet pulſari campanula in elevatione Calicis.

Huc ſpectat ſubſequens S. R. C. Decretum de non pulſanda campanula, quandn ſit aliqua Proceſſio in Eccleſia -- In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda campanula ad elevationem SS. Corporis Chriſti in Miſſa Privata: quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt a tranſeuntibus utroque genu ante Altare, ubi Miſſa celebratur, &c. -- quod Decretum datum eſt in noſtro Indice *ſub num.* 457. & editum fuit a Sac. Rit. Congr. die 1. Martii 1681.

### R U B R I C A.

7 *Celebrans, adorato Sacramento, ſurgit, & (l) diſcooperit Calicem, in quem, ſi opus ſit, extergit digitos; quod ſemper faciat, ſi aliquod fragmentum digitis adhæreat: & ſtans erectus dicit: Simili modo poſtquam cœnatum eſt: & ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam, & aliquantum illum elevans, ac ſtatim deponens, dicit: Accipiens & hunc præclarum Calicem, &c. cum dicit: Item tibi gratias agens: caput inclinat: cum dicit, Benedixit, ſiniſtra Calicem infra cuppam tenens, dextra ſignat ſuper eum, & proſequens, Deditque diſcipulis ſuis, &c. ambabus manibus tenens Calicem, videlicet ſiniſtra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis ſuper Altare poſitis, & capite inclinato, profert attente, continuate, & ſecrete, ut ſupra, verba Conſecrationis Sanguinis: Hic eſt enim Calix, &c. Quibus dictis reponit Calicem ſuper Corporale, dicens ſecreto: (m) Hæc quotieſcumque feceritis, &c. genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum ſe erigit, & accipiens (n) Calicem diſcoopertum cum Sanguine ambabus manibus, (o) ut prius, elevat eum, & erectum quantum commode poteſt, oſtendit Populo adorandum: mox ipſum reverenter reponit ſuper Corporale in locum priſtinum, & manu dextra palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.*

### G A V A N T U S.

(l) *Diſcooperit Calicem*. Sunt, qui nunc interea palla Calicis tegunt Hoſtiam, ne in elevatione Calicis eam fortaſſe tangant cum fimbriis manipuli, deponendo Calicem: quod non probo, movente quæſtionem *Durand. cap.* 46. cur Hoſtia nunquam cooperitur, & Calix operitur? cui reſpondet: tum ob periculum, ne quid in Calicem cadat; tum ob Myſterium; quia in Calice repræſentatur Chriſtus, ut in Sepulcro, opertus Syndone, Sudario, lapide clauſo, & ſignato; in Hoſtia vero, ut in Paſſione extra Sepulcrum: quare tegi nunquam debet in Miſſa, Durandi judicio, Hoſtia Sacra.

* *Quod* hic dicitur *juxta nodum infra cuppam*, idem eſt, ac ſi dicatur, capit nodum Calicis, qui eſt infra cuppam: quidam deponunt Calicem, ut manus jungant, & benedicant, ſed non bene: vide ſupra *titulo præced. n.* 5. non enim deferendus eſt Calix ab ejuſdem aceeptinne; ſicuti nec deferitur Hoſtia ad illud verbum, *Benedixit*, donec fiat Conſecratio.

(m) *Hæc quotieſcumque*, &c. Antequam elevet Calicem, hæc verba dicere debet; & dum reponit, pedi Calicis non debet oſculum infigi a Celebrante; de quo nihil Rubrica.

(n) *Calicem diſcoopertum*. Tradit *Durand. c.*41. & laudat elevari Calicem coopertum, myſticaſque affert cauſas *c.* 42. ſed antiquitus non poterat elevari coopertus, quando Corporale erat ſatis amplum, ſubſtratum Hoſtiæ, & Calici, quod una ſimul adhibebatur ad tegendum Calicem altera parte ejuſdem, cujus vices nunc gerit palla; ut ſignificavimus ſupra *tit.* 1. Ne quid vero cadere nunc poſſit in Calicem, dum elevatur; prohiberi debet vel tecto ſuper Altare concamerato, vel umbella decenti ſuperaddita. Ritus igitur a Rubrica noſtra præſceiptus conformior eſt antiquiori naſcentis Eccleſiæ; qui tamen & tempore Durandi apud quoſdam, *inquit idem ibid.* erat in uſu, forte apud Romanos; non erat autem in præcepto hæc elevatio Calicis ante S. Thomam; *ex Sot. 4. diſt. 13. quæſt. 2. art.* 5. unde neque *S. Thom.* meminit illius, ubi minute Ritus omnes proſequitur Miſſæ.

(o) *Ut prius*. Hoc eſt, ſiniſtra pedem, dextra nodum tenens; qui Ritus frequentior eſt tenendi Calicis, de quo in oblatione ejuſdem *tit. 7. n.* 5. nedum in Conſecratione: ergo idem eſt ſervandus in elevatione: putant enim aliqui illud, *Ut prius*, referri ad ea *Ambabus manibus juxta nodum*, ſed minus recte.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a repoſitione Hoſtiæ ſuper Altare, uſque ad Calicis repoſitionem.

XXVI. Rubr. & Gav. lit. l -- *Antiquitus*, &c.) Antiquitus quidem Calix coopertus conſecrari poterat; nunc vero nonniſi diſconpertus, eſt conſecrandus; & hoc præſcribitur in Miſſali reformato a S. Pio V. Ita notat Annell. *de offic. Sacerd. lib. 1. c.* 11. *dub. 6. n.* 45. & Biſſ. *lit S. n.* 20. §. 59. Dum autem Sacerdos diſcooperit Calicem, manum ſiniſtram ſuper Altare intra Corporale ponit, & accipit pallam digitis medin, & indice unito pollici manus dexteræ, ut *ſup.* Tonell. *lib. 2. tit. 8. Rubr. 7. n.* 1. & alii communiter. Prædictam autem pallam ponit ſuper extremitatem veli exiſtentis prope Corporale, poſiti ad partem Epiſtolæ: ita Baldaſſar Bonam. Tonell. & alii relati ab Hippolyt. a Portu *ſup. in ſuis Adnot. ad Rub. 7. hujus tituli n.* 1. deinde præſtet ea, quæ præſcribit Rubrica, & Gavantus ſupra, advertendo, quod non debet elevare Calicem ante illius Conſecrationem, ultra quatuor digitos a menſa Altaris. Bauld. *part. 1. tit. 9. Rub. 3. n.* 3. & alii, quos citat, & ſequitur a Pnrtu *ſupr.* In actuali Calicis Conſecratione, quando caput inclinare debet, inclinat inclinatione ſimplici, ſeu minimarum maxima verſus Hoſtiam conſecratam, & non verſus Crucem, cætera exhibendo prout diſponit Rubrica *ſupr.* & prout fecit in Hoſtiæ Conſecratione, proportione ſervata, in pronuntiandis verbis Conſecrationis, in genuflexionibus faciendis, &c.

XXVII. Rubr. & Gav. lit. n -- *Calicem diſcoopertum*, &c.) In Calicis conſecrati adoratinne, ſeu genuflexione, Sacerdos non tenet eum pre manibus, ſicut tenet Hoſtiam conſecratam; ratio diſparitatis deſumitur a periculo effundendi Sanguinem per actum genuflexionis; quod non contigit in Hoſtiæ adoratione. Facta igitur genuflexione mox ſurgit; & Calicem diſcoopertum

acci-

Google

accipiens ambabus manibus, videlicet ultimis tribus digitis ſiniſtræ manus pedem Calicis tenentibus, & dextera nodum apprehendente, ita ut Calicis nodus intercludatur a dexteræ pollice, & indice unitis ex parte anteriori, ac medio, & anulari ex parte poſteriori, elevat cum perpendiculariter, ut diximus *ſup.* ita tamen, ut pes ejus non excedat oculos Sacerdotis, intentos ſemper in dictum Calicem elevatum. Bonam. *part*, 2. *n.* 28. Gerv. *ſup.* & alii communiter. Miniſter autem eadem præſtat in elevatione Calicis, quæ fecit in elevatione Hoſtiæ conſecratæ; advertendo tamen, quod repoſito Calice a Sacerdote ſuper Corporale, & ab eodem per ſecundam genuflexionem iterum adorato, dictus Miniſter ſurgit, & genuflectit in plano Capellæ juxta medium Altaris, & retrahit ſe ad infimum gradum Altaris a cornu Epiſtolæ, deferens ſecum campanulam, eamque deponens in ſuo loco. Bonam. *par.* 3. *n.* 94. Bauldry *par.* 1. *cap.* 15. *n.* 35. & 37. Iohn. *part.* 3. *tit.* 9. *n.* 10. & Gerv. *ſupr. n.* 7.

R U B R I C A.

§ *In Miſſa Solemni ad finem Præfationis accenduntur duo ſaltem intortitia ab Acolythis, quæ* (p) *extinguuntur poſt elevationem Calicis, niſi aliqui ſint communicandi, & tunc extinguuntur poſt Communionem. In diebus etiam jejuniorum, & in Miſſis pro Defunctis tenentur accenſa uſque ad Communionem. Cum autem Celebrans dicit, Quam oblationem, &c.* (q) *Diaconus accedit ad ejus dexteram, & ibi in ſuperiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbrias planetæ elevat: & quando opus eſt, ſe erigens, Calicem diſcooperit, & cum Celebrante genuflectit.* (r) *Subdiaconus genuflectit in loco ſuo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epiſtolæ* (ſ) *ter incenſat Hoſtiam, cum elevatur, & ſimiliter Calicem, poſito incenſo in thuribulo abſque Benedictione. Repoſito Calice,* (t) *Diaconus redit ad librum, niſi alius aſſiſtat; cæteri ſurgunt, & ſtant in locis ſuis.*

*G A V A N T U S.*

(p) *Extinguuntur poſt elevationem.* Ne portantes intortitia genuflexi maneant, cæteris ſtantibus, ideo aſportantur funalia, & extinguuntur. Cum autem Communio facienda eſt, non diſcedunt, ut deinde redeant; ſed expectant Communionem, quæ fieri debet cum accenſis luminibus, præſertim ſi diſcedatur ab Altari. Cum autem elevatur Hoſtia, elevantur etiam intortitia uſque ad depoſitionem Calicis incluſive.

*In diebus jejuniorum, &c.* Ceſſat ratio ſtandi; & quia genuflexi manent omnes in Choro, uſque ad *Pax Domini*, parum quod ſupereſt uſque ad communionem Celebrantis, pro nihilo reputatur; congruitque ob præſentiam Sanctiſſimi Sacramenti in Altari, ut eo caſu tantum ardeant intortitia. Excipe Vigilias Nativitatis, Paſchatis, & Pentecoſtes, quando nimirum in Choro non genuflectitur, & conſequenter neque remanent intortitia, depoſito Calice.

(q) *Diaconus accedit.* Facta prius nimirum genuflexione, ubi eſt, Altari. Si adeſt Pyxis cum Particulis conſecrandis, ipſe eam detegit, & collocat prope Hoſtiam ante Conſecrationem; & depoſita Hoſtia, poſt Elevationem, facta cum Celebrante genuflexione, Pyxidem operit, collocat in priſtino loco; & antequam diſcooperiat Calicem conſecrandum, cum Celebrante prius adorat cum genuflexione Hoſtiam ab eo depoſitam ſuper Altare.

(r) *Subdiaconus genuflectit in loco ſuo.* Hoc eſt ſupra infimum Altaris gradum in medio poſt Celebrantem.

(ſ) *Ter incenſat.* Nimirum, cum Celebrans adorat, cum elevat, & cum deponit; neque benedicitur incenſum. *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 24. ad majorem reverentiam SS. Sacramenti a quo omnis Benedictio.

Genuflectunt autem prædicti, quando Diaconus genuflectit.

Pulſantur etiam campanæ, ſigno dato cum campanula, ut ſupra dictum eſt *n.* 6. ab Acolytho.

(t) *Diaconus redit ad librum.* Facta iterum genuflexione in cornu Evangelii tantum ubi eſt liber, & aſſiſtit, ut prius. Thuriferarius redit in Sacriſtiam.

Elevato Sacramento, hoc eſt depoſito Calice, Chorus dicit: *Benedictus qui venit, &c.* ait *Cærem. Epiſcop. lib.* 5. *c.* 8. *ut ſupra dictum eſt.* Nota, quod Chorus genuflectit initio Canonis; *Cær. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. & ſurgit poſt depoſitionem Calicis; *ex hac Rubr.* ſtant autem omnes verſus Altare in locis ſuis.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, a fine Præfationis, uſque ad Calicis repoſitionem.

XXVIII. Rubr. *Circa finem Præfationis accenduntur, &c.*) Rubrica optime præſcribit, quod circa finem Præfationis, duo ſaltem Clerici accendant duo intortitia, &c. nam in Feſtis Solemnioribus, & in majoribus Eccleſiis adhibentur etiam quatuor, ſex, vel octo intortitia, & conſequenter totidem Clerici, qui ea deferant, requiruntur. Prædicta autem intortitia, vel accenduntur in Sacriſtia, vel in alio loco retro Altare, ubi Miſſa celebratur quibus accenſis, præcedente Cæremoniario, deinde Thuriferario cum thuribulo, in quo tunc debet immitti incenſum, vel per ipſum Thuriferarium, vel per Cæremoniarum, ſine Benedictione; ut docet Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 4. *c.* 6. §. 14. Cær. Monaſticum *lib.* 2. *cap.* 9. §. 13. & Cær. Patrum Eremitarum S. Auguſt. *par.* 1. *c.* 16. in quo caſu non deberet deferre ſecum naviculam. Alii autem contrarium tenent circa thuris immiſſionem in thuribulum, in prædicta circumſtantia, qui eam præſcribunt faciendam eſſe ſolum paulo ante elevationem Sacramenti in Presbyterio, ut nos dicemus infra cum Gavanto; & idcirco Thuriferarius tunc debet ſecum deferre naviculam.

Clericus vero, qui defert intortitia, & a dexteris Thuriferarii incedit, facem manu dextera deferat, & aliquantulum eam inclinet, ſiniſtra vero manu infra pectus poſita; alter autem Clericus, qui ad ſiniſtram Thuriferarii ambulat, dextera infra pectus poſita, ſiniſtra facem deferre debet; & ſic ſimul incedunt. Cum autem pervenerint ad medium Altaris, ſalutant Chorum ex utraque parte, ſi ibi ſit ante Altare, advertentes, ne terga Altari vertant. Deinde omnes diſpoſiti in recta linea, genuflexionem unico genu faciunt Altari in plano Capellæ, aliquantulum ab infimo gradu Altaris diſtantes: mox ſurgunt, & ſibi ipſis invicem mutuam capitis inclinationem faciunt, id eſt mediocrem; deinde Cæremoniarius, & Thuriferarius accedunt ad cornu Epiſtolæ, genuflectunt in plano, non ſuper infimum gradum. A Portu *par.* 2. *de Miſſa Sol. tit.* 8. *Rub.* 8. *in adnot. n.* 1. Iidem Acolythi vero cum intortitiis genuflectunt deinde utroque genu poſt Subdiaconum in recta linea diſtantes per tres, vel quatuor palmos ab infimo Altaris gradu; juxta capacitatem Presbyterii, demiſſis in terram intortitiis. Si facienda ſit Communio; ipſi Acolythi genuflectunt ad latera ipſius Altaris hinc inde, ſi ita ſit uſus, facie ad invicem verſa. Bauld. *par.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *n.* 2. & Biſſ. *ſup.*

Addendum hic eſt, quod quando elevatur Hoſtia, Acolythi debent elevare intortitia, extrema ſcilicet parte eorum pectori adnota; quæ ſic elevata ſuſtineant uſque ad depoſitionem Calicis incluſive. Aliqui autem ſic intortitia non elevant, ſed ea ſemper adhærentia pavimento ſuſtinent; in quo conſuetudinem ſervandam eſſe putat Biſſus *littera A*, *n.* 105. §. 3.

Diximus ſupra, Acolythos debere ire ad Sacriſtiam ſumendi cauſa intortitia: quia vero apud aliquos Sacriſtia eſt retro Altare, imo etiam aliquorum mos eſt parandi intortitia accendenda in Choro retro Altare; ideo dicendum eſt, quomodo hoc in caſu Acolythi ad Altare procedere debeant. Igitur ſi ſint duæ portæ, una in cornu Evangelii, altera in cornu Epiſtolæ, egredientur per portam Evangelii, & revertentur per portam Epiſtolæ. Biſſus *ſupra* §. 4.

Acolythi, qui detulerunt intortitia pro Elevatione, finita elevatione Calicis, ſurgunt ſimul cum Cæremoniario, & Thuriferario, qui in cornu Epiſtolæ genuflexi erant, & ad medium Altaris inter Acolythos genuflectunt utroque genu, juxta ſententiam Caſtaldi *lib.* 1. *ſect.* 4. §. 14. & Biſſi *ſupra n.* 106. Bauldry *part.* 1. *cap.* 14. *ar.* 3. *n.* 18. (quamvis in Cæremoniali Monaſtico, & PP. Eremitarum S. Auguſtini, & aliis, nihil præſcribatur de tali genuflexione facienda utroque genu) deinde redeunt in Sacriſtiam, ſeu ad locum, ubi intortitia acceperunt; Biſſ. *ſupra n.* 106. & Thuriferarius thuribulum, & naviculam non reportat ad credentiam, ſed relinquit in Sacriſtia. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 4. *c.* 6. *n.* 12. Bauld. *part.* 1. *c.* 15. *ar.* 3. *n.* 13.

Si vero facienda ſit Communio, ſolus Thuriferarius cum thuribulo, & navicula diſcedens poſt repoſitionem Calicis, facta prius in medio genuflexione, ibit in Sacriſtiam, in qua relinquit thuribulum, & naviculam; inde revertitur ad locum ſuum in Presbyterio, facta in medio genuflexione: Clerici vero cum ſuis intortitiis manent genuflexi donec facta fuerit Communio omnibus, & Sacramentum repoſitum fuerit in Ciborio. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 4. *ſupra*, a Portu *ſupra n.* 4.

XXIX. Rubr. & Gav. lit. p. *In diebus jejuniorum genuflexi manent omnes, &c.*) In diebus jejuniorum ſerventur ea, quæ tradit Gavantus ſupra inhærens diſpoſitioni Rubricæ: excipiuntur tamen ultra Vigilias Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes etiam Feria 5. in Cœna Domini, & Feriæ quatuor Temporum Pentecoſtes: Bauld. *part.* 1. *cap.* 14. *art.* 4. *n.* 17. a Portu *tit.* 8. §. 5. quia in illis diebus non genuflectitur in Choro.

XXX. Rubr. & Gav. lit. q. *Diaconus accedit, &c.*) Cum autem Celebrans dicit, *Quam oblationem, &c.* Diaconus facta genuflexione, ubi eſt, Cruci Altaris, a ſiniſtra tranſit ad dextram Celebrantis, advertendo, quod dum tranſit ab uno latere ad aliud, ſemper facere debet genuflexionem unico genu, quando accedit, & antequam recedat, non vero dum tranſit per medium. Bauld. *part.* 3. *c.* 11. *de Miſſ. Solem. ar.* 7. *n.* 22. Biſſ. *lit. B*, *n.* 123. §. 36. deinde genuflectit ſuper ſuppedaneum, prope tamen Altare utroque genu, propter Elevationem mox faciendam (& ſi adſit Pyxis cum Particulis conſecrandis, dum Celebrans dicit, *Qui pridie, &c.* ipſe erectus eam detegit, & præſtat ea omnia, quæ tradit Gavantus *ſup. lit. Q.*) poſt elevationem Hoſtiæ ſurgit Diaconus, & iterum genuflectens unico genu, Sacramentum cum Celebrante adorat: poſtea, & non prius, erectus diſcooperit Calicem, & iterum utrumque genu flectit, uſque dum Celebrans, poſt Elevationem depoſuerit Calicem ſuper Altare. Ad utramque Elevationem, ſcilicet dum Celebrans ante Elevationem adorat, & non prius, idem Diaconus elevat planetam Celebrantis, tenens eam in medio per fimbrias poſterioris partis, nec eam, deponendo oſculetur. Dum Diaconus aſſiſtit Celebranti a dextris, primus Cæremoniarius accedit ad librum cum debitis reverentiis, ut vertat folia, quando opus eſt. Nicolaus de Bralion *part.* 2. *c.* 7. *n.* 9.

XXXI. Gav. lit. r. *Subdiaconus genuflectit, &c.*) Subdiaconus vero genuflectit eo tempore, quo primum ad illa verba, *Quam oblationem, &c.* Celebrans pervenerit. Sed quam certum eſt Diaconum genuflectere debere ad dextram Celebrantis; adeo in dubium vertitur, quo loco genuflectere tum debeat Subdiaconus,

nimi-

Digitized by Google

nimirum, utrum a ſiniſtris Celebrantis in infimo ſuo gradu, an in medio ejuſdem gradu. Primam ſententiam tenet Caſtaldus *lib. 1, ſect. 7. c. 1. n. 17.* ſecundam vero tuetur Gavant. *ſub. hac lit. R*, cui adhærent Claudius, Arnaud. *part. 2. tit. 8. n. 19.* Bauldry *par. 1. c. 13. ſupra*, Lohner *par. 3. tit. 3. n. 13*, Biſſus *lit. S, n. 196. §. 10.* ſicuti etiam a Portu *ſupra n. 10.* a quibus non videtur recedendum eſſe: quia Subdiaconus ſtans in medio, nec impedit Populum, ita ut videre nequeat Hoſtiam elevatam, nec oſtendit ullam minorem reverentiam, quam ſtando a ſiniſtris in dicto infimo gradu. Verum ſi adſit Epiſcopus genuflexus in faldiſtorio locato in medio Presbyterii; tunc quidem Subdiaconus genuflectere deberet in infimo ſuo gradu a ſiniſtris Celebrantis, ne terga vertat ipſi Epiſcopo.

XXXII. Gav. lit. ſ -- *Ter incenſat, &c.*) Paulo ante Conſecrationem, ſecundus Cæremoniarius vel Thuriferarius ponit incenſum in thuribulum, abſque Benedictione; & ad Elevationem genuflexus ad cornu Epiſtolæ ante infimum gradum in plano, SS. Sacramentum incenſat triplici ductu pro unaquaque Elevatione, ſcilicet, primo incenſat unico ductu, & capitis inclinatione profunda ante, & poſt, quando Celebrans adorat Hoſtiam in prima genuflexione: ſecundo incenſat altero ductu, quando elevatur Hoſtia: denique incenſat tertio ductu, quando deponitur genu in adoratione Hoſtiæ collocatæ ſuper Corporale: Chriſtian. *ſect. 1. c. 11. n. 6.* Gav, *ſupr, lit. S*, Lohner *par, 3. c. 12. art, 1. n. 3.* eodem modo Acolythus (non ſecundus Cæremoniarius, quia Cæremoniarii Clericos dirigere debent, & non eorum munia præſtare) ter tintinnabulum pulſat: Corſett. *tract. 1. par. 1. c. 2. n. 50.* Caſtald. *lib. 1. ſect. 4. c. 2. n. 13.* & præterea pulſandæ ſunt campanæ majores turris campanariæ, ut Populus admoneatur: Gav, Corſett, *ſupra*. Caſtald. *lib. 2. ſect. 9. c. 2. n. 23.* ſimiliter Thuriferarius, ut ſupra diximus, ter incenſat Calicem; & Acolythus ter pulſat tintinnabulum eodem modo, quo dictum eſt in elevatione Hoſtiæ; quod deinde reponit ſuper credentiam. A Portu *ſupra num.* 12. In Miſſis Solemnibus Defunctorum, non Thuriferarius, ſed Subdiaconus incenſat Hoſtiam, & Calicem, quia non eſt impeditus detinendo Patenam.

XXXIII. Gav, lit. t -- *Diaconus redit ad librum.*) Repoſito Calice ſuper Altare Diaconus ſurgit, & Calicem palla cooperit; ac mox facta unico genu genuflexione a dexteris Celebrantis, accedit ad ejus ſiniſtram, & iterum ibi, facta genuflexione, aſſiſtit ad librum, folia dextera ſua vertendo, quando opus eſt; & ſe Celebranti conformet, dum ſe ſignat, dum percutit pectus, &c. Lohner *par. 3*, Bauld. *part, 1, cap. 12. art. 2, num. 52. & part. 3, cap. 12, num.* 8.

Subdiaconus vero, repoſito a Celebrante Calice ſuper Altare, ſurgit, ſicuti & Clerici omnes ſurgunt, & ſtant in locis ſuis; ſed nec ille, nec iſti ſignent ſe; nec genuflectant, dum Celebrans, & Diaconus ſe ſignant, & genuflectunt. Arnaud, *par. 2. tit. 9. num*, 5. a Portu *ſupra num.* 15. Cæremoniarius autem ſurgit, genuflectit, atque accedit ad laterale cornu Evangelii, ut præſto ſit libro, ut *infra*,

## De Canone poſt Conſecrationem, uſque ad Orationem Dominicam. IX.

### R U B R I C A,

1 R*Epoſito Calice, & adorato, Sacerdos ſtans ante Altare extenſis manibus ante pectus, dicit ſecreto*; (u) *Unde & memores, &c. cum dicit: De tuis donis, ac datis: jungit manus ante pectus; & cum dicit*, (x) *Hoſtiam ✠ puram, Hoſtiam ✠ Sanctam, Hoſtiam ✠ immaculatam: manu ſiniſtra poſita ſuper Altare intra Corporale, dextra ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem, & ſemel ſuper Hoſtiam tantum, & ſemel ſuper Calicem tantum, dicens; Panem ✠ Sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ ſalutis perpetuæ: deinde ſtans ut prius, extenſis manibus proſequitur*; (y) *Supra quæ propitio, &c. Cum dicit* (z) *Supplices te rogamus, &c. inclinat ſe ante medium Altaris*, (a) *manibus junctis ſuper illo poſitis: cum dicit: Ex hac Altaris participatione, oſculatur Altare, manibus hinc inde ſuper Corporale poſitis. Cum dicit: Sacroſanctum Filii tui: jungit manus: & dextra ſignans ſemel ſuper Hoſtiam tantum, & ſemel ſuper Calicem, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit: Cor ✠ pus, & San ✠ guinem, ſumpſerimus: & cum dicit; Omni Benedictione ✠ Cæleſti: ſeipſum ſignat a fronte ad pectus ſigno Crucis, ſiniſtra poſita infra pectus, & proſequitur: Et gratia repleamur, Cum dicit, Per eundem, jungit manus,*

### G A V A N T U S,

(u) *Unde & memores*. Tribuitur hæc pars Alexandro I, *a Radulph. propoſ. 23.* hauſta fuit ex *Liturgia Græca S. Petri*, & *ex lib. 8. Conſtit. Apoſt, c. 17*, memores, inquit, Paſſionis, Mortis, & Reſurrectionis; verbum, Aſcenſionis, additur in *Liturgia S, Baſilii*. Mortis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, ſimul inter Latinos legit *Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 6.* qui & habet ea verba, quæ ſequuntur; *Hoſtiam puram, &c.*

Extenduntur etiam hic manus, ut geſtu corporis repræſentetur Chriſti Paſſio, *Microl. c. 16.* non tamen fit brachiorum extenſio, more Ambroſianorum, & Dominicanorum.

(x) *Hoſtiam puram*. Novit *Microl. cap. 15.* has quinque Cruces, & hoc eodem modo,

Quærit *Innoc. III. lib. 5. cap, 3.* Cur ſuper Hoſtiam, & Calicem nunc conſecrata fiant ſigna Crucis? Reſpondet, nonnili ad recolendam Chriſti Paſſionem, quem ſequitur *Alex. de offic. Miſſæ, mem. 3. art. 2. cum S. Thom. 3. part. quæſt. 83. art. 5. ad 4.*

Diſtinguunt moderni Theologi in Chriſto rationem Sacerdotis efficientis principalis in Miſſa, & Hoſtiæ, uti cauſæ materialis: & ſecundum hanc dicitur Chriſtus ſubeſſe ſecundum quid, Sacerdoti Miniſtro ſecundario, & inſtrumentali; qua ratione verum eſſe poteſt hic, quod a Paulo dicitur, *Hebr. 7.* quod minus eſt, ſecundum quid a majore, ſeu meliore, ſecundum quid benedicitur. Vide *Jo: Oſorium concione de Sacerdotio*. O profunda Chriſti Domini noſtri humilitas ſub Sacerdote!

(y) *Supra quæ propitio, &c.* Hæc leguntur *in Liturgiis cit. S. Petri, & S. Baſilii, & apud Ambroſ. 4. de Sacram. cap. 6.* quæ vero in fine dicuntur *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam*: S. Leo Magnus addidit. *Ex Innoc. ſupra cap. 4.*

(z) *Supplices te rogamus, &c.* Inclinationis mentio eſt *apud Microl, cap. 16.* Verba leguntur *in Liturgia cit, S. Petri apud Cl, & Ambroſ. loc. cit,*

(a) *Manibus junctis*. Non tamen pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito, ſed junctis pollicibus, & indicibus invicem inter ſe, *tit. 3. num.* 1. & parvis digitis frontem Altaris tangentibus; quod etiam in ſequentibus obſervatur, * *ex Rubr. cit. 14. num,* 1. ibi: *Quæ omnia ſemper obſervantur, cum manus junctæ ſuper Altare ponuntur*. Reliqua ſunt nota; & habentur *apud Innoc, III, lib. 5. cap, 5.* tum oſculum, tum Cruces tres, Antiquiores non formabant has Cruces, & patet ex numero ſex ordinum Crucium, quas memorant in Canone.

Ea verba: *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli, &c.* habentur *in Liturgia Græca Beati Petri, & apud Ambroſ. lib, 4. de Sacram, cap. 6.*

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, & repoſitione Calicis, uſque ad Memento Mortuorum,

I, Rubr. & Gavant, lit. u -- *Unde & memores, &c.* Hanc partem Canonis, quam Gavantus Alexandro I. Summo Pontifici, tamquam primo auctori adſcripſit, ab Apoſtolico fonte derivare cenſet Bellotte in ſuis obſerv. *p, 578.* unde ab Alexandro I. nonniſi ſcriptis mandatam, ac Decreto ſuo roboratam, potius quam ſtatutam, idem Bellotte arbitratur; nam & Domini verbis mandatum fuit Apoſtolis, ut quotieſcumque ſacrificarent, ejus memoriam agere deberent: nec aliud ſignificare voluit Apoſtolus per illa verba: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* 1. *Cor. c.* 11. *v.* 26. quam memoriam Paſſionis Chriſti in Sacrificio Euchariſtico, eſſe ſemper faciendam; & tam verbo, quam facto ab Apoſt. ſuiſque ſucceſſoribus, in litando factam fuiſſe, pie credendum eſt,

Sacerdos autem nonniſi poſt factam genuflexionem debet proferre præfata verba, *Unde & memores, &c.* Bonamicus *par. 2. n.* 32. Caſtaldus *l. 2. c. 6, n. 56*, In proſecutione talis Orationis, cum dicit Sacerdos, *De tuis donis, ac datis*, jungit manus ante pectus, ut præſcribit Rubrica ſuperior: ſed prædicta manuum conjunctio poſt Conſecrationem, non fit pollice dextro ſupra ſiniſtrum poſito in formam Crucis, ut fiebat ante Conſecrationem; ſed remanentibus pollicibus, & indicibus, inter ſe conjunctis; ita ut pollex manus dextræ, conjungantur cum indice ejuſdem manus, & pollex ſiniſtræ cum ejuſdem indice. In reliquis obſervetur methodus tradita a Gav, *ſup,*

II. Rub, & Gav, lit. x. - *Hoſtiam puram, &c.*) Cum dicit *Hoſtiam puram, &c.* dextra ſignat Sacerdos ter communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem, ſervando in formatione talium ſignorum Crucis ea, quæ ſupra diximus, cum de hujuſmodi Crucibus ſermonem habuimus, etiam ante Conſecrationem faciendis aliquando ſuper Hoſtiam, & Calicem.

III. Rub, & Gav. lit. x - *Supplices te rogamus, &c.*) Hanc Canonis partem, in Liturgia S. Petri, ſeu quæ S. Petri nomine decoratur, reperiri aſſerit noſter Gav. unde infert ſupra c. Bellotte procul dubio antiquiſſimam eſſe. In dicenda autem tali deprecatione, profunde ſe inclinat Sacerdos inclinatione medii corporis, manibus ſuper Corporale poſitis, manentibus tamen junctis inter ſe pollicibus, & indicibus; tangentibus Altaris frontem digitis auricularibus, ut ſupra tradidimus. Cum dicit, *Ex hac Altaris participatione*, &, *Sacroſanctum Filii tui Corpus, &c.* ſervet ea, quæ præſcribit ſuperior Rubr. in proferendis talibus verbis. Advertat tamen, quod quando ſignat ſe ſigno Crucis, dicendo: *Omni Benedictione Cæleſti, &c.* ne digiti pollices, & indices disjungantur, & ne planetam tangant; in qua formatione Crucis, tribus aliis digitis dextræ manus tangit frontem, quando profert, *Omni Benedictione*; tangit pectus, quando pronuntiat *Cæleſtis*; tangit humerum ſiniſtrum, quando dicit: *Et gratia*; tangit humerum dextrum, quando profert *Repleamur*: Bauld. *par. 3. c. 3. n. 3*, a Portu in hanc *Rub, n.* 12. cum dicit vero, *Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum*, jungit manus ante pectus, & caput inclinat. A Portu *ſup. n.* 13,

### R U B R I C A.

2 *Cum dicit: Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, &c. extenſis, &* (b) *junctis manibus ante pectus, & uſque ad faciem elevatis, & intentis oculis ad Sacramentum ſuper Altare, facit Commemorationem Fidelium* (c) *Defunctorum, de quibus ſibi videtur, eodem modo, ut dictum eſt de Commemoratione vivorum. Qua Commemoratione fa-*

cta,

*ſta, ſtans ut prius extenſis manibus, proſequitur: Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto, &c. & in fine ad, Per eumdem, jungit manus,* (d) *& caput inclinat,*

*G A V A N T U S.*

(b) *Junctis manibus*. Bis hoc loco junguntur manus ad, *per eumdem*; & iterum ad *Memento*.

(c) *Defunctorum*. Communis eſt Ritus omnibus Liturgiis, ex præcepto Apoſtolorum; *Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Philip. & alii apud Durand. lib. 2. cap. 43.* ut ſcilicet pro Defunctis in Miſſa Oremus. Sixto I. tribuit *Platina*. Pelagio I. *Anſelm. Ryd. in catalog. Annorum*; hoc eſt, Decreto confirmaverunt.

NN. nomina recitabantur in Romana Eccleſia *Alcuin. de celebr. Miſſæ, & ante eum Cyprian. Ambroſ. & alii apud Durand. ibidem*, ex diptychis, & tabulis. Diptychi vero erant complicati pugillares, ſeu tabulæ duplicatæ, in uſum ſcribentium comparatæ. *Turneb. lib. 9. adverſ. cap. 23.* una vivorum, altera continebat nomina defunctorum in Chriſto. * Diptycha in genere neutro appellant alii, de quibus plura *Durand. lib. 2. de Rit. c. 43. Angelus Rocca* ad librum Sacrament. S. Gregorii: plurima legere potes in onomaſtico ad vitas Patrum, verbo Diptychum, *Auctore Heberto Koſvveydo*. Pauſa fit, non poſt literam N. ſed poſt verba, *Somno pacis*, *Ex lib. Sac. S. Greg.* quam & nos retinemus.

(d) *Caput inclinat*. Cur hoc loco, non alibi, ad *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, caput inclinatur: puto, quia Sacerdos dicturus eſt ſtatim, *Nobis quoque peccatoribus*; quæ ſunt verba maximæ humilitatis.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ab initio Commemorationis Defunctorum, uſque ad initium deprecationis: Nobis quoque peccatoribus.

IV. Gav. lit. c. *Communis eſt Ritus omnibus Liturgiis, &c.*) Quamvis veriſſimum ſit, hunc Ritum habendi memoriam Defunctorum in Miſſæ Sacrificio antiquiſſimum eſſe, & in omnibus Liturgiis reperiri; tamen quis præciſe auctor fuerit hujus deprecationis ignoratur: ſunt enim diſcordes inter ſe Scriptores, tribuendo uni, vel alteri, nempe vel Sixto I. vel Pelagio I. hanc inſtitutionem. Verum hujus pariter deprecationis prædictos Pontifices, non primos inſtitutores, ſed approbatores tantum fuiſſe, cenſendum eſt; cum ab antiquo, & Apoſtolico tempore hunc morem ſervaverit Eccleſia orandi pro Fidelibus Defunctis. Patet hoc ex antiquis omnibus Liturgiis, & ex Sanctis Patribus, nempe *lib. 8. Conſtit. Apoſt.* in Liturgia S. Clementis, Cyrill. *Cath. 5.* Chryſoſt. *hom. 17. in Matth.* Auguſt. *ſerm. 34. de verb. Apoſtoli*, Cyprian. *libr. 5. epiſt. 9.* Tertullian. de corona milit. &c. De hac deprecandi formula multa alia videri poſſunt apud cit. Bellotte *pag. 558. & ſeqq.* necnon Card. Bona *lib. 2. c. 14. n. 1.* & Marcellum de Cavaleriis in ſua ſtatera Sacra *tit. 24.*

Cæterum non Sixto I. (ut aſſerit Gavantus ſupra) tribuit Platina Decretum orandi in Miſſa pro Mortuis; ſed Pelagio I. qui quatuor circiter Sæculis eidem Sixto poſterior fuit: dicendum tamen eſt, eumdem Pelagium minime fuiſſe primum inſtitutorem præfati Ritus; ſed potius confirmaſſe hoc ſtatutum orandi pro Mortuis in Miſſæ Sacrificio; quamquam, ut verum fateamur, & ut a nobis ſupra probatum, Decretum hoc Pelagio Papæ tributum ſit omnino ſuppoſititium.

Sacerdos in pronuntiandis primis verbis hujus formulæ, & dicendo *Memento, &c.* debet ſecreto, non vero mediocri voce, prædicta verba proferre, ut clare Rubrica diſponit, tenendo manus junctas ante pectus: unde bis in hoc caſu jungit manus, nempe in concluſione antecedentis deprecationis, cum dicit, *Per eumdem, &c.* & deinde cum incipit hanc aliam deprecationem, *Memento etiam Domine famulorum, &c.* quapropter facta prima manuum conjunctione, & iterum poſtea extenduntur manus, & deinde iterum conjunguntur lente; ita ut conjunctio terminetur cum dicitur: *In ſomno pacis*. Bauld. *part. 3. tit. 9. Rub. 2. n. 1.* Tonell. *lib. 2. tit. 9. Rub. 2. n. 1.* Caveat tamen Sacerdos, ne deponat manus ſuper Corporale poſt earum disjunctionem, & illas inde elevet, & conjungat. Extenſis igitur, & ſtatim junctis manibus ante pectus, & uſque ad mentum elevatis maneat, ne oculi ab aſpectu Sacramenti impediantur.

Dum Sacerdos memoriam facit pro Defunctis, qui in Purgatorio detinentur, poſt illa verba, *Famulorum, famularumque tuarum*, ſtat in quiete, & mentaliter mentionem facit illorum Defunctorum, pro quibus orare intendit, & quos in Purgatorio adhuc detineri, dubitandi locum habet: prædicta autem Commemoratio, non fit in ictu oculi, ſed per unius Orationis Dominicæ ſpatium, & mentaliter potius, ut dixi, quam verbaliter, & dummodo figantur oculi ſemper in Hoſtiam a ſe conſecratam. A Portu *ſup. n. 5.* Antiquitus tamen mos erat proferendi nomina Defunctorum illorum, qui in hac deprecatione ſuffragabantur: & excommunicatio Mortuorum nihil aliud ſignificabat, niſi nomen illorum ex Sacris diptychis eradi, qui ab hoc, & aliis ſuffragiis Eccleſiæ excludebantur; ut oſtendit Pamelius in ſuis eruditiſſimis notis ad *epiſt. 66.* D. Cypriani.

Cætera quæ remanent dicenda in fine hujus deprecationis, dicantur eo modo, & Ritu, quo præſcribitur a Rubrica, & Gav. *ſup.*

R U B R I C A.

3 *Cum dicit, Nobis quoque peccatoribus,* (e) *vocem aliquantulum elevat, & dextra manu* (f) *pectus ſibi percutit, ſiniſtra poſita ſuper Corporale, & proſequitur ſecreto, Famulis tuis, &c. ſtans manibus extenſis, ut prius. Cum dicit: Per Chriſtum Dominum noſtrum: Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas; jungit manus ante pectus: deinde manu dextra ter ſignans communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem, dicit:* (g) *San✠ctificas, vivi✠ficas, bene✠dicis, & præſtas nobis. Poſtea diſcooperit manu dextra Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum ſe erigit, & reverenter accipit Hoſtiam inter pollicem, & indicem dextræ manus; & cum ea ſuper Calicem, quem manu ſiniſtra tenet circa nodum infra cuppam, ſignat* (h) *ter a labio ad labium, dicens: Per ✠ ipſum, & cum ✠ ipſo, & in ✠ ipſo: ſimiliter cum Hoſtia ſignabit inter Calicem, et pectus, incipiens a labio Calicis, & dicit: Eſt tibi Deo Pa✠tri omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti. Deinde tenens manu dextra Hoſtiam ſuper Calicem, ſiniſtra Calicem,* (i) *elevat eum aliquantulum ſimul cum Hoſtia, dicens: Omnis honor, & gloria: et ſtatim utrumque deponens, Hoſtiam collocat ſuper Corporale, et ſi opus ſit, digitos extergit, ut ſupra; ac pollices, et indices, ut prius, jungens,* (l) *Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.*

*G A V A N T U S.*

(e) *Vocem elevat*. Ita *Amalar. lib. 3. cap. 26. et Microl. c. 27.* verba, *Nobis quoque*, habentur in *Liturgia cit. S. Petri*.

(f) *Pectus ſibi percutit*. Tradit *Innocentius III. lib. 5. c. 12. et ante eum nemo*; tribus digitis fit tunſio pectoris, ex *Durand. lib. 4. cap. 46.* hoc eſt, digitis inferioribus, & ultimis, ne pollex, & index juncti tangant planetam.

Quindecim Sancti hoc loco nominantur, octo viri, ſeptem mulieres; quia per hoc Sacrificium a ſeptem donis Spiritus Sancti ad octo Beatitudines pervenitur. *Honor. in Gemma c. 107.*

E quibus primo loco Joannes: quiſnam? Evangeliſtam putat *Innoc.* ratione virginitatis, cui ideo adjungitur ſtatim Stephanus virgo: inclinat idem in Baptiſtam, qui Martyr fuit; ſed dubitat, quia dicitur *Apoſtolis, & Martyribus*. *Intelligit Azor. lib. 10. cap. 37. q. 7.* Baptiſtam, ne Evangeliſta bis dicatur nominari; quem ego tamen Apoſtolum dixerim, qui fuit homo miſſus a Deo; deinde ſatis eſt, quod verificetur titulus Apoſtolorum in Mathia, & Barnaba Apoſtolis. *Liturgia S. Baſilii* habet aperte Baptiſtam. *Gemma ubi ſup. c. 108.* putat eſſe Ioannem, qui eſt Marcus Evangeliſta, ut putus aliquis Evangeliſta reperiatur in Canone; ſed *Baronius* negat, Marcum Evangeliſtam eumdem eſſe cum illo Joanne, *An. 45. n. 45.* Reliqui vero, vel ſunt Pontifices, vel Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Exorciſtæ, vel Virgines, vel Conjugatæ, ut ex Hiſtoriis Breviarii patet: omnes autem fuderunt ſanguinem ſimul cum Chriſto, & pro Chriſto.

Mathias, & Barnabas nominantur poſteriori loco, qui obiere poſt Stephanum. *Bellarm. de Miſſa lib. 2. cap. 26.* ubi addit, Mathiam non cum aliis duodecim nominari, quia poſt Paſſionem fuit electus. Quod ſi objicias, Paulum quoque poſt Paſſionem vocatum, *Reſpondet*, Paulum Petro ſemper adjungi.

Felicitatem, de qua hoc loco, putat *Biel. lect. 59.* eſſe matrem ſeptem filiorum, cujus Commemoratio fit die 23. *Novembris*: ſed ego ſentio, ſororem eſſe Perpetuæ, cui conjungitur; de quibus die 7. *Martii*, quæ a S. Auguſtino ſummis laudibus celebrantur. Idem ſentit *Baron. in Martyrol. ad prædictam diem Martii*.

(g) *Sanctificas, vivificas, etc.* De tribus his Crucibus *Microl. c. 17.* verborum autem meminit *S. Cypr. ſerm. de Cœna Domini*.

(h) *Ter a labio, ad labium*. Tres Cruces fiunt æqualiter nunc, ſicut & duæ ſequentes inter Calicem, & pectus. Taceat *Craſſus*, qui *ſequutus Durand. lib. 4. cap. 46.* tres primas Cruces, voluit fieri altius, deinde minus alte ſupra Calicem, & poſtea intra Calicem; & aliarum duarum, alteram in planum a Calice ad pectus, alteram in longum a labio Calicis ad pedem ejuſdem. Non ſunt in uſu Romano; Neque Hoſtia debet tangere labium Calicis; ne fragmenta inde fiant; licet apud quoſdam antiquorum, *ex Ordine Romano* fieri ſoleret.

Cæterum *Microlog. cap. 17.* reprehendit duas poſtremas Cruces, & male; ergo erant in uſu ante eumdem: verba vero, *Per ipſum, cum ipſo, etc.* habet *S. Ambroſ. lib. de Sacram. cap. 5. et in Liturgia Græca S. Petri* docetur, cum iiſdem verbis plane ſignari Calicem.

(i) *Elevat eum aliquantulum*. Tradit *Microl. cap. 17.* niſi quod elevabatur Calix ad ea, *Per omnia, etc. uſque ad Durandum*, qui hunc eumdem cum Micrologo deſcribit Ritum: præſens autem Ritus noſter magis concordat cum verbis, *Omnis honor, et gloria*, quæ in exaltatione Calicis, & Hoſtiæ manifeſtantur.

(l) *Calicem palla cooperit*. Hactenus operimentum Calicis fuit ad neceſſitatem, deinceps ad Myſterium, inquit *Microl. loco citato*: quia in hac elevatione, & depoſitione Calicis meditamur depoſitionem Chriſti in ſepulcro, in quo jacuit tribus fere diebus, quos denotant tres Orationes articuli ſequentis; & in palla, vult deſignari lapidem monumenti; de quibus & nos ſuo loco infra, cum de myſtica agemus expoſitione Miſſæ. *Microl. idem cap. 16.* notat, quinquies dici, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, *Gemma lib. 1. cap. 56.* reddit cauſam, ob memoriam quinque vulnerum Chriſti: eſt autem concluſio brevis, quia non præcedit, *Dominus vobiſcum*, ut ait *Navar. de Orat. cap. 49. n. 171.* neque in ultima dicitur, *Amen*: quia ſequitur, *Per quem*, ut notat *Biel. lect. 60.*

No-

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ ab illis verbis, Nobis quoque peccatoribus, uſque ad illa, per quem hæc omnia, &c.

V. Rubr. & Gav. lit. e - *Vocem elevat, &c.* Dum Sacerdos dicit, *Nobis quoque peccatoribus*, voce aliquantulum, nempe mediocriter, elevata, percutit pectus non ſe inclinando, ſed erectus manendo; Lohner *part. 2. tit. 21. n. 12.* & cætera præſtet, prout declarat Gavantus *ſupra*, & Rubrica diſponit, Miniſter vero pariter ſibi tunc pectus percutit dextera manu, ſiniſtra vero repoſita infra pectus, Caſtald. *lib. 1. cap. 16. n. 20.* Turrin. Vinitor, Bauldry, & alii, quos congerit, & ſequitur a Portu *Rubr. 3. hujus tituli in ſuis adnot. n. 2.*

VI. Gav. lit. h - *Sanctificas, vivificas, &c.*) Cruces, quas efformare debet Sacerdos, dum dicit prædicta verba, *Sanctificas, &c.* non debent excedere longitudinem unius palmi, ut ſæpius diximus de ſimilibus Crucibus. Quælibet autem Crux debet correſpondere cuilibet ex ſupradictis verbis; ita ut primum Crucis ſignum efformetur, dum dicitur *Sanctificas*, ſecundum, dum dicitur *Vivificas*; tertium, dum dicitur *Benedicis*: poſtea diſcooperit Calicem manu dextera, ſiniſtra de more depoſita ſuper Corporale, accipiendo pallam inter digitos medium, & indicem unitum pollici; & deponendo illam ſuper Corporale, & genuflectens unico genu, Sacramentum adorat; mox ſurgit, & præſtat omnia ea, quæ dicit ſupra Rubrica; obſervando tamen, quod Hoſtiam accipere debet aliquantulum infra medium oræ ipſius, non omnino a parte inferiori; ita ut per rectam lineam abſque ulla prorſus ejuſdem Hoſtiæ inclinatione, ſigna Crucis a Rubrica præſcripta efformari poſſint,

VII. Rubr. & Gav. ead. lit. h - *Signat ter a labia, ad labium, &c.*) Efformando prædictas Cruces cum Hoſtia ſuper Calicem, exacte obſervet ea, quæ tradit Rubrica, & Gavantus *ſupra*; advertendo tamen, quod prima ex dictis Crucibus debet efformari inter vocem *Per*, & vocem *Ipſum*; ſecunda inter vocem *Cum* & vocem *Ipſo*; tertia vero inter vocem *In*, & vocem *Ipſo*: ut optime deſcribitur in Rubrica Miſſalis, ſeu in Ordine Miſſæ. Similiter cum Hoſtia ſignat bis inter Calicem, & pectus; & prædicta formatio duplicis Crucis pariter æqualis fiat inter Calicem, & pectus, nec excedat Calicis altitudinem. Ita a labio Calicis Crux protrahitur ad pectus, ut rectam formet lineam, non extra, ſed inter Corporale; incurvetur inſuper brachium ſiniſtrum, ne formando has Cruces, Hoſtia conſecrata ſuper ipſum brachium pertranſeat; itaque prima Crux formetur dum dicitur vox illa *Patri*; ſecunda vero finita voce *Spiritus*, ante aliam vocem *Sancti*: Bauldry *part. 3. ſupra*, & a Portu *ſup. n. 10.* poſtquam detulit Hoſtiam in recta linea, non per gyrum ſuper Calicem, tenet ſuper illius medium eamdem Hoſtiam inter pollicem, & indicem manus dexteræ, prout Rubrica deſcribit,

Cur autem Sacerdos efformet triplicem Crucem ſuper Calicem dicendo *Per ipſum, &c.* intelligendo nempe *per Dominum Jeſum Chriſtum*, & duas Cruces efformet extra Calicem, quando nominat Perſonam Patris, & aliam Perſonam Spiritus Sancti; ratio optima riſe poteſt, quia cum ſolus Chriſtus Dominus mortem ſubierit, & Calicem Paſſionis potaverit; ideo optime ſuper, & intra Calicem efformantur Cruces, quando ipſe nominatur a Sacerdote; efformantur autem tres Cruces, quia idem Chriſtus Salvator noſter paſſus eſt in Corpore, paſſus eſt in Anima, paſſus eſt in honore, & gloria; ut ait D. Thomas *part. 3. q. 46. art. 5.* dicendo: *Paſſus eſt in corpore per vulnera, & flagella; paſſus eſt in Anima per triſtitiam, tædium, & timorem; paſſus eſt in honore, & gloria, per irriſiones, & contumelias ei illatas.* E contra vero quia quamvis in vero, & catholico ſenſu ob unionem hypoſtaticam humanæ naturæ, cum Perſona Verbi Divini in Chriſto Domino, dici poſſit, Deus paſſus eſt, Deus pro nobis mortuus eſt; non poteſt tamen dici: Pater Divinus paſſus eſt, ſicuti erronee aſſeruerunt hæretici illi, qui ideo Patripaſſiani appellati ſunt; ſic etiam quia non poteſt dici, quod Spiritus Sanctus mortem pro nobis ſubierit, & paſſus ſit: hinc duæ illæ Cruces, quæ fiunt nominando prædictas duas Perſonas Patris, & Spiritus Sancti, efformantur extra Calicem.

Per duas autem Cruces, quæ fiunt extra Calicem, quando nominatur Perſona Patris, & Spiritus Sancti, juxta ſententiam Alexandri de Ales *par. 4. q. 83. n. 5.* ſignificatur ſeparatio Animæ a Corpore in morte Domini: quamvis enim in Chriſto Domino fuerint tres ſubſtantiæ, nimirum Corpus, Anima, & Divinitas; in ejus tamen morte Corpus quidem ab Anima, & Anima a Corpore fuerunt ab invicem ſeparatæ; ſed neutra illarum ſeparata remanſit a Divinitate; licet enim Principes hujus Sæculi in Dominum Gloriæ, quem crucifixere, omnes immanitatis poſt homines natos, inauditæ, vires effuderint; nunquam tamen unionem hypoſtaticam attingere, nedum dirigere potuerunt: unde ſemper, etiam poſt Chriſti mortem ejus Anima, ejuſdemque Corpus conſervarunt hypoſtaticam unionem cum Perſona Verbi, ejuſque Divinitate; & ita verificatur illud commune effatum Sanctorum Patrum, loquendo de Verbo Divino incarnato: *Quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit.* Denique poſſet etiam dici prædictas duas Cruces extra Calicem ſignificare duas naturas Chriſti Domini, humanam, & Divinam; in quarum prima Paſſionis dolores perſenſit; in ſecunda vero, quamvis Paſſionis dolores non ſenſerit propter ſuam eſſentialem Beatitudinem: Paſſionis tamen injurias, ut ait Vigilius Tapſenſis *lib. 2. contra Eutychetem*, etiam ejus Divinitas pertulit; Paſſionem vero ſola ejus caro perſenſit. Quia autem ejus caro hæc omnia, & pertulit, & ſenſit, merito, ac jure dicimus, Deum his omnibus paſſionum conditionibus, ſenſibiliter affectum in carne ſua, ſioe ſenſu, vel mutatione Divinitatis ſuæ: ergo perferre paſſionem naturæ, eſt utriuſque; ſed cedere paſſioni oon eſt utriuſque naturæ, cum ſit unius ejuſdem Perſonæ. Ita Vigilius Tapſenſis *ſupra loc. cit.*

VIII. Rubr. *Elevat eum aliquantulum.*) Dum elevat Calicem juxta Rubricæ diſpoſitionem, non debet ipſum elevare ultra quatuor digitos: Hoſtiam vero Populo non oſtendat adoraodam; neque in hac functione aliquod ſpecialis reverentiæ ſignum præſtet ſive genuflectendo, ſive pedem inflectendo, ſive alio modo, ut multi inepte faciunt: Biſſus, Bauldry, & alii relati ab Hippol. a Portu *ſup. n. 12.* item Sacerdos Hoſtiam prædictam non teneat inclinatam, ſed rectam. Elevato igitur Calice ſimul cum Hoſtia ſtatim illum manu ſiniſtra deponit ſuo loco, & manu dextra Hoſtiam ſuper Corporale deponit, deinde exhibeat omnia ea, quæ ſuperior Rubrica præſcribit,

IX. Gav. lit. ſ - *E quibus primo loco ponitur Joannes, &c.*) Poſtquam expendimus in noſtris Obſervationibus ea, quæ pertinent ad praxim Cæremoniarum, & Sacrorum Rituum, qui in prædicta deprecatione *Nobis quoque peccatoribus, &c.*) exhiberi debent; progredimur ad explananda aliqua alia, quæ pertinent ad Sacram eruditiooem, & ad reddendam rationem, cur nominentur aliqui Sancti Apoſtoli, Martyres, &c. in prædicta formula. Sicut igitur ante Conſecrationem poſtulatum fuit ſuffragium Sanctorum; ita poſt Conſecrationem eorumdem petitur cum ipſis in Cœlo conſortium; qui, ut Regni Dei fierent participes, mortis pro Chriſti fide, non timuerunt ſubire ſupplicium. Nomioatur autem primo loco Joannes, ſecundo Stephanus, & tertio Mathias: quia Eccleſia ſervat in hac deprecatione ordinem paſſionis, non digoitatis; prius autem paſſus eſt Joaones, poſtea Stephanus, & poſtea Mathias. Dixi prius paſſum eſſe Joannem, quia Joannes, de quo fit mentio io hoc loco, probabilius eſt juxta ſententiam Walafridi eſſe Baptiſtam Præcurſorem Domini, non vero Evangeliſtam, & Apoſtolum, ſicut dicit Card. Bona *lib. 2. Liturg. c. 14. n. 5.* cum iſte nominatus jam fuerit cum aliis Apoſtolis in alia parte Canonis, quæ *Communicantes* appellatur, & quæ præcedit Cooſecrationem. Cur autem Mathias Apoſtolus hoc loco nominetur, & non in præfato *Communicantes*, ratiooem jam reddidimus ibidem in noſtris Obſervationibus. Cæterum advertimus etiam optime inſtitutam fuiſſe hanc deprecationem: quia cum Sacerdos paulo ante oraverit pro aliis, tum vivis, tum defunctis; modo progreditur ad orandum etiam pro ſe ipſo, quia & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & debet quemadmodum pro aliis, ita etiam pro ſe ipſo Sacrificium offerre; non autem ſe ipſum indicat ſiogulari numero, ſed plurali, dicendo: *Nobis quoque peccatoribus*; quatenus Sacrificium, quod offertur, non ſingularis perſonæ, ſed militantis Eccleſiæ, cujus loco, & vice Sacerdos, ut Miniſter ejus ſacrificat, & orat, ſeipſum, & alios peccatores pronuntians, memor ſcilicet dilecti illius Chriſti Diſcipuli; qui licet ob vitæ ſuæ puritatem, & innocentiam ſupra pectus Domini recumbere meruiſſet; ſui ipſius tamen, & condiſcipulorum ſuorum, totiuſque conditionis humanæ fragilitatem non dubitavit agnoſcere, dicendo: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, &c.*

Alia, quæ ſpectant ad Sacram eruditionem ejuſdem deprecationis, videri poſſunt apud Auctores a nobis allegatos in prima Parte *tit. 12.* qui de Canone, & de omnibus ejus partibus erudite ſcripſerunt.

## R U B R I C A.

4 *In Miſſa Solemni, cum Celebrans dicit, Per quem hæc omnia, &c. Diaconus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt,* (m) *diſcooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: ſimiliter cooperit, & iterum genuflectit.* (n) *Cum incipit, Pater noſter, idem vadit retro poſt Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi ſtat, dum dicitur Oratio Dominica.*

## *G A V A N T U S.*

(m) *Diſcooperit Calicem.* Habet *Durand. lib. 4. cap. 46.* ad ea verba, *Per ipſum, &c.* Dum fiunt Cruces, Diaconus retineat duobus digitis dextræ manus pedem Calicis: *Cær. Epiſc. lib. 1. c. 9.* & habet Myſterium, de quo infra *in expoſitione myſtica Miſſæ.*

(n) *Dum incipit Pater noſter.* Facta genuflexione, Diaconus vadit poſt Celebrantem; quod docetur etiam *a Durando loco cit.* Regula vero eſt, quod Diaconus (non alii) cum Celebrante genuflectente genuflectat, ſi ſolus eidem aſſiſtit.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, ab illis verbis, Per quem hæc omnia &c. uſque ad Orationem Dominicam.

X. Rubr. & Gav. lit. m - *Diſcooperit Calicem, &c.*) Diaconus in circumſtantia a Rubrica expreſſa debet ita opportune accedere ad dexteram Celebrantis; ut poſtquam Celebrans ſignaverit Calicem dicens, *Sancti ✠ ficas*, poſſit genuflectere cum Celebrante; aliter ſi prius accedit, ipſe ſolus genuflectit ad dexteram celebrantis, & poſtea genuflectit iterum cum illo. Poſtquam autem Diaconus huc pervenerit, primus Cæremoniarius facta genuflexione, vel utroque, vel unico tantum genu, juxta loci conſuetudinem, accedit ad librum, ut aſſiſtat

Cele-

Celebranti, & vertat folia ſi opus eſt, & ibi remaneat, donec Subdiaconus, dicturus *Agnus Dei*, ſuperveniat.

Cætera autem, quæ præſtanda ſunt a Diacono, uſque ad *Pater noſter*, ſatis declarantur a Rubrica, & Gavanto *ſupra*.

### De Oratione Dominica, & aliis uſque ad factam Communionem. X.

### R U B R I C A.

1 *CElebrans cooperto Calice, adoratoque Sacramento erigit ſe, & manibus extenſis hinc inde ſuper Altare intra Corporale poſitis, dicit intelligibili voce,* (o) *Per omnia Sæcula Sæculorum; & cum dicit,* (p) *Oremus, jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit,* (q) *Pater noſter, extendit manus; & ſtans oculis ad Sacramentum intentis, proſequitur uſque ad finem. Reſponſo a Miniſtro,* (r) *Sed libera nos a malo, & a Celebrante ſubmiſſa voce, Amen, manu dextra, pollice, & indice non disjunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem, & medium digitos; quam tenens ſuper Altare erectam, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit ſecreto:* (ſ) *Libsra nos quæſumus, &c.*

### G A V A N T U S.

(n) *Per omnia Sæcula Sa:ulorum.* Cur manibus extenſis ſuper Altare, & voce intelligibili? iidem videndi ſunt, qui ſupra, in ſimili cauſa initio Præfationis, & præſertim *Innoc. III. lib.* 5. *cap.* 12. ut Populus nimirum ratificet quæ ſecreto peracta ſunt cum verbo *Amen*. Idem habetur *in Liturgia Sancti Petri*.

(p) *Oremus*. Sicut ad *Oremus* caput inclinat, ita erigit illud ſtatim, ad *Præceptis ſalutaribus &c.* quod dicit manibus junctis, quas deinde extendit ad *Pater noſter*. Præfatio, *Præceptis ſalutaribus, &c.* vetuſtior eſt, quam plerique arbitrantur. *Ord. Rom. Alcuin. meminit, & Amal. l.* 3. *cap.* 20. Tribuitur Sancto Gregor. *a Radulph. propoſ.* 23. ſed videtur eſſe Sancti Cypriani *tract. de Oratione Dominica: apud Durand. lib.* 2. *cap.* 47. & additur tamquam præludium Orationis Domini, quæ ſola a Den fuit formata. *Oddo Camerac.*

(q) *Pater noſter*. Oratio Dominica ab Apoſtolis ipſis uſurpata fuit in Miſſa ſecundum omnes: nec Miſſa, ut dictum eſt ſupra, ex *Greg. lib.* 7. *epiſt.* 63. conſtabat aliis partibus, quam Conſecratione, & Oratione Dominica. *Hier. lib.* 3. *adverſ. Pelag.* ſcribit, Chriſtum Dominum docuiſſe Apoſtolos, ut quotidie in corporis ejus Sacrificio, audeant loqui, *Pater noſter &c.*

Cum ergo a *Ruper. lib.* 2. *cap.* 15. dicitur auctor S. Gregor. intellige, vel eum reſtituiſſe Miſſæ, vel determinaſſe tempus ante Sacramenti ſumptionem: nam *S. Ambr.* eam recitari poſt Canonem teſtatur *lib.* 5. *de Sacr. cap.* 3. *& Auguſt. de ſe ſatetur idem, ſermone in Vigilia Paſchæ*: forte Sanct. Greg. hoc idem ſancivit, vel ſtatuit, quod a ſolo diceretur Sacerdote, non a Populo, ut Græcis mos erat; & indicatur *in Liturgia Sancti Petri Græca, idem Gregor. lib.* 7. *Epiſt.* 63.

Alta voce dicitur; *ex Liturgia S. Petri citata*: tum quia communis Orarto eſt; ut *ex Cypriano ſermone* 6. *notat Amalarius c.* 9. tum quia hac ratione Populus eam diſcere poteſt; *ex Auguſtino epiſt.* 42. *inter* 50. tum quia ſumpta eſt de Evangelio: *Durand. lib.* 1. *cap.* 47. & dum Sacerdos eam dicit, extendit manus. *Idem ibid.*

An vero ſit extra Canonem? concedit *Alcuin. cum Amalario locis citatis, & aperte id ſentit S. Gregor. Epiſt.* 63. dum poſt Canonem vult eam recitari: ſed in Paraſceve dicitur, quando Canon omittitur: ergo non eſt de Canone: oppoſitum docet *Innoc. III. lib.* 5. *cap.* 17. qui vult eamdem eſſe finem Canonis. *Bellarm. lib.* 2. *cap.* 26. *& Azor. lib.* 10. *cap.* 37. *quaſt.* 9. ſentiunt cum Alcuino.

(r) *Sed libera nos a malo*. Clerum reſpondere hoc ſolitum eſſe teſtatur *Durand. cap.* 49. & Sacerdotem item ſecreto ſubdere *Amen*. Dicitur antem ſecreto, ad ſignificandum, quod nos latet, an exaudiamur in Oratione Dominica data nobis a Chriſto; & Deus hoc vult latere, ne torpeamus. *Rupertus lib.* 2. *c.* 69. Male quidam dicunr etiam ſecreto, *Sed libera &c.* quod a Miniſtro tantum dici debet, & eam myſticam rationem affert hoc loco Angelus Contus *de Myſteriis Miſſæ p.* 5. *c.* 1. quod nimirum tacet hæc verba Sacerdos, in quibus petimus liberari a malo culpæ præſentis, ſicut in præcedentibus poſtulamus a præteritis, & a futuris liberari, ne videatur, inquit, Sacerdos tunc temporis eſſe reus peccati mortalis. Eadem vero dicit Populus convenientius, cui deinde Sacerdos bene precatur, dum ſecreto ſubdit *Amen*. Sed idem Sacerdos ſtatim ſibi quoque optat, & petit liberari a præteritis, præſentibus, & futuris ea prece, *Libera nos &c.* Dicet ille: Secreto convenit, non publice hoc petere Sacerdotem. Valeat: myſtica eſt ratio.

(ſ) *Libera nos quaſumus*. Habet *Ord. Rom.* Volunt aliqui additum eſſe a S. Gregorin cum Præfatione prædicta: innuit *Radulph. loc. cit.* expreſſe docet *Gemma lib.* 1. *cap.* 90.

Quæritur autem, cur hoc loco ſolus Andreas cum Petro, & Paulo nominatur? at quis neſciat S. Gregorium erga hunc Apoſtolum propenſiorem fuiſſe, cujus nomine ædificavit Monaſterium ad Clivum Scauri? frater Petri eſt prius vocatus; in Cruce cum Petro, & Chriſto obiit. Habetur hæc Oratio *in Liturgia S. Petri*, ſed nomina Petri, & Pauli fuere addita poſt mortem eorumdem; nomen Andreæ non eſt cum iis: & licet habeatur in Ambroſiano Ritu; quia tamen ibidem eſt etiam Ambroſii nomen, a recentioribus utrumque additum fuiſſe patet; in Miſſali MS. de Urbe antiquiſſimn tribus Apoſtolis Petro, Paulo, Andreæ, quartum legi additum Bartholomæum; eſt textus vere ſingularis, ſed monaſticus, non Romanus; quod tamen adnotare volui in gratiam Sancti Apoſtoli mei,

### Nnvæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, a principio Orationis Dominicæ, uſque ad finem.

I. Rubr. *Accipit Patenam inter indicem, & medium digitos.*) Quæ peragere debet Sacerdos, recitando Oratinnem Dominicam in Miſſa Privata, ſatis exponuntur a Rubrica, & Gavanto *ſupr.* ideo nihil immoramur in addendis aliis, quæ ſuperflua forent. Innuimus tantum, quod in fine dictæ Orationis dum ſumit Patenam, quæ erat ſub Corporali, debet eam purificatorio in manu ſiniſtra detento, extergere; quod purificatorium accipitur digitis medio, & indice pollici unito, per extremitates illius, quæ reſpiciunt candelabra ſi fuerit complicatum; poſtmodum purificatorium deponitur in ea a Corporali diſtantia, ut Calix collocari poſſit inter ipſum purificatorium, & Corporale poſt digitnrum ablutionem: deinde eamdem Patenam tenet inter indicem quidem, ſed unitum pollici, ut erat, ut pars ejus interior, & inaurata reſpiciat Hoſtiam, ejuſque extremitas, ſive ora tangat tobaleam, non vero Corporale, ut tenent Bonamicus, Baldaſſarius, Tonell. & alii allegati ab Hippolyto a Portu ſuper hanc Rubricam in ſuis adnor. *n.* 10. nec non Gervaſi *in inſtructione Miſſæ Privatæ c.* 10. & Lobner *par.* 6. *tit.* 10. *lit.* z hac ratione ducti, quia Rubrica quando exigit, quod ſuper Corporale ponatur aliquid, id exprimit: cum autem in hoc caſu præſcribat tantum, quod Patena debeat ſua extremitate teneri ſuper Altare, videtur factum ſatis dictæ Rubricæ, ſi Patena tobaleam tangat: advertit tamen Lonher *loc. cit.* quod cum purificatorium poſitum ſit extra Corporale, accuratiores Rubriciſtæ in prædicto caſu oram Patenæ ſuper eo ponunt, quia ita verificatur, Patenam extra Corporale poſitam eſſe, & ſimul etiam ſuper Altari, ſaltem mediate.

### R U B R I C A.

2 *Antequam Celebrans dicat: Da propitius pacem: elevat manu dextera Patenam de Altari, &* (t) *ſeipſum cum ea ſignat a fronte ad pectus ſigno Crucis, dicens: Da propitius pacem in diebus noſtris. Cum ſignat ſe, manum ſiniſtram ponit infra pectus; deinde* (u) *Patenam ipſam oſculatur; & proſequens: ut ope miſericordiæ tuæ &c. ſubmittit Patenam Hoſtia, quam indice ſiniſtro accommodat ſuper Patenam, diſcooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat; tum ſe erigens, accipit Hoſtiam inter pollicem, & indicem dextræ manus; & cum illis, ac pollice, & indice ſiniſtra manu eam ſuper Calicem tenens,* (x) *reverenter frangit per medium, dicens: Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; & mediam partem, quam inter pollicem, & indicem dextræ manus tenet, ponit ſuper Patenam: de alia media, quam ſiniſtra manu tenet,* (y) *frangit cum pollice, & indice dextra manus particulam, proſequens: Qui tecum vivit, & regnat, &c. & eam inter ipſos dextræ manus pollicem, & indicem retinens, partem majorem, quam ſiniſtra tenet, adjungit mediæ ſuper Patenam poſita, interim dicens: In unitate Spiritus Sancti Deus: & particulam Hoſtiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens ſuper Calicem, quem ſiniſtra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce, dicit: Per omnia Sæcula Sæculorum.* Reſp. *Amen: & cum ipſa particula ſignans* (z) *ter a labio ad labium Calicis, dicit:* (a) *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Reſp. *Per Miniſtrum: Et cum ſpiritu tuo: particulam quam dextera manu tenet, immittit in Calicem, dicens ſecreto* (b) *Hæc commixtio, & conſecratio Corporis, &c. deinde pollices, & indices ſuper Calicem aliquantulum tergit, & jungit, Calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat; ſurgit, & ſtans junctis manibus ante pectus, capite inclinato verſus Sacramentum, dicit intelligibili voce:* (c) *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: & dextera percutiens ſibi pectus, ſiniſtra ſuper Corporale poſita dicit: Miſerere nobis: & deinde non jungit manus, ſed iterum percutit ſibi pectus, cum dicit ſecundo: Miſerere nobis: quod & tertio facit, cum dicit: Dona nobis pacem.*

### G A V A N T U S.

(t) *Seipſum cum ea ſignat.* Signabat faciem tantum cum Patena ſigno Crucis, ait *Innocent. III. lit.* 5. *cap.* 1. alii ſignabant ſe, ait *Durand. cap.* 50. & hic Ritus eſt congruentior a fronte ad pectus, ſignoque Crucis integro; ut declaravit S. R. C. *die* 13. *Martii* 1627.

(u) *Patenam ipſam oſculatur.* Ita *Ord. Romanus*: ad ea tamen verba, *Da propitius pacem*, quaſi per oſculum hujuſmodi pax a Deo petatur, ut ex verbis patet.

(x) *Reverenter frangit.* Habet *Dionyſ. c.* 3. *Eccleſiaſt. Hierarch.* & ex latere dextro, *Microl. c.* 17. & ad ea, *Per eumdem Dominum noſtrum*, nt in hac Rubrica: frangit autem ſuper Calicem, *ex Radulph.* 23. ad cautelam, inquit *Hugo Victor. de ſpec.*

co-

Digitized by Google

*obſerv. Miſſ. lib.* 2. *cap.* 39. & incipit a ſuperiori parte Hoſtiæ, ſicuti ſignum Crucis incipit fieri ab eadem ſuperiori parte.

(y) *Frangit Particulam.* Tradit *Microl. cap.* 17. Sed quæritur, unde præcidenda ſit hæc particula, a parte ſuperiori, an ab inferiori dimidiatæ jam Hoſtiæ? *Ex Durand. cap.* 51. *n.* 7. conjicio, quod a parte ſuperiori: *ex præmiſſarum duarum partium*, ait, *in Patena conjunctione, poſt totam fractionem, duo reſultant quaſi cornua in modum Lunæ, & illa verſus Calicem*: ergo de ſuperiori parte fuit præciſa. Accedit expoſitio myſtica Sergii Papæ *cap. Triforme, de Conſecr. diſt.* 2. qui in oblata in Calicem miſſa, corpus Chriſti, quod reſurrexit, deſignari docet; ergo in parte oblatæ ſuperiori, & nobiliori eſt deſignanda: in parte comeſta Chriſtum ambulantem ſuper terram, & eſt pars depoſita cum dextera manu: in parte altera, quæ reſervabatur, ad finem mundi in ſepulcris membra Chriſti quieſcentia. Hæc ille. Docent denique aperte, a ſummo Hoſtiæ præcidendam eſſe *Craſſus lib.* 2. *cap.* 4. *& Petrus Ruiz in ſuo Cæremoniali.*

Sed ex *Ordine Romano*, præcidi debet de ima Hoſtiæ; * *Qui, Pontifex, de ipſa Sancta* (in duas partes diviſa) *quam momorderat* (ſumendo ſuperiorem partem) *ponit in Calicem*, id eſt, partem inferiorem Hoſtiæ, *faciens Crucem ter, dicendo: Fiat commixtio.* Hæc ibi, & eſt in uſu communiori.

(z) *Ter a labio.* De trina Cruce, & cum verbis, *Pax Domini*, mentio expreſſa habetur *apud Microl. cap.* 17.

(a) *Pax Domini &c.* Pacis annunciatio indicatue *a Dionyſ. cap.* 3. *Eccleſ. Hierarch. & a S. Clem. lib.* 8. *Conſtit. Apoſt. cap.* 18. cui omnis Populus reſpondebat, *Et cum ſpiritu tuo.* Ambroſio tribuit *Hugo Vict. de Offic. Eccl. lib.* 2. *c.* 11. Innoc. I. *Gemma lib.* 1. *cap.* 90 *Rabanus autem lib.* 1. *in additione*, tradit, cum particula tangi quatuor latera Calicis; ſed uſus obtinuit, quod a labio ad labium fiant Cruces ſine tractu.

(b) *Hæc commixtio.* Habetur *in Ordine Romano, & Microl. cap.* 18.

(c) *Agnus Dei.* Dicitur *in Liturgia S. Petri cit.* eamdemque in Miſſa poſt Defunctorum memoeiam precationem baurit. *Durand. lib.* 2. *c.* 53. *ex Concilio Niceno.* Fortaſſe ſtatuit Sergius, quem omnes faciunt auctorem; ut ſicuti *in Liturgia S. Petri* ſemel dicebatur; ita deinde ter diceretur; vel ut a Clero, & Populo cantaretur; ut ait *Baron. Ann.* 701. putat *Ivo Carnot. ſermon. de conven. novi, & veteris Sacrificii*, propter trinam portionem Hoſtiæ ter dici.

In fine dicebatus ter, *Miſerere nobis*, ut hodie quoque in Eccleſia Sancti Joannis Lateranenſis Romæ *ex Alber. de Offic. Miſſæ, & Durand. reſtatur cap.* 52. poſtea vero *ex Innoc. III. lib.* 6. *cap.* 4. irruentibus variis perſecutionibus cœpit ubique fere dici tertio: *Dona nobis pacem*; quod tamen *Ang. Rocca lib.* 1. *de campan. cap.* 18. tribuit Joan. XXII.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ab illis verbis: Da propitius pacem, uſque ad ultimum, Agnus Dei, incluſive.

II. Rubr. & Gav. lit. u -- *Patenam ipſam oſculatur &c.* Poſtquam ſervaverit Sacerdos ea, quæ præſcribit ſuperior Rubrica, dicendo poſt exterſionem Patenæ, *Da propitins pacem, &c.* antequam ſignet ſe cum eadem Patena, eam oſculatur, ſed in parte ejuſdem anteriori, & ſuperiori; numquam enim debet oſculari in illa parte, per quam tranſitura eſt, ſau in qua collocari debet Hoſtia conſecrata. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 10. *Rubr.* 2. *n.* 1. & alii, quos congerit, & ſequitur a Portu *ſupr. Rubr.* 2. *n.* 4. Signum autem prædictum Crucis, quod facere debet cum Patena a fronte ad pectus, debet fieri integre; ut liquet etiam ex Decreto S. R. C. dato in noſtro Indice *ſub n.* 205.

III. Rubric. *Submittit Patenam Hoſtiæ, &c.*) Dicendo illa verba: *Ut ope miſericordiæ tuæ adjuti*; Sacerdos ſubmittit Patenam Hoſtiæ, indice ſiniſtræ manus eam accommodando: collocat tamen Patenam in medio Corporalis, ita ut pars ſuperior Patenæ ſit elevata ſuper pedem Calicis, ad hoc ut commodius capiatur, & ad hnc, ut fragmenta, ſi quæ ſunt ſuper Corporali colligantur, & non adhæreant ejuſdem Patenæ partibus externis, Bonamicus *part.* 2. *n.* 27. Angel. *part.* 3. *ſupra §. Interim*, Tonell. Baldaſſarius, & alii, quos allegat, & ſequitur a Portu *ſup. n.* 5.

IV. Rubr. *Diſcooperit Calicem, &c.*) Poſita, modo ſupradicto, Hoſtia ſuper Patenam, & Calicem diſcooperit manu dextera, ſiniſtra manu tenente nodum Calicis, elevando pallam inter indicem unitum pollici, & medium digitum, illamque deponendo ſuper Corporali ex uno capite, & ex alio ſuper velum: poſtea extenſis hinc inde ſuper Corporale manibus Calicem genuflectendo adorat; ac mox ſurgens premente partem lateralem ſiniſtram Hoſtiæ indice ſiniſtræ manus, pollice, & indice dextræ manus apprehendit eamdem Hnſtiam in medio, & ſic ſola dextra elevat Hoſtiam ſuper Calicem, & poſtea adhibet etiam ſiniſtram; & ſic pollicibus, & indicibus utriuſque manus, Hoſtiam ſuper Calicem tenet.

V. Rubr. & Gav. lit. x -- *Reverenter frangit &c.*) Frangit autem per rectam lineam non unico ictu, diligenter, & attente, ne dividatur in fragmenta; & frangit in partes æquales, quantum fieri poteſt, dum dicit *Per eumdem Dominum noſtrum &c.* Commodiſſimus frangendi modus eſt, ut in ſuprema, media, & infima parte medietatis ab initio fiat modica fractura, & poſtea tota Hoſtia frangatur; ſic enim in duas æquales partes facilius dividitur. Mediam partem Hoſtiæ, quam pollice, & indice manus dexteræ tenet, Sacerdos collocat ſuper Patenam. De alia vero parte, quam ſiniſtra tenet adhuc ſuper Calicem, frangit ex parte inferiori, juxta ſententiam Gav. *ſup. lit.* x confirmatam per Decretum a S. C. editum die 4. Aug. 1663. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 408. frangit, inquam, Hoſtiam ex dicta parte inferiori cum pollice, & indice manus dexteræ, ut dicit Rubrica *ſup.* exhibendo poſtea omnia, quæ præſcribit eadem ſuperior Rubrica; advertendo ſolum, quod quando format Cruces cum illa minima particula ſupradicta, peonuntiando *Pax Domini, &c.* debet formare Sacerdos motum Crucis cum tota manu dextera, & non cum ſolis pollice, & indice ejuſdem manus dexteræ, tenente ſiniſtra nodum Calicis. Format autem prædictas Cruces inter illa verba, prout deſcribuntur in Ordine Miſſæ. Prædicta vero particula ſeparata, quam tenet inter pollicem, & indicem manus dexteræ, eſt tenenda non ſolũ ſupra, ſed etiam intra os Calicis; ut tenent Baldaſſarius, Bonamicus, Lohner, Polaccus, & alii, quos refert, & ſequitur a Portu; quibus adhærendum eſſe crediderim, quia tenendo dictam Particulam intra os Calicis, ſecurius obſervabitur Rubrica.

Immiſſa dicta Particula in Calicem, & prolatis ſecreto illis verbis: *Hæc commixtio, &c.* Sacerdos ſtatim extergit digitos, nempe pollices, & indices utriuſque manus ſuper Calicem eo modo, quo ſuperius diximus, non fricando eoſdem digitos ſuper labia Calicis: Gervaſi in ſua Inſtructione Miſſæ Privatæ *cap.* 10. §. *Pronunzierà*: & poſt exterſionem, pollex dexteræ manus conjungendus eſt, ut peius, cum indice ejuſdem dexteræ; & pollex ſiniſtræ, cum indice ejuſdem ſiniſtræ: deinde, ut præſcribit Rubrica *ſupra*, Calicem palla coopeeit, eam accipiendo inter digitos medium, & indicem unitum pollici dexteræ manus. A Portu in ſuis adnotat. ad ſupeciorem Rubricam *n.* 21. Deinde poſitis hinc inde manibus ſuper Corporale, genuflexus unico genu adorat Sacramentum: mox ſurgit, & junctis manibus ante pectus, non ſuper Altare poſitis, capite inclinato mediocri inclinatione, intelligibili voce dicit: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, &c.*

Prædicta immiſſio Particulę Hoſtię conſecratæ in Calicem, ideo ſtatuta eſt ab Eccleſia, ut Corpus Chriſti Domini Sanguini ſuo immiſceretur: quamvis enim, nec Corpus ſine Sanguine ſit in Hoſtia conſecrata, nec Sanguis ſine Corpore in Calice: nihilominus, quia ſeorſim Corpus ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini conſecrantur, ideo ſtaturum eſt, ut unum alteri commiſceatur. Reperitur autem hæc commixtio etiam in Liturgia D. Jacobi, & in Ordine Romano, ab Hittorpin edito, & in antiquiſſimis Miſſalibus

VI. Gav. lit. y - *Partem inferiorem Hoſtia &c.*) Eccleſia Latina, ſicut explicatum eſt, dividit Hoſtiam in tres partes Græci autem eam dividant in quatuor; Mozarabes vero in novem partem: olim fracta Hoſtia, una pars ſervabatur uſque a finem; dummodo vera ſint, quæ ex Sergiu Papa refert Gratianus de Conſecrat. *diſt.* 2. *cap.* 22. quam pro infirmis ſervatan fuiſſe afferit Micrologus *cap.* 23.

VII. Rubr. & Gav. lit. e - *Agnus Dei, &c.*) Sacerdos poſt qoam dixerit *Agnus Dei, &c.* prout ſupra præſcribitur a Rubeica, dicendo primum *Miſerere nobis*, disjungit manus, & non prius, ponendo ſiniſtram ſuper Corporale, & percutiendo dextra pectus, cavendo ne pollice, & iodice unitis tanga planetam. Deinde non jungit manus, ſed iterum pereutit ſib pectus ſiniſtra perſeverante ſuper Corporale, in dicendo ſecundo *Agnus Dei*, ne manus in aere hæreat; & in dicendo terti *Agnus Dei*, eadem manus ſuper Corporale teneatue; quo idem præſtat dicendo poſtea, *Domine non ſum dignus.* Lohne *part.* 6. *tit.* 10. *littera* c, Gervaſius *ſupra §. Dopo*, & a Portu *ſupra in Rubr.* 2. *hujus tituli in adnot. num.* 26.

VIII. Gav. ead. lit. e - *Sergius ſtatuit; &c.*) Quia S. Jo Baptiſta Agnum Dei appellavit Chriſtum Dominum cum prim eum vidit; hinc manavit mos in Eccleſiam pingendi Chriſtum in forma Agni: ſed temerario auſu Sydnodus Trullana convel lere tentavit hunc pium morem; & ſancivit, ne impoſterum Chriſtus Dominus ſub Agni figura pingeretur. Pſeudoſynod tamen prædictæ reſtitit Romana Eccleſia, quæ veterem uſum ſemper retinuit: imo Sergius I. teſte Anaſtaſio Bibliothecari in ejus vita, ſtatuit, ut tempore confractionis Hoſtiæ conſecratæ, ter decantaretur a Clero, & a Populo *Agnus Dei, &c.*

In Eccleſia Orientali vetuſtior eſt mentio Agni Dei in Miſſ Solemni, ſed non pee modum precationis. Quidam autem ha Agni Commemoratione in Eccleſia Græca decepti, credide runt, & tradiderunt, ut ait Cardinal. Bona *lib.* 2. *cap.* 16. §. 5 in Eccleſia Latina talem mentionem ante Sergium Summum Pontificem cœpiſſe, eamque Concilio Niceno coævam, im etiam antiquiorem exiſtimarunt. Macrius in ſuo Hierolexico v *Agnus Dei*, docet quod Joannes XXII. ſtatuit, ut tertia, & ultima voce dicatur loco *Miſerere nobis, Dona nobis pacem*; & hanc pacis poſtulationem, originem duxiſſe a ſequenti eventu quem refert Rupertus Abbas Montenſis in ſupplemento Chronici Sigiberti -- Apparuit B. V. Ann. 1183. cuidam fabro lignario, opus facienti in ſilva, deditque illi ſigillum cum imagin ſua, & Filii ſui, & cum hac inſcriptione: *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, dona nobis pacem*; juſſitque, ut ferret a Epiſcopum, atque ei diceret, ut qui vellent pacem Eccleſiæ facerent hujuſmodi ſigilla, & portarent in ſignum pacis -- Ex hoc igitur eventu cenſet Macrius contigiſſe prædictam mutationem. Utrum autem vere Joannes XXII. prædictam mutationem primus inſtituerit, Card. Bona in dubium vertit; & aſſe

rit

rit nuſquam ſe legiſſe a quo Pontifice præſcripta fuerit talis mutatio, quam Sacroſancta Baſilica Lateranenſis nunquam ad praxim deduxit, & uſque modo retinet antiquum morem dicendi *Miſerere nobis*, etiam tertia vice. Obſervat autem Angelus Rocca in comment. de campanis, quod in ipſa etiam Eccleſia Lateranenſi, quando Pontifex celebrat, Schola Cantorum dicit ad tertium *Agnus Dei*: *Dona nobis pacem*: ſed hoc accidit, quia prædicta Schola utitur propriis libris, in quibus communis ritus ſervatur.

Quando in prædicta occaſione occurrit Sacerdoti proferre Sacroſanctum nomen *Jeſus*, controvertitur, utrum debeat inclinare caput, ſicuti facere tenetur in reliquis Miſſæ partibus. Sunt qui ſuſtinent inclinationem ſimplicem eſſe faciendam in tali caſu, utpote magis conformem Rubricæ: ita Quarti *part.* 2. *tit.* 5. *de Orat. n.* 2. & Anonymus Italus *pag.* 34. Alii vero cenſent nullam faciendam eſſe inclinationem: quia in prædicta circumſtantia Sacerdos tenet Chriſtum Dominum præ manibus; jam ſtat capite inclinatus verſus Sacramentum, ut præſcribit Rubrica; & quia eadem Rubrica nullam aliam præſcribit in tali circumſtantia faciendam eſſe ſpecialem inclinationem, ſi prædictum Sanctiſſimum nomen profertur, ſicuti expreſſe præſcribit in aliis Miſſæ partibus. Hanc ſententiam tuentur Sarnellus ſuper hanc Rubricam, Tonellius, & alii, quos refert a Portu *num.* 11.

RUBRICA.

3 *Tunc manibus junctis ſuper Altare, poſitis, oculiſque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit ſecreto:* (d) *Domine Jeſu Chriſte, &c. qua Oratione finita, ſi eſt* (e) *daturus pacem, oſculatur Altare in medio, & inſtrumentum pacis ei porrectum a Miniſtro juxta ipſum ad dexteram, hoc eſt, in cornu Epiſtolæ genuflexo, & dicit,* (f) *Pax tecum. Miniſter reſpondet, Et cum ſpiritu tuo. Si non adſit qui hujuſmodi inſtrumento pacem recipiat a Celebrante, pax non datur, etiamſi illius datio Miſſæ conveniat: nec oſculatur Altare, ſed dicta præmiſſa Oratione, ſtatim ſubjungit alias Orationes, ut in Ordine Miſſæ.*

GAVANTUS.

(d) *Domine Jeſu Chriſte.* Hæc oratio pro pace, non eſt apud antiquos. *Durand.* eam obiter indicat *cap.* 53. ſed habetur *in Miſſali MS. Vatic. vol.* 4743. cum duabus ſequentibus.

(e) *Daturus pacem oſculatur &c.* Refert *Durand. ibid.* de quibuſdam, aliis oſculantibus Hoſtiam, aliis Calicem, aliis Altare; quaſi a Chriſto pacem aliis dandam accipiant prius, & per pacem fiat præparatio ad Communionem, & ſuſceptionem Sacramenti unitatis, & pacis, *ex S. Thomæ* 3. *p. q.* 83. *art.* 4. *in corp.* quod indicat etiam *Dionyſ. c.* 3. *Eccl. Hierarch.*

Tabellam vero Sacram ad oſculum pacis aſſerit ita dictam, & inductam in uſum *Baron. Ann.* 45. *n.* 26. tanquam cautelam contra fraudes, quæ arte diaboli inter ſe invicem oſculantes irrepſerant. Per oſculum autem datur pax ex inſtituto Apoſtolico: unde Paul. *Rom.* 16. 1. *Cor.* 16. *Salutate vos invicem in oſculo Sancto.* Verum hoc loco dari pacem, quamvis *Berno de Offic. Miſſæ c.* 25. Decreto S. Leonis II. factum eſſe cenſeat; tamen alii, numero plures Innocentio I. id tribuunt, *ex epiſt.* 1. *ejuſdem c.* 1. *ad Decentium*, *de Conſecr. diſt.* 2. *Pacem*: nam idem aſſerunt *Amal. lib.* 3. *c.* 32. *Walafr. c.* 22. *Microl. c.* 18. & cum ceſſaſſet Communio Populi quotidiana in Miſſa, vice Communionis Sacramentalis oſculum pacis inſtitutum eſt, ait *Innoc. III. lib.* 6. *cap.* 5. ſumpto exemplo a Chriſto, qui in cœna ultima meminit pacis: *Pacem meam do vobis. Joan.* 14. quod notavit *Wald. tom.* 3. *tit.* 4. *c.* 41. Fuſius de hac pace agit *Albaſpin. de Eccleſ. Rit. lib.* 1. *obſerv.* 17.

(f) *Pax tecum.* Tradit *Ordo Romanus*, ſed *ex Auguſt. ſerm.* 83. *de diverſ. Baronius haurit Anno* 45. *n.* 25. Miniſter autem daturus pacem, genuflectit ad dexteram Celebrantis; & dicto tertio *Agnus Dei* cum prima Oratione ſequenti, porrigit inſtrumentum oſculandum eidem Celebranti; tum facta genuflexione accedit ad Prælatum, & alios, quibus idem inſtrumentum porrigit, facta tantum reverentia poſt pacem datam unicuique. Velum quoque adhibebit colori Miſſæ conveniens, quo qualibet vice terget illud, antequam alter oſculetur, ſi plures ſint Prælati; alias non tergat, niſi Prælatis. Neque vero danda eſt pax hoc loco cuicunque, ſed perſonæ, vel perſonis valde inſignibus.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ab initio primæ Orationis poſt ultimum, Agnus Dei, uſque ad ſumptionem Hoſtiæ excluſive.

IX. Rubr. *Tunc manibus junctis, &c.*) Dicto ultimo *Agnus Dei*; Sacerdos manibus junctis ſuper Altare poſitis taliter, ut minores duo digiti tangant frontem antependii Altaris, non vero Corporale, ſupra quod debent extendi ſolum digiti anulares, & medii, ſicuti ſæpius diximus, & ſervatis cæteris, quæ in Rubrica ſuperiori deſcribuntur, incipit dicere ſecreto, non mentaliter, ſed legendo ſuper Miſſale, Orationem, *Domine Jeſu Chriſte, &c.* prout in Ordine Miſſæ, etiam ibi non inclinando caput, cum pronuntiat nomen *Jeſus*; cum dicendo tales Orationes reperiri debeat mediocriter inclinatus capite, & humeris.

X. Rubr. & Gav. lit. f. *Pax tecum, &c.*) Finita prima Orationes, ſi danda ſit pax (quamvis regulariter in Miſſis Privatis hæc non detur, niſi Prælatis, aut Magnatibus) ſerventur exacte omnia ea, quæ tradit Rubrica, & Gavantus *ſupra*; addendum tamen, quod Miniſter, quando accipit pacem a Celebrante, debet eſſe genuflexus a cornu Epiſtolæ. Si autem non ſit danda pax, quæ dari non debet, ſi non adeſſet Miniſter inſerviens Miſſæ, neque ullus intereſſet Epiſcopus, aut alia inſignis perſona, ſtatim Sacerdos continuat alias ſubſequentes Orationes, ut in Ordine Miſſæ: & hæc ſunt certa, & communia apud omnes Rubriciſtas.

XI. Prædicti Ritus dandi pacem in Miſſa, nonnulli auctorem faciunt Innocentium I. circa Ann. 410. Alii vero Leonem II. PP. & alii tenent prædictum Innocentium I. oſculum pacis Sacerdotibus tantum dari mandaſſe; Leonem vero præſcripſiſſe, ut oſculum pacis etiam laicis daretur. Sed hoc ex verbis epiſtolæ dicti Innocentii ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, colligi minime poteſt, quia in ea *cap.* 1. ſic legitur: *Pacem igitur aſſeris ante confecta Myſteria quoſdam Populis impertiri, vel ſibi inter ſe Sacerdotes tradere, cum poſt omnia, (quæ aperire non debeo) pax ſit neceſſario indicenda, per quam conſtet Populum ad omnia, quæ in Myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe pacis concludentis ſignaculo demonſtrentur.* Eccleſia vero Latina in Communionis uſque inſtantem horam, pacis ſignum remittebat quondam; cujus teſtis eſt Auguſtinus, Liturgia Ambroſii apud Pamelium, & Turtullianus *lib. de Orat.* In Orientalibus tamen Eccleſiis, in Ambroſiana, & Hiſpanica, Ritu Mozarabico, pax immediate ante Præfationem tradebatur; ut patet, tum ex allato Ambroſianæ Miſſæ Ritu, in quo lecta poſt Evangelium Antiphona, quæ nunc Offertorium vocatur, Sacerdos Populo dicit, *Pacem habete*, & Populus reſpondet, *Ad te Domine*; tum ex præcitata Innocentii I. epiſtola; tum denique ex Iſidoro, qui inter Orationes quinque Conſecrationi præmittendas, quartam adnotat pro pace conciliandа dicendam, cui propterea titulum pro oſculo pacis præfigit; & apud Clementem, Diaconus ante præfationem dicit, ut omnes ſe invicem ſalutent in oſculo Sancto. At ſalvis prædictorum Auctorum ſententiis, & opinionibus, rectius dicendum videtur cum Bellotte in ſuis obſervat. *pag.* 623. hunc Ritum ex Apoſtolis, & primitivæ Eccleſiæ conſuetudine originem trahere, qua Chriſtifideles mutuis oſculis, mutuam charitatem, animorumque in eadem Religione conſenſum conteſtabantur. Prædicti myſtici pacis oſculi, etiam D. Dionyſius Areopagita mentionem facit *lib. de Cæleſt. Hierarc. cap. de Commun.* & etiam D. Juſtinus Apologia ſecunda ad Antoninum Imperatorem, ait: *Precibus finitis, mutuo nos invicem ſalutamus oſculo pacis*, qui ſuſtus poſt adminiſtrationem Euchariſtiæ de eodem oſculo pacis loquitur; ut videre eſt apud ipſū, vel apud Bellotte, qui ejus verba refert. Pacis igitur oſculum ſolebat inter Miſſarum ſolemnia, ea potiſſimum de cauſa exhiberi, ut ait laudatus Bellotte; ut qui in unam Sacramentorum participationem coeunt, unam quoque animorum conjunctionem præſeferrent; unde S. Iſidorus citat. de Offic. Eccleſ. *lib.* 1. *cap.* 15. ait: *Quarta poſt hæc infertur pro oſculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem digni Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti conſocientur: quia non recipit diſſenſionem cujuſdam Chriſti indiviſibile Corpus.*

XII. Rubr. *Statim ſubjungit alias Orationes, &c.*) Poſt datam pacem, quando danda eſt, Sacerdos dicit duas alias Orationes, ut præſcribit Rubrica. Hæ tres Orationes ante Communionem dicendæ, quæ reperiuntur in recentibus, non habentur in antiquis Miſſalibus, nec in Ordine Romano; & idcirco ſunt, qui cenſent eas a quibuſdam Religioſis inventas eſſe, ut teſtatur Micrologus, a Bellotte relatus. In eamdem ſententiam venit etiam Bellarminus *lib.* 2. *de Miſſa c.* 1. ubi ait: *Tres Orationes ante Communionem non præſcripſit Ordo antiquus Miſſæ, ſed devotio Religioſorum invenit.*

RUBRICA.

4 *Si vero celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad, Agnus Dei, quia dicit* (g) *Dona eis requiem,* (h) *nec dicit primam Orationem: Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, &c.* (i) *non dat pacem, ſed dicit alias duas ſequentes Orationes:* (l) *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi: &:* (m) *Perceptio Corporis tui. Quibus Orationibus dictis; genuflectens Sacramentum adorat; & ſe erigens dicit ſecreto:* (n) *Panem Cæleſtem accipiam, &c. quo dicto dextra manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hoſtiæ, & collocat inter pollicem, & indicem ſiniſtræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem, & medium digitos ſupponit; & eadem manu ſiniſtra tenens partes hujuſmodi ſuper Patenam inter pectus, & Calicem, parum inclinatus, dextera tribus vicibus percutit pectus ſuum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata:* (o) *Domine non ſum dignus: & ſecreto proſequitur; Ut intres, &c. Quibus tertio dictis, ex ſiniſtra accipit ambas partes prædictas Hoſtiæ inter pollicem, & indicem dextræ manus, & cum illa* (p) *ſupra Patenam ſignat ſeipſum ſigno Crucis, ita tamen, ut Hoſtia non egrediatur limites Patenæ, dicens:* (q) *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam, Amen: & ſe inclinans, cubitis ſuper Altare poſitis,* (r) *reverenter eaſdem ambas partes ſumit: quibus ſumptis, deponit Patenam ſuper Corporale: & erigens ſe junctis indicibus, & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, & aliquantulum quieſcit in meditatione SS. Sacramenti. Deinde depoſitis manibus dicit ſecreto:* (ſ) *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? & interim diſcooperit Calicem, genuflectit, ſurgit, accipit Patenam, inſpicit Corporale, colligit*

*ligit fragmenta cum Patena, ſi quæ ſint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice, & indice dextræ manus ſuper Calicem extergit, & ipſos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.*

## *G A V A N T U S.*

(g) *Dona eis requiem.* Habet *Hugo Victor. de ſpec. Miſſæ lib. 3. c. 37.* Quaſi, inquit, magis Defunctorum, quam noſtri memores, indulgeri eiſdem Deum precamur. *Alex. Aleſ.*

(h) *Nec dicit primam Orationem.* Ita *Durand. lib. 4. c. 53.* quia eſt de pace, quæ non datur in Miſſa Defunctorum.

(i) *Non dat pacem.* Scribit *Amal. lib. 3. c. 44. & ante eum Alcuin. c. de exequiis Mortuorum*: Quia, inquit, indicium eſt lætitiæ, quod non convenit Miſſæ Defunctorum. *Durand. loco proxime citato* addit, quieſcere jam Defunctos in Domino, neque amplius eſſe in turbatione hominum. *Albaſpineus de vet. Ritib. lib. 1. obſerv.* 27. probabiliorem affert cauſam: Quia, ait, mortuorum Sacra privata erant, non Solemnia: *ex Canon. 4. Conc. Vaſen. 2.* in Solemnibus autem erat Communio Populi, & ad eam per pacem præparatio, quæ ceſſabant in Privatis.

(l) *Domine Jeſu Chriſte.* Non *ex Ord. Rom.* ſed ex Religioſorum traditione dicitur, ut ſcribit *Microlog. cap.* 18. Et hæc ſecunda Oratio dicitur ſemper cum ſua concluſione: non enim hæ tres Orationes comprehenduntur ſub lege Collectarum, de qua ſupra *part. 1. tit. 7. n. 7.* ut in antiquis patet Miſſalibus.

(m) *Perceptio Corporis tui.* Nullum Auctorem huc uſque inveni, qui hanc Orationem indicet: eam legi *in cit. Miſſ. Vat.* 4743.

(n) *Panem Cæleſtem accipiam.* Habet *Durand. cap.* 54.

(o) *Domine non ſum dignus.* Teſte *Orig. hom. 5. in div.* erat commune omnibus communicaturis: antiquiſſimus ergo eſt Ritus.

(p) *Supra Patenam ſignat ſe.* Docet *Durand. c.* 54. Cupiens ſe ſanctificari, inquit, ſicut & Cruce ſanctificata fuit Hoſtia a Sacerdote: neque in hoc caſu moveat Patenam, ſed Hoſtiam tantum: ita tamen, ut non egrediatur limites Patenæ, ne fragmenta cadant extra illam.

(q) *Corpus Domini noſtri, &c.* Habetur *in lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 13. & lib. 1. Sacram. S. Gregor.*

(r) *Reverenter ſumit.* Tenetur Sacerdos ſumere, *ex Canon. 8. Apoſt. & lib. 8. Conſt. Apoſ. cap.* 20. quia eſt Sacrificium; ut ait *S. Thom. 3. part. quæſt. 82. art. 4.* lege *Durand. lib. 2. cap.* 75. & tenetur præciſe hoc loco ſumere, *ex Concil. Tolet. 12. c. 5. & habetur de conſ. d. 2. relatum.* Cubitos autem teneat Sacerdos, dum communicat, ſuper Altare; ſicut etiam in Conſecratione: ut initio ſolido reſpondeat finis Sacrificii, qui ſit in conſumptione: item ut intra aram fiat & conſecratio, & conſumptio Sacrificii; quod plene præſtatur eo cubitorum ſitu.

(ſ) *Quid retribuam Domino.* Leguntur hi verſus apud *Durand. c.* 54. reliqua ſunt neceſſaria, & valde congrua, ut patet.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ſervando a fine prædictarum Orationum, uſque ad ablutionem digitorum.

XII. Rubr. & Gav. lit. n -- *Panem Cæleſtem accipiam, &c.*) Si celebretur Miſſa Defunctorum, omittantur ea, quæ omittenda præſcribit ſuperior Rubrica; & dicantur pariter ea, quæ ibidem præſcribuntur; & de quibus fuſius diſcurremus in ſequenti titulo XIII. ſive autem celebretur Miſſa Defunctorum, ſive Vivorum, completa ultima Oratione, Sacerdos genuflectit, & adorat iterum SS. Sacramentum: mox ſurgens, & erectus accipit Hoſtiam de Patena indice, & pollice dexteræ manus adjuvante pollice, & indice ſiniſtræ, & collocat inter pollicem, & indicem ejuſdem ſiniſtræ, non collocando totaliter unam partem ſuper aliam, ſed ità, ut ambæ partes Hoſtiæ formeat figuram rotundam, & ponatur illa, quæ eſt a parte ſiniſtra Celebrantis, & quę reſpectu Hoſtiæ erit dextera, ſuper aliam. Ita tenet Bauld. *par. 3. c. 5. n. 12.* Gervaſi *ſup. §. Finito*, & alii. Deinde ſupponit Patenam Hoſtiæ prædictæ eo modo, quo præſcribit Rubrica *ſupr.* Cavere tamen debet, ne manus ſiniſtra Corporale tangat, ſed ea elevata quatuor digitis a Corporali ſuſtineat Patenam; niſi forte propter debilitatem manus neceſſe foret, quod digitus minimus prædictum Corporale tangeret. Angelus *part. 1. n.* 93. Bauldry *ſup. n. 2.* & Bonamicus *part. 2. n.* 41. neque in prædicto caſu collocat cubitum, ſeu brachium ſuper Altare, ut docent Biſſus, Corſettus, Moncius, Polaccus, & alii communiter relati ab Hippolyto a Portu *Rubr. 4. ſuis adnot. n.* 8. Dextera autem, non disjunctis pollice, & indice, ſed ſolum tribus aliis digitis, percutit ſibi pectus dicendo; *Domine non ſum dignus*, ut diſponit Rubr. *ſupra*, & Ordo Miſſæ. Miniſter quoque, & Miſſæ aſtantes in dicta circumſtantia percutiunt ſibi pectus tribus vicibus, ut facit Sacerdos: Bauldry *part. 1. c. 17. n.* 37. & in reliquis exacte adimpleat Sacerdos, communicando ſe ipſum, omnia ea, quæ traduntur a Rubrica, & Gav. *ſupra*; advertendo tamen, quod debet ſuperimponere unam partem Hoſtiæ alteri, ut commode os ingrediatur; & erectus cum eadem Hoſtia tenens Patenam in ſiniſtra manu ſignat ſe manu dextera ſigno Crucis palmari, tam in recta, quam in tranſverſa linea. Pennatius *epit. Sac. Rit. part. 2. tit.* 10. *n.* 4. Deinde poſitis ſuper Altare cubitis, & reverenter inclinatus inclinatione mediocri, ambas ſimul partes Hoſtiæ ſumit. Biſſus *lit. I n.* 20. *§.* 69. Gervaſi *ſupra §. Dopo, & §. Ciò fatto.*

Utrum ante ſumptionem Hoſtiæ poſſint exerceri nonnulli virtutum actus, v. gr. contritionis, amoris Dei, &c. non conveniunt in hoc Doctores. Negant Dicaſtillus *diſp. 4. dub. 13. n.* 269. Lobner *part. 2. tit. 25. n. 2.* relati ab a Portu *ſupr. n.* 16. affirmat apud ſupradictum Dicaſtillum Gobat. Sed præcitatus a Portu negativam ſententiam potius approbat, quam affirmativam: quia nulli actus privatæ devotionis debent permiſceri cum publicis Religionis actibus, niſi ubi permittuntur, v. gr. in utraque Commemoratione Vivorum, & Defunctorum; ſed hic non permittuntur; cujus rei ſignum eſt, quod poſt ſumptionem præſcribitur meditatio, non autem ante ſumptionem: unde exceptio firmat in contrarium regulam. Quando tamen Sacerdos recordaretur, aut dubitaret de aliquo peccato, præſertim mortali, cujus non inſtituiſſet Confeſſionem; tunc & poſſet, & deberet de dicto mortali perfecte conteri quantum poſſet, cum propoſito illud ſubmittendi quamprimum Eccleſiæ clavibus. Idem a Portu *ſupra*, & omnes communiter.

XIII. Rubr. & Gav. lit. r -- *Reverenter ſumit, &c.*) Sacerdos aperiendo modeſte os abſque linguæ expoſitione, & ſuppoſita Patena, reverenter ambas partes Hoſtiæ ſumit leniter; & moderate mollificabit ambas partes ſuper linguam, & intactas, ſi poterit, deglutiet: igitur caveat ne indecenter dentibus comminuat Sacroſanctam Hoſtiam; quod pariter ab iis, qui communicant, obſervetur. Angel. *part. 3. ſupra §. Mox.* Quod ſi palato, vel dentibus adhæreat fragmentum aliquod, tunc lingua, non vero digito inde revellat; & ubi facile non poſſit, ſumat Sanguinem, & ablutionibus deglutiat. Quarti *part. 2. tit. 10. in dubiis dub. 4.* & Biſſus *lit. H, n.* 74.

XIV. Rubr. *Accipit Patenam, &c.*) Sumptis modo prædicto ambabus Hoſtiæ partibus, deponit Patenam ſuper Corporale; & erigens ſe, junctis indicibus, & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem, id eſt, uſque ad mentum, jungit eo pacto, quo fecit ad utrumque *Memento*, ut ſupra dictum eſt, & caput aliquantulum inclinat; & ſic ſtans quieſcit pauliſper in meditatione SS. Sacramenti: deinde disjungit manus, deponit ſiniſtram ſuper Corporale, indice, & pollice ejus unitis, & dicit ſubmiſſa, & ſecreta voce ſequentem Orationem.

XV. Rubr. & Gavant. lit. ſ -- *Quid retribuam Domino, &c.*) & interim, dum hæc dicit, manu dextera apprehendendo pallam inter indicem unitum pollici, & medium, diſcooperit Calicem: collocando deinde pallam ſuper Corporale, & velum de more, depoſitis hinc inde ſuper Corporale manibus, genuflectit dextero genu, & genuflexio ſit magis devota, & cum majori reverentia, ac aliæ: Benvenuti *pag.* 37. tum ſurgit, & perſeverante ſiniſtra ſuper Corporale, accipit Patenam manu dextera inter digitos medium, & indicem unitum pollici, ut ſupra dictum eſt de palla.

Quod ſi Celebrans cogatur removere Calicem, ut perquirat fragmenta, ſi quæ ſunt ſuper Corporale, illum removeat ſtatim ac diſcooperuit; & poſtea genuflectat, ne certe cogatur bis genuflectere, quod alioquin faciendum eſſet: Bauldry *part. 3. tit. 10. Rubr. 4. n.* 3. tum ipſa Patena colligit fragmenta ſuper Corporale. Cum autem in hac actione nulla diligentia ſit ſuperflua; ad exactius colligenda fragmenta, poterit manu ſiniſtra (pollice, & indice ſimul junctis) poſita inter Corporale, & tobaleam, levius excutere Corporale parumper elevatum, ut fragmenta in Patenam paulum inclinatam a parte inferiori decidant. Denique ſumendo Patenam manu ſiniſtra, non ex ea parte, qua fragmenta collegit, eamque ſuper Calicem elevans pollice, & indice manus dexteræ inquirit fragmenta, quæ Patenæ adhærent, eaque dictis digitis immittit in Calicem: Tonellius *ſupra n.* 8. Bonamicus *part. 3. n.* 42. unde ſit, quod non debeat os Calicis tegi, quaſi illud obturando Patena; nec Patena, ut multi male faciunt, debet de manu ſiniſtra in dexteram transferri, ut iterum purgetur indice, & pollice ſiniſtræ manus; nec invertenda eſt, aut concutienda ad Calicem cum ſtrepitu, ut inde fragmenta decidant: in extergenda vero Patena, maxima adhibeatur diligentia, ne minimum quid ex fragmentis ſuper ea remaneat. Extergat præterea digitos ſuos Sacerdos, ſed nunquam eos purget ad Calicis labia, ut in illum cadant fragmenta, ſi quæ digitis adhæſerunt: & ſi advertat aliquod fragmentum, ita ſuis digitis adhærere, ut ſit difficile illud removere, ipſos perfricando, digitos etiam alterius manus adhibeat, ut fragmentum illud amoveatur, & in Calicem immittatur. Biſſus, Bauldry, & Gavantus *ſupra.*

## R U B R I C A.

*Si vero adſunt Hoſtiæ conſecratæ ſuper Corporale poſitæ* (t) *pro alio tempore conſervandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter advertit, ne aliquod fragmentum quantumcumque minimum remaneat ſuper Corporale: quod ſi fuerit, accurate reponit in Calicem: Poſt exterſionem Patenæ, junctis pollicibus, & indicibus, Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, ſiniſtra Patenam, dicens: Calicem ſalutaris, &c. & ſignans ſe* (u) *ſigno Crucis cum Calice, dicit: Sanguis Domini noſtri, &c. Et manu ſiniſtra ſupponens Patenam Calici, ſtans, reverenter ſumit totum Sanguinem cum Particula poſita: quibus ſumptis, dicit ſecreto;* (x) *Quod ore ſumpſimus; &c. & ſuper Altare porrigit Calicem Miniſtro in cornu Epiſtolæ, quo* (y) *vinum fundente, ſe purificat: deinde* (z) *vino, & aqua abluit pollices, & indices ſuper Calicem, quos abſtergit purificatorio, interim dicens:* (a) *Corpus*

*tuum*

*tuum Domine, quod ſumpſi, &c. ablutionem ſumit, & extergit os, & Calicem purificatorio: quo facto, purificatorium extendit ſuper Calicem, & deſuper Patenam, ac ſuper Patenam parvam pallam; &* (b) *plicato Corporali, quod reponit in burſam, cooperit Calicem velo, & burſam deſuper ponit, & collocat in medio Altaris,* (c) *ut in principio Miſſæ.*

### *G A V A N T U S.*

(t) *Pro alio tempore reſervandæ.* Vetuſtiſſima conſuetudo eſt, ut propter infirmorum Communionem, necnon ob alias cauſas, Euchariſtia aſſervetur in arcula, ſeu Pyxide: *Clemens lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 13. & Leo Papa ad Michael. Imper.* lege *Durand. lib. 1. de Ritib. cap. 16.* quæ tamen erit mutanda de ſeptimo in ſeptimum diem, ut loquar cum *Synodo Turonen. 4. cap. 4.* De Sacrificio vero nihil remanere debet, ait *S. Bonav. 4. diſt. 12. art. 1. quæſt. 3.*

(u) *Signo Crucis cum Calice.* Dextera tantum manu eam moveat, ſiniſtra Patenam tenens; quam non ſupponit Calici niſi cum eum ſumit. De ſigno Crucis cum Calice mentio eſt apud *Durand. c. 54.* ſed non de verbis, *Sanguis, &c.* Reverenter autem ſumit totum, ter ori admovens Calicem, ait *Durand. ibidem*; Semel ait *Craſſus cum Caſtaldo in ſua praxi*; ſed illud eſt uſitatius, & ad conſumendam ſpeciem reverenter aptius: * Ille vero modus loquendi, *Accipit infra nodum cuppæ*, non ſignificat aliud diverſum ab eo, quod ſupra aliis verbis dicitur *tit. 7. n. 5. Tenens nodum infra cuppam*, quod *tit. 8. num. 7.* repetitur; ſenſus enim eſt: accipit nodum cuppæ, qui eſt infra. Neque major eſt ratio, ut diverſimode capiatur Calix in prædictis caſibus; imo ad ſumendum Calicem tutius, & commodius tenetur nodus Calicis; minus tute inter nodum, & pedem illius: *Burchardus* autem varia phraſi ſolet dicere, *ut in tit. 2. n. 2. & 4. & in tit. 3. n. 1. Ante infimum gradum Altaris: Poſt infimum gradum: Ad infimum gradum*: hoc eſt in plano Capellæ: item in genuflexionibus addit aliquando: *Uſque ad Terram*: in inclinationibus addit aliquando, *Profunde*; at ſenſus Auctoris eſt, ut altera alteram Rubricam explicet ex identitate actionis, ſeu rationis: ne igitur hæreas in verbis.

Quæritur: an Sacerdos ſumens Sanguinem ſub altera ſpecie vini, plus gratiæ recipiat? Negat *Bellarm. lib. 4. de Euchar. c. 23.* & eſt communior ſententia; concedit tamen *Suar. diſp. 63. ſect. 4. 5. & 7. cum aliis*, poſſe recipi majorem gratiam, ſi in continuanda ſumptione plures devotionis actus eliciantur: quod valet etiam in ſumptione particularum, quæ ſuperſunt, & a Celebrante ſumuntur, quia ad idem Sacrificium ſpectant. Addit præterea *Henriq. c. 43. n. 3.* cum iis, qui volunt totum effectum Sacramenti produci per ſumptionem primæ ſpeciei, imo etiam primæ partis ſpeciei (per ſumptionem autem intellige deglutitionem, *cum Soto diſtinct. 11. quæſt. 2. art. 1.* & eſt communis; tunc enim manducaſti) dato caſu, quod ſumatur Hoſtia a Sacerdote in peccato mortali, deinde pœniteat, & contritus ſumat Calicem; ex hac ſumptione Calicis, ajunt, quod nihil ille Sacramentalis effectus ſit percepturus; docet oppoſitum *Cajet. 3. part. quæſt. 79. art. 1. quem ſequitur Suar. loco cit.* qua in re ſententiam tutiorem tu ſequere, & a peccato cave.

(x) *Quod ore ſumpſimus.* Habet *Ord. Rom. & Microl. c. 19.*

(y) *Vinum ſundente.* Miniſter deſert ad Altare in cornu Epiſtolæ ampullas in pelvicula, quas miniſtrabit cum oſculis, & reverentiis debitis; & in fine relatis iiſdem ad locum ſuum, extinguet cereum pro elevatione accenſum, ut habetur ſupra *tit. 8. n. 6.*

Vino autem fit purificatio, ex *Innoc. III. de Celebrat. Miſſarum, cap. ex parte.* Deceret autem, ut vinum pro purificatione Calicis infuſum, eſſet ejuſdem ſaltem quantitatis, qua fuerunt primæ ſpecies Sanguinis; alioquin Sacerdos illud ſaltem intra Calicem circumagat, ut abſumantur ſpecies; neque extra Altare demittat Calicem, neque digitis labia Calicis, ſeu oris ſui detergat, neque digitos lambat. Pius V. *in epiſt. ad Archiepiſc. Tarracon. data die 8. Januarii 1751. & relata a Vincentio Suriano part. 1.* monet de prædicta vini ad purificationem adhibenda quantitate; & addit præterea, quod ſumatur ablutio per eamdem partem Calicis, per quam Sanguis Chriſti hauſtus eſt. Mirare, quæſo, Sanctiſſimi Pontificis etiam in minimis diligentiam. Purificationem vero, de qua hoc loco, vocat profuſionem *Inn. III. lib. 6. c. 8.* in eadem notat *Dur. c. 54.* Calicem eſſe bis tantum admovendum ori, non ultra: nam vere ſtomachum aſtantibus movet plures quam ter Sanguinem, & bis purificationem de Calice ſugere.

Quid vero, ſi Celebrans voviſſet non bibere vinum? poterit tamen hoc loco vino uti, quia hic urget Eccleſiæ præceptum: *Azor. lib. 11. cap. 10. quæſt. 7.* nec abſtemii debent ſine vino purificare Calicem; Papa inconſulto: ex Romana praxi.

(z) *Vino, & aqua abluit, &c.* Vino digitos perfundi ſcribit *S. Thom. 3. part. q. 83. art. 5. ad 10.* aqua poſt vinum efficit etiam, ne purificatorium maculas vini nimium contrahat; & modeſtiam ſignificat, ſeu humilitatem: *Innoc. III. lib. 6. c. 8.* non tamen ſumebatur hæc ablutio, ſed in locum mundum projiciebatur: *ex Durand. c. 55. lib. 4.* utramque nunc ablutionem ſumit Sacerdos, & in medio Altaris. * Curet autem, ne dum digitos purificatorio tergit, Corporale commaculet, gutta cadente e digitis, & ideo deponat Calicem extra Corporale, donec digitos abſterſerit.

(a) *Corpus tuum Domine. Meminit Dur. lib. 7. c. 77.*

(b) *Plicato Corporali.* Ita *Ordo Romanus, & Honor. in Gemma lib. 1. cap. 65.* Calicem autem, dum plicat Corporale, collocat Sacerdos verſus cornu Epiſtolæ, ut commodius burſam accipiat, quæ eſt in cornu Evangelii.

(c) *Ut in principio Miſſæ.* Velo ergo velabit Calicem totum in anteriori parte, ſicut initio Miſſæ; quod non caret Myſterio, ut dicemus *in expoſitione Miſtica Miſſa num. 11.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, a ſumptione Hoſtiæ excluſive, uſque ad ſumptionem, & purificationem Calicis incluſive.

XVI. Rub. & Gav. lit. t - *Pro alio tempore conſervandæ, &c.*) Sumpta Hoſtia a Celebrante, ſi adſint Particulæ conſecratæ pro alio tempore ſervandæ, gerat ſe Sacerdos ſequenti modo. Si dictæ particulæ non ſint conſecratæ in Pyxide, ſeu alio vaſe, ſed ſuper Corporale, ſtatim poſt ſumptam Hoſtiam eas in ſuo vaſe ponat, antequam cum Patena colligat fragmenta: ſi vero prædictæ particulæ conſecratæ, fuerint in aliquo vaſe, tunc ſumpta Hoſtia, & facta prima purificatione ante ablutionem digitorum, juxta ſententiam Bauldry *par. 3. tit. 10. Rubr. 7. n. 1.* Tonelli *lib. 2. c. 3. §. 1. n. 5.* & Lobner *par. 2. tit. 26. n. 3.* poſito Calice a latere Evangelii, & factis debitis genuflexionibus ante, & poſt, dictum vas, ſeu Pyxis, in quo continentur tales formulæ conſecratæ, debet reponi in Tabernaculo. Non deſunt tamen Auctores, qui tenent prædictum vas, ſeu Pyxidem debere ſervari ſuper Corporale, uſque ad finem Miſſæ, eo modo, quo fit in feria 5. Cœnæ Domini; in quo caſu Sacerdos præſtare debet genuflexiones, & alia, quæ præſcribuntur, quando Sacramentum habetur ſuper Altare: Sectatores autem hujus ſententiæ ſunt Anonymus Italus *ſupra, §. Anzi*, & a Portu *Rub. 5. hujus tituli, in fine adn. n. 1.*

XVII. Rub. *Diligenter advertat, &c.*) Sacerdos poſtquam cũ Patena exterſerit diligenter Corporale (quæ exterſio, ſive videat, ſive non videat fragmenta, nunquam omitti debet) & eamdem Patenam diligenter pariter exterſerit ſuper Calicem, junctis pollicibus, & indicibus, ſumat Calicem, obſervando ea, quæ præſcribit ſuperior Rubrica, & Gavantus *ſupra*, advertendo tamen, quod illa verba, *Calicem ſalutaris accipiam, &c.* non dicuntur, dum colliguntur, vel immittuntur in Calicem fragmenta, ſed quando Sacerdos accipit Calicem per nodum, ut ſumat Chriſti Sanguinem; & debet prædicta verba dicere ſubmiſſa voce, uſque ad *Salvus ero* incluſive. *Cærem. Miſſæ Priv. cap. 10. §. 25. n. 1.* & Gervaſi *ſupra*, Benvenuti *pag. mihi 38.* & Pennatius *epitome Rit. Miſſæ Privatæ parte 2. cap. 10. tit. 10. num. 2.*

XVIII. Rubr. & Gav. lit. u -- *Signo Crucis cum Calice, &c.*) Dum Sacerd. ſeſignat cum Calice; caveat ne ſe ipſum tangat prædicto Calice; & Patenam non moveat, cum eam ſolum ſupponere debeat Calici, hoc eſt ſubtus mentum, ſed ipſum mentum non tangendo. Priuſquam autem Sacratiſſimum Chriſti Sanguinem bibat, & purificationem ſumat, advertat iterum, quod proferendo nomen *Jeſu*, non tenetur ſe inclinare, cum jam inclinato capite, & humeris reverenter ſuſcipiat Sacramentum: advertat pariter, quod dum Sanguinem ſumit, debet cavere, ne inconcinne Calicem reclinet; & ſumpto Sanguine nec labia ſua, nec digitos ſuos lambat, ut inepte aliqui faciunt.

XIX. Gav. lit. y - *Vino autem fit purificatio, &c.*) Præſtitis a Sacerdote omnibus iis, quæ innuuntur in ſuperiori Rubrica, quando ſumpſit e Calice totum Chriſti Sanguinem cum Particula in eodem poſita; debet dextera manu Calicem porrigere Miniſtro, ad accipiendum vinum pro purificatione ejuſdem Calicis, depoſita interim ſiniſtra manu tenente adhuc Patenam ſuper Corporale.

Controvertunt Rubriciſtæ, utrum illa verba, *Quod ore ſumpſimus Domine*, quæ dicit Sacerdos poſt Sacroſancti Sanguinis ſumptionem, debeant ab eodem proferri antequam porrigatur Calix ad accipiendum vinum purificationis; an in actu talis porrectionis? Primam ſententiam tenent Tonellius *ſupra n. 4.* Baldaſſarius, Moncius, Splendianus, & Andreas Penazai *in epitome Sac. Rituum par. 2. tit. 10. n. 5. & c. 13. n. 13.* Secundam vero ſententiam tuentur Biſſus *lit. Q. n. 20.* Bonam. & Gerv. *ſupra §. Pigliato il Sangue*, & prædictus a Portu, hac ratione ducti, quia Celebrans deberet deponere Calicem ſuper Corporale (quod tamen non innuitur a Rubrica) tum quia moram hanc Rubrica præſcriberet, quemadmodum præcipit poſt ſumptionem Hoſtiæ. Decens tamen mihi videtur, quod ſicut Sacerdos poſt ſumptionem Hoſtiæ aliquantiſper quieſcit in meditatione Sacramenti, idem præſtet poſt Sacratiſſimi Sanguinis ſumptionem: & quamvis de hac ſecunda meditatione nihil loquatur Rubrica; tamen ita pie interpretanda eſt: quapropter depoſito ſuper Altare Calice non retracta ab eo manu pauliſper dum facit ſecundam brevem meditationem, quieſcit, & dicit poſtea, *quod ore ſumpſimus, &c.* porrigitque Calicem Miniſtro in cornu Epiſtolæ, ut accipiat ab eo vinum, quo ſe purificet; & ſic peragendo inhærebit potius primæ ſententiæ, quæ eſt valde pia.

XX. Gav. eadem lit y - *Calicem eſſe bis tantum admovendum, &c.*) Nonnulli Doctores præſcribunt, quod decentius ſit unico hauſtu totum Sacratiſſimum Sanguinem a Sacerdote ſumi: ita Tonellius *ſupra Rub. 5. n. 3.* Biſſus *lit. S. n. 88.* Caſtald. *lib. 2. cap. 8. num. 9.* & Craſſus a Gavanto *cit. ſup. lit. u.* e contra vero Bauldry *part. 3. Rubr. 5. num. 2.* Cabrinus *cap. 13. num. 10.* Arnaud & alii allegati ab Hippol. a Portu *Rubr. 5. num. 7.* necnon Durandus a Gavanto cit. *ſupra*, aſſerunt, quod Celebrans ter diſtinctis vicibus admoveat ori Calicem dum ſumit Chriſti Sanguinem, ut facilius totus ſumatur. Verum noſter Gavantus optimo conſilio mediam tenet ſententiam aſſerendo bis, & non

plus,nec minus admovendum eſſe ori Calicem in ſumendo Chriſti ſanguine.

Si vero poſtquam Sacerdos Sanguinem ſumpſit,particula Hoſtiæ in Calice remanſerit, quæſtionem movent Auctores,utrum decentius ſit talem particulam digito indice dexteræ manus amovere, ut facilius ſumi queat; an debeat talis particula relinqui, ubi reperitur, ut poſtea ſumatur cum purificatione. Uterque modus approbatur a Miſſali *tit.* 10. *n.* 8. *de defect. occurrentibus in Miſſa*; ſed communiter a Doctoribus magis approbatur ſecundus, quam primus ex prædictis modis.

Dum ſumitur a Celebrante Sacratiſſimus Sanguis vel etiam prius, Miniſter deferens ſecum campanulam, genuflectit, vel in ſuo loco, vel in medio Capellæ, & deinde abit ad credentiam, ſuper qua campanulam deponit; & acceptis ampullis, relictis ſuper credentia earumdem operculis, pergit ad cornu Epiſtolæ, & ibi facit debitam reverentiam. Gervaſi *in inſtruction. pro Miniſt. Miſsæ Privatæ cap.* 10. *n.* 4.

Verum ſi Sacerdos nondum Sanguinem ſumpſiſſet, tunc Miniſter ſi ante ſurrexiſſet (quod non approbo) in dicto loco genuflectit, donec Sacerdos ſumat totum Sanguinem; quo ſumpto ſurgit, & extendit dextrum brachium, dum Sacerdos porrigit Calicem extra Corporale, ſed intra, & ſuper Altare; itaque Miniſter, extenſa, ut diximus, manu dextera, ſed cum ampullæ quaſi oſculo, & capitis inclinatione, & poſt, infundit in medium Calicis vinum in tanta quantitate, in quanta fuit vinum conſecratum; de quo tamen Sacerdos debet dare aliquod ſignum, elevando ver. gr. pauliſper Calicem, & ſic admonendo Miniſtrum, ut retrahat ampullam. Deinde Sacerdos agitatione levi circumagat Calicem ſuper Corporale, caute tamen, ut colligantur ſpecies, quæ remanſerunt, quod ſemper facere laudabile eſt: præterea in ſumenda purificatione obſervet exacte ea, quæ tradunt Rubrica; & Gavantus *ſupra*.

XXI. Rubr. & Gav. lit. z -- *Vino, & aqua abluit, &c.*) Sumpta purificatione deponit Patenam in medio Corporalis verſus extremitatem anteriorem; vel ſi magis placet eam deponat ex parte ſiniſtra Corporalis a parte Evangelii, abſque eo quod eam cum Palla tegat (quod multi adhibito pede Calicis,erronee faciunt) aut etiam purificatorio denuo purificet, abſque eo, ut os ſuum, vel labium exterius Calicis ex illa parte, ex qua bibit, digitis abſtergat, aut digitos lambat: Celebrans accipiens cuppam Calicis, ſex inferioribus digitis utriuſque manus pollicem, & indicem ſiniſtræ, dextreque manus conjunctos inter ſe tenens ſuper os ejuſdem Calicis, procedit in cornu Epiſtolæ (facta prius Cruci debita reverentia) ubi elevatum tenens Calicem intra Altare, ſed extra Corporale, pollices, & indices abluit, exiſtens ſuper os ejuſdem Calicis, prius vino, deinde aqua; non autem vino ſolo, ut advertunt Corſett. *tract.* 1. *c.* 1. *n.* 5. Bonamic. *part.* 1. *obſerv.* 5. *n.* 13. & Arnaud. *ſupra n.* 10. quod non licet abſque Pontificio privilegio, quando non eſt cauſa ſufficiens,quæ excuſet. Cærem. Miſſæ Priv. *c.* 10. §. 26. *n.* 4. *Paſqualigus de Miſsæ Sacrif. quæſt.* 209. *n.* 8. docet uti ſola aqua in ſupradicta digitorum ablutione nullum eſſe peccatum: ita etiam Biſſus *lit. A n.* 426. Advertat Miniſter, quod infundere debet prius vinum, deinde aquam ſuper pollices, & indices Celebrantis in medio Calicis, cum quaſi oſculis ampullarum, & capitis inclinatione, ut ſupra. Corſett. *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 30. Bauld. *par.* 1. *c.* 17. *n.* 41. Gervaſ. *in inſtruct. Cærem. pro Miniſtr. Miſsæ Privatæ c.* 10. *n.* 5. nec deſiſtet, donec Sacerdos det ſignum deſinendi: deinde facta ſolita Altari reverentia, ampullas ad credentiam reportat, operculis ſuis illas tegendo.

Si Celebrans, aliis digitis præter indices, & pollices, tetigerit Hoſtiam conſecratam, aut alia manus parte; tunc digiti, & pars illa caute abluenda eſſet & idcirco in hoc loco Rubrica non dicit lavandas digitorum extremitates; ut dicit ad *Lavabo* poſt Offertorium; Moncius *ſup.* §. 157. & a Portu *ſupr. n.* 11.

Tum Sacerdos, ut abſtergat apte digitos, revertitur quaſi ad medium Altaris, tenens adhuc Calicem prout habeat;quem ponet prope Corporale, ſed extra illud; & Purificatorium prope Calicem ipſum. Biſſ. *lit. D n.* 159. §. 5. Bauld. *part.* 3. *tit.* 10. *Rubr.* 5. *n.* 6. Angel. *part.* 3. *tit* 10. *n.* 5. & Gav. *ſupr. lit.* z. Tum excuſſis ſupra, & non juxta Calicem digitis pollicibus, & indicibus, prius dexteram amovet a Calice, interim dicens *Corpus tuum Domine, quod ſumpſi, &c.* nam dicta Oratio dicenda eſt dum digiti purificatorio abſterguntur; ut patet ex Rubrica, & monent Biſſ. *lit. S n.* 20. §. 73. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 10. *Rubr.* 5. *in notis n.* 7. §. *Oratio*. Bauldry, a Portu, & alii.

XXII. Rubr. *Quo facto, &c.*) Nempe, abſterſis digitis purificatorio, accedit ad medium Altaris, & non prius; ut docent Bauld. *ſupr. n.* 4. Biſſ. *lit. D n.* 149. §. 5. alias ſi accederet ad medium Altaris ante digitorum abſterſionem; quomodo junctarum manuum digitis humidis, & fluentibus, ſe ſe Cruci inclinaret? Itaque digitis diligenter exterſis, deponit purificatorium extra Corporale, ſed prope Calicem; & accedens ad medium Altaris junctis manibus, facit capite inclinato profundam reverentiam Cruci; qua facta, manu ſiniſtra accipit purificatorium, dextera vero Calicem per nodum; & ſupponens purificatorium, quod tenet manu ſiniſtra, Calici, ſumit ablutionem unico hauſtu: Biſſus *lit. D n.* 159. §. 5. Quod ſi poſt ſumptam ablutionem, aut poſt dictas Orationes, aliquod Hoſtiæ fragmentum Sacerdos in Patena repererit, poteſt illud ſtatim ſumere: quia tota illa actio reputatur unus actus, una perfecta Sacrificii conſumptio,& unicum convivium. Vinitor §. 30. citans Bonacin. *de Euchariſt. diſput.* 4. *quæſt.* 6. *part.* 2. *n.* 12. & Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 22. Deinde poſt ablutionem deponit Calicem ſuper Corporale, & ſervat omnia ea, quæ præſcribit ſuperior Rubrica, & Gav. *ſupr.* advertendo tamen, quod expanſo velo ſuper Calicem, accipit burſam ſiniſtra manu; & dextera Corporale prius a ſe plicatum, ut tenet communior ſententia (aliqui enim, inter quos Lohner *part.* 6. *tit.* 4. *n.* 56. ſuſtinent debere plicari Corporale poſtquam Sacerdos cooperuit Calicem) quod includit intra burſam; & includendo Corporale teneat, & collocet burſam, ut fecit in Miſſæ initio; nempe ita, ut ejus apertura antrorſum,non ad latus reſpiciat. Denique manu ſiniſtra ſubtus velum poſita, accipiat Calicem per nodum: dextera vero extenſis digitis, & unitis, poſita ſuper burſam, Calicem prædictum collocet in medio Altaris, velumque Calicis ita accommodet, ut a parte anteriori tegat totum Calicem; quod ſi ob brevitatem veli contegi nequeat a parte poſteriori, cooperiatur totaliter a dicta parte anteriori. Biſſ. *lit. C n.* 23. §. 15. Bauld. *part.* 4.ª *ſupr. n.* 7. & a Portu *in hunc titul. Rubr.* 5. §. 18. qui ſequitur hanc ſententiam ob ſequentem rationem, nimirum, quia in illa verba Rubricæ ſuperioris, *Ut in principio Miſsæ*, non debet intelligi tantummodo de loco medio, in quo collocari debet Calix, ſed etiam de modo: ſiquidem non ſolum in principio Miſſæ, ſed fere per totam actionem, Calix tenetur in medio Altaris; & ſi alibi aliquando reponitur, hoc fit per accidens, & tranſeunter. Quod ſi terminata Miſſa non præſcribit Rubrica revolutionem veli ſuper burſam; nec alia multa declarantur a Rubrica, generaliter loquendo, quæ tamen declarantur ab Auctoribus, qui Sacras Rubricas explanant, & interpretantur: ſic v. gr. non exeundo ab hac Rubrica, non ſignificat manum, quæ collocare debet Calicem in medio Altaris; & tamen Angel. *part.* 1. *n.* 117. qui cum Quarti *part.* 2. *tit.* 10. *in dub. ſect.* 1. ſtat acriter pro contraria ſententia, exprimit qua manu deferri debeat Calix in medio Altaris. Hæc, & alia a Portu, ex quibus magis firmatur ſupra tradita noſtra ſententia de facienda parva aliqua meditatione poſt pretioſiſſimi Sanguinis ſumptionem, & detinendo interim Calicem manu dextera ſuper Altari, antequam pronuncientur illa verba, *Quod ore ſumpſimus, &c.* de quibus *ſupra*. Hic omittere non debeo adeſſe Decretum Sac. Congreg. datum in noſtro Indice *ſub n.* 520. quo confirmatur ſupradicta noſtra ſententia de cooperiendo Calice in anteriori ſui parte, in fine Miſſæ, prout coopertus remanet in Miſſæ initio ante Offertorium.

## R U B R I C A.

6 *Si qui ſunt* (d) *communicandi in Miſſa, Sacerdos poſt ſumptionem Sanguinis, antequam ſe purificet, facta genuflexione ponat Particulas conſecratas in Pyxide: vel ſi pauci ſint communicandi, ſuper Patenam, niſi a principio poſitæ fuerint in Pyxide, ſeu alio Calice. Interim Miniſter ante* (e) *eos extendit linteum, ſeu velum album, & pro eis facit Confeſſionem, dicens:* (f) *Confiteor Deo, &c. Tum Sacerdos iterum genuflectit; & manibus junctis vertens ſe ad Populum in cornu Evangelii, dicit: Miſereatur veſtri: &: Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum, &c. & manu dextera facit ſignum Crucis ſuper eos. Poſtea genuflectens, accipit manu ſiniſtra Pyxidem, ſeu Patenam cum Sacramento; dextera vero ſumit unam Particulam, quam inter pollicem, & indicem tenet aliquantulum elevatam ſuper Pyxidem, ſeu Patenam: & converſus ad communicandos, in medio Altaris dicit:* (g) *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Deinde dicit:* (h) *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea. Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dexteram, hoc eſt, ad latus Epiſtolæ, & unicuique* (i) *porrigit Sacramentum, faciens* (l) *cum eo ſignum Crucis ſuper Pyxidem, vel Patenam,* (m) *ſimul dicens: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen. Omnibus communicatis revertitur ad Altare, nihil dicens: &* (n) *non dat eis Benedictionem, quia illam daturus eſt in fine Miſſæ. Si Particulæ poſitæ erant ſuper Corporale, extergit illud cum Patena; & ſi qua in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit ſecreto: Quod ore ſumpſimus Domine, &c. & ſe purificat, dicens: Corpus tuum Domine, quod ſumpſi: & alia facit, ut ſupra. Miniſter autem dextera manu* (o) *tenens vas cum vino, & aqua, ſiniſtra vero mappulam, aliquanto poſt Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abſtergendum.*

## *G A V A N T U S.*

(d) *Communicandi*. Regulariter hoc loco facienda eſt Communio. *Amalar. præf. ad lib. de Eccl. Offi. & Walfr. c.* 22. ſed hodie,quia plurimi exoptant finem Miſſæ,& eos tædet expectare alios, ut communicent,præſertim,ſi multi ſint communicandi; differri ſolet Communio, uſque ad peractam Miſſam. Tolerandum videtur, ſi multi communicent; non autem, ſi pauci: & ii fortaſſe privantur fructu Orationum earum, quæ poſt Communionem dicuntur; ut notat *Microl. cap.* 19. *Ante has Orationes*, inquit, *communicare non negligant, quicumque earumdem Orationum Benedictione foveri deſiderant.*

Quilibet autem Sacerdos communicare poteſt in Miſſa alios,

ex-

Digitized by Google

excepto die Paſchatis, quo neque poſſunt Regulares: & illud placet *Nav. c. 21. n. 52. Man.* favet *Trid. Conc.* quod in Miſſis ſingulis optat aſtantium Communionem; cujus rei gratia quidam paulo ante Comunionem pulſant campanulam; ſed nulla fit auctoritate majorum. * Celebrans autem poſt ſumptionem Sanguinis, Calicem palla tegat, antequam alios communicet.

(e) *Extendit linteum.* In linteis nitidis accipiebant laici Euchariſtiam, maxime mulieres: *ex Aug. ſerm. 252. de temp.* ubi appellatur linteolum, & lintealem. Dominicale vocabatur hoc linteum, *ex Baron. An. 57. n. 148.* de quo eſt Decretum *in Conc. Antiſiodor. Can. 42.* vocat *Ordo Romanus* ſyndonem mundam.

(f) *Confiteor.* Et Antiquiores nihil de his in hoc loco; ſed maxime congruunt deſumpta ex Confeſſione ante Miſſam. * Et ſicut in Miſſa, uno tantum præſente dicitur, *Miſereatur veſtri*; ita etiam uno tantum communicaturo dici debet *Veſtri*, *Veſtris*: quæ cadunt præterea ſuper alios præſentes Communione ſpirituali communicaturos.

(g) *Ecce Agnus Dei, &c.* Sumptum eſt ex Evangelio Jo: *c. 1.* & quadrat ad rem, præſertim cum paulo ante fuerit dictum ter, *Agnus Dei*: ſed Ritus non eſt antiquus: * Tenet autem celebrans Particulam duobus digitis paulum elevatam ſupra Patenam, ſeu Pyxidem, ita tamen, ut dextra manus adhæreat Patenæ, ſeu Pyxidi, neque nimium elevetur Particula ſuper Pyxidem.

(h) *Domine non ſum dignus, &c.* Eodem modo fuit additum, ut ſupra, *ex Origene* exemplo celebrantis: & dicitur a Sacerdote totum integre clara voce, & ſemper in genere maſculino. * Quare Ritus ille apud quaſdam Moniales, quæ dicunt, tacente Sacerdote: *Domine non ſum digna*, continet errata duo, alterum, quod a Sacerdote non dicitur, contra hanc Rubricam; alterum, quod mutantur verba a Centurione accepta, & a Rubrica non mutata, contra Bullas Pii V. & Pauli V. qui prohibent mutationem in Miſſali, & Rituali Romano; in quo expreſſe dici jubetur pro fœminis quoque, *Domine non ſum dignus*.

(i) *Porrigit Sacramentum.* Per Particulas danda eſt communio; non autem cuicumque de Populo dandæ videntur partes illius Hoſtiæ, quæ forte reſervatur poſt Orationem 40. horarum: quod etiam vetuit S. Carolus *in Synodo Diœceſ.* 11. quia rudiores rotundam potius volunt Particulam, alioquin facile patiuntur ſcandalum: imo *ibid.* juſſit, a ſolo Sacerdote prædictam Hoſtiam ſumi, quod melius eſſet, poſt Calicis ſumptionem. *In Ordine Romano*, Subdiaconi, & his inferiores, ore, non manu accipiebant a celebrante Communionem; & Conc. Rothomag. *Can. 2. apud Burchard. l. 3. c. 76.* juſſit, ut Euchariſtia nonnulli in os cujuſcumque ſumentis immittatur a Sacerdote. Qui vero communicant, manus in Crucis formam componere debent, *ex Synodo 6. in Trull. Canon.* 102. In ſingulis Dominicis, *ex Auguſt. ep. 118. ad Januar.* vel tertia Dominica (quod nota pro Societatibus SS. Sacramenti) vel ſummis Feſtivitatibus, vel ter in Anno ſaltem, *ex Decreto Urbani Papæ apud Ivon. part. 2. c. 27.* communicabant. *Gemma lib. 1. c. 66.* initio enim laici omnes in ſingulis Miſſis communicabant: *Dion. c. 4. Eccl. Hierarc.* & optat, ut diximus, fieri quoque nunc temporis Conc. Trid. *ſeſſ. 22. c. 6.*

(l) *Cum eo ſignum Crucis.* Eo modo, quo ſupra ſignavit ſe ipſum Sacerdos. *S. Th. opuſc. 75. c. 4.*

(m) *Simul dicens: Corpus, &c.* Dicuntur hæc verba in diſtributione Euchariſtiæ, teſte *Alcuino de Sabbato Sancto.* Aſſerit *Microlog. c. 58.* dici ex religioſa traditione; ſed habentur apud *Joan. Diac. in vita S. Gregorii, & in Conc. Rothomag. c. 2.*

(n) *Non dat eis Benedictionem.* Neque etiam in Miſſis Defunctorum, contra quoſdam, qui loquuntur gratis. Sed neque in his Miſſis diſtribuenda eſſet Euchariſtia; ut docet *Albaſp. de vet. Rit. lib. 1. obſerv. 14.*

* Si in fundo Calicis unitæ vini ſpecies adhuc reperiantur, ſumi poterunt ante vini infuſionem in Calicem: eſt Ritus cōgruentior.

(o) *Tenens vas cum vino, & aqua.* Creditur Chriſtus conſecraſſe Calicem mixtum vino, & aqua, *ex Trid. ſeſſ. 22. c. 7.* unde & in Calicem infundimus aquam. Chryſoſt. autem juſſit aquam, aut paſtillum deguſtari poſt Communionem: in Eccleſia Occidentali antiquus erat mos vini mixti, aut aquæ puræ ad purificationem. Lege *Baronium An. 403.* fit autem ablutio oris ad deglutiendam facilius particulam, & ad humilitatem ſignificandam, ut de ablutione digitorum ſupra, *ex Innoc. III.* retulimus, quaſi memorent communicati ſuam indignitatem; item ne cum ſaliva, aut pituita quicquam Sacramenti excretur: *ex Palladio in vita S. Jo. Chryſ.*

Novæ obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ privatæ, ſervando in diſtribuenda Communione Fidelibus Miſſæ aſtantibus.

XXIII. Rub. & Gav. lit. d - *Si qui ſunt communicandi, &c.*) Serventur a Sacerdote, & Miniſtro exacte omnia ea, quę præſcribuntur a Rubrica, & Gavanto *ſupra*; a quibus repetendis abſtinemus, cum unuſquiſque ſatis poſſit inſtrui legendo ſupradicta: addere tamen debemus, quod antequam Sacerdos ſumat Patenam, vel Pyxidem cum Particulis conſecratis, debet Calicem, ex quo ipſe Sacratiſſimum Sanguinem ſumpſit, palla tegere, eumque collocare a cornu Evangelii, ut aliqui volunt, nimirum Cæremoniale Miſſæ privatæ *c. 11. §. 3.* Portu *in hunc titulum Rubr. 6. n. 3.* vel a latere Epiſtolæ, ſed ſemper ſuper Corporale, ut conſulit Caſtald. *lib. 2. ſect. 14. c. 7. n. 4.*

Quando tamen Pyxis eſt in Tabernaculo, & debet ab ipſo extrahi, ut fiat Communio intra Miſſæ ſolemnia, & in dicta circumſtantia immediate poſt Communionem Sacerdotis; debet ipſe aperire oſtiolum Tabernaculi, & ſtatim adorare Sacramentum, genuflectendo juxta ſolitum uſque ad terram, unico tamen genu; & poſtea erectus extrahere Pyxidem, eamque collocare ſuper Corporale; quam ſtatim aperit, & mox iterum genuflectit, ſtando verſa facie ad Altare, manibus junctis ante pectus, pollicibus, & indicibus nondum disjunctis: interim autem Miniſter dicit *Confiteor, &c.* poſtea extendit linteum tempore congruo, nempe ſtatim ut Confeſſionem terminaverat; quæ Confeſſio debet ab eodem fieri capite inclinato verſus Sacerdotem, in plano Capellæ, vel ſupra infimum gradum a latere epiſtolæ, ſed nunniſi poſt ſumptionem Sanguinis factam a Sacerdote.

Prædictum linteum putat Gavantus Baronii, & aliorum opinionem ſecutus, dictum fuiſſe Dominicale ex *Canon. 42. Concilii Antiſſiodorenſis*, qui ſic habet: *ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale ſuum habeat; quod ſi quæ non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non communicet*: veremur tamen, ne communis hæc Antiſſidorenſis Canonis explicatio, legitima ſit: etenim cum Antiſſidorenſes PP. *Canon. 36.* præcipiant, ne mulieres nudam manum Euchariſtiæ ſubmittant; videtur Dominicale, cujus meminit *Can. 42.* ab eo linteolo, quo mulieres Sacramentum Dominicum excipiebant, omnino diſtinctum, ni affirmare velimus Synodi PP. una, eamdemque rem diverſis Canonibus imperaſſe. Secundo ſi Dominicale non eſſet a linteo diverſum, quod mulieres accipiendę Euchariſtię ſubjiciebant, Synodus Canonem utrumque copulare debuiſſet hoc pacto -- Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere, ſed unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale ſuum habeat; quod ſi quæ non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non communicet - Cum autem PP. Conc. utrumque Canonem accurate non conjunxerint, argumento eſt, aliud ipſos *Can. 36.* aliud 42. voluiſſe præcipere. Quid igitur erit Dominicale? placet nobis opinio Baluzii putantis integumentum capitis fuiſſe, quo mulieres operiri debebant, cum accepturæ erant Euchariſtiam. Huic ſanę interpretationi favet antiqui Codicis lectio ab eodem Baluzio relata in notis ad Gratianum *cauſa 33. q. 5. c. Mulier* -- Si mulier communicans, Dominicale ſuum ſuper caput non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non communicet -- Sic eumdem Canonem refert vetus pœnitentiale apud Lancium, & Carolum Du-Freſne in Gloſſario. Probabiliſſimum igitur eſt, duo hæc Antiſſiodorenſi Concilio fuiſſe prohibita, ne ſcilicet mulieres nuda manu, neve aperto capite ad Euchariſtiæ perceptionem accederent; quam ſententiam Doctiſſimus quoque Boldetus amplexus eſt *lib. 1. obſervationum in Cœmeteriis c. 10.* Grancolas *de antiquis liturgiis t. 2. pag. 320.* utramque opinionem conciliare conatur, dicendo, quod Dominicale erat velum album oblongum, quod pendebat ſub mentum, & quod deſerviebat mulieribus, & ad caput tegendum, & veluti mappa manibus apprehenſa ad Eucariſtiam recipiendā.

XXIV. Rub. & Gav. lit. f. - *Miſereatur veſtri, &c.*) Facta modo prędicto confeſſione a Miniſtro, Sacerdos iterū genuflectit more ſolito ſed unico genu: deinde ſurgit, & ſtans manibus junctis ante pectus ſtatim ſe vertit ad Populum a cornu Evangelii obliquè, neque humeris converſis ad prædictam Altaris partem; ita ut facies convertatur ſimul ad Populum, & ad latus epiſtolæ, ne terga vertat Sacramento, tum dicit: *Miſereatur veſtri, &c.* in quibus dicendis ſervet ea, quæ præſcribit Rubrica, & docet Gavant. *ſup.* advertendo tamen, quod dum facit ſignum Crucis ſuper Populum, quando dicit *Indulgentiam*, debet tenere manum ſiniſtram infra pectus poſitam. Biſſus *lit. C. n. 384. §. 2.* Caſtald. *lib. 2. ſup. n. 4.* cavendo ſemper ne pollices, & indices adhuc conjuncti planetam tangant: formando vero Crucem ſupradictam, debet formare lineam rectam pluſquam palmarem, & quaſi bipalmarem; & dum pronuntiat, *Remiſſionem peccatorum* ✠ *veſtrorum*, facit ſignum Crucis, pingendo lineam tranſverſalem ejuſdem fere longitudinis cum recta linea. Dicto *Indulgentiam*, ſi Miniſter eſt communicandus ſurgit a cornu Epiſtolæ, ubi fecit Confeſſionem, & ſtatim accedens ad medium, genuflectit utroque genu in plana terra ante ultimum gradum Altaris: tunc ſurgit; & accedens uſque ad ſecundum gradum, ſi ſint tres, vel ad gradum prope ſuppedaneum, genuflectit in medio, deferens ſecum mappam ad id præparatam, & non manutergium; quam mappam ambabus manibus tenens ſupponit ante pectus, & quaſi prope mentum. Tum recepta Sac. Communione ſurgit, ſtatim deſcendit ad ultimum gradum Altaris; & facta ut prius utroque genu genuflexione, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ laterale, id eſt, ubi prius fecerat Confeſſionem. Gervaſi *ſupr. n. 3.*

XXV. Rub. & Gav. lit. g - *Ecce Agnus Dei, &c.*) Dicto *Indulgentiam, &c.* Celebrans iterum ſe vertit ad Altare; & facta genuflexione, accipit manu ſiniſtra Pyxidem, capiens inter indicem unitum pollici, & reliquos digitos Pyxidis nodum firmiter, ne decidat; vel accipit Patenam iiſdem digitis, eodem modo, quo eam capit, quando dicit, *Domine non ſum dignus*. Verum manu dextera accipit unam Particulam inter pollicem, & indicem; & vertit ſe ad Populum (qui manus ſuas in formam Crucis componere debet) ſed humeris verſis ad medium Altaris, etiam ſi eſſet Sacramentum expoſitum, & communicandi in cornu Epiſtolæ, vel Evangelii eſſent; & dicit: *Ecce Agnus Dei, &c.* voce clara, elevando aliquantiſper Particulam, oculis ſemper ad Sacramentum intentis; deinde dicit ſequentia verba.

XXVI. Rub. & Gav. lit. h -- *Domine non ſum dignus, &c.*) Tribus vicibus diſtinctis, ſed neque ipſe, neque Populus communicandus, debeat, dum proferuntur talia verba, percutere ſibi

pectus, ſed ſolum Miniſter id præſtat nomine totius Populi Bauld. *part.* 3. *c.* 3. *n.* 11. Gerv. *ſup. n.* 2. Tonellius *l.* 2. *tit.* 10. *Rubrica 6. in notis n.* 3. poſtea pergit ad communicandos Fideles exiſtentes extra, ſed ad cancellos Capellæ, incipiendo ab iis, qui reperiuntur a latere Epiſtolæ; dummodo non adſint aliqui parati, vel alii de Clero, qui tunc Communionem accipient eodem loco, & modo, quo diximus ſupra de Miniſtro Miſſæ inſervienti, quando communicat. Bauld. *ſup. c.* 8. *n.* 5.

Denique porrigendo cuique perſonæ communicandæ Particolam, ſervet ea, quæ ſcribit Rubr. & Gav. *ſup.* Advertat tamen Sacerdos, ut dum porrigit Particulam communicandis promoveat ſe, & ſupponat aliquantiſper Pyxidem, ſeu Patenam, ne longius cogatur portare Sacramentum, cum periculo, quod decidant fragmenta. Cavere tamen debet, ne communicandorum hali us avolare faciat Particulas in Patena, vel Pyxide contentas.

Non ſunt approbandi illi, qui, accipientes cum Pyxide etiam purificatorium, ſæpius abſtergunt in eo digitos, quibus utuntur in porrigendis Sac. Particulis: quia adeſt periculum, quod aliquod fragmentum in terram decidat, & hoc præſertim contigere poteſt, quando eſt magna copia communicantium. Quapropter quando prædicti, digiti Sacerdotis ſunt ſaliva communicantium humefacti, docet Claudius Lacroix, quod in tali caſu Sacerdos debet diligenter revidere ſuos digitos; & ſi deprehendat aliquod iis adhærere fragmentum, tunc eos fricando, reponat in Pyxidem dictum fragmentum; & deinde abſtergat eoſdem digitos purificatorio, quod in manu ſiniſtra tenet ad hunc finem: verum purificatorio non utatur, quod adhibet pro Miſſæ celebratione; quia non decet abſtergere digitos ſaliva humefactos cum eodem purificatorio, quo abſtergitur Calix; ut optime advertunt Quarti *part.* 2. *tit.* 10. *de Orat. Dominic. ſect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 4. §. *Dico tertio*, & Diana *part.* 2. *tr.* 13. *reſol.* 34. §. *Quæro*: qui tamen, ne nova introducatur Rubrica deferendi tale purificatorium, ſuadent Sacerdotem ad adhibendam omnem cautelam, ne humectet digitos in porrigendis Particulis ori Communicantium. Verum quia difficile eſt hoc inconveniens evitare; ideo abſque ullo ſcrupulo introducendi novam Rubricam, in ſententia ſum illorum, qui tale purificatorium adhibendum eſſe approbant. Præterire non debeo, quod S. Carolus Borromæus in inſtructionn. de Sac. Communion. *part.* 4. actorum Eccleſiæ Mediolan. hortatur in prædicto caſu Sacerdotem communicantem, ut redeat ad Altare, & ſemel vel bis digitos abluat in vaſculo ibi præparato.

XXVII. Rub. *Omnibus communicatis, &c.*) Redit Sacerdos ad Altare, nihil dicens, & ſervando exacte ea, quæ traduntur a ſuperiori Rubrica; advertendum ſolum, quod debet adhuc tenere unitos pollices, & indices, manu dextera ſuper Pyxidis labia adhærente, ita ut reliqui digiti complicentur; Pollex vero, & Index manus dexteræ ſupra Pyxidem extendantur; quam quidem Pyxidem, facta Communione ſuper Altare deponat, ſtatimque genuflectat, & deinde eamdem Pyxidem cooperiat, & intra Tabernaculum reponat; qua repoſita iterum genuflectat, & ſurgens, oſtiolum Tabernaculi claudat. Angel. *part.* 3. *ſup.* §. *Caſu*, & Cæremoniale Miſſæ privatæ *ſup.*

De miniſtranda Euchariſtia intra Miſſam Defunctorum.

XXVIII. Gav. lit. n. *In Miſſis Defunctorum non diſtribuenda eſſet Euchariſtia, &c.*) Celebris, & gravis eſt quæſtio, quæ agitatur inter Doctores Rubriciſtas, utrum in Miſſis Defunctorum poſt Communionem Sacerdotis, liceat Sacram adminiſtrare Euchariſtiam? Sententiam affirmativam tuentur noſter Caſtaldus in Cæremon. noſtræ Congr. *lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 8. & in Praxi Sac. Cæremon. *lib.* 2. *ſect.* 14. *cap.* 7. *n.* 9. Quarti *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 6. *in explicat. literali v. Tertio*, Pignatellus *tom.* 9. *conſult.* 90. *n.* 38. Paulus a S. Joanne Evangeliſta in Cæremoniali Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini *lib.* 3. *cap.* 16. Benvenuti ad calcem ſuæ inſtruct. pro Sacerdote celebrante in Miſſa privata. Antonius de Caſtro in Cærem. PP. Eremitarum S. Auguſtini Hiſpanice edito *part.* 2. *c.* 4. §. 5. *n.* 311. Franciſcus Andrevius in Cærem. Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis captivorum *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 6. *verſ. Omnibus communicatis*, quibus addi poſſent alii multi. Negativam ſententiam vero ſuſtinet Gavantus *ſupra*, cui multi adhærent, præſertim aliqui decepti ex ſuppoſito Decreto S.R.C. Anno 1701, de quo infra.

Nos autem validis rationum momentis permoti, cogimur adhærere primæ ſententiæ, & recedere a Gavanto: unde ſuſtinemus in prædicta Miſſa Defunctorum licitum eſſe diſtribuere Communionem Fidelibus, præſertim vero ex Particulis in eadem Miſſa conſecratis; de aliis vero præconſecratis in alia Miſſa, & in Tabernaculo aſſervatis, mentem pariter noſtram infra aperiemus. Probatur autem prædicta prima ſententia ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 6. ubi habetur: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus ut in ſingulis Miſſis Fideles aſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent; quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret, &c.* Ex quibus Sacroſanctæ Synodi verbis colligitur, quod de mente ipſius ſit licita Euchariſtiæ adminiſtratio etiam in Miſſis Defunctorum: cum enim generaliter ibi loquatur Concilium, comprehendit profecto non ſolum Miſſas vivorum, ſed etiam Miſſas Defunctorum, in quibus pariter optat Fideles adſtantes Sacramenti Euchariſtici participes fieri.

Huic ſententiæ majus etiam robur accedit, ex eo quod in omnibus Miſſis Defunctorum, poſtquam Sacerdos Sacra dona ſuſcepit, habetur & dicitur Antiphona, quæ *Communio* vocatur; hoc autem nomine inſcribitur talis Antiphona, quia Populo communicante cantabatur olim, & Pſalmus ſimul concini ſolebat cum *Gloria Patri*, atque ipſius Antiphonæ repetitione: ut tota actio Communionis laude Dei perſonante perficeretur:, hujus rei exemplum habetur in Antiphonario S. Gregorii, & in antiquis Miſſalibus manu exaratis. D. Auguſtinus *lib.* 2. *retract. c.* 11. teſtatur hanc conſuetudinem in Eccleſia Africana ipſo vivente cæpiſſe, ut Hymni ad Altare de Pſalmorum libro dicerentur, cum Populo oblatio Sac. diſtribueretur. Ordo Romanus a Caſſandro, & Hittorpio editus in prima deſcriptione Miſſæ ejuſdem Ritus mentionem facit dicendo: *Mox ut Pontifex cæperit, communicare Populum in Senatorio, ſtatim ſchola incipit Antiphonam ad Communionem, & pſallunt uſque dum communicato omni Populo, etiam in parte mulierum, redit in ſedem & repetito verſu, quieſcunt.* Hæc & alia leguntur apud Card. Bona *lib.* 2. *c.* 17. ſpectantia ad hunc Ritum. Non deſunt tamen qui cantus prædictæ Antiphonæ, & inſtituti auctorem faciunt Cæleſtinum Papam I. alii vero Gregorium; ſed Straboni incognitus eſt talis auctor, ut patet ex ejuſdem verbis, quæ habentur *c.* 22. Omnes tamen conveniunt talem Antiphonam cantari conſuevìſſe tempore celebrandæ Comunionis, & diſtribuendi Populo Sac. munera: ex quibus omnibus fit, quod cum in Miſſa Defunctorum habeatur hæc Antiphona, quæ *Communio* dicitur; in eadem Miſſa Eccleſia ſupponat Sacerdotem, poſtquam ſuſcepit ipſe Sacramentum, poſſe Populo diſtribuere idem Sacrum munus.

Rurſus in eadem Defunctorum Miſſa dicitur illa Oratio, quæ *Poſtcommunio* intitulatur: talis quoque deprecatio dicebatur olim quando omnes, vel plerique, qui aderant Sacrificio, communicabant. Hæc eadem Oratio dicebatur etiam *Ad complendum*, eo quod per eam, & per alias ſubſequentes Orationes concludatur Officium Miſſæ. Micrologus autem *cap.* 51. aſſeverat. *Quod Oratio poſt Communionem pro ſolis communicantibus ſolet orare*; hinc quia quotidie in Quadrageſima Populus non communicabat, omittebatur prædicta Oratio, & loco illius addebatur alia Oratio dicta *Super populum*, de qua ait idem Micrologus. *Ne ergo populus ita Oratione, ut Communione careret, adjecta eſt Oratio ſuper Populum, in qua non de communicatione, ſed pro Populi protectione ſpecialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur: quia genuflexio vitatur, quæ huic Orationi antiquitus a Populo perſolvebatur: vel potius, ideo quia omnes, juxta atteſtationem S. Ambroſii, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & Oratio poſt Communionem pro Benedictione ſufficere poſſet.* Ex quo etiam clare evincitur, quod cum dicatur prædicta Oratio, nempe *Poſtcommunio* in Miſſa Defunctorum; poſſit in tali Miſſa diſtribui Fidelibus Sac. Euchariſtia.

Aliis etiam rationibus evidentibus deſumptis ex verbis Canonis, & Rubrica, quæ habetur in parvo Miſſali Defunctorum confirmatur hæc ſententia. In Canone, inquam, qui dicitur etiam in Miſſis Defunctorum exprimuntur hæc verba -- Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus, &c. -Hæc commixtio, & conſecratio fiat nobis accipientibus in vitam æternam, &c. Deinde, ut dixi, in Rubrica Miſſalis Defunctorum habentur hæc verba poſt Communionem factam a celebrante: *Si qui ſunt communicandi, eos communicet antequam ſe purificet*: ex quibus omnibus evincitur, nempe, & ex verbis Canonis, & ex verbis Rubr. permiſſam eſſe communionem Fidelium, & participationem Sacramenti Euchariſtici etiam in Miſſis Defunctorum. Non me latet mox allatam Rub. diſpoſitionem eſſe recentem, non antiquam: nam in Miſſali Defunctorum edito Romæ apud Carolum Vulliettum 1609. tempore Pauli Quinti non continetur præfata Rub. dicendum eſt igitur inſertam Miſſali Defunctorum fuiſſe tempore Urbani VIII. occaſione recognitionis Miſſalis ejuſdem Pontificis juſſu factæ: ſed ſemper veriſſimum eſt, & omnino certum modo in prædicta Mortuorum Miſſa non prohiberi, ſed aperte concedi Communionem Populi tali Miſſæ aſſiſtentis.

Nonnulli contra hanc ſententiam opponunt Decr. a S.R.C. emanatum de Ann. 1701. in quo denegata videtur præfata Communio intra Miſſam Defunctorum: ſed hoc Decretum, & quodcumque aliud, ſi emanavit ſimilis diſpoſitionis, profecto ſuſpenſa fuerunt: & revera in Ordinario, ſeu Directorio Eccleſiæ, ac Diœceſis Genuenſis pro Ann. 1715. ex ſpeciali mandato Eminent. ac Rev. D. Laurentii S.R.E. Card. Fliſci Archiepiſcopi ejuſdem Diœceſis, edita fuit ſequens notatio, ſeu monitum ad vellendos ſcrupulos, qui inſurgere poterant ſuper praxi noſtræ ſententiæ. Propoſito dubio S.R.C. an liceat in Miſſis Defunctorum Fidelibus Sac. Communionem miniſtrare, eadem S.R.C. de Ann. 1701. reſpondit negative - Verum quia prædicti Decreti copiam extra dari prohibuit dicta S. C. ex novis motivis; & cum conſtet ex perſonis fide dignis, & ex atteſtatione plurimorum Sac. Cæremoniarum Magiſtrorum Romæ degentium, ibi prædictum Decretum non obſervari; idemque ne Fideles tam ſalutari, & fructifero Sacramento priventur, & attentis præfata ſuſpenſione, & prædictis atteſtationibus, declaratur quod in Miſſis Defunctorum Sac. Communio licite poſſit miniſtrari -- Hæc præciſa verba leguntur in ſupradicto Directorio *pag.* 5. in principio. Quæ quidem omnia a laudato Eminent. Fliſco afferta veriſſima ſunt, nam in Congreg. habita die 21. Martii 1711. referente Doctiſſimo, & Eminentiſſ. Card. Ferrari Tituli S. Clementis, repropoſito dubio, an Decretum quo prohibetur dari Communionem

Ll

in Miſſis pro Defunctis, debeat intelligi, ut Sacerdos celebrans talem Miſſam, in quacumque occaſione nequeat abſolute Communionem dare, ſcilicet, nec tempore celebrationis ante Poſtcommunionem, nec poſt celebrationem, finita ſcilicet Evangelio Sancti Joannis: eadem Sac. Congr. reſpondendum cenſuit *Dilata*, *& ad mentem*; & mens fuit, ut Decretum prohibens prædictam Communionem intra Miſſam Defunctorum, non extra detur. En igitur, quod Decreta prohibentia Communionem, re diligentius, & maturius diſcuſſa, fuerunt ſuſpenſa: unde ſemper locum habet noſtra ſententia, quam etiam laudatus Card. Ferrari in ſua doctiſſima conſultatione, quam in dicta Congr. pronuntiavit, & quam apud me retineo, validiſſimis argumentis tuetur.

Neque urget contra hanc noſtram ſententiam, quod in Miſſis Defunctorum, antiquitus Sac. Euchariſtia non adminiſtraretur: nam hoc eveniebat, non quia præciſe erant Miſſæ Defunctorum, ſed quia tales Miſſæ erant privatæ. Communio autem populi antiquitus non fiebat in Miſſis privatis, ſive poſtea hæ Miſſæ privatæ fuerint Vivorum, ſive Defunctorum, ut ex Albaſpinæo notat Gavantus ipſe *ſupr. num. 4. lit.* i ubi aſſerit, Albaſpinæum de veter. Ritibus *lib. 1. obſerv.* 17. afferre probabiliorem, ob quam in Miſſis Defunctorum non dabatur pax, nimirum, quia Mortuorum Sacra privata erant non Solemnia ex *Can.* 4. Conc. Vaſenſis ſecundi; in Solemnibus autem erat Communio Populi, & ad eam per pacem præparatio; quæ ceſſabant in Miſſis privatis: idem pariter notat Biſſus *lit. P. n.* 91. §. 1. Quia autem poſtea ex novo Ritu, & Eccleſiæ inſtituto, non prohibetur in Miſſis privatis, ſeu Planis, Sac. Euchariſtiæ adminiſtratio; hinc fit jam ceſſaſſe cauſam veteris Ritus non adminiſtrandi Sac. Euchariſtiam in Miſſis Mortuorum; & revera Eccleſia nullam facit exceptionem in Rubricis Miſſalis, & Canonis, pro Miſſis privatis Defunctorum; ſed generaliter præſcripſit tempus & modum adminiſtrandi Sac. Communionem in quibuſcumque Miſſis ſive Vivorum, ſive Mortuorum, ut ex allegatis Canonis Miſſæ verbis, & ex dicta Rubrica, quæ legitur in Miſſa Defunctorum, & ex argumentis adductis evidenter commonſtratum fuit. Præterire tamen non debeo, quod iſte Ritus diſtribuendi Sac. Euchariſtiam in Miſſis Defunctorum, non eſt recens, ſed antiquus; nam in antiquis libris Miſſarum Romanæ Eccleſiæ, & Antiphonarii S. Gregorii, quod in lucem emiſit Card. Thomaſius *fol.* 227. in Miſſis Defunctorum adeſt Antiphona *Communio*, & hæc præciſa verba leguntur -- Pro quorum memoria Corpus Chriſti ſumimus, dona eis requiem ſempiternam -- Et in alio loco -- Pro quorum memoria Sanguinem Chriſti ſumimus, dona eis Domine requiem ſempiternam -- Pace igitur Auctorum, qui aliud a nobis ſentiunt, crederem hanc noſtram ſententiam citra ullum ſcrupulum ad praxim deducendam eſſe; & equidem in omnibus Urbis Eccleſiis hic Ritus exercetur.

XXIX. Rub. & Gav. ead. lit. n -- *Neque etiam in Miſſis Defunctorum, &c.*) Docet hic Gavantus cum Rubrica, quod facta communione intra Miſſã, non debet ſtatim dari Benedictio communicantibus; ſed in Miſſa vivorum debet eis dari talis Benedictio in fine Miſſæ. Cum autẽ in Miſſis Defunctorum talis Benedictio, neque dari queat in fine Miſſæ, hic arguit idem Gav. & alii non poſſe in prædicta Miſſa Defunct. diſtribui Sac. Euchariſtiam Fidelibus. Verum neque hæc difficultas ſatis eſt ad evertendam noſtram ſententiam; quamvis enim veriſſimum ſit poſt Communionem adminiſtratam in Miſſa Defunctorum, non debere dari Benedictionem a Sacerdote perſonis a ſe communicatis, ut optime notant ſupra laudati noſtri Caſtaldus, & Quarti, in quo conveniunt reliqui Rubriciſtæ, ac Sacrarum Cæremoniarum Arbitri, dicentes, quod in Miſſa Defunctorum non debet dari Benedictio Communicatis, quia eis ſufficit Auctorem omnium Benedictionum ſumpſiſſe in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento; Benedictio tamen antiquitus dabatur a Sacerdote celebrante, immediate poſt Communionem; ut ex Amalario, & aliis Auctoribus colligit Macrius *in Hierolex. v. Benedictio*; & etiam nunc talis Benedictio immediate poſt Communionem intra Miſſam factam datur ſolum ab Epiſcopo alicubi ubi moris eſt; & idem notat Gavantus *tit. 13. inf. n. 1. lit.* u ſed intelligi debet de ſolemni Benedictione Epiſcopali, nimirum per verba, *Sit nomen Domini, &c.* In fine vero Miſſæ antiquitus ſoli Romano Pontifici licebat benedicere Populum; ut aſſeverat Radulphus *propoſ.* 13. apud citat. Macrium, qui addit infra: *Ideo enim Benedictio poſt Communionem dabatur; ut qui Euchariſtiam non ſuſceperant, ſaltem cum illa Benedictione diſcederent.* Quinimo antiquitus etiam in Miſſis Defunctorum dabatur Benedictio Fidelibus præſentibus ſub hac forma: *Deus vita vivorum, & reſurrectio mortuorum, benedicat vos in Sæcula Sæculorum*: ut notat mox laudatus Macrius *loc. cit.* ex quodam antiquo Miſſali impreſſo de Anno 1533 quod eodem teſte aſſervatur in Bibliotheca Cathedralis Viterbienſis. Similem Benedictionis formam ego quoque legi in duobus aliis Miſſalibus antiquæ editionis, primo quidem edito Venetiis Ann. 1519. ſecundo vero pariter Venetiis impreſſo Anno 1545. quæ aſſervantur in hac noſtra Bibliotheca S. Sylveſtri in Quirinali. Verum quamvis modo Benedictio a quolibet Sacerdote celebrante detur in fine Miſſæ, preterquam in Miſſis Defunctorum; & quamvis poſt Miſſam, vel ante Miſſam fiat Communio; nihilominus quando Communio miniſtratur in Miſſis Defunctorum, ſive intra, de qua modo loquimur; ſive poſt Miſſam, de qua inferius; ipſi Communicantes haud omnino Sacerdotali privantur Benedictione: quia quamvis hæc non eis impertiatur poſt Communionem a Sacerdote; datur ab eo tamen antequam Communionem miniſtret: quia antecedenter ad tale Communionem dicit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem, &c.* ſignans, ac benedicens Perſonas, quas communicare vult ſigno Sanctæ ✠ Crucis. Ex quibus omnibus ſemper firmum remanet nihil officere Sacroſanctæ Euchariſtiæ adminiſtrationi in Miſſis Defunctorum, quod in his Miſſis non detur in fine Miſſæ Benedictio Perſonis communicatis.

Ad magis, magiſque comprobanda hucuſque dicta, & alia inferius dicenda, lubet adducere ſequentia Decreta emanata a Sacra Congreg. Viſitationis Apoſtolicæ ſub Pontificatu Urbani VIII. & quæ habentur, prout hic damus, in regeſtis ejuſdem Congreg. *tom. 1. fol. 23. c. 4.* in quo agitur de Communione.

„ I. Avanti di cominciare la Meſſa non ſi faccia ſenza gran ne-
„ ceſſità, ed in queſto caſo s'accenda il cereo dell'elevazione.
„ II. La Comunione dentro la Meſſa è deſcritta nel Meſsale
„ minutamente; nel fine non ſi dia la Benedizione, ſe non in
„ fine della Meſſa.
„ III. Comunicando fra la Meſſa de Requiem, ſi faccia l'i-
„ ſteſſo; nè ſi dia alcuna Benedizione, nè ſi ſcordi di coprire
„ frattanto il Calice colla ſolita palla.
„ IV. Chi Comunica fuora la Meſſa ſi tenga la pianeta, ed il
„ manipolo, come preſcrive il Rituale Romano; nè il Cherico e-
„ ſtingua il cereo dell'elevazione ſinn che ſia finita la Comunione.
„ V. Il pannirello, che ſi dà per la Comunione ſia deſtinato a
„ queſt'uſo; nè mai ſi dia il velo del Calice, e molto meno il faz-
„ zoletto dell'ampollette d'aſciugare le mani al Sacerdote.

XXX. Uſque modo in tuenda præfata ſententia locuti ſumus de adminiſtranda Euchariſtia intra Miſſam Defunctorum, ex Particulis in eadem Miſſa conſecratis. Nunc oritur dubium, utrum eadem Sac. Euchariſtia poſſit intra Miſſam Defunctorum adminiſtrari etiam ex Particulis præconſecratis in alia Miſſa, & in Tabernaculo contentis? Aliqui, inter quos ſupracit. Abbas Benvenuti, concedunt quidem licere Euchariſtiæ adminiſtrationem in primo caſu, nempe ex Particulis conſecratis in eodem Sacrificio; non vero in ſecundo, nimirum ex Particulis præconſecratis: quæ quidem opinio cum ſit noviter adinventa, nec ab Auctoribus Rubriciſtis, ſive antiquis, ſive recentibus excogitata, nulli videtur admittenda: nullibi enim præſcribitur, quod Communio intra Miſſam Defunctorum facienda, debeat fieri ex Particulis in eodem Sacrificio conſecratis. Quapropter cum omnes Rubricæ, & omnes auctoritates, quibus comprobatur licita talis adminiſtratio Euchariſtiæ intra Miſſam Defunctorum facienda, loquantur generaliter, & nunquam limitate de ſolis Particulis in eodem Sacrificio conſecratis; procul dubio intelligendæ ſunt tales Rubricæ, & auctoritates, etiam de Communione facienda ex Particulis præconſecratis.

Neque ſuffragatur eidem limitationi, quod Particulæ præconſecratæ non ſpectent ad Sacrificium, ſed ad actionem ab eo ſeparatam, quæ eſt actio communicandi: quia ſi hæc limitatio valeret, locum haberet non ſolum in Miſſis Defunctorum, ſed etiam in Miſſis Vivorum; quod tamen admitti profecto non poteſt, cum nullus Auctor, loquendo de Communione facienda in Miſſis Vivorum, prædictam limitationem præſcribat: imo ex inveterata praxi omnium Eccleſiarum, adminiſtratur indifferenter Communio intra Miſſam Vivorum ex Particulis etiam præcedenter conſecratis, extrahendo Pyxidem e Tabernaculo.

Rurſus nihil confert Auctoribus contrariæ opinionis aſſerere, quod Communio facta ex Particulis in eadem Miſſa conſecratis, eſſet participatio Sacrificii, cui intereſſunt Communicantes, quæ ex Conc. Trid. *ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſs. c. 6.* maxime commendatur; non ſic autem eſſet Communio facta ex Particulis præconſecratis, & extractis e Tabernaculo Altaris: nam Tridentina Synodus ſolum optat, ut in ſingulis Miſſis aſtantes communicarent, & non præſcribit, quod dicta Communio intra Miſſam fieri debeat ex ſolis Particulis in eadem Miſſa conſecratis; ut ſic Communicantes ſint participes Sacrificii; ſed verba Concilii, quæ hoc loco attendenda ſunt, ita præciſe loquuntur: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles aſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent; quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Uberior autem fructus, ut aſſerit Jo: Sanchez *in ſelect. diſp. 30. n. 8.* & deducit ex verbis Concilii, provenit potius ex Sacramentali perceptione, quam ex ſola Spirituali; & Vaſquez *de Euch. diſp. 212. n. 4.* errorem putat in fide aſſeverare eoſdem effectus percipi Sacramento Euchariſtiæ in voto, atque in re ſuſcepto; ut notat Barboſa in Conc. Trid. *cit. ſeſſ. 21. c. 6.* Cæterum uberior fructus non percipitur potius ex Communione de Particulis in eadem Miſſa conſecratis, quam de Particulis præconſecratis in alia Miſſa; ut certum, & inconcuſſum eſt apud omnes Theologos, & Catholicos, & in rigore Theologico loquendo, non recte dicitur, quod Fideles Communicantes intra Miſſam ex Particulis in eodem Sacrificio conſecratis, de eodem quoque Sacrificio participent, ſicuti recte dicitur de Sacerdote Miſſam celebrante: nam Fideles Sacrificio aſtantes, quamvis dicantur ſuo modo idem Sacrificium offerre; non tamen dici poſſunt Sacrificantes, ſicuti Sacerdos; indeque eſt, quod neque de eodem Sacrificio neceſſario participare debent, ſicut ipſe Sacerdos, ſeu Sacrificans participat. Et quamvis Fideles ipſi communicent ex Particulis in eadem Miſſa conſecratis; non tamen inde dicuntur participare de Sacrificio, ſed de Altari, ſeu

de Victima oblata: & revera quando Sacerdos peracta Conſecratione, recitat illam Canonis Orationem: *Supplices te rogamus*, *&c.* proſequitur dicendo hæc verba: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione, Sacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus, omni Benedictione Cæleſti, & gratia repleamur.* Quibus verbis, ſicuti inſinuatur antiquus mos Eccleſiæ communicandi Fideles intra quamcumque Miſſam, ut docet Scortia *de Sacr. Miſſæ l. 4. c. 19. n. 6.* ita ſignificatur dictos communicantes fieri participes Altaris ſeu Sacroſanctæ Victimæ in eodem oblatæ. Sumunt igitur quidem communicantes de Altari Sacramentum Euchariſtiæ, non Sacrificium, ut optime docet Clericatus *de Sacr. Miſſæ deciſ. 36. ſub n. 22.* quod ſub aliis terminis docent etiam communiter alii Theologi: quapropter, cum ſemper ſalvetur participatio de Altari, participatio ejuſdem uberioris fructus in Communione facta ex Particulis in eadem Miſſa, ſive ex Particulis præcedenter in alia Miſſa conſecratis, & in Tabernaculo ſervatis: hinc fit non poſſe aſſignari diſcrimen, rationemque, cur Communio intra Miſſam Defunctorum poſſit fieri ex dictis Particulis in eadem Miſſa conſecratis; & non ex Particulis præconſecratis in alia Miſſa. Firmum itaque remanet in Miſſa Defunctorum licitam eſſe adminiſtrationem Euchariſtiæ ex Particulis præconſecratis in altera Miſſa, & in Pyxide contentis.

Poſtquam hæc ita ſcripſeram, legere mihi occurrit ad calcem Kalend. pro Eccleſia Abbatiali S. Mariæ Pacis de Urbe Canonicorum Regularium Lateranenſium pro præſenti Anno 1736. hoc Decretum -- Sacerdos in Miſſa de Requiem non poteſt populo miniſtrare Euchariſtiam cum Particulis exiſtentibus in Pyxide; poteſt tamen miniſtrare Particulas a ſe conſecratas in eadem Miſſa. S.R.C. die 2. Auguſti 1705. -- Statim ut hoc perlegi, omnem adhibui diligentiam in evolvendis regeſtis S.R.C. in quibus nunquam potui tale Decretum reperire: unde pro certo habeo eſſe ſuppoſititium; & eo magis ſuadeor, quia ſi vere emanaſſet a S.R.C. innotuiſſet profecto Eminentiſſ. Card. Ferrari, qui, ut ſupradiximus, Anno 1711. diligentiſſime examinavit hanc quæſtionem: quapropter illud adduxiſſet, ut evidenter comprobaret ſuam ſententiam pro miniſtranda Euchariſtia intra Miſſam Defunctorum; neque S.C. alio tunc reſolviſſet, niſi confirmationem ejuſdem Decreti, ut ſubmoveret omne dubium ſuper quæſtione propoſita. Ex quo igitur S.C. tunc nihil aliud reſolvit, niſi prohibitionem extrahendi Decreta, quæ non permittebant prædictam Communionem intra Miſſam Defunctorum; iterum dico, pro certo tenendum eſt, præſens Decretum allegatum in memorato Kalendario eſſe ſuppoſititium: quapropter ejus ſecunda pars non confert ad comprobandam primam noſtram ſententiam; & prima nihil officit huic ſecundæ noſtræ opinioni.

XXXI. Diſcuſſis duabus quæſtionibus de Communione adminiſtranda intra Miſſam Defunctorum ex Particulis in eadem Miſſa conſecratis, & ex particulis præconſecratis, ſeu in Tabernaculo contentis; nunc procedimus ad aliud dubium breviter diſcutiendum, utrum nempe eodem modo liceat Sacerdoti celebranti Miſſam Defunctorum, ante, vel poſt eamdem Miſſam Sacram Euchariſtiam Fidelibus adminiſtrare? Huic dubio Auctor appendicis ad Ordinarium PP. Cappuccinorum editæ Panormi 1724. §. 18. reſpondet, quod nedum intra Miſſam, ſed etiam ante, & poſt Miſſam Defunctorum liceat Sacram adminiſtrare Euchariſtiam, ſi rationabilis cauſa adſit, juxta prudens judicium Celebrantis; & id notatum, admonitum alteri *in Ordinario PP. Cappuccinorum Anno 1721. in notationibus ſelectis n. 26. pag. 27.* ubi etiam notatum fuit, quod nunquam datur Benedictio communicatis ſive ante, ſive poſt Miſſam Defunctorum, cum in his Miſſis non detur; quæ quidem ſententia de non danda tali Benedictione, etiamſi fiat Communio, eſt fere communis, eamque tuentur Gav. *ſup. & tit. 13. n. 1. lit.* n Tonellius, & alii a nobis ſupra allegati. Sed redeundo modo ad propoſiti dubii reſolutionem, reſpondendum eſſe crediderim, ante, & poſt Miſſam Defunctorum abſtinendum eſſe ab adminiſtranda Communione Fidelibus: quia extra Miſſam in paramentis nigris, non eſt diſtribuenda Communio; cum juxta diſpoſitionem Ritualis Romani, de Ordine miniſtrandi Sacram Communionem, præſcribatur in adminiſtratione Sac. Euchariſtiæ, videlicet extra Miſſam, utendum eſſe ſuperpelliceo, & deſuper ſtola coloris Officii illius diei convenientis, in quo fit Communio. Non recurrendo igitur ad rationem ab aliis allegatam, nimirum quod in Miſſis Defunctorum non debet adminiſtrari Euchariſtia ex particulis præconſecratis, ſed ad hanc aliam a nobis adductam; crederem ſufficienti ratione probatam iri hanc noſtram, & fere communem ſententiam, quod ante, & poſt Miſſam Defunctorum debet Sacerdos abſtinere a diſtribuenda Euchariſtia Fidelibus; cum non ſit conveniens, neque decens extra Miſſam in paramentis nigri coloris, tale Sacramentum adminiſtrare; ſed requiratur ſemper, vel color conveniens diei, ut præſcribit Rituale Romanum, vel color albus valde conveniens Sacramento Euchariſtiæ; ut cenſent multi Doctores, inter quos principem locum obtinet Div. Carolus *in Synodo Provinciali I. part.* 1. loquens de hoc Sacramento miniſtrando alio tempore, quam in Sacrificio Miſſæ, & dicit: *Superpelliceo, ſtolaque alba, & ubi Ritus Ambroſianus eſt, rubra utatur*: ex quibus patet extra Sacrificium nullo modo utendum eſſe colore nigro in prædicti Auguſtiſſimi Sacramenti adminiſtratione.

R U B R I C A.

7 *Si in Altari remaneant Particulæ in Calice, ſeu in alio vaſe, uſque ad finem Miſſæ, ſerventur ea,* (b) *quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præſcribuntur circa finem Miſſæ.*

*G A V A N T U S.*

(b) *Quæ in Feria quinta.* Hoc eſt, genuflectat Sacerdos, quandocumque accedit, vel recedit a medio, vel tranſit ante Sacramentum in vaſe reſervatum, & cum dicit, *Dominus vobiſcum*, non vertit ſe ad Populum in medio Altaris, ſed paulo prope cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento, & in fine ibidem dabit Benedictionem, non perficiens circulum; qui neque fit ad *Orate Fratres*, in Paraſceve: ergo neque hoc loco eadem de cauſa. Calix quoque in hoc caſu non erit collocandus in medio Altaris, ſed a latere Evangelii; neque plicabitur Corporale, niſi depoſito Sacramento in locum ſuum poſt Miſſam. Denique, cum dicit Evangelium S. Joannis in fine Miſſæ, non ſignabit Altare, ſed ſe ipſum tantum; ut Feria quinta in Cœna Domini ſuo loco dicemus.

Quid vero agendum ſit a Sacerdote, quando fragmenta ſuperſunt, ſeu paucæ Particulæ, peracta Populi Communione, dicemus infra, *cum de defectibus Miſſæ, part. 3. tit. 7. n. 2. agemus.*

* Accidit etiam, quod purificanda ſit Pyxis intra Miſſam (qua de re nullibi agitur in Ritualibus libris) & eo caſu purificabitur illa ante Calicis purificationem, collectis nimirum in ejus fundo fragmentis omnibus diligentiſſime cum indice dexteræ manus; & cum eodem indice ſumi poterunt, admoto eodem linguæ, vel ad labium Pyxidis fragmentis deductis, & ore eidem admoto, ita ut nullum remaneat fragmentum: deinde infundi poteſt paululum vini, quo circumacto intra Pyxidem, & tergente indice, tota pars interior abſtergatur; quo hauſto, exſiccabitur Pyxis interior undequaque purificatorio. Non debet deinde vacua Pyxis tegi velo, ſed panno lineo: denique fiunt reliqua de more pro Calicis purificatione.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſsæ privatæ, ſervando poſt factam Fidelium Communionem.

XXXII. Gav. lit. b *Accidit etiam, quod purificanda ſit Pyxis intra Miſſam, &c.*) Si nulla remanſerit Particula in Pyxide poſt Populi Communionem, Sacerdos purificet Pyxidem ab omni fragmento, faciens illud cadere indice manus dexteræ in Calicem: deinde purificet Pyxidem vino, infundendo poſtea in Calicem; ut docet ſupra Gavantus, ſeu alius additor ſuis Commentariis, & omnes communiter. Acriter reprehendendi ſunt illi qui purificant quidem Pyxidem, ſed nec digitis, nec vino, ſed ſolo utuntur purificatorio: quoniam ſi remanſerit in Pyxide fragmentum aliquod, melius eſt, ut ibi præſiſtat, quam ut purificatorio diſpergatur; quod poſset, imo debet, tunc ſolum adhiberi, quando Pyxis jam fuiſset purificata vino ab omni fragmento. Cæremoniale Miſsæ privatæ *ſup.* Gervaſii in inſtruct. Miſsæ priv. *c.* 10 §. *Che ſe poi*. Pyxide extenſa abſque ulla genuflexione, reponatur ſuper Altare extra Corporale, Ang. *part. 3. ſup. §. Caſu, & §. Si in Pyxide.*

Si vero remanſerint aliquæ Particulæ ſive ſuper Corporale, ſive ſuper Patenam, ſive in Pyxide, & non adſit Cuſtodia, ſeu Tabernaculum, in quo Pyxis reponi poſſit; tunc ſine alia genuflexione, illas reverenter celebrans abſumit, & poſtmodum purificat Pyxidem, ut ſupra. Cærem. Miſs. priv. *ſup.* Angel. *part. 3. ſupra §. Si dicatur.*

Si Sacerdos deberet mutare Particulas recenter conſecratas in Pyxide cum aliis, quæ in alia Pyxide conſervantur in Tabernaculo; facta ſumptione Sanguinis, & palla cooperto Calice, ac parumper ad cornu Evangelii remoto, ſemper tamen ſuper Corporale, aperit Cuſtodiam, genuflectit, extrahit Pyxidem, & aperta utraque Pyxide, denuo genuflectit: deinde abſumptis Particulis antiquioribus, & purificata Pyxide, injectis in Calicem Miſsæ omnibus fragmentis, immittit recenter conſecratas Particulas in Pyxidem purificatam, illam claudit, & ſine oſculo pedis, vel alterius partis, ut multi male faciunt, reponit in Tabernaculo, & antequam illud claudat, genuflectit. Cærem. Miſsæ priv. *ſup* §. *Si quis.*

Ritus Communionem diſtribuendi ante, & poſt Miſſam.

XXXIII. Si vero Sacerdos communicet ante Miſſam (quod tamen non decet fieri niſi aliqua juſta cauſa urgente) depoſito Calice a parte Evangelii, & burſa in loco conſueto, explicitoque Corporali, prope quod collocabit in cornu Epiſtolæ purificatorium, poſtea Tabernaculum aperiet; factaque genuflexione, Pyxidem extrahet, quam reverenter deponet ſuper Corporale, & eam aperiet, ac iterum genuflectet; & ſtabit ad Altare converſus, donec finita fuerit Confeſſio, quam nomine omnium faciet Miniſter genuflexus in latere Epiſtolæ, dicens *Confiteor, &c.* hac terminata rurſus genuflectat Sacerdos, antequam ſe convertat ad communicandus: vel ſi facta jam fuerit Confeſſio, quando Pyxidem aperuit; tunc ſtatim manibus junctis ante pectus vertit ſe ad communicandos, & cætera præſtabit prout diximus ſupra *n.* XXIV. & XXV. Miniſter autem poſtquam depoſuerit birretum celebrantis in loco conſueto, & Miſſale ſuper pulvinum, linteum extendet, & accendet intortitia, facietque Confeſſionem genuflexus a latere Epiſtolæ, ut mox innuimus.

Si vero communicandum ſit in fine Miſſæ, finito ultimo Evangelio celebrans accedit ad medium Altaris, removet, & deponit Calicem coopertum velo a cornu Evangelii extra Corporale, ape-

rit

Digitized by Google

rit Tabernaculum, & cætera præſtat, ut diximus ſupra. Miniſter pariter extendit linteum, ſi non eſt extenſum, facit Confeſſionem, &c. Advetat tamen id Miniſter, quod quando facienda eſt Communio poſt Miſſam, non debet extinguere intortitia ſtatim peracta purificatione, & ablutione digitorum Sacerdotis, ut ſolet fieri, quando non eſt facienda Communio poſt Miſſam.

Peracta Communione, reverſus ad Altare, & depoſita Pyxide ſuper eodem, Celebrans ſtatim genuflectit, deinde ſurgit, & dicit voce ſubmiſſa Antiphonam. *O Sacrum convivium*, *&c.* quæ tamen non eſt de præcepto, ſed tantum de conſilio: unde ſi quis eam omitteret non peccaret: ita Baruffaldus in ſuis commentar. ad Rituale Romanum *tit.23. de Euch.*§.13. *n.68.* deinde dicit ℣. *Panem de Cælo*, *&c.* & tempore Paſchali, ſicut etiam infra Oct. Corporis Chriſti, tam Antiphonæ, quam verſui additur *Alleluja*: deinde dicit Orationem, *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabilis*, *&c.* Quo vero ad *Dominus vobiſcum* dicendum ante Orationem, licet prius eſſet in uſu; nunc tamen ejus recitatio in adminiſtratione Euchariſtiæ, ſeu in ejus repoſitione, ſublata fuit; ut apparet ex inſtructione particulari Clementis XI. pro expoſitione quadraginta Horarum, & ex Decreto emanato die 16. Junii 1663. & dato in noſtro Indice *ſub. num. 392.*

His dictis Sacerdos diligenter advertat, ne fragmentum aliquod digitis adhæreat; & faciat id, quod ſupra diximus de Communione intra Miſſam: deinde genuflectat, ſurgat, Pyxidem operculo, & parvo conopeo cooperiat; abluat, & extergat digitos, quibus retigit Sacramentum, non deſcendens extra Altare: Tonell. Bauld. Cærem. Miſſæ Privatæ *ſup.* ideoque in vaſculo cryſtallino, vel argenteo aqua pleno, ad hunc finem parato, cum ſuo purificatorio ſuper Altare prope tabellam Secretarum purificabit digitos. Cærem. Miſſæ Priv. *ſup.* & Baruff. *ſup.* §.16. *n.63.*

Quod vero ad ablutionem ſupradictam ſumendam, id quod Rituale Romanum præcipit, videtur grave, & incommodum, nempe ut ſumantur a Sacerdote ſi celebraverit, vel ab iis qui communicaverint: certe uſus contrarius eſt, cum facile haberi poſſit modus illam ablutionem reponendi in Sacrario, ut communiter fit ab omnibus, non quacumque vice occurrit iſta purificatio, ſed tunc quando aqua ibi parata non omnino munda videtur. Baruffaldus *ſup. n.* 74. Abſterſis digitis, ut ſupra, aperit Tabernaculum, genuflectit, reponit Pyxidem dextera manu (ſiniſtra, niſi caſualiter impediatur, collocata ſuper Altare extra Corporale) iterum genuflectit antequam Tabernaculum claudat, deinde clave item illud obſerat; quia hoc a Sacris Canonibus præſcribitur, ne a quocumque aditus ad Tabernaculum habeatur. Baruffald. *ſup. n. 76.*

Adnotandum occurrit, quod ſupradicta Pyxis reponenda eſt in Tabernaculo, etiamſi Particulis eſſet vacua, ſed non purificata a fragmentis. Si vero communicatio fiat intra Miſſam, tunc purificatur a fragmentis, ut ſupra dictum eſt, & ad Sacriſtiam aſportatur a Clerico. Baruffaldus *ſupra n. 75.*

Clauſa Pyxide in Tabernaculo, ſtans Sacerdos verſus Altare, elevat oculos verſus Crucem, & extendens manus, atque jungens, a Portu *ſupra n. 6.* caputque inclinans Cruci inclinatione minimarum maxima, dicit voce clara ordinaria: *Benedictio Dei omnipotentis*, *&c.* & poſtea junctis manibus convertens ſe ad communicatos benedicit, Caſtaldus, Tonellius *ſupra*, manu dextera, poſita ſiniſtra infra pectus, dicens, *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut in Miſſa, & concludit illis verbis, *Deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper*, & Miniſter genuflexus reſpondebit *Amen*; Tonellius *ſupra*; quæ Benedictio debet dari tam ante, quam poſt Miſſam manu, & nunquam Pyxide (prout multi male faciunt, præſertim apud Moniales) quibus communicatis, ſi intra Miſſam Communionem ſumpſerint, non debet dari alia Benedictio, quam illa, quæ datur in fine Miſſæ, ne fiat expreſſe contra Rub.6. hujus tit. Cærem. Miſſæ Priv. *ſupra*. Si vero extra Miſſam Communionem ſumpſerint, male opinantur illi, qui in prædicto caſu cenſent, quod Sacerdos Monialibus, poſtquam illas communicaverit, debeat dare Benedictionem cum Sacramento in Pyxide contento, hac ratione moti, quia non convenit, quod Sacerdos ad præſentiam Chriſti, qui eſt fons Benedictionis, dextera ſua benedicat: hoc enim non obſtante certum eſt, quod poſtquam Sanctimoniales fuerint communicatæ, repoſita Pyxide ſuper Corporale, ſeu palla, Sacerdos ſtans adhuc ad feneſtellam, ſiniſtra pectori admota, dextera vero manu extenſa, impertiri debet Sanctimonialibus Benedictionem eo modo, quo benedicit Fideles peracta Communione; nam cum Sacramento benedicuntur tantum infirmi, qui pro viatico communicantur, ut habetur in Rituali Romano de Ordine miniſtrandi Sacram Euchariſtiam: neque ratio pro contraria ſententia allata, officit huic ritui: ſiquidem Sacerdos, qui celebrat in Altari, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, & intra Miſſam dat Benedictionem. Rurſus idem Sacerdos Miſſa peracta, ſi diſtribuit Sacram Euchariſtiam, completa Communione, eodem modo dat Benedictionem Populo, ac ſi eſſet in Altari, ubi Sacramentum non eſt expoſitum. Corſett. *tract. 2. par. 2. c. 4. ſect. 3. n.* 1. Tonell. *lib. 3. tit. 10. Rub. 6. in adnot. n. 6.* §. *Moniales*, Biſſus *lit. B n. 66.* §. 3. ex quibus evincitur, quod Monialibus debet dari Benedictio conſueta, manu dextra, etiamſi Sacramentum ſit præſens.

Ritus Miniſtrandi Euchariſtiam extra Miſſam.

XXXIV. Denique prætermittere non debemus quomodo ſe gerere debeat Sacerdos in diſtribuenda Communione extra Miſſam. Ante omnia igitur Sacriſta mappam mundam ante communicandos extendat, & vaſculum vel vitreum, vel argenteum ad purificandos digitos Sacerdotis ad credentiam deferat, vel melius ſuper Altari collocet. Aliqui addunt, quod debet etiam vaſculum unum, vel plura cum vino, vel aqua preparare ad purificationem eorum, qui Communionem ſumpſerint. Rurſus ſuper Altare pariter debet deferre burſam cum Corporali, & purificatorium in cornu Epiſtolæ, una cum clave Tabernaculi, & accendere duas candelas ſuper Altare, & intortitium a cornu Epiſtolæ, & etiam aliud a cornu Evangelii, ſi fuerit dies feſtivus. His peractis Sacerdos lotis prius manibus, indutus ſuperpelliceo, & ſtola coloris Officii illius diei convenientis, ut præſcribit Rituale Romanum loc. a nobis ſupra cit. vel ut alii docent, coloris albi, ut ſupra pariter innuimus; & præcedente Miniſtro ſuperpelliceo induto, pergit ad Altare capite cooperto, & manibus junctis ante pectus: quo cum pervenerit deteget caput de more, & genuflectet ſuper infimum illius gradum, & Miniſter cum illo aliquantulum retro in plano Capellæ: tum aſcendet ad oram ſuppedanei (Miniſtro interea ſuper infimo gradu genuflexo) ſuper quam genuflexus orabit aliquantulum, ac ſtatim ſurgens aſcendit ad Altare. Miniſter autem mappam (ſi id Sacriſta non præſtiterit) ante communicãdos extendet, incipiens a latere Epiſtolę, deinde ſuper infimum gradum lateralem in cornu Epiſt flectet genua, converſa facie quaſi ad mediũ Altaris; & ſi Sacerdos, opus habeat parvo ſcabello ad extrahendam, vel reponendam Pyxidem, opportune miniſtrabit, ac removebit.

Sacerdos interim extrahet Corporale de burſa, eaque ad latus Evangelii depoſita, illud extender, ac prope ipſũ collocabit in cornu Epiſtolæ purificatorium; poſtea Tabernaculum aperiet; & facta genuflexione, Pyxidem extrahet, & cætera omnia præſtabit, prout ſupra diximus de Communione facienda intra Miſſam, vel immediate poſt Miſſam; ſtando tamen ad Altare converſus, ſi nondum fuerit finita Confeſſio (quam ut diximus faciet Miniſter nomine omnium communicandorum genuflexus in latere Epiſtolæ, dicens *Confiteor: &c.*) ac rurſus genuflectet antequam ſe convertat; vel ſi finita ſit Confeſſio, ſtatim converſus ad communicandos, dicet, *Miſereatur veſtri, &c.* aliaque præſtabit, ut diximus ſupra *n.* XXIV. *& ſeq.* unde videantur ea omnia, quæ ibi a nobis tradita ſunt. Poſtquam autem fecerit ablutionem digitorum in ſupradicto vaſculo (vel ante, de quo *infra*) & eorumdem abſterſionem cum purificatorio, Pyxidem cooperiet, & reconder in Tabernaculo; factaque rurſus genuflectione, clave obſerabit: poſtea ſe convertet ad communicatos junctis manibus, & ſtans in medio, extenſa dextera, tenens ſiniſtram pectori admotam, benedicit ipſos dicens, *Benedictio Dei omnipotentis, Patris, &c.* ut ſupra innuimus loquendo de Communione facta immediate poſt Miſſam: Deinde Sacerdos plicabit Corporale, illud reponens in burſa una cum purificatorio; ipſam vero burſam locabit ſuper Altare a latere Epiſtolæ. Si vero in Altaris cancellis extenſum non fuerit linteum, & pauci ſint communicandi; poterit a Miniſtro ſingulis communicandis præberi aliquod ſudariolum, ad hunc paratum.

Interim Miniſter extinguet prius intortitia; & plicata mappula, ſi commode fieri poterit, aſcendet deinde ad ſuppedaneum, & reverenter accipiet burſam de Altari; factaque genuflexione, dum Sacerdos inclinabit ſe Cruci, deſcendet in planum, præcedens aliquantulum ipſum Sacerdotem, ubi ſimul genuflectunt, ſicuti in acceſſu; & porrecto Sacedoti birreto, quo tunc tegit caput ſuum, ipſo vero Miniſtro præcedente nudo capite, ambo revertuntur in Sacriſtiam.

Duo adnotare debemus hoc loco, nimirum nos circa Benedictionem danda perſonis communicatis, ſequi ſententiam Bernardi Angeli Carucci, quam tradit in Cærem. ad uſum PP. Minorum Conventualium, quæ convenit cum ea, quæ habetur in Cærem. PP. Obſervantium *part.1. c.6. n 2.* & quæ pariter traditur a Dominico Flumara in Cærem. Cler. Reg. Minorum; nimirum prædictam Benedictionem eſſe impertiendam, poſtquam Sacerdos repoſuit Pyxidem, clauſitque in Tabernaculo. Alius tamen eſt Ritus præſcriptus in Cærem. PP. Cappuccinorum, in quo *lib. 3. c.27.* citato pluries noſtro a Caſtaldo in margine, hæc habentur: *Poſt Communionem, Pyxide ſuper Corporale repoſita, ac ſuo operculo tecta, ante ipſam genuflectens, ad communicatos ſe convertens eiſque benedicens, dicat, &c.* Hic Ritus non laudatur a Franciſco Magio *in diſquiſ.32.* quæ habetur in ſuo Galeato Religioſo: & equidem a noſtris Patribus, ut ipſe ait, non obſervatur; qui ſolum poſt Sacramentum intra Ciborium clauſum, ad Populum converſi, Benedictionem impendunt, & idem Magius aſſerit noſtrum Caſtaldum mutaſſe ſententiam in praxi Cærem.

Aliud quod notare debemus de ablutione digitorum, quæ juxta nonnullos fieri debet, non recondito Sacramento, & Benedictione jam data; ſed antequam Sacerdos Pyxidem in Tabernaculum inferat, ut ſecurius, firmiuſque eamdem accipere, ac clavem ſtringere, & digitis obvolvere queant; id quod docuit Paulus a S. Joan. ne in Cær. Auguſtinenſium Diſcalceatorum *lib.3. c.16. De modo communicandi Populum extra Miſſam*, his verbis: *Facta Communione, celebrans revertitur ad Altare, ponit Pyxidem ſuper Corporale, ſed diligenter advertat, ut ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, illud deponat in Pyxidem, illamque operculo, & velo cooperit, & digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat in vaſculo vitreo, & abſtergat purificatorio... Poſtea genuflectens reponit Sacramentum in Tabernaculo*. Alii vero, nimirum Fantonus in Cær. Carmelitarum *l.2. Rub.55. n.7.* necnon Ramerius in Rituali Cœleſtinorum *lib.5. c.7.* præſcribunt prædictam ablutionem digitorum eſſe faciendam poſtquam Pyxis eſt in Cuſtodia

repo-

Digitized by Google

repoſita, & poſtquam Tabernaculum eſt clauſum; quam ſententiam pariter legi in Cærem. Monaſtico *lib. 3. c. 15. §. 3. n. 5.* ubi habetur: *Quod recondita Pyxide intra Tabernaculum, eoque obſerato, & data Benedictione, Sacerdos accedens verſus cornu Epiſtolæ, Miniſtro fundente aquam, abluit ille digitos, quibus tetigit SS. Sacramentum, & eos extergit purificatorio.* Poſtrema hæc opinio magis nobis arridet: dicimus tamen ablutionem digitorum faciendam eſſe ante Benedictionem.

Denique adnotandum ſupereſt, eſſe conſuetudinem in aliquibus Eccleſiis, quod dum Sacerdos communicat Populum, Miniſter dextera manu tenens vas cum vino, vel aqua, ſiniſtra vero mappulam, pergens aliquanto poſt Sacerdotem porrigit purificationem communicatis, & mappulam ad os abſtergendum.

Hucuſque ſermonem habuimus de Ritu ſervando in diſtribuenda Communione ante Miſſam, poſt Miſſam, & extra Miſſam: ſed adnotare lubet, quod mos antiquus Communionem miniſtrandi erat ſemper intra Miſſam; de qua re erudite agit Vanneſpenſius *par. 2. tit. 5. c. 3. n. 4. & ſeq.* ubi *n. 11. & 12.* adſtruit, quod per duodecim, & ultra Sæcula obſervatum fuit, quod Communio intra Miſſam, non vero extra diſtribueretur, & quod Euchariſtia in Eccleſiis conſervaretur pro uſu infirmorum tantum; redditque rationem *n. 10.* quia ſcilicet Populus una cum Sacerdote concurrit ad Sacrificium offerendum; ideoque plures Orationes in Miſſa ſunt utrique communes, unde & Populus debet in Miſſa de eodem Sacrificio particeps eſſe. Nunc progredimur ad examinandos Ritus, & varia genera antiquarum Communionum.

De variis generibus, & Ritibus antiquæ Communionis.

XXXV. Nomen Commonionis quamvis hodie ſignificet ſolam Euchariſtiæ participationem; hæc tamen vox latius olim patebat, & præter Euchariſtiam alia multa ſignificabat: ſuper hac re plurima, ac eruditiſſime congeſta, & diſputata ſunt a Doctiſſimis viris Gabriele Albaſpinæo *lib. 1. obſerv.* Joanne Morino *lib. 2. Eccleſiaſticarum exercitationum*, Jacobo Sirmondo in hiſtoria publicæ pœnitentiæ, Card. Bona *lib. 2. rerum Liturgicarum c. 19. n. 2.* ubi ait, quod antiquitus duo præſertim erant genera Chriſtianæ Communionis, Communio ſcilicet commercii, ſive mutuæ cum cæteris Fidelibus ſocietatis, & Communio Euchariſtiæ, quæ prioris perfectio, finis, & centrum eſt. Illa habitudinem habet ad Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia; hæc verum Corpus ejuſdem reſpicit, quod ſumitur in Euchariſtia. Illa dicebatur Communio ſine oblatione, utpote conſiſtens in ſola participatione Orationum, & conſortio Fidelium; hæc Communio cum oblatione iis conceſſa, qui Corporis, & Sanguinis Domini participes erant. Quoniam vero Eccleſia ex Populo conſtat, & Clero; ideo Communio, quæ reſpicit Corpus Chriſti myſticum, in laicam dividebatur, & Eccleſiaſticam; cujus poſtremæ tot erant ſpecies, quot Ordines Eccleſiaſtici. Fit inde, ut cum aliquis Ordinis ſui munia, in pœnam alicujus delicti obire non poterat; is Communione privari dicebatur, quia cum cæteris, in iis, quæ ſui Ordinis erant, communicare non poſſet: de qua Communione plures Canones antiqui loquuntur, dum jubent Clericos Communione privari. Cum vero aliquis ob capitale crimen perpetuo deponebatur, laica tantum Communione donabatur, detruſus in Monaſterium, ſtatuente Agathenſi Concilio *Can. 50. Si Epiſcopus Presbiter, aut Diaconus capitale crimen admiſerit; ... ab officii honore depoſitus, in Monaſterium detrudatur. & ibi quandiu vixerit, laicam Communionem tantummodo accipiat.* Quid rei fuerit laica Communio diſputant eruditi. Scholaſtici pleri que nil aliud eſſe putant, quam perceptionem Euchariſtiæ ſub unica ſpecie: ſed omnino falluntur: nam ut optime obſervat Antonius Bellotte obſ. ad Ritus Eccl. Laud. *p. 639.* utriuſque ſpeciei uſus permiſſus fuit Populo, etiam diu poſtquam in Eccleſia adverſus graviter delinquentes Clericos pœna Communionis laicæ decreta fuit. Erat igitur laica Communio jus ſocietatis; & communicationis cum cæteris Fidelibus in rebus tam Sacris, quam civilibus more laicorum. Itaque Clerici laica Communione mulctati extra ſepta Altaris communicare cum plebe debebant ſub una, vel ſub duplici ſpecie, juxta conſuetudinem Eccleſiarum; atque in hanc Bonæ, & Bellotte ſententiam deſcendunt ut plurimum eruditi. Sunt qui Communionem peregrinam, de qua eadem Synodus Agathenſis *cap. 2.* aliæque Synodi, cum laica Communione confundunt: ſed vulgo Auctores unam ab alia ſecernunt, & merito: qui enim laica Communione plectebatur, ad Ordinis ſui Officia redire non poterat, cum eſſet pœna iis impoſita, qui perpetuo deponebantur; qui autem Communione peregrina donabantur, gradum ſuum recipere poterant pœnitentia peracta. Id docet nos *Can. 2.* ejuſdem Synodi Agathenſis; *Contumaces Clerici prout dignitatis ordo permiſerit, ab Epiſcopis corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia, Communionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel Officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis Communio tribuatur: ita ut cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum, dignitatemque recipiant.* Quid vero fuerit hæc peregrina Communio, diſſident Scriptores. Putant Sirmondus, & Albaſpinæus locis citatis, tunc peregrina Communione Clericos fuiſſe mulctatos, cum in eo loco, & ſtatu collocabantur, quo poni ſolebant Clerici peregrini, qui ſine literis commendatitiis extra propriam Diœceſim peregrinabantur: extra enim benigne conſueverant, & ſumptibus Eccleſiæ ali; nemo tamen Clericorum cum illis tamquam cum Clericis communicabat. Dioniſius tandem hæc opinio Albaſpinæo; ſed mentem ſuam in altera editione aperire non potuit morte præventus. Gabriel Henao *lib. de Sacrif. Miſſæ par. 3 diſp. 28.* ait Communionem peregrinam eam fuiſſe, ad quam Clerici admittebantur; quibus in pœnam alicujus peccati peregrinationes ſive perpetuæ, ſive ad tempus impoſitæ erant; quam ſententiam non approbat Card. Bona, cum nullo fundamento nitatur. Exiſtimant alii in hoc ſitam fuiſſe Communionem peregrinam, ut qui ea mulctabatur, inter Clericos inferioris Ordinis communicaret. Sic e. g. Epiſcopus ea mulctatus non cum Epiſcopis, ſed cum Presbyteris; Presbyter non cum Presbyteris, ſed cum Diaconis communicare debebat. Arriſit hæc ſententia Dupini in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica; & fortaſſe cæteris eſſet probabilior, ſi aliquo teſtimonio probari poſſet peregrinos Clericos hoc pacto communicaſſe. Quidquid ſit, certum eſt ex Concilio Agathenſi Clericorum nomen hac Communione plexorum ab Eccleſiæ matricula eraſum fuiſſe. His obſervatis veniamus ad Ordinem, quo antiquitus Fideles ad Euchariſtiæ perceptionem accedebant. Primo Celebrans ſe ipſum communicabat, deinde Epiſcopos qui aderant, vel Presbyteros ſimul cum eo Miſſam celebrantes, tum Diaconos, atque Subdiaconos, & Clericos, Monachos, & Diaconiſſas, Sacras Virgines; noviſſime Populum, adjuvantibus Presbyteris, & Diaconis, primum viros, poſtea mulieres: conſtant hæc ex Ordine Romano, & ex Euchologio Græcorum. Quod ſpectat ad locum, Celebrans in medio Altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retro Altare communicabant; Subdiaconi, & Clerici in limine Sanctuarii, reliqui extra cancellos: excipe tamen Imperatorem in Eccleſia Græca ex Canone Trullano 69.

Poſtremum genus Communionis erat illud, quod vetus Eccleſia per eulogias fieri inſtituit. Nomine eulogiæ venit panis, qui conſecrationi ſupererat in particulas diſſectus, & in fine Miſſæ Sacerdote diſtribuebatur iis, qui ob aliquod impedimentum non poterant Sacramenti Euchariſtici participes fieri: teſtantur hoc tum Græci, tum Latini Scriptores, Theodorus Balſamon in Can. 2. *Concilii Antiocheni*, Simon Theſſalonicenſis *lib. de Divino Templo*, Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ, Gemma Animæ *lib. 1. c. 67.* Durandus in Ration. *lib. 4. c. 53.* Qua de cauſa fuerint eulogiæ inſtitutæ agit Cardinalis Bona *lib. 1. c. 23.* & 32. qui pariter *lib. 2. c. 17.* doctiſſime, ſuo more, tractat de variis antiquis Ritibus communicandi etiam infantes, viros, mulieres, deferendi domum Sacramentum Euchariſtiæ, & alia hujuſmodi: unde præfatum Auctorem curioſus lector adire poterit.

R U B R I C A.

8 *In Miſſa Solemni Diaconus ſtans retro, poſt Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur: Et dimitte nobis debita noſtra; facta ibidem genuflexione, vadit ad dexteram Celebrantis: & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, revertitur ab Altare; & ſtans in cornu Epiſtolæ porrigit* (q) *Patenam Diacono, qui eam diſcooperit, & purificatorio abſtergens dat Celebranti, illius manum oſculando; & quando opus eſt,* (r) *diſcooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat; Subdiaconus reddita Patena, & depoſito velo quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, & deſcendit retro poſt Celebrantem; & cum dicitur, Pax Domini, iterum genuflectens accedit ad ſiniſtram Celebrantis, & ſimul* (ſ) *dicunt, Agnus Dei. Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit poſt Celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus expectat pacem; & cum Celebrans oſculatur Altare, ipſe ſe erigens ſimul oſculatur illud extra Corporale, & a Celebrante dicente, Pax tecum, complexus* (t) *accipit pacem,* (u) *ſiniſtris genis ſibi invicem appropinquantibus, & reſpondet, Et cum ſpiritu tuo. Poſtea iterum Sacramento in Altari adorato, vertit ſe ad Subdiaconum retro poſt Celebrantem, & ſimiliter dat ei pacem.* (x) *Subdiaconus accepta pace a Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum,* ( *& dat pacem primo cujuſque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis; & reverſus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho; qui ipſum comitaverat, qui & aliis Acolythis circa Altare dat pacem, deinde Subdiaconus vadit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem,* (z) *accipit ampullam vini, & infundit, quando Celebrans vult purificare. Diaconus poſt datam pacem Subdiacono vadit ad librum, & dum Celebrans ſe communicat* (a) *ſtant ipſe, & Subdiaconus profunde inclinati verſus Altare.*

*G A V A N T U S.*

(q) *Patenam Diacono*, Dant Patenam per manus in man Celebrantis, *Innoc. III. lib. 6. cap. 1.* apparet *in Ord. Rom.* quod veſtigium hujus Ritus; ſed per plures manus Patena tranſibat, quam per duas.

(r) *Diſcooperit, & cooperit.* Ita *Innoc. III. ibidem* ca Diaconi enim eſt miniſterium circa Calicem; ſufficiunt au reverentiæ cum genuflexione in Rubrica præſcriptæ.

(ſ) *Dicunt Agnus Dei.* Percutiunt Miniſtri ſibi pectora Celebrante, non tamen ſiniſtra polita cum eo ſuper Alt ſed infra pectus eidem pectori admota.

(t) *Complexus accipit pacem, &c.* De complexus ad pa dandam *Chryſoſtom. homil. 51. ad Populum Antiochen.* A alterum amplectitur, inquit, ut unum multi ſimus.

(u) S

Google

(u) *Siniſtris genis*. Habetur *in Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 24. *Durand.* tradit ad dexteram Celebrantis recipi pacem a Diacono, quod & nos obſervamus; *A dexteris*, inquit hæc Rubrica, *Genuflexus expectat pacem*, non antem dextris genis. Per genas ſiniſtras ſignificatur, dari pacem e corde quod ad ſiniſtram vergit; & quod in adverſis etiam cum proximo pax habeatur.

(x) *Subdiaconus accepta pace*, *&c.* Diaconus dat pacem ſubdiacono, & hic aliis eiſdem, quos Diaconus incenſavit. *Hugo Victorin. de ſpec. Miſſ. obſerv. lib.* 2. *cap.* 40. & præterea Acolytho comitanti incluſive.

(y) *Dat pacem primo*. Qui dat pacem, nemini inclinat cui dat pacem, niſi poſtquam dederit; qui accipit inclinat caput danti ante, & poſtquam acceperit. *Ex Cær. Epiſc. ſupra*. Item, qui dat dicit, *Pax tecum*; qui recipit reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*, amplectunturque ſe invicem, & appropinquant genas ſiniſtras, ut dictum eſt de Celebrante, & Diacono. In unoquoque deinde Ordine peimus dat pacem alteri ſubſequenti, & ille alteri, & ſic deinceps uſque ad ultimum ejuſdem Ordinis, non præmiſſis invitationibus, quæ in incenſatione tantum fiunt.

Laicis vero datur per inſtrumentum, de quo ſupra *n.* 3. oſculatum ab eo, qui pacem a Celebrante immediate accepit; *in eodem Cærem. Epiſc.* & ut *ibidem* dicitur, nonniſi ſtanti pax datur, ſcilicet cui per oſeulum datur.

Ordo vero dandi pacem eſt idem, qui de incenſatione dictus eſt ſupra: ſed per inſtrumentum datur laicis ſingulis; per oſculum primo cujuſque Ordinis: a Subdiacono illis laicis, quos Diaconus incenſavit; ab Acolytho laicis aliis. Numquam vero a Diacono alicui datur, neque Domino loci, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 5. Julii 1614. neque datur unquam cum Patena, vice tabellæ, ſeu inſtrumenti; quam Patenam prohibuit Pius V. *in epiſt. ad Archiepiſc. Tarracon. ſupra citata n.* 5.

(z) *Ampullam vini*, *& aqua*. Ut pro ablutione digitorum in Miſſa Privata dictum eſt. Neque omittat Subdiaconus oſculationes, & reverentias debitas in miniſtrandis ampullis Celebranti.

(a) *Stant*. Si tamen Subdiaconus redierit, quem non debet expectare Celebrans, & eo caſu inclinati ſtant a verbis, *Domine non ſum dignus*, manibus junctis ante pectus; Acolythorum alter defert ſine genuflexione ampullas ad Altare cum pelvicula, quas porriget ſine oſculis Subdiacono, & referet ad credentiam; alter portabit velum parvum de credentia ad Altare in cornu Evangelii, ut Subdiac. eo deinde tegat Calicem, ut infra. * Si non redierit Subdiac. ſuppleat Acolythus in miniſtrandis ampullis pro Calicis purificatione: quamvis in meditatione SS. Sacram. eam poterit Celebrans adhibere moram, qua Subdiac. miniſtrare queat ampullas.

Non lavat manus Celebrans, niſi ſit Epiſcopus.

Si adſint miniſtri cum intortitiis, peracta Communione Populi, diſcedant, & ea extinguant.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, a fine Orationis Dominicæ, uſque ad ultimam purificationem Celebrantis.

XXXVI. Rub. *Et dimitte nobis debita noſtra*, *&c.*) Dum Celebrans dicit in Oratione Dominica, *Et dimitte nobis*, Diaconus, & Subdiaconus, facta genuflexione Sacramento unico genu retro Celebrantem ſuis locis, accedunt ad Altare in cornu Epiſtolæ; Diaconus quidem a dexteris Celebrantis, Subdiaconus vero a dexteris Diaconi. Biſſus *lit. D num.* 123. §. 39. Interim, quia primus Cæremoniarius aſſiſtit libro, ſecundus Cæremoniarius, & eo deficiente primus Acolythus accedit ad cornu Epiſtolæ ſuper infimum Altaris gradum; & cum eo pervenerit, unico genu flectit, ut facilius, & commodius ſurgere poſſit; Biſſ. *lit. M num.* 122. §. 1. *& lit. A. num.* 214. Bauld. *par.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *n.* 11. *& part.* 1. *cap.* 14. *art.* 3. *n.* 21. & poſtea ibidem ſtat.

XXXVII. Rub. & Gav. lit. q -- *Patenam Diacono &c.*) Subdiaconus vero ſtans ut ſupra, porrigit Patenam nondum detectam Diacono; Lohn. *par.* 3. *tit.* 3. *n.* 13. qui removens eam partem veli, quæ eſt ſuper Patenam, eam a Subdiacono offerente capit. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *n.* 18. Bauld. *part.* 3. *ſupra*, *& par.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 54. Tum Diaconus exterſa ſuper Altare Patena purificatorio, ponit eam in dextera Celebrantis, inter pollicem, & indicem unitos ex una, & medium digitum pezſati Celebrantis ex altera parte, quando iſte dixerit *Amen* poſt Orationem Dominicam, & incipit: *Libera nos quæſumus Domine*, *&c. Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 9. §. 5. *& lib.* 2. *cap.* 8. §. 74. oſculando prius Patenam, deinde manum dexteram Celebrantis: *Cærem. Epiſc. ſup. lib.* 1. *cap.* 9. §. 5. Bauld. *par.* 3. *ſup.* & Biſſus *lit. D ſup.* §. 39. qui Celebrans poſtea eadem Patena ſe ſignat, & proſequitur ut in Miſſa Privata.

XXXVIII. Rub. & Gavant. lit. r -- *Diſcooperit*, *& cooperit*, *&c.*) Diaconus vero ſtans a dexteris ipſius celebrantis, inſervit eidem pro diſcooperiendo, & cooperiendo Calice, nempe quando in Oratione *Libera nos &c.* Celebrans dixerit ultima verba: *Et ab omni perturbatione ſecuri*; & dum ſupponit ille Patenam Hoſtiæ, Diaconus diſcooperit Calicem, *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 9. *ſup.* Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 20. *n.* 20. deponendo pallam ſuper Corporale, ut alias; & poſtquam Hoſtiæ diviſæ particulam in Calicem immiſerit celebrans, Diaconus Calicem cooperit. *Cærem. Epiſc. ſupra*, Caſtald. *ſupra*. Advertat Diaconus ne teneat pedem Calicis, dum celebrans frangit Hoſtiam, ut aliqui gratis faciunt. Bauld. *par.* 4. *ſup. n.* 11. Biſſus *ſup.* Præfatus Diaconus etiam genuflectere debet unico genu cum celebrante ad adorandum Sacramentum, hoc eſt primum poſtquam diſcooperuerit Calicem, deinde poſtquam cooperuerit; & deinde ſurgens ſtat: Bauld. *part.* 13. *& part.* 1. *ſup. n.* 55. Caſtald. *ſupra*. Nunquam tamen dum genuflectit, manus ſuper Altare ponat, ad differentiam celebrantis. Biſſus *ſupra* §. 39.

XXXIX. Rub. *Subdiaconus reddita Patena*, *& depoſito velo*, *&c.* Subdiaconus vero reddit Patenam Diacono, & deponit velum oblongum, quod ab humeris ejus pendebat, & quod accipere debet ambabus manibus ſecundus Cæremoniarius, vel primus Acolythus; *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *c.* 10. §. 6. *& lib.* 2. *c.* 8. §. 75. quia facta genuflexione utroque genu, ut vult Hippol. a Portu *part.* 2. *de Miſſa Solemn. tit.* 10. *Rubr.* 8. *in adnot. n.* 10. vel etiam unico genu, defert illud ambabus manibus ad credentiam, ibique plicatum ſuper eam ponit: tum Subdiaconus ibidem, nempe ad dexteram Diaconi genuflectit; Bauld. *part.* 3. *ſupra*, & redit ad ſuum plani medium retro poſt celebrantem per gradus anteriores Altaris, ibique ſtat facie ad Altare verſa. *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *c.* 11. §. 6. *& lib.* 2. *cap.* 8. §. 75. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *num.* 18.

XL. Rub. *Et cum dicitur Pax Domini*, *&c.*) Cum celebrans dicit *Pax Domini*, Subdiaconus genuflectit in loco ſuo ſuper infimum gradum in medio ubi erat, & accedit ad ſiniſtram celebrantis; & ſtatim ac pervenit ad ejuſdem ſiniſtram genuflectit iterum apud Altare, eodem tempore, quo poſt coopertum Calicem, tam celebrans, quam Diaconus ſuis in locis genuflectunt: Caſtald. *l.* 1. *ſup. n.* 19. Bauld. *p.* 3. *ſup. n.* 19. & Benv. §. *Cum celebrans*: interim primus Cæremoniarius accedit juxta ſolitum ad cornu laterale Evangelii, genuflectens utroque genu. A Portu *ſupra n.* 13.

XLI. Rub. & Gavant. lit. ſ -- *Dicunt Agnus Dei*, *&c.*) Tunc celebrans, & Miniſtri inclinati ſimul inclinatione modica, junctis manibus ante pectus, dicunt ſimul, *Agnus Dei*, *&c.* ſubmiſſa voce: Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *ſupra*; & dum dicunt prima vice *Miſerere nobis*, disjungunt manus, ſiniſtram infra pectus ponunt, & dextera percutiunt pectus, eamque pariter pectori admotam tenent, uſquedum percutiunt pectus ſecunda, & tertia vice ad alia verba *Miſerere nobis*, & *Dona nobis Pacem*. Biſſus *lit. C n.* 197. §. 50. & Benven, ſupra cit. loc. Idem facit celebrans, qui tamen dum ſibi percuctit pectus, ſiniſtram pooit ſuper Corporale de more. Gav. *ſupra*. Biſs. *cit. loc.* & Bauld. *part.* 3. *ſupra*.

Primus pariter Cæremoniarius, & reliqui Miniſtri inferiores, inclinati circa Altare in dicta circumſtantia percutiunt ſibi pectus. Bauld. Biſs. & Beven. *ſupra*. Ex qua conſuetudine, qui ſunt in Choro illud etiam eodem modo dicunt inclinati verſus Altare inclinatione mediocri. Obſervandum hic eſt, Romæ multos etiam Cardinales in Capella Pontificia, dum celebrans tria producit ſigna Crucis cum particula Hoſtiæ, dicens *Pax Domini*, *&c.* ſignare in fronte, ore, & pectore, ſicuti facere ſolent, qui aſſiſtunt Miſſæ peivatæ in principio Evangelii: verum hoc fit ex particulari devotione, nec ad Ritum Eccleſiaſticum pertinet; ut expreſſe tradit Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 2.

Subdiaconus dicto *Agnus Dei*, & facta ibi ad Altare genuflexione unico genu Sacramento, redit retro celebrantem, non deſcendens in ſuum locum in plano, ſed ſtans in ſecundo gradu Altaris (ubi Diaconus ſtare debet, quando eſt retro celebrantem) ut commodius ab ipſo Diacono pacem recipere valeat, Biſſus *ſupra* §. 51. Nicolaus de Bralion *ſup. n.* 3. Interim primus Cæremoniarius accedet ad librum, facta prius genuflexione, a Portu *ſupra n.* 15.

XLII. Rub. *Diaconus vero a dexteris genuflexus expectat pacem.*) Diaconus autem ſtatim genuflectit utroque genu in ſuppedaneo a dextris celebrantis, & ſic remanet per totam primam Orationem, *Domine Jeſu Chriſte qui dixiſti*, *&c.* quam de more dicit celebrans ſubmiſſa voce. Biſſus, Nicolaus de Bralion, Benvenuti *ſupra* §. *Dicto*, *&c.*

Finita ſupradicta Oratione *Domine Jeſu*, *&c.* vel circa finem ejuſdem, ut ſimul cum celebrante oſculari poſſit Altare, ſeſe erigit; & manibus ante pectus junctis, non autem ſuper Altare poſitis, illud oſculatur, ſed extra Corporale, dum celebrans illud oſculatur in medio, poſitis manibus ſuper Corporale. Bralion, Benv. Biſs. *lit. D n.* 123. §. 41.

XLIII. Rub. & Gav. lit. t - *Et a celebrante complexus*, *accipit pacem.*) His peractis celebrans dat pacem Diacono; ſed antequam ei pacem offerat, non debet Sacramento genuflectare, nec id iterum facere, quando, oblata pace, ad Sacramentum ſe convertit: quia Rubr. & Auctores præſcribunt genuflexionem ſolum quando celebrans accedit, aut recedit a medio Altaris, in quo eſt SS. Sacramentum expoſitum; nec ullus de tali genuflexione facienda mentionem facit. Lohn. *part.* 2. *tit.* 24. *de Ritu Solemn. n.* 2. Celebrans igitur terminata dicta prima Oratione, & oſculato Altari, Diaconum amplectitur, ita ut brachia bina ſuper humeros ejus ponat; Arnaudus *part.* 2. *tit.* 10. *nu.* 26. Lohn. *part.* 2. *ſupra n.* 1. aut ſaltem manus ſuas quaſi ſuper humeros Diaconi deponat. Bauld. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *nu.* 13. Benvenuti *ſupra* a Portu *n.* 18. Si tamen alicubi viget conſuetudo, ut qui dat pacem, ſolum manum dexteram ſuper ſiniſtram humerum accipientis, ſiniſtram vero ſub axillis ponat, poterit & illa retineri. Lohn. *part.* 2. *ſupra n.* 1. a Portu *ſupra*. Porro Diaconus ſupponit brachia ſua ſub brachiis celebrantis, eique caput inclinat ante, & poſt amplexum, acceptamque pacem. Biſſus *lit. D n.* 123. §. 41. Bauld. *part.* 3. *c.* 11. *art.* 8. *n.* 13.



Digitized by Google

XLIV. Rub. & Gav. lit. u - *Siniſtris genis.*) Et appropinquat ſiniſtram genam ſiniſtræ genæ Celebrantis, ita ut genæ leviter ſe tangant; De Bralion *ſupra*, Chriſtiani *ſect.* 2. *cap.* 11. *n.*14. interim Celebrans dat pacem dicens, *Pax tecum*: cui Diaconus reſpondet, *Et cum Spiritu tuo*. Non deſunt tamen, qui præſcribunt in prædicto caſu ſiniſtras genas, quas ſibi invicem admovent, offerens, & accipiens pacem, approximandas eſſe ſine contactu. Cæremoniale Monaſticum *lib.* 2. *cap.* 5. *n.*14. quo facto, & dicto, Celebrans ad librum converſus, proſequitur alias Orationes, ut in Miſſa Privata. Diaconus autem accepta pace, & facta genuflexione in eodem ſuppedaneo, in quo pacem recepit, vertit ſe ad Subdiaconum per latus ſuum ſiniſtrum, advertens ne terga vertat Sacramento; Bauldry *part.* 3. *ſup. n.* 14. & *par.* 1. *c.* 12. *ar.* 1. *n.* 57. cui tunc Diaconus non ſe inclinat: quia qui pacem defert, quicumque ſit, nulli quantumvis ſupremo Principi (etiam ſi eſſet Imperator, vel Rex) reverentiam facit, antequam ei pacem det, ſolum poſt datam pacem. Cæremoniale Epiſc. *lib.*1. *cap.*24. §.5. & Gavantus *ſupra lit.* y & alii Rubriciſtæ communiter. Subdiaconus tamen Diacono ſe inclinat, quia qui pacem accipit pro qualitate perſonæ, plus vel minus inclinat ſe antequam accipiat pacem. Gavant. *ſupra*, Bauld. *par.* 3. *ſupra*, Bralion *ſupra n.*4. & alii communiter. Itaque Diaconus ſuperimponens brachia ſua brachiis Subdiaconi, dicit, *Pax tecum*; a Portu *ſupra n.* 22. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 57. Subdiaconus vero, ſiniſtram ſuam genam ſiniſtræ Diaconi jungens, brachia ſua brachiis Diaconi ſupponit, reſpondetque, *Et cum ſpiritu tuo*. Bauld. *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *n.*35. Turrinus *par.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. *Subdiaconus*, Bralion *ſupra n.*4. Tandem mutuo dicti Miniſtri ſe inclinant, quia in fine poſt datam pacem, tam deferens illam, quam recipiens pro perſonarum qualitate ſe inclinare debent. Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 24. §.5. Si autem recipiens pacem ſit major dante illam, puta Canonicus Cathedralis, reſpectu Beneficiati; tunc aut parum, aut nihil inclinatur. Turrinus *ſupra*. Obſervandum itaque eſt hic, quod quotieſcumque datur, & recipitur pax, ea omnia ſervari debent, quæ diximus de Diacono, & Subdiacono, ſcilicet, ut dans pacem, nullatenus ante dictam pacem caput inclinet, ſed bene qui eam recipit, (dummodo accipiens non ſit major, ut mox cum Turrino eſt adnotatum) deinde quod dans pacem ſuperimponat brachia ſua brachiis, ſeu ambas manus ſuas ſcapulis recipientis; niſi tamen recipiens dignior eſſet, quam dans, quia tunc dans pacem ſupponit brachia ſua recipienti illam. Bauldry *par.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *n.*30. & a Portu *ſup. n.*22. Demum mutuo ſe inclinent inclinatione unicuique debita proportionaliter, hoc eſt plus, vel minus ſecundum qualitatem perſonarum Cær. Epiſc. Gavantus, Bralion, Arnaud. Chriſtiani *ſup.* & alii communiter.

XLV. Rubr. & Gav. lit. x - *Subdiaconus accepta pace a Diacono, &c.*) Subdiaconus poſt ſumptam pacem a Diacono genuflectit cum Cæremoniario, vel alio comite, qui a ſiniſtris Subdiaconi incedere debet eodem modo, quo ipſum Subdiaconum comitatur ad ante, & poſt cantatam Epiſtolam. A Portu *ſup. n.* 24. Deinde ſurgent ambo; & Subdiaconus habens, ut dixi, comitem a ſiniſtris, pacem defert in Chorum, quem in medio ſalutat ab utraque parte, (prohibetur enim ſalutatio determinatæ perſonæ, cui danda eſt pax, ſed non ſalutatio Chori, quæ profecto non eſt omittenda; Biſſus *lit. S. n.* 196. §. 20.) & ad digniorem de Choro accedit; cui tunc ſine ulla reverentia propter venerationem pacis, dat oſculum eo modo, quo ſupra adnotavimus. Cæremoniale Epiſc. *ſup.* §. 2. Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. qua data debitam ei reverentiam facit; & tunc ille dignior præbet pacem ſequenti ſui ordinis a parte ſui Chori, & hic alteri ſucceſſive uſque ad ultimum ſui Chori. Cær. Epiſc. *ſup.* §.6. Gav. Caſtald. *ſup.* & alii. Interim Subdiaconus tranſit ad alteram partem Chori, ſed obſervet, quod dum tranſit ex una parte Chori ad alteram pro danda pace, Altari genuflectere debet cum ſuo comite in medio, unico genu: & ſi tranſeat ante proprium Epiſcopum ſimiliter genuflectet; niſi tamen Subdiaconus eſſet Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, quia tunc tantum profunde ſe inclinare debet: ſi vero tranſeat ante aliquem Prælatum, illum ſalutat ſola capitis inclinatione. Biſſ. *lit. S. n.* 196. §. 21. Statim ut Subdiaconus tranſierit ad aliam Chori partem, digniori ſtanti in primo loco, pacem pari diſciplina ut prius, defert, & hic dignior tradit ſuo viciniori, & viciniot alteri, & ſic deinceps uſque ad ultimum. Cæremoniale Epiſcop. Gavantus, & Caſtaldus *ſup.*

Hinc habetur, quod Subdiaconus defert pacem tantum duobus, nempe digniori ex utraque parte Chori. Ubi tamen ſunt diſtinctæ præbendæ, & plures ordines Clericorum, datur ſemper pax a Subdiacono ab utraque parte Chori, primo, & digniori cujuſque Ordinis, v. g. ſi in Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſiis ſint diſtincti ordines, & præbendæ, datur primo Dignitatibus, deinde primo Canonico Presbytero, & poſtea primo Canonico Diacono, deinde primo Canonico Subdiacono, & poſt aliis per ordinem; & ſemper qui prius accepit, poſtea dat ſubſequenti ejuſdem ordinis, Cærem. Epiſc. *ſup.* §. 6. Biſſ. *lit. S. n.* 196. §. 21. Gavantus, Arnaudus, Chriſtian. Caſtaldus *ſupra*, Bauldry *par.* 3. *ſupra n.* 17. Portu *ſupra n.* 25.

Si ſit etiam aliqua notabilis diſtantia inter Clericos ejuſdem ordinis, Subdiaconus eam etiam dabit primo, qui eſt remotus ab aliis ſui Ordinis: ne ipſi Clerici cogantur diſcurrere ad recipiendam, & dandam pacem. Bauld. *par.* 3. *ſup. n.* 18.

Si adſit Epiſcopus, qui non habeat Presbyterum aſſiſtentem, convenit ut Diaconus pacem a Celebrante acceptam, ſtatim Epiſcopo deferat; & poſtea eam dabit Subdiacono, & hic Clero, & aliis, ut ſupra. Bauld. *ſup.*

Si adſit aliquis ſupremus Princeps laicus, vel Prorex, aut Gubernator Provinciæ, vel Magiſtratus, modo ſit ex majoribus, & perpetuis, ab ipſo Subdiacono eis communicatur pax cum oſculo, eodem prorſus modo, quo communicanda eſt omnibus de Clero; imo & eis defertur eodem ordine, quo fuerunt incenſati; ita ut ſi fuerint incenſati ante Clerum, ante illum etiam pacem recipiant; Bralion *ſupra cap.* 8. *n.*9. idque totum ſatis aperte colligi poteſt ex Cæremoniali Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 23. *de ordine thurificandi* §.30. & *cap.* 24. §. 3. & ex praxi Capellæ Papæ; & ut legi poteſt in Cæremoniali Romano Marcelli Corcyrenſis *lib.* 2. Hic mentio facienda eſt de Decreto, quod habetur in noſtro indice *ſub n.* 81. in quo ſtatuitur, quod Diaconus, & Subdiaconus accipiant pacem ab Epiſcopo celebrante, ſtatim poſt Diaconos aſſiſtentes.

XLVI. Gav. lit. v - *Laicis vero datur per inſtrumentum, &c.*) Si aliis laicis nobilioribus, vel Magiſtratibus minoribus danda ſit pax, defertur pax cum inſtrumento pacis, ſeu tabella argentea, aut ex pretioſa aliqua materia confecta, in qua ſit imago Crucifixi, & non per Patenam vice tabellæ, quia prohibetur a Sancto Pio V. neque per oſculum; Biſſus *lit. I. n.*183. §.2. Bauldry *part.* 3. *ſup. num.* 19. Bralion *ſup. n.* 10. & tunc dum dicitur *Agnus Dei*, Cæremoniarius, aut unus Acolythus, accipit de credentia cum velo coloris convenientis (quod ejus manubrio appenditur) inſtrumentum; & dum Diaconus genuflexus expectat pacem, ipſe pariter genuflexus poſt illum juxta Altare cum ipſo Diacono, quando tempus eſt, ſurgit. Accepta autem pace a Celebrante, Diaconus, facta genuflexione, illam prius dat Subdiacono, ut ſupra dictum eſt; & poſt datam pacem ipſi Subdiacono Cæremoniarius, vel Acolythus offert Diacono inſtrumentum, quod oſculatur (quia tale inſtrumentum pacis oſculandum eſt vel a Celebrante, vel ab eo, qui immediate, ut eſt Diaconus ab eodem celebrante pacem accepit; quam ſecundam ſententiam tenent Bauldry, & a Portu) dicens *Pax tecum*; & Cæremoniarius, ſeu Acolythus reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*. De Bralion *ſupra num.*10. Bauldry *par.*3. *ſup. n.*19. Biſſus *lit. S. n.*196. & *l. I. n.*183. §.2. Deinde Cæremoniarius, ſeu Acolythus a ſiniſtris Subdiaconi incedens, defert ſecum dictum inſtrumentum; ut illud ſuo tempore eidem Subdiacono tradat, ſcilicet quando Subdiaconus illud daturus eſt oſculandum laicis, ſtatim accipit: Bauld. *par.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *n.* 37. (& poſt quodlibet oſculum, ſi pluribus inſignibus viris exhibeatur prædictum inſtrumentum, ipſe velo, quod, ut ſupra adnotavimus, manubrio erit appenſum, leviter extergit, reverentiæ cauſa, ubi deoſculatio facta eſt; Bralion *ſup.* Lohner *par.* 2. *tit.* 24. *de Rit. ſolemn. n.* 4.) qui accedens ad ſupradictos viros nullam faciens reverentiam, niſi poſt deoſculationem, dicit *Pax tecum*, & illi reſpondent, *Et cum ſpiritu tuo*. Bralion, Lohner, a Portu de Miſſa Solemni *Rubr.*8. *n.*27. Bauld. *ſup.* & notandum, quod illi, qui accipiunt pacem per inſtrumentum, non debent ſtare, ut omnino ſtare debent illi, qui per oſculum pacem accipiunt, ut ſupra dictum eſt, ſed manent genuflexi. Turrinus *part.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. *Si pax laicis*.

XLVII. Gav. ead. lit. y - *Ordo vero dandi pacem, &c.*) Hic declarat Gavantus, quod ordo dandi pacem eſt idem, qui ſervatus eſt in incenſatione; unde etiam in danda pace perſonis laicis, idem ordo ſervandus eſt, quo fuerunt a Diacono incenſati; ſed pax laicis datur ſingulis per inſtrumentum, ad differentiam pacis datæ per oſculum, quæ datur primo ſolum cujuſcumque Ordinis: Diaconus tamen non debet unquam offerre pacem laicis, neque Domino loci; ut notat Gavantus *ſupra* ex Decreto S. R. C. dato in noſtro Indice *ſub n.* 145.

Diaconus data pace Subdiacono, ſtatim tranſit ad ſiniſtram Celebrantis, ſeu ad librum, incedens per ſecundum gradum, & non genuflectens in medio, ut male faciunt multi; ſed in acceſſu ad Altare, ſeu ad ſiniſtram Celebrantis genuflectit unico genu, & ſtatim ſurgens ibi eidem aſſiſtit: & cum celebrans dicit, *Domine non ſum dignus*, Diaconus profunde ſe inclinat; & manu ſiniſtra infra pectus poſita, percutit dextra pectus: & dum Celebrans ſe communicat, ad utramque ſpeciem profunde ſe inclinat verſus Altare manibus junctis; tempore vero intermedio ſtat erectus. Bauld. *part.* 3. *ſup. n.* 21. Lohn. *part.* 3. *tit.* 2. §. 2. *n.* 3.

Subdiaconus data pace, ut ſupra, & iterum facta reverentia utrique parti Chori cum ſuo comite, redit ad Altare, & facta in medio ſuper infimum Altaris gradum genuflexione unico genu cum ſuo comite, ſurgit una cum ipſo, & ſtatim dat pacem eidem Miniſtro comiti, qui illam diſtribuit (facta genuflexione unico genu Altari, & ſalutato Choro ab utraque parte) primo Miniſtro, qui primus dabit eam ſubſequenti, hic alteri, & ſic ſucceſſive: tum tranſit ad alteram partem cum reverentiis debitis, ut ſupra, & pacem pari diſciplina dat etiam primo Miniſtro alterius partis Clericorum, ut ſupra, qui eam ſubſequenti tribuit. Biſſ. *lit. S. n.* 196. §. 23. Bauld. *par.* 3. *ſup. n.*22. & notandum, quod ſi pacem acceperit a Subdiacono, Cæremoniarius poſt datam pacem Acolytho (qui eam diſtribuet aliis Clericis, ut mox diximus) recipit ſe ad cornu Epiſtolæ. Lohner *par.* 3. *tit.* 4. *num.* 12.

Subdiaconus data pace ſuo comiti, aſcendit ad Altare, ſe conferens ad dexterá celebrantis; ubi facta genuflexione unico genu



Digitized by Google

Sacramento, ſurgit, inclinat ſe, cum Celebrans dicit *Domine non ſum dignus*; & manu ſiniſtra infra pectus poſita, percutit pectus dextera, ut Diaconus, & facit totum id, quod diximus ſupra de Diacono, ſicut etiam genuflectit ante utramque Communionem cum Celebrante.

XLVIII. Rubr. *Subdiaconus, quando opus eſt, Calicem diſcooperit*) Stans ad dexteram Celebrantis; quando opus eſt, Subdiaconus Calicem diſcooperit, hoc eſt dum Celebrans incipit, *Quid retribuam Domino, &c.* deponendo pallam ſuper Corporale de more, Biſſus *ſupra*; Bauldry *part. 3. ſupra n. 22.*

Dum Celebrans Sacrum Sanguinem ſumit, vel etiam citius, primus Acolythus de credentia mature defert ampullas aquæ, & vini, & accedit ad latus Epiſtolæ; & quando opus eſt, eas ſucceſſive porrigit Subdiacono ſine oſculis Subdiaconus vero inſundit vinum in Calicem manu dextera ad nutum Celebrantis pro ejus purificatione, cum reverentia prævia, & oſculis ampullæ tantum, porrigente ipſo Celebrante Calicem ſuper Altare, non extra. Infuſo vino pro purificatione, Subdiaconus infundit vinum pro ablutione manu dextera ſuper pollices, & indices Celebrantis; eoque infuſo, & redita ampulla vini Acolytho, eadem manu dextera accipiens ampullam aquæ, infundit eandem aquam ſuper eoſdem digitos, eo modo, quo facit in adminiſtratione vini (prædicta autem oſcula in Miſſis Defunctorum omittuntur, ut dicemus ſuo loco) tandem reddit etiam ampullam aquæ eidem Acolytho, qui utramque acceptam reportat ad credentiam ſine genuflexione, ſed cum conſueta inclinatione. Bauldry *part. 1. ſupra*, & a Portu *tit. 10. de Miſſ. Solemn. n. 32.*

XLIX. Gav. eadem lit. a - *Si non redierit Subdiaconus, ſuppleat Acolythus &c.*) Quod ſi Subdiaconus adhuc ſit impeditus in diſtribuenda pace, ita ut nondum redierit ad Altare pro miniſtrandis ampullis Celebranti (licet melius eſſet, quod in meditatione SS. Sacramenti, ſumpta Hoſtia, ipſe Celebrans remaneret, donec rediret Subdiaconus ad diſcooperiendum Calicem; *ſupra n. 13.* Bauldry *part. 3. ſupra n. 23.*) quis debeat interim loco Subdiaconi inſervire, in dubium vertitur a Rubriciſtis. Gavantus *ſupra*, vult hunc defectum Subdiaconi ſupplendum eſſe ab aliquo Acolytho: Bauldry vero *part. 3. ſupra n. 23.* & Bralion *ſupra n. 13.* volunt id eſſe præſtandum a Diacono; & dicunt in hoc caſu, Diaconum poſtquam Celebrans ſumpſerit Sacram Hoſtiam, debere, facta genuflexione in loco, in quo eſt a ſiniſtris Celebrantis, accedere ad ejus dexteram; ſed dum hæc agit Diaconus, Cæremoniarius libro aſſiſtat loco illius; Bralion *ſupra*; & iterum facta genuflexione unico genu Sacramento, inſervire ad diſcooperiendum Calicem, quando opus eſt, & miniſtrare ampullas; & addunt tunc Diaconum debere recedere, & recipere ſe ad librum, facta genuflexione in acceſſu, & receſſu, quando Subdiaconus ad Altare redierit, ad quem ſpectabit in reliquis inſervire modo jam dicto: unde videtur liberum eſſe cuicumque amplecti Gavanti, vel Bauldry, & Nicolai de Bralion placitum, cum præfati Auctores nullam de hoc Ritu reddant rationem. Mihi tamen congruentior videtur opinio Bauldry, & Nicolai, de Bralion, hoc eſt, quod Diaconus in ſupradicto caſu tranſeat ad dexteram Celebrantis: tum quia id colligi poteſt ex Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 10. de officio Subdiaconi §. 6.* tum quia non videtur conveniens, quod Acolythus miniſtret ampullas Celebranti in Miſſa Solemni, cum hoc ſpectet ad Miniſtros Sacros: & quamvis tot frequentes acceſſus, & receſſus Diaconi ex una parte ad aliam videantur importuni, ut recte docet Biſſus *lit. S. n. 196. §. 25.* tamen in hoc caſu videntur tolerandi.

R U B R I C A.

(a) *In Miſſa Pontificali, Aſſiſtens accipit, & defert pacem, ut* (b) *in Cæremoniali habetur. Si in Miſſa Solemni* (c) *fiat Communio, omnia ſerventur ut ſupra; ſed prius communicet Diaconum, & Subdiaconum, deinde alios per ordinem, & Diaconus purificationem eis miniſtret. Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur* (d) *Communio.*

*G A V A N T U S.*

Vide *Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 24.* ſed quid, ſi detur Aſſiſtens paratus Celebranti? hic accipiet pacem a Celebrante, & dabit Clero. Diaconus recipiet ante Clerum ab eodem Aſſiſtente, & dabit Subdiacono, ut ait *Craſſus lib. 1. cap. 50.* Sed eo præſente Subdiaconus dabit pacem Diacono poſt datam pacem in Choro. *Congreg. Rit. 17. Junii 1606. & 15. Martii 1608.*

(b) *In Cæremoniali*. Hoc eſt, *Cærem. Epiſc.* ut alias notatum eſt.

(c) *Fiat Communio*. Diaconus cooperto Calice cum palla, eoque poſito paulo ultra medium Corporalis, intra aram tamen verſus cornu Evangelii, collocat in medio Corporalis Pyxidem: quod ſi extrahenda ſit de Tabernaculo, idem ipſe extrahat cum genuflexionibus, antequam extrahat, & poſtquam extraxerit, genuflexo interim Celebrante, & aliis circa Altare. Diaconus in cornu Epiſtolæ ſtans, profunde tamen inclinatus, dicit alta voce *Confiteor*, manibus junctis. Celebrans, poſtquam Diaconus Pyxidem diſcooperuit, ſtat in medio Altaris facie verſa ad Diaconum; Subdiaconus item poſt Celebrantem ſtabit; qui dicto *Confiteor*, eodem loco ſtans dicit *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, prope medium Altaris, facie item verſa ad Diaconum, qui reſpondeat *Amen*. Acolythi interea ante medium Altaris in ſuperiori gradu extendunt linteum mundum genuflexi, facie ſibi invicem verſa. Diacono vero, & Subdiacono ante linteum genuflexis, Celebrans cum debitis genuflexionibus eos communicat, præmiſſis verbis, *Ecce Agnus Dei, &c. Domine non ſum dignus*, cum reliquis Cæremoniis, de quibus ſupra *n. 6.* eſt dictum.

Qui vero geſtant intorticia, ſubſtituant ſibi alios, donec communicent, neque accedant cum intorticiis ad Celebrantem pro Communione.

Dum alios Celebrans communicat, Subdiaconus ſtat a ſiniſtris Celebrantis; Diaconus in cornu Epiſtolæ purificationem cum Calice miniſtrat, iis ſcilicet, qui de Clero ſunt; non laicis, quibus purificationem dabit alter e Clero cum alio vaſe aut vini, aut aquæ. Diaconus autem eo caſu ad dextram Celebrantis accedit. * Neque Miniſtri Patenam teneant ſub mento communicantium, quod ad Epiſcopalem attinet majeſtatem.

Sacerdotes cum ſtola de collo pendente communicant, *ex Conc. Brac. 3. Can. 3.* ante Altare quoque una cum Levitis, & Clero; laici vero extra Chorum, *ex Conc. Tolet. 4. cap. 17.* a quo ſemper excluduntur, *ex lib. 2. Apoſt. conſt. c. 57.* ut oſtendatur honos Cleri a laicis diſtinctus, & ut Clerus inſerviat Divinis liberius, ait *Carol. Novar. Epiſc.*

Facta Communione cum debitis reverentiis, Diaconus operit Pyxidem, & reponit in locum ſuum, genuflexo interim Celebrante, & poſt eum Subdiacono; quibus deinde ſurgentibus, & repoſito Calice in medio Altaris, detectoque, fiunt alia pro purificatione Celebrantis, quæ ſupra ſunt dicta.

(d) *Communio*. Vide quæ habentur ſupra *part. 1. tit. 13. n. 1.* Quod ſi remaneat Sacramentum in Altari, Miniſtri obſervent, & Diaconus præſertim dicturus, *Ite Miſſa eſt*, quæ ſupra Celebranti ſunt præſcripta *n. 7.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, & Pontificalis, ſervando in danda pace, & diſtribuenda Communione Cleri, & aliorum Fidelium.

L. Rubr. *In Miſſa Pontificali, Aſſiſtens accipit, & defert pacem, &c.*) Quando in Miſſa Solemni, præſertim Pontificali, adeſt Presbyter aſſiſtens cum pluviali, dicto *Agnus Dei*, accedit ad dexteram Celebrantis (Diaconus vero ad librum) & ibi eodem Ritu, quo Diaconus, ab eo ſcilicet Celebrante recipit pacem, & eam ipſemet diſtribuit, ut Subdiaconus, qui tunc accedit ad eamdem dexteram, & aſſiſtit Celebranti, ut ſupra dictum eſt, & regulariter, juxta ſententiam Gavanti *ſupra*, qui citat Craſſum, dat illam prius Diacono, qui paululum ſe retrahit ab Altari, ut illam recipiat; & immediate poſt, illam dat Subdiacono. Id inquam regulariter obſervatur, præſertim ſi Diaconus ſit Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, & non ſit in Choro aliquis Prælatus, cui ſecundum conſuetudinem, pax ſit prius deferenda; in quo caſu Aſſiſtens, illam etiam diſtribuet in Choro, antequam det ipſi Diacono, cui illam dabit reverſus ad Altare; & tunc, qui illam comitatus eſt, eam recipiat a Subdiacono, poſtquam illam ipſe receperit a Diacono. Hæc omnia docet de Bralion *ſup. n. 8.* verum Caſtaldus *lib. 1. ſect. 7. c. 11. n. 7.* vult in prædicto caſu pacem accipi immediate a Diacono, & dari per eum Subdiacono, qui portat illam prius ad Chorum, & ultimo dat Capellano aſſiſtenti ad Altare, tum Cæremoniario; cui ſententiæ adſtipulatur Cæremoniale Fratrum Minorum Obſerv. *part. 2. cap. 12.* in quo adnotatur hoc verum eſſe, dummodo Capellanus non aſſiſtat Generali; quia ſi aſſiſtit Generali, tunc ipſemet Aſſiſtens accipit immediate pacem a Celebrante.

Adnotare debemus, quod illa verba: *Sed eo præſente Subdiaconus dabit pacem Diacono, &c.* quæ in textu Gavanti leguntur, & reddunt ſenſum confuſum, non ſunt propria Gavanti verba, quia non reperiuntur in antiquis ejuſdem editionibus: unde ab alio ſunt addita.

Ritus miniſtrandi Euchariſtiam intra Miſſam Solemnem.

LI. Rub. & Gav. lit. c - *Si in Miſſa Solemni fiat Communio, &c.*) Quando in Miſſa Solemni facienda eſt Communio, poſtquam Celebrans ſumpſerit Sanguinem, & antequam in Calice ponatur vinum pro purificatione; cooperit Calicem palla, illumque retrahit aliquantulum verſus cornu Evangelii, ut tamen ſemper ſit ſuper Corporale, & lapidem Sacrum. Bralion *ſupra cap. 8. n. 2.* Diaconus vero ſi ad ſiniſtram pro libro aſſiſtat, tranſit ad dexteram; Subdiaconus autem ſi pacem dederit in Choro, & ſit ad eamdem dexteram, tranſit ad ſiniſtram, facta tamen ab utroque in acceſſu & receſſu genuflexione unico genu Altari. Advertat autem Subdiaconus, dum eſt in via, ut gradum ſuperiorem cedat Diacono. Biſſus *lit. S. §. 24.* ideo in acceſſu ad cornu Evangelii, ſeu ad ſiniſtram tranſeat per planum; Bauldry *part. 2. ſupra art. 10. n. 1.* & Diaconus per ſecundum gradum; qui cum ad dexteram Celebrantis pervenerit, facta ibidem genuflexione, ut ſupra, Pyxidem Particularum, ſi in miſſa ſint conſecratæ, collocat in medio Altaris, ubi prius erat Calix, qua poſita eam diſcooperit, & iterum genuflectit. Bauldry. *ſup.* Bralion *ſup. n. 3.*

LII. Gav. ead. lit. c - *Quod ſi ea extrahenda ſit de Tabernaculo, &c.*) Si vero Pyxis extrahenda ſit de Tabernaculo, tunc Celebrans, ut relinquat locum medium Diacono, recedit cum Subdiacono verſus cornu Evangelii, & ibi ambo utroque genu ſuper ſuppedaneum prope Altare genuflectunt. Biſſus *lit. C. ſup. §. 52.* ſicut etiam alii Miniſtri, qui ſunt circa Altare, genuflectunt, quod & faciunt omnes communicandi. Bauldry *ſup.* de Bralion *ſupra n. 4.* Canonici vero, & Clerus ſi non ſint communicandi,

non

non debent genuflectere, ſed ſtare debent. Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 29. §. 3. Diaconus autem (ablata prius per eum tabella Secretarum, & tradita alicui Acolytho, qui eam deponit ſuper credentiam, vel in alio loco decenti) aperit Tabernaculum, ac mox unico genu genuflectit, & ſtatim ſurgit, ac Pyxidem e Tabernaculo extrahit, quam ponit in medio Altaris ſuper Corporale: deinde illam aperit, cujus operculum ſuper Altare ponit, & poſtea iterum unico genu Sacramentum adorat, & ſurgens recedit a medio: ac mox Celebrans cum Subdiacono ſurgit, & redit ad medium Altaris; Subdiaconus vero ſtat a ſiniſtris illius ſuper ſuppedaneum, & Diaconus deſcendit in planum (ſed advertat ne terga vertat Sacramento) verſus cornu Epiſtolæ; & ibi non genuflexus, ſed ſtans inclinatus verſus Celebrantem aliquantulum tantum; Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 39. §. 1. & Bralion *ſupra* (eo quod forte ad verba, *Et tibi Pater*, *& te Pater*, debeat profunde inclinare) manibus junctis dicit *Confiteor* alta voce, ſeu cantat: Cær. Epiſc. *ſup.* ſi ſit Communio generalis, vel conſuetudo. Biſſ. *ſupra* Bauld. *part*, 3. *ſupra art.* 10, *num.* 3.

LIII. Gavantus eadem lit. e - *Qui dicto Confiteor &c.*) Finita Confeſſione, Celebrans, qui ſtabat facie ad Altare converſa, genuflectit unico genu Sacramento: poſtea converſus non penitus ad Diaconum, ſed paululum ad communicandos verſus cornu Evangelii, ne terga Sacramento vertat; Biſſus *lit. S. ſupra* §. 53. de Bralion *ſup. n.* 6. dicit *Miſereatur veſtri*, *&c. Indulgentiam*, *&c.* eodem modo, quo facienda eſt Communio in Miſſa Privata, &c. ut ſupra expoſuimus, dextera producit ſignum Crucis, cui Diaconus, adhuc inclinatus, reſpondet *Amen*. Biſſ. *ſup. &c.* Verum ſi Diaconus cantet *Confiteor*, tunc Celebrans retrahet ſe a cornu Evangelii, verſa facie ad cornu Epiſtolæ, & Subdiaconus ſtabit poſt ipſum Celebrantem, dum Diaconus cantat *Confiteor*; quo cantato, Celebrans dat voce intelligibili abſolutionem ut ſupra; qua finita, ſtatim mutat locum; Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 9. §. 3. videlicet Celebrans cum Subdiacono vertit ſe cum debitis genuflexionibus ad Altare, & reliqua facit ut ſupra.

Dum dicitur a Diacono, vel cantatur *Confiteor*, duo Acolythi extendunt tobaleam, ſive mappam, quam hinc inde a lateribus quaſi jacentem ſuſtinent, ante Celebrantem genuflexi, ambabus manibus per quatuor angulos, donec peracta ſit Communio Clericorum, & non aliorum: quia laici, ut diximus etiam ſupra, Communionem ad cancellos accipere debent, ſuper quos debet extendi linteum. Bauldry *part.* 3. *ſupra n.* 5.

Si Diaconus, & Subdiaconus Communionem recepturi ſunt, ille facta genuflexione poſt datam abſolutionem, accedit ad partem Epiſtolæ, ubi genuflexus ſuper ſecundum gradum Altaris expectat Communionem; Subdiaconus vero ante Confeſſionem accedit ad partem Evangelii, ubi etiam genuflexus ſupra gradum Altaris, viciniorem ſuperiori in medio expectat. Bauldry *part.* 3. *ſup. n.* 5. de Bralion *ſup. n.* 7.

Poſt hæc Celebrans accepta Pyxide cum genuflexione ſolita, clara, & integra voce profert verba, *Ecce Agnus Dei*, *&c.* & ter, *Domine non ſum dignus*, *&c.* (ad quæ non neceſſe eſt ut aliquis pectus ſuum percutiat) deinde prius præbet Communionem Diacono, tum Subdiacono genuflexis ante, & ſupra dictum linteum. Bauld. *part.* 2. *ſup. n.* 6. & poſt ſumptam Communionem, ſupradicti Sacri Miniſtri deſcendunt gradus Altaris, & faciunt genuflexionem Sacramento, & pergunt ad credentiam, ubi ſe purificant ex Calice ad id præparato, & cum manutergio ibidem poſito os tergunt.

LIV. Gav. ead. lit. c - *Dum alios celebrans Communicat, &c.*) Facta autem ſua purificatione, iterum Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Altare per planum, ubi faciunt genuflexionem Sacramento unico genu; tum aſcendunt gradus Altaris, Diaconus quidem in cornu Epiſtolæ pro miniſtranda purificatione, Biſſ. *lit. M. n.* 150. §. 6. cum aliquo Calice illis, qui communicaverunt, loquendo tamen de Clericis, qui Clerici Calicem nuda manu non debent tangere, ſed mappa cooperta; Bralion *ſup. n.* 12. imo melius purificant ſe ex alio vaſe, in quo ſit vinum aqua mixtum, vel juxta Cæremoniale Epiſcop. ſolum vinum, ſicut etiam docet de Bralion *ſup. n.* 11. Præterea magis decet, ut etiam Clericis hujuſmodi purificatio miniſtretur ab aliquo Acolytho, & etiam poſſunt Clerici purificationem ſibi ſumere in cornu Epiſtolæ ad credentiam; & tunc accepta Communione recedunt per latus Epiſtolæ ad eandem credentiam, ut ibi purificationem accipiant; ſemper autem exeant a Communione per latus Epiſtolæ cum debita genuflexione. Biſſus *lit. D. n.* 123. §. 4. Bauldry *part.* 2. *ſup. n.* 10. Subdiaconus autem ſtet ad dexteram Celebrantis; Biſſ. *lit. M. ſupra*: ſi Diaconus miniſtret purificationem, ut ſupra; ſi vero miniſtretur ab aliquo Acolytho, tunc Diaconus ſtabit ad dexteram Celebrantis manibus junctis, & Subdiaconus ad ſiniſtram, pariter manibus junctis; vel etiam Diaconus Patenam ſub mento communicandorum tenere poterit: experientia enim neceſſitatem hujuſmodi Ritus evidenter probat, præſertim quando magnus eſt numerus communicandorum. Bauldry *part.* 3. *ſupra*. Sed in hoc recepta loci conſuetudo eſt attendenda.

Si vero Diaconus, & Subdiaconus non accipiant Communionem, quia videlicet ſunt Sacerdotes, & Miſſam celebrarunt, vel celebrare volunt, aut alia de cauſa; tunc data abſolutione a celebrante, ſtatim hinc inde aſſiſtunt ad latera ipſius; ubi converſi ad SS. Sacramentum illi profunde ſe inclinant, dum celebrans dicit: *Domine non ſum dignus*. Decet tamen, ut ſemper Dominicis ſaltem, & Feſtis diebus, dicti Miniſtri Sacri communicent, niſi ſint Sacerdotes. Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 31. & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 13. necnon ex Bauldry *part.* 8. *ſupra n.* 12. & ex aliis. Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio: nam cum talis Antiphona cantetur in ſignum gratiarum actionis, & lætitiæ de ſuſcepta Communione, ut tradit etiam Chriſtiani *ſect.* 1. *cap.* 11. *n.* 28. *lit.* i. *de myſticis expoſitionibus*; non debet cantari niſi immediate poſt ſuſceptum a Celebrante Sacratiſſimum Sanguinem. A Portu *ſupra Rubr.* 9. *in adnot. n.* 3. Bralion *ſupra n.* 15. De antiquo Ritu canendi prædictam Antiphonam agit Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 17. & nos quoque mentionem fecimus ſupra, agentes de Communione facienda in Miſſis Defunctorum, *tit.* 10. *n.* 27.

Poſt Sacros Miniſtros, Celebrans præbet Sacram Communionem aliis Clericis (qui accedunt ad Altare cum debitis genuflexionibus) etiam Acolythis, ſibi ipſis linteum tenentibus; Cærem. Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 2. *cap.* 17. ſi alii non ſint, qui illud teneant. Si autem communicandi ſunt Acolythi faces tenentes, ſubſtituant ſibi alios, donec Communionem acceperint, vel Cæremoniarius curet, ut alii ſubſtituantur. Gavantus *ſupra lit. c*, §. *qui vero geſtant intorticia*, & Bauldry *part.* 3. *ſupra n.* 6.

LV. Gavant. ead. lit. c *Sacerdotes cum ſtola de collo pendente communicant.*) Si qui Prælati inferiores Epiſcopo, Sacerdotali tamen charactere inſigniti, ſint communicandi, aut alii etiam Sacerdotes; accedunt poſt Miniſtros Sacros cum habitu tamen Chorali, & ſtola de collo pendente (ita ex Concilio Bracarenſi advertit Gavantus *ſup.* eiſque Diaconus in cornu Epiſtolæ ſtans, præbebit purificationem in aliquo Calice, ſicuti & aliis de Clero præbebit, ut ſupra diximus, purificationem in aliquo Calice, ſi ſint in Sacris. Bauldry *ſupra n.* 7.

Biſſus, & Bauldry locis infra citandis, aſſerunt, quod ſi Prælati inſignes, ſint communicaturi in Miſſa Solemni, communicent ante Miniſtros Sacros; & ſi eſſet Cardinalis S.R.E. ſive Diaconus, ſive Presbyter, vel etiam Epiſcopus conſecratus, qui rationabili de cauſa propter infirmam valetudinem ſit communicandus, hoc modo ad Communionem procedit, videlicet: præcedunt Mazzerius, & Cæremoniarius, ſequitur Cardinalis, vel Epiſcopus, & poſtea Digniores de Choro in ſuo habitu Chorali bini ſimul præcedentes, ultimo ſequitur ex ſua familia dignior, Cardinalis vero, vel Epiſcopus ob reverentiam Sacramenti caudam ſibi teneat. Biſſ. *lit. P. n.* 184. Bauld. *par.* 3. *ſup. n.* 8.

Cum ad Altare pervenerit, adorat Sacramentum genuflexus ſuper pulvino, ante infimum Altaris gradum, tum aſcendit ad Altare (duo Acolythi teneant linteum extenſum; Biſſ. *ſup.* §. 1. vel præfati duo digniores mantile ſuſtinere poterunt ante pectus ejus; Bauld. *ſupra*) & accipit a celebrante communionem, non tamen oſculatur ejus manum, ſed ſolum faciem poſt Communionem, dummodo celebrans etiam ſit Prælatus; nam cæterum nec manum, nec faciem oſculatur. Bauld, & Biſſ. *ſup.* Advertendum tamen occurrit, quod celebrans pro Communione harum perſonarum, non præmittit *Miſereatur veſtri*, *&c.* nec *Abſolutionem*, *&c.* nec *Ecce Agnus Dei*, *&c.* nec *Domine non ſum dignus*, *&c.* (neque Miniſter præmittit Confeſſionem) ſed abſolute has perſonas communicat; & qui Cardinalem, vel Epiſcopum comitati fuerunt, non genuflectunt; nam Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 29. §. 3. vult genuflecti eos ſolum, qui ſunt communicaturi, cæteros vero ſtare; Biſſus *ſupra* §. 2. licet contrarium dicat Bauld. *part.* 3. *ſupra n.* 8. qui ſententiam ſuam ſaniori judicio ſubmittit.

Poſtquam Celebrans Cardinalem, vel Epiſcopum communicaverit, dignior ille, qui Cardinalem, vel Epiſcopum comitatus eſt, ſtans ad ſiniſtram Celebrantis, accipit aliquem Calicem (non illum, quo utitur Celebrans, ut vult Bauld. *par.* 3. *ſup. n.* 9.) a Presbytero aſſiſtente, ſi adſit, vel eo deficiente, a Diacono; & habens in ſiniſtra ampullam cum vino puro, de eo ponit in Calicem (facta prius præguſtatione ab aliquo ex familiaribus Cardinalis in alio vaſe) quem Calicem ſimul cum vino Cardinali offert, qui os ſuum cum illo purificat: mox alius offerat manutergium mundum ad tergendum os. Deinde ſurgit Cardinalis, cui celebrans ſe profunde inclinat, & Card. mediocri inclinatione reſpondet, & ad ſuum locum revertitur eodem ordine, quo venerat Biſſ. *ſup.* §. 3. Bauld. *ſup.* allegans auctoritatem Paridis Craſſi *lib.* 2. *c.* 40. Sed hic Auctor *cit. loc.* non loquitur niſi de Cardinali Legato, de quo ait, quod: *Si ab Epiſcopo Cardinali celebrante communicandus erit, tunc Legatus a duobus dignioribus Canonicis paratis in medio aſſociatur, ſequente ſuo primo Prælato, ibi caudam per terram trahens, ad Altare, ubi ante infimos gradus genuflexus ſuper pulvino adorabit: deinde adſcendit ad Celebrantem ſtantem & ſtans capite inclinato, communicabit medius inter dictos duos Canonicos genuflexos, tenentes aliquod gremiale, ſive mantile ante pectus ipſius Legati: qui non oſculabitur manum Celebrantis ante ſumptionem Hoſtiæ; ſed poſt illam oſculabitur Celebrantem in facie: poſt ſumptionem vero Sacramenti, &c.* Hæc laudatus Paris de Craſſis Scriptor ante compilationem Rubricarum Miſſalis reformati, factam a Sancto Pio V. qui nullum verbum facit de non præmittendis illis precibus, *Miſereatur veſtri*, *Abſolutionem*, *&c.* nec de præmittenda Confeſſione facienda a Miniſtro ante Communionem; quapropter Cæremoniarum Magiſtri bene examinent utrum omnia, quæ tradant Biſſus, & Bauldry in prædicto caſu ſint admittenda, & ad praxim deducenda.

LVI. Gav. ead. lit. c - *Laici vero extra Chorum*, *&c.*) Facta Communione Clericorum, celebrans deſcendit ad cancellos, ubi

late

Digitized by Google

laicos communicat, ante quos Acolythi extendunt linteum, niſi jam ſit appoſitum, ut ſupra; eiſque Clericus aliquis porrigit purificationem, præſertim ubi viget talis conſuetudo. Bauld. *par. 3. ſupra n. 11.*

Ut igitur Communio honeſtius fiat, duplex adhiberi debet mappa ad Altare, una pro Miniſtro, altera pro communicandis: non enim decet, ut manutergium Celebrantis ad Communionem deſerviat, nec prorſus purificatorium, & a fortiori, nec velum Calicis adhibeatur. Bauld. *par. 3. ſup. n. 13.* & Congr. Viſit. Apoſtolicæ, cujus Decreta attulimus ſupra, ubi egimus de Communione miniſtranda intra Miſſam Mortuorum.

Finita omnium Communione, Celebrans, ſi erat ad cancellos, redit ad Altare, tenens digitos, pollicem nempe, & indicem dexteræ manus ſuper Pyxidem, nihil dicens; & dum aſcendit, Miniſtri Sacri elevant hinc inde anteriores illius veſtes; & ibi ad Altare collocat Pyxidem ſuper Corporale in medio, genuflectit Sacramento unico genu, ſurgit, & diligenter advertit ſi aliquod fragmentum digitis adhæreat, quod in Pixidem excutit. Diaconus facta genuflectione unico genu, cooperit Pyxidem in medio Altaris (cui Diacono ideo locum cedit Celebrans, qui interim manet in cornu Evangelii, Subdiacono poſt illum, aliis Miniſtris ſuis in locis genuflectentibus) reponit in Tabernaculo; & antequam illud claudat, iterum genuflectit unico genu Sacramento. Deinde clauſo Tabernaculo, reponit in ſuo loco tabellam Secretarum, quam ei aliquis Acolythus porrigit. Biſſ. *lit. D. n.123. §. 44.* de Bralion *ſup. n. 16.* Bauldry *ſup. n. 14.* Celebrans autem hic, ſicut in Miſſis privatis, uti diximus, non dat Benedictionem, quia eam daturus eſt in fine Miſſæ; Biſſus *lit. C ſup. §. 55.* quæ tamen Benedictio, ut pariter diximus, nullo modo datur in Miſſis Defunctorum.

LVII. Gav. lit. d - *Quod ſi remaneat Sacramentum in Altari, &c.*) Si vero in Altari, in quo celebratur, non ſit Tabernaculum pro SS. Sacramento, & poſt Communionem relictæ ſint reliquæ Particulæ, quæ immediate, commode, & convenienti Ritu non poſſint transferri ad Altare, ubi eſt Tabernaculum, niſi finita Miſſa; tunc obſervanda erunt in reliqua Miſſa tam a Celebrante, quam a Miniſtris ea, quæ dicentur cum de Ritu ſpeciali Miſſæ Feriæ 5. in Cœna Domini, & de Miſſa coram SS. Sacramento expoſito, ſermonem habebimus. Videantur etiam Byſſus *lit. D. n. 123. §. 44.* & Bralion; *ſup. §. 17.*

## De Communione, & Orationibus poſt Communionem dicendis. XI.

### R U B R I C A.

1. *CElebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, (e) liber Miſſalis defertur per Miniſtrum ad cornu Epiſtolæ, & collocatur, ut in Introitu: Ipſe autem Miniſter genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Miſſæ. Deinde* Celebrans *ſtans junctis manibus legit Antiphonam, quæ dicitur Communio; qua lecta, junctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo oſculato, vertit ſe ad Populum a manu ſiniſtra ad dexteram, & dicit, Dominus vobiſcum; & per eamdem viam redit ad librum, & dicit Orationes poſt Communionem eiſdem modo, numero, & ordine, ut ſupra dictæ ſunt Collectæ. Quibus finitis, (f) claudit librum, & jungens manus ante pectus revertitur ad medium Altaris; ubi eo oſculato vertit ſe ad Populum, & dicit ut ſupra, (g) Dominus vobiſcum. Quo dicto ſtans junctis manibus ante pectus verſus Populum, dicit, ſi dicendum eſt, (h) Ite Miſſa eſt; & per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non ſit dicendum, dicto Dominus vobiſcum, revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris; ubi ſtans verſus ad illud, junctis ante pectus manibus dicit, (i) Benedicamus Domino. In Miſſis autem Defunctorum eodem modo ſtans verſus Altare dicit, (l) Requieſcant in pace.*

### *G A V A N T U S.*

(e) ***Liber Miſſalis defertur**, &c.* Ibi finitur Miſſæ, ubi initium eſt cœpta, ait *Amal. lib. 3. c. 36.* aperte *Ivo Carnot. ſerm. de convenien. veteris & novi Sacrif. initio, & in fine ſerm.* Apertius docet hunc Rituum *Durand. lib.4. cap.57.* Reliqua patere poſſunt ex dictis initio Miſſæ *tit. 5. hujus par. n.1.* *Ex Microl. cap. 59.* qui meminit Orationum poſt Communionem.

(f) *Claudit librum.* Manu dextra, ita ut pars libri clauſa Calicem reſpiciat. Porro ejus eſt claudere, cujus & aperire; aperuit autem initio librum Miſſalem idem Sacerdos.

(g) *Dominus vobiſcum.* Bis in fine Miſſæ dicitur *Dominus vobiſcum*, quia cupit Eccleſia, ne diſcendentes ab Eccleſia longe fiant a Deo. *Lopez lib. 2. cap. 19. §. 1.*

(h) *Ite Miſſa eſt.* Dicitur verſus Populum, quia dimittitur. *Ex Microl. cap. 46.*

(i) *Benedicamus Domino.* Dicitur verſus altare, *ex eodem Microl. ibidem*, quia ibi peculiari modo Dominus adeſt.

(l) *Requieſcant in pace.* Dicitur item verſus Altare, quia ſermo eſt de abſentibus.

Quando, & cur dicatur, *Ite Miſſa eſt*, & *Benedicamus Domino*, jam diximus ſupra *tit. 13. §. 5.*

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, a purificatione Celebrantis, uſque ad Benedictionem dandam in fine Miſſæ.

I. Rubr. & Gav. lit. e - *Liber Miſſalis defertur per Miniſtrum ad cornu Epiſtolæ, &c.*) Miniſter Miſſæ Privatæ poſt extinctum cereum congruo extinctorio, genuflectens in medio Capellæ, aſcendit per gradum anteriorem ad cornu Evangelii, unde defert librum clauſum cum cuſſino, ſi cuſſini non ſint replicati, ad cornu Epiſtolæ, iterum genuflectens in medio ſupra gradum ſuppedanei proximiorem, per quem tranſit, & depoſito libro, per lateralem Epiſtolæ partem, deſcendit, & redit per planum, genuflectens adhuc in medio, ad cornu Evangelii. Bauldry *par. 1. cap. 17. n. 42. & 43.* Corſettus *tract. 1. par. 1. cap. 1.* Gerv. in inſtruct. pro Miniſtro Miſſæ Priv. *cap. 10. n. 7.* Collocato libro, ut ad Introitum, ipſum aperit in folio, in quo Celebrans Communionem lecturus eſt. Bauldry *ſup. n. 43.* & Gervaſi *ſupra*: tum Miniſter factis debitis genuflexionibus, ut ſupra, genuflectet ſuper infimum gradum a parte Evangelii, ut initio Miſſæ, ubi apte reſpondet Sacerdoti celebranti. Lohn. Buld. Corſettus, & Gervaſi *ſupra*.

II. Rub. *Deinde Celebrans ſtans junctis manibus, &c.*) Celebrans vero antequam diſcedat a medio, iturus ad cornu Epiſtolæ, Cruci ſeſe inclinat inclinatione minimarum maxima; Angel. *par. 3. tit. 11. n. 1.* Gerv. in inſtruct. Miſſæ Priv. *c.11.* & deinde junctis manibus procedit ad cornu Epiſtolæ, ubi clara ordinaria voce legit Antiphonam, quæ dicitur *Communio*, abſque capitis inclinatione, aut alia reverentia. Lecta autem prædicta Antiphona, Celebrans ſtans ſemper junctis manibus ante pectus, vadit ad medium Altaris; ibique manibus extenſis, & hinc inde ſuper Altare poſitis uſque ad pulſus excluſive, oſculatur illud in medio; & eo oſculato, jungit denuo manus ante pectus, vertit ſe a ſiniſtro latere Altaris, quod eſt dexterum Sacerdotis, & poſtquam ſe vertit, conſiſtit in medio, & circuli, & Altaris; & extendens, ac jungens ante pectus manus, non inclinando caput, aut manus Populo, nec innitendo Altari, quod relinquit a tergo, dicit, ut alibi explicatum eſt, *Dominus vobiſcum*; tum junctis iterum manibus ante pectus, per eamdem viam redit ad librum naturaliter ambulando, ideoque ſiniſtrum latus ad Altare convertendo. A Portu *par. 1. de Miſſa Priv. tit. 11. Rub. 1. in adnot. n. 7.* & dicit Orationes poſt Communionem eodem modo, numero, & ordine, quo ſupra dictæ fuerunt Collectæ, præmittendo ſolitam particulam *Oremus*, cum debita Cruci inclinatione minimarum maxima. Lohner *par. 6. & par. 3. n. 159.* Angel. *par. 3. ſupra*, Gervaſi *ſupra §. Ricongiunte*; voce clara, & ordinaria.

III. Rubr. & Gav. lit. f. *Claudit librum manu dextera, &c.*) Quibus Orationibus finitis, Celebrans per ſe claudit librum manu dextera, cum illius ſit claudere, cujus fuit adaperire: Gav. *ſupra*, & omnes alii Rubriciſtæ cum ipſo: ita vero claudit dictum librum, ut pars foliorum medium Altaris reſpiciat, & per conſequens partem Evangelii, non autem Epiſtolæ; Lohner, Gerv, & Angel. *ſupra*, *& par. 2. n. 123.* & quidem poſt concluſionem Orationis omnino completam (ſi unica tantum dicenda ſit) aut poſt concluſionem ultimæ Orationis, ſi plures dicendæ ſint: Cavald. *lib. 2. ſect. 8. n. 2.* Tonell. Gerv. *ſupra*, & alii communiter, hinc errant illi, qui properantes, librum claudunt indecore ante finem Orationis, aut etiam ante finem concluſionis, eamque memoriter recitando abſolvunt in via, quaſi ex impatientia finis, dum pergant ad medium Altaris. Quarti *part. 2. tit. 11. Rubr. 1. n. 3.* Lohner *par. 2. tit. 28. n. 6.* Vinitor *part. 2. tit. 11. §. 1.* a Portu *ſup. n. 9.*

Porro liber relinquatur clauſus ſuper cuſſinum tranſverſo modo, non recto, ut initio Miſſæ, Angel. *part. 2. ſupra*; quod placet ſi diutius liber relinquendus ſit ſuper cuſſinum, v. g. quia ſuccedere debeat Communio in fine Miſſæ; tunc enim vel ipſe Sacerdos, vel Miniſter (quod magis probatur, ne Celebrans diutius immorari debeat circa librum) ſic Miſſale tranſvertat; aliter poſſet permitti prout jacet, nimirum apertus, ſi aliud Evangelium ſit legendum ab Evangelio conſueto Sancti Joannis. Tonellius *lib. 2. tit. 11. Rubr. 1. n. 1.* Bauldry *ſupra*.

Caveat Sacerdos ne recedat a cornu Epiſtolæ, antequam finierit concluſionem, & Miniſter reſponderit *Amen*: Quarti, Tonellius, Bauldry *ſupra*; pergat autem ad medium Altaris junctis manibus ante pectus, convertendo latus dexterum ad Altare, ut ambulet naturaliter, ubi illud deoſculatur deponendo manus hinc inde ſuper ipſum: & deinde vertit ſe, ut alibi dictum eſt; & aperiendo, conjungendoque manus, ut alibi, voce clara ordinaria dicit; *Dominus vobiſcum*.

IV. Rubr. & Gav. lit. h - *Ite Miſſa eſt.*) Dicto, *Dominus vobiſcum*, ſtans junctis manibus ante pectus verſus Populum erectus, clara, & ordinaria voce, dicit, *Ite Miſſa eſt*, abſque ulla capitis inclinatione. Moncius §. 165. Angel. *par. 3. ſupra*, Polac. *part. 1. §. 23.* In die Paſchatis, & per totam Octavam, adduntur duo *Alleluja*, quæ replicari debent a Miniſtro, ſtatim ac reſpondit *Deo gratias*; tum Sacerdos per eamdem viam, eadem corporis compoſitione, & manuum conjunctione revertitur ad Altare.

Per prædicta verba, *Ite Miſſa eſt*, quibus completur Miſſa, fiebat a Sacerdote dimiſſio Populi, ut diximus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad Gav. Commentaria in *tit. 13. Rub. 3. par. 1. n. 1. & ſeqq.* Verum juxta recentiores Ritus terminatur

tur Miſſa per prædicta verba, *Ita Miſſa eſt*, quotieſcumque in illa dicitur Hymnus Angelicus, ut adnotat ibidem Gav. *lit.* m. e contra vero quotieſcumque non dicitur talis Hymnus, completur Miſſa per *Benedicamus Domino*, ut etiam nos ibidem cum eodem Gavanto adnotavimus.

V. Gav. lit. i - *Dicitur verſus Altare*.) Quando autem terminatur Miſſa per dicta verba *Benedicamus Domino*, ea proferuntur a Sacerdote, non ad Populum, ſed ad Altare converſo; ut notant Rubr. & Gavant. *ſupra*. Prædicta vero verba ſumpta ſunt, vel ex Apoſtolo, vel ex Pſalmiſta, vel ex Hymno trium Puerorum, ubi dicitur: *Benedicamus Patrem, & Filium, &c.* & dicuntur verſus Altare; quia ibi peculiari modo Dominus adeſt; ut ex Micrologo notat Gavantus *ſupra*. Cæterum quamvis per illa verba *Ite Miſſa eſt*, dimittatur Populus; tamen iſte non diſcedit, neque diſcedere debet, niſi prius a Celebrante Benedictionem ſuſcipiat. Ita ſtatuitur *in cap. Convenit de Conſecr. diſt.* 5.

VI. Rubr. & Gav. lit. l *Requieſcant in pace*.) Tertio modo completur Miſſa, dicendo, *Requieſcant in pace*; & hoc contingit in Miſſis Defunctorum: quæ verba pariter dicuntur verſus Altare, quia ſermo eſt de abſentibus, ut notat Gavantus *ſupra*, & dicit Celebrans, *Requieſcant in pace*, ſemper in numero plurali, licet pro uno celebretur Miſſa; ut nimirum liberentur a pœna, & ut in æterna requie conquieſcant Defunctorum Animæ, quæ in Purgatorio torquentur. Hujus Ritus mentionem facit Durand. *lib.* 4. *c.* 47. & ante ipſum Stephanus Eduenſis de Sacramento Altaris *c.* 18. & ut finis hujus officii reſpondeat principio, in quo pro Defunctis æterna poſtulatur requies: & quia Miſſa pro illis ſingulariter applicatur; idcirco in ejus principio, medio, & in fine, requies in pace æterna deſideratur, & poſtulatur, dum dicitur *Requieſcant in pace*, & reſpondetur *Amen*, id eſt, fiat quod poſtulatur.

R U B R I C A.

2 *In Quadrageſima autem a Feria quarta Cinerum uſque ad Feriam quartam majoris hebdomadæ, in feriali Officio, poſtquam Celebrans dixit Orationes poſt Communionem cum ſuis ſolitis concluſionibus, antequam dicat, Dominus vobiſcum, ſtans in eodem loco ante librum, dicit: Oremus:* (m) *Humiliate capita veſtra Deo: caput inclinat; & extenſis manibus ſubjungit eadem voce* (n) *Orationem ſuper Populum ibidem poſitam: qua finita oſculatur Altare; & vertens ſe ad Populum dicit, Dominus vobiſcum, & alia ut ſupra.*

G A V A N T U S.

(m) *Humiliate capita veſtra Deo*. Indicat *Amal. lib.* 3. *cap.* 37. hæc dici hoc loco.

(n) *Orationem ſuper Populum*. Appellat *Amalar. ibid.* quaſi alteram Benedictionem, & idem habet *Microl. cap.* 51. diſtribuebatur enim panis benedictus in fine Miſſæ: & quia hoc loco non licebat in Quadrageſima ob jejunium, pro pane dicta eſt alia Oratio ſuper Populum. Ita *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 61.

Habentur autem *in Sacrament. Gregor.* hæ Orationes cum titulo, *Super Populum*.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ ſervando in Oratione ſupra Populum, quæ dicitur a Feria IV. Cinerum, uſque ad Feriam IV. majoris hebdomadæ.

VII. Rubr. & Gav. lit. m - *Humiliate capita veſtra Deo*.) Terminata concluſione Orationum, quæ dicuntur a Celebrante poſt Communionem, antequam dicat *Dominus vobiſcum* in Quadrageſima a Feria IV. Cinerum, uſque ad Feriam IV. majoris hebdomadæ incluſive in Miſſa Feriali, non vero in Miſſa de Feſto, ſeu Votiva, additur alia Oratio *Super Populum* hoc modo. Sacerdos ſtans adhuc in eodem loco, ante librum in cornu Epiſtolæ, dicit, extendens, ac jungens manus voce clara ordinaria (inclinante ſe Miniſtro genuflexo, quam inclinationem incipiat ſtatim ac Celebrans dicere incipit, *Humiliate capita veſtra Deo*, Vinitor *part.* 2. *tit.* 16. *n.* 40. Lohner *part.* 3. *tit.* 9. *n.* 12.) *Oremus: Humiliate capita veſtra Deo*, caput eodem tempore ſemel tantum verſus Crucem inclinans inclinatione minimarum minima. A Portu *ſup. tit.* 11. *Rubr.* 2. *in adnot. n.* 2. Biſſus *lit. S n.* 20. §. 75. Poſtea extenſis manibus ante pectus, ſicut ad Orationem, ſtans erectus verſus Altare ibidem in cornu Epiſtolæ, ſubjungit eadem voce Orationem *Super Populum*; qua finita cum ſua concluſione, claudit librum: mox jungens manus ante pectus, redit ad medium Altaris; ubi eo in medio oſculato, vertit ſe ad Populum, & dicit, ut ſupra, *Dominus vobiſcum*, & cætera proſequitur de more, ut dictum eſt *ſupra* §. 75.

Gavantus *ſup. lit.* n aſſignat rationem, ob quam in Quadrageſima dicebatur iſta Oratio ſupra Populum; & inhærens ſententiæ Honorii in Gemma Animæ *lib.* 1. *cap.* 6. adſtruit, quod ſub finem Miſſæ diſtribuebantur Eulogiæ, de quibus ſupra mentionem fecimus: & quia hic panis benedictus non licebat in Quadrageſima diſpenſari ob jejunium; loco Eulogiarum dicta eſt alia Oratio ſuper Populum. En verba Honorii: *Statutum eſt, ut panis poſt Miſſam benediceretur, & Populo pro Benedictione Communionis partiretur; ſed quia hoc in Quadrageſima fieri non licuit*, propter jejunium, *Orationem ſuper Populum dici Eccleſia inſtituit, ut per hanc particeps Communionis fit*: de hoc enim, ut ſubnectit Cardinalis Bona afferens hanc auctoritatem *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 2. Fideles ſemper ſoliciti fuerunt, ut ſecum invicem unionem, & communicationem ſervarent, vel Eulogiæ, ſeu Antidori, quod loco doni dabatur perceptione; vel ſaltem mutuo Orationum conſortio: hæc Cardinalis Bona. Ex quo autem Dominicis diebus non ſervabatur jejunium, Eulogiæ profecto diſpenſabantur; & idcirco diebus Dominicis non dicebatur Oratio ſuper Populum loco Eulogiarum. Aliam rationem, ob quam dicebatur hæc Oratio diebus ſolemnis jejunii, aſſignat Micrologus *cap.* 51. cujus verba nos ſupra adduximus *n.* 28. agentes de Communione miniſtranda intra Miſſam Mortuorum.

In veteribus autem Sacramentariis Gregorianis, & in nonnullis MSS. in pleriſque Miſſis, etiam extra Quadrageſimam leguntur hujuſmodi Orationes ſuper Populum, quas ex veteri Anglicano Miſſali ſuæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ *tom.* 3. *p.* 2. inſeruit Cornelius Scultingius.

R U B R I C A.

3 *In Miſſa Solemni* (o) *Diaconus defert librum Miſſalis ad cornu Epiſtolæ, deinde vadit retro poſt Celebrantem:* (p) *Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii, ubi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena, & palla cooperit, plicat Corporale, reponit in burſam, & illam ponit ſuper calicem coopertum velo, quem collocat in Altari,* (q) *vel ſuper credentia, ut prius: poſtea redit ad locum ſuum retro poſt Diaconum, qui cum dicit, Ite Miſſa eſt, cum Celebrante* (r) *vertit ſe ad Populum; & in Quadrageſima dicto per Celebrantem, Oremus, Diaconus in cornu Epiſtolæ vertens ſe ad Populum, junctis manibus* (ſ) *dicit, ut ſupra, Humiliate, &c. quo dicto, vertit ſe verſus Altare a tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem ſuper Populum.*

G A V A N T U S.

(o) *Diaconus defert librum*. Cura libri Miſſalis ſpectat magis ad Diaconum, quam ad Subdiaconum, qui ejuſdem tantum curam habet in ordine ad Evangelium initio, ſeu in fine Miſſæ legendum ſive a Celebrante, ſive a Diacono; Subminiſter enim eſt Evangelii ad ſuſtinendum librum: inde fit, ut Diaconus ſolus libro aſſiſtat in reliquis, nunquam Subdiaconus.

Defert autem cum genuflexione, quando tranſit ante medium Altaris, & clauſum portat; quem deinde aperit, ubi legenda eſt *Communio*.

(p) *Subdiaconus vero vadit, &c.* Cum debita genuflexione in medio Altaris, advertens, ut cedat ſuperiorem gradum Diacono tranſeunti: cætera facit, ut in Rubrica.

(q) *Vel ſuper credentia, ut prius*. Amoveri vult tum Corporale, tum Calicem de Altari *Durandus cap.* 54. & magis placet, *ex tit.* 7. *ſupra num.* 9. imo vero etiam magis decet: neque traditur Calix Cæremoniario, a quo neque comitatur in hoc caſu Subdiaconus; qui tamen vadit, & redit per breviorem viam ut adſit ad Orationem poſt Diaconum in loco ſuo.

Celebrans dictis Orationibus non claudit librum, ſicut a principio non aperuit; & qui apertum invenit, apertum relinquat quæ fiunt per Miniſtros ad majorem ſolemniter Celebrantis dignitatem.

(r) *Vertit ſe ad Populum*. Ob rationem allatam ſupra *n.* 1. ſed antequam ſe vertat Diaconus, genuflectat verſus Altare: & poſtquam dixerit, redeat eodem modo, quo Celebrans, & una ſimul cum eo: neque Celebrans dicere debet ſubmiſſa voce, *Ite Miſſa eſt*, quod quidam docuere.

(ſ) *Dicit, ut ſupra, Humiliate &c.*) Eodem quidem modo, quo dicere ſolet, & debet, *Ite Miſſa eſt*, quia Populum alloquitur; ſed in cornu Epiſtolæ, & ſine genuflexione.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, ſervando a digitorum Celebrantis ablutione, uſque ad ultimam Orationem.

VIII. Rubr. & Gav. lit. o - *Diaconus defert librum, &c.*) Dum Celebrans ſumit ablutionem digitorum, & antequam ea ſumpta pergat ad cornu Epiſtolæ, ut facere ſolet in Miſſa Privata, ut ibi legat Antiphonam, quæ dicitur *Communio*; Diaconus, qui adhuc eſt in cornu Evangelii, accipit ambabus manibus Miſſale clauſum, ſuper cuſſinum poſitum (nam illius eſt habere curam Miſſalis: Biſſ. *lit. M. n.* 270.) illudque defert ad cornu Epiſtolæ; ambulans per ſecundum gradum, in medio genuflectit unico genu Altari; Miſſale vero ponit in cornu Epiſtolæ apertum in folio, in quo Celebrans præfatam Antiphonam legere debet, & quam idem Diaconus Celebranti indicat digito; & ibi in cornu Epiſtolæ, præfatus Diaconus manet aſſiſtens Celebranti, quouſque eam legerit; Biſſ. *lit. D. n.* 123. §. 45. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 5. *n.* 24. & *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 1. *n.* 24. juxta quem aſſiſtit pariter Cæremoniarius, qui tamen non debet præoſtendere Celebranti Communionem: quia Cæremoniarius ſupplet vices Diaconi, quando alibi detentus non poteſt aſſiſtere libro, cum ſolus Diaconus in reliquis aſſiſtat libro. Ex Gavant. *ſup. lit.* o.

Lecta Communione a Celebrante, Diaconus vadit retro poſt celebrantem ipſum in cornu Epiſtolæ ſupra ſecundum gradum, & ſtatim procedit cum eodem per eumdem ſecundum gradum ad medium Altaris ſemper poſt ipſum, ubi ſtat verſus Altare, dum celebrans verſus Populum dicit *Dominus vobiſcum*: tum redit per eumdem ſecundum gradum ad cornu Epiſtolæ, ubi poſt Celebran-

Digitized by Google

brantem ſtat manibus junctis uſque ad finem Orationis, vel Orationum, ſi plures ſint dicendæ. Biſſ. *lit. D ſup.* Benv. *ſup.* §. *Diaconus*. Dum Celebrans cantaturus Orationem vel Orationes, revertitur ad cornu Epiſtolæ, juxta aliquos; primus Cæremoniarius accedit propius ad librum, ibique Celebranti Orationem, vel Orationes oſtendit, & finita ultima concluſione claudit librum. Bauldry *par. 1. art. 1. n. 38. & part. 3. ſup. n. 3.* Lohner *part. 2. tit. 28. de Ritu ſolemni n. 2.* Verum prædicta omnia debet præſtare Diaconus; ut docet Caſtald. tum in Praxi Cærem. *lib. 1. ſect. 7. n. 24.* tum in Cæremo. noſtræ Cong. *lib. 1. cap. 29. n. 20.* necnon Cærem. Monaſt. *lib. 2. cap. 4. §. 1. n. 35.* Biſſus, & nos paulo ante cum Gavanto; qui Diaconus poſt ultimam concluſionem claudere poterit librum ad majorem Sacerdotis dignitatem: ſicut enim in principio illum non aperuit, ita nec in fine claudere debet: Gavantus *ſupr. lit.* q §. *Celebrans*; qui tamen liber claudi non deberet, ſi aliud Evangelium ab illo conſueto S. Joannis legendum eſſet.

IX. Rubr. & Gav. lit. p -- *Subdiaconus vero vadit, &c.*) Subdiaconus poſtquam reddidit ampullas Acolytho, accedit ad cornu Evangelii per planum, (aut infimum gradum ſi ſint plures; Lohn. *part. 3. tit. 3. n. 4.* a Portu *ſupra*) cedens ſuperiorem gradum Diacono pariter cum libro tranſeunti, genuflectit in medio Altaris retro poſt Diaconum eodem tempore, quo hic genuflectit. Gav. *ſupra*. Corſettus *tr. 1. part. 1. cap. 3. n. 19.* Biſſus *lit. S n. 19.* §. 25. & cum pervenerit ad dictum cornu Evangelii, extergit Calicem purificatorio, (non enim debet Celebrans poſt ſumptam ablutionem hoc præſtare, ſicut nec Calicem veſtire) poſtea idem purificatorium ſuper Calicem ponit, & deſuper Patenam, quam cooperit parva palla; deinde velo parvo Calicem tegit, ſuper quem ponit burſam, quæ habeat intus Corporale, & ſuper burſam revolvit velum a parte anteriori. Biſſ. *lit. S ſupra*, Benven. *ſupra* §. *Diaconus pag. mihi 63.* & ideo revolvit velum in hoc caſu a parte anteriori ſupra burſam, quia Calix ſtatim deferendus eſt ad credentiam, ut infra dicemus.

Advertendum, quod cum Celebrans ſumit ablutionem, aliquis Acolythus deferre debet ad Altare ſupradictum velum Calicis; illudque Subdiacono porriget ad tegendum Calicem, ut ſupra. Deferat autem prædictus Acolythus hoc velum plicatum per planum Presbyterii, genuflectens unico genu in medio; Biſſ. *lit. V n. 13.* §. 5. Benven. *ſup.* §. *Infuſo vino*, & per gradus laterales Evangelii aſcendat ad corpus ejuſdem. Bauld. *part. 3. c. 14. art. 3. n. 26.* Tum Ceroferarii cereos accenſos in majoribus candelabris extinguunt, ſi fuerint accenſi ante Conſecrationem, præmiſſis in medio genuflexionibus Altari, cavendo ne eidem terga vertant. Bauldry *part. 1. cap. 14.* In defectu vero Ceroferariorum, ſi nondum advenerint e Sacriſtia, alii Clerici ſupplebunt prædictas vices. Bauld. *ſup.*

X. Rubr. & Gav. lit. q -- *Vel ſupra credentia, &c.*) Calix inſtructus ut ſupra omnino ab Altari removeatur, & ad credentiam deferatur; Gavant. *ſupra*, & a Portu *ſup. n. 6.* unde ipſe Subdiaconus, non vero Cæremoniarius debet illum deferre ad credentiam per viam breviorem, adeoque per gradus anteriores Altaris, facta tamen in medio ſuper infimum gradum genuflexione Altari unico genu. Gavantus *ſupra*, & Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. c. 8.* §. 78. Pergit autem Subdiaconus tunc ſolus ſine comite. Gavantus *ſupra*, Biſſus *lit. S* & Bauldry *part. 1. cap. 1. art. 1. n. 39.* tenens dictum Calicem ſiniſtra per nodum, & dextera poſita ſuper burſam, ne aliquid decidat; & ſtatim ac ſuper credentia illum repoſuerit, partem veli anteriorem, quæ erat revoluta ſuper burſam explicans, ea cooperit anteriorem Calicis partem, ita ut non tegat credentiam, ſed cadat apte ſuper illam. Bauldry, Benv. *ſup.* & Biſſus.

Advertendum occurrit, quod quamvis ſuperior Rubrica dicat Calicem a Subdiacono aptatum, collocandum eſſe vel ſuper Altare, vel ſuper credentiam; uſus tamen obtinuit, quod ad credentiam deferatur, ut mox diximus: & revera magis decet, ut notat Gavantus *ſupra* nec non Biſſus *lit. S ſupra* §. 27.

Subdiaconus explicato velo ante Calicem, ſine genuflexione vadit ad cornu Epiſtolæ in plano per viam breviorem, ut adſit ad Orationem, vel Orationes, ſi plures dicendæ: Cæremoniale Epiſc. *lib. 1. cap. 10.* §. 6. Gavantus, & Arnaudus; ibique Miniſtri Sacri poſt Celebrantem ſtant in directum manibus junctis, ſeſe inclinantes cum Celebrante.

XI. Gav. ead. lit. q -- *Celebrans dictis Orationibus, &c.*) Cantatis omnibus Orationibus cum ſuis concluſionibus, Celebrans relicto Miſſali aperto, quod claudere debet Diaconus, ut dictum eſt ſupra, redit ad medium Altaris modo conſueto, eumque ſequuntur Miniſtri, & de more dicit, *Dominus vobiſcum*, reſpondente Choro, *Et cum ſpiritu tuo*.

XII. Rub. & Gav. lit. t -- *Vertit ſe ad Populum, &c.*) Tunc Diaconus facta genuflexione verſus Altare unico genu in loco in quo eſt; Gav. *ſup. n. 4.* Benvenuti *ſupra*, Corſetus *tract. 1. part. 1. cap. 4. n. 18.* a ſuo latere ſiniſtro ad dexterum convertit ad Populum faciem; Caſtaldus *lib. 1. ſect. 7. cap. 5. n. 25.* renes autem ad Celebrantem, vel aliter, juxta diſpoſitionem Altaris; & regulariter ſtans prout Celebrans: Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 9.* §. 7. & *lib. 2. cap. 8.* §. 79. (non ſe retrahens ad cornu Evangelii, quod ſolum præcipitur eſſe faciendum, dum eſt Sacramentum ſupra Altare extra Tabernaculum; Biſſus *lit. D n. 123.* §. 47.) cantat tono competenti manibus junctis, *Ite Miſſa eſt*; Caſtaldus *ſup.* Bauldry *part. 1. cap. 12. ſupra num. 44.* quo ſubmiſſa voce dicere non debet Celebrans. Gavantus *ſupra*, Benvenuti *ſupra*, Bauldry *part. 1. & 3. ſupra*, & Bralion *ſup. cap. 10. n. 2.* Præfatus vero Celebrans dum Diaconus cantat *Ite Miſſa eſt*, ſtat adhuc verſus Populum; & Subdiaconus non ſe movet, ſed ſtat in ſuo loco in plano verſus Altare. Biſſus *ſupr.* Dicto *Ite Miſſa eſt*, Celebrans, & Diaconus vertunt ſe ad Altare, ibique Celebrans dicit de more: *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 8.* §. 79. Gavantus, & Biſſus *ſupra*. Si vero non dicatur *Ite Miſſa eſt*, ſed vel *Benedicamus Domino*, vel *Requieſcant in pace* in Miſſa Defunctorum; tunc Diaconus dum hæc dicit, non vertit ſe ad Populum, ſed ſtat verſus Altare (ſicuti ſtare debet Celebrans) manibus junctis, & cantat *Benedicamus Domino*, & in utroque caſu Chorus reſpondet *Deo gratias*; & ad *Requieſcant in pace*, idem Chorus reſpondet *Amen*.

XIII. Rubr. & Gav. lit. ſ -- *Dicit ut ſupra; Humiliate, &c.*) In Quadrageſima, ut diximus, ſcilicet a Feria 4. Cinerum, uſque ad Feriam 4. majoris hebdomadæ incluſive, in Miſſa tantum de Feria, additur altera Collecta ſuper Populum; cui præmittit, ſtans in cornu Epiſtolæ de more Celebrans, alta voce cantando, *Oremus*: quo dicto Diaconus adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem, vertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, id eſt verſus cornu Epiſtolæ, nulla facta prius genuflexione, quia non eſt in medio Altaris; & ibidem manent, Biſſ. *ſupra*, & Gavantus *ſupra*, ad Populum converſus cantat manibus junctis, & demiſſis oculis. *Humiliate capita veſtra Deo*: quo dicto, per eamdem viam vertit ſe ad Altare, & ibi ſtat a tergo Celebrantis inclinatus ad Orationem, (quam dicit cantando Celebrans) manibus junctis ante pectus; Biſſus *lit. D n. 123.* §. 46. & alii; ad quam Orationem etiam Subdiaconus caput inclinare debet, ſtando pariter manibus junctis. Miniſtri vero inferiores, & Chorum ad ſupradictam Orationem manent adhuc genuflexi, etiam manibus junctis, & capite inclinato. Bauldry *par. 3. ſup. n. 4.* & Biſſus *lit. C ſupra* §. 60.

Obſervandum eſt hic, quod ſicut Celebrans non debet dicere ſubmiſſa voce, *Ite Miſſa eſt*, ut ſupra adnotavimus, cum adeſt Diaconus, qui ea verba cantando profert; ita nec dicere debet idem Sacerdos ſubmiſſa voce: *Humiliate capita veſtra Deo*: alia vero eſt ratio de *Benedicamus Domino*, aut *Requieſcant in pace* (quæ Diaconus dicit verſus Altare) nam in illo Celebrans non ſolum alios, ſed etiam ſe ipſos hortatur ad benedicendum Domino; in hoc vero pro Mortuis orat, ideoque utrumque etiam dicit ſubmiſſa voce. Nicolaus de Bralion *ſup. cap. 10. n. 2.*

## De Benedictione in fine Miſſæ, & Evangelio S. Joannis. XII.

### RUBRICA.

1 *Dicto, Ite Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, ut ſupra, Celebrans ante medium Altaris ſtans junctis manibus ſupra eo, & capite inclinato, dicit ſecreto,* (t) *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c. quo dicto, extenſis manibus hinc inde ſuper Altare poſitis, ipſum in medio* (u) *oſculatur: ſum erigens ſe, adhuc ſtans verſus illud, elevat ad Cælum oculos, & manus, quas extendit, & jungit; caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili,* (x) *Benedicat vos omnipotens Deus, & junctis manibus, ac demiſſis ad terram oculis, vertens ſe ad Populum a ſiniſtro latere ad dextrum, extenſa manu dextra, junctiſque digitis, & manu ſiniſtra infra pectus poſita,* (y) *ſemel benedicit Populo dicens: Pater, ✠ & Filius, ✠ & Spiritus Sanctus: ℟. Amen: &* (z) *circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto, Dominus vobiſcum, ℟. Et cum ſpiritu tuo: pollice dextro ſignans primum ſigno Crucis Altare, ſeu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os, & pectus, dicit, Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem, vel, Sequentia Sancti Evangelii, ut dictum eſt in Rubricis generalibus; & ℟. Gloria ſibi Domine, junctis manibus legit Evangelium, In principio, vel aliud ut convenit. Cum dicit,* (a) *Et verbum caro factum eſt, genuflectit verſus cornu Evangelii, & ſurgens, proſequitur ut prius; quo finito, Miniſter ſtans a parte Epiſtolæ reſpondet, Deo gratias.*

### GAVANTUS.

(t) *Placeat tibi Sancta Trinitas*. Hanc Orationem habet *Microlog. cap. 22.* ſed poſt datam Benedictionem Populo; qui Ritus *a Durand. c. 59.* tamquam adhuc uſitatus commendatur: ſed nova Oratione decet prius petere a Deo efficaciam proximæ futuræ Benedictionis, quod nos facimus.

(u) *Oſculatur*. Habet *Microlog. cap. 22.* oſculum Altaris, ſed ante, *Placeat*; *Durand. c. 50.* finito, *Placeat*: Miſſa enim incipit ab oſculo Altaris, & finire debet cum eodem oſculo.

Decies igitur in Miſſa Sacerdos oſculatur Altare, ſi pacem dat aſtantibus; alioquin novies: quis non videat in hoc numero Myſterium?

Item jungit manus ſuper Altare ſepties, ut bene numeranti patet; & elevat oculos in Cœlum novies, incluſa Benedictione ad Populum, de qua mox dicemus.

(x) *Benedicat vos omnipotens Deus, &c.* Indicat *Liturgia*

*citata Sancti Petri* hanc Benedictionem; de eadem *Amalar. c. 36.* videtur loqui; ſed vere de Oratione poſt Communionem loquitur ille, quam collocat ante verſum, *Ite Miſſa eſt*, & ſequenti capite vocat ulteriorem ultimam Benedictionem eam Orationem, quæ in Quadrageſima dicitur ſuper Populum humiliatum Deo. *Microl. autem cap. 22.* aperte de hac Benedictione Populi enarrat, *citato S. Hieronymo ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum*, qui de Romana conſuetudine reſtatur, quod Sacerdos benedicat Populo: vide *cit. Can. hac de re ſup. 1. part. tit. 13. n. 2.* docet *Innoc. III. lib. 6. c. 14.* per verbum oris, & ſignum Crucis hanc fieri tum in nomine Trinitatis: tradit *Iſidor. lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 17.* originem habere a Moyſe *Numer. 6. Sic benedices Populum meum, & benedicam illos: Benedicat te Domine, &c.* ubi trina eſt a Trinitate periodus Benedictionis: elevatio denique manuum ad benedicendum habetur *Eccl. 50. ex Janſenio ibidem*, & a Chriſto aſcendente. *Luc. ult.*

(y) *Semel*. Unicum producitur ſignum Crucis, ſemelque benedicitur, ad differentiam Epiſcopi, qui ter benedicit. Quod ſi ante ſe, & a tergo circumſtantes habear, puta, Clerum in Choro, ſeu Moniales, & Populum ante Altare; nihilominus tamen ſemel tantum benedicere debet, manu converſa ad eos, qui ſunt ante Altare, intentione directa ad omnes; idemque fiat, infra, quando Prælatus eſt in medio Capellæ, ut tantum aſtantes a latere Evangelii actu benedicat.

Sacerdos igitur, qui invitavit Populum ad benedicendum Deo, iis verbis, *Benedicamus Domino*: vel certe provocavit aſtantes ad agendas Deo gratias (quæ verba ſemper dicuntur nomine Populi) optat, & precatur a Deo eidem Populo benedici. Communis autem laicorum uſus eſt, ut ad hanc Benedictionem manu ſibi pingant Crucem a fronte ad pectus: quod laudatur a *Durand. lib. 5. cap. 2.* & placet (quidquid alii dicant) ut initio, & in fine Miſſæ eluceat ſignum Crucis, quod in omni negotio eſt opportunum. *Ex Cyrillo Hieroſol. Catech. 4.*

(z) *Circulum perficiens*. Eo namque modo, breviori via tranſit ad aliud cornu, in quo legitur ultimum Evangelium; quod legitur in iiſdem Ritibus, quibus primum Evangelium poſt Epiſtolam, oſculo excepto in fine: tum vero etiam omnes circumſtantes integre benedicit hoc circulo.

(a) *Et Verbum caro factum eſt, genuflectit*. Tum, ut adoret incarnationis Myſterium, tum, ut exemplo filii Dei humiliet ſemetipſum. *Vide ſupra tit. 13.*

Si libro non utatur Sacerdos, neque folio, in quo ſcriptum ſit Evangelium S. Joannis, ſignet Altare; quod uſitatum fuiſſe apud eos, qui hoc Evangelium in fine Miſſæ volebant legere, ſcribit *Durand. lib. 4. cap. 24.* quod ſi utatur libro, aut folio, ſignet in eo initium Evangelii: & eo caſu (præſertim, ſi Evangelii eſt aliud a communi) Miniſter deferat librum cum cuſſino ad cornu Evangelii, dum Celebrans dicit *Placeat*, eo plane modo, quo dictum eſt de primo Evangelio. Dicitur in fine, *Deo gratias*, ut actione gratiarum tamquam ſigillo Liturgia ſit obſignata, & ad differentiam primi Evangelii, quod prædicationem Chriſti ſignificat; ultimo autem Apoſtolorum prædicationem. *Ex Ruiz in ſuo Cærem.*

Non oſculatur Sacerdos Evangelium, ſicuti nec ante petit Benedictionem, nec aliam Solemnitatem adhibet: unde etiam in Miſſa Solemni ſecreto legitur: quod adnotavit *Petrus Lopez de Rit. Miſſæ*, & recte; ſi uſus eſt libro, eum claudit manu dextra, ita ut pars aperta libri reſpiciat cornu Evangelii, non Calicem. Nullum autem eſt Myſterium in libro clauſo, ſed attenditur tantum decentior geſtus claudentis dextræ tam in hoc loco, quam in ſuperiori, ante Benedictionem.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Miſſæ Privatæ, a Benedictione danda, uſque ad Miſſæ finem.

I. Rubr. & Gav. lit. t -- *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.*) Dicto *Ite Miſſa eſt*, Celebrans per eamdem viam revertitur ad Altare in medio: ſi vero dixerit *Benedicamus Domino*, cum jam ſit ad Altare reverſus, ibi junctis manibus ſuper eo manens, & capite inclinato, & humeris mediocriter pariter inclinatis, ita tamen, ut ſupradicta capitis inclinatio ſit inter minimas maxima (ſic corporis habitudo conciliabitur cum Rubricæ verbis, quæ de ſola capitis inclinatione aperte loquuntur; a Portu *part. 1. de Miſſa Privata tit. 12. Rubr. 1. in adnot. num. 2.*) dicit ibidem Sacerdos ſecreto Orationem *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* Si memoriter non retineat hanc Orationem; vel eam retinendo memoritet, ut periculum aberrandi evitet, legat illam in tabella, cavendo, ne corpus indecore contorqueat propter Calicis impedimentum; ſed ubi opus ſit Calicis velum decenter aliquantulum moveat, ut commode legere poſſit. Angel. *part. 3. ſupra*, §. *Si mente*, a Portu *n. 3.*

II. Rubr. & Gav. lit. u -- *Oſculatur, &c.*) Dicto *Placeat tibi*, extenſis manibus hinc inde ſuper Altare poſitis, ipſum Altare in medio oſculatur: tum erigens ſe adhuc ſtans erectus verſus illud, elevat ad Cœlum oculos, id eſt ad Crucifixi imaginem; Bauldry *part. 3. cap. 6. n. 1.* Tonellius *lib. 3. cap. 1. §. 15. n. 12.* Gervaſi *cap. 2.* & manus uſque ad humeros, & non ſupra extendens: deinde ſtatim jungens eo pacto, quo facit ad *Dominus vobiſcum*, Biſſus *lit. S n. 20. §. 78.* caputque Cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, dicit voce clara ordinaria, *Benedicat vos omnipotens Deus*: a Portu *ſupra num. 7.* quibus verbis prolatis junctis manibus, ac demiſſis ad terram oculis, vertit ſe ad Populum a ſiniſtro latere ad dexterum, extenſa manu dextera cum digitis uniti, manu vero ſiniſtra infra pectus.

III. Rubr. & Gav. lit. y -- *Semel, &c.*) Benedicit Populo unicum producendo ſignum Crucis, ut notat Gavantus *ſupra*, ad differentiam Epiſcopi, qui ter benedicit: ſed in Benedictione impertienda, ita voces diſtribuat, ut efformet primam lineam rectam, dicendo *Pater, & Filius*; ſecundam autem tranverſam pronunciando, *Et Spiritus Sanctus*, Anonymus Italus *cap. 12.* Gervaſi *ſupra*. Prædicta linea recta ducitur a fronte ad pectus brachio nec prorſus protenſo, nec nimis jacente; ſecunda vero linea tranſverſa, vult Tonellius quod formetur palma Sacerdotis, pectus aliquantulum reſpiciente, refutans Bonamici opinionem *part. 1. obſerv. 5.* ſentientis, ita formandam hanc lineam tranſverſam, ut palma manus terram directe reſpiciat: ſed magis mihi arridet Caſtald. *lib. 2. ſect. 8. cap. 8.* & Quarti in hanc Rubricam ſententia, dicentium etiam ſecundum lineam tranſverſam ducendam eſſe manu recta eo modo, quo cum Eucharistiæ Sacramento ſuper Populum formamus Crucem. Fuerunt olim, ut refert Stephanus Duraodus de Rit. Eccleſ. Cathol. *lib. 2. cap. 46. n. 20.* qui duobus digitis conjunctis Cruces exprimebant; ut indicarent duas in unica perſona Chriſti naturas contra Monophyſitas, qui ut unicam in Chriſto docerent naturam, uno digito Crucem formabant. Prædicta autem aliquando fuit praxis PP. Prædicatorum in formandis ſignis ſuper oblata: in eorum enim Ordinario *lib. 1. part. 6.* præſcriptum legitur: *Faciat Crucem cum duabus digitis, ita quod index ſit deſuper, & medius ſubter*. Alii vero tribus digitis hæc ſigna exprimebant, quod ſignanter ſuper oblata fieri olim conſuetum in Eccleſia Romana colligitur ex Innocentio III. de Myſteriis Miſſæ *lib. 2. c. 45.* & hujuſce Ritus ratio fortaſſe erat, ut SS. Trinitatis mentio fieret. Dum Sacerdos dat Benedictionem modo mox a nobis expoſito, laici ſolent ſe ſignare; quod & facit Miniſter, ut notat Gav. *ſupr.* Bauld. *part. 3. tit. 12. Rubr. 1. in notis n. 1. & part. 1. cap. 17. n. 43. licet n. 44. per errorem contrarium dicat*, Biſſ. *ſupra*. Alii tamen ſuſtinent a recipientibus Benedictionem tale ſignum Crucis non eſſe tunc formandum: ſed primæ ſententiæ magis communi libentius adhæremus; quæ magis infra patebit *num.* XV. ubi agemus de hoc Ritu ſervando in Miſſa Solemni. Miniſter perſiſtens in genuflexione, reſpondeat poſt datam Benedictionem clara voce *Amen*.

IV. Rubr. & Gav. lit. z -- *Circulum perficiens, &c.*) Deinde circulum perficiens Sacerdos, accedit ad cornu Evangelii manibus ante pectus junctis de more; Biſſus *lit. S. ſupra*, Gervaſi *ſupra* §. *Riunite*; ubi dicit intelligibili voce, facie cornu Evangelii reſpiciente, *Dominus vobiſcum*; & eadem voce clara ordinaria reſpondet Miniſter, *Et cum ſpiritu tuo*. Tum Sacerdos ſignat pollice dextro, ſiniſtra depoſita ſuper Altare, primo librum, vel tabellam Evangelii, aut Altare, ſi nec liber, nec tabella adſit, dummodo non ſit expoſitum SS. Sacramentum, de quo infra. Gav. *ſupr. lit. a*, Cabrinus *cap. 8.* §. *Liber*, Tonell. *lib. 2. tit. 12. Rubr. 1. n. 1.* §. *Hic advertit*, Gervaſi *ſupra* §. *Arrivato*. Si in fine Miſſæ legendum ſit aliud Evangelium diverſum ab Evangelio Sancti Joannis; tunc Miniſter deferat librum ad cornu Evangelii: ideoque quando Sacerdos dicit, *Placeat tibi, &c.* ſurgit; & tranſiens ante medium Altaris genuflectit; & aſcendens per partem anteriorem graduum a parte Epiſtolæ, accipit Miſſale; & tranſiens per gradum ſuppedaneo proximiorem genuflectit; & ſurgens deponit librum in Altaris cornu, quemadmodum detulit, & depoſuit alias pro legendo primo Evangelio: quæ omnia ita tempeſtive peragere debet, ut genuflexus reperiri poſſit ad Benedictionem in plano ante medium Altaris, Bauld. *part. 1. c. 17. n. 44.* a Portu *ſupr. n. 15.* Gervaſi *in inſtruct. pro Miniſtro Miſſæ Privatæ c. 11. n. 2.*

Signato libro, ſive Altare, *ut ſup.* Sacerdos poſita manu ſiniſtra intra pectus, ſpulpa pollicis dexteri digiti, & extenſa totaliter dextera manu, junctis quatuor reliquis digitis, format primum ſignum Crucis in fronte, ſecundum in ore, tertium in pectore, & non ex parte cordis, ut faciunt multi: has eaſdem tres Cruces ſibi format in fronte, ore, & pectore Miniſter: Bauld. *ſup.* a Portu *ſup. n. 18.* idem præſtant etiam circumſtantes. Poſtquam Sacerdos dixerit *Initium, &c.* vel *Sequentia, &c.* Miniſter reſpondet: *Gloria tibi Domine*: deinde Sacerdos junctis manibus legit Evangelium *In principio, &c.* vel aliud.

V. Rubr. & Gav. lit. a -- *Et Verbum caro factum eſt, &c.*) Cum vero pervenerit ad illa verba, *Et Verbum caro factum eſt*, genuflectit manibus hinc inde ſuper Altare poſitis, unico tamen genu verſus Altare, id eſt verſus cornu Evangelii. Biſſ. *lit. S ſup. §. 78.* Gerv. *in inſtruct. Miſſæ Priv. ſup. §. Arrivato*. Miniſter quoque genuflectit unico genu in ſuo loco facie ad Altare converſa, Bauldry *part. 1. ſupr.* Corſett. *tract. 1. part. 1. cap. 3. n. 31.* ac mox ſurgens Sacerdos, ſtans manibus junctis, Evangelium proſequitur eadem voce, eodemque corporis habitu. A Portu *ſup. n. 1.* Biſſ. *ſupra, &c.* Terminato Evangelio, Sacerdos non oſculatur librum, nec tabellam, ſi iis uſus eſt, nec Altare. Gav. *ſup. lit. z.* Biſſ. *ſup.* Monſtus *ſup. §. 166.* & alii communiter. In fine prædicti Evangelii reſpondet Miniſter *Deo gratias* voce alta, & ordinaria.

Hoc loco conſignandum eſt Decretum ſpectans ad dictum Evangelium S. Joannis, edictum die 5. Julii 1631. & datum in noſtro Indice *ſub n. 258.* in quo ſancitum eſt, quod qui præ timore,

vel

vel balbutie non pronuntiat Evengelium S. Joannis, quod legitur in fine Miſſæ, ſed ejus loco aliud ſuo arbitratu recitat; debet a Miſſarum celebratione ſuſpendi quouſque illud rite pronuntiare aſſueſcat.

R U B R I C A.

2 *Si Celebrans in Altari vertit faciem ad Populum, non vertit ſe; ſed ſtans, ut erat, benedicit Populo, ut ſupra, in medium Altaris; deinde accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium Sancti Joannis.*

*G A V A N T U S.*

Quando nempe Altare eſt ad Orientem verſus Populum; de quo ſupra *tit.* 5. *n.* 3.

R U B R I C A.

3 *Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale,* (b) *& Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in Provincia, Civitate, vel Diœceſi ſua exiſtente: Celebrans dicto, Placeat tibi Sancta Trinitas, &c. dicit, Benedicat vos omnipotens Deus, & convertens ſe ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem vero, & Legatum, vel alium ex ſupradictis Prælatis, capite inclinato,* (c) *quaſi licentiam benedicendi petens, proſequitur: Pater, ✠ & Filius, & ✠ Spiritus Sanctus: benedicens aſtantes a parte, ubi non adeſt Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Diœceſim conſtitutis; eis abſque alio reſpectu, ut cæteris, qui interſunt, more conſueto benedicit.*

*G A V A N T U S.*

(b) *Et Legato.* Et, pro vel, ut in hac eadem Rubrica: Archiepiſcopo, & Epiſcopo, id eſt, vel Epiſcopo.

(c) *Quaſi licentiam.* Notat *Microlog. cap.* 21. ex Leone, & Gelaſio, qui Sacerdotibus Benedictionem Epiſcopo præſente interdicunt: vult autem *cap.* 22. inclinari Sacerdotem cum Populo verſus Epiſcopum pro ultima Benedictione. Regula ergo ſit: Confeſſio, oſculum Evangelii, & Benedictio ſe invicem conſequuntur, reſpectu Prælatorum.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ſervando quando Miſſa celebratur coram Summo Pontifice, Cardinale, &c.

VI. Rubr. & Gav. lit. b -- *Et Legato, &c.*) Sacerdos ſi celebrabit coram Summo Pontifice, Cardinale Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, aut Epiſcopo in ſua Civitate, vel Diœceſi, etiam in Eccleſiis Regularium, & privilegiatis, ſive Archiepiſcopo in ſua Provincia; dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* dicet: *Benedicat vos omnipotens Deus*, ut *ſupra*; poſtea convertet ſe ad Summum Pontificem ſi coram eo celebravit; & genuflexus petet licentiam benedicendi; tum ſurget, & proſequetur dicendo: *Pater, ✠ & Filius, & ✠ Spiritus Sanctus*, dextera benedicens aſtantes, non tamen in medio, ubi eſt Pontifex, ſed verſus partem Evangelii: quod ſi verſus illam eſſet Pontifex (qui tamen regulariter medium locum occupare debet) tunc verſus aliam partem benedicat, intentionem ſuam ad alios alibi exiſtentes dirigens. Si autem coram Cardinale, vel alio Prælato ſupranominatis celebraverit; tunc eodem modo dat Benedictionem, ac ſi celebraſſet coram Summo Pontifice; non tamen genuflectit, ſed inclinatus profunde, quaſi licentiam petit, antequam det Benedictionem. Sed ut circa hoc aliquam univerſalem regulam tradamus, adnotandum eſt, quod in ordine ad Prælatos, quando ipſis competit Evangelium oſculari, eſt etiam coram eis facienda Confeſſio in cornu Evangelii; Biſſ. *ſup. lit. S* §. 12. & 13. & §. 79. & Benedictio in fine Miſſæ danda eſt, ut mox expoſuimus: & hoc quoad Summum Pontificem, & Cardinales, ſemper & ubique eſt obſervandum. Quo vero ad alios Prælatos ſi ſint extra ſuam Civitatem, Provinciam, vel Diœceſim, fiat, ut moris eſt, nullo in hoc habito eorum reſpectu, ac ſi præſentes non eſſent. Biſſ. *ſup.* Benvenuti *in inſtr. pro Sacerdote celebrante in Miſſa Privata pag.* 53.

R U B R I C A.

4 *Si autem celebravit pro Defunctis, dicto, Placeat tibi Sancta Trinitas, ut ſupra, & oſculato Altari, accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium Sancti Joannis,* (d) *prætermiſſa Benedictione, quæ in Miſſis Defunctorum non datur.*

*G A V A N T U S.*

(d) *Prætermiſſa benedictione.* Ita *Durand. lib.* 4. *cap.* 51. quia ſolemnitatem habet Benedictio.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ſervando in Miſſis Defunctorum.

VII. Rubr. & Gav. lit. d -- *Prætermiſſa Benedictione, &c.*) In Miſſis vero Defunctorum quia Benedictio non datur, Celebrans dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* oſculatur Altare, & accedit ad dicendum ultimum Evangelium. *Rubr. ſupra*, & Gavantus ibidem.



R U B R I C A.

5 *Finito Evangelio in fine Miſſæ, ſi celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, convertit ſe ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, &* (e) *facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujuſmodi reverentiam prætermittit.*

*G A V A N T U S.*

(e) *Facit reverentiam.* Vult *Durandus lib.* 4. *cap.* 59. ut exutus veſtibus Sacerdotalibus adeat Epiſcopum, & genuflexus manum ejus oſculetur; ſed ratione veſtium, quas adhuc habet, ſoli Papæ, & non aliis, genuflectit, neque manum oſculatur, Miniſter quoque debitam facit reverentiam.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ſervando coram Summo Pontifice, Cardinale, &c,

VIII. Rubr. & Gav. lit. e -- *Facit reverentiam, &c.*) Finito autem ultimo Evangelio in fine Miſſæ, Sacerdos ſi celebravit coram Summo Pontifice, vel aliis Prælatis ſupra nominatis, ſtans adhuc in cornu Evangelii ad Altare, convertit ſe per latus ſuum dexterum, id eſt verſus cornu Epiſtolæ: & ita converſus, Summo Pontifici genuflectit, ſi coram eo celebravit: aliis vero Prælatis ſupra nominatis, converſus ad eos, ſtans in eodem cornu Evangelii, facit tantum profundam reverentiam; quam reverentiam etiam facere poteſt dictis Prælatis, licet non ſint in propria Provincia, vel Diœceſi. Miniſter etiam ſtans in plano a parte Epiſtolæ, reſponſo *Deo gratias*, facit genuflexionem, vel reverentiam profundam prout convenit. Quoad perſonas ſæculares, ſervanda erit eorum dignitas, & conſuetudo locorum legitime introducta. Biſſus *lit. S ſupra* §. 8. Quarti *part.* 2. *tit.* 12. §. 5. *Notatur* docet cum Caſtaldo *in praxi lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 4. *n.* 8. decens eſſe non ſolum, ut fiat reverentia Epiſcopo extra propriam Diœceſim, ſed etiam magno Principi, vel Principiſſæ, finito Evangelio in fine Miſſæ: & quamvis prædicta reverentia non ſit illis debita ex vi Rubricæ; tamen non prohibetur: unde permitti poteſt, ſicut & uſus confirmat.

R U B R I C A.

6 *Quibus omnibus abſolutis,* (f) *extinguuntur per Miniſtrum candelæ. Interim Sacerdos* (g) *accipit ſiniſtra Calicem, dexteram ponens ſuper burſam, ne aliquid cadat; deſcendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens ſe ad illud,* (h) *caput inclinat, vel ſi in eo eſt Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, genuflectit; & facta reverentia, accipit birretum a Miniſtro, caput cooperit, ac præcedente eodem Miniſtro eodem modo quo venerat, redit ad Sacriſtiam: interim dicens Antiphonam,* (i) *Trium puerorum, & Canticum, Benedicite, ſi vero dimiſſurus ſit paramenta apud Altare, ubi celebravit, finito Evangelio prædicto, ibidem* (l) *illis ſe exuit, & dicit Antiphonam Trium Puerorum cum Cantico, & aliis Orationibus, ut ſuo loco ponuntur.*

*G A V A N T U S.*

Hæc Rubrica habetur in recognito Miſſali, licet fuerit tantum addita in ultimo Miſſali Vaticano Anni M. DC. IX. quam ideo retinendam eſſe omnino decrevit S. R. C. *die* 28. *Auguſti* 1627.

(f) *Extinguuntur candelæ.* Primo in cornu Evangelii, deinde in cornu Epiſtolæ: ut ſtatim Miniſter poſſit Miſſale accipere cum birreto Sacerdotis; ſed non debent extingui antequam finitum fuerit totum ultimum Evangelium.

(g) *Accipit ſiniſtra Calicem.* Revoluta ſuper eum docenter anteriore parte veli.

(h) *Caput inclinat.* Hoc eſt, apertum, ſicuti initio Miſſæ, in eodem loco, veneratus eſt Altare, & Crucem, capite diſcooperto; eadem enim eſt ratio: & decet, ut ubi depoſuit, ibi etiam recipiat birretum. * Quod autem hic dicitur, *Et facta reverentia*, non aliam de novo intellige, quam capitis inclinationem, ſeu genuflexionem, de qua proxime dictum fuit, neque enim duplex fit reverentia; quod perperam nonnullus ſcripſit.

(i) *Trium Puerorum, & Canticum.* Debet dici etiam poſt Miſſam Defunctorum *Hymnus Trium Puerorum*, tum Pſalm. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, cum Antiphona, & ea duplicata, quando, ut ſupra dictum eſt, Antiphona *Ne reminiſcaris* duplicatur; & Hymnus quidem dicitur *ex Concil. Tolet.* 4. *cap.* 13. ubi hoc jubetur ſub pœna excommunicationis *ex Radulph. propoſ.* 23. quæ tamen hodie non ligat; Pſalmus autem, *ex Microlog. cap.* 22. qui & addit verſus ſequentes, *Confiteantur, &c.* cum unica Oratione, *Deus qui tribus, &c.* quam puto a Sacerdote recitari poſt celebrationem, eadem ratione, qua eadem dicitur in Sabbatis Quatuor Temporum ante Sacerdotum Conſecrationem, *ex Rupert. lib.* 3. *c.* 10. ut ſcilicet vincatur ab eis flamma vitiorum, & per fornacem illæſi tranſeant Sacerdotes memores ſui muneris, & ſuæ Conſecrationis: *in Miſſali MS. Vaticano volum.* 4743. habetur hæc eadem Oratio cum altera, *Actiones*: *Radulph. loc. cit.* duas legit.

Tertiam de S. Laurentio ego legi *in Miſſ. MS. Vaticano volumine* 3808. & 4771. ſcriptis ante 360. Annos: fortaſſe addita eſt, quia ille Romæ Patronus eſt poſt SS. Apoſtolos Petrum,

& Paulum Apoſtolorum ſuppar; *ex S. Maximo ſerm. 1. de eodem S. Laurentio*; vel quia tanti Sacrificii inter Latinos fuit Miniſter egregius Sancti Sixti Archidiaconus; vel quia concordat cum prima Oratione ad impetrandam gratiam contra flammas vitiorum: impreſſa legitur *in Miſſali edito Venetiis* 1499. *& deinceps in aliis Miſſalibus*; non tamen tunc temporis ubique recepta fuit, cum non legatur *in Sacerdotali Rom. edito* 1467.

( l ) *Illis ſe exuit*. Ordine retrogrado, quo ſe induit, nimirum prius ſtolam exuat, quam manipulum; & quæ a principio oſculatus eſt, nunc eadem exuendo ſe, oſculetur in medio ſtolam, manipulum, & amictum.

Neque omittat in Sacriſtia debitam reverentiam imagini eodem modo, quo ante Miſſam eſt dictum.

Lavet etiam manus, ut de quibuſdam cum laude narrat *Durand. lib. 2. cap.* 55. non quod quidquam immundum ex ipſu contactu Sacramenti contraxerit; ſed ut potius ſuam commemoret indignitatem, qui ſe judicat tantis Sacramentis celebrandis indignum, juxta illud *Lucæ* 17. *Cum hæc omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus*.

Ablutionis autem aqua debet in locum mundum diffundi honeſte, ut altitudo Sacramenti reverentius honoretur. *Innoc. III. lib. 1. cap.* 8. ubi de ablutione manuum Epiſcopi ſcribit, poſt ſumptionem Euchariſtiæ: quo loco non poſſum non laudare Regulares illos, qui in Sacriſtia duo manutergia diſtincta habere ſolent, alterum ad abſtergendas Sacerdotum manus ante Miſſam, alterum poſt Miſſam.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Privatæ, ſervando a Sacerdote poſt Miſſam celebratam.

IX. Rubr. & Gav. lit. f -- *extinguuntur candelæ, &c.*) Finitu ultimo Evangelio, Miniſter cum debita genuflexione tranſiens per medium Capellæ, aſcendit per gradus laterales ad cornu Evangelii, ubi tunc (& non prius, Gavantus *ſupra*) extinguit candelam exiſtentem in illa; deinde cum nova genuflexione in tranſitu per planum medium ejuſdem Capellæ, accedit quoque per gradus laterales ad partem Epiſtolæ, ut ibi extinguat candelam alteram. Quarti *part. 2. tit. 12. Rubr. 6. in dubiis dub. 2.* Vinitor *part. 2. tit. 16. n. 42.* Gerv. *in inſtruct. pro Miniſtro Miſſæ Privatæ cap. 11. n. 4.* & alii communiter. Debet autem extinguere utramque candelam congruo extinctorio ſemper; & nullo alio modo, niſi neceſſitas urgeat: Bonamic. *part. 3. n. 97. & 98.* Lonher *part. 2. tit. 9. n. 13.* Corſett. *tract. 1. par. c. 1. n. 31.* Synodus Fulginat. Epiſcop. Battiſtelli *cap. 20. §. 10. n. 34.* Gerv. *ſupra*, & alii fere omnes; poſtmodum accipit Miſſale, & birretum eo pacto, quo accepit in principio Miſſæ, & vadit in cornu Epiſtolæ apud ultimum gradum, in plano ſtans prope Celebrantem. Corſett. *ſup. n. 33.* Bonamic. *ſup. n. 98.* Vinitor, & Gerv. *ſupra*.

X. Rubr. & Gav. lit. g -- *Accipit ſiniſtra Calicem, &c.*) Interim Sacerdos, lecto Evangelio ultimo, & facta debita reverentia ſupra nominatis, ſi facienda ſit, ut mox diximus, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris; ubi ſtans adhuc in ſuppedaneo, facit reverentiam Cruci, poſtea revolvit partem anteriorem veli ſuper burſam: Gav. *ſup.* Biſſus *lit. S, ſup. §. 81.* deinde ſiniſtra manu accipit Calicem in nodo, ponens dexteram ſuper burſam ne aliquid decidat, ut initio Miſſæ: tum aliquantulum retrahens ſe verſus cornu Evangelii, vertit ſe per latus ſuum dexterum, id eſt facie converſa verſus cornu Epiſtolæ, & deſcendit per gradus Altaris tali modo, ut non vertat directe terga Cruci; caveatque dum deſcendit, ne conculcando albam, ſe, & Calicem confundat; Angel. *part. 3. §. Reſponſo*; & cum fuerit in plano Capellæ, iterum ſe vertit ad Altare per eamdem ſuam partem dexteram; a Portu *tit. 12. Rubr. 7. in adnot. n. 4.* Anonymus Italus §. *Diſceſo*; & ſtans in plano ante infimum Altaris gradum, facit reverentiam profundam Cruci, vel genuflexionem Sacramento, Miniſtro ſemper genuflectente: Corſett. *ſup. n. 33.* Bauld. *part. 1. cap. 17. n. 45.* Gerv. *in inſtruct. pro Miniſtro, &c. cap. 11. n. 8.* a Portu *ſup. n. 7.* poſtea, & non prius accipit birretum, hoc eſt, capit digitis dexteræ manus medio, & indice, dexterum birreti cornu elevatum; Bonamic. *part. 1. obſerv. 13. n. 1.* Corſett. *tract. 1. part. 1. c. 1. n. 9.* Miniſter autem illud porrigit manu, & non ex Miſſali, & cum quaſi ipſius oſculo, & capitis inclinatione ante, & poſt. Bauldry, Corſettus, a Portu, & Gervaſi *ſupra*.

XI. Gav. lit. h -- *Recipiat birretum, &c.*) Celebrans autem a Miniſtro recepto birreto, caput cooperit, caute agens, ne de Calice aliquid decidat: tum præcedente Miniſtro eodem modo, quo venerat, vadit ad Sacriſtiam capite cooperto.

XII. Rubr. & Gav. lit. i -- *Trium puerorum, &c.*) Facta reverentia Altari, & cooperto capite, Sacerdos incipit Antiphonam *Trium puerorum, &c.* quæ Antiphona in Miſſis duplicibus, id eſt ſub Ritu Duplici, & quando dicitur una tantum Oratio juxta Rubricas, duplicatur, v. gr. in Miſſis Votivis Solemnibus, vel pro re gravi, & inſuper tempore Paſchali additur *Alleluja*. Lohner *part. 2. tit. 31. n. 3.* Vinitor *part. 2. tit. 3. §. 9.* Aliqui vero putant, quod etiam in Miſſa Defunctorum, ſub una Oratione prædicta Antiphona ſit duplicanda, & etiam ſit addendum *Alleluja* tempore Paſchali, quia hoc ſequitur Officium, non Miſſam. Terminata Antiphona, *Trium puerorum, &c.* ſub Ritu Duplici, vel Semiduplici, prout convenit, dicit Sacerdos Canticum *Benedicite, &c.*

Si in via obviam ei fiat alius Sacerdos paratus, adinvicem ſe conſalutent cooperto capite, & procedat unuſquiſque per partem ſuam dexteram. Quod ſi duo, vel plures ad eumdem locum accedunt (puta ad Sacriſtiam) tunc dignior præcedat. Biſſ. *ſupr.*

In reliquis ſervet ea omnia, quæ facienda notavimus tum a Sacerdote, tum a Miniſtro, in ingreſſu ad Altare, Bonamic. *part. 2. n. 50.* Bauldry *ſup.* a Portu *ſupr. n. 8.*

Si Sacerdos accedat ad Sacriſtiam pro deponendis paramentis, ut omnino fieri debet quando commoditas adeſt; tunc cum ad Sacriſtiam pervenerit, faciat profundam reverentiam Cruci, vel imagini principali, quæ ibi adeſt; & depoſito Calice, diſcooperiat caput; Caſtal. *lib. 3. cap. 16. n. 24.* & Biſſ. *lit. S n. 20. §. 82.* & capite diſcooperto alios ſalutet Sacerdotes, qui ſunt in Sacriſtia, juxta ſententiam Tonellii, quam refert Biſſus *loc. mox cit.* qui tamen exiſtimat hanc reverentiam aliis Sacerdotibus faciendam eſſe cooperto capite: deinde exuit Sacerdos, adjuvante Miniſtro, Sacras veſtes, ordine retrogrado, ſcilicet primo planetam, deinde ſtolam, manipulum, cingulum, albam, & amictum, oſculando Crucem mediam earum veſtium, quas oſculatus eſt, dum eas induit, etiam ſi Miſſa fuerit Defunctorum, ſcilicet Crucem ſtolæ, manipuli, & amictus. Gav. *ſup. lit.* l. Biſſus *lit. P n. 28. §. 12.* Tonellius *lib. 2. tit. 12. ad Rubr. 6.*

Miniſter, cum pervenerit ad Sacriſtiam, ſiſtens ſe in ingreſſu, inclinat ſe Sacerdoti, & expectat donec tranſeat: Caſtald. *lib. 1. ſect. 4. cap. 1. n. 28.* Bauldry *par. 1. ſup. num. 48.* Gervaſi *ſup. n. 7.* poſtmodum inclinans ſe profunde ſimul cum Sacerdote Cruci, vel imagini Sacriſtiæ, procedit ad reponendum Miſſale loco congruo. Aliqui addunt, quod præfatus Miniſter accipere debeat a Sacerdote birretum cum nova reverentia; ſed magis placet ſententia Caſtaldi, & Biſſi *ſupr.* dicentium, quod Sacerdos ipſe, depoſito Calice, diſcooperit caput, & birretum deponit: igitur præfatus Miniſter repoſito Miſſali, ſiſtit ſe ad ſiniſtram Celebrantis, eumque adjuvat in deponendis paramentis.

XIII. Rub. & Gav. lit. l -- *Illis ſe exuit, &c.*) Si vero Sacerdos dimiſſurus ſit paramenta ad Altare, in quo celebravit, ob defectum Sacriſtiæ, vel alterius loci congruentis; tunc finito ultimo Evangelio, accedit ad medium Altaris; & ibi facta reverentia Cruci, poſtea iterum redit ad cornu Evangelii, ubi deponit paramenta modo ſupra a nobis deſcripto, nimirum ordine retrogrado. Gav. *ſupr. lit.* l, & Biſſus *ſupra lit. S n. 20. §. 82.* & interim dicit Antiphonam, *Trium Puerorum*, cum Cantico, ut ſupra diximus.

Advertendum ſupereſt, quod ubicumque ſe ſpoliet, ne albam, ut illam exuat, a parte poſteriori extrahat ſuper caput, ſed prius dimoveat a brachio ſiniſtro. Montius *ſupr. §. 172.*

XIV. Gav. ead. lit. l -- *Lavat etiam manus, &c.*) Depoſitis Sacris veſtibus, Celebrans lavat manus; quod tamen non fit ad tollendam aliquam maculam, quia potius ex contactu Sacramenti novum quoddam eſſe Sacrum manibus Celebrantis adhæret; ſed potius fit ad deponendum illud eſſe Sacrum, priuſquam Sacerdos manibus contrectet alias res profanas: Quarti *par. 2. tit. 12. in dubiis conſecrationis dub. 4.* ablutio tamen manuum in honeſto loco projici deberet ad majorem Sacramenti reverentiam. Item conveniens eſſet, ut particulare manutergium pro Sacerdotibus in Sacriſtia apponeretur: & etiam Scriptores citandi maxime laudant quarumdam Eccleſiarum conſuetudinem, parandi ſcilicet in Sacriſtia duo manutergia, quorum unum inſerviat Sacerdotibus pro abſtergendis manibus ante Miſſam, & alterum poſt Miſſam: & quidem valde laudabilis eſt horum conſuetudo, cum majorem reverentiam erga Sacramentum denotet. Gav. *ſup.* Bauld. *part. 3. de Ritu ſerv. tit. 12. ad Rubr. 6.* Tonellius *lib. 2. tit. 12. ad Rubr. 6.* Biſſ. *tom. 2. lit. M n. 26. §. 4.*

Cæterum, ſi talis lotio manuum omittatur, nulla committitur venialis noxa: quia præcipitur quidem manuum lotio ante Miſſam, non vero poſt Miſſam; quæ tantum fit ex quadam decentia. Quarti in *ſupra §. Reſpondeo*, Biſſus *lit. M* Tandem Sacerdos genuflexus in loco conſueto, gratias agit, prout in tabella. Angel. *part. 3. ſup. §. Depoſitis*, Gervaſi in inſtruct. Miſſæ Privatæ *cap. 2. §. Dopo anderà, &c.*

## R U B R I C A.

7 *In Miſſa Solemni Celebrans eadem voce, & modo, quo in Miſſis Privatis, ſemel tantum benedicit Populo, niſi ſit Epiſcopus: & dicto Evangelio ſecundum Joannem, vel alio, ut ſupra,* (m) *miniſtrante Subdiacono librum, ſi opus eſt,* (n) *diſcedit cum Miniſtris ordine, & modo, quo venerat.*

## G A V A N T U S.

Ad Benedictionem Celebrantis, Miniſtri æqualiter diſtantes ſupra ſecundum gradum, Diaconus a dextris Subdiaconi, genuflectant verſus Altare, eadem ratione, qua poſt Epiſtolam, & ante Evangelium genuflexi Benedictionem receperunt ab eodem Celebrante, ut ſupra dictum eſt, niſi ſint Canonici, ſi ita fert loci conſuetudo; & manu pingant ſibi Crucem a fronte ad pectus, ut ſolent laici: nam quamvis poſt Epiſtolam, & ante Evangelium, ad Sacerdotis Benedictionem id non faciant impediti a libro, quem tunc manibus tenent; hoc loco tamen ſe ſignare poſſunt ex loci conſuetudine ob rationem al-

la-

latam ſupra *n.* 1. Cæteri quoque inferiores Miniſtri genuflexi manent uſque ad finem Benedictionis.

(m) *Miniſtrante Subdiacono librum.* Quem defert eo modo, quo dictum eſt ſupra, poſt Epiſtolam. Diaconus autem ſtat quaſi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum aliquanto poſt Celebrantem, ne impediatur a lectione. Ad *Et Verbum caro factum eſt*, vel quid ſimile, genuflectunt prædicti tres verſus librum.

(n) *Diſcedit cum Miniſtris.* Acolythis præuntibus cum candelabris, procedunt cooperto capite Miniſtri, poſt debitam reverentiam Altari factam, ut initio Miſſæ, unus poſt alium, manibus junctis: in Sacriſtia vero, reverentia facta imagini ab omnibus, & Celebranti a Miniſtris, deponunt omnes paramenta.

## R U B R I C A.

8 *Epiſcopus autem ter benedicit Populo etiam in Miſſis Privatis, ut in Cæremoniali habetur.*

## *G A V A N T U S.*

Auctor Benedictionis Epiſcopalis in Miſſa fertur eſſe Martialis Apoſtolorum diſcipulus ex magiſterio Apoſtolatus; *Radulphus propoſ.* 23. ſed dabatur tantum ante Communionem: ſolus autem Papa finita Miſſa eam dabat: *ex eodem Radulpho ibid.* abrogata vero eſt illa ante Communionem; & nunc *ex Innoc. III. lib. 6. cap.* 14. datur ab omnibus ultimo loco, nimirum per verba, *Sit nomen Domini, &c. ex Durando c.* 59. qui teſte, *ibidem*, bis dabant aliqui Epiſcopi Benedictionem ſolemnem, ſemel ante *Agnus Dei*, & iterum in fine Miſſæ, quos ille ipſe monuit, ne in fine benedicerent. Ritus autem, & modus Benedictionis hujus Epiſcopalis habetur fuſe in *Cærem. Epiſc. l.* 1. *c.* 25.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis, a Benedictione, uſque ad finem.

XV. Gav. §. *Ad Benedictionem Celebrantis.*) Poſtquam Celebrans converſus jam ad Altare dixerit *Placeat, &c.* prout in Miſſali, oſculatur Altare; & dum hoc peragit, daturus Benedictionem, omnes genuflectunt, & ad Benedictionem ſe ſignant; Gav. *ſupra* §. *Ad Benedictionem*, Biſſus *lit.* C *n.* 197. §. 61. *lit.* M *n.* 150. §. 7. Bauldry *par.* 1. *c.* 1. *art.* 2. *n.* 38. Benvenuti §. *Ea Oratione finita*; profunde inſuper ſe inclinantes. Lohner *part.* 3. *tit.* 2. §. 2. *n.* 5. *& tit.* 3. *n.* 14. *& tit.* 5. *n.* 13. *& tit.* 7. *n.* 10.

XVI. Gav. eod. §. *Niſi ſint Canonici, &c.*) Ad dictam Benedictionem, omnes genuflexi eſſe debent in ſuis locis præter Canonicos: Gav. *ſupr.* Nicolaus de Bralion *ſupr. cap.* 10. *n.* 3. & hic Ritus ſancitus eſt etiam in Decreto edito die 4. Maii 1613. dato in noſtro Indice *ſub n.* 136. in quo habetur -- Canonici, & Dignitates non tenentur ad Benedictionem Epiſcopi genuflectere, ſed tantum caput inclinare -- Conſonat huic Decreto aliud pariter datum in noſtro Indice *ſub n.* 269. Cæremoniarius genuflectit in cornu Epiſtolæ; Bauldry *part.* 1. *c.* 1. *n.* 38. Clerici vero genuflectunt in plano locorum ſuorum; Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 1. *n.* 25. a Portu *part.* 2. *de Miſſa Solemni tit.* 12. *Rubr.* 7. *in adnot. n.* 2. profunde ſe inclinantes. Lohner *ſupra*. Subdiaconus autem genuflectit in ſuperiori gradu verſus cornu Evangelii, reſpiciendo Altare; Diaconus vero in eodem gradu verſus cornu Epiſtolæ; ſi adſit Aſſiſtens, genuflectit in ſuperiori gradu laterali in cornu Evangelii. Bralion *ſupr.* Si vero Miniſtri ſacri eſſent Canonici Eccleſiæ Cathedralis; tunc ad Benedictionem non genuflectunt, juxta Decretum mox allegatum, ſed tantum profunde ſe inclinant; ſemper tamen omnes dextera manu (ſiniſtra infra pectus poſita) ſe ſignant ad hanc Benedictionem ſigno Crucis fronte ad pectus de more. Gav. *ſupra*. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 9. *n.* 5. Biſſus *ſupr.* Benv. *ſupr.*

XVII. Rubr. & Gav. lit. m -- *Miniſtrante Subdiacono librum, &c.*) Facta Benedictione, Subdiaconus ſtatim ſurgit, & accedit ad cornu Evangelii, ibique ſuſtinet tabellam Evangelii S. Joannis: ſi vero ſit dicendum aliud Evangelium, in eo caſu Subdiaconus, dum Celebrans dicit, *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* genuflectit in ſuo loco ubi eſt: mox accedit ad cornu Epiſtolæ, accipit Miſſale, & illud defert ad cornu Evangelii: ſed advertat, ut in medio genuflectat, quando Celebrans dat Benedictionem; non tamen ſe ſignat, quia habet præ manibus librum: & data Benedictione ſtatim ſurgit, & ponit Miſſale in cornu Evangelii; ſed ita tempeſtive omnia faciat, ut Celebrans non debeat ipſum expectare.

Diaconus vero dum legitur prædictum Evangelium, vel S. Joannis, vel aliud, juxta Gavanti ſententiam *ſupra*, necnon Biſſi *lit. D n.* 123. §. 48. ſtat quaſi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum aliquanto poſt Celebrantem: ſed juxta ſententiam Nicolai de Bralion *ſupra n.* 4. poſt datam Benedictionem a Celebrante, Diaconus debet accedere propius ad Altare, paulo verſus cornu Epiſtolæ.

Cum dicitur, *Et Verbum caro factum eſt, &c.*) in Evangelio Sancti Joannis, vel cum legitur Evangelium Epiphaniæ in fine tertiæ Miſſæ in die Nativitatis Domini; ad illa verba, *Et procidentes adoraverunt eum*, omnes unicum genu flectunt, Celebrans quidem verſus librum; Gavantus *ſupra*. Cabrinus *cap.* 5. *num.* 39. Bauldry *part.* 1. *&* 3. *ſupra n.* 6. Diaconus vero, & omnes alii etiam in Choro, genuflectunt verſus Altare: Nicolaus de Bralion *ſupra*; ſed Gavantus *ſupra*, vult non ſolum Celebrantem, ſed etiam duos alios Miniſtros genuflectere debere verſus librum, ſeu tabellam: excipiunt tamen aliqui Subdiaconum ab hac genuflexione, ſi tabellam, vel librum ſuſtineat: ita Bauldry *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *num.* 44. *& part.* 3. *ſupra art.* 9. *n.* 7. Verum magis arridet modus loquendi Gavanti *ſupr.* qui dicit ſine ulla exceptione, quod omnes ad ſimilia verba genuflectere debeant, maxime quia, ut notat Biſſus approbando Gavantum *lit.* I *ſupra* §. 28. in hoc caſu non ſit neceſſe, ut ad prædicta verba Subdiaconus ſuſtentet librum: vel etiam liber ſuum cuſſinum habet, a quo commode ſuſtentatur; vel ſi ſit tabella Evangelii Sancti Joannis, eam poterit ſuper Altare deponere, ut etiam ipſe cum aliis illud reverentiæ ſignum præſtet. Tandem reſpondeatur in fine Evangelii, *Deo gratias*, Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 14. Bauld. *part.* 1. *ſupr. & part.* 3. *ſupr. n.* 8. ſicut etiam claudit Miſſale, quando Celebrans particulare legit Evangelium.



XVIII. Rub. & Gav. lit. n -- *Deſcendit cum Miniſtris, &c.*) Lecto Evangelio Celebrans revertitur ad medium Altaris; & illum immediate ſequitur Subdiaconus, ut inter Subdiaconum ipſum, & Diaconum decentius deſcendat; ibique medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris, facit cum prædictis Miniſtris reverentiam Cruci. Facta vero inclinatione Cruci, eo modo, quo ſupra, tum Celebrans, tum Subdiaconus, vertendo faciem ad cornu Epiſtolæ, Diaconus autem ad cornu Evangelii, deſcendunt in planum ante infimum gradum. Biſſus *lit.* C, *n.* 197. §. 62. Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *n.* 25. a Portu *ſupr. n.* 5.

Cæremoniarius vero (niſi alius Acolythus id faciat) accipit birreta Celebrantis, & Sacrorum Miniſtrorum, Biſſus *lit.* C *n.* 15. prope finem ultimi Evangelii; ut præſto ſit cum Clericis ad genuflectendum in medio ſimul cum Celebrante in regreſſu ad Sacriſtiam. A Portu *ſupra* §. *An Cæremoniarius*.

Ceroferarii quoque prope finem ultimi Evangelii, accipiunt ſua candelabra cum candelis accenſis; quibus acceptis ſtatim ad finem Evangelii præit ad Altare Thuriferarius vacuus, hoc eſt ſine thuribulo; Navicularius, ſi adeſt, pariter ſine navicula: tum veniunt Ceroferarii cum candelabris accenſis, ut initio Miſſæ, omnium poſtremi; Biſſus *lit.* C *n.* 254. §. 6. & ſe diſponunt ante Altare in linea recta, ut initio Miſſæ. Bauldry *part.* 3. *ſupr. n.* 9. Illud animadvertendum occurrit ut ita opportune accedant ad medium, & ſe diſponant; ut ſic diſpoſiti poſſint immediate genuflectere cum Celebrante: aliter ſi ſupervenirent citius, cogerentur bis genuflectere, nempe primo, quando comparerent ante Altare; ſecundo, poſt breviſſimam, & quaſi nullam moram, quando Celebrans genuflecteret, aut inclinaret ſe ultimo. Quamobrem genuflectentibus Celebrante (Celebrante, inquam, ſi adſit in Tabernaculo SS. Sacramentum, aliter ſe inclinante profunde) & Miniſtri ſuper infimum gradum, eodem inſtanti genuflectunt Cæremoniarius, & reliqui Clerici in plano: Caſtaldus *ſupra ſect.* 4. *c.* 9. *n.* 9. *& ſect.* 7. *cap.* 1. *n.* 25. *& cap.* 5. *n.* 27. a Portu *ſupra*: & facta reverentia Choro, ſi ante eum tranſeat; Bralion *ſupra n.* 7. Cæremoniarius porrigit Diacono birretum Celebrantis; Biſſus *lit.* C *n.* 15. illudque cum quaſi oſculo illius, Diaconus Celebranti tradit: poſtea Miniſtri Sacri ab eodem Cæremoniario, ſeu aliquo Acolytho, ut ſupra, ſua birreta pariter accipiunt, & caput tam Celebrans, quam Miniſtri Sacri cooperiunt. Biſſ. *lit.* C *n.* 147. §. 62. & Benv. §. *Tunc Celebrans*, *pag.* 66. Interim præeunte Cæremoniario ſine ulla reverentia manibus junctis, procedunt omnes ad Sacriſtiam eodem ordine, quo venerant ad Altare.

Cum Celebrans, & Miniſtri ad Sacriſtiam perveniunt, omnes ſimul ſeſe inclinant profunde Cruci, ſeu Imagini. Biſſ. *ſupr.* §. 13. & Benv. *ſup.* Tunc Miniſtri omnes nudo capite profundam faciunt Celebranti reverentiam, qui eis congrua capitis inclinatione reſpondet. Bauld. *part.* 3. *in hanc Rubr. cap.* 11. *art.* 9. *n.* 9. Biſſ. & Benv. *ſup.* poſtea accedunt ad deponenda paramenta, & Ceroferarii ſua candelabra, & candelas extinguunt. Biſſ. *ſupr.* Interim Cæremoniarius præſertim, & Ceroferarii, ſeu Acolythi, juxta multarum Eccleſiarum uſum, & non Miniſtri Sacri, adjuvent Celebrantem, & Miniſtros Sacros ad deponenda ſua paramenta, ut diximus in noſtris Obſervationibus ad *Rubr.* 5. *tit.* 2. & eaſdem veſtes, quas induendo oſculatus eſt Celebrans, & Diaconus, etiam nunc deponendo oſculentur. Caſtaldus tamen *lib.* 3. *c.* 9. 26. Bauld. *part.* 1. *c.* 15. Lohner *part.* 3. *tit.* 2. §. 2. *n.* 6. a Portu *ſup. n.* 5. §. *An Cæremoniarius primus*, Benv. *ſup.* §. *Tunc Celebrans*, *pag.* 67. aſſerunt Celebrantem a Miniſtris, Miniſtros velo ab Acolythis adjuvandos eſſe, dum paramenta deponunt: & advertit allegatus Benvenuti, quod Miniſtri Sacri deponunt prius manipulos, præcipue Diaconus; & ſic Celebrantem exuentem ſe, & paramenta deponentem adjuvat, & quæ oſculanda ſunt, ei oſculanda exhibet: verum ſi Miniſtri ſint Canonici, profecto hoc munus præſtare non debent, nempe adjuvare Celebrantem in deponendis paramentis. Poſtquam vero Sacerdos depoſuerit Sacras veſtes, decens eſt, ut lavet manus, miniſtrantibus aquam cum manutergio Acolythis: Biſſ. *ſup.* tandem genuflexus in loco congruo, gratias agit, ut in tabella. Angel. *part.* 3. *ſup.* §. *Depoſitis*. Demum Cæremoniarius cum Thuriferario, & Ceroferariis aſportant ex Altari, vel credentia ea, quæ ibi præparata fuerant pro Miſſa Solemni in Sacriſtiam, ubi ea plicant, ſi opus eſt, & recondunt. Bauld. *part.* 3. *ſup. n.* 10. *& part.* 1. *c.* 14. *art.* 4. *n.* 28. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 4. *c.* 1. *n.* 18. *&*

*cap. 6. n. 20.* a Portu *ſup.* Denique Clerici deponunt cottas cum debita modeſtia, Lohner *part. 4. tit. 8. n. 9.* & omnes poſtquam oraverint paululum, diſcedant in pace, vel in Chorum redeant, ſi opus ſit. Caſtald. *lib. 1. ſect. 7. cap. 3. n. 46. & cap. 5. n. 48.* Bauldry *part. 4. ſupra n. 10.*

## De his, quæ omittuntur in Miſſa pro Defunctis. XIII.

### RUBRICA.

1. *IN Miſſa pro Defunctis ante Confeſſionem* (o) *non dicitur Pſalmus, Judica me Deus; ſed pronunciata Antiphona, Introibo ad Altare Dei, & reſponſo a Miniſtro, Ad Deum, qui lætificat, &c. dicitur, ℣. Adjutorium noſtrum, & Confeſſio, cum reliquis, ut ſupra: cum Celebrans ad Altare incipit Introitum,* (p) *non ſignat ſe, ſed manu dextera extenſa, facit ſignum Crucis ſuper librum, quaſi aliquem benedicens:* (q) *Non dicitur, Gloria Patri, ſed poſt Pſalmum repetitur, Requiem æternam; nec dicitur, Gloria in Excelſis, nec, Alleluja, nec, Jube Domine benedicere, nec, Dominus ſit in corde meo,* (r) *nec oſculatur librum in fine. Non dicitur, Credo, non benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio, Deus qui humanæ ſubſtantiæ, &c. cum lavat manus, in Pſalmo, Lavabo inter innocentes, non dicitur, Gloria Patri. Ad Agnus Dei, non dicitur, Miſerere nobis, cujus loco dicitur, Dona eis requiem, nec tertio, Dona nobis pacem, cujus loco dicitur,* (ſ) *Dona eis requiem ſempiternam; neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, ſcilicet Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, &c.* (t) *nec datur pax. In fine non dicitur, Ite Miſſa eſt, nec, Benedicamus Domino, ſed Requieſcant in pace, &* (u) *non datur Benedictio; ſed dicto, Placeat, & oſculato Altari, dicitur, ut ſupra, In principio erat Verbum, &c. alia omnia, ut in aliis Miſſis.*

### GAVANTUS.

*S. Hieronym. epiſt. ad Aletium*: ſcribit de uſitato *Alleluja* in funere Defunctorum. *Alcuinus* autem *cap. de exequiis Mortuorum*, quem ſequitur *Amalar. lib. 3. cap. 44.* excludit a Mortuorum Miſſa omnem lætitiæ, & ſuavitatis ſignificationem; docetque fieri ad imitationem Officiorum, quæ aguntur in morte Domini. *Hugo Victor, de ſpec. Miſſ. obſervat. lib. 3. cap. 37.* Cantica lætitiæ, ait, de proximi tranſitu dolentibus non conveniunt. *Durandus* addit *lib. 3. cap. 35.* ſolemnitates, & Benedictiones quaſlibet a Miſſa Defunctorum ſubtrahi; ex quibus parent, quæ ſequuntur.

Pſalmi cum precibus dici ſolitis pro præparatione Sacerdotis ante Miſſam omitti quidem poſſunt, ſicuti prohibentur dici ab Epiſcopo ante Miſſam Defunctorum, *in Cærem. Pon. lib. 2. ſect. 2. cap. 26. & 28.* non autem omitti debent oſcula Crucis in amictu, manipulo, & ſtola induendis; qua de re dubitavere quidam, eo quod prohibentur oſcula rerum in Miſſa Solemni.

(o) *Non dicitur, Judica me Deus.* Quia non dicitur tempore Paſſionis Domini, ex regula prædicta.

(p) *Non ſignat ſe.* Facit Crucis ſignum, quaſi verſus Defunctum, ſeu Defunctos, pro quibus celebrat; ſiniſtra vero ſuper librum ponitur.

(q) *Non dicitur Gloria Patri &c.* Quia nec tempore Paſſionis, & quia ſolemnitatem ſonant hæc, & ſuavitatem.

(r) *Nec oſculatur librum.* Oſculum Evangelio negat *Durand. lib. 4. cap. 24.* neque dicendum erit, *Per Evangelica dicta*, ut *tit. 6. n. 2.* in ſimili caſu expreſſe notatur. Miniſter non oſculatur ampullas, quas Celebranti porrigit, eadem de cauſa, quæ modo dicta eſt.

(ſ) *Dona eis requiem ſempiternam.* Habet *Durand. ibid. cap. 52.* id eſt animæ & corporis gloriam, quia animæ ſolius ſine corpore non eſt quies ſempiterna.

(t) *Nec datur pax.* Unde omittitur Oratio de pace *Domine Jeſu Chriſte*, *Durand. lib. 7. c. 35.* quia, inquit, omittitur in triduo ante Paſcha mortis Chriſti: vel ideo non datur, quia non ſunt in turbatione hujus Mundi. *Idem lib. 4. cap. 53.* Vide aliam cauſam ſupra *tit. 10. n. 4. pag. 119.*

(u) *Non datur Benedictio.* Vide titulo præcedenti *n. 4.* Quid ſi fiat Communio Populi intra Miſſam? nulla tamen dari debet Benedictio, quæ intra Miſſam non datur, niſi ab Epiſcopo, ubi moris eſt.

#### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, ſuper iis, quæ omittuntur in Miſſis Privatis Defunctorum.

I. Gav. §. *Pſalmi cum precibus, &c.*) Quamvis liberum ſit Sacerdoti, Miſſam pro Defunctis celebraturo, dicere vel omittere Pſalmos cum precibus, qui dicuntur pro Miſſæ præparatione; tamen ſi dicantur, debet in fine Pſalmorum dici *Gloria Patri*: ita etiam non omittuntur oſcula amictus, manipuli, & ſtolæ, dum illis Sacerdos induitur, nec ſolitæ Orationes paramentorum. Bauldry *part. 3. tit. 13. n. 33* Tonellius *lib. 2. tit. 13. n. 1.* & Gav. *ſupra.*

II. Rubr. & Gav. lit. o - *Non dicitur, Judica me Deus, &c.*) Pronunciata Antiphona *Introibo ad Altare Dei*, non dicitur Pſalmus *Judica me Deus*, neque dicitur *Gloria Patri* ſubſequens Pſalmum prædictum; ſed Pronuntiata, & terminata dicta Antiphona, ſtatim ſubjungitur ℣. *Adjutorium noſtrum, &c.* & Confeſſio fit cum reliquis, ut *ſupra.*

III. Rubr. & Gav. lit. p - *Non ſignat ſe, &c.*) Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum Miſſæ, non ſignat ſe Cruce; ſed manu extenſa facit ſignum Crucis ſuper librum, efformando illud in aere; Polac. *part. 2. §. 12. in addition. n. 1.* Angel. *part. 2. cap. 16. n. 2. & part. 3. tit. 4. n. 2.* quaſi verſus Defunctum, aut Defunctos, pro quo, vel pro quibus celebrat, manu ſiniſtra interim depoſita ſuper librum aut Altare. Gav. *ſupr.* Lohner *part. 4. tit. 3. §. 2. n. 2.* Bauldr. & Angel. *part. 2. & 3 ſup.*

IV. Rub. & Gav. lit. q - *Non dicitur Gloria Patri, &c.*) Poſt Pſalmum omittitur *Gloria Patri*, & loco ipſius repetitur *Requiem æternam, &c.* omittitur autem *Gloria Patri*, quia Solemnitatem, & ſuavitatem ſapit, quæ debent excludi in tali Miſſa, ſicut in Miſſis Ferialibus tempore Paſſionis. Gavantus *ſupr.* Amalar. *lib. 3. cap. 44.* Dicitur autem in plurali, *Requiem æternam dona eis Domine*, quamvis celebretur, & applicetur Miſſa pro uno tantum Defuncto. Angel. *part. 2. cap. 16. n. 2.*

V. Rubric. *Non dicitur Gloria in excelſis, neque Alleluja, &c.*) & reliqua alia omittuntur, ſicut ſupra præſcribit Rubrica, quæ cum diſponat non eſſe benedicendam a Sacerdote aquam in Calicem fundendam; ita nec Miniſter debet oſculari ampullas, quas Celebranti porrigit. Gav. *ſup.* Cum lavat manus, in fine Pſalmi *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri, &c.* & loco *Gloria Patri* non ſubrogatur *Requiem æternam.* Angel. *part. 2. cap. 16. n. 10. & part. 3. tit. 7. n. 4.* Tonell. *lib. 2. tit. 7. Rub. 6. n. 3.* Bauldry *p. 3. tit. 7. Rubr. 6. n. 3.* Poſt Secretas dicitur ſemper Præfatio communis. Angelus *part. 2. cap. 16. n. 11.* Lohner *ſupra §. 2. n. 8.*

VI. Rubr. & Gav. lit. ſ - *Dona eis requiem ſempiternam, &c.* Ad *Agnus Dei* non dicitur *Miſerere nobis*; bis dicitur *Dona eis requiem*, & ſemel in fine *Dona eis requiem ſempiternam.* Dum Celebrans dicit *Agnus Dei*, non percutit ſibi pectus, ſed ſtat manibus junctis ante pectus, non ſuper Altare poſitis. Lohner *ſup.* Angel. *part. 2. & 3. ſupra*, & a Portu *part. 3. cap. 5. ad tit. 13. Rubr. 1. n. 15.*

Utrum autem poſt Communionem Sacerdotis in hac Miſſa, & ante vel poſt hanc Miſſam poſſit adminiſtrari Euchariſtia Fidelibus Miſſæ aſtantibus, videantur ea, quæ fuſo calamo pertractavimus in noſtris Obſervationibus, & Addit. *n. 28. & ſeqq. ſupr. ad tit. 10.*

VII. Rubr. & Gav. lit. u -- *Non datur Benedictio, &c.*) In Miſſis Defunctorum antiquitus ſolemne fuiſſe dari Benedictionem in fine, certiſſimum eſt, ut oſtendimus in noſtris Obſervat. & Addit. *n. 29. ad tit. 10.* unde valde recens eſt iſte Ritus non dandi Benedictionem in præfatis defunctorum Miſſis. Et revera Marcellus de Cavalleriis *in ſua ſtatera ſacra tit. 29. n. 48.* aſſerit in inclyto Prædicatorum Ordine ſtatutum fuiſſe Anno 1252. in Capitulo generali Bononiæ habito, non debere prætermitti talem Benedictionem: quod fuit in praxi, uſque ad Capitulum Romanum, excepto quando præſens erat defunctus. Sed poſtmodum ſtatutum fuit etiam apud ipſos omittendam eſſe talem Benedictionem; neque hoc fuerat, ut ipſe ait, Patrum Prædicatorum inventum: quia in aliis Eccleſiis mos ille præceſſerat; & Card. Bona, ut alibi etiam nos innuimus, prædictam Benedictionem in Miſſis Mortuorum, ſe legiſſe refert in quodam Miſſali MS. Imo reperiuntur etiam Miſſalia nonnulla impreſſa, de quibus mentionem fecimus loco ſuprac. continentia aſſertam Benedictionem in Miſſis Defunctorum: & dum hoc ſcribo, lego in Miſſali Romano Venetiis impreſſo Ann. 1560. hæc præciſa verba. In Miſſa pro Defunctis Sacerdos dicat *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen*: deinde benedicit Populum, & dicat, *Deus vita Vivorum, &c.* quapropter evincitur talis Benedictionis ſuſpenſionem non fuiſſe rite, & univerſaliter introductam, niſi poſt Romani Miſſalis recognitionem, & reformationem. Ideo autem ſuſpenſa fuit hæc Benedictio, quia in hac Miſſa omnes ſolemnitates, & ſigna lætitiæ ceſſare debent: & quidem Durandus *in ſuo Ration. lib. 4. cap. 51. n. 27.* adnotat, quod antiquitus in Miſſa pro Defunctis, Pontifex ſolemniter non benedicebat (quamvis in aliis Miſſis Vivorum, Benedictionem ante *Agnus Dei* impertiri ſoleret) tum quia in dicta Miſſa Defunctorum, omnes Solemnitates ceſſant; tum quia talis ſolemnis Benedictio non ſolum fiebat pro venialium deletione, verum etiam pro Populi excitatione, ut in Domini adjutorio confidat, & benedictum in Sæcula confiteatur (Defuncti vero velut abſentes excitari nequeunt, licet poſſint noſtris ſuffragiis adjuvari) tum quia gaudium non debet luctui admiſceri. Ob prædictas igitur rationes probabile eſt in Miſſalis Romani reformatione deletam fuiſſe præfatam Benedictionem in Miſſis defunctorum.

Confirmantur hæc omnia auctoritate Illuſtriſſimi Criſpi Archiepiſcopi in ſua erudita diſſertatione, Myſteriorum Evangelicæ legis, &c. edit Romæ Ann. 1734. ad cujus calcem, ait laudatus Auctor, nonnulla in Miſſis pro Defunctis omitti: partim quia Defunctorum Miſſæ, Privatæ erant antiquitus, & non Solemnes, ut cum Gavanto colligit ex Canone 4. Concilii Vaſenſis: partim quia Eccleſia militans in agenda Mortuorum purgantem Eccleſiam præ oculis habens, ab omni ſenſu lætitiæ merito abſtinet. Polaccus *c. 21.* pariter varias adducit rationes, ob quas in Miſſis Mortuorum non benedicitur aqua, non datur pax; & ait, ideo aquam non benedici quia Sacerdos

in-

Digitized by Google

intendit Sacrificium offerre pro Mortuis, non vero pro Vivis, quibus competit Benedictio. Ob ſimilem rationem non datur pax: quia Sacerdos principaliter intendit ſacrificare pro Mortuorum requie, & non pro Populi pace; & quia Defuncti non indigent pace temporali, cum ſint extra Mundi perturbationes, & prælia: ob eamdem rationem omittitur prima Oratio ante Communionem.

## R U B R I C A.

3 *In Miſſa Solemni non incenſatur Altare* (x) *ad Introitum; & Subdiaconus finita Epiſtola, non oſculatur manum celebrantis*, (y) *nec benedicitur. Diaconus non petit Benedictionem, nec oſculatur celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incenſum: ſed duo tantum Acolythi ſine candelabris ſtant unus a dextris, & alter a ſiniſtris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incenſatur liber, nec in fine celebrans; nec defertur liber Evangeliorum oſculandus.* (z) *Oblata, & Altare incenſantur ut ſupra incenſatur ſolus celebrans, & non incenſantur alii, Subdiaconus non tenet Patenam poſt celebrantem: ſed tempore elevationis Sacramenti, genuflexus in cornu Epiſtolæ*, (a) *illud incenſat. Miniſtri cum aliquid porrigunt celebranti in hac Miſſa*, (b) *non oſculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur?*

## G A V A N T U S.

Credentia vel nulla, vel ſimplex cum linteo brevi, & candelis accenſis ſuper ea.

(x) *Non incenſatur Altare*. Tradit *Durad. lib. 7. c. 34.* Quia in veteri lege, inquit, prohibitum fuit oleum, & thus pro peccatis offerri; mors autem eſt pęna peccati: parcius igitur in hac Miſſa thus adhibetur, dum ſemel tantum incenſatur Altare poſt oblata, & ſolus celebrans, non alii.

(y) *Nec benedicitur*, &c. Octo hæc manifeſte indicant Solemnitatem, & lætitiam, quando fiunt in Miſſa.

(z) *Oblata* &c. Incenſantur oblata, ut præparentur ad Conſecrationem; & cum iis Altare; quod etiam obſervatur in Paraſceve: Subdiaconus miniſtrat a ſiniſtris celebranti; & in oblatorum incenſatione, & in ablutione manuum, cum Diacono miniſtrat mappam ad tergendas celebrantis manus.

(a) *Illud incenſat*. Cum non teneat Subdiaconus Patenam, quæ Solemnitatis indicium eſt, debet incenſare Sacramentum in ejuſdem elevatione, ut a dignore Miniſtro non impedito id fiat; & ſtatim ſurgit ſtans in medio, ut alias.

(b) *Numquam oſculatur*, &c. Oſcula omnia, quæ ſuavitatem denotant, omitti debent ex prædicta *Alcuini* regula.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu Miſſæ Solemnis Defunctorum.

VIII. Gav. §. *Credentia*, &c.) Paretur Altare pallio nigri coloris ſine ullis figuris mortis, ac imaginibus; ſed ſola Cruce, & ſex candelabris materię obſcurę cum totidem candelis cerę communis. Cær. Epiſc. *l. 2. c. 11.* §. 1. Bauld. *par. 3. c. 13. n. 1.* Gradus ipſius Altaris ſint nudi, excepto, quod unum tapete nigri coloris ſuper primo gradu nempe ſuppedaneo apud ipſum Altare ponetur. Cerem. Epiſc. *ſup.* Bauld. *ſup.* Tabernaculum SS. Sacramenti, ſi ad ſit, velo violaceo, & non nigro tegendum eſt. Bauld. *ſup.* Credentia, quæ paratur in cornu Epiſtolæ, cooperiatur brevi mappa; ita ut non pertingat uſque ad terram, ſed aliquantulum circa illam dependeat: ſuper eam ponantur omnia, quæ pro celebratione Miſſæ requiruntur, excepto inſtrumento pacis, quæ in Miſſis Defunctorum non datur; & excepto velo oblongo, quia in his Miſſis eo non utitur Subdiaconus: ſi vero ſit facienda Abſolutio poſt Miſſam, ponatur ſuper credentiam etiam vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & Rituale Romanum. Bauld. *ſup. n. 2.* Biſſ. *lit. C, n. 553.* Gav. tamen *ſupr.* dicit quod credentia ſit ſimplex, vel nulla: ſed non videtur conveniens, quod nulla credentia præparetur; non enim decet omnia ſuper Altare ponere; præterea idem Gavantus vult, quod ſuper credentiam ponantur candelabra cum candelis accenſis; ſed quomodo poni poſſent, ſi nulla adeſſet credentia?

Tumulus vel etiam feretrum, ſive lectica Mortuorum, quæ appellatur etiam caſtrum doloris (niſi præſens eſſet corpus Defuncti) parari debet pro cantanda tali Miſſa, quotieſcumque hæredes velint ſumptus facere pro intortitiis. Præfatus vero tumulus præparetur in medio Eccleſiæ, vel in alio loco congruo pro diſpoſitione ſitus; & hinc inde deponantur ſcamna cum foraminibus, in quibus collocentur intortitia ardentia; vel loco ſcamnorum ponantur quatuor candelabra alta in quatuor angulis, vel plura, prout opus erit; & hoc ſemper ordinate, & decenter: & notandum, quod ſi ponantur ſupradicta ſcamna, poni poſſunt contigua tumulo: ſi vero ponantur candelabra, a ita diſtantia a tumulo ponantur, ut circa tumulum commode tranſire poſſint celebrans, & Miniſtri pro benedicendo, & incenſando tumulo dum fit Abſolutio, dummodo habeatur talis diſtantia loci, ut hoc bene fieri poſſit. Tumulus autem prædictus cooperiatur panno nigri coloris; imo multi utuntur eo panno cum Cruce rubea, quod non eſt reprobandum; ſicuti etiam poſſunt in eo panno inſeri imagines Mortuorum ad ornamentum. Baud. *ſup. n. 2.* & Biſſ. *lit. T, n. 84.*

In Sacriſtia parata ſint paramenta nigra pro celebrante, & Miniſtris, & Crux proceſſionalis pro abſolutione in fine Miſſæ; vel potius ponatur antequam Officium inchoetur, prope Altare ad partem Epiſtolæ, in loco congruo, & honeſto, Bauld. *ſup. n. 3.*

Hora competenti, vel dum Nona dicitur, celebrans facta brevi Oratione, omiſſis Antiphona *Ne reminiſcaris*, Pſalmis *Quam dilecta*, &c. ac Orationibus in aliis Miſſis dicendis antequam induatur; Cærem. Epiſcop. *lib. 2. c. 11.* §. 2. Bauld. *ſupr. n. 4.* lavat manus; & Cæremoniario, vel aliquo Acolytho de more adjuvante, induit ſe paramentis dicens Orationes ſolitas, & oſculando Crucem in medio amictus, manipuli, & ſtolæ (quod etiam obſervare debet in fine Miſſæ, dum illis ſe exuit, ut diximus *ſupr.* in Miſſa Vivorum) & ſimiliter Miniſtri, adjuvantibus Acolythis, parant ſe eodem modo, capientes reſpective dalmaticam, & tunicellam: Bauld. *ſup.* tum procedunt ad Altare, ut in aliis Miſſis Solemnibus; ſed Thuriferarius manibus junctis ſine thuribulo, & Navicularius ſine navicula: aliqui tamen cenſent Thuriferarium non debere præcedere, niſi gerat vices Cæremoniarii in ejus abſentia. Cæroferarii facta debita reverentia de more Altari, deponunt candelabra (quæ quamvis ad Evangelium non deferantur, nihilominus initio Miſſæ deferri debent, ut mos eſt, ad Altare; Vinitor *part. 4. tit. 23.*) quorum cerei toto Miſſæ tempore remanent accenſi. Gav. *ſupr.* Præfati Cæroferarii, depoſitis candelabris ſuper credentiam, ibi manent genuflexi, vel pergunt in Chorum, juxta conſuetudinem nonnullarum Eccleſiarum.

IX. Rub. & Gav. lit. x -- *Non incenſatur Altare*, &c.) Initio Miſſæ poſt Confeſſionem, non incenſatur Altare; ſed Miniſtri facta Confeſſione aſcendunt cum celebrante ad Altare, ubi de more genuflectunt, ac ſtatim pergunt ad cornu Epiſtolæ ad dexteram celebrantis, dum dicit Introitum, ut in aliis Miſſis. Bauld. *ſup. num.* 5. Biſſ. *tom. 2. lit. M. num.* 244. §. 3.

Ad Introitum celebrans non ſe ſignat, ſed cætera præſtat; alia vero omittit, ſicut diximus ſupra in Miſſa privata Defunctorum: Miniſtri Sacri nihil prorſus oſculantur in hac Miſſa Solemni; nec in Abſolutione ad tumulum, nec initio introitus ſe ſignant. Biſſ. & Bauld. *ſup.*

Acolythi, & Thuriferarius, Navicularis quoque, ſi adeſt, genuflectunt ad Orationes; ſicut etiam idem faciunt omnes de Choro, uſque ad finem ultimæ Orationis: excipitur tamen ab hac genuflexione Thuriferarius, ſi loco Cæremoniarii Subdiaconum comitari debeat ad Epiſtolam cantandam.

X. Rub. & Gav. lit. y -- *Nec benedicitur*, &c.) Subdiaconus in hac Miſſa non accedit ad celebrantem cum libro: quia in hac Miſſa non oſculatur illius manum, neque ab eo benedicitur: quare cantata Epiſtola, & facta genuflexione in medio infimi gradus cum Cæremoniario, huic tradit Subdiaconus librum, & eo abſente, Thuriferario: deinde accedens ad cornu Epiſtolæ transfert Miſſale celebrantis ad cornu Evangelii, facta genuflexione in medio, & aſſiſtit celebranti legenti Evangelium, prout de more. Bauld. *part. 3. c. 13. n. 6. & 7.* Biſſ. *ſup. n. 3.*

Celebrans non dicit *Jube Domine benedicere*, nec in fine Evangelii, *Per Evangelica dicta*, &c. quia non oſculatur librum, ut pręſcribit Rubrica ſuperior 1. in Miſſa privata Defunctorum. Si celebrans lecto ſubmiſſa voce Evangelio, velit ſedere (quod convenit quando eſt cantanda Sequentia) genuflectentibus, & præcedentibus uno poſt alium, celebrans accedit ad ſcamnum, & ibi cum Miniſtris ſuis ſedet. Si vero non ſedetur poſt Evangelium a celebrante lectum, Subdiaconus deſcendit in planum, & ſtat ibi inter medium Altaris, & cornu Evangelii, ut alias, uſque dum ſit finita Sequentia, vel Tractus. Bauld. *ſupr. nu. 7.* Biſſ. *ſup.*

XI. Rubrica *Diaconus non petit Benedictionem*, &c.) Si non ſit ſedendum, Diaconus, dum Celebrans legit Evangelium, portat librum, ut moris eſt ad medium Altaris: poſtea ibidem expectat paululum verſus cornu Epiſtolæ, ut alibi dictum eſt; & eo finito a celebrante, vadit poſt ipſum inter cornu Epiſtolæ, & medium Altaris in ſecundo gradu, & circa finem Tractus, qui cantatur a Choro; vel ſi dicatur Sequentia, uſque ad illum ℣. *Oro ſupplex*, &c. tunc enim genuflexus ante Altare ſuper ſuppedaneum, id eſt, ſuper altiorem gradum in medio, inclinatus verſus Altare, manibus junctis, dicit *Munda cor meum*, &c. Biſſus *ſupr.* §. 4. & *litera D num.* 123. §. 12. Si autem celebrans, & Miniſtri, ad Sequentia ſedeant, in eo caſu ad illum ℣. *Oro ſupplex*, Diaconus ſurgit (ſtantibus tamen aliis Miniſtris) & ſolus accedit ad Altare; ibique genuflexus ſuper infimum Altaris gradum, ut mox innuimus, dicit, *Munda cor meum*, &c. quo dicto aſcendit ad Altare, ubi accipit ambabus manibus librum (non petendo Benedictionem, neque oſculando manum celebrantis; ut tradit Rubrica *ſupra*) & interim Subdiaconus, & Cæroferarii ſine candelabris, accedunt ad Altare, & ibi, ſcilicet ante infimum Altaris gradum, cum Diacono faciunt ſuam genuflexionem; poſtea procedunt ad locum Evangelii, præcedente Cæremoniario ſine Thuriferario; niſi hic gereret vices Cæremoniarii, quia in hac Miſſa non incenſatur Evangelium. Dum vero Miniſtri procedunt ad locum Evangelii, celebrans accedit ad Altare in cornu Epiſtolæ per breviorem viam, id eſt, per laterales gradus Altaris, ubi ſtat



Digitized by Google

ſuper ſuppedaneum facie ad Diaconum verſa: ſi vero non ſedeat, tunc quando Miniſtri procedunt ad Evangelium, Celebrans, facta Cruci reverentia in medio Altaris, ſe recipit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtat converſus ad Diaconum, ut moris eſt in aliis Miſſis, uſque dum ſit finitum Evangelium.

XII. Rubric. *Duo tantum Acolythi ſine candelabris*, *&c.*) Acolythi autem ſine candelabris, dum Diaconus cantat Evangelium, ſtant a lateribus Subdiaconi, hinc inde vel manibus junctis, vel una ſupra aliam infra pectus poſitis; ſignant tamen ſe ſicut Diaconus; ſicut etiam Celebrans; & cæteri de Choro ſe ſignant.

XIII. Rubr. *Non incenſatur liber*, *&c.*) Diaconus antequam incipiat Evangelium, non incenſat librum; & terminato Evangelio non incenſat Celebrantem. Subdiaconus pariter non defert Celebranti Evangelium oſculandum; ſed reverſus cum ipſo Diacono ad Altare, genuflectit in loco, in quo eſt, a ſiniſtris Diaconi; & ſtatim tradit librum Cæremoniario, vel Thuriferario, ut ſuper credentia eum reponat. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 2. *num.* 2. Bauldry *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 2. *num.* 2. Diaconus vero facta genuflexione, aſcendit ad ſecundum gradum poſt Celebrantem; qui cantato Evangelio, ſtatim accedit ad medium Altaris; & Subdiaconus ſtat in plano poſt Diaconum, dum Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, *& Oremus*, ante Offertorium: quo dicto Diaconus genuflectit, & accedit ad dexteram Celebrantis. Subdiaconus item facta genuflexione vadit ad credentiam; ubi (non ſumpto velo oblongo, quo non utitur in hac Miſſa) ſumit, & defert Calicem coopertum cum omnibus ſuis ornamentis ad Altare; ita ut manu ſiniſtra apprehendat, & dexteram ſuper burſam Corporalium imponat. Caſtaldus *ſupra num.* 3. Subdiaconum ſequitur de more Acolythus, deferens ampullas vini, & aquæ; Bauldry *ſupra part.* 3. *cap.* 13. *num.* 11. Diaconus vero accipit burſam, & extrahit ex illa (quam ad cornu Evangelii collocat) Corporale, illudque explicat, reliqua peragendo de more: excipe, quod reponit Patenam aliquantulum ſub Corporale, prout in Miſſis Privatis. Caſtaldus *ſupra*, Bauldry *part.* 1. *capit.* 12. *artic.* 2. *numer.* 4. Subdiaconus in hac Miſſa non petit Benedictionem aquæ a celebrante, non dicit *Benedicite Pater reverende*; Caſtaldus *ſupra*, Bauldry *part.* 3. *capit.* 13. *numer.* 11. ſed infuſa aqua in Calicem, deſcendit, vadit ad locum ſuum; & facta genuflexione in medio Altaris ſuper infimum gradum, ſe confert ad ſiniſtram celebrantis, eumque adjuvat ex parte ſua (ſicut Diaconus ad incenſationem oblatorum) poſteriorem partem planetæ ipſius ſublevando, quia non eſt impeditus, cum Patenam non ſuſtineat in hac Miſſa. Bauldry *ſupra num.* 13. Biſſus *lit. M*, *num.* 159. §. 2.

XIV. Rubr. & Gav. lit. z -- *Oblata*, *& Altare incenſantur*, *&c.*) Poſito incenſo in thuribulo a celebrante, incenſatur oblata, & Altare more ſolito, & conſuetis Orationibus, adjuvante, ut diximus, etiam ipſo Subdiacono, tenendo ex parte ſua poſteriorem partem planetæ: finita autem Altaris incenſatione, ſolus celebrans incenſatur, & Epiſcopus ſi adſit, licet non ſit paratus: unus ex Acolythis, aut Cæremoniarius miniſtrat aquam, & pelvim ad lotionem manuum Celebrantis; & Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis, facie ad eum converſa, vel ad ſe ipſos, habentes Miniſtrum medium, & ſtantes ſuper gradum viciniorem ſuppedaneo, eidem celebranti manutergium pro manibus extergendis miniſtrant ſine oſculis. Deinde recedunt ad loca ſua, ſicut & celebrans, dicto Pſalmo *Lavabo* de more; & Diaconus ſtans poſt celebrantem reſpondet ſuo tempore, *Suſcipiat Dominus*, poſtquam celebrans dixerit *Orate fratres*; & poſtea vadit ſtatim ad locum ſuum, hoc eſt ad librum cum debitis genuflexionibus, & juxta ſolitum, ut folia vertat celebranti, & illi aſſiſtat.

Dum celebrans incipit Præfationem, Diaconus, qui acceſſit ad librum, facta genuflexione, redit retro poſt celebrantem, & ſtant ambo Miniſtri Sacri unus poſt alium, & cætera peragunt de more, ut de Miſſa Solemni dictum eſt; ea enim, quæ ibi dicta ſunt, non eſt cur hic repetantur.

Circa finem Præfationis iidem Miniſtri Sacri accedunt ad Altare cum debitis reverentiis (& in hac Miſſa de Subdiacono nullum dubium eſſe poteſt, quia non tenet Patenam) & dicunt cum celebrante *Sanctus*, *&c.* tum Subdiaconus deſcendit poſt celebrantem, & Diaconus ad librum accedit, & ſtat, ut in aliis Miſſis, Biſſus *lit. M*, *num.* 245. §. 9. Bauldry *ſupra num.* 15.

XV. Rubric. & Gavant. litera a -- *Illud incenſat*, *&c.*) Dum celebrans dicit, *Hanc igitur*, *&c.* Subdiaconus facta genuflexione unico genu Altari in ſuo loco, in quo eſt; Biſſus *lit. S*, *num.* 196. §. 17. accedit ad cornu laterale Epiſtolæ, ubi genuflectit ſuper infimum gradum; & accepto a Thuriferario thuribulo (Thuriferarius interim genuflectit in plano a ſiniſtris Subdiaconi; Bauldry *part.* 3. *ſupra cap.* 13. *n.* 16. *& part.* 1. *cap.* 13. *n.* 4.) cum debitis inclinationibus ante, & poſt utramque Elevationem, incenſat Sanctiſſimum Sacramentum, quia a digniori Miniſtro non impedito incenſari debet, ut notat Gavantus ſupra. Ante Elevationem, juxta ſententiam Bauld. *part.* 1. *cap.* 13. *n.* 3. *& part.* 3. *cap.* 13. *n.* 16. Subdiaconus miniſtrante Thuriferario cochlear, imponit incenſum ſine Benedictione in thuribulum: ſed juxta ſententiam Hippolyti a Porta *ſupra n.* 11. debet Navicularius id præſtare: & ita Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 11. §. 8. ubi ait: *Subdiaconus ad elevationem*, *impoſito per aliquem Acolytum thure in thuribulum*, *thurificabit SS. Sacramentum*: quapropter ſententia Bauld. non eſt admittenda, niſi ad ſummum, in defectu Navicularii, vel alterius Acolythi. Finita deinde elevatione Hoſtiæ, & Calicis, Subdiaconus reddit thuribulum Thuriferario, ac ſurgit, & genuflectit ibidem unico genu SS. Sacramento: deinde vadit ad ſuum locum in plano retro Celebrantem, ubi iterum genuflectit ſuper infimum Altaris gradum unico genu; ibique ſtat in plano uſque ad *Agnus Dei*, quia tunc aſcendit ad Altare, ut dicemus infra, Biſſus *ſupra* §. 17. Bauldry *ſupra n.* 17.

Diaconus vero, qui ad Elevationem juxta morem aliarum Miſſarum, miniſtravit Celebranti, facta elevatione Hoſtiæ, & Calicis, redit ad librum; Ceroferarii vero manent genuflexi cum intortitiis accenſis, juxta Gav. infra *Rub.* 3. *lit.* d, & communem praxim omnium Eccleſiarum uſque ad Communionem peractam: Thuriferarius autem cum debitis reverentiis redit in Sacriſtiam; & inde depoſito thuribulo, & aptatis carbonibus pro Abſolutione, vel Exequiis, redit ad credentiam, ubi genuflectit, prout pariter genuflectit totus Chorus. Bauldry *ſupra*.

Cum Celebrans dicit, *Et dimitte nobis*, ſolus Diaconus genuflectit in ſuo loco, unico genu, ac mox ſe recipit ad dexteram Celebrantis (Subdiaconus enim cum non habeat Patenam deferendam ad Altare, ſtare debet adhuc in ſuo loco) ubi inſervit eidem Celebranti; Biſſus *lit. M*, *n.* 244. §. 10. Bauld. *ſupra n.* 18. id eſt, Patenam purificatorio, & Corporali tectam, detegit, extergit, & ſine oſculis offert Celebranti; & Calicem detegit, & iterum tegit, quando opus eſt, & cum Celebrante adorat.

Ad *Agnus Dei* Subdiaconus, facta genuflexione unico genu, accedit ad ſiniſtram Celebrantis, & Diaconus erit ad dexteram ipſius; & ambo illud dicunt cum Celebrante, non percutientes pectora ſua. Tum iidem Miniſtri Sacri mutant locum cum debitis genuflexionibus unico genu, in receſſu, & acceſſu. Non datur pax in hac Miſſa, & in fine ejuſdem Diaconus non dicit *Ite Miſſa eſt*; ſed ad Altare converſus dicit, *Requieſcant in pace*, in plurali, licet Miſſa celebretur pro unico Defuncto, ut diximus ſupra de Miſſa Privata Defunctorum.

Cum Celebrans dixerit *Placeat tibi*, *&c.* oſculatur Altare, & deinde legit Evangelium S. Joannis de more, cum aſſiſtentia Subdiaconi, ut fit in alia Miſſa Solemni; & Diaconus pariter in hac circumſtantia ſe gerit, ut in alia Miſſa Solemni, omiſſis tamen oſculis, cum aliquid porrigitur Celebranti, neque oſculata ejus manu, ut præſcribit ſuperior Rubrica.

## R U B R I C A.

3 *Si diſtribuendæ ſunt* (c) *candelæ*, *diſtribuantur poſt Epiſtolam*, *& accendantur* (d) *ad Evangelium*, *ad elevationem Sacramenti*, *& poſt Miſſam dum fit Abſolutio*. (e) *Si habendus eſt ſermo*, *habeatur finita Miſſa ante Abſolutionem*.

## G A V A N T U S.

(c) *Candelæ*. Faces in Exequiis Defunctorum in uſu fuere etiam in Exequiis Beatæ Virginis Deiparæ; *ex Nicephoro lib.* 2. c. 22. in funere Cypr. *ex actis Pontii*; & circa funus Conſtantini *teſtatur Euſeb. lib.* 4. *in ejus Vita cap.* 66. ad ſignificandum animas vivere, & Defunctos filios lucis eſſe. Lege *Durand. lib.* 1. *de Ritu cap.* 23. Ex cera communi deberent eſſe, *ex Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 11. quæ luctum indicare videtur.

(d) *Ad Evangelium*, *&c.* Rite ardent ad Evangelium, quo geniti ſunt Defuncti; item ad elevationem Sacramenti, quo enutriti fuerunt; & ad Abſolutionem, qua in Cœlos evehi eoſdem deſideramus; qui autem ferunt intortitia ad Elevationem, non diſcedant, niſi peracta Communione, quia non eſt eo caſu ſtandum ab aliquo, ut ſupra diximus in Miſſa Feſtiva; & eodem modo candelæ a Clero accenſæ ardeant uſque ad Communionem: argumentum a ſimili ſumpto in Purificat. Feſto B. M. nam variæ Rubricæ ſe invicem declarant, & eadem eſt ratio utrobique in venerationem Sacramenti.

(e) *Si habendus eſt ſermo*, *&c.*) Orationes habebantur funebres, *ex Theod. lib.* 2. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 14. *& Nicephor. lib.* 12. *cap.* 11. *& aliis apud Durandum loc. cit.* ſed extra Miſſam, quia nunc ſunt Homiliæ Evangelii poſt ipſum habendæ.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XVI. Rubr. & Gav. lit. c -- *Candelæ*, *&c.*) Si diſtribuendæ ſint candelæ in Choro, quod accidit præſertim in Exequiis, aut in Abſolutione ad tumulum, diſtribuuntur per aliquem Miniſtrum poſt Epiſtolam.

XVII. Rubr. & Gav. lit. d -- *Ad Evangelium*, *&c.*) Ita tamen tempeſtive diſtribuantur dictæ candelæ, ut omnes ſint accenſæ, dum cantatur Evangelium. accenduntur etiam paulo ante Elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ut tempore Elevationis ſint accenſæ, & teneantur ſic ardentes, uſque ad Communionem incluſive. Gav. *ſupra*, Bauldry *part.* 3. *cap.* 13. *n.* 1. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 15. *n.* 2. Tandem accendantur hæ candelæ in fine Miſſæ ad Abſolutionem, ut dicemus infra, ſi facienda ſit talis Abſolutio. Poteſt deputari aliquis Miniſter, qui teneat in Choro Candelam accenſam pro accendendis candelis ad Evangelium, ad Elevationem item Sacramenti, & ad Abſolutionem: poterit etiam in loco remoto ſervari aliqua

can-

Digitized by Google

candela accenſa, ut ex ea commode poſſit lumen capi, Biſſus *lit. C n.62. §.1.* & *ibid* Bauld. *ſup. n.8.*

Hoc ſupereſt advertendum ad exactam explanationem ſuperioris Rubricæ, quod candelæ diſtribuendæ, de quibus ſupra, deberent eſſe de cera communi; Cærem. Epiſcop. *lib.2.cap.11.* & Gavant. *ſupra lit.c*, niſi voluntas hæredum, aut eorum, ad quos ſpectat, inclinaret ad ceram albam. Caſtald. *lib.2. ſect. 9. cap.5. n.2.*

XVIII. Rub. & Gav. lit. e -- *Si habendus eſt ſermo*, *&c.* ) Quando in hac Miſſa Solemni habendus eſt ſermo in laudem Defuncti, ſive Oratio funebris, non habeatur niſi finita Miſſa ante Abſolutionem: cum enim hujuſmodi ſermo non ſit de Evangelio, ſed de laudibus Defuncti, non debet fieri poſt cantatum Evangelium: & ante ſermonem, ad finem Miſſæ celebrans prius deponat caſulam, & manipulum, & accipiat pluviale; quod ſi deſit, ſtabit cum alba, & ſtola in modum Crucis, ſedens in ſuo loco, & cum eo ſedent etiam Miniſtri Sacri; qui tamen non deponunt paramenta, ſed manipulos tantum. Biſs. *tom.2. lit.S n.138.* Bauld. *ſup. n.* 20. Pulpitum, ſeu Cathedra panno nigro operiatur. Cærem. Epiſc. *lib.2. c.11. §.10.* Bauld. Biſs. *ſup.* & Gav. *inf. lit.* g Concinnator accedet veſtibus nigris indutus ſine cotta; & facta Oratione ante medium Altaris, nulla petita Benedictione ab Epiſcopo, ſi aderit, ſed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione pro qualitate perſonæ, aſcendet pulpitum; ubi facta iterum Epiſcopo, ſi adſit, reverentia, ſignans ſe ſigno Crucis (& non dicet ſalutationem Angelicam) ſtatim Sermonem incipiet. Ex Cærem. Epiſc. *ſup.* Caſtaldus, *lib.2. ſect.9. cap.6. n.3.* Biſs. & Bauld. *ſup.*

## R U B R I C A.

4 *Finita Miſſa, ſi facienda eſt* (f) *Abſolutio, celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ: ubi exuitur caſula, & depoſito manipulo,* (g) *accipit pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos* (h) *cum candelabris accenſis* (i) *defert Crucem, ſicut in Proceſſionibus,* (l) *præcedentibus duobus aliis Acolythis, uno cum thuribulo, & navicula incenſi, alio cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio: ſequitur celebrans, facta prius Altari reverentia, & Diaconus a ſiniſtris ejus. Subdiaconus cum Cruce ſiſtit ſe ad pedes tumuli, ſeu lecticæ Mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria.* (m) *Celebrans vero ex alia parte in capite loci inter Altare, & tumulum,* (n) *aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ, ita ut Crucem Subdiaconi reſpiciat: a ſiniſtris ejus Diaconus, & prope eum alii duo Acolythi deferentes thuribulum, & vas aquæ benedictæ. Interim cantatur Reſponſ. Libera me Domine; & circa illius finem celebrans ponit incenſum in thuribulum, benedicens illud more ſolito, miniſtrante Diacono naviculam; & finito Kyrie eleiſon, incipit intelligibili voce, Pater noſter: & ſecreto proſequendo reliqua, accipit aſperſorium de manu Diaconi: & facta Altari reverentia, comitante eodem a dextris, & tenente fimbriam anteriorem pluvialis, circumiens tumulum, aſpergit illum aqua benedicta, ter a parte dextra, & ter a ſiniſtra; cum tranſit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit: poſtea de manu ejuſdem Diaconi accipit thuribulum, & eodem modo, quo aſperſerat, incenſat; & rediens ad priſtinum locum, Diaconum tenente librum, junctis* (o) *manibus dicit.*

## G A V A N T U S.

(f) *Abſolutio.* Orabatur poſt Miſſam circa Defuncti cadaver, teſte *S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarc. & Victor. Uticenſi lib.2. de perſecut. Wandalica*: & hæc ſolemnis Oratio ita dicta a Victore, a noſtris dicitur Abſolutio; utraque enim locum habet poſt Miſſam.

(g) *Accipit Pluviale nigrum.* * Ante ſermonem accipit, ſi habendus eſt: *Cærem. Epiſcop. lib.2. cap.11.* quo deficiente maneat in alba, & ſtola in modum Crucis ante pectus *part. 1. tit. 19. n.4.* deponant & Miniſtri manipulum, ut in ſimili caſu *Cærem. Epiſc.* tradit *lib.2. cap.17.*

(h) *Cum candelabris accenſis.* Ad honorem Crucifixi afferuntur candelabra cum cereis.

(i) *Defert Crucem, ſicut in Proceſſionibus.* A Subdiacono defertur, ſicut de Cruce Papali ſcribit *Anaſtaſ. in Leone IV.* ubi ſignificat, Ritum eſſe antiquiorem; facies autem Crucifixi verſa ſit ante Subdiaconum, ita ut terga vertat eidem Subdiacono; ut diximus *loco nunc cit. n.3. & cauſa allata* 5. Imo vero ex hac Rubrica apertiſſime Ritus hic colligitur: nam celebrans Crucem, & faciem Subdiaconi eam geſtantis reſpicit, & conſequenter Crucifixi imaginem idem celebrans conſpicit, cui dum tranſit, inclinat; & imago Crucifixi terga vertit Subdiacono.

(l) *Præcedentibus duobus aliis Acolythis, &c.* Thuriferarii locus eſt ante Crucem ſemper, quaſi ſternens odore viam Crucifixo ſequenti: Hinc etiam collige, faciem Crucifixi reſpicere terga præeuntis Thuriferarii.

Alter cum aqua benedicta pariter cum eo procedit: quia in Exequiis Defunctorum thus, & aqua benedicta ſunt correlativa.

Incenſo thure Defunctos honorari debere, probat *Baron. Ann. 34. n.312. ex Actis Synodi Chalcedon.* Aqua vero benedicta aſpergi docet *Duran. ſupra cap. 35.* non ad tollenda peccata venialia, ſed ut omnis immundorum ſpirituum præſentia arceatur: fiunt etiam incenſationes ad eoſdem expellendos, *ex Innoc. III. lib.2. de Myſter. Miſſæ cap.17.* & ad pellendum odorem malum Defunctorum; *ex Beletho cap. 161.* & ut oſtendatur, quod Defunctus Deo obtulit ſe in odorem bonorum operum; ſeu quod Defunctis proſit Oratio, quæ eſt veluti incenſum. *Pſalm. 140.* Denique tam incenſatio, quam aſperſio adhibentur in ſignum ſocietatis, & Communionis Sacramentorum, quam nobiſcum habuerunt Defuncti, dum vixerunt: unde & *Dionyſ.* tradit, quod antiquitus vivi mortuos oſculabantur in ſignum unitatis, quam cum ipſis habuerunt, vel in ordine ad Deum, per hæc talia, Deo in Defunctis reverentiam exhibemus, quorum membra credimus fuiſſe templa Spiritus Sancti. *Durand. loc. cit.*

Dubitarunt aliqui, an benedicatur incenſum, quo immediate adolentur Defuncti? nam in antiquioribus Miſſalibus nihil præſcribitur, neque in modernis Cærem. Epiſcopor. & Rituali Parochorum: at in Miſſali recognito aperte jubetur hoc loco iis verbis: *Benedicens illud more ſolito*: quod triplici decretum eſt fundamento: primo, auctoritate *Cærem. Pap. lib. 1. ſect. 15. cap. 1.* ubi expreſſe jubetur benedici incenſum pro adolendis Defunctis: & adduntur verba, *Ab illo benedicaris, &c.* Deinde *ex Innoc. III. ſupra cit.* incenſatio hæc fit præcipue ad expellendos Dæmones; quæ ratio connotat Benedictionem thuris, & thuribuli; *ex Durand. lib. 1. de Rit. c.9. n.9.* Demum non aqua ſimplici, ſed benedicta Defunctos aſpergimus: ergo etiam thure benedicto erunt incenſandi: libri vero in oppoſitum citati non negant, ſed vel omittunt, vel ſupponunt tanquam uſitatum.

(m) *Celebrans ex alia parte.* * Dum deſcendit, habeat birretum in capite; *ex Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 11.* ubi agitur de Canonicis ad lecticam Mortuorum. Deinde capite detecto ſe ſiſtit, ut in Rubrica, *ex Cærem. Pap. lib. 1. ſect. 15. cap. 1.* non ad caput lecticæ imaginarium Defuncti; quod variari contingit in Sacerdotibus, & aliis; nam Sacerdotis caput verſus Altare eſſe debet; aliorum vero pedes verſus Altare, ut dicitur in *Rituali Rom. de Exequiis*: ſed celebrans debet eſſe ſemper inter Altare, & tumulum, ſeu lecticam Mortuorum abſente corpore; Subdiaconus contra Altare, ad pedes lecticæ, ſeu tumuli; præſente vero corpore ſervatur Rituale citatum.

(n) *Aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ.* Ne terga directe vertat Altari, & ut orans Sacerdos vicinior ſit Altari.

(o) *Junctis manibus, dicit.* Extra Miſſam dicuntur ſemper Orationes manibus junctis: ille namque Ritus eſt Miſſarum proprius, extendendi ſcilicet manus, ut ſupra diximus, initio Miſſæ. Oratio vero *Abſolve*, communiter dicitur, unde & Abſolutio vocatur; ſed poteſt etiam dici Oratio Miſſæ, ut in *Rituali Romano* præſcribitur; quod convenit præſertim in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando fiunt exequiæ Prælatorum: *Marcellus* tamen *in ſuo Cærem. Papali lib.2. cap.35.* conſtanter habet in Abſolutione Prælatorum Orationem *Abſolve*: quod mihi magis placet, addito dignitatis titulo, quam habebat Defunctus, nomini ejuſdem.

* Dum fit Abſolutio, ſi elevetur Sacramentum in aliquo Altari, neque celebrans, neque Miniſtri debent genuflectere, ne ſacra interrumpatur actio; & rectius fieret, ſi in ea elevatione pulſatio campanulæ omitteretur a Miniſtro.

## R U B R I C A.

* *Deinde celebrans faciens Crucem manu dextera ſuper tumulum, dicit, Requiem æternam, &c.*

## G A V A N T U S.

Et reliqua, ut in Miſſali, Cantores dicunt, *Requieſcant*, licet pro uno fiat Abſolutio, & præcedente Cruce reditur in Sacriſtiam.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritu ſervando in Abſolutione ad tumulum.

XIX. Rub. & Gav. lit. f -- *Si facienda eſt Abſolutio, &c.* ) Quando facienda eſt abſolutio ad tumulum, finito Evangelio S. Joannis, celebrans cum Miniſtris ſuis retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, facta prius reverentia Cruci Altaris in medio per ipſum, & genuflexione per Miniſtros; & deinde cum illis deſcendit per gradus laterales in planum, ubi deponit planetam, & manipulum, adjuvantibus Cæremoniario, & Miniſtris, vel Acolythis juxta ea, quæ diximus ſupra, quando egimus de induendo, vel exuendo Sacerdote in Miſſa Solemni: ſimiliter Miniſtri Sacri deponunt ſuos manipulos tantum; qui ſimul cum planeta celebrantis deponantur ſuper credentiam, vel in alio loco congruo, & eo deficiente, ſuper Altare; & mox aliquis Acolythus deſert pluviale nigrum pro celebrante. Biſs. *lit. A num. 45. §. 1.* Bauld. *part.3. c.14. n.1.*

XX. Rub. & Gav. lit. g - *Accipit pluviale nigrum, &c.* ) Celebrans autem, adjuvantibus iiſdem, qui ſupra, accipit pluviale nigrum; quo deficiente, ut diximus, remanet in albis, retinendo ſtolam ante pectus tranſverſam in modum Crucis: poſtquam aſſumpſit pluviale, tegit caput; Bauld. *part. 3. cap. 14. num. 2.* & accedit ad medium Capellæ ante Altare. Deinde Thuriferarius accipit thuribulum cum navicula incenſi; alius vero Acolythus accipit vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & Rituali.

XXI. Rub. & Gav. lit. h -- *Cum candelabris accenſis, &c.* )

Sub-

Subdiaconus vero poſt depoſitum manipulum accipit Crucem proceſſionalem ei ab aliquo Acolytho delatam; quam ſic tenet, ut imago Crucifixi ſit verſus populum, & ipſi Subdiacono terga vertat: deinde idem Subdiaconus, medius inter duos Ceroferarios cum Candelabris accenſis accedit per planum, ante medium Altaris, nulla prorſus facta reverentia ipſi Altari, neque a Ceroferariis, Thuriferarius etiam, & alius Acolythus cum vaſe aquæ benedictæ, aſperſorio, & Rituali, accedunt ad Altare poſt Subdiaconum, ubi unico genu Altari genuflectunt; tunc ordinatur Proceſſio ad feretrum ſequenti modo.

XXII. Rub. & Gavant. lit. l -- *Præcedentibus duobus Acolythis, &c.*) Præcedit Thuriferarius cum thuribulo in dextera, & navicula in ſiniſtra, habens a ſiniſtris alium Acolythum cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio, portantem etiam Rituale, niſi ab alio deferatur: poſtea ſequitur Subdiaconus habens Crucem modo ſupeadicto, medius inter duos Ceroferarios habentes candelabra cum candelis accenſis; deinde Cæremoniarius ſi adſit, poſtea Clerus ſuo ordine: Biſſus *lit. P, num.* 222. Bauld. *ſupra*: & ſi Chorus ſit retro Altare, Clerici exeunt bini, incipiendo a junioribus ſimul ex utraque parte, niſi Abſolutio eſſet facienda in Choro, vel ante eum, quia tunc Clerus in Choro manebit. Bauld. *ſupra num.* 3. & Biſſus *tom.* 1. *lit. C num.* 334.

XXIII. Rub. *Sequitur celebrans, &c.*) Poſt dictos omnes ſequitur celebrans qui facere prius debet Altari reverentiam, vel genuflectere Venerabili, ſi adſit in Tabernaculo; ſed antequam ſe inclinet, vel genuflectat, aperit caput, & iterum tegit, & ſic tectus procedit: ex Cæremoniali Epiſc. *lib.* 2. *c.*11 §. 14. & Gavantus *infra lit.* m, & Diaconus procedit a ſiniſtris ejus, genuflectens peius, aperto capite ſicut cæteri. Omnes autem antequam ab Altari diſcedaot, faciant Cruci ejuſdem debitam reverentiam, ſeu genuflexionem, præſertim vero ſi adſit SS. Sacramentum, exceptis tamen Subdiacono, & Ceroferariis; ſoluſque celebrans in hac Proceſſione, ut diximus, procedit tecto capite; & ſi contingar, quod ante SS. Sacramentum tranſeant, etiam ipſe ſicut cæteri omnes genuflectunt, ut mox innui.

XXIV. Rub. & Gav. lit. m - *Celebrans ex alia parte, &c.*) Cum pervenerint ad tumulum, ſive feretrum, Thuriferarius, & alius Acolythus cum vaſe aquæ benedictæ ſe locant prope tumulum a parte Epiſtolæ, ubi expectant celebrantem: ex Cærem. Epiſc. *ſupra* §.15. Bauld. *ſupra n.*4. Subdiaconus vero cum Ceroferariis per partem Evangelii progreditur ad pedes tumuli; ita ut ſit inter Eccleſiæ portam, & tumulum, in medio talis ſpatii, faciem convertendo contra Altare, & animadvertendo, ut relinquatur ſpatium celebranti, & Diacono quamprimum illac tranſiturus. Ex Cærem. Epiſc. *ſupra*, Gav. *ſupra*, Caſtaldo *lib.*2. *ſect.*9. *cap.*5. *nu.* 9. & Bauld. *ſupra*. Sed quia in Exequiis præſente corpore Defuncti, aliquando ponitur caput verſus Altare, ſi nempe Defunctus fuit Sacerdos; e contra vero corpora aliorum Defunctorum verſus Altare babent pedes; in bis caſibus Subdiaconus cum Cruce debet ſtare ad caput Defuncti, & celebrans ad pedes: Ex Cærem. Epiſcop. *ſupra* §. 15. *&* §. 24. & ex Rituali Rom. tit. de Exequiis: ſed hac de re paulo infra. Si autem corpus non ſit præſens, ſed tantum ſimplex tumulus; tunc ſemper Subdiaconus ſtet inter portam Eccleſiæ, & tumulum; celebrans vero manet ex alia parte in capire loci inter Altare, & eumdem tumulum, aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ; ita ut Crucem Subdiaconi reſpiciat, tenendo a ſiniſtris ejus Diaconum, & paulo retro prope eum alios duos Acolythos deferentes thuribulum, naviculam, & vas aquæ benedictæ. Gav. *ſupra* ex Cærem. Epiſc. Deinde celebrans ſtatim aperit caput, tradendo birretum Diacono; Clerus vero ſe diſponat circa tumulum hinc inde a lateribus; ita ut ſeniores, ſeu digniores ſint celebranti propinquiores, juniores autem Cruci viciniores. Rubrica ſuperior, Gav. Biſſus *ſupra*; & Bauld. *part.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. *& ſeqq.*

Diximus ſupra, quod Subdiaconus deferens Crucem, quando Defunctus eſt præſens, ſemper ſtare debeat ad caput ejuſdem Defuncti quicumque ille ſit: verum juxta noſtrum Caſtaldum in Cæremoniali noſtræ Congreg. *lib.* 2. *cap.* 39. idem Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios, ſi Defunctus ſit Saceedos, ſiſtere debet ad pedes contra Altare, non vero ad caput: unde juxta eumdem Auctorem, & praxim etiam omnium fere Eccleſiarum, ut aſſeverat Baruffaldus infra citandus, ſemper præfatus Subdiaconus ſiſtit eodem loco; ita ut ſtet cum Cruce contra Altare, numquam vero humeris ad Altare verſis, & facie contra Populum, ſeu januam Eccleſiæ; quam praxim, & diſpoſitionem rejicere non poſſum: nam ſi Subdiaconus ſiſteret ſe in caſu Sacerdotis Defuncti ad caput ipſius, terga verteret Altari, & Cruci ejuſdem, quod indecens, & deforme videtur: & ob hanc rationem in hanc noſtram ſententiam inclinat etiam Baruffaldus *tit.*36. *n.*150. ubi ſupponit idem aſſeri etiam a noſtro Gavanto hoc loco *lit.* m, ſed revera Gavantus expreſſe loquitur de loco, quo ſiſtere debet Subdiaconus abſente cadavere: dicit enim, quod -- Celebrans debet eſſe ſemper inter Altare, & tumulum, ſeu lecticam Mortuorum abſente corpore; Subdiaconus contra Altare ad pedes lecticæ, ſeu tumuli: præſente vero corpore ſervatur Rituale citatum -- Hæc ſunt verba præciſa Gavanti, qui revera videtur ſtare pro opinione nobis contraria, cum Rituale Romanum in titulo de Exequiis præſcribat, quod Subdiaconus *Accedit ad feretrum, & ſe ſiſtit ad caput Defuncti cum Cruce, &c.* qooniam vero, ut ſupra diximus, quando cadaver eſt Sacerdotis Defuncti, ejus caput eſt verſus Altare, inhærendo diſpoſitioni Ritualis Romani; peima fronte videtur abſolute ſtatui debere, quod tunc Subdiaconus cum Cruce debeat ſtare ad caput dicti cadaveris, & conſequenter terga vertendo Altari; ſed verba Ritualis Romani non ita rigoroſe interpretanda ſunt: leges enim humanæ, ut diximus ſupra *tit.* 4. in noſtris Obſervationibus *n.* 3. quando aliquid præſcribunt, non ſunt accipiendæ pro boc, vel illo caſu particulari, ſe pro communibus caſibus; attendunt etenim id, quod communiter contingit: & bæc eſt communis reſolutio in materia de legibus; ut docet Fagundez de præcept. Eccleſ. *lib.*3. *cap.*2. *num.* 8. Ex quo igitur Defuncti communiter ſunt perſonæ ad gradum Presbyteratus non evectæ; binc ſtatuit Rituale, quod Subdiaconus debet ſtare ad caput Defuncti: & quamvis in uno vel altero caſu Subdiaconus non ſiſtat ad caput Defuncti, adhuc lex in Rituali Romano ſtatuta obſervatur: quia, ut dixi, leges attendunt, quod communiter contingit; & ideo ſimpliciter latæ cenſentur veræ, quamvis in uno vel altero caſu deficiant.

XXV. Ruh. *Interim cantatur Reſponſorium, Libera me Domine, &c.*) Diſpoſitis Miniſtris, & aliis de Clero, ut ſupra, tunc, & non prius, incipiunt Cantores, *Libera me Domine* (ſtantibus omnibus capite diſcooperto, etiam celebrante) ℣℣. vero hujus Reſponſorii dicantur a duobus Cantoribus ab utraque parte, Biſ. *lit. A n.*45. §.2. Bauld. *ſup. n.* 7. Circa finem Reſponſorii Diaconus, & Thuriferarius genuflectunt Altari, & accedunt ad dexteram celebrantis, qui celebrans imponit ter de more incenſum, illud benedicens manu, dicente peius Diacono, *Benedicite Reverende Pater*; ipſo vero Celebranre dicente; *Ab illo benedicaris, &c.* illudque benedicit modo ſolito: Gav. *ſup. lit.* I. §. *Dubitarunt aliqui litera D n.* 130. Bauld. *ſup.*

XXVI. Rub. *Finito Kyrie eleiſon, Sacerdos, &c.*) Finito Reſponſorio, Cantor cum primo Choro dicit *Kyrie eleiſon*, & ſecundus reſpondit *Chriſte eleiſon*, deinde omnes ſimul dicunt *Kyrie eleiſon*: poſtea celebrans dicit clara voce *Pater noſter*, & ſecreto proſequitur cætera, ſicuti proſequi debent omnes: intonato autem prædicto *Pater noſter*, Celebrans accipit a Diacono aſperſorium ſine oſculis, deinde pergit ad aſpergendum feretrum, habens eumdem Diaconum a dextris elevantem anteriorem partem pluvialis, & tenentem ipſam ſiniſtra manu per fimbriam (ſi adſit Cæremoniarius poterit in hac actione celebrantem præcedere genuflectens Altari, & Cruci, quando anre illa tranſit; & idem facere debet Diaconus; Acolythus vero, & Thuriferarius miniſtrant neceſſaria, non diſcedentes a propriis locis) ſic celebrans facta reverentia Altari, vel genuflexione SS. Sacramento, ſi ibi adſit, procedit circumiens feretrum per latus ſuum dexterum, ter aſpergens illius feretri latus dexterum, ſcilicet in capite, in medio, & in pede: & deinde ter aſpergit ſiniſtrum latus ejuſdem tumuli eodem Ritu; & quando tranſit ante Crucem Subdiaconi profunde ſe inclinet: Diaconus vero, ut dixi, genuflectit; & advertat dum tranſit per partem, in qua eſt Crux, ut tranſeat inter feretrum, & Crucem. Ex Cærem. Epiſc. *ſupra* §.18.

Poſtquam celebrans aſperſerit feretrum, reddit aſperſorium Diacono, ubi prius illud ab eo accepit; & ibidem de manu ejuſdem accipit thuribulum, & incenſat feretrum, circumiens eo modo, quo diximus de aſperſorio, nimirum ter in qualibet parte laterali tumuli thuribulum ducens.

XXVII. Rub. & Gav. lit. o -- *Junctis manibus dicit, &c.*) Sacerdos completa incenſatione feretri, reddito prius thuribulo Diacono, facit debitam reverentiam Altari (Diaconus vero ſemper genuflexionem) ſtans in ſuo loco, ut prius, verſa facie ad Crucem Subdiaconi, & eodem Diacono tenente librum apertum ante eum, paululum tamen a ſiniſtris ejus (ut habetur ex Rituali Romano) dicit junctis manibus, *Et ne nos inducas in tentationem*, & alia, quæ in Rituali, aut Miſſali babentur: poſtea, item manibus junctis, dicit, peæmiſſo *Oremus*, vel Orationem *Abſolve*, vel Orationem, quæ dicta fuit in Miſſa; Biſſus *lit. A n.*45. §.6. in quibus quando ſunt Exequiæ Sacerdotum, & Prælatorum, ſerventur ea, quæ tradit Gavant. *ſupra* Terminari debent autem prædictæ Orationes brevi concluſione, dicendo, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*; & reſponſo *Amen* a Choro, celebrans, faciens Crucem manu dextera ſuper feretrum (interim Diacono elevante anteriorem fimbriam pluvialis a dexteris) ſiniſtra pectori admota, dicit, *Requiem æternam*; *&c.* ac mox Cantores cantant *Requieſcant in pace* in plurali, quamvis abſolutio fiat pro uno tantum; Gavantus *ſupra in fine*; & Chorus reſpondet *Amen*. Reſponſo autem *Amen*, omnes eodem ordine, quo ab Altari venerant, ad tumulum recedunt, inclinantes caput Cruci proceſſionali, cum tranſit ante ipſos. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 5. Interim cerei in Altari, & in tumulo extinguuntur, & omnes ad Sacriſtiam ſe recipiunt, faciendo debitas reverentias, vel genuflexiones reſpective, prout convenit, & ſupra diximus, exceptis ſemper Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis cum candelabris.

Si elevetur SS. Sacramentum, dum fit Abſolutio, ſerventur ea, quæ tradit Gavantus *ſupra* §. *Dum fit Abſolutio*: Tonellius tamen in tali caſu, vult Sacerdotem cum Miniſtris debere genuflectere, niſi aſpergat, vel incenſet tumulum, aut dicat ℣. & Orationem. Quarti vero *part.* 2. *tit.* 13. *dub.* 3. docet, Sacer-

cerdotem in ſimili caſu debere genuflectere, etiamſi actu aſpergat tumulum, vel incenſet: quam tamen ſententiam improbat Biſſ. *lit. G*, *n.26.* §.2. & ibidem convellit rationes a Quarti productas, in confirmationem ſuæ ſententiæ.

Si non adſit lectica, ad quam eundum ſit in fine Miſſæ, celebrans dicto *Placeat tibi*, ante Evangelium S. Joannis, accedit ad cornu Epiſtolæ; ibique ſuper ſuppedaneum, depoſita planeta, & manipulo ſuper Altare in cornu Epiſtolæ, ſi non adeſt credentia, vel ſi alius locus commodior, juxta Cærem. PP. Eremitarum S. Auguſtini *part.1. c.19.* capit pluviale nigrum, ut ſupra (itemque Miniſtri Sacri deponunt manipulos tantum) & ſtans ibidem, converſus ad Altare, expectat finem Reſponſorii, *Libera me Domine de morte æterna*, quod cantatur a Choro, ſtatim ac ab eo reſponſum fuerit *Amen* poſt *Requieſcant in pace* ante Evangelium S. Joannis: interim Acolythi extendunt pannum nigrum in plano ante medium Altaris. Biſſ. *lit. A*, *num.* 47. §.1. Bauld. *ſup. n.12.* a Portu *part.3. c.6. de Miſſ. Solem. Defunct. tit. 13. Rub.4. in adnot. n.* 28. §. *Ubi non erigatur*. Tum unus Acolythus accipit vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, alter thuribulum cum navicula, & ambo ad cornu Epiſtolæ accedunt, ubi circa finem Reſponſorii celebrans ponit, & benedicit thus in thuribulo, miniſterio Diaconi ſine oſculis, ut diximus ſupra, Bauld. *ſup.* Biſs. *ſup.* §.2. & a Portu *ſup.* Reſponſorio finito, & dicto ultimo *Kyrie eleiſon*, ut ſupra, celebrans adhuc ſtans in prædicto cornu Epiſtolæ verſus Altare, ſeu ſuper ſuppedaneum, facie verſa ad candelabra, intonat clara voce *Pater noſter*, quod ſecreto proſequitur: & interim Thuriferarius, & Acolythus de vaſe aquæ benedictæ, accedunt cum debitis reverentiis, quaſi ad cornu Evangelii per planum; & aſcendunt ad ſecundum gradum, ubi miniſtrant alternatim Diacono aſperſorium, & thuribulum; & celebrans accedens ad medium Altaris cum Miniſtris Sacris, ubi facta reverentia Cruci, vertit ſe verſus illum pannum nigrum extenſum in plano; & ita ſuper ſuppedaneum, medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris: ibi accipit de manu Diaconi aſperſorium, eoque aſpergit pannum ter, in medio, a dexteris, & a ſiniſtris panni; redditoque aſperſorio, capit thuribulum, & ter ſimiliter thurificat eo modo, quo aſperſit. Bauld. *ſup. n.* 13. Biſſ. *ſup. n.* 2.

Quo facto, iterum revertitur ad cornu Epiſtolæ verſus Altare; & libro ſuper illud cornu poſito, dicit alta voce ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*, & alios ℣℣. & Orationem, ut in Miſſali, ſeu Rituali. Dicto autem a Cantoribus, *Requieſcant in pace*, accedens adhuc cum pluviali ad cornu Evangelii facta prius in medio Altaris reverentia) ibique ſignans Altare, aut tabellam, & ſe ipſum, dicit more ſolito Evangelium S. Joannis: quo dicto, factis debitis reverentiis Altaris medius inter Diaconum, & Subdiaconum (quia habet pluviale) fimbrias anteriores ipſius pluvialis tunc elevantes, præcedentibus Acolythis, & aliis de Clero, vadit ad Sacriſtiam, ubi ſe exuit, ut in aliis Miſſis. Biſſ. *ſupr.* §.3. Bauld. *ſupr. num.* 14. & a Portu *ſup.*

Quando fit prædicta Abſolutio pro Defunctis in fine Miſſæ, & non adſunt Miniſtri Sacri; debent adhiberi ſaltem quatuor Acolythi, qui inſerviant celebranti, vel etiam pauciores, ſi tot haberi non poſſint: quare poterunt tunc omitti Ceroferarii, & ad caput Defuncti ſufficiet unus Acolythus cum Cruce; quæ Crux etiam in caſu, quo hic Acolythus haberi non poſſet, poterit ad caput Defuncti, vel feretri collocari in aliquo pede, peta marmoreo; & ita ſufficient duo Acolythi, qui inſerviant celebranti; quorum unus porriget celebranti aſperſorium, & alter thuribulum; & qui de thuribulo inſerviet, ſuſtinere debebit librum, id eſt Rituale, dum celebrans leget Orationem: item iſti Acolythi reſpective elevant fimbrias pluvialis celebrantis, dum circuit tumulum, Acolythus ſcilicet, quando aſpergit, & Thuriferarius quando incenſat, genuflectentes Altari, & Cruci, quando ante eam tranſeunt. Bauld. *ſup. nu.* 15. Biſs. *lit. A n.*48. Vinitor *ſup.* §.14. a Portu *ſup.*

In Exequiis autem Defunctorum, nempe præſente cadavere, antequam Cantores intonent *Libera me Domine*; Sacerdos recitat precem illam, quæ habetur in Rituali Romano, & quæ incipit per verba: *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine*, *&c.* quæ immutata ſemper remanent; unde etiamſi Defunctus ſit fœmina, vel ſint plures Defuncti, non dicitur *Cum ſerva tua Domine*, vel *Cum ſervis tuis*: & ita declaravit S. R. C. in Decreto edito 31. Auguſti 1697. & dato in noſtro Indice *ſub n.*518.

* De his, quæ addenda ſunt in Miſſa, quæ celebratur ad Altare, in quo expoſitum eſt SS. Sacramentum XIV.

*G A V A N T U S.*

1. DEſideratur hic titulus in Rubricis Miſſalis a multis; de quo hoc loco, ne deſideretur amplius, in hiſce Commentariis: ſed in *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *c.* 12. optime monemur ex antiquorum documentis, ut abſtineamus a Miſſa celebranda coram Sacramento, etiam in ſuo Tabernaculo occluſo: quod ſi ferat neceſſitas, vel ſuadeat alia juſta cauſa, puta, infra Octavam Corporis Chriſti, & Romæ in fine publicæ Orationis 40. Horarum; eo caſu genuflexiones omnes, & actus reverentiales debiti, diligenter ſunt obſervandi, quos variis in libris Ritualibus præſcriptos, & ſparſim, hoc loco collegimus.

2. In primis igitur illud eſt notandum, quod pro exponendo Sacramento in Altari pro initio 40. Horarum vel ſpiritualium exercitationum, cantari debet Miſſa Votiva de Sacramento, quæ habetur circa finem Miſſalis; non autem Feſtiva Corporis Chriſti (niſi infra Octavam ejuſdem Feſti caſus accideret) & tempore Paſchali addendum erit *Alleluja*, ut fit in aliis Votivis Miſſis.

3. Dicitur una tantum Oratio, cum *Gloria*, *Credo*, & Præfatione de Nativitate, quia ſolet eſſe publica cauſa; non autem privatis Miſſis hæc conveniunt.

4. Si vero accidat in Feſto primæ, vel ſecundæ Claſſis, ſive in Dominica privilegiata primæ, vel ſecundæ Claſſis; tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Miſſæ, altera de Feſto, ſeu Dominica poſt Tertiam, altera Votiva de Sacramento poſt Nonam; vel una cantetur de die cum Commemoratione SS. Sacramenti; quod Romæ fit in Capella Papæ in prima Dominica Adventus, & in aliis diebus Feſtis ſolemnibus in Eccleſiis majoribus Urbis.

5. In ingreſſu celebrantis, & Miniſtrorum ad Altare, in quo patet Sacramentum, omnes debent genuflectere in plano Capellæ utroque genu; facta vero Confeſſione, aſcendunt ad Altare; ubi deinceps genuflectunt unico genu, ut expeditiores ſint; & celebrans dicit, *Oramus te Domine*, ut alias.

6. Incenſatio Altaris fit de more, ſtante Sacerdote, dum benedicit incenſum, quod item de more benedicitur: *ex Cærem. Epiſc. lib.*1. *c.*23. quia Altare, & celebrans etiam thurificari debent. Pro Cruce, quæ adeſſe non debet, incenſatur Sacramentum a celebrante ſuper altiorem Altaris gradum cum Miniſtris genuflexo: neque Diaconus oſculari quidquam debet in hac Miſſa, quod tradi debeat celebranti; neque manus item celebrantis in traditione rerum, ob apertam præſentiam SS. Sacramenti; quod expreſſe dicitur in *Cærem. Epiſc. lib.*2. *c.*33. *Abſque oſculo*, *inquit*, *cochlearis*, *& manus*: quidquid contra ſcripſerit recentior: inclinat autem celebrans genuflexus caput ſuum profunde ante, & poſt incenſationem Sacramenti.

7. Cum incenſandus eſt celebrans, reddito thuribulo in cornu Epiſtolæ, ut moris eſt, deſcendit, & ſiſtit ſe apud idem cornu, facie verſa ad Populum, advertens, ne dum movet ſe, terga vertat Sacramento; & ibi a Diacono e contra ſtante in plano Capellæ incenſatur: quod erit quoque obſervandum in altera incenſatione ad Offertorium: & ibidem lavabit manus: eadem enim eſt ratio exeundi extra Altare tam pro incenſatione, quam pro ablutione manuum celebrantis: & utrumque ſervatur in Urbe.

8. Accedens ad medium Altaris, & recedens a medio, vel tranſiens ante medium, toties quoties ſemper genuflectit celebrans unico genu; quod & Miniſtri obſervant.

9. Convertens ſe ad Populum dicturus, *Dominus vobiſcum*, ſeu alia, facta genuflexione poſt oſculum Altaris, ſiſtit ſe renibus verſis ad Evangelii cornu: tum facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum ſeu Altare.

10. Diaconus, & Subdiaconus non omittunt tamen oſculum manus celebrantis in fine Epiſtolæ, & ante Evangelium; quod alias fit de more.

11. Si concinnandum eſt a celebrante, fiat ab eo ſtante in cornu Evangelii, & aperto capite: Miniſtri ad ejus dextram ſtabunt extra cornu Evangelii.

12. In incenſatione oblatorum benedicit incenſum de more, & ſine genuflexione incenſat oblata: tum genuflexus ſuper altiorem gradum, ut ſupra, incenſat Sacramentum, ut initio Miſſæ. Diaconus non amovet Calicem de medio, quia nullum eſt periculum effuſionis ejus.

13. Dicitur *Orate fratres* a celebrante, ubi *Dominus vobiſcum*: ſed non perficitur circulus, ut habetur in *Miſſali Feria 6. Paraſceves*; rurſuſque genuflectitur, quia reditur ad medium.

14. Reliqua uſque ad Communionem incluſive, fiunt ut in aliis Miſſis: a Communione ad finem Miſſæ fiunt genuflexiones, & converſiones ad Populum; ut *n.* 8. *&* 9. dictum eſt.

15. In Benedictione Populo danda, dicto *Omnipotens Deus*, genuflectit celebrans, & in latere Evangelii benedicit: non perficit circulum, neque in medio genuflectit; ſed in eodem latere converſus ſtatim ad Altare, ſignat librum, ſeu tabellam Evangelii ultimi: non Altare, quamvis Sacramentum eſſet altius Altari: eſt enim ac ſi eſſet in Altari.

16. Recedit cum Miniſtris ab Altari cum genuflexione in plano Capellæ utroque genu facta: vel ſi facienda eſt Proceſſio pro fine Orationis publicæ, facta prope Altare genuflexione in medio, deſcendit extra cornu Epiſtolæ; ubi depoſitis manipulis a ſe, & a Miniſtris cum clauſula, induit celebrans pluviale, & cætera facit, quæ ad Proceſſionem ſpectant; de qua nos infra *part.4. tit.12. n.3. & ſeqq.* quibus illud hoc loco adde, incenſandum eſſe prius Sacramentum, quam deponatur de loco ſuo ſuper Altare, ſi imponendus eſt Orationi finis.

17. In Miſſa privata (quæ tamen quam parciſſime celebranda erit in Altari, in quo Sac. Euchariſtia eſt expoſita) eadem obſevari debent, quæ ſupra diximus, demptis iis, quæ ſunt propria Solemnis Miſſæ.

18. Neque illud omittatur, quod præſcripſimus de manuum ablutione extra Altare. Quidam ſumunt ablutionem digitorum, antequam redeant ad medium Altaris, ad majorem erga Sacramentum reverentiam: ſed non video irreve-

ren-

rentiam: ſed non video irreverentiam in ſumenda purificatione Calicis in medio Altaris: ergo neque digitorum: quare placet ex communiori uſu Ritus communis omnibus Miſſis.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti textum.

I. Gav. n. 2 - *Pro exponendo Sacramento in Altari pro initio quadraginta Horarum, &c.*) Quoniam hic Gav. agit de expoſitione SS. Sacramenti, quæ fit in Oratione quadraginta Horarum; idcirco ejus veſtigiis inhærendo, etiam nos hoc loco addemus omnia ea, quæ ſpectare poſſunt ad exactum Ritum talis functionis; & cum recentiſſime edita fuerit *juſſu* Clem. XI. ſ. mem. de Anno 1705. die 20. Jan. quædam *inſtructio*, quæ petitur etiam in ſuo Bullario, & quæ ſub aliis Pontificibus ſucceſſoribus Innoc. & Benedicto XIII. necnon Clem. XII. re[...] preſſa, & ab omnibus Eccleſiis in Urbe, ad praxim ded[...] fuit; hinc ut omnes aliæ Eccleſiæ etiam extra Urbem per[...] inſtruantur de Ritibus, & Cæremoniis, quæ in prædicta [ex]poſitione ſervari debent; congruum, & valde utile arbitra[...] ſubnectere copiam exactam talis inſtructionis, impreſſam [ty]pis Rev. Cameræ Apoſtolicæ 1730.

# ISTRUZIONE, ED ORDINI

## *Da oſſervarſi nell'Orazion continua di Quarant'ore coll'Eſpoſizione del SS.* SACRAMENTO *per li biſogni di S. Chieſa, ſecondo la pia mente de Sommi Pontefici, confermata, e pubblicata di nuovo per ordine di N.S. Papa* CLEMENTE XII.

## Proſpero del Titolo di S. Silveſtro in Capite della S.R.C. Cardinale Mareſcalchi della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale, &c.

*ESſendo ſtate fatte fin dal tempo dell'introduzione dell'Eſpoſizione del SS. Sacramento per l'Orazione continua di Quarant'ore diverſe provviſioni ſpettanti al decoro di detta ſagra funzione, acciò le medeſime venghino eſattamente oſſervate, e ſi rimova qualche abuſo introdotto in alcune Chieſe; d'ordine eſpreſſo della Santità di Noſtro Signore, datoci coll'oracolo della ſua viva voce, ordiniamo, e comandiamo, che in tutte le Chieſe di queſt'alma Città, tanto Patriarcali, quanto Collegiate, e Parocchiali, ed in ogni altra Chieſa ſì de' Secolari, come de' Regolari, in qualſivoglia modo privilegiata, e degna di ſpecial menzione, in cui ſi farà la ſuddetta Orazione di Quarant'Ore, ſi oſſervi inviolabilmente quanto ſi preſcrive nella preſente noviſſima iſtruzione, ſotto le pene infraſcritte.*

*I. Si metterà ſopra la porta della Chieſa, dove ſarà l'Eſpoſizione, un ſegno del SS. Sagramento ornato di feſtoni, come pure a capo della ſtrada vicina, perchè ſia noto a chi paſſa, eſſervi l'Eſpoſizione del SS. Sagramento.*

*II. Il SS. Sagramento dovrà eſporſi nell'Altare maggiore (eccettuatene le Baſiliche Patriarcali, nelle quali ſi ſuol eſporre ſopra altro Altare) e ſi coprirà l'immagine, o ſtatua, che vi ſia, come anche le pareti della tribuna, e le vicine all'Altare, ſe non vi ſono ornamenti fiſſi, ſi copriranno con drappi, avvertendoſi, che gli apparati non contenghino iſtorie, nè coſe profane.*

*Sopra l'Altare non vi ſi ponghino Reliquie de' Santi, o ſtatue de' medeſimi (non eſcludendoſi però quelle degli Angioli, che facciano figura di candelieri) e molto meno vi ſi ponghino figure dell'Anime del Purgatorio di qualſiſia materia: il che ſi proibiſce anche in tutte l'Eſpoſizioni particolari, ed in quelle, che talvolta ſi fanno per ſuffragio di quell'Anime.*

*III. Sopra detto Altare in ſito eminente vi ſia un Tabernacolo, o Trono con baldacchino proporzionato di color bianco; e ſopra la baſe di eſſo vi ſia un Corporale per collocarvi l'Oſtenſorio, o Cuſtodia, il di cui giro ſarà attorniato di raggi, e non vi ſarà davanti alcun'ornamento, che impediſca la viſta del Santiſſimo.*

*IV. Ardino ſopra l'Altare almeno venti lumi continuamente, cioè ſei candele d'una libbra, tre per parte dalli lati della Croce, ed otto candele nella parte ſuperiore, con altre quattro dalli lati dell'Oſtenſorio, nella di cui parte oppoſta non vi ſi ponga omninamente lume alcuno; e vi ſiano finalmente due torcie con le fiaccole almeno di tre libre l'una. L'iſteſſo numero de' lumi vi ſia anche di notte dopo ſerrata la Chieſa, tra quali ve ne ſiano almeno dieci di cera; e per la Chieſa nella ſera ſi mettano lumi ſufficienti per evitare la confuſione, quali ſtiano acceſi finchè ſi chiudono le porte di eſſa. Potranno anche di giorno aſcurarſi le fineſtre vicino all'Altare dell'Eſpoſizione, ad effetto di raccogliere la mente de' Fedeli all'Orazione.*

*V. Niun Sacerdote, benchè veſtito con ſacco di qualſivoglia compagnia, ardiſca di andare intorno all'Altare per aggiuſtare lumi, a far altro, che occorra; ma dovrà eſſere un Sacerdote, ò almeno un Chierico con cotta; con la quale ſopra il proprio abito dovranno comparirvi anche li Regolari di qualſivoglia Religione; avvertendoſi di più, che ogni perſona di qualſivoglia condizione, ed ordine, per Decreto della Sagra Congregazione de' Riti,* Urbis 19. Auguſti 1651. *avanti il SS. Sagramento eſpoſto accoſtandoſi, o partendoſi da eſſo, deve fare riverenza con ambe le ginocchia piegate. In ordine poi alla perſona del Sacerdote, quale celebra la Meſſa privata, s'inſinua eſſervi Decreto della medeſima Sagra Congregazione,* Urbis 7. Septembris 1638. *che mentre paſſa avanti l'Altare, in cui ſta eſpoſto il SS. Sagramento, dopo fatta l'adorazione con le ginocchia piegate, ſcoperto il capo, alzandoſi lo ricopra.*

*VI. Si tenga durante l'Eſpoſizione alla porta della Chieſa, per la parte di dentro, o di fuori, come tornerà più comodo, un tappeto, che faccia forma di buſſola, con ſpazio adequato alli lati, per comodità del Popolo; e ſia talmente poſto, che non poſſa mai dalla ſtrada vederſi il SS. Sagramento.*

*VII. Stiano di continuo uno, o due Sacerdoti, o almeno in altr' Ordine Sagro coſtituiti, ſe ſi potrà, veſtiti di cotta (benchè ſi ano Regolari) genufleſſi avanti d'un banco ricoperto con tappeto, o panno roſſo, o d'altro colore, e qualità decente, vicino all'infimo grado dell'Altare, e mai ſopra genufleſſorj, orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda. Dove ſarà qualche Confraternità vi aſſiſtino due Confratelli almeno, avanti un banco coperto di panno verde, o d'altro colore decente, parimente a vicenda, ma fuori del Preſbiterio, e diſtanti dagli Eccleſiaſtici ſuddetti; ed oreranno con tutta divozione per edificazione degli aſtanti, e con voce ſommeſſa per non cauſare diſtrazione agli altri.*

*VIII. Nella Sagreſtia vi ſia l'orologio almeno a polvere per ſapere il tempo della vicenda; di cui ſe ne darà il ſegno ad ogni ora con la campana maggiore tanto di giorno, come di notte.*

*IX. La ſera avanti il giorno dell'Eſpoſizione dopo il ſegno dell'Ave Maria ſi ſuonino le campane ſollennemente per avviſo del Popolo, come anche la mattina nel far del giorno, e dopo tutti gli altri ſegni dell'Ave Maria durante l'Eſpoſizione, come parimente le ſolite tre volte avanti le Meſſe Sollenni.*

*X. Nell'Altare dove ſta eſpoſto il SS. Sagramento non ſi celebri altra Meſſa, che la Sollenne per l'Eſpoſizione, e Repoſizione; ne' quali due giorni, oltre la Conventuale (nelle Chieſe dov'è obbligazione di cantarla) ſi celebrerà dopo Nona la Meſſa del SS. Sagramento Votiva Pro re gravi; eccettuate però tutte quelle Domeniche, che ſono di prima, o ſeconda claſſe, e tutti li giorni, ne' quali per ragione del Calendario tanto univerſale, quanto particolare di quella Chieſa in cui ſi fa l'Eſpoſizione, ſi fa Officio parimenti di prima, o ſeconda claſſe, come anche eccettuata la Feria quarta delle Ceneri, e le Ferie ſeconda, terza, e quarta della Settimana Santa, tutti li giorni dell'Ottava di Paſqua, e di Pentecoſte, e le Vigilie del Santo Natale, e della Pentecoſte, e l'Ottava dell'Epifania; nelle quali Domeniche, ed altri giorni, e Ferie eccettuate, ſi canterà la Meſſa Conventuale con l'Orazione aggiunta del Sagramento* Sub unica concluſione: *e tutto ciò ſi oſſerverà inviolabilmente in tutte le Chieſe tanto de' Secolari, che de' Regolari.*

*Nel giorno medio, oltre la Meſſa Conventuale, ſi dovrà cantare dopo Nona la Meſſa Votiva pro Pace, o altra che verrà comandata da Noſtro Signore, ſecondo che ſtarà eſpreſſo nella liſta delle Quarant'ore, con la medeſima eccezione delli giorni ſuddetti, e con la medeſima regola circa l'Orazione.*

*Nelle Chieſe non Collegiate, e dove non è obbligazione di cantarſi la Meſſa Conventuale, dovrà in detto giorno medio cantarſi ſolamente la Votiva ſuddetta, con l'eccezione, e regola preſcritta di ſopra nella Meſſa del Sagramento; queſta però dovrà cantarſi ad un'altro Altare, che non ſia quello dell'Eſpoſizione, nè quello, dove ſia il Tabernacolo col Sagramento incluſo; ed in quelle Chieſe, che hanno l'obbligo di cantare la Meſſa Conventuale, queſta pure ſi canterà ad altro Altare come ſi è detto.*

*Si ordina eſpreſſamente, che nelli giorni dell'Eſpoſizione, medio, e della Repoſizione, le Meſſe ſi debbano cantare con li Miniſtri parati, e non altrimenti, anche nelle Chieſe de' Regolari, non oſtante qualſivoglia loro uſo, o preteſa conſuetudine in contrario.*

*Nelle Meſſe private, che ſi celebraranno durante l'Eſpoſizione, non ſi ſuoni il campanello all'Elevazione; ma ſolo uſcendo i celebranti dalla Sagreſtia, ſi dia un piccolo ſegno con la ſolita campanella.*

*Non ſi celebrino Meſſe di Requie nel tempo, che durerà l'Orazione di Quarant'ore, e le Meſſe del Santiſſimo, che ſi celebreranno ne i giorni permeſſi dalla Rubrica, ſaranno meramente Votive ſenza* Gloria, *e* Credo. *Nell'altre Meſſe private correnti, ſi aggiungerà dopo le preſcritte dalla Rubrica, l'Orazione del Sagramento, così comandando la Santità di Noſtro Signore.*

*XI. Il celebrante, dovendo portare il Santiſſimo in Proceſſione, ſarà veſtito con piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti d'altro colore; che in tal caſo continuerà il colore della Meſſa; il velo umerale però ſarà di colore bian-*

ce

ro in qualſivoglia caſo, che debba portarſi il Sagramento anco nel Venerdì Santo; e li paramenti de' Miniſtri Sagri ſaranno del colore del Celebrante, come ſopra. Parimente il pallio dell'Altare, dove ſta l'Eſpoſizione ſarà ſempre di colore bianco, benchè la Meſſa Sollenne ivi ſi celebri in altro colore, come pure il baldacchino per la Proceſſione deve eſſere del medeſimo color bianco.

XII. Terminata la Meſſa Sollenne per l'Eſpoſizione, il Celebrante, e li Miniſtri, fatte le dovute riverenze al Sagramento, ſi ritireranno fuori del corno dell'Epiſtola, dove il Celebrante (come pure li Miniſtri) deporrà il manipolo; e levata la pianeta prenderà il piviale, ponerà ivi l'incenſo in due turiboli ſenza benedirlo; e dopo con li Miniſtri genufleſſo nel mezzo, incenſerà tre volte il Santiſſimo: Sul fine della Proceſſione (quale ſi principierà anticipatamente fatta l'elevazione del Santiſſimo, o prima, ſecondochè ſarà più, o meno numeroſa) il Diacono in tempo congruo, fatta la genufleſſione ſopra la pradella, prenderà il Sagramento, e ſtando in piedi lo conſegnerà al Celebrante genufleſſo: genufletendo immediatamente eſſo Diacono, lo prenderà il Celebrante, ricoperte le mani dall'eſtremità del velo umerale, e ſi alzerà. Principiandoſi poi da' Cantori l'Inno Pange lingua, &c. s'incamminerà ſotto il baldacchino, recitando con voce ſommeſſa Salmi, ed Inni inſieme con li Miniſtri, quali eleveranno le fimbrie del piviale.

XIII. La Proceſſione ſarà compoſta di tutto il Clero della Chieſa; ed il Crocifero in queſta funzione non ſarà parato con abito ſuddiaconale, ma veſtito con cotta. V'interverranno onninamente otto Sacerdoti veſtiti con cotte, e con le torcie acceſe in mano, li quali precederanno dalli lati avanti il baldacchino; e dopo di eſſi ſeguiranno due Acoliti con turiboli, quali per la ſtrada incenſaranno continuamente il Santiſſimo; e durante la Proceſſione ſi ſuoneranno le campane ſollennemente.

XIV. La Proceſſione ſi farà dentro la Chieſa, ed al più per la piazza, quando l'anguſtia della Chieſa ne porti la neceſſità, e quando eſca di Chieſa ſi farà ben pulire la ſtrada della piazza; dove, ſe vi ſarà qualche bottega, dovrà tenerſi chiuſa durante la Proceſſione.

XV. Se vi ſaranno inſtituite Confraternità de' Secolari, o ſiano veſtite di ſacco, o no, tanto li Guardiani, ed Officiali di eſſe, quanto li Confrati, tutti anderanno unitamente in corpo avanti il Clero Secolare, o Regolare, che vi ſarà, al quale dovranno ſempre cedere il luogo più degno. Di più eſpreſſamente ſi comanda, che li Guardiani, o altri Officiali di eſſe non ardiſchino ſotto qualſivoglia preteſto di conſuetudine, o altro di andar dopo il Baldacchino ſotto la pena di venticinque ſcudi a ciaſchedun Fratello, Guardiano, o Officiale della Confraternità, il quale contravveniſſe alla preſente diſpoſizione in conformità dell'Editto pubblicato l'Anno 1689. qual pena di ſcudi venticinque ſi dovrà applicare alla medeſima Confraternità, ſe ſarà povera, o al Monte del Santiſſimo Viatico a noſtro arbitrio. Monſignor Primicerio però dovrà andare dopo il baldacchino veſtito ſenza ſacco coll'abito ſuo Prelatizio, e col rocchetto, ſe ne averà l'uſo. Poſſono bensì li detti Officiali portar l'aſte del baldacchino, officio molto decoroſo, per il quale dice il Ceremoniale Epiſcopale lib. II. cap. XXXIII. Deputentur nobiles viri Barones, &c.

Di più ordiniamo alli ſuddetti Cleri Secolare, e Regolare, che nelle proprie Chieſe non permettino che ſi pratichi il contrario, ſotto le pene contenute nel ſuddetto Editto, cioè di ſcudi venticinque alli Superiori, e Rettori delle Chieſe Secolari; e di privazione di voce attiva, e paſſiva alli Superiori Regolari, con altre a noſtro arbitrio. Quando poi vi foſſe alcuno, che tanto ardiſſe, ſi notifica, che oltre le ſuddette pene impoſte di ſopra, reſterà ipſo jure privo dell'Officio, e caſſato dalla Confraternità reſpettivamente il Guardiano, e Guardiani, ed Officiali, i quali contraverranno a queſto noſtro ordine: reſterà la Confraternità, e Chieſa privata di far più tale Santa Eſpoſizione, finchè da noi non ſarà reintegrata. Si dichiara anche, che all'accuſatore di tal contravvenzione ſi darà la terza parte della ſuddetta pena, coll'eſſer tenuto ſegreto: e la ſuddetta diſpoſizione vogliamo, che ſi oſſervi anche in tutte, e ſingole Proceſſioni, ed Eſpoſizioni particolari.

XVI. Ritornata la Proceſſione in Chieſa, e giunto il Celebrante al grado infimo dell'Altare maggiore, il Diacono genufleſſo riceverà il Santiſſimo da eſſo Celebrante (quale immediatamente genufletterà deponendo il velo umerale) e lo collocarà nella baſe del trono, andando poi, fatte le dovute riverenze al ſuo luogo. Li Cantori divotamente, e con pauſa canteranno il ℣. Tantum ergo, &c. ed al verſetto Genitori Genitoque, il Celebrante alzatoſi con li Miniſtri, porrà ivi nel mezzo l'incenſo nel turibolo ſenza Benedizione, e genufleſſo incenſarà tre volte il Sagramento: terminato l'Inno, ſenza dirſi il ℣. Panem de Cœlo, &c. ſi canteranno dalli ſuddetti Cantori le Litanie contenute nel libro ſtampato per l'Orazione delle Quarant'ore (qual libro puramente ſenz'alcuna immutazione dovrà uſarſi in qualunque altra eſpoſizione del Santiſſimo, che ſi faccia particolare.) Dopo che averà dette le Preci, il Celebrante alzatoſi (a cui li Miniſtri ſoſterranno il libro) ſenza fare nuova genufleſſione canterà a mani giunte il ℣. Dominus vobiſcum, &c. con le Orazioni; quali terminate, genufleſſi faranno breve orazione, ed indi partiranno a capo ſcoperto ſino ad una ragionevol diſtanza dal Sagramento, dandoſi così il principio all'Orazione dell'Quarant'ore.

XVII. Il Celebrante non dovrà uſare la ſede camerale, ſecondo il Decreto della Sagra Congregazione de' Riti; ma un bancho (che nè oure abbia braccia) con il poſtergale ornato di panno roſſo, e d'altro colore decente, in cui ſederà inſieme colli Miniſtri Sagri: molto meno dovranno mai uſare le ſedie camerali nelle Chieſe li Guardiani, Deputati, ed Officiali delle Confraternità, Compagnie, e Congregazioni Laicali; ma ſederanno ſopra un banco con poſtergale ſenza braccia ai lati, e ſenza alcun uſo de' cuſcini, come pure ſenza gradini, e ſenza genufleſſorj davanti; qual banco potrà coprirſi di panno, e non di ſeta, e ſarà onninamente ſituato fuori del Presbiterio, in quei caſi, che aſſiſteranno alle Meſſe, e Veſperi Sollenni, o che nel Presbiterio ſi celebri dal Clero alcuna funzione ſagra, o che ſi prediche in Chieſa, ſecondo li replicati Decreti della Sagra Congregazione de' Riti, particolarmente per Decreto generale emanato ſotto li 13. Marzo 1688. ſotto le pene medeſime eſpreſſe di ſopra, e comminate al num. XV. nelli §§. Se vi ſaranno &c. e Di più ordiniamo, &c. Monſignor Primicerio però ſederà dentro il Presbiterio a lato dell'Evangelio, in un banco coperto di panno nell'abito ſuo prelatizio, come ſi è detto al num. XV.

Se però la ſtruttura della Chieſa non permetterà luogo congruo fuori del Presbiterio; in tal caſo di neceſſità ſi ricorrera a noi, che col conſiglio de' Signori Maeſtri di Cerimonie Pontificie, ſe li concedera, che poſſa collocarſi il banco come ſopra de' Guardiani, dirimpetto in uno delli lati, fuori del termine del Presbiterio.

Sè proibiſce eſpreſſamente agli uomini, ed alle donne di qualſivoglia ſtato, e condizione (eccettuate le perſone regie, quando vi ſi trovino) l'entrare ſotto qualſivoglia preteſto adorare nel Presbiterio, o ſia recinto dell'Altare, dove ſta eſpoſto il Venerabile; dovendo quel luogo eſſere occupato ſolamente dagli Eccleſiaſtici deſtinati al miniſtero Divino, o all'aſſiſtenza dell'Orazione: il che ſi oſſerverà non ſolo nelle Chieſe, dove ricorre l'Eſpoſizione ordinaria; ma anche in tutte le altre, dove per Indulto Apoſtolico, o per altra legittima facoltà, occorre farſi l'Eſpoſizione, benchè per breve tempo: al che provvederanno li Superiori, o Sagreſtani col riparo delli banchi ancora biſognando. In oltre ordiniamo, e comandiamo a' Rettori, e Superiori tanto Secolari, quanto Regolari di qualſivoglia Chieſa, che durante la detta Eſpoſizione non ardiſchino di far portare reſpettivamente qualſivoglia ſorta di ſedie nelle Chieſe a qualunque perſona d'ogni ſeſſo, grado, e condizione, ſotto la pena di dieci ſcudi alli Rettori Secolari, da applicarſi ad uſi pii, riſervata la terza parte per l'accuſatore; ed a' Regolari della privazione della voce attiva, e paſſiva, ed altre a noſtro arbitrio.

XVIII. Non ſi terranno nelle Chieſe dell'Eſpoſizioni anche particolari, bacili per l'elemoſine, nè vi aſſiſteranno Religioſi, o altri Eccleſiaſtici, nemmeno perſone laicali per riceverle: come nemmeno andaranno Chierici, Confrati, Mandatarj, e altre perſone queſtuando per la Chieſa. Molto meno doveranno far ciò li poveri, quali ſtaranno per lo ſpazio di canne dieci lontani dalle porte della Chieſa, ſotto le pene contenute nell'Editto ſtampato a parte; che perciò ſarà parimente cura de' Superiori, o Sagreſtani, e degli eſecutori, che vi aſſiſtono, il procurare, che non entrino in Chieſa, ad effetto di evitare la diſtrazione de' Fedeli, che orano; potendo li Benefattori caritativi far le limoſine fuori delle Chieſe, ſiccome ordinò San. mem. di Clemente XI. con ſpeciale Editto, in cui ſi proibiſce ad ogni Fedele dar nelle Chieſe limoſine a' poveri.

XIX. Si avverte, che non termini l'Orazione in una Chieſa, ſe non che dopo che ſarà principiata nell'altra; e ciò ſi oſſerverà da qualunque Chieſa, benchè Baſilica, e Collegiata, o in qualſivoglia modo privilegiata.

XX. Terminata la Meſſa della Repoſizione, il Celebrante prenderà il piviale (oſſervando il Rito reſpettivamente ſopra deſcritto dopo la Meſſa dell'Eſpoſizione) e genufletterà con li Miniſtri avanti il SS. Sacramento nel mezzo ſull'infimo grado dell'Altare. Immediatamente li Cantori principieranno le Litanie, e ſi continuarà ſino al ℣. Domine exaudi orationem meam incluſive. Dopo alzatoſi il Celebrante con li Miniſtri, ponerà ivi nel mezzo l'incenſo ſenza Benedizione, e genufleſſo incenſarà tre volte il SS. Sagramento, e prenderà il velo umerale. Finita l'incenſazione, il Diacono con le dovute riverenze leverà il Sagramento dal Trono, ed immediatamente ſtando in piedi lo conſegnerà al Celebrante genufleſſo, genufletendo anch'eſſo Diacono ſubito che averà conſegnato il Sagramento; praticandoſi dipoi reſpettivamente ciò, che ſopra nell'Eſpoſizione ſi è detto circa le Cerimonie, e Rito della Proceſſione ec.

XXI. Ritornato dopo la Proceſſione il Celebrante all'infimo grado dell'Altare, il Diacono genufleſſo riceverà da eſſo, che ſtarà in piedi, il SS. verſo cui il Celebrante genufletterà immediatamente, e deporrà il velo umerale. Il Diacono lo collocarà ſopra il Corporale in mezzo dell'Altare, e ritornarà al ſuo luogo. Il Celebrante al ℣. Genitori Genitoque, &c. alzatoſi con li Miniſtri porrà come ſopra l'incenſo ſenza benedirlo, ed incenſarà il Sagramento. Li Cantori diranno il ℣. Panem de Cœlo, &c. (a cui ſi aggiungerà l'Alleluja nel tempo Paſquale ſolamente, ed in tutta l'Ottavo della Feſtività del Corpus Domini in qualſivoglia Eſpoſizione che ſi faccia.) Il Celebrante alzatoſi ſenza far nuova genufleſſione, ſoſtenendo li Miniſtri il libro (ſenza dire il ℣. Dominus vobiſcum, come per Decreto della Sac. Congregazione de' Riti) cantarà le Orazioni a mani giunte; quali terminate,

genu-

*fleſſo prenderà il velo umerale; ed aſcendendo ſolo all' Altare, fatte le dovute riverenze, prenderà nelle mani ricoperte, come ſi diſſe, con l' eſtremità del velo umerale l' Oſtenſorio, e darà con eſſo la Benedizione al Popolo; e riposto il Sagramento ſopra il Corporale, diſcenderà, e ſtarà genufleſſo al ſuo luogo. Il Diacono immediatamente, o un Sacerdote con ſtola, fatte le dovute riverenze, chiuderà il Sagramento nel Tabernacolo, quale per tale effetto doverà ritenerſi nell' Altare dell' Eſpoſizione; e l'Oſtia conſagrata ſi dovrà conſumare nella Meſſa, o in quella mattina, o nella ſeguente; dopo di che partiranno, e terminerà l'Orazione di Quarant' ore.*

*XXII. Nel tempo, che durerà l' Orazione medeſima, ſi proibiſce eſpreſſamente il predicare; ma volendoſi fare dopo li Veſperi qualche breve Sermone per eccitare li Fedeli alla divozione verſo il Santiſſimo Sagramento, ſi dovrà prendere la licenza, e Benedizione da Noi, o da Monſignor noſtro Vicegerente, anche nelle Chieſe de' Regolari, ed in qualunque modo privilegiate; e non ſolo nell' Eſpoſizione di Quarant' ore, ma in qualſivoglia altra Eſpoſizione, qual licenza ſi darà in ſcriptis. Quello poi che doverà ſermoneggiare, ſarà almeno coſtituito nell'Ordine Diaconale; e ſermoneggiarà con la cotta, benchè ſia Regolare, ma ſenza la ſtola, ed a capo ſcoperto, vicino all' Altare dove ſtà eſpoſto il Santiſſimo, ed in un ſito, che non obblighi gli aſcoltanti a fare atti d'irriverenza con voltare le ſpalle al Sagramento.*

*XXIII. Le Chieſe dove ſarà l' Orazione di Quarant' ore, doveranno la ſera ſtare aperte fintanto che vi ſarà il Popolo per orare; ma perchè non può darſi in ciò un' ora determinata, sì per la ſituazione di eſſe, come per la mutazione delle ſtagioni; perciò potranno chiuderſi l' eſtate circa le tre ore, e l' inverno intorno ad ore cinque. Si avverte però, che anche a porte chiuſe deve continuare l' Orazione, come ſi detto al n. VII. non dovendo mai eſſere interpolata l' Orazione di Quarant' ore, come per Decreto della Sacra Congregazione de' Riti.*

*XXIV. In ogni Chieſa di Roma ſi terrà affiſſa in luogo patente la liſta delle Quarant' ore per informazione de' Fedeli divoti.*

*XXV. Parimente in ogni Chieſa, dov' è determinata l' Eſpoſizione, ſi dovrà tenere affiſſa continuamente nella Sagreſtia la preſenza iſtruzione; acciocchè niuno poſſa allegare l' ignoranza delle regole, e precetti, che vi ſi contengono.*

*XXVI. Non ardirà alcun Rettore, Curato, o Sagreſtano, fuori dell' ordine aſſegnato nella liſta delle Quarant' ore, d' eſporre il Santiſſimo Sagramento ſotto qualſivoglia preteſto, o conſuetudine, per veruna cauſa grave, nè per infermi, ſenza Breve ſpeciale di Sua Santità, o almeno licenza ſegnata da Noi, o da Monſignor noſtro Vicegerente, e ſottoſcritta dal Deputato delle Quarant' ore; quale ottenuta ſi eſporrà il Venerabile in un' Altare, o Cappella con un velo avanti, o col ſuddetto numero di venti lumi; e ſi oſſerverà puntualmente il tempo, che dovrà durare l' Eſpoſizione aſſegnato nella ſuddetta licenza, ſotto le pene infraſcritte, e privazione d'uffizio.*

*XXVII. Finalmente ſi comanda eſpreſſamente, che tutti, e ſingoli ſopraddetti ordini ſi debbano inviolabilmente oſſervare; e che ſi ubbidiſca eſattamente per quello poteſſe occorrere di più, al noſtro Deputato ſopra le Quarant' ore, ſotto pena alli Maeſtri di Cirimonie, che aſſiſteranno alle funzioni, ſe non faranno adempire eſattamente tutte le Cerimonie, ed i Riti preſcritti, quali Maeſtri di Cerimonie devono eſſere almeno in Sacris tanto in queſta, che in ogni altra funzione ſolenne, ſecondo il Cerimoniale Episcoporum* lib. 1. cap. *5. ed alli traſgreſſori reſpettivamente de' ſuddetti ordini, di ſcudi dieci d' oro da applicarſi a' luoghi pii; ed alli Regolari della privazione di voce attiva, e paſſiva, di carcere, ed altre pene maggiori riſervate a noſtro arbitrio; dichiarandoſi che in difetto dell' oſſervanza, ſi procederà più rigoroſamente contro li Superiori, e Sagreſtani delle Chieſe, alli quali appartiene più che ad ogni altro la buona regola, e cura di eſſe. Dato dalla noſtra ſolita Reſidenza queſto dì 1. Settembre 1730.*

P. Card. Vicario.

Carlo Guizzuglia Deputato.

*Niccolò Antonio Can. Cuggiò Segr.*

---

II. Ultra mox expoſitam Pontificiam inſtructionem, lubet etiam hoc loco in unum collecta tradere ea Decreta a S. R. C. edita, quæ pertinent ad prædictam Expoſitionem, & ad Miſſam, quæ celebratur coram SS. Sacramento.

Super altare, in quo SS. Sacramentum eſt expoſitum, non eſt omittenda Crucis cum imagine Crucifixi collocatio. Die 4. Maji 1707. *in una Senarum* & datur in noſtro Indice *ſub n.*604.

Quod quidem Decretum intelligendũ eſt, dum Miſſa celebratur.

Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio quadraginta Horarum, vel Spiritualium exercitationum, ſi accidat in Feſto primæ, vel ſecundæ Claſſis; tunc in Collegiatis vel duæ cantentur Miſſæ, una de Feſto, ſeu de Dominica poſt Tertiam; altera Votiva de Sacramento poſt Nonam; vel una cantetur de Die cum commemoratione SS. Sacramenti. S. R. C 23. Febr. 1666. & in noſtro Indice *ſub n.* 426.

Advertendum, quod hoc ultimo caſu, prædictæ duæ Orationes terminari debent cum unica concluſione, ut clarius patebit infra.

Miſſam in Altari majori, ubi eſt expoſitum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare; ſtante præſertim, quod in Eccleſia adſint alia Altaria, in quibus celebrari poſſit. S. R. C. 9. Auguſti 1670. & in noſtro iodice *ſub n.* 443.

Ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum, in Miſſa Votiva Privata de eo, non poteſt dici *Credo*. Sac. Rit. Congr. 2. Decembris 1684. & in noſtro Indice *ſub. n.* 470.

In Miſſa Privata de Sancto Duplici, vel Semiduplici, quo tali die fit Officium, poteſt quidem fieri Commemoratio de SS. Sacramento expoſito, occaſione quadraginta Horarum; ſed omittenda in Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis. S. R. C. 2. Decembris 1684. & in noſtro indice *ſub n.* 471.

Durante expoſitione SS. Sacramenti, occaſione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa Privata de Requiem, neque cantari poteſt Miſſa Defunctorum, pro adimplenda mente Teſtatoris. S. R. C. 2. Decembris 1684. & in noſtro Indice *ſub n.* 472.

Expoſitio quadraginta Horarum, & Benedictio, quæ fit ſuper Populum, non eſt de juribus mere Parochialibus S. R. C. 10. Decembris 1703. & in noſtro Indice *ſub n.* 569.

Ante SS. Euchariſtiæ Sacramentum publice expoſitum, non fiat Concio capite tecto, non obſtante quacumque conſuetudine. S. R. C. 16. Februarii 1630. in noſtro Indice *ſub n.* 253.

Quando Sanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramentum publice diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes cujuſcumque conditionis, & ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab illo recedentes, ſemper utrumque genu flectere debent. S. R. C. 16. Auguſti 1651. & in noſtro Indice *ſub* n. 304.

In feſto SS. Corporis Chriſti, ſervanda eſt diſpoſitio Cærem. Epiſcop. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiſcum*; non vero Ritualis Romani, ubi dicitur addi *Dominus vobiſcum*. S. R. C. 16. Junii 1663. & in noſtro Indice *ſub num.* 399.

In expoſitione, & repoſitione SS. Sacramenti, non eſt addendum Alleluja, ad ℣. *Panem de Cælo, &c.* S. R. C. 5. Julii 1698. & in noſtro Indice *ſub n.* 523.

Excipiendum tamen eſt tempus Paſchale, & Octava SS. Corporis Chriſti, ut declarat ſupradicta inſtructio Clementina.

Euchariſtia non eſt ſingulis diebus exponenda ſuper Altare, ſed in quibuſdam tantum Solemnitatibus. S. R. C. 4. Martii 1606. & in noſtro Indice *ſub n.* 47.

Nequeunt Regulares SS. Sacramentum cum ſolemnitate exponere ſine licentia Ordinarii. Sac. Rit. Cong. 26. Februarii 1628. & in noſtro Indice *ſub n.* 226.

In Proceſſionibus SS. Sacramenti, quæ occaſione quadraginta Horarum fiunt a Regularibus per Eccleſias, debent iidem Regulares, proceſſionaliter incedentes, ante Sacramentum in occurſu, & tranſitu a latere ejuſdem facere genuflexionem, dummodo in tranſitu videatur. S. R. C. 3. Martii 1581. & in noſtro Indice *ſub n.* 456.

Dum cantatur Miſſa coram Venerabili Sacramento in Altari expoſito, debet fieri Commemoratio de eodem Sacramento, ſed poſt alias omnes Orationes de præcepto, & in miſſis Solemnibus celebrandis in Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, eadem Commemoratio debet fieri ſub unica concluſione. Ita recentiſſime declaravit S. R. C. die 23. Junii 1736. & datur hoc Decretum in noſtro Indice *ſub n.* 684.

III. Præter ea, quæ traduntur in ſupradicta inſtructione, & in allegatis Decretis, huc ſpectat aliqua pauca adnotare, quæ ſervanda ſunt in dicta Miſſa prima Solemni, quæ cantatur ante expoſitionem SS. Sacramenti pro Oratione ſolemni quadraginta Horarum. Igitur in hac Miſſa duæ Hoſtiæ magnæ conſecrantur a Celebrante, quarum una tantum elevatur, ut moris eſt, & altera relinqui debet ſuper Corporale a parte ſiniſtra Celebrantis. Poſt ſumptionem pretioſi Sanguinis, deferri debet Oſtenſorium parvo velo coopertum a Cæremoniario, vel Subdiacono, per gradus laterales Epiſtolæ, facta debita genuflexione in receſſu & acceſſu. Præfatum Oſtenſorium ad Altare delatum, deponendum eſt in cornu Epiſtolæ prope Corporale amoto velo, quo erat coopertum. Deinde facta iterum genuflexione, accedet Subdiaconus ad librum, ubi iterum genuflectet, cedens in tranſitu gradum ſuperiorem Diacono; qui tum accedens ad dexteram Celebrantis, genuflectit pariter in receſſu, & acceſſu; moxque aperit Tabernaculum geſtatorium, ſeu Oſtenſorium, & Calice palla cooperto, ac paululum remoto, verſus latus Evangelii ponit ipſum Oſtenſorium ſuper dictum Corporale; ſtatimque Celebrans facta cum Sacris Miniſtris genuflexione, adaptat propria manu dextera Sacram Hoſtiam in Lunula, quæ eſt in medio prædicti Oſtenſorii, adjuvante eodem Diacono, qui illud ſtatim claudit, & in medio Corporalis poſtea collocat reverenter: deinde tam Celebrans, quam Miniſtri genuflectunt qui-

quibus peractis, ſi opus ſit, Celebrant Communionem dat iis, qui ſunt communicandi cum ſolitis, & debitis reverentiis; ſed præſtat, ut in hac Miſſa non fiat Communio; qua tamen finita, ſi facienda ſit, Celebrans ſumet purificationem, & ablutionem, & Miſſam proſequetur more ſolito, diligenter obſervans quæ mox dicemus de Miſſa celebrata coram SS. Sacramento.

Ante finem hujus Miſſæ, imo juxta praxim aliquarum Eccleſiarum immediate poſt elevationem SS. Sacramenti, factam in Miſſa, debent ab Acolythis accendi candelæ in Altari paratæ pro expoſitione facienda ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti. Deinde circa Miſſæ finem, a Sacriſta, vel ab alio deſignato cerei albi Clericis, & Confratribus Proceſſionem comitaturis, debent diſtribui; & baldacchinum in Proceſſione deferendum collocabitur in commodiori latere Altaris. Parabitur etiam alter Subdiaconus, qui Crucem deferre debet juxta morem nonnullarum Eccleſiarum; ſed inhærendo diſpoſitioni ſupra expoſitæ inſtructionis Pontificiæ, quæ habetur num. 13. ille, qui Crucem deferre debet in hac functione, non debet habitu ſubdiaconali, ſed tantum ſuperpelliceo eſſe indutus. Parentur præterea octo ſuperpellicea pro totidem Sacerdotibus, qui in Proceſſione procedere debent ad latera baldacchini, deferendo octo intortitia accenſa, juxta id, quod loco citato præſcribitur in dicta inſtructione.

Notandum tamen eſt hoc loco non eſſe neceſſe, ut qui prædicta octo intortitia portant, procedant a lateribus baldacchini (quod fieri non poteſt ſine magno incommodo) ut quidam opinantur, male interpretantes verba Cæremonialis Epiſcoporum, ubi agitur de Proceſſione facienda in Feſto SS. Corporis Chriſti, eo quod ibi dicatur, quod procedunt a lateribus baldacchini, illi qui deferunt prædicta octo intortitia; quæ verba tamen nihil aliud ſignificant, niſi quod procedunt hinc inde ab una parte, & ab altera immediate ante baldacchinum: & hunc eſſe verum ſenſum horum verborum, patet ex ſequentibus: nam additur, quod immediate poſt eos ſequuntur duo Acolythi Thuriferarii continuo Sanctiſſimum Sacramentum incenſantes; quod nullo modo fieri poſſet, ſi octo deferentes intortitia a lateribus baldacchini procederent. Hæc clare patent ex §. 13. ſupradictæ inſtructionis, ubi etiam habetur. *Procederanno dalli lati avanti il Baldacchino*, & ex Nicolao de Bralion *part. 3. cap. 16. num. 6.* ubi etiam addit *num.* 4. quod qui procedunt a ſiniſtris intortitium portant dextera; qui vero a dextris, ſiniſtra, altera manu ſupra pectus poſita; & quod idem obſervare debent alii omnes, qui portant funalia, aut cereos. Sed cum hoc ſit contra communem praxim omnium Eccleſiarum, non eſt admittendum: ad ſummum tolerari poſſet, quod prædicti octo tantum deferentes intortitia, utpote Sacramento proximiores, ea deferant modo ſupra a Bralion expoſito, & ita deferunt PP. Congregationis Miſſionum.

Debent etiam parari duo thuribula, & Sacerdotes ſola cotta, aut pluviali ſine ſtola induti, qui delaturi ſunt haſtas baldacchini, prout dicemus infra cum agemus de Feria 5. in Cœna Domini; ſed in hac Proceſſione prædictas haſtas deferre poterunt Officiales Confraternitatis, ut declarat inſtructio Pontificia *num.* 15.

Celebrans completa Miſſa genuflectet in medio Altaris cum Miniſtris: tum per gradus laterales Epiſtolæ cum ipſis in planum ab eodem latere deſcendet; ubi, iiſdem adjuvantibus, vel Cæremoniario cum Acolythis, deponet planetam, & Manipulum; & ita etiam Miniſtri deponent ſuos manipulos; quæ omnia ad Sacriſtiam deferentur. Deinde Celebrans induetur ab iiſdem pluviali albo, vel alterius coloris, juxta diſpoſitionem ſupra expoſitæ inſtructionis: quia ſi celebraverit cum paramentis alterius coloris, in tali caſu continuetur color idem: velum tamen humerale ſemper debet eſſe coloris albi, ſicut etiam baldacchinum pro facienda Proceſſione, & pallium Altaris, ubi ſit Expoſitio. Statim ac Celebrans indutus erit pluviali, medius inter præfatos Miniſtros junctis manibus, & nudo capite, accedet per planum Presbyterii ad medium Altaris, ante infimum gradum, & ibidem genibus flexis in plano inclinabit caput profunde: tunc erectus, juxta ſententiam Bauldry *de Feria 5. in Cœna Domini art. 3. de Feſto Corporis Chriſti cap. 3.* & Cæremoniale Monaſticum *cap. 14. §. 2. n.* 18. aſcendet ad ſecundum gradum, & in ora ſuppedanei genuflexus cum Diacono a dexteris, & Subdiacono a ſiniſtris tantiſper orabit. Juxta vero aliorum præſertim Caſtald. ſententiam *lib. 2. ſect. 10. c. 2. n. 5.* & praxim Baſilicarum almæ Urbis, remanebit Celebrans genuflexus ſuper infimum gradum Altaris, Miniſtri vero in plano Capellæ; ibique poſtquam omnes ante Presbyterium ordinate acceſſerint, Celebrans erectus, & ſtans ante prædictos gradus Altaris, imponit incenſum in duo thuribula, ſine oſculis, & ſine Benedictione, miniſtrante Diacono naviculam, Subdiacono vero elevante fimbriam partis dexteræ pluvialis. Deinde ſuper infimo Altaris gradu genuflexus idem Celebrans, ter ducens thuribulum cum debitis profundis inclinationibus, ante, & poſt, SS. Sacramentum incenſat. Terminata dicta incenſatione, & facta ſecunda profunda Sacramento inclinatione, Diaconus acceptum ſine oſculis Thuribulum reddet primo Thuriferario, qui SS. Sacramentum per id tempus numquam incenſabit: Subdiaconus vero velum oblongum allatum de Credentia per aliquem Acolythum, imponet humeris Celebrantis, & ſuper brachia, & manus ejuſdem expandet, ac ſi opus eſt ad pectus adnectet, vel ſpinulis retro, vel ſericis funiculis ante, ne decidat. Firmato velo ſuper humeros Celebrantis, ipſe medius inter Miniſtros aſcendit uſque ad ſuperiorem gradum Altaris, ſupra quem remanet genuflexus cum Subdiacono, Diaconus vero accedit uſque ad Altare; ubi facta genuflexione accipit Oſtenſorium ambabus manibus; & vertens ſe, ut fit ad *Ite Miſſa eſt*, tenens illud, imagine Crucifixi, quæ eſt in Hoſtia ad ſe verſa, illud tradit Celebranti eodem modo; ita ut in tota Proceſſione prædicta imago non reſpiciat Celebrantem, ſed viam, quam habet ante ſe. Tradit autem illud Diaconus ſtans; & Celebrans illud recipit genuflexus manibus velo coopertis. Statim vero ac ipſe Diaconus in manibus Celebrantis Tabernaculum geſtatorium poſuit, in eodem loco, in quo eſt, genuflectit, & Sanctiſſimum Sacramentum adorat; ac ſtatim accedens ad dexteram Celebrantis, accipit genuflexus partem anteriorem pluvialis, quam elevat; Subdiaconus vero idem facit ex altera parte a ſiniſtris. Tum Celebrans cum ipſis Miniſtris ſurgit, & aſcendit ſupra planum ultimi gradus, ſeu ſuppedanei, & ibi erectus ſimul cum præfatis Miniſtris convertit ſe ad Populum; & tunc, non prius Cantores adhuc genuflexi, intonant Hymnum *Pange lingua*.

IV. Tum ordinatur Proceſſio intra Eccleſiam, incipiando regulariter a parte Evangelii, & progrediendo verſus partem Epiſtolæ, ſi loci ſitus ſic patitur; in qua præcedit omnes Clericus cotta indutus, Crucem deferens medius inter Ceroferarios, deinde Confratres, ſi adſint, poſt Clerici, &c. ſervantes debitum ordinem, ita ut digniores ſint propinquiores baldacchino, cum candelis, aut facibus accenſis, quas qui a dexteris ſunt, deferunt dextera; qui a ſiniſtris, ſiniſtra (ut innuimus ſupra) altera librum Ritualem; vel ſi non librum teneant, alteram infra pectus admotam habeant; & in omnibus ſervent uniformitatem.

Cæremoniarius, qui dirigere debet Proceſſionem, nullum locum certum habere poteſt, nec candelam deferre, ſed omnibus debet providere modeſte, ut debitis modo, ordine, & ea, qua par eſt reverentia, fiant. Poſt Clericos omnes, octo omnino, ut diximus ſupra, cottis, ſed ſine ſtolis parati, debent deferre intortitia accenſa, poſt quos veniunt duo Thuriferarii, moventes thuribula, prout dicemus, agentes de Cæremoniis, & Ritibus ſervandis in Feria 5. in Cœna Domini, & de Proceſſione facienda in Feſto SS. Corporis Chriſti. Faciendo hanc Proceſſionem, dum tranſitur ante Altare, in quo forte eſt Tabernaculum SS. Sacramenti, non fit genuflexio, quia ipſummet defertur, & omnes ſunt in actuali Sacramenti ſervitio, & adoratione: rurſus opus non eſt, ut naviculæ cum incenſo deferantur niſi Eccleſiæ ſint ſpatioſæ, aut ex majoribus: quia tunc deferri debent, ut imponatur thus in thuribulis quando opus erit.

Aliquando hæc Proceſſio fit etiam circa atrium, vel plateam ipſius Eccleſiæ; quod approbatur a ſupra expoſita inſtructione §. 14. præſertim quando Eccleſia eſt anguſta, & talis eſt conſuetudo. In hujuſmodi Proceſſione Clerici non deferunt paramenta, videlicet pluvialia, planetas, & dalmaticas, ſicut fit in Proceſſione Feſti Corporis Chriſti.

V. Poſt reditum Proceſſionis ad Altare, in quo eſt exponendum Sanctiſſimum Sacramentum, ſerventur omnia ea, quæ præſcribuntur *n. 16. & ſeqq.* ſupra expoſitæ inſtructionis: ſolumque additur, quod ſi opus ſit ſcabellum ante Altare, ponatur pro Diacono; ut facilius reponere poſſit Sanctiſſimum Sacramentum in majori Tabernaculo, vel in loco eminenti parato decentiſſimo ornatu (ſine Reliquiis tamen, vel ſtatuis Sanctorum, ut præſcribit inſtructio *num.* 11.) manentibus interim Celebrante, & aliis Miniſtris genuflexis.

Poſtquam vero repoſitum fuerit SS. Sacramentum, & redierit Diaconus ad locum ſuum, Cantores intonant cum debita pulſa ℣. *Tantum ergo*; & ad illa verba *Genitori, Genitoque*, Diacono miniſtrante naviculam ſemper ſine oſculis, & Celebrans ſine Benedictione, ſtans in medio, cavendo tamen, ne terga vertat Sacramento, ponit juxta morem thus in thuribulum, quo deinde, a Diacono ſibi porrecto, triplici ductu incenſat SS. Sacramentum, factis debitis profundis inclinationibus, ante poſt dictam incenſationem. Denique terminato toto Hymno, recitentur preces juxta diſpoſitionem, quæ habetur in ſupradicta inſtructione.

Hiſce omnibus ita peractis, Celebrans genuflexus orabit per brevem moram, ac deinde ſurgente Celebrante, ſurgent omnes, & facta genuflexione utroque genu, recedent in Sacriſtiam debito ordine.

## De Ritu Miſſæ Solemnis coram SS. Sacramento.

VI. Gavanti num. 5. *In Ingreſſu Celebrantis, & Miniſtrorum ad Altare, &c.*) Quamvis ex antiquorum documentis optime moneamur (ut advertit Gavantus *ſupra n.* 1.) ut abſtineamus a Miſſa celebranda coram SS. Sacramento; nihilominus, juſta interveniente cauſa, puta, infra Octavam Corporis Chriſti, & in fine publicæ Orationis quadraginta Horarum, certum eſt talem Miſſam coram SS. Sacramento expoſito poſſe, & celebrari debere. Poſtquam igitur expoſuimus in §§. antecedentibus omnia ea, quæ ſervari debent in Miſſa, quæ celebratur, antequam exponatur SS. Sacramentum; nunc breviter trademus omnia ea, quæ ſervanda ſunt in Miſſa, quæ celebratur pro repoſi-

poſitione ejuſdem SS. Sacramenti expoſiti pro Oratione quadraginta Horarum: unde colligenda erunt omnia, quæ ſervari debent in Miſſa Solemni celebrata coram SS. Sacramento in ſuo Tabernaculo repoſito. Omiſſis igitur iis, quæ ſunt communia cuicumque Miſſæ Solemni, ſolum hic colliguntur ea, quæ ſunt peculiaria pro hac Miſſa: & primo in hac Miſſa Solemni Miniſtri non oſculantur neque manus, neque quidquam aliud, quod tradunt Celebranti: videatur tamen exceptio poſita infra *ſub n.* 11.

Celebrans, & Miniſtri in ingreſſu ad Preſbyterium, ſeu Capellam, in qua eſt expoſitum SS. Sacramentum, ſtatim omnes caput denudare debent, & birreta Cæremoniario tradere; & cum ad Altare pervenerint, ante illius infimum gradum flectunt omnes utrumque genu omnino in plano; & etiam caput profunde inclinant; quod ſolum fit cum primo ad Altare accedunt, & in fine, ut ſuo loco dicemus, nam in proceſſu deinde Miſſæ flectunt tantum unico genu; Gavantus *ſup. n.* 5. Corſettus *tr.* 1. *par.* 1. *c.* 17. *n.* 2. a Portu *c.* 8. *de Miſſa Solemni coram Venerabili expoſito*. Biſſus *lit. M n.* 222. §. 1. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 10. *cap.* 3. *n.* 1. & id fit, ut facilius, & commodius ſurgant: & advertendum, quod faciendo genuflexionem unico genu, non debent caput inclinare, ut multi gratis faciunt, ſufficit enim genuflexio. Biſſus *ſupra*.

VII. Gavant. num. 6. - *Incenſatio Altaris, &c.*) Facta Confeſſione abſque ulla genuflexione, aſcendunt ad Altare, ubi deinceps unicum genu flectunt, & Celebrans dicit *Oramus te Domine, &c.* ut alias. Terminata per Celebrantem Oratione *Oramus te Domine, &c.* imponit incenſum in thuribulum de more (& advertat, quod in hac incenſi impoſitione, non debet ſtare in medio Altaris, ſed aliquantulum verſus cornu Evangelii, facie verſa ad cornu Epiſtolæ; quod ſemper obſervare debet, cum imponit incenſum in thuribulum ad Altare, ubi eſt expoſitum Venerabile; Bauldry *p.* 2. *cap.* 9. *art.* 3. *n.* 3. Biſſus *ſupra*, a Portu *ſupra n.* 3.) Diacono aliquantulum inclinato, miniſtrante naviculam acceptam a Thuriferario; qui genuflexus, vel ſtans ob commoditatem Celebrantis, ſuſtentat thuribulum juxta morem; & a Celebrante benedicitur incenſum, quia thurificandum eſt præter Sacramentum etiam Altare, & ipſemet Celebrans: Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 23. §. 19. Gavantus *ſupra n.* 6. Bauldry *part.* 2. *cap.* 9. *art.* 3. *n.* 3. Diaconus autem numquam oſculatur, neque manum Celebrantis, neque cochlear, neque thuribulum, quando illud Celebranti porrigit. Cær. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 11. *&* *cap.* 33. §. 19. Mox benedicto, ut ſupra, incenſo, & recedente Thuriferario ad locum ſuum conſuetum cum debita genuflexione, Celebrans cum Miniſtris Sacris ſine ulla genuflexione deſcendit ad ſecundum gradum Altaris, cavens ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento; Bauldry *par.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. Biſſus *ſupra*, ubi genuflexus ſuper ſuppedaneum, & medius inter Miniſtros Sacros, ibidem pariter genuflexos, thuribulum accipit a Diacono ſine oſculis; & ſtatim præmiſſa cum Miniſtris profunda inclinatione incenſat SS. Sacramentum triplici ductu, motu gravi, interpoſita brevi morula inter unumquemque ductum; & eo tempore Miniſtri Sacri, aliquantulum elevent ulteriorem partem planetæ Celebrantis: Biſſus *ſupra*, & a Portu *ſupra*; interim omnibus circumſtantibus manentibus genuflexis. Biſſus *ſupra*, Bauldry *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. a Portu *ſupra*.

Non poſſumus adhærere Gavanto, qui ſupra tradit, quod incenſatur Sacramentum pro Cruce, quæ adeſſe non debet: nam juxta Decretum emanatum die 4. Maji 1707. *in una Senarum*, & datum in noſtro Indice *ſub n.* 604. Super Altare, in quo Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum, non eſt omittenda Crucis cum imagine Crucifixi collocatio. Quod Decretum, ut diximus, & latius expoſuimus in noſtris Obſervationibus ad Commentaria Gavanti ſuper titulum XX. *primæ partis de præparatione Altaris, & ornamentorum ejus*, intelligendum eſt dum Miſſa celebratur coram SS. Sacramento. Parva igitur Crux collocari debet in Altari, dum Miſſa celebratur, etiam coram Venerabili expoſito; omittitur vero Crucis incenſatio, quia incenſatur loco illius Sanctiſſimum Sacramentum: incenſato autem originali non eſt cur incenſetur ejuſdem imago, & figura. Solum in Feria ſexta majoris hebdomadæ, ſeu in die Paraſceve, poſt incenſatum Sacramentum incenſatur etiam Crux, ut ſuo loco dicemus: quia tali die Eccleſia ſpeciali cultu Crucem Chriſti Domini veneratur: & equidem omnes, nemine excepto, ante eam tranſeuntes genuflectunt.

Advertendum etiam occurrit, quod licet Celebrans genuflexus ſuper ſuppedaneum, ut ſupra, incenſare debeat Sacramentum, juxta praxim, & uſum Baſilicarum almæ Urbis, quæ Mater eſt, & Magiſtra Eccleſiarum omnium, & ut etiam præſcribunt Gavantus *ſupra*, Lohner *part.* 2. *tit.* 8. *n.* 3. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. §. 2. *n.* 9. Bauldry *par.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. Byſſus, Hippolytus a Portu *ſupra*; nihilominus præfatus Ritus videtur contrarius Cæremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 26. unde eſt, aliquos in ea verſari ſententia, quæ docet celebrantem debere deſcendere, & ſuper infimum gradum genuflexum debere thurificare SS. Sacramentum: ſed de hoc ex profeſſo tractabimus cum agemus de *Feſto* SS. Corpor. Chriſti.

Incenſato Sacramento, & facta tam a Celebrante, quam a Miniſtris profunda inclinatione, Celebrans, & omnes Miniſtri ſurgunt: ac mox Celebrans habens præ manibus thuribulum, cum Miniſtris Sacris ad Altare accedit; ubi facta genuflexione ab omnibus unico genu, ipſe Celebrans incenſat Altare more ſolito. Biſſ. *ſup.* §. 3. Obſervent autem Celebrans, & Miniſtri Sacri, ut dum accedunt, vel recedunt a medio Altaris, ſive per ipſum tranſeunt, ſemper unicum genu flectant; & ſolus Celebrans genuflectendo, extremitates manuum ponat ſuper Altare, ut facilius ſurgat, Biſſ. *ſup.*

VIII. Gav. n. 7. - *Cum incenſandus eſt Celebrans, &c.*) Completa incenſatione Altaris, & reddito in cornu Epiſtolæ thuribulo Diacono, a Celebrante (qui Diaconus illud recipit ſine oſculis ob reverentiam Sacramenti) celebrans deſcendit in planum per gradus laterales cornu Epiſtolæ, ubi, ſcilicet in plano, convertit ſe ad Populum, advertens ne terga vertat Sacramento; ideoque dum ſe vertit, reſpiciat cornu Evangelii; in plano incenſatur triplici ductu a Diacono ſtante contra ipſum, id eſt vertente terga Populo, qui Diaconus inclinat ſe profunde Celebranti ante, & poſt incenſationem. Gavantus *ſupra n.* 7. Angel. *part.* 2. *cap.* 17. §. *Celebrans*, Lohner *ſupra*, Bauldry *part.* 2. *cap.* 9. *n.* 4. Subdiaconus vero ſe interim collocabit a ſiniſtris Diaconi, vertendo pariter terga Populo; Cæremoniarius, ac Thuriferarius conſiſtent in locis conſuetis: A Portu *ſupra* §. *Peracta incenſatione*; hoc erit quoque obſervandum in altera incenſatione ad Offertorium; ibidem lavabit manus, ut optime notat Gavantus *ſupra*.

IX. Gavantus n. 8. - *Accendens ad medium Altaris, &c.*) Cum accedit Celebrans ad medium Altaris, vel recedit a medio illius, & antequam ſe convertat ad Populum, tunc flectet unicum genu; quod etiam Miniſtri facient quando recedunt, aut accedunt ad medium Altaris; alias vero, ſi non moventur, non genuflectunt, v. g. ad *Orate fratres*; genuflectent tamen dum Celebrans dat Benedictionem in fine Miſſæ, & cum aſcendent ad Altare dicturi Hymnum Angelicum, vel Symbolum, aut quidquam aliud facturi, ut in aliis Miſſis.

X. Gavant. num. 9. - *Convertens ſe ad Populum, &c.*) Præterea quando Celebrans ſe convertet ad Populum dicturus *Dominus vobiſcum*, vel aliud, ne directe terga vertat Sacramento, ſe vertit verſus cornu Evangelii, tribus ad illud verſis, facta prius in medio genuflexione; & reverſus ad medium Altaris, iterum genuflectit. Biſſus *ſupra* §. 5. Bauldry *part.* 3. *cap.* 17. *n.* 9.

XI. Gav. num. 10. - *Diaconus, & Subdiaconus, &c.*) Quamvis expoſito Sacramento, ut ſupra diximus, omitti debeant oſcula manus, & rerum, quæ Celebranti porriguntur; nihilominus Subdiaconus, dicta Epiſtola, oſculabitur manum Celebrantis more ſolito, & ab illo benedicetur. Diaconus etiam recipiet Benedictionem ante Evangelium de more, & manum Celebrantis oſculabitur; ſicut ipſe Celebrans oſculari debet librum Evangelii a Subdiacono illi delatum: rurſus Diaconus ad Oblationem oſculabitur Patenam, Calicem, & manum Celebrantis: tum in fine Orationis Dominicæ, eaſdem Patenam, & manum, ut alias, oſculabitur. Bauldry *ſupra* n. 8. Biſſus *ſupra* §. 6. Cerracchinus in dubiis ſuper Rubricam Miſſalis *tom.* 1. *dub.* 10. unde forte oſcula prohibentur ſolum quando fieri debet aliquid, quod ſpecialiter Sacramentum expoſitum tantum reſpiciat.

Poſt cantatum Evangelium, & oſculatum a Celebrante librum, idem Celebrans more ſolito incenſatur abſque eo quod deſcendat in planum; ſed in ſuo loco ſe ſiſtens more ſolito, thurificatur ſtans ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ. Bauldry *part.* 2. *cap.* 9. *n.* 5. Biſſus *ſupra* §. 7.

XII. Gav. n. 12. - *In incenſatione oblatorum, &c.*) Poſt Offertorium, antequam Celebrans ſe retrahat aliquantulum ad cornu Evangelii ad imponendum incenſum, genuflectere debet, ſicut etiam poſtquam impoſuit incenſum, & convertit ſe ad Altare, thurificaturus oblata: nam genuflectere debemus toties quoties recedimus a medio, & accedimus ad medium, ut ſupra diximus; ſed Celebrans recedit in caſu noſtro a medio, ut imponat incenſum ſtans aliquantulum in cornu Evangelii, & accedit ad medium thurificaturus oblata: conſequens ergo eſt, ut genuflectere teneatur: itaque non genuflectit, quia thurificat oblata; ſed quia recedit a medio, & accedit ad medium. A Portu *ſupr. n.* 7. & ex Bauldry *ſup. n.* 6. ſicut etiam ex Biſſo *ſupra* §. 1. Poſtea incenſat oblata de more; & iis incenſatis ſine genuflexione, Celebrans, & Diaconus deſcendunt ad ſecundum gradum Altaris, ut genuflectant ſuper ſuppedaneum (ſed advertant ne Sacramento terga vertant) ubi Celebrans ter thurificat Sacramentum, ut initio Miſſæ. Bauldry *part.* 3. *cap.* 17. *n.* 11. Interim Diaconus aliquantulum retro pariter genuflexus, imo, ut vult Cerrachinus, genuflexus in gradu inferiori ad Celebrantem, ſicut etiam in alia incenſatione initio Miſſæ, caſulam elevatam tenebit, cum eodem ante, & poſt incenſationem, profunde inclinatus. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 10. *cap.* 3. *n.* 3. Poſtea Celebrans cum Diacono ſurgit, & aſcendit cum eodem ad Al-

Al-

Altare: ubi ab utroque facta genuflexione unico genu, illud incenſat more ſolito, dicens, *Dirigatur Domine, &c.* Diaconus aliquantulum elevat partem poſteriorem planetæ Celebrantis, ut moris eſt.

Incenſato Altari, Celebrans reddit in cornu Epiſtolæ thuribulum Diacono, deinde deſcendit in planum per gradus laterales cornu Epiſtolæ, ubi, hoc eſt in plano, convertit ſe ad Populum, & ibi incenſatur eo modo, ut diximus ſupra §. VIII.

Terminata incenſatione a Diacono, Celebrans in eodem loco, facie item ad Populum verſa, lavat manus, eaſque extergit, miniſtrantibus Acolythis more ſolito, ſed ſine oſculis ob Sacramenti expoſiti reverentiam: Biſſus *ſupra* §. 9. Bauldry *ſupr. n.* 9. extersis manibus aſcendit ad Altare per eoſdem gradus laterales; ubi primo genuflectit in medio, deinde mediocriter de more inclinatus dicit, *In ſpiritu humilitatis, &c.* Caſtaldus *ſupr. n.* 4. Biſſus *ſupra*.

Diaconus incenſato Celebrante, incenſat de more Chorum; tum redit ad Altare per eamdem viam ſemper cum debitis genuflexionibus, unico tamen genu, SS. Sacramento; ubi Subdiaconum tenentem Patenam incenſat a cornu Epiſtolæ, qui propterea recedit ad cornu Evangelii, facta prius genuflexione ſuper infimum Altaris gradum; & eo incenſato, redit ad medium, ubi iterum genuflectit ut ſupra. Tum ipſe Diaconus tradit thuribulum Miniſtro, ac recedit ad cornu Epiſtolæ, facta prius unico genu genuflexione; ibique in plano Capellæ ſtans, incenſatur a Miniſtro, & poſtea cum genuflexione ad ſecundum gradum Altaris aſcendit. Bauldry *ſupr. n.* 12. Advertendum igitur eſt cum Cerracchino *tit. dub.* 10. *pag.* 216. quod nullus ex Miniſtris in hac Miſſa incenſari debet, ſtans ſuper gradus Altaris; ſed in plano Capellæ tantum hoc peragi poteſt. Obſervandum etiam, quod qui incenſat Populum, ſtare debet paulo extra medium aditus Chori, ne terga vertat SS. Sacramento. Bralion *part.* 3. *cap.* 3. *n.* 9.

XIII. Gavant. num. 13. -- *Dicitur: Orate fratres a Celebrante, &c.*) Celebrans dicto, *In ſpiritu humilitatis*, rurſum genuflectit, ſemper tamen unico genu, ut commodius ſurgat; & convertens ſe, ut dicat *Orate fratres*, ad latus Evangelii, ne terga Sacramento vertat, & non perficiens circulum, per eamdem viam ad medium redit, & iterum genuflectit in medio Altaris. Gavantus *ſupr. n.* 13. Biſſus *ſupr.* §. 9. Caſtaldus *ſupr. n.* 4. reliqua vero peragit uſque ad Communionem, ut in aliis Miſſis.

XIV. Sumpta purificatione, Celebrans ponit Calicem in cornu Epiſtolæ extra Corporale, poſtea genuflectit Sacramento: tum accedit ad idem cornu Epiſtolæ, ubi accipit Calicem, & abluit digitos, quos etiam ibidem extergit, poſito Calice prope Corporale: deinde accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit, ac mox Calicem dextera accipit, & ablutionem ſumit; qua ſumpta, Calicem extergit Subdiaconus, & illum de more accommodat. Biſſus *ſup.* §. 10. & Bauldry *ſupra*.

XV. Sumpta ablutione, genuflectit iterum Celebrans, & redit ad librum, ubi dicit *Communionem*; qua dicta, redit ad medium Altaris, oſculatur illud, genuflectit, & convertit ſe ad Populum, ut dicat *Dominus vobiſcum*; tum redit ad medium Altaris, & iterum genuflectit. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 14. Miniſtri vero genuflectunt, prout Celebrans: Bauldry *ſupra*: deinde Celebrans redit ad librum, ubi dicit Orationem, vel Orationes, ſi plures dicendæ ſunt; quibus dictis, accedit ad medium, genuflectit, oſculatur Altare, & dicit de more, ut ſupra, *Dominus vobiſcum*. Diaconus vero dum dicit *Ite Miſſa eſt*, vertit prius ſe verſus Populum: ſed de more unicum genu flectit Sacramento ante, & poſt, tenes ſemivertens verſus cornu Evangelii, ſicut facere debet Celebrans, ne Sacramento terga vertat: Subdiaconus autem de ſuo loco non ſe movet. Bauldry *ſupr. n.* 14. Biſſus *ſupr.* §. 11. a Portu *ſupr. n.* 8.

XVI. Gavant. num. 15. -- *In Benedictione Populo danda, &c.*) Dicto, *Ite Miſſa eſt*, & reſponſo *Deo gratias* a Choro, Celebrans, & Diaconus iterum ſe vertunt ad Altare, & ab utroque facta genuflexione, Celebrans dicit, *Placeat tibi Sancta Trinitas*; qua Oratione finita oſculatur Altare (dum dicit Celebrans prædictam Orationem, Diaconus facta, ut ſupra, genuflexione, recedit a medio Altaris verſus cornu Epiſtolæ, & flectit utrumque genu in ſuperiori gradu, hoc eſt in ſuppedaneo; Subdiaconus vero facta genuflexione ſuper infimum gradum unico genu in loco, in quo eſt, aſcendit ſtatim ad ſecundum gradum verſus cornu Evangelii, ut genuflectat in ſuperiori gradu, ut dictum eſt de Diacono) Celebrans igitur oſculato Altari dicit (ſine ſimplici capitis inclinatione: Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 16. quia ſtatim genuflectere debet; & in genuflexione, & profunda inclinatione, includitur inclinatio mediocris, & ſimplex; Cæremoniale Miſſæ Privatæ *cap.* 1. §. 6. *in fine*; & Gervaſi in inſtruct. Miſſæ Priv. coram SS. Sacramento expoſito *num.* 13.) dicit, inquam, Celebrans, *Benedicat vos omnipotens Deus, &c.* ad quam Benedictionem omnes, præter Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, genuflexi eſſe debent in locis ſuis: Bralion *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 3. tum genuflectit, vertit ſe ad Populum ex parte Evangelii, ne terga vertat Sacramento, ubi dat Benedictionem more ſolito; qua data non perficit circulum, ſed per eamdem viam accedit ad legendum ultimum Evangelium (& non debet redire ad medium pro facienda genuflexione) ibique cum ſolita aſſiſtentia Subdiaconi, qui data Benedictione, ſtatim accedit ad cornu Evangelii, ut de more tabellam Evangelii S. Joannis ſuſtineat. Diaconus vero accedit propius ad Altare paulo verſus cornu Epiſtolæ; ubi poſt acceptam Benedictionem, erectus ſtat in eodem ſecundo gradu verſus cornu Epiſtolæ, ubi erat genuflexus Benedictionem accipiendo, & cum Celebrans ſe ſignat; & ad *Verbum caro factum eſt* genuflectit etiam ipſe, & omnes alii de Choro ſe ſignant, & genuflectunt. Ex Caſtaldo *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 5. *n.* 26. & ex Nicolao de Bralion *part.* 2. *cap.* 10. *de fine Miſſæ n.* 4. Alii vero Rubriciſtæ cenſent Diaconum poſt acceptam Benedictionem, facta genuflexione, debere accedere ad cornu Evangelii, ibique ſtare quaſi medium inter Celebrantem, & Subdiaconum, manibus junctis poſt Celebrantem; & ita tenent noſter Gavantus in ſuu Comment. *ad tit.* 12. *part.* 12. *part.* 2. *Rubr.* 7. *lit.* m & Cabrinus *cap.* 6. *num.* 39. necnon Corſettus *tr.* 1. *punct.* 1. *cap.* 4. *num.* 19. & alii, quos ſequitur Hippolytus a Portu in prædicto *tit. & Rubr. num.* 4.

Celebrans autem poſtquam ſe convertit ad cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiſcum*, deinde ſignat librum, ſeu tabellam Evangelii S. Joannis, ſi ibi ſint; in defectu utriuſque ſignat ſolum ſe ipſum, non vero Altare; quod ſemper obſervet, Sacramento expoſito, etiamſi altius eſſet, vel in Pyxide, vel in Calice, nam idem ferme eſſet, ac ſi eſſet ſuper Altare. Gav. *ſupr. num.* 15. Ad *Verbum caro factum eſt* non genuflectit juxta ſolitum verſus cornu Evangelii, ſed aliquantulum verſus Sacramentum, unico tamen genu, abſque capitis inclinatione; Biſſ. *ſupr.* §. 11. & 15. Bauld. *ſupr. n.* 15. quod pariter fit in quacumque alia ſimili occaſione, quando Celebrans debet genuflectere, ſive ſit in cornu Evangelii, ſive in cornu Epiſtolæ, excepto quando diceret *Flectamus genua*, ſecundum opinionem Tonellii, Sarnellii, & aliorum; ad quæ verba genuflectere debet in Miſſa Privata, aut Cantata ſine Miniſtris Sacris, verſus librum, & non verſus Sacramentum; non tamen in Miſſa Cantata cum Miniſtris Sacris; in qua quamvis omnes genuflectere debeant ad prædicta verba, ſolus Celebrans non genuflectit, quia ſtare debet orando. Ex Durando *lib.* 1. *cap.* 5. Biſſo *lit. G n.* 29. & *lit. M n.* 222. §. 15. ex Tonellio, & Sarnellio & ex Cærem. Miſſæ Privatæ *ſupr. n.* 20.

XVII. Gav. num. 16. -- *Recedit cum Miniſtris, &c.*) Finito ultimo Evangelio, Celebrans revertitur ad medium Altaris (& illum immediate ſequitur Subdiaconus) ut inter Subdiaconum & Diaconum (jam ſtantem propius ad Altare paulo verſus cornu Epiſtolæ) decentius deſcendat; ibique medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris, facta genuflexione unico genu, ſine capitis inclinatione, ſtatim deſcendunt omnes in planum, (ſed caveant ne terga vertant Sacramento) & ibi ante infimum gradum Altaris in plana terra utrumque genu flectunt omnes cum capitis inclinatione, ut initio fecerunt: tum ſurgunt pariter omnes, diſcedunt, & in eodem loco, ubi caput detexerunt, id eſt extra Presbyterium, ſeu extra Capellam, & non hic, accipiunt birreta ſua Celebrans, & Miniſtri Sacri a Cæremoniario, ſeu ab alio Miniſtro, & caput tegunt aliquantulum conſiſtentes, & pergunt in Sacriſtiam ordine, quo venerant. Bauldry *ſupr. n.* 16. Biſſus *lit. M* §. 12. Hippolytus a Portu *ſupr. n.* 9.

XVIII. Gavant. ſupra num. 16. -- *Vel ſi facienda -- ſit Proceſſio pro fine Orationis publicæ, &c.*) Quando autem hæc Miſſa celebratur pro reponendo SS. Sacramento in fine Orationis quadraginta Horarum; tunc, finita Miſſa, facienda eſt Proceſſio publica, juxta diſpoſitionem inſtructionis Pontificiæ a nobis ſupra expoſitæ *n.* 20. quapropter facta genuflexione a Celebrante unico genu cum Miniſtris Sacris in medio ſuppedanei Altaris, poſtea cum iiſdem, præcedente Subdiacono, deſcendit per gradus laterales a cornu Epiſtolæ in planum; & retrahit ſe retro Altare, ſi parieti non adhæreat, vel ad credentiam, ſeu extra cornu Epiſtolæ, ob præſentiam Sacramenti, ubi deponit planetam, & manipulum, (ſicut etiam Miniſtri Sacri ſuos deponunt manipulos) & accipit pluviale, adjuvantibus Cæremoniario, vel etiam Diacono, & Subdiacono, ut mos eſt in Sacris Baſilicis Urbis; quamvis tale miniſterium Diacono, & Subdiacono denegetur a Nicolao de Bralion *part.* 3. *c.* 17. *n.* 1.

Poſtea Celebrans per planum incedens, manibus junctis, & nudo capite, medius inter Miniſtros Sacros, elevantes hinc inde fimbrias pluvialis, accedit ad medium; ubi genuflectit in plano cum Miniſtris Sacris utrumque genu, & cum ipſis inclinat etiam ſe profunde: tum erigunt ſe; poſtea in medio inferioris gradus Altaris, ut colligi poteſt ex Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 26. genuflectunt; Bralion *ſupr.*; ibique parumper orant genuflexi.

Reliqua peragit, ut præſcribitur in ſæpius laudata inſtructione Pontificia, & ut infra dicemus Feria 5. in Cœna Dom. & in Feſto Corporis Chriſti.

### De Ritu Miſſæ Privatæ coram SS. Sacramento expoſito.

XIX. Gav. num. 17. -- *In Miſſa Privata, &c.*) 1. Statim ac Sacerdos Presbyterium, ſeu Capellam Altaris, in quo Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum, ingreditur; aliquantulum conſiſtens, caput detegit, porrigens birretum Miniſtro, quod non debet poni, ut plerique faciunt, neque ſuper

burſam Calicis, neque ſuper Miſſale. Bauld. *part. 3. cap. 17. num.* 5. Tonell. *lib. 3. cap. 2. num. 1.* Gerv. *in inſtruct. Miſſæ, quæ celebratur coram Sanctiſſimo Sacramento expoſito* §. *Primieramento*.

2. Cum pervenerint ad medium Altaris, ante illius infimum gradum, flectit utrumque genu, omnino in plana terra. Gav. *ſup. n. 5.* & omnes Rubriciſtæ cum eo; & caput inclinet profunde, dum eſt genuflexus; quod facit & Miniſter. Corſer. *tract. 1. part. 1. c. 17. n. 2.* Cæremon. *Miſſæ privatæ c.* 12. Gervaſi *in inſtruct. pro Miniſtro Miſſæ privatæ quæ celebratur coram SS. Sacramento expoſito c. ult. n. 2.*

3. Mox ſurgunt Sacerdos, & Miniſter; & ille, ut in aliis Miſſis, aſcendit ad Altare; & Calice collocato ad partem Evangelii, antequam capiat burſam pro extrahendo ex illa Corporale, genuflectit, unico tamen genu, & ſine capitis inclinatione: Cæremoniale Miſſæ priv. *ſupra num.* 2. Hippol. à Portu *cap. 6. de Miſſa privata coram Venerabili expoſito num.* 5. & ſic fieri debent omnes aliæ genuflexiones, excepta, ultima, quando Sacerdos diſcedit ab Altari finita Miſſa, rediens ad Sacriſtiam; quæ genuflexio fit ſicut prima: inde extendit Corporale in medio Altaris, & ſuperimponit Calicem; quo facto genuflectit iterum unico genu caput non inclinans, ut dictum eſt, ſurgit, & accedit ad cornu Epiſtolæ, ut librum aperiat.

4. Rediens ad medium Altaris, ſtatim genuflectit unico genu; ut ſupra; & ſine mora retrahens ſe de more aliquantulum ad cornu Evangelii facie verſa ad cornu Epiſtolæ ne vertat dorſum SS. Sacramento, deſcendit in planum Altaris humeris verſis ad cornu Evangelii.

5. Poſtquam deſcenderit in planum ut ſupra, pro incipienda Miſſa, antequam dicat, *In nomine Patris*, genuflectit ſuper infimum Altaris gradum, unico tamen genu, ſine capitis inclinatione: Miniſter vero facta genuflexione utroque genu, ut ſupra, accedens de more in cornu Epiſtolæ, ibi deponit Miſſale ſuper cuſſinum; unde diſcedens & pergens ante medium utrumque genuflectit; quod ſemper facit tranſiens per medium: quamobrem magis ſollicitus eſſe debet quam in aliis Miſſis in recedendo à ſuo loco, ubi eſt, ut tempore conſueto miniſtrare poſſit.

6. Sacerdos finita Confeſſione aſcendit ad Altare ſine genuflexione, quam gratis quidam faciunt, & cum ad illud pervenerit, antequam incipiat, *Oramus te Domine*, genuflectit.

7. Finita Oratione, & oſculato de more Altari, genuflectit ut ſupra, ſurgit, & procedit ad cornu Epiſtolæ lecturus Introitum.

8. Dicto Introitu, accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit, & poſtea dicit *Kyrie eleiſon*, *& Gloria in excelſis*, ſi dicendum ſit.

9. Dicto *Kyrie eleiſon*, *& Gloria in excelſis*, oſculetur Altare, genuflectit, ut ſupra, ſine capitis inclinatione, vertit ſe ad Populum, recedens paululum ad cornu Evangelii, ne SS. Sacramento dorſum obvertat, & dicit *Dominus vobiſcum*; poſtea revertens ad medium Altaris, denuo genuflectit; & ita ſemper facere debet in aliis hujuſmodi occaſionibus.

10. Facta ut ſupra genuflexione in medio Altaris, revertitur ad cornu Epiſtolæ, & ibi dicit *Oremus* de more, deinde Orationem, Epiſtolam, Graduale, Alleluja, vel Tractum, ut tempus poſtulat.

11. Cum pervenerit ad medium Altaris, antequam dicat, *Munda cor meum*, *&c.* elevatis ad Sacramentum oculis, & ſtatim demiſſis, genuflectit, ut ſupra; ac deinde ſurgens dicit *Munda cor meum*, & *Jube Domine benedicere*.

12. Dictis præfatis Orationibus, antequam accedat ad cornu Evangelii pro dicendo Evangelio, iterum genuflectit, ut ſupra; deinde ſe recipit ad cornu Evangelii; converſus ad librum, dicit juxta morem *Dominus vobiſcum*: ſignat librum, & ſe ipſum, deinde legit Evangelium.

13. Finito Evangelio, & oſculato libro, poſt illa verba *Per Evangelica dicta*, *&c.* venit ad medium Altaris: ſi dicendum ſit *Credo* prius genuflectit ut ſupra; ſi vero non ſit dicendum, antequam convertatur ad Populum dicturus *Dominus vobiſcum*, prius oſculatur Altare, deinde genuflectit, ut ſupra; & converſus ad Populum in cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiſcum*. Obſervandum igitur hic, quod ſi dicendum ſit *Credo*; in hoc caſu genuflectit antequam illud dicat; & eo finito, oſculato prius Altari, genuflectit antequam ſe vertat ad Populum: ſi vero non dicatur *Credo*, lecto Evangelio, venit ad medium Altaris, ubi illud oſculatur, & poſtea genuflectit, ut ſupra, & converſus ad Populum, dicit *Dominus vobiſcum*.

14. Dicto *Dominus vobiſcum* convertit ſe ad Altare, in medio ejus genuflectit; & deinde ſurgens dicit *Oremus*, faciens eodem tempore de more, ſed verſus Sacramentum ſimplicem capitis inclinationem cum aliquali humerorum inclinatione, & ſtatim dicit Offertorium.

15. Dictis *Oremus* & *Offertorio* de more, facit ea, quæ ſequuntur; & dicto *Suſcipe Sancte Pater*, antequam diſcedat de medio ad cornu Epiſtolæ pro imponendo vino, & aqua in Calice, genuflectit, & accedit ad ſupradictum cornu Epiſtolæ; vinum de more infundit in Calice cum aqua; ſed Miniſter dum ei porrigit ampullas, eas non oſculatur ob reverentiam Sacramenti.

16. Sacerdos poſito Calice extra Corporale ad cornu Epiſtolæ, & reverſus ad medium Altaris, genuflectit ut ſupra, & ſurgens accipit Calicem, & dicit *Offerimus tibi &c.*

17. Dicto *Veni Sanctificator*, & benedictis ad finem ejuſdem Orationis Hoſtia, & Calice, abſque manuum junctione & ſine inclinatione capitis, eum manus extenſas ſupra Altare tenere debeat, genuflectit ut ſupra, ſurgit, & recta incedit verſus cornu Epiſtolæ, deſcendit in planum per gradus laterales cornu Epiſtolæ, & ibi lavat manus facie verſa ad Populum; & advertat ne terga vertat Sacramento, ita ut poſtquam deſcenderit gradus Altaris, vertat ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, & ibidem, ubi ſcilicet lavavit manus, etiam eas manutergio extergat.

18. Poſt lotionem manuum redit per eoſdem gradus laterales ad medium Altaris; ubi ſtatim ut pervenerit, genuflectit ut ſupra, & dicit *Suſcipe Sancta Trinitas*.

19. Dicto *Suſcipe*, *&c.* oſculatur Altare, genuflectit: & obverſo tergo verſus cornu Evangelii, non perficiendo circulum, dicit verſus Populum, *Orate fratres*.

20. Illo dicto, reverſus ad Altare, iterum genuflectit; & deinde ſurgit.

21. Sacerdos peragit reliqua uſque ad Communionem, ut in aliis Miſſis: ſed advertendum, quod in hac Miſſa, ſicut etiam in Solemni coram Venerabili expoſito celebrata, campanula non pulſatur, neque ad *Sanctus*, neque ad *Elevationem*; quod deducitur ex ratione finali, propter quam hic Ritus inſtitutus fuit; nam hæc campanula ideo pulſatur, ut Populus ad adorationem Sacramenti excitetur: fruſtra igitur in præſenti caſu, in quo jam Populus actualiter adorat Sacramentum expoſitum, pulſaretur.

22. Poſt ſumptam purificationem Sacerdos ponit Calicem extra Corporale ad cornu Epiſtolæ: tum genuflectit in medio Altaris unico genu, ſurgit, & vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi eſt Calix; ibi accipit dictum Calicem; ubi facta in eo digitorum ablutione, & eorum abſterſione ponit Calicem prope Corporale; tum procedit ad medium Altaris, & ibi genuflectit, ut ſupra, ſurgit, accipit Calicem, & ſumit ablutionem, & deinde extergit os, & Calicem purificatorio.

23. Accommodato Calice in medio Altaris poſt ſumptam ablutionem, antequam accedat ad cornu Epiſtolæ pro legenda Antiphona, quæ dicitur *Communio*, genuflectit, ut ſupra, & lecta prædicta Antiphona, accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit, ſurgit, oſculatur Altare; tum vertit ſe ad Populum in cornu Evangelii, & dicit *Dominus vobiſcum*.

24. Dicto *Dominus vobiſcum* revertitur ad Altare, & genuflectit in medio ut ſupra; & ſurgens redit ad cornu Epiſtolæ, & ibi dicit *Oremus* cum inclinatione verſus Sacramentum, & poſt Communionem de more.

25. Poſt communione dicta, accedit ad medium Altaris, ubi prius genuflectit ut ſupra, ſurgit, oſculatur Altare, poſtea vertit ſe ad populum in cornu Evangelii, & dicit *Dominus vobiſcum*, & *Ite Miſſa eſt*; ſi vero dicturus eſt *Benedicamus Domino*, dicto *Dominus vobiſcum*, revertitur ad medium Altaris, genuflectit, ſurgit; deinde ſtans, dicit: *Benedicamus Domino*.

26. Dicto *Ita Miſſa eſt*, convertit ſe ad Altare, ubi genuflectit, ſurgit, & deinde dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas*, *&c.* qua deprecatione finita oſculatur Altare, deinde dicit *Benedicat vos Omnipotens Deus*; quo dicto ( caput non inclinans ad vocem Deus ) immediate genuflectit, & ſurgit, deinde vertit ſe ad Populum ex parte Evangelii, illum benedicit more ſolito, non perficit circulum, nec accedit ad medium Altaris, ut genuflectat; ſed per eamdem viam, qua converſus eſt ad Populum, abſolute revertitur ad cornu Evangelii, ubi dicit *Dominus vobiſcum* de more, & legit ultimum Evangelium, advertens ne ſignet omnino Altare, (& hoc ſignum eſt omittendum, quia ex expoſitum SS. Sacramentum ) ſed tantum librum, vel tabellam; ſi neutrum adſit; ſignet ſe ipſum ſolum.

27. Ad *Verbum caro factum eſt* non genuflectit juxta ſolitum verſus cornu Evangelii, ſed aliquantulum verſus Sacramentum unico genu, & ſine capitis inclinatione; quo dicto ſurgit, & proſequitur Evangelium.

28. Finito Evangelio, Sacerdos accedens ad medium Altaris genuflectit ut ſupra, ſurgit, accipit Calicem de more, deſcendit humeris verſis ad cornu Evangelii in planum Presbyterii, ſeu Capellæ, ubi iterum genuflectit, ſicut initio fecit, in plana terra utroque genu, profunde inclinans caput, & ſic pariter genuflectit, & ſe inclinat Miniſter; deinde ſurgit, ſicut & Miniſter, & ſtatim diſcedit, & in eodem loco ( id eſt extra Presbyterium, ſeu Capellam ) dextera accipit à Miniſtro birretum, caput tegit, interim aliquantulum conſiſtit, & more ſolito pergit deinde ad Sacriſtiam.

Ex prædictis patet in genuflexionibus faciendis ſequentem regulam obſervandam eſſe, videlicet: quando Sacerdos accedit ad medium Altaris, prima actio ſit genuflexio: deinde oſculetur Altare: quando vero Sacerdos eſt in medio Altaris, & verſus Populum ſe convertere debet; prius oſculari debet Altare, & deinde genuflectere, ut dicat *Dominus vobiſcum*, *Orate Fratres*, *&c.* & ad medium Altaris deinde rediens, iterum unicum genu flectit. Hæc omnia excerpta ſunt ex Au-

cto-

ctoribus, qui agunt de hac Miſſa celebrata coram Sanctiſſimo Sacramento, nimirum ex Bauldry *part.* 3. *cap.* 17. ex Biſſo *tom.* 2. *lit.* M *num.* 222. §. 1. & *lit.* G *num.* 29. ex Hippol. a Portu *cap.* 7. *de Miſſa Privata coram Venerabili expoſito*, & ex Cæremoniali Miſſæ Privatæ *cap.* 12. ex Corſetto *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 27. *num.* 2. ex Gervaſio *in inſtruct. Miſſæ, quæ celebratur cor. SS. Sacramento expoſito*, ex Tonellio *lib.* 3. *cap.* 2. ex Lohner *part.* 3. *tit.* 1. *num.* 1. ex Cerrachino *tom.* 1. *dub.* 9. ex Cærem. Monaſt. *lib.* 3. *cap.* 12. §. 2. ex Vinitore *part.* 4. *tit.* 5. *in adnot.* ex Angel. *part.* 2. *cap.* 17. ex Moncio *de Miſſa coram Venerabili*, & ex Abbate Benvenuti, *de eadem Miſſa coram SS. Sacram. expoſito pag.* 43. & ex Pennatio, epitom. Sacr. Rit. *tit.* 13. *cap.* 11.

XX. Si ex urgente neceſſitate (aliter non eſt adminiſtranda) in dicto Altari intra Miſſam, miniſtretur Sacra Euchariſtia; cum Celebrans dicit *Miſereatur veſtri, &c. Indulgentiam, &c.* ſtet in cornu Evangelii, ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento; ſed dum vertit ſe ad Populum ut dicat, *Ecce Agnus Dei, &c.* attendit ſolummodo ad Sacramentum, quod habet præ manibus, non ad Sacramentum, quod eſt expoſitum; ideoque convertat humeros ad Altare more ordinario: Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 3. Hippolytus a Portu *ſupra num.* 11. & ſi miniſtretur Euchariſtia in dicto Altari in fine Miſſæ, ſeu extra Miſſam; Sacerdos cum dat Benedictionem poſt miniſtratam Euchariſtiam, ſtet in cornu Evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento.

Advertendum, quod ſi dicatur Miſſa Privata Votiva de Sanctiſſimo Sacramento diebus non impeditis, quamvis ſit expoſitum etiam in Oratione quadraginta Horarum, non ideo in prædicta Miſſa debet dici *Gloria*; idque colligitur & ex Rubricis generalibus, & ex Decretis a S. R. C. editis, datis in noſtro Indice; & deinde repetitis in titulo IV. primæ partis in quo agitur de Miſſis Votivis S. Mariæ, &c. ex quibus colligitur Hymnum Angelicum in Miſſis Privatis Votivis non eſſe dicendum niſi in Miſſis Votivis Angelorum, & in Miſſis Votivis de B. M. V. quando celebrantur in Sabbato.

Neque pariter in dicta Miſſa Votiva de Sanctiſſimo Sacramento dicitur *Credo* ſola ratione Sanctiſſimi Sacramenti expoſiti, juxta Decretum editum 2. Decembris 1684. & ſupra a nobis jam allegatum. Inſuper poteſt fieri Commemoratio de SS. Sacramento, ſi expoſitum ſit in Oratione quadraginta Horarum, etiam in Miſſa de feſto Duplici, quod non ſit primæ, vel ſecundæ Claſſis, inhærendo Decreto edito 2. Decembris 1684. quod nos ſupra pariter expoſuimus: unde legantur Decreta ibidem collecta, ut exacte adimpleatur mens Sacræ Congregationis.

### De Miſſa Privata, quæ Celebratur coram Epiſcopo in propria Diœceſi.

XXI. Quamvis de Ritu ſervando in celebratione Miſſæ *tit.* 3. *& ſeq.* ſparſim aliqua dixerimus de hac ipſa Miſſa Privata coram proprio Epiſcopo celebrata; nihilominus non abs re eſſe duximus ſi de hac eadem Miſſa in hoc loco paulo fuſius ſermonem iterum inſtituamus, & omnia ad eamdem ſpectantia ordinatim, & in unum collecta tradamus.

1. Igitur Cæremoniæ Miſſæ Privatæ, quæ celebratur coram Epiſcopo in loco ſuæ juriſdictionis, ſunt eædem, quæ ſervari debent coram Patriarcha, vel Archiepiſcopo in tota Provincia, coram Nuntio, & Legato Apoſtolico in locis ſuæ Legationis, coram Cardinali ubique gentium. Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 30. Item eædem Cæremoniæ obſervari debent in Miſſa Privata, quæ celebratur coram Abbate benedicto (coram gaudente benedictorum privilegiis) habente uſum mitræ, vel baculi, in ſuo Monaſterio, vel Eccleſia ſua: imo coram Epiſcopo, & Archiepiſcopo extra ſuam Diœceſim, vel extra Provinciam, ſed in privato Oratorio, erunt eædem Cæremoniæ ſervandæ, quæ in loco juriſdictionis ipſorum ſervari debent; ut multi Rubriciſtæ docent.

2. Epiſcopus, juxta Cæremoniale Epiſcoporum ſupracitatum, Miſſam audire debet ſupra ſcabellum precatorium, verſus medium Altaris, vel ex parte Epiſtolæ poſitum, ut Celebrans incipere poſſit Miſſam ex parte Evangelii: quod ſi Epiſcopus, vel ob ſitum, vel ob aliam cauſam ſtaret ex parte Evangelii; in tali caſu Celebrans poſſet incipere Miſſam ex parte Epiſtolæ, vel etiam in medio Altaris, ſi Epiſcopus eſſet in tali ſitu ut Celebrans commode ſe ſe inclinare poſſet abſque eo, quod ipſi Epiſcopo, ſeu Prælato verteret tergum.

3. Juxta aliquos, conveniens in primis eſt, ut Celebrans monitus de adventu Epiſcopi, ne ipſe Celebrantem expectet, Epiſcopum præveniat; ſi hic needum adveniſſet, ſiſtens ſe verſus Altare in cornu Epiſtolæ, jam indutus Sacris indumentis, Calice ſuper Altare parato, ipſum expectet, & monitus de adventu Prælati, vertat ſe in eodem loco, & profunde inclinatus ipſum ſalutet: deinde tranſiens ad medium Altaris, ſalutata de more Cruce, deſcendit in planum per gradus laterales cornu Evangelii ante infimum Altaris gradum; ex quo loco facit profundam reverentiam Cruci, vel genuflectit, unico tamen genu, abſque capitis inclinatione coram Sanctiſſimo Sacramento, ſi expoſitum adſit in Tabernaculo, & deinde profunde Epiſcopo ſe inclinet; & ſtatim erectus ſtet in eodem cornu Evangelii, expectans ab Epiſcopo ſignum incipiendi Miſſam, aliquantulum ad eum converſus; & dato ab Epiſcopo ſigno, iterum profunde eidem ſe inclinet, & converſus aliquantulum ad Altare, more ſolito incipiat Miſſam. Verum juxta inſtructionem Cæremonialis Monaſtici *lib.* 3. *cap.* 12. §. 3. & aliquorum uſum, paulo antequam Epiſcopus accedat ad Altare, in quo coram eo eſt celebranda Miſſa, duo tantum Cerei accendi debent, Calix ſuper Altare parari, ſicut etiam Miſſale apertum, & alia neceſſaria ſuper credentiam ne Prælatus ibi diu moretur. Sacerdos etiam paratus in Sacriſtia expectabit illius adventum; qui ſtatim ipſi Prælato Eccleſiam ingreſſo, & jam ſuper genuflexorium ante Altare in genua procumbente, accedet ad illud junctis manibus ante pectus, capite tecto, & præcedente Miniſtro de more, & ante infimum gradum Altaris caput deteget; factiſque ſtatim Altari, & Epiſcopo reverentiis, id eſt genuflexione Tabernaculo Sanctiſſimi Sacramenti, & inclinatione profunda Prælato, ante infimum gradum ad cornu Evangelii ſe recipiet; ibique ſtans, expectabit ſignum incipiendi, aliquantulum ad Prælatum converſus; quo ſigno dato iterum inclinet ſe Prælato profunde; & aliquantulum converſus ad Altare, manente Miniſtro ad cornu Epiſtolæ genuflexo in plano Capellæ, incipit Miſſam more ſolito. Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *c.* 30.

4. Miſſa inchoata, ad *Confiteor* ubi pervenerit ad illa verba, *Et vobis fratres*, dicat Celebrans profunde Prælato ſe inclinans, *Et tibi Pater*; & ubi dicitur de more, *Vos fratres*, dicat, *Et te Pater*; quod ſi plures eſſent Prælati æquales, vel alii Prælati, tunc non videtur dicendum *Vobis Patres*, & *Vos Patres*, ſicut illorum nemo oſculatur librum poſt Evangelium; nihilominus uſus obtinuit in tali caſu, ut hæc in numero plurali dicantur: Gavantus *tit.* 3. *ſupra Rubr.* 9. §. *Quid dicendum*: deinde in eodem loco dicet de more *Miſereatur*, *Indulgentiam*, & reliqua uſque ad *Oremus* incluſive.

5. Dicto *Oremus*, immediate antequam aſcendat ad Altare iterum verſus Prælatum profunde ſe inclinat; & accedens ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipiens *Aufer a nobis*, ſecreto ut moris eſt, aſcendit ad Altare, & alia peragit, ut in aliis Miſſis.

6. Finito Evangelio non oſculatur librum, nec dicit *Per evangelica dicta*; ſed ſtatim Miniſter, qui juxta Cæremoniale Epiſcoporum debet eſſe Capellanus Epiſcopi ſuperpelliceo indutus, defert Miſſale apertum ad Prælatum ſine genuflexione, ut illud oſculetur, ubi deſcribitur initium Evangelii lecti. Poſt oſculum Miniſter claudit Miſſale, & tunc, & non prius Prælato unico genu genuflexionem facit; deinde reportat decenter ad Altare librum, ſi ſit Celebrantis, aperiendo ubi erat apertus: ſi Capellanum non habet paratum Epiſcopus, tunc alius Miniſter, qui Miſſæ inſervit, tradet librum oſculandum Epiſcopo.

7. Quod ſi ibi foret Prælatus dignior, uti Archiepiſcopus, vel Cardinalis; tunc Miſſale ad magis dignum deferatur oſculandum: ſi vero ibi ſint plures Prælati æquales; & nullus aliis dignior; nulli defertur oſculandum Miſſale, nec illud oſculatur Celebrans. Cæremoniale Epiſc. ſupra.

8. *Credo* (ſi ſit dicendum) *Offertorium, &c.* uſque ad Orationem, quæ dicitur poſt *Agnus Dei*, *Domine qui dixiſti, &c.* incluſive, dicuntur ut in aliis Miſſis.

9. Dum Sacerdos dicit prædictam Orationem poſt tertium *Agnus Dei*, Miniſter genuflexus utroque genu a dexteris Celebrantis tenet inſtrumentum pacis elevatum ſupra Altare, & finita ſupradicta Oratione, Celebrans oſculatur Altare; & poſtmodum ambabus manibus tenens inſtrumentum pacis, quod ei porrigitur a ſupradicto Miniſtro genuflexo, ut ſupra, illud oſculatur dicens *Pax tecum*; & Miniſter reſpondet et adhuc genuflexus, *Et cum ſpiritu tuo*; moxque ſe erigens Miniſter facit genuflexionem Sacramento unico genu, & abſtergit inſtrumentum in ea parte, quam oſculatus eſt Sacerdos; abſtergit autem ſiniſtra adhibendo velum coloris cum Miſſæ colore congruentis, quod manubrio inſtrumenti appenſum eſſe debet; & deinde defert præfatum inſtrumentum pacis oſculandum Prælato ſine ulla inclinatione; quo oſculato, & non prius, facit genuflexionem Prælato unico genu.

Si ibi ſit Prælatus aliquis dignior Epiſcopo, inſtrumentum pacis deoſculandum defertur ad illum, & poſtea ſucceſſive ad minus dignum: ſi omnes ſint æquales, dari poſſet oſculandum illi, qui primum occupat locum, vel ei qui vicinior eſt Altari, & deinde aliis ſucceſſive. Poſtquam illud pacis inſtrumentum datum fuit ad oſculandum, conveniens eſſet illud velo cooperire, antequam Prælato fiat genuflexio; & ſi ibi plures fuerint Prælati, tunc tegitur poſtquam ultimus illud fuerit oſculatus. Rurſus advertendum eſt, quod ſi plures fuerint Prælati, poſt uniuſcujuſque oſculum, unicuique fit reverentia, & poſt reverentiam ſtatim abſtergitur inſtrumentum. Alia, quæ ſpectant ad præfati inſtrumenti oſculum, jam tradidimus agentes de hac parte Miſſæ in titulo de Ritibus Miſſæ Solemnis.

10. Communio, Poſtcommunio, & alia, uſque ad Benedictionem excluſive, dicuntur de more.

11. Ad finem Miſſæ Celebrans dicit de more ſolito, *Benedicat vos omnipotens Deus*: ſed priuſquam Populo benedicat, ad Prælatum converſus, profunde ei ſe inclinat, quaſi ab eo licentiam benedicendi petens; qua inclinatione facta, be-

benedicit circumſtantibus ex parte Evangelii (ſi Prælatus eſt in medio, vel ex parte Epiſtolæ) dicens de more: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*: quare Celebrans advertat ſemper ne benedicat ex illa parte ubi eſt Prælatus. Verum ſi Prælatus audiet Miſſam extra ſuæ juriſdictionis locum: *Ei abſque alio reſpectu*, dicit Rubrica, *ut cæteris, qui interſunt, Sacerdos more conſueto benedicit*. *Rubr.* 12. *n.* 3.

12. Poſt Benedictionem Celebrans dicit de more Evangelium in fine Miſſæ; quo finito, ad Prælatum converſus, ſtans in eodem cornu Evangelii facit illi profundam reverentiam; poſtmodum expectat priuſquam diſcedat, uſque dum Prælatus diſceſſerit.

Non ſolum quando Sacerdos celebrat coram Epiſcopo, ſed etiam Archiepiſcopo, Nuntio, & Legato extra ipſorum Diœceſim, Provinciam, vel locum Legationis, in publica Eccleſia, prædictam reverentiam prætermittit, ut diſponit Rubrica citata; quamvis in tali caſu videatur conveniens, ut Sacerdos celebrans in præſentia talium Prælatorum, accedens, vel recedens ab Altari, tranſiens ante ipſos, faciat iiſdem debitam reverentiam, hoc eſt mediocrem inclinationem, & capite cooperto ſi habet Calicem; profundam, & capite detecto ſi Calicem non habeat: ulterius mittat ipſis oſculandum inſtrumentum pacis, ut alias dictum eſt, & finito ultimo Evangelio faciat ipſis profundam inclinationem ab Altari. Hæc omnia delibavimus ex Cæremoniali Miſſæ Privatæ *cap.* 3. ex Bauld. *part.* 3. *c.* 9. & *part.* 5. *cap.* 30. ex Biſſo *tom.* 2. *lit. S nu.* 20. §. 11. & §. 79. ex Lobner *part.* 4. *tit.* 6. ex Hippolyto a Portu *part.* 3. *cap.* 4. *ad tit.* 3. *in adnot. Rubr.* 2. & *ſeqq.* ex Moncio de Miſſa coram Prælato, ex Corſetto *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 16. ex Angel. *part.* 2. *c.* 13. & ex Toneilio *lib.* 2. *tit.* 14.

## De Miſſa, quæ cantatur coram Epiſcopo in diverſis Eccleſiis ſuæ Diœceſis.

XXII. Quoniam ſub hoc titulo egimus de Miſſa tum Solemni, tum Privata, celebrata coram SS. Sacramento expoſito, & deinde de Miſſa Privata celebrata coram Epiſcopo in loco ſuæ juriſdictionis; hinc progredimur etiam ad agendum de Miſſa Solemni celebrata coram eodem Epiſcopo in Eccleſiis diverſis ſuæ Diœceſis: contingit enim ſæpe ut Antiſtites, ſive in ſua viſitatione, ſive in aliis Solemnitatibus, accedant ad Eccleſias Collegiatas, ſive Parochiales extra Civitatem, ubi pontificaliter aſſiſtunt Miſſis Solemnibus, ſine Canonicis Eccleſiæ Cathedralis. Cum igitur pro prædictis Miſſis nulla ſit in Cæremoniali regula; hinc ut facilius hæc Sacra actio dirigatur, congruum nobis viſum eſt tradere hic ea, quæ hinc inde collecta ſunt, & quæ quamvis in prædicto Cæremoniali non ſint expreſſa; illi tamen in omnibus ſunt conformia, vel ſaltem illi non diſcordantia.

XXIII. Paranda igitur erit, primo a latere dextero Altaris, nempe a latere Evangelii, ſi ſitus loci id patiatur, ſedes Epiſcopalis alta a ſolo tribus gradibus, tapetibus undique cooperta; ipſaque ſedes cum poſtergali velatur panno ſerico, eique ſuper appenditur umbraculum, ſeu baldacchinum conforme colori paramentorum Celebrantis, & Altaris, dummodo & ſuper Altari aliud ſimile, vel etiam ſumptuoſius appendatur: non aliter, ut habet Cæremon. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 13. §. 3.

Si cum Epiſcopo eſſet aliquis Canonicus ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, collocandum eſſet ſcamnum nudum a latere dextero Epiſcopi, extra anteriores gradus ſedis: ſi duo Canonici eſſent, duo ſcamna prope parietem; ſi tres eſſent Canonici, tria parentur ſcamna, duo prope parietem hinc inde a lateribus ſedis, aliud prope Epiſcopum ante ipſius faciem a dexteris, vel a ſiniſtris, prout loci ſitus patietur; regulariter tamen a dexteris, dummodo neque Altari, neque Epiſcopo, Canonicus ſuper illo ſedens terga vertat, ſed maneat ſemiconverſus. Cæremoniale Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. Si nullus ſit Cathedralis Eccleſiæ Canonicus; tunc nulla paretur ſedes, niſi Epiſcopus velit uti aliorum Canonicorum Collegiatæ, ſeu Parochi, & aliorum aſſiſtentia, & habere eos hinc inde ſibi aſſiſtentes, Turrinus *part.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 2.

XXIV. Ante gradus Altaris collocetur faldiſtorium cum pulvinis, & operimento coloris, quem Miſſa exigit, vel aliud genuflexorium, quod facile moveri poſſit. In latere Epiſtolæ paretur ſcamnum oblongum pro Celebrante, & Miniſtris Sacris, ut mos eſt.

Si autem Epiſcopus velit Sacris indutus Miſſæ intereſſe, ſupra Altare parentur pluviale explicatum (& uti mos eſt præparetur formale, ſeu pectorale) ſtola, cingulum, Crux pectoralis, alba explicata, amictus, mitra erecta prope gradus Altaris a parte throni; quæ omnia velo pretioſo cooperiantur præter mitram. Baculus vero paſtoralis ponatur in loco poſteriori ſedis Epiſcopalis; liber Miſſalis, & inſtrumentum argenteum, quod bugiam vocant, in credentia collocabuntur.

XXV. Cum Epiſcopus ad Eccleſiam venturus eſt, debent Presbyteri loci, ſeu illius Eccleſiæ, accedere ad eum locum in habitu chorali, a quo Epiſcopus deducendus eſt, niſi maxime diſtaret; quo caſu vel exciperent eum extra Eccleſiæ portam, vel in loco alio deſignato. In acceſſu, & receſſu ab Eccleſia, Clerici omnes Epiſcopum præcedunt; Canonici vero ſi erunt Eccleſiæ Cathedralis, ſubſequi debent, quia non ſunt parati, neque eſt Proceſſio facta. Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 15. §. 9. Superior Cleri, & dignior illius Eccleſiæ, ad quam Epiſcopus accedit, cum debita reverentia, id eſt genuflectens, aſperſorium aqua benedicta madidum porrigit Epiſcopo cum oſculo ipſius aſperſorii primum, & deinde cum oſculo manus Epiſcopi, a quo omnes aſperguntur interim genuflexi. Tum cum oſculis prius manus, deinde aſperſorii, & genuflexione, aſperſorium recipitur ab eodem digniori ipſius Eccleſiæ. Dixi aſperſorium Epiſcopo porrigendum eſſe a digniori illius Eccleſiæ, ad quam accedit: quia hoc eſt conforme Decretis a Sac. Rit. Congreg. editis, & datis in noſtro Indice *ſub num.* 61. 84. 121. 241. 263. 292. 309. & 423. Dixi etiam cum genuflexione: ubi enim Canonici Cathedralis inclinant; Presbyteri, & alii de Clero genuflectunt, etiam ſi ſint Parochi, imo etiam ſi ſint Canonici Collegiatarum, niſi immemorabilis ſit contraria conſuetudo; ut ſtatuit Sac. Rit. Congreg. apud Bauldry *part.* 5. *cap.* 9. *art.* 2. *num.* 20. & ut habent acta Mediolanenſis Eccleſiæ in inſtructione Proceſſionum (quæ genuflexiones etiam a Regularibus præſtari debent) deinde deducunt Epiſcopum ad Altare; ibique genuflexus orat; quod idem faciunt omnes genuflexi ante Altare, ſurgente Epiſcopo ſurgunt omnes, eique ad ſedem abeunti debitam faciunt reverentiam, id eſt, genuflexionem. Turrinus *loc. cit.*

Interim removetur faldiſtorium per aliquem Acolythum, & portatur ad latus Epiſtolæ, vel ad alium convenientem locum. Alii duo Acolythi præcedunt ad Altare cum debitis reverentiis, tollentes velum ſupra prædictum Altare poſitum. Deinde præfati Acolythi, aut alii, ſi ſint, afferant modeſte, & decenter ambabus manibus ex Altari paramenta Epiſcopi, cum debitis genuflexionibus Altari, & Epiſcopo; qui depoſita cappa, ſtans, induitur a dignioribus: tum ſedens accipit mitram; & cum tempus fuerit, accepto paſtorali baculo, deſcendit in planum ante Altare medius inter duos ſeniores, fimbrias anteriores pluvialis elevantes. Interim Celebrans deſcendit a ſede ſua in planum per partem lateralem Epiſtolæ, & cum Miniſtris eum ſequentibus, ex Cærem. Papæ *lib.* 2. *cap.* 2. accedit ad ſiniſtram Epiſcopi nudo capite, ſed paulo poſt eum; ſicut & Miniſtri Sacri, qui paululum retro ſtabunt ad ſiniſtram Celebrantis. Epiſcopus depoſito baculo paſtorali, ac mitra, recedentibus ſenioribus poſt eum, qui ibi genuflectunt, incipit, *In nomine Patris, &c.* ſe ſignans; ac peragit ea, quæ ſunt Celebrantis propria, ac ſi ipſe eſſet Miſſam celebraturus, faciens Confeſſionem uſque ad *Indulgentiam* incluſive; cui ipſe Celebrans reſpondet ſimul cum Epiſcopo dicente, *In nomine Patris, &c.* ut declaravit S. R. C. 4. Auguſti 1663. quod quidem Decretum datum eſt in noſtro Indice *ſub num.* 409. Miniſtri vero Sacri, qui tunc ſtant poſt dictum Celebrantem, faciunt inter ſe ſubmiſſa voce Confeſſionem, ſicuti cæteri de Choro bini, & bini.

XXVI. Dicto per Epiſcopum *Indulgentiam, &c.* Celebrans facta profunda reverentia Epiſcopo, & a Miniſtris Sacris genuflexione, paululum ſe retrahit cedens locum Epiſcopo, qui interim proſequitur reliquos ℣℣. cum ſuis Aſſiſtentibus; & eodem tempore etiam Celebrans cum ſuis Miniſtris recitat eoſdem verſus. Poſt hæc ſenior miniſtrans Epiſcopo, accedens ante ipſum, imponit ei mitram cum debitis genuflexionibus, miniſtrans vero baculum paſtoralem, a ſiniſtra illum cum oſculo Epiſcopo offert; qui facta debita inclinatione Altari, vadit ad ſedem ſuam eo modo, quo venerat; ubi cæteris ſtantibus ſedet, ac baculum paſtoralem deponit.

Tum Celebrans accedit ad medium plani ante infimum Altaris gradum; & medius inter Sacros Miniſtros aſcendit ad Altare, quod oſculatur ad verba, *Quorum Reliquiæ hic ſunt*, ibique ſtat, quoad uſque ei thuribulum allatum fuerit.

Acolythus deinde Thuriferarius cum navicula, & igne in thuribulo, comite Cæremoniario, accedit cum Diacono ad Epiſcopum ſedentem cum mitra; qui Diacono miniſtrante naviculam, & Thuriferario unico genu flexis, imponit incenſum cum Benedictione in thuribulum; Diaconus autem offerens cochlear, dicit *Benedicite Pater Reverendiſſime*, vel ſi ſit Cardinalis dicit *Eminentiſſime*. Benedicto thure ſurgit Acolythus, accipit naviculam a Diacono, accedunt cum debitis reverentiis, hoc eſt genuflexionibus, & redeunt ad Altare pariter cum genuflexione, ubi Celebrans ſumpto thuribulo ſine oſculis, ut habet Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 18. §. 16. (quæ oſcula ideo omittuntur, quia præſens eſt Epiſcopus) cum debitis reverentiis thurificat Altare; & poſtea Diaconus incenſat Celebrantem duplici ductu cum debitis inclinationibus. Incenſato Celebrante Diaconus vadit cum Turiferario, qui thuribulum geſtat, ad Epiſcopum, eumque, facta genuflexione, thurificat ſtantem cum mitra. Si Epiſcopus habeat Presbyterum aſſiſtentem, qui ſit ex ſuis Canonicis Eccleſiæ Cathedralis; Diaconus non accedit ad Epiſcopum pro imponendo thure, ſed ſufficit Thuriferarius cum Cæremoniario; & tunc idem Presbyter aſſiſtens incenſat Epiſcopum paratum. Si autem Epiſcopus nolit incenſari a Paroco ſibi aſſiſtente, veniet nihilominus Diaconus, & tradet illi thuribulum, ſed pro imponendo incenſo miniſtrabit ſolus Parochus, nec Diaconus diſcedet ab Altari.

XXVII. Facta Incenſatione Epiſcopi, junior aſſiſtens detrahit

ei

ei mitram cum debitis genuflexionibus, & ſenior ſubbirretum, quod, complanatis capillis, apud ſe tenet. Miniſtri libri, & candelæ, venient ad Epiſcopum (cum genuflexionibus ante, & poſt, quod ſemper obſervant) qui ſurgens legit ex libro allato Introitum, & dicit *Kyrie* cum Miniſtris, dum celebrans ad Altare idem præſtat. Recedunt deinde Miniſtri libri, & candelæ: Celebrans autem, dicto ultimo *Kyrie*, accedit de more ad medium Altaris, & cantat Hymnum *Gloria in excelſis*, quem proſequitur cum Diacono, & Subdiacono, dum Epiſcopus idem facit cum Cæremoniario ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, ſi adſit, vel cum ſenioribus ſibi aſſiſtentibus, & Miniſtri bini eumdem Hymnum ſubmiſſa voce proſequuntur. Obſervandum tamen eſt, quod in his Eccleſiis, Canonici Collegiatæ, ſive alii Presbyteri, non faciunt circulum ad *Kyrie*, *Gloria*, *&c.* cum prædictum circulum ſoli Canonici Eccleſiæ Cathedralis faciant; ut eſt communis conſuetudo omnium Eccleſiarum, & colligitur ex iis, quæ tradit Turrinus *ſup.* §. *Incenſatione*.

XXVIII. Dicto Hymno Angelico, celebrans per viam breviorem vadit ad ſedem cum Miniſtris Sacris: dum imponitur mitra Epiſcopo ſedenti, Clerici omnes miniſtrantes, quamvis decentius ſtare deberent, attamen ſedere poterunt in infimo ſedis Epiſcopalis gradu, ſed capite detecto; Turrin. *ſup. loc. cit.* quoad uſque finiatur Hymnus a Choro.

Circa finem Hymni ſurgunt omnes Miniſtri, & celebrans cum Sacris Miniſtris per viam longiorem revertitur ad Altare, Epiſcopo ſe inclinans; Miniſtri vero genuflectunt: deinde omnes Chorum circumſtantem ſalutant: tum omnes pariter facient debitam reverentiam Altari. Priuſquam dicatur *Dominus vobiſcum* aufertur mitra Epiſcopo, qui ſurgens ſtat uſque ad concluſionem poſtremæ Orationis: tum Epiſcopus ſedet, & imponitur ei mitra. Subdiaconus antequam cantet Epiſtolam, comite Cæremoniario, genuflectit Altari, & Epiſcopo. Notandum tamen hic eſt, quod ſi Subdiaconus, priuſquam cantet Epiſtolam, debeat tranſire ante Epiſcopum; primo faciet genuflexionem Epiſcopo, tum Altari: quia in tali caſu non attenditur cui prius vel poſtea genuflexio exhiberi debeat; ſed conſideratur tantum commoditas gradientis: unde faciat primam genuflexionem prius ſibi occurrenti. Finita Epiſtola accedit ad ſolium Epiſcopale; ubi genuflexus, tenens librum clauſum per angulos inferiores, deflectit partem ejus ſuperiorem, & ponit ſuper Epiſcopi genua, ac in parte poſteriori oſculatur ejus manum ſuper librum poſitam: deinde ab eo benedicitur; & facta ei debita genuflexione recedit: tum vadit ad ſuum Miniſterium circa celebrantem, ut moris eſt, facta prius reverentia Choro, & genuflexione Altari. Interim Miniſtri de libro, & candela, accedunt ad Epiſcopum, qui ſedens cum mitra, cæteris ſtantibus, legit Epiſtolam, & Evangelium cum intermediis, Graduale ſcilicet cum Tractu & ℣. ac *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, *&c.* dum a Choro cantatur *Graduale*, *&c.*

XXIX. Cum inchoatur in Choro ℣. Gradualis, aut citius, prout videbitur, poſt reditum Subdiaconi, Diaconus defert librum Evangeliorum incedens per planum ad Altare cum debitis reverentiis etiam Epiſcopo, & Choro; & inde, Cæremoniario comite, accedit ad Epiſcopum, ubi genuflexus oſculatur manum ejus: tum facta genuflexione redit, cum reverentiis Choro præſtitis, ad Altare, ubi genuflexus in infimo gradu dicit *Munda cor meum &c.*

Tum ſurgens capit librum Evangeliorum; & facta genuflexione accedit ad partem Epiſtolæ, ubi expectat tempus eundi ad Epiſcopum pro Benedictione. Interim Thuriferarius accedit ad Epiſcopum cum Cæremoniario, ubi Epiſcopus ponit thus in thuribulo de more, miniſtrante Presbytero aſſiſtente naviculam, ſi adſit: aliter ipſe Diaconus, poſito libro ſuper Altare, offert prius Epiſcopo thus benedicendum cum debitis reverentiis, & oſculis; quo facto revertitur ad Altare, ubi more ſolito dicit *Munda cor meum &c.* tum ſuo tempore cum aliis Miniſtris, id eſt cum Subdiacono, Cæremoniario, Thuriferario, & Ceroferariis, cum ſolitis reverentiis revertitur ad Epiſcopum; coram quo cuncti genuflectunt uſquequo Diaconus Benedictionem acceperit. Diaconus accepta Benedictione ſurgit, ſicut & Miniſtri, & accedunt ad locum convenientem hoc ordine: Præcedit Cæremoniarius, mox Thuriferarius cum thuribulo, & navicula, tum Ceroferarii cum candelabris, & cereis accenſis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimo Diaconus portans librum Evangeliorum clauſum ante pectus; & tranſeuntes ante Altare, faciunt illi genuflexionem, ſicut & Choro reverentiam. Cum pervenerint ad locum Evangelii, Subdiaconus medius inter Ceroferarios tenet ante pectus librum Evangeliorum apertum, cujus ſuperior pars capiti ejus adhæreat, vertens renes, non quidem Altari, ſed verſus ipſam partem dexteram, quæ pro ipſo aquilone figuratur.

Diaconus cum tempus eſt, junctis manibus ante pectus, incipit cantare Evangelium; attendant tamen Subdiaconus, & Ceroferarii, ne terga vertant Epiſcopo, ut bene notat Cærem. Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 1. *c.* 4. quia in tali caſu, vel potius exeundum eſſet ex Presbyterio, ut notat Turrinus *ſup.* Bauld. *part.* 5. ex *lib.* 2. Cærem. Epiſcop. *c.* 9. *art.* 2. *n.* 7. & Lohn. *part.* 3. *tit.* 2. §. 1. *num.* 11. vel a latere dextero Epiſcopi cantandum eſſet Evangelium.

Epiſcopus, cum dicitur *Dominus vobiſcum*, depoſita mitra ſurgit; & accepto baculo paſtorali manu ſiniſtra, ſignat dextera ſe in fronte, dum dicitur *Sequentia*, *&c.* tum jungit manus habens baculum inter ambas manuum volas, ut moris eſt, uſque ad finem. Diaconus autem dicto *Sequentia S. Evangelii* incenſat librum juxta morem ſolitum. Finito Evangelio Subdiaconus portat librum apertum Epiſcopo oſculandum ſine ulla reverentia; niſi poſt oſculum libri; quo clauſo, & non prius, genuflectit. Interim Acolythi Ceroferarii, facta genuflexione Altari, & Epiſcopo, diſcedunt, & deponunt candelabra ſupra credentiam. Diaconus autem cum Thuriferario vadit ante Epiſcopum, quem ſtantem adhuc ſine mitra cum baculo incenſat. Poſt incenſationem vero Epiſcopus deponit baculum, & Diaconus revertitur ad Altare cum debitis reverentiis. Advertendum tamen eſt; quod ſi Epiſcopus geſtet cappam amplam, & non pluviale; tunc incenſandus eſt celebrans, & quidem ſolus; juxta Decretum diei quartæ Auguſti 1663. in una Dalmatiarum ad 8. dubium, & datum in noſtro Indice *ſub nu.* 410. Præfatus autem celebrans non dicit *Per Evangelica dicta*, *&c.* quia hæc verba dicuntur ab Epiſcopo poſtquam oſculatus eſt Evangelii textum.

Dum incenſatur Epiſcopus, vel prius, accedit celebrans a cornu Epiſtolæ ad medium Altaris, quo cum Diaconus acceſſerit, intonat *Credo*, ſi dicendum ſit, quod ipſe cum Diacono, & Subdiacono, & Epiſcopus cum Aſſiſtentibus proſequuntur; & genuflectunt omnes cum dicunt, *Et incarnatus eſt*, *&c.* in fine ſignant ſe, ſedent deinde Epiſcopus, & cæteri; quando vero cantatur a Choro, *Et incarnatus eſt*, *&c.* omnes profunde caput inclinant, hoc eſt Epiſcopus, Aſſiſtens, & celebrans, & Miniſtri Sacri; cæteri vero de Choro, qui non ſedent, genuflectunt.

XXX. Cantato per Chorum Symbolo, accedit celebrans ad Altare cum ſolitis reverentiis, dicit *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, Epiſcopo ſtante cum mitra, ut obſervatur in Capella Papæ: tum Epiſcopus legit ex libro per Miniſtros ante ſe allato, ſedens, Offertorium; deinde benedicit ampullam aquę elevatam a Subdiacono ſtante in cornu Epiſtolæ, & dicente, *Benedicite Pater Reverendiſſime*, unicum genu tunc flectendo: deinde idem Subdiaconus ſurgens aliquas guttulas immittit in Calicem; reliqua peragit de more. Facta Calicis oblatione, Diaconus vadit cum Thuriferario ad Epiſcopum; per quem impoſito, & benedicto incenſo, redit ad celebrantem, & fit ublatorum Altaris, tum Sacerdotis celebrantis, deinde Epiſcopi thurificatio; & hoc loco nunquam omittitur, quia poſt eos, omnes incenſantur unico ductu thuribuli, niſi adeſſet Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, qui duplici ductu incenſari deberet.

XXXI. Dum incipit celebrans Præfationem; Epiſcopus ſurgit, depoſita prius mitra, & ſtat manibus junctis uſque ad finem, dicens cum duobus ſenioribus, vel Miniſtris, *Sanctus*, *&c.* dum idem cantatur a Choro, non tamen percutiens pectus dextera, ſed ſignans ſe in fine, elevante ſeniore a dexteris fimbriam anteriorem pluvialis: tum ſedet, & accipit mitram; ac tenens ſiniſtra baculum, deſcendit in planum ante gradus Altaris ad faldiſtorium ibidem a Miniſtro paulo ante locatum; ubi depoſito baculo, & mitra, genuflectit, aptantibus duobus ſenioribus fimbrias anteriores pluvialis ſuper faldiſtorium. Subdiaconus autem, qui tenet Patenam, ſtabit vel retro poſt Epiſcopum, vel ſuper infimo gradu a latere Epiſtolæ genuflexus; & Acolythi cum intortitiis, vel in plano Capellæ genuflectunt poſt Epiſcopum, vel genuflexi manent a latere Altaris, faciebus invicem ſibi converſis. Turrin. *loc. cit.* §. *Dum incipit.* Facta Elevatione ſurgunt omnes, & Epiſcopus ſtans, & accepto baculo ſine mitra, ut docet Marcellus in Cæremoniali Papæ *lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 14. & colligitur pariter ex Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 12. genuflectit, & poſt genuflexionem, ſumpta pariter mitra, revertitur ad ſedem ſuam; ubi ſtans, deponit baculum, & mitram; & aufertur faldiſtorium de medio Altaris. Subdiaconus autem redit ante medium infimi gradus cum genuflexione, & Acolythi cum intortitiis recedunt: Celebrans vero reliqua peragit uſque ad *Agnus Dei* incluſive, ut in Miſſali, Ex Turrino *ſup.*

XXXII. Ad *Agnus Dei* Epiſcopus cum ſenioribus, ſeu Diaconis ſibi aſſiſtentibus ter eumdem ℣. dicit, percutiens ſibi dextra pectus, ſiniſtra interim pectori admota, & elevante ſeniore a dextris fimbriam anteriorem pluvialis. Tum ſi adeſt Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, ſeu presbyter aſſiſtens, facta profunda reverentia Epiſcopo, accedit cum debitis genuflexionibus ante, & poſt, ad Altare quod deoſculatur ſimul cum Sacerdote celebrante, a quo accipit pacem, eamque defert ad Epiſcopum, qui eam dat duobus Diaconis ſibi aſſiſtentibus; ut præſcribit Cæremoniale Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 8. Subdiaconus autem Canonicum, ſeu Presbyterum aſſiſtentem cum pace recedentem ab Altari ſequitur, & pacem accipit ab eo in plano Capellæ, quam deinde dat Cantoribus in Choro, tum Diacono, demum Cæremoniario, vel Acolytho. Si cum Epiſcopo proprio alii ſint Prælati minores; tunc Miniſter dabit pacem etiam primo ſtanti in ſua ſede, qui aliis deinde eam dabit: & ſi ſint ſcamna, in quibus ſint multi Prælati; tunc dabit pacem primo cujuſcumque ſcamni, juxta ea quæ diximus ſupra de ordine dandi pacem. Si vero non adſit Presbyter aſſiſtens, tunc Subdiaco-

nus pacem a Diacono accipit, eamque defert ad Epiſcopum, deinde cæteris ut ſupra diſtribuit. Bauld. *part. 5. ex 2. lib. Cærem. Epiſc. c. 9. art. 2. n. 15.* & Turrinus *part. 2. ſect. 6. c. 2.*

XXXIII. Ad *Domine non ſum dignus*, inclinatus Epiſcopus pectus ter percutit; ac ſumpto a Celebrante Sanguine, ſedet, capitque mitram, ac legit ex libro ſibi allato *Communionem* dum cantatur a Choro. Ad *Dominus vobiſcum* ſurgit Epiſcopus nudo capite, iterumque ſedet, dicto *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*. Dum Celebrans dicit *Placeat*, *&c.* accepta mitra Epiſcopus ſurgit; & genuflexis omnibus (exceptis Celebrante, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, ſi adſint, qui ſolum profunde ſe inclinant, juxta Decretum datum in noſtro Indice *ſub num.* 136. Celebrans vero ſe trahens ad cornu Epiſtolæ, ſtans facie verſa ad Epiſcopum, profunde, ut ſupra, inclinatus expectat Benedictionem) benedicit ſolemniter, accipiens baculum antequam dicat *Pater*, *&c.* Præfatus Sacerdos celebrans poſtmodum inclinans profunde caput, & humeros Epiſcopo, legit Indulgentias: tum Epiſcopo mitram deponente, Celebrans facta reverentia Cruci Altaris, vadit cum Subdiacono (remanente Diacono propius ad Altare paulo verſus cornu Epiſtolæ, vel ſe recipiente a parte Evangelii inter Celebrantem, & Subdiaconum, ſed paulo retro) ad cornu dexterum, ubi legit de more Evangelium, ad quod Epiſcopus ſtat cum baculo, nudo capite genuflectens, ut moris eſt, cum dicitur, *Et verbum caro factum eſt*. Miſſa peracta deſcendit Celebrans cum Miniſtris Sacris in planum, factis ibi debitis reverentiis ab omnibus Altari, Epiſcopo, & Choro. Epiſcopus autem ſi cappa uſus eſt, deſcendit in planum, ubi orat in faldiſtorio; deinde abit, abeunte etiam Sacerdote cum ſuis Miniſtris. Si vero Epiſcopus uſus eſt pluviali, Celebrans cum debitis reverentiis recedit in Sacriſtiam; & Epiſcopus apud ſedem ſuam expoliatur Sacris veſtibus, & veſtitur cappa, ac vadit ad faldiſtorium, ubi orat, & recedit ſtipatus a cunctis Clericis, ut dictum eſt ſupra, niſi aliqua Hora Canonica perſolvenda ſit; quo caſu aliqui remanent in Choro, & Officium abſolvunt. Hæc omnia reſpective ſunt juxta diſpoſitiones Cæremonialis Papalis, & Epiſcoporum, & juxta conſuetudines Eccleſiarum Cathedralium Collegiatarum, necnon juxta placita Caſtaldi, Bauldry, Turrini, Biſſi, & aliorum.

## Ordo Miſſæ, & partium ejuſdem additio juxta ordinem temporum. XV.

### G A V A N T U S.

HActenus ordinem totius Miſſæ examinavimus, ſecundum quem Miſſa celebratur. Nunc quam breviſſime videamus, quo ordine aucta ſit eadem Miſſa ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hodiernum uſque diem, ordine temporum ſervato. Si de Liturgia S. Petri ſuſtaſſe dubites, quam Lindanus defendit (quo caſu tota eſſet a Sancto Petro) Succeſſores Decretis firmarunt eamdem per partes. Præterea ejuſdem Miſſæ myſticam expoſitionem, ex antiquis interpretibus hauriam, eam nimirum, quæ aptius Domini noſtri Jeſu Chriſti vitam, Actiones, & Paſſiones ordinate repræſentat. Poſtremo Canonis literalem ſenſum in quibuſdam verbis non ita facilem aperiemus.

1. Ex dictis igitur, initio Eccleſiæ Miſſa conſtabat Conſecratione tantum, & Oratione Dominica, ut probavimus *ex S. Gregor. part. 2. tit. IX. Rubr. 1. lit.* q

2. Ab Apoſtolis, & Succeſſoribus Apoſtolorum addita ſunt Epiſtola, *part. 1. tit. X. Rubr. 1. lit.* h & Evangelium, *eod. tit. & lit.* b

3. Tum principium Canonis a Clemente fuit additum, qui & dici juſſit, *part. 2. tit. VIII. Rub. 1. lit.* i Dominus vobiſcum, *part. 1. tit. VII. Rubr. 7. lit.* c

4. Communicantes, a Lino, *part. 2. tit. XIII. Rubr. 4. lit.* q vel Siricio, *ibid. lit.* z

5. Qui pridie, *part. 3. tit. X. Rubr. 4. lit.* f uſque ad verba Conſecrationis. Unde & memores, &c. aquam item cum vino adhiberi juſſit Alexander, *part. 1. tit. VII. Rub. 2. lit.* z

6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, a Sixto, *part. 1. tit. VIII. Rubr. 3. lit.* z

7. Hymnus Angelicus a Theleſphoro, & Tractus *part. 1. tit. X. Rubr. 5. lit.* z

8. Orate fratres, ante Soterum: at alii Leoni id tribuunt, *part. 2. tit. VII. Rubr. 7. lit.* y

9. Confeſſio ante Miſſam a Pontiano; alii a Damaſo, *part. 2. tit. III. Rubr. 7. lit.* x

10. Symbolum poſt Evangelium a S. Marco; ſed quod hodie legitur, Damaſus decrevit legi, qui & gloria Patri in Miſſa addidit, *part. 1. tit. XI. Rubr. 8. lit.* n

11. Pax Domini ſit ſemper, &c. ab Innocent. I. *part. 2. tit. X. lit.* a

12. Introitus Miſſæ ex Pſalmis, a Cœleſtino. Item Tractus, & Graduale, *part. 1. tit. VIII. Rubr. 1. lit.* ſ

13. Præfationes, Hanc igitur oblationem, &c. in Canone Sanctum Sacrificium, &c. Ite Miſſa eſt, Benedicamus Domino, a Leone I. *part. 1. tit. XII. lit.* z

14. Canonem ordinaſſe dicitur, Gradualia, & Præfationes addidiſſe Gelaſius, *part. 2. tit. VIII. Rub. 4. lit.* r

15. Kyrie eleiſon, Orationes, Alleluja, Offertorium, Communio: in Canone, Dieſque noſtros in tua pace diſponas, &c. Præceptis ſalutaribus, Libera nos, &c. & tota Miſſa melius ordinata fuit a Gregorio I.

16. Agnus Dei, a Sergio, *part. 3. tit. X. Rubr. 2. lit.* e

17. Sequentia, a Nicolao, *part. 2. tit. X. Rubr. 3. lit.* n

Secuti vero ſumus in hac re Chronologiam Bellarmini.

ALii SS. Patres addidere alia, approbata deinde a Summis Pontificibus, uti par eſt credere, hoc ordine temporum.

1. Benedictus, qui venit in nomine Domini, a S. Ignatio, *part. 1. t. 11. 12. Rubr. 2. lit.* z

2. Domine non ſum dignus, &c. tempore Origenis, *part. 2. tit. X. Rubr. 6. lit.* o

3. Finis Hymni Angelici ab Hilario Pictav. *part. 1. tit. VIII. Rubr. 3. §. Hymnus Angelicus.*

4. Benedictio Populi in fine, ætate S. Hieronymi, *part. 1. tit. XIII. Rubr. 2. lit.* u

5. Quod ore ſumpſimus Domine, &c. ante Ordinem Romanum, *part. 2. tit. X, Rubr. 5. lit.* z

6. Domine Jeſu Chriſte fili Dei vivi, *par. 2. tit. X. Rubr. 6. lit.* l &c. Placeat, &c. ante Microlog. *part. 2. tit. XII. Rubris. 1. lit.* t

Reliqua tandem Pii V. auctoritate ſunt communita.

Græcorum autem Miſſa fuit longior, quam Latina: hæc ipſa tempore S. Auguſtini longior erat, quam hodie: vel quia in Introitu totum Pſalterium diceretur: vel quia Epiſtolæ, & Evangelii lectio eſſet longior; vel quia in Feſtis cantarentur ſingulæ: certum eſt, quod ob querimoniam Populorum brevior eſt facta, ut colligit *Baron. An. 418. ex eodem Auguſt. ſerm. 251. de tempore*. Brevior eſt etiam Romana Miſſa, quam Ambroſiana: quia Mediolanenſes priſcis Græcorum veſtigiis firmius inhæſerunt: quod notat *Lind. ad Liturg. S. Petri.*

## Myſtica expoſitio Miſſæ ſecundum ordinem totius Vitæ Chriſti, quam repræſentat. XVI.

### G A V A N T U S.

EXpoſuerunt quamplurimi Myſteria Miſſæ, & ſuo quiſque judicio, & arbitratu; ita ut nondum invenerim Auctorem, quem omnino ſequar ab initio Miſſæ, uſque ad finem ejuſdem, certa, & ordinata ſerie, vel Paſſionis, vel totius vitæ Chriſti: quare a pluribus excerpam, quæ in unum coacta, exquiſite ordinata, Eccleſiaſticum lectorem fortaſſe delectabunt: non tamen minutiſſima quæque perſequar, quæ tædio eſſe poſſent; neque ſingula omnia myſticum habent ſenſum.

1. Procedit igitur tam in Miſſa Privata, quam in Solemni, Sacerdos ad Altare de Sacriſtia: hic admirare Verbum Divinum paſſioni deſtinatum, quod egreditur de ſinu Patris. Thuriferarius cum thuribulo fumigante ſignificat naturam humanam orantem Deum pro redemptione Mundi; Duo Acolythi Legem, & Prophetas; Subdiaconus, & Diaconus Sanctos Patres vicinos Nativitati Chriſti, qui parant viam Domino. *Hæc Hugo Vict. in ſpec. cap. 7.*

2. Inclinat ſe ante Altare Sacerdos, & facit *Confeſſionem*; ob exinanitio Divini Verbi, quod formam ſervi accepit in ſimilitudinem carnis peccati! *Dur. lib. 4. cap. 7.*

3. In *Introitu*, cum verſus geminato, laude Trinitatis, & oſculo primo Altaris, audi iterata deſideria, & voces Sanctorum Patrum antiquiorum: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: & *Veni Domine*, *&c. ex Sancto Germano in Theoria*: & cum incenſatur Altare, memento incenſi, hoc eſt orationis Chriſti pro nobis in utero materno: thuribulum enim Chriſtum denotat *Ex Auguſt. hom. 6. in Apoc.* & nos ſupra *diximus cum Innoc. III. p. 2. tit. 4. n. 4. lit.* b.

4. Inculcatur, *Kyrie eleiſon*, id eſt, Domine miſerere: *ut Iſa. 13. Domine miſerere noſtri: te enim expectavimus. Innoc. lib. 3. cap.* 19. contra novem genera peccatorum, Originale, Mortale, Veniale, Cordis, Oris, Operis, Infirmitatis, Ignorantiæ, Malitiæ; & dicitur novies.

5. *Gloria in excelſis Deo*, *&c.* Ecce Chriſtus natus, & gaudentes Angeli cantant. *Innoc. cap.* 20. Signum Crucis in fine Hymni ſignificare circumciſionem Chriſti, docet *Melchior Huelamus*. *Dominus vobiſcum*, hoc loco indicat apparitionem Magis factam. *Ex Praxi Spirituali Principiſſa Parmenſiſ.*

6. In cornu Epiſtolæ fit initium Miſſæ, ubi & *Orationes* dicuntur. Cerne Chriſtum primo ad Judæos miſſum, quorum reliquiæ in fine Mundi ſalvabuntur: unde & Miſſæ finis ibidem habetur, ubi & initium. *Durand. lib. 4. cap. cap.* 15. Oratio ſignificat Præſentationem Chriſti in Templo. Ex praxi præfata ſpirituali. Orat autem Chriſtus, & in precibus eſt totus ab infantia; *ex Hugone de quibuſdam ad Miſſam ſpect. lib. 2. cap. 16.* uſque ad prædicationem Joannis, quæ ſignificatur in Epiſtola, ut mox dicetur.

7. Ad *Epiſtolam* cantandam a Subdiacono, unus eum comitatur Acolytus; quia Joannem pauci ſunt ſecuti. *Innocentius III. lib. 2. cap.* 29. modo legitur de antiquo, modo de Teſtamento novo: quia Joannes ad utrumque ſpectat. *Ex Rupert. lib. 1. cap.* 32. finita Epiſtola, oſculatur Subdiaconus manum Celebrantis, quia Joannes ad Chriſtum diſcipulos tandem

dem

dem deſtinavit; & ſicut Chriſtus laudavit Joannem, ita Sacerdos benedicit Subdiacono. *Innoc. ibid. c.30.* clauſo libro accedit Subdiaconus, quia in lege, quam prædicabat Joannes, claudebatur adhuc Chriſtus, quem reſpicit, dum contra Altare cantat Epiſtolam: *Durand. c.16. & ſeqq.*

8. *Graduale* ad pœnitentiæ reſpicit lamentum; *Rupert. lib. 1. c. 34.* & converſi ad pœnitentiam a Joanne prædicatam, gemunt. Dicitur a gradibus Graduale, quo ſignificatur aſcenſio Diſcipulorum Chriſti, vocatorum per gradus poſt Joannis prædicationem. *Alleluja*, conſolationis eſt poſt luctum pœnitentiæ: gaudebant autem Diſcipuli in nova converſatione Chriſti. *Tractus* ejuſdem rationis eſt cum Graduali: & *Sequentia*, ſeu jubilatio, eſt idem cum Alleluja, ut alias docuimus. *Hæc habet Innoc. III. ſup. c.31.*

9. Succedit *Evangelium* in parte Altaris altera, quia Gentibus fit communis Chriſti doctrina: liber de Altari ſumitur, quia de Sion exivit Lex nova, & verbum Chriſti de Jeruſalem: quoniam autem miſit Apoſtolos etiam tunc temporis prædicare Regnum Dei, ideo Benedictio, miſſio, & oſculum manus præcedunt. Thuriſerarius cum thuribulo bonum odorem virtutum Chriſti evangelizantis; & Acolythi cum cereis accenſis fulgentiſſimum lumen doctrinæ Chriſti deſignant: ſive lumina miraculorum ejuſdem Chriſti, ſive quia binos mittebat ante faciem ſuam, quo erat ipſe venturus. Subdiaconus ut Miniſter, vel auditor bene doctus, tandem refert librum Evangelii ad celebrantem, uti ad Chriſtum, cujus eſt colligere fructus prædicationis ſuæ; cui & in gratiarum actionem thus adoletur a Diacono; quæ omnia fuſius *Innoc. III. a c.35. ad c.48. lib.2.*

10. In *Symbolo* Fidei profeſſio manifeſta eſt, & doctrinæ ſequela, quæ in Diſcipulis Chriſti, præſertim ad ejuſdem prædicationem effulſit; nam multi crediderunt in eum; *Durand. c.25.* & Gentiles per Philippum, & Andream ducti ſunt ad Chriſtum, appropinquante jam Paſſione, in Offertorio. *Innoc. c. 52.*

11. *Offertorium* ſignificat votum Fidei a Gentilibus oblatum Chriſto inter prædicationem, & Paſſionem, quod admiratus eſt in Centurione, & Cananæa: *Innoc. III. c. 52.* quo cantato, ecce ſilentium, in quo appropinquante Paſſione ſignificatur latibulum Chriſti, qui palam non ambulabat. *Idem cap. 54.* *Velum* amovetur a Calice, ut Calix videatur a Populo, quia nunc manifeſte in Miſſa Paſſio Chriſti repræſentatur: unde & finita ejuſdem repræſentatione, quæ accidit, ut dicemus, circa Communionem, velo rurſus velatur Calix, ne videatur, ut prius, ſed undequaque occultetur. Miniſtri præparant oblata, & circa eadem Crucis ſigna fiunt, quia Concilium fecerunt Hebræi, ut eum morti traderent. *Patena* partim abſconditur ſub Corporali, ſeu velatur in manu Subdiaconi; quia patentia corda diſcipulorum in Fide titubant, & deficiunt. *Idem cap.19.* Exprimit *Incenſatio oblatorum* effuſionem unguenti ante ſex dies Paſchæ, cujus odore repleta eſt domus; & ideo incenſantur omnes. *Idem c.57.*

12. *Præfatio* quid aliud deſignat, niſi triumphum Chriſti in die Palmarum? in quo tum Angeli, tum Hebræorum pueri cantabant: *Hoſanna: Benedictus, qui venis &c. Inn. lib.2. cap.61.*

13. *Canon*, inquit *Microlog. de Eccleſ. obſervat. cap.16.* Dominicæ Paſſionis potiſſimum eſt commemoratio; & primo quidem ſecreto dicitur, ad indicandum, Deum vere eſſe abſconditum in hoc Myſterio; tum poſtremis diebus Chriſtum cum ſolis Diſcipulis converſantem: latibulum Chriſti a Judæis hoc loco ſignificari, ait *Innoc. Tertius lib.3. c. 1.* Tres Cruces, quæ primo fiunt ſuper oblata, denotant tres traditiones Chriſti ad mortem, a Deo Patre, a Juda, & a Judæis, qui Pilato eum tradiderunt. *Idem c. 3.* In aliis quinque Crucibus poſt, *Hanc igitur oblationem, &c.* venditio Chriſti exprimitur: in primis tribus, venditionis pretium, quod ter decem denariis conſtat; vel tres emptores intellige, Sacerdotes, Scribas, Phariſæos; in aliis duabus venditorem, & venditum: *idem cap. 12.* vel in his quinque Crucibus latet Hiſtoria a die Palmarum ad mortem Chriſti, per dies quinque, *Titelman. cap. 43.*

14. *Conſecratio* repræſentat cœnam Dominicam; *Innoc. lib. 4. c.6.* ubi Benedictiones Hoſtiæ, & Calicis ſignificant, & repræſentant non crucifixionem, ſed præſignationem Paſſionis Chriſti factam in ipſa cœna; *S. Th. 3. part. q. 83. art. 6.* vel quod pro duobus Populis ſit paſſurus; *ex Amal. lib.3. c. 24.* vel quia redimenda ſunt anima, & corpus noſtrum per Paſſionem Chriſti: *Alexand. Alen. 4. part. q.33.* ideoque duplex fit ſignum Crucis, ſemel ſuper Hoſtiam, ſemel ſuper Calicem.

15. *Elevatio* vero Hoſtiæ, & Calicis, anticipatam Crucis, & Chriſti in ea crucifixi elevationem ſignificat; *ex S. Germano in Theoria rerum Eccleſiaſt.* non actionem crucifixionis Chriſti, de qua infra ſuo loco, ſed memoriam Paſſionis Chriſti, & mortis ejuſdem in hoc Sacramento ſtatim eſſe faciendam: *Hæc*, inquit, *quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*: hoc eſt *Mortem Domini annuntiabitis*: quam Elevationem in hoc anticipato ſenſu (quod bene nota) comitantur fere ſtatim quinque Cruces ad ea verba: *Hoſtiam puram*, &c. ad memoranda quinque vulnera Chriſti in Cruce accepta. *Steph. Edvenſ. de Sacr. Altar. c. 17.*

16. Cæterum proſequendo hiſtoriam, peracta cœna, & Conſecratione Chriſtus procedit in hortum ad orandum Patrem: & Sacerdos inclinatus dicit, *Supplices te rogamus, &c.* affuit confortans Angelus; & nos addimus, *Jube hæc perferri per manus S. Angeli*. *Vualden. tom.3. tit. 4. c.29. n.5.* oſculum, quod ſequitur, Altaris hoc loco, opponitur oſculo Judæ in horto: tres Cruces adduntur vel ad notandas tres illuſiones Chriſti a Pontificibus, Herode, Pilato factas, *ex Albert. Magno*, vel Vincula, Flagella, Coronam ſpineam. *ex Innoc. ſup. c.5.*

17. Dicto, *Nobis quoque peccatoribus*, pectus percutitur. Dicerem hoc loco illud deſignari (per antiphraſim) ut nobis fiat in ſalutem, quod Hebræi impii in ſuam perniciem exclamavere: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*: verum *Innoc. & alii* explicant de Latrone, & Centurione, confitentibus Chriſtum verum Deum: ſed hoc perturbat ordinem hiſtoriæ, ut patet.

18. In ſequentibus tribus Crucibus, *Sanctificas, vivificas, &c.* recole Crucifixionem Chriſti, qui hora tertia apud Marcum linguis Judæorum Cruci eſt affixus: *Tolle, tolle, &c.* *Innoc. lib. 5. c. 9.* in aliis autem tribus, ad ea, *Per ipſum, cum ipſo, & in ipſo*, attende Crucifixionem hora ſexta, manibus Gentium; & in duabus ſequentibus, *Eſt tibi Deo Patri, &c.* diviſionem animæ a Corpore Chriſti. *Innocentius Tertius ibidem.* Fiunt autem hæ duæ Cruces extra Calicem: quia hæc ſeparatio facta eſt non ex violentia Paſſionis, & Calicis, ſed ex poteſtate propriæ voluntatis Chriſti: *Rup. lib. 2. cap. 75.* idem fere docet *Innoc. III. loc. cit.* Item in primis tribus, *Per ipſum, &c.* memorare trinam orationem Chriſti in Cruce: primam, *Pater ignoſce illis, &c.* alteram, *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* tertiam, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*; quam trinam orationem obſervat *S. Th. ut ſupra.*

19. His valde conſona *Titelm.* addit *c. 48.* in primis tribus Crucibus notari tres horas, quibus vixit in Cruce; in aliis tribus, calice detecto, tres alias, quibus mortuus pependit: in duabus extra Calicem emiſſionem Sanguinis, & Aquæ e latere; & inter has Cruces velum Templi ſciſſum ſignificatur, cum amovetur de calice palla; & quadrant hiſtorico ordini.

20. Elevatur Calix cum Hoſtia, & ſtatim deponitur in iis verbis: *Omnis honor & gloria*: ad denotandam depoſitionem Chriſti de Cruce, & ejuſdem ſepulturam: *Steph. Edven. loc. cit.* & ſicuti omnium ſententia, Calix hoc loco operitur palla, non ut hactenus ad cautelam, ſed ad Myſterium; ita in palla deſignatur lapis ad oſtium monumenti; *Innocent. lib. 5. c. 10.* vel Copus Chriſti involutum ſyndone a Joſepho; ut contemplatur *Durand. c. 46.* Celebrans enim, & Diaconus hic tangunt Calicem ſimul, innuentes miniſterium duorum, Nicodemi quidem celebrans; Joſephi vero Diaconus: quia Joſeph involvit Syndone Corpus, & Diaconus tangens Calicem, eumdem palla cooperit. *Rubeus lib.2. c.66.*

21. Recedit Diaconus a facie celebrantis, uti a monumento receſſerunt Nicodemus, & Joſeph. Dicitur alta voce, *Per omnia Sæcula Sæculorum*, quia clamavit Centurio, & clamor factus eſt a mulieribus; *ex Steph. Edv. l. c. c. 17.* quos clamores continuari dicit uſque ad finem Orationis Dominicæ *Titelm. c.51* vel ut colligamus ultima Chriſti verba, ſtatim additur *Oratio Dominica*, quæ conſtat ſeptem petitionibus in honorem ſeptem Verborum Chriſti in Cruce. *Durand. c.35. & 47.*

22. Subdiaconus, & Diaconus miniſtrant Patenam apertam; & ecce mulieres cordibus patentibus valde mane ad monumentum pergunt. *Innoc. lib.6. c.1.* Additur ſub ſilentio, *Libera nos quæſumus*, ut videas liberatos SS. Patres a Limbo, ad quem ſecreto deſcendit anima Chriſti: *Durand. c.49.* ubi notat etiam, nominari tres tantum Apoſtolos, ob triduum mortis indicandum: & ſub ſilentio dicitur: de quo *Lucæ 23. Sabbato*, inquit, *ſiluerunt Innoc. III. lib.5. cap. ult.*

23. Oſculum autem Patenæ ſignificat, quod Chriſtus impleturus erat fere ſtatim deſiderium mulierum: *Idem lib. 6. c. 1.* unde ſtatim amovetur Palla a Calice, ſicut lapis ab Angelo ab oſtio monumenti: ergo reſurrexit Dominus inviſibiliter. *Innoc. ibid. c. 2.*

24. Frangitur Hoſtia: quia in fractione panis cognitus fuit Chriſtus reſuſcitatus. *Innoc. lib. 6. cap. 2.* & in tribus Hoſtiæ partibus agnoſce cum *S. Thom. 3. part q. 83. art. 5.* diſtinctionem corporis myſtici Chriſti, vel diſtributionem gratiarum ejus poſt Reſurrectionem. Corpus enim myſticum Chriſti tres partes habet; caput, id eſt Chriſtum ipſum glorioſum, in dextra Sacerdotis, nec ſiniſtri quidquam amplius habet; Sanctos jam ab ipſo beatificatos, qui in altera manu, quæ extra Calicem eſt, denotantur, *Innoc. ibid. cap. 3.* reliqua membra, paſſionibus adhuc obnoxia, in Eccleſia militante adumbrantur in particula in Calicem dimiſſa. *Steph. Edevenſ. de Sacram. Alt. cap. 18.* Alii multa alia ſunt meditati hoc loco: ſed hæc ad rem noſtram magis.

25. Itaque immiſſio particulæ in Calicem cum commixtione ſignificat Reſurrectionem Chriſti; *ex Amalar. lib. 3. cap. 31.* vel eſt confeſſio Reſurrectionis Dominicæ, in qua Corpus, & Sanguis, & anima unita ſunt. *Microl. cap. 20.* tres Cruces cum particula ſupra Calicem, vel admonent de Triduo mortis; *S. Thom. loc. cit. art. 6.* vel trium mulierum adventum indicant ad oſtium monumenti quærentium Crucifixum; *Innoc. ſupr. cap. 2.* vel ex eodem, virtutem totius Trinitatis demonſtrant in Chriſti miraculoſa Reſurrectione.

Item Cruces fiunt ad quatuor labia Calicis: quia ad quatuor Mundi partes pertingit Reſurrectio Chriſti. *S. German. ubi ſupra*.

26. Elevetur hoc loco vox, & dicatur, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*: nam Pax vobis, dictum eſt a Chriſto reſuſcitato diſcipulis ſuis. *Micrologus cap.* 20. & bonum ſignificat Reſurrectionis nuncium. *Rupert. lib.* 2. *cap.* 16. hinc fit, ut in Miſſa etiam de luctu, omnes ad hæc verba ſurgant, ob Myſterium ſcilicet Reſurrectionis Chriſti, quæ ſignificatur in hoc Ritu, & verbis præciſis; & eſt communis expoſitio.

27. Quid vero, *Agnus Dei*? operto Calice cum palla dicitur ter ad tollenda peccata: nonne vides, januis clauſis, ingreſſum ad Apoſtolos Chriſtum ejuſdem dicentem: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis? Innocentius ibid. cap.* 4. *cum Durand. cap.* 51. qui de Calice tecto, januiſque clauſis ediſſerit in hunc ſenſum.

28. Fit Communio & Cleri, & Populi: quia Chriſtus comedens cum Apoſtolis, ſumens reliquias dedit eis. *Microlog. ſup.* Dicitur verſus, *Communio*, qui lætitiæ, ut docuimus, eſt Symbolum: quia gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino. *Innoc. c.* 10.

29. Poſtea dicitur *Oratio*, extenſis manibus, quæ *ab Amalario* vocatur etiam Benedictio, ut ſupra retulimus; ut hic obſerves Chriſtum elevatis manibus jam aſcendentem ad pro nobis orandum Patrem, & benedicentem nobis: *Elevatis manibus*, ait Lucas, *benedixit eis*: cum duplici, *Dominus vobiſcum*, & ſalutatione in diſceſſu: quia Diſcipulis ſæpius eo tempore dixit, Pax vobis: *Innoc. cap.* 11. vel in ultimo, *Dominus vobiſcum*, momento dicentis: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque, &c. Matth.* 28. ut notat *Walden. tit.* 4. *cit. cap.* 44. *n.* 5.

30. *Ite Miſſa eſt*, cum, *Deo gratias*, in mentem revocat quæ dixerunt Angeli: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in Cœlum?* ite: & reverſi ſunt cum gratiarum actione. *Microl. ſupr.*

31. Orabant Apoſtoli uſque ad Pentecoſten ſecreto; quod ego puto ſignificari in Oratione cum inclinatione Sacerdotis ad Altare, *Placeat tibi &c.* & orabant ii unanimiter; quod in oſculo Altaris deſignatur.

32. Ultima vero Benedictio miſſionem Spiritus Sancti in Pentecoſte, in nomine Trinitatis, exprimit. *Innoc. cap.* 4.

33. Quid aliud reſtat, quam ultimum *S. Joannis Evangelium*? de hoc myſtice nemo ex antiquioribus quem legerim: dicam ergo *cum Principiſſa Parmenſi in ejuſdem praxi citata*, prædicationem Apoſtolorum hic demonſtrari tum Divinitatis, tum Incarnationis Chriſti, qua Gentes magis, quam Hebræi (unde in cornu legitur Evangelii) ad Deum devenerunt poſt Pentecoſten: *Ecce convertimur ad gentes*, ait Paulus *Act.* 13.

34. Regreſſus in Sacriſtiam eſt ad neceſſitatem, non ad Myſterium; niſi velis dicere, poſt prædicationem, & opera bona, tandem ad Deum in Cœlum nos quoque perventuros: unde exivit a principio Dominus JESUS, qui vixit in Mundo annis circiter 34. & nunc in Cœlo vivit, & regnat Deus in Sæcula Sæculorum Amen.

Canonis expoſitio literalis, eorum nempe verborum, quæ ſunt difficilioris intelligentiæ. XVII.

*G A V A N T U S.*

FUſe, neque confuſe poſt *Bielum & alios Joann. Stephan. Durandi lib. 2. de Ritibus dict. c. 33. uſque ad* 45. Sacrum Canonem explicat, allatis antiquorum interpretationibus; ut nihil certe, niſi brevitas ab eo deſiderari videatur: brevius ego, & apertioribus omiſſis, obſcuriora propono, & expono.

1. *Te igitur clementiſſime Pater*. Ad Patrem, docente Chriſto, dirigitur omnis oratio. *Florus in expoſitione Miſſæ*.

2. *Sacrificia illibata*. Id eſt, incontaminata; *Alcuinus cap. de Celebrat. Miſſæ*; ſine macula offerentis; *Innoc. III. lib.* 3. *cap.* 3. ſine labe. *Durand. lib.* 4. *cap.* 36.

3. *Pro Eccleſia tua Sancta*. Tua habet emphaſim ad movendum Deum, *Durand. loc. cit.* Orthodoxis, hoc eſt, rectæ gloriæ hominibus nullo errore depravatis, *Alcuin. Florus, & Biel. lect.* 24.

4 *Vel qui tibi offerunt*. Non modo Sacerdotes, ſed etiam, qui votis, & oratione cooperantur; *Innoc. ſupra*, & qui eleemoſynam pro Miſſa dederunt, aut alio modo celebrari curarunt. *Azor. l.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 13.

5. *Et incolumitatis ſuæ*. Pro Corporali ſanitate precamur. *Alcuin. & Innocent.*

6. *Reddunt vota ſua*. Vota ſua Fidei, & devotionis, quæ ſunt in libertate arbitrii, cum Divina gratia, & ideo ſua. *Innocent.*

7. *Communicantes*. In communione Sanctorum valet Sacrificium: *Innoc.* ſed *Microl. cap.* 12. ex interpoſitione verborum, quæ fit in Feſtis quibuſdam, colligit non ſignificari hic communionem Sanctorum, qui ſunt in Cœlo, ſed communionem Catholicorum Fidelium.

8. *Oblationem ſervitutis noſtræ*. Id eſt Cleri; & eſt latriæ, quæ ſoli Deo debetur. *Oddo Camer.*

9. *Et cunctæ familiæ*. Id eſt totius aſſiſtentiæ collectæ. *Idem Oddo*: totius Eccleſiæ. *Florus*.

10. *In electorum tuorum jubeas grege numerari*. Ut annumeretur eum electis ſecundum præſentem juſtitiam, ut habeat gratiam; nam alioquin certus eſt electorum numerus. *Biel. lect.* 33.

11. *Adſcriptam*. In numerum placitorum ſibi receptam eſſe velit Deus. *Alcuin.* Adſcribat, & numeret inter grata. *Azor. ſupra cap.* 37.

12. *Ratam*. Certam, permanentem, mutata ſubſtantia corruptibili in incorruptam. *Oddo*.

13. *Rationabilem*. Ut hominem verum pro hominibus offeramus. *Oddo*.

14. *Acceptabilem*. Quæ omnino placeat Deo. *Idem*.

15. *Venerabiles manus ſuas*. Venerationis mentione attentior fit Sacerdos ad opus futurum. *Cardin. Puccius hom.* 5. *de Sacrif. Corporis Chriſti*.

16. *Elevatis oculis in Cœlum*. Omittunt Evangeliſtæ, ſed Apoſtoli tradiderunt. *S. Thom.* 3. *parte quæſt.* 83.

17. *Gratias agens*. Inde Euchariſtia dicta, id eſt gratiarum actio.

18. *Benedixit*. Ac deinde fregit, deditque diſcipulis: non enim fregit, & poſtea dixit: *Hoc eſt corpus meum*: hæc enim eſt ſententia communior Theologorum. *S. Thom.* 7. *part. q.* 78. *art.* 1. *Ad* 1. *Biel. lect.* 36. Ita intelligendi ſunt etiam Evangeliſtæ per poſtpoſitionem verborum locuti: & nos conſecramus, frangimus, diſtribuimus, ait *Beſſarion Card.*

19. *Et hoc omnes*. Tradidiſſe hæc verba Apoſtolos credimus, quamvis Evangeliſtæ omiſerint, ut omnes unum ſint.

20. *Et hunc præclarum Calicem*. Fit alluſio ad Pſalm. 22. *Calix meus inebrians, quam præclarus eſt*. *Florus ſupra*.

21. *Hic eſt enim calix Sanguinis mei, &c.* omnia verba hujus formæ ſunt de ſubſtantia Sacramenti; *Sanct. Thom.* 3. *par. quæſt.* 7. *art.* 3. ſed *Magiſter Sententiarum* 4. *diſt.* 8. *cum Bonav. & aliis* docet, prima tantum verba, quæ poſuimus, eſſe de ſubſtantia formæ: *idem habet Concil. Florent.*

22. *Novi & æterni teſtamenti*. Supple Confirmatio, quia per mortem Chriſti, & effuſionem ſanguinis ejuſdem novum confirmatur teſtamentum; & conſequenter fit immutabile, & æternum: *Durand. c.* 42. teſtamentum autem hoc loco eſt idem ac promiſſio: *Qui manducat meam carnem, &c. idem ibid.*

23. *Myſterium Fidei*. Hoc eſt Sacramentum Fidei occultum, quod ſola cernitur Fide: *Oddo Camer.* interjecit Eccleſia, ut moneat, aliud eſſe in ſpecie, aliud in Fide. *Ivo Carnot. e.* 264.

24. *Hæc quotieſcumque feceritis*. Id eſt ſacrificaveritis: facere enim eſt ſacrificare. *Exod.* 29. *Levit.* 23.

25. *In mei memoriam facietis*. Præciſe Paulus: *mortem Domini annunciabitis* 1. *Cor.* 11.

26. *Supra quæ propitio, ac ſereno vultu*. Id eſt, propitio nobis: *Durand. lib.* 4. *c.* 43. nam Deus eſt propitius filio ſuo, qui eſt in Hoſtia, & Calice. Verba hæc ad offerentem referuntur, ut nimirum cum utilitate noſtra offeratur. *Alexandar de Ales* 4. *part. quæſt.* 47. *de Offi. Miſſæ mem.* 3. *art.* 2. Nominantur autem hic Abel puer, a puritate; *Florus ſupra*. Abraham, & Melchiſedech, quorum fuerunt Sacrificia, & nobiliora; & in hoc præſignando magis propria. *Durand. dicto c.* 43.

27. *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui*. Id eſt miniſtrari: non enim petimus, ut Angeli perferant Corpus, & Sanguinem in Cœlum; ſed Fidem, memoriam Paſſionis, vota Fidelium, eo modo, quo Angelus dicitur obtuliſſe orationem Tobiæ *cap.* 2. Altare in Cœlo eſt ſpirituale; *ut in Apocal.* dicitur: & ex hoc loco *S. Gregor. lib.* 4. *Dialog. cap.* 58. colligit, Angelorum Choros adeſſe Sacrificio.

28. *Nobis quoque peccatoribus*. Plane pro ſe ipſo orat Sacerdos. *Albert. Magn.* debet enim, quemadmodum pro aliis, ita & pro ſe ipſo offerre, *Hebr.* 5. numero plurali utitur, quia Sacrificium non eſt unius perſonæ, ſed militantis Eccleſiæ: gemendo ergo illud dicat. *Amal. lib.* 3. *cap.* 26.

29. *Partem aliquam, & ſocietatem*. Partem, quia licet Deus totus detur, non tamen totaliter in Cœlo datur Beatis: unde David: *Dominus pars hæreditatis meæ*: Pſalm. 15. & item, quia datur ſecundum differentiam meritorum. *Ex Innoc. III. lib.* 5. *cap.* 8.

30. *Cum tuis Sanctis Apoſtolis, &c.* Ante Conſecrationem poſtulatur Sanctorum ſuffragium; poſt Conſecrationem eorum conſortium: bis nominantur Sancti, quaſi Sacerdos indutus ſit ſuperhumerali, in quo erant nomina Patrum. *Steph. Endev.* ait, ut orent pro nobis, *cap.* 18.

31. *Non æſtimator meriti*. Æſtimat merita Deus contra Joviniani errorem: ſed precamur, ut ex ſua liberalitate ſuperaddat plura: meritum etiam hoc loco ſignificare poteſt peccatum.

32. *Semper bona creas*. Vidit Deus quæ fecerat, & erant valde bona: eadem nunc ſemper creat bona. *Alcuin.*

33. *Sanctificas*. Ut quæ erant ſimplex creatura, Sacra fiant. *Idem*.

34. *Vivificas*. Ut ſint Myſteria vitæ. *Idem*.

35. *Benedicis*. Omni Benedictione cœleſti. *Idem*.

36. *Et præſtas nobis*. Ad fruendum. *Amalar. lib.* 3. *c.* 26.

37. *Per ipſum*. Uti per mediatorem. *Florus*.

38. *Cum ipſo*. Tanquam æquali. *Idem*.

39. *In ipſo*. Tanquam Conſubſtantiali. *Florus in expoſit. Miſſæ*. Et hic finis Canonis eſto.

COM-

# C O M M E N T A R I A
# I N R U B R I C A S
## MISSALIS ROMANI.

### PARS TERTIA.

De Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus I.

RUBRICA.

*SACERDOS celebraturus omnem adhibeat diligentiam, ne deſit aliquid ex requiſitis ad Sacramentum Euchariſtiæ conficiendum. Poteſt autem defectus contingere ex parte materiæ conſecrànda, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte Miniſtri conficientis. Quidquid enim horum deficit, ſcilicet, materia debita, forma cum intentione, & Ordo Sacerdotalis in conficiente; non conficitur Sacramentum: & his exiſtentibus, quibuſcumque aliis deficientibus, veritas adeſt Sacramenti. Alii vero ſunt defectus, qui in Miſſæ celebratione occurrentes, etſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen, aut cum peccato, aut cum ſcandalo contingere.*

*GAVANTUS.*

OPtima eſt diviſio in defectus ſubſtantiales, & in accidentales. Subſtantiales in tribus contingunt, vel in materia, vel in forma, vel in intentione Miniſtri; quæ tria ſunt neceſſaria ad ſubſtantiam Sacramenti. Accedit verbum cum intentione ad elementum, & fit Sacrameotum. Accidentales multi eſſe poſſunt, neque ad certum numerum reduci poſſunt.

Collegit hos defectus in Miſſa ex Sacris Theologis, & in Miſſalem librum tranſtulit neſcioquis, anno 1557. Venetiis impreſſum; Pii vero Quinti, & Clementis Octavi auctoritate recognitum opus, quis ambigat, non prodiiſſe tandem oumeris omnibus abſolutum? adjecimus nonnulla ex modernis Theologis non contemnenda?

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavantus, *Accedit verbum cum intentione ad elementum, & fit Sacramentum.*) Quæ verba fere decerpta ſunt ex D. Auguſtino Tract. in Joannem *cap. ſen num.* 80.

II. Gavant. *Collegit hos defectus in Miſſa, &c.*) Nonnullas ut breves Annotationes in eam, quæ habetur in Romano Miſſali, Rubricam de occurrentibus in Miſſarum celebratione defectibus, optime collegit ad commodiorem uſum, diſtrictamque adhibendam diligentiam in ejuſdem Rubricæ regulis rite, ac recte ſervandis Petrus Matthæus de Rubeis Floreotinus; quæ Florentiæ editæ ſunt apud Zenobium Pignonium 1626. Fuſe etiam egerunt de hac materia, nimirum de defectibus in celebratione Miſſæ occurrentibus S. Thom. 3. *part. q.* 74. *& ſeq.* Sylvius *ibidem in Comment. ad textum D. Thomæ, præſertim vero ad q.* 83. *art.* 6. *& ſeqq.* Nec non Paulus Maria Quarti *par.* 3. *tit.* 1. *& ſeqq.* Layman *in Theol. Morali lib.* 5. *tract.* 4. Card. de Lugo *de Sacram. Euchar. diſput.* 4. *& ſeqq.* Claudius la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *tract.* 3. *in variis quæſt.* Wiggers *de Sacram. quæſt.* 14. *& ſeqq.* Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis quæſt.* 297. *& ſeqq.* & Biſſus *tom.* 1. V. *Defectus.*

De defectibus materiæ. II.

RUBRICA.

1 *DEfectus ex parte materiæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad ipſam requiruntur. Requiritur enim, ut ſit panis triticeus, & vinum de vite, & ut hujuſmodi materia conſecranda in actu Conſecrationis* (a) *ſit coram Sacerdote.*

*GAVANTUS.*

(a) *Sit coram Sacerdote.* Certus terminus hujus præſentiæ a ſolo Chriſto deſignari poteſt *ex Durand. in* 4. *diſtinct.* 11. *quæſt.* 6. *n.* 6. *& Palud. quæſt.* 1. *art.* 3. a nobis autem eſt moraliter dijudicandus, ex humano more, quo dicitur res præſens, & ex uſu Eccleſiæ.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rub. & Gavant. lit. a - *Sit coram Sacerdote, &c.*) Materia conſecranda juxta diſpoſitionem ſuperioris Rubricæ, & mentem omnium Doctorum, debet eſſe Sacrificanti moraliter præſens, ita ut conſecrata non cenſeatur, ſi non ſit coram Sacerdote, ſed a tergo, aut poſt interjectum parietem, aut ſub mappa, vel Corporali latens, aut magno intervallo diſtans, quia in his caſibus non verificarentur illa pronomina demonſtrativa, quæ habentur in formulis utriuſque Conſecrationis: *Hoc eſt Corpus meum; Hic eſt Calix, &c.* Hinc tamen non fit, ut materia conſecranda præ manibus teneri debeat, nec eſt neceſſe, ut ſonus verborum ad eam perveniat, neque ut actu videatur, quia Hoſtiæ conſecratæ in Pyxide clauſa ſuper Corporali exiſtente validæ ſunt conſecratæ, quamvis juxta Rubricas debeat Sacerdos aperire Pyxidem, in qua Particulæ conſecrandæ poſitæ ſunt, & dum fit oblatio, & dum verba Conſecrationis proferuntur. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 8. *art.* 1. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 8. *punct.* 6. Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 2. *ſect.* 7. Wiggers *de Sacram. qu.* 74. *art.* 2. *dub.* 1.

De defectu panis. III.

RUBRICA.

3 (b) *SI panis non ſit triticeus, vel ſi triticeus,* (c) *admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel ſit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.*

*GAVANTUS.*

(b) *Si panis non ſit triticeus.* Vult eſſe triticeum *Concil. Florentin. in Decreto Eugen.* ubi definitur neceſſaria materia Sacramenti; quidquid dicat *Cajet. ibi* loqui de neceſſitate præcepti; vide *Suar. diſp.* 44. *ſect.* 1. *part.* 3. *quæſt.* 5. tum quia figuræ veteres ſub tritico datæ ſunt; tum quia hic eſt panis communiter ad uſum hominum; tum quia ita decet ob excellentiam tanti Sacramenti: ubi vero dubitatur eſſe triticeus, ne adhibeatur, *ex Alano lib.* 1. *de Euchariſt. cap.* 11. Selica, ſeu ſecala, probabilius negatur eſſe triticum in Lombardia, *Bonac. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *n.* 2.

(c) *Admixtus ſit granis alterius generis, &c.* Hæc doctrina eſt *Sancti Thom.* 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 3. *ad* 3.

Sed quid, ſi panis confectus ſit ex amylo? *S. Thom. ibid.* negat, quia amylum fit ex tritico corrupto? vide fuſius *Suar. diſp.* 44. *ſect.* 2.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. b - *Vult eſſe triticeum, &c.*) Certiſſimum eſt, panem, qui eſt materia conſecranda in Sacrificio Euchariſtico, debere eſſe triticeum, non ſolum ex neceſſitate præcepti, ſed etiam ex neceſſitate Sacramenti, ita ut in alia materia facta Conſecratio irrita ſit; ideoque panis, qui conficitur ex leguminibus, ut piſis, fabis, lentibus, & aliis ſimilibus, non eſt materia idonea ad conſecrandum Corpus Chriſti; ſic etiam panis, qui conficitur ex fructibus arborum, ut ex amigdalis, caſtaneis, glandibus, neque etiam ille, qui fit ex hordeo, oriza, milio, &c. eſt materia apta hujus Sacramenti; ſed is ſolus eſt idoneus ad conſecrandum, qui conficitur ex tritico: conſtat enim, Chriſtum Dominum in pane triticeo Sacrificium celebraſſe, & Sacramentum Euchariſticum inſtituiſſe. Panis autem iſte triticeus debet eſſe coctus per modum aſſationis, ut in furno, aut intra calidi ferri laminas, ſicut modo coquuntur Hoſtiæ, quæ conſecrantur, aut alio ſimili modo; unde cruda paſta, vel etiam frixa; aut elixa in aquis non eſt materia apta Sacramenti: rurſus paſta butyro, lacte, oleo, aqua roſacea, vel ſimili non elementari liquore ſubacta, & toſta, non eſt pariter materia idonea hujus Sacramenti, quia tales paſtæ, non ſunt vere, & proprie panis uſualis, ſed aliud quoddam obſonii genus, quocumque nomine illud appelletur. Wiggers *ſupr. loc. cit.* Layman *ſupra loc. cit. cap.* 2. *aſſer.* 3. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 3. Hoſtia rubea, qua epiſtolas ſolemus ſigillare, admixta ſcilicet cinnabrio, eſt materia dubia, & multorum judicio invalida, quia per illam mixtionem alteratur notabiliter, & extrahitur a ratione panis uſualis; quando autem materia eſt vere dubia, ſicut eſt panis admixtus cum granis alterius generis in magna quantitate, ita ut dubitetur utrum poſſit cenſeri panis vere triticeus, tunc non licet ea uti, ſed potius a Sacrificio eſt abſtinendum, undecumque illud dubium oriatur, ſive ex permixtione eorum quibus conſtat, ſive ex corruptione, quia panis corruptus ſubſtantialiter non eſt apta materia ad validam Conſecrationem.

II. Gav. ead. lit. c. *Sed quid ſi panis confectus ſit ex amylo, &c.*) Licet amylum ex tritico fiat, tamen triticum illud arte, & longa in aquis maceratione ſolvitur in lacteum quemdam humorem, & poſtea vehementi calore Solis, aut ignis exſiccatur; ita ut perdat propriam rationem farinæ triticeæ, ut ex ſapore, odore, & aliis accidentalibus facile colligitur, & conſequenter perdit aptitudinem, ut ex illo panis triticeus conficiatur, unde talis panis ex amylo confectus non eſt materia apta ad conſecrandum. *D. Thom. part.* 3. *quæſt.* 24. *art.* 3. *ad* 4. & alii communiter.

RUBRICA.

2 *Si ſit confectus de aqua roſacea, vel alterius diſtillationis, dubium eſt, an conficiatur?*

GA-

## G A V A N T U S.

Negat *S. Thom. art. 7. ad 3. ſupra*: affirmat *Cajet. ibidem*.

## R U B R I C A.

3 *Si cœperit* 1. *corrumpi*; *ſed non ſit corruptus*: *ſimiliter* 2. *ſi non ſit azymus*, *ſecundum morem Eccleſiæ Latinæ*, *conficitur*; *ſed* 3. *conficiens graviter peccat*.

## G A V A N T U S.

Prima pars propoſitionis, eſt *Sancti Thom. ſupra art.* 3. *ad* 3. Altera eſt *Concil. Floren. & communis*. Tertia pars eſt item communis *de Celebrat. Miſſ. cap. Literas*. An vero detur caſus, quod poſſit Latinus in Eccleſia Græca conſecrare in fermentato licite, vide *Suar. ubi ſupra ſect.* 3. in fermentato numquam licet apud Latinos, etiamſi urgeat neceſſitas alicujus in periculo mortis. *Suar. Sect. 3. in fine*, *Unum vero*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

III. Gavant. lit. c - *In fermentato numquam licet apud Latinos*, *&c.* Certum eſt fide, utrumque panem tum azymum, tum fermentatum ſufficere ad valorem Conſecrationis, quia uterque eſt vere panis triticeus, conſequenter mixtio fermenti nec per ſe eſt neceſſaria, neque contraria validitati Conſecrationis panis. Illæſa igitur fide, & materia Sacramenti, Latini azymum, Græci fermentatum uſurpant, ſuus igitur utriuſque uſus permitti debet, quod quidem Anno 1439. in Concilio Florentino, cui tam ipſi Græci, quam Latini ſubſcripſerunt, ſtatutum fuit his verbis: *Definimus inſuper in azymo*, *ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici*; *Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini Corpus conficere debere*, *unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ Occidentalis*, *ſeu Orientalis conſuetudinem*. Conſtat etiam hoc ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. & ex *capit. Ad abolendum*, *de Hæreticis*: item ex Epiſtola Leonis IX. *ad Michaelem Cærularium*, in qua declarat Summus Pontifex, controverſiam de pane azymo, vel fermentato fidem non ſpectare, ſed meram diſciplinam, quæ varia eſſe poteſt pro varietate locorum, & perſonarum, integra ſemper, & illæſa remanente Fide.

Ritus conſecrandi in pane azymo, ut diximus, viget apud Latinos, qui quidem eſt magis conveniens, ut docet D. Thomas *in 3. part. quæſt. 7. art.4.* & omnes Doctores Latini inſiſtentes facto Chriſti, qui vere conſecravit in pane azymo, inſtituit enim, & confecit Sacramentum prima die azymorum; quod tamen negant Græci, opinantes, Chriſtum anticipaſſe eſum agni Paſchalis una die ante tempus in lege præſcriptum, & idcirco putant adhibuiſſe panem fermentatum. Cæterum juxta communiorem, & probabiliorem ſententiam Chriſtus non anticipavit eſum agni, voluit enim etiam in eſu agni legem perfecte implere, unde veriſimile non eſt, contra legem anticipaſſe tempus, & eſto anticipaſſet, probabilius eſt, manducaſſe agnum cum pane azymo juxta legis præceptum. Sed quidquid ſit de diverſis opinionibus, quas ſectantur Latini, & Græci circa prædictum Chriſti factum, certum eſt, omnes nedum licite poſſe, ſed etiam teneri ſub præcepto ſuæ propriæ Eccleſiæ Ritum reſpective ſervare, conſequenter Græci in fermentato, & Latini tenentur conſecrare in azymo ſub pœna peccati mortalis, tum quia hoc expreſſe præcipitur a Concilio Florentino in *Literis unionis*, & a Pio V. *Conſtit.* 12. tum quia unuſquiſque tenetur ſub gravi obligatione ſuæ propriæ Eccleſiæ ſervare conſuetudinem in re gravi, hæc autem conſuetudo in utraque Eccleſia ceu graviſſima nunc habetur, quamvis antiquitus non fuerit talis obligatio, ſed ut alibi diximus, liber fuerit uſus apud utramque Nationem ſive azymi, ſive fermentati.

Utrum autem Latini peregrinantes, & tranſeuntes per Regiones, & loca Græcorum, eorumdem Ritum ſervare debeant, & e contra Græci tranſeuntes per loca Latinorum debeant horum Ritui ſe accommodare conſecrando in azymo, eſt dubium, quod diſceptatur a Doctoribus; Ledeſma *in 4. part. 1. quæſt.* 15. *art. 4. dub.* 2. ſuſtinet, debere ſingulos ſervare Ritum loci, per quem tranſeunt, atque ideo, Latinos tranſeuntes per loca Græcorum teneri celebrare in fermentato, e contra Græcos in azymo in locis Latinorum, & peccare ſi aliter faciant, quia multi putant, generaliter advenas, & peregrinos obligari ad ſervandas leges illius loci, per quem tranſeunt.

Suarez vero *diſp. 44. ſect.* 3. Fagundez *in præcepta Eccleſiæ præcept. 3. lib. 2. cap.* 2. Sylvius, Coninch, & alii, quos citat, & ſequitur noſter Diana *part. 2. tract. 6. reſol. 99.* docent, liberum cuique eſſe unum, vel alterum Ritum ſervare, & ſe conformare Ritibus, & conſuetudinibus locorum, per quæ tranſeunt.

Vaſquez vero *in 3. part. diſput. 174. cap.* 3. & Averſa *quæſt. 2. ſect.4.* in ea verſantur ſententia, quod tam Græci, quam Latini peregrinantes ſemper, & ubique ſervare tenentur morem ſuæ Patriæ, & Eccleſiæ, non vero locorum, per quæ tranſeunt, & id colligunt ex diſpoſitione Leonis IX. *in Epiſtola citata*: quia Rituum novitas, & mutatio poſſet eſſe cauſa committendi defectus in Miſſa, quidquid ſit de aliis legibus, & conſuetudinibus. Quarti denique ſupracitatus cum diſtinctione procedit, dicendo, quod Sacerdos Latinus, quando peregrinando tranſit per loca, & Regiones Græcorum, ubi ſunt Templa Latini Ritus, tenetur in azymo, ſi eligat celebrare in prædictis Latinorum Templis, & idem e contra docet de Sacerdote Græco, qui peregrinatur in Regionibus Latinorum, in quibus ſunt Templa Græcis conceſſa, ut poſſit morem patrium ſequi, tunc enim tenentur ſinguli ſuum Rituum ſervare, nec eſt licitum variare; hanc ſententiam tradunt etiam *Suarez*, *Coninch*, *Averſa*, *& Diana locis citatis* monentes, non licere Sacerdoti Latino in propria Regione moranti conſecrare in fermentato, etiamſi celebrare velit in aliqua Eccleſia Græcorum, quæ ibi exiſtat: ſimiliter nec Græcis in propria Regione exiſtentibus licitum eſſe celebrare in azymo etiamſi celebrare velint in aliquo Templo Latinorum ibi exiſtente, quia non licet recedere a conſuetudine univerſali propriæ Patriæ. Ita præſertim Coninch, quamvis oppoſitum doceat Nugnus *in 3. part. quæſt. 74. art. 4. concluſ. 6.* & quidem, ait Quarti, facilius excuſari poteſt Græcus recedens a more ſuæ Eccleſiæ, quæ eſt pars, quam Latinus a more Eccleſiæ Latinæ, quæ eſt caput. Nihilominus Sacerdotes Græci rigoroſe adeo ſuum Ritum ſervant, ut non ſolum peregrini, ſed etiam incolæ in alma Urbe, quando accedunt ad celebrandum in Romanis Baſilicis, aliiſque Eccleſiis, ſemper utantur fermentato, nunquam vero azymo; unde ſi Sacerdos Latinus ſe transferat in Græciam animo perpetuo ibi manendi, ubi non haberet proprias Eccleſias, & accederet ad celebrandum in Eccleſiis Græcorum, illi ſuaderem ad ſervandum Ritum Latinorum celebrando in azymo; quapropter ſententiæ Quarti non adhæreo docenti, tunc Sacerdotem Latinum teneri celebrare juxta Ritum Eccleſiæ Græcæ, & Regionis, in qua ſedem, & domicilium fixit, quia jam eſt factum membrum illius novæ Eccleſiæ; ob hanc enim rationem teneretur etiam ſervare totum Ritum Græcum in Miſſæ celebratione.

## R U B R I C A.

4 *Si Celebrans ante conſecrationem adverterit*, *Hoſtiam eſſe corruptam*, *aut non eſſe triticeam*, *remota illa Hoſtia*, *aliam ponat*; *& facta oblatione*, (d) *ſaltem mente concepta*, *proſequatur ab eo loco*, *ubi deſivit*.

## G A V A N T U S.

(d) *Saltem mente concepta*. Ex quo non eſt neceſſe eam elevare ante oculos ſuper Patenam, neque facere cum ea, vel ſuper ea ſignum Crucis, ut fecit in oblatione Hoſtiæ: ſed eam ſimpliciter deponat ſupra Corporale, ſi id advertit inter oblationem Calicis, & conſecrationem.

## R U B R I C A.

5 *Si advertit poſt conſecrationem*, *etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem*, *poſita alia*, *faciat* (e) *oblationem*, *ut ſupra*, *&* (f) *a conſecratione incipiat*, *ſcilicet ab illis verbis*: *Qui pridie quam pateretur*, *& illam priorem*, *ſi non ſumpſit*, (g) *ſumat poſt ſumptionem Corporis*, *& Sanguinis*, *vel aliis ſumendam tradat*, *vel alicubi reverenter conſervet*. (h) *Si autem ſumpſerat*, *nihilominus ſumat eam*, *quam conſecravit*: *quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis*, *quam quod a jejuniis ſumatur*.

## G A V A N T U S.

(e) *Oblationem ut ſupra*, id eſt ſaltem mente conceptam.

(f) *A conſecratione incipiat*. Eſt communis ſententia.

(g) *Sumat*, *poſt ſumptionem*, *&c.* Ad cautelam ſumat, aut ob reverentiam conſervet.

(h) *Si autem ſumpſerat*, *&c.* Ratio addita communis eſt apud Theologos. Lege *Suarez 3. part. diſp. 75. ſect. 7. ex Sanct. Thom. ibidem quæſt. 83. art. 7. ad 4.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

IV. Gavant. lit. f - *A conſecratione incipiat*, *&c.*) Eſt communis ſententia. Si Celebrans facta conſecratione advertat, Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam, remota illa Hoſtia, & poſita alia, præſcribit Rubrica ſuperior, quod faciat oblationem, ſaltem mente conceptam, & poſtea incipiat a conſecratione, ſcilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*, *&c.* Quam quidem ſententiam communem eſſe adſtruit Gavantus. Ex quo autem Rubrica præſcribit, in tali caſu incipi debere ab illis verbis, *qui pridie quam pateretur*, non vero ab aliis præcedentibus, nimirum - *Quam oblationem tu Deus*, *&c.* quibus ſubnectuntur illa verba deprecatoria - *Ut nobis Corpus*, *& Sanguis fiat dilectiſſimi filii tui*, *&c* Ex quo, inquam, non jubet Rubrica, reaſſumenda eſſe hæc ultima verba in his caſibus, optime inferunt Auctores infra allegandi, Eccleſiam Latinam judicare, valide conſecrari Euchariſtiam ſine illa Oratione, ſive abſque illis verbis deprecatoriis, quibus petitur, ut Panis oblatus fiat Corpus, & Vinum Sanguis Chriſti Domini. Neque dici poteſt: Oratio illa, quæ a Sacerdote pronunciata jam fuerat, moraliter perſeverat; in caſu ſiquidem propoſito non aderat ſuper aram, & multo minus ſuper Corporale materia idonea, & apta ad validam Sacramenti conſecrationem, non enim aderat, ut ſupponimus, Panis, ſeu Hoſtia triticea, ad

quam verba illa deprecatoria, *ut Panis iſte fiat Corpus Chriſti*, tanquam forma conſecrationis referri poſſent; atque ideo evincitur illa verba nullo modo eſſe formam neceſſariam ad Euchariſticum Sacramentum conficiendum. Auctores, qui ita ratiocinantur, ſunt, ſi non omnes, ſaltem plures ex illis, qui ſuſtinent, verba, quæ requiruntur tanquam eſſentialia, & neceſſaria ad formam conſecrationis eſſe illa, quæ in conſecratione Euchariſtiæ pronunciavit Chriſtus Dominus, nimirum: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*, vel: *Calix Sanguinis mei*; non vero preces, ſive quæ præcedunt apud Latinos, ſive quæ ſequuntur apud Græcos, aliaſque Orientales Nationes, quæquamvis vim ſuam habeant ad divinam opem, & Spiritus Sancti virtutem impetrandam, ſupra propoſita dona, atque religioſe ſint retinenda, non tamen ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ac validæ conſecrationis, ſed neceſſitate præcepti utpote verba in Canone contenta.

Hanc controverſiam jam diu fere ſopitam his diebus excitavit Antonius Auguſtinus Touttee recens illuſtrator operum Sancti Cyrilli Hieroſolymitani in tertia ex ſuis eruditiſſimis Diſſertationibus, quas præmiſit ſuæ editioni operum prædicti S. Patris Cyrilli. Rurſus hanc eamdem quæſtionem noviſſime tractavit Petrus Le Brun *tomo 3. ſuarum explicationum pag.* 212. ubi præfati Touttee opinionem ſectatus, acerrime, & fuſiori calamo propugnat, formam Euchariſtiæ perfici non tantum verbis Chriſti, ſed etiam precibus ab Eccleſia inſtitutis, ita ut ex duplici illa forma partiali, & inadæquata, verbis ſcilicet Chriſti, & precibus Eccleſiæ moraliter conjunctis, coaleſcat forma totalis, & eſſentialis Euchariſtiæ, Omnem lapidem movit, nihilque omiſit laudatus Le Brun, ut veri ſpeciem ſuæ opinioni appingeret. Contra hunc ultimum Auctorem inſurrexit P. Bougeant e Soc. Jeſu qui duo opuſcula in lucem emiſit, & in poſtremo præſertim ſui Adverſarii opinionem validis rationum momentis, necnon Sanctorum Patrum auctoritatibus evertit, & profligavit. Contra primum vero ex præfatis Auctoribus doctam exaravit, non minus quam eruditam, evulgavitque Diſſertationem clariſſimus vir Joſephus Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum. Cæterum communem Latinorum ſententiam tuentur Cardinalis Bellarminus *lib. 4. de Euchariſtia cap.* 14. necnon Cardinalis Bona *lib. 2. de rebus Liturgicis cap.* 13. & Cardinalis Petronius *in tract. de Euchariſtiæ Sacramento*. Quibus adhærent Goar ad Liturgiam Chryſoſtomi *n.* 139. Sixtus Senenſis *lib. 6. Bibliotheca Sanctæ Annotatione* 3. Gaſpar Juvenin. *diſſ. 4. de Sacramento Euchariſtiæ quæſt. 3. cap.* 2. Et recentiſſime Honoratus Tournely in ſuis prælectionibus Theologicis de Sacramento Euchariſtiæ *art.* 8. Græci quoque ipſi acerrime propugnant hanc Latinorum ſententiam, inter quos recenſentur doctiſſimus Cardin. Beſſarion *lib. de Euchariſtia*. Allatius *lib. 3. de perpetua utriuſque Eccleſiæ conſenſione cap.* 25. *& exercitat.* 25. *ad hiſtoriam Concilii Florentini*. Petrus Arcudius *lib. 3. ſuæ concordiæ cap.* 27. necnon Nicolaus Comnenus Papadopoli *in ſuis prænotionibus myſtagogicis reſp. 5. ſect.* 5.

Apud Latinos omnes hæc ſententia ita communis fuit, ut tempore Concilii Florentini cum Græci Latinis ſuſpecti forent circa formam conſecrationis Euchariſtiæ, quaſi verbis Chriſti eam non perficerent, a Summo Pontifice Eugenio IV. ea de re non ſemel interrogati, ita catholice ſatisfecerunt, ut Pontifex eos tanquam fratres *in Fide ſecum* conjunctos compellaverit. Ita narratur in Concilio Florentino *ſeſſ.* 25. *Porro*, inquiunt Græci, *hoc ita diſſolutum eſt* (dubium ſcilicet, quod propoſitum ipſis fuerat) *fateri nos diximus per hæc verba tranſubſtantiari Sacrum Panem; & fieri Corpus Chriſti: ſed noſtra quemadmodum, & ipſi* (Latini) *dicitis; jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum, ita nos quoque oramus dicentes: ut Spiritus Sanctus deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis Panem hunc pretioſum Corpus Chriſti ſui, & quod in Calice iſto eſt, pretioſum Sanguinem Chriſti ſui, transmutetque ipſa Spiritu Sancto ſuo, ut fiant Communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, non fiant in judicium, aut condemnationem noſtram*. Quibus quidem verbis diſerte declararunt Græci per preces, quas poſt Chriſti verba proferunt in divinis myſteriis peragendis, ſe non poſtulare, ut ſimpliciter Panis fiat Corpus Chriſti, ſed ut nobis fiat, hoc eſt fructum ejus ſpiritualem percipiamus ad purgationem Animæ, & peccatorum remiſſionem. Paulo enim poſt ajunt: *De Myſteriis autem fatemur, ea conſecrari per Domini voces, licet nos poſtea invocando dicamus: fiat Corpus, & Sanguis Chriſti*, ut legere eſt apud Labbæum, & Coſſartium *tom. 13. edit. Pariſienſis pag.* 491. *&* 498.

Hæc omnia confirmantur ex iis, quæ ſupra allegatus Cardinalis Beſſarion expreſſit in Concilio Florentino, & quæ referuntur a clariſſimo Mabillon Muſæi Italici *tom. 1. pag.* 243. qui poſt relatam illam Græcorum confeſſionem addit: *Confeſſio hæc non levis eſt momenti ad perſuadendum Græcorum de Euchariſtia Fidem, de qua tot, & tantæ controverſiæ a Calviniſtis nuper excitatæ ſunt. Confeſſio hæc duas habet partes, nempe, Conſecrationem verbis Chriſti Domini confici, non precibus illis, quæ poſt verba ſacra fiunt a Græcis; atque his verbis, panem, & vinum in Chriſti Corpus, & Sanguinem mutari, & tranſubſtantiari*. Ex quibus Mabillonii verbis liquet, ipſum quoque accedere communi Latinorum ſententiæ in hac celebri controverſia, cui quidem ſententiæ maximum præſidium additur ex Decreto Eugenii IV. Summi Pontificis, ſeu Inſtructione Armenorum, in qua hæc leguntur: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum, nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur*. Hæc laudatus S. P. ut videre eſt apud Labbæum citatum *tom. 13. Conciliorum pag.* 347. *&c.*

Quod ſi interpretatio Cardinalis Beſſarionis, Arcudii, & aliorum Græcorum non placeat, dicendum erit, invocationem prædictam Spiritus Sancti non reſpicere tempus, quo profertur, ſed quod conſecrationem antecedit: Ac ſi Sacerdos tanti myſterii ſublimitate extra ſe raptus, ſuæque memor fragilitatis, id quod jam factum ex fide credit, quaſi efficiendum conſideret, ac propterea oret, fac panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui: Neque enim abſurdum videtur, quod jam conceſſum eſt, ac ſi nondum conceſſum foret, iteratis precibus poſtulare. Interpretationem hanc pluribus exemplis illuſtrat doctiſſimus Renaudotus in Comment. ad Liturgiam Copticam S. Baſilii pag. 250. In baptiſmalibus enim Officiis præter orationes prævias, tam ad fontis benedictionem, quam ad exorciſmos, reliquaſque cæremonias, dicuntur aliquæ etiam prolatis verbis: *Ego baptizo*, vel ſecundum Ritum Orientalem: *baptizetur ſervus Chriſti &c.* & poſtulatur a Deo, ut illis, qui baptiſmum ſuſcipiunt, gratiam Spiritus Sancti concedat. Id habetur in Rituali Severi pag. 98. *tu Domine hos ſervos tuos, qui nunc baptizati ſunt, regenerationis lavacro ſanctifica in veritate tua imple eos gratia Spiritus Sancti tui*. Neque id obſervatur ſolummodo in Ritualibus Græcis, Syris, Copticis, aliiſque Orientalium, ſed in Latinis etiam antiquis. Nemo tamen dubitat, quin remiſſio peccatorum, plenitudo gratiæ, & Spiritus Sancti in baptiſmo collata fuerit. Ita in Officio Chriſmatis, etiam poſt orationem, quæ formæ rationem habet, oratur ad obtinendum Spiritum Sanctum: In Ordinatione ſimiliter ad finem uſque officii preces ad Deum fiunt, ut ordinato, non modo gratiam Sanctitatis myſterio ſuo convenientis, ſed poteſtatem, auctoritatemque tribuat, quam per impoſitionem manuum, & verba Sacramentalia, jam conſecutus eſt. Id etiam patet ex reliquis Sacramentorum Officiis. Non omittendæ hic videntur preces, quæ ab Eccleſia fiunt in Agenda Defunctorum, in quibus perſpicuum eſt, Eccleſiam reſpicere tempus, quod obitum defuncti immediate præcedit. Nemo tamen adeo deſipuit, ut crederet, eccleſiam exiſtimare nondum factum eſſe judicium, cum illas fundit preces, *non intres in judicium, &c.* Aut poſſe defunctum ab Inferni ſuppliciis liberari, cum addit, ne pœnas inferni ſuſtineat. Ratio horum eſt, quia orationes hujuſmodi non rigide accipiendæ ſunt, quaſi vel dubitetur de certitudine promiſſionum Chriſti, vel de virtute verborum Sacramentalium &c. Unica enim, & quaſi indiviſa animo concipitur tota actio, quæ celebrandorum Sacramentorum formam, orationeſque complectitur, verbis tamen, & ritibus exprimi nonniſi ſucceſſive poteſt. Qui argumentorum contra ſententiam hanc a Touttee, & Le Brun allatorum ſolutionem videre deſiderat, adeat cit. PP. Bougeant, & Orſium in diſſert. ab illis editis.

Cæterum cum in pluribus Orientalium Liturgiis, prolatis Chriſti verbis populus immediate fateatur, ſe credere vere eſſe Corpus Chriſti, quod a Presbytero conſecratum eſt, ut videri poteſt apud Renaudotium variis in locis; *præſertim tom. 1. pag.* 517. perſpicuum eſt, Orientales non credere, invocationem Spiritus Sancti, quæ in illorum Liturgiis ſubſequitur, neceſſariam eſſe ad valorem Conſecrationis.

## R U B R I C A.

6 *Quod ſi hoc contingat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut ſupra, Sacerdos conſecret, incipiendo ab illis verbis: Qui pridie*, (i) *ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam: ut Sacramentum remaneat imperfectum, & ut* (l) *debitus ſervetur ordo, &c.*

## *G A V A N T U S.*

(i) *Ac ſtatim ſumat utrumque*. Sine elevatione, ut oſtendat Populo, omiſſis, quæ ſequuntur in Canone uſque ad ſumptionem incluſive, ne populus, ſi fieri poteſt, cognoſcat, erratum eſſe.

(l) *Debitus ſervetur ordo*, juxta *Concil. Tolet. 7. cap. 5. vel a. ſecundum alios*, ordo vero eſt, ut corpus prius præexiſtat antequam ex eo fundatur ſanguis in Calice, namque repræſentatur effuſio ſanguinis, ergo Hoſtia, in qua corpus Chriſti eſt ex vi verborum, debet conſecrari prius.

*Suarez* tamen *loco citato* tenet, non eſſe ita neceſſarium hunc ordinem neceſſitate Sacramenti, ſed tantummodo neceſſitate præcepti; nam, conſecrata Hoſtia, poſt Calicem ſtatim repræſentatur ſanguis diſtincte a corpore Chriſti, quod ſufficere videtur ad integritatem Sacrificii.

RUBRICA.

7 *Si Hoſtia conſecrata diſpareat, vel caſu aliquo, ut vento; (m) aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri, tunc altera conſecretur, ab eo loco incipiendo, Qui pridie, quam pateretur, facta ejus oblatione, ut ſupra.*

GAVANTUS.

(m) *Aut Miraculo*. Miraculum eſt a Deo ſolo; qui videtur tunc acceptare ſacrificium eo modo oculis noſtris imperfectum; ideo non eſt in rigore neceſſe, ut alia Hoſtia conſecretur: ita *S. Thom. 3. part. quæſt.* 82. *art.4. ad 3.* ubi tamen conſulit, ut iterato conſeceetur, & hoc habet Rubrica, ut tutius, & ſecurius in reliquis caſibus hujus Rubricæ: præceptum eſt, non conſilium, ad integritatem ſacrificii. *Suarez 3. parte diſt.* 85. *ſect.* 1.

De Defectu Vini. IV.

RUBRICA.

1 *SI Vinum ſit factum penitus (n) acetum, vel penitus putridum, vel (o) de uvis acerbis, ſeu non maturis expreſſum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum ſit corruptum, non conficitur Sacramentum.*

GAVANTUS.

(n) *Acetum*. Non fit Sacramentum. *S. Thom. 3. part. qu.* 74. *art. 5. ad* 5.

(o) *De uvis acerbis, &c. Habet S. Thom. ibid. ad* 3. vinum ex aqua miraculoſum eſt apta materia, *Henriquez lib.* 8. *cap.* 12. & vinum etiam congelatum. *Suar. diſp.* 45. *ſect.* 5.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. & Gavant. litera n - *Acetum non fit Sacramentum.*) Materia Sacramenti Sanguinis, ſine qua confici non poteſt, eſt vinum naturale de vite, idque conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ Dominum Salvatorem in hujus Sacramenti inſtitutione, vino naturali, nempe ex vite, uſum fuiſſe ſemper docuit, & credidit; Hinc ſequitur, liquores e granis, fæcibus vini, aut cerviſiæ vi ignis eliciti, aut ex piris, pomis, vel fructibus aliis, quamvis expreſſi; Item ex aqua, & melle decocti non eſſe materiam aptam, aut ſufficientem conſecrationis Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Sequitur pariter, acetum, etſi ex vino factum fuerit, non eſſe materiam Sanguinis, quia non eſt vinum, ſed vini corruptela. Ita pariter vinum igne diſtillatum vulgo Aqua vitæ, non poteſt valide conſecrari, quia probabilius videtur non retinere formam vini, ſed tranſmutari in mixtum nobilius. Quarti *part.3. tit. 4. dub.* 9.

II. Rubrica, & Gavant. lit. o - *De uvis acerbis, &c.*) Liquor ſive ſuccum ex uvis immaturis expreſsum, non eſt materia apta ad hoc Sacramentum, quia nondum eſt vinum, ſed omphacium, Italice *agreſto*. Item vinum ex uviscorruptis, ſeu decoctis, aut ſiccatis, non eſt ſufficiens materia Conſecrationis Calicis propter eamdem rationem. Ruſus vinum illud, ſeu potius liquor ex uvis ſecundo, aut tertio compreſſis, magna aquæ copia ſuper inſuſa, & vocari ſolet *lora*, non eſt materia apta ad hanc conſecrationem, quia tametſi aliquem præſeferat ſaporem, & odorem vini, ob nimiam tamen aquæ copiam, & ob vini paucitatem, quæ reperitur in talibus uvis, nullo modo credibile eſt habere ſpeciem vini, ſed eſse vel naturæ aquæ, aut alicujus tertiæ ſubſtantiæ. Vinum quoque melle, & aromatibus in magna quantitate conditum, & decoctum, non eſt materia ſufficiens Calicis, quia cum tali permixtione, & decoctione deperditur vini ſubſtantia. Modica tamen permixtio non officeret validitati Conſecrationis, ſed nullo modo facienda eſſet propter Sacramenti reverentiam. D. Thomas 3. *part. q.74. art. 5. ad* 3. Wiggers 3. *part. quæſt.74. art.*45. *num.* 41. & Gerlacus Vinitor *par. 3. tit. 4. in adnotat.* §. 2. & 3. Uva denique non eſt materia valida Conſecrationis Sanguinis, neque liquor in uvis adhuc contentus, quia non eſt ſimpliciter vinum.

III. Gavant. lit. o - *Et vinum etiam congelatum, &c.*) Utrum vinum congelatum ſit materia ſufficiens ad hanc Conſecrationem, non conveniunt Theologi; ſententiam negativam amplectuntur Alanus, Armilla, Henriquez, Ledeſma, Nugnus apud Dianam *part. 3. tract.6. reſol.* 100. verum probabilior nobis videtur ſententia, quam ex Suarez ſequitur Gavantus *ſupra*, quam etiam tuetur, communemque vocat noſter P. Quarti *ſupra part. 3. tit. 4. dub.*8. nimirum tale vinum eſſe materiam validam, dummodo congelatio tanta non ſit, ut ſpeciem vini ſolvat. Ratio autem hujus ſententiæ eſt, quia vinum congelatum retinet naturam, & proprietates vini, adeo ut ſi ſpecies conſecratæ poſt Conſecrationem congeleſcant, ſub iiſdem remaneat procul dubio Sanguis Chriſti Domini, ut plane ſupponunt hæ Rubricæ *de defectibus tit.* 10. *num.*51. ubi dicitur: *Involvatur Calix pannis calefactis, ut aſſumatur.*

Neque urget contra hanc ſententiam, ſi dicatur, aquam congelatam non eſſe materiam ſufficientem Baptiſmi, nam ablutio, quæ non poteſt eſſe, niſi aqua actu fluat, eſt materia eſſentialis, & proxima Baptiſmi; potatio vero actualis nullatenus pertinet ad eſsentiam Euchariſtiæ, & revera in ſpeciebus, ut mox diximus, poſt Conſecrationem, congelatis, remanet vera ratio Sacramenti, quamvis ſic congelatæ potabiles non ſunt. In praxi tamen obſervandum eſt, quod ubi contingit, vinum eſſe congelatum ante Conſecrationem, liqueſiat antequam verba Conſecrationis proferantur, alias conſecrando vinum ita congelatum, quamvis valida eſset Conſecratio, ut diximus, non eſset tamen licita, & graviter peccaret, qui vinum congelatum conſecrare attentaret, priuſquam eſset liquefactum.

RUBRICA.

2 *Si vinum cœperit (p) aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel (q) muſtum de uvis tunc expreſſum, vel non fuerit (r) admixta aqua, vel fuerit admixta (ſ) aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis; conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.*

GAVANTUS.

(p) *Aceſcere*. Fit Sacramentum, cum peccato tamen, *S. Thomas ſupra ad* 2.

(q) *Muſtum de uvis tunc expreſſum*. Eſt Julii Papæ *de Conſecr. diſtinct. 1. cap. cum omne crimen*, & ex neceſſitate conceditur, ſed abſtinendum eſt omnino ob irreverentiam, & indecentiam, ait *Suar. loc. cit. diſp. 45. ſect.* 1.

(r) *Admixta aqua*. Miſceri aqua vinum eſt de præcepto Eccleſiæ tantum. *Trid. ſeſſ.* 22. cum quo præcepto ſtat quoque præceptum Chriſti, qui neque voluit aquam de neceſſitate Sacramenti. *Suarez loco citat.*

(ſ) *Aqua roſacea*. Conficitur Sacramentum, quia aqua non eſt de neceſſitate Sacramenti: ſed peccaret contra præceptum negativum, de non miſcendo aliquid in materia Sacramentorum, præter Chriſti inſtitutionem, & conſuetudinem Eccleſiæ. *Sanctus Thomas quæſt. 74. art. 7. ad tertium.*

Novæ obſervationes, & Additiones, &c.

IV. Gavant. lit. p - *Fit Sacramentum cum peccato tamen, &c.*) Si vinum cœperit aceſcere, vel fuerit aliquantulum acre, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat. Nihiluminus ſi urgeat neceſſitas celebrandi, ſeu non poſſit Sacerdos abſque nota omittere Sacrum, ut inter Regulares contingit, qui ſecundum regulam celebrare tenentur, & non eſt in eorum poteſtate aliud vinum habere, non peccant ſubditi eo vino utentes ad uſum Sacrificii. Ita tenet laudatus Pater Quarti *loc. cit. dub.* 12. hac ratione motus, quia cum defectus ſit levis, non obſtans valori Sacrificii, cum certum ſit tale vinum eſſe verum vinum, licet aliquantulum acidum, vel acre, non tenetur Sacerdos cum notabili incommodo Sacrificium illud omittere; & quamvis tali vino uti, ſit contra reverentiam Sacrificii, ea tamen irreverentia non imputatur Celebranti, ſed Superiori, vel Miniſtro, qui eſt cauſa voluntaria illius.

V. Rubric. & Gav. lit. q - *Muſtum de uvis tunc expreſſum, &c.*) Muſtum de uvis recenter expreſſum, adeoque valde impurum, valide quidem conſecratur, quia veram ſubſtantiam vini habet. ſed non decenter, ac licite: quia quamvis ſit verum vinum, eſt tamen imperfectum, & non ſatis decoctum, ac defœcatum, quæ accidentalis imperfectio, ac fœcis admixtio dedecet tanti Sacramenti dignitatem, & idcirco graviter delinqueret, qui extra neceſſitatem in multo conſecraret.

VI. Gav. lit. e *Miſceri aqua vinum eſt de præcepto Eccleſiæ, &c.*) Sanctus Bernardus *epiſtola 69. ad Guidonem* innuit, ſua ætate quoſdam aſſeruiſſe, aquam ita neceſſario in Calice miſcendam, ut ſine illa mixtione nulla eſſet conſecratio. Alexander Alenſis varo *quarta parte quæſt.* 12. ſcripſit, aquam neceſſariam eſſe neceſſitate, non quidem Sacramenti, ſed præcepti divini; hunc ſecuti ſunt Hoſius *cap.* 14. Confeſſionis, & Alphonſus a Caſtro *Hæreſi* 7. Verior tamen ſententia eſt illa, quam tenet Gavantus *ſupra*, mixtionem ſcilicet aquæ cum vino neceſſariam eſſe ex præcepto Eccleſiæ tantum. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap.*7. his verbis: *Monet deinde Sancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent*. Hujuſque Ritus triplicem ſubdit rationem. Primo, quia Chriſtum Dominum ita obſervaſſe creditur. Creditur, inquam, pia quadam credulitate, non fide divina: id enim revelatum fuiſſe non conſtat, ut advertit Durandus in 4. *ſententia, diſtinct. 9. quæſt.* 5. Secundo, quia e latere Domini aqua ſimul cum ſanguine fluxit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur. Tertio, quia ſic Populi Fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur. Deinde Canone 9. ejuſdem ſeſſionis, quid credendum ſit circa hunc Ritum mixtionis aquæ cum vino in Calice definit his verbis: *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ Ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere, aut aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit*. Ubi Sacroſancta Synodus non attingit diverſas Theologorum ſententias circa exemplum Chriſti, & aquæ miſcendæ neceſſitatem, ſive Sacramenti, ſive præcepti divini, aut Eccleſiaſtici, ſed ſolum definit præciſe contra Novatorum errores, &

calu-

calumnias, non eſſe contra Criſti inſtitutionem, quod io Miſſa nonnulla ſecrete proferantur, quod alia lingua, quam vulgari Sacrificium celebretur, & quod aqua vino admiſceatur. Ex quo tamen Canone oon infertur; ergo de fide eſt, aquam vino eſſe miſcendam, ſed ſolummodo infertur: ergo de fide eſt, admixtionem aquę cum vino in Calice non eſſe contra Chriſti inſtitutionem.

Prædictū Ritum miſcendi aquam in vino conſecrando antiquiſſimum eſſe ex præſcriptione Eccleſiæ, & juxta Chriſti inſtitutionem, colligitur ex S. Juſtino, qui floruit ſecundo Eccleſiæ ſæculo *Apol.* 2. ubi ait: *Ei qui fratribus praeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini.* Item ex S. Iræneo, qui initio tertii ſæculi ſic ſcripſit *lib. 4. c. 57. Accipiens Dominus panem, ſuum Corpus eſſe confitebatur, & temperamentum Calicis, ſuum Sanguinem confirmavit.* Ex S. Cypriano pariter, qui eodem mediante ſæculo vixit, *in epiſt. 63.* totus eſt ut probet contra Aquarios, nec vinum purum, nec aquam puram, ſed utrumque mixtum, eſſe offerendum in Miſſæ Sacrificio: *Dominica traditio*, inquit, *ſervetur, neque aliud fiet a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut Calix, ... mixtus vino offeratur....* Eadem veritas eruitur pariter ex Conciliis, uam Carthaginenſe tertium Anno 397. *cap. 24.* ſic habet: *In Sacramenta Corporis, & Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam ipſe Chriſtus obtulit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum.* Trullanum quoque, ſeu Quiniſextum Anno 692. *Can. 32. Si quis*, inquit contra Armenos, *Epiſcopus, vel Presbyter, non ſecundum ordinem ab Apoſtolis traditum, facit, & aquam vino non miſcens, ſic immaculatum offert Sacrificium, deponatur, ut imperfecte Myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt innovans.* Concilium quoque Autiſſiodorenſe *Can.* 8. Vormatienſe *Can.* 4. Triburienſe *Can.* 19. vinum aqua mixtum offerri decreverunt. Dicitur etiam quod Alexander I. idem conſtituerit, non quod auctor hujus mixtionis fuerit, ut nonnulli perperam aſſeruerunt, ſed quia adverſus hæreticorum errores, quod ex Apoſtolica traditione acceperat, ſcripto confirmavit. Circa hoc argumentum longam ſcripſit epiſtolam ad Cæcilium Cyprianus, quam laudat Auguſtinus *lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap.* 21. & hoc Domini præceptum eſſe affirmat, cujus tranſgreſſio graviſſimum peccatum ſit, & hujus ineffabilis Sacramenti mutilatio.

Prædictis Sacrorum Conciliorum ſanctionibus, & SS. Patrum doctrinis confutantur Hydroparaſtæ, ſive Aquarii, & Encratitæ, qui ſola aqua utuntur in Myſteriis, itemque Armeni, qui ſolum vinum adhibent, quoſque ſemper damnavit Eccleſia. Aquariorum mentionem faciunt Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatum*, Iræneus *lib. 5. cap.* 1. Auguſtinus de hæreſibus *cap.* 64. Epiphanius *hæreſi* 46. adverſus Encratitas, Theodoretus *lib. 1. hæreticarum fabularum cap.* 20. Armenos damnavit Concilium Trullanum ſupra allatum, eoſque doctiſſime convellit noſter Pater Clemens Galanus *tom. 2. ſecundæ partis conciliationis Eccleſiæ Armenæ cum Romana, tract. de nova lege; quæſt. 4. §. 3. ſect. 2.* Hi enim dum Aquariorum errorem declinant, in alium errorem lapſi ſunt, ſolum nempe vinum offerentes; ſive ut per ſolum vinum unam dumtaxat in Chriſto naturam deſignent, a Jacobo Syro Eutichianæ blaſphemiæ propagatore ſeducti, ut Nicephorus indicavit *lib. 18. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ cap.* 53. ſive aquam non miſceotes cum vino, ut a Græcis ſepararentur, ſicut ex quadam illorum Hiſtoria colligitur, de qua mentionem facit Card. Bona *lib. 1. c.* 23.

Modicum tamen aquæ vino a Sacerdote in Altari miſceri debet, non, ut ſupra diximus, ob neceſſitatem Sacramenti, neque præcepti Divini, ut volunt Alenſis, Caſtro, & alii, quos citat, & ſequitur Valentia *de Euchar. diſp. 6. quæſt. 2. punct.* 1. & Granado *in 3. part. controv. 6. tract. 2. diſp. 4. ſect.* 1. ſed præcepti tantum Eccleſiaſtici ſub mortali peccato obligantis, ut tenet Quarti *part. 2. tit. 7. dub. 3. cum aliis*, ob rationes ſupra adductas, modicum, inquam, aquæ admiſcendum eſt in vino conſecrando, quia ſi major pars aquæ, quam vini admiſceatur, ſi non invalida, ſaltem valde dubia eſſet Conſecratio; ſi æqualis pars ſit aquæ, & vini, erit pariter periculum, ne aqua vinum extenuet, & ſpeciem amittat, unde ſemper erit etiam in hoc caſu ſaltem valde dubia Conſecratio: apponenda ergo aqua eſt in minima quaotitate, præſertim in his partibus, ubi vina ſunt debiliora, & plus eſt periculi corruptionis vini, quod maxime vitandum eſt. Aqua autem etiam in quacumque parva quantitate adhibita, ſufficiens eſt ad præceptum præſatum Eccleſiaſticum adimplendum.

Confirmantur hæc omnia ex Sacris Eccleſiæ Sanctionibus, capite enim *Perniciosus tit. 14. de celebrat. Miſſarum*, Honorius III. perſtringit eos, qui majorem quantitatem de aqua ponebant in Sacrificio, quam de vino, cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum. In Concilio pariter Triburienſi habito Anno 895. *Can.* 19. ſtatuitur, *ut duæ ſint partes vini, tertia aquæ.* In Conſtitutionibus vero Salisburienſibus Anno 1217. in Anglia, præſcriptum fuit, quod *in Sacramento Dominici Sanguinis, major pars vini, & modicum aquæ ponatur.* In Synodo vero Colonienſi habita Anno 1280. ſancitum fuit, quod *in Calice duæ guttulæ, vel tres de aqua apponantur*, & Eugenius IV. in ſuo Decreto pro Armenis, Anno 1438. ſtatuit, *ut ipſi etiam Armeni univerſo Chriſtiano Orbi ſe conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paulułum aquæ admiſceant.* Hinc Ordinarium Monachorum Burſteldenſium relatum ab Edmundo Martene in *lib. 2. cap. 4. §. 21. de antiq. Monach. Ritibus*, præſcribit, ut cum parvo cocleari fiat aquæ mixtura in omni Miſſa; Monachi etiam Cartuſienſes, & Eccleſiæ fere omnes in Germania optime utuntur parvo cocleari, ut tutius immittant nonniſi parvam aquæ quantitatem in Calicem.

Vinum autem conſecrandum, cui modica aqua admiſceri debet, poteſt eſſe albi, vel rubei coloris, ad arbitrium Sacerdotis. In Concilio Provinciali quarto Eccleſiæ Beneventanæ habito Anno 1374. *tit. 7. cap.* 4. ſancitum fuit, quod *nullus, cum vino multum albo celebret, ſi poſſet in loco rubeum repeɛiri, & commode inveniri; cum magis vinum rubeum, quam album Sanguini conformetur.* Qui Canon deſumptus eſt ex Statutis Synodalibus Eccleſiarum Carducenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis Sæculo 13. nuper editis ab Edmundo Martene *tom. 4. Theſ. Anec. pag.* 706. & aliam hujus Ritus rationem aſſignant Statuta Synodalia Eccleſiæ Meldenſis ab eodem Martene vulgata. *Vinum*, inquiunt, *potius rubeum miniſtretur in Calice propter ſimilitudinem vini albi cum aqua.*

Verum in Concilio Provinciali primo Eccleſiæ Mediolanenſis, quod habetur in Actis ejuſdem Eccleſiæ, a S. Carolo conditis, præſcribitur, quod *ornamenta, & inſtrumenta Altarium pro celebratione Miſſæ pura, ac munda ſint, præſertim Corporalia, ac purificatoria, quamobrem etiam vino albo, ubi poſſint tantummodo ad Miſſæ Sacrificium Sacerdotes utantur.* Idem etiam præſcribitur in aliquibus aliis Conciliis Provincialibus, & Diœceſanis. Hæc eadem diſpoſitio reperitur in Conſtitutione Synodali Eſcolani Epiſcopi Majoricenſis edita Anno 1659. & relata a Stephano Baluzio in ſuis eruditis notis ad Epiſtolam 63. S. Cypriani, in qua Conſtitutiooe leguntur hæc præciſa verba: *Cum Sacroſanctum Altaris Sacrificium, in quo fons omnis ſanctitatis, & uberis retinetur, minus decenter peragatur, dum vinum rubeum conſecratur, cum ſic mundities Altaris vix conſervari poſſit: ideo hortamur omnes hujus Diœceſis Presbyteros, ut poſthac vino albo in celebratione Miſſarum utantur.* Hæc autem eſt communis praxis fere omoium Eccleſiarum, uti, nimirum, vino albo, quia ſic mundities mapparum, corporalium, & purificatoriorum facilius conſervatur. Diligenter tamen advertere debent Sacriſtæ, ne præparent in urceolis vinum ita album, ut confundi poſſit cum aqua; contingere enim poſſet, ſicut aliquando accidit, ut refertur in vita B. Coletæ, quæ habetur in Actis SS. apud Bollandum die 6. Martii *c. 12. fol. 564. n.* 109. quod conſecretur aqua loco vini.

## R U B R I C A.

3 *Si Celebrans ante Conſecrationem Sanguinis, quamvis poſt Conſecrationem Corporis, advertat, aut vinum, aut aquam, aut utrumque non eſſe in Calice, debet ſtatim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, incipiendo ab illis verbis: Simili modo, &c.*

## R U B R I C A.

4 *Si poſt verba Conſecrationis advertat, vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam, depoſita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & conſecret, reſumendo a verbis prædictis: Simili modo, &c.*

## R U B R I C A.

5 *Si hoc advertat poſt ſumptionem Corporis, vel hujuſmodi aquæ, apponat aliam Hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, & conſecret, & ſumat,* (t) *quamvis non ſit jejunus. Vel ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cætera.*

## *G A V A N T U S.*

Prima pars Rubricæ poſterioris eſt *S. Thom. 3. part. q. 83. art. 6. ad* 2. altera vero pars eſt *Sot. 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 6. ad* 4. cujus eadem fere ſunt verba Rubricæ; item *Navarri cap. 25. n.* 21. & eſt magis practica.

(t) *Quamvis non ſit jejunus.* Ita *S. Thom. loc. cit. art. 6. ad* 2. addit *Angelus cum Sylv.* Si Sacerdos dum in ore habet potum, priuſquam deglutiat, ſentiat, non eſſe vinum, non debet conſumere, ſed in Calicem emittere, & poſt Sanguinis ſumptionem illum reſumere; ſed moraliter eſt difficillimum; & ideo ſine ſcrupulo poteſt deglutire primum, & conſecrare, & ſumere ſecundum, ita *Suar. loc. cit. diſtinct. 85. ſect. 1. ad primam confirmationem*, non peccaret tamen mortaliter, qui inopinato caſu turbatus, aqua pro vino ſumpta, non conſecraret vinum, *Diana tract. 14. de celebrat. Miſſ. reſol.* 70.

## R U B R I C A.

6 *Si quis percipiat ante Conſecrationem, vel poſt Conſecrationem, totum vinum eſſe acetum, vel alias corruptum, idem ſervetur quod ſupra, ac ſi deprehenderet, non eſſe poſitum vinum, vel ſolam aquam fuiſſe appoſitam in Calice,*

### G A V A N T U S.

Eadem eſt ratio, deficientis materiæ ad Sacrificium integrum, ſi tamen Sacerdos pergat in Miſſa, & ex ignorantia, vel inopinati caſus perturbatione non obſervet, non per hoc mortaliter peccat, *ex Navarr., cap.25. Man. num. 91. & Sà verb. Miſſ. num. 91.*

### R U B R I C A.

7. *Si autem celebrans ante conſecrationem Calicis advertat, non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam, & proferat verba conſecrationis. Si id advertat poſt conſecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti.*

### G A V A N T U S.

Prima pars eſt manifeſta: adde tantum, eſſe benedicendam aquam de more. Secunda pars eſt *S. Th. loc. cit. art. 6. ad* 4. ne, inquit, ſequatur corruptio Sacramenti pro aliqua parte, quod docuerat *q.77. art.8.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

VII. Gav. lit. t -- In Rub. 5. *Ne, inquit, ſequatur corruptio Sacramenti, &c.*) S. Th. 3. *part. q. 83. art. 6. ad* 4. intendit convellere Græcorum morem, qui bis aquam in Calice infundunt, ſemel frigidam ante conſecrationem cum in protheſi ſancta dona præparant pungente Sacerdote panem S. Lancea, & dicente: *Unus Militum lancea latus ejus aperuit, ſtatimque exivit ſanguis, & aqua*; & Diacono infundente vinum, & aquam; deinde calidam poſt Conſecrationem, immediate ante Communionem, petente Diacono a Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat, illo vero benedicente his verbis: *Benedictus fervor Sanctorum tuorum, jugiter, nunc, & ſemper, & in Sæcula Sæculorum. Amen.* Tum Diaconus infundit aquam calidam in Calicem, dicens: *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen.* Scriptores Græci apud Goar in notis ad Miſſam Chryſoſtomi *num.* 167. & apud Arcudium *lib. 3. ſuæ concordia cap.* 39. reddunt rationem hujus ſecundæ mixtionis aquæ, dicentes, fieri hanc mixtionem, tum quia aqua calida e latere Chriſti exivit, tum quia per eam fervorem Sancti Spiritus intelligi volunt. Hunc Græcorum Ritum nonnulli e noſtris Theologis ignorantes, vel utramque mixtionem confundunt, ut Eltius *Oratione Theologica* 16. vel putant eos aquam non apponere, ut Innoc. III. *lib.4. de Sacrificio Miſſæ cap.* 33. & Guido Carmelita in catal. hæreſum, vel aquæ calidæ infuſionem impugnant, ut Umbertus Sylvæ Candidæ Epiſcopus, in invectiva adverſus Nicetam Pectoratum. Sed immerito, ut ait Cardinalis Bona *lib. 2. cap.9.* §. 4. hac de cauſa Græci vexantur, hunc enim Ritum præſcribunt in ſuis Liturgiis SS. Patres, Baſilius, & Chryſoſtomus, uſuque perpetuo Orientalis Eccleſiæ Sacerdotes doctrina, & ſanctitate conſpicui comprobarunt. Ex ignoratione itaque hujus approbati Ritus, ait præfatus doctiſſimus Bona, procedit ſententia, quæ convellit præfatam mixtionem aquæ cum vino jam conſecrato; quaſi exinde ſequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua ſui parte, quæ ratio corruit etiam ex antiqua conſuetudine, quæ olim in Eccleſiis Latinis vigebat, miſcendi vinum non conſecratum cum Sanguine pro Communione Populi, ut colligitur ex primo, ſecundo, & tertio Ordinibus Romanis, quin ullum timeretur periculum corruptionis Sacramenti.

### R U B R I C A.

8. *Si materia, quæ eſſet apponenda ratione defectus vel panis, vel vini, non poſſet ullo modo haberi, ſi id ſit ante conſecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: ſi poſt conſecrationem Corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius ſpeciei, altera jam conſecrata, tunc* (u) *ſi nullo modo haberi poſſit, procedendum erit, & Miſſa abſolvenda, ita tamen, ut prætermittantur verba & ſigna, quæ pertinent ad ſpeciem deficientem. Quod ſi expectando aliquandiu haberi poſſit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum.*

### G A V A N T U S.

(u) *Si nullo modo haberi poſſit.* Imo, ſi difficillimo modo haberi poſſit, & notabilis inde oriretur offenſio Populi, Miſſa abſolvenda erit abſque materia deficiente; ſive Hoſtiæ, ſive vini, quia majoris eſt vinculi jus naturale, evitandi ſcandalum proximi, quam divinum ſcriptum, aut poſitivum abſolvendi Miſſam. *Azor. lib. 10. c.35. q.6.*

An vero Summus Pontifex poſſit relaxare jus divinum ad effectum, ut Sacerdos ob ingentem neceſſitatem in ſolo pane ſine vino ſacrificet? *Azor. lib. 10. c. 11. q. 3. verſ. ſecundum eſt*: putat probabilem affirmativam ſententiam ob publicam neceſſitatem, & gravem. Probabiliorem negativam docet *Suarez diſp.43. ſect.4.*

1. Quæri poteſt in prædictis caſibus de aqua, quæ ob breviſſimum tempus ab infuſione ejuſdem in Calicem uſque ad Calicis conſecrationem non poteſt converti in vinum, ut alias dicitur: an remaneat aqua mixta ſpeciebus vini: an vero, & ipſa ſtatim immediate tranſubſtantietur in Sanguinem Chriſti? ſed quidquid ſit de converſione aquæ in vinum, de qua diſputant Philoſophi, quam tamen affirmant SS. Patres, & Theologi Scholaſtici: ſi ob anguſtiam temporis non fiat converſio, non putamus abſurdum, quod remaneat aqua ſubſtantialiter aqua, cum non ſit neque materia, neque commateria immediata Sacramenti, ſed ea ſolum infunditur ad myſterium unionis Populi cum Chriſto, ut ſuo loco diximus. Neque ideo adoramus aquam, ſed Chriſtum ſub ſpecie vini aqua permixti: ſicut neque ſi cadat in Calicem muſca, eam dicimur adorare. Scripſere de hac re fuſius Paulus Areſius Epiſcopus Derthonenſis, pro ſententia affirmativa, & in oppoſitam ſententiam Hyacinthus Petronius Magiſter Sacri Palatii, nunc Epiſcopus.

### De defectibus Formæ. V.

### R U B R I C A.

1. *DEfectus ex parte Formæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipſa conſecratione requiruntur. Verba autem conſecrationis, quæ ſunt forma hujus Sacramenti, ſunt hæc: Hoc eſt enim Corpus meum. Et: hic eſt enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma conſecrationis Corporis, & Sanguinis, & in ipſa verborum immutatione, verba idem non ſignificarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret, conficeret quidem, ſed graviſſime peccaret.*

### G A V A N T U S.

Notanda eſt hoc loco ſingularis doctrina *Suar.3. diſp.85. ſect.* 1. quod ſi contigat defectus eſſentialis in forma, vel in altera, vel in utraque, nempe cum mutatione ſenſus verborum conſecrationis, iteranda eſt conſecratio, ut perficiatur Sacrificium, & ſi contingat id cognoſci poſt ſumptionem Corporis, vel ſpeciei non rite conſecratæ, iteranda eſt item talis Conſecratio appoſita materia, quæ non fuit conſecrata, *juxta Rubricam ſup. tit. 4. n.5. & tit.3. n.6.* quia eadem eſt ratio ineptę materiæ, & materię ſine forma. Imo etiam ſi id contingat fieri ex malitia Miniſtri mutantis formam, vel non habentis intentionem, nihilominus debet poſt ſumptionem ſupplere defectum, pęnitendo de priori culpa, quam commiſit, reverenter ſupplendo, ut dictum eſt: quod ſi defectus accidat in utraque ſpecie, & jam utramque ſumpſit, non eſt quod ſuppleat, quia Sacrificium nullum fuit, ſed totum fictum, & eo caſu nullum eſt præceptum de faciendo vero Sacrificio, neque de ſupplendo, quod non eſt inceptum, neque ex parte; & obligat tunc aliud præceptum de non ſacrificando fracto jejunio.

Porro *S. Thom. qu eſt. 78 art. 3.* vult, excepto, *enim*, omnia verba formarum prædictarum eſſe de eſſentia Sacramenti, communior autem antiquorum ſententia eſt, ea non eſſe. Vide *Suar. diſp. 60. ſect.* 1.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. *Porro S. Thom. 3. part. qu. 78. art. 3. vult excepto, enim, &c.*) Quamvis particula *enim* in utraque conſecrationis forma eſſentialis non ſit, neque neceſſaria neceſſitate Sacramenti, eſt tamen de præcepto proferenda, ideoque ſi quis eam omitteret, graviter peccaret. Ita etiam in forma conſecrationis Calicis, ſeu vini, omnia verba, quæ exprimuntur in ſuperiori Rubrica, ſunt de integritate, & neceſſitate præcepti, & quamvis etiam ad eſſentiam Sacramenti pertinere aſſerat D. Thomas *loco ſupracit.* nihilominus alii Theologi quamplurimi cenſent, ad validitatem talis formæ ſufficere prima illa verba: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, reliqua vero, quæ ſequuntur, quamvis non ſpectent ad formæ conſecrationis eſſentiam, non licet tamen ea omittere ſine gravi ſacrilegio, tum quia Eccleſia vult, omnia illa verba proferri in forma Sanguinis, tum quia oportet tutiſſima ratione conſecrare, adhibendo ſcilicet etiam prædicta reliqua verba eodem modo, intentionemque habendo, eo modo, & per ea verba conſecrandi, quibus Chriſtus inſtituit, & Eccleſia intendit; tum etiam quia D. Thom. *ſupracit.* aliique multi volunt, omnia verba notata in Miſſali ſpectare ad eſſentiam formæ Sanguinis.

In hoc Sacrificio verba utriuſque formæ Corporis, & Sanguinis, debent proferri a Sacerdote, ut induente, ac ſuſtinente Perſonam Chriſti, non vero in Perſona ejuſdem Sacerdotis, ideoque omnia verba Canonis, incipiendo a verbis, *Qui pridie, &c.* uſque ad *Unde memores* dicuntur a Sacerdote hiſtorice, ſeu recitative. Sola autem verba, quæ utrique formæ eſſentialia ſunt, ſcilicet, *Hoc eſt enim corpus meum*; *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, &c.* proferuntur a Sacerdote, non tantum materialiter, & recitative, ſed etiam formaliter, ſignificative, & enunciative. Cæterum aliæ quæſtiones ſpectantes ad validitatem prædictarum formarum, videri poſſunt apud Theologos, præſertim vero Zachariam Paſqualigum *de Sacrific. Miſſæ tract.1.q.319. & ſeqq.* Quarti *part.3. tit.5. ſect.* 1. & Suarez *loco a Gavanto ſupracit.*

R U-

R U B R I C A.

1 *Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari.* (a) *Si tamen certo ei conſtet, ſe amiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ideſt formam Conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipſam formam, & cætera proſequatur per ordinem. 3. Si vero valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione. 4. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulterius.*

*G A V A N T U S.*

Prima pars eſt *S. Thomæ ſupr. art.6. ad* 5. Altera pars eſt *ejuſdem ibidem*, ſed cum hic dicatur, reſumat ipſam formam: quid reſumendum erit? Sane verba ea tantum, quæ ſupra *n.1. hujus tituli* poſita ſunt, tamquam eſſentialia formæ, quidquid dicant *Angel. Palud. & Scotus*, ita *Suarez loco cit.* In tertia parte Rubricæ, quæ eſt communis, eo modo tollitur dubium, & periculum iterandi Conſecrationem ſuper materiam conſecratam. Quarta pars patet, & confirmat ſecundam partem hujus Rubricæ de non reſumendo, niſi eſſentialia formæ.

Cæterum non eſt neceſſe in prolatione formæ, ut ſonus verborum attingat Hoſtiam, vel Calicem, *Suar. diſput.* 45. *ſect.* 1.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

II. Gavant. *Sane verba ea tantum, &c.*) Optime docet hic Gavantus in prædicto caſu, repetenda eſſe tantum verba Conſecrationis in ſuperiori Rubrica expreſſa. Unde non approbantur illi, qui putant, ſi Conſecratio panis iteranda ſit, incipiendum, & repetendum eſſe de neceſſitate Sacramenti ab illis verbis: *Qui pridie, &c.* ſic Calix ab illis verbis: *Simili modo, &c.* Satis enim eſt iterare ſolam formam expreſſam in ſuperiori Rubrica, & in Canone Miſſæ contentam.

De defectibus Miniſtri. VI.

R U B R I C A.

1 *Defectus ex parte Miniſtri, poſſunt contingere quo ad ea, quæ in ipſo requiruntur. Hæc autem ſunt: In primis intentio, deinde diſpoſitio animæ, diſpoſitio corporis, diſpoſitio veſtimentorum, & diſpoſitio in miniſterio ipſo, quoad ea, quæ in ipſo poſſunt occurrere.*

*G A V A N T U S.*

Diviſio in has quinque ſpecies defectuum ea eſt, ut prima tantum dici debeat eſſentialis, reliquæ accidentales.

Novæ Obſervationes, & Additinnes, &c.

I. De defectibus Miniſtri, tum eſſentialibus, tum accidentalibus, tum proximis, tum remotis, fuſe, & docte diſſerit Paulus Maria Quarti *part. 3. tit. 6.* omnino videndus ab iis, qui ſatisfacere volunt ſuæ curioſitati in hac materia.

De defectu intentionis. VII.

R U B R I C A.

1 *Si quis non intendit conficere, ſed deluſorie aliquid agere. 2. Item ſi aliquæ Hoſtiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hoſtia lateat, cum non intendat conſecrare niſi quas videt. 3. Item ſi quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans quas decem intendit: in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio. 4. Secus ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat: nam tunc omnes erunt conſecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere deberet, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.*

*G A V A N T U S.*

Prima pars ſacrilegium enormiſſimum continet, & ſi fictionis pœniteat ante ſumptionem, poteſt reſumere formam; non ex vi præcepti perficiendi Sacrificium, quod nondum incœpit, ſed ex vi præcepti non fingendi falſum in hoc miniſterio, & conſequenter non perſeverandi in fictione, nec ſumendi potum, & cibum per modum Sacramenti, quod non eſt, nec dandi aliis occaſionem adorandi merum panem, & vinum; poſt ſumptionem vero fictio Sacramenti ſervetur, quod diximus *ſupr. ex Suar. tit. 5. n. 1.* Altera pars nullam habet difficultatem. In tertia, *Major diſt. 11. quæſt. 1. Dur. quæſt. 7. & communiter* concordant: quia non eſt major ratio, cur iſta, vel illa ſit conſecrata. Quarta pars manifeſte ſequitur; quia materia eſt determinata intra terminum intentionis.

Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

I. *In his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio, &c.*) In ſuperiori Rubrica adducuntur caſus, in quibus non ſequitur Hoſtiæ, & vini conſecratio, ex ſolo defectu intentionis in Sacerdote conſecrante. Nomine intentionis intelligitur deliberata voluntas faciendi aliquid, puta Sacramentum; intentio enim communiter definitur volitio efficax finis, unde differt intentio a ſimplici volitione, ſeu complacentia finis, ſive boni alicujus, quia ſimplex voluntas, ſeu complacentia reſpicit finem ſine habitudine ad conſecutionem. In caſu ergo noſtro actus, quo Miniſter vult conficere Sacramentum, dicitur intentio, qui eſt actus liber voluntatis tendentis in illum finem, & diſtinguitur ab attentione, quæ eſt actus intellectus conſiderantis id, quod agitur.

Dividitur autem intentio, quoad rem noſtram pertinet, in actualem, & virtualem, in habitualem, & interpretativam. Actualis intentio eſt volitio actu exiſtens faciendi Sacramentum, & offerendi Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, vel faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, & per ſe ipſam immediate concurrens ad Sacramentum, & Sacrificium peragendum, cum prolatione formæ ſuper materiam præſentem.

Intentio virtualis dicitur illa, quæ præceſſit in ſe, ſed virtute permanet in aliquo effectu ab ea relicto, quo excitantur potentiæ externæ ad actiones requiſitas, quibus perficitur Sacramentum initio propoſitum, vel per impreſſionem in imaginativa relictam, vel per connexionem actuum ſequentium cum primo, quo quis ad agendum humano modo ſe applicuit, nec actu contrario interrupit, v. gr. incipit quis Sacerdos ſacris veſtibus ſe induere ex animo conſecrandi, & offerendi Sacrificium, ſicut Chriſtus inſtituit, & vi illius voluntatis accingit ſe operi, pergendo ad Altare, &c. poſtea tamen mente diſtrahitur, & interim facit omnia neceſſaria ad Sacrificium, manendo tamen ſemper mentis ſuæ compos, hic dicitur habere intentionem virtualem conſecrandi, & offerendi Sacrificium, etiamſi in ipſo actu Conſecrationis, dum profert formam, nullam habeat actualem intentionem.

Intentio habitualis dicitur illa, quæ præceſſit aliquando, & omnino deſivit, nec per aliquem effectum, aut virtutem relictam influit in actionem externam, quamvis actu contrario revocata non fuerit: Nam voluntas ſemel habita, & multo magis frequenter habita, dicitur habitualiter remanere donec revocetur; Unde dicitur etiam quis ex habitu aliquid facere, quando ſola frequentia actuum præteritorum ductus aliquid operatur, ex. gr. fricat quis barbam, nullo præcedente actu, quo ad eam operationem applicetur, eo modo quo etiam dormiente, amente, & ebrio id ipſum fieri contingit.

Intentio interpretativa eſt diſpoſitio voluntatis, quæ talis eſt, ut interpretemur aliquem conſenſurum, aut facturum, ſi res propoſita in ejus mentem veniret, vel de ea moneretur; ſic dicitur quod fidelis adultus, qui ex vi morbi uſum rationis amiſit, habeat intentionem interpretativam recipiendi Sacramentum extremæ unctionis, quamvis de eo numquam cogitaverit, quia ex ejus anteacta vita, colligimus, quod prædictum Spirituale beneficium, & Sacramentum expeteret, ſi rationis ſuæ compos eſſet.

Dividitur præterea intentio in abſolutam, & conditionatam; abſoluta eſt voluntas abſoluta, qua ſimpliciter, & ſine modificatione, ſeu conditione aliqua vult conficere v. g. Sacrificium Miſſæ. Conditionata vero intentio eſt voluntas conſecrandi v. g. Hoſtiam ſub hac conditione, ſi prius non fuerit valide conſecrata.

Denique, quod ad rem noſtram ſpectat, dividitur intentio in implicitam, & explicitam: Intentio implicita procedit in adminiſtratione, ſeu confectione Sacramenti, ſecundum generalem, & confuſam rationem, ut v. g. volo conſecrando, nempe proferendo formam conſecrationis, facere quod facit Eccleſia Catholica, ſeu quod Chriſtus inſtituit. Explicita dicatur intentio, quæ ſecundum ſpecificam rationem procedit, ut in caſu noſtro, volo conficere Sacramentum Corporis Chriſti, &c. volo offerre Sacrificium Euchariſticum Summo Deo, in recognitionem ſupremi ſui Dominii ſuper omnes Creaturas.

Ex prædictis intentionibus, intentio actualis, & explicita quamvis optima, atque adeo optanda, non eſt tamen neceſſaria ad valorem conſecrationis, & hæc eſt communis omnium Theologorum ſententia; ſufficit enim in caſu noſtro ſola intentio virtualis, & implicita, quales ſupra explicavimus. Intentio autem habitualis profecto non ſufficit, quia eſt ſine advertentia rationis, & poteſt reperiri, ut diximus, etiam in dormiente, amente, & ebrio, qui tunc non operantur humano modo. Huc advertere lubet, quod antiqui Theologi intentionem virtualem aliquando vocarunt habitualem, ut colligi poteſt ex iis, quæ docet D. Thomas *in 3. part. q. 64. art. 3.* nempe Sacerdotis accedentis ad baptizandum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, docetque, perfici Sacramentum ex virtute primæ intentionis, etiamſi in ipſo exercitio cogitatio Sacerdotis ad alia rapiatur. En igitur intentionem habitualem confundi cum virtuali.

Intentio interpretativa multo minus ſufficit, quam habitualis ad conficiendum quodcumque Sacramentum, quia non eſt intentio, ſed pura diſpoſitio ad intentionem concipiendam, & quamvis ſufficiat ad recipiendum Sacramentum, ut ſupra innuimus, tamen non eſt ſufficiens ad Sacramentum miniſtran-

ſtrandum, & conficiendum, quia ſuſcipiens Sacramenta paſſive ſe habet, conferens autem active: major autem requiritur perfectio in agente, quam in patiente, & ſic requiritur perfectior intentio in miniſtrante, quam in ſuſcipiente Sacramentum; Et revera Chriſtus voluit quidem, Sacramenta diſpenſari etiam pueris, & eis, qui non ſunt ſui compotes, noluit tamen diſpenſari a pueris, & ratione non utentibus, ſed a ſolis Miniſtris rationali modo agentibus; Sapientem enim decet de ſuis bonis ita diſponere, ut etiam in auxilium amentium conferantur, & diſtribuantur, non tamen per miniſtros, ſeu diſtributores fatuos vel non agentes rationali modo, ut optime ponderat Quarti *part. 3. tit. 7. dub. 3. in fine*.

Intentione conditionata uti non debet Sacerdos, niſi quando facto diligenti examine dubitat, an Hoſtia, vel Vinum fuerit conſecratum, v.g. quando ob mentis evagationem, aut alias cauſas Sacerdos certus non eſt, ſe Verba conſecrationis protuliſſe; in tali caſu poteſt iterum ſub conditione conſecrari Hoſtia, vel Calix; verum tamen eſt, quod non ſemper eſt ratio dubitandi, an forma omiſſa fuerit, ex hoc præciſe, quod Sacerdos non meminerit, ſe eam protuliſſe; quare quando Sacerdos recitat orationes Conſecrationis formam conſequentes, non debet adhuc ſub conditione conſecrationis verba repetere, quamvis tunc non meminerit, ſe ea protuliſſe, ſed potius ut ſuæ conſulat quieti, quærere debet a Miniſtro, an Hoſtiam, & Calicem elevaverit, ut inde arguat ſe vere protuliſſe formam conſecrationis, ſi talis elevatio ſecuta fuerit. Admittat vero rationem dubitandi, ſi non elevaverit dictam Hoſtiam, &c. Præſcindendo igitur a dicto dubio, non debet Sacerdos uti intentione conditionata; ſed ſemper regulariter loquendo debet uti intentione abſoluta in Sacramento conficiendo, & Sacrificio peragendo, & quando uti poteſt intentione conditionata, conditio debet eſſe vel de præſenti, vel de præterito, ut poſſit ſtatim habere ſuum effectum, & tranſire in abſolutam. Nunquam enim poteſt uti intentione conditionata de futuro, & maxime ea conditione, quæ humano modo cognoſci non poteſt, nam hujuſmodi intentiones conditionales de futuro ſuſpendunt conſenſum, ſeu voluntatem conſecrandi, donec impleta ſit talis conditio, quod nullo modo poteſt fieri.

II. Gravis agitatur quæſtio inter Theologos utrum ad valorem Sacramenti ſufficiat intentio faciendi quidem exterius quod facit Eccleſia adhibendo materiam, & formam a Chriſto inſtitutam, & in Eccleſia conſuetam, ſed abſque animo interno, & abſque intentione conficiendi Sacramentum, imo animo, & intentione interna jocandi, & illudendi, modo hic animus non manifeſtetur exterius; controvertitur, inquam, an hæc interna intentio non conficiendi Sacramentum, mente ſolum concepta, & exterius non manifeſtata, obſtet valori Sacramenti, ſi alias Miniſter exterius exhibeat ſerio Ritus omnes Eccleſiæ, & exequatur ea quæ facit Eccleſia. Ratio dubitandi eſt, quia talis Miniſter habet ſuo modo intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ideſt quoad actiones externas, & materiales. Hoc autem videtur ſufficere ad ſalvandas definitiones Conciliorum circa intentionem, quæ requiritur in Miniſtro Sacramentorum.

Prima ſententia ſuſtinet, non vitiari Sacramentum ex defectu intentionis meræ internæ Miniſtri nolentis conficere Sacramentum, ſed ad validitatem Sacramenti ſufficere ſolas actiones externas modo explicato. Hanc acerrime tuetur Ambroſius Catharinus aſſerens, ſtare omnino, atque valere Sacramentum, ſi Miniſter dumtaxat intendat celebrare Ritum illum externum, quem Eccleſia celebrat, illumque re ipſa libere, ſerio, omnique ſemoto joco exterius adminiſtret, materiam adhibens, formamque pronuncians in iis maxime circumſtantiis, ex quibus determinatur ad agendum tamquam Eccleſiæ Miniſter. Nihilque obeſſe valori Sacramenti, ſi intus occulta mente contrariam intentionem animo gerat; Nolique clam, atque ſecreto actionem illam Sacramentalem eſſe, qualem illam Chriſtus inſtituit. Ita ille ſententiam ſuam expoſuit in Opuſculo *de intentione Miniſtri*, quod pendente Concilio Tridentino elucubravit, & ita his præciſe verbis refert, ac vindicat præfati Auctoris mentem Jacobus Hiacynthus Serry Ordinis Prædicatorum Doctor Sorbonicus, & in Academia Patavina Primarius Sacræ Theologiæ Profeſſor, in ſuo Opuſculo, cui Titulus; *Ambroſii Catharini Vindiciæ*, & in alio ſimili Opuſculo inſcripto: *Vindiciæ Vindiciarum, &c.* Catharini ſententiæ ſubſcripſerunt Alphonſus Salmeron *tom. 13. in Epiſtolas Pauli lib. 1. part. 3. diſp. 2.* Vignerius, Marius Scribonius, Zacharias Paſqualigus, Vincentius Contenſonius, & alii relati a Serry *cap. 5. n. 3.* ſui primi Opuſculi.

Secunda ſententia communior inter Theologos docet, requiri neceſſario in Miniſtro Sacramenti intentionem internam conficiendi Sacramentum, ſaltem implicitam, quæ habetur in intentione faciendi, quod facit Eccleſia, & non ſufficere ſolam, & nudam actionem externam, etiamſi ſerio peractam ſine ulla intentione interna, & multo magis cum intentione interna directe oppoſita, nempe cum intentione non faciendi rem ſacram, & non miniſtrandi Sacramentum. Hanc Sententiam tuentur fere communiter Theologi, præſertim vero Suarez *Diſp. 13. ſect. 2.* Coninck *quæſt. 64. ar. 8. n. 58.* Diana *part. 10. quæſt. 11. Reſolu. 67.* & recentiſſime non ſolum dignitate, ſed etiam ſapientia, & pietate Eminentiſſimus Card. Gotti Ordinis Prædicatorum, *tom. 13. ſuæ Theologiæ q. 7. dub. 4.* Hæc autem ſecunda ſententia eſt omnino tenenda, ſaltem in praxi, ut fatetur etiam ipſemet Serry *cap. 14. §. 7.* & alii ſuæ ſententiæ ſectatores; cum in Sacramentis conficiendis, licitum non ſit ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore; Atqui hæc ſecunda ſententia eſt tutior, imo ſola tuta eſt, & ſecura, ergo hæc eſt omnino amplectenda: major propoſitio negari profecto non poteſt, cum ab Innocentio XI. anno 1679. proſcripta fuerit hæc propoſitio: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*: minor etiam conſtat, cum tutior ſit ſententia, quæ aſſerit præter externam, requiri etiam aliquam intentionem internam virtualem ſaltem, & implicitam: quam illa, quæ aſſerit etiam ſine tali intentione interna, imo cum intentione etiam contraria confici Sacramentum, dummodo ſerio Miniſter exterius operetur, & appareat circumſtantibus ob Ritus, quos ponit, velle Sacramentum conficere.

Probatur etiam hæc ſecunda ſententia, ex eo quod Alexander VIII. die 7. Septembris 1690. damnavit hanc propoſitionem: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem Ritum externum, formamque Baptiſmi obſervat, intus vero in corde ſuo reſolvit, non intendo facere quod facit Eccleſia*. Hæc autem Pontificia condemnatio, non ſolum comprehendit illum, qui jocoſe, ac mimice ponit totum Ritum externum Baptiſmi ſine intentione interna, ſed etiam illum, qui Ritum externum ſerio peragit in collatione Baptiſmi, ſed intra ſe habet intentionem non faciendi rem ſacram, non conferendi Sacramentum, non faciendi quod facit Eccleſia, ſed jocoſe omnia peragere; licet talis intentio ab eo exterius non manifeſtetur; Quapropter ſi Baptiſmus ita collatus cum ſolis Ritibus externis ſerio poſitis, ſed ſine ulla intentione interna, eſt juxta mentem præfati Pontificis omnino irritus, idem ſentiendum eſt de omnibus aliis Sacramentis, nimirum ea eſſe omnino irrita, & nulla, ſi in Miniſtro non habeatur interna voluntas virtualis ſaltem, & implicita faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit. Et revera ad validitatem Sacramenti requiri talem intentionem in Miniſtro, faciendi nimirum quod facit Eccleſia, docuit Martinus V. Anno 1418. in fine Concilii Conſtantienſis; Eugenius IV. Anno 1439. In Concilio Florentino Decret. de unione Armenorum; & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. de Sacram. in genere can. 11.* quæ quidem Concilia intelligenda ſunt non de ſola intentione materiali faciendi quod exterius facit Eccleſia, ſed etiam de intentione formali, ſeu interna faciendi quod facit Eccleſia, ſeu quod Chriſtus inſtituit, ſive faciendi actionem illam, ut Sacramentalem, & in illa ſe gerendi, ut Chriſti, & Eccleſiæ Miniſtrum.

Denique aperte colligitur veritas hujus noſtræ ſententiæ ex ſuperiori Rubrica, in qua ſtatuitur *num. 1.* validam non eſſe conſecrationem: *Si quis non intendit conficere, ſed deluſorie aliquid agere*, quæ verba loquuntur profecto de intentione interna deluſorie aliquid agendi. Rurſus in eadem Rubrica *num. 3.* legitur: *Si quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans quas decem intendit, in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio*; nempe requiritur intentio determinata conſecrandi talem, vel talem Hoſtiam; quia autem in prædicto caſu non eſt major ratio, cur illa, vel iſta ſit conſecrata, ideo nulla intelligitur conſecrata, ex ſolo defectu talis intentionis internæ determinatæ conſecrandi hanc, vel illam Hoſtiam: quod ſi ſufficeret ad illas conſecrandas ſolus Ritus externus ſerio peractus, nempe materia conſecranda præſens ſuper Corporali, & verba Conſecrationis prolata a Sacerdote veſtibus ſacris induto &c. hæc omnia habentur etiam in hoc Sacerdote habente hanc internam intentionem conſecrandi non omnes undecim Hoſtias, ſed ſolum decem ex illis, ſed non determinando, quas decem velit conſecrare, & exterius apparet, omnes illas undecim conſecrare velle, & nihilominus certiſſimum eſt, quod ex ſolo defectu talis internæ intentionis, vel conſecrandi omnes illas Hoſtias, quas habet præſentes, vel ex illis undecim conſecrandi ſolum decem, non determinando tamen, quas decem intendat conſecrare; ex ſolo, inquam, defectu talis internæ intentionis, & talis internæ determinationis, omnes illæ undecim Hoſtiæ inconſecratæ remanent, quamvis habeatur totus Ritus externus ſerio peractus, qui requiritur ad talium Hoſtiarum conſecrationem; quæ omnia magis confirmantur, ex eo quod, quando ex illis undecim Hoſtiis, decem determinate quis vult conſecrare, & unam determinate non intendit conſecrare; iidem omnino Ritus externi adhibentur ſuper illas decem, quas prædictus Sacerdos intendit determinate conſecrare, ac ſuper illam unam, quam determinate non intendit conſecrare, & nihilominus ex defectu ſolius intentionis internæ, ſuper prædictam illam unam, hæc juxta ſenſum, & doctrinam Rubricæ, non cenſetur conſecrata. Semper igitur firmum remanet, etiam ex textu litterali & ſenſu prædictæ ſuperioris Rubricæ a Summis Pontificibus editæ, & a S.R.C. approbatæ, imo ab univerſali Eccleſia acceptatæ, firmum, inquam, remanet, ad validam Conſecrationem prædictarum Hoſtiarum requiri, præter Ritum externum ſerio peractum, etiam internam intentionem eas conſecrandi.

Alia argumenta, quibus prædicta communis, probabilior & tutiſſima ſententia comprobatur, legi poterunt apud laudatum Eminentiſſimum Gotti, ſicut etiam ſolutiones difficultatum, quas contra eamdem afferunt Auctores primæ ſententiæ.

R U-

R U B R I C A.

*2. Si Sacerdos putans, ſe tenere unam Hoſtiam, poſt Conſecrationem invenerit fuiſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat ſimul utramque. 3. Quod ſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas; eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ, quia ad idem Sacrificium ſpectant.*

*G A V A N T U S.*

In prima parte, quæ eſt *Auctorum paulo ſup. cit.* Ratio ea eſt, quia ambæ ſunt conſecratæ: cum illud, *putans*, dicat tantum privatam deceptionem, quæ non tollit intentionem debitam, quæ eſſe debet, & moraliter eſt circa hanc præſentem materiam. *Suar. diſ. 43. ſect. 6.* Secunda pars eſt *Soti diſt. 11. quæſt. 1. art. 8.* qui tamen diſtinguit Particulas in parvas, & magnas: atque has vult in Pyxide aſſervari: contra quem *Azor. lib. 10. cap. 30. quæſt. 1.* qui cum Rubrica concordat, ſublata omni diſtinctione; ea nimirum ratione, quia ex omnes reliquiæ ſunt Sacrificii; unde, & addit, ſumendas eſſe ſtatim, alioquin poſt notabile temporis intervallum elapſum, cenſetur Sacrificium abſolutum, & proinde Particulæ non ſumerentur, ut reliquiæ, ſed per ſe, quod facere non licet. * *Tabiena* concedit abſolute *v. Miſſa n. 42.* eas poſſe ſumi, & ſumendas eſſe, nulla habita diſtinctione reliquiarum, neque temporis, dummodo pertineant ad eamdem Miſſam.

R U B R I C A.

*3. Si vero relicta ſit Hoſtia integra conſecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari ſupra Corporale decenter opertam, ſumendam una cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat, vel ſi neutrum horum fieri poſſit, in ipſo Calice, ſeu Patena decenter conſervet, quouſque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur: quod ſi non habeat quomodo honeſte conſervetur, poteſt eam ipſemet ſumere.*

*G A V A N T U S.*

Eſt caſus eventu difficilis; ſi tamen accidit, optime Rubrica docet, ſequuta Sotum de Particulis magnis reſervandis, ut ſupra.

R U B R I C A.

*4. Si intentio non ſit actualis in ipſa Conſecratione propter evagationem mentis, ſed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere quod facit Eccleſia, conficitur Sacramentum, etſi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.*

*G A V A N T U S.*

Quod hic dicitur de ordinaria materia conſecranda in Miſſa, intellige etiam, quando plures Particulæ ponantur a Celebrante ſupra Altare, ut conſecrentur, & in actuali Conſecratione non recordatur illarum Sacerdos, ſed ejus tantum, quam in manibus habet, tunc enim omnes ſunt conſecratæ. *Angel. in verb. Euchar. n. 24. Navar. cap. 25. n. 91.* Debent tamen eſſe præſentes intra aram, non extra eam, inquit *Suarez diſp. 43. ſect. 6.* alias non æſtimaret illas conſecratas eſſe: ſicut etiam exiſtimat, id totum in Calice conſecratum eſſe, quod per modum continui in eo continetur; guttæ vero, quæ ſunt extra Calicem, aut intra, ſed ſeparatæ a toto, veriſimilius putat, quod non ſint conſecratæ, neque intentione virtuali intentæ; & eo magis in caſu, quo ponantur Particulæ non conſecratæ in Pyxide, ubi aliæ ſunt conſecratæ, erunt item eædem conſecratæ poſt verba Conſecrationis, *juxta placitum Poſſevini de offic. Curat. cap. 2. num. 20.* quod tamen prohibet fieri: certe ſi fiat, genuflexiones plures addendæ erunt ab Offertorio ad Communionem: neque circulus perficiendus erit, ad *Orate fratres*, propter conſecratas Particulas in illa Pyxide.

Item, ſi Pyxis non aperitur, tempore Conſecrationis, ex oblivione, fit tamen Conſecratio, *ex Suar. diſp. 34. ſect. 5.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

III. Gav. *In commentar. ad Rubr. n. 4. Guttæ vero, quæ ſunt extra Calicem, aut intra, &c.*) Optime hic reſolvit Gavantus adhærens ſententiæ Suarez, quod ſi in Calicis pede, vel extra cuppam, aliquæ guttæ vini hæreant, non cenſentur conſecratæ, niſi tamen Sacerdos expreſſe, ſed non ſine ſacrilegio prædictas quoque guttas conſecrare abſolute intendat. Rurſus non cenſentur pariter conſecratæ guttulæ illæ vini, quæ intra Calicem ſive in interiori Calicis ſuperficie a reliquo vino ſeparatæ hærent, nam hæc videtur eſſe communis, & optima Eccleſiæ intentio, conſecrandi nimirum omnem liquorem conſecrabilem, qui per modum unius continui in Calice continetur. Hanc ſententiam tuetur etiam Ægidius Coninch *quæſt. 74. art. 2. dub. 3. n. 43.* Buſemb. *lib. 6. tract. 3. cap. 2. dub. 3.* Claudius La Croix *in ſuis Additionibus ibid.* Biſſus *lit. S n. 18. §. 39.* ubi advertit, quod ſi Sacerdos poſt vini infuſionem in Calicem, videat aliquas guttas diſpetſas intra eumdem Calicem, ne oriatur de iis dubium, utrum ſint conſecratæ, eas uniat cum toto vino; vel quod facilius, & decentius eſt, eas purificatorio extergat, & ſi non extergantur, neque uniantur cum reliquo vino, non cenſeantur conſecratæ, cum Sacerdos habere debeat prædictam intentionem, ut dixi, conſecrandi, non hujuſmodi guttas ſeparatas, ſed tantum vinum illud, quod eſt in Calice per modum unius.

De defectibus diſpoſitionis animæ. VIII.

R U B R I C A.

1. *SI quis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice interdictus celebret, conficit quidem Sacramentum, ſed graviſſime peccat tam propter Communionem, quam indigne ſumit, quam propter executionem Ordinum, quæ ſibi erat interdicta.*

*G A V A N T U S.*

Nota, quod valor ille Miſſæ, qui eſt ex parte precum Eccleſiæ, omnino perditur, *ex S. Thom. quæſt. 82. art. 7. ad 3.* quia Eccleſia non intendit orare nomine ſuo ore præciſorum ab ea per excommunicationem notoriam. Fuſius *Suar. diſp. 77. ſect. 2.* quod ſi immineat mortis, infamiæ, aut ſcandali periculum, poterunt prædicti cum contritione celebrare. *Azor. lib. 10. cap. 31. quæſt. 6.*

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubric. *Sed graviſſime peccat, &c.*) Præfata Rubrica non ſolum intelligenda eſt de notorie excommunicato, & aliis cenſuris, vel irregularitate impedito, quod nimirum graviſſime peccet, ſi in tali ſtatu celebret, ſed etiam de occulto irretito ejuſmodi pœnis Eccleſiaſticis, puta qui occulte Clericum percuſſit, vel aliquem occidit. Si quis tamen ſcienter audit Miſſam ejuſmodi Sacerdotis occulte irretiti, graviter non peccat juxta ſententiam Navarr. *conſ. 59. tit. de ſentent. excomm. tom. 2.* ſicut peccaret ille qui audiret Miſſam Sacerdotis notorie excommunicati, &c.

R U B R I C A.

2. *Si quis habens copiam Confeſſoris celebrat in peccato mortali, graviter peccat.*
3. *Si quis autem in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris, in peccato mortali abſque contritione celebret, graviter peccat. Secus ſi conteratur; debet tamen cum primum poterit, confiteri.*
4. *Si in ipſa celebratione Miſſæ Sacerdos recordetur ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi.*
5. *Si recordetur ſe eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, aut locum eſſe interdictum: ſimiliter conteratur cum propoſito petendi abſolutionem. Ante Conſecrationem autem in ſupradictis caſibus, ſi non timetur ſcandalum, debet Miſſam inceptam deſerere.*

*G A V A N T U S.*

Supradicta fundantur in verbis S. Pauli *1. Corinth. 11. Probet autem ſeipſum homo &c.* & in Decretis *Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 4. & Can. 11.* lege *Suar. 3. par. diſp. 63. ſect. 3.* nam *Concil. Trident.* ponit duas circumſtantias, quæ debent concurrere, ut liceat celebrare ſine Confeſſione. *Neceſſitate*, inquit, *urgente, & modo deſit copia Confeſſoris.*

Neceſſitas urgens in his caſibus erit; primo abſolvendi inchoatum jam Sacrificium, ut perficiatur. Item neceſſitas alterius in periculo mortis exiſtentis, pro quo communicando facienda eſt Miſſa. Item, ſi omittendo Miſſam ſcandalum orietur: dico ſcandalum, non autem quædam admiratio Populi, quæ *ex Corduba quæſt. 142. citanto alios*, non ſufficit. Item, quando tenetur ex officio facere ſacrum, quam cauſam præſertim indicat Tridentinum. Neceſſitas igitur attendatur, non commoditas, *ex Suar. ibid. ſect. 4.*

Inopia vero Confeſſoris dicitur eſſe, quando vere non adeſt, qui abſolvere a peccato mortali poſſit, quo reus eſt Sacerdos celebraturus, vel longius abeſt, quam adiri commode queat. Item, quando etiamſi adſit Confeſſor, timetur vere de eo, quod ob non ſervatum ſigillum, aut aliam ob cauſam grave damnum ſequeretur celebraturo, ita *Sylv. verbo Confeſſio §. 2.* tamen confiteatur alia peccata, tacito tantum eo, in quo eſt periculum: ita *Major. 4. diſt. 17. q. 5. & Navarr. cap. 7. n. 6.* Sicut etiam idem facere debet, ſi reſervatum caſum habeat, neque adire poteſt Epiſcopum, neque obtinere abſolutionem, porro contritionem eſſe neceſſariam omnes fatentur *ex Trident. ſupr. cit.* ibi: *Sibi contritus videatur.*

Quid autem agendum erit ante Conſecrationem? ſi ante inchoatam Miſſam recordetur ſe eſſe in peccato, confiteatur, etiamſi oporteat exui ſacris veſtibus, *Sot. diſt. 9. quæſt. 1.* quia ſacra actio non eſt incepta citra ſcandalum; intellige, ut etiam in ſequentibus, ſi Miſſa eſt inchoata, & facile poteſt Confeſſor accedere ad Altare, fiat, *Bonav. 4. diſt. 3. Sylveſt. verb. Euchar. 2. quæſt. 6.* quia illa pars Miſſæ eſt extrinſeca Sacrificio, & poteſt interrumpi, ſicut per Concionem, oblationem Populi, &c.



O At

At *S. Tom. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 2. dicit, tutius eſſe relinquere Miſſam, maxime in caſu excommunicationis (quem ſequitur Rubrica) ubi tamen indicat, non eſſe præceptum, ſed conſilium, deſerere inceptam Miſſam, dum dicit: *Tutius eſſe: & Sanctus Bonaventura ſupra* negat, deſerendam eſſe Miſſam, negatque teneri Sacerdotem diſcedere ab Altari, ut confiteatur. Debet autem cum primum poterit, confiteri, *ex Concil. Trid. loc. cit.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

II. Rubric. *Graviter peccat, &c.*) Non ſolum Sacerdos, ſed alius quicumque, qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis tenetur ex præcepto Eccleſiæ præmittere Confeſſionem Sacramentalem, antequam ad Communionem Sacram accedat, ut patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *de SS. Euchar. Sacram. c.* 7. *& Can.* 11. ubi ait: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Et deinde addit: *Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab ipſis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum decrevit, modo non deſit illi copia Confeſſoris: quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebravit, quamprimum confiteatur.* Ex quibus verbis colligitur, Sacerdotem conſcium ſibi peccati mortalis, nunquam poſſe celebrare ſine prævia Confeſſione, niſi concurrentibus duabus his circumſtantiis, nempe cum urget neceſſitas celebrandi; & cum deeſt copia Confeſſarii; & quamvis gravis difficultas ſit, quando cenſeatur deeſſe copia Confeſſarii, & quanta debeat eſſe neceſſitas celebrandi; Gavantus tamen ſupra ſufficienter explicat quænam ſit neceſſitas urgens, & quænam dici poſſit inopia Confeſſarii.

III. Gav. *Debet autem quamprimum poterit, confiteri &c.*) Ne Sacrificaturi habentes conſcientiam peccati mortalis prætextu neceſſitatis, & inopiæ Confeſſarii, non inſtituta Sacra Confeſſione, ſed elicita tantum contritione celebrent, præcipit, ut diximus ſupra, Tridentina Synodus, ut Sacerdos quamprimum poſtea confiteatur, nempe poſt Miſſam celebratam. Sed intra quod tempus confiteri oporteat, ut quis dicatur quamprimum confiteri, variæ ſunt Doctorum ſententiæ; aliqui putant, quod Sacerdos ſtatim poſt Miſſam debeat confiteri, ſi habeat copiam Confeſſarii; alii vero putant, ſufficere ſi ſaltem intra triduum Confeſſario ſe præſentet, eique conſcientiam ſuam aperiat. Videri poſſunt Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 7. Coninch *quæſt.* 8. *art.* 4. *dub.* 2. Wiggers *quæſt.* 8. *art.* 5. *dub.* 5. & alii, qui agitant hanc quæſtionem; certum tamen eſt apud omnes, Confeſſionem neceſſario requiri, antequam dictus Sacerdos, etiamſi vere contritus, iterum celebret. Et hoc purum non eſſe conſilium, ut aliqui opinati ſunt, ſed præceptum, idque conſtat ex Propoſitione ab Alexandro VII. damnata *n.* 38. in qua habetur -- Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum. Ad hoc etiam facit altera Propoſitio ab eodem Alexandro proſcripta *n.* 39. in qua damnatur, quod illa particula *quamprimum*, a Tridentino uſurpata intelligi debeat, *cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur,*

De defectibus diſpoſitionis corporis. IX.

R U B R I C A.

1 *Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ: & in quantumcumque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare.*

*G A V A N T U S.*

Eſt doctrina *S. Thomæ* 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 4. *ex Conc. Africano cap.* 8. *Carth.* 3. *cap.* 29. *& cap.* 43. ubi aſſeritur, in Concilio Nicæno fuiſſe hanc eamdem conſuetudinem, ſumendi Euchariſtiam ante omnem cibum, confirmatam: non, ajunt, inſtitutam: quia manat ab Apoſtolis. *Clemens epiſt.* 2. dicit ſe a Sancto Petro hoc accepiſſe, neque vero etiam, ut detur viaticum ægroto, poterit non jejunus celebrare: contra *Majorem*, *Azor. cap.* 30. *& Suar. ſect.* 5. lege *Suar. diſp.* 68. *ſect.* 3. *&* 4. De quavis minima quantitate cibi, aut potus expreſſe loquitur *Concil. Tolet.* 7. *cap.* 2. imo & de papyro trajecta, & rejecta, docet idem *Suar. ibid.*

Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. *Ante omnem cibum, &c.*) Eſt præceptum Eccleſiæ ab Apoſtolis derivatum, ut quicumque velit celebrare, aut communicare, jejunus ſit jejunio naturali, hoc eſt ſine omni cibo, & potu, etiam in minima quantitate, a media nocte, uſque ad Communionem, ita ut ne per modum quidem medicinæ quidquam ſumi poſſit. Prædictum autem jejunium naturale, ſervandum eſt ab initio diei naturalis, in qua celebrandum, vel communicandum eſt, quæ dies naturalis computatur, & incipit a media nocte, terminatur vero in mediam noctem ſequentem. Dubium oritur, quid agendum ſit, ubi ejuſmodi dies naturalis non poteſt diſtingui a media nocte, in mediam noctem, uti contingit in Regionibus Septemtrionalibus prope Polum, in quibus per ſex menſes eſt perpetuus dies, & per alios ſex, eſt perpetua nox, nempe ab uno Æquinoctio ad alterum; ad quod dubium reſpondendum eſſe crediderim, quod ſicut initium diei artificialis in his Regionibus, in quibus non eſt Aurora phyſice, juxta Decretum editum die 18. Septembris 1634. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 276. pro licita Miſſarum celebratione, debet attendi Aurora moraliter, & politice, quando ſcilicet ibi terminare ſolet hominum quies, & inchoari labor juxta probatam Regionum conſuetudinem, ita moraliter, & politice attendi debet media nox in illis, nempe deſumi debet media nox a momento illo medio, inter initium ceſſationis laboris, & inchoationis ejuſdem laboris, juxta probatam dictarum Regionum conſuetudinem.

Rurſus quoniam dictum naturale jejunium debet incipere a puncto mediæ noctis præcedentis diem, in qua ſumenda eſt Euchariſtia, dubium aliud oritur, quæ regula ſit ſervanda, dum ob diſcrepantiam horologiorum, non poteſt bene colligi, an tranſierit media nox; ſunt enim varia horologia in eadem Civitate, quorum unum indicat mediam noctem fuiſſe jam tranſactam, alia vero non. Sed in hoc caſu reſpondetur, ſervandam eſſe regulam illam, quæ ſervari ſolet quando, circa reſolutionem alicujus rei dubiæ, duæ extant opiniones æque probabiles, quo caſu arbitrarium eſt, utram illarum amplecti, & propterea poteſt quilibet audito primo ſigno, ſeu horologio indicante mediam noctem eſſe tranſactam, ſolvere jejunium naturale, & die ſequenti celebrare, & communicare, ſi poſtmodum alia horologia diſcrepent, & indicent noctis medietatem. Ita colligitur ex Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 41. *n.* 40. & ex Quarti *part.* 3. *tit.* 9. *dub.* 3. ubi addit, poſſe ſequi prædictam ſententiam (dummodo non conſtet de alicujus horologii errore) tunc enim poſſumus conformari etiam ultimo horologio; quare ſi ex ultimo quis dignoſcat, ſe non comediſſe ante illius ſignum, mediam noctem indicans, poterit mane ſequenti communicare. Ita etiam Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 36. *& part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 19. ubi citat varios alios Doctores pro hac ſententia.

R U B R I C A.

2. *Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum ſumpſerit, etiamſi poſtmodum non dormierit, nec ſit digeſtus, non peccat: ſed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, conſulitur aliquando abſtinendum.*

*G A V A N T U S.*

Hæc *S. Thom. ibidem ad* 5.

R U B R I C A.

3. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavando os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem.*

*G A V A N T U S.*

Ita *S. Thom. ibid. ad* 4. qui vult, quantitatem vini, vel aquæ eſſe valde parvam, ut permiſceatur ſalivæ inſeparabiliter, unde in Rubrica, *ſtilla aquæ* nominatur, notat *Suar. ſect.* 4. neceſſarium eſſe, ut manducatio præceſſerit mediam noctem; nam ſi advertat Sacerdos poſt mediam noctem habere in ore reliquias cibi, & eas ex certa ſcientia deglutiat, violat jejunium naturæ neceſſarium ad Communionem, *ex Palud.* 4. *diſt.* 8. *art.* 2. *n.* 21, expuantur igitur potius, quam trajiciantur.

Dum tamen non jejuno Sacerdoti conceduntur. Primum, ut poſſit ſumere Particulas, ſive a ſe, ſive ab alio conſecratas, ſi nequeant conſervari ſine majori irreverentia: quia jejunium eſt ad reverentiam, ſine præjudicio majoris irreverentiæ, & præſertim, ſi timeatur incurſus hoſtium. *Bonac. cum aliis diſp.* 4. *quæſt.* 6. *punct.* 2. * Qui etiam addit, quod licet multo tempore ſe detinuerit Sacerdos in diſtribuenda Euchariſtia, poteſt adhuc tamen reliquias ſumere, & vaſa purificare, ſi diſtribuat conjunctim cum Miſſa: alterum eſt ad ſupplendum Sacrificium: de quo mox dicemus *tit.* 10. *n.* 3. * Concedit *Toletus lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. celebrationem illi, qui omnino immemor cibi ſumpti, aut potus, recordatur deinde poſt Conſecrationem, ſe non eſſe jejunum, ac etiam ante Conſecrationem, ſi ſcandalum immineat.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

II. Gavant. *Qui vult quantitatem vini, vel aquæ eſſe valde parvam, &c.*) Si contingat in ablutione oris, modicum aliquid aquæ commiſceri ſalivæ, & per modum ſalivæ deglutiri, juxta ſententiam D. Thomæ, a Gavanto allatam, & juxta mentem Rubricæ, non violatur jejunium naturale, etiamſi ſtilla illa aquæ in ſalivam non ſit converſa; non enim de converſione illa poteſt facile conſtare: ſatis igitur eſt, ut non violetur jejunium naturale, quod modica illa aqua ita ſalivæ permixta ſit, ut non poſſit ſeparari, & per modum unius trajiciatur. Ita pariter, qui guſtat aliquid juruIenti, ſive liquidi, ſolum ut percipiat ſaporem, & expuit, non

tran-

Digitized by Google

frangit jejunium naturale, etiamſi cenſeatur aliquid relinqui in palato, quod per modum ſalivæ deglutiatur. Ita Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. & Gerlacus Vinitor *part.* 3. *tit.* 9. *in adnot.* §. 3.

III. Gav. *Si advertat Sacerdos poſt mediam noctem*, &c.) Si reliquiæ cibi præcedentis diei remanentes inter dentes, vel in gingivis, trajiciantur caſu poſt mediam noctem, eſt communis ſententia, quod non impediant Communionem pro ſequenti die, cum per ipſas non frangatur jejunium naturale, quia non ſumuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Vult tamen Suarez citatus a Gavanto ſupra, necnon Paludanus, quem ſequuntur pariter Vaſquez, Filiucius, Layman, Card. de Lugo, vult, inquam, Suarez per tales reliquias, ſi deglutiantur poſt mediam noctem ex induſtria, violari jejunium, & conſequenter Communionem impediri, unde juxta hanc ſententiam, antequam deglutiantur, debent tales reliquiæ expui. Verum cum prædictæ reliquiæ cibi, præcedenti die ſumpti, non ab extrinſeco recipiantur hodie, ſed receptæ fuerint heri, reputantur tamquam partes heſternæ comeſtionis jam ſumptæ, & ideo ſemper retinent moralem comeſtionem cum illa. Quapropter quamvis ſenſibiliter habeantur in gingivis, & ex induſtria deglutiantur, non conſtituunt novam comeſtionem moraliter, ſed heſternam perficiunt, & complent; ideoque per ipſas ita deglutitas non violatur jejunium naturale, & conſequenter non impeditur Communio. Hanc ſententiam, quam probabiliorem cenſet, tenet Quarti *part.* 3. *t.* 9. *ſect.* 1. *difficult.* 1. citans Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 37. qui ibidem citat alios Auctores.

Si quis tamen aromata, aut ſaccarum in ore ponit ante mediam noctem, ut paulatim emolliatur, & trajiciatur, idque duret poſt noctis medium, cenſetur violaſſe jejunium naturæ, unde iſte impeditur a Communione. Ratio eſt, quia id, quod poſt mediam noctem trajicitur talis ſaccari, vel præter intentionem, vel ex induſtria, non eſt reliquia cœnæ præcedentis, ſed pars ejus cibi, cujus comeſtio fit per continuam liquefactionem, & trajectionem, unde eſt comeſtio, quæ vere, & per ſe durat poſt mediam noctem, & conſequenter violat jejunium naturale: Quarti *ſupra diffic.* 2. & alii communiter, quapropter ſi quis indormiret cum ſaccaro in ore, de quo dubitat, an ante mediam noctem totum deglutierit, non poterit ſequenti die celebrare, aut communicare.

Si quis deglutiat ſanguinem, aut aliquem alium humorem a capite in os deſcendentem, non frangit jejunium naturæ, quia quidquid ab intrinſeco provenit, nec ore ab extrinſeco ſumitur, vere non comeditur, & ideo non ſolvit jejunium naturale, neque proinde impedit per ſe ſumptionem Euchariſtiæ. VViggers *de Sacramento Euchariſt. quæſt.* 80. *art.* 8. *num.* 37. Henriquez *num.* 8. *cap.* 50. & Gerlacus Vinitor *ſupra tit.* 9. *in adnot.* §. 6.

Cenſetur pariter jejunus etiam ille, qui poſt mediam noctem deglutivit aliquid non comeſtibile, ſcilicet oſſiculum, fruſtulum metalli, cretam, papyrum, unguens, vel aliquid ſimile. Ita tenet Quarti *ſupra difficult.* 3. citans pro hac ſententia nonnullos Auctores, quamvis contrariam teneant Henriquez *l.* 8. *c.* 40. Bonacina, Reginaldus, & alii allegati ab eodem Quarti *ſupra*, quos tamen non ſequitur, ſed refellit.

Item Quarti *difficult.* 4. quæſtionem proponit, an ſumptio tabacci, Communionem impediat: & ſuſtinet, quod ſi tabaccum ſumatur in pulvere per nares, ut communiter fieri ſolet, non ſolvitur jejunium naturæ, etiamſi aliquid deſcendat in ſtomachum, quia illa ſumptio non eſt comeſtio, cum non fiat per os; ſicut de aqua attracta per nares, dici debet, licet aliqua pars ejus trajiciatur in ſtomachum, ut fatentur communiter DD. ſic etiam ſi tabacchum ſumatur in fumo, non frangitur jejunium naturæ, quia fumus non eſt cibus, nec potus, & trajectio ejus in ſtomachum fit per modum reſpirationis, non per modum comeſtionis. Major difficultas eſt de tabacco ſumpto in folio, & retento in ore. ſed etiam hoc ita ſumptum, quia non retinetur in ore ad comedendum, nec ipſum folium deglutitur, jejunium naturale non violat, quamvis cauſare poſſit trajectionem alicujus humoris ex capite defluentis in ſtomachum, qui non violat jejunium, ſicut non violat ſaliva. Et quamvis aliquis tabacci ſuccus deglutiretur, quia trajicitur cum ſaliva, & per modum ſalivæ, non ſolvit jejunium naturale juxta communem Doctorum ſententiam, ut docet Quarti *ſupra*. Verum ſi folium in os admiſſum trajiciatur integrum in ſtomachum, vel aliqua ejus particula ex induſtria, certum eſt, violare jejunium, & impedire Communionem; quod idem dicendum eſt, ſi pulvis tabacci ore ſumeretur, & per actionem vitalem trajiceretur in ſtomachum. Ita docent Alphonſus de Leone, Marchantius, Eſcobar, Averſa, Paſqualigus, & alii, quos affert, & ſequitur noſter Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 1. & *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 3. ubi late diſcutit hanc quæſtionem.

IV. Gavant. *Duo tamen*, &c.) Præter caſus adductos a Gavanto *ſupra*, in quibus non jejunus Sacerdos, poteſt Euchariſtiam ſumere, adeſt etiam alius caſus, in quo a quocumque non jejuno Euchariſtia ſumi poteſt, nempe neceſſitas ipſius ſumentis, ut ſi quis periculoſe ægrotet, & ſit mortis periculum, ſi ſequens dies expectetur ad ei præbendam Communionem, ex quo tamen inferri non poteſt, quod liceat non jejuno Sacerdoti conficere Euchariſtiam ad eam infirmo miniſtrandam; quamvis enim receptio viatici ſupponatur de jure divino, nihilominus ægrotus non tenetur ad illud recipiendum, niſi cum adeſt copia Euchariſtiæ, non autem quando deficit ex cauſa alterius.



R U B R I C A.

4. *Si plures Miſſas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Miſſa abluat digitos in aliquo vaſe mundo, & in ultima tantum percipiat purificationem.*

*G A V A N T U S.*

Prohibemur *de celebr. Miſſar. in cap. ex parte*, ab Innocentio III. in priori Miſſa ſumere Calicis ablutionem: quamvis non ſumi ſoleat ob nutritionem, ſed ob reverentiam Sacramenti; quare, ſi in prima Miſſa ſumitur ablutio; imo aqua per errorem pro vino conſecrata, frangitur jejunium, & alia Miſſa celebrari non poteſt.

* Nota ea verba, *in aliquo vaſe mundo*, non in Calice Miſſæ, ne vinum ablutionis ſit deinde materia Conſecrationis. Cæterum ipſamet ablutio digitorum, ſi non ſumatur a Celebrante in tertia Miſſa, ſumi debet ab alio, qui ſit jejunus ob reverentiam fragmentorum, quæ fortaſſe ibi ſunt corrupta; vel in Sacrarium fundenda erit, quod etiam nota pro ablutione digitorum, quæ fit in ordinaria Communione Populi extra Miſſam.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

V. Nonnulla alia, quæ ſpectant ad Ritus ſervandos pro tribus Miſſis, quæ juxta Sacros Canones celebrari poſſunt in Nativitate Domini, mox trademus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad *tit.* 3. *part.* 4.

R U B R I C A.

5. *Si præceſſerit pollutio nocturna, quæ cauſata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ ſit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abſtinendum eſt a Communione, & celebratione, niſi aliud Confeſſario videatur. Si dubium eſt, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, conſulitur abſtinendum, extra tamen caſum neceſſitatis. Si autem certum eſt non fuiſſe in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuiſſe cogitationem, ſed eveniſſe ex naturali cauſa, aut ex diabolica illuſione, poteſt communicare, & celebrare, niſi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abſtinendum videatur.*

*G A V A N T U S.*

Eſt *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 7. qui fere totum hauſit ex *S. Gregorio in epiſt. ad Auguſt. Anglorum Epiſc.* Sed pollutio etiam voluntaria, per Confeſſionem purgata, non impedit, niſi ob congruentiam.

De defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus. X.

R U B R I C A.

1. *Poſſunt etiam defectus occurrere in miniſterio ipſo, ſi aliquid ex requiſitis ad illud deſit: ut ſi celebretur in loco non ſacro, vel non deputato ab Epiſcopo, vel in Altari non conſecrato, vel tribus mappis non cooperto, ſi non adſint luminaria cerea; ſi non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab Aurora uſque ad meridiem, communiter; ſi Celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus nondixerit: ſi omittat aliquid ex veſtibus Sacerdotalibus: ſi veſtes Sacerdotales, & mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem, benedictæ: ſi non adſit Clericus, vel alius deſerviens in Miſſa: vel adſit, qui deſervire non debet, ut mulier: ſi non adſit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea: non ærea, vel vitrea: ſi Corporalia non ſint munda. quæ debent eſſe ex lino, nec ſerico in medio ornata, & ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem benedicta, ut etiam ſuperius dictum eſt: ſi celebret capite cooperto ſine diſpenſatione: ſi non adſit Miſſale, licet memoriter ſciret Miſſam, quam intendit dicere.*

*G A V A N T U S.*

Numerantur hic quatuordecim caſus graviores, in quibus ut plurimum accidit peccatum mortale, ſi fiat contra regulas hoc loco ſignificatas; de quibus nos egimus ſupra *in prima parte Rubricarum tit.* 20. & *ſecund. part. tit.* 1. & 2. niſi excuſet ignorantia, vel oblivio, &c. *Azor. lib.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 6. & ratio eſt, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. & Pius V. initio Miſſalis hoc tradit, ut ſecundum Ritum, normam, & modum a ſe traditum Miſſam decantent omnes, ac legant. Unde non licet mutare hunc ordinem Miſſæ; non dico mutare Miſſam, & eam dicere alterius diei: quam in Miſſali præſcribatur, ut notat *Suarez* 3. *par. diſpu.* 83. *ſect.* 3. ſed mutare omittendo aliquid, quod pertineat ad integrum Miſſæ Ritum; multo vero minus addere licet quidquam,

O 2 quod

quod expreſſius cautum eſt in *Trident. & prædicta Bulla Pii V.* Pro Miſſali adhiberi poteſt alius liber, ſi celebrans ſcit optime memoriter Miſſam, *Diana tract. 14. de celebr. Miſſ. reſolut.* 46.

De rebus autem, an ſint benedictæ, necne; non tenetur ſemper interrogare Sacerdos. *Azor. lib.* 10. *c.* 17. *qu.* 11. quæ vero non ſunt uſui amplius, comburantur, *ex Clem. epiſt.*2. & *Summiſtis*.

RUBRICA.

2. *Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante Canonem, dimittatur Miſſa, ſi poſt Canonem, non dimittatur, ſi timeantur incurſus hoſtium, vel alluviones, vel ruina loci, ubi celebratur, ante conſecrationem dimittatur Miſſa, poſt conſecrationem vero Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti, omiſſis omnibus aliis.*

*GAVANTUS.*

Ratio eſt manifeſta, quia ante Canonem nondum eſt inceptum Sacrificium, poſt Canonem vero eſt perficiendum; poſt inchoatum ſcilicet Canonem, qui deſinit in fine ſeu principio Orationis Dominicæ, qua de re vide ſup. *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 1. incipit autem canon a *Te igitur*.

RUBRICA.

3. *Si Sacerdos ante conſecrationem graviter infirmetur, vel in ſincopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa; ſi poſt conſecrationem corporis tantum, ante conſecrationem Sanguinis, vel utroque conſecrato id accidit, Miſſa (x) per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, (y) ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis (z) etiam per non jejunum. Si autem non obierit, ſed fuerit infirmus, adeo tamen ut poſſit communicare, & non adſit alia Hoſtia conſecrata, Sacerdos, qui Miſſam ſuppleat (a) dividat Hoſtiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipſe ſumat. Si autem ſemiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non eſt facta conſecratio, non eſt neceſſe, ut Miſſa per alium ſuppleatur. Si vero obierit ſemiprolata forma Sanguinis, tunc alter proſequatur Miſſam, & ſuper eumdem Calicem repetat integram formam, ab eo loco: Simili modo poſtquam cœnatum eſt, vel poſſet ſuper alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hoſtiam primi Sacerdotis, & Sanguinem a ſe conſecratum ſumere, ac deinde Calicem relictum (b) ſemiconſecratum.*

*GAVANTUS.*

(x) *Per alium Sacerdotem expleatur*. Ita *Concil. Tolet.* 7. *in cap. Nihil* 7. *quæſt.* 1. & *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. videtur indicare juris eſſe divini, ut tunc Sacrificium expleatur; & eſt probabilior ſententia, quam eorum, qui id tantum concedunt, ubi adeſt Populus. Vide *Azor. lib.* 10. *c.* 33. *quæſt.* 1.

(y) *Ubi ille deſiit*. Si prior inchoaverit tantummodo formam Sanguinis, alter eamdem integram profert, *Azorius ubi ſupra*, ſi vero neſciatur, ubi deſierit, incipiatur a *ſimili modo, &c.* vel ſi conſecravit utramque ſpeciem, incipiatur ab *Unde & memores*; Si dubitatur de Conſecratione Hoſtiæ incipiatur a Canone. *Suarez diſput.* 85. *ſect.* 1. & ſub conditione mente retenta conſecret, vel aliam (quod melius eſt) conſecret Hoſtiam, & priorem ſumat poſt ſumptionem Sanguinis.

(z) *Etiam per non jejunum, Ex eodem Concilio Toletano*: quia inquit, ex utraque perſona unus Miniſter Chriſti componitur. Vide *Suar.* 3. *part. diſp.* 66. *ſect.* 6. *cum Soto* 4. *diſt.* 13. *qu.* 2. *ad* 6. qui concedit *ibid.* Sacrificium expleri poſſe a Sacerdote excommunicato, irregularique, ſi ceſſet ſcandalum; quem ſequitur *Suar. loc. cit.*

(a) *Dividat Hoſtiam*. Ita convenit, quia partem habuit ille prior in conſecratione, ergo etiam in ſumptione. *Suar.* 3. *part. diſp.* 85. *ſect.* 2. ex cauſa rationabili concedit *cum Palud.* 4. *diſt.* 12. *qu.* 2. *art.* 5. *conc.* 2. & *Sylveſt. Euch.* 2. *qu.* 10. §. 7. poſſe dari partem Hoſtiæ ad communicandum laicum; quia & antiqui reſervabant tertiam Hoſtiæ partem pro infirmis, *cap. Triforme, de conſecr. diſp.* 2. *Sergii*, ergo & multo magis infirmo huic Sacerdoti.

(b) *Semiconſecratum*. Sumat hunc Calicem ante ablutionem: qui ideo dicitur ſemiconſecratus, quia de primis verbis conſecrationis Calicis, dubium eſt, an ſufficiant pro forma; unde etiam adorandus erit ſub conditione. *Sotus* 3. *diſtinct.* 8. *quæſt.* 2.

At dato novo caſu, quod ille obierit poſt ſumptionem tantum Hoſtiæ, tunc alter ſumat tantum Sanguinem, qui remanſit, *Henriq. lib.* 9. *c.* 41. & utrique fit ſatis.

RUBRICA.

4. *Si quis, extra hujuſmodi caſus neceſſitatis, integra Sacramenta non ſumpſerit, graviſſime peccat.*

*GAVANTUS.*

Ita *Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 1. & *clarius ſeſſ.* 22. *fuſius Suarez* 3. *part. diſp.* 43. *ſect.* 3. Integra vero Sacramenta ſunt utraque ſpecies: non autem quæcumque conſecravit Sacerdos, ut patet.

RUBRICA.

5. *Si muſca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante Conſecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, miſceat parum aquæ, (e) offerat ut ſupra, & proſequatur Miſſam: (d) ſi poſt conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid ejuſmodi, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino: finita Miſſa comburat, & combuſtio, ac lotio hujuſmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nauſea, nec ullum periculum timeat, ſumat cum Sanguine.*

*GAVANTUS.*

(e) *Offerat, ut ſupra*. Ideſt mente concepta oblatione.

(d) *Si poſt conſecrationem, &c.* Ex *S. Thom.* 3. *part. qu.* 83. *art.* 6. *ad* 3.

RUBRICA.

6. *Si aliquid venenoſum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum conſecratum reponendum eſt in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo conſecrandum: & 2. finita Miſſa Sanguis repoſitus in panno lineo, vel ſtuppa tamdiu ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccata, & tunc ſtuppa comburatur, & combuſtio in Sacrarium projiciatur.*

*GAVANTUS.*

Prima pars eſt *S. Thom. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 3. ne Calix vitæ, inquit, ſit in mortem, ex quo patet, ſufficere, ſi vinum tunc conſecretur ad ſumptionem, non autem ad integritatem conſecrationis, quæ vere facta fuit in utraque vera ſpecie. Altera pars, uſque ad combuſtionem ſtuppæ, eſt *contra Palud. diſtinct.* 9. *quæſt.* 1. & *Sylveſt. Euchar.* 2. *quæſt.* 9. §. 3. & *alios*, qui ſacrilegium putant, ſpecies comburere, quod verum eſſet ſi ſub illis Chriſtus eſſet, ſed exſiccatis ſpeciebus, deſinit ibi eſſe Chriſtus.

RUBRICA.

7. *Si aliquid venenatum contigerit Hoſtiam conſecratam, tunc alteram conſecret, & ſumat eo modo, quo dictum eſt, & illa ſervetur in tabernaculo loco ſeparato, donec ſpecies corrumpantur, & corruptæ deinde mittantur in Sacrarium.*

*GAVANTUS.*

Adde hoc loco, quod ea, quæ ſunt a fulmine tacta, venenata cenſentur, *ex Genuen. in ſua praxi Napol. cap.* 49. qui caſus accidit Anno 1601. in Calice a fulmine tacto poſt conſecrationem; & *ita fuit a DD. deciſum*.

RUBRICA.

8. *Si ſumendo Sanguinem, particula remanſerit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, & ſumat ante purificationem, vel infundat vinum, & ſumat.*

*GAVANTUS.*

Duobus ergo modis ſumi poteſt, & primus eſt *Sot.* 4. *diſt.* 8. alter eſt *Sylv. verbo Euch.* 2. *q.* 9. & *aliorum*, & patet in Paraſceve, quando Particula ſumitur cum vino puro, uterque a Rubrica conceditur; at ſecundus magis placet.

RUBRICA.

9. *Si Hoſtia ante conſecrationem inveniatur fracta, niſi populo evidenter appareat, talis Hoſtia conſecretur: ſi autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur: quod ſi illius Hoſtiæ jam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quod ſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citra ſcandalum, aut longam moram fieri poterit.*

*GAVANTUS.*

Continet Rubrica opportuna remedia, quorum ratio eſt maniſeſtiſſima.

RUBRICA.

10. *Si propter frigus, vel negligentiam Hoſtia conſecrata dilabatur in Calicem, propterea (e) nihil eſt reiterandum, ſed Sacerdos Miſſam proſequatur, faciendo cæremonias, & ſigna conſueta cum reſidua parte Hoſtiæ, quæ non eſt madefacta Sanguine, ſi commode poteſt. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, ſed omnia dicat omittendo ſigna, ac ſumat pariter Corpus, & Sanguinem ſignans ſe cum Calice, dicens: Corpus, & Sanguis Domini noſtri, &c.*

GA-

*GAVANTUS.*

(e) *Nihil eſt reiterandum.* Docet S. *Thom. ſup. art. 6. ad 6.* reliqua in Rubr. addita actioni conſona ſunt caſui, ut verba reſpondeant.

RUBRICA.

11. *Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: ſi id non perficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liqueſiat.*

*GAVANTUS.*

Si fingatur caſus, non poſſe liquefieri, tunc poterit digitis communui, & in particulas redigi, ut ſumi poſſit. *Suar diſp. 85. ſect. 1.*

RUBRICA.

12. *Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſi quidem ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, lingua lambatur, & locus ipſe radatur, quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur, cinis vero in ſacrarium recondatur. Si vero ſuper lapidem Altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus bene abluatur, & in ſacrarium projiciatur ablutio. Si ſuper linteum Altaris, & ad aliud linteum ſtilla pervenerit, ſi uſque ad tertium, linteamina ter abluantur, ubi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in ſacrarium projiciatur. Quod ſi in ipſo ſolum Corporali, aut ſi in veſtibus ipſis ſacerdotalibus ceciderit, debet ſimiliter ablui, & ablutio in ſacrarium projici. Si in ſubſtrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut ſupra.*

*GAVANTUS.*

Eſt Decretum Pii Papæ I. *cap. Si per negligentiam de conſecration. diſtin.* 2. & explicatur *a Sancto Thoma ſupra artic. 6. ad ſeptimum*, ſed adde primo, a Sacerdote tantum ea fieri debere, quæ Rubrica hæc jubet, *Suarez diſput.* 85. *ſect.* 1. Secundo, multa eſſe antiquata per hanc Rubricam ex iis, quæ Pius hac de re ſtatuerat, cujuſmodi ſunt abſciſſio veſtium, & combuſtio, intra Altare combuſtorum repoſitio, ſumptio lotionis. Pœnæ quoque non ſunt in uſu, & ideo in Miſſali omittuntur, ut notat *Suarez ibidem*, quæ erunt deinceps imponendæ arbitrio Superioris, nec ullam teneatur Sacerdos ſubire, niſi impoſitam; Deo tamen ſatisfaciat. Tertio, aliqua adduntur in Rubr. ſatis ſimilia prædictis, de quibus non meminit Pius, ut quando cadit ſuper veſtes Sacerdotis, pannum, & tapete ſubſtratum.

Quid ſi cadat ſanguis ſuper barbam? *Barth. ab Ang. dialog.* 5. §. 713. vult eam ablui, & comburi, ſed videtur ſufficere, ſi barba pluries lavetur, cui parcendum eſt magis, quam tapetibus, de quibus ſupra.

RUBRICA.

13. *At ſi contingat totum Sanguinem poſt conſecrationem effundi, ſi quidem aliquid* (f) *vel parum remanſit, illud ſumatur, & de effuſo reliquo Sanguine fiat, ut dictum eſt;* (g) *Si vero nihil omnino remanſit, ponat iterum vinum, & aquam, & conſecret ab eo loco: Simili modo poſtquam cœnatum eſt, facta prius tamen Calicis oblatione, ut ſupra.*

*GAVANTUS.*

(f) *Vel parum.* Sufficit ad integritatem Sacrificii.
(g) *Si vero nihil.* Suppleatur, ut dictum eſt ſupra *ex S. Th. ibid. ad* 3.

RUBRICA.

14. *Si Sacerdos evomat Euchariſtiam, ſi ſpecies integræ appareant, reverenter ſumantur, niſi nauſea fiat; tunc enim ſpecies conſecratæ caute ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſtea in ſacrarium projiciantur. Quod ſi ſpecies non appareant, comburatur vomitus, & cineres in ſacrarium mittantur.*

*GAVANTUS.*

Regula generalis eſt, ſi ſpecies Sacramentales integræ, vel in aliqua particula haberi poſſunt, reverenter ſervandas eſſe, vel ſumendas, quia ſub eis manet Chriſtus, & ſimiliter fiat, ut in hac Rubrica dicitur ſi a mure ſumantur, aut ex Euchariſtia vermes generentur, ea vero, quæ tales ſpecies contigerunt, vel purificanda ſunt, juxta prædicta. *Suar. loc. cit ſect.* 1.

Vomitus etiam poteſt eſſe, & licite voluntarius, quando monitus eſt Sacerdos de ſpeciebus a ſe ſumptis, quod venenatæ ſint, *ex Tabiena verb. Miſſa n.* 32. eadem ratione, quæ ſupra n. 6. allata fuit.

RUBRICA.

15. *Si Hoſtia conſecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus, ubi cecidit, mundetur, & aliquantum abradatur, & pulvis, ſeu abraſio hujuſmodi in ſacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, ſeu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum hujuſmodi diligenter lavetur, & lotio ipſa in ſacrarium effundatur.*

*GAVANTUS.*

Patet ob reverentiam Sacramenti hæc fieri; quod ſi fragmentum nequeat diſcerni, pluries linteum lavetur, non autem comburatur. *Henr. cap.* 28. *num* 4. *Sot. diſt.* 10. *quæſt.* 2. *art.* 8.

In caſu dubio conſecratæ Hoſtiæ, quæ reperitur apud veneficum, ſeu ſacrilegum, aut circa Altare, ubi proxime fuit celebratum, aut quando particula Patenæ parti poſteriori hæreat ita fixa (quod mihi accidit) ut ſubeat ſuſpicio de conſecratis in præcedenti Miſſa particulis, eam unam eſſe poſſe; quid erit agendum? In hiſce caſibus nulla ſolemnitas eſt adhibenda luminarium, & ejuſmodi, ſed adoranda erit ſub conditione, reſervanda in Tabernaculo, ſeu intra Corporale, & ſumenda a Sacerdote ante Calicis ablutionem in proxima Miſſa, quod ſi forte ſit deturpata, ut nauſeam moveat, fiat, ut dictum eſt ſup. n. 7.

Quod attinet ad ſacrarium, de quo ſæpe in his Rubricis, rem, & vocabulum habemus apud S. Clementem epiſtola 2. de conſ. diſt. 1. cap. Altare, eſt autem Piſcina ſacra, ut loquuntur alii.

RUBRICA.

16. *Poſſunt etiam defectus in miniſterio ipſo occurrere, ſi Sacerdos ignoret Ritus, & cæremonias ipſas in eo ſervandas: de quibus omnibus in ſuperioribus Rubricis dictum eſt.*

*GAVANTUS.*

Hoc loco diſtinctione eſt opus, nam ſi omittit aliquid de rubricis primi ordinis, ut *Gloria in Excelſis*, *Credo*, *Commemoratio de Sancto*, & ejuſmodi, & recordetur in progreſſu Miſſæ, non debet repetere, nec regredi, *Sylveſt. Miſſ.* 1. *qu.* 5. §. 4. & 5. diſſonum enim eſſet, & ſcandaloſum potius. Diana negat, peccare mortaliter eum, qui voluntarie omittit, *Gloria*, vel *Credo*, *loco ſupra citat. reſolut.* 59. ex levitate materiæ: * commemorationem autem de Sancto debet addere inter orationes ſecretas, & poſt Communionem, licet inter Collectas eam omiſerit, ſi opportune recordetur; inter ultimas non dicerem, ſi neque inter ſecretas dixiſſem; ſed in Sacriſtia poſt depoſitas veſtes ſupplerem omiſſa; ſi vero loquamur de Ritibus, & Cæremoniis, quæ conſiſtunt in actione Miſſæ, de ſuo genere mortale eſt omittere, quia *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. & Pius V. *in Bulla Miſſalis* expreſſe præcipiunt, obſervari etiam Ritus ſecundi ordinis; ex levitate tamen materiæ, vel inadvertentia, vel oblivione, poſſet eſſe veniale, ſi quid omittitur: gravius autem eſt, ſi quid committitur, addendo Rubricis, quod item eſt prohibitum: lege *Suar. diſp.* 74. *ſect.* 2.

Non tamen addit ille contra Rubricas, qui officium recitans aliud, Miſſam deinde celebrat more Eccleſiæ, in qua celebrat, ubi forte dicitur, *Credo* vel *Gloria*, quæ non dicuntur extra eam; imo tenetur celebrare ibidem pro ratione Feſti juxta Regulam, *Cum fueris Romæ, &c.* alioquin eſſet aliis admirationi, ſi feſto non inſerviret in propria Eccleſia, pro qualitate Feſti.

Intellige, quæ dicimus, de Miſſa pro omnibus approbata, nam Miſſæ certis Regularibus conceſſæ * tantum, puta de Sanctis Ordinis eorum, aut aliis, quæ non habentur in Miſſali Romano, non poſſunt ab aliis dici, nec etiam in ipſorummet regularium Eccleſiis, ex Decr. S. R. Congreg. 19. *Novemb.* 1622.* neque a Capellanis ſæcularibus propriis in Eccleſiis Monialium, quæ Rom. non utuntur Breviario, quo caſu conſulatur Sac. Congreg. Rit. de cujus licentia Miſſam quidem Capellani proprii recitabunt de Sancto, de quo Moniales Officium, ſed cum Miſſali Romano, ut in prop. de Sanctis, vel de communi, eadem Sac. Congreg. Rit. ita decrevit die 20. *Novembris* 1628. ſi nulla eſt Miſſa in Miſſali Romano, quæ concordet cum officio Monialium, puta de nomine JESU, de ſpinea Corona, & ſimilibus, eo caſu Miſſam de circumciſione Domini, ſeu Miſſam de Cruce, vel Paſſione recitare poterunt: vel certe pro debita licentia adeant Sac. eamdem Cong.

Quod ſi quis adderet, vel detraheret ex Cæremoniis, etiam devotionis cauſa, præſumens, id eſſe melius; tunc peccaret mortaliter: quia in Bulla Pii V. dicitur: *Ne præſumant:* ita *Anton. Molin. in inſtruct. Sacerdotum tract.* 3. *capit.* 11. §. *ultim.*

17. At ſi, incboata Miſſa, veniat Epiſcopus, aut eo major, aut princeps, neque alia Miſſa celebrari poſſit, quid agendum? ante Conſecrationem, & poſt Epiſtolam, ſi illi veniant, poterit repeti Miſſa a capite. *Navarr. de orat. notab.* 16. *num.* 55. & *Azor. lib.* 10. *cap.* 32. *quæſt.* 3. Addit *Poſſevin. de offic. Cur. cap.* 2. *num.* 11. poſſe hoc idem fieri etiam ultra primam vicem, ſi major cauſa ſuperveniat; ſed meo judicio tunc eſſet opus altiori judicio.

18. Quæritur adhuc; an poſſit interrumpi, & diſcontinuari Miſsa ob aliquam cauſam? Reſpondetur poſſe, ob concionem, & publicationes Edictorum, quæ fiunt a Parochis, præterea ad confeſſionem audiendam moribundi; cuſtodita, ſi opus eſt, interim ab alio Euchariſtia, vel ad ungendum infirmum, cui nullum aliud Sacramentum miniſtrari poteſt, *ex Navarr. de Hat. Canon. cap. 16. num. 69. Henriquez lib. 9. cap.* 30. *num.* 4. Non autem interrumpi debet paulo ante laicorum Communionem, ut Sacerdos audiat apud Altare, etiam brevem Confeſſionem alicujus, quod perturbat, & merito, aſtantium animos. *DD. apud Bonac, diſp. 4. quæſt. 6. punct. 1. num.* 20.

19. Accidit denique in Miſſæ Miniſterio, offerri Sacerdoti particulam pro communicando laico, oblatione Hoſtiæ jam facta; poterit ne illa conſecrari? *Bonac. de Euchar. diſp. 4. quæſt. ult. punct. 2. n. 6.* videtur negare, ſed puto probabiliter poſſe conſecrari, oblatione ejuſdem mente concepta, ut ſæpius in defectibus dictum eſt, non tamen remotius ab oblatione Hoſtiæ, puta, jam cœpta Præfatione: vel eo caſu, ſi neceſſitas adſit, arbitrio boni viri dari laico poterit pars Hoſtiæ conſecratæ, quæ olim reſervabatur pro infirmis, ut paulo ſupra diximus, *n. 3. præſentis tituli.*

## De Rubricis præceptivis, & directivis. IX.

### *G A V A N T U S.*

Reliquum eſt, ut in ordine ad Miſſam examinemus duo; alterum eſt circa Rubricas omnes, de quibus hactenus: quæ cum dividantur communiter a Summiſtis, & Theologis, in præceptivas, & directivas, nondum quis velut digito demonſtravit, quænam ex dictis ſint præceptivæ, quænam directivæ; nam illæ obligant ſub mortali: hæ non item, niſi ex contemptu omittantur. Alterum eſt circa onera Miſſarum, quæ ſubire ſolent Sacerdotes; de quibus Theologi multa ſparſim docuere, quæ hoc loco collecta brevi compendio, lectori, ſpero fore, ut valde proſint. Nunc de primo. Secluſa igitur oblivione, ignorantia inculpabili, & inadvertentia; quæ culpam diminuunt, ut ſupra monuimus. * Omiſſa item ea Recentioris Auctor. diſtinctione in præceptivas ſub mortali, & præceptivas ſub veniali, diverſas a Directivis: quæ diſtinctio nulla eſt, aut eſt quæſtio de nomine, nam præceptum importat proprie in ſua ſignificatione materiam gravem, & lathalem culpam:

1. Dico primo, quando in Rubricis habetur hæc vox *graviſſime*, ſeu *graviter peccat*, certiſſimum eſt ſignificari peccatum mortale. Septies autem habetur, cum de defectibus Miſſæ agitur.

Si non in azymo conficiatur Sacramentum in Eccleſia Latina, *tit. 3. n. 3.*

Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel muſtum de uvis tunc expreſſum: vel ſine aqua fiat Sacrificium, vel cum aqua non naturali, *tit. 4. n. 2.*

Si in forma adderet aliquid Celebrans, quod ſignificationem non mutaret, *tit. 5. n. 1.*

Si celebret ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel canonice impeditus, *tit. 8. n. 1.*

Si celebret in peccato mortali habens copiam Confeſſoris, *ibid. n. 2.*

Si non habens copiam Confeſſoris, ſine contritione in peccato mortali celebret, *ibid. n. 3.*

Si integra Sacramenta extra quoſdam caſus non ſumpſerit, *tit. 10. n. 4.*

2. Dico ſecundo. Quando materia Rubricæ pertinet ad integritatem Sacramenti, ſeu Sacrificii, ea ita gravis cenſenda eſt, ut omiſſio ſit peccatum mortale: ejuſmodi ſunt, quæ de pane, vino, aqua, intentione, forma, ſumptione utriuſque ſpeciei ſunt præſcripta: quæ omnia ſub mortali ſunt juxta Rubricas obſervanda.

In forma quoque illud, *enim*, additum ab Eccleſia non poteſt ſine peccato mortali voluntarie omitti.

3. Dico tertio. Eas Rubricas eſſe præceptivas, in quibus concordant Doctores, eſſe de re gravi, & ſub mortali obſervandas eſſe, videlicet

De loco celebrandi non prohibito, de ara conſecrata, de lumine, de hora celebrandi, de diſpoſitione animæ, & corporis, jejunio ſcilicet a peccato mortali, & a cibo, de Miniſtro, de Miſſali libro, de Calice, Patena, Corporali, & palla, de Canone integre, & ſecrete recitando, de prima purificatione cum vino, de numero, munditia, integritate, & benedictione veſtium Sacerdotalium, eo modo, quo probavimus ſupra ſuis locis.

4. Dico quarto. Rubricas aliquas eſſe ſtrictioris juris in Miſſis Conventualibus, ſeu principalibus Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum: quod *cum Suarez & aliis* docet *Bonacin. diſp. 4. de Euchariſt. quæſt. ultim. punct. 7. §. 3. num.* 3. Quia æquiparantur hæ Miſſæ Horis Canonicis, quæ dicuntur in Choro; immo vero ſunt Horarum quaſi finis, ad quem diriguntur Horæ, ut egregie probat *Francol. de tempor. Horarum Canonicar. part. 1. cap. 16. num.* 18. ejuſmodi eſt Rubrica de concordia Miſſæ Conventualis cum officio: quæ expreſſe præcipitur in *cap. cum creatura, de celebr. Miſſ.* per verbum *mandamus*, Honorii Tertii. Docent enim DD. *a Bonacina citati de lege diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 4. n. 7.* quod verbum *mandamus*, importat obligationem ad mortale. Inter Collegiatas autem adhuc eſſe diſparitatem dico: nam Collegiatæ Regulares * (quæ tamen minus proprie Collegiatæ dicuntur, ut paulo infra probabo) tenentur ad Horas Canonicas, & Miſſam in Choro, ex vi Regulæ tantum, & conſuetudinis interpretantis Regulam, ſicuti etiam ad Officium Divinum extra Chorum conſuetudo tantum obligat Regulares, ut ſic. *Cajet. verbo Hora*: at ſæculares Canonici tenentur ex ſtipendio ad leges Pontificias in Choro ſervandas.

Dico quinto. Prope præceptivas eas eſſe Rubricas, de quibus diſputant DD. & tamen Pius V. & Clemens VIII. inclinat expreſſe in alteram partem, præcipiendo in Bulla, ut juxta formam in novo Miſſali traditam celebrentur Miſſæ: ejuſmodi ſunt de Matutino, & Laudibus ante Miſſam: de mappis tribus: de luminaribus cereis, quæ licet ſint controverſa inter Doctores, ii tamen Pontifices ſummi prædicta potius in ſuis Rubricis approbavere, tamquam tutiora.

6. Dico ſexto. Dubias eſſe reliquas de principio auroræ, & fine meridiei: de Cruce in Altari, de pedibus calceandis, de veſte talari, de pileoli uſu, a quo concedatur, extra Canonem: de orationibus ad veſtes, & poſt Miſſam; de Miſſa privata ad arbitrium ſine cauſa; de Miſſa non approbata, niſi pro quibuſdam Eccleſiis; de votiva, vel de Requiem, in Feſto duplici, & diebus prohibitis: de orationibus additis ſecreto dicendis ex devotione Celebrantis; in quibus omnibus Doctoribus utrimque diſputantibus, Rubricis tamen magis adhærendum eſſe cenſeo.

7. Dico ſeptimo. Inter has dubias Rubricas illa eſt apud me valde certa, quod non ſit de re graviſſima, quæ habetur *p. 1. tit. 3. n. 1.* nimirum: *In feriis Quadrageſim. Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamſi Duplex, vel Semiduplex Feſtum, vel Octav. occurrat in Eccleſiis Cathedr. & Colleg. cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam*. Cantari ergo debent, ubi nimirum cantari quotidie Miſſa conſuevit a Canonicis: tum quia præcepit Pius V. in virtute ſanctæ obedientiæ in Bulla, ut decantetur Miſſa juxta normam, ritum & modum a ſe præſcriptum; hoc eſt quandoque duæ; tum quia altera earum ſine commemoratione alterius dici debet *ex tit. 7. num. 2.* & hoc modo, altera non reſpondet integre Officio divino, in quo ſit de Feſto, & Feria ſimul (Miſſa enim Conventualis debet reſpondere integre Horis Canonicis) tum quia eſt ritus Eccleſiæ perantiquus, *teſte Microl. cap. 48. & 58. ut diximus*: tum quia circumſtantia illa temporis (poſt Tertiam altera, altera poſt Nonam) indicat, eſſe notabilem ritum: tum quia Clementis VIII. auctoritate Miſſale recognitum, ſuis locis, octies ad minus, monet lectorem hac de re, ut oblivioni non tradatur: ſcilicet, ante Miſſam de vigilia Aſcenſionis, in Feſto Sancti Marci, in vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli, in vigilia Sancti Laurentii, in Feſto Sanctorum Cornelii, &c. SS. Januarii, &c. In vigilia S. Matthæi; & in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum; * tum quia Sanctus Carolus cum ſuis Provincialibus Epiſcopis *in Concil. 4. Provinciali Romæ approbato*, in hæc verba decrevit: *Quibus diebus ex Miſſalis Romani Rubricarum præſcripto in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis duas Miſſas Conventuales celebrari oportet, eæ ambæ cantantur, quod ſi Capitulum præſtare omiſerit, neglexeritve, non ſolum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verum etiam alterius diei diſtributionibus mulctetur*. Hæc ibi.

8. Dices: ſufficere (quod recentior ſcripſit, conſuetudini nimium favens, quæ potius eſt abuſus) fieri ſatis, ſi altera dicatur privatim, pura, quæ eſt de Feria, & Choro abſente. Addunt alii: eo quia *tit. ſeptimo num. ſecundo*, habentur verba, *dicuntur duæ*: ergo ſatis eſt, ſi dicatur altera privatim: ſed verbum, *dicuntur*, explicandum eſt, *cantantur*, ne pugnent invicem duæ Rubricæ; altera enim alteram explicat, & poſterior a priore pendet: deinde non eſt major ratio, ex vi verbi *dicuntur*, ut altera ſit privata, altera ſolemnis: item, quæ dicitur, Choro abſente, non poteſt reſpondere Horis Canonicis; neque dici poteſt Conventualis. Præterea illa Horæ definitio, Tertiæ, & Nonæ, indicat, debere utramque celebrari, prout Hora Tertia, & Nona dicuntur in Choro, hoc eſt cum cantu, & Choro præſente. Atque hæc eſt Romana praxis in Patriarchalibus Romæ Eccleſiis, adeoque in iis exiſtimatæ fuerunt hæ duæ Miſſæ graviſſimæ, ut *Franciſcus Samarinus Beneficiatus Eccleſiæ Lateranenſis, & Doctor in ſuo Theſauro Sacerdotali, tertia parte, titulo Miſſæ plures &c.* concedat, poſſe has duas Miſſas ab eodem celebrari, ſi forte unus tantum Sacerdos eo die in Eccleſia Collegiata celebrare queat, quod deinde ſublatum eſt in *Rubricis par. 1. tit. 7. num. 2.* quando ſcilicet quotidie plures non celebrant Sacerdotes. Denique die 2. Nov. ait Rubrica: *Miſſa dicitur principalis pro Defunctis poſt Nonam*. Explicant omnes: cantari debet, Choro præſente: eademque eſt ratio de aliis Miſſis. Aliqui, ex præfato verbo, *dicuntur*, inferunt, quod ubi plures Sacerdotes celebrant, debent dici duæ Miſſæ prædictæ privatim; laudo

uſum,

uſum, ſed nego eſſe Rubricæ hunc ſenſum, quod patebit magis infra.

9. Dices adhuc: verba; *cantatur*, & *dicuntur*, non ſunt interpretativa. Reſpondeo *in titulo quinto, de Miſſis Defunctorum, num.* 1. habes *dicantur duæ Miſſæ, & titulo* 15. *n.* 2. *Miſſa de tempore, quamvis dies ſint ſolemnes, in quibus ſit Officium cum Miſſa de Feſto, debet cantari poſt Nonam.* Item in Rubricis enunciativum verbum habet vim imperativi, v. g. in *die* 2. *Novembris in Breviario. Dicuntur Veſperæ Defunctorum, poſt Laudes incipit Matutinum Defunctorum.* Ecce verba enunciativa tantum, & Doctores tamen ex his verbis volunt, teneri nos ſub mortali ad recitandas Veſperas, & Matutinum Defunctorum, ut *Suarez expreſſe docet lib.* 4. *de Hor. Canon. cap.* 29. *num.* 8. *Item in cap. cum creatura, citato ſupra, & explicato nu.* 5. mandat Honorius, cantari Miſſam reſpondentem Horis Canonicis, ſub mortali: non autem reſponderet, ſi altera non cantaretur, ut dictum eſt *num.* 8. & Pius V. ut integre reſpondeat Horis Canonicis, duas præſcribit, ergo tenentur Collegiatæ ad duas. Valet enim hic Regula illa: *Paria ſunt non facere, & facere male contra Rubr. cap. inter Corporalia, de translatione Epiſcop. cap. Veniens de Presbyter. non bapt.*

10. Cui noſtræ ſententiæ ſubſcripſere aliquando, cum in dubium a nonnullis revocaretur, doctiſſimi viri, & notiſſimi, *Paulus Fraſinellus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Petrus Thomas Saracenus Ordinis Carmelitarum, Joann. Petrus Moneta, & Homobonus de Bonis, Theologi Ordinis noſtri, & primarii, qui omnes præclara multa prælo dederunt.*

11. Sac. Rituum Romana Cong. *die* 16. *Maji* 1626. decrevit, non poſſe omitti alteram ex his duabus, Miſſis cantandis ob celebrationem Capituli Canonicorum, & iterum hoc idem *die* 16. *Jan.* 1627. aſſeruit; ne duæ Miſſæ etiam ex neceſſaria negotiorum cauſa, & Capitulari omittantur. Si eſt conſuetudo immemorabilis; ſufficit loco Miſſæ Conventualis Miſſa lecta de die celebrata in Aurora, & Votiva cantata poſt Nonam, exceptis diebus, quibus *ex Rub.* 3. Miſſalis ſunt omnino cantandæ duæ Miſſæ Conventuales de Feſto, & de Feria. *Cong. Rit.* 13. *Martii* 1602 28. *Jan.* 1611. *Urb.* 4. *Julii* 1615. idem, quando cantatur Miſſa pro Defunctis; ſed tamen eadem Sac. Cong. abrogavit omnem conſuetudinem non cantandi Miſſam de die, ultra Votivam 18. *Julii*, & 28. *Aug.* 1628.

12.* Dices: An Regulares comprehendantur in hac Rubrica? negat *Rodericus de qu. Regular. tom.* 1. *qu.* 43. *art.* 12. quia, inquit, non veniunt Regulares nomine Eccleſiarum Collegiatarum in odioſis, quæ ratio mihi non placet: ſed quia Eccleſiæ Regularium appellantur proprie Conventuales ab *Innocent. IV. in Bulla ejuſdem* 7. *Bullarii*, ubi *Flavius Cherubinus in Compend. Bull. ſchol.* 1. notat eo titulo appellari, ad differentiam Collegiatarum, quæ propriæ Canonicorum, item in *Clem. I. de celebrat. Miſſ. ex Concil. Viennen.* diſtinguuntur Eccleſiæ Regulares a Cathedralibus, & Collegiatis, quibus poſtremis dumtaxat imponitur onus de duabus his Miſſis, adde rationem allatam ſup. n. 4.

13. Dico ultimo, reliquas Rubricas eſſe directivas tantum, non tamen eſſe negligendas, ſaperet enim contemptum, ſi quæ earum perpetuo omitteretur, aut ſæpius, & ut plurimum, * & multo magis, ſi timeatur ſcandalum; contemptum vero, ſeu ſcandalum judicabis gravia, vel levia ex materia, & intentione Sacerdotis; unde, quod alii dicunt, quatuor cum litteris celebrandam eſſe Miſſam, A. B. C. D. his addo ego litteram quintam E. in honorem quinque vulnerum Chriſti.

Hoc eſt: Alte, Breviter, Clare, Devote, Exacte, ſeu Exquiſite.

Alte, ut audiatur. Breviter, non ultra mediam horam, ut *Scortia lib.* 2. *cap.* 19. *vel paulo ultra*. Clare, ut omnia verba integre proferantur. Devote, ut attendatur ad ea, quæ dicuntur. Exacte, ut fiant omnia, quæ præſcribuntur in Rubricis.

14.* Ut autem Rubricarum obligatio magis innoteſcat, prætermitam quod in Bulla Pii V. pro Miſſali edita, omnis mutatio, additio, & detractio prohibetur; Decrevit Concil. Trid. ſeſſ. 7. Canon. 13. in hæc verba: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Prælatum mutari poſſe, anathema ſit.* Hæc ibi. Solemnis certe Sacramenti Euchariſtiæ adminiſtratio in Miſſa fit, ſive ſit ſolemnis, ſive privata, & Ritus, qui habentur in Miſſali Romano, ſunt Eccleſiæ Catholicæ, recepti, & approbati, ut patet. Ex quibus non video, qua ratione doceant moderni Theologi, opinionem eſſe probabilem, quod ſine peccato poſſint omitti Rubricæ, & ſine cauſa ſcienter, etiam in materia levi; ſed de his ſatis.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. §. *Reliquum eſt, &c. Omiſſa item diſtinctione in præceptivas ſub mortali, & præceptivas ſub veniali, &c.*); Non ſolum reperitur Auctor, qui diſtinguit Rubricas, in præceptivas ſub mortali, & præceptivas ſub veniali, ſed etiam legitur ſententia Fagundez, *in præcepta Eccleſiæ, præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *part.* 21. *num.* 7. qui ſuſtinet, Rubricas Miſſalis communiter non obligare ſub peccato mortali, immo addit *num.* 9. Rubricas Miſſalis non præcipere, ſed conſulere, & inſtruere, quibus verbis, ut notat Quarti *in* 9. *proœmial. ſect.* 2. *punct.* 1. jam excludit etiam peccatum veniale in tranſgreſſionibus Rubricarum, quia conſilia nullam obligationem inducunt: ſed hæc ſententia, ut optime oſtendit idem Quarti, eſt procul dubio falſa, & pluſquam falſa, & contra communem Doctorum ſententiam -- Victorianus vero Premuli *in memor. Clec.* 3. *part. cap.* 9. aſſerit, prædictam opinionem Fagundez ſe refutaſſe, ut damnatam; ex Bulla enim Pii V. initio Miſſalis appoſita, & ex Concilio Trid. *Seſſ.* 7. *Can.* 13. & *ſeſſ.* 22. aperte conſtat, adeſſe præceptum, & non merum conſilium ſervandi Rubricas, & Sacros Ritus ab Eccleſia præſcriptos; hæc ſecunda ſententia ex diametro oppoſita docet, omnes Rubricas habere vim obligandi ſub peccato mortali ex genere ſuo, ſed ratione parvitatis materiæ poſſe tranſgreſſionem talium Rubricarum eſſe tantum peccatum veniale. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 83. *ſect.* 3. Molfeſius *tract.* 1. *cap.* 7. *n.* 22. Averſa *de Sacrificio quæſt.* 11. *ſect.* 12. Coninch, Puteobonellus *de Sacrificio Miſſæ qr.* 5. *art.* 9. *nu.* 8. *pag.* 419. *edit. Mediolanen.* 1710. *ejuſdem Congregationis cum Gavanto*, Lezana, Bonacina, & alii, quorum ſententia, ait Quarti, ſi recte intelligatur de Ritibus adhibendis in ipſa Miſſæ recitatione, eſt abſolute vera.

Tertia ſententia media, diſtinguit cum Gav. ſupra, Rubricas, in præceptivas, & directivas, docetque Rubricas præceptivas obligare ſub peccato mortali ad ſervandos Ritus in eis præſcriptos: Rubricas vero directivas nullam imponere obligationem, ſed eſſe conſilia, & inſtructiones. Ita Gavantus *ſupra*. Marchinus *de Sacram. Ordinis tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 6. Tamburinus *in Opuſc. de Sacrificio Miſſæ libe.* 2. *cap.* 5. §. 1. Premulus *loco ſupracitat. part.* 3. *cap.* 1. Auctores, qui adhærent huic ſententiæ, cenſent præceptum contentum in Bulla Pii V. ſervandi Rubricas, non extendi differenter ad omnia, quæ in Rubricis continentur, cum plura ſint minutiſſima, nec materia apta præcepti. Hinc Cardin. de Lugo *Diſputat.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 7. ait, *certum eſt, non omnia, quæ in Rubricis Miſſalis exiguntur, afferre obligationem gravem*, & *ſect.* 4. *num.* 105. docet cum aliis, nonnulla eſſe materiam inſtructionis, & directionis, non vero præcepti, quapropter communiter Rubricæ ſunt præceptivæ, ſed multæ etiam ſunt directivæ.

Noſter tamen Quarti ſupra *in quæſtionibus proœmialibus ſect.* 2. *punct.* 2. ſuſtinet, omnes Rubricas, ſeu Regulas Miſſalis præſcribentes Ritus ſervandos a Sacerdote in ipſo actu celebrationis Miſſæ, eſſe præceptivas; & in materia gravi obligare ſub mortali: ſolumque ratione parvitatis materiæ, vel inadvertentiæ earum tranſgreſſionem eſſe culpam venialem, & hanc aſtruit eſſe mentem DD. qui ſecundam ex allatis ſententiis tuentur, & præter Auctores ibi allegatos, addit etiam Henrich *lib.* 9. *cap.* 26. *num.* 3. Nugnum 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 4. *dub.* 2. Reginaldum *lib.* 33. *num.* 210. Peyrinum *in formul. lit. M. cap.* 1. *num.* 1. probatque hanc ſententiam, ex eo quod præceptum contentum in Bulla Pii V. expreſſe loquitur de Ritibus ſervandis in ipſo actu legendi, vel decantandi Miſſam, abſque ulla exceptione; ergo extenditur ad omnia verba, & actiones, ex quibus Miſſa componitur: unde ſequitur, Sacerdotem ſub peccato mortali ex genere ſuo nihil omittere poſſe eorum, quæ recitanda præſcribuntur in Miſſa; ita ut cujuslibet partis omiſſio ſit peccatum, vel mortale, ſi materia gravis ſit, & notabilis, vel veniale, ſi materia ſit levis, & modica, & ita etiam docet noſter Diana *part.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 63. ubi alios citat Auctores, quos ipſe ſequitur. Nihil pariter eſt addendum precibus, quæ in Miſſali præſcribuntur, quia etiam id expreſſe cavetur præcepto Pii V. in Bulla ſæpius citata. Idem omnino dicendum eſt de Ritibus, & Cæremoniis, quæ in actione conſiſtunt, nempe teneri Sacerdotes ſub peccato mortali ex genere ſuo, nihil eorum omittere, & nihil eis addere ob eamdem rationem. Monet autem cit. Quarti, non eſſe hanc obligationem accipiendam in rigore Metaphyſico, cum ſimus in moralibus, ſed morali, & humano modo, ita ut ſatis ſit, eam diligentiam adhibere, quam timorati Sacerdotes, & ſui muneris ſtudioſi adhibere ſolent.

Idem Quarti tenet, Rubricas continentes ea, quæ recitari, vel fieri debent a Sacerdote, ante Miſſæ celebrationem, vel immediate poſt Miſſam, eſſe non præceptivas, ſed directivas ſecundum ſe, & ſub conſilio; quare niſi aliunde conſtet de præcepto, tales Rubricæ non imponunt obligationem, in quo ſenſu fatetur ſe adhærere tertiæ ſententiæ ſupra relatæ. Docet præterea regulas Miſſalis de Ritibus ſervandis, non ab ipſo Sacerdote, ſed a Miniſtris, & ab aliis circumſtantibus, & Choro aſſiſtentibus, communiter eſſe directivas, quia præceptum ſæpius replicatum Pii V. ad illas minime extenditur, unde non obligant ad culpam, niſi aliunde, vel ex conſuetudine, vel ex vi juris naturalis vitandi ſcandali ex obligatio naſcatur. Turrinus tamen *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 1. refra-

refragatur prædictæ Quarti ſententiæ, quoad hanc ultimam partem, & contendit, prædictum præceptum Pii V. æque obligare Sacerdotem, & Sacros Miniſtros, cum & ille, & iſti requiruntur ad celebrandam Miſſam juxta præſcriptum prædicti S. Pii V. & aliorum Pontificum, qui Sacras Rubricas condiderunt, & approbarunt.

II. Gav. nu. 1. *Quando in Rubricis habetur hæc vox, graviſſime, &c.*) Quærit Gav. quænam ex Rubricis ſint præceptivæ, & quænam directivæ tantum, & ſtatuit, tunc Rubricas cenſendas eſſe pręceptivas, quando habetur hęc vox, *graviſſime, ſeu graviter peccare eum*, qui tales regulas tranſgreditur; ſic etiam n. 2. docet, Rubricas eſſe præceptivas, quando earumdem materia pertinet ad integritatem Sacramenti, ſeu Sacrificii. Quarti tamen *ſup. ſect. 2. §. Prima regula*, adſtruit, hanc Gav. regulam eſſe valde diminutam, ex eo quod Rubricæ, quibus præſcribuntur ea, quæ legenda ſunt in Miſſa, ex. g. Epiſtola, Evangelium, aliæ Orationes, & partes notabiles Canonis, non exprimunt, omittentem peccare mortaliter, nec ſpectant ad integritatem Sacrificii; & ſimiliter Ritus, qui in actione conſiſtunt, ut oblatio Hoſtiæ, & Calicis poſt Offertorium: & tamen revocari non poteſt in dubium, tales Ritus, alios quidem in verbis, alios vero in actione conſiſtentes, eſſe præceptivos, & eorumdem tranſgreſſores peccare mortaliter; hinc infert; prædictam regulam a Gav. traditam, eſſe inſufficientem, quam ipſemet Gav, videtur deſtruere *ſup. n. 14. in fine*, ubi docet indefinite, Rubricas eſſe præceptivas, neque oppoſitum eſſe probabile. Quapropter ſententia Suarez, Quarti, Puteobonelli, & aliorum ſupra, aliis ſententiis eſt præferenda.

III. Præter Rubricas Miſſalis, quæ conſiderantur tanquam regula proxima, & immediata Sacrorum Rituum Miſſæ, tum privatæ, tum Solemnis, adſunt etiam S. R, C. Decreta, quæ cenſeri debent pariter tamquam regula proxima eorumdem Rituum, quia hæc S. C. facultatem habet interpretandi, & declarandi quæcumque dubia, quæ inſurgunt circa Ritus Eccleſiaſticos, ut colligi poteſt ex Conſtitutione 74. Sixti V. quæ incipit; *Immenſa bonitas, &c.* & revera ad prædictam Congregationem confluunt omnes Eccleſiæ, & Ordines Regularium, ex toto Orbe pro negotiis Rituum, & ejus reſolutiones, atque Decreta habentur tamquam Pontificis oracula. Oritur autem quæſtio utrum prædicta Decreta S. R. C. debeant reputari tanquam regulæ præceptivæ, vel ſolum tanquam regulæ directivæ; ſed antequam hoc dubium reſolvatur, prænotare debemus, quod non omnes memoratæ Sacræ Congregationis declarationes ſunt, aut dici debent Decreta rigoroſæ ſumpta, etiamſi de illis authentice conſtet. Hæ igitur reſolutiones dumtaxat Decreta rigoroſa cenſenda ſunt, quæ a dicta Congreg. emanant in forma rigoroſa Decreti, vel ſaltem in fine habent aliquam Decreti clauſulam. Ita Decretum rigoroſum, & præceptivum certe cenſeri debet illud editum die 11. Januarii 1681, in quo ſequentia ad Rubricas Breviarii leguntur -- *Sac. Rituum Congreg. ad Relationem Eminentiſſ. & Rev. D. Card. Columnæ inſtantibus Cæremoniarum Magiſtris Baſilicæ Principis Apoſtolorum, declaravit, & decrevit, occurrente feſto Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuageſimæ, vel ſimilibus aliis privilegiatis, itaut illius Officium, ex hoc contingat transferri, non eſſe ob id protrahendam etiam recitationem Antiph.* Alma Redemptoris, &c. *ſed die ſecunda Februarii poſt Completorium, illa dimiſſa, juxta diſpoſitionem Rubricæ, & ejuſdem laudabilem obſervantiam in Baſilica Vaticana, ſumendam eſſe Ant.* Ave Regina Cœlorum, &c. *ſublatoque quolibet alio aſſerto difformi quarumcumque Eccleſiarum uſu, ſive conſuetudine, ita ab omnibus, qui Breviario Romano utuntur, pariformiter ſervari mandavit. Hac die 11. Januarii 1681.*

*Pro Eminentiſſ. Domino Cardinali Fachinetto Præfecto.*

*N. Cardinalis Ludoviſius.*

*Loco ✠ Sigilli,*

*Bernardinus Caſalius S. R. C. Secr.*

Rurſus ejuſdem generis eſt aliud Decretum editum die 24. Januarii 1682. de non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum, in quo ſequentia verba leguntur -- *Cum alias Sacrorum Rituum Congregatio decreverit, Officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda; quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die Feſtorum mobilium; quæſitum fuit declarari, quæ regula ſervanda ſit, quando occurrunt eodem die cum Officiis SS. Kalendarii proprii, vel translatis: vel demum ſemel per hebdomadam, vel per menſem recitari conceſſis. Et Sacra eadem Congregatio reſpondit; prædicta Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, occurrentia in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis, ex vi Kalendarii proprii a Sede Apoſtolica approbati, quamvis ſub Ritu ſemiduplici de præcepto celebrandis, non eſſe transferenda, ſed omitti debere. Si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod Feſtum translatum poni deberet, tunc, liberum fore declaravit eadem Officia ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre. Prout etiam omiſſo Officio, quod ſemel per hebdomadam, aut per menſem ex Apoſtolico Indulto recitari conceſſum eſt, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari poſſe decrevit. Et ita ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ſervari mandavit. Die 24. Januarii 1682.*

*Cæſar Cardinalis Facchinetus.*

*Loco ✠ Sigilli,*

*Bernardinus Caſalius S. R. C. Secr.*

Præfatæ duæ Sacr, Congreg. reſolutiones, & aliæ iis ſimiles habent conditiones profecto requiſitas ad rigoroſum Decr. hujuſmodi autem reſolutiones, & declarationes vere obligant in utroque foro, ſi alias authentice de ipſis conſter; aliaſque habeant conditiones requiſitas a Theologis, & Canoniſtis, ad vim obligandi inducendam.

Si vero declarationes S. R. C, ſunt ſolum reſponſiones, ſeu reſolutiones dubiorum eidem propoſitorum ab aliquo Eccleſiaſtico, vel ab aliquibus Cæremoniarum Magiſtris, ſive ab aliquo Regularium Ordine, vel ab aliquibus Epiſcopis, ut frequenter contingit, & tales reſponſiones ab ipſa Congreg. emanent nulla adjecta clauſula rigoroſi Decreti, aliquid prohibentis, vel præcipientis, tunc juxta nonnullorum opinionem prædictæ declarationes cenſentur regulæ tantum directivæ, non vero præceptivæ Sacrum Rituum obſervandorum; reputantur ſiquidem tanquam ſapientiſſimorum virorum reſponſa, quæ oppoſitæ ſententiæ probabilitatem non tollunt.

Verum quando adſunt hujuſmodi reſolutiones, & habentur Auctores contrarium firmantes, in tali conflictu debent præferri Sacræ Congreg. deciſiones aliis quibuſcumque. Doctoribus contrarium aſſerentibus, ut pluribus relatis tradit Urſaya hujus almæ Urbis celebris Advocatus, *Diſcept. Eccleſ. tom. 1. par. 1. diſcept. 1. ſub. n. 7.*

Hujus ſecundi generis Decretorum, ſeu Declarationum exempla plurima habemus in noſtro Indice Decretorum, in quibus non continetur clauſula rigoroſa Decr. habentis vim legis præceptivæ, ſed ſolum continentur ſimplices Sacr. Congreg. reſponſiones, ſeu declarationes ad dubia ſibi propoſita, quæ nihilominus, uti dixi, debent debito reſpectu ab omnibus ſervari, ſi de eis authentice conſtet, & præferri cuicumque contrariæ opinioni, ab aliis DD. aſſertæ. Vel de hujuſmodi Sac. Congr. Decr. ſeu declarationibus ſentiendum eſt cum Turrino *part. 1. ſect. 1. cap. 2. §. Quæres ſecundo*, inducere eamdem obligationem, quam induxit Rubrica, vel materia, cujus eſt Decretum, vel interpretatio, & ratio eſt, ut dicit ipſe, tum quia ſunt acceſſoria illi Rubricæ, & habent eamdem naturam: tum quia, qui declarat, nihil novi inducere dicitur, *l. hæredes palam, ff. ſi quis poſt teſtament.* Ergo habent eamdem vim obligandi (infert Turrinus) niſi nova obligatio addatur. Idem Turrinus §. *Quæres primo*, quæſtionem movet, utrum interpretationes & declarationes Sac. Cong. ſequi debeant Viri Eccleſiaſtici, non tantum in eo peculiari caſu, pro quo feruntur, verum etiam in aliis ſimilibus? & reſolvit affirmative quia prædictæ reſponſiones maximam habent auctoritatem, & in omnibus ſimilibus caſibus vim habent interpretationis generalis, ibique præbet exemplum, verb. gr. S. C. declaravit ſignum, quod fit cum Patena poſt Orationem Dominicam debere eſſe ſignum Crucis, ut habetur in Decreto dato in noſtro Indice *ſub num.* 205. Ex hac declaratione, ait Turrinus inferri poteſt, quod quotieſcumque Rubrica dixerit, *ſignat* vel *ſignat ſe*, ſemper de ſigno Crucis, talem Rubricam intelligendam eſſe, quod eſt in multis locis, v. g. poſt oblationem Calicis, quando Sacerdos dicit: *Veni Sanctificator, &c.* ait Rubrica: *ſignat manu dextera*; idem legitur initio Canonis & Conſecratione Calicis, ubi Rubrica dicit: *dextera ſignat ſupra eum, &c.*

Cæterum quando hujuſmodi declarationes referuntur ab aliquo Auctore, non cenſentur ſufficienter propoſitæ, neque habentur pro canonice publicatis, ſed tunc ſemiplenam tantum habent fidem, nec major eis adhibenda fides eſt, quam illis Doctoribus, qui eas referunt, ut de iis, quæ a Gratiano referuntur in ſuo Decreto, docet Bonacina *de legibus diſput. 1. quæſt. 1. punct. 3. in fine.* Igitur ut præfatæ declarationes, & reſolutiones S. R. C. obligandi vim habeant, & plenam fidem mereantur, & contrariæ opinionis probabilitatem deſtituant, debent eſſe ſufficienter propoſitæ, & publicatæ, quia ſicuti lex nullam vim habet, niſi publicetur, ut eſt communis omnium DD. ſententia, ita etiam legis interpretatio, cum ſit ejuſdem naturæ cum lege, nullam habet vim obligandi, tamquam legis deciſiva declaratio, niſi ſit ſufficienter propoſita, & publicata.

IV. Gav. num. 4. -- *Rubricas aliquas eſſe juris ſtrictioris in Miſſis Conventualibus, &c.*) Docet Gav. Rubricas præſcribentes Miſſas Conventuales in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis eſſe ſtrictioris juris, adeoque præceptivas, & quidem ſub gravi, & *num. 7.* confirmat hanc ſententiam, quia additur in Feriis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, &c. etiamſi Duplex, vel Semiduplex Feſtum, &c. duas eſſe cantandas Miſſas in Collegiatis, & Cathedralibus, unam de Feria poſt Tertiam, alteram de Feria poſt Nonam; quando igitur omittitur

ſitur

Digitized by Google

titur Miſſa Conventualis in prædictis Eccleſiis, & rurſus quando omittitur Miſſa Vigiliæ, vel Feriæ, in illis diebus, in quibus cantanda præſcribitur poſt Miſſam Conventualem alicujus Feſti occurrentis, omnes illi peccant, qui ſunt in cauſa, ut non celebrentur tales Miſſæ, quia quando omiſſio eſt peccaminoſa, qui eſt cauſa omiſſionis, eſt cauſa peccati, ut pluribus relatis tenet, & probat Paſqualigus *de Sacriſ. novæ legis tom. 2. quæſt. 894. ſub n. 3. & 4. ac quæſt. 898. ſub num. 1. & ſeqq.* Solum Miſſa Solemnis de die omitti poteſt in caſu, de quo Cæremoniale Epiſcoporum loquitur *lib. 2. cap. 33. num. 31.* ubi habetur, quod ſi Epiſcopus voluerit ex ſua particulari devotione in Feſto SS. Corporis Chriſti celebrare, & SS. Sacramentum pro Proceſſione facienda conficere, poterit ſummo mane Miſſam planam ſine cantu legere, omiſſa pro hac die Miſſa Solemni, &c. propter Proceſſionem, ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem.

Quoniam vero cum Gavanto ſermonem habemus hic de Miſſis Conventualibus, congruum, & valde perutile nobis videtur exhibere hoc loco omnia Decreta a S. R. C. edita, quæ pertinent ad præfatas Miſſas Conventuales.

1. Si Proceſſio Litaniarum majorum terminetur ad Eccleſiam Sancti Marci, cantetur ibi Miſſa de S. Marco, non vero de Rogationibus. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Hiſpalen.* & in noſtro Indice datur *ſub n.* 18.

2. *Si* Eccleſiæ Dedicatio occurrat in Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, fiat de ea (nempe de Dedicatione) Miſſæ duæ cantentur, & infra Octavam fiat de digniori. S. R. C. 16. Octobris 1604.

Hoc Decretum refertur a Gavanto in Theſauro Sacrorum Rituum *tom. 2. ſect. 8. cap. 5. ſub n.* 8. & refertur pariter a nobis in Indice Decretorum ſpectantium ad Breviarii Rubricas, in calce ejuſdem *tomi* 2. hujus Theſauri collecto. Refert etiam Fajoli hoc Decretum in ſuo Kalendario perpetuo rationali, in Adnotationibus ad Menſem Septembris *lit. D ſub num. 1. pag.* 247.

In prædicto caſu Decreti allegati patet ratio, ob quam Feſtum Dedicationis præferri debet Feſto Nativitatis B. M. V. nam Feſta, quæ ſunt claſſis ſuperioris, ſicut eſt Dedicatio Eccleſiæ, quæ eſt primæ claſſis, præferri debent ſemper aliis, quæ ſunt inferioris, ſicut eſt Nativitas B. M. V. quæ celebratur ſub Ritu ſecundæ claſſis; in pari autem claſſe pro Feſti prolatione attenditur dignitas perſonæ, cujus Feſtum celebratur, de qua re fuſius diſcurremus in Commentariis ad Rubricas Breviarii Romani. Quod autem in prædicto eventu occurrentiæ Dedicationis Eccleſiæ cum Feſto Nativitatis B. M. V. cantari debeant duæ Miſſæ, hoc ſtatutum conſonat Rubricæ Generali VI. de Tranſlat. Feſt. in qua habetur, quod in Eccleſiis, ubi titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de Feſto, &c.

3. Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti, poſſunt cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die Feſto, Dominica, ac die Octava. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina*, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 80.

4. Miſſa Conventualis de Feſto, ſeu de Feria currenti, omnino cantanda eſt, non obſtante quacumque contraria conſuetudine. S. R. C. 28. Januarii 1612. *in Oſcen.* & in noſtro Indice *ſub num.* 120.

5. Miſſa Conventualis pertinet ad Cantorem, & Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ, non autem ad Vicarium, qui debet tantum curam Animarum Parochianorum habere. Sac. Rit. Cong. 7. Julii 1612. *in Uliſbonen.* & in noſtro Indice *ſub num.* 127.

6. Miſſæ Votivæ non poſſunt ſuffragari pro miſſa Conventuali, quæ non poteſt omitti, etiam ſi cantetur Miſſa Votiva. S. R. C. 16. Maii 1626. *in Burgen.* & in noſtro Indice *ſub num.* 198.

7. Non poteſt omitti altera ex duabus Miſſis cantandis de Feſto, & de Feria; S. R. C. 16. Maii 1626. & 28. Auguſti 1628. *in Burgen. & Tarantina*, & in noſtro Indice *ſub num.* 199.

8. Miſſa Conventualis de Feria in Cathedralibus, & Collegiatis, omnino eſt dicenda ultra Miſſam Feſti, & abuſus ſunt reformandi. S. R. C. 16. Januarii 1627. *in Januen.* & datur in noſtro Indice *ſub num.* 203.

9. Ob Miſſam Votivam, ſeu pro Defunctis, non eſt omittenda Miſſa Conventualis, neque poteſt introduci conſuetudo in contrarium. S. R. C. 16. Januarii 1627. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 204.

Hoc Decretum refertur etiam a Gav. *ſupra part. 1. tit. 4. ſub num. 3. lit.* q, & iterum in Manuali Epiſcoporum v. Miſſa Conventualis *ſub num.* 5. Item a Paſqualigo de Sacriſ. novæ legis *tom. 2. quæſt.* 892. *ſub num.* 1. & Clericato de Sacriſ. Miſſæ *ſub num.* 16.

Advertendum tamen eſt, quod hoc Decretum intelligendum eſt, ſalva ſemper Rubrica de Votivis aſſignatis ſingulis diebus in fine Miſſalis, de quibus nos quoque ſermonem habuimus præfata *part. 1. tit.* 4. hujus Theſauri in noſtris Obſervationibus, & Additionibus *ibidem*.

10. Poteſt Epiſcopus cogere Canonicos, ut a Capellanis in Quadrageſima cantare faciant Miſſam cum Diacono, & Subdiacono S. R. C. 17. Julii 1627. *in Nicien.* & datur in noſtro Indice *ſub num.* 212.

11. Conſuetudo contraria induci non poteſt, non cantandi Miſſam Conventualem de die. S. R. C. 16. Januarii 1627. & in noſtro Indice datur *ſub num.* 204.

12. Miſſa Conventualis non poteſt celebrari pro Anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ Miſſæ. In die vero Depoſitionis dicenda eſt Miſſa pro Defunctis, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. *in Januen.* & datur in noſtro Indice *ſub num.* 233.

13. Miſſæ duæ non debent cantari eadem die ejuſdem Sancti in Eccleſia, in qua celebratur Feſtivitas dicti Sancti. S. R. C. 3. Auguſti 1652. *in Mediolanen.* & datur in noſtro Indice *ſub num.* 307.

Crederem tamen, quod in aliquo caſu poſſit cantari duplex Miſſa ejuſdem Sancti, ſeu Solemnitatis, præſertim quando celebrantur exequiæ alicujus Defuncti, cujus cadaver eſt præſens in Eccleſia eo die, quo non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, etiamſi cadaver ſit præſens, in tali, inquam, caſu crederem, poſſe celebrari, ſeu cantari duplicem Miſſam ſolemnem ejus Feſtivitatis, primam ſolitam Conventualem, quæ applicatur pro Benefactoribus, ſecundam vero pro Defuncto, de quo fiunt exequiæ præſente ejus cadavere.

14. Qui habent privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima, in diebus infra Octavam occurrentibus, debent dicere Miſſam Conventualem de Feria currenti, cum commemoratione Octavæ, quamvis recitaverint Officium de die infra Octavam. Ita S. R. C. 24. Januarii 1682. ad tertium dubium, & datur in noſtro Indice *ſub num.* 460.

Hoc Decretum eſt omnino conforme iis, quæ præſcribit generalis Rubrica III. Miſſalis *de Feria, & Vigilia num.* 2. ubi poſt Gavanti Commentarium nonnulla etiam nos addidimus, & obſervavimus, ſpectantia ad hoc Decretum, unde ne eadem hic repetantur, iterum legi poſſunt, quæ ibi tradita ſunt de Miſſis dicendis, & cantandis in Vigiliis infra aliquam Octavam occurrentibus.

Adverte tamen, quod in die Octava Miſſa principalis non eſt de Feria; nam Rubrica Miſſalis loquitur de diebus infra Octavam, non vero de die Octavæ, in qua in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Regularibus, ubi adeſt conſuetudo, cantari debent duæ Miſſæ Conventuales, prima de Octava poſt Tertiam, & ſecunda de Feria illa Quadrageſimali poſt Nonam, in qua ſecunda Miſſa nulla fit commemoratio Octavæ, ſicuti in prima non fit commemoratio Feriæ, & in hac ſecunda Miſſa Præfatio debet eſſe de Quadrageſima, etiam ſi Octavam haberet propriam juxta, ea quæ diximus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad Titulum XII. primæ Partis, & ſic etiam docet Gayetus in *Hertologia lib. 4. cap. 3. quæſt.* 1. At in illa Miſſa Conventuali Feriæ, quæ deberet dici in diebus infra Octavam, cum in hac debeat fieri commemoratio Octavæ (quia nulla debet cantari Miſſa Conventualis de Octava) ſi talis Octava præfationem haberet propriam, hæc deberet dici, non vero Præfatio de tempore, inhærendo iis, quæ a nobis tradita ſunt dicto Titulo XII. primæ Partis; nimirum ob eamdem rationem, ob quam die 14. Decembris ſi in ea occurrat Feria Temporum, debet cantari unica Miſſa Conventualis de tali Feria, ſed cum commemoratione Octavæ Conceptionis, ejuſdemque Præfatione. Jo: Baptiſta Pittonus contrariam tenet ſententiam *in ſua collectione Deciſionum ad Sacros Ritus ſpectantium pag.* 302. & citat pro ſe Guyetum, ſed Auctor iſte non loquitur, niſi de Miſſa illa Conventuali Feriæ, in qua nulla fit commemoratio Octavæ, & quæ dicitur poſt aliam Conventualem prædictæ Octavæ, non vero de illa Miſſa Conventuali Feriæ, quæ ſola cantatur, & in qua fit commemoratio Octavæ, cum dicatur non in die Octavæ, ſed in una ex diebus infra Octavam, de qua Miſſa nunc loquimur, adeoque bene ponderari debet diſcrimen; quod intervenit inter hanc Miſſam, & aliam ſecundam Conventualem Feriæ, quæ cantatur in die alicujus Octavæ.

15. Sacerdos, qui celebrat Miſſam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare ſymbolum, non poteſt illam proſequi, eo tempore, quo a choro cantatur ſymbolum prædictum. S. R. C. 17. Decembris 1695. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 510.

16. In Eccleſia Cathedrali, quæ habet privilegium recitandi Officium S. Crucis qualibet Feria VI. non impedita, non poteſt cantari unica Miſſa Feriæ cum commemoratione Sanctæ Crucis, quando in dicta Feria VI. occurrit Feria, quæ habet Miſſam propriam. Sac. Rit. Cong. 5. Julii 1698. *in Collen. ad vigeſimum primum dubium*, & in noſtro Indice *ſub num.* 533.

17. In Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus fit de duplici primæ claſſis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. Sacra Rituum Congregatio 5. Julii 1698. *in Collen. ad 14. dubium*, & datur in noſtro Indice *ſub numero* 528.

Hæc reſolutio non ſupponit recitationem Officii duplicis pri-

primæ claſſis in Dominica prima utriuſque temporis, neque in Dominica Paſſionis, neque in Dominica Palmarum, quæ cum ſint pariter primæ claſſis, excludunt aliud duplex primæ claſſis. Eſt igitur intelligenda reſolutio præfata de aliis Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus poteſt fieri Officium duplex primæ claſſis, in quo caſu eſſet cantanda unica Miſſa Conventualis de Feſto, non vero alia de Dominica, quia Dominica non reputatur Feria, cum in ea recitetur Officium novem Lectionum, Si enim reputaretur Feria, tunc eſſent cantandæ duæ Miſſæ in Cathedralibus, & Collegiatis, ut fit in omnibus Feriis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, nempe prima de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam, ut tradit etiam Gavantus *ſup. tit.* 7. primæ Partis *num.* 2. & in comprobationem ſui aſſerti, quod Dominica non venit nomine Feriæ, adducit Decretum Sac. R. Cong. datum in Indice Tom. II. hujus theſauri, in quo agitur de Rubricis Breviarii.

Rurſus in ſequelam hujus reſolutionis optime advertunt Monachi Caſinenſes in ſuo Kalendario Anni 1734. die 21. Martii, in qua occurrit Dominica ſecunda Quadrageſimæ cum Feſto Sancti Benedicti Monachorum Occidentalium Patriarchæ, quod ipſi celebrant ſub Ritu duplici primæ claſſis cum Octava, ex privilegio Clementis Papæ X. optime, inquam, advertunt, quod in prædicta Dominica non debet ab ipſis cantari, niſi unica Miſſa de Feſto, non vero etiam alia de dicta Dominica. Quare autem omitti debeat Miſſa Conventualis de Dominica in tali caſu, & non eſſet omittenda Miſſa de Feria, quando Dominica eſt nobilior; optimam aſſignat rationem Gavantus in ſuo Commentario ad ſupradictam Rubricam Generalem Tit. VII. primæ Partis, & ex eo Biſſus *lit. F num.* 18. §. 8.

18. Si in Feria III. Rogationum occurrat Feſtum ſimplex, in Cathedralibus, & Collegiatis non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S. R. C. 5. Julii 1698. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 521.

19. In Miſſa Conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu, & miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio. S. R. C. 22. Januarii 1701. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 556.

20. Miſſa, quæ a quibuſdam Regularibus poſt horas Canonicas dicitur ſine cantu, poteſt dici Conventualis S. R. C. 14. Februarii 1705. & in noſtro Indice datur *ſub n.* 592.

21. In Miſſa Conventuali, quæ non cantatur ſolemniter in Feſtis ſecundæ claſſis, debet fieri commemoratio de Feſto ſimplici, quando de eo in Officio facta eſt commemoratio ad Laudes; aliter tamen dicendum eſt, ſi talis Miſſa reputetur tamquam ſolemnis. S. R. C. 14. Februarii 1705. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 592.

Apud Scarfantonum ad Ceccoperium *part.* 2. *lib.* 3. *in Animadverſ. ad tit.* 4. *ſub n.* 14. *pag.* 34. juxta impreſſionem Lucanam de Anno 1723. legitur ſequens Decretum, quod tamen in Regeſtis S. Congregationis reperiri non potui, ſaltem ſub iis terminis; verum ex his, quæ affert Scarfantonus ibidem, videtur de hoc Decreto non eſſe dubitandum.

22. Miſſa Conventualis cantanda eſt poſt Tertiam, non autem abſolutis omnibus Horis Canonicis, non obſtante contraria conſuetudine. Ita reſolvit S. R. C. 18. Junii 1589. *In Chatacen.*

Cum talis reſolutio ſit conſona ſacris Rubricis, & conſuetudini omnium Eccleſiarum, eſt profecto ſervanda, etiamſi de ipſa authentice non conſtet, utrum vere a S. R. C. edita fuerit.

Veriſſimum eſt, quod Miſſa Conventualis, & ſolemnis in Feſtis duplicibus, & ſemiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta a Choro hora Tertia, celebratur. In Feſtis vero ſimplicibus, & Feriis per Annum, dicta Hora Sexta; ſed in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temp. etiam infra Octavam Pentecoſtes, & Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis ſit dies ſolemnis, Miſſa de tempore debet cantari poſt Nonam.

In Miſſis Feriarum Quadrageſimæ, Quatuor Temp. Rogat. & Vigil. etiamſi dupl. & ſemidupl. Feſtum, vel Octava occurrat, in Eccleſ. Cathedr. & Colleg. cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam, ſed in Feriis Rogat. & in Vigil. in quibus habentur Miſſæ propriæ, cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto, alia de Feria Rogat. & Vigil. abſque ulla utrorum commemoratione; in Miſſa enim de Feſto omittitur commemoratio illius Feriæ, ſeu Vigiliæ, & e contrario in Miſſa Conventuali Vigiliæ nulla fit Feſti currentis commemoratio: in Feſtis tamen majoribus primæ claſſis nihil fit de Vigilia occurrente, ut videre eſt in Rubr. Gener. 3. de Feria, & Vigilia.

In Manuali Epiſcoporum Gavanti, in Additionibus v. *Miſſa Conventualis* ſubnectuntur etiam ſequentia Decreta.

23. Planetis plicatis in Miſſa uti poſſunt Regulares in Eccleſiis propriis inſignioribus. S. C. *apud Alcozer in ſuo Ceremoniali.*

24. Si ob Terræ frigiditatem Populus venit tarde pro ſolemni Miſſa, tardius etiam recitetur Hora Tertia, potius quam decantetur poſt Tertiam. *Eadem apud eumdem, ibidem.*

25. Celebrans, & Miniſtri ſedere poſſunt, dum cantatur Epiſtola, & Graduale. *Eadem apud eumdem, ibidem.*

Verum, cum de his tribus Decretis non conſtet, utrum vere ſint edita a S. R. C. idcirco non merentur niſi eam fidem, quæ adhiberi poteſt Auctoribus, qui ea referunt.

26. Conſtat quidem ex Decreto authentico, emanato 31. Julii 1665. quod tam Celebrans, quam Aſſiſtentes in Veſperis, & Miſſa ſedere debent in ſcamno, & non in ſede cornea. Quod Decretum exhibetur in noſtro Indice *num.* 428. Decretorum.

Alia ex dicto Manuali Epiſcoporum ibidem referuntur Decreta ſub Titulo Miſſæ Conventualis, quæ tamen ſpectant ad Ritus cujuſcumque Miſſæ Solemnis, præſertim vero ad thurificationem, quæ Decreta nos jam collegimus, & deſimus ſuo loco, in quo de talibus Ritibus ſermonem habuimus, & ideo hic ea prætermittimus.

Alia Decreta pertinentia ad Miſſam Conventualem lubet hic tendere; quæ ab aliis Congregationibus, nempe Epiſcoporum, vel Concilii Tridentini edita fuerint, quia juvare poſſunt ad varia dubia reſolvenda circa prædictas Miſſas Conventuales.

27. Miſſa Conventualis in Feſtis dicenda eſt tempore æſtivo hora decima quarta, tempore vero hyemali hora decima ſeptima. Ita reſolvit S. C. Epiſcop. die 27. Julii 1602. in *Caſtellaneta* 75. §. 11.

28. In Feriis autem poteſt dici paulo citius, modo non valde diluculo; eadem Sacr. Congreg. 20. Februarii 1701. *Aliff.* 86. §. 2. *& Caſtellaneta* 17. *Septembris Anno* 1702.

29. Conventualis Miſſa cantari debet quotidie in Collegiatis, quarum Clerus eſt numeroſus, & redditus non tenues. Ita Congreg. Epiſcoporum die 14. Januarii 1603.

Hæc tria Decreta leguntur apud Nicolium v. Miſſa *ſubn.* 6. & eadem refert pariter Clericat. de Sacrif. Miſſæ initio operis, Venetiis editi Anno 1727.

30. Canonici Cathedralium, & Collegiatarum accipiunt fructus ſuorum Canonicatuum ſub onere inſerviendi Eccleſiæ in celebratione Divinorum Officiorum; quæ celebratio non importat ſolum horas canonicas, ſed etiam Miſſam Conventualem, tanquam præcipuam partem, & proinde ad applicationem ejuſdem Miſſæ Conventualis tenentur pro illis, ex quorum diſpoſitionibus diſtributiones, & emolumenta percipiunt. Ita reſolvit Sac. Congreg. Concilii ſub die 17. Martii 1714. *Squillacen.* & etiam ſub die 9. Junii ejuſdem Anni 1714.

Hæc Decreta reperiuntur apud Urſayam *Diſcept. Eccl. tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 32.

Verum Pignatellus *Conſult.* 91. *tom.* 4. propoſito ſibi dubio, utrum in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, in quibus paucus eſt numerus Canonicorum, & Presbyterorum, tolerari poſſit conſuetudo cantandi Miſſam Conventualem Feſtis diebus dumtaxat? Reſolvit, ſeu melius cenſet, eſſe tolerandam talem conſuetudinem, ea ratione motus, quia ad inducendam obligationem Miſſæ Conventualis, non ſufficit, quod Eccleſia ſit Cathedralis, vel Collegiata, ſed inſuper requiritur, quod habeat ſufficientem numerum miniſtrorum. Conſentit etiam huic opinioni Scarfantonus ad Ceccoperium *part.* 2. *lib.* 3. *tit.* 4. *in animadverſ. num.* 5. & uterque convenit etiam pro eadem Miſſa Conventuali canenda, quod requirantur ſaltem undecim Perſonæ: nimirum Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus, duo Ceroferarii, Thuriferarius, & Acolythus, & pro Choro ſaltem quatuor, quia Miſſa debet eſſe cum cantu. Advertit tamen Pignatellus, quod unus, & idem Clericus poſſet obire munus Thuriferarii, & Acolythi. Et ego etiam adderem, quod in defectu antedicti numeri poſſet cani Miſſa, ſed ſine Miniſtris ſacris, & ſine Ceroferariis, prout talis conſuetudo introducta eſt in multis Eccleſiis etiam Cathedralibus, canendi eo modo in diebus ferialibus Miſſam ſemiſolemnem, ſeu mediam, ut vocant inter ſolemnem, & planam, de cujus Ritibus, nos fuſe locuti ſumus *ſupra* in Obſerv. & Addit. ad Titulos ſecundæ Partis.

Rurſus prædicti Auctores adſtruunt, quod etiam ratione exiguitatis reddituum permitti poteſt, quod Miſſa Conventualis cantetur tantummodo diebus Feſtis, ut recedendo a deciſis die 22. Maii 1706. reſolvit S. R. C. *in Camerinen.* ut videbimus etiam infra *tit. ſeq.*

IV. Gavant. eodem num. 4. *Nam Collegiatæ Regulares, &c.*) Cum in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis certum ſit, debere quotidie cantari Miſſam Conventualem, ut colligitur *ex cap. cum creatura de Celebrat. Miſſarum*, & ex aliis ſuperius a nobis dictis, nunc in dubium vertitur, utrum etiam Regularium Eccleſiæ cenſeri debeant Eccleſiæ Collegiatæ, in quibus occurrente Vigilia cum Feſto duplici, vel ſemiduplici celebrari, & cantari debeant duæ Miſſæ.

Gavantus ſupra tenet, quod Eccleſiæ Regularium minus proprie Collegiatæ dicantur; ita etiam opinantur nonnulli, quos ſuppreſſo nomine allegat Solarius in *Cærem. PP. Minorum part.* 1. *Proœmiali num.* 10. cum quibus ipſe quoque ſentit, Eccleſias Regularium non eſſe Collegiatas; ex quo ſequitur, non teneri ad multa, ad quæ ex Rubricis, & Decre-

Digitized by Google

cretis S. C. tenentur Collegiatæ Canoniei, qui habent ſtipendia pro Divinis Officiis celebrandis.

E contra vero Scarfantnnus ad Ceccoperium *l.* 1. *tit.* 5. *in Animadv. num.* 11. aſſeverat, omnem Eccleſiam Regularem de jure dici poſſe Collegiatam. Hinc ſuſtinent nonnulli, nimirum Donatus *in ſua Praxi reſol. rerum Regularium tom.* 3. *tract.* 7. *quæſt.* 7.102. Nec non Rotarius *in ſua Theologia Regularium tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. & alii apud eoſdem, ſuſtinent, inquam, Prælatos Regulares ſingulis diebus in ſuis Eccleſiis curare debere, ut Miſſa Conventualis celebretur, dummodo adſit ſufficiens numetus Religioſorum. Sed cum tres ſaltem requirantur ad faciendum Collegium, ubi ſit minor Sacerdotum numetus, etiam juxta eoſdem non urget hoc præceptum.

Oppoſitam vero omnino ſententiam tuetur Diana 3. *part.* 2. *tract. de dubiis Regul. reſolut.* 8. ea ratione ductus, quia ut plurimum conſtitutiones Regularium non obligant ſub mortali, neque ergo hæc conſuetudo cantandi Miſſam Conventualem, quæ acceſſoria eſt conſtitutionibus aliquorum Regularium; minus etiam de hac obligatione, cantandi, ſeu celebrandi Miſſam Conventualem ſentiunt alii cit. a Rotario *ſupra*, ultra quos addi poteſt Caſtaldus, qui *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 3. *num.* 20. aſſerit, quod utique Eccleſiæ Regularium cenſendæ ſunt Collegiatæ, quia ſatis ſe explicat Rubrica, appellando Collegiatas illas Eccleſias, in quibus plures Sacerdotes quotidie celebrant. Verum, ait ipſe, quæ dicuntur a Rubrica de hora, & cantu Miſſæ Conventualis, relate ad Eccleſias Regulares, ſtandum eſſe conſuetudini, ac poſſibilitati locorum, & ideo occurrente Vigilia cum Feſto, ubi quotidie non cantatur Miſſa, ait ipſe, neque duæ cantari debeant; & ubi diebus Feſtis Miſſa de Sancto cantari conſuerit, non neceſſario altera de Vigilia cantabitur, ſed ſi dicatur private, ſatisfit Rubricæ.

Ubi tamen utraque cantari commode poterit, prout in Cathedralibus, ac majoribus Eccleſiis conſuevit, laudabiliter in ſuo rigore ſervabitur Rubrica, & quoad horam, & quoad locum; de Sancto quidem poſt Tertiam, de Vigilia vero poſt Nonam, & quidem in Altari majori, ubi regulariter celebrari debent Miſſæ Conventuales: Quod ſi opportunitas temporis, ac loci commoditas aliquando aliud forte requirat, non improbatur (quod etiam in Urbe obſervarunt Sacrorum Rituum Periti) ſi in aliquo Sacello private Miſſa de Vigilia, ſeu Feria celebretur, nullo tamen modo omittatur. Hæc ex Caſtaldo *ſup.*

Quoad applicationem vero prædictæ Miſſæ Conventualis relate ad Regulares, optime advattit Rotatius *ſupra*, quod licet Bonacina, & Fraxinellus cit. a Pellizzario *tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 45. ſuſtineant, Miſſam Conventualem celebrari debere, & applicari pro Benefactoribus; nihilominus ubi non eſt talis conſuetudo, neque aliunde contracta ſit hæc oneroſa obligatio, ſecundum ſe Regulates Miſſam Conventualem libere applicare poſſe, & ita tenet ibidem Pellizzarius ex Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 51. Peyrino, Corduba, Trimarchio, Nigro, Leone ab eodem cit. Et revera, ait Rotarius, rigoroſa obligatio quotidiana, & perpetua non ſine gravi fundamento admitti debet; atqui neque ex ulla lege divina, aut humana expreſſe hæc obligatio habetur, neque ex aliqua implicita conventione cum Benefactoribus, qui ſi Manuales eleemoſynas panis, vini, &c. faciunt Religioſis, cenſentur eas libere facere; & quando pinguem aliquam, & extraordinariam eleemoſynam elargiuntur, explicare ſolent onus, quod intendunt imponere; ubi ergo nullum fuerit onus expreſſum, cenſentur libere elargiri eleemoſynas pro ſolo merito acquirendo, & pro participatione communium precum, quæ a Religioſis pro Benefactoribus hunc, nec ulterius exigunt ſatisfieri per applicationem Miſſarum.

Alia doctrina, & alia Decreta ſpectantia ad obligationem applicandi dictam Miſſam Conventualem relate ad Canonicos Sæculares tradentur in noſtris Obſervationibus, & Additionibus in Titulo ſeq.

VI. Gavant. eodem num. 4. *Sicut etiam ad Officium Divinum extra Chorum, &c.*) Adſtruit noſter Auctor *ſup.* Regulares obligati tantum ex conſuetudine ad recitandum Officium Divinum extra chorum, ſed advertendum eſt, quod ſi loquatur Gavantus de Regularibus Sacris Ordinibus non initiatis, ſed profeſſione ad chorum deputatis, dubium eſt, quo jure obligentur extra chorum ad recitandum Divinum Officium, laborant enim in hoc DD. quia difficile eſt radicem hujus obligationis invenire, quia ut per ſe patet, non tenetur ratione ipſius Religionis in genere, ut bene probat Bonartius *in Horis Canonicis lib.* 2. *cap.* 3. neque ratione profeſſionis, aut votorum, quia in votis ſubſtantialibus hoc debitum perſolvendi horas canonicas non exprimitur. Rurſus non tenentur prædicti Religioſi ad horarias preces aliquo jure Pontificio, quia nullus pro hac obligatione Canon profertur: quapropter dicendum eſt cum communiori ſententia Doctorum, eos teneri conſuetudine vim Legis habente ad recitandas horas canonicas extra chorum; ita expreſſe Sotus *lib.* 10. *de juſtitia quæſt.* 5. *art.* 3. Licet autem de ea conſuetudine dubitet Cajetanus, & Fumus, qui ei adhæſit 3. *Hora n.* 4. videtur tamen poſtea Cajetanus eam agnoſcere, dum ait, de profeſſis, Clericis ſtandum eſſe conſuetudini. Hanc ſententiam tenet etiam Bonartius *ſupra num.* 4. certius tamen eſt, & commune apud omnes DD. Clericos omnes, ſive Regulares, ſive etiam Sæculares ſacris Ordinibus initiatos, Presbyteros nempe, Diaconos, & Hypodiaconos ſtricte teneri hac Lege recitandi Divinum Officium, & ſolum ſupereſt dubium, an obligentur Lege humana ſcripta, an non ſolum conſuetudine vim Legis habente? Bonartius *cit. lib.* 2. *cap.* 2. ſuſtinet, Diaconum, & Hypodiaconum nullo jure ſcripto, ſed ſolum conſuetudine vim præcepti habente teneri ad recitandum horas canonicas, & idem cenſet etiam, aliquibus contradicentibus, de Presbytero nullum habente beneficium, videlicet etiam illum obligare ad penſum horarum canonicarum perſolvendum conſuetudine moribus recepta, & vim Legis habente, nullo autem jure ſcripto, quia nuſquam extat. Licet in quibuſdam Canonibus obligatio ipſius, undecumque proveniat, ſupponatur.

VII. Gavant. num. 5. *Ejuſmodi ſunt de Matutino, & Laudibus ante Miſſam, &c.*) Inter Rubricas prope præceptivas, Gavantus recenſet illam, quæ præſcribit in Sacerdote recitationem Matutini, & Laudem ante Miſſam. De hac eadem obligatione fuſe locutus eſt præfatus Gavantus in ſuo Commentario ad Tit. I. ſecundæ Partis, ubi adhæret ſententiæ rigoroſæ de prædicta recitatione Matutini, & Laudum ante Miſſam. Verum, ut optime ponderat Pius Caſſetta, ejuſdem Congregationis cum Gavanto *in ſuo Speculo Eccleſiaſt.* 1. *part. diſt.* 3. §. 10. ne ſit æquivocatio in verbis hujus quæſtionis, debent ſecerni certa ab incertis. Apud omnes igitur certum eſt, eſſe gravem obligationem facere ſacrum ſolemne poſt Matutinas preces in choro decantatas; immo juxta aliquos etiam poſt Tertiam, quia hæc eſt inveterata conſuetudo omnium Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Sed redeundo ad Miſſam Privatam pro certo habetur communiter inter DD. quod, urgente aliqua legitima cauſa, licitum eſt celebrare ante Matutinum ver. gr. Si in Eccleſiam ingrederetur Princeps, Prælatus, &c. cauſa audiendi Sacrum; vel ſi Celebrans valde mane aggreſſurus eſſet iter, vel habiturus aliquam concionem, tunc citra ullam noxam, etiam venialem, poſſet Sacrum peragere ante recitationem Matutini.

Denique conveniunt DD. communiter in hoc, quod nulla interveniente rationabili cauſa, eſt ſaltem culpa venialis celebrare ante Matutinum. Utrum autem Matutinum ſit recitandum a Celebrante ante Sacrum ſub mortali, hoc vere eſt in quæſtione, & deciſioni affirmativæ adhæret, ut dixi, Gavantus in ſuis ſupradictis Commentariis ad Tit. I. ſecundæ Partis. In hoc vero loco talem Rubricam præſcribentem recitationem Matutini ante Miſſam, non vocat abſolute præceptivam; ſed prope præceptivam, unde videtur temperare ſuam primam ſententiam; utraque opinio DD. quos affert Gavantus, ubi ſequitur rigoroſam ſententiam, propter eorumdem auctoritatem, eſt vere probabilis; affirmativa tamen eſt nimis rigida; negativa autem mitior, & magis recepta; ſed ſententia media, quæ aſſerit eſſe tantum culpam venialem, non recitato Matutino nulla urgente cauſa Sacrificium peragere, eſt probabilior, & communior, ut mox innui, & huic libenter adhæreo. Hanc etiam tenet Scarfantonus ad Ceccoperium *part*, 1. *lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 25. ubi plures affert Auctores.

VIII. Gavant. num. 11. *Si eſt conſuetudo immemorabilis, &c.*) Hæc, & ſequentia verba, quæ habentur in Gavanto ſub hoc numero, uſque ad num. 12. non reperiuntur neque in prima, neque in ſecunda editione hujus theſauri a Gavanto editi, quamvis in ſecunda editione ultra trecentas notas ipſemet addiderit. Me igitur latet, a quo prædicta verba inſerta fuerint. Adverto etiam, quod primum ex allatis ibi decretis, nempe *ſi eſt conſuetudo immemorabilis, &c.* in Regeſtis Sac. Congregationis profecto non reperitur. Neque pariter reperitur illud aliud Decretum, quod refertur ſub data 28. *Augusti* 1628. nempe *S. C. abrogavit omnem conſuetudinem, &c.* ſed reperitur tale Decretum ſaltem verbis æquivalentibus ſub alia data, ut conſtat ex Decretis datis in noſtro Indice, & ſupra pariter a nobis collectis.

Supereſt tamen advertere, quod Miſſa Defunctorum, & Miſſæ Votivæ, aliquando ſufficiunt pro Miſſa Conventuali, nimirum juxta id, quod præſcribitur in Rubricis generalibus, *Rubr. IV. de Miſſis Votivis num.* 3. ubi habetur, quod *aliis diebus infra hebdomadam, quando Officium ſit de Feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici poteſt aliqua ex Miſſis Votivis, etiam in principali Miſſa, quæ vocatur Conventualis, ſecundum ordinem dierum in fine Miſſalis aſſignatorum, & Commemoratione Feriæ, de qua ſit Officium.*

## De aliis obligationibus Sacerdotum circa Miſſam. XII,

### *G A V A N T U S.*

1 ALterum erat circa onera Sacerdotum in ordine ad Miſſam, quæ ad capita quinque revocari poſſunt: vel ratio-

ratione *Loci*, vel ratione *Temporis*, vel ratione *Ritus*; vel ratione *Officii*, ſeu *Beneficii*, vel ratione *Stipendii*: & hoc eodem ordine procedendum erit in hoc titulo.

2. Ratione *Loci* tenetur Sacerdos ſacrum facere in certo Altari, non impeditus legitime, ſi Teſtator, aut alius locum celebrandæ Miſſæ præſcripſerit: alias peccat mortaliter: quia non implet voluntatem teſtatoris, quam neque hæredes mutare poſſunt, non tamen tenetur ad reſtitutionem, ſi alibi pro eo celebret, citat *Doctores Bonacin. de Euchar. diſp.* 5. *quæſt. ultim. punct.* 7. §.4. *n.* 2. *ad finem*, & ratio patet; quia violat privatam legem Teſtatoris.

3. Poteſt autem Epiſcopus aliquando ex juſta cauſa, ſi nequeat in eo Altari, concedere, ut alibi celebret. *Idem ibidem*.

4. Qui tenetur celebrare in Altari privilegiato pro Defunctis, & alibi celebrat cum numiſmate, v. gr. Sancti Caroli, quo anima liberari poteſt a Purgatorio, videtur ſatisfacere: quod innuit *Alphonſ. de Leon. de off. & pot. Conſ. temp. Jubilæi p.* 3. *num.* 29. quem ſequitur *Franxinell. de oblat. Sacerd. ſect.* 4. *concluſ.* 5. §. 9. *num.* 1. *in* 6. *edit.* qui tamen num. 3. limitat niſi ille (air) qui petit Miſſam, eam velit celebrari in hoc, vel illo Altari privilegiato, tunc enim alibi non debet celebrari.

5. Qui tenetur alicubi celebrare, abſque applicatione Sacrificii, ad divinum cultum tantum, ita debet ſibi celebrare, ut nullo modo accipiat ſtipendium ab alio, ut illi applicet ſacrificium ſibi liberum, quod expreſſe vetuit Sac. Congreg. Trid. *in declaratione Decreti de celebr. Miſſarum ſub SS. D. N. Urbano VIII. emanati*, de quo infra, *in reſponſione ad quartum dubium*. Quod etiam norent Canonici, & Curati, qui tenentur celebrare Miſſam Conventualem, ſeu Parochialem in propriis Eccleſiis ratione Canonicatus, ſeu Rectoriæ, quia ad eam tenentur ratione beneficii, ſecus, quando ex mera conſuetudine, ſeu ſtatuto canonicali ad majorem Eccleſiæ decorem Miſſas privatas in propria Eccleſia Collegiata, ſeu Parochiali celebrant, non ratione beneficii, neque Capellæ, neque legati, neque ſalarii: qui ſoli quatuor Tituli in prædicta reſponſione prohibentur: & de Parochis, quod iis diebus, quibus tenentur Miſſam celebrare, non poſſent manualem eleemoſynam recipere, decrevit *Sacr. Congreg. Concil. Trid. die* 1. *Septembr.* 1629. quid ſi teneantur ter in hebdomada celebrare, ex Decreto Synodali, ut in Provincia Mediolanen. *ex Concil. Prov.* 1. Poſſunt hi recipere, quia Sac. Congr. Concil. loquitur de Feſtis, in quibus de jure communi tenentur celebrare, & annuos ideo redditus percipiunt; eadem Sac. Congr. Conc. 13. Julii 1630. declaravit adhuc, quod quando in fundatione beneficii, ſeu Capellæ, expreſſe cautum eſt (nota verbum *expreſſe*) non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii; eo caſu poterit Celebrans accipere novum ſtipendium, & unica Miſſa ſatisfacere obligationi beneficii, ſeu Capellæ, & item danti novum ſtipendium. Hæc illa. Parique ratione Capellani Monialium, & alii, qui incongruo præſertim ſtipendio ſubeunt onus titulo mercedis, quotidianæ Miſſæ, ea conditione expreſſa, quod non teneantur ad applicationem Sacrificii, poterunt accipere nova ſtipendia a Monialibus particularibus, aut aliis pro applicatione Sacrificii.

6. Ratione *Temporis*: quia vel nunquam, vel ſæpius, vel tardius, vel citius, vel rarius celebrat, quam debetur: nam, qui *nunquam* celebrat, graviter peccat: & in anno ſaltem ter, aut quater quilibet celebrare tenetur, *ex Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 14. Parochi ſæpius, ut audiant populi Miſſam, lege *Bonac. quæſt. ult. punct.* 7. *num.* 1.

7. Qui *ſæpius* in die celebrat, peccat, excipe ſequentes caſus: alii vero a Doctoribus allati non ſunt amplius in uſu. Primo in die Nativitatis, ſecundo, in caſu ſupplendi Sacrificii, de quo ſupra *tit.* 10. *num.* 3. Tertio; quando Sacerdos præeſt duabus Eccleſiis, in quibus uterque populus ſolet audire Miſſam: & non habet Vicarium, qui ſuppleat in altero loco. *Suar. diſp.* 80. *ſect.* 3. *cum aliis*. Quarto, quando pauci ſunt Sacerdotes, & multi ſunt Catholici in locis Infidelium, & Hæreticorum. *Navarr. & alii apud Scortiam lib.* 2. *c.* 16. *n.* 2. in his enim caſibus poſtremis licet bis, & ter celebrare, ſi opus eſt *ex Suar.* omiſſa ablutione Calicis, ut in Nativit. Domini.

8. Contingit *Tardius* celebrare cum peccato mortali, quando notabiliter differtur Sacrificium, puta, ad impetrandum aliquid a Deo, & Miſſa dicitur elapſo neceſſitatis tempore, quo caſu tenetur etiam ad reſtitutionem. *Petr. Navar. lib.* 2. *de reſtit. cap.* 2. *num.* 366.

9. Et item, quando ita multæ Miſſæ acceptantur pro Defunctis celebrandæ, ut longiſſimo tempore ſit opus, cui malo proviſum eſt nuperrime *cum Decr. de celebr. Miſſ. a Sac. Congr. Concil. Trid. edito* 21. *Junii* 1625. in quo prohibetur ſingulis, ne eleemoſynas manuales quotidianas pro Miſſis accipiant, niſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova ſuſcipere valeant.

10. Qua tamen in re eadem Congregatio declaravit. Primo poſſe nova Miſſarum onera ſuſcipi, etiamſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere, in *declar. citata ad decimum*.

11. Si tamen tribuens eleemoſynam pro novis oneribus ſciat impedimentum, & conſentiat, eo caſu poterunt nova ſuſcipi poſt alia quamprimum perſolvenda, *ibidem ad undecimum*.

12. Comprehenduntur etiam in hoc Decreto privati quique Sacerdotes, *ibidem ad decimumquintum*.

13. Tranſgreſſores hujus ſpecialis Decreti non tenentur tamen ad pœnas appoſitas in prædicto Decreto, quæ relationem tantum habent ad onera perpetua, de quibus in eodem Decreto agitur, & nos paulo infra, *ibidem ad duodecimum*.

14. Ceſſantque omnia privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum celebratione, vel anniverſariorum, vel quibuſdam collectis, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat; ita ut ſi tempore hujus Decreti ſuperfuerunt multæ Miſſæ celebrandæ, hæ celebrari diſtincte debeant, ut *in declar. cit. ad ſextum*.

15. Qui vero obligatur ad celebrandum in Feſtis de præcepto de voluntate teſtatoris non poteſt differre Miſſam in ſequentem Feriam; quia Feria non eſt Feſtum; neque intelligendus eſt teſtator de Feſtis duplicibus, vel ſemiduplicibus, quando ſimpliciter dicit, *in Feſtis*, ſed de Feſtis de præcepto, aut conſuetudine pro ſervitio populi, ut cenſuit *Congr. Pænitentiariæ Mediolanen. re bene agitata*, *teſte Bonac. loco cit. num.* 6.

16. *Citius* quoque celebrando peccatur, anticipata ſcilicet applicatione Sacrificii, nempe incerta, pro eo, qui poſtea eleemoſynam dederit, cum ſuſpenſione effectus Sacrificii, quæ anticipata applicatio prohibita fuit a Paulo V. velut avaritiæ fomes, *die* 5. *Novembris* 1605. *ut ſcribit Fraxinell. ſect.* 3. *prænot.* 5. §. 5. *n.* 4. & 5. *edit.* 6. poteſt tamen Capellanus prævenire tempus celebrationis, & anticipare celebrare Miſſas antecedente hebdomada, quas ex obligatione celebraturus erit ſequenti pro certa intentione. DD. *citati a Barboſ. de poteſt. Epiſcop. par.* 2. *alleg.* 24. *num.* 14.

17. *Rarius* denique celebrando peccatur, quando quotidiano quis obligatur Sacrificio, per ſe, vel per alium faciendo; & uno die per hebdomadam omittit celebrare, neque celebrari per alium curat, ſecus, ſi uni tantum impoſitum eſt quotidianum onus, ut per ſe ipſum impleat, nam hoc intelligi debet, ſalva honeſtate, & decentia, ratione cujus vacare poteſt a Miſſa celebranda ſemel in hebdomada, hoc eſt poteſt ſemel non celebrare: fuſe *Bonac. loc. cit.* §. 2. *n.* 16. non autem poteſt ſemel pro alio applicare Sacrificium; quæ duo ſunt valde diverſa, ut patet.

18. Qui vero impeditus infirmitate non facit quotidianam Miſſam, ad quam tenetur, excuſatur: neque tenetur ad ſupplementum, niſi ultra Menſem ægrotet, & item ſi reliquo Anni tempore diligens ille fuit in ſuo munere obeundo: & niſi in fundatione beneficii aliud expreſſe ſtatuatur, quæ ſingula omnia ſunt rationi conſona, *ex Bonac. ibi punct.* 8. *n.* 16. *cum aliis citatis*. *Petr. Navarr. de re reſt. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 210. & *Nald. v. Miſſa num.* 11. docent non teneri per alium ſatisfacere, qui ægrotat per duos menſes. *Diana tract. de celebrat. Miſſ. reſol.* 27. per quindecim dies. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg.* 24. *num.* 32. per octo, vel decem dies.

19. Ratione *Ritus*, accidunt peccata in oneribus Miſſarum, quando promiſit Sacerdos Miſſam Votivam, vel de Requiem, & dicit aliam de Officio currenti: quia virtus fidelitatis periret: & multo magis ſi cum juramento per inſtrumentum promiſiſſet: *Fraxinellus in opere edito ſub hu titulo: An Sacerdos teneatur dicere Miſſ. pro Defunctis, vel ejus vice poſſit dicere de Sancto, vel Feriis occurrentibus* edidit Bonon. me urgente 1625.

20. Cæterum *ibidem*, citatis quam plurimis Doctoribus claſſicis, docet ille idem, poſſe loco Miſſæ de Requiem dici Miſſam de Sancto, vel de Feria currente: quando major devotione afficimur in Miſſa de Sancto, vel de Feria privilegiata, unde oritur major valor accidentalis Miſſæ ex opere operantis, quo compenſari poteſt etiam cum lucro Miſſ de Requiem, brevior, & quæ in multis minuit potius devotionem, nam alioquin ex opere operato idem eſt valor in omnibus Miſſis.

21. Si vero non afficitur Sacerdos majori devotione i Miſſa de Sancto, vel de Feria: tunc dicere debet de Requiem, excepto Feſto Duplici, Dominicis, & aliis diebus in quibus prohibetur Miſſa de Requiem ab Eccleſiaſticis Rubricis, ut ſupra *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 2.

22. Senſus etiam Eccleſiæ eſt, ut Miſſa concordet cu Officio, quoad ejus fieri poteſt: cui ſenſui fideles omne conformari debent; ex quo ſequi videtur, non eſſe verb petentis Miſſam Votivam, ſeu de Requiem, ita amare in telligenda, ut eo modo rigoroſe celebrare teneatur Sace dos, ſed civili modo & morali, cum cauſa rationabili, a Eccleſia *in Rubricis tit.* 15. *num.* 3. lex etiam Eccleſiæ præ valere debet ſuper laicorum legem privatam, & ſæpe irra tionabilem.

23. Monet idem Auctor ſapienter Sacerdotes, ut promi tant, ſe dicturos Miſſas eo modo, quo magis prode poſ-

poſſunt juxta majorem ſui diſpoſitionem, & devotionem.

24. Populus etiam, qui ſimul offert cum Sacerdote, poteſt affici majori devotione audiendo Miſſam de Sancto, quam de Requiem, & conſequenter prodeſſe magis eiſdem iis, pro quibus Miſſa celebratur, & hæc *Fraxinell. probat fuſius ibidem.*

25. *Azorius lib. 10. cap. 32. quæſt. 5.* docet fere prædicta de Miſſis Votivis, quarum vice poteſt dici Miſſa cum Officio concordans, cum intentione ſecreta, quam haberet Sacerdos in Votiva.

26. Nec erit neceſſe dicere in prædictis caſibus Collectam de Votiva, ſeu de Requiem, maxime ſi per Eccleſiaſticos Ritus non liceret; applicatio namque Sacrificii non fit in Collectis, ſed potius in *Memento*, ſeu, ut Theologi loquuntur, in Oblatione, quæ tacite fit in ipſa Conſecratione.

27. Ratione *Officii*, ſeu *Beneficii*, quod erat quartum caput, contingit in oneribus Miſſarum peccari, nam Epiſcopi, & Parochi tenentur aliquando applicare Sacrificium pro ſuis ovibus, *ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. initio*, arbitrio boni viri, nempe in præcipuis ſolemn. Domini, & Dominicis diebus, aut ſaltem ſemel in hebdomada, *ex Bonac. quæſt. ult. punct. 7. in fine*, qua ratione conciliari poſſunt Doctores, qui negant, cum Concilio Tridentino affirmante *ſeſſ. 23.* eſt enim Populorum curator Epiſcopus, ſeu Parochus, & ab iiſdem ſuſtentantur.

28. Regularis etiam graviter peccat applicando Sacrificium contra rationabilem voluntatem ſui prælati, vel Sacriſtæ ab eodem deputati, *Fraxinell. ſect. 7. §. 7.* ubi addit, poſſe Prælatos irritare intentionem ſubditorum in Miſſæ celebratione, ſi ſecus applicent, ita ut Deus acceptet Sacrificium, & valeat illi, cui a Prælato per Miniſtrum infidelem applicatur, & licet *Suar.* doceat, pendere effectus Sacrificii ab intentione Celebrantis, etiam injuſta, eum tamen explicat *Fraxinell.* loqui de Sacerdote Sæculari libero, non de Regulari, cujus voluntas a Prælato pendet, alias onera Monaſteriorum ſubjacerent periculo, & dubitationi, an perſolverentur.

29. Quilibet etiam Sacerdos, ex probabiliori ſententia, non poteſt applicare portionem Sacrificii, quam diximus ſupra *cum de Canone*, eſſe propriam Sacerdotis, accepto ob eam ſtipendio tanquam pro integra Miſſa, quia cum ſit ſaltem dubia hæc doctrina, poſſet lædi juſtitia in hoc caſu, & proximum, qui ſtipendium pro Miſſa dedit, ſuo fructu defraudari; ſi vero fiat hæc applicatio Sacrificii ex mera charitate, eſt ſatis probabilis opinio, & nullum damnum inde ſequi poteſt proximo, pro quo celebratur.

30. Convenit adhuc ratione *Officii*, ut ille, qui ſupplet inchoatum ab alio Sacrificium, conformet ſe cum primo Sacerdote in applicatione ejuſdem Sacrificii: quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, & quia (cum ſupplementum ſupponat, alteram ſaltem ſpeciem conſecratam eſſe) probabile eſt, jam factam eſſe Deo oblationem pro eo, pro quo primum Sacerdos cœpit Miſſam facere. *Cord. lib. 1. quæſt. 3. in princip. opin. 5. poſt concl. 4. §. 2. & Vaſq. diſ. 231. num. 40. & 41.*

31. Demum ratione *Stipendii* multis modis peccatur, qui enim accipit plura ſtipendia, juxta taxata, ſcilicet, vel lege, vel conſuetudine, a pluribus, petentibus ſingulis unam Miſſam pro ſe diſtincte, & unam facit Miſſam pro iis omnibus, peccat ex communi ſententia. *Fraxinell. ſect. 4. conc. 1. fuſius.*

32. Qui ab uno accipit plura ſtipendia pro pluribus Miſſis, & unam tantum celebrat, eodem modo, quo ſupra, peccat, *ex eodem ibidem.*

33. Qui procurat ſtipendium juſto pinguius pro una Miſſa (niſi celebrandum ſit in loco diſtanti, vel incommodo) peccat, *ex Bonac. & aliis, quos cit. quæſt. ult. punct. 8. n. 13.* & tenetur invite danti reſtituere, *ibid. num. 11.* neque ſufficit titulus paupertatis, quia facta eſt ordinatio in Sacerdotem titulo beneficii, ſeu patrimonii ſufficientis ad victum, *ibid. num. 14.*

34. Qui ſtipendium juſto pinguius accipit pro Miſſa, quam deinde minori ſtipendio, quam ſit juſtum, facit ab alio celebrari, peccat: neque item, ſi det illi ſtipendium juſtum, retinens ſibi quod eſt ultra juſtum, tutus eſt in conſcientia, niſi ſit Dominus, & non merus diſpenſator, aut curator Miſſarum celebrandarum. *Fraxinell. ſect. 3. prænot. 5. §. 4. num. 1. & Congr. Pœniten. Mediol. apud Bonac. loc. cit. n. 18.*

35. Sed eam limitationem, niſi ſit Dominus, &c. ſuſtulit Sacra Concilii Tridentini Congregatio in Decreto ſupra citato, in quo abſolute prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam accepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat, & intelligi debet etiamſi detur illi ſtipendium juſtum; quia paulo infra in eodem Decreto jubentur dici Miſſæ pro eleemoſyna tenui, & pingui æqualiter: *omne*, inquit, *damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens*, ecce cauſam Decreti, & *Fraxinell. in 6. edit. loc. cit. num. 7.* conformat ſe Decreto.

36. Imo eadem Sacra Congregatio declaravit; etiam eleemoſynam majorem ſolita dari tribuendam eſſe integram abſolute Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ab aliquo retineri poſſe, *in cit. declarat. ad nonum, & in reſponſione ad ſeptimum*, permittendum non eſſe, ait, ut Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant, ratione expenſarum, quas ſubeunt in celebratione Miſſarum, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint; & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio ſunt neceſſario ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas. Hæc ibi. Eadem tamen Sac. Congregatio 7. *Septembris* 1630. referente *Barboſ. de jure Eccleſ. lib. 2. cap. 5. num. 39.* decrevit, quod, qui habuerit obligationem unius Miſſæ in hebdomada cum ſtipendio legato, & confirmato de octo in octo Annos, poteſt demandare alteri celebrationem prædictæ Miſſæ cum eleemoſyna conſueta, juxta morem Regionis, retenta ſibi reliqua parte dicti ſtipendii.

37. Qui vero acceptis duobus ſtipendiis juſtis pro duabus Miſſis, unam celebrat, applicando uni Sacrificium, ut propitiatorium, alteri, ut impetratorium, peccat tamen: quia uterque totum Miſſæ fructum prætendit. *Suar. cum aliis apud Bonac. quæſt. ult. punct. 8. num. 15.* & Sacr. Congregat. Concil. Trident. *in Decreto citato*, damnat hanc diſtinctionem.

38. Qui a pluribus ſtipendia minora juſto recipit, ut ex iis conſtituto ſtipendio juſto, unam Miſſam celebret, peccat: tum quia promittens cuique Miſſam, tenetur dare illi totam: tum quia *in Decreto citato Sacr. Congregat.* tot Miſſæ dici debent, quot ſunt eleemoſynæ datæ, etiam incongruæ, & exiguæ, ſive ab uno, ſive a pluribus dentur, quod præcipitur ibi ſub obteſtatione divini judicii, ſub peccato mortali, & cum obligatione reſtitutionis, revocatis quibuſcumque privilegiis.

39. Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare Miſſam, tenetur tribuere Sacerdoti celebranti pro ſe congruam eleemoſynam, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficii aliud fuerit cautum, *eadem Congreg. in cit. declar. ad octavum.*

40. Ubi nullum ſtatutum eſt diſpendium a teſtatore, vel alio, pro certo numero Miſſarum, eo caſu ſtatuere debet Ordinarius, non autem hæres, aut alius, & juxta morem Civitatis, *ibidem in reſponſ. ad ſecundum, & quintum.*

41. Caveat autem unuſquiſque ab onere perpetuo Miſſarum ſuſcipiendo ſine licentia Epiſcopi ſui, vel Generalis Vicarii, ſeu Generalis, aut Provincialis, ſi Regularis eſt, danda in ſcriptis, & gratis: alioquin Sæcularis ab ingreſſu Eccleſiæ erit eo ipſo interdictus. Regularis autem pœnam privationis officii, & perpetuæ inhabilitatis ad officia, vociſque activæ, ac paſſivæ, abſque alia declaratione incurret; *Eadem Congregatio in citato Decreto.*

42. Ad hæc, ut ibidem dicitur, amoveantur capſulæ ab Eccleſiis cum inſcriptionibus; *Eleemoſynæ pro Miſſis*, ne fideles hac ratione fruſtrentur; neque exponantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum pro eorumdem Miſſis ſolitæ apponi, *ut in cit. declarat. ad decimumtertium*, nulla tamen pœna eſt in hoc caſu impoſita, *ex reſponſione ad duodecimum*, quæ in Decreto videbatur apponi.

43. Neque acceptorum multorum onerum reductio, moderatio, & commutatio ab alio nunc fieri poteſt, niſi a Sede Apoſtolica: & aliter factæ ſunt nullæ, *ut in cit. Decreto Sacr. Congregat. Conc. Trident.* Veruntamen, ſi in ipſa beneficii erectione cautum fuerit expreſſe, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari; declaravit *eadem Sacr. Congregat.* licere adhuc Epiſcopo id præſtare, *in reſponſ. ad primum dubium.* Quare neque in Synodis Diœceſanis, neque in Capitulis Generalibus fieri poſſunt amplius reductiones Miſſarum olim conceſſæ a Concilio Tridentino.

44. Et ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere tenentur ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque Menſe, ideſt, Feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & Feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti prædictæ ordinationes in publica menſa perlegantur, quam pœnam ſubiere jam nonnulli, apud eamdem Sacram Congregationem Concilii Tridentini, ab eorum ſubditis accuſati.

**Et hic eſto finis Tertiæ Partis Rubricarum Miſſalis.**

Ne-

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 5. *Ita debet ibi celebrare, ut nullo modo accipiat ſtipendium ab alio, &c.*) Lege infra aliquam moderatinnem circa hanc ſententiam, quæ tamen moderatio, & additio, cum non reperiatur in prima, & ſecunda editione Gavanti, ignoramus, utrum ipſi, vel alteri, qui eam inſerere potuit, tribueoda ſit.

II. Gav. ibid. *Quod etiam notent Canonici, & Curati, qui tenentur celebrare Miſſam Conventualem, &c.*) Canonici tam Cathedralium, quam Collegiatatum, præſertim inſignium, tenentur quotidie Miſſam Conventualem applicare pro Benefactoribus; quia talis Miſſa eſt pars Divini Officii, & non poſſunt ſtipendium aliquod aliunde pro tali Sacrificio percipere, conſuetudine quacumque in contrarium minime refragante, ut ſæpe declaravit, & decrevit S. C. Concil. & primo quidem in una *Elnen.* cum quæreretur: an Canonico celebranti Miſſam Conventualem ultra diſtributiones illius diei, debeantur eleemoſynæ, quæ a Chriſti-fidelibus erogantur pro Miſſis celebrandis? Sac. Concilii Congreg. 5. Martii *1646.* reſpondit -- Canonicos, & Beneficiatos pro Miſſa Conventuali, non poſſe aliam eleemoſynam recipere, vel Sacrificium alteri applicare -- Idem conſtat ex aliis ejuſdem S. C. deciſionibus, nimirum in una *Tuſcul.* 16. Novembris, deinde 24. Maji 1661. *in Ceſænaten.* 24. Maji *1661. in Alexandrina* 26. Aprilis *1663.* in una *Civitatis Caſtellanæ* 4. Martii 1690. *in Hidruntina* 1. Martii 1692. *in Feretrana* 23. Septembris 1694. *in Lanceanen.* 13. Novembris *1674. in Cataten.* 29. Novembris 1698. *in Camerinen.* 2. Julii 1704. & 6. Julii 1705. *in Ripana* 2. Julii 1707. & in *Fulginaten.* 24. Januarii *1620.* 17. Decemb. *1718.* & 24. Januarii 1720. & in *epiſt. Epiſcop. Volaſeran.* 14. Martii 1722. §. 3. confirmat etiam Pittonus *de Canonicis n.* 1058. Monacellus *tom.* 1. *tit.* 2. *formul.* 4. *num.* 27. *& in Appendice ad dictum tom.* 1. *pag.* 501. *num.* 12. *& tom.* 4. *in ſupplem. ad tom.* 1. *pag.* 344. *editionis Romanæ;* idem Criſpin. Viſit. Paſtor. *part.* 2. §. 20. *num.* 36. *&* 37. ubi exhibetur etiam Decretum S.C. in terminis Canonicatuum, quorum præbendæ ſunt adeo tenues, ut aliqui decem, aliqui triginta, aliqui quadraginta ſcuta annuatim non excedant; atque in caſu ubi cura Animarum reſidet in habitu tantum pene capitulum, & ea exercetur per unum aut plures Sacerdotes, ſive Vicarios perpetuos, ſive amovibiles, hæc obligatio applicandi Sacrificium diebus feſtivis pro populo ſpectat ad ipſos, quia cum hæc ſit obligatio omnium Parochorum, ut videbimus infra, eorum amovibilitas non tollit, quin habeant vere curam Animarum, quapropter eo tempore, quo tale munus exercent, obligantur profecto ad dictam applicationem Sacrificii, & hæc eſt praxis hujus almæ urbis, ubi a S. C. Viſitationis Apoſtolicæ eſt ſpecialiter proviſum, ut dicta applicatio fiat ab *illis*, qui actu curam exercent. Et ut certo conſtare poſſit, quod talis applicatio fideliter adimpleatur, eadem Congr. præſcripſit, ut in libris Miſſarum talis Miſſa adnotetur, tamquam applicata pro populo, & quntannis de ea rationem reddi mandat. Monacellus *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *num.* 20. & Aloyſius Ghetardi Epiſcopus Certonenſis *in ſua diſſertatione*, quæ habetur in calce Compendii Defectuum, qui accidunt Sacerdoti in Miſſæ celebratione.

Contingit aliquando, quod in Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis cura actualis Animarum annexa ſit, & a Canonicis per hebdomadam, ſeu per turnum exerceatur, in quo caſu Capitulum tenetur ad utramque Miſſam applicandam, nempe Conventualem pro Benefactoribus, & Parochialem pro populo, de qua infra aliqua dicemus. Quando vero cura eſt annexa alicui Dignitati, vel Canonicus, ſeu dignitas, cui dicta cura eſt annexa, ſi celebrat Miſſam Conventualem, applicare eam debet pro Benefactoribus; Miſſa vero Parochialis pro populo erit celebranda per alium, ſed ſumptibus dicti Canonici curam Animarum habentis; vel Miſſa Parochialis transferri poterit in diem ferialem, applicando nempe Miſſam illius diei pro populo, nullam ſumendo eleemoſynam manualem pro tali Miſſa, nec aliis obligationibus Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Collegiatæ ejuſdem Miſſæ celebratione ſatisfacere tunc poterit, & hoc eruitur ex deciſionibus Sac. Congreg. Concil. *in Foroſempronien.* 7. Auguſti 1683. *in Feretrana* 25. Sept. 1694. *in Camerinen.* 28. Junii 1704. & in alia *Camerinen.* 6. ejuſdem *1705.* & in eadem 22. Maji *1706.* & *in Viterbien.* 31. Martii *1718.* in qua Congreg. propoſitis dubiis.

*Primo. An Parochi Cathedralium, & Collegiatarum, qui ſunt primæ dignitates, vel membra earumdem, excuſentur ab applicatione Sacrificii diebus Dominicis, & Feſtis per Miſſam Conventualem, quæ in Choro quotidie canitur, aut ultra prædictam Conventualem Parochi ſupradicti teneantur celebrare, & applicare ſupraſcriptis diebus pro Parochianis?*

*Secundo. An quando per turnum ad ſupradictos Parochos ſpectat Miſſam Conventualem cantare diebus Dominicis, & feſtis, teneantur iidem celebrare facere pro Parochianis aliam Miſſam propriis ſumptibus?* S. C. Concil. reſpondit.

Ad primum dubium, *negative quoad primam partem: affirmative quoad ſecundam Partem.*

Ad ſecundum dubium, eadem Sac. Congreg. reſpondit *Affirmative.*

Hoc Decretum reperitur apud Scarfantonum *loco ſupracit. lib.* 3. *in animad. ad tit.* 1. *n.* 13. & apud Ghetardum *diſſert. cit. in fine.*

Ita pariter declaravit, & decrevit eadem Sac. Cong. Concil. *in Suteina: Miſſæ Parochialis* 12. Januarii *1709. in Tuſculana Miſſæ Conventualis* 13. Aprilis *1709. in Balneoregien. Miſſæ Parochialis* 19. Auguſti 1713. ad 6. & *in Almaphitana: Onerum Miſſarum* 13. Aprilis 1715.

Ratio autem, cur unica Miſſa Conventuali non poſſit ſatisfieri Parochiali, ea eſt, quia ut conſideranti patebit, duplex illa obligatio habet duplicem reſpectum, Parochialem nempe, & Conventualem. Parochialis igitur Miſſa eſt applicanda pro Parochianis; Conventualis vero pro Benefactoribus, ut liquet ex Decretis allegatis, ideoque Canonicus, & Parochus ſimul, qui canit Miſſam Conventualem diebus feſtivis, pro qua diſtributiones percipit, non poteſt unica Miſſa Conventuali duplici prædictæ obligationi ſatisfacere, ſed debet ſupplere, vel per alium pro Miſſa Parochiali, vel per ſe, applicando ſuam Miſſam die feriali ſequenti pro ſuis Parochianis, ut ſupra diximus.

Ad nonnullas alias dirimendas quæſtiones, & reſolvenda dubia, quæ inſurgere poſſunt circa obligationem, & applicationem ſupradictæ Miſſæ Conventualis, lubet dare hic Decretum per extenſum, á Sac. Conc. Congreg. editum, & ſupra a nobis allegatum *in Foroſempronien.* 7. Auguſti 1683. quod eſt ſequentis tenoris, & refertur a Scarfantono in ſuis animadverſionibus ad Ceccoperium *part.* 2. *lib.* 3. *tit.* 4. *n.* 11.

### FOROSEMPRONIEN.
Celebrationis Miſſarum.

*Archidiaconus Cathedralis ſupplicat declarari. Primo. An illis diebus, quibus juxta tabellam Miſſa Conventualis non habet onus certæ, & particularis applicationis, Canonicus, vel Capitularis, qui jure turni illam celebrat, poſſit pro illius celebratione, vel applicatione eleemoſynam manualem recipere, vel omiſſo ſtipendio, ſatisfacere aliis oneribus ſibi inhærentibus ratione alicujus Beneficii, vel Capellaniæ? Secundo. An præfatis diebus, quibus juxta tabellam Miſſa Conventualis non habet onus certa, & particularis applicationis, & ulterius occurrit onus celebrandi aliam Miſſam cantatam ratione Officii, Anniverſarii, vel ex alia cauſa hujuſmodi, poſſit duntaxat cantari Miſſa hæc extraordinaria, & oneri Miſſæ Conventualis ſatisfieri, mediante celebratione Miſſæ planæ? Et quatenus* negative. *Tertio. An in caſibus, & ad effectus, de quibus ſuffragetur conſuetudo immemorabilis? Quarto. An ſuffragetur tenuitas præbendarum, & diſtributionum Capitularium? Die, &c. Et S. C. reſpondit in omnibus* negative, *idemque declaravit, atque confirmavit* in Lavellen. 22. *Martii 1689. non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, & non attenta tenuitate redditnum.*

*Quod in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis Miſſa Conventualis applicari debeat quotidie pro Benefactoribus, non obſtante tenuitate redditnum, & contraria conſuetudine, etiam imemmorabili, iterum declaravit eadem Sacr. Congr.* in Camerinen. 28. *Junii* 1704. *& poſtea in alia* Camerinen. *pro Collegiata S. Maria de Terra S. Geneſii: verum eadem Sacr. Congreg. Concilii iterum* in Camerinen. *die* 22. *Maji 1706. in reſponſione ad ſecundum dubium, reſolvit, quod: Quandoque ratione exiguitatis redditnum Canonicalium, permitti poteſt in Eccleſia Collegiata, ut Miſſa Conventualis celebretur tantummodo diebus Feſtis, ita recedendo a deciſis, die* 6. *Junii* 5705. *reſpondit S. C. in Camerinen. Miſſæ Conventualis ad ſecundum dubium* 22. *Maji 1706.* & datur, ut dixi, copia hujus Decreti Apud Scarfantonum ad Ceccoperium *part.* 2. *tit.* 4.

III. Gavant. ibid. *Et Curati, qui tenentur celebrare Miſſam Conventualem, ſive Parochialem, &c.*) Sicut Canonici, ut diximus, tenentur Miſſam Conventualem celebrare quotidie pro Benefactoribus, ratione Canonicatus, &c. ita Parochi, ſeu Curati ratione Rectoriæ tenentur applicare pro Populo omnibus diebus feſtivis de præcepto Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium; idque probatur auctoritate Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* ubi ait: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus cura Animarum commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, &c.*

Eadem autem *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 14. idem Concilium hæc habet: *Curet Epiſcopus, ut ii* (nempe ſimplices Sacerdotes) *ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint Animarum tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſam celebrent, &c.* Ex quibus evincitur, munus Parochi non ſolum eſſe celebrare, verum etiam aliquando Sacrificium offerre pro ovibus illius curæ commiſſis, & hæc eſt ſententia fere communis inter Canoniſtas, & Theologos, hancque præſertim propugnat Fagnanus, *in cap. Fraternitatem n.* 92. *& ſeqq. de ſepulturis*, Barboſ. *de officio, & poteſtate Epiſcopi, allegat.* 14. *num.* 23. *de Parochis cap.* 11

*num.*

n. 10. *Ad Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1. num. 4. & de jure univerſali Eccleſiæ lib. 1. cap. 4.* Clericat. *de benef. diſcord. 29. n. 1. & ſeqq.* Criſpinus *viſit. paſtor. part. 3. §. 9. num. 11.* Leurenius *in ſuo foro Eccleſiaſt. lib. 3. tit. 41. de celebr. Miſſarum quæſt. 976. per totam*, Reiffenſtuel *eodem titulo numer. 22.* Navarrus *in Manuali cap. 25. numer. 114.* Suarez *in 3. par. tom. 3. diſput. 86. ſect. 1. prope finem.* Sotus *de juſt. & jure lib. 1. quæſt. 3. art. 1. & lib. 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2.* Bonac. *de Sacram. diſp. 4. quæſt. ult. punct. 7. nu. 4. in fine.* Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis quæſt. 851. num. 7.* & recentiſſime Zegherus Bernardus Van-Eſpen Juris Eccleſ. univ. *part. 2. tit. 5. cap. 2. num. 16.*

Diſſident tamen allegati Auctores circa quantitatem dierum, quibus per hebdomadas ſingulas tenentur Parochi Miſſam celebrare, eamque pro ſuo Populo applicare; ſed omnes conveniunt in hoc, quod iiſdem Parochis ineſt hæc obligatio, pro qua adimplenda, offerre, & applicare debent Sacrificium ſuum Dominicis ſaltem diebus, aliiſque Feſtis de præcepto, quæ quidem communis ſententia proculdubio tenenda eſt, & contraria, a paucis propugnata, omni caret probabilitate, quia præfata prima ſententia plurimis Sac. C. Concilii Decretis remanet fulcita, & confirmata. Habentur autem talia Decreta *in una Civitatis Caſtellanæ* 26. Auguſti 1628. & 8. Auguſti 1648. *in Hidruntina* 13. Februarii 1639. *in Vercellen.* 21. Martii 1643. *in Romana* 17. Julii 1649. *in Meliten.* 7. Junii 1692. *in Cremonen.* 20. Decembris 1692. *in Nonantulana* 31. Auguſti 1698. *in Piſtorien.* 14. Februarii 1699. *in Theanen.* 5. Junii 1700. *in Pampelonen.* 18. Novemb. 1702. & 31. Martii 1704. *in Camerinen.* 28. Junii 1704. *in Viterbien.* 21. Martii 1708. *in Foroſempronien.* 8. Februarii 1716. ubi conſtanter firmatur, quod Parochus ſive habeat congruam, ſive non, in Feſtis tamen de præcepto, ac diebus Dominicis, teneatur omnino pro ovibus ſuæ curæ commiſſis Miſſam applicare, quia Parochus, non ratione ſubſtentationis, ſed ratione officii tenetur Sacrificium pro Populo offerre, & excuſatio tenuitatis congruæ Parochorum nunquam a S. C. admiſſa fuit.

Præfata autem S. C. Decreta maximæ profecto ſunt auctoritatis, ita ut deſtruant omnem probabilitatem contrariæ ſententiæ, & tamquam deciſivæ declarationes, & interpretationes Sacri Tridentini Concilii ſunt obſervandæ, adeoque vim legis habent, & ut leges recipiendæ ſunt, utpote latæ ex commiſſione Summorum Pontificum, & a Perſonis, vigore Conſtitutionum Apoſtolicarum habentibus a Summis Pontificibus plenam facultatem interpretandi præfati Concilii mentem, & ideo prædictæ definitivæ declarationes, ac deciſiones ſunt ſanctiones, quæ obligant in utroque foro, ut fuſe, & docte oſtendunt; Fagnan. *in cap. Quoniam de Conſtit. a n. 6. ad 21. tom. 1.* Garzias *de Benefic. dict. diſcord. 29. num. 27. 34. 38.* Monacell. *tom. 3. parte 3. tit. 2. in adnot. ad formul. 8. n. 9. & 11.* Idque probari etiam poteſt ex iis, quæ ſupra diximus agentes de Decretis, & declarationibus S. R. C. quando ſunt deciſivæ interpretationes Sacrarum Rubricarum.

Præfatis DD. & allegatarum Deciſionum auctoritatibus, maximum præſidium accedit ex Decreto memoratæ Sacr. Congregationis Concilii ab Innocentio XII. confirmato per Apoſtolicum ſuum Diploma, datum ſub die 24. Aprilis 1699. cujus copiam hic per extenſum exhibemus.

## INNOCENTIUS XII.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanavit ſuper quodam dubio, pro parte Venerabilis Fratris Moderni Epiſcopi Piſtorienſis, & Pratenſis Congregationi hujuſmodi propoſito, decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Piſtorien. & Praten. Cum Parochi Eccleſiarum Piſtorienſium, & Pratenſium inter varias opiniones Doctorum iuveluti negligant in dies celebrationem, & reſpective applicationem Sacrificii pro Populo juxta diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini; Epiſcopus ad conſulendum nedum propriæ, verum etiam dictorum Parochorum conſcientiæ, ſupplicat declarari: an dicti Parochi teneantur omnibus diebus Feſtis applicare Sacrificium pro Populo; ſive habeant congruam, ſive non? die 14. Februarii 1699. S. C. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, dandas eſſe reſolutiones alias hac de re editas, & ſignanter in nullius Nonantulanæ Eminentiſſimo Abbati 30. Auguſti 1698. tenoris, ut infra. Cum præcepto divino iis, quibus Animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro ovibus ſuis Sacrificium offerre, ſæpe alias Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis Sacrificii propoſito, & reſpective reſoluto ſub die 10. Maji 1692. his præciſis verbis concepto. An Parochus Miſſam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & Feſtis, ſive habeat congruam, ſive non? Sacra, &c. juxta alias declarationes cenſuit teneri, nec poſſe eiſdem diebus aliam eleemoſynam recipere, ac proinde idem nunc reſpondendum eſſe cenſuerunt Eminentiſſimi Patres, quoad Parochos Nonantulanæ Diœceſis, addentes inſuper quod Eminentia veſtra pro ſuo paſtorali zelo detrectantes, Parochos compellere non gravetur.*

*J. Card. Sacripantes Præfectus.*

*Loco ✠ Sigilli.*

*Cum autem, ſicut dilectus Epiſcopus nobis ſubinde exponi fecit, Decretum ejuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret: Nos ſpecialem ipſi Epiſcopo gratiam facere volentes, eumque a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces, exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 24. Aprilis 1699. Pontificatus noſtri Anno Octavo.*

*J. F. Card. Albanus.*

Liquido igitur conſtat certitudo primæ ſententiæ tot Decretis Sacræ Congregationis, & S. Sedis auctoritate comprobatæ, unde in dubium verti non poteſt Parochorum obligatio applicandi Dominicis, ac Feſtis diebus Miſſæ Sacrificium pro ovibus ſuæ curæ concreditis.

Eamdem obligationem ſubeunt etiam illi, qui regunt Eccleſias tanquam Vicarii perpetui, ut declaravit Sacra Concilii Congregatio. *In Camerinen. Miſſæ Conventualis 6. Junii* 1705. ad primum dubium, ut refert Scarfanton. *Tom. cit. lib. 3. tit. 3. in adnot. ad Ceccoper. n. 6.* Eamdem pariter obligationem contrahunt etiam Parochi Regulares, necnon Curati amovibiles, nam obligatio offerendi Miſſam Parochialem pro Populis diebus Feſtis pertinet ad eoſdem ratione talis officii, idque comprobatur etiam auctoritate S. C. Viſitationis Apoſtolicæ, ut oſtendit Monacellus *tom. 1. tit. 16. formul. 2. n.* 20. & hæc eſt praxis hujus Romanæ Urbis Eccleſiarum, ubi omnes Vicarii perpetui Baſilicarum, aliarumque Eccleſiarum Parochialium, etiamſi amovibiles ſint, ſive Sæculares, ſive Regulares, Sacrificium pro ovibus ſuis ſingulis diebus Feſtis offerunt, & de hac applicatione ſingulis annis docere tenentur prædictam Congregationem Viſitationis Apoſtolicæ, ut ſupra etiam adnotavimus.

Quoniam vero hæc obligatio oritur ex præcepto divino, ut colligitur ex Concilio Tridentino, & a Sacra Congregatione Concilii declaratum eſt, hinc contra talem legem, & contra prædicti Concilii expreſſam declarationem, nullius ponderis eſſe poteſt quæcumque contraria conſuetudo, etiamſi longæva, quæ potius corruptela appellari debet, ut firmat late Fagnanus *in cap. Quod a Prædeceſſore, n. 61. de Schiſmate, & in cap. Cum Eccleſiæ de Simonia*, necnon *in cap. Cum cauſam n. 4. de Electione, &c.*

Addo his omnibus auctoritatem noſtri P. Antonii Naldi, qui in Summa V. *Parochus n. 19.* extendit hanc obligationem Parochorum, etiam ad Prælatos Regulares, Epiſcopos, & etiam ad ipſum Summum Pontificem. Ait enim præfatus Auctor: *Revera non magis debet de jure divino obligari Parochus in hoc pro ſuis ovibus, quam Prælatus Regularis pro ſuis Subditis, Epiſcopus pro ſua Diœceſi, atque etiam Summus Pontifex pro univerſali Eccleſia, in quibus proportionaliter eſſet dicendum, quod de Parocho.* Hanc eamdem tenet Suarez *in tertiam Partem D. Thomæ tom. 3. diſp. 86. ſect. 1. & tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 3. n. 7.* ubi ait: *Hæc autem jura generaliter loquuntur de omnibus Dignitatibus Eccleſiaſticis habentibus curam Animarum annexam, ſub quibus ſine dubio comprehenduntur etiam Prælationes Regulares; magnam enim ſine dubio habent curam Animarum ordinariam, & ex officio vere Prælationes, & dignitates Eccleſiaſticæ ſunt.* Ita etiam tenent Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis quæſt. 847. n. 8. & quæſt. 851. n. 9.* Tamburinus *de Jure Abbatum tom. 2. diſp. 5. quæſt. 5. n. 5.* Thomas Hurtadus *Reſol. 4. n. 46.* & recentiſſime Bernardus Van-Eſpen *Juris Eccleſiaſt. univerſ. &c. tom. 1. par. 1. tit. 31. cap. 10. n. 11.* & Rotarius *in ſua Theologia Regularium, &c.*

Ad

Ad Epiſcopos quod attinet, extendunt ſuam obligationem applicandi Miſſam pro ovibus ſuis, non ſolum diebus Feſtis, quin immo ſingulis diebus, dum quotidie celebrant, ut refert laudatus Gherardi *in cit. ſua Diſſert.* ubi tamen ſubdit, quod Collegium Salmanticenſium in ſuo Curſu Theologico morali *tom. 1. tract. 5. cap. 5. de Sacram.* aliique Theologi, quos ipſe congerit, mitius loquuntur circa obligationem quotidianam relate ad Epiſcopos, licet habeant redditus pingues, & licet ſint Parochi Parochorum.

IV. Gavant. eodem num. 5. *Et de Parochis, quod in diebus, &c.*) Hæc, & alia ſequentia verba, uſque ad num. 6. non leguntur neque in prima, neque in ſecunda editione Gavanti, quapropter incertum eſt, a quo ſint adjecta in hac additione. Legitur, quod S. Concilii Congregatio 13. Junii 1630. declaravit, quod quando in fundatione Beneficii, ſeu Capellæ expreſſe cautum eſt, non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo caſu poterit Celebrans accipere novum ſtipendium, & unica Miſſa ſatisfacere tum obligationi beneficii, ſeu Capellæ, tum danti novum ſtipendium. Hoc liquet etiam ex alia deciſione ejuſdem Sac. Congregationis edita die 13. Februarii 1638. *In Nucerina*, in qua declaratur, quod ſex Capellani amovibiles ad nutum Abbatis S. Benedicti, a quo quolibet menſe accipiebant aliquam portionem frumenti citra obligationem applicandi Sacrificium, poſſent de conſenſu ejuſdem Abbatis applicare Sacrificium pro iis, a quibus ipſi recipiebant ſtipendium.

E contra vero *in una Elnen.* de qua etiam ſupra ſermonem fecimus cum quæreretur, an Canonico Celebranti Miſſam Conventualem, ultra diſtributiones illius die, debeantur eleemoſynæ, quæ a Chriſtifidelibus erogantur? Eadem Sacra Congregatio Concilii die 5. Martii 1646. reſpondit; *Canonicos, & Beneficiatos, non poſſe pro Miſſa Conventuali aliam eleemoſynam recipere, vel Sacrificium alteri applicare, & hanc deciſionem refert Pignatellus tom. 3. Conſ. 64. n. 20.*

Iterum eadem Sac. Congregatio *in Alexandrina* die 27. Aprilis 1653. & 7. Februarii 1664. ad petitionem Sac. Congr. Epiſc. declaravit, Canonicos non obſtante contraria conſuetudine, & quamvis in fundatione non habeant onus celebrandi, & applicandi Sacrificium, non poſſe diebus, quibus per Turnum juxta Tabellam Eccleſiæ Miſſas celebrant, applicare Sacrificium pro ſibi elargientibus eleemoſynas; hanc pariter deciſionem refert laudatus Pignatellus *in eadem Conſule. 61. num. 18.*

Id ipſum decrevit S. Congr. Epiſc. *in eadem Alexandrina* die 9. Maji 1653. ut videre eſt apud Pignatellum ibidem; in una vero *Civitatis Caſtellanæ* ſub die 9. Julii 1694. cenſuit: *Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Caſtellanæ Anniverſariæ celebrationi non ſatisfacere celebratione Miſſæ Conventualis. In Miſſa vero, quam iidem Canonici celebrant in Aurora; ſi non habent onus illam celebrandi ratione Canonicatus, Legati, Capellaniæ, & Salarii, poſſe manualem eleemoſynam recipere, & pro ea Sacrificium Miſſæ applicare.*

V. Gavant. num. 16. *Citius quoque celebrando peccatur, anticipata ſcilicet celebratione Sacrificii, &c.*) Fit quæſtio inter Theologos, an Sacrificium poſſet anticipate applicari pro eo, qui primus daturus eſt ſtipendium? Sententiam affirmativam tuentur Bonacina *diſput. 4. de Sacram. quæſt. ult. punct. 7. §. 5. num. 3.* Reginaldus *libro 23. num. 237.* & alii, quos allegant Paſqualigus *de Sacrific. novæ legis quæſt. 168. num. 1.* & Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 1. reſolut. 49.* Negativam tamen ſententiam amplectuntur triginta DD. quos congerit laudatus Paſqualigus *d. quæſt. 168. num. 2.* inter quos recenſeri etiam debet Gavantus *ſupra*. Neque ab hac opinione recedendum eſt, quia opinio damnata fuit a S. Congregatione Concilii Tridentini juſſu Clementis Papæ VIII. ſub quo a S. C. id conſultum fuit, & deciſum, quamvis poſtea declaratio emanaverit ſub Paulo V. die 15. Novembris 1605. & hinc nonnulli eidem Pontifici tribuunt talem declarationem, ut notat Paſqualigus *d. quæſt. 168. numer. 3.* & Marchinus *de Ordine tract. 3. part. 2. cap. 31. num. 9.* qui per extenſum exhibent Decretum ipſum, quapropter ab hac anticipata applicatione Sacrificii, pro perſona incerta, quæ primo dabit ſtipendium, eſt prorſus abſtinendum.

VI. Gavant. eodem num. 16. *Poteſt tamen Capellanus prævenire tempus, &c.*) Hæc alia ſententia de Capellano, quod poſſit prævenire tempus celebrationis, & anticipate celebrare Miſſas, ut ſatisfaciat oneribus ſuæ Capellaniæ, ab ejuſdem Inſtitutore impoſitis, eſt fere communis inter DD. unde tuto poteſt unuſquiſque adhærere opinioni Gavanti ſupra expoſitæ.

VII. Gavant. num. 38. *Revocatis quibuſcumque privilegiis, &c.*) Ad magis comprobanda nonnulla, quæ afferuntur ſupra a Gavanto, lubet hic adnectere ſequentes propoſitiones ab Alexandro VII. damnatas die 4. Septembris 1665.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani, poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione, etiam juramento firmata, danti ſtipendia, quod pro nullo alio offeram.

Deinde ultra Decreta a Sacr. Congreg. Concilii Tridentini edita, & auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. confirmata, legenda eſt etiam Conſtitutio Innocentii XII. edita ſub die 23. Novembris 1697. quæ incipit - *Nuper*, & quæ pariter nonnulla continet ſpectantia ad hanc materiam celebrationis Miſſarum.

# COMMENTARIA IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

## PARS QUARTA.

### Rubricæ Miſſalis propriæ.

*MISSALE dividitur in partes quinque, Proprium de Tempore, Proprium de Sanctis, Commune Sanctorum, Miſſas pro Defunctis, & Benedictiones varias in fine ejuſdem. Proprias unaquæque Pars habet Rubricas a generalibus diſtinctas; & earum hoc loco tum originem, quoad ejus fieri poteſt, tum alias cauſas inveſtigabimus. Canon autem eſt centrum totius Miſſalis, in medio idcirco poſitus (de quo jam diximus) cum ordine Miſſæ omnibus Miſſis communi.*

*In hac igitur quarta Parte prædicta omnia ad Titulos novemdecim revocabimus, dilaturi nonnulla (Miſſali, & Breviario in Sanctorum Feſtis communia) in aliud volumen Commentarium in Rubricas Breviarii, quæ videntur eſſe ejus loci mage propria.*

### De Rubricis Miſſarum de Adventu. I.

### *GAVANTUS.*

1 OMiſſis iis, quæ in generalibus Rubricis ſunt explicata, quæ hic in Miſſali, & in ſequentibus ideo repetuntur, ut in memoriam Sacerdotis loco proprio revocentur: dicimus primo, inſcribi Dominicas de Adventu, quia totus Ordo Eccleſiaſticus juxta contemplationem Adventus Domini hoc tempore diſpoſitus eſt. *Rupert. lib. 3. cap. 1.*

2. Tres Adventus Domini meditamur. Primum, quando venit, ut homo fieret. Secundum, quando venturus eſt in fine vitæ cujuſque noſtrum. Tertium, quando in fine mundi. *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 1.*

3. A Sancto Petro inſtitutum fuit hoc tempus per tres hebdomadas integras, & quartam non integram. *Durand. lib. 3. cap. 2.* ut ſicut per quatuor elementa ruimus per mala opera, ita ſurgamus ad bona. *Amalar. lib. 3. cap. 40.*

4. Partim lætitiæ eſt, & *Alleluja*, dicitur: partim mœroris eſt, & tacetur Hymnus Angelicus, neque adhibentur Dalmaticæ, *Radulph.* propoſit. 16. quia ſpem generat primus Adventus, ſecundus timorem incutit; *Durand. loc. cit.*

5. Dicuntur Orationes duæ, de B. V. contra perſecutores Eccleſiæ, vel pro Papa; ratione allata *in Rubr. general. in caſu ſimili 1. part. tit. 9. n. 3. 5. & 6.*

6. Miſſa infra hebdomadam non habet *Alleluja*, ut in Dominicis ob allatam cauſam propriam in *1. part.* tit. 14.

7. Officia Miſſarum Adventus (excepta Dominica quarta, quæ dicitur, vacans a S. Gregorio) habentur *in lib. Sacr. Antiph.* S. Gregor. ſolaque Oratio Domin. 1. eſt Ambroſiana, ex *Pamelio in Liturg.*

### Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentaria.

I. Gavantus numero 1. *Diximus primo inſcribi Dominicas de Adventu, &c.*) Quamvis ex more Eccleſiæ nomine Adventus intelligatur tempus deſignatum ante Feſtum Nativitatis Domini, nimirum tres hebdomadæ integræ, & quarta non integra, ut explicat *Durandus lib. 3. capit. 2.* quæ præcedunt prædictum Natalis Feſtum, nihilominus olim vox Adventus pro ipſa Natalis die accipiebatur, quæ Adventus Domini appellari ſolebat, & equidem Miſſale Mozarabicum, & Lanfrancus in ſuis ſtatutis, ubi agitur de Dominicis ante Natale, eas Dominicas ante Adventum vocant; ita etiam Hymni Natalis apud Sanctum Ambroſium inſcribuntur: *De Adventu Domini*, ad indicandum hujus feſti diem; idem Durandus *lib. 6*

Ra-

Ration. hoc tempus, præparationem Adventus vocat, ſive præparationem ad Advantum, nimirum ad Feſtum Nativitatis Domini. Alii hoc tempus Quadrageſimam ante Natalem Domini appellarunt, ut videre eſt in Saeramentario Ratholdi Abbatis Corbejenſis; quia revera antiquitus totum tempus Adventus Quadraginta diebus conſtabat, incipiebat enim verendie a S. Martini Feſto, quæ res occaſionem dedit hilaritati, cujus adhuc in omnibus fere Regionibus aliquod veſtigium apparet, eodem ferme modo, ac Feria III. ante Cinerum diem, quia illa poſtrema erat, qua carnes liceret comedere; & quia ſequenti die jejunium incipiebat; hinc eſt, quod ſex Dominicæ ante Natale Domini in Miſſali Mozarabico, Gallicano, & Ambroſiano, ordine tamen retrogrado numerabantur, itaut ſexta eſſet, quæ proxime ſuccedebat Feſto S. Martini. Non tamen hic Ritus ſex hebdomadarum Adventus apud omnes Regiones obtinuit; aliquæ enim Eccleſiæ duas tantum hebdomadas obſervabant, ut patet ex Miſſali Gothico a Thomaſio edito; aliquæ vero quinque hebdomadas, ut liquet ex Codice valde antiquo Breviarii Mozarabici, cujus exemplar extat in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Veronenſis, quamvis in Miſſali Mozarabico facile antiquiori, ſex ut dixi ſunt Adventus hebdomadæ. Romana Eccleſia ſtatim ac hunc Ritum accepit, quinque hebdomadas tempori Adventus deſtinavit, ut ex Codice Gelaſiano, & Gregoriano, necnon ex Amalario *lib. 3. de officiis cap.* 40. colligere eſt; talis etiam erat praxis Eccleſiæ Rhemenſis, ut liquet ex ejus Sacramentario ab annis circiter 900. ſcripto, idem numerus quinque Dominicarum Adventus apparet in Codice Gellonenſi, & Colbertino *a.* 1348. ejuſdem ætatis, & in Colbertino alio *n.* 1364. cujus caracter annos 800. repræſentat in Pontificali Egberti Eboracenſis Epiſcopi, & quibuſdam aliis. In Codicibus vero Rotardi, & Ratoldi, & apud Pamelium quatuor dumtaxat hebdomadæ, & Dominicæ Adventus recenſentur, converſo numerandi ordine, itaut ea, quæ remotior eſt a Dominicæ Nativitatis Feſto, prima Adventus Dominica, ſeu hebdomada appelletur, quæ vero tali Feſto eſt proximior, dicatur quarta; poſtremus hic mos numerandi hebdomadas Adventus apud omnes Eccleſias tandem obtinuit, & adhuc perſeverat. Radulphus Tungrenſis *propoſit.* 16. teſtatur, Romanos olim exordium Adventus a Dominica poſt Feſtum S. Catharinæ Virginis duxiſſe. *Adventus Domini apud Romanos incipit Dominica prima poſt craſtinum Catherinæ* -- Quod etiam de jejunio tunc ſervari ſolito intelligendum eſt; nam paulo poſt ſubjungit: *Apud Romanos etiam in Adventu Domini jejunium agitur*. Sed ex hac Radulphi aſſertione infert Hugo Menardus *in Notis, & obſervationibus ad Sacramentarium Gregorianum* pag. 217. prædictum Adventus ſpatium non adeo antiquum eſſe apud Romanos, cum Feſtum S. Catharinæ non reperiatur in antiquis Sacramentariis; ut nec hodiernum, quod conſtat tribus hebdomadibus integris, & aliquot diebus poſtremæ hebdomadæ; quodque proinde fruſtra quidam putant ita fuiſſe inſtitutum a S. Petro. Huic enim ſententiæ adverſantur profecto antiquiora Sacramentaria ſupracitata, in quibus Adventus Domini eſt quinque Dominicarum. Alia ſuper hanc materiam videri poſſunt apud Martene *cap.* 10. *de antiq. Eccleſ. diſcipl.*

II. Gavant. num. 3. *A Sancto Petro, &c.*) Noſter Auctor Durando adhærens, ipſum S. Petrum Adventus Inſtitutorem fuiſſe contendit, immo, & ſpatii quatuor hebdomadarum, ſed hæc opinio, ut mox diximus, validis momentis convellitur, & revera nullo ſolido innititur fundamento; quamvis enim facile probari poſſit, omni ævo dies quoſdam fuiſſe deſtinatos præparationi ad Natale Domini, nihilominus certi hujus temporis, quod Adventum dicimus, quodque ex certo Dominicarum numero conſtat, veſtigium nullum apparet, & reapſe, ſi Mabillonio credimus *lib.* 2. *de Liturgia Gallicana*, nulla ante ſæculum ſextum Homilia, ſive Cæſarii, ſive aliorum Doctorum legitur de Adventu Domini, tamquam de ſingulari quadam inſtituta celebritate, ſed ſi qua occurrit, exhortatio eſt ad Chriſti Nativitatem cum pietate præveniendam; vereor tamen, ne eruditiſſimi viri obſervatio refelli poſſit ex quadam homilia, quæ licet inter opera S. Ambroſii reperiatur, probabiliter tamen S. Cæſario adſcribenda eſt, in ea enim aperta mentio fit Adventus Domini tanquam celebratis ab antiquioribus Patribus inſtitutæ: *Hoc tempus*, inquit, *non immerito Domini Adventus nominatur, nec ſine cauſa SS. PP. Adventum Domini celebrare cæperunt, & ſermonem de iis diebus ad Populum habuerunt, ut ſe unuſquiſque Fidelis præpararet, & emundaret, quo digne Dei, ac Domini ſui nativitatem celebrare valeret*. Quiſquis ſit hujus ſermonis Auctor, ſatis oſtendit tempus iſtud ante ſuam ætatem inſtitutum fuiſſe, atque Adventus diebus conciones haberi ſolitas, quæ conſuetudo adhuc religioſe ſervatur. Illuſtriora tamen Adventus veſtigia habemus in monumentis Gallicanis ſæculi V, & fortaſſe a vero alienum non eſt, quod Gallis ſuam originem debeat, ut cenſent Baillet *in vitis Sanctorum tom.* 4. *pag.* 259. & Grancolas *Commentar. hiſtor. in Brev. Rom. lib.* 2. *cap.* 4. cujus aſſumpti fundamenta apud ipſos Auctores videre quiſquis facile poteſt; hunc tamen ritum ab Eccleſia Romana ſero receptum fuiſſe non videtur dubitandum; licet enim Adventus Dominici mentio habeatur tum in Sacramentario Gelaſiano a Thomaſio vulgato, quam in Codicibus Gregorianis hucuſque editis, in genuino tamen Gelaſii Codice, ſub nomine Magni Leonis nuper edito a Joſepho Blanchinio, penitus prætermittitur; ita etiam de iiſdem altum habetur ſilentium in Codice Gregoriano, quem contulit Cardinalis Thomaſius, & ex quo recenſuit Additiones factas Gregoriano Codici a Pamelio edito. Prædictum Codicem Pamelii a Thomaſio ſic collatum cum genuino Gregoriano Codice, qui pertinebat ad Sereniſſimam Svecorum Reginam, penes me habeo; unde facile conjici poteſt ex hucuſque dictis, Eccleſiam Romanam ante Sæculum VII. hanc Adventus diſciplinam minime recepiſſe.

Orientalis vero Eccleſia prædictam jejunii conſuetudinem in Adventu quoque obſervare, manifeſtum eſt ex Gregorio Codino *lib. de Offic. Palatii Conſtantinopolitani*, ubi agens de cæremoniis menſæ Imperatoriæ in Natali Domini hæc ſcribit: *Et facta oratione ad menſam, quia præterita Quadrageſima, principium temporis quo eduntur carnes, advenit, accepit panem, & miſſum*: nimirum ferculum, quod etiam latine *miſſum* appellatur, quia nempe mittitur in menſam. Ad diſtinctionem prædictæ Quadrageſimæ ab eodem Codino inſita, Quadrageſima Paſchalis appellatur, *Sancta, & magna Quadrageſima*, opinor tamen cum Grancolaſio, Græcos habere quidem adventum quadraginta diebus conſtantem, velut altera Quadrageſima, ſed quæ tantum in ſola abſtinentia a carnibus poſita ſit, & ideo hæc non vocatur magna Quadrageſ. quia ad ſummum in hac ſeptem tantum diebus tenentur ante Natale Græci jejunare. Fatendum tamen eſt Græcos in hoc obſervando jejunio uniformes non fuiſſe: nonnulli etenim, ut ſcribit Anaſtaſius Sinaita apud Cotelerium *tom.* 3. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ: *Diebus duntaxat octodecim abſtinent carne, & caſeo, & ovis; quidam vero carne ſola, quia reliqua comedunt excepto uno die; alii autem pari modo abſtinent diebus duodecim tantum, alii ſex, alii quatuor*. Prædictus tamen Anaſtaſius refutat eos, qui aſſerunt Græcos in obſervando hoc jejunio fuiſſe prædicto modo remiſſiores, ut legere eſt apud ipſum, vel apud Martene ejus verba referentem *cap.* 10. *de antiq. Eccleſ. diſcipl. n.* 7.

Prætereundum non eſt Eccleſiam Occidentalem duplicem nunc Chriſti Adventum celebrare his diebus, primum jam ſecutum, quando formam ſervi accipiens idem Dei Filius, in ſimilitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo, hoc ſuo Adventu conſecravit univerſum Mundum, quem viſibili carne indutus ingreſſus eſt, ut Homines Divino Patri pretioſiſſimo Sanguine ſuo reconciliaret, eoſdemque omnes a peccati ſervitute redimeret. Secundus, quem Eccleſia commemorat, Chriſti Adventus eſt in extremo Judicio ad hoc futurus, cum jam idem Filius Dei non hominum a ſe redemptorum, ſed ſui Divini Patris cauſam acturus, in ſua veri hominis forma glorioſa apparebit, in qua Deo ſimilior ſit, cujus formæ exhibitione ſimul & bonis ſecuritatem, & malis terrorem afferat, ut docte ponderat Eſtius *in* 4. *ſententiar. diſt.* 48. §. 8. Ex duplicis hujus Adventus Chriſti Domini commemoratione colligit doctiſſimus Cardinalis Lambertinus in ſua Inſtructione XI. Paſtorali, Eccleſiam idcirco aliis lætitiæ, aliis mœſtitiæ ſignis integrum hoc tempus celebrare, ut nos quoque cum Gavanto mox explicabimus.

III. Gavant. num. 4. *Partim lætitiæ eſt, & dicitur Alleluja &c.*) Optime adſtruit Gavantus hoc tempus partim eſſe luctus, partim vero lætitiæ. Hinc Icones, & Altaria ex more quarumdam Eccleſiarum partim velantur, partim vero detecta relinquuntur hoc tempore. Ita pariter eadem de cauſa *Alleluja* in quibuſdam Officiis de tempore omittitur, in quibuſdam vero additur. Omittitur ſiquidem poſt *Graduale* in Miſſis, quæ dicuntur in Feriis de Adventu: additur vero *Graduali* Miſſæ Dominicalis, & multis Antiphonis, quæ eo lem tempore dicuntur. Non dicitur Hymnus Angelicus in Miſſis de ipſo Adventu, dicitur tamen in Miſſis feſtivis hoc tempore occurrentibus. Propterea toto tempore Adventus, quando Officium de eo fit, adhibetur in Miſſis color violaceus, etiam in illis Dominicis, quæ infra Octavam alicujus Feſti occurrunt; adeoque omnia Altaria, etiam Tabernaculum SS. Sacramenti iis diebus debent ex præſcripto S. R. C. eſſe parata colore violaceo, teſte Bauldry *part.* 4. *cap.* 1. *n.* 1. & 2. & Caſtaldo in Cæremoniali noſtræ Congregationis *lib.* 3. *cap.* 3. qui addit, quod ſuper Altare, & inter candelabra vaſcula cum floſculis, ac ſimilia ornamenta ſolemnia, Dominicis, & Feriis Adventus adhiberi minime debent, excepta tamen tertia Dominica, quæ lætiorem ornatum requirit, & Feſtis Sanctorum, quibus occurrentibus, etiam in Adventu, Altaria ſunt ornanda.

IV. Eodem num. 4. *Neque adhibentur Dalmaticæ, &c.*) Toto Tempore Adventus Diaconus, & Subdiaconus non utuntur Dalmatica, & Tunicella in quibuſcumque Eccleſiis in Miſſis de Adventu, ſed Planetis plicatis ante pectus, & iis quidem in majoribus Eccleſiis tantum, ſcilicet, Cathedralibus, Collegiatis, & Eccleſiis Regularium inſignioribus, ut colligitur ex Miſſali, & ex Decreto Congreg. Rit. dato in noſtro Indice *ſub num.* 247. Excipitur tamen Dominica tertia, quæ appellatur *Gaudete*, in qua prædicti Sacri Miniſtri utuntur Dalmaticis, ſicuti & in Feriis hebdomadæ ſequentis, quia in iis dicitur Miſſa de eadem Dominica. Planetæ autem plicatæ Miniſtrorum ſunt ejuſdem formæ, & coloris, ac illa

Celebrantis, ſed tamen ſic plicatæ, ut pars anterior replicetur interius uſque ad medium, vel revolutæ etiam ante pectus, & tantum aciculis, aut quibuſdam vittis, ſive ligaculis firmantur, ne pars eorum anterior decidat. Finita autem Miſſa, poſſunt eædem aciculæ auferri, vel brevia ligacula, ſive cordulæ in ſuis extremitatibus inſutæ poſſunt relinqui, & ſic prædictæ Caſulæ, etiam Sacerdotibus aliis pro celebratione Miſſarum inſervire, ut poſt Bauldryum *part. 4. cap. 1.* obſervavit Gerlacus Vinitor *in Compendio Sacrorum Rituum par. 6. tit. 1. n. 3.* qui etiam ibidem *num. 4.* declarat ordinem, ac tempus deponendi, ac reſumendi ejuſmodi Planetas plicatas, uti & Stolam latiorem ſumendi, & deponendi a Subdiacono, & Diacono reſpective; dicendo, quod Subdiaconus cantaturus jam Epiſtolam, paulo ante quam accipiat librum, Planetam plicatam deponit in alio loco congruo, & convenienti ad id deputato, puta ſuper credentiam, adjuvante eum aliquo Acolytho in cornu Epiſtolæ. Cantata vero Epiſtola, ſtola indutus Alba cum manipulo, & oſculata manu Celebrantis, poſt Epiſtolam cantatam, priuſquam deferat Miſſale ad cornu Evangelii, reſumet ſuam Caſulam plicatam. Diaconus ſimiliter deponet Planetam eodem loco priuſquam librum Evangeliorum deferat ad Altare, & loco Planetæ ponet ſuper Stolam communem aliud genus Stolæ latioris, ſed brevioris, & violaceæ, quam ligabit cordulis, ſeu ligaculis ſub brachio dextero, juvante eum Acolytho; ſicque miniſtrabit Celebranti uſque ad factam Communionem; & hac peracta, poſtquam detulerit Miſſale ad cornu Epiſtolæ, perget ad credentiam, ſeu locum aſſignatum, ubi depoſita latiori Stola, reſumet ſuam Planetam plicatam, nec eam deponet amplius niſi in Sacriſtia.

In minoribus autem Eccleſiis, in quibus Miniſtri Sacri uti non debent Planetis plicatis, miniſtrabunt in albis; & Diaconus quidem ſuam ſolitam Stolam tantum, & manipulum, Subdiaconus vero manipulum ſolum adhibebit. Sed prædicta Dominica tertia Adventus etiam in iis Eccleſiis utentur Dalmatica, & Tunicella, & quoties Miſſa ejuſdem Dominicæ reſumetur per illam hebdomadam, adeoque hujuſmodi indumentis uti non poſſunt in Miſſis Quatuor Temporum, ſed in his miniſtrabunt in albis, ut ſupra innuimus.

Cæterum ſupradictis Planetis plicatis Diaconus, & Subdiaconus uti debent in majoribus Eccleſiis non ſolum Dominicis, & feriis Adventus, ſed etiam Dominicis, & feriis Quadrageſimæ, necnon diebus jejuniorum, item in Benedictione Candelarum, & earum Proceſſione, quæ fit in die Purificationis B. M. V. & in Benedictione Cinerum, ac in Benedictione Palmarum, & earum Proceſſione. Rurſus in Sabbato Sancto Miniſtri Sacri utuntur Planeta plicata, ſed ante Miſſam tantum, ſicut etiam in Vigilia Pentecoſtes; nam ad Benedictionem Cerei Diaconus utitur Dalmatica alba.

A ſupradicta regula excipiendæ ſunt Vigiliæ Sanctorum, licet in his obſervetur jejunium, nam Vigiliæ ſunt principium Feſti. Excipitur etiam, ut diximus, Dominica tertia Adventus, quæ dicitur *Gaudete, &c.* excipitur pariter Dominica quarta Quadrageſimæ, quæ dicitur *Lætare*, ſed non excipiuntur Feriæ intra eamdem hebdomadam, quia Rubrica Generalis Miſſalis XIX. has Ferias non excipit, ſicut excipit Ferias tertiæ hebdomadæ Adventus, cujus diſcriminis ratio eſt, quia in Feriis hujus tertiæ hebdomadæ reſumitur, & cantatur eadem Miſſa de tertia Dominica, quæ dicitur *Gaudete*, in Feriis vero quartæ hebdomadæ Quadrageſimæ non dicitur eadem Miſſa *Lætare*, quæ dici ſolet in prædicta quarta Dominica. Denique excipiuntur a prædicta regula Vigilia Nativit. Domini, ac Feriæ Quatuor Temporum Pentecoſtes ob ſolemnitatem Spiritus S. ut ſtatutum eſt in Concil. *Selingeſtandienſi cap. 2.* in quibus omnibus diebus Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella. Excipitur etiam Feria quinta in Cœna Domini, in qua adhibetur color albus, Planetæ autem plicatæ non ſunt in uſu, niſi in colore violaceo, & nigro. Si quæras rationem, quare in diebus Dominicis, & jejuniorum ſuprapoſitis prohibetur uſus Dalmaticæ, & Tunicellæ; eam reddit Honorius *in Gemma Animæ lib. 3. cap. 45.* ubi ait: Dal-matica ſignificat lætitiam, quæ dictis diebus non convenit.

Ab expenſi Ritus praxi ſermonem vertendo ad ejuſdem originem, nimirum tum Planetarum plicatarum, tum Stolæ latioris; ſciendum eſt, quod antiquitus Planeta, ſeu Caſula erat veſtis communis tam Presbytero, quam aliis Miniſtris, ea omnes utebantur in ſacris functionibus, cumque Caſulæ totum ambirent, & involverent hominem a collo uſque ad pedes unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur: hinc neceſſarium erat, ut Sacerdos ea ſuper brachia revolveret, & complicaret, alias libere operari, & manibus uti non potuiſſet; ob eamdem rationem prædictæ Caſulæ magno pariter erant impedimento Miniſtris, præſertim Diacono, cujus præcipuæ partes ſunt Presbytero inſervire in Miſſæ Sacrificio; hinc factum eſt, ut Planetæ Miniſtrorum a parte anteriori complicarentur, ut expeditiores eſſent ad miniſtrandum. Ceſſavit deinde uſus Planetarum pro Miniſtris, qui loco Caſularum adhibuerunt Dalmaticas; nihilominus etiam poſt introductum uſum Dalmaticæ, & Tunicellæ pro Diacono, & Subdiacono, in Dominicis, & Feriis Adventus, & Quadrageſimæ, aliiſque diebus jejuniorum Planetarum uſus præfatis Miniſtris conceditur etiam nunc, quæ quidem Planetæ adhuc complicantur a parte anteriori, quamvis non amplius videatur neceſſaria talis complicatio ob declarationem, & ſciſſionem Planetarum a lateribus apud Latinos introductam. Sed quia non ſine aliqua difficultate, & notabili temporis ſpatio Miniſtrorum Planetæ complicari poterant, congruum exiſtimarunt, tam Diaconus, quam Subdiaconus Planetas exuere, primus quando legere debebat Epiſtolam, alter vero, ut cantaret Evangelium, ſed ne ſine habitu Diaconus hoc munus obiret, & deinde Sacerdoti miniſtraret, quoddam indumenti genus, quod nunc Stolam latiorem appellant, induere cœpit. Hanc eſſe hujus Stolæ latioris originem, quidem recentem, & locum Planetæ tenere, unuſquiſque facile concedet, cum animadvertit antiquitus Diaconum, cum legeret Evangelium ſuam Planetam ad modum ſtolæ plicaſſe, id autem manifeſte colligimus ex Ordine Romano XIV. inter evulgatos a Mabillonio, in quo *n. 54.* ſtatuitur, ut Diaconus *quando pergere debet ad legendum Evangelium, deponat Planetam, & Acolythi decenter eam complicent, & imponant ſuper ſiniſtrum humerum ejus, ac ſub dextero brachio ligent eam, ut melius poterunt. ita quod ab humero ſiniſtro deſcendat ad latus dexterum, ſicut Diaconalis Stola deſcendit, & hoc modo Diaconus Planetam teneat dum legit Evangelium, & uſquequo dicatur ultima Oratio poſt Communionem*. Hæc etiam præſcribuntur in Ordine XV. ab eodem Mabillonio vulgato; ex quibus manifeſtum fit, Diaconum non adhibuiſſe in principio Miſſæ Planetam plicatam, ſed tunc tantum plicari ſolitam fuiſſe, & ſuper humerum ſiniſtrum revolvi, cum lecturus erat Evangelium, ac propterea Stolam, quam latiorem appellamus, Planetæ ſic plicatæ locum occupaſſe. Cæterum hujus Stolæ latioris uſus recentiſſimus eſt, nec enim Sæculo XIV. & XV. quibus ſcripti ſunt Ordines iſti Romani, in uſu erat apud Romanam Eccleſiam: imo Sæculo ipſo XVI. nondum hanc Stolam receperat Capella Pontificia; Marcellus enim Corcyrenſis *lib. 2. Sacrarum Cæremoniarum cap. 1.* teſtatur, Planetam plicatam imponi ſolitam Diacono, cum lecturus eſt Evangelium. Ubi primum inceperit uſus hujuſmodi Stolæ ignoratur, & de hac re nullus omnino Auctor, quem legerim, ſermonem facit. Solus Cardinalis Bona *lib. 1. cap. 24. n. 8. in fin.* breviter innuit uſum hujus Stolæ latioris eſſe recentioris ævi. Nolim tamen hoc ornamenti genus Stolam rigoroſe appellari, nam cum propriam Stolam Diaconus non exuat, ſi hoc etiam indumentum veram Stolam eſſe concedimus, refragamur profecto Canonibus Concilii Toletani IV. quibus cautum eſt, ne Epiſcopus, Presbyter, ac multo minus Diaconus duplici utantur Stola. Porro Subdiaconus lecturus Epiſtolam exuit ipſe quoque Planetam, nullum aliud indumentum ſubſtituendo, quia antiquitus Lectores, ac Subdiaconi in ſuis miniſteriis obeundis ſola Alba uti poterant. Deinde apud Albinum Flaccum *de Divin. Offic. cap. Quid ſignificent veſtimenta*, lego hæc: *Diaconus, qui non eſt indutus Dalmatica, Caſula circumcinctus legit, ut expedite poſſit miniſtrare*, & idem lego apud Amalarium *lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 21. de Dalmatica*; ſed de Subdiacono nihil præſcribitur.

Ex iis quæ diximus, liquet uſum Stolæ latioris ſupra Stolam ordinariam a Diaconibus nunc adhibitæ recentem profecto eſſe, ſed uſus Planetarum plicatarum antiquiorem redolere ætatem; de his enim mentionem facit Rupertus *lib. 3. cap. 2.* qui floruit Sæculo XII. ubi ait: *Ex tunc etiam, ſcilicet a Dominica prima Adventus ad Sacram Domini Natalis noctem Diaconus, & Subdiaconus imminuti procedunt. Nam nec Diaconus Dalmaticam, nec Subdiaconus induit Tunicam.* Sed hæc conſuetudo haud videtur primum fuiſſe univerſalis, idque innuit Amalarius *lib. 3. cap. 40.* his verbis: *Vidi priſco tempore* Gloria in excelſis Deo *prætermitti in diebus Adventus Domini, & in aliquibus locis Dalmaticas*. Micrologus vero, ſeu Micrologi Auctor, qui Sæculo XI. vixit *cap. 30.* hæc habet; *Quidam infra Adventum Domini Caſulis pro Dalmaticis utuntur; quidam more ſolito veſtiuntur, eo quod Miſſam ad Tertiam, & Alleluja, ſicut tota æſtate dicunt.* Rupertu tamen ſuffragatur communis uſus Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Quod autem Caſulas pro Dalmaticis & Tunicas Diaconis, & Subdiaconis concedi dicit: *Is ſane non ſic utuntur*, inquit Rupertus idem, *ut in ipſis legant, vel miniſtrent, ſed lecturi, aut miniſtraturi illas exuunt, manifeſte profitentes, illam ſuam non eſſe veſtem, nec propter ſuum ordinem ſibi debitam, ſed propter Dominicæ, vel alicujus Feſti reverentiam, ſic accipere accommodatam, ut inopem, atque indecentem conſolentur expoliationem*. Et hic quidem eſt univerſalis uſus Eccleſiæ, ſed Diaconus in cantando Evangelio, & miniſtrando Celebranti, Planetam quidem plicatam exuit, ſed vel eamdem ſuper humerum ſiniſtrum revolvit, vel loco illius, ut mox diximus, Stolam latiorem, & Stola ſua ſolita breviorem (quam ad modum Faſciæ criſpatæ nonnulli deſcribunt, præſertim Claudius de Vert *tom. 2. pag. 340.* cujus uterque limbus ſub latere dextero vitta ſerica ligatur) induit, & hæc ſint ſatis de origine uſus tum Planetarum plicatarum, tum Stolæ altioris.

V. Dominica prima Adventus, eſt Dominica major primæ claſſis, & ex illis ita privilegiatis, ut quodcumque Feſtum in illis occurrens, illi cedere, ac transferri debeat in diem

altam

aliam non impeditam, imo ſi etiam alicubi Titulus, aut Feſtum Patroni, v. gr. Sancti Andreæ Apoſtoli in hanc Dominicam incidat, & quidem non ſine ingenti ad celebrandum tale Feſtum, Populi concurſu: non ideo tamen in tali Eccleſia cantari poſſunt duæ Miſſæ, una de Dominica ſine *Gloria in excelſis* in paramentis violaceis, & paramentis plicatis poſt Tertiam; altera de Feſto dicti Sancti Andreæ in paramentis coloris rubri cum *Gloria*, & *Credo* poſt Sextam, ut aſſerit noſter Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 1. *c.* 2. *num.* 4. Conſtat enim ex recentiori Miſſalis Rubrica de Translatione Feſtorum *tit.* 6. quod in tali caſu unica tantum Miſſa de Dominica prima Adventus cantari poteſt, & de quacumque etiam primæ claſſis in illam incidente Solemnitate omittitur Miſſa; quæ Rubr. diſpoſitio circa 1. Dominicam Adventus facta fuit in noviſſima recognitione Rubricarum, poſt quam Caſtald. edidit ſuam praxim Cæremon. & ideo tenebat præfatam ſuam ſententiam, quam modo amplecti non poſſumus.

Si Vigilia Sancti Andreæ venerit in Adventu, Miſſa erit de Vigilia, de qua tamen nulla fit in Laudibus commemoratio; quod ſi occurrat aliquod Feſtum 9. Lectionum, duplex, vel ſemiduplex in dicta Vigilia, in Miſſa de Sancto ſecunda Oratio erit de Adventu, tertia de Vigilia, quamvis alioquin Miſſa Vigiliæ præferatur Miſſæ Adventus; in fine vero dicetur Evangelium Sancti Joannis, atque idem fiet in Vigilia Sancti Thomæ, niſi tamen occurrat in Quatuor Temporibus, nam tunc dicetur Miſſa de Quatuor Temporibus cum commemoratione Vigiliæ, ſed ſine Evangelio ejuſdem in fine. Si vero in dicta Vigiliæ Sancti Andreæ occurrat Feſtum aliquod primæ claſſis, puta Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, vide infra quid agendum.

In Sabbatis hujus temporis non impeditis Officio, aut Feſto 9. Lectionum, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Miſſa principalis de ea (ſcilicet *Votiva de S. Maria ab Adventu uſque ad Nativitatem Domini* quæ incipit *Rorate*) in paramentis albis, cum commemoratione de Adventu, & cum tertia Oratione de Spiritu Sancto, aut de Feſto ſimplici, ſi tale occurrat. Si vero in prædictis Sabbatis occurrant *Quatuor Tempora, vel Vigilia aliqua*, tunc Miſſa principalis erit de Sabbato Quatuor Temporum, vel de Vigilia. Cæterum in prædicta Miſſa S. Mariæ in Sabbato hujus temporis dicitur *Gloria* ſine *Credo*, Oratio ſecunda, & tertia, ut ſupra; Præfatio de S. Maria, *& Te in veneratione*, & in fine *Ite Miſſa eſt*; & Evangelium S. Joannis. Quamvis autem in prædictis Sabbatis, in quibus Officium, & Miſſa diſcordant, color Paramentorum Sacerdotalium debeat eſſe conformis *Miſſæ Votivæ* de S. Maria, atque adeo albus, color tamen Altaris, nempe *Antipendii, &c.* ſequitur Officium, atque adeo eſt violaceus, excepta Miſſa ſolemni, in qua eſt albus. Ita etiam ſentit Gavantus *ſupra part.* 1. *tit.* 8. *in fine*.

Diximus ſupra Miſſam principalem, ſeu Conventualem debere eſſe de S. Maria, nam ad Miſſas privatas, quod attinet, ut notat Halden *part.* 1. *tit.* 64. *pag. mihi* 299. reſumi debet (per ſe loquendo) etiam in Sabbatis Adventus, in quæ nec Feſtum 9. Lectionum, nec Feria Quatuor Temporum, nec Vigilia aliqua incidit, Miſſa Dominicæ præcedentis ſine *Gloria*, & *Credo*, ac ſine *Alleluja*, & ℣. ſequenti poſt Graduale. & in ea ſecunda Oratio erit *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis*: tertia vero *Eccleſiæ*, vel pro *Papa*, niſi facienda ſit commemoratio ſimplicis; tunc enim ſecunda Oratio eſt de ſimplici; tertia *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis*, Præfatio communis, in fine *Benedicamus, & Evangelium S. Joannis, &c.*

Dictum eſt, quod *per ſe loquendo* reſumi debet Miſſa de Dominica, &c. quia licet Rubricæ non præſcribant, ut Miſſæ etiam privatæ in hujuſmodi Sabbatis dicantur de B. M. V. ſed tantum loquantur de Miſſa principali, ut patet ex Tit. IV. primæ Partis Rubric. 2. non tamen prohibent eas Miſſas privatas de eadem B. M. V. Immo etiam convenienter dicuntur de ipſa in eo caſu, *tum Miſſæ Votivæ privata* diei poſſint quocomque die non occurrit Officium duplex, aut Dominica, aut talis Feria, in qua etiam de Feſto duplici ſacere Miſſam eſt prohibitum, de quibus egimus ſupra.

Si quis in Feriis Adventus Sacrificium celebret de Feſto aliquo ſimplici, v. gr. de S. Sabba Abbate, vel de S. Melchiade Papa, & Martyre; vel etiam de Sancto, cujus Feſtum eo die occurrit, præſertim ſi ad ejus Altare ſacrum fiat, licet tale Feſtum non ſit in Kalendario notatum, debet in eo ſacro dicere *Gloria in excelſis*, atque eadem eſt ratio in Feriis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum: & in iſtis quidem Feriis dicetur Evangelium earum in fine Miſſæ, quia iſta Miſſa non eſt Votiva.

Toto Adventus tempore in Miſſa ſemper fit commemoratio de Feriis, quocumque Feſto adveniente, non tamen dicitur ultimum Evangelium de Dominica infra hebdomadam in fine; dixi quocumque Feſto adveniente, etiam primæ claſſis, quia iſtæ ſunt Fer. major. Si quæ Vigilia occurrat in hujuſmodi Feriis, quando in iis occurrit Feſtum primæ claſſis, tunc quamvis fieri debeat commemoratio Feriæ, omitti tamen debet commemoratio Vigiliæ, ut ſtatuunt Rubricæ, quæ habentur Tit. III. primæ Partis *num.* 2. in fine, & in Tit. VIII. *num.* 2. in fine, & hoc etiam deducitur ex his, quæ tradit Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 6. *num.* 18. & ex iis, quæ tradit Bauldry *part.* 4. *c.* 1. *num.* 11. dicens, quod ſi in Vigilia Sancti Andreæ occurrat Feſtum Patroni, ut Toloſæ Feſtum Sancti Saturnini, non dicitur Miſſa de Vigilia, nec fit commemoratio. Halden tamen *part.* 3. *titul.* 6. §. 13. *pag.* 200. advertit, quod in prædicta Rubrica generali tertia, in qua dicitur, quod ſi Vigilia occurrat in die alicujus Feſti ex majoribus primæ claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de eo, neque in Officio; advertit, inquam, quod ibi eſt ſermo de Vigilia minori, unde excipit ab hac regula Vigiliam Epiphaniæ, de qua, quocumque Feſto occurrente, debet fieri commemoratio in Veſperis, Laudibus & Miſſa. Idem pariter docet ibidem infra *pag.* 209. *in fine* aſſerendo, quod de Vigilia minore, quæ jejunatur, ſi in eam incidat Feſtum primæ claſſis; tunc de hujuſmodi Vigilia nihil omnino faciendum eſt tam in Officio, quam in Miſſa ejuſmodi Feſti primæ claſſis.

Dominica ſecunda Adventus, nec non tertia, & quarta ſunt ſecundæ claſſis, quapropter ſi Feſtum primæ claſſis, puta Patroni, aut Titularis in eas incidat, fit de tali Feſto cum commemoratione Dominicæ, tam in Officio, quam in Miſſa, ac illius Evangelium legetur in fine Miſſæ. Verum ſi in quarta Dominica occurrat Vigilia Nativitatis Domini, tunc de prædicto Feſto primæ claſſis nihil fit, ſed transfertur in primam diem non impeditam. In hebdomadibus ſequentibus ad dictas Dominicas Officium, & Miſſæ ordinantur reſpective ad normam Dominicæ, & hebdomadæ primæ Adventus.

Dominica tertia Adventus (dicta *Dominica Gaudete* ab Introitu ſuæ Miſſæ) cum ſua hebdomada habet aliquid diverſi ab aliis Dominicis, & quo ad Officium, & quo ad Miſſam, & hebdomadis Adventus. Circa ea, quæ ad Officium ſpectant, ſermonem habebimus in ſecundo Tomo hujus Theſauri, in quo tractabimus cum noſtro Auctore de Rubricis ad Breviarium ſpectantibus; ad Miſſam vero, quod attinet præfatæ Dominicæ tertiæ, jam diximus ſupra, quod Diaconus. & Subdiaconus in tali Dominica, & infra hebdomadam ſequentem, quando tamen repetitur Miſſa Dominicæ, utantur Dalmatica, ac Tunicella; item quod Altare aliquantulum ſolemnius parari debet, & inter candelabra apponenda ſunt vaſcula cum floribus, ſive etiam, ubi habentur, Sanctorum Imagines, vel Reliquiæ. Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 1. *n.* 3. Denique in eadem Dominica pulſantur Organa in ſignum lætitiæ. Olim hæc Dominica adeo celebris habebatur, ut in Palatio Apoſtolico ipſemet Pontifex Miſſam ſolemniter celebrare conſuerverit præcedentibus Veſperis Papalibus, prout in ſolemnioribus, ſicut ait Marcellus Corcyrenſis in Cæremoniali Romano *lib.* 2. *c.* 6. & ex eo Caſtaldus *ſupra cit.*

Poſt hanc Dominicam, & infra ſuam hebdomadam ſequentem, occurrunt Quatuor Tempora in Hyeme, de quibus in Titulo ſequenti.

### De Quatuor Temporibus Adventus II.

### *GAVANTUS.*

1. A Calliſto ſtatutum eſt, celebrari Quatuor Tempora per annum, quæ tantum ter antea celebrabantur. *Mich. c.* 28. ſed ante ab Apoſtolis tradita fuiſſe, *S. Leo docet ſerm.* 9. *de jejun.* 10. *menſis*; quare Calliſtus Decreto tantum firmavit uſum, & quatuor diſtinxit; cum ea, quæ in Vere habentur coincidant cum Quadrag. *diſt.* 76. *jejun.* ut ſicuti quatuor ſunt anni partes, ita in eiſdem fiat per jejunium purgatio, Hyeme, Vere, Æſtate, Autumno; & ſicut tres menſes quæque anni pars habet; ita tres dies jejunii ſint ad ratam trium menſium. *Ordo Romanus, & Berno de quibuſdam ad Miſſam ſpect. c.* 7. & bene Feria 4. in qua factum eſt Concilium contra Chriſtum. *Idem Ibidem*: vel quia traditus eo die fuit Chriſtus, *Rup. lib.* 3. *c.* 5. Feria vero 6. quia crucifixus: Sabbato deinde propter triſtitiam Apoſtolorum mortuo Chriſto, *ex Innoc. in Decretal.* Sed antea docuerat hæc *Sanctus Clemens lib.* 5. *Conſtit. c.* 14. *&* 16. ubi Sabbatum memorat etiam ob Chriſti ſepulturam.

2. Miſſa feriæ quartæ duas habet lectiones ante Evangelium. *Ord. Rom.* ut admoneantur ordinandi, quod teneant notitiam legis, & Prophet. quæ notitia in quarta ætate mundi maxime vigebat, *Alcuin.* item habet Orationes duas, quarum altera dicitur ſine ſalutatione cum genuflexione, hoc eſt ſine *Dominus vobiſcum*, cum, *Flectamus genua*; quia totus eſt Sacerdos in Deum orando pro Ordinandis, & examinandis, eo namque die fiebat examen Ordinandorum, *ex Durand. lib.* 6. *c.* 8. Altera Oratio ſalutationem habet, non genuflexionem, ut in aliis Miſſis, *Microl. c.* 28. hoc eſt, dicitur, *Dominus vobiſcum*, non autem *Flectamus genua*.

3. In feria ſexta unica eſt lectio, *Ordo Romanus*, quia lex, & Prophetæ in Evangelio uniuntur, quando in 6. ætate prædicatur, *Alcuinus*.

4. In Sabbato vero ſeptem ſunt lectiones cum Evangel. ratione ſeptem Ordinum, qui eo die conferuntur, *ex Durand. loc. cit. cap.* 10. ſed proprie ſunt ſex, in *Ordine Romano*; quia ſicut in Feria quarta duæ, ita tres in Feria 6. & quatuor in Sabbato legendæ erant; ſed, relicta una Feriæ ſextæ, translatæ ſunt aliæ duæ in Sabbatum, in quo ideo ſex le-

leguntur: *Rup. lib. 3. c. 8.* quarum ultima ſemper eſt de tribus pueris in ſornace, quia per ſornacem illæſi tranſire debent Ordinandi, inquit *Alcuin.* cui lectioni additur in fine Hymnus trium Puerorum ex *VValafr. c. 22.* Orationes autem Sabbato, ſine ſalutatione cum genuflexione dicuntur, excepto ultima de camino ignis, *Ordin. Roman.* ad indicandum, quod tres pueri noluerunt adorare ſtatuam Regis, *ex Alcuin.*

5. His in communi de Quatuor Temporibus prælibatis, jejunium Hyemale fit in 3. Hebdomada Adventus, ſecundum Rom. Eccleſ. *Microl. c. 27.* & dicitur ejuſdem Auctor Leo I. *76. diſt. hujus*, atque in hoc Sabbato tantum ordinationes habitæ ſunt a S. Petro uſque ad Simplicium Papam, qui deinde in Februario ordinavit: ut nimirum cum Chriſto naſcente ordinandi ab Eccleſia gignerentur, *Amalar. lib. 2. cap. 1.* tum in Sabbato tantum, quia a Deo eſt ſanctificatum *ex Aug. ad Januar. citat. ab Alcuino in hanc cauſam*, tum nonnili cum jejunio, & orationibus multi in Miſſa eſt *Act. Apoſt. 13.* ubi ſegregati ſunt Paulus, & Barnabas miniſtrantibus illis (hoc eſt, Miſſam facientibus, ut ex Græco patet) & jejunantibus, *jejunantes*, inquit Lucas, *& orantes, imponenteſque eis manus*, ideſt conſecrantes, *dimiſerunt illos*, *ut Leo I. explicat, ſcribens ad Dioſcor. Alexandr. Epiſcopum*. Gelaſius autem dicitur primus, qui extendit ordinationes ad alia tempora in eorum Sabbatis. *Microl. cap. 24.*

6. Dominicam poſt Sabbatum Ordinationis dicebatur Vacans *ex Microl. c. 24.* quia putabatur ejuſdem Officii cum Sabbato, & inde Evangelium hujus Dominicæ quartæ eſt, idem, ac præcedentis Sabbati; quod id temporibus etiam, quæ accidunt in Vere prima hebdomada Quadrageſimæ obſervabis. Sabbato enim, & Dominica ſequenti legitur ibidem Evangelium Transfigurationis Domini: in aliis autem Quatuor Temporibus Dominicæ ſequentes alia ratione ſe habent: nam in Pentecoſte variatur Evangelium propter Octavam illius: in Autumno item ob inſtabilitatem Quatuor Temporum, quæ non habent certam hebdomadam, ut ſuo loco videbimus.

7. Introitus, Graduale, & Communio Dominicæ 4. Adventus ſumpta ſunt de Feria quarta præcedenti; ne ſcilicet Officium Dominicæ proprium contingat eo anno omitti, quo Vigilia Nativitatis Domini in Dominica quarta occurrit, inde Vacans Dominica, ideſt, ſine Officio proprio fuit olim appellata.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. *A Calliſto ſtatutum eſt celebrari Quatuor Tempora, &c.)* Calliſto Romano Pontifici, qui Anno 217. in Throno Apoſtolico collocatus fuit, refert Gavantus Decretum, quo ſtatuitur, ut Quatuor Temporum jejunium ubique ſervandum ſit. Vi-rum cum Eminentiſs. Baronius Anno 865. Epiſtolarum Decretalium, quæ ſub nomine Iſidori (quicumque ille fuerit) circumferuntur, & quæ Siricium Papam præceſſerunt, falſitatem agnoſcat, & aperte fateatur; & quoniam (ut alibi diximus) ab aliis eruditis fere omnibus prælatæ epiſtolæ tamquam ſuppoſititiæ rejiciantur, utpote quæ ſub finem ſeptimi ſæculi pia fraude confictæ, ut ait Card. Bona *lib. 1. Rerum Liturg. c. 3*, & ex ſententiis veterum Canonum, Legum, etiam civilium, & Sanctorum PP. qui quarto, & quinto ſæculo floruerunt, magna ex parte contextæ fuerint, hinc certa fides ejuſmodi epiſtolis non eſt adhibenda, quapropter tuto non poſſumus cum Gavanto tribuere Caliſto præfatum Decretum inſtitutionis Quatuor Temporum; & revera S. Leo, qui de memoratis Quatuor Temporum jejuniis diſſerit *ſerm. 7. 9. & 11.* numquam prodit talium jejuniorum inſtitutorem, quem profecto non omiſiſſet, ſi Calliſtus fuiſſet illius Decreti Auctor.

II. Gav. eodem num. 1. *Sed antea ab Apoſtolis traditum fuiſſe, Sanctus Leo docet, &c.)* Hic Gavantus adhæret S. Leonis ſententiæ, qui præſertim Sermone I, V. & VIII. ut infra videbimus, jejunia iſta ab Apoſtolica inſtitutione emanare adſtruit; & hinc concludit, Calliſtum Decreto ſuo (de quo ſatis ſupra) tantum firmaſſe talem uſum, & Quatuor jejuniorum Tempora diſtinxiſſe. Etiam S. Iſidorus Hiſpalenſis *in lib. de Offic. c. 37. & 38.* nec non Rabanus *lib. 2. Inſtitut. c. 18.* aliique opinati ſunt, jejunia iſta Apoſtolicæ Inſtitutionis eſſe, atque poſt eos prædictarum ante Siricium Decretalium conſarcinator aſſerit, in allegato Decreto, ab Apoſtolica traditione acceptum eſſe Quatuor Temporum jejunium.

In eadem pariter verſatur ſententia eruditiſſimus Thomaſſinus in ſuo Tractatu hiſtorico, & dogmatico de jejunio Gallice elucubrato *c. 21. num. 7.* quam ſententiam ego quoque lubenter amplector innixus teſtimoniis, & auctoritati S. Leonis Magni, qui ſermone primo de jejunio decimi Menſis ait: *Tria ſunt, quæ maxime ad Religioſas pertinent actiones, oratio ſcilicet, jejunium, & eleemoſyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, ſed illud eſt ſtudioſius obſervandum, quod Apoſtolicis accepimus traditionibus conſecratum; ſicut etiam decimus hic menſis morem refert veteris inſtituti, ut tria illa, de quibus locutus ſum, diligentius exequamur.* Sermone vero quinto hæc tradit: *huic autem operi cum omnia opportuna ſint tempora, hoc nunc præcipue aptum eſt, atque conveniens, in quo SS. PP. noſtri divinitus inſpirati decimi menſis ſanxere jejunium.* Et tandem ſermone octavo vocat jejunia hæc Eccleſiaſtica utens his verbis *Hujus obſervantiæ utilitas in Eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta jejuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem jejunium Vernum in Quadrageſima, Æſtivum in Pentecoſte, Autumnale in menſe ſeptimo, Hyemale autem in hoc, qui eſt decimus celebramus.* Acquieſcere igitur non poſſum aſſertionibus Grancolaſii, qui Comment. Hiſtor. in Breviarium Romanum *lib. 2. c. 9.* (ex quo Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, & Auguſtinus, qui de jejunio pluribus in locis ſermonem habuerunt, ne verbum quidem de Quatuor Temporum jejuniis fecerint) infert nullum Quatuor Temporum veſtigium in tota antiquitate extare. Verum magno detinetur errore Vir alioquin doctus, cum ex ſilentio prælatorum PP. deducere nemo poſſit, jejunia Quatuor Temporum antiquis illis Eccleſiæ Temporibus incognita fuiſſe. Ad confutandam ſiquidem hanc Grancolaſii illationem ſatis ſuperque ſunt ſupra a nobis adducta teſtimonia ſapientiſſimi Leonis Magni, qui decimo tantum, a Sancti Auguſtini obitu anno Romanam ſuſcepit regendam Eccleſiam. Prædictus Pontifex hujuſmodi jejunia, ut liquet, ex ſupra allegatis, & ex aliis ſuis ſermonibus pluries ad inſtituta veterum PP. & ad Apoſtolicam traditionem refert, quod profecto non docuiſſet maximus ille Pontifex, ſi nullum hujus rei veſtigium temporibus SS. Hieronymi, & Auguſtini, quorum ipſe Synchronus fuit, extitiſſet. Igitur præfato Grancolaſio aſſentiri nequaquam poſſumus, nec Silentium PP. apertiſſimæ Leonis Magni auctoritati præponere; quamquam immerito Auguſtini ſilentium nobis opponat; etenim hic S. Doctor *epiſt. 86.* quæ eſt *ad Caſulanum*, poſtquam dixerat peculiarem eſſe Romanæ Eccleſiæ morem Feria quarta, ſexta, & Sabbato per annum jejunandi -- *Chriſtianus, qui quarta, & ſexta Feria, & ipſo Sabbato jejunare conſuevit, quod frequenter Romana plebs facit.* Quod quartæ, ſextæque Feriæ jejunium arbitrarium fuiſſe toto temporis anno putat Thomaſſinus *loc. cit. num. 15.* ſubdit Idem ſanctus Doctor: *Videat qua afficit contumelia ipſam Romanam Eccleſiam, ubi his hebdomadibus, in quibus quarta, & ſexta, & Sabbato jejunatur, tribus tantum diebus continuis, Dominico ſcilicet, & deinde ſecunda, & tertia prandetur.* Quibus verbis Sanct. Auguſtini indicantur profecto jejunia Quatuor Temporum: nam quænam erunt aliæ hebdomadæ, in quibus quarta, & ſexta Feria, nec non ſabbato jejunari debebat a tota Romana Eccleſia, niſi hebdomadæ illæ per Quatuor Anni Tempora ſolitæ jejunio celebrari? Præfata Auguſtini verba, ut notat Thomaſſinus *loc. cit. n. 2.* omnem removent difficultatem, quæ ex illis verbis S. Leonis, ad calcem omnium ſermonum de iſto jejunio appoſitis, ſuboriebatur; nimirum: *igitur* (hæc ſunt verba Leonis) *Feria quarta, & Feria ſexta jejunamus, Sabbato autem Vigilias apud Sanctum Petrum faciemus*, quæ Leonis verba aliqui ita acceperunt, ut opinarentur in Sabbatis Quatuor Temporum Romæ jejunium ſervatum non fuiſſe, ita ut aliam Feriarum illarum obſervantiam, aliam Sabbati fuiſſe, intellexerint, cum huic ſolas Vigilias deputet, illius vero jejunandi neceſſitatem aſſignat Sanctus Leo.

Verum ea profecto non fuit Leonis mens; ſed hoc potius intendit, & indicare voluit, ut in Sabbato ultra jejunium, Vigiliæ ſuperadderentur. Sicut enim neceſſe erat ut aliarum Feriarum jejunium in illis hebdomadibus indiceretur Chriſtianæ plebi, cui non erat aliis hebdomadibus præceptum, ſed tantum arbitrarium, ita omnino fuiſſet ſupervacaneum de jejunio Sabbati mentionem facere, cum jam peculiari lege a conſuetudine ad Sabbaticum jejunium per omnes anni hebdomadas, ut ſupra diximus, Romani adſtringerentur.

Opponi fortaſſe poſſet formula, qua utitur Sanctus Gelaſius in ſuo Sacramentario pag. 113. -- *Hortamur Sanctam Fidem veſtram, ut quarta, ſexta, vel ſeptima Feria jejunemus:* ex quibus jejunium Sabbati Quatuor Temporum videtur uniuſcujuſque arbitrio fuiſſe relictum -- Affirmare tamen neceſſario debemus particulam *vel* hoc loco vim conjunctionis habere. Etenim in Ordine Romano ab Hytorpio vulgato quamvis pag. 22. adhibeatur etiam particula *vel*, ut in Sacramentario Gelaſiano; nihilominus pag. 60. trium Feriarum jejunium diſtincte præcipitur per particulam & -- Jejunium faciant quarta, & ſexta Feria, & in Sabbato -- ex quo palam fit ly *vel* copulative eſſe ſumendum, neque hujus rei deſunt exempla tam apud Eccleſiaſticos, quam apud Prophanos Scriptores. Inſignis eſt Sancti Maximi locus homil. 1. de Epiphania, quæ legitur 5. die infra Octavam Epiphaniæ in Hierolex. verbo *vel*, a Dominico Macrio relatus -- *Fertur hodie Chriſtum Dominum noſtrum, vel Stella duce a Regibus adoratum, vel invitatum ad Nuptias, vel ſuſcepto a Joanne baptiſmate, &c.* ubi *vel* ſtat loco &; nam in die Epiphaniæ de illis tribus miraculis copulative Eccleſia mentionem facit. Egregie iſta firmantur ex Epiſtola Sancti Leonis ad Dioſcorum pag. 436. edit. recentioris Pariſienſis, ubi loquens de Ordinationibus die Dominico celebrandis, Sabbati jejunium expreſſe commemorat. *Ejuſdem obſervantiæ* erit, ſi mane, ipſo Dominico die continuato Sabbati jejunio *celebretur* ordinatio. Gelaſii etiam Epiſtola nona perſpicue nos docet, Sabbatum Quatuor Temporum fuiſſe jejunio conſecratum. Quapropter dubitare nullus poteſt, quin magno in errore verſentur contrariæ opinionis Auctores.

Fra-

Prædicta Romana conſuetudo jejunandi Quatuor Temporibus, etiam in Hiſpania ſervabatur; D. enim Iſidorus *lib.* 1. *de divinis Officiis cap.* 36. mentionem facit de jejunio Quadrageſimæ, *cap.* 37. de jejunio Pentecoſtes, *cap.* 38. de jejunio ſeptimi menſis, & *cap.* 39. de jejunio Kalendarum Novembris, ex quibus liquet, quod Iſidorus aliter ac Romæ conſueverat, collocat hoc poſtremum jejunium, & præter quatuor illa jam deſcripta, aliud etiam aſſignat jejunium *cap.* 40. quod eſt Kalendarum Januar. qua die jejunium ab Eccleſia mandatum erat, ut obex poneretur inſanis, atque inhoneſtis ludis, jociſque, qui Kalendis Januariis fieri antiquitus ſolebant. Hinc aliquod inter Eccleſias diſcrimen fuit circa Quatuor Temporum jejunia, neque Romanus mos firmiter per totum Occidentem ſtabilitus fuit, niſi Papæ Victoris II. tempore Anno 1054. vel Gregor. VII. Anno 1073. ut fatetur etiam Thomaſſinus *part.* 2. *cap.* 18. *n.* 8. vel etiam ſub Urbano II. in Synodo Claromontana habita Anno 1095. poſt prædictos Pontifices in omnibus Eccleſiis Occidentalibus firmata fuit uniformitas talium jejuniorum.

Prædicta quatuor jejunia octavo ſæculo in Gallia pariter obſervara repeniuntur, & ſæculo IX. in Concilio Moguntino celebrato Anno 813. *Can.* 34. & in Capitularibus Caroli Magni *lib.* 5. *cap.* 86. accepta fuere Anno 769. *Conſtituimus*, ait Concilium Moguntinum, *ut Quatuor Anni Tempora ab omnibus cum jejunio obſerventur, ut eſt in menſe Martii hebdom.* 1. *in menſe Jun. hebdom.* 2. *in menſe Septembris hebdom.* 3. *& in menſe Decembris hebdomada, quæ fuerit plena ante Vigiliam Nativitatis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum.* In prædictis vero Capitularibus editis a Baluz. *tom.* 1. *pag.* 192. hæc leguntur: *Ut jejunium Quatuor Temporum & ipſi Sacerdotes obſervent, & plebi denuncient obſervandum;* pag. vero 954. *Doceant Presbyteri Populum quatuor legitima Temporum jejunia obſervare, hoc eſt menſe Martio, Julio, Septembrio, & Decembrio, quando Sacri Ordines juxta ſtatuta Canonum diſtribuuntur.*

Ex his Conciliorum ſanctionibus, Grancolas, aliique Scriptores collegerunt, hanc diſciplinam ſæculo tantum octavo in Gallias invectam fuiſſe. Verum Natalis Alexander Diſſertat. quarta in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi ſecundi Artic. 4. ex ipſo Leone erudite demonſtrat, Quatuor Temporum jejunia ſæculo V. ab univerſa ſaltem Occidentali Eccleſia fuiſſe religioſe obſervata. Nos unum hic Leonis textum afferemus ad hujus veritatis comprobationem, ex ſermone quarto de jejunio ſeptimi menſis deſumptum: *Quamvis*, inquit Pontifex, *unicuique noſtrum liberum ſit voluntariis caſtigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatius, nunc vero diſtrictius repugnantes Spiritui carnales concupiſcentias edomare: quibuſdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, & tunc eſt efficacior, ſacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus animus, & unus eſt ſenſus.* Quapropter dicendum prædictis Conciliorum Decretis ſtatutam quidem fuiſſe uniformitatem temporis in obſervantia hujuſmodi jejuniorum cum Eccleſia Romana, non autem ipſa jejunia, quæ jam antiquitus etiam in Galliis obſervabantur.

Ad Eccleſiam vero Mediolanenſem quod attinet, Grancolas *loc. ſuprac.* afferit, quod ante S. Carolum præfata Quatuor Temporum jejunia nuſquam ſervata fuerint, & quod idem S. Antiſtes primus omnium ea ſervari curaverit in ſua Provincia. Verum ex Decreto ſui quarti Concilii Provincialis, quod eſt *de jejuniis Quatuor Temporum*, colligi quidem poteſt in Eccleſia Mediolanenſi S. Carolum inſtauraſſe collapſam jam diſciplinam prædictorum jejuniorum, non vero ab initio inſtituiſſe. *Sacra Quatuor jejuniorum Tempora* (hæc ſunt præciſa verba Decreti) *ex S. Spiritus doctrina ſalutariter inſtitata, ſicut olim, & frequenti Fidelium conventu, & ſolemni celebritate, & religioſo Supplicationum officio celebrantur, &c. ita ad illorum cultum, Paſtorali cura eruditis Fidelium mentibus, in uſum antiquæ pietatis revocanda ſunt. Quare in omni Provinciæ noſtræ Eccleſia, &c... ſolemnibus his Feriis, quarta ſcilicet, ſexta, & Sabbato pro antiquæ devotionis conſuetudine, frequentiores Miſſæ ſacro, diviniſque Officiis, in Moguntino Concilio I. cautum eſt, interſint: Orationes, Jejunia, Eleemoſynas, ceteraque pietatis opera præſtent.*

III. Gavant. eodem num. 5. *Cum ea, quæ Vere habentur, coincidant in Quadrageſima, &c.*) Romæ etiam per longum tempus tria tantum tempora numerabantur; ex eo quod jejunium menſis Martii cum Quadrageſima confunderetur. Hinc in Sacramentar. Gelaſiano, ſeu lib. 1. Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ a Cardinal. Thomaſio edito numer. 82. pag. 113. habetur denunciatio jejuniorum quarti, ſeptimi, & decimi menſis, & in eodem Sacramentario nulla fit mentio jejunii primi menſis, non alia profecto ratione, niſi quia hoc confundebatur cum jejunio Quadrageſimali. Rurſus Concilium pariter Cloveshovienſe ſecundum celebratum Anno 747. *Can.* 18. recenſet ſolummodo jejunium trium Temporum dicendo: *Octavo decimo ſtatutum eſt mandato, ut jejuniorum Tempora, ideſt quarti, ſeptimi, & decimi menſis nullus negligere præſumat.* Denique Atto Vercellenſis Epiſcopus, qui decimo ſæculo floruit, trium Temporum morem, qui in Italia adhuc vigebat, in alium Quatuor Temporum, qui ubique fere alibi exprimebatur, mutavit. Decretum igitur illud Callisti a Gavanto allegatum ſemper magis dubium mihi eſt, utrum ſit vere authenticum, cum in eo expreſſe ſtatutum reperiatur, jejunium per Quatuor Tempora fieri debere, de qua diſtinctione Quatuor Temporum nulla fit mentio, ne in Sacramentario quidem Gelaſiano, cum in eo ſolum habeatur ſermo de jejuniis quarti, ſeptimi, & decimi menſis, non vero primi menſis ob rationem ſupra allegatam.

De præfatis Quatuor Temporibus & de jejuniis in eis ſervandis erudite diſſerit citatus Thomaſſinus *in ſuo tract. Hiſtorico de jejun. part.* 1. *c.* 21. *& part.* 2. *c.* 18. Ita pariter de prædictis jejuniis eruditas inſtituit Diſſertationes Bailet, & denique memoratus Grancolas *loc. cit.* & recentiſſime edidit Tractatum de pertinentibus ad celebrationem jejunii Eccleſiaſtici Quatuor Anni Temporum religioſiſſimus Vir Euſebius de SS. Sacramento Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, referendo etiam omnia ea quæ tradita ſunt a Bailet, & Durando ſpectantia ad dictam materiam.

IV. Gavant. num. 2. *Miſſa Feria IV. &c.*) Præter ea, quæ tradit Gavantus ſupra pertinentia ad Miſſam, quæ celebratur in Feria IV. & aliis Quatuor Temporum, advertere etiam occurrit, quod ſi in dictas Ferias Quatuor Temporum incidat Feſtum duplex, vel ſemiduplex, aut dies Octava alicujus Feſti v. gr. Conceptionis B. M. V. tunc Miſſa dicitur de Feſto, aut de Octava cum commemoratione de Feria, uti & de Vigilia, ac Feſto ſimplici, ſi una incidant in Feriam aliquam dictorum Quatuor Temporum, nec non legetur ultimum Evangelium de eadem Feria quatuor Temporum; in Eccleſiis autem Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ Conventuales in ejuſmodi caſu, una ſcilicet de Feſto, aut de Octava poſt Tertiam, ſine commemoratione de Feria currente; altera vero de feria currente Quatuor Temporum poſt Nonam ſine commemoratione de Feſto, & in fine utriuſque dicitur Evangelium Sancti Joannis; in priore fit commemoratio de Feſto ſimplici, ſi quod occurrat, non autem de Vigilia, ſi quæ pariter occurrat; in poſteriore vero fit commemoratio de Vigilia, non item de Feſto ſimplici ſi idem incidat: ſi quæ autem tertio loco in utraque Miſſa Conventuali dicenda Oratio eſſet, tunc ſit ea, quæ item ſecundo, & tertio loco ponitur, ſi nec Vigilia, nec Feſtum ſimplex ſimul occurrat, ut jam diximus ſuo loco.

Si vero non ipſa dies Octava alicujus Feſti, ſed tantum dies aliqua infra Octavam incidat in Feriam aliquam Quatuor Temporum (uti Anno 1729. dies ſeptima infra Octavam Conceptionis B. M. V. nempe 14. Decembris incidit in Feriam quartam Quatuor Temporum in Hyeme) tunc quamvis Officium dicatur de die infra Octavam, Miſſa tamen, non ſolum Conventualis, ſed etiam Miſſæ planæ, non excluſis Miſſis Votivis, & Defunctorum, debent dici de Feria IV. Temporum, ut alibi diximus, præſertim in Tit. de Feria, & Vigilia in prima Parte hujus Theſauri; in quo caſu color Altaris extra Miſſam principalem concordat cum Officio; color vero paramentorum Celebrantis concordat cum ipſa Miſſa, ut ſupra etiam innuimus, dicitur, inquam, in dicto caſu Miſſa de Feria ſine *Gloria*, & *Credo* cum commemoratione de Octava, ac tertia Oratio de Spiritu Sancto, non autem *Deus qui de Beatæ, &c.* ut male contra Rubricam generalem nonam Miſſalis *n.* 9. & contra Directorium Romanum nonnemo poſuit. Præfatio autem in tali occurrentia non dicitur communis, ut ſupra *part.* 1. *tit.* 12. *lit.* C tradit noſter Gavantus, quem ſecutus eſt Pittonus a nobis alibi allegatus, nec non Halden *part.* 1. *tit.* 66. *de Dominica, & Hebdomada tertia Adventus pag. mihi* 307. ſed debet dici Præfatio de Conceptione B. M. V. ut fuſe demonſtravimus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad dictum Titulum XII. *n.* 7. & ut docet etiam prædictum Directorium Romanum ad dictum Annum 1729. Rurſus in dicta occurrentia, ut *loc. cit.* diximus in Tit. *de Feria, & Vigilia*, & alibi etiam agentes de Miſſa Conventuali: in Collegiatis, & Cathedralibus, non debent cantari duæ Miſſæ Conventuales, una de Octava, altera de Feria, ſed unica tantum, & ea de dicta Feria cum commemoratione Octavæ.

Hæc omnia confirmantur per decretum recentiſſime emanatum, dum hæc folia prælo ſubjicerentur, quod Decretum datur in noſtro Indice *ibid. n.* 687.

V. Gav. eodem num. 2. *Habet duas Lectiones, &c.*) In prædictis Feriis Quatuor Temporum, uti & in aliis, in quibus dicendæ ſunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie eleiſon* in medio Altaris, revertitur ſtatim Celebrans ad cornu Epiſtolæ non vertendo ſe ad populum, nec dicendo *Dominus vobiſcum*; ſed ibi ſtans ante librum, extenſis, & mox junctis manibus ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit: *Oremus, &c.* & (niſi currat tempus Paſcale, ut in Quatuor Temporibus Pentecoſtes) ſubnectit *Flectamus genua*, & illico genuflectit unico genu, & ſtatim ſine mora ſurgens, Miniſtro reſpondente: *Levate*; manibus extenſis dicit ante primam Prophetiam, ſeu Lectionem, illam ſolummodo Orationem, quæ cum Officio illius Feriæ concordat, cæteras vero Orationes Miſſæ illi Feriæ convenientes, dicit ante Epiſtolam, hoc eſt ultimam Lectionem ejus Miſſæ, ut videre eſt in Miſſali ſuo loco.

VI. Gavant. num. 3. *In Feria IV. &c.*) Si in Feria VI. vel in Sabbato ante Dominicam quartam Adventus occur-

rat Feſtum Sancti Thomæ Apoſtoli, tunc Officium, & Miſſa fiunt de Feſto; de Feria vero Quatuor Temporum fit commemoratio in Laudibus, ac Miſſis privatis, & in quibus dicetur ultimum Evangelium de eadem Feria Quatuor Temporum. In Miſſa vero ſolemni nulla fiet commemoratio dictæ Feriæ, quia de ea poſt Nonam cantatur alia Miſſa abſque ulla Feſti S. Thomæ commemoratione.

VII. Gav. n. 6. *In Sabbato vero ratione ſeptem Ordinationum, &c.*) Primis Eccleſiæ ſæculis, quibus non opus erat multiplicandi ſacros Miniſtros, ut hodie urget neceſſitas, non ſolum alibi, ſed etiam Romæ unica celebrabatur ordinatio per annum, & hæc quidem menſe Decembri ob Natalis Feſtum, ideoque ad anni finem, ut in proximo eſſent ad Eccleſiam ſub proxime ſequentis anni initium deſerviendam; & hinc toties in fine hiſtoriæ Pontificum hæc clauſula ſubjicitur: fecit ordinationes menſe Decembri, &c. Urgente deinde, ut dixi, neceſſitate multiplicandi Miniſtros ſacros, eorum ordinatio pariter per annum multiplicabatur, & nulli tempori fixa erat, ſed prout Eccleſiæ neceſſitas ferebat, quocumque tempore, ut Græci vel hodie faciunt, ordinatio celebrabatur. Nonniſi circa quintum Eccleſiæ ſæculum Dominicis tantum diebus ordinationes fieri cœperunt, cujus rei clarum extat teſtimonium in Epiſtola Sancti Leonis Magni, in qua Dioſcorum Alexandrinum hortatur ad hunc Eccleſiæ Romanæ morem ſervandum, circa tempus ordinationum, nimirum tantum nocte, quæ eſt inter Sabbatum, & Dominicam, jubendo præterea, ut, qui ordinationem celebrabunt, jejuni ſint, atque jejunium Sabbati uſque ad Dominicam producant, & nonniſi poſt abſolutam ordinationem cibum ſumant. Cæremonia circa noctis medium peragebatur, & ad lucem uſque perdurabat, ſive uſque ad Dominicæ aurorani, poſtea hæc cæremonia ad Sabbati veſperam retracta fuit; cum enim a jejunis præſtari deberet, hinc occaſio ſumpta eſt decimo, vel undecimo ſæculo præveniendi antedictam ordinationem ob difficultatem ſervandi tanto tempore jejunium. Ex prædictis factum eſt etiam, quod iſtæ Dominicæ appellabantur vacantes, quia nempe proprias Miſſas non habebant, Miſſaſque de ordinatione, quæ Dominica die ſummo mane fiebat, pro ejuſdem Dominicæ Miſſa reputabatur; unde ad nos derivavit conſuetudo Quatuor Temporibus Decembris, & Quadrageſimæ idem Evangelium Sabbato, & Dominica ad Miſſam dicendi. Ob eamdem etiam rationem in veteribus Sacramentariis ante nonum ſæculum, atque antequam ordinatio huic Sabbato adnecteretur, habetur Epiſtola, & Evangelium, quæ Romæ dicebantur Dominica ante Natale. Hic mos tandem penitus obſolevit, ordinationes enim neque Dominica, neque veſpere Sabbati; ſed mane Sabbati in Quatuor Temporibus, necnon in Sabbato ante Dominicam medianam, quibus Gelaſius Papa, ut patet ex ſua Epiſtola 9. ſeu conſtitutione, quæ reperitur in Codice Thuanio c. 6. Cæremoniam ordinationis affixit: *Ordinationes Presbyterorum, Diaconorumque, niſi certis temporibus, & diebus exercere non audeant, ideſt quarti menſis jejunio ſeptimi, & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis jejunii, ac medianæ Quadrageſimæ die Sabbati jejunio.*

VIII. Cum hodie vigeat conſuetudo conferendi majores ordines etiam in die Sabbati Sancti, quæri poteſt, qua primum ætate invecta ſit in Eccleſiam hujuſmodi diſciplina? Multi enim tam Theologi, quam Canoniſtæ ſibi, & aliis perſuaſerunt, hujus Ritus originem antiquiſſimam eſſe, & vel Leonem Magnum Auctorem, aut certe Reſtauratorem habuiſſe. Nuſquam in hanc opinionem viri docti deſcendiſſent, ſi attentius conſideraſſent Eccleſiaſtica monumenta, quæ de temporibus ordinationum accuratam mentionem fecerunt; numquam enim ante Alexandrum III. quidquam inveniſſent, quod ſententiæ ſuæ patrocinium afferret. Et ut a ſæculo Sancti Leonis incipiam, Gelaſius paulo ante citatus in Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos definit, quibus temporibus ordinationes fieri debeant; de Sabbato autem Sancto penitus tacet -- *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum*, inquit, *niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, id eſt, quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis initii, & medianæ hebdomadæ die Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandam*. Sane haudquaquam video, qua ratione Canoniſtæ in his verbis *die Sabbati* inveniant Sabbatum Sanctum, cum certo certius ſit, Gelaſium id unum definire, ut ordinationes fiant tantum in Sabbato Quatuor Temporum, & in Sabbato hebdomadæ medianæ, & non in aliis diebus -- Gemina his habet Gregorius II. in Epiſtola ad Clerum, & Populum Turingiæ -- *Ordinationes vero Presbyterorum, ſive Diaconorum, nonniſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis jejuniis, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali, atque medio veſpero Sabbati noverit celebrandas*. Nulla etiam hic Paſchalis Sabbati mentio, ſicuti etiam nihil de eo Sabbato decernitur in Synodo Romana ſub Zacharia anno 743. & Lemovicenſi ſub Benedicto IX. anno 1034. in quibus ordinationum tempora definiuntur. Denique Urbanus ſecundus in Concilio Claramontano anno 1095. ſtatuit, ne fiant ordinationes niſi Quatuor Temporibus, & Sabbato medianæ Quadrageſimæ, & tunc protrahatur jejunium uſque ad veſperas, & ſi fieri poteſt uſque ad craſtinum, ut magis appareat, in die Dominico ordines fieri -- Ubi Sabbatum Sanctum omnino ſiletur; his auctoritatibus addi poſſunt tum Romani, tum aliarum Eccleſiarum Ordines a Morino, Mabillonio, & Martene vulgati, qui licet tempora, & ritus ordinationum exacte deſcribant, de Sabbato Sancto tacent. Fidem autem omnem ſuperare videtur, quod hujuſmodi Ritus tot Pontifices, atque Concilia latere potuerit, ſi jam a Leonis I. ætate viguiſſet. Certum ergo videtur, ante ſeculum duodecimum inauditam fuiſſe conſuetudinem conferendi ordines ſacros in die Sabbati Sancti -- primum hujus moris veſtigium apparet in Reſcripto Alexandri III. ad Epiſcopum Herfordienſem, quod ita ſe habet -- *De eo autem, quod quæſiviſti, an liceat extra jejunia Quatuor Temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere, taliter reſpondemus, quod licitum eſt Epiſcopis, Dominicis, & aliis Feſtivis diebus unum, aut duos ad minores ordines promovere; ſed ad Subdiaconatum niſi in Quatuor Temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare*. Nec eſt, quod quiſquam objiciat Alexandrum III. in hac Epiſtola nihil de novo ſtatuere, ſed tantum explicare, quid antiquitus in Eccleſia obſervaretur; nam ſi antiquitus ordines collati fuiſſent in Sabbato Sancto, & hujuſmodi Ritus in communem Eccleſiæ diſciplinam tranſiſſet ante ævum Alexandri III. id profecto non ignoraſſet Epiſcopus Herfordienſis; ignoravit tamen: poſtulabat enim a Pontifice, num liceret extra Quatuor Tempora ordines miniſtrare: Quocirca ſtatuendum nobis videtur, conſuetudinem ordines conferendi in Sabbato Sancto originem habuiſſe inter Urbani II. & Alexandri III. tempora, niſi malimus aſſerere, ipſum Alexandrum III. hujus moris inſtitutorem fuiſſe.

Duo nobis opponere poſſe videntur, qui in adverſa opinione verſantur, primo Leonis Magni auctoritatem in Epiſtola ad Dioſcorum, in qua hæc ait -- Quod ergo a Patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum, a nobis hoc volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur: ſed poſt diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati luceſcit, exordia deligantur, in quibus his, qui conſecrandi ſunt, jejunis, & a jejunantibus ſacra Benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die, continuato Sabbati jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, & quam ad diem Reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt, &c.

Hunc locum de ordinatione in Sabbato Sancto peragenda non modo Scholaſtici, & Canoniſtæ, verum etiam veteres Sancti Leonis operum editores intellexerunt, unde epiſtolæ ad Dioſcorum titulum hunc appoſuerunt, vel appoſitum confirmarunt -- *De ordinatione Presbyteri, aut Diaconi, ut Sabbato Sancto celebretur, id eſt, die Dominico*. Præpoſteram eſſe hanc loci Leonini intelligentiam magnis argumentis demonſtravit noviſſimus editor Operum Sancti Leonis, ac prorſus evicit, Pontificem magnum de quolibet anni Sabbato, & qualibet Dominica locutum fuiſſe -- Primo enim, momenta, quæ Leo adducit ad probandam conſuetudinem, quam Dioſcoro præſcribit, non tantum pro Paſchali, ſed pro quacumque Dominica faciunt, mundi videlicet exordium, miſſio Apoſtolorum, & Spiritus Sancti in illos deſcenſus, quæ omnia non die Paſcatis, ſed die tantum Dominico contigerunt. Scripturæ etiam teſtimonia, & Apoſtolorum exemplum, quæ ex actibus Apoſtolicis afferuntur a Leone, non ſuit Dominicæ Paſchali, ſed omnibus æque conveniunt, non enim Apoſtoli munus Paulo, & Barnabæ in ſolemnitate Paſcali impoſuiſſe leguntur -- Secundo ſi de Sabbato & Dominica Paſchali in hac Epiſtola ſermo inſtitueretur, fruſtra Leo adduceret in exemplum ipſum paſchatis diem, ut probet eam noctem, quæ ſequitur proxime diem Sabbati, ad diem Dominicam pertinere -- id tamen fecit Leo *ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur*, in quo videlicet nox Sabbato Sancto ſuccedens feſtivitati Paſchali deputatur in Officio Eccleſiæ, quod nunc apud nos die Sabbati ſummo mane celebratur; per illa vero tempora nonniſi poſt noctis ſubſequentis initia agebatur -- Tertio cum Leo affirmet, in nocte tantum Sabbati licet ordinationes fieri, niſi de quocumque Sabbato ejus verba capiantur, licebit tantum ex mente Leonis ordinationes facere in Sabbato Sancto, quod quam abſurdum ſit, nemo non videt. Conſtat enim ex monumentis Eccleſiaſticis poſt Leonem, & ante ipſum plurimos tum Epiſcopos, tum Presbyteros extra diem Paſchatis conſecratos fuiſſe. Certe Leo Dominicam diem ordinationibus deſtinatam vocat Reſurrectionis diem, quod multis errandi occaſionem præbuiſſe videtur; ſed perquam familiare eſt antiquis Scriptoribus quamlibet anni Dominicam eo titulo inſignire -- Et ne a Leone diſcedamus, ipſe in Epiſtola ad Turibium *cap.* 4. teſtatur, Priſcillianiſtas jejunaſſe die Dominica, qui eſt dies Reſurrectionis Chriſti; videri etiam poteſt in hanc rem Amalarius *lib.* 2. *de Eccleſiaſt. Offic. cap.* 2.

Hinc unum ergo decrevit Leo, ut ordinationes Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum non qualibet anni die, ſed Dominica tantum fierent, ſive in nocte, quæ Dominicam præcedit.

Alterum, quod noſtræ opinioni adverſari videtur, eſt quoddam fragmentum Epiſtolæ ad Epiſcopum Potentinum, quod ſub nomine Pelagii refertur a Gratiano *diſtinct.* 76. In eo vero Pontifex ad urbem invitat quemdam Diaconus Eccle-

ſiæ

ſiæ Grumentinæ ad Epiſcopatum Eccleſiæ Cluſitanæ electum, ut eum in Sabbato Sancto poſt Baptiſmum ordinare poſſit -- *Ita* vero habet fragmentum Epiſtolæ. Dilectionis tuæ ſcripta ſuſcepimus, quibus ſignificas Latinum Eccleſiæ Grumentinæ Diaconum ad Epiſcopatum Marcellionenſis Eccleſiæ, ſive Cluſitanæ ab omnibus fuiſſe electum: quod jam ante hoc tempus retuliſti, & juſſimus, ut veniret; credentes eos de perſona ejuſdem ab Epiſcopo ſuo Dimiſſorias accepiſſe, quod ſi modo fecerunt, facite eum velociter ad Urbem Romam occurrere, ut ſi Deus juſſerit, in Sabbato magno poſt horam Baptiſmi ordinetur. Quod ſi ante memoratum diem non occurrerit, cogetur uſque ad quarti menſis jejunia ſuſtinere.

Quam parum huic Epiſtolæ fidant ipſimet Canoniſtæ, planum faciunt Hallier, & Gonzalez, qui nequaquam eam in ſuæ ſententiæ patrocinium adducunt, ubi de ordinatione in Sabbato Sancto facienda ſermonem inſtituunt; unde probabile admodum eſt, ipſis viſam fuiſſe ſuppoſititiam -- Et ſane Epiſtola illa recta fronte pugnat cum veteri, recentique Eccleſiæ diſciplina, qua ſemper licitum fuit quacumque Dominica conſecrare electos ad Epiſcopatum, quin neceſſarium foret expectare Quatuor Tempora, quemadmodum hæc Epiſtola aperte definit. Suppoſititiam itaque Epiſtolam putamus, quæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, tot Pontificum, ac Conciliorum auctoritate munitæ contraria eſt; & denuo concludimus morem conferendi ordines in Sabbato Sancto inauditum fuiſſe ante ſæculum Eccleſiæ duodecimum.

IX. Gavant. num. 6. *Dominica poſt Sabbatum ordinationum, &c.*) Dominica quarta Adventus, quæ eſt poſt tempora Hyemalia (niſi in eam incidat *Vigilia Nativitatis Chriſti*, aut alicubi *Feſtum S. Thomæ*, ubi is tanquam Patronus Loci, aut propriæ Eccleſiæ eſt duplex primæ claſſis) ſicut Officium, ita & Miſſa dicuntur Ritu ſemiduplici ſecundæ claſſis de dicta Dominica, ut in Miſſali deſcribitur cum *Credo* ſine *Gloria*, quia tamen etiam poſt hanc Dominicam quartam Adventus aliquando occurrit una, vel altera, aut etiam plures, quandoque Feriæ, in qua vel in quibus, quando Officium fit feriale, Miſſa quoque prædictæ Dominicæ dicitur in talibus Feriis ſine *Gloria*, & *Credo*, omiſſo quoque poſt Graduale *Alleluja*, ac ℣. ſequenti cum iiſdem tamen Orationibus, excepta feria 2. in qua ſecunda Oratio eſt *Fidelium*, tertia autem *Deus qui de B. M. V. &c.*

Si in Feriam II. aut aliam Feriam hujus hebdomadæ incidat Vigilia Sancti Thomæ, tunc nihil fit de Vigilia in Officio, ne commemoratio quidem, ſed totum dicitur de feria currente, ſine commemoratione, ac ultima lectione de Vigilia, ut ſupra innuimus. Miſſa tamen tunc dicitur (etiam principalis) de Vigilia, de Feria autem Adventus fit tantum commemoratio, nec legitur de iſta ultimum Miſſæ Evangelium: de reliquo dicitur illa ſine *Gloria*, & *Credo*, *&c.* Ad Orationes, quod attinet, ſi prædicta Vigilia S. Thomæ incidat in Feriam II. hujus hebdomadæ, ſecunda Oratio erit *Fidelium*, tertia autem de Feria Adventus ex Dominica quarta præcedente: ſi vero incidat in aliam Feriam, tunc ſecunda Oratio erit de Feria Adventus, tertia autem *Deus, qui de B. M. V. &c.*

Si in Feriam II. aut aliam hujus hebdomadæ incidat ipſum Feſtum S. Thomæ, tunc Officium, ita & Miſſa (etiam Conventualis in Eccleſiis Cathedralibus, ac collegiatis) fiunt de Feſto cum commemoratione de currenti Feria illa Adventus tam in Officio, quam in Miſſa ſumendo pro commemoratione Feriæ Adventus, Orationem ex Dominica præcedente.

### De Natali Domini, & Feſtis ſequentibus. III.

### *GAVANTUS.*

1. Vigilia Nativitatis habetur *in Ordine Romano*, non habet *Alleluja*, niſi in Dominica, ob memoriam Reſurrectionis, *Gemma lib. 4. cap.* 103. quod ſi fiat commemoratio Dominicæ, non tamen ejus Evangelium legitur in fine; quia in præcedenti Sabbato fuit lectum, ut dicitur *p.* 1. *Rubr. titulo* 13. *num.* 2.

* Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, Miſſa cantanda erit poſt Horam Tertiam, & poſt aſperſionem aquæ benedictæ; quia eo die non jejunatur: & licet aliud videatur præſcribi in *Rubr. gener. part.* 1. *tit.* 15. *num.* 2. ibi; *quamvis dies ſint ſolemnes*: de iis tamen intelligitur, in quibus & jejunatur, & duæ cantantur Miſſæ de Feſto & de Feria, quæ huic Dominicæ non conveniunt. Dicitur *Credo* in hac Vigilia, ſi venerit in Dominica; quod alias docuimus, ratione Dominicæ.

2. Natalis Domini, de quo *Clem. lib.* 5. *cap.* 13. *Conſtit.* ita dictus eſt *in Ordine Romano*, quia in eo natus eſt Chriſtus. *Iſidor. lib.* 1. *de divin. Offic. cap.* 25. habet certum diem, non mobilem, ut Paſcha, quia *ex Aug.* noſſe oportet, diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari, ut Paſcha, ſed tantum ad memoriam, quod natus ſit: in Paſcha alia ſunt myſteria Azymorum, feriæ ſextæ, Sabbati, &c. Ita *Alcuinus Flaccus*. Natus autem eſt die Dominico, *ex Synod. 6. c.* 18.

3. Tres Miſſæ celebrantur *ex Decreto Theleſph.* duas autem tribuit eidem *Rub. lib.* 3. *c.* 17. ob duas generationes Chriſti ex Patre, & ex Matre: ſed forte *Rup.* loquitur eo ſenſu, quod ille decrevit eas celebrari de nocte, ante Horam Tertiam, ſignificat autem, quod Chriſtus natus eſt in ſalutem eorum, qui ante legem, qui ſub lege, & in Evangelio extitere: *Gemma lib.* 3. *cap.* 104.

4. Ante Laudes Prima Miſſa eſt dicenda. *Microl. c.* 34. qui & ideo addit, quod omittebatur tunc, *Ite Miſſa eſt*, ne diſcederet Populus. *Te Deum*, dicitur ante Miſſam, *Gemma lib. 4. cap.* 117. contra quoſdam apud *Durand. lib. 6. c.* 13. De Præfatione, & Communicantes, diximus ſupra 1. *part. tit.* 2. *num.* 2. *&* 5. De ultimo item Evangelio tertiæ Miſſæ, *ibid. tit.* 13. *n.* 2. Jubetur autem omitti purificationem in prima, & ſecunda Miſſa, *ex Innoc. III. cap. ex parte, de celebr. Miſſar.* Vide *ſupra* 3. *part. de defectibus tit.* 9. *num.* 4. & adde, neque purificatorio tergendum eſſe Calicem, niſi in fine tertiæ Miſſæ; * neque omittendas eſſe eas preces, quæ in purificatione Calicis, & digitorum ablutione recitari ſolent: Memento quoque, ut in Vaſe, non in Calice, fiat purificatio digitorum, ex dictis *tit.* 9. *num.* 4.

Verum in prima Miſſa ſolemni, hauſto diligentius ſanguine de Calice, Subdiaconus illum deferet ſine Purificatorio ad credentiam de more: ubi ſuppoſita ſaltem palla decenter ſervabitur uſque ad ſecundam Miſſam; vel certe relinquet cum Corporali extenſo ſuper Altare prope Tabellam ſecret. ne impediat incenſationem Altaris faciendam in Laudibus, & hoc poſtremum mihi magis placet.

5. *Francol. de temp. Hor. Canon. cap.* 40. *n.* 2. monet celebraturum primam Miſſam in nocte, ut ſit ille jejunus per horas circiter ſex ex quadam congruentia; quod ſi celebraturus ſit ante mediam noctem, ex privilegio, vel legitima conſuetudine, vere non diſpenſatur in jejunio neceſſario ad Miſſam; ideo a pridiana media nocte jejunet, neque in Miſſa Vigiliæ ſumat purificationem; & eo caſu ſi in prima Miſſa noctis ſumeret purificationem, imuo & cibum antem mediam noctem, poſſet celebrare ſecundam, & tertiam Miſſam Nativitatis Domini. Favet communis doctrina Theologorum.

6. Cæterum probabilem ſententiam, & ſecuram putat *Suarez* 3. *part. diſp.* 80. *ſect.* 4. poſſe in nocte hac celebrari tres Miſſas privatas ſimul poſt mediam noctem, quia nullo jure prohibetur: nec abnuo, ſi cauſa adſit majoris numeri Sacerdotum, minoriſque numeri Altarium, & ejuſmodi, ſi minus omnes celebrare commode poſſunt; oppoſitum docet *Francol.* 1. *part. cap.* 39. *n.* 20. ubi multos citat Doctores, quorum eſt communior ſententia, lege *Bonac. diſp. 4. quæſt. ult. punct. 9. num.* 5. ubi etiam docet *punct.* 11. *num.* 10. non teneri Parochum ad tres Miſſas celebrandas, niſi adſit ſcandalum; certe, qui unam tantum facit, vel primam, vel tertiam facere debet; & tertiam potius, cujus Oratio cum Officio concordat.

7. In Feſto S. Stephani, quo ille obiit, *ex Baron. in Martyrolog.* contra *Durand. lib. 7. cap.* 21. legitur Evangelium de Abele Protomartyre totius mundi, *Gemma lib. 3. cap.* 107. & quia dicitur, *lapidas eos, & relinquetur vobis domus deſerta, &c.* quod in ore Stephani fuit cauſa martyrii *Act.* 6 meminit *Clemens in Conſtit.* hujus, & ſequentium Feſtorum cum Natali Domini, *lib. 8. c.* 39. *& Roman. Ordo*: in quibus habuere ſermones antiquiſſimi Patres.

8. Feſtum S. Joannis, ut filii Virginis ſequentis ventrem, quæ his diebus genuit Chriſtum: vel quia de Pathmo hac die rediit; vel quia Eccleſia ejus nomine dedicata fuit *Gem. lib. 3. cap.* 13. cum obierit ille, *ex S. Hieron. in Brev. & die* 24. *Junii*, ait *Gemmæ auctor ibidem*. Præfatio dicitur de Nativitate quia majoris eſt dignitatis: & ita habetur in antiquioribus Miſſalibus.

9. Feſtum Innoc. antiquius eſt Origene, qui de eodem *homil. 3. in Matth.* non admittit cantica lætitiæ, quia deſcenderunt in Limbum *Microl. cap.* 36. In Dominica vero, & Octava dicuntur, ob cauſas allatas ſupra *part.* 1. *tit.* 10. *& tit.* 18.

10. Officia Miſſarum, a Vigilia Nativitatis uſque ad Dominicam infra Octavam ejuſdem incluſive, habentur in *Ant. & Sacrament. Greg.* Orationes tamen ſecundæ, & tertiæ Miſſæ Nativitatis ſunt Ambroſianæ, *ex Pamelio*.

11. Dominicæ infra octavam Nativitatis reperitur veſtigium apud *Microl. c.* 37. etiamſi dies ipſa non ſit Dominica, & citat Introitum, *Dum medium ſilentium*, Oratio prima Dominicæ hujus eſt Ambroſiana *ex Pamelio*.

12. Octavæ Nativitatis, & circumciſionis meminit *Maximus Thaurin. in homil. & Ordo Rom.* Oratio *Deus, qui ſalutis æternæ*, eſt apud *Microl. c.* 39. *Pamelius* docet Miſſæ Officium, licet legatur in *Antiph. S. Gregor.* eſſe tamen eo poſterius. Aliqui faciunt Auctorem Feſti Circumciſionis Ivonem, qui de eo ſermonem habuit.

13. Octavarum etiam S. Stephani, & S. Joannis, *Amalar. lib.* 4. *c.* 37. ſcribit Officia.

14. Vigilia Epiph. habetur *in Ordine Romano*, in qua non jejunatur ex *Concil. Turon. num.* 2. *c.* 13. ob Nativitatem Domini Evangelium legitur anticipate, quod accidit poſtridie Epiph. ex *Martyr. 7 Jan.* * ſi venerit in Dominica dicitur *Credo* ratione Dominicæ.

15. Epiphania, ſeu Theophania, ideſt, Apparitio Chriſti *ex Ordine Romano*, continet Miracula, Stellæ Magorum, Baptiſmi Chriſti, aquæ in vinum mutatæ, & quinque millium ſatiatorum *ibid.* meminit *S. Clemens lib.* 5. *Conſtit. cap.* 13. Poſt Evangelium publicatur Paſcha, ex *Concil. Aurelianen.*

4. *Can.* 1. ut proxime determinetur Dominica Septuageſimæ, quæ eſt prima dies ex mobilibus. Epiphania Magorum Anno primo Chriſti contigit Feria ſexta, & offic. Miſſæ habetur *in Antiph. & Sacram. Gregor.*

16. Dominicæ infra Octavam cum Introitu, *in excelſo throno* meminit *Amalar. lib. 4. cap.* 33. quæ, ſi contingat, ut in Rubricis Breviarii, in Sabbato præcedenti celebrari, duas tantum in Miſſa Orationes admittit, more Dominicarum infra Octavas; quod idem fit in Dominica infra Octavam Nativitatis, in qua fiunt tantum commemorationes de Octava. Offic. Miſſæ habetur in *Antiph. & Sacramentario S. Gregorii*, ſed Oratio eſt Ambroſiana *ex Pamelio*.

17. In Octava celebrari Baptiſmum Chriſti in Miſſa, docuit *Amalar. cap.* 34. Baptizatus autem fuit feria *6. ex Ciaconio in vita Chriſti*, ſed *Durand. lib. 6. cap.* 28. Feria 3. baptizatum probatur. Orationes habentur *in Sacramentario Gregoriano*.

18. De Feſtis duplicibus, & aliis, quid agendum ſit infra Octavam Epiphaniæ, pendet a Rubrica Breviarii, ubi nos etiam reddemus cauſam deſumptam ex Officio, non ex Miſſa.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. *Vigilia Nativitatis habetur, &c.*) Hæc Vigilia celebratur cum jejunio, quod remotioribus antiquitatis teſtimoniis comprobari poteſt. Div. enim Auguſtinus prædictum jejunium tamquam univerſale totius Eccleſiæ proponit, & inter crimina, propter quæ Presbyterum quemdam ſuæ Diœceſis depoſitione dignum judicavit, illud recenſet, quod in Vigilia Natalis Domini non jejunaſſet: *Confeſſus eſt die jejunii Natalis Domini, quo etiam Eccleſia Gippitana ſicut cæteræ, jejunabat, prandiſſe, & cœnaſſe.... ego.... removendum ab Officio Presbyteri arbitratus ſum*, Ita S. Pater *epiſtol.* 65. ad Xantippum Numidiæ Primatem. Nonnulla alia ſpectantia ad jejunium hujus Vigiliæ, tradit Grancolas *lib. 2. cap.* 13. *in comment. ad Breviarium Romanum*.

De Ritu celebrandi Officium hujus diei, & legendi ad Primam Martyrologium cum majori, quam alias ſolemnitate; ſermonem habebimus cum noſtro Auctore *in com. 2. hujus ſui theſauri ſect. 6. cap. 4.*

Ad Miſſam vero hujus Vigiliæ, quod attinet, hæc eo magis peculiaris cenſeri debet, quod in nulla ex tribus Feſtis Nativitatis Miſſis minime comprehenditur, eſtque ab Officio, & Miſſa noctis Natalis ſejuncta: atque in omnibus Sacramentariis etiam Gelaſii ſtatutum eſt, eam ad Nonam celebrandam eſſe: *In Vigiliis Natalis Domini ad Nonam*, veluti minorum jejuniorum diebus. Lanfrancus *ſtatut. cap. 1. ſect.* 2. præſcribit, ut Miſſa hæc cum ſolemnitate poſt Sextam celebretur Diacono Dalmaticam, Subdiacono Tunicam, Cantoribus cappam geſtantibus. Graduale vero in albis cantatur, atque præterea lumina, & incenſum ad Altare adhibeantur, & majores Campanæ pulſentur. In quibuſdam Eccleſiis generalis abſolutio ante Miſſam dabatur, quemadmodum fieri contingit Feria 5. majoris hebdomadæ in Cathedralibus, cum pœnitentes reconciliantur. In aliis vero Eccleſiis plures Prophetiæ, & quinque aliquando legebantur, uti fit Sabbato Quatuor Temporum, vel Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecoſtes ante Fontium Benedictionem. In Eccleſia Mediolanenſi adhuc perſeverat conſuetudo legendi in hac Miſſa quatuor Lectiones ex veteri Teſtamento, & canendi totidem Graduales, quos Pſalmellos vocant, & Collectas ante Epiſtolam, & Evangelium; atque prior ex iſtis quatuor primis Lectionibus, eſt illa ex Geneſi *c.* 15. qua *Meſſias* Abrahamo promiſſus eſt; altera ex libro Judicum *c.* 13. Mane ſcilicet Oratio; tertia ex libro 1. Regum *c.* 1. quarta ex Iſaia *cap.* 7. *Adjecit Dominus loqui ad Achaz*. Prædictæ autem Lectiones per extenſum habentur in Miſſali Ambroſiano, impreſſo Mediolani Typis Vincentii Sabbii Anno 1594.

In noſtris autem Eccleſiis, & hiſce temporibus, Miſſa (ſi Vigilia Nativitatis Domini veniat extra Dominicam) dicitur hac die, uti deſcribitur in Miſſali, & uti notatur in proprio de tempore, ſine *Gloria*, & *Credo*, & tunc omittitur poſt Graduale *Alleluja* cum ſequenti ℣. Dicitur quoque tunc nonniſi unica Oratio. Præfatio communis; in fine *Benedicamus Domino*, & Evangelium S. Joannis: color violaceus. Miſſa Conventualis vero hujus diei cantari debet, ut innui, poſt Nonam, Duplex quodcumque etiam Patroni, & Titularis Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem in hac Vigilia occurrens, transferendum eſt juxta Rubricam Generalem decimam Breviarii num. 1. Probibentur quoque hodie Miſſæ Votivæ privatæ etiam de *Requiem*, quamtumvis præſens ſit corpus, juxta Decretum editum die 28. Auguſti 1627. datum in noſtro Indice *ſub num.* 217.

Cantata Nona terminatur tempus Adventus, & ceſſat ℣. *Angelus Domini*, cum collecta: *Gratiam tuam quæſumus, &c.* & illi alia; *Deus, qui de B. M. V. &c,* reſpective in Officio, & Miſſa ſubſtituitur.

Noſter Caſtaldus *in praxi Cæremoniarum lib. 3. ſect. 1. c.* 5. accurate deſcribit, quæ in Palatio Apoſtolico, tum alibi obſervanda, ac præparanda ſunt hac die, omneſque ejus cæremonias, præſertim vero in decantanda Prima, & cæteris Horis minoribus.

II. Gavant. *Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, &c,*) Si hæc Vigilia venerit in Dominicam quartam Adventus, Miſſa dicitur de Vigilia, & quidem eadem, quæ alias, nempe *Hodie ſcietis, &c.* at cum Commemoratione *Dominicæ quartæ Adventus*; ob quam tunc in tali Miſſa Vigiliæ dicitur quoque *Credo*, uti diſerte tradit Gavantus ſupra, cui adſtipulantur omnes Directores in ſuis Kalendariis; non dicitur tamen *Gloria in Excelſis, &c.* Poſt Graduale dicitur *Alleluja, Alleluja* cum ℣. ſeq. ſed non dicitur tertia Oratio: dicitur Præfatio communis, & in fine *Benedicamus Domino*, ac Evangelium S. Joannis, &c. non vero de Dominica occurente, quia, ut ait Gavantus ſupra, lectum jam fuit Sabbato præcedente, nec hodie fuit lectum ad Matutinum, ut addit Bauldry. Dominicæ commemorationem, ex quo hac die occurrit Vigilia Nativitatis, diſerte præſcribit Rubrica Miſſalis, unde ſatis mirari non poſſumus doctiſſimum Grancolas *cit. loc. cap.* 13. affirmare potuiſſe, nullam in eo caſu Dominicæ debere fieri commemorationem, quod profecto inconſiderate ſcriptum eſt.

III. Gavant. * *Miſſa cantanda erit poſt Tertiam, &c.*) Miſſa Solemnis, ſeu Conventualis in prædicto caſu, ut optime notat Gavantus, cantauda erit poſt Tertiam, & poſt aſperſionem aquæ benedictæ, & Miniſtri ad prædictam Miſſam Solemnem, in caſu quo Vigilia Nativitatis Domini occurrat in Dominica, utentur Dalmatica, & Tunicella, ut tradit Caſtaldus *loc. cit. n.* 2. & poſt eum Bauldry *part. 4. c,* 2. Miſſa ſiquidem non eſt de Dominica, ſed de Vigilia Nativitatis, in qua non adhibentur Planetæ plicatæ, ut ſupra nos quoque innuimus.

IV. Gavant. num. 2. *Habet certum diem non mobilem, &c.* Cur Chriſti Natalis dies immobilis, certuſque ſit, non vero Paſchæ, &c. tradit Auguſtinus *epiſt. 55. alias 119. cap. 1. &* 2. ubi ait; *Diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari, ſed tantum in memoriam revocari, quod natus ſit, at per hoc nihil opus erat, niſi revolutum Anni diem, quo ipſa res acta eſt, Feſta devotione ſignari, Sacramentum eſt autem in aliqua celebratione, cum rei geſtæ commemoratio ita fit, ut aliquid etiam ſignificari intelligatur; eoque modo agimus Paſcha, ut non ſolum in memoriam, quod geſtum eſt, revocemus, ideſt, quod mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, ſed etiam cætera, quæ circa ea adteſtantur ad Sacramenti ſignificationem, non omittamus*; hæc autem innuuntur ſupra a Gavanto.

Cæterum, quamvis inter majores Eccleſiæ ſolemnitates primum ante cæteras locum ſibi vindicet Natalis Domini, ſi Paſcha, & Pentecoſten excipias, difficile tamen eſt affirmare, quo præcipue tempore Feſtum iſtud tam ſolemne inſtitutum fuerit. S. Auguſtinus de Feſtis agens *epiſt. 54. alias 118. cap.* 1. recenſet ea Feſta, quæ ætate ſua per univerſum Orbem ſervabantur, & quæ ab Apoſtolis inſtituta credebantur, & inter ea nominat Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionemque Domini, necnon Deſcenſum Spiritus Sancti, quæ ſunt Myſteria, quorum Apoſtoli teſtes fuerunt, nihil vero habet de hoc Feſto Natalis Domini hoc loco; non quia ea tempeſtate non coleretur ab omnibus, ſed fortaſſe, quia cæteris aliis ſolemnitatibus quoad vetuſtatem cedebat, vel quia non ab omnibus Eccleſiis eodem die peragebatur; nam de tali Feſtivitate idem S. Pater mentionem facit, ut mox vidimus in alia ſupracitata epiſtola.

Sed quo præciſe tempore Feſtum Natalis Chriſti celebrari cœperit, iterum dico, incertum omnino eſt. Clementis Alexandrini ætate, ideoque ſæculo ſecundo labente, vel nondum colebatur tale Feſtum, vel ſaltem peculiari diei affixum non fuiſſe, ſaltem in Ægypto, ubi vivebat, & in Provinciis vicinis deducit eruditiſſimus Franciſcus Pagius in Vita S. Julii Pontificis circa medium Sæculi IV. Certum tamen eſt, priſcis Eccleſiæ temporibus, & poſt Clementem Alexandrinum Feſtum Epiphaniæ idem fuiſſe, ac Feſtum Natalis Chriſti, & Epiphaniam non ſolum Adventum Magorum, quibus ſeſe conſpiciendum præbuit, ſed etiam Chriſti Natalem, & Chriſti Baptiſmum ſignaſſe, ut demonſtrat Dionyſius Gothofredus ex Sanct. Patr. *in Commentario legie v. Theodoſii junioris de ſpectaculie* Anno 425. datæ. Feſtum autem Epiphaniæ celebrabatur tam in Oriente, quam in Occidente die VI. Januarii. De Occidente teſtatur Ammianus Marcellinus Scriptor Gentilis *lib. 21. cap.* 2. De Oriente vero teſtatur Epiphanius *lib.* 3. & Caſſianus *Collat. lib. 10. cap.* 2,

Ex D. autem Joanne Chryſoſtomo *in ſerm. 35. de Chriſti Nativitate*, qui extat *tom. 5. ejus operum pag. mibi* 466. diſerte colligitur, ante decem Annos jam idem Feſtum Natalis Domini ſeorſim ab Epiphania, die XXV. Decembris celebrari cœptum fuiſſe. Prædictum Sermonem pronunciavit S. Joannes Chryſoſtomus quando nondum erat Epiſcopus, ſed tantum Presbyter Antiochenæ Eccleſiæ, ut oſtendit Combefiſius in notis ad Joannis Nicæni epiſtolam de die Natali; ſed ſive Orationem dixerit Antiochiæ, ſive Conſtantinopoli, vix decennium præteriiſſe docet, ex quo Natalis Domini dies Feſtus cognoſceretur: *Et quidem*, inquit, *nondum decimus Annus eſt, ex quo hic ipſe dies manifeſte nobis innotuit*. Pergit deinde narrare ex Eccleſia Occidentis, in qua Natalitii diei antiqua traditio erat, in Orientem ita ejus celebritatem rediiſſe, ut non omnibus ſtatim arrideret, Dominum Menſe Decembri na-

Digitized by Google

natum eſſe: *Hic dies cum ab exordio iis qui in Occidente habitant cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos Annos tranſmiſſus*. Subnectit poſtea inter Doctos diſſenſionem fuiſſe circa hanc rem; aliis eam tamquam rem novam improbantibus, aliis vero tamquam antiquitati etiam Orientalium conſonam, ſed jam diu antiquatam accipiendam, & reſtituendam contendentibus. Non me latet Greiſerum *ad cap.* 8. *Codini* negare hunc ſermonem eſſe Sancti Chryſoſtomi, verum eidem validis rationum momentis eum adjudicant Caſaubonus *Exercit.* 2. *in Baronium*, & Combefiſius *loco ſuprac.* Videri poteſt Zaccagnius *in præfat. tom.* 1. *ad Collectanea Monumentorum veterum Eccleſiæ Græcæ, ac Latinæ num.* 33. ubi exiſtimat, verba Sancti Chryſoſtomi mox eelata intelligenda eſſe de Antiocheni Patriarchatus Eccleſiis, in quibus Ægyptiorum more una, eademque die Epiphaniæ, & Nativitatis Feſtum antiquitus agebatur. Hinc etiam optime inferri poteſt, quod Eccleſia Antiochena prima fuerit inter Orientales, quæ duo Feſta iſta diſtinxerit, & Natalis Feſtum die XXV. Decembris celebrare cœpeeit, qui mos etiam Conſtantinopoli invectus fuit, ut infra patebit, operam dante eodem S. Joan. Chryſoſtomo, præſertim Sermone primo in Pentecoſten, quem ibidem habuit, & qui *tom.* 5. ejus operum extat *ſub n.*33. in quo ait, Feſtum Nativitatis Domini a longo tempore, atque ex valde antiqua traditione in Occidenti XXV. Decembris celebratum eſſe.

Talem autem variationem circa Feſti Natalis celebritatem in Oriente contigiſſe opinor, quia, ut Joannes Archiepiſcopus Nicænus *in epiſt. de die Natali*, quæ extat *tom.* 2. Actuarii Bibliothecæ PP. *pag.* 311. & quam Combefiſius ex Græco tranſtulit, & adnotationibus illuſtravit, narrat, quod Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus, ad Julium Pontificem litteras dedit, quibus monebat impoſſibile eſſe, ut in Epiphaniæ ſolemnitate triplicis ſolemnitatis memoria in ſacris, ac inter ſe diſtantibus locis perageretur, inter quas celebritates, cum Natalis Domini eſſet ex Jacobi fratris Domini ſive traditione, ſive permiſſione, accidit ut Romæ optime re diſcuſſa, & diligenti ſupputatione adhibita, Natalis Domini, in verum diem XXV. Decembris incidere conſtaret: *Inque hunc modum*, inquit, *Julius Romanus Patriarcha Menſes Hebræorum, atque Romanorum compoſuit, a quo tempore cœpit Romana Eccleſia lætis gaudiis celebrare Natalem Salvatoris diem* 25. *Decembris, tradidique celebrandam univerſis Eccleſiis*. Hinc addit, D. Baſilium in ſuis moralibus ſignaſſe Salvatoris Natalem diem XXV. Decembris, & Gregorio Nazianzeno in mandatis dediſſe in Synodo Conſtantinopolitana, promulgari, ac celebrari XXV. Decembris, quamquam quidam non aſſenſerint. Tandem ſub Arcadio, & Honorio, dum hic Bizantium aliquando accederet, cooperante S. Joanne Chryſoſtomo, & ex Cypro acceſito S. Epiphanio, definitum quoque in Oriente eſſe, ut eadem die XXV. Decembris Natalis Domini celebraretur, quibus aſſenſum & reliqui deinceps Patriarchæ dederint. Verum prædicta inſtitutio de diviſione utriuſque præfatæ celebritatis ab omnibus Orientalibus profecto tunc recepta non fuit; nam Abulphatagus in Hiſtoria Dinaſtiarum pag. 94. mentionem facit Epiſtolæ Anno 551. a Juſtiniano Imperatore ad Epiſcopos ſcriptæ, in qua hæc habentur: *Anno* 25. *Imperii ſui ad omnes ubique Epiſcopos ſcripſit, ut Feſtum Natalis celebrarent* 25. *Canuni* (Decembris ſcilicet noſtri) *& Epiphaniam ſexto Canuni poſterioris* (videlicet Menſe Januarii) *dictoque ejus paruerunt, exceptis Armenis, illi ſiquidem morem priorem retinuerunt, quo utrumque Feſtum eadem die celebrant*; Armeni tamen (ut notat Franciſcus Pagius ad calcem Vitæ S. Julii Papæ) qui Juſtiniani Imperatoris Decreto parere renuerunt, jam inde tempore Gregorii Illuminatoris circa Conſtantini Magni tempora Fidem Chriſtianam receperant, ſed Anno 536. ſe ab Eccleſia abſtraxerant, & Hæreſim Eutiebianam profitebantur.

Superius autem dicta omnia, ut adnotat mox citat. Franciſcus Pagius in eadem Vita S. Julii Romani Pontificis, conſona ſunt cum iis, quæ habet Gregorius Nyſſenus Epiſcopus initio Orationis funebris in S. Baſilium fratrem, ex iis enim, quæ ibidem aſſerit, deducitur diſcretio Feſtivitatis Epiphaniæ a Feſto Natalis Domini, etiam in Cappadocia, eumdemque morem de celebratione Natalis & Epiphaniæ in Eccleſia ſua obtinuiſſe aſſeruit D. Gregorius Nazianzenus in Oratione 39. quæ eſt in Epiphaniam, in qua Nativitatis Domini & Magorum adorationis Feſtivitatem ab Epiphaniæ Feſto diverſam fuiſſe diſerte affirmat.

Ex ſupra adnotatis infertur, Julio Papæ adſcribi non poſſe hujus ſolemnitatis inſtitutionem, cum eo antiquior fuerit, ſed tantum dicto Pontifici tribui poſſe, quod in Eccleſia Occidentali, & etiam Orientali talis Feſtivitas die XXV. Decembris incœperit celebrari, ut Florentinius in notis ad Martyrologium Hieronymianum diffuſe oſtendit *Exercit.* 2. Romana autem Eccleſia certius Natalem JESU Chriſti diem reſcire potuit, eaque de re cæteras Eccleſias docere; ex eo quod Natalis Domini dies ineunte cenſu ab Auguſto per Quirinum in Judæa inſtituto evenerit; actaque iſta, magna cura Romæ ſervata fuerint: atque hinc eſt, cur Romæ, quis fuerit Natalis JESU Chriſti dies, melius quam alibi reſciri potuerit, atque cur primum ibi Feſtum iſtud fuerit celebratum, quæ, & alia nonnulla innuuntur pariter a S. Joanne Chryſoſtomo *ſerm.* 35. *ſuprac.*

Lubet ſubnectere id, quod tradit Pagius *loc. citat.* nimirum quod quamvis Combefiſius laudatus, ſcribat, Joan. Epiſcopi Micæni Epiſtolam de die Natali novam eſſe, & fabulis plenam; quidquid tamen de hac re ſit, nihilominus, quæ ex ea ſuperius relata ſunt, fabulis profecto non ſunt accenſenda, cum reperiantur confirmata auctoritatibus SS. PP. Gregorii Nyſſeni, & Nazianzeni, necnon S. Chryſoſtomi. Alia, quæ ſpectant ad originem, & inſtitutionem hujus Feſti, videri poſſunt apud Thomaſſinum de Feſtis *l.*2. *c.*6. Baillet *tom.*3. *in hunc diem*. Grancolas Commentario Hiſtorico in Breviarium Romanum *lib.*2. *c.*14. Franciſcum Pagium, & Florentinium *loc. ſuprac.* & Tillemontium *n.*1.

V. Gav. num. 3. *Tres Miſſæ celebrantur ex Decreto, &c.*) S. Thelephoro, qui Anno 126. Thronum Apoſtolicum conſcendit, tribuitur inſtitutio Miſſæ, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur, ejuſque Decretum refert Gratianus *in cap. Nocte ſancta de conſecr. diſt.* 1. Verum Epiſtola Decretalis Theleſphori, ex qua Gratianus Canonem excerpſit, ſuppoſititia profecto eſt, cum ſit ex numero illarum, quæ a Pſeudo-Iſidoro conſarcinatæ fuerunt, de quibus ſuperius jam diſſeruimus; præterea talem Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe evincitur, etiam ex eo quod privilegium, & pernoctatio, & ipſa Feſtivitas Nativitatis multis Annis poſt Theleſphorum ſtata die coli cœperunt, nimirum ſub Julio I. ut ſupra oſtendimus. Deinde Epiſtola illa, quæ dicitur ſcripta ad omnes Epiſcopos, incipit cum verbis Damaſi Papæ: *Epiſtolam ad Illyricos: Credimus S. Fidem veſtram in Apoſtolorum eruditione laudatam*. Denique habet plura alia teſtimonia ex Damaſi Epiſtolis, item ex Pſalmis 25. 36. & 51. verſionis S. Hieronymi. Trium autem Miſſarum uſum in hac die a Romana Eccleſia ortum duxiſſe teſtatur D. Gregorius, qui ait, ſe abbreviare ſermonem ſuum in hoc Feſto propter haſce tres Miſſas, quæ multum temporis inſumebant. *Quia hodie ter Miſſarum ſolemnia celebraturi ſumus*. Ad primam Miſſam, quæ nocte celebrabatur, ſermo habitus videtur; fortaſſe etiam in aliis Miſſis habebatur concio. Sunt qui opinantur, forſitan duas Miſſas plerumque celebratas fuiſſe in cunctis ſolemnioribus Feſtis, primam nocturno tempore poſt Matutinum, ſecundam vero diurno poſt Tertiam. Tertiam vero Miſſam hac die Romæ extra ordinem ob id tantummodo celebratam eſſe, quod in Urbe haberetur Eccleſia S. Anaſtaſiæ, cujus Feſtum in eumdem diem Natalis incidit, & ne intermitterentur Stationes ordinariæ in ſolemnitatibus in Eccleſia D. Petri, præſertim in hac ſolemnitate ibant ad unam celebrandam Miſſam in Eccleſia S. Anaſtaſiæ inter nocturnam, & diurnam Miſſam circa tempus Auroræ. Hanc eſſe trium iſtarum Miſſarum originem cenſent nonnulli, inter quos recentiſſime Grancolas *loc. ſupracitat. cap.* 14. *de Natalis feſto*, qui inſuper refert ibidem uſum iterandi Sacrificium in ſolemnioribus Feſtis; & adſtruit, quod duæ in Gallia Miſſæ in Natali, æque ac in omnibus aliis ſolemnitatibus, celebrarentur, probari ex Gregorio Turonenſi *de Gloria Martyrum cap.* 52. quarum una erat nocturna, altera vero diurna. Conſuetudinem autem Romanam tres Miſſas celebrandi in Feſto Natalis, in Galliam, & cæteras Regiones adſtruit invectam eſſe, quo tempore Carolus Magnus Ordinem Romanum recipi juſſit, ac tandem migravit ad Presbyteros etiam, qui Miſſas privatas celebrant. Trium Miſſarum privatarum mos hac die habetur apud Petrum Ven. Abbatem Cluniacenſem, qui eas celebrari præcipit in Sacello Infirmorum pro infirmis *Statut.* 72.

In Ordinibus Romanis adnotatum reperitur, quod Papa tres, prædictas Miſſas celebraret ad tres diverſas Stationes, primam ad Sanctam Mariam Majorem, ſecundam ad Sanctam Anaſtaſiam, tertiam ad Sanctum Petrum. In Ordine Romani Canonici Benedicti, Papa in hac die tribus Miſſis oneratur: *tres Miſſæ per Papam dicuntur, ſive debent dici*. Alibi plerumque a diverſis Sacerdotibus celebrabantur, ab Epiſcopo una tantum, nimirum ultima, ſcilicet diurna, quæ cæteris ſolemnior eſt. Joannes Abrincenſis præſcribit, ut prima Miſſa, nempe nocturna, ab Eccleſiæ Theſaurario, ſecunda, nempe ſummo mane, a Cantore, tertia vero ab Epiſcopo dicatur. In pluribus Eccleſiis ſecunda Miſſa, ne ad altare quidem majus dicebatur, idque obſervatur, ad tradita per Grancolas ſupra, in Eccleſia Rhemenſi, Turonenſi, Viennenſi, Longionenſi, & aliis.

VI. Gav. n. 4. *Ante Laudes prima Miſſa eſt dicenda, &c.*) Cantato ſolemniter Matutino, ut dicemus *in tom.*2. *hujus Theſauri ſect.* 6. *c.* 5. antequam cantentur Laudes, celebrari debet prima ex dictis tribus Miſſis ſolemnibus cujus hora in Sacramentar. Sancti Gregorii per Pamelium edito, præciſe ſignatur, quod ſit media nox: *Media nocte Statio ad Sanctam Mariam Majorem*; ita etiam ſignata eſt apud Rupertum, Durandum, alioſque Auctores hora mediæ noctis, unde nomen retinuit, mediæque noctis Miſſa appellata eſt. Non debet autem inchoari, ſicut Romæ fit, niſi dato mediæ noctis ſigno, & niſi æquum mediæ noctis tempus advenerit. In hac prima Miſſa ab antiquo tempore cantatur *Gloria in excelſis* ſolemniter, & interim omnes

cam-

campanæ tam majores, quam minores pulſari debent in ſignum lætitiæ. In libro inſcripeo: *Speculum Eccleſiæ* (cujus Auctor quidam Thuronenſis aſſeritur a Grancolas *lib. 2. ſui Commentar. Hiſtorici in Breviarium Romanum cap.* 14. ſed talis liber reperitur inter opera Hugonis Victorini *tom. 3.*) pro certo affirmatur incœptum fuiſſe cani *Gloria in excelſis* pro Miſſa diei Natalis, & Romæ dictum fuiſſe Græce ad primam Miſſam, & ad ſecundam Latine, & a die Natalis invaluiſſe morem dicendi prædictum Hymnum in Miſſis ſolemnibus.

Ad Symbolum, ſi celebrans ſit ad Altare (quod certe convenit, & velit ſedere poſt ℣. *Et incarnatus eſt*) deſcendit de Altari ad infimum gradum illius eo tempore, quo in Choro cantantur ea verba: *Deſcendit de Cœlis*, vel paulo ante, ita ut poſſit reperiri genuflexus, & quidem utroque genu ibidem, dum dicitur ℣. *Et incarnatus eſt*, *&c.* quo dicto, vadit ad ſcamnum, ubi ſedere poſſit. Si vero nolit ſedere, ſatis erit, ut deſcendat ad ſecundum gradum, & ibi genuflectat, & deinde redeat iterum ad medium Altaris. Si vero reperiatur ſedens ante prædictum ℣. in hac Miſſa, & duabus aliis ſolemnibus, ut etiam alibi diximus, ſemper genuflectere debet ſuper infimu gradu in cornu Epiſtolæ, facie ad cornu Evangelii converſa, & quando canitur: *Et Homo factus eſt*, caput inclinat, id quod facere debet etiam quando flectit genu, ut mox diximus, vel ſuper infimo, vel in ſecundo gradu Altaris. Secus eſt de Miſſis privatis, in his enim ad verba: *Incarnatus eſt*, etiam hac die celebrans non flectit utroque genu, ſed uno tantum, more alias conſueto, ut ſic ſit expeditior ad ſurgendum. Gavant. *part. 1. tit.*17. Halden. *part.*2. *tit.*12. §. *Ex Decreto Teleſphori*.

Quoniam hoc loco mentio facta eſt de ſcamno, in quo ſedere poteſt, ſi velit celebrans cum ſuis Miniſtris, dum cantantur in Choro Hymnus Angelicus, & Symbolum, lubet afferre ſequentia Decreta, quæ in ſuperioribus Titulis primæ Partis exhibere non potuimus, quia nondum ad noſtram notitiam pervenerant, & idcirco alterum eorum in Appendice Decretorum collocavimus.

Tam celebrans, quam Aſſiſtentes in Feſtivitatibus Sanctorum Titularium in Veſperis, & Miſſa ſolemni ſedere debent in ſcamno, & non in ſede coriacea. Sacr. Rit. Congregat. die 31. Julii 1665. *in Reginaten. in Calabria ſub num.* 428.

Celebrans in Miſſa ſolemni quando ſedere debet, procedit ad præparatam ſedem aperto capite, & ita regreditur ad Altare, &c. Sac.Rit.Cong.die 21. Martii 1676. *in Collen.*

VII. Gav. eodem num. 4. *Verum in prima Miſſa ſolemni hauſto diligentius Sanguine*, *&c.*) Celebrans in prima Miſſa totum diligentius ſumet Sanguinem poſt unum, alterumve hauſtum, parum inclinando Calicem ſuper Patenam, & fere uſque ad labium Calicis deducendo remanentes guttas, eas deinde ſumendo. Curabit quoque, ut nihil maneat hærens extremitati labii Calicis, ubi ſumpſit, unde labio ſuperiori oris totum exacte abſumere ſtudeat; tum Patena Calicem, & palla Patenam tegens, ac ſuper Corporale relinquens, dicat: *Quod ore ſumpſimus*, *&c.* Deinde miniſtrante Diacono, vel Subdiacono ampullas, & infundente vinum, prout ſuo loco diximus, poſtea aquam abluit digitos, quibus Sanctiſſimum Sacramentum tetigit, taliſque ablutio fit non in Calice (ſaltem Celebrantis) ſed in alio vaſe vitreo, vel argenteo, mundo tamen, ad hoc in Altari præparato, & a Sacriſta collocato; & interim dicit: *Corpus tuum Domine*, *&c.* abſterſiſque purificatorio digitis, prædictum vas palla coopertum poni debet in poſteriori parte Altaris prope Corporale, juxta quod collocari poterit & purificatorium. Ulterius advertat Sacerdos, quod non ſolum in prima, ſed etiam in ſecunda Miſſa, quæ celebrantur in hoc Feſto Nativitatis Domini, non debet fieri purificatio Calicis, ut ſtatuit Sac. Rituum Cong. 16. Septembris 1702. in una Regni Portugalliæ, quod Decretum extat in noſtro Indice *ſub n.* 563. & hæc debent ſervari tam in Miſſis Solemnibus, quam in Privatis.

VIII. Gav. num. 4. *Subdiaconus illum defert*, *&c.*) Subdiaconus poſt lotionem manuum celebrantis, non extergat purificatorio Calicem, ſed illum ad credentiam ſine purificatorio, indeque alius Sacris initiatus eundem Calicem in Sacriſtiam deferat; ubi ſuppoſito Corporali in loco aliquo decenti, & clauſo ſervabitur uſque ad ſecundam Miſſam ſolemniter (ſeu privatam) celebrandam; in cujus initio, ut alias e Sacriſtia deferri, & ſuper prædicta credentia collocari poterit, ſiccata jam ut creditur quacumque vini conſecrati ſpecie; ſed tamen quia moraliter certum eſt, non poteſt ſic aſſumi Sacrum Sanguinem, quin aliquæ remaneant ſpecies, ſeu guttulæ, quæ poſt aliquam moram ad fundum conveniunt, ut omnis cautela adhibeatur, & reverentia prædicto Calici præſtetur, adhuc eidem Corporale, ſeu palla ſupponi debet, decenterque tractari, & a Miniſtro Sacro ſemper deferri. Idem ſervetur in ſecunda Miſſa; & hæc eſt praxis Urbis communior, & congruentior.

Poſt *Ite Miſſa eſt*, convenit, ut Fideles non diſcedant, ſed aſſiſtant Laudibus mox dicendis. Bauld. *part. 4. cap. 3. n.* 25. *&* 26.

Finita Miſſa, celebrans cum Miniſtris Sacris deſcendit, & juxta morem cujuſcumque Eccleſiæ, vel ad cornu Epiſtolæ, vel in Choro, ſi retro Altare collocatus ſit, depoſitis Planeta, & Manipulo, accipit Pluviale album, adjutus ab iiſdem Miniſtris, pergitque ad locum conſuetum, ubi incipit abſolute non præmiſſa Oratione Dominica: *Deus in adjutorium*, *&c.* & proſequitur Laudes de more, ut fuſius explicabimus cum Gav. *tom.*2. *ſect.*4. *c.*2. *n.*4.

IX. Secunda ſolemnis Miſſa hujus diei inſcribitur: *ſecunda Miſſa in Aurora*, nec dici debet, niſi ſub lucis ortum, poſt Primam in Choro cantatam, quæ ita tempeſtive eſt decantanda, ut Miſſa hæc ſecunda ſolemnis competenti tempore, hoc eſt in ipſa Aurora queat decantari. In Statutis Carthuſianorum legitur, quod Auroræ ortus expectandus eſſet; ideoque dicenda erit ante Primam, non vero poſtquam dictum eſt: *Jam lucis orto ſydere*; in hac ſecunda Miſſa habetur commemoratio S. Anaſtaſiæ, quæ tantum propria erat Urbis Romæ, & ad cæteras omnes Eccleſias non tranſiit, niſi poſtquam Miſſale Romanum in omnibus invectum eſt, Amalarius *lib. 1.* ſcribit, quod ævo ſuo pariter Romæ tantum, & in Eccleſia illius Sanctæ, ubi aſſervabantur Reliquiæ, dicebantur duæ Orationes in ſecunda Miſſa, ſed extra Eccleſiam propriam nulla fiebat illius Sanctæ commemoratio. Rupertus Abbas Tuitiens *de Divin. Offic. lib. 3. cap.* 21. ubi agit de hac ſecunda Miſſa, ait: *In Utraque Miſſa Statio ad Sanctam Mariam eſſe debuit, ſed cauſa intercurrit, ut ad Sanctam Anaſtaſiam ageretur: videlicet paſſio ejus, quæ Romanorum nobiliſſima Matronarum . . . . . circumpoſito igne, cremata ipſo die Natalis Domini nata eſt*, *&c.* quibus quidem verbis innuit rationem, cur fiat in hac ſecunda Miſſa præfata commemoratio, nimirum quia habebatur Statio in Eccleſia eidem S. Anaſtaſiæ Sacra. Sed diſertius reddit rationem Micrologus *cap. 4. de numero Orationum in Miſſa*, talis commemorationis, quæ Romæ tantum fiebat, dicendo; *In Nativitate Domini ad Miſſam in mane Romani Orationem de Sancta Anaſtaſia adjiciunt, quia Stationem in Eccleſia ejuſdem Martyris ad eamdem Miſſam agunt, & nos quoque in illa adjectione incitamur, licet non eamdem adjectionis occaſionem habere videamur.* Extant Miſſalia MSS. ut refert Grancolas *l. cit.* in quibus ſecunda hæc Miſſa tota eſt de S. Anaſtaſia, cum commemoratione Nativ. quod ſcilicet curſu temporis ſtatutum ſit in hujus S. Eccleſiæ Miſſam propriam in ejus honorem celebrari; Præfatio eſt de Communi Virginum, quamvis Sancta non ſit Virgo, fueritque Vidua, quando martyrium ſubiit. Codex Karol. in Miſſalibus tamen excuſis non reperitur talis Miſſa propria, ſed loco illius in omnibus legitur Miſſa de Nativitate Domini, cum commemoratione ſolum prædictæ Sanctæ; de qua commemoratione ſermonem etiam habuimus in Parte I. hujus Theſauri in Titulo de commemorationibus.

In prædicta ſecunda Miſſa hujus diei, tam ſolemni, quam privata, ad Offertorium, velo de Calice depoſito, hic parumper verſus cornu Epiſtolæ collocetur, ſed non extra Corporale, ob rationem ſupra datam, ſicque accepta Patena Hoſtiam Sacerdos offerat, quæ ſuper illam reperitur. Facta oblatione, caveat Diaconus in Miſſa ſolemni, & Sacerdos in Miſſa privata, ne purificatorio extergat Calicem, ſed eum intra Corporale relinquens, leviter elevet, ac proinde vinum eidem caute imponat, ne guttæ aliquæ ab labia ipſius Calicis reſiliant, quem deinde, nullatenus ab intus abſterſum, more ſolito offert. Ad conſecrationem porro hanc habere poterit intentionem, quod ſcilicet velit conſecrare totum, & ſolum illud, quod conſecrabile reperitur in Calice. Quod etiam pro prima, & tertia Miſſa ſervare debet. Pro ſumptione autem Sanguinis, & ablutione digitorum obſerventur ea, quæ ſupra dicta ſunt de prima Miſſa, hoc inſuper addito, quod præſtet per eamdem viam ſumere in ſecunda, & tertia Miſſa, per quam ſumptio facta eſt in prima.

X. Tertia Miſſa omnium ſolemniſſime, in ipſa die Nativitatis Domini poſt Tertiam in choro decantatam, celebrari debet. In hac tertia Miſſa prædicta omnia obſerventur uſque ad ſumptionem Sacramenti incluſive, qua perfecta ſumat Sacerdos purificationem ordinariam, deinde ablutionem digitorum e vaſe argenteo, vel vitreo immittat in Calicem, & ſumat, ac denique faciat ſolitam in Calice digitorum ablutionem, & poſtquam exterſit Calicem, etiam vas, in quo fuit ablutio, purificatorio extergat. Omnes prædictæ tres Miſſæ dicuntur cum *Gloria*, *& Credo*, nec non cum *Præfatione*, *& communicantes prop. de Nativ.* per totam Octavam. In prima Miſſa hujus Feſti in Canone infra actionem dicitur: *communicantes*, *& noctem ſacratiſſimam celebrantes*, *&c.* etiamſi de die celebretur; deinceps vero tam die, quam per Octavam, eſto forſan de nocte celebretur, dicitur: *Et diem ſanctiſſimum*, *&c.*

XI. Huc uſque de tribus Miſſis ſolemnibus hujus diei ſermonem habuimus: progredimur nunc ad aliqua adnotanda, quæ pertinent ad Miſſas Privatas, quæ ſi ſucceſſive dicantur, nempe tres, una poſt aliam, finita prima, & ita pariter ſecunda Miſſa, Miniſter ſe confert pro more ad ſiniſtram plani partem, ac in ea genuflectit juxta ſolitum, ut reſpondeat celebranti; ipſe vero celebrans ablutis (ut ſupra diximus

de

de Miſſa ſolemni) poſt Communionem digitis, ponit Hoſtiam ſuper Patenam pro ſubſecuturo alio ſacro, non extergendo Calicem, quem tamen adaptat, ut initio Miſſæ illum velo cooperiens, velatumque ponat ſuper Corporale extenſum; dixi debere ponere Hoſtiam ſuper Patenam, unde Sacriſta præparare debet in credentiis Altarium non ſolum aliquod Vas mundum vacuum pro ablutione digitorum Celebrantis in eo facienda, de qua ſupra, ſed etiam ſuper eaſdem Altaris credentias præparare duo alia vaſa, unum pro vino, alterum pro aqua, ex quibus Miniſter poſſit in ampullas vinum, & aquam pro Miſſis privatis infundere; denique ad quodlibet Altare hoſtiariam cum Hoſtiis, quæ uſui talis Altaris ſint ſatis, eo quod inconveniens eſſe videatur pro ſingulis Miſſis ad Sacriſtiam recurrere, niſi forte alio modo utrique dictæ inconvenientiæ conſulatur.

Redeundo nunc ad Celebrantem, finito ultimo Evangelio S. Joannis poſt primam, & ſecundam Miſſam, ſtatim ſe recipit ad medium Altaris, & facta reverentia Cruci, accedit ad aperiendum librum, ſi non antea reliquerit apertum, eoque aperto, redit ad medium Altaris, ubi rurſus, ut antea, facit Cruci reverentiam, eaque facta, deſcendit in planum, & ibi ſecundam, aut tertiam Miſſam incipit, circa quas præter ſuperius dicta nihil aliud hic venit obſervandum. Dubium tamen aliquod diſcutiendum ſeſe offert, cum enim fieri non poſſit, ut totus e Calice ſanguis ſumatur, ſed aliquæ remaneant ſemper ſpecies conſecratæ Calici adhærentes ut ſupra innuimus, quæ poſt aliquantulam moram ad fundum conveniunt: hinc dubium, inquam, oritur, utrum Celebrans debeat genuflectere, quando tranſit, ante Calicem continentem dictas ſtillas. Proponit hanc quæſtionem Franciſcus Magius *in ſuo libro de div. Officio, & Choro diſquiſ. 31. pag. mihi* 298. & fatetur ſe obſervaſſe, ſicut revera eſt, hic genuflexionem omitti fere ab omnibus, ipſe vero omittendi cauſam non videt, Halden tamen *loco ſuprac.* opinatur, in prædicto caſu Celebrantem non debere genuflectere, ſequens ſententiam Gerlaci Vinitoris, quem prædicto loco citat, quam ſententiam pariter tradit Bauldry *par. 4. cap. 2. n. 5.* & hæc quidem eſt praxis Urbis communior. Non me latet, hoc dubium propoſitum fuiſſe S. C. die 20. Julii 1686. *in Angelopolitana* ad nonum dubium, nimirum, utrum in tribus Miſſis Natalis Domini poſt ſumptionem Sanguinis, eundo, & redeundo in medium Altaris ſit facienda genuflexio, & vertendo ſe Celebrans ad *Dominus vobiſcum*, vel ad dandam Benedictionem, num debeat renes vertere ad Altare, cum (ut creditur) ſpecies Vini non ſint exſiccatæ in Calice? & Sacra Congregatio reſpondit: *Serventur Rubricæ Miſſalis de Ritibus ſervandis in celebratione Miſſæ*; & datur hoc Decretum in noſtro Indice *ſub numer.* 487. Similiter reſolutum fuit per aliud Decretum, quod datur in noſtro Indice *ſub n.* 537. cum autem Rubricæ non præſcribant genuflexionem faciendam in hoc caſu, ſicut præſcribunt faciendam eſſe genuflexionem Feria 5. in cœna Domini, quando Sacerdos tranſit ante Sacramentum in Calice reſervatum, & velo coopertum, hinc crederem in noſtro prædicto caſu, cum Rubricæ nihil præſcribant, inhærendo Decretis Sacræ Congregationis, non eſſe faciendam genuflexionem.

XII. Gav. n. 5. *Ut ſit ille jejunus per horas circiter ſex.*) Optime monet Gavantus ex Francolino celebraturum primam Miſſam in ſacra nocte, debere antecedenter eſſe jejunum per horas circiter ſex, non quidem de neceſſitate præcepti, ſed ex quadam congruentia tantum, cum abſolute loquendo in nocte Nativitatis celebrare poſſit Sacerdos, qui paulo ante medium noctis comedit. Illi autem, qui ex privilegio celebraturi ſunt ante mediam noctem, obſervent omnia ea, quoad jejunium ſervandum ante, & poſt Miſſam illam, quæ tradit Gavantus ſupra. Reſumendo tamen ſermonem de prima Miſſa celebrata poſt mediam noctem; cum C. *ex parte, de Celebr. Miſſæ* ab Innocentio III. graviter prohibeatur in Miſſa priori, quando plures dicuntur, ſumere Calicis ablutionem, & hoc ob reverentiam Sacramenti, nimirum ut aliæ duæ Miſſæ ſequentes a jejuno Sacerdote celebrentur; hinc fit; quod ſi in prima Miſſa ſumatur etiam inadvertenter ablutio, aut per errorem aqua pro vino fuerit conſecrata, & ſumpta, quia frangitur jejunium naturale, alia Miſſa poſt hanc per ſe loquendo celebrari non poteſt; id docet etiam noſter Gavantus *ſupra part. 3. tit. 9.* ad numerum IV. ejus Rubricæ.

XIII. Gavant. n. 6. *Poſſe in nocte hac celebrari tres Miſſas privatas ſimul poſt mediam noctem, &c.*) Inſinuat Gavantus ſententiam, quam Franciſcus Suarez probabilem, ac ſecuram judicat, & quæ docet, poſſe in nocte hac celebrari tres Miſſas privatas ſimul poſt mediam noctem, eo quod nullo jure id prohibeatur, cui quidem ſententiæ non abnuit Gavantus, ſi cauſa adſit majoris numeri Sacerdotum, minoriſque numeri Altarium, & ejuſmodi ſi minus omnes commode celebrare poſſint. Eamdem ſententiam plurimi Doctores tradunt, quos refert Diana *part. 2. tract. 14. reſolut.* 35. & *par. 10. tract. 12. reſolut.* 57. docentes, poſse quemvis Sacerdotem tres Miſsas celebrare ante Auroram in ſacra nocte Nativitatis Domini, imo Gerlacus Vinitor *tract. 6. par. 2. num.* 18. non dubitat ita ſcribere poſt Bauldry *par. 4. cap. 2. num. 32. communi omnium ſententia qualibet hora poſt mediam noctem poſſunt celebrari tres Miſſæ ſupradictæ* (nempe de Nativitate Domini) *privatim: hoc enim ſingulariter hac nocte tam glorioſa, Nativitate Chriſti illuminata, Sacerdotibus fidelibus conceſſum eſt*, ob rationem a Bauldry *loc. cit.* additam. Verum Gavantus ſupra, oppoſitam Francolini, & aliorum ſententiam appellat communiorem: unde mirari eſt, prædictos Bauldry, & Vinitorem receſſiſse ab hac ſententia, quæ communior a Gavanto appellabatur, quæ quidem ſententia ob iterata S. C. Decreta omnino certa reddita eſt; unde piaculum eſt ab ea recedere.

Prædicta autem Decreta dictæ Congregationis, in quibus prohibetur in nocte nativitatis Domini poſt primam Miſſam decantatam, & ante Auroram ſucceſſive celebrare alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere Fidelibus, rurſus, & quod Sacerdotes non poſſint celebrare tres Miſſas in eadem nocte, emanarunt a R. C. 20. Aprilis 1641. *in Piſauren.* & 7. Decembris 1641. Trium Miſſarum denique 22. Novembris 1681. *in Lucana*, & dantur in noſtro Indice *ſub num.* 282. & 458. &c. Et cum abuſus iterum tam in Urbe, quam extra irreperent contra alia Decreta, iterum exacta obſervantia dd. Decretorum a S. C. Viſit. Apoſt. 7. Decembris 1702. inculcata fuit, & edicto Eminentiſſimi Card. Vicarii 18. Decembris ejuſdem Anni 1702. Iterum ſtricte præſcripta fuit in Urbe de mandato Clementis XI. obſervantia talium Decretorum, cujus exemplar habetur in Bullario ejuſdem Clementis XI. *part. 2. conſtit.* 5. quæ incipit italice: *Eſſendoſi introdotta, &c.* & modo reperitur etiam in Bullario Romano editionis Luxenburgenſis *tom. 8. part. 2. conſtitut.* 5. pag. 245. cui diſpoſitioni inhærendo ſingulis annis pervigilio Nativitatis Domini ab Eminentiſſimo Cardin. Vicario tranſmittuntur Schedæ ad omnes Urbis Eccleſias, prohibentes cuicumque Sacerdoti celebrationem Miſſæ ante Auroram.

XIV. Gavant. eodem num. 6. *Non teneri Parochum ad tres Miſſas celebrandas, &c.*) Neque Parochum, neque Capellanum teneri in hac die ad tres Miſſas celebrandas, tenent cum Gavanto *ſupra*, Bonacina *Diſp. 4. quæſt. ult. part.* 11. *n.* 10. Gobat *tract. 3. n.* 186. modo tamen abſit ſcandalum, eo quod dicere tres Miſſas eo die, ſit privilegii, non præcepti. Recte tamen cum Gobat monet Sporer, Parochum debere obſervare morem ſuo loco receptum. Ita etiam nullum extat Eccleſiæ præceptum plures, quam unam eodem die Nativitatis audiendi Miſſam.

Hoc loco adnotare occurrit, quod quamvis Parochus, qui plurium Eccleſiarum Rector eſt, poſſit ſecundum Gobat *tr.* 3. *n.* 188. probabiliter in hac die Natalis Domini in unaquaque ex illis Eccleſiis celebrare tres Miſſas, nihilominus ſatius eſt, quod talis Parochus unam tantum Miſſam in ſingulis Eccleſiis, quibus præeſt, celebret, ſi tres habeat Eccleſias regendas. Si vero duas habeat Eccleſias, unam Miſſam dicere valeat in una, & duas in altera, ita ut trium Miſſarum numerum numquam excedat, & hoc ex eo deducitur, quia facere plura ſacra, quam regulariter ſit permiſſum, niſi in caſu urgentis neceſſitatis non licet; nulla autem in tali caſu eſt neceſſitas, quod in unaquaque Eccleſia Parochus tres Miſſas celebret, cum una, ut mox diximus, ſufficiat, ergo, &c. *tom. 2. lit. P.* Biſs. *n.* 38. §. 1.

Eſt etiam notandum, quod Sacerdos, dum private celebrat tres Miſſas in hac die, poteſt eas celebrare ſimul ſucceſſive, ideſt unam immediate poſt aliam, vel etiam pro libitu interpollare, ſpatium aliquod temporis interponendo inter primam, & ſecundam, inter ſecundam, & tertiam, dummodo tamen non celebret primam ante Auroram, nec poſt meridiem, Bauldry *ſupra n.* 34. Quando autem celebrat tres Miſſas hoc ſecundo modo, debet ipſe Celebrans Calicem, in quo celebravit, poſt Communionem relinquere ſuper Corporale, quod non plicat de more; & abſoluta Miſſa in Sacriſtiam prædictum Calicem deferre, & ibi collocare ſuper Corporale, per pallam aliquam, in aliquo loco honeſto; qui ſi Calix non fuerit omnino diſſiccatus, ut ordinarie loquendo hoc evenit, eodem ad ſequentem Miſſam debet uti prædictus Sacerdos, vel alius, eum deferendo ad Altare, & tunc ante vini, & aquæ infuſionem pro conſecratione facienda talis Calix non eſt abſtergendus.

Quod ſi nulla in Eccleſia ſit Sacriſtia, & Celebrans ſpatium temporis interponere velit inter celebrationem ſecundæ, & tertiæ Miſſæ, ut mox dictum eſt, in tali caſu ſi cogatur relinquere Calicem ſuper Altare, ſemper eidem Calici ſupponendum eſt Corporale, & honeſte ac decenter tractari debet, tam ibi, quam alibi. Bauld. *ſup. n.* 35. & Biſſ. *tom. 2. lit. T. num.* 75.

XV. Gavant. eodem n. 6. *Qui unam tantum facit, primam, vel tertiam facere debet, & potius tertiam, &c.*) Quænam dicenda ſit Miſſa a Sacerdote, qui ex rationabili cauſa nonniſi unam in hoc Feſto reſolvit celebrare? Reſpondet Gavantus, in dicto caſu vel primam, vel tertiam celebrari debere, & potius tertiam, quam primam; utpote quæ maxime eſt de die, habetque Orationem diei propriam, ac cum ipſo Officio Divino convenientem. Alii autem apud La Croix *tom. 6. lib. 6. part. 2. num.* 527. cenſent, dicendam eſſe illam Miſſam ex tribus hujus Feſti propriis, quæ tempori, quo celebratur, eſt accommodata; adeoque ſi Sacerdos præfatus celebret in nocte, debet accipere primam Miſſam, ſi in Aurora, ſecundam, in pleno autem die tertiam. Quamcumque autem legat, debet in ea (inquit citatus Auctor) facere comme-

Digitized by Google

memorationem de S. Anaſtaſia; verum hanc crediderim non eſſe faciendam, niſi celebretur in Aurora, & legatur ſecunda Miſſa. Rurſus advertit idem Auctor, & quidem optime, licitum non eſſe Sacerdoti celebranti duas tantum Miſſas, loco tertiæ Sacram Communionem ſumere, quia datur tantum poteſtas, ſeu privilegium triplicandi in hoc Feſto Sacrificium: quo ſignificatur Chriſtum natum eſſe in ſalutem eorum, qui *ante legem*, qui *ſub lege*, & qui *in Evangelio*, ſeu *poſt legem extitere*, ut notat Honorius Auguſtodunenſis Auctor Gemmæ Animæ citatus a Gavanto *ſupra n. 3.*

Pro coronide noſtrarum novarum Additionum, & Obſervationum ſuper hoc Feſto, nihil aliud advertendum ſupereſt, niſi quod infra Octavam hujus Feſti Nativitatis Domini, non poſſunt dici Miſſæ Votivæ, neque Defunctorum, juxta recentiſſimum S. R. C. Decretum editum 25. Septembris 1706. & datum in noſtro Indice *ſub n. 603. & 628.* in quo præterea additur, quod in Miſſis Votivis ſolemnibus pro re gravi, infra eamdem Octavam celebrandis, dicenda eſt Præfatio juxta Rubricam Generalem *tit. 12. n. 4.* de qua re ſermonem pariter habuimus *in parte 1. ſub titulo de Miſſis Votivis* §. 10. *de Præfationibus, & reliquis Miſſæ Votivæ partibus*, ubi reſolvimus cum Jo. Baptiſta Pittono *in Collect. deciſ. ad Sacros Ritus pag. 427.* contra Piſart; quod in Miſſis Votivis ſolemnibus propriam Præfationem habentibus, & infra eamdem Octavam occurrentibus, debeat dici Præfatio propria earumdem Miſſarum; quæ tamen non excludunt, imo admittunt *Communicantes* de Nativit.

XIV. Gavant. n. 7. *In Feſto S. Stephani, quo illo obiit. &c.*) De hoc Feſto S. Stephan. pereruditе tractant Baillet *to. 3. in hanc diem.* Thomaſſinus *de dierum Feſtorum celebratione lib. 2. cap. 9.* Baronius *in Notis Martyrologii ad hunc diem*, & Grancolas *in ſuo Commentar. Hiſtorico in Breviarium Romanum lib. 2. cap. 17.* qui optime notat, & eruit ex aliis Scriptoribus, S. Stephanum fuiſſe primum e Sanctis, cui Feſtum in Eccleſia conſecratum fuit, quoniam hic cultus incœpit a Martyribus, inter quos hic primum locum ſibi vindicat; & paulo poſt Aſcenſionem Domini Martyrii palmam eſt aſſecutus. Sed quoniam ignorabatur præciſa dies mortis ejus etiam Hieroſolymæ ubi martyrium ſubiit, prius in Eccleſiis Orientalibus, & deinde in Occidentalibus ejus Feſtum celebrari cœpit poſt diem Natalem J. C. Quoniam vero, ut ſupra diximus, Feſtum Nativ. J. C. celebrabatur in aliquibus Orientis Eccleſiis ſexta die Januarii, una cum Feſto Epiphaniæ, ſeptima die ejuſdem menſis occurrebat apud eaſdem Eccleſias celebritas S. Stephani Protomartyris, quod quidem Feſtum poſtea die 26. Dec. celebratum eſt, quando nimirum Nativitati J. C. dies 25. Decembris aſſignata fuit in Oriente, ad Eccleſiæ Occidentalis exemplum, ut ſupra innuimus; & hæc dies 26. Decembris remanſit, quia etiam dies hæc erat illa, qua Reliquiæ ejus inventæ die 19. Dec. a Caphagarmal, ubi inventæ fuerant, Hieroſolymam tranſlatæ fuerunt ſolemniter in Eccleſiam Sion, quæ antiquior erat in prædicta Urbe, Caphagarmal autem erat locus, ubi Gamaliel Corpus S. Stephani ſepeliri juſſerat, ibique jacuerat uſque ad Annum 415. Narratio Reliquiarum S. Stephani, a Presbytero Luciano conſcripta, ſignat expreſſe diem 26. Decembris, quia Hieroſolymam fuere tranſlatæ, non vero 3. Auguſti, qua die celebratur Romæ Feſtum earumdem Reliquiarum inventionis, ſed forſan, ut ait Grancolas, tranſlatio aliquarum Reliquiarum S. Stephani ea die facta Romæ, inventionis nomine inſignita eſt. Utrum autem S. Stephani cultus in Occidente ante ſuarum Reliquiarum tranſlationem invaluerit, inter ignorata reponit laudatus Grancolas, cum nulla in ſcriptis PP. reperiatur mentio, niſi forte apud S. Auguſtinum *ſerm. 322.* qui antiquiſſimam in Anconæ Urbe Eccleſiam memorat S. Stephani titulo dedicatam, quæ ipſo Apoſtolorum tempore ædificata credebatur, occaſione unius ex illis lapidibus, quibus S. Protomartyr obrutus fuit, & quem Fidelis quidam, qui ad ejus martyrium aderat, Anconam detulit juxta publicam illius Urbis traditionem. Allegantur etiam alii ſermones D. Auguſtini, e quibus cultus S. Stephano tributus eruitur, ſed de ſermonibus ejuſmodi D. Auguſtino attributis, legantur ea, quæ tradit Thomaſſinus *loc. ſupracit. n. 5.* qui tamen *n. 10.* non inficiatur cultum D. Stephano præſtitum, a Palæſtina in Africam primum migraſſe, & deinde in reliquas Occidentis Provincias, cum Stephani Lipſanis penetraſſe, & idcirco tot Sacras Stephani Ædes conſtructas fuiſſe.

XVII. Gav. n. 8. *Feſtum S. Joannis, &c.*) S. Joannem Evangeliſtam colit Eccleſia, ait Thomaſſinus *loc. cit. n. 11.* eo fortaſſe die, quo mortem oppetiit; eum vita functum fuiſſe & quidem Epheſi, ubi Eccleſiam adminiſtraverat, & Aſiam omnem Minorem, dubitandi locus non relinquitur. De tali obitu Polycrates Epheſinus Epiſcopus certiorem fecit Victorem Romanum Pontificem litteris ad ipſum datis, ut tradit Euſebius *lib. 3. cap. 25.* necnon Tertullianus, qui *lib. de Anima* ait: *Obiit & Joannes, quem in Adventum Domini remanſurum fruſtra ſpes erat.* Mentionem pariter facit Chryſoſtomus *homil. 26. in epiſt. ad Hebræos* Sepulcri, & Reliquiarum S. Joannis. Hieronymus quoque *lib. de Scriptor. Eccleſ.* adſtruit, præfatum Apoſtolum Epheſi occubuiſſe, & in tumultum prope Civitatem illatum fuiſſe. Plura Oecumenicæ Synodi Epheſinæ loca hæc confirmant, & cultum illi tributum aſſeverant. Non ergo audiendi ſunt, qui Joannem vel nondum obiiſſe, vel ſtatim poſt mortem reſurrexiſſe contendunt.

Solum igitur ſupereſt dubium ſuper tempore, & præciſo die, quo Joannes e vivis exceſſit. Græci ejus obitum colunt die 26. Septembris, & hiſtoria Paſſionis ejuſdem S. Joannis relata a Florentinio, quam nihili facit Tillemontius, aſſerit, ipſum obiiſſe in Dominica Paſchæ, ut colligit idem Tillemontius, quamquam Florentinius per Dominicam Reſurrectionis, quæ in illa hiſtoria legitur, non velit intelligi ipſum Paſchæ diem, ſed aliquam ex cæteris Dominicis; dies enim Dominica ab antiquis Scriptoribus dies Reſurrectionis appellari conſueverat. Vereor tamen ne Florentinii obſervatio locum habeat in hiſtoria illa, nam quamvis Dominica quælibet dici poſſit Reſurrectionis dies, neſcio tamen, an uſquam ab antiquis dicta fuerit *Dominica ipſa Reſurrectionis*, quemadmodum in hiſtoria prædicta appellatur Dominica, qua Joannes e vivis exceſſit; dicitur enim: *Dominica Reſurrectionis meæ venies ad me.* In Faſtis Comneni Joannis celebritas octavo Majii die aſſignatur; Eccleſia tandem Epheſina ſolemnitatem S. Joannis celebraſſe videtur poſtremis Junii diebus, duæ enim leguntur in Concilio Epheſino panegyricæ Orationes, quarum titulus refert, dictas fuiſſe in die Feſto S. Joannis. Porro Synodus Epheſina deſinente Junio menſe celebrata eſt; ex hoc autem nonnulli inferunt, tunc temporis Feſtum S. Joannis Evangeliſtæ una cum Feſto S. Joannis Baptiſtæ die 24. Junii fuiſſe celebratum, quod tamen mera eſt conjectura, quæ rejici potius, quam probari meretur. Venio nunc ad Eccleſiam Latinam, quæ cum S. Joannis ſolemnitatem ſuis Faſtis adſcripſit, eam diei vigeſimæ ſeptimæ Decembris alligavit, notatur enim ea in Martyrologiis S. Hieronymi, ac Bedæ, Adonis, & Uſuardi (quamquam in antiquiſſimis codicibus MSS. non Natalis S. Joannis, ſed ejus aſſumptio memoretur, quod eorum opinioni favere poteſt, qui Joannem reſurrexiſſe contendunt.) In Kalendario etiam Frontonis, & vetuſtiori Romano a Martene edito *tom. 4. Anecdot.* & in Regula Chrodogandi Metenſis Epiſcopi Anno 783. Feſtum S. Joannis eidem diei aſſignatur. Eccleſia etiam Græca olim hujuſmodi Feſtum celebraſſe videtur poſt Natalem Domini cum Eccleſia Latina, ſiquidem Gregorius Nyſſenus in Oratione funebri S. Baſilii aſſerit, in Eccleſia ſua poſt Feſtum Natalis Feſta SS. Stephani, Petri, Jacobi, Joannis, & Pauli, & Baſilii celebrata fuiſſe. Iſti ſex dies feſti Natalem Domini ſubſequebantur, & idcirco hæc hebdomada feriata erat. Ad imitationem igitur Orientalium Latini quoque Feſto Natalis tot alia Sanctorum Feſta addidere. Quod ait Gregorius Nyſſenus, Feſtum S. Jacobi celebratum fuiſſe poſt Natalem Domini, id pariter obſervatum legimus apud quaſdam Occidentis Eccleſias, præſertim Gallicanas, in quarum veteri Sacramentario tam a Thomaſio, quam a Mabillonio evulgato, ambo Fratres Joannes, ac Jacobus uno, eodemque die coluntur, nempe 27. Decembris, illud porro obſervatione dignum exiſtimo, quod in Officio Miſſæ, quæ in prædicto Sacramentario legitur, uterque frater tamquam Martyr celebratur, certiſſimum tamen eſt, Joannem ſiccam mortem obiiſſe. Circa autem Feſtum S. Jacobi fratris Joannis, puto ab Auctore illius Sacramentarii erratum eſſe, cum illud Feſto S. Joannis adjunxit: in vetuſtiſſimis enim MSS. codicibus non fit mentio Natalis S. Jacobi fratris Joannis Evangeliſtæ, ſed ordinationis S. Jacobi fratris Domini. Martyrologium Florentinii, omnium quotquot edita ſunt vetuſtiſſimum hæc habet - Sexto Kalendas Januarias aſſumptio S. Joannis Evangeliſtæ apud Epheſum, & ordinatio S. Jacobi Apoſtoli fratris Domini, qui ab Apoſtolis primus ex Judæis Hieroſolymis eſt Epiſcopus ordinatus. In Martylogio Corbejenſi apud Dacherium in Spicileg. habetur: *Ordinatio Epiſcopatus S. Jacobi Apoſtoli fratris Domini.* Conſonat vetuſtiſſimum Antverpienſe, quod iiſdem verbis memorat ordinationem S. Jacobi. Ex quibus manifeſtiſſimum eſt, non bene conjuncta fuiſſe feſta amborum fratrum Joannis, & Jacobi in Sacramentario Gallicano, cum alterius Jacobi non quidem Natale, ſed ordinatio, ſeu Cathedra, qua primum Hieroſolymorum Epiſcopus conſtitutus eſt, antiquitus celebraretur. Forte etiam de Jacobo fratre Domini intelligendum eſt, quod adſtruit Nyſſenus in Oratione laudata. In Kalendario vetuſtiſſimo Bucheriano Sæculi IV. quod denuo typis edidit Theodoricus Ruinart ad calcem Actorum Sanctorum Martyrum, nondum fit mentio S. Joannis habetur tamen in Carthaginenſi paululum recentiori a Mabillonio, & eodem Ruinarto edito, niſi, quod manifeſtiſſimo ſcribæ errore legatur *S. Joannis Baptiſtæ*, cum legi debeat *Evangeliſtæ*; Joannis enim Baptiſtæ Feſtum in eodem Kalendario octavo Kal. Julii reperitur. Ex his omnibus quamquam probabiliter affirmare poſſimus, S. Joannem Evangeliſtam obiiſſe in aliquo ex his diebus, quibus tum ab Eccleſia Græca, tum Latina coli conſuevit, nil tamen certi ſtatui poſſe credimus. Propterea nil mirum, ſi doctiſſimus Card. Baronius quamvis plura de Joannis obitu, & de cultu ejus Reliquiis præſtito habeat in notis ad Martyrologium Romanum, nullum tamen verbum de die ejus obitus faciat.

Cæterum in Miſſa hujus Feſti juxta regulas communes deberet dici Præfatio propria Apoſtolorum, verum ob rationes a Gavanto adductas, & præſertim quia ita reperitur in antiquio-

tiquioribus Miſſalibus, *dicitur Præfatio de Nativitate Domini*.

XVIII. Gav. num. 9. *Feſtum Innocentium antiquius eſt Origene, &c.*) Gav. aſſerit antiquiſſimum eſſe Feſtum SS. Innocentium, idque eruit ex quibuſdam Homiliis Origini tributis, præſertim vero ex tettia, ubi loquitur de martyrio Innocentium, eorumque Feſto, tamquam antiquiſſimo, cum in Homilia illa legatur: *Bene SS. PP. eorum memoriam celebrari mandaverunt ſempiternam.* Verum prædictas Homilias omnibus legentibus, non ſolum patet eas non eſſe Origenis, ſed non poſſe eſſe, niſi fœtus Auctoris alicujus Latini; ſcatent enim vaniloquiis, antithetis, verborum luſibus, ſynonimis, & alluſionibus, quæ omnia aperte indicant Latinam linguam, qua ab initio compoſitæ fuere, ut tenet Grancolas *loc.cit.c.*20. necnon Thomaſſinus tamquam ſuppoſititias reputans tales Homilias *loc.ſupra c.n.*14. Minus quoque probari poteſt, Infantes iſtos non ſolum babuiſſe Feſtum, ſed etiam Octavam tempore S. Auguſtini, ex quo in catalogo ſuorum Seemonum pee Poſſidium allato aliqui legantur boc titulo inſcripti: *De Octavis Infantium Tractatus duo.* Nomine enim Infantium ibi non alii veniunt, niſi recens regenerati per Baptiſmum, de quibus dicitur; *quaſi modo geniti Infantes, &c.* qui veſtem candidam per octo dies deferebant, & die octavo, nempe Dominica poſt Paſcha talem veſtem deponebant, & ideo præfata Dominica ob dimiſſionem talium indumentorum candidorum, *Dominica in Albis* uſque modo appellatue. Octava igitur illa non erat niſi Octava Paſchatis, in qua veſtes illæ albæ a novis Baptizatis (in Paſchatis Pervigilio ob ſignum lætitiæ deferri inceptæ) dimittebantur: rurſus nullus profecto peolatus fuit ſermo a S. Auguſtino ſuper Feſto SS. Martyrum Innocentium; qui ejuſdem S. Doctoris nomine circumferuntue ſermones de tali Feſto, ſunt procul dubio ſuppoſititii. Sanctus quippe Auguſtinus nullum verbum fecit de prædictis Infantibus, niſi in Inſtructione ad Catechumenos *lib.*3. & quod de iiſdem dixit nullam habet relationem ad Feſtum SS. Innocentium, ſed occaſione expoſitionis in Evangelium S. Matthæi, eorum tantum martyrium commemorat; Feſtum nullo modo indicat.

In Kalendario Carthaginenſi alias memoeato de Innocentium Feſto ſermo brevis habetur his præciſis verbis: *V.Kal.Jan.SS. Infantium, quos Herodes occidit*: ex quo inferri poteſt, hoc Feſtum non ſecus, ac illud S. Stephani prius in Africa celebratum fuiſſe, unde Romam, & deinde in Galliam tranſierit. Habentur enim quatuor Feſta Natalis in Regula Chrodogangi ſupra memorati *c.*74. *in ſolemnitatibus præcipuis, ideſt Natalis .... In Sanctorum Feſtivitatibus, ideſt S. Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ, & in Feſtivitate Infantium.* Nonnullas & quidem validas ſubnectit rationes Granculas *loc.cit.* quibus ſuadere conatut, hoc Feſtum in Africa incœpiſſe, ſicut Feſtum S. Stephani, & duo hæc Feſta celebrari conſueviſſe poſt Natale. Præſertim vero quia apud S. Fulgentium, qui circa Ann. 530. mottuus eſt, eeperitur poſt ſermonem Nativ. J. C. ſermo S. Stephani primi Martyris, & deinde ſermo de Epiphania, ſeu de morte Innocentium, & adoratione Magnrum; ſicut etiam quia Prudentius panxit Hymnum de Innocentibus poſt Hymnum de Epiphania, perinde ac ſi cœpta eſſet fieri commemoratio de his Infantibus in Officio Epiphaniæ, a qua poſtea ſeparati, ac Feſto Nativ. J. C. conjuncti fuerint. Hæc Grancolas; ſed cum Prudentius, qui floruit Anno 390. præfatum Hymnum compoſuerit in honorem SS. Innocentium, conjici poteſt ab illo uſque tempore Eccleſiam prædictis Martyribus cultum præſtitiſſe, & ſi non peculiare Feſtum, memoriam ſaltem aliquam in Feſtis diebus de iiſdem Infantibus pro Chriſto occiſis, exhibuiſſe.

XIX. Gav. dicto n. 9. *Non admittit cantica lætitiæ, quia deſcenderunt in Limbum, &c.*) Hic Gav. prædictam rationem ex Micrologo aſſignat, cur hoc Feſtum non admittat cantica lætitiæ, ejuſque Officium lugubre ſit. Sed *tom.*2. *hujus Theſauri ſect.*6.*c.*5.*n.*3. meliorem affert rationem, quam etiam aſſignat Durandus *in Rationali Divin. Offic. lib.*7.*c.*41. *n.*11. & ante eum Amalarius *lib.* 1. *de Divinis Officiis c.*41. nimirum, quia compoſitor hujus Officii conjungi nos vult animis devotarum mulierum, quæ in morte innocentium doluerunt, & planxerunt. Laudatus Amalarius *eodem lib.* 4. *de Divinis Officiis* apud Grancolas *cit. c.* 20. adſtruit, Officium Innocentium ab origine ſua nihil babuiſſe lugubre; ſed hoc poſtea invectum fuiſſe in aliquibus tantum ſæcularium Eccleſiis; in Monaſteriis vero ſemper dictum fuiſſe *Gloria in excelſis* ad Miſſam, & *Te Deum* ad Matutinum. Uldaricus Abbas in conſuetudinibus Cluniacenſibus, docet apud prædictus ſuos Monachos ſervatum fuiſſe antiquum uſum Monaſteeiorum, de quo loquitur Amalaeius: *In Natali Innocentium, quod aliæ Eccleſiæ non cantant Gloria in excelſis, nec Alleluja, hoc minime curatur a nobis*; ſed utut ſit de præfatorum Monachorum Ritu, in præſentiarum hoc certum eſt, quod juxta Rubricas Miſſalis Romani, & apud univerſam Eccleſiam, in Feſto SS. Innocentium, quamvis in Miſſa dicatur *Credo* (ratione Octavæ Nativ. Domini, & Sancti Joannis Apoſtoli) attamen nun dicitur *Gloria in excelſis*, niſi venerit in Dominica, aut niſi SS. Innocentes Martyres ſint Titulus, ſeu Patroni Eccleſiæ (non autem præciſe alicujus Altaris etiam majoris) cum enim ibi ſint duplex primæ claſſis, tunc etiam juxta noſtrum Gav. *tom.* 2. *hujus Theſauri ſect.* 6. *cap.* 6. *num.* 7. & Bauld. *part.* 4. *cap.* 2. *num* 37. necnon Halden. *part.* 2. *tit* 12. *num.* 18. tunc, inquam, in Officio hujus Feſti, ſicut dicitur *Te Deum*; ita in Miſſa dici debet, non tantum *Credo*, ſed etiam *Gloria in excelſis*, item Graduale cum *Alleluja* ante, & poſt ℣. omiſſo Tractu, ac denique *Ita Miſſa eſt* in fine Miſſæ, & tam ad *Officium*, quam ad *Miſſam* adhiberi *color rubeus*; perinde ac fit in Eccleſia univerſali, quando hoc Feſtum venerit in Dominica, quia (ut bene ratiocinatur noſter Gav. ſup.) ſi hæc omnia ſigna lætitiæ conceduntur ratione *Dominicæ*, in qua non eſt dolendum, debent pariter concedi in Feſto Titularis, ſeu Patroni Eccleſiæ, in quo etiam non eſt dolendum, & ſi SS. Joanni Baptiſtæ, ac Laurentio conceditur *Credo*, tam quando celebratur eorum Feſtum in propria Eccleſia, quam quando idem Feſtum incidit *in Dominicam*, recte exinde arguitur, æqualia eſſe quoad prædicta, celebrari aliquod Feſtum in Dominica, & celebrari in propria Eccleſia, quapropter in utroque caſu, æqualiter ſunt celebranda. An autem ſimili modo liceat oedinaee Miſſam hujus Feſti, necnon Officium, quando hoc non quidem eſt Titulare Eccleſiæ, ſed in ea aſſervantur inſignes SS. Innocentium Reliquiæ; laudatus Halden, qui proponit *cit. loc.* boc dubium, aſſertive reſolveee non audet; verum ſubnectit, quod ſicut teſte Gav. *loc. ſuprac.* titulus ſolius Altaris SS. Innocentium, etiam *majoris*, non eſt ratio ſufficiens ad difformandum ſe in modo dicendi Miſſam, & Officium de boc Feſto, & ad recedendum a Ritu Eccleſiæ univerſalis; ita etiam particularis Eccleſiæ alicujus dictarum Reliquiarum cultus, etiamſi ſolemnis, & publicus, ſufficere non videtur ad difformandum ſe in modo celebrandi Miſſam hujus Feſti ab Eccleſia univerſali. Baud. tamen *part.* 4. *c.* 2. *n.* 38. cenſet, quod ſi in Eccleſia aliqua fuerit aliquod Corpus eorundem Innocentium, vel inſignis Reliquia, poſſit celebrari Miſſa, & recitari Officium eorumdem cum canticis, & ſignis lætitiæ eodem modo, quo fit quando tale Feſtum occurrit in Dominica.

In die autem Octava hujus Feſti, ubicumque, aut quocumque die celebretur, in Officio dicitur pariter *Te Deum*, ut ſuo loco etiam adnotavimus; & in Miſſa *Gloria in excelſis*, itemque *Graduale* cum *Alleluja*, & ℣. ſequente, necnon in fine Miſſæ *Ite Miſſa eſt*, & adhibetur tam ad Officium, quam ad Miſſam color rubeus, ut præſcribitur in Rubricis. Ratio autem hujus Ritus eſt, ut notat Gav. *ſup. n.*3. & in Præfatione ad Octavarium Romanum, quia dies Octava Beatitudinem Cœleſtis Patriæ ſignificat, a qua omnis abeſt luctus, ac lacrymæ. Non dicitur tamen *Credo* in die hujus Octavæ, niſi hæc venerit in Dominica.

XX. Gav. n.11. *Dominicæ infra Octavam, &c.*) Hæc Dominica appellatur: *Dominica vacat prima poſt Nativitatem Domini*. In aliquibus Ordinibus Romanis dicitur prima Dominica poſt Nativ. Hæc Dominica a Micrologo *c.* 27. a Gav. *ſuprac.* vocatur Officium *Dum medium ſilentium, &c.* quia hæc eſt Antiphona *a c.*18. *Sapientiæ* deſumpta, qua incipitur Introitus Miſſæ hujus diei, & per quam nos docet Eccleſia, quod ſicut mediæ noctis tempore Deus Populum ſuum ab Ægypti captivitate liberaverat; ita etiam media nocte Verbum ſuum Incarnatum Mundo apparuit, ut a peccati ſervitute eum liberaret.

Advertere debemus, quod ſi poſt Feſtum S. Thomæ Cantuarienſis occurrat Sabbatum, ipſa die Sabbati dicitur Miſſa de Octava Nativ. cujus Introitus incipit: *Puer natus, &c.*) cum commemorationibus ibi poſitis, ut dicitur in Rubrica poſita poſt Feſtum prædictum S. Thomæ.

XXI. Gav. n.12. *Octavæ Nativ. & Circumciſionis, &c.* Ordinarium Naonetenſe relatum ab Edmundo Mattene *in trad. antiq. Eccleſ. diſcipl. cap.* 13. *num.* 15. ait: *Quidam dicunt, quod in die Circumciſionis tria Feſta concurrunt, B. M. V. Circumciſionis, & Octavæ Domini, quia ſi Chriſtus circumciſus non fuiſſet, nihilominus fieret Octava. Et alii dicunt, quod duo Feſta tantum concurrunt B. M. V. & Circumciſionis; unde in multis Eccleſiis dicitur prima Miſſa de B. M. V.* Vultum tuum, &c. *alia vero de Circumciſione*: Puer natus *& Evangelium Lucæ legitur*: Poſtquam impleti ſunt. Hæc præfatum Ordinarium; & quidem in pleriſque antiquis Miſſalibus duæ Miſſæ reperiuntur, ut adnotat idem Mattene *citat. loc.* In antiquioribus Sacramentorum libris, alia etiam legitur Miſſa *ad prohibendum ab Idolis* inſcripta, ut in codice Gellonenſi, in Rhemenſi, Regio, Gallicano, *num.* 3865. præſertim vero in Sacramentario Gelaſiano, & aliis quibuſdam, quæ Miſſa potiſſimum inſtituta erat ad eeprimendas Paganorum hac die ſuperſtitiones, quas fuſe deſcribit Sanctus Auguſtinus, ſeu alius *ſerm.* 129. in Appendice novæ editionis, quaſque etiam refert Martene *loc. ſuprac. citat.* Poſtea vero ex duabus Miſſis una tantum facta eſt ſub titulo circumciſionis: *Ordo Miſſæ in Circumciſione Domini*, in qua duplex habetur Benedictio, una ante Communionem, altera poſt. Quale autem Officium Romæ olim fieret hac die, utrum de Octava Nativ. vel de Circumciſione, vel de Virgine, difficile dictu eſſe ait Grancolas *Comment. Hiſtor. in Breviarium Romanum lib.* 2. *cap.*24. In Sacramentario Gelaſiano, ſicut etiam in Gregoriano Miſſa hujus diei inſcribitur: *In Octava Domini, in Octavis Domini*. Durandus veeo *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 13. ait, quod cum

Ec-

Digitized by Google

Eccleſia non faciat Feſtum de Paſſione Domini, videtur quod in Circumciſione, in qua incipit Paſſio Domini, tunc etenim primum Sanguinem ſuum ſudit, non ſit faciendum feſtum, ſed potius lamentum, ſicut, & in Paſſione: adeoque dicitur, quod Feſtum non ſit de Circumciſione, ſed de Octava Natalis Domini.

In Hiſpania quartum Concilium Toletanum habitum Anno 633. præſcribit abſtinentiam hac die ſervandam, & cantari vetat *Alleluja* in Officiis Eccleſiæ, ſed nequaquam loquitur de Officio Circumciſionis; ita pariter D. Iſidorus *lib.2. de Divin. Offic. cap.* 40. ait, Eccleſiam Kalendis Januarii inſtituiſſe jejunium propter errorem Ethnicorum; ſed de Feſto, & Officio Circumciſionis, ne verbum quidem facit. E contra vero in Gallia Feſtum hoc Circumciſionis nomine vocatur, & Concilium Turonenſe ſecundum *Canon.*17. habitum Anno 567. præcipit ea die jejunari, ſicut aliæ Eccleſiæ hoc præſcribebant ad profanas conſuetudines Ethnicorum, quæ Kalendæ Januarii vocabantur, expiandas, ut ſuperius innuimus, & Miſſam Circumciſionis præſcribit; ita etiam in Capitularibus Caroli Magni *lib. 6. cap.* 186. appellatur hæc dies Circumciſio; *In Circumciſione Domini Kalendis Januarii*. Ordo pariter Cluniacenſis de Circumciſione tantum loquitur. In antiquis Martyrologiis Galliæ appellatur Circumciſio Jeſu Chriſti ſecundum carnem, & quidem, ut bene ponderat Grancolas *loc. cit.* Octava Natalis celebrari non poteſt abſque celebritate Feſti Circumciſionis, quoniam octava die Jeſus Chriſtus circumciſus fuit. Et quamvis in ſupracit. Sacramentariis Gelaſiano, & Gregoriano intituletur Miſſa hujus diei *in Octavis Domini*, ut ſupra etiam innuimus, nihilominus in Præfationibus utriuſque Sacramentarii mentio fit non ſolum Octavæ Nativ. ſed etiam Circumciſionis, & Puerperii B. M. V. *Cujus hodie Circumciſionis diem, & Nativitatis octavam celebrantes tua Domine mirabilia veneramur, quia quæ peperit, & Mater & Virgo eſt*; hæc habentur in Præfatione codicis Gregoriani, ſimiliter etiam recenſentur in codice Gelaſiano; in Miſſali vero Gothico, Miſſa hujus diei, quæ unica eſt, inſcribitur: *Ordo Miſſæ in Circumciſione Domini N.J.C.* ſed in præſenti Miſſali Romano recognito omnia prædicta tria Feſta in unum conflata videntur in Ordine Miſſæ; nam Oratio eſt *de S. Maria*; Evangelium vero *De Circumciſione Domini, & Octava Nativitatis*. Si hoc Feſtum Circumciſionis incidat in Dominicam, Anno illo Dominica vacat, id eſt nihil eo Anno, die illo fit de Dominica, nec in Miſſa, nec in Officio; reliqua ſerventur prout diſponunt Rubricæ Miſſalis in tali die. Prædicta innuiſſe ſufficiat pro ſacra eruditione hujus Feſtivitatis, & qui plura ſcire deſiderat, adire poterit citatos Auctores, nimirum Martene, Grancolas, necnon Baillet, Thomaſſinum *lib.2. c.8.*

XXII. Gav, n.14. *Vigilia Epiphaniæ, &c.*) Nonnulla ſpectantia ad ſacram eruditionem hujus Vigiliæ tradit Grancolas *Comment. Hiſtor. in Breviarium Romanum c.9.* Quoad praxim ſervandam in Ritibus hujus Vigiliæ multa etiam congerit noſter Gav. *tom. 2. ſect. 6. cap. 6. num.* 1. unde nihil aliud ſupereſt obſervandum hoc loco, niſi hanc Vigiliam ita eſſe privilegiatam, ut ſi in illa occurrat alicubi Feſtum etiam primæ claſſis, de ea debeat fieri commemoratio ad Laudes in Miſſa cum ultimo de eadem Vigilia Evangelio. Ita Halden *part. 2. tit.* 1. §. *Hæc eſt Vigilia*, & Guyetus *lib.4. cap.6. qu.*5. ubi addit, hanc Vigiliam ita eſſe privilegiatam, ut æquiparetur Dominicis, & ideo in Feſto primæ claſſis in eam occurrente, faciendam eſſe de ea commemorationem, quæ in aliis Vigiliis omittitur in prædicto caſu, ut alibi diximus. An vero in hoc caſu cantandæ ſint duæ Miſſæ in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ſi vera eſſet ratio Francolini apud Gav. 1. *part. tit. 7. de Commemorat. nu.* 2. duas Miſſas numquam eſſe cantandas poſt Horam, non deberet cantari niſi unica Miſſa, quia utraque harum Miſſarum in prædicto caſu cantanda eſſet poſt Tertiam; ſed cum ratio illa parum valeat apud Guyetum *cit. lib. 4.c.2. qu.* 5. Hinc exiſtimat Rubricæ de Vigiliis futurum conformius, ſi duæ Miſſæ Conventuales in dicto caſu cantentur, in prædictis Eccleſiis, nimirum una de Feſto primæ claſſis, altera de Vigilia Epiphaniæ, neque obſtat, ait ipſe, quod in hac Vigilia non ſit jejunium; Vigilia enim Aſcenſionis perinde ſine jejunio eſt, & tamen duas, imo aliquando tres in ea dicendas eſſe Miſſas Conventuales declarat propria Rubrica. Ulterius idem Auctor *lib.4. cap.5. qu.*5. ſubnectit, quod ſi vera Dominica eſt Vigilia iſta Epiphaniæ; ut infra ipſe probat, talem Vigiliam reputari tanquam diem Dominicam, tunc dicendam eſſe nihilominus ejus Miſſam adſtrui, & quidem poſt Primam, ſi incommodum videtur, duas Miſſas nulla mediante hora cantare. Si hæc Vigilia incidat infra aliquam Octavam conceſſam aliquibus ex ſpeciali privilegio, quia de jure communi hoc accidere non poteſt, cum novo jure Urbani VIII. interdictæ ſint omnes Octavæ a die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam; ſi, inquam, incidat infra aliquam Octavam, tunc quidem non duæ Miſſæ, ſed unica Conventualis, & hæc de Vigilia dicenda erit cum commemoratione illius Octavæ, & *Credo* etiam extra Dominicam, ſi talis Octava illud habeat, non enim hæc eſt Vigilia ſimplex, ſeu ferialis, ut ſunt aliæ Vigiliæ communes, ſed feſtiva, & Dominicalis, adeoque capax ſymboli, aliunde debiti; Miſſæ pariter privatæ deberent dici de Vigilia in prædicta cum commem. Octavæ; cæterum in hac Vigilia pro-hibentur Miſſæ Votivæ, & Defunctorum, ut liquet ex Decr. edito die 27. Apr. 1697. & dato in noſtro Indice *ſub nu.*514. & alio emanato die 16. Junii 1708. dato in noſtro Indice *ſub num.* 607. & denique ex alio edito die 30. Decemb. 1718. dato in noſtro Indice *ſub n.*635.

XXIII. Gav. n.15. *Epiphania, ſeu Theophania, &c.*) Jam ſuperius diximus Feſtum hoc primitus, in Oriente præſertim, fuiſſe unitum cum Feſto Nativit. Jeſu Chriſti, & deinde ſejunctum ad imitationem Eccleſiæ Occidentalis. Hoc Feſtum appellatur Epiphania, nimirum manifeſtatio, ſeu apparitio, ſive quia hoc die celebratur etiam Chriſti Baptiſmus, & divina manifeſtatio ſuæ Gloriæ, illis verbis ſui Æterni Patris facta: *Hic eſt Filius meus Dilectus, &c.* ſive quia in hac die adoratus fuit a Magis, & Gentibus manifeſtatus eſt. Appellatur etiam hoc Feſtum Theophania ab aliquibus, quæ vox Dei præſentiam ſignificat, propterea quod Pater divinus præſentiam ſuam in Filii Baptiſmo manifeſtaverat. Tria objecta in hoc feſtum coaluere, nimirum Chriſti Baptiſmus; miraculum in Nuptiis ab eo factum, quo aqua in vinum converſa eſt, & adoratio Magorum; unde S. Maximus Taurinenſis *hom.6.* de Epiphania agit de tribus hiſce Feſtis in unum conflatis, ſed nequaquam dici poteſt quodnam eorum in 6. Jan. diem inciderit. S. Iſidorus Hiſpalenſis *Offic. lib.1. c.6.* idipſum advertit dicendo; *Tribus cauſis hæc dies Epiphania dicitur, quia Chriſtus in Baptiſmo .... & quod eo die ſyderis ortu Magis eſt proditus, ſive quod primo ſigno per aquam vinum factum ....* Hæc omnia patent etiam ex Hymno Prudentii, quem ad Divina Officia adhibet Eccleſia, & ex S. Paulino *carm.9.* de S. Felice. Quidam autem opinati ſunt, ab Eccleſia triplicem hanc Gloriam manifeſtationis J. C. fuiſſe conjunctam, & die 6. Jan. celebratam, ut oblivione deleret triplicem Imperatoris Auguſti triumphum, quem Romæ 6. Januarii Ethnici celebrabant; poſteaquam per hunc Imperatorem Pax toto Orbe Terrarum conciliata eſt, clauſumque Jani Templum. Quapropter, ut populus a prophana illa celebritate revocaretur, triplicem memoratum Chriſti triumphum, aut manifeſtationem Eccleſiam in unum idemque Feſtum conflaſſe, & eidem diei 6. Jan. affixiſſe nonnulli arbitrati ſunt, ut refert Oroſius *lib. 6. c.18.* Feſtum hoc eſt antiquiſſimum tum in Oriente, tum in Occidente, & eſt unum ex illis, quæ ab Eccleſia Latina vocantur *Sacratiſſima, Sacroſancta* in Canone Miſſæ, propterea quod circa ea totus Divini Officii Ordo verſatur. Ritus, qui ſpectant ad recitationem Officii hujus diei, examinabimus *in tom. 2. hujus Theſauri*, ubi agemus cum Gav. de eadem ſolemnitate. Ea vero quæ ſpectant ad ſacram eruditionem Miſſæ hujus diei, & alias cæremonias, quæ antiquitus in hac die exercebantur in Eccleſia Orientali, necnon in Ambroſiana, & in aliis Occidentalibus fuſe deſcribuntur a Grancolas *loc.cit. c.*30. necnon ab Edmundo Martene *c.*14. ſicut etiam a Thomaſſino *de dierum Feſtorum celebritate, lib.2. c.6.*

Infra Octavam hujus Feſtivitatis non poſſunt dici Miſſæ Votivæ privatæ, neque Defunctorum, ut patet ex ſupra allegato Decr. dato in noſtro Indice *ſub nu.* 217. edito die 28. Auguſti 1627. unde infra Octavam, etiam præſente corpore, ut bene advertit Halden *cit. loc.* dictæ Miſſæ privatæ Defunctorum celebrari non poſſunt. Quod ſi ex gravi cauſa diebus infra hanc Octavam dicatur Miſſa Votiva ſolemnis, eaque habeat Præfationem propriam, debet hæc in ea dici, ut ſupra adnotavimus in Miſſis Votivis ſolemnibus, quæ celebrari poſſunt infra Octavam Nativit.. Si autem prædicta Miſſa Votiva ſolemnis non habeat Præfationem propriam, tunc dicenda eſt *Præfatio Epiphaniæ*, ut & hujus *Communicantes*, ſive habeat, ſive non habeat Præfationem propriam. Si autem Votiva illa ſolemnis ſit Miſſa de Requiem, quæ præſertim coram corpore dici poteſt, tunc *Præfatio*, & *Communicantes* erit commune, nam in Miſſis quibuſcumque Defunctorum hæc numquam variantur, quocumque tempore legantur.

Infra Octavam Epiphaniæ dicitur eadem Miſſa, quæ in Feſto, & poſt Orationem diei dicuntur Orationes: *Deus, qui ſalutis æternæ, &c.* & *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, niſi occurrat Feſtum ſimplex; tunc enim tertia eſt: *Deus, qui ſalutis, &c.*

De diebus infra Octavam Epiphaniæ occurrentibus, agit etiam Grancolas *loc. cit. cap.* 31. ubi varia congerit, quæ ſpectant ad ſacram eruditionem, præſertim Officii, Antiphonarum, Lectionum, &c. quæ olim dicebantur, & hodie adhuc dicuntur in prædictis diebus, & in Octava ejuſdem Feſti Epiphaniæ.

De feſtis autem duplicibus, & aliis, quid agendum ſit infra dictam Octavam Epiphaniæ, pendet, ut ait Gav. n.18. a Rubrica Breviarii, ubi cum ipſo nos quoque de prædictis Feſtis, & aliis ſermonem habebimus.

## De Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam. IV.

### *G A V A N T U S.*

1. IN Rubricis Breviarii proprius locus eſt quærendus: Cur ſex tantum Dominicæ intercurrant ab Epiphania uſque ad Septuageſimam? Miſſa enim ſequitur Officium; & ideo de Miſſa tantum, quæ hoc loco notatu digna ſunt, indicemus.

2. Poſt

2. Poſt Epiphaniam variatur Introitus cum ſuis acceſſoriis, Graduali, Offertorio, Communione, in primis tantum tribus Dominicis: & hoc triplex Officium (ita loquuntur antiqui) Dominicalis Miſſæ ſignificat tres Annos prædicationis Chriſti, *Gemma lib. 3. cap.* 110. ut recte poſt Octavam Epiphaniæ, in qua Baptiſmus Chriſti celebratus fuit, repræſententur. Officium Miſſæ harum trium Dominicarum habetur *in Antiph. & Sacramentario Gregoriano*.

3. Hinc eſt, quod ſecundæ Dominicæ Miſſa dicitur ſemper ante Septuageſimam, ſaltem in Sabbato, vel alio die præcedenti, ut congruo tempore legatur Evangelium de aqua in vinum mutata, quod eſt initium miraculorum Chriſti, ſicut in tertia quoque Dominica legitur Evangelium de leproſo, qui *ex S. Hieron.* fuit primo curatus a Chriſto. *Durand. lib. 6. cap.* 19. notat in Oratinne Dominieæ 2. fieri meutionem de pace, *& pacem tuam noſtris concede temporibus*, quia in eadem Dominica S. Gregorius conciliavit pacem in Urbe, & Orbe; eſt tamen Oratio ambroſiana, *ex Pamelio*, tranſlata in hunc locum a S. Gregorio.

4. In ultimis vero tribus Dominicis 4. 5. & 6. poſt Epiphaniam, Introitus, & acceſſoria ſunt eadem, quæ habentur in tertia Dominica, ut *in Antiphon. Gregoriano*; & ratio eſt, quia ſæpius transferuntur poſt Pentecoſten, quo loco mutuo ſumunt Introitum, & acceſſoria, ſcilicet Graduale, Offertorium, & Communionem a Dominica 23. poſt Pentecoſten, ut cum ea ejuſdem fere rationis tunc eſſe videantur: quia ergo ſunt Dominicæ vagæ, non habent ideo certum Introitum, nec proprium Officium, exceptis Oratinnibus, Epiſtolis, & Evangeliis. Orationes autem Dominicæ tertiæ, & quartæ ſunt Ambroſianæ, *ex Pamelio*.

5. Dominica ſexta poſt Epiphaniam deſiderata fuit uſque ad Pium V, ſed Oratio tamen habetur *in Sacramentario Gregoriano*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. n. 1. *Cur ſex tantum Dominicæ intercurrant, &c.*) Dominicæ poſt Epiphaniam, uſque ad Septuageſimam poſſunt eſſe, vel ad ſummum ſex, vel ad minimum una; quo enim propior Epiphaniæ, vel ab ea remotior eſt Septuageſima (quæ quidem major, aut minor diſtantia a Paſchatis mobili Feſto dependet) eo plures, vel pauciores ſunt Dominicæ infra hoc tempus; & hinc poſitum eſt in Breviario Romano Officium ſex Dominicarum poſt Epiphaniam, & in Miſſali deſcribuntur ſex Miſſæ dicendæ in ſex Dominicis, quæ ad ſummum occurrere poſſunt poſt Epiphaniam. Quod ſi alicui, vel aliquibus illarum poſt Epiphaniam celebrandis locus ordinarius non ſit; tunc vel celebrantur Sabbato Septuageſimam præcedente, vel transferuntur poſt Dominicam 23. poſt Pentecoſten, ut patet ex Rubrica Miſſalis, quæ habetur poſt Miſſam, quæ dicitur in Octava Epiphaniæ.

Ab Octava Epiphaniæ uſque ad Purificationem, niſi fuerit duplex, poſt Orationem diei, in Miſſa dicuntur iſtæ Orationes: *Deus, qui ſalutis æternæ, &c.* niſi ratione *Menſis*, aut Feriæ II. dicendum ſit *Fidelium, &c.* (tunc enim hoc dicitur ſecundo, ſeu penultimo loco, tertio autem *Deus, qui ſalutis, &c.*) tertia *Eccleſiæ tuæ, &c.* vel *Deus omnium Fidelium, &c.* pro Papa: poſt Purificationem vero Oratio ſecunda eſt *A cunctis*, tertia ad libitum, niſi rurſus ratione menſis, aut Feriæ 2. dicenda ſit loco ſecundo Oratio *Fidelium*, & tertio *A cunctis*. Denique eadem ſecunda Oratio *A cunctis*, & tertia ad libitum in Miſſa dicetur pariter poſt diem 2. Februarii in caſu, quo occurrat transferri Feſtum, ſeu potius Officium Purificationis B.M.V. ut liquet ex Decreto emanato die 14. Februarii 1705. dato in noſtro Indice *ſub n.* 588.

II. Gav. n. 3. *Secundæ Dominicæ Miſſa dicitur ſemper, &c.*) Si Dominica Septuageſimæ fuerit Dominica 2. poſt Epiphaniam; tunc in præcedenti Sabbato, ſi non fuerit impeditum Feſto ſemiduplici, dicitur Miſſa de Dominica ſecunda poſt Epiphaniam cum ſupradictis Orationibus. Si vero Feſtum ſimplex in eo occurrat, de eo facienda eſt commemoratio in Miſſa Dominicæ; ſi vero Sabbatum illud fuerit impeditum Feſto aliquo ſemiduplici, tunc prima die poſt Octavam Epiphaniæ, in qua non ſit Feſtum duplex, dicitur Miſſa de ſecunda Dominica, & Feſtum ſemiduplex in eo occurrens transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam. Ita colligitur ex Rubrica Miſſalis, quæ habetur ante Dominicam poſt Epiphaniam.

Nunc vero in recenti Decreto edito a S.R.C. die 29. Novembris 1721. ita habetur - Officium propium SS. Nominis JESU, quod alias pleriſque Chriſtiani Orbis Provinciis, & Regnis, variiſque particularibus Eccleſiis, & Ordinibus Regularibus fuerat conceſſum, impoſterum ab omnibus Chriſtifidelibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu duplici ſecundæ claſſis, Dominica ſecunda poſt Epiphaniam recitari, & Miſſam reſpective celebrari debere indulſit S. R. C. die 29. Novembris 1721. annuente Innocentio XIII. ſub die 20. Decembris ejuſdem anni - Ex vi igitur prædicti Decreti in prædicta Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, celebranda eſt Miſſa de SS. Nomine JESU cum commemoratinne præfatæ Dominicæ, & Evangelio in fine. Quando autem prædicta Dominica ſecunda poſt Epiphaniam non habuerit propriam ſedem Dominicalem, ob Dominicam Septuageſimæ occurrentem die 18. vel 19. vel etiam 20. Januarii (in quibus caſibus agendum eſt de prædicta Dominica ſecuoda, ut ſuperius expoſuimus) tunc enim prævaleat Dominica prædicta Septuageſimæ, ſicut prævalet occurrenre in ea Feſto Purificationis B. V. M. Officium SS. Nominis JESU erit transferendum ad primam diem non impeditam, & ſic etiam Miſſa correſpondens dicto Officio. In prædicta Miſſa SS. Nominis JESU, quamvis in pluribus Miſſalibus impreſſa ſervetur ſequentia, quæ incipit: *Lauda Sion Salvatoris JESU nomen, & amoris*, hæc tamen non eſt dicenda niſi a Fratribus Minoribus S. Franciſci, tum quia in conceſſione antea facta Societati Jeſu Anno 1701. 1. Octobris, dicitur expreſſe: *Excluſa tamen ſequentia*; tum quia poſt hanc univerſalem conceſſionem, Miſſa Romæ impreſſa non continet dictam ſequentiam. Rurſus dicta ſequentia omitti pariter debet a Capellanis, ſeu Confeſſariis non Franciſcanis in Eccleſiis Monialium Ordinis S. Franciſci, nam præfati Capellani poſſunt quidem in dictis Sanctimonialium Eccleſiis dicere Miſſam de Feſto, de quo ipſæ Moniales recitant Officium, ut alibi diximus, & liquet præſertim ex Decreto edito die 20. Novembris 1717. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 634. Sed prout talis Miſſa deſcripta jacet in Miſſali Romano, in quo non habetur dicta ſequentia.

III. Gav. n. 5. *Dominica VI. poſt Epiphaniam deſiderata fuit, &c.*) De Dominica VI. poſt Epiphaniam, nullum habebatur Officium, nec Miſſa, quia raro accidit, ut ſex occurrant Dominicæ ab Epiphania uſque ad Septuageſimam, & ſi quando accidiſſet in VI. Dominica repetebatur Officium & Miſſa quintæ Dominicæ. Pius autem V. notat Gavantus ſupra, interſeri juſſit Officium proprium, necnon Miſſam pro VI. Dominica.

## De Dominica a Septuageſima uſque ad Feriam IV. Cinerum. V.

### GAVANTUS.

1 Quadrageſimæ Ritus antiquior eſt, quam præcedentium Dominicarum, nam ab Apoſtolis tradita eſt, *ex Ignatio epiſt.* 8. & a Sancto Petro Romæ inſtituta fuit, *ex Radulph. propoſ.* 16. & ideo a Quadrageſima ordimur in hoc titulo, a qua reliquæ Dominicæ pendent.

2. Quinquageſima tribuitur Teleſphoro, *ab eodem Radul. ibid. diſt. 4. cap. ſtatuimus*, cui etiam Quadrageſimam tribuit *Rupert. lib. 4. cap.* 9. forte ille Decreto firmavit, ut ait *Baron. Ann.* 136. & 154. Sexageſima, & Septuageſima erant in uſu tempore Gelaſii I. *ex Azor. lib.* 10. *cap.* 16.

3. Quadrageſima ſemper contigua Paſchati fuit, non Epiphan. quo die baptizatus Chriſtus ſeceſſit in deſertum ad jejunium quadraginta dierum. Unde *Tertull. adv. Pſychic. cap.* 13. nominat jejunium Paſchatis, quod nos Quadrageſimale, ut notat *Baronius Anno* 57. *n.* 194. Tres autem cauſas affert *Honorius in Gemma lib. 3. cap.* 45. ut proxima paſſione Chriſti compatiamur eidem; ut item in Verno tempore libido facilius concitata reprimatur, & ut ſicuti Hebræi ſtatim ac poſt quadraginta annos in terram promiſſionis intraverunt, & de captivitate Babylonis reverſi ſunt, celebraverunt Paſcha; ita & nos, peracto labore Quadrageſimali, cum Chriſto Paſcha celebremus, addit quartam *Durand. lib. 6. cap.* 28. ut lactucis agreſtibus jejunii Quadrageſimalis comedamus Agnum Paſch. ideſt Eucbariſtiam in Paſch. Quinta fuit *S. Iſidor. lib. 2. cap.* 36. ad ſignificandum, vitam noſtram laborioſam egere Chriſti paſſione pro tolerantiæ exemplo, & ope; ideo conjunctim utrumque celebrandum eſt.

4. A numero dierum, vel a numero hebdomadarum ſumitur apud Auctores Sacrorum Rituum ratio barum Dominicarum. A numero dierum, *Ord. Rom.* Septuageſimam definit quaſi curſum ſeptuaginta dierum uſque ad Sabbatum in Albis, cujus Miſſa incipit: *Eduxit Dominus populum*, ut recolamus, inquit *Alcuin.* ſeptuaginta annos captivitatis Babylonicæ, & noſtræ, quæ in ſeptennio hujus vitæ tranſigitur, & finitur in Sabbato, ideſt, requie, unde infra Octavam Paſchæ unum *Alleluja* cum Graduali uſque ad prædictum Sabbatum (Graduale namque diximus lamentum ſignificare) adhuc cantatur ante Evangelium, *Gemma lib. 3. cap.* 38.

5. Sexageſima continet dies ſexaginta uſque ad Feriam 4. Paſch. cujus Miſſa incipit, *Venite Benedicti*, *Ordo Romanus*, ut per ſex quaſi dies, quibus Deus operatus eſt in creatione mundi, & nos operemur bonum, ait *Alcuin.* juxta decem præcepta legis, uſquequo nobis dicatur: Venite benedicti, & præſertim nos monet *Honor. in Gemma cap.* 59. ut operemur ſex opera miſericordiæ; de quibus *Matth.* 25. ſimul cum Decalogo, ſex enim decies componunt ſexaginta.

6. Quinquageſima conſtat diebus quinquaginta, uſque ad diem Paſchæ, *Ord. Rom.* ut per quinque ſenſus, Decalogo obſervato Jubilæum remiſſionis conſequamur in Paſchate. Quinquagenarius enim numerus Jubilæi eſt. Hæc *Alcuin.*

7. Quadrageſima currit uſque ad cœnam Domini, & Paſcha

ſcha myſticum per quadraginta dies; *Ord. Rom.* ut virtus Decalogi per quatuor Evangelia impleatur, *Alcuin.*

8. Alii, & melius, a numero dierum jejunii ſumunt harum Dominicarum rationem: nam Quadrageſima habet quadraginta duos dies abſtinentiæ a carnibus, &c. uſque ad Paſcha, quaſi per quadraginta duas generationes veniamus ad Chriſtum, cum Matthæo *cap.* 1. ut ait *Hieron. cit. a Durand. lib. 6. cap.* 32. quod ſi velis numerare tantum veri & proprii jejunii dies, demptis Dominicis, erunt triginta ſex, hoc eſt, decima anni pars, conſtat enim annus diebus 365. *Alcuin.* Eoſdem autem triginta ſex dies ante Paſcha ut jejunarent alii, demptis non modo Dominicis ob Reſurrectionem Domini, ſed etiam Feriis quintis (quæ Decreto Melchiadis *Ep. ad Epiſc. Hiſpal. cap. 3. & habetur de Conſecr. diſt. 3. jejunium*, ob cœnam Domini, & Aſcenſionem Feria 5. celebratas, exceptæ fuerant a jejunio) indixerunt jejunii caput a Quinquageſima, eoſdem etiam ut jejunarent alii; demptis præterea Sabbatis, *ex Conſtantinopol. 6. can.* 55. in ſignum futuræ noſtræ quietis, anticipaverunt jejunium a Sexageſima.

9. Addiri ergo ſunt poſt S. Gregorium quatuor dies jejunii, ut ait *Baron. Anno* 57. Feria 4. Cinerum ad Dominicam, nimirum tempore Caroli Magni; & Stephani Papæ, quo editus dicitur Ordo Romanus plenior, quam antea; quod opinatur *Carolus Nivarien. Epiſc. in Commentis ſuis Canon.* ut non modo decima anni ſolveretur Deo: ſed ut jejunium quadraginta dierum Chriſti integre imitaremur, quod ſecuti alii, qui in cœna Domini, & Sabbato Sancto non jejunabant, a Quinquageſima cœpere jejunium. Alii idem obſervare volentes (demptis ut diximus, Dominicis, & Feriis 5.) a Sexageſima jejunii initium dederunt. Alii denique (ſublatis a jejunio etiam Sabbatis, ut ſupra) a Septuageſima jejunium ſunt exorſi. Hæc fere omnia ex *epiſtola Caroli magni ad Alcuin*, nimirum: ut quadragenarius jejunii numerus a Chriſto, Moyſe, & Elia comprobatus conſummationem noſtram apte ſignificet, quæ conſiſtit, tum in denarii perfectione nobis promiſſi, tum in laboribus hujus mundi a quatuor ventis delineati, & in corporis noſtri ex quatuor elementis compoſiti, per anni quatuor, varia tempora, exercitatione. *S. Iſidor. lib.* 12. *cap.* 36.

10. *Gratianus de conſ. diſt.* 5. *Quadrageſ.* facit auctorem S. Gregorium additionis 4. dierum a Feria 4. Cinerum uſque ad Dominicam; qui conciliari fortaſſe poſſet cum *Baronio* negante ſupra; quod nimirum Sanctus Gregorius nondum addiderat quatuor hos dies, quando Homiliam habuit ad populum, ex qua *Baronius* negat, ab eodem additos eos fuiſſe: deinde vero, antequam obierit, eos addidit ille, ut eſſent quadraginta jejunii dies, quod affirmat *Gratianus*, & indicant *Micr. cap. 49. & Pamelius*, qui volunt, Officia quatuor dierum additorum eſſe Gregoriana, & vere habentur *in Antiph. & Sacramentario S. Gregorii*, niſi & hæc a poſterioribus addita fuiſſe dicamus.

11. Sed jam Quadrageſima noſtra conſtat diebus quadraginta ſex; quid ergo habet myſterii? *Honor. in Gemma lib.* 3. *cap.* 41. docet, quadraginta ſex annis ædificatum fuiſſe templum, Jo. 2. id eſt, Corpus Chriſti, *ibidem*, & hoc modo explicat; duodecim annorum erat Beata Virgo, quando Chriſtum peperit; vixit autem Chriſtus annis 34. & mortuus reſurrexit; ergo Corpus Chriſti, cujus mater fundamentum fuit, ædificatum fuit quadraginta ſex annis, dirutum fuit in morte, & reædificatum in Reſurrectione; nos quoque, ait ille, ædificemus noſmetipſos templum Domino quadraginta ſex diebus jejunii Quadrageſimalis; *ibidem* docet nomen *Adam*, conſtare litteris Græcis, quæ faciunt numerum, more Græcorum quadraginta ſex; quod *Auguſtini eſt tractat. in Joan. lib.* 10. reformemus itaque his diebus quadraginta ſex veterem hominem in bonis. Hæc ille argute.

12. Maxime vero omnium mihi placet *Ruper. Abbat lib.* 4. *cap.* 2. qui has Dominicas ordinat ratione hebdomadarum uſque ad quartam Dominicam Quadrageſimæ, quæ dicitur *Lætare*, & eſt Paradiſi propria quædam imago; Septuageſima, inquit ille, dicenda eſt, quia per ſeptem hebdomadas ad illam, *Lætare*, pervenitur; Sexageſima, quia per ſex; Quinquageſima, quia per quinque; Quadrageſima, quia per quatuor; hoc eſt per ſeptem ætates mundi ad cœleſtem gloriam, per ſex ætates ad gratiam Redemptionis noſtræ: fuſius ille. Dominica vero, *Lætare*, eſt lætitiæ: unde eo die convivium legitur a Chriſto celebratum. In 6. quod eſt imago Paradiſi, ſemel & iterum dicitur, *Lætatum ſum in his*, &c. ad Miſſam adhibentur Dalmaticæ, quæ ſunt lætitiæ 1. *part. tit.* 19. *n.* 6. & præterea (quod tamen ad communem Miſſam non ſpectat) in argumentum lætitiæ, Papa eo die defert in manibus auream Roſam, de qua lege *Durand. lib. 6. cap.* 53.

13. Omittuntur a Septuageſima cantica lætitiæ, *Gloria in Excelſis*, & *Alleluja*, dicitur *Tractus*, id eſt, luctus, ut docuimus *in Rubric. general.* 1. *part. locis ſuis* cauſa mœſtitiæ, *ex Ord. Roman.* Officia vero trium harum Dominicarum habentur *in Antiphonario*, & *Sacramentario Gregoriano*: quod ſi Septuageſima venerit ante purificationem, ſecunda, & tertia Oratio non mutantur; itaut ſecunda ſit de Beata Virgine, cujus partus adhuc celebratur. Idemque fiat in Sexageſima, & Quinquageſima.

14. In Feriis autem omittitur *Tractus*, quia luctus ſolemnis eſt in concurſu populi tantum faciendus, ut mox dicemus.

15. In collecta Sexageſimæ occurrunt duo præter regulas ordinarias. Alterum eſt, quod dicitur collecta de S. Paulo ſine collecta de S. Petro, qui in Feſtis eorum, & commemoratione per annum nunquam dividuntur, ut patet. Alterum eſt, quod licet in prima collecta fiat mentio de Sancto Paulo, tamen in oratione, *A cunctis*, adhuc fiat de eodem commemoratio, contra illud, quod habetur ſupra de Miſſa Votiva Apoſtolorum, quæ excludit Orationem *A cunctis*. Sed nota novum titulum Stationis, quæ, ut in Miſſali dicitur in Sexageſima, eſt ad S. Paulum: & item nota, quod nominat Eccleſia Sanctum Paulum occultiori nomine *Doctoris Gentium*. Titulus autem Stationis non eſt feſtum, neque commemoratio, neque quid votivum: at regula illa, *de eodem bis non fit in eodem Officio*: valet in Feſtis commemorationibus, & votivis; non in titulo Stationis, & occulto præſertim nomine, vel tacito, v. g. Apoſtoli cognomine in noſtro caſu: quæ ſicut in Officio non excludunt commemorationem communem, ita neque in Miſſa Orationem *A cunctis*; quæ, ut alias diximus, correſpondent ſuffragiis communibus Officii Divini. Simile quid habemus in Feria 5. Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ, in cujus collecta nominantur quidem SS. Coſmas, & Damianus (tacito fortaſſe hac de cauſa cognomine *Martyrum*, quia de iiſdem ibi fit mentio titulo tantum Stationis) ſed inde neque in Officio, neque in N. Orationis, *A cunctis*, in propria eorum Eccleſia, omitti ideo debet conſueta commemoratio eorumdem tamquam Martyrum inter ſuffragia communia, & tamquam Titularium Eccleſiæ propriæ.

## Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. *Quadrageſimæ Ritus antiquior eſt... nam ab Apoſtolis tradita eſt, &c.*) Non deſunt, qui inſtitutionem jejunii Quadrageſimalis Teleſphoro Summo Pontifici adſcribant apud Euſebium in Chronico ad annum Chriſti 136. ubi ita legitur: *Quadrageſimale jejunium a Teleſphoro per hoc tempus inſtitutum, ac præceptum quidam ſcribunt.* Verum hæc verba in MSS. Codicibus deſiderari, ideoque Chronico Euſebii inſerta eſſe jam animadverterunt Arnaldus Pontacus, & Joſephus Scaliger in Notis ad illud Chronic. Rabanus quidem Maurus *lib.* 2. *de inſtitut. Cleric. cap.* 34. & Rupertus Tuitienſis Abbas *lib.* 4. *de divinis Officiis cap.* 9. idem ſcribunt ac Euſebius, ſed dicendum cum Franciſco Pagio in hiſtoria Teleſphori Papæ, Rabanum, & Rupertum facile deceptos fuiſſe, ſive teſtimonio libri Pontificalis Anaſtaſio Biblith. tributi, ſive interpolati jam Euſebii Chronici, & præſtantiores eſſe Auctores illos, quos referunt Thomaſſinus *in Tract. de jejunio cap.* 4. 5. & 6. Natalis Alexander *ſæculo II. diſſert.* 4. *ar.* 3. quorum auctoritate probatur, Quadrageſimale, ſeu antepaſchale jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum, & derivatum fuiſſe, præſertim vero auctoritate Divi Hieronymi *epiſt.* 54. ad Marcellam, ubi ait: *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolicam jejunamus*, &c. & Sancti Leonis *ſerm.* 43. *de Quadrageſima* 6. *in cap.* 2. in quo hæc leguntur: *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur non ciborum tantummodo parcitate, ſed privatione maxima vitiorum*, &c. Aliæ antiquorum PP. necnon Conciliorum auctoritates, & alia ſpectantia ad hoc Quadrageſimale jejunium legi poterunt apud mox laudatos Auctores, necnon apud Baillet *tom.* 4. *pag.* 36. & *ſeqq. editionis Pariſienſis Anno* 1716. Grancolas *Comment. hiſtor. in Breviarium Romanum cap.* 37. & recentiſſime apud Card. Lambertinum *in ſua inſtruct. ſeu notificatione* 15. in qua inter alia optime notat hunc Ritum ab Hæreticis impetitum, fuiſſe a quatuor ſapientiſſimis S. Romanæ Eccleſiæ Cardin. validiſſime propugnatum, nimirum Baronio *ad annum Chriſti* 57. *n.* 140. Bellarmino *tom.* 4. *ſuarum controverſ. lib.* 2. Cozza *in ſuo tr. Dogmat. & Morali de jejunio*, & Gotti in ſuo commendatiſſimo opere contra Jacobum Piceninum *tom.* 2. *part.* 1. *art.* 6. §. 4. & *ſeqq.*

II. Gav. *Quinquageſima tribuitur Teleſphoro*, &c.) inſiſtendo Gavanti veſtigiis hunc ordinem tenemus in his noſtris Additionibus, & Obſervationibus, procedendo nimirum a Ritibus, & jejunio Quadrageſimali ad Dominicam Quinquageſimæ, de qua dicimus, quod non ſolum Radulphus tribuit Quinquageſimam Teleſphoro, ſed etiam Petrus Bleſenſis *ſerm.* 13. qui pariter Quadrageſimæ inſtitutionem eidem Pontifici adjudicavit; quæ quidem falſa opinio ab ante Siricianis decretalibus, de quibus ſermonem habuimus in pluribus locis, originem trahit; deinde *cit. ſerm.* 13. Petri Bleſenſis dubitatur a nonnullis utrum ſit genuinus, vel ſuppoſititius, ut notat etiam Card. Lambertinus *in ſua notificat.* 14. Prædictum autem Quinquageſimæ nomen pluſquam quadringentis annis poſt Teleſphorum invectum fuiſſe cenſet Grancolas *loco cit. cap.* 35. & pluſquam centum poſt S. Ambroſium, ideoque non admittit tamquam verum, & genuinum *ſerm.* 19. qui ſub ejus nomine circumfertur, & qui *de Quinquageſima* inſcribitur. Concilium Aurelianenſe I. anno 511. Can. 24. Quinquageſimam vetuit, hoc eſt jejunare una hebdomada ante Quadrageſimam: *Ut ante Paſchæ ſolemnitatem, non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur*; idque prohibuit, ut Rituum-

uniformis ab omnibus ſervaretur. Quartum vero Concilium Aurelianenſe anno 541. *Can.* 2. tamquam novum quiddam, & inſuetum conſiderans Quadrageſimam anticipare duabus hebdomadis, & ſupplerentur ſex Dominicæ, in quibus jejunare non licet, & ſex Sabbata, quibus multi jejunare nolebant ad exemplum Orientalium, jejunari juſſit Sabbatis Quadrageſimæ, & idcirco non ſolum Quinquageſimam, ſed etiam Sexageſimam vetuit. *Hoc etiam decernimus obſervandum, ut Quadrageſima ab omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur, neque Quinquageſimam, aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet Sacerdos audeat indicere, ſed neque per Sabbatum quiſque ſolvat Quadrageſimæ jejunium.* Hujuſmodi autem conſtitutiones Populis tantum, & Laicis inſervierunt; vetuſtiſſima enim eſt apud Clerum abſtinentiæ inchoatio in Quinquageſima, ut legitur in vita Sancti Uldarici Auguſtani Epiſcopi circa decimum ſæculum, in qua legitur, quod Clerici carnes manducare deſinerent a Dominica ante Quadrageſimam: *Mos eſt Clericorum Dominica ante Quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad Paſcha devitare.* Petrus Bleſenſis *cit. ſerm.* 13. de Quadrageſima ait: *Jejunium Quadrageſimale, Regulares Cœnobitæ incipiunt a Septuageſima: Græci a Sexageſima, Clerici vero noſtri Auctore Teleſphoro Papa a Quinquageſima, Univerſus exercitus Chriſtianæ militiæ, Juvenes, & Virgines, Senes cum junioribus ab hac Quadrageſima.* Concilium Claromontanum Anno 1095. ſub Urbano II. ita ſtatuit: *Nemo Clericorum a Quinquageſima carnes comedat.* Concilium Andegavenſe Anno 1270. ſuſpenſionem minatur Presbyteris, qui jejunium Quadrageſimale non inciperent Feria 2. Quinquageſimæ, & Concilium Salisburgenſe Anno 1281. ad id Religioſos omnes adſtringit, & quidem multi Religioſorum Ordines, inter quos etiam noſtra Clericorum Regularium Congregatio, hoc obſervat inſtitutum jejunandi nimirum 2. & 3. Feria ante Cineres, & ita præſcribitur in noſtris conſtitutionibus *lib.* 2. *cap.* 3. Porro his duobus diebus jejunio Quadrageſimali adjectis id myſterium obſervare erit, ait noſter Antonius Caracciolus in Synopſi veterum Religioſorum Rituum 2. *part. cap.* 3. *n.* 6. quod Beatus Ambroſius memorat, videlicet, ſicut poſt 42. manſiones ad Terram promiſſionis a Judæis perventum eſt, ita nos 42. dierum jejuniis Beatam Reſurrectionis Regionem Chriſti reſurgentis meritis conſequamur. Non deſinam advertere, quod in Liturgia Mozarabica hæc Dominica Quinquageſimæ appellatur *Dominica ad carnes tollendas*, & in hiſtoria Matthæi Paris, vocatur *Carniſprivium*, ob inſinuatam rationem, quia nimirum ab hac Dominica incipiebat abſtinentia a carnibus, & Antepaſchale jejunium.

De Quinquageſima fuſe differit Amalarius *lib.* 1. *de Eccleſiaſt. Officiis cap.* 3. Baillet *tom.* 4. *pag.* 15. Grancolas ſupracit. *cap.* 35. Et Card. Lambertinus *in ſua eruditiſſima Inſtructione Paſtorali* xiv.

III. Gav. n. 4. *A numero dierum Ordo Romanus Septuageſimam definit, &c.*) Dominica 3. quæ præcedit Quadrageſimam, hoc eſt primam Dominicam Quadrageſimæ, vocatur Septuageſima. Etenim ſicut ab Eccleſia illa Dominica ſemper fuit Quadrageſima, ideſt quadraginta dierum ſpatium, ita juxta eamdem dicendi formulam retrogrado gradu appellata eſt Quinquageſima, prima illarum trium Dominicarum, quæ præcedunt Quadrageſimam, ſecunda vero appellatur Sexageſima, & tertia Septuageſima: hoc nomen ſortitæ ſunt præfatæ Dominicæ ob rationes, quas inſinuat Gavantus *ſupra*, & quas etiam tradit Piſart *in direct. Canon. cap.* 5. necnon Halden. *par.* 1. *tit.* 40. §. 1. præſertim vero Durandus *in Rationali lib.* 6. *c.* 24. Baillet *loc. ſuprac.* §. 2. *n.* 4. *pag.* 4. *editionis Pariſienſis* 1716.

Græci primi fuerunt, qui a Septuageſima Quadrageſimæ exordium duxerunt, quia non jejunabant Feria 5. neque Sabbato, neque Dominica, ideoque ut tres prædictos dies reſtituerent, accipiebant Quadrageſimam tribus hebdomadis, ut refert Rattamnus *lib.* 4. contra Græcos *cap.* 4. *Tribus enim ablatis de ſeptem, Dominica videlicet, Sabbato, & quinta Sabbati, ſuperſunt quatuor dies per ſingulas hebdomadas jejunari.* Ad imitationem facile Græcorum, ut opinatur Grancolas *ſuprac. cap.* 33. invecta eſt Romæ Septuageſima, ſaltem in Officio, & Miſſa, & idcirco tribus hebdomadis anticipatus eſt Quadrageſimæ Ritus, ſublatis quibuſdam lætitiæ inſignis in Officio publico, eo tempore, quod in Oriente jejunio Quadrageſimali conſecratum erat, ne ſcilicet Romani Græcis laxiores viderentur; qui Ritus cum Roma in Galliam tranſiſſet Caroli Magni ævo, quæſitum fuit, qua auctoritate talis Ritus firmari poſſet. Extat epiſtola Alcuini ad Carolum Magnum ſcripta, qua Princeps ille conſulitur de Quinquageſimæ, & Sexageſimæ origine, & quia ſuppoſititiæ Decretales a Pſeudo Iſidoro compilatæ, & interpolatæ, pervagari cœperant, Teleſphoro Papæ attribuebatur Decretum de Quinquageſima, ut Sabbati jejunia ſupplerentur, & Papæ Melchiadi Decretum de Sabbatis non jejunandis; dicebaturque primus Quinquageſimam, ſecundus Sexageſimam inſtituiſſe. Ita porro Carolus Magnus Alcuino reſpondit. Cum tales ſuppoſititiæ Epiſtolæ Decretales ſub Carolo Magno in Galliam invectæ fuiſſent, nil mirum ſi Princeps ille deceptus fuerit. Sed Ratramnus videtur non ignoraſſe talium Decretorum falſitatem, cum ea ſilentio præterierit. Concludimus igitur, quod ex anticipatione jejuniorum Quadrageſimalium, tres iſtæ hebdomadæ, nempe Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ ſunt introductæ.



Duo Septuageſimæ termini ſunt: dies 18. Januarii, Feſtum Cathedræ Sancti Petri Romæ, quando Paſcha incidit in diem 22. aut 23. Martii, & dies 22. Februar. quo colitur Cathedra S. Petri Antiochiæ quando Paſcha tardius occurrit, videlicet 25. Aprilis ut contigit anno 1734. quo hæc ſcribebam.

IV. Gav. n. 13. *Omittuntur a Septuageſima Cantica lætitiæ, &c.*) In præfatis tribus Dominicis, quæ procedunt Quadrageſimam, dicitur Miſſa propria cum *Credo*, ſine *Gloria in Excelſis, & Alleluja*: in eadem Miſſa ſi Dominica Septuageſimæ (idem eſt de Dominica Sexageſimæ ac Quinquageſimæ) venerit ante Feſtum Purificationis, vel in ipſa die Purificationis, Oratio ſecunda eſt *Deus, qui ſalutis æternæ, &c.* (correſpondens autem huic ſecreta, juxta Rubricas Miſſalis, tunc non eſt *Mentibus noſtris, &c.* utpote quæ incidens cum Oratione currentis Dominicæ; ſed *Tua Domine, &c.* ex Miſſa Votiva de Sancta Maria poſt Purificationem) tertia Oratio erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ut notatur in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam. Si vero venerit hæc Dominica poſt Feſtum Purificationis, Oratio erit *A cunctis*; tertia ad libitum. In iiſdem Dominicis (uti in Feſtis) poſt Graduale (omiſſo in Feſtis *Alleluja*, ac ℣. ſeq.) dicitur Tractus, ut ibi, non item in Feriis, in quibus reſumitur Miſſa præcedentis Dominicæ; nam in iis tantum dicitur Graduale omiſſo Tractu. Præfatio Communis a Septuageſima, uſque ad Feriam 4. Cinerum in Miſſa Dominicali, ac Feriali, & in fine *Benedicamus*; quod ſi in hac, aut alia Dominica privilegiata occurrat dies Octava alicujus Feſti (v. gr. Patroni, aut Dedicationis Eccleſiæ) fit de tali Octava tantum commemoratio in Miſſa, ſicut & in Officio, non tamen dicitur in Miſſa nunc talis Dominicæ tertia Oratio. Cum enim in Dominicis infra Octavam dicantur tantum duæ Orationes (niſi forte facienda ſit commemoratio Feſti ſimplicis occurrentis) a fortiori non niſi duæ erunt dicendæ Orationes in caſu, quo dies ipſamet Octava occurrat in Dominica, utpote nobilior tam die infra Octavam, quam etiam Dominica infra Octavam, uti diſcurrit Bauldry *part.* 3. *cap.* 7. *in tit. de Orat.* ſectando doctrinam noſtri Gavanti in eodem Titulo *de Orat. &c.*

Cæterum de prædictis Dominicis Septuageſimæ, & Sexageſimæ erudite tractant iidem, quos allegavimus ſupra de Quinquageſima, nec non Durandus *in Ration. lib.* 6. *cap.* 24. & Martene *in tract. de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.* 16. Alios earumdem Dominicarum Ritus nos cum Gavanto tradimus in ſecundo Tomo hujus ſui Theſauri, in quo commentatur Rubricas Breviarii Romani.

### De Feria quarta Cinerum uſque ad Dominicam de Paſſione. VI.

### G A V A N T U S.

s FEria quarta Cinerum, ſeu dies Cinerum, at *Maximus Taurin. ait in homil.* non eſt caput Quadrageſimæ, & ideo adhuc Veſperæ non cantantur mane; ſed initium pœnitentiæ eſt; unde & Cineres capiti imponuntur benedicti, *ex Ordine Romano*, ut recordemur originis, & finis noſtri, *ex Rupert. lib.* 4. *cap.* 10. Porro in hac ipſa Feria 4. cœpit Chriſtus jejunare, qui Feria 3. baptizatus eſt, ut recte probat *Durand. lib.* 6. *cap.* 28. & die 16. Februarii Feria 2. jejunium perfecit, ut docet *Torniellus noſter, tom.* 2. *Annal. ſacrorum Anno* 4081. *n.* 7. cum ſine dubio illud incœperit die ſeptima Januarii poſt baptiſmum, qui accidit die 6. Januarii.

Rubricæ Cinerum ſunt.

### R U B R I C A.

a. *Ante Miſſam benedicuntur Cineres* (a) *facti de ramis Olivarum, ſive aliarum arborum præcedenti anno benedictis, hoc modo:* (b) *Finita Nona, Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel* (c) *ſine Caſula Miniſtris* (d) *ſimiliter indutis* (e) *procedit ad benedicendum Cineres in vaſe aliquo,* (f) *ſuper Altari poſito, & primo cantatur a Choro Antiphona, Exaudi, &c.*

### G A V A N T U S.

(a) *Facti de ramis Olivarum.* Ut ſicut Cineres ad humiliationem diſtribuuntur, ita & per humilitatem ſpem habeamus futuræ gloriæ, quam deſignavit proceſſio Palmarum Cineres itaque ſunt reliquiæ gloriæ Chriſti, & quaſi ſemen gloriæ noſtræ; debent autem eſſe aridi, non in modum luti, ut declaravit S. R. C. 23. *Maji* 1603.

(b) *Finita Nona.* Quia Miſſa in diebus jejuniorum cantanda eſt poſt Nonam in *p.* 1. *Rubr. tit.* 15. *n.* 2. præparantur Thuribulum, Navicula, & vas aquæ in angulo Altaris. *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 19.

(c) *Sine Caſula.* Ut habetur 1. *par. tit.* 19. *n.* 4. aſſumit autem Pluviale, ut *ibid. n.* 3.

(d) *Similiter indutis.* Et quidem ſine Dalmaticis, in Eccleſiis autem præcipuis cum Planetis Plicatis; in aliis minoribus Alba amicti miniſtrent, uti *par.* 1. *tit.* 19. *n.* 6. & 7. ſine Manipulis, *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 17.

(e) *Procedit ad benedicendum*. De Sacriſtia ad Altare, Acolythique tantum præcedunt cum candelabris accenſis. Miniſtri pares Celebranti procedunt, quia Pluviale habet, *ex Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 55. *in fine*.

(f) *Super Altari*. Hoc eſt, in cornu epiſtolæ, *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 19. ita ut ſit Vas inter Miſſale, & cornu; Celebrans oſculato Altari in medio, accedit ad librum, ubi ſtans inter utrumque Miniſtrum, *Cær. Pap. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 29. *&* 41. quia Pluviale habet, legitur Antiphona, *Exaudi, &c.* quæ cum ſequentibus habetur *in Antiphonario Gregoriano*.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. *Feria IV. ſeu dies Cinerum non eſt caput Quadrageſimæ, &c.*) Supra innuimus Concilium Aurelianenſe anno 541. ut Quadrageſima ab omnibus ſervaretur, vetuiſſe Quinquageſimæ, aut Sexageſimæ Antepaſchale jejunium, & ejuſmodi conſtitutiones Populis, & Laicis inſerviiſſe, quia Clerici adhuc ex peculiari diſciplina inchoabant jejunium Antepaſchale a Dominica Quinquageſimæ; nunc vero iterum dicimus, quod antiquitus vigebat uſus non inchoandi præſcriptum Quadrageſimale jejunium, niſi Feria 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ; unde veriſſimum eſt, quod Feria quam Cinerum appellamus, non erat caput Quadrageſimæ, & revera tres aliæ Feriæ ſequentes titulo carent Quadrageſimæ, ſed inſcribebantur *Feria V. Feria VI. Sabbato infra Quinquageſimam*, & prædicta Feria 4. inſcripta fuit hoc titulo: *Feria IV. in capite jejunii* in Sacramentario Gregoriano. Ideo autem inſtitutum fuit poſt aliqua ſæcula initium jejunii antepaſchalis in hac Feria, quia plerique vexabantur ſcrupulo non jejunandi quadraginta dies, ſicut fecit Chriſtus Dominus, & idcirco iſti quatuor alii dies ante prædictam Dominicam adjecti ſunt ad complendum Quadrageſimale jejunium, cum in Dominicis Quadrageſimæ non ſervaretur. Præfati tamen quatuor dies non erant præſcripti in Hiſpania tempore S. Iſidori Hiſpalenſis, neque tempore quarti Concilii Toletani, imo neque Romæ tempore S. Gregorii, qui Homil. 16. in Evangelia expreſſe dicit, quod non jejunabatur niſi 36. dierum ſpatio, propterea quod e quadraginta duorum dierum numero ſex Dominicæ ſubtrahendæ erant. *A præſenti enim die* (hæc ſunt præciſa verba S. Pontificis) *uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo ſunt: Ex quibus dum ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia, quam triginta & ſex dies remanent, dum vero per trecentos, & ſexaginta quinque dies Annus ducitur; nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi Anni noſtri decimas Deo damus*; unde probabile eſt, ut cenſet eruditiſſimus Menardus *in notis, & obſerv. in librum Sacram. S. Gregorii pag.* 55. necnon Grancolas *ſupracit. cap.* 36. Miſſam, quæ reperitur in tali Sacramentario, & quæ inſcribitur: *Feria IV. cap. jejunii*, adjectam eſſe poſt obitum S. Gregorii, cum illius tempore, quatuor illos ante primam Dominicam Quadrageſimæ dies nulla jejunii lex invaluerit. Reperitur etiam in codice Gelaſiano a Card. Thomaſio evulgato, de quo jam mentionem pluries fecimus, reperitur, inquam, in dicta Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ Miſſa ſic inſcripta. *In jejunio prima Statio: Feria IV.* Oratio autem prædictæ Miſſæ ſic incipit: *Inchoata jejunia quæſumus Domine benigno favore proſequere, &c.* Quamvis autem Gelaſius D. Gregorium præceſſerit, & quamvis dictus Codex Sacramentorum Gelaſio attribuatur, non inde tamen inferendum eſt, quod ante Div. Gregorium fuerit inſtituta hæc Miſſa, & quatuor illorum dierum ante Quadrageſimam inſtitutum jejunium, nam ſicut in Codice Gregoriano, ita etiam in hoc Gelaſiano, de quo loquimur, adjectam fuiſſe talem Miſſam cenſendum eſt, quamvis enim iſte Codex Gelaſio attribuatur, tamen ejus autographum, ad cujus exemplar Typis traditus fuit, cura prædicti Ven. Card. Thomaſii, qui, & idcirco nunc Thomaſianus appellatur, non eſt exaratum niſi paulo ante Annum ſeptingenteſimum, ut opinatur doctiſſimus Morinus *lib.* 7. *de Pœnitentia cap.* 1. *n.* 15. adeoque poſt Sanctum Gregorium, ut idem Morinus fatetur, & cum eo Thomaſius. Itaque mirum non eſſe debet, ſi huic Codici aliqua reperiantur inſerta, quæ ævum Gregorianum ſubſecuta ſunt; & revera in ſua eruditiſſima Præfatione mox laudatus Card. Thomaſius, ait ſe libenter admittere, huic Codici nonnulla eſſe appoſita ſequenti ſæculo, quæ Conditores Codicum Sacramentariorum a ſe ſupra nominatos, nimirum Leonem, Gelaſiumque non ſapiunt. Igitur valido innixi fundamento adſtruere poſſumus, prædictam Miſſam in Feria IV. poſt Quinquageſimam Codici pariter Gelaſiano adjectam fuiſſe.

Ex huculque dictis liquet, Micrologum hallucinatum fuiſſe, cum capite 46. aſſeverat ante S. Gregorium additos fuiſſe quatuor jejunii dies, qui Quadrageſimam præcedunt. Æneas Epiſcopus Pariſienſis in ſuo libro contra Græcos *quæſt.* 3. affirmat S. Gregorium triginta ſex tantum dies, ſive ſex hebdomadas computaſſe. Rurſus etiam ex regula Magiſtri, quæ habetur *part.* 2. *Codicis Regularum Monaſticarum* evulgati a celeberrimo viro Luca Holſtenio *cap.* 28. colligitur aperte quatuor hoſce dies ſeptimo ſæculo nondum fuiſſe adjectos. Verum in prædicta regula eodem capite præſcribitur, ut quod Dominicæ Quadrageſimæ, de quadraginta jejuniis Monachi ſubtrahunt, quarta (nempe Feria) ſexta, & Sabbato a Sexageſima in jejuniis, uſque ad Veſperam continuatis, reſtituant; ut ita quadraginta in numero jejunia compleantur. Nicolaus I. in epiſt. ad Bulgaros, his non præſcribit, niſi Anni decimas pro jejunio Quadrageſimæ; nimirum triginta ſex dies, fortaſſe quia nondum in omnibus Eccleſiis Occidentalibus accepta erat additio quatuor prædictorum dierum, vel quia Populis recenter converſis eam non proponere Pontifex ſatius judicavit. In Eccleſia Mediolanenſi uſque ad tempora Sancti Caroli non incipiebatur abſtinentia, & jejunium, niſi Feria II. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, quæ dies erat lætitiæ, & majorum Bacchanalium. Et liquido apparet ex ejus vita exarata, ejuſque Conciliis quantopere ſudaverit in ſupprimendis prædictis Bacchanalium ſolatiis, quæ ætate ſua nondum deſierant in prædicta Dominica, iiſque abſtinentiam curavit ſubſtituere, non immutatis tamen quatuor diebus dictam Dominicam primam Quadrageſimæ præcedentibus. *Edicimus præterea* (en Decretum Sancti Caroli, quod legitur in Actis Eccleſ. Mediol. pag. 52.) *ut in Provincia noſtra proxima quarta Feria poſt Quinquageſimam omnes quadrageſimali obſervantiæ initium faciant. Præter Civitatem Mediolanenſem, eaſque Diœceſis partes. ubi ex Divi Ambroſii inſtituto Divina Officia celebrantur.* Aliud vero Decretum: Quod in Quadrageſimæ diebus, prima Dominica etiam in Eccleſia Mediolanenſi numerari debeat, ac proinde a cibis qui Quadrageſimali tempore lege jejunii vetiti ſunt, eo die eſſe abſtinendum, ſicut aliis Dominicis Quadrageſimæ, habetur in quinta Synodo Diœceſana, & inter Acta dictæ Eccleſiæ pag. 382. Verum quamvis nunc in Eccleſia Mediolanenſi prædicti quatuor dies primam Dominicam Quadrageſimæ præcedentes, non ſint obnoxii legi jejunii Quadrageſimalis, & quamvis olim omnes hoc modo quadraginta completis diebus, exemplo Chriſti, Moyſis, & Eliæ non jejunarent, tamen dicebantur quadraginta dies, & Quadrageſimam jejunare, ut notat Socrates *lib.* 5. *Hiſtoriæ Eccleſ. cap.* 21.

Cæterum unam fuiſſe olim jejunii Quadrageſimalis obſervandi rationem, ſive apud Catholicos, ſive apud Hæreticos, ſive apud Græcos, ſive apud Latinos, liquet ex citato Socrate eodem loco, nec non ex Sozomeno *lib.* 7. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 50. Idem etiam palam eſt S. Leone Papa *ſerm.* 4. in Quadrageſima, & fuſius ex Auctore *diſſert.* 6. de jejunio, ſeu *Notarum* ad eumdem Sermonem quartum de Quadrageſima. Item ex Caſſiano *collat.* 21. *cap.* 25. 27. ex S. Dorotheo doctrina 15. ex Baillet. *tom.* 4. *de Inſtitut. Quadrageſimæ n.* 4. *pag.* 38. *& ſeqq. ſupradictæ editionis*, & denique ex Thomaſſino *in tract. de jejuniis part.* 2. *c.* 1. *&* 2. in quibus ex profeſſo agit de additione prædictorum quatuor dierum ad jejunium Quadrageſimale ante primam Quadrageſimæ Dominicam.

## Pro Ritu ſolemni Benedictionis Cinerum.

II. Rubr. n. 2. *Ante Miſſam benedicuntur Cineres, &c.*) Antequam diſſeramus de præſenti Ritu benedicendi Cineres hac Feria IV. in capite jejunii operæ pretium duco aliqua tradere circa originem, & antiquitatem ejuſdem cæremoniæ, & Ritus. Regino (editus a Baluzio *pag.* 535.) Auctor IX. Sæculi a nonnullis antiquis Conciliis deſumpſit publicæ pœnitentiæ, & ſacri Cineris Ritum. Aderant pœnitentes præ foribus ſacrarum ædium cilicio, & ſacco induti, nudis pedibus, & omnia præſeferentes demiſſionis argumenta; aderat quoque Epiſcopus, & Presbyteri, quibus pœnitentium flagitia, ac mores perſpecti erant, debitaſque pœnas eis imponebant, deinde aſpergebant eos aqua luſtrali, & ſacro Cinere, aliaque præſtabantur, ut videre eſt apud eumdem Auctorem, & apud Thomaſſinum, qui ejuſdem verba refert *lib.* 2. *de Feſtorum celebratione cap.* 13. *n.* 13. ſimilia legi poſſunt apud Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.* 17. ubi variarum Eccleſiarum ordines collegit, quibus omnes IV. hujus Feriæ Ritus exhibentur. Eadem pariter colliguntur ex S. Iſidoro Hiſpalenſi *lib.* 2. *de Officiis cap.* 16. & ex Grancolas *lib.* 2. *cap.* 43. *ſui Commentarii in Breviarium Romanum*, ex quorum Auctorum placitis, & traditis duo palam fiunt, primum ſacros Cineres, quibus hac die omnes aſpergi ſolemus, ad ſolos publicos pœnitentes olim pertinuiſſe, ſed ſuccedentibus temporibus aliquos pietate inſignes voluiſſe participes eſſe harum publicarum humiliationum, & Cinere ſacro etiam conſpergi cum publicis pœnitentibus, quod poſtea tam multi imitati ſunt, ut in communem jam tranſierit conſuetudinem Sæculis XII. & XIII. Secundum, quod ex prædictis Auctoribus deducitur, eſt, olim prædictis cæremoniis, & Ritibus conſecrata fuiſſe jejuniorum primordia ineunte Quadrageſima, adeoque poſt primam Dominicam Quadrageſimæ. Ex quo autem hac Feria IV. poſt Quinquageſimam incœpit jejunium, & appellari cœpit Feria IV. in capite jejunii, eidem Feriæ annexæ fuerunt etiam cæremoniæ illæ ſacræ, quæ pro publicis pœnitentibus Eccleſiæ reconciliandis, ineunte Quadrageſima, exercebantur.

Poſtquam ceſſavit in Eccleſia diſciplina publicæ pœnitentiæ, nulla alia remanſit in Eccleſia ſaltem Occidentali reliquia ejuſdem pœnitentiæ, niſi hæc ſacrorum Cinerum aſperſio, & jejunii Quadrageſimalis obſervantia.

Tran-

Tranſitum igitur faciendo nunc ab antiquo ad recentem Ritum aſpergendi Cineres ſuper hominum capita; dicimus, quod antequam incipiant recitari Horæ Canonicæ, per Sacriſtam, vel per aliquem Acolythum, hora competenti parari debet Altare majus ſimpliciter cum ſex candelabris de more, & ſine aliis ornamentis, quæ ſolemnitatem ſapiunt. Color autem antipendii, ſicut & omnium paramentorum debet eſſe violaceus. Item ſuper Altare præparabitur Miſſale in cornu Epiſtolæ ſuper Pulvino violaceo, aut Legili, interdictum Miſſale vero, & cornu Epiſtolæ collocabitur Vas argenteum, ſeu ex alia decenti materia confectum cum cineribus de combuſtis ramis palmarum, ſive aliarum arborum præcedenti Anno in Dominica Palmarum benedictis. Dictum autem Vas debet eſſe coopertum, vel operculo ſimili, vel Velo violaceo uſque ad Benedictionem Cinerum. Ex Biſſo *lit. F. n.*41. §.1. & Caſtaldo *lib.*3. *ſect.* 4. *c.* 2. *n.*4. A prædicto Altari tamen non eſt amovendum SS. Sacramentum (ſi adeſſet) pro hac functione, eſto Sacerdos ipſi Altari terga vertere debeat in Cinerum diſtributione. Bauldr. *part.* 4. *c.*4. *art.*1. *n.*4. & Biſſus *lit. B n.*86. §.a. contra Caſtaldum *loc. ſuprac. c.*3. *n.*3.

In Abaco vero, ſeu Credentia Altaris majoris præter conſueta, præparari debet Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, Pelvis cum medulla panis, & Vas aquæ, ac Manutergium pro lotione, & exterſione manuum celebrantis poſt Cinerum diſtributionem. Præterea Thuribulum cum Navicula, & thure. Quia autem poſt Cinerum Benedictionem, & diſtributionem debet cantari Miſſa Conventualis, ſuper eamdem credentiam poſſunt etiam præparari Calix cum Velo, & Burſa coloris violacei, & pelvicula cum Ampullis vini, & aquæ, & mappula ad manus tergendas, Velum humerale, & Stola latior, quæ inſervire debet Diacono; & quæcumque alia, quæ ſolent adhiberi in Miſſa ſolemni.

Denique in Sacriſtia debent præparari tria, vel quatuor Superpellicea pro Clericis juxta morem Eccleſiarum. Deinde Pluviale violaceum pro celebrante, item Planetæ plicatæ pro Miniſtris Sacris, & duæ Stolæ pro celebrante, & Diacono cum aliis conſuetis paramentis pro Miſſa ſolemni; Thuriferarius item parabit ignem in loco congruo juxta morem.

III. Gav. lit. a -- *Debent autem eſſe aridi*, &c.) Cineres, qui debent præparari a Sacriſta, ut diximus, debent eſſe aridi, non in modum luti, ut declaravit S. C. in Decr. allato a Gav. ſupra. & dato in noſtro Indice *ſub n.*17.

IV. Gav. lit. b -- *Finita Nona*, &c.) Incœpta Hora Nona in Choro celebrans præcedentibus Miniſtris, & Clericis ex more perget ad Sacriſtiam, ubi ſumet paramenta ſupradicta cum iiſdem, & accenſis ſex cereis in Altari per aliquem Acolythum, finitaque Hora Nona in Choro, ut præſcribunt Rubricæ Miſſalis *in proprio de tempore*, numquam vero poſt Tertiam, ut declaravit S.R.C. in Decr. edito die 22. Jan. 1701. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 550. Celebrans Stola, & Pluviali cum Alba (vel Alba, & Stola tantum in Minoribus Eccleſiis) paratus, & Miniſtri cum Planetis plicatis in majoribus Eccleſiis, ſed ſine Manipulis; vel in Eccleſiis minoribus, ut ſupra, in Albis cum Stola a Diacono, ſine Manipulis procedunt, &c.

V. Gav. lit. e -- *De Sacriſtia ad Altare*, &c.) Parati ut ſupra Sacerdos, Miniſtri, & Clerici e Sacriſtia diſcendentes more ſolito procedunt ad Altare majus, præcedentibus Thuriferario ſine Thuribulo, & navicula, ſed manibus junctis, habente ad ſiniſtram alium Acolythum miniſtraturum Vas aquæ benedictæ (ſecundum numerum Clericorum, alioquin ſufficit unus ex Ceroferariis ad miniſtrandum poſtea Vas prædictum) etiam manibus junctis, deinde ſequuntur Ceroferarii cum candelis accenſis, quos ſequitur Cæremoniarius; denique Miniſtri Sacri hinc inde a lateribus celebrantis manu proximiori (altera infra pectus admota) fimbrias anteriores Pluvialis celebrantis elevantes, unuſquiſque a parte ſua, & ii tres tecto capite procedunt, celebrans vero manus junctas tenet ante pectus. Si tamen celebrans non habet Pluviale, tunc Miniſtri Sacri procedunt ad Altare unus poſt alium manibus junctis ante pectus, & capite tecto. Bauld. *part.* 4. *c.* 3. *art.* 2. *n.* 4. Biſſus *lit. B. num.* 84. §. 2.

VI. Gav. lit. f -- *Celebrans oſculato Altari in medio*.) Cum ad Altare pervenerint, illud reverenter ſalutant cum debitis reverentiis nudo capite, deinde Clero fit ab iiſdem ſolita reverentia, ut fit in Miſſa ſolemni, poſtea aſcendunt ad Altare, quod celebrans oſculatur in medio, Miniſtris Sacris unico genu flectentibus, Ceroferarii interim deponunt candelabra ſuper credentiam, & apud illam ſtant.

VII. Rubr. & Gav. lit f -- *Accedit ad librum*.) Mox celebrans, & Miniſtri Sacri ad librum politum in cornu Epiſtolæ accedunt, ubi ipſe celebrans ſtat inter utrumque Miniſtrum, ut docet Gav. *ſup.* ita tamen, ut prædicti Sacri Miniſtri aliquantiſper ab Altari diſtent. Biſſus *lit. B. nn.* 86. §. 3. & celebrans legit ſubmiſſa voce, & manibus junctis Antiph. *Exaudi Domine*, quæ interim in Choro cantatur ad modum Introitus Miſſæ. Bauld. *part.*4. *c.*4. *art.*1. *n.*5. & Biſſus *ſup.*

## R U B R I C A.

3. *Deinde Sacerdos in cornu Epiſtolæ non vertens ſe ad Populum, n.* 11, *&c.*

## G A V A N T U S.

Adde manibus junctis, & dum benedicit manu dextera Cineres; Diaconus elevat a dextris fimbriam anteriorem Pluvialis, & ideo ſtare debet illi a dextris, non poſt eum, ut diximus.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, pro eodem Ritu Solemni Benedictionis Cinerum.

VIII. Rub. *Non vertens ſe ad Populum*, &c.) Cantata in choro ſupradicta Antiph. Sacerdos adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ, non vertens ſe ad Populum dicit manibus junctis: *Dominus vobiſcum*, & choro ad omnia reſpondente, ſubdit ſtatim, manibus item junctis, quatuor Orationes ſequentes, prout in Miſſali deſcribuntur (junctæ enim manus, debent teneri ad Orationes in omnibus Benedictionibus ex Miſſali) & etiam *Oremus* dicit manibus junctis, caput Cruci inclinando de more. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *c.* 5. *n.* 4. In choro autem hoc tempore omnes ſtant facie ad Altare verſa. Bauld. & Biſſus *ſup.*

Dum celebrans dextera format ſignum Crucis ſuper cineres, ſiniſtram ponit ſuper Altare, & Diaconus a dextris celebrantis elevat anteriorem fimbriam Pluvialis, ne eum impediat. Gav. *ſup.* Bauld. & Caſtald. *cit. n.*6.

## R U B R I C A.

4. *Poſtea celebrans*, (g) *impoſito incenſo in Thuribulo, ter* (h) *aſpergit cineres aqua benedicta, dicendo Antiphonam*, (i) *Aſperges ſine cantu, & ſine Pſalmo, &* (l) *ter adoles incenſo, Deinde* (m) *dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare imponit Cinerem celebranti* (n) *non genu flexo. Si vero non adſit alius Sacerdos*, (o) *ipſemet celebrans genibus flexis coram Altari, ſibi ipſi Cineres imponit in capite, nihil dicens, & cantatur ſtatim a choro Antiphona.*

## G A V A N T U S.

(g) *Impoſito incenſo in Thuribulo.* De more, & cum benedictione miniſtrantibus Diacono, & Thuriferario.

(h) *Aſpergit.* In medio, a dextris, & a ſiniſtris cinerum, delato Vaſe aquæ ab altero ex Acolythis, & aſpergillo ſine oſculis dato Diacono, qui deinde cum oſculis tradit celebranti.

(i) *Aſperges.* Totum verſum dicit, & nihil præterea.

(l) *Ter adolet.* Eodem modo, quo aſperſit.

(m) *Dignior Sacerdos.* In ſuo habitu, ſine Stola cum habitu chorali: *Cærem. Epiſc. cit.* ſtans imponit cinerem dicens; *Memento homo quia pulvis es, &c. Ord. Rom.* At, ſi cinis eſt, cur dicitur pulvis: *Gen.*18. Dicebat Abraham, *cum ſim pulvis, & cinis*, cinis enim mixtus pulvere inutilis eſt, *ex Chryſ. homil.* 23. *Epiſt.* 2. *ad Corinth.* diviſim vero utilia ſunt.

(n) *Non genu flexo.* Stanti quidem, facie verſa ad populum, ſed capite inclinato, imponit autem in formam Crucis. *Cærem. Pap. lib.*2. *c.*31.

(o) *Ipſemet celebrans.* Non debet Diaconus imponere Sacerdoti cineres. Convenit autem, ut genibus flexis coram Altari ſibi ipſi eo caſu imponat, quaſi a Chriſto illos recipiat, cui flectitus omne genu, & ad exemplum humilitatis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, pro Ritu Solemni Benedictionis Cinerum.

IX. Rub. & Gav. lit. g *Impoſito Incenſo in Thuribulo de more*, &c.) Dum celebrans legit Orationes prædictas in Tono Feriali, Thuriferarius parat Thuribulum cum igne tempeſtive, & alius Acolythus Vas aquæ benedictæ, firmantque ſe ambo prope Diaconum. Tum finitis Orationibus Sacerdos ibid. ponit incenſum in Thuribulo, more ſolito illud benedicens per illa verba: *Ab illo benedicaris*, &c. miniſtrante Thuriferario thuribulum, & Diacono Naviculam, ut mos eſt. Biſs. *lit. B. n.*86. §.5. Bauld. *part.*4. *c.*4. *art.*1. *n.*6. quo facto Thuriferarius aliquantulum redit (Naviculam vero ſuper Credentiam reponit ſolo thuribulo retento) ut cedat locum Acolytho habenti Vas aquæ benedictæ,

X. Rub. & Gav. lit. h -- *Aſpergit in medio*, &c.) Dictus Acolythus tenens Vas aquæ benedictæ accedit ad Diaconum, eique ſine oſculis porrigit aſperſorium, quod poſtea Diaconus cum oſculis aſperſorii, & manus, porrigit celebranti, ut notat Gav. *ſup.* qui eo accepto dicens remiſſiori voce ℣. *Aſperges me*, &c. ſine cantu, & ſine Pſalmo, ter aſpergit cineres, in medio ſcilicet, a dexteris, ideſt in parte ſuæ ſiniſtræ oppoſitæ, & a ſiniſtris.

XI. Rub. & Gav. lit. l -- *Ter adolet eodem modo*, &c.) Deinde reddito aſperſorio Diacono, ab eodem accipit thuribulum cum oſculis (porrectum ipſi Diacono a Thuriferario ſine oſculis) & ter incenſat cineres eodem modo, quo aſperſit, nihil tamen dicens; incenſatis cineribus reddit thuribulum Diacono, & hic Thuriferario, qui thuribulum, dempto tamen prius igne, reponit ſuper Credentiam, ſicut etiam



Digitized by Google

alius Acolythus debet reponere Vas aquæ benedictæ ſuper eamdem Credentiam, vel in alio loco congruo. Biſſus ſup. §. 5. & Bauld. ſup. n. 7.

XII. Rub. & Gav. lit. m -- *In ſuo habitu Chorali dignior Sacerdos, &c.*) Celebrans poſtquam incenſatis Cineribus reddiderit Diacono thuribulum, ſe recipit ad medium Altaris, ibique nudo capite (ex Decr. S. R. C. 18. Julii 1626. In noſtro Indice *ſub* n. 200. in quo præſcribitur, quod Cineres, Candelæ, & Palmæ diſtribuantur a celebrante detecto capite) ſtat converſus ad Populum, medius inter Diaconum a dexteris tenentem Vas Cinerum, & Subdiaconum a ſiniſtris, omnes aliquantulum ab ejuſdem Altaris fronte diſtantes, interim Cæremoniarius accedit ad digniorem Sacerdotem de choro, & facta ei reverentia, cum ſuo habitu chorali, ſed ſine Stola, ut notat Gav. *ſup.* & ut declaravit S.R.C. per Decr. editum die 14. Febr. 1705. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 490. eum ducit ad Altare, quo cum pervenerit ille dignior de choro habens præfatum Cæremoniarium a ſiniſtris, vel alium Miniſtrum præcedentem accedit, facta choro debita inclinatione, ad Altare cum genuflexione ſi non ſit Canonicus, & ſi ſit Tabernaculum SS. Sacramenti ſemper etiam a Canonicis facienda eſt genuflexio.

XIII. Gav. lit. o. *Stanti quidem, &c.*) Et poſtea facta celebranti profunda reverentia aſcendit ad proximiorem gradum ſuppedaneo Altaris, ubi ſtans, imponit cineres ſuper caput celebrantis, ſtantis quidem, & non genuflexi, ſed capite inclinato, & manibus junctis; Biſſ. *ſupr. lit. B nu.* 36. §. 6. & Bauld. *part. 4. art. 2. n. 2.*

In ponendo Cineres format Sacerdos dignior de Clero ſuper caput ipſius celebrantis ſignum Crucis, dicendo interim: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

XIV. Rubr. lit. o -- *Ipſemet celebrans, &c.*) Si non adſit alius Sacerdos præter celebrantem, tunc ipſemet celebrans genuflexus utroque genu ſuper ſuppedaneum Altaris facie ad illud verſa, ſibi ipſi imponit Cineres in capite, nihil dicendo, ſed ſolum formando ſignum Crucis ſuper ſuum caput, quaſi Cineres a Chriſto immediate accipiat. Diaconus autem etiamſi eſſet Sacerdos, non deberet Cineres celebranti imponere, cum in eo officio ſit Miniſter celebrantis, & conſequenter illo inferior. Biſſus *ſup.* §. 8. Bauld. *ſup.* n. 3. Corſett. *tract. 1. part. 2. c. 3. n. 8.*

Huc ſpectat exibere ſequens Decr. Cineres Epiſcopo miniſtrare Feria 4. Cinerum, non ad primam dignitatem, ſed ad Canonicum eo die celebrantem pertinet, S.R.C. 28. Maji 1616. & datur in noſtro Indice *ſub* n. 155.

Sic etiam habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 18. num.* 8. Tunc autem ſedet Epiſcopus officium faciens ſine Mitra, & ſine Bireto, & Canonicus celebraturus Miſſam ſolus accedit ad eum, facta Altari, & Epiſcopo reverentia, & imponit cineres in caput ipſius ſedentis, dicens; *Memento homo, &c.* quo facto Epiſcopus accipit Mitram, & extenſa ſuper ejus gremio mappa munda per duos Acolythos, imponit Cineres eidem Canonico celebranti, ante ſe inclinato dicens: *Memento homo, &c.*

Hoc loco etiam adnotandum occurrit, quod Sacra Epiſcoporum, & Regularium Congr. in una Lucana, ut habetur apud Nicolium *in Floſculis V. Mitra ſub n.* 2. Declaravit, quod Candelæ, Cineres, & Palmæ diſtribuuntur ſtando cum Mitra in capite ab eo, qui habet privilegium eam geſtandi, & hoc ſub die 18. Febr. 1650.

Romæ vero in Capella Pontificia cum Papæ a Magno Pœnitentiario diſtribuuntur Cineres, nullum profertur verbum, ut advertit ex Ordine Romano Petrus Amelii Galli Urbani V. Sacriſta anno 1378. quamvis olim etiam, dum Pontifici imponebantur Cineres, dicerentur communia verba: *Memento homo, &c.*

## R U B R I C A.

5. (p) *Sacerdos vero, dum cantatur Antiphona, & Reſponſorium, primo imponit Cineres digniori Sacerdoti, a quo ipſe accipit; deinde Miniſtris paratis, genibus flexis coram Altari dicens.*

## G A V A N T U S.

(p) *Sacerdos.* Stans, aperto capite, & Diacono tenente a dextris ejus Vas Cinerum, *Cærem. Epiſc. ubi ſup.* Aperto, inquam, capite diſtribuit Cineres, candelas, & ramos, ex Decr. S.R.C. 18. *Julii* 1626.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, pro eodem Ritu Solemni Diſtributionis Cinerum.

XV. Rubr. lit. p -- *Dum cantatur Antiphona, &c.*) Dum incipitur diſtributio cinerum, in choro cantatur Antiphona: *Immutemur habitu &c.* & alia, quæ chorus proſequitur, & ſi ſit magnus Populi concurſus, repetitur uſque ad finem diſtributionis. Videant autem cantores, ne deſint Clerici, qui continuo cantent, ideo poſt reditum priorum, ii cantent, & alii procedant, ad cineres capiendos, vel ſi ſint pauci, unus poſt alium procedat. Biſſ. *ſup.* §. 9. Bauld. *ſup. n.* 9.

XVI. Rubr. & Gav. eadem lit. p -- *Sacerdos ſtans aperto cap. &c.*) Poſtquam celebrans a digniori cineres acceperit, ſtans in medio ſuppedanei aperto capite (ut ſtatuit Sacr. Cong. 18. Julii 1626. & habetur in noſtro Indice *ſub num.* 200.) & habens Diaconum a dexteris tenentem Vas Cinerum, prius imponit Cineres Sacerdoti digniori, a quo ipſe Cineres accepit, genuflexo ſupra ſuppedaneum Altaris. Bauldry *cit. loc. artic. 2. num.* 4. & Cæremoniale Monaſticum *lib. 4. cap.* 5. §. 3. & id colligitur etiam ex Decr. edito die 14. Februarii 1705. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 590. in quo declaratur, quod dignior e Clero, a quo cellebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum accepit candelam, Cineres, &c. debet accedere, ſine Stola, & recipere genuflexus, ſicut alii candelam, Cineres, &c. & oſculando manum celebrantis porrigentis candelam, Palmam, &c. neque huic Decreto refragatur aliud ſimile Decretum prius editum die 30. Auguſti 1664. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 421. in quo e contra declaratum fuit, quod dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti celebranti in die Purificationis, in Feria 4. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debeat ab eodemmet celebrante ſupradicta accipere ſtans, non vero flexis genibus. Non, inquam, hoc Decr. adverſatur alteri ſupra expoſito, nam hoc Decretum ultimo loco datum, eſt conforme diſpoſitioni, quæ habetur in Cæremoniali Epiſcop. *lib. 2. cap. 19. num.* 5. ibi enim legitur, quod eidem digniori, ſtanti capite inclinato celebrans Cineres imponit. Dicendum eſt igitur, quod hoc ſecundum Decretum loquitur de Sacerdotibus in dignitate conſtitutis, ut multi ſolent eſſe in Cathedralibus, ad quorum unum ſpectat miniſtrare Cineres celebranti, & ideo ab eodem celebrante accipit Cineres ſtans, non vero genuflexus. Primum vero ex ſupradictis Decretis loquitur de aliis Sacerdotibus, non in dignitate conſtitutis, qui recipere debent prædictos Cineres, non ſtantes, ſed genuflexi, & revera tale Decretum eſt reſolutio, & reſponſio data PP. Capuccinis proponentibus tale dubium.

Reſumendo ſermonem de Sacerdote digniori, qui primus omnium accipit Cineres a celebrante, debet, inquam, eos recipere genuflexus ſuper ſuppedaneum Altaris, manibus junctis, capite inclinato, quod & alii obſervabunt in accipiendis Cineribus. Immediate poſt præfatum digniorem Sacerdotem accedunt Miniſtri Sacri, facta prius Altari genuflexione, & celebranti reverentia, genuflexi ſuper Altaris ſuppedaneum ambo ſimul accipiunt a celebrante Cineres. Diaconus autem non oſculatur celebrantis manum, ſicut nec præfatus Sacerdos in hac functione, quia id commode fieri non poteſt. Aliter autem diſcurrendum eſt in diſtributione Palmarum, & Candelarum, ut liquet ex primo Decr. ſuperius dato. Diaconus vero in hac functione accepturus Cineres, tradit Vas cinerum Cæremoniario, vel alteri; juxta Rituale tamen Monaſt. Reformationis Monachorum S. Bernardi *lib. 3. c. 5. n.* 3. illud deponit ſuper Altare, & acceptis cineribus illud recipit denuo, & tunc iterum ſe locat ad celebrantis dexteram, & Subdiaconus ſimiliter ad ſiniſtram, ubi erat prius. Biſſus *ſup. n.* 9. Caſtaldus *lib. 3. ſect. 4. c. 3. n.* 8. Gerlacus Vinitor *part. 6. tit. 4. n.* 9. Turrinus *part. 3. ſect. 1. c. 2. §. ſtans.*

Hæc autem dicta ſint de illis Eccleſiis, quæ non ſunt Cathedrales, nam ſi in prædictis Eccleſiis Cathedralibus aliqua dignitas, vel Canonicus aliquis celebret, & Beneficiati ſeu Manſionarii miniſtrent, tunc poſt digniorem de Clero prius excipiunt Cineres Canonici omnes, quamvis non ſint parati, & quidem ſtantes, non vero genuflexi, & poſt eos ſuccedunt ſupralaudati miniſtri Sacri Beneficiati, ut ſupra, licet ſint parati. Cæremoniale Epiſcop. *lib. 2. c. 19.* §. 5. Bauld. *part. 1. c. 9.* n. 18. Attamen Diaconus, & Subdiaconus ſemper quantum fieri poteſt debent eſſe ejuſdem ordinis cum celebrante, & non inferioris, contraria conſuetudine non obſtante, juxta Decr. editum die 8. & 22. Martii 1631. a S. R. C. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 255. in quo ſtatuitur, quod dignitate, vel Canonico ſolemniter celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alii inferiores inſervire debent, non obſtante contraria conſuetudine &c. -- Igitur ſi prædicti Sacri Miniſtri fuerint Canonici, tunc poſt præfatum digniorem de Clero ſtantes capite tamen inclinato, ante omnes alios, ſacros Cineres recipiunt.

## R U B R I C A.

6 *Poſtea* (q) *veniunt alii: prima Clerus per ordinem, deinde* (r) *Populus, & genibus flexis ante Altare ſingulatim recipiunt Cineres a Sacerdote, ut dictum eſt de Miniſtris. Completa Cinerum impoſitione Sacerdos dicit, Dominus vobiſcum.*

## G A V A N T U S.

(q) *Veniunt alii.* Cum debitis reverentiis Altari, & celebranti, ante & poſt, & manibus junctis.

(r) *Populus.* Extra gradus Altaris ad cancellos populus congruentius recipit Cineres: fœminis etiam non ſupra velum, ſed ſupra capillos dantur Cineres, ſi fieri poteſt commode; ne benedictus Cinis ſupra velum deperdatur.

In fine diſtributionis ante Orationem *Concede*, tergat digitos celebrans in angulo Altaris, *Cæremon. Epiſc. loc. cit.* cum

aqua,

Digitized by Google

aqua, & mica panis. Deinde dicitur Miſſa, in qua hæc ſunt propria.

7. Graduale dicitur cum Tractu, *Domine, non ſecundum peccata noſtra, &c.* non *ex Ord. Rom.* ſed ex noſtra devotione inquit *Microlog. cap.* 50. quod repetitur in Feriis ſecundis, quartis, & ſextis. *Idem ibid.* cur non in aliis Feriis? quia in prædictis tantum erat populi concurſus ad luctum ſolemnem, quem ſignificat *Tractus*, & eſt *in Antiph. Gregor.* * eadem ratione, qua in iiſdem Feſtis dicuntur Officium Defunctorum, Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales: quia nimirum lætitia Dominicæ minui debet ſtatim in feria 2. tum in 4. venditus fuit Chriſtus, & in ſexta fuit Cruci affixus. Præfatio Quadrageſimalis ex Pelagii Decreto quotidie dicitur *Microlog. loc. cit.* etiam in Dominicis, *Gemma lib.* 4. *cap.* 117. quamvis non jejunemus, contra quoſdam, quos confutat *Durand. loc. cit.*

8. Duplex Oratio in fine Miſſæ additur cum humiliatione: *Humiliate capita, &c. Amalar. lib.* 2. *cap.* 37. Vide ſupra 2. *part. Rubr. tit.* 11. *n.* 2. ſed non in Dominicis, in quibus communio fiebat populi, cujus loco ſucceſſit in Feriis Oratio illa duplex: unde & in iiſdem humiliatio eſt omittenda. *Microl. cap.* 51. Orationes autem Miſſæ ſunt eadem, quæ *in Sacram. Greg.*

9. Feria 5. feſtivæ habitæ ſunt a S. Silveſtro ſucceſſore S. Melchiadis; & ideo non habuere officia a Sancto Grego I. Gregorius deinde dictus Junior, ideſt II. & Officia propria, & Miſſas (quæ addita ſunt Antiphonario, & Sacramentario Gregor.) iiſdem diſtribuit *Walafr. cap.* 20. imo *ex Baronio Anno* 371. jejunium iiſdem inſtituit in Eccleſiis iis, in quibus adhuc non agebatur, & ideo Evangelia fere omnia, quintis Feriis aſſignata, communia ſunt aliis diebus extra Quadrageſimam.

10. In Sabbato Cinerum idem eſt Officium Miſſæ, quod in præcedenti Feria 6. quia poſterius eſt S. Gregorio, *ex Microl. cap.* 49. cum Oratione tamen diverſa *in Sacram. S. Greg.*

11. * In Dominica prima Quadrageſimæ nibil occurrit notandum, niſi quod ea contingit aliquando die 16. Februarii, ut *in Tabula IX. Calendarii noſtri perpetui*, & ea ipſa dies *ex Auguſtino Torniello in Annal.* qua Chriſtus tentatus fuit, ut in Evangelio Dominicæ.

12. Feriæ Quatuor Temporum ex decreto Gregor. VII. tamquam a majoribus eo tempore inſtitutæ, habent Officia *in Sacram. S. Gregor. & Lectionario S. Hieron.* de quarum Ritibus vide, quæ diximus ſupra de Adventus Quatuor Temporibus, ubi cur Evangelium 2. Domin. Quadrageſimæ ſit idem, ac Sabbati præcedentis indicavimus.

13. Dominica ſecunda habet Miſſæ Offic. non Gregorianum, *ex Microlog. cap.* 24. *&* 29. *& ex Pamel.* * Dicta eſt vacans, hoc eſt, ſine Officio proprio, nam Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio ſumpta ſunt de Feria 4. præcedenti. Reliquarum Feriarum, & Dominicarum ſequentium Officia partim *in Antiph.* partim *in Sacram. Gregor.* habentur, paucis Orationibus mutatis in aptiores.

14. In Feria 5. Domin. 3. habetur collecta de SS. Coſma, & Damiano, de qua vide ſupra *tit. præced. n.* 15.

15. Feriæ 4. Dominicæ 4. variatur Miſſa, cui datæ ſunt duæ lectiones, ut in Feria Quatuor Temporum putant aliqui, ad indicium futurarum in Sabbato ordinationum: ſed hac die fiebat ſcrutinium baptizandorum in Paſchate, & inter ſeptem ſcrutinia hoc erat maximum. *Ordo Romanus*, quod ſcrutinium non eſt in uſu hodie, ſed tamen Miſſa eſt eadem, in qua Catechumenis dicitur in Introitu: *Effundam ſuper vos aquam mundam*, & idem repetitur in prima Epiſtola, tum dicitur *Lavamini* in ſecunda: & in Evangelio cæcus natus nondum lotus Catechumenum repræſentat: *ex Auguſt. in homil. illius Feriæ*, a qua Feria uſque ad Paraſcevem jejunabant quindecim diebus, demptis Dominicis, *ex Rup. lib.* 4. *cap.* 18. Cauſas autem ſcrutinii in hac Feria 4. vide apud *Honor. in Gemma lib.* 3. *cap.* 54.

16. In reliquis diebus nihil novi occurrit declarandum uſque ad Dominicam de Paſſione, exceptis Ordinationibus, quæ in Sabbato, *Sitientes*, ita dicto, quia Introitus Miſſæ incipit a verbo, *Sitientes*, conceſſæ ſunt ex decreto Gelaſii I. *diſtinct.* 75. *ordinationis Presbyterorum*, de quibus eadem eſt ratio cum aliis Sabbatis Quatuor Temporum, ut ſupra nos diximus.

Novæ Obſervationes, & Additiones pro Ritu Solemni Diſtributionis Cinerum.

XVII. *Rubric.* & Gav. lit. q - *Veniunt alii cum debitis reverentiis, &c.*) Poſtea accedunt alii de Clero ad Altare (ſed primo majores, deinde inferiores bini ſimul, vel unus poſt alium pro numero Clericorum, ne deficiant in choro, qui cantent) ubi facta debita reverentia tam ipſi Altari, quam Celebranti, genuflexi ſuper ſuppedaneum, manibus junctis, & capite inclinato Cineres a Celebrante accipiunt, manus tamen Celebrantis non oſculando, quia commode fieri non poteſt. Verum ſi ſint Canonici Eccleſiæ Cathedralis non genuflexi, ſed ſtantes capite tamen inclinato a Celebrante Cineres accipiunt. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 19. §. 5. ut nos ſupra innuimus; Canonici vero Collegiatarum genuflexi Cineres accipient, niſi immemorabilis conſuetudo obeſt, ut docet Bauldry ex S. R. C. *part.* 5. *lib.* 2, *cap.* 9. *art.* 2. *n.* 20. necnon Turri-



nus *part.* 2. *cap.* 2. §. *Cum Epiſcopus*. Ita etiam genuflectere non debet ſuperior Eccleſiæ, quando ab alio accipiat Cineres, ſi ipſemet functionem tunc non faciat, quod item dicendum eſt de Candelis, & de Palmis; quilibet vero poſtquam accepit Cineres redit ad Chorum, ideſt ad locum ſuum, facta prius Altari, & Celebranti debita reverentia. Biſſus *ſup.* §. 11. Datis Cineribus Clero ad Altare, ibi etiam dantur Magiſtratui, Principibus, & Nobilioribus genuflexis, manibus junctis, ut ſupra, qui ſæculares Principes hac die cedere ſolent locum, ſicut etiam Feria VI. in Paraſceve, omnibus de Clero, & præſertim Canonicis paratis, etiamſi eſſent maximi, & valde potentes, idque quia in acceptione Cinerum oſtendere debent humilitatem actus; Magiſtratus vero Officialeſque omnino capiant Cineres poſt omnes de Clero Cæremoniale Epiſcoporum *ſupra* §. 11. Biſſus *ſupra* §. 12.

Huc ſpectat Decretum editum a S. R. C. die 23. Maji 1603. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 21. in quo declaratum fuit - Quod aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis.

Pertinet etiam ſubſequens aliud Decretum ad ſupradictam materiam a S. R. C. editum die 15. Martii 1608. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 85. in quo habetur - Quod in accipiendis Cineribus, Candelis, Palmis, &c. attendatur conſuetudo in Vicario, & Canonicis, Et item in thurificatione, & aliis, niſi Canonici ſint parati.

Vide etiam aliud Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 489. in quo agitur de præcedentia Vicarii Generalis.

XVIII. Rub. & Gavant. *Populus extra Gradus Altaris, &c.*) Quia non convenit ut communiter laici Cineres accipiant ad Altare; idcirco diſtributis Cineribus Clero, Principibus, &c. Celebrans deſcendit ad cancellos; ubi laicis utriuſque ſexus genuflexis (& advertat ne mulieribus imponat Cineres ſuper velum, ſed omnino ſuper capillos, ut notat Gavantus hoc loco. Bauldry *part.* 4. *cap.* 4. *art.* 2. *n.* 7. Biſſus *ſupra* §. 13.) imponit Cineres ſuper caput ſingulis verba ſupradicta repetens ſemper in maſculino genere, licet fœminis diſtribuat; interim Diacono tenente Vas Cinerum, & in hac Cinerum diſtributione Diaconus a parte ſua manu ſiniſtra: Subdiaconus vero manu dextera, ſiniſtra infra pectus poſita, elevant fimbrias anteriores Pluvialis, ne Celebrantem impediant. Biſſus *ſupra*, Bauldry *ſupra*, Gerlacus Vinitor *ſupra n.* 11.

XIX. Gav. ead. lit. r - *In fine diſtributionis, &c.*) Completa totaliter Cinerum diſtributione Celebrans procedit ad latus Epiſtolæ per planum, & ibi lavat manus private in angulo Altaris. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 19. §. 6. Bauldry *ſupra n.* 9. Vinitor *ſupra n.* 12. Biſſus *ſupra* §. 14. vel prope credentiam in plano: Biſſus *ſupra*, cum aqua, & mica panis (ſi tamen diſtributio Cinerum terminatur ad Altare, quamvis non deceat, tunc Sacerdos manus lavat, ſtans non in plano, ſed ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ: Biſſus, *ſupra*) fundente aquam aliquo Acolytho, & Miniſtris Sacris miniſtrantibus manutergium. Lotis manibus, & extérſis Celebrans aſcendit per laterales gradus ad cornu Epiſtolæ ſuper ſuppedaneum, ibique ſtans verſus Altare manibus junctis medius inter Miniſtros Sacros cantat in tono feriali *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Concede nobis Domine*, ut in Miſſali.

Supereſt nunc, ut hoc loco exhibeantur ſequentia Decreta, quæ ultra alia ſuperius tradita, ſpectant pariter ad hanc functionem Benedictionis, & diſtributionis Cinerum.

Benedictiones Palmarum, Candelarum, Cinerum, & alias ſimiles functiones facere, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito, ad primam dignitatem, non vero ad Canonicum hebdomadarium pertinet. S. R. C. 21. Martii 1609. & in noſtro Indice datur *ſub n.* 96.

Refertur etiam hoc Decretum ab Urſava *Diſcept. Eccleſiaſt. tom.* 4. *part.* 2. *diſcept.* 2. pro Capitulo Cathedralis Cremenſis, cum Præpoſito ejuſdem Eccleſiæ *ſub num.* 76. *pag. mihi* 190.

Cineres Epiſcopo miniſtrare Feria IV. Cinerum, non ad primam dignitatem, ſed ad Canonicum ea die Celebrantem pertinet. S. R. C. 28. Maji 1616. & in noſtro Indice *ſub n.* 155.

Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum Benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet juxta formam libri Cæremonialis Epiſcoporum, abſente, vel impedito Epiſcopo, ad primam dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive pertinet. S. R. C. 25. Junii 1611. *in Civitaten. ſeu S. Severi*, & in noſtro Indice datur *ſub n.* 116.

Abſente Epiſcopo, Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 209.

Abſente Epiſcopo ſpectat ad primam dignitatem diſtributio Cinerum, Palmarum, &c. 3. Decembris 1672. & in noſtro Indice *ſub n.* 449.

Quod quidem Decretum conciliatur cum antecedente, quia ſupponitur, quod prima dignitas celebret loco Epiſcopi.

Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, &

Palmarum, non ſunt de juribus mere Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. & in noſtro Indice *ſub n.* 565.

Denique lubet etiam addere Decretum editum a Sac. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium die 3. Julii 1615. *in Firmana*, & habetur apud Nicolium in Floſculis *v. Benedictio*, in quo Decreto ſic ſtatuitur.

In Eccleſiis Regularium, in quibus exerceri conſuevit, cura Animarum, Benedictio Cinerum, eorumque diſtributio, pertinet ad Regulares, non ad Parochum.

XX. Gav. ead. lit. e. *Deinde dicitur Miſſa*, *&c.*) Terminata ſupradicta Oratione, Sacerdos deſcendit in planum Altaris, ubi depoſito Pluviali, capit in plano ad corpus Epiſtolæ ante Altare, non in medio (quod tantum Epiſcopis conceditur) Manipulum, & Planetam violaceam, ſicut & Miniſtri Sacri ſuos Manipulos ſumunt; deinde cum debitis reverentiis Choro, ſi ante ipſum tranſeunt, accedunt ad medium ante infimum Altaris gradum, ibique facta debita reverentia Altari, Celebrans incipit Miſſam more ſolito. Quando vero Miniſtri Sacri debeant deponere, & reſumere Planetas plicatas, vide ea, quæ tradit Gavantus noſter *ſupra part.* 1. *tit.* 19. *Rubr.* 6. & ea, quæ tradita ſunt a nobis in noſtris Additionibus, & Obſervationibus *ad tit.* 1. *hujus quartæ partis de Rubricis Miſſarum de Adventu n.* 4.

Sacerdos autem, qui celebrare debet hanc Miſſam, debet eſſe ille idem, qui benedixit Cineres, & hoc eruitur ex Decreto die 12. Junii 1627. a S. R. C. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 209. de quo Decreto mox mentionem fecimus. Ab aliis nempe a Fagioli in Kalendario perpetuo Rationali, in adnotationibus ad Februar. *lit. A ſub n.* 6. allegatur Decretum editum a S. R. C. ſub die 26. Februarii 1628. & a Pittono aliud pariter ſimile Decretum editum die 12. Aprilis 1640. in quibus declaratur; quod ille idem, qui Benedixit Candelas in Feſto Purificationis B. M. V. vel Cineres in Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, aut Ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Miſſam ſequentem. Sed non obſtante omni diligentia, quam adhibui, in Regeſtis S. R. C. reperire non potui hæc duo Decreta, nihilominus ex a nobis allegato primo Decreto ſub die 21. Junii 1627. & ex Bauldry *part.* 4. *cap.* 4. *art.* 2. *n.* 10. diſerte colligitur, ad eumdem Sacerdotem ſpectare Miſſam ſolemnem celebrare, qui Cineres benedixit. Si autem ex aliqua rationabili cauſa Sacerdos, qui benedixit Cineres, non celebret Miſſam, tunc finita Cinerum diſtributione, lotis, exterſiſque manibus, finitaque ultima Oratione Sacerdos cum cæteris Miniſtris ad Sacriſtiam recedit, facta Altari debita reverentia reſpective, & Choro, & alius Sacerdos cum ſuis Miniſtris de Sacriſtia accedit ad Altare pro Miſſa celebranda more ſolito, in qua Miſſa ad Confeſſionem, ad Orationes omnes in Choro genuflectunt ante Epiſtolam, & etiam Acolythi idem facere debent ad Altare, qui in his Choro ſe conformare debent, Bauldry *ſup. n.* 11. Biſſus *tom.* 2. *lit. M. n.* 249. §. 2.

Dum Celebrans private legit ℣. *Adjuva nos*, *&c.* genuflectere debet unico tantum genu ad prima verba, ut commodius poſſit legere ℣. in libro, & ſtatim ſurgere. Sed dum cantatur iſte ℣. a Choro, genuflectunt omnes, exceptis duobus Cantoribus, & antequam inchoetur, Celebrans, & Miniſtri Sacri deſcendunt ad ſecundum gradum Altaris, ut dum cantatur: *Adjuva nos Deus* a Choro, ſtatim genuflectant in ſuppedaneo Altaris utroque genu, quod eſt omnino ſervandum, & ideo debet Celebrans ſe expedire a legendo Evangelio ſubmiſſa voce, quod ſupponimus potuiſſe legere ante initium ℣℣. præſertim ſi cantatur a Choro Graduale, vel alii ℣℣. Tractum antecedentes ita lente, ut præfatus Celebrans, dum cantatur, commode legat Evangelium, ne inter Tractum, & ultimum ℣. *Adjuva nos* ſilentium interponatur, ad quod Cantores omnino advertere debent. Bauldry *ſupra n.* 13. Biſſus *lit. G n.* 29. Vinitor *ſupra n.* 15.

Præfatio Miſſæ hujus diei, eſt propria Quadrageſimæ, *qui corporali jejunio*, *&c.* quæ quotidie dicitur etiam diebus Feſtis, atque in Miſſis Votivis, quæ propriam non habent Præfationem, ab hac die incluſive, uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive. Ad *Sanctus*, omnes genuflectunt, uſque ad *Pax Domini*, *&c.* excluſive. Biſſus *lit. C. n.* 29. §. 9. Caſtaldus, Bauldry, & alii Rubriciſtæ communiter.

Recitatis conſuetis orationibus poſt Communionem, & dicto a Celebrante more alias uſitato *Oremus*; Diaconus adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem vertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, nulla facta prius genuflexione, quia non eſt in medio Altaris, & ita ad Populum converſus, cantat manibus junctis; *Humiliate capita veſtra Deo*; quo dicto, omnibus genuflexis manentibus, & capite inclinato, præter Celebrantem, per eamdem viam vertit ſe ad Altare, & ibi ſtat a tergo Celebrantis inclinatus ad Orationem manibus junctis. Biſſus *tom.* 1. *lit. D n.* 123. §. 46. Si autem non ſit Diaconus aſſiſtens in hac Miſſa, ipſe Sacerdos Celebrans perſiſtens in eodem loco ante librum, id ipſum junctis manibus dicit, caput inclinans Cruci, ac poſtea extenſis manibus eadem voce ſubjungit Orationem ſuper populum in fine Miſſæ adnotatam, qui modus dicendi Orationem ſuper populum ſervatur etiam deinceps in omni, ac ſola Miſſa ferialide tempore quadrageſimali, uſque ad Feriam 4. majoris hebdomadæ incluſive, non autem in Miſſis Feſtivis, ac Votivis, etiam illis, quæ dicuntur in colore violaceo.

Huc uſque locuti ſumus in ſuppoſitione, quod poſt Benedictionem Cinerum cantetur Miſſa cum Miniſtris ſacris; ſi vero dicatur Miſſa tantum privata, in eo caſu, dicta Oratione *Concede*, *&c.* Celebrans, & Miniſtri ſacri deſcendunt in planum, ubi depoſito Pluviali, ſi eo utatur, capit in eodem plano ad cornu Epiſtolæ, & non in medio, Manipulum, & Planetam, & hinc pergit ad medium ante infimum gradum Altaris, ibique facta debita reverentia incipit Miſſam de more: Miniſtri vero Sacri factis debitis reverentiis reſpective diſcedunt, ac redeunt ad Sacriſtiam, ubi paramenta deponunt, Bauldry *ſupra n.* 16. & Biſſus *tom.* 2. *lit. M. n.* 249. §. 5.

Si vero non adſint Miniſtri Sacri, tunc Celebrans ſolus cum uno, aut pluribus Acolythis miniſtrantibus Thuribulum, Naviculam, & Aquam benedictam benedicit Cineres, ut infra, & unus ex illis a dexteris elevat partem anteriorem Pluvialis, ſi eo utatur, manu ſiniſtra, dum Cineres diſtribuit, Bauldry *ſupr. art.* 3. *n.* 1.

Quod ſi Cinerum benedictio fiat ſine Clericis, & non ſint in choro, qui cantent, tunc Antiphona *Immutemur habitu*, *&c. cum ſeqq.* dicitur a Celebrante, antequam Cineres diſtribuat, & finita diſtributione lavat manus, ac eas fricat cum medulla panis, miniſtrante Acolytho, vel Acolythis, ſi plures ſint, vel ſi nullus acolythus, Miniſtro Miſſæ privatæ; deinde dicit Orationem *Concede*, *&c.* in cornu Epiſtolæ, & depoſito Pluviali, ſi eo utatur, ſumit Manipulum, & Planetam, & Miſſam celebrat de more. Bauldry *ſupra n.* 1. *&* 2.

Quia demum aliquando in aliquibus locis Populus expectare non poteſt poſt Horam Nonam ad accipiendos cineres; ideo poſſunt ſummo mane ab aliquo Sacerdote aliqui cineres benedici, qui deinde ſuis in Vaſibus per Altare diſtribuuntur, ut pro temporis opportunitate Populo ſatisfieri poſſit; hæc autem privata benedictio fiet eo modo, quo ſupra diximus, demptis iis, quæ ad majorem ſolemnitatem ſpectant, & in fine Sacerdos lavat manus non in pelvicula conſueta, quantum fieri poteſt, ſed in aliquo Vaſe ad id præparato, & manuum lotiones, & cineres, qui non erunt amplius uſui, in Sacrarium immittuntur Biſſus *tom.* 1. *lit. B n.* 86. §. 17. Bauldry *ſup. art.* 3. *n.* 2. *et* 3.

Subnectere lubet aliqua Decreta, quæ pertinent ad Ritus ſervandos in Miſſæ celebratione hujus Feriæ quartæ Cinerum. Qui habent privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima, non ideo debet facere commemorationem de Octava in Feria 4. Cinerum, neque in Officio, neque in Miſſa. Ita S. R. C. 24. Januarii 1682. & dabitur hoc Decretum in Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii.

In feria 4. Cinerum non poteſt cantari ad Altare, ubi exponitur SS. Sacramentum, Miſſa Votiva de Sacramento ſed debet cantari Miſſa de dicta Feria cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione. Ita Clemens XI. in ſua conſtitutione, ſeu inſtructione pro expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti ſub die 20. Januarii 1705. quæ inſtructio datur per extenſum in his noſtris Additionibus, & Obſervationibus *par.* 2. *tit.* 14.

In hac Feria 4. Cinerum non poſſunt dici Miſſæ Votivæ, neque Miſſæ Defunctorum, ut liquet ex Rubricis, & ex Decreto S. R. C. edito die 28. Auguſti 1627. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 217.

Quinimo hæc dies juxta Breviarii, & Miſſalis Rubricas, tali privilegio gaudet, ut quomodolibet Feſtum etiam ex majoribus occurrens transferri debet in primam ſequentem diem non impeditam, ita ut hac die omnino de ipſa Feria celebretur.

Rurſus ſi in Feriis Quadrageſimæ occurrat Feſtum duplex, vel ſemiduplex, fit de eo cum commemoratione Feriæ, & præterea dicitur tertia Oratio in Miſſa, prout deſcribitur in Miſſali cum Evangelio Feriæ in fine. In Eccleſiis autem Cathedralibus, & Collegiatis dicuntur duæ Miſſæ Conventuales; prima de Sancto, cujus celebratur Officium poſt Tertiam, cum paramentis coloris tali Officio convenientis abſque commemoratione Feriæ, & cum Evangelio Sancti Joannis in fine; altera Miſſa Conventualis poſt Nonam de Feria abſque commemoratione Sancti cum Orationibus aſſignatis.

XXI. Gavant, num. 9. *Feria V. &c.*) Si in Feriam V. poſt Cineres incidat Feſtum SS. quadraginta Martyrum, ſeu dies decimus menſis Martii, tunc Oratio ſecreta pro feria currente accipienda eſt ex Feria 6. ſubſequente, quia Secreta Feſti. & Feriæ currentis, tunc incidunt; ut optime adnotavit noſter Gavantus *ſupra part.* 1. *Tit,* 7. *n,* 8. *lit. Q.* & Bauldry *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 2.

XXII. Gavant. num. 11. *Dominica prima Quadrageſimæ*, *&c.*) Hæc prima Dominica Quadrageſimæ celebris ſemper fuit; in ipſa namque ex antiqua PP. traditione olim inchoabatur quadrageſimalis obſervatio, & Ritus, ut ſupra innuimus, prout etiam adhuc in Eccleſia Mediolanenſi juxta Ambroſianos Ritus ſervatur, & in Romana Eccleſia ab hac die, a Veſperis videlicet Sabbati præcedentis, incipit Officium proprium temporis quadrageſimalis, unde in omnibus Feriis, quibus jejunatur, uſque ad Sabbatum Sanctum incluſive, Veſperæ celebrantur ante comeſtionem, etiam in diebus Feſtis, non vero in Dominicis; quia in eis non jejunatur,

Hæc

Hæc prima Dominica juxta Rubr. Miſſalis, & Breviari Romani eſt primæ claſſis, unde quodcumque Feſtum in ea occurrens etiam Patroni, vel Titularis, ſeu Dedicationis propriæ Eccleſiæ, transfertur in primam ſequentem diem non impeditam.

Altare floribus non ornetur, neque apponantur Imagines, ſeu Reliquiæ inter candelabra. Miniſtri Sacri non utantur Dalmatica, ac Tunicella, ſed Planetis plicatis in Eccleſiis majoribus, ſicut etiam in omnibus aliis Dominicis, & Feriis Quadrageſimæ, excepta Dominica 4. prout dicemus, & prout alibi diximus agentes de uſu talium Planetarum.

XXIII. Gav. n. 12. *Feriæ Quatuor Temporum, &c.*) In hac prima hebdomada juxta ea, quæ diximus ſupra, agentes de Quatuor Temporibus, una cum jejunio quadrageſimali, celebratur etiam ſolemne jejunium Quatuor Temporum primi menſis in Vere, & quidem juxta ea, quæ tradit Gav. ſupra, ex Dec. S. Gregorii VII. prout etiam ſcripſit Micrologus, *in lib. de Eccleſ. Obſerv. c. 24. & c. 25.* necnon celeberrimus Vir Ludovicus Antonius Muratori *in diſſert. de jejuniis Quatuor Temporum, quæ habetur tom. 2. ſuorum Anecdotorum*, recolantur tamen ea, quæ diximus ſupra in tertia Adventus hebdomada de talibus jejuniis Quatuor Temporum, ne iterum repetamus eadem, quæ ibi exarata ſunt; nam & ex a nobis ibi traditis conſtabit Gregorium VII. non ab initio inſtituiſſe, ſed potius confirmaſſe jejunia Quatuor Temporum.

XXIV. Gav. n. 13. *Dominica ſecunda habet, &c.*) Dominica ſecunda Quadrageſimæ eſt ſecundæ Claſſis, ſicut pariter Dominica tertia, & quarta, & ideo juxta Rubricas, Officium duplex in eis occurrens, etiam ſecundæ claſſis transfertur, & tantum fit de Patrono Titulari, vel Dedicatione Eccleſiæ, ſed ſive Octava, ut melius videbimus in ſecundo Tomo, in quo tractabimus de Rubricis Breviarii Romani.

XXV. Gav. n. 13. *Dominicæ quartæ, &c.*) Dominica 4. Quadrageſimæ pulſantur Organa, & in Miſſa ſolemni Miniſtri Sacri utuntur Dalmatica, & Tunicella coloris violacei; Altare vero paratur feſtivius, quam aliis Dominicis, nam adhiberi poſſunt flores, Imagines, aut Reliquiæ, quæ non poſſunt adhiberi in aliis Dominicis. Bauld. *ſup. nu. 4.* Vinitor *part. 6. tit. 4. n. 2.* Hæc Dominica dicitur *Lætare* ab introitu Miſſæ: nominata etiam fuit Dominica *Panis*, quia legitur Evangelium multiplicationis Panis, ſignificaturque in ea Populi Chriſtiani liberatio a tyrannica Idolorum ſervitute. Durandus *lib. 5. cap. 53.* Unde in ſignum læti diei, Cardinales induuntur veſtibus roſaceis, & Summus Pontifex, eundo, ac redeundo a capella, in ſignum lætitiæ fert Roſam auream in manu ab eo benedictam, quam deinde alicui magno Principi mittere ſolet. Ver enim denuntiat, quod poſt Hyemis turbines ſuccedens mundum lætificat. Antiquitus hæc cæremonia fieri ſolebat in Eccleſia Sanctæ Crucis in Jeruſalem, ita colligitur ex ſermone Innocentii III. hac die habito. Solebant enim Romani Pontifices hac die tractatum ad populum habere, & hinc Pius II. ſermonem pariter hac Dominica habuit, & Roſam ab eo benedictam ad ſuam Senenſem Patriam miſit. Sixtus vero IV. in ſignum ſui gentilitii ſtematis anno 1471. quercus aureæ ramum Cathedrali Savonæ ejus Patriæ dono miſit. Quæ ſolemnitas quamvis non conſtet, a quo Pontifice primo fuerit inſtituta, eſt tamen antiqua, & ante Leonis IX. tempora, qui Romanam Cathedram moderabatur Anno 1050. de qua Cencius, Camerarius ait: quod hic Pontifex penſionem annuam pro expenſa hujus Roſæ ſuper redditus Monaſterii Sanctæ Crucis Lotaringiæ impoſuerat. Alexander III. Venetiis Anno 1117. cæremoniam hanc celebravit in Eccleſia Sancti Marci, ut teſtatur Petrus Bleſenſis *ſect.* 15. qui eodem ſæculo ſcribebat. Baron. Anno 1117. *num.* 18. & idem ex Cardinali Beſſarione ibidem, & Benedicto Ziani Venetiarum Duci dono dedit in ſignum gratiæ Sedis Apoſtolicæ: Flav. Blondus *decad. 2. lib. 6.* Clem. Papa VI. Ludovico Regi Neapolis miſerat; Odoricus Raynal. ad Ann. 1348. *n. 11.* Macrius *Hierolexicon V. Dominica Lætare pag. mihi* 218. De eadem Roſa aurea, quæ continet Muſcum, & Balſamum, mentionem faciunt Ordines Romani 11. 12. 13. 14. & 15. evulgati a Mabillonio, necnon Innoc. Papa III. *ſermone in Dominica Lætare, ſeu de Roſa.* Reginald. Card. Polus *de Enſo, & Roſa aurea ad Philippum Regem, & Mariam Angliæ Reginam:* Angelus Rocca *in opuſculo*, in quo quæric, cur aurea Roſa quarta jejunii quadrageſimalis Dominica a Summo Pontifice benedici ſoleat, & cur hæc ſolemnitas in Baſilica S. Crucis in Jeruſalem fieri ſolebat. Gulielmus Durandus *in Ration. l. 6. c. 53.* Jo: Baptiſta Caſalius *de veteribus ſacris Chriſtianorum Ritibus c. 81.* Noſter Paulus Maria Quarti *de Benedictionibus in Particulari ſect. 2.* Claudius Dufreſne *in ſuo Gloſſario*; Carolus Cartari in ſuo libro Italice exarato, & Romæ impreſſo Ann. 1681. cui titulus. *La Roſa d'oro Pontificia, Racconto Iſtorico*; quibus omnibus addi poſſunt Edmundus Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina c. 19.* Franciſcus Pagi *in vita Urbani II. num.* 57. Denique Theophylus Raynaudus *in tract. qui continetur in tom. 10. ſuorum Operum.*

XXVI. Gav. eodem nu. 15. *Hac die* (nempe Feria 4. Dominicæ 4.) *fiebat ſcrutinium Baptizandorum, &c.*) De hoc ſcrutinio Baptizandorum fuſe diſſeruimus in noſtris Additionibus, & Obſervationibus præliminaribus, agentes ex profeſſo de Miſſa ſcrutinii, unde legi potuerunt ea, quæ ibidem a nobis tradita ſunt.



De Dominica de Paſſione, & Hebdomada majori. VII.

*G A V A N T U S.*

1. IN primis Veſperis Dominicæ de Paſſione velantur Cruces, & Imagines, *ex Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 20.* hoc eſt ante Veſperas: Velum, autem non debet habere ſecum aliam Imaginem; & illud Velum, quo teguntur Cruces, ſit potius violaceum, quam nigrum (album nequaquam) niſi aliud ſtatuatur infra: quo Ritu ſignificatur, jam Chriſtum non in palam ambulaſſe apud Judæos hoc tempore, & abſcondiſſe ſe, ut in Evangelio Dominicæ dicitur.

2. *Rupertus lib. 5. c. 1.* probat veriſimiliter in Veſperis Sabbati ante Dominicam de Paſſione coactum fuiſſe Concilium adverſus JESUM; ideoque mœſtitia major convenit eccleſiaſticis Officiis: & hinc in Introitu tacetur *Gloria Patri*, apud quoſdam, inquit ille; ſed *Ordo Rom.* expreſſe omittit, ut & nos humilitati ſtudentes omittamus excelſa noſtra, ait *Alcuin.*

3. Omittitur etiam *Judica me Deus*, ita *Gemma lib. 4. cap.* 117. & quia Officia hujus Dominicæ ſunt media inter dies Quadrageſimæ ſequentes de Paſſione, ideo forte dicta eſt *ab Ord. Rom.* Dominica mediana, uti etiam a Gelaſiano *diſt. tit. præc. n. 15. cit.*

4. De duabus Orationibus, non tribus, & de Præfatione de Cruce diximus *in 1. part. Rubr. tit. 9. & 12.* teſtatur autem *Microl. c. 50.* Præfationem de Cruce non dici ſolitam ante Palmas, qui mos duravit uſque ad Pium V. a quo ſtatuta eſt Præfatio de Cruce ab ipſa Dominica de Paſſione.

5. In Sabbato ante Palmas Offic. non eſt Gregorianum, *ex Amalar. lib. 1. c. 9.* tamen congruum legitur Evangelium, in quo habetur, quod in craſtinum turbæ obviavere Chriſto, ergo quæ narrantur initio, contigerunt hac die. Officium Miſſæ, hoc eſt Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio ſunt de Feria 6. præcedenti, quia olim Sabbatum vacans dicebatur, in quo Papa eleemoſynas dabat.

6. Dominica Palmarum, dicta eſt *in Ordine Romano* Palmarum, ſive Florum, ſive Ramorum, Oſanna, Paſcha petitum, ſive competentium, ideſt ſimul petentium Symbolum ante Baptiſmum, *ex Alcuino*, & Capitilavium, quia in hac die lavabantur capita ungendorum in Sabbato Sancto, *ex Iſidor. lib. 1. c. 27.* item Hebdomada Major, *apud Chryſ. homil. 30. in c. 10. Gen.* quo nomine eam vocat etiam *Clem. lib. 8. conſt.* 39. vel quia in ea maxima parſimonia, vel quia in ea Officium majus celebratur, *Ord. Rom.* addit *Microl. c. 52.* Majorem dici, ob Sanctiſſimum Dominicæ Paſſionis Sacramentum. *Idem Chryſoſtom.* appellat magnam, quia magna, inquit, & ineffabilia bona in ea contigerunt. Item appellatur, Indulgentiæ, ob pœnitentes abſolvendos publice, *Honor. in Gemma lib. 3. c. 72.* Item pœnoſam, & Sanctam, ob Chriſti paſſionem, & impios juſtificatos, *Durand. lib. 6. c. 67.* Authentica *in Officio Ambroſiano*: & dicitur etiam ultima *a S. Ambroſ. epiſt.* 33. quia ultima eſt Quadrageſimæ.

In Benedictione Ramorum Rubricas attende Miſſalis, quibus addemus alias minutiores de mora.

R U B R I C A.

7. *Completa Tertia, & facta aſperſione aquæ more ſolito, Sacerdos indutus Pluviali violaceo, vel ſine Caſula, cum* (a) *Miniſtris ſimiliter indutis,* (b) *procedit ad benedicendum ramos Palmarum, & Olivarum, ſive aliarum arborum,* (c) *in medio ante Altare, vel ad cornu Epiſtolæ poſitos, & primo cantatur a Choro Antiphona.*

*G A V A N T U S.*

Benedictionis Palmarum mentio eſt Anno 877. *apud Baronium ſub Joan. VIII.*

Aſperſio aquæ, de qua Rubrica, fit a Sacerdote ſtatim ac venerit ante Altare: Acolythi ante aſperſionem aquæ deponant candelabra ſuper Credentia.

(a) *Miniſtris ſimiliter indutis.* Hoc eſt, ſimili colore, ſed ſine dalmaticis cum Caſulis plicatis, vel in albis juxta ſupradicta *tit. 19. n. 6. & 7. par.* 1. manipulum autem in hoc caſu Miniſtri portant, quia cantaturi ſunt Epiſtolam, & Evangelium.

(b) *Procedit ad Benedicendum.* De Sacriſtia jam venit celebrans præcedentibus Acolythis cum candelabro, ut ante Miſſam, ſine Thuriferario, & cum Miniſtris, capite cooperto, hinc inde a latere celebrantis, ut in ſimili caſu *Cærem. Epiſcop. lib. 1. c. 15. & lib. 2. c. 30. & 31.* quia Pluviale habet, quare verbum *procedit*, hoc loco non ſignificat motum localem a Sacriſtia, ſed quod finita aſperſione, proſequitur Benedictionem Palmarum, aſcendendo ad Altare, quod oſculatur in medio, & deinde in cornu Epiſtolæ cantando, ut in Miſſali.

(c) *In medio ante Altare.* Ita *Ordo Romanus*, ſed eſt commodius, quod ad cornu Epiſtolæ ponantur Palmæ, & Rami.

Novæ Obſervationes, & Additiones, pro Ritu ſervando in Dominica de Paſſione, & Feriis ſequentibus.

I. Gav. num. 1. *In primis Veſperis Dominicæ de Paſſione, &c.*) Sabbato præcedente Dominicam Paſſionis ante Veſ-



Digitized by Google

Veſperas primas de eadem Dominica, etiamſi ſint de Sancto, teguntur, juxta Cæremoniale Epiſcop. *lib. 2. cap.* 20. Cruces, & Imagines Salvatoris per Eccleſiam Velis violacei coloris, in quibus non appareat ulla figura, ſeu Imago, ne inſignia quidem Paſſionis; nullæque ponendæ ſunt ſuper Altare Imagines Sanctorum. Verum non ſolum Cruces, & Imagines Salvatoris in dictis primis Veſperis de Dominica Paſſionis, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum, quæ reperiuntur in Eccleſia tegi debent, ut declaravit Sacr. Rit. Congr. 4. Auguſti 1663. & datur tale Decr. in noſtro Indice *ſub num.* 404. Prædictæ autem Cruces ita velatæ manere debent uſque ad Feria 6. in Paraſceve. Utrum autem Feria 5. in Cœna Domini Crux Altaris, in quo celebratur, tegi debeat Velo albo in Miſſa, & ad mandatum, eſt quæſtio, quæ a nobis reſolvetur infra. Feria, inquam 6. in Paraſceve, non ſolum detegitur Crux adoranda, ab Officiatore, ſed etiam detegi debent, poſt talem functionem, aliæ Cruces, quæ ſunt in Eccleſia, non item Imagines Altarium, & Icones Sanctorum, quæ omnes tectæ manent uſque ad finem Litaniarum Sabbati Sancti.

Cæremoniale Monaſticum *lib. 4. cap. 5. num, 9.* vult, quod in Feſtis, quæ recurrente Paſſionis tempore celebrantur, ab Altari illius Sancti, de quo feſtivitas agitur, ſit removendum Velum, & detegenda Imago. Verum, cum in Decr. edito a Sac. Rit. Congreg. die 16. Novembris 1649. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 300. habeatur, quod Sabbato Paſſionis debeant velari Imagines, & Cruces, etiamſi occurrat eo die feſtum S. Titularis, vel Patroni Eccleſiæ. Rurſus quoniam ex alio Decr. eadem die, & eodem anno edito, & dato in noſtro Indice *ſub num.* 301. habetur, quod dictæ Imagines, & Cruces detegi non debent etiamſi in hebdomada Paſſionis occurrat Feſtum S. Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ, hinc liquet, prædictam diſpoſitionem Cæremonialis Monaſtici nullo modo ſervandam eſſe. Semper enim toto Paſſionis tempore Imagines, & Cruces quocumque recurrente Feſto, velatæ eſſe debent, & quidem, ut dixi, velo violaceo, non enim mutandum eſt Velum juxta colorem Feſtorum occurrentium, ut optime docet Guyetus *lib. 3. cap. 18. qu.* 25. & hæc eſt praxis omnium Eccleſiarum, cum talis color violaceus Veli, quo teguntur Cruces, & Imagines ſignificet Chriſtum, qui abſcondit ſe, & exivit de Templo, ut legitur in Evangelio Dominicæ de Paſſione, & revera antiquitus in Capella Papali, ut legitur in Cæremoniali Romano Marcelli Corcyrenſis *lib.* 2. *cap,* 38. in quo ſermo habetur de quinta Dominica Quadrageſimæ, legitur, cum in fine Evangelii dicitur: *Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo;* Clerici Capellæ ſuper Altare Velum paratum cordulis in rotulis ſupra in altum confixis, euntibus ſurſum trahant, ut eo Imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur.

II. Gav. n. 3. *Omittitur etiam Judica me Deus, &c.*) In Miſſa hujus Dominicæ, & cæteris deinceps Miſſis de tempore uſque ad Sabbatum Sanctum excluſive, poſt *Introibo*, non dicitur Pſalmus: *Judica me Deus*, nec *Gloria Patri* ad Introitum, nec ad finem Pſalmi, *Lavabo*. Id ipſum etiam hoc, & ſequenti Dominica omittitur ad *Aſperges, &c.* poſt Pſalmum *Miſerere*, ut habetur in Rubrica Miſſalis de aſperſione aquæ benedictæ. Dixi in Miſſa de tempore omittendum eſſe Pſalmum *Judica me Deus*, cum *Gloria, &c.* nam ſi Feriis ſequentibus ad hanc Dominicam occurrat Feſtum duplex, aut ſemiduplex, fit de eo Officium, & Miſſa, ut in Rubricis Breviarii, & Miſſalis præſcribitur, & in tali Miſſa, ſicut & in Miſſis Votivis hujus hebdomadæ (etiam ea, quæ dicitur de Paſſione, aut de Cruce) dicitur Pſalmus *Judica*, ita *Gloria Patri* ad Introitum, & ad Pſalmum *Lavabo, &c.* prout alibi declaravimus, nempe in Additionibus, & Obſervationibus noſtris ad Tit. VIII. primæ Partis, ubi agitur de Introitu Miſſæ.

III. Gav. eodem n. 3. *Dicta eſt ab Ordine Romano Dominica mediana, &c.*) Hæc Dominica, ut optime notat Gav. ſupra, vocatur ab Ordine Romano *mediana*, Nomine Dominicæ medianæ, aliqui intellexerunt Dominicam quartam Quadrageſimæ, quia hæc eſt media reſpectu quadrageſimalis Tractus. Gloſſa tamen in canone *principalis diſtinct.* 63. aſſerit eam eſſe, quæ dicitur ad *ſitientem*; idem affirmat ad canonem *in Parochia* 16. *qu.* 1. quæ opinio Gloſſ. confirmatur ex Epiſtola prima Gelaſii Papæ *cap,* 13. & auctoritate Ordinis Romani a Gav. allegati, ubi lectiones Prophetæ Hieremiæ, quæ diſponuntur in Dominica mediana ſunt illæ, quæ reperiuntur in Dominica Paſſionis in primo Nocturno. Idem etiam colligitur ex Ivone Carnotenſi *epiſtol.* 63. in qua habetur; *Apoſtolica Inſtitutio, & Paterni Canones habent ut non fiat Levitica, vel Sacerdotalis Ordinatio niſi jejunio quarti menſis, ſeptimi, & decimi, aut initio Quadrageſimæ, vel Sabbato medianæ.* Fuit autem hæc Dominica ſic appellata, ut aliqui opinantur, quia in ejuſmodi Lectionibus fit mentio Lunæ quartædecimæ, & quintædecimæ, quæ cum ſint medietates periodi Lunaris, idcirco hæc Dominica mediana dicitur. Hæc ex Macrio *V. Dominica mediana*, ubi ſubnectit Theophylum Raymundum abſque fundamento cogitaſſe hanc Dominicam medianam eſſe quartam Quadrageſimæ, & ideo Roſam, de qua ſupra ſermonem habuimus, & de cujus Benedictione ipſe egit, *medianam* peram vocavit; dum ſupra adductæ auctoritates omnes Dominicam medianam, hanc Dominicam eſſe demonſtrant. Eſt autem hæc Dominica Paſſionis Dominica major primæ claſſis, ideſt privilegiata contra quodcumque Feſtum etiam primæ claſſis. In Eccleſiis tamen, ubi hodie eſt titulus Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet (v. g. S. Joſephi, aut Annunciationis B.M.V.) poſſunt juxta Rubricam generalem ſextam Miſſalis, hac Dominica cantari duæ Miſſæ, una de die, altera de Feſto poſt horam utique congruentem, de qua *Rubrica generalis* 15. *Miſſalis n.* 2. Gav. *ſup. part. 1. tit. 6. &* 15. diciturque in Miſſa de Feſto Pſalm. *Judica, Gloria, Credo, &c. & Tractus.* Item Præfatio de eodem Feſto ſi propriam habeat, ſine ulla commemoratione. Admittit quoque hæc Dominica commemorationem Feſti ſimplicis.

IV. Gav. n. 4. -- *De duabus Orationibus & non tribus, &c.*) In Miſſa hujus Dominicæ duæ Orationes tantum ſunt dicendæ, nimirum Oratio propria hujus diei, & altera vel contra *Perſecutores Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ita ut tertia Oratio non dicatur. Hæc eadem Rubrica ſervari debet ab hac die incluſive in Miſſis ferialibus, & de tempore uſque ad Feriam V. in Cœna Domini excluſive. Gravis tamen uſquemodo agitata fuit quæſtio, utrum occurrente Feſto ſimplici in hac Dominica, vel in prædictis Feriis ſubſequentibus, in Miſſa de tempore debeat dici tertia Oratio, nimirum ſecunda de Feſto ſimplici in tali Feria occurrenti, & tertia *Eccleſiæ*, vel alia *Deus omnium Fidelium*, pro Papa. De hac re alibi ſermonem fecimus, nimirum in noſtris Obſervationibus *ad Titul. IX. part. I. num. VI. & ſeq.* ubi tamen hujus dubii reſolutionem ſuſpendimus, & remiſimus lectorem ad preſentem locum, expectabamus etenim, dum hoc opus Typis mandaretur, aliquod S. R. C. Decr. hujus celebris controverſiæ penitus deciſivum. Et quidem voti noſtri compotes facti ſumus; die enim 15. Septembr. Anni 1736. poſtquam hæc folia Typographo conſignata erant, Sac. Cong. humillime ſupplicatum fuit pro definitiva declaratione -- An in Miſſis ferialibus a Dominica Paſſionis uſque ad Feriam V. in Cœna Domini occurrente Feſto ſimplici, dicenda ſit tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*; & an eadem tertia Oratio recitanda quoque ſit infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes? Referente autem Eminentiſs. ac Reverendiſs. D. Card. de Gentilibus, eadem S. R. C. inhærendo reſolutionibus *alias* in ſimili dubio editis, & ſignanter *in una Rubricarum*, die 22. Novembris 1659. necnon *in Cæſarauguſtana*, 13. Septemb. 1692. & denique *in Piſtorien.* 4. Maji 1709. reſpondit: nihil eſſe innovandum; nimirum non eſſe dicendam tertiam Orationem.

Ejuſmodi igitur iteratis Sacr. Congreg. Decr., & quæſtione diligenter diſcuſſa emanatis, remanet omnino firmum, & inconcuſſum, quod recurrente Feſto ſimplici in prædictis diebus præter Orationem diei, & aliam de ſimplici non ſit dicenda tertia Oratio in Miſſis de tempore. Antequam emanaret nullum ex memoratis Decretis tenebat hanc ſententiam noſter Gavantus, & ita intelligebat Rubricarum diſpoſitiones circa prædictas duas Orationes tantum dicendas. Siquidem in ſequenti *Titul, XI. num.* 2. ubi ſermonem habet de Octava Paſchatis, ait -- infra quam ſi fiat commemoratio de ſimplici, non tamen dicitur Oratio -- & *num.* 25. ubi ſermonem habet de Octava Pentecoſtes, concludit -- quod ſi fiat de ſimplici commemoratio, non tamen dicitur tertia Oratio in Miſſa -- & hæc verba Gavanti cum reperiantur in prioribus editionibus ſui Theſauri, ipſi profecto tribuenda ſunt; quod non ita certo affirmare poſſumus de aliis verbis, quæ ad *Titul. IX. I. Partis* ſui Theſauri ad Rubricam *num.* 8. leguntur, nempe -- ſi in prædictis occurrat commemoratio de Sancto, non dicitur tertia Oratio ad ſenſum Rubricæ -- quæ verba in prima, & ſecunda editione ſui operis revera non leguntur, & ideo dubitandi locus eſt, utrum ipſe, vel alius ea addiderit in poſterioribus editionibus.

Gavanti ſententiam omnes complexi ſunt, præſertim Bauldry *part. 4. cap. 12. num.* 6. Biſſus *lit. P. num.* 52. §. 3. Turrinus *part. 2. ſect,* 2. Corſettus *part. 2. cap. 4. num.* 3. & alii communiter, inter quos recenſentur PP. Benedictini Congreg. S. Mauri, qui in ſuo Cæremoniali Monaſtico *lib. 3. cap. 13. num.* 20. ita loquuntur -- Si tempore Paſſionis dicatur Miſſa Votiva, tres Orationes dicuntur, ſicut fit in ſemiduplicibus: at ſi eodem Paſſionis tempore, infra Octavam Paſchæ, & Pentecoſtes fiat commemoratio de Feſto ſimplici, ea fiet ſecundo loco, & non dicetur alia Oratio aſſignata, ſcilicet *Eccleſiæ*, vel *pro Papa* -- Animadvertere debemus prælaudatos Monachos edidiſſe Cæremoniale Lutetiæ Pariſiorum Anno 1680. ſcilicet poſtquam Carolus Guyetus ſuam evulgaverat ſententiam, ingentique conatu eam propugnaverat contra Gavantum *lib. 4. cap. 18. quæſt.* 18. quapropter ob rationes ab eodem Auctore adductas nihil permoti fuerunt, neque ſuaderi potuerunt ad recedendum a Gavanti ſententia, quam licet ipſe nullo argumento comprobaverit, tamen ceu certiſſimam habuerunt prædicti Monachi S. Mauri ea ducti ratione, quam ipſimet innuunt *loc. cit. num.* 18. nimirum, quia Orationes communes, ſeu quæ de tempore appellantur, ſecundo loco, & tertio poſitæ non debent omitti, niſi ratione alicujus Octavæ, vel alicujus Feſti occurrentis debeat fieri

com-

commemoratio aliqua: tunc enim ſi occurrant duo, vel plures commemorationes faciendæ, omittitur utraque illarum de tempore; ſi tantum una occurrat commemoratio facienda, omittitur tunc tertia Oratio, quæ eſt ſecunda de tempore, & tertio loco dicitur illa, quæ eſt prima de tempore, & quæ ſecundo loco dicenda erat. Sit exemplum quando in Miſſa præſcribuntur tres Orationes dicendæ, una de Officio, ſeu de die, aliæ vero duæ de tempore, ſecunda *A cunctis*, & tertia eligenda ad libitum Sacerdotis; tunc ſi occurrant duo Feſta ſimplicia, omittitur utraque Oratio de tempore, & ſubſtituitur commemoratio utriuſque Feſti ſimplicis. Exemplum habes hoc Anno 1736. die 21. Octobris, in qua incidit Dominica 21. poſt Pentecoſten. Hac enim die occurrit Feſtum ſimplex S. Hilarionis, & SS. Urſulæ, ac ſociarum Virg. & Mart. quorum duæ commemorationes eripuerunt locum Orationum duarum de tempore.

Firmata igitur hac regula, quod Orationes, quæ correſpondent commemorationibus factis in Officio poſt Laudes, ſubſtituantur in Miſſa Collectis, ſeu Orationibus pro tempore aſſignatis, & quæ de tempore appellantur; debet pariter firmari hæc alia regula, quod ſicut duæ commemorationes de duobus ſimplicibus Feſtis occurrentibus in eadem die, ſubſtituuntur in Miſſa duabus Orationibus de tempore, quando duæ aſſignantur dicendæ, poſt Orationem diei; ita unica commemoratio de ſimplici facienda, ſubſtituitur unicæ Orationi de tempore, quando unica tantum eſt aſſignata in Miſſa dicenda. Ex quo igitur in memoratis Feriis a Dominica Paſſionis, uſque ad Feriam V. in Cœna Domini, & infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, unica aſſignatur Oratio de tempore dicenda, nempe, vel *Eccleſiæ*, vel *pro Papa* poſt Orationem diei; hinc fit quod ſi occurrat Feſtum ſimplex in prædictis diebus, omittenda ſit Oratio illa unica de tempore aſſignata, & loco illius dici debeat Oratio de dicto Feſto, quæ correſpondet commemorationi ejuſdem ſimplicis factæ in Officio.

Ex hucuſque dictis ſequitur, quod particula tantum, quæ habetur in Rubrica Feriæ 4. poſt Paſcha, in qua legitur -- Ab hac die uſque ad Sabbatum in Albis incluſive poſt Orationem diei dicitur una ex ſequentibus Orationibus tantum, niſi facienda ſit commemoratio Feſti ſimplicis -- Sequitur, inquam, quod illa particula *tantum* adverſatur numero ternario Orationum, itaut occurrente Feſto ſimplici nulla ex illis Orationibus dicatur, quæ ſunt communes, ſeu de tempore, ſed loco unius ex illis recitari debeat Oratio de ſimplici occurrente. Neque officit, quod eædem particulæ *tantum*, & *niſi* habeantur etiam in Rubrica *ſub num.* 10. *par.* 1. *tit.* 9. in qua dicitur: *Et die Octava dicitur una tantum Oratio, niſi facienda ſit aliqua commemoratio*; quin aliqua ex dictis particulis adverſetur numero binario Orationum; nam in hac Rubrica agitur de Orationibus, quæ ambæ ſunt Officii, & diei, adeoque de Orationibus, quæ in Miſſa nunquam omittuntur, niſi in aliquo caſu particulari habeatur exceptio in Rubricis, ſicut contingit in Dominica Palmarum, & in Vigilia Pentecoſtes, in quibus ſi occurrat Feſtum ſimplex, declaratur in Rubricis, quod de eo quamvis fieri debeat commemoratio in Officio, non tamen debet pariter ejuſdem fieri commemoratio in Miſſa. Ex quo igitur in præfata Rubrica de Octava præſcribatur unica tantum Oratio, nempe diei, & ſubdatur, *niſi facienda ſit aliqua commemoratio*, nimirum niſi ſit addenda alia Oratio Officii, ideo illa particula *tantum* ibi adjecta non adverſatur numero binario Orationum, nullus enim ſanæ mentis intelligere poteſt, quod commemoratio facienda ſubſtitui debeat Orationi illius diei, ſeu Octavæ, itaut loco iſtius, debeat dici Oratio commemorationis. At particula *tantum*, quæ habetur in Rubrica Feriæ 4. poſt Paſcha verſatur, non circa Orationem Officii, & diei, ſed circa Orationem de tempore, cujus indoles eſt, ut omittatur in concurſu alterius Orationis de Officio, ſicut ſupra clariſſime explicavimus.

Rurſus neque dici poteſt, quod illa particula *tantum* adverſari nequeat numero ternario Orationum: quia ſi is eſſet ſenſus Rubricæ, ſervandus æque foret non ſolum in occurrentia Feſti ſimplicis, ſed inſuper in occurrentia Feſti ſemiduplicis, quo incidente dicitur Oratio ſecunda de Feria, & Tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Nihil, inquam, urget hæc difficultas contra ea, quo diximus, quia in Rubricis, ut ſupra expoſuimus, eſt ſpecialis diſpoſitio de Miſſa Feriali hujus temporis, in qua excluditur tertia Oratio; ſed in Miſſa Feſti ſemiduplicis diverſa eſt diſpoſitio Rubricæ, in dicta etenim Miſſa poſitive, & expreſſe præſcribuntur tres Orationes dicendæ: prima de Sancto, ſecunda de feria, tertia communis, ſeu de tempore, nempe *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Non debemus autem audacter inſurgere contra Rubricarum Auctorem, & dicere, quare ſic ordinaſti, nimirum duas tantum Orationes in Miſſa Feriæ, & tres in Miſſa Feſti ſemiduplicis, quod eſt nobilius Feria?

In Miſſa de duplici dicenda aliquando in Feriis hujus hebdomadæ, Oratio ſecunda eſt de Feria currenti, cui addenda eſt commemoratio de Feſto ſimplici, ſi quod occurrat. At vero in Miſſa de Feſto ſemiduplici, ſecunda Oratio eſt de Feria, tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, niſi facienda ſit commemoratio de Feſto ſimplici occurrente; tunc enim erit de illo (omiſſa Oratione pro *Eccleſia*, vel *pro Papa*) in Miſſis privatis.

Dixi in Miſſis privatis, nam ubi infra hebdomadam Paſſionis in ejuſmodi Feſto ſemiduplici cantandæ erunt duæ Miſſæ Conventuales (uti in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis) una de Feſto, altera de Feria; in Miſſa de Feſto ſemiduplici, ſecunda Oratio erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*; aut ſi occurrat Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio eſſet de Feſto ſimplici. In Miſſa vero de Feria Oratio ſecunda erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, non autem de ſimplici, etiamſi tale ſimul occurrat, & tunc non dicetur tertia Oratio, tam in Miſſa Conventuali de Feſto, quam in Miſſa Conventuali de Feria juxta ſententiam P. Halden, de qua mentionem fecimus in noſtris Obſervationibus ad Tit. IX. Partis I. *num.* 6. Non deſunt tamen, qui in Miſſa Conventuali de Feſto ſemiduplici præter Orationem de Feſto ſimplici occurrente dicant etiam tertiam Orationem *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*.

Advertere tamen eſt cum Halden in ſuis addendis, & corrigendis *pag. mihi* 20. quod hoc tempore Paſſionis, nec non infra Octavam Paſchæ, & Pentecoſtes, & omnibus illis diebus, quibus ex præſcripto Miſſalis dicuntur tantum duæ Orationes; *Oratio ſupranumeraria* a ſuperiore indicta (ſeu una, ſeu plures) ſuperaddita eſt duabus illis aliis a Miſſali pro Feria currente præſcriptis, & poſt utramque a Miſſali præſcriptam: hoc autem eſt etiam conforma decreto a S. R. C. emanato die 17. Auguſti 1709. *num.* 747. quod reperitur in noſtra Appendice. Adnotare etiam debemus, quod juxta Decretum emanatum die 11. Julii 1643. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 285. quod ſi in Fer. 2. poſt hanc Dominicam dicitur Officium Defunctorum, non ideo tamen debeat dici Miſſa Defunctorum; neque Oratio Fidelium in Miſſa occurrente. Vide etiam Decretum editum die decima Januarii 1693. in una Galliarum, & datum in noſtro Indice *ſub num.* 506. in quo confirmantur aliqua jam a Rubricis præſcripta, & a nobis ſuperius tradita, præſertim circa Miſſas Conventuales alicujus Feſti in hac hebdomada occurrentis, & Feriæ pariter occurrentis, necnon circa Orationem de Feſto ſimplici.

V. Gavant. eodem num. 4. *De Præfatione, de Cruce, &c.*) Præfatio Miſſæ dicitur de Cruce in hodierna die, ac reliquis quoque deinceps Miſſis, uſque ad Feriam 5. in Cœna Domini incluſive, etiam in Feſtis, ac Miſſis Votivis, niſi propriam habeant, aut niſi dicatur *Miſſa de Requiem*, in hac enim ſemper dicitur *Præfatio Communis*, *& Communicantes Commune* quocumque tempore pariter dicitur, &c.

VI. Gav. num. 6. *Dominica Palmarum, &c.*) Hæc Dominica, ut optime notat Gavantus, varia ſortita eſt nomina, quorum fuſiores explicationes videri poſſunt apud Grancolas *lib.* 2. *Comment. Hiſtorici in Breviarum Romanum c.* 53. & apud Edmundum Martene *de diſciplina Eccl. c.* 20.

## Antiquitas Ritus Benedictionis Palmarum.

VII. Gavant. eodem num. 6. *In Benedictione Ramorum, &c.*) Benedictionis Palmarum, ſeu Olivarum, quæ fieri præſcribitur in hac Dominica, nulla apparet mentio; ait Martene *c.* 20. *de antiq. Eccleſ. diſciplina* apud Auctores ante ſæculum octavum, aut nonum; nullum apparet illius veſtigium in pervetuſtis Miſſalibus Francorum, & Gothorum a Thomaſio vulgatis, nullum in antiqua Liturgia Gallicana ex Mſ. Bobienſi a Mabilonio eruta, & edita *tom.* 1. *Muſæi Italici*, nullum in Ordine Gelaſiano, nullum in S. Gregorii Sacramentorum libro Menardi notis illuſtrato, aliiſque nonnullis ante annos nongentos exaratis, &c. Hæc Martene *cit. loc.* qui ſubdit, ſe nullum Amalario antiquiorem, qui prædictæ Benedictionis mentionem fecerit, Auctorem vidiſſe. Verum fallitur ſapientiſſimus Vir, etenim in Sacramentario S. Gregorii Magni a clariſſimo Menardo edito, hujus Benedictionis mentionem fieri apertiſſime liquet in Oratione, quæ Communionem præcedit, in qua Deo dicitur quemadmodum Fideles ſe illis offerebant eo die cum frondibus Palmarum, & Ramorum, velle eos poſt mortem recipere Palmis Victoriæ præcinctos, & bonorum operum fructibus exornatos, &c. quapropter mirari ſubit eruditiſſimum Martene affirmare potuiſſe nullum Solemnitatis Palmarum, & Ramorum veſtigium extare in Sacramentario Gregoriano a Menardo vulgato; dubitat tamen doctiſſimus Grancolas, an prædicta Oratio Sacramentario Gregoriano fuerit adjecta, ſed vana omnino eſt hæc dubitatio, etenim in Codice Membranaceo Sacramentarii Gregoriani, qui reperiebatur in Bibliotheca Reginæ Svetiæ ſupra octingentos annos exarato, hæc leguntur a doctiſſimo noſtro Thomaſio obſervata -- Die Dominico in Palmis ad S. Joannem in Lateranis Benedictio in Palmis: *Deus cujus Filius, &c.* -- Obſervavit hæc Thomaſius in Notis MSS. ad Sacramentarium Pamelii, quas penes me habeo; ex quo manifeſtum eſt in antiquiſſimo omnium Codice Gregoriano Benedictionem Palmarum extare, ac proinde jam Gregorii ævo hujuſmodi cæremoniam in Eccleſiæ Romanæ diſciplinam tranſiiſſe. Et ſane uno tantum poſt Gregorium ſæculo hic Ritus in Anglia vigebat teſte Aldhelmo Orientalium Saxonum Epiſcopo *lib. de Laudibus Virginis c.* 15. En Aldhelmi teſtimonium -- Aut fruſtra vocabuli privilegium participavit cum Advocato, & Redemptore noſtro, de quo lactentes Evangelici conſona vocis harmonia pſallentes concorditer cecinerunt; *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, cujus rei regulam noſtra quoque mediocritas (authenticam Veterum auctoritatum ſubnixi)

in ſacroſancta Palmarum Solemnitate, binis claſſibus canora voce concrepans, & geminis concentibus Hoſanna poſtulans, cum jucundæ jubilationis melodia concelebrat. In quo teſtimonio illud ſedulo animadvertendum, Scriptorem hunc affirmare, quod hujuſmodi cæremonia erat authentica veterum authoritate ſubnixa, & revera Grancolas *Comment. Hiſt. in Breviarum Romanum c.* 53. ubi agit de hac cæremonia, cenſet eam Roma fuiſſe in Angliam invectam; itaque neceſſario fatendum eſt, Anglos hanc diſciplina ex Auguſtino ipſorum Apoſtolo, illuc a Gregorio Pontifice miſſo accepiſſe, niſi Aldhelmo mendacii notam velimus inurere, qui recentem Ritum nobis tamquam veterem venditaret. Quod ſi rem altius repetere placet, eumdem Ritum, etiam Gregorio antiquiorem in Eccleſia Occidentali fortaſſe inveniemus. Nam in Sacramentario Gelaſii (quidquid Martene dixerit nullam in eo reperiri mentionem, nullumque veſtigium præfatæ Benedictionis) Dominica 6. Quadrageſimæ habet hunc titulum -- Domin. in Palmas de Paſſione Domini -- Quo titulo ſane docemur jam tunc in Romanam Eccleſiam Palmarum Ritum invectum fuiſſe; Adrianus Baillet *tom.* 4. in hiſtoriam hujus diei, putat, id etiam Gelaſiano Codici fuiſſe adjectum, ſed ab ea opinione ſicut etiam a ſua Grancolas, & Martene profecto receſſiſſent, ſi antequam eam amplecterentur præ oculis habuiſſent vetuſtiſſimum Kalendarium Eccleſiæ Romanæ, quod ipſemet Martene poſtea evulgavit tom. 4. Theſauri Anecdoct. quodque ipſe eruditiſſimus Vir labente quarto, vel ineunte ſæculo V. ſcriptum exiſtimavit, in quo quidem Kalendario leguntur -- Dominica in Palmas ad S. Joann. in Lateranis -- Nulli itaque dubium eſſe debet, quin hic Ritus antiquiſſimus ſit in Eccleſia Romana. At inquiunt adverſarii, cur igitur nulla hujus Cæremoniæ mentio apud Iſidorum, nulla in Gallicana Liturgia a Mabillonio edita, ex Codice Bobienſi, nulla in Miſſali Francorum, atque Gothorum a Thomaſio vulgato, nulla in Pontificali Egberti Ehroicenſis Epiſcopi? Nimirum, quia non omnes Ritus, quos ſuſcipiebat Eccleſia Romana, non omnes, inquam in Gallia, & Hiſpania vigebant, quod Viri illi peritiſſimi profecto non ignorant; quamvis ergo hæc Cæremonia apud Gallos ante Carolum Magnum in uſu non fuiſſet, ex hoc tamen non licet inferre in Eccleſia Romana, & in aliis Occidentis Eccleſiis non fuiſſe receptum; poſſet id exemplis quamplurimis demonſtrari, niſi res Lippis, & Tonſoribus nota eſſet. Præterire denique non debeo, quod in Codice Ratoldi exſtat Benedictio Palmarum.

Antiquum quoque fuiſſe in Oriente Palmarum, ſeu Ramorum Feſtum, quinimo antiquius quam in Occidente, deducitur ex Vita S. Euthimii a Cyrillo Scytopolitano ſcripta, in qua legitur, quod Solitarii, qui in deſertum ſecedebant poſt Epiphaniam, ut ad Feſtum Paſchatis ſe pararent, ad Monaſterium ſuum revertebantur ad Feſtum Palmarum celebrandum, quod erat in capite hebdomadæ, qua Dominicæ Paſſionis Myſteria celebrantur, & Clero procul dubio, ut bene ponderat Grancolas ſupra *loc. cit.* Monachi iſti didicerant hoc Feſtum celebrare quinto ſæculo in Oriente. Meminit pariter Solemnitatis Palmarum Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus *in Catechesi* 10. ut refert Menardus, *in notis*, *& Obſerv. in librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag.* 56. *& in pag. ſeq.* alia congerit pertinentia ad antiquitatem hujus Solemnitatis, Verum ex ultima auctoritate S. Cyrilli Baillet *tom.* 4. *ſupra cit.* agens de hiſtoria Feſti Ramorum *pag.* 194. §. 2. minime vult inferri Solemnitatem, de qua loquimur; ſicut etiam ex ſermonibus, qui S. Epiphanio, & S. Jo: Chryſoſtomo tribuuntur, in quibus Solemnitas iſta de Palæſtina in Cyprum, & Syriam tranſiiſſe dicitur, nihil certi deduci poſſe adſtruit, quia ſermones prædictos Auctoribus multo recentioribus adjudicandos eſſe opinatur, cui ſententiæ accedit etiam Grancolas *loc. cit.*

### Praxis Ritus ſolemnis Benedictionis Palmarum. De his, quæ præparanda ſunt pro tali Ritu.

VIII. Rubric. num. 7. *Completa Tertia, &c.*) Altare hac die parce paretur, non cum Floribus, vel Imaginibus ſolemnitatem indicantibus, ſed intra Candelabra interponi poterunt Rami Palmarum, ſive Olivarum, auro, vel argento decenter ornati. Pallium Altaris debet eſſe coloris violacei. In loco apto ad cornu Epiſtolæ prope Credentiam collocetur Crux proceſſionalis Velo violaceo tecta, & vitta violacea pro liganda Palma in ſummitate Crucis. Si ad Altare ſit Sacramentum in Tabernaculum, non debet pro facienda hac functione amoveri. Bauldry *part.* 4. *art.* 1. *n.* 5. Biſſus *lit. B*, *num.* 225. §. 4.

Super Credentiam ponatur Thuribulum cum Navicula, & præter alia requiſita pro Miſſa Solemni, Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, & Bacile cum Manutergio, necnon Vas aliud, ſeu Urceus aquæ pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis, faciendis poſt Palmarum diſtributionem. Item paretur alia Credentia in cornu Epiſtolæ prope Altare, verſus cornu poſterius, linteo pulchro undequaque contecta, ſuper quam ponantur Palmæ, & Rami Olivarum, ſea illis deficientibus aliarum arborum, in quibus Ramis inſerantur, ſi fieri poteſt, Cruces ex Palma. Palmæ, ſive Olivarum Rami pro Celebrante, Canonicis, & Miniſtris Sacris ſint aliis pulchriores; item pro Magiſtratu, ſive Nobilioribus convenit Ramos prædictos decenter ornari pro conſuetudine loci, & perſonarum qualitate, & omnes ſupradicti Rami tegantur ſuper Credentiam Mappa munda, vel alio Velo decenti, uſque dum fiat eorum Benedictio, Bauldry *ſupra num.* 2. Biſſus *ſupr.* §. 5.

Paretur etiam in aliquo loco remoto Vas cum carbonibus ardentibus, & forcipe ad eos ponendos in Thuribulo. Parentur quoque Miſſalia, tam pro Celebrante, quam pro Miniſtris Sacris, & Ritualia pro proceſſione; item ponatur ſuper Credentiam ordinariam Stola latior coloris violacei pro Diacono, ſi Miniſtri Sacri utantur Planetis plicatis; nam ſi iis non utantur, ſed miniſtrent in albis, neque Diaconus utitur Stola latiori, cum hæc adhibeatur loco Planetæ plicatæ.

Parentur etiam tria legilia, ſuper quæ Paſſio cantatur, ſicut & tria Miſſalia, aut tres Codices, in quibus Paſſio diligenter notata ſit. Præterea in Sacriſtia, vel alio loco ab Altari remoto præparari debent pro Cantoribus Paſſionis tres Amictus, tria Cingula, tres Stolæ, & totidem Manipuli, quibus indui debent tres Miniſtri, qui Paſſionem debent cantare. Biſſus *ſupra* §. 7. & Bauldry *ſupra*. Ad Manipulos vero, quod attinet pro Cantoribus Paſſionis, uſus illorum non præſcribitur a noſtro Caſtaldo *in Praxi Cærem. lib.* 3. *ſect.* 4. *cap.* 5. ubi nullam facit mentionem de prædictis Manipulis. Verum, cum in Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 4. expreſſa fiat de eiſdem mentio pro illis, qui Paſſionem ſunt cantaturi; hinc de illorum uſu non videtur dubitandum.

Deputentur præterea per Cæremoniarium duo, aut quatuor Cantores, qui in reverſione proceſſionis decantent in Eccleſia *V. Gloria*, *Laus*, *&c.* Item per eumdem Cæremoniarium deputentur, & in tabella deſcribantur ii omnes, qui hac die miniſtrare debent, qui ſunt Diaconi, Cantores Paſſionis, & alii Miniſtri, & quid illis agendum ſit præſcribatur, Bauldry *ſupra n.* 6.

### Pro initio Ritus Benedictionis Palmarum.

IX. Rubr. eodem num. 7. *Facta Aſperſione aquæ more ſolito*, *&c.* ſed ſine *Gloria Patri*.) Acolythus ponit Vas ejuſdem aquæ cum Aſperſorio ſuper Credentiam prope Ramos, & dicta a Celebrante ſolita Oratione *Exaudi*, ſtatim ponatur Miſſale ſuper Altare in cornu Epiſtolæ a Cæremoniario, vel ab alio niſi antea poſitum fuerit; itemque diſcooperiantur Palmæ, ſive Rami.

X. Rubric. eodem num. 7. *Sacerdos indutus Pluviali violaceo*, *&c.*) Dum prædicta peraguntur a Cæremoniario, vel ab alio, Celebrans indutus Pluviali violaceo, aſcendit ad Altare medius inter Sacros Miniſtros Planetis plicatis indutos, hinc inde Pluviale elevantes, & cum ad ſuppedaneum pervenerit, Altare in medio oſculatur, deinde & ipſi Miniſtri cætera præſtent, prout diximus in Feria 4. Cinerum.

XI. Rubr. eodem num. 7. *Vel ſine Caſula*, *&c.*) Ex defectu Pluvialis, aliquando Celebrans peragit hanc functionem indutus Stola tantum violacea ſuper Albam ſine Caſula, & ſine Manipulo, etiam quando deficiente Diacono ipſe deberet cantare Evangelium Benedictionis Palmarum, ut docet Biſſus *lit. C. num.* 220. Quamvis vero nonnulli opinati fuerint, quod etiam Manipulum induere debeat ob Evangelium, quod (deficiente Diacono) ipſemet Celebrans cantare deberet in Benedictione Palmarum; nihilominus, ſtante illa regula univerſali, quæ habetur in Rubrica generali *part.* 1. *tit.* 19. *num.* 4. Nimirum: *Ubi Pluviale haberi non poteſt in Benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Celebrans ſtat ſine Planeta cum Alba, & Stola*: Nequaquam Manipulus adhibendus eſt, teſtante etiam Gavanto *ibidem*, quod nullus eſt extra Miſſam uſus Manipuli Sacerdotalis; in hujuſmodi autem Palmarum Benedictione Sacerdos eſt extra Miſſa juxta eumdem Gavantum *ſupra hoc tit.* 7. *n.* 8. Præterea ſi Sacerdos in hujuſmodi Benedictione Pluviali uteretur; procul dubio deberet (deficiente Diacono) cantare ipſe Evangelium ſupradictum, & per conſequens ſine Manipulo, qui ex Rubrica generali *ſuprac.* & Gavanto *ibid.* cum Pluviali ſtare non poteſt; ergo nec quando ſola Stola præſcribitur in defectu Pluvialis, Manipulus aſſumi debet ob idem Evangelium canendum.

XII. Gavant. lit. a -- *Et deinde in cornu Epiſtolæ*, *&c.*) Poſtquam Celebrans oſculatus fuerit Altare in medio, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans medius inter Miniſtros Sacros (ita tamen, ut prædicti Sacri Miniſtri aliquantiſper diſtent ab Altari) legit, non ſe ſignans, Antiphonam *Hoſanna filio David*, ut in Miſſali, quam interim Cantores inchoant, & Chorus proſequitur. Biſſus *lit. B. num.* 87. §. 4. Bauldry *part.* 4. *cap.* 6. *art.* 2. *num* 2.

### R U B R I C A.

8. *Deinde Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ, non vertens ſe ad Populum, dicit in tono Orationis Miſſæ Ferialis, Dominus vobiſcum.*

### *G A V A N T U S.*

Non deducit manus, ſed junctas eas tenet, etiam ad *Oremus* & ad Orationes: quia ſumus extra Miſſam, & Miniſtri pares ſint Celebranti, & hinc inde, ut quando erit opus, commodius Diaconus elevet fimbriam Pluvialis a dextris.

### Novæ Obſervationes, & Additiones pro eodem Ritu Solemni Benedictionis Palmarum.

XIII. Rubr. num. 8. *Deinde Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ,*

*le, &c.*) Cantata a Choro prædicta Antiphona, Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ inter Miniſtros Sacros, non converſus ad populum, ſed verſus Altare manibus junctis, etiam ad *Oremus*, & ad Orationes, ut diximus agentes de Benedictione Cinerum, quia ſumus extra Miſſam, cantat *Dominus vobiſcum*, *&c.* & Orationem in Tono Feriali. Bauldry *ſupra n.* 4.

R U B R I C A.

*9. Poſtea Subdiaconus in loco ſolito cantat ſequentem lectionem in cornu Epiſtolæ, & in fine oſculatur manum Sacerdotis.*

*G A V A N T U S.*

Eadem prorſus facit, quæ pro Epiſtola Miſſæ, in cujus fine non tamen defert librum Celebrantis ad cornu Evangelii, quod legit Celebrans, ſi velit, in cornu Epiſtolæ; & reſumit, ſi ea utitur, Planetam plicatam Subdiaconus.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XIV. Rubr. num. *9. Poſtea Subdiaconus, &c.*) Cum Celebrans cantat Orationem, Subdiaconus vadit ad Credentiam, ubi depoſita Planeta plicata, ſi ea utatur, ſumit ambabus manibus Miſſale, & comitatus a Cæremoniario, vel ab alio, facta de more debita reverentia Altari, & Choro, accedit prout de more ad locum ſolitum pro cantanda Epiſtola, ibique in Tono conſueto Epiſtolæ cantat lectionem *de libro Exodi*, ut in Miſſali, quam interim Celebrans legit ſubmiſſa voce, ſi velit, aſſiſtente ſibi Diacono, ut in Miſſa Solemni ad Introitum, qui in fine lectionis reſpondet: *Deo gratias*, Subdiaconus autem, cantata Epiſtola, ſeu lectione, accedit cum ſocio a ſiniſtris ſuis ad medium Altaris, ubi genuflectit cum eo in infimo gradu, unico genu, & mox ſurgens pergit in cornu Epiſtolæ ad Celebrantem, ubi ſuper altiorem gradum de more ſolito genuflectens, manum Celebrantis oſculatur, & reddito Miſſali clauſo Cæremoniario, & factis iterum debitis reverentiis Altaei, & Choro ad Credentiam accedit, ubi Planetam plicatam reſumit, ſi ea utitur. Deinde redit ad Celebrantem, ibique eidem aſſiſtit, non tamen defert Miſſale Celebranti ad cornu Evangelii, quia Celebrans legit illud in cornu Epiſtolæ (præmiſſis *Graduali*, *Munda cor meum*, *& Jube Domine benedicere*, *&c.* ibidem, & non in medio Altaris, profunde inclinatus de more verſus Crucem.) Liberum tamen eſt Celebranti recitare jam Epiſtolam, quam ea, quæ ſequuntur, uſque ad Evangelium incluſive. Bauldry *ſupr. n.* 5. Biſſus *ſupra*, & Gav. *in Cæremoniali ſuæ Congregationis Cler. Reg. S. Pauli lib.* 2. *c.* 2.

R U B R I C A.

*10. Interim dum cantatur ℟. Diaconus ponit librum Evangelii ſuper Altare, & Sacerdos, miniſtrante Diacono Naviculam, ponit incenſum in Thuribulo: deinde dicit, Munda cor meum, accipit librum de Altari, petit benedictionem a Sacerdote, poſtea Subdiacono librum tenente medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accenſa, ſignat librum, incenſat, & cantat Evangelium, ut infra more conſueto, quo finito, Subdiaconus defert librum oſculandum Sacerdoti, qui & incenſatur a Diacono.*

*G A V A N T U S.*

Non diſcedit Celebrans a cornu Epiſtolæ: omnia fiunt etiam a Thuriferario, prout ad Evangelium Miſſæ diximus 2. *p. tit.* 6. *n.* 5. hic adde tamen, quod ſi Diaconus Caſula plicata utitur, incenſato Celebrante, priorem reſumit, eo modo, quo diximus.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XV. Rubr. num. 10. *Interim, dum cantatur* ℣. *&c.*) Vel quando opus eſt, Diaconus depoſita prius Platena plicata (ſi ea utatur) & ſumpta Stola latiori loco Planetæ, vel deficiente hac latiori Stola, convoluta eadem Planeta ſuper humerum ſiniſtrum ad modum Stolæ, defert de more librum Evangeliorum, ſive Miſſale ante pectus ſuper medium Altaris; interim Thuriferarius tempeſtive accedit ad cornu Epiſtolæ cum Thuribulo, & Navicula, ibique Celebrans, Diacono miniſtrante, ac ſtante a dextris ejus, ponit Thus in Thuribulo de more cum Benedictione, ut ad Evangelium, quo facto Diaconus genuflexus in medio Altaris ſuper ſuppedaneum, ut mos eſt, & inclinatus verſus prædictum Altare, manibus junctis dicit: *Munda cor meum &c.* Deinde ſtante ſemper Celebrante a cornu Epiſtolæ, omnia peraguntur a Diacono, Thuriferario, & aliis, ſicut in Miſſa Solemni, dum cantatur Evangelium, quo terminato, & incenſato Celebrante, Diaconus iterum Planetam plicatam reſumit, ſi ea utatur, alioquin ſtat in albis cum Stola, & Manipulo, deinde ad Altare accedit, ut infra. Biſſus *ſupra* §. 6. Bauldry *ſupra num.* 6. Vinitor *part.* 6. *tit.* 6. *n.* 10.

Si autem Celebrans perageret hanc Benedictionem ſine Miniſtris Sacris, ipſemet ſtans in cornu Epiſtolæ, poſt lectam ab aliquo Clerico lectionem, & poſt cantatum in Choro Graduale, ſeu Reſponſorium; adhibito incenſo, ipſemet, inquam, Sacerdos cantare debet Evangelium Benedictionis in cornu Epiſtolæ, juxta Decretum S. R. C. editum die 27. Aprilis 1697. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 612. Idque antea etiam docuerant Biſſ. *lit. B n.* 87. §. 20. Bauld. *part.* 4. *c.* 6. *art.* 4. *n.* 2.

R U B R I C A.

*Poſt hæc benedicuntur Rami, Sacerdos ſtans in eodem cornu Epiſtolæ dicit in Tono Orationis Ferialis, Dominus vobiſcum.*

*G A V A N T U S.*

Eodem modo cantat Præfationem manibus junctis, aſſiſtentibus hinc inde Miniſtris, cum quibus dicit: *Sanctus*, *&c.* cum autem manu benedicturus eſt Ramos, Diaconus elevat a dextris fimbriam pluvialis anteriorem; Celebrans vero, dum dextra ſignum Crucis facit, ponit ſiniſtram ſuper Altare: *Rubr. gener. part.* 2. *tit.* 3. *num.* 5. *& tit.* 7. *num.* 5. In Orationibus nihil eſt detrahendum, neque mutandum, licet benedicantur Rami arborum, non Palmæ, nec Olivarum Rami: quia ii Rami arborum ſuccedunt Palmarum loco, & a populo eo die vocantur Palmæ, neque Romæ, ubi ſolum Olivæ benedicuntur, non aliæ inferiores arbores, tacentur hæc verba in quarta Oratione: *Cæterarumque arborum*, neque eſt mendacium, ſicuti non eſt mendacium dicere in Paraſceve: *Ecce lignum Crucis*: adhibita tunc Cruce Argentea.

22. Circa finem quintæ Orationis, Acolythorum alter accipit de Credentia Vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & una cum Thuriferario accedit ad Celebrantem prope Diaconum.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XVI. Rubr. num. 11. *Poſt hæc benedicuntur Rami &c.*) His omnibus peractis Celebrans manibus junctis benedicit prædictos Ramos, ſtans in cornu Epiſtolæ aliquantulum ad Ramos converſus (Miniſtris Sacris hinc inde ſtantibus junctis manibus) dicit *Dominus vobiſcum* in Tono feriali, deinde Orationem: *Auge fidem*, *&c.* præmiſſo *Oremus*, qua finita proſequitur Celebrans Præfationem, ut in Miſſali manibus tamen junctis, aſſiſtentibus hinc inde Miniſtris Sacris, ut ſupra, qui in fine ſe inclinant, & cum Celebrante dicunt *Sanctus*, *&c.* (quod etiam cantatur a Choro in Tono feriali) & ad *Benedictus*, *qui venit*, erecti de more ſe ſignant. Bauldry *ſupra art.* 2. *n.* 8. Vinitor *ſupr. n.* 12. Cum Celebrans Ramos dextera benedicit, ſigno Crucis ad illam notam ✠ ſiniſtra ſuper Altare poſita, Diaconus elevat fimbriam ſui Pluvialis; interim qui ſunt in Choro ſtant verſus Altare detecto capite, & inclinant ſe cum nomen JESU profertur. Bauldry *ſupra*; Vinitor *ſupr. n.* 14. Biſſus *ſupra* §. 7.

R U B R I C A.

*13. Celebrans ponit Incenſum in Thuribulum, deinde ter* (d) *aſpergit Ramos aqua benedicta, dicendo Antiphonam* (e) *Aſperges me, ſine Cantu, ſine Pſalmo, & ter* (f) *adolet Incenſo.*

*G A V A N T U S.*

(d) *Aſpergit Ramos. Ordo Romanus*, accepto nimirum aſperſorio de manu Diaconi cum ſolitis oſculis, & reverentiis, aſpergit autem ter, ideſt in medio, a dextris Ramorum, & ſiniſtris eorum.

(e) *Aſperges me.* Submiſſa voce verſum illum tantum.

(f) *Adolet Incenſo. Ordo Romanus*: eo modo ſcilicet, quo aſpergit, nihil dicens: Diaconus autem in aſperſione, & incenſatione elevat fimbriam pluvialis; rurſus Celebrans in cornu Epiſtolæ, ut prius, addit quæ ſequuntur in Miſſali.

Benedictio hæc brevior eſt, quam ſit *in Ordine Romano*, ſufficiens tamen, demptis Orationibus, quæ multo plures habentur ibi.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

XVII. Rubr. num. 13. *Celebrans ponit Incenſum*, *&c.*) Expletis Orationibus Sacerdos impoſito cum Benedictione, prout de more, Incenſo in Thuribulum, ter aſpergit Ramos aqua benedicta, eo modo, quo deſcribit Gavantus *ſupra*, dicens interim ſubmiſſa voce; *Aſperges me*, *&c.* & poſtea ter adolet incenſo nihil dicens. Miniſtrandum eſt autem in hac Benedictione non ſolum Aſperſorium Sacerdoti a Diacono, ſed etiam Thuribulum cum ſolitis oſculis, ac reverentiis. Poſtremo dicitur Oratio: *Deus, qui Filium*, *&c.* & ſic completa erit Benedictio Ramorum.

R U B R I C A.

*14. Completa Benedictione, (g) dignior ex Clero accedit ad Altare, & dat Ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit, nec oſculatur manum dantis. Poſtea Celebrans ſtans ante Altare verſus ad Populum, diſtribuit Ramos, primum digniori, a quo ipſe accepit, deinde Diacono, & Subdiacono paratis, & aliis Clericis ſingulatim per ordinem, ultimo laicis: omnibus genuflectentibus, & Ramum, ac manum Celebrantis oſculantibus, (h) exceptis Prælatis, ſi adſint.*

*G A-*

## G A V A N T U S.

(g) *Dignior ex Clero*. Dignior, qui dat Ramum Celebranti, ſtans in ſuo habitu, ſine Stola, eidem ſtanti dabit, & cum oſculo Rami ab utroque facto, non manus; deponit autem Celebrans Ramum ſuum in manu Acolythi: & dum aliis aperto capite, ut diximus, ſtans diſtribuit, Diaconus a ſiniſtris ejus miniſtret eidem Ramos, eos tantum oſculando, depoſito interim ſuo Ramo ſuper Altare. Alter Acolythus miniſtrabit Ramos Diacono ſine oſculis.

(h) *Exceptis Prælatis*. Canonici quoque non oſculantur manum Celebrantis Canonici, *ex Cærem. lib.* 2. *cap.* 17.

Si populus eſt multus, poterit alius Sacerdos mitti, qui diſtribuat laicis: ſed *Ordo Romanus* a Celebrante diſtribui jubet.

### Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

XVIII. Rubr. num. 14. *Completa Benedictione Palmarum, &c.*) Celebrans accedit ad medium Altaris, ibique ſtat in medio Diaconi a ſiniſtris, qui ei Palmas, ſeu Ramos diſtribuendos porrigere debet, & Subdiaconi a dextris, nudo capite. Biſſus *ſupra* §. 10. & Vinitor *ſupra num.* 17. Thuriferarius vero depoſitis Thuribulo, & Navicula, aut Sacriſta ſtans ad latus Epiſtolæ offert Diacono præfatas Palmas ſine oſculis, & hic porrigit Celebranti cum oſculo tantum Ramorum, non vero manus; ſimiliter alius Acolythus deponit Vas. quæ benedictæ. Bauldry *ſup. num.* 12.

XIX. Rubr. & Gav. lit. g -- *Dignior ex Clero, &c.*) Interim Cæremoniarius, vel alius vadit ad Chorum, ubi cum debitis inclinationibus invitat Sacerdotem digniorem ex Clero, qui ipſo Cæremoniario comite cum ſolo habitu chorali, ſed ſine Stola, ut diximus ſupra in Feria 4. Cinerum, vadit ad Altare, quo perventus facit cum Cæremoniario ante infimum gradum Altaris genuflexionem unico genu (ſi tamen ſit Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, profundam tantum reverentiam facit) ſemper vero genuflectunt omnes etiam Canonici, ut ſæpius diximus, ſi in Tabernaculo aſſervatur SS. Sacramentum; deinde facta profunda reverentia etiam Celebranti; præfatus dignior de Clero aſcendit uſque ad gradum Altaris proximiorem ſuppedaneo, & ibi accepta de manu Diaconi ſtantis a ſiniſtris Celebrantis Palma pulchriori, quam oſculatur, non vero manu Celebrantis, eamque porrigit eidem Celebranti, quam ipſe quoque oſculatur, & poſtea alicui Miniſtro cuſtodiendam tradit, ut libere alias aliis diſtribuere poſſit. Tum Diaconus accipit aliam Palmam a Thuriferario, ſeu ab alio Acolytho (qui neque Palmam, neque Diaconi manum oſculatur) quam porrigit cum oſculo Palmæ tantum Celebranti, qui eam dat eidem digniori de Clero, a quo ipſe ſuam accepit, genuflexo ſuper Altaris ſuppedaneum (ut etiam omnes alii facere debent in accipienda Palma a Celebrante) qui dignior Palmam oſculatur, non manum Celebrantis; tum ſurgit, deſcendit in planum (advertens, ne directe terga vertat Celebranti) ubi iterum ad Altare convertitur, & eidem, ac Celebranti, & deinde Choro ſimul cum Cæremoniario debitam facit reverentiam, ut ſupra; poſtea eodem Cæremoniario comite, pergit ad ſuum ſtallum. Biſſ. *ſupra* §. 11.

Advertendum tamen eſt, quod ſi ſupradictus dignior de Clero ſit ſuperior Eccleſiæ, qui ob rationabilem aliquam cauſam, non benedicat Palmas, quando a Celebrante Palmam accipit; neque genuflectit, neque Celebrantis manum oſculatur, ſicut etiam faciunt Canonici Cathedralis Eccleſiæ, Bauldry *n.* 13. Biſſus *ſupra* §. 11.

Præterea advertere etiam eſt, quod incipiente Ramorum diſtributione, ſtatim, & non prius Cantores in Choro intonant Antiphonas: *Pueri Hebræorum, &c.* quas repetunt quouſque ſit finita Ramorum diſtributio, & nunquam ceſſare debent, & ut ſemper ſint in Choro aliqui, qui cantent, ſerventur ea, quæ diximus in Benedictione Cinerum.

Poſt digniorem de Clero, Miniſtri Sacri parati genuflectunt ſuper ſuppedaneum, ideſt Diaconus a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris, & ita Palmas accipiunt a Celebrante, eidem a Cæremoniario, vel alio porrectas. Miniſtri vero prædicti eam accipiendo oſculantur, & deinde Celebrantis manum (ſi tamen ſunt ejuſdem Ordinis cum Celebrante, manum prædictam non oſculantur, neque genuflectunt) poſtea ſurgunt, & Altari, ac Celebranti facta debita reverentia, ad locum ſuum redeunt, nempe Diaconus a ſiniſtris, & Subdiaconus a dexteris Celebrantis ſe recipit, prædictuſque Diaconus interim miniſtrat Celebranti Ramos, aliis diſtribuendos, eos tantum oſculando, depoſito prius ſuo Ramo ſuper Altare. Alter Acolythus miniſtrabit Ramos prædictos Diacono ſine oſculis, ut notat Gavantus *ſupra*, & prædicti Sacri Miniſtri ſuas Palmas tradere etiam poſſunt Acolythis, qui eas teneant in manu vel ſuper Credentiam deponant. Biſſus *ſupra* §. 13. Poſt Sacros Miniſtros accedunt alii de Clero, primo digniores, deinde alii, omnes tamen cum debitis reverentiis, antea, & poſt, ut ſupra dictum eſt.

Si qui tamen Prælati extranei adſint diſtributioni Palmarum, quando Celebrans acceperit Palmam a digniore Chori, ut ſupra, ipſi Prælati ante eundem Chori digniorem recipient in Altari Palmas, tantummodo inclinati non genuflexi, nec manum Celebrantis, ſed Palmas tantum oſculabuntur, quas etiam Celebrans porrigendo oſculari præſtat; quod ſi ad Altare non aſcendant, aliquis Sacerdos deſignatus illis deferat cum debitis reverentiis. Ex Cæremon. Monaſt. *lib.* 4. §. 10.

Tum Celebrans adhuc ſtans in medio Altaris, ut ſupra, proſequitur diſtributionem Palmarum, ſeu Ramorum Magiſtratui, & Nobilioribus, qui omnes venientes ad Altare, facta prius eidem Altari genuflexione unico genu, ſalutato hinc inde Choro, (aſſurgentibus tunc omnibus de Clero, etiam Canonicis, quia non ſunt parati) facta debita reverentia Celebranti, genuflectunt ſuper ſuppedaneum ejuſdem Altaris, ibique genuflexi recipiunt Palmas, quas prius oſculantur; deinde manum Celebrantis (quod etiam ſervare debent cæteri de Populo, qui ad cancellos accipiunt Ramos, ſeu Palmas. Mulieres tamen, tantummodo oſculantur Palmas, non vero manum Celebrantis. Biſſus *lit.* C *n.* 87. §. 14.) quibus deinde acceptis deſcendunt a Choro, factis prius, ut ſupra, debitis reverentiis.

XX. Rubric. & Gavant. lit. n -- *Exceptis Prælatis, &c.*) Prælati, ſi qui ſunt, qui accipiant Palmam a Celebrante, ut mox diximus, non genuflectunt, neque illius manum oſculantur, ſicut etiam Canonici Palmam tantum, & non manum oſculantur, neque genuflectunt, ſed tantum ſtant inclinati. Notandum tamen eſt, quod ſi in Eccleſiis Cathedralibus Diaconus, & Subdiaconus, qui miniſtrant in Miſſa, quæ celebratur ab aliqua dignitate, vel a Canonico aliquo, non ſint Canonici, ſed Beneficiati, aut Manſionarii, tunc prædicti Sacri Miniſtri recipiunt Palmas, non poſt digniorem de Clero, ſed poſt omnes Canonicos Cathedralis, etiamſi non ſint parati, & genuflectunt, & oſculantur Palmam, & manum Celebrantis, ut ſupra. Sin vero prædicti Sacri Miniſtri fuerint Canonici, tunc poſt ſupradictum digniorem de Clero ſtantes, capite tamen inclinato, Palmas recipiunt, quod idem dicendum eſt de Candelis; quamvis ſemper quantum fieri poteſt Miniſtri Sacri, debent eſſe ejuſdem Ordinis, & non inferioris cum Celebrante, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.

Quod ſi Epiſcopus (ſupponimus, quod ipſe non faciat hanc Benedictionem) non accedat ad Altare pro accipienda Palma, tunc per aliquem Sacerdotem, Cotta tantum indutum, ei Palma defertur, & ipſe Sacerdos oſculatur Palmam, ſimul & manum Epiſcopi, qui Epiſcopus oſculatur tantum Palmam, non vero manum offerentis, & idem dicendum eſt de Candelis, Bauldry *ſupra num.* 13. Biſſus *ſupra* §. 18.

XXI. Rubr. eodem num. 14. *Ultima Laicis, &c.*) Facta diſtributione Choro, & Magiſtratui ad Altare, Celebrans medius inter Sacros Miniſtros deſcendit ad cancellos (factis prius debitis reverentiis Choro) ubi eaſdem Palmas allatas a Miniſtris Populo utriuſque ſexus diſtribuit, & ſi populus ſit multus, poterit, ut notat Gavantus *ſupra*, alius Sacerdos mitti Cotta, & Stola tantum coloris violacei indutus, qui diſtribuat Laicis prædictos Ramos, cum oſculis, ut ſupra.

Recolantur Decreta S. R. C. quæ attulimus ſupra agentes de Benedictione Cinerum, quia in his multa traduntur, quæ ſpectant pariter ad hanc ſolemnitatem Benedictionis, & diſtributionis Palmarum.

Repetimus tamen illud, in quo declaratum fuit, quod Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non ſunt de juribus mere Parochialibus, & hoc Decretum datur in noſtro Indice *ſub num.* 565. Quare hujuſmodi functiones licite in Eccleſiis Regularibus fiunt, ſicut etiam in aliis Eccleſiis, & a Parochis nullatenus impediri poſſunt.

## R U B R I C A.

15. *Poſtea fit* (i) *Proceſſio. Et primo Celebrans* (l) *imponit incenſum in Thuribulum, & Diaconus vertens ſe ad Populum dicit: Procedamus in pace. Et Chorus reſpondet: In Nomine Chriſti, Amen. Præcedit Thuriferarius* (m) *cum Thuribulo fumigante: deinde* (n) *Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accenſis: ſequitur Clerus per ordinem,* (o) *ultimo Celebrans cum Diacono a ſiniſtris, omnes cum Ramis in manibus: & cantantur ſequentes Antiphonæ, vel omnes; vel aliquæ quouſque durat Proceſſio.*

## G A V A N T U S.

(i) *Proceſſio*. Tradit *Ord. Rom.*

(l) *Imponit incenſum*. Miniſtrante Diacono, & Thuriferario cum Benedictione de more.

(m) *Cum Thuribulo fumigante*. Ut quaſi ſternat viam Crucifixo ſequenti cum odore incenſi; vel quaſi Chriſtus trahat poſt ſe ſequentes in odorem unguentorum ſuorum.

(n) *Subdiaconus paratus*. Eo modo, quo ſupra; & ille idem, qui ſupra, non alius defert Crucem inter Acolythos, cujus uſum in proceſſione antiquiſſimum docet *Baron. Anno* 398. ut *parte prima diximus titulo* 19. *n.* 3. & prædicti quatuor deponunt alicubi Ramos ſuos, ut commodius geſtent alia.

(o) *Ultimo Celebrans*. Cooperto capite, & cum Ramis in manibus ſuis, tam Celebrans, quam Diaconus.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Ritu Proceſſionis hujus diei.

XXII. Rubr. & Gav. lit. l -- *Imponit Incenſum miniſtrante Diacono, &c.*) Circa finem diſtributionis Palmarum, curet Ma-

giſter

Digitized by Google

giſter Cæremoniarum, ut omnia pro proceſſione bene diſponantur; Thuriferarius Thuribulum cum prunis accenſis præparet, &c.

Celebrans vero completa diſtributione Palmarum, ſeu Olivarum, ſi eas diſtribuerit ad cancellos, antequam aſcendat ad Altare, debet pergere ad cornu Epiſtolæ per planum, ut ibi lavet manus cum medulla panis, ac tergat. Tum aſcendet ad librum per gradus Epiſtolæ, non tamen genuflectet, ſed tantum mediocriter inclinabit. Si tamen non ad cancellos Palmas, ſeu Olivas diſtribuerit, idem Celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ ibi manus lavabit, quibus lotis, ante librum, junctis manibus dicet *Dominus vobiſcum*, & Orationem; deinde Oratione finita redibit idem ad medium Altaris, ubi ſtans more ſolito, imponet, ac benedicet incenſum, miniſtrante Naviculam Diacono, & Thuriferario Thuribulum; interim aliquis Acolythus infiget, ſeu vitta violacea ligabit in ſummitate Crucis proceſſionalis velo violaceo tectæ ramuſculum ex Palmis, ſeu Olivis benedictis. Polaccus *in Aphoriſmis 9. dubio* §. 8. *pag. mihi* 165. Quo facto Diaconus ſuo Manipulo depoſito accipiet ab aliquo Acolytho Palmam Celebrantis, quam eidem præbebit cum oſculis ipſius Palmæ, & manus illius. Tum ſuam accipiet ab eodem Acolytho porrigente, quam tenebit ipſe Diaconus ſiniſtra; Celebrans vero ſuam dextera. Mox Diaconus facta genuflexione Altari, convertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, ſtanſque in ſuo gradu poſt Celebrantem, dicet: *Procedamus in pace*, cui reſpondet Chorus: *In Nomine Chriſti*, *Amen*, & continuo Diaconus convertit ſe ad Altare, nulla facta genuflexione. Interim Subdiaconus Benedictionis, & Miſſæ deſcendit, & genuflectit ſuper infimum gradum Altaris, & ſtatim accipit Crucem proceſſionalem, accipientibus ſimiliter ſua candelabra Ceroferariis, ac medius inter eos, ut moris eſt, accedit ad medium plani Presbyterii, vel ad cancellos, ſeu ad aditum Chori, præeunte Thuriferario cum Navicula, & Thuribulo fumigante, qui pone illos expectat ibidem, donec procedendum ſit. Cærem. Monaſt. *ſupra* §. 4. & Nicolaus de Bralion *part.* 3. *c.* 5. *n.* 13.

XXIII. Rubric. eodem num. 5. -- *Procedamus in pace*, *&c.*) Dicto a Diacono *Procedamus in pace*, *&c.* & reſponſu a Choro: *In Nomine Chriſti*, *&c.* Celebrans tunc, & non prius facta debita reverentia Altari deſcendit in planum, ubi a Diacono accipit Biretum, ſicut etiam ipſe Diaconus accipit ſuum a Cæremoniari, vel ab alio Miniſtro, & ſtatim ordinatur Proceſſio, hoc modo: Præcedit omnium primus, ut mox innuimus, Thuriferarius, ſequitur poſtea Subdiaconus (medius inter duos Ceroferarios) cum Cruce habente Crucifixi effigiem, quæ Thuriferarium præcedentem reſpicit: poſtea ſequuntur Clerici primo juniores, deinde alii ordinatim; procedunt autem bini ſimul, & ſi numerus ſit impar, ſenior, vel ſuperior procedat medius inter duos; Palmas vero ſic deferunt, ut qui eſt a dexteris; eam deferat dextera, & ille qui eſt a ſiniſtris Palmam deferat ſiniſtra manu.

XXIV. Rubric. & Gavant. lit. o -- *Ultimo Celebrans*, *&c.*) Ultimus omnium erit Celebrans capite tecto habens Diaconum a ſiniſtris, qui tamen non elevat fimbriam Pluvialis Celebrantis, & procedit capite tecto habentes ambo ſuum Ramum. Biſſus *tom.* 1. *lit. P. num.* 225. §. 2.

Et ſi adſint Prælati, immediate poſt Celebrantem procedunt, deinde Nobiles, & reliqui de Populo, & ubi eſt conſuetudo, ut ſodales Congregationis ad proceſſionem accedant ante Clericos, & bini pariter, ac palmas in manibus geſtantes ſuo ordine procedere debent, Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 4. *n.* 4.

XXV. Rubric. eodem num. 15. *Et cantantur ſeqq. Antiphona*, *vel omnes*, *&c.*) In hac proceſſione cantantur a Cantoribus Antiphonæ: *Cum appropinquaſſet Dominus*, *&c.* & aliæ in Miſſali deſcriptæ, quas proſequitur Chorus, quæ quidem dicuntue durante tota Proceſſione, & ſi proceſſio ſit brevis, aliquæ omittuntur; ſi vero ſit longior, aliquæ repetuntur; ita ut cantus illarum duret quamdiu proceſſio durat. Bauldry *part.* 4. *c.* 6. *art.* 3. *n.* 2. & Biſſus *ſupr.* §. 3. Juxta Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 16. §. 15. deberent Cantores procedere ante Thuriferarium, ſed hoc intelligendum videtur, ſi ſint aliqui Cantores Muſici, & Laici, nam ſi ſint Clerici, convenientius videtur, & eſt uſus communior, ut procedant immediate poſt Crucem. Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 14.

Notandum eſt, quod proceſſio regulariter incipienda eſt a latere Evangelii, niſi aliud ſuadeat loci ſitus, vel conſuetudo legitime introducta, Ita Biſſus *lit. P. num.* 221. §. 1. *&* *n.* 225. §. 4. juxta mentem noſtri Gavanti; Quarti tamen *tract. de proceſſ. ſect.* 1. *punct.* 6. *num.* 11. & Caſtaldus *lib.* 10. *ſect.* 10. *cap.* 1. *num.* 12. cenſent, proceſſionem inchoandam eſſe a latere Epiſtolæ, & terminandam ad latus Evangelii.

Advertere etiam debemus in hac, & aliis hujuſmodi proceſſionibus, quæ ſine Sacramento fiunt; quod dum inceditur per Eccleſiam, ſi forte accidat, ut in aliquo Altari fiat elevatio Sacratiſſimæ Hoſtiæ, aut Calicis, non eſt pulſanda campanula: ſi tamen pulſetur, & advertatur elevatio, tunc a tranſeuntibus ante illud Altare omnino genuflectendum erit utroque genu, uſque ad depoſitionem Sacramenti; ita Sacr. Rit. Congreg. 1. Martii 1681. & datur in noſtro Indice *ſub. n.* 457.

Hæc Proceſſio Palmarum exire debet extra Eccleſiam, ut poſſint cantari ℣℣. ut infra.

R U B R I C A.

*16. In reverſione Proceſſionis, duo, vel quatuor Cantores intrant in Eccleſiam, & clauſo oſtio ſtantes verſa facie ad Proceſſionem incipiunt* ℣. (p) *Gloria*, *Laus*: *& decantant duos primos verſus.* (q) *Sacerdos vero cum aliis extra Eccleſiam repetit eoſdem. Deinde, qui ſunt intus, cantant alios verſus ſequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur: & qui ſunt extra, ad quoslibet duos verſus reſpondent, Gloria, Laus, ſicut a principio. Poſtea Subdiaconus haſtili Crucis* (r) *percutit portam, qua ſtatim aperta, Proceſſio intrat Eccleſiam cantando* ℟.

*G A V A N T U S.*

(p) *Gloria*, *Laus*. Duodecim tantum verſus habet *Ordo Romanus*, & Auctor eorum dicitur fuiſſe Aurelianenſis Epiſcopus, de carcere idcirco liberatus: *Durand. lib.* 6. *c.* 67. Quam hiſtoriam deſcribit etiam *Bar. Anno* 835. *ex probatis Auctoribus.*

(q) *Sacerdos cum aliis.* Sacerdos cooperto capite, Subdiaconus prope portam in medio, verſa tunc Imagine Crucifixi ad Sacerdotem.

(r) *Percutit portam.* Semel in ima parte portæ, & cum ima parte haſtilis, *ex Cærem. Pap. lib.* 2. *c.* 39. *& Rituali Romano Pauli V.* tum ad Altare deponit Crucem prope Credentiam, ſi Miſſa ſequatur Solemnis.

R U B R I C A.

17. ℟. *Ingrediente Domino. &c. Habet Ordo Romanus.*

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro eodem Ritu Proceſſionis hujus diei.

XXVI. Rubric. num. 16. *In reverſione Proceſſionis*, *duo vel quatuor*, *&c.*) Dum ſit proceſſio extra Eccleſiam duo aut quatuor Cantores deputati, tempeſtive intrant in Eccleſiam, cujus fores clauduntur, ibique expectant proceſſionem, & cum advenerit ad prædictas fores Subdiaconus deferens Crucem, verſus ad eas, medius inter Ceroferarios, aſſiſtente Cæremoniario, ſiſtit ſe; Chorus vero ſtat in duas partes diviſus vel per gyrum circumſtat (aut commodiori modo, quo fieri poteſt) medium habens Celebrantem (ſtante Diacono a ſiniſtris ejus) directe reſpicientem Crucem, habentem Imaginem Crucifixi, tunc ad ipſum Celebrantem converſam, ut notat Gavantus *ſupra littera* q, & Bauldry *ſupra n.* 3. nec non Biſſus *littera P n.* 225. §. 5. quamvis non deſint, qui volunt, Subdiaconum debere tenere Crucem eodem modo, quo proceditur in proceſſione, præſertim cum ſit percuſſurus portam Eccleſiæ haſta ejuſdem Crucis, in quo actu eodem modo procul dubio illam tenere debet. Nicolaus de Brailon *ſupra c.* 7. *n.* 9.

XXVII. Rubr. eodem num. 16. *Et decantant duos primos* ℣℣. *&c.*) Tum illi duo, vel quatuor qui ſunt in Eccleſia, incipiunt ℣. *Gloria*, *Laus*, *&c.* quem integre proſequuntur cum alio ſeq. Celebrans vero interim tecto capite, & alii, qui exiſtunt extra Eccleſiam, nudo quidem capite (videtur tamen, quod ibi ſtare poſſint omnes, & non ſolus Celebrans cooperto capite; hæc enim, quæ ibi fiunt, pertinent ad proceſſionem, in qua tota extra Eccleſiam cooperto capite omnes procedere poſſunt. Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 7.) repetunt eoſdem ℣℣. etiam integre, ut in Miſſali, deinde Cantores, qui ſunt intra Eccleſiam, cantant alios duos ℣℣. *Cœtus in Eccleſiis*, *&c.* quibus terminatis, iterum, qui ſunt extra Eccleſiam repetunt *Gloria*, *Laus*, *& Honor &c.* & ita ſucceſſive; ut in Miſſali, ſeu Rituali. Hos ℣℣. debere omnes omnino cantari, tenet Bauldry *ſupra n.* 5. & ait, ſe id colligere ex Miſſali recognito; ego tamen in Miſſali recognito, lego, quod ſi ℣℣. cantentur omnes, vel partim, prout videbitue (intellige anteriores) quod idem habetur in Rituali Romano.

XXVIII. Rubr. & Gav. lit. r -- *Percutit portam &c.*) Cantatis prædictis ℣℣. ſive illarum parte, Subdiaconus ima parte haſtilis Crucis, non tamen amota Cruce ab haſtili, percutit ſemel tantum, ita ut fragor audiri poſſit ab his, qui ſunt intra imam partem portæ Eccleſiæ, quæ ſtatim ab iis, qui ſunt intra, aperitur, & proceſſio ordine ſupra tradito ingreditur Eccleſiam, mox dicti Cantores incipiunt ℟. *Ingrediente Domino &c.* ex Rituali Pauli V. & Chorus illud proſequitur, in cujus fine non dicitur *Gloria Patri &c.* ut habetur in Miſſali, Bauldry *ſupra n.* 5. & Biſſus *ſupra* §. 6.

XXIX. Gav. lit. e -- *Tum ad Altare deponit Crucem*, *&c.*) Cum autem proceſſio ad Altare pervenerit; Subdiaconus Crucem in loco congruo deponit prope Credentiam, quæ ſtatim ab aliquo Acolytho in Sacriſtiam defertur. Ceroferarii vero deponunt ſua candelabra ſuper eamdem Credentiam. Bauldry *ſupra n.* 6. Biſſus *ſupra* §. 8. Celebrans vero medius inter Diaconum, & Subdiaconum, accedit ante infimum gradum Altaris, ibique deponit ſuam Palmam (ſicuti, & Diaconus, eam Cæremoniario, vel alicui Acolytho tradendo) & facta debita reverentia Altari, & Choro, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi depoſito Pluviali, capit Manipulum & Planetam violaceam, ſicut etiam Sacri Miniſtri ſuos Manipulos capiunt. Tum Celebrans cum præfatis Miniſtris Sacris, accedit iterum ad medium Altaris, ante infimum ipſius gradum. Cæremoniale Epiſcopum *lib.* 2. *c.* 17. §. 6.

RU-

## R U B R I C A.

18. *Deinde celebratur Miſſa, & Rami tenentur in manibus, dum cantatur Paſſio, & Evangelium tantum.*

## G A V A N T U S.

Ad totam Miſſam tenebantur Rami *in Ordine Romano*; ſed ad Paſſionem omnino, ut dum ignominia Crucis narratur, ejuſdem victoria per Ramos oſtendatur. Celebrans autem, dum legit in cornu Epiſtolæ Paſſionem, Palmam teneat ſiniſtra manu, *Cærem. Marcel. lib.* 2. *c.* 31. Idem & Miniſtri faciant. Miſſa habetur *in Antiph. & Sacramentario Gregoriano*; unicaque dicitur Oratio, quæ ex Sancto Ambroſio accepta eſt, *ex Pamelio* de Feria 6. in Paraſceve Ambroſ.

19. In Miſſa legitur Paſſio a S. Matthæo ſcripta, nam Alexander Papa inſtituit, Paſſionem legi hoc tempore a quatuor Evangeliſtis ſcriptam, eodemque ordine, quo ipſi ſcripſerunt *Durand. c.* 68. refert *S. Auguſtin. ſerm.* 144. *de tempore*, uno tantum die Paſſionem legi ſolitam fuiſſe, & ſecundum Matthæum, & cum ille voluiſſet, eam legi juxta quatuor Evangeliſtas, factum quidem eſt, ſed cum Auditorum ob novitatem perturbatione.

Notæ illæ ✠ C. S. non ſunt antiquæ, auctorem habent incertum, & puto, eas ſigoificare Chriſtum, Chroniſtam, Synagogam. Alii, Chriſtum, Cantorem, Succentorem, nam Diaconi dicuntur hodie Cantores Paſſionis *in Cæremoniali*. * Vox autem *Succentor*, non eſt nova, aut recens in Eccleſia Latina; quam ego legi inter Dignitates Cathedralis Averſanæ in inſtrumento celebrato cum Fratribus Minoribus anno 1234. quod habetur *apud Lucam VVaddinginm in Regeſto Pontificio ad Calcem Annalium Minorum Anno* 1235. *Bulla* 27. Ad cantandam vero Paſſionem eadem obſervanda fere ſunt, quæ infra dicemus *in Paraſceve n.* 3. ſed Stolæ Cantorum erunt violaceæ, vide ibi; dilatio enim hæc fit in gratiam noſtri Ordinis, qui hodiernam non cantat Miſſam.

20. Non petitur Benedictio, quia auctor Benedictionis extinctus legitur; eademque de cauſa neque luminaria deferuntur, neque Thus adhibetur, *ex Ordine Romano*: quia fervor devotionis in Apoſtolis tepuerat. Nec dicitur, *Dominus vobiſcum* in deteſtationem male ſalutantis Judæ, neque Gloria Chriſto datur, qui in paſſione eſt. *Durand. ibid.* de omiſſione *Gloria tibi Domine* ſcribit *Microl. etiam c.* 52. omnis autem Solemnitas in tanta mœſtitia tollitur; & in fine tantum more ſolito, tamquam ad Evangelium Miſſæ petitur Benedictio, incenſatur liber, & oſculandus datur Celebranti in initio poſtremæ partis, cum ejuſdem incenſatione, *Dur. ib.* in fine quoque reſpondetur *Laus tibi Chriſte*. * Quæ item (excepta Libri incenſationis, & Celebrantis) ſervanda erunt in Miſſis privatis.

21. Ad legendam autem Paſſionem in Miſſa privata non extinguuntur luminaria in Altari, ut ex profeſſo probat *Paulus Comitol. in reſponſ. Moral. lib.* 1. *quæſt.* 49.

22. In fine Miſſæ legitur Evangelium varie, ut dicitur *part.* 1. *Rubric. titul.* 13. *n.* 2. nimirum in Miſſis privatis Evangelium Palmarum; in ſolemni ſolitum S. Joannis.

23. Myſtice in hac Benedictione, Proceſſione, & Miſſa, recole decimam fuiſſe Lunam hac die, in qua ducebantur agni in domos, immolandi in Paſcate *Exod.* 27. & ecce Chriſtus Agnus Dei portatur ad victimam: *Jer.* 11. *ex Amalar. lib.* 11. *c.* 10. unde partim lætitiæ ſymbolum ob palmas victoriæ, partim mœroris eſt hæc dies, quia includitur in Hieruſalem, ut agnus ad occiſionem: porta Eccleſiæ clauſa, & haſtili Crucis aperta deſignat Hieruſalem cœleſtem per Chriſti paſſionem nobis reſeratam, unde dicitur ℟. *Ingrediente Domino in Sanctam Civitatem*, reliqua per ſe patent ex Hiſtoria Evangelica, & Benedictione Ramorum, ideſt ex verbis Benedictionis.

24. Sed quid agendum, ſi proceſſio extra Eccleſiam exire nequeat? Fiat circum Eccleſiam, & quod ante portam præſtandum erit, fiat in veſtibulo ante ingreſſum Capellæ majoris.

25. Quid item, ſi Cantores deſint ad cantandam paſſionem? eo caſu Diaconus ſolus Miſſæ cantet totam, & ea finita, redeat ad Altare, ac reliqua faciat pro parte poſtrema, ut ſupra dictum eſt, & dicemus Fer. 6.

26. In Feria 4. ſequenti * ad Introitum non genuflectitur, duæ lectiones leguntur *ex Ordine Romano*, vel propter ordinationes futuras in Sabbato Sancto, *Durand. cap.* 70. vel quia in prima lectione de morte animæ, in altare de morte corporis agitur: Chriſtus autem mortuus eſt pro Redemptione utriuſque, *Amal. lib.* 1. *c.* 11. vel quia ea die venditus eſt Chriſtus: unde quaſi ſit Feria 4. temporum, habet jejunii duplicem rationem; & inde ſumptum eſt, quod in jejunio, poſt ſextam Feriam, Feria 4. primum locum obtinet. *Durand. loco nunc citat.* Tractus poſt ſecundum lectionem dicitur, ut in Paraſceve, qui ut alias diximus, luctum ſignificat. *Rupert. lib.* 5. *c.* 13.

27. Habes *in Antiphonario, & Sacramentario S. Gregorii* Miſſarum Officia præcedentis tridui, quæ infra annum repeti non debent. *Diana tract.* 6. *reform.* 102.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Ritu Miſſæ ſolemnis hujus diei.

XXX. Rubr. num 18. *Deinde celebratur Miſſa, &c.*) Miſſa Solemnis (quantum fieri poteſt) vel Privata, ſecundum exigentiam celebratur ab eodem, qui Ramos benedixit, ut alias diximus de Feria 4. Cinerum, vel ab alio, ſi aliter fieri non poſſet, ſervatis iis, quæ diximus in ſupradicta Feria, & in Miſſis Solemnibus tempore Paſſionis.

Cum Subdiaconus in Epiſtola pronuntiabit illa verba: *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, &c.* omnes genuflectere debent uſque ad terram, & permanebunt genuflexi uſque ad verba illa, *& infernorum* incluſive. Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *c.* 21. §. 13. Celebrans vero genuflectit cum Diacono a ſiniſtris ejus ſuper ſuppedaneum Altaris ante medium ipſius. Bauldry *ſupra art.* 3. *num.* 7. Biſſus *lit. M num.* 250. Vinitor *hic n.* 29. Limita tamen, niſi Celebrans eſſet impeditus ad alia dicenda, puta *Graduale*, vel *Tractum*; Biſſus & Bauldry *ſupra*, quia tunc ibidem cum Diacono deberet genuflectere, & non in medio. Subdiaconus, cantata Epiſtola, manum Celebrantis oſculatur. Librum vero Acolytho tradit, reſumptaque Planeta plicata, Celebranti una cum Diacono aſſiſtit. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 5. *num.* 3.

Finita Epiſtola, debent parari per Acolythos tria legilia nuda, & ea collocari in recta linea, tendente ab Ortu ad Occaſum in plano, ubi ſolet Evangelium decantari; ſuper eadem legilia poſtea poni debent Libri, ſeu Codices pro Paſſione decantanda, ſi ſit conſuetudo locorum, alias debent parari. Circa initium Tractus (qui ſemper ex integro cantatur) tres, qui ſunt cantaturi Paſſionem, pergunt ad Sacriſtiam, & parant ſe habitu Diaconali, ſcilicet unuſquiſque induit ſe Amictu, Alba, Manipulo, & Stola communi Diaconali, ab humero ſiniſtro pendente, coloris violacei, & circa finem Tractus procedunt a Sacriſtia ad Presbyterium ſequenti ordine. Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 21. §. 14.

Antecedit aliquis Cæremoniarius, & eis deficientibus, Thuriferarius ſine Thuribulo, tum ille, qui agit Evangeliſtam ſolus; deinde ſequitur, qui Turbarum Perſonam agit, ultimus qui refert Perſonam Chriſti, omneſque incedunt nudo capite, manibus junctis ante pectus, ſi Codices continentes Paſſionem poſiti ſint ſuper legilia, ſin minus deferunt ipſi unuſquiſque ſuum Miſſale, ſeu Codicem Paſſionis ante pectus ambabus manibus, ſequentibus tribus Clericis diverſis a Clericis Officii, indutis Superpelliceo ſine candelabris, & ſine incenſo, ſed manibus junctis; Cæremoniale Epiſc. *ſupra* §. 15. Chriſtianus *ſect.* 1. *c.* 9. *num.* 2. & Gavantus *infra Tit. IX. Rubric.* 5. *lit.* g.

Cum pervenerint ad Altare, præfati tres Diaconi genuflectunt ſuper infimum gradum, ita ut, qui Perſonam Chriſti agit, ſit in medio, qui Evangeliſtæ a dexteris, & qui Turbarum a ſiniſtris; at tres Clerici genuflectunt in plano cum Ceremoniario pauſantes aliquantulum, ſed nihil dicentes, tum ſurgunt, non petita, nec habita Benedictione, ſed facta iterum debita Altari reverentia, & celebranti inclinatione, accedunt ad legilia, & ibi ſtant in recta linea facie verſa ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur, ſed hoc ordine; qui Evangelium agit, medium locum tenebit; qui Chriſtum dexteram; & qui Turbas ſiniſtram Evangeliſtæ occupare debet. Gav. *inf. Tit. IX. in Rubr.* 5. Bauld. *ſup. nu.* 9. & Hippolitus a Portu *part.* 2. *c.* 2. *ar.* 1. *Rubr.* 4. *in adnot. n.* 1. & hæc pariter erat ſententia Ven. Card. Thomaſii, quamvis Caſtald. noſter *ſupra n.* 4. Biſſ. Gerlacus Vinitor, Chriſtianus, Lohner, & alii doceant, quod qui gerit perſonam Chriſti, medium locum tenere debeat, qui Evangeliſtæ a dexteris, & alter a ſiniſtris; & opponentibus, alium eſſe uſum in Capella Pontificia, reſpondet Biſſus ideo in Capella Summi Pontificis medium locum teneri ab Evangeliſta, quia omnes tres unico tantum utuntur libro, & cum Evangeliſta plura, quam alii, cantet, commodius medium occupat locum, & facilius commodare poteſt librum modo huic, modo alteri Cantori. Sed hæc Biſſi reſponſio minime ſuffragatur ſuæ ſententiæ, nam in Sacroſancta Baſilica Lateranenſi, quamvis tres dicti Cantores utantur ſinguli ſuo Miſſali, ſeu Codice, nihilominus qui gerit Perſonam Evangeliſtæ medium locum tenet, qui vero Perſonam Chriſti agit, ſtat a dexteris ipſius Evangeliſtæ, & prope Altare; imo decipitur Biſſus circa Ritum Capellæ Papalis, nam etiam in hac ex tribus Cantoribus unuſquiſque canit Paſſionem in ſuo Miſſali; quapropter attentis auctoritatibus, & praxi talium Eccleſiarum, prima ſententia eſt potius amplectenda, quam ſecunda.

Tres autem Acolythi ſtant facie ad Cantores converſa, terga Aquiloni vertentes, quorum qui eſt medius (ſi uno tantum utatur libro) teneat ipſum librum, quem inter ſe mutuant æquali ſpatio, dum Paſſio cantatur, prout Cæremoniarius admonet, & cum tempus eſt, id nutu aliquo ſignificat. Caſtal. *ſup.* & Bauld. *ſup.*

Non tamen earum Eccleſiarum conſuetudo improbatur, in quibus ſinguli Diaconi cantantes in tribus legilibus, ut, ſupra, Paſſionem, ſuum habebunt Librum, ſeu Codicem, ut ſupra dictum eſt, quibus & duo Acolythi tantum ſuperpelliceis induti aſſiſtunt poſt lectorilia, vel a lateribus eorumdem, prout loci ratio poſtulaverit, vel ſi tres adhibeantur Clerici, juxta praxim aliquarum Eccleſiarum, apponent unuſquiſque manus ad legilia, quaſi librum tenentes, nunquam tamen præfati Clerici, ſive duo, ſive tres, aſſiſtunt retro poſt Diaconos cantantes Paſſionem; ſolum vero aſſi-

aſſiſtunt retro poſt dictos Diaconos, quando ipſi cantant Paſſionem in Pulpito, ſeu ambone: Caſtaldus *ſupra num.* 5. Si Diaconi Paſſionis habent legilia, ut ſupra innuimus, ante ſe pro ſuſtinendis libris, Nicolaus de Bralion *ſupra* exiſtimat, non eſſe neceſſariam dictorum trium Acolythorum aſſiſtentiam (quam tamen vult ſupralaudatus Caſtaldus, ut ipſe colligit ex noſtra conſuetudine Clericorum Regularium, vulgo Theatinorum, ſaltem duntum Acolythorum, ut ad Evangelium) cum in aliquibus Eccleſiis prima pars Paſſionis, quam cantant Diaconi ipſius, non cantetur in ſitu Evangelii, ſed tantum ultima pars; quæ cantatur a Diacono Miſſæ, ad quam partem procul dubio duo Acolythi aſſiſtere debent: ut infra dicemus, quæ quidem Nicolai de Bralion opinio nonnullis arridet. Si deſint Cantores, Gav. *infra Tit. IX. Rubr.* 5. *lit.* g ait, quod ſolus Diaconus cantare debet totam Paſſionem, &c. Non approbando diſtinctionem, ſeu diſtributionem Paſſionis inter Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, ita ut Celebrans vicem Chriſti gerat, & Subdiaconus Turbarum. Sed pace præclariſſimi noſtri Auctoris ego potius improbarem, quod Diaconus ſolus cantet totam Paſſionem, non enim hic Sacer Miniſter poteſt variis modulationibus nunc Chriſti, nunc Evangeliſtæ, modo Turbarum perſonam induere, cum nimis improbus eſſet hic labor, & non ad pietatem, ſed potius ad riſum moveret Populum. In defectu igitur Cantorum approbarem potius Celebrantem perſonam Chriſti induere, Diaconum Evangeliſtæ, & Subdiaconum Turbarum, quæ quidem modo eſt praxis multarum Eccleſiarum ſufficientiam Cantorum non habentium.

XXXI. Gav. num. 9. — *In Miſſa legitur Paſſio, &c.*) Diſpoſitis omnibus, ut ſupra, & finito cantu in Choro (ex praxi tamen Urbis, non eſt neceſſe ut omnes ℣℣. Tractus cantentur in Choro, ſed pauci ſufficiant, ſi ita congruum videatur, præſertim ob anguſtiam temporis, vel paucitatem Cantorum, quamvis tamen convenientius ſit, ut omnes cantentur. Bauldry *ſupr. n.* 12.) ille, qui Evangeliſtam agit, incipit abſolute, non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, nec librum ſignans, nec ſe ipſum: *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c.* & tunc omnes ſurgunt detecto capite, Palmaſque in manibus tenent uſque ad finem Paſſionis, exceptis Cantoribus, & Acolythis; Celebrans quoque Palmam tenet ſiniſtra manu; ex Cæremoniali Romano *lib.* 2. *cap.* 41. a Marcello Corcyrenſi edito, & ſubmiſſa voce Paſſionem legit, ſtans in cornu Epiſtolæ, juxta Decretum emanatum die 4. Auguſti 1663. & datum in noſtro indice *ſub num.* 403. paululum converſus ad Cantores Paſſionis; Miniſtris Sacris ſtantibus apud eum, ut in Introitu Miſſæ, Palma etiam ipſis ſiniſtra manu tenentibus; Diaconus vero folia Miſſalis vertit quando opus eſt. Bauldry *ſupra n.* 13. Nicolaus de Bralion *ſuprac.* obſervat hic, quod forte Celebrans, & Miniſtri Sacri tenere debent Palmas manu ſiniſtra, ut volunt ſupracitati DD. ut ſint hi tres uniformes, cum Diaconus vertere debeat folia Miſſalis, quando opus eſt, manu dextera, ideoque ſaltem poſt lectam Paſſionem a Celebrante exiſtimat omnes tenere debere Palmas manu dextera, ſiniſtra pectori admota.

In hac privata lectione Paſſionis dubium eſt, an ad ea verba: *Emiſit Spiritum*, Celebrans genuflectere debeat? negativam ſententiam docent Gavantus *tit. 9. ſeq. Rubr.* 5. lit. b. Bauldry *ſupra num.* 14. Vinitor *part. 6. tit. 6. n.* 32. Claudius Arnaudus *part. 4. tit. 9. num.* 4. Biſſus *lit. M num.* 150. §. 3. & horum ratio eſt, quia Celebrans Paſſionem non legit in cornu Evangelii; affirmativam vero ſententiam tuentur Caſtaldus *lib. 3. ſect. 5. num. 6.* & Nicolaus de Bralion *ſupr. num.* 13. regulare enim eſt, ait Bralion, ut genuflexiones, quæ fiunt ad aliqua in Miſſa, fiant a Celebrante, & a Miniſtris Sacris (niſi ſi in aliis ſint occupati) dum ipſe Celebrans privatim legit; & iterum quando fiunt ab omnibus in Choro. Nec refert quod ajunt DD. contrariæ opinionis, nempe quod ideo non debeat genuflectere Celebrans, quia Paſſionem non legit in cornu Evangelii; quid enim hoc intereſt? Non ne, & in dicto cornu Epiſtolæ genuflectere, poteſt? Validior eſſet objectio, ait ſuprac. Bralion, ſi dicerent ex obſervatione hujus Ritus periculum oriri alicujus perturbationis in Choro, dum cantatur Paſſio, cum facile aliqui Ritus ignari, exemplo Celebrantis volent etiam ipſi genuflectere, ſed prudentis, ac vigilantis Cæremoniarii erit huic inconvenienti obviam ire. Ita ſuprac. Bralion.

Lecta demum Paſſione (ſcilicet uſque ad eam partem, quæ cantanda eſt a Diacono in tono Evangelii) ipſe Celebrans cum Miniſtris ſe vertit ad Cantores cum Palma in manu, & ſtat ut ſolet ad Miſſam dum cantatur Evangelium. Diaconus ſtat ad ejus ſiniſtram, & Subdiaconus ad ſiniſtram Diaconi, omnes cum Palmis in manibus; ita Cæremoniale Romanum *ſupra*, ſed addo cum Bralion, quod omnes tunc debent tenere Palmas in dextera, ſiniſtra pectori admota, ut ſupra innuimus, &c. Dum profertur Nomen JESUS inclinant ſe verſus Crucem Altaris, tam Celebrans, quam Miniſtri, & reliqui de Clero. Obſervandum eſt, hic, quod aliqui Rubriciſtæ videntur maximas pati anguſtias, diſcutientes nimirum, an Celebrans lecta in cornu Epiſtolæ prima, ac majori parte Paſſionis, ſtatim debeat partem ſecundam legere, quæ Evangelii locum tenet, & pro qua prius dicendum eſt: *Munda cor meum, &c.* & *Jube Domine, &c.* an vero cum Miniſtris tranſire dum cantatur Paſſio (quod certe adſtantibus adminiſtrationis, & diſtractionis occaſionem præbere poſſet) ad cornu Evangelii ad illam legendam: an denique illud facere debeat ſtatim poſt factam pauſam a Cantoribus? Miratur Bralion, hanc DD. anxietatem, & pro dubii ſolutione nullum prædictorum faciendum cenſet. Quid enim cauſæ eſt, ait ipſe, cum Cæremoniale Epiſcoporum nihil in contrarium aperte dicat, quominus poſt cantatam a Cantoribus totam Paſſionem, uſque ad partem illam ultimam, quæ locum tenet Evangelii, in cornu Evangelii illam legat Celebrans, miniſtrante Subdiacono, dum Diaconus Miſſæ pro illa cantanda, deponit Planetam plicatam, accipit latiorem Stolam, defert librum, ſeu Miſſale ad Altare, & dicit: *Munda cor meum, &c.* & dum etiam tria legilia, quæ inſervierunt pro Cantoribus Paſſionibus amoventur? Hæc etenim omnia non debent fieri immediate poſt pauſam, ut fiunt a multis cum indecenti præcipitatione, ſed ſecundum Cæremoniale, cantata omnino Paſſione, imo prædicta fieri debent cum tali mora, & gravitate, ut interim juxta Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap.* 21. §. 16. omnes de Choro ſedere poſſint. Nec ulla ideo fit interruptio Officii, quamvis a Choro nihil cantetur; ſufficit enim quod Celebrans, & Miniſtri ad Altare ſuum munus exequantur. Ita præfatus Nicolaus de Bralion *ſupr. n.* 15.

Cum cantantur verba illa: *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, omnes genuflectere debent utroque genu (Cantores quidem verſus Librum; reliqui vero quilibet in ſuo loco, facie tamen verſus Crucem Altaris converſa: Caſtaldus *ſupra num.* 8.) & ideo antequam prædicta verba cantentur, Celebrans, & Miniſtri Sacri accedunt ad medium altaris, deſcendentes uſque ad ſecundum gradum, & genuflectunt ſuper ſuppedaneum utroque genu, nec prius ipſo Evangeliſta ſurgant, qui Evangeliſta non genuflectit niſi prolatis a ſe omnibus dictis verbis. Biſſus *lit. P* §. 4. & 5. *n.* 255. ſicque genuflexi pauſant aliquantulum ſaltem per ſpatium unius *Pater noſter*. Notandum tamen eſt ex Gavanto *infra tit.* 9. Bauldry, & Biſſo *ſupra*, quod ſignum ſurgendi non eſt dandum ſtrepitu manuum, vel alio modo a Celebrante, ſed ſervire pro ſigno ſurgendi ipſum ſurgere Evangeliſtæ. Omnibus igitur erectis ſequuntur Cantores ea quæ remanent de Paſſione, & Celebrans cum Miniſtris Sacris redeunt ad locum ſuum, in quo erant prius, ſicut etiam reliqui omnes ſurgunt, & Cantores proſequuntur Paſſionem (uſque ad illam partem, quæ cantari debet a Diacono Miſſæ in cornu Evangelii) qua cantata, factis debitis reverentiis Altari, Celebranti, & Choro redeunt ad Sacriſtiam eo ordine quo venerunt, comite Cæremoniario, qui ſtatim redit ad Altare, & illi Diaconi, qui Paſſionem cantarunt, depoſitis paramentis redeunt ad Chorum. Bauldry *ſupra*. Prædicta vero legilia ſtatim amoventur per Sacriſtam, vel alios.

Celebrans vero procedit ad medium Altaris de more, ibique dicit: *Munda cor meum, &c.* & Subdiaconus interim transfert librum ad cornu Evangelii, ubi accedens Celebrans legit, non ſignans ne librum, nec ſe ipſum, reliquam partem Paſſionis, quæ habetur loco Evangelii, aſſiſtente ſibi Subdiacono, qui etiam reſpondet *Laus tibi Chriſte*, ut in aliis Miſſis.

Interim Diaconus Miſſæ, depoſita Planeta plicata, accipit Stolam latiorem, deponit librum in medio Altaris, ante quod genuflexus dicit *Munda cor meum*, & cum Celebrans redierit ad medium Altaris imponitur incenſum in Thuribulo de more, deinde petit ab eo Benedictionem more ſolito, & accepto libro vadit ad planum Chori, ubi legit Evangelium, comitantibus Acolythis (ſine luminaribus tamen) ut in aliis Miſſis; quo finito Subdiaconus defert librum oſculandum Celebranti, & deinde Diaconus ipſum incenſat, deinde Miſſam proſequitur, ut moris eſt.

Ad elevationem Chorus reſumit Ramos Palmarum, ſeu Olivarum, qua finita iterum Rami deponuntur. Prædicta etiam aliis diebus, in quibus cantatur Paſſio, ſunt obſervanda, præterquam in Paraſceve, in qua ante id, quod ultimo legitur in Tono, ac loco Evangelii, dicitur quidem *Munda cor meum, &c.* ut aliis diebus, non tamen petitur Benedictio, nec miniſtratur Incenſum: nec denique Celebrans in fine oſculatur librum. In Miſſis privatis non extinguuntur lumina in Altari, dum legitur Paſſio, & tam in iiſdem, quam in Miſſa Solemni hodie dicitur *Credo* (ſine Gloria, &c.) ac Præfatio de S. Cruce, & in Miſſis privatis, imo & Miſſa Solemni (ubi non benedicuntur Rami) ultimum Evangelium: *Cum appropinquaſſet Jeſus, &c.* ex Benedictione Palmarum: at vero in fine Miſſæ Solemnis, ubi Rami benedicuntur, dicitur Evangelium S. Joannis.

Huc ſpectat Decretum editum a Sac. Rit. Cong. die 7. Julii 1612. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 130. In quo ſtatuitur; quod ubi adeſt conſuetudo, etiam Canonici cantare debeant Paſſionem, &c.

Hodie ex Decreto Eugenii IV. incipit tempus Communionis Paſchalis, & durat uſque ad Dominicam in Albis incluſive, ubi alia non eſt legitima locorum conſuetudo, qua de re nonnulla erudita, ac admodum practica videri poſſunt apud P. Georgium Gobat in *Alphabeto Communionis*, *ſeu Tract.* 4. *n.* 32.

Infra hanc quoque, & ſequentem hebdomadam, non poſſunt dici Miſſæ Votivæ privatæ, etiam de *Requiem*, etiam

ſæ-

Digitized by Google

præſente Corpore; rurſus hac die non poteſt celebrari Miſſa Votiva Solemnis de Feſto currente, etiam in Feſto celebri, v. g. *de Annuntiatione B. M. V.* ſicut etiam in tota hac majori hebdomada, idemque etiam eſt de Dominica Reſurrectionis, & Fer. 2. 3. eam ſubſequente, in quibus pariter nec ullum aliud Feſtum, aut Miſſa Votiva Solemnis in gratiam populi, magno numero concurrentis celebrari poteſt, uti conſtat ex nova Rubrica generali Miſſalis *tit. 6. num. 1.* poſſit tamen cantari hujuſmodi Miſſa altera de tali Feſto in aliis Feriis, infra Octavam Paſchæ. *Rubr. cit.* & Arnaldus *tract. 1. part. 4. tit. 15. num. 4.*

De eadem Dominica, & de iiſdem Ritibus ſervandis in Minoribus Eccleſiis. §. I.

Ut Ritus, & Sacræ Cæremoniæ in minoribus Eccleſiis, in quibus pauci admodum Clerici, & forte unicus tantum Sacerdos reperitur, poſſint exacte, ac uniformiter exerceri, ex Decreto particolari Congregationis a SS. D. N. Benedicto Papa XIII, indictæ ſub die 4. Decembris Anni 1724. impreſſum fuit opuſculum inſcriptum: *Memoriale Rituum pro aliquibus præſtantioribus ſacris Functionibus perſolvendis in Minoribus Eccleſiis Parochialibus. Romæ 1725. Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ*: ex quo quidem libello, aliqua nos quoque ſeligemus, quæ inſervire poterunt pro Praxi Cæremoniarum, & Sacr. Rituum in præfatis Eccleſiis Minoribus.

De præparandis pro Sacris Actionibus hujus Dominicæ, §. II.

Paretur Calix pro Miſſa cum ornamentis coloris violacei, ita Manipulus, & Planeta coloris violacei, & ponantur hæc ſuper Credentia Altaris Majoris; item Thuribulum, & Navicula cum Thure, Pelvis, & Urceus, necnon Manutergium pro lotione, & exterſione manuum; denique pelvicula cum ampullis vini, & aquæ, & Mappula ad tergendas manus in Miſſa.

In Altari vero ponatur pallium violaceum, & Miſſale in cornu Epiſtolæ ſuper pulvino violaceo, vel legili, Rami Palmarum loco florum inter candelabra.

Prope cornu Epiſtolæ in plano paretur menſa cooperta mantili albo, & ſuper eam Palmæ benedicendæ. Crux proceſſionalis tecta velo violaceo, & vitta violacea pro liganda Palma in ſummitate Crucis.

In Sacriſtia parari debent tria ſuperpellicea pro tribus Clericis, deinde Amictus, Alba, Cingulus, Stola, & Pluviale violacei coloris pro Celebrante.

Denique foculus cum igne, & forcipe, & Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio.

Pro Benedictione Palmarum. §. III.

Omnibus ſuo loco diſpoſitis feſtivo Campanarum ſonitu hora congrua convocabitur populus, & Celebrans in Sacriſtia adjuvantibus ſecundo, & tertio Clerico, dum primus accendit Candelas ſuper Altare, induit ſe Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali, & in defectu Pluvialis induitur ſola Alba cum Stola ſine Manipulo, ut innuimus ſupra contra Bauldry ſententiam, etiamſi dicturus ſit Evangelium. Idem Celebrans præcedente primo Clerico, deferente Vas cum aqua benedicta, medius inter ſecundum, & tertium Clericum tecto capite procedit ad Altare, & genuflectit in ejus infimo gradu pro aſperſione aquæ benedictæ; fit aſperſio more ſolito, poſtquam primus Clericus reponit Miſſale ſuper legili, ſeu cuſſino in cornu Epiſtolæ, & interim Celebrans medius inter alios duos Clericos aſcendit ad Altare, ac illud oſculatur in medio, deinde in cornu Epiſtolæ diſcoopertis per aliquem Clericum Ramis dicit *Hoſanna*, & Orationem manibus junctis, ut in Miſſali, & alius Clericus, ſi fieri poteſt, cantat lectionem in cornu Epiſtolæ, ſin minus legit eamdem Epiſtolam ipſe Celebrans, qua dicta, qui ſunt in Choro, etiamſi laici ſint, vel idem Sacerdos cum prædictis Clericis, dicit Reſponſorium: *Collegerunt, &c.* eoque finito Celebrans ſine Incenſo in eodem cornu Epiſtolæ cantat Evangelium, præmiſſo tamen; *Munda cor meum; & Jube Domine, &c.* Finito Evangelio oſculatur textum in fine, & deinde dicit *Dominus vobiſcum*, Orationem, & Præfationem tenens ſemper manus junctas, tam ad hæc, quam ad ſubſequentes Orationes. Clerici dicunt *Sanctus, Sanctus, &c.* deinde Celebrans præmiſſo *Dominus vobiſcum* ſubjungit quinque alias Orationes.

Interim primus Clericus ponit ignem in Thuribulo, & accipit Naviculam. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus facta genuflexione Altari, accipit e Credentia Vas aquæ benedictæ, & una cum Thuriferario accedit ad Celebrantem, qui miniſtrante ſecundo Clerico imponit Incenſum in Thuribulo, cum Benedictione, & oſculis, Deinde ter aſpergit Ramos dicens ſubmiſſa voce: *Aſperges me, &c.* ſine Pſalmo, demum eoſdem thurificat, & deinque dicit ſextam Orationem; primus vero Clericus deponit Thuribulum, & tertius vadit ad ſiniſtram Celebrantis.

Pro Palmarum Diſtributione. §. IV.

Prædictis omnibus ita peractis, primus Clericus accipit e Credentia Palmas pro Celebrante, & Clericis, eaſque collocat ſuper Altare. Celebrans vero, facta reverentia Cruci, genuflectit in medio Altaris, & ita genuflexus accipit ex Altari Palmam pro ſe ipſo, quam oſculatur, & poſtea tradit primo Clerico ſervandam. Si tamen adſit aliquis Sacerdos, hic dabit Palmam Celebranti ſtanti facie ad populum converſa, cum oſculo Palmæ tantum, & Celebrans ſimiliter Palmam tantum oſculabitur; poſt hæc Celebrans accedit ad cornu Epiſtolæ, & cum ſuis Clericis recitat Antiphonam: *Pueri Hebræorum, &c.* Deinde facta inclinatione Cruci vertit ſe ad populum, & diſtribuit Palmas, primo Presbyteris ſi adſint, deinde Clericis, Magiſtratibus, & Nobilioribus, &c. qui omnes oſculantur prius Ramum, deinde manum Celebrantis. Poſt hæc Celebrans deſcendit ab Altari, & accedit ad cancellos verſus cornu Epiſtolæ, ibique offerente Palmas a ſiniſtris primo Clerico, incipit eaſdem diſtribuere, primo Viris, deinde Fœminis. Completa diſtributione, Celebrans, & dicti Clerici peragunt omnia ea, quæ diximus in diſtributione ſolemni; nimirum Celebrans lavat manus, ut ſupra, dicit Orationem in cornu Epiſtolæ, &c. Qua completa primus Clericus porrigit Celebranti, & aliis duobus Clericis Palmas, &c.

Pro Proceſſione facienda. §. V.

Celebrans tenens Palmam in manibus vertit ſe ad populum, & dicit in medio Altaris; *Procedamus in pace;* & Clerici reſpondent: *In nomine Chriſti, Amen*: tum Celebrans inchoat: *Cum appropinquaſſet, &c.* & incipit proceſſio; in qua præcedit Clericus cum Cruce, & ſequitur Celebrans inter ſuos Clericos recitans alternatim cum eis alta voce Antiphonas, quæ habentur in Miſſali, ſeu Rituali. Et ita progreditur proceſſio per Eccleſiam, & exit extra portam. In fine vero duo Clerici, & alii, ſi qui ſunt, ingrediuntur Eccleſiam, ubi cantant alta voce: *Gloria, Laus, & Honor*, & alios, ut ſupra, quibus Celebrans, & alii reſpondent extra Eccleſiam reſpective, ut ſupra in proceſſione ſolemni. Quibus omnibus finitis, Clericus Crucem deferens ima parte haſtilis ipſius, percutit portam Eccleſiæ; qua aperta incipit Reſponſorium ante Altare Majus, quo cum pervenerit Sacerdos in plano a latere Epiſtolæ, deponit Pluviale, & accipit Manipulum, & Planetam, & deinde dicit Miſſam, deferente primo Clerico Calicem ad Altare, & expandente Corporale in medio ejus. Dum celebratur Miſſa, Clerici poterunt tenere Palmam in manibus; quando legitur Paſſio, & in fine Miſſæ dicitur Evangelium S. Joannis: *In principio, &c.*

Si ſint aliqui laici Cantores, vel Sodales alicujus piæ Confraternitatis, poterunt decantare ea, quæ ſunt in Miſſali, vel Rituali pro proceſſione, & Miſſa ſecundum laudabilem conſuetudinem a Majoribus approbatam, nempe ab Ordinariis locorum.

Feria 2. 3. & 4. infra hanc majorem hebdomadam, Miſſa dicitur eo proportionaliter modo, quo infra hebdomadam Paſſionis. Feria 3. dicitur in Miſſa (ad normam præcedentis Dominicæ) *Paſſio ſecundum Marcum*, & in fine Evangelium S. Joannis. Feria 4. in Miſſa ad verba illa Introitus: *In nomine JESU, &c.* non genuflectitur a Celebrante, In eadem Miſſa habentur duæ Epiſtolæ, ac poſt Tractum poſterioris legitur: *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum Lucam.* Reliqua, ut heri.

De Feria V. in Cœna Domini, VIII,

*G A V A N T U S.*

1. DE hac Feria *Ord. Rom.* Miſſa vero feſtivum habet Officium, ob inſtitutionem Sacramenti Sacramentorum; ſed, ut ait *Rupert. lib. 15. cap. 14.* ſicut in Feria 5. Mundi ex aquis ortum genus partim reliquit gurgiti Deus, hoc eſt piſces creavit, & partim levavit in aera, hoc eſt aves; ita in hac Feria quinta deprimimur in triſtitiam, levamur in gaudium. Crux, quæ in Altari eſt, velo tegatur albo.

2. Miſſæ Officium habetur *in Antiphonario, & Sacrament. S. Gregorii*, cujus collecta huc tranſlata eſt ex Miſſali Ambroſiano, ait *Pamelius in Liturgicon tom. 1.* Dicitur, *Gloria in Excelſis*, ex Bonifacii Decreto, *Durand. lib. 6. cap. 75.* & ab Epiſcopis, *de conſ. diſt. 1. Porro qui eſt Canon Nicolai Papæ.* Campanæ denique ſilent, ut excelſa noſtra, & turrium noſtrarum taceant in humilitate Chriſti, *Alcuin.* & quia tunc Apoſtoli Prædicatores per Caſtella non circuibant, & tacebant, *Rupert. loc. cit. cap. 29.* & ut ſilentium indicamus populo. *Idem.* Dicitur *Pax vobis*, ab Epiſcopo, *in Sacrament. Gregor.* Evangelium quadrat, quia eo die Chriſtus lavat pedes: & in Epiſtola ſufficienter agitur de Euchariſtia.

3. De Symbolo diximus *in Rubric. gener. part. 1. tit. 11.* Communicantes, Hanc igitur oblationem, Qui pridie, quæ ſunt propria hujus Miſſæ, habentur *in Ord. Rom.*

4. *Pax non datur, ex eod. Ord. Rom.* in deteſtationem oſculi Judæ, *Alcuin.* in tertio, *Agnus Dei*, dicitur, *dona nobis pacem*, contra Editionem Venetam in Officiis parvis Hebdomadæ majoris, in quibus antiquo Ritu notatur, quod habet *Durand. lib. 4. cap. 52.* tertio dici, *Miſerere nobis*, nam Miſſale vult dici de more, quamvis pax non detur,

5. Reſervetur Hoſtia cum particulis in ſequentem diem pro Sacerdote, & Infirmis, ex Decreto Innocentii I. *Durand. c.75.* & habetur hæc reſervatio *in Sacr. Gregor.* nihil de ſanguine, tum quia periculum eſt, ne effundatur, *Hugo Victorin. de Spec. Miſſ. obſervat. lib. 3. c. 20.* tum quia ſignificatur in Calice finis legis antiquæ, & cum bibiſſet Chriſtus in Cruce dixit *Conſummatum eſt*, ideſt, Teſtamentum vetus, *Durand. loc. cit.*

Verba Rubricarum hujus diei ſunt.

## R U B R I C A.

*6. Hodie Sacerdos conſecrat duas Hoſtias, quarum unam ſumit, alteram reſervat pro die ſequenti, in quo non conficitur Sacramentum: reſervat etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit, pro infirmis, ſanguinem vero totum ſumit, & ante ablutionem digitorum ponit Hoſtiam reſervatam in alio Calice, quem Diaconus* (a) *Palla, & Patena cooperit, & deſuper* (b) *velum expandit, & in medio Altaris collocat, deinde* (c) *fit Communio, & completur Miſſa. Sacerdos autem* (d) *genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel tranſit ante Sacramentum in Calice reſervatum; cum dicere debet, Dominus vobiſcum, non vertit ſe ad Populum in medio Altaris, nec terga vertat Sacramento, ſed a latere Evangelii in fine,* (e) *& dat Benedictionem.*

## *G A V A N T U S.*

Calicem alterum de Credentia ad Altare hoc item loco deferat Subdiaconus ſine Velo longo, ſed cum Velo tantum Calicis ejuſdem parvo, Patena, & Palla.

(a) *Palla, & Patena cooperit.* Palla prius, quæ, ut diximus alias, ſignificat lapidem ad oſtium monumenti. Patena deinde ad tutellam Pallæ, quaſi ſigillum indicat Phariſæorum, de quo *Matt. 27. ſignantes lapidem cum Cuſtodibus*, cum enim Sabbato Sancto anticipetur Miſſa, quæ de nocte dicebatur, congruit etiam accelerari repræſentationem Sepulcri Chriſti, ut innuit *Durand. loc. cit.* a Feria 5. poſt Miſſam, quamquam improprie Sepulcrum Domini hoc appellatur.

(b) *Velum expandit.* Velum album ad cautelam, & ornatum apponitur.

(c) *Fit Communio.* Omnis populus communicat in ordine ſuo, ita legitur *in Sacramentario Gregoriano.* De qua Communione vide ſupra *pars. 2. tit. 10. n. 9.*

7. An Cleri quoque, & Sacerdotum? Sane *Francolinus 1. part. de tempor. Hor. Canon. c. 30. ex Ordine Romano, & Alcuino* contendit, non licere hodie Sacerdotibus celebrare privatas Miſſas, ob receptam conſuetudinem faciendi unum Sacrum Solemne, in quo exemplo Apoſtolorum, omnes Presbyteri communicent: cui ſubſcribit *Azor. lib. 10. c. 24. quæſt. 5.* quidquid contra ſentiant *Sotus, & Navarrus*, extatque Canon Soteri de hac Communione generali *de conſ. diſt. 2. in Cœna*, concedit *Suar. 3. par. diſp. 8. ſect. 2.* Miſſas plures, ſecluſo ſcandalo, & in loco ſecreto ſine concurſu; Sacra vero Rituum Congregatio 27. Septembris 1608. Communionem Cleri jubet in hac Miſſa, in memoriam, quod Chriſtus communicavit Apoſtolos; & hoc eſt ſervandum. Communicent autem Presbyteri cum Stola de collo pendente, *ex Conc. Bracar. 3. Can. 3.* Ante Altare quidem Sacerdotes, & Levitæ, extra Chorum populus, *ex Concilio Toletano 4. c. 17.* ſi tamen Stola omittatur, non eſt peccatum mortale. *DD. apud Bonacinam, diſput. 4. quæſt. 6. punct. 2. num. 2.*

(d) *Genuflectit quandocumque accedit, &c.* Ob reverentiam Sacramenti, licet in Calice lateat, & ſub Velo, quod in ſimili caſu alias obſerva.

(e) *Ibidem dat Benedictionem*, hoc eſt in latere Evangelii, neque perficit circulum, ſed revertitur ad medium, ne tergat vertat Sacramento, nam craſtina die ob eamdem cauſam idem habes aperte in Rubrica, ad *Orate fratres*, eadem obſervent Miniſtri; & ad ea, quæ majoris ſunt reverentiæ his diebus erga Chriſtum a Judæis deriſum, diligentius advertant.

## R U B R I C A.

*7. Legitur Evangelium Sancti Joannis, in cujus initio Sacerdos non ſignat Altare, ſed ſeipſum tantum.*

## *G A V A N T U S.*

In Altari non fit ſignum; quia ibi immediate adeſt auctor Benedictionum. Si legit Evangelium in libro, poteſt ſignare librum: ad ea, *Et Verbum caro factum eſt*, genuflectat Celebrans cum Miniſtris paulo verſus Sacramentum.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

### Pro Feria V. in Cœna Domini.

### De præparandis pro Miſſa Solemni, Proceſſione, Communione, & denudatione Altarium.

I. Gavant. num. 1. *Crux quæ in Altari eſt, Velo tegatur albo &c.*) Altare majus hac die parari debet ſolemniter pretioſioribus paramentis albis, ſed ſupra pallium pretioſum albi coloris ponatur aliud leve antipendium violacei coloris facile amovibile ſtatim poſtquam recitatæ fuerint in Choro horæ minores, dictumque pallium album tali modo pariter ponatur, ut poſt veſperas faciliter poſſit Altare denudari. Cætera vero Altaris minora remanere poſſunt cum ſuis paramentis violaceis, a quibus tamen aciculæ removeri poterunt, ut facilius ſuo tempore denudentur prædicta Altaria. Biſſus *lit. A num. 294.* Noſter tamen Caſtaldus *lib. 3. ſect. 6. c. 2. n. 1.* & Rituale PP. Capuccinorum *lib. 3. cap. 15.* præſcribunt Altaria etiam minora hac die ornari debere paramentis albi coloris. Crux quoque Altaris majoris, juxta mentem Gavanti ſupra, nec non Bauldry *part. 4. cap. 9. art. 1. n. 1.* & Biſſi *loc. cit.* immo, & Cruces omnes reliquorum Altarium ex Caſtaldo citato Velis albis cooperiendæ ſunt. Super tale Velum album ponendum eſſe Velum violaceum facile amovendum, finita tamen hora Nona, & non prius præſcribit Memoriale Rituum *ad uſum Eccleſiæ Beneventanæ majoris hebdomadæ Tit. V. in Cœna Domini, de præparandis ad Altare majus n. 2.* Piſart tamen in opuſculo, cui titulus *Cæremoniæ Eccleſiæ certis quibuſdam diebus obſervandæ, &c.* In expoſitione litterali Rubricæ *Feriæ V. in Cœna Domini n. 3. pag. 58.* aſſerit S. R. C. die 16. Novembris 1649. declaraſſe Velum in Cruce Altaris violaceum ſemper manere debere pro ratione temporis Paſſionis, nec removendum niſi Feria 6. Paraſceves juxta ſpecialem ibidem Cæremoniam.

Decretum allegatum a laudato Piſart ita extenſum reperitur in Regeſto S. C. -- quæſitum fuit a S. R. C. declarari, quo velo cooperienda ſit Crux in Altari ad functionem lotionis pedum in Feria V. majoris hebdomadæ, & Crux proceſſionis, cum Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo, & actus ipſe lotionis, ſive mandati præcipiatur in Rubricis fieri cum floribus, & ſignis lætitiæ, & videatur participare de feſtivitate Miſſæ celebratæ in mane cum Cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? S. C. autem ſub dicta die 16. Novembris 1649. reſpondit: *Colorem non eſſe mutandum*, & hoc Decretum datur in noſtro Indice *n. 202.* -- Quæ quidem reſponſio a Rubriciſtis diverſimode intellecta fuit, ita ut aliqui intellexerint, velum Crucis in prædictis tribus functionibus ſemper debere eſſe album; alii vero e contra (inter quos eſt laudatus Piſart) intellexerint ſemper dictum velum debere eſſe violaceum, & nunquam mutari debere de violaceo in album toto Paſſionis tempore, nec removendum, niſi Feria 6. Paraſceves, cui interpretationi, & ſententiæ ego firmiter adhæreo; contraria enim interpretatio, & ſententia profecto non eſt amplectenda; falſum quippe omnino eſt omnes prædictas tres Cruces debere tegi Velo albo, nam Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. c. 23. num. 10.* ubi ſermonem habet de Cruce proceſſionali aperte adſtruit debere eſſe velatam Velo violaceo. Et ſi Crux proceſſionis, quæ fit mane poſt Miſſam debet eſſe hoc Velo tecta, licet omnia paramenta ſint alba, etiam Crux proceſſionis, quæ in aliquibus Eccleſiis fit ad mandatum lotionis pedum, profecto Velo ejuſdem coloris debet eſſe tecta. Sententia igitur prima, quæ interpretando prædictum Decretum ſuſtinet omnes tres Cruces debere eſſe tectas Velo albo, non ſubſiſtit, cum certiſſimum ſit juxta Cæremoniale Epiſc. contra quod nullum editur Decretum, quod Crux proceſſionis debeat cooperiri Velo violaceo. Hinc fit, ut potius ſit adhærendum ſecundæ ſententiæ interpretanti tale Decretum, ut color nunquam mutari debeat, & ita Velum Crucis Altaris de mane poſt horas non debet mutari de violaceo in album, & conſequenter Crux, quæ adhibetur ad mandatum, debet pariter tegi Velo violaceo. Huic noſtræ ſententiæ majus robur accedit, ex eo quod ut optime adnotat Guyet *lib. 4. c. 18. quæſt. 25. in fine*, Vela omnia, quibus cooperiuntur Cruces, & Imagines tempore Paſſionis, coloris debet eſſe violacei, nec mutari opus eſt juxta colorem Feſtorum occurrentium, & revera occurrente Feſto Annunciationis tempore Paſſionis, etiam in Eccleſia, cujus Annunciato B. M. V. eſt titulus, Crux, quæ eſt in Altaris ſemper remanet contecta Velo Violaceo, non vero albo correſpondente colori paramentorum illius diei, unde idem eſt dicendum de Feria V. in Cœna Domini, nimirum quamvis Altare ad Miſſam debeat parari antipendio albi coloris, & cætera tum Sacerdotis, tum Miniſtrorum paramenta, debeant eſſe coloris albi, non idcirco Crux debet Velo albo cooperiri, alias etiam Crux proceſſionis deberet eſſe pariter Velo albo contecta, ut præſcribit Caſtaldus, ſed cum hoc ſit contra diſpoſitionem Cæremonialis Epiſcoporum, nullo modo ſervari debet; ſemper igitur primum remanet, quod Velum Crucis Altaris numquam eſt mutandum de violaceo in album, ſed ſemper remanere debet coloris violacei, ob rationem etiam, quam adduximus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad Dominicam de Paſſione num. 1. nimirum quia talis color ſuboſcurus ſignificat Chriſtum, qui ſe abſcondit, & exivit de templo, & eſt talis, qualem requirit Paſſionis tempus; ſed ſi hunc colorem requirit Paſſionis tempus pro Cruce proceſſionis, cur eumdem non requirit pro Cruce Altaris? Diſparitas ſane numquam aſſignabitur, quamvis Biſſus *lit. C num. 592.* dicat quod ea, quæ reſpiciunt Miſſam, vel apparatum Altaris de-

beant eſſe coloris albi, Crux autem proceſſionalis, cum neque ſpectet ad Miſſam, neque ad Altaris ornatum, ideo debet tegi velo violaceo. Verum loquendo pariter de Cruce, quæ eſt ſuper Altare, ut ſupra oſtendimus validis rationibus, etiamſi ſpectet ad Altaris ornatum, debet tamen eſſe tecta Velo violaceo, quia hoc Velum non debet correſpondere colori paramentorum Altaris, & Sacerdotalium; ſicut non correſpondet Velum Crucis proceſſionalis colori ejuſdem proceſſionis, quæ fit hac die. Accedit huic noſtræ ſententiæ etiam Nicolaus de Bralion *part. 3. c. 9. n. 3.* ubi ait, Ritualiſtas, qui ſcripſerunt, Velum, quo Crux, quæ hac die eſt in Altari, cooperitur, eſſe debere album, nullam habere rationem, ob quam id fieri debeat, ſi enim id fieri deberet, ut Velum colore cum paramentis conveniret, mutatio etiam coloris ejuſdem Veli facienda eſſet omnibus Feſtis, quæ tempore Paſſionis occurrunt; de quo tamen nihil in Cæremoniali dicitur; ſi vero ob myſterium SS. Sacramenti hac die inſtitutum; ergo Crux proceſſionalis etiam Velo albo obtegenda erit, quam tamen Gavantus vult Velo violaceo cooperiri. Hæc laudatus Bralion.

Unica poſſet huic noſtræ ſententiæ obeſſe difficultas, nimirum Praxis Capellæ Pontificiæ, in qua Crux Altaris ad Miſſam Solemnem hujus diei vere tegitur Velo albo; ſed hoc nihil officit, quia in tali Sacello alii pariter toto anno exercentur Ritus peculiares, qui proponi non poſſunt aliis Eccleſiis, ut eos imitentur, a quibus referendis brevitati, & obſequio ſtudens abſtineo.

II. Credentia pariter parari debet hac die cum omnibus requiſitis pro celebratione Miſſæ Solemnis; præterea in gratiam hujus Feriæ 5. poni debent ſuper Patenam Hoſtiæ duæ magnæ, ambæ a Celebrante conſecrandæ, quarum una pro ſequenti Feria vi. ſervari debet, prout innuitur in ſupradicta Rubrica *num. 6,* pro qua ſecunda Hoſtia præparari etiam debet ſuper Credentiam alius Calix amplus, & aliis pretioſior cum Palla, & Patena, & ſuo Velo albo ex pulchrioribus. Item vitta ſerica albi coloris pro ligando ſuo tempore, ſeu firmando dicto velo Calicis, in quo reponi debet Hoſtia ſervanda; item Velum album oblongum pulcherrimum præter illud Subdiaconi ſi fieri poteſt pro tegendis humeris Celebrantis in proceſſione, cum aliquot aciculis, ſeu vittis ſericis, quibus illud firmetur, ne decidat in proceſſione, præterea ponatur ſuper Credentiam alius Calix, ſeu Pyxis, ut magis convenit cum multis particulis conſecrandis pro Communione generali.

Item parentur Mappulæ ad extergendum os Communicantium, & alius Calix pro purificatione Sacerdotum communicandorum, & Vas unum, ſeu plura pro purificatione aliorum poſt ſumptam Communionem. Præparetur etiam linteum magnum, ſeu plura apponenda ante communicandos. Biſſus *lit. C num.* 554. Bauldry *part. 4. c. 9. art. 1. num. 5. & 6.*

In Sacriſtia paretur aliud Thuribulum cum Navicula præter illud, quod inſervire debet pro Miſſa, quia in proceſſione duo Thuribula adhibentur, quia duo Acolythi incenſare continuo debent Sacramentum in proceſſione, ut præſcribit Rubrica ſequens *num. 9.*

III. Item parentur in Sacriſtia paramenta albi coloris pro Celebrante, & Miniſtris ad Miſſam Solemnem, nimirum Caſula pro Sacerdote, Dalmatica, & Tunicella pro Sacris Miniſtris reſpective. Rurſus paretur alia Tunicella, ſed ſine Manipulo albi coloris, nec non Cingulum, Amictus, Alba pro alio Subdiacono, qui Crucem in proceſſione deferre debet. In Eccleſiis Cathedralibus, quando celebrat Epiſcopus propriæ Diœceſis, parari debent etiam, ſi commode fieri poteſt, ſex, vel octo Pluvialia albi coloris pro illis Beneficiatis, vel Manſionariis, qui deputati ſunt ad deferendas haſtas Baldachini in proceſſione, ex Cæremonial. Epiſc. *lib. 2. c. 23. §. 10.*

In Presbyterio ad cornu Epiſtolæ extra cancellos, vel intra, ſi fieri poteſt, præparetur Baldachinum album perpulchrum deferendum in proceſſione ſuper SS. Sacramentum; item ad cornu Epiſtolæ ponatur Crux proceſſionalis tecta Velo violaceo, & non albo, ut diximus ex Cæremoniali Epiſc. *lib. 2. c. 23. num. 10.* & ex Gavanto infra *in Rubr. 9. lit. l.* Et hæc eſt Praxis univerſalis almæ Urbis. Præparentur etiam in Choro plures Stolæ albæ, ſi fieri poteſt; ſin vero rubeæ pro Sacerdotibus communicaturis: item præparentur etiam aliquæ Stolæ Diaconales albæ in caſu, quo inter communicandos adſint aliqui Diaconatus ordine inſigniti, plura funalia, faces, & candelæ geſtandæ a Clericis, & Presbyteris accenſæ in proceſſione juxta eorum numerum. Item Thuriferarius paret ignem ponendum in Thuribulis, debet etiam adeſſe inſtrumentum ligneum, ſeu crotalum adhibendum loco Campanarum. Denique parentur duæ Stolæ violaceæ, altera pro Celebrante, altera pro Diacono adhibendæ in denudatione Altarium.

### De Sacris Ritibus ſervandis in Miſſa hujus diei uſque ad Proceſſionem.

IV. Prædictis omnibus diſpoſitis hora congruenti dicuntur Horæ Minores demiſſa voce ſine cantu, & dum cantatur Nona debent Celebrans, & Miniſtri juxta morem in Sacriſtia indui ſuis paramentis, & Ceroferarii accendere ſex candelas Altaris, licet etiam in Sacriſtia ſua candelabra, quæ candelæ omnes ceræ albæ eſſe debent, quantum fieri poteſt. Bauldry *ſupr. art. 2. num. 1.* & Biſſus *lit. F num. 42. §. 2.*

Finita Nona, amovendum eſt pallium violaceum, remanente pallio albo pretioſo; Crux tamen, ut diximus ſupra, debet ſemper remanere conperta velo violaceo; deinde exeunt e Sacriſtia, & pergunt ad Capellam omnes, ut moris eſt, ad celebrandam Miſſam Solemnem, quæ hodie cantanda eſt a Superiore Loci, quantum fieri poteſt: Bauldry *ſupra art. 2. n. 2.*

Ad Confeſſionem omittitur Pſalmus *Judica me Deus*; item V. *Gloria Patri*, tam ad Introitum, quam ad finem Pſalmi *Lavabo*, ut præſcribit Rubrica Miſſalis ante Dominicam Paſſionis.

Dicitur in hac Miſſa Hymnus *Gloria in excelſis*, ut præſcribit Rubrica hujus diei poſt Introitum; & tunc pulſantur Campanæ omnes minores, majores, & Organa ubi ſunt, ſed poſtquam Celebrans cantaverit vocem illam, *Deo*, ne irruat ſonus in Celebrantem intonantem talem Hymnum; præterea Chorus incipit proſequi Hymnum eumdem, poſtquam in Eccleſia terminaverit ſonitus, & Campanarum, & Organorum, Hippolytus a Portu *part. 3. c. 1. art. 2. in adn. n. 2.* quamvis Horatius Chriſtiani *in Praxi Pontificali Fer. V. in Cœna Domini ſect. 3. c. 4. n. 30.* & Biſſus *ſupra* §. 5. necnon Halden. *part. 1. tit. 20. §. 1. de Fer. V. in Cœna Domini* aſſerant, quod ad prædictum Hymnum *Gloria in excelſis* pulſantur omnes Eccleſiæ Campanæ, & Organa ab initio prædicti Hymni, uſquedum totus a Muſicis, vel a Choro fuerit decantatus, & poſtea Organa ſilent, & Campanæ non pulſantur uſque ad Sabbatum Sanctum, ut ſuo loco dicetur, & interim in hoc triduo, & ad Divina Officia, & quando opus eſt loco Campanarum deſerviet inſtrumentum ligneum, Crotalum dictum. Biſſus *ſupra*, & quamvis Tonellius *lib. 3. c. 2. num. 6.* Hippolytus a Portu *ſupra n. 3.* Memoriale Rituum majoris hebdomadæ §. 3. *n. 6.* necnon Bauldry velint, quod ſupradictum inſtrumentum ligneum, non debet pulſari ad elevationem SS. Sacramenti (neque etiam hodie ad *Sanctus*) in Miſſa hujus Feriæ V. neque ad elevationem Hoſtiæ Fer. VI. in Paraſceve, nihilominus Clericat. de Sacrificio Miſſæ *dec. 43. n. 6.* tenet pulſandum eſſe prædictum Crotalum tam hodie ad *Sanctus*, & ad elevationem SS. Sacramenti, quam dum elevatur Sacratiſſima Hoſtia Fer. VI. ſeq. in Paraſceve, quia facile hominum mentes vagantur, & ad fragorem lignei Inſtrumenti colliguntur; Inſervit enim pulſatio talis crepitaculi lignei ad excitandam circumſtantium attentionem ad Divina Myſteria ſtatim peragenda. Biſſus *Lit. S n. 20. §. 49.* & ut ad Elevationem Sanctiſſimæ Hoſtiæ majori cum obſequio, eam mirentur, & venerentur, ut ait Clericat. ſupra; primæ nihilominus ſententiæ eſt potius adhærendum, quia totus populus ſupponitur attentus in adoratione Sanctiſſimi Sacramenti. Praxis ſimilis ſervatur in Miſſis, quæ celebrantur in Eccleſiis, ubi eſt publica Oratio quadraginta horarum, ut patet ex Inſtructione Clementina *num. 10.*

Graduale hujus diei ita lente cantatur, ut Celebrans dum cantatur, commode Evangelium legere poſſit, benedicere Incenſum, & Diaconum, ne nimis feſtinanter abſoluto Graduali, ſilentium inter Graduale, & Evangelium interponatur, ad quod Cantores omnino advertere debent. Bauldry *part. 4. c. 9. art. 2. num. 3.* Biſſus *lit. F num. 42. §. 6.* Vinitor *part. 6. tit. 8. num. 6.*

V. Dicto *Sanctus*, vel incœpto Canone, quatuor, ſex, aut ad ſummum octo Miniſtri Cottis induti afferunt totidem funalia ceræ albæ accenſa, & factis debitis reverentiis collocant ſe genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi tenentis Patenam, vel ſi magis congruit, ad latera Altaris. Cærem. Epiſc. *lib. 2. c. 8. §. 69.* ibique remanent genuflexi donec fiet proceſſio, & dum Communionem ſunt accepturi alios ſibi ſubſtituunt, qui ſubſtineant dicta funalia, & deinde poſt Communionem eadem recipiunt. Bauldry *ſupr. n. 6.* Biſſus *ſupr.* §. 9. Vinitor *ſupr. n. 8.*

Miniſtri Sacri dicto *Agnus Dei*, quia non datur pax, ſtatim mutant loca; Diaconus enim accedit ad librum cum debitis genuflexionibus in acceſſu, & receſſu, Subdiaconus vero cum genuflexionibus ſolitis ad dexteram Celebrantis pro cooperiendo, & diſcooperiendo Calice quando opus eſt. Sumpto pretioſo Sanguine a Celebrante, diligentius Subdiaconus Palla cooperit Calicem (quia purificatio, & digitorum ablutio eſt facienda a Celebrante poſt Communionem generalem) eumque collocat verſus cornu Evangelii ſuper Corporale. Bauldry *ſupr. n. 7.* Biſſus *ſupr.* §. 10. & 11. Vinitor *ſupr. n. 9,* & non extra ipſum propter ſpecies vini conſecrati adhuc in ejus fundo relictas. Bauld. *part. 3. c. 11. art. 10. n. 1.* Interim Diaconus facta genuflexione unico genu Sacramento in acceſſu, & receſſu; Biſſus *lit. B n. 123. §. 32,* accedit ad dexteram Celebrantis, Bauldry *part. 4. c. 9. art. 2. n. 8.* & *cit.* Biſſus *lit. F. n. 42. §. 11.*

Non eſt neceſſe, quidquid multi ſcripſerint, Subdiaconum, cum tempus eſt, ex Credentia portare ad Altare Calicem, in quo reſervanda eſt Hoſtia pro die ſequenti, imo id eſt expreſſe contra Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 23. §. 5.* ubi dicitur, quod Cæremoniarius, vel alius Capellanus portet ex Abaco ad Altare ſupradictum Calicem magnum vacuum. Ita pariter Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 9. de Feria V. in Cœna Do-*

*mi-*

*mini num.* 5. Memoriale Rituum majoris hebdomadæ *cap.* 2. §. 5. *n.* 3.

VI. Rubr. num. 6. -- *Quem Diaconus Palla, & Patena cooperit, &c.*) Delato autem præfato Calice, depoſitoque ſuper Altare ab eo, qui ſupra; Diaconus eum accipit, diſcooperit, & ab eo Pallam, & Patenam aufert, quo facto Celebrans cum Diacono genuflectit unico genu, ſicut & Subdiaconus, ac ſtatim ſurgunt, & tunc Celebrans alteram Hoſtiam conſecratam reponit reverenter dextera manu in Calice, ut *ſupra* delato, quem Diaconus ſuſtinet ante Celebrantem, poſtea eum collocat ſuper Altare in medio Corporalis; Memoriale Rituum *ſupra num.* 4. & 5. Advertat autem hic Celebrans, quod ita immittat ſupradictam Hoſtiam in Calice, ut facile, & commode ſequenti die illam ex eodem Calice extrahere poſſit, ſine ullo tamen manuum contactu, ut ſuo loco fuſius dicemus. Bauldry *ſupra num.* 8. Biſſus *ſupra* §. 11. Tum iterum genuflectit cum Miniſtris Sacris, & ſtatim cum iiſdem ſurgit, & Diaconus accedens omnino in medium, facit genuflexionem. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. & prius Palla, deinde ad tutelam Pallæ, Calicem prædictum Patena cooperit. Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 23. §. 5. Patena inquam, ſed inverſa. Bauldry *ſupra num.* 8. & deſuper velum parvum album ſericum expandit: Rubrica, & Gavant. *ſupra lit.* b ex Cæremoniale Epiſc. *ſupra*. Et in Calicem undequaque coopertum in medio prope Secretarum Tabellam collocat, ſeu propius ad Crucem Altaris, tali modo ut relinquatur in medio locus ponendi commode Pyxidem cum Particulis conſecratis ante eumdem Calicem ſuper Corporale pro Communione generali facienda, qua poſita ut *ſupra*, eam diſcooperit cum genuflexione ante, & poſt, dum hæc fiunt a Diacono, Celebrans, & Subdiaconus tunc genuflectunt in cornu Evangelii, & interea a Choro cantatur *Communio*. Bauldry, & Biſſus *ſupra*.

VII. Rubr. & Gavant. lit. c -- *Fit Communio, &c.*) Cum hac die non ſolum Populus, ſed etiam Sacerdotes, ſive Dignitates, ſive Canonici, ut clarius videbimus infra, cum non poſſint celebrare, debeant Communionem accipere de manu Celebrantis, juxta morem univerſalis Eccleſiæ, in memoriam quod Chiſtus Dominus hac die manu propria Apoſtolos communicavit, ut docent Gavantus *ſupra num.* 7. & juxta Decretum S.R.C. 27. Septembris 1608. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 91. ideo cantato *Agnus Dei*, communicandi vocati per Cæremoniarium accedunt ad Altare, primo quidem Sacerdotes cum Stolis albis ſuper Cottam a collo pendentibus, cum debitis genuflexionibus, & genuflexi ibi manent donec tempus erit ſumendi Communionem, ut colligitur ex Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 29. §. 3. Diaconus vero aperta Pyxide, ut ſupra, & genuflexione facta deſcendit in planum per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ, ibique profunde inclinatus verſus Celebrantem, manibus junctis dicit alta voce *Confiteor, &c.* vel cantando in tono, & notis conſuetis, ut in fine Cæremonialis Epiſcop. quod quidem cantari debet ſemper in majoribus Eccleſiis, præſertim in Communionibus Generalibus, ut revera eſt hodie; Bauldry *ſupra*. Halden *num.* 1. *tit.* 20. §. 1. *de Feria V. in Cœna Domini*.

Aperta Pyxide, & cantata a Choro Communione, Celebrans poſt factam in medio genuflexionem cum Subdiacono, retrahet ſe aliquantulum ad cornu Epiſtolæ, ibique Subdiacono ſtante poſt ipſum; ex Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 29. §. 3. interim, & non prius Diaconus cantabit Confeſſionem, ut *ſupra*.

Finita Confeſſione Celebrans adhuc ſtans in cornu Evangelii, dat de more communicaturis abſolutionem, dicens voce intelligibili: *Miſereatur veſtri, &c.* faciens ſupra Populum ſignum Crucis, ut mos eſt. Cæremoniale Epiſc. *ſupra*, cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet *Amen*.

Diaconus facta genuflexione poſt datam abſolutionem accedit ad partem Epiſtolæ, ubi genuflexus ſuper ſuppedaneum Altaris expectat Communionem, & Subdiaconus qui ſtabat poſt Celebrantem in cornu Evangelii, facta ibidem genuflexione deſcendit ad ſecundum gradum, & ſtatim genuflectit ſuper ſuppedaneum a ſiniſtris Diaconi, ibique Sacram Communionem expectat. Interim cum debitis reverentiis accedunt duo Acolythi Cottis induti cum mantili albo; quod genuflexi ſuſtinent ante communicandos, hinc inde ambabus manibus, per quatuor angulos, quouſque completa fuerit Sacra Communio. Qui autem Communionem ſunt ſumpturi, convenienter ſinguli accedere debent cum debitis reverentiis, & communione ſumpta, per ſiniſtrum latus Celebrantis diſcedant; ibique in cornu Epiſtolæ purificationem accipiant de manu Sacriſtæ, vel Acolythi miniſtrantis Calicem cum vino, & mappula ad tergendum appenſa, Cærem. Epiſc. *ſupra* §. 3.

Celebrans vero data abſolutione Communicaturis ſe convertit, ad medium Altaris verſus Sacramentum, ibique genuflectit unico genu, deinde accipit Pyxidem, & converſus ad communicandos dicit: *Ecce Agnus Dei, &c.*

Primo loco communicat Diaconum, & Subdiaconum paratos, deinde Sacerdotes cum Stolis, ut ſupra, & alios ſecundum ordinem Dignitatis Magiſtratus, & Nobiles etiam ad Altare ſi ſit conſuetudo. Deinde alios laicos utriuſque ſexus ad id paratos eo modo, quo notavimus in Miſſa Solemni. Bauldry *ſupr. n.* 10. Diaconus, & Subdiaconus ſumpta Communione, & facta genuflexione purificant ſeſe ſi volunt, & ſtatim redeunt ad latera Celebrantis; Diaconus quidem a dexteris, Subdiaconus a ſiniſtris; Bauldry *ſupra n.* 11. Hippolytus a Portu *ſupra Rubr.* 6. *in adnot. n.* 10. §. *Dum deſcendit*. Alter Miniſter præbet purificationem cum manatergio laicis ſumentibus Communionem ad cancellos.

Expleta Communione, & poſita Pyxide in Tabernaculo, Celebrans porrigit Calicem (delatis prius ampullis ad Altare ab Acolytho, qui eas Subdiacono miniſtrabit) pro accipienda purificatione, & cætera, ut diximus alibi in Miſſa Solemni. Celebrans ſumpta purificatione; Calicem ponit extra Corporale in cornu Epiſtolæ, poſtea unico genu Sacramento genuflectit, tum accedit ad idem cornu Epiſtolæ, ubi accipit Calicem, & abluit; & deinde extergit (non extra gradus Altaris, ſed in loco ſolito) digitos, & poſito ſubinde Calice prope Corporale, accedit ad medium Altaris, ubi iterum unico genu genuflectit abſque capitis inclinatione, ac mox ablutionem ſumit, qua ſumpta Subdiaconus Calicem extergit, illumque de more accommodat, & ad Credentiam cum debitis genuflexionibus defert: Biſſus *lit. M num.* 222. §. 10. Bauldry *part.* 3. *cap.* 17. *n.* 13.

Celebrans igitur ſumpta ablutione iterum genuflectens redit ad librum, ubi dicit *Communionem*, qua dicta ad medium Altaris redit; genuflectit, tum oſculatur Altare, deinde vertit ſe ad Populum verſus cornu Evangelii, renibus ad illud verſis, ne directe terga vertat Sacramento, & dicit *Dominus vobiſcum*, & reverſus ad medium Altaris, iterum genuflectit unico tamen genu, ſine capitis inclinatione, & vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi cantat Orationem de more, qua cantata redit iterum ad medium Altaris, genuflectit ut ſupra, ſurgit, oſculatur Altare, convertit ſe ad Populum, ut dictum eſt ſupra (Miniſtri vero genuflectunt ſemper prout Celebrans) & dicit *Dominus vobiſcum, &c.* Bauldry, & Biſſus *ſupra*.

Diaconus vero facta genuflexione, ut *ſupra*, vertit ſe quidem verſus populum, ſed aliquantulum verſus cornu Evangelii ſicut Celebrans, ne Sacramento terga vertat (Subdiaconus autem de ſuo loco non ſe movet) ibique ſtans, dicto *Dominus Vobiſcum* a Celebrante, cantat *Ite Miſſa eſt*; deinde Celebrans, & Diaconus iterum ſe vertunt ad Altare, & facta de more genuflexione, cætera omnia peragunt, ut in Miſſa Solemni celebrata coram SS. Sacramento, unde videantur ibi dicta.

VIII. Rubr. *Legitur Evangelium S. Joannis, &c.*) Celebrans lecturus Evangelium S. Joannis, non ſignat Altare in principio Evangelii, ſed tantum librum, aut tabellam dicti Evangelii ſi ibi ſit; in defectu vero dictæ Tabellæ, vel Libri, ſignat ſolum ſe ipſum. Bauldry *ſupra num.* 13. Interim autem accenduntur Candelæ geſtandæ in proceſſione, & ſi Chorus ſit retro Altare, qui in Choro ſunt, ut debito ordine ante Altare conveniant, ſe diſponant; denique Sacerdos ad illa verba: *Et Verbum Caro, &c.* genuflectit aliquantulum verſus Sacramentum. Gavantus *ſupra part.* 2. *tit.* 14. *num.* 15. & Biſſus *lit. M n.* 222. §. 11.

Hodie præter Miſſam Solemnem, conceſſam in his Eccleſiis tantum, in quibus aſſervatur SS. Sacramentum (ut patet ex Decreto edito die 14. Junii 1659. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 336.) quam etiam S. R. C. 10. Decembris 1703. annuente Sanctiſſimo D. N. Clemente Papa XI. die 12. Januarii 1704. declaravit non eſſe de juribus mere Parochialibus, & datur in noſtro Indice *ſub num.* 567. Præter, inquam, dictam Miſſam Solemnem; omnes aliæ privatæ Miſſæ prohibentur hac die in quocumque loco, non ſolum ex antiquo quodam Decreto S. R. C. quod affert Perſicus *de Offic. Sacerd. lib.* 1. *dub.* 6. *n.* 40. ſed etiam ex Decreto recentiſſime edito a Clemente Papa XI. die 15. Martii 1712. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 620. & ex aliis Decretis infra citandis, eadem diſpoſitio clare colligitur; ſcilicet ne hac die, præter unicam Miſſam Solemnem Conventualem, dicantur aliæ Miſſæ; nam ſi hodie occurrerit Feſtum S. Joſephi, vel Annunciationis B. M. V. (vel aliquo alio occurrente Feſto de præcepto in aliqua Diœceſi, ut optime advertit Halden *par.* 1. *tit.* 20. §. 1. *de Fer. V. in Cœna Domini*) tunc non ſolum ſervandum erit præceptum vacandi ab operibus ſervilibus, ſed etiam audiendi Miſſam, quare præſcribitur, quod ab Ordinariis locorum accurate provideatur, ut aliquæ Miſſæ privatæ ante Miſſam Solemnem celebrentur, ut poſſint Fideles adimplere præceptum audiendi Miſſam in dictis diebus Feſtis; id autem liquet ex Decreto edito a Sac. Rit. Congreg. 13. Septembris 1692. & in noſtro Indice *ſub num.* 501. & ex alio pariter Decreto edito 12. Septembris 1716. annuente SS. D. N. Clemente Papa XI. 27. Septembris ejuſdem Anni, & dato in noſtro Indice *ſub num.* 631. Cum, inquam, in prædictis Decretis præſcribatur, quod ſi Feſtum S. Joſephi, vel Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrat in Feria V. majoris hebdomadæ, debeat ab Ordinariis locorum provideri, ut aliquæ dicantur Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ, ut facilius adimpleri poſſit præceptum a Fidelibus audiendi Sacrum; aperte colligitur, quod nullo occurrente Feſto de præcepto hac die non debeat cele-

brari ulla Miſſa privata, ſed ſola Miſſa Conventualis in quocumque loco. Immo poſt hanc Miſſam Solemnem Conventualem, ne in dictis quidem diebus Feſtis poteſt hodie celebrari aliqua alia Miſſa ſine gravi culpa, ut tenent Barboſa, Gabat, Caſtropalaus, & alii apud Biſſum *lit. F num. 44. §. 1.*

## RUBRICA.

8. *Hodie* (f) *paretur locus aptus in aliqua Capella Eccleſiæ, vel Altari, & decenter quoad fieri poteſt, ornetur* (g) *cum velis, & luminibus, ubi Calix cum Hoſtia, ut ſupra, reſervata, reponatur. Finita autem Miſſa accenduntur intorticia, &* (h) *fit proceſſio more ſolito, alio tamen* (i) *Subdiacono parato Crucem ferente.* (l) *Celebrans indutus Pluviali albo ſtans ante Altare,* (m) *imponit Incenſum in duobus Thuribulis abſque benedictione, deinde in medio genuflexus, cum altero* (n) *incenſat ter Sacramentum: &* (o) *accepto Calice cum Sacramento de manu Diaconi ſtantis, & cooperto extremitatibus Veli, quo ejus humeri teguntur, procedit medius inter eumdem Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris* (p) *ſub Baldachino, duobus Acolythis* (q) *Sacramentum continue incenſantibus uſque ad locum præparatum, ubi pro craſtino ſervandum eſt. Interea dum fit Proceſſio,* (r) *cantatur Hymnus, Pange lingua glorioſi Corporis &c. Cum autem ventum fuerit ad locum paratum, Diaconus genuflexus a Sacerdote ſtante accipit Calicem cum Sacramento, & ponit* (ſ) *illum primo ſuper Altare, ubi a Sacerdote genuflexo incenſatur, ut ſupra, deinde* (t) *reponit in capſula.*

## GAVANTUS.

(f) *Paretur locus.* Omnino debet eſſe diſtinctus ab Altari, in quo fuit celebratum.

(g) *Cum Velis.* Vela ſunt cortinæ, ex *Gloſſ. de Conſecrat. d. 1. c. Altaris.* Immo ex *Ambroſ. ad Marcellinum*, ut explicat *Baron. Anno 212.* ſunt Cortinæ Regiæ. Plura *idem Baron. Anno 329.* non igitur adhibeantur panni nigri, tum quia in horto ſepultus fuit Chriſtus, tum quia craſtina die ſuper Calicem adhuc erit Velum album, cum reportabitur ad Altare Majus: tum quia vivit vere Chriſtus, etiam in repræſentatione mortis ejuſdem; exemplum habes in Sacello Pontificio Romano, ubi omnia ſplendent in hoc caſu reſervandæ Hoſtiæ; abuſive a vulgo ſepulcrum Chriſti appellatur, ut ſupra diximus.

(h) *Fit Proceſſio more ſolito.* Ante Pium V. de hac nulla mentio eſt in Miſſalibus, fit autem de more, Acolythis nimirum cum Candelabris Crucem comitantibus: * non tamen extra Eccleſiam ex Decreto Sac. Congr. ſuper negotiis Epiſcoporum, tam in hac, quam in ſequenti feria, die 6. Auguſti 1591.

(i) *Subdiacono parato.* Ideſt, cum Tunicella alba, ſine Manipulo: Crux etiam ſit adhuc velata, contra quoſdam, qui oppoſitum ſcripſerunt gratis; * & melius Romæ Velo tegitur violaceo, quam albo, prout requirit Paſſionis tempus, quod autem a Subdiacono Crux deferatur, diximus ſupra *part. 2. tit. 13. n. 4.* Hic autem cum ſuis Acolythis ſtabit, genuflexis aliis in loco, ubi reponitur Sacramentum.

(l) *Celebrans indutus Pluviali.* Ut illud induat, retrahat ſe extra cornu Epiſtolæ, ob præſentiam Sacramenti, ibique omnes deponant Manipulos.

(m) *Imponit Incenſum abſque Benedictione.* Vide ſupra, quæ diximus in elevatione Hoſtiæ ad Miſſam *part. 2. tit. 87. num. 8. & in Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 23. & lib. 2. cap. 33. habetur.*

(n) *Incenſat ter Sacramentum.* Adde facta ante, & poſt profunda capitis ſimul cum Miniſtris inclinatione, caveat Diaconus ab oſculis coram Sacramento, *Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 23.*

(o) *Accepto Calice.* Ita ut Celebrans ſiniſtra nodum teneat, & dexteram ſuperponat Calici, quam Diaconus tegit extremitatibus veli pendentis ab humeris.

(p) *Sub Baldachino.* Vocatur Mappula *ab Innocent. III. lib. 2. c. Myſt. Miſſ. cap. 7.* & in diſtributione haſtarum ejuſdem, nobilioribus dantur eæ, quæ ſunt in facie Celebrantis, poſteriores minus nobilibus. *Cærem. Pap. lib. 2. cap. 14. & Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 14.* * nobilioribus item inter haſtas pares dentur eæ quæ ſunt a dextris Celebrantis, dum procedit; convenit tamen, ut hodie, & ſequenti die ab Eccleſiaſticis cum Pluvialibus deferantur haſtæ: quod ſi deſint Pluvialia; non ideo induant Stolas, Cottis tantum induti, *ex Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 25. & 26.*

(q) *Sacramentum continue incenſantibus.* Duobus modis fieri poteſt, primo, ſi Acolythi alternatim incenſant, ductis Thuribulis, ut fit in incenſatione perſonarum. Secundo, ſi hinc inde ante procedant moventes manibus dextris Thuribula de iiſdem pendentia, & fumantia, ait *Rituale Romanum de Proceſſione SS. Sacramenti*, quaſi ſternendo viam Sacramento cum odore Incenſi, qui modus videtur magis uſitatus, & majorem reverentiam connotat erga Sacramentum; quod numquam niſi a genuflexis Sacerdotibus, incenſari ſolet.

(r) *Cantatur Hymnus: Pange.* Celebrans numquam cum aliis in proceſſione Sacramenti cantat, ſed ſecreto dicit; quia proceſſio non fit extra Eccleſiam, convenit, ut Clerus ad primos duos verſus, *Tantum ergo Sacramentum, &c.* genuflectat converſus ad Sacramentum: Miniſtri tamen non genuflectant; extra Eccleſiam vero minime; & ubi multus eſt Clerus, poſſet alioqui, & male interrumpi proceſſio.

(ſ) *Illum primo ſuper Altare.* Adde: & deinde genuflexione facta deſcendit, & rurſus imponi curat Incenſum ſine Benedictione a Celebrante ſtante, ut prius, amoto velo per Subdiaconum ab humeris Celebrantis; quia non eſt daturus in fine Benedictionem.

Dum incenſatur Sacramentum, cantatur, *O ſalutaris Hoſtia*, vel *Tantum ergo Sacramentum*, ut *in Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 23.*

(t) *Reponit in Capſula*, Facta iterum genuflexione, ante, & poſt. Clavem autem dabit illi, ad quem ſpectat; non enim videndus eſt Calix a populo, & multo minus Hoſtia patere populo debet, neque dari debet Clavis laico, quantumvis nobili ex Decreto S. R. C. 30. Januarii 1610. ſed ei potius, qui ſequenti die eſt celebraturus.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Proceſſione hujus diei.

IX. Rubr. & Gavant. lit. f -- *Paretur locus, &c.*) Ex Decreto S.C. ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, allegato ſupra a Gavanto, ſupradictus locus debet eſſe intra Eccleſiam. Poteſt autem ornari etiam floribus, ſive aliis rebus ad ſplendorem ducentibus, additis multis luminibus, ſive ex cera alba, ſive etiam ex oleo juxta qualitatem, & diſpoſitionem apparatus; & notandum, quod in hoc loco non debet poni Sacramentum expoſitum, ut fieri ſolet in oratione quadraginta Horarum, vel in Feſto Corporis Chriſti, ſed debet poni in Capſula (cum Corporali in fundo ejus extenſo) clave obſerata, collocanda in eminenti loco, ad quem aſcendetur per gradus; quæ Capſula ſit etiam pulchra, elaborata tam intus, quam extra; convenit etiam, ut ſupra eam ſit Baldachinum album, niſi talis eſſet apparatus variis undique picturis ornatus, ut Baldachinum videretur ſuperfluum. Biſſus *lit. L n.* 131.

Præterea collocari debent in eodem Altari ſex Candelabra cum totidem Cereis ceræ albæ, non tamen Reliquiæ Sanctorum, neque Imagines. Halden *ſupra*, Bauldry *part. 4. cap. 9. art. 1. n. 2.* & Hippolytus a Portu *ſupr. art. 3. Rubr. 8. in Adnot. n. 2.* Poni tamen poſſunt circum Angelorum ſimulacra candelas manibus tenentia. Bauldry *ſupra num.* 4. a Portu *ſupra*,

X. Rubr. & Gavant. lit. h -- *Fit proceſſio more ſolito. &c.*) Finita Miſſa Celebrans medius inter ſuos Miniſtros accedit ad medium Altaris, ibique genuflectunt ad oram ipſis, unico tamen genu, ut commodius ſurgere poſſint; tum unus poſt alium præcedente Subdiacono. Bauldry *part. 3. cap. 11. artic. 5. n. 3.* per gradus laterales cornu Epiſtolæ deſcendunt in planum Presbyterii, & ibidem Celebrans depoſitis Planeta, & Manipulo (ſicut & Miniſtri Sacri ſuos Manipulos deponunt) accipit Pluviale album pretioſum adjuvantibus Cæremoniario, & Acolytho, ut docet Bralion *part. 3. cap. 1. n. 15.* vel Miniſtris Sacris, juxta Eccleſiarum conſuetudinem, & hæc eſt Praxis Romanarum Eccleſiarum, nec non ſententia Biſſi *lit. P n. 226. §. 2.* Interim Sacriſta, vel aliquis Acolythus vadit ad locum, in quo Sacramentum reponi debet, ibique candelas accendit, & explicat Corporale in medio Altaris, ſi ſuper illud reponi debeat Calix cum SS. Sacramento, ut infra dicetur, parat ſcabellum, ſuper quod aſcendet Diaconus, ſi opus eſt, ut in Capſula SS. Sacramentum reponat, & diligenter obſervet, utrum ibidem recte omnia diſpoſita ſint. Interim in Choro diſtribuantur etiam ab aliquo Miniſtro candelæ ceræ albæ, & faces pro proceſſione, quæ etiam accenduntur, ut ſupra innuimus. *Bauld. part. 4. c. 9. art. 3. n. 1. 2. & 3.* Biſſ. *ſupr. lit. P n. 226. §. 2.*

Celebrans vero ſumpto Pluviali incedens per planum manibus junctis, & nudo capite medius inter Sacros Miniſtros, tenente hinc inde de more fimbrias anteriores Pluvialis, ad medium Altaris accedit, ubi genuflectit utroque genu in plana terra cum præfatis Miniſtris Sacris, & etiam caput profunde inclinat cum iiſdem, tum ſurgunt omnes, & ad inferiorem gradum Altaris genuflectunt, ut colligi poteſt ex Cæremoniali Epiſcop. ubi genuflexi parumper orant. Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 17. n. 1.*

Interim duo Thuriferarii cum ſuis Thuribulis cum igne, & Naviculis accedunt cum debitis genuflexionibus ad dexteram Diaconi, ita ut primus ſit ei proximior. Bauldry *ſupra n. 4.* Biſſus *ſupra*.

Celebrans ſurgit cum Miniſtris Sacris (ſed omiſſa omni genuflexione, quia non diſcedunt a loco, in quo ſunt) & ſtans imponit Incenſum, miniſtrante Diacono Naviculam, in Thuribulo primi Thuriferarii, non ſolum abſque Benedictione, ſed etiam ſine oſculis; tum ipſe Thuriferarius paululum recedit, locum cedens ſecundo Thuriferario, in cujus Thuribulo pariter Celebrans Thus imponit ex priori Navicula, quam ideo Diaconus apud ſe retinet, quo facto his ſecundum Thuriſe-

riferarius, facta genuflexione, accedit cum Thuribulo ad cornu Epiſtolæ, ibique genuflexus in plano manet uſque ad initium proceſſionis incluſive. Primus vero Thuriferarius iterum facta genuflexione, accedit ad Diaconum, cui, poſt Naviculam ſuam receptam, porrigit Thuribulum. & parum recedit, advertens (ſicut omnes alii advertere debent) ut non vertant terga SS. Sacramento, quantum fieri poteſt. Bauldry *ſupra n.* 8. Biſſus *ſupra* §. 2. Vinitor *part. 6. tit.* 8. *num.* 17.

Poſito incenſo in duobus Thuribulis, Sacerdos, & Miniſtri Sacri genuflectunt, & ſtatim Diaconus eidem Celebranti genuflexo Thuribulum a primo Acolytho acceptum tradit ſine oſculis. Bauldry *ſupra num.* 9. Biſſus *ſupra*, & Vinitor *ſupra num.* 18.

Tum Celebrans incenſat Sacramentum ſuper Altare poſitum ſuo velo coopertum, elevantibus interim Miniſtris Sacris fimbrias anteriores ſui Pluvialis, & ſe inclinantibus cum Celebrante ante, & poſt dictam incenſationem, quo facto reddit Celebrans Thuribulum Diacono, & hic primo Thuriferario, qui, eo accepto, facta genuflexione, pergit ad cornu Evangelii, & ibi manet genuflexus e regione alterius Thuriferarii. Hi autem duo, acceptis Thuribulis, incenſare non debent Sacramentum, niſi durante Proceſſione. Bauldry *ſupr. n.* 9. & 10. Biſſus *ſupr.* §. 3. Vinitor *ſupr. n.* 19.

Dum hæc peraguntur, paululum retro dictos Miniſtros debent conſtitui qui delaturi ſunt haſtas Baldachini, qui quidem ibidem manebunt genibus flexis, donec omnes de Choro, præmiſſa SS. Sacramento genuflexione, egrediantur ad Proceſſionem, & tunc ſurgentes, facta poſtea ibidem genuflexione, pergent ad Baldachinum, & illud ante medium viæ in exitu cancellorum, ſive Presbyterii pro ſitu loci conſtituent, ubi manebunt genuflexi tenentes ejuſdem haſtas, donec ſub Baldachinum ingrediatur Celebrans; & ita diſponentur, ut Digniores ferant haſtas anteriores, & ex illis Digniori debetur ea, quæ eſt a dexteris Celebrantis, ſive ante, ſive retro, utpote Dignior, juxta diſpoſitiones Cæremonialis Papæ, & Cæremonialis Epiſcoporum allegatas a Gavanto *ſupr. lit.* p -- Interim etiam Subdiaconus, qui defert Crucem, facta cum eis genuflexione accipiet Crucem, & medium inter duos Ceroferarios perget ad planum ante medium Presbyterii paulo remotius ab Altari & Baldachino, ubi ſtans cum Cæroferariis expectabit, donec inchoatur Proceſſio.

Dum etiam prædicta omnia peraguntur, Magiſter Cæremoniarium imponit ſuper humeros Celebrantis velum oblongum perpulcrum, quod firmabitur aciculis, vel vittis ſericis, ne per viam decidat, ut ſupra innuimus, deinde Celebrans cum Miniſtris Sacris ad ſecundum gradum Altaris aſcendit, & ſtatim Diaconus progreditur ad ſuppedaneum Altaris, ubi genuflectit unico genu abſque capitis inclinatione, & mox ſurgit (interim Celebrans cum Subdiacono genuflectit in ſuppedaneo) & ad cautelam firmat velum Calicis vitta ſerica albi coloris. Deinde cum debitis reverentiis accipit dextera nodum, ſiniſtra pedem Calicis. *Memoriale Rituum majoris hebdomadæ cap.* 2. §. 9. *n.* 5. Tum præfatus Diaconus per latus ſuum ſiniſtrum, ſeu per eam partem, quæ reſpicit cornu Evangelii ſe convertit ad Celebrantem, cui Celebranti genuflexo ipſe Diaconus ſtans ſupradictum Calicem reverenter tradit, Biſſus *ſupra* §. 3. Bauldry *ſupra num.* 11. qui Celebrans illum accipit ſiniſtra per nodum, ſubmittens eam velo, & dexteram ponit ſuper Calicem, ſuper quem Diaconus extendit extremitates ambas veli humeralis, & mox Celebrante ſurgente, Diaconus genuflectit, & Sacramentum adorat. *Memoriale Rituum ſupra num.* 6.

Celebrans vero tenens prædictum Calicem ambabus manibus, ut ſupra, aſcendit in planum ſuppedanei, & vertit renes Altari, interim Miniſtri Sacri cum debita genuflexione, hoc eſt unico genu, mutant loca; ita ut Diaconus incedat in Proceſſione a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis hinc inde, & ambo ſic aſſiſtentes, fimbrias anteriores Pluvialis elevantes, & cum opus eſt brachia ejus ſublevantes, & tunc, & non prius incipitur per Cantores adhuc genuflexos: *Pange lingua. &c.* Memoriale Rituum *ſupra num.* 7. & 8. Horatius Chriſtiani *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 8. & 9. Bauldry *ſupra num.* 12. & 13. Biſſus *ſupra* §. 3. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. *Facta brevi oratione.*

Advertere lubet hoc loco, quod Cæremoniarius, vel aliquis alius, dum Celebrans deſcendit geſtans Sanctiſſimum Sacramentum, & quandocumque opus erit, elevet extremitatem anteriorem veſtis ejuſdem Celebrantis: Bauldry *ſupra n.* 14.

Congruum etiam eſſet, dum Celebrans deſcendit per gradus Altaris adhibere umbellam ſericam, & albi coloris (ut dicemus in Proceſſione, quæ fit in feſto SS. Corporis Chriſti) quæ ferri deberet ab aliquo ſupra caput Celebrantis, eam elevando in ſubſidium Baldachini per totum ſpatium, quod intereſt ab Altari ad Baldachinum, ne SS. Sacramentum abſque honoris tegmine, ne per breve quidem ſpatium deferatur. Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Romanum de proc. SS. Corporis Chriſti tit.* 80. §. 3. *n.* 37.

Notandum præterea, quod ſupradicti Eccleſiaſtici, Epiſcopo celebrante, parati cum Pluvialibus albi coloris, ſed ſine Stolis, ipſo vero non celebrante cum Cottis tantum, quando Celebrans incipit deſcendere, debent ſumere haſtas Baldachini ſibi ab Acolythis porrectas. Regulariter autem Baldachini haſtæ ſolent in medio Presbyterio elevari, ſi tamen commode fieri poteſt. Baruffaldus *ſupra num.* 17. Biſſus *ſupra*. Duo vero ſupradicti Thuriferarii eodem tempore hinc inde ante Baldachinum ſe conſtituunt, ut graviter, & modeſte ſemper in eo ſitu procedant, facie adinvicem verſa, ne terga vertant Sacramento. Bauldry *ſupra num.* 17. Biſſus *ſupra* §. 4.

Intonatis duobus primis verſiculis prædicti Hymni, ſurgent omnes, & per viam longiorem intra Eccleſiam procedant ad locum præparatum, ſeu ad Sacellum, ubi reponendus eſt Calix cum Sanctiſſima Hoſtia. Procedent, inquam, ordine ſequenti.

XI. Rubr. & Gavant. lit. i -- *Subdiacono parato crucem ferente, &c.*) Primo procedunt Laici, ſi qui ſunt cum facibus accenſis, Bauldry *ſupra*; Biſſus *ſupra* §. 4. tum Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios, qui nunquam genuflectunt, nec etiam SS. Sacramento; Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 16. *num.* 12. Caramuel *apud Tonellium lib.* 2. *n.* 3. Biſſus *lit. C n.* 559. *lit. F n.* 42. §. 14. & 17. *lit. G n.* 20. & 21. *lit. P n.* 226. §. 2. cum Gavanto *ſupra*; vertentes ſe erga Eccleſiam, incipiunt procedere lente, & graviter, poſt quos ſequuntur alii de Clero bini, & bini cum candelis accenſis, ut ſupra, præmiſſa genuflexione utroque genu SS. Sacramento, præcedentibus inferioribus; geſtant autem Candelas dextera manu, vel ſiniſtra reſpective, prout diximus agendo de Proceſſione quadraginta Horarum *part. II. tit.* 15. *num. IV.* poſt Seniores de dicto Clero, octo Capellani, vel Acolythi cum funalibus eodem modo accenſis ibunt hinc inde ante Baldachinum, quatuor pro qualibet parte, & poſt eos duo Thuriferarii geſtantes reſpective manu ſiniſtra Naviculam, & manu dextera Thuribulum, vel e contra, & incenſantes continue Sacramentum, non eo modo, quo ad elevationem in Miſſa, & Benedictionem ejuſdem Sacramenti fieri ſolet, quippe qui inter ambulandum eſſet valde incommodus, ſed Thuribulum e manu dextera pendens ab eo, qui eſt a ſiniſtris Celebrantis, ab eo vero, qui eſt a latere dextero, e manu ſiniſtra graviter, & modeſte altereatim moyente, tractibus tamen longioribus erga Sacramentum productis, ut nedum ei viam ſternere, ſed ipſum quoque incenſare vere dici poſſint. Gavantus *ſupr. lit.* q, Biſſus, *lit. P num.* 226. §. 4. & *lit. F n.* 45. *contra Quart. de Proceſſ. ſect.* 3. *punct.* 3. *quæſt.* 5. ſed juxta communiorem praxim, præſertim Baſilicarum Urbis.

XII. Rubr. & Gavant. lit. p -- *Sub Baldachino, &c.*) Poſt hos omnes ibit Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſub Baldachino tenens elevatum Calicem fere ob oculos, quos defixos modeſte ſemper habebit in eum, & voce ſubmiſſa recitabit cum Miniſtris Sacris devote præfatum Hymnum *Pagne lingua, &c.* & alios, ac etiam Pſalmos, ſi opus ſit; deferentibus vero haſtas Baldachini eiſdem, qui ſupra cum Pluvialibus albis, prout diximus ſupra, quibus deficientibus non debent adhiberi Stolæ, ſed ſufficient Cottæ, ut notat Gavantus *ſupra*. Verum juxta praxim Eccleſiæ Lateranenſis, & aliarum Baſilicarum Urbis deferunt tales haſtas octo ſeniores, & Digniores de Choro, non quidem Pluvialibus, ſed ſolo ſuo habitu chorali induti.

Prælati, ſi qui aderint, incedent poſt Celebrantem, primo quidem Digniores, deinde minus Digni; Caſtaldus *ſupra c.* 4. *num.* 4. Advertant autem poſteriores procedentes de Clero, ut non nimis elongentur a Celebrante, ne SS. Sacramentum ſine lumine deferatur, ad quod attendere omnino debet Cæremoniarius, ſicut ad alia omnia, & ideo neque candelam, neque locum ſpecialem habere debet, ut omnibus provideat, & præſertim ut Clerus modeſte procedat; quare nunc huc, nunc illuc pergere debet ad omnia dirigenda, Bauldry *ſupra num.* 10. Biſſus *ſupra* §. 5.

XIII. Rubr. & Gavant. lit. t -- *Cantatur Hymnus Pange, &c.*) Interea vero dum fit Proceſſio, cantatur, ut innuimus ſupra, Hymnus *Pange lingua, &c.* interponendo pauſam aliquam inter verſus, longioris, vel brevioris viæ ratione attenta. Biſſus *lit. P n.* 226. §. 3. inchoantibus unamquamque ſtropham duobus Cantoribus, & toto Choro cætera proſequente. Cum dicentur hi duo verſiculi: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*, decet ut omnes (præter Subdiaconum Crucem ferentem, & Ceroferarios, qui ſtantes ſe tunc convertere debent ad SS. Sacramentum) intra Eccleſiam tunc genuflectant verſus SS. Sacramentum, ſi commode poſſint; Celebrans vero cum Miniſtris, & hi qui ferunt Baldachinum, ſiſtent interim immoti. Finitis prædictis verſibus, omnes ſurgent, & facta ſimul genuflexione convertentes faciem ad Crucem, cœptum iter peragent. Gavantus *ſupra*, & Cærem. Monaſt. *lib.* 4. *cap.* 8. §. 8. Verum melius erit, ſi una, vel altera ſtropha repetatur ante prædictos verſiculos, ut deferentes candelas, & faces, non habeant opus genuflectere in via, & illi verſiculi dicantur, cum omnes ante Altare, in quo reponi debet SS. Sacramentum, fuerint genuflexi. Biſſus *lit. P num.* 226. §. 3. & *lit. F num.* 42. §. 15. itemque *lit. T num.* 10.

XIV. Rubr. & Gavant. lit. ſ -- *Illum primo ſuper Altare, &c.*)

*&c.*) Cum ad Sacellum pervenerint, Subdiaconus, & Ceroferarii ſiſtunt ſe e ragione prædicti Sacelli aliquantulum recedentes e medio, ita ut aditus pateat procedentibus, & nullum impedimentum afferant Celebranti, & aliis, tum Clerus dividatur in duas partes hinc inde, ut Thuriferarius, Miniſtri Sacri, & Celebrans ſub Baldachino commude tranſire poſſint per medium illorum; juvenes remaneant prope Crucem, ſeniores vero ex ordine procedant ultra, ita ut proximiores ſiot Sacello, ſive Altari, & omnes hinc inde ſtabunt facie adinvicem converſa uſque ad adventum Sacramenti, & tunc omnes ante illud genuflectunt utroque genu, & ſic manent genuflexi verſus Sacellum, donec inde recedant. Gerlacus Vinitor *ſup. n.* 23. Memoriale Rituum *ſupr. n.* 10. *&* 11. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 4. *n.* 5.

Si vero in hac Proceſſione ſint Laici, ſeu Confratres, & multus ſit Clerus, tunc omnes procedentes in ſimplicem gyrum ſe diſponunt; primum gyrum faciunt prædicti Laici, ſeu Confratres, ſecundum Clerici, & Beneficiati, ſeu Manſionarii, tertium anteriorem Canonici, ita tamen ut ſemper juniores ſingulorum gyrorum maneant prope Crucem hinc inde, ſeniores vero, ſive Digniores ſint Capellæ, ſeu Sacello proximiores; Memoriale Rituum *ſupr. n.* 11.

Celebrans cum Sacramento ſtatim ut ingreſſus fuerit Sacellum, ſive Capellam, Acolythi reſumunt haſtas Baldachini, illud aſportantes ad locum ſuum, vel ad portam Capellæ, & ſupradicti Haſtiferi parati locum ſuum petunt, & ibi manent genuflexi ut alii, Memoriale Rituum *ſupr. n.* 13. Subdiaconus vero, ſeu Cruciferarius, & Ceroferarii poſtquam omnes tranſierint, ſtatim collocant ſe è regione Sacelli, in medio gyri illum claudentes, & omnes præter ſupradictum Cruciferarium, & Ceroferarios, manent ut ſupra, genuflexi, converſa facie ad Sacramentum. Memoriale Rituum *ſupr. n.* 14.

Poſtquam igitur Celebrans ingreſſus fuerit Capellam, ſeu Sacellum, Thuriferarii ceſſant a thurificatione, poſt quam etiam aliquantulum ſe retrahunt, ut Celebranti, & Miniſtris locum cedant. Bauldry *ſupr. n.* 22. Biſſus *lit. F n.* 42. §. 14.

XV. Gavant. ead. lit. f -- *Dum incenſatur Sacramentum, &c.*) Interim Cantores in cantu pio, & devoto cantant: *O ſalutaris Hoſtia, &c.* vel *Tantum ergo Sacramentum, &c.* donec Sacramentum fuerit per Celebrantem incenſatum, & per Diaconum repoſitum, ut colligitur ex Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 13. & ex Gavanto *ſupra*.

Celebrans, & Miniſtri Sacri aſcendunt ante ſupremum gradum Altaris, ſcilicet ante ſuppedaneum; Memoriale Rituum *ſupr. n.* 15. & Diaconus ſtatim ſuper ſuppedaneum, ubi genuflectit, quaſi vertens renes ad cornu Epiſtolæ; Bauldry *ſupr. n.* 22. & Celebrans ſtans porrigit Calicem cum Sacramento Diacono, ut *ſupra* genuflexo, remotis prius per eumdem Diaconum veli humeralis extremitatibus; Memoriale Rituum *ſupra*; quem Calicem prædictus Diaconus reverenter accipit, deinde ſurgit, & converſus ad Celebrantem paululum expectat, donec Celebrans genuflexus adoraverit SS. Sacramentum, quod ſemper facit in caſu ſimili, deinde punit Diaconus devote Calicem ſuper Corporale in medio Altaris extenſum, cavens ne terga vertat Celebranti genuflexo. Rubr. Miſſal. *ſupra*. Claudius Arnaudus *in Feria V. in Cœna Domini*. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. *Deſcendit*. Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 16. Vinitor *ſupra num.* 24.

XVI. Rubr. & Gav. lit. t -- *Reponit in capſula, &c.*) His tamen non obſtantibus, Cæremoniale Epiſc. auctoritate Benedicti XIII. recens recognitum *lib.* 2. *cap.* 23. §. 13. præſcribit, quod Diaconus accepto Calice, *ut ſupra*, ipſum reponat non ſuper Altari, ſed in loco præparato, ideſt ut explicat Memoriale Rituum *ſupr. n.* 17. in loculo, ſive capſula præparata ſupra Altari, non tamen illam tunc claudens, niſi facta incenſatione Sacramenti, idem etiam docet Horatius Chriſtiani *ſect.* 1. *cap.* 8. *n.* 16.

Ex ſupradicta igitur Rituum varietate ſciendum eſt, quod quando Miſſale, & Cæremoniale aperte differunt in præſcribendo aliquo Ritu, ut in locis ſupracit. non ideo ita ſibi contradicere credendum eſt, ut unum prohibeat, quod alterum præſcribit, ſed potius utroque modo talem Ritum obſervari poſſe. Miſſale igitur præſcribit, quod Diaconus ponat Calicem ſuper Corporale in medio Altaris; Cæremoniale vero, quod deponat ſuper Altari in loco præparato, ideſt in capſula (quæ tamen claudi non debet, niſi facta incenſatione) quodcumque horum fiat, rite ac legitime fiat. Nicolaus de Bralion in Appendice 3. *cap.* 1. *n.* 5. quamvis tamen Ritus a Miſſali præſcriptus relinqui poſſit Eccleſiis Parochialibus; alius vero Ritus a Cæremoniali præſcriptus Eccleſiis Cathedralibus, ob particularem, & præcipuam quamdam rationem (pro quibus præſertim eſt Cæremoniale Epiſc.) relinqui poteſt, ut a ſimili tradit Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 14. *num.* 8.

Diaconus itaque, depoſito in medio Altaris, vel in Capſula ut ſupra SS. Sacramento; tum facta genuflexione ſurgit, & accedit ad dexteram Celebrantis, ubi manet genuflexus ſicut Celebrans cum Subdiacono, qui genuflectere debuit, ſtatim ac Diacono Celebrans Sacramentum dederit in inferiori Altaris gradu. Gradus autem iſte inferior Altaris, in quo genuflectere debet Celebrans, & iterum in incenſatione, & poſt eam denuo in eodem genuflectet, diverſimode a Rubriciſtis intelligitur. Alii enim volunt, quod ſit gradus primus, alii quod ſit infimus, ut advertit Sarnellius *Epiſtol. Eccleſ. tom.* 8. *epiſt.* 26. Praxis tamen Urbis omnium Rituum Magiſtra eſt, ut ad infimum gradum deſcendat; ibique etiam ſuo tempore genuflexus incenſationem faciat; Baruffaldus *de Proceſſione in Feſto SS. Corporis Chriſti tit.* 8. *n.* 64. *&* 65.

Dum genuflexus eſt Celebrans, per Miniſtros Sacros, vel per Cæremoniarium, ut ait Horatius Chriſtiani *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 17. amovetur ex ejus humeris velum oblongum, quod Diaconus, vel Cæremoniarius tradit alicui Miniſtro non occupato, qui illud ponit in aliquo loco congruo. Bauldry *ſupr. num.* 22. Biſſus *lit. F*, *n.* 42. §. 15. Vinitor *ſupr. n.* 24. Poſtea ſurgit Celebrans (ſicut, & Miniſtri Sacri ſurgunt, ut ſtatuit in ſua ſpeciali inſtructione Clemens XI. de ordine ſervando in Oratione quadraginta Horarum, quam ſupra per extenſum dedimus) ibique paulo retrocedens, Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 13. ſtans imponit incenſum in uno ex Thuribulis ſine benedictione, miniſterio Diaconi ſine oſculis; tum Celebrans cum Miniſtris Sacris genuflectit iterum ſuper infimum gradum, & ſumpto Thuribulo ter incenſat Sacramentum ſuo velo tectum, Miniſtris elevantibus partes anteriores Pluvialis, & profunde inclinantibus cum Celebrante ante, & poſt, Bauldry *ſupr. n.* 23. Biſſus *ſupr. n.* 15. Vinitor *ſupr. n.* 25.

Finita incenſatione, Celebrans tradit Thuribulum Diacono, & hic Thuriferario, qui Diaconus poſtea aſcendit ad Altare genuflectit, & ſtatim ſurgit, tum accipit Calicem cum Sacramento, & reponit ſuper Corporale in Capſula ut ſupra; (ſi tamen locus eſſet ita paratus, ut commode a Diacono non poſſet poni Sacramentum in ſua Capſula, tunc alius Sacerdos cum Cotta, & Stola poterit id præſtare) deinde genuflectit, & Capſulam claudit, & obſerat clavi, quam dabit illi, ad quem ſpectat, nempe Sacriſtæ, vel Cæremoniario. Bauldry *ſupr. n.* 24. Biſſus *ſupra* §. 16. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 1. §. *Diaconus, & alii*.

Si vero prædictus Calix fuerit ſtatim depoſitus in Capſula præparata ſuper Altari; tunc Diaconus, facta, *ut ſupra*, genuflexione SS. Sacramento, ſurgit, & clauſa Capſula, clavi obſerat, *ut ſupra* adnotatum eſt.

Clauſo Sacramento in Capſula, & Diacono ad dexteram Celebrantis regreſſo, omnes genuflexi (exceptis Cruciferario, & Ceroferariis) aliquantulum orant. Bauldry *ſupra num.* 25. Biſſus *ſupra* §. 17. Turrinus *ſupra* §. *Clauſo oſtiolo*. Interim colliguntur cerei, aſportantur, & extinguuntur. Memoriale *ſupra num.* 19.

Facta oratione ſurgunt Celebrans, & omnes alii; iterum genuflectunt, & ſurgunt, poſtea redeunt in Sacriſtiam, præcedentibus Thuriferariis, quos ſequitur Subdiaconus deferens Crucem, medius inter Ceroferarios habentes candelabra cum candelis accenſis. Bauldry *ſupra num.* 26. Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 17. Deinde Celebrans medius inter Sacros Miniſtros elevantes fimbrias anteriores Pluvialis, ibique facta profunda inclinatione nudo capite Imagini, vel Cruci, de more ſuas veſtes deponunt. Bauldry *ſupra n.* 27. Biſſus *ſupra num.* 17.

Cæteri vero de Clero accedunt ad Chorum, & ibi dicunt Veſperas demiſſa, ſed intelligibili voce, & ſine cantu, quo tempore ad Altare duæ candelæ ardere debent. Biſſus *lit. H num.* 24. §. 6. vel potius ſex ſicut in Miſſa. Bauldry *ſupra num.* 28. Celebrans autem, & Miniſtri Sacri, depoſitis veſtibus, ſeu paramentis albis, & ſumptis a Celebrante, & Diacono Stolis violaceis, ſi ſit opus, vadunt etiam ipſi ad Chorum pro dicendis Veſperis; quod ſi numerus Clericorum ſit copioſior, poſſunt remanere in Sacriſtia, ibique, vel alibi Veſperas ex ſe dicere ſubmiſſa voce. Biſſus *lit. F n.* 42. §. 18. Bauldry *ſupra num.* 27.

Interim ex Altari majori transferuntur in Sacriſtiam Sanctorum Reliquiæ, ſi quæ ſuper eodem fuiſſent depoſitæ inter candelabra, per duos Capellanos cum Stolis, & cum duobus Acolythis lumina geſtantibus. Memoriale Rituum *ſupr. n.* 2. *pag. mihi* 137. Rurſus eodem tempore omnia, quæ erant ſuper Altare, & ſuper Credentiam, Clerici reportant in Sacriſtiam, & aciculas de Mappis Altarium removent, niſi id prius factum fuerit, ut ſupra dictum eſt, ut facilius, & promptius dicta Altaria denudari poſſint. Bauldry *ſupra num.* 31.

Dum dicuntur in Choro Veſperæ, aliquis Sacerdos Cotta, & Stola alba paratus, & aliquis Clericus cum velo humerali vadunt ad Altare, ubi adhuc eſt Pyxis cum Particulis conſecratis, inſervientibus duobus, vel quatuor Acolythis, quod eſt decentius cum luminibus, & prædicto Clerico pro velo humerali imponendo ſuper humeros Sacerdotis cum debitis genuflexionibus, Pyxidem accipit, quam ponit non quidem in eadem Capſula, in qua paulo ante fuit repoſitus Calix, quem Celebrans detulit in Proceſſione, ut vult Gavant. *infra num.* 20. cum hic nullius ferme Eccleſiæ ſit uſus, ſed poni debet dicta Pyxis in aliquo alio decenti loco, nimirum vel in aliqua Capella ab Eccleſia ſegregata, vel in aliquo Tabernaculo exiſtente in Sacrario, quæ quidem conſuetudo hodie eſt fere communis omnium Eccleſiarum. Dum Sacerdos deferet prædi-

ctam

Digitized by Google

ctam Pyxidem, ſupradicti duo, vel quatuor Acolythi cum Cottis, & facibus ardentibus præcedant, &c. Aſportata dicta Pyide, lampades, & cerei, ſi qui ſunt per Eccleſiam accenſi, extinguuntur, ſolum illis relictis accenſis, qui ſunt in Altari, ubi eſt SS. Sacramentum. Biſſus *ſupra* §. 19. & duobus ſaltem candelabris ad Altare majus, uſque dum cantantur Veſperæ.

His omnibus peractis, ſolet etiam e vaſis Eccleſiæ removeri Aqua benedicta, nihilominus quia ſuper hac communi praxi nulla habetur Rubrica, nullum Decretum; idcirco aliqui inſurgunt contra hanc conſuetudinem, dicentes, hac die, & ſequenti Feria VI. in Paraſceve non eſſe tollendam ex fontibus Eccleſiarum Aquam benedictam, ſed adhuc in eis aſſervari debere prædictis diebus, ſicut in more eſt omni alio tempore. Qui hanc opinionem defendunt moventur ex Decreto Alexandri Papæ I. quod habetur *in Canone Aquam de conſecr. diſtinct.* 3. & clarius in Lectione nona, quæ de eodem Sancto Pontifice legitur die 3. Maji, in Feſto Inventionis S. Crucis, ubi legitur; *idem decrevit, ut Aqua benedicta ſale admixto perpetuo in Eccleſia aſſervaretur*. Ex quo inferunt adhærentes huic ſententiæ: ergo numquam deeſſe debet Aqua benedicta in Eccleſia. Addunt idipſum confirmari ex Rubricis Ritualis Romani præſcribentibus aſperſionem Aquæ benedictæ Infirmis, quibus adminiſtratur SS. Viaticum, & Sacramentum Extremæ unctionis, necnon Cadaveribus Defunctorum, quæ etiam his diebus Aqua benedicta revera in Eccleſiis aſperguntur; unde non debet ſupponi, vaſa Eccleſiæ non continere prædictam Aquam; denique adducunt in favorem ſuæ ſententiæ Rubricas Miſſalis Romani in die Sabbati Sancti, quibus præſcribitur, quod, *dicta Nona, Sacerdos, &c. aſtantibus ſibi Miniſtris cum Cruce, & Aqua benedicta*: & infra ſubnectitur: *deinde prædicta grana incenſi, & ignem ter aſpergit Aqua benedicta*, ex quibus infertur, quod Rubrica ſupponit, exiſtere in Eccleſia Aquam benedictam. Non enim dicit, quod fiat Aquæ benedictio, ſicut dicit, quod fiat benedictio novi ignis, & quinque granorum incenſi. Et ſupponit eadem Rubrica, non deeſſe in Eccleſia Aquam benedictam nedum in die illo Sabbati, ſed nec etiam in aliis duobus diebus præcedentibus.

Si dicatur, quod pro antedictis functionibus nimirum pro Sacramentorum adminiſtratione, pro Defunctorum Exequiis, & pro Benedictione quinque granorum Incenſi, & novi Ignis ſervari debet illis diebus Aqua benedicta in aliquo vaſe, & in aliquo loco remoto; reſpondent Auctores hujuſce ſententiæ, quod idipſum eſt contra Eccleſiæ inſtitutum, quæ vult, ut Aqua benedicta perpetuo ſit Fidelibus expoſita in vaſis prope fores Eccleſiarum, ut Fideles Eccleſiam ingredientes ſtatim aſpergi poſſint, & a levioribus noxis mundari; præterea hoc ipſum foret novum Ritum in Eccleſiam inducere, quod ſine auctoritate Eccleſiæ fieri non poteſt; hæc, & alia præfati Auctores, inter quos recenſetur Enioannes *in allegationibus de Aqua benedicta*, quem refert per extenſum P. Torrecilla *variar. conſult. moral. tom.* 3. *conſult.* 17. Michael de Paulo *in ord. rec. Divin. Offic. Anno* 1685. *die* 19. *Aprilis* Antonius de Caſtelleras *pariter in ord. rec. Div. Offic. Anno* 1690. *die* 23. *Januarii*, qui libelli fuerunt ordinati pro aliquibus Hiſpaniæ Diœceſibus, & eorum Auctores citat idem Enioannes *in dicta allegat. n.* 1. & 2. item Auctor Cæremonialis FF. Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum *part.* 1. *cap.* 3. §. 2. *n.* 2. & *part.* 3. *cap.* 1. §. 5. *n.* 9. Bartholomæus de Ollalla Sac. Cæremoniarum Magiſter in Regia Capella Caroli II. Hiſpaniarum Regis *in Cæremoniali Romano pro Miſſa ſolemni n.* 651. Hanc ſententiam tenebat etiam Illuſtriſſimus Dominus Joſephus Gaſc Archiepiſcopus Panormitanus, die enim 18. Martii 128. ſequens publicari juſſit Edictum: *di più vogliamo, che nelli fonti ſoliti ſtare nell' ingreſſo delle Chieſe* (nelli detti giorni di Giovedì, e Venerdì Santo) *vi ſi ponga l'acqua benedetta, conforme ſi coſtuma in ogni tempo*. Contrariam tamen ſententiam tuetur ſupra citatus P. Torrecilla *in dicta conſul, per totam*, ubi contra Eccleſiarum Hiſpaniæ uſum noſtram nempe communem Italiæ conſuetudinem approbat, ac nedum ut licitam, ſed etiam ut obligatoriam defendere conatur, ſed levibus momentis, ut aſſerit Auctor Ordinis Divini Officii ad uſum PP. Capuccinorum pro Anno 1737. in calce ſui Directorii, Panormi editi, ex quo hæc colligere potui.

## R U B R I C A.

10. *Et Sacerdos cum Miniſtris denudet Altaria, legendo Antiphonam, Diviſerunt, &c. cum toto Pſalmo.*

## *G A V A N T U S.*

*Ordo Romanus*. Altaria, inquit Rubrica, non Altare majus tantum. An Altaria denudanda erunt, dum dicuntur Veſperæ? Ex hac Rubrica videtur affirmandum. *Alcain.* poſt Veſperas vult denudari, quia Veſpere, ait, nudatus fuit Chriſtus ſuis diſcipulis. Idem habet *Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 23. communior uſus Eccleſiarum Urbis cum Cæremoniali prædicto explicat Rubricam.

11. Hæc Altarium nuditas ſignificat, Chriſtum amiſiſſe ſpeciem, & decorem *Ruper. lib.* 5. *cap.* 35. & veſtimenta illius juſſe diviſa inter milites, ut ex Antiphona patet, & *idem*



*Rupert.* colligit nudatum Chriſtum quaſi gloria Deitatis *Deus, Deus meus, at quid dereliquiſti me?* Contemplatur *Durand. cap.* 76. *loc. cit.*

12. Procedit autem Celebrans cum Diacono in albis, & Stolis tantum violaceis, cum Subdiacono in albis tantum, ſine Manipulis, & Clerus cantare poteſt Pſalmum totum. Amovendæ vero ſunt mappæ tantum cum palliis, & aliis ornamentis, relicta Cruce velata cum Candelabris in Altaribus, neque Pſalm. ideo eſt repetendus, ſi multa ſint Altaria. * Conopæum Tabernaculi majoris, in quo aſſervatur ordinarie Sacramentum, adhuc placet eſſe coloris violacei, ut diximus *part.* 1. *tit.* 20. §. *Tabernaculum*, quia Regia viventis Chriſti eſt, ad modicum tempus abſentis; quod ſi adhibeatur coloris nigri ob ſequentem Feriam 6. ea erit ratio, quia vacuum eſt Tabernaculum; & conformis erit color paramentis Celebrantis: ſtandum ergo erit conſuetudini locorum; & Romæ in Eccleſia Sancti Petri amovetur conopæum, quod etiam magis placet, niſi ſint velandæ ſtatuæ, ſeu imagines prædicti Tabernaculi.

13. Hoc triduo tranſeuntes ante Crucem, quæ eſt in Altari majori, reverentiam illi faciant cum genuflexione; excepto Celebrante parato (niſi illud infra notetur) quia fulget Crucis myſterium; & de die Paraſceve hoc decreviſſe Sacr. Rituum Congreg. teſtatur *Caſtaldus in ſua Praxi Cæremoniarum*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Altarium denudatione.

XVII. Gavant. num. 12. *Procedit autem Celebrans, &c.*) Dum dicuntur Veſperæ, ut innuimus ſupra; Celebrans ſe parat in Sacriſtia Stola tantum violacea ſuper albam in modum Crucis ante pectus, & Diaconus Stola violacea Diaconali ſuper ſiniſtrum humerum, & Subdiaconus ſola alba, & ita omnes ſine Manipulis; Veſperis peractis, ut habet Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 13. §. 13. procedunt ad denudationem Altaris majoris, Thuriferario ſine Thuribulo, & Ceroferariis ſine Candelabris præcedentibus, manibus junctis, & nudo capite, deinde Cæremoniarius etiam ſine Bireto, & manibus junctis procedit; tum Subdiaconus, & poſt eum Diaconus, & ultimo Celebrans, & hi tres unus poſt alium tecto capite, & manibus junctis, Turrinus *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 2. §. *Ubi Celebrans, & part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. *Veſperis peractis* contra Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 4. *n.* 1. qui vult, quod Celebrans ſit in medio Diaconi a dexteris, & Subdiaconi a ſiniſtris, ſed verius unus poſt alium procedere debent, ut ipſemet Bauldry notat *part.* 4. *cap.* 3. *art.* 2. *num.* 4. Ratio autem eſt, quia in tantum medium habent Celebrantem aliquando, in quantum habet Pluviale, cujus fimbrias anteriores ſuſtinere debent, ut docet Cæremoniale Epiſcopor. *lib.* 1. *cap.* 15. §. 14. Quando vero Celebrans non habet Pluviale, tunc Diaconus immediate præcedit ante Celebrantem, & Subdiaconus ante Diaconum manibus junctis, Cæremoniale *ſupr.* §. 13. ſi Chorus ſit retro Altare majus, Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 4. *num.* 11. vult quod ad denudationem Altaris bini quilibet de Choro ſuo ordine accedant intra Presbyterium, ubi per gyrum Chorum ordinantes, quorum ultimus omnium ſit Celebrans paratus.

Cum autem ad Altare majus pervenerint, omnes genuflectunt unico genu, excepto ſolo Celebrante (immo ſi Miniſtri Sacri ſint Canonici, neque ipſi genuflectunt) qui tantum ei profunde ſe inclinant. Bauldry *ſupra art.* 4. *num.* 2. Deinde cum Miniſtris Sacris aſcendit ad Altare, ubi incipiens denudationem ſimul incipit mediocri voce, ita ut audiatur a Choro, & ſine cantu, Antiphonam: *Diviſerunt ſibi, &c.* quam omnes de Choro eadem voce proſequuntur: Caſtaldi *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 4. §. 11. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 9. *num.* 11. Turrinus *ſupra, &c.* Horatius Chriſtiani *ſupr. a.* 7. & Memoriale Rituum *ſupr. n.* 2. contra Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 4. *num.* 3. Biſſum *lit. A num.* 239. §. 2. & Gerlacum Vinitorem *part.* 6. *tit.* 9. de Denudatione Altaris *tit.* 3. qui volunt, quod prædicta Antiphona non duplicetur, ſed ea incœpta, ſtatim in Choro dicatur Pſalmus. Dicta igitur a Choro tota Antiphona, ſtatim omnes proſequuntur Pſalmum: *Deus, Deus meus reſpice in me, &c.* quem alternatim eadem voce dicunt, & dum recitatur prædictus Pſalmus, omnes in Choro ſtant, & hæc eſt Praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis. Recitato, & terminato dicto Pſalmo, repetitur Antiphona.

Celebrans poſtquam Antiphonam incœperit, illam eodem tempore quo Chorus, cum Miniſtris ſuis proſequitur paulo humiliori voce, ac etiam cum ipſis alternatim dicit totum Pſalmum, & in fine repetit, & ſimul ipſi Miniſtri cum eo, Antiphonam integram, Nicolaus de Bralion *ſupra num.* 13. Interim denudans Altare cum Miniſtris Sacris amovet primo Tobaleam ſuperiorem, mox alias: Horatius Chriſtiani *ſupra num.* 8. Tum pallium, & alia ornamenta, relicta tamen Cruce tecta velo violaceo cum Candelabris ſuper Altare; auferuntur etiam cortinæ, tentoria, credentia, & alia ſi adſint. Bauldry *ſupra art.* 6. *num.* 2. ita etiam quæ ſunt tapetia in Choro. Poſtea accedunt eodem ordine, quo ſupra ad denudanda alia Altaria. Biſſus *lit. A n.* 293. §. 2.

Si vero ante perfectam denudationem Altarium eſſet finitus in Choro prædictus Pſalmus, non ideo repetitur, ſed tamen curent in Choro, ut illum magis moroſe, vel celerius dicant pro numero Altarium denudandorum, ut ſi fieri poſſit, dicatur Pſalmus quouſque Altaria omnia ſint denudata: Biſſus *ſupra* §. 3. Bauldry *ſupra*. Vinitor *ſupra* §. 2. Halden *part.* 1. *tit.* 20. §. 1.

Ubi vero copioſus eſt Altarium numerus, eodem tempore, quo Celebrans denudat Altare majus, alii Sacerdotes Cotta, & Stola violacea induti, vel alii Miniſtri inferiores poterunt illa denudare recitando dictum Pſalmum; Nicolaus de Bralion *ſupra num.* 14.

Acolythi omnia in Sacriſtiam aſportabunt, alii Cereos extinguent; alii vaſcula cum floribus amovebunt, alii pallium, alii linteamina e Credentia deferent, alii tapetum, alii Ciborium conopæo violaceo, potius quam nigro coopertum, ut docet etiam Gavantus *ſupra*, cujus Oſtiolum apertum relinquent. Tandem denudatis Altaribus, omnia Acolythi amovebunt, nihil in his relinquentes, niſi, ut ſupra dictum eſt, Candelabra, & Crucem in medio coopertam. Horatius Chriſtiani *ſupra num.* 9. Memoriale Rituum *ſupra* §. 13. *num.* 1. Quin collocetur, ut aliqui faciunt in medio Altaris majoris Crux grandioris magnitudinis, diverſa ab ea, quæ erat inter Candelabra, velo violaceo, vel nigro cooperta, & die ſequenti a Celebrante detegenda. Crux enim quæ inter Candelabra reperitur, amoveri non debet, niſi die ſequenti a Diacono, ut illam porrigat Celebranti, ut eam detegat cum ea Solemnitate, quæ a Rubricis præſcribitur, quæ a nobis declarabitur infra. Hoc liquet ex Cæremoniali Epiſcoporum impreſſo ſub Innocentio X. ut videbimus infra, ubi in tabula delineata apparet Crux detegenda, & eſt eadem, quæ inter Candelabra ſolet collocari, non vero alia diverſa, & quæ, terminata ejuſdem Crucis adoratione, iterum ſuper ſuo pede inter Altaris Candelabra reponitur Feria VI. ſequenti.

Completa Altaris majoris denudatione, totoque Pſalmo ſupradicto, & repetita ejuſdem Antiphona, Omnibus datur ſignum cum crotalo, ut fit in Salutatione Angelica loco ſigni meridiani, & interim omnes genuflexi orant. Facta brevi Oratione, omnes ſurgunt, & adorant unico genu Crucem, quæ ex nunc per hoc triduum uſque ad Nonam Sabbati Sancti incluſive hac genuflexione colitur ab omnibus tranſeuntibus ante illam. Gavantus *ſupra*, & Memoriale Rituum *ſupra num.* 6. deinde pergunt omnes in Sacriſtiam debito ſervato ordine, ſive ad faciendum mandatum, ſi mane fiat. Bauldry *ſupra num.* 5. Horatius Chriſtiani *ſupra n.* 12. nec non Gavantus infra.

Prædictæ denudationis Altarium mentionem faciunt Iſidorus *de Offic. Eccleſ. lib.* 1. *c.* 18. Alcuin. *de divin. Offic. c. de ſexta varietate Cœnæ Domini*, Rabanus Maurus *de Iſtit. Cleric. lib.* 2. *cap.* 36. *de Cœna Domin.* Rupertus Abbas *de divin. Offic. lib.* 5. *cap.* 31. Joannes Belet *in Rationali divin. Offi. c.* 104. Durandus *lib.* 5. *c.* 76.

Altarium denudationem ſequitur in aliquibus Eccleſiis vetuſtiſſimis, Ritus lotionis eorumdem Altarium; cujus meminerunt laudati Scriptores, & ex recentioribus de ea fuſe diſerunt Martene *de antiq. Eccleſ. diſcipl. c.* 22. §. 7. Bellotte *Obſerv. ad Ritus Eccleſ. Laudunenſis p.* 806. & *ſeqq.* & omnium fuſiſſime, atque erudite Chriſtophorus Batellus Baſilicæ Vaticanæ Beneficiatus, edita de hac re Diſſertatione ſub hoc titulo -- Ritus annuæ ablutionis Altaris major. Sacroſ. Baſilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini.

Adnotare huc ſpectat denudationem Altarium antiquiorem eſſe eorumdem lotione, ſiquidem neque antiquus Ordo Romanus, neque Gelaſii, & Gregorii Sacramentaria, quæ denudationis Altarium aperte meminerunt, de lotione eorum ullum verbum habent, quæ obſervavit laudatus Martene *loc. cit.*

Advertendum etiam ſupereſt, quod Sacramento in Tabernaculo incluſo, & in Sacello aſſervato his diebus eſt genuflectendum utroque genu; Cruci vero, quæ eſt in Altari majori, ut ſupra innuimus, omnes, etiam Canonici genuflectere debent unico genu, præſertim vero Feria VI. ſequenti: ita Nicolaus de Bralion *in appendice* 3. *c.* 3. *n.* 3. in obſervationibus circa diverſas functiones *n.* 3. & Horatius Chriſtiani *ſect.* 2. *c.* 11. *n.* 13. nec non Gervaſ. *in Ordinibus divini Officii Mon. Faliſci*.

R U B R I C A.

14. *Poſt denudationem Altarium, hora competenti facto ſigno* (u) *cum tabula, conveniunt Clerici* (x) *ad faciendum mandatum. Prælatus, ſeu Superior, ſuper Amictu, & Alba induitur Stola, & Pluviali violaceis, &* (y) *in loco ad id deputato, miniſtrante Diacono (qui paratus cum Subdiacono,* (z.) *ut in Miſſa, paramentis albis, ei aſſiſtit) imponit Incenſum in Thuribulo: deinde Diaconus* (a) *librum Evangeliorum ante pectus tenens, genuflexus* (b) *ante Superiorem petit Benedictionem: qua accepta, aſtantibus duobus Acolythis cum Candelabris accenſis, & Subdiacono librum tenente, ſignat librum, & incenſat, & cantat, ut moris eſt, Evangelium: Ante diem Feſtum Paſchæ, ut in Miſſa, quo finito, Subdiaconus portat librum apertum oſculandum Superiori & Diaconus eum de more incenſat. Poſtea Superior exuitur Pluviali, & per Diaconum, & Subdiaconum præcingitur linteo, & ſic præcinctus, aſſiſtentibus ſibi iiſdem Diacono, & Subdiacono, accedit ad lotionem pedum: & per ordinem diſpoſitis iis, qui lavandi ſunt, Clericis pelvim, & aquam miniſtrantibus, Subdiacono ſingulorum pedem dextrum tenente, genuflectens ſingulis, illorum pedem lavat,* (c) *extergit, & oſculatur, Diacono* (d) *præbente linteum ad abſtergendum.*

*G A V A N T U S.*

(u) *Cum Tabula*. Sonitus lignei fit mentio *in Paraſc. Ord. Rom.* ſed hac die adhiberi docent *Alcuin. & alii*. Humilitatis eſt indicium *Amalar. lib.* 4. *c.* 21. Terrorem ſignificat Judæorum incuſſum Apoſtolis *Gemma lib.* 3. *c.* 88. & lignum Crucis, quo convocantur omnes, adumbrat *Rupert. lib.* 5. *c.* 29. minus etiam ſonat lignum, quam æs; quia mulieres in Paſſione magis loquebantur de Chriſto, quam Apoſtoli, *Durand. c.* 76.

(x) *Ad faciendum Mandatum*. Dicitur *Mandatum*, quia mandavit Chriſtus lotionem pedum, & quia Antiphonæ incipiunt ab hac -- *Mandatum novum, &c.*

(y) *In loco ad id deputato*. Congrum eſſet, ut ibi Altare eſſet cum pallio albo ad ſignificandam munditiam, cujus gratia lavandi ſunt pedes, cum Cruce, & Candelabris; poterit etiam parari Credentia a latere ſiniſtro, ſuper quam collocabuntur Miſſale, linteum Sacerdotis, vaſa ad abluendas in fine manus ejuſdem, & alia ejuſmodi cum floribus, & herbis. Scamna neceſſaria cum tapetibus habeantur pro lavandis; & tapetia ſint ita ampla, ut Celebrans ſuper iiſdem genuflexus lavare queat, neque Albam fœdet.

(z) *Ut in Miſſa*. Hoc eſt, cum manipulis (licet eo careat Celebrans) ob Evangelium cantandum a miniſtris, ſi fiat proceſſio a Sacriſtia ad locum deſtinatum, Subdiaconus ferat Crucem inter Acolythos medius more ſolito, quam deponit prope Altare in cornu Evangelii.

(a) *Librum Evangeliorum, &c.* Impoſito prius de more incenſo cum Benedictione in Thuribulo a Celebrante. Hoc eodem loco Evangelium reſtitutum eſt a Pio V. *in* 2. *edit. Miſſalis ab eodem reformati, ante Clementem VIII. juxta Ordinem Romanum antiquum.*

(b) *Ante Superiorem*. Adde, ſtantem in cornu Epiſtolæ, Finita incenſatione Celebrantis, deponuntur Manipuli a Miniſtris, ut ei liberius inſerviant.

(c) *Extergit, & oſculatur*. Nullo facto ſuper pedem ſigno Crucis manu Celebrantis.

(d) *Præbente linteum*. Stabit ideo Diaconus a dextris, colligit linteum ipſum, quo Celebrans eſt præcinctus, & extendet, quando opus eſt, ut tergat: non autem Diaconus infundat aquam pedibus, quod aliqui ſcripſerunt nimis aperte contra Rubricam.

R U B R I C A.

15. *Et interim hæc ſubſcripta cantantur.*

*G A V A N T U S.*

In cantandis Pſalmis Mandati, unus tantum verſus cantatur, *Durand. lib.* 6. *cap.* 75. quod etiam dicitur in Rubrica Miſſalis.

R U B R I C A.

16. *Poſt lotionem Superior, vel qui aliis abluit pedes, lavat manus, & abſtergit alio linteo, deinde rediens ad locum, ubi prius fuerat, accipit Pluviale, &* (e) *ſtans capite detecto* (f) *dicit, &c.*

*G A V A N T U S.*

(e) *Stans capite detecto*. In medio ſcilicet ante Altare.

(f) *Dicit*. Manibus junctis, ut alias notavimus, tenentibus librum Diacono, & Subdiacono. Orationes cum verſibus additæ ſunt a Pio V. *ex Ordine Romano*.

17. Finitis omnibus, vel exuitur ibidem Superior, vel redit in Sacriſtiam ordine, quo venerat.

18. De hoc mandato cum Evangelio Miſſæ hujus diei meminit *Ordo Romanus*. Ablutio vero pedum habetur *apud Auguſt. epiſt.* 119. & *Cyprian. ſermone de hac re*. Fitque ad humilitatem Chriſti imitandam, & ad munditiam animæ deſignandam *Rupert. lib.* 5. *c.* 20. Unde & antiquitus reconciliabantur Deo hac die Pœnitentes; Sanctum Gregorium firmaſſe Decreto lotionem hanc, ſcribit *Alph. Villegas in Flor. Sanctorum*.

19. De Oleis Sacris nihil Miſſale, neque nos loquimur, ad Pontificale ſpectat, interea lege *Dur. lib.* 6. *c.* 74.

20. Hora commodiore, poſt Veſperas, deferantur Particulæ ſupra reſervatæ pro infirmis, cum luminibus, ſuperpelliceo, & Stola alba adhibitis, ad locum, ubi reſervata fuit Hoſtia conſecrata: niſi aliud exigat laudabilior conſuetudo: & oſtiolum Tabernaculi, in quo ordinarie aſſervari ſolent, manet apertum, ne Populus ibi adoret, quod non adeſt amplius.

No-

**Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Ritibus ſervandis in faciendo Mandato.**

XVIII. Rub. & Gav. lit. y -- *In loco ad id deputato*, *&c.* ) Locus proprius ad faciendum Mandatum, ſeu pedum lotionem, debet eſſe aliqua aula Sacriſtiæ vicina, in qua pro tali functione debent parari omnia ea, quæ ſcribit Gav. *ſup.* obſervandum tamen eſt, quod Crux tum Altaris, tum proceſſionis, ſi quæ fiat, juxta noſtram ſententiam ſuperius expoſitam, debet eſſe non albo, ſed violaceo Velo contecta. Scamnum, ſuper quo ſedere debent ii, quibus lavandi ſunt pedes (& qui numero treſdecim eſſe debent, ſi fieri poſſit) debet eſſe oblongum, panno viridi, vel alterius coloris coopertum, non tamen rubei. Rurſus ante prædictum panum ſterni debet tapes oblongus, vel plures, & cuſſinus amplior, ne celebrans lavans pedes genuflexus, ſacras veſtes maculet.

Ad ſiniſtrum latus dicti ſcamni, ſeu in parte Epiſtolæ paretur Credentia cum omnibus iis, quæ deſcribit Gav. *ſup.* item treſdecim Mappulæ in una lance, vel ciſta honeſte poſita ad extergendos pedes treſdecim lavandorum. Ex Cæremoniali Epiſc. *lib.* 2. *c.* 24. & Bauld. *ſup. de Feria V. in Cœna Domini art.* 5. §. 3. vel iis deficientibus, paretur linteum ſatis amplum ad prædictorum pedes extergendos, ſi illud, quo celebrans erit præcinctus, non erit ſufficiens. Item paretur pelvicula cum mica panis, ac Manutergium, & Vas, ſeu Buccale cum aqua ad lotionem, & extersionem manuum celebrantis, & Miniſtrorum poſt lotionem pedum faciendas.

Prope prædictum ſcamnum, vel alio loco commodiori, congruum eſt, ut parentur tria Vaſa, unum aqua calida plenum, & herbis odoriferis, alterum aqua frigida ad temperandam calidam, ſi opus ſit, & tertium in quod aqua pelvium effundatur poſt cujuſvis pedis lotionem, ſi neceſſe ſit, niſi forte effundenda ſit in aliquo loco ad id deputato. Præterea parari debent ad minus duæ pelves, aqua, & herbis implendæ, in quibus effundatur prædicta aqua calida pro facienda ipſa lotione pedum. Item Urceus ad prædictam aquam infundendam.

Præterea parari etiam debet unum Legile nudum, vel duo, aut tria in plano cum Miſſali, ſeu Rituali, ubi ſunt Antiph. & Pſalmi, & ℣℣. decantandi, dum fiet pedum lotio: ex Caſtaldo *ſup. c.* 5. & ex Bauld. *ſup.* §. 3. & *ſeqq.*

In Sacriſtia autem parari debent Amictus, Albæ, Cingula, Stola, & Pluviale violacei coloris pro celebrante, necnon Stola cum Dalmatica coloris albi pro Diacono, ſicut & Tunicella pro Subdiacono, cum duobus Manipulis coloris pariter albi. Deinde Thuribulum cum Navicula, & Vas cum prunis ardentibus.

Prædictis omnibus commode, & tempeſtive paratis, ita ut nihil deſit, hora ſolita, quæ ſolet eſſe tertia poſt meridiem, dato ſigno tabulæ, ſeu crotali, conveniunt omnes in Sacriſtiam, ubi celebrans, & Miniſtri induuntur prædictis paramentis, & interim admonentur illi quorum lavandi ſunt pedes ut pergant ad ſuum ſcamnum. Rurſus interim accenduntur candelæ, quæ ſunt ſuper Altare, ubi faciendum eſt mandatum, tum Ceroferarii ſumunt ſua candelabra, accenſis prius eorum candelis, & collocant ſe retro poſt celebrantem. Deinde miniſtrantibus Diacono, & Thuriferario de more ſtantibus a dexteris celebrantis, ipſe celebrans imponit, & benedicit thus in Thuribulo ſtans ante Crucem, vel Imaginem Sacriſtiæ, tum facta prædictæ Cruci, vel Imagini debita reverentia, procedunt ad locum paratum (ſi in Sacriſtia non ſit faciendum mandatum) hoc ordine; Præcedit Thuriferarius cum Navicula, tum Ceroferarii cum candelabris, deinde Cæremoniarius, & Clerus, & tandem celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum, junctis manibus, & tecto capite, exceptis tribus primis, & Cæremoniario.

XIX. Gav. lit. z *Si fiat Proceſſio a Sacriſtia*, *&c.* ) In hac Proceſſione, quæ fit a Sacriſtia ad locum ubi faciendum eſt mandatum, controvertunt Auctores, utrum ſit ferenda Crux a Subdiacono medio inter Ceroferarios? Negativam ſententiam tenet Biſſus *lit. C. n.* 593. eo quia nec in Miſſali, nec in Cæremoniali Epiſc. nec apud alium Auctorem excepto (ait ipſe) uno Bauld. *part* 4. *c.* 9. *art.* 5. *n.* 9. ulla mentio fiat de Cruce in ejuſmodi Proceſſione ferenda. Verum præter Bauld. tenet hanc ſententiam etiam Gav. *ſup. lit.* z ubi ait -- Si fiat Proceſſio a Sacriſtia ad locum deſtinatum, Subdiaconus ferat Crucem inter Acolythos -- unde mirari eſt, quomodo Biſſus aſſeveret, nullum alium Auctorem præter Bauld. facere mentionem dictæ Crucis a Subdiacono deferendæ in dicta Proceſſione. Si igitur feratur dicta Crux, in tali caſu perget utique Subdiaconus inter dictos Ceroferarios, & Diaconus a ſiniſtris celebrantis.

Cum pervenerint ad locum deputatum, Subdiaconus ſi defert Crucem, præſtet ea, quæ tradit Gav. *ſup.* Ceroferarii vero hinc inde a lateribus Altaris in plano expectent celebrantem, qui Cruci Altaris profundam facit reverentiam, aliis omnibus genuflectentibus (exceptis tamen Cruciferario, & Ceroferariis) ſed prius Cæremoniarius accipit bireta celebrantis, & Diaconi, quæ in loco congruo deponit. Clerus vero in duas partes dividitur, & accedit vel totus, vel pars ad legile, ſeu legilia, ſi plura ſint ad decantandas Antiph. Pſalmos, ℣℣. &c. dum fiet pedum lotio, &c.

XX. Gav. lit. a -- *Impoſito prius de more Incenſo*, *&c.* ) Celebrans aſcendit ad Altare, illudque oſculatur in medio, & Diaconus accepto de manu Cęremoniarii libro Evangeliorum, eum portat de more ad Altare cum debitis genuflexionibus, illumque in medio collocat, ut in Miſſa, dum ipſe celebrans ponit cum Benedictione thus in Thuribulo, miniſtrante Diacono cum debitis oſculis, & cætera omnia præſtando tam celebrans, quam Diaconus, ut in Miſſa. Idem Diaconus procedit ad decantandum Evangelium, quo finito, celebrans oſculatur librum delatum a Subdiacono.

XXI. Gav. lit. b -- *Finita incenſatione celebrantis*, *&c.* ) Ceroferarii deponunt candelabra ſuper Credentiam, Thuriferarius Thuribulum, & Miniſtri Sacri Manipulum ſuum cum debitis reverentiis, ſeu genuflexionibus. Celebrans vero exuitur Pluviale per eoſdem, illudque tradunt alicui Miniſtro, qui loco congruo deponat, & per eoſdem præcingitur magno linteo ab Acolythis allato.

XXII. Rub. & Gav. lit. c -- *Extergit*, *& oſculatur*, *&c.* ) Deinde medius inter Sacros Miniſtros accedit ad lotionem pedum, & diſpoſitis per ordinem treſdecim numero (juxta Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 24. ) pauperibus, ſeu aliis, quibus ex more lavandi ſunt pedes, tectis capitibus (ut ait Biſſus *lit. M. n.* 20. §. 4. ) ut in figura, quæ eſt in Cæremoniali Epiſcop. depicta, & ſedentibus; genuflexus, & nudo capite lavat, tergit, & oſculatur pedem dexterum uniuſcujuſque nullo modo formans ſignum Crucis ſuper eum, ut optime advertit Gav. *ſupr.* quem tamen prius ille pauper debuit diſcalceare, & antequam ſedeat ſeorſim lavare debuiſſet pro ratione decentiæ, ne immundus appareat. Dum autem celebrans pedem lavat, Subdiaconus a ſiniſtris celebrantis genuflexus tenet illum paululum elevatum, ut commodius lavari poſſit; Diaconus vero a dextris celebrantis pariter genuflexus extergit pedem lotum linteo, quo celebrans eſt præcinctus. Cærem. Epiſcop. *loc. cit.* Si tamen eſſent tot Mappullæ, ut innuimus *ſupra* (id quod ad majorem decentiam conveniret) quot ſunt illi, quibus lavantur pedes, in tali caſu Diaconus pro unoquoque tradet celebranti unam ex dictis Mappulis, qui cum ea pedem lotum abſterget. Biſſus *ſupra* §. 4. & Bauld. *ſupra num.* 15. Interim autem aliquis Miniſter, ſeu Acolythus pelvim aqua plenam ſub pedibus lavandi tenet, alter mutat aquam, quando opus eſt, alius urceo infundit aquam tepidam, quando pariter opus eſt, non enim eam miniſtrat Diaconus, ut docet Biſſus, & Bauld. *loc. citat.* Incipitur autem hæc lotio a Digoiori, nimirum ab eo, qui Altari eſt propinquior, & ejus pede loto, unus ex prædictis Acolythis trahit pelvim ad pedes illius, qui proxime ſequitur; aliaque ſuppoſita, mutabit illam frequenter prout viderit opportunum: & tunc aliquis deſignatus eam accipiens effundet aquam in vas ad id præparatum, aut commodiorem locum, non vero in pavimeotum. Thuriferarius autem tenere poterit Bacile, cum Mappulis, quas ſucceſſive tradet ſine oſculis Diacono, & ab eo recipiet cum erit opus.

Si poſt lotionem pedum dandæ ſint pauperibus eleemoſynæ, aliquis Acolythus lancem cum eleemoſynis miniſtrabit, & Diaconus loto, & exterſo pede accipiet ex lance unam eleemoſynam, quam tradet celebranti, & hic pauperi, qui eam accipiet cum oſculo manus celebrantis, & ejuſdem eleemoſynæ. Biſſus *ſup. n.* 17.

XXIII. *Et interim hæc ſubſcripta cantantur*, *&c.* ) Dum celebrans incipit lotionem, Cantores in loco aſſignato intonant Antiphonas cum Pſalmis ut in Miſſali, & Chorus proſequitur. Verum ad confuſiones vitandas ſecurius eſt prædicta omnia intonari, & cantari eo modo, quo infra optime deſcribitur; clare enim explicatur a quibus intonandi ſint, & a quibus ſequendi ℣℣. Pſalmi, & Antiph. id quod in Miſſali deſideratur, & ideo ſæpe oritur confuſio quando cantantur, & intonantur antedicti ℣℣. Pſalmi, &c.

C*Antores primi Chori intonant Antiph.* Mandatum novum do vobis.

*Chorus proſequitur.* Ut diligatis invicem ſicut dilexi vos, dicit Dominus.

*Iidem Cantores intonant Pſalmum.* Beati immaculati in via.

*Chorus proſequitur.* Qui ambulant in lege Domini.

*Iidem Cantor. iterum intonant Antiph.* Mandatum novum do vobis.

*Chorus proſequitur.* Ut diligatis invicem ſicut dilexi vos, dicit Dominus.

*Cantores* 2. *Chori intonant Antiph.* Poſtquam ſurrexit Dominus a Cœna.

*Chorus proſequitur.* Miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Diſcipulorum ſuorum; hoc exemplum reliquit eis.

*Iidem Cantores intonant Pſalm.* Magnus Dominus, & laudabilis nimis.

*Chorus proſequitur.* In Civit. Dei noſtri in monte ſancto ejus,

*Cantores* 1. *Chori incipiunt Antiphona.* Dominus Jeſus poſtquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis lavit pedes eorum, & ait illis:

*Chorus proſequitur.* Scitis quid fecerim vobis ego Dominus, & Magiſter? Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.

*Iidem*

*Iidem Cantores intonant Pſalm.* Benedixiſti Domine terram tuam,

*Chorus proſequitur.* Averriſti captivitatem Jacob.

*Iidem Cantores incipiant Antiphonam.* Dominus Jeſus poſtquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis, lavit pedes eorum, & ait illis.

*Chorus proſequitur.* Scitis quid fecerim vobis ego Dominus, & Magiſter? Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.

*Cantores ſecundi Chori intonant Antiph.* Domine tu mihi lavas pedes?

*Chorus proſequitur.* Reſp. Jeſus, & dixit ei: Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.

*Iidem Cantores dicunt totum* ℣. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus.

*Chorus repetit Antiph.* Domine tu mihi levas pedes? Reſp. Jeſus, & dixit ei: Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.

*Cantores 1. Chori dicunt* ℣. Qund ego facin tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.

*Chorus repetit Antiph.* Domine tu mihi lavas pedes? Reſp. Jeſus, & dixit ei: Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum,

*Cantores 2. Chori dicunt* ℣. Si ego Dominus, & Magiſter veſter lavi vobis pedes: quanto magis debetis alter alterius lavare pedes?

*Cantores 1. Chori incipiunt Pſalm.* Audite hæc omnes gentes.

*Chorus proſequitur.* Auribus percipite, qui habitatis orbem.

*Cantores 2. Chori incipiunt Antiph.* In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis.

*Chorus proſequitur.* Si dilectionem habueritis ad invicem.

*Iidem Cantores dicunt* ℣. Dixit Jeſus Diſcipulis ſuis.

*Chorus repetit Antiph.* In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

*Cantores 1. Chori incipiunt Antiph.* Maneant in vobis Fides, Spes, Charitas, tria hæc.

*Chorus proſequitur.* Major autem horum eſt Charitas.

*Iidem Cantores dicunt* ℣. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major horum eſt Charitas.

*Chorus repetit Antiph.* Maneant in vobis Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum eſt Charitas.

*Cantores 2. Chori aliquanto altius intonant Antiph.* Benedicta ſit Sancta Trinitas, atque indiviſa Unitas.

*Chorus ſequitur.* Confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

*Iidem Cantores dicunt totum* ℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.

*Cantores 1. Chori intonant Pſalm.* Quàm dilecta Tabernacula tua Domine virtutum.

*Chorus proſequitur.* Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

*Chorus repetit Antiph.* Benedicta ſit Sancta Trinitas, atque indiviſa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

*Cantores 2. Chori intonant Antiph.* Ubi Charitas, & Amor.

*Chorus proſequitur.* Deus ibi eſt.

*Iidem Cantores* ℣. Congregavit nos in unum Chriſti amor.

*Cantores 1. Chori* ℣. Exultemus, & in ipſo jucundemur.

*Cantores 2. Chori* ℣. Timeamus, & amemus Deum vivum.

*Cantores 1. Chori* ℣. Et ex corde diligamus nos ſincero.

*Chorus repetit Antiphonam.* Ubi Charitas, & Amor, Deus ibi eſt.

*Cantores 2. Chori* ℣. Simul ergo cum in unum congregamur.

*Cantores 1. Chori* ℣. Ne nos mente dividamur caveamus.

*Cantores 2. Chori* ℣. Ceſſent jurgia maligna, ceſſent lites.

*Cantores 1. Chori* ℣. Et in medio noſtri ſit Chriſtus Deus.

*Chorus iterum repetit Antiph.* Ubi Charitas, & Amor, Deus ibi eſt.

*Cantores 2. Chori* ℣. Simul quoque cum Beatis videamus.

*Cantores 1. Chori* ℣. Glorianter vultum tuum, Chriſte Deus.

*Cantores 2. Chori* ℣. Gaudium, qund eſt, immenſum, atque probum.

*Cantores 1. Chori* ℣. Sæcula per infinita Sæculorum. Amen.

*Hæc norma intonandi, proſequendi, & cantandi prædictos* ℣℣. *Pſalmos, & Antiphonas deſumpta eſt ex Rituali noſtræ Congregationis, & ex cæremoniali PP. Minimorum elaborato, atque digeſto per Theodorum Solarium ejuſdem Ordinis Profeſſorem, quem etiam ſecuti ſumus in repetendis Antiphonis, cum hoc ſit conforme diſpoſitioni Rubricæ Miſſalis Romani, quæ ita præſcribit:* Antiphonæ, quæ habent Pſalmos, vel ℣℣. repetuntur, & de quolibet Pſalmo dicitur tantum primus ℣. *Hæc ſunt verba præciſa Rubricæ inſerta huic Mandato.*

XXIV. Rubr. n. 16. *Poſt lotionem Superior, &c.* Completa lotione pedum, Acolythi aſportant ad Credentiam omnia Vaſa, ac Mappulas ibi deponunt, deinde ipſemet Acolythi ſumunt Urceum cum Bacile, in quo eſt mica panis, ac Manutergium pro lavandis manibus celebrantis, qui eas lavat, & extergit extra cornu Epiſtolæ. Mox a Miniſtris exuitur linteo, quo erat præcinctus, & induitur ſuo Pluviali. Poſtea iidem Miniſtri Sacri ſumunt ſuos Manipulos, & Ceroferarii Candelabra, qui hinc inde accedunt ad latera Altaris in plano cum debitis genuflexionibus, & celebrans in cornu Epiſtolæ, & Miniſtris poſt eum adſtantibus, alta voce, & devota dicit: *Pater noſter &c.* & alios ℣℣. (Choro reſpondente) & Orationem, prout in Miſſali.

XXV. Gav. n. 17. *Finitis omnibus, &c.*) Finita Oratione, ſi prędicta functio peracta eſt in Sacriſtia, ibidem exuitur celebrans, & Sacri Miniſtri; ſecus vero ad eam redeunt cum reliquis de Clero, eodem modo, & ordine, quo venerant, præcedente Thuriferario ſine Thuribulo fumigante, ſacraſque veſtes in Sacriſtia deponunt.

XXVI. Gav. n. 18. *De hoc Mandato &c.*) Quoniam Jeſu Chriſti ævo omnes nudis pedibus cum Sandaliis tantum incedebant, ac pedes ambulando facillime deturpabant; hinc factum eſt, quod hoſpitibus primum omnium præſtabatur officium lavandi, & extergendi eorum pedes. S. Paulus *in epiſt. 1. ad Timotheum cap. 5. verſ.* 10. innuit Viduarum munus eſſe hoſpitalitatem exercere, & Fidelibus pedes abluere. De hac Cæremonia mentionem etiam facit S. Auguſtinus in Epiſtola ad Januarium, &c. Hanc eamdem Chriſtus Dominus præſtitit erga Diſcipulos ſuos, eamque ipſiſmet præſcripſit exercendam illis verbis: *Mandatum novum do vobis, &c. exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Exemplo igitur, & Mandato Chriſti Domini inhærentes Epiſcopi, alii Prælati, & Superiores Regularium, necnon Principes Sæculares, & ipſemet Romanus Pontifex, ſolent duodecim pauperibus, vel aliis juxta Locorum, & Eccleſiarum conſuetudinem lavare pedes.

Decimum ſeptimum Toletanum Concilium habitum anno 642. *Can.* 3. eam Cæremoniam hac Feria V. præcipit celebrari, & Bonifacius Moguntinus Antiſtes conſuluit ante Zachariam Pontificem, utrum Sanctimonialibus liceret ſibi invicem lavare pedes, ſicut homines faciunt in Cœna Domini, aliiſque diebus? Cui Pontifex reſpondit: licere; præceptumque Domini, non tam ad Maſculos, quam ad Fœminas pertinere; & in vita S. Berthæ Abbatiſſæ Ordinis Vallumbroſani apud Bollandum 20. Martii legitur, eam Feria V. Sanctimonialibus ſuis pedes lavare conſueviſſe.

Sed circa hoc, ut optime adnotat Cæremoniale Epiſcop. *lib. 2. c. 24. num.* 2. diverſi ſunt Ritus Eccleſiarum, & revera Narbonæ in Gallia quilibet Canonicus duodecim pauperibus pedes lavat; Lauduni vero, non pedes, ſed manus omnium Canonicorum lavantur in Capitulo hac die, & pluribus in Monaſteriis, ut aſſerit Grancolas *lib. 2. ſui Commentarii Hiſtorici c.* 61. mutatus eſt uſus lavandi pauperum pedes, & lavantur eodem ſtatuto numero manus, ſingulis Quadrageſimæ diebus ante prandium. Rurſus magna etiam diſcrepantia eſt circa hunc Ritum inter Cæremoniale Epiſc. & inter Ordines Romanos, praximque nonnullarum Eccleſiarum, ac Principum laicorum; nam præfatum Cæremoniale Epiſc. aſſerit alicubi in uſu eſſe veſtire ſumptibus Epiſcopi, vel Capituli treſdecim pauperes, eoſdemque cibo, & potu reficere, & mox ſuo tempore eiſdem pedes lavare, & eleemoſynam præbere. Alibi vero Epiſcopos lavare pedes tredecim ex ſuis Canonicis; dictumque Cæremoniale ſolum relinquit arbitrio Epiſcopi, vel conſuetudini Eccleſiarum, lavandi pedes tredecim pauperibus, vel tredecim Canonicis, ſed circa numerum lavandorum nullum relinquit arbitrium, & hinc eſt, quod Caſtaldus, Bauldry, Biſſus, & alii Rubriciſtæ ſemper aſſerunt, lavandos debere eſſe tredecim numero. Multæ vero Eccleſiæ, ut ſupra innuimus, in uſu habent lavare pedes duodecim pauperibus, vel aliis, ſicut etiam Ordines Romani a Mabillonio vulgati eumdem numerum præſcribunt, ex quo Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolis pedes laverit. Sic in Ordine X. Romano *num.* 12. dicitur, quod Pontifex poſt Miſſam celebratam hac die ſine Planeta reſidens in Sede facit Mandatum duodecim Diaconorum. In Ordine vero Romano XIV. ab eodem Mabillonio vulgato Auctore Cajetano *n.* 91 aſſeritur, qund, Papa peragendo Mandatum lavat pedes dundecim Diaconibus, vel Capellanis in defectu ipſorum. Rurſus in eodem *Ordine n.* 84. inſcripto *de Mandato ſtendo in die Jovis Sancto Rubrica*, hæc verba leguntur: Ipſe vero (nempe Papa) pręcinctus linteo habens ante ſe linteum mundum, quo unus Diaconus, qui ei ſervit, ſecundum Dominum Jacobum Cajetanum, ipſum Papam præcingit Bracheolam ad hoc portatam, habens in brachiis, & linteum mundum ante ſe tenens, quæ omnia debent parari per Theſaurarium, vel Fratres de Prognota, & duodecim Subdiaconi manent foris Baſilicam diſcalceati: duo vero Oſtiarii accipiunt priorem in Ulnis, & portant eum ante Pontificem; Pontifex vero cum aqua calida, quam infundere debent Cubicularii, lavat pedes ejus, & tergit linteo, & deoſculatur pedem ejus dexterum, & dat ei duos ſolidos, & ſic facit unicuique Subdiaconorum, & dat eis duodecim denarios -- Ex quibus verbis prædicti Ordinis Romani duo colliguntur: primum, ut notat optime Mabillon. ibi, hoc non eſſe purum dicti Cajetani Ordinem, ſed ab aliquo alio interpolatum, maxime in iis locis, ubi Rubricæ vocabulum in Titulo apponitur. Secundum, quod adverti debet, eſt quod ibi pariter numerus lavandorum eſt duodenarius, & quod lavandi erant Subdiaconi. Denique

in

in Ordine Romano XV. Auctore Petro Amelio *n. 68.* narratur, quod Patriarcha Gradenſis Confeſſor in defectum Papæ de mandato ipſius lavit illa die pedes pauperum in parva Capella, non declarando quot fuerint dicti pauperes: nimirum 12. vel 13. numero vero *69.* mentionem facit lotionis 12. Subdiaconorum.

Verum in Cæremoniali Papæ, ſeu Romano, ab Auguſtino Patricio Piccolomineo Epiſcopo Pientino digeſto, & a Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo evulgato Venetiis Anno 1516. die 21. Novembris Typis Gregorii de Gregoriis, de qua re legi poſſunt ea, quæ tradit Mabillon in ſuo eruditiſſimo Commentario ad Ordinem Romanum *pag.* 5. *& ſeqq.* & in Appendice, quæ habetur ad calcem Ordinum Romanorum ab eodem editorum *pag.* 584. *& ſeqq.* in prædicto, inquam, cæremoniali Romano, ſeu Papæ *lib.* 2. *cap.* 46. aperte declaratur Papam lavare pedes in hac quinta Feria majori tredecim pauperibus, in albis veſtibus novis a Papa ſibi datis, &c. *cap.* vero *49.* in eodem Cæremoniali præſcribitur, quod Papa abſente, debeat fieri lotio pedum tredecim pauperum ab aliquo ex Cardinalibus; unde liquet non ſolum in Cæremoniali Epiſcoporum, ſed etiam in Cæremoniali Papæ, talem numerum, nimirum tredecim lavandorum eſſe præſcriptum, cujus myſterium non miror, ſicut mirari videtur Pompejus Sarnellius, quod neque Iſidorus Hiſpalenſis, neque Alcuinus, neque Amalarius, neque ullus alius ex antiquis Sacrorum Rituum, & Rubricarum Interpretibus, explicaverit; nam antiquitus non erat præſcriptus talis numerus lanvandorum, & idcirco ab antiquis Auctoribus mirum non eſt, ſi de myſterio talis numeri nihil fuerit inveſtigatum.

Primus quæſtionem hanc ex profeſſo tractavit mox laudatus eruditiſſimus Sarnellius Vigilienſis Antiſtes *tom.* 1. *epiſt.* 13. qui duplicem apud Rupertum lotionem inveniens hac die peractam, quarum prima repræſentabat Mariæ lotionem, quam Chriſti Domini pedibus exhibuit in domo Phariſæi, altera vero exprimebat ablutionem a Chriſto Domino factam Diſcipulorum pedibus pridie quam pateretur, exiſtimavit, quod Romana Eccleſia experimento edocta duas, lotiones eadem die commode fieri non poſſe ob plures functiones, quæ Feria quinta peragi debent, exiſtimavit, inquam, quod Eccleſia Romana decreverit, ut una, & eadem lotio ambas exprimeret, jubens ut Epiſcopus tredecim pauperum pedes ablueret, quorum primus Chriſtum ipſum repræſentaret, cui Eccleſia Mariæ exemplo pedes ungit, reliqui duodecim Apoſtolos deſignarent, quorum pedes lavit Chriſtus. Ruperti verba, quæ huic ſententiæ locum dederunt, ſunt hæc: *Mandatum, quod agitur inter pauperes, non omnino ejuſdem rationis eſt. Illud enim Chriſti, hoc Eccleſiæ eſt. Illud diei præſentis, hoc præteriti ſpectat hiſtoriam Sabbati. Sabbato namque quando venit Dominus Jeſus Bethaniam, &c. Maria accepit libram unguenti nardi piſtici prețioſi, & unxit pedes Jeſu, & extersit capillis pedes ejus, &c. Mulierem illam imitatur Eccleſia, pedes Domini ungens, ideſt pauperes eleemoſynis refovens, qui licet infima, tamen ejus membra ſunt, & ſicut pedes, ita magis corporis ejus extremæ reputantur partes. Hos pedes capillis ſuis terſit, ideſt ſuperfluis rerum ſuarum refecit, ſicut Apoſtolus ait: veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat. Hoc ergo mandatum Eccleſiæ obſequium eſt, ideoque cuncta congregatio pedes lavat pauperum. In illo autem, ut dictum eſt, Prælati vice Chriſti deſerviunt.* In hujus rei confirmationem illud etiam Sarnellius adjecit, in antiquo nimirum Ordine Romano præſcribi Antiphonas recitandas tempore mandati, quæ Mariæ Chriſti pedes ungentis narrant hiſtoriam. Hanc Sarnellii ſententiam pluribus argumentis impugnant doctiſſimi Viri Orlendus, & Freſcobaldi, quorum rationibus libenter acquieſcimus. Putant alii in tertio decimo pauperum repræſentari Divum Paulum; cujus placiti Auctor primus fuit noſter Paulus Areſius Vir eruditiſſimus Epiſcopus Dertonenſis *lib.* 5. ex iis, quos italice inſcripſit: *delle ſagre impreſe impreſa* 136. *n.* 30. *pag.* 341. non quod dictus Paulus Cœnæ aſſideret, quem certum eſt poſt Salvatoris aſcenſum fuiſſe vocatum, ſed ob peculiarem reverentiam Romanæ Eccleſiæ præ cæteris erga Concivem ſuum, & Apoſtolum, quem una cum Petro ſuſceptæ Chriſtianæ Fidei cognoſcit Auctorem, Opinionem hanc ſua non carere probabilitate demonſtrat laudatus Orlendus Ordinis Prædicatorum Magiſter *cap.* 13. operis, quod inſcripſit: *Duplex lavacrum in Cœna Domini fideliter exhibitum* Florentiæ Anno 1710. eamque vindicat a cenſuris Freſcobaldi, Hic vero Auctor in opuſculo edito Anno 1709. ſub hoc titulo: *Pedilavium, ſive de numero pauperum, quibus lavandi ſunt pedes Feria V. majoris hebdomadæ*; putat Eccleſiam ideo tredecim pauperum lavare pedes, quia Chriſtus tredecim pedes lavit; ſi autem quæras quis fuerit ille tertius decimus, cui Chriſtus pedes laverit, reſpondebit fuiſſe illum Patrem familias, in cujus domum Chriſtus Paſcha cum Apoſtolis celebraturus diverterat, quem propterea in tertio decimo pauperum repræſentat Eccleſia, Opinionem hanc merito tamquam Evangelio contrariam Orlendus impugnat; certum enim eſt ex Evangelio, Chriſtum cum duodecim tantum Apoſtolis Cœnam celebraſſe, Demum Orlendus ipſe poſtquam omnes hac de re Auctorum ſententias retulit, & earum momenta accurate perpendit, concludit incertum admodum eſſe, quos numerus ille exprimat, quem Romana præſcribit Eccleſia in tredecim pauperibus aqua luſtrandis: equidem id ſatis incertum eſt, noſtros tamen ſenſus, ut fateamur, libere pronuntiabimus, videri nobis in hoc numero nullum latere Myſterium, neque Romanam Eccleſiam cum hac die lavare cœpit tredecim pauperum pedes, exemplum imitari voluiſſe Chriſti duodecim Diſcipulorum pedes lavantis.

Etenim duplex olim in Eccleſia Romana fiebat lotio pedum Feria V. majoris hebdomadæ, primum exhibebat Pontifex duodecim Subdiaconis ſtatim ac Miſſam abſolverat; alteram poſt prandium tredecim pauperibus. Id colligitur ex Ordine Romano a Cencio Camerario tempore Cœleſtini edito, in quo iſta leguntur - *Duodecim Diaconi cum Priore remanent extra Baſilicam diſcalceati, ſchola Oſtiariorum, & Mappulariorum accipiunt Priorem Baſilicæ, & alios undecim Subdiaconos in ulnis ſuis, ſicque per ordinem portant eos unus poſt alium ante D. Papam, Pontifex autem lavat pedes eorum, & tergit cum linteo, & poſtmodum oſculatur, & dat unicuique ſuos ſolidos* - De altera vero lotione hæc paulo poſt refert - *Comeſtione autem finita D. Papa intrat Cameram, ibique incontinenti facit mandatum abluendo tredecim pauperibus pedes, & extergendo, & poſtmodum oſculando. Ibi etiam Camerarius eſt paratus, qui Domino Papæ porriget Marabonitos ſingulos ſingulis pauperibus erogandos. Hoc facto Dominus Papa dat eiſdem pauperibus manu propria ad potandum.*

Non dubium quin, prima lotio Chriſtum repræſentet duodecim Apoſtolorum pedes lavantem; quid vero ſignificet altera lotio, Scriptores non ſatis intelligunt. Sed obſervandum eſt Eccleſiam Romanam a Gregorii Magni temporibus uſque ad noſtram ætatem quotidie tredecim pauperes convivio excipere in memoriam illius geſti, quod contigit ætate Gregorii Magni, quando nimirum duodecim pauperibus, quibus Gregorius prandium erogabat, ſeſe decimuſtertius adjunxit, ſcilicet Angelus. Cum ergo vides Eccleſiam Romanam antiquitus pedes tredecim pauperum, nullum tibi myſterium in mentem veniat; ſed opinare tantum Pontificem, ut majus humilitatis præberet exemplum die Jovis Sancto, non ſolum pauperes excepiſſe convivio, quod quotidie fiebat, ſed etiam eorum pedes abluiſſe. Hinc cum prior illa conſuetudo Subdiaconorum pedes lavandi defierit, & altera Romæ retenta fuerit, manifeſtum eſt Romanam Eccleſiam lavando pedes tredecim pauperibus, neque Paulum, neque Mathiam, nec Dominum Domus, nec Chriſtum ipſum in tertiodecimo pauperum exhibere, ſed ea die imitari voluiſſe, & exemplum Chriſti lavantis Apoſtolorum pedes, & Gregorii charitatem tredecim pauperes prandio excipientis. Ut autem magis exprimeretur Chriſti Domini factum, ſeliguntur modo a Pontifice tredecim quidem pauperes, ſed Presbyteri, quod aliis diebus non fit. Rem ita eſſe illud etiam evincit, quod Eccleſia Romana Feria V. majoris hebdomadæ non aliis pauperibus prandium diſtribuit, quam iis, quibus lavandi ſunt pedes: ergo Eccleſia in die Sancto Jovis morem conſuetum obſervat, dum pauperibus prandium exhibet, & quia tredecim ſunt, quos quotidiano convivio reficere ſolet, idcirco tredecim ſunt, quorum eadem die pedes abluuntur.

## De eadem Feria V. Majoris Hebdomadæ, & de Sacris ejus Ritibus peragendis in Minoribus Eccleſiis.

XXVII. Ante Officium præparentur in Altari omnia, quæ requiruntur pro dicenda Miſſa propria hujus diei. Advertatur tamen, quod Crux, quæ eſt inter candelabra, remaneat tecta velo violacei coloris juxta noſtram ſententiam ſupra, & Miſſale collocetur ſuper pulvino albo, ſeu legili in cornu Epiſtolæ. In Abaco vero, ſeu Credentia ſit Calix pro Miſſa cum ornamentis coloris albi, & duplici Hoſtia. Rurſus ſit etiam alius Calix cum Palla, Patena, velo albo, & ligula ſerica albi coloris; deinde Pyxis cum Particulis conſecrandis ad Communionem Populi. Thuribulum cum Navicula, Velum humerale albi coloris; prope Credentiam vero ſit præparata Crux proceſſionalis cooperta velo violaceo, & extra cancellos Baldachinum haſtarum albi coloris pro Proceſſione, vel in defectum Baldachini paretur umbella dicti coloris prope Credentiam. Denique crotalum pro ſigno ſalutationis Angelicæ, In Sacriſtia tria Superpellicea pro Clericis, & omnia ea ſint parata, quæ requiruntur pro Miſſa Privata celebranda. Præterea Pluviale album pro Proceſſione, & Stola violacea pro denudatione Altaris, ita etiam funalia, ſive candelæ pro dicta Proceſſione.

In Sacello vero pro reponendo SS. Sacramento debent diſponi, & parari omnia ea, quæ diximus ſupra, nempe Altare erectum cum luminibus, &c. Capſula elegans, clave firmanda pro Calice ſervando; Corporale ſtratum intra Capſulam; aliud Corporale ſuper Altare, & ſcabellum graduatum pro repoſitione Calicis in Capſula.

Hora congrua Rector Eccleſiæ Miſſam celebraturus, induit ſe paramentis Miſſalibus albi coloris, & interim primus Clericus accendit candelas in Altari majori, aptat Calicem in medio ejus, & retro illum Pyxidem cum Particulis. Deinde idem Celebrans, præcedente primo Clerico, & poſt eum ſecundo cum tertio, manibus junctis procedit tecto capite ad

Al-

Altare, ubi Miſſam de die celebrabit cum cantu, ſi fieri poteſt, eo modo quo diximus ſupra in Dominica Palmarum, & quando cantatur Miſſa ſine Miniſtris. In eadem Miſſa ultra Hoſtiam conſuetam conſecratur & alia, & Particulæ pro Communione Fidelium, & pro infirmis. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex Abaco ad Altare Calicem vacuum cum Palla, Patena, Velo albi coloris, & Vitta ſerica. Idem Celebrans ſumpto Sanguine, & cooperto Calice, ex quo eum ſumpſit, ponit alterum Calicem a primo Clerico delatum in medio Corporalis, & detegit, deinde genuflectit, & alteram Hoſtiam conſecratam in eo reponit, cooperit Palla, & Patena inverſa, velumque deſuper expandit, quo facto, facit Communionem Clericorum apud Altare juxta morem conſuetum cum debitis genuflexionibus, deinde Virorum, & Mulierum ad cancellos.

Peracta Communione, Celebrans ad Altare cooperit Pyxidem, eamque reponit in Tabernaculo, poſtea proſequitur Miſſam cum iiſdem Ritibus, & cæremoniis ac ſi eſſet expoſitum SS. Sacramentum ad Altare. Sumpta ab eodem Celebrante ablutione digitorum, Calix Miſſæ defertur a primo Clerico ad Credentiam. Interim accenduntur candelæ in Sacello Sepulcbri, diſponitur Baldachinum, ſeu umbella, & diſtribuuntur cerei pro ſodalibus, ſi adſint, vel cultioribus de Populo.

Finita Miſſa, accedit ad medium Altaris, genuflectit, & per viam breviorem deſcendit ad planum Epiſtolæ, ibique per manus Clericorum deponit Planetam, & Manipulum, & accipit Pluviale albi coloris. Utrum autem in defectu Pluvialis debeat deponere Caſulam, & Manipulum, an vero ob majorem erga Sacramentum reverentiam retinere Caſulam (deponendo tamen Manipulum) atque uti Pluviali, convertitur inter DD. Bauldry agens de Feria V. in Cœna Domini *art. 6. n.* 5. ſuſtinet loco Pluvialis adhibendam eſſe Planetam, cui ſententiæ adhæret etiam Boverius in Cæremoniali PP. Capuccinorum, quibus tamen opponitur P. Victorius ejuſdem Ordinis Capuccinorum in Synopſi Sacrorum Rituum *pag. mihi* 60. hac permotus ratione, nimirum quia cum in Rubricis generalibus, tum particularibus præcipiatur, ut in caſibus, in quibus Pluvialis uſus præſcribitur, Sacerdos (eo deficiente) ſtet ſine Planeta, cum Stola tantum ſuper Albam ſine Manipulo; huic infert quod inhærendo Rubricis, Planeta pro Pluviali inſervire non poteſt. Et quamvis Rubrica Generalis Miſſæ *part.* 1. *tit.* 19. *n.* 4. videatur reſtricta ad ſolas benedictiones, quæ fiunt in Altari; nihilominus Auctores illam paſſim ad alios caſus ſimiles extendunt: videlicet Gavantus *part.* 2. *tit.* 3. n. 4. & Biſſus *lit. M* n. 22. ad abſolutionem poſt Miſſam Defunctorum, Claudius Arnaud. *tr.* 1. *part.* 1. *tit.* 19. n. 4. ad Proceſſionem, Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. n. 5. ad aſperſionem Aquæ benedictæ, quæ fit diebus Dominicis, & idem docet P. Quarti de Benedictionibus *tit.* 3. *ſect.* 1. n. 4. qui in Commentariis ſuper Rubricas Miſſalis *part.* 1. *tit.* 19. *n.* 9. eam generalem Rubricam, ſeu Legem accipit tamquam abſolute, & generaliter latam. Et tandem Anonymus quidam a præfato P. Victorio allegatus Rubricarum peritiſſimus, ut ait ipſe, in Rituum expoſitione *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. eam extendit ad Expoſitionem, ac Benedictionem Sanctiſſimi Sacramenti. Gavantus vero *part.* 1. *tit.* 19. *numer.* 4. *lit.* m, aperte docet, quod *Planeta cum Stola eſt habitus ad Miſſam tantum, & ideo potius Stola ſuper Albam ſufficit, deficiente Pluviali*. Ex his præfatus P. Victorius deducit, quod ſine Planeta in defectu Pluvialis debeat deferri Sanctiſſimum Sacramentum hac die ad Sacellum, ubi eſt Capſula, in qua reponi debet. Verum contraria ſententia non caret ſua probabilitate, & cum hæc Proceſſio ſit quoddam veluti completum Miſſæ antea celebratæ, valde decens videtur, quod a Celebrante deferatur Sacramentum cum Caſula, ſicut poſtridie ex Rubricis ejus diei reportandum eſt Sacramentum a Sepulcro ad Altare cum Planeta, & in Feſto Corporis Chriſti, pleriſque in locis interſint proceſſioni hujus diei aliqui Sacerdotes Planeta induti.

Sacerdos, inquam, paratus ut ſupra, vel cum Pluviali, vel ſine ipſo cum Stola, per anteriorem viam redit ad medium Altaris, ubi flectit utrumque genu, deinde manens genuflexus ſuper infimo Altaris gradu, præterquam dum imponit Thus in Thuribulo, miniſtrante aliquo Acolytho, ſine oſculis, & benedictione, deinde Sacramentum incenſat triplici ductu, poſtea ſumit Velum humerale adjuvante aliquo Acolytho, & ſurgens aſcendit ad ſuppedaneum Altaris, genuflectit, deinde ſurgit, & ad cautelam firmat velum Calicis ligula ſerica. Accipit deinde Calicem ſiniſtra per nodum, ſubmittens eam velo, & dexteram ponit ſupra Calicem, ſupra quam ſecundus Clericus extendit extremitates ambas Veli humeralis.

Si nulli ſint Cantores, ipſemet Celebrans facie ad Populum converſa, incipit Hymnum: *Pange lingua, &c.* poſtque ſtatim incipit Proceſſio, in qua proceditur ordine ſequenti.

Primo, procedunt Sodales alicujus Confraternitatis, ſi qui ſunt, vel pii Viri cum luminibus. Secundo, Crux proceſſionalis delata a tertio Clerico. Tertio, primus Clericus cum Thuribulo fumigante. Quarto, Celebrans ſub Baldachino, vel ſub umbella, & a ſiniſtris ejus Clericus elevans ejus veſtis anterioris extremitates, dum deſcendit gradus, vel aſcendit, & recitans cum eodem Sacerdote *Pange lingua, &c.* illumque proſequendo.

Cum perventum fuerit ad Sacellum, omnes ſe diſponunt per duas partes, ita ut Celebrans, & Thuriferarius tranſire poſſint per medium illorum, deferens vero Crucem, ſiſtet e regione Sacelli. Celebrans aſcendit ad Altare ejuſdem Sacelli, & deponit Calicem ſuper Corporale extenſum in ejus Menſa, & deinde deſcendit primum gradum, ac genuflexus in ſuppedaneo, deponit Velum humerale, Interim deferentes Baldachinum aſportant illud in locum congruum, tunc Celebrans ſurgens, imponit Incenſum in Thuribulum ſine benedictione, & oſculis, & utroque genu procumbens, inclinato profunde capite antea, & poſt, Sacramentum incenſat triplici ductu, recitantibus interim Clericis ℣. *Tantum ergo Sacramentum, &c.*

Facta incenſatione ſurgit, & genuflexione iterum facta, poſtea Calicem in Capſula reponit, eamque claudit, deinde deſcendit ad ſecundum, vel infimum gradum, ubi parumper orat; deinde ſurgit, & facta iterum genuflexione ambobus genibus in plano, per breviorem viam recedit præcedente Cruce, medius inter duos Clericos, & revertitur ad Altare majus, ibique facta genuflexione aſcendit ad ſuppedaneum, indeque extrahit e Tabernaculo, & defert Pyxidem, in qua ſunt Particulæ, præcedentibus duobus Clericis cum candelis accenſis ad locum, ubi eſt Calix reconditus, vel ad alium locum paratum, quo facto pergit in Sacriſtiam, ubi deponit paramenta alba, ſed non Albam; poſtea accedit in Chorum, ubi incipit, & proſequitur Veſperas ſine cantu, quibus finitis ſumit Stolam violaceam ſuper Albam pendentem ante pectus, & procedit ita indutus ad denudationem Altaris, adjuvante aliquo Miniſtro, ſeu pluribus, dicens Antiphonam: *Diviſerunt ſibi, &c.* & Pſalmum *Deus Deus meus reſpice in me, &c.* quem interim Cantores proſequuntur, ſi qui forte adſint.

Denudatis etiam aliis Altaribus, ſi quæ ſunt, redit ante Altare majus, ubi poſt ultimum ℣. Pſalmi, & repetita Antiphona, genuflectit cum omnibus aliis, dum aliquis Clericus dat ſignum Salutationis Angelicæ cum crotalo, Surgit deinde, & facta genuflexione Cruci cum ſuis Clericis, revertitur in Sacriſtiam, ubi paramenta deponit, & gratias Deo agit.

Curare debet Eccleſiæ Rector, ut aſſidue adſint, qui orent ante Sanctiſſimum Sacramentum in Sacello Sepulcri, & decens numerus Cereorum in eo colluceat.

Antequam finem imponamus Obſervationibus, quæ ſpectant ad Ritus dirigendos hujus diei, advertere debemus, quod tota hebdomada, ſicut alibi diximus, non poſſunt celebrari Miſſæ de Requie, etiam præſente Cadavere, ſed per totum hoc ultimum triduum neque poſſunt celebrari Exequiæ ſolemnes pro Defunctis, uti decrevit Sacr. Rituum Congreg. die 11. Auguſti 1736. *in Placentina*, quod Decretum datum eſt in noſtro Indice *ſub n.* 690.

## De Feria VI. in Paraſceve, IX.

## *G A V A N T U S.*

1 INſtitutorem Feriæ Paraſceve facit S. Paulum *Chriſoſt. homil.* 1. *de Cruce, & latrone*, quæ præparationem ſignificat. Cœna pura dicta eſt *apud Irenæum lib.* 5. *cap.* 23. ideſt, ſine azymis, ut explicat *Baron. Ann.* 34. cujus Rubricas cum augmento minutiorum nunc explicabimus.

### Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. *Inſtitutorem Feriæ Paraſceve, &c.*) Apoſtolos Myſteriorum quorum ipſi fuerant teſtes inſtituentes Feſta, unum in Dominicæ Paſſionis honorem præcepiſſe, communis eſt Eccleſiæ ſententia, Auguſtini etiam auctoritate firmata, quæ habetur *in epiſtola* 45. novæ editionis. Hoc autem Feſtum licet auguſtiſſimum eſſet, precibus tamen, jejuniis, & mortificatione potius quam lætitiæ ſignis celebrabatur. Tertullianus hanc diem Paſchatis nomine non ſemel appellat, tum lib. adverſus Judæos, tum lib. quarto adverſus Marcionem, tum lib. de Oratione, ubi affirmat diem Paſchatis eſſe diem luctus, & publici jejunii, ac propterea pacem in Fidelium cœtibus oſculo non eſſe tribuendam, his verbis; *Sic & die Paſchæ quo communis, & quaſi publica jejunii Religio eſt, merito deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cum omnibus faciamus.* Nunc ad ejuſdem Feriæ recentes Ritus minute examinandos deſcendimus.

## R U B R I C A.

2. (a) *Finita Nona, Sacerdos, & Miniſtri induti paramentis nigri coloris, ſine luminaribus, & incenſo* (b) *procedunt ad Altare, &* (c) *ante illud proſtrati aliquandiu orant. Interim Acolythi unam tantum* (d) *tobaleam extendunt ſuper Altare, Sacerdos cum Miniſtris facta oratione*

*aſcen-*

*aſcendit ad Altare, & (e) oſculatur illud in medio: deinde Lector accedit ad legendum Prophetiam in loco ubi legitur epiſtola, & incipit eam (f) ſine titulo: quam etiam Sacerdos legit ſubmiſſa voce apud Altare in cornu Epiſtolæ.*

### *G A V A N T U S.*

(a) *Finita Nona*. Notat hoc *Rupert. lib. 6. cap. 4.* quia hora nona expiravit Chriſtus, ad cujus quaſi funus nos accedimus cum Nicodemo, & aliis, *Durand. lib. 6. cap. 77.* neque enim hac die Miſſa dicitur, *ex Innocentio I.* quia percuſſo paſtore, diſperſi ſunt Apoſtoli, & uſque ad diem Paſchatis in triſtitia jejunaverunt, *de conſ. 3. d. 3. Sab.* Præterea celebrare non convenit, cum hac die ſeipſum obtulerit Chriſtus, *Alcuinus*, quod ſi Miſſam eam appelles, ea eſt more Apoſtolorum, ait *Amal. lib. 4. cap. 20.* quod tamen non placet, cum hodie nulla fiat conſecratio, & Miſſa ſit præſanctificatorum. Nonna vero cum aliis præcedentibus Horis ſine lumine dicitur.

(b) *Procedunt ad Altare*. Altare erit nudum cum Cruce velata velo nigro, ita ut ſuo tempore facile queat detegi; & candelabris ſex obſcuri potius coloris, & candelis ex cera communi, non alba, extinctis; gradus ejuſdem nudi erunt, ſed tamen bene mundi pro Sacerdotis proſtratione, Credentia ſimplex linteo cooperta in ſuperiori tantum parte, cum neceſſariis tantum ad Officium, nempe burſa cum Corporali, & purificatorio, ampullis vini, & aquæ, vaſe vitreo ad ablutionem digitorum, ut infra, Miſſalibus duobus, & cuſſino, mappa longa pro Altari, velo longo albo pro Celebrantis humeris ad Sacramentum reportandum, & candelabris Acolythorum cum candelis ex cera communi. Procedunt igitur, præeuntibus Acolythis ſine candelabris cum paramentis, ut *in 1. par. tit. 19. n. 6. & 7.* uno poſt alium Miniſtro, ut ad Miſſam.

(c) *Ante illud proſtrati*. Convenit, ut ſub eorum capitibus ponantur cuſſini coriacei, vel ſimplices, non tamen de iis, qui ſunt ad uſus Miſſalis in Altari: proſtrationis meminit *Ord. Romanus*, neque ideo veſtiri debent gradus Altaris panno nigro, quia ſapit ſolemnitatem.

(d) *Tobalcam extendunt*. Ita in *Ordine Romano*, quæ Syndonem monumenti ſignificat, *Durand. lib. 6. cap. 77.* & præterea Miſſale cum cuſſino ſuper Altare apertum collocatur.

(e) *Oſculatur illud*. Indicat *Ordo Rom.* ut initio Miſſæ fieri ſolet.

(f) *Sine Titulo*. Titulus eſt caput Lectionis, & ſine capite ſumus, cum Chriſtus occiditur, hoc eſt repræſentative hac die, *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 89.* nec in fine lector oſculatur manum Celebrantis. Tractus primus habetur in *Antiphonario Gregor.* ſed *Alcuin.* putat, nuperrime tunc fuiſſe compilatum.

### R U B R I C A.

3. *Finito Tractu, Sacerdos in cornu Epiſtolæ dicit, Oremus, Diaconus, Flectamus genua, & Subdiaconus, Levate.*

### *G A V A N T U S.*

Non dicitur, *Dominus vobiſcum* hodie, quia moriente ſummo Sacerdote, ceſſant officia Sacerdotis, *Honor. ubi ſupra cap. 95.* frequentius dicitur, *Flectamus genua*, quod etiam docet *Ordo Roman.* ad augmentandam humilitatem. *Hugo Vict. de ſpec. Miſſ. obſ. cap. 2u.*

Diaconus genuflectit ante alios dicens, *Flectamus genua*, Subdiaconus ante alios ſurgens dicit, *Levate*, ſolus ſtat Celebrans. Ad Orationem Miniſtri ſtant, ut in Miſſa. Oratio vero hæc non habetur *in Sacramentario Gregoriano*.

### R U B R I C A.

4. *Subdiaconus in tono Epiſtolæ ſimiliter ſine titulo cantat ſequentem Lectionem.*

### *G A V A N T U S.*

Prima Lectio ex Prophetis, ſecunda ex Pentateucho Moyſis, quia lex, & Prophetæ Crucem Chriſti prænunciarunt. *Rupert. lib. 6. cap. 5.* & duæ Lectiones innuunt, pro duobus Populis obire Chriſtum, *Honorius in Gemma lib. 3. capit. 89.* Lectio Exodi vicinior eſt Paſſioni, in qua mentio de illa eſt: *os non comminuetis ex eo. Durand. loco citato*; & ideo ſecundo loco legitur, quamvis ſit antiquior Lectione Oſee.

Subdiaconus in fine non oſculatur manum Celebrantis.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. pro Ritibus ſervandis a principio Officii hujus Feriæ VI. in Paraſceve uſque ad finem Tractus, antequam incipiatur Paſſio.

### De præparandis pro dicto Officio hujus Feriæ in Altari majori. §. I.

II. Altare majus, & gradus ejus debent eſſe omnino nudi, Tabernaculum SS. Sacramenti ſit pariter nudum, vel coopertum conopæo potius violaceo, quam nigro, ut ſupra diximus. In medio ejuſdem Altaris collocetur Crux cooperta velo nigro, ut ait Gavantus *ſupra lit.* b, vel potius violaceo, ut docet Bauldry *par. 4. cap. 10. de Feria VI. in Paraſceve art. 1. n. 1.* & Turrinus *part. 6. ſect. 2. cap. 2.* ſed dictum velum ita componatur, ut facile denudari poſſit ante adorationem Crucis, de qua infra. Solent aliqui, ut diximus ſupra, aliam Crucem formæ grandioris diverſam ab illa, quæ eſt inter candelabra ſuo velo coopertam ſuper Altare hac die præparare, ſed videtur eſſe diſcooperiendam a Celebrante illam eamdem Crucem, quæ eſt inter Candelabra; præterquam quod ex ipſa Rubrica infra attente conſiderata, & ex figura Cæremonialis Epiſcoporum ſub Innocentio X. impreſſi *lib. 2. cap. 26.* aperte deducitur diſcooperiendam eſſe a Celebrante illam eamdem Crucem, quæ eſt inter ſupradicta candelabra, quia illa figura Crux adoranda eſt poſita ſuper gradus Altaris, & pes ſolus inter candelabra ſine Cruce conſpicitur, ex quo patet Crucem adorandam, ex illo pede deſumptam fuiſſe, ut obſervat Biſſus *lit. A. n. 295.* & Nicolaus de Bralion *ſupra cap. 11. n. 41.* ac propterea curare debet omnimode Cæremoniarius (ſi Crux ordinaria Altaris eſſet valde incommoda) ut Crux alia adoranda collocetur in medio Altaris, quæ ſuo tempore diſcooperiatur, & hæc eadem publicæ adorationi jam expoſita, poſtmodum ſuo in pede in medio Altaris inter candelabra reponetur. Præterea ſuper idem Altare poni debent ſex candelabra obſcuri coloris, ferrea, aut lignea cum candelis ceræ communis extinctis, nihilque aliud ſuper idem Altare ponatur præter prædicta.

Antequam Celebrans accedat ad Altare, vel circa finem Nonæ, Cæremoniarius, vel Sacriſta ponat tres cuſſinos coriaceos, vel laneos ſuper ultimum gradum Altaris, parum diſtantes inter ſe, ſuper quos Celebrans, & Miniſtri Sacri dum ſtant proſtrati ſuper pavimentum Capellæ, deponent brachia, ut infra. Bauldry *ſupra art. 2. n. 2.* Biſſus *lit. F n. 45. §. 2.* In plano Presbyterii ante gradus Altaris non debet ſterni pannus niger, qui infimo gradui inhæreat juxta ſententiam Gavanti *ſupra*, Arnaudi, & Hippolyti a Portu *cap. 2. de Officio hujus Feriæ art. 1. n. 17.* tum quia talis pannus ſapit ſolemnitatem, tum quia graduum mundities, & Capellæ excludit neceſſitatem hujus panni, quem tamen Caſtaldus *lib. 3. ſect. 5. cap. 1. n. 5.* ſterni debere aſſerit.

### De præparandis in Abaco, ſeu Credentia Altaris majoris. §. II.

III. Credentia ſit etiam nuda, ſed paulo ante Officium tegi debet Mappa linea alba a nulla parte pendente: Gavantus *ſupra lib.* b, Turrinus *par. 3. ſect. 2. cap. 2.* Biſſus *lit. C. num. 555.* vel quæ ad ſummum per ejus latera tantillum pendeat; ex Bauldry *part. 4. art. 1. num. 1.* In medio ipſius Credentiæ a parte anteriori poni debet Burſa nigra Corporalium, quaſi jacens cum Purificatorio, habens intus Corporale mundum. Gavantus *ſupra*; Bauldry *ſupra n. 4.* Hippolytus a Portu *ſupra n. 15.*

Ad latus Burſæ verſus Altare, cuſſinus niger cum Miſſali pro Celebrante. Ad latus ſiniſtrum alius liber Miſſalis pro Miniſtris, quæ Miſſalia ſint tecta, ſi fieri poteſt, tegumentis nigris. Poſt Burſam pelvicula cum ampullis aquæ, & vini omnino vitreis, cum manutergio. Ante Burſam collocetur Mappa oblonga plicata, explicanda ſuper Altare ad initium Officii. Poſt Miſſale Sacerdotis Velum humerale album, ſed hoc, ut dicemus infra, melius collocabitur in Sacello, ubi eſt SS. Sacramentum, cum Celebrans illud ibidem ad Proceſſionem ſumere debeat. Poſt Miniſtrorum Miſſale Stola latior nigri coloris pro Diacono, qua utetur cum cantabit eam partem Paſſionis, quæ dicitur in tono Evangelii, & in Proceſſione, ac reliquo Officio uſque ad finem; Bauldry *ſupra n. 2.* Hippolytus a Portu *ſupra*; prope pelviculam ampullarum vas vitreum ad purificandos digitos, & purificatorium ad eos tergendos, ſi forte Celebrans tetigerit Sacramentum, dum illud deponet in Patenam; Bauldry *ſupra*, niſi commodius videatur collocare dictum vas ſuper Altare, non procul ab oſtiolo aperto Tabernaculi; Hippolytus a Portu *ſupra*. Collocetur etiam in ea velum parvum nigrum pro cooperiendo, & reportando Calice ad Credentiam poſt Officium. Memoriale Rituum majoris hebdomadæ *tit. 8.* de Feria VI. in Paraſceve, *tit. 1. de Abaco, ſeu Credentia n. 10.* octo candelæ ex cera alba tradendæ octo Haſtiferis poſt regreſſum Proceſſionis. Memoriale prædictum *ibidem n. 14.* In medio partis poſterioris ipſius Credentiæ aliqui adducunt collocandum eſſe Bacile, Buccale, & Patenam argenteam pro lotione manuum Celebrantis, & unum mantile, ſeu manutergium pro abſterſione earumdem, præſertim, quando Celebrans eſt in aliqua dignitate conſtitutus. Denique ubi eſt conſuetudo debet poni pelvis, ſeu lanx argentea ad recipiendas oblationes, quæ Cruci offeruntur, tam a Clericis, quam a Viris de Populo, in ipſius adoratione. Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 25. §. 2.*

### De aliis præparandis in Presbyterio, & Choro. §. III.

IV. In Presbyterio, vel in aliquo loco congruo, remoto tamen, & ſeparato ab Altari præparentur tres cuſſini coriacei, vel ex alia materia coloris violacei, de quibus ſupra; item in eodem loco, ſive in Choro paretur tapes oblongus, ſeu pannus violaceus extendendus ſuo tempore pro adoratio-

ne

Digitized by Google

ne Crucis. Magnus etiam pulvinus ex ſerico villoſo violaceo, vel ex alia materia ſerica, ubi Crux erit ponenda, & velum album ſerico violaceo contextum, ſuper eo explicandum. Cær. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 3. Bauldry *par.* 4. *cap.* 10. *art.* 1. *n.* 5. Biſſus *tom.* 1. *lit. F n.* 45. §. 1. & ſi ob Populi frequentiam pluribus in locis ad evitandam confuſionem per Eccleſiam Sacræ Crucis imagines exponendæ eſſent, hæc omnia multiplicari poterunt, & aliæ Cruces præparari.

Parentur etiam in aliquo loco aliquantulum remoto verſus cornu Evangelii tria legilia nuda, ſuper quæ cantabitur Paſſio, ſicut & tria Miſſalia pro Paſſione decantanda, vel potius tres Codices, in quibus diligenter notata ſit Paſſio.

Ponatur ſcamnum oblongum in Presbyterio omnino nudum a parte Epiſtolæ, in quo Celebrans, & Miniſtri Sacri ſuo tempore ſedere debent. Bauldry *ſupra n.* 7. Biſſus *ſupra*, Gerlacus Vinitor *par.* 6. *tit.* 11. *n.* 3.

Item in eodem loco inſtrumentum ligneum, ſeu crotalum, tam pro elevatione Hoſtiæ, ubi ſolet adhiberi, quam pro ſiguo Salutationis Angelicæ.

### De aliis præparandis in Sacriſtia. §. IV.

V. Sacriſta parare debet in Sacriſtia paramenta nigri coloris pro Celebrante, & Miniſtris Sacris, ſcilicet quatuor Planetas, quarum tres ſint plicatæ ante pectus, deferendæ de more, prima pro Diacono, ſecunda pro Subdiacono ordinario, tertia vero erit pro Subdiacono, qui Crucem in Proceſſione deferet, quam aliqui omittunt, quia poteſt uti Planeta Diaconi, cum ille Stola latiori indutus in Proceſſione procedat; duas Stolas nigras, quarum una ſit Diaconalis, altera Presbyteralis, deinde Stolam latiorem pariter nigram pro eodem Diacono, tres Manipulos ejuſdem coloris, quatuor Amictus, quatuor Albas, quatuor Cingula. Item præparentur pro aliis tribus, qui Paſſionem ſunt cantaturi, tres alii Amictus, tres Albæ, tria Cingula, tres Stolæ Diaconales, & totidem Manipuli pariter nigri coloris.

Item in Sacriſtia Cathedralis Eccleſiæ, quando Epiſcopus celebrat, parentur Pluvialia nigri coloris ſi adſint, aliter coloris violacei juxta numerum Haſtarum Baldachini pro Beneficiatis, vel Manſionariis, qui deferre debent Baldachinum, dum fit Proceſſio; deficientibus Pluvialibus, deferent illud cum Cottis. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 10. *&* *c.* 25. §. 31. ſemper tamen ſine Stolis; vel melius in habitu Chorali, prout mos eſt in Romanis Baſilicis. Præparentur etiam in Sacriſtia duo Thuribula, & totidem Naviculæ, vel ſaltem una pro Proceſſione, & reliquo Officio; paretur quoque vas cum carbonibus accenſis, ut ſuo tempore præſto ſint; item duo candelabra cum ſuis candelis extinctis ex cera communi, deferenda a Ceroferariis in Proceſſione, & Crux proceſſiunalis denudanda poſtquam Crux Altaris majoris denudata fuerit; quæ tunc a Sacriſta privatim defertur ad Presbyterium, & ponitur ad cornu Epiſtolæ prope Credentiam, ut colligitur ex Biſſo *tom.* 1. *lit. D n.* 225. §. 5. Parentur etiam Cottæ pro numero Clericorum inſervientium Officio, & candelæ, ſive funalia ceræ albæ pro numero Clericorum deferenda in Proceſſione. Item pro Altari tempore, quo celebrandum erit, ſeu potius Hoſtia conſummanda, præparetur tobalea pro Altaris Menſa cooperienda, necnon alia mappa pro Credentia, quæ nulla ex parte pendeant extra dictas Menſam, & Credentiam. Pulvinus nigri coloris, duo Miſſalia, velum, Calix, & burſa, nigri pariter coloris, intus habens mundum Corporale, & purificatorium, denique pelvicula cum ampullis vitreis aquam, & vinum reſpective continentibus, necnon vaſculum criſtallinum ad abluendos Sacerdotis digitos, ſi opus fuerit, quæ omnia tempore opportuno deferuntur ſuper Credentiam, ut mox diximus.

### De aliis præparandis prope Sacellum, &c. §. V.

VI. Prope Sacellum, ubi eſt reconditum Sanctiſſimum Sacramentum, ponatur Baldachinum album, non nigrum in Proceſſione deferendum; item velum humerale album juxta ſententiam Gavanti *ſupra*, Corſetti, Chriſtiani, Bauldry, Caſtaldi *ſupra*, imo juxta mentem Clementis XI. declaratam in ſua Inſtructione edita 20. Januarii 1705. & a nobis ſuperius per extenſum allata, imponendum Celebrantis humeris ad Proceſſionem eo modo, quo diximus in Feria V. ſupra, &c. Item parentur in ſupradicto Sacello intortitia, & cerei pro Canonicis ſi ſint, & aliis de Clero, & ſcabellum graduatum, ſi opus ſit pro Diacono, qui Calicem e capſula extrahere debet.

### Pro Ritibus ſervandis hac die a fine Horarum Canonicarum uſque ad initium Paſſionis. §. VI.

VII. Rubric. & Gavant. lit. a - *Finita Nona, &c.*) Dum cantatur Nona, Celebrans, & alii Miniſtri Sacri, adjuvantibus Acolythis, induuntur ſuis paramentis in Sacriſtia. Finita autem Nona, exeunt Celebrans, & Miniſtri parati, de Sacriſtia.

VIII. Rubric. & Gavant. lit. b - *Procedunt ad Altare, &c.*) Et ad Altare procedunt ſequenti ordine. Primus omnium præcedit Thuriferarius manibus junctis ſine Thuribulo, quem ſequuntur Ceroferarii ſine candelabris, pariter manibus junctis, tum Cæremoniarius, qui ſemper, & præſertim hac die quantum fieri poteſt adeſſe debet, nudo capite cum ſupradictis Acolythis, deinde Miniſtri Sacri unus poſt alium, ultimo Celebrans junctis manibus, capite tecto, ſicut & Sacri Miniſtri, neminem ſalutantes. Bauldry *ſupra n.* 3. Biſſus *lib. F. n.* 45. §. 4.

IX. Rubr. & Gav. lit. c - *Ante illud proſtrati, &c.*) Cum ad Altare pervenerint, Diaconus abſque oſculis recipit biretum Celebrantis, illudque porrigit, ſicut & ſuum Cæremoniario, quod idem facit Subdiaconus. A Portu *ſupra art.* 2. *Rubr.* 1. *in adnot. n.* 4. & capite detecto omnes in recta linea Cruci genuflectunt, ut docet Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 2. *n.* 2. Deinde, item in recta linea genuflectunt utroque genu in plana terra ante infimum Altaris gradum, & ſtatim Celebrans, & Miniſtri Sacri ſe proſternunt ponentes brachia, & capita ſuper cuſſinos, ita ut genua eorum ſint in plano, caput vero, & brachia ſuper dictos cuſſinos, ex Cærem. Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 2. *cap.* 8. ſic proſtrati aliquantulum orant per ſpatium unius *Miſerere*. Marcellus in Cæremoniali Romano, ſeu Papæ *lib.* 2. *tit.* 1. *c.* 51. quo tempore omnes etiam qui ſunt in Choro genuflectunt in ſuis locis, & ſtallis, & caput inclinant, & orant, quod idem etiam Populus debet in Eccleſia obſervare. Biſſus *ſupra* §. 1. Horatius Chriſtiani *ſect.* 4. *cap.* 2. *n.* 12.

X. Rubric. & Gav. lit. d - *Tobaleam extendunt, &c.*) Acolythi facta brevi oratione, ſicut & Cæremoniarius, ſurgunt, & iterum genuflectunt Cruci, & ſumpta ab Acolythis de Credentia Tobalea plicata oblonga, eam, facta prius Cruci genuflexione, ſuper Altare extendunt, ita tamen ut nihil, aut parum hinc inde pendeat. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 2. qua extenſa, Cæremoniarius ponit Miſſale cum cuſſino nigro in cornu Epiſtolæ; quo facto, idem Cæremoniarius, tranſacto Orationis tempore, ut ſupra, admonet voce ſubmiſſa, vel aliquo potius nutu Celebrantem, & Miniſtros, qui ſtatim ſurgunt ab Oratione, ſicut & omnes alii de Choro; tum Celebrans cum Miniſtris Sacris aſcendit ad Altare, ablatis cuſſinis a gradibus Altaris, ne impediant, qui reportari debent ad Sacriſtiam, vel in aliquo loco ſeparato reponi: Biſſus *ſupra* §. 6. Bauldry *ſup. n.* 5. *&* 6.

XI. Rubr. & Gav. lit. e - *Oſculatur illud, &c.*) Perventi omnes tres ad Altare, Celebrans illud oſculatur in medio, ut docet Rubrica *ſupra*; Miniſtri vero Sacri genuflectunt Cruci unico genu, poſtea cum Celebrante accedunt ad cornu Epiſtolæ, & ſtant ut ad Introitum Miſſæ in Miſſis Solemnibus, ideſt Diaconus ſtat in ſecundo gradu a dexteris Celebrantis, & Subdiaconus a dexteris Diaconi in tertio gradu, vel in plano in recta linea. Biſſus *lit. C n.* 197. §. 11. *&* *lit. F n.* 45. §. 6.

XII. Rubr. *Deinde Lector accedit, &c.*) Interim Cæremoniarius accedit ad Lectorem aſſignatum, Cotta indutum, cique miniſtrat Miſſale, qui poſtea accedit cum Cæremoniario a ſiniſtris ad medium Altaris, ubi in plano ambo faciunt genuflexionem unico genu Cruci, tum pergunt ad locum, ubi cantari ſolet Epiſtola, & ibidem Lector incipit cantare Prophetiam in tono Lectionis Prophetiarum, inflectendo aliquantulum vocem in fine, aſſiſtente ſibi a ſiniſtris Cæremoniario ſupradicto, quo tempore in Choro omnes ſedent, Miniſtri tamen Sacri non ſedeant niſi ſedente Celebrante: advertat Lector, ne incipiat cantare prædictam Prophetiam, antequam Celebrans illam ſubmiſſa voce incœperit (cujus in fine Miniſtri Sacri non reſpondeant *Deo gratias*) & nullo modo prius, contra quoſdam nimis properantes. Biſſus *ſupra* §. 7. Bauldry *ſup. n.* 8.

Completa Prophetia, iterum cum Cæremoniario a ſiniſtro accedit Lector ante gradum infimum Altaris, ubi in medio in plano tamen, unico genu Cruci genuflectit una cum Cæremoniario, & erectus extra medium Altaris reddit Miſſale prædicto Cæremoniario, & redit ad locum ſuum, cum non debeat oſculari manum Celebrantis, neque ab eo benedictionem accipere. Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 25. §. 12. Biſſus *lit. F* §. 8. Bauldry *ſupra*.

XIII. Rubr. *Quam etiam Sacerdos legit, &c.*) Eamdem Prophetiam, quæ cantatur a Lectore, etiam Sacerdos legit ſubmiſſa voce, qui ſi poſt illam lectam cum Tractu ſequenti, cum Miniſtris Sacris ſedere velit, poterit id facere, ſed ſuper ſcamnum nudum præparatum, de quo ſupra; & dum ea cantatur, ſedent, ut diximus, omnes in Choro, in quo finita a Lectore tali Prophetia, cantatur Tractus. Biſſus *ſupra* §. 9. *&* 10. & Bauldry *ſupra*.

XIV. Rubr. num. 3. *Finito Tractu*. Cantata Lectione, Miniſtri recedunt a latere Celebrantis, & deſcendunt unus poſt alium retro Celebrantem, ut fit ad Orationes Miſſæ: Celebrans vero ſtat in cornu Epiſtolæ, ut prius; ſi tamen cum Miniſtris ſedeat tempore, quo in Choro cantatur Tractus, tunc circa finem ejuſdem ſurgit cum Miniſtris, & accedit ad idem cornu Epiſtolæ per breviorem viam, quia non debet accedere ad medium pro dicendo *Dominus vobiſcum*, & ibi in cornu Epiſtolæ, dum Miniſtri Sacri ſtant unus poſt alium, ut ſupra, dicit abſolute *Oremus*. Bauldry *ſupra n.* 10.

*ſupra num.* 10. Biſſus *ſupra* §.10. Vinitor *part. 6. tit. 11. nu.* 10. & 12.

XV. Gav. in Rubr. 3. *Diaconus genufleƈtit ante alios dicens, &c.* ) Diƈto *Oremus* a Sacerdote, Diaconus dicit *Fleƈtamus genua*, & hæc dicens primus omnium genufleƈtit, ſtatimque omnes cum eo pariter genufleƈtunt, ſolo celebrante excepto, tum Subdiaconus primo ſurgens, & alii cum eo, dicit *Levate*, quod ſemper eodem modo in pari caſu ſervari debet. Bauld. Biſſus *ſupra*, & Vinitor pariter *ſupra n.*17. poſtea celebrans extenſis manibus cantat Orationem ut in Miſſali, ad quam Sacri Miniſtri ſtant adhuc unus poſt alium poſt celebrantem, ſicut etiam omnes in Choro ſtare debent capite inclinato, Bauld. *ſup. n.* 11. Biſſus *ſup.* §. 11. Vinitor *ſupra num.* 12.

XVI. Rub. n. 4. *Subdiaconus in tono Epiſtolæ, &c.* ) Dum celebrans dicit Orationem, Subdiaconus vadit ad Credentiam, ſi ea utitur, capit Miſſale a Cæremoniario, & facta Altari genuflexione, ac ſalutato ſemper hinc inde Choro, cum eodem Cæremoniario in loco conſueto cantat Leƈtionem (tenens ſibi Miſſale) in tono Epiſtolæ, interim habens præfatum Cæremoniarium a ſiniſtris, & dum Subdiaconus cantat Leƈtionem, celebrans legit pariter eamdem cum Traƈtu ſubmiſſa voce, aſſiſtente ſibi Diacono a dextris, qui tamen in fine non reſpondet: *Deo gratias*.

XVII. Gav. in prædiƈtam Rubr. 4. *Subdiaconus in fine non oſculatur, &c.* ) Subdiaconus vero finita Leƈtione, & facta iterum genuflexione Altari, & reverentia Cruci, redit Miſſale Cæremoniario. Bauld. *part. 4. cap. 10. art. 2. num.* 11. & 12. & ſine oſculo manus celebrantis, ac ſine ejus benediƈtione vadit ad Credentiam, ibique reſumens Planetam plicatam, redit poſtea ad celebrantem, aſſiſtens ei a dexteris Diaconi, ut in Introitu Miſſæ in cornu Epiſtolæ, niſi ipſe celebrans cum Miniſtris ſedeat tempore, quo in Choro cantatur Traƈtus poſt ſupradiƈtam Leƈtionem, Biſſus *ſup.* & Bauld. *ſupra*.

R U B R I C A.

7. *Finito Traƈtu, dicitur Paſſio* ( g ) *ſuper nudum pulpitum, quam celebrans* ( h ) *ſubmiſſa voce legit in cornu Epiſtolæ.*

*G A V A N T U S.*

Traƈtus ſecundus habetur *in Antiphonario Gregoriano*.

(g) *Super nudam pulpitum*. Nudato Chriſto in Cruce, omnia nuda ſunt, & Scripturæ revelatæ. *Durand. ibid.* in eodem pulpito, vel in tribus ad majorem commoditatem, in cornu Evangelii, in plano Capellæ legitur, ſeu cantatur paſſio a tribus Diaconis indutis Amiƈtu, Alba, Cingulo, Stola Diaconali nigra, cum Manipulo, *ex Cærem. Pap. lib.* 2. *cap.* 39. qui procedunt de Sacriſtia hoc ordine, ut, qui Evangeliſtam refert, librum deferat ante peƈtus, & ſit primus, quem ſequitur ille, qui Turbam: poſtremo, qui Chriſtum: omnes, manibus junƈtis, factis autem debitis reverentiis Altari, accedunt ad cantandum, medium locum relinquentes Evangeliſtæ, & dexteram ei, qui perſonam Chriſti agit: in Capella Papæ unus tantum adhibetur liber, in quo tres Cantores ſigillatim cantant, quæ cantare debent. Alii adhibent tres libros, ut commodius cantent: *Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 21. meminit unius tantum libri, & quoad locum non tollit conſuetudinem Eccleſiarum. Non probatur illa diſtinƈtio, ſeu diſtributio Paſſionis inter celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum; ita ut celebrans vicem Chriſti gerat, Diaconus Evangeliſtæ, & Subdiaconus Turbarum. Si deſint Miniſtri, ſolus Diaconus cantare debet totam Paſſionem, & partem finalem ejuſdem, addito deinde miniſterio Subdiaconi, & Acolythorum, ut fit ad Evangelium. Pulpiti vero vox a *S. Cypriano* uſurpatur *epiſt.*33. pro loco Evangelii. Vide *ſup. part.* 2. *tit. 6. n.* 5.

(h) *Submiſſa voce legit*. Stans paulo verſus Cantores, & aſtantibus Miniſtris, ut ad Introitum Miſſæ: ſed cum legit ipſe, *tradidit ſpiritum*, nondum tamen genufleƈtit, quia non legit in cornu Evangelii, ut in aliis Miſſis. Leƈta vero, etiam poſtrema parte in eodem cornu, quæ vicem gerit Evangelii, convertit ſe ad cantores Paſſionis, *ex cærem. Papæ loc. citat. cap.* 39.

6. Dicitur autem Paſſio ſine ſalutatione, & ſine incenſo: *Ordo Romanus*. Paſſionis ſecundum Joan. eſt mentio *in Sacramentario*, & quia ultimus ſcripſit, & quia interfuit, ideo legitur hodie, *ex Rupert. lib.6.c.6.*

7. Ad ea verba, *tradidit ſpiritum*, omnes quidem genufleƈtunt, ſed celebrans, & alii verſus Altare, Diaconi Cantores verſus librum, ſignumque ſurgendi poſt pauſam datur a Diacono, qui Evangeliſtam agit, eo ipſo, quod ſurgit, ut *in Cæremon. Epiſcop. lib. 2. cap.* 25. pauſa erit unius *Pater noſter*, ut in Capella Papæ, *Cærem. Marcell. lib. 2. cap. 39.* quare non placet dari ſignum a celebrante, manu cum ſtrepitu ſuper librum depoſita * fit autem prædiƈta genuflexio ambobus genibus in terra poſitis.

R U B R I C A.

8. *Quod ſequitur, legitur in tono Evangelii: & dicitur, Munda cor meum, ſed non petitur benediƈtio, & non deferuntur luminaria, neque incenſum, & celebrans in fine non oſculatur librum.*

*G A V A N T U S.*

Diaconus reliqua facit de more, ut ad Evangelium, non tamen ſignat librum, neque ſeipſum, Acolythi medium tenent Subdiaconum, qui ſuſtentat librum; fiunt enim velut exequiæ defunƈto Chriſto in triſtitia, & mœrore, *Alcuin. & communiter alii.*

R U B R I C A.

9. *Deinde Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ, incipit abſolute.*

*G A V A N T U S.*

Miniſtri ſtant poſt celebrantem, ut in Miſſa: Orationes autem pro omnibus fiunt, quia pro omnibus oravit Chriſtus in Cruce *ex Alcuino*. Habentur in *Ord. Rom. & in Sacramentario Gregoriano*: Imo Cœleſtinus I. earumdem meminit. *Epiſt.* 1. *ad Epiſcopos Galliæ*, & habentur in *Ambroſiano Ritu*, *ex Pamelio*. Celebrans dicit monitionem primam, manibus junƈtis: Orationem vero, manibus extenſis; neque unquam genufleƈtit, ut in 2. *part. tit.*5. *n.*5. diƈtum eſt, & ſic deinceps uſque ad finem Orationum.

10. Ad monitionem pro Judæis, non reſpondetur, *Amen*, quid myſterii, quærunt hoc loco? neque in præcedentibus monitionibus reſpondetur, *Amen*, non enim eſt Oratio, ſed monitio ad orandum; omittitur autem, *Oremus*, quia oratur pro iis utcumque non ſalvandis, niſi in fine mundi, *Durand. loc. cit. cap.* 77. Item non fleƈtuntur genua, *ex Sacram. Gregor.* quia ii genibus flexis illuſerunt Chriſto, *Alcuin. ſequutus Ordinem Romanum*.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Ritibus peragendis in hac Feria ab initio Paſſionis, uſque ad denuntiationem Crucis excluſive.

XVIII. Rubr. *Finito Traƈtu dicitur Paſſio, &c.* ) Quando Subdiaconus cantat Leƈtionem, ſeu ſecundam Prophetiam, celebrans leget illam cum Traƈtu ſequenti aſſiſtente ſibi Diacono, ſicut ad primam. Interim vero tres Diaconi cantaturi Paſſionem pergent ad Sacriſtiam, & ibi adjuvantibus aliquibus Clericis, induuntur Albis, Manipulis, & Stolis Diaconalibus nigri coloris. Leƈtione a Subdiacono cantata, & dum cantatur Traƈtus in Choro, diſponuntur ab Acolythis tria legilia in eodem loco, ut diximus in Dominica Palmarum pro cantanda Paſſione. Circa finem ejuſdem Traƈtus, ſeu aliquam ejus partem (non enim neceſſe eſt, quod ℣℣. omnes ipſius Traƈtus cantentur ex communi praxi Urbis, ſed pauci ſufficiunt ſi ita videatur, præſertim ob paucitatem Cantorum; convenientius tamen eſt, ut omnes cantentur. Bauld. *part. 4. cap. 6. artic. 3. num.* 12.) exeunt de Sacriſtia Cantores Paſſionis, præcedente Cæremoniario, &c. qui eodem ordine, quo diximus ſupra in Dominica Palmarum, accedent ad Altare, & cantabunt Paſſionem, eaque finita, in Sacriſtiam ſe recipient.

Si celebrans ſedeat tempore Traƈtus, ſurget paulo ante quam Cantores incipiant Paſſionem, perget ad cornu Epiſtolæ cum Miniſtris, ut diƈtum eſt *ſupra*, & ibi leget Paſſionem, dum a Cantoribus inchoabitur, aliquantulum ad eos converſus, aſſiſtentibus ſibi Diacono, & Subdiacono, & omnia alia peragendo, ut diximus *ſup.* agentes de Paſſione, quæ cantatur in Dominica Palmarum.

Ad verba *Tradidit Spiritum*, dum celebrans private legit Paſſionem: an genufleƈtere debeat, vide ea, quæ diximus *ſupra* in Dominica Palmarum; dum vero prædiƈta verba cantantur ab eo qui agit perſonam Evangeliſtæ, omnes genufleƈtere debent, vel juxta conſuetudinem locorum ad terram ſe proſternent, & ſe gerent, ut diƈtum eſt ſupra in Dominica præcedenti. Surgens autem celebrans redit ad cornu Epiſtolæ, ubi inclinatus dicet: *Munda cor meum, &c.* non vero *Jube Domine, &c.* quia benediƈtio non petitur, ut clare habetur in Miſſali. Nicolaus de Bralion *part. 3. c. 11. nu. 9.* Biſs. *lit. F n.*45. §.13. & leget ibidem reliquam Paſſionis partem, aſſiſtentibus Miniſtris ad dexteram, ſicuti ad primam partem ejuſdem Paſſionis.

XIX. Gav. in Rubr. 8. *Diaconus reliqua facit de more, &c.* ) Tum Diaconus cum debitis reverentiis ante, & poſt, accedet ad credentiam, ibique depoſita Planeta, accipit Stolam nigram latiorem (quam Planetam non reſumit niſi poſt Communionem celebrantis, quod ſemper in ſimilibus caſibus eſt obſervandum. Biſſus *lit. t num.* 45. §. 14. *& lit. M num.*250. §. 4.) tum accipit Miſſale, illudque portat ad Altare, deinde genuflexus in loco ſolito Miſſæ Solemnis, dicit: *Munda cor meum, &c.* non petit benediƈtionem, ut in Rubrica, ſed ſtatim accipit Miſſale, & ſtatim ut Cantores termina-

verint Paſſionem, vadit de more ad locum Evangelii cum Subdiacono, & Ceroferariis, facta prius ab omnibus genuflexione Cruci, manibus junctis (ſine Cereis, & ſine Thuribulo) & cum ad locum pervenerint, cantat in tono Evangelii reliquam Paſſionis partem more conſueto, ſed non incenſando, & non ſignando librum, neque ſeipſum. Celebrans ad hanc Paſſionis partem ſtabit manibus junctis ante pectus in eodem cornu Epiſtolæ, converſa facie ad Diaconum; Thuriferarius vero prope Credentiam, ſimiliter converſus ad Diaconum, & Cæremoniarius in eodem loco, ut alias. Cumque eam Paſſionis partem abſolverit Diaconus, Subdiaconus claudet librum, nec oſculandum deferet celebranti (qui pariter non incenſabitur a Diacono) ſed mox tradet eum Cæremoniario, qui eo accepto, præcedit, & Clerici ſequuntur ordine conſueto, quos ſequuntur Diaconus, & Subdiaconus pares, & facta genuflexione in medio de more vadunt omnes ad ſua loca, Cæremon. Epiſc. *ſup.* §. 19.

XX. Gav. in Rub. 9. *Miniſtri ſtant poſt celebrantem, &c.*) Poſt rendicta Diaconus factis debitis reverentiis, ut ſupra, accedit cum Subdiacono ad celebrantem, ut ad Orationem Miſſæ Solemnis, hoc eſt retro, manibus junctis, unus poſt alium.

Interim celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ incipiet abſolute, junctis manibus, primam monitionem: *Oremus dilectiſſimi, &c.* ut in Miſſali, eaque finita, extendens, & jungens manus, & caput inclinans Cruci ſubjunget *Oremus*, ſubdet vero Diaconus *Flectamus genua*, & Subdiaconus *Levate*, ut ſupra; tum cantabit celebrans primam Orationem, extenſis manibus, & in tono Orationis Miſſæ ferialis, ac eodem tono, & Ritu cantabit reliqua, Orationes ſcilicet extenſis manibus, monitiones autem junctis, ſed eodem cantu, quo primam; Chorus ad eaſdem Orationes, & monitiones ſtat verſus Altare nudo capite, genuflectens cum dicitur *Flectamus genua*, & ſurgens cum dictum eſt *Levate*, ac in fine Orationum reſpondebit *Amen*, excepto ad Orationem pro Judæis, in qua non dicitur pariter *Flectamus genua*, nec *Oremus*. Ad Orationem pro Papa, quando hic nominatur, celebrans inclinat caput verſus librum inclinatione minimarum minima, quod etiam omnes alii faciunt.

Si Imperator nondum ſit coronatus, additur in monitione *Electo*, ut habetur in Miſſali. Si vero Imperator ſit defunctus, & imperium ſit vacans, tunc in Oratione pro Imperatore dicuntur hæc verba; *Oremus, & pro Romano Imperio, ut Deus, &c.* ita Macrius *in Hierol. v. Cereus*. Non tamen addi debet nomen Regis, vel alterius Principis, ſeu Domini Loci, quia hoc eſſet contra Bullam Pii V, ut optime adnotat Gerlacus Vitor *part.6. tit.11. n.18.*

## RUBRICA.

81. *Completis Orationibus, Sacerdos depoſita caſula, accedit ad cornu Epiſtolæ, & ibi in poſteriori parte anguli Altaris accipit a Diacono Crucem jam in Altari præparatam; quam verſa facie ad populum, a ſummitate parum* (i) *diſcooperit, incipiens ſolus Antiphonam: Ecce lignum Crucis. Ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a Miniſtris uſque ad - Venite adoremus: Choro autem cantante - Venite adoremus, omnes ſe proſternunt, excepto celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ, & diſcooperiens brachium dexterum Crucis,* (l) *elevanſque eam pauliſper altius quam primo, incipit: Ecce lignum Crucis, aliis cantantibus, & adorantibus, ut ſupra. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris, & diſcooperiens Crucem totaliter, ac elevans eam, tertio altius incipit: Ecce lignum Crucis; aliis cantantibus, & adorantibus, ut ſupra.*

## *GAVANTUS.*

(i) *Diſcooperit*. Velum aufertur a Cruce, ut quod Judæis tectum erat, nobis reveletur, *Rupert. lib.6. c. 20.* Item, quia nudatur Chriſtus in Cruce, *Durand. loc. cit.* ubi docet, ter diſcooperiri Crucem, quia paulatim prædicatus eſt Chriſtus Crucifixus primo in angulo Judæorum, poſtea palam, deinde ante medium Altaris, ideſt in medio gentium.

(l) *Elevans, &c.* Oſtenſio ligni Crucis in hac die erat in uſu in Jeruſalem tempore S. Paulini Nolani, *ex Franciotto in obſerv. myſt. anni*. Elevatur etiam Crux ter ad honorem contra tres illuſiones Chriſti in atrio Principis, in Prætorio, in Calvario, fit proſtratio non tamen uſque ad terram, ſed genibus flexis, & capite valde demiſſo: Salutatur, & adoratur ter, cum genuflexione, & tertia vice proſternimur, ut eam oſculemur, ut nimirum Chriſtum Crucifixum omni humilitate veneremur, & eaſdem tres illuſiones compenſemus, *Durand. ibid.* Nota adverbium, *altius*, concordare etiam cum verbo, *incipit*, nedum cum verbo *elevans*, ita ut & vocem, & Crucem elevet altius Sacerdos una ſimul.

## RUBRICA.

82. *Poſtea Sacerdos ſolus portat Crucem ad locum* (m) *ante Altare præparatum, & genuflexus ibidem eam locat: mox* (n) *depoſitis calceamentis accedit ad* (o) *adorandam Crucem, ter genua flectens antequam eam deoſculetur. Hoc facto, revertitur & accipit calceamenta, & caſulam. Poſtmodum Miniſtri Altaris, deinde alii Clerici, & Laici, bini & bini ter genibus flexis, ut dictum eſt, Crucem adorant. Interim, dum fit adoratio Crucis,* (p) *cantantur improperia, & alia quæ ſequuntur, vel omnia vel pars eorum, prout multitudo adorantium, vel paucitas requirit, hoc modo: Duo Cantores in medio Chori cantant, &c.*

## *GAVANTUS.*

(m) *Ante Altare præparatum.* * Portat celebrans Crucem ſine ulla inclinatione facta Altari. Acolythi dum denudatur Crux extendunt tapetem pulchrum cum cuſſino pretioſo & velo longo albo ſupra gradus Altaris verſus planum Capellæ, genuflexus celebrans ibidem deponit Crucem ſuper velum, & cuſſinum.

(n) *Depoſitis calceamentis*. A latere Epiſtolæ, prope ſcamnum illi paratum ad ſecundum: & celebrans adorat ſolus, deinde Miniſtri ſimul.

(o) *Adorandam*. Adorationis hujus auctor S. Gregorius eſt, *ex S. Antonino part. 2. cap. 3. tit. 12.* Habetur *in Ordine Romano, & in Sacramentario Gregoriano*: cum minoribus cæremoniis: convenit autem, ut uniformis ſit omnium actio pro locorum conſuetudine, tum in oſculo membrorum Crucifixi, tum in æquali pauſa, qua ſinguli genua flectunt. Ad ſingulas adorationes dici poteſt verſus: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemiſti Mundum*. Ordo adorationis eſt, ut quilibet laicus, etiam Princeps, poſt Clerum adoret. Prælati vero, ſi qui adſunt, poſt celebrantem.

(p) *Cantantur improperia. Ordo Romanus*, eadem legat Sacerdos ſedens cum Miniſtris, *Cæremonial. Pap. lib.2. ſect.5. cap. 51.*

Improperia continent verba Latina, & Græca in laudem Chriſti, non Hebræa; quia Judæi negavere Chriſtum, & reprobavere. *Rupert. lib.6. c.59.* Agios, & Triſagion hoc Græce dicitur adhuc, ex inſtituto S. Sabbæ. *Apud Baron. Ann. 492.* Hymni *Pange lingua glorioſi*, Auctor eſt Venantius Fortun. *ex Baron. infra citando*.

Si repetitio eſt facienda ob longiorem adorationem, fiat ab Hymno *Pange lingua*, ut in Miſſali.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Ritibus peragendis a Crucis denudatione uſque ad Proceſſionem.

XXI. Rub. *Completis orationibus, &c.*) Dum dicuntur ultimæ Orationes, Acolythi duce ſecundo Cæremoniario extendunt tapetem, ſeu pannum violaceum ante gradus Altaris, ſeu per planum Presbyterii, ita ut pars ejuſdem panni ſuperior ſit ſuper ejus primos gradus. Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 25. §. 22. & cap. 26. §. 8.* Horatius Chriſtiani, *ſect. 4. c. 3. n. 1.* & in infimo gradu Altaris ponent cuſſinum, & ſuper cuſſinum extendent velum pretioſum violaceo ſerico contextum, de quo ſupra, ſeu mappam ſericam.

XXII. Rub. *Sacerdos depoſita caſula accedit, &c.*) Celebrans vero cantatis Orationibus, deſcendit extra cornu Epiſtolæ ad partem. poſteriorem Altaris, ubi adjuvante aliquo Acolytho, vel Cæremoniario, deponit Planetam, quam Cæremoniarius transfert ad credentiam, & Subdiaconus cum eo in eodem cornu Epiſtolæ extra Altare, adjuvante aliquo Acolytho, deponit pariter ſuam Planetam plicatam juxta communiorem uſum Urbis, quam vel primus Cæremoniarius, vel aliquis Acolythus ad credentiam pariter transfert. Nicolaus de Bralion *part.3.* Bauld. *part.4. c.10. art.3. n.1.* Diaconus tamen ſuam Stolam latiorem retinet. Nicolaus de Bralion *ibid. ſup.* Sed antequam prædicti pergant ad Crucis adorationem, debent omnes deponere etiam Manipulos juxta Decr. recens emanatum die 15. Sept. 1736. *in Toletana*, & datum in noſtro Indice *ſub n.693.*

XXIII. Rub. *Et ibi in poſteriore parte anguli Altaris, &c.*) Tum celebrans medius inter Sacros Miniſtros, accedit ad angulum poſteriorem cornu Altaris in parte Epiſtolæ, ut ſit quaſi collateralis candelabris ſuper Altare poſitis, ibique ſe collocat in ſecundo gradu. Memoriale Rituum *t.2. §.4. de Crucis denud. n.4.* verſa facie ad Populum; Cærem. Epiſc. *lib.2. c.25. §.23.* & ſtatim Diaconus relicto ibi celebrante cum Subdiacono a ſiniſtris procedit per planum ad medium Altaris, ubi facta reverenter genuflexione Cruci unico genu ſuper infimum gradum, ibique expectat donec eam ſibi tradat ſine oſculis primus Cæremoniarius, qui ideo facta prius genuflexione, eamdem de Altari devote capit, quam Crucem ſuo velo coopertam, Diaconus ſumma cum reverentia portat, converſa facie ad ſe ipſum, ad celebrantem per planum, & eidem illam, facie Crucifixi ad Populum verſa in manibus ſine oſculis tradit. Biſſus *lit. D. n.88. §.1.* Bauld. *part.4. c.10. art.3. n.2.*

XXIV. Rub. & Gav. lit. i -- *A ſummitate parum diſcooperit, &c.*) Celebrans devote accepta Cruce, ſtans ibidem adhuc verſus Populum in medio Diaconi a dextris, & Subdiaconi a ſiniſtris ejus, verſa facie ad Crucem, ſiniſtra eam tenens, manu dextera diſcooperit Crucis ſummitatem uſque ad ejuſdem Crucis lignum tranſverſum; ita tamen ut Crucifixi

Digitized by Google

ſixi caput non appareat, adjuvantibus eum Cæremoniario, & Miniſtris Sacris, ſi opus ſit. Bauldry *ſupra num.* 3. Interim accedit ad ſupradictum Celebrantem aliquis Acolythus cum debitis reverentiis deferens Miſſale, quod apertum tenet ante eum ſtans renibus ad Populum verſis. Bauldry *ſupra*. Memoriale Rituum *ſupra n.* 5. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 5. Diſcooperta ſummitate illa Crucis, celebrans ambabus manibus Crucem elevans reverenter ad altitudinem oculorum; ex Cæremoniali Papæ Marcelli Corcyrenſis *lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 51. eam Populo oſtendit, voce gravi aliquantulum demiſſa (ut ſecundo, & tertio altius cantare poſſit citra indecentiam) ex Miſſali ſuſtentato ab Acolytho, ut ſupra dictum eſt, incipit ſolus in cantu ſecundum notas in prædicto Miſſali Romano appoſitas, Antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, ſtantibus omnibus in Choro nudo capite, qua Antiphona a Celebrante intonata, non ſolum Miniſtri, ſed etiam Cæremoniarii, ac reliqui Capellani, aut Clerici officio inſervientes, ſive ſint circa Celebrantem, ſive ſuis locis apud Credentiam, dummodo hæc ſit prope Altare, proſequuntur cum eodem Celebrante: *In quo ſalus Mundi pependit*, & non ulterius; Cæremoniale Epiſc. *ſupra*. Paris de Craſſis *lib.* 2. *cap.* 47. Bauldry *ſupra num.* 4. quibus verbis cantatis Chorus ſolus reſpondet, non autem Celebrans, nec Miniſtri, nec Clerici officio inſervientes cantant illis verbis: *Venite adoremus*, quo tempore omnes, etiam Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt utroque genu, capite etiam valde demiſſo. Ex Nicolao de Bralion *part.* 3. *cap.* 11. *num.* 13. Biſſus *ſupra* §. 3. (excepto ſolo Celebrante, qui ſemper ſtat. Ex Rubrica *ſupra*, & Bralion *ſupra*) non tamen proſternunt ſe uſque ad terram, quia proſtratio, de qua loquitur Miſſale, intelligitur tantum de genuflexione, ad quam neque valde demittitur, & ratio eſt, quia Chorus ita proſtratus, uſque ad terram, vix cantare poſſet. Bauldry *ſupra n.* 4. Bralion, & Biſſus *ſupra*, Hippolytus a Portu *cap.* 2. *de Officio Feriæ VI. in Paraſceve Rubr.* 8. *in adnot. n.* 9.

XXV. Rubr. *Deinde pro edit, etc.*) Cantatis prædictis verbis a Choro, omnes ſurgunt & celebrans accedit ad partem anteriorem anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ, in eodem ſcilicet loco, ubi dici ſolet Introitus Miſſæ, ibique ſtans melius Inter Diaconum ſtantem a dexteris ſuper ſuppedaneum Altaris, & Subdiaconum a ſiniſtris ſuper gradum proximiorem ſuppedaneo, quaſi illi angulo collateralis verſus Populum, & adjuvantibus Miniſtris Sacris, & primo Cæremoniario, ſi opus ſit, diſcooperit dexterum brachium Crucis, detegendo etiam caput figuræ Crucifixi, tum Crucem Populo altius, quam prius, ambabus manibus elevat, mox repetit voce etiam altiori, quam prima vice, Antiph. *Ecce lignum Crucis*, & eam cum Celebrante proſequuntur Miniſtri Sacri, Cæremoniarii, Capellani ut ſupra, ſtantibus omnibus in Choro nudo capite, ut dictum eſt, & poſtea iterum Chorus altius, quam prima vice, cantat: *Venite adoremus*, & genuflectunt omnes, excepto Celebrante ut ſupra. Bauld. *ſup. n.* 5. Biſſus *ſupra* §. 4. Geriacus Vinitor *tit.* 11. *de offic. Fer. VI. in Paraſceve n.* 20. Benvenuti *de Ritu ſervando in Miſſa pro Fer. VI. in Paraſceve pag. mihi* 93.

XXVI. Rubr. *Deinde Sacerdos accedit ad medium.*) Deinde ſurgunt, & celebrans cum Miniſtris procedit ante medium Altaris; *Rubr. ſupra*; Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 23. & ſtans, ut ſupra, verſus Populum, inter Sacros Miniſtros totam diſcooperit Crucem, velum tradens Subdiacono, & hic primo Cæremoniario, ſeu Acolytho, qui illud, factis debitis reverentiis, ſuper credentiam deponet. Diſcooperta tota Cruce, eam tenens ambabus manibus altius elevat, quam primo, & ſecundo, tum tertio etiam voce altiori cantat Antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, quam Miniſtri, & alii, ut ſupra, proſequuntur ſupradictis verbis; *In quo ſalus Mundi*, &c. & deinde Chorus etiam altius, quam ſecunda vice cantat: *Venite adoremus*, genuflexis omnibus ut ſupra. *Rubr. ſupra*. Bauldry *ſupra num.* 6. Biſſus *ſupra* §. 5. Horatius Cariſtani, de Crucis denudatione *ſect.* 4. *cap.* 3. *n.* 6. Hippolytus a Portu *ſupra n.* 16.

XXVII. Rubr. & Gav. lit. m - *Ante Altare præparatum*, &c.) Poſt prædicta Celebrans ſine ulla genuflexione, vel reverentia facta Altari, ut monuit Gavantus *ſupra*, & Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 24. *&* *cap.* 26. §. 10. portat Crucem ambabus manibus elevatam devote; Cærem. Epiſc. *ſupra*, deſcendens per latus Evangelii, tenens faciem Crucifixi ad Populum converſam; Bauldry *ſupra*, Benvenuti *ſupra*, Hippolytus a Portu *ſupra n.* 17. ſine Miniſtris, Cæremon. Epiſcop. *ſupra*, a Portu, & Benvenuti *ſupra*; ſed comitante ſolo primo Cæremoniario, qui fimbrias Albæ elevat, cum opus eſt; & interim omnes remanent genuflexi. Bauldry *ſupra n.* 8. a Portu *ſupra*, nempe Miniſtri Sacri ſuper ſuppedaneum, manibus junctis ante pectus, facie verſa ad Populum. Hyppolytus a Portu *ſupra*. Clericus de libro, quem claudit, genuflectit in ſecundo gradu verſus Altare. A Portu *ſupra*; cæteri vero de Choro genuflectunt in loco ſuo facie verſa quaſi ad crucem, pariter manibus junctis. Benvenuti, Hippolytus a Portu *ſupra*, & alii; Turrinus vero *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. *Sacerdos*, vult, quod peracta denudatione, & cantato ultima vice: *Venite adoremus*, Miniſtri Sacri deſcendant de Altari, & eant ad locum ſeſſionis, ibidemque ſtent, donec Celebrans genuflexus aptet, & firmet Crucem cordulis, ſi opus eſt, ſupra pulvinum, adjuvante alio Cæremoniario, Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 24. §. 24. *&* *c.* 26. §. 10. Bauld. *ſupra n.* 7. pariter genuflexo, Hippolytus a Portu *ſup. n.* 18. qui etiam paulo ante ponere debet prope ipſum pulvinum lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur. Cærem. Epiſcop. *ſup.* tunc autem, nempe genuflexo Celebrante, Miniſtri Sacri, & omnes alii quicumque ſint, maneant genuflexi. Bauldry *ſupra n.* 8. Vinitor *ſupra n.* 23. Ego tamen cenſeo, quod aut genuflectere debent ſtatim, aut cum Celebrante, ut ſupra, ita ut talis Ritus utroque modo obſervari poſſit. Dum Celebrans ponit Crucem ſuper pulvinum, omnes Cruces, quæ ſunt per Eccleſiam, & non aliæ Imagines denudantur a Sacriſta, vel ab aliis, ſi commode fieri poteſt. Bauldry *ſup. n.* 7. Benvenuti, & Hippolytus a Portu *ſup.*

Celebrans aptata Cruce ut ſupra (ita ut caput Crucifixi ſit verſus Altare, Populumque reſpiciat, pedes autem verſus Populum) ſurgit, adjuvante, ſi opus eſt, Cæremoniario primo, recedit ad ſcamnum paratum ad latus Epiſtolæ, ibique tecto capite ſedet, Gav. *ſup. lit.* n. Bauld. *ſup. n.* 8. Vinitor, & Benvenuti *ſup.* ubi adjuvantibus Acolythis, ſi opus eſt, extrahit calceamenta, vel deponit crepidas, quibus omnes hodie uti deberant ad decentiam, & commoditatem. Bauld. *ſupra*, Benvenuti *ſupra*, & Hippolytus a Portu *ſupra n.* 19.

Si Miniſtri Sacri remanſerunt genuflexi ſuper ſuppedaneum (quod idem dic de Clerico de libro) tunc ſurgente Celebrante poſt aptatam in ſuo loco Crucem, ſurgunt & ipſi, & facta ſuper ſuppedaneum genuflexione unico genu verſus Crucem, ad ſedes ſuas accedunt, Bauldry, Benven. a Portu *ſupra*, ibique ſedent, & ſimiliter calceamenta deponunt, Bauldry *ſupra*, Biſſus *lit. A n.* 165. §. 1.

XXVIII. Rubric. & Gavant. lit. n - *Depoſitis Calceamentis*, &c.) Celebrans depoſitis calceamentis, ſeu crepidis, ſurgit, & detecto capite ſolus manibus junctis procedit per planum devote oculis demiſſis, ad Crucis adorationem, & quia trina genuflexione hanc adorationem perficere debet, ideo primam genuflexionem faciet in loco deſignato, ita a Cruce adoranda diſtante, ut inter unam genuflexionem, & aliam, æqualis diſtantia intercedat.

XXIX. Rubric. & Gav. lit. o - *Adorandam* &c.) Genuflexus igitur utroque genu faciet primam adorationem capite reclinato in terram, ſuper manus junctas, & ſecreto dicet: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per S. Crucem tuam redemiſti Mundum*. Gav. *ſupra*. Deinde ſurgens accedit ad locum, ubi ſecundo genuflectendum eſt, & ibidem præſtabit quod in prima adoratione, tum progrediens ulterius accedet ad locum Cruci propinquum, ubi tertio præſtabit quod prima, & ſecunda vice, dicens ad ſingulas genuflexiones: *Adoramus te Chriſte, etc.* quibus prolatis tertia vice adhuc genuflexus oſculabitur pedes Crucifixi, & particulam veræ Crucis, ſi aderit, offerens tamen prius Cruci pecunias, quas offerre volet. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 21.

Hic notandum occurrit, quod majoris humilitatis eſt oſculari pedes quam latus Crucifixi, & ſaltem ob reverentiam ab oris oſculo abſtinendum eſt. Nicolaus de Bralion *n.* 13. & idem firmant Bauldry, & Biſſus *ſupra*.

XXX. Rub. *Hoc facto revertitur, & accipit calceamenta.*) Cum Celebrans totam ordinationem perfecerit, ſurgit, & facta genuflexione Cruci unico genu, & Altari inclinatione, ex Cærem. Cler. S. Pauli, & Benvenuti *ſupra*, per viam breviorem ad ſedem ſuam redit in cornu Epiſtolæ, & ibi adjuvantibus Acolythis ſumet crepidas, ſeu calceamenta, poſtea per eoſdem ſumit Planetam, & Manipulum, tum ſedebit tecto capite in ſcamno nudo ad ſedendum præparato, quouſque Miniſtri Sacri Crucem adoraverint. Bauldry *ſup. n.* 19. Biſſus *ſup.* §. 2. Vinitor *ſupra n.* 24.

XXXI. Rubr. *Poſtmodum Miniſtri*. Et non prius, ambo ſimul (Diaconus ſcilicet cum Stola latiori, ſed ſine Manipulo, ut ſupra diximus) quam non debet deponere niſi in fine Officii, ex Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 6. Subdiaconus vero in Albis, pariter ſine Manipulo (ex uſu Capellæ Pontificiæ) detractis calceis, ut ſupra dictum eſt, procedunt per planum ad faciendam Crucis adorationem eodem modo, quo de Celebrante diximus, nudo capite, & ſimul manibus junctis ter genuflectendo, & orantes ad loca deſignata, obſervantes ut ad tertiam adorationem, unus ſit ex una parte, alius ex alia genuflexus, quaſi in medio Crucem habentes, pedes autem Crucifixi primo Diaconus oſculetur, deinde Subdiaconus, ſimul vero ſurgent; completa ab ambobus adoratione iterum genuflectunt ſimul Cruci, & Altari unica genuflexione unico genu, nec Diaconus prius ſurgit, quam Subdiaconus adoraverit, ut ambo ſimul ſurgant ſicut convenit. Deinde per planum ambo modeſte ad locum, in quo calceamenta depoſuerant, redeunt, ibique, facta Celebranti inclinatione, ea reſumunt, & Subdiaconus ſumit etiam Planetam ſuam plicatam, & Manipulum. Diaconus reſumit pariter Manipulum, & remanet cum Stola latiori, ut ſupra dictum eſt; mox Diaconus a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis ſe recipiunt, & cum eo ſedent capite tecto. Bauldry *ſupra*

*pra n.* 10. Claudius Arnaudus de Feria VI. in Paraſceve *tit.* 9. *n.* 9. Biſſus *ſupra* §. 2. & Gerlacus Vinitor *ſupra num.* 25. Celebrans vero poſtquam Miniſtri Sacri ad ipſum pervenerint, ſedens eum ipſis voce demiſſa legit improperia, ut in Miſſali habetur, & in Memoriale Rituum majoris hebdomadæ §. 5. *de adoratione Crucis* §. *de improperiis recitandis*, ſuſtinentibus librum Miſſalem hinc inde Miniſtris Sacris, niſi ab aliquo Acolytho genuflexo ante ipſum (ut commode Celebrans, & Miniſtri Sacri legere poſſint) teneatur, ut certe convenit; quibus lectis Acolythus collocat Miſſale apertum ſuper Altare in cornu Epiſtolæ; Bauldry *ſupra n.* 11. & Biſſus *ſupra* §. 4.

Interim antiquiores, ſeu ſeniores de Clero, deinde alii per ordinem, deponentes calceamenta ſua in locis ſuis, bini & bini accedent ad Crucem adorandam juxta ordines ſuos, junctis manibus, &c. terque genuflectentes, ſe inclinabunt in iiſdem locis, & eodem modo quo Celebrans, & Sacri Miniſtri, ac poſt tertiam poſtrationem oſculabuntur pedes Crucifixi, deinde ſurgent ſimul, & facta genuflexione Cruci unico genu, ſecedentes redeunt ad loca ſua æquali paſſu gradientes, & ſi contingat eos tranſire ante Celebrantem, illi ſe inclinare debent; Acolythi vero poſtquam Crucem adoraverint, vel ſtabunt ad Credentiam, vel prope Crucem adorandam remanebunt genuflexi, ut Populi tumultum, ſi opus eſt, modeſte compeſcant.

Si qui ſunt Prælati extranei, qui adorationem hanc peragant, ſtatim ut *ſupra*, adorant etiam ſine calceamentis poſt Celebrantem, ante Miniſtros, ſed hoc in caſu Celebrans ſtat aperto capite, donec Crucis adorationem perfecerint. Epiſcopus vero propius, etiam ante Celebrantem Crucem primus adorat; Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 11. Laici vero etiam Principes poſt Clerum procedunt ad adorationem Crucis bini ſimul ut ſupra, eo modo, & ordine, quo de Clero dictum eſt. Magiſtratus, & Nobiles Sæculares Crucem ad Altare adorare debent, ſi talis ſit conſuetudo. Bauldry *ſupra n.* 16. unde obſervent (& alii Laici, ſive Mares, ſive Fœminæ in adorandis aliis Crucibus, quæ per Eccleſiam proponuntur adorandæ, ſi opus eſt) quod dictum eſt de Celebrante, & Miniſtris, &c. excipe quod non deponunt calceamenta. Hippolytus a Portu *ſupra Rubr.* 8. *in adnotat. num.* 24.

Hic advertendum occurrit, quod pro Mulieribus prædictis, & Populo debet extendi in loco tapetum cum cuſſino, & velo, tum Sacerdos paratus Stola nigra illuc deferet aliam Crucem, Acolytho aliquo præcedente, qui ibi remanebit genuflexus devote aſſiſtens quando fiet adoratio, tum ob reverentiam Crucis, tum ut impediat Populi tumultum, quod ſimiliter obſervandum erit, ſi aliæ Cruces ponantur in aliis locis adorandæ propter Populi multitudinem.

Si tamen adeſſet Gubernator principalis, aut aliquis maximus Vir, aut Princeps, qui alias habere ſoleat honorem ante Canonicos, hodie in hoc actu ibit poſt Canonicos, ſed ante alios de Clero, quia eſt humilitatis actus, in quo Laici debent Clericis deferre. Cær. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 27. Convenit etiam, ut non ſolum Celebrans, ſed etiam omnes alii, præſertim de Clero, aliquam pecuniæ oblationem hodie faciant Cruci ante ipſam deoſculationem, ut colligi poteſt ex Cærem. Epiſc. *ſupra* §. 10. & Nicolao de Bralion *ſup. n.* 11. & aliis. Conſuetudo autem ut prædictæ oblationes dentur Magiſtris Cæremoniarum ſervanda eſt juxta Decretum editum a S. R. C. die 29. Novembris 1603. *in Beneventana*, & in noſtro Indice *ſub n.* 26.

Convenit autem ad dictas Stationes, & adorationes decentius, & pariformiter faciendas, ut tria loca inter ſe eo modo diſtantia, ut ſupra diximus, aſſignentur a Cæremoniario, ubi fiant; & ut in adoratione nulla interponatur mora, nec confuſio ſuboriatur, hæc ſerventur, nimirum cum duo primi ſecundo genuflectunt, duo ſequentes debent genuflectere primo, & quando illi tertio, hi ſecundo, & cum illi oſculata Cruce diſcedunt, iſti genuflectent tertio; atque alii deinceps: ita ut qui ſequuntur ſuccedant præcedentibus abſque mora, neque prius ab una proſtratione ſurgant, quam alii diſcedant ab altera. Ex Cærem. Monaſtico *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 10. & 11.

XXXII. Rubr. & Gav. lit. p - *Cantentur improperia, &c.*) Cum incipit adoratio Crucis, Cantores in Choro incipiunt cantare ſupradicta improperia, quæ legit Celebrans cum ſuis Miniſtris, ut diximus, ſubmiſſa voce, cantentur autem eo modo, ac ordine, qui deſcriptus eſt in Miſſali, & advertatur ut quatuor deſignati, duo in primo, & duo pariter in ſecundo Choro alternatim ℣℣. decantent, quibus ſuo ordine Chorus reſpondebit prout in Miſſali habetur, & Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 7. *cap.* 3. *num.* 8. necnon Horatius Chriſtiani Feria VI. in Paraſceve *ſect.* 4. *cap.* 3. *num.* 9. & Hippolytus a Portu *ſupra Rubr.* §. *in adnot. n.* 26. cantantur autem uſque dum ad Altare majus omnes fecerint adorationem, adeoque non eſt neceſſe omnia cantare, ſed ſolum tot, quæ poſſunt cantari eo tempore quo fit adoratio. Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 11. Biſſus *lit. I n.* 54.

## R U B R I C A.

23. *Circa finem adorationis Crucis accenduntur* (q) *candelæ ſuper Altare: & Diaconus accipiens burſam corporalium, extendit Corporale more ſolito, & juxta illud* (r) *ponit purificatorium, & finita adoratione, Crucem reverenter accipit, &* (ſ) *reportat ad Altare. Poſtea ordinatur Proceſſio ad locum, ubi pridie Sacramentum repoſitum fuerat: præcedit* (t) *Subdiaconus cum Cruce inter duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis accenſis, & Clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum Miniſtris. Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intortitia, quæ non extinguuntur, niſi poſt ſumptionem Sacramenti: & Sacerdos genuflectit ante Sacramentum, orat aliquantulum. Diaconus interim aperit capſulam, in qua reconditum eſt Corpus Domini: poſtea Sacerdos ſurgens, abſque benedictione imponit incenſum in duobus Thuribulis, Diacono* (u) *Naviculam miniſtrante, & genuflexus* (x) *incenſat Sacramentum: tum Diaconus extrahens Calicem cum Sacramento de capſula* (y) *dat ad manus Sacerdotis, & tegit extremitatibus veli, quod humeros illius circumdat: & procedunt ordine, quo venerunt;* (z) *defertur Baldachinum ſuper Sacramentum, & duo Acolythi cum Thuribulis continue Sacramentum incenſant, interim cantatur Hymnus,* (a) *Vexilla Regis prodeunt.* (b) *Cum venerit Sacerdos ad Altare,* (c) *poſito ſuper illud Calice, genuflexus rurſum incenſat, & accedens* (d) *deponit Hoſtiam ex Calice ſuper Patenam, quam Diaconus tenet, & accipiens Patenam de manu Diaconi, Hoſtiam ſacram ponit ſuper Corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vaſe. Interim Diaconus imponit* (e) *vinum in Calicem, & Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit ſuper eam Orationem conſuetam, ſed accipiens Calicem a Diacono ponit ſuper Altare,* (f) *nihil dicens: & Diaconus illum cooperit palla, deinde imponit incenſum in Thuribula* (g) *abſque benedictione, & incenſat oblata, & Altare* (h) *more ſolito, genuflectens ante, & poſt, & quandocumque tranſit ante Sacramentum. Cum incenſat oblata dicit, &c. ipſa non incenſatur.*

## *G A V A N T U S.*

(q) *Candelæ ſuper Altare.* Et item eæ, quæ ſuper Credentiam habentur pro Acolythis.

(r) *Ponit purificatorium.* Ad cornu Epiſtolæ, loco ſolito; & tunc etiam transfertur a Cæremoniario Miſſale ad cornu Evangelii cum cuſſino.

(ſ) *Reportat ad Altare.* Quo caſu nemini reverentiam faciat, ſed & Celebrans aſſurgat tranſeunti Cruci, *ex Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 26. cui genuflectit ſimul cum Subdiacono, quod hodie faciunt omnes omnino in honorem Crucifixi Domini Noſtri, ex *Cæremoniale Epiſcoporum lib.* 2. *cap.* 25. & 26. amoveantur ſtatim ab Acolythis tapete, & cuſſinus cum velo. Quæ delatio Crucis ad Altare cum Proceſſione ſequenti a Pio V. ſtatuta fuit; nec in antiquioribus Miſſalibus habetur.

Si multus adeſt Populus, poterit collocari alia Crux a Sacerdote cum Stola nigra ante aliud Altare, ad quam adorandam accedant tum mares, tum fœminæ, ne proceſſio nimis differatur, & Officium ſequens.

(t) *Subdiaconus cum Cruce.* Hoc eſt, alter paratus, ut Subdiaconus Miſſæ, non cum Dalmatica, ut ſcripſit *Alcozer*, excepto tamen Manipulo, defert autem Crucem proceſſionalem diſcoopertam. Duo Thuriferarii præcedunt Subdiaconum ſine incenſo in Thuribulis, quia nondum eſt Proceſſio facta, ſed aditus ad eam; & ideo itur ad locum deſtinatum per viam breviorem. Ibi omnes genuflexi orant, exceptis Subdiacono, qui geſtat Crucem, & Acolythis.

(u) *Naviculam miniſtrante.* Omittuntur oſcula manus, & rerum in hac Miſſa.

(x) *Incenſat Sacramentum.* Ut heri, & ſtatim imponitur ejus humeris velum album, non nigrum.

(y) *Dat ad manus Sacerdotis.* Nimirum ſtans Diaconus.

(z) *Defertur Baldachinum.* Non nigrum, ut aliqui ſolent, & male, debet enim eſſe ſimile velo, quod Calicem tegit, & eſſe illud idem, quod heri tegebat.

(a) *Vexilla Regis prodeunt.* Cujus auctor, *ex Baron. Anno* 566. fuit Venantius Fortunatus.

(b) *Cum venerit Sacerdos ad Altare.* Subdiaconus Crucis, depoſita Cruce, ubi minus impediat, in latere Epiſtolæ genuflectit. Acolythi deponunt candelabra ſuper Credentia, Clerus in plano Capellæ circumdat Altare genibus flexis.

(c) *Poſito ſuper illud Calice.* Hoc eſt, ut pridie, cum miniſterio Diaconi, nam Diaconus genuflexus accipit Calicem de manu Celebrantis ſtantis, & deponit ſuper Altare, genuflectit, deſcendit, miniſtrat Naviculam ſtanti Sacerdoti pro impoſitione incenſi, & depoſito humerorum velo, Celebrans genuflexus rurſus incenſat Sacramentum, ut prius. Recedit alter ex Thuriferariis poſt hanc incenſationem.

(d) *Deponit Hoſtiam.* Facta prius genuflexione, & amo[illegible]

a Dia-

a Diacono velo albo parvo a Calice, neque debet ſponte tangere Sacerdos Hoſtiam, neque ideo prius lavare manus, quod aliqui ſcripſere; ſi tamen accidat ut tangat, purificet ſtatim digitos, quod in hac Rubrica ſub conditione dicitur, non autem jubetur.

(e) *Vinum cum aqua*. Habet *Ordo Romanus*.

(f) *Nihil dicens*. Neque ſignum Crucis, ut alias, faciens cum Patena, aut Calice.

(g) *Abſque Benedictione*. De hac incenſatione nihil antiqui. De benedictione vero nova Rubrica eſt in recognitione Miſſalis addita; eſt enim dubitatum: an benedici hoc loco debeat incenſum: & videbatur affirmandum, quia incenſandum eſt præterea Altare, & tunc benedicitur incenſum etiam coram Sacramento, *in Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 23.* ubi, cum excipiatur a benedictione incenſum in principio, & in fine Proceſſionis, quæ fit in Feria quinta, & ſexta majoris hebdomadæ, nulla mentione facta oblatorum hujus diei, dicendum videbatur, ibidem non excipi a benedictione incenſum in incenſatione hac oblatorum. *Marcellus* quoque *in Cæremon. Pap. lib. 1. c. 55*, ſcribit, poni incenſum a Papa, *more conſueto*: ergo cum benedictione. Urgere quoque videbatur illud, quod dicitur: *Incenſum iſtud a te benedictum*; Sed vim faceret, ſi diceretur, *a nobis benedictum*; & hac die verbis utimur minus propriis, ut Sacrificium in ſeq. quid ergo? nihilominus tamen, cum in Miſſa hodierna expreſſe omnia deſcribantur, quæ dicenda ſunt, ita ut quiquid de conſuete Miſſa hoc loco omittitur, omittendum eſſe prorſus videatur, & cum omiſſa fuerint in textu omnium Miſſalium verba benedictionis incenſi, ſolita dici ante incenſationem oblatorum: *Per interceſſionem, &c.* & expreſſe poſita ſint reliqua verba totius incenſationis: in eam partem ab iis, quorum intererat, me præſente, in recognitione Miſſalis dictum eſt, ut omittatur incenſi benedictio, & hac die videtur congruum, nihil prorſus debere benedici, *in Cærem, Epiſc. loc. cit.* benedicitur incenſum, quando alii quoque præter Altare, quod Chriſtum ſignificat, incenſantur, ſed hodie neque ipſe Celebrans incenſatur. *Marcellus* etiam explicatur, *more conſueto*, ideſt, ter, cum miniſterio Diaconi, &c.

(h) *More ſolito*. In recognitione Miſſalis ſecundum prædictam ſententiam, *more ſolito*, cadere dictum fuit ſuper incenſationem oblatorum, & Altaris tantum, non ſuper impoſitionem incenſi, quod hodie magis declaratum eſt.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

### Pro Ritibus ſervandis in Proceſſione ad Sacellum, & regreſſu ad Altare cum SS. Sacramento, & in reliquo Officio hujus Feriæ.

XXXIII. Rubr. & Gavant. lit. q. -- *Accenduntur candelæ ſuper Altare, &c.*) Circa finem adorationis duo Ceroferarii ſumpto lumine de Sacriſtia accedunt cum debitis reverentiis ad Altare, & accedunt candelas, & etiam illas duas ſuorum candelabrorum, ſive ſint in Credentia, Cærem. Epiſc. *ſupr.* §. 28. Gav. *ſupr. lit.* q, ſive ſint in Sacriſtia.

XXXIV. Rubr. *Et Diaconus accipiens burſam Corporalium, &c.*) Deinde Diaconus ſurgit, & facta reverentia celebranti (interim Subdiacono ſtante nudo capite) vadit ad Credentiam, & capit burſam habentem intus Corporale e manibus Cæremoniarii, prout in Symbolo Miſſæ Solemnis, & purificatorium ſuper eam poſitum, quam burſam ad oculos uſque elevatam ambabus manibus per breviorem viam portat ad Altare, non enim poteſt per planum ad medium accedere, cum adhuc ibi ſit Crux, quæ adoratur, & facta prædictæ Cruci genuflexione unico genu, & inclinatione Altari, quia tunc in eo nulla eſt Crux, cum ad medium ſuppedanei Altaris pervenerit, extrahit de burſa Corporale, qua depoſita inter candelabra in cornu Evangelii (non jacente ſuper Altare, ut male nonnulli faciunt) explicat Corporale more ſolito in medio Altaris.

XXXV. Rubr. & Gav. lit. r -- *Ponit purificatorium, &c.*) Deinde idem Diaconus ponit, prope Corporale explicatum, purificatorium in parte Epiſtolæ, quo facto, redit ad locum ſuum per breviorem viam cum debitis reverentiis Altari, Cruci, & Celebranti, & ſedet cum Subdiacono, qui nudo capite ſtabat, & ſtatim ambo caput tegunt. Bauld. *ſup. n.* 24. & Biſſ. *lit. F num.* 45. §. 23. *&* 24. Memoriale Rituum *ſupra* §. 5. *n.* 15. Cæremoniarius vero, vel alius eodem tempore defert Miſſale cum debitis genuflexionibus Cruci prædictæ ad latus Evangelii, Gavantus *ſupr.*, illudque relinquit apertum ſuper cuſſinum cum ſignaculis ab eodem aptatis, jacens prope Corporale. Biſſ. *ſupr. n.* 23. Bauldry *ſup. n.* 25. Corſettus *tract.* 3. *part.* 2. *c.* 7. *n.* 52.

Interim vero, dum ſcilicet hæc fiunt ad Altare, paratur in Sacriſtia alius Subdiaconus, amictu, alba, Cingulo, cum planeta plicata nigra ſine Manipulo, qui Crucem in Proceſſione defert denudatam. Iſte Subdiaconus poteſt ſola Alba eſſe indutus, & ſi deſit prædictus Subdiaconus, Clericus ſola Cotta indutus defert Crucem. Bauldry *ſupr. n.* 26. Benvenuti *ſupra* §. *Circa finem*. Item duo Thuriferarii parant in Sacriſtia ſua Thuribula igne in eiſdem impoſito, ſimulque curent ne deficiat incenſum in Naviculis. Item Beneficiati ſeu Manſionarii, qui in Cathedralibus delaturi ſunt haſtas Baldachini, parentur Pluvialibus nigri coloris, ſi commode fieri poteſt, & ſi celebret Epiſcopus; alias ſi non celebret Epiſcopus, geſtaturi haſtas Baldachini ſola Cotta ſine Stola indui debent, & hoc declaratur in Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 26. &c. & confirmatur Decreto edito a S. R. C. die 15. Septembris 1736. quod Decretum exhibetur in noſtro Indice *ſub n.* 692. Curet præterea Sacriſta, ut Baldachinum deferatur (ſi non eſt jam delatum) prope Capellam, ubi eſt SS. Sacramentum: Bauldry *ſup. n.* 27.

XXXVI. Rubr. & Gav. lit. ſ -- *Reportat ad Altare, &c.*) Interim Diaconus deponit biretum, & ſurgit (ſicut & Subdiaconus, qui tamen ſtat apud Celebrantem) & facta reverentia eidem Celebranti, accedit ad locum ubi eſt Crux, cui facta genuflexione unico genu, reverenter illam capit, & ambabus manibus elevatam uſque ad oculos, nulli reverentiam faciens, ad Altare reportat. Ex Gavanto *ſup.* Bauldry *ſup. n.* 28. & Biſſus *ſupra* §. 25. Celebrans ſurgens tranſeunti Cruci, ſimul cum Subdiacono, nudo capite, genuflectit, ſicuti, & alii omnes de Choro; quod hodie faciunt omnes, nemine excepto, ut ſupra dictum eſt. Bauldry, Biſſus *ſupr.* Nicolaus de Bralion *ſupr. n.* 20. Corſettus *ſupra n.* 21.

Diaconus vero Crucem ad Altare reponet ſuo in loco in medio ejuſdem Altaris inter Candelabra, adjuvante Sacriſta, & deinde Celebrans ſedet tecto capite, ſedentibus omnibus. Memoriale Rituum majoris hebdomadæ *ſupra n.* 19. Tum Diaconus facta prædictæ Cruci genuflexione, per breviorem viam redit ad Celebrantem, ei ſe inclinans, deinde ſedet cum Subdiacono, & ambo caput tegunt. Acolythi vero pannum cum velo, & cuſſino plicatum reponunt in loco congruo, vel in Sacriſtiam reportant, Bauldry *ſupr. n.* 29. & Biſſ. *ſupr.* §. 25.

XXXVII. Gav. eadem lit. ſ -- *Si multus adeſt Populus, &c.*) Si Cruces aliæ ob Populi frequentiam ſint expoſitæ, a Sacerdote, ſi unica ſit, vel a Sacerdotibus ſi plures ſint, Stola nigra inſignitis, reverenter reportantur in Sacriſtiam, quibus omnes genuflectunt; reportantur, inquam, eodem tempore, vel ſucceſſive, ſi copia non haberetur Sacerdotum, & tapetia pariter amoventur. Caſtaldus *lib. 3. ſect. 7. de Officio Feriæ VI. in Paraſceve cap. 4. n.* 3. Bauldry *ſupr. n.* 30.

XXXVIII. Rubr. *Ubi pridie Sacramentum repoſitum fuerat, &c.*) Sint præparata octo funalia ex cera alba deferenda a lateribus hinc inde ante Baldachinum, Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 30. *&* *cap.* 23. §. 7. Parentur etiam alia funalia, ſeu Candelæ item ex Cera alba diſtribuendæ Clero, & ab eo deferendæ in proceſſione.

XXXIX. Rubr. & Gav. lit. t -- *Subdiaconus cum Cruce, &c.*) Subdiaconus paratus, ut *ſupra*, in Sacriſtia, accedit tunc ad Presbyterium (ſicut, & Sacerdotes, ſive Beneficiati Cottis tantum, vel ſuo habitu chorali induti pro deferendis haſtis Baldachini) accipit Crucem Proceſſionalem denudatam, & medius inter duos Ceroferarios deferentes candelabra cum cereis accenſis, firmat ſe cum eiſdem extra Cancellos facie verſa ad Altare. Item duo Thuriferarii cum Thuribulis ut *ſupra*, & duabus Naviculis, ſeu una tantum, ſe poſt dictum Subdiaconum firmant, ut commodius primi procedant. Tum ad locum Sacramenti ordinatur Proceſſio ſequenti modo; ſed dum ordinatur Proceſſio in loco, ubi repoſitum manet Sacramentum, debent accendi omnia luminaria, & ibidem præparari velum humerale album pro Celebrante, & Baldachinum pariter album, niſi prius fuerit paratum, ut ſupra dictum eſt, & Cerei deferendi in Proceſſione, ſicut ſupra fuit notatum. Horatius Chriſtiani *ſupra cap.* 4. *numer.* 2. Debet pariter extendi Corporale ſuper Altare, ſuper quo deponendus eſt Calix cum SS. Sacramento, ut dicetur infra.

XL. Rubr. & Gav. lit. t -- *Præcedit Subdiaconus cum Cruce, &c.*) Præcedant omnium primi duo Thuriferarii ſine incenſo in Thuribulis, ut mox innuimus cum Gavanto *ſup.* poſtea Subdiaconus cum Cruce detecta, medius inter Ceroferarios deferentes candelabra cum Candelis accenſis; deinde Clerici bini, & bini; poſtea Beneficiati, & poſt eos alii, qui deferre debent Haſtas Baldachini. Tum Canonici ſi adſint, & omnes juxta ſuum ordinem; deinde procedit Subdiaconus, quem ſequitur Diaconus, ultimo Celebrans, omnes manibus junctis, & nudo capite propter reverentiam Crucis, quæ hac die peculiariter colitur, Biſſus *lit. P n.* 226. §. 7. & Bauldry *ſup. n.* 32. vel potius tecto capite, donec pervenerint ad locum Sacramenti, quia inceſſus iſte non eſt Proceſſio, & quia Epiſcopus in tali caſu utitur Mitra. Hippolytus a Portu *ſup. Art.* 3. *Rubr.* 9. *in adnot. n.* 7. Caſtaldus *ſupr. n.* 4. Chriſtiani *ſect.* 4. *cap.* 4. *n.* 3.

XLI. Rubr. *Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, &c.*) Subdiaconus Crucem deferens in loco congruo, non quidem in ipſo loco, in quo Sanctiſſimum Sacramentum repoſitum eſt, ſed e conſpectu, ut heri, inter Ceroferarios, ſiſtit ſe, ibique immobilis, ſicut, & dicti Ceroferarii ſtant, non genuflectentes. Horatius Chriſtiani *ſupra ſect.* 3. *cap.* 8. *n.* 12. *&* *ſect.* 4. *cap.* 4. *n.* 5.

Thuriferarii, facta genuflexione utroque genu, & profunda inclinatione, ſurgunt, ad Altare accedunt, & genuflexi ſiſtent ſe in loco, ubi alios non impediant. Reliqui de Choro ſer-

vato ordine, & facta genuflexione ut *ſupra*, ſuis in locis ſe collocant hinc inde, ibique manent genuflexi, ita ut juniores ſint prope Crucem, ſeniores vero hinc inde prope Altare, facta genuflexione, & profunda inclinatione ſuis in locis ſe ponunt, & genuflectunt.

Miniſtri Sacri, & celebrans cum pervenerint ante fores Sacelli, deponunt bireta. Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 31. *& cap.* 26. §. 14. quæ a primo Cæremoniario traduntur primo Acolytho (niſi ad eum locum nudo capite proceſſerint ut *ſupra*,) & ſtatim ſacellum ingreſſi, unus poſt alium ſimul genuflectunt utroque genu, & profunde ſe inclinant. Benvenuti *ſupra*, Nicolaus de Bralion *part.* 4. *in Append.* 3. *ap.* 3. *num.* 3. Deinde ſurgunt, & ad Altare accedunt, ante quod iterum genuflectunt unico genu in plano, tum ſurgunt, & genuflectunt in primo gradu. Cæremon. Epiſcop. *ſupra cap.* 26. §. 14. & Benvenuti *ſupra* §. *His omnibus*: omnibus itaque genuflexis (exceptis Subdiacono Crucis, & Ceroferariis, qui numquam genuflectunt, ſed præfatus Subdiaconus cum Ceroferariis ſiſtit ſe e regione, ut diximus, unde facile poſſit recedere prior. Bauld. *ſupra*, Caſtaldus *ſupra num.* 6.) aliquantulum omnes devote orant, nempe per ſpatium unius *Miſerere*. Biſſus *lit. P. num.* 226. §. 9. Dum hæc peraguntur, a Sacriſta vel ab alio, debent accendi intortitia, & Candelæ in Proceſſione deferendæ, quæ non extinguuntur, niſi poſt ſumptionem Sacramenti: ex Rub. *ſup.* & Benvenuti *ſup.* nec non Bauld. *art.* 4. *n.* 1.

XLII. Rub. *Diaconus interim aperit Capſulam &c.*) Dum Sacerdos cum aliis ante Sacramentum genuflexus orat aliquantulum, ſolus Diaconus ſurgit, & manibus junctis aſcendit ad ſuppedaneum Altaris, aut ad locum proximiorem, unde facile capſulam aperire poſſit, & ibi facta genuflexione Sanctiſſimo Sacramento, ita ut non vertat terga celebranti, erigit ſe, & immediate aſcendit Scabellum graduatum, ut Sanctiſſimi Sacramenti capſulam aperiat; Eam aperit, eique caput inclinat, non tamen ex ea capſula Sacramentum adhuc extrahit, (& hic notandum, quod ſi locus, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum, ita diſpoſitus ſit, ut commode Diaconus non poſſit ad capſulam aperiendam accedere, & ex ea Calicem extrahere, tunc alius Sacerdos cotta, & Stola nigra indutus, capſulam aperiat, & ſuo tempore Sacramentum extrahat, quod reponat in loco congruo ſuper Corporale, ut facilius Diaconus illud accipere poſſit. Biſſus *ſupra*) & relicta ea capſula aperta, deſcendit ex ſcabello, & in eodem loco ſuper ſuppedaneum iterum genuflectit, ſed nunc utroque genu, & profunde inclinat (vel melius unico genu, ut infra dicetur) ſurgit, deſcendit in planum, ſe ſiſtit ad dexteram celebrantis, & non genuflectit, Benven. *ſupra* §. *Completa*, Hippolytus a Portu *ſupra num.* 11. quia ſtatim Naviculam miniſtrare debet, ut infra.

XLIII. Rub. & Gav. lit. u -- *Imponit Incenſum in duobus Thuribulis, Diacono Naviculam miniſtrante, &c.*) Tunc celebrans, & Subdiaconus ſurgunt abſque ulla genuflexione. Beven. *ſupra*, & ut colligitur ex Inſtructione Clementis XI. felic. record. pro Oratione 40. Horarum, ſupra a nobis tradita. Accedit primus Thuriferarius, qui utroque genu genuflexus Naviculam Diacono tradit, qui eam aperiens, & accipiens ex ea Cochleare vacuum, Incenſum miniſtrat celebranti abſque oſculis manus, & rerum; quæ omnia omittuntur in hoc officio, Gav. a Portu *ſupra num.* 12. Benv. *ſupra*. Celebrans accepto Cochleari de dextera manu Diaconi, ter incenſum ſumens de Navicula, ter imponit Incenſum in primo Thuribulo ſine benedictione, nihil dicens; Bauld. *part.* 2. *cap.* 19. *Articul.* 1. *num.* 5. Poſtea recedit primus Thuriferarius cum ſuo Thuribulo (retinente tamen Diacono Naviculam,) & verſus cornu Epiſtolæ genuflectit utroque genu, agitans interim Thuribulum, non tamen Sanctiſſimum Sacramentum incenſat: tum accedit, facta prius ſuo in loco genuflexione Secundus Thuriferarius cum Thuribulo ad celebrantem, & ante eum utroque genu genuflexus Thuribulum elevat (ne ipſe celebrans cogatur ſe inclinare, dum incenſum imponit, quod ſemper ſervandum eſt, Bauld. *ſup. n.* 4.) Diaconus Incenſum celebranti miniſtrat ſine oſculis ut ſupra; celebrans Incenſum imponit in ſecundo Thuribulo eodem modo, quo impoſuit in primo Thuribulo, quo facto ſtatim hic ſecundus Thuriferarius ſurgit, & facta Sacramento genuflexione, accedit verſus cornu Evangelii, ubi genuflexo utroque genu agitat Thuribulum, ſed Sacramentum non thurificat. Abbas Benven. & alii.

XLIV. Rub. & Gav. lit. x -- *Incenſat Sacramentum, &c.*) Tum celebrans, Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt utroque genu in infimo Altari gradu, & Thuriferarius primus, recepta prius Navicula, genuflexus utroque genu, Thuribulum Diacono tradit, & Diaconus celebranti ſine oſculis. Biſſus *ſupra* §. 9. Benven. *ſupra* §. *Tunc*, Celebrans accepto Thuribulo cum Diacono, & Subdiacono, facit profundam inclinationem Sanctiſſimo Sacramento in ſupradicta Capſula aperta exiſtenti, & ſtatim erigunt ſe a profunda inclinatione, ſed adhuc tamen manent genuflexi; & ſtatim celebrans ter graviter incenſat de more Sanctiſſimum Sacramentum. Interim Miniſtri Sacri elevant etiam de more partem poſteriorem Planetæ celebrantis circa brachia, Bauld. *part.* 4. *cap.* 10. *de Fer.* 6. *in Paraſceve Articul.* 4. *num.* 1. Biſſus, Corſettus, & Benven. *ſupra*. Sacramento incenſato, iterum celebrans cum Miniſtris profunde ſe inclinat. Diaconus ſtatim recipit Thuribulum a celebrante, quod tradit Thuriferario, qui ſtatim genuflexione facta utroque genu, Bauld. *ſupra num.* 3. recedit, & genuflectit in plano Sacelli e regione alterius Thuriferarii uſque ad Proceſſionis initium. Memoriale Rit. *ſupra* §. 6. *n.* 5. Bauld. *ſupra*. Ambo tamen Thuriferarii ſe locare debent in loco, ut commode procedere poſſint ante celebrantem. Biſſ. *ſupra* §. 10. ſed advertant, ne aliis ſint impedimento, ut facilius omnes poſſint ante eos procedere in Proceſſione, ut colligitur ex Biſſ. *ſupr.* §. 8.

Reddito Thuribulo Thuriferario, imponitur velum humerale album per Magiſtrum Cæremoniarum ſuper humeros Celebrantis adhuc genuflexi; vel etiam imponitur prædictum velum per Miniſtros Sacros, adjuvante Cæremoniario, Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 20. Bauld. *ſupra num.* 3. Biſſus *ſupra* §. 10. quod ſpinulis, vel vittis ſericis firmabitur, ne per viam decidat, & ut æqualiter hinc inde pendeat Cærem. Epiſcop. *ſupra*; cit. Doctores, & Horatius Criſtiani cit. n. 9. & alii.

XLV. Rub. *Cum Diaconus Calicem, &c.*) Quo facto Diaconus ſurgit, & abſque alia genuflexione aſcendit ſuper ſuppedaneum Altaris, ibique utroque genu flectit, & profunde inclinat: a Portu *ſupra num.* 14. Benvenuti *ſupra*, vel potius genuflectit unico tantum genu, ut commodius ſurgere poſſit, ut colligitur ex Bauld. *ſupra nu.* 4. ex Biſſo *ſupra* §. 10. & præſertim ex eodem *lit. M. num.* 222. §. 1. tum aſcendit ſuper ſcabellum paratum, SS. Sacramento caput inclinat, extrahit de Capſula Calicem cum SS. Sacramento, parvo velo albo coopertum, ibidem remanente Pyxide (ſi heri delata fuit) cum particulis pro infirmis, quæ poſtea ad alium locum deferetur. Biſſus *lit. P ſup.* §. 10.

XLVI. Rub. & Gav. lit. y *Dat ad manus Sacerdotis, &c.*) Diaconus igitur Calicem tenens ambabus manibus, dextera ſcilicet per nodum, ſiniſtra per pedem, deſcendit de ſcabello, vertit ſe, & erectus ac ſtans illum tradit celebranti genuflexo, ſed advertendum quod extracto Calice de Capſula, ſtatim eam claudit altera manu (ſi tamen in Capſula reperiatur Pyxis cum Particulis conſecratis, nam ſi pyxis non reperiatur, relinquenda eſt Capſula aperta) quod ſi non poſſit, reponat prius ſuper Altare Calicem, cujus in medio ad hunc finem erit extenſum Corporale, & clauſa Capſula, accipiet de Altari Calicem cum Sanctiſſimo Sacramento abſque ulla genuflexione, & eum tradet Celebranti, ut *ſupra*, Benvenuti *ſupra*. Celebrans vero tenet ſiniſtra Calicis nodum undequaque ſuo velo albo coopertum, & dexteram ſuper eumdem Calicem ad cautelam ponit. Diaconus autem, extremitatibus Veli humeralis pendentibus a celebrantis humeris, ipſius manus cooperit ſicut heri. Deinde celebrans expectat, ut Diaconus adoret utroque genu, & SS. Sacramento inclinet. Biſſus *ſupra*, Bauld. *ſupra num.* 4. Benvenuti *ſupra*. Idque colligitur etiam ex Cæremoniali Epiſcop. *libr.* 2. *cap.* 26. Tum ſurgit Celebrans, & aſcendens ad ſuppedaneum vertit renes Altari, & faciem verſus Populum, ut ad principium Proceſſionis fecit heri in Cœna Dominica, a Portu *ſup. n.* 16. Memoriale Rituum *ſupra* §. 6. *num.* 18. & interim Diaconus, & Subdiaconus cum debita genuflexione mutant loca adinvicem.

XLVII. Rub. *Et procedunt ordine quo venerunt, &c.*) Poſtea omnes ſucceſſive ſurgunt ut pridie, factis genuflexionibus, & Proceſſio revertitur ad Altare majus per viam longiorem hoc ordine. Præcedit Subdiaconus cum Cruce, medius inter Ceroferarios, geſtantes Candelabra cum Candelis accenſis, quem ſequitur Clerus, inferioribus præcedentibus ut heri, ultimo celebrans cum SS. Sacramento medius inter Miniſtros Sacros, qui ſimul cum ipſis recitat ſubmiſſa voce Hymnum: *Vexilla Regis, &c.* Biſſus *ſupra*, Memoriale Rit. *ſup. n.* 20. & Benven. *ſupra*.

XLVIII. Rub. & Gav. lit. z -- *Defertur Baldachinum, &c.* Dum celebrans deſcendit per gradus Altaris ſupradicti Sacelli cum Sanctiſſimo Sacramento, ſi videbitur, poterit elevari umbella ſerica albi coloris ſupra caput celebrantis priuſquam tranſeat, & Baldachino ſe ſupponat. Ex Baruffaldo *ſupra tit.* 80. §. 3. *n.* 37. quod ſemper ſervari poterit in ſimilibus caſibus, deinde Baldachino ſe ſupponit, quod defertur ab iis, quos diximus *ſupra*. Advertendo tamen quod, qui deferunt haſtas Baldachini, ſive ſint Beneficiati cum ſolis cottis, ſive ſint Canonici in ſuo habitu chorali, expectare debent cum Baldachino ante fores Sacelli celebrantem, quo perveniente, & procedente, ipſi Baldachinum elevant, & procedunt cum celebrante. Ex Hippolyto a Portu *ſupra num.* 17. Ante Baldachinum præcedere debent qui deferunt intortitia, & candelas accenſas ut heri, & duo Thuriferarii continuo incenſantes Sacramentum pariter ut heri, Ex Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 25. §. 31.

XLIX. Rub. & Gav. lit. a -- *Vexilla Regis prodeunt, &c.*) Antequam Celebrans in Sacello ſurgat, vel ſurgente Celebrante, Cantores adhuc genuflexi incipiunt Hymnum *Vexilla Regis prodeunt, &c.* & omnes illico ſurgent proſequentes eumdem Hymnum, & facta ſimul genuflexione (exce-

ptis

ptis Thuriferariis ) procedent ad Altare per longiorem viam, ut ſitus loci permittet, ordine quo venerant; Thuriferarii vero præcedendo immediate SS. Sacramentum, ut heri, Thuribula ſua movebunt; tum celebrans medius inter Sacros Miniſtros, qui ejus ſuſtentant brachia, ſi opus eſt, non vero Planetam, SS. Sacramentum reverenter portabit ſub Baldachino, eodemque Ritu, quo externa die, recitando cum Miniſtris ſuis prædictum Hymnum ſubmiſſa voce. Si longior fuerit Proceſſio, poterit a Choro Hymnus repeti, ſic tamen ut ultima ſtropha dicatur ſemel tantum in fine.

L. Rubrica & Gav. lit. b -- *Cum venerit Sacerdos ad Altare, &c.* ) Cum Proceſſio pervenerit ad Altare; Laici, ſi qui ſunt, & qui præcedunt omnes in hac Proceſſione, genuflectunt circa Cancellos. Caſtaldus *ſupra num.* 7. Bauld. *ſupra num.* 7. Subdiaconus vero cum pervenerit in Presbyterum, antequam deponat Crucem, & Ceroferarii antequam deponant Candelabra, nullam faciunt reverentiam, Subdiaconus tamen deponet Crucem in aliquo loco congruo a latere Epiſtolæ, & ibidem genuflectet, ut vult. Gav. *ſupra*, Horatius Chriſtiani, Caſtaldus *ſupra*, Cæremoniale Monaſticum *libr. 4. cap. 9. num.* 11. & Corſettus *ſupra num.* 15. ſed Bauld. *ſupra num.* 7. Benvenuti *ſupra* §. *Cum perventum fuerit*, & Nicolaus de Bralion *ſupra capit.* 12. *num.* 8. volunt quod Subdiaconus Crucis poſt depoſitam Crucem ad Sacriſtiam, ibi Sacras Veſtes deponat, & iterum habitu ſuo chorali indutus ad Presbyterium accedat, ubi cum aliis in ordine ſuo genuflectet. Hippolytus tamen a Portu *ſup. n.* 20. utrumque approbat, ſiquidem ſupradictus Subdiaconus tunc jam functus eſt Officio ſuo, ideoque diſcedere poteſt, licet non ſit perſolutum officium Divinum, & poſtea, ut *ſupra*, redire; Vel poteſt indutus Sacris Veſtibus in parte Epiſtolæ genuflexus aſſiſtere; ſicut etiam Ceroferarii, depoſitis ſuis Candelabris ſuper Credentia, genuflectunt, ut ad Miſſam. Hippolytus a Portu *ſupra*.

Reliqui vero pariter eodem ordine quo venerant Presbyterium ingredientur, non genuflectentes Cruci in Altari poſitæ. Presbyterium ingreſſi procumbent in genua hinc inde, vel quaſi in gyrum, non tamen prope Credentiam, ne acceſſum aliorum impediant, ſicque diſponentur, ita ut ſeniores ſint Altari proximiores ( niſi ſit contraria conſuetudo, ) ibique remanent omnes uſque ad finem, Biſſus *ſupra* §. 11. & alii; ſi vero Chorus ſit prope, & ante Altare, tunc Clerus accedet ad illum, & genuflectet in ſuis locis, ſeu ſtallis, Bauld. *ſupra num.* 7. quod etiam colligitur ex Nicolao de Bralion *ſupra*.

Celebrans autem præcedentibus Acolythis, vel aliis, intortitia accenſa deferentibus, medius inter ſuos Miniſtri ingreditur Presbyterium ( removentibus Baldachinum extra Cancellos Altaris aliquibus deputatis, vel ubi non ſunt Cancelli, ad gradus Presbyterii. Cærem. Epiſcop. *ſupra* §. 32. & Biſſus *ſupra*, ) ſtatim prompta ſit umbella elevanda ſuper caput celebrantis, ut innuimus *ſupra*, uſque ad Altaris gradus. Cum celebrans ingreditur Presbyterium, omnes, *ut ſupra*, genuflexi cum candelis accenſis in manibus inclinabunt profunde caput, & SS. Sacramentum oculis externis devote, internis autem humili, & propenſiore affectu proſequentur, donec ad Altare pervenerint, ad quod manebunt converſi, neque ſurgent, nec extinguent candelas, donec fuerit completa Communio. Thuriferarii quoque ceſſabunt a thurificatione, & hinc inde genuflectent ante infimum gradum, primus a latere Epiſtolæ, ſecundus vero a latere Evangelii. At celebrans cum Miniſtris aſcendet ad ſecundum gradum Altaris, hoc eſt ſuppedaneo proximiorem, Biſſus *lit. F, nu.* 45. §. 26. ſi tres ſint gradus; ſi vero duo ſint gradus, tunc ſiſtet in primo gradu, Benvenuti *ſupra*. Subdiaconus interim genuflectet a ſiniſtris celebrantis utroque genu. Biſſus *lit. F, nu.* 45. §. 26.

LI. Rubr. & Gav. lit. c -- *Poſito ſupra illud Calice, cum Miniſterio Diaconi, &c.* ) Celebrante igitur ſtante ut *ſupra* in ſecundo gradu, Diaconus interim in ſuppedaneo flectet utrumque genu, verſis aliquantulum renibus ab cornu Epiſtolæ; deinde ſurget, & remotis extremitatibus veli oblongi; iterum genuflexus accipiet reverenter Calicem manu dextera per nodum, vola vero ſiniſtra regens ejus pedem, de manu celebrantis, qui tradito Calice una cum Subdiacono genuflexus adorabit Sanctiſſimum Sacramentum. Tum celebrans erigit ſe a profunda inclinatione; non tamen ſurgit, & tunc Subdiaconus adhuc genuflexus ad humeris ipſius celebrantis, adjuvante Cæremuniario, amovet velum humerale, quod ab aliquo Acolytho, vel Cæremoniario, factis genuflexionibus ante, & poſt, ad Credentiam reportatur, Bauldri *ſupra*, & Biſſus *ſupra*, & notandum quod non decet removere dictum velum, ſtatim ac celebrans depoſuerit Calicem in manibus Diaconi ( ut fit a multis ) ne diſtrahatur a veneratione Sacramenti. Adorato Sanctiſſimo Sacramento a celebrante, Diaconus ſurgit, & Calicem cum Sanctiſſimo Sacramento collocat in medio Altaris ſuper Corporale coopertum adhuc parvo velo, ſolvendo interim vittam appoſitam ad cautelam, quam ponit verſus cornu Epiſtolæ, & extendendo velum parvum ejuſdem Calicis, ut fit in initio Miſſæ, Memoriale Rituum *ſupra*

*num.* 24. caveat ne Patena de Calice cadat; tum Diaconus genuflectit in ſuppedaneo prope Altare unico genu, ut facilius ſurgere poſſit, ſed quaſi renes vertens ad cornu Epiſtolæ, ob reverentiam celebrantis, Bauld. *ſupra*, & Biſſus *ſupra*, deinde ſurgit, deſcendit ad dexteram celebrantis, terga pariter vertens cornu Epiſtolæ, & ſiſtit ſe in ſecundo gradu, non genuflectens. Benvenuti *ſupra* §. *Poſtquam*, quia ſtatim miniſtrare debet celebranti Naviculam pro impoſitione incenſi in Thuribulo.

LII. Rub. & Gav. lit. c -- *Genuflexus celebrans iterum incenſat Sacramentum, &c.* ) Interim primus Thuriferarius, quis expedite, poſitis prius novis carbonibus, ſi opus fuerit, in Thuribulo, & facta genuflexione, ad dexteram Diaconi accedit, Biſſus *ſupra* §. 28. ibi genuflectit, & Thuribulum miniſtrat ( quod ſi præfatus Thuriferarius non eſſet promptus cum Thuribulo, uti eſſe deberet: tunc Diaconus poſtquam acceſſerit ad dexteram celebrantis, genuflectet ſimul cum eo. Biſſus *ſupra* §. 27. Curet tamen Cæremoniarius, ut omnia ita tempeſtive fiant, ne ob nimiam moram, ut interdum accidit, ſcandalum oriatur: tunc ſurgit celebrans, & Subdiaconus, qui celebrans aliquantulum retrahit ſe verſus cornu Evangelii, & ſtans in eodem ſecundo gradu ponit incenſum ter in Thuribulo abſque benedictione, nihil dicens, miniſtrante Diacono ſine oſculis. Memoriale Rituum *ſupra nu.* 25. quo facto, reddito cochleari, & accepto Thuribulo a Diacono, genuflexus ter incenſat Sacramentum more ſolito, factis debitis inclinationibus ante, & poſt, elevantibus Miniſtris Sacris hinc inde partem poſteriorem Planetæ circa brachia. Memoriale Rituum *ſupra n.* 26. Bauld. *ſupra n.* 19. & alii Rubriciſtæ communiter.

Incenſato Sacramento, celebrans reddit Thuribulum Diacono, & hic Thuriferario, qui illud præparatum tenet pro incenſandis de more oblatis. Biſſus *ſupra*. Poſt prædictam incenſationem ſecundus Thuriferarius recedit cum Thuribulo in Sacriſtiam, Gav. *ſupra lit. C*, Corſettus *ſupr. num.* 16. Bauld. *ſupra num.* 9. Facta prius Sacramento genuflexione utroque genu, & depoſitis in eadem Sacriſtia Thuribulo, & Navicula, redit in Presbyterium, ubi in ordine ſuo genuflexus ( facta prius in medio genuflexione, ut *ſupra* ) candelam accenſam tenet. Bauld. *ſupra* §. 28. niſi tamen ſecundus iſte Thuriferarius, Navicularii Perſonam gerat, tunc enim non accipiet prædictam candelam accenſam. Ideo autem diſcedit e Presbyterio, & ſecundum Thuribulum dimittit, quia jam eſt abſoluta Proceſſio; Corſettus *ſupra num.* 16. & Hippolytus a Portu *ſupra num.* 22. & extra Proceſſionem, & Reliquiarum translationem non approbat uſum duorum Thuribulorum S. R. C. ut apparet ex Decr. edito die 15. Martii 1603. *in Alexandrina*, dato in noſtro Indice *ſub n.* 87. & ex alio edito die 20. Julii 1618. *in Lucerina*, dato vero in noſtro Indice *ſub n.* 168.

Sicut ſecundus Thuriferarius recedit in Sacriſtiam ad reponendum Thuribulum, ita etiam octo Haſtiferi, ſi Pluvialibus eſſent induti, debent ad Sacriſtiam pergere, & ibi Pluvialia deponere, & deinde Presbyterium ingredi, & ponere ſe in gyro Beneficiatorum, vel Manſionariorum, prout illis convenit, ibique genuflectere, & accipere ab aliquo Acolytho cereos accenſos. Sed quando dicti Haſtiferi cum ſuo habitu chorali, vel cum ſuis Cottis tantum ſunt induti, tunc ſtatim ac haſtas Baldachini dimiſerint, aſcendent ad Prebyterium, & ſe ponent in locis ſibi competentibus, ibique accipient cereos accenſos, & cum aliis genuflectent.

LIII. Rub. & Gav. lit. d -- *Deponit Hoſtiam, &c.* ) Reddito Thuribulo poſt incenſationem, celebrans cum Miniſtris Sacris ſurgit, & medius inter ipſos aſcendit ad Altare, ubi cum prædictis Miniſtris genuflectit unico genu, ſurgunt omnes; tum Diaconus velum e Calice removet, quod primus Cæremoniarius exiſtens ad dexteram Diaconi tradit primo Acolytho, ideo ad Altare advenienti cum utriuſque genuflexione, qui illud poſtea plicatum, facta iterum genuflexione, ut ſupra, ad Credentiam reportat. Ex Hippolyto a Portu *ſupra*; inſuper Diaconus genuflectit unico genu, & removet Patenam ( quam invertens ponit ſuper Corporale, non ſubtus, verſus cornu Epiſtolæ ) & Pallam cum nova ſubſequenti genuflexione. Hippolytus a Portu *ſupra*, & Bauld. *ſupra num.* 10. Deinde Diaconus reſumens Patenam ambabus manibus, eam tenet elevatam ſuper Corporale coram celebrante, qui accepto Calice, eum declinat, ut Sacra Hoſtia de Calice exiens cadat ſuper Patenam, & advertat celebrans quantum fieri poteſt, ne prædictam Hoſtiam manibus tangat, quod ſi caſu eam tetigerit, ibidem lavabit ſtatim digitos aqua contenta in vaſe, ad hoc ſuo loco præparato, quam poſtea ipſe celebrans poſt ſuam Communionem ſumet, eoſque digitos ſtatim exterget, Diacono Purificatorium miniſtrante. Bauld. *ſupra num.* 11. Biſſus *ſupra* §. 19. Benvenuti *ſupra* §. *Facto*. Emiſſa Sac. Hoſtia, celebrans reponit Calicem in ſuo loco in medio Altaris ſuper Corporali. Benvenuti *ſup.* vel potius ſuper eodem Corporali, ſed verſus cornu Epiſtolæ, ut tenet Biſſus *ſup.* Calice depoſito, celebrans reverenter accipit ambabus manibus Patenam de manibus Diaconi ſine ipſius oſculis, & Hoſtiam Sacram reponit in medio ſuper Corporale, nihil dicens, nulloque ſigno Crucis facta



Digitized by Google

cum Patena, quam non collocat ſubtus Corporale, ob reverentiam ſacrarum ſpecierum, quas tetigit, & quarum aliquod fragmentum remanere poſſet in ea, ſed eam ponit verſus cornu Epiſtolæ ſuper Corporale. Biſſus *ſupra* Bauld. *ſupra num.* 11. Vinitor *part. 6. tit. 11. num.* 38. *& ſeqq.* Memoriale Rituum *ſup.* §. 7. *n.* 1. 2. *&* 3. a Portu *ſup. n.* 23. & Benv. *ſupra*.

LIV. Rub. & Gav. lit. e -- *Interim Diaconus imponit vinum in Calicem, &c.* ) Hactenus Subdiaconus ſtetit ad celebrantis ſiniſtram, & primus Cæremoniarius ad Diaconi dexteram; ſed depoſita a celebrante Patena ſuper Corporale, vel paulo citius Subdiaconus genuflectens unico genu in loco, in quo eſt, & tranſiens (ſine genuflexione in medio) ad dexteram Diaconi accedit paululum primo Cæremoniario in ſecundo gradu laterali; & iterum Subdiaconus ibidem genuflectit unico genu: delatis ampullis e Credentia (cum manutergio) aquæ, & vini, ad Altare per primum Acolythum cum genuflexione, comite ſecundo Cæremoniario, Diaconus Calice non exterſo, nec ante, nec poſt propter ſacras ſpecies, imponit tantum vini in Calicem, quantum placuerit celebranti, & deinde Subdiaconus parum aquæ, non petens benedictionem a celebrante, qui neque dicit conſuetam Orationem, ſcilicet: *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ, &c.* Bauld. *ſupra num.* 12. Biſſus *ſup.* §. 30. a Portu *ſup. n.* 25. Vinitor *ſupra num.* 40. Benv. *ſupra*.

LV. Rub. & Gav. lit. f -- *Nihil dicens, &c.* ) Impoſito vino, & aqua in Calice, qui nullo modo extergitur, Diaconus ſtatim ſine oſculis tradit Calicem celebranti, qui illum accipit, & nihil dicens, neque ullo cum eo facto Crucis ſigno, eum deponit ſuper Corporale poſt Hoſtiam conſecratam, ut fieri ſolet in Miſſa, quem Calicem poſtea Diaconus, nulla facta genuflexione (quia in Calice non eſt Sacramentum) ſua Palla cooperit. Bauld. *ſupra num.* 13. Biſſus *ſupra* §. 31. Vinitor, Benv. *ſupra*. Rurſus impoſito vino, & aqua, primus Acolythus accipit ampullas, & facta genuflexione Sacramento reponit ampullam vini in loco conſueto, & retinens lancem cum ampulla aquæ cedit manutergium ſecundo Acolytho, & uterque ſtat prout ad Miſſam Solemnem. Hippolytus a Portu *ſupra num.* 27. Subdiaconus vero, qui eſt a dexteris Diaconi, genuflectit ibidem unico genu, & ſurgens ad ſiniſtram celebrantis redit, ubi denuo genuflectit unico genu; a Portu *ſupra num.* 29. Benven. *ſupra*, non enim Subdiaconus in hac Feria VI in Paraſceve Patenam ſuſtinere debet. Biſſ. *ſup.* Bauld. *ſup. n.* 13.

LVI. Rub. & Gav. lit. g -- *Abſque Benedictione, &c.* ) Diſpoſitis omnibus, ut ſupra dictum eſt, accedit Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula ſemiapetta (vel etiam Navicularius, ubi eſt conſuetudo, geſtans prædictam Naviculam) genuflectens utroque genu ſuper ſuppedaneum, tunc celebrans cum Miniſtris ſuis parum ſe vertit ad ipſum; Thuriferarius vero, vel Navieularius, ſi adeſt, tradit more ſolito Diacono Naviculam, quo miniſtrante ſine oſculis more ſolito, celebrans nulla interveniente Benedictione imponit ter incenſum in Thuribulo; quo recepto a Diacono pariter ſine oſculis, habens Diaconum prædictum, & Subdiaconum hinc inde ſtantes, genuflectit ſimul cum ipſis unico genu Sacramento, tum ſurgunt omnes. Benvenuti *ſupra* §. *Tunc celebrans*, Biſſus *lit. F. ſupra* §. 32. Bauld. *ſupra*. Et celebrans, Diacono a dexteris ipſius pedem Calicis dextera tenente, ſiniſtra vero poſteriorem Planetæ partem circa brachia tantillum elevante (quam etiam eodem modo Subdiaconus dextera manu, ſiniſtra infra pectus admota elevat) incenſat oblata cum gravitate, & mora competenti, dicendo: *Incenſum iſtud, &c.* Facta tamen cum Diacono ipſo a dexteris aſſiſtente, & Subdiacono a ſiniſtris ante, & poſt incenſationem oblatorum, genuflexione, ex Rubrica *ſupra*, & Biſſu infra citando, ſicut etiam quandocumque tranſit ante Sacramentum, debet ſimiliter genuflectere. Poſt incenſationem oblatorum, utrum ſit incenſanda Crux Altaris, controvertunt DD. nam Tonellius *libr. 3. cap. 2.* §. 2. *&* 11. nec non Biſſus *lit. F, num.* 45. §. 33. quibus accedit a Portu *ſupra num.* 30. tenent, quod præſente figurato, debet ceſſare cultus figuræ, adeoque incenſatis oblatis, nempe Sacramento, volunt non eſſe incenſandam Crucem. Gav. *ſupra*, Bauld. *ſupra* & Caſtaldus *ſupra*, nullam faciunt mentionem de hac Crucis incenſatione, ſolumque dicunt inhærendo verbis Rubricæ, eſſe incenſanda oblata, & Altare more ſolito; & ex his verbis colligitur, eoſdem Auctores verſari in ſententia contraria, & ſuſtinere Crucem eſſe incenſandam, quia hoc eſt de more. Quæſtio tamen, & dubium omne circa hunc Ritum nunc ceſſat, ob Decr. edita a S. R. C. & data in noſtro Indice *ſub n.* 519. *&* 535. in quibus ſtatuitur, quod in hac Feria poſt thurificationem oblatorum debet incenſari Crux, facta tamen tali incenſatione, non eſſe iterum thurificandum Sacramentum, quæ quidem Decr. conſonant Rubricæ hujus diei, & doctrinæ prædictorum Auctorum dicentium, oblata, & Altare eſſe thurificanda more ſolito.

Eadem Crucis incenſatio præſcribitur etiam in Cæremoniali Epiſcoporum recentiſſime recognito a Benedicto XIII. *lib.* 2. *c.* 25. §. 33. *& c.* 26. §. 19.

Rationes adductæ a Biſſo, & Tonellio juvant ad probandum non eſſe incenſandam Crucem, quæ eſt ſuper Altari, quando eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum, ut etiam nos iiſdem rationibus permoti ſuo loco tradidimus. Cæterum in hac Feria VI. Paraſceves, in qua ſulget Crucis myſterium, & in qua S. Mater Eccleſia huic principali inſtrumento Paſſionis Chriſti Domini ſpecialia cultus ſigna exhibet, inceoſato Sacrameoto, optime præſcribitur, quod etiam incenſanda ſit Crux, licet hæc ſit figura, illud vero originale, & figuratum.

Diximus paulo ante debere incenſari oblata, & Altare more ſolito hac die, unde eadem omnino ſervari debent, quæ ſervantur in Miſſa Solemni pro incenſatione oblatorum, videri igitur poſſunt ea, quæ a nobis diligenter tradita ſunt, *part.* 2. *tit. 7. num.* 4. *& ſeqq. pag.* 212. *&* 213. rurſus diximus poſt incenſationem oblatorum incenſandam eſſe Crucem Altaris, in qua incenſatione hic Ritus ſervari debet. Incenſatis oblatis, Diaconus amovet Calicem de medio Altaris, illumque collocat a parte Epiſtolæ, ſed ſuper Corporale, cum in eo reperiatur forſan fragmentum aliquod Hoſtiæ conſecratæ. Tunc celebrans, Diacoous, & Subdiaconus genuflectunt uno genu; celebrans tamen dum geouflectit ponit manuum extremitates ſuper Altare, ut facilius genuflectere, & ſurgere valeat. Surgunt deinde uniformiter omnes, & celebrans ter incenſat Crucem in medio tantum æquali ductu, itaut ad unumquemque ictum tantillum quieſcat, & tractim ducat Thuribulum. In primo ductu dicitur: *Dirigatur*; in ſecundo: *Domine*; in tertio: *Oratio mea*; & ſtatim Diaconus ponet Calicem in medio Corporalis in ſolito ſuo loco. Tunc iterum omnes ut ſupra genuflectunt, & deinde ſurgunt, & proſequuntur Altaris incenſationem hoc modo.

Primo incenſatur, ut fit in Miſſa Solemni, planities poſterior a parte Epiſtolæ triplici ductu per lineam rectam æquali diſtantia diſtributo, prout diſtribuuntur candelabra, quæ tamen, ut alibi diximus, agentes de Miſſa Solemni *part.* 2. *tit.* 15. *num.* 25. *& ſeqq.* non incenſantur: hi ductus fient incipiendo prope medium, & progrediendo ad latus Epiſtolæ. In primo ductu celebrans dicit: *ſicut*; in ſecundo: *incenſum*; in tertio: *in conſpectu tuo*. Cum pervenerit celebrans ad cornu Epiſtolæ, demittet Thuribulum, & inclinatur ipſe quantum commode poteſt, & incenſat uno ductu inferiorem partem illius lateris dicens: *Elevatio*; poſtea ſe elevans incenſat uno ductu partem ſuperiorem ejuſdem lateris dicens: *manuum*. Deinde adhuc elevans Thuribulum ſupra planitiem anteriorem Altaris, eam incenſat, Thuribulum in ſemicirculum ter ducendo circa oram ejuſdem partis anterioris, ut diximus *loc. citat. num.* 26. incipiendo a cornu, & progrediendo per æqualem diſtantiam ad medium. In primo ſemicirculo dicet: *mearum*; in ſecundo: *Sacrificium*; in tertio: *veſpertinum*. Tunc celebrans, & Miniſtri Sacri genuflectunt Sanctiſſimo Sacramento unico genu; deinde proſequitur celebrans inceoſare poſteriorem planitiem Altaris ex parte Evangelii triplici ductu per lineam rectam æquali diſtantia, ut ſupra, incipiendo prope medium, & progrediendo ad latus Evangelii. In primo ductu dicet: *Pone Domine*; in ſecundo: *cuſtodiam*; in tertio: *ori meo*. Poſtea incenſat partem inferiorem lateris, & ſuperiorem eo modo quo incenſat a latere Epiſtolæ; dicens incenſando in parte inferiori: *& oſtium*; ſuperiori: *circumſtantiæ*. Poſt hæc incenſat planitiem anteriorem Altaris ab eadem parte Evangelii eodem modo quo a parte Epiſtolæ, incipiendo ſemicirculum a cornu, & formando ſemicirculos hujus partis, ut diximus *citat. loco ſupra*, & progrediendo ad medium in primo ſemicirculo dicet: *labiis meis*; in ſecundo: *ut non*; in tertio *declinet*. Tunc nulla præmiſſa reverentia, retrocedens a medio Altaris accedit ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulam demiſſa inceoſat partem illius anteriorem, ſeu frontem, ter ducens recta linea, & æquali diſtantia Thuribulum, incipiendo a cornu, & progrediendo ad medium, ut fieri ſolet in Miſſa Solemni, & in Veſperis. In primo ductu dicet; *cor meum*; in ſecundo: *In verba*; in tertio: *malitiæ*. Poſtea celebrans, & Miniſtri Sacri genuflectunt uno genu, & ſurgunt; & celebrans progreditur ad incenſandam triplici ductu partem aliam anteriorem Altaris, ſeu frontem Miſſæ, incipiendo ab ejus medio, & procedendo ad cornu Epiſtolæ. In primo ductu hujus poſtremæ incenſationis dicet; *ad excuſandas*; in ſecundo: *excuſationes*; in tertio: *in peccatis*. Hæc prædictorum verborum diſtributio ſervari poteſt quotieſcumque in Miſſa Solemni incenſatur Altare poſt oblata.

In tota incenſatione Diaconus, & Sabdiaconus hinc inde ſtantes partem poſteriorem Planetæ celebrantis elevant. In quolibet ictu Thuribulum ducitur, & reducitur; & quando Sacerdos progreditur thurificandu, pari paſſu progrediontur & ejuſdem Miniſtri Sacri: advertendo, quod manus thurificantis quantum fieri poteſt concordet cum motu pedis. Terminata incenſatione, celebrans in cornu Epiſtolæ redit utraque manu Thuribulum Diacono, dicens: *Accendat in nobis, &c.* Diaconus autem tunc ſtat in ſecundo gradu, ſupponenſque manum ſuam, vel ambas dexteræ celebrantis capit Thuribulum prope vas ſua manu dextera, manubrium vero ſua manu ſiniſtra, ſed ſine oſculis, & ſtatim illud conſignat Thuriferario, hodie enim nec celebrans, nec alii ullo modo incenſantur. Tum ipſe Thuriferarius cum Thuribulo, &

Na-

Navicula, facta genuflexione unico genu Sanctiſſimo Sacramento, redit in Sacriſtiam, ibique ſuum Thuribulum, & Naviculam relinquit, cum amplius inſervire non debeant, & inde redit in Preſbyterium, ubi facta in medio genuflexione utroque genu (quia nunc non reperitur impeditus a Thuribulo, & Navicula, ut erat, dum redibat in Sacriſtiam) vadit ad Credentiam, ſeu ad locum ſuum, & cum aliis manet genuflexus. Bauldry *ſupra n.* 14. Biſſus *lit. F, n.* 45. §. 34.

Huc ſpectat innuere Decretum emanatum die 15. Septembris 1736. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 698. in quo declaratur, quod quando lignum S. Crucis ſuper Ara expoſitum incenſatur, hoc debet fieri a Celebrante non genuflexo, ſed ſtante: unde ſi in Altari hac die in Cruce incenſanda adeſſet particula veri ligni Sanctæ Crucis, non ideo incenſari deberet a Celebrante genuflexo.

R U B R I C A.

14. *Poſtea aliquantulum extra Altare in cornu Epiſtolæ* (i) *lavat manus, nihil dicens, deinde in medio Altaris inclinatus* (l) *junctis manibus dicit.*

*G A V A N T U S.*

(i) *Lavat manus*. Facie ad Populum verſa.
(l) *Junctis manibus*. Ideſt ſuper Altare, ut alias.

R U B R I C A.

15. *Deinde verſus ad Populum in cornu Evangelii dicit more ſolito: Orate fratres.*

*G A V A N T U S.*

Et dum ſe vertit, caveat, ne vel minimum terga vertat Sacramento, ut mox dicetur. Videſne, quod, *more ſolito*, non includit omnia de more?

R U B R I C A.

16. *Et per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum, & conſequenter, omiſſis aliis, dicit.*

*G A V A N T U S.*

Si omiſſis aliis: ergo non dicitur, *Suſcipiat*, nec aliud quidquam, quod hic non ſit deſcriptum.

R U B R I C A.

17. *Sacerdos ſub ſilentio, dicto, Amen, eadem voce, qua dixit, Pater noſter, Abſolute ſine Oremus, in tono Orationis ferialis Miſſæ dicit, Libera nos.*

*G A V A N T U S.*

Ita *Ordo Romanus, & Sacramentarium Gregorianum*, in quo nihil aliud præterea de Miſſa habetur pro ejuſdem fine. Tria hæc, *Præceptis, Pater noſter, Libera nos*, triduum Sepulturæ Chriſti ſignificant. *Honor. in Gemma lib. 3. cap.* 96. alta voce dicitur: *Libera nos*, ut pateat hodie deſcenſus Chriſti in Limbum ad liberandos Patres, quod alias docuimus in expoſitione Myſtica Miſſæ, cum *Durand. lib. 4. cap.* 49. Diaconus ad *Pater noſter*, deſcendit, ut alias cum Subdiacono poſt Celebrantem. Dicit autem manibus extenſis, neque ſe ſignat cum Patena, ut alias.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

Pro Ritibus ſervandis in Officio hujus Feriæ, a lotione manuum Sacerdotis uſque ad elevationem Hoſtiæ excluſive.

LVII. Rubr. & Gav. lit. i - *Lavat manus facie, &c.*) Celebrans reddito Diacono Thuribulo, immediate (advertens ne terga SS. Sacramento vertat) deſcendit cum Miniſtris Sacris in planum extra gradus Altaris per gradus laterales cornu Epiſtolæ, ubi verſa facie ad Populum, Gavantus *ſup.* Cær. Epiſc. *lib. 2. cap.* 26. §. 19. nihil dicens lavat manus, miniſtrante aquam, & pelvim primo Acolytho, & Diaconus a dexteris, Subdiaconus vero a ſiniſtris Celebrantis tenentes faciem ad eum converſam, & terga ad Populum, mediumque habentes prædictum primum Acolythum, eidem Celebranti miniſtrant manutergium, acceptum de manu ſecundi Acolythi, ſed ſine oſculis, prout fit in Miſſa Defunctorum, quia hic Sacri Miniſtri non ſunt in aliis impediti, ut colligitur ex Baul. *part. 3. cap.* 13. *n.* 14. *& part. 4. cap.* 10. *art. 4. n.* 15. ex Biſſ. *ſup.* §. 35. & a Portu *ſup. Rubr.* 10. *in adnot. n.* 1.

LVIII. Rubr. *Deinde in medio Altaris, &c.*) Lotis manibus, primus Cæremoniarius tempeſtive accedit ad latus Altaris in cornu Evangelii ſupra ſecundum gradum, cum genuflexione; Celebrans per eoſdem gradus laterales cornu Epiſtolæ aſcendit ad Altaris medium, ibique genuflectit unico genu, & una cum eo Diaconus vadit ad librum, & in tranſitu per medium genuflectit unico genu; Subdiaconus vero vadit per planum, ad medium Altaris, ubi ſiſtit ſe ante ejus infimum gradum, præmittendo genuflexionem unico genu, quæ quidem genuflexiones quantum fieri poteſt, tempeſtive faciendæ ſunt cum celebrante, & ſtatim ſurgunt omnes. Ben-

ven. *ſup.* §. *Celebrans*, Bauld. *part.* 4. *ſupra n.* 16. Biſſus *ſupra*, a Portu *n.* 2.

LIX. Rubr. & Gav. lit. l - *Junctis manibus, &c.*) Celebrans facta genuflexione ut *ſupra*, inclinatus inclinatione mediocri, a Portu *ſupra in adnot. n.* 2. (reportantibus interim cum genuflexione ad Credentiam Acolythis urceolum, pelvim, & manutergium plicatum) junctis manibus ſuper Altare, & ante ejus medium poſitis, ut alias, dicit ſubmiſſa, ſed intelligibili voce: *In ſpiritu humilitatis*, ut in Miſſali. Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap.* 26. §. 19. Nicolaus de Bralion *ſup. cap.* 10. *n.* 10.

LX. Rubr. 15. *Deinde verſus ad Populum, &c.*) Celebrans oſculato Altari, genuflectit unico genu, ſurgit, & vertit ſe ad Populum in cornu Evangelii, non perficiendo circulum ut alias, ſed a latere, ita ut non vertat terga SS. Sacramento. Gavantus *ſupra*. Cærem. Epiſc. *ſupra*, dicit mediocri voce: *Orate fratres*, proferens reliqua verba ſecrete. Chriſtiani *ſupra n.* 21. Memoriale Rituum *ſupra n.* 15.

LXI. Rubr. 16. *Et per eamdem viam revertitur, &c.*) Quo dicto, revertitur Celebrans per eamdem viam ad Altaris medium, ubi genuflectit iterum unico genu, & Sacramentum adorat. Bauldry *ſupra*, Biſſus *ſupra* §. 36.

LXII. Gav. in Prædictam Rubr. 16. *Non dicitur, Suſcipiat &c.*) Poſtquam Sacerdos dixerit totam illam precem: *Orate fratres, &c.*) prout in Miſſali, nun reſpondetur *Suſcipiat Dominus, &c.* Rubr. & Gav. *ſupra*. Celebrans igitur ſtatim ut dixerit: *Orate fratres*, & ad Altaris medium reverſus fuerit, facta ibidem genuflexione proſequitur junctis manibus, & alta voce, *Oremus*: *Præceptis ſalutaribus, &c.* ad quæ verba erigit ſe a ſimplici capitis inclinatione, tenens adhuc manus junctas verſus Sacramentum, mox ſubdit: *Pater noſter, &c.* alta quidem voce, ſed manibus extenſis de more, in cujus fine Chorus reſpondet: *Sed libera nos a malo*, & Sacerdos ſubdit ſubmiſſa voce: *Amen*. Dum Celebrans incipit *Pater noſter*, Diaconus facta genuflexione ibi a ſiniſtris ejus unico genu, deſcendit ad ſecundum gradum Altaris, ubi ſtat in medio poſt Celebrantem, & ante Subdiaconum ſtantem in plano, uſque ad elevationem Hoſtiæ excluſive. A Portu *ſupra Rubr.* 12. *in adnot. num.* 3. Biſſus *ſupra lit. F, n.* 45. §. 37. Bauldry *ſupra num.* 17. & Memoriale Rituum *ſupra n.* 16. *& ſeqq.* Interim cum genuflexione accedit ad librum primus Cæremoniarius, qui Diaconi aſſiſtentiam toties aſſumit, & derelinquit, quoties illam deſerit, aut aſſumit Diaconus, aut Subdiaconus. A Portu *ſupra*.

LXIII. Rubr. num. 17. *Dicto Amen ſubmiſſa voce, &c.*) Reſponſo a Choro in fine Orationis Dominicæ: *Sed libera nos a malo*, Celebrans dicit, ut innuimus, *Amen*, ſubmiſſa voce; quo dicto ſtatim eadem voce, qua dixit *Pater noſter*, proſequitur: *Libera nos, &c.* manibus item extenſis, & in fine Chorus alte reſpondet: *Amen*. Rubr. hodier. Cærem. Epiſcop. *ſupra*, Memoriale Rituum *ſupra n.* 18. perſeverantibus adhuc tam Diacono, quam Subdiacono poſt Celebrantem, & primo Cæremoniario ad aſſiſtentiam libri. A Portu *ſupra Rubr.* 13. *n.* 3. *in adnot.*

LXIV. Gav. in eamdem Rubr. 17. *Neque ſe ſignat cum Patena, ut alias, &c.*) Sacerdos in fine Orationis Dominicæ prædictæ non adhuc accipit Patenam, neque cum ea ſe ſignat, dum in ſequenti Oratione dicit: *Da propitius pacem, &c.* ſed tunc demum illam accipit, quando expleta hujuſmodi Oratione, & reſponſo a Choro, *Amen*, facturus eſt elevationem: Gav. *ſup.* Caſtaldus *ſupra cap. 4. n.* 12. & Biſſus *ſup.*

R U B R I C A.

18. *Tunc Celebrans, facta reverentia uſque ad terram, ſupponit Patenam Sacramento, quod in dextera accipiens,* (m) *elevat, ut videri poſſit a Populo: & ſtatim* (n) *ſupra Calicem dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem more ſolito nihil dicens.* (o) *Pax Domini dicitur,* (p) *nec Agnus Dei,* (q) *neque pacis oſculum datur. Poſtmodum* (r) *prætermiſſis duabus primis Orationibus dicit tantum ſequentem, Perceptio, &c.*

*G A V A N T U S.*

(m) *Elevat, ut videri poſſit*. A Pio V. hoc fuit additum; non elevatur Patena, quam tenet manu poſita ſuper Altare: nec elevatur Planeta, nec incenſatur Hoſtia. * Elevatur autem altera tantum manu, ad differentiam elevationis, quæ fit poſt Conſecrationem, ne hac die videatur de novo conſecrata.

(n) *Supra Calicem dividit*. Diaconus cum debitis reverentiis diſcooperit Calicem, & cooperit, ut alias, Celebrans mittit particulam in Calicem ſine aliquo Crucis ſigno, quod firmavit Decr. S. R. Congreg. *die* 28. *Auguſti* 1627. & licet hic dicatur, *more ſolito*, cadit hoc verbum ſuper totam Hoſtiæ diviſionem, non præciſe ſuper immiſſionem particulæ. Vides hoc etiam loco, quod, *more ſolito*, non dicit, omnia de more ſolito fieri?

(o) *Pax Domini dicitur*. Ita *Ordo Romanus*.

(p) *Nec Agnus Dei*. Qui ordinatur ad pacem dandam ut in tertio patet, *Dona nobis pacem*.

(q) *Neque oſculum pacis datur*. Negat *Ordo Rom.* in odium oſculi Judæ. *Amalar. lib.* 5. *cap.* 53. tum quia publicum erat jejunium Populi, ex *Tertull. de Oratione*, tum quia nullum hac die fit Sacrificium ex *Albaſpino lib.* 1. *de vet. Rit. obſerv.* 57.

(r) *Prætermiſſis*, *&c.* Omittuntur duæ Orationes. Prima, quia eſt de pace, ſecunda, quia mentionem facit de Sanguine, tertia dicitur, & manibus junctis ſuper Altare, ut aliæ, in qua ſolum de Corpore Chriſti agitur, fit Communio Sacerdotis, ut in Miſſali, ad quam Miniſtri ſtant capite inclinato, ut alias.

R U B R I C A.

19. *Deinde* (ſ) *omiſſis omnibus*, *quæ dici ſolent ante ſumptionem Sanguinis*, *immediate particulam Hoſtiæ cum vino* (t) *reverenter ſumit de Calice: & more ſolito* (u) *facta ablutione digitorum*, *& ſumpta purificatione*, *in medio Altaris inclinatus*, *manibus junctis dicit*: *Quod ore*, *&c.*

G A V A N T U S.

(ſ) *Omiſſis omnibus*. Quia in iis de Sanguine fit mentio, Diaconus Calicem diſcooperit, & cum Celebrante genuflectit.

(t) *Reverenter ſumit de Calice*. Neque ſe ſignat, ut alias, cum Calice; quod & decrevit Sacra Rituum Congreg. *die* 28. *Auguſti* 1627.

(u) *Facta ablutione*. Non Calicis, ſed tantum digitorum in Calice, miniſtrante Subdiacono ampullas. Extinguuntur hoc loco, dum fit ablutio, non prius, cerei a Clero delati.

R U B R I C A.

20. *Non dicitur*, (x) *Corpus tuum Domine*, (y) *nec Poſtcommunio*, (z) *nec Placeat tibi*, *nec datur benedictio*; *ſed facta reverentia Altari*, *Sacerdos cum Miniſtris diſcedit*, *& dicuntur Veſperæ ſine cantu*, *&* (a) *denudatur Altare*.

G A V A N T U S.

(x) *Corpus tuum Domine*. Omittitur, quia Sanguis commemorandus eſſet, qui non extat in Calice.

(y) *Nec Poſtcommunio*. Quia nemo alius communicat apud Rom. *Ex Alcuin. cap. De cœna Dom.* ubi teſtem citat Auguſtinum ad Januarium; neque conſequenter *Communio* dicitur, quæ dicebatur tempore Communionis Populi; & ut diximus *in expoſitione Myſtica Miſſæ*, lætitiam ſignificat Apoſtolorum, quæ hac die deſideratur.

(z) *Nec Placeat*. Non ob eam rationem, quia Sacrificium in ea nominatur prece, quod non fit hodie; nam ſupra nominatum eſt in *Orate fratres*; ſed quia hic expreſſe diceret Sacerdos, ſe obtuliſſe Sacrificium, quod non eſt verum, eſt autem verum in Sacramento Chriſti eſſe Sacrificium Sacerdotis & Populi, ſeu victoriam Sacrificii, late ſumpto vocabulo Sacrificii, ut in hoc caſu docet *Suarez* 3. *part. diſp.* 75. *ſect.* 4. *in fine* quod in *Orate fratres* dicitur: & hoc idem voluit *Durand. loc. cit.*

21. Diaconus librum claudit: Subdiaconus, plicato Corporali, & in burſam repoſito, reportat Calicem ad Credentiam: & poſtremo cum debitis reverentiis redeunt omnes, unde, & modo, quo venerant.

(a) *Denudatur Altare*. Ab Acolythis, a quibus & nudatur Credentia, & Candelæ extinguuntur poſt Veſperas, reportanda eſt Crux, ut eam Populus adoret, ad priorem, ſeu alium locum, * ſupponatur eadem, quæ prius, & decet eam portari ab alio Sacerdote poſt Veſperas.

22. Habet autem myſterium, *Duran. loc. cit.* quia in fine Mundi Hebræa gens ſalutem conſequetur, & Crucem adorabit. Sed deceret magis, ut dictum eſt, aliam Crucem poni pro adoratione Populi poſt adorationem primam.

23. Pyxis, quæ remanſit cum particulis in loco pro Calice, & Hoſtia deputato portatur ad aliud Sacellum, in loco remotiori præparatum, cum luminibus, *Cær. Pet. Ruiz*, & placet, ne in Eccleſia ſint luminaria in Matutinis ſequentibus, & Officio Sabbati, ultra præſcripta.

24. Quæritur: An occurrente Feſto Annunciationis B. Virginis in Paraſceve teneantur Fideles intereſſe Officio prædicto, quod loco Miſſæ celebratur, & an ratione Feſti miniſtrari poſſit Euchariſtia aliis, quam infirmis? Scio, alicubi edicto Epiſcopi tranſlatum fuiſſe hoc Feſtum cum ſuo præcepto in diem, quo ex Rubricis recitandum erat Officium; & cum hæc mutatio Feſti univerſalis excedat facultatem Epiſcopi, de majorum auctoritate factum eſſe, tunc credidi, quo caſu ceſſavit prima dubitatio, non autem admiratio, quod Epiſc. transferret Feſtum de præcepto univerſale, non tranſlatum alibi, neque Romæ a Papa. Immutato igitur Feſto, Sac. Rituum Congreg. vetuit Miſſam fieri hac die de B. Virgine, etiam in Æde Lauretana, etiam ratione concurſus Populi, ſeu Feſti tituli Eccleſiæ, die 9. Maji 1606. deinde Anno, quo contigit, cenſuit *die* 19. *Februarii* 1622. non teneri Fideles intereſſe prædicto Officio.

25. Ad aliud vero dubium, eadem reſpondit, *eadem die*, ſervandam eſſe univerſalis Eccleſiæ præſentem conſuetudinem, non miniſtrandi niſi infirmis hac die Euchariſtiam, & quidem, licet *Ord. Rom. cum Sacram. Greg.* concedat Communionem Clero, & aliis, tamen antiquitus, *Auguſt. teſte*, ut dixi, Romani non communicabant hac die, *Innoc. in cap. Sabb. de conſ. diſt.* 3. Sacramenta penitus non celebrari tradit, & in Rubrica noſtra Miſſalis de infirmis tantum eſt mentio, ut illis reſervetur pridie Sacramentum. *Francol.* eadem docet 5. *par. c.* 30. *n.* 10. *de temp. Hor. Can. & Albaſp. de vet. Ritibus lib.* 2. *obſerv.* 14. negat, in jejunio rigoroſo, & in mœrore maximo priſcis temporibus Euchariſtiam diſtributam eſſe.

26. * Abrogatus fuit abuſus deferendi nocte in hac Feria ſexta SS. Sacramentum a Congreg. Card. ſuper negotiis Epiſcoporum *die* 22. *Martii* 1596. ut alienus a Ritu, & legitimo ſenſu S. R. E. quæ occultat his diebus Euchariſtiam, & in aliud tempus ideo diſtulit Proceſſionem, & Feſtum Corporis Chriſti.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

Pro Ritibus ſervandis in Officio hujus Feriæ ab elevatione Hoſtiæ uſque ad finem.

LXV. Rubr. & Gav. lit. m - *Elevat ut videri poſſit*, *&c.*) Reſponſo a Choro *Amen*, Celebrans devote genuflectit unico genu, deinde erectus ſubmittit Patenam Hoſtiæ conſecratæ, & ſtatim ſola dextera inter pollicem, & indicem, accipiens Hoſtiam. Biſſus *ſupra*, eam elevat altius ſolito. Cærem. Epiſc. *ſupra* §. 20. ita ut a Populo videri poſſit, figens ſemper in eam oculos, & advertens ne Corporalis limites tunc excedat. Bauld. *ſupra n.* 58. Patenam vero non elevat, ſed eam ſuper Corporale poſitam manu ſiniſtra extenſa tenet, ita ut pollex, & index dictæ manus nitantur Patenæ, reliqui digiti ponantur ſuper Corporale. Gavantus *ſupra*, & omnes alii cum eo. Ad elevationem talis Hoſtiæ pulſatur tabula lignea, ſeu crotalum, ob rationem allatam in Feria V, in Cœna Domini; ex Clericato *ibidem cit.* & ex communi praxi Baſilicarum Urbis. Sed vide ibidem a nobis dicta.

Diaconus vero, & Subdiaconus ante elevationem Hoſtiæ hinc inde genuflectunt in ſuppedaneo. Memoriale Rituum *ſupra n.* 59. Prædicti Miniſtri Sacri non elevant Planetam Celebrantis, nec Hoſtia ab aliquo incenſatur, ut optime adnotat Gavantus *ſupra*, & alii Rubriciſtæ communiter cum eo, Cæremoniarius primus ante elevationem Hoſtiæ genuflectit ad ultimum gradum lateralem cornu Evangelii.

LXVI. Rubr. & Gav. lit. n - *Supra Calicem dividit*, *&c.*) Quando Celebrans incipit declinare Hoſtiam Sacram jam elevatam, Diaconus, & Subdiaconus ſurgunt. Memoriale Rituum *ſupra n.* 21. Diaconus ſtatim accedit ad dexteram Celebrantis, & Subdiaconus ad ſiniſtram (præſtitis debitis genuflexionibus ante diſceſſum, & poſt acceſſum, & procedentibus ut infra) Diaconus ſtatim Calicem diſcooperit ſine genuflexione, quia in eo adhuc non eſt Sacramentum; Subdiaconus vero ad ſiniſtram vertit folia Miſſalis quando opus eſt. Bauldry *ſupra n.* 19. Biſſus *ſupra*, Benvenuti *ſupra* §. *Elevata Hoſtia*, Gerlacus Vinitor *ſupra n.* 45. & alii communiter, quibus tamen omnes adverſatur Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 13. *n.* 13. vult enim quod ipſe Diaconus, aut alius accedat ad librum, Subdiaconus vero ad dexteram Celebrantis, nam cum Rubricæ propriæ hujus diei, ait ipſe, nihil novi præſcribant circa hunc Ritum, certiſſimum eſt nihil etiam eſſe innovandum; quæ quidem Bralion opinio quamvis mihi magis arrideat, nihilominus ab aliorum DD. *ſupra cit.* ſententia recedere non auſim.

LXVII. Gav. ead. lit. n - *Celebrans mittit particulam in Calicem.*) Elevata Hoſtia eo modo quo dicit Gavantus *ſupra*, & nos quoque cum eo, Celebrans eam immediate declinat ſuper Calicem a Diacono diſcoopertum. Memor. Rit. *ſupra n.* 22. & ex Cærem. Epiſc. *lib.* 3. *cap.* 26. §. 34. Non debet igitur dictam Hoſtiam reponere ſuper Patenam, ut docent fere omnes DD. ſed eam declinatam ſuper Calicem, ut innuimus, ſtatim dividit in tres partes more ſolito, nihil tamen dicendo, quarum majores duas partes collocat ſuper Patenam, tertiam vero parvam immittit in Calicem, nihil pariter dicens, & nullum faciendo cum prædicta particula ſignum Crucis ſuper Calicem, ex Decreto S. R. C. a Gavanto *cit. ſupra*, & dato in noſtro Indice *ſub n.* 218. Deinde Diaconus Calicem cooperit, & poſtea tam ipſe quam Celebrans, ac Subdiaconus genuflectunt unico genu, & ſtatim ſurgunt, Bauldry *ſupra n.* 19. Biſſus *ſupra* §. 39. Memoriale Rituum *ſupra n.* 23.

LXVIII. Gav. lit. r - *Et manibus junctis ſuper Altare*, *&c.*) Celebrans, prætermiſſis iis quæ innuuntur a Rubrica, & Gavanto *ſupra*, ſtans manibus junctis, & ſuper Altare poſitis, ita, ut duo digiti minores frontem Altaris tangant, junctis pollicibus, & indicibus inter ſe, oculis ad Sacramentum intentis, mediocriter inclinatus, dicit ſecreto tertiam tantum Orationem: *Perceptio Corporis tui*, *&c.* Interim Subdiacono per tertium gradum accedente ad dexteram Celebrantis, & ibi genuflectente, Diacono vero per ſecundum gradum accedente ad ſiniſtram ejuſdem, & ibi pariter genuflectente, ita ut ambo in receſſu, & acceſſu genuflectant unico genu, Bauldry *ſupra num.* 20. Biſſus *ſupra* §. 40. a Por-

tu

tu *ſupra in adnot. num.* 7. Dicta autem prædicta Oratione, Celebrans magis devote genuflectit unico genu, & una cum ipſo genuflectunt etiam Sacri Miniſtri, & poſtea ſurgunt. Celebrans vero erigens ſe dicit ſecreto: *Panem Cœleſtem accipiam*, *&c.* Rubrica Generalis *tit.* 10. *num.* 4. quibus verbis prolatis, accipit Hoſtiam cum Patena, ut moris eſt, & dicit ter idem more ſolito, mediocriter inclinatus (ſicut & Miniſtri Sacri mediocriter ſe inclinant) *Domine non ſum dignus*, *&c.* ter etiam percutiens ſibi pectus (quod idem faciunt præfati Miniſtri, poſita interim manu ſiniſtra infra pectus) quo tertio dicto, Celebrans erectus ſignat ſe dextera cum Sacramento, dicendo de more: *Corpus Domini noſtri*, *&c.* Deinde maxima cum reverentia mediocriter inclinatus, cubitis ſuper Altare poſitis, Sacramentum ſumit, Miniſtris Sacris interim ſtantibus profunde inclinatis, manibus junctis, ut in Miſſa Solemni fieri ſolet, qui poſtea ſe erigunt, dum etiam Celebrans erectus aliquaatulum in meditatione SS. Sacramenti quieſcit. Biſſus *ſupra*, Bauldry *ſupra num.* 21. *&* 22. & Vinitor *ſupra num.* 46. Primus autem Cæremoniarius, qui poſt elevationem Hoſtiæ ſurgens, acceſſit ad cornu laterale Evangelii in ſecundo gradu, ibi genuflectit ad principium Communionis, & perſeverat uſque ad ſumptionem Calicis, A Portu *ſupra Rubr.* 15. *in adnot. n.* 5.

LXIX. Gavant. lit. ſ -- *Diaconus Calicem diſcooperit*) Subdiaconus, qui ad dexteram Celebrantis, ut ſupra eſſe debet, detegit Calicem, non vero Diaconus, qui aſſiſtere debet ad librum (nam probabiliter Gavantus ſupra innuit, quod Diaconus diſcooperiat Calicem per errorem Typographi, quem errorem aſſumpſerunt illinc nonnulli Scriptores, non tamen omnes: nam etiam in Cæremoniali Monaſtico *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 25. legitur *diſcooperto Calice per Subdiaconum*) Itaque, certum eſt, quod Subdiaconus Calicem diſcooperit, qui poſtea genuflectit tam ipſe, quam Celebrans cum Dicono unico genu, adeſt enim in Calice particula Hoſtiæ conſecratæ.

LXX. Rubr. & Gavant. lit. t -- *Reverenter ſumit de Calice*, *&c.*) Celebrans, collrctis de more fragmentis, extergit Patenam ſuper Calicem. Memoriale Rituum *ſupra num.* 28. deinde omiſſis omnibus, quæ ſolent dici ante ſumptionem pretioſi Sanguinis, accepto Calice, & Patenam ipſi Calici ſubtus mentum ſupponens, abſque eo quod ſignet ſe ipſum prædicto Calice (juxta Decretum, de quo *ſupra*, & datum *ſub num.* 218.) ex eo reverenter accipit cum vino, & aqua in eo exiſtentibus particulam Hoſtiæ pridie conſecratæ; Caſtaldus *ſupra num.* 16. a Portu *ſupra num.* 2. Benvenuti *ſupra* §. *Completo*: Interim Diaconus, & Subdiaconus ſtant profunde inclinati. Bauldry *ſupra n.* 23. a Portu *ſupra*, & alii communiter.

LXXI. Rubr. & Gavant. lit. u -- *Facta abluſione non Calicis*, *&c.* Poſt prædicta primus Acolythus, comitante ſecundo Cæremoniario cum genuflexione, defert ampullas aquæ, & vini ad Altare, quas prout alias adminiſtrat Subdiacono; Celebrans vero non ſumit purificationem, ut innuit Gavantus *ſupra*, quia prima Calicis ſumptio pro purificatione inſervit, nam id quod ſumitur non eſt Sanguis Chriſti, ſed vinum cum modica aqua, quod hac die non fuit conſecratum. Tum igitur Subdiaconus infundit in Calicem vinum, & aquam ſtatim ſuper digitos Celebrantis de more (poſita etiam in Calice aqua, cum qua Celebrans forte abluit digitos antea, ſi forte tetigerit Hoſtiam) qui depoſito Calice, & inde exterſis cum Purificatorio digitis, ſumit ablutionem in medio Altaris, ut alias; deinde inclinatus, & manibus junctis ante pectus, & non ſuper Altare (contra aliquorum opinionem) ex Cærem. Cleric. Regul. S. Pauli, necnon ex Cæremon. Monaſtico *ſupra num.* 27. dicet: *Quod ore ſumpſimus*, *&c.*

LXXII. Gavant. ead. lit. u -- *Extinguuntur hoc loco*, *&c.*) Dum fit prædicta digitorum ablutio, & non prius, juxta Gavantum, vel poſt ſumptam ablutionem, ſecundum Biſſum, non autem immediate poſt ſumptiom Calicis, ut vult Caſtaldus, Acolythi colligunt cereos, aſportant, & extinguunt ſurgentibus omnibus, ſi fuerint ante Altare genuflexi, quaſi in gyrum, ſeu ſemicirculum, ad loca ſua ordinate ſe recipient, Memoriale Rituum *ſupra n.* 30. relictis tamen in Altari accenſis pro Veſperis ſex candelis, quæ poſt Veſperas extinguendæ erunt.

LXXIII. Rubr. & Gavant. lit. x -- *Corpus tuum Domine*, *&c.*) Celebrans dicta Oratione: *Quod ore ſumpſimus*, omittendo alias preces, nempe *Corpus tuum Domine*, & *Poſtcommunionem*, necnon *Placeat tibi*, ut declarat Rubrica ſuperior, & ob rationes, quas adducit Gavantus *ſupra*, Celebrans, inquam, dicta Oratione: *Quod ore ſumpſimus*, ſtat in medio Altaris, donec hæc quæ infra ſequuntur fiant, ut etiam hic appoſite notat Benvenuti *ſupra* §. *Tunc*.

Itaque Diaconus poſt prædictam Orationem ſtatim clauſo Miſſali in parte Evangelii (quod per aliquem ex Acolythis pariter amovetur cum legili, ſeu cuſſino ab Altari, & cum debitis reverentiis Cruci, & Choro, reportatur ad Credentiam, ut colligitur ex Memor. Rituum *ſupra* §. 7. *n.* 32.) vadit, facta genuflexione in medio Capellæ, ad Credentiam, ibique Stolam latiorem deponit, & reſumpta Planeta plicata, redit ad Altare ad dexteram Celebrantis, facta reverentia debita Choro, & genuflexione Cruci unico genu in acceſſu Benvenuti *ſupra*, a Portu *ſupra n.* 4. Interea defertur ab aliquo Acolytho e Credentia ad Altare Velum nigrum pro cooperiendo Calice (ut mox dicetur) illudque ponitur ſuper Menſam a latere Evangelii.

Subdiaconus vero, ſumpta a Celebrante ablutione, Calicem extergit Purificatorio in cornu Evangelii, ad quod acceſſit, facta genuflexione Cruci unico genu; poſtea ſuper dictum Calicem Purificatorium extendit, & ſi ſit valde magnum, illud plicat juxta ſui aptitudinem; ſuper Purificatorium ſiniſtra manu ponit Patenam, poſita prius ſuper hanc dextera manu Palla, tum plicat ambabus manibus Corporale, quo plicato, Calicem velo ſuo parvo nigro cooperit, de quo ſupra locuti ſumus, poſtea accepta ſiniſtra manu Burſa, & dextera Corporali, ipſum omnino reponit in Burſam, quam deinde ponit ſuper Calicis velum, ita ut illius pars aperta ipſum Subdiaconum reſpiciat, & tandem ipſum velum ſuper Burſam Calicis revolvit de more. Bauldry *ſupra n.* 25. Biſſus *ſupra* §. 42. a Portu *ſupra n.* 4. Juxta morem aliquarum Eccleſiarum prædictus Calix aptatur, & deinde defertur ad Credentiam a Cæremoniarum Magiſtro ob temporis anguſtiam; Subdiaconus enim ſtatim debet ab Altari diſcedere cum Celebrante, & Diacono, ut mox dicemus.

LXXIV. Gavant. num. 25. *Subdiaconus plicato Corporali*, *& in Burſam repoſito*, *&c.*) Tunc Subdiaconus, &c. (vel melius Cæremoniarum Magiſter) accipit Calicem accommodatum ſiniſtra manu per nodum, extenſa dextra ſuper Burſam ad cautelam appoſitam; & ſolus ſine comite defert ad Credentiam per gradus anteriores; ſed antequam diſcedat, facit Cruci genuflexionem unico genu, ipſumque ſuper eam collocat in medio, & velum in anteriori parte revolutum explicat, ita ut totum Calicem cooperiat omnino, ac mox redit ad Altare ad ſiniſtram Celebrantis, facta iterum genuflexione Cruci ibidem unico genu. Bauld. *ſupra*.

His omnibus expletis, Celebrans cum Miniſtris Sacris deſcendit in planum, ubi unico genu facta ab omnibus genuflexione Cruci, & debitis reverentiis Choro de more; Corſetus *ſupra n.* 20. Celebrans accipit biretum ſine oſculis, ſibi a Diacono porrectum, & cum iiſdem in Sacriſtiam redit, hoc ordine. Præcedit Thuriferarius manibus junctis, nudo capite, & ſine Thuribulo; Ceroferarii ſine candelabris, tum Cæremoniarius item nudo capite, & manibus junctis, deinde Subdiaconus, & Diaconus, ultimo Celebrans unus poſt alium, oculis demiſſis, modeſto, & gravi inceſſu, manibus junctis, tecto capite, & cum Sacriſtiam fuerint ingreſſi, facta Cruci, aut Imagini de more nudo capite profunda reverentia, paramenta ſacra deponunt. Benvenuti *ſupra* §. *His expletis*. Bauldry *ſupra n.* 36. Vinitor *ſupra n.* 49. Biſſus *ſupra* §. 44. Poſtea (ſi exiguus ſit Clericorum numerus, alias non) accedunt ad Chorum cum Cottis; nam in Choro, ad cujus ſtalla pergunt omnes, poſt diſceſſum Celebrantis ab Altari cum Miniſtris ſtatim dicuntur Veſperæ ſine cantu, ut heri.

LXXV. Rubr. & Gavant. lit. a -- *Denudatur Altare*, *&c.*) Dum dicuntur Veſperæ, denudatur Altare, & Credentia ab Acolythis, Gavantus *ſupra*, Corſettus *ſupra n.* 21. Caſtaldus, Bauldry *ſupra*, cum genuflexionibus debitis Cruci, & aſportantur omnia in Sacriſtiam; Altaris candelæ poſt Veſperas extinguuntur.

Completis Veſperis, datur ſignum in inſtrumento ligneo, ſeu crotalo pro Salutatione Angelica, genuflectentibus omnibus. Memoriale Rituum *ſupra* §. 8. *n.* 4. & facta ſolita oratione, ſurgunt omnes, genuflectunt Cruci unico genu, & ordinatim redeunt in Sacriſtiam, ubi facta Cruci, ſeu Imagini profunda reverentia, ibique depoſitis veſtibus, quibus in Choro utuntur, devote domos, vel cellas ſuas, ſi Regulares ſint, redeunt, &c.

LXXVI. Gavant. num. 23. *Pyxis quæ remanſit*, *&c.*) Dum Veſperæ dicuntur in Choro, ſi Clerici multi ſint, vel his finitis, ſi Clerici pauci ſint, aliquis Sacerdos, Cotta, & Stola albi coloris, Gerlacus Vinitor *ſupra num.* 50. & non nigra, ut docet Bauldry *ſupra n.* 27. (quia licet commemoratio fiat de Paſſione, & Morte Chriſti, adeſt tamen idem Chriſtus redivivus, & jam impaſſibilis, & immortalis, ut optime pondrrat Nicolaus de Bralion *ſupra cap.* 12. *num.* 4.) & velo humerali indutus pariter albo, cum Clericis, candelas, vel faces accenſas geſtantibus, reportat Pyxidem cum Particulis conſecratis, ſi quæ remanſerunt in capſula, ad locum paratum, ut *ſupra* docet Gavantus, necnon Bauldry, & Vinitor *ſupra*: nos tamen ſupra diximus talem Pyxidem non eſſe regulariter ſervandam in memorata capſula, ſed alibi, in loco tamen decenti, & congruo.

LXXVII. Gavant. num. 24. *Quæritur*: *An occurrente Feſto Annunciationis B. M. V. in Paraſceve*, *&c.*) Pro reſolvendo hoc primo dubio a Gavanto propoſito; recolendum eſt Decretum editum die 15. Martii 1712. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 620. in quo habetur, quod Sacerdotes omnes, tam Sæculares, quam Regulares, etiam privilegiati, ne audeant in Feria VI. Paraſceves, occaſione SS. Annunciationis, in dicta Feria occurrentis, celebrare in quavis Eccleſia, ſeu Ora-

Oratorio aliquam Miſſam Solemoem, vel Privatam, nec facere Feſtum, vel parare, & ornare Eccleſias, aut Altaria, licet dicata Beatiſſimæ Virgini, etiam Annunciatæ, &c. prout in Decreto ibidem expoſito, & auctoritate Clementis XI. edito. Ex quo fit, cum tali die non poſſint celebrari Miſſæ Privatæ, neque Solemnes, quod nullus Fidelis tenetur intereſſe Miſſæ Sacrificio, etiamſi occurrat Feſtum SS. Annunciationis.

Rurſus certiſſimum pariter eſt, ex alio Decreto edito die 19. Februarii 1622. a Gavanto *ſupr.* relato, & dato in noſtro Indice *ſub num.* 188. quod neque tenentur Fideles intereſſe Officio, ſeu ſacræ functioni fieri ſolitæ in hac Feria. Denique legendum eſt etiam Decretum emanatum a S. R. C. 11. Februarii, & 11. Martii 1690. & datum in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii, in quo, interveniente auctoritate Apoſtolica, ſancitum eſt, quod ſi Feſtum SS. Annunciationis B. M. ſemper Virginis, occurrat in Fer. VI. Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Fer. II. poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Feſto impeditam; ita ut eadem Feria prædicto caſu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro Sede propria, & fixa, memorato Feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur, & in illa eo prorſus modo, & forma præfatum Feſtum quoad Officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur: protractis ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani omnibus aliis Feſtis in eadem Feria occurrentibus, quæ non ſunt altioris Ritus. Ita decrevit Sac. Rit. Congreg. approbante Alexandro VIII. diebus, Menſibus, & Anno ſupradictis.

Ex hoc Decreto non ſequitur, quod ſi in eadem Feria VI. Paraſceves, vel Sabbato Sancto occurrat alicubi Feſtum de Patrono principaliori Loci, cui ex Decreto edito die 13. Septembris 1642. & contento in Conſtitutione Urbani VIII. *num.* 164. quæ incipit: *Univerſa* §. 2. *apud Cherubinum in Bullario Romano tom.* 4. cui, inquam, Feſto ex vi prædictæ Conſtitutionis affixa eſt obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus; non, inquam, ſequitur, quod tale Feſtum erit pariter celebrandum in prædicta Feria II. poſt Dominicam in Albis quoad Miſſæ auditionem, & vacationem ab operibus ſervilibus, necnon ad translationem alterius Feſti in dicta Feria occurrentis, cum hæc ſit ſpecialis prærogativa translationi Annunciationis conceſſa, ut colligitur etiam ex alio Decreto emanato die 14. Junii 1692. quod datur a nobis in Indice Decretorum pertinentium ad Rubricas Breviarii. Idcirco, occurrente tali Feſto Patronii principalioris, in hac Feria VI. abſtinendum utique eſſet ab operibus ſervilibus, ſed nulla adeſſet obligatio intereſſendi Miſſæ quæ non poteſt hac die celebrari, ut ſupra diximus, neque ulla adeſſet obligatio intereſſendi Officio hujus diei, ut pariter colligitur ex ſupradictis.

LXXVIII. Gavant. num. 25. *Ad aliud vero dubium, &c.*) Propoſito dubio, an ratione Feſti Annunciationis occurrentis in hac Feria VI. Paraſceves miniſtrari poſſit Euchariſtia aliis, quam infirmis, optime reſpondit Gavantus, etiam præſcindendo a ſupra expoſito Decreto translationis prædicti Feſti Annunciationis, ſervandam eſſe univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, non miniſtrandi niſi infirmis hac die Euchariſtiam, pro qua re allegatur a Gavanto in ſuo Indice, & etiam in noſtro *ſub n.* 187. Decretum a Sac. Rit. Congr. editum die 19. Februarii 1622. cujus tamen Autographum in Regeſtis Sac. Congregationis non reperitur, habetur quidem aliud ſimile Decretum editum a Sac. Congr. Concilii in Decreto de Communione quotidiana, quod legitur apud Murgam in Tractatu de Beneficiis Eccleſiaſticis in Additamento primo, & illud referunt etiam Paſcuccius in Compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *par.* 2. *tit. de Monialibus*, necnon Monacellus *in Formul. Legali practico part.* 2. *tit.* 13. *Form.* 1. *poſt num.* 99. & denique Eminentiſſimus Cardin. Petra *in ſuis doctiſſimis Commentariis ad Conſt. Apoſtol. tom.* 4. *circa Conſtitutionem* 20. *Eugenii IV. ſub num.* 6. in quo Decreto ſancitur, quod circa Communionem in Feria VI. Paraſceves Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur, quapropter, ut notat optime Jo. Baptiſta Pittonus ex hoc Decreto corruit omnino opinio quorumdam Theologorum, aſſerentium poſſe in hac Feria VI. Paraſceve miniſtrari Euchariſtiam illis, qui quotidie illam ſumere volunt.

Spectat etiam ad hanc Feriam Decretum editum die 14. Februarii 1705. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 591. in quo præſcribitur tollendam eſſe conſuetudinem quorumdam, qui contra id quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patenter Hoſtiam conſecratam reſervandam a Feria V. in Cœna Domini, uſque ad ipſius conſumptionem in hac Feria VI. Paraſceves.

LXXIX. Gav. num. 26. *Abrogatus fuit abuſus deferendi nocte, &c.*) Veriſſimum eſt, quod abrogatus fuit abuſus deferendi nocte in hac Feria VI. SS. Sacramentum; nihilominus die 29. Martii 1596. ex Congregatione Epiſcoporum prodiit ſequens Decretum -- Si conſuetudo deferendi proceſſionaliter SS. Sacramentum Feria VI. Paraſceves in feretro nigris velletibus contecto, non poteſt abſque graviori incommodo extirpari, eſt toleranda -- Ita reſpondit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & idem antea reſcripſit Anno 1582. 3. Januarii, ut teſtatur Nicolaus *in Floſculis v. Euchariſtia ſub n.* 27. & Venetiis ſervatur adhuc conſuetudo hujuſmodi Proceſſionis nocte cum Baldachino, & paramentis nigri coloris, utpote innixa peculiari privilegio, ut aſſeritur.

Præter allegata ſparſim Decreta ſpectantia ad Ritus Officii hujus Feriæ VI. in Paraſceve, addenda ſunt etiam hæc alia: nimirum, Proceſſio Solemnis aliquo certo die facienda, ſi cadat in Feriam VI. Paraſceves, eo Anno transferenda eſt in aliam diem; ita ſtatuit Sac. C. Epiſcop. *in Spoletana* 25. Februarii 1598.

Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio, in Sepulcro. S. R. C. 14. Junii 1659. *in Neapolitana*, & datur in noſtro Indice *ſub num.* 336.

Functiones Pontificales, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo ſpectant ad primam dignitatem, ſunt Feſtum Nativitatis Domini, &c. Feriæ V. in Cœna Domini, & Feriæ VI. in Paraſceve, Cinerum, Palmarum, &c. S. R. C. 3. Decembris 1672. datur in noſtro Indice *ſub num.* 449.

Videndum eſt etiam Decretum, quod ſupra tradidimus, emanatum die 25. Auguſti, & datum in noſtro Indice *ſub num.* 690. in quo prohibentur Exequiæ Solemnes hac, & die ſequenti, &c.

### De Sacris Ritibus hujus Feriæ VI. Paraſceves ſervandis in minoribus Eccleſiis.

### De præparandis pro Officio hujus Feriæ. §. I.

Altare ipſum undequaque nudum cum ſex candelabris, ut ſupra, in Eccleſiis majoribus; deinde Crux in eodem cooperta velo violaceo, vel nigro, quod facile removeri, & ſolvi poſſit.

In Abaco, ſeu Credentia Mantile lineum planiciem Abaci non excedens; Mappa unica plicata pro Altari ad menſuram Menſæ, legile, ſeu cuſſinus niger cum Miſſali; Burſa nigri coloris cum Corporali, Palla, & Purificatorio; Thuribulum & Navicula cum thure; Velum nigrum pro Calice in fine Officii; Pelvicula cum ampullis vini, & aquæ, & manutergio, aliud parvum vas aquæ cum Purificatorio ponendum ſuper Altare ad abluendos digitos Sacerdotis, ſi forte Hoſtiam conſecratam tetigerit, lanx argentea pro oblationibus.

Prope Credentiam præparetur tapes, pulvinar violaceum, & velum album ſerico violaceo contextum. Cuſſinus violaceo ſupponendus initio Officii capiti Celebrantis; Crux proceſſionalis vel ibi, vel in Sacriſtia detegenda ſtatim poſt Crucis Altaris denudationem.

In Sacello Sepulcri Corporale ſtratum ſuper Altare, velum humerale album, Baldachinum, ſive umbella albi coloris, intortitia, & cerei pro Proceſſione.

In Sacriſtia tria Superpellicea pro Clericis, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta nigri coloris pro Sacerdote, foculus cum igne, & forcipe.

### De principio Officii uſque ad denudationem Crucis. §. II.

Hora competenti datur ſignum cum crotalo, Clerici accipiunt Superpellicea in Sacriſtia; Celebrans vero induitur Planeta nigra, & procedit cum iiſdem, ſed ipſe tecto capite, illi vero detecto, ad Altare majus, manibus junctis, quo cum pervenerit, ubi præcumbit, & orat quaſi ultra ſpatium unius *Miſerere*, ut diximus ſupra; interim duo Acolythi, facta cum ipſo brevi oratione, ſurgunt, & facta genuflexione Cruci, ſumunt de Credentia Mappam, illamque extendunt ſuper Menſam Altaris, ut ſupra, deinde unus ex illis ponet Miſſale apertum cum ſuo cuſſino ſuper cornu Epiſtolæ. Celebrans ad monitionem alicujus Miniſtri ſurgit a procubitu & amoto per aliquem Clericum pulvino, aſcendit ad Altare, & oſculatur illud in medio. Accedens deinde ad cornu Epiſtolæ, legit primam Lectionem cum Tractu, deinde dicit *Oremus*, & genuflexus cum omnibus, ipſemet dicit: *Flectamus genua*, & unus ex Acolythis primo ſurgens, dicit: *Levate*. & Celebrans ſubjungit Orationem: *Deus a quo, &c.* deinde legit ſecundam Lectionem, & Tractum, ac ſucceſſive cantat Paſſionem integre, niſi forte aliquis Diaconus eam decantet, ſicut etiam poſtea cantat in eodem cornu Epiſtolæ monitiones manibus junctis, & Orationes manibus extenſis, ut in Miſſali; Ante ſingulas Orationes, Octava excepta, idem Celebrans genuflexus prout faciunt & cæteri, dicit: *Flectamus genua*; & unus ex Acolythis, *ut ſupra*, dicit: *Levate*, circa finem Orationum aliquis Acolythus tapetem explicat, aptat deſuper Cuſſinum, & deinde velum extendit, ubi eſt collocanda, & adoranda Crux, ut ſupra dictum eſt.

### De Crucis denudatione, & adoratione. §. III.

Dictis Orationibus omnibus, Celebrans in eodem cornu Epiſtolæ Planetam tamen deponit, deinde genuflectit in medio

Al-

Digitized by Google

Altaris, & reverenter ipſemet Crucem, quæ eſt inter Candelabra, capit, & primus Clericus accipit Miſſale, poſtea Celebrans accedit ad angulum poſteriorem Epiſtolæ, facie verſa ad Populum, & Clerico ſuſtentante Miſſale ante illum, incipit manu dextera detegere ſummitatem Crucis, ut ſupra diximus, & ambabus manibus aliquantulum Crucem elevans, gravi voce, dicit: *Ecce lignum Crucis*, & Clerici eadem voce proſequuntur: *In quo Salus Mundi pependit*, & genuflectentibus omnibus præter Celebrantem, iidem Clerici ſubjungunt; *Venite adoremus*. & ſimiliter omnes ſecunda, & tertia vice, peragunt, ut ſupra dictum eſt.

Diſcooperta tota Cruce, & pronunciatis tertio prædictis verbis ab omnibus Clericis, unus ex illis ponit lancem a latere ſiniſtro Pulvinaris, ad accipiendam oblationem, alter vero Clericus, qui habebat Miſſale, illud reponit ſuper Legile, vel ſuper Cuſſinum, & interim ab alio tertio diſcooperitur Crux Proceſſionalis, & aliæ Cruces omnes per Eccleſiam. Interim Celebrans deſcendens per latus Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum, ubi genuflexus eam collocat ſuper Velum pulvino ſuperpoſitum, deinde ſurgit, & facta genuflexione vadit ad planum cornu Epiſtolæ, ibique deponit prius manipulum juxta ſuperius dicta, deinde calceamenta, Clericis adjuvantibus, & ita excalceatus procedit ad adorationem Crucis, ut ſupra, qua tertio adorata, & oſculata, oblataque pecunia ſurgit, & facta genuflexione redit ad cornu Epiſtolæ, & ibi in plano Clerici deponunt & ipſi calceamenta ob ſpecialiſſimum Cultum, quem hac die S. Eccleſia exhibet Cruci, & poſt Celebrantem, ante omnes alios de Populo, adorabunt Crucem eo modo quo Celebrans, & reverſi ad ſua loca Calceamenta reſument; poſt Clericos adorabunt Sodales cum Saccis, ſi adſint, deinde viri, ultimo mulieres, omnes bini devote ac graviter. Interim primus Clericus aſſiſtat adorantibus, ſecundus, & tertius accedunt ad celebrantem, & alta, & clarâ voce cum eo improperia recitant. Bauldry *p.* 4. *c.* 10. *art.* 3. *n.* 6. & Memoriale Rit. *pag.* 76.

Circa finem adorationis primus Clericus accendit Cereos Altaris, ſecundus vero ſucceſſive portat ad Altare Burſam cum Corporali incluſo, & ſuper eam Purificatorium; Extrahit, & explicat Corporale, & prope illud in parte Epiſtolæ extendit Purificatorium. Tertius vero Clericus transfert Miſſale cum Legili, & Cuſſino ad cornu Evangelii. Completa adoratione, celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus; Clerici vero amovebunt tapetem, pulvinar, velum, & lancem, & apponent ignem in Thuribulo, & Celebrans, collocata Cruce, deſcendet ad planum in cornu Epiſtolæ, ubi reſumet Planetam, & Manipulum, & poſtea aperto capite accedit ante Altare.

### De Proceſſione ad Sacellum, & regreſſu ad Altare cum Sanctiſſimo Sacramento. §. IV.

A Celebrante ante Altare commorante incipitur Proceſſio per breviorem viam ad Sacellum, ubi aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum hoc ordine. Procedunt Sodales, ſi adſint, Confraternitatis, ſive pii viri, deinde Thuriferarius cum Navicula, & Thuribulo non fumigante, poſtea ſequitur Crux Proceſſionalis denudata, & delata a tertio Clerico inter duo Candelabra, ſi adſint qui ea deferre poſſint, denique Celebrans cum Planeta habens ante ipſum a ſiniſtris ſecundum Clericum. Interim accenduntur Cerei dicti Sacelli ab aliquo Miniſtro. Cum pervenerit Celebrans ad dictum Sacellum, facta genuflexione in plano Capellæ ſurgit, & poſtea genuflectit in infimo gradu Altaris, ibique orat parumper cum omnibus, deinde ſurgit, aperit Capſulam, genuflectit, deſcendit ad infimum gradum Altaris, vel remanendo genuflexus in ſuppedaneo, ut alii volunt, incenſat Sacramentum in Capſula; inde ſurgit & facta genuflexione extrahit e Capſula Calicem, quem ponit ſuper Altare; Iterum genuflectit, claudit Capſulam, ſi in ea reperiatur Pyxis cum Particulis, alias relinquitur Capſula aperta, & præmiſſa alia genuflexione, deſcendit primum gradum, & genuflexus in ſuppedaneo, accipit velum humerale, ſurgit, & facta genuflexione, ſtans accipit Calicem, quem ſecundus Clericus dicto velo cooperit. Celebrans vertens renes Altari, & faciem ad Populum, intonat voce alta Hymnum *Vexilla regis prodeunt*; Quem cum ſecundo Clerico proſequitur &c. Revertitur Proceſſio ad Altare ordine ſequenti. Primo Sodales, ſeu pii Viri cum cereis accenſis, poſt eos Crux proceſſionalis, deinde Thuriferarius continue Thuribulum agitans; Denique celebrans ſub Baldachino, vel ſub Umbella habens ſecundum Clericum ante ſe a ſiniſtris.

Cum perventum fuerit ad Altare majus, Sodales, & pii Viri remanent extra Cancellos, ibique diſpoſiti Cereos accenſos uſque ad Officii finem in manibus tenebunt. Crux Proceſſionalis reponitur prope credentiam; Baldachinum vero, ſeu Umbella deponitur ante Cancellos, & loco propio collocatur; Celebrans accedit ad Altare, & Calicem ponit ſuper Corporale, ſolita vitta appoſita ad cautelam, & velum ejuſdem Calicis extendit, ut fit in initio Miſſæ, deinde genuflectit, ſurgit, velum humerale deponit, & ſtans Thus ſine oſculis, & benedictione in Thuribulo ponit, deinde genuflexus, ibi in ſuppedaneo, vel deſcendens ad infimum gradum, Sacramentum triplici ductu incenſat adhuc parvo velo tectum.

### De reliquo Officio, & Ritu hujus Feriæ. §. V.

Incenſato SS. Sacramento, celebrans ſurgens accedit ad Altare & genuflectit, deinde amovet Velum de Calice, poſtea Patenam, quam invertens ponit ſuper Corporale in medio, poſtmodum removet Pallam, & Calicem accipiens, deponit ex eo Hoſtiam ſuper Patenam, cavens ne illam digitis tangat, & ſi forte tetigerit, lavat digitos ibidem in vaſe ad hoc præparato, & aquam continente (quam poſtea ipſe celebrans ſumet poſt ſuam communionem) & digitos ſtatim extergit; Tunc celebrans reſpective proſequitur omnia, ut in Miſſali diſponitur.

Miniſtrabunt etiam ſi fieri poteſt aliqui Sodales alicujus Confraternitatis in ſuo habitu, ut omnia convenientiori modo fieri valeant. Expleto Officio, celebrans Cotta, & Stola indutus reportabit ad locum paratum Hoſtias ſeu Particulas contentas in Pyxide pro Infirmis e loco, ubi prius erat Calix cum Sanctiſſima Hoſtia, & ſi aliter fieri non poſſit, remanebit ibidem.

Repoſita dicta Pyxide, antequam Lampas continuo ardeat, omnes genuflectunt, & datur ſignum meridianum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Tandem extinguuntur Cerei Altaris, & ab Acolythis omnia reportantur in ſuis locis; ſunt alia minutiora, & leviora, quæ libenter omittimus, cum ex ſupradictis facile intelligi poſſit, quid in hac functione ſit agendum. Ex Bauldry *part.* 4. *c.* 10. *Art.* 5. Et Memoriale Rit. *pro Minoribus Eccleſiis*, & ex aliis Auctoribus, &c.

## De Sabbato Sancto. X.

### *GAVANTUS.*

1. SAbbatum hoc antonomaſtice appellatur Sanctum, & ad ſuſcipiendam ſancti luminis claritatem nova Eccleſia ſacro Baptiſmi fonte ſanctificatur, *Rupert. lib.* 6. *c.* 25. vel quia Sanctus Sanctorum quievit in ſepulcro, *Alcuin.* nullum habet Officium proprie, nam Officium noctis erat ſequentis, ut patet ex benedictione Cerei; *Hæc nox eſt*, &c. & ex Collecta Miſſæ *Durand. lib.* 6. *c.* 78. jejunium autem omnino ſervandum eſt, ex *lib.* 6. *Conſtit. Apoſtol. c.* 24.

Videamus Rubricas ejuſdem, & de more noſtro, minutioribus additis, eas explicemus.

### RUBRICA.

1. *Hora competenti* (a) *cooperiuntur Altaria, & dicantur Horæ, candelis Altaris extinctis, uſque ad principium Miſſæ. Interim* (b) *excutitur ignis de lapide foris Eccleſiam, & ex eo accenduntur carbones.* (c) *Dicta Nona, Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo, vel ſine Caſula,* (d) *aſtantibus ſibi Miniſtris cum Cruce, aqua benedicta, & incenſo,* (e) *ante portam Eccleſiæ, ſi commode poteſt, vel in ipſo aditu Eccleſiæ benedicit novum ignem* (f) *dicens, &c.*

### *GAVANTUS.*

(a) *Cooperiuntur Altaria*. Habet *Durand. lib.* 6. *c.* 85. quia Chriſtus in reſurrectione ſtolam gloriæ induit. Sed convenit duplici pallio veſtiri Altare majus, violaceo nimirum ſuper album; ita, ut removeri cito queat violaceum circa finem Litaniarum, *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *c.* 27. ſuper Altare candelæ erunt ex cera alba. Cereus etiam benedicendus collocabitur cum ſuo candelabro in latere Evangelii, *Cæremon. Epiſc. ubi ſupra*: ante Cereum legile veſtitum veſte alba, ſuper illud Miſſale non apertum.

(b) *Excutitur ignis de lapide*. Ignis de Chriſto, qui lapis eſt in caput anguli; *Honor. in Gemma lib.* 3. *c.* 100. & antiquus ignis extinguendus eſt ut lex finem habeat. Ante Zachariæ Papæ tempora Romæ novus ignis ex lampadibus ſervatis in Feria quinta ſumebatur, ut ſcribit *Baronius Ann.* 751. *ex literis Zachariæ eodem anno datis*. Ritus ergo noſter eſt poſt eumdem annum.

(c) *Dicta Nona*. Non ante Horam Nonam, ex Urb. II. Decreto *Apud Baron.* Anno 1096.

(d) *Adſtantibus ſibi miniſtris*. Miniſtri debent eſſe in violaceis, manipuloque dato Subdiacono ante: *Lumen Chriſti*, *in Cærem. Epiſc. lib.* 2. *c.* 28. Crucem geſtare debet Subdiaconus, quem præcedunt Acolythi tres cum aqua benedicta thuribulo ſine igne cum navicula, & pelvicula cum quinque granis Incenſi, hoc eodem ordine procedunt ad portam.

(e) *Ante portam Eccleſiæ*, Extra portam paſſus eſt Chriſtus, exeamus ad eum, inquit Paulus, ut eum explicat de hoc ritu loquens *Durand. c.* 86. Crux cum Subdiacono ſtat in porta ante faciem celebrantis; ignis autem in foculo ſuper aliquod ſcamnum coram celebrante; ubi etiam forcipes ferrei, & candelulæ cum lignis ſulphuratis parari debent.

(f) *Dicens*. Manibus junctis; & Diaconus elevet fimbriam pluvialis, quando eſt benedicturus manu ignem, & grana Incenſi.

RU-

### RUBRICA.

*3. Deinde benedicit quinque grana incenſi ponenda in Cereo, dicens abſolute hanc Orationem.*

### GAVANTUS.

Quidam addunt aliam incenſi quantitatem una cum quinque granis benedicendam; ſed ad quid? An, & ea deinde in naviculam immittatur denuo benedicenda a Celebrante, ut adoleat ignem, & grana? ſuperfluit hæc duplex Incenſi benedictio, & præter Rubricam. De hiſce granis aperte meminit *Rupertus loc. cit. cap.* 31. & ſignificari docet aromata a mulieribus empta, ut ungerent JESUM.

Celebrans non dicit, *Oremus*, quaſi conjungens novam benedictionem Incenſi cum præcedenti benedictione ignis.

### RUBRICA.

*4. Dum benedicit grana incenſi, Acolythus aſſumens de carbonibus benedictis ponit in Thuribulo, & finita Oratione ſupradicta (g) Sacerdos de navicula ponit Incenſum in Thuribulo, benedicens illud more ſolito: deinde prædicta grana Incenſi, & ignem (h) ter aſpergit aqua benedicta dicens: Aſperges me, ſine cantu, & ſine Pſalmo, & (i) ter adolet Incenſo. Interim omnia luminaria Eccleſiæ extinguuntur, ut de igne benedicto poſtmodum accendantur.*

### GAVANTUS.

(g) *Sacerdos de Navicula.* Supple a Diacono de more miniſtrata; qui & miniſtrat cum oſculis Aſperſorium, & Thuribulum Celebranti.

(h) *Ter aſpergit.* In medio, a dextris rerum benedictarum, & a ſiniſtris earumdem.

(i) *Ter adolet.* Nimirum, uti aſperſit.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

*Pro Ritibus ſervandis a principio officii hujus diei, uſque ad Benedictionem Cerei.*

De præparandis neceſſariis pro Officio hujus diei.

§. I.

I. Rubric. & Gavant. lit. a -- *Cooperiuntur Altaria, &c.*) Mundatur ſummo mane Eccleſia, & ornatur; parantur etiam omnia ejus Altaria pretioſioribus ornamentis albis. Altare vero majus veſtietur duplici pallio; interiore quidem albo pretioſo, & exteriore violaceo, quod facile poſſit amoveri; ſuper idem Altare ponentur ſex candelabra, vel plura juxta Eccleſiæ conſuetudinem, cum totidem Cereis albæ ceræ, & Crux in medio diſcooperta, Tabernaculum SS. Sacramenti tegetur conopæo, ut infra, ut ſi quæ ſint ſtatuæ vel Imagines in ipſo, minime appareant, niſi ſaltem finitis Litaniis, & tunc tam illæ, quam aliæ per Eccleſiam detegentur, Gradus etiam Altaris tunc tapetibus Feſtivis operientur, quia decentius eſt, ut remaneant nudi uſque ad illud tempus.

Etiam Altaria Minora ſi commode fieri poteſt cooperiuntur duplici Pallio violaceo, nimirum ſuper album, ita ut removeri facile poſſit violaceum ob omnibus Altaribus, circa finem Litaniarum; vel deficientibus Palliis violaceis pro ſupradictis Altaribus Minoribus, ſaltem erunt cooperienda etiam ante officium, quamvis in ipſis non ſit dicenda Miſſa, Pallio albo. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 13. *n.* 1.

Candelæ ſuper Altare majus relinquantur extinctæ, donec erit tempus eas accendendi, ut infra.

Conopæum Tabernaculi ſubtus ſit album, ſupra violaceum facile removendum circa finem Litaniarum ſi fieri poteſt, aliter tegantur initio ſolo tegumento albo. Item Baldachinum ſeu Umbraculum, quod eſt appenſum ſuper Altare majus, ſit album. Bauldry *part.* 4. *cap.* 11. *de Sabbato Sancto Art.* 1. *n.* 1. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. *de Sabbato Sancto.*

Lampades extinctæ ante Altare ita aptentur, ut facile ſuo tempore accendi poſſint, ut infra dicetur. Imagines omnes in Eccleſia adhuc tectæ remaneant uſque ad finem Litaniarum, exceptis Crucibus, quæ heri detectæ fuerunt. Bauldry *ſupra num.* 3. Vinitor *part.* 6. *tit.* 13. *de Sabbato Sancto num.* 2.

Ad Cornu Epiſtolæ in plano apponatur ſcamnum oblongum nudum (vel tria ſcabella) ut poſſint ſedere Celebrans, & Miniſtri Sacri ad Prophetias, ſed paulo ante Miſſam cooperiatur prædictum ſcamnum panno viridi pro Miſſa ſolemni. Bauldry *ſupra num.* 4. Biſſus *lit. S num.* 6. §. 2. Caſtaldus tamen *in Cæremoniali lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 1. tenet tale ſcamnum etiam ante Miſſam ſolemnem debere tegi panno violaceo.

Super Credentiam paratam in Presbyterio in plano a latere Epiſtolæ ponitur Calix paratus, tectus ſuo Velo albo, & Burſa, ſimiliter duo Cuſſini, unus violaceus, alter albus, duo item Miſſalia iiſdem coloribus tecta, ampullæ Vini, & Aquæ cum Manutergio, velum humerale album pro Subdiacono, & Campanulæ pulſandæ ad Angelicum Hymnum. Ponantur etiam ſuper ipſam aliquæ Candelulæ cereæ, quibus uti debent Acolythi ſuo tempore pro accendendis Lampadibus, & Candelis Altaris. Hæc autem omnia, quæ ſuper Credentia ſunt, cooperiri poſſunt ante officium, & uſque ad Miſſam excluſive aliquo velo violaceo; vel ibidem poni poſſunt paulo ante Miſſam, tunc cum dicuntur Litaniæ, ſi commode fieri poſſit. Bauldry *ſupra n.* 5.

Si autem Benedictio Fontium fieri debeat, ibidem ponentur duo Candelabra Ceroferariorum, alias relinquentur in Sacriſtia cum cereis albis.

Parentur ibidem prope Credentiam tres Cuſſini coriacei, vel ex panno violaceo capiti Celebrantis, & Miniſtrorum ſupponendi, dum ſunt proſtrati ad Litanias. Biſſus *lit. S n.* 6. §. 2. Cæremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 10. §. 1. *numer.* 4.

In plano a latere Evangelii, ſeu en loco, in quo ſolet Evangelium cantari, aptetur Pulpitum facie ad populum, ſeu melius ad meridiem verſa, vel juxta conſuetudinem ponatur legile tectum velo albo pretioſo, pendente ad terram, & ſuper illud imponatur pulvinus intextus auro vel argento, ubi cantari debet Præconium a Diacono.

Poſt dictum Legile ſeu Pulpitum verſus parietem collocetur Candelabrum affabre elaboratum, & magnum pro Cereo Paſchali ſuſtinendo, ſive etiam loco dicti Candelabri, ponatur Angeli ſimulacrum, quod myſterio videtur congruum, ut notat Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 7. *cap.* 1. *n.* 1. ad ſuſtinendum dictum Cereum Paſchalem. Solent etiam aliqui quoddam Brachium ligneum inauratum parieti adhærens præparare pro Cereo ſuſtinendo, quod licet non videatur improbandum, præſertim pro Eccleſiis minoribus, convenientius tamen eſt, uti prædicto Candelabro magno, & eminenti, cum id ſit conformius Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 27. §. 1. & id etiam docet Biſſus *lit. C num.* 55. Obſervandum tamen eſt, quod Candelabrum prædictum debet eſſe in tali ſitu, ut non ſit impedimento proſpectui, & aditui ad Altare, neque Diacono ad cantandum Evangelium tempore Paſchali.

Cereus Paſchalis ponendus ſupra dictum Candelabrum ſit ceræ albæ, in quo intra Crucis effigiem debent adeſſe quinque foramina in modum Crucis diſpoſita, adhibito ferro calido ſi opus ſit, pro infigendis in eo quinque granis Incenſi; infra vero dictam Crucem poſſunt Sancti Patroni, vel Titularis, aut loci, ſeu Religionis inſignia depingi. Caſtaldus *ſupra*. Cereus ille ſit ponderis octo, aut decem librarum pro laudabili quarumcumque Eccleſiarum conſuetudine; nam quanta eſſe debeat illius magnitudo, non eſt determinatum. In quibuſdam Eccleſiis idem Cereus eſt triginta trium librarum pondo, in honorem triginta trium Annorum Domini N. J. C. In Sacroſancta Baſilica Lateranenſi eſt octuginta librarum, & collocatur ſuper columnam marmoream, tortuoſe elaboratam, & etiam in aliis Eccleſiis Romæ ſuper columnam Cereus iſte ponitur, imo ab origine ſua hic Cereus Columna erat cerea, ut aſſerit etiam Claudius de Vert *tom.* 2. *ſuarum explicationum* pag. 123. necnon Grancolas *lib.* 2. *ſui Comment. Hiſtorici cap.* 66. in qua cerea columna inſcribebatur, hoc eſt ſtylo quodam imprimebatur officii ordo per totum annum, uſque ad futurum Paſcha, unde annus incipiebat, & *Breve anni* appellabatur; quod quidem *Breve* deinceps aptius viſum fuit inſcribi ſuper cartam, & affigi dicto Cereo, ut ſit etiam hodie in Rothomagenſi, & Cluniacenſi Beatæ Virginis Eccleſia. Refert Beda Monachos Romam a ſe Miſſos cognoviſſe Natalis diem in novo Cereo S. M. Majoris anno 701. & Papebrochius in menſe Majo addit -- *Ordo Feſtorum pro anno ſequenti inſcribebatur toto iſto anno Legendus.* Alia ſpectantia ad dictum Cereum Paſchalem præſertim ad ipſius benedictionem tradentur infra a nobis, & alia legi poterunt apud cit. Grandolas, de Vert, necnon apud Edmundum Martene, de antiqua Diſciplina *cap.* 24. §. 5. *& ſeqq.* & Ant. Bellotte *in ſuis obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis pag.* 815. *& ſeqq.*

Præterea prope dictum Candelabrum ſuſtinens Cereum Paſchalem, paretur in plano pes marmoreus, vel ligneus ad ſuſtinendam Arundinem poſt cerei Paſchalis Benedictionem, de qua Arundine paulo infra. Rurſus prope dictum Candelabrum præparetur Scabellum graduarum ligneum pro aſcendendo ad cereum, & Virga cum candela ex eo accendenda.

Paretur etiam in Choro aliud legile nudum pro legendis Prophetiis ſuo tempore.

In Sacriſtia præparentur Paramenta violacea pro officio ante Miſſam, ſcilicet Pluviale, Planeta pro Celebrante, duæ Planetæ plicatæ pro Miniſtris Sacris, Stolæ duæ cum ſuis Manipulis etiam violaceis, necnon tres Amictus, tres Albæ, tria Cingula pro Celebrante, & Miniſtris. Pro Miſſa ſolemni præparentur Planeta, Dalmatica, & Tunicella cum ſuis Manipulis, & Stolis, omnia albi coloris.

Item in Sacriſtia præparetur Arundo cum tribus candelis albis in ejus cuſpide poſitis; quarum ſingulæ erunt duarum circiter unciarum, & quæ in infima ſui parte deſinant in unam

Candelam, & poſtea diſtinguantur in tres quaſi Ramos, ex eodem trunco naſcentes, æqualiter intra ſe diſtantes. & deſinentes in triangulum. Debet autem eſſe vera Arundo, & non alius baculus, ut aliqui male faciunt. Biſſus lit. A *num.* 460. §. 2. (cujus altitudinis debeat eſſe prædicta Arundo, Biſſus cit. §. 2. cenſet in hoc ſervandam eſſe communem peaxim. Bauldry *ſup. n.* 12. dicit debere eſſe decem circiter Palmorum, cujus opinio nobis aridet. In Ordine tamen Romano Cajetani deſcribitur talis arundo trium cubitorum cum dimidio alta, & ita etiam in ordine Romano Amelii. Denique dicta arundo floribus ornari, & undequaque circum tegi poteſt, ut innuit etiam Gavantus *infra in Rubricam* 5. *lit. M*, ſed ita ornetur, ut appareat ex aliqua parte arundo, non baculus, ſeu quid aliud; de eadem arundine, præſertim de illius origine ſermonem iterum habebimus infra cum Gavanto *loc. cit.*

Item præparetur in Sacriſtia Thuribulum cum Navicula Incenſi, & etiam pelvicula argentea, vel ex alia materia, in qua ſint quinque grana Incenſi novi (quod maſculum vocat Paris Craſſus; *de Cæremon. Cardinal. & Epiſcop. lib.* 2. *c.* 48. *pag. mihi* 107. *a tergo*) pulchre elaborata in modum nucis Pineæ ferreiſque clavis ſuffulta, & in extremitate inaurata, modo tamen plus thuris appareat, quam alterius rei. Bauldry *ſupr. n.* 13. Biſſus *ſupra lit. S num.* 63. §. 10.

Si non ſit facienda Benedictio Fontis Baptiſmalis, vel etiam in ſuppoſitione, quod pro Miſſa ſolemni Celebrans, & Miniſtri Sacri Paramenta ſumunt in Sacriſtia, & ex ea ad Altare procedere debeant; tunc Candelabra pro Ceroferariis præparentur in Sacriſtia, ut prædicti Ceroferarii ea ibidem ſumentes cum Celebrante, & Miniſtris ad Altare pro Miſſa ſolemni procedant. Si vero ſit facienda benedictio Fontis Baptiſmalis, ſupradicta Candelabra ponantur ſuper Credentiam, ut finitis Prophetiis (paulo ante, & non prius Candelis prædictorum Candelabrorum accenſis, ſumpto lumine ex Cereo, vel ex una de tribus Candelis Arundinis) Ceroferarii ea ſumant ad aſſociandum de more Cruciferarium. Item hæc Candelabra ſuper Credentiam poni debent, ſi Celebrans, & Miniſtri Sacri pro Miſſa ſolemni Paramenta ſumant in loco Altari vicino, puta retro illud, quia tunc non ordinatur Proceſſio cum Ceroferariis, Celebrans enim paratus cum Miniſtris Sacris in loco vicino ſtatim eſt ad Altare. Biſſus *lit. S. num.* 63. §. 11.

II. Rubric. & Gavant. lit. b -- *Interim excutitur ignis de lapide &c.*) Pro novi ignis benedictione peæparari debet opportuno tempore ante Nonam, extra januam majorem Eccleſiæ, vel in atrio, vel in ipſius aditu (vel etiam in Clauſtro apud Regolares) pavimentum conſperſum herbis, & floſculis odoriferis, quibus etiam debet conſpergi via, qua procedendum eſt de illo ad Altare. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 8. *c.* 5. *n.* 4. Bauldry *ſupr. n.* 20. Hippolytus a Portu *cap.* 3. *de Sabbato Sancto Art.* 5. *num.* 15. In ſupradicto loco parari etiam debet menſa aliqua cooperta ſola Mappa munda, Caſtaldus *ſupr.* ſine Cruce, ſine Candelabris, Bauldry *ſupra n.* 14. Hippolytus a Portu cit. loc. ſupra hanc Menſam quaſi in cornu Evangelii ponatur Dalmatica, Stola, & Manipulus albi coloris pro Diacono. Caſtaldus, Bauldry *ſupra*, & alius Manipulus violaceus pro Subdiacono quaſi in cornu Epiſtolæ; Hi enim ibidem ſumere debent prædicta Paramenta facta ignis, & quinque Granorum Incenſi Benedictione, ut infra, niſi tamen aliud notetur. Biſſus *lit. C. n.* 556. §. 1. Item præparetur ibidem in medio Miſſale, Scamnum ſeu Scabellum, quod ſit a dexteris Celebrantis, ſeu Menſula mappa tecta, cui ſuperponatur vas aptum, in quo Carbones extincti pro benedicendo novo igne accendantur. Item paretur Baſia, ſeu duæ Candelulæ ſimul nexæ, ut difficilius extingui poſſint, & Laterna includens Candelam, nec non ligna ſulphurata, pro ponendo novo igne in Thuribulo, forcipes ferrei; Item Inſtrumenta omnia neceſſaria ad excutiendum novum ignem e ſilice.

In dictum locum ante acceſſum Celebrantis deportetur Arundo, quæ in ſummitate habeat tres Candelas extinctas, & ibidem tuto firmetur. Biſſus *lit. S. num.* 6. §. 2.

### De Præparandis in Eccleſia, ubi adeſt Fons Baptiſmalis. §. II.

Si Eccleſia habeat Fontem Baptiſmalem, locus ejus parari debet mediocriter, non ſumptuoſe, ut correſpondeat colori, qui primarie adhibetur a Celebrante, qui violaceus eſt, ac proinde non lætitiam, ſed mœrorem deſignat. Ita ſentit Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *c.* 3. *de Sabbato Sancta* §. *Paratur etiam*. Quamvis tamen Bauldry *ſup. n.* 16. & Biſſus *lit. F n.* 132. §. 1. velint, quod prædictus locus decentiſſime paretur cum Floribus, Velis cortinis, & tapetibus, & aliis hujuſmodi ornamentis albis ſi fieri poteſt, quia, ut ait præfatus Bauldry, hac die præcipue recolitur memoria Sacroſancti Sacramenti Baptiſmatis. Extra Cancellos Baptiſterii præparetur Credentia, ſive aliqua Menſa parva Mappa munda cooperta, ſupra quam poni debet una, aut altera Mappula plicata, ad manus celebrantis extergendas cum tetigerit aquam. Vas amplum, & vacuum implendum aqua, poſtquam benedicta fuerit ante oleorum infuſionem reſervanda pro ſequenti die, & pro domibus Fidelium. Item aliud vas conſuetum cum Aſperſorio, & Stola violacea pro Sacerdota ad Populi aſperſionem faciendam. Item ampullæ Oleorum Chriſmatis, & Catechumenorum, ad ea infundenda in aquam Benedictam dicti Fontis Baptiſmalis. Biſſus *ſup.* §. 1. & 2. Gerlacus Vinitor *part.* 6. *tit.* 13. *n.* 6. Bauldry *ſupr.*

Item Bacile cum mica Panis, & Bucale cum Aqua pro lavandis manibus celebrantis. Turrinus *ſupr.* necnon manutergium pro extergendis ejuſdem manibus ablutis; & bombaceum ad manus inunctas tergendas.

Supradicta tamen parari etiam poſſunt ante Fontis Benedictionem.

Per octo dies ante in ipſa Eccleſia niſi periculum immineat, nullus Infans baptizetur. Cærem. Epiſc. *l.* 2. *c.* 27. §. 18. Si igitur ſint aliqui baptizandi, parentur Veſtes albæ, Candelæ, Olea Sacra, & alia hujuſmodi ad baptiſmum neceſſaria, ut præſcribitur in Rituali Romano, & præterea Paramenta alba, ſcilicet Pluviale, & Stola ibidem, ut celebrans iis paratus actu baptizet Catechumenos. Bauldry *ſup. n.* 18.

Exponatur in Eccleſia, vel in Sacriſtia tabella, in qua deſcribantur nomina illorum, qui miniſtrare debent hac die, legere Prophetias, Populum aſpergere, baptizandos catechizare, neceſſariis providere, tamen ut omnia ſuo tempore fiant ſine tumultu, cunctatione, & mora. Bauldry *ſup. n.* 19.

His omnibus diſpoſitis, hora competenti datur ſignum crotalo ſeu Inſtrumento ligneo inchoandi officium, & deinde recitantur Horæ minores in Choro non accenſis luminibus. Bauldry *ſupr. art.* 2. *n.* 1. & 2. Vinitor *tit.* 14. *n.* 2. Memoriale Rituum *ſup. tit.* 8. *c.* 2. §. 5. *n.* 1.

### De Benedictione novi Ignis. §. III.

III. Rubric. & Gav. lit. c. -- *Dicta Nona, &c.*) Quando Nona dicetur in Choro, vel ſtatim poſt ipſam recitatam, Celebrans in Sacriſtia parabitur Amictu, Alba, nec non Stola, & Pluviali violaceis; Diaconus pariter Amictu, Alba, Stola, & Planeta plicata etiam violaceis, Subdiaconus pariter Alba, & Planeta plicata violacea, ſed ſine Manipulo, & denique tres, vel quatuor Acolythi induentur ſuperpelliceis. Cum hæc peraguntur in Sacriſtia, vel etiam dum recitatur Hora Sexta in loco ſupra deſcripto, a Sacriſta, vel ab alio excutitur a ſilice Ignis extra Eccleſiam, & accenduntur Carbones, qui ibi reperiuntur extincti, ut adveniente Celebrante reperiatur novus Ignis ibi accenſus, qui ab eo debet benedici. Ex Cæremon. Epiſc. *lib.* 2. *c.* 27. §. 3.

De Benedictione novi Ignis in Sacramentario Sancti Gregorii nulla fit mentio, & ex Epiſtola Zachariæ Romani Pontificis data ad S. Bonifacium Moguntinum Antiſtitem colligitur, Ignis novi a ſilice, ſeu Criſtallo extracti benedictionem ignotam fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Sæculo VIII. viguiſſe tamen in aliquibus locis, maxime in Galliis probat Bonifacii interrogatio, ad quam reſpondit præfatus Summus Pontifex. De hac Benedictione intelligendus videtur Leo Papa IV. in Homilia de Cura Paſtorali, ubi ait: *In Sabbato Paſchæ, extincto veteri, novus ignis benedicatur, & per Populum dividatur, & aqua ſimiliter*, Quæ quidem verba leguntur etiam in Epiſtola Synodica Ratherii Veronenſis Epiſcopi ad Presbyteros ſuæ Diœceſis, quæ reperitur in Spicilegio Dacheriano. Habetur etiam mentio de uſu excutiendi novum ignem ad Cereum Paſchalem accendendum in Ordine Romano Cajetani, in quo legitur: *Ignis excutitur de Criſtallo, ſive lapide, & accenditur*, & referuntur tres Orationes, quæ in Benedictione Ignis dicebantur. Carthuſiani novum Ignem non excutiunt Sabbato Sancto, quia Sacriſta Lucernam accenſam in fine Officii recondit, qua in accendenda lampade utitur, neque benedicunt Cereum Paſchalem. Alia ſpectantia ad originem, & Ritus prædictæ benedictionis novi Ignis in hac die legi poſſunt apud Edmundum Martene, *De antiq. Eccleſ. Diſciplina c.* 24. *n.* 3. necnon apud Grancolas *loc. ſuprac. c.* 65.

Reſumendo nunc priorem noſtrum Sermonem: dum excutitur extra Eccleſiam novus Ignis a Sacriſta, vel ab alio, Celebrans, & Miniſtri Sacri accedunt ad ſumenda Paramenta ſua ſibi reſpective convenientia; prout paulo ante diximus: Biſſus *Lit. P. n.* 28. §. 14. Deinde ita parati, præcedentibus Miniſtris, debito ordine, prout infra; alii de Clero procedunt omnes ad locum deputatum extra Eccleſiam, vel ad aditum illius, *ut ſupra*, pro benedicendo novo igne. Bauldry *ſupr. n.* 20. Biſſus *lit. S num.* 6. Vinitor *ſupr. n.* 3. Hic notandum occurrit, quod recitata Hora Nona, Dignitates, & Canonici non amplius ante Crucem Altaris genuflectunt, ſed profundam tantum faciunt inclinationem, Memoriale Rit. *ſupra* §. 6. *n.* 3. *in fine pag.* 288.

IV. Rub. & Gavant. lit. d. -- *Adſtantibus ſibi Miniſtris, &c.*) Ad locum igitur, in quo benedicendus eſt novus Ignis, ſequenti ordine procedendum eſt. Procedunt ſimul tres Acolythi, quorum qui eſt medius deſert Vas cum Aqua benedicta, & Aſperſorio intus, ad ejus ſiniſtram alter Acolythus, qui portat pelvim, in qua ſunt quinque grana Thuris pro Cereo benedicendo; Ad dexteram vero tertius Acolythus portans Thuribulum ſine igne, & Naviculam cum Incenſo, & Cochlea-

Digitized by Google

chleari intus: Sequitur Subdiaconus Epiſtolam cantaturus in Miſſa, necnon alter deferens Crucem ſolus ſine Ceroferariis, deinde ſecundus Cæremoniarius, niſi malit ante omnes incedere: a Portu *ſupra Artic.* 2. *Rubr.* t. *in Adnot. n.* 8. ſequuntur poſtea omnes de Clero, Nicolaus de Bralion *part.* 3. *c.* 13. *n.* 3. per ordinem, tum Cæremoniarius primus: a Portu *ſupra*; ultimo Celebrans tecto Capite habens Diaconum a ſiniſtris non elevantem fimbriam Pluvialis ipſius Celebrantis, & nudo Capite, ambo tamen manibus junctis procedunt ad locum, ut *ſupra*, facta prius debita reverentia Cruci, ſeu Imagini Sacriſtiæ.

V. Rubr. & Gav. lit. e -- *Ante portam Eccleſiæ*, *&c.*) Cum ad locum deſignatum extra Eccleſiam pervenerit Subdiaconus, ſiſtit ſe ad Portam Eccleſiæ, ei renes vertens, faciem vero ſuam, & Crucifixi Imaginem vertat Celebranti. Clerus autem hinc inde diſponitur, ita ut juniores Cruci viciniores ſint, & ſeniores Celebranti, qui Celebrans, facie ad Portam Eccleſiæ verſa, ſtat ante Menſam ibidem præparatam; Diaconus vero a dextris ejus, paulo tamen poſt eum, & ibidem tes Acolythi, qui ſupra, videlicet ad dextram Diaconi ille, qui de granis Incenſi, ad dexteram hujus alter de Thuribulo, & ad dexteram Thuriferarii ille de Aqua benedicta. Bauldry *ſup. n.* 6. Biſſus *ſup.* §. 4. Vinitor *ſup. n.* 4. & poſt hunc ſecundus Cæremoniarius; a ſiniſtris Celebrantis, ſed pariter paulo poſt eum primus Cæremoniarius, ad cujus ſiniſtram Clericus ſerviens de Libro, & ad hujus ſiniſtram Navicularius ſi adſit; a Portu *ſupra*.

VI. Rubr. & Gav. lit. f -- *Dicens manibus junctis*, *&c.*) Omnibus ut ſupra diſpoſitis, Celebrans deponens biretum (quod datur per Diaconum primo Cæremoniario, & per hunc alicui Acolytho) ſtans a dexteris Vaſis, in quo eſt ignis Benedicendus, junctis manibus, & nudo Capite benedicit præfatum novum ignem, ex Libro Miſſalis, (quem Acolythus aliquis tenet ſupra caput, ante eum) dicens ſine cantu in tono Orationis Miſſæ ferialis. Bralion *ſupr. num.* 6. *Dominus vobiſcum*, & tres ſequentes Orationes, ut in Miſſali, & dum format ſignum Crucis, Diaconus elevet fimbriam anteriorem Pluvialis a dexteris, & in fine Orationum a Choro reſpondetur *Amen* ſine cantu, ut *ſup.* Biſſus *cit.* §. 5. Bauldry *ſup.* Vinitor *ſup. n.* 5.

### De Benedictione Incenſi. §. IV.

VII. Rubr. num. 4. -- *Deinde benedicit quinque grana Incenſi*, *&c.*) igne novo benedicto, accedit (adhuc extra Portam Eccleſiæ) ſecundus Cæremoniarius, vel Acolythus, qui eſt ad dexteram Celebrantis habens pelviculam cum quinque granis Incenſi (quam ſubſtinet elevatam ante pectus) ante ipſum Celebrantem, qui non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, neque *Oremus* ob rationem, quam adducit Gavant. *ſupra* in hanc Rubricam, quaſi conjugens novam Benedictionem Incenſi cum præcedenti Benedictione ignis, dicit junctis manibus ſine cantu Orationem pro Benedictione prædictorum quinque Granorum Incenſis, incipiens abſolute ab illis verbis -- *Venias quæſumus*, *&c.* & dum ad verbum: *Benedictionis* format dextera ſuper grana ſignum Crucis, Diaconus elevat a dexteris Fimbriam anteriorem Pluvialis, *ut ſupr.* dictum eſt, Bauldry *ſupr. n.* 7. Biſſus *ſupr.* §. 6. Vinitor *ſupr. n.* 5.

VIII. Gavant. in Rub. 3. -- *De hiſce granis aperte meminit*, *&c.*) De his granis Incenſi fit etiam mentio in ordine Romano Amelii §. 78. & ab aliis recentioribus Auctoribus. Præter autem ignis Benedictionem, nonniſi in quibuſdam Eccleſiis, ut optime notat Martene *de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina c.* 24. *n.* 4. habebatur & alia Incenſi Benedictio, quæ in Miſſali Narbonenſi tribus Orationibus ab eodem Martene relatis complebatur; In Miſſali vero Toloſano unica dumtaxat pro Benedictione Ignis, & unica pro Benedictione Incenſi continetur, quæ cum in aliis Miſſalibus non reperiantur, exhibentur pariter ab eodem Martene *cit. loc.* Alias etiam diverſas Orationes, quas adhibent Eccleſiæ Viennenſis, Verdunenſis, Trojenſis, pro Benedictione Incenſi diverſas a Benedictione Ignis, innuit Claudius de Vert *tom.* 2. *ſuarum Explic. p.* 119.

IX. Rubr. & Gavant. lit. g -- *Sacerdos de Navicula*, *&c.*) Poſtquam Thuriferarius, dum benedicuntur grana Incenſi, acceptis forcibus poſuit carbones ardentes benedictos in Thuribulo, accedit cum eodem Thuribulo, & Navicula prope celebrantem, qui finita Oratione, miniſtrante Naviculam Diacono cum oſculis, ponit de more Incenſum in Thuribulo, dicendo: *Ab illo benedicaris*, *&c.* & producit ſignum Crucis, tum recedente Thuriferario poſt acceptam Naviculam a Diacono, accedit Acolythus a dexteris Diaconi cum Vaſe aquæ benedictæ, & Aſperſorio, quod Diaconus ſine oſculis accipit ab Acolytho, illudque cum oſculis ſolitis aſperſorii, videlicet, & manus, porrigit Celebranti. Biſſus *ſupr.* §. 7. Bauldry *n.* 8. Vinitor *ſupr. n.* 20.

X. Rubr. & Gav. lit. h -- *Ter aſpergit*, *&c.*) Celebrans deinde Aſperſorio accepto, ter aſpergit quinque grana Incenſi, ut deſcribit Gavantus ſupra dicens interim ſubmiſſa voce: *Aſperges me*, *&c.* & Diaconus recipiens a Celebrante Aſperſorium cum ſolitis oſculis manus, & Aſperſorii, tradit illud ſine oſculis Acolytho de Vaſe aquæ benedictæ. Biſſus, Bauldry, Vinitor; & a Portu *ſupr. Rubric.* 3. *in Adnot. num.* 6.

XI. Rub. & Gavant. lit. i -- *Ter adolet*, *&c.*) Deinde Diaconus accipit a Thuriferario ſine oſculis Thuribulum, illudque cum oſculis catenularum, & manus celebrantis, ei offert, qui ter incenſat grana Incenſi, & novum ignem eo modo quo aſperſit, nihil tamen dicens. Bauldry, Biſſus, Vinitor, & a Portu *ſupra*.

Quo facto, per aliquem Acolytum accenduntur prædictæ Candelæ ſimul nexæ, & intortæ, vel unica ſola Candelula de novo igne, & ſi opus ſit includuntur, aut includitur in Laterna, ne a vento forte flante extinguatur, (interim vero per aliquem Acolythum reportatur Vas cum igne in Sacriſtiam) & tunc lampades omnes Eccleſiæ per Sacriſtam extinguuntur, ut præſcribit Rubrica ſupra (relicta tamen accenſa illa, quæ ardet ante Tabernaculum, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum, ut infra. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *c.* 8. *num.* 8. *&* *c.* 13. *num.* 14.) ut de novo lumine benedicto ſuo tempore accendantur, ſicuti præcipitur a Rubrica *ſup.*

Finita ignis incenſatione, Diaconus (qui debet eſſe ille idem, qui in Miſſa, & Officio inſervire debet, & non alius ad hanc ſolam functionem, & ad cantandum tantummodo Præconium: *Exultet*, *&c.* ut male multi faciunt; Hoc enim repugnat omnino Rubricæ Miſſalis, neque in ullo habetur Cæremoniali, cum ſit quiddam addere, quod eſt contra Bullam Pii V. & maxime notandum cum Curſetto *tract.* 1. *part.* 2. *de Sabbato Sancto c.* 8. *n.* 5. & Hippolyto a Portu *ſupr. Rubr.* 4. *in Adnot. num.* 7.) recepto a Celebrante Thuribulo cum debitis oſculis, redditoque Thuriferario, tranſit ad ſiniſtram Celebrantis, & adjuvante aliquo Acolytho, depoſitis ſuper Menſam omnibus Paramentis violaceis, aſſumit Manipulum, Stolam, & Dalmaticam albi coloris nihil dicens. Subdiaconum hoc tempore, & loco Manipulum accipere debere volunt fere omnes allegantes Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *c.* 28. §. 1. ubi agitur de Officio Sabbati Sancti, Epiſcopo non celebrante. Sed ex Cap. præcedenti §. 12. in quo de eodem Officio, Epiſcopo celebrante, agitur, manifeſte colligitur Subdiaconum aſſumere debere Manipulum, quando celebrans, cantato Præconio a Diacono, Planetam, & Manipulum accipit. Igitur aut error irrepſit *Cap.* 28. §. 1. qui tamen neque in recognitione ſub Innocentio X. neque in nuperrima ſub Benedicto XIII. fuit correctus, aut utrumque fieri poteſt; Putat tamen Nicolaus de Bralion *ſup. n.* 7. ultimum eſſe multo conformius regulis Rituum ut facile Rubricarum arbitri judicabunt, ſcilicet ut non accipiat Manipulum ſupradictus Subdiaconus, niſi cum Celebrante.

### R U B R I C A.

5. *Tum Diaconus* (l) *indutus Dalmatica albi coloris accipit* (m) *Arundinem cum tribus candelis in ſummitate illius triangulo diſtinctis.* (n) *Præcedit Thuriferarius* (o) *cum Acolytho deferente in Vaſe quinque grana Incenſi*, (p) *ſequitur Subdiaconus cum Cruce*, *&* *Clerus per ordinem: deinde* (q) *Diaconus cum Arundine: poſt eum Celebrans; cum* (r) *Diaconus ingreſſus eſt Eccleſiam, inclinat Arundinem*, *&* *Acolythus deferens candelam accenſam de novo igne, accendit unam ex illis tribus candelis deſuper poſitis*, *&* *Diaconus elevans Arundinem genuflectit ſimiliter* *&* *omnes alii cum eo præter Subdiaconum Crucem ferentem*, *&* *cantat ſolus; Lumen Chriſti.* ℟. *Deo gratias. Et procedens ad medium Eccleſiæ, ibi accenditur alia candela*, *&* *iterum genuflexus, ut ſupra, altius cantat, Lumen Chriſti.* ℟. *Deo gratias. Tertio procedit ante Altare, ubi accenditur tertia candela*, *&* *rurſus genuflexus, ut prius adhuc altius dicit Lumen Chriſti.* ℟. *Deo gratias. Deinde Celebrans aſcendit ad Altare in cornu Epiſtolæ*, *&* *Diaconus dat Arundinem uni Acolytho*, *&* *accipiens librum petit a Celebrante benedictionem, ut fit ad Evangelium: Sacerdote dicente.* *&c.*

### G A V A N T U S.

A conſecratione luminis incipitur Paſchalis ſolemnitas, quia æternæ lucis contulit claritatem, *Rabon. lib.* 2. *c.* 38. Idem innuit *Concil. Tolet.* 4. *Canon.* 8.

(l) *Indutus Dalmatica*, *Ex Ord. Roman.* Cur autem ad Diaconum ſpectet proxima Cerei benedictio, etiam præſente Sacerdote? *Rupert. lib.* 6. *c.* 30. Inferioris, ait, Miniſtri eſt annunciare Chriſti reſurrectionem, ſicut inferior mulierum ſexus Apoſtolis ipſis eamdem nunciavit; vel quia Angelum ſignificat, qui movebat Hebræis Columnam nubis, & ignis, quam indicat Cereus, ut dicemus, *Gemma loco cit. c.* 102. Dalmatica feſtiva, & ideo congruit Benedictioni Cerei: *Exultet jam*, *&c.* accipit etiam Manipulum Diaconus, *ex Cærem. Epiſc. lib.* 2. *c.* 28.

(m) *Arundinem cum tribus Candelis*. De Arundine cum Cereo in eadem ſatis aperta eſt mentio in *Ord. Roman.* non tamen de tribus candelis; neque interpretes *Ord. Rom.* quidquam indicant de Arundine ipſa: candelæ in calce unum quid eſſe deberent, & deinde diſtingui in tres, ad deſignandum myſterium Unitatis, & Trinitatis Dei; fortaſſe ſignificat Arundo

Digitized by Google

do humilitatem paſſionis Chriſti, ex qua in fine patuit major gloria Unitatis, & Trinitatis Dei. Patuit autem veluti lumeo Chriſti, qui in Trinitate eſt Deus, vel, *ex Athanaſ. de Paſſione*, ſicut Arundo ſerpentes necat: ita Paſſio Chriſti diabolum vicit: ſolet ornari floribus: ſed ita ornetur, ut appareat ex parte Arundo, non baculus, ſeu quid aliud.

(n) *Præcedit Thuriferarius.* Poſito prius incenſo a Celebraote.

(o) *Cum Acolytho deferente, &c.* Nempe a dextris Thuriferarii.

(p) *Sequitur Subdiaconus.* Et hic etiam cum Manipulo, *Ex Cærem. Epiſcop. loc. cit.* coloris autem violacei.

(q) *Diaconus cum Arundine.* Ad cujus ſiniſtram ſtat Acolythus cum candela accenſa de novo igne, & ſi opus eſt, intra lanternam, ne a vento extinguatur in Proceſſione.

(r) *Diaconus ingreſſus.* Et cum ingreſſus eſt etiam Celebrans poſt eum (non ante) inclinet Arundinem, ut celebrans quoque genuflectat in Eccleſia.

## R U B R I C A.

6. *Poſtea vadis ad pulpitum, & ponis ſuper eo librum, & incenſat: a dextris Diaconi ſtent Subdiaconus cum Cruce, & Thuriferarius: a ſiniſtris duo Acolythi, ille qui tenet Arundinem, & alius tenens in vaſe quinque grana incenſi benedicta figenda in Cereo. Tunc ſurgentibus omnibus, & ſtantibus, ut fit ad Evangelium,* (ſ) *Diaconus cantat.*

## G A V A N T U S.

(ſ) *Diaconus cantat.* Non ſignat librum, neque ſeipſum; neque imponitur incenſum de novo in Thuribulo: quod notaſſet aliquis Ritualis liber, ſi de novo imponendum eſſet: & vere ſufficit impoſitio incenſi facta ſemel, & proxime in ordine ad *Lumen Chriſti*, & Cereum. Miniſtri vero hinc inde ſtantes reſpiciunt librum, ut Diaconus, rectam quaſi efformantes lineam cum Diacono, ita tamen ut latera, non terga vertant Altari.

7. Quod attinet ad benedictionem Cerei magni, *Ordo Roman.* habet *Exultet jam, &c.* dicitur eſſe S. Ambroſii *ab Honor. in Gemma lib. 3. cap.* 112. ſed excepto procemio, diſcordat noſtra ab Ambroſiana, ut videre eſt *in Miſſali Ambroſ.* tribuitur S. Auguſtin. *in Miſſali Gothico tom. 6. Bibl, PP,*

Cereus autem benedicitur ex Decreto Zoſimi Papæ, *Alcuin.* ſed Prudentius ante Zoſimum cecinit Hymnum de hoc Cereo: *Martinus Polonus* auctorem facit Theodorum I. Anno 643. *Baron. Ann.* 418. docet, conceſſiſſe Zoſimum, ut etiam in Parochiis benedici poſſet, nedum in Eccleſiis principalibus.

8. Significat autem Cereus Chriſtum reſurgentem, & quidem cera corpus, elychnium animam, lumen Deitatem deſignat, *ex Durand. loc. cit. cap.* 80. antequam vero illuminetur, repræſentat columnam oubis; illuminatus autem columnam ignis, quæ præcedit Catechumenos hodie tranſeuntes per mare Baptiſmi, *idem Durand. ibidem*. Crucis figura in Cereo ſolet inſcribi, ut Chriſtum demonſtret Crucifixum *Rupert. lib. 6. cap.* 26. ſed grana quinque incenſi in formam Crucis in eo confixa idem ſonant, & aperte plagas ejus quinque, *ex eodem Durand.*

9. Ordo figendi grana eſt, ut primum in ſuperiori parte, alterum in media, tertium in inferiori, quartum in dextera Cerei, quintum in ſiniſtra figatur.

10. Habet etiam myſterium, quod Diaconus accendit Cereum, non cum candelula, ut aliqui ſcripſere, ſed *immediate* (ait Rubrica) *cum una ex tribus candelis in Arundine poſitis*. Dicerem ego, tacentibus aliis, ſicut tres illæ candelæ inclinantur verſus Cereum, & cum una tantum ex iis accenditur; ita Reſurrectio Chriſti eſt effectus quidem totius Trinitatis, ſed potiſſimum Verbi, quod animam carni rurſus univit, & immortalitatis glorioſa luce veſtivit; quam rationem afferebam Recognitoribus Miſſalis ſub Clemente VIII. quando hic Ritus fuit ſtabilitus, & fuit approbatus etiam in *Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap.* 27.

11. Accenduntur deinde lampades, ſumpto lumine a Cereo ipſo, vel a candelis Arundinis, ut ſicuti, *ex Alcuin.* Cereus ſignificat novam gratiam, & doctrinam Chriſti; ita ut ab eodem oriri demonſtretur, tum gratia, tum doctrina Apoſtolorum, qui ſunt lux Mundi: & Chriſtus ipſe reſuſcitatus ſtatim accendit in Apoſtolis ignem Spiritus Sancti, quando inſufflavit, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, in ipſo die Reſurrectionis, *Rupert. lib. 6. cap.* 29.

12. In fine benedictionis Cerei, excepto Papa, Epiſcopo, & Imperatore, cui additur Electi titulus, ſi nondum eſt coronatus, nemo alius nominari debet, inconſulta Sede Apoſtolica; quidquid ſcripſere alii: qui tamen hanc additionem pridie fieri prohibent: at quæ major eſt ratio, cum Pius V. in ſua Bulla additiones omnes prohibuerit? Sede Romana, vel Epiſcopali vacante, tacetur nomen Papæ, vel Epiſcopi.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

### Pro Ritibus ſervandis ab accenſione novi luminis, & benedictione Cerei uſque ad cantum Prophetiarum.

### De accenſione novi luminis. §. V.

XII. Gavant. *A conſecratione luminis incipitur Paſchalis Solemnitas, &c.*) Ex veteri majorum conſuetudine, ut optime oſtendit Ludovicus Thomaſſinus *lib. 3. cap.* 14. de celebratione dierum Feſtorum, lumen diebus ſingulis, ſive Feſtivalibus, ſive Privatis, nocte fere adventante cum precibus accendebatur, & lampas, vel Cereus offerebatur veluti Sacrificium quoddam Divinum, illud JESU Chriſti indicans: ſed Sabbatis ſingulis ſolemniori Ritu, ſolemniſſimo tamen in Paſchæ Pervigilio id peragebatur. Verum ſub finem Sæculi XI. iſtiuſmodi mores ſublati videri poſſunt; ſiquidem Lanfrancus, qui ea ætate floruit, tradit eos viguiſſe apud Monachos quintis, ſextiſque Feriis: *Plurima Monachorum Cœnobia feciſſe hanc ad ſanctificandum ignem Proceſſionem, non Sabbato tantum Sancto, ſed in quinta etiam, & ſexta Feria Secretario præferente Cereum, &c.* In ejuſmodi tantum Cœnobiis ii Ritus adhibebantur poſtremis tribus diebus majoris hebdomadæ. Ex Glabro Radulpho autem *lib. 4. Hiſtoriæ cap. 6.* colligitur Sabbato Sancto dumtaxat veteris prædicti moris reliquias ſuperfuiſſe. Audivit enim de Aurelianenſi quodam Epiſcopo a Palæſtina, & Hieroſolymis redeunte, dum Populus accenſas lampades conſpicere in votis haberet, ignem divinitus, ex una earum erumpentem alias inflammaſſe. En verba Glabri -- *Eodem tempore Oldaricus Aurelianenſium Præſul illuc pergens, quid viderit, nobiſque narravit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab univerſo Populo præſtolatur, ibi cum Ceteris idem Præſul adſtabat. Jamque dies ipſa in Veſperum tranſiens, &c. ſtatim Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quæ ſeptem ibi pendere cernuntur, curſim eructando cæteros inflammavit* -- Hæc Glaber *cit. loc.* Similis miraculi mentionem quoque facit Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi agens de itinero Hieroſolymitano Riccardi Abbatis S. Victoris, hæc habet -- *Venit dies Sabbati Sancti, quo expectabatur ignis a Domino, & Gentiles armati Chriſtianis introconcluſis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne ſuſcipiendo præſtolantibus, totam obſervaverant Eccleſiam: ut ſi ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur: Cum ecce hora circiter nona omnibus orantibus, in una lampade ignis accenſus eſt a Domino, nullius mortalium ſuffragante adminiculo: & Gentiles ſtupor apprehendit, & pavor; Chriſtianos vero gaudium, & exultatio, ut ab omnibus tota certatim caneretur Eccleſia*: Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. De hoc prodigio inſigni quotannis ad Sanctum Domini Sepulcrum contingere ſolitum mentio quoque fit in Hiſtoria Belli Sacri *num.* 102. Muſæi Italici *tom.* 1. & in Sermone Urbani Papæ II. habito in Concilio Claromontano, nec non in Chronico Caſſinenſi Leonis Marſicani *lib. 3. cap.* 3. Rurſus de hoc pariter portento ſermonem faciunt Anonymus de Locis Hieroſolymit. num. 1. Bernardus Monachus in Itinerario *tom. 1. cap.* 10. Wilielmus Malesburgh. *lib. 4. Hiſtoriæ Anglicanæ pag.* 140. Du Freſne, ſeu Du Cange, ſub quo nomine communiter allegatur *tom. 2. editionis veteris ſui Gloſſarii lit. Z. v. Ignis Sacer*. Du Sauſſay in *Panoplia Sacerdotali cap. 6. n....* Edmundus Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap. 24. §. 9.* Hinc ad normam hujus miraculi, & ne ejus memoria pereat, optime ſancitum eſt, ut conſervetur Benedictio novi Ignis in Sabbato Sancto, & nonniſi ex eo accendantur Lampades, & Cerei, & ſic incipiatur Officium Reſurrectionis Domini.

XIII. Rubr. & Gavant. lit. l -- *Tum Diaconus indutus Dalmatica, &c.*) Deinde Celebrans iterum imponit, & benedicit Incenſum in Thuribulo pro Proceſſione, & Præconio, miniſtrante Diacono jam Dalmatica induto Naviculam cum ſolitis oſculis, & Thuriferario Thuribulum; ex Cæremoniali Epiſcopor. *lib. 2. cap. 27. §.* 3. Biſſo *ſupra* §. 9. Bauldry *ſupra n.* 10. Vinitore *ſupra n.* 9. Turrino *part. 3. ſect. 2. cap.* 3. & Corſetto *ſupra n.* 6. Imo adverti debet, talem Thuris quantitatem eſſe imponendam, ut ſufficere poſſit pro incenſando libro, antequam Diaconus cantet Præconium, quia, ut videbimus *infra*, non debet poni aliud incenſum pro dicta libri thurificatione. Bralion *cap. 13. n.* 12.

XIV. Rubr. & Gavant. lit. m -- *Arundine cum tribus candelis, &c.*) Diaconus paratus ut ſupra, redditaque Navicula Thuriferario, poſt impoſitionem incenſi, accipit dextera Arundinem. Bauldry *ſupra*; quam ei porrigit primus Cæremoniarius: a Portu *ſupra n.* 2. & ordinatur Proceſſio modo ſequenti.

### De Proceſſione ad Eccleſiam cum Arundine. §. VI.

XV. Gavant. lit. m -- *De Arundine cum Cereo in eadem, &c.*) Antequam deſcendamus ad deſcribendum ordinem prædi-

Digitized by Google

dictum Proceſſionis, aliqua addenda occurrunt, & obſervanda de prædicta Arundine, de qua quamvis in Ordine Romano a Caſſandro, & Hittorpio edito, aliqua fiat mentio, nullum tamen, ut obſervat Gavantus, habetur verbum de tribus candelis in ejus cuſpide poni ſolitis. Imo de eadem Arundine neque ſermonem habent prædicti Ordinis Romani interpretes; verum & de prædicta Arundine, & de prædictis tribus candelis expreſſus ſermo habetur in Ordine Romano Cajetani, ubi §. 94. legitur quod *Diaconus junior accipit Arundinem trium cubitorum, & dimidii cubiti, triplicem candelam, quam de novo igne illuminatam imponit Arundini, &c.* Ruſus de eadem Arundine, & prædictis tribus candelis fit etiam mentio in Ordine Romano Amelii, & in Pontificali MS. Eccleſiæ Apamienſis in Syria, cujus verba referuntur ab Edmundo Martene *de antiq. Eccleſ. diſcipl. cap. 29. pag. mihi 442.* ubi legitur, quod *Benedicto novo igne junior Diaconus, .... de ipſo novo igne triplicem candelam conjunctam accendat, & eam in capite Arundinis ponat, ipſam Arundinem in manu tenens, &c.*

Quis tamen fuerit Auctor Arundinis, & cui Sæculo referenda ſit ejus origo, penitus ignoratur, Biſſus *lit. A n. 460. §. 4.* cum multum de origine talis Arundinis quæſierit, fatetur ſe nihil inveniſſe. Martene *loc. cit.* ubi erudite ſatis ſuo more diſſerit de Ritibus Officii hujus diei, nullum verbum facit de origine hujus Arundinis; ſed Claudius de Vert *tom. 2. ſuarum Explicat. pag. 132.* cenſet hanc Arundinem, & dictum Cereum in tres ramos diviſum, in ſua origine nihil aliud fuiſſe, niſi candelulam Baculo, vel Arundini circumvoluta in ejus ſummitate, ut etiam hodie adhiberi ſolet ad accendendas Altaris candelas, & dicebatur juxta verba antiquorum Cæremonialium: *Ponere candelulam in modum ſerpentis, ſeu colubri.* In Eccleſia Cameracenſi lumen, quod inſervit de accendendum Cereum Paſchalem, circumvolvitur cuidam virgæ rubei coloris. Hæc Arundo in veteri Diſciplina Monaſtica, edita a Marquardo Heergott Monacho Benedictino S. Blaſii in Germania *cap. 68.* vocatur *Pertica cum candelis*, quæ a Matriculario, nempe a ſocio majoris Sacriſtæ præparatur, ut a Diacono inde Cereus de igne conſecrato illuminetur; & in Eccleſia Conſtantienſi hæc Arundo nihil aliud eſt, niſi quædam Pertica, circa quam retorta habetur quædam Diaconi effigies, ſupra cujus caput reperitur *hic Cereus intorquatus*, ut exprimitur in antiquis Cæremonialibus illius Eccleſiæ. In Pontificali vero Eccleſiæ Pictavienſis, & in Miſſali MS. Eccleſiæ Arelatenſis iſte Cereus trium candelarum, dicitur, quaſi ſit diſpoſitus in modum *Colubri*, in figuram *Serpentis*; & in Pontificali Guilelmi Durandi præſcribitur, Subdiaconum deferre in cuſpide Baculi intorto in formam Serpentis tres Cereos, qui accenſi fuerunt ex novo igne. Joannes vero Abrincenſis, Cereus, inquit, accendatur in quadam Haſta, in cujus ſummitate effigies Serpentis habeatur; & in Cæremoniali Cluniacenſi, necnon in Concordia S. Dunſtani deſcribitur hæc Haſta cum imagine Serpentis, cum candela, quæ in ore prædicti Serpentis infixa eſt.

Ex hucuſque dictis, patet antiquiſſimum eſſe prædictæ Arundinis uſum, ad accendendum Cereum Paſchalem. Solum ſupereſt inquirendum, quandonam incœperit candela talis Arundinis in calce unum quid eſſe, & deinde diſtingui in tres candelas, veluti ramos. Quamvis non deſint, qui cenſent, originem prædictarum trium candelarum repeti debere ab uſu adhibendi tres candelulas ſimul nexas ad modum parvuli intortitii, ne flante vento facile extingui poſſit, ſicut etiam præcipitur ab aliquibus Cæremonialibus recentibus, nimirum quod ob eundem finem deferatur, vel aliqua candelula in lanterna accenſa, vel aliquæ candelulæ ſimul intortæ, quibus accendi poſſunt in Eccleſia tres prædictæ Arundinis Candelæ, quamvis, inquam, aliqui originem trium candelarum noſtræ Arundinis prædicto Ordinario uſui referant, nihilominus valde antiquam in Romana Eccleſia crederem uſum prædictarum trium candelarum ab antiqua forma triceræi Græci deſumptum, ad deſignandum, ut optime Gavantus interpretatur, myſterium Unitatis Divinæ Eſſentiæ, & Trinitatis Divinarum Perſonarum, & quidem ubi Ritus Latinus præſcribit, ad novum luminis fulgorem cani debere: *Lumen Chriſti, Deo gratias*; Græci juxta Ritum ſuum Orientalem, Sanctam Trinitatem laudibus efferebant, quod etiam confirmatur auctoritate S. Baſilii, qui *cap. 29. de Spiritu Sancto*, ait: *Populus autem antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt: Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei.* Quapropter clariſſimus Vir Ludovicus Thomaſſinus *lib. 2. cap. 14.* de dierum Feſtorum celebratione *num. 7.* ait -- In Trinitatis honorem Cereum in tres diviſum accendimus, rati nos Jeſu Chriſti lumine fuſos Trinitatis penitiore Myſteria noſſe.

XVI. Rubric. & Gavant. lit. n -- *Præcedit Thuriferarius, &c.*) Redeundo nunc, unde diſceſſimus, nimirum ad ordinem Proceſſionis deſcribendum, hæc incipit a Thuriferario, qui cum Thuribulo fumigante in dextera, & Navicula in ſiniſtra, omnes præcedit.

XVII. Rubr. & Gavant. lit. o -- *Cum Acolytho deferente, &c.*) A dexteris prædicti Thuriferarii, ut innuit Gavantus, erit Acolythus, qui deferre debet Bacile cum quinque granis Incenſi, quod portat ambabus manibus elevatum. Cæremon. Epiſc. *ſupra §. 6.*

XVIII. Rubric. & Gavant. lit. p -- *Sequitur Subdiaconus, & hic cum Manipulo, &c.*) Poſt prædictos ſequitur Subdiaconus Crucem deferens, de cujus Manipulo ſupra ſermonem fecimus. Hic Subdiaconus obſervare debet, ut opportune, & loco convenienti ſe ſiſtat, cum Diaconus dicturus eſt: *Lumen Chriſti.*

XIX. Rubr. & Gavant. lit. q -- *Diaconus cum Arundine, &c.*) Poſt Subdiaconum ibunt bini duo Acolythi, deinde Navicularius, ſi adſit, & Clericus de libro: a Portu *ſupra n. 5.* & poſtea incedet Clericus per ordinem, junioribus præcedentibus; poſt Clerum Diaconus portans ambabus manibus Arundinem, habens ad ejus ſiniſtram ſecundum Cæremoniarium cum candela una parva, vel duabus ſimul nexis accenſis de novo igne. Cærem. Epiſcop. *ſupra*, & Bauldry *ſupra n. 8.* ſive etiam candelulam in laterna cum lignis ſulphuratis, ut innuimus *ſupra*; & ultimus omnium procedit Celebrans manibus junctis, & tecto capite. Interim aſportantur per aliquos Miniſtros reliqua de Menſa prædicta, nimirum ignis, vas aquæ benedictæ, forcipes, & alia quæ ibidem ſunt. Paramenta autem violacea reponuntur in tali loco, ut Diaconus commode ea recipere poſſit, cantato Præconio, ut *infra.* Biſſus *ſupra §. 9.* Bauldry *ſupra n. 11.* a Portu *ſupra n. 8.*

XX. Rubr. & Gavant. lit. r -- *Diaconus ingreſſus, &c.*) Cum Diaconus, aliis præcedentibus, fuerit ingreſſus Eccleſiam, & poſt eum Celebrans (ut hic etiam poſſit intra Eccleſiam genuflectere. Gavantus *ſupra*, Corſettus, a Portu *ſupra*) qui ſtatim caput detegit, ſi ibi teneat biretum, ſe ſiſtent omnes, & Diaconus caute Arundinem inclinat, tunc Cæremoniarius ſecundus deferens candelam accenſam de novo igne accendit unam ex tribus candelis in ſummitate Arundinis poſitis, & ſtatim Diaconus elevat Arundinem; deinde tam ipſi, quam alii omnes, etiam Celebrans (adjuvante primo Cæremoniario, ſi opus eſt. A Portu *ſupra n. 11.*) genuflectunt utroque genu: præter Subdiaconum Crucem deferentem. Diaconus itaque ſic genuflexus elevat aliquantulum Arundinem, & tono mediocri, claro tamen, & ſonora voce cantat: *Lumen Chriſti*, quo audito Celebrans, & omnes alii ſurgunt, & Chorum reſpondet in eodem tono *Deo gratias*; quod ſi nullus adeſſet Chorus, præter Clericos interceſſentes Proceſſioni, reſponderent iſti, ut *ſupra*: *Deo gratias*. A Portu *ſupra n. 12.* Tum ulterius procedunt omnes, & cum Diaconus ad medium Eccleſiæ pervenerit, iterum omnes ſiſtunt ſe, & Diaconus iterum inclinat Arundinem, & a Cæremoniario, ut *ſupra*, accenditur altera ejuſdem candela, ut prius, & eodem modo cum omnibus genuflexis (ſolo Subdiacono excepto) ipſe Diaconus genuflexus altius elevans Arundinem, & altius elevans vocem, cantat: *Lumen Chriſti*; inde ſurgunt omnes, ut ſupra, & eodem altiori tono reſpondetur per Chorum: *Deo gratias*; mox omnes ulterius procedunt verſus Altare, ante cujus infimum gradum in plano ſe ſiſtent Thuriferarius, & alter Acolythus ferens quinque grana Incenſi. Poſt eos ſiſtet ſe Subdiaconus, vel ſaltem ſi planum ſit anguſtum, medius inter eos; alii autem de Choro ſe ſiſtent hinc, & inde ad ingreſſum Presbyterii, ſenioribus Altari vicinioribus; vel ſi Chorus ſit juxta Altare, intrantes in Chorum, non aſcendent ad Presbyterium, ſed hinc inde ſtantes, facta tranſeunti Celebranti inclinatione, petent locum ſuum. Diaconus vero cum Cæremoniario ſecundo, vel Acolytho a ſiniſtris per medium eorum tranſiens, ſtabit retro Subdiaconum, & poſt Diaconum Celebrans, ut antea, & ibidem ipſe Diaconus tertio inclinabit Arundinem, prædicto Cæremoniario, vel Acolytho tertiam candelam accendente, & genuflexus Arundinem, & vocem adhuc altius elevans cantabit: *Lumen Chriſti*, cui omnes, ut *ſupra* genuflexi reſpondebunt: *Deo gratias*. Ex Cæremoniali Epiſcop. *ſupra §. 7.* & ex Cæremoniali Monaſtico *lib. 4. cap. 10. §. 8.* necnon ex Biſſo *ſupra §. 10.* Bauldry *ſupra n. 12.*

Quo tertio facto, Clerus accedit, factis debitis reverentiis, ad locum ſuum in Choro, præcedentibus junioribus; & Celebrans, depoſito bireto in manibus primi Cæremoniarii (qui imus fimbrias elevabit de more) aſcendet ad Altare, & oſculabitur, ut mos eſt, illud in medio, & accedet in cornu Epiſtolæ; ibique ſtabit converſus ad Altare, donec benedicat Diaconum. Cæremoniarius vero primus, poſtquam Celebrans aſcenderit ad Altare, & ipſe depoſuerit Celebrantis biretum ſuper ejus ſedem, revertetur ad Celebrantem, & poſt eum ſtabit toto Præconii tempore. A Portu *ſupra n. 19.* Diaconus vero ſtans adhuc in plano dat Arundinem Acolytho ad id deputato, & accipit de manu ſecundi Cæremoniarii (ſtatim ut ipſe laternam, & candelam tradiderit Sacriſtæ, vel ſuper Credentiam depoſuerit) Miſſale velo albo tectum, & deinde eodem ſecundo Cæremoniario comite, genuflectens in medio, aſcendit idem Diaconus ad ſupremum gradum Altaris, ubi fere in medio ſuper oram ſuppedanei genuflexus, & non miniſtrans incenſum de novo, neque præmittens *Munda cor meum* (Miniſtris aliis ſtantibus) petet abſolute benedictionem a Celebrante, facie ad eum verſa dicendo: *Juve Domine*

be-

benedicere; & Celebrans ſtans verſus illum reſpondet: *Dominus ſit in corde tuo*, &c. prout in benedictione ad Evangelium, ſed loco *Evangelium ſuum*, dicit *ſuum Paſchale Præconium*, ut peculiariter notatur in Miſſali. Dicens vero *in nomine Patris*, cum benedicit, ſed ejuſdem Cebrantis manum poſt benedictionem idem Diaconus minime oſculatur, juxta præſcriptionem Cæremonialis Epiſcopalis *lib.* 2. *cap.* 27. §. 9. In hac enim ſacra functione apertis verbis præſcribitur, quod dicta benedictio, abſque oſculo manus in fine accipiatur. Quapropter quamvis a Rubrica Miſſalis hic in proprio loco dicatur, quod Diaconus petit benedictionem ut ad Evangelium, nullum tamen dicta Rubrica verbum facit de oſculo manus; quoniam vero Cæremon. Epiſcop. *loc. cit.* expreſſe diſponit, ne dictus Diaconus oſculetur manum Celebrantis, ſequitur ut dicta Rubrica Miſſalis non exigat in hac functione, niſi ut Celebrans benedicat Diaconum, non vero ut hic oſculetur manum illius, ſicut volunt omnes fere Rubriciſtæ, non advertentes forſan prædictam Cæremonialis Epiſcopalis diſpoſitionem.

Notandum tamen præterea hic eſt ad lucidiorem hujus Rubricæ explicationem, & continuo mente eſt retinendum, quod quando Miſſale, & Cæremoniale diſcrepant in præſcribendo aliquo Ritu, non ideo ita ſibi contradicere dicendum eſt, ut unum prohibeat, quod alterum præſcribit, ſed quoad fieri poteſt conciliandæ ſunt eorumdem diſpoſitiones; Cum vero aliquis Ritus expreſſe præſcribitur in uno, ut contingit in noſtro themate, quod reticetur in alio; convenientius, & ſecurius eſſe videtur, quod Ritus expreſſe præſcriptus ad praxim reducatur, non vero tacitus, ſeu obſcurus, ſicut in hac Sacra Præconii functione de dicto oſculo manus accidit. Nec obſtat ratio, quam in contrarium adducit Nicolaus de Bralion *ſupr. n.* 11. tam pro ſe, quam pro reliquis Rubricis, qui hac in re nullam pro ſua opinione afferunt rationem; Quia prohibitio expreſſa oſculi manus, non poteſt intelligi de oſculo manus Epiſcopi ante petitionem benedictionis, ſicut talis manus deoſculatio præcipitur in ſupradicto Cæremoniali *lib.* 2. *c.* 8. §. 42. ut vult ſupracit. Nicolaus de Bralion, quia forſitan in tantum Diaconus in Miſſa Pontificali oſculatur manum Epiſcopi ante Orationem, *Munda cor meum*, ut ibi, ſive ante benedictionem; in quantum dum accedit ad recipiendam benedictionem Epiſcopi, aut ei profunde ſe inclinat, ſi fuerit Canonicus; aut utroque genu flectit ſi fuerit Beneficiatus in plano ante, & prope ultimos gradus Sedis Epiſcopalis; Et propterea cum non parum diſtet ab Epiſcopo, non poteſt commode manum illius oſculari, & ideo videtur appoſite Cæremoniale Epiſcop. præſcripſiſſe, ut oſculatio manus Epiſcopi, Pontificaliter Celebrantis, ſeu Aſſiſtentis, præmitteretur ejuſdem benedictioni; quod tamen locum non habet in alio Celebrante, cum Diaconus petens ab hoc ipſo benedictionem, aſcendat ad gradus Altaris, & ſuper ejuſdem ſuppedaneo genuflectat, ſi fuerit beneficiatus, ſi vero fuerit Canonicus, profunde in gradu prope ſuppedaneum ſeſe inclinet. Deinde conſidero, quod pro cantando Evangelio, ſemel tantum Diaconus oſculatur manum Epiſcopi, nimirum ante benedictionem. Cum autem *cit. loco* præſcribat Cæremoniale, quod Diaconus petere debet ab Epiſcopo benedictionem abſque oſculo manus, ſequitur hic prohiberi illud manus oſculum, quod dari ſolet, quando cantatur Evangelium. Quod ſi prohibetur oſculatio manus Epiſcopi in prædicto caſu, multo magis prohibetur oſculatio manus alterius Celebrantis inferioris Epiſcopo, & hæc noſtra opinio conſonat praxi Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis.

## De Cerei Benedictione. §. VII.

XXI. Rubr. num. 6. -- *Poſtea vadit ad Pulpitum*, &c.) Diaconus igitur, accepta benedictione, non oſculata tamen manu Celebrantis, ut diximus, ſurgit, & deſcendit in planum, ubi in medio ante infimum gradum Altaris genuflectit unico genu cum aliis Miniſtris, exceptis Subdiacono, & Miniſtro Arundinem ferente, tum ſurgunt omnes, & procedunt factis debitis reverentiis Choro, ſi ſit juxta Altare, ad locum deputatum pro cantando Præconio (qui locus eſſe debet in cornu Evangelii in plano Presbyterii, vel in aliquo Pulpito, niſi ſit contraria conſuetudo legitime introducta) ſequenti modo: Præcedit ſecundus Cæremoniarius, tum Thuriferarius cum Navicula habens a dextris Acolythum deferentem pelviculam cum quinque granis Incenſi, poſtea ſequitur Subdiaconus cum Cruce, habens a ſiniſtris Acolythum cum Arundine, poſtmodum unus Acolythus vacuus, ut ſuo tempore amoveat Cereum a Candelabro (ſuper quo præcedenter fuit collocatus) & ad ejuſdem Acolythi ſiniſtram alter Acolythus cum Candelula ad accendendas Lampades ſuo tempore; Ultimo tandem Diaconus ſolus portans Miſſale clauſum ante pectus, Biſſus *ſupra*, & a Portu *ſupra*.

Cum pervenerint ad locum deſignatum, ſic ſe locant: Diaconus in medio ſupra Ambonem, vel ante Legile, ſuper quod ponit Miſſale; Subdiaconus ſtat ad dexteram Diaconi vertens faciem Crucifixo, quæ eſt in Cruce ad Celebrantem. Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 27. §. 10. & a dexteris Subdiaconi Thuriferarius, a ſiniſtris Diaconi Acolythus cum Arundine, & alius Acolythus, tenens quinque grana Incenſi a ſiniſtris dicti Acolythi de Arundine, Bauldry *ſupr. num.* 3. Vinitor *ſupra tit.* 15. *n.* 2. Cæremoniarius ſecundus ſtabit poſt Diaconum, ut ad Evangelium. Rubr. *ſupra*; Qui omnes vertere debent faciem prout Diaconus ad Librum, & formare cum eo rectam lineam. Verum quamvis nonnulli Rubriciſtæ præſcribant, ut prædicti omnes latera dextera vertant ad Altare, faciem ad Aquilonem, renes ad Meridiem, & idcirco Legile ſtatuendum eſſe juxta hanc conſiderationem: Nihilominus certum eſt, quod ſaltem quando Præconium canitur in Pulpito, ſeu Suggeſtu, tunc Diaconus non cantat facie verſa ad Aquilonem, ſed potius ad Meridiem, nimirum ad Celebrantem, & cum præſcribatur a Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 27. quod prædicti omnes Acolythi debeant vertere facies prout ipſe Diaconus; Hinc ſequitur, quod ſicuti Diaconus in Pulpito canit Præconium, verſa facie ad Celebrantem, & Meridiem; Ita pariter hoc eodem modo cæteri manere debent, non autem vertendo renes ad Meridiem, & facies ad Aquilonem. Et idem faciendum eſſe cenſeo, ſi canatur Præconium ſuper Legile, quod aptari deberet eo modo, ut Diaconus cantet Præconium facie verſa ad Sacerdotem, inhærendo enim Gavanto ſupra, ſufficit, ut prædicti Miniſtri efformantes lineam cum Diacono, qui eſt in medio, latera, non terga vertant, Altari: ubi obſervandum eſt, Gavantum non dicere, ut latera *dextera* vertant Altari, ſicut explicat Bauldry *ſupra art.* 3. *n.* 3. & alii cum eo.

XXII. Gav. lit. f -- *Non ſignat Librum, neque ſe ipſum*, &c.) Miniſtris omnibus diſpoſitis, *ut ſupra*, Diaconus ſtatim Librum deponet ſuper pulvinum in Pulpito, vel Legili poſituro, eumque aperit; & ter incenſat, ut ad Evangelium, Thuriferario Thuribulum miniſtrante ſine oſculis, quo incenſato, ſtatim reddit Thuribulum Miniſtro, qui ſtatim ad locum ſuum redit, nempe a dexteris Subdiaconi. Tum Diaconus non ſignans Librum, neque ſe ipſum, alta, & ſonora voce, junctis manibus incipit cantare Præconium abſolute dicens: *Exultet*, &c. Omnes interim in Choro ſtabunt verſus Altare detectis Capitibus, & Celebrans ſtatim ſe convertit ad Diaconum, & ſtat manibus junctis in latere Epiſtolæ, ut ad Evangelium, habens poſt ſe primum Cæremoniarium. Bauldry *ſupr. n.* 4. Biſſus *ſupra* §. 2. Vinitor *ſupra n.* 3. A Portu *ſupra n.* 6. & 7.

XXIII. Gavant. num. 7. *Cereus benedicitur ex Decreto Zoſimi Papæ*, &c.) Non ſolum Alcuinus, ſed etiam Amalarius *lib.* 1. *cap.* 18. necnon Micrologus *cap.* 5. Pontificale Apamienſe; Ordinarium Rothomagenſe; Miſſale Tholoſanum; &, nonnulli Auctores recentiores, inſtitutionem Cerei Paſchalis Zoſimo Papæ tribuunt Anno 417. Grancolas tamen *lib.* 2. *ſui Comment. Hiſtorici in Brev. Roman. c.* 66. contendit, nullum extare veſtigium talis Cerei ante Enodium Sexto Sæculo, & ante quartum Concilium Toletanum, & ſuſtinet certo ſciri non poſſe hujuſmodi inſtitutionem ante Theodorum Papam Romæ fuiſſe in uſu; cui quidem opinioni adhærere non poſſumus, quia Cerei Paſchalis benedictio altius ab Enodii Ævo profecto repetenda eſt, Immo etiam Zoſimo Papa antiquiorem eſſe pro certo habeo; Huic enim Pontifici Liber Pontificalis tribuit non ejuſdem Cerei inſtitutionem, ſed quod licentiam benedicendi Cereum Paſchalem conceſſerit ſingulis Parochiis; Unde quod aſſerunt Card. Baronius, necnon Franciſcus Pagius in Hiſtor. dicti Pontificis, non ita intelligendum eſt, quaſi Zoſimus Cerei Paſchalis uſum primus inſtituerit; ſed quod a Zoſimo hoc tantum inſtitutum eſt, nimirum, ut idem Cereus, qui in majoribus tantum Baſilicis accendi ſoleret, æque ſingulis Parochiis concederetur. Quapropter Ritus accendendi, & benedicendi Cereum Paſchalem in Baſilicis, ſeu Eccleſiis majoribus inolevit ſane, antequam Zoſimus Eccleſiam regeret. Ejuſdem Cerei antiquitatem, & inſtitutionem ante Zoſimum Papam alii colligunt ex Prudentio, cujus Hymnus *ad Incenſum Cerei Paſchalis* compoſitus reperitur in veteri Ordine Romano. Verum, quia Hymnus ille in M. SS. Codicibus inſcribitur *Ad incenſum Lucernæ*, non vero *Ad incenſum Cerei Paſchalis*; Idcirco Viri eruditi, nimirum Jacobus Sirmondus, in notis ad Ennodium, Menardus *in Obſerv. ad Concordiam Regularum cap.* 24. §. 2. Nicolaus Heinſius *in nova Prudentii Editione*: & Joannes Mabillon *in lib.* 2. *de Liturg. Gallic.* inferunt, eumdem Hymnum ad accendendas in Lucernario, ſeu Veſperis quotidianis Lucernas, fuiſſe compoſitum; Idque aliis etiam rationibus oſtendunt iidem Menardus, & Mabillon in veteri Codice Eccleſiæ Noviomenſis, ante Annos 900. ſcripto; in Regio Codice Gallicano num. 1866. ejuſdem ætatis, ut opinatur Martene *de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina cap.* 24. *num.* 5. necnon in Miſſali Gallicano, quod ex Codice Bobienſi ab Annis circiter mille exarato, publici juris fecit laudatus Mabillon *Muſæi Italici tom.* 1. & denique in alio Miſſali Gallicano, atque in Gothico Gallicano, quod ex Bibliothecæ Vaticanæ vetuſtiſſimis Codicibus, nec Annis mille inferioribus, in lucem emiſit noſter Cardin. Joſephus Thomaſius, legitur: Benedictio ceræ B. Auguſtini Epiſcopi, quam adhuc Diaconus cum eſſet, edidit, & cecinit feliciter. *Exultet jam Angelica Turba Cælorum*, &c. Cui quidem opinioni Martene dicit favere id, quod idem Auguſtinus Literis conſignatum reliquit

*in Lib.15. de Civitate Dei c.22. In laude quadam Cerei breviter verſibus dixi :*

*Hæc tua ſunt, bona ſunt, quia tu bonus iſta creaſti.*
*Nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes.*

Quæ quidem verba ita leguntur in omnibus Codicibus MSS. ut obſervant eruditiſſimi PP. S. Mauri; quamquam in Editionibus, quæ Maurinam præceſſerunt, aliter legatur: nempe: *In Laude quidam Creatoris breviter verſibus dixit*. Sed cum prædicti verſus minime reperiantur in Præconio Paſchali, fruſtra putavit Martene favere poſſe eorum opinioni, qui Auguſtino Canticum illum adſcribunt. Contendit quidem præclariſſimus Auctor Præconum emendatum fuiſſe, quod deducit ex veteri Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis, in quo hæc leguntur: *Uſum benedicendi Cereum a B. Auguſtino repertum tradit Eccleſiæ, qui benedictionem illius perficiens a S. Hieronymo reprehenſus eſt, cur Virgiliana verba inſtruerit: ſed ſicut a B. Hieronymo emendata tunc fuit, ita nunc per Eccleſias canitur.* Verum nobis alienum a veritate omnino videtur, quod Auguſtinus fuerit hac de re ab Hieronymo reprehenſus, tum quod id nuſquam legatur in Hieronymi Epiſtolis ad Auguſtinum, neque apud quemquam ex veteribus, qui de utroque Doctore aliquid ſcriptis conſignarunt, tum quod carmina Auguſtino ſuperius adſcripta Virgiliana non ſint. Præterea quamquam in variis MSS. Codicibus Præconium illud *Exultet*, *&c.* aliter legatur, ac modo canitur ab Eccleſia, nullum tamen prætenſæ hujus emendationis veſtigium apparet; quocirca denuo ſtatuimus carmina Auguſtini a Martene laudata patrocinari non poſſe ſententiæ, quæ Auguſtinum hujus Præconii facit Auctorem. Apud Enodium Diaconum Ticinenſem, qui floruit 100. ferme annis ante S. Gregorium Magnum, duplex in Opuſculis reperitur benedictio Cerei Paſchalis; Verum utraque diverſa ab ea, quam nunc adhibet Romana Eccleſia.

Quamvis ex huc uſque dictis colligatur, antiquiſſimam eſſe Cerei Paſchalis benedictionem, nihilominus ubique recepta non fuit, ut deduci poteſt ex Concilii Toletani IV. *Can. 9.* in quo loco habetur -- Lucerna, & Cereus in Pervigiliis Paſchæ apud quaſdam Eccleſias non benedicuntur; Et cur a nobis benedicantur, inquirunt, propter glorioſum enim noctis ipſius Sacramentum ſolemniter hæc benedicimus, ut Sac. Reſurrectionis Chriſti Myſterium, quod tempore hujus Votivæ noctis advenit, in benedictione ſanctificati luminis accipiamus, & quia hæc obſervatio per multarum loca Terrarum, Regioneſque Hiſpaniæ in Eccleſiis commendatur; Dignum eſt, ut propter unitatem Pacis in Gallicanis Eccleſiis conſervetur -- In Miſſali Ambroſiano benedictio Cerei Paſchalis in initio non diſcrepat ab ea, quæ in Ordine Romano reperitur. Præfatio tamen omnino diſcrepat, & in Miſſali Mozarabico habetur quidem benedictio Cerei Paſchalis; ſed diverſa prorſus ab ea, quæ legitur in Ordine Romano, & in antiquis Gallicanis Liturgiis; Immo ipſamet Romana benedictio Cerei non eſt conformis in omnibus Codicibus, quia in variis non parum diſſidet; & quidem quod de S. Hugone Cluniacenſi Abbate ſcribit Uldaricus *in Antiquis conſuetudinibus ſui Monaſterii lib.1. c.14.* ubi agens de benedictione Cerei Paſchalis, ait. In cujus quodam loco cum aliquando non bene haberetur: *O felix culpa*, & quod peccatum Adæ *neceſſarium eſſet* ante hos Annos Dominus Abbas optime fecit, quod fecit abradi, & ne amplius legerentur interdixit -- Hæc Uldaricus relatus a Martene *loc. ſupr. ac.* Verum ut obſervat idem Martene, S. Hugo non fuit primus, qui prædicta verba ex Benedictione Cerei Paſchalis delevit, nam ea deſiderantur etiam in vulgato antiquo Ordine Romano, in Gallicana Liturgia Codicis Bobienſis, in veteri Sacramentorum Libro Carnotenſi S. Petri Monaſterii Ann. circiter 700. in duobus Codicibus Eccleſiæ Turonenſis Ann. minimum 600.

Deeſt etiam in duobus MSS. Miſſalibus Bibliothecę Colbertinę n.1388. & 3789. cujus character annos circiter 400. refert: In Rit. Eccleſiæ Sennonenſis, & in Rhemenſi pervetuſto, denique in Miſſalibus Colonienſi, Melodunenſi, & Lingonienſi, in quo ultimo tamen etſi non legantur hæc verba: *O certe neceſſarium Adæ peccatum*, non deſunt tamen ea, quæ præcedere ſolent, nimirum: *O felix culpa*.

XXIV. Gav. num. 9. -- *Ordo figendi grana eſt*, *&c.*] ) Cum ad illa verba Præconii pervenerit; *Curvat Imperia*; intermittet cantum (interim Chorus ſedere poteſt ſi vult, non vero celebrans, Paris Craſſus *libr*, 2. *cap.* 48. Bauldry *ſupra numer.* 5. Turrinus *ſupra §. Ingreſſo*. Biſſus *ſup.* §.4. Memoriale Rituum *de Sabbato Sancto cap.* 2. §. 3. *de Præconio num.* 7. a Portu *ſupra Rubr. 6. in Adnot. num.* 1. qui etiam excipit Clericos Officii, a facultate ſedendi;) & interim Diaconus, comitante illum Acolytho ferente grana Incenſi, accedens ad Cereum; Vel interim amovetur per Acolythum Cereus e ſuo Candelabro, & Diaconus in eodem Cereo infigit quinque grana Incenſi in modum Crucis, prout deſcribit Gav. hoc ordine;

1
4 2 5
3

Quo facto, Acolythus de granis Incenſi, accedet ad Credentiam, ſuper quam deponet pelviculam, indeque accepta cerea candelula, non tamen accenſa, protinus ad locum ſuum redibit, factis tamen ſemper debitis reverentiis Altari, & Choro in receſſu, & acceſſu. Biſſus *ſupra* §. 3. a Portu *ſupra numer.* 3. & repoſito Cereo a prædicto alio Acolytho in loco ſuo; vel infixis granis, redibit Diaconus ad Pulpitum, ſeu Legile nullam faciens inclinationem: & ſurgentibus omnibus de Choro proſequetur Præconii cantum, dicendo: *In hujus igitur noctis*: ut in Miſſali. Claudius de Vert *tom.* 2. *ſuarum Explicationum cap.* 1. *numer.* 11. *& ſeqq.* cenſet ex errore Rubriciſtarum male percipientium illa verba: *Incenſi hujus Sacrificium Veſpertinum*, recenter introductum fuiſſe hunc Ritum benedicendi, & infigendi quinque grana Incenſi in Cereo Paſchali: opinatur ſiquidem præfatus Auctor per illud verbum *Incenſi*, non eſſe intelligendum thus, ſed ipſummet Cereum Paſchalem accenſum; unde *loc. citat.* dicit: illa verba *Incenſi hujus*, ſupplenda eſſe per hæc alia, *Cerei hujus*, Dum hæc perlegebam in præfato Auctore, quaſi credebam conſueta ſuæ ſeverioris Critices prurigine excitatum, prædictam ponderationem feciſſe; verum progrediendo ad lectionem ſuorum argumentorum, & diligenter examinando verba talis Præconii (ut ſincere mentem meam aperiam) video ipſum, licet aliquando ſit plus æquo in Rubriciſtas infeſtus, hac vice rem acu tetigiſſe; & revera nomine Incenſi in prædicto loco nihil aliud intelligi poſſe, niſi Cereum ipſum accenſum, ex contextu verborum ſatis oſtenditur: nullum enim legitur verbum in toto *Exultet*, ex quo conjici poſſit, ibi ſermonem eſſe de thure. Huic ponderationi non leve robur accedit ex benedictione ejuſdem Cerei, quæ habetur in Sacramentario Gelaſiano *pag.* 79. quæ intitulatur -- *Benedictio ſuper Incenſum*; ubi nomine Incenſi nil aliud intelligitur, niſi ipſemet Cereus, quia poſt Præconium non benedicebatur thus, ſed ſolum Cereus, & quidem verba ipſa benedictionis id aperte confirmant, cum in ea hæc præciſe legantur -- *Veniat ergo Omnipotens Deus ſuper hunc incenſum larga tuæ benedictionis infuſio, & hunc nocturnum ſplendorem inviſibilis Regnator intende*. Quæ manifeſte deſignant tho: *Incenſum* eſſe ipſummet Cereum; ſi enim ſignificaret thus, diceretur *ſuper hoc incenſum* (cum Incenſum pro thure acceptum ſit generis neutrius) non vero *ſuper hunc incenſum*. Præterea id magis exprimitur etiam per illa ſubſequentia verba, *& hunc nocturnum ſplendorem inviſibilis Regnator intende*, quæ profecto non referuntur niſi ad ſplendorem Cerei jam illuminati; unde magis, magiſque confirmatur, prædictam Orationem, & benedictionem directam fuiſſe in tali Sacramentario ad Cereum, non vero ad thus benedicendum, & tamen prænotatur: *Benedictio ſuper incenſum*. Tandem omnem dubitationem ſubmovet Ritus Eccleſiæ Ambroſianæ, quæ eamdem Orationem recitando, loco dicendi *hoc*, vel *hunc incenſum*, adhibet hæc verba, *hunc Ignem*. Quapropter evidentiſſimum eſt juxta talem Ritum non benedici grana incenſi, ſed ignem.

Quod autem hoc verbum *Incenſum* nihil in rigore aliquando importet, quam rem aliquam igne accenſam, probatur ex verbis *Pſ. 65. verſ.* 15. *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum*, *&c.* ubi nomine *Incenſi* ipſæ carnes arietum combuſtæ intelliguntur; immo ipſummet thus non alia de cauſa Incenſum appellatur, niſi quia igne conſumitur, cum Deo offertur, quæ eſt obſervatio Iſidori.

Pene omiſeram advertere cum eodem Auctore, quod ubi novus ignis accendebatur Feria V. *in Cœna Domini*, Feria VI. *Paraſceves*, & Sabbatu Sancto (quod etiam nunc obſervatur in Eccleſiis Rothomagenſi, Rhemenſi, & Cluniacenſi) illa eadem Oratio recitabatur, quamvis nulla benedicenda eſſent Incenſi grana Feria V. & Feria VI. indubie igitur die Jovis, ac Veneris recitabatur ad ignem novum, non ad incenſum. Obſervandum præterea, quod cum tempore Gelaſii PP. Cereus accenderetur ex igne, qui Feria VI. præcedenti abſconditus fuerat, ut ex Rubr. ejuſdem Sacramentarii inferius referenda apparet, illa Oratio non recitabatur ſuper ignem novum, ſed ſuper ipſum Cereum, & hac de cauſa illuminato jam Cereo dicebatur. Poſtquam vero placuit uti hac Oratione ad benedicendum Incenſum, mutarunt *hunc Incenſum*, in *hoc Incenſum*, quæ mutatio, & Orationis translatio Sæculo XII. non videtur antiquior.

Prædictam Theſaurarii Cluniacenſis expoſitionem, atque ſententiam refellere conatus eſt Vir omni laude digniſſimus Jo: Joſephus Languet olim Sueſſionenſis; nunc vero Senonenſis Antiſtes in præclaro Libro Gallice exarato, cui Titulus -- *Du Veritable Eſprit de l'Egliſe dans l'uſage de ſes Ceremonies, ou Refutation du Traitè de D. Cl. de Vert*, *&c.* ubi *pag.* 422. ponderat, quod quando Diaconus in Præconio Paſchali pronunciat illa verba, *Suſcipe Sancte Pater incenſi hujus Sacrificium Veſpertinum*, nondum Cereus eſt accenſus; adeoque illa verba nihil aliud exprimere poſſe, ait, quam verum thus, quod adhiberi debet in Cerei benedictione. Sed pace illuſtriſſimi, & Sapientiſſimi hujus Præſulis, doctrina, & pietate commendatiſſimi, quamvis impræſentiarum verum ſit, Cereum nondum illum inatum eſſe, cum illa proferuntur verba, certiſſimum tamen eſt, quod antiquitus Cereus accendebatur, antequam a Diacono benediceretur, idque D. de Vert tot argumentis oſtendit, ut omnem ab animo dubitationem evellat, quibus dum Præſul Ampliſſimus nullam reſponſio-

Digitized by Google

ſionem afferre dignatur, ſatis oſtendit, ſe vel parum huic cauſæ fidere, vel argumenta contraria ipſi ineluctabilia videri. Et revera, ſi Cereus ad illa verba nondum ſupponatur accenſus, difficillime explicari poterunt ſequentia Præconii verba -- *Gaudeat & Tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni Regis ſplendore illuſtrata totius Orbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem; lætetur & Mater Eccleſia tanti luminis adornata fulgoribus .... Quapropter ad tam miram hujus luminis claritatem* -- quæ omnia verba controverſum Textum præcedunt, & aliud ſignificare non poſſunt, niſi Cerei accenſi ſplendorem. Argumentis D. de Vert addere poſſumus Rubricam, quæ habetur in Sacramentario Gelaſiano pag. 78. his verbis -- *Deinde veniens Archidiaconus ante Altare, accipiens de lumine, quod Feria VI. abſconditum fuit, faciens Crucem ſuper Cereum, & illuminans eum; & completur ab ipſo benedictio Cerei.* Micrologus etiam *pag.* 53. diſerte teſtatur Cereum ante benedictionem illuminandum eſſe, & quod magis eſt, Sæculo adhuc XIV. illuminatio Cerei hujus benedictionem præcedebat, ut liquet ex Ordine Romano Jacobi Cajetani, qui eſt XIV. inter editos a Jo: Mabillon, in quo hæc leguntur -- *Accedit* (nempe Diaconus) *ad ornatum pulpitum, & illuminato magno Cereo, & incenſato libro, incipit abſolute benedictionem Cerei. Exultet, &c.* in quo etiam Ordine nulla fit mentio granorum Incenſi.

Idem illuſtriſſimus Præſul putat Cæremoniam figendi Cereo quinque grana Incenſi eſſe IX. Sæculo vetuſtiorem, & Sæculo ſaltem VIII. invectam fuiſſe in Eccleſiam, ſed nullum opinionis ſuæ fundamentum aſſignat. Certe veteres Rubriciſtæ omnes, præſertim ii, qui Sæculo IX. floruerunt, nullam de hac cæremonia fecere mentionem, & vereor, ne Doctiſſimus Antiſtes ullum poſſit ante XI. Sæculum aſſignare ſcriptorem, qui hujus Ritus meminerit. Primus, quod ſciam, qui de hac re ſermonem habet, eſt Rupertus Abbas Tuitienſis *lib. 6. de Divinis Officiis cap.* 31. talis autem Auctor floruit Sæculo XII. Hæc ſunt Ruperti verba -- *Cumque Diaconus cum cæteris ſubminiſtris ad benedicendum accedit, fruſtula quoque portantur Incenſi, ut Crucicula, quæ Cereo inſculpta eſt, offerendo infigat.*

XXV. Gav. num. 10. -- *Diaconus accendit Cereum, &c.*) Poſtquam Diaconus dixerit illa verba: *Rutilans ignis accendit*, ceſſat a cantu, & accendit Cereum cum una ex tribus candelis Arundinis, eam inclinando, & omnes de Choro, ut etiam diximus *ſupra*, non tamen Celebrans, & Clerici Officii ſedent, ſi velint. Memoriale Rituum *ſupra num.* 9. & alii Auctores *ſupra citat.* Quod ſi commode Cereus ſuper Candelabrum accendi nequeat a Diacono, Acolythus de Cereo, ut innuimus ſupra, amovebit illum de Candelabro, in quo eſt, & ad Diaconum deferet, ut illum non cum candelula, ſed cum una ex tribus Candelis Arundinis, *ut ſupra* dictum eſt, inflammet. Deinde iterum Cereus accenſus reponitur a ſupradicto Acolytho ſuper ſuum Candelabrum. Biſſus *ſupra* §. 4. & ita collocetur, ut Crux, quæ ſuper Cereum eſt formata, vel depicta, Celebrantem reſpiciat. Cærem. Epiſcop. *ſupra cap.* 27. §. 10. a Portu *ſupra Rubr. n.* 2. Repoſito Cereo ſuper ſuum Candelabrum, omnes de Choro ſurgent, & Diaconus proſequetur cantare: *Qui licet ſit diviſus in partes, &c.*

XXVI. Gavant. num. 11. -- *Accenduntur deinde Lampades, &c.*) Dictis illis verbis: *Apis Mater eduxit*, Diaconus ceſſat aliquantulum a cantu, donec Acolythus cum candelula Virgæ ſuper inflexa, ac a Cereo, vel ab una ex tribus Candelis Arundinis accenſa, proximas Lampades accendit, ſed quia Lampas, quæ eſt in Capella, ubi aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum, ſemper ardere debet; Ideo videtur nunc extinguenda, & ſtatim novo Igne benedicto accendenda. (Nicolaus de Bralion *part. 4. cap.* 13. *n.* 14.) Sacriſta vero alias remotas Lampades per Eccleſiam accendit, & interim omnes de Choro ſedent, ſi velint, *ut ſupra.* Bauldry *ſupra n.* 8. Biſſus *ſupra* §. 5. & Memoriale Rituum n. 10. Accenſis Lampadibus proximis, ac omnibus ſurgentibus, ſi ſederint, Diaconus proſequitur: *O vere Beata nox*, ut in Miſſali.

XXVII. Gavant. num. 12. -- *In fine benedictionis Cerei, &c.*) Semper exprimitur nomen Papæ viventis cum capitis inclinatione; Sede autem Romana Vacante, tacentur verba: *Una cum Beatiſſimo, &c.* Item exprimitur nomen proprii Epiſcopi, (ad quod tamen, licet ſit præſens, nullo modo inclinatur Caput) niſi ratione Sedis Epiſcopalis vacantis eſſet omittendum. Additur etiam nomen Imperatoris viventis, ut notat Gavant. *ſuprà*; ſedente tamen Leone X. in Throno Apoſtolico Anno 1519. diſputatum fuerat, quomodo deberet cani ſolita Imperatoris acclamatio in dicto Præconio adnotata, cum Cæſar vita functus erat. Aliqui relinquendum exiſtimaverunt; ſed poſt maturam diſcuſſionem refert Paris de Craſſis, tunc Cæremoniarum Magiſter, ſe hoc conſilium præbuiſſe, ut nempe mutarentur illa verba ſic: *Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus Fidelium vota prænoſcens, &c.* Quæ opinio a præfato Pontifice approbata fuerat; Et cum ſimilis caſus de Anno 1658. accidiſſet, dubitantibus de omiſſione hujus Orationis Cæremoniarum Directoribus, Macrius infra citandus, reſolutionem prædictam eis præbuit, quam ex MSS. Angeli de Rocca *in Bibliotheca Angelica* aſſervatis deſumpſerat: & ab Alexandro VII. tunc regnante approbata, & a S. R. C. obſervari debere mandatum fuit; necnon pro die Feriæ VI. in Paraſceve dicendum eſſe: *Oremus, & pro Romano imperio, ut Deus, &c.* ut ſupra diximus, Halden *part. 1. tit. 20. §. 3. de Sabbato Sancto*, & Macrius in Hierolexico *lit. C, v. Cereus Paſchalis.*

Hinc dubitandum occurrit, an Cereus ſemel benedictus in Sabbato Sancto licite iterum benedici poſſit alia vice? Nonnulli enim Eccleſiarum Superiores, ut ſumptibus parcant, ſolent Cereum benedictum hoc Anno, in Sabbato Sancto, & inter Divina Officia pluries accenſum, atque adeo ex parte conſumptum, eumdem reficere pro Anno ſequenti, ſolum addita de novo parte abſumpta, & ſic refectum iterum benedicunt in Sabbato Sancto ſequenti.

Quæritur autem an hoc licite fieri poſſit, & ratio dubitandi eſt, quia Cereus ſemel benedictus, non perdit benedictionem quoad partes non conſumptas. Nec etiam amittit benedictionem, ex eo quod poſtea reficitur, ſolum addita minori parte abſumpta, quia potius major pars; quæ remanet benedicta, trahit ad ſe minorem: & ſic Cereus totus, quamvis refectus, remanet benedictus; ergo non poteſt iterum benedici, quia cum jam habeat eſſe factum, quod benedictione confertur, fruſtra ſecunda benedictio adhiberetur. In oppoſitum tamen urget praxis multarum Eccleſiarum, in quibus paſſim Cereus Anni præteriti iterum benedicitur modo ſupra explicato.

Propoſitam quæſtionem reſolvi poſſe cenſerem, quod ſi Cereus Anni præteriti quoad majorem ſui partem fuerit conſumptus, ita ut illa pars, quæ additur de novo, ſuperet partem illam, quæ remanſerit, ſeu cui fit additio; tunc licite Cereus ſic refectus, & renovatus iterum Anno ſequenti benedici poteſt; quia per additionem majoris partis perditur prior benedictio, cum pars major non benedicta trahat ad ſe minorem benedictam; quapropter hoc in caſu jam Cereus benedictus non benedicitur, ſed Cereus carens benedictione; & eſt abſolute Cereus novus, qualis benedici debet ex vi Rubricarum Miſſalis, & ex vi formæ benedictionis, ſeu Præconii, quæ Cereum novum eſſe debere ſupponit, & alias non benedictum; unde non militat in hoc caſu ratio dubitandi ſupra adducta. E contra vero dicendum eſt, ſi Cereus anni præteriti ſolum reficiatur quoad partem minorem, quia tunc revera non poteſt iterum benedici ſequenti Anno, & abſque veniali peccato, ut manifeſte ratio dubitandi, ſupra explicata, oſtendit, quia benedictio ſecunda ſuo fruſtraretur effectu contra reverentiam ei debitam. Praxis igitur adducta hoc in caſu non eſt admittenda, ſed potius corrigenda. Ita Quarti *tract. 2. de Sacris Benedictionibus tit. 2. dubit. 2.*

Peſſime faciunt ii, adeoque non imitandi, qui abſque ulla Cerei refectione (ut fit in multis Eccleſiis) ſemper eumdem, Cereum, donec totus fuerit conſumptus, benedicunt.

## R U B R I C A.

13. *Completa benedictione Cerei, Diaconus, depoſitis albis, ſumit* (t) *violacea paramenta, & vadit ad Celebrantem, qui exuitur Pluviali, & ſumit Manipulum, & Caſulam violacei coloris. Poſtea* (u) *leguntur Prophetiæ* (x) *ſine titulo: & Celebrans legit eas ſubmiſſa voce ad Altare in cornu Epiſtolæ. In fine Prophetiarum dicuntur Orationes modo ſubſcripto. Ante vel interim dum Prophetiæ leguntur, Presbyteri* (y) *catechizent Catechumenos baptizandos, & præparent ad Baptiſmum.*

## *G A V A N T U S.*

(t) *Violacea Paramenta.* Juxta *tit. 19. 2. part. Rubr. n. 6. & 7.* Crux deponatur in loco decenti: Arundo ſtabiliatur pede marmoreo præparato, non procul a Cereo.

(u) *Leguntur Prophetiæ.* In medio Chori, ait *Cæremon. Epiſcop. lib. 2. cap.* 27. ubi ſcilicet ab omnibus auditi queat Lector; unde non male illi, qui in ambone, vel ante Altare Prophetias legunt.

(x) *Sine titulo.* Tradit *Ordo Roman.* quia adhuc ſine capite Chriſto, nondum viſo ab Apoſtolis, videtur eſſe Eccleſia, *Rupert. lib. 7. c. 9.* vel tacentur tituli, ait *Hugo Victorin. de Miſſ. obſerv. lib. 3. cap.* 24. ne Catechumenis a Gentilitate venientibus, Hebræorum auctorum nominibus auditis, Lectiones vileſcant: vel ad repræſentandam cæcitatem Catechumenorum, qui neſciunt doctrinæ noſtræ originem. *Alcuinus*: leguntur autem ad inſtructionem Catechumenorum. *Idem.*

Porro quatuor tantum legebantur in *Ordine Romano* cum tribus Canticis. Primus, qui meminit harum duodecim Lectionum, *eſt Microl. cap.* 53. & ſignificant duodecim Apoſtolorum doctrinam, qua erudiuntur Catechumeni, *Honor. in Gemma lib. 3. c.* 108. Habentur *in Sacramentario Gregoriano* e noſtris prima, 3. 9. 4. 5. 8. 10. & hoc eodem ordine. Lectores autem non oſculantur in fine manum Celebrantis, neque recedunt, niſi dicto: *Levate*, a Subdiacono.

15. Cantica tria, ſive tractus, ſunt eadem, quæ *in Antiphonario Gregoriano, Ordine Romano, & apud Amalar. lib. 1. cap.* 22. tamen apud nos poſt 4. 8. & 11. Lectionem; &



Digitized by Google

unt indicia exultantium Catechumenorum de proximo Baptiſmo, ſed non ſine timore; unde & Tractus, ideſt luctus vocantur. *Rupert. lib. 7. cap. 9.*

16. Orationes indicant expectationem, & deſideria Sanctorum Patrum circa redemptionem per Chriſti Reſurrectionem, *Raban. l.* 2. *c.* 38. eaſque Celebrans dicit, ut in Miſſa, manibus extenſis, & ſecundum aliquos ſunt pars Miſſæ, ut dicemus.

(y) *Cathechizent Catechumenos.* Cathechizent, ideſt inſtruant: Catechumenos, ideſt, auditores *Raban. lib. 1. cap.* 26. de Ritu vero cathechizandi pro Baptiſmo, vide Rituale Romanum Pauli V.

17. A Miniſtris illud obſervandum, ut dum Celebrans Prophetias legit, aſſiſtant, ſicut ad Introitum, quas & appellat Introitum Miſſæ hujus diei *Hugo Victorin. ubi ſup. cap.* 28. Dum ille Orationes dicit, ſtant poſt Celebrantem, unus poſt alium: Diaconus dicit genuflectens ante alios: *Flectamus genua*: Subdiaconus ſurgens ante alios: *Levate*: excepta ultima Oratione, quia tres pueri, de quibus in ultima Prophetia, noluerunt genua flectere ſtatuæ Nabuchodonoſor, ut alias diximus *in Sabbato Quatuor Temporum Adventus*. Celebrans autem numquam genuflectit, ut dictum eſt *in Rubr. Gener.*

18. Si ſedere voluerit Celebrans poſt lectam in Altari Prophetiam, ſedeat ad ſcamnum conſuetum, ſed nudum, in latere Epiſtolæ; eat autem per viam breviorem cum Miniſtris, & redeat per longiorem cum debitis reverentiis ante medium Altaris, nullo modo ſedeat ad Altare, quod Epiſcopo tantum concedi debet.

19. Ordo legendi prophetias hic erit, ut primas legant minores, poſtremas majores, niſi aliud neceſſitas ſuadeat.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

#### *Pro Ritibus peragendis a cantu Prophetiarum, uſque ad Benedictionem Fontis Baptiſmalis.*

XXVIII. Gavant. lit. t -- *Crux deponatur in loco decenti, &c.*) Completa benedictione Cerei, ideſt, cantato toto Præconio a Diacono, ipſemmet, & non alius librum claudit, & in ſuo loco relinquit (non enim poſt Præconium Celebrans librum oſculatur, neque incenſatur) interim collocata Arundine ſuper baſem ſuam ab Acolytho, qui eam ſuſtinebat durante Præconio; præcedente ſecundo Cæremoniario, ſequitur Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula, poſt quem Subdiaconus cum Cruce, & alii Acolythi ſequuntur; poſtremo Diaconus, & facta genuflexione unico genu Cruci Altaris, & reverentia Choro ab omnibus (excepto tamen Subdiacono ferente Crucem, qui non genuflectit, nec ullam facit reverentiam Choro) vadunt ad Sacriſtiam. Bauldry *ſupra n.* 10. a Portu *ſupra Rubr. 9. in adnot. a. t.* vel potius ſe recipiunt retro Altare, ſi parieti non adhæreat, vel pergunt ad alium locum deputatum, ubi Subdiaconus Crucem, Thuriferarius Thuribulum cum Navicula, Diaconus albas veſtes deponit, & eorum loco violacea paramenta ſumit; nimirum Manipulum, Stolam Diaconalem, & Planetam plicatam; aliquis vero Acolythus accipit Planetam, & Manipulum violacei coloris pro Celebrante. Biſſus *ſupr.* §. 7. Deinde Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Celebrantem in cornu Epiſtolæ, & dum ipſe Celebrans ope Cæremoniarii, & alicujus Acolythi induitur Planeta violacea, nihil dicens (depoſito prius Pluviali) accipit Manipulum; Subdiaconus pariter eodem tempore accipit ſuum Manipulum, ut *ſupr.* monuimus. Nicolaus de Bralion *ſupr. cap.* 14. *n.* 1. & interim aliquis Acolythus reponit Pluviale Celebrantis in aliquo loco congruo.

XXIX. Rubr. & Gavant. lit. u -- *Leguntur Prophetiæ, &c.*) Poſt Cerei benedictionem, dicuntur Lectiones, quæ olim ad Catechumenorum inſtructionem recitabantur, & quæ antiquitus benedictionem Cerei præceſſiſſe videntur, id quod clare innuit antiquus Ordo Romanus ad uſum Corbejenſis Monaſterii, ante Annos 800. accommodatus, cujus verba refert Martene *ſupra cit.* §. 13. Lectiones iſtæ in Miſſali Romano duodecim numerantur, quæ poſtquam noctu non baptizatur amplius, & Baptiſmo Sacrorum Ordinum collatio ſubſtituta eſt, cum Ordinationis diebus duodecim habebantur Lectiones, Sabbato Sancto aſſignatæ ſunt, quæ, ut dixi, juxta primam inſtitutionem, ad inſtructionem Catechumenorum, & ad Baptiſmum referuntur. De harum Lectionum numero, Joannes Beleth in explicatione Divinorum Officiorum *cap.* 106. hæc ſcribit: *Tandem vero viginti quatuor in quibuſdam Eccleſiis leguntur Lectiones. At Romæ quidem hoc pacto fieri ſolet, ut duodecim recitentur Græce, & totidem Latine. In nonnullis autem Eccleſiis leguntur tantum duodecim, & in nonnullis dumtaxat ſeptem, &c.... In minimis tamen Eccleſiis non habentur, niſi ſex ob ſenarium numerum, qui quodammodo perfectus eſt.* Et Durandus *lib. 6. Rational. cap.* 81. ait: *Lectiones autem in quibuſdam Eccleſiis leguntur quatuor, in quibuſdam ſex, in quibuſdam duodecim, & in quibuſdam quatuordecim.* Quatuor Lectiones, & non plures recenſent Amalarius *cap.* 19. Alcuinus, Hugo a S. Victore, Rupertus, Codex Eccleſiæ Turonenſis, ante annos 800. ſcriptus, Rituale Sancti Martini Carnotenſis, Liber Sacramentorum Monaſterii Sancti Petri, Annorum circiter 700. Ordinarium Lugdunenſe, Pontificale Argentinum, Miſſale Atelatenſe, Pariſienſe, & nonnulla alia pariter Miſſalia, Ordinaria, & Ritualia allegata a mox cit. Martene. Sacramentarium Sancti Gregorii octo tantum deſignat, Gelaſianum vero a Cardinali Thomaſio editum, decem exhibet, Comes Hieronymi duodecim, & ordo Romanus Canonici Benedicti pariter innuit duodecim Lectiones eſſe legendas Latine, & duodecim Græce; alia ſpectantia ad ſacram eruditionem prædictarum Lectionum tradit cit. Martene, & Grancolas *lib. 2. ſui Comment. Hiſtor. cap.* 67.

Sed reſumendo ſermonem ſpectantem ad praxim noſtrorum Rituum, collocatur Miſſale in cornu Epiſtolæ pro Celebrante; aſportatur legile, in quo cantatum eſt Præconium cum ſuo Miſſali (interim omnibus in Choro ſedentibus) & collocatur aliud legile denudatum in medio Chori, vel Presbyterii, cum Miſſali cooperto velo violaceo, & ducitur (ſurgentibus omnibus Clericis tantum) a Cæremoniario aliquis Acolythus, vel Clericus, vel Cantor, Cotta indutus ad ſupradictum legile, quo cum pervenerit cum Cæremoniario, vel alio aſſiſtente a ſiniſtris, cum ipſo facit genuflexionem Cruci unico genu, tum ambo ſalutant primum a parte, ubi eſt dignior de Clero, deinde ab altera parte (quo facto ſedent Clerici) & mox Lector propius accedit ad Legile, manibuſque extenſis poſitis ſuper Librum, cantat in tono feriali, Romano more primam Prophetiam, curet tamen, ne in cantando ſit tædio audientibus; nam Prophetiæ voce quidem ſonora, atque intelligibili, non tamen moroſe, ſed expedite cantantur, ut admonet Caſtaldus in Praxi Cærem. *lib. 2. ſect.* 8. *cap. 4. num.* 8. & in fine Prophetiæ parum vocem inflectat.

XXX. Rubr. & Gavant. lit. x -- *Sine Titulo, &c.*) Dum vero cantantur Prophetiæ, Celebrans Planeta indutus eas legit ad Altare in cornu Epiſtolæ ſubmiſſa voce, ſtante Diacono a dexteris ejus, & Subdiacono a dexteris Diaconi, primus autem Cæremoniarius ſtabit tunc prope angulum poſteriorem Altaris verſus ipſum Celebrantem, ut in Introitu Miſſæ. Ad Orationes vero ſtabunt Miniſtri Sacri unus poſt alium, ut in Miſſa de more fieri ſolet ad Orationes. Bauldry *ſupr. n.* 20. Biſſus *lit. P, n.* 143. §. 2. Gavantus *ſupr. num.* 13.

Finita Prophetia, Lector genuflectit cum Cæremoniario apud Legile verſus Librum utroque genu: cum mox dicendum ſit a Diacono: *Flectamus genua* (ſi tamen poſt Prophetiam ſequatur Tractus, tunc non genuflectunt utroque genu, ſed unico genu Cruci, & factis debitis reverentiis iis, qui in Choro exiſtunt, ſtantibus interim Clericis, diſcedant, & Cæremoniarius eum ad locum ſuum ducit) dicto vero *Levate*, ſurgunt ambo, & cum debitis reverentiis, *ut ſupra*; & Cantore Prophetiæ ad locum ſuum reducit Cæremoniarius, qui ſtatim ad eum, qui ſecundam Prophetiam lecturus eſt, accedet, & eum ducit ad Legile pro cantanda alia prophetia, & omnia fiant ut de primo diximus. Bauldry *ſupra num.* 14. uſque ad *n.* 16. Biſſus *ſupra*. Vinitor *ſupra num.* 8.

Cantantur deinde eodem modo aliæ Prophetiæ in Cathedralibus, & Collegiatis (pro aliis enim Eccleſiis, ubi non ſunt Canonici, dicemus infra) quarum primas quatuor cantabunt Cantores, vel Acolythi, ſeu Clerici, *ut ſupra*. Alias quatuor Beneficiati, ſeu Manſionarii; ultimas quatuor Canonici, vel alii, prout commoditas, vel numerus Clericorum ſuadebit Cæremon. Epiſcop. *lib. 2. cap.* 28. §. 5.

Cantatis igitur quatuor primis Prophetiis a Clericis, Cæremoniarius accedens ad Beneficiatum, vel Manſionarium juniorem, qui lecturus eſt Prophetiam; factaque ei mediocri inclinatione, & ab eo eadem inclinatione mediocri reſalutatus, ducit ad Legile (ſurgentibus tunc omnibus Beneficiatis cum Manſionariis eorum æqualibus, & reliquis inferioribus. Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap.* 18. §. 6.) ibique factis ſolitis reverentiis, *ut ſupra*, cum Cæremoniario, ſedent omnes qui aſſurrexerunt, & ſupradictus Beneficiatus, ſeu Manſionarius cantat quintam Prophetiam, qua cantata, obſervatis etiam hic iis omnibus ſupranotatis Cæremoniis, reducens Cæremoniarius eum ad ſuum Subſellium, ibi eum relinquit, & diſcedit poſtea, facta tamen prius per Cæremoniarium mediocri inclinatione, *ut ſupra*, cui & Beneficiatus correſpondet parem ei faciendo inclinationem, quæ omnia pariter obſervantur in ducendis, & reducendis reliquis Beneficiatis ad octavam uſque Prophetiam.

Poſt hanc autem octavam Prophetiam, idem Cæremoniarius accedens ad juniorem Canonicum, eidem profundam facit inclinationem (nam Dignitatibus, & Canonicis reverentia eſt exhibenda, a Beneficiatis quidem, ſicut a Cæremoniario, & aliis Clericis profunda inclinatione; minus tamen profunde, præſente Epiſcopo; a Canonicis vero aliis ſuis Canonicis Collegialibus reverentia mediocri inclinatione eſt exhibenda, ut colligitur ex Bauldry *part. 1. cap. 9. num. 7. & 14.*) quem Cæremoniarium tunc Canonicus ſimplici inclinatione reſalutat, quæ conſiſtit in ſola Capitis inflexione, atque in humeris tantiſper inclinatis (ſurgentibus omnibus

bus de Choro ) eumque præfatus Cæremoniarius ducit ad Legile, quo cum dictus Canonicus pervenerit, habens Cæremoniarium a ſiniſtris facit cum eodem nudo capite profundam tantum Cruci Altaris inclinationem; & Chorum, ut ſupra dictum eſt, cum eodem Cæremoniario ſalutat, deinde nonam cantat, *ut ſup.* Prophetiam, interim omnibus de Choro ſedentibus.

Cantata ſupradicta Prophetia, & factis reveremiis, *ut ſup.* Cæremoniarius eumdem Canonicum ad ſuum Subſellium reducit (cui omnes de Choro itidem aſſurgunt) & factis ad invicem reverentiis, ſupra expoſitis, præfatus Cæremoniarius ab eodem diſcedit, & ita ſe gerit in ducendis, & reducendis reliquis tribus Canonicis uſque ad ultimam Prophetiam.

Hic eſt Ordo, qui hodie ſervatur in cantandis dictis Prophetiis; antiquitus tamen cantabantur in Ambone, aut in medio Chori ad Aquilam, ſeu Pulpitum, & incipiebantur a Dignioribus deſcendendo ad inferiores, ita ut primam Lectionem cantaret, v.g. Decanus, ſecundam qui ipſum in Dignitate ſequebatur, & ſic de cæteris, ut refert Martene *loc.cit.* §.14.

XXXI. Rub. & Gav. lit. y -- *Catechizat Catechumenos, &c,* Sacerdotes parati cottis, & Stolis violaceis (aut unus Sacerdos ſic paratus) catechizat baptizandos, ſi qui ſint (niſi hoc antea fuerit factum, Ex Biſſo *ſup. n. 6.*) & præparant eos ad Baptiſmum ante Atrium, aut in Porticu Eccleſiæ, vel ad ſummum in Eccleſiæ aditu, quod eſt conformiter ad Rituale Romanum, ſive ſint parvuli, ſive ſint adulti, dicunturque, & ſervantur omnia, quæ ibidem præcipiuntur, uſque ad ingreſſum Eccleſiæ; quibus peractis, & facta Benedictione Fontis, *ut infra*, in Eccleſiam introducuntur, ut præſcribitur in Rituali Romano; ſi plures ſint baptizandi, Orationes dicuntur in plurali; ſed actiones, videlicet inſufflationes, ſigna Crucis, & ſalis guſtatio, & alia hujuſmodi fiant in ſingulari. Bauld. *part. 4. c. 11. art. 3. n. 22.*

XXXII. Gav. n.18. -- *Si ſedere voluerit Celebrans &c.*) Poſt lectam a Celebrante unam Prophetiam, donec compleatur a Cantore; facta prius ibidem in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris Sacris ſimplici inclinatione Cruci Altaris per breviorem viam, cum præfatis Miniſtris, præcedente ſecundo Cæremoniario de more, nudo capite ibi celebrans ad ſcamnum nudum, vel panno violaceo tectum, ut innuimus *ſupra*, ubi ipſe, & Miniſtri ſedebunt tecto capite, Gav. *ſupra* Corſettus *ſupra n.* 11. A Portu *ſupr. Rubric. 9. in Adnotat. n.* 6. & circa finem Tractus Prophetiæ iterum accedet cum Miniſtris nudo capite ad Altare, præcedente Cæremoniario per viam longiorem, ut in Miſſa ſolemni, ſive per breviorem viam; quod magis placet, præſertim ſi cito abſolvetur a Lectore Prophetia, vel Tractus a Choro (aliter ſi in hujuſmodi contingentia revertere deberet ad Altare per longiorem viam, deberet aſſurgere ſtatim ac incœpit ſedere; A Portu *ſupra*) ſicut etiam ne ſit incommodum ita ſæpe per gradus anteriores redire; nulla tamen tunc ab ipſo Celebrante reverentia, & a Miniſtris Sacris fieri debet genuflexio Cruci, neque reverentia Choro, cum non aſcendunt ad medium Altaris, & ſi fieri poteſt, ſcamnum ſupradictum ſit proximum infimo Altaris gradui a parte Epiſtolæ. Bauld. *ſupra n.* 20. Idem celebrans Orationes aſſignatas poſt Prophetiam cantabit manibus extenſis in tono Orationis Miſſæ, ad quas Chorus ſtabit nudo capite verſus Altare; Diaconus, & Subdiaconus de more poſt Celebrantem, & Diaconus, dicto a Celebrante *Oremus*, ubi occurret genuflectere, cantabit: *Flectamus genua*, omnibus præter Celebrantem genuflectentibus, Subdiaconus vero ſurgens dicet: *Levate*, omnibus etiam ſurgentibus.

XXXIII. Gav. n. 19. *Ordo legendi Prophetias, &c.*) Cæremoniarius, vel Acolythus, qui forte eodem Cæremoniario deficiente, Lectores Prophetiarum comitatur, nullam cantare debet Prophetiam, ſi tamen forte aliqua facturus eſt, Miniſter alter eum comitari debet. Bauld. *ſupra num.* 15. Ordinem, qui ſervari debet in cantandis Prophetiis, jam ſupra innuimus; Si tamen neceſſitas cogat unum plurimas Prophetias cantare (ut ſæpe accidit in Eccleſiis, ubi exiguus eſt Clericorum numerus) quod tamen videtur faciendum non continuatim, ſed cum interruptione quorumdam, & ii ita ad id eligantur, ut qui fortiori voce pollent, longiores ipſi Prophetias decantent. Bauld. *ſupra nu.* 18. Dum cantatur ultima Prophetia, unus ex Cæremoniariis curabit, ut Acolythi deferant tres cuſſinos, & poſt diſceſſum e Choro ad Fontem (ubi talis fons tenetur) unum diſponat in ſecundo gradu a parte Evangelii, alterum in ſecundo gradu a parte Epiſtolæ, tertium in medio tertii gradus, ſi plures habeat Altare gradus (vel etiam hunc diſponat in ſecundo gradu, ut in alio diſpoſuit) vel in medio Suppedanei ſi habeantur cum Suppedaneo tres gradus tantum: a Portu *ſup. n.* 8.

## R U B R I C A.

20. *His expletis; ſi Eccleſia habuerit Fontem Baptiſmalem, Sacerdos benedicturus Fontem accipit Pluviale violaceum, & præcedente Cruce cum candelabro, & (z) Cereo benedicto accenſo, deſcendit cum Clero, & Miniſtris paratis ad Fontem: & interim cantatur ſequens (a) Tractus: Sicut Cervus &c,*

## G A V A N T U S.

Baptiſmus ſignificat Mortem, Sepulturam, & Reſurrectionem Chriſti, *Rom.* 16, & ideo potiſſimum hac die celebratur, *Rupert. lib.6. c.34.*

(z) *Cereo benedicto.* Portabitur Cereus ante Crucem. *Cærem. Epiſc. lib.2. c.27.*

(a) *Tractus: Sicut Cervus, &c.* Eſt *in Ordine Romano*, cum quo concordat Oratio ſequens, ut manifeſte patet, *& in Gregoriano legitur Sacramentario.* * Imo & hujus Ritus meminit *S. Auguſtinus in Pſ.41.*

## R U B R I C A.

21. *Poſtea procedit ad benedictionem Fontis, dicens, manibus junctis,*

## G A V A N T U S.

De Fontis uſu antiquo, *Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch.* quem matrem adoptionis vocat.

De conſecratione ejuſdem. *Clem. lib.3. conſtit. c.43. & Sidon. Apoll. lib.4. epiſt.15.* plura vide *apud Baron. Anno* 132. *& Durand. de Ritibus lib.1. c.19.*

22. Porro ſex facit Sacerdos in hac benedictione Fontis, orat, manu tangit aquam, & format Cruces: mutat vocem, ſufflat, demittit, & elevat Cereum in aquam; infundit oleum, & Chriſma, & commiſcet.

23. *Orat Deum.* Ut ſit præſens tantis myſteriis, movetque in præfatione aſtantes in Deum, ad eumdem finem, ut Deus audiat.

24. *Manu tangit aquam.* Ter. Primo dividens in formam Crucis, a qua pendet effectus Baptiſmi. Secundo tangit ſimpliciter, quia manu Sacerdotali opus eſt, etiam in Baptiſmo, ad fugandos Dæmones. Tertio projiciens, & effundens aquam verſus quatuor Mundi partes: quia Baptiſmus omnes homines attingit, non circumciſio. Facit etiam manu varias Cruces ſuper aquam, ut benedicatur a Trinitate per virtutem Sanctæ Crucis.

25. *Mutat vocem.* Ter: primo per modum Orationis, ſecundo per modum Præfationis, tertio per modum Lectionis, ut io Trinitate omnia fiant, & modo humilius, modo audentius Deus oretur.

26. *Halat.* Ter in modum Crucis, & ſufflat ter in modum ✠ ut cum Cruce Trinitatem conjunget, a quibus habet vim Baptiſmus, majorem autem a Trinitate. Valet etiam inſufflatio ad expellendos Dæmones cum ignominia, qui levi flatu expelli queunt a Sacerdote.

27. *Dimittit Cereum.* In aquam, & elevat ter, profunde, profundius, profundiſſime, ut Spiritus Sanctus ſua plenitudine fontem impleat, ſicuti quando deſcendit in ſpecie Columbæ in Baptiſmo Chriſti, adumbrati in hoc Cereo demerſo in aquam: elevatio autem ejuſdem Cerei ſignificat effectum Baptiſmi, qui confert gratiam elevantem a peccato ad gloriam.

28. *Infundit Oleum, & Criſma.* Et commiſcet, de quo etiam *Dionyſ. ubi ſup. c.20. part.2.* ut indicetur conjunctio Chriſti per Baptiſmum cum Populis Eccleſiæ, *aquæ multæ, populi multi*, & Chriſti nomen, ideſt, uncti, ab oleo, & Chriſmate deducitur: cæterum Ritus hic totus habetur *in Ord. Rom.* expoſitio vero ſumpta eſt partim *ab Amalar. lib.1. c.25.* partim *ab Honor. in Gemma lib.3. c.3.* partim *a Durand. lib.6. c.81.*

29. *In eodem Ordine Romano.* Jubetur, ut in Rubrica noſtra, aſperſio Populi cum aqua fontis ante infuſionem olei, & ejuſdem aquæ reſervatio ad aſpergendum in domibus, & aliis locis ad munditiam Baptizatorum: de qua etiam *Gregor. Turon. lib.1. de glor. Mart. c.* 24.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro ritibus perſolvendis a Benedictione Fontis, uſque ad initium Litaniarum, & Miſſæ.

XXXIV. Rub. num. 20. -- *His expletis, ſi Eccleſia habuerit Fontem Baptiſmalem, &c.*) Ubi habetur Fons Baptiſmalis, ſervari debet hic Ritus pro illius Benedictione. Ante Fontem, intra ejus Cancellos præparari debet legile, & ſuper illud Miſſale, niſi deſignetur Acolythus, qui coram celebrante librum teneat. Juxta Fontem vero a latere ponantur duo Vaſa vacua, unum magnum implendum aqua benedicta, priuſquam Sac. Oleum, & Chriſma in dictum Fontem infundantur, aliud erit Vas conſuetum cum Aſperſorio pro aſperſione facienda; deinde præparetur etiam Bacile cum bombacio, & mica panis, necnon Mantile ad extergendas manus Celebrantis cum opus fuerit. Finitis omnibus Prophetiis, per aliquem Acolythum removetur e medio Chori legile, & reportatur ad locum ſuum, & interea accenduntur Cerei ex Candelabris ſupra Credentiam.

XXXV. Gav. in Rub. 20. -- *Portabitur Cereus ante Crucem &c.*) Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ ſuper ſuppedaneum deponit Planetam, adjuvantibus Miniſtris Sacris, vel Cæremoniario, & Acolytho; ex Nicolao de



Digitized by Google

Bralion *part.* 3. *num.* 2. *cap.* 15. in quo, ut pluries diximus, ſervanda eſt conſuetudo Eccleſiarum; deinde deponit celebrans etiam Manipulum, ſicut faciunt Miniſtri Sacri, & accipit Pluviale violaceum ibidem per aliquem Acolythum delatum, deiode Acolythus de Cruce accipit Crucem proceſſionalem; Ceroferarii, factis debitis reverentiis, accipiunt candelabra cum candelis accenſis, & alius Acolythus Cereum Paſchalem, poſtea procedunt in medio Presbyterii, numquam tamen genuflectentes, neque ſe inclinant Cruci; notandum igitur hic eſt, quod præfatam Crucem deferre noo debet Subdiaconus Miſſæ, ut colligi poteſt ex Rubrica attente conſiderata, & clarius ex Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 28. §. 7. ubi dicitur, quod celebrans poſt alios de Clero, procedit medius inter Diaconum, & Subdiaconum. Miniſter ergo Cotta indutus, cam deferre debet, nam ſi neceſſarius eſſet alius Subdiaconus, id præſcriberetur in Rubricis hoc loco, ſicut præſertim reperitur in fine Feriæ V. in Cœna Domini. Nicolaus de Bralion *ſupra c.*14. *n.*4.

Procedit igitur omnium primus Acolythus, Cerum ambabus manibus deferens; poſtea Cruciferarius cum Cruce inter duos Ceroferarios medius, deinde Clerus bini ſimul, aperto capite, junioribus præcedentibus, facta ab iis genuflexione unico genu Cruci Altaris; ultimo ſequitur celebrans tecto capite, manibus junctis (facta tamen prius nudo capite reverentia Cruci) medius inter Diaconum, & Subdiacoonum, ex Cær. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 28. §. 7. qui Cruci genuflexionem faciunt unico genu, & elevantes fimbrias anteriores Pluvialis celebrantis, detecto capite accedunt ad Fontem. Biſſus *lit. F. num.* 134. §. 4.

Advertandum tamen, quod ubi noni eſt Fons Baptiſmalis, non eſt facienda Benedictio aquæ. Hoc autem colligitur ex Dec. dato in noſtro Indice *ſub n.* 516. edito die 13. Julii 1697. *in una Januen.*

XXXVI. Rub. & Gav. lit. a -- *Tractus: Sicut Cervus, &c.*) Dum procedunt ad Fontem ut ſupra, in via cantatur Tractus: *Sicut Cervus deſiderat, &c.* ut in Miſſali, Caotoribus incipientibus, quem Chorus proſequitur. Bauldry *ſupra artic.* 4. *num.* 3. Biſſus *ſupra*, Vinitor *part.* 6. *tit.* 16. *num.* 1.

Cum pervenerint ad Fontem, Clerus vel ſe locat hioc inde in duos Choros, vel quaſi in gyro pro loci ſitu; in variis enim Eccleſiis varius eſt Fontis Baptiſmalis ſitus, & idcirco certa, & determinata regula nequit aſſignari; ſpectat igitur ad prudentem Cæremoniarium omnia cum debito ordine diſponere. Ex Biſſo *ſup.* §. 5.

Cruciferarius autem ſemper medius inter Ceroferarios, ſiſtit ſe prope Fontem, ſed ante Cancellos, ita tamen, quod hi faciem celebrantis reſpiciant, ibique ſtent cum Acolytho Cerei, & Ceroferario, tamquam immobiles. Horatius Chriſtiani *ſect.* 5. *de Sabbato Sancto cap.* 5. *de Benedictione Fontis Baptiſmalis num.* 5. Celebrans vero medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris; ex Cæremoniali Epiſcup. *ſupra*, aliquantulum poſt eum; antequam ad benedictionem Fontis procedant, depoſito Bireto, cantabit in tono Feriali manibus junctis (ſuſtinente Librum aliquo Acolytho, vel poſito Libro ſuper Legile, & ad Orationes Miniſtri Sacri elevent ſemper fimbrias Pluvialis. Ex Cæremon. Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 8. §. 3.) *Dominus vobiſcum*, deinde præmiſſo *Oremus*, inclinato capite Cruci, ſimplici inclinatione de more, dicit Orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice, &c.* ut in Miſſali. Biſſus *ſupra* §. 6. Hæc autem Oratio, ſi Fons Baptiſmalis ſit in Eccleſia, ſeu capella ſeparata, dicatur in ipſo ingreſſu Eccleſiæ, ſeu capellæ, ſi autem fuerit in Eccleſia ubi celebratur, dicatur ante Cancellos Baptiſterii. Horatius Chriſtiani *ſup.*

XXXVII. num. 22. -. *De Fontis uſu antiquo, & de conſecratione ejuſdem, &c.*) Veterem eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut aqua eorum, qui baptizandi ſunt ſolemni Ritu conſecretur, colligitur ex Sancto Dionyſio *Lib. de Eccleſ. Hierarch. cap.* 2. ubi loquendo de Fonte Baptiſmali, ait: *cujus aquam poſtquam Sanctis invocationibus ſanctificavit.* Sanctus Baſilius pariter *lib. de Spiritu Sancto, ad Amphilochium c.* 26. *Benedicimus*, inquit, *aquam Baptiſmatis*; & hunc Ritum recenſet inter traditiones Apoſtolicas. Eadem veritas comprobatur etiam auctoritate Sancti Cypriani, qui *Epiſt.* 70. ad Januarium ait: *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam prius a Sacerdote, ut poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*, & Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* 3. dicit: *Sic aqua munda ad invocationem Spiritus Sancti, & Chriſti virtutem accipiens, Sanctitatem conſequitur.* Aliæ SS. PP. Auctoritates, quibus præfati Ritus antiquitas oſtenditur, legi poſſunt apud Menardum *in ſuis notis, & Obſervationibus ad Librum Sacrament. Sancti Gregorii Papæ pag.* 95. præſertim vero apud Joſephum Vicecomitem *in lib.* 1. *de Antiquis Baptiſmi Ritibus, & Cæremoniis cap.* 14. a quo etiam, *c.* 15. pereruditè traditur, quibus cæremoniis Aqua Baptiſmalis conſecraretur, & qua forma, quo tempore, quaque hora ſequebatur talis conſecratio; *cap. vero* 4. docet antiquum Eccleſiæ morem fuiſſe baptizandi in Fluminibus, &c. & *c.* 5. Baptiſteria S. Dionyſii tempore fuiſſe inſtituta, eorumque uſum ſtabilem in Eccleſia fuiſſe.

XXXVIII. Rub. & Gav. num. 22. -- *Porro ſex facit Sacerdos, &c.*) Reſumendo nunc ſermonem Rituum, quos peragit Sacerdos in Fontis Baptiſmalis conſecratione, poſtquam celebrans prædictus ad Fontem Baptiſmalem pervenerit, ſiſtit ſe facie verſa ad Occidentem, ſi nihil impediat; ex Bauld. *ſupra num.* 3. medius inter Diaconum, & Subdiaconum, *ut ſupra*; & tunc prædicti Ceroferarii, & Cæremoniarii vertunt ſe contra celebrantem. Memoriale Rituum *ſupra* §. 5. *nu.* 11. Acolythus autem Cerei, prope ipſum Diaconum cum altero ferente Mappulam a ſiniſtris hujus, Bauld. *ſupra*.

XXXIX. Gav. num. 22. -- *Orat &c.*) Deinde celebrans, depoſito bireto, ſtans dicit manibus junctis in tono Feriali (Miniſtris Sacris fimbrias Pluvialis interim elevantibus *ut ſupra*) *Dominus vobiſcum*, & alteram Orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, &c.* Memoriale Rit. *ſupra num.* 12. qua finita, cum in concluſione dixerit illa verba; *Spiritus Sancti Deus*, elevans vocem, cantando adhuc manibus junctis, proſequitur in tono Præfationis; *Per omnia ſecula ſeculorum*, & alia ut in Miſſali.

XL. Gav. eodem num. 22. -- *Manu tangit, & formas Cruces, &c.*) Idem celebrans poſt verba: *Gratiam de Spiritu Sancto*, dividit Aquam manu dextera in modum Crucis, & immediate manum tergit. Poſt verba: *Non inficiendo corrumpat*, tangit aquam manu, & tergit. Poſt verba: *Indulgentiam conſequantur*, facit tres Cruces ſupra Fontem manu dextera. Antiqua eſt autem Eccleſiæ conſuetudo, ut aqua Baptiſmalis per ſignum Crucis benedicatur, ut conſtat ex ſermone Sancti Auguſtini 181. de tempore. *Hoc enim ſigno Crucis* (ait S. Pater) *conſecratur Corpus Dominicum, ſanctificatur Fons Baptiſmatis*, & in Joannem *cap.* 118. *quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, &c.* Poſt verba: *ſuper te ferebatur*, dividit aquam dextera manu, & effundit verſus quatuor partes Mundi, Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Auſtrum, hoc

modo: 3 (1) 4 (2) Memor. Rit. *ſup. n.* 4.

XLI. Gav. eodem num. 22. -- *Mutat vocem, & ſufflat, &c.*) Poſt verba: *In nomine Patris, &c.* mutat vocem in modum Lectionis: Poſt verba: *Tu benignus aſpira*, halat ter in aquam in modum Crucis dicens: *Tu has ſimplices aquas, &c.* uſque ad illa verba: *Purificandis mentibus efficaces.*

XLII. Gav. eodem num. 22. -- *Dimittit, & elevat Cereum, &c.*) Poſt verba prædicta: *Purificandis mentibus efficaces*, immittit aliquantulum Cereum in aquam, dicens in tono Præfationis: *Deſcendat in hanc plenitudinem, &c.* & extrahit: Immittit ſecundo profundius, & eodem tono aliquanto altiori repetit: *Deſcendit in hanc, &c.* & pariter extrabit &c. Immittit tertio uſque in fundum, & altiori voce repetit: *Deſcendat, ut ſupra*, & non extrahit; Ter ſufflet immediate in aquam in formam tridentalem juxta figuram in Miſſali, & proſequitur dicendo: *Totamque hujus Aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu*; & tunc extrabitur Cereus de aqua, atque proſequendo in tono Præfationis, &c. *Hic omnium &c.* tandem legendo concludit: *Per Dominum noſtrum &c.* & adſtantes reſpondent: *Amen.*

Completa benedictione Fontis, ſed antequam celebrans infundat olea in aquam, accipitur per aliquem Acolythum de ipſa aqua benedicta ex Fonte in Vaſe conſueto, & miniſtrante Diacono de more Aſperſorium; celebrans aſpergit ſe, & circumſtantes cum dicta aqua benedicta, nihil dicens. Bauld. *ſupra num.* 7. Et facta aſperſione prædicta, celebrans reddit Aſperſorium Diacono (quod accipit cum debitis oſculis) & hic Acolytho. Horatius Chriſtiani *ſupra num.* 16. & Memoriale Rituum *ſupra num.* 14. Interim Parochus, vel aliquis Sacerdos, Cotta, & Stola violacea, & non alba, indutus, aſſociatus ab uno Acolytho Vas ferente, aſpergit de ipſa aqua benedicta reliquos de Clero, ac Populum per Eccleſiam, memoriale Rituum *ſupra num.* 16. qui autem aſperguntur ſtabunt capite profunde inclinato, & cum reverenti devotione; ex Biſſo *ſup.* §. 12. & Bauld. *ſupra*.

Interim Sacriſta, vel alius infundit in aliud Vas (pariter antequam celebrans in aquam infundat ſacra olea) amplum ad hoc præparatum partem illius aquæ, eamque ſervet ad aſperſionem locorum, domorum, & aliarum rerum. Gav. *ſup.* & præſertim in ſequentem diem pro aſperſione Populi ad Miſſam. Bauld. & Biſſus *ſup.*

XLIII. Gav. eodem num. 22. -- *Infundit oleum, & Chriſma, & commiſcet, &c.*) Celebrans poſt factam aſperſionem infundit in Baptiſterium, nempe in aquam baptiſmatis jam benedictam oleum Catechumenorum in modum Crucis, dicens: *Infuſio Chriſmatis, &c.* in fine reſpondetur: *Amen*: poſtea accipit ambas ampullas dicti Olei Catechumenorum, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo dicit: *Commixtio Chriſmatis, &c.* & in fine reſpondetur *Amen*; mox depoſitis ampullis, manu ſua dextera miſcet in aqua, ſpargens oleum, & Chriſma per totum Fontem, quo facto, abſterget oleum bambacio, deinde lavat manus more

re

Digitized by Google

reſoſito cum mica panis. Fundi Chriſma in Fontem Baptiſmalem, eſt mos antiquus, & hoc colligitur ex S. Gregorio Turonenſi *lib. 1. de Miraculis cap. 24.* ubi ait: *Tunc cum Exorciſmo ſanctificatam conſperſum deſuper Chriſma, omnis populus cum devotione accipit:* Et *lib. 1. Hiſtoriæ cap. 31.* ubi dicit: *Baptiſterium componitur, Balſama diffunduntur, &c.*

Chriſma infunditur in aquam baptiſmalem in modum Crucis, ex more antiquo, quem videre eſt apud Dionyſium *caput. 2. & 4. Eccleſ. Hierarch.* idque faciunt etiam Græci, & Orientales tribus vicibus, ut conſtat ex eodem Dionyſio *citat. cap. 2. Eccleſ. Hierarch.* ubi legitur: *Cujus aquas poſtquam Sacris invocationibus ſanctificavit, illaſque tribus Sanctiſſimi unguenti infuſionibus perfecit &c.* Idem liquet ex Euchologio Græcorum in ſequentia S. Baptiſmi, in qua habetur: *Tres facit cum oleo Cruces in aqua;* Ubi oleum ſumitur pro unguento, vel Chriſmate. Ita enim aliquando a Patribus uſurpatur, ut colligitur ex variis locis Prudentii, & Sancti Auguſtini, quos citat Menardus ſupracitat. *pag.* 98. Idem Ritus apparet in Libro Severi Patriarchæ Alexandrini, de ritibus Baptiſmi, idemque etiam facere conſueverunt Æthiopes, ut colligitur ex Ordine Baptiſmi Eccleſiæ Æthiopicæ.

Finita Fontis Benedictione, & lotis manibus, juxta Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap.* 27. §. 18. ſi aderunt Catechumeni baptizentur more ſolito per octo dies antecedentes in ipſa Eccleſia, niſi periculum immineat, nullus Infans baptizetur, ut de ipſis hac die ſolemniter Baptiſmus celebretur. Horatius Caſtiani *ſupra cap. 6. de ſolemni Parvulorum Baptiſmo n. 1.* Ad baptizandos autem recte, & rite dictos Catechumenos, Celebrans aſcendere debet ad fores Eccleſiæ, ibique eos recipiens poſtea comitatur cum Patrinis, & Matrinis ad Fontem Baptiſmalem, & paulo ante Baptiſmum, depoſitis Paramentis violaceis, accipit Stolam, & etiam Pluviale albi coloris. Caſtaldus *lib. 3. ſect. 8. cap. 8. n. 7.* & reliqua peragit, ut in Rituali Romano. Finita vero Baptiſmatis adminiſtratione, ponit Celebrans Paramenta alba, & iterum accipit ſupradicta Paramenta violacea, & poteſt habere ſermonem brevem ſi velit, ac tempus permittat, de effectu Baptiſmi.

Poſt Benedictionem Fontis, & poſt collatum Baptiſma, præſertim Catechumenis, ſi qui fuerint baptizandi (hoc enim eſt determinatum tempus pro baptizandis adultis. Biſſus *lit. B n. 17. §. 50.*) Celebrans, & omnes alii redeunt ad Altare eodem ordine, quo acceſſerunt ad Fontem; Interim vero, dum ſcilicet ad Altare procedunt, duo Cantores incipiunt cantare Litanias, & Chorus reſpondet, repetendo illud idem, quod Cantores dixerunt, ut ſic Litaniæ dicantur Ritu duplici. Talis enim eſt ſenſus Rubricæ Miſſalis, quod nempe Litaniæ incipiantur, cum Celebrans, & alii de Fonte ad Altare procedunt, & ita tradunt Bauldry *ſupra art. 5. n. 1.* Biſſus *lit. S n. 6. §. 13.* Aliqui tamen DD. præſertim Gerlacus Vitor *ſupra tit. 17. n. 2.* nolunt Litanias incipi ad locum Fontis, ſed in Choro, juxta Cærem. Epiſcop. *lib. 2. cap. 27.* §. 19. Clara tamen eſt Rubrica Miſſalis præſcribens, ut incipiantur ad Fontem, ut ſupra dictum eſt, & talem eſſe frequentiorem uſum Eccleſiarum Parochialium, procul dubio exiſtimo, & convenientius eſt, ut qui ad Fontem cantando acceſſerunt, cantando etiam revertantur. Alius ergo uſus ob particularem quamdam rationem Cathedralibus relinqui poteſt, pro quibus principaliter eſt Cæremon. Epiſcop. ſicut ſentit, & docet Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 14. num.* 8. Interim Sacriſta, aut alius præparat (ſi adhuc non ſint parati, & diſpoſiti, ut ſupra diximus) hinc inde ſuper ſecundum gradum Altaris tres Cuſſinos ſupradictos ſupponendos Capiti Celebrantis, & Miniſtrorum. Bauldry *ſupra*.

Cum autem ad Altare pervenerint, Celebrans, & Miniſtri retrahunt ſe verſus cornu Epiſtolæ (non enim convenit, quod Celebrans, & Miniſtri ante medium Altaris Paramenta accipiant, & deponant) ibique depoſitis Pluviali, & Planetis plicatis, ſtatim revertuntur ante Altare, ut ex Nicolao de Bralion *part. 3. cap. 1. n. 15.* & genuflexi in plano ante infimum Altaris gradum procumbunt, ſuperponentes capita ſua prædictis cuſſinis in ſecundo gradu Altaris poſitis. Bauldry *ſupra*, & Biſſus *ſupra* §. 114.

Interim duo Cantores genuflexi ante Scabellum in medio Chori Litanias, ex Libro ante eos poſito, Cottis induti proſequuntur, ſi ad Fontem, ut ſupra dictum eſt, eas inceperint; ſin minus, tunc eas inchoant, & proſequuntur, cæteri de Choro genuflectunt ſuis in locis (ſed non procumbunt) & repetunt, ut diximus, ea omnia, quæ dicuntur a prædictis Cantoribus.

### R U B R I C A.

30. *Ubi vero non eſt Fons Baptiſmalis, finita ultima Prophetia cum ſua Oratione, Celebrans Caſulam deponit, & (b) cum Miniſtris ante Altare procumbit: & aliis omnibus genuflexis, (c) cantantur Litaniæ in medio Chori a duobus Cantoribus, utroque Choro idem ſimul reſpondente. Cum autem perventum fuerit (d) ad ℣. Peccatores, te rogamus, Sacerdos, & Miniſtri ſurgunt, & accedentes ad Sacriſtiam induuntur Paramentis albi coloris pro Miſſa ſolemniter celebranda, & interim (e) accenduntur luminaria Altaris. (f) In fine Litaniarum cantantur ſolemniter, Kyrie eleiſon, & repetuntur, ut in Miſſa moris eſt.*



### G A V A N T U S.

(b) *Cum Miniſtris*. Et hi quoque in Albis procumbunt ex communiori uſu Eccleſiarum Romæ. * Deponunt tamen Planetas plicatas paulo ante, *Peccatores*. *Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap.* 27. quod etiam mihi magis placet, cuſſini coriacei dari poſſunt ſub eorum capitibus, & Celebrantis.

(c) *Cantantur Litaniæ*. Ita *Ordo Romanus*. Litaniæ, id eſt, deprecationes. *Amalar. lib. 1. cap.* 28. quibus ſignificatur conſortium Sanctorum cum nuper baptizatis, *Raban. lib. 2. cap.* 28. Hæc vero non inchoantur apud Fontem, ſed apud Altare, *Cæremon. Epiſc. lib. 2. cap.* 28. Aliqui ſcripſere geminandum illud: *Per Sanctam Reſurrectionem tuam*; ſed nullo antiquo Auctore: imo contra Bullam Pii V. quæ additiones prohibet.

(d) *Ad peccatores*. Diſcedunt in Sacriſtiam, ut dicitur etiam *in Miſſali Vatic. Vol.* 474. ſi vicina eſt; alioquin in locum viciniorem, & decentem poſt Altare; omnino ante Altare nemo Epiſcopo inferior eſt veſtiendus, licet ſit loci ſuperior, non enim eſt illi communicanda Epiſcopalis prærogativa, niſi Mitra utatur.

(e) *Accenduntur luminaria*, *Sacramentarium Gregorianum, & Ordo Romanus*, ad *Agnus Dei*, accendi jubent, quia per Agnum Dei Chriſtum lumen Fidei communicatum eſt, *Amalar. lib. 1. cap.* 30. ſed pallium violaceum removetur ab Altari, ornatur Credentia ſuis neceſſariis ad Miſſam ſolemnem, ut ſupra dictum eſt.

(f) *In fine Litaniarum cantatur, &c.* Monet *Ordo Romanus*, quod cantari debent ita tarde, ut Sacerdos, & Miniſtri queant procedere ad Altare.

### R U B R I C A.

31. *Interim Sacerdos cum Miniſtris in Paramentis albis accedit ad Altare, & dicto Pſalmo, Judica me Deus, cum Gloria Patri, facit Confeſſionem, ut moris eſt, in loco conſueto; deinde aſcendens oſculatur Altare, incenſat more ſolito, & finitis a Choro, Kyrie eleiſon, incipit ſolemniter, (g) Gloria in Excelſis, (h) pulſantur Campanæ.*

### G A V A N T U S.

(g) *Gloria in Excelſis*. Habet *Ordo Roman. & Sacramentar. Gregor.* * Dicat autem prius de more Celebrans cum Miniſtris, ſubmiſſa voce, *Kyrie eleiſon*, novies. *Cæremon. Pap. lib. 2. ſect. 1. cap. 57. & 60.*

(h) *Pulſantur Campanæ*, jubet *Ord. Rom.* pulſari ad Litanias; forte, ut populus vocaretur ad initium Miſſæ. *Durandus cap.* 85. ad Hymnum Angelicum, & convenit, ſicut ceſſavere in Hymno eodem Fer. V.

Sed adverte, ne majores Campanæ pulſentur, antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia, ex decreto Concilii Lateranen. *ſeſſ.* 11. *ſub Leone* X. ſub pœna Regularibus centum ducatorum ex S. R. C. die 21. Martii 1609. & eæ tantum eo caſu pulſabuntur, quæ ſunt intra parietes Eccleſiæ; dato deinde ſigno a Cathedrali, ſeu Matrice, dabitur etiam (licet detur longe poſt, *Gloria in Excelſis*) ſolemne ſignum ab omnibus aliis Eccleſiis cum Campanis majoribus. Per Matricem intellige quoque Parochialem in Diœceſi; & ſi plures ſint Parochiales, eam, quæ aliis major eſt dignitate: nam ante Matricem hanc non ſunt pulſandæ a Confratriis Campanæ, ex Decreto S. R. C. *die 9. Febr.* 1603.

### R U B R I C A.

32. *Poſtea Sacerdos dicit, Dominus vobiſcum.*

### G A V A N T U S.

Quid Epiſcopus? dicat; *Pax vobis*, ita *Ordo Romanus*, contra *Durand. cap.* 85.

### R U B R I C A.

33. *Finita Epiſtola, Celebrans incipit, Alleluja, & totum decantat ter, elevando vocem gradatim: & Chorus poſt quamlibet vicem in eodem tono repetit illud idem. Poſtea Chorus proſequitur, ℣. Confitemini, &c.*

### G A V A N T U S.

34. *Alleluja* cantatur in cornu Epiſtolæ, oſculata prius manu a Subdiacono, * & dum cantatur, ſtant omnes, *Cærem. Pap. loc. cit. cap.* 57.

Præcedit, *Alleluja, Tractum*. *Ordo Rom. & Sacram. Gregor.* & ecce gaudium Paſchale, ſed non plenum; quia Tractus luctum ſignificat, ut alias docuimus. Verſus tamen, *Confitemini*, eſt de Pſal. 117. cujus titulus eſt, *Alleluja*, *Rupert. lib. 6. cap.* 11. eſt ergo lætitia in ſpe proxima. *Hugo Victorin. ubi ſupra lib. 3. cap.* 29. Verſus & Tractus habetur in *Antiphonario Gregor.*

RUBRICA.

35. *Ad Evangelium non portantur luminaria, ſed tantum Incenſum, petitur benedictio, & alia fiunt de more.*

*GAVANTUS.*

Tradit *Ordo Roman.* & ſignificantut aromata mulierum ad monumentum, ſine lumine Fidei: quia putabant Chriſtum hominem mortuum. *Alcuin.* Devotio aderat, fides obſcura erat, *Durand. loc. cit.* Evangelium legitur a Celebrante io cornu Evangelii, ut alias, poſt cantatum a ſe tettio; *Alleluja.*

RUBRICA.

36. *Non dicitur,* (i) *Credo, ſed finito Evangelio, Sacerdos dicit, Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo, & poſtea, Oremus,* (l) *non dicitur Offertorium.*

*GAVANTUS.*

Hæc *Ordo Romanus.*

(i) *Credo.* Quia noudum Apoſtoli credebant Reſurrectionem Chtiſti.

(l) *Non dicitur Offertorium.* Quia mulieres ſub ſilentio ibant cum aromatibus ad Sepulcrum. *Alcuin.* neque habetur *in Sacram. Greg.* Subdiaconus defert ad Altare una cum Calice Burſam Corporalium. Ad *Lavabo*, dicitur *Gloria Patri.*

37. De *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem*, ubi etiam de Præfat. propria, vide ſupra in *Rubric. gener.*

RUBRICA.

38. *Dicitur, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ſed* (m) *pacis oſculum non datur:* (n) *Agnus Dei non dicitur, nec* (o) *Poſtcommunio, dicuntur tamen tres conſuetæ Orationes ante Communionem.*

*GAVANTUS.*

(m) *Pacis oſculum non datur. Ord. Rom.* quia nondum dixerat Chriſtus Apoſtolis, Pax vobis.

(n) *Agnus Dei, Ord. Rom. & Sacram. Greg.* inquit *Alcuin.* ob ſilentium mulierum, quæ nondum credebant Chriſto Redemptori animarum ad tollenda peccata mundi, *Durand. cap.* 85.

(o) *Poſtcommunio.* Hæc omittitur, quia in hac Miſſa non communicabant, tempore nimirum Durandi, introducta etiam tunc nova conſuetudine celebrandi hanc Miſſam mane; ſed in die ſequeoti communicabant cum Catechumeni, tum alii, quod nota (contra quoſdam, qui gratis oppoſitum ſcripſerunt) ne communicet alius a Celebrante iu hac Miſſa noctis, vel Veſperæ ſunt vice ℣. *Communio, & Poſtcommunio*, ut ſctibit *Durand. loc. cit.*

RUBRICA.

39. *Poſt ſumptionem Sacramenti,* (p) *pro Veſperis in Choro cantatur Antiphona, Alleluja, Alleluja, & Pſalmus Laudate Dominum omnes gentes, cum Gloria Patri, in fine, & poſt repetitur eadem Antiphona. Capitulum, Hymnus, & Verſus non dicuntur, ſed ſtatim Celebrans in Cantu incipit Antiphonam ad Magnificat.*

*GAVANTUS.*

Noo deponitur a Celebraote Caſula, ut aſſumat Pluviale, quod aliquando fecere perperam nonnulli; quia nondum eſt finita Miſſa.

(p) *Pro Veſperis.* Hoc Sabbatum proprie non habet Officium, ex *Auguſtin. & Alcuin.* & quæcumque hic habentur pro Veſperis, eadem ſunt *in Ordine Romano*, ſi habet Officium, hoc terminatut in Veſpera, non in Miſſa, ut ſine fine laudetur Chriſtus, qui morte ſua nos redemit. *Durand. ibid.* Sed verius finitur Officium in Miſſa, cum, *Ite Miſſa eſt*, quæſtio eſt de nomine. Porro Antiphona, *Alleluja*, convenit, ut intonetur a digniori, qui eſt in Choro.

RUBRICA.

40. *Deinde cantatur, Magnificat, cum Gloria Patri, in fine, & fit incenſatio,* (q) *ut alias in veſperis. Repetita Antiphona Celebrans dicit, Dominus vobiſcum.*

*GAVANTUS.*

Miniſtri cum Celebrante dicunt Pſalmum, *Magnificat*, in cornu Epiſtolæ, uti ſtant ad Introitum Miſſæ.

(q) *Ut alias.* Iocenſatio item fit eodem modo, quo initio Miſſæ, ſed præterea inceoſantur alii in Choro.

41. Extra Chorum dicuntur Veſperæ, ut in Breviario adnotatum eſt: & nos in Commentariis Rubric. Breviarii opportunius de his dicemus.

42. Ad Orationem ultimam uſque ad finem, omnino ſervaotur omnia, quæ in fine Miſſæ alias præſcripta ſunt.

43. Peracta Miſſa, quæritur: An aliæ Miſſæ celebrari queant? *Microlog. cap.* 53. concedit, ſi neceſſe fuerit, ut a Litania incipere docet, omiſſis Lectionibus, inquit, auditis. Negant *Navar. cap.* 25. *num.* 88. & *Francolin. tract. de tempor. Hor. Canon. cap.* 30. *num.* 2. & 9. quia uſu receptum eſt, ut unum tantum Sacrificium fiat ſolemne, nulluſque eſt Introitus, ut in Sabbato Pentecoſtes, niſi dicas cum *Hugone ſupra*, Lectiones omnes habere vicem Introitus. Unde & Sacerdos habet Caſulam tunc, & jubetur eas legere ſubmiſſa voce ad Altare. *Sotus in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. concedit hac lege ut celebretur Superioris coaceſſu, & auctoritate, ſed *Azor. qui lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 4. omnino negat *ex cap. Sabbato, diſt.* 3. *de conſ.* ubi dicitur biduo hoc Sacramentum penitus noo celebrari, concedit a Superiore dari poſſe licentiam tantum, quando juſta adſit cauſa, puta, quia multi ſunt, qui commode eo die Sacrificio publico intereſſe non poſſuot; quod accidere poteſt quando Feſtum Anuntiationis incidit in Sabbatum Sanctum, & tunc de licentia Superioris celebrari poſſet, alias non, & nonniſi poſt inchoatum ſaltem ſolemne Sacrificium], depoſitoque luctu, & mœrore Eccleſiæ.

44. Quo caſu forte ſufficit incipere a Confeſſione, qua finita, dicat Sacerdos, *Kyrie eleiſon*, de more, & reliqua cum Veſperis uſque ad finem Miſſæ, nam *Gemma lib.* 3. *cap.* 118. ait Officium bujus Miſſæ per *Kyrie eleiſon*, inchoari: niſi pro *Kyrie eleiſon*, intelligat *cum Micrologo* Litaniam. * Volunt aliqui non dici Veſperas in hac Privata Miſſa, & pro ℣. *Communio*, dici Antiphonam tantum ad *Magnificat*, hoc eſt, *Veſpere autem Sabbati, &c.* & ſtatim Orationem, ſed fugiendus eſt hic caſus, non decidendus.

45. Tutiorem autem arbitror ſententiam *Navarr. & Francol.* eamque conſormiorem *cap. Sabbato*, ut non celebretur, niſi unica Miſſa, quæ noctis eſt; ſub initio noctis dicebatur tempore S. Thomæ *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. Feſti vero, cujus Officium transfertur, nulla protſus, quod ad Miſſam attinet, haberi debet ratio: multo minus Votiva Miſſa dici debet etiam pro re gravi.

46. Idem dicerem de Communione Cleri, ſeu Laicorum, in Feſto Annuntiationis in Sabbato Sancto, quod oon debent alii communicare in Miſſa, quæ noctis eſt: & ideo non dicitur: *Communio*, ut ſupra adnotavi.

47. De Cereo accendendo in tempore Paſchali nihil invenio apud antiquos, niſi quod *ex Ord. Roman. & Microl. cap.* 53. in Octavis Paſchæ diſtribui ſolitus fuit Cereus hodie benedictus; ergo non ultra Octavam Paſchæ ardebat: *in Annal. Minorum Wading.* decretum fuit Anno 1263. quod in Ordine Mioorum Cereus Paſchalis remaneret uſque ad Aſcenſionem Domini; & accenderetur in Miſſis ſaltem diebus feſtivis. Sacra Rituum Congregatio 19. Maii 1607. cenſuit, regulariter accendi debere ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, in aliis ſervandam eſſe conſuetudinem locorum.

48. Romæ varia eſt conſuetudo, a peritioribus hæc laudatur, ut a latere Evangelii ille ardeat a Sabbato Sancto uſque ad Dominicam io Albis incluſive, quia eſt uoicum Reſurrectionis Feſtum, *ex Ordin. Roman.* ad Miſſam, & ad omnes Horas. Præterea diebus Dominicis a primis Veſperis uſque ad ſecundas, & Completorium incluſive, ad Miſſam, & Horas: quia Dominica eſt repetitio Feſti Reſurrectionis Chriſti, etiam per aonum, nedum Paſchali tempore, quem Ritum tradit *Samarinus in theſ. Sacerdotali tit. de Cereo Paſch.* nimirum ad utraſque Veſperas, & Miſſam Dominicæ, & in Aſcenſione ad omnes Horas uſque ad Evangel. Miſſæ: quod ſi dicatur Miſſa Parochialis, ſeu Conventualis non ſolemnis, ad eam item die Dominico accendi poteſt.

49. Poſtremo a primis Veſperis Aſcenſionis Domini, uſque ad finem Evangelii Miſſæ ſolemnis, ſeu Parochialis, ſeu Conventualis non ſolemnis, in aliis diebus nunquam accenditur.

50. Candelæ tres, de quibus ſupra, in Arundine poſitæ non ultra Veſperas Sabbati Sancti ardere debent: alioquin gratis ardebunt, & ſine cauſa.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

*Pro Ritibus ſervandis a principio Litaniarum, ſeu Miſſæ, uſque ad finem.*

XLIV. Gavant. in Rubr. 30. lit. b -- *Deponunt tamen Planetas plicatas, &c.*) Ubi non eſt Fons Baptiſmalis finita ultima Prophetia cum ſua Oratione, aliquis Acolythus deſignatus amovebit legila cum libro: Ceroferarii tres Cuſſinos ſuper ſecundum gradum æquali diſtantia collocabunt. Interim Celebrans deponet Planetam violaceam in cornu Epiſtolæ, juvaotibus Cæremoniario, & Acolythis, ſive Miniſtris Sacris, prout mox diximus juxta conſuetodinem Eccleſiarum, qui pariter Miniſtri ſtatim ſuas Plaoetes plicatas deponent, & tradent Ceroferariis, ad Sacriſtiam cum Planeta Celebrantis deferendas, retenta Stola, & maoipulis, deinde cum iiſdem accedet Celebrans ad medium Altaris, ubi inclinabit ſe Cruci, deſcendet ante infimum gradum, iiſdem Miniſtris comitaotibus, & genuflectentibus, tum ſimul cum illis, hinc inde diſtantibus ab illos, ſe proſternet. Tunc vero, & non prius Cantores genuflexi incipiant Litanias. Acolythi vero e Sacriſtia reverſi, geouflectunt in plano, hinc inde, ſicut & cæteri, ſed nun procumbunt. Bauldry *cit. loc. art.* 5. *de Sabbato Sancto* §. 4. & Biſſus *lit. S. num.* 6. §. 15. Diximus ſta-

tim

tim ab initio, debere Celebrantem, & Miniſtros deponere Planetas plicatas, quia hæc eſt praxis fere communis omnium Eccleſiarum, & opinio omnium Rubriciſtarum, quamvis enim ſupra dicatur a noſtro Gavanto, quod juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 20. id facere debent tantum, cum dicendum eſt (ſeu paulo ante) *Peccatores*, nihilominus attente conſideranti patebit, quod prædictus uſus conveniens eſt ſolum Cathedralibus Eccleſiis, Epiſcopo Celebrante, nam *cap.* 28. ſeq. ejuſdem Cæremonialis, Epiſcopo non Celebrante, ſed præſente, vel abſente §. 9. aperte habetur, quod Diaconus, & Subdiaconus in albis eſſe debent, ſtatim antequam Litaniæ inchoentur.

XLV. Rubr. & Gav. lit. c - *Cantantur Litaniæ*, *&c.*) Quo loco Litaniæ ſint inchoandæ, jam diximus ſupra, & quomodo cantari debeant. Hic addimus, quod Acolythi aliqui, & Cæremoniarius ſecundus citius ſurgunt, nempe cum in Litaniis dicitur: *Propitius eſto*, *&c.* ut amoveant de Credentia, & de Altari, ea quæ non ſunt amplius uſui, & obſervent ſi aliquid deſit pro Miſſa ſolemni celebranda, ea præparent, ex. grat. Thuribulum, Ignem, & cætera requiſita. Debent etiam parare ſcamnum Celebrantis, ſi antea nudum erat. Ex Bauldry *ſup. n.* 4. & ex Biſſo *ſupra* §. 15.

XLVI. Rubr. & Gav. lit. d - *Ad Peccatores*, *&c.*) Cum in Litaniis perventum fuerit ad ℣. *Peccatores*, Cantores reliqua cantent lentius, ſi opus eſt, ut ea quæ ſequuntur tempore congruo fiant, & ne mora, aut ſilentium inter Litanias, & Miſſam interponatur. Celebrans vero, & Miniſtri admonente Cæremoniario, ſurgunt ad præfatum ℣. & facta a Celebrante Cruci Altaris profunda reverentia, & a Miniſtris Sacris (ſicuti a Cæremoniario, & aliis Miniſtris, qui inſervire debent) genuflexione eidem Cruci unico genu, & Choro ab utraque parte reverentia de more, ſumptiſque biretis a primo Cæremoniario ſibi porrectis, tegunt caput, quo tecto, eo modo quo ſunt, nempe in albis, manibus junctis ante pectus, præcedentibus Thuriferario ſine Thuribulo, junctis manibus, & nudo capite, cum Ceroferariis ſine candelabris, deinde ſecundo Cæremoniario (& ii etiam erunt manibus junctis, & nudo capite) Miniſtri vero Sacri unus poſt alium, ultimo Celebrans, accedunt ad Sacriſtiam, ſi vicina ſit, alioquin ad locum viciniorem Altari, ſive poſt illud, ſive ad latus ejuſdem, ſi idem Altare ſit prope murum; ibique depoſitis Paramentis violaceis, ſumunt Paramenta alba pro Miſſa, adjuvantibus Cæremoniario, & Acolythis, Nicolaus de Bralion *ſupra*.

XLVII. Rubric. & Gav. lit. e - *Accenduntur luminaria*, *&c.*) Dum Celebrans, & Miniſtri Sacri ſumunt reſpective ſupradicta Paramenta alba pro Miſſa celebranda, Acolythi, vel Sacriſta removent cuſſinos a gradibus Altaris, & ſuper eos tapetem feſtivalem extendunt; accendunt candelas ejuſdem, necnon candelas in candelabris ab ipſis deferendis (quæ candelabra, ſi Celebrans cum Miniſtris paratur in Sacriſtia, erunt etiam in eadem Sacriſtia, ut poſſint Ceroferarii cum Celebrante, & Miniſtris, de Sacriſtia ad Altare procedere, ut infra dicemus; ſin vero Paramenta ſumant retro Altare, vel ſi ipſum Altare ſit prope murum, in alio loco viciniori, tunc Ceroferariorum candelabra accenduntur ſuper Credentiam) removetur etiam eodem tempore a Sacriſta, vel ab alio, ab Altari majori pallium violaceum, ut appareat album, quod ſub ipſo poſitum fuit, & extenditur velum Tabernaculi in parte anteriori, vel ablato Conopæo violaceo, album detegent, ſive aptabunt. Rurſus interim detegentur, Imagines, ſive Icones per Eccleſiam, ſi fieri poteſt. Ex Bauldry *ſupra num.* 6. ex Biſſo *ſupra* §. 17. & ex Cærem. Monaſt. *lib.* 4. *cap.* 10. §. 5. *num.* 3. Si autem hoc tempore detegi non poſſent prædictæ Imagines per Eccleſiam, diſcooperiantur dum fit benedictio Fontis, vel ubi non eſt Fons Baptiſmalis, dum cantantur ultimæ Prophetiæ; cum enim de tempore præciſo, quod id faciendum eſt, nihil ab Eccleſia ſtatutum ſit, certe convenientius videtur, quod id fiat ante Miſſam hujus diei, & quando luctu Quadrageſimali, & Paſſionis completo in Litaniis, omnes Sancti ſolemniter ſunt invocandi. Ita Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 7. licet tamen in aliquibus Eccleſiis detegi etiam ſoleant ad intonationem Hymni Angelici, quod etiam placet.

XLVIII. Rubr. num. 31. - *Interim Sacerdos cum Miniſtris in Paramentis Albis*, *&c.*) Celebrans, & Miniſtri Sacri, ſumptis Paramentis albis pretioſis ſibi reſpective convenientibus, & poſito, ac benedicto a ſupradicto Celebrante Incenſo in Thuribulo de more, factaque ab omnibus, nudo capite, profunda reverentia Cruci, vel Imagini, quæ eſt in Sacriſtia, ſi ibi Paramenta Sacra ſumpſerunt, procedunt, ut mos eſt, ad Altare pro Miſſa ſolemni celebranda ordine ſolito; nimirum præcedit primus omnium Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula, deinde ſequuntur Ceroferarii cum candelabris, poſt hos ſequitur Cæremoniarius ſolus, omnes nudo capite; ſequitur deinde Subdiaconus ſolus, & poſt eum Diaconus; ultimo loco Celebrans, qui tres poſtremi incedunt capite cooperto, & manibus junctis; hic tamen ordo tenendus eſt, dummodo Celebrans, & Miniſtri Sacri Paramenta alba ſumpſerint in Sacriſtia, nam ſi ea ſumpſerint retro Altares, vel in alio loco eidem Altari viciniori, tunc accedunt ad Altare Ceroferarii, non deferentes candelabra. Ex Biſſo *lit. O. numer.* 121. *&* *lit. S.* §. 6. *numer.* 8. Juxta tamen morem noſtrum, & aliarum Eccleſiarum exeunt e Choro, qui eſt retro Altare Ceroferarii cum candelabris accenſis. Meminiſſe fas eſt, quod in Eccleſiis Cathedralibus in hoc Sabbato ab Epiſcopis conferuntur ordines, tum majores, tum minores, de qua origine ordinandi Miniſtros in hac Feria fuſe diſſeruimus ſupra in noſtris Obſervationibus *tit.* 2. *num.* 8.

XLIX. Rubr. & Gav. lit. f - *In fine Litaniarum*, *&c.*) Cum pauſa convenienti ſolemniter cantatur *Kyrie eleiſon*, ut detur tempus Celebranti faciendi Confeſſionem, & poſtea incenſandi Altare, ac dicendi etiam *Kyrie* cum Miniſtris Sacris in cornu Epiſtolæ more ſolito, antequam ipſe Chorus ceſſet a cantu. Caſtaldus *ſupra cap.* 5. *num.* 5. Bauldry *ſupra n.* 8.

L. Rubr. & Gav. lit. g - *Gloria in excelſis*, *&c.*) Finita Confeſſione, & incenſato Altari more ſolito, non dicitur Introitus, nam hæc Miſſa eo caret, quia Introitus eſt veluti introductio ad publicas preces: unde cantabatur ad occupandos aſtantes, donec Sacerdos veniret ad Altare, & univerſus Populus foret adunatus, cum autem veniat Populus in ſpeciem Proceſſionis, una cum Celebrante a Fonte Baptiſmali (vel ubi non eſt Fons, a Proceſſione *Lumen Chriſti*) & ad Altare procedat, non eſt opus Introitus. Rurſus cum decantatum ſit *Kyrie* in Litaniis, mos jam olim fuit, ut Miſſa hæc ab intonatione *Gloria in excelſis* inchoaretur: dicto igitur a Celebrante novies *Kyrie*, ut ſupra in cornu Epiſtolæ, cum Miniſtris ſubmiſſa voce, juxta conſuetudinem pergit ad medium Altaris, ibique de more incipit intonare ſolemniter: *Gloria in excelſis*, & juxta ſolitum peraguntur reliqua, ut in aliis Miſſis. Hippolytus a Portu *ſup. ar.* 4. *Rubr.* 11. *n.* 5.

LI. Rubr. & Gavant. lit. h - *Pulſantur Campanæ*, *&c.*) Intonato Hymno *Gloria in excelſis*, & non prius, pulſantur omnes omnino Campanæ, quæ ſunt in Eccleſia, & Capellis, & tintinnabula, quæ inſerviunt ad elevationem Sacramenti in Miſſis Privatis: præterea pulſantur & Organa, ubi habentur, ſed Chorus non proſequitur Hymnum, niſi poſtquam deſierit omnino ſonitus Campanularum, Lohner *par.* 4. *n.* 12. Caſtaldus *ſupra n.* 7. & Organorum ex dentium intra fines Eccleſiæ, alioquin confunderentur voces cantantium in Choro, cum ſono prædictarum campanarum. Caſtaldus *ſupra n.* 6. Lohner *loco ſupra cit.* Bauldry *ſupra n.* 11. Hippolytus a Portu *ſupra n.* 6.

LII. Rubr. & Gav. lit. i - *Sed adverte ne majores Campanæ*, *&c.*) Majores tamen Campanæ exiſtentes in Turri Campanaria, non debent pulſari niſi poſtquam pulſatæ fuerint Campanæ Eccleſiæ matricis, ſcilicet principalis in eo loco, etiamſi eſſet tantum Parochialis, quod verificatur reſpectu Eccleſiarum, ſive Regularium, ſive Confratrum, eaque omnia certa ſunt, etiam ex Decretis a S. R. C. editis, quæ mox a nobis allegabuntur; hinc fit, ut hoc ſolemne ſignum in Campanili detur, aliquando longe poſt Hymnum *Gloria in excelſis*, in Eccleſia decantatum.

Decretum allegatum a Gavanto *ſupra*, de pulſatione talium Campanarum, confirmatum etiam fuit per aliud Decretum, quod datur in noſtro Indice *ſub n.* 568. in quo ſtatuitur primam pulſationem Campanarum in Sabbato Sancto, non eſſe de juribus mere Parochialibus, ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem, juxta Conſtitutionem Leonis X.

Prædicta Decreta obſervari debent etiamſi Eccleſia aliqua Collegiata habeat omnimodam præcedentiam ſupra Matricem, pro qua re, apud Gavantum in Manuali Epiſc. *v. Campanæ in addit. n.* 2. allegatur Decretum a S. R. C. editum ſub die 23. Februarii 1619. quod tamen in Regeſtis Sacræ Congregationis, ſaltem ſub tali data non reperitur; non obſtantibus tamen prædictis Decretis, ubi Religioſi ex immemorabili conſuetudine ſemper, & continuo conſueverunt ad libitum in dicto Sabbato Sancto pulſare Campanas nulla habita ratione, an prius fuerint pulſatæ in Cathedrali, vel Matrice, hujuſmodi immemorabilis conſuetudo eſt retinenda, ut pluribus relatis Rotæ Deciſionibus, firmat Tamburinus *de Jure Abbatum*, *tom.* 1. *diſput.* 15. *quæſt.* 7. *ſub n.* 28.

Spectat etiam ad hanc materiam Decretum, quod aſſeritur editum a S. R. C. ſub die 8. Junii 1641. & affertur a Paſcuccio *in Compendio ad Conſult. Can.* Jacobi Pignatelli *part.* 2. *tit. de Regularibus*, in quo habetur - Ad effectum pulſationis Campanarum in Sabbato Sancto, ſufficit probare Eccleſiam eſſe Parochialem, Antiquiorem, Digniorem, & Majorem, ex quibus concluditur eſſe Matricem - ſed neque hoc Decretum potuit reperiri in Regeſtis S. C.

LIII. Rubr. n. 32. *Sacerdos dicit Dominus vobiſcum*, *&c.*) Ad finem Hymni ſurgentibus Clericis, & deinde Miniſtris Sacris, ſurgit & Celebrans e ſuo ſcamno, & vadit ad medium Altaris per longiorem viam cum debitis reverentiis Choro, & Altari, & peragit omnia, ut in aliis Miſſis, & cantat Orationem, prout in Miſſis, Hippolytus a Portu *ſupra num.* 7. ſed eſt hic obſervandum, quod ad Orationem Miſſæ Chorus non genuflectit, Biſſus *lit. G, num.* 29. §. 10.

LIV.

Digitized by Google

LIV. Rubr. & Gav. num. 34. - *Alleluja cantatur in cornu Epiſtolæ &c.*) Cantata Epiſtola a Subdiacono, ipſe Subdiaconus oſculatur de more manum Celebrantis, Gavantus *ſupra*, & accipit ab eo benedictionem: deinde, & non prius contra nonnullos, ipſe Celebrans incipit gravi voce cantando, ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris Sacris, ut ad Introitum: *Alleluja*; omnibus in Eccleſia ſtantibus; ex Gavanto *ſupra*; quo ſemel cantato a Celebrante, ut in Miſſali notatur, Chorus in eodem tono, & voce illud repetit: deinde Celebrans elevando vocem gradatim (qui ideo advertere debet, ut prius voce demiſſiori incipiat, ut ſecundo, ac tertio illam abſque indecentia elevare poſſit) ſecundo, & tertio repetit in cantu *Alleluja*, & idem repetit Chorus poſt quamlibet vicem. Hippolytus a Portu *Rubr.* 12, *in adnot. n.* 7.

LV. Rubr. & Gav. eodem num. 34. *Præcedit Alleluja, Tractum, &c.*) Decantato tertio *Alleluja*, Chorus proſequitur ℣. *Confitemini, &c.* quo finito, cantat Tractum. Ita etiam Celebrans dicto tertio *Alleluja*, legit ſubmiſſa voce prædictum ℣. *Confitemini, &c.* & Tractum, ut in Miſſali, ſcilicet *Laudate Dominum, &c.* Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 7. §. *Cantata Epiſtola*. Corſettus *de Sabbato Sancto tr.* 1. *cap.* 8. *n.* 21. & alii communiter.

LVI. Rubr. num. 35. - *Ad Evangelium non portantur luminaria.*) Sed Ceroferarii ſtant manibus junctis a lateribus Subdiaconi, & ſignant ſe cum Diacono, cum non teneant candelabra. Bauldry *ſupr. num.* 14. A Portu *ſupra Rubr.* 13. *in adnot. n.* 3. Incenſum tamen, ut alias, impoſitum prius in Thuribulo, & benedictum de more, defertur, & Liber Evangeliorum incenſatur de more.

LVII. Rubr. & Gav. lit. I - *Non dicitur Offertorium, quia Mulieres, &c.*) In Miſſa hujus diei non dicitur deprecatio illa, quæ Offertorium communiter appellatur. Hujus omiſſionis rationem myſticam, ex Alcuino deſumptam, affert noſter Gavantus, nimirum, quia Mulieres ſub ſilentio ibant cum aromatibus ad Sepulcrum. Walfridus Strabo *de Rebus Eccl. cap.* 22. poſtquam cum Alcuino prædictam rationem myſticam retulit, dicendo, agens de Sabbato Sancto Paſchæ, *Non cantatur offerenda .... ad memoriam reducitur Sacrificium ſeu ſilentium Mulierum: ipſæ enim tantummodo unguenta detulerunt*: Proſequitur deinde, & aſſignando aliam rationem literalem; cur hæc non dicatur Offertorium ait: *Cum vere credimus priſcis temporibus PP. ſanctos ſilentio abtuliſſe, vel communicaſſe, quod etiam hactenus in Sabbato Sanctæ Paſchæ obſervamus*. Hæc Præfatus Strabo; Berno vero Abbas Augienſis *cap.* 1. *de Rebus ad Miſſam ſpectantibus*, adoptando eadem ferme verba Strabonis, adſtruit; *Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamvis a prioris Populi conſuetudine &c..... fateri poſſunt eum veraciter credi poſſit priores Sanctos ſilentio obtuliſſe, vel communicaſſe, quod etiam hactenus in Sabbato Sancto Paſchæ ſolemus obſervare*. Mens igitur laudatorum Auctorum eſt antiquitus, dum offerebantur dona, & fiebant oblationes a Populo, nihil recitari ſolere a Cantoribus, & hanc veterem diſciplinam conſervatam fuiſſe in Miſſa Sabbati Sancti Paſchæ. Horum opinioni adhæret etiam noſter P. Franciſcus Berlendi in ſua erudita diſſertatione de oblationibus §. 4.

Prædictæ ſententiæ ego quoque accedo, poſtquam pene mihi perſuaſeram in Miſſa hujus diei, ideo prætermitti Offertorium, quia cum Gavanto *ſup. lit. O*, credebam, quod in hac Miſſa nemo communicaret, & hinc quaſi inferebam, neque in hac Miſſa antiquitus factas fuiſſe oblationes a Populo, quibus prætermiſſis, rationabiliter inferri poterat, quod pariter prætermittebatur Antiphona, quæ Offertorium appellatur; hæc ſiquidem inſtituta fuit, ut cantaretur a Choro, dum a Populo porrigebantur dona, & fiebant oblationes. Rurſus Mos antiquus erat, ut qui communicandi jus non haberent, offerre pariter prohiberentur, idque conſtat ex Concilii Illiberitani *canone* 28. in quo habetur: *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*: Ex quo colligitur, quod omnes, qui communicabant, panem, & vinum offerebant, ex quibus Euchariſtia conficeretur, & ita ex ſuis oblatis reficerentur, ut tradit etiam Cardin. Bona *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 4. unde cum jure communicandi annexum erat jus offerendi; quæ confirmantur etiam auctoritate S. Eligii Epiſc. Noviomienſis, qui obiit anno Chriſti 665. & in ſua Homilia ait: *Hæc dicit Apoſtolus, quia Corinthii, qui per prædicationem ejus ad finem venerant, ſolebant in hac die offerre ad Eccleſiam panem, & vinum, & dabatur Sacerdoti ad conſecrandum: expletiſque myſteriis, unuſquiſque quod dederat, accipiebat*. Quibus omnibus poſitis, quaſi arguebam, & quidem cum fundamento, quod ſi in Miſſa hujus Sabbati nemo Corpus Chriſti Domini de manu Celebrantis accipiebat, ut cenſet Gavantus *ſupra*, nemo pariter panem, & vinum ad Eccleſiam deferebat, & ad Altare offerebat; & idcirco in hac Miſſa Antiphona, quæ *Offertorium* dicitur, omitteretur. Quæ quidem opinio confirmari poterat ex iis, quæ laudatus Pater Berlendi adſtruit *cit.* §. 4. nimirum, quod antiquitus in Miſſis Defunctorum, quia privatæ omnino erant, nulla fiebat oblatio, ſicut pariter nulla interveniebat Communio, niſi ipſiuſmet Celebrantis, id quod comprobat auctoritate S. Willelmi *lib.* 1. *ſuarum Conſtitutionum Hirſaugenſium*, ubi legitur: *Si Miſſam Defunctorum cantat, nemo niſi ipſe ſolus, communicat. Sed ſi vivorum Miſſa eſt, ſic quoque tenendo dat pacem Converſo, &c.* Quæ quidem Conſtitutiones exquiruntur *in Veteri Diſciplina Monaſtica* Pater Hergott; prædicta vero verba leguntur *pag.* 457. Idem etiam comprobari poterat auctoritate eruditiſſimi Gabrielis Albaſpinæi Aurelianenſis Epiſcopi, qui *lib.* 1. *ſuarum obſerv. c.* 17. ait: *Ideo in mortuorum Sacris oſculum non perſolutum eſſe, quod olim privata eſſent illa Sacra, non autem Solemnia, hoc eſt, non eſſent inſtituta, ut eis publice Fideles omnes communicarent, perinde, atque in Dominicis, Feſtiſque diebus fieret. Id autem apparet ex Can.* 4. *Concilii Vaſenſis, ubi diſcrimen ponitur inter ſolemnia, mortuorumque Sacra, Itaque cum in his Sacris non communicaretur, nullum etiam oſculum dabatur, quod quidem Symbolum quoddam, & argumentum erat communionis Fidelium, eoque tantum nomine permittebatur, ut ad Communionem Fideles præpararentur, & ad mutuam benevolentiam excitarentur*. Hæc præfatus Auctor; ex quibus omnibus validum deſumi poterat argumentum in favorem ſupradictæ opinionis, cui libenter adhærerem, ſi ſubſiſteret illud aſſumptum Gavanti, quod in Miſſa hujus Sabbati, utpote nocturna, nullus alius a Celebrante communicabat, ſed ſolum in die ſequenti, quo cum Catechumeni, tum alii Sacramenti Euchariſtici participes fiebant.

Verum priſca evolvendo monumenta Liturgica relata a Martene infra citando, Ordinem Romanum primum inter evulgatos a Joanne Mabillon, præſertim vero Sacramentarium Gelaſianum, cogor omnino recedere ab expoſita Gavanti opinione, & ſuſtinere cum Domino Grancolas in *Breviarium Romanum lib.* 7. *cap.* 21. cum Petro Moretto in *ſua Erudita Diſceptatione Epiſtolari de Ritu variandi chorale indumentum &c. n.* 14. & cum aliis, cogor, inquam aſſerere, quod in hac Miſſa omnes communicabant, non ſolum Neonati, ſed reliqui quoque Fideles cæterarum Synaxeo more; idque patet ex Collectis hujus Miſſæ deſcriptis in allegato Sacramentario Gelaſiano *lib.* 1. *cap.* 45. in Oratione ſiquidem, quæ *Poſtcommunio* dicitur, hæc præciſa verba leguntur: *Præſta quæſumus, &c. ut Divino munere ſatiati, & ſacris myſteriis innovemur, & moribus*. Ex quibus evincitur Euchariſtico pane omnes refectos fuiſſe, non vero ſolum Sacerdotem. Rurſus quod in eadem Miſſa factæ fuerint oblationes, etiam pro Catechumenis recenter baptizatis, colligitur ex verbis, quæ habentur in præcedentibus Orationibus. Prior enim e ſecretis Gelaſianis ait; *Suſcipe quæſumus Domine, & plebis tuæ, & tuorum hoſtias renatorum: ut, & Confeſſione tui nominis &c.* Altera vero Secreta incipit his verbis: *Suſcipe Domine preces Populi tui cum oblationibus hoſtiarum &c.* Ex quibus liquet in prædicta Miſſa profecto factas fuiſſe Oblationes, & Catechumenorum, & aliorum Fidelium; quapropter iterum dico, nullo modo ſuſtineri poſſe, ideo in hac Miſſa prætermitti Antiphonam, quæ dicitur *Offertorium*, quia in eadem nullæ fiebant Populi Oblationes, in quibus offerendis recitabatur a Choro prædicta Antiphona.

Aliam igitur rationem aſſignare debemus, propter quam, nunc juxta Ritum Rom. Eccleſiæ, non recitatur, neque Antiphona, quæ *Offertorium*, neque alia, quæ *Communio* dicitur. Unde præter rationem, quam adducunt ſuperius allegati Auctores Strabo, & Berno Augenſis, dici etiam poſſet, & fortaſſe probabilius, quod prædictæ Oblationes pro Catechumenis (ipſi enim, teſte Ambroſio in *Prologo ad expoſitionem Pſalmi* 118. neque hac die, neque in tota Baptiſmi ſui Octava offerebant) fiebant ab eorumdem Suſceptoribus, quorum magnus erat numerus, quia pro uno Catechumeno baptizando non unus tantum, ſed duo, vel tres, immo plures etiam Suſceptores deſtinabantur, ut oſtendit Martene *lib.* 1. *de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap.* 1. *art.* 16. *n.* 12. & iſti conſtituebant probabiliter, ſi non totam, maximam ſaltem partem illius plebis, de qua fit mentio in prædictis Collectis Gelaſianis; probabile autem eſt prædictos Suſceptores hac die detuliſſe ſuas oblationes antequam inchoaretur Miſſa, nam cum ante Miſſam Baptiſma conferretur, iidem occupati erant in exuendis, & induendis ſuis Catechumenis, cæteriſque Muniis exequendis, quapropter non poterant apud ſe Oblationes retinere, ut illas tempore conſueto ad Altare deferrent; proinde neceſſum erat, ut delatio talium oblationum ſequeretur ante Miſſam; & hinc probabiliter factum eſt, quod Antiphona ad offerendum non recitabatur a Choro. Supradicta magis confirmari poſſunt ex iis, quæ leguntur *in cit. Ordine Romano n.* 46. ubi habetur - *Illud autem de Parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramenta Corporis Chriſti: & omnibus diebus ſeptimanæ Paſchæ ad Miſſas procedant, & parentes eorum offerant pro ipſis, et communicent omnes* - En igitur, quod omnes communicabant, quod parentes pro Parvulis offerebant: unde manifeſtum eſt, quod pro Catechumenis Oblationes fiebant a ſuis Suſceptoribus.

Quoniam vero ex cit. Textu Ordinis Romani parvuli poſtquam baptizati erant, nullum ſumebant cibum, nec ſugebant lac ab uberibus, antequam Euchariſtico Cibo reficerentur,

Digitized by Google

tur, opinandi locus datur, quod in hodierna Miſſa omitteretur Offertorium ad evitandum ejuſdem Miſſæ prolixitatem, quia prædicti parvuli difficillime temperare ſe poterant ab iteratis, & moleſtis vagitibus emittendis, ſi longo temporis tractu jejuni perſeveraſſent: & equidem ad eos cito etiam corporaliter reficiendos, ſtatim ut Sanguis Chriſti cum Cochleari ſumptus e Calice in eorum os infuſus eſſet, illis porrigebatur lac, & mel. Idem agebatur cum Neophytis, ut ipſi tamquam infantes deſignarentur lacte, & melle nutriendi, juxta illa verba S. Petri: *Quaſi modo geniti infantes ſine dolo lac concupiſcite*. Quod brevis eſſet hæc Miſſa ad prædicta incommoda præcavenda, colligitur etiam ex iis, quæ tradit Theophanes Nicænus *Epiſt. 3. ad Sacerdotes*, in qua ait, quod ſtatim poſt Baptiſmum dabatus omnibus Communio. Rurſus quia Joannes Moſchus *in Prato Spirituali c. 19.* ait, antiquam fuiſſe conſuetudinem, io Eccleſia, ut pueri ante Sacrarium aſſiſterent, & primi poſt Clericos communicarent; colligitur, ideo invectam fuiſſe hanc ſollicitudinem communicandi ionocentes pueros, & infantes, ne jejuni longo tempore permanerent.

Dixi, quod Antiphona Offertorii probabiliter omittebatur, ne in longum nimis hæc Miſſa protraheretur; habemus enim in Ordine Romano II. inter evulgatos a Mabillon *pag. 46*, hæc præciſa verba -- *Tranſit deinde Sacerdos ad ſuſcipiendas Oblationes. Interim Cantores cantant Offertorium cum Verſibus, & Populus dat oblationes ſuas, ideſt panem, & vinum, & offerunt cum Fanonibus candidis, primo maſculi, deinde fœminæ*. Ex quibus colligitur Offertorii verſus multos ſimul fuiſſe conſtitutos, qui cantabantur a Choro, & quorum cantus toto illo tempore durabat, quo Populus ſua dona offerebat; quos ideo Hadrianus Papa, inquit Demochares *tom. 4. c. 15.* voluit geminatos cantari, & geminasi, & neutrum omitti. Eos ipſos tameo nunc videmus ſimplices eſſe, nec ullum ex illis repeti, niſi in Miſſa Defunctorum, ut notavit etiam noſter Gavantus *infra* in ſuis doctiſſimis Commentariis *ad tit. 18. hujus partis 4. ſub. n. 3.* deoique ex iis, quæ tradit P. Berlendi in ſua *cit. Diſſert. de Oblationibus §. 4. n. 6*, variæ adhibebantur formulæ juxta diverſitatem Eccleſiarum, & Liturgiarum in recipiendis, & offerendis Oblationibus, quæ porrigebantur a Populo; unde ſemper firmum remanet, quod multum temporis impendebatur in exercenda hac functione Oblationum, & idcirco non ſine fundamento opioamur in hodierna Miſſa tales Ritus prætermiſſos fuiſſe prolixitatis vitandæ gratia, ob rationes ſupra adductas, ſed omnis iſta actio ſub ſilentio complebatur; ſicut fiebat antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus.

Io eadem Miſſa non dicitur *Agnus Dei*, quia hæc nova eſt adjectio; hæc enim deprecatio inſtituta fuit a Sergio Papa, qui ſedit anno 688. ut tradunt Scriptores a nobis citati, cum ex profeſſo egimus de hac deprecatione in parte prima hujus Theſauri.

Quod ſpectat ad Antiphonam, quæ Communio dicitur, licet antiquitus fuiſſet cantata in hac Miſſa, dum fiebat Populi Communio, quia in Sacramentario Gelaſiano, *ut ſupra* innuimus, recitabatur a Celebrante Oratio *Poſt communionem*; unde infertur præcedenter fuiſſe a Choro recitatam Antiphonam illam, quæ *Communio* prænotatus; hæc enim correlativa erant, nimirum Antiphona, quæ *Communio*, & Oratio, quæ *Poſtcommunio* dicitur; quod notat etiam Ordo Romanus Hittorpii *pag. 55.* aſſerens juxta Romanos dictam fuiſſe in hac Miſſa Orationem *ad Complendum*. In præſentiarum autem ideo omittitur & *Communio*, nec non Oratio *Poſtcommunio* inſcripta, quia earum loco, ut notat etiam Grancolas *loc. cit.* & ante ipſum Gavantus *ſupra*, nec non Durandus, ſuffectæ ſunt Veſperæ, quæ gratiarum actio potius dicendæ ſunt quam Officium Veſperarum; hanc rationem jam aſſignaverat prædictus Ordo Romanus Hittorpii *loc. cit.*

Denique quoad oſculum pacis juxta prædictum Grancolas antiquitus in hac Miſſa non dabatus, quia Romæ reſervabatur ad principium Matutini Paſchatis, ubi tunc Populi conveniebant ante Eccleſiam, & antequam inchoaretur Officium ſeſe invicem amplexantes in pacis ſignum, dicebant *Surrexit Dominus*; Et hoc habetur in eodem Ordioe Romano ab Hittorpio edito *pag. 55.* in quo legitur -- In ipſa nocte matutina luce rumpente tenebras ſurgentes in Eccleſiam veniant, & mutua Charitate ſe invicem oſculantes, dicant: *Surrexit Dominus*. Juxta tamen Ritum Mozarabum, & Ambroſianum pax publice datur in hac Miſſa, & recitatur Poſtcommunio, ſicuti etiam in veteri Ritu Gallicano.

LVIII. Gav. eadem lit. I -- *Subdiaconus defert ad Altare; &c.*) Subdiaconus poſt redditum librum Evangeliorum ſecundo Cæremoniario, vadit ad medium plani poſt Diaconum, dum Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, & deinde *Oremus*, & quando Diaconus accedit ad Altare, cantato a Celebrante *Oremus*, Subdiaconus cum debitis reverentiis Choro, & Altari vadit ad Credentiam, ex qua præpoſito ſibi velo humerali de more, ſumit Calicem, inſuper Burſam Corporalium, & ſubſequente Acolytho cum ampullis, ea portat ad Altare; a Portu *ſupra Rubr. 14. in adnot. num. 2.* quem Calicem collocat inter medium Altare, a cornu Epiſtolæ; Diaconus vero ſtans ad dexterum latus Celebrantis, accipit Burſam, & vadit ad medium ubi erat Celebrans qui pergens aliquantulum verſus cornu dexterum Altaris, cedit ei locum, ut extrahat, & extendat Corporale, ac reponat Burſam ad locum ſuum de more, quo facto, Diaconus recedit & Celebrans revertitur ad medium, ubi accipit de manu Diaconi Patenam, & alia facit de more. Turrinus *ſupra §. cantato Oremus*.

LIX. Rubr. & Gav. lit. p -- *Pacis oſculum non datur, &c.*) Quamvis non detur oſculum Pacis in hac Miſſa, ut præſcribit Rubrica *ſupra*, Subdiaconus tamen tranſit ad dexteram Celebrantis, & diſcooperit Calicem quando opus erit de more: a Portu *ſupr. Rubr. 15. in adnot. num. 1.*

LX. Rubr. & Gavant. lit. p -- *Pro Veſperis, &c.*) Facta a Celebrante ablutione poſt ſumptionem Sacramenti, Subdiaconus accommodat (deferente aliquo Acolytho cum debitis reverentiis velum Calicis ad Altare) & reportat Calicem ad Credentiam de more; interim vero, dum Celebrans ſcilicet ſumit ablutionem, Cantor, ſeu alius, comite ſecundo Cæremoniario, vel alio, accedit cum debitis reverentiis ad Digniorem de Choro, eique de more præintonat Antiphonam *Alleluja* pro Veſperis, quam ſtatim Dignior abſque ſigno Crucis intonat, & Chorus eam bis repetit, ut io Miſſali, & poſt Antiphonam cantatur alternatim ab utroque Choro Pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes, &c.* & poſt Pſalmum iterum repetitur ter *Alleluja*. Capitulum, Hymnus, & ℣℣. non dicuntur; omittuntur etiam diebus ſequentibus. Poſtea Celebrans intonat Antiphonam ad *Magnificat*, ut infra, Bauldry, Biſſus infra citandi; Vinitor *ſup. n. 12.* præfatus autem Celebrans facta ablutione accedit io cornu Epiſtolæ, ubi adhuc retenta Planeta dicit loco Antiphonæ, quæ appellatur *Poſtcommunio*, ſubmiſſa voce ter *Alleluja*, ſubjungens Pſalmum: *Laudate Dominum omnes Gentes*, cum Miniſtris ſtantibus in cornu Epiſtolæ, ut ad Introitum Miſſæ: deinde idem Celebrans, finito cantu in Choro, ſtans adhuc cum Miniſtris in prædicto cornu Epiſtolæ intonat in cantu Antiphonam ad *Magnificat*, nempe, *Veſpere autem Sabbati*, ut in Miſſali, quam Antiphonam poſtea ipſe Celebrans proſequitur ſubmiſſa voce cum Miniſtris Sacris, Choro eamdem Antiphonam proſequente in cantu. Bauldry *ſupra n. 17.* Biſſus *ſupra §. 4.* Gerlacus Vinitor *ſupra*, Hippolytus a Portu *ſupra n. 5. uſque ad num. 9. incluſive*.

LXI. Rubr. num. 40. -- *Deinde cantatur Magnificat, &c.*) Cantata Antiphona a Choro, intonatur *Magnificat* ſolemniter a Cantoribus, Choro alternatim proſequente. Interim vero dum ſcilicet a Cantoribus inchoatur *Magnificat*, Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris ſe ſignat a fronte ad pectus de more (& omnes pariter ſignant ſe) & ſtatim cum iiſdem accedit ad medium Altaris, ubi facta ſolita ſimplici inclinatione Cruci, imponit, & benedicit Incenſum in Thuribulo, miniſterio Diaconi, & Thuriferarii. Bauldry *ſup. n. 18.* Biſſus *ſup.* Gerlacus Vinitor *ſupra*, Halden *part. 1. tit. 20. §. 3. de Sabbato Sancto §. Porro*.

LXII. Rubr. & Gav. lit. q. -- *Ut alias, &c.*) Impoſito, & benedicto de more Thure, celebrans incenſat Altare, ut fit initio Miſſæ, Sacris Miniſtris hinc inde ſtantibus, & eum adjuvantibus, ut de more, elevando poſteriorem Planetæ partem, &c. in cujus incenſationis fine, ipſe Celebrans incenſatur a Diacono in cornu Epiſtolæ, ſtante Subdiacono a ſiniſtris ejus, ut in Introitu Miſſæ, deinde Diaconus vadit ad incenſandum eos, qui ſunt in Choro, more conſueto, ut ad oblata, comite Cæremoniario, quo facto, vadit verſus Altare (ſemper tamen cum debitis reverentiis eidem Altari, & Choro) ubi ſtans in plano in cornu Epiſtolæ, cum Thuriferario a dexteris ejus, ſed paululum retro, incenſat Subdiaconum ſtantem a dexteris celebrantis, qui Subdiaconus vertit faciem Diacono, cavens tamen ne directe terga vertat celebranti. Celebrans vero poſtquam fuerit a Diacono incenſatus, & ſtatim ac Diaconus ſe contulit ad incenſandum Chorum, adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ cum Subdiacono, ut ad Introitum Miſſæ proſequitur tunc, & non prius alternatim cum eodem Subdiacono ſubmiſſa voce: *Magnificat*, uſque ad finem, & poſt *Gloria Patri, &c.* repetit cum ipſo Subdiacono etiam Antiphonam, ibique ſtat, quouſque in Choro ſit repetita Antiphona poſt *Magnificat*, & poſtea accedit ad medium Altaris, ut infra. Biſſus *ſupra lit. M numer. 25. §. 4.* Subdiacono ut ſupra incenſato, Diaconus reddit Thuribulum Thuriferario, qui ſtatim incenſat prædictum Diaconum, ſtantem a dexteris Celebrantis in cornu Epiſtolæ in ſecundo gradu Altaris, facie ad Thuriferarium verſa. Tum Diaconus, & Subdiaconus ſtant cum Celebrante in cornu Epiſtolæ, ut ad Introitum Miſſæ, uſque dum in Choro ſit repetita Antiphona poſt *Magnificat*. Thuriferarius vero incenſato Diacono, factis ſemper debitis reverentiis, incenſat Acolythum, & Populum, & poſtea facta genuflexione Altari, & reverentia Choro (quando eſt ante Altare) vadit in Sacriſtiam, ubi deponit Thuribulum, & Naviculam, & redit cum reverentiis; ut par eſt, ad Altare. Biſſus *ſup. §. 1.* Bauldry *ſupr. num. 18. & 19.*

Mox diximus dum cantatur *Magnificat* a Diacono incenſandum eſſe Chorum eo modo, quo incenſatus idem Chorus poſt oblata, & poſt incenſatum Celebrantem; diximus autem

Digitized by Google

tem *ſupra part. 2. tit. 9. num. 74.* quod Diaconus, incenſato tunc Choro, præcedente Thuriſerario, redit ad Altare per eamdem viam, qua venit in Chorum, nimirum a latere Epiſtolæ, & ibi facta genuflexione, ſtans in eadem parte Epiſtolæ Subdiaconum incenſat; hinc idem Ritus debet ſervari etiam in præſenti caſu incenſationis ad Canticum *Magnificat*. Quoniam vero aliqui, nimirum Caſtaldus in noſtro Cæremoniali *lib. 1. c. 29. num.* 14. Flumara in Cæremoniali Clericorum Regul. Minor. *part.* 2. *c.* 7. Cæremoniale Clericorum Regularium S. Pauli *lib. 1. c.* 1. præſcribunt, quod incenſato Choro, & præſtita a Diacono, & a ſuo comite reverentia ad utramque Chori partem, & facta etiam genuflexione Cruci, vel Sacramento, idem Diaconus pergit in Presbyterium per latus Evangelii, ubi facta Altari juxta cornu Evangelii genuflexione, incenſat Subdiaconum ſtantem facie verſa ad eumdem Diaconum, præmiſſis debitis mutuis inclinationibus, idcirco iterum, ſuper hoc Ritu ſermonem inſtituimus, ut validiori diſcurſu firmetur noſtra contraria opinio ſuperius tradita, nimirum quod Diaconus tunc, nempe in Miſſa, & modo in præſenti caſu debeat egredi non per oſtiolum a latere Evangelii, ſed a latere Epiſtolæ, per quod ingreſſus eſt ad incenſandum Chorum. Nos igitur verſamur in hac opinione, quod Subdiaconus debeat incenſari a latere Epiſtolæ, ſive Chorus ſit ante Altare (ut concedunt in tali caſu etiam Bauldry *part. 3. c. 11. art. 7. num.* 19. necnon Biſſus *lit. D num.* 123. §. 34.) ſive Chorus ſit retro Altare, in quo tamen caſu prædicti Biſſus, & Bauldry cenſent Subdiaconum incenſandum eſſe a Diacono a latere Evangelii, & idcirco etiam juxta ipſos debet Diaconus egredi ab eodem latere Evangelii: ſed admittere non poſſum hanc Ritus variationem in Subdiaconi incenſatione, & iterum ſuſtineo ſemper Subdiaconum incenſandum eſſe a latere Epiſtolæ, quo firmato, magis congruum mihi videtur, quod completa Chori incenſatione debeat ab eodem latere Diaconus egredi e Choro. In hac ſententia verſantur etiam Doctiſſimi Monachi S. Mauri; in ſuo etenim Cæremoniali *lib. 2. c. 4. n.* 25. ſermone habito de Diacono incenſante Chorum, ajunt -- *Incenſatione Chori peracta, profunde ſe inclinabit verſus ipſum Chorum in ſuprema parte circa medium, & reverſus ad Altare, genuflectet ubi prius ante diſceſſum, ſtanſque a latere Epiſtolæ thurificabit Subdiaconum duplici ductu* -- Certum autem eſt ibi ſermonem eſſe de Choro exiſtente retro Altare, ut ex eorum conſuetudine, necnon ex contextu verborum manifeſte id colligitur. Si autem juxta ipſos debet Diaconus ſtare a latere Epiſtolæ dum Subdiaconum thurificat, quis inficiari poterit magis congruum eſſe Diaconum egredi ab eodem latere, quam a latere Evangelii? alias egrediendo ab hoc latere deberet perficere totum gyrum Presbyterii, & genuflectere in medio, non vero in eodem loco, ubi prius ante diſceſſum a Presbyterio. Omnes illi, qui cenſent Subdiaconum eſſe incenſandum a latere Evangelii, ideo moventur ad hoc aſſerendum, quia firmiter tenent, eos, qui a Choro diſcedunt, & ad Capellam pergunt, ſemper egredi a latere Evangelii; ex quo autem Diaconus ſervando hanc regulam debeat ab eodem latere egredi, ne totum gyrum Presbyterii perficiat, congruum judicant, illum ſe a latere Evangelii ſiſtere, & in eo ſitu Subdiaconum ad ejuſdem Diaconi faciem vertentem thurificare; nos vero e contra magis invariabilem judicamus diſpoſitionem illam, qua præſcribitur Subdiaconum ſemper incenſari debere a latere Epiſtolæ, & facie verſa ad idem latus, ad quod verſus incenſatus fuit celebrans, ſicut ob eamdem rationem ad idem latus converſus debet incenſari Diaconus a Thuriſerario, & idcirco ſuadetur in hoc caſu minus incongruum eſſe variari regulam illam, quod diſcedentes e Choro debeant egredi a latere Evangelii: & revera Acolythi in Miſſa Solemni, celebrante aliquo in Dignitate conſtituto, quando deferunt bacile, & bucale argenteum: necnon mappulam ad lavandas, & tergendas manus Celebrantis, quia id præſtare debent a latere Epiſtolæ, ab eodem latere exeunt a Choro prædicta deferentes, non vero a latere Evangelii, faciendo totum gyrum Presbyterii: cum igitur Diaconus debeat pariter incenſare Subdiaconum a latere Epiſtolæ, ab eodem latere egredi magis congruum videtur, quam a latere Evangelii,

Supereſt hoc ſolummodo advertendum, quod juxta Cæremoniale prædictorum Clericorum Sancti Pauli, Diaconus poſt incenſatum Celebrantem, quia non diſcedit a medio Capellæ, ſed a latere Epiſtolæ, nullam debet facere genuflexionem, e contra vero juxta Cæremon. Clericor. Minor. & Monachorum S. Mauri, præſcribitur talis genuflexio, quam nos quoque approbavimus; in hoc unuſquiſque ſequi poteſt conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ.

LXIII. Gav. num. 42. -- *Ad Orationem ultimam, &c.*) Circa finem Antiphonæ, quæ repetitur a Choro poſt *Magnificat*, Miniſtri Sacri locant ſe unus poſt alium retro Celebrantem in recta linea, & hoc modo procedent ad medium Altaris cum eodem Celebrante; qui finita Antiphona a Choro, & oſculato Altari, ad Populum converſus dicit: *Dominus vobiſcum*, & proſequitur Miſſam more ſolito uſque ad finem, *ut ſupra*, hoc tamen notato, quod Diaconus dicit: *Ite Miſſa eſt* cum duplici *Alleluja*, ut in Miſſali. Bauldry *ſupra n.* 20. Biſſus *ſupra* §. 8. Gerlacus Vinitor *ſupra n.* 13.

Tandem finita Miſſa, factis debitis reverentiis Cruci Altaris, & Choro, & acceptis biretis de more redeunt in Sacriſtiam, ubi facta Cruci, vel Imagini debita reverentia, & poſtquam Sacras Veſtes exuerint, mutua ſibi gaudia Paſchalia annunciant, factis ſibi invicem mutuis reverentiis, & quaſi amplexibus, & idem fit ab omnibus de Choro, & deinde omnes læti in Domino recedunt. Bauldry, Gerlacus Vinitor *ſupra*, Hippolytus a Portu *ſupra n.* 16. Halden *ſupra*.

Poſt Miſſam aliquis Sacerdos paratus Superpelliceo, Stola & Velo humerali albi coloris cum Clericis, faces deferentibus, reportat Pyxidem cum Sanctiſſimo Sacramento ex Oratorio ſecreto ad Tabernaculum ordinarium, ſeu ſolitum. Bauldry *ſupra num.* 21. Gerlacus Vinitor *ſupra numer.* 14. Turrinus *part. 3. ſect. 2. c. 3. de Sabbato Sancto* §. *Reportetur*.

LXIV. Gav. num 43. -- *Peracta Miſſa quæritur, an aliæ Miſſæ celebrari queant, &c.*) Hoc dubium diſcutitur etiam a Caſtaldo *lib. 3. ſect.* 8. & a Biſſo *lit. S. num.* 7. §. 1. & 2. ubi fatetur ſe non poſſe refellere ſententiam affirmativam, quia ſcit nonnullos doctos, & timoratæ conſcientiæ viros eam in praxi aliquando reduxiſſe; tum etiam quia multi DD. & quidem fere in omnibus maxime venerati eam apertiſſime tuentur; Verum nullo modo tenenda eſt prædicta ſententia affirmativa, quia nonnulla emanarunt a Sacr. Congr. & Summis Pontificibus Decreta, quæ expreſſe prohibeant in hac Feria Celebrationem cujuſcumque Miſſæ Privatæ, in quacumque Eccleſia, & Oratorio, & non concedunt niſi Celebrationem unius Miſſæ Solemnis, & Conventualis; Id patet in Decreto edito a S. R. C. die 11. Februarii 1690. approbante PP. Alexandro VIII. die 11. Martii ejuſdem Anni, & datum in noſtro Indice *ſub num.* 495. In alio pariter Decreto edito die 11. Januarii 1693. in una *Galliarum*, quod exhibetur in noſtro Indice *ſub num.* 504. Denique idem colligitur ex alio Decreto edito die 13. Julii 1697. in una *Januen.* & dato in noſtro Indice *ſub num.* 515.

LXV. Gav. eodem num. 43. -- *Quod accidere poteſt, quando Feſtum Annunciationis inciderit in Sabbatum Sanctum, &c.*) Prædicto loco Gavantus prius videtur concedere, quod ſi in Sabbatum Sanctum incidat Feſtum Annunciationis, poſſit a Superioribus concedi facultas celebrandi aliquas Miſſas, ſed nonniſi poſt inchoatum ſaltem ſolemne Sacrificium; n. tamen 45. tenet etiam in tali caſu non eſſe celebrandam, niſi unicam Miſſam Solemnem. Verum etiam pro talis contingentia facti ſatis proviſum eſt ab Apoſtolica Sede per ſua Decreta, quid faciendum ſit, ſi occurrat prædictum Feſtum in Sabbato Sancto, nimirum eſſe transferendum ejus Officium una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Feriam II. poſt Dominicam in Albis, quod quidem Decretum editum fuit a S. R. C. die 11. Martii 1690. & eſt illud idem, quod ſupra innuimus, dato in noſtro Indice *ſub n.* 495. de quo Decreto pariter ſermonem fecimus ſupra agentes de Ritibus ſervandis in Feria ſexta Paraſceves, & iterum ſermonem faciemus de eodem in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii Romani. Solum hic advertimus iterum, quod ſi Feſtum Annunciationis in dicto caſu, ob Feſtum altioris Ritus occurrens in prædicta Feria II. poſt Dominicam in Albis, deberet protrahi, quo ad recitationem Officii, non ideo protrahenda eſſet obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus in illa Feria, ſicuti de facto fit, quando accidit tale Feſtum Annunciationis in Feria V. in Cœna Domini, tunc enim, ut diximus, licet transferatur Officium & Miſſa, non tamen protrahitur Feſtum, ſed hoc ſervatur in illa Feria, obſervando præceptum audiendi Sacrum, & abſtinendi ab operibus ſervilibus. Deinde advertendum eſt, quod licet modo Feſtum Annunciationis, quando id incidit in Paraſcevem, aut Sabbatum Sanctum, ex vi prædicti Decreti, tam in foro, quam in Choro transferatur, non tamen permittit eadem S. C. ſed potius probibet alia quoque Feſta, ſi quæ accidant in aliqua Diœceſi ſimiliter in foro transferri, quando die ſuo celebrari Officium, ac Miſſa non poſſunt.

LXVI. Gav. num. 47. *In Octavis Paſchæ diſtribui ſolitus fuit Cereus, &c.*) In utraque Cerei Paſchalis benedictione ab Enodio relata, de qua ſupra mentionem fecimus, ait ipſe ab eodem Cereo benedicto decerptas fuiſſe a Fidelibus aliquas particulas contra procellas; Hinc nonnulli arbitrantur Agnos Cereos, qui vulgo Agnus Dei appellantur, originem trahere, de quibus Amalarius *lib. 1. de Divinis Officiis c.* 16. ait: *Libellus Romanus narrat eodem die* (ſcilicet Sabbato Sancto) *benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri Agnos, eoſque reſervari uſque ad octavas Paſchæ*. Idem ſcribit Alcuinus, & idem præſcribitur in Ordine Romano, quibus adſtipulatur Durandus in *lib. 6. cap.* 79. ubi ſic ait: *Hac die Acolythi Romanæ Eccleſiæ faciunt Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paſchalis Anni præcedentis, admixto Chriſmate, qui in Sabbato in Albis in Eccleſiis per Dominum Papam diſtribuuntur*.

LXVII. Gav. num. 48. -- *Romæ varia eſt conſuetudo, &c.*) Ultra dies a Gavanto deſcriptos, in quibus accendi debet Cereus Paſchalis, placet etiam, immo videtur conveniens

Digitized by Google

giens uſus accendendi dictum Cereum in Feſtis Apoſtolorum, Patroni, ac Titularis, & Dedicationis Eccleſiæ, & in omnibus Feſtis Sanctorum de præcepto; Immo & in diebus Feſtis Sanctorum, non de præcepto, ſed ſolemniter in Choro celebratis. Item accendi poteſt Cereus in Miſſa non ſolemni, ſed Parochiali die Dominico, & in omnibus Feſtis Sanctorum. Item in Miſſis Votivis ſolemnibus pro re gravi, dummodo non adhibeatur color violaceus, unde non eſt accendendus in Miſſis majorum, minorumque Litaniarum, & in aliis ſimilibus, & a fortiori accendi non debet in Miſſis Defunctorum, licet cantatis.

Advertendum tamen eſt, quod in die Sancto Paſchæ accenditur dictus Cereus ad totum Matutinum Solemne, & Laudes, item in Miſſa ad Veſperas, & Completorium. Duobus vero ſequentibus diebus Dominicis, & Feſtis Sanctorum accenditur ad Laudes, Miſſam ſolemnem, & Veſperas. Ex Caſtaldo *lib. 3. ſect. 9. cap. 8. n. 3. & 4.* Bauldry *ſupra n.* 24. Memoriale Rituum *ſupra n. 17. de Veſp. Sabb. Sancta n. 1. ad 6. uſque incluſive.*

LXVIII. Gav. n. 49. *Poſtremo a primis Veſperis Aſcenſionis uſque ad finem Evangelii, &c.*) in die Aſcenſionis accenditur ad primas Veſperas, Laudes, & Miſſam ſolemnem uſque ad Evangelium, quo dicto ſtatim extinguitur, & completa Miſſa ſolemni, ſeu parochiali, removetur a Candelabro, & reportatur in Sacriſtiam, & non amplius accenditur, niſi ad Sabbatum Pentecoſtes in benedictione Fontis. Caſtaldus *ſupra*, Memoriale Rituum *Majoris Hebdomadæ ſup. n. 6.*

LXIX. Gav. n. 50. *Candelæ tres, &c.*) Poſt Miſſam extinctis Cereis Altaris, & Cereo Paſchali, extinguuntur etiam tres ſupradictæ Candelæ in cuſpide Arundinis poſitæ, quæ amplius non accenduntur, & ideo Arundo ipſa amovetur omnino, Bauldry *ſup. n. 21.* Memoriale Rituum *ſup. n.* 33. A Portu *ſupra n. 16. §. Arundinis Candelæ.*

Supereſt nunc, ut exhibeamus ſequentia Decreta, quorum primum eſt - Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes, in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis, uſque ad Aſcenſionem; In aliis ſervanda eſt conſuetudo Locorum. S. R. C. 19. Maji 1607. & datur in noſtro Indice *ſub n. 68.*

Secundum vero eſt - Functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ non ſunt de juribus mere Parochialibus, ut declaravit S. R. C. die 10. Decembr. 1703. & datur in noſtro Indice *ſub n. 566.*

*De Ritibus peragendis in eodem Sabbato Sancto, in Minoribus Eccleſiis.*

## De præparandis pro omnibus functionibus in hac die perſolvendis. §. I.

Extra Portam principalem Eccleſiæ præparetur Menſa cum Mantili albo, & ſuper eam legile parvum, ſeu Cuſſinus cum Miſſali, Pelvicula, ſeu Patena cum quinque globulis Incenſi; Thuribulum, & Navicula cum Thure; Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio; Manipulus, Stola Diaconalis & Dalmatica albi coloris; Laterna cum candelula, & lignis ſulphuratis. Item prope dictam Menſam tripes cum foculo, in quo accendi debent Carbones pro novo igne; Forcipes ferreæ, Arundo ornata cum tribus candelis in ſummitate.

In Eccleſia paretur Altare majus cum Cruce, & Candelabris feſtivis; Duplex in eo pallium, album ſubtus, & violaceum deſuper; Pes ligneus, vel baſis marmorea in latere Evangelii, pro firmanda Arundine in eodem latere, legile velo albo contectum pro Præconio cantando. Cereus benedicendus aptus in Candelabro magno a latere pariter Evangelii, *ut ſupra*; Lampades compoſitæ.

In Abaco ejuſdem Altaris præparetur Menſa mantili albo compoſita, Miſſale pro Præconio, & Miſſa, Calix cum ornamentis albi coloris, Pelvicula cum urceolis Vini, & Aquæ, cum Manutergio.

In Sacriſtia præparentur quatuor Superpellicea pro Clericis. Amictus, Alba, Cingulum, Stola, & Pluviale coloris violacei; Item Manipulus, & Planeta violacea, necnon Manipulus, Stola, & Planeta coloris albi. Velum pro humeris albi coloris, & Cerei pro aſportatione Pyxidis, & Crux Proceſſionalis.

In Baptiſterio ſi adſit, præparentur ea, quæ diximus *ſup.*

## De principio Officii uſque ad benedictionem Cerei. §. II.

Extra Eccleſiam excutitur a Sacriſta, vel ab alio novus ignis e ſilice, accenduntur Carbones in foculo, & hora competenti quatuor Clerici accipiunt Superpellicea in Sacriſtia, & diſponunt omnia ſuis locis. Dato ſigno cum Crotalo, celebrans lotis manibus accipit Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, & Pluviale coloris violacei, & deinde procedit ad Portam principalem Eccleſiæ hoc ordine.

Primus Clericus manibus junctis; tertius Clericus cum Cruce proceſſionali, Celebrans inter duos Clericos.

Extra portam Clericus cum Cruce ſiſtit in limine portæ, renes eidem vertens, facie Crucifixi verſa ad Celebrantem. Celebrans ante Menſam collocatam inter ipſum, & Crucem, ibidem ſtans ex Miſſali poſito ſuper legile, legens benedicit ignem tribus Orationibus, deinde unica Oratione grana Incenſi, quæ dum benedicuntur, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, & ponit in Thuribulo.

Celebrans imponit cum benedictione & oſculis incenſum in Thuribulo, deinde aſpergit ignem, & grana, & eadem poſtea thurificat; idem Celebrans poſt redditum Thuribulum Thuriferario, deponit Pluviale, & Stolam coloris violacei, & accipit Manipulum, Stolamque Diaconalem, & Dalmaticam albi coloris; Interim ſecundus Clericus cum aliquo ligno ſulphurato accendit candelam de novo igne, & recondit in laterna, & alius Clericus accipit pateram cum granis Incenſi: Celebrans iterum ponit Incenſum in Thuribulo cum benedictione, & oſculis, & poſtea accipit Arundinem, & proceditur ad benedictionem Cerei ordine ſequenti.

Primo, Clericus cum granis Incenſi a dexteris, & Thuriferarius a ſiniſtris. Secundo, tertius Clericus cum Cruce; Celebrans cum Arundine, & alius Clericus cum laterna a ſiniſtris ejus; Clerici cum granis, Thuribulo, & Cruce ingrediuntur Eccleſiam, & ſiſtunt quando Celebrans ingreſſus fuerit januam Eccleſiæ. Celebrans ingreſſus Eccleſiam inclinat Arundinem, & accenſa ex candela laternæ, ſive ex ligno ſulphurato una ex tribus candelis Arundinis per Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico Cruciferario, & ſic genuflexus clara voce dicit: *Lumen Chriſti*; tum ſurgentibus omnibus; & Clerici, ſeu Sodales alicujus Confraternitatis, ſi adſint, reſpondent: *Deo gratias*, & alia vice facit ut ſupra, donec pervenerit ad Altare, ut ibi dicat tertia vice: *Lumen Chriſti*, ut ſupra.

## De Benedictione Cerei. §. III.

His omnibus peractis, & data Arundine alicui Acolytho, ſeu alicui Sodali, Celebrans genuflexus (accepto prius libro de manu alicujus Acolythi, ſeu Sodalis, ut ſupra) ante Altare in infimo gradu, prætermiſſo *Munda cor meum*, dicit tantum, *Jube Domine benedicere*, & ipſemet ſubdens dicit: *Dominus ſit in corde meo, & in labiis meis, ut digne, & competenter annunciem ſuum Paſchale Præconium.* Deinde ſurgit, & facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad legile paratum in plano Evangelii hoc ordine. Primo, Turiferarius habens a dexteris quartum Clericum cum granis Incenſi; Secundo, tertius Clericus cum Cruce, habens a ſiniſtris ſecundum Clericum cum Arundine; Tertio, Celebrans cum Miſſali.

Cum pervenerint ad legile ſupradicti, apud illud ſe diſponunt in recta linea, ut ſupra, & vertent faciem ſicut celebrans juxta noſtram ſententiam, non ad partem Aquilonarem, ſed ad Meridionalem, & latera ſiniſtra ad Altare ut facilius Populus audire poſſit Præconium Paſchale.

Celebrans, poſito Miſſali ſuper legile, illud apertum incenſat, ut ſupra diximus, & poſtea clara, & hilari voce incipit Præconium: *Exultet, &c.* Ad verba: *Curvat Imperia* infigit grana Incenſi prout *ſupra*, & ad alia verba: *Rutilans ignis*, accendit Cereum ex una candelarum Arundinis: ad verba: *Apis mater eduxit*, quieſcit donec quartus Clericus ex Cereo per candelulam in virga lampadem, vel lampades accendat. Finito Præconio, Celebrans claudit Miſſale, ſecundus Clericus firmat Arundinem in ſua baſi; tertius deponit Crucem a latere Epiſtolæ, vel eam defert in Sacriſtiam; deinde præcedentibus Thuriferario cum Clerico de granis a ſiniſtris, ac ſecundo, & tertio Clerico, facta genuflexione Altari, revertitur Celebrans in Sacriſtiam; ibique depoſitis Paramentis Albis, accipit Manipulum, Stolam, & Planetam coloris violacei.

## De Prophetiis. §. IV.

Celebrans ita paratus, præcedentibus Clericis, procedit ad Altare, & facta Cruci genuflexione aſcendit, oſculaturque illud in medio, deinde accedens in cornu Epiſtolæ ſuper Miſſali ab aliquo Acolytho ibi aſportato, alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, & Tractus, genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit: *Flectamus genua*, cui Clericus ſurgens reſpondet: *Levate.*

Si tamen erit numerus ſufficiens Acolythorum, in plano ante Altare cantare poterunt Prophetias, & tunc Celebrans eas ſubmiſſa voce legit; ita etiam ſi erit Chorus, omnes Tractus cantabit, aliter leget idem Celebrans, ut diximus.

Completa ultima Oratione, Celebrans deſcendit in planum, & facta genuflexione Cruci procedit ad ſcabellum, ſive Credentiam, & ibi deponit Planetam, & Manipulum.

Si Eccleſia habuerit Fontem Baptiſmalem, Celebrans accipiet Pluviale violaceum; ſi autem Fontem non habet, accedit ſine Caſula ante Altare pro Litaniis, ut infra.

## De Benedictione Fontis. §. V.

Si benedicendus ſit Fons Baptiſmalis, primus Clericus amovet Cereum accenſum e Candelabro, & accedit ante Altare. Tertius Clericus accipit Crucem, & ſimiliter venit ante Altare. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem ſedentem ſuper aliquo ſcabello, qui ſurgens incipit alta voce Tractum: *Sicut Cervus, &c.* quem lente proſequitur cum ſuis Clericis.

Inchoato Tractu, dirigitur Proceſſio ad Fontem, factis de-

batis

bitis reverentiis Altari hoc ordine, Primo Clericus cum Cereo; Secundo Clericus cum Cruce; Tertio Celebrans medius inter duos alios Clericos, recitans tecto capite Tractum. Cum ad Fontem pervenerit, peragit omnia, *ut ſupra*, extollendo, & deprimendo vocem, etiamſi non cantet, ut in Miſſali, & ipſemet aſperget Populum de aqua, quam benedixit ſuo tempore, & baptizat in paramentis albis, ſi aliqui ſint, quos catechizaverit ante Officium, & in Eccleſiam introduxerit eodem modo, quo ſupra diximus.

### De Litaniis, & Miſſa cum Veſperis, &c. §. VI.

Completa Fontis benedictione, incipit Litanias, & revertitur ad Altare, & depoſito Pluviali procumbit ad Altare, ut ſupra: ſi aliquis cantet, vel legat Litanias; ſi vero ipſemet recitat, tunc non proſtratus, ſed genuflexus manet, & eo caſu, non dicit in fine *Kyrie eleiſon*, ſed diſcedit ad veſtiendum ſe pro Miſſa celebranda in Paramentis albis, & interim removetur Pallium Altaris violaceum, ut appareat album, quod ſub ipſo poſitum fuit, & accenduntur candelæ. Ponitur etiam ab aliquo Acolytho Calix ſuper Altare, & præparatur Miſſale ſuper cuſſino albo; deinde Celebrans indutus Paramentis albis, revertitur ad Altare (Clerico præcedente) ante cujus gradus facit Confeſſionem de more cum Pſalmo *Judica me Deus*, *&c.* ſi adſint aliqui Clerici Cantores, ſive Laici, qui ſciant cantare, poterunt cantare *Kyrie eleiſon* (licet reliquum Officium ſine cantu celebratum fuerit) ſin autem non adſit Chorus, ipſe Celebrans juxta morem, facta Confeſſione aſcendit ad Altare, & in ejus medio poſt Orationem *Aufer a nobis*, dicit immediate *Kyrie eleiſon*, ut alias, cum non legatur Introitus. Si hæc Miſſa, ut dixi, celebratur cum cantu Chori, fieri poterit in ea thurificatio Altaris, etiamſi celebretur ea ſine Miniſtris Sacris, non obſtante ſequenti Decreto - In Miſſa Conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu, & Miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio, ut reſpondit S. R. C. die 22. Januarii 1701. in una *Camaldulenſium ad* 11. *dubium* - Ex dicto enim Decreto, colligitur, quod ad faciendam hanc thurificationem ſufficiat ſi Miſſa celebretur cum cantu, etiamſi ſine Miniſtris. Finita autem tali incenſatione, tunc dicit *Kyrie* in cornu Epiſtulæ; & deinde rediens ad medium Altaris cantat, vel dicit *Gloria in excelſis*, & pulſantur Campanæ, ut ſupra diximus.

Poſt Epiſtolam Celebrans dicit ter *Alleluja*, elevando gradatim vocem, & Clerici poſt quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, & Celebrans proſequitur ℣. & Tractum. Reliqua omittit, vel dicit prout in Miſſali. Loco Antiphonæ, *Communio*, dicuntur Veſperæ, ut in Miſſali, videlicet, Celebrans in cornu Epiſtolæ dicit Antiphonam *Alleluja*, *&c.* & cum Clericis proſequetur Pſalmum *Laudate*, *&c.* & in fine repetitur *Alleluja*; deinde ſubdet Antiphonam; *Veſpere autem Sabbati*, *&c.* cum Cantico *Magnificat*.

Si Miſſa ſit in cantu, *ut ſupra*, incenſare poterit oblata, & Altare, quod etiam incenſabit ad prædictum Canticum *Magnificat*.

Finita Miſſa, Celebrans, præcedente Miniſtro, deferente Miſſale, redit in Sacriſtiam de more. Minutiores Ritus, & Cæremonias hic omiſimus, quia Celebrans reſpective ſervare poterit alia, quæ ſupra diximus de hac ſacra functione, ſervatis ſervandis pro Eccleſiis Minoribus.

Tandem Celebrans, vel alius Sacerdos, paratus Cotta, & Stola alba, ac Velo humerali, reponit Sanctiſſimum Sacramentum, Clericis, vel aliis faces deferentibus, in Tabernaculo ſolito, a quo amplius non removetur, niſi neceſſitas ad id cogat. Ex Memorial. Rit. *pro Eccleſ. Minor.* ex Bauldry *par.* 4. *cap.* 11. *art.* 6. & ex Turrino *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. §. *In Minor. Eccleſiis*.

Terminatis Commentariis, & Obſervationibus in Rubricas, quæ in Miſſis, & Officiis Quadrageſimalibus exacte obſervantur ab Eccleſia Latina, ſupereſt nunc, ut te moneamus, benevole Lector, ideo nos de Ritibus, qui toto Quadrageſimali tempore in Eccleſia Græca peraguntur, pauca tradidiſſe, quia de iis Gavantus noſter, cujus veſtigiis inſiſtimus, nullam fere mentionem fecit. Quiſquis tamen de Ritibus Quadrageſimalibus prædictæ veteris Eccleſiæ Græcæ inſtrui perfecte deſiderat, legere poterit ejus Officium Quadrageſimale recens recognitum, & caſtigatum ad fidem præſtantiſſimi Codicis Barberini, quod in latinum ſermonem convertit, & doctiſſimis etiam Diatribis illuſtravit, linguis Orientalibus, & omnigena eruditione ornatiſſimus Angelus Maria Quirini S. R. E. Cardinalis, & Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus. De Ritibus vero ſervari ſolitis ab Eccleſia Græca in Vigiliis noctis præcedentis, necnon in tota die Dominicæ Paſſionis, ſeu Feria VI. Paraſceve majoris Hebdomadæ, opuſculum edidit noſter piiſſimus pariter, & doctiſſimus Cardinalis Thomaſius ſub titulo; *Officium Dominicæ Paſſionis*, *&c.* quod latino ſermone donavit, illud deſumendo ex diverſis Græcorum libris, ſcilicet *Typico S. Sabæ*, *Triodio*, *Euchologio*, *Evangeliſtario*, *Horologio Anthologio*, græce edito in alma Urbe ſub Clemente VIII. & *Horologio* Monaſterii Criptæ Ferratæ in Agro Tuſculano græce pariter typis expreſſo Anno 1677.

### De Die Sancto Paſchæ, uſque ad Feſtum Trinitatis. XI.

*GAVANTUS.*

1. NObilitas Anni, Menſis decus, alma dierum, ſplendor horarum, eſt Paſcha, *ex Rupert. lib. 6. cap. 26.* Paſcha, ideſt, tranſitus, ex vi nominis Hebræi *apud Iſid. lib.* 1. *cap.* 31. vel Paſſio, a Græco verbo πάσχειν *apud Innocent. III. in Sermon.* vel eſt compoſitum ex Hebræo, & Græco per divinam diſpoſitionem; quia in Paſſione Chriſti cum ipſo & nos tranſivimus de morte ad vitam, ita *Auguſt. citat. a Durando lib. 6. cap.* 86. celebratur etiam ſemper in Dominica ex auctoritate S. Petri, *apud Baron. An.* 58. *n.* 82. & meminit *Clemens lib.* 5. *Conſtitut. cap.* 18. Item ex Decreto Pii *conſ. diſt.* 3. *noſſe* poſt decimum quartum diem Lunationis primi Menſis, & ex Decreto Victorii *de conſ. diſt.* 3. *cap. celebritatem*; tum ut a Judæis Paſcha noſtrum diſtingueretur, tum quia Chriſtus reſurrexit die Dominico poſt 14. Lunam, hoc eſt, *ex Iſid. ſup. in* 3. *hebdomada* Lunæ ob numerum myſticum Trinitatis, ſicut etiam triduo mortuus reſurrexit tertia die, qui vixerat triginta tribus Annis, in quibus numeris reſplendet ternarius numerus: in quo intelige, non modo gloriam Trinitatis; ſed ſalutem omnium, qui ante legem, & qui ſub gratia extitere. Hæc ex *Iſid. cit. & Rupert. lib.* 8. *cap.* 14.

2. Habet Octavam ex inſtitutione Apoſtolorum, ait *Baron. Anno Domini* 58. *n. cit.* infra quam ſi fiat commemoratio de Simplici, non tamen dicitur tertia Oratio.

3. Miſſa vero habet hæc notatu digna. Sequentia auctorem habet hactenus incognitum, de qua *Durand. lib. 6. cap.* 87. neque priores illius meminere, niſi ſubobſcuriſſime. *Honorius in Gemma lib.* 3. *cap.* 135. Graduale adhuc dicitur *ex Sacramentario Gregor.* quod, ut alias docuimus, Canticum eſt laborantium, & dicitur propter recenter baptizatos, qui gradiuntur ad gloriam, quam Reſurrectio Chriſti promittit cum labore. Additur, *Alleluja* duplex, ob ſpem binæ ſtolæ, animæ, & corporis, & ut gradiendo lætentur cum laude Dei. Hæc partim *ex Rupert. lib.* 8. *cap.* 1. partim *ex Hugone Victor. de ſpec. Miſſ. obſervat. lib.* 3. *cap.* 32. notat *Ordo Romanus* ſumi Graduale ex Pſalm. 117. ab hac die uſque ad Sabbatum in Albis, unde nimirum ſumitur & ille verſus frequentior *Hæc dies*, *&c.* cui Pſalmo titulus eſt *Alleluja*, ut ſupra diximus, *ex Rupert. lib.* 7. *cap.* 11. Reliqua quæ habentur in Miſſa hujus Feſti, & in Octava propria patent ex dictis *in Rubr. gener.*

*Ite Miſſa eſt*, dicitur cum duplici *Alleluja*, uſque ad Sabbatum in Albis incluſive, in Miſſis nimirum de Octava Paſchalis, non in iis, quæ cum Paramentis violaceis forte debent cantari, puta Litaniarum majorum, ſeu pro publica neceſſitate; quia duplex *Alleluja*, eſt proprius Ritus Miſſæ Paſchalis, & ſummæ lætitiæ, & meo judicio, neque in Miſſa quacumque Votiva ſolemni pro re gravi debet dici.

4. Evangelium legitur ſecundum Marcum, ſicuti pridie ſecundum Matthæum, & poſtridie ſecundum Lucam, ordine congruo, quem indicat *Auguſtin. ſerm.* 144. *de temp.* & Evangelia cum Epiſtolis per totam hanc Octavam habentur in Comite S. Hieronymi; ſicut etiam Orationes *in Sacramentario Gregoriano*, & Officia Miſſarum *in Antiphonario ejuſdem S. Gregorii*, uſque ad Dominicam in Albis, ſed Orationes Feriæ tertiæ, quintæ, & ſextæ, & Sabbati ſunt Ambroſianæ, *ex Pamelio*.

5. In Sabbato in Albis, qui titulus eſt, vel ab Angelis, qui viſi ſunt in Stola candida *ex Durand. cap.* 80. vel quia hodie baptizati deponebant albas veſtes *ex Alcuin.* ut intelligant fore illis requiem æternam Sabbati cœleſtis, ſi depoſuerint corpora immaculata, ut veſtes albas in morte. Una eſt varietas poſt Epiſtolam; quia quatuor *Alleluja*, & duo verſus deinceps dicuntur: qua de re vide, quæ diximus *in* 1. *part. Rubr. tit.* 10. abundant autem *Alleluja*, & merito in lætitia Paſchali, *ex Auguſt. epiſt.* 19. *ad Jan. cap.* 17.

6. De Dominicis ſequentibus nulla eſt Rubrica ſpecialis, habentur earumdem Miſſarum Officia *in Antiphonario Greg.* Orationes autem non ſunt eædem *in Sacramentario*; tamen habentur *ibidem ſub aliis titulis*. Domin. in Albis meminit *Clem. lib.* 5. *Conſt. cap.* 20. cujus Oratio eſt Ambroſ. *ex Pamelio*, Tempus eſt Paſchale, quod vocatur, Remiſſionis, *a Conc. Carthag.* 4. *Can.* 82.

7. Occurrunt in hoc tempore Paſchali Litaniæ Majores, & Minores, ſeu Rogationes; & Majores quidem in Feſto Sancti Marci, etiamſi Feſtum cum ejuſdem Miſſa contingat transferri, quas inſtituit S. Greg. Papa non ſimpliciter; ſed ad S. Petrum, ut ait *Baronius in notis Martyrolog.* 25. *Aprilis*, erant etiam annuæ ante Gregor. ut idem ipſe ait *initio lib.* 2. *Epiſt. & in Comite S. Hier.* habentur Epiſtola, & Evangelium aſſignata Miſſæ de Rogationibus. Septiformem ille Litaniam inſtituit, propter imminentem cœleſtis iræ mucronem, ait *Ordo Roman.* hoc eſt, peſtem inguinariam, quia obibant multi, etiam oſcitando, & ſternutando, morte repentina. Unde & oſcitantes digito ſuper os formabant ſignum Crucis, & ſternutantibus dicebatur: *Deus te juvet*, qui mores ad nos uſque devenerunt, *Durand. lib.* 6. *cap.* 102. ſed *Baron.* ha-

Digitized by Google

haurit a *Plinio l. 28. Hiſtor. natur.* Ritum ſalutandi prædicto modo Sternutantes.

8. Dictæ vero ſunt hæ Litaniæ, Proceſſiones nigræ; quia in ſignum mœtoris, & pœnitentiæ homines veſtibus nigris induti procedebant; Cruces, & Altaria nigris coloribus velabantur. Item dicta eſt Proceſſio Septiformis, quia S. Greg. eam diſtribuit in ſeptem ordines ad certas Eccleſ. Clericorum, Religioſorum, Monialium, Puerorum, Adoleſcentium, Viduarum, Continentium, & Conjugatorum. *Idem ibid.* fit in primis ad conſervandas fruges. *Ordo Romanus.*

9. Si terminatur Proceſſio Litaniarum majorum ad Eccleſiam Sancti Marci, cantatur ibi Miſſa de S. Marco, ex Decreto Sac. Rituum Congregation. 13. Maji 1603. quia titulus eſt Eccleſiæ, & lætitiæ locus eo die. * Nam alioquin cantantur duæ Miſſæ, de Feſto, & de Litania, ex *Microlog. cap.* 58. In Miſſis autem de S. Marco non fit commemoratio Litaniarum.

10. Si occurrant in die Paſchatis, transferuntur in Feriam tertiam ſequentem ex Decreto S. R. C. *die* 25. *Septembr.* 1627. & in Miſſa de Rogationibus, quæ dici debet ſine commemoratione octavæ Paſchatis, dicitur quidem Præfatio Paſchalis; ſed ea, quæ cum ſuo cantu dicitur in diebus ferialibus: quia eſt Miſſa ferialis & conſequenter neque in fine Miſſæ adduntur, *Ite Miſſa eſt*, duo *Alleluja*, certum autem eſt, quod feſtiva Præfatio Paſchalis dici non debet; ſicuti non dicitur ex Rubricis hujus Miſſæ in Litaniis majoribus, *Credo*, neque Præfatio de Apoſtolis, licet ſit Feſtum S. Marci, ut probavimus *ſupra part.* 1. *tit.* 11. *num.* 2. *Communicantes*, dicitur ea ratione, quam attulimus *part.* 1. *tit.* 12.

11. Litaniæ Minores, ideſt, Rogationes Latinæ, ſeu deprecationes fiunt triduo ante Aſcenſionem: de quibus *Aug. ſerm.* 173. *de tempore, & in Concilio Aurelianenſi cap.* 29. *de conſecr. diſt.* 3. *c. Rogationes*, unde reſtitutæ potius *ex Baron. in notis Martyr. ſupra*, dici debent, quam inſtitutæ a S. Mamerto, ſeu Mamerco ex *Sydon. Apol. lib.* 7. *epiſt.* 1. Viennen. Epiſc. in Galliis ob incurſionem luporum, in damnum graviſſimum populorum: quæ ideo appellatæ ſunt Minores, quia a minori Epiſcopo, ſi ille auctor eſt, vel reſtitutor, & in minori loco reſpectu S. Greg. & Urbis Romæ, *Durand. ubi ſupra*; qua ratione eæ forent, quoad reſtitutionem, etiam antiquiores Majoribus, centum ſaltem ante annos, *ex Rupert. lib.* 9. *c.* 5. nam Anno 452. *ex Baronio loc. cit.* Mamertus erat in humanis, & eo anno Litanias celebravit. * In poſtrema tandem Martyrologii Romani recognitione, re penitius indagata inſtitutor Sanctus Mamertus Litaniarum minorum, non reſtitutor eſt appellatus. Vide locum 11. Maji.

12. Fiunt autem ob peccata, pacem, peſtem, conſervationem frugum, & cæteras neceſſitates, *Ordo Roman.* cibiſque Quadrageſimalibus utendum eſſe juſſit Concilium Aurelianen. *ſupra*, certe dies abſtinentiæ ſunt, non lætitiæ, *Ord. Rom. Amalar. lib.* 1. *c.* 32. negat eſſe jejunandum, & probat ex SS. Patribus. In Eccleſiis autem Occidentalibus fieri jejunium docet *Raban. lib.* 2. *c.* 40. quod Ambroſiani obſervant, tranſlatis Rogationibus poſt Aſcenſionem; ne præſente ſponſo Chriſto jejunent, juxta illud *Matth.* 9. *auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt*, ſed & congrue ſub Dominica præcedenti celebrantur, in qua invitamur ad orandum: *Petite, & accipietis.* Miſſa Proceſſionum tres habet orationes, ſine *Gloria*, ſine *Credo*, & ſine Commemoratione Feſti occurrentis cujuſcumque, de quo, ſi novem lectionum eſt, cantatur alia Miſſa. Unicum *Alleluja*, quia temperanda eſt lætitia Paſchalis: Oratio Miſſæ in *Sacram. Gregor.* habetur; & officium Miſſæ in *Antiphon. Gregoriano*. Præfatio ſemper eſt Paſchalis, etiam in Litaniis Majoribus, ut dicitur in proprio loco Miſſalis, quocumque die occurrant.

13. * In Fer. 3. Rogationum in Miſſis privatis, ſi fiat de Sancto 9. lectionum, in illius Miſſa fit commemor. Rogationum, ſi fiat officium de Simplici Feſto, poteſt dici Miſſa de eo, cum commem. Rogationum, vel Miſſa Rogationum cum commem. Feſti, ut dicitur in *Rubrica propria*, ſi Feſtum non occurrat, dicitur Miſſa Rogationum, ut in Miſſali; neque in ea fit commem. de officio feriali: quod eſt peculiare in hac die, licet Rubrica ſit obſcurior in modo loquendi. Altarium paramenta erunt officio conformia; Altaris autem majoris, & Celebrantium ad quodcumque Altare conformia Miſſæ Rogationum, ut diximus *part.* 1. *cit.* 18. *in fin.* Hymnus Angelicus non dicitur, neque *Credo*, in Miſſa Rogationum Majorum, & Minorum, ut dicitur *in propria Rubrica*, quocumque die occurrant.

14. In Vigilia Aſcenſionis, de qua *S. Hier. in Lectionario*, dicitur Miſſa propria, cujus meminere *Microl. c.* 40. *& Ordo Rom.* ſi in eo occurrat Feſtum 9. lect. dicuntur tres Miſſæ in Collegiatis, de Feſto, de Vig. & de Rogationibus, poſt Tertiam, Sextam, & Nonam Horam, & in unaquaque harum; ſecunda Oratio, ſi dicenda eſt, erit de B. V. 3. Eccleſ. vel pro Papa. * in privatis ſi eo die occurrat Feſtum ſimplex, erit de eo ſecunda oratio, tertia de Rogat. quæ in officio nullam habent commem. quia ut diximus *n. præcedenti*, Feſtum ſimplex præcedit ſupra ultimas Rogationum Ferias, etiam in Miſſa, ſi occurrat Feſtum 9. Lectionum, Miſſa erit de Feſto, cum commem. Vigil. & Rogat. ita *in Rubrica propria*.

15. In Aſcenſione Domini, de qua Clem. *lib.* 5. *Conſtit. cap.* 20. extinguitur Cereus Paſchalis poſt Evangelium ad repræſentandum Chriſti diſceſſum ab Apoſtolis. Miſſa habetur in *Antiphon. & Sacram. Gregor.* De Cereo extinguendo nihil in Miſſalibus habetur uſque ad Pium V. neque apud antiquiores Auctores.

16. Habet octavam, de qua *Radulph. prop.* 19. & Miſſa Dominicæ infra octavam habetur in *Sacram. Gregor.* ſed oratio ſub alio titulo Feſti.

17. Vigilia Pentecoſtes, de qua *Hier. in Lectionario*, jejunium habet, *Ordo Rom.* non habebat quidem tempore Ambroſii, *Ex Amalar. lib.* 4. *c.* 46. & licet oppoſitum tribuatur Ambroſio *diſt.* 76. *cap. noſſe ex ſerm.* 60. ejuſdem, tamen non eſt ille ſermo S. Ambroſii, qui *ſerm.* 61. *cap. ſcire eadem diſt.* negat hoc jejunium, cum quo concordat *S. Hier. Epiſt. ad Lucinium, cap. Utinam eadem diſt.* Veriſimile autem eſt Ritum mutuatum fuiſſe poſt tempora etiam Sancti Iſidori, *ut ex c. poſt Paſcha diſt. cit.* dicitur, nimirum *ex ejuſdem c.* 42. *lib.* 1. *de officiis Eccleſ.* * Nunc vero temporis hujus jejunii præceptum eſt de conſuetudine, ajunt Summiſtæ, & aſſerunt Rubricæ Breviarii *tit.* 6. *n.* 5. & Miſſalis de *Color. param. tit.* 18. *n.* 5.

18. Benedictionem fontis habet, & baptiſmum, ut in Sabbato Sancto, *Idem Ordo*, & dicta Nona; quia in eadem hora Cornelius a Sancto Petro baptizatus fuit, *Amal. lib.* 4. *cap.* 28. & quia eadem hora Chriſtus expiravit, baptiſmus enim ſignificat mortem Chriſti, & ſepulturam ejuſdem, *Roman.* 6. unde & in Sabbato Sancto, & in hodierno baptiſmus ſolemnis habetur. Hæc idem *Amal. ibid. cap.* 29. vide ſupra in Sabbato Sancto. Adde, adventum Spiritus Sancti vocari a Chriſto baptiſmum, *Baptizabimini*, ait, *Spiritu Sancto non poſt multos hos dies. Act.* 1. & Baptizati a Spiritu Sancto Apoſtoli baptizaverunt aqua ter mille in die Pentecoſtes, quare merito ſub Pentecoſte Baptiſmus ſolemniter celebratur. *Rupert. lib.* 10. *c.* 2. Poſtremo duo Sabbata tantum Paſchatis, & Pentecoſtes baptiſmate coluntur ſolemni, *ex Leone epiſt.* 4. *c.* 5. *& habetur diſt.* 4. *de conſecrat. duo tempora.* Immo *ex Siricio ead. diſt. non ratione*; nimirum ut primum ſit Filii, alterum Spiritus Sancti; ne videatur differentia inter Filium, & Spiritum Sanctum, quorum eſt æque mundare animas a peccato, ait *Raban. lib.* 2. *c.* 41.

19. Ritus autem in iis tantum eſt diverſus a Ritu Sabbati Sancti; quia in Vigilia Pentecoſtes ad inſtructionem Catechumenorum ſex tantum leguntur Lectiones, quarum antiqui, uſque *ad Durand.* incluſive, quatuor tantum meminerunt, *in Sacram. Gregor.* aliæ legebantur, & quatuor tantum, quare Ritus noſter eſt novior; aliæ item Orationes, excepta quinta dicebantur. Tractus. *Sicut cervus*, cum Oratione ſequenti; eſt *in Sacramentario eodem*. Item non dicitur *Flectamus genua*, quia ſumus in tempore Paſchali, color albus uſque ad Nonam, violaceus uſque ad Miſſam, rubeus deinceps adhibetur, * qui & in privatis Miſſis hujus diei, quoad veſtes celebrantium, licet celebrent ante Nonam.

20. Cæterum Miſſa eſt cum Tractu poſt unum *Alleluja*, pro Catechumenis, quorum lætitia luctu adhuc miſcetur, ut alias diximus. Luminaria non deferuntur ad Evangelium, quia eorumdem fides ſubobſcura, & recens: qua de cauſa, neque *Credo* dicitur poſt Evangelium. *De Præfatione, Communicantes, & Hanc igitur*, vide *in Rubr. gener.* Officium vero hujus Miſſæ totum, excepta Secreta, eſt *in Antiph. & Sacr. Greg.* De ſimplici non fit commemoratio in hac Miſſa, licet in officio facta ſit, ut habetur ſupra *part.* 1. *tit.* 7. *n.* 1.

21. Introitus pro Miſſis privatis additus fuit a Pio V. uſitatus tamen antea in Miſſis votivis de Spiritu Sancto. Reliqua ex prædictis patent.

22. Pentecoſtes, de qua *S. Clem. lib.* 5. *Conſtit. cap.* 21. hoc eſt, quinque decem, ex vi Græcanicæ vocis, ait *Dur. lib.* 6. *cap.* 107. Dies quinquageſimus, *Honor. in Gemma lib.* 3. *c.* 147. ideo figura quietis, *ex Aug. epiſt. ad Januar.* qui numeratur ab ipſo die paſchatis, nimirum cum Hebræis a Prima Sabbati Paſchæ azymorum, quæ nobis Dominica fuit reſurrectionis, ut egregie notat *Rupert. lib.* 10. *cap.* 52. non tamen explicat, quomodo eo anno reſurrectionis Chriſti accidere potuit Pentecoſtes in Dominica, explicat autem acutiſſime *Bellarm. lib.* 3. *de cultu SS. c.* 13. quia nimirum numerus dierum Pentecoſtes ſumitur a die 2. Azymorum, in qua meti poterat faſciculus ſpicarum offerendus eodem die Domino, *Deut.* 16. *verſ.* 9. quæ ſecunda dies eo anno fuit Sabbatum, in quo meti non poterat, ſequenti ergo die meſſuerunt, & obtulerunt, in quo præciſe Chriſtus reſurrexit, quæ fuit Dominica dies, inde ergo, numeratis quinquaginta diebus, eodem die, quo Pentecoſten celebrabant Hebræi; deſcendit in Apoſtolos Spiritus Sanctus: immo ſuper 120. diſcipulos, ætati Moyſis, qui 120. anno vixit, congruentes, ut ait *Raban. lib.* 2. *cap.* 41. & ſicut quinquageſimus annus Jubilæus erat apud Judæos, ita quinquageſimus hic dies fuit Jubilæus Chriſti diſcipulis, & jubilationis dies, celebrandus cum præcedentibus 49. & ſeq. 7. cum omni lætitia: nempe Paſchali. *Ordo Rom.* in Jubilæo namque dabatur omnibus libertas, & *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, ait Sanctus Paulus.

23. Septem vero Hebdomadæ, quæ præcedunt, ſeptem dies, qui ſequuntur, ſeptiformem Sancti Spiritus deſignant gra-

ſiam, *ex Honor. in Gemma lib. 3. c. 147.* quod a *Beda in hom. de ſeptem hebdomad.* fuerat adnotatum, & *ab Alcuino de ſeptem diebus*.

24. Miſſa habetur *in Antiphonario & Sacr. Gregor.* ſicut etiam Feriarum ſequentium, præter quintam; Epiſtolæ, & Evangelia, *ut in Lectionar. S. Hier.* Auctorem Sequentiæ, vide *in Rubr. gener. 1. part. tit. 10. n. 3.* Octavam habet hoc feſtum ex Inſtitutione Apoſtolorum. *Baron. anno Domini* 58. & licet tempore Sancti Iſidori *lib. 1. c. 37.* quinquaginta diebus Paſchale tempus concluderetur, nobis tamen tota hæc Octava una dies eſt, ex Regula *Radulph. propoſ.* 23. & eamdem ob cauſam dicitur per octavam totam *Gloria in excelſis*, cum Symbolo, ut in Feſtis.

25. Jejunium autem Quatuor Temporum fit ad imitationem Apoſtolorum, qui abſente jam ſponſo Chriſto, jejunio ſe dederunt, & Spiritus Sancti Adventu carnis delicias ablegaverunt. *Iſid. lib. 1. c. 37. Amal. lib. 2. c. 1.* Feſtivum tamen jejunium eſt, cum in eo non dicatur, *Flectamus genua*, ratione temporis adhuc Paſchalis, *ex Ord. Rom.*, quod ſi fiat de Simplici commemoratio, non tamen dicitur tertia Oratio in Miſſa.

26. Feria quinta habet in Miſſa quamplura, quæ deſumpta ſunt a Dominica Pentecoſtes, *Ordo Rom.* deſumit omnia: *Honor. in Gemma lib. 4. cap. 38.* ſubobſcure indicat Epiſtolam, & Evangelium diverſa a Dominica Pentecoſtes; & ea cauſa eſſe poteſt, *ex Durand. lib. 6. cap. 111.* quia ſeptem ſunt Officia Spiritus Sancti, ſeptiformis munere, a Sabbato ad Sabbatum, vel quia ſicut Dominus aſcendit Feria quinta, & per Spiritum Sanctum deſcendit die Dominica, ita voluit Eccleſia in utroque die communem Miſſæ Introitum, cum ſuis acceſſoriis poſt Epiſtolam Verſibus, Offertorio, & Communione. Docet etiam *Durand. lib. 4. cap. 6. n. 21.* ſolitam dici diem Jovis cognatam Dominicæ, & in utroque die prohibitum fuiſſe quandoque jejunium.

27. An vero dies Octava Pentecoſtes dici debeat Sabbatum ſequens, vel Dominica, diſputat *Berno, de quibuſdam ad Miſſam ſpec. c. 3.* & concludit cum Catholica Eccleſia Octavam dici Dominicam ſequentem, quam nos Feſtum Trinitatis; ſed tamen tempus Paſchale terminatur in Nona Sabbati, *ex Ord. Romano, Beda, & Alcuino locis citatis*, hujus Sabbati Miſſa eſt pleniſſima, quia omnia, quæ dici poſſunt in Miſſa, in ea una continentur, Hymnus Angelicus, Prophetiæ, Sequentia, Symbolum, Præfatio, Communicantes, Hanc igitur.

28. * Cur in Sabbato Quatuor Temporum omittitur canticum trium puerorum poſt quintam lectionem? arbitror ego, quia dicitur ſtatim Hymnus Angelicus nobilior Hymno trium puerorum: quod deinde adnotatum legi ab Auctore antiquo rerum Liturgicarum: adde, ne duo Hymni immediate cantentur a Choro.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, Pro die Paſchæ Reſurrectionis, ejuſque Octava.

I. Gav. n. 1. - *Celebratur ſemper in Dominica, ex auctoritate S. Petri, &c.*) Hildemarus in ſuo Commentario Regulæ S. Benedicti, cit. ab Edmundo Martene in ſuo pariter Commentario, in Cap. 8. dictæ Regulæ, aſſerit, *quod Paſcha antiquitus in Eccleſia quartadecima Luna celebrabatur, quocumque die occurreret, quem Ritum SS. PP. in Nicæna Synodo prohibuerunt conſtituentes non ſolum Lunam Paſchalem, & Menſem inquirere, ſed etiam in die Reſurrectionis Dominicæ obſervare*: hæc Hildemarus, qui tamen hallucinatur (ut optime obſervat Martene) in eo quod aſtruit, Luna quartadecima, quacumque accidiſſet die, antiquam Eccleſiam celebraſſe Paſcha. Nam multo ante Synodum Nicænam aliter decreverat Victor Romanus Pontifex, ut mox *infra* videbimus, coacto Romæ Concilio adverſus Aſianos, qui a communi Eccleſiæ conſuetudine diſceſſerant.

II. Gav. eodem n. 1. - *Item ex Decreto Pii, &c.*) Veriſſimum eſt, quod S. Pio Pontifici I. qui anno Domini 141. Eccleſiam Chriſtianam regendi onus ſuſcepit, tribuitur Decretum de celebrando Paſchate die Dominico, ſed Epiſtolam Decretalem Pii, ex qua id conjicitur, veluti ſuppoſititiam, viri eruditi rejiciunt. Præterea, quamvis Decretum illud a Pio editum eſſe, legatur in Chronico Euſebii his verbis: *Sancitum eſt a Pio, ut Reſurrectio Dominica, die Dominico celebretur, quod a pluribus poſtea Pontificibus confirmatum eſt*: Arnaldus tamen Pontacus in notis teſtatur illa verba non reperiri in M. SS. Codicibus Chronici Euſebiani, ideoque cenſet ex eo penitus abradi debere; cum præſertim ex ipſomet Euſebio ſupra a nobis citato perſpicuum ſit morem celebrandi Paſcha die Dominico ab ipſis Apoſtolis emanaſſe; Quare Joſephus Scaliger in nova editione Chronici Euſebii, ex eo verba illa expunxit.

III. Gav. eod. n. 1. - *Et ex Decreto Victoris, &c.*) Certiſſimum eſt Victorem Pontificem Romanæ Eccleſiæ ſecundo labente ſæculo, congregaſſe in Urbe Synodum, in qua ſancitum eſt non decima quarta Luna primi menſis, ſed Dominica poſt Lunam decimam quartam occurrente, Paſcha eſſe celebrandum, juxta SS. Petri, & Pauli traditionem, ut ſcribit Euſebius *lib. 5. cap. 23.* idque ſub pœna excommunicationis, reclamantibus licet Aſianis, maxime Polycrate Epheſino Epiſcopo. Quod prædictæ Romanæ Synodo adfuerint quatuordecim Epiſcopi, tradit Auctor Libelli Synodici, quos inter viri doctiſſimi Baronius, Binius, Labbæus numerant Theophilum Cæſarienſem, quamvis id a Pagio, Tillemontio, aliiſque negetur. Verum tamen eſt, quod idem Theophilus fretus auctoritate Victoris Romani Pontificis Concilium Cæſareæ in Palæſtina eadem de cauſa coegit, cujus fragmentum extat apud Bedam de Æquinoctio vernali. Rationes, quibus permotus fuit Victor ad faciendum tale Decretum, fuere, ne communicemus cum Judæis Chriſti interfectoribus celebrantibus ſuum Paſcha ſemper Luna quartadecima primi Menſis, quacumque accidat die; Et ut in tota Eccleſia ſit una ratio Paſchatis celebrandi, & pauci Orientales Judaizantes, omnibus Occidentalibus, pluribuſque Orientalibus Populis, & Epiſcopis aliter ſentientibus, ſe conformarent. Prædictum Decretum Victoris in Synodo Arelatenſi habita anno 314. confirmatum fuit; in Concilio Nicæno I. Oecumenico, Anno 325. æquitas prædicti Decreti pariter remanſit approbata, Victoriſque conſtitutum, plene confirmatum; & denique in *Concilio Antiocheno Anno* 341. *Can. 1.* iterum inſtauratum fuit. Thomaſſinus *in Tract. de dierum Feſtorum celebrat. lib. 2. cap.* 15. fuſe pertractat hanc diſceptationem de Paſchali die, & quomodo ſe geſſerit Victor Romanus Pontifex, & quomodo prædicta Concilia ejuſdem Decreto adhæſerint. Baillet pariter *tom. 4. pag. 9. & ſeqq.* erudite diſſerit ſuper eadem materia.

IV. Gav. n. 2. *Non tamen dicitur tertia Oratio, &c.*) Sicut in Feriis occurrentibus poſt Dominicam Paſſionis, ſi occurrat Feſtum ſimplex non debet dici tertia oratio *Eccleſiæ, vel pro Papa*, ut oſtendimus in noſtris Obſervationibus ſupra *ad Titulum VII. n. 4.* & id probavimus tum ratione, tum auctoritate plurium Decretorum S. R. C. necnon aliorum Auctorum contra ſententiam Caroli Guveti; de qua re ſermonem etiam habuimus in noſtris pariter obſervationibus ad Tit. IX. Primæ partis n. 6. & ſequentibus; nec etiam infra hanc Octavam Paſchatis occurrente Feſto ſimplici debet dici tertia Oratio juxta ſententiam Guveti, ſed duæ tantum, omiſſa illa, quæ præſcribitur dicenda *Eccleſiæ, vel pro Papa*, poſt orationem diei.

V. Gav. n. 3. - *Sequentia Auctorem habet hactenus incognitum, &c.*) Supradictæ Sequentiæ, quæ incipit: *Victimæ Paſchali*: Auctorem eſſe Hoigerum, Ducis Sueviæ Filium, & Abbatem S. Galli, aſſerit Herrera Scriptor recentior *Lib. 2. de Origine, & progreſſu Rituum Miſſæ cap. 12.* relatus a Card. Bona de Rebus Liturgicis *lib. 2. cap. 6. num. 6.* Alii vero tribuunt talem Sequentiam Hermanno Contracto, Theutonico, qui fuit Aſtrolabii inventor, ita Bellotte *in ſuis Obſerv. pag.* 416. & Poſſevinus in Apparatu *tom. 2.* unde verum eſt, quod ſcribit Gavantus incertum eſſe talis ſequentiæ Auctorem.

VI. Gav. eod. n. 2. - *Neque in Miſſa quacumque votiva ſolemni, &c.*) Sicut in quacumque Miſſa Votiva ſolemni pro re gravi, non debet dici *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja*, ita in eadem Miſſa Votiva, ſi celebretur hoc tempore, neque dici debet *Graduale* (quamvis præfatum Graduale dicatur in Miſſa de hac Octava, cum ſit proprius Ritus Paſchalis) ſed tantum duo *Alleluja, &c.* Bauldry *part. 4. cap. 12. n. 7.* Corſettus de die Sancto Paſchæ; *Tract. 1. part. 2. cap. 9.* Gavantus *infra hac part. 4. tit. 17. n. 12.* Haldeo *part. 1. tit. 21. de Feſto Sancto Paſchæ, ejuſque Octava*, qui etiam notat, quod in dictis Miſſis dicenda eſt *Præfatio Paſchalis*, niſi habeat propriam, item *Communicantes*, & *Hanc igitur, &c.* ut in Miſſa de die recurrente.

De Ritibus ſervandis ab Octava Paſchæ, uſque ad Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis.

VII. Gav. n. 6. - *Dominicæ in Albis meminit, &c.*) Dominica in Albis (hoc eſt prima poſt Paſcha) eſt Dominica major primæ Claſſis, adeoque privilegiata contra quodcumque Feſtum in ea occurrens, quod proinde eſt transferendum in diem aliam proxime non impeditam, juxta Rubricam Generalem de Tranſlatione Feſtorum. In Eccleſiis tamen, in quibus hodie, vel occurrit Titulus, ſeu Feſtum titulare Eccleſiæ, & ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, eſt hodie concurſus Populi, poſſunt hac Dominica cantari duæ Miſſæ, una de die, altera de Feſto, aut ſaltem fieri commemoratio de Feſto, de quo hodie non licet celebrare Officium, ut habetur reſpective in eadem Rubrica. Vocatur autem hæc Dominica in Albis, quia hodie, teſte S. Auguſtino ſerm. 1. in Octav. Paſchæ: *Neophytorum habitus commutatur*, ubi tamen monet: *id ita faciendum, ut candor qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur*.

De Feria II. poſt Dominicam in Albis, aliqua occurrunt dicenda poſt Decreta edita Anno 1690. die 11. Febr. & 11. Martii, necnon die 24. Julii 1748. nimirum - Si Feſtum Sanctiſſimæ Annunciationis B. M. V. occurrat in Hebdomada majori, vel Paſchali, transferatur ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, niſi in dicta Feria occurrerit Feſtum aliquod majoris ritus: quod ſi inciderit in Feria ſexta Paraſceves, vel in Sabbato Sancto, transferendum erit (una cum præcepto audiendi Miſſam, &c.) ad Feriam ſecundam prædictam, etiam quocumque alio Feſto impeditam. Ita ut ea-

dem

Digitized by Google

dem Feria, prædicto caſu eveniente, pro Sede propria, & fixa memorato Feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur, & in illa eo prorſus modo, & forma præfatum Feſtum, quo ad Officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur -- Quibus Decretis poſitis, & declaratis etiam ab Innocentio XII. die 14. Junii 1692. ut apparet in ejus Bullario, deducitur primo, quod ſi Annunciationis Feſtum ob Feſtum aliud altioris Ritus non translatum, ſed in hac ipſa Feria II. occurrens aliquando alibi ſit transferendum, ut etiam alias diximus, non tamen propterea transfertur obligatio audiendi Miſſam hac die, & vacandi ab operibus ſervilibus.

Deducitur ſecundo, quod prædicta Feria II. quia vigore dictorum Decretorum intelligitur pro ſede propria, & fixa, & in ea prorſus agendum, ut die 25. Martii; Erit idcirco genuflectendum ad *Incarnatus eſt* in Miſſa ſolemni (quando cantatur dictus Verſiculus) a Choro, ut præſcribit Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 53.

Deducitur tertio, quod in prædicta Feria II. poſt Dominicam in Albis, abſtinendum erit a Celebratione in Oratoriis privatis, prout abſtinendum eſt die 25. Martii, nam Annunciatio eſt unus ex diebus exceptis in Decreto evulgato die 17. Novembris 1607. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 74.

Toto tempore Paſchali in Miſſis tam Feſtivis, quam Votivis additur in fine Introitus ante Pſalmum duplex *Alleluja*, Unum item ad finem Offertorii, & unum ad Communionem, niſi jam antecedenter in illis reperiatur. Tunc enim juxta Rubricas nullum aliud eſt addendum ibi jam poſitis, aut poſito. Poſt Epiſtolam vero non dicitur Graduale tempore Paſchali, ſed tantum dicuntur duo ℣℣. cum quatuor *Alleluja*, duo ſcilicet ante primum ℣. tertium poſt primum ℣. & quartum poſt ſecundum ℣. quæ omnia declarantur in Rubrica præfixa Feſto Annunciationis B. M. V. & poſt Commune plurimorum Martyrum tempore Paſchali. Ab hac Feria II. poſt Octavam Paſchæ, uſque ad Aſcenſionem poſt Orationem diei (niſi ſit Feſtum duplex) dicitur ſecundo loco Oratio contra perſecutores Eccleſiæ, vel pro Papa, prout notatur in Rubrica Miſſalis Romani, poſt Dominicam in Albis.

VIII. Gav. num. 7. -- *Occurrunt in hoc tempore Paſchali Litaniæ Majores, & Minores, ſeu Rogationes, &c.*) Quamvis Græca vox *Litania* ſignificet omnem ſeriam, & ardentem precationem, ut notat Cardin. Bona *c.* 18. *Divinæ Pſalmodiæ* §. 4. nihilominus uſu receptum eſt, ut Litaniæ nomen uſurpetur pro certa quadam Eccleſiaſticæ ſupplicationis ſpecie, qua Dei miſericordiam, Sanctorumque patrocinium invocamus, quorum uſum etiam primis Eccleſiæ Sæculis, in Libello primo de Litaniis eruditiſſime comprobat Nicolaus Serrarius tot antiquorum PP. ſententiis, tot veteris Hiſtoriæ exemplis, & tot validis rationum momentis, ut nec ejus diligentiæ quidquam addi poſſit, nec ſectarii novatores tam inſignia antiquitatis teſtimonia ulla valeant exceptione ſubmovere, ut ait Cardin. Bona *loc. cit.* Litania etiam interdum pro ſolo *Kyrie eleiſon* uſurpatur, ut conſtat ex Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgis.

Quoniam vero multoties ſolent Litaniæ hujuſmodi, vel aliæ preces proceſſionaliter decantari, ipſa multitudo cantantium, & procedentium, Litania appellatur ab Ordine Romano, & ab aliis; ſic Abbas Joannes in Prato Spirituali *c.* 210. narrans cujuſdam Epiſcopi humilitatem; pertranſeunte, inquit, Litania, ideſt Proceſſione, &c. Ita etiam Litania ſeptiformia, quam D. Gregorius PP. inſtituit, ob ingruentem inguinariam peſtilentiam, ſignificat ſeptenariam Proceſſionem, quam ipſe deſcribit in Sermone, quem ad Populum Romanum habuit, & qui exhibetur *lib.* 11. *ſui Regiſtri epiſt.* 2. ubi S. Pontifex ait -- Litania Clericorum exeat ab Eccleſia B. Joannis Baptiſtæ. Litania Virorum ab Eccleſia B. Martyris Marcelli. Litania Monachorum ab Eccleſia Martyrum Joannis, & Pauli. Litania Ancillarum Dei ab Eccleſia BB. Martyrum Coſmæ, & Damiani. Litania Fœminarum conjugatarum ab Eccleſia B. primi Martyris Stephani. Litania Viduarum ab Eccleſia B. Martyris Vitalis. Litania Pauperum, & Infantium ab Eccleſia B. Martyris Cæciliæ -- En igitur nomen *Litania* hic ſignificare Proceſſionem, & concurſum Populi procedentis ad aliquam Eccleſiam. Prædicta Litania, quam S. Pontifex ſtatim ac ad Apoſtolicam Cathedram evectus fuit, ad iram Dei placandam, graſſante lue, indixit in Baſilica S. Sabinæ ſub die 4. Kal. Septembris indictione nona; Septiformis vocatur ab eodem Pontifice, quia ſupplicatio illa ſolemnis, in ſeptem præcipuis Urbis Eccleſiis facta eſt, vel potius, quia Proceſſiones illæ ex variis perſonarum cœtibus compoſitæ a ſeptem prædictis deſignatis Eccleſiis egredi debebant, & ad Eccleſiam Sanctæ Genitricis Domini, omnes convenire, ut liquet ex eodem Sermone S. Gregorii. Ex quo S. Gregorius tantæ cladis expiandæ gratia, prædictas ſupplicationes publicas per ſeptem Eccleſias univerſo Clero, ac Populo Romano in ſeptem claſſes diſpertito indixit, Ordo Romanus, V Valafridus, Micrologus, Rupertus, Honorius, Durandus, necnon recentiſſimi PP. Benedictini Gregorianorum operum illuſtratores *in Appendice ad Epiſtolam ejuſdem Pontificis tom.* 2. *pag.* 1284. præfatum Pontificem aſſerunt inſtitutorem fuiſſe Litaniarum majorum, quas die 25. Aprilis quotannis tota Occidentalis Eccleſia celebrat. Verum prædicti Auctores, & alii, qui in eamdem ſententiam abierunt, non conſiderarunt id, quod S. Pontifex prædictus adſtruit in alia Litania majori, quam pasires indixit treſdecim poſt Annis a prædicta ſeptiformi jam inſtituta, nempe Anno 603. De hac igitur alia Litania majori inſtituta Anno 603. ſermo habetur *in epiſt.* 5. *lib.* 2. *ſui Regiſtri*, ubi legitur: *Solemnitas annua devotionis Filii chariſſimi admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, ſollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare.* Ex quibus verbis recte obſervat Guſſanvillæus in notis ad hanc Epiſtolam, Litaniam, quæ major appellatur a Div. Gregorio, ipſo valde antiquiorem fuiſſe, cum ibi tanquam de re jam inſtituta, annuam illarum Litaniarum celebritatem indicet illis verbis: *Solemnitas annua devotionis, &c.* Hæc autem Litania non eſt confundenda cum illa, de qua mox ſupra, & quæ ſeptiformis ab eodem Papa appellata fuit, nam iſta non fuit ſequentibus Annis celebrata. Secunda igitur hæc Litania, de qua nunc eſt ſermo, non erat ſeptiformis, quia, non a ſeptem Eccleſiis, ſed ab unica tantum Eccleſia, nempe B. Laurentii Martyris, qui appellatur Lucinæ, egrediebatur, & ad Baſilicam Sancti Petri terminabat, ut colligitur ex Concione ipſius S. Gregorii contenta in præfata Epiſtola, in qua hæc leguntur -- Conſiderare etenim nos convenit dilectiſſimi, quod variis, continuiſque calamitatibus pro noſtris culpis, atque offenſionibus affligamur, & qualiter cœleſtis pietatis nobis ſubinde medicina ſubveniat. Sexta igitur Feria veniente a titulo B. Laurentii Martyris, qui appellatur Lucinæ egredientes ad B. Petrum Apoſtolorum Principem, Domino ſupplicantes cum hymnis, & canticis ſpiritualibus properemus, ut ibidem ſacra myſteria celebrantes, tam de antiquioribus, quam de præſentibus beneficiis pietati ejus in quantum poſſumus referre gratiam mereamur -- Ex quibus Gregorii verbis, iterum patet jam tunc Proceſſionem hanc fuiſſe ordinariam; unde non ab ipſo inſtituta fuit, ſed tantummodo ab eo fuit indictum, ut talis Proceſſio ad S. Petri Baſilicam terminaret, & hinc eſt quod Eminentiſſimus Baronius in notis Martyrologii 25. Aprilis ait: Dictas Litanias Gregorium non ſimpliciter inſtituiſſe, ſed tantum præſcripſiſſe terminum dictæ Proceſſionis ad S. Petrum. Laudati PP. Benedictini *loco cit.* ex eo quod hanc Litaniam terminari Sanctus Pontifex jubeat ad Sanctum Petrum, exiſtimant Epiſtolam hanc eſſe ſuppoſititiam, putantes eam pugnare cum dictis in Sermone de mortalitate, in quo ſtatio indicitur ad Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis. Verum ſi animadvertiſſent Sanctum Gregorium in illis duobus locis, non de una, ac eadem Litania agere, eam profecto opinionem exuiſſent. Inter igitur primam, & ſecundam ex dictis Litaniis, hoc intervenit diſcrimen, quod prima pro ingruente calamitate, & ad ſubmovendum peſtilentiæ inguinariæ flagellum, primum indicta fuit Anno 590. & in Menſe Auguſti die 29. ac per triduum, ut aliqui tenent, fuit celebrata, de qua re agunt Gregorius Turonenſis *lib.* 10. *Hiſtoriæ c.* 1. Paulus Diaconus *lib.* 3. *de Feſtis Longobardorum c.* 5. & Joannes Diaconus *in Vita Sancti Gregorii lib.* 2. *c.* 34. *& ſeqq.* Secunda vero jam erat ante Gregorii ævum inſtituta, & jam facta anniverſaria, ut patet ex illius verbis, & deinceps ſaltem verno tempore, & diei 25. Aprilis adhæſit addicta, ut colligitur ex Sacramentario ejuſdem Gregorii a Pamelio edito, ubi talis Litania major ſic adnotatur -- *VII. Kalendas Maji*, id eſt 25. die Menſis Aprilis, *Litania major ad Sanctum Laurentium in Lucina*.

Ex hucuſque dictis patet hanc Litaniam non ideo majorem fuiſſe appellatam, quia a D. Gregorio Magno fuerit inſtituta, cum ex ipſomet Sancto Pontifice habeatur, quod jam antea ob omnibus Litania major appellaretur; hoc nomen igitur ſortita eſt hæc Litania, ſeu Proceſſio, vel quia ex toto Clero tam Sæculari, quam Regulari, & ex magno, Populi concurſu componebatur, vel potius ob longitudinem itineris, quia ut colligitur ex mox allegato Sacramentario Gregoriano a Pamelio edito, *ſeptimo Kalendas Maji*, ideſt 25. Menſis Aprilis egrediebatur hæc Proceſſio ab Eccleſia *Sancti Laurentii in Lucina*, ubi recitata ſuper Populum Collecta, quæ incipit: *Mentem familiæ tuæ, &c.* procedebat ex porta Flaminia ad Eccleſiam Sancti Valentini in qua recitabatur alia Collecta, quæ incipit: *Deus, qui culpas, &c.* deinde proſequebatur ſuum iter uſque ad Pontem *Olbi* ſeu *Molbi*, quem Pamelius eumdem eſſe Pontem exiſtimat, qui olim *Molvius* dicebatur, e quo Maxentius Imperator cum toto exercitu præcipitatus, periit. Hic Pons a Latinis dicitur *Milvius*, ab Italis *Ponte Molle*, & in antiquiſſimo Codice Illuſtriſſimi Paſſionei *Pons Molvius* appellatur, quo cum pervenerat dicta Proceſſio, dicebatur altera Collecta, quæ in laudato Sacramentario inſcribitur *ad Pontem*, & incipit his verbis; *Parce Domine, &c.*

De ſupradicta Eccleſia S. Valentini, quæ in via Flaminia reperiebatur, & quæ nunc deleta eſt, mentio fit a Floravante Martinello in ſua *Roma Sacra pag.* 405. ubi ait, Benedictum Secundum eam adornaſſe, & Panvinium eamdem appellaſſe *Abbatiam juxta Pontem Milvium*, in qua ejuſdem S. Valentini Corpus requievit. Opinatur idem Martinellus

quod hujus Eccleſiæ reliquum reperiatur nunc in Vinea Fratrum S. Auguſtini; videri poteſt etiam Boſius *lib. 3. c. 65.*

Reſumendo ſermonem itineris facti a prædicta Proceſſione majori; hæc a Ponte Molvio poſt recitatam ibi Collectam, pergebat uſque ad Crucem, ut habetur tam in Sacramentario Pamelii, quam in MS. Codice præſtantiſſimi Paſſionei, poſtea ad S. Petrum terminabat, in cujus atrio recitabatur altera Collecta, quæ incipit: *Adeſto Domine, &c.* & in Eccleſia Miſſa celebrabatur.

Ad ſupra memoratam Crucem pariter recitabatur Collecta, quæ incipit; *Deus, qui culpas noſtras, &c.* ut liquet ex Sacramentario Pamelii, Olim Crucis Oratorium, ſeu Capella reperiebatur prope Eccleſiam D. Petri; vulgatus Anaſtaſius Bibliothecarius de hoc certos nos redit in Symmacho. At in Leone III. vocat Oratorium, & Monaſterium Hieruſalem. Et in Leone IV. vocat Monaſterium Venerabile Hieruſalem juxta Eccleſiam Beati Petri. Iſta Capella, ſeu Oratorium Anno 1611. ſublatum fuit novi Templi ædificandi gratia, de qua pariter mentionem facit prædictus Martinellus *pag.* 353.

Ex ſupra aſſertis liquet, quod hujuſmodi Litaniæ non ſunt dictæ majores ob differentiam aliarum, quæ fiunt triduo ante Aſcenſionem, quæ minores appellari ſolent, nam hæc, de qua nunc loquimur, Litania *major* appellabatur antequam Rogationes receptæ eſſent ab Eccleſia Romana, quod ſub Leone III. factum eſt Anno 801. quo fortaſſe tempore Rogationes appellari cœperunt Litaniæ minores, ut ab hiſce majoribus, quæ VII. Kalendas Maji fixæ celebrantur, diſtinguerentur. Igitur antiquitus etiam Litaniæ Rogationum in Concilio Moguntino Anno 813. & in aliquibus MSS. Codicibus, majores dictæ ſunt, id obſervante Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina c. 27.* forſan quia ſicut iſtæ, de quibus nunc agimus, majores appellabantur, quia a principio majori ſolemnitate fuerunt inſtitutæ, & celebratæ, videlicet majori concurſu tum Eccleſiaſticorum cum præſentia Pontificis, tum Sæcularium, ut ſupra innuimus, & majori cum apparatu, ita Litaniæ Rogationum quando, & ubi fuerunt inſtitutæ, relate ad alias Litanias, quæ minore concurſu celebrabantur, majores illæ quoque alicubi vocatæ fuerunt.

Cæterum quamvis prædictas Litanias majores aliqui, immo plures affirment, fuiſſe inſtitutas, & compoſitas a D. Gregorio Magno, ab aliis tamen valide, ut ſupra pariter innuimus, hæc opinio refellitur, ſiquidem in pluribus Conciliis, quæ præceſſerunt D. Gregorium, ut videre eſt apud Suarez *l. 3. de Oratione vocali c. 9. n. 26,* fit mentio harum Litaniarum, idque confirmat præfatus Auctor etiam Auguſtini, Baſilii, & aliorum D. Gregorio antiquiorum auctoritate. Huic opinioni adhæret etiam noſter Quarti in ſuo doctiſſimo libro *de Proceſſionibus punct. 9.* ubi ex profeſſo differit *de Proceſſione Litaniarum majorum in die S. Marci 25. Aprilis.* Quamvis itaque idem Sanctiſſimus Gregorius eas indixerit, & celebrari præceperit ſolemniori Ritu præ cæteris, non tamen præfatas Litanias ipſe compoſuit, ſed potius ſecundum aliquos auxit, & ampliavit. De hac autem Proceſſione, ſeu Litania majori utpote antiquiſſima, & valde celebri luculenter ſcripſerunt Durandus *in Ration. l. 6. c.* 102. Stephanus Duranti *de Ritibus Eccleſiæ lib.* 1. *c.* 37. Alcuinus *cap.* 33. Serrarius ſuprac. Jacobus Eveillon, & alii ab eodem relati.

Supereſt hoc loco, quod multo tempore antequam talis dies 25. Aprilis D. Marco Evangeliſtæ ſacra eſſet, eidem diei Litaniæ majores affixæ fuerunt, ut patet ex Frontonis Kalendario Romano nongentis Annis vetuſtiore, in quo habetur quidem prædicta die annotatum *Litania major*, ſed nulla habetur mentio de Divi Marci feſtivitate. Hujus Litaniæ majoris ſermo etiam habetur in Concilio Cloveshoviæ II. Anno 747. *Can.* 16. & dies ejus dicitur eſſe VII. Kalendas Majas. Rurſus in Sacramentario Gregoriano antiquiſſimo, quod ad Sereniſſimam Svecorum Reginam pertinebat, & a Ven. Cardin. Thomaſio fuit reviſum, & collatum cum Sacramentario a Pamelio edito, quamvis die 25. Aprilis habeatur prædicta inſcriptio VII. Kalendas Maji, ideſt 25. Menſis Aprilis, *Litania major ad S. Laurentium in Lucina &c.* nihilominus nulla habetur Miſſa, neque mentio de S. Marco Evangeliſta. Ita etiam in antiquo Sacramentario Gregoriano, quod cuſtoditur in Bibliotheca Vaticana ſub *n.* 1275. prædicta die 25. Aprilis prænotatur quidem *Litania ad S. Laurentium in Lucina, &c.* ſed eadem die deſideratur Miſſa, & mentio S. Marci Evangeliſtæ. E contra vero in Sacramentario a Menardo edito habetur VII. Kalendas Maji *Miſſa*, & inſcribitur *Natali S. Marci Evangeliſtæ*, nulla habita mentione Litaniarum. Quæ tamen Miſſa fuit adjecta vetuſtiori Sacramentario Gregoriano; nam illud a Menardo editum, non eſt purus putuſque Codex Gregorianus, eum ſupponatur exaratus octavo Sæculo, In aliis vero Codicibus MSS. ab eodem Menardo allatis *pag.* 150. nimirum Rodradi, Rhemenſi, & Ratoldi nulla habetur pariter Miſſa de Sancto Marco, quemadmodum neque Rogationes ante Aſcenſionem Domini. Prædictis omnibus conſonat ea, quæ tradit Baillet *tom.* 1. *pag. mihi* 331. ubi agens de origine cultus Divo Marco præſtiti ab Eccleſia Occidentali, adſtruit ante finem ſeptimi ſæculi nullum extare veſtigium in Ritualibus, in Kalendariis, in Sacramentariis de feſtivitate Sancti Marci ab Eccleſia Occidentali, præſertim Romæ celebrata, & ſi in aliqua Eccleſia particulari recolebatur talis celebritas, hæc affixa videbatur diei 23. Septembris, ut colligitur ex antiquis Martyrologiis, quæ ſub nomine Sancti Hieronymi circumferuntur, & ex antiquis Kalendariis Romanis ad uſum Eccleſiarum Gallicanarum confectis, poſtquam Carolus Magnus Romanum Ritum accepit.

In antiquo tamen Kalendario Corbeienſi apud Martene in Theſauro Anecdoctorum *tom.* 3. *pag.* 1697. Litania major, ſive paſſim Sancti Marci appellatur dies 25. Aprilis; & in Chronico Mindenſi apud Meiban *tom.* 5. *pag.* 572. Albertus Epiſcopus in nocte Beati Marci Evangeliſtæ obiiſſe dicitur, (quod eſt in verſibus ſepulcralibus) *quando pia major cantatur Litania.*

IX. Gavant. num. 9. -- *Si terminatur Proceſſio Litaniarum, &c.*) Decretum allegatum a Gavanto ſupra, datur in noſtro Indice *ſub n.* 38. & idem omnino reperitur etiam præſcriptum in Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *c.* 32. Rurſus ſi hoc accidat infra Octavam Paſcatis, ita ut ratione Tituli Eccleſiæ ſit cantanda Miſſa S. Marci, non eſt dicendum: *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja*, ut notat Biſſus *lit. L*, *n.* 113. §. 5.

X. Gavantus num. 10. -- *Si occurrat, &c.*) Si occurrat Feſtum in Dominica Reſurrectionis Domini, ut contingit quando Littera Dominicalis eſt C. Epacta autem XXV. vel XXIV. ut accidit Anno 1734. tunc juxta Rubricam Miſſalis Feſto Divi Marci præfixam, & inhærendo Sac. C. Decreto a Gavanto ſupra cit. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 223. Proceſſio, ac Litaniæ majores una cum Miſſa Proceſſionis, ſeu Rogationum transferuntur in Feriam III. Paſchæ ſequentem ob congruentias a Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 6. *c.* 17. *num.* 1. obſervatas. Feſtum autem Sancti Marci tunc non transfertur, niſi quoad Officium celebrandum poſt Octavam Paſchæ; ſi vero ſupradictum Feſtum Sancti Marci non in ipſa Dominica Paſchatis, ſed in alia quacumque die infra ejus Octavam occurrat, ſemper die illa fit Proceſſio, & ſub ea dicitur Miſſa de Rogationibus, cum Præfatione Paſchali, *ut ſupra*, dicitur quoque *Communicantes*, & ita etiam: *Hanc igitur*, Paſchæ proprium, In fine dictæ Miſſæ Litaniarum, dicitur *Benedicamus Domino*, cui, *ut ſupra*, non additur *Alleluja*, quia duplex illud *Alleluja*, eſt proprius Ritus Miſſæ Paſchalis, & ſummæ lætitiæ. In ea Miſſa ſecunda Oratio *Concede*, tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Halden *ſupra*. Rurſus in eadem Miſſa Rogationum, ſeu Litaniarum, occurrente Feſto S. Marci infra Octavam Paſchatis non eſt dicendum *Credo*, prout declaravit S. R. Cong. die 5. Julii 1696. in una *Collen.* ad 17. dubium, quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 530. ex quo Decreto ſequitur, quod neque dicendum ſit Symbolum in dicta Miſſa Rogationum, ſi prædictum Feſtum S. Marci occurrat in qualibet Dominica, nam ſi non poteſt dici *Credo*, in eadem Miſſa Rogationum ratione Octavæ Paſchatis, neque poterit dici ratione Dominicæ, quia iſta Miſſa habetur, ut pura Miſſa Ferialis, ſicuti habetur Miſſa Feriæ Quadrageſimalis, quæ occurrit in die Feſtivitatis SS. Annunciationis, neque hoc pugnare videtur cum diſpoſitione, quæ habetur in Rubrica Miſſalis *n.* 11. ubi præſcribitur: *Symbolum dicendum eſſe in omnibus Feſtis, quæ Dominicis, & infra Octavam celebrantur, in quibus ratione Dominicæ, & Octavæ dici debet*, nam ibi Rubrica loquitur de Miſſis Feſtivis, quæ dicuntur in Dominicis, vel infra Octavas, quæ habent *Credo*, non autem de Miſſis Ferialibus, quales ſunt hujuſmodi Miſſæ Rogationum, & Proceſſionum; unde, & in Kalendario Romano de Anno 1728. non eſſe dicendum *Credo* in tali Miſſa, & in tali occurrentia adnutatum fuit, juxta Decretum 25. Septembris 1688. in noſtro Indice *n.* 490. Igitur non eſt admittenda opinio Halden *part.* 2. *tit.* 4. §. *Si Feſtum S. Marci*, ubi cum Auctore Directorii Viennenſis ad Annum 1604. tenet, quod quando Feſtum Sancti Marci, ac Litaniæ majores incidunt in Dominicam, inhærendo prædictæ Rubricæ generali, tenet inquam, quod propter Dominicam dici debeat *Credo*. Cætera ſerventur prout declarat Gavantus *ſupra n.* 10.

XI. Gav. n. 11. -- *Litaniæ minores, ideſt Rogationes, &c.*)

Rogationes triduanæ, quæ fiunt tribus diebus præcedentibus Feſtum Aſcenſionis Domini, *Græcis ignotæ ſunt*, inquit Gretſerus *in Cod. in lib. 3. cap. 9. nec ulla habent jejunia inter Paſcha, & Pentecoſten*; ſecus vero apud Latinos, ubi receptæ ſunt illæ percelebres, quas Mamertus Epiſcopus Viennenſis inſtituit in Galliis, temporibus Valentiniani III. Imperatoris Anno circiter 452. ut ſcribit Ado Epiſcopus pariter Viennenſis in Cron. quæ & Rogationes appellatæ ſunt, cujus piæ inſtitutionis occaſionem ſcribit in quodam ſermone Alcimus Avitus ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes, & ſucceſſor Eſicii, quidem præceſſit S. Mamertus. Extat etiam de iiſdem Epiſtola Sydonii Apollinaris ad eumdem S. Mamertum; alia ad Aprum, in quarum ultima; *erant*, inquit, *quidem prius (quod ſalva Fidei pace dictum ſit) vagæ, tepentes, infrequenteſque, uſque ſic dixerim obſcitabundæ ſupplicationes, quæ ſæpe interpellatum prandiorum obicibus hebetebantur, &c..... In hiſ autem, quas ſuprafatus Summus Sacerdos, & protulit pariter, & contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, fletur, &c.* ex quibus Apollinaris Synodii verbis deducit Baronius S. Mamertum Epiſcopum non tam inſtituiſſe, quam reſtituiſſe,

&

Digitized by Google

& in meliorem formam reduxiſſe Sacras Rogationes, contra mentem Alcuini, Amalarii, Walafridi, Micrologi, Ruperti, & aliorum, qui præfatum Vienneuſium Antiſtitem hujus triduanæ Proceſſionis primum Auctorem agnoſcunt, inter quos recenſentur etiam Aimonius *lib.* 1. de Geſtis Francorum, & Burcardus *lib.* 13. *cap.* 8. ex Concilio Aurelianenſi, qui ut refert Menardus *in notis*, & *obſervationibus in Sacramentarium S. Gregorii Papæ pag.* 153. & alii veteres conſtanter aſſerunt harum triduanarum Rogationum ante Aſcenſionem Domini Auctorem fuiſſe S. Mamertum, non vero inſtauratorem, ut nonnullis recentioribus placet, inter quos præter Baronium, numerandi etiam ſunt Brouven in notis ad Venantium Fortunatum *lib.* 7. & Franciſcus Maria de Aſte *in ſuis eruditis notis ad Martyrologium Romanum ſub die* 11. *Maji*, ubi ad illa verba: *Viennæ S. Mamerti Epiſcopi, qui ob imminentem cladem ſolemnes ante Aſcenſionem Domini triduanas Litanias in ea Urbe inſtituit*, præfatus adnotator ait: *to inſtituit* videtur in *reſtituit* mutandum. Supralaudatus vero Menardus firmiter adhæret veterum Auctorum ſententiæ permotus illis verbis, quæ allegati Sydonii Apollinaris *epiſtol.* 14. *lib.* 7. habentur, nimirum: *quidquid illud eſt, quod otio, vel negotio vacas, in Urbem tamen (niſi fallimur) Rogationum contemplatione revocaberis, quarum nobis ſolemnitatem primus Mamertus pariter, & Pontifex reverentiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit*, quibus verbis, concludit Menardus; nihil clarius dici poteſt; cui ſuæ aſſertioni minime obeſſe aſſerit alia ſupra allegata verba ejuſdem Sydonii, nimirum *quippe prius vagæ, tepentes, infrequenteſque, &c.* quia etſi ante S. Mamertum fuerint prædictæ Rogationes, aut Litaniæ, ut vocant, erant tamen vagæ, ideſt non ſtatæ, nec certo die ſtabiles, ſed indictæ, quas deinde ob varias calamitates deſcriptas a SS. Avito, & Gregorio Turonenſi in Hiſtoria Francorum *lib.* 2. *cap.* 34. & aliis, pridie ante Aſcenſionem Domini celebrandas inſtituit S. Mamertus. Rurſus ſententiæ Menardi, & aliorum veterum Auctorum, nihil pariter officit textus S. Patris Auguſtini *ſerm.* 173. ut notat Gavantus *ſupra*; quia etiam verbis in illo contentis refragatur omnino cit. Menardus, qui ait - non valet, quod dicunt S. Auguſtinum meminiſſe hujuſmodi Rogationum, quia cit. Sermo Auguſtino attributus, non reperitur inter ejus Sermones; nec ejus ſtylum redolet, ſed eſt S. Cæſarii Arelatenſis habeturque inter ejus Sermones - & equidem in nova editione Pariſienſi S. Auguſtini, talis ſermo reperitur in Appendice *tom.* 5. adeoque eidem S. Patri abjudicatur, & tribuitur mox laudato S. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo, & aſſertur *ſub n.* 173. Imo tantum abeſt D. Auguſtinum Litaniarum, ſeu Rogationum prædictarum mentionem feciſſe, ut potius Rogationes Mamerti S. Auguſtini doctrinæ adverſari videantur. Hoc autem liquet ex ejuſdem S. Patris epiſt. ad Januarium, in qua abunde, & diſerte agit de vacatione a jejunio, quæ contingit inter Paſcha, & Pentecoſten, vacationemque dierum illorum quinquaginta enucleatius explicat, quam triduanum illud a Mamerto indictum jejunium intercidens intra illos dies quinquaginta prorſus labefactaret: en verba S. Auguſtini; *Qui dies quinquageſimus habet aliud ſacramentum, quod ſepties, ſeptem quadraginta novem fiat, & cum reditur ad initium, quod eſt octavus, qui & primus dies quinquaginta complentur poſt Domini Reſurrectionem, jam in figura non laboris, ſed quietis, propter quod & jejunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum Reſurrectionis*; quare Amalarius Fortunatus in lectione S. Auguſtini apprime verſatus *lib.* 1. *de offic. Eccleſ. cap.* 37. præclare dicit - ſequitur una varietas inter Octavas Paſchæ, & Vigilias Pentecoſtes, hoc eſt jejunium triduanum in Vigilia Aſcenſionis Domini: miror, quomodo inolevit conſuetudo præſentis jejunii in noſtra Eccleſia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales Eccleſias; cum SS. Patres, quos memoravimus, Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus dicant relaxanda jejunia tempore Pentecoſtes, necnon etiam Ven. Presbyter Beda. Hæc Amal.

Ex quibus omnibus firmum profecto remanet præfatar. Rogation. ſeu Litaniar. triduan. ante Aſcenſionem S. Mamertum, ſeu Mamercum, ut alii vocant, recognoſcere inſtitutorem, tum quia ferventiores ſunt aliis Litaniis, quæ ante ipſum celebrabantur, tum quia in iſtis Mamertianis Litaniis jejunabatur, orabatur, & plangebatur, tum quia iſtæ Mamertianæ Rogationes, non vagæ, ſed ſtatis his tribus diebus Aſcenſionem antecedentibus affixæ fuerunt. De his Rogationibus agit Sanctus Cæſarius Arelatenſis *Homilia* 23. eaſque Gregorius Turonenſis vocat *orandi modum*, Sidonius vero Apollinaris eas appellat *ſupplicationes*, & S. Germanus Pariſienſis eas vocat ubique *Litanias*. Quamvis vero S. Avitus Viennenſis, S. Cæſarius Arelatenſis dicerent Ævo ſuo Rogationes fere ubique terrarum fuiſſe receptas, videlicet circa finem quinti Sæculi, intelligendi tamen ſunt de Galliarum tantum Eccleſiis, & finitimarum Provinciarum. Et equidem Concilium I. Aurelianenſe allegatum a Gavanto *ſupra* Anno 511. *Can.* 26. Rogationes expreſſe decrevit ſervandas eſſe cum jejunio: *Rogationes, ideſt Litanias ante Aſcenſionem Domini, ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari cum triduano jejunio.* Concilium vero Turonenſe II, Anno 567. celebratum *Can.* 17.

a Paſcha ad Pentecoſten prandia permittit Monachis, exceptis Rogationibus. Romæ autem hujuſmodi Rogationes ante Pontificatum Leonis III. minime receptæ fuerunt; in libro enim de Vitis Pontificum Romanorum, qui nomine Luitprandi Diaconi circumfertur, & Auctorem Monacum Germanum habuiſſe creditur *cap.* 98. Leo III. dicitur conſtituiſſe, ut tres dies ante Dominicam Aſcenſionem Litaniæ celebrarentur. Id etiam de tali Pontifice teſtatur Anaſtaſius in ejus Vita, & poſt eum Ordericus Vitalis *lib.* 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & recentiſſime Franciſcus Pagi in Vita præfati Pontificis. Ex quo autem ab Eccleſia Romana multo tempore poſt Litanias die 25. Aprilis celebrari ſolitas, iſtæ Rogationes receptæ fuere, hinc factum eſt, quod cum illæ jam Litaniæ majores appellarentur, etiam Ævo Gregoriano, iſtæ Mamertianæ in comparatione illarum, minores ſtatim appellatæ fuerint, & adhuc hoc nomine in Miſſali Romano vocentur. Cæterum etiam iſtæ ſuo tempore, & in Gallia, ut adnotavimus ſupra, agentes de prædicta Litania pro die 25. Aprilis inſtituta, majores utique dicebantur, nimirum relate ad alias Litanias, ſeu Proceſſiones, quæ minus ſolemniter in Eccleſiis Gallicanis probabiliter aliis Anni diebus celebrantur. In Hiſpania autem tardius etiam, quam Romæ Rogationum ſupplicationes receptas fuiſſe facile colligi poteſt, ait Martene de Diſciplina Eccleſiaſtica *cap.* 26. *n.* 2. ex Iſidori *libris de Divinis Officiis*, in quibus nulla fit earum mentio; atque hinc forſitan Belethus eas aſſerit non celebrari niſi in Gallia Ciſapina; verum prætereundum non eſt, quod Concilium Gerundenſe habitum Anno 517. commendat eas in Hiſpania, ſed aſſignat hujuſmodi Rogationibus Feriam V. VI. & Sabbatum poſt Pentecoſten.

Tres prædicti Rogationum dies in Gallia primitus etiam Feſtivi fuere, ut liquet ex Concilio I. Aurelianenſi, & ex Capitularibus Caroli Magni, necnon ex *cap. Pronunciandum*, quod Burchardus, Ivo Carnotenſis, & Gratianus perperam adſcribunt Concilio Lugdunenſi, quod eſt incognitum, ut aſſerit Grancolas *Comment. Hiſtor. in Breviar. Rom. lib.* 2. *cap.* 74. Inhibitiones autem abſtinendi hoc triduo ab operibus ſervilibus, poſtmodum fuere reſtrictæ tantum ad Proceſſiones, & Officium, quibus completis permiſſum fuit precationi, & abſtinentiæ manuum opera conjungere, potius quam otio, & voluptatibus operam dare.

Rurſus in Rogationibus jejunium pariter a prima earum inſtitutione, ut innuimus, præſcriptum fuit, idque confirmatum etiam a Concilio Aurelianenſi I. & Turonenſi II. ſupra allegatis, ſed etiam hoc jejunii præceptum in Gallia redactum eſt tantum ad abſtinentiam a carnibus, quæ Diſciplina adhuc ibidem viget. Romæ autem prædicti dies, & nunquam fuere Feſtivi, & nunquam in eiſdem impoſita fuit lex jejunandi, neque lex abſtinendi a carnibus.

Ritus, qui obſervandi ſunt in hujuſmodi Litaniis recitandis, & etiam in aliis Majoribus, die 25. Aprilis, deſcribentur a Nobis in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Commentarium Gavanti in Rubricas Breviarii Romani, quæ ad dictas Litanias ſpectabunt, tamquam partes Divini Officii.

XII. Gav. n. 12. - *Miſſa Proceſſionum tres habet Orationes, &c.*) Feria II. Rogationum eſt Feria major, unde licet non excludat Feſtum novem Lectionum in ea occurrens, etiam tranſlatum, fieri tamen commemoratio debet ea Feria in Laudibus, ac Miſſa ante commemorationem Feſti ſimplicis, ſi etiam facienda ſit Commemoratio, attamen poſt Commemorationem de die infra Octavam, ſi aliqua tunc occurrat. Rurſus in Miſſa ultimum ejus Feriæ legitur Evangelium, in quocumque Feſto etiam primæ Claſſis in ea occurrente.

In Eccleſiis vero Cathedralibus, & Collegiatis, occurrente in hac Feria aliquo Feſto duplici, vel ſemiduplici, dicuntur duæ Miſſæ Conventuales, una poſt Tertiam de Feſto ſine Commemoratione Feriæ; altera poſt Nonam, vel completa Proceſſione Litaniarum, de II. Feria Rogationum ſine Commemoratione illius Feſti. In prima dicitur *Gloria* cum *Credo*, vel ſine, pro qualitate Feſti, aut diei; In poſteriore autem, nec *Gloria* dicitur, nec *Credo*; In utraque autem dicitur Præfatio Paſchalis (niſi forte Feſtiva habeant aliam ſibi propriam) & in fine utriuſque Evangelium Sancti Joannis. Color ad priorem Miſſam adhibetur Feſto conveniens, poſterior vero Miſſa dicitur in Paramentis violaceis, Si autem in hoc triduo Feſtum non occurrat, Altarium Minorum Paramenta erunt Officio conformia, nempe coloris albi; Altaris autem Majoris poſt Horas Canonicas, & Celebrantium in quocumque Altari de Feria occurrenti, conformia erunt Miſſæ Rogationum. Congregationes, Religiones, & Nationes, ſeu Eccleſiæ, quibus a Sede Apoſtolica indultum eſt, ut ſemel vel pluries ſingulis hebdomadis, aut Menſibus dicant Officium, & Miſſam v. g. de Sanctiſſimo Sacramento, aut certo aliquo Sancto, diebus nullo Feſto novem Lectionum impeditis, non poſſunt uti hoc ſuo privilegio in Feria II. Rogationum, quantumvis nullum in eam incidat Feſtum duplex, vel ſemiduplex. Id autem conſtat ex Decreto S. R. C. edito 20. Martii 1706. quod datur in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii.

XIII. Gav. num. 13. - *In Feria III. Rogationum, &c.*) Si in hac Feria III. Rogationum occurrat Feſtum ſolummodo

ſimplex, tunc fit Officium de eo ſine Commemoratione de Feria currente, ſed tantum de Cruce, & tempore Paſchali, at vero Miſſa dici tunc poteſt, vel de Feſto cum Commemoratione Rogationum, vel de Rogationibus cum Commemoratione Feſti, ut dicitur in Rubrica propria, & cum tertia Oratione *Concede*. Paramenta Altarium Minorum in tali occurrentia Feſti ſimplicis cum hac Feria Rogationum erunt quo ad colorem conformia Officio, at vero Altaris Majoris (ſaltem ſub Miſſa Solemni, ſeu conventuali) erunt coloris violacei; Celebrantium vero ad quodcumque Altare conformia erunt Miſſæ, quam celebrant, adeoque violacei coloris, ſi dicatur Miſſa de Rogationibus, ſecus autem, ſi dicatur Miſſa de Sancto. Notat hic Bauldry, in hujuſmodi Feſti ſimplicis occurrentia cum Feria III. Rogationum, in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis eſſe dicendas duas Miſſas Conventuales, unam de Sancto, alteram de Rogationibus. Verum Sac. R. Cong. declaravit in tali caſu non eſſe cantandam, niſi unam Miſſam Conventualem de Feria, ut liquet ex Decreto ab ipſa emanato ſub die 5. Julii 1698. in Collen. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 521. Unica igitur Miſſa Conventualis in tali occurrentia eſt cantanda, nimirum Miſſa Proceſſionalis, ſeu Litaniarum &c. cum Commemoratione de Feſto ſimplici, & tertia Oratione *Concede*; Si denique in hac Feria III. Rogationum nullum omnino occurrat Feſtum (hoc eſt, nec trium, nec novem Lectionum) neque etiam dies octava alicujus Feſti, nec dies infra aliquam Octavam, tunc Officium dicetur de ea, & Miſſa pariter dicetur de Rogationibus, ſine *Gloria*, & *Credo*, ac ſine Commemoratione hodierni Officii ferialis, quod eſt peculiare in hac die. Unde ſecunda Oratio tunc non eſt de Feria occurrente (habente in Officio Orationem Dominicæ præcedentis) ſed erit *Concede*. 3. vero *Eccleſiæ*, *vel pro Papa*, ut ait Gavantus *ſupra*, licet (ut ibidem notat) Rubrica Miſſalis hic in modo loquendi ſit obſcurior, dum dicit: *Feria III. Rogationum, ſi Feſtum non occurrat, dicatur Miſſa de Rogationibus ſive Gloria in Excelſis, licet in officio dictum ſit Te Deum, & Oratio Dominicæ*, quæ ultima verba non ſunt referenda, ut notat Halden *part.* 1. *tit.* 27. *pag. mihi* 153. ad verba immediate præcedentia, quaſi ſenſus ſit, *dicatur Miſſa de Rogationibus, & in ea Oratio Dominicæ*, ſed ad verba immediate antecedentia: *Sicut, &c.* ita ut ſenſus ſit, dicatur Miſſa de Rogationibus ſine *Gloria in Excelſis* (licet in Officio dictum ſit *Te Deum laudamus*) eaque cum ſuis Orationibus; licet item in Officio non ſit dicta Oratio hujus Miſſæ, ſed dicta ſit Oratio Dominicæ præcedentis.

XIV, Gavant. num. 14. - *In Vigilia Aſcenſionis, &c.*) Feria IV. in Rogationibus occurrit Vigilia (ſine jejunio) Aſcenſionis Domini. Si hac die occurrat Feſtum primæ Claſſis, v. g. Titularis Eccleſiæ, vel Patroni Principalis loci, tunc nec in Officio, nec in Miſſa fit aliquid de hac Vigilia, ex quo autem in Miſſis etiam privatis, nulla in hoc caſu debeat fieri commemoratio de Vigilia; hinc Biſſus *lit. V. n.* 54. deducit, quod in eo caſu cantari ſolum debeat Miſſa de Feſto Patroni poſt Tertiam, & alia de Rogationibus poſt Nonam, omiſſa alia de Vigilia, de qua etiam in Miſſis privatis, juxta Bauldry ſententiam *part.* 4. *cap.* 13. *num.* 1. & juxta Halden *part.* 1. *tit.* 27. *pag.* 154. nulla fit Commemoratio, uti neque de Feſto ſimplici ſi quod forte occurrat, de dicto Feſto primæ Claſſis. Si autem occurrat Feſtum novem Lectionum (ſeu duplex, ſeu ſemiduplex) aut alicubi hodie dies Octava alicujus Feſti, vel dies infra Octavam, tunc Officium fit de eo cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ, ejuſque Commemoratione ad Laudes. Miſſæ quoque privatæ, ſi hodie occurrat Feſtum novem Lectionum, aut dies Octava alicujus Feſti, dicuntur de Feſto, aut de die Octava in hac Vigilia occurrente cum Commemoratione primo Vigiliæ, deinde Feſti ſimplicis (ſi quod occurrat) ac demum etiam Rogationum, quæ in Officio nullam habent Commemorationem, ſed tantum in Miſſa diei, in qua *Gloria*, & Præfatio Paſchalis (niſi propriam habeat Feſtum illud occurrens) ac ultimum Evangelium de Vigilia. At vero in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis ſi hodie occurrat Feſtum novem Lectionum (quod non ſit primæ Claſſis) aut dies Octava; dicuntur in hac Vigilia tres Miſſæ. I. de Feſto poſt Tertiam cum colore tali Feſto convenienti; II. de Vigilia poſt Sextam in Paramentis coloris albi; III. de Rogationibus poſt Nonam in Paramentis violacei coloris, & in qualibet illarum (cum exceptione tamen mox ſubjungenda) Oratio ſecunda eſt *Concedo*, 3. *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, Præfatio Paſchalis, ac in fine cujuſque Miſſæ Evangelium S. Joannis. Gav. *ſupra n.* 14. *& tit. ſeq.* 11. *n.* 9. Ubi obſervat Miſſam hujus Vigiliæ, ideo dici poſt Sextam; quia eſt Vigilia, in qua non jejunatur. At vero ſi hac, aut alia Feria Rogationum occurrat alicubi dies tantum aliqua infra Octavam, tunc Officium quidem fit de die illa infra Octavam, Miſſa autem (excepta Miſſa Litaniarum, ſeu illa quæ dicitur in Paramentis violacei coloris in Statione, ſeu termino Proceſſionis Rogationum) in Eccleſiis quoque Cathedralibus, ac Collegiatis, dicitur de Vigilia Aſcenſionis cum Commemoratione Octavæ, & tertia Oratio *Concedo*, atque ad eam perinde adhibetur color albus; nequaquam autem tunc etiam in hujuſmodi Eccleſiis dicenda inſuper eſt alia Miſſa Conventualis de Octava, quia Miſſalis Rubrica Generalis III. id tantum ſtatuit de die *Octava*, non autem de die infra *Octavam*, quando Officium fit de octava, ut S. R. C. declaravit apud Arnaud. *tr.* 1. *par.* 1. *tit.* 3. *n.* 1. & rationem dat Gavantus in citatam Rubricam. Hæc omnia conſonant cum his, quæ diximus in noſtris Additionibus *ad tit.* 3. *part.* 1. *n.* 2. *& n.* 4.

Si denique Feria IV. Rogationum, & in Vigilia Aſcenſionis occurrat ſolum Feſtum aliquod ſimplex, tunc de eo nihil aliud fit, niſi Commemoratio in Laudibus, ac in Miſſa. Tandem hac Feria IV. Rogationum, ſeu in Vigilia Aſcenſionis in ſupra memorati diei infra Octavam, aut feſti ſimplicis cum Feſto ſemiduplici occurrentia, in Miſſis privatis de Feſto ſecunda Oratio erit de die infra Octavam, tertia de Vigilia, quarta de Feſto ſimplici, & ultima de Rogationibus, quia ut notat Gavantus *ſupra*, Feſtum ſimplex præcedit Feriam III. & IV. Rogationum, qua tales etiam in Miſſa, quarum neutra in Officio aliquam habet, juxta eumdem, Commemorationem. In Miſſa autem Conventuali de Feſto ſecunda Oratio tunc erit de die infra Octavam, tertia ſeu ultima de Feſto ſimplici, ſi tale ſimul occurrat; Si vero tantum vel dies infra Octavam, vel tantum Feſtum ſimplex occurrat, tunc tertia Oratio erit *Concede*, juxta Rubricam generalem VII. Miſſalis, & Gav. *ibid. lit. b.*

XV. Gav. n. 15. - *In Aſcenſione Domini, &c.*) Feſtum Aſcenſionis Domini recenſendum eſt inter eas Solemnitates, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ fuerunt, ut docet S. Auguſtinus *Epiſt.* 54. *novæ Editionis*; Hujus Feſti mentionem faciunt pariter Conſtitutiones Apoſtolicæ *lib.* 5. *cap.* 18. Verum iſta Feſtivitas non habebatur antiquitus inter illas ſolemniores, quæ ubique uniformi Ritu recolebantur, quales erant Nativitas Domini, Paſcha, & Pentecoſtes, de quibus Concilium Agathenſe anno 516. *canon.* 63. & Concilium Aurelianenſe anno 511. *can.* 25. ſed inter minus præcipuas, & ſecundi Ordinis, in qua Claſſe numerabantur Epiphania, Aſcenſio, & Feſtum S. Joannis Baptiſtæ. Alia ſpectantia ad eruditionem hujus Feſti, necnon ad Ritus antiquos, qui in eo obſervabantur, tradit Edmundus Martene *de Antiqua Eccleſ. Diſcipl. c.* 28. Grancolas *Comment. Hiſt. in Brev. Rom. lib.* 2. *c.* 75. Baillet *tom.* 4. *pag. mihi* 103. *& ſeq.*

XVI. Gav. n. 17. - *Vigilia Pentecoſtes, &c.*) In Vigilia Pentecoſtes urgere præceptum ſervandi jejunium certiſſimum eſt apud omnes, ſolum dubitatur de antiquitate, & origine talis jejunii, nam liquet ex Tertulliano *de Corona Militis cap.* 3. Sancto Hieronymo *Epiſt. ad Lucinum*, S. Auguſtino *Epiſt. ad Caſulanum*, quod antiquitus non jejunabatur per integros quinquaginta dies poſt Paſcha; ſed poſtquam in Gallia mos invaluit jejunandi in Rogationibus, iſtius quoque Vigiliæ jejunium ſervatum fuit; Id tradit etiam S. Ambroſius, cujus tamen textus a Gavanto *ſupra*, tamquam non genuinus reputatur: Ordo Romanus ab Hittorpio editus, ait, quod in hoc pervigilio Pentecoſtes jejunatur ſicut in Paſchate, & fit Officium ſicuti in Sabbato Sancto. *Sabbato in Vigiliis Pentecoſtes omnes jejunium faciant, & omne Divinum Officium, vel Ordinem, tam Lectiones, quam Baptiſmum, ſicuti in Sabbato Sancto Vigiliarum Paſchæ*; Glaber vero *lib.* 3. *cap.* 3. ait, quod anno circiter mille, habita ſunt Concilia in Gallia, & in Italia, in quibus libera jejunandi, vel non jejunandi facultas data eſt ab Aſcenſione, uſque ad Pentecoſten, excepta hujus Feſti Vigilia, in qua jejunium præſcribebatur, *excepto Sabbato Pentecoſtes*; Capitularia Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 188. jejunium hac die præſcribunt his verbis: *Ut annuncient Presbyteri eodem modo ad Veſperas ante Sabbat. Sanctum Paſcha celebretur, & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant, ut Sabbato Paſchæ, & jejunium, & Miſſam, & Baptiſmum, &c.* S. Bonifacius Moguntinus præcepit pariter in ſuis Statutis *Statut.* 34. ut Sabbato Pentecoſtes, ſicut Sabbato S. Paſchæ omnes jejunent, & ad Eccleſiam hora Nona conveniant. In Sacramentario pariter Gelaſiano a Thomaſio edito, in Vigilia de Pentecoſte Duplex habetur Miſſa, in quarum ſecunda expreſſa fit mentio de jejunio, quæ quidem Miſſa forſan poſt Nonam dicebatur, ut ipſe Thomaſius in ſuis notis ad Capitulare Evangeliorum *pag.* 173. animadvertit; altera vero Miſſa ibi aſſignata cum ſuo particulari Evangelio dicebatur forte in Vigiliis noctis poſt Baptiſmum, ad quem refertur. Denique in Sacramentario Leonino recentiſſime evulgato a clariſſimo Viro Joſepho Blanchino, Congregationis Oratorii in Urbe Presbytero, inter Orationes, quæ habentur pridie Pentecoſtes, una ſic habet: *Supplices tuam Domine clementiam deprecamur, ut qui prævenis ſemper mala merita noſtra miſerendo, tibi placita fieri piis actibus, & jejuniis ſalubribus expiando. Per &c.* in qua Oratione To *Fieri* vertit Blanchinus in v. *Faciat*. In ſubſequenti Oratione pariter habentur verba indicantia ciborum parſimoniam; quæ quidem Orationes pariter leguntur in Miſſali Anglicano ætatem ſeptimi Sæculi redolente, & a celeberrimo Scultinigio in ſua Eccleſiaſt. Biblioth. evulgato; unde rationabiliter inferre poſſumus ævo Gelaſiano, & Leonino fuiſſe præſcriptum jejunium in prædicta Pentecoſtes Vigilia. Ex quibus omnibus mirari ſubit Paſchaſis Queſnelii oſcitantiam, qui *diſſert.* 7. de jejunio Sabbati in Eccleſia Romana

audet

audet aſſerere, ante Sæculum duodecimum, jejunium Vigiliæ Pentecoſtes, non fuiſſe in Eccleſia ſervatum.

XVII. Gav. num. 19. -- *Qui & in privatis Miſſis hujus diei, &c.*) Miſſæ privatæ (omiſſis Prophetiis earumque Orationibus, ac Litaniis) dicto de more Pſalmo *Judica*, ac facta Confeſſione, abſolute incipiuntur ab introitu Miſſæ hodiernæ (*Cum ſanctificatus fuero*) qui extat in fine hodiernæ Miſſæ; dicitur in ea *Gloria* ſine *Credo*; Oratio unica (diverſa ab Oratione Officii) ut ibi ſine commemoratione Feſti ſimplicis, ſi quod hodie occurrat, tam in Miſſis privatis, quam in Miſſa ſolemni, ut infra notatur, etiamſi de eo facta ſit commemoratio in Laudibus, & Veſperis heſternis, atque etiam dicta ſit de eo nona Lectio in Officio. Rubrica gener. Miſſalis *tit.* 7. *n.* 1. Neque dicitur in Miſſa hujus Vigiliæ Oratio indicta ab Epiſcopo; reliqua vero ut in Miſſali.

Ad Miſſam cantatam Chorus non genuflectit ad Orationem. Ab hac die, & per totam ſequentem hebdomadam non dicuntur Miſſæ Votivæ privatæ, nec de *Requiem*; ſed permittitur ſolemnis præſente cadavere, poſt primum triduum hujus ſolemnitatis.

XVIII. Gav. num. 22. -- *Pentecoſtes, de qua S. Clemens, &c.*) De Hiſtoria hujus celeberrimæ Feſtivitatis, erudite diſcurrit 100. more Baillet *tom.* 4. *pag. mihi* 126. *& ſeqq.* videri etiam poſſunt Martene *loc. ſuprac.* nempe *c.* 28. in quo pariter agit de Feſto, & Octava Pentecoſtes, necnon Grancolas *tit.* pariter *ſuprac. cap.* 77. ubi notat, quod Proſa, quæ dicitur ad Miſſam hujus diei, eſt noviter introducta -- *Veni Sancte Spiritus, &c.* noviter Romæ introducta eſt, licet antiquiſſima ſit quatuor Proſarum, quæ noviſſimis temporibus conſervatæ ſunt, nempe: *Victimæ Paſchali, &c.* in Paſchate *Lauda Sion, &c.* in Feſto Corporis Chriſti; & *Dies iræ, &c.* in Officio Defunctorum. -- Sunt qui putant hanc Proſam: *Veni Sancte, &c.* adſcribendam eſſe Roberto Galliæ Regi, qui XI. regnabat ſæculo; alii eam tribuunt Hermanno Contracto Germaniæ Monacho, qui obiit Anno 1054. ſed probabilius eſt prædictam Sequentiam ab Innocentio III. fuiſſe compoſitam, & ab eodem Miſſali inſertam, cum in ejus operibus reperiatur.

XIX. Gav. num. 25. -- *Non dicatur Flectamus genua, &c.*) Ad Miſſam, quæ dicitur in his Quatuor Temporibus, ſicuti non dicitur *Flectamus genua, &c.* ratione ſcilicet temporis adhuc Paſchalis, ita nec Chorus genuflectit ad Orationes. Si occurrat Feſtum ſimplex, tunc de eo fit commemoratio etiam in Miſſa, ſed juxta Gavanti ſententiam ſupra eſt omittenda tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ut etiam rationibus & Decretis S. R. C. datis ad *tit.* 7. ſub *n.* 4. in noſtris Additionibus oſtenſum eſt.

Si infra hanc Octavam poſt primum ejus triduum dicenda ſit Miſſa Votiva ſolemnis pro re gravi, & dicatur de Spiritu Sancto, dicenda eſt ea, quæ competit diei occurrenti, & non alia. Arnaldus *Epiſt. Gavanti n.* 1. §. 2. *tit.* 4. *in fine*, & idem *part.* 4. *tit.* 16. *n.* 2. monet. Si aliqua infra hanc Octavam die (poſt primum ejus triduum) cantanda ſit Miſſa de Feſto S. Titularis transferendo (ut in Rubrica gen. 6. Miſſalis) aut Miſſa Votiva ſolemnis pro re gravi dicenda eſt illa, quæ tempori Paſchali convenit, eo quod hoc tempus terminatur tantum Sabbato ante Trinitatem poſt Nonam; ita etiam Halden *part.* 1. *tit.* 29. *de Domin. & Feſt. Pentec.* §. *Miſſa hac, & ſeqq. Feriis.* Notandum præterea occurrit, quod ſi prælaudatum Feſtum, quod transfertur, occurreret in die aliqua temporum Pentecoſtes, tunc ambæ dictæ Miſſæ cantari debent poſt Nonam, prius tamen illa de tempore; ſecunda vero de Feſto translato; & non obſtat, quod ante ſecundam Miſſam non præcedat aliqua Hora Canonica, ſicut regulariter præcedere debet immediate ante Miſſam Conventualem, vel aliam Miſſam cantatam, ex Decreto Urbani II. Hic enim eſt caſus unicus, & privilegiatus ob concurſum Populi. Biſſus *lit. T n.* 72. §. 12. Idem dicendum ſi cantanda eſſet in dictis temporibus ſupradicta Miſſa Votiva ſolemnis pro re gravi.

Si Fer. VI. horum Quatuor Tempor. dicenda ſit ex mandato Superioris in Miſſa Oratio, *Deus refugium, &c.* correſpondens huic *Poſtcommunio*, mutanda eſt cum *Poſtcommunione* Orationis proxime ſequentis *pro quacumque tribulatione*, ne coincidat cum *Poſtcommunione* hodiernæ Miſſæ Feriæ VI. Quatuor Temporum Pentecoſtes. Halden *ſupra* §. *Feria VI.*

## De Feſto Trinitatis, Corporis Chriſti, & Dominicæ poſt Pentecoſten. XII.

### *GAVANTUS.*

1. IN Octava Pentecoſt. fieri Feſtum SS. Trinitatis docet *Microl.* c. 6. ab aliquibus, quos reprehendit, quia propria auctoritate celebrabant, Miſſamque de eadem Trinitate *ab Alcuino* compoſitam aſſeruit, ſicut & Officium *a Stephano Leodienſi*: Præfationem tamen a Pelagio approbatam & ipſe recipit, *Berno* meminit *Feſti libro de quibuſdam ad Miſſam ſpect.* c. 6. deinde *Rupert. lib.* 11. *c.* 1. tradit, & laudat idem Feſtum, eo quod poſt adventum Spiritus Sancti cœpit ſtatim prædicari, & credi myſterium SS. Trinitatis, in cujus nomine dabatur baptiſmus. Tandem teſtatur *Radulph. propoſ.* 16. a Sancta Romana Eccleſia inductum fuiſſe tale feſtum, & communiter celebratum, congruentem addit cauſam *Dur. lib.* 7. *c.* 14. quia Natalis Domini fuit Feſtum Patris, cui natus eſt Filius: Paſcha fuit Feſtum Filii, Pentecoſtes Spiritus Sancti; celebretur ergo ſtatim trium ſimul Perſonarum Feſtum SS. Trinitatis. Dicitur auctor Feſti Trinitatis Gregor. IV. *ab Auctore Ligni Vitæ lib.* 5. *Piſanella* facit auctorem Joannem XXII. *verſ. Feria* §. 3. & Miſſæ Orationes omnes cum Præfatione propria habentur *in Sacr. Greg. in nocte Dominica Pentecoſtes.*

2. Feria quinta proxime ſequenti occurrit Feſtum Corporis Chriſti cum octava, ex inſtituto Urbani IV. 1262. ab Eugenio IV. 1433. confirmatum ob cauſam, quam reddit S. Thom. *in Officio ejuſdem Feſti*, cujus Officii & ipſe fuit auctor, *ut in ejuſdem Opuſculo* 57. Leodienſes primo celebrarunt hoc Feſtum, *Baronius Anno* 1230. *n.* 16.

3. Fit Proceſſio ſolemniſſima in Paramentis albis, & in Cathedralibus quidem Eccleſiis ſervantur ea, quæ *in Cærem. Epiſc. lib.* 2. *c.* 33. habentur; in minoribus autem Eccleſiis ea item, quæ *in Rituali Rom. Pauli V.* in Miſſa vero cantanda, ne omittantur genuflexiones, quæ ſupra ſunt præſcriptæ; *& in Feria quinta in Cœna Domini.* Finita Miſſa, deponuntur Manipuli, induit Celebrans pluviale extra cornu Epiſtolæ, imponit ſtans incenſum ſine benedictione, & genuflexus ter incenſat Sacramentum in Tabernaculo Oſtenſorio poſitum, ea ratione prorſus, qua diximus *in Feria quinta in Cœna Domini.* Poteſt cantari interim dum incenſatur: *O ſacrum convivium*, vel *Tantum ergo Sacramentum*, *ut in Inſtructione Romæ edita pro Oratione quadraginta horarum dicitur.*

4. Non deferatur Tabernaculum SS. Euchariſtiæ Sacerdotum humeris, ſed manibus tantum Celebrantis, non obſtante quavis contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit Sacra Rituum Congregatio *die* 2. *Junii* 1618. imago vero, quæ eſt in Hoſtia, debet terga vertere Celebranti, ut de imagine Crucifixi alias documus; & ita accidit, dum ab Altari Diaconus Tabernaculum accipit, & ſtans genuflexo Celebranti immediate tradit.

5. In Proceſſione Clerus immediate præcedat Celebrantem cum cereis accenſis, cæteri, ſive Confratres, ſive Regulares ante Clerum procedant, cereoſque geſtent omnes ea manu, quæ extima cuique eſt, altera pectori admota, Hymni decantentur alternatim, qui a celebrante cum Miniſtris dici poterunt ſubmiſſa voce; qui Crucem defert, congruit, ut veſte Subdiaconali ſit indutus, & procedat medius inter Acolythos cum candelabris, & cereis accenſis, ut alias dictum eſt in honorem Crucis, & Crucifixi; ſicut fit in Altari.

6. De Baldachino, & haſtarum diſtributione diximus *in Feria quinta in cœna Domini.* De circuitu, & via procedendi, ſtandum erit locorum conſuetudini; rectius a latere Evangelii proceditur ad latus Epiſtolæ.

7. In fine Proceſſionis Subdiaconus deponit Crucem in loco decenti, Ceroferarii candelabra in Credentia, & cum Clero genuflectunt, depoſito Sacramento ſuper Altare cum miniſterio Diaconi, ut in Cœna Domini, imponitur a ſtante Celebrante ſine benedictione incenſum in Thuribulo: fit incenſatio trina de more, cantante interim Clero genuflexo, ante, & circum Altare, ultimos duodecim verſus Hymni *Pange lingua glorioſi*: *Tantum ergo, &c.* quibus dictis, cantantur verſus a duobus Clericis: *Panem de Cœlo, &c.* & a Celebrante ſtante, Miniſtriſque genuflexis, librum ſuſtinentibus hinc inde, dicitur *Dominus vobiſcum.* cum Oratione *Deus, qui nobis, &c.* nihilque aliud addens, aſcendit ad Altare, genuflectit, & ipſemet nullo Diaconi miniſterio accipit velatis manibus, ut prius, Tabernaculum, benedicit cum eo Populum facie Hoſtiæ ad eumdem verſa in modum Crucis ſemel, nihil dicens, & gyrum perficiens reverenter reponit. Hæc fere omnia *ex Rit. Rom.*

8. Tum genuflexione facta, deſcendit ad gradus, ut prius, & amoto velo a Subdiacono, Diaconus aſcendit, genuflectit. & reponit, vel in locum altiorem, ut eo die colatur a Populo pro locorum conſuetudine, vel contectum velo in locum ſuum. Corporale, ſeu Palla Tabernaculo ſemper ſit ſubſtrata; & velum longum eidem Tabernaculo, quod hinc inde cadit verſus Altaris latera, & a poſteriori parte Tabernaculi, ſeu umbellula ſuperaddatur, emineat quoque locus ſupra locum Reliquiarum, quod alias monuimus; Scripſere quidam, & gratis, quod præter Corporale ſupponi debet Tabernaculo Ara lapidea cum tribus mappis; ſed hæc neceſſaria ſunt ad conficiendam Euchariſtiam, non autem ad eam collocandam, ſeu exponendam; alioquin & in Turri lignea, & cum ad ægrotos defertur, eadem forent adhibenda.

9. Parietes viarum, per quas eſt tranſeundum, ornari debent, *ex prædicto Rituali*, tapetibus, & aulæis, & ſacris imaginibus, non profanis; actus autem ſcenici, vel ludrici, vel indecori prohibentur *in Cærem. Epiſc. loc. cit.*

10. Ardebunt candelæ uſque ad datam benedictionem incluſive: & Diaconus nihil oſculabitur coram Sacramento.

11. Si cantantur Veſperæ coram Sacramento in Altari expoſito, in die hac, & per Octavam, conveniret, ut omnes ſtarent aperto capite, numquam ſederent, ſi ſedeant, caput tamen non tegant: quod etiam obſervandum erit in diſceſſu, ne intra cancellos cooperiatur caput. *Infra hanc Octavam non celebrentur Miſſæ Votivæ, neque de Requiem, ex novo Decreto Sacr. Congreg. ſub die* 21. *Junii* 1667.

12. Officium Dominicæ infra Octavam quadrat Octavæ cum Evangelio de Cœna magna, quod legebatur etiam antiquitus *in Comite S. Hieron, & ex Rupert, lib.* 12. *c.* 2. Oratio Dominicæ eſt Ambroſ. *ex Pamel.*

13. In ſequentibus Dominicis poſt Pentecoſten aliqua eſt varietas Evangeliorum reſpectu antiquorum, non modo quoad ordinem, quia in primis Dominicis mutatus eſt ordo Evangeliorum; verum etiam quoad ſedem Dominicalem, quia Evangelium, quod legebatur Dominica quinta poſt Pentec. de captura piſcium miraculoſa, hodie legitur Dominica quarta; quod alias Dominica ſexta, nunc Dominica quinta; & ſic deinceps uſque ad Dominicam primam ultra vigeſimam.

14. Numerus autem Dominicarum poſt Pentecoſten non erat antiquitus ultra viginti tres, & ſequens ſpectabat ad Adventum, quod in idem recidit.

15. Circa vero Miſſas, Orationes, & Evangelia per Dominicas diſtributa a Sancto Hieronymo, & Gregorio, quos ut plurimum ſequutus eſt Pius V. *ut in Lectionario S. Hier. Antiphonario, Sacramentario S. Gregorii* videmus; cur potius hanc, vel illam, hoc vel illud, huic vel illi Dominicæ aſſignaverint, difficile eſt cauſam invenire, nam in Adventu, & Feſtis Domini aliqua ſemper eſt proportio inter Orationes, Evangelia, & Feſta, in Quadrageſima vero, & Dominicis 4. 5. & 6. poſt Epiphaniam: & in ſecunda, tertia, quarta, & quinta poſt Paſcha, & in reliquis Dominicis poſt Pentecoſten, ſufficere debet auctoritas tantorum Patrum, quibus (nec puto ſine ratione) ita viſum eſt opportunius fore, & utilius.

16. Unius Evangelii, quod nos legimus Domin. 9. poſt Pentecoſten de Jeroſolymorum deſtructione cauſam reddit *Honor. in Gemma lib.* 4. *c.* 64. quia, inquit, in eo menſe, quo legi ſolet, accidit ipſamet deſtructio facta a Romanis.

17. Cæterum, poſito Evangelio, quod *ex Rupert. lib.* 3. *c.* 97. eſt in Miſſa quaſi caput omnium poſt Canonem, reliquæ partes non diſcordant, & olim concordabant omnes cum Evangelio, quod videre eſt *apud Rupert. tot. lib.* 12. *de Dominicis poſt Pentecoſt. & apud Honor. in Gemma lib.* 4. *toto, & apud Durand. tot. lib.* 6. arbitrariis tamen conjecturis, & ad eorum libitum variandabilibus, nobis hodie, parum utilibus, poſt mutationem, ſeu potius reſtitutionem a Pio V. factam, quam paulo ante memoravi, Evangeliorum.

18. Quod ſi non omnia conſonant, audi *Auguſtinum citatum in hanc rem a Bernone libello de quibuſdam ad Miſſam ſpect. c.* 6. Non ſane omnia, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt; ſed propter illa, quæ aliquid ſignificant, adduntur; ſolo enim vomere terra proſcinditur, ſed ut hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria; & ſoli nervi in cytharis aptantur ad cantum, ſed ut aptari poſſint, inſunt & cætera in compagibus organorum, quæ non percutiuntur a canentibus, ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. Hæc ille.

19. Quando vero plures Dominicæ occurrunt poſt Pentec. ultra viginti quatuor, eo caſu differtur vigeſima quarta in ultimum locum, cujus Evangelium eſt de fine mundi, legendum idcirco in fine Anni Eccleſiaſtici, qui incipit ab Adventu, & deſinit ante Adventum.

20. Poſt vigeſimam tertiam ponuntur Miſſæ Dominicarum, quæ ſuperfuerunt poſt Epiphaniam, dato eiſdem Introitu cum ſuis acceſſoriis, & mutuatis a Dominica 23. & 24. ejuſdem rationis tunc eſſe videantur; lege quæ diximus *ſupra* de Dominicis poſt Epiph. Cur autem plures quoque numero variari eas contingat, attinet hoc ad Rubricas Breviarii, ubi & nos opportuna dicemus.

21. Hoc loco libet indicare, quanti fecere antiqui diem Dominicum, quem appellavere Apoſtoli Dominicam diem, ideſt Domini *Apocal.* 1. Reginam, & Principem omnium dierum, *Ignat. Epiſt. ad Magneſianos*. Diem panis, & Diem lucis, *Chryſoſt. de reſurrectione homil.* 5. Primam Feriam antiquiores Sylveſtro *apud. Baron.* An. 58. *n.* 87. Diem remiſſionis, *Conc. Carth.* 4. *Can.* 82. Diem Solis, *S. Max. homil.* 3. *Hiem.* ex communiori, ait uſu loquendi Diem Sanctum, *Alc. c. de die Sancto*, nimirum, *ex Synodo* 5. *c.* 8. quia eo die primo mundi, creati ſunt Angeli, & elementa mundi, *Alc. loc. cit.* Manna primum pluit, Chriſtus eſt natus (natus, ergo & circumciſus) ejuſdem Stella Magis apparuit, baptizatus eſt, ſatiavit quinque millia quinque panibus, reſurrexit a mortuis. Hæc *Synodus*, Denique Spiritus Sanctus eadem die deſcendit. Lege *Augu. ſerm.* 251. *de tempore, & S. Leon. epiſt.* 81. *c.* 1.

22. Inde eſt, quod Miſſæ Dominicarum per annum numquam omittuntur, quin ſaltem aut de iiſdem commemoratio fiat, aut præcedenti die non impedita celebrentur, aut a tempore ad tempus transferantur, puta ab Epiphania ad extremum tempus Pentecoſtes.

23. Inter has Dominicas a Pentecoſte dictas occurrit autumnale jejunum Quatuor Temporum, quod Leo decrevit in menſe ſeptimo fieri debere. *Microl. c.* 26. qui & tradit, nulli certæ hebdomadæ fuiſſe aſſignatum, ut reliqua jejunia: ſed tamen Eccleſiaſtica conſuetudine factum eſſe, ut in tertio Sabbato Septembris jejunetur. eſt Urbani II. Decretum *diſtin.* 76. *ſtatuimus, ex Conc. Placentin. c.* 15.

24. Ex quo intelliges, cur in Miſſali hujus jejunii Miſſæ ſub titulo Septembris poſitæ fuerint poſt Miſſam Dominicæ 17. poſt Penter. non quod hæc illi ſedes certa ſit, ſed quaſi ſedes media inter Dominic. 14. ante quam tale jejunium non accidit, & Dominicam 19. ultra quam illud idem non occurrit.

25. Citius autem, vel tardius inter utramque dictam Dominicam celebratur, prout citius, vel tardius celebratur Pentecoſtes: ſed ſemper poſt eam Dominicam, quæ in Breviario, vocatur tertia Septembris; a quo idcirco titulum portant hæ Miſſæ in Miſſali. Vide quæ diximus in quatuor Temporibus Adventus, tum circa numerum Lectionum, tum circa alios Quatuor Temporum Ritus.

26. Si contingat Feſtum in his temporibus Septembris, tamen erit jejunium. *Ordo Romanus*; Officia vero Miſſarum horum temporum ſunt fere eadem, quæ *in Antiphonario, & Sacr. Gregor.*

27. Atque in his quatuor Temporibus Stationum finis eſt, quarum initium in prima Dominica Adventus conſtituit S. Gregorius earumdem inſtitutor, *ex Rupert. lib.* 3. *c.* 4. ſaltem magna ex parte; ut *ait Plaſina* * ſeu, ut verius loquamur, nonnullarum inſtitutor, & omnium ordinator, nam teſte Sixto V. *Conſt.* 23. *edita die* 13. *Februarii* 1586. vetus admodum eſt ab Apoſtolicis uſque temporibus dicta ſacrarum Stationum conſuetudo, in quibus fidelium multitudo ad Apoſtolorum ſepulchra, & fortiſſimorum martyrum memorias conveniens hymnis, & canticis ſpiritualibus Deum in ſanctis ſuis mirabilem laudabat, & ſalutaribus immaculatæ Hoſtiæ ſacrificiis placabat, & adverſus multiplices antiqui hoſtis oppugnationes, tamquam in caſtris Dei ſtatione tutiſſima conſiſtebat. Hæc ille.

28. Ex quibus patet primo; nomen -- Stationes Eccleſiaſticæ -- tranſlatum eſſe a Caſtris, & ſtatione militaris, quæ locus erat militibus aſſignatus. Quæ etymologia ſolidior eſt, quam aliæ, ex diebus ſtatutis, quod docuit *S. Iſidorus*, vel ex eo, quia ſtabant fideles cum Papa, & aliquando tota die in Eccleſia ſtationali. Vides alias minus probabiles *apud Pompejum Ugonium de hiſtoria ſtationum Romæ*.

29. Deinde patet origo Apoſtolica: cujus etiam meminit *Tertullianus in pluribus locis*, ut mox dicemus.

30. Tertio patet Ritus ſtationis, qui nimirum erat potiſſimus in Miſſis celebrandis; unde & ſingulis Miſſis ſtationalibus præfigitur in Miſſali locus ſtationis; addebatur & Miſſæ concio, ut videre eſt in Homiliis SS. Leonis I. & Greg. Magni.

31. Jejunium quoque cum ſtatione conjungebatur, *ex Tertulliano ſemel, & iterum contra Pſychicos, & in l.* 2. *ad uxorem*, quod & nos retinemus in plerique ſtationibus, hoc eſt, in Quadrageſima, & Quatuor Temporibus.

32. Proceſſionis item mentio eſt apud *Tertull. loc. cit. ad uxorem*; & a viciniori Eccleſia, vel non admodum remota, ibat Papa cum Clero ad Eccleſiam ſtationalem, atque hinc fortaſſe *Belethus c.* 6. *& cum eo Durand.* definiere ſtationem, hoc eſt proceſſionem: ſed erat terminus proceſſionis.

33. Significat Sixtus V. in prædictis verbis, diverſa fuiſſe loca ſtationalia, & hodie ſunt quinque ſupra quadraginta, licet ſtationales dies quadrageſimales ſint quinquaginta quatuor & alii per annum 31. omnes 85. quia ad eumdem locum ſæpius itur, non tamen ſcire poſſumus, quæ antiquiora, quæ ſint poſteriora, ea vero omnia ordinavit S. Gregorius, ut aperte ſcribit *Joann. Diaconus in ejus vita lib.* 2. *cap.* 6. Idemque conceſſit Indulgentias ſtationarias, quod hiſce iiſdem verbis refert *Bonifacius VIII. in Bulla* 13. *Aprilis anno* 3. *Pontificatus*, in qua confirmat Indulgentias a Prædeceſſoribus conceſſas, & præterea concedit & ipſe contritis, & confeſſis viſitantibus Eccleſias ſtationales annum unum, & dies 40. de vera Indulgentia, ſed immenſæ in unaquaque conjiciuntur eſſe Indulgentiæ.

34. Poſt obitum S. Greg. nonnullæ ſtationales Eccleſiæ fuerunt mutatæ, qua de re lege *Pompejum Ugonium loc. cit.* Illud ergo obſervo de titulis Eccleſiarum ſtationalium Urbis, Officium, ſeu Commemorationem in Breviario Romano, exceptis Sancta Balbina, & Sancto Quirico; & in illius quidem Eccleſia fuiſſe Stationem credimus tempore Sancti Gregorii; in hujus autem inſtituta fuit, ſeu tranſlata aliunde a Sixto IV. excipe quoque titulum S. Onuphrii, & lege *Ugonium ſup.*

Et hæc de Stationibus, quæ habentur in Romano Miſſali, ne quid illius prætermittamus in hiſce Commentariis.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Feſtum SS. Trinitatis, &c.*) Quamvis feſtus Trinitatis dies paucis ab hinc Sæculis in Eccleſiam introductus fuerit, nihilominus ſi rem ipſam attente conſideremus, cæteris Feſtis vetuſtate anteceſſit, propterea quod in Dominicis omnibus, necnon in Feſtis Sanctorum, id quod principaliter a Chriſtianis colitur, eſt SS. Trinitatis myſterium, unde Feſtos quoſvis Chriſtianorum dies jure vocare poſſumus Trinitatis ſolemnia; & hæc eſt præcipua ratio, ob quam Feſtum ſpeciale Sanctiſſimæ Trinitatis tardius in Eccleſia Romana inſtituerunt Summi Pontifices. Ab undecimo Sæculo celebrabatur hæc Feſtivitas in quibuſdam Eccleſiis, teſte Micrologo *c.* 60. qui hanc ſolemnitatem colentes coarguit; adjudicat vero Stephano cuidam Leodicenſi preces Canonicas Trinitatis (necnon Hiſtoriam inventionis S. Stephani) quas tamen Eccleſiam Romanam reſpuiſſe aſſerit, & alii

ibi

ibi contexit. En verba Micrologi - Quidam Officium de S. Trinitate in Octava Pentecoſtes inſtituunt, licet non ſit Alleluiatum, quod & per totam ſubſequentem hebdomadam obſervandum putant, quod non eſt authenticum; nam quidam Leodienſis Stephanus idem Officium, ſicut & Hiſtoriam de inventione S. Stephani compoſuiſſe aſſeritur, quæ utraque ab Apoſtolica Sede reſpuuntur, unde piæ memoriæ Alexander Papa de hac re inquiſitus, reſpondit juxta Romanum Ordinem, nullum diem ſpecialiter adſcribi ſolemnitati SS. Trinitatis, ſicut nec S. unitatis; præcipue cum in omni Dominica, immo quotidie utriuſque memoria celebretur - Hæc Micrologus, qui alia pariter ſubnectit. Ex quo aliqui in Octava Pentecoſtes, alii vero aliis diebus hoc Feſtum celebrabant, obortæ ſunt celebres contentiones de octavo die Pentecoſtes. Radulphus enim Tungrenſis, qui vixit ſub finem Sæculi XIV. relatus a Gavanto *ſupra Propoſitione* 16. ait - Super Octava vero Pentecoſtes magna eſt adhuc diverſitas. Cum enim Romani in hac Dominica imponerent hiſtoriam Regum, nec ſervarent Feſtum Trinitatis: aliquæ nationes, ut Alemanni, eadem die ſervant Octavas Pentecoſtes, in hebdomada, & Dominica ſequenti ſervantes Officium Trinitatis. Alii, ut Gallici plures illo die plenum faciunt Feſtum Trinitatis cum Octavis majoribus. Hodiernis vero temporibus Romæ, & in Curia Romana, ſolemnis habetur Feſtivitas S. Trinitatis in Octava ſupradicta, quod etiam plures Alemanni cœperunt ſequi poſtea - Hucuſque Radulphus, ex cujus verbis, & ex aliis etiam Auctoribus colligitur Feſtum hoc hac Dominica cœpiſſe celebrari in Gallia, immo adſunt in eodem Regno Eccleſiæ, in quibus bis celebratur hæc ſolemnitas, in prima ſcilicet, & ultima Dominica poſt Pentecoſten. Romæ tamen nonniſi Joanne XXII. Eccleſiam regente, hoc ſpeciale Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis in Octava Pentecoſtes celebrandum ſtatutum fuit, ut tradit etiam Ciaconius in Vita ejuſdem Pontificis - Id etiam aſſeri videtur a Gerſone, a quo memoratur hoc Feſtum tamquam noviter inſtitutum, ubi enim agit de viſitatione Prælatorum, ait: *De Feſto Trinitatis ſolemnizando, prout noviter Papa inſtituit*. Et revera Durandus, qui paulo ante Joannem XXII. vixit *lib.* 6. *cap.* 114. aſſeverat quidem, quod in pleriſque locis in Octava Pentecoſtes fiebat Feſtum SS. Trinitatis, ſed nullam faciendo mentionem de Romana inſtitutione hujus feſti. Sunt qui opinantur noſtrum Gavantum antiquitus, & Gregorio IV. inſtitutionem hujus Feſti referre. Verum noſter Auctor ſolum adſtruit hanc eſſe opinionem Auctoris Ligni Vitæ *lib.* 5. abſque eo, quod aſſeveret ſe hanc ſententiam amplecti; eodem enim modo mox ſubnectit, quod Piſanella facit Auctorem ejuſdem Feſti Joannem XXII. *v. Feria* §. 3. quin explicet cui ex dictis Auctoribus adhæreat. Ex iis, quæ diximus, liquet, primam ex dictis opinionibus eſſe rejiciendam.

Cæterum redeundo unde digreſſi ſumus, & reſumendo verba Micrologi, cum hic deceſſerit ante Alexandrum III. liquet quod Alexander, cujus ipſe meminit, fuerit ſecundus hujus nominis. Romanus autem Pontifex, ut optime advertit Thomaſſinus *lib.* 2. *de celebrat. Feſtor. cap.* 19. non reſpuit, ut Micrologus paulo liberius ſcripſit, hanc ſolemnitatem, ſed ei minime eſt ſuffragatus, Eccleſiarum tamen cæterarum Ritus, & pietatem non contemnens.

Alexander vero III. ea, quæ ſupra tradidimus, ante finem Sæculi XII. literis conſignavit, cujus verba habentur *in cap. quoniam de Feriis extra*, ſunt autem hæc - Præterea Feſtivitas Sanctiſſ. Trinitatis ſecundum conſuetudines diverſarum Regionum a quibuſdam conſuevit in Octavis Pentecoſtes, ab aliis Dominica prima ante Adventum Domini celebrari: Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet, quod in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter Feſtivitatem, cum ſingulis diebus *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, & cætera ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.

II. Gav. eodem n. 1. - *Miſſamque de eadem Trinitate ab Alcuino compoſitam, &c.*) Micrologus *cit. loco*, ut notat etiam Gavantus, Miſſam, quam legimus SS. Trinitatis Alcuino tamquam Auctori attribuit, ſed ejus Auctor Alcuinus profecto non eſt, ut jam doctiores agnoſcunt. Codex Rhemenſis apud Menardum nihil habet hujus Miſſæ, ſicut pariter nec Sacramentale Gregorianum a Pamelio evulgatum; ex Bernone Augienſi tamen, & Micrologo, & ex iis, quæ habent Menardus, & Pamelius in Notis, conjicere poſſumus hac die mentionem aliquam Trinitatis eſſe antiquitus factam, non quidem in Oratione, aut Miſſa, ſed in verſiculis, & Præfatione, quæ Pelagio II. ſolet adſcribi, & quæ legitur etiam in Sacramentario Gelaſiano a Thomaſio edito, non quia, ut dixi, pertineret tunc ad Miſſam de Trinitate, quia nondum inſtituta erat, ſed quia continebat expoſitionem Catholicæ Fidei contra Hæreticos, præſertim Arianos, quam, abjurantes hæreſim ſuam, & Eccleſiam ingredientes, profiteri jubebantur, ut notat Grancolas *Comment. hiſt. in Brev. Rom. lib.* 2. *cap.* 80. nonnulla alia ſpectantia ad ſacram eruditionem, & inſtitutionem hujus Feſti tradunt mox laudatus Grancolas *cit. loco*. Baillet *tom.* 4. *pag.* 154. *& ſeqq.* & Thomaſſinus de Feſtis *lib.* 2. *cap.* 18.

Pro Feria IV. Poſt Feſtum SS. Trinitatis juvat hic exhibere ſequens Decretum - Occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in die Feſto Corporis Chriſti, anticipato jejunio Vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbanæ editæ die 25. Septembris 1638. in Officio, & Miſſa de eadem Vigilia nihil fit - Ita S. R. C. die 13. Septembris 1706. approbante Clemente XI. 2. Octobris ejuſdem Anni, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 602.

De origine Feſtivitatis Corporis Chriſti. §. I.

III. Gav. n. 2. - *Ex inſtituto Urbani IV.* 1262. *&c.*) Urbanus IV. Romanus Pontifex, quando Leodii Archidiaconus erat, Jacobus de Trecis tunc appellatus, viderat in ea Urbe Feſtum SS. Corporis Chriſti tunc celebrari; immo etiam cum præcedenti Vigilia, & jejunio, prout (juxta nonnullorum opinionem) præſcriptum fuerat in Synodo Diœceſana illius Urbis Anno 1246. habita per Robertum Leodienſem Epiſcopum, hortante præſertim B. Virgine Juliana, Montis Cornelii apud Leodium Sanctimoniali, ut habent acta ejuſdem Servæ Dei apud Bollandum 5. Aprilis, in quibus tamen legitur præfatum Robertum univerſis Eccleſiaſticis perſonis ſuæ Diœceſeos per elegantem Epiſtolam præcepiſſe, ipſam ſolemnitatem ſingulis Annis die ad hoc ſtatuto cum Officio celebrari, & ab eorum plebebibus ſicut diem Dominicam, ab omni ſervili opere abſtinendo debere obſervari. Verum, ut tradit Martene *de antiq. Eccleſ. Diſcipl. cap.* 29. ne piiſſimo fraudaretur voto Robertus, & ne quiſquam negligentium Prælatorum de ignorantia ſe poſſet excuſare, propoſuit in Generali ſua Synodo, quæ ſingulis Annis, convenientibus Eccleſiarum Rectoribus, & Conciliorum Decanis in unum, fieri ſolet, quod per Epiſtolam ſtatuerat viva voce ſolemniter publicare. Morte autem præventus Robertus, ſanctum haudquaquam potuit adimplere propoſitum. At Hugo S. R. E. Cardinalis ad partes Alemanniæ Summi Pontificis a latere Legatus, hoc in ſe ſuſcepit negotium, primuſque in S. Martini Eccleſia Leodienſi Feſtum illud promulgavit, & celebravit. Hæc, & alia citatus Martene ibidem. Ad inſtar igitur prædictæ ſolemnitatis Leodii prius inſtitutæ, hortante non ſolum mox memorata B. Juliana, ſed allaborante etiam Ven. Eva ad dictam S. Martini Eccleſiam Recluſa, Urbanus præfatus ad Summi Pontificatus apicem evectus conſtitutionem edidit Anno 1264. non die octava Septembris, ut communiter Scriptores affirmant, confundentes datam Bullæ cum data Brevis ab eodem Urbano ſcripti ad antedictam Ven. Evam Leodienſem, ſed die 11. Auguſti apud Urbem veterem, in qua Civitate celebraverat eamdem Feſtivitatem cum Proceſſione ſolemni die 19. Junii ejuſdem Anni ob celeberrimum miraculum, quod Bolſenæ contigerat, de quo ſermonem habent, & hiſtoriam referunt plures Scriptores eb Andrea Pennazzi congeſti in Hiſtoria ejuſdem miraculi typis edita Anno 1731. inter laudatos Scriptores recenſeotur præſertim S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 13. §. 2. & Dieſtemius Blærus Prior S. Jacobi Leodienſis Ordin. S. Benedicti *art.* 4. Commentarii de Inſtitutione Feſti Corporis Chriſti ſub Anno 1496. ab eo compoſiti. De hac re erudite pariter ſcripſit Franciſcus Pagius in Vita antedicti urbani IV. §. 5. *& ſeqq.* ubi ex Divo Antonino narrat, quod Anno 1264. in loco non longe ab Urbeveteri ſito, Bolſenæ dicto, accidit ingens miraculum, cujus occaſione Urbanus IV. ſolemnitatem Corporis Chriſti indixit. In Eccleſia univerſali nimirum ejuſdem Oppidi Bolſenæ, Sacerdote celebrante, poſt conſecrationem gutta aliqua Sacratiſſimi Sanguinis ex Calice in Corporale profluxit, idem Sacerdos, ut negligentiæ ſuæ defectum occultaret, cooperuit pluribus pliccis partem Corporalis, ſed reperta eſt per omnes pliccas tranſiſſe, & reliquiſſe ibi rubeam ad modum Sanguinis formam Hoſtiæ in pluribus partibus Corporalis. Joannes vero Dieſtemius Blærus *loc. cit.* ait: *Sacerdotem Bolſenæ celebrantem, inter verbam conſecrationis dubium in Fide, vidiſſe carneis oculis Hoſtiam in formam pietatis, & de ea Sanguinem fluere in Calice. Quo territus dum conaretur occultare, & cooperire, de Corporali apparuit mox forma pietatis in ſingulis partibus Corporalis, & ita coactus eſt Populo aſſiſtenti miraculum patefacere. Quod ubi Populus comperit, ad Urbem veterem properans, Summo Pontifici mirabilia ſtupenda, quæ viderat, nuntiavit.* Quod quidem Corporale de mandato præfati Pontificis ad Urbem veterem, in qua ipſe commorabatur, proceſſionaliter translatum fuit, & in Cathedrali Eccleſia ad perpetuam rei memoriam uſque ad præſentem diem decentiſſime reſervatur, & aliquando Populo oſtenditur cum magna veneratione.

Inſignis hujus miraculi occaſione, necnon Feſti Sacratiſſimi Corporis Chriſti Leodii jam inſtituti, ejuſdem ſacri myſterii ſolemnitatem, annuatim quinta Feria poſt Octavam Pentecoſtes, perpetuis temporibus ubique celebrandam Urbanus indixit, de qua inſtitutione extat præclara, & elegans ejuſdem Pontificis Conſtitutio ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Prælatos directa.

Prædictæ Bullæ data conſtat ex originali ejuſdem, quod in Archivio ſecreto Bibliothecæ Vaticanæ aſſervatur, cujus copia primum locum ſibi vindicat inter Bullas ejuſdem Pontificis, quæ habentur in *tom.* 1. Bullarii Romani, eam quoque exhibet in ſua Sacra Hierologia laudatus Pennazzi. Urbani tamen Bulla ob bellicos tumultus, quibus pene tota Europa agitabatur, ſuum effectum ſtatim aſſecuta non fuit.

Durandus enim, qui paulo poſt Urbanum ſcripſit Rationale Divin. Offic. nullam habet de hoc Feſto mentionem; hinc factum eſt, ut in Concilio Viennenſi Anno 1311. Clemens V. Urbani Bullam iterum promulgaverit, atque altera ſua Bulla confirmaverit. Docet id Gloſſa a Martene *cit. loco* relata his verbis: *Quia illa Conſtitutio Urbani non fuit recepta ab omnibus, ideo Clemens PP. V. innovavit illam Conſtitutionem, & illam præcepit ab omnibus obſervari*. Clementinam Conſtitutionem ſuſceperunt Reges Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ, quæ poſtmodum Anno 1316. a Joanne XXII. ſucceſſore Clementis nova promulgatione fuit confirmata, & ab aliis deinceps Romanis Pontificibus gratiis, & privilegiis exornata. Hinc fortaſſe non erit immunis ab errore Papirius Maſſonius, dum *in lib. 5. de Epiſc. Urbis*, in vita Urbani IV. ſcripſit; Hoc Feſtum ante Annum 1318. non fuiſſe in Gallia receptum. Quidquid ſit, certum eſt, quod poſt promulgationem a Joanne XXII. factam, fuit ab omnibus Eccleſiis, nulla diſcrepante ſuſceptum. Qui plura de inſtitutione hujus Feſti deſiderat, legat ea, quæ tradunt Chriſtianus Lupus *tom. 1. in erudita Diſſ. de Sacris Proceſſ. inſerta tom. 12. recentiſſimæ editionis Venetæ*. Chapeavilla Canonicus, & Vicarius Eccleſiæ Leodienſis *tom. 3. Pontificum Leodienſium*, Enſchenius *ad tom. 4. Aprilis*. Martene *loco ſuprac.* Theophilus Raynaudus *tom. 11. pag. 347.* Grancolas *Comment. Brev. lib. 2. cap. 81.* Thomaſſinus *lib. 2. de Feſtis cap. 19.* Baillet *tom. 4. pag. 564. & ſeqq.* ſuprac. Franciſcus Pagius *in Vita Urbani IV*, præcipue vero Andreas Pennazzi in Hiſtoria prædicti miraculi, in qua innumeros alios Hiſtoriæ hujus Feſti recenſet.

De origine, & inſtitutione Proceſſionis, quæ in hac die fieri ſolet, nonnulla infra dicemus.

## De Auctore Officii ejuſdem Sacratiſſimi Corporis Chriſti. §. II.

IV. Gav. eod. n. 2. *Sanctus Thomas in Officio ejuſdem Feſti, cujus ipſe fuit Auctor, &c.*) Primum hujus Feſti Officium, alii a Religioſo Hoſpitalis Montis Cornelii prope Urbem Leodienſem, alii vero a Joanne Clerico Leodienſi compoſitum fuiſſe adſtruunt, & hoc comprobant auctoritate illius, qui vitam B. Julianæ exaravit. Quoniam vero tale Officium juxta Gallicanum Ritum compoſitum fuerat, Urbanus IV. aliud componi juſſit juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ per S. Thomam Aquinatem, quod tanta pietate, tantaque divini ſpiritus unctione refertum eſt, ut illud mox omnes Eccleſiæ perſolvendum ſuſceperint, ipſa etiam Leodienſis Eccleſia S. Martini, illo relicto, quod primum jubente S. Juliana a Joanne Clerico, vel ab alio compoſitum fuerat, & ipſa decantare incœperat, ſed Rituum ſuorum tenax, nonnulla ad proprium uſum jam accommodata, Officio Doctoris Angelici adjecit, ut ſunt Hymni ad ſingulas Horas proprii, propriæ item Collectæ cum quibuſdam Antiphonis, & verſiculis. Omnes eruditi Viri verum, & germanum Auctorem prædicti Officii eſſe S. Thomam Aquinatem agnoſcunt, omnemque ſuper hac re evellit ſcrupulum eruditiſſima Diſſertatio, quam elucubravit P. Natalis Alexander ejuſdem Ordinis Prædicatorum Profeſſor.

Hinc in propileo ad Menſam Maji *part. 2. pag. 53.* eruditiſſimus P. Papebrochius, celebris inter Bollandi continuatores opinionem ſuam retractavit, dicendo: *Ecce citius, & pluſquam ſperarum, ultro præſto, in eorumdem (nimirum PP. Dominicanorum) ſententiam totus tranſiens, & paratus ſimilem ſatisfactionem, quibuſcumque aliis dare, ſicut jam pluribus caſibus dedi, quando pro iis viderim veritatem ſtare. Contra hanc, nihil nec poſſum, nec volo.*

Prædicta communis ſententia, quod S. Thomas dictum Officium vere compoſuerit, jubente Urbano IV. confirmare videtur etiam Theodoricus Valicolor, loquendo de Urbano IV. ita canens:

*Sic digne ſtatuit, ut in anno Corporis hujus*
*Tam Feſtum celebre fiat in Orbe ſimul;*
*Poſt Pentecoſtes Octavas luce Jovis, nam*
*Conſumi Chriſtus fecerat iſta die:*
*Hocque ſui terno Papatus fecit in anno*
*Officiumque novum continet iſta dies.*

Ex quibus duo optime eruit Franciſcus Pagi *loco ſupracit.* primum hanc inſtitutionem factam fuiſſe ſub finem Anni tertii Pontificatus Urbani, cum Breve ad Evam datum ſit Anno quarto ineunte. Secundum, jam antea fuiſſe aliud Officium de eadem ſolemnitate. Leodii nempe, cum Theodoricus Valicolor referat iſtud Feſtum contingere novum Officium, illud ſcilicet, quod eſt a S. Thoma compoſitum, quodque Urbanus ad Evam miſit, & ſuo diplomate commendavit. Denique omne ſubmovetur dubium circa hanc quæſtionem, ſi legatur Conſtitutio Sixti IV. inſerta *in tom. 3.* novi Bullarii Dominicani *pag. 555.* collecti, & nonnullis eruditiſſimis notis illuſtrari a doctiſſimo P. Bremont ejuſdem Religionis Profeſſore, & Sacræ Theologiæ Magiſtro. Lubet hic exhibere verba prædictæ Bullæ, & ſunt ſequentia: *Ac in ejus ſolemnitatem, & venerandam inde memoriam, idem Urbanus Prædeceſſor ſtatuit Feſtum Glorioſiſſimi Sacramenti, annis ſingulis, & temporibus perpetuis quinta Feria poſt Octavas Pentecoſtes a cunctis Fidelibus ubique ſolemniter celebrari, propriumque ejuſdem ſolemnitatis Officium per B. Thomam de Aquino tunc in ipſa curia exiſtentem compoſitum edidit.*

## De Proceſſione ſolemni in hoc Feſto facienda. §. III.

V. Gav. n. 3. *Fit Proceſſio ſolemniſſima, &c.*) De ſolemni Proceſſione, quæ hac die fieri ſolet in omnibus Eccleſiis, gravis apud eruditos, & ſacrorum Rituum DD. agitatur quæſtio, utrum Urbanus IV. eam inſtituerit, ſicut certum eſt, quod Feſtivitatem Corporis Chriſti ubique celebrandam indixit. Nonnulli, quos ſuppreſſo nomine refert Eminentiſſimus, & ſapientiſſimus Card. Lambertini in ſua quinta Inſtructione Paſtorali *vol. 5.* in ea verſantur ſententia, quod cum de ſolemni hujus diei Proceſſione, ne minimum quidem verbum Urbanus IV. fecerit in ſua Bulla, qua hodiernam ſolemnitatem inſtituit, idem Pontifex Proceſſionis auctor non ſit. Alii vero e contra arbitrati ſunt Urbano IV. non minus hujus diei Feſtivitatem, quam Proceſſionem eſſe adſcribendam, ex quo Panvinius ſcriptis conſignatum reliquit, quod dictus Pontifex juſſit ſibi afferri Proceſſionaliter ex Oppido Bolſenæ ad Civitatem Urbevetanam, in qua commorabatur, ut mox innuimus, ſacrum illud Corporale Sanguine Chriſti perfuſum, de quo *ſupra* mentionem fecimus: en verba Panvinii: Admonitus Pontifex ab Epiſcopo loci eum Proceſſione ad Urbem veterem transferri voluit, & illud, ſolemnitate inſtituta, in Eccleſia Urbevetana condidit. Sed quidquid ſit de hac quæſtione, hoc certiſſimum eſt, non multo poſt talis Feſtis erectionem, inſtitutam fuiſſe etiam Proceſſionem, idque docent antiqui libri, & Rituales circa illa tempora ſcripti, ut tradit Edmundus Martene *loco ſupracit.*

In aliquibus vero locis, non ſolum hac die, ſed etiam per totam Octavam fit iſta Proceſſio, cujus inſtitutionis Hiſtoriam refert Monacellus *tr. 2. tit. 13. n. 10.* ex actis Bollandi *tom. 1.* ad Menſem Aprilis *pag. 459. 462. 465. 477.* recogn. & examin. a S. R. ſub die 10. Junii 1700. Nonniſi tamen ad illam, quæ fit in prædicta Feria V. hujus Feſtivitatis, tenetur Clerus Sæcularis, & Regularis omnium Ordinum, atque piæ Sodalitates convenire juxta Concilii Tridentini Sanctionem, quæ habetur *ſeſſ. 25. cap. 13.* in qua ſtatuitur: *Quod tam Clerici Regulares, quam Sæculares quicumque, etiam Monachi ad publicas Proceſſiones vocati accedere compellantur.*

VI. Gav. eodem n. 3. *In minoribus autem Eccleſiis, &c.*) Cum Proceſſio, quæ facienda eſt in hac Solemnitate, ſit ſolemnior omnibus Proceſſionibus, diſtinctior quoque ejus pompa, & apparatus eſſe debet; ornatus enim major majorem Solemnitatem oſtendit.

De Eccleſiæ itaque apparatu, nimirum de illa Eccleſia, in qua Proceſſio incipit, ac finem habet; Primo diximus, quod ſuper omnia curandum eſt, ut ubi per ornatum, ſive pompam iſta magna Solemnitas nequit haberi, per nitorem ſaltem, & munditiem habeatur, adeo ut Eccleſiæ parietes, qui velis, vel aulæis ornari nequeunt, ſaltem per decorem, & venuſtatem eluceant, nec pulvere, ſive araneis ſordeſcant. Pavimentum vero perpolitum ſit, & floribus, ſeu herbis bene olentibus, præſertim ubi Proceſſio tranſire debet, ſit ſparſum, & ſeminatum; Qui quidem flores non debent projici nec in faciem, nec ſuper dorſum incedentium in Proceſſione, ut declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum *in Calien. Synod.* 21. *Januar.* 1720. relat. ab Urſaja *tom. 5. par. 2. §. 16. n. 71.* Nihil igitur ſordidi, nihil ludicri, neque indecori prorſus appareat in tali Eccleſia, cum omnes actus ſcenicos, & profanos prohibeat Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 33. §. 12.*

Altare inſuper, in quo eſt ponenda Sanctiſſima Euchariſtia, parari debet Feſtivo apparatu, & pretioſiori ſupellectili; Non tamen placeat in eo ponere Statuas cum Reliquiis Sanctorum, ne Populus minimum diſtrahatur ab adoratione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. In eodem Altari non deſit copia Lampadarum, & Candelarum, quæ ardeant, & ſint ad minus viginti juxta inſtructionem Clementis PP. XI. fel. record. quam *ſupra* per extenſum dedimus. Deinde ſuper Altare in loco aliquantulum eminenti collocetur parvum Baldachinum albi coloris, ſub quo ponetur Corporale, ſeu Palla ſupponenda Sanctiſſimo Sacramento, quod ibi exponi debet. Cavendum tamen eſt, ne ita alte ponatur, ut neceſſe ſit indecenter ad illud aſcendere; tam pro exponendo, quam pro ſeponendo Sanctiſſimo Sacramento, ſed ſit ad talem altitudinem, ad quam commode aſcendi poſſit per aliquod ſcabellum graduatum ad hoc paratum. Ex Biſſo *lit. A n. 247.* Bauldry *part. 4. cap. 16. art. 2. n. 7.*

In Sacriſtia vero pro facienda prædicta Proceſſione præparari debent Paramenta pretioſa albi coloris pro Celebrante, & Miniſtris quo ad Miſſam Solemnem; Item Pluviale album pretioſius ſumendum a Celebrante in fine Miſſæ, præterea Amictus, Alba, Cingulum, & Tunicella, ſine Manipulo pro alio Subdiacono, qui in hac Proceſſione Crucem deferre debet, ut ſupponit Gavantus *ſupra num. 5.* Item quamvis Epiſcopus in Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti non deferat Euchariſtiam, Canonici tamen induere debent Sacras Veſtes, ut declaravit S. R. C. die 27. Martii 1628. & habetur tale Decretum in noſtro Indice *ſub nu. 227.* quapropter

præ-

præparentur in Choro ad loca, ſeu Sedes Canonicorum Pluvialia pro Dignitatibus, plures Planetæ pro Canonicis Presbyteris, Dalmaticæ pro Canonicis Diaconis, & Tunicellæ pro Subdiaconis Canonicis, & Amictus pro ſupradictis Dignitatibus, & Canonicis; qui Sacris Veſtibus ita induti procedunt in Proceſſione, incipiendo a Minoribus, vel Inferioribus hoc ordine, videlicet, primo Subdiaconi cum Tunicellis, & Diaconi cum Dalmaticis, deinde Presbyteri cum Planetis, ultimo loco Dignitates cum Pluvialibus, ut ii omnes appareant cum Paramentis ſuo ordine convenientibus coram ſuo Rege, a quo eorum tota Gloria, ſplendor, & decor emanat in ſuo Solio reſidente; quod videtur obſervandum in aliis etiam Eccleſiis, non Cathedralibus (præſertim ſi ſit conſuetudo, quæ admodum laudabilis eſt) quod Eccleſiaſtici in Sacris Veſtibus convenientibus ſuo ordini, in tali Proceſſione incedant. Item præparentur in Sacriſtia alia Pluvialia alba ſecundum numerum haſtarum Baldachini pro iis Presbyteris, ſeu Beneficiatis ex Dignioribus, qui juxta Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 14. §. 4. & *lib.* 2. *cap.* 33. §. 5. initio Proceſſionis, & per totam Eccleſiam, uſque ad Portam ejuſdem Baldachinum, ſeu ipſius haſtas deſerre debent. Si tot Pluvialia haberi poſſunt, ita procedant, alioquin cum Cottis, ſemper tamen ſine Stolis; Quod ſi fieri non poteſt ob parvum Clericorum numerum, præſertim in Collegiatis, aut aliis Eccleſiis Parochialibus, haſtæ Baldachini deferuntur etiam in Eccleſia ab iis, ad quos pertinet juxta loci conſuetudinem, vel a Nobilioribus ex Laicis, qui adſunt Proceſſioni, Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 16. *n.* 9. Sodalibus alicujus piæ Confraternitatis habitu ejuſdem indutis. Supradicta Pluvialia ſolent adhiberi in Eccleſiis Cathedralibus, & in aliis, ubi ex privilegio Apoſtolico celebratur pontificaliter. Item in Sacriſtia duo Thuribula cum ſuis Naviculis, & plura funalia, & Candelæ ceræ albæ geſtandæ ab omnibus de Clero in Proceſſione, omnes enim tam Eccleſiaſtici, quam Laici, niſi funalia, ſaltem candelas cereas accenſas manibus geſtare debent. Bauldry *ſupra n.* 5. 8. & 11. & ex Biſſo *lit. S. n.* 63. §. 12.

Credentia quoque paretur cum omnibus requiſitis ad ſolemnem Miſſam celebrandam more conſueto: Sed præterea ratione Proceſſionis faciendæ, hæc addantur. Primo ſuper Patenam Calicis ponantur duæ Hoſtiæ magnæ conſecrandæ a Celebrante, quarum una ſervanda erit pro Proceſſione. Secundo, præter velum humerale Subdiaconi, ponatur aliud pretioſius, quo uti debebit Celebrans pro Proceſſione; Tertio ponatur Oſtenſorium ſuo velo albo coopertum, in quo reponendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum pro Proceſſione. Biſſus *lit. C n.* 557.

Prope Altare, ſed in loco remoto in plano Presbyterii convenit, quod ponatur aliquod Scabellum, cum duobus, vel tribus gradibus, quo uti debet ille, qui ponet ſub parvo baldachino in eminenti loco poſito Oſtenſorium. Item in Presbyterio (vel in Sacriſtia) ponatur Crux Proceſſionalis adhærens parieti, prope Credentiam. Baldachinum perpulchrum etiam cum ſuis Haſtis in loco congruo, non longe ab Altari præparetur, deferendum in Proceſſione ſuper Sanctiſſimum Sacramentum, vel etiam præparari poteſt tale Baldachinum extra Presbyterium.

Paretur quoque Umbella Serica albi coloris cum ſuis laciniis, vel Sericis, vel aureis, vel demum argenteis circa eam, pendentibus. Umbella coloris rubei, quo utuntur nonnulli, non eſt toleranda, non enim concordat cum Paramentis Euchariſtiæ convenientibus, & aſſignatis; Ut Gavant. *part.* 5. *de Menſuris*; Cavalier. hic *n.* 23. & Baruffaldus *Tit.* 80. *n.* 38. Nonnulla Decreta ſpectantia ad hanc Proceſſionem ſummatim in unum collecta, dabimus paulo infra.

VII. Gavant. eodem num. 4. -- *In Miſſa vero cantanda, &c.*) Hac die, dicta Tertia, celebratur ſolemnis Miſſa de more; Tertia tamen citius cantari poteſt, ut habet Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 15. & eſt caſus ſingularis ob longam Proceſſionem, & calorem: Celebrans igitur ſolemniter celebrat more conſueto cum Miniſtris Sacris, ſed duas magnas Hoſtias conſecrat, quarum unam tantum elevat, & alteram pro Proceſſione relinquit ſuper Corporale in ſua ſiniſtra, cavens ne Manipulo ſuo eam tangat, dum elevat Sanctiſſimum Sacramentum, aut aliud agit. Bauldry *ſupra art.* 3. *n.* 1. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. *Hac die*. Reliqua quæ ſpectant ad Miſſam bujus diei, quomodo agenda ſint, ne eadem ſæpius repetantur, colligi poſſunt ex iis, quæ a nobis tradita ſunt in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Tit. XIV. *part.* 2. ubi egimus de Miſſa, quæ celebratur ſolemniter pro expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, occaſione Orationis quadraginta Horarum, & pro ejuſdem Sacramenti repoſitione. Rurſus legi poſſunt pariter ea quæ tradidimus pro celebranda Miſſa in Feria V. in Cœna Domini. In hac autem Miſſa elevato SS. Sacramento, vel etiam ante, ſi opus erit, junior Cæremoniarum Magiſter curabit, ut Proceſſio ſecundum ordinem in rotulo infra deſcribendum dirigatur, & procedat. Cærem. Epiſc. *ſupr.* §. 16.

Sumpto Sacratiſſimo Corpore, vel paulo ante Communionem, a Cæremoniario per viam breviorem defertur Oſtenſorium cum velo, quo tegitur, quod (genuflectendo prius utroque genu SS. Sacramento) collocat ſuper Altare extra Corporale in latere Epiſtolæ, & facta iterum genuflexione, ut ſupra, recedit. Diaconus vero, qui ſtabat ad librum, facta ibidem genuflexione unico genu (dum Celebrans ſumpto Corpore Sacratiſſimo ſtat in meditatione SS. Sacramenti) accedit ad dexteram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, ut ſupra, & ſurgit, ſerviens prout Subdiaconus, recedente interim præfato Subdiacono cum iiſdem genuflexionibus in receſſu, & acceſſu ad latus Evangelii, ubi libro, ſeu Miſſali aſſiſtit. Sumpto a Celebrante Sacratiſſimo Sanguine, Diaconus Calicem prædicti Celebrantis verſus cornu Evangelii ponit, ſed ſuper Corporale, ipſumque palla cooperit, & continuo Oſſertorium detectum aperit, & collocat ante Celebrantem, qui ſtatim cum Diacono, & Subdiacono genuflectit in ſuo loco unico genu; moxque ſurgunt, & Celebrans, extracta lunula ex Oſtenſorio, ſua propria manu dextera adaptat Sacram Hoſtiam in ſupradicta lunula, quam cum Sacra Hoſtia in Oſtenſorio deinde reponit, quod adjuvante Diacono ſtatim claudit, & in medio Corporalis reverenter collocat, veloque ſuo cooperit. Poſtea tam Celebrans, quam Miniſtri Sacri genuflectunt, & deinde ſurgunt. Adſtantes Clerici, Cæremoniarius, & alii, non genuflectunt dum Sacra Hoſtia collocatur in Tabernaculo geſtatorio, ſed manent inclinati ſicut ad Communionem, Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. *Hac die*, Bauldry *ſupra art.* 3. *n.* 1. & 2.

Tunc Celebrans dat Communionem iis, qui ſunt communicandi, ſi opus ſit, cum ſolitis, & debitis reverentiis, ſed præſtat, ut fiat Communio ante Miſſam, vel ut differatur ad aliam horam commodiorem, vel melius, dicta Miſſa, in qua fit Communio, anticipetur. Repoſita igitur Hoſtia in Oſtenſorio, ut ſupra notatum eſt, & ſumpta purificatione; Celebrans Calicem ponit in cornu Epiſtolæ extra Corporale, & cætera ipſe, & Sacri Miniſtri peragunt uſque ad finem Miſſæ, ut diximus in noſtris Additionibus ad *tit.* 14. *part.* 2. hujus Theſauri *ſub num.* 54. & *ſeqq.* ubi egimus de Miſſa ſolemni, celebrata coram SS. Sacramento.

VIII. Gav. eodem num. 3. -- *Finita Miſſa deponuntur Manipuli, &c.*) Finito ultimo Evangelio, Diaconus accedit proprius ad Altare, ſicut & celebrans accedit ad medium ejuſdem Altaris, & illum immediate ſequitur Subdiaconus, ibique celebrans facta cum ipſis genuflexione ſtat medius inter eoſdem Sacros Miniſtros, dum a Diacono aufertur velum album ab Oſtenſorio (quod adhuc remanet in medio corporali) ut Hoſtia Sacroſancta ab omnibus conſpiciatur, ex Baruffaldo de Feſto SS. Corporis Chriſti *tit.* 80. §. 20. *n.* 3.

Deinde facta iterum genuflexione tam a Celebrante, quam a Miniſtris in medio Altaris unico genu, ut facilius ſurgere poſſint (ſine tamen capitis inclinatione) tum unus poſt alium præcedente Subdiacono, deſcendunt per gradus laterales a cornu Epiſtolæ in planum, & retrahunt ſe retro Altare, ſi parieti non adhæreat, vel ad Credentiam, ſeu cornu Epiſtolæ ob præſentiam SS. Sacramenti, ubi adjuvante Cæremoniario, vel Diacono, & Subdiacono juxta conſuetudinem Eccleſiarum, ut ſupradiximus, celebrans exuit Planetam, deponit Manipulum (quem etiam Miniſtri Sacri deponunt) & accipit Pluviale. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *c.* 17. *n.* 1.

Poſtea per planum incedens manibus junctis, nudo capite, medius inter Miniſtros Sacros, elevantes hinc inde fimbrias Pluvialis, accedit ad medium, ubi genuflectit cum eiſdem Miniſtris Sacris in plano, utroque genu, & cum ipſis etiam profunde ſe inclinat; tum erectus in medio inferioris gradus Altaris, ut colligi poteſt ex Cærem. Epiſcop. cum Miniſtris poſtea genuflectit; Nicolaus de Bralion *ſupra*; ibique parumper orat.

IX. Gav. eodem num. 3. -- *Et genuflexus ter incenſat Sacramentum, &c.*) Quamvis certiſſimum ſit apud omnes quod celebrans peractis iis, quæ ſupra diximus, debeat ter incenſare Sacramentum, nihilominus variæ ſunt Auctorum ſententiæ circa gradum Altaris, ſuper quo celebrans genuflexus debeat Sacramentum in Tabernaculo Oſtenſorio poſitum incenſare. Bauld. *part.* 3. *cap.* 17. *de Miſſa ſolemn. quæ coram Sanctiſſim. Sacrament. expoſito celebratur num.* 11. & *part.* 1. *cap.* 16. *de Feſto Corporis Chriſti artic.* 3. *de Miſſa, & Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti num.* 5. & *artic.* 6. *num.* 2. *Item artic.* 8. *de expoſit. Sanctiſſimi Sacramenti initio Officii per totam Octavam num.* 3. & demum *art.* 12. *num.* 3. & alibi tenet, quod celebrans debeat aſcendere ad ſecundum gradum Altaris, & ibi genuflectere, & in eodem gradu Sanctiſſimum Sacramentum incenſare; alii vero, nimirum Tonellius *lib.* 2. *cap.* 2. §. 2. *de expoſit. Sanctiſs. Sacram. num.* 7. Claudius Arnaudus *part.* 4. *in Epit. Theſ. Sac. Rit. tit.* 12. *num.* 3. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *c.* 2. *de Feſto Corp. Chriſti* §. *Dum terminatur Miſſa*, & §. *Lubet hic addere*, Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *nu.* 16. Biſſus *lit. H n.* 22. §. 2. a Portu *cap.* 8. *de Miſſa ſolemni coram Vener. expoſit. num.* 3. Vinitor *part.* 4. *tit.* 24. *Feſt. Corp. Chriſti num.* 7. & ipſemet Bauld. *part.* 4. *cap.* 16. *artic.* 7. *de Orat. public. nu.* 4. dicunt, quod celebrans debeat genuflectere ſuper ſuppedaneum, & in eodem Sanctiſſimum Sacramentum incenſare; denique ſupracit. Hippolytus a Portu *in Appendice prima de privata Ven. expoſit num.* 4. & 6. docet quod prælaudatus celebrans debeat genuflectere ſuper ſuppedaneum, ſi gradus ſint tres, quod ſi forent plures, tunc in ſecundo gradu (& non ſuper

ſup-

ſuppedaneum) genuflexus ter incenſet Sacrameotum. Horum rameo omnium diverſa in hoc Ritu opinio omuino rejicienda eſſe videtur; tum quia Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 26. in reditu Proceſſionis SS. Sacramenti in ejus Feſto præcipit, quod Celebrans genuflectat in infimo gradu Altaris, ibique genuflexus opportuoo tempore thurificet Sacramentum, prout legere eſt *loc. ſuprac.* tum quia Nicolaus de Bralinn io ſuo elaborato Canonicorum Cæremoniali *part.* 3. *de Oratione quadraginta Horarum num.* 8. de incenſatione Sanctiſſimi Sacramenti in Miſſa apposite notat ut ſupra per hæc ipſa verba: *Incenſatur vero SS. Sacramentum a Celebrante genuflexo in infimo Altaris gradu.* Idem Auctor *cap.* 17. *de ſolemni Proceſſ. SS. Sacramenti in ejus Feſto num.* 1. *& cap.* 18. *de Statione, quæ fit per viam, & in fine Proceſſionis num.* 7. & denique *cap.* 19. *de iis, quæ obſervanda ſunt infra Octavam SS. Sacramenti num.* 4. ſicut etiam ſupracit. Turrinus §. *Cum pervenerit*; idem docent cum Cæremon. Epiſcop. & id etiam habetur in Inſtructione pro expoſitione SS. Sacramenti io Oratione quadraginta Horarum Clementis XI. *n.* 16. *&* 20.

Confirmatur hæc ſententia ex eo, quod Summus Pontifex cum Mitra ſedens in Solio a primo ex Eminentiſſimis Presbyteris Cardinalibus genuflexo in infimo gradu ejuſdem Solii Pontificii incenſetur, ut colligitur ex Cæremon. Romanæ Eccleſiæ Marcelli Archiep. Corcyrenſis *pag.* 66. a tergo editionis Colonienſis, quamvis præfatus Summus Pontifex non ſit niſi Chriſti Domini noſtri Vicarius in Terris. In favorem hujus ſententiæ alia etiam trademus infra, quibus magis magiſque confirmabitur noſtra opinio de thurificando SS. Sacramento a Sacerdote genuflexo in infimo Altaris gradu.

Igitur dum Celebrans, & Miniſtri genuflexi io infimo gradu Altaris parumper orant, duo Thuriferarii cum Thuribulis, & Naviculis incedunt ad cornu Epiſtolæ, ubi genuflectunt, & facta oratione a Celebrante, & Miniſtris, ipſe Celebrans, Diacoous, & Subdiaconus ſurgunt (neque hic genuflexionem SS. Sacramento facere debent, quia ooo diſcedunt a medio in quo ſunt) & ſtatim accedentibus ad dexteram Diaconi Thuriferariis cum debitis genuflexionibus, imponit Celebrans incenſum, miniſtraote Diacono Naviculam, in Thuribulum primi Thuriferarii genuflexi ſine ulla benedictione, & abſque oſculis; tum ipſe Thuriferarius paululum recedit, & cedit locum ſecundo Thuriferario (qui pariter manet genuflexus cum ſuſtinet Thuribulum) in cujus Thuribulum pariter Celebrans imponit Thus ex prima Navicula, quam ideo retinuerat apud ſe Diaconus; quo facto, idem ſecundus Thuriferarius ſurgit, & facta genuflexione recedit aliquantulum, & manet genuflexus in plano a cornu Epiſtolæ. Primus vero Thuriferarius iterum accedit ad Diaconum, cui, poſt Naviculam ſuam receptam, tradit Thuribulum, & parum recedit, advertens ipſe, & omnes alii, ne vertant terga SS. Sacramento quantum fieri poteſt.

Poſito incenſo in duobus Thuribulis, Celebrans genuflectit cum Miniſtris ut prius, deinde Diacoous tradit primum Thuribulum ſine oſculis Celebranti genuflexo, qui ter incenſat SS. Sacramentum, facta profunda inclinatione ante, & poſt, quam etiam Miniſtri Sacri faciunt cum Celebrante ante, & poſt, elevantes inteeim anteriores partes Pluvialis. Deinde Celebrans reddit Thuribulum Diacono genuflexo, & hic primo Thuriferario, qui ſtatim ſe recipit ad cornu Evangelii e regione alterius Thuriferarii. Hi autem dun, acceptis Thuribulis iocenſare non debent Sanctiſſ. Sacramentum, niſi durante Proceſſione. Bauld. *ſupr. n.* 9. *&* 10.

Tum imponitur Celebranti ſuper humeros Velum humerale, quod cum firmatum fuerit a Cæremoniario, vel ligulis ante, ſi in ipſo ſint, vel ſpinulis retro; Cæremon. *ſupr. n.* 20. ipſe Celebeans juxta ſententiam Nicolai de Bralion *part.* 3. *cap.* 17. *num.* 2. aſcendit inter miniſtros Sacros uſque ad ſecundum Altari gradum, tum genuflectit ſuper ſuppedaneum cum Subdiacono; Diaconus vero accedit uſque ad Altare, ubi facta genuflexione unico genu ſine capitis inclinatione, capit Oſtenſorium, ubi eſt SS. Sacramentum, ambabus manibus, & tenens illud, Imagine Crucifixi, quæ eſt in Hoſtia ad ſe converſa, illud tradit Celebranti eodem modo, ita ut in tota Proceſſione prædicta Imago Crucifixi, non Celebrantem reſpiciat, ſed viam, quam habet ante ſe.

X. Gavant. num. 4. -- *Et ſtans, genuflexo Celebranti immediate tradit, &c.*) Diaconus ſtans, prædictum Oſtenſorium tradit, ut dixi, Celebranti, qui manibus ſub Velo poſitis, illud cum debita reverentia accipit genuflexus; regulare enim eſt, ut SS. Sacramentum ſuper a ſtante tradatur, & a genuflexo recipiatur; ſtatim vero ac ipſe Diaconus in manibus Celebrantis Oſtenſorium reverenter poſuerit, genuflectit eodem loco, io quo eſt, ſed convenire videtur, ut idem Diaconus etiam genuflexus profundam faciat inclinationem Sacramento, ut fit facta iocenſatione ejuſdem Sacramenti, ac ſtatim accedens ad dexteram Celebrantis, genuflexus accipit partem anteriorem ſui Pluvialis, quam ſuſtinet, & Subdiaconus pariter geouflexus idem facit ex altera parte a ſiniſtris: tum Celebrans cum ipſis Miniſtris ſurgit, & aſcendit ſuper planum ultimi gradus, ſeu ſuppedanei, ut ibi commodius cum iiſdem ſe vertere poſſit ad Populum, eodem modo, quo ſe vertit io Miſſa pro dicendo *Dominus vobiſcum*; & Miniſtri Sacri item eodem modo, & ſimul cum ipſo ſe vertunt, ita ut Diaconus vertendo ſe non relinquat dexteram, nec partem, quam ſuſtinet Pluvialis, ſed ſimul vertendo ſe cum Celebraote ſequatur eamdem dexteram, Subdiaconus vero ſiniſtram. Bralion *ſupr. n.* 5.

Statim vero ac Celebrans ſe vertit ad Populum, duo Cantores deputati in medio Presbyterii, & ad SS. Sacramentum cooverſi, intonant Hymnum *Pange lingua, &c.* & Chorus illum proſequitur alternatim ab una, & ab alia parte (omnibus tunc cum debita genuflexione SS. Sacramento incipientibus progredi eo ordine qui infra deſcribitur) vel ambæ partes Chori prædictum Hymnum proſequuntur alternatim cum Muſicis, ſi adſint, & cantantur illi Hymni, ſi longa ſit Proceſſio, qui in Rituali praſcribuntur; Celebrans vero io hac Proceſſione ſubmiſſa voce cum Miniſtris recitat *Pange lingua*, & alios Hymnos, & Pſalmos, quos facilius mente recitare poteſt, quos ſemper primus incipit, dicendo ſolum totum primum ℣. Deinde Miniſtri Sacri dicunt ſecundum, & ſic alternatim illos proſequuntur ex Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 22. & Nicolao de Bralion *ſupr. n.* 6. Celebrans numquam cum aliis in Proceſſione Sacramenti cantat; limitatur tameo hæc regula, quando Proceſſiones in locis extra Urbes fiunt, aut in Oppidis, aut in aliis Ruralibus locis, in quibus ſi Celebrans ſileret, aliquando, vel nemo caneret, vel inordinate, & extra tonum Populus boatus ederet, eo quia vel nullus, vel pauci cantum Gregorianum, ſeu tooos Hymnorum calleot; atque unice id quod audiunt facile repetunt. Baruffald. *in Comment. ad Rituale Roman. de Proceſſ. in Feſto SS. Corporis Chriſti tit.* 80. §. 4. *ſub num.* 49.

Beneficiati, ſeu Maoſionarii ſupradicti parati cum Pluvialibus, ut ſupra, finita Miſſa accedunt, facta ab omnibus genuflexione SS. Sacramento utroque genu, ad accipiendas haſtas Baldachini (ſibi ab Acolythis porrectas) ad Cancellos, ſeu ad aditum Presbyterii, aut etiam ad locum Altaris, quoad fieri poteſt, viciniorem, ſecundum commoditatem loci. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 17. *n.* 3. ibique genuflexi manent, donec tempus ſit procedendi.

Ita pariter Subdiaconus deputatus ad ferendam Crucem, eam aceipit, eumque ſtatim duo Ceroferarii excipiunt obviantes ei cum ſuis Candelabris de Credeotia ſumptis, ad ingreſſum Presbyterii, vel extra, ſi fieri poteſt; ibique ſtant, & numquam genuflectunt, habentes medium Subdiaconum directe coram SS. Sacramento, qui ſimiliter dum Crucem tenet, numquam genuflectit, & ſic permanent, ita ut Baldachinum ſit inter eos, & Altare, ut priores poſtea facilius procedant. Ex Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *n.* 4.

Statim ac data eſt benedictio in finem Miſſæ, diſtribuuntur in Choro Candelæ ceræ albæ, ſeu faces ab aliquo Miniſtro pro Proceſſione, quæ etiam accenduntur; ex Bauldry *ſupra*.

XI. Gavant. eodem num. 4. -- *Sed manibus tantum Celebrantis, &c.*) Docet Gavantus Tabernaculum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ non eſſe deferendum Sacerdotum humeris, ſed manibus tantum Celebrantis, ut declaravit S. R. C. in Decreto ab ipſo allegato, & dato in noſtro Indice *ſub n.* 167. Hoc tamen non obſtante Romana Rota *in una Hiſpalen. Proceſſionis* ſuper ſecundo dubio coram Anſaldo, die 28. Julii 1700. firmavit, & dixit, quod ab Innocentio XI. permiſſa Anno 1686. ex voto S. R. C. Capitulo Hiſpalenſi vetuſta conſuetudine deferendi Sacramentum, in illius annua ſolemnitate, ſuper pretioſæ ſtructuræ Machina, non licet Archiepiſcopo illam impedire, prætendendo eumdem Euchariſticum Panem propriis manibus geſtare. Coofirmationes autem Apoſtolicæ in Ordine ad Cæremooiale, numquam iotellexerunt tollere, & infringere conſuetudines centeoarias, & immemorabile. Ita, inquam, dixit, & firmavit Rota *ſupra*, quam Deciſionem affert Scarfantonus ad Ceccoperium *tom.* 1. *in fine deciſ.* 31. *&* 32. *pag.* 159. Rurſus etiam io Urbeveteri in prædicta ſolemnitate, vel ex aliqua conceſſione, vel ex antiqua conſuetudine adhuc fertur Sanctiſſimum Sacramentum proceſſionaliter io ea Machina argentea, ubi aſſervatur Sacrum Corporale, in quo accidit miraculum omnibus notum (de quo nos ſupra *num.* 3. agentes de hiſtoria hujus Feſti) bajulantibus Sacerdotibus indutis Sacris Veſtibus, haſtaſque Baldachini ferentibus aliis Presbyteris cum Pluviali.

Cum ſæpe dicatur, a Celebrante qui defert Sacramentum, debere ſervari oonnullos Ritus, nunc quæritur, quinam erit iſte Celebrans, qui debet deferre SS. Sacramentum ſuis manibus in hac Proceſſione? Baruffaldus citandus, reſpondet cum Clericato de Sacrificio Euchariſtiæ *deciſ.* 60. *num.* 20. *&* 21. in prima die ſolemnitatis Corporis Chriſti, ſolemnis Proceſſio in quacumque Eccleſia Cathedrali eſt facienda ab ipſomet Epiſcopo, ſi non ſit impeditus, ſin minus a prima Dignitate juxta Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 8. cui concordant nonnulla S. R. C. Decreta, quæ ſummatim collecta lubet hic ſubnectere.

Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, &c. & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere debet, & ſolet juxta formam Cærem. Epiſcop. abſente, vel impedito Epiſcopo ad primam Dignitatem, & prima deficiente, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive pertinet. Ita S.R.C. 25. Junii 1611. *in Civitaten. ſeu Sancti Severi*, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 116.

SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in Fe-

Digitized by Google

Feſto Corporis Chriſti deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum eſt in Proceſſione, quæ fit in die Dominico infra Octavam ejus, S.R.C.23. Martii 1709. & datur in noſtro Indice *ſub n.*612.

Idem confirmatur in Dec.edito die 5. *Junii* 1634. ut in expoſitione SS. Sacramenti Orationis quadraginta Horarum, qui celebrat, vel ordinat Veſperas in dictis Solemnitatibus, geſtare debeat SS. Sacramentum in Proceſſione immediate ad Miſſam, vel Veſperam ſequentem, & affert hoc Decr. Paſcuccius in Compendiu ad Conſult. Canonicas Jacobi Pignatelli *part.3. tit. iit. de Parocho, & Parochia pag.* 210. juxta editionem Romanam, ſed 119. juxta editionem Venetam.

Non convenit quod prima Dignitas celebret Miſſam ante Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, & deinde alia Dignitas minor geſtet illud in Proceſſione. Sac. Rituum Congreg. 31. Julii 1532.

Hoc Decr. confirmatum fuit ab Innoc. XI. *in Conſtitut.* 21. quæ incipit: *Alias emanarunt*, & quæ habetur in Bullario Romano editionis Luxemburgenſis *tom.*5. ſub die 4. Junii 1689. & hæc dantur in noſtro Indice *ſub num.* 266. In Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti deferatur Eucbariſtia a Celebrante; In Veſperis autem Octavæ (ſi fiat proceſſio) deferatur ab eo, qui cantavit Veſperas, modo ſit Dignitas, vel Canonicus, S.R.C. 12. Junii 1627. & datur in noſtro Indice *ſub* n.207.

Aſſiſtente Epiſcopo in Miſſis Pontificalibus, &c. Peragere ſolemnia Miſſarum, & delatio SS. Sacramenti abſente Epiſcopo in Feſtivitate Corporis Chriſti ſpectant ad primam Dignitatem, vel ſucceſſive ad alias Dignitates, vel ad ſeniorem Canonicum, non autem ad Vicarium Generalem. Sac. Rit. Congr. 29. Maji 1655. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 317.

Impedito, vel nolente Epiſcopo celebrare in Solemnitatibus majoris hebdomadæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & cæteris expreſſis in Cæremoniale Epiſc. prout etiam occaſione Proceſſionum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & ſimilium, tam iſtæ, quam cæteræ functiones expleri non poſſunt a Vicario Generali, nec Canonico hebdomadario, ſed ſpectant ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias. Ita declaravit S. R. C. *in Gerunden.* 11. *Februarii* 1702. & hoc Decretum habetur apud Scarfantonum ad Ceccoperium *part.*1. *lib.*2. *tit.*13. *ſub n.* 9. *pag.*177.

Miſſa Conventualis in die Sanctiſſimo Corporis Chriſti, ſi abeſt Epiſcopus, celebrari debet per Digniorem de Capitulo ejus Eccleſiæ, in qua dies Feſtus celebratur, & ſic in Collegiata, in qua incipit & deſinit ipſa Proceſſio; Ita declaravit Sac.Rota 8. Febr. 1677. *in Burgen, Præeminentiarum coram Bourlemont. deciſ.* 66.

Alia Decreta ſpectantia ad hanc Proceſſionem, tradentur a nobis infra.

Quamvis reſolutum ſit, ut vidimus, a Sac. Congr. præſertim die 23. Martii 1709. quod ille, qui celebrat Miſſam in Feſto SS. Corporis Chriſti, debeat deferre Sacramentum in Proceſſione, excipitur tamen ab hac regula Epiſcopus, qui licet non celebret Miſſam Pontificalem, nihilominus ab ipſo deferri debet SS. Sacramentum in Proceſſione hodierna, niſi legitime fuerit impeditus, & non a prima Dignitate, ſeu a Digniori Canonico, qui Miſſam cantavit, & hoc colligitur ex ſuprac. Cæremon. Epiſcop. eodem loco.

In Oppidis vero, & aliis locis Ruralibus a Sacerdote Sæculari digniori illius loci deferri debet. Ita Barboſa *Deciſ. Apoſtol, collect.*335. *num.* 9. *&* 10. Et Nicolaus *in Floſculis*, *v. Eucbariſtia n.*26. *&* 27. Pax Jordanus *lib.*3. *tom.*3. *n.*9. Bauld. *ſup.* §. 2. *n.*3.

XII. Gav. n.5. -- *In Proceſſione Clerus, &c.* ) Elevato SS. Sacramento, vel etiam ante, ſi opus erit, junior Cæremoniarum Magiſter curabit, ut Proceſſio ſecundum ordinem in Rotulo deſcriptum dirigatur, & procedat; Cærem. Epiſcop. *lib.*2. *cap.*23. §. 16, juxta & Decretum editum a S.R.C. 8. Maji 1617. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 161. & poſtea curare etiam debet, ut continuato, & convenienti ordine omnes per viam ſemper procedant, huc illucque eundo. Nicolaus de Bralion *ſup. c.*16. *n.*1. qui etiam vult, ut ad hanc Proceſſionem, duo vel tres Cæremoniarum Magiſtri deputentur præter illum, qui Celebranti pro Miſſa, & Proceſſione aſſiſtat. Idem *loc. citat.*

Omnes procedere debent in hac Proceſſione detecto capite, quamvis longe ſint a SS. Sacramento, non ideo tamen abſque birreto Clericali incedere convenit Clericis, ſed illud manu a candela non impedita ante pectus geſtare debent, nec valetudo excuſare poteſt in hoc caſu, juxta Decr. S. R. C. ſub die 3. Auguſti 1695. & datum in noſtro Indice *ſub n.*509. & allegatur etiam a Sarnellio Epiſtolarum Eccleſiaſt. *tom.* 4. *Epiſt.* 26. *num.* 4. Quamvis enim Pontifex reſervatam habeat facultatem concedendi Pileolum in celebratione Miſſæ, ut declaravit Sac. Congr. Epiſcop. 2. Januarii 1690. & 17. ejuſdem 1695. & S.R.C. 31. Januarii, & 24. Aprilis 1626. ut refert noſter Gav. *hoc tom.*1. *part.*2. *tit.*2. *num.* 2. & Corſ. *Addit. num.* 26. nihilominus ille, cui datur talis facultas, non poteſt uti Pileolo, tam in ſolemni, quam in privata Miſſa, a Præfatione uſque ad peractam Communionem. Pyr. Corradus *Praxis diſpenſat. lib.*3. *cap.*6. *n.*31. Polaccus *part.*1. *n.*13. quod & ampliari poteſt ad tempus præſentis Proceſſionis, quia tam in Miſſa a Canone ad Communionem, quam in Proceſſione hodierna patet SS. Euchariſtia, cui debetur cultus latriæ. Baruffaldus *ſupra* §.4. *a n.*50. *ad n.* 52. uſque.

XIII. Gav. eod. n.5. -- *Regulares ante Clerum precedant, &c.*) Unaquæque Religio, & Confraternitas, quæ præcedere debent Clerum Sæcularem cum ſuis inſignibus, & Cruce, ac etiam funalibus, ſeu candelis accenſis in Proceſſione hac procedit. Cærem. Epiſcop. *loc. cit.* Crux in Proceſſionibus deferenda eſt a prædictis Regularibus cum velo pendente, ut decrevit S. R. C. die 14. Jan. 1617. & datur in noſtro Indice *ſub n.*157. Ordo autem deſcribendus in prædicto Rotulo, & procedendi in hac Proceſſione, erit, ut primo præcedant Confraternitates Laicorum ſi adſint, & ſi utantur proprio, & particulari habitu Confraternitatis, alias enim nullum debent habere locum particularem; Deinde Religioſi ſecundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel conſuetudine præcedere ſolent; Poſtmodum Curiales, & Officiales portantes intortitia accenſa, inter quos ultimo loco ibunt Nobiliores, & Magiſtratus, juxta Cærem. Epiſcop. *lib.*2. *c.*33. §.5. quod procul dubio ita intelligendum eſt, ſi ipſi Religioſi aut etiam Confratres intortitia non portent, alioquin prædicti laici nobiliores, *ut ſupr.* ante omnes alios procedere deberent, cum manifeſtum ſit talem locum eis non dari, niſi quatenus debet majora lumina viciniora eſſe SS. Sacramento; Magiſtratus, & Officiales ibunt ut *ſup.* vel ſecundum conſuetudinem loci, poſt SS. Sacramentum; Non enim ita exacte poteſt regulari hæc Proceſſio, quin quo ad multa aliquid conſuetudini (modo ſit tolerabilis) concedatur. Omnes autem in hac Proceſſione deferre debent juxta Cæremon. Epiſcop. *ſupra* §. 4. tam laici, quam Religioſi, ſi non funalia, ſaltem candelas ceræ albæ accenſas; Et idem dicendum de omnibus aliis de Clero; Bralion *part.* 3. *cap.*16. *nu.* 2. & hoc eſt juxta Decretum etiam datum in noſtro Indice *ſub n.* 15. quas quidem candelas debent deferre ea manu, quæ extima cuique eſt, altera pectori admota, ut optime notat Gav. *ſupra*, & nos tradidimus agentes de Proceſſione, quæ fit occaſione Orationis quadraginta Horarum; ab hac regula excipiendi videntur ii, qui proximiores SS. Sacramento deferunt intortitia, ut paulo inferius fuſius advertemus.

Cantores, ſeu Muſici ſi adſint procedant ante Crucem ſecundum Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 16. §. 15. quod tamen intelligendum videtur de Muſicis, qui non ſunt Beneficiati, neque etiam de gremio Eccleſiæ, aut Clerici, ſed Laici, quamvis Cottis induti, nam ſi ſint Clerici, ſeu Beneficiati convenientius videtur, ut eſt uſus communior, ut procedant immediate poſt Crucem. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. *& cap.* 16. *num.* 3. Si tamen ob magnum numerum Clericorum Eccleſiæ, qui ſequuntur poſt, valde remoti eſſent a SS. Sacramento, profecto conveniret, ut poſt omnes Clericos procederet minor Chorus ſelectorum Muſicorum vocis ſuavioris, qui eodem tempore, quo alter, ſcilicet alternatim cum Clero eodem cantaret. Idem Nicolaus de Bralion *ſupra num.* 3. ſed abſint quæſo, ait Baruffaldus infra citandus, ab hac Sanctiſſima functione Muſici, qui vocis ſtrepitu nimis hilari, ac licentioſo, pietatem, & devotionem Populi diſtrahunt, & diſſipant, & tot repetitionibus inutilibus Religionem in incommodum vertunt; Baruffaldus *ſup. &c.*

Huc pertinent ſequentia Decr. a Sac. Rit. Congr. edita, ſcilicet:

In Feſto SS. Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone. S.R.C. die 12. Martii 1609. & datur in noſtro Indice *ſub n.*95.

Nullo modo convenit, ut Magiſter Capellæ incedat in Proceſſionibus cum Beneficiatis, ſed quacumque conſuetudine, vel uſu non obſtante, debet incedere cum ſuis Cantoribus immediate poſt Crucem, ante ipſos Beneficiatos, vel in loco, ubi ab Epiſcopo ordinatum fuerit. Sac. Rit. Cong. 20. Novemb. 1610. & datur in noſtro Indice *ſub n.*112.

Rurſus eadem S.C. Vigilienſi Epiſcopo, ſuiſque Canonicis ſupplicantibus declarari ubi, & quomodo incedere debeant Cantores in Proceſſionibus SS. Corporis Chriſti, aliiſque Solemnibus; Sac. inquam, Congr. reſpondit, 8. Octob. 1650. ſervandum eſſe Cæremon. Epiſcop. *in cap.*2. *lib.* 1. & alibi, eoſque ſuperpelliceo indutos, tunc incedere debere, & refert huc Decr. Paſcuccius in Compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part.*2. *Tit. de Præcedentia*, & *Præeminentia pag.* 248. juxta editionem Romanam, & 152. juxta Venetam.

XIV. Gav. eod. n. 5. -- *Qui Crucem defert, congruit, &c.*) Poſt prædictos in Proceſſione ſequitur Clerus, hoc eſt primo qui defert Crucem, & hic ut notat Gav. congruit, ut veſte Subdiaconali ſit indutus, & debet procedere medius inter duos Ceroferarios portantes duo Candelabra cum candelis accenſis (nullo tamen præeunte Thuriferario) Procedentes vero obſervare debent, ut exceptis Subdiacono, cum Cruce, & Ceroferariis, qui non genuflectunt, omnes alii genuflexionem faciant utroque genu, etiam cum profunda Capitis inclinatione. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. *de*

*Fe-*

Digitized by Google

*Feſto Corporis Chriſti* §. *Præcedentes*) Deinde ſi adſunt Clerici Seminarii juxta Decretum editum a S. R. C. die 1. Septembris 1607. & datum in noſtro Indice *ſub num.* 72. nimirum -- Clerici Seminarii debent in Proceſſionibus primi incedere ante Clerum Sæcularem, & relinquere locum digniorem Curatis -- Poſt eos autem procedere debent Eccleſiarum Parochialium Curati cum Cottis, & eorum inſignibus, ſi illa deferre ſoleant, tum Eccleſiæ Collegiatæ, item cum eorum inſignibus, & deinde Clerus Eccleſiæ Cathedralis, cujus Eccleſiæ Beneficiati, ſeu Manſionarii, ex Dignioribus, vel alii Beneficiati Eccleſiæ Collegiatæ, ſeu Parochialis parati cum Pluvialibus, ut *ſupra* adnotatum eſt, haſtas Baldachini per Eccleſiam deferent; ibunt deinde in Proceſſione cum candelis accenſis ante Canonicos (ſi aderunt, vel ante alios Presbyteros, ubi non ſunt Canonici) qui ſimiliter omnes, una cum Dignitatibus erunt parati Paramentis albis, nempe Dignitates, ſeu Digniores de Clero cum Pluvialibus, alii ſecundum ordinem cum Paramentis ſibi competentibus, ut *ſupra* dictum eſt; Omnes tamen ſine Stolis, & Manipulis, ac ſine eorum inſignibus, deferent tamen omnes intortitia, aut ſaltem candelas accenſas modo, quo *ſupra* diximus. Cæremoniarius nullum certum locum habere poteſt, nec candelam deferre debet, ſed omnibus debet providere modeſte, ut debitis modo, ordine, & ea qua pareſt, reverentia fiant. Bauldry *part.* 4. *cap.* 6. *art.* 3. *n.* 14. & juxta Decretum editum a Sac. Rit. Congregat. die 8. Maji 1617. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 161. Nimirum -- Cæremoniarum Magiſter in Proceſſionibus incedit apud Celebrantem, & ejus Aſſiſtentes, & ubique diſcurrit quando opus eſt pro ordinanda Proceſſione -- Immo ut *ſupra* diximus conveniens eſt, ut pro dirigenda hac Proceſſione plures adſint Cæremoniarum Magiſtri. Poſt Dignitates, ſeu Eccleſiæ Digniores a lateribus hinc inde ibunt octo Capellani, ſeu Clerici cum Cottis, qui in Miſſa inſervierunt, quatuor pro qualibet parte deferentes eadem funalia accenſa, quæ pro Miſſa ſervierunt, & poſt eos duo Acolythi cum duobus Thuribulis continue Sanctiſſimum Sacramentum per viam thurificantes; ex Cæremoniali Epiſcoporum *ſupra* §. 7. & videantur quæ diximus ſupra loquentes de Proceſſione; quæ fit Feria V. in Cœna Domini, ubi explicatur quomodo prædicti Acolythi thurificare debeant.

Hic notandum occurrit, non eſſe neceſſe, ut qui prædicta octo intortitia geſtant, procedant a lateribus Baldachini (quod fieri non poteſt ſine magno incommodo, ut optime notat Bralion *ſupra cap.* 16. *num.* 6.) ſicut quidam male opinantur ex diſpoſitionem Cæremonialis Epiſcop. male interpretantes, eo quod ibi dicatur quod procedunt a lateribus Baldachini, quæ verba nihil aliud profecto ſignificant, quam quod procedere debeant hinc inde ab una parte, & ab altera, immediate ante Baldachinum, & hunc eſſe ſenſum genuinum dictorum verborum, clare colligitur ex ſeqq. nam additur, quod immediate poſt eos ſequuntur duo Acolythi Thuriferarii continuo Sacramentum incenſantes, quod nullo modo fieri poſſet, ſi a lateribus Baldachini procederent, ut optime advertit Bralion *loco ſupracit.* qui tamen *num.* 7. ſequenti advertit, quod deferentes prædicta octo intortitia, ea non debent deferre manu extima, ſicuti deferuntur candelæ ab omnibus in Proceſſione, ut ſupra diximus; ſed prædicti octo (juxta Bralion ſententiam) qui a dexteris ſunt, debent deferre intortitium manu ſiniſtra, altera manu ſupra pectus poſita; qui vero procedunt a ſiniſtris, deferre debent intortitium manu dextera; deinde ſubdit Bralion, quod idem facere debent omnes, qui portant funalia, aut cereos. Sed certum eſt, hoc eſſe contra praxim communem, nam in omnibus Eccleſiis deferentes candelas, & etiam funalia, ea deferunt juxta regulam traditam a Gavanto ſupra, nimirum manu extima, & ſic qui a ſiniſtris ſunt, manu ſiniſtra, & qui a dexteris ſunt, manu dextera, ut docet etiam Bauldry *ſupra art.* 3. *num.* 13. Cur autem, qui deferunt intortitia, ſeu funalia, debeant ab hac regula recedere, & alia manu, nempe intima ea deferre, nullus alius hoc docet, niſi Bralion *ſupra* nullam aſſignando rationem. Aliqua tamen afferit poſſent pro illis octo, qui deferunt intortitia immediate ante Baldachinum, nimirum conveniens eſſe, ut ea deferant manu intima, quia talia funalia, & intortitia ſic delata proximiora ſunt SS. Sacramento, quod defertur a Celebrante, qui proxime adeſt ſub Baldachino.

Sequitur deinde Celebrans detecto, & nudo capite deferens manibus ſuis SS. Sacramentum, inter Diaconum, & Subdiaconum, hinc inde, ut ſupra dictum eſt, Pluvialis fimbrias elevantes, ex Cærem. Epiſcop. *ſup.* §. 8.

Dum celebrans deſcendit per gradus Altaris, tenens ambabus manibus Oſtenſorium, prompta debet eſſe umbella albi coloris ſupra caput ejus elevanda, priuſquam tranſeat, & ſupponat Baldachino, quia Baldachinum difficile, & cum magno incommodo ad Altare accedere poteſt, ut Celebrantem tegat. Igitur, ut diximus in Proceſſione Feriæ V. in Cœna Domini, & Orationis quadraginta Horarum, conveniens eſt, ut prompta ſit umbella per totum ſpatium, quod intereſt ab Altari ad Baldachinum, ne Sacramentum abſque honoris tegmine, licet per breve ſpatium, deferatur; nam Baldachini haſtæ ſolent ad Cancellos, ſeu in aditu Chori, vel in medio Presbyterii elevari; itaque ab Altari uſque ad medium Presbyterii, ſeu uſque ad aditum Chori, umbella miniſterium ſuum præſtabit tegendo caput Celebrantis, ſeu melius Sacramentum vice Baldachini, donec celebrans ipſe tranſeat, & Baldachino magno ſe ſupponat, Baruffaldus *ſup.* §. 3. *n.* 37.

De Thuribulis fumigantibus, noſter P. Quarti *de Proceſſ. ſect.* 3. *n.* 13. *in ſextam circumſtantiam* quærit quinto, an Thuriferarii debeant incenſare, vel ſuffumigare pavimentum ſternendo viam in hac Proceſſione, & poſt allatas hinc inde rationes relinquit reſolutionem arbitrio dirigentium Proceſſionem, alterum ex ibi adductis modis eligere in reverentiam Sacramenti, de quibus pariter nos locuti ſumus agentes de Proceſſione, quæ fit Feria V. in Cœna Domini. Dicit tamen allegatus Quarti in fine, quod modus ille ſternendi viam cum Thuribulis effumantibus, magis congruit huic Proceſſioni, quæ fit per vias publicas. Hæ enim cum ſint profanæ, indigent prævia quadam cum incenſo expiatione, ſalvo ſemper, &c.

Huc ſpectat ſummatim tradere in unum collecta ſequentia Decr. quæ omnia pertinent ad magis confirmanda ſupradicta, & ad dirigendos Ritus hodiernæ, & aliarum etiam Proceſſionum.

Clerus Eccleſiæ Cathedralis unitus ultimo loco incedere debet in Proceſſionibus, nec Clerus, vel Canonici aliarum Eccleſiarum debent cum dicto Clero Cathedralis incedere. Ita Sac. Rit. Congr. 21. Auguſti 1604. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 36.

Presbyteri, & Clerici Cathedralis, omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, & omnes ſub una Cruce debent incedere. Ita S.R.C. 28. Novemb. 1609. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 103.

Curatus ratione Stolæ debet præcedere aliis Presbyteris, etiam Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ. S. R. C. 24. Octob. 1609. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 102.

Confraternitati SS. Sacramenti, quæ ſumptus ceræ facit, poteſt concedi, ut in Proceſſionibus ejuſdem SS. Sacramenti, aliqui ex Confratribus cum funalibus accenſis incedant hinc inde apud SS. Sacramentum; dummodo major pars Confraternitatis cum ſua Cruce, & Inſignibus incedat ante in loco ſuo. S.R.C. 10. Maji 1618 *in Nepeſina*, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 89.

Priores Confraternitatis SS. Sacramenti, non ante Baldachinum poſt Capitulum, ſed a latere Baldachini debent incedere. S.R.C. 30. Jan. 1616. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 152.

Abbates, quando ſunt plures in eodem loco, & habent Clerum diſtinctum, debent in Proceſſionibus incedere unuſquiſque cum ſuo Clero. S.R.C. 19. Jan. 1613. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 134.

Rectores Eccleſiarum Parochialium in Proceſſionibus, non debent incedere inter Dignitates, & Canonicos, ſed ſeparatim cum ſuo Clero, & ante Clerum Cathedralis. S. R. C. 12. Maji 1612. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 125.

Ubi habitus Dignitatum eſt diſtinctus, & diverſus ab habitu Canonicorum, quamvis Canonici ſint impares numero, non ſunt conjungendæ Dignitates cum Canonicis in Proceſſionibus, ſed tres ultimi Digniores, tam ex illis, quam ex ipſis incedunt ſimul in eadem riga. S.R.C. 3. Junii 1617. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 162.

Si Epiſcopus in Proceſſione SS. Sacramenti non deferat Euchariſtiam, Canonici tamen Cathedralis induant ſacras veſtes. S.R.C. 27. Martii 1628. & datur in noſtro Indice *ſub. n.* 227.

Non licet, non habentibus uſum Pluvialis in die, & infra Octavam SS. Corporis Chriſti, peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento. Ita reſpondit S.R.C. 22. Jan. 1701. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 551.

Poteſt Archiepiſcopus Granatenſis ex immemorabili conſuetudine in Proceſſionibus ſolemnibus poſt ſe deferre ſellam geſtatoriam mediam inter ſe, & Præſidentem, ac Regium Magiſtratum. S.R.C. 10 Maji 1608. Et etiam in Proceſſione SS. Corporis Chriſti. S.R.C. 15. Septemb. 1657.

Liquido conſtat tale Dec. eſſe municipale pro Eccleſia, & Antiſtite Granatenſi, non vero generale pro omnibus Eccleſiis Cathedralibus, & Epiſcopis, ut aliqui ſupponunt, inter quos recenſetur Paſcuccius, qui idcirco in compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part.* 1. *tit. de Epiſcopis*, conatur afferre rationes, quibus vindicare ſtudet præfatum Decr. verbis generalibus conceptum, veluti pro omnibus Epiſcopis, dicendo, quod uſus ejuſdem Decr. ſit juxta Ritus, & arbitrarius Epiſcopo in quocumque loco magis apto, & deſignato ad miniſtrandum, præſertim quando eſt eadem ſella geſtatoria, qua utitur in Eccleſia, & quam Cæremoniale, Concilium, & Canones dicunt eſſe de dignitate, & de Pontificali, & uſus illius in ſtationibus reputatur, ac ſi eſſet in Eccleſia, quia Proceſsio ab exitu uſque ad reditum unicus dicitur actus, non minus, ac ſi in ipſa Eccleſia perficeretur, ideoque omnia loca, per quæ Proceſsio tranſit, tamquam Eccleſia conſiderantur. Hucuſque Paſcuccius. Sed fruſtranea eſt talis interpretatio, quia, ut dixi, præfatum Dec. non eſt generale pro omnibus Epiſcopis, ſed particulare, immo, & ſingulare pro ſolo Archiepiſcopo Granatenſi ob immemorabilem conſuetudinem ibi expoſitam; unde fruſtra adducuntur rationes ad vindicandum illud Decr. veluti eſſet generale pro omnibus Epiſcopis.

In

In Proceſſione ſolemni SS. Corporis Chriſti, quando Proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, & Diaconus non debent ſedere neque in ſcamno, neque in ſedibus. S. R. C. 31. Januarii 1690. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 494.

Proceſſio in ſolemnitate SS. Corporis Chriſti debet inchoari a Cathedrali, ſeu Matrice, & ad eamdem terminare. S. R. C. 19. Auguſti 1629. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 243.

Idem confirmatum fuit die 1. Septembris 1708. & 9. Julii 1718.

Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feria V. in Cœna Domini, nec in Feſtu Corporis Chriſti, extra eorum juriſdictionem, & per Parochiam alienam. S. R. C. 11. Decembris 1613. & datur in oostro Indice *ſub n.* 138.

Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis Proceſſionibus SS. Sacramenti Dominica infra Octavam Corporis Chriſti, mutare viam ſemel a principio electam. S. Rit. C. 14. Novembris 1615. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 150.

In Regno Caſtellæ, & Legionis in Hiſpania, ſervandum eſt Cæremon. Epiſcop. de generalibus Proceſſionibus, ita ut Fratres, ſeu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, & Presbyteri, ſeu Clerici Sæculares ſubſequantur, & ultimum locum obtineant, nec mixtim cum Regularibus incedant; Superiores vero dictorum Regularium numerum debitum decentem, & conſuetum Fratrum ad eaſdem Proceſſiones mittant. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in una Caſtiliæ, & Legionis*, & datur in noſtro Indice *ſub num.* 8.

In Eccleſiis Regularium habentibus Clauſtrum, fiaot Proceſſiones intra Clauſtra tantum; ſi vero non habent Clauſtra, fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Eccleſiæ portam, ſive per eamdem S. R. Cong. 26. Februarii 1628. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 224.

Ubi adeſt Sodalitas SS. Sacramenti, competit ei præcedentia ſuper alias Confraternitates in omnibus Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum. Sac. Rit. C. 19. Junii 1695. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 312.

Extra ambitum Eccleſiæ non licet Regularibus facere Proceſſiones niſi de licentia, & conſenſu Parochi, ſalvis privilegiis, ſi quæ ſint. Proceſſiones vero Confraternitatum noo debent extendi per vias, ſed circa muros Regularium, qui eas regunt. S. R. C. 26. Febr. 1628. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 225.

Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt Proceſſiones juxta cujuſvis Confraternitatis inſtitutum, abſque interventu, & liceotia Parochi. S. R. C. die 10. Decembris 1703. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 572.

Capellanus Confraternitatis, non poteſt ſuo arbitrio ſine expreſſa licentia Epiſcopali Proceſſiones facere. S. R. C. 4. Martii 1606. & datur in noſtro Iodice *ſub n.* 46.

Primicerius, licet dubitetur, an ſit dignitas, debet in Proceſſionibus capere Pluviale ſicut dignitas, & non Planetam, ſicut Canonicus. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Capuana*, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 54.

Canonici Eccleſiæ Collegiatæ, non debent in Proceſſionibus incedere parati, ſicut Canonici Cathedralis. S. R. C. 19. Maii 1607. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 66.

Poteſt Epiſcopus compellere Regulares, etiam per ceoſuras, ut accedant ad publicas Proceſſiones. S. R. C. 27. Julii 1609. *in Ferrarien.* & datur in noſtro Indice *ſub n.* 99.

Regulares præcedente generali indictione, tenentur accedere ad Proceſſiones publicas SS. Corporis Chriſti, prout reſpondit Sacra Concilii Congregatio *in una Inſularum Canariæ juriſdiction.* apud Monacellum in Formulario Legali practico *part.* 4. in ſupplement. ad 2. *tom. ſub n.* 443.

Regulares tenentur accedere ubi vocati fuerint ad Proceſſiones Corporis Chriſti, Rogationem, quæ vocantur Litania major, & ad eas, quæ pro ſerenitate, vel pluvia impetranda fieri ſolent, necnon ad alias quaſcumque pro bono publico, & onere indictas, dummodo eorum Monaſteria a Civitate ultra medium milliare non diſtent, aut niſi exbibeant privilegia Apoſtolica poſteriora publicatione Sac. C. Trid. & quatenus accedere noluerint compellendi ſunt per cenſuras, vel alias pœnas Epiſcopo beneviſas. Eadem S. Concilii Congregatio *in Mediolan.* die 3. Auguſti 1658. vide Decretum in noſtro Indice *ſub n.* 2.

Non poteſt Epiſcopus cogere Clerum totius Diœceſis ad intereſſendum Proceſſioni, io die ſolemnitatis SS. Corporis Chriſti; ita cenſoit Sac. Concilii Congregatio *in Foro Sempronien.* apud Paſcuccium in compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part.* 2. *tit. de Proceſſ. pag.* 163. juxta editionem Venetam.

Quamvis Epiſcopus adhibito Capituli Conſilio, præfigat, & dirigat, ac transferat Proceſſiones, tamen non poteſt invertere, & immutare Ritum Proceſſionum a Cæremoniali, & Rituali Romano præſcriptum, neque de conſenſu Capituli Sacra Rit. Congreg. 26. Januarii 1658. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 326.

Aſſocians Proceſſionem SS. Sacramenti, gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Sacra Congregat. Immunitatis, *in Beneventana* 30. Septembris 1636. & reperitur apud Paſcuccium in compendio ad Conſult. Pignatelli *part.* 1. *tit. de Immunit. Eccleſ.* & refert etiam Riccius *in Synopſi Decretorum dictæ Congreg. v. Immunitas Localis ſub num.* 4.

Presbyteri alicujus Eccleſiæ iotra limites propriæ Parochiæ, non poſſunt propriam Crucem erigere, ſed debent incedere ſub Cruce Parochiæ, licet Parochia ſit Regularium. S. R. C. 12. Martii 1616. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 153.

Dum elevatur Euchariſtia, Canonici, & Clerus, qui proceſſionaliter incedunt, debent genuflectere. S. R. C. 2. Maii 1620. & datur in oostro Indice *n.* 178.

Verum hoc Decretum noo ſe extendit ad eos, qoi interſunt Proceſſioni SS. Sacramenti; iſti enim ad prædictam elevationem, non tenentur genuflectere, quia ſunt io actuali illius adoratione. Biſſus *lit. G n.* 19. §. 2.

Rurſus adnotare debemus, quod juxta alias diſpoſitiones Clerici Miſſæ ioſervientes non debent pulſare campanulam ad elevationem Sacramenti in Miſſa, dum Proceſſio tranſit ante Altare, ubi celebratur.

Epiſcopus in publicis Proceſſionibus, cum cappa, & bireto, non inter Dignitates, ſed ſolus incedere debet, quod ſi deferatur aliqua Imago, ſeu Reliquia, ipſe cum cappa, & bireto debet incedere poſt Imaginem, ſeu Reliquiam, niſi adſit conſuetudo in contrarium. S. R. C. 20. Novembris 1628, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 239.

XV. Gavant. oum. 6. -- *De Baldachino, & Haſtarum, &c.*) Nos quoque in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Feriam V. in Cœna Domini, necnon ad Proceſſionem, quæ fit pro Oratione quadraginta Horarum, ſatis locuti ſumus de haſtarum Baldachini diſtributione, Nunc addendum eſt, quod Baldachinum debet eſſe perpulchrum, & quadratum, albi coloris, cum octo haſtis, vel ad minus quatuor ad ejus angulos, æquali diſtantia diſtributis, & mobiliter fixis in telario ſuperiori, totam machinam quadratam componente. Forma illius omnino decet, ut ſit quadrata, & fixe immobilis, non autem plicabilis, & ſine telario, ut io aliquibus locis adhibetur, quia iſta plicabilitas parit deformitatem, nec ſemper tenet partem ſuperiorem apertam, & expanſam, unde fit, quod Sacerdos deferens Euchariſtiam, detectus aliquaodo maneat, & ſub dio. Baruff. *ſupr. part.* 4. *tit.* 80. *n.* 43.

Ordo autem hujuſmodi haſtas geſtandi, ita eſt, ut dignior ferat primam haſtam, quæ eſt ante Celebrantis dexteram; ſecundus alteram, quæ proxima eſt ante Celebrantis ſiniſtram; tertius aliam, quæ immediate eſt ſub prima a parte dextera; quartus aliam, quæ ſuccedit primæ a parte ſiniſtra; quintus tertiam haſtam a parte dextera; ſextus a parte ſiniſtra; ſic deinceps, ita ut minus digoi habeant poſtremas haſtas poſt tergum Celebrantis. Deinde ſi via erit longior præſertim in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti diſtribuendum erit onus ferendi haſtas prædictas cæteris Civibus, & Nobilibus Civitatis, ſeu Officialibus, vel Sodalitatibus pro locorum conſuetudine judicio Epiſcopi moderanda, ubi opus videbitur, ne rixæ, aut conteotiones oriantur. Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *c.* 14. §. 2.

Quod ſi ioter Digniores, & illuſtriores plures eſſent, qui de æquali gradu, aut præeminentia cootenderent, adeo ut omnibus his primo loco haſtæ Baldachini aſſignari nequirent, relinquitur iis ultimus locus, ideſt ubi proceſſio jam pervenit ad Eccleſiam, ad quam dirigitur, talis enim locus reputatur primo æqualis. Cæremoniale Epiſcop. *ſupra* §. 3.

Primo tamen loco Sacerdotes digniores de Capitulo, ſive ſint Dignitates, ſive Canonici, ſive Beneficiati, aut Manſionarii digniores (ut ſupra notatum eſt) parati cum Pluvialibus albis juxta conſuetudinem Eccleſiæ, deferant Baldachini haſtas, quas portabunt per totam Eccleſiam, & ad Eccleſiæ januam cum pervenerint in laicorum manibus eas relioquent, qui primo loco Barones, & Nobiliores, ſeu Magiſtratus eſſe debent, deinde alii, ut ſupra dictum eſt. Ipſi vero Beneficiati ibunt ad locum ſuum, ideſt ante Canonicos paratos. Ex Cærem. Epiſc. *part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 21.

Si adſint Prælati in hac Proceſſione, & Nobiles Laici, incedunt poſt Celebrantem, & ſi velint, faces deferunt, ut decet. Continuate, uniformiter, & ſine ulla ioterruptiooe omnes incedant, itaut non ſiſtant ſe Clerici, niſi neceſſitas id poſtulet, & ſi contingat eos tranſire ante Sanctiſſimum Sacramentum, quod forte defertur ab aliis, non propterea debent ſe firmare. Si item accidat, ut Celebrans, per aliquos gradus aſcendat, aut deſcendat, Cæremoniarius, aut alios, Albæ extremitates, & veſtes anteriores Celebrantis elevet. Advertant autem, quod Dignitates, Canonici, ſeu Sacerdotes, qui poſteriores ſunt, cavere debeot, ne nimium ſe elongent a Sanctiſſimo Sacramento. Bauldry *part.* 4. *c.* 15. *art.* 3. *n.* 20. & 21.

XVI. Gav. eodem num. 6. -- *De circulo, & via procedendi, &c.*) Nihil addendum eſt, niſi quod modus procedendi, vel a prædicto latere Evangelii, ad latus Epiſtolæ, ſi id patiatur locorum ſitus, videtur conformis Pontificali Romano, in quo præſcribitur, ut in dedicatione Eccleſiæ Proceſſiones ſic inchoentur,

Si longior ſit Proceſſio, poteſt Celebrans in aliqua Eccleſia, & ſuper illius Altare deponere Sanctiſſimum Sacramentum ſuper Corporale in eo præparatum, & aliquantulum quieſcere, quod tamen non paſſim in ſingulis Eccleſiis, vel ad ſingula Altaria, quæ forſitan per viam conſtructa, & ornata reperiuntur, faciendum eſt, ſed ſemel tantum, & iterum arbitrio Celebrantis. Cæremoniale Epiſcopor. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 22. frequentes enim Stationes videntur importunæ, & ſæpe Proceſſionis ordinem pervertuot. Bauldry *ſupr. n.* 23.

Cum

Digitized by Google

Cum igitur Celebrans pervenerit ad locum Stationis ante Altare, Diaconus genuflexus cum debita reverentia accipit ab ipſo Celebrante ſtante Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, ſeu Oſtenſorium; Celebrans vero ſtatim ut in ejus manibus illud repoſuit, & priuſquam Diaconus ad Altare cum Oſtenſorio ſe vertat, genuflectit. Repoſito deinde Sanctiſſimo Sacramento in medio Altaris ſuper Corporale, Diaconus, facta prius genuflexione unico genu Sacramento, ut facilius ſurgere poſſit, revertitur ad dexteram Celebrantis, qui depoſito velo humerali dum Cantores in cantu pauſato, & devoto cantabunt Verſiculum: *Tantum ergo Sacramentum, &c.* Cæremoniale *ſupra* §. 25. ſurgit (ſicuti, & Subdiaconus) & tunc miniſtrante de more Diacono, imponit Incenſum in Thuribulum, deinde ſuis cum Miniſtris genuflectit, & incenſat SS. Sacramentum, eodem Ritu, quo initio Proceſſionis. Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 2.

Quo facto, duo Cantores genuflexi ante Sanctiſſimum Sacramentum cantabunt Verſiculum: *Panem de Cœlo, &c.* & reſponſo a Choro: *Omne delectamentum, &c.* Celebrans ſurgens ex Libro, quem Diaconus, & Subdiaconus genuflexi hinc inde ſuſtinebunt, cantabit, præmiſſo *Dominus vobiſcum,* Orationem: *Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c.* cum brevi concluſione: *Qui vivis, & regnas per omnia ſæcula ſæculorum.* Cæremon. Epiſc. *ſupra* §. 27. & Rituale Romanum *de Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti.*

Cantata Oratione, Celebrans genuflectit, & ſtatim, ut initio Proceſſionis, per Magiſtrum Cæremoniarum imponetur ſuper humeros ejus iterum velum humerale, ut ſupra adnotatum eſt, & interim Diaconus accedit ad Altare, facta genuflexione unico genu Sanctiſſimo Sacramento, capit Oſtenſorium, & ſtans illud reponit in manibus Celebrantis ſub velo poſitis, ac ſtatim genuflectit, ut initio Proceſſionis. Celebrans vero illud accipit genuflexus cum debita reverentia, tum ſurgit cum Miniſtris, & continuatur Proceſſio, & ſimiliter cantus eorum, quæ prius cantabantur, a loco, in quo intermiſſa fuere; Ex Nicolao de Bralion *ſupr. n.* 6.

Dum fit Proceſſio, ſemper pulſantur Campanæ Eccleſiæ principalis, & aliarum, ante quas tranſitur. Bauldry *ſupra n.* 24.

XVII. Gavant. num. 7. -- *In fine Proceſſionis, &c.*) Expleto gyro Proceſſionis, omnes Religioſorum Ordines, ad eandem Eccleſiam, a qua Proceſſio diſceſſit, reverſi, ut patet ex Decretis a nobis ſupra datis, ac in ea manentes benedictionem expectabunt, ne prius diſcedant.

Subdiaconus deponit Crucem in loco decenti, hoc eſt in cornu Epiſtolæ prope credentiam, tum etiam ipſe in ſuo loco genuflectit uſque ad benedictionem poſtea dandam, Bauldry *ſupra n.* 25.

Item dum prædicta Proceſſio erit in fine prope eamdem Eccleſiam, a qua diſceſſit, ante ejuſdem Eccleſiæ fores, iterum Nobiliores Laici, vel alii Nobilitate eiſdem æquales, Haſtas Baldachini capient, & Celebrans ſub Baldachino ibit uſque ad Cancellos, vel Presbyterium, vel ad gradus Altaris juxta Eccleſiæ Structuram, aut ſituationem. Cærem. Epiſcop. §. 23. Poſtquam Celebrans ad ſupremum Altaris gradum pervenerit; Cærem. Epiſc. *ſupra* §. 24. hoc eſt ad ſecundum gradum prope ſuppedaneum. Turrinus *ſupra* §. *Cum pervenerit.* Bauldry *ſupra n.* 29. (amoto Baldachino, prompta ſit Umbella ſupra caput Celebrantis elevanda, uſquedum pervenerit ad ſupradictum ſecundum Altaris gradum, ut ſupra in initio Proceſſionis adnotavimus cum Baruffaldo ibidem citato) atque ibidem ſtans deponit Oſtenſorium cum Sanctiſſimo Sacramento in manibus Diaconi genuflexi in plano ſuppedanei ad cornu Epiſtolæ, quaſi vertentis renes eidem cornu, & hic cum debita reverentia accipiet de manu ipſius Celebrantis *ut ſupra* ſtantis, Sanctiſſimum Sacramentum. Deinde idem Diaconus ſurgens reverenter Oſtenſorium collocat in medio Corporalis extenſi ſuper Altare, cavendo ne omnino renes vertat Celebranti. Advertere pariter debet, ne ſtatim Sacramentum ponat ſuper Altare, ſed tantillum expectare, ut Celebrans utroque genu flexo illud reverenter adoret. Caſtaldus *in Praxi Cærem. lib.* 2. *ſect.* 10. *c.* 2. *n.* 8. Baruffaldus *ſupra* §. 5. *n.* 64. Sic autem illud ponit, ut Imago Chriſti in Hoſtia Sacra expreſſa Populum reſpiciat. Bauldry *ſupr.* §. 29. Interim Cantores in cantu pauſato, & devoto incipient ℣. *Tantum ergo Sacramentum, &c.* Cærem. Epiſcop. *ſupra* §. 25.

Celebrans adorato Sanctiſſimo Sacramento, ut ſupra, deſcendit ad infimum Altaris gradum cum Subdiacono, & remoto ab eo velo humerali per Cæremoniarium, genuflectit in eodem infimo gradu. Cæremon. Epiſcop. *ſupr.* §. 26. & cum ipſo genuflectit etiam Subdiaconus a ſiniſtris in dicto gradu.

Hic nihil aliud addendum videtur, niſi quod iſte gradus Altaris, in quo Celebrans genuflectere debet, & ſubinde incenſationem facere, diverſimode a Scriptoribus intelligitur. Volunt enim alii, quod ſit gradus primus, & nomine primi gradus intelligunt gradum ſupremum, & explicat Sarnellus *lib.* 8. *Epiſt.* 26. Alii vero intelligunt nomine primi gradus, gradum infimum Altaris, & ſuſtinent quod hæc incenſatio debeat fieri ſuper dicto gradu infimo, quæ quidem opinio colligi poteſt ex Cærem. Epiſcop. *lib.* enim 2. *cap.* 33. §. 26. expreſſe tradit: quod in reditu Proceſſionis ad Eccleſiam Epiſcopus, depoſito velo, genuflectet ſuper pulvino in infimo gradu Altaris; Ubi mox erectus imponet incenſum in altero ex duobus Thuribulis, & iterum genuflexus Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu, prout fecerat in principio, thurificabit. Rurſus idem pariter docet loquendo de hac Thurificatione Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 2. *n.* 8. & 9. Huic ſententiæ adſtipulatur etiam Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 2. §. *Cum pervenerint,* ubi ait: quod Sacerdos cum Subdiacono deſcendit ad infimum gradum Altaris, ubi etiam genuflectit, & impoſito thure ſtando, iterum genuflectit, & incenſat Sacramentum. Denique hæc eſt praxis omnium Baſilicarum, & Eccleſiarum Urbis, & opinio omnium Magiſtrorum in Sacris Ritibus. Sarnellus tamen *cit. Epiſt.* 26. in qua propoſito ſibi hoc dubio: *Utrum Sacerdos debeat incenſare Sacramentum ſuper primo gradu Altaris?* Poſtquam explicavit quid veniat nomine primi gradus Altaris, utrum infimus, vel ſupremus, adhæret tandem huic communi ſententiæ, & docet quod quando incenſatio Sacramenti fit extra Miſſam, ſicut eſt hæc, de qua loquimur, tunc proculdubio debeat hæc fieri a Sacerdote genuflexo ſuper infimo Altaris gradu; Sed quando occurrit incenſare Sacramentum intra Miſſam Solemnem celebratam coram eodem Sacramento expoſito, tunc, inhærendo noſtro Gavanto *part.* 2. *tit.* 14. *n.* 6. & *n.* 12. tenet cum ipſo Sacramentum incenſari debere a Celebrante ſuper altiorem Altaris gradum cum Miniſtris genuflexo, ut ſit magis expeditus idem Celebrans ad cæteras functiones ejuſdem Miſſæ peragendas; ſicut in eadem Miſſa præter primam, & ultimam genuflexionem, quæ fiunt utroque genu in plano Capellæ, cæteræ genuflexiones fiunt a Celebrante, & Miniſtris Sacris etiam coram SS. Sacramento expoſito unico tantum genu, ut expeditiores ſint, ut docet idem Gavantus *ſupra num.* 5.

Depoſito igitur Sanctiſſimo Sacramento a Diacono ſuper Altare in medio Corporalis, genuflectit de more unico genu, & accedit erectus ad dexteram Celebrantis genuflexi ſuper infimo Altaris gradu, ut mox innuimus. Mox Celebrans cum Subdiacono ſurgit, & imponit incenſum in altero ex duobus Thuribulis (Miniſtrante Naviculam Diacono) ſine benedictione, & oſculis, *ut ſupra,* & iterum cum Miniſtris genuflexus in infimo Altaris gradu, Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu, prout fecerat initio Proceſſionis, thurificabit, ut mox diximus.

Supradictus igitur modus incenſandi Sanctiſſimum Sacramentum in infimo Altaris gradu, ſervandus eſt etiam in quavis alia functione peragenda coram Sanctiſſimo Sacramento publicæ adorationi expoſito, præſertim quando hæc incenſatio fit extra Miſſam. Immo ex Nicolao de Bralion *part.* 3. *cap.* 3. *n.* 8. & *cap.* 17. *n.* 1. nec non *cap.* 18. *n.* 7. ac denique *cap.* 19. *n.* 4. ſicut etiam ex praxi Eccleſiæ Pariſienſis eruitur, quod prædictus Ritus incenſandi Sacramentum a Sacerdote genuflexo in infimo Altaris gradu, quando eſt expoſitum publicæ adorationi, ſit ſervandus etiam intra Miſſam Solemnem, coram eodem SS. Sacramento celebratam. In Cærem. enim prædictæ Pariſienſis Eccleſiæ *part.* 1. *art.* 4. in quo agitur de thurificatione SS. Sacramenti in Altari expoſiti hæc leguntur:

*In Miſſa Altare ſemper thurificari debet ante Introitum, & poſt Oblationem Hoſtiæ, & Calicis, ante Introitum quidem hoc modo: Celebrans facta confeſſione aſcendit ad Altare, illud oſculatur, genuflectit, recedit tantillum verſus cornu Evangelii (ne ſit directe ante SS. Sacramentum) quaſi convertens faciem ad cornu Epiſtolæ, ibi benedicit de more incenſum, Diacono Miniſtrante Naviculam ſine oſculis; impoſitoque, ac benedicto Thure, genuflectit in medio, & ſtatim deſcendit cum Miniſtris in planum, advertens ne terga vertat Sacramento, & ibi in ora infimi gradus genuflexus, accipit a Diacono Thuribulum, & ſtatim SS. Sacramentum triplici ductu incenſat.* Et *num.* 5. in eodem Cæremoniali habetur deſcriptus ſimilis Ritus incenſandi Sacramentum ſervandus a Sacerdote genuflexo in ora infimi gradus, poſtquam more ſolito thurificavit oblata. Verum quia praxis Baſilicarum Urbis eſt, quod in Miſſis Solemnibus coram Sanctiſſimo Sacramento celebratis, Celebrans ſtans ſuper Suppedaneum Altaris, poſtquam impoſuerit Incenſum in Thuribulo, abſque alia genuflexione, deſcendat cum Miniſtris uſque ad ſecundum gradum ejuſdem Altaris, tunc genuflexus cum eiſdem in Suppedaneo, eodem in loco triplici ductu thurificet, *ut ſupra,* SS. Sacramentum, ideo etiam hic Ritus prædictarum Baſilicarum Urbis, a nobis non improbatur, ſed hunc quoque decenter ſervari poſſe cenſemus in omnibus Eccleſiis.

XVIII. Gavant. eodem num. 7. *Cantante interim Clero genuflexo, ante, & circum Altare duodecim* ℣℣.) Dum incenſatur Sacramentum, Clerus genuflexus cantare debet duodecim ℣℣. excerptos ex Hymno *Pange lingua, &c.* nempe *Tantum ergo, &c.* Immo Inſtructio Clementina ſupra a nobis data docet, quod in repoſitione SS. Sacramenti Celebrans, nonniſi ad ℣. *Genitori, Genitoque,* ſe erigat cum Miniſtris, & imponat Incenſum in Thuribulum, quibus Verſibus terminatis, & terminata incenſatione, duo Cantores cantabunt Verſiculum: *Panem de Cœlo, &c.* cui in tota hac Octava, ſicut etiam toto tempore Paſchali additur *Alleluja.* Ita declaravit S. R. C. 50. Januarii 1705. & habetur in dicta Inſtructione Clementis PP. XI. ſæpius a nobis allegata.

In

Digitized by Google

In aliquibus Eccleſiis dictus V. *Panem de Cœlo, &c.* intonari ſolet a Diacono, & Subdiacono, ſed ſecundum Rituale Romanum intonandus eſt a Clericis duobus, & ſive ipſum cantent Muſici, ſive Miniſtri Sacri, aut duo Clerici, ſemper debent eſſe genuflexi, numquam vero erecti. A Portu *Append.* 2. *De Ven. Expoſ. n.* 5. Bauld. *ſupr. n.* 32. Baruffaldus *ſupra* §. 6. *n.* 70. *&* 71.

XIX. Gav. eod. n. 7. *Ecce Celebrante ſtante, &c.*) Dicto Verſiculo, & alio pariter, nimirum: *Omne delectamentum, &c.* a toto Clero cantato, celebrans ſurgit (& erectus abſque genuflexione juxta inſtructionem ſupracitatam) ex libro, quem Miniſtri Sacri genuflexi hinc inde ſuſtinebunt, cantabit (ſine ℣. *Dominus vobiſcum*) Orationem: *Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c.* Cæremon. Epiſcop. *ſupra* §. 27. in cujus fine dicitur tantum brevis concluſio: *Qui vivis, & regnas per omnia ſæcula ſæculorum*, & non adhibetur longior, quia tantum additur ad Miſſam, & ad Horas. Quo vero ad verſiculum: *Dominus vobiſcum*, qui in primis Ritualibus adnotatur (ſicut & cum ipſis, necnon cum Gav. *ſup.* fere omnes Rubricarum interpretes docent) per multos Annos in uſu fuit, ſed Cærem. Epiſcop. *ſup.* nullam de tali verſiculo facit ibi mentionem. Sac. vero Rituum Cong. allegata in eadem Inſtructione Clementina *n.* 21. expreſſe declaravit, quod omiſſo verſiculo *Dominus vobiſcum*, Sacerdos erectus debet cantare Orationem, &c. Baruffaldus *ſup.* §. 6. *n.* 74. cenſet ideo in tali circumſtantia omitti *Dominus vobiſcum*, quia fruſtra diceretur, quod Dominus ſit cum adſtantibus, cum de facto adſit in SS. Sacramento coram illis. Verum quia quando ſit expoſitio SS. Sacramenti in eadem Inſtructione Clementina *n.* 16. præſcribitur, quod ad Orationem: *Deus qui nobis ſub Sacramento, &c.* præmitti debeat a Sacerdote verſiculus *Dominus vobiſcum*, etiamſi Dominus adſit tunc in Sanctiſſimo Sacramento; idcirco ratio adducta a Baruffaldo non ſuffragatur, nec ſufficit pro aſſignanda cauſa omiſſionis talis verſiculi, quando reponendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum; quapropter potius dicerem, ideo omittendum eſſe talem verſiculum in repoſitione Sanctiſsimi Sacramenti, quia Sacerdos debet ſtatim dare benedictionem Populo adſtanti cum SS. Sacramento, omittit igitur verba illa; quia cum facto ipſo debet elargiri benedictionem, & deprecari, quod Dominus ſit cum adſtantibus.

XX. Gav. eodem num. 7. -- *Aſcendit ad Altare, &c.*) Finita Oratione, & reſponſo a Choro *Amen*, celebrans genuflectens in ſupradicto infimo gradu Altaris, accipit ſuper humeros velum oblongum, ſeu humerale (miniſterio Cæremoniarii) deinde aſcendit ad Altare, ibique genuflectit unico genu (ut facilius, & commodius ſurgat) SS. Sacramento, & abſque alterius miniſterio accipit velatis manibus, *ut ſupra*, Oſtenſorium.

XXI. Gav. eodem num. 7. -- *Benedicit cum eo Populum, &c.*) Et vertens ſe ad Populum, & latus ſuum dexterum ut ad *Dominus vobiſcum*, tenens manu dextera nodum, & ſiniſtra pedem Oſtenſorii ante pectus, cum ipſo benedicit Populum ſemel tantum hoc Ritu. Tenens igitur Tabernaculum, ſeu Oſtenſorium ante pectus, *ut ſupra*, tum elevans illud decente mora, non ſuper caput (ut multi inepte faciunt) ſed tantum uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit uſque ad pectus, deinde ad ſiniſtrum humerum ducit (corpus non movens, ex Bralion citando) reducit ad dexterum, & rurſus ante pectus reducit, ibique aliquantulum ſiſtit, quaſi peracta ad omnes Mundi partes Cruce. Tunc gyrum perficiens, ut infra, ſe convertet ad Altare, & collocabit ſuper eodem Oſtenſorium. Fagioli in ſuo Kalendario perpetuo, & Adnot. ad Menſem Junii *pag. mihi* 210. Bauld. *ſupra num.* 34. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. §. 3. *de repoſit. Sanctiſſimi Sacramenti num.* 8. Nicolaus de Bralion *ſupra part.* 3. *cap.* 18. *num.* 7. Turrinus *ſupra*, Baruffaldus *ſupra* §. 7. *num.* 80. Bongiov. *libr.* 5. *cap.* 14. Horatius Chriſtiani *ſect.* 1. *cap.* 17. *num.* 10. Polaccus *part.* 2. *tit.* 13. *num.* 10. & Cæremon. Monaſt. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 58. in quo bene præſcribitur, quod Sacerdos poſt brevem prædictam morulam, non verſus cornu Epiſtolæ, ut tenet Fagioli *ſupra*, ſed verſus cornu Evangelii debet ſe convertere ad Altare, ut faciat circulum perfectum. Hic Ritus dandi benedictionem cum Sacramento, quamvis præſcribatur a prædictis, & ab aliis Auctoribus, & deducatur in praxi in nonnullis Eccleſiis, præſertim Regularium, nihilominus communis uſus Eccleſiarum Urbis eſt, ut poſtquam Sacerdos reduxit Oſtenſorium ad latus dexterum, non debeat rurſus ante pectus reducere, ſed ſtatim ad cornu Evangelii ſe convertere, & ita perficere circulum, ſicut cum dicit *Orate fratres*. Uterque hujuſmodi Ritus benedicendi Populum cum Sanctiſſimo Sacramento approbatus fuit a S. R. C. quæ cum fuerit interrogata pro parte Petri Pellicionis Canonici Eccleſiæ Cathedralis Collenſis, an in benedicendo Populo cum Sanctiſſimo Sacramento ſit ſervandus primus ex dictis Ritibus? Prædicta S. C. ſub die 25. Martii 1676. reſpondit, poſſe obſervari ſupradictum modum, quem tradit Bauld. *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *num.* 34. ſin minus, ſervandum eſſe modum in Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. ubi ſequitur tantummodo, ut cum eodem Sacramento celebrans producat ſignum Crucis ſuper Populum; hoc Decretum datur per extenſum in noſtra Appendice ſub numer. 725.

XXII. Gav. eodem num. 7. -- *Nihil dicens, &c.*) Dum celebrans benedicit Populum, nihil prorſus dicit, quia proprie celebrans non eſt ille, qui benedicit Populum, ſed Sacramentum. Baruffaldus *ſupra num.* 78. Muſici quoque, & Cantores ſilere debent dum datur benedictio, poſſunt tamen pulſari Organa ſuavi ſono, & gravi, ſicut ſit ad elevationem Sacramenti. Diaconus autem, & Subdiaconus, ſive alii hinc inde genuflexi (hoc eſt in ora ſuppedanei) & inclinati facie verſa ad Sanctiſſimum Sacramentum, elevant partes anteriores Pluvialis, dum celebrans benedicit Populum. Bauld. *ſup. n.* 35. Tonellius *ſupra n.* 9. Gerlacus Vinitor *part.* 4. *tit.* 7. *de Proceſſ. SS. Sacramenti n.* 7.

XXIII. Gav. eodem *n.* 7. -- *In modum Crucis ſemel &c.*) celebrans, qui benedicit Populum eo Ritu, quo ſupra, in modum Crucis, ſi ſit Sacerdos ſimplex, ſemel tantum benedicere, & unam tantum Crucem efformare debet ad diſtinctionem Epiſcopi, qui per tres vices facit ſignum Crucis ſuper Populum; ita Cærem. Epiſc. *ſupra*, Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 10. *c.* 3. *n.* 10. Baruffaldus *ſup.* §. 7. *n.* 76.

XXIV. Gav. num. 8. -- *Tum genuflexione facta, &c.*) Data benedictione, & depoſito SS. Sacramento a Celebrante ſuper Altare, ipſe ſtatim facta genuflexione deſcendit cum Subdiacono ad infimum Altaris gradum, ubi iterum cum eodem genuflexus manet, & per Cæremoniarium, vel per eumdem Subdiaconum, ut ait Gavantus, amoto velo ab ejuſdem humeris, Diaconus interim remanens in ſuppedaneo Altaris, reponit SS. Sacramentum in Tabernaculo, factis ante, & poſt, debitis genuflexionibus.

XXV. Gav. eodem num. 8. -- *Vel in locum altiorem, &c.*) Si alicubi ſit conſuetudo exponendi Sanctiſſimum Sacramentum, ut hoc die colatur a Populo, tunc Diaconus, ſi opus ſit, ſcabellum ante Altare poſitum aſcendit, ut reponat SS. Sacramentum in loco eminenti ſuper Altare præparato, ubi debet eſſe Corporale, aut Palla ſubſtrata; tum facta genuflexione, deſcendet Diaconus, & ſe collocabit ad dexteram celebrantis, & cum eo genuflexus orabit pauliſper, poſtea, ſurgente Celebrante, ſurgent omnes, & facta genuflexione, hoc eſt, utroque genu in plana terra, & profunda capitis inclinatione recedent in Sacriſtiam debito ordine, nimirum præcedentibus Ceroferariis cum Subdiacono Cruciferario, & cæteris ſequentibus, ibique extinguuntur cerei, & omnes depoſitis Paramentis, ſtatim in albis revertentur, illi qui ſunt de Choro, ad Chorum ipſum, ut ibi cantent Sextam, & Nonam nudo capite, omnibus ſtantibus, & non ſedentibus; ex Bauld. *ſupra num.* 41. niſi tamen ob longiorem Proceſſionis viam, horarum ordo eſſet immutandus.

At ſi SS. Sacramentum includatur in Tabernaculo, celebrans, & Miniſtri eo incluſo, facta genuflexione Sacramento unico genu, acceptis deinde de more biretis, tegunt capita ſua ante Altare, & recedunt in Sacriſtiam, ſed antequam recedant ab Altari, quia Sacramentum eſt jam incluſum, omnes extinguunt candelas, non vero ſtatim poſt datam benedictionem, Bauld. *ſup. n.* 40. & deinde dicuntur in Choro Sexta, & Nona, ut ſupra innuimus.

XXVI. Gav. num. 9. -- *Parietes viarum ornari debent, &c.*) Circa vias, per quas eſt tranſeundum, nulla limitatur pompa, ideo eædem debent ſummo mane bene mundari, & floribus, frondiſque arborum virentibus ornari juxta locorum conſuetudines. Arcus, quos vocant triumphales, ſi locis congruis apte diſponantur, cum verſibus, emblematibus, & myſticis figuris, erit admodum laudabile. Bauld. *part.* 4. *cap.* 16 *art.* 2. *num.* 2. Biſſus *lit. V. num.* 42. Poſſunt etiam per vias erigi aliquot Altaria, ſuper quæ aliquando collocari poſſit Sacramentum, ut etiam ſupra innuimus, ut Sacerdos, qui illud defert, ſi velit, aliquantulum poſſit pauſare, & in illis Altaribus ſint Corporalia, niſi burſa cum Corporali in Proceſſione ab aliquo Acolytho deferatur; non eſt tamen neceſſe, quod prædicta Altaria habeant petram ſacram, quia in iis non eſt celebranda Miſſa; ea quæ in hac Proceſſione prohibita ſunt, jam patent, & ex iis quæ ſupra diximus, & ex Dec. S. C. quæ ſupra dedimus, advertendo quod omnes debent inhærere dictis Decretis, & ſanctionibus Synodalibus ab Ordinario loci factis, & publicatis per aliquot dies ante Proceſſionem, ut moris eſt; Baruffaldus *ſup.* §. 1. *ad* 22. uſque; qui plura alia ſcire deſiderat circa eruditionem, & ritus hujus ſolemnis Proceſſionis, legere poterit ea, quæ tradit Jacobus Eveillion in ſingulari libro, quem inſcripſit *de Proceſſionibus Eccleſiaſticis cap.* 25. ubi differit erudite de Proceſsione Corporis Chriſti.

XXVII. Gav. n. 10. -- *Ardebunt candelæ, &c.*) Jam ſupra ſatis indicavimus, quod omnes, qui huic Proceſsioni interſunt, debent cum candelis accenſis permanere in Eccleſia uſque ad datam benedictionem incluſive.

XXVIII. Gav. num. 11. -- *Si cantantur Veſperæ coram Sacramento in Altari expoſito, &c.*) Conveniens eſſet, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Epiſcopus, ſi adſit, quam Canonici, & omnes præſentes, & in Choro aſsiſtentes, durante Officio, ſtarent ſemper capite detecto, & numquam ſederent. Quod ſi hoc ob longitudinem Officii præſtare non poterunt, non omittant ſaltem in ſignum reverentiæ, detecto capi-

Digitized by Google

capite exiſtente SS. Sacramento ſuper Altare, Divinis Officiis aſſiſtere. Idem faciendum eſt ad omnes Horas Canonicas, & etiam ad Miſſam; Cærem. Epiſc. *ſupra* §. 33. Bauld. *ſup. art. 6. n. 1.*

### De Ritu exponendi SS. Sacramentum in Feſto Corporis Chriſti. §. IV.

Si ante Veſperas hujus diei SS. Sacramentum non ſit expoſitum, celebrans antequam inchoetur, Amictu, alba, Stola paratus, & Pluviali cum duobus aſſiſtentibus Cotta, & Pluviali indutis, vel ſaltem ſola Cotta, ſed ſine Stola (quæ tamen quando, & a quo ſit adhibenda dicemus infra) procedit ad Altare, præcedente omnes Thuriferario cum Thuribulo non fumigante, & Ceroferariis, necnon poſt eos ſequentibus quatuor Clericis deferentibus intortitia accenſa juxta laudabilem praxim aliquarum Eccleſiarum. Cum pervenerint ante infimum Altaris gradum celebrans, & Aſſiſtentes, bireta Miniſtro, ſeu Cæremoniario tradunt, qui deponit illa in loco congruo, quia ad Veſperas uſui non erunt, & facta genuflexione unico genu in plano ſolo ob reverentiam SS. Corporis Chriſti; ex Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *c.* 15. §. 5. (& non ſuper infimum gradum Altaris; ut docent Bauld. *ſup. nu.* 5. Hippolytus a Portu *in Appendice prima de privata Ven. expoſit. n.* 4.) Deinde celebrans ſurgens cum Aſſiſtentibus paratis genuflectet poſtea in infimo Altaris gradu, & aliquantulum cum ipſis orabit. Mox primus Aſſiſtens ad Altare aſcendens, Corſettus *tract. 1. part. 2. cap. 10. n. 20.* cum debitis genuflexionibus, hoc eſt, unico genu, aperit oſtiolum Tabernaculi, & facta genuflexione ut ſupra, ſtatim prælaudatus primus Aſſiſtens deſcendit ad dexteram Celebrantis, ubi miniſtrat de more ei ſine oſculis Naviculam, de qua ponit thus in Thuribulo ſine benedictione, & ſtans hic genuflexus ſuper infimum Altaris gradum, Sacramentum incenſat triplici ductu, facta cum Aſſiſtentibus (qui etiam elevant fimbrias Pluvialis Celebrantis) profunda reverentia ante, & poſt incenſationem. Biſſ. *lit. E n.* 232. §. 2. Interim pulſantur Organa, ceſſante Campanarum ſono, deinde reddito Thuribulo Aſſiſtenti primo, qui illud reddit Thuriferario, & ipſe primus Aſſiſtens iterum aſcendit ad Altare, genuflectit unico genu, ut citius ſurgat, & collocat SS. Sacramentum in loco eminenti ſuper Corporale, aut Pallam ibi ſubſtratam. Bauld. *ſup.* Ceroferarii autem, vel relinquunt candelabra ſuper Abacum, vel comitantur Celebrantem, qui debet in Choro juxta morem conſuetum celebrare Veſperas.

Aliqui præſcribunt, ut primus Aſſiſtens aperto oſtiolo Tabernaculi, ſtatim facta genuflexione, Oſtenſorium extrabat, atque in medio Altaris ſuper Corporale reverenter collocet, & tunc facta demum genuflexione deſcendat ad dexteram Celebrantis, peragat, *ut ſup.* ea omnia, quæ diximus uſque ad trinam incenſationem incluſive. Alii denique ſunt in ſententia, quod extractum Oſtenſorium e Tabernaculo, antequam incenſetur, collocetur a primo Aſſiſtente in ſuo loco eminenti, præparato ſub parvo Baldachino, & hoc facto, dictus Aſſiſtens deſcendat ad dexteram Celebrantis, qui ſurgens imponat thus in Thuribulum ſine benedictione, & ſtatim accipiens Thuribulum dictum a primo Aſſiſtente ſine oſculis, tunc incenſet triplici ductu Sacramentum, caput profunde inclinans ante, & poſt incenſationem, qua peracta, reliqua fiunt ut ſupra, quæ quidem ultima ſententia, eſt illa, quæ in Eccleſiis Urbis hodie prævalet omnibus aliis ſupradictis.

Auctores primæ ſententiæ adducunt Textus Cærem. Epiſc. *l.* 2. *c.* 25. §. 31. *&* *c.* 26. §. 14. ubi in pari caſu præcipitur, ut Epiſcopus incenſet SS. Sacramentum in Capſula ante antequam inde extrahatur, & tradatur Epiſcopo, & idem Miſſale ordinat Feria VI. in Paraſceve, & idcirco Bauld. *ſup.* cenſet incenſandum eſſe Sacramentum, dum adhuc eſt in Tabernaculo majori, ſtatim ut a primo Aſſiſtente apertum fuerit dicti Tabernaculi Oſtiolum; ſed auctoritates, & exempla eruta a Cærem. Epiſcop. *loc. ſuprac.* mihi videntur parum ſuffragari poſſe huic opinioni, quia Feria VI. in Paraſceve ideo ſtatim ac eſt aperta Capſula, incenſatur Sacramentum, quia in illa die Sacramentum ibidem collocatum conſideratur, tamquam in ſuo Throno, & aſſervatur cum magna pompa, præſertim Candelarum, & Lampadarum, unde optime præſcribitur, quod ſtatim ac Capſula aperitur, & conſpicuus omnibus redditur Calix, in quo Hoſtia Sacroſancta ſervatur, debeat incenſari. At in caſu noſtro, Sacramento in Tabernaculo clauſum, non cenſetur in ſuo Throno, & ideo melius videtur incenſandum eſſe vel poſtquam fuerit extractum Oſtenſorium, & poſitum ſuper Altare, & ab omnibus videtur, vel etiam quando idem Oſtenſorium poſitum fuerit in loco eminenti præparato, & ſub ſuo Baldachino, tamquam in ſuo Throno poſitum.

Incenſato SS. Sacramento, *ut ſupra*, & collocato in loco eminenti, non debet amplius incenſari, ſed facta ab omnibus genuflexione utroque genu in plano Capellæ, & etiam profunda inclinatione, debet celebrans a ſuis Aſſiſtentibus comitatus procedere debito ordine ad ſcamnum in cornu Epiſtolæ præparatum, vel Stallum, ſeu primam Sedem Chori, vel Aſſiſtentes parati, ſtantes ante ipſum in plano, ut mos eſt, ibidem cantare ſolemniter Veſperas, omnibus ſtantibus detecto capite.

Ad Canticum *Magnificat*, celebrans accedens cum ſuis aſſiſtentibus, & aliis detecto capite, & facta ab omnibus genuflexione utroque genu in plano, ante inferiorem Altaris gradum, aſcendit ad illud cum duobus tantum Aſſiſtentibus paratis, (ſtantibus aliis ante infimum gradum,) & facta iterum cum ipſis Aſſiſtentibus genuflexione unico genu, ut facilius, & commodius ſurgant, ut colligitur ex Biſſ. *lit. M n.* 222. §. 1. ſicut etiam ex Bauld. *part.* 3. *c.* 17. *n.* 5. (quod ſemper eſt obſervandum, dum ſunt apud Altare, non vero in acceſſu, & receſſu ab eodem Altari, quia tunc in utroque genu in plano genuflectere debent, addita etiam profunda Capitis inclinatione, quæ inclinatio omittitur in genuflexione, quæ fit unico genu. Cærem. Miſſæ Privatæ, *coram SS. Sacram. Expoſito c.* 12. Biſſ. *ſup. &* *tom.* 2. *lit. R n.* 82.) dictum Altare etiam oſculatur celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulum in cornu fere Evangelii, tum miniſtrante primo Aſſiſtente, ſi adſit, alioquin Thuriferario, ſine oſculis, celebrans imponit, & benedicit thus de more, ſed ſine oſculis, quia eſt coram SS. Sacramento, cum benedictione tamen, quia incenſare debet, non ſolum Sacramentum, ſed etiam Altare. Hæc regula igitur ſervanda eſt in Sacramenti incenſatione, ut quando cum Altari incenſatur, celebrans benedicat ſemper Incenſum de more; At quando incenſatur ſolum Sacramentum, thus non benedicitur, utrobique vero abſtinendum ab oſculis tum cochlearis, & thuribuli, tum manus Celebrantis.

Facta denique in medio genuflexione, deſcendit ad planum Capellæ, retrahens ſe ad cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento, & ante medium Altaris, in medio infimi gradus genuflexus juxta noſtram ſupra expoſitam ſententiam, accipit Thuribulum, & SS. Sacramentum triplici ductu thurificat cum profunda inclinatione ante, & poſt, interpoſita inter quemlibet ductum, aliqua morula; Aſſiſtentes interim fimbrias anteriores Pluvialis elevabunt, deinde peracta trina incenſatione, aſcendens ad Altare cum duobus Aſſiſtentibus, cum iiſdem ibi genuflectit, & ipſum Altare thurificat juxta morem.

Completa Altaris incenſatione, & reddito de more in cornu Epiſtolæ Thuribulo Thuriferario, deſcendunt in planum, celebrans quaſi per latus Evangelii, ſicut, & ſecundus Aſſiſtens; Primus vero Aſſiſtens per latus Epiſtolæ, verſa facie quaſi ad medium Altaris, ita ut terga non vertant SS. Sacramento. Bauld. *ſup. n.* 2. tum facta genuflexione utroque genu in plano ante infimum Altaris gradum, eo ordine quo venerant, loca ſua repetunt, & fit generalis omnium incenſatio (incenſato prius Celebrante) in Choro, & Eccleſia prout de more. Turrinus *ſup.* §. *Libet hic addere in fine &c.*

Finito Completorio, benedictio Populi cum SS. Sacramento fit eodem Ritu, quo in fine Proceſſionis, de quo Ritu ſupra ſatis locuti ſumus. Interim Chorus cantat -- *Tantum ergo &c.* & alia de more, ut ibi dictum eſt.

### De Ritu exponendi Sanctiſſimum Sacramentum infra Octavam Corporis Chriſti. §. V.

XXIX. Quia ſolitum eſt ex Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 33. juxta laudabilem conſuetudinem Eccleſiarum per hanc totam Octavam ſolemnitatis Corporis Chriſti exponere SS. Sacramentum ſuper Altare, dum Veſperæ, & Officia Divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia adeſſe ſolet, convenit, ut aliqua de expoſitione Oſtenſorii, in quo eſt SS. Sacramentum, & ejuſdem repoſitione dicamus.

Igitur ad Veſperas ſolemnitatis Corporis Chriſti fiant omnia, ut *ſup.* dictum eſt.

Veſperæ vero infra Octavam Corporis Chriſti ſolemniter pariter dicuntur, ſed parcius quam in die Feſto, attamen Altare debet decenter ornari candelabris, & aliis, & ſi non adſint Aſſiſtentes Sacri, ſaltem adſit Sacerdos aliquis, & Cæremoniarius cum celebrante, qui erit paratus, Amictu, Alba, Stola, & Pluviali coloris reſpondentis Officio, cujus Veſperæ celebrantur; quamvis Pallium Altaris, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, debet eſſe albi coloris. Ad faciendam expoſitionem SS. Sacramenti ante Veſperas, procedunt ad Altare dictus celebrans tecto capite, cum aliquo Sacerdote, Cotta induto, ſed ſine Stola, de qua tamen infra, & aliquis Cæremoniarius præcedente Thuriferario, & Ceroferariis, & juxta commendabilem nonnullarum Eccleſiarum morem, ſequentibus poſt Ceroferarios quatuor Clericis, vel ſaltem duobus, deferentibus intortitia accenſa, & cum pervenerint omnes ante infimum gradum Altaris, facta ab omnibus unico genu genuflexione in plano Capellæ, & depoſito bireto a Celebrante, reliqua peraguntur ſicut ſupra diximus de expoſitione facienda ante Veſperas ſolemnitatis Corporis Chriſti. Hoc ſolum tamen notandum ſupereſt, quod Sacerdos ille, aut Cæremoniarius, qui aſſiſtit celebranti, non debet adhibere Stolam niſi quando debet aperire oſtiolum, & pertractare SS. Sacramentum, ſeu Oſtenſorium in aliquo loco collocare, ſeu e ſummo Altari demittere. Et ſtatim ut has functiones pergerit, debet Stolam a collo pendentem ſibi auferre, & alicui Acolytho cuſtodiendam tradere,

vel

Digitized by Google

vel ſuper brachium ſuum dexterum eam deponere. Quod, Pontificibus ſtolatis, ſeu Sacerdotibus par ſit alios quoque ſtolatos Sacerdotes, ſeu Diaconos adeſſe, qui Auguſtiſſimum Sacramentum educant e Tabernaculo, vel ſuſpenſum demittant, vel Officia Eccleſiaſtica celebrantibus dent in manus, docet etiam, & erudite diſſerit de hoc Ritu Jo: Baptiſta Thiers in ſua Diſceptatione de Stola, &c. *c.* 28. quæ tamen Stola a prædicto aſſiſtente, ſeu Miniſtro non eſt adbibenda niſi modo ſupradicto, quem ad praxim reducunt in omnibus fere Eccleſiis omnes illi, quia accurate Sac. Ritus ſervare ſtudent. Aperto igitur oſtiolo Tabernaculi modo ſupradicto, & educto Oſtenſorio, cætera peragi debent, prout diximus paulo ante de expoſitione facienda in Feſto SS. Corporis Chriſti.

Facta vero Expoſitione, & facta in plano ante infimum Altaris gradum genuflexione utroque genu, cum profunda etiam Capitis inclinatione a celebrante, & cæteris aliis, ſurgit iterum, & recedit in Chorum nudo capite, comitantibus eum Ceroferariis, ubi adhuc tenens Pluviale de more, dictis prius ſecreto, *Pater noſter*, & *Ave Maria*, incipit, & proſequitur Veſperas, prout fieri ſolet, & cætera peraguntur incenſando Altare ad *Magnificat*, ut diximus paulo ante de Veſperis celebrandis in Feſto Corporis Chriſti.

Hic notandum occurrit, quod ea omnia, quæ ſupra diximus de Expoſitione, quæ fit ante Veſperas, ſervanda erunt reſpective in Expoſitione, quæ fit ante alias Horas Canonicas; ſi tamen fieri debeat Expoſitio immediate ante Miſſam ſolemnem celebrandam, tunc fiet a Celebrante Planeta induto eo colore, qui ad Miſſam talis diei celebrandam congruit, & eidem Sacerdoti aſſiſtet Diaconus ad peragenda omnia, quæ ſupra dicta ſunt.

## De SS. Sacramenti Expoſitione, quacumque alia die, vel extra prædictas circumſtantias, facienda. §. IV.

XXX. Huc uſque egimus de Expoſitione SS. Sacramenti, quæ fieri ſolet infra Octavam Corporis Chriſti, nunc lubet aliqua tradere circa Ritus ſervandos in quacumque alia expoſitione aliis diebus facienda ejuſdem SS. Sacramenti. Igitur ſi exponi debeat Venerabile in Hoſtia præſanctificata, ut fieri communiter ſolet, & quæ aſſervatur in Tabernaculo majori; in Sacriſtia Clerici induunt Superpellicea, nimirum Thuriferarius, & Navicularius (ubi commode haberi poſſunt, alias ſolus Thuriferarius cum Navicula, & Thuribulo) deinde alii quatuor, aut ſaltem duo, qui deferre debent intortitia acceſa. Sacerdos qui Expoſitionem facere debet, decens eſt, ut paretur Amictu, Alba, Stola, & Pluviali albi coloris, & quod aliquis alius Sacerdos, ſive ſit Sacriſta, ſive Cæremoniarius, vel alius quicumque Superpelliceo indutus ei aſſiſtat, qui Stolam adhibere debet modo ſupra a nobis expoſito; hora debita, accenſis omnibus luminibus ad Altare, ubi fieri debet expoſitio, facta a prædictis omnibus inclinatione profunda Imagini Sacriſtiæ principali, præcedent Thuriferarius a dexteris cum Thuribulo non fumigante, & Navicularius a ſiniſtris, deinde quatuor, vel ſaltem duo alii Clerici deferentes funalia accenſa, poſt quos Cæremoniarius, aut alius Sacerdos Cotta indutus, *ut ſupra*, & denique alius principalis Sacerdos Pluviali indutus, ambo tecto capite, & manibus junctis ante pectus.

Cum pervenerint ante Altare, dicti duo Sacerdotes cedent ſua bireta Cæremoniario, aut Alii Aſſiſtenti, qui ea accipit cum quali oſculis. Tum genuflectunt Sacerdotes unico genu, aliis poſt eos genu pariter unicum ſimul flectentibus in plano, & omnes orabunt in locis ſuis aliquantiſper. Nimirum principalis Sacerdos, & alius Sacerdos illi aſſiſtens genuflexi in infimo gradu: reliqui vero in plano Capellæ. Poſt brevem illam orationem ſurgit Sacerdos Pluviali indutus, & ſi non habeat alium Sacerdotem ſibi aſſiſtentem, ipſemet accedit ad Altare, aperit Tabernaculum, extrahit Oſtenſorium cum præcedente genuflexione unico genu, & ponit ſuper Corporali in Altari præparato. Si autem Hoſtia conſecrata fuerit in Pyxide, eam de Tabernaculo extrahet, ponet ſuper Corporale, aperiet, genuflectet, & Hoſtiam collocabit in Oſtenſorio, utrumque claudet, abluet digitos, purificatorio abſterget, genuflectet, Pyxidem in Tabernaculo reponet, iterum genuflectet, claudens oſtium magni Tabernaculi, & Oſtenſorium in medio collocabit, *ut ſup.* tum genuflectens, deſcendit ad infimum Altaris gradum, & retrahens ſe aliquantulum in cornu Evangelii, ibique ſtans, imponet incenſum in Thuribulo abſque benedictione (vel imponet incenſum in Thuribulo antequam ab Altari deſcendat, ut ſupra dictum eſt) & nihil dicens; deinde in eodem infimo Altaris gradu, genuflexus accipit Thuribulum ſine oſculis, & ter incenſat Sacramentum profunde ſe inclinando ante, & poſt; mox reddito Thuribulo, aſcendit ad Altare; genuflectet, & Oſtenſorium cum Sacramento ponet in ſuo loco eminentiori, ubi collocato Sacramento genuflectit, iterum deſcendit in planum, & facta ab omnibus genuflexione duplici genu, redeunt in Sacriſtiam.

Si aliquis Sacerdos aſſiſtat dicto Celebranti, tunc peragentur ab ipſo ea, quæ ſupra expoſuimus circa extractionem Hoſtiæ, vel Pyxidis e Tabernaculo, & collocationem Oſtenſorii ſub Baldachino. Quo facto, Sacerdos Pluviali indutus, peragit ea omnia, quæ diximus ſupra circa incenſationem Sacramenti.



## De Venerabilis depoſitione, & modo recondendi Sanctiſs. Sacramentum. §. VII.

XXXI. Paululum ante depoſitionis tempus Clerici, & alii in Sacriſtiam ſe recipient, ibique reſument ea, quæ paulo ante ad expoſitionem aſſumpſerant, ſed præterea requiritur alius Clericus, vel Navicularius, qui deferat velum album oblongum reponendum humeris Sacerdotis, qui Populum cum Sacramento benedicere debet. Aliqui requirunt etiam alium Clericum, qui inſerviat de libro, ſive Rituali, ſive Miſſali, in quo contineantur preces, & Orationes legendæ. Præterea indui debent Superpelliceis quatuor, vel ſaltem duo, qui deferre debent intortitia accenſa, ſicut diximus in Expoſitione SS. Sacramenti. Tum Sacerdos veſtit ſe, *ut ſupra*, Amictu, Alba, Cingulo, Stola tranſverſa in modum Crucis, & Pluviali albi coloris; & quia juxta a nobis ſuperius dicta, & juxta ſententiam Tonellii *lib.* 3. *c.* 2. §. 3. *n.* 2. Caſtaldi *lib.* 2. *ſect.* 10. *c.* 2. *n.* 25. Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *num.* 5. decet ad majorem ſolemnitatem, ut alter Sacerdos deponat, & reponat SS. Sacramentum, & aſſiſtat primo Sacerdoti, Populum benedicturo, ideo hic ſecundus Sacerdos eodem tempore aſſumet Superpelliceum, non tamen ſtatim aſſumet Stolam, ſed eam adhibebit eo modo, quo ſupra expoſuimus, quia non decet ut Sacerdos Sacerdotali habitu indutus, qualis eſt Stola, aſſiſtat alteri Sacerdoti. Ita induti procedunt omnes tempore opportuno ad Altare, ubi eſt Expoſitum SS. Sacramentum, eodem ordine ſervato, prout fecerunt in expoſitione; ita tamen ut Clerici de libro, & de velo, ſi interſint, eant poſt Clericos intortitiorum, & ante Cæremoniarium, ſive Sacriſtam; Sacerdos autem adjutor incedet ante Sacerdotem Pluviali indutum, & ambo tecto capite, & manibus junctis; ſtatim ac Sacellum ingreſſi fuerint dicti Sacerdotes, cedunt ſuum biretum Cæremoniario, vel Sacriſtæ, & ante Altare, tam iſti, quam alii in utrumque genu in plana terra procumbent, & ſurgentibus Sacerdotibus, ſurgent omnes, & genuflectent iterum prout fecerunt in Expoſitione.

Huc ſpectat adnotare ea, quæ traduntur ab Hippolyto a Portu hoc loco *Append.* 2. *n.* 3. nimirum quod ſi depoſitioni SS. Sacramenti intereſſet Card. aut Epiſcopus Loci, aut Princeps laicus, cui deberetur reverentia; videtur opponi diſpoſitioni Cærem. Epiſcop. praxis illa, qua poſt genuflexionem exhibitam Sacramento, Sacerdos, & alii ſeſe inclinant Card. Epiſcopo, &c. unde convenientius videtur, quod potius antequam perveniat ad medium Altaris Sacerdos Pluviali indutus, & hic, & reliqui ſeſe inclinent, ut præſcribi videtur ab eodem Cæremon. Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 13. Poſt brevem orationem factam, aut poſt finem Officiorum, quæ forte cantantur in Choro, Sacerdos adjutor impoſita ſibi Stola, accedit ad Altare, ubi genuflectit utroque genu, manibus ſuper Altare poſitis ad differentiam Diaconi (qui nunquam Altare tangit) faciem convertendo ad cornu Epiſtolæ tantiſper, ne terga vertat Sacerdoti principaliori, inclinat, & accedens ad medium aſcendit ſcabellum graduatum, ſi opus eſt, ut deponat Venerabile a loco eminentiori ſuper Corporale explicatum in Altari; deinde retrahens ſe, & genuflectens, & inclinans, *ut ſup.* depoſita Stola, vel ſuper brachium ſuum eam collocando, vel alicui Acolytho eam tradendo, deſcendit, & pergit ad locum ſuum abſque eo quod terga Sacramento vertat per latus ſuum dexterum.

Tum principalis Sacerdos dum cantatur *Tantum ergo* a Choro ad ℣. *Genitori Genitoque* ſe erigit cum Sacerdote adjutore, imponit incenſum in Thuribulum abſque benedictione, & incenſat Sacramentum genuflexus, in infimo Altaris gradu, prout diximus ſupra poſt Proceſſionem ſolemnem in Feſto Corporis Chriſti. Cantores dicant ℣. *Panem de Cælo*, *&c.* cui additur *Alleluja* tempore Paſchali ſolummodo, & in tota Octava Corporis Chriſti, alias non dicitur, ut patet ex Decreto edito die 5. Jul. 1698. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 523. mox Celebrans erectus abſque nova genuflexione, ut declaratum eſt a S. R. C. die 6. Septembris 1698. & habetur in noſtro Indice *ſub num.* 538. Sacerdote adjutore, vel Cæremoniario librum ſuſtinente (omiſſo ℣. *Dominus vobiſcum*, ut ſupra ibidem diximus) cantat Orationem manibus junctis cum brevi concluſione, ut diximus, qua finita, genuflexus accipit velum humerale a Cæremoniario, vel a Sacerdote aſſiſtente, & ſolus aſcendens ad Altare, factiſque debitis genuflexionibus accipiet in manibus, coopertis dicti veli humeralis extremitatibus, Oſtenſorium, & dat cum ipſo benedictionem Populo eo modo, quo deſcripſimus ſupra poſt Proceſſionem ſolemnem in Feſto SS. Corporis Chriſti, unde recolantur, quæ ibi dicta ſunt a *n.* 18. uſque ad *n.* 24. incluſive. Poſt benedictionem repoſito ſuper Altare SS. Sacramento, deſcendit, & amoto velo humerali genuflexus manet in infimo gradu Altaris. Sacerdos poſtea adjutor Stola collo ſibi impoſita, factis debitis reverentiis SS. Sacramentum in Tabernaculo majori includit, quo

X recon-

reconditо, deſcendit ante infimum Altaris gradum ad locum ſuum, & ſurgentibus cæteris, omnes unicum genu flectentes, ut alias, redeunt in Sacriſtiam ordine quo venerant, ſed Sacerdotes tegunt capita ante Altare, antequam e Presbyterio diſcedant.

Huc uſque dicta ſunt fere omnia certa apud omnes Auctores, ſolum diſcrepantia aliqua reperitur circa circumſtantiam temporis, in qua debet incenſari Sacramentum a prædicto Sacerdote principali; nos enim docuimus debere incenſari, poſtquam a Sacerdote adjutore eſt depoſitum e loco ſuo eminenti, & poſitum ſuper Corporale in Altari explicatum; alii vero (& hæc eſt praxis Eccleſiarum Urbis) tenent, quod ſtatim ut prædicti Sacerdotes ad Altare pervenerint, facta genuflexione in plana terra utroque genu, ſurgant, & ſtatim genuflectant ſuper infimo Altaris gradu, ubi præmiſſa brevi Oratione, iterum ſurgunt, & miniſtrante Sacerdote adjutore Naviculam ſine oſculis, & Thuriferario Thuribulum, Sacerdos principalis imponit thus ſine Benedictione, & nihil dicens. Impoſito vero thure, dictus principalis Sacerdos genuflexus accipit Thuribulum de manu Sacerdotis a dexteris ſibi aſſiſtentis, & incenſat Sacramentum triplici ductu cum profunda inclinatione ante, & poſt, Sacerdotibus aſſiſtentibus, ſi ſunt duo, vel Cæremoniario cum Sacerdote aſſiſtente, ſi eſt unus tantum, hinc inde fimbrias Pluvialis elevantibus, & cum eo ſe pariter inclinantibus; interim cantatur *Tantum ergo* a Choro, & prædicta incenſatio fieri debet juxta ſuperius dicta, dum dicitur *Genitori, Genitoque*; poſtea Celebrans Ritu a nobis ſupra deſcripto, dicit Orationem, & dum accipit velum humerale ſibi a Cæremoniario, vel ab altero Sacerdote aſſiſtente impoſitum; Sacerdos adjutor impoſita ſibi Stola aſcendit ad Altare, & ſi opus eſt ſcabellum graduatum, ut deponat Oſtenſorium e loco eminenti, ubi eſt collocatum ſub parvo Baldachino, ſuper Corporale in medio Altaris explicatum. Quo facto, Sacerdos principalis aſcendit, & cætera peragit, prout ſupra deſcripſimus, ut det benedictionem Populo.

XXXII. Supereſt nunc, ut tradamus Decreta, quæ ſpectant ad Ritus ſervandos infra hanc Octavam SS. Corporis Chriſti.

Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti, poſſunt juxta conſuetudinem Eccleſiæ cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die Feſto, ac Dominica, ac die Octava. S. R. C. 15. Martii 1698. *in Alexandrina*, & datur in noſtro Indice *ſub num.* 80.

Infra Octavam SS. Corporis Chriſti probibentur Miſſæ Votivæ quæcumque, vel pro Defunctis, prout prohibet S. R. C. die 21. Junii 1670. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 442.

Idem confirmatur per aliud Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 627.

Anniverſaria Mortuorum infra Octavam Corporis Chriſti non ſunt facienda, niſi præſente Corpore, S. R. C. die 12. Septembris 1671. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 448.

Ex iis ſequitur, quod infra hanc Octavam non poſſet dici alia Miſſa Votiva, quam Solemnis pro re gravi.

XXXIII. Gav. num. 12. -- *Officium Dominica infra Octavam, &c.*) Solitum eſt octava die hujus Feſti poſt finem Completorii inſtituere Proceſſionem ad reponendum SS. Sacramentum, quæ non tam ſolemnis, & longa via, uti prima, ſed vel per Eccleſiam, vel parum extra eam fieri debet. Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 34. Gerlacus Vinitor *part.* 6. *art.* 5. *n.* 1. Dum dicitur Completorium, quamvis omnes de Clero non parentur, paratur tamen Subdiaconus pro Cruce ferenda, ſicut Celebrans paratur Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, & poteſt eſſe ille idem, qui Veſperas celebravit, quamvis hæc Proceſſio fiat poſt Veſperas, dantur tamen Miniſtri celebranti, ſcilicet Diaconus, & Subdiaconus parati Dalmatica, & Tunicella, ſed ſine Manipulis, ſed Diaconus cum ſua Stola Diaconali. Ita parati omnes, procedunt ad Altare, præcedentibus Thuriferariis, Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis cum cereis accenſis, tum Cæremoniariis, poſtea Celebrans, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, fimbrias Pluvialis tenentes, qui ſtatim ac Capellam, in qua SS. Sacramentum eſt expoſitum, fuerint ingreſſi, caput detegunt, & cum ad Altare pervenerint, omnes, ut alibi dictum eſt (exceptis Subdiacono de Cruce, & Ceroferariis, qui remanent extra Presbyterium) genuflectunt utroque genu, & cætera omnia alia præſtant reſpective, ut in Proceſſione ſolemniſſima in Feſto Corporis Chriſti, vel in Oratione quadraginta Horarum, vel in Feria V. in Cœna Domini, ut ibi notatum eſt, cum benedictione tamen, quæ datur cum SS. Sacramento in fine antequam recludatur in majori Tabernaculo, de cujus benedictionis Ritu ſervando ſatis ſuperque ſupra locuti ſumus.

Huc uſque ſermonem habuimus de ritibus ſervandis in Proceſſione ſolemniſſima hujus diei, nullum verbum faciendo de Ritibus Miſſæ, quæ in hac die, & per totam Octavam dicitur. Lubet itaque hoc loco alia etiam obſervare de tali Miſſa, de qua dicimus, quod in die ſolemni Corporis Chriſti, & per totam Octavam (quando fit Officium de illa) dicitur Miſſa uti notatur prædicto die in Miſſali in proprio de tempore cum Gloria, Sequentia, & Credo. Oratio in prædicta Feſtivitate eſt unica ſine ulla Commemoratione, etiam Octavæ Trinitatis ſi alicubi celebratur, & etiam ſine Commemoratione Feſti ſimplicis, ſi in eodem die incidat. Cenſet autem P. Didacus de Avendanno apud P. Gobat *tract.* 3. *num.* 731. *lit.* C. in collecta de Venerabili, inclinandum eſſe caput ad nomen Sacramenti ob rationem ibi adductam. Halden *part.* 1. *tit.* 31. *pag.* 194. cenſet Præfationem de Nativitate Domini ſine ejuſdem Communicantes per totam Octavam dici debere, niſi infra hanc dicatur Miſſa habens Præfationem propriam V. G. ab eo, qui celebrat Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis cum Octava, nam a tali dicenda eſt (ait præfatus Halden) infra Octavam utramque hanc ſimul occurrentem, præfatio de SS. Trinitate, ſive celebret de SS. Trinitate (ſubnectit ibi Halden; ſicuti debet niſi occurrat Feſtum duplex) ſive de Feſto alio duplici infra hanc Octavam occurrente, & tunc in Miſſa Feſti facienda eſt Commemoratio de Octava Sanctiſſimæ Trinitatis ante Commemorationem de Octava Corporis Chriſti, &c. Verum non ſubſiſtunt ea quæ dicit præfatus Halden circa Præfationem de Sanctiſſima Trinitate, & circa ejuſdem Commemorationem faciendam ab eo, qui celebrat illius Octavam, ante Commemorationem de Octava Corporis Chriſti, nam ex Decretis S. R. C. quæ traduntur in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii conſtat, quod Celebrantes utramque Octavam Sanctiſſimæ Trinitatis, & Sanctiſſimi Corporis Chriſti debent præferre hanc ſecundam Octavam, nempe Corporis Chriſti Octavæ Sanctiſſimæ Trinitatis, & revera valde congruum rationi eſt, quod concurrentibus duabus Octavis, præferatur magis privilegiata, qualis eſt procul dubio Octava Corporis Chriſti, minus privilegiatæ, qualis eſt Octava Sanctiſſimæ Trinitatis relate ad illos, qui illam celebrant, de qua prælatione Octavæ unius præ alia nonnulla dicemus ſuo loco in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Gavant. Comment. in Rubricas Breviarii Romani, nimirum ad *cap.* 19. *ſect.* 6. Quapropter Feria VI. & Sabbato infra Octavam Corporis Chriſti in tali concurrentia prædictarum Octavarum fieri debet de Octava Corporis Chriſti cum Commemoratione Feſti Trinitatis, & ſi occurrat Officium aliquod duplex in prædictis Feriis, Commemoratio Corporis Chriſti præcedere debet Commemorationem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Præfatio in Miſſa dicenda eſt illa, quæ dicitur in Octava Corporis Chriſti.

XXXIV. Gavant. num. 33. -- *Diverſa fuiſſe loca Stationalia, &c.*) Nomen Stationis ambiguum eſt, ut optime adnotat Mabillon in ſuo eruditiſſimo Commentario præfixo Ordinibus Romanis, quos ipſe evulgavit *num.* 5. Aliquando igitur Statio accipitur pro jejunio voluntario, quandoque vero uſurpatur pro ſtatu orantium, in quo ſenſu loquitur Tertullianus præſertim *Lib. de Orat.* Stationes appellabantur etiam dies illi, quibus Chriſtiani orabant, & jejunabant uſque ad Horam Nonam, & inde dicti ſunt dies Stationales; ut colligitur ex S. Cypriano *Epiſt.* 41. Tertull. *Lib. de Anima, de jejun. & lib.* 2. *ad uxorem*, & ex D. Ambroſ. *ſerm.* 25.

Deinceps vero Stationes appellatæ ſunt illæ Eccleſiæ, ad quas Clerus, & Populus agmine ſupplici inſtructo proficiſcebantur, & ibi conſiſtebant ad aliquam Divini Officii partem celebrandam, & hujuſmodi Eccleſiæ dictæ etiam ſunt loci Stationales. Olim apud Romanos in extraordinariis lætitiæ, vel luctus Feſtis in Templis omnibus Stationes Populo præcipiebantur.

Eſt etiam antiquus Ritus in Urbe, ut certis determinatis diebus Clerus, populuſque Romanus in unam aliquam conveniant Eccleſiam ſupplicationis cauſa, ubi ſacra fiunt, Sermones habentur, aliaque Divina Officia recitantur. Ad prædictam deſtinatam Eccleſiam, ſeu Stationes pergere poterat Clerus Romanus ſolemniter, aut private. Hoc ſecundum eveniebat quando unuſquiſque in locum indictum privatim ſe recipiebat. Primum vero contingebat quando cum ſolemni more, decantando Litanias, aliaſve preces, Pontifex, aliique omnes ad ſtatam Eccleſiam proceſſionaliter pergebant. Ejuſmodi ſolemnes Proceſſiones præcedebant, Collecta, nimirum coadunatio Clericorum in una Eccleſia, ut ex ea quaſi agmine facto ad locum Stationis procederetur: Sic dicta, quod in eo loco Clerus cum Populo colligebatur ad faciendam ſolemnem Proceſſionem, & quia in loco, ubi Collecta fiebat, Oratio ſuper Populum recitabatur ante egreſſum Proceſſionis ab Eccleſia; & inde factum eſt, quod hujuſmodi Orationes Collectæ appellatæ fuerunt, ut deducitur ex Micrologo *cap.* 3. & refert Mabillon *loc. cit.* Igitur in Statione quatuor occurrebant, nimirum Stationis indictio, Populi Collectio, Proceſſio Populi, & terminus Stationis, ſeu Statio ipſa. Indictio fiebat a Notario die Feſto proxime antecedente, & duo indicebat, nempe locum, quo omnes convenire, & ex quo egredi debebant, deinde locum Stationis, ad quem proceſſionaliter pergere jubebatur. Sic die 23. Aprilis in Feſto S. Gregorii, ejuſque Eccleſia fiebat indictio Stationis ad S. Petrum pro die 25. ejuſdem Menſis, & invitabatur Populus ad ſe coadunandum in Eccleſia S. Laurentii, ut inde procederet ad S. Petrum, ubi erat Statio. Hæc colliguntur ex iis, quæ traduntur a Frontone in Prænotatis eruditiſſimis ad ſuum Kalendarium §. 7. In aliis etiam Civitatibus ab Urbe Roma fiebant Stationes in majoribus Eccleſiis, & Epiſcoporum Cathedræ huc, & illuc transferebantur; Concilium

An-

Aurelianenſe IV. Ann. 541. *Can.* 3. clare id indicat. Turonibus Stationes per diverſas Eccleſias deſigoavit S. Perpetuus Archiepiſcopus, & id narrat Gregorius Turonenſis *lib.* 10. *c.* 30.

Quoniam vero prædictas Stationes Romæ antea vagas, vel certis Eccleſiis non addictas, S. Gregorius Magnus in ſuo Sacramentario conſtituit per certas Baſilicas, vel Beatorum Martyrum Cœmeteria, ideo Joan. Diaconus in ejuſdem Vita *lib.* 3. *c.* 18. *& lib.* 2. *c.* 6. ut notat Gavantus, ea omnia, a dicto Pontifice ordinara fuiſſe aſſerit. Omnibus tamen perſpectum eſt ante D. Gregorium Stationes prædictas inſtitutas fuiſſe, vel ob SS. Natalia, vel ob dies publicæ Proceſſionis, ſive Miſſæ ſacratiori tempore celebrandæ. Stationes ob SS. Natalia fiebant in eorum memoriis, vel in Cœmeteriis, ideſt in Eccleſiis, ſuper eorum Tumulis conſtructis, quæ ob id *Cœmeteria* quandoque appellantur; cum autem notiſſimæ eſſent SS. Feſtivitates, & memoriæ, ſaperfluum videbatur harum Stationum diem, & locum in Sacramentariis aſſignare. Stationes vero aliorum dierum, puta Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Adventus, Natalis Domini, Paſcharis, & ſimilium, cum incertæ eſſent, eas in Sacramentariis deſignare opus erat, ut omnibus manifeſtaretur ad quamnam Eccleſiam eſſet procedendum ad publicam Stationem. Unde S. Gregorius, eas certis diebus in ſuo Sacramentario addixit, ut a cunctis dignoſci poſſint Stationum loca.

Hæc diximus, ut nibil omirteretur eorum, quæ afferri poterant pro Gavant. aliorumque ſeotentia, quibus placet, ante Gregorium vagas fuiſſe Stationes; Cæterum ſi Kalendarium Romanum a doctiſſimo Martene vulgatum *tom.* 4. *Theſ. Anecd.* eam ſibi antiquitatem vindicat, quam illi Auctnr attribuit, fatendum eſt, Stationes Adventus, & Quadrageſimæ certis fuiſſe Eccleſiis addictas longe ante Gregorium, cum in ea aſſignatæ legantur. Verum quidem eſt, quod in Sacramentariis Gelaſiano, & Leonino nullæ Stationes inveniuntur, neceſſe tamen non erat illas deſcribere in Sacramentariis, cum eſſent in Kalendario deſcriptæ. Quamvis autem fixæ, ac ratæ eſſent io Sacramentario Gregoriano Stationes, nihilominus mos erat eas Populo denunciari ab Archidiacono in publica Miſſa præcedente; ſed aliquando loco Archidiaconi id muneris præſtabat Notarius, cujus rei inſigne exemplum habetur in Actis Leonis III. & refertur a Mabillon, ut ſupra diximus.

Ad locum Stationum deferebantur ex Patriarchio Lateranenſi libri, vaſa Sacra, præeunte Cruce Stationali; Pontificem in Sella geſtatoria eo portari mos erat; aliquando tamen equo vehebatur. Leo IX. inſtauravit *Crucem auream*, quæ (*ut mos antiquitus eſt*, ait Anaſtaſius) *Subdiaconi manibus ferebatur prædeceſſorum Pontifi:um*. Presbyteria etiam, ideſt Erogatiunes fiebant, tum ob Miniſtrorum obſequia, tum oh laudes, & acclamationes; immo Pontifex quandoque in ipſo itinere cauſas finiebat, ant certe ad ejus nutum, nomenclator, & Sacellarius, ut in primo Ordine Romano *n.* 2. Hæc ſummatim collecta ſunt ex iis, quæ tradidit Mabillon *loc. cit. n.* 5. Cæterum Stationes antiquiores eſſe D. Gregorio etiam aliis argumentis conſtat, præſertim quia S. Hilarius, qui multo tempore ante D. Gregorium Romanam rexit Eccleſiam, conſtituit in Urbe *Miniſtrales*, qui circuirent conſtitutas Stationes, ut refert Macrius in Hierolexico. *V. Statio*. Miniſtrales autem dicebantue Clerici illi, qui ad ſerviendum Miſſis in iis Eccleſiis, in quibus Stationes celebrabantur, erant deſtinati, ſicuti Subdiaconi Stationarii dicebantur illi qui Pontifici in Stationum Eccleſiis Celebranti miniſtrabaot.

Chronicorum Orientalium Auctor hunc uſum Stationum S. Cyrillo refert acceptum, nullo tamen fundamento nixus, ut notat Grancolas *lib.* 2. *ſui Comment. Hiſtor. in Brev. Rom. c.* 44. quia Starionum uſus nonniſi in Occidente cognitus fuit. Reliqua ad ejuſmodi Statiunes ſpectantia legi poterant apud allegatos Auctores ibidem, & apud Pompejum Ugonium in Hiſtoria Stationum Romæ edita, & apud Honuphrium Panvinium in Libello de Stationibus.

### De Rubricis propriis Miſſarum de Sanctis. XIII.

#### GAVANTUS.

1. A Vigilia S. Andreæ ſumunt exordium, quæ eſt Adventui Domini proxima, a quo fit initium, ur diximus in Propr. de tempore.

2. Illud autem eſt certum, tria de Sanctis fieri ſolita, Vigilias, Feſta, & Octavas, Vigiliæ a Paſtoribus cęperunt, qui Vigilias, naſcente Chriſto, cuſtodierunt, & tota nocte ante quædam Feſta vigilabatur a Populis noſtris; ſed ob ſcandala noctu contingentia, jejunio, & Vigiliarum nomine retentis, Vigiliæ fuerunt interdictæ, ait *Honor. in Gemma lib.* 3. *c.* 6.

3. A S. Ambroſio vulgo dicuntur interdictæ, ſed *Baron. in Notis Martyrologii ad* 5. *diem Januarii*, probat fuiſſe potius auctas Vigilias rempore S. Ambroſii; neque tunc ſcandala fuiſſe, de quibus cum opinione vulgi loquitur Honorius; neque unquam fuiſſe verum, S. Ambroſium interdixiſſe Vigiliarum uſum.

4. Indictæ vero ſunt Vigiliæ Sanctorum, tum, ut Feſtum præveniendo ſit ſolemnius, *ex Radulph. propoſ.* 19. tum, ut temporali eorum anguſtiæ compatiamur, & per pridianam purificati abſtinentiam dignius celebremus ſequentis Feſti lætitiam, *Alcuin. Paraſceve*.

5. Feſta Sanctorum Natalitia dicuntur a *Tertull. lib.* 6. *de Coron. milit.* qui Cœlo hioc emigrantes, naſcuntur, *Alcuin. de Div. Offic.* Feſta, quia jus in eis fatur, hoc eſt, dicitur, *Raban. lib.* 2. *cap.* 46. Feſtivitates, quaſi faſti divinitatis quia annuatim illis diebus jus divinitatis perſulvitur, *Honor. in Gemma lib.* 3. *cap.* 7. Celebritates, quaſi Cælibum, ideſt, caſtrorum Ritus, quia illis Ritus cæleſtium tamquam a Caſtris agitur. *Idem ibid.* Solemnitates, quia fieri ſolent in anno, *Belet. c.* 36.

6. Porro ex Apoſtolica traditione manant *ex Baron. Anno* 58. *num.* 93. qui citat *Clem. lib.* 8. *Conſtitut. cap.* 39. & probat; primum Feſtum Sancto Stephano dicatum fuiſſe; neque Martyrum ſolum, ſed etiam Paſtorum, & Doctorum Feſta celebrata docet: *ex Gregorio Nyſſeno Oratione in laudem Baſilii, & ex Nazianz. Orat. in laudem Athan.* Feſta ramen Confeſſorum in Concil. Maguntiaco ſtatuta ſunt, air *Bellar. lib.* 2. *de Miſſa cap.* 20. *Anno* 813. ad excitandum, inquit *Auguſt. libr.* 20. *contra Feſtum cap.* 21. imitationem Sanctorum, vult ut in meritis eorum conſociemur, & orationibus adjuvemur; alias affert cauſas *Johan. Dam. lib.* 4. *c.* 7. quæ in eaſdem fere reciduut.

7. De Feſtis autem Sanctorum illud poſſet hoc loco quæri: quando in Miſſali babuere locum ſingula Feſta, & apud quos, ſeu a quibus paulatim ad generalem conſuetudinem tranſiere? ſed hac de re fuſius, & commodius *in Commentariis ad Rubr. Brev. Rom.* ubi etiam de Auctoribus Officiorum cujuſque Miſſæ agemus.

8. Octavæ Sanctorum ad proroganda eorumdem Feſta, ut celebriora ſint, tum ad compenſanda ea, quæ in Feſtis negliguntur, ut ait *Radulph. propoſ.* 19. & quorumdam fiunt, ut Octavarum myſteria pateant, non autem omnium Feſtorum, ne viloſcant, *Durand lib.* 7. *c.* 1.

9. Myſteria vero ſunt: nimirum, quia per Octavas Sanctorum conſummatio doctrinæ *ex S. Hilario in Pſalm.* 118. ſolida eorum virtutis forma, *Clem. Alex. Strom.* 6. æterna animarum, & corporum glorificatio, *ex Ambr. enarrat.* 2. *ad Horontianum, & Auguſt. lib.* 2. *ſerm. in monte c.* 3. ſignificantur, quæ fuſius explicuimus *in Præfatione noſtra ad Octav. Rom. editam & approbatum a Sac. Rit. Congr. die* 19. *Febr.* 1622. a Moyſe, Salomone, Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus eas deduximus: Ritum etiam *ibid.* ſignificavimus, qui partim a Moyſe eſt, ut dies Octava æque ac prima colenda ſit, *Levit.* 23. partim ex conſuetudine antiqua Eccleſiæ, quæ intermedios dies celebrat, ac ſi eſſent temporis Paſchalis, ideſt, cum lætitia, ait *Radulph. loc. cit.*

10. Duo ſuperſunt, alterum ad benedictionem Candelarum ſpectat, & Proceſſionem, in Feſto Purificationis B. V. alterum quando plures Miſſæ in diebus Sanctorum Feſtis ſint cantandæ.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 3. -- *Neque unquam fuiſſe verum, S. Ambroſium interdixiſſe Vigiliarum uſum, &c.*) Erant igitur illi, qui auctoritate cujuſdam aſſerti Sermonis S. Auguſtini *ad Fratres in Eremo* (qui eſt *Ordine* 25. juxta editionem veterem) affirmant D. Ambroſium ad perſuaſionem D. Monichæ, uſum Vigiliarum ea de cauſa ab Eccleſia eliminaſſe, quod Chriſtianorum plurimi illud noctis tempus ludendo, & Choreas ducendo tranſigerent, nam hoc validis argumentis, Baron. a Gavant. citatus, *in notis Martyrologii ad quintam diem Januarii lit. A* falſiſſimum eſſe, & ab Auguſtiniano calamo alienum demonſtrat. Igitur, ut ait idem Baronius ibidem, non Ambroſius, non Auguſtinus, nec alius Orthodoxorum iis temporibus, Vigilias nocturnas Eccleſiaſticas abrogavit, vel minuit, ſed impuriſſimus Hæreſiarcha Vigilantius, Vigilias, ſui nominis hoſtis, impugnavit, ſicque minuere conatus eſt, ut nonniſi ſemel in Anno, in Paſchali ſolemnitate Vigilias peragendas eſſe jactaret; ita ex Hieronymo *adverſus Vigilantium*, cujus intentio ad abrogandas in Eccleſia Dei Congregationes tendebat; idem Baronius *Anno* 51. quæ omnia confirmari poſſunt *Can.* 1. *Matiſconenſis Concilii* habiti Anno 581. duo ferme Sæcula poſt DD. Hieronymum, & Auguſtinum, in quo Canone approbantur Vigiliæ ante Dominicas totius Anni, quæ aſſidue a Fidelibus frequentabantur, & quamvis Conc. Antiſſiodorenſe *Can.* 3. prohibuiſſe videatur Vigilias, non de Vigiliis ſacris, & publicis in Eccleſia celebratis egiſſe, ex ejuſdem verbis ſatis liquet. Eliberitanum vero Conc. *Can.* 35. interventum Fœminarum in Vigiliis utique prohibuit; alii vero perperam Vigiliarum nocturnarum prohibitionem Bonifacio Papæ I. tribuunt. S. Leo Papa, qui tertio loco illi ſucceſſerat, Vigiliarum obſervantiam crebro in ſuis Sermonibus inculcat. De hac materia in Additionibus noſtris *ad ſect.* 3. *c.* 7. *tom.* 2. continentis Commentaria ad Rubr. Brev. Rom. iterum ſermonem habebimus.



Digitized by Google

### De Benedictinne Candelarum, & Proceſſione in Feſto Purificatinnis B. V. XIV.

### G A V A N T U S.

1. PUrificatio B. V. dicta eſt Feſtum Simeonis, & Annæ, Præſentationis, Occurſus, a Græcis, Hypante, ſeu Hypapante, hoc eſt obviatio, occurſus; & cœpta eſt coli Conſtantinopoli ſub Juſtiniano Imperatore, *ex Niceph. l. 17. c. 28.* Romana Eccleſia recepit Anno 542. *ex Sigeberto*; at ſub Gelaſio, *ait Baron.* qui abſtulit Lupercalia circa Ann. 496. imn etiam ante: nam habetur *in Comite S. Hieron.* lege *Baron. Ann.* 544. certe ante S.Gregorium, in cujus quoque *Sacram.* legitur. Sergius Papa addidit Litanias, ſeu Proceſſionem cum cereis benedictis, *ex Ord. Rom.* ſed ante Sergium S. Eligio tribuit hunc cereorum Ritum, *Baron. in Martyrol.* qui obiit circa An. 665. *ex Sigeberto*; habuitque de his cereis benedictis ſermonem. *Beda in lib. de tem.* affert cauſam: vice, ait, luſtrationis, quæ in ſecundo menſe Plutoni fiebat, accenduntur cerei quaſi lucentes bonorum operum lampades, ut obviam Chriſto eum Virginibus eamus, aliam habet *Rupert. lib. 3. c. 25.* ut cum Simeone geſtemus Chriſtum velut in ulnis, quem cereus deſignat, genitus ex ape opere virginali una cum melle divinitatis.

2. Nunc Rubr. hujus Feſti proprias explanemus. Primo, veſtiendum erit Altare pallio violaceo ſuper album, ita ut facile quoque ante Miſſam dımoveri queat.

### Nnvæ Obſervatinnes, & Addiriones ad Gav. Commentarium; De origine, & antiquitate Feſti Purificationis B. V. §. I.

I, Gav. n. 1. *A Græcis Hypante, ſeu Hypapante, &c.*) Feſtum hoc Purificationis B.M.V. Græco nomine *Hypante*, ſeu *Hypapante*, dicitur, quaſi occurſus, quo alicui honoris, & officii gratia obviam itur. Quoniam vero hoc Feſtum inſtitutum fuit ab Eccleſia in memoriam illius diei, quo Chriſto cum Matre, & Joſepho ad Templum accedenti obviam venerant Simeon, & Anna gratulantes, & benedicentes Deo, ut habetur etiam in Menologio Græco ad hanc diem, ideo in Eccleſia Orientali prædictum nomen *Hypante*, ſeu *Hypapante* ſortitum eſt; ab aliquibus vero dicitur Hypante Domini, ab aliis autem Hypante Simeonis, & Annæ, ſed a Theophilacto Simocatta *lib. 8. Hiſtoriæ cap. 4.* appellatur Quadrageſima dies celebritatis Natalium *Magni Dei Jeſu*. Ex præcepto ſiquidem Legis Moſaicæ Mulier, quæ Maſculum pepererat, elapſis quadraginta diebus purificabatur in Tabernaculo, & poſt Templum a Salomone conſtructum in Templo, oblationibus a lege præſcriptis, & quamvis puriſſima Dei Genitrix, quæ de Spiritu Sancto conceperat, nulla prorſus Purificatione indigeret, & a prædicta legis veteris diſpoſitione immunis eſſet, ut certum eſt apud omnes, & clare oſtendit Laurentius Maffæi in ſuis eruditiſſimis notis ad Sigonianam Hebræorum Rempublicam, quæ extant *tom. 4. Collectan. Mediolan. pag. 224. annot. 58. & 59.* nihilominus Beatiſſima Virgo, quadraginta diebus elapſis a ſalutifero partu, voluit prædictam legem adimplere, & cæteris puerperis ſe conformare.

II. Gav. eodem num. 1. -- *Et cœpta eſt coli Conſtantinopoli ſub Juſtiniano Imperatore, &c.*) Prædictum Feſtum Hypante prius inſtitutum fuiſſe apud Græcos, quam apud Latinos, conveniunt rerum Eccleſiaſticarum Scriptores. Cedrenus refert inſtitutionem hujus Feſti ad Ann. nonum Juſtini Magni, cum Antiochia corruit gravi terræmotu concuſſa, Anaſtaſius Bibliothecarius in Hiſtoria Eccleſiaſtica Theophanis opinioni adhærendo, illam Juſtiniani ævo conſignat, dicendo: *Anno Juſtiniani 15. Menſe Octob. facta eſt Bizantii mortalitas, & eodem Anno Hypante ſumpſit initium, ut celebraretur apud Bizantium ſecunda die Febr.* Eadem habet Landulphus Sagax *in Vita Juſtiniani*, Sigebertus *in Chronico ad Annum* 542. adhæret eidem ſententiæ, & apud Martyrologium Uſuardi die ſecunda Febr. hæc leguntur: *Hypante Domini, & Purificatio B. V. quod Feſtum tempore Juſtiniani Imperatoris apud Bizantium, ſeu Conſtantinopoli ſumpſit exordium.*

Verum nonnulli Scriptores Feſti hujus inſtitutionem in Eccleſia Orientali longe antiquiorem exiſtimant, putant enim Methodium Epiſcopum primo Olympi, & Pataræ Maritimarum Lyciæ Urbium, tum Tyri in Fænicia, qui quarto ineunte Sæculo martyrii palmam adeptus eſt, putant, inquam, Methodium illius feciſſe mentionem in Homilia edita a Clariſſimo Combefiſio in Amphilochio, ſicut & Gregorium Nyſſenum celeberrimum ejuſdem Sæculi Scriptorem, alioſque a Bollando *tom. 1.* Menſis Febr. & a Petro Galiſinio laudatos in ſuis eruditis Adnotationibus ad Martyrologium 4. *nonas Febr.* Addunt Cyrillum Hieroſolymitanum de cæremonia etiam Cereorum verba feciſſe; idcirco concludunt vel Juſtinianum inſtituiſſe Conſtantinopoli Feſtum, quod jam pridem in aliis Orientalis Eccleſiæ Provinciis colebatur, vel nova ſanctione inſtauraſſe hujuſmodi Feſtum ſolemniori Ritu celebrandum, Huic ergo ſententiæ meum facile præberem aſſenſum, ſi certo conſtaret, laudata opera iis eſſe Auctoribus adſcribenda, quorum nominibus inſignita ſunt. Verum Thomaſſinus *lib. 2. de Feſt s c. 11. nu. 6.* aliique Scriptores putant ea opera eſſe adjudicanda illis Patribus, vel decepta fuiſſe ex aliis eorumdem operibus, præſertim ex Commentariis in Evangelium Lucæ, ubi myſteria hæc enarrantur. Quidquid tamen ſit de hac opinione in illis veterum Teſtimoniis fundata, fatetur nihilominus ipſe Thomaſſinus ſuſpicari poſſe Feſtum hoc ante Juſtinianum alicubi fuiſſe peractum; propterea quod Nicephorus ſcribat præcepiſſe Juſtinianum, ut toto Terrarum Orbe celebraretur.

III. Gavant. eodem n. 1. -- *At ſub Gelaſio ait Baronius, ubi abſtulit Lupercalia circa Annum 496.*) Quando inſtitutum ſit in Eccleſia Occidentali hujuſmodi Feſtum, adhuc incertum eſt. Si Romanum Kalendarium a Martene vulgatum *tom. 4. Theſauro Anecd.* deſinente Sæculo IV. vel ineunte V. exaratum fuiſſet, quemadmodum doctiſſimus ejus editor ſibi perſuaſit, certiſſimo argumento probaretur hujuſmodi ſolemnitatem antiquiſſimam eſſe, & prius in Occidentali, quam Orientali Eccleſia inſtitutam, eum in eo iſta legantur: *Die ſecundo menſe Februario Hypapante, &c.* ſed nonnulla ſunt in prædicto Kalendario, quæ tantam illi vetuſtatem adjudicant, immo ex hoc ipſo doctiſſimus Plinius *in Tractatu Hiſtorico Chronologico de Liturgia antiqua Hiſpanica c. 9. §. 5.* ſuſpicatur minoris illud Kalendarium antiquitatis eſſe. Sane incredibile omnino videtur hujus Feſti nullam feciſſe mentionem Sacramentarium a Gelaſio conſcriptum, ſi jam ab initio Sæculi quinti celebratum fuiſſet in Eccleſia Romana. Baronius, cujus ſententiam noſter Gavantus amplectitur, in notis ad Martyrologium Romanum, credidit hujus ſolemnitatis inſtitutionem *in* Eccleſia Latina Gelaſio Romano Pontifici eſſe tribuendam, qui Anno 496. ſuſtulit Lupercalia, quæ Menſe Februario Romæ peragebantur, idque colligit ex Libello Apologetico ejuſdem Pontificis contra Andromacum Senatorem, Annalibus ſuis inſerto, ex quo etiam colligit Gelaſium Lupercalium abolitione cæremoniæ luminarium viam aperuiſſe. Longius progrediuntur Edmundus Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.* 15. & Jacobus Eveillon *in libro de Proceſſionibus Eccleſiaſticis cap.* 7. iſti enim conſtanter affirmant cæremoniam accenſorum cereorum a Gelaſio I. Summo Pontifice inſtitutam fuiſſe, quod ex citato Libello adverſus Andromacum ſibi colligere poſſe videntur. Quod ſpectat ad Feſtum confidenter affirmo Gelaſio adſcribi non poſſe, illius enim mentionem feciſſet in ſuo Sacramentario. Ex quo evidenter ſequitur neque Proceſſionis hodiernæ, & cæremoniæ cereorum inſtitutorem fuiſſe, nihilominus negare non poſſum huic cæremoniæ viam aperuiſſe Gelaſium, quod negat Vir eruditiſſimus, mihique amiciſſimus Laurentius Maffei in notis ad vitam Sergii Pontificis *num.* 8. ea ratione doctus, quod in Apologia Gelaſii adverſus Andromacum nullum verbum de Ritu luminarium occurrat; attamen cum Ritus ille Lupercalium, & luſtrationum, qua a Paganis Menſe Febr. in Plutonis honorem fieri conſueverat, abolitioni ſuffectus fuerit, ut teſtatur Beda *in lib. de temporum ratione* his verbis: *Secundum menſem Numa dicavit Februo, ideſt Plutoni, qui luſtrationum potens credebatur, luſtrarique eo menſe Civitatem neceſſe erat quo ſtatuit, ut juſta* (ideſt Sacrificia, ut idem Beda interpretatur *lib. de diviſionibus temporum*) *Diis manibus ſolverentur, ſed hanc luſtrandi conſuetudinem bene mutavit Chriſtiana Religio, cum in menſe eodem, die S. Mariæ Plebis univerſa cum Sacerdotibus, ac Miniſtris, hymnis modulatæ vocis per Eccleſias, perque congrua Urbis loca procedit, datoſque a Pontifice cunctis cereos in manibus geſtant ardentes*. Certe qui Lupercalia delevit ſuffectæ cæremoniæ viam aperuiſſe videtur, cum Lupercales ludi ſine luſtratione non fierent, nocturno enim tempore peragebatur; cum inſtituta eſſent menſe Febr. Diis Inferis ſacro, quibus Sacrificia de nocte fieri ſolebant. Videatur Pitiſcus v. *Februarius*, & v. *Lupercalia*, ubi reperietur Lupercalia cum luſtrationibus fuiſſe conjuncta. Ut redeamus ad Feſtum, probabiliter opinamur vel Juſtiniani temporibus, vel paulo poſt ipſum ab Eccleſia Romana fuiſſe ſuſceptum, ejus enim meminit Gregorius in ſuo Sacramentario, tum a Pamelio, tum a Menardo vulgato, tum etiam ab antiquiori, quod vidit Card. Thomaſius.

IV. Gav. eodem n. 1. -- *Sergius addidit Litanias, & Proceſſiones cum cereis accenſis.*) Non deſunt qui velint Sergium hodiernæ Proceſſionis auctorem eſſe, libri Pontificalis, & Romani ordinis auctoritate ſuffulti. Sed ante Sergium Ritus hic in Hiſpania, & Gallia vigebat, ut conſtat ex Sermone primo S. Idelphonſi, qui floruit Anno 644. & ex Homilia ſecunda in Purificatione S. Eligii Novionenſis Epiſcopi, qui obiit Anno 665. Solum igitur ſuſpicari poſſumus Sergium, qui præfuit Romanæ Eccleſiæ Anno 687. Cæremoniam hanc Romam quoque invexiſſe, id enim quod certo affirmari poteſt de Sergio eſt, ipſum ordinaſſe, ut Proceſſio hujus Feſti, ſicut & Annunciationis, Nativitatis, & Aſſumptionis B. M. V. exiret ab Eccleſia S. Adriani, & terminaret ad Eccleſiam S. Mariæ Majoris, ut ſcribit Auctor libri Pontificalis in ejus Vita. Hinc colliges hæc verba: *Oratio ad Collecta ad S. Adrianum*, & alia: *Miſſa ad Sanctam Mariam Majorem*, quæ hac die leguntur in Sacramentario Gregoriano a Pamelio evulgato, addita fuiſſe poſt Sergii

Digitized by Google

gii tempora. Alter enim Codex Gregorianus a Thomaſio viſus, & examinatus (& cujus ope exhibentur Additiones, quæ in Pameliano deſunt) illa verba omittit.

Unum ſupereſt addendum hoc loco, quod de benedictione prædictorum cereorum nulla fit mentio apud Amalarium, Walfridum, Strabonem, Alcuinum, Bedam, qui duo poſtremi cereos tantum a Pontifice dari aſſeruerunt. In Codice tamen Gregoriano, Gelonenſi, aliiſque ſupra nongentos Annos ſcriptis Sacramentariis, nihil ea de re extat. In aliquo Miſſali Eccleſiæ Turonenſis ante Annos 800. ſcripto unica Oratio *a luminaria benedicenda* reperitur, quam Martene *loc. cit.* exhibet cum quibuſdam aliis Ordinibus antiquis ad cereos benedicendos. Cætera ſpectantia ad hoc Feſtum legi poterunt apud citatos Auctores, necnon apud Florentinium in Martyrologio Hieronymiano, & apud Hiacintum de Graveſon *in tract. de Myſteriis Chriſti diſſ. 9. quæſt. ult.* & apud Menardum *in notis ad Sacramentarium Gregorianum pag. 40. & 41.*

### R U B R I C A.

3. *Si hoc feſtum* (a) *venerit in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, fit tantum candelarum diſtributio, & Proceſſio, & dicitur Miſſa de Dominica.* (b) *Miſſa vero Feſti transfertur in ſequentem diem.* (c) *Finita Tertia, Sacerdos indutus Pluviali violaceo, vel ſine Caſula, cum Miniſtris ſimiliter indutis, procedit ad benedicendum candelas in medio ante Altare, vel* (d) *ad cornu Epiſtolæ, poſitas,* (e) *& ipſe ibidem ſtans verſus Altare,* (f) *dicit in tono Orationis Miſſæ Ferialis, Dominus vobiſcum.*

### *G A V A N T U S.*

(a) *Venerit in Dominicis.* Fit aſperſio aquæ ratione Dominicæ ante benedictionem candelarum, nempe, antequam aſcendatur ad Altare.

(b) *Miſſa vero Feſti.* Fit benedictio cum Proceſſione, dilato Officio de Feſto in ſequentem diem, ex Decreto Clementis VI. niſi Eccleſia dicata ſit in honorem B. V. de qua eo caſu erit Miſſa, *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 16.* cantata altera de Dominica, quæ reſpondet Officio, ſed ego cenſeo, ſenſum Cæremonialis eſſe de Eccleſia ſub titulo Purificationis B. V. qua ratione, ſicuti dicitur Officium de ea ibidem, ita dici debet & Miſſa, quod ſi urgeas, de quacumque Eccleſia B. V. intelligi textum illum, duæ Miſſæ erunt cantandæ juxta Rubr. de Translatione Feſtorum ſupra *part. 1. tit. 6.*

(c) *Finita Tertia.* Ob rationem allatam *in 1. part. Rubr. tit. 15. num. 2.*

(d) *Ad cornu Epiſtolæ.* Eſt aptior locus ad Ritum; *in Ceremon. Epiſcop. lib. 2. cap. 17.* ibidem etiam paretur vas aquæ benedictæ, & Thuribulum cum Navicula; in ipſo vero cornu Altaris collocetur Miſſale apertum.

(e) *Et ipſe.* Oſculato prius Altari in medio, *ex Ord. Roman.* Miniſtri vero ſtabunt hinc inde; ſi quid omittimus hoc loco, repetite ea, quæ diximus in Dominica Palmarum, communia huic Benedictioni, & Proceſſioni.

(f) *Dicit.* Manibus junctis, Benedicturo Celebranti candelas, manu Diaconus elevet fimbriam Pluvialis anteriorem, ut alias diximus.

### R U B R I C A.

4. *Finitis Orationibus, Celebrans ponit incenſum in Thuribulum, deinde ter aſpergit candelas aqua benedicta, dicendo Antiphonam, Aſperges me, ſine cantu, & ſine Pſalmo, & ter adolet incenſo, tum dignior ex Clero accedit ad Altare, & ab eo Celebrans* (g) *accipit Candelam, non genuflexus, nec oſculans manum illius. Poſtea Celebrans ſtans in medio ante Altare verſus ad Populum diſtribuit candelas primum digniori, a quo ipſe acceperat, deinde Diacono, & Subdiacono paratis, & aliis Clericis ſingulatim per ordinem, & ultimo laicis omnibus genuflectentibus, candelam, & manum Celebrantis oſculantibus, exceptis Prælatis, ſi adſint: & cum inceperit diſtribuere candelas, a Choro cantatur Antiphona.*

### *G A V A N T U S.*

De incenſo imponendo, aſperſione aquæ, incenſatione, & diſtributione, *Ord. Roman.* quo autem Ritu, vide ſupra in benedictione Cinerum, & Palmarum, eſt enim eadem ratio.

(g) *Accipit candelam. Ord. Rom.* accendi jubet, & diſtribui, toleratur tamen alicubi, ut accendantur tantum initio Proceſſionis, ob longiorem diſtributionem, vel tenuitatem candelarum: & ne ob concurſum accidat macula ex fluenti cera ſupra veſtem Celebrantis.

Quo habitu dignior ex Clero accedat, diximus in benedictione Cinerum, & Palmarum; eodemque modo, quo palma traditur, tradatur & candela Miniſtris, ut ibidem, miniſtrantibus tum prælatis, & Canonicis qui manum Canonici celebrantis non oſculantur. Antiphon. & Cantic. repeti poſſunt uſque ad finem diſtributionis.



### R U B R I C A.

5. *His expletis, cantatur Antiphona; Exurge Domine, & repetitur, Exurge Domine. Deinde Sacerdos dicit, Oremus, & Diaconus flectamus genua.* ℟. *Levate; ſi tamen* (h) *poſt Septuageſimam venerit, &* (i) *non in die Dominica.*

### *G A V A N T U S.*

(h) *Poſt Septuageſimam.* Habet *Ord. Rom.*

(i) *Non in die Dominica.* Quæ Reſurrectionem Chriſti deſignat, & tempus Paſchale, in quo non genuflectimus: Celebrans autem numquam genuflectit, *ut in 1. part. Rubr. tit. 17. num. 3.*

### R U B R I C A.

6. *Deinde fit Proceſſio, & primo Celebrans imponit incenſum in Thuribulum. Poſtea Diaconus vertens ſe ad Populum dicit, Procedamus in pace, & Chorus reſpondet: In nomine Chriſti, Amen. Procedit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem medius inter duos Acolythos cum candelabris accenſis, ſequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a ſiniſtris, omnes cum candelis accenſis in manibus, & cantantur* (l) *Antiphonæ ſequentes.*

### *G A V A N T U S.*

Eadem omnino ſunt obſervanda, quæ notavimus in Proceſſione Palmarum: neque duo Subdiaconi adeſſe debent, quod aliqui ſcripſere.

(l) *Antiphonæ ſequentes.* Habentur *in Ord. Roman.* ſicut & quinque Orationes pro benedictione. Prima quoque Antiphona cum initio ſequentis habetur *in Sacramentar. Gregor.*

### R U B R I C A.

7. *Finita Proceſſione, Celebrans, & Miniſtri, depoſitis violaceis, accipient paramenta alba pro Miſſa, & candelæ tenentur in manibus accenſæ, dum legitur Evangelium, & iterum ad elevationem Sacramenti uſque ad Communionem.*

### *G A V A N T U S.*

Cauſæ deduci poſſunt eædem, quæ ſupra *part. 2. tit. 13. num. 13.* ſed a miniſtris candelæ non tenentur in Miſſa, a Celebrante ad Evangelium tantum: ab aliis ad elevationem quoque; ſtandum tamen erit, etiam cum candelis poſt elevationem, non genuflectendum.

8. Si ob pluviam non itur extra Eccleſiam, fiat idem, quod in ſimili caſu diximus in Proceſſione Palmarum.

9. Amovetur Pallium violaceum, ſi Miſſa dicenda de Feſto B. V. in qua Præfatio erit de Nativitate Domini, ex Decreto Gelaſii, *teſte Pamelio tom. 2. Liturgicon*, a qua Nativitate dies hæc 40. eſt, & terminus quidam legalis, unde & Collecta eſt de Chriſto præſentato principaliter, de Purificatione acceſſorie; *purificatis* (ait Eccleſia) *mentibus præſentari.*

10. An vero in Miſſa de Dominica Septuageſimæ ſint tenendæ candelæ accenſæ ad Evangelium, &c. ex verbis Rubricæ: *Fit tantum benedictio, & diſtributio candelarum, & Proceſſio, & Miſſa dicitur de Dominica*, & infra: *Accipiunt Paramenta alba pro Miſſa: & candelæ tenentur in manibus accenſæ, dum legitur Evangelium, &c.* videtur inferri candelas accenſas teneri in honorem B. V. & conſequenter in ejuſdem tantum Miſſa. *Marcellus in Cæremon. Papæ lib. 2. c. 28.* Meminit earumdem trium functionum, ut fiant; Miſſa autem, inquit, fit de Dominica, in qua, *ut in Diariis Cæremoniorum Capellæ* legitur, non ardebant candelæ benedictæ, neque Romæ in Eccleſiis Patriarchalibus Sancti Petri, Sancti Joannis, Sanctæ Mariæ Majoris accenduntur in prædicta Miſſa. Nota, quod in Capella Papæ nunc ſemper accenduntur; quia hodie ſemper ibi Miſſa fit de B. V. cujus nomine dicata eſt Capella, ex Decreto Clementis VIII. licet occurrat in Septuageſima.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c. Pro Ritibus ſervandis in Benedictione Candelarum. §. II.

V. Gavant. num. 2. -- *Primo veſtiendum erit Pallio violaceo ſuper album, &c.*) Non eſt neceſſe ut SS. Sacramentum amoveatur ab Altari, ubi facienda eſt benedictio Candelarum, ſi ibi ſit Tabernaculum Sacramenti, & id colligitur ex Cærem. Epiſcop. *lib. 2. cap. 1.* §. 2. ubi præcipitur Celebranti, ut genuflectat, ſi ibi aderit SS. Sacramentum in Tabernaculo.

Paratur Credentia prout de more, in qua præter conſueta pro Miſſa ſolemni, ponitur vas cum medulla panis, & aliud vas cum aqua, ſcilicet bucale cum, pelvicula, & manutergio pro lavandis, & extergendis manibus Celebrantis poſt diſtributionem Candelarum; inſuper etiam Crux proceſſionalis, parentur item Ritualia, vel libri proceſſionales, vas aquæ benedictæ, & Thuribulum cum Navicula; ex Bauldry *part. 4. c. 3. art. 1. n. 6. & 7.* & Turrino *part. 3. ſect. 1. cap. 1. de benedict. & diſtrib. Candelarum in die Purificationis.* §. *Parantur.*



Digitized by Google

Præterea in plano prope cornu Epiſtolæ paretur alia Menſa, ſive Credentia, Mappa munda cooperta, & ſuper eam ponantur Candelæ ceræ albæ benedicendæ, & pulchro linteo regantur, tanta vero ſit copia Candelarum, ut ſufficiant omnibus quibus diſtribui, & diſpenſari debent juxta loci conſuetudinem, ſed ea, quæ dabitur Celebranti ſit major præ cæteris, & reliquæ majores, & minores pro numero, & qualitate perſonarum, quibus diſtribui debent, & pro locorum uſu. Debet etiam Sacriſta reſervare ſufficientem numerum Candelarum pro Infirmis, & eas obſignare, ne diſtribuantur ſimul cum aliis.

In Sacriſtia præparentur Paramenta violacea, & alba reſpective, ſi dicatur Miſſa de Feſto, ſed pro Miniſtris Sacris pro benedictione Candelarum, & Proceſſione parantur etiam Planetæ plicatæ ante pectus, ſi iis prædicti Miniſtri Sacri utantur, ſed ſine Manipulis, ut videbimus infra.

VI. Rubr. & Gavant. num. 3. -- *Finita Tertia*, *&c.*) Circa finem Tertiæ, accenduntur ſex Candelæ Altaris, & apponitur Pallium violaceum Altari, ſi jam id factum non fuerit antea. Cum in Choro dicitur prædicta Tertia, Celebrans, & Miniſtri Sacri ſe parant in Sacriſtia, Celebrans, videlicet, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo. Diaconus vero Amictu, Alba, Cingulo, Stola Diaconali ſine Manipulo cum Planeta violacea ante pectus plicata. Subdiaconus etiam Amictu, Alba, Cingulo ſine Manipulo cum Planeta violacea ante pectus plicata. Acolythi vero induant Cottas, niſi prius id egerint.

Finita Tertia accedant ad Altare Celebrans, & Miniſtri Sacri parati cooperto capite, hoc modo. Primo præcedit Thuriferarius ſine Thuribulo, manibus junctis, nudo capite, habens a ſiniſtris alium Acolythum pariter nudo capite, & manibus junctis, qui ſuo tempore inſerviet de vaſe aquæ benedictæ. Poſtea ſequuntur duo Ceroferarii deferentes Candelabra cum candelis accenſis; deinde Cæremoniarius etiam nudo capite, & manibus junctis; ultimo Celebrans, medius inter miniſtros Sacros elevantes fimbrias anteriores Pluvialis manu proximiori, altera infra pectus admota, & tranſeundo per Chorum, antequam perveniant ad Altare Celebrans, & Miniſtri ſalutant hinc inde exiſtentes in Choro. Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 17. §. 1.

Si vero Celebrans ſit in Alba, & non habeat Pluviale, tunc Miniſtri Sacri præcedunt unus poſt alium manibus junctis, & cooperto capite. Bauldry *ſupra art.* 2. *num.* 4. Biſſus *lit. B n.* 84. §. 2. Gerlacus Vinitor *part.* 6. *tit.* 2. *n.* 6. Turrinus *ſupra* §. *Ordo*.

VII. Gavant. lit. e -- *Oſculato prius Altari*, *&c.*) Cum ad Altare pervenerint, deponunt bireta juxta ſolitum, & Ceroferarii deponunt Candelabra ſupra Credentiam; tum Celebrans medius inter Miniſtros Sacros aſcendit ad Altare (at ſi eſſet dies Dominica, fit prius aſperſio aquæ benedictæ ut de more) & illud oſculatur in medio, & cætera peragunt, ut optime notat Gavantus, & prout cum eo diximus in Dominica Palmarum. Quapropter legenda ſunt, & pro hac functione, & Proceſſione facienda, ea quæ ibidem a nobis addita, & obſervata fuere.

VIII. Gavant. lit. f -- *Manibus junctis*, *&c.*) Celebrans poſt Altaris oſculum, cum ſe receperit ad cornu Epiſtolæ, ibi manibus non extenſis, ſed junctis incipit in tono feriali *Dominus vobiſcum*, non vertens ſe ad Populum, & Orationem *Domine Sancte Pater*, *&c.* recitat cum ſequentibus, ut in Miſſali. Dum dicit *Oremus*, vel profert nomen *Jeſu*, vertit ſe ad Crucem (ſemper tamen junctis manibus) & caput inclinat; extenſio manuum ad Orationem, ut alibi diximus, fit ſolum in Miſſa. Bauldry *ſupra n.* 7. & Biſſus *ſupra* §. 3. *&* 4. & quia in his Orationibus occurrit aliquando eſſe benedicendas Candelas manu dextera, quando ſcilicet ad aliqua verba habetur hoc ✠ ſignum, tunc Celebrans dextera benedicit Candelas, ſuper illas producendo ſignum Crucis, ſiniſtra manu ſuper Altare poſita; & Diaconus elevat a dexteris fimbriam Pluvialis anteriorem, ut Celebrans libere dexteram movere poſſit. Biſſus *ſupra* §. 5. Bauldry *ſupra num.* 8. Vinitor *ſupra*.

In Choro dum fit hæc Candelarum benedictio; ſtant omnes verſus Altare nudo capite, inclinantes ſe ad nomen, *Jeſu*, & reſpondentes Celebranti quando opus eſt.

Dum a Celebrante dicuntur ultimæ Orationes, tempeſtive Thuriferarius præparat Thuribulum ponendo in eo ardentes Carbones, & alius Acolythus accipit Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, & ambo ſe locant in plano in cornu Epiſtolæ prope Diaconum uſque ad finem Orationum. Thuriferarius autem cum Thuribulo in dextera, & Navicula in ſiniſtra debet eſſe propinquior Diacono; Alius vero Acolythus tenens ambabus manibus Vas aquæ benedictæ ſtabit prope dictum Thuriferarium. Bauldry *ſup. n.* 10. Biſſus *ſupr.* §. 7.

IX. Rubric. num. 4. -- *Finitis Orationibus Celebrans ponit Incenſum*, *&c.*) Finitis poſtea Orationibus accedit Thuriferarius ad Altare, & Celebrans miniſtrante Diacono naviculam cum ſolitis oſculis, & Thuriferario thuribulum in eodem cornu Epiſtolæ, imponit, & benedicit Incenſum more ſolito, & ea omnia deinde peraguntur incenſando, & aſpergendo Candelas aqua benedicta, ſicuti factum eſt in benedictione Cinerum, & Palmarum. Aſperſis, & incenſatis Candelis, & reddito juxta morem aſperſorio, & thuribulo Diacono, Thuriferarius deponit thuribulum in loco congruo, & ſimiliter alius Acolythus vas aquæ benedictæ deponit, ut ambo Candelarum diſtributioni mox faciendæ inſerviant. Biſſus *ſupra* §. 10. Bauldry *ſupra n.* 11.

Hic notandum, quod non ſunt benedicendæ eæ Candelæ, quas quiſque tunc ante diſtributionem geſtat in manu; Gavant. *in Manuali Epiſcop. V. Benedictio num.* 12. neque diſtribui debent Candelæ, niſi præſentibus in Eccleſia. Candelæ benedictæ ad ægrotos tantum mittuntur. Idem Gavant. *ſupra n.* 13. & S. C. Epiſc. ita decrevit anno 1581.

X. Rubr. & Gavant. lit. g -- *Accipit Candelam*, *&c.*) Completa benedictione Candelarum, *ut ſupra*, Celebrans accedit ad medium Altaris; Diacono, & Subdiacono hinc inde comitantibus, tum facta Cruci ſimul mediocri inclinatione, ſtatim convertit ſe ad Populum, remanente Diacono a latere Epiſtolæ, & Subdiacono a latere Evangelii, qui ſtabunt toto tempore diſtributionis in medio Suppedanei, paullulum tamen remoti ab ora illius, ut qui accepturi ſunt Candelas, commode ſuper eam genuflectere poſſint; at ſi Suppedaneum ſit nimis anguſtum, tunc hi genuflectent ſuper ſecundum gradum. Celebrans autem ſtabit nudo capite, ex Decreto S. R. C. 18. Julii 1626, & dato in noſtro Indice *ſub num.* 220. Inter Diaconum, qui a ſiniſtris, Candelas ab Acolytho acceptas, oſculatas prius, ei tradit diſtribuendas; & Subdiaconum, qui a dexteris ejus Pluviale ſuſtinet. Nicolaus de Bralion 3. *part. cap.* 5. *num.* 5. Biſſus *ſupra* §. 11. Bauldry *ſupra n.* 12. Interim Cæremoniarius, vel alius cum debita reverentia Altari, vadit ad Chorum, ubi cum debitis inclinationibus invitat Digniorem de Clero, qui ipſo Cæremoniario comite cum ſuo habitu Chorali, & non cum Stola accedit, facta inclinatione ſolita Choro, ad Altare, quo cum pervenerit facit cum Cæremoniario, qui erit a ſiniſtris ejuſdem Dignioris, ante infimum Altaris gradum genuflexionem unico genu (ſi tamen ſit aliqua Dignitas, ſeu Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, & non aſſervetur Sacramentum in Tabernaculo, non genuflectit, ſed profundam facit reverentiam) & poſtea facta Celebranti profunda reverentia, aſcendit ad gradum proximiorem Suppedaneo Altaris; Ibique ſumpta a Diacono ſtante a ſiniſtris Celebrantis Candela benedicta pulchriori, ſine oſculo manus, & non accenſa; ex Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 15. vel etiam accenſa, ſi ſit conſuetudo, *ex eodem Cæremoniali ſupra*, eidem Celebranti ſtanti in Suppedaneo Altaris, *ut ſupra*, Candelam eamdem tradit cum oſculo ipſius tantum ab utroque, & non manus; mox Celebrans eam tradit alicui Capellano, ſive Acolytho tenendam, donec facta ſit tota diſtributio. Ex Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 17. §. 2. & Bauldry *ſupra n.* 13.

XI. Gavant. lit. g -- *Tradatur & Candela Miniſtris*, *&c.*) Deinde Diaconus acceptam aliam Candelam ab Acolytho, ſtante a ſiniſtris ejus, tradit eamdem Candelam Celebranti, etiam cum oſculo tantum illius, & præfatus Celebrans ſtans incipiet diſtribuere Candelas primo eidem Digniori, deinde Diacono, & Subdiacono paratis, ſi ſint Canonici (ſi vero non fuerint Canonici, tunc prædicti Miniſtri Sacri cum debitis reverentiis Altari, & Celebranti, accipient Candelas genuflexi ante omnes Beneficiatos, ſeu Manſionarios, & non prius; quas Candelas, ac etiam Celebrantis manum deoſculabuntur) mox aliis omnibus Canonicis per ordinem habitu Canonicali indutis, qui bini cum debitis reverentiis accedent ad Celebrantem, (& inclinati tantum, & non genuflexi) ab eo Candelas accipient, quas tantum deoſculabuntur; Ex Cæremon. Epiſc. *ſupra*. Supradictus Dignior Sacerdos de Choro, ſive Vicarius, ſive Dignitas, vel Canonicus; Ceremon. Epiſcop. *ſupra*, accepta Candela, deſcendit in planum (advertens ne directe terga vertat Celebranti) ubi iterum ad Altare convertetur, & eidem, ac Celebranti, & deinde Choro ſimul cum Cæremoniario debitam facit reverentiam, *ut ſupra*, poſtea eodem Cæremoniario comite ad ſuum Stallum redit, ex Bauldry *ſupra num.* 14.

Deinde Beneficiati, ſeu Manſionarii, & Clerici, ac cæteri omnes, ſimiliter bini cum debitis reverentiis accedent, & genuflexi Candelas accipient, illas ac etiam manum Celebrantis deoſculantes, & omnia peragentes, ſicuti diximus de iis, qui procedunt ad accipiendos ramos Olivarum in Dominica Palmarum. Cæremon. Epiſcop. *ſupra* §. 3.

XII. Gavant. eadem lit. g -- *Miniſtrantibus tum Prælatis*, *&c.*) Nec Rubricæ, nec Cæremoniale declarant ordinem, quo Prælati, ſi adſint in Collegiatis, accipiunt Candelas a Celebrante. Convenire tamen videtur, quod ſi aliquis Prælatus aſſiſtat in Choro, quamvis non ſit de gremio Eccleſiæ; modo tamen aliquam in ea auctoritatem, ſi non juriſdictionem habeat, & aſſiſtat cum Rocchetto; ut loco Dignioris, & Canonici illius Eccleſiæ Collegiatæ accedat ad Celebrantem, & illi Candelam tradat, & immediate poſt ab eodem Celebrante ſuam accipiat. Alii Prælati poſſent ſuas accipere Candelas immediate poſt Diaconum, & Subdiaconum; Si tamen ipſi Diaconus, & Subdiaconus non eſſent Canonici, poſſent etiam ante illos eas accipere, ſicut accipiunt Canonici Cathedralis Eccleſiæ; ut diximus; Ex Nicolao de Bralion

*ſupra*

Digitized by Google

*ſupra n.* 6. Prælati ſupradicti non genuflectunt Altari, niſi ſit Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, nec manum Celebrantis oſculantur. Ex Rubrica Miſſalis *de Feſto Purific.* ſed tantum Candelam accipiunt cum inclinatione Celebrantis, quæ inclinatio exigua, ſen ſimplex eſſe debet, ut a pari colligi poteſt ex Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 28.

Si Epiſcopus non faciat hanc Sacram functionem, ſed ſolum interſit eidem, debent ea ſervari, quæ diximus ſupra in diſtributione Palmarum, & de qua re agit Bauldry *ſupra n.* 20. & Biſſus *ſupra* §. 18. & ſicut prædicto Epiſcopo intereſſentii, ita ſupradictis Prælatis ſi adſint, & non accedant ad Altare, poterit per aliquem Sacerdotem tradi Candela cum debitis inclinationibus, & oſculis. Caſtaldus in Praxi Cæremoniarum *lib.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 4. *n.* 6.

XIII. Rubr. num. 3. -- *Et ultimo Laicis, &c.*) Facta diſtributione Clericis, Candelæ diſtribuuntur Magiſtratibus, & Nobilibus pari diſciplina etiam ad Altare, & cum oſculis, quod ſi facienda ſit etiam aliis laicis diſtributio, Celebrans deſcendit ad Cancellns Presbyterii, & eam facit eo modo, quo Clericis, & pari diſciplina, quæ ſervatur in diſtributione Palmarum, de qua *ſupra* locuti ſumus. Non convenit tamen ut Fœminæ manum Celebrantis oſculentur, nec etiam ut fiat eis diſtributio ad Altare. Ex Cæremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 10. & Bauldry *ſupra n.* 14.

Quod ſpectat ad ordinem recipiendi Candelas inter Clerum, & Magiſtratus, ſervari debet conſuetudo laudabilis locorum, ſed præſtat, ut Clerus ſemper præferatur, ut par eſt, præſertim ubi viget talis conſuetudo. Ex Cærem. Epiſc. *ſupra*, & Bauldry *ſupra n.* 15.

Si autem tanta ſit Populi frequentia, ut diſtributio fieri non poſſit a Celebrante, niſi Clericis, Magiſtratibus, & Nobilioribus (quæ ſemper ab eo ſolo fieri debet) deputetur aliquis Sacerdos (vel etiam plures) ſi Celebranti placuerit, qui ſuperpelliceo, & Stola violacea indutus Candelas minutiores per Eccleſiam diſtribuat Populo utriuſque ſexus, Acolytho miniſtro eas ipſi offerente cum oſculis Candelarum tantum. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 12. Bauldry *ſupra n.* 26. Gerlacus Vinitor *ſupra n.* 13.

XIV. Rubr. & Gavant. ſupra lit. g -- *Et cum incæperit diſtribuere Candelas, a Choro cantabitur Antiphona, quæ, & Canticum repeti poſſunt uſquedum, &c.*) Cum inchoatur diſtributio Candelarum, Cantores incipient Antiphonam: *Lumen ad revelationem gentium, &c.* ut in Miſſali. Cærem. Epiſc. *ſupra* §. 4. quam Antiphonam Clerus proſequitur, eamque poſt ſingulos ℣℣. Cantici *Nunc dimittis, &c.* integre repetit, quos ℣℣. Cantores ipſi decantant ſoli, & repeti poſſunt cum prædicta Antiphona, uſque ad finem diſtributionis. Quare ſi ita protraheretur diſtributio, ut eſſet repetendum prædictum Canticum, dicto illius ultimo ℣. & omiſſo *Gloria Patri*, repetatur a capite: *Nunc dimittis, &c.* unde verſus *Gloria Patri* dicatur ſemel tantum in fine quidem Cantici, & completa diſtributione Candelarum. Ex Bauldry *ſupra n.* 22. Biſſu *lit. B n.* 84. §. 11. Vinitore *ſupra*, & aliis communiter.

Dum Cantores procedunt ad recipiendas Candelas, ſemper remaneant aliqui, qui in Chorn cantent ℣℣. & Antiphonam, iiſque procedentibus, alii ſubſtituantur; Quapropter ſi panci ſint Cantores, ii non procedant bini; ſed unus poſt alium ſingillatim, ut ſemper remaneant aliqui Cantores, & numquam ceſſet cantus in tota diſtributione. Bauldry *ſupra n.* 23. Eundem Ritum ſervandum eſſe in diſtributione Cinerum, & Palmarum, ſuo loco diximus.

Circa finem diſtributionis Magiſter Cæremoniarum curet, ut accendantur Candelæ pro Proceſſione, niſi a principio fuerint accenſæ. Cæremon. Epiſcop. *ſupra* §. 15. & *lib.* 2. *cap.* 17. §. 5.

Notandum hic occuerit, quod cum Ordo Romanus præſcribat quod præfatæ Candelæ ſolum a Celebrante diſtribuantur, ideo nullo modo a Miniſtris Sacris, neque ab aliis inferioribus Miniſtris juxta prædictum Ordinem diſtribui poſſunt, quia cum hujuſmodi ſacra functio ſit actio individua, ſeu per plures Miniſtros dividi non poſſit, ab eodem Celebrante ſeparari non debet; hoc tamen non obſtante advertendum eſt, quod ſupradicta Ordinis Romani diſpoſitio ita debet intelligi, ut diſtributio Candelarum prohibita ſit fieri a prædictis Miniſtris Sacris, vel ab aliis de Clero, & Perſonis dignioribus; nam quod ab aliquo Sacerdote, ſi Epiſcopo, vel alii Celebranti placuerit, & ſi ſit conſuetudo Eccleſiæ, ſeorſum diſtribuantur Candelæ minutiores Populo utriuſque ſexus, dum Epiſcopus, ſeu Celebrans alias diſtribuit Clero, & laicis dignioribus, habetur in Cæremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 12. ut paulo ante innuimus.

Rurſus notandum etiam occurrit, quod quamvis Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 10. prohibeat ne Epiſcopus Candelas Mulieribus diſtribuat, hæc prohibitio tamen locum non habet, quoad alium Celebrantem, cui permiſſum eſt, ut ad Cancellos, non vero ad Altare Candelas, & etiam Palmas Populo utriuſque ſexus diſtribuat, quod non eſt conceſſum Epiſcopo, quia cum hic in ſua Sede Epiſcopali Candelas pro ſua dignitate diſtribuat, & cum Mulieres, necnon alii laici vetentur ingredi in Presbyterium, ac proinde ad prædictam Sedem Epiſcopalem accedere non debeant, hinc fit non poſſe Epiſcopum Mulieribus Candelas diſpenſare.

Hic ſummatim collecta exhibemus Decreta ſpectantia ad præſentem diſtributionem Candelarum, & etiam Palmarum.

Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum; ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui ordinis. S. R. C. 23. Maji 1603. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 21.

Benedictio, diſtributio Candelarum, & Palmarum, regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus. S. R. C. die 28. Aprilis 1607. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 55.

In accipiendis Cineribus, Candelis, & Palmis, attendatur conſuetudo in Vicario, & Canonicis, & aliis, niſi Canonici ſint parati. S. R. C. 15. Martii 1608. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 85.

Benedictiones Candelarum, Palmarum, Cinerum, & alias ſimiles functiones facere, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito ad primam dignitatem, non vero ad Canonicum hebdomadarium pertinet. S. R. C. 21. Martii 1609. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 96.

Abſente Epiſcopo, benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 209.

Cum Epiſcopus benedicit Cineres, Celebrans debet imponere Cineres Epiſcopo: & idem ſervari debet die Candelarum, & Palmarum, juxta Cæremoniale Epiſc. in *cap.* de Feſto Purificationis, & de Dominica Palmarum. S. R. C. 12. Julii 1627. *in Brunduſina*, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 211.

Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmas Sacerdoti celebranti in die Purificationis, in Feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non vero flexis genibus. S. R. C. 30. Auguſti 1664. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 421.

Dignior de Clero, a quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, & Palmam, debet accedere ad Altare ſine Stola, recipere Candelam, Cineres, & Palmam a Celebrante, & oſculari manum Celebrantis porrigentis Candelam, Palmamque. Ita S. R. C. 14. Febr. 1705. *in una Cappuccinorum Calliæ*, & datur in noſtro Indice *ſub n.* 590.

Hæc duo poſtrema Decreta quoad Digniorem de Choro, qui porrigit, & deinde recipit a Celebrante Candelam, &c. ſtans, ſeu genuflexus, conciliari poſſunt dicendo, quod primum loquitur de Canonicis, qui inhærendo Cæremon. Epiſc. *lib.* 3. *cap.* 17. ſtantes, & ſolum inclinati Candelam, &c. recipiunt a Celebrante; poſterius vero Decretum non loquitur de Canonicis, ſed de aliis inferioribus in Eccleſiis non Collegiatis; præſertim vero Regularium, qui genuflexi Candelas, &c. recipiunt, oſculando Celebrantis manum.

Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, &c. non ſunt de juribus mere Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 565.

XV. Rubr. num. 5. -- *His expletis, &c.*) Completa diſtributione, & non prius, Cantores ſupradicti cantant graviter: *Exurge Domine, &c.* ut in Miſſali, & Chorus proſequitur, & interim Celebrans, ſi diſtributio Candelarum terminatur ad Altare, pro lavandis manibus non deſcendit in planum, ſed eas lavat, ſtans ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ. Biſſus *lit. B n.* 86. §. 12. quas etiam cum medulla panis fricat, ſi opus ſit, Acolytho Miniſtro fundente aquam, tenente bacile manu ſiniſtra, & Sacris Miniſtris hinc inde miniſtrantibus manutergium (quia tunc non ſunt occupati) cum reverentiis ante, & poſt; vel potius partes anteriores Pluvialis illius hinc inde elevant, & tunc unus ex aliis Miniſtris manutergium porrigit Celebranti. Aqua vero, & medulla panis in Sacrarium infundantur. Bauldry *ſupr. n.* 28. Gerlacus Vinitor *ſupra n.* 14.

Si fiat diſtributio Candelarum ad Cancellos, Celebrans non aſcendit ad Altare, ut lavet manus, ſed procedit per planum ad latus Epiſtolæ, & ibi prope Credentiam in plano manus lavat, *ut ſupra*, quibus lotis, aſcendit (factis debitis reverentiis) ad cornu Epiſtolæ, ubi dicto *Exurge Domine, &c.* ſubmiſſa voce cum Pſalmo, & repetita Antiphona a Cantoribus: Cærem. *ſupra* §. 13. ipſe Celebrans (manibus junctis) ſubdit immediate *Oremus*, ſtantibus Miniſtris Sacris, ut ad benedictionem Candelarum. Ex Bauldry *ſupra n.* 29. & Vinitore *ſupra n.* 14.

XVI. Rubric. & Gavant. lit. h -- *Poſt Septuageſimam.*) Si hoc Feſtum celebretur poſt Septuageſimam, tunc dicto a Celebrante *Oremus* ante Orationem *Exaudi quæſumus Domine*, Diaconus adhuc ſtans a dexteris Celebrantis immediate genuflexus cantet: *Flectamus genua*, omnibus genuflectentibus, excepto ſolo Celebrante, & Subdiaconus a ſiniſtris etiam primus omnium ſurgens cantet: *Levate*, tum Celebrans dicit Orationem ſtantibus Miniſtris, ut ſupra. Bauldry *ſupra n.* 30. Biſſus *ſupra* §. 13. Gerlacus Vinitor *ſupra*.

Quamvis autem in hac ſacra functione Diaconus, & Subdiaconus ſtare debeant hinc inde a lateribus Celebrantis, tamen convenientius videtur, ut ad dicendum prædicta acce-

dant ad locum ſuum ordinarium poſt Celebrantem, & ſic etiam facilius, & decentius genuflectent, poſtea vero poterunt accedere hinc inde ad ipſum Celebrantem, dum dicit Orationem. Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 4. n. 11.*

XVII. Rubr. & Gav. lit. i -- *Non in die Dominica, &c.*) Hoc eſt ſi Feſtum hoc occurreret in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, tunc non dicitur *Flectamus genua*, nam die Dominica non genuflectimus ob rationes ſupradictas a Gavanto.

Pro Ritibus ſervandis in Proceſſione hujus diei. §. III.

XVIII. Rubr. *Deinde fit Proceſſio, &c.*) Finita Oratione ſupradicta, Celebrans accedit ad medium Altaris, ubi imponit thus in Thuribulum, & cætera peraguntur prout diximus in Dominica Palmarum *n. 12.*

Tum ordinatur Proceſſio per Cæremoniarium circumcirca Eccleſiam, vel alias juxta ſitum Eccleſiarum, prout diximus etiam de Proceſſione Palmarum, advertendo quod Subdiaconus benedictionis, non autem alius accipit Crucem proceſſionalem ſibi allatam ab aliquo Acolytho, & præcedente Thuriferario, medius inter Ceroferarios vadit ad Cancellos, ſeu aditum Capellæ majoris; ibique ſiſtit ſe ante Altare, donec omnes de Choro, qui eum ſequentur, hinc inde ordinati fuerint. Nicolaus de Bralion *ſupra n. 13.*

Interim Diaconus accipit Candelam Celebrantis de manu illius, qui eam tenet, & eamdem ipſi Celebranti porrigit cum debitis oſculis, & mox accepta ſua Candela, genuflectit, ſurgit, & ſtans verſus Populum a tergo Celebrantis, alta, & ſonora voce cantat; *Procedamus in pace*, quo dicto, Chorus reſpondet: *In nomine Chriſti, Amen*, tunc, & non prius Celebrans vertit ſe ad Populum, deſcendit in planum, ubi facta reverentia Altari, accipit a Diacono biretum ſolitis oſculis ante, qui etiam accipit ſuum de manu Cæremoniarii, & poſtea incipit Proceſſio, præcedente Thuriferario, prout diximus in Dominica Palmarum *n. 13.* quæ iterum legi poterunt, advertendo quod intereſſentes Proceſſioni deferre debent Candelas accenſas, ſicut Palmas, manu extima.

Cum inceptæ fuerint Antiphonæ a Cantoribus, quæ habentur in Rituali, & Miſſali, ſtatim Chorus eas proſequi, & complere debet, uti moris eſt, & ſi Proceſſio longior ſit, repetantur eædem Antiphonæ.

In Proceſſionibus hujuſmodi Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſiam ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda campanula ad elevationem SS. Corporis Chriſti in Miſſa privata; quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt utroque genu a tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito SS. Sacramento, progrediendum eſt, ut declaravit Sac. R. C. 1. Martii 1681. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 457.

Dum Cantores in reverſione Proceſſionis ingrediuntur in Eccleſiam (vel in Presbyterio, ſi Proceſſio non exiit extra Eccleſiam, ut notavit Gavantus *ſupra Rubr. 7. num.* 8.) abſolute cantant Reſponſorium: *Obtulerunt*, ut in Miſſali, quod Chorus proſequitur, deinde iidem Cantores cantant ſolitotum ℣. ſequentem: *Poſtquam impleti ſunt, &c.* & Chorus cantat repetitionem Reſponſorii: *Sicut ſcriptum eſt, &c.* Denique Cantores cantant *Gloria Patri, &c.* & Chorus eamdem repetitionem iterum cantat. Nicolaus de Bralion *ſupr. n.* 18. qua finita, omnes ſuas Candelas extinguunt, & omnes de Clero pergunt in Chorum. Biſſus *lit. C n.* 84. §. 16.

XIX. Rubr. num. 7. -- *Finita Proceſſione, Celebrans, & Miniſtri.*) Accedunt ad Sacriſtiam, ſi hæc non multum diſtet ab Altari, ſi vero diſtet, facta debita reverentia Altari, & Choro, Celebrans cum præfatis Miniſtris ſe retrahit ad aliquem locum congruum viciniorem, puta retro Altare, ubi accipiunt paramenta alba pro Miſſa; quæ tamen ſi cantanda ſit de Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, tunc Celebrans deponit Pluviale violaceum, & accipit Manipulum, & Planetam violaceam. Miniſtri vero Sacri deponunt Planetas plicatas; & accipiunt reſpective ſuos Manipulos cum Dalmatica, & Tunicella ſimili, &c. violacei coloris. Cærem. Epiſcop. *lib. 2. cap. 16.* §. 17. Bauldry *ſupra n.* 9. Biſſus *ſupra*.

Si autem hoc Feſtum Purificationis eſſet Titulus Eccleſiæ, tunc poſt Proceſſionem Candelarum cantatur Miſſa de Feſto, ſicut fit illius Officium, licet occurreret in una ex ſupradictis Dominicis, quod eſt conforme Rubricis generalibus; cum enim prædictæ Dominicæ ſint ſolum ſecunda Claſſis, proculdubio cedunt Feſto Titulari, vel Patrono, quod eſt primæ Claſſis. Biſſus *lit. F n.* 76. §. 4.

Item ſi in Feſto Purificationis occurreret Feſtum Patroni, vel Titularis, tunc poſt Proceſſionem Candelarum, Celebrans, & Miniſtri Sacri, depoſitis violaceis paramentis induunt ſe paramentis convenientibus pro Miſſa illius Sancti, de quo fit Officium; ob eamdem rationem mox allatam, nimirum quia Patronus, vel Titularis cum ſit primæ Claſſis præcedit Feſto Purificationis, quod eſt ſecundæ Claſſis. Advertant vero Celebrans, & Miniſtri Sacri, ut ſupra dictum eſt, ne umquam paramenta ſacra ſumant ad Altare, præſertim in medio, quod ſolis Epiſcopis conceditur, vel aliis habentibus uſum Mitræ, & Baculi.

Ex hucuſque dictis liquet, quod Decretum editum a Sac. Rit. Cong. die 25. Januarii 1603. & datum in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii, nimirum -- Feſtum Purificationis B. V. M. ſi venerit in Dominica Sexageſimæ celebrandum eſt cum Commemoratione Dominicæ -- Liquet, inquam, quod hoc Decretum intelligendum venit de Feſto Purificationis tamquam Titulari Eccleſiæ, nam cæteroquin in Cæremon. Epiſcoporum *lib. 2. c. 16.* §. 17. præſcribitur, quod, ſi hujuſmodi Feſtum venerit in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, non mutantur paramenta Altaris, nec Epiſcopi, ſed remanent eadem violacea, & Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, quia fit Miſſa de Dominica ſecundum regulam in Rubricis Miſſalis ſub hoc Feſto poſitam, & præterea additur in eodem Cæremon. Epiſcop. ibidem, quod ſi Miſſa fiet de Feſto Purificationis, Epiſcopus, & omnes capiunt ſuas Candelas accenſas in manibus uſque ad finem Evangelii, & iterum ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti eas tenent accenſas uſque poſt Communionem. At quando dicitur Miſſa de Dominica, ſicuti dici deberet in prædicto caſu, præſcribit, inquam, Cæremoniale ibidem, quod Candelæ amplius non accendantur, neque ad Evangelium, neque ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, Rurſus patet ex Decreto edito die 12. Junii, & dato in noſtro Indice *ſub n.* 209. quod idem qui benedicit Candelas in hac ſolemnitate debet celebrare Miſſam. Videatur etiam aliud Decretum datum ſupra a nobis in noſtris Additionibus hac *part. 4. tit. 6. de Feria IV. Cinerum, uſque ad Dominicam de Paſſione n.* 20. ubi magis confirmatur hæc doctrina.

Sumptis igitur a Celebrante, & Miniſtris Sacris paramentis ſibi convenientibus, a Sacriſtia procedunt omnes ad Altare pro Miſſa celebranda more ſolito, nimirum præcedentibus Ceroferariis cum Candelabris accenſis, & Thuriferario cum Thuribulo fumigante, non deferentibus tamen aliis Candelas benedictas accenſas: Bauldry *ſupra n.* 9. verum ſi Celebrans, & Miniſtri ſumpſerint paramenta non in Sacriſtia, ſed in loco viciniori Altari, puta ut ſupra, retro illud: tunc accedunt ad Altare, Ceroferariis non deferentibus Candelabra, neque Thuriferario Thuribulum. Biſſus *ſupra lit. S n. 6.* §. 18.

XX. Gav. n. 10. -- *An vero in Miſſa de Dominica Septuageſimæ ſint tenendæ Candelæ accenſæ, &c.*) In ſupra expoſita Rubrica ſeptima præſcribitur Ritus peculiaris ſervandus in Miſſa ſolemni hujus diei, nimirum, quod dum legitur Evangelium debent omnes tenere Candelas accenſas: cantato autem Evangelio extinguuntur. Sed iterum tenentur accenſæ ad elevationem SS. Sacramenti uſque ad completam Communionem Sacerdotis Celebrantis, aliorumque, ſi adſint communicandi. Diaconus tamen, & Subdiaconus numquam tenent prædictas Candelas accenſas, ſed Celebrans ſolum, dum cantatur Evangelium, & non amplius, ſuam Candelam accenſam tenet. Ex Biſſo *lit. M n.* 284. §. 1. & Halden *part. 2. tit. 2. de Feſtis Menſis Februarii 2. ejuſdem*.

Cum igitur Candelæ teneantur accenſæ ad Evangelium, & ad elevationem Sacramenti, ideo paulo ante Evangelium, & ante elevationem SS. Sacramenti Acolythus, aut aliquis alius Miniſter ſumpto lumine de Candelabris Ceroferariorum, accedit ad Chorum cum debitis reverentiis, & primum Candelam cujuſcumque Ordinis accendit; alii vero Clerici ſibi mutuo Candelas accendunt. Bauldry *ſupr. n.* 10.

Celebrans autem, data benedictione Diacono ante Evangelium, ſtans in cornu Epiſtolæ accipit ab aliquo Cæremoniario, vel Acolytho Candelam ſuam accenſam cum oſculis ab ipſo Acolytho præſtitis, eamque tenet ad Evangelium a Diacono cantandum, quo cantato, reddit eamdem ei, a quo accepit, antequam librum oſculetur. Ex Bauldry *ſupra n.* 11.

Movet dubium Gavantus *ſupra n.* 10. an in Miſſa de Dominica Septuageſimæ tenendæ ſint prædictæ Candelæ accenſæ, &c. & in progreſſu ex Textibus Rubricarum dicit, inferri poſſe Candelas accenſas teneri in honorem Beatæ Virginis, & conſequenter in ejuſdem Miſſa tantum; & revera, ut innuimus ſupra, hoc idem colligitur clare ex Cærem. Epiſcop. in quo præſcribitur, quod ſi fiat de Dominica Septuageſimæ, &c. Candelæ non accenduntur neque ad Evangelium, neque ad elevationem, & idem docet Halden *ſupra*, necnon Turrinus *part. 3. ſect. 1. cap. 1.* §. *Diaconus*. Item ſequitur, quod accendi non debent dictæ Candelæ ſi cantetur Miſſa de alio Feſto Patrono, vel Titulari, ut optime obſervant Bralion *ſupra n.* 19. Biſſus *ſupra*, & clare deducitur ex Cæremoniali Epiſcop. *ſupra*.

Reliquum eſt, ut obſervemus, quod ſupradictæ Candelæ, quando tenentur accenſæ poſt elevationem, tenendæ ſunt non a genuflexis, ſed a ſtantibus, ut notat Halden *ſupra*.

*De prædictis Ritibus ſervandis in Eccleſiis Minoribus.*

De præparandis pro Benedictione Cereorum. §. I.

Super aliquam Menſam parentur Cerei benedicendi, Thuribulum cum Navicula, Vas aquæ benedictæ, aliud Vas cum aqua, & manutergium pro lotione, & exterſione Celebrantis, ut ſupra, tunc ſi unus, aut tres tantum ſint Sacerdotes,

Ce-

Celebrans paratus Alba, & Stola tantum, etiam Pluviali violaceo, tecto capite, & junctis manibus accedit ad Altare cum tribus Acolythis, qui procedunt nudo capite, & junctis manibus, facta debita reverentia, vel genuflexione Altari, prout congruit, & dictus Celebrans ad illud aſcendit, eoque oſculato ſe recipit ad cornu Epiſtolæ, ubi benedicit Candelas paulo ante detectas ab aliquo Acolytho cum cantu, ſi adſint Cantores, aut ſine cantu ſi non adſint Cantores. Aliquis Acolythus, ſtans a cornu Epiſtolæ, elevabit anteriorem partem Pluvialis Celebrantis, dum format ſignum Crucis ſuper Candelas. Si ſit dies Dominica, fieri debet prius aquæ benedictio, & aſperſio, ut ſupra, ut diximus in Dominica Palmarum.

## §. II.

In fine benedictionis impoſito, & benedicto thure, Acolythis miniſtrantibus, Celebrans aſpergit, & incenſat Candelas, ut ſupra, deinde in medio Altaris eas diſtribuit (accepta prius ſua a Presbytero, ſi adſit) Clero ad ipſum Altare, & Laicis ad Cancellos, debitis reverentiis ſervatis Altari, & Celebranti. Dum fit diſtributio Candelarum cantatur Antiphona *Lumen ad revelationem gentium*, & Canticum *Nunc dimittis* in Choro, ut ſupra, &c. ſi adſint Cantores, alias Celebrans eadem legit in cornu Epiſtolæ ante diſtributionem. Qua facta, Celebrans lavat manus, & deinde dicit Orationem, præmiſſo *Flectamus genua*, a ſe, ad quod genuflectit, & *Levate*, ab Acolyto Miniſtro tunc ſurgente, ſi poſt Septuageſimam, & extra Dominicam peragatur talis functio.

## §. III.

Deinde in medio Altaris iterum imponit, & benedicit incenſum, accenduntur Cerei pro Proceſſione facienda, & verſus Populum Celebrans tenens manu dextera Candelam accenſam dicit: *Procedamus, in pace, &c.* tunc fit Proceſſio, in qua Cantores canunt Antiphonas in Rituali notatas, vel ſi non adſint Cantores, ipſemet Celebrans eas legit alta voce. Crux Proceſſionalis defertur ab aliquo Acolytho inter duos Ceroferarios, ſi iſti haberi poſſint, & in ingreſſu Eccleſiæ Reſponſorium: *Obtulerunt* decantatur, ſeu alta voce legitur ab ipſomet Celebrante.

## §. IV.

Finita Proceſſione, Celebrans Miſſam privatam celebrat prout convenit illi diei, ad cujus Evangelium, ſi celebret Miſſam de Feſto Purificationis, accenduntur Candelæ ad Evangelium, & ad elevationem Sacramenti uſque ad peractam Communionem incluſive, ut ſupra. Si autem dicatur alia Miſſa, quæ non ſit de feſto Purificationis B. M. V. ut diximus ſupra, non accenduntur candelæ.

## De Feſtis, in quibus cantandæ ſunt duæ Miſſæ in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. XV.

### G A V A N T U S.

1. DE obligatione cantandi duas Miſſas in Feſtis, quæ occurrunt in Feriis Majoribus, extat aperta Rubrica in 1. *par. n. 1.* & fuſius hac de re egimus in 3. *part. tit. 11. a n. 7. ad 12.*

2. Hoc igitur loco enumerabimus ſingillatim Feſta, in quibus eæ cantari debet, Ordine Menſium ſervato, aliis additis opportunis notis.

3. Et in Decembri quidem præter Feſtum S. Thomæ Apoſtoli occurrens in Quatuor Temporibus, non occurrit caſus in Eccleſia univerſali, neque in Menſe Januario. In ſequenti vero Februar. contingere poteſt caſus (ſi in eumdem Menſem incidat initium Quadrag.) in Feſto S. Agathæ, & S. Romualdi, in Antiochena Cathedra S. Petri, & in Feſto S. Mathiæ Apoſtoli, & item, ſi in ejuſdem Vigil. occurrat Antiochena Cathedra extra Quadrageſimam.

4. In Martio accidit ſæpius; in Feſtis S. Caſimiri, Thomæ Aquinatis, & in Miſſa ſolemni, de his Feſtis fiet Commemoratio S. Lucii, & SS. Perpetuæ & Felicitatis, Franciſcæ Viduæ, Quadraginta Martyr. Gregor. Papæ, Joſeph, Joachim, Benedicti, & Annunciationis B. V. In Miſſa vero de Feſto Semiduplici ſecunda Oratio, & tertia erunt eædem, quæ in Miſſa de Feria.

5. Quod ſi Feſt. Annunciationis B. V. in eos dies incidat, qui occurrunt a Dom. Palmar. uſque ad Fer. III. Paſchatis incluſive, quamquam *in antiquis Rubricis generalibus part. 1. de Translat. Feſt. tit. 6.* ratione tituli Eccleſ. vel concurſus populi concedebatur poſſe cantari aliam Miſſam de Feſto ultra Miſſam correſpondentem Officio; tamen ex nova Rubrica ibidem poſita non poteſt cantari Miſſa de B. V. In aliis autem diebus Quadrag. poterit cantari, ut diximus, & in ejus fine dicetur Evang. S. Joann. quod ſemper obſervatur in Miſſa de Feſto diſtincta a Miſſa de Feria majori, quando ambæ cantantur eodem die, ut alias docuimus.

6. In Aprili, ſi intra Quadrag. venerit Feſt. S. Franciſci de Paula, & S. Leonis Papæ duæ cantantur Miſſæ, ſi vero alicubi accidat Feſtum Semidupl. a Dominica Paſſionis ad Dominicam Palmarum, in Miſſ. de Feſto dicuntur duæ tantum Orationes, nempe pro Eccleſ. vel pro Papa, ſicut etiam in Miſſa de Feriis.

7. In Feſto S. Marci Miſſa Litaniarum Majorum cantatur ſine Gloria, Credo & cum Præfatione Paſch. cum Orationibus tribus, ut in Litaniis Minoribus, niſi terminetur Proceſſio ad Eccleſiam S. Marci, quia cantabitur de Feſto, ex Decreto Sacr. Rit. Congr. 23. Maji 1603. ſi vero incidat in diem Paſch. vide quæ diximus hac *part. 4. tit. 11. n. 10.*

8. In minoribus Litaniis, ſi occurrat Feſtum Semiduplex, aut Duplex, cantantur duæ Miſſæ, de Feſto, & de Rogationibus.

9. In Vigil. Aſcenſionis Domini cantantur duæ, de Vigil. & Rogationibus, illa poſt Sextam, hæc poſt Nonam, quod ſi occurrat Feſtum novem Lectionum, cantari debent tres, Miſſa de Feſto poſt Tertiam, reliquæ, ut dictum eſt: vide quæ diximus *tit. 11. n. 13.* & Vigil. Miſſa poſt Sextam dicitur contra Alcocer; quia non jejunatur hæc Vigil. & indicatur hic Ritus *part. 1. tit. 15. n. 2.* ubi hora Nona tribuitur Miſſæ de Vigilia, quæ jejunatur, ergo non illi, quæ non jejunatur: præſertim in concurſu duarum Miſſarum, inter quas aliqua debet mediare Hora *ex Fracol.* quod alias diximus, & hic eſt ſenſus Rubricæ Miſſalis, quæ alioquin eſt obſcurior.

10. Menſe Junio accidere poteſt Vigilia de S. Jo: & SS. Apoſtol. infra Octavam, & die Corporis Chriſti: & tunc duæ cantantur Miſſæ, in Miſſa vero Vig. Præfat. communis dicitur, *ut ſupra*. In Feſto item S. Leonis niſi transferatur, cantantur duæ, de Feſto, & de Vig. Apoſtolor. in illa fit Commem. de Octav. S. Jo: & tertia Oratio eſt de B.V. in hac vero de B. V. *& Eccleſ. vel pro Papa*, quia Feſtum, & dies infra Octav. ſunt ſimilia: congruit illis color albus, & Hymnus Angelicus. In Eccleſia tamen S. Jo: Baptiſtæ non dicitur *Credo*, in Miſſa hujus Vigiliæ: ſicuti neque dicitur in Miſſa Rogationum Majorum, ut docuimus *ſupra n. 7.* in Feſto S. Marci, eadem enim eſt ratio.

11. Menſe Julio occurrit caſus cantandi duas Miſſas, quando anticipatur Vigilia S. Jacobi in Sabbato: vel transfertur Feſt. S. Apollinaris in feriam ſecundam, & in his caſibus Miſſæ duæ cantantur de Feſto, & de Vigilia.

12. Menſe Auguſto, ſi Vigilia Sancti Laurentii fiat in Sabbato anticipate in Feſto Sanctorum Cyriaci, &c. vel Feſt. Sanctorum Cyriaci, &c. transferatur in Feria II. duæ Miſſæ cantantur.

13. In Vigilia Aſſumptionis B. Virg. Miſſa de Vigilia non admittit, *Gloria*, neque *Credo*, etiam in Eccleſ. Sancti Laurentii: eadem ratione, quam attulimus paulo *ſup. n. 10.*

14. Extra Romam contingere poteſt Vigil. S. Bartholomæi in die Octava Aſſumptionis B. V. occurrente in Sabbato: & eodem modo cantabuntur Miſſæ de Octav. die, & Vigilia, in qua neque *Gloria*, neque *Credo*, neque *Præfatio* de B. V. pari ratione, qua decrevit Sac. Cong. in caſu, de quo *n. ſequenti*.

15. Menſe Sept. occurrere poteſt Feria IV. Quatuor Temporum in die Oct. Nativ. B. V. & in Miſſa de Feria non dicitur *Gloria*, neque *Credo*: neque etiam *Præfatio* de B.V. ſed communis dicitur, ex ſimili Rubrica, de qua *ſup. n. 7.* quæ habetur in Miſſali in Miſſa Rogationum: & ita decrevit Sac. Rit. Cong. *die 12. Decemb. 1626, me petente*: & anno 1627. caſus occurrit.

16. In Feſtis SS. Cornelii, & Cypriani, Stigmatum S. Franciſci, SS. Januarii, &c. SS. Euſtachii, &c. & S. Lini occurrere poſſunt Quatuor Tempora Septembr, &c. tunc duæ cantantur Miſſæ.

17. Vig. S. Matthæi ſemper habet duas Miſſas, alteram de SS. Euſtachio, & ſociis, alteram de Vigilia, ſi accidit in Feriis Quatuor Temporum in altera Miſſa de Fer. 4. Temporum fit commemoratio de Vigil. & tertia Oratio erit *A cunctis*. In Miſſa vero de Sanctis ſecunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum, ſed Evangelium Vigiliæ non legitur in fine, quia non fuit lectum in Officio.

18. Menſe Octobri non accidit caſus. In Novembr. duæ Miſſæ cantantur in die Commemor. omnium Fidelium Defunctorum ex nova Rubr. Miſſalis addita, altera de die infra Octav. poſt Tertiam, altera de Requiem poſt Nonam, ſeu poſt Vigilias Mortuorum; quia in Miſſa de Requiem fieri non poteſt Commemoratio illius, de quo fit Officium. Hoc loco monentur Sacerdotes, Sacrificium Miſſæ Defunctorum hac die applicandum eſſe omnibus Defunctis ex intentione Eccleſiæ: neque ideo fit injuria iis, pro quibus quotidiana forte extat obligatio Miſſæ, prævalet enim lex tacita rationabilis Eccleſiæ privatæ legi Teſtatorum: quod & deinde legi apud Fraxinellum *de obligat. Sacerd. ad Miſſ. ſect. 2. concluſ. 4. §. 22. in edict. 6.* ubi multa docte congerit in hanc ſententiam, quæ favet omnibus Defunctis.

19. In Abſolutione ſolemni Defunctorum hac eadem die, quia ſolent multi circuire Sepulchra, illud obſervare debent, quod ultima Abſolutio facienda erit ad lecticam Mortuorum, cum ℟. *Libera me* longiori, & Oratione *Abſolve*, in numero plurali; quæ habetur inter Pſalm. Grad. eadem autem hic militat ratio, qua Burchard. *ſupra part. 1. tit. 5. Rubric. 3.* nos monuit, ultimo ſemper recitandam eſſe in Miſ-



Digitized by Google

ſa Orationem, *Fidelium*, quæ eſt generalis pro Defunctis, poſt Collectas ſpeciales, ut hæc ultima cæteris colligat. Ad alia vero Sepulchra poſſunt diſtribui Reſponſoria Nocturnorum, addendo ſingulis ℣. *Requiem*, ut fit in tertio, & ſexto, fiat aſperſio, & incenſatio ter, in medio, a dexteris, & a ſiniſtris, cum Orationibus, ut in Miſſali, de pluribus, omiſſis Secretis; poſt Orationem non dicitur *Requiem*, *&c.* niſi poſt ultimam Abſolutionem, quæ fit in medio Eccleſiæ, cui additur per Cantores: *Requieſcant in pace*. *Amen*.

20. Ubi fiunt aliæ ſolemnes Miſſæ pro Epiſcopis, Canonicis, & aliis; ne tamen omittatur Miſſa de die infra Octavam omnium Sanctorum, argumento a fortiori ſumpto ab iis, quæ diximus *n.* 18. etenim Miſſa hæc de Requiem vicem gerit Anniverſarii; quod non excludit Miſſam concordantem cum Officio. Vide *part.* 1. *tit.* 5. *n.* 1.

21. Addam hoc loco, quod initio Aprilis, & in fine Maji, ſeu initio Junii aliqua Sanctorum Feſta mutant Ritum a tempore non Paſchali ad Paſchale, & e converſo Miſſæ atque Officia, ſi propria deſint, ſumenda erunt de communi, ſed Miſſa S. Barnabæ dicitur ut in Feſto S. Marci, præter Orationes, Epiſtolam, & Evangelium.

22. Denique, ubi celebratur Feſtum SS. Roſarii ex Decreto Greg. XIII. de quo dicemus in Commentariis Breviarii, ne tamen dicatur ea Miſſa, quæ nomine Roſarii circumfertur, conceſſa tantum Ordini Prædicatorum a Sacra Rituum Congregatione *die* 25. *Junii* 1622. & prohibita fuit aliis eodem die, & rurſus *die* 8. *Aprilis* 1628. ſed fiat Miſſa, ut in Feſto S. Mariæ ad Nives, quod obſervatur in Æde Lauretana, *ex Synodo Diœceſana* 1626. vel ut in Nativitate, mutato nomine, in Feſtivitatis, quod fit Bononiæ, ſed illud prius magis placet.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. - *Et fuſius hac de re nos egimus in* 3. *parte tit.* 11. *&c.*) Nos quoque Gavanti veſtigiis inliſtendo fuſe pariter egimus de hac materia Miſſarum Conventualium in noſtris novis Additionibus, & Obſervationibus ad eumdem *tit.* 11. *n.* 4. *& ſequentibus*.

II. Gavant. n. 3. *Non occurrit caſus*. *&c.*) Menſe Decembri addenda quoque eſt dies Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. ſemper Virginis quando ea incidit in Feriam 4. Temporum. Item cantantur duæ Miſſæ in Feſto S. Euſebii Epiſcopi, & Martyris, ſi incidat in aliquam Feriam pariter 4. Temporum. Tandem cantantur duæ Miſſæ in Feſto expectationis B. M. V. (in toto tamen tantum Statu Eccleſiaſtico, & in aliis Regnis, & Provinciis, in quibus conceſſum eſt prædictum Officium) ſi occurrat in Feriis ſupradictis 4. Temporum.

III. Gavant. eodem n. 3. - *In ſequenti vero Februario*.) In menſe pariter Februario contingere poteſt caſus (ſi incidat in eumdem Menſem initium Quadrageſimæ) in Feſto S. Andreæ Corſini ſi transferatur, ut accidit quando prædictum Feſtum occurrit in Feria IV. Cinerum. Item in Feſtis S. Joannis de Matha, & Sanctæ Scholaſticæ.

IV. Gavant. num. 4. - *in Feſtis SS. Caſimiri*, *Thomæ Aquinatis*, *&c.*) Item in Feſto S. Joannis de Deo, Sancti Patritii. Et in Feſto ſeptem Dolorum B. M. V. ſi occurrat in menſe Martii.

V. Gavant. o. 6. - *in Aprili*) in Feſto S. Iſidori ſi celebretur in Quadrageſima, & etiam in Feſto S. Vincentii Ferrerii ſi celebretue ut ſupra, & demum in Feſto ſeptem Dolorum B. M. V. ſi celebretur pariter in Menſe Aprilis.

VI. Gavant. num. 11. *Menſe Julio - Vel transfertur Feſtum S. Apollinaris in Feriam ſecundam*) Cum Feſtum S. Apollinaris ſit Duplex, ſi incidat in Dominicam, non transfertur in Feriam ſecundam, & ideo cum prædictus caſus non amplius occurrat in Eccleſia univerſali, ceſſat obligatiu prædicta cantandi duas Miſſas.

VII. Gavant. n. 14. *Vigilia S. Bartholomæi*.) Item ubi Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli celebratur die 24. Auguſti, occurrit caſus cantandi duas Miſſas in Vigilia 5. ejuſdem Apoſtoli, hoc eſt una de S. Philippo Benitio, alia de Vigilia, ſicut idem accidit ubi celebratur die 25. Auguſti quando anticipatur Vigilia Sancti Bartholomæi in Sabbato.

VIII. Gavant. num. 16. - *Et S. Lini occurrere poſſunt*, *&c.*) Item occurrere poteſt in ſupradictis Quatuor Temporibus Feſtum S. Thomæ de Villanova, in quo etiam cantari deberent duæ Miſſæ.

IX. Gavant. num. 17. - *Secunda Oratio a cunctis*, *&c.*) In Miſſa cantata de SS. Euſtachio, & Sociis nulla nunc fit commemoratio, nec alia dicenda Oratio, quia prædictum Feſtum eſt duplex.

X. Gavant. num. 18. - *In Novembri duæ Miſſæ cantantur in die Commemorationis*, *&c.*) Quoniam Gavant. hoc loco agit de Miſſa ſolemni, & de aliis Miſſis privatis, necnon de Abſolutione ſolemni Defunctorum, quæ ſolent dici, & fieri in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, idcirco noſtri Auctoris veſtigia ſectando, etiam nos hoc loco de iiſdem agemus, præſertim ſubnectendo recentia Decreta, quæ pertinent ad prædictas functiones dictæ diei proprias.

Ad Miſſam igitur ſolemnem Defunctorum cantandam prædicta die veriſſimum eſt, quod non debet cantari, niſi poſt Nonam, ſeu poſt Vigilias Mortuorum, & nullo modo poſt Primam, adeſt enim expreſſum Decretum editum a S. R.C. die 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium*, ad ſecundum dubium, in quo declaratur, quod in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt celebrari Miſſa ſolemnis de Requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, & datur tale Decretum in noſtro Indice *ſub n.* 549.

Ortum eſt dubium utrum occurrente in aliqua Diœceſi, vel Eccleſia aliquo Feſto Duplici die tertia Novembris, in qua juxta Rubricas fieri debet Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, quando dies ſecunda dicti Menſis incidit in Dominica; ortum, inquam, eſt dubium, utrum in dicto caſu debeat transferri Feſtum illud Duplex ad aliam diem non impeditam currentis Octavæ omnium Sanctorum; an vero non obſtante Officio Commemorationis omnium Defunctorum ſit recitandum Officium de prædicto Feſto Duplici, & præter Miſſas privatas de Requiem cum una ſolemni celebrandas pro omnibus Fidelibus Defunctis, dicenda ſit de tali Feſto tunc una Miſſa tantum? S. R. C. ſub die 5. Octobris 1686. declaravit, quod in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ſi alicubi occurrat Officium Duplex minus, Miſſæ ſunt celebrandæ de Requiem, quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 488. Ita etiam eadem S. C. ſtatuit in tali caſu faciendum eſſe Officium de Duplici, ſed Miſſas celebrandas eſſe de Requiem, ita die 19. Junii 1700. *in Curien.* & hoc Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 543. quoniam vero ſub die 11. Julii 1716. *in una Oeniponti*. Patribus Societatis reſpondit in tali caſu transferendum eſſe Officium S. Pirmini (quod ſub Ritu duplici celebratur ibidem in eorum Eccleſia) in aliam diem, quando occurrit ſimul cum Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, opinabar in meis Obſervationibus primæ partis *tit.* 5. *pag.* 62. per hoc ultimum Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 631. derogatum fuiſſe duobus antedictis Decretis.

Verum quia poſtquam prædicta folia fuerunt prœlo ſubjecta, ſequens emanavit Decretum - Annua Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu Congregationis non eſt transferenda, ſi in illa die occurrat Feſtum Duplex minus etiam translatum, ſed fiet Officium de Duplici cum ſola Miſſa ſolemni poſt Tertiam. Officium vero Defunctorum recitandum erit poſt Laudes ſub Ritu Duplici, & omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis in paramentis nigris - S. R. C. 5. Maji 1736. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 683. Quoniam, inquam, emanavit hoc Decretum, magis magiſque confirmantur duo priora Decreta mox a nobis allata, unde dicendum eſt, quod illud tertio loco allegatum *in una Oeniponti* pro PP. Societatis Jeſu, non deroget prædictis duobus Decretis generalibus, ſed ſit particulare, & municipale pro eorumdem PP. Eccleſia ejuſdem Civitatis Oeniponti, in qua Eccleſia, cum aſſerventur inſignes imo potiores reliquiæ S. Pirmini, cujus Officium celebratur ab eiſdem ſub Ritu duplici, S. C. congruum cenſuit in ſupra propoſita occurrentia talis Feſti cum Commemoratione omnium Defunctorum, eſſe transferendum Feſtum dicti Sancti, ut eo die poſſint celebrari omnes Miſſæ privatæ de eodem Sancto Pirmino.

Aliud extat dubium, in quo quæſitum fuit a S. C. an in die Commemorationis omnium Defunctorum, in qua quotannis occurrit dies Octava Dedicationis Eccleſiæ, ſint Miſſæ privatæ celebrandæ de Defunctis, vel de Octava? & reſponſum fuit a S. C. die 27. Septembris 1698. Miſſas privatas dicendas eſſe de Mortuis, & concedendas eſſe duas Miſſas Conventuales, unam ſcilicet de Octava, & alteram de Mortuis juxta Rubricas. Quando vero dies Octavæ incidat in Dominicam, omnes Miſſas celebrandas eſſe de Octava; & Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum transferatur in diem ſequentem; quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 536. & conciliari poteſt cum ſupra extenſo alio Decreto, quia in hoc ſecundo agitur de Feſto Duplici, quod non poteſt transferri, nempe de die Octava Dedicationis Eccleſiæ, in ſuperiori vero Decreto dubium verſabatur circa Feſtum Duplex transferibile.

Pro prædicta die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum facit etiam ſubſequens Decretum, nimirum: Si aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ultra Miſſam de Communi Defunctorum, celebranda erit alia Miſſa, ut in die obitus præſente Corpore; ita declaravit S. R. C. 14. Aprilis 1646. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 291.

XI. Gavant. eodem num. 18. - *Sacrificium Miſſæ Defunctorum hac die applicandum eſſe omnibus Defunctis*, *&c.*) S. R. C. die 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum* declaravit, quod in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia poſſunt a Sacerdotibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum; & datur tale Decretum in noſtro Indice *ſub n.* 411. Quapropter non ſubſiſtit noſtri Auctoris ſententia, quod Sacrificium Miſſæ in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum debeat ex intentione Eccleſiæ applicari pro omnibus Defunctis.

Ne-

Digitized by Google

Nemini licet ſacere Octavas pro Defunctis ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Eccleſia licet exponere Tabellam ſuper januam ipſius Eccleſiæ cum inſcriptione : *Indulgenza per li Morti :* ſed tantum ſuper ipſo Altari privilegiato conſuetis verbis : *Altare privilegiatum pro Defunctis :* S. R. C. 13. Auguſti 1667. *in Romana Commemoration. Defunctorum*, *&c.* & datur in noſtro Indice *ſub n.* 432.

XII. Gavant. num. 19. - *In Abſolutione ſolemni Defunctorum, &c.*) Poſt Miſſam ſolemnem Defunctorum in die Commemorationis omnium Fidelium, prædicta debet fieri Abſolutio ad Tumulum ; de qua, & de cujus Ritibus ſervandis fuſe loquuti ſumus cum Gavant. *ad tit.* 13. *part.* 2. *Rubric.* 4. quapropter hic nihil addendum eſt niſi ſequentia Decreta.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum poſt Abſolutionem, quæ fit ad Tumulum, non additur : Animæ omnium Fidelium Defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace, &c. ita S. R. C. die 2. Decembris 1684. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 477.

In Abſolutione in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non eſt dicenda tota concluſio in Oratione. S. Rit. Cong. 5. Julii 1698. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 522.

XIII. Gavant. num. 22. *Ubi celebratur Feſtum SS. Roſarii.*) Prædictum Feſtum ubique modo celebratur de præcepto ex Decreto Clementis XI. die 3. Octobris 1716. & dabitur in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii ; Miſſa vero dicitur ut in Feſto ad Nives, cum Oratione, Secreta, & Poſtcommunione propriis ex Decreto Sacr. Rit. Cong. die 10. Martii 1725. approbante Benedicto XIII. ſub die 26. ejuſdem Menſis & Anni.

## De Rubricis Miſſarum Communis Sanctorum. XVI.

### GAVANTUS.

1. COmmunes Miſſæ inſerviunt, tum celebrandis Sanctorum aliquorum Feſtis, quæ habentur in Calendario ; & nihil habent proprium, vel non habent omnia, ut videre eſt in proprio Sanctorum : tum celebrandis eorum Feſtivitatibus, qui extra Calendarium occurrunt in pluribus locis, præſertim vero Patronis locorum, & Titularibus Eccleſiarum, qui omnino nihil habent proprium in Miſſali.

2. Eſt autem liberum cuicumque recitare Miſſam, quam maluerit, ex eodem Communi, ubi ſunt plures Miſſæ, & multo magis Epiſtolam, & Evangelium, ex ibidem aſſignatis, ut habetur *in Rubricis ante Commune unius Mart. non Pontificis, & ante Miſſam de pluribus Martyribus tempore Paſchali* : maxime vero decet illud Evangelium legere, quod in Officio habet homiliam in Breviario approbatam, ut concordet Miſſa cum Officio ; quamquam in Octavario noſtro homiliæ nunc habentur de quovis Evangelio, ut in Miſſali legitur.

3. Et quidem de Feſto Patroni loci, ſeu Titularis Eccleſiæ meminit *Microl. cap.* 43. & ex generali fieri conſuetudine, docet *Radulph. propoſ.* 17. ad quod Feſtum, ſcilicet Patroni loci, tenentur etiam Regulares ejuſdem loci, non autem ad Oct. celebrandam, ex decreto S. R. C. ad populorum excitandam pietatem erga Sanctos eorumdem Patronos locorum.

4. Porro Miſſæ communes de Sanctis n. 24. ad ſex titulos reducuntur, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Mulierum Sanctarum, & Dedicationis Eccleſiæ ; Apoſtolorum autem Miſſa de Vigilia tantum eſt communis. Martyrum Miſſæ ſunt, vel plurium, vel Pontificis, & Martyris, vel non Pontificis, vel extra tempus Paſchale, vel tempore Paſchali, quo tempore, ut ait *Ambr. ſerm.* 74. dignum & congrum eſt, ut poſt lætitiam Paſchæ, quam in Eccleſia celebramus, gaudia noſtra cum SS. Martyribus conferamus, qui conſortes fuerunt Dominicæ Paſſionis : ideo de his Miſſæ Paſchales habentur, non de aliis : in quorum Miſſis communibus, additio fit ſolummodo cantici Paſchalis *Alleluja*, ut dicitur *in Rubr. ante Commune plurimorum Martyrum extra tempus Paſchale*.

5. Confeſſures autem, quam vocem non accipimus, ut apud antiquos, pro iis, qui Chriſti fidem interpellati coram fidei hoſtibus confeſſi ſunt, vel experti aliquod tormentum, non tamen occubuerunt : lege *Cyprian. Epiſt.* 7. *&* 9. *cum Schol. Pamelii*. Sed accipimus ex hodierno uſu, pro iis, qui ſancte vixerunt, qui vel ſunt Pontifices, vel Doctores, vel non Pontifices, vel Abbates.

6. Virgines item vel una, vel plures, vel Martyres etiam, vel non Martyres. Mulieres denique Sanctæ, vel ſunt Martyres non Virgines, vel neque Virgines, neque Martyres.

7. De quibus Miſſis, Evang. & Epiſtolis mentio eſt apud *Durand. lib.* 7. *a cap.* 43. *ad* 47. Ante S. Gregorium nulla eſt mentio Miſſarum de communi SS. *in cujus Sacramentario* adſunt Miſſæ de Communi Martyris, & plurium ; unius Confeſſoris, & plurium ; Virginum, & Martyrum. *Pamelius tertio libro Sacrament.* facit earum auctorem majori ex parte Alcuinum.

8. Rubrica illa : videlicet.

### RUBRICA.

*10. Commune Martyrum tempore Paſchalis Regulariter locum habet a Dominica in Albis, uſque ad Vigiliam Pentecoſtes.*

### GAVANTUS.

Dempta eſt a novo Miſſali hæc Rubrica, uti ſupervacanea : quia infra Oct. Paſchatis, & a Vigil. Pentecoſt. uſque ad Trinitatem, neque etiam de Patrono fit Officium, ſine privilegio, quod ſi iis diebus cantanda ſit Miſſa ob concurſum populi, quod concedit *in prima part. Rubric. tit.* 6. abſque dubio Miſſa erit, ut in tempore Paſchali : quia tempus Paſchale terminatur in Sabbato ante Trinitatem, ut ſupra docuimus ; quod etiam nota pro votivis ſolemnibus pro re gravi, de aliquo Sancto, aut pluribus per eos dies celebrandis, quæ non prohibentur in Rubricis generalibus.

9. Dedicatio Eccleſiæ Anniverſaria celebratur : cujus nomina ſunt multa, & varia, nam Eccleſia vox Græca eſt, & Concionem ſignificat. *Act.* 19. ſeu Convocationem *Ex Cyril. Catech.* 18. dicta eſt Cœnaculum a Cœna Domini, apud *Baron. Ann.* 57. *&* 59. Domus Dei, Orationis ; Dominicum, quaſi Dei locus ; Templum, quaſi tectum amplum ; Baſilica Regis Regum, Martyrium, Confeſſio, & Oratorium, lege *Durand. lib.* 1. *de Ritibus cap.* 1. jure igitur Dedicatio celebratur : ex auctoritate Apoſtolica, inquit *Radulph. propoſ.* 17. Conſtantinus edixit, *ex Euſebio lib.* 4. *Athan.* docuit *Apolog.* 2. *S. Auguſt.* habuit in eadem ſermonem 252. de tempore, & alios ; extant Canones *Felicis IV. & Gregorii I. de conſecrat. diſtinct.* 1. *cap.* 17. *Solemnitates*, ubi affertur exemplum Chriſti occurrentis ad Encænia, ideſt dedicatiunem Templi Hieroſulymitani, *Joannis* 10. dedicantur autem, ait *Alcuinus de Cœna Domini*, ut in eis invitetur adventus Angelorum, & homines in eas intrantes etiam ab exili cogitatione ſe contineant : *Solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Hæc ille. *S. Thom.* 3. *part. qu.* 85. *art.* 3. *ad quartum*, ideo, ait, conſecratur Eccleſia, quia ſancta eſt Eccleſia ſponſa Chriſti, & cum Octava celebratur, *de conſecr. diſtinct. prædicta*, ad denotandam glorioſam Reſurrectionem futuram ejuſdem : hæc ibi.

10. Nota parentheſim in Oratione Secreta hujus Miſſæ, ea enim verba, quæ parentheſi clauduntur, omitti debent, cum dicitur Miſſa de Dedicatione alicujus Eccleſiæ, quæ non eſt eadem ipſa, in qua celebratur ; ut in Dedicatione Baſilicarum Salvatoris, Apoſtolorum Petri, & Pauli ; quæ ab univerſis celebratur, extra eaſdem Eccleſias ; & in Dedicationibus Cathedralium Eccleſiarum, quæ jubentur celebrari ab omnibus diœceſanis, ne præſente : ad hunc finem facta eſt parentheſis, quam fere omnes ad hanc ſorte diem ignoravere. Collecta, & Secreta habentur *in Sacram. Greg.*

In Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, quæ ( ut innuimus, & in ſecundo Tomo docemus ) celebrari debet a Clero Civitatis, & Diœceſis, dicitur, *Credo*, etiam extra propriam Eccleſiam ; ſicuti fit in Dedicationibus Baſilicarum Salvatoris, & Apoſtolorum Petri, & Pauli etiam extra eorum Baſilicas, ob rationem allatam, cum de Symbolo ageremus, quia & eodem modo, quo totus orbis veneratur Baſilicas, Cathedralem alteram Urbis, hoc eſt, Salvatoris ; alteram quaſi Cathedralem, nempe SS. Apoſtolorum, debet unaquæque Civitas, & Diœceſis, magis, minuſve, ſuam venerari Cathedralem, & extra eamdem, in ejuſdem gratiam, recitare Symbolum in Miſſa. Ratio vero eorum, qui dicunt, ideo recitari Symbolum in Dedicatione Cathedralis Eccleſiæ, quia etiam extra eamdem eſt primæ Claſſis, non ſufficit, quia Feſtum S. Jo: Baptiſtæ eſt primæ Claſſis ubique, & tamen extra propriam Eccleſiam, non dicitur *Credo*, neque item alia ratio ſatisfacit integre, quod nimirum Cathedralis Eccleſia eſt propria cujuſque, & poteſt dici Dedicatio propriæ Eccleſiæ, de qua *in Rubr. de Symbolo* ; quia vere non eſt ita propria ex ſenſu, quo loquuntur Rubricæ Miſſalis, & Breviarii de Dedicatione propriæ Eccleſiæ.

### RUBRICA.

*11. In ipſa die Dedicationis Eccleſiæ, Miſſa dicitur, ut ſupra.*

### GAVANTUS.

*Ordo Romanus in dedicatione Eccleſ.* Non eſt hujus loci explicare Ritum conſecrationis Eccleſiæ : lege interim *Tobiam noſtrum part.* 1. *cap.* 27. 28. 29.

### RUBRICA.

*12. In in ipſa Dedicationis Altaris dicitur Miſſa, ut ſupra.*

### GAVANTUS.

Antiquitus fiebat annua Dedicatio Altaris, *ex Auguſtino ſerm.* 152 : 259. *de tempore*, nam unicuique Altari conſecrato aſſiſtere Angelum Dei, probant exempla *in Prato Spirit. Sophronii, cap.* 4. *&* 10.

13. Plura quoque Altaria conſecrari in Eccleſia docet *S. Gregor.*

*gor. lib.* 5. *Epiſt.* 50. ubi agit de tredecim Altaribus dedicandis, quidquid garriant Hæretici.

14. Demum conſecratur Altare, ad indicandam ſanctitatem Chriſti, *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 4. Plura lege de Altaribus *apud Tob. noſtrum part.* 1. *cap.* 7.

## De Rubricis Miſſarum Votivarum io fine Miſſalis. XVII.

### RUBRICA.

1. *SEquentes Miſſa Votivæ, licet pro Sacerdotis devotione quacumque die dici poſſint per hebdomadam, quando Feſtum duplex non occurrit, hoc tamen paſſim, niſi rationabili de cauſa fieri non debet, ſed quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio conveniat. Cuique autem diei propria Miſſa poteſt aſſignari, ut Feria ſecunda, niſi dicatur pro Defunctis, Miſſa de Sancta Trinitate, Feria tertia de Angelis, Feria quarta de Apoſtolis, Feria quinta de Spiritu Sancto, vel de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, Feria ſexta de Cruce, vel de Paſſione Domini, Sabbato de Sancta Maria, in ipſis non dicitur Gloria in Excelſis, nec Credo, niſi pro publica Eccleſiæ cauſa; in Miſſa autem de Beata Maria in Sabbato, & in Miſſa Angelorum, dicitur tantum, Gloria in Excelſis.*

### RUBRICA.

2. *Tempore Paſchali in fine Introitus dicuntur duo Alleluja, & in fine Offertorii, & Communionis additur Alleluja, ubi non habetur.*

### GAVANTUS.

3. Miſſarum Votivarum de Trinitate, de Angelis, de Spiritu Sancto, de Cruce, & de Sancta Maria, auctorem aliquo modo diximus ſupra, *in Rubr. gener.* 1. *part. tit.* 4. *n.* 3. fuiſſe Alcuinum, docuimus etiam ibidem: cur Feriæ ſecundæ tributa fuerit Miſſa de Trinitate, Feriæ tertiæ de Angelis, Feriæ quintæ de Spiritu Sancto, & de Sanctiſſimo Sacramento; quæ in recognitione Miſſalis, Clementis Octavi auctoritate, fuit hoc loco collocata, pro ſolemni Quadraginta Horarum, quam vocant, Oratione, & pro quolibet die per annum, & aliis de cauſis extra ejuſdem Feſtum, & Octavam occurrentibus: cui nihil addi debet, neque *Sequentia*, inconſulta Sede Apoſtolica. Item Feriæ ſextæ de Cruce, cui addita Miſſa de Paſſione, ſimilem habet cauſam. Denique, cur Sabbato Miſſa de Beata Virgine aſſignata ſit, ubi docuimus etiam non poſſe dici votivas Miſſas iis diebus, in quibus prohibetur fieri de Feſto duplici.

4. Miſſa de Angelis, *Benedicite, &c.* citatur *in Concilio Conſtantienſi ſeſſione* 9.

5. Feria quarta dicitur Miſſa de Apoſtolis, quæ non ante Pium V. eidem fuit aſſignata, vel quia ſucceſſit Miſſæ votivæ de Charitate, quam eidem Feriæ *Alcuin.* inter votivas aſſignaverat; vel quia hac die creati fuere Sol, & Luna; Petrus autem Sol Hebræis, Paulus Luna Gentibus, prima Eccleſiæ lumioaria; vel quia occupatis aliis Feriis, ex cauſis ſupra allatis, hæc Apoſtolis debeatur, tamquam Patronis totius Eccleſiæ, vel quia die Mercuris obierunt, *ex Ciacconio in vita S. Petri*, aliam cauſam vide *loco cit. n.* 3. Collectæ vero de Apoſtolis Auctor eſt, vel Leo II. *ex Durand. lib.* 7. *cap.* 15. vel Leo IV. *ex Ligno Vitæ lib.* 5. *Arnoldi Vujon.*

6. * Quæſitum eſt: An io Votiva Converſionis S. Pauli facienda ſit Commemoratio S. Petri, qui numquam ſeparatur a Sancto Paulo? Reſpondeo: niſi vice illius dicatur Votiva communis utrique Apoſtolo cum intentione ad venerandam Converſionem Sancti Pauli, quod mihi arridet; omnino nunquam ſeparandi erunt ii, quos Eccleſia conjunxit: & licet in Sexageſima videatur eoſdem ſeparare in Collecta ſolius Sancti Pauli, latenter id facit ob ſtationem in Eccleſia Sancti Pauli, quem, tacito nomine proprio, Doctorem Gentium appellat.

7. In Sabbato de Beata Virgine quinque Miſſæ poſitæ ſunt, pro diverſitate temporum accommodatæ, ut conſideranti ſatis aperte patet. Oratio, *Concede*, cum duabus ſequentibus habetur in *Sacramentario Gregoriano*, ubi etiam Orationes de Cruce Paſchales, & noo Paſchales.

8. Sed quid agendum, quando Miſſa Votiva exigitur de Aſſumptione Beatæ Virginis, de Nativitate ejuſdem, & ejuſmodi? dici poteſt Miſſa de Beata Virgine ex his quinque votivis, cum intentione ad honorem Aſſumptionis Beatæ Virginis, &c. alias enim dedecet, vel dicere, *Gaudeamus omnes in Domino diem Feſtum, &c.* vel immutare tunc verba, *diem Feſtum, in Commemorationem*; tum quia alia ſequerentur incongrua; neque laicorum cauſa violandæ ſunt Rubricæ.

9. Miſſa *Sanctiſſimi Roſarii* non conceditur omnibus, ut dictum eſt ſupra, a Sacra Rituum Congregatione *tit.* 15. *n.* 22. quod ſi quis habeat onus celebrandi Miſſam de Roſario, conſulat Sacram Rituum Congregationem, que aliquando pro ea conceſſit Miſſam votivam, ut in Miſſali die 6. Maji 1623. 7. *Auguſti*, & 30. *Septembris* 1628. De Miſſa Sanctæ Mariæ de Carmelo die 8. *Aprilis* 1628. decrevit eadem Congregatio, ut non ſit communis omnibus, ſed tantum Carmelitis.

10. De Apoſtolis aliis, quando Votiva occurrit dicendi, ſi quid ratione temporis deſit, puta, *Tractus*, ſeu *Verſus*, cum *Alleluja*, tempore Paſchali; *Tractus*, quidem deſumi poterit ex Miſſa Votiva SS. Petri, & Pauli; *Verſus* autem cum *Alleluja*, tempore Paſchali, imo vero etiam Introitus cum acceſſoriis, ex Feſto S. Marci, ut in ſimili caſu jubetur in fine Miſſæ Votivæ Apoſtolorum Petri, & Pauli, eſt enim eadem ratio.

11. Dubitandum eſt: An in Feriis Adventus, in quibus poſt *Graduale* omittitur *Alleluja*, ſi Miſſæ dicantur Votivæ, & præſertim pro peccatis, & de Paſſione Domini, omittendus ſit *Verſus* cum ſuo *Alleluja*, ſed vere non ſunt Miſſæ de tempore, ut Feriæ Adventus, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur, in quibus *Graduale* tantum dicitur; & ſic Votivæ participant de Feſtis, quorum ſunt Votivæ, ita decet poſt *Graduale*, ideſt lamentum, audiri *Alleluja*, extra Septuageſimam, ad aliqualem lætitiam exprimendam, ut in Rubricis generalibus enarravimus. * Vide Miſſam Votivam de B. V. ab Adventu ad Nativitatem Domini, io qua reperies *Alleluja*, ut in Feſtis: omnes autem Votivæ inſtitutæ ſunt in eodem gradu, licet aliqua minus ſolemnitatis viſa ſit habere, quam aliæ, ut de Paſſione, pro peccatis, infirmis, & ejuſmodi: optima igitur Miſſalis Rubrica.

12. Obſervaodum vero eſt infra Octava Paſchæ, ſi Votiva cantetur pro re gravi, in ea non dici *Graduale*; quod convenit illi Octavæ, non Votivæ Paſchali, ita Ruiz in ſuo Cær. & bene, neque io fine dicerem duo *Alleluja* ad *Ite Miſſa eſt*.

13. In aliis votivis Sanctorum, vel dicitur Miſſa propria Sancti, ſi habet mutato in Collecta verbo, *Natalitio Feſta*, & ejuſmodi, in *Commemorationem*: deſumptis item, vel *Tractu*, vel *Verſibus* cum *Alleluja*, vel etiam *Graduali*, ſi opus eſt, ex Miſſa de Communi; vel certe tota Miſſa dicatur de Communi, prout ratio temporis ſive Paſchalis, ſive non Paſchalis requirit. Paſchale vero tempus durat, ut diximus, uſque ad ad Sabbatum poſt Pentecoſten incluſive.

14. Miſſa *de quindecim Auxiliatoribus*, quæ impreſſa eſt Venetiis, rejecta eſt a Sacra Rituum Congregat. *die* 16. *Januarii* 1617. * ita ut neque retineri poſſit in calce Miſſalis ſub pœnis librorum prohibitorum, eodemque modo rejecta eſt Miſſa *de Patre æterno* Madriti edita, & Miſſa *de S. Gregorio pro vivis* Venetiis impreſſa. Extant Decreta prælo data *die* 8. *Aprilis* 1628.

15. In Votivis pro gratiarum actione additur Oratio propria, quæ habetur poſt Votivam de SS. Trinitate, eo modo, quo diximus *ſupra part.* 1. *tit.* 7. *n.* 7. & *tit.* 9. *n.* 14.

16. In Miſſa ad poſtulandam gratiam Spiritus Sancti, quæ eſt eadem, & de Spiritu Sancto, mutantur Orationes, & dicuntur ea, quæ habentur in fine ejuſdem Miſſæ Votivæ de Spiritu Sancto: & leguntur *in Sacramentario Gregoriano*.

17. Aliæ Miſſæ Votivæ pro diverſis rebus dici poſſunt quacumque die, niſi fuerit Dominica, vel Officium duplex, ſed tamen paſſim non dicantur, niſi urgenti de cauſa, ut ſupra dictum eſt de aliis Miſſis Votivis.

18. Additæ ſunt enim tredecim aliæ Miſſæ Votivæ prædictis, pro aliis neceſſitatibus, de quibus aliqua notatu digna nunc enarrabimus, & quidem, quæ ad Summum Pontificem Creandum, Creatum, Coronatum, attinent, qui eſt caput Eccleſiæ, nemo eas vocabit in dubium, cum pro eodem in Canone ſemper orandum ſit diſtincte, in Collectis etiam Oratio pro Papa eſt ſatis frequens, & in ſolemnioribus anni temporibus. Patebit adhuc multo magis ex Ritu mox laudando circa Epiſcopos locorum proprios. S. Leo in ſuæ aſſumptionis anniverſario ſermonem habuit; immo Romam conveniebant eodem die alii Epiſcopi; ut videre eſt in *Epiſt. Hilarii Papæ ad Aſcanium*. Prima ergo vice poterit hæc Miſſa dici etiam in Dominica, ſeu Feſto duplici, ideſt Miſſa, ut in Cathedra S. Petri; tam in creatione Papæ, quam in coronatione, mutata Collecta, cum *Credo*, ut in Miſſali dicitur. In Anniverſario eadem dici debet.

19. De Anniverſario Electionis, ſeu Conſecrationis Epiſcopi extat Canon *Felicis de conſecr. diſt.* 1. *Solemnitates*, dicebatur autem Natalis dies Epiſcopi, *ex S. Ambroſ. lib.* 8. *Epiſt.* 60. *ad Felicem, edit. Roma Paulin. Epiſt.* 16. *ad Delphinum; ex Hilario prædicta Epiſt. ad Aſcanium*. Nota in Rubrica particulam, *ſeu* * nam ſonat (&) ut patet aperte *in Rubrica de Symbolo circa finem*; & *in Rubr. de coloribus parament. n.* 2. *circa finem*, quare utraque celebrari poteſt. Apud Græcos in Menologiis notantur dies Ordinationum Sancti Baſilii, S. Joan. Chryſoſt. & aliorum. Apud Romanos vide, quæ ſcribit *S. Ambroſius de Felice Comenſi Epiſc. l.* 8. *Epiſtola* 60. *cit. S. Auguſt. de Aurelio Carth. ſerm.* 32. *de verbo Domini, & de ſuamet Ordinatione anniverſaria ham.* 24. & 25. * ex quibus patet, ſi altera tantum celebretur, conſecratio potius, quam electio celebranda erit.

20. Si igitur venerit in die Feſtivo, Miſſa erit de Feſto, cum commemoratione de Epiſcopo, *Cæremon. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 35. In Oratione autem nominatur Epiſcopus, & Civitas, quia Eccleſia, ſine additamento ſignificat univerſalem Eccleſiam; * ſi vero io die Feſtivo Miſſa dicitur, ut in *Miſſali*,

*ſali*, *& emendate Cæremoniali*, cum unica Oratione, *Gloria*, *Credo*, Præfatione communi, ſive de tempore, vel habentem ratione temporis, quia forte infra Octavam occurrat.

21. In ſequentibus Miſſis nulla eſt difficultas. Ante Pium V. erant in uſu, & in *Sacrament. Gregor.* leguntur Orationes *pro iter agentibus*, *pro quacunque neceſſitate*, *remiſſione peccatorum*, *tempore belli*, *pace*, *vitanda mortalitate* (cujus Miſſæ dicitur Auctor Clemens VI. *in Ligno vitæ lib.* 5.) *&* *pro infirmis*, ſed & Miſſæ *pro infirmis* meminit *Chryſ. homil. 77. in Joann.* Miſſam *pro moribundo* innuit *Joann. Diac. lib. 4. de vita S. Gregor. c.* 86.

22. Miſſa pro Sponſo, & Sponſa dicenda eſt extra diem Feſtum de præcepto *ex propria ante eamdem Miſſam Rubrica*, quæ Miſſam Dominicæ ſeu Feſti celebrari jubet cum Commemoratione benedictionis, ſi vidua ſponſa eſt, non benedicitur cum hac Miſſa, etiamſi vir nunquam nupſerit; ſi vero nupſerit vir, & virginem ducat, ubi ea viget conſuetudo, poterunt nuptiæ benedici cum hac Miſſa, ut habetur expreſſe *in Rituali Romano Pauli V.* cæterum Miſſæ ſacrificium offerri ſolitum in nuptiis, docet aperte *Tertull. ad uxorem lib. 2. in fine*, unde ſufficiam, inquit, ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio; oblationis autem nomine intelligit Miſſam, *Baron. Anno 57. num.* 49. Videamus Rubricas.

## R U B R I C A.

23. *Dicto*, *Pater noſter*, *Sacerdos antequam dicat*, *Libera nos quæſumus* Domine, *ſtans in cornu epiſtolæ*, *verſus Sponſum*, *& Sponſam ante Altare genuflexos*, *dicit ſuper eos ſequentes Orationes*,

## G A V A N T U S.

Tenente librum Miniſtro ante eum, & dum recedit a medio, ſeu accedit ad medium, genuflectant ſemper Sacramento, verum congrue poſt ſeptem petitiones Orationis Dominicalis, petit confeſtim Sacerdos, quæ ſunt utilia Sponſis coram eodem Sacramento, ut efficacius obtineat, & iterum revertitur ad preces Eccleſiæ pro iiſdem etiam Sponſis dicens: *Libera nos*, *&c.* Orationes autem pro Sponſis ſunt Ordinis Romani. Poterit ſuo loco dari Pax cum inſtrumento oſculato a Sacerdote per Miniſtrum Sponſo, & Sponſæ.

## R U B R I C A,

24. *Poſtquam ſumpſerit ſanguinem*, *communicet Sponſos*,

## G A V A N T U S.

*Ex Tertulliano de Monogamia c.* 11. illi (Sacerdotes) ſic dabunt viros, & uxores, quomodo buccellas, quas ſupra docuimus eſſe particulas cum *Baron. ſupra cit. n.* 49. licet *Albaſpin.* aliud ibi intelligat.

## R U B R I C A.

25. *Sacerdos*, *antequam populo benedicat*, *converſus ad Sponſum*, *& Sponſam*, *dicat*:

## G A V A N T U S.

Hoc eſt, in cornu Epiſtolæ, ut ſupra, & ut de vicino libro commode legat.

Benedictio ſpecialis danda eſt ante generalem, quaſi ante partem aliorum.

26. Aſperſio Sponſorum, quæ fit cum aqua benedicta in fine, fiat cum aſpergillo, & aqua, & cum ſigno Crucis ſuper eos, eo modo, quo dicitur in *Rituali Romano*; *in benedictione Mulieris poſt partum*, *& aliarum perſonarum*. Benedictio vero hæc Sponſorum firmata fuit Evariſti Decreto *epiſt. ad Epiſcop. Africanos*.

27. Ultimo loco ponuntur Orationes diverſæ, ad libitum dicendæ, quando non eſt Feſtum Duplex, circa quas hæc occurrunt notanda; & primo: Regulam illam *de eodem non fit in Miſſa bis*, *per modum principalis*, *ſive ſit Feſtum*, *ſive ſit Votivum*, *& per modum ſimul Commemorationis*; veram eſſe, & habere locum in ſenſu formali Commemorationis, quæ dicit ordinem ad Officium: quod accidit in Collectis ordinarie non ultra tertiam in Miſſa: non autem locum habet illa regula in Collectis pure acceſſoriis remotioribus a prima: nec in iis, quæ addi poſſunt uſque ad quinque, ſeu ſeptem, ut ſupra dictum eſt *in 1. part. Rubr. tit. 9. de Orationibus num.* 12. Prima pars probatur, ex *eodem tit. 9. n.* 15. ubi ideo in Miſſis de Beata Maria dicitur Oratio de Spiritu Sancto, & in Votiva de Apoſtolis, pro *A cunctis*, dicitur, *Concede*, de B. V. ut ibidem adnotavimus. Altera pars manifeſte patet, quia alioquin ſequeretur, quod (quando plures dici poſſunt Orationes) inter quas certum eſt, fieri ſemper mentionem de B. V. in Oratione *A cunctis*, vel *Concede*, nunquam in Miſſa poteſt dici Oratio ad poſcenda ſuffragia Sanctorum, *Concede quæſumus*, *&c.* neque alia *Pro Congregatione*, *& familia*, in quibus fit mentio de Beata V. & eſſent fruſtra in Miſſali, quod non debet dici. Item in Miſſa de Spiritu Sancto Votiva cum quinque Orationibus non poſſet unquam dici Oratio ad poſtulandam continentiam *Ure igne S. Spiritus*, *neque pro devotis amicis*, in qua etiam nominatur S. Sanctus. Item in Votiva de Apoſtolis, & in aliis Miſſis, in quibus dicitur *A cunctis*, & tertia eſt ad libitum, non poſſet unquam dici Oratio *Pro conſtituto in carcere*, in qua nominatur B. Petrus, ergo ultra viciniorem acceſſoriam, quæ Commemorationem ſapit, & debet eſſe diverſa a prima Collecta, nihil refert, an in aliis pure acceſſoriis, & remotioribus a prima mentio de novo fiat eorum, qui prima, vel altera Collecta fuere nominati, qua conceſſa diſtinctione, certe nihil erit fruſtra poſitum in Miſſali Romano.

28. Prima tamen Oratio ex his Votivis, nimirum, *ad poſcenda ſuffragia Sanctorum*, non debet dici, quando dicitur *A cunctis*, quia eadem ſunt, ut ex titulo earumdem patet: poterit autem illa prima, *Concede*, dici in ea Miſſa, quæ habet ſecundam *Concede*, de B. V. & admittit quinque, vel ſeptem Orationes, ſuo loco congruo poſt Orationem tertiam, ſi propria ſit aſſignata: vel poterit, & a majoribus quandoque juberi, ut dicatur, etiam in Duplicibus, pro re gravi, & publica cauſa, ſicut alia, *Deus refugium noſtrum*, *& virtus*, *&c.* & his modis non erit ſuperflua in Miſſali; qua de re acute dubitavere nonnulli. Auctor ejuſdem primæ Orationis neſcitur; ſed meminit *Abbas Grimoldus in l. Sacramentorum apud Pamelium in t. 2. Liturgicon Eccleſiæ Latinæ*.

29. Orationis *A cunctis*, jam dedimus Auctorem, & declaravimus N. quod in ea habetur, addimus hoc loco; pro dignitate Patroni nominandi in illo N. Ante Apoſtolos quandoque nominationem fieri, ut S. Michaelis, vel S. Jo: Baptiſtæ, ex Decreto Sac. Rituum Congreg. 22. *Auguſti* 1620. & ex Rubric. Miſſalis ſub Urbano VIII. recogniti *titul. de Commemorationibus 7. n. 5. in fine*.

30. Oratio *pro ſe ipſo Sacerdote* (quod ſupra docuimus) dici non debet *in* Miſſa, cui intereſt proprius Epiſcopus, vel eo major, vel Princeps magnus, *ex Burch. in Ord. cel. Miſſæ*, potius orandum eſt pro Prælato, ſeu Principe præſente, quod fit ob reverentiam eorumdem majorum. Habetur autem Collecta hæc *in lib. Sacramentorum Abbatis Grimold. cit.*

31. *Idem Abbas Grimoldus* meminit ibidem Orationum, *pro navigantibus*, *& ad humilitatem poſtulandam*, reliquæ, *pro Papa*, *Imperatore*, *Rege*, *Prælatis*, *contra perſecutores Eccleſiæ*, *contra male agentes*, *ad pluviam*, *ſerenitatem*, *repellendas tempeſtates*, *pro peſte animalium*, *petitione lacrymarum*, *tentatis*, *& tribulatis*, *ad malas cogitationes repellendas*, *ad continentiam poſtulandam*, *pro devotis amicis*, *pro ſalute vivorum*, habentur *in Sacramentario Gregoriano*. At in Oratione *pro Imperatore*, adde *electo*, ſi nondum eſt coronatus, ut dictum eſt de Benedictione Cerei Paſchalis, eſt enim eadem utrobique ratio.

32. Ultima *pro vivis*, *& defunctis*, cum duabus ſequentibus tribuitur Auguſt. tamquam auctori *a Dur. l. 4. c.* 16. & idem affirmatur *in Sacramentario Gregoriano*.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 3. -- *Miſſarum Votivarum de Trinitate*, *&c.*) Quia fuſo calamo diſſeruimus de Miſſis Votivis, & omnia ad eas ſpectantia collegimus in noſtris Additionibus, & Obſervationibus *ad tit. 4. primæ partis*; ideo evolvenda ſunt ea, quæ ibi tradidimus; nihilominus etiam ſub hoc titulo ſequentia addemus.

II. Gavant. num. 6. -- *Miſſa SS. Roſarii*, *&c.*) Si quis habeat onus celebrandi ſupradictam Miſſam de SS. Roſario, vel S. M. de Monte Carmelo: Gavantus *ſupra num.* 9. ait conſulendam eſſe S. R. C. quæ aliquando pro ea conceſſit Miſſam Votivam prout in Miſſali, nempe Miſſam illam B. V. quæ in fine Miſſalis deſignatur pro tempore currenti; verum ſupra hoc dubium legantur ea, quæ a nobis dicta ſunt in noſtris Obſervationibus *ad tit. 4. primæ partis num.* 30: ubi reſolvimus celebrari poſſe Miſſam propriam de SS. Roſario; & quamvis Gavantus *ſupra num.* 8. dicat, quod quando exigitur Miſſa Votiva de Aſſumptione B. V., de Nativitate ejuſdem, & hujuſmodi, recitanda ſit una Miſſa de B. V. ex quinque Votivis, quæ ſunt in Miſſalis fine, cum intentione ad honorem B. V. nihilominus magna eſt in utroque caſu diſparitas; ideo enim pro Votiva Aſſumptionis, & Nativitatis non eſt dicenda propria illarum Feſtivitatum, quia extra Octavam, & Feſtum prædictæ Aſſumptionis, &c. dedecet, ut idem Gavantus adnotat, vel dicere: *Gaudeamus omnes in Domino*, *diem Feſtum*, *&c.* vel immutare tunc verba *diem Feſtum* in *Commemorationem*; tum quia alia ſequerentur incongrua, ſed hæc incongrua profecto non ſequuntur in illa Miſſa SS. Roſarii, quæ nunc pro Eccleſia univerſali in Miſſali Romano in Dominica prima Octobris dicenda præſcribitur; adeoque poterit dici ab omnibus, quando exigitur Miſſa Votiva de SS. Roſario, & idem nunc dicerem de Miſſa Votiva B. V. de Monte Carmelo, niſi obſtaret Introitus, qui eſt idem, ac in Miſſa Aſſumptionis, &c. ſi exigatur Miſſa Votiva B. M. V. de ſeptem Doloribus, poſſet dici illa, quæ nunc habetur in Miſſali Romano, additis iis, vel mutatis, quæ in

Digitized by Google

eadem Miſſa notata ſunt. Cætera, quæ ſpectant ad Miſſas Votivas ſupra ſuſe tradidimus *ad tit. ſuprac.*

III. Gav. num. 17. -- *Niſi urgenti de cauſa.*) Docet Gavantus Miſſas Votivas dici poſſe quacumque die, niſi fuerit Dominica, vel Officium Duplex; & addo, vel etiam dies, in quo excluditur quodcumque Officium Duplex, ut alibi cum eodem dixi, quales ſunt dies infra Octavas Epiphaniæ, Paſchatis, &c. ut videre eſt apud eumdem Gavant. *ſupra part. 1. tit. 4. lit. o.* Lohner tamen *par. 4. tit. 1. n. 8.* adſtruit, quod ſecluſa ſpeciali prohibitione, probabile eſt ob quamcumque rationabilem cauſam licitum eſſe, Miſſas Votivas in quovis Feſto duplici, non majori ſaltem, legere; & adducit pro ſua opinione auctoritatem P. Gobat, qui *n. 708.* idem docet cum Henriquez, Tannero, & aliis. Porro pro cauſa rationabili idem Auctor, nimirum Gobat ſequentes agnoſcit, Primo, ut ſatisfiat fundationi, quemadmodum multi ſentiunt. Secundo, juxta alios, & nominatim juxta Jordanum *num.* 500. promiſſio, & ſtipendium acceptum pro certa Miſſa. Tertio, malum publicum, vel privatum avertendum, bonumve procurandum. Quarto, quando ſacrum ordinarium eſt valde longum, & nequit ſine incommodo notabili, vel ſacrificantis, vel audientis dici, quo modo facile permittenda eſt mutatio Miſſæ, in qua Paſſio Dominica legitur, in Votiva de Paſſione, ſi audiens, vel ſacrificans debilitate capitis, oculorum, pedum, viſcerum laboret; Tambur. *lib. 2. c. 6. §. 1. n.* 12. Quinto, ſingularis devotio, vel facturi, vel auditurі ſacrum. Dico ſingularis, ſi enim vulgaris ſit, melior eſt conformatio cum Rubricis, quia per ſubjectionem gratius Deo obſequium præſtatur. Hæc Lohner ibidem; ego tamen non ita libenter admitto omnes prædictas cauſas veluti ſufficientes ad celebrandam Miſſam Votivam diebus vetitis. Et pro nunc ſolum admitto illam quarto loco poſitam, nimirum quando ſacrum ordinarium eſt valde longum, & ob malam affectionem oculorum, vel aliam ſimilem cauſam non poteſt a Sacrificante legi ſine notabili incommodo Miſſa diei currentis.

IV. Gav. num. 19. -- *De Anniverſario Electionis, ſeu Conſecrationis Epiſcopi, &c.*) Etiam apud antiquos vigebat iſta conſuetudo, ut Anniverſaria dies Conſecrationis Epiſcopi annua celebritate recoleretur. Dies hæc, ut optime notat Gav. Natalis Epiſcopi vocabatur, & plurimi extant Patrum ſermones ſingulis Annis, ea recurrente, habiti ad Populum. Præter Patres a Gavanto allegatos etiam Auguſtinus, eum a ſe celebrari annuum ordinationis diem afferit, quaſi tunc primum, graviſſima illi Epiſcopatus ſarcina eſſet impoſita. Hinc ut gratiam divinitus obtinerent, & vires ad digne ſuſtinendas Apoſtolici muneris partes, ſe Fidelium precibus commendabant.

Circa hujuſce ſolemnitatis Ritum duo obſervanda occurrunt: primum eſt, ordinem Epiſcoporum inter ſe ex tempore Conſecrationis ſemper fuiſſe ſervatum: Concilium Milevitanum Anno 402. celebratum *Can.* 13. necnon Africanum Anno 407. *Can.* 53. & ut hic ordo retineretur, ac ne lis aliqua ſoboriri poſſet de tempore Conſecrationis ex cit. Concilio Milevitano Anno 402. *Can.* 14. & Africano *Can.* 56. Epiſcopi ordinati literas accipiebant ab Ordinatoribus manu eorum ſcriptas cum Conſule, & die. Aliud, quod obſervandum occurrit, circa Ritum inaugurationis Epiſcopi, eſt, quod talis anniverſaria dies ſuæ Conſecrationis tamquam ſolemnis, & feſtiva a ſua Eccleſia celebrabatur, ut colligitur ex Bouſac *in Notis Theolog. diſſert.* 28.

V. Gavant. num. 20. -- *Si igitur venerit in die feſtivo.*) Quamvis de hac Miſſa, quæ ſolet celebrari in die anniverſario Conſecrationis Epiſcopi, nonnulla diximus in Additionibus noſtris ad ſupradictum *tit. 4. primæ partis*, nihilominus hic addere lubet, quod hæc Miſſa ſolemnis celebratur vel per Epiſcopum ipſum, vel per aliquam dignitatem, ſeu Canonicum, (pro Epiſcopo præſente, quæ quidem Miſſa, ſi dies anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi venerit in die aliquo feſtivo, celebrabitur de Feſto cum paramentis eidem convenientibus, & cum Commemoratione pro Epiſcopo, juxta Cæremon. Epiſc. *lib. 2. c.* 35. ſed ſub unica concluſione, ut præſcribitur in Rubrica talis Miſſæ. Si vero talis dies Conſecrationis Epiſcopi veniret in die non feſtivo, ſed feriali, tunc celebrabitur Miſſa prout in Miſſali in paramentis albis, & cum unica tantum Collecta pro Epiſcopo, nimirum: *Deus omnium Fidelium Paſtor, & Rector, &c.* & ſi Epiſcopus celebret, dicat in Oratione: *Me indignum famulum tuum, quem huic Eccleſiæ, &c.* ſed in reliquis ſervabuntur ea, quæ in Miſſa ſolemni Epiſcopali, vel coram Epiſcopo celebrata ſervanda ſunt.

Quamvis S. R. C. die 28. Auguſti 1627. apud noſtrum Gavant. *prima part. tit. 9. num. 16. lit. i. §. Accidit etiam*, decreverit, quod: *Commemorationes pro publica cauſa non fiant in Feſtis primæ Claſſis*; excipitur tamen hæc Commemoratio Conſecrationis Epiſcopi, & ratio eſt, quia hæc Oratio non modo eſt pro publica cauſa, ſed cadit etiam ſub præcepto, cujuſmodi non eſt Commemoratio, de qua loquitur ſupradictum Decretum, quæ ſcilicet eſt Commemoratio pure Votiva; nec Commemoratio diſconvenit etiam aliquando in Feſtis primæ Claſſis, ut patet de Commemoratione Dominicæ, quæ numquam omittitur: etiam in Feſtis primæ Claſſis. Non adduco exemplum Commemorationis S. Anaſtaſiæ, quæ fit in ſecunda Miſſa diei Nativitatis Domini, quia, ut alibi dixi, talis Oratio introducta fuit ratione Stationis, quæ fiebat in Eccleſia S. Anaſtaſiæ, quando celebrabatur dicta ſecunda Miſſa; unde rigoroſe loquendo non eſt Commemoratio alicujus Feſti ſimplicis. Dicta autem Commemoratio Conſecrationis Epiſcopi, quæ fit in Feſto etiam primæ Claſſis, facienda eſt, ut dixi, ſub unica concluſione cum Oratione Feſti.

## De Rubricis Miſſarum pro Defunctis. XVIII.

### *GAVANTUS.*

1. Miſſæ Mortuorum imitantur triduanam Chriſti ſepulturam, ſicuti etiam in illo triduo; & in his Miſſis omnia laudis cantica ſubticentur, & ſolemnitates omnes ſubtrahuntur. *Dur. lib. 7. c.* 35. & nos jam multa diximus ſupra *in Rubr. gener. part. 1. tit. 5. & part. 2. tit.* 13.

2. Introitus conſtat duobus verſibus, quod alias non fit, nimirum, *Te decet*, & *Exaudi Orationem*: vel quia ſecundus ſuccedit in locum, *Gloria Patri*, vel quia optamus Defunctis ſtolam binam animæ, & corporis. *Durand. lib. 6. c.* 52.

3. Offertorium habet *Verſum* ad modum Reſponſorii; ejuſmodi erant antiqua omnia Offertoria, *ex Dur. lib. 4. c.* 17. in quo ℟. explicat illud verbum *Inferni*, ideſt Purgatorii, qui eſt locus inferior, & non differt ignis utriuſque loci, niſi in duratione, cætera conveniunt, & ſignificant, ne Deus obliviſcatur animarum.

4. *Communio* etiam eſt unica in tono Miſſali cum repetitione, & ℣. *Requiem*, ut in Reſponſoriis; ad inſtar antiqui Ritus Ordinis Romani, in quo communicante Populo, verſus *Communio*, cantabatur cum additione ℣. *Gloria Patri, &c. Microlog. cap.* 18.

5. Quis Auctor Sequentiæ? ex Auctore Ligni Vitæ *lib. 1. c.* 70. S. Gregorius eſt; ex Stephano Proyſthinio *lib. 1. de 14. noviſſ. c.* 5. S. Bernardus, cujus initium, inquit ille:

Cum recordor moriturus,
Quid poſt mortem ſim futurus,
Terror terret me venturus,
Quem expecto non ſecurus,
Terret dies me terroris,
Dies iræ, ac furoris,
Dies luctus, ac mœroris,
Dies ultrix peccatoris,
Dies iræ, dies illa, &c.

At hi quaterni ſunt verſus, reliqui terni, ſed Bzovius *An. 1294. n. 37. & 38. ex Leandro Alberto*, eam tribuit Latino Card. Urſinio, ſeu Frangipanio, & idem eſt. Alii tribuunt aliis, Auguſtino de Biella Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui erat in humanis Anno 1491. *Joſeph Pamphilius in Chron. Auguſt.* ex fama tamen, qui etiam ſe legiſſe ait *in Annal. Prædicator.* F. Humbertum quintum Generalem Magiſtrum auctorem dici, qui obiit anno 1274. *Angelus Ellius in Speculo Spirituali*, facit auctorem innominatum ex Ordine S. Franciſci: nominatus autem Thomas de Celano (qui vivebat Anno 1250.) a *Bartol. Piſano in conformitatibus D. Franc. l. 1. fructu* 11. cui ergo credam, neſcio. Mentio Sybillæ in tertio verſu indicat recentiorem eſſe hanc Proſam S. Gregorii, qui in ſuo Sacramentorum lib. nihil prorſus Gentilitatis habet.

6. In die depoſitionis, & anniverſario Summi Pontificis dicitur prima Miſſa, quia, quæ raro adhibentur, pretioſa reputantur, neque quotidiana vileſcunt conſuetudine, *Amalarius lib. 3. c.* 40. & ideo Miſſa ſemel in Anno conſtituta in Commemoratione omnium Defunctorum dici jubetur in Exequiis Summi Pontificis, & Epiſcoporum.

7. Pro Defunctis Cardin. eadem prima Miſſa dicenda eſt, mutatis Orationibus. Rubrica quidem non præſcribit, ſed uſus ita declaravit Rubricam: quia ſunt Epiſcopis majores, pro Diacono tamen Card. Oratio, *Inclina*, ut in Miſſali, additis verbis Diaconi Card.

8. Quid pro Sacerd. Defuncto? licet de eo Rubrica meminerit inter Defunctum Epiſcopum, & Cardinalem; non tamen iiſdem æqualem eum facit, & rationabilis conſuetudo eſt in pleriſque Eccleſiis majoribus Urbis, ut dicatur Miſſa ſecunda, mutata Oratione, ratione cujus videtur in Rubrica prius de Sacerdote, quam de Cardinali, mentio facta fuiſſe: ſi tamen dicatur Miſſa prima, favet Rubrica in fine Miſſarum pro Defunctis, quæ concedit Epiſtolas, & Evangelia unius Miſſæ dici poſſe in alia quacumque Miſſa pro Defunctis.

9. Oratio in *tertio*, vel *ſeptimo* dicenda *ex Amalar. lib. 3. cap.* 44. dicitur ad celebritatem quamdam in propriis diebus 3. 7. 30. unde non debet dici in iis diebus, qui occurrunt inter tertium, & ſeptimum, neque poſt ſeptimum uſque ad trigeſimum, in quibus dicitur Miſſa, ut in quotidianis: alias eſſet mendacium in Collecta, qui dies, ſicut etiam anniverſarius, numerari debent a die obitus, ſeu depoſitionis, ut patet ex Collectis, in quibus fit mentio depoſitionis, nam Sanctus Ambroſius *Sermon.* 70. accipit depoſitionis vocabulum, tam pro ſepultura, quam pro obitu, licet Eccleſia vi-

dea-

deatur diſtinguere inter obitum, & depoſitionem, *in tit.* 2. *Miſſæ defunct.* ſi contendas diſtingui, numerabis hos dies a die ſepulturæ, qua potiori jure ſubjacet Defunctus Eccleſiaſticæ curæ: vel ſequere locorum conſuetudinem, niſi Teſtatoris verba aliud ſonent. Fiunt ubique anniverſaria pro Defunctis extra diem præciſum annuum, & non incongrue cum propria Miſſa.

10. Miſſa *in die nono* non eſt amplius in uſu, *& Aug. in Geneſ.* novemdiale pro Defunctis redarguit. Quadragenarium diem coluit *S. Ambroſ. in obitu Theodoſii Orat. de eodem*. Alii alios dies, quos non probante Romana Eccleſia non obſervarunt amplius, exceptis Exequiis Papalibus.

11. Sed pro prædictis Eccleſiaſticis in *tertio*, *ſeptimo*, *trigeſimo*, *& anniverſario*, quæ Miſſa? quæ Oratio dicenda erit? in his diebus repetenda eſt Miſſa, quæ dicta eſt in die depoſitionis, ſicut fit pro laicis in iiſdem diebus 3. 7. & 30. ex propria Rubrica; Oratio vero ſemper erit propria Epiſcopi, vel Sacerdotis, neque refert in ea non fieri mentionem die 3. 7. 30. & anniverſario, nam eadem Oratio pro Papa dicitur in obitu, & in anniverſario, nulla facta in ea anniverſaria mentione.

12. Miſſa quoque eſt eadem in obitu, & anniverſario Papæ, cur, non etiam erit Epiſcopi? Cardinales autem eodem privilegio mortis gaudent, quo Epiſcopi, & in hujuſmodi functionibus poſt mortem ſunt æquales. Extra prædictos dies, Miſſæ dicuntur, ut in quotidianis Defunctorum, cum propriis Orationibus.

13. In titulo *Pro Patre*, *& Matre*, addita eſt vox, *Sacerdotis*; nam alias de Patre cujuſque non convenit Oratio in ore Sacerdotis, ut patet audienti.

14. Miſſæ, quæ circumferuntur *S. Gregorii pro vivis*, *& defunctis*; neque ſunt Sancti Gregorii, neque ſunt approbatæ a Sancta Sede Apoſtolica, immo rejectæ, ita ut neque in calce Miſſalis retineri poſſint, ex Decreto Sac. Rituum Congregat. *die* 8. *Aprilis* 1628.

15. Pro eo, qui proxime obiit, longe tamen a nobis, prima vice poteſt dici Miſſa, ut *in die tertio*, omiſſo verbo *tertium*.

16. N. exigit nomen Defuncti, ſi tamen eſt nobilis, vel conſuetudo ſit nominandi omnes in Collecta, & Orationibus.

17. Habentur *in Sacramentar. Gregor.* Oratio, *Fidelium Deus*, cum Secreta, & Poſtcommunione, in Anniverſario. Pro Epiſcopo, *Deus omnium Fidelium*. Pro Sacerdote, *Præſta*, Pro Defuncto, *Inclina*, & *Abſolve*. Pro Fratribus, Secreta, pro iis, qui in Cœmeterio, tres conſuetæ, pro pluribus Defunctis, *Deus cui proprium*, & *Animabus*, cum duabus ſeqq. reliquæ ſunt recentiores, ex quibus illæ duæ, quæ pro Epiſcopo, vel Sacerdote additæ ſunt poſt eam utrique communem; *Deus qui inter Apoſtolicos &c.* convenientius dicuntur in Miſſis, in quibus per modum Commemorationis dici debet Oratio pro prædictis iiſdem; vel certe poſitæ ſunt ad varietatem.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 6. - *In die depoſitionis, & Anniverſario Summi Pontificis, &c.*) Dicitur in Miſſa prout deſcribitur a Gavant. *ſupra* cum Oratione: *Deus qui inter Summos Sacerdotes, &c.* illa nempe, quæ eſt prima inter Orationes diverſas pro Defunctis cum ſua Secreta, & Poſtcommunione. Vide Rubricam particularem poſitam in Miſſali ante has Orationes diverſas. Et ſi pro pluribus celebretur Anniverſarium, Oratio, *ut ſupra* dicitur in numero plurali. Pro defuncto vero Epiſcopo item dicitur prima Miſſa, quæ eſt in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum cum unica Oratione, quæ erit pariter - *Deus, qui inter Apoſtolicos, &c.* cum ſua Secreta, & Poſtcommunione, ut habetur in Miſſali inter Orationes diverſas pro Defunctis, Guyetus *lib.* 4. *c.* 23. *q.* 29.

II. Gavant. num. 7. - *Pro Defuncto Cardinali* tam in die obitus, quam in Anniverſario dicitur eadem prima Miſſa, ſed advertere oportet ſi ſit Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus Cardinalis, ut advertimus in noſtris Additionibus ad *tit.* 5. 1. *part. ſub a*, 11.

III. Gav. n. 8. *Qui pro Sacerdote Defuncto, &c.*) Supradictam primam Miſſam ſic reſtringit Guyetus infra citandus, ut non pro omnibus univerſim Sacerdotibus in die eorumdem obitus, vel Anniverſarii impendatur, ſed pro inſignioribus dumtaxat, his videlicet, qui in dignitate aliqua, puta Abbatis, Generalis Ordinis, Præpoſiti, Decani, Archipresbyteri, Archidiaconi, & ſimilibus conſtituti, celebriores obtinent Exequias: quales itidem, immo & multo ampliores adhiberi mos eſt in Funeribus Imperatorum, Regum, Principum, & Magnatum, quibus proinde ſi quis eamdem primam Miſſam pari ratione tribuendam afferat, nihil illi repugnat, ita ſupracitatus Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *q.* 27. *n.* 11.

IV. Gavant. num. 15. *Pro eo, qui proxime obiit, &c.*) Diximus ſupra in noſtris Additionibus *ad tit*, 5. 1. *partis* quod cum primum habita fuerit notitia obitus alicujus perſonæ defunctæ in loco diſtanti, cantari poteſt Miſſa ſolemnis *de Requiem*, ut in die obitus pro tali Defuncto etiam in die Feſto Duplici, quod non ſit de præcepto, & ibi allegavimus Decretum S. R. C. editum *die* 4. *Maji* 1686. quo confirmata fuit hæc ſententia.

Reliqua ſpectantia ad hujuſmodi Miſſas Defunctorum vide in noſtris Additionibus, & obſervationibus ad ſupradictum *Titulum* 5. 1. *partis*.

Quoniam vero ibidem ſub *num.* 8. noſtrarum Obſervationum, & Additionum varia innuimus Decreta ſpectantia ad Miſſas defunctorum in Altari privilegiato celebratas, lubet ſuperaddere hic ſequens Decretum a S. Conc. Congregatione emanatum ſub die 2. Julii 1706. & a Clemente XI. S.M. confirmatum; unde habetur in ſuo Bullario particulari *part.* 2. *Conſtit.* 2. & in Bullario edito Luxemburgi *tom.* 8. *part.* 2. *Decreto* 2. Refero Decretum hic prout jacet - Cum in Brevibus Conceſſionis Indulgentiarum pro Altaribus Privilegiatis apponi ſoleat Clauſula - *Dummodo in illa Eccleſia tot Miſſæ quotidie celebrentur*, & aliquando ex accidenti idem Miſſarum numerus præfixus non poſſit in eiſdem Eccleſiis haberi: ideo quæritur: Primo - An abſentibus Religioſis ex cauſa Prædicationis tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel Funerum, aut ſimilium, a Superioribus ad celebrandum alio tranſmittuntur, Indulgentiæ conceſſæ cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore? *Secundo*: An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum ob infirmitatem Sacerdotum tam Sæcularium, quam Regularium? *Tertio*, an pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente numero Miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis Sæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & Menſes? *S. Congreg. Concilii cenſuit* ad primum *quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat*, ad ſecundum *non remanere ſuſpenſas*; ad tertium *ſatis proviſum in primo*.

De Rubricis Benedictionum. XIX.

*GAVANTUS.*

1. BEnedictio hic ſumitur pro prece, qua Eccleſiaſtico more rebus ipſis ſpecialis ſanctitas impertitur; ita ut in uſus profanos illæ deinde transferri non poſſint, & aliæ quidem ſunt conſtitutivæ benedictiones, aliæ invocativæ, *ex Cajet.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. illæ quidem, per quas ſive res, ſive perſonæ divino cultui deſtinantur, hæ vero ſunt, per quas a Deo, vel rebus, vel perſonis imploratur auxilium divinum: primi generis ſunt benedictiones aquæ, veſtium Sacerdotalium, mapparum Altaris, Corporalium, & Vaſculi pro ſacroſancta Euchariſtia, de quibus in Miſſali agitur: quia communes eſſe poſſunt ſimplici Sacerdoti privilegiato, ſeu delegato, nedum Epiſcopo, ſeu Abbati. Secundi generis aliæ ſunt: *Agni in Paſchate, ovorum, panis, novorum fructuum, cujuſcumque comeſtibilis, candelarum, loci, domus novæ, thalami, & novæ navis*, quæ in Miſſali deſcriptæ ſunt citra præjudicium aliarum, quæ in Rituali Romano habentur; quia hæ a quocumque Sacerdote fieri poſſunt, & fieri ſæpius contingit, neque Rituale Rom. ſicuti Miſſale, cuicumque facere ſuppetere ſolet.

2. Origo harum benedictionum, quæ fiunt per verba Sacerdotis, addito ſigno Crucis, abſque ullo dubio ab Apoſtolis eſt: neque deſunt, qui in hanc cauſam illud Apoſtoli Pauli explicant: 1. *Tim.* 4. *Formam habe ſanorum verborum, quæ a me didiciſti* ſanorum, hoc eſt, quæ ſanare poſſunt creaturas, ſive ſenſibiles, ſive inſenſibiles.

3. Habitus benedicturi Sacerdotis erit Superpelliceum, & Stola regulariter alba: aliquando violacea, ut infra, nam color albus deſignat puritatem communicandam rebus benedicendis, violaceus autem adhibetur congrue in benedictione conjuncta cum exorciſmis ad effugandos dæmones, unde ad aquam benedicendam eo colore utimur, poteſt tamen adhiberi Stola coloris tempori convenientis, ut dicitur *in Rubricis Ritualis Romani*.

4. Stando ſemper benedicat Sacerdos, & aperto capite; manuque formet Crucis ſignum verſus rem, ubi eſt nota ✠ & idem ipſam aſpergat in fine ter, hoc eſt, in medio, a dexteris, & a ſiniſtris rei.

5. Super altare quidem benedicendæ res collocari poterunt: non autem eſculenta, quæ omnino ſuper menſam ponenda erunt, non in Altari.

*De aqua benedicta hæ ſunt Rubricæ in Miſſali.*

RUBRICA.

6. (a) *Die Dominica in Sacriſtia præparato ſale, & aqua benedicenda*, (b) *Sacerdos celebraturus Miſſam, vel alius ad id deputatus, alba, vel ſuperpelliceo indutus cum Stola circa collum primo dicit* ℣. *Adjutorium*.

*GAVANTUS.*

(a) *Die Domin.* Numquam omittitur in Dominicis aſperſio aquæ benedictæ. *Microl. cap.* 31. in memoriam Baptiſmi, qui in Domin. Paſch. ſolemniter celebratur. *Rup. lib.* 6. *cap.* 20.

(b) *Sa-*

Digitized by Google

(b) *Sacerdos celebraturus Miſſam*. Sacerdotis eſt hæc benedictio, *ex Concil. Nannetenſi*, ſi celebraturus eſt Miſſam, induat ſuper Albam Stolam Miſſæ convenientem: ſi alius eſt, adhibeat ſuper Cottam Stolam violaceam, *ut in Rit. Rom. Pauli V.*

### R U B R I C A.

*7. Deinde abſolute incipit exorciſmum* (c) *Salis*.

### *G A V A N T U S.*

(c) *Salis*. Miſcenda eſt aqua benedicta cum ſale, *ex Clem. lib. 8. Conſtit. c. 29.* ubi meminit benedictionis, aquæ, & virtutis ejus, ad morbos pellendos, & dæmones fugandos, delentur etiam venialia *ex S. Thom. 3. part. quæſt. 65. art. 1. ad 6.* Quod an fiat ex opere operantis, ut aſſerunt cum *S. Thoma Alenſis, & Abulenſis, citati a Suar. 3. part. diſp. 12. ſect. 2.* an vero ex opere operato, quod ſignificant *Victoria, Sotus, & Ledeſma apud Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 4.* non eſt, quod hoc loco minus utiliter diſputemus. Valet etiam aqua benedicta ad pellendos corporis morbos, ut *Tobias noſter parte 1. c. 72.* fuſius probat, ubi multa de hoc effectu affert exempla non communia; lege *Baronium Tom. 2. Anno 152. Tom. 4. 262. & 389. Tom. 8. 598. & Tom. 10. 944.* Illud eſt præcipuum in hoc Ritu; quod ſicut in ingreſſu Eccleſiæ aſpergimur ſtatim aqua benedicta, ita mundati a Deo tacite petimus, ut majori cum puritate, vel ſacrificemus, vel oremus: & præſertim Clerus hoc intendere debet, juxta illud *Iſaiæ 42. Mundamini, qui fertis vaſa Domini*.

8. Prius autem, quam a Clemente, nimirum a SS. Apoſtolis, & præſertim a S. Matthæo, qui *ex Marſilio Columna* fuit Auctor benedictionis aquæ, hunc Ritum effluxiſſe certum eſt deſumpto ritu ab Eliſeo Propheta *4. Reg. 2.* qui ſale fugavit ſterilitatem aquæ, unde *Raban. lib. 2. c. 55.* Aqua a ſordibus mundat, Sal putredinem fugat; Aqua nitorem præbet, Sal ſinceritatem adhibet; Aqua potum ſapientiæ ſignificat, & Sal guſtum prudentiæ indicat.

9. Sed quare Sal ante aquam benedicitur? quia benedicenda eſt aqua cum ejus mixtione. Per ſalem intellige amaritudinem pœnitentiæ, per aquam baptiſmum, quia ergo præcedere debet cordis compunctio, ideo ſal prius benedicitur. *Durand. lib. 4. c. 4.* Alexandee Papa Ritum hunc confirmavit Decreto *de conſ. can. aquam diſt. 3. VValafrid. c. 19.* teſtatur cum *Microlog. cap. 41. 46. & aliis*.

### R U B R I C A.

*10. Ter mittit Salem in aquam in modum Crucis, dicendo ſemel.*

### *G A V A N T U S.*

*Ordo Romanus*, ut in virtute Trinitatis fiat benedictio, & mixtio Chriſti cum populo, *aquæ multi populi multi*: quia Chriſtus ſal eſt, a quo Apoſtoli ſal terræ dicti ſunt; miſcenda quoque eſt amaritudo cum pœnitentia, & Baptiſmo, *ex Durand. loc. cit.* ad ſanctificationem, quam *Cyprianus Papa* ideſt, *Epiſcopus citatus a Durand. ibidem*, docet eſſe proprium effectum aquæ benedictæ.

### R U B R I C A.

*11. Finita Benedictione Sacerdos celebraturus indutus* (d) *Pluviali coloris Officio convenientis accedit ad Altare, &* (e) *ibi ad gradus cum Miniſtris genuflexus, accipit a Diacono Aſperſorium, & primo* (f) *ter aſpergit Altare, deinde ſe,* (g) *& erectus Miniſtros,* (h) *incipiens Antiphonam, Aſperges me, & Chorus proſequitur, Domine hyſſopo, &c. ut infra: interim Celebrans* (i) *aſpergit Clerum, deinde populum, dicens ſubmiſſa voce* (l) *cum Miniſtris* (m) *Pſalmum Miſerere.*

### *G A V A N T U S.*

12. Ante Tertiam. *Rup. ad lit. 9. c. 10.* ſed poſt Tertiam *Ord. Rom. in die ſancto Paſchæ*, & indicat *Cærem. Epiſcop. lib. 2. c. 31.* ubi præſcribitur, quod in fine aſperſionis capit Planetam, & facit Sacerdos confeſſionem, ergo *dicta Tertia*, fit aſperſio: ſed & ante benedictionem Palmarum ſeu Candelarum ſi hæc occurrat in Domin. fit aſperſio, ut ſupra, in propriis locis, dictum eſt.

(d) *Pluviali*, Hoc eſt poſt Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam, ut *in præced. Cærem.* neque procedit poſtremus, ut aliqui ſcripſere; ſed medius intee Miniſtros paratos, *ib.* nempe, ſi cum iiſdem cantanda ſit Miſſa.

(e) *Ibi ad gradus*. Hoc eſt in infimo gradu ejus. *Cæremon. ib.* & ibidem, *ait Rubr.* genuflexus, ergo etiam genuflectit tempore Paſchali, cui Domin. æquiparatur * aſpergit autem genuflectus Altare ob majorem reverentiam, & ſe ipſum item ad indicandam humilitatem; ſicuti genuflexus etiam ſibi ipſi cineres imponit; ut ſuo loco diximus.

(f) *Ter aſpergit Altare*. In medio, verſus cornu Evangelii, tum Epiſtolæ. Altare vero aſpergitur ob reverentiam Sacramenti in eo conficiendi, ut inde arceantur hoſtes, *Durand. ubi ſupr.* & ob memoriam baptiſmi Cheiſti, a quo vim habet baptiſmus noſter.

13. Quod ſi in Altari ſit expoſita Sanctiſſima Euchariſtia, abſtinendum eſt ab aſperſione Altatis, ratione qua non ſignatur Altare ad *In principio*, ut dictum eſt *in Feria 5. in Cœna Domini*, & hoc expreſſe habetur *in Ambroſiano Miſſali proxime edito anno 1618.* Diaconus quoque tunc ſimiliter debet abſtinere ab oſculis aſperſorii, & manuum.

(g) *Et erectus Miniſtros*. Ideſt, adhuc genuflexos, primo Diaconum, deinde Subdiaconum.

(h) *Incipiens Antiphonam*. Debet *ex prædicto Cærem.* incipere Antiphonam ante aſperſionem Altaris, eodemque modo intellige Rubricam Miſſalis, quamvis poſtponere videatur Antiphonam, convenit etiam, ut dicatur, *Aſperges*, futuri temporis ante aſperſionem actualem, * neque novum videri debet, quod inchoatur Antiphona genibus flexis, nam idem præſcribitur Epiſcopo in principio Synodi in Pontificali Romano, & in qualibet ſeſſione; eſt autem hæc Antiphona de fide baptiſmi prophetia; nam hyſſopus ſignificat humilitatem, & paſſionem Chriſti; a qua pendet baptiſmi virtus, *Rup. l. 6. c. 20.*

(i) *Aſpergit Clerum*. Aſpergens non inclinat caput: at Clerum ſtare decet detecto capite, & aſpergenti reverenter caput inclinare, *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 31.* neque tamen aſperſio ſingulorum fieri debet, ſed plurium ſimul, tam Cleri, quam populi, & juxta locorum conſuetudinem fiat aſperſio Laicorum. * Canonici ſingillatim aſpergi poterunt ad majorem venerationem, immo & debent, *ex Decreto Sacr. Rituum Congreg. 20. Dec. 1601.* quibus & Celebrans aliquam honoris ſignificationem adhibebit ante, & poſt totam eorum aſperſionem, quod ne fiat incongrue a majori Celebrante, ſtatuit Gregor. XIII. 30. Decembr. *1573. teſte Genuenſe in Praxi Archiepiſc. c. 65. Romæ edita* 1616. ne in Eccleſiis Hiſpan. Antiſtes, vel alia perſona principalis aſpergat Clerum in Dominicis ante Miſſam; ſed ejus loco ſimplex Sacerdos cum Superpelliceo, & Stola, & cum Acolythis tantum.

(l) *Cum Miniſtris*. Comitantur eum Miniſtri, Diaconuſque elevat a dextris fimbriam Pluvialis, quod ſi *in prædict. Cæremon.* procedit ſolus Celebrans, huc ibi jubetur ob reverentiam Epiſcopi præſentis, ut coram eo cum minori pompa celebrans procedat.

(m) *Pſalmum*. Ideſt, totum Pſalmum, alternatim cum Miniſtris.

### R U B R I C A.

*14. Hæc Antiphona prædicto modo dicitur ad aſperſionem aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum, excepta Dominica de Paſſione, & Dominica Palmarum, in quibus non dicitur* (n) *Gloria Patri, ſed poſt Pſalmum, Miſerere, repetitur immediate Antiphona: Aſperges me: excepto etiam tempore Paſchali: ſcilicet a Dominica Paſchæ uſque ad Pentecoſten, quo tempore cantatur Antiphona,* (o) *Vidi aquam. Dominica vero Trinitatis, reſumitur, Aſperges.*

### *G A V A N T U S.*

(n) *Gloria Patri*. Omittitur in diebus, quibus in Miſſa dici prohibetur, hæc enim aſperſio eſt quaſi initium Miſſæ.

(o) *Vidi aquam*. Habet *Ordo Romanus in die Paſchæ*. Antiphonam; *Vidi aquam*, ubi etiam habes eoſdem exorciſmos ſalis, & aquæ cum Orationibus prædictis: quando nimirum agitur *de conſecr. Eccleſ.* habentur etiam *in Sacramentario S. Gregorii*. Verum hæc Antiphona deſumpta eſt ab *Ezech. 47.* & ſignificat fontem ſacri baptiſmatis de templo Corporis Chriſti, de cujus latere quidem lævo humanitatis, dextro autem divinitatis, exivit ſanguis, & aqua baptiſmalis. *Rupertus loc. cit.*

### R U B R I C A.

*15. In die ſancto Paſchæ, & Pentecoſtes, ubi eſt fons baptiſmalis, fit aſperſio cum aqua pridie benedicta in fonte baptiſmi, & ante infuſionem Olei, & Chriſmatis accepta.*

### *G A V A N T U S.*

Hæc eadem *Ordo Romanus in cap. Sabb. de conſ. diſtinct. 4.*

### R U B R I C A.

*16. Finita Antiphona, ſupradicto modo Sacerdos, qui aſperſit aquam* (p) *reverſus ad Altare ſtans ante gradus Altaris junctis manibus dicat. ℣. Oſtende, &c. Tempore Paſchali, additur, Alleluja.*

### *G A V A N T U S.*

Nota, quod in Oratione ultima petitur mitti Angelum de Cœlis, nonniſi poſt purificationem per aſperſionem aquæ benedictæ.

(p) *Reverſus ad Altare*. Hoc eſt ad infimum ejuſdem gradum, *Cærem. Epiſc. loc. cit.*

17. Te

17. Tenent autem Miniſtri librum ante Celebrantem ibidem, dum dicit Verſus, & Orationem, poſt Orationem, *Exaudi;* deponunt Pluviale, aſſumitur Manipulus, cum Caſula pro Miſſa. *Cærem. ibidem.*

18. Reliquæ Orationes, quæ ſequuntur pro benedictione *Agni, Ovorum, Panis, novorum fructuum, rerum comeſtibilium, candelarum, loci, domus novæ, thalami, novæ navis, Sacerdotalium indumentorum, Mapparum, Corporalium, Vaſculi Sacramenti*, quæ ſine unctione fiunt, habentur partim *in Ordin. Roman.* partim *in Pontific.* partim *in Rit. Roman.*

19. Benedictio *Agni* ad communem menſam fit ex uſu Romano, *Microl. c.* 54. Panis, a S. Petro *ex Abdia lib.* 2. *Hiſtor. Apoſtol.* & Oratio eſt *in Sacramentario Gregoriano*, ubi etiam habetur Oratio *rerum comeſtibilium*. *Frugum* vero habet originem a Sancto Clem. *Conſtit. lib.* 8. *c.* 4. ſeu *ex Baronio Anno* 283. a Decreto Eutychiani Papæ.

20. Quæ traditur hoc loco *candelarum benedictio*, ea eſt, quæ fieri contingit extra diem Purificationis Beatæ Virginis, quod expreſſe notatur *in Rituali Romano Pauli V.* Item ea *loci* eſt, quæ fit extra diem Sabbati Sancti, in quo majori Ritu domorum fit benedictio, & a Parocho, cujus proprius habetur Ritus, *in prædicto Rituali*; nam, ut diximus, in Miſſali poſitæ ſunt tantum eæ benedictiones, quæ citra præjudicium, jurium Parochialium a quocumque Sacerdote, & quandocumque fieri poſſunt.

21. Pro benedictione *Veſtium Sacerdotalium* Orationes habentur *in Sacramentario Gregoriano*. Reprehendit *Poſſevinus de Officio Curati cap.* 2. *n.* 30. eos, & merito, qui aſſuunt veſtem Sacerdotalem non benedictam veſti Sacerdotali benedictæ; & eam diſſuunt poſt Miſſam, putantes, hoc ſufficere vice benedictionis propriæ: quod nullatenus eſt permittendum. Docet *Diana tract.* 4. *de celebr. Miſſ. reſol.* 69. quod paramenta bona fide adhibita ante benedictionem eorumdem, non egent amplius benedictione, ex uſu eorum ſacro, quod eſt probabile.

22. Quæritur autem: quis benedicere poteſt has veſtes præter Epiſcopum? Abbates, & alii Regularium Superiores ex privilegio benedicere poſſunt; non tamen benedicere paramenta Eccleſiarum non ſibi ſubditarum, neque Abbates, ex Decreto Sac. Rit. Congr. *die* 24. *Auguſti* 1609.* & renovato in favorem Epiſcopi Spoletani die 30. *Septembr.* 1628. Neque obſtat conſuetudo allegata a *Tamburino de jure Abb. tom.* 1. *diſp.* 22. *quæſt.* 2. *num.* 2. quam abrogavit, & non obſtare declaravit eadem S. Congreg. 18. *Auguſti* 1629. nullo modo Sacerdotes ſimplices benedicere poſſunt proprias veſtes, ex *Navar. conſ.* 2. *de conſecr. Eccleſ.* * Neque Protonotari, ex Decreto S. R. C. 17. *Julii* 1627.

23. Quæritur poſtremo; An Epiſcopi hanc facultatem poſſint aliis Sacerdotibus delegare? *Tabien. verbo Abbas Ugolin. de Epiſcop. cap.* 32. *num.* 5. negant, & in Praxi Sacra Rit. Congr. ſæpius requiſita fuit ab Epiſcopis inſignioribus & S. R. E. Cardinalibus, ejuſdemque Sacræ Rituum Congregationis Præfectis, juſtis de cauſis apud Eccleſias proprias non reſidentibus, pro facultate delegandi, & eam pluribus conceſſit, aliquando limitando perſonas in dignitate conſtitutas 14. *Novembr.* 1615. aliquando tempus ad ſex Menſes 14. *Martii* 1616. & ſæpius tamdem ſine limitatione 2. *Maji* 1619. & deinceps aliis eodem modo. * Ratio eſt, quia de poteſtate ordinis eſt hæc benedictio: ea vero non poteſt ab Epiſcopo delegari, ſicuti poteſtas juriſdictionis, quæ delegari poteſt.

24. Hactenus de benedictionibus. In calce Miſſalis additas invenies Orationes dicendas in Conſecratione Epiſcopi, & in Collatione Ordinum, excerptas a Pontificali: at, inquies, cur in Miſſali poſitæ ſunt? Reſpondeo, ad majorem commoditatem Conſecrantis, & conſecratorum, ut quiſque eas dicere poſſit ſtatim in ſuo Miſſali, in Miſſa conſecrationis. Prima vero harum Orationum legitur in *Sacramentario Sancti Gregorii*, nimirum ea, quæ pro Epiſcopi conſecratione dicitur.

Et hic finis totius Miſſalis.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. a -- *Numquam omittitur in Dominica, &c.*) Triplex genus Aquæ Benedictæ reperitur, ut optime notat celeberrimus Cardinalis Joannes de Turrecremata *in tract. de Aqua Benedicta*, quem inſertum reperio in calce ordinis Miſſæ pro informatione venerab. Sacerdotum, elucubrati a Joanne Burcardo, & Romæ impreſſi anno 1559. Triplex, inquam, genus Aquæ benedictæ reperitur, cujus uſum Chriſtianæ Religionis Ritus devote amplectitur, & obſervat. Prima Aqua Benedicta, eſt, quæ divinis precibus, necnon commixtionis Vini, Salis, & Cineris ſacratur, & benedicitur in Dedicatione Eccleſiæ, vel Altaris, de qua fit mentio expreſſa in Pontificali Romano, in quo præſcribuntur omnes Cæremoniæ, & Ritus ſervandi in præfatis Conſecrationibus Eccleſiæ, & Altaris. Sæcunda Aqua Benedicta, eſt Fontis Baptiſmalis, de qua ſermonem habuimus agentes de Ritibus ſacris, qui exercentur in Sabbato Majoris Hebdomadæ. Tertia Aqua Benedicta, eſt, qua communiter in Eccleſia aſpergimur, de qua fit expreſſa mentio in *cap.* 10. *Aquam Sale conſperſam, de conſecr. diſt.* 3. De benedicenda hac Aqua qualibet die Dominica præceptum urget adeo rigoroſum, ut Gavant. *ſupra* conſtanter aſſeveraverit numquam omitti debere tali die hujuſmodi aſperſionem, & præcedenter Benedictionem; circa quam obligationem extat apud Burchardum Vormacenſem *lib.* 2. *c.* 12. Canon antiquiſſimus Concilii Nannetenſis, in quo diſerte præſcribitur, ut -- *Omnibus diebus Dominicis unuſquiſque Presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, tanto Myſterio convenienti, de qua Populus intrans Eccleſiam aſpergatur* -- Similia leguntur in Capitularibus Caroli Magni *lib.* 5. *c.* 210. nimirum: *Ut omnis Presbyter die Dominico cum Pſallentio circumeat Eccleſiam ſuam una cum Populo, & aquam benedictam ſecum ferat &c.* Ex quibus apparet, quod non tantum fieri debet aſperſio ex hac aqua, ſed etiam nova benedictio, quolibet die Dominico, contra malam conſuetudinem nonnullarum Eccleſiarum etiam Cathedralium, in quibus utique fit aſperſio, ſed ex aqua jam præcedentibus diebus benedicta, quod aperte eſt contra Ritum præſcribentem hanc renovationem Aquæ Benedictæ, qualibet hebdomada faciendam, ad evitandam facilem ejus corruptionem, & commixtionem cum ſordibus, pura enim difficile remanet Aqua extra ſuum Fontem expoſita per integram hebdomadam. Præterea hæc renovatio Aquæ ſuum habet Myſterium ſignificando ſingulis Dominicis memoriam Sacramenti Baptiſmatis. Quarti *tit.* 3. *de Benedict. ſimplici dub.* 4. & Baruffaldus *de Ordine ad faciendam Aquam Benedictam tit.* 45. §. 1. *num.* 13. *& ſeqq.* A prædicta tamen regula benedicendi Aquam qualibet Dominica excipiuntur Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, in quibus non ſervatur hic Ritus benedicendi Aquam ab illis Eccleſiis, ubi adeſt Fons Baptiſmalis, quia, ut adnotavimus *ſupra* in noſtris Additionibus ad Commentaria Gavanti in Rubricas Sabbati Sanctioris, aſpergitur Clerus, & Populus in prædictis duabus Dominicis cum Aqua pridie Benedicta in Fonte Baptiſmali ad hunc finem reſervata in aliquo vaſe, qui Ritus clare præſcribitur in Miſſali, ubi ſermo habetur de Benedictione Fontis Baptiſmalis.

Rurſus adnotare libet, quod etiam alio die a Dominica benedici poſſit dicta Aqua, prout expreſſe habetur in Rituali Romano, nimirum quandocumque opus fuerit, etiam infra hebdomadam, quando Aqua in Dominica præcedenti benedicta, jam conſumpta vel putrefacta ſit.

II. Rubr. num. 6. -- *In Sacriſtia præparato ſale, & aqua benedicenda, &c.*) Loca præſignata ad faciendam iſtam aquam benedictam, ſunt Eccleſia, vel Sacriſtia, ut patet ex Rubrica *ſupra*. De facto loca ſacra magis conveniunt rei ſacræ. Nihilominus extendi poteſt hæc benedictio etiam ad domos privatas, ita ut hæc aqua ubique locorum benedici poſſit, tum valide, tum licite; quia non eſt in ſuperiore ordine rerum ſacrarum, cum ſæpiſſime contingat aquam iſtam, licet benedictam, in terram cadere quando illa aſperguntur Fideles, nec ulla adhibetur cautela ad impediendum, ne a prætereuntium pedibus teratur. Quarti *ſupra dub.* 6.

Idem Auctor curioſam promovet quæſtionem *dub.* 3. ſcilicet, utrum unica benedictione poſſent benedici plures fontes aquæ inter ſe diſtantes? Ex reſpondet poſſe valide, & licite benedici omnes aquæ fontes, qui ſunt coram Sacerdote benedicente intra viginti paſſus; modo idem Miniſter poſt Orationes, vel Exorciſmos accedat ad ſingulos quando facienda eſt mixtio ſalis cum aqua. Ratio eſt, quia ſufficit præſentia moralis materiæ, quæ benedicitur coram Miniſtro, quæ præſentia judicio Prudentium ſalvatur intra viginti paſſus, quæ doctrina valet etiam ad reſpondendum illi dubio. An res quæcumque benedicendæ debeant eſſe præſentes Miniſtro, a quo fit benedictio? Circa quæ vide ſupracit. Quarti *tit.* 1. *de Benedict. in genere ſect.* 2. *dub.* 4. Baruffaldum *ſupra a n.* 27. *uſque ad* 31.

III. Gav. n. 8. -- *Prius autem quam a Clemente, &c.*) Ab Antiquis, & quidem a Gentilium Ritu ortum ſuum cognoſcit hæc aqua, quæ ideo luſtralis dicebatur, quia a Sacerdote purgationis cauſa aſpergebatur ſupra Victimas, & ſupra Populum Templa ingredientem, qui actus poſtea ab Eccleſia ſanctificatus fuit uſque ab ejus exordiis, nam contra nonnullorum opinionem, qui cenſent Alexandrum I. Summum Pontificem fuiſſe inventorem hujus aquæ benedictæ, clare Marſilius Columna, ut optime notat Gav. *ſupra* in ſua Hydragiologia *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 38. demonſtrat inſtitutionem prædictæ aquæ tribuendam eſſe Divo Matthæo Apoſtolo; verum non potius a Matthæi, quam a cæterorum Apoſtolorum traditione emanaſſe hunc Ritum, pie credendum eſt, quam quidem aquam deinde Alexander I. ſolemniter præcepit benedici, ait Caſalius *de veteribus Sacr. Chriſt. Ritibus cap.* 36. idque colligit ex ejuſdem Epiſtola ad omnes Orthodoxos, ubi legitur: *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur e quod & omnibus Sacerdotibus, &c.* Quæ quidem verba ſunt prorſus eadem, quæ leguntur in ſupra allegato *cap.* 10. *de Conſecrat. diſt.* 3. ſed prædictam Alexandri I. Epiſtolam, quia habet plura ex aliis ſubſequentium Sæculorum Conciliis & Patribus: præſertimque ingnonem locum ex Idatio, & ex



Digitized by Google

Epiſtola ſuppoſititia Benedicti I. rejiciunt Petrus de Marca, Chriſtianut Lupus, aliique Viri clariſſimi, qui pariter non admittunt tamquam genuinas alias duas ejuſdem Pontificis Epiſtolas, quarum una ſcripta eſt ad omnes Epiſcopos, alia vero ad omnes Sacerdotes. Decrevit quidem præfatus Pontifex, ut aqua benedicta in habitaculis hominum aſſervaretur, ſicut tradit Anaſtaſius, ſive alius Auctor libri Pontificalis in ejus Vita; quod vas aquæ benedictæ ab Apoſtolis traditione derivatum, & ejuſdem Alexandri I. Decreto ſtabilitum probat Baronius ad Annum 132. Qui plura ſcire deſiderat de hujus aquæ benedictæ origine, Ritu, myſteriis, virtute, & effectibus legat ea, quæ tradunt Caſalius *loc. cit.* & nuper Sarnellius Epiſcopus Vigilienſis *in Epiſt. Eccleſiaſt. tom. 4. epiſtol.* 18. Cardinalis Valerius *in Theſauro piarum Inſtitutionum pag.* 237. *&* 240. Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 6. *numer.* 4. *& lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 14. *& Indice Rationali Sacrorum Myſteriorum v.* Aqua; Baruffaldus *loco ſuprac.* præſertim vero Quarti *de Bened. tit.* 3. qui luculenter exponit omnia ſpectantia ad hanc materiam.

IV. Gav. num. 9. -- *Sal ante aquam benedicitur, &c.*) Baruffaldus *loc. ſuprac. n.* 21. miratur, quod noſter Quarti alioquin diligentiſſimus, qui in ſuo Aureo opuſculo adeo luculenter ſcripſit de Benedictionibus, & præſertim de Benedictione Aquæ Luſtralis, nullam omnino mentionem faciat de ſalis benedictione, neque in actu Baptiſmi, neque in actu conficiendæ dictæ Aquæ Luſtralis, ſed rationabilius dicerem, me in majorem admirationem adduci, quod ipſe Baruffaldus non legerit ea, quæ tradit citatus Quarti *tit.* 3. *ſect.* 1. *præludio* 2. ubi expreſſum ſermonem habet de ſalis benedictione, quæ præmitti debet ad benedictionem aquæ, & ibidem explicat quid ſignificet aqua, & quid ſal benedictum; ait enim: Aqua a ſordibus mundat, ſal putredinem fugat, aqua nitorem præbet, ſal adhibet ſinceritatem. Aqua fœcundat, ſal a corruptione præſervat. Aſperſione igitur Aquæ Luſtralis monentur Fideles, ut aqua lachrymarum, ſeu compunctionis Animam a ſordibus peccatorum mundent, & ſale timoris Domini putredinem malitiæ fugent. Petant a Deo aquam gratiarum, qua fœcundentur virtutibus, & ſalem ſapientiæ, quo a corruptione præſerventur -- Hæc omnia, quæ ex Raban. *de Inſtit. Cleric. lib.* 2. *c.* 55. deſumpſit Quarti, conſignat loco citato. Deinde ſubdit, quod prius benedicitur ſal, quam aqua: poſtea miſcentur ad invicem; quia per ſal intelligitur amaritudo pœnitentiæ, per aquam vero gratia ſanctificans, & emundans Animam, ſive in Baptiſmo, ſive in Sacramento Pœnitentiæ. Cum ergo pœnitentia, ſeu cordis contritio debeat præcedere Baptiſmum, & ſimpliciter abſolutionem Sacerdotis, qua per gratiam fit peccatorum remiſſio, merito benedictio ſalis præmittitur benedictioni aquæ. Deinde miſcetur ſal cum aqua, &c. Hæc Quarti *cit. loco* quæ deſumpſit ex Durand. *Ration. lib.* 4. *c.* 4. ſi hæc legiſſet Baruffaldus apud prædictum Auctorem, ſicut multa alia, & legit, & deprompſit, profecto peperciſſet ſuæ admirationi, & literis non mandaſſet, Paulum Mariam Quarti nullam mentionem facere de ſalis benedictione neque in actu Baptiſmi, neque in actu conficiendæ Aquæ Luſtralis. Igitur benedictio ſalis, ut notat etiam cit. Baruffaldus, duplex eſt, una de ſale inſerviente ad baptiſmum, altera de ſale adhibendo in benedictione aquæ prædictæ, quamvis ſignificationes, & myſteria ſint eadem, ut explicant allegati Auctores apud Quarti. Pro utraque benedictione ſal debet eſſe naturalis, albus ſi fieri poteſt, ſiccus, non vero humidus. De prædicta ſalis benedictione erudite loquitur Claudius de Vert *tom.* 2. *ſupra c.* 2. & Auctor Tractatus de Miſſa Parochiali *c.* 5. *art.* 4. *& ſeqq.*

V. Rubr. & Gav. n. 10. -- *Ter mittat ſal in aquam, &c.*) Aqua vero in quam benedicendam ter immittitur ſal, debet eſſe naturalis, ſive e Fonte, ſive e Fluvio, ſive e Puteo, ſive e Ciſterna pluviali, dummodo ſit pura, & munda ob dignitatem rei ſacræ, ad quam inſervire debet, & ne inquinet res, ſeu perſonas, ſuper quas projicitur, nec licitum eſt quidquam extranei liquoris cum iſta aqua admiſceri, niſi ſit in parva quantitate, & ad decentiam dictus liquor congruus, veluti aqua roſacea ob fragrantiam odoris, quia in hac nulla apparet indecentia, & obtinuit tolerantiam in Eccleſia, quæ tolerantia cum ſit tacitus conſenſus, facit, ut Sacramentalia, quæ pendent ex arbitrio Eccleſiæ, non alterentur. Ex Quarti *ſupra dub.* 5. & Baruffald. *ſupra a num.* 22. *uſque ad numer.* 34.

In prædictam autem aquam ter Sacerdos mittit ſal in modum Crucis, quia ter debet fieri ſignum Crucis cum manu pugillo ſal tenente, unde ſequitur, ut ter quoque mixtio, ſeu immiſſio ſalis fieri debeat ex Baruffald. *ſupra num.* 40. *& ſeqq.*

VI. Gavant. num. 12. in Rubric. 11. -- *Dicta Tertia fit aſperſio, &c.*) Non ante Tertiam ſolemniter cantatam, ſed poſt eam, ut optime adnotat noſter Gavant. Sacerdos, qui Miſſam celebrare debet Conventualem juxta Decreta edita die 27. Novembris 1632. & 16. Novembris 1649. data vero in noſtro Indice *ſub num.* 268. *&* 299. etiamſi Celebrans ſit prima Dignitas, vel Superior, indutus Pluviali, ut præſcribit Rubric. ſuperior, coloris Officio convenientis (ſi commode haberi poteſt Pluviale, alias ſine Caſula) & ſuper Albam Stolam in modum Crucis, ut in Miſſa, aptatam; & etiam ſi Pluviale non haberet, eam ſic in modum Crucis gerere debet, & ita præſcribit etiam Sac. Rit. Congregat. in ſuo Decreto edito die 30. Septembr. 1679. & dato in noſtro Indice *ſub numer.* 454. & quidem eſt ſolius Epiſcopi, ut Stola ante pectus pendente ſuper Albam, Manipulus vero numquam, ut præſcribit Rubric. & alibi nos innuimus, cum Pluviali portatur. Diaconus, & Subdiaconus ſimiliter indui debent Dalmatica, & Tunicella, vel Planetis plicatis juxta temporum diverſitatem, ſed ſine Manipulis. Regulare eſt enim, ut colligi poteſt ex Cæremon. Epiſc. & ex noſtro Gavant. *in Rubric. pro Benedict. Palmarum*, ut illos non accipiant cum Celebrans eo non utitur, niſi Cantaturi ſint Epiſtolam, vel Evangelium, ut in Benedictione Palmarum. Cum vero Celebrans non induitur Pluviali, ſacri Miniſtri non induuntur Dalmatica, & Tunicella reſpective, niſi poſt factam aſperſionem, quando ipſemet Celebrans ſumit Planetam, & tunc procedunt ad Altare immediate ante ipſum Celebrantem unus poſt alium ex Bralion *part.* 3. *c.* 1. *n.* 3.

Finita Tertia, ut dixi *ſupra*, celebrans, & Miniſtri Sacri induti Paramentis, ut *ſup.* notatum eſt, ipſi, & omnes alii nudis Capitibus, Cruci, ſeu Imagini principali, quæ eſt in Sacriſtia, profundam faciunt reverentiam, & poſtea celebrantem ſalutant, qui etiam eis aliquantulum ſimplici inclinatione tecto Capite reſpondebit, & ſtatim procedunt ad Altare ſequenti ordine, videlicet, primo procedit Miniſter, ſeu Acolythus cum vaſe Aquæ benedictæ, & Aſperſorio nudo Capite (Thuriferarius enim in diebus Dominicis non geſtat Thuribulum, niſi poſt factam aſperſionem) ſupradictus Acolythus deferens prædictum vas aquæ benedictæ, ipſum tenet ſiniſtra per partem inferiorem aliquantulum elevatum uſque ad pectus, mediocriter tamen ab eo remotum, dextera vero Aſperſorium inter Pollicem, & Indicem firmans illud ſuper labrum dicti Vaſculi, ex Bauld. *part.* 1. *c.* 16. *n.* 2. Tunc ſequuntur Ceroferarii cum candelabris accenſis, poſtea Cæremoniarius, & denique celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum anteriores fimbrias Pluvialis ejus levantes manu proximiori; Altera infra pectus admota, unumquemque a parte ſua, & hi tres tecto Capite procedunt, celebrans vero manus junctas tenet ante pectus, ita procedunt quando Celebrans eſt Pluviali indutus, alias procedunt, *ut ſupra* innuimus, obſervatis illis omnibus, quæ diximus ſuo loco de egreſſu celebrantis a Sacriſtia, progreſſu, & acceſſu ad Altare pro Miſſa ſolemni.

Obſervandum hic occurrit, quod quando Celebrans cantat ſolemniter Tertiam in Choro, ut mox eſt in nonnullis Eccleſiis; tunc ita paratus cum ſuis Miniſtris egreditur e Choro ad Altare ad faciendam aſperſionem Aquæ Benedictæ.

VII. Rubr. & Gav. lit. e -- *Ibi ad gradus hoc eſt in infimo ejus gradu, &c.*) Cum vero prædicti omnes ante infimum Altaris gradum pervenerint, ſtant in plano omnes in recta linea, Celebrans ſcilicet in medio, Diaconus a dexteris ejus, Acolythus, ſeu Miniſter cum vaſe Aquæ Benedictæ a dexteris Diaconi, & primus Ceroferarius a dexteris dicti Acolythi; Subdiaconus vero a ſiniſtris celebrantis, & ſecundus Ceroferarius a ſiniſtris Subdiaconi. Cæremoniarius autem ſtat in plano a latere Epiſtolæ, Bauldry *part.* 3. *c.* 11. *art.* 4. *num.* 8. & Biſſus *lit.* C *num.* 197. §. 1.

Tum Celebrans detegens Caput dat biretum Diacono, qui ſtatim accipit cum quaſi oſculo illius, & Cæremoniario, ſeu alteri Miniſtro, eo deficiente tradit, & ſuum ſimiliter, ſicut Subdiaconus etiam ſuum ex altera parte, porrigit, quæ bireta, poſt factam genuflexionem, ponuntur ſuper ſcamnum deputatum ad ſedendum; vel ſi ſcamnum, ſive ſedilia non ſint parata, quia forſitan propter reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti expoſiti non eſt ſedendum, tunc bireta collocantur in alio decenti loco, numquam vero ſuper Credentiam, & multo minus ſuper Altare, Biſſus *ſupra*, §. 4.

Tum omnes debitam faciunt reverentiam Altari, prout diximus in Miſſa ſolemni, qua facta, Ceroferarii deponunt Candelabra ſuper Credentiam, & locant ſe apud illam, Biſſus *lit. A num.* 467. §. 2.

VIII. Gav. eadem lit. e -- *Genuflexus, &c.*) Poſtea Celebrans medius inter Miniſtros ſacros genuflectit cum ipſis etiam tempore Paſchali ſuper infimum gradum Altaris utroque genu, Acolythus vero cum vaſe Aquæ benedictæ genuflectit in plano a dexteris Diaconi. Biſſus *ſupra*.

Et ita omnibus diſpoſitis, Diaconus accipit ab Acolytho Aſperſorium madefactum aqua benedicta, abſque oſculis Aſperſorii, & manus Diaconi, quæ præſtari poſſent a dicto Acolytho. Diaconus autem, accepto Aſperſorio, illud tradit celebranti cum oſculo Aſperſorii in ima parte Manubrii, & deinde dexteræ Celebrantis in parte exteriori. Bauldry *part.* 2. *c.* 8. *num.* 5. & Biſſus *ſupra* §. 3.

IX. Rubr. & Gavant. lit. f -- *Ter aſpergit altare, &c.*) celebrans, accepto Aſperſorio a Diacono, genuflexus manens, etiam tempore Paſchali, intonat Antiphonam, ſcilicet: *Aſperges me &c.* extra tempus Paſchale, & tempore

Pa-

Digitized by Google

Paſchali; *Vidi aquam, &c.*) quam Cantores proſequuntur; & notandum, quod dum Celebrans intonat Antiphonam ter aſpergit Altare, primo in medio, deinde verſus Cornu Evangelii, & denique verſus Cornu Epiſtolæ, ut optime adnotat hic Gavant.

X. Rubric. & Gavant. lit. g - *Et erectus Miniſtros, &c.*) Poſtquam Celebrans, genuflexus manens, aſperſit Altare, & deinde ſeipſum, ſignans Aſperſorio madido ſuam frontem, mox ſurgit, & aſpergit Miniſtros Sacros, & primo quidem Diaconum, & poſtea Subdiaconum, adhuc genuflexos, qui deinde pariter ſurgunt, Bauldry *ſupra n.* 1. Biſſus *ſupra* §. 3. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. & Turrinus *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 4. *de aſperſione aquæ benedictæ.*

XI. Rubric. & Gav. lit. h - *Incipiens Antiphonam, &c.*) Si ſcrupuloſe nimis attendere velimus ad literam Rubricæ verba, facile Intonationem Antiphonæ poſtponemus Aſperſioni, cum Rubrica dicat; poſt aſperſum ſe, & Miniſtros ſacros, inchoandam eſſe Antiphonam; ſed ſi ſequi velimus noſtrum Gavantum, Bauldry *part.* 2. *cap.* 8. *n.* 6. Turrin. *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 4. §. *incipit:* & alios, præmittemus Antiphonam actioni aſperſionis, ob verbum futuri temporis *Aſperges*. Melius forte hæ oppoſitæ ſententiæ conciliabuntur ſi inhæreamus Cæremoniali Epiſcopor. *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. Nec præmittenda igitur, nec poſtponenda, ſed inter aſpergendum intonanda eſt prædicta Antiphona. Præter Cæremoniale Epiſcop. habemus Regulam Generalem in Benedictionibus tam Cinerum, quam Ramorum, & Candelarum, componendi verba cum actionibus, ut colligitur ex propriis Rubricis Miſſalis, in quibus habetur, quod Celebrans aſpergit Cineres, Ramos, & Olivas dicendo: *Aſperges me, &c.* Hoc deprecativum verbum eſt, unde non denotat mox futuram aſperſionem, ſed Celebrans rogat mundari in Corde a Domino, dum aſpergitur in Corpore.

XII. Rubric. & Gavant. lit. i - *Aſpergit Clerum, &c.*) Celebrans poſtquam aſperſerit Miniſtros Sacros, tradit Aſperſorium Diacono, qui illud cum debitis oſculis recipit, & poſtea tradit Acolytho, de eo inſervienti; tum ab omnibus Miniſtris, factis debitis reverentiis, juxta morem, Altari, & Cruci procedunt ad partem illam Chori, ubi eſt dignior de Clero pro aſperſione ejuſdem (ad quam aſperſionem omnes ſtant) hoc modo: Cæremoniarius procedit cum Acolytho deferente vas aquæ Benedictæ cum Aſperſorio, ita tamen ut hic Acolythus ſit vicinior Diacono, quaſi a dexteris ipſius, poſtea ſequitur Celebrans medius inter Miniſtros Sacros elevantes hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis, ibique facta ab omnibus debita inclinatione Clero illius partis, ubi eſt dignior, Diaconus accipit Aſperſorium, illudque tradit cum debitis oſculis Celebranti, qui illo accepto manu dextera, accedit ad digniorem de Choro, quem ſtatim ſalutat cum pari inclinatione ante, & poſt, & eum ſeparatim aſpergit; poſt Superiorem Chori ſalutat reliquos de Choro unica inclinatione, deinde aſpergit, vel quaſi in circulum, vel ſingillatim pro Eccleſiarum conſuetudine: putat tamen Biſſus, quod ſi Clerus ſit valde numeroſus, aſpergendus ſit ab utraque parte Chori quaſi in gyrum, nimirum unica aſperſione omnes, ſi vero ſit exiguus, tunc convenire, quod omnes ſeparatim aſpergantur.

XIII. Eadem lit. i - *Canonici ſingillatim aſpergi poſſunt, &c.*) Cum Gavanto convenit Biſſus, qui cenſet quod Canonici debeant ſingillatim aſpergi juxta Decretum editum die 20. *Decembris* 1601. quod in noſtro Indice non reperitur, quia S. C. regeſta non incipiunt, niſi ab Anno 1602. ſed legitur tale Decretum apud Barboſam *de Canonicis, & Dignitatibus cap.* 34. *ſub n.* 23. & apud Gavant. *ſupra*, & in Manuali Epiſc. Verb. *Canonicorum munera, & præſertim in Choro ſub n.* 15. *in Addition.* in quo Decreto hæc habentur - Aquæ Benedictæ aſperſio in Dominicis fieri debet ſingillatim quibuſcumque Dignitatibus, & Canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextro cornu exiſtunt; non vero uno ictu in circulum; in quo caſu, ſi ſingillatim Canonici aſpergerentur, hoc debet fieri cum Capitis inclinatione ante, & poſt quemcumque Canonicum aſperſum. Biſſus *lit. A. n.* 465. §. 5. & 7. Bauldry *ſupra n.* 7.

XIV. Rubric. - *Deinde Populum, &c.*) Poſt aſperſionem Cleri proſequitur Celebrans aſpergere Populum, quæ Populi aſperſio fiet ſecundum conſuetudinem Eccleſiarum, vel procedendo per principalem Navem, vel in aditu Chori, ſi eſt ante Altare, vel juxta Cancellos Presbyterii aſpergendo illuc confluentes, idque videtur convenientius, præſertim ſi Celebrans ſit in aliqua dignitate conſtitutus; Nicolaus de Bralion *ſupra num.* 9. ex quo etiam *num.* 1. colligitur quod Celebrans in tota aſperſione manum ſiniſtram tenere debet ſupra pectus. Quando autem aſpergit Populum, hoc facit ter, ſeu triplici ictu, ſcilicet in medio, a dexteris, & a ſiniſtris.

XV. Gav. & Rubric. lit. m - *Pſalmum, ideſt totum Pſalmum, &c.*) Dum fit aſperſio Cleri, & Populi, Celebrans cum Miniſtris Sacris dicit alternatim ſubmiſſa voce totam Antiphonam *Aſperges me &c.* vel *Vidi Aquam &c.* & totum Pſalmum *Miſerere mei Deus*. Ita Rubr. Miſſalis *ſupra*, quæ tamen non præſcribit ut dicatur totus Pſalmus *Confitemini Domino, &c.* tempore Paſchali, ſed ſi Celebrans, & Miniſtri eumdem memoriter ſcirent, congruum eſſet, ut dictum quoque Pſalmum recitarent. Dum Celebrans tranſit ante medium Altaris, ſemper facit illi debitam reverentiam cum ſuis Miniſtris. Bauldry *ſupra n.* 8. Notandum inſuper, quod ſupradicta Antiphona *Aſperges me*, vel *Vidi Aquam*, quæ præcedit Pſalmum, dici debet integra, etiamſi Officium dici non ſit Duplex, ſcilicet eam poſt intonationem proſequendo, quod item faciunt Miniſtri, & in fine Pſalmi poſt *Gloria Patri*, repetitur Antiphona. Nicolaus de Bralion *ſup. n.* 10.

XVI. Rubr. 14. & Gavant. lit. n - *Gloria Patri omittitur &c.*) In Dominicis Paſſionis, & Palmarum non dicitur *Gloria Patri*, ſed poſt Pſalmum *Miſerere mei Deus* repetitur Antiphona *Aſperges me, &c.* ex Rubricis Miſſalis.

XVII. Rubric. 15. & Gav. ibidem - *Hæc eadem Ordo Romanus, &c.*) Quamvis, ut ſupra adnotavimus, quolibet die Dominico benedicenda ſit aqua, excipiuntur tamen a prædicta regula, ut etiam ibi advertimus, Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, præſertim in illis Eccleſiis, in quibus adeſt Fons Baptiſmalis, quia ibi recurrentibus dictis Dominicis non benedicitur hæc aqua, ſed tam Clerus, quam Populus aſperguntur cum aqua pridie benedicta in Fonte ad hunc finem reſervata, ante infuſionem Olei, & Chriſmatis, ut clare loquitur ſupradicta Miſſalis Rubrica.

XVIII. Rubric. 16. & Gavant. lit. p - *Reverſus ad Altare &c.*) Celebrans terminata Populi aſperſione, & reverſus ad Altare cum debitis reverentiis aſpergit Acolythos, Ceroferarios, & ipſum Miniſtrum de vaſe, niſi prius cum aliis Clericis eos aſperſerit; quo facto, ſtans in plano erectus, medius inter Sacros Miniſtros, ibique reddito prius Aſperſorio Diacono (& hic Acolytho, qui illud cum vaſe aquæ benedictæ deponit ſuper Credentiam, & accipit librum, quem porrigit Diacono, facta tamen prius Altari genuflexione ante & poſt) ante infimum Altaris gradum, ad idem Altare converſus junctis manibus expectat. Biſſus *ſupra* §. 8.

XIX. Gavant. n. 17. *Tenent autem Miniſtri librum, &c.*) Librum quem ab Acolytho de vaſe accepit Diaconus, apertum hinc inde Miniſtri Sacri tenent ante Celebrantem, qui dicit in cantu ℣. *Oſtende nobis, &c.*) cui tempore Paſchali additur *Alleluja*, & poſtquam Chorus reſponderit alium ℣. ſubnectit preces; & Orationem, prout in Miſſali. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 13. §. 3. & ex eo Biſſus *ſupra*.

XX. Gav. eod. n. 17. *Poſt Orationem Exaudi; deponunt, &c.*) Profecto non convenit, quod Celebrans ante Altare, adjuvantibus Diacono, & Subdiacono, Pluviale deponat, & Manipulum; ac Planetam pro Miſſa celebranda accipiat, ut fit in quibuſdam Eccleſiis abuſive. Soli enim Epiſcopi ante Altare ſacris paramentis induuntur; immo, juxta Bralion infra citandum, ſoli pariter Epiſcopi a Diacono, & Subdiacono paratis, ſolemniter celebraturi adjuvantur, quando paramentis ſacris induuntur; ſed circa hoc non ſunt conformes omnium Eccleſiarum Cathedralium, & etiam aliarum conſuetudines. Reſumendo intermiſſum ſermonem, debet Celebrans facta reverentia Altari, & Choro (ſi eſt ante Altare) cum Miniſtris ſe recipere verſus cornu Epiſtolæ (vel retro Altare, ſi parieti non adhæreat) ibique a Cæremoniario, & aliquo Acolytho in prædictis adjuvari, & interim Miniſtri Sacri ſuos Manipulos accipiunt. Revertuntur poſtea cum debitis reverentiis, primo Choro, deinde Altari, ante ipſum ad incipiendam Miſſam. Nicolaus de Bralion *ſupra n.* 15. Quod præfatus Celebrans non debeat deponere Pluviale, & ſumere Planetam in medio ante Altare, confirmatur ex Cæremoniali Epiſcop. infra citat. noviſſime a Benedicto PP. XIII. recognito, in quo habetur, quod Celebrans in ſolito ſcamno (& non in medio Altari) poſito in cornu Epiſtulæ, depoſito Pluviali, capit Manipulum, & Planetam: Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. ſicut etiam Biſſus *ſupra* §. 9. contra quoſdam, qui contrariam docent, & præſertim contra Turrinum *ſupra* §. *Expoliatur*, qui putat non eſſe inconveniens, quod Celebrans deponat Pluviale, & Planetam ſumat in medio ante Altare.

Interim Cæremoniarius collocat Miſſale apertum in cornu Epiſtolæ pro miſſa cantanda. Turrinus *ſupra*; & Miniſter de vaſe aquæ benedictæ defert Pluviale Celebrantis in Sacriſtiam cum debitis reverentiis, &c. & repoſito Pluviali in loco ſuo, accipit Thuribulum cum Navicula, cum quibus mox ad Altare redibit, Bauldry *part.* 1. *cap.* 16. *n.* 3. & *par.* 2. *cap.* 8. *n.* 11.

XXI. Ne vero aliquid deſiderandum remaneat pro exacta praxi Rituum ſervandorum in prædicta aſperſione aquæ benedictæ, nonnulla lubet hic colligere.

Et primo, quod ſi adſit Epiſcopus, qui Miſſæ aſſiſtat, aut alii Prælati in locis ſuæ Juriſdictionis, aut Cardinalis ubique terratum, aſperſo Altari, ſolus Celebrans comitatus a Cæremoniario, & Acolytho cum vaſe aqua benedicta pleno (remanentibus Miniſtris Sacris ad Altare genuflexis) accedit ad Epiſcopum, cui facta profunda reverentia, & genuflexione a Comitibus ſuis, Aſperſorium oſculatum cum debita reverentia, & oſculo manus porrigit; ipſe vero Epiſcopus primo ſeipſum, deinde Sacerdotem Celebrantem, poſtea Aſſiſtentes, & ſolii Miniſtros aſpergit, & ſtatim eidem Celebranti reddit

Aſperſorium, qui primo manum Epiſcopi, deinde illud oſculatur, & facta eidem profunda inclinatione, & genuflexione a ſuis ſupradictis Miniſtris, cum eiſdem revertitur ad Altare, factiſque debitis reverentiis, aſpergit Miniſtros ſuos Sacros adhuc genuflexos, qui ſtatim ſurgunt, & poſtea cum Celebrante procedunt ad aſpergendos Canonicos, Beneficiatos, & Clericos ex utraque parte Chori, omneſque alios in Choro permanentes, & Populum; ut ſupra adnotavimus. Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. & Bauldry *ſup. n.* 14. Præcipitur in Cæremoniali Epiſcoporum, ut ſolus celebrans, hoc eſt ſine Miniſtris Sacris procedat ad ferendum Aſperſorium cum aqua benedicta Epiſcopo, quod fit ob reverentiam Epiſcopi præſentis, ut coram eo Celebrans minori cum pompa procedat, Bauldry *ſupra n.* 15. Quod ſi adeſſent alii Prælati, *ut ſupra*, poteſt Celebrans illis aquam benedictam dare, non quidem eos aſpergendo, ſed cum convenienti reverentia, & oſculo Aſperſorii ante, & poſt, præſtando illis Aſperſorium, ex quo indice digiti aquam accipient, & ſibi ipſis in fronte in modum Crucis imponent. Nicolaus de Bralion *ſupra part.* 3. *cap.* 1. *n.* 7.

Quod ſi prædicti Prælati innuant, ut ipſe Celebrans eos aſpergat, facta tunc ante, & poſt profunda inclinatione, eos aſpergat, quod præcipue fit, quando ſunt plures, Prælati eiuſdem Ordinis, & Dignitatis, Bauldry *ſupra n.* 15. ita etiam docet Biſſus *loc. cit. n.* 7. de Epiſcopis, & ſuis Abbatibus, nempe ſi velint aſpergi a Celebrante, tunc Celebrans debeat eis obtemperare.

Si adſit aliquis Princeps ſupremus non habens Superiorem, aut Principiſſa in loco ſuæ juriſdictionis temporalis, ante omnes alios aſperguntur a Celebrante eo ordine, quo incenſantur, Bauldry *ſupra n.* 17. & Biſſus *ſupra* §. 14. Solarius vero *in PP. Minorum Cærem. part.* 3. *cap.* 5. *n.* 7. aditruit, quod ſi in Presbyterio adeſſet aliquis Magnus Princeps, aſpergatur ſolus a Celebrante cum debita inclinatione ante, & poſt, antequam in Choro proficiſcatur; immo ante ipſos Miniſtros, quod tamen ego non admitterem. Magiſtratus vero inferiores, & Domini Minores aſperguntur ab eodem Celebrante poſt Chorum ante Populum, cum debita inclinatione.

XXII. Idem Solarius *loc. cit. num.* 8. docet, quod quando Chorus eſt valde diſtans ab Altari, quo commode Celebrans non valet accedere, tunc alter Sacerdos Superpelliceo indutus adſit, qui ſtatim ac Celebrans Miniſtros aſperſerit, aſpergillo de manu illius cum debitis oſculis deſumpto in Chorum pergat, & cunctos, ut ſupra dictum eſt, aſpergat. Celebrans vero, altero aſpergillo de manu Diaconi deſumpto, aſpergat Populum ad Presbyterii aditum confluentem; & hæc omnia mox cit. Solarius deſumpſiſſe fatetur ex Alcozer *tract.* 4. *gloſſ.* 9. *poſt medium*.

Hæc idem docet Biſſus *ſupra* §. 10. ſed magis limitate, dicendo nimirum, quod ſi celebraturus Miſſam eſſet Antiſtes, vel Prælatus, tunc hujuſmodi aſperſionem fieri debere a ſimplici Sacerdote induto Superpelliceo, & Stola coloris convenientis, cum uno tantum Acolytho deferente vas aquæ benedictæ, quod colligitur, ait ipſe, ex Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Archiepiſc. *cap.* 65. *edita Romæ Anno* 1616. ubi habetur (ut etiam tradit Gavant. *ſupra lit.* 1) Gregorium XIII. 30. Decembris 1573. decreviſſe, ne in Eccleſiis Hiſpaniarum Antiſtites, vel aliæ perſonæ privilegiatæ aſpergerent Clerum, & Populum diebus Dominicis, ſed id fieret ab alio ſimplici Sacerdote, & licet id fuerit ſtatutum peculiariter pro Antiſtitibus Hiſpaniæ, nihilominus bene etiam aliis ob rationis identitatem aptatur - Hæc Biſſus, qui tamen putat caſum raro eventurum, & forte numquam, quando maxime eſt celebraturus Epiſcopus; cum tunc hujuſmodi aſperſio omittatur juxta diſpoſitionem Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 31. §. 4. quaſi ſufficiat ipſius Epiſcopi benedictio, quam (loco aſperſionis) Clero, & Populo impertitur procedens ad Altare.

### De eodem Ritu aſperſionis ſervando in minoribus Eccleſiis.

XXIII. in Minoribus Eccleſiis, in quibus pauci ſunt admodum Clerici, & forte ſolus Parochus, atque adeo non cantatur Miſſa, ſed dicitur tantum Miſſa Privata Parochialis loco ſolemnis, quæ tamen tenet locum Miſſæ Conventualis, debet ante prædictam Miſſam Privatam diebus Dominicis a Celebrante induto Pluviali coloris tempori convenientis, vel ſaltem Stola ſuper Albam ſine Manipulo, miniſtrante vaſculum aquæ benedictæ Acolytho, vel ipſo Miniſtro Miſſæ Privatæ, fieri aſperſio Altaris, ipſiuſmet Sacerdotis, & Miniſtri, poſtea Cleri (ſi aderit) ac denique Populi intereſſentis in Eccleſia. Aſperſione completa, Sacerdos ante Altare reverſus dicet ℣. & Orationem, prout in Miſſali, quibus recitatis, facta Altari reverentia, retrahet ſe verſus cornu Epiſtolæ, vel redibit ad Sacriſtiam, ubi depoſitu pluviali, accipit Manipulum, & Planetam, & reverſus ad Altare cum debita reverentia Miſſam celebrabit. Caſtaldus in Praxi Cæremoniarum *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *n.* 5. Quarti *tit.* 3. *de Benedict. ſimplic. in partic. dubitat.* 4. *in fine*, Baruffaldus *ſupra* §. 5. *num.* 45. & 46. Bauldry *ſupra numer.* 23. & Corſettus *tractat.* 1. *part.* 2. *capit.* 14. *numer.* 7.

XXIV. Gav. n. 19. - *Benedictio Agni ad communem Menſam, &c.*) De antiquitate hujus benedictionis conſtat ex vetuſtiſſimo ordine Romano, ubi Ritus præſcribitur benedicendi hunc Agnum in Paſcha, ut poſt quadrageſimale jejunium (ſicut adſtruit Durandus *in Ration. Divin. Offic. lib.* 6. *cap.* 86. *part.* 7.) ſumatur a Fidelibus aliquid de Carnibus Agni benedicti, priuſquam aliæ Carnes guſtentur, & quidem cum gaudio, & lætitia ob adimplementum Scripturarum, quæ jam promiſerant Agnum eſſe venturum, & ſanguine ſuo humanum genus redempturum. Qui alia ſcire deſiderant ſpectantia ad prædicti Agni, & aliarum rerum benedictiones adire poterunt P. Quarti, qui præclariſſimum opus edidit inſcriptum de Benedictionibus, ubi *Tit.* 3. *ſect.* 3. *præludio* 1. agit de prædicta benedictione in Paſcha. Item adire poſſunt Baruffaldum, qui toto *tit.* 17. tractat pariter de Benedictionibus.

XXV. Gavant. n. 22. - *Abbates, & alii Regularium Superiores, &c.*) Proponit quæſtionem Gavant. utrum Abbates, & alii Regularium Superiores ex privilegio benedicere poſſint Indumenta Sacerdotalia Eccleſiarum non ſibi ſubditarum, & adductis Sac. C. Decretis editis die 24. Auguſti 1609. & die 30. Septembris 1628. reſolvit negative, quibus Decretis addi poſſunt etiam alia Decreta ab eadem S. R. C. poſterius edita, quorum primum editum die 13. Martii 1632. ita ſtatuit - Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati etiam ex Societate Jeſu habentes privilegium benedicendi Veſtes Sacras, & Cœmeteria, ac ſimilia, dicto privilegio uti poſſunt, non niſi in his rebus, in quibus ſacra unctio non adhibetur, & pro ſervitio dumtaxat Monaſteriorum, & propriarum Eccleſiarum - Quamvis prædictum Decretum non reperiatur in Regiſtris Sac. C. ſaltem ſub prædicta data diei, Menſis, & Anni, nihilominus illud referunt Margas *in Comment. ad Conſtit. Apoſt.* poſt Conſtitutionem quartam §. 2. *ſub n.* 7. Lezana *in Summ. Quæſt. Regul. tom.* 3. *verbo* Altare *ſub n.* 3. & noſter Paſqualigus *de Sacrificio novæ legis tom.* 2. *quæſt.* 803. Præter mox allegatum Decretum, aliud reperitur profecto authenticum, editum a S. R. C. & approbatum ab Alexandro VII. die 27. Septembris 1659. in ſuo Decreto generali, in quo declaratur, ut videre eſt in noſtro Indice *ſub n.* 355. & ſtatuitur, quod - Prælati Epiſcopis inferiores, qui Pontificalium uſu fruuntur, Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicant - & *n.* 356. pariter declaratur, quod - Pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, exercere non valeant benedictiones Campanarum, Calicum, & ſimilium, in quibus ſacra unctio adhibetur, &c. Recurrentibus deinde Abbatibus Congregationis Caſſinenſis, & aſſerendo ſe obtinuiſſe prædicta privilegia etiam pro benedicendis Paramentis alienarum Eccleſiarum, S. R. C. habita coram eodem Summo Pontifice Alexandro VII. die 29. Julii 1660. hæc reſpondit - Ad §. 19. quod vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſupellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum; aſſerentibus Monachis etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico Indulto eis licitam eſſe Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, S. C. mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtinere - De quo Indulto aſſerit Eminentiſſ. Cardinalis de Lambertinis in fine ſuæ Inſtructionis Paſtoralis, quæ eſt, *ſub n.* 20. numquam dictum privilegium exhibitum fuiſſe; quapropter corruit ſententia, quam Paſqualigus *tom.* 2. *de Sacrific. novæ legis q.* 803. & Quarti *part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 4. *dub.* tradunt aſſerentes in ſui favorem Barboſam, Protel, Mirandam, Aſcanium Tamburinum, & alios; donec enim non conſtet de prædicto aſſerto privilegio, quod prætenditur conceſſum prædictis Abbatibus, & aliis Prælatis Regularibus, hi debent abſtinere a benedictione ſacræ ſupellectilis ſpectantis ad alienas Eccleſias.

XXVI. Gavant. n. 23. - *Et in praxi S. R. C. ſæpius requiſita fuit, &c.*) De eadem praxi, & facultate ab Epiſcopis petita, & eiſdem conceſſa, pro ſubdelegandis aliis Sacerdotibus ad prædictam benedictionem impertiendam, nonnulla tradit in notificatione, ſeu Inſtructione mox allegata idem ſapientiſſimus Cardinalis de Lambertinis.

XXVII. Gav. *Et hic finis totius Miſſalis, &c.*) Ita Deo favente, inhærentes præclariſſimi Gavanti veſtigiis, etiam nos finem imponimus noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Rubricas totius Miſſalis, & ejuſdem Gavanti doctiſſima Commentaria, cujus Auctoris ſequitur quædam Appendix, quam Partem V. inſcripſit, cui nos hæc addimus.

# APPENDICES IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

## PARS QUINTA.

*AD pleniorem Rubricarum tractationem, quatuor adhuc videntur deſiderari poſse in biſce Commentariis: & primo, circa illam Rubricam de Hora celebrandi ab Aurora uſque ad Meridiem, dari debent Tabulæ ad Auroram dignoſcendam, & Meridiem. Deinde circa aliam, ut jejunus a media nocte Sacerdos celebret; qua item Hora mediæ noctis limes conſtituatur. Tertio, exoptant multi brevem aliquam, & probatam methodum formandæ rite totius ſacræ ſupellectilis ad Miſſam neceſſariæ, ſeu congruentis: quibus aliquid ſuppeditandum quoque erit de nitore, & munditia ejuſdem ſacræ ſupellectilis: & quidem primis duobus ſufficiunt eæ Tabulæ quam breviſſimæ, quas olim edidit in Mathematicis peritiſſimus Theodoſius Rubeus Privernas: & ut Clero præſto ſint, ſtatim eas ſubjiciemus, additis quibuſdam locorum nominibus, ubi noſtri degunt, in quorum gratiam hæc Commentaria præcipue ſcripſimus. Pro reliquis duobus inſudavit S. Carolus Borromæus, ex cujus Actis neceſſaria decerpemus, & utilia ad rem noſtram ordine faciliori deſcribemus.*

## TABULÆ LOCORUM
### PRO USU TABELLARUM SEQUENTIUM.

LOca Italiæ ſunt in triplici differentia, inquit Theodoſius noſter: quædam ſub elevato Polo per gradus 39. alia per gradus 42. alia per gradus 45. Ea vero, quæ extra hos gradus dicuntur eſſe, reduci poſſunt ad unam ex his Claſſibus, ad quam nimirum propius accedunt. Itaque

PER GRADUS 39.

| | | |
|---|---|---|
| Barium. | Coſentia. | Sardinia. |
| Brunduſium. | Iſtria. | Sicilia. |
| Corcyræ. | Regium Calabriæ. | Tarentum, & ejuſmodi. |

PER GRADUS 42.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Ancona. | Fulgitia. d | Peruſia. X | Septempeda. R |
| Aquila. c | Imola. | Piſæ. M | Spoletum. V |
| Arpinum. p | Lauretum. | Piſcia. o | Viterbium. |
| Corſica. | Lucæ. | Ravenna. | Urbinum. |
| Florentia. r | Macerata. L | Regium Eſtenſium, | Zagarolum. I. & alia, |
| Foro ſempronium. n | Neapolis. a | Roma. GN | |

PER GRADUS 45.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Annetium. f | Comum. | Novaria. Q | Taurinum. Z |
| Aquæ. T | Cremona. C | Orta. m | Tononum. i |
| Aquileja. | Derthona. h | Papia. B | Tridentum. |
| Aſta. S | Geoua. g | Parma. | Venetiæ. |
| Bononia. OP | Mantua. q | Patavium. | Vercellæ. F |
| Brixia. | Mediolanum. AH | Placentia. f | Verona. |
| Caſale S. Evaſii. E | Modoetia. D | Pompeja laus. Y | Viglevanum. b & alia. |
| Caſale majus. e | Mons acutus. I. | Savona. | |

Literæ Alphabeti indicant ordinem, quo Collegia noſtra in Italia fundata fuerunt, ſumpto initio a litera A Sancti Barnabæ Mediolani, quod fuit primum.

## TABELLA I. PEr GRADUS 39.

| Principium Crepuſculi Matutini. | | | Meridies. | | Medium Noctis. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| **MENSE JANUARIO.** | | | | | | |
| Dies | Hora | Min. | Hora | Min. | Hora | Min. |
| 3 | 12 | 59 | 19 | 20 | 7 | 20 |
| 9 | 12 | 54 | 19 | 17 | 7 | 17 |
| 15 | 12 | 49 | 19 | 14 | 7 | 14 |
| 21 | 12 | 40 | 19 | 9 | 7 | 9 |
| 26 | 12 | 31 | 19 | 4 | 7 | 4 |
| **MENSE FEBRUARIO.** | | | | | | |
| 1 | 12 | 20 | 18 | 58 | 6 | 58 |
| 7 | 12 | 9 | 18 | 52 | 6 | 52 |
| 13 | 11 | 56 | 18 | 45 | 6 | 45 |
| 19 | 11 | 42 | 18 | 38 | 6 | 38 |
| 25 | 11 | 29 | 18 | 31 | 6 | 31 |
| **MEN6E MARTIO.** | | | | | | |
| 3 | 11 | 13 | 18 | 23 | 6 | 23 |
| 9 | 10 | 57 | 18 | 15 | 6 | 15 |
| 15 | 10 | 43 | 18 | 8 | 6 | 8 |
| 21 | 10 | 26 | 18 | 0 | 6 | 0 |
| 27 | 10 | 9 | 18 | 52 | 5 | 52 |
| **MENSE APRILI.** | | | | | | |
| 2 | 9 | 54 | 17 | 45 | 5 | 45 |
| 9 | 9 | 37 | 17 | 37 | 5 | 37 |
| 15 | 9 | 19 | 17 | 19 | 5 | 19 |
| 21 | 8 | 3 | 17 | 26 | 5 | 26 |
| 27 | 8 | 46 | 17 | 15 | 5 | 15 |
| **MENSE MAJO.** | | | | | | |
| 3 | 8 | 26 | 17 | 8 | 5 | 8 |
| 9 | 8 | 15 | 17 | 2 | 5 | 2 |
| 15 | 8 | 0 | 16 | 56 | 4 | 56 |
| 21 | 7 | 47 | 16 | 51 | 4 | 51 |
| 28 | 7 | 34 | 16 | 46 | 4 | 46 |
| **MENSE JUNIO.** | | | | | | |
| 3 | 7 | 26 | 16 | 43 | 4 | 43 |
| 9 | 7 | 17 | 16 | 40 | 4 | 40 |
| 16 | 7 | 12 | 16 | 38 | 4 | 38 |
| 22 | 7 | 12 | 16 | 38 | 4 | 38 |
| 28 | 7 | 12 | 16 | 38 | 4 | 38 |
| **MENSE JULIO.** | | | | | | |
| 5 | 7 | 17 | 16 | 40 | 4 | 40 |
| 11 | 7 | 26 | 16 | 43 | 4 | 43 |
| 17 | 7 | 34 | 16 | 46 | 4 | 46 |
| 24 | 7 | 47 | 16 | 51 | 4 | 51 |
| 30 | 8 | 0 | 16 | 56 | 4 | 56 |
| **MENSE AUGUSTO.** | | | | | | |
| 5 | 8 | 15 | 17 | 2 | 5 | 2 |
| 11 | 8 | 29 | 17 | 8 | 5 | 8 |
| 18 | 8 | 46 | 17 | 15 | 5 | 15 |
| 24 | 9 | 3 | 17 | 26 | 5 | 26 |
| 30 | 9 | 19 | 17 | 29 | 5 | 29 |
| **MENSE SEPTEMBRI.** | | | | | | |
| 5 | 9 | 37 | 17 | 37 | 5 | 37 |
| 11 | 9 | 54 | 17 | 45 | 5 | 45 |
| 18 | 10 | 9 | 17 | 52 | 6 | 52 |
| 24 | 10 | 26 | 18 | 0 | 6 | 0 |
| 30 | 10 | 43 | 18 | 8 | 6 | 8 |
| **MENSE OCTOBRI.** | | | | | | |
| 6 | 10 | 57 | 18 | 15 | 6 | 19 |
| 12 | 11 | 13 | 18 | 23 | 6 | 23 |
| 18 | 11 | 29 | 18 | 31 | 6 | 31 |
| 24 | 11 | 42 | 18 | 38 | 6 | 38 |
| 30 | 11 | 56 | 18 | 45 | 6 | 45 |
| **MENSE NOVEMBRI.** | | | | | | |
| 5 | 12 | 9 | 18 | 52 | 6 | 52 |
| 11 | 12 | 20 | 18 | 58 | 6 | 58 |
| 17 | 12 | 31 | 19 | 4 | 7 | 4 |
| 23 | 12 | 40 | 19 | 9 | 7 | 9 |
| 29 | 12 | 49 | 19 | 14 | 7 | 14 |
| **MENSE DECEMBRI.** | | | | | | |
| 5 | 12 | 54 | 19 | 17 | 7 | 17 |
| 11 | 12 | 59 | 19 | 20 | 7 | 20 |
| 17 | 13 | 3 | 19 | 22 | 7 | 22 |
| 22 | 13 | 3 | 19 | 20 | 7 | 22 |
| 28 | 13 | 3 | 19 | 22 | 7 | 22 |

## TABELLA III. PER GRADUS 42.

| Principium Crepuſculi Matutini. | | | Meridies. | | Medium Noctis. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | **MENSE JANUARIO.** | | | |
| Dies | Hora | Min. | Hora | Min. | Hora | Min. |
| 3 | 13 | 14 | 19 | 30 | 7 | 30 |
| 9 | 13 | 9 | 19 | 27 | 7 | 27 |
| 15 | 13 | 2 | 19 | 23 | 7 | 23 |
| 21 | 12 | 51 | 19 | 17 | 7 | 17 |
| 26 | 12 | 42 | 19 | 11 | 7 | 11 |
| | | | **MENSE FEBRUARIO.** | | | |
| 1 | 12 | 29 | 19 | 5 | 7 | 5 |
| 7 | 12 | 16 | 18 | 58 | 6 | 58 |
| 13 | 12 | 1 | 18 | 50 | 6 | 50 |
| 19 | 11 | 46 | 18 | 42 | 6 | 42 |
| 25 | 11 | 30 | 18 | 34 | 6 | 34 |
| | | | **MENSE MARTIO.** | | | |
| 3 | 11 | 15 | 18 | 26 | 6 | 26 |
| 9 | 10 | 57 | 18 | 17 | 6 | 17 |
| 15 | 10 | 40 | 18 | 9 | 6 | 9 |
| 21 | 10 | 22 | 18 | 0 | 6 | 0 |
| 27 | 10 | 2 | 17 | 51 | 5 | 51 |
| | | | **MENSE APRILI.** | | | |
| 2 | 9 | 45 | 17 | 43 | 5 | 43 |
| 9 | 9 | 25 | 17 | 34 | 5 | 34 |
| 15 | 9 | 7 | 17 | 26 | 5 | 26 |
| 21 | 8 | 49 | 17 | 18 | 5 | 18 |
| 27 | 8 | 30 | 17 | 10 | 5 | 10 |
| | | | **MENSE MAJO.** | | | |
| 3 | 8 | 10 | 17 | 2 | 5 | 2 |
| 9 | 7 | 53 | 16 | 55 | 4 | 55 |
| 15 | 7 | 34 | 16 | 49 | 4 | 49 |
| 21 | 7 | 20 | 16 | 43 | 4 | 43 |
| 28 | 7 | 4 | 16 | 37 | 4 | 37 |
| | | | **MENSE JUNIO.** | | | |
| 3 | 6 | 53 | 16 | 33 | 4 | 33 |
| 9 | 6 | 44 | 16 | 30 | 4 | 30 |
| 16 | 6 | 38 | 16 | 28 | 4 | 28 |
| 22 | 6 | 38 | 16 | 28 | 4 | 28 |
| 28 | 6 | 38 | 16 | 28 | 4 | 28 |
| | | | **MENSE JULIO.** | | | |
| 5 | 6 | 44 | 16 | 30 | 4 | 30 |
| 11 | 6 | 53 | 16 | 33 | 4 | 33 |
| 17 | 7 | 4 | 16 | 37 | 4 | 37 |
| 24 | 7 | 20 | 16 | 43 | 4 | 43 |
| 30 | 7 | 34 | 16 | 49 | 4 | 49 |
| | | | **MENSE AUGUSTO.** | | | |
| 5 | 7 | 53 | 16 | 55 | 4 | 55 |
| 11 | 8 | 10 | 17 | 2 | 5 | 2 |
| 18 | 8 | 30 | 17 | 10 | 5 | 10 |
| 24 | 8 | 49 | 17 | 18 | 5 | 18 |
| 30 | 9 | 7 | 17 | 26 | 5 | 26 |
| | | | **MENSE SEPTEMBRI.** | | | |
| 5 | 9 | 25 | 17 | 34 | 5 | 34 |
| 11 | 9 | 45 | 17 | 43 | 5 | 43 |
| 18 | 10 | 2 | 17 | 51 | 5 | 51 |
| 24 | 10 | 22 | 18 | 0 | 6 | 0 |
| 30 | 10 | 40 | 18 | 9 | 6 | 9 |
| | | | **MENSE OCTOBRI.** | | | |
| 6 | 10 | 57 | 18 | 17 | 6 | 17 |
| 12 | 11 | 15 | 18 | 26 | 6 | 26 |
| 18 | 11 | 30 | 18 | 34 | 6 | 34 |
| 24 | 11 | 46 | 18 | 42 | 6 | 42 |
| 30 | 12 | 1 | 18 | 50 | 6 | 50 |
| | | | **MENSE NOVEMBRI.** | | | |
| 5 | 12 | 16 | 18 | 58 | 6 | 58 |
| 11 | 12 | 29 | 19 | 5 | 7 | 5 |
| 17 | 12 | 42 | 19 | 21 | 7 | 11 |
| 23 | 12 | 51 | 19 | 17 | 7 | 17 |
| 29 | 13 | 2 | 19 | 23 | 7 | 23 |
| | | | **MENSE DECEMBRI.** | | | |
| 5 | 13 | 9 | 19 | 27 | 7 | 27 |
| 11 | 13 | 14 | 19 | 30 | 7 | 30 |
| 17 | 13 | 18 | 19 | 32 | 7 | 32 |
| 22 | 13 | 18 | 29 | 32 | 7 | 32 |
| 28 | 13 | 28 | 19 | 32 | 7 | 32 |

## TABELLA III. PER GRADUS 45.

| Principium Crepuſculi Matutini. | | | Meridies. | | Medium Noctis. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | MENSE JANUARIO. | | | |
| Dies | Hora | Min. | Hora | Min. | Hora | Min. |
| 3 | 13 | 28 | 19 | 40 | 7 | 40 |
| 9 | 13 | 23 | 19 | 37 | 7 | 37 |
| 15 | 13 | 14 | 19 | 32 | 7 | 32 |
| 21 | 13 | 3 | 19 | 26 | 7 | 26 |
| 26 | 12 | 52 | 19 | 20 | 7 | 20 |
| | | | MENSE FEBRUARIO. | | | |
| 1 | 12 | 38 | 19 | 12 | 7 | 12 |
| 7 | 12 | 23 | 19 | 4 | 7 | 4 |
| 13 | 12 | 8 | 18 | 56 | 6 | 56 |
| 19 | 11 | 51 | 18 | 47 | 6 | 47 |
| 25 | 11 | 33 | 18 | 38 | 6 | 38 |
| | | | MENSE MARTIO. | | | |
| 3 | 11 | 16 | 18 | 29 | 6 | 29 |
| 9 | 10 | 56 | 18 | 19 | 6 | 19 |
| 15 | 10 | 37 | 18 | 10 | 6 | 10 |
| 21 | 10 | 16 | 18 | 0 | 6 | 0 |
| 27 | 9 | 55 | 17 | 50 | 5 | 50 |
| | | | MENSE APRILI. | | | |
| 2 | 9 | 35 | 17 | 41 | 5 | 41 |
| 9 | 9 | 13 | 17 | 31 | 5 | 13 |
| 15 | 8 | 52 | 17 | 22 | 5 | 22 |
| 21 | 8 | 31 | 17 | 13 | 5 | 14 |
| 27 | 8 | 9 | 17 | 4 | 5 | 4 |
| | | | MENSE MAJO. | | | |
| 3 | 7 | 49 | 16 | 56 | 4 | 56 |
| 9 | 7 | 28 | 16 | 48 | 4 | 48 |
| 15 | 7 | 6 | 16 | 40 | 4 | 40 |
| 21 | 6 | 49 | 16 | 34 | 4 | 34 |
| 28 | 6 | 31 | 16 | 28 | 4 | 28 |
| | | | MENSE JUNIO. | | | |
| 3 | 6 | 15 | 16 | 23 | 4 | 23 |
| 9 | 6 | 5 | 16 | 20 | 4 | 20 |
| 16 | 5 | 58 | 16 | 18 | 4 | 18 |
| 22 | 5 | 55 | 16 | 17 | 4 | 17 |
| 28 | 5 | 58 | 16 | 18 | 4 | 18 |
| | | | MENSE JULIO. | | | |
| 5 | 6 | 5 | 16 | 20 | 4 | 20 |
| 11 | 6 | 15 | 16 | 33 | 4 | 23 |
| 17 | 6 | 31 | 16 | 28 | 4 | 28 |
| 24 | 6 | 49 | 16 | 34 | 4 | 34 |
| 30 | 7 | 6 | 16 | 40 | 4 | 40 |
| | | | MENSE AUGUSTO. | | | |
| 5 | 7 | 28 | 16 | 84 | 4 | 48 |
| 11 | 7 | 49 | 16 | 56 | 4 | 56 |
| 18 | 8 | 9 | 17 | 4 | 5 | 4 |
| 24 | 8 | 31 | 17 | 13 | 5 | 13 |
| 30 | 8 | 52 | 17 | 22 | 5 | 22 |
| | | | MENSE SEPTEMBRI. | | | |
| 5 | 9 | 13 | 17 | 31 | 5 | 31 |
| 11 | 9 | 35 | 17 | 41 | 5 | 41 |
| 18 | 9 | 55 | 17 | 50 | 5 | 50 |
| 24 | 10 | 16 | 18 | 0 | 6 | 0 |
| 30 | 10 | 37 | 18 | 10 | 6 | 10 |
| | | | MENSE OCTOBRI. | | | |
| 6 | 10 | 56 | 18 | 19 | 6 | 19 |
| 12 | 11 | 13 | 18 | 29 | 6 | 29 |
| 18 | 11 | 33 | 18 | 38 | 6 | 38 |
| 24 | 11 | 51 | 18 | 47 | 6 | 47 |
| 30 | 12 | 8 | 18 | 56 | 6 | 56 |
| | | | MENSE NOVEMBRI. | | | |
| 5 | 12 | 23 | 19 | 4 | 7 | 4 |
| 11 | 12 | 38 | 19 | 12 | 7 | 12 |
| 17 | 12 | 52 | 19 | 20 | 7 | 20 |
| 23 | 13 | 3 | 19 | 26 | 7 | 26 |
| 19 | 13 | 14 | 19 | 32 | 7 | 32 |
| | | | MENSE DECEMBRI. | | | |
| 5 | 13 | 23 | 19 | 37 | 7 | 37 |
| 11 | 13 | 28 | 19 | 40 | 7 | 40 |
| 17 | 13 | 32 | 19 | 42 | 7 | 42 |
| 22 | 13 | 33 | 19 | 43 | 7 | 43 |
| 28 | 13 | 32 | 19 | 42 | 7 | 42 |

Novæ

## Novæ Obſervationes, & Additiones &c.

Editæ fuerunt in anterioribus impreſſionibus hujus operis Tabulæ ſupra poſitæ Theodoſii Rubei ad dignoſcendum tempora Auroræ, Meridiei, & mediæ Noctis per ſingulos menſes, qui cum eas ad normam Horologii ſolaris confeciſſet, monitum dedit utentibus detrahendi ab illis quotam temporis, quandoque per quadrantem, quandoque per dimidium horæ ( juxta ſuum ſenſum, & temporum varietatem ) ut ad methodum Horologii Rotalis, ſeu Campanæ Italici reducerentur, eo quod iſtud tardius, quam ſolare ſuas horas indicet. Verum quia non omnes omnia advertunt, & multos laborem piget in monitis opere exequendis; ſeu non bene calleut quomodo talis reductio ſit facienda, evenire poteſt magna æquivocatio, atque erroris occaſio, ut pro vero momento temporis, etiam juxta Horologii Italici ſtylum, quoad Auroram, Meridiem, & mediam Noctem, illud, quod in Tabulis adnotatur, exiſtimetur: Hinc maximum orietur inconveniens in Sacrorum Rituum præceptis adimplendis quoad horam celebrandi, & ſignanter in jejunii naturalis obſervantia, in quo potiori rigore, quam Eccleſiaſtici, punctum mediæ Noctis attendi debet. Ut autem his malis occurratur, & facilior commoditas Eccleſiaſticis præbeatur, judicatum probe fuit Tabulas ſupra poſitas Theodoſii reducere ad calculum Horologii Rotalis, ſeu Campanæ Italici, atque eas jam reductas in præſenti editione imprimere.

Hujuſmodi autem reductio de rigore Aſtronomiæ fieri debuiſſet per Crepuſculi luminoſi ſubtractionem ab horis ſolaribus, quod modo augetur, modo minuitur juxta temporum varietatem, ita tamen ut in ſolſtitio æſtivo ad tres quadrantes, & ultra perducatur, prout recentiores, & peritiores Mathematici in ſuis obſervationibus agnoverunt, & ſignanter peritiſſimus vir, & inſignis Academicus *Pyrrhus Maria Gabrielli* in ſuo erudito opere, Senis impreſſo de Anno 1705. Italice conſcripto cum titulo -- L'Heliometro, ovvero la Meridiana Saneſe -- ubi variis in locis, præſertim Cap. 7. & Cap. 12. in explicatione Tabulæ X, ab ipſo de Crepuſculo constructæ ad elevationem Poli grad. 43. obſervat pro Crepuſculo luminoſo intelligi illud ſpatium temporis, quod intereſt inter ſolis occaſum, & horam 24. Italicam Campanæ, eſſeque tertiam partem totius Crepuſculi Veſpertini, quod ſpatium falſo a multis ſupponitur eſſe ſemper minutorum 30. ſeu medietatis horæ, cum revera non ſit ſemper idem, ſeu augeatur proportionaliter juxta temporum vices per alia 15. minuta, & ultra, præſertim circa Tropicum Cancri.

His tamen non obſtantibus: cum communis opinio Italorum ſit procedendi ſemper cum differentia medietatis horæ, ſeu minutorum 30. inter Horologium Solare, & Campanæ, itaut iſtod moderentur cum ſubtractione medietatis horæ a Solari; Maxime quia juxta talem normam, proceſſerunt quamplures Mathematici, qui Tabulas ſupputarunt ad conſtruenda Horologia Solaria Italica ad tramites Horologii Rotalis, ſeu Campanæ, prout modernis temporibus fecit eruditus vir *Dominicus Luchini* in libro, quod Romæ edidit de Anno 1730. cum Titulo -- Trattenimenti Matematici -- Viſum ergo fuit procedere cum communi praxi in reducendis Tabulis Theodoſianis ad normam Horologii Italici, & abjecta varietate Crepuſculi quod potius implicationem, & errorem ingereret, firmiter ſtatuere, ut moris eſt, horam 24. Italicam Campanæ, poſt dimidium horæ, ſeu lapſum minutorum 30. ab occaſu Solis. Cum quo fundamentali principio ſupputavimus ſequentes Tabulas, ut verum punctum Auroræ, Meridiei, & mediæ Noctis indicetur, ut promptior, atque facilior eorum uſus habeatur.

Supereſt hic advertendum, quod cum in Tabulis non omnes dies Menſium ſint adnotati, & cupiat aliquis pro diebus non deſcriptis tam Horam, quam minuta ſcrupuloſe inquirere, utatur præſenti Regula: Subtrahat numerum minorem a majori duorum dierum, quo claudunt diem perquiſitum, quod remanet dividat in partes proportionales, applicandas diebus intermediis, & quod uni, vel pluribus diebus competit, hoc addat numero minori ſi progreſſio Tabulæ tendat in augmentum; ſubtrahat vero a numero majori, ſi progreſſio tendat in decrementum. Sit exemplum pro invenienda Hora meridiana die 13. Septembris ad Poli latitudinem, gr. 42

| | Hora : min. |
|---|---|
| Numerus major die 18. Septembris in meridie | 17 : 21. |
| Numerus minus die 11. d, ſubtrahendus, | 17 : 13. |
| | 0 : 8. |
| Hoc reſiduum applicatum proportionaliter quinque diebus intermediis, competet min. 1. $\frac{1}{2}$ circiter cuilibet diei, & ſic diei 13. competent m. 3. addenda numero minori, quia progreſſio tendit in augmentum. Unde tempus Meridiei erit. | 0 : 3. |
| | 17 : 16. |

| | Hora : min. |
|---|---|
| Aliud exemplum pro Crepuſculo Matutino, ſeu Aurora diei 24. Martii Poli gradus 42, | |
| Numerus major 21. Martii in Aurora | 9 : 52. |
| Numerus minus 27, Martii in Aurora, ſub- | 9 : 32. |
| Remanent | 0 : 20 |
| Hæc 20. minuta reſidualia, diviſa quinque diebus intermediis, dabunt min. 4. cuilibet diei, & ſic diei 24. competeut mi. 12. quæ detrahenda erunt a numero majori, quia progreſſio Tabulæ tendit in decrementum; Unde Aurora 24. Martii erit | 0 : 10. |
| | 9 : 40. |

Deſiderantur in ſequentibus Tabulis pro opportunitate noſtri Operis illæ, quæ demonſtrent Tempus recitationis Matutini, cum juxta ſententiam Gavanti, & Auctorum ab ipſo relatorum in Sect. 1. cap. 5. tit. 6. num. 6. tom. 2. Matutinum, & Laudes poſſint ex juſta cauſa recitari in Veſperis præcedentis diei: Accedente præſertim conſuetudine univerſalis Eccleſiæ; Hinc non abs re erit in defectum harum Tabularum præſcribere facilem methodum ad inveniendum hujuſcemodi tempus, quod eſt medietas Arcus ſemidiurni, ſive ultima reſidualis ex quatuor partibus totius diei artificialis, quando ſol propinquior eſt ad occaſum, quam ad meridiem, prout cenſet P. Claudius Lacroix in ſua Theologia morali, & Auctores apud ipſum lib, 4. num. 1314. Et deſumitur etiam ex Tabulis, quæ quotannis imprimuntur Romæ in Ordine divini Officii. Fiet autem ut ſequitur.

Tempus meridiei pro die quæſito ſubtrahatur ab horis 24. Reſiduum, dividatur: medietas reſidualis addatur Tempori meridiei: Summa quæ provenit indicabit Tempus recitationis Matutini. Sit exemplum pro die 3. Martii ad elevationem Poli gradus 42.

| | Hora : min. |
|---|---|
| | 24 : 0. |
| Tempus Meridiei 3, Martii, ſubtrahendum ab horis 24. | 17 : 56. |
| Reſidnum | 6 : 4. |
| Dividitur per medietatem | 3 : 2. |
| Hæc medietas additur horis meridianis, reſultabit Tempus Matutini. | 20. : 58. |

Tabel-

Digitized by Google

# Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ Noctis, per ſingulos Menſes :

## TABELLA I. PER GRADUS 39.

Juxta Horologium Rotale, ſeu Campanæ Italicum.

| Principium Creſpuſculi Matutini. | | | Meridies. | | Medium Noctis. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | MENSE JANUARIO. | | | |
| Dies | Hora | Min. | Hora | Min. | Hora | Min. |
| 3 | 12 | 29 | 18 | 50 | 6 | 50 |
| 9 | 12 | 24 | 18 | 47 | 6 | 47 |
| 15 | 12 | 19 | 18 | 44 | 6 | 44 |
| 21 | 12 | 10 | 18 | 39 | 6 | 39 |
| 26 | 12 | 1 | 18 | 34 | 6 | 34 |
| | | | MENSE FEBRUARIO. | | | |
| 1 | 11 | 50 | 18 | 28 | 6 | 28 |
| 7 | 11 | 39 | 18 | 22 | 6 | 22 |
| 13 | 11 | 39 | 18 | 15 | 6 | 15 |
| 19 | 11 | 12 | 18 | 8 | 6 | 8 |
| 25 | 10 | 59 | 18 | 1 | 6 | 1 |
| | | | MENSE MARTIO. | | | |
| 3 | 10 | 43 | 17 | 53 | 5 | 53 |
| 9 | 10 | 27 | 17 | 45 | 5 | 45 |
| 15 | 10 | 13 | 17 | 38 | 5 | 38 |
| 21 | 9 | 56 | 17 | 30 | 5 | 30 |
| 27 | 9 | 39 | 17 | 22 | 5 | 22 |
| | | | MENSE APRILI. | | | |
| 2 | 9 | 24 | 17 | 15 | 5 | 15 |
| 9 | 9 | 7 | 17 | 7 | 5 | 7 |
| 15 | 8 | 47 | 16 | 59 | 4 | 59 |
| 21 | 8 | 37 | 16 | 52 | 4 | 52 |
| 27 | 8 | 16 | 16 | 45 | 4 | 45 |
| | | | MENSE MAJO. | | | |
| 3 | 7 | 59 | 16 | 38 | 4 | 38 |
| 9 | 7 | 45 | 16 | 32 | 4 | 32 |
| 15 | 7 | 30 | 16 | 26 | 4 | 26 |
| 21 | 7 | 17 | 16 | 21 | 4 | 21 |
| 28 | 7 | 4 | 16 | 16 | 4 | 16 |
| | | | MENSE JUNIO. | | | |
| 3 | 6 | 56 | 16 | 13 | 4 | 13 |
| 9 | 6 | 47 | 16 | 10 | 4 | 10 |
| 16 | 6 | 42 | 16 | 8 | 4 | 8 |
| 22 | 6 | 42 | 16 | 8 | 4 | 8 |
| 28 | 6 | 42 | 16 | 8 | 4 | 8 |
| | | | MENSE JULIO. | | | |
| 5 | 6 | 47 | 16 | 10 | 4 | 10 |
| 11 | 6 | 56 | 16 | 13 | 4 | 13 |
| 17 | 7 | 4 | 16 | 16 | 4 | 16 |
| 24 | 7 | 17 | 16 | 21 | 4 | 21 |
| 30 | 7 | 30 | 16 | 26 | 4 | 26 |
| | | | MENSE AUGUSTO. | | | |
| 5 | 7 | 45 | 16 | 32 | 4 | 32 |
| 11 | 7 | 59 | 15 | 38 | 4 | 38 |
| 18 | 8 | 16 | 16 | 45 | 4 | 45 |
| 24 | 8 | 33 | 16 | 52 | 4 | 52 |
| 30 | 8 | 49 | 16 | 59 | 4 | 59 |
| | | | MENSE SEPTEMBRI. | | | |
| 5 | 9 | 7 | 17 | 7 | 5 | 7 |
| 11 | 9 | 24 | 17 | 15 | 5 | 15 |
| 18 | 9 | 39 | 17 | 22 | 5 | 22 |
| 24 | 9 | 56 | 17 | 30 | 5 | 30 |
| 30 | 10 | 13 | 17 | 38 | 5 | 38 |
| | | | MENSE OCTOBRI. | | | |
| 6 | 10 | 27 | 17 | 45 | 5 | 45 |
| 12 | 10 | 43 | 17 | 53 | 5 | 53 |
| 28 | 10 | 59 | 18 | 1 | 6 | 1 |
| 24 | 11 | 11 | 18 | 8 | 6 | 8 |
| 30 | 11 | 26 | 18 | 15 | 6 | 15 |
| | | | MENSE NOVEMBRI. | | | |
| 5 | 11 | 39 | 18 | 22 | 6 | 22 |
| 11 | 11 | 50 | 18 | 28 | 6 | 28 |
| 17 | 12 | 1 | 18 | 34 | 6 | 34 |
| 23 | 12 | 10 | 18 | 49 | 6 | 49 |
| 29 | 12 | 19 | 18 | 44 | 6 | 44 |
| | | | MENSE DECEMBRI. | | | |
| 5 | 12 | 24 | 18 | 47 | 6 | 47 |
| 11 | 12 | 29 | 18 | 50 | 6 | 50 |
| 17 | 12 | 33 | 18 | 52 | 6 | 52 |
| 22 | 12 | 33 | 18 | 52 | 6 | 52 |
| 28 | 12 | 33 | 18 | 52 | 6 | 52 |

Tab

## TABELLA II. PER GRADUS 42.

Juxta Horologium Rotale, ſeu Campanæ Italicum.

| Principium Creſpuſculi Matutini. | | | Meridies. | | Medium Noctis. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | **MENSE JANUARIO.** | | | |
| Dies | Hora | Min. | Hora | Min. | Hora | Min. |
| 3 | 12 | 44 | 19 | 0 | 7 | 0 |
| 9 | 12 | 39 | 18 | 57 | 6 | 57 |
| 15 | 12 | 32 | 18 | 53 | 6 | 53 |
| 21 | 12 | 21 | 18 | 47 | 6 | 47 |
| 26 | 12 | 12 | 18 | 41 | 6 | 41 |
| | | | **MENSE FEBRUARIO.** | | | |
| 1 | 11 | 59 | 18 | 35 | 6 | 35 |
| 7 | 11 | 46 | 18 | 28 | 6 | 28 |
| 13 | 11 | 31 | 18 | 20 | 6 | 20 |
| 19 | 11 | 16 | 18 | 12 | 6 | 12 |
| 25 | 11 | 0 | 18 | 4 | 6 | 4 |
| | | | **MENSE MARTIO.** | | | |
| 3 | 10 | 45 | 17 | 56 | 5 | 56 |
| 9 | 10 | 27 | 17 | 47 | 5 | 47 |
| 15 | 10 | 10 | 17 | 39 | 5 | 39 |
| 21 | 9 | 52 | 17 | 30 | 5 | 30 |
| 27 | 9 | 32 | 17 | 21 | 5 | 21 |
| | | | **MENSE APRILI.** | | | |
| 2 | 9 | 15 | 17 | 13 | 5 | 13 |
| 9 | 8 | 55 | 17 | 4 | 5 | 4 |
| 15 | 8 | 37 | 16 | 56 | 4 | 56 |
| 21 | 8 | 19 | 16 | 48 | 4 | 48 |
| 27 | 8 | 0 | 16 | 40 | 4 | 40 |
| | | | **MENSE MAJO.** | | | |
| 3 | 7 | 40 | 16 | 32 | 4 | 32 |
| 9 | 7 | 23 | 16 | 25 | 4 | 25 |
| 15 | 7 | 14 | 16 | 19 | 4 | 19 |
| 21 | 6 | 50 | 16 | 13 | 4 | 43 |
| 28 | 6 | 34 | 16 | 7 | 4 | 7 |
| | | | **MENSE JUNIO.** | | | |
| 3 | 6 | 23 | 16 | 3 | 4 | 3 |
| 9 | 6 | 14 | 16 | 0 | 4 | 0 |
| 16 | 6 | 8 | 15 | 58 | 3 | 58 |
| 22 | 6 | 8 | 15 | 58 | 3 | 58 |
| 28 | 6 | 8 | 15 | 58 | 3 | 58 |
| | | | **MENSE JULIO.** | | | |
| 5 | 6 | 14 | 16 | 0 | 4 | 0 |
| 11 | 6 | 23 | 16 | 3 | 4 | 3 |
| 17 | 6 | 34 | 16 | 7 | 4 | 7 |
| 24 | 6 | 50 | 16 | 13 | 4 | 13 |
| 30 | 7 | 14 | 16 | 19 | 4 | 19 |
| | | | **MENSE AUGUSTO.** | | | |
| 5 | 7 | 23 | 16 | 25 | 4 | 25 |
| 11 | 7 | 40 | 16 | 32 | 4 | 32 |
| 18 | 8 | 0 | 16 | 40 | 4 | 40 |
| 24 | 8 | 19 | 16 | 48 | 4 | 48 |
| 30 | 8 | 37 | 16 | 56 | 4 | 56 |
| | | | **MENSE SEPTEMBRI.** | | | |
| 5 | 8 | 55 | 17 | 4 | 5 | 4 |
| 11 | 9 | 15 | 17 | 13 | 5 | 13 |
| 18 | 9 | 32 | 17 | 21 | 5 | 21 |
| 24 | 9 | 52 | 17 | 30 | 5 | 30 |
| 30 | 10 | 10 | 17 | 39 | 5 | 39 |
| | | | **MENSE OCTOBRI.** | | | |
| 6 | 10 | 27 | 17 | 47 | 5 | 47 |
| 12 | 10 | 45 | 17 | 56 | 5 | 56 |
| 18 | 11 | 0 | 18 | 4 | 6 | 4 |
| 24 | 11 | 16 | 18 | 12 | 6 | 12 |
| 30 | 11 | 31 | 18 | 20 | 6 | 20 |
| | | | **MENSE NOVEMBRI.** | | | |
| 5 | 11 | 46 | 18 | 28 | 6 | 28 |
| 11 | 11 | 59 | 18 | 35 | 6 | 35 |
| 17 | 12 | 12 | 18 | 41 | 6 | 41 |
| 23 | 12 | 21 | 18 | 47 | 6 | 47 |
| 29 | 12 | 32 | 18 | 53 | 6 | 53 |
| | | | **MENSE DECEMBRI.** | | | |
| 5 | 12 | 39 | 18 | 57 | 6 | 57 |
| 11 | 12 | 44 | 19 | 0 | 7 | 0 |
| 27 | 12 | 48 | 19 | 2 | 7 | 2 |
| 22 | 12 | 48 | 19 | 2 | 7 | 2 |
| 28 | 12 | 48 | 19 | 2 | 7 | 2 |

## TABELLA III. PER GRADUS 45.

Juxta Horologium Rotale, ſeu Campanæ Italicum.

| Principium Crepuſculi Matutini. | | | Meridies. | | Medium Noctis. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| **MENSE JANUARIO.** | | | | | | |
| Dies | Hora | Min. | Hora | Min. | Hora | Min. |
| 3 | 12 | 58 | 19 | 10 | 7 | 10 |
| 9 | 12 | 53 | 19 | 7 | 7 | 7 |
| 15 | 12 | 44 | 19 | 2 | 7 | 2 |
| 21 | 12 | 33 | 18 | 56 | 6 | 56 |
| 26 | 12 | 22 | 18 | 50 | 6 | 50 |
| **MENSE FEBRUARIO.** | | | | | | |
| 1 | 12 | 8 | 18 | 42 | 6 | 42 |
| 7 | 11 | 53 | 18 | 34 | 6 | 34 |
| 13 | 11 | 38 | 18 | 26 | 6 | 26 |
| 19 | 11 | 21 | 18 | 17 | 6 | 17 |
| 25 | 11 | 3 | 18 | 8 | 6 | 8 |
| **MENSE MARTIO.** | | | | | | |
| 3 | 10 | 46 | 17 | 59 | 5 | 59 |
| 9 | 15 | 26 | 17 | 49 | 5 | 49 |
| 15 | 10 | 7 | 17 | 40 | 5 | 40 |
| 21 | 9 | 46 | 17 | 30 | 5 | 30 |
| 27 | 9 | 25 | 17 | 20 | 5 | 20 |
| **MENSE APRILI.** | | | | | | |
| 2 | 9 | 5 | 17 | 11 | 5 | 11 |
| 9 | 8 | 43 | 17 | 1 | 5 | 1 |
| 15 | 8 | 22 | 16 | 52 | 4 | 52 |
| 21 | 8 | 1 | 16 | 43 | 4 | 43 |
| 27 | 7 | 39 | 16 | 34 | 4 | 34 |
| **MENSE MAJO.** | | | | | | |
| 3 | 7 | 9 | 16 | 26 | 4 | 26 |
| 9 | 6 | 58 | 16 | 18 | 4 | 18 |
| 15 | 6 | 36 | 16 | 10 | 4 | 10 |
| 21 | 6 | 19 | 16 | 4 | 4 | 4 |
| 28 | 6 | 1 | 15 | 58 | 3 | 58 |
| **MENSE JUNIO.** | | | | | | |
| 3 | 5 | 45 | 15 | 53 | 3 | 53 |
| 9 | 5 | 35 | 15 | 50 | 3 | 50 |
| 16 | 5 | 28 | 15 | 48 | 3 | 48 |
| 22 | 5 | 25 | 15 | 47 | 3 | 47 |
| 28 | 5 | 28 | 15 | 48 | 3 | 48 |
| **MENSE JULIO.** | | | | | | |
| 5 | 5 | 35 | 15 | 50 | 3 | 50 |
| 11 | 5 | 45 | 15 | 53 | 3 | 53 |
| 17 | 6 | 1 | 15 | 58 | 3 | 68 |
| 24 | 6 | 49 | 16 | 4 | 4 | 4 |
| 30 | 6 | 36 | 16 | 10 | 4 | 10 |
| **MENSE AUGUSTO.** | | | | | | |
| 5 | 6 | 58 | 16 | 18 | 4 | 18 |
| 11 | 7 | 9 | 16 | 26 | 4 | 26 |
| 18 | 7 | 39 | 16 | 34 | 4 | 34 |
| 24 | 8 | 1 | 16 | 43 | 4 | 43 |
| 30 | 8 | 22 | 16 | 52 | 4 | 52 |
| **MENSE SEPTEMBRI.** | | | | | | |
| 5 | 8 | 43 | 17 | 1 | 5 | 1 |
| 11 | 9 | 5 | 17 | 11 | 5 | 11 |
| 18 | 9 | 25 | 17 | 20 | 5 | 20 |
| 24 | 9 | 46 | 17 | 30 | 5 | 30 |
| 30 | 10 | 7 | 17 | 40 | 5 | 40 |
| **MENSE OCTOBRI.** | | | | | | |
| 6 | 10 | 26 | 17 | 49 | 5 | 49 |
| 12 | 10 | 46 | 17 | 49 | 5 | 49 |
| 18 | 11 | 3 | 18 | 8 | 6 | 8 |
| 24 | 11 | 21 | 18 | 17 | 6 | 17 |
| 30 | 11 | 38 | 18 | 26 | 6 | 26 |
| **MENSE NOVEMBRI.** | | | | | | |
| 5 | 11 | 53 | 18 | 34 | 6 | 34 |
| 11 | 12 | 8 | 18 | 42 | 6 | 41 |
| 17 | 12 | 22 | 18 | 50 | 6 | 50 |
| 23 | 12 | 33 | 18 | 56 | 6 | 56 |
| 29 | 12 | 44 | 19 | 2 | 7 | 2 |
| **MENSE DECEMBRI.** | | | | | | |
| 5 | 12 | 53 | 19 | 7 | 7 | 7 |
| 11 | 12 | 58 | 19 | 10 | 7 | 10 |
| 17 | 13 | 3 | 19 | 12 | 7 | 12 |
| 22 | 13 | 2 | 19 | 13 | 7 | 13 |
| 28 | 13 | 3 | 19 | 12 | 7 | 12 |

De menſuris propriis Sacræ Supellectilis ad Miſſam congruentiotibus.

*GAVANTUS.*

DAmus hoc loco formas, & modulos efformandæ cujuſque Sacræ Supellectilis in ordine ad Miſſam, ſive ſolemnem, ſive privatam, *Ex actis Mediolan. Eccleſiæ*, præſertim *ex lib. 1. & ſecundo inſtruct. Fabricæ, & Supellectilis Eccleſiaſticæ probatarum in Concilio Provinciali Mediol. tertio, a Sancta Sede Apoſtolica confirmato, & laudato*, in quibus ſingillatim tradendis ordo placuit Alphabeticus, ut cujuſque rei formam ſtatim invenias.

*Abacus*, ſeu *Credentia*, ſit e tabulis populeis, abiegniſve, longe patens circa cubitos tres, pro Eccleſiæ magnitudine, Chori ve, ſeu Presbyterii ratione; late cubitis duabus; alteque item extruatur, ut non ultra duos cubitus, & uncias duodecim elevetur a terra.

*Acerra*, ſive *Navicula* incenſi, ex argento, vel aurichalco, cum concleari ejuſdem materiæ, fieri debet, ita capax, ut capiat quantitatem thuris ultra quam ſit neceſſarium in Miſſa.

*Alba* e tela linea ſit, longe producta cubitos quatuor, late ſexdecim, ac paulo amplius circumquaque pateat, manicas habeat longitudine ſeſquicubitali, hoc eſt cubito cum dimidio, latitudine ab humeris pene cubitali, quæ uſque ad manus ſenſim anguſtius ducantur, in ſumma veſte, & in extremis manicis, aliquid dumtaxat ſit acu paululum, ac tenuiter elaboratum, nimius enim labor in his ornandis vanitatem ſapit, & levitatem.

*Altare Majus*, eo loco conſtitui deberet, ut ab ipſius Altaris gradu infimo (tres autem gradus eſſe debent) uſque ad Cancellos ſpatium ſaltem interſit cubitorum octo, vel ad minimum quatuor in Eccleſiis non Collegiatis; ſit autem a ſcabelli ſolo altitudine cubitorum duorum, & unciarum octo, & ad ſummum decem; longitudine cubitorum quinque, ac plurium pro Eccleſiæ magnitudine; altitudine vero cubitorum ſaltem duorum; & unciarum duodecim; tres autem inter gradus pradella lignea numeretur, quæ a fronte Altaris cubitos duos producta, uncias ſexdecim late pateat; altitudo vero ſingulorum graduum ſit unciis octo.

*Altare Minus* elevetur cubitis duobus, & unciis octo, longe pateat cubitis quatuor, & dimidio; nec minus, quatuor ſaltem cubitis, latum ſit cubitis duobus, ſcabellum e tabulis ligneis, latitudine cubitorum duorum, altitudine unciarum octo, ſed & longius pateat, quam Altare, non cubito longius, ſed unciis circiter ſexdecim. Nullum foramen, neque feneſtrella ibi ſit, ubi quidquam aſſervari, recondi ve poſſit.

*Amictus* e tenui tela ſit, longitudiue cubitorum circiter duorum, latitudine autem ſeſquicubitali, in duobus ejus angulis anterioribus aſſuantur funiculi commode longi, ut revocari ante pectus, queant, & cum iis fieri nodus poſſit, in medio Crux acu pingatur, unciarum duarum, longe ab extremitate digitis duobus ex parte ſuperiori, extremitates illius, præterquam ex ea parte, quæ collum ambit, aliquo modeſto opere ornari poſſunt.

*Ara*, ex lapide longe pateat uncias viginti, late ſexdecim præter capſæ dimenſionem, cui inſerta eſt, quæ capſa e nucea omnino tabula ſit, craſſitudine unciarum circiter duarum, aut plurium pro lapidis craſſitudine, non diſtet a fronte Altaris ſpatio longius unciarum octo, ita vero inſerta ſit, ut e menſa Altaris ſuperficie paululum extet, quo Sacerdotis celebrantis tactu dignoſci poſſit; tela denique cerata tegatur, claviculis prædictæ capſæ confixa.

*Burſa Corporalium* a fronte ſit Cruce, vel alia Sacra Imagine in medio intexta: a tergo etiam ex eadem materia, & colore; intrinſecus autem ſub ſerico, aut tela candida circumveſtiatur; late vero undique pateat circiter dimidio cubito, vel paulo amplius, & forma quadrata.

*Calix* ita efformetur, ut Cuppa aliquantulum in fundo ſit anguſta, ſenſim uſque ad ſummum labrum latior fiat, labrum nullo modo reflectatur, nodus ita ornatus, ut dum Calix capitur, non incommode capiatur, præſertim, quando indices, & pollices disjungi non poſſunt, minorve ne ſit totus Calix, amplitudine in orbem ducta, unciarum quatuordecim, altitudine duodecim.

*Candelabra* baſim habeant vel rotundam, vel potius triangularem, & Crucis baſi conformem; quæ ab Acolythis portantur, minora ſint, quam ea, quæ in Altari collocantur.

*Cingulum* ex candido lino, vel cannabe tenui conficiatur, longitudine cubitorum circiter ſeptem, capita ejuſdem globulis ejuſdem materiæ inſerantur, filamentorum manipulis appenſis, quos floccos dicunt. * Non probibetur e ſerico juxta varios colores paramentorum, more moderno, ſed illud eſt antiquioris uſus, & myſticæ cauſæ congruentius, de qua *ſupra part. 11. tit. 1. lit.* g.

* Non placeat ea forma Cinguli (ut pro veritate loquar,) quæ Cingulo ipſi, ut hinc inde pendeant flocci a lateribus Sacerdotis duas addit lineas, quibus reipſa cingit Alba, eſt enim ejuſdem omninoꝫ formæ; cum Succinctorio Papali, quod adhibetur (addito manipulo) ad cingendum Albam Papæ, & nonniſi in ejuſdem Miſſa Papali: ergo non debet eſſe communis hæc forma cuicumque Celebranti.

*Conopæum Tabernaculi majoris* Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, *e* materia nobiliori, vel alba ſemper, vel juxta colorem variorum Feſtorum, a ſumma parte criſpatum in fimbriis non anguſte, ſed longe latius reſpondeat, totum Tabernaculum tegat, in extremis oris habeat de more ornatum laciniarum decore contextarum.

*Corporale* e tela linea, & candida ſit, ac ſimplex item, ab oris autem acus opere ſimplici, punctim, ſolum retortum ſit, longe autem uncias triginta ad minus pateat, late totidem; ita vero complicatum, ut nulla ejus extremitas appareat; Crux acu pingi poteſt in anteriori parte.

*Crux* in Altari collocanda imaginem Crucifixi habeat, & præalta emineat candelabris, ut ſupra dictum eſt *prima parte tit.* 20.

*Dalmatica* non recifis manicis, ſed ad manum uſque protenſis, iiſdemque late patentibus conficiatur, longa eſſe poteſt cubitis duobus, & unciis ſexdecim; late vero ab humeris cubito uno, & unciis circiter quatuor, ab extremis oris undique patens cubitis circiter quinque.

* *Gradus* In Altari majori ne fiant, niſi duobus cubitis tantum, minuſve a pariete poſteriori illud diſtet: tuncque ejuſmodi gradus unus, pluteſque decenter adhiberi poterunt; ita tamen, ut circuitus Altaris non impediatur, neque Candelabra ſuper iis poſita extra Altare videantur eſſe, quod eſſet contra Rubricam de Altaris incenſatione; in Altari minori unus ſit, iſque ligneus; ea longitudine, quæ Altare æquet, latitudine unciarum octo, altitudine totidem, in quo Candelabra cum Cruce locanda erunt.

*Hamulæ*, non ex argento, ſtamno, aurichalco, aliove metalli genere, ſed e vitro, ſeu cryſtallo pellucido, cum operculo decenti.

*Manipulus* tres Cruces habere debet, & cordulas ad ligandum ſolidiores: reliqua vide in ſtola.

*Manutergium* pro Miſſa ex lino tenui contextum longitudine bicubitali, latitudine ſeſquicubitali conſtet, ornentur capita laciniis, & filamentis ejuſdem materiæ.

*Mappæ Altaris* ſuperiores e lino, ſeu cannabe, ea ſint longitudine, ut ab utroque Altaris latere profundius circiter tribus digitis, quam planum prædellæ, demiſſæ ſint nullæ ab ulla parte, bombacio cærulei alteriuſque coloris elaboratæ ſint, latitudine vero totam Altaris menſam contegant, inferiores Mappæ totam ſaltem menſam cooperiant.

*Mappæ pro Communione* adhibendæ, non ſupra ſcamna, ſeu cancellos (horum enim longitudinem æquabunt) longe pateant cubitos tres, late circiter duos, capita earum exornari poterunt.

*Miſſale* nihil profani habeat; ſed Crucis inſigne, aliave Sancti Titularis Imago in corio depicta appareat, ſignaculum ejuſdem conſtare convenit funiculis ſericis duodenis, longe ita ductis, ut Miſſalis longitudinem vix quinque unciis excedant. Ejuſdem integumentum ita longe deductum ſit, ut ab ima parte octo unciis ſuperet coriaceum Miſſalis operimentum: a ſumma vero nihil omnino extet, lineæ ſericæ circumdent extremitates, laciniæ imam partem exornent, ſubveſtiatur tela ejuſdem coloris, quo eſt integumentum.

*Pallium*, quod ante Altare tenditur, paulo longius, quam Altare, patere debet; eoque altius, ut ab ima parte paululum ſub cornice ſcabelli, ſeu pradellæ ejuſdem Altaris occultetur. A ſuperiori parte Palmum a ſummo diſtante laciniis, quas frangias vocant, ornetur pro qualitate pallii, in exteriori parte Crux, aut Imago Sancti, cujus nomine dicatum eſt Altare, aut alia Sacra effigies in medio aſſuatur, nam Zacharias Pontifex pallam auro intextam ¦D. N. Jeſu Chriſti imagine exornatam Beati Petri Apoſtoli Altari obtulit, ſi fieri poteſt, telari ligneo affigatur extenta, ſed illa cautio adhibeatur in telaris aſſerculo ſuperiore, ut ejus angulus inferior, cui pallium adhæret, omnino recidatur, & deprimatur, ut nullo modo poſſit acumine lædere pallium. Velamentum quoque (ſi pallium pretioſum eſt) in ſuperiori parte obtendi ei concinne poterit, Miſſarum tempore tantum, ne Sacerdos impediatur, vel adhærendo lædat Paramenta, neque tamen ultra frangiam, demittatur velamentum.

*Patena* inaurata undique eſſe debet, vel ſi argentea ſit, ſaltem in anteriori parte labrum extremum circulare ita tenue admodum, ut adjumentum inde ſit ad Sacræ Hoſtiæ fragmenta facile colligenda, illam mediam concavitatem habeat, quæ amplitudinem labri Calicis fere adæquet, minor Patena pateat ample in orbem uncias triginta duas.

*Pelvicula hamularum* piam ſpeciem exprimat: fundo intrinſecus conſtet lato, & plano, neque ita elaborato, ut minus firme hamulæ impoſitæ hæreant.

*Pyxis*, quæ ad Sanctiſſimam Euchariſtiam cuſtodiendam adhibetur, ex argento puro ſaltem, eoque inaurato fieri debet, in interiori parte, cujus pes, ut manu facile firmiterque capi queat, altitudine ſit ſex unciarum, nodus in medio ſit ejuſmodi, quo monuimus de Calicis modo, in fundo me-

dio

Digitized by Google

din paululum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat, ad facilius capiendas ultimas particulas, operculum reſpondeat Pyxidis formæ, quod in medio inſtar fere pyramidis extet; ab uno, & altero item latere parvulos, tenueſque uncinos habeat, quibus in circulo apte includatur, & fiat immobile, in ſummo Crux parvula emineat.

*Planeta* more Romano (nam Ambroſiano eam deſcribunt Acta Mediolan. Eccleſiæ) late pateat cubitos circiter duos, longe tres, Faſcia, quæ vel aſſui ſolet, vel diſtingui in ipſamet Planeta, ut Columnæ ſpeciem a tergo, & Crucis ante pectus effingat, late erit unciis octo ad minimum, funiculi addantur, ſeu lineæ ſericæ in ea parte, qua pectus tegitur, ita oblongæ, ut reduci poſſint ante pectus ad firmandam Planetam, ne defluat a tergo.

*Pluviale* ad imos uſque talos protenditur, longitudine cubitorum trium, & unciarum circiter ſex conſtans; & pro ſemicirculi ratione late patens, a parte anteriori a ſummo ad extremum, hinc & inde, auriphrygio decoratur, a poſteriori parte caputium, ornatu auriphrygiato, qui anteriori reſpondeat, habet, laciniæ vero, hoc eſt, frangiæ, Romano Ritu, latiores eſſe debent circum caputium, breviores in oris Pluvialis extremis, fibula anteriori connecti debet Pluviale, additis binis, ſeu ternis uncinis majoribus, globuli laciniati pendentes a capatio non ſunt amplius in uſu Romani Cleri Sæcularis.

*Pulvinar pro Miſſali* plenum ſit non pluma, neque lana conciſa, ſed lana ſolida, piliſve cervinis, longe pateat cubito, & paulo amplius: late unciis circiter decem & octo, ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis, & opere ſimplici conſuatur.

*Purificatorium* e tela neque tenui, neque craſſa nimis: & ſimplici ſit acus opere confectum: latitudine unciarum circiter octodecim ad minimum: longitudine totidem, nec vero minus, in medio Crux parvula acu pingatur.

*Stola* cum Planetæ colore congruat, & materia, longe cubitis circiter ſex, ut infra genua producatur: late autem unciis ſex pateat, laciniæ, ſeu frangiæ unciarum trium ſint: & præterea Cruces tres de more annectantur eidem, in medio, & in extremis partibus, unaquæque Crux ſit formæ quadratæ, quæ ab omni parte unciis circiter tribus conſtet. Stolæ Sacerdotali nihil appendatur: Diaconali vero ab utraque media ejus parte duo funiculi cum flocculis laciniatis ad illius recte connectendæ uſum.

*Superpelliceum* e tela potius tenui, manicis ita oblongis, ut criſpatæ uſque ad digitos ſummos pertingant, quæ eſſe poſſunt cubitis circiter duobus, vel circa, late autem patentibus in orbem circiter cubitis quatuor, in ipſo ore potius forma ſit rotunda, quam quadrata, a pectore nullo modo ſciſſum, aut diſſectum, longe ducatur infra genua, fere ad media crura, *vide ſup. part. 11. tit. 1. lit. a* late pateat ab extremis oris in ambitum cubitis circiter tredecim, ab humeris circiter octo, a nulla parte neque nimis affectata artificioſi operis elegantia elaboratam, ab humeris præſertim non ſpecioſo artificii ornatu.

*Tabella pacis* geſtatoria aliquo piæ cælaturæ ornatu ſit inſignis, puta, imagine Pietatis expreſſa; latitudineque conſtet unciarum octo, longitudine duodecim circiter: a tergo manubrium habeat ejuſdem materiæ.

*Tabella Secretarum* non quernea, non nucea, neque e ligno ſubobſcuro ſit, ſed ex abiete, aliave id generis arbore albicanti, ne pagina agglutinata obſcureſcat, late aliquanto amplius pateat, quam longe, coronicibus decore ornata, pro Feſtis ſolemnioribus ſpecioſior eſſe debet, cum coronicibus auratis, & pagina majuſculis impreſſa literis, auroque ſplendentibus.

*Tabernaculum SS. Euchariſtiæ* polite elaboratum, piis myſteriorum Paſſionis Chriſti imaginibus exculptum eſſe debet: intrinſecus tabulis populeis circumamictum, quibus ab humiditate SS. Euchariſtia defendatur. Forma vel octangula, ſeu ſexangula, vel quadrata, vel rotunda, in ſummo adſit imago Chriſti reſurgentis, vel ſacra vulnera exhibentis, tum bene clave ſit munitum, quæ etiam auro finiri deberet, a fronte Altaris ſumma procul collocatum extet, non minus cubito uno, & unciis ſexdecim; ita ut Corporale late expandi, & Pyxis, ſi caſus accidat, commode in Altari poni poſſit, neque ſub eo ſit ullum armariolum, neque aſſervandis quidem libris, ſupellectilive Eccleſiæ ſit locus. Panno ſerico albi coloris intus ab omni parte veſtiatur, oſtiolum habeat ab anteriori parte ornatum ſacra imagine Chriſti Domini Crucifixi, aut reſurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, aut alia pia effigie.

*Tela ſtragula Altaris* ad illud operiendum, finitis Miſſis, longitudine, ac latitudine, ut, quæ totam illius menſam contegat undique, & paulo amplius: item laciniis brevioribus ab omni parte decore cincta, colore ſit viridi.

*Thuribulum* cum quadruplici catenula, & operculo: catenularum autem longitudo ſit cubitorum duorum, & unciarum circiter duodecim.

*Tintinnabulum* pro elevatione Sacramenti, ſi appendatur; parieti laterali affixum hæreat, & appenſo funiculo tam longo, ut Miniſter genuflexus in cornu Epiſtolæ commode illud pulſare poſſit.

*Tunicella Subdiaconalis* ſimilis ſit Dalmaticæ Diaconali, de qua ſupra; excepto quod anguſtiores debet habere manicas, & longiores, *Cæremon. Epiſcop. lib. 1. cap. 10.*

*Vas Hoſtiarum* rotundum ſit, & late pateat uncias quatuor, pluresve, ut Hoſtiæ inde promi commode poſſint, utile quoque erit laminam plumbeam rotundam ſerico veſtitam Hoſtiis ipſis ſuperimponere, ut earum curvatura tollatur.

*Vas pro abſtergendis Calicibus*, & lavandis Corporalibus, æneum paretur, inſtar pelvis, binis manubriis conſtans, atque ab uno labro ad aliud cubito uno, & unciis octo, pluribuſve pro ratione ſupellectilis lavandæ, oreque eminenti, per quod quaſi per canalem aqua lotionis inde paulatim in Sacrarium effundi poſſit, quod vas huic uſui tantum ſit reſervatum.

*Velum Calicis* ab omni parte cubito, & unciis duodecim late pateat; ab oris undique opere ſerico, auro, argentoque tenuiter ornatum.

*Velum Pyxidis* ſit pretioſum, & quale ſaltem dedimus Calici.

*Velum pro portanda SS. Euchariſtia*, in Proceſſionibus ejuſdem, ſit longum ſex cubitis; latum, ut veli tela.

*Velum Subdiaconale* longum item cubitis ſex, latum ſit, quanta eſt veli propria latitudo.

*Umbella*, quæ ſuper Altare ponitur, undique late pateat, ita ut Altare ipſum, & Sacerdos ibi Celebrans omnino contegantur, qua ille, & Altare a pulvere, omnique labenti ſorde defendantur, ab Altari tamen decore elata, ut facile quoque purgari queat.

*Umbella alia*, quæ defertur ſuper SS. Euchariſtiam in Proceſſionibus, undique habere debet ornatum duplicium faſciarum, quæ duodecim circiter unciis longe pendeant, iiſque faſciis conſutæ ſint ab omni parte fimbriæ cum filamentis ſatis prolixis, haſtile inſeratur inter utramque faſciam, quod recte extendat latera Umbellæ, haſtilia item picta paribus inter ſe ſpatiis diſpoſita, quibus illa tolli, & geſtari poſſit, quatuor plurave pro ejuſdem Umbellæ magnitudine ſupponantur; color autem albus convenit huic Umbellæ; & hæc de Supellectili Sacra, ſeu miniſteriali ad communem Miſſam,

QUia vero ſupra meminimus Epiſcopalium indumentorum, occaſione data in Miſſali; non erit abs re, ſi hoc loco addamus eorumdem indumentorum formam, & menſuram, ordine ſervato, quo eadem induit Epiſcopus.

*Caligæ* ita longæ debent eſſe, ut uſque ad genua protenſæ ligulis in ea parte adſtringantur.

*Sandalia*, ſeu *Calcei* e ſolea integra ſubtus conſtent, a parte autem ſuperiori ornata, & ex ſerico panno leviori, qua & Caligæ.

*Tunicella, & Dalmatica* amplioribus manicis, quam Diaconalis, & ex eadem materia, qua Caligæ, conſtent, longæ, & latæ ſint, ut de Dalmatica Diaconali diximus.

*Chirothecæ* debent eſſe contextæ, & circulo aureo inſigniter ex extrema parte ornatæ.

*Subbiretum mitrale* formæ rotundæ ſit, non quadratæ.

*Mitra* pretioſior e ſerico auro intexta, gemmis, & Margaritis, acuſque opere ornata. Altera * auriphrygiata ſine gemmis, ſine laminis aureis, vel argenteis; ſed vel aliquibus parvis Margaritis compoſita, vel ex albo ſerico auro intermixto, vel ex tela aurea ſimplici ſine laminis, vel margaritis. Tertia ſine auro ex ſimplici ſerico Damaſceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis, ſeu frangiis, & vittis pendentibus: in Provincia Mediol. adhibetur ſimplex e tela lini puriſſimi, coloris albi; circulo aureo, quem eſſe notat *Innoc. III. lib. 1. Miſſæ cap. 59.* circumamicta a parte, qua induitur caput; cornua item duo a ſummo præſeferens, duas etiam lineas in humeris pendulas habeat, quarum extremitates laciniis conſtent.

*Annulus* ex auro puro ſolide conflatus, palam habeat cum gemma, in qua nihil ſculpti eſſe debet.

*Gremiale* longe conſtet cubitis circiter duobus, lato cubito uno tantum, & unciis item circiter duodecim, undique cinctum laciniarum aureo, argenteove intextarum ornatu.

*Baculus Paſtoralis* a parte ima acutus, a media totus rectus, a ſumma retortus eſſe debet. Orario, aut Sudario non ornatur, ſi Epiſcopalis eſt, longitudine recta eſt cubitorum trium, & unciarum duodecim: pars vero retorta totidem unciis, aut paulo altius eminet, a ſumma rectitudinis parte eſt craſſitudine orbiculari unciarum circiter ſeptem, quæ prope ad imam partem deſcendens paulatim diminutam unciis quinque conſtat, connectitur autem cum illa parte recta aliquo opere cælati argenti, quod ſexanguli formam exhibens ſacris ornatur imaginibus,

De-

De nitore, & munditia prædictæ Sacræ Supellectilis.

*GAVANTUS*,



Cubiti, qui ex Unciis 24. conſtat, tertia pars unciatim delineata hæc eſt.

DEprompſimus hæc *ex Actis Eccleſiæ Mediolanen.* Auctore, de quo ſupra, omiſſis iis, quæ movere nos debent ad procurandam omnem munditiam in miniſterio Miſſæ, de quibus præclare ſcripſit *Tobias noſter part. 1. cap. 76.*

Igitur Altaria bis ſingulis annis, cum ſudum eſt, a finitis Miſſis ad Veſperum ſpoliata ſint, & ſuppedanea item amota, ut ſicci aereis ſentiant beneficium quo tempore tum Altaria ipſa undequaqur, mundentur, tum ſuppedaneorum pars, quæ ſubtet eſt.

Cum Mappæ mutantur, & Pallia, *Altaria* quoque ipſa mundentur, arundinea ſcopula, tela etiam cerata, quæ ſacro lapidi bæret, leviter purgata, ſive lapis ſit inſertus, ſive totum Altare capiens; quod ſi aliquo caſu accideret; ita rectum non eſſe, ob reverentiam ſacri Chriſmatis ne purgetur, tangaturve.

*Icones* cum ornamentis ſuis, SS. Euchariſtiæ *Tabernaculum*, & quæcumque hujuſmodi picta, vel inaurata adjuncta ſunt Altaribus, item *Umbellæ*, ſuperimpendentes, ſingulis menſibus mundentur, caudis vulpinis, aut arundinea ſcopa.

*Suppedaneum Altaris* quotidie mundetur arundinea ſcopa, ſi in eo ſit facienda Miſſa.

*Arcula ad ſputum* excipiendum, de qua *ſupr.* circumfricetur, & purgetur octavo ſaltem quoqur die, item feneſtellæ urceolorum eodem tempore bene purgentur.

*Candelabra*, *Cruces*, *Thuribula*, & reliqua Supellex argentea, quantum fieri poſſit manibus nudis ne contrectetur: ſed adhibito panno, aut vero parte, quæ argentea non ſit, capiatur antequam recondatur, excutiatur, ſi quid pulveris, ceræ, aut maculæ acceſſerit, & extergatur leniter, adhibito lineo, & molli panno; condita autem ſit unaquæque res theca ſua, ne quid ſordium accipiat, & cum aliquid tamen purgatione egere viſum fuerit, palea combuſta, panno lineo leniter mundabitur, quod ſi quid valde ſit denigratum, puta Thuribulum, ignis cauſa, aut etiam multa cera adhæſerit; in lixivia, cui ſal ſit admixtum, ebulliente detergendum erit, adhibito penicillo ex ſetis ſuillis confecto, caveatur tamen ne, ſi quæ pars inaurata ſit, aurum vi ſalis deteratur; & conſulantur periti. *Calices* bini & *Patenæ* binæ, ſaltem ubi duodecim Sacerdotes Miſſam faciunt, quintodecimo quoque die, levi manu aqua tepida laventur, ſexto quoque menſe, ſapone moliori, tunc poſt quartam horæ partem, qua maneant in ſole, calda lixivia bene abluantur; adhibendo pennicilum aliquem ad ſaponem bene amovendum, præſertim ubi fuerit cælatura, poterit etiam id fieri furfure cocto, & tunc ſtatim aqua munda bis, aut ter abluendi eſſent; præſtetur vero ab eo, qui in ſacris ſit, & in vaſe, ei uſui & lavandis Corporalibus, de quo ſupra, tantum deſtinato, quod ex ablutione ſuperfuerit in ſacrarium fundatur. Ubi vero minor ſit numerus Sacerdotum, rarius id fieri poterit ex proportione numeri ſacerdotum, & dierum.

*Supellex inaurata*, aut inargentata eadem cautione tractetur, qua argentea, ſi ſemper eſt expoſita, octavo quoque die panno lineo tergatur molliter: ſi recondenda ſit, tegatur; tunc poterunt etiam inaurata ſapone, aut furfure purgari, ut dictum eſt de Calicibus.

*Candelabra* & cætera *ex aurichalco* tractentur adhibito panno, vel ferrea ſummitate capiantur; ſi perpetuo uſu adhibeantur, terno quoque die a pulvere & cera, ſi forte defluxerit, mundentur, ſi ponenda ſint, tunc etiam id fiat. Præterea quarto quoque menſe, niſi nunquam fuerint expoſita, abſtergantur diligenter pulvere pumiceo, aut eo, quem dicunt, tripoli (quem æſtivæ muſcæ fugiunt) adhibito corio bubalino; aut ſi utrumque deſit, latere in tenuiſſimum pulverem redacto, & loco corii, panno aſperiore, quem dicunt *ſaja*, nullo vero modo hac ratione adhibenda erit aqua, nitidiora fiunt (ſed non diu durat nitor) ſi fricentur malo medico, ſeu maſſilico (vulgo arancio, o limone) & marmore trito, ſeu vice malorum uvis agreſtibus, vel herba acida, deinde aqua bene abluantur, tum ſiccentur, & ſoli exponantur, aceto numquam abſtergantur, recondita vero hujuſmodi, tribulis craſſioris chartæ, aut ſaccis lineis amicta habeantur, qui pulverem arceant, ut nitida, & lucida ſemper habeantur.

*Lampades vitreæ*, quæ ſunt quotidiani uſus quintodecimo quoque die furfure, & aqua calida abſtergantur.

*Urceoli*, præter id quod quotidie fit ſingulis menſibus diligenter purgentur, adhibito ovorum cortice bene contrito cum ligneolo aliquo inſtrumento ad ſordiculas bene eluendas: aut vero alia ratione, ſi quæ aptior inveniatur: opercula urceolorum quotidie cum reponuntur bene ſiccentur, ſi madeant.

*Pelviculæ* eorumdem quotidie abſtergantur, ſiccenturque, ſi ſtaoneæ fuerint, tertio quoqur menſe lixivia ferventi laventur, & avena, vel farre veſtito, ſeu ovorum cortice contrito fricentur, poſt iterum aqua lotæ in ſole ſiccentur, & panno lino mundo abſtergantur.

*Ænea vaſa*, pro ablutione Calicum, &c. antequam adhibeantur, & poſt bene abluantur, bis vero ſingulis annis abſtergantur accurate, ſi opus eſt, latere contrito, vel arena, & aqua, ſi ſtanno ſint illita, adhibeantur furfur, & aqua.

*Inſtrumentum*, *ad Hoſtias* conficiendas, cum eo uſus fuerit Sacriſta, ſeu alius, oleo perfundat, & utramque partem charta interpoſita ſimul jungat, quæ in exteriori parte fuligo hæſerit, abradat, poſtea eamdem partem craſſiore panno tergat, & in loco decenti reponat.

*Lintea omnia*, Albæ, Amictus, Superpellicea, Mappæ, Panni, & ſi quid aliud eſt divini cultus gratia paratum, ſeparatim ab indumentis domeſticis quibuſcumque laventur; quæ tamen habentur ad manus, faciemqur lavandam, & ad nares purgandas, hoc numero ne cenſeantur.

Ternæ *Altarium mappæ*: ſuperior quidem ſingulis menſibus; inferiores vero quater in anno mundæ apponantur.

Bina *Corporalia*, tertia quaque hebdomada. Binæ Albæ decimoquinto quoque die; Cinguli alternis menſibus: manutergia Altarium, bini Amictus octo dierum ſpatio mutentur; & hæc ſaltem, ubi duodecim Sacerdos Miſſam faciant. Ubi autem pauciores ſint Sacerdotes, ex defectione numeri Sacerdotum poterit augeri pro rata parte numerus dierum: & e contra, ub plurimi Sacerdotes, minurodus quoque erit numerus dierum

*Purificatoria* ſingulorum Sacerdotum (convenit enim cuique ſuum) ſpatio octo dierum, vel ad ſummum quindecim, ſuperpellicea, quæ uſui vario Sacerdotalium, aut Clericalium miniſteriorum deſtinata ſunt ad eamdem fere rationem.

In ſuppedaneo armarii, ſeu menſæ, ubi Sacerdos conſiſtit ſacra indumenta ſumens, perpetuo ſtratus ſit craſſior pannus ne qua parte Alba fœdetur.

*Lintea* Sacriſtię ad manus extergendas ſingula hebdomada munda ponantur, tum valde humido cęlo quotidie ſiccentur admota igni.

*Mappæ* ad ſanctæ communionis uſum, contractiores quidem alternis hebdomadis, majores vero alternis menſibus mutentur.

Quod autem hæc mutationum intervalla præfiniantur, non ideo tamen extraordinarie quoque fieri non poterunt, ſi oporteat: puta, ſi ex labe, quæ forte aſperſa ſit, aut alia de cauſa.

Præcipuis ſolemnitatibus munda omnia adhibeantur, & pulchriora,

*Mappæ Altarium*, Miſſis finitis, contegantur ſtragulis ſuis; prius vero leviter puriſſima ſcopula ejus generis, quod veſtimentis domeſticis adhibetur, proprie tamen ad eum uſum deſtinata, purgentur: ipſa ſtragula ſingula hebdomada diligenti agitatione a pulvere mundentur, præter id quod etiam quotidie mane eadem levius excuti debent, tum aeri tertio quoque menſe exponantur.

*Corporalia*, & *Purificatoria*, cum removentur, ut alia adhibeantur, ponantur in arcula, ſeu caniſtro ad eum tantum uſum deſtinato; & antequam detur foras ad lavandum, ab eo, qui ſit in ſacris, laventur in proprio vaſe, de quo ſupra, lixivia, & ſapone adhibito, & mox bis aqua ſola abluantur, quod ex lotione ſupereſt, in ſacrarium fundatur.

*Albæ*, & ſuperpellicea lavata, criſpanda dentur, quoties reponuntur, apte ſaltem contorqueantur, ſi non criſpentur.

*Corporalia* item dentur perſonis peritis, ut amylo inducto ea dureſcere faciant, & complicent præſcripta ratione, tempus huic operi aptum erit a menſe Majo ad Octobrem.

Recondantur autem hæc linea omnia bene ſicca, & complicata ſeparatim locis ſuis, ut ſint in promptu; apponanturque roſæ ſiccæ, & lavandula, aut ſimilia, tum ad majorem munditiam, & elegantiam: tum ut a tineis libera ſint.

Nullus Sacerdos ad Miſſam faciendam accedat fædis calceis, aut crepidis, ideo ſemper habendæ eſſent in Sacriſtia crepidæ ad hunc uſum.

Habeatur coram in Sacriſtia *ſcopula*, qua Sacerdotes, & Clerici utantur ad veſtimenta communia mundanda, antequam ſacra induant.

Omnia indumenta diſtinctis propriis ſcriniis habeantur, & ſecandum coloris, pretiique varietatem, linea quoque pro genere, & pretio ſint diſtincta, appoſitis ſchedulis.

*Caſulæ* recondatur ductilibus capſis, quæ in armaria inſeruntus, atque poſita craſſiores charta, quæ fundum capſæ contegat appoſitiſque ſiccis roſarum foliis, & lavandula, aut ſimilibus, ponatur Capſula cum Stola, & Manipulo ſuo; mox alia ejuſdem generis pro altitudine capſæ, addantur burſæ Corporalium, & integumenta, ſi adſint, Miſſalium recondantur vero Capſulæ bene externæ ſine ruga, aut plicatura; eodem modo *Dalmaticæ*, & *Tunicellæ*, ſupra omnia autem alia charta ſit, ut res mundiores ſerventur, quæ ſunt ex auro, vel argenteo panno, aut ornamenta habeant auro, vel argento aſperiora, habeant pannum inter utramque ſuperficiem, ne confricata corrodantur.

*Pluvialia*, maxime ſi aurea, vel argentea ſint, vel recondantur in amplo armario extenſa: vel plicata recondantur, ita tamen ut nullo modo inflectatur, quæ pars penſilis a tergo eſt (vulgo caputium) & interponatur pannus, ut dictum eſt.

Quan-

Quandocumque extrahuntur hæc indumenta, ſubſternatur eis Mappa munda, immo & ſtragulum ſuperſternatur, ſi aliquo ſpatio relinquenda ſint.

Quæ raro adhibentur, quandoque in ſereno cœlo explicata exponantur; ne forte muceſcant, vel male oleant, ſed non in ſole, poterit id fieri menſe Majo, & Septembri, & ſemel in hyeme pro opportunitate temporis.

*Pallia Altarium* ſemper habeantur, ſi fieri poſſit, ſuis telaribus extente affixa, ut ſupra diximus, poteruntque uni aſſerculorum ſtructuræ duo affigi diverſi coloris, ut pro diei conditione neceſſe non ſit, niſi vertere telaris faciem, ita in amplo armario erecta habeantur, dempta linea filamentorum (quam vocant frangiam) quæ aſſuta non ſit, interponatur autem pannus, ſive inter duas palliorum facies in armario, ſive inter pallii, & Altaris faciem, ad vitandam eam, quam ſupra diximus confricationem, commodum vero erit, pannum adeo eſſe latum, ut utramque telaris faciem, & ita ſic pallia ab utraque parte affixa contegat: & ita in media ſui parte affixus telari, nunc quidem hinc inde extendatur, & ab omni latere ligacula connectatur: nunc vero ad unam partem tantum, prout duas facies telaris aut unam contegere oportuerit, quod ſi plicanda fuerint, ita fiat, ut, ſi quæ Crucis ſpecies aut imago affixa eſt, non inflectatur, cautioque adhibeatur, ſi oportet, interpoſiti panni.

*Tapetia*, craſſioreſque panni ad ſoli inſternendi uſum, cum recondenda ſunt, prius purgentur cera, & ſi quid aliud ſordidum inhæſerit, aeri poſt exponantur, diligenter exagitentur, ad excutiendum pulverem; ſcopula bene mundentur, & ita complicata ſuis locis recondantur.

Sacriſtiæ feneſtræ ſæpe pateant, ſereno ſiccoque cœlo: tum capſulæ ductiles paulum educantur, ut etiam, quæ intus ſunt, ſentiant aeris beneficium.

Cæterum ea debet eſſe reverentia erga ſacram Supellectilem, tamquam divino ſervitio mancipatam, immo tamquam ſanctimoniæ participem, quæ nimirum eſt ſanctitatis inſtrumentum; unde, & ſancta ea vocatur ſæpe in ſcripturis ſacris, Pontificiis legibus, Patrumque monimentis, ut nihil ejuſdem non modo negligatur; verum etiam exquiſita cura, & diligentia colatur, non enim, ut ait *S. Hieronymus Epiſtola ad Theophil. Alexandr.* inania ea ſunt, quæ quaſi ſenſu carentia ſanctimoniam non habere dicuntur; ſed ex conſortio Corporis, & Sanguinis Domini ſublimi majeſtate ſunt veneranda, lege, quæſo, quæ *Tobias noſter in hanc cauſam collegit*, *c. 77. de ſacris templis parte prima*, ubi docet ideo prohiberi plurima circa eamdem: videlicet

Primo non omnem Supellectilem tangi poſſe a quocumque.

Secundo neque a quocumque quandocumque ablui poſſe, aquamque lotionis in ſacrarium projiciendam eſſe.

Tertio, quæ uſui amplius eſſe non poſſunt, ea nequaquam in profanos uſus detorquenda eſſe; ſed ea comburenda eſſe; & cineres in ſacrarium inferendos, quæ nos etiam ſuis locis indicavimus ſupra.

Quarto, nec alienari poſſe, vendi, oppignorarive, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus *S. Ambroſius lib. 1. de offic. c. 41.* & habentur *in Breviario quarta die infra octavam S. Laurentii*. Vide ibi.

Addit ille exempla multa piorum hominum, & e converſo Indignationis Omnipotentis Dei contra ſacrilegos, impios, & deſides in hoc genere; ad quem Lectorem remittimus, ne inſtituti noſtri metas tranſeamus.

# PROSODIA VERBORUM
## IN MISSALI ROMANO.

ABſtinui in prima editione a notanda Proſodia Verborum eorum, quæ dubiam in Miſſali habere poſſunt pronunciationem; tum quia ſolent imprimi Miſſalia additis accentibus, tum quia eædem fere verba, quæ in Miſſali leguntur, communia ſunt etiam Breviario, cujus Proſodiam difficiliorem in ejuſdem Commentariorum calce adnotaveram. Verum, quia Typographorum incuria male poſiti ſunt accentus, & aliquando omiſſi, me impulerunt inſignes Epiſcopi, ut in gratiam minus peritorum Sacerdotum ea quoque ſeparatim colligerem, quæ Miſſalis ſunt propria, ne contingat ullus error in legenda Miſſa.

*Habent igitur penultimam longam.*

Accerſito.
Advénit. *in Introitu Epiphaniæ.*
Allidit.
Anaſtaſía.
Anathéma.
Appáre.
Appetítor.
Areopági.
Barábbas.
Bravium.
Cæſaræam.
Candelábrum.
Circumſodit.
Comédi.
Commiſcére.
Concídet.
Condolére.
Confíge.
Conſentítis.
Contorquére.
Convénit moltitúdo.
Decoris regnum.
Delibor.
Demolitur.
Deprómat.
Eádem. *caſus ablativi.*
Elamítæ.
Eleázar.
Elíde.
Eruditur.
Eſurítis.
Exémit.
Exite.
Expetíta.
Fulcíri.
Fulgoris.
Grabátum.
Hoſtíli.
Hyſsópo.
Idóla.
Immúta.
Impertíre.
Indícens.
Innoteſcéris.
Inſtitóris.
Intuére.
Libámen.
Loríca.
Lucía.
Melotis.
Mendícans.
Munímen.
Myrícæ.
Paraſcéve.
Perimus.
Peripséma.
Perſevérer.
Poſtícum.
Prædíco, ſicut prædixi.
Præsumit.
Prævenímus.
Profugit nudus.
Recensíta.
Redundábunt.
Salúbris.
Subjacére.
Subjacéte.
Subrépat.
Succíde.
Sunamítis.
Sidáris.
Tritúra.
Tuére.
Venimus & non tecum.
Vovéte.

*Habent igitur penultimam brevem.*

A'bſcide.
Abútere.
Achillei.
A'vocans.
A'lleva.
A'modo.
Bárſabas.
Benéplacens.
By'ſſino.
Cáligas.
Circúmdabat.
Circúmdabunt.
Circúmdatus.
Circúmdedit.
Circúmvolet.
Cóccinum.
Commori.
Computat.
Concuti.
Condolens.
Congeres.
Damaris.
Décidet.
Dídymus.
Diſcolis.
Eadem. *Caſus nominativi, vel accuſativi.*
E'loqui.
E'pheta.
E'ſurit.
E'xcolens.
Fodere.
Gálea.
Geneſareth.
Halcédama.
Jácerent in eum.
I'nito.
I'nnova.
I'nvenit.
I'nvidet.
Lápidas.
Lécytho.
Mánahen.
Multímodis.
Nérei.
Oblivíſceris. *In præſenti tempore, in Sexageſima.*
Occidat Sol.
Paráclitus.
Paropſide.
Péragat.
Pérfodi.
Póllicens.
Præ cavens.
Præ'veni nos.
Proſélyti.
Proſéquere.
Quándiu.
Réditum.
Réſove.
Rénova.
Repétiris.
Sabbáctani.
Sédulis.
Serótinus.
Smígmata.
Súbſeqni.
Súppetunt.
Sycomorum.
Syntychen.
Tibicines.
Timotheo.
Triſtega.
Venúndari.
Víderis tu. *De Juda.*
Vénimus adoráre.
U'traque.

RE-

# RESOLUTIO
## DUBITATIONIS
### DE MISSIS PRO DEFUNCTIS:

**An Sacerdos, qui tenetur Miſſam dicere pro Defunctis, poſſit celebrare de Sanctis, aut de Feriis occurrentibus?**

*A R. P. Magiſtri F. Pauli Fraxinelli Ordinis Eremitarum S. Auguſtini publici in Patria Bononienſi Univerſitate Sac. Theol. Profeſſ. & S. Officii Conſultoris.*

### DECISIO.

*Sacerdos ad dicendam Miſſam pro Defunctis obligatus, poteſt celebrare de Sancto, aut de Feria occurrente: præcipue quando Feſtum Sancti eſt Duplex.*

### §. I.

SAcroſanctum Sacrificium Miſſæ duobus modis conſiderari poteſt, vel ex parte Sacrificii, vel ex parte Sacerdotis.

1. Ex parte Sacrificii, ideſt Conſecrationis, Oblationis, & Sumptioois, ſeu ex parte repræſentationis Sacrificii Chriſti in Cruce, quod appellatur valor eſſentialis Miſſæ, ex parte operis nperati. Omnes Miſſæ, ſive de Sancto, ſive de Dominica, aut de Feria, aut de Requiem, ſunt æqualis valoris; cum in qualibet earum idem ſit Sacrificium, & Sacramentum. Quamobrem a Sacerdote, ad celebrandum pro Defunctis obligato, æque ſatisfieri poteſt, ſi dicat Miſſam de Sancto, vel de Dominica, vel de Feria, ac ſi Miſſam diceret de Requiem.

2. Ex parte autem Sacerdotis Celebrantis, & verba, ac Orationes in Miſſa recitantis, quod appellatur valor Miſſæ accidentalis ex parte operis operantis; valor Miſſæ poteſt eſſe æqualis pro Defunctis in Miſſa de Sancto, aut de Feria, ſicut in Miſſa de Requiem.

3. Nam devotinne Sacerdotis, qui ut plurimum libentius, & inde majori attentione, & affectu Miſſam de Sancto, aut de Feria celebrat, quam de Requiem, Orationes particulares pro Defunctis in Miſſa de Requiem compenſari poſſunt.

4. Præterea, memoria Sancti, ejuſque virtutum, ac meritorum coofideratio, Sacerdotis devotionem in Miſſa excitat, adauget.

5. Amplius Miſſa de Requiem brevior eſt ſæpenumero, quam Miſſa de Sancto, aut de Feria: idcirco Orationes, etiam Miſſæ brevioris temporis & fructus minoris.

6. Ad hæc, Miſſa de Requiem, cum a Sacerdotibus dicatur frequentius, majori celeritate, ac minoei etiam attentione, & devotione, quam aliæ Miſſæ, quandoque celebratur.

7. Ex adverſo autem, novitas officii in Miſſa de Sancto, aut de Feria promovet attentionem, & auget Sacerdotis devotionem; a qua augmentum valoris accidentalis Miſſæ ex parte operis operantis dependet.

8. Interceſſio etiam Sancti, de quo dicitur Miſſa, prodeſt animæ in Purgatorio exiſtenti, pro qua celebratur, loco particularium Orationum, quæ in Miſſa de Requiem repetiuntur.

9. Et magna profecto quidem, & inopportuna animi, ac divotionis perturbatio evenit Sacerdoti, ſi poſtquam Officium de Sancto occurrente recitavit, atque affectu, & meditatione ad Miſſam de eodem Sancto celebrandam ſe diſpoſuit: maxime ſi Sanctus magnæ ſolemnitatis ſit in Eccleſia, aut in eum Sacerdos particulari devotione feratur (quamvis a Populo ſolemniter non celebretur, ut frequenter accidere conſuevit) cum jamjam eſt celebraturus, & interdum etiam cum indumentis Sacerdotalibus debiti coloris indutus eſt: ſuperveniat aliquis, qui Miſſam de Requiem pro aliquo Defuncto eleemoſyna exquirat: & ipſe Sacerdos priores ſacras veſtes deponere, & Paramenta nigra induere, & Miſſam de Defunctis dicere cogatur. Licet enim Sacerdos e charitate, vel obligatione, ſi ſubditus eſt, tunc Miſſam dicat de Requiem, non mediori tamen moleſtia, ac minori attentione, & devotione Sacrificium offert, quam ſi Miſſam de Sancto pro eodem Defuncto dixiſſet; & ita & Sacerdos, & Defunctus aliquam partem fructus, Miſſam eam videlicet, quæ ex majori attentione, & devotione Sacerdotis, & ex Sancti interceſſione habetur, inaniter amittit: cum Defuncto prodeſſe poſſit tam Miſſa de Sancto, quam de Requiem, ut dictum eſt.

### §. II.

VIdetur etiam ſenſus eſſe S. Eccleſiæ, ut Miſſa reſpondens Officio occurrenti poſſit pro Defunctis celebrari.

1. Quoniam Ritus, & Ordo eſt S. Eccleſiæ, ut Miſſæ Votivæ, aut Particulares dici poſſint, quando Officium non eſt Duplex, & tunc etiam (quando ſcilicet Officium non eſt Duplex) Miſſa, quantum fieri poteſt, Officio reſpondeat. Dicitur etiam in Miſſali Romano in principio Rubricatum generalium. *Miſſa quotidie dicitur ſecundum ordinem Officii.* Et in iiſdem Rubricis generalibus Titul. De Miſſis Votivis, num. 3. habetur: *Quæ tamen Miſſæ, & omnes aliæ Votivæ, in Miſſis Privatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die officium non eſt Duplex, &c.* Et clarius in Tit. de Miſſis Defunctorum num. 2. ſtatuitur: *Miſſæ autem Privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in Feſtis Duplicibus, & Dominicis diebus.* Et in Rubrica de Miſſis Votivis, quæ legitur ante Miſſam Votivam de SS. Trinitate ſimiliter dicitur: *Sequentes Miſſæ Votivæ licet pro Sacerdotis devotione quacumque die dici poſſint per hebdomadam, quando Feſtum Duplex non occurrit: hoc tamen paſſim, niſi rationabili de cauſa, fieri non debet: ſed quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio conveniat.* Non eſt autem exiſtimandum, quod Eccleſia, quæ piiſſima Mater eſt, Miſſam pro Defunctis celebrari prohibeat, in Feſtis Duplicibus, quæ quidem frequenter occurrunt: quare ſenſus videtur Eccleſiæ, quod Miſſa reſpondens Officio, præcipue Duplici, pro Defunctis dici poſſit.

2. Et ideo licet qui ſtipendium exhibet pro Miſſa, petat Miſſam Defunctorum, ejus verba non ſunt ita amare intelligenda, ut ſic omnino Sacerdos celebrare teneatur; ſed civili modo, & morali. Neque enim prævalere debet voluntas Miſſam petentis Ordini, ac Ritui Eccleſiaſtico: ſed mentem ſuam inſtitutioni Eccleſiæ debet aptare, ut ejus petitio ac devotio ſit rationabilis, atque conveniens.

### §. III.

VIdetur inſuper de mente eſſe Summorum Pontificum: quod Sacerdos pro Defunctis Miſſam reſpondentem Officio dicere valeat. Nam Greg. VIII. ſanctæ memoriæ, dum privilegium univerſale ac perpetuum pro Defunctis elargitur Altari Capellæ S. Auguſtini in Eccleſia S. Jacobi Bononiæ Patrum Ordinis S. Auguſtini, concedit, ut quoties quicumque Sacerdos ſive Sæcularis, ſive Regularis, Miſſam ad dictum Altare pro liberatione unius animæ in Purgatorio exiſtentis, ſuo, vel alieno arbitrio celebraverit, ipſa anima per hujuſmodi celebrationem eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiooes conſequatur, & ad ipſius liberationem, pro qua celebrabitur, dicta Miſſa operetur, quas conſequeretur, & operaretur, ſi prædictus Sacerdos hac de cauſa Miſſam ad Altare ſitum in Eccleſia S. Gregorii de Urbe, ad id deputatum, celebraret. Et fortaſſe Privilegia aliorum quoque Altarium pro Defunctis, ejuſdem ſunt tenoris. At in ejuſmodi Privilegio non præcipitur, ut Miſſa de Defunctis, ſive de Requiem pro anima in Purgatorio exiſtente celebretur; ſed abſolute indulgetur, quod dicatur Miſſa: ideo ſenſus Summorum Pontificum eſſe videtur, ut tantum valere poſſit, pro Defunctis Miſſa de Sancto, de Dominica, aut de Feria, quantum ipſa Miſſa de Requiem.

### §. IV.

ACcedit, quod populus communiter Miſſam libentius audit reſpondentem Officio, maxime de Sanctis, quam de Requiem, in qua benedictio populi præſentis prætermittitur. Quare ad alliciendum magis populum ad Miſſam audiendam; ſive ad eum promovendum, ut majori voluptate, ac devotione Sacrificio aſſiſtat pro Defunctis, Miſſa dici poteſt de Sancto, aut de Feria.

## §. V.

QUando autem Miſſa de Sancto, aut de Feria celebratur pro Defunctis, neceſſe non eſt Collectam dicere pro Mortuis.

1. Nam applicatio Miſſæ non fit in Collectis, ſed in *Memento*; ubi Sacerdos valorem Miſſæ illi applicat, pro quo Sacrificium offerre tenetur: idcirco neceſſe non eſt Collecta pro Defunctis adjungere.

2. Præterea Pius V. ſanctiſs. memoriæ in Bulla confirmationis Miſſ. Romani præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ (& Concil. Trid. *ſeſſ. 25. decreto de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſarum* idem ſtatuerat) ut Sacerdotes, juxta formam, Ritum, & modum ejuſdem Miſſalis celebrent: & nullo modo aliis cæremoniis, & precibus, quam illis, quæ in eo præſcribuntur, uti præſumant. At ſæpe in Miſſali Collectæ arbitrio Sacerdotis non permittuntur, præcipue diebus Feſtis; ſed particulares præſignantur, aut una tantum dicenda eſt, ut in Duplicibus: ideo tunc non erit dicenda Collecta pro Defuncto, pro quo Miſſa dicitur.

3. Quod quidem Præceptum Pii V. non Prælatis tantum imponitur, ut aliqui volunt, ſed omnibus Sacerdotibus. Tum quia Conc. Trid. loco citato (cui S. Pontifex inhærere videtur eiſdem verbis utens) expreſſe præcepit Epiſcopis, ut edicto, & pœnis propoſitis, caveant, ne Sacerdotes, quicumque illi ſint, Ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ fuerint. Tum quia non ſuppetit ratio, quare ſub formali præcepto obligante ſub pœna peccati mortalis, præcipiatur Prælatis, etiam S. R. E. Card. ut Miſſam ad præſcriptum Miſſalis novi decantent, & legant: cæteris autem Sacerdotibus non Prælatis libera relinquatur facultas aliis rationibus, & Ritibus ad cujuſque libitum celebrandi.

## §. VI.

VErum, qui Miſſam pro ſuis Defunctis ſtipendio petit, niſi viderit Sacerdotem indumentis nigris indutum, & Miſſam de Requiem, aut ſaltem Collectam de Mortuis non audierit, fortaſſe non credet, aut dubitabit Miſſam pro ſuis Mortuis ſibi celebrari.

1. Reſpondetur eum in hoc falſo judicio graviter errare: non enim præſumendum eſt, Sacerdotem in actu celebrationis nolle promiſſum ſuum implere; & vivum, ac mortuos fructu Miſſæ, quam ex ſtipendio accepto, & promiſſione data celebrare debet, velle privare; & exinde graviſſimum peccatum committere, & oneri reſtitutionis ſubjacere.

2. Prærerquamquod ſi Sacerdos Miſſam ei, cui promiſit, nollet applicare, ipſe quidem dicens Miſſam de Requiem cum Collecta pro uno, aut pro pluribus Defunctis juxta petitionem Miſſam ſtipendio exquirentis, poſſet nihilominus valorem eſſentialem Miſſæ ſibi ipſi, aut alteri vivo, aut defuncto in Purgatorio exiſtenti applicare: applicatio enim Sacrificii, ut ſuperius dictum eſt §. 5. *n.* 1. non fit in Orationibus Miſſæ de Requiem, ſed in *Memento*. Quapropter ſi Miſſam petens Sacerdoti non credit, aut ſi Sacerdos velit eum decipere (cujus fides in ſuſpicionem adduci non debet) parum quidem proderit, ſi Sacerdotem ſacris veſtibus nigri coloris indutum viderit, aut Miſſam de Requiem ab eo audierit.

## §. VII.

VErum tamen eſt, quod ſi Sacerdos majori devotione non afficitur in dicenda Miſſa de Sancto, aut de Feria, quam de Requiem, dicere debet Miſſam de Requiem pro Defunctis, quibus obligatur; dummodo feſtum non ſit Duplex, aut dies Dominicus, cum excipiantur in Rubrica Miſſalis ſuperius poſita §. 2. *n.* 1.

1. Quoniam Orationes Eccleſiæ, quæ ordinantur, in Miſſa de Requiem magis directe petunt, & obtinere poſſunt deſideratum effectum liberationis animarum e Purgatorio: ideo tunc, cæteris paribus, utilior eſt Miſſa de Requiem.

2. Et præterea Orationes, & alia, quæ in Miſſa Defunctorum dicuntur, miſerias animarum in Purgatorio exiſtentium clarius demonſtrant, & circumſtantes ad orandum etiam pro Defunctis magis excitare poſſunt.

3. Hinc in die obitus maxime præſente corpore Defuncti; aut in die tertio, vel ſeptimo, vel trigeſimo, aut in Anniverſario ſolemni utilior poterit eſſe Miſſa de Requiem, quam alia.

4. Quamvis ejuſmodi utilitates facile compenſari poſſunt in Miſſa occurrente de Feria, aut de S. ex majori Sacerdotum devotione, aut ex interceſſione S. de quo celebrat, ut dictum eſt §. 1. *n.* 3. *& ſeqq.*

## §. VIII.

SI vero Sacerdos, ſtipendio accepto, expreſſe Miſſam de Requiem promiſit, eam quidem dicere debet.

1. Nam tenetur implere promiſſum, ne virtus fidelitatis violetur: alioquin graviſſime peccaret: præcipue ſi promiſſum juramento eſſet obfirmatum, ut evenit in legatis, aut aliis obligationibus Miſſarum in forma ſtipulationis accepta.

2. At Sacerdos promittere deberet, ſe dicturum Miſſam pro Defunctis eo modo, quo magis poteſt eis prodeſſe, aut Miſſam de Requiem, aut Miſſam de Feria, aut de Sancto, juxta majorem ſuam diſpoſitionem, ac devotionem.

3. Et populus pariter pro ſuis Defunctis a Sacerdotibus eas Miſſas exquirere deberet, quæ majori beneficio illis eſſe poſſunt, ſive de Sancto, ſive de Requiem; ut multi jam pie quidem conſueverunt. Maxime autem utiliſſimum eſſet, pro Defuncto Miſſam de illo Sancto occurrente procurare, quem ipſe Defunctus, dum viveret, Patronum ſibi delegerat; vel cui animo erat propenſiori; & eo amplius ſi ille, qui Miſſam petiit, eumdem Sanctum ſibi Advocatum ſelegit, ſic enim, præter valorem Sacrificii, qui eſſentialiter in omnibus Miſſis æqualis eſt, valor ejuſdem Mſſi e accidentalis ex opere operantis, ex devotione Sacerdotis & Miſſam procurantis, & ex interceſſione Sancti, cui Defunctus inter vivos propenſius obſequebatur, augeri poteſt.

4. Et de hac re paſſim admonendi, & inſtruendi ſunt populi, ne ſcandalo afficiantur, dum petentes Miſſam pro mortuis, non audiunt Miſſam de Requiem; & ne Sacerdotibus nimium moleſti ſint in exquirendis quotidie Miſſis de Defunctis.

## §. IX.

UNiverſam hanc doctrinam ſuſtinent, ac docent omnes Doctores, & graviſſimi quidem, qui nunc citantur: quos diligenter, & ſingillatim in fonte videre, & animadvertere libuit.

1. *Div. Thomas Aquinas* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 3. *qu.* 1. *ad* 5. *& in additionibus* 3. *part. q.* 71. *art.* 9. *ad* 5. *S. Anton. part.* 1. *tit.* 10. *c.* 2. §. 3. *&c.*

Reliqui Auctores, quos fuſo calamo allegavit Fraxinellus, hic prætermittuntur, quia prædicta ſententia nunc ſatis, ſuperque confirmata remanet Dec. a S.R.C. emanato die 5. Aug. 1662. quod in ſequenti Indice datur ſub n. 396. ubi alia indicantur pariter Decr. eamdem doctrinam comprobantia.

SE-

Digitized by Google

# SERIES DECRETORUM

## A SUMMIS PONTIFICIBUS,

*Præſertim vero a Sacra Rituum Congregatione ad Miſſalis Romani Rubricas clarius explanandas, & ad ſacras Functiones recte, & rite peragendas, emanatorum, ab Anno 1602. uſque ad Annum 1737. ordine temporis regulariter ſervato, quo ſancita fuerunt. Quæ quidem Decreta omnia, & ſingula excerpta, & iterum diligenter collata ſunt cum ſuis Autographis, ſeu Originalibus, quæ extant in Regeſtis Decretorum memoratæ S. R. C. Pauca alia, quæ ab Auctoribus Rubriciſtis, & in aliquibus locorum Kalendariis ſparſim referuntur, cum non conſtet de eorumdem Authenticitate, quia in præfatis Regeſtis reperiri minime potuerunt, idcirco in hoc Catalogo non recenſentur. Ea vero, quæ in Indice edito a præclariſſimo Gavanto allegantur, in præſenti copioſiori Serie pariter adducuntur, & prænotantur hoc aſteriſco *.*

### DECRETA AUTHENTICA S. RITUUM CONGREGATIONIS.

1. Clerici parati ratione Paramentorum thurificandi ſunt ante Beneficiatos. S. R. C. 10. Junii 1602. *in Lauretana.* Vide num. 9. 19. 29. 53. 62. 63. 70. 73. 75. 85. 86. 87. 93. 533. 151. 158. 168. 174. 294. 305. 352. 540.

2. Monachi Congregation. Caſſinenſis non ſunt ullo modo cogendi accedere, niſi ad Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti juxta eorum antiquam conſuetudinem, quam eis ubique conſervandam eſſe cenſuit, & declaravit Sacra Rituum Congregat. die 10. Junii 1602. *in Placentina.*

Refertue hoc Decretum a Margaren. in Bullario Caſſinen. tom. 1. Conſtit. 253. quæ incipit: *Pro Monachis.* Confirmavit pariter hoc Decretum Urbanus VIII. in ſua Conſtit. 255. quæ incipit. *Nuper*, edita 1638.

3. Epiſcopus non poteſt cogere Regulares, ut faciant commemorationem ipſius in ultima Collecta. S. R. C. 10. Junii 1602. *in Egitanen.*

4. Coofuetudo immemorabilis, ut præter Diaconum, & Subdiaconum Canonico Celebranti aſſiſtat unus Capellanus cum Pluviali, ſervanda eſt. S. R. C. 29. Junii 1602. *in Mantuana.* Vide num. 35.

5. Uſus ſemel introductus juxta Regulares libri Cæremonialis ſervandus eſt, & Pax cum oſculo omnibus Viris Eccleſiaſticis in Choro ſedentibus danda eſt. S. R. C. 8. Julii 1602. *in Meſſanen.* Vide num. 39.

6. Aſſiſtentia, quæ a Canonicis Diaconis debetur per viam Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam pro Miſſa, & Veſperis celebrandis, fiat tantum quando Epiſcopus pergit intra, vel extra eamdem Eccleſiam cum Pluviali, & Mitra, non vero quando incedit cum Cappa. S. R. C. 3. Auguſti 1602. *in Æſina.* Vide num. 19. 21. 30. 35. 37. 48. 64. 65. 78. 88. 98. 106. 129. 146. 154. 164. 176. 180. 269. 279. 286. 295. 312. 317. 327. 332. 618. 659. 663. 665. 672. 673.

7. Capellani, ſeu alii Miniſtri Eccleſiæ quocumque nomine appellentur, ſolitas functiones facere debent, licet Cæremoniale ad eas exercendas eos nomine proprio non appellet. S. R. C. 3. Auguſti 1602. *in Patavina.*

8. In Regno Caſtellæ, & Legionis ſervandum eſt Cæremoniale Epiſcoporum etiam in generalibus Proceſſionibus, ita ut Fratres, ſeu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, & Presbyteri, ſeu Clerici Sæculares ſubſequantur, & ultimum locum obtineant, nec mixtim cum Regularibus incedant; Superiores vero dictorum Regularium numerum debitum, decentem, & conſuetum Fratrum ad eaſdem Proceſſiones mittant. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in una Caſtiliæ, & Legionis.* Vide num. 36. 46. 54. 66. 72. 89. 156. 157. 223. 224. 225. 227. 239. 240. 243. 494. 497. 503.

9. Beneficiati parati incenſentur ante non paratos. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in Calaritana.* Vide n. 1. & alios ibi notatos.

10. Baldachini haſtæ in Eccleſia deferendæ ſunt, ut dicitur in libro Cæremoniali Epiſcoporum. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in Melphiten.* Vide Cæremoniale Epiſcoporum lib. 1. cap. 14.

11. Genuflectendum eſt ſempee ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſuetudo declaratur abuſus. S. R. Congr. 14. Decembris 1602. *in Pacen.* Vide num. 178. 456. 457.

12. Subſtitutum Archipresbyteri non debet cantare Miſſas, quæ ad ipſum Archipresbyterum pertinent, nec locum, & honorem incenſi, & pacis ipſius Archipresbyteri prætendere. S. R. C. 14. Decembris 1602. *in Marugen. nullius.*

13. Poteſt Epiſcopus etiam in Eccleſiis Regularium cantari facere Miſſas Rogationum per ſuos Canonicos. S. R. C. 25. Januarii 1603. *in Firmana.*

14. Vicarius Generalis præcedere debet omnes Dignitates, & Canonicos, dummodo non ſint parati Sacris Paramentis, & dummodo dictus Vicarius non ſit ex numero Dignitatum, vel Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ, & velit tamquam Dignitas, vel Canonicus in Choro aſſiſtere, diſtributiones quotidianas lucrandi gratia, quia tunc ſedere debet in ſtallo, ſeu loco ſuæ Dignitatis, vel Canonicatus. S. R. C. 11. Aprilis 1603. *in Pennen.* Vide num. 25. 36. 41. 49. 90. 102. 103. 104. 107. 108. 109. 111. 112. 115. 122. 125. 135. 139. 147. 148. 161. 170. 172. 173. 181. 283. 185. 186. 240. 261. 262. 270. 280. 287. 295. 314. 318. 320. 334. 335. 337. 429. 445. 464. 467. 480. 489. 492. 493. 496. 665.

15. Cæremonialis liber, nec Laicis, nec Clericis prohibet, quominus in Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti deferant intortitia, vel candelas accenſas. Sac. Rituum Congreg. 12. Aprilis 1603. *in Adrien.* Vide num. 8. & alios ibi citatos.

16. * In Dominicis, & Feſtis poteſt celebrari Miſſa de Requiem pro Defunctis, inſepulto Cadavere. Sac. R. C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.*

Hoc Decretum intelligitur de Miſſa Solemni, non vero de Privatis. Vide num. 69. 315. 333. 396. 412. 430. 505. 511. 514. 524. 525. 526.

17. * Cineres diſtribuendi in Feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ debent eſſe aridi, non vero in modum luti. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.*

18. * Si Proceſſio Litaniarum Majorum terminetur ad Eccleſiam Sancti Marci, cantetur ibi Miſſa de S. Marco, non vero de Rogationibus. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Hiſpalen.* Vide num. 490. 507. 530. 679.

19. Aſſiſtentes Epiſcopo, licet minus digni præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates ſunt thurificandi. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Nolana.* Vide num. 1. & alios numeros ibi notatos, & num. 6. alioſque ibi notatos, quoad aſſiſteotiam.

20. Officium Anniverſarium, vel ſeptenarium, vel trigenarium Defunctorum poſt obitum, ſi cadat die Dominico, vel feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate. Sacra Rituum Congreg. 23. Maji 1603. *in Egitanien.* Vide num. 92. 143. 422. 472. 483. 485. 524. & 547.

21. Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum; ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Nolana.* Vide num. 90.

22. Ubi adeſt conſuetudo, quod Canonici, & Dignitates miniſtrent Epiſcopo Mitram, Gremiale, Thuribulum, & id genus alia, debet ſervari; ſicut etiam ſi adeſt conſuetudo, quod Dignitas, ſeu Canonicus geſtet Baculum ante Epiſcopum, in quibuſdam ſolemnitatibus. S. R. C. 5. Julii 1603. *in Lamacen.* & 14. Novembris 1676. *in Biturina.*

23. Non tenentur omnes Canonici aſſociare Epiſcopum ab

eo Altari, in quo Miſſam planam celebravit, ad Sedem Epiſcopalem, ſi voluerit Miſſæ Conventuali aſſiſtere. Sac. Rit. Congr. 5. Julii 1603. *in Typhernaten.* Vide n. 672. 673.

24. Deſtinatus ad regendum Chorum, non eſt dimovendus a Choro, ut aſſiſtat Epiſcopo. S. R. C. 6. Septembr. 1603. *in Monspolitana*. Vide n. 325.

25. Vicarius Generalis ſupra Dignitates, & Canonicos paratos, nullam babeat præcedentiam, ſed tantum aliis præcedat, quando ſunt in habitu Canonicali ordinario, & ſine Paramentis. S. R. C. 6. Septembris 1603. *in Lauretana*. Vide num. 14. & num. ibi notatos.

26. Conſuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur Cruci Feria VI. in Paraſceve, dentur Magiſtris Cæremoniarum, ſervanda eſt. S. R. C. 29. Novemb. 1603. *in Beneventana*.

17. Epiſcopus non debet in Eccleſia ſalutare Canonicos, aperiendo caput, ſed benedicendo manu. S. R. C. 10. Januarii 1604. *in Elven.*

28. Dignitates, quæ habent Præbendas cum onere cantandi Evangelium, ſeu Epiſtolam, non tenentur miniſtrare inferioribus. S. R. C. 10. Januarii 1604. *in Salamantina*.

29. In Eccleſia Collegiata exempta, præſente uno Canonico Cathedralis cum Epiſcopo, & Abbate Collegiatæ ejuſdem cum ſuis Canonicis, prius incenſetur Canonicus, quam Abbas. S. R. C. 7. Februarii 1604. *in Alexandrina*. Vide num. 1. 9. & alios ibi notatos.

30. Epiſcopo ſuffraganeo tenentur Canonici aſſiſtere, quando nomine proprii Epiſcopi functiones Epiſcopales exerceat. S. R. C. 21. Februarii 1604. *in Bracaren.* Vide num. 6. & num. ibi notatos.

31. Canonicus celebrans in aliqua Eccleſia Collegiata de Urbe, præſente proprio Vicario illius Eccleſiæ, ad Miſſam Conventualem non tenetur in fine Miſſæ ante benedictionem reverentiam facere ipſi Vicario. S. R. C. 11. Februarii 1604. *in una Urbis*.

32. Una clavis Reliquiarum Sanctorum concedi poteſt Magiſtratui Sæculari. S. R. C. 8. Maji 1604. *in Letteren.*

33. Ubi adeſt conſuetudo, ut Capellani miniſtrent Canonicis Cappas, vel Pluvialia, capite detecto, ſervanda eſt. Sac. Rit. Congr. 19. Junii 1604. *in Burgen.*

34. Epiſcopus poteſt habere feneſtram ex Domo reſpicientem in Eccleſia. S. R. C. 19. Junii 1604. *in Elboren.*

35. Canonico ſolemniter celebranti datur aſſiſtens, ſi eſt immemorabilis conſuetudo. S. R. C. 19. Junii 1604. *in Mantuana*. Vide num. 4. 6. & alios ibi notatos.

36. Clerus Eccleſiæ Cathedralis unitus ultimo loco incedere debet in Proceſſionibus, nec Clerus, vel Canonici aliarum Eccleſiarum debent cum dicto Clero Cathedralis incedere. S. R. C. 21. Auguſti 1604. *in Andrien.* Vide n. 14. & ibi notatos, necnon n. 8. alioſque ibi notatos quoad Proceſſionem.

37. Non debet aſſiſtens Epiſcopo deponere illi birretum de capite, ſed ipſe ſibi detrahat. S. R. C. 21. Auguſti 1604. *in Savonen.* Vide num. 6. & num. ibi notatos.

38. Poteſt Epiſcopus ex cauſa neceſſitatis Olea Sacra conficere cum minori numero Miniſtrorum, quam præſcribitur in libro Pontificali. S. R. C. 21. Auguſti 1604. *in Curien. Rhetiorum*.

39. Cæremoniale Epiſcoporum non tollit immemorabiles, & laudabiles Eccleſiarum conſuetudines. S. R. C. 11. Junii 1605. *in una Hiſpaniarum*. Vide num. 5. 50. 647.

40. Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam, non ſunt recitandæ inter Miſſarum ſolemnia, ne Miſſæ Sacrificium interrumpatur. S. R. C. 11. Junii 1605. *in Oſcen.*

41. Canonicus, vel Dignitas factus Epiſcopus cum retentione Canonicatus, vel Dignitatis, debet præcedere omnibus Dignitatibus, & Canonicis, etiam ipſo antiquioribus. S. R. C. 24. Septembris 1605. *in Ruthenen.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

42. Conſuetudo immemorabilis aliquibus in locis, ut Campanæ in ſalutatione Angelica non pulſentur ante pulſationem in Eccleſia Matrice, ſervanda eſt. S. R. C. 24. Septembris 1605. *in Giennen.*

43. Magiſter Cæremoniarum, non autem Sacriſta debet vocare Vicarium, ut hora debita, ſi voluerit, ad Eccleſiam accedat. S. R. C. 26. Novembr. 1615. *in Urbinaten.*

44. * Canonici debent aſpergi ſingillatim Aqua benedicta in Dominicis. S. R. C. 20. Decembris 1605.

Hoc Decretum allatum a Gavanto in ſuo Indice, non reperitur in Regeſto S. R. Congr. ſed quod præſcribit conſonat diſpoſitionibus, quæ babentur in Cæremon. Epiſcop. unde ſervari debet.

45. Abbas ſemel benedictus cum uſu birreti, ſi transferatur ad aliam Abbatiam cum uſu Mitræ, non indiget alia benedictione, ſed poteſt per ſeipſum Mitram capere. S. R. Cong. 25. Februarii 1606. *in Biſuntina*.

46. Capellanus Confraternitatis non poteſt ſuo arbitrio ſine expreſſa licentia Epiſcopali Proceſſiones facere. S. R. C. 4. Martii 1606. *in Militen. Galatri*. Vide num. 8. & num. ibi notatos.

47. Euchariſtia non eſt ſingulis diebus exponenda ſuper Altari, ſed in quibuſdam tantum ſolemnitatibus. S. R. C. 4. Martii 1606. *in Placentina Provinciæ Caſtellanæ*.

48. Aſſiſtentia duarum Dignitatum, vel duorum Canonicorum Epiſcopo loci Ordinario tantummodo convenit. S. R. C. 9. Maji 1606. *in Cæſarauguſtana*. Vide n. 6. & alios ibi citatos.

49. Poſita Præbendarum diſtinctione in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, qui de novo obtinuerit Presbyteralem, præcedere debet habentes Diaconales. S. R. Congr. 17. Junii 1606. *in Tropien.* Vide num. 14. & ibi notatos.

50. Decretum de die 11. Junii 1605. quod Cæremonialis liber non tollat laudabiles, & immemorabiles conſuetudines, habet locum in omnibus Regnis, & locis Chriſtianitatis. S. R. C. 17. Junii 1606. *in Elboren.* Vide n. 39. & alios ibi notatos.

51. Baculi, & Mitræ uſus ſunt correlativa, & cui unum conceditur, alterum etiam concedendum videtur. S. R. C. 7. Octobris 1606. *in Argentina*, & 8. Januarii 1605. *in Treviren.*

52. Vicario non licet dare benedictionem Diacono, antequam cantet Evangelium, neque benedicere Prædicatori, antequam Pulpitum aſcendat. S. R. C. 17. Martii 1607. *in Pacen.*

53. Archidiaconus, ſi ſuſtinet baculum Epiſcopi, thurificandus eſt immediate poſt Presbyterum, & Diaconos Aſſiſtentes. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Bracharen.* Vide n. 1. & alios ibi notatos.

54. Primicerius licet dubitetur, an ſit Dignitas; debet in Proceſſionibus capere Pluviale ſicut Dignitas, & non Planetam ſicut Canonicus. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Capuana*. Vide num. 8. & alios ibi notatos.

55. Benedictio, diſtributio Candelarum, & Palmarum regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Oſten.* Vide num. 565.

56. Epiſcopus concionaturus in aliena Diœceſi coram Ordinario, etiam Cardinali non debet petere benedictionem ob ſupremam Epiſcopalem Dignitatem. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Neapolitana*.

57. * *Gloria in Excelſis* cum *Credo* omittitur in votivis pro re gravi quando dicuntur cum Paramentis violaceis. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*.

58. * Res gravis pro licita votivæ ſolemnis decantatione, ea eſt, pro qua convenit Clerus cum Epiſcopo; vel apud Regulares in eorum Comitiis generalibus, ſeu Provincialibus, cum cantatur Miſſa pro re eorumdem judicio gravi. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Vide num. 461. 466. 401. 421.

59. Genuflectendum non eſt ad Orationes in Miſſa ſolemni, in qua dicitur *Gloria*, & *Credo*. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*.

60. Septimum Candelabrum Epiſcopo Celebranti adhibeatur in Miſſis tantum ſolemnibus, non vero in Veſperis, neque etiam in Miſſis Defunctorum. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*.

61. Canonicus primus Presbyter debet Epiſcopo Aſperſorium miniſtrare, ſi Præbendæ ſint diſtinctæ, ſi vero non ſint diſtinctæ, prima Dignitas, vel primus Canonicus in ordine id facere debet. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Vide num. 84. 121. 241. 260. 263. 292. 309. 425. 574.

62. Canonici omnes ex utraque parte Chori thurificandi ſunt ante Manſionarios, non obſtante conſuetudine in contrarium. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Vide n. 1. & ibi notatos.

63. Aſſiſtens Presbyter debet Epiſcopum thurificare ad Sedem, quicumque ille ſit; non vero Diaconus Evangelii. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Vide num. 1. & ibi notatos.

64. Canonici duo Diaconi aſſiſtentes & non Presbyter aſſiſtens, debent elevare fimbrias Pluvialis hinc inde, dum Epiſcopus progreditur, & thurificat Altare. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Vide num. 6. & n. ibi notatos.

65. Debetur aſſiſtentia Epiſcopo, quando facit Ordinationes in Miſſa ſolemni, ſi vero ipſas in Miſſa privata, vel alias functiones Epiſcopales in Pontificalibus facit, ſaltem duo Canonici aſſiſtant præter Archidiaconum, qui vocare debet Ordinandos. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Vide num. 6. & num. ibi citatos.

66. Canonici Eccleſiæ Collegiatæ non debent in Proceſſionibus incedere parati, ſicut Canonici Cathedralis. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Vide n. 8. & alios ibi notatos.

67. *Gloria in Excelſis Deo*, dicitur in Miſſis votivis B. M. V. tam in Sabbatis Feriarum, quam in Sabbatis Adventus; licet ipſa die Officium non fiat de B. V. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. Et 27. Julii 1609. *in una Urbis*.

68. * Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, quo die, cantato Evangelio, extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis ſolemnitatibus, & diebus ſolemniter celebratis non accen-

cendatur, niſi adſit conſuetudo, quod durante tempore Paſchali accendatur. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*.

69. Defunctorum Miſſæ non ſunt cantandæ, nec celebrandæ in diebus ſolemnibus, S. R. C. 23. Junii 1607. *in Veronen.* Vide num. 16. 20. 71. 396. 422. 439. 524. 525. 526.

70. Presbyter aſſiſtens, licet non ſit prima Dignitas, thurificandus eſt ante Archidiaconum a dexteris Epiſcopi aſſiſtentem, quamvis idem Archidiaconus ſit prima Dignitas. S. R. C. 23. Junii 2607. *in Vercellen.* Vide num. 1. & ibi notatos.

71. * Tolerari poſſunt Miſſæ Votivæ caotatæ B. M. V. in Sabbato, vel pariter cantatæ Defunctorum in Feſto Duplici, quod non eſt de præcepto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, dummodo non omittatur Miſſa Convent. S. R. C. 1. Septembr. 1607. in Indice Gavant. ſed ut jacet 20. Junii 1626. *in Nucerina in Umbria*.

Hoc Decretum intelligitur de Miſſis cantatis in die Anniverſario, vel tertio, ſeptimo, & trigeſimo, relictis ex diſpoſitione Teſtatorum. Vide omnes num. ſupra datos ſub num. 69.

72. Clerici Seminarii debent in Proceſſionibus primi incedere ante Clerum Sæcularem, & relinquere locum digniorem Curatis. S. R. C. 1. Septembris 1607. *in Capuana*. Vide oum. 8. & oum. ibi notatos.

73. Conſuetudo immemorabilis, quod eodem tempore thurificentur Canonici, & Magiſtratus, ſervanda eſt. S. R. C. 1. Septemb. 1607. *in Fanen.* Vide num. 1. & ibi notatos.

74. * In privatis Oratoriis, & privilegiatis, non poteſt celebrari Miſſa in Feſtis ſolemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feria V. in Cœna Domini, Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſcenſione D. N. J. C. Aſſumptione B. V. M. Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. S. R. C. 17. Novembris 1670. *in Calaguritana*.

75. Gubernator Civitatis, etiam ſi ſit uxoratus, thurificandus eſt immediate poſt Canonicos; abſente vero Epiſcopo, immediate poſt Vicarium Generalem. S. R. C. 9. Maji 1606. & 17. Novembris 1607. *in Faventina*. Vide n. 1. & ibi notatos.

76. * In Eccleſiis Confraternitatum licitum eſt Confratribus, & reſpective Capellanis facere ſolitas Proceſſiones, non tamen eo tempore, quo fiunt in Parochiali, viſitare in Proceſſione alias Eccleſias tempore Quadrageſimæ, & Adventus, de licentia Epiſcopi audire in iis Eccleſiis Concionem, benedicere Palmas, & ignem, & aquam in Sabbato Sancto; ante Matricem tamen non ſunt pulſandæ a Confratriis campanæ in eodem Sabbato Sancto. S. R. C. 9. Februarii 1608. *in Militen. Galatri*, Vide num. 565. 568.

77. Simplex reconciliatio Eccleſiæ, ſeu Cœmeterii non conſecrati, poteſt committi Presbytero in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto. S. R. C. 9. Februarii 1608. *in Cameracen.*

79. Archidiaconus dum aſſiſtit Epiſcopo ſolemniter celebranti, tam in Eccleſia Cathedrali, quam in alia, intelligitur in Choro præſens. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Camerinen.* Vide num. 6. & num. ibi notatos.

79. Quamvis Præbendæ non ſint diſtinctæ, convenit tamen ut fiat diſtinctio Pluvialium, Planetarum, & Dalmaticarum in Feſtis ſolemnioribus. S. R. C. 15. Martii 1608. *in in Alexandrina*.

80. Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti poſſunt, ubi eſt conſuetudo, caotari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die Feſto, ac Dominica, & die Octava, S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina*.

81. Diaconus, & Subdiaconus, accipiunt pacem ab Epiſcopo celebrante ſtatim poſt Diacooos aſſiſtentes, ſi in Miſſa Communionem non recipiunt. S. R. C. 25. Martii 1608. *in Alexandrina*.

82. Uſus Miſſalis, & Breviarii Romani ſemel introductus in aliqua Eccleſia, quæ babebat particulare Miſſale, & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire ad uſum antiqui Miſſalis, & Breviarii, S. R. C. 15. Martii 1608. *in Tullen.*

83. Canonici digniores debent ſedere in ſedibus, quæ ſunt viciniores ſedi Epiſcopali. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina*.

84. Aſperſorium aquæ benedictæ porrigendum eſt Epiſcopo a Priore Eccleſiæ Collegiatæ, dum eo accedit Epiſcopus; non autem a prima Dignitate, vel primo Canonico Eccleſiæ Cathedralis. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Camerinen.* Vide num. 61. & num. ibi notatos.

85. In thurificatione attendatur conſuetudo inter Vicarium, & Canonicos, & alios, niſi Canonici ſint parati. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina*.

Hoc intelligitur etiam in accipiendis Candelis, Ciueribus, Palmis. Vide num. 1. & ibi not. quoad Thurif.

86. Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excuſatur ſub prætextu contrariæ conſuetudinis. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina*. Vide num. 1. & ibi notatos.

87. Non approbatur uſus duorum Thuribulorum in incenſatione perſonarum. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina*. Vide n. 1. & ibi notatos.

88. Duorum Canonicorum aſſiſtentia ſemper convenit Epiſcopo, ſive celebret ipſe, ſive aſſiſtat Divinis. S. R. C. 10. Maji 1608. *in Granaten.* Vide num. 6. & num. ibi notatos.

89. Coofraternitati SS. Sacramenti, ſi ſumptus ceræ facit, indulgetur, ut in Proceſſione ejuſdem SS. Sacramenti, aliqui ex Confratribus Saccis indutis cum Funalibus accenſis incedant hinc inde, ante, & apud idem SS. Sacramentum; dummodo major pars Confraternitatis cum ſua Cruce, & Inſignibus incedat ante, in loco ſuo, juxta Bullam Gregorii XIII. S. R. C. 10. Maji 1608. *in Nepeſina*.

Idem ſancitum eſt 19. Junii 1655. *in Mediolanen.* ut videre eſt num. 314. & 12. Julii 1628. *in Lauden.* necnon 20. Septembris 1687. *in Vercellen.* in quibus poſtremis conceditur talis præcedentia, dummodo dicta Societas Sanctiſſimi Sacramenti accedat ad alias Proceſſiones juxta ordinem antiquitatis; quod ſi quavis ratione, aut prætextu recuſaverit ad alias Proceſſiones accedere, etiam proprio die Feſto ſolemnitatis, & in Proceſſionibus SS. Sacramenti, nullo modo præcedere debeat.

90. Prima Dignitas det Candelam Epiſcopo in Feſto Purificationis B. M. V. & Epiſcopus det ſtatim primæ Dignitati ante Vicarium Generalem. S. R. C. 14. Junii 1608. & 28. Maji 1616. Vide num. 421.

Hæc Decreta referuntur a Gavanto in Manuali Epiſcoporum, v. Canonicorum munera erga Epiſcopum ſub num. 42. & 45. in Additionibus.

Prædicta Reſolutio eſt conformis diſpoſitioni, quæ habetur *in lib. 2. Cæremonialis Epiſcoporum c. 16. n. 8.* ubi præſcribitur, quod Dignior Canonicus paratus, nempe Pluviali indutus, accipit de manu Sacriſtæ, ſive Camerarii Candelam pulchre ornatam, & cum debita reverentia illam oſculatam, dat in manu Epiſcopi, quam pariter oſculatur, & ibidem n. 9. ſubnectitur, quod Dignior ille Canonicus, nempe prima Dignitas accipit ab eodem Epiſcopo Candelam, oſculando illam, & manum Epiſcopi.

Notandum hic eſt, præſcribi quidem in dicto Cæremoniali, quod ille Canonicus antequam porrigat Candelam Epiſcopo, & poſt receptam Candelam ab eodem oſculetur manum ejus, non vero, quod recipiat Candelam genuflexus. Vide num. 21. & 590.

91. * Omnes de Clero, etiam Canonici, Euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in Feria V. in Cœna Domini. S. R. C. 27. Septemb. 1608. *in Civitaten.* Vide n. 455. 501. 632.

92. * Anniverſaria, & aliæ Miſſæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito, poſſunt transferri in diem ſequentem. S. R. C. 27. Septembris 1608. Vide num. 20. & ibi notatos.

93. Baro Dominus loci in Eccleſia Parochiali non Collegiata, ubi non ſunt Canonici, thurificandus eſt poſt celebrantem, Miniſtros paratos, & Archipresbyterum duplici ductu ab eodem Miniſtro, qui thurificat, & ante omnes alios Presbyteros. S. R. C. 27. Septemb. 1608. *in Biſinian.* Vide num. 1. & ibi notatos.

94. Dignitates tenentur aſſociare Epiſcopum cum Canonicis, ex debito, licet Cæremoniale Epiſcoporum nominet tantum Canooicos. S. R. C. 10. Januarii 1609. *in Jacen.* Vide num. 23. & alios ibi notatos.

95. In Feſto SS. Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Apulen.*

96. Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non vero ad Caoonicum hebdomadarium pertinent. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Piſauren.* Vide num. 90. 116. 209. 257.

97. * Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ Campanæ majores, antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Marſicen.* 14. Novembris 1615. *in Venuſina*, 3. Junii 1617. *in Syracuſana*.

98. Canonicus Epiſcopus aſſiſtens, ſuperveniente Digniore Canonico debet illi cedere locum aſſiſtentiæ. S. R. C. 20. Junii 1609. *in Ferrarien.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

99. Poteſt Epiſcopus compellere Regulares etiam per cenſuras, ut accedant ad publicas Proceſſiones. S. R. C. 27. Julii 1609. *in Ferrarien.*

100. * Abbates, & alii Prælati Regulares non poſſunt benedicere Paramenta Eccleſiarum, non ſibi ſubditarum. S. R. C. 24. Auguſti 1609. *in Cremonen.* Vide num. 335.

101. Abbas licet babeat uſum Mitræ, & Baculi, & ſolemniter benedicere Populo poſſit; privatam tamen benedictionem more Epiſcoporum per vias minime dare poteſt. S. R. C. 14. Auguſti 1609. *in Provincia Burgen.* Vide numer. 350.

102. Curatus ratione Stolæ debet præcedere aliis Presbyteris etiam Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ. S. R. C. 24. Octobris 1609. *in Saſſo Ferrato Nucerinæ Diœceſis* Vide n. 14. & ibi notatos.

103. Presbyteri, & Clerici Cathedralis, omnes faciunt unum



Digitized by Google

eorpus cum Canonicis, &; ſub una Cruce debent incedere. S. R. C. 28. Novembris 1609. *in Maceraten.* Vide o, 14. & ibi notatos.

104. Reliquiam deferre in Proceſſionibus, pertinet ad Superiorem Conventus, unde Reliquia aſſumitur, qui cum Miniſtris paratis ultimn locn incedere debet; ſed Regulares debent in dictis Proceſſionibus cedere digniorem locum Clero Sæculari. S.R.C. 23. Jan. 1610. *in una Senogallien. Montis Bedii*, & 24. Sept. 1605. 19. Aprilis 1608. Vide n. 14. & ibi notatos.

105. * Clavis Hoſtiæ repoſitæ in Feria V. Cœnæ Domini, noo debet dari Laicn, quantumvis Nobili. S.R.C. 30. Jan. 1610. *in Pacen.*

106. Archidiaconus non poteſt aſſiſtere Epiſcopo in habitu Prælatitio, non Chorali, licet ſit Protbonotarius. S. R. C. 6. Martii 1610. *in Aſculana in Apulia*. Vide n. 6. & ou. ibi notatoi.

107. Canonici parati aſſiſtente Epiſcopo præcedant Vicario Generali, & ſunt ante ipſum thurificandi. S.R. C. 6. Martii 1610. *in Tiburtina*, & 3. Auguſti 160a. *in Egitanien*. Vide n. 14. & ibi notatos.

108. Canonicus, vel Presbyter paratus officium faciens, debet babere locum etjam a Decano. S. R. C. 26. Junii 1619. *in Arboren.* Vide n. 14. & ibi notatos.

109. Archipresbyter, licet ſit prima Dignitas, in Choro tamen cedere debet primum, & digniorem lncum Canonico celebranti. S. R. C. 26. Junii 1610. *in Arboren.* Vide n. 14. & ibi notatos.

110. Decretum in Viſitatinne factum contra regulas libri Cæremonialis, non eſt ſervandum 7. Aug. 1610. *in Vercellen.*

111. Vicarin Generali in Choro præſente, & Epiſcopo abſente, ſi primum ſtallum ei detur in dextera Altaris, ſedebit in parte ſiniſtra prima Dignitas, ſecunda vero poſt Vicarium. S.R.C. 7. Auguſti, & 25. Sept. 1610. *in Andrien.* Vide o. 14. & ibi notatos.

112. Nulln modu convenit ut Magiſter Capellæ incedat in Proceſſionibus cum Beneficiatis, ſed quacumque conſuetudine, vel uſu non obſtante, debet incedere cum ſuis Cantoribus immediate poſt Crucem ante ipſos Beneficiatos, vel in loco ubi ab Epiſcopo ordinatum fuerit. S. R. C. 20. Novembris 1610. & 15. Januarii 1611. *in Urbevetana*, Vide n. 14. & ibi notatos.

113. Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, celebrantes ſolemniter, poſſuot, & debent ſedere in banco dum cantatur *Gloria*, *Credo*, *&c.* etiamſi ſint Beneficiati, vel Capellani, prout ſedent Canonici, nun obſtante qualibet conſuetudine. S. R. C. 15. Januarii 1611. *in Peruſina*. Vide nu. 142. 248.

114. Cantor ſi eſt Dignitas in Cathedrali, debet ſuum munus obire, vel per ſe ipſum, vel per Vice-Cantnrem, ante ſumendum ab Epiſcupo approbandum, qui non ſit de iis, qui alioquin Choro ſunt obligati. S. R. C. 19. Martii 1611. *in Lucerina*.

115. Inter Canonicos Presbyteros nulla datur præcedentia, nec præeminentia ratione Doctoratus, ſed tantum ratione Ordinis, & antiquitatis. S. R. C. 19. Martii 1611. *in Terra Coniglioni Diœceſ. Montis Regali in Sicilia.* Vide n. 14. & ibi notaios.

116. Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſinne in ejus feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet juxta formam libri Cæremonialis Epiſcoporum, abſente, vel impedito Epiſcopo, ad primam Dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive pertinet. S. R. C. 25. Junii 1611. *in Civitaten. ſeu S. Severini*.

117. *Canonici tenentur ad cantaodam Miſſam Conventualem de Officio currenti, ut lucrentur diſtributinnes, nec ad ſatisfactionem ſufficit Miſſa io Aurora. S.R.C. 25. Junii 1611 *in Urbinaten.* Vide n. 119. 120. 127.

118. * Domino Loci, & Commeodatarin Religionis Hieroſolymitanæ, & multo minus ejus Procuratori non defertur liber oſculandus in Miſſa. S.R.C. 17. Sept. 1611. *in una Nullius Marubii*.

119. Tenentur omnino Canonici ad cantandam Miſſam de die, ut lucrentur diſtributiones. S.R.C. 28. Jan. 1612. *in Oſcen*, Vide n. 117.

120. Miſſa Conventualis de Feſto, ſeu de Feria currenti omnino cantanda eſt; non obſtante quacumque contraria conſuetudine. S.R.C. 28. Jan. 1612. *in Oſcen.*

121. Aſperſorium cum aqua benedicta Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam, ſemper debet miniſtrari a prima Dignitate, vel digniore Canonico. S.R.C. 12. Martii 1612. *in Sarzan.* & 16. Jol. 1605. *in Salmantina*. Vide n. 61. & alios ibi citatos.

122. Collegiata inſignis ab ejus erectione præcedit aliis Collegiatis antiquioribus. S.R.C. 24. Martii 1612. *in Firmana.* Vide n. 14. & n. ibi notatos.

123. Ante Dignitates non debet poni Pulvinar cum tapete, ſed debent ſedere in ſuis ſtallis, prout ſedent Canonici, tamen ratione dignitatis poteſt indulgeri Pulvinar de corio tantum. S.R.C. 24. Martii 1612. *in Tudertina*.

124. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec aotiquæ immutaodæ, abſque expreſſa licentia, quam dare debet S. Rit. C. 12. Maji 1612. *in una Urbis*.

125. Rectores Eccleſiarum Parochialium io Proceſſionibus non debent incedere inter Dignitates, & Canonicos, ſed ſeparatim cum ſuo Clero, & ante Clerum Cathedralis. S.R.C. 12. Maji 1612. *in Matharana*. Vide n. 14. & ibi notatos.

126. Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus, qui obtinuit præbendam Presbyteralem non debet amplius uti Dalmatica, vel Tunicella, ut Canooici Diaconi, quando paratur, ſed Planeta, ut Presbyteri. S.R.C. 12. Maji 1612. *in Januen.*

127. Miſſa Conventualis pertinet ad Cantorem, & Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ, non autem ad Vicarium, quando ipſe habet tantum curam Animarum Parochianorum. S. R. C. 7. Julii 1612. *in Uliſſiponen.* Vide n. 120.

128.* Epiſcopus tantum, & non alius, dum private celebrat, poteſt accipere Paramenta de ipſo Altari, & duos habere Miniſtros Superpelliceis indutos præter alium Miniſtrum Clericum, ſive Laicum communi veſte indutum. S.R.C. 7. Julii 1612. *in Cremon.*

129. Canonici tenentur aſſiſtere Epiſcopo, etiam qoando Ordinationem celebrat extra propriam Eccleſiam, dummodo numerus ſufficiens Canonicorum, & Miniſtrorum in Eccleſia remaneat. S.R.C. 7. Julii 1612. *in Elboren.* Vide nu. 6. & n. ibi citatos.

130. Conſuetudo immemorabilis, quod Paſſio Domini in Dominica Palmarum, & in Feria VI. Paraſceve decantetur a Canunicis, debet ſervari, non obſtante cæremoniali, in quo diſponitur eam a cantoribus decantandam eſſe. S.R.C. 7. Julii 1612. *in Viterbien.*

131. Epiſcopus non poteſt, ſignum, quod babere debent Canonici Cathedralis ad diſtinctionem, concedere aliis, vel immutare, inconſulta Sede Apoſtolica. S. R. C. 1. Sept. 1612. *in Hydruntina*.

132. Altare portatile ligneum cum ara lapidea, permitti debet non obſtante conſtitutione Synodali, dummodo babeat ſolitum Reliquiarum repoſitorium juxta reformationem Rubricarum Miſſalis Romani c. 20. S.R.C. 10. Nov. 1612. *in Cajetana*.

133. Canonici Eccleſiæ Collegiatæ thurificari debent duplici ductu Thuribuli; Clerici vero Parochialium Eccleſiarum unico tantum ductu, niſi ſpecialis adſit conſuetudu. S.R.C. 10. Jan. 1613. *in Cæſarauguſtana.* Vide n. 1. & ibi notatos.

134. Abbates quaodo ſunt plures in eodem loco, & habent Clerum diſtinctum, debent in Proceſſionibus incedere, unuſquiſque cum ſuo Clero, & in ſuo loco. S. R. C. 19. Jao. 1613. *in Nucerina Gualdi*, Vide n. 14. & ibi notatos.

135. Prothonotarii de numero Participaotium præcedunt Vicarios, & Canooicos tam in Eccleſiis Patriarchalibus Urbis, quam in aliis quibuſcumque etiam Cathedralibus extra Urbem, & ſolis Epiſcopis cedunt locum. Sacr. Rit. Congregat. 4. Maji 1613. *in una Urbis*. Vide nu. 14. & ibi notatos.

136. Canonici, & Dignitates non tenentur ad benedictionem Epiſcopi genuflectere, ſed tantum caput inclinare; nec debent genuflectere quando Epiſcopum celebrantem thurificant. S.R.C. 4. Maji 1613. *in Oſcen.* Vide n. 269.

137. Archiepiſcopus poteſt ante ſe Crucem deferri facere per Monaſteria, & per loca etiam exempta ſuæ Diœceſis. S. R. C. 13. Julii 1613. *in Theatina*.

138. Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feria V. in Cœna Domini; nec in Feſto Corporis Chriſti, extra eorum juriſdictionem, & per Parochiam alienam. S.R.C. 11. Decemb. 1613. *in Aretina*.

139. Abbates non ſunt aſſociandi a ſua Domo, oec excipiendi, cum ad Pontificaliter celebrandum accedant. S.R.C. 11. Dec. 1613. *in una Hiſpaniarum*.

140. Vicarius Apoſtolicus non poteſt functinnes Epiſcopales facere. S.R.C. 15. Febr. 1614. *in Brunduſina*.

141. Si incœpta conſecratiune Eccleſiæ, correptus morbo Epiſcopus deficiat, & præſertim antequam ungantur Cruces, reaſſumenda eſt conſecratio. S.R.C. 12. Aprilis 1614. *in Uliſſiponen.*

142. Canonici Miſſam celebrantes coram Epiſcopo, non debent ſedere in ſede cum poſtergali, ſed in aliquo ſcamno oblongo, tapete, vel panno cooperto in latere Epiſtolæ. S. R. C. 19. Maji 1614. *in Turritana*.

143. Anniverſaria, & Miſſæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito, transferri poſſunt in ſequentem, prout tranſtulit S.R.C. 19. Maji 1614. *in Turritana*.

Hoc Decretum affertur a Gav. part. 1. tit. 5. lit. y ubi allegat etiam aliud ſimile datum a nobis ſub n. 20. Vide alios n. ibi notatos.

144. Miſſæ, Votivæ jam acceptæ, quæ non poſſunt celebrari diebus impeditis, debent recitari de Feſto occurrenti cum applicatione Sacrificii. S. R. C. 19. Maji 1614. *in Turritana*, Vide n. 463.

145. * Diaconus noo debet pacem dare Laicis, neque Domino Loci, ſed ipſa ſpectat ad alium Miniſtrum Cotta indutum, & cum inſtrumento, noo vero cum oſculo. S.R.C. 5. Julii 1614. *in Calagurritana*.

146.

Digitized by Google

146. Decano Miſſam celebranti in diebus ſolemnibus, debent duo Canonici aſſiſtere, & miniſtrare pro Diacono, & Subdiacono, ſi Manſionarii quibus Animarumcura incumbit in ipſius exercitio eo tempore ſint impediti. S. R. C. 14. Februarii 1615. *in Cœneten. Opitergii*. Vide num. 6. & num. ibi notatos.

147. Portionarii, & alii Beneficiati, ſi in omnibus ſint æquales Canonicis Eccleſiarum Collegiatarum, & æqualiter incedunt in Proceſſionibus, & ſedent in æqualibus ſcamnis, thurificandi ſunt duplici ductu ſicut Canonici, non obſtante Cæremoniali libro, qui intelligitur, quando non adſunt Presbyteri, qui non ſint omnino Canonicis æquales. S. R. C. 21. Martii 1615. *in Cæſarauguſtana de Daroca*. Vide num. 14. & num. ibi notatos.

148. Canonici Cathedralis Eccleſiæ, abſente Epiſcopo, vel Sede Epiſcopali vacante, in omnibus, & per omnia præferri debent Magiſtratibus Sæcularibus, qui non ſunt de perpetuis, & majoribus: & Concionatores debent prius Canonicos, quam Magiſtratus ſalutare. S. R. C. 3. Octobris 1615. *in Tyraſonen.* Vide n. 14. & n. ibi notatos.

149. * Non debent Regulares in Canone nominare Superiores ſuos, ut Antiſtites. S. R. C. 14. Novembris 1615.

Hoc Decretum affertur a Gavanto in ſuo Indice; ſed in Regeſt. Sac. Congregationis non reperitur, ſaltem ſub antedictis, die, menſe, & anno. Vide num. 641.

150. Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis Proceſſionibus SS. Sacramenti Dominica infra Octavam Corporis Chriſti mutare viam ſemel a principio electam. S. R. C. 14. Novembris 1615. *in Piſauren.*

151. Abſente Epiſcopo thurificandus eſt Celebrans triplici ductu Thuribuli. S. R. C. 30. Januarii 1616. *in Coment. Valluviæ*. Vide num. 1. & ibi notatos.

152. Priores Confraternitatis SS. Sacramenti, non ante Baldachinum poſt Capitulum, ſed a latere Baldachini in Proceſſione SS. Sacramenti debent incedere. S. R. C. 30. Januarii 1616. *in Nicien.* Vide num. 89.

153. Presbyteri alicujus Eccleſiæ intra limites propriæ Parochiæ, non poſſunt propriam Crucem erigere; ſed debent incedere ſub Cruce Parochiæ, licet Parochia ſit Regularium. S. R. C. 12. Martii 1616. *in una Urbis*.

154. Archidiaconus, ſi eſt prima Dignitas, debet facere Officium Presbyteri aſſiſtentis, dummodo ſit Sacerdos; & recuſans cogendus eſt pœnis, & cenſuris. S. R. C. 28. Maii 1616. *in Brixien.* Vide num. 6. & num. ibi citatos.

155. Cineres Epiſcopo miniſtrare feria IV. Cinerum, non ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum ea die Celebrantem pertinet. S. R. C. 28. Maji 1616. *in Brixien.* Vide num. 90.

156. Delatio SS. Sacramenti in ejus die Feſto, abſente Epiſcopo, ſpectat ad Dignitates, ſeu Canonicos Cathedralis, atque ab eadem Cathedrali Proceſſio debet inchoare, & ibi finire. S. R. C. 19. Auguſti 1616. *in una Tuſculanæ*. Vide num. 243.

157. * Regulares deferre debent Crucem in Proceſſionibus cum Velo pendente, ſeu Pallio. S. R. C. 14. Januar. 1617. *in Neapolitana*.

158. Vicario Generali ſedenti in Choro, licet ſupra Canonicos, abſente Epiſcopo, thurificatio duplici, non autem triplici ductu debetur; ſi tamen non ſit Prælatus. S. R. C. 14. Januar. 1617. *in Nepeſina*. Vide n. 1. & alios ibi notatos.

159. Præſente Epiſcopo Diœceſano ſedebit Abbas in loco ſuæ Juriſdictionis, vel apud Epiſcopum, in Sede Camerali, abſque ornatu, & ſuo gradu, vel in conſpectu Epiſcopi ex alia parte, in loco inferiori, cum uno parvo gradu, non excedente dimidium palmi. S. R. C. 18. Martii 1617. *in Aquilana*. Vide num. 29. 352.

160. Magiſter Cæremoniarum, etiam ſi ſit Capellanus, quando Officium exercet, & veſtibus illius officii indutus eſt, ſedere debet apud Celebrantem, vel ejus Aſſiſtentes Pluvialibus indutos; quando vero non eſt in Miniſterio, ſedere debet in Choro inter Præbendatos, & Presbyteros, vel Clericos ſui Ordinis, ſervato ordine ſuæ receptionis. S. R. C. 30. Maji 1617. & 30. Aprilis 1701. *in Viterb.* & 30. Auguſti 1602. & 28. Novembris 1609. Vide num. 14. & ibi notatos.

161. Cæremoniarum Magiſter in Proceſſionibus incedit apud Celebrantem, & ejus Aſſiſtentes, & ubique diſcurrit, quando opus eſt pro ordinanda Proceſſione. S. R. C. 8. Maji 1617. *in Patavina*, & antea 30. Auguſti 1602. & 28. Novembris 1609. Vide n. 14. & ibi notatos.

162. Ubi habitus Dignitatum eſt diſtinctus, & diverſus ab habitu Canonicorum, quamvis Canonici ſint impares numero, non ſunt conjungendæ Dignitates cum Canonicis in Proceſſionibus, ſed tres ultimi digniores tam ex illis, quam ex iſtis incedunt ſimul in eadem riga. S. R. C. 3. Junii 1617. *in Malavitana*. Vide n. 14. & alios ibi notatos.

163. * Officium eſt recitandum de Sancto, cujus habetur Inſignis Reliquia. S. R. C. 3. Junii 1617. *in una Urbis Theatinorum*. Vide num. 30. 264. 482. 498. 585.

164. Ad Dignitates, & Canonicos Cathedralis, ſi adſint, ſpectat aſſiſtere Epiſcopo ſolemniter Celebranti, etiam in Collegiata Eccleſia, vel Parochiali, non autem ad Canonicos Collegiatæ, vel Presbyteros Parochialium. S. R. C. 15. Julii 1617. *in Brunduſina*. Vide n. 6. & n. ibid. notatos.

165. Subſtitutus Archipresbyteri non poteſt Miſſas, & Divina Officia celebrare, quæ ad ipſum, ſi adeſſet, pertinent; ſed ſpectant ad Canonicum ſucceſſive. S. R. C. 22. Januarii 1618. *in una Civitatis Caſtellanæ*.

166. Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ ſemper præcedere debent Regularibus, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. S. R. C. 31. Martii 1618. *in Firmana*. Vide num. 14. & alios ibi notatos.

167. * In Feſto SS. Corporis Chriſti Euchariſtia non eſt deferenda in Proceſſionibus Sacerdotum humeris, ſed Celebrantis manibus, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quem abuſum eſſe declaravit S. R. C. 2. Junii 1618. *in Syracuſana*.

168. In Perſonarum incenſatione, tota thurificatio facienda eſt cum unico Thuribulo. S. R. C. 21. Julii 1618. *in Lucerina*. Vide num. 1. & alios ibi notatos.

169. Epiſcopus in aliena Eccleſia, non poteſt ſibi Pulvinar, & pannum coloris violacei ſternere, & extra ſuam Diœceſim non competit illi deoſculatio Textus Evangelii. S. R. C. 13. Octobris 1618. *in Jadren.*

170. Collegiata ſimplex præcedit Parochialibus, etiamſi antequam erigeretur, illis ceſſiſſet. S. R. C. 23. Martii 1619. *in Senogallien.* Vide num. 15. & ibi notatos.

171. Prothonotarii Titulares, neque ſupra, neque inter Canonicos locum habere debent. S. R. C. 23. Martii 1619. *in Spoletana*.

172. Vicarius Generalis, abſente Epiſcopo, debet habere primum locum ſupra omnes Dignitates, & Canonicos. S. R. C. 13. Julii 1619. *in Militen.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

173. Canonici Eccleſiæ Cathedralis præcedunt Canonicos Collegiatæ etiam intra eamdem Collegiatam, non obſtante conſuetudine. S. R. C. 19. Auguſti 1619. *in una Tuſcanellæ*. Vide n. 14. & alios ibi notatos.

174. Prior Collegiatæ, ſi interſit in Cathedrali, thurificandus eſt duplici ductu Thuribuli, ſicut Dignitates, & Canonici, ſuper quos tamen non habet præcedentiam. S. R. C. 19. Auguſti 1619. *in una Tuſcanellæ*. Vide n. 1. & alios ibi notatos.

175. Celebratio Feſti de Sancto Patrono Civitatis ad Epiſcopum, & eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem pertinet. S. R. C. 28. Septembris 1619. *in Collen.*

176. Non eſt laudabilis ea conſuetudo, ut Epiſcopo cum Cappa ſedenti ad Sedem ſuam, caput aperiatur, & cooperiatur ab altero ex Diaconis Aſſiſtentibus; nec ideo eſt quærendum, ad quem eo caſu ſpectabit, cum Birretum debeat Epiſcopus ſibi de per ſe extrahere. S. R. C. 4. Apr. 1620. *in Lauden.* & 21. Auguſti 1632. *in Iſernien.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

177. Dum Horæ Canonicæ recitantur in Choro, non ſunt celebrandæ Miſſæ privatæ in Altari Majori. S. R. C. 2. Maji 1620. *in Oſcen.*

178. Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Canonici, & Clerus, ſive in Choro exiſtant, ſive proceſſionaliter incedant, ſemper debent genuflectere. S. R. C. 2. Maji 1620. *in Oſcen.* Vide num. 11. 456. 457.

179. * In Oratione *A cunctis*, nomina Patronorum, S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptiſtæ præponenda ſunt Apoſtolis. S. R. C. 22. Auguſti 1620. Vide num. 560. Prædicta diſpoſitio habetur etiam in Rubr. Miſſalis poſt Orationem *A cunctis*.

Eodem die 22. Auguſti 1620. *in Anagnina*, & 21. Januarii 1673. *in Veliternen.* deciſum fuit, quod Canonicus Pœnitentiarius non poteſt cogi ad miniſtrandum pro Diacono, & Subdiacono quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante.

180. Prima Dignitas debet aſſiſtere Epiſcopo celebranti, licet ſit unica. S. R. C. 12. Decemb. 1620. *in Calaguritana*. Vide num. 6. & alios ibi notatos.

181. Præcedentia inter Presbyteros ſumitur ex antianitate Ordinis, non vero ex gradu Doctoratus, quia Presbyteratus Ordo longe dignior eſt, quam gradus Doctoratus, S. R. C. 30. Martii 1621. *in Cephaluden.* Vide num. 115. Vide n. 14. & alios ibi notatos.

182. Epiſcopus proceſſurus cum Mozzetta, eam deponere debet coram Cardinalibus, etiam non Legatis in Italia. S. R. C. 10. Julii 1621. *in Januen.*

Vide tamen Cæremoniale Epiſcoporum ab Innocent. X. 30. Julii 1650. & Benedicto XIII. 7. Martii 1727. recognitum, & evulgatum, *lib. 1. cap. 4. num. 7.* ubi præſcribitur, Epiſcopum in propria Diœceſi nonniſi coram Cardinali Legato abſtinere debere ab uſu Mozzettæ.

183. Confraternitates Laicorum in Proceſſionibus procedunt ante Regulares, quas iidem Regulares ſequuntur, poſtremo digniorem locum obtinet Clerus Sæcularis. S. R. C. 7. Auguſti 1621. *in Meſſanen.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

184. Canonici Prothonotarii non lucrantur diſtributiones quotidianas, niſi proprio habitu Canonicali interſint Choro,

Proceſſionibus &c. Sac. Rit. Congr. 7. Auguſti 1621. *in Meliten*.

185. Præcedentia competit Dignitatibus, & Canonicis paratis ſupra Vicarium Generalem, neque conſuetudo, imo vero abuſus ſuffragatur. S. R. C. 27. Septembr. 1621. *in Caſtellaneten.* Vide num. 14. alios ibi notatos.

186. Epiſcopus Canonicus præcedat omnes Canonicos, & Dignitates in Choro, & in omnibus actibus. S. R. C. 13. Novembr. 1625. *in Calaritana*. Vide num. 14. & alios ibi notatos.

187. * In Feria VI. Paraſceve non eſt miniſtranda Euchariſtia, niſi Infirmis. S. R. C. 19. Febr. 1622. *in una de Feſto Annunciationis*.

Adeſt etiam Rubrica Miſſalis in Feria V, in Cœna Domini ante conſecrationem, ubi habetur, quod Sacerdos reſervat etiam aliquas particulas conſecratas ſi opus fuerit pro Infirmis, & cum Feria VI. in Paraſceve non peragatur Sacrificium, prædictæ particulæ reſervantur, ut miniſtrentur Infirmis in dicta Feria.

188. * In Paraſceve ſi incidat Feſtum Annunciationit B. V. non tenentur Fideles ad Miſſam audiendam, ſeu intereſſe Officio. S. R, C. 19. Februarii 1622, *in una de Feſto Annunciationis*. Vide num. 495.

189. * Quædam Miſſa propria Sanctiſſimi Roſarii fuit conceſſa tantum Ordini Prædicatorum, S. R. C. 15. Junii 1622. *in una Prædicatorum*. Vide n. 229.

190. * Miſſæ certis Regularibus conceſſæ non poſſunt ab aliis dici, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. S. R. C. 29. Novemb. 1622. *in una Conventualium Siciliæ*.

191. Coadjutori Epiſcopi debetur primum Stallum in Choro, ſive Sedes Cameralis. S. R, C, 14. Januar. 1523. *in Novarien.*

192. * Annuli uſus in Miſſa prohibetur Prothonotariis, non participantibus, & quibuſcumque Doctoribus, S. R. C. 11, Februarii 1623, *in Torpien.* Vide num. 237. 413. 450.

193. * In Feſto Stigmatum S. Franciſci adhibetur color albus. S. R. C. 9. Decembris 1623. *in una Urbis*.

194. Qui habet uſum Mitræ, & inſignium Pontificalium, in Miſſis etiam privatis benedicit cum verſu -- *Sit nomen Domini benedictum* -- non poteſt tamen benedicere populo extra actum celebrationis. S. R. C. 25. Maji 1624.

Hoc Decretum refertur a Gavanto in Manuali Epiſcoporum. V. *Benedictio num.* 22. Verum in Decreto Generali emanato die 27. Septemb. 1659. approbato ab Alexandro VII, ſtatutum eſt, quod hujuſmodi Prælati inferiores Epiſcopis in Miſſis privatis quo ad indumenta, cæremonias &c. & benedictionis largitionem diſcrepare non debent a ſimplici Sacerdote; unde neque poſſunt uti illo verſu -- *Sit nomen Domini Benedictum &c.* -- & in Miſſis Pontificalibus tantum poſſunt dare benedictionem cum trina Crucis productione &c. Vide num. 350. & 358.

195. In Epiſcopi ingreſſu delatores Baldachini incedant pedites & capite detecto. S. R. C. 37. Julii 1624. *in Hyeracen.*

196. Regulares Ordinis Minimorum dum in Oratione S. Franciſcum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere *de Paula*. S. R. C. 23. Decembris 1624. *in una Urbis pro FF. Minimis.* Vide num. 682.

197. * Facultas concedendi uſum Pileoli in Miſſa ſpectat ad Papam. S. R. C. 24. Aprilis 1626. *in Veliterna*.

198. Miſſæ votivæ non poſſunt ſuffragari pro Miſſa Conventuali, quæ non poteſt omitti, etiamſi cantetur Miſſa Votiva. S. R. C. 16. Maji 1626. *in Burgen.* Vide n. 204. 233. 527.

199. * Non poteſt omitti altera ex duabus Miſſis Cantandis de Feſto, & de Feria, S. R. C. 16. Maji 1626. *in Burgen.*

200. * Celebrans, qui Cineres diſtribuit, Candelas, & Ramos, detecto capite ſtet. S. R. C, 18. Julii 1626. *in Pientina*.

201. Prima Sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantum. S. R. C. 22. Auguſti 1626. *in Caſertana*.

202. * In Miſſa Feriæ IV. Quatuor Temporum currentis in die Octava Nativitatis B. M. V. dicenda Præfatio Communis, non vero de B. V. 12. Decembris 1626. *in una Urbis*.

203. Miſſa Conventualis de Feria in Cathedralibus, & Collegatis omnino eſt dicenda ultra Miſſam Feſti, & abuſus ſunt reformandi. S, R. C. 16. Januarii 1627. *in una Abuſus reformandi*.

204. * Ob Miſſam Votivam, ſeu pro Defunctis, non eſt ommittenda Miſſa Conventualis, neque poteſt introduci conſuetudo in contrarium Ritum. S. R. C. 16. Januarii 1627. *in Januen.* Vide num. 198 233. 527.

205. * Signum, quod fit cum Patena a fronte ad pectus, fit integre cum ſigno Crucis, poſt quod debet deoſculari. S. R. C. 13. Martii 1627. *in Panormitana*.

206. * In Altari pro certis diebus privilegiato, non poteſt dici Miſſa de Requiem in Feſto duplici de præcepto, neque in die Dominico. S. R, C. 24. Aprilis 1627. *in una Galliæ*. Vide num. 396. 43n. 439. 489. 622. 623. 624.

207. * In Feſto SS. Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia a Celebrante; in Veſperis autem die Octavæ (ſi fiat Proceſſio) deferatur ab eo, qui cantavit Veſperas, modo ſit Dignitas, vel Canonicus, Sac. Rit. Congr. 12. Junii 1627, *in Brunduſina*.

208. Celebrantes Miſſam ſolemniter ſedeant in loco parato pro Celebrantibus a latere Epiſtolæ. S. R. C. 12. Junii 1627, *in Brunduſina*. Vide num. 428.

209. Abſente Epiſcopo Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per Calebrantem. S. R, C. 12. Junii 1627, *in Brunduſina*. Vide num. 90. 96. 116. 257.

210. Dignitates nolentes celebrare Miſſas Pontificales abſente Epiſcopo juſta cauſa impeditæ, poſſunt aſſiſtere in ſuo Stallo in Choro. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina*.

211. Cum Epiſcopus benedicit Cineres, debet Celebrans imponere Cineres eidem Epiſcopo: & idem ſervari debet in die Candelarum, & Palmarum, juxta Cæremoniale *lib.* 1. in cap. de Feſto Purificationis, & de Dominica Palmarum. S, R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina*. Vide num. 90. 96.

212. Poteſt Epiſcopus cogere Canonicos, ut a Capellanis in Quadrageſima cantari faciant Miſſam Conventualem Feriæ cum Diacono, & Subdiacono, S. R. C, 17. Julii 1627. *in Nicen.*

213. * Prothonotarii non poſſunt benedicere Paramenta pro Miſſa. S. R. C. 17. Julii 1627. *in una Caſtri Durantis*.

214. Coadjutor Epiſcopi celebrans per Diaconum, & Subdiaconum, debet habere aſſiſtentem Canonicum pro libro, S. R. C. Menſis Auguſti Anni 1627. *in Aquilejen.*

215. * Ad Miſſam Vicarii Generalis non debent accendi quatuor Candelæ in Altari, nec illi aſſiſtere debent duo Capellani cum Cottis. S, R, C. 7. Auguſti 1627. *in una Caſtri Durantis*.

216. * Si Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, aut S. Joannis ante Portam Latinam, occurrerit infra Octavam Aſcenſionis, Præfatio in Miſſa erit de Apoſtolis, vel de Cruce, *ſed Communicantes* de Aſcenſione. S. R, C. 18. Auguſti 1627. *In una Urbis*.

217. In diebus, quibus non poteſt fieri de Feſto duplici, prohibentur Miſſæ Votivæ, & de Requiem. S. R. C. 28. Auguſti 1527. *in una Urbis*. Vide num. 396. 422. 505. 511. 635.

218. * Celebrans in Paraſceve mittat Particulam in Calicem, ſine aliquo Crucis ſigno, neque ſe ſignet cum Calice. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in una Urbis*.

219. * In Feſtis primæ Claſſis non dicitur Oratio *Deus refugium*, Juſſa a Majoribus pro re gravi, S. R. C. 28. Auguſti 1627. Vide num. 471.

220. * In fine Miſſæ ad quodcumque Altare celebratæ, fiat reverentia Cruci infra gradus, capite ſemper aperto, S. R. C. 28. Auguſti 1628. *in una Urbis*.

221. * Litaniæ Majores ſi occurrant in die Paſchatis transferantur in Feria 3. ſequentem. S. R, C. 27. Septembris 1627. *in una Urbis*. Non in Feriam ſecundam. S. R. C. 19. Septembris 1665. *in una Galliarum*.

222. Canonici non poſſunt uti Pallio, & Pileo in Choro, quando aſſiſtunt etiam Completorio. S. R. C. 17. Julii 1627. *in Nicen.*

223. Si ad Proceſſiones Cathedralis, ſine Sanctiſſimo Sacramento, plures conveniant Capitulariter Eccleſiæ Collegiatæ, harum Dignitates incedere debent cum ſuis Capitulis, ſine Pluvialibus, S. R. C. 29. Januarii 1628. *in Colonien.* Vide num. 8. & alios ibi notatos.

224. In Eccleſiis Regularium habentibus Clauſtra fiant Proceſſiones intra Clauſtra tantum. Si vero non habeant Clauſtra, fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una Porta, & intrando per aliam Eccleſiæ portam; ſive per eamdem. S. R. C. 26. Februarii 1628. *in Hiſpalen.* Vide num. 8. & alios ibi notatos.

225. Extra ambitum Eccleſiæ, non licet Regularibus facere Proceſſiones, niſi de licentia & conſenſu Parochi, ſalvis Privilegiis, ſi quæ ſint. Proceſſiones vero Confraternitatum non debent extendi per vias, ſed circa muros Regularium, qui eas regunt. S. R. C. 26. Februarii 1628. *in Hiſpalen.* Vide num. 8. & alios ibi notatos.

226. Nequeunt Regulares SS. Sacramentum exponere ſine licentia Ordinarii, S. R, C. 26. Febr. 1628. *in una Bertinori*.

227. Si Epiſcopus in Proceſſione SS. Sacramenti non deferat Euchariſtiam, vel non interveniat, Canonici tamen Cathedralis induant ſacras veſtes. S. R. C. 27. Martii 1628. *in Cajetana*. Vide num. 8. & alios ibi citatos.

228. * Miſſæ S. Gregorii pro Vivis, & Defunctis impreſſæ: XV. Auxiliatorum, & da Patre Æterno prohibitæ ſunt. S. R. C. 8. Aprilis 1628. *in una Urbis*. Vide num. 226.

229. * Miſſæ Roſarii, & de Monte Carmelo, nonniſi certis Regularibus conceſſæ ſunt. S. R. C. 8. Aprilis 1638. *in una Urbis*, Vide num. 189. Nunc vero cum ſint demandatæ pro Eccleſia univerſali, debent in eorum Feſtis recitari, ut in Miſſali Romano.

230. * Inſignis Reliquia eſt Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis integra, & non parva, in qua paſſus eſt Martyr, & quæ ſit legitime ab Ordinariis approbata, S. R. C. 8. Aprilis 1628. *in una Miſſalis ex Decreto Generali*, Vide num. 163. 264. 585.

231. Quod præſcribitur in Cæremoniali, ut Canonici de Sacriſtia egrediantur bini, intelligitur in ſolemnitatibus. S. R. C. 12. Junii 1628. *in Vicentina*.

232. Canonici habentes uſum Cappæ, & Rocchetti quando ad-

adminiſtrant Sacramenta debent deponere Cappam, & induere Superpelliceum cum Stola. Sacra Rit. Congr. 12. Julii 1628. *in una Urbis.*

Non debent deponere Roccbettum, ſi eo ſint induti, ſi vero reperiantur induti ſolo Pallio, vel alio babitu communi, tunc deberent aſſumere Cottam tantum cum Stola pro Sacramentorum adminiſtratione.

233. Miſſa Conventualis non poteſt celebrari pro Anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ Miſſæ. In die vero Depoſitionis dicenda eſt Miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. *in Januen.* Vide num. 198. 204. 527.

234. Canonici Regulares poſſunt in publicis Proceſſionibus uti Roccbetto, & Superpelliceo. S. R. C. 28. Auguſti 1628. *in Novarien.*

235. Non licet mulieribus comitari Proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regularium, niſi adſit expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 30. Septembris 1628. *in Aurelianen.* Vide n. 8. 267.

236. * Triginta Miſſæ S. Gregorii pro Defunctis non prohibentur. S. R. C. 28. Octobris 1628. *in una Urbis.* Vide n. 228.

237. * Annuli uſus in Miſſa prohibetur, non ſolum Prothonotariis, ſed etiam Canonicis Eccleſiarum Cathedralium. S. R. C. 20. Novembris 1618. *in dubio circa dilaſionem annuli.* Vide n. 192. 413. 450.

238. * Capellani Sæculares in propriis Eccleſiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere poſſunt Miſſam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium recitant, ſed cum Miſſali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi. S. R. C. Vide n. 561. 634.

239. Epiſcopus in publicis Proceſſionibus cum Cappa, & Birreto, non inter Dignitates, ſed ſolus incedere debet; quod ſi deferatur aliqua Imago, ſeu Reliquia, ipſe cum Cappa, & Birreto debet incedere poſt Imaginem, ſeu Reliquiam, niſi adſit conſuetudo in contrarium. Sac. Rit. C. 20. Novembris 1628. *in Saven.* Vide n. 8. & alios ibi notatos.

240. Vicarius Generalis in publicis Proceſſionibus abſente, & præſente Epiſcopo, debet ultimo loco incedere inter Canonicos, ſeu Dignitates, dummodo non adſit conſuetudo in contrarium. S. R. C. 20. Decembris 1628. *in Savonen.* Vide n. 24. & ibi notatos, & n. 8. alioſque ibi notatos.

241. Aſperſorium ſemper eſt porrigendum Epiſcopo a Digniori de Capitulo Cathedralis. S. R. C. 20. Decembris 1628. *in Arben.* Vide n. 61. & alios ibi notatos.

242. Non poteſt prohiberi Celebratio Miſſæ in Oratorio Ruri ædificato per laicum, antequam celebretur Miſſa Parochialis. S. R. C. 31. Martii 1629. *in Capuana.*

243. Proceſſio in ſolemnitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti incipere debet a Cathedrali, ſeu Matrice, & ad eamdem terminare, non vero a Parochiali. S. R. C. 1. Septembris 1708. *in Nolana*, & 9. Junii 1718.

Hoc Decretum ab aliquibus adducitur ſub alia data, nempe 19. Auguſti 1639. & ideo hoc loco a nobis collocatum eſt, ſed detecto tali errore indicavimus verum diem, & annum ſuæ emanationis. Vide n. 8. & alios

244. Officium cum Miſſa S. Rocchi conceditur in Eccleſiis dumtaxat ad ejus honorem dicatis. S. R. C. 29. Novembris 629. *in Matriten.*

245. * Sæpius decretum eſt, Epiſcopos carere facultate delegandi aliis benedictionem Paramentorum, & earum rerum, in quibus unctio non adhibeatur. S. R. C. 22. Decembris 1629.

246. Teſta Joanne Alcozer in ſuo Cæremoniali, ſi ob terræ frigiditatem Populus veniat ad Eccleſiam tarde, pro ſolemni Miſſa, decrevit S. C. præſtare quod recitetur tardius hora Tertia, quam quod cantetur Miſſa de Feſto poſt Sextam.

247. * Eodem Teſte Sac. R. C. conceſſit inſignioribus Regularium Eccleſiis, uſum Planetarum complicatarum.

Immo adhibita majori diligentia repertum eſt *in una Calaguritana* 23. Martii 1631. in Eccleſiis Parochialibus poſſe adhiberi tempore Quadrageſimæ, & Adventus Planetas plicatas.

248. * Eodem Teſte Sacra Rit. Congreg. decrevit Celebrantem, & Miniſtros, ſedere poſſe dum cantantur Epiſtola, & Graduale. Vide n. 117.

Hæc tria Decreta a Joanne Alcozer allegata, referuntur a Gavanto in ſuo Indice ſuppreſſo die, menſe, & anno, quo emanarunt. Præterea, ne aliquid in hoc Indice deſideretur, quod legitur in Indice Decretorum, qui in Theſauro Gavanti reperitur, lubet afferre etiam Decreta a Sacra Congreg. Cardinalium ſuper negotia Epiſcoporum edita; nimirum:

249. * In Feria V. & VI. majoris Hebdomadæ non fit Proceſſio SS. Sacramenti extra Eccleſiam, 7. Auguſti 1591.

250. * In Feria VI. Paraſceves non poteſt fieri nocte Proceſſio cum SS. Euchariſtia. Eadem Congreg. 22. Martii 1596.

Ulterius reperiuntur etiam in aliquibus Gavanti editionibus, hæc alia duo ſequentia Decreta a Sacra Concilii Tridentini Congregatione emanata; nimirum:

251. * Parochi in Feſtis non poſſunt recipere nova ſtipendia pro Miſſis. S. C. C. 1. Septembris 1629.

252. * Ubi expreſſe jubetur Miſſa ſine obligatione Sacrificii poteſt accipi ſtipendium pro eadem Miſſa, S. C. C. 13. Julii 1630.

253. Ante Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice expoſitum non poteſt fieri Concio capite tecto, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, & abuſus omnino eſt tollendus. Sac. Rit. C. 16. Februarii, 1630. *in Belgica.* 28. Aprilis 1607. *in Illerden.* ac etiam 9. Decembris 1622. *in Giennen.* Vide inſtruct. 40. Horarum a Clem. XI. de anno 1705. editam.

254. Soli Canonici debent facere conſuetos circulos ante Epiſcopum Diœceſanum, non autem Vicarius Generalis. Sacra Rit. C. 28. Septembris 1630. *in Maceraten.*

255. Dignitate, vel Canonico ſolemniter tantum Miſſam celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alii inferiores inſervire debent, non obſtant contraria conſuetudine; ad Veſperas vero debent aſſiſter* Presbyteri non Canonici. S. R. C. 8. & 22. Martii 1631. *in Sypontina Montis Gargani.*

256. Non poſſunt in Litaniis inſeri alii Sancti præter ibi deſcriptos, neque tempore peſtis addendi ſunt Titulares, & Patroni Civitatis ſine ſpeciali conceſſione. Sac. Rit. C. 22. Martii 1631. *in Regien.*

257. Miſſæ ſolemniores, impedita prima Dignitate, non ad Hebdomadarium, ſed ad ſecundam Dignitatem ſpectant, & pertinent, & impedita ſecunda, ad alias ordine ſucceſſivo. Sac. Rit. Cong. 5. Julii 1631. *in Tarentina.* Vide num. 288.

258. Qui præ timore, vel balbutie non pronuntiat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Miſſæ, ſed ejus loco aliud ſuo arbitratu recitat, debet a Miſſarum Celebratione ſuſpendi, quouſque illud rite pronunciare aſſueſcat. S. R. C. 5. Julii 1631. *in Salernitana.*

259. Rector alicujus Parochialis, dum recitantur Divina Officia in ſua Parochiali, debet ſedere in ſcamno, non vero in ſella. S. R. C. 14. Februarii 1632. *in Turritana.*

260. Epiſcopo ingredienti aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, aſſociato a Dignitatibus, & Canonicis ſuæ Cathedralis, debet porrigi Aſperſorium a Digniori illius Eccleſiæ, ad quam Epiſcopus accedit, non autem a Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis Epiſcopum aſſociantibus. S. R. C. 14. Februarii 1632. *in Turritana.* Vide n. 61. & alios ibi notatos.

261. Epiſcopo accedente ad aliquam Parochialem ſuæ Diœceſis cum Canonicis ſuæ Cathedralis, Rector illius Parochialis non debet præcedere Canonicos Cathedralis, & ſedere immediate poſt Epiſcopum ante Canonicos, ſed dignior locus debetur Canonicis Cathedralis immediate poſt Epiſcopum; poſt Canonicos vero Rector debet ſedere, vel e regione ſedis Epiſcopalis. S. R. C. 14. Februarii 1532. *in Turritana.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

262. Canonicis, & Dignitatibus Epiſcopum aſſociantibus in aliqua Parochiali, Rector Parochialis cedere debet digniorem locum, ut jam dictum eſt, & præterea idem Rector in eadem ſua Parochiali Eccleſia ſedere debet in ſcamno, prout ſedent Dignitates, & Canonici; non vero in ſella. S. R. C. 14. Februarii 1632. *in Turritana.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

263. Aſperſorium aquæ benedictæ Cardinali etiam Legato, ſeu Ordinario Loci, aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, ſeu juriſdictionis, quacumque de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitulo cujuſcumque Eccleſiæ porrigi debet, ſed a Digniori illius Eccleſiæ, ad quam Cardinalis etiam Legatus, ſeu Ordinarius accedit. Sacra Rituum Congreg. 14. Februarii 1632. *in Bononien.* Vide n. 61. & alios ibi notatos.

264. Spinæ de Corona Domini Jeſu Chriſti inter Reliquias inſignes computantur, & ſpeciali nota, & cultu dignæ ſunt, S. R. C. 21. Junii 1632. *in Conchen.* Vide n. 163. 230. 482. 498. 585.

265. Aſſiſtentes Epiſcopo pro Dignitatibus, & inchoato Officio ſupervenientibus Dignitatibus, debent eiſdem cedere locum aſſiſtentiæ. S. R. C. 21. Junii 1632. *in Iſernien.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

266. Non convenit quod prima Dignitas celebrat Miſſam ante Proceſſionem SS. Sacramenti; & deinde altera Dignitas minor deferat illud in Proceſſione. S. R. C. 31. Julii 1632. *in Januen. ſive Genuen.*

Hoc Decretum confirmatum fuit ab Innocentio XI. in Conſtitutione 21. quæ incipit; *Alias emanarunt* ſub die 4. Junii 1689.

267. Mulieres de cætero non poſſunt occaſione Proceſſionum ingredi ſepta Monaſteriorum Regularium, ſub pœnis, quibus comprehenduntur Regulares permittentes fœminas ingredi ſepta eorum Monaſteriorum. Sac. Rit. Congregat. 5. Julii 1631. *in una Urbis, & Orbis Regularium.* Vide n. 235.

268. Aquæ benedictæ aſperſio in Dominicis debet fieri per ipſum Celebrantem, etiam quod ſit in prima, vel alia Dignitate, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potius

tius corruptela dici debet. Sac. Rit. Cong. 27. Novembris 1632. *in Perusina*.

269. Dignitates, & Canonici aſſiſtentes, vel aliquo modo Epiſcopo ſolemniter Celebranti inſervientes numquam tenentur genufiectere, S. R. C. 15. Decembris 1632. *in Monopolitana*. Vide num. 6. & alios ibi notatos.

270. Ad Proceſſiones, quibus Epiſcopus cum Mitra intervenit, Canonici incedant per Eccleſiam capite detecto, extra vero eam cum birreto in capite, S. R. C. 5. Martii 1633.

Hoc Decretum adducitur quamvis in Regeſto non reperiatur: ſed authenticum cenſetur, quia refertur hoc Decretum a Gavanto in Manuali Epiſcoporum v. *Proceſſio* n.7. in Addit. & eſt conforme diſpoſitioni, quæ habetur in Cærem. Epiſcop. Vide n. 8. & alios ibi notatos.

271. Parocho Reumate laboranti, & SS. Sacramentum infirmis deferenti, ſolet indulgeri uſus Pileoli in itinere, non tamen intra Civitatem, vel Oppidum. Sac. Rit. C. 5. Martii 1633. *in Aſculana*.

Et ita remiſit arbitrio Epiſcopi uſum Pileoli ad tenorem dicti Decreti eadem S. C. die 10. Januarii 1693. *in Treviren*. Vid. num. 509.

272. In Cathedralibus, in quibus non ſunt diſtinctæ Præbendæ, Canonicus non Sacerdos licet prius admiſſus, cedere debet digniorem locum Canonico Sacerdoti poſtea admiſſo Sac. R. C. 19. Novembris vel Decembris 1633. *in Sulmonen*, & 30. Julii 1686. *in Eginen*. Vide num. 14. & alios ibi notatos.

273. Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis cantandi ſingulis diebus immediate poſt Primam, Miſſam Votivam de B. V. poteſt, exceptis ſolemnioribus Feſtivitatibus D. N. J. C. tolerari, prout tolerat S.R.C.19. Novembris 1633. *in Valliſoletana Congreg. Ordinis S. Benedicti*.

Feſta prædicta, in quibus non toleratur hæc Miſſa, ſunt Dominica prima Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota Majori Hebdomada, Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, & omnes dies, in quibus celebrari debet peculiare Feſtum in honorem B. M. V. juxta præſcriptum in Kalendario; ac dummodo diebus, in quibus celebratur dicta Miſſa Votiva, præter eamdem, celebretur etiam Miſſa Conventualis, ſeu diei Feſti currentis.

274. Archidiaconus uti Dignitas, habens annexum Canonicatum, debet præcedere omnes alios de Capitulo Sacr. Rituum Congreg. 6. Martii 1634. *in Sulmonen*. Vide n. 14. & alios ibi notatos.

275. Miſſa Purificationis in die Feſtivitatis ejuſdem, debet cantari a Capellanis Eccleſiæ Terræ Xendæ, in qua erecta eſt Capella Confraternitatis ſub invocatione Purificationis in caſu propoſito, non in Altari Majori, ſed in Capella ejuſdem Purificationis B. M. V. juxta ſolitum. Sacr. Rit. Congr. 19. Auguſti 1634. *in Cuſentina*.

Hoc cum ſit Municipale, adduci non poteſt in exemplum pro ſimilibus, cum Miſſa Conventualis regulariter debeat cantari in Altari Majori.

276. Ubi non eſt Aurora phyſice pro licita Miſſarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam Regionum conſuetudinem. Sac. R. C. 18. Septembris, & 2.Novembris 1634.*In una Miſſalis Romani*.

277. Miſſæ Votivæ, quas ex obligatione aliqua Eccleſia tenetur per hebdomadas celebrare certis diebus præſcriptis, in quibus multoties occurrit Feſtum de præcepto, debent transferri in alteram diem feriatam non impeditam. Sacr. Rituum Congreg. 9. Decembris 1634. *in Tarentina*.

278. Miſſa Conventualis de Feria in Quadrageſima, & Adventu, nullo modo poteſt omitti, quando in eis etiam cadat Feſtum alicujus Sancti, non obſtante contraria conſuetudine. Sac. Rit. Cong. 24.Novembris 1635.*in Gallien*.

Hoc intelligitur etiam de aliis Vigiliis, in quibus juxta Rubricam Miſſalis duæ, vel tres Miſſæ debent ſaltem recitari.

279. Non licet Coadjutoribus Canonicorum abſentibus, vel impeditis Coadjutis inſervire pro Aſſiſtentibus Epiſcopo ſolemniter Celebranti, vel cum Cappa Divinis intereſſenti. Sed hoc munus ſpectat, & pertinet ad veros Canonicos ordine ſucceſſivo Sacr. Rit. Cong. 24. Maji 1636. *in una Civitatis Caſtelli*. Vide n. 6. & numeros ibi notatos.

280. Coadjutores Canonicorum extra ſuam Eccleſiam, & ſine Capitulo nullam habent prærogativam, ac ſi non eſſent Coadjutores; Unde in concurſu cum aliis Sacerdotibus non præcedunt, niſi ratione antiquitatis in ordine. S. R. C. 7. Martii 1637.

Hoc Decretum, quod a multis Auctoribus allegatur, non potuit conferri cum ſuo Originali, quia Regeſtum Decretorum prædicti anni non reperitur. Vide n. 14. & ibi notatos.

281. Si Vigilia S.Joannis Baptiſtæ incidat in ſolemnitate Corporis Chriſti, non eſt eo die jejunandum, nec abſtinendum a carnibus in Feſto hujuſmodi, ſed anticipandum jejunium die antecedenti; nempe Feria IV. Sac. Rit. Cong. 24. Septembris 1638. *in Decreto Urbis, & Orbis*.

Hoc Decretum Urbanus VIII. approbavit in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Cum eveniret &c.* 13. Octobris 1638. Vide num. 602.

282. In nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam Miſſam nullo modo poſſunt aliæ duæ immediate celebrari, nec Fideles communicari. Sacr. Rit. Congregat. 20. Aprilis 1641. *in Piſauren*.

Circa tres Miſſas in nocte Nativitatis Domini emanavit ſequens Decretum ſub titulo *trium Miſſarum*.

Cum ſuperioribus diebus conſulta fuiſſet hæc S. R. C. an eſſet permittendum celebrari in media nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſive alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus? Reſpondit: non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & S. R. C. ipſis auditis cum Procuratoribus, & advocatis ad relationem Eminentiſſimi Palotti ſtetit in Decretis, & reſpondit, iterum: prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & Communionem depoſcentibus. Ita decrevit, & ſervari mandavit die 7. Decembris 1641. Vide n. 458. & 481. & idem ſtatutum fuit 15. Septembris 1668. *in Januen*.

283. Feſtum principalioris Patroni in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris Patroni, in quacumque Civitate, aut Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit, eſt præceptivum, cum obligatione audiendi ſacrum, & vacandi ab operibus ſervilibus. S. Rit. Congreg. 13. Septembris 1642.

Hoc Decretum confirmatum fuit ab Urbano VIII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Univerſa, &c.*

284. Communitates, vel Univerſitates Civitatum, ſeu Locorum, non tenentur ex præcepto ſervare Feſta ex voto eorumdem indicta, cum ſub præcepto teneantur tantum Perſonæ voventes. S. R. C. 18. Aprilis 1643. *in Decreto de Feſtorum obſervatione*.

285. Feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando recitatum eſt Officium Defunctorum, non dicitur Miſſa Conventualis de Defunctis, neque Oratio *Fidelium*; quæ etiam in aliis Feriis ſecundis Quadrageſimæ non dicitur juxta Rubricas, ſed ſolum Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus*, quæ eſt pro Vivis, & Defunctis, & omittitur tempore Paſſionis. Sac. Rit. Congr. 11. Julii 1643. *in Lugdunen*.

286. Epiſcopo prædicanti in Eccleſia Cathedrali in Ambone, ubi Concionatores Ordinarii prædicare conſueverunt, ſine Baldachino & in habitu Mozzettæ, & Stolæ, non debetur aſſiſtentia a Canonicis, & Dignitatibus, quæ aſſiſtentia ſolum debetur Epiſcopo concionem habenti cum Pluviali, & Mitra ad præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum. S. R. C. 19. Decembris 1643. *in una N. dubium*. Vide n. 6. & numeros ibi notatos.

287. Si Vicarius Epiſcopi incedit in habitu Vicariali, præcedere debet omnes Dignitates, & Canonicos, quantumvis Prothonotarius; ſi vero aſſiſtat uti Canonicus debet ſedere in loco ſuæ receptionis. S. R. C. 26. Auguſti 1645. *in una Civitatis Plebis*. Vide n. 14. & alios numeros ibi notatos.

288. Functiones, quæ debent fieri per Primam Dignitatem, ea impedita, obeundæ ſunt per Dignitatem ſequentem. S. R. C. 7. Octobris 1645. *in Baren*. Vide n. 257.

289. Miſſæ Votivæ non poſſunt dici ullo modo in Dominica Palmarum. S. R. C. 14. Aprilis 1646. *in Uliſſiponen*.

290. Miſſa de Dominica Pentecoſtes non poteſt repeti in Sabbato Quatuor Temporum Pentecoſtes. S. R. Congr. 17. Aprilis 1646. *in Uliſſiponen*.

291. Miſſa ut in die obitus, præſente Corpore, ultra Miſſam de Communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. S. R. C. 14. Aprilis 1646. *in Uliſſiponen*.

292. Aſperſorium Aquæ benedictæ Epiſcopo in Eccleſiam Religioſorum ingredienti, eſt porrigendum per Digniorem illius Monaſterii, non autem per aliquem ex Canonicis Epiſcopum aſſociantibus. Sac. Rit. Congr. 14. Junii 1646. *in una Civitatis Caſtelli*. Vide num. 61. & numeros ibi notatos.

293. Archidiacono, Primæ Dignitati & Prothonotario Apoſtolico, dum inſervit Epiſcopo in Miſſis, & Functionibus publicis, non licet portare Rocchettum cum Impluvia, ſeu habitum Prælatitium, ſed debet uti habitu Canonicali. Sac. Rit. C. 17. Novembris 1646. *in Nicoteren*.

294. Dignitates, & Canonici, a digniori latere Chori ſedentes, prius thurificandi ſunt, & poſtea Dignitates, & Canonici, qui ſedent a latere Chori minus digno. S. R. C. 5. Septembris 1648. *in Beneventana*. Vide n. 1. & alios ibi notatos.

295. Dignitates, & Canonici, qui aſſiſtunt Epiſcopo, locum aſſiſtentiæ cedere, debent ſupervenienti Dignitati, ſeu Canonico digniori, quibus convenit aſſiſtere. S. R. C. 5. Septembris 1648. *in Beneventana*. Vide num. 6. & numeros ibi notatos, n. 14. & alios ibi notatos.

296. In Miſſa Conventuali quando decantatur Evangelium, Geroferarii cum Cereis accenſis aſſiſtere debent, & Diaconus quoties thurificatur Altare, incenſum miniſtrare tenetur. S. R. C. 5. Septembris 1648. *in Beneventana*.

297. In Canone omnino facienda eſt Commemoratio de Epiſcopo etiam ab exemptis. S. R. C. 25. Septembris 1649. *in Tornacen.*

298. Non licet in Altari privilegiato dicere Miſſam de Requiem in diebus, quibus occurrit Feſtum primæ vel ſecundæ Claſſis, non obſtante conſuetudine immemorabili. Sac. Rit. C. 25. Septembris 1469. *in Tornacen.* Vide num. 620. 623. 624.

299. Aſperſio die Dominico, ſemper facienda eſt a Celebrante, etiam quando Superior celebrat. S. R. C. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

300. Sabbato Paſſionis debent velari Imagines, & Cruces etiamſi occurrat eo die Feſtum Sancti Tutelaris, vel Patroni Eccleſiæ. S. R. C. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

301. Imagines, & Cruces detegi non debent, etiamſi in hebdomada Paſſionis occurrat Feſtum S. Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ. S. Rit. Congr. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

302. Velum, quo cooperitur Crux in Altari, ſemper debet eſſe coloris violacei, & numquam etiam in Feria V. in Cœna Domini eſt mutandum, ut clare conſtat ex reſponſione S. R. C. quaſi negando ſuppoſitum ad dubium tenuris ſequentis: Quo velo cooperienda ſit Crux in Altari ad functionem lotionis pedum in Feria V. majuris hebdomadæ, & Crux Proceſſionis, cum Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo; & actus ipſe lotionis, ſive mandatum præcipiatur a Rubricis fieri cum floribus, & ſignis lætitiæ, & videatur participare de feſtivitate Miſſæ celebratæ in mane cum Cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? S. R. C. die 16. Novembris 1649 Reſpondit: Colorem non eſſe mutandum, *in Januen.*

303. Pyxis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediate inſerviunt Sanctiſſimo Sacramento, debent benedici juxta formam, quæ habetur in Miſſali propriam. S. R. C. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

304. Quando SS. Euchariſtiæ Sacramentum publice diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes cujuſcumque conditionis, & ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab eodem recedentes, ſemper utroque genu flectere debent. S. R. C. 19. Auguſti 1651. *in una Urbis*.

305. Miſſa quando canitur ſine Miniſtris, non debet thurificari neque Altare, neque Chorus. S. R. C. 19. Auguſti 1651. *in una Urbis*. Vide num. 556.

306. Miſſa Votiva de B. M. V. in Vigilia Pentecoſtes, non poteſt dici. S. R. C. 19. Auguſti 1651. *in una Urbis*, Vide num. 328. & num. 478.

307. Miſſæ duæ ejuſdem Sancti immediate una poſt aliam non debent cantari eadem die in Eccleſia, in qua celebratur ejus Feſtivitas. Sac. Rit. Congr. 3. Auguſti 1652, *in Mediolanen.*

308. Miſſa non poteſt celebrari cum cæſarie ficta. S. R. C. 3. Auguſti 1652, *in Melevitana*.

309. Aſperſorium Aquæ benedictæ Epiſcopo debet porrigi per digniorem de Capitulo Cathedralis, quando capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus proceditur ad Eccleſias quaſcumque Diœceſis. S. R. C. 18. Januarii 1653. *in Lauden.* Vide num. 61. & alios ibi notatos.

310. Miſſa in Feria V. majoris hebdomadæ, non poteſt celebrari in Oratoriis Confraternitatum, & privatis. S. R. C. 8. Februarii 1653. *in Florentina*. Vide num. 336.

311. Reliquiæ Sanctorum exiſtentes ſub cuſtodia Capituli, in Proceſſionibus, in caſu quo requirantur quatuor unirim, deferendæ ſunt a Canonicis non paratis. S. R. C. 22, Martii 1653. *in Lucana Comajoris*.

312. Quando aliqua Eccleſia Sæcularis, vel Regularis ob aliquod impedimentum eſt ſubſtituta pro Cathedrali, & Epiſcopus intereſt cum Cappa in concionibus, tenentur Canonici Cathedralis aſſiſtere cum habitu Canonicali. S. R. C. 22. Martii 1653. *in Callien.* Vide num. 6. & alios n. ibi notatos.

313. Miſſa de Dominica, ſeu de Feſto duplici, ſi illa die occurrat, debet dici, cum Commemoratione Sanctiſſimi Sacramenti, ad formam Rubricarum Miſſalis, quando fit particularis Proceſſio cum Sanctiſſimo Sacramento in aliquibus Dominicis, ſeu aliis diebus cujuslibet menſis. S. R. C. 6. Decembris 1653. *in Fanen.*

314. Ubi adeſt Sodalitas SS. Sacramenti, competit ei præcedentia ſuper alias Confraternitates in omnibus Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum. S. R. C. 19. Junii 1655. *in Mediolanen.* & 12. Julii 1628. *in Lauden.* ac 20. Septembris 1687. *in Vercellen.* Vide num. 14. & ibi notatos.

315. Miſſæ exequiales Defunctorum in die depoſitionis Defuncti poſſunt ſolemniter celebrari diebus, in quibus cadit Feſtum duplex alicujus Sancti, dummodo Feſtum non ſit de præcepto juxta Rubricas Breviarii Romani. S. R. C. 19. Septembris 1654. *in Papien.*

Hoc Decretum editum fuit pro Miſſa ſolemni celebranda in Eccleſiis, non præſente Cadavere.

316. Abſulutio ſolemnis cum aſſiſtentia quatuor Dignitatum, vel Canonicorum ultra celebrantem in Anniverſario alicujus Epiſcopi, non debet fieri, quia obſtant Rubricæ Pontificalis Romani. S. R. C. 14. Novembris 1654. *in Recineten.* Vide num. 6. & alios ibi notatos.

317. Aſſiſtentia Epiſcopo in Miſſis Pontificalibus; miniſtratio Aſperſurii Epiſcopo in ingreſſu ad Eccleſiam; canere Miſſas in diebus ſolemnioribus; necnon peragere ſolemnia Miſſarum, & delatio SS. Sacramenti, abſque Epiſcopo, in Feſtivitate Corporis Chriſti ſpectant ad Primam Dignitatem, & ſucceſſive ad alias Dignitates, vel ad ſeniorem Canonicum, non autem ad Vicarium Generalem. S. R. C. 29. Maji 1655. *in Paſſen.* Vide num. 6. & num. ibi notatos.

318. Archiepiſcopo uti Archiepiſcopo majoritate gradus, competit præcedentia ſupra Epiſcopum præſentem in Civitate Metropolitana, & Diœceſi. S. R. C. 29. Januarii 1656 *in Pragen.* Vide num. 14. & n. ibi notatos.

319. Archiepiſcopi, & Epiſcopi Titulares, exiſtentes in aliena Diœceſi debent præferri Archiepiſcopis, & Epiſcopis conſecratione junioribus, necnon aliis Epiſcopali charactere ſenioribus, ſed gradu Archiepiſcopali poſterioribus, extra tamen Eccleſiæ ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos, etiam ſeniores, præcedentia competit. S. R. C. 8. Aprilis 1656. *in Epheſina*. Vide num. 14. & alios ibi notatus.

320. Capellanus Caratus, ratione Stolæ in Funeribus, debet præcedentiam habere ſupra alios quoſcumque Sacerdotes Curatos ſimplici Cotta indutos. S. R. C. 10. Junii 1656. *in Maceraten.* Vide num. 14. & ibi notatos.

321. Miſſa ſolemnis de Annunciatione B. M. V. non poteſt celebrari, quando ejus Feſtum incidit in Dominica Palmarum. S. R. C. 10. Martii 1657. *in Placentina*.

Immo juxta recentiorem Rubricam, quæ habetur Tit. VI. de Tranſlatione Feſtorum, non ſulum in Dominica Palmarum, ſed etiam in tota hebdomada majori nequit ſolemniter decantari Miſſa de Titulo Eccleſiæ uccurrente.

322. Baldachinum in Eccleſiis, & locus in Presbyterio non debetur Domino loci, & admonentur Ordinarii, ne permittant hujuſmodi uſurpationem, & non licitam detentionem. S. R. C. 9. Junii 1657. *in Polignanen.*

323. Miſſæ Votivæ de Titulari, & Patrono, non poſſunt dici cum *Gloria*, *&* *Credo*; Sed Ordinariis præcipitur, ne quid contra, vel præter Rubricarum præſcriptionem ſub pœnis in Conſtitutionibus Pontificiis contentis, ſervari permittant, ſed tantummodo die Tituli quorumlibet Eccleſiæ, & Oratorii de Sancto Titulari, Miſſa cum *Gloria*, *&* *Credo* celebrantur. S. R. C 4. Auguſti 1658. *in Tarviſina*.

324. Poteſt Archiepiſcopus Granaten. ex immemorabili conſuetudine in Proceſſionibus ſolemnibus poſt ſe deferre Sellam geſtatoriam, mediam inter ſe, & Præſidentem, ac Regium Magiſtratum. S. R. C. 10. Maji 1608. & etiam in Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti. 15. Septembris 1657. *in Granaten.*

325. Primicerii a Chori aſſiſtentia, & directione non ſunt amovendi, ſed ad Canonicos immediate digniores ſpectant poſt præfatos Primicerios Veſperarum, & Miſſarum ſolemnia, ut unuſquiſque proprio muneri incumbat. S. R. C. 8. Junii 1658. *in Monopolitana*. Vide num. 24.

326. Epiſcopus non poteſt pervertere, & immutare Ritum Proceſſionum præſcriptum a Cæremoniali, & Rituali Romano, neque de conſenſu Capituli. S. R. C. 26. Januarii 1658. *in Cajetana*. Vide num. 8. & alios ibi notatos.

327. Diaconi aſſiſtentes non tenentur; imo non debent inſervire Epiſcopo de Bugia, ſeu Candela, ſed ea adminiſtranda eſt per Capellanum, nec poſſunt cogi Canonici ad inſerviendum Epiſcopo in Miſſis privatis, præter conſuetudinem. Etiam dicti Canonici non induti Canonicalibus veſtimentis, non tenentur ad præſtandam Epiſcopo aſſiſtentiam, imo contra Ritum præſtari. S. R. C. 16. Martii 1658. *in Raguſina*. Vide num. 6. & alios ibi indicatos.

328. Miſſa Votiva de B. M. V. cum *Gloria*, *&* *Credo*, ſed ſine Officio poteſt celebrari in aliqua die ob publicam cauſam, & ratione concurſus. S. R. C. 8. Junii 1658. *in Claramontana*.

329. Archiepiſcopus, & illius Suffraganei, cum ſimul in Metropolitana Divinis interſuturi conveniunt, & genuflexi preces effundunt ante Altare SS. Sacramenti, & Aram maximam, idem Archiepiſcopus debet genuflectere, & incedere digniori quidem loco, ſed in linea cum Suffraganeis, Archiepiſcopus ſcilicet ſuper Faldiſtorio, & Suffraganei ſuper Pulvinaribus hinc inde. Et ſi loco Faldiſtorii Archiepiſcopus adhibeat Genuflexorium commune, poterunt Suffraganei, ſi idem capax fuerit, ſuper eodem hinc inde pariter genuflectere. S. R. C. 8. Junii 1658. *in Senen.*

330. Archipresbytero, ſeu Dignitati, vel Canonico, qui alteri Archipresbyteratum, Dignitatem, ſeu Canonicatum reſignavit, non competit præcedentia ſuper alios Sacerdotes ſeniores, quia nulla qualitas Archipresbyteri, Dignitatis, ſeu

ſeu Canonici ei remanet poſt renunciationem. S. R. C. 7. Septembris 1658. *in Biſacien.* Vide num. 14. & alios ibi indicatos.

331. Miſſæ currentes in honorem alicujus Beati non canonizati, non poſſunt celebrari, ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 28. Septembris 1658. *in Foroſempronien.*

332. Primæ Dignitati poſt Pontificalem ſolemniter celebranti in ſolemnioribus feſtivitatibus debetur aſſiſtentia duorum Canonicorum pro Diacono, & Subdiacono, quamvis Præbendæ non ſint diſtinctæ. S. R. C. 7. Decembris 1658. *in Brunduſina, & Converſana.* Vide num. 6. & alios ibi notatos.

333. Miſſæ privatæ de Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in Feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, juxta præſcriptum Rubricarum. S. R. C. 15. Februarii 1659. *in Faventina* & 28. Februarii 1660. *in Jaunen.* Vide num. 60. & alios ibi notatos.

334. Anterioritas ſuſcepti Ordinis Presbyteratus inter Sacerdotes ſimplices, non gaudentes Præbenda, inſpicienda eſt, nulla habita ratione inter eos prioritatis in ordine Subdiaconatus, vel Diaconatus. S. R. C. 29. Martii 1659. *in Trivertina.* Vide num. 14. & ibi notatos.

335. Prothonotarius ſimplex Sacerdos e numero non participantium in Proceſſionibus, cæteriſque Eccleſiaſticis functionibus, debet ſervare Cæremoniale Epiſcoporum, ideoque præcedere debet omnes ſimplices Sacerdotes ſacris veſtibus non amictos. S. R. C. 24. Maji 1659. *in Averſana*, Vide num. 14. & ibi notatos.

336. Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulcro. S. R. C. 14. Junii 1659. *in Neapolitana.* Vide num. 310. 566. 567.

337. Prothonotarius ſimplex incedens in habitu Prothonotarii debet ſedere in Choro poſt Canonicos, & ubi Capitulum non exiſtit, immediate debet ſedere poſt Rectorem Eccleſiæ, vel alias facientem Officium. In Proceſſionibus vero pariter eodem loco, vel niſi adſit Magiſtratus, poteſt etiam uti Prælatus incedere poſt Baldachinum, ſub quo defertur SS. Sacramentum. S. R. C. 2. Auguſti 1659. *in Garganen.* Vide num. 14. & ibi notatos.

338. Prælati Epiſcopis inferiores, qui Pontificalium uſu fruuntur, ſuper Altari, in quo Sacra erunt facturi, ſeptimum nequaquam debent apponere Candelabrum. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 1.

339. Prælati Epiſcopis inferiores Cathedram, ſeu Sedem fixam, & permanentem in eorum Eccleſiis non debent detinere, ſed tribus ipſis diebus, quibus ex antiquis Decretis tantummodo Pontificaliter celebrare eſt eis permiſſum, mobili Sede, ſeu Cathedra uti debent, quam nihilominus ſimplici ſerico panno coloris feſtivitati congruentis obducere poſſunt, non auro contexto, aut phrygio, ſive baſilico opere exornato. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 2.

340. Prælati Epiſcopis inferiores Baldachinum adhibere ſupra Sedem poſſunt, non autem pretioſum, aut aureum, ſed ſimplex, & eo, quod Altari ſuperimponitur, materia & opere ſit inferius, & ad ipſum per duos tantum gradus in ſuperficie Presbyterii ſtratos aſcendatur. S. R. C. coram Alexandro VII. 2. Septembris 1659. in Decreto generali §. 3.

341. Prælati Epiſcopis inferiores Abacum alium, præter parvam Menſam, & in cornu Epiſtolæ parare non poſſunt, in qua duo Candelabra cum Candelis, necnon Mitra, Calix, Miſſale, Thuribulum, Navicula, & reliqua ad celebrandum neceſſaria collocentur; prope vero menſam eamdem parieti hærens baculus Paſtoralis aptetur. S. R. Congr. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 4.

342. Dies, in quibus ſolemniter Prælatis inferioribus celebrari conceditur, ſint de præcepto feſtivi, vel alii, in quibus ipſus Pontificaliter celebrare Feſtivitatis ratio exigat, nempe Patroni Loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ; abſtinere autem debent ab hujuſmodi Pontificalium uſu in Officiis, & Miſſis Defunctorum, quocumque die etiam feſtivo, & de præcepto. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto gener. §. 5. Vide num. 383.

343. Prælati Epiſcopis inferiores, ad Eccleſiam accedentes, licet Pontificaliter Divina peracturi, & iiſdem abſolutis, ab Altari receſſuri, a ſuis Canonicis, vel Monachis (ut mos eſt Epiſcoporum) non poſſunt aſſociari. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 6. Vide num. 384.

344. Prælatis inferioribus præter duos Sacrificii Miniſtros, Diaconum nempe Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, duo alii tantum Diaconi cum Dalmaticis, & unicus Presbyter cum Pluviali, aſſiſtere debent. Duo inſuper Capellani, qui de Mitra, & Baculo, & totidem Acolythi pro Candelabris debent inſervire. Præterea ſex alii Canonici, vel Monachi, duo ſcilicet Pluviali, duo Planetis, totidemque Tunicellis induti, Divinis hujuſmodi intereſſe valeant, qui tamen non in ſedibus, ſeu ſtallis Choralibus, ſed in ſcamnis, abſque poſtergalibus panno viridi laneo coopertis, ſitu congruo accommodatis, moxque illinc removendis, conſedere debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 7. Vide num. 385.

345. Prælati Epiſcopi inferiores, Mitram pretioſam, niſi illis expreſſe a S. Sede indultam, adhibere minime poſſunt: ſub Miſſa Pileolum nigri tantum coloris induant. Baculum Paſtoralem albo velo appenſo deferre debent: ab iiſque, & aliis Pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra Eccleſias ſibi ſubjectas prorſus abſtinere debent; & neque in Proceſſionibus, quæ ab eorum Eccleſiis per vias extra ambitum, vel Parochiam ducuntur inſigniis prædictis uti, vel penes ſe præferri faciant. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 8. Vide n. 386.

346. Prælati Regulares Rocchettum deferre non valent, niſi ex tali ordine fuerint, cui indumentum hujuſmodi competat. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659 in Decreto Generali §. 9.

347. Prælati Epiſcopis inferiores invitati ad Eccleſiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valent, nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui, vel benedicti in propriis Eccleſiis, uti poſſunt privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis indulto. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 10.

348. Prælati Epiſcopis inferiores, ſacras veſtes ex Altari ſumere non poſſunt, niſi Pontificaliter Divinis vacaturi. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. in Decreto generali §. 11.

349. Indulgentias impertiri, vel publicare non debent Prælati inferiores abſque expreſſo S. Sedis indulto. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 12.

350. Prælati Epiſcopis inferiores Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Miſſis tantum Pontificalibus, necnon in Veſperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis, poſſunt impertiri, privatim etiam Populis, quamvis pleno jure ſubjectis, niſi expreſſe ipſis permiſſum fuerit; etiam Pontificalibus induti per Eccleſiam incedentes, impertiri benedictionem præſumere non debeat. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 13. Vide num. 101.

351. Præſente Epiſcopo, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ permiſſu Prælati Epiſcopo inferiores, etiam Pontificaliter celebrantes a benedictionibus ceſſare debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 14.

352. Si Epiſcopus aderit in Eccleſiis Prælatorum inferiorum, vel Abbatialibus, Sedes in cornu Evangelii, uno ſaltem gradu eminentior Sede Abbatiali, eſt erigenda, hæcque altero gradu humilior in cornu Epiſtolæ collocari debet; a latere Epiſcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici, vel Monachi Monaſterii, & Abbatialis Eccleſiæ conſedere debent: Confeſſionem eum celebrante Epiſcopus facere, iſque thus Thuribulo imponere, Evangeliorum textum oſculari, & Populo ſolemniter (quamvis Abbas ipſe Pontificaliter celebret) benedicere debet; Epiſcopus præterea trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (niſi celebret) pariter duplici, ac ſubinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Eccleſiæ unico tantum ductu thurificari debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1650. in Decreto generali §. 15. Vide n. 29. 159. & Vide num. 1. & ibi notatos.

353. Epiſcopi abſtinere debent, ubi conſuetudo contraria non viget, a frequenti acceſſu ad Eccleſias exemptas pro ſacris functionibus aſſiſtendo, ut liberius Abbates valeant ſuis uti privilegiis. S. P. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. in Decreto generali §. 16.

354. In Ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorum, necnon in veſtitionibus Monialium, & emiſſione Profeſſionis earumdem, etiam pleno jure Prælatis inferioribus ſubjectarum, in benedictionibus Sacræ Supellectilis, cæteriſque actibus (Miſſarum, Veſperarum, & Matutinarum ſolemnis, ter tantum in anno, ut præfertur, exceptis) neque in Eccleſiis, Oratoriis, aliiſque locis, tam publicis, quam privatis, quantumvis exemptis, & eiſdem Abbatibus pleno jure ſubjectis, Mitram, Baculum, & quævis alia Pontificalia inſignia, niſi expreſſa Sedis Apoſtolicæ conceſſione, adhibere debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 17. Vide num. 387.

355. Prælati Epiſcopis inferiores Eccleſiaſticam Supellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicere valent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 18. Vide numer. 100.

356. Prælati Epiſcopis inferiores aliqua Pontificalia extra loca ipſis ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in

ſub-

Digitized by Google

ſubditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non poſſunt: puta Campanarum benedictiones, Calicum, & ſimilium, in quibus Sacra adhibetur Unctio, necnon minorum Ordinum collationes. Sac. Rit. C. coram Alexandro VII, 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 19.

357. Prælati Epiſcopis inferiores, Concionatoribus, qui eorum ſubditis verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri præſumere non debent; ſed Epiſcopis, quibus jus hujuſmodi privative competit, omnino dimittant. Sac. Rit. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. in Decreto generali §. 20.

358. In Miſſis privatis quoad Indumenta, Cæremonias, Miniſtros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem, a ſimplici Sacerdote Prælati inferiores diſcrepare non debent, ac proinde ſacras veſtes induere debent in Sacriſtia, neque uti poſſunt Cruce pectorali: unico tantum contenti ſint Miniſtro, aquam cum pelvi, & urceolo argenteis ſibi miniſtrare minime facere poſſunt, duaſque tantum candelas ſuper Altare adhibere valent. Sac. Rit. Congregat. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 21.

359. Locorum Ordinarii auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſunt, imo debent Abbates, & Prælatos Epiſcopis inferiores, qui uſu Pontificalium gaudent, tum Sæculares, tum Regulares, quantumvis exemptos, & ſpeciali expreſſione indigentes, etiam per cenſuras compellere ad omnimodam obſervantiam rerum præſcriptarum circa moderationem Pontificalium. Sac. Rit. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 22.

360. Nonnulli ex Abbatibus, & Prælatis inferioribus proprium habent Territorium, & jura Epiſcopalia; nulliſque ſubduntur Epiſcopis, qui eos coercere, ſi exceſſerint, valent, eo caſu a Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ſi adſint, ſin minus ab Archiepiſcopis, in quorum Provinciis, & ab Epiſcopis Romano tantum Pontifici ſubjectis, intra, vel prope quorum Diœceſis limites, eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita ſunt, tamquam a S. Sede delegatis ad hujuſmodi Decretorum obſervationem prædicti omnino debent cogi. Sac. Rit. C. coram Alexandro VII. 27. Septembr. 1659. in Decreto generali §. 23.

361. Beatorum Imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, ſimulacra, picturæ, tabellæ, aut ſcripturæ, eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes, in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis, quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ Sacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica nullo modo exponi debent. Sacra Rit. Congr. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali ſuper Cultu Beatis adhuc non Canonizatis præſtando n. 1. Vide n. 378.

362. Ubi indultum fuit per Sedem Apoſtolicam Beatorum Imagines, ſimulacra, pictaſque tabellas in Eccleſiis poni, coli poſſe in pariete tantum, non tamen ſuper Altare collocandi facultas tributa cenſetur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 2. Vide n. 378.

363. Si conceſſa fuerit per Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & Officium de Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto de Beatis n. 3. Vide n. 378.

364. Ubi in uno loco cultus Beatis fuerit conceſſus, non extendatur inconſulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate. Sac. Rituum Congr. coram Alexandr. VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 4.

365. In locis, ubi Beatos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quo ad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 5.

366. Miſſæ de Beatis, quæ fuerint indultæ certis perſonis, nempe Presbyteris Regularibus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis Dignitate, etiam Cardinalatus inſignitis, minime celebrari poſſunt. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 6.

367. Dies Feſti in Beatorum memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali indulto Apoſtolico proviſum fuerit. S. R.C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 7. Vide n. 379.

368. Beatorum nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantum loci, earumque perſonarum, in quo, & a quibus cultus cum Officio, & Miſſa celebretur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 8.

369. In quibuſvis Eccleſiaſticis precibus etiam in Oratoriis privatis recitandis, particularia Beatorum ſuffragia non apponantur, vel recitentur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 9.

370. In publicis precibus, præter indultas, & a Sede Apoſtolica approbatas, Beati non invocentur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 10.

371. Beatorum Reliquiæ in Proceſſionibus minime circumferantur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. in Decreto generali de Beatis n. 11.

372. Non removetur cultus Beatis, qui per communem conſenſum Eccleſiæ, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel temporis centum Annorum metam excedentis ſcientiam, ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum hactenus præſtitus, ac certis modo, & forma ab eo tempore eis exhibitus fuit. Verum ſi a centum Annis citra, cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtiterit, auctus, & extenſus, eo caſu idem in priſtinum reducatur, prout quivis cultus, extra caſus prædictos ad expreſſa tantum verbaliter in Apoſtolicis Indultis omnino revocetur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 12.

373. Beati in Patronos non eligantur, nec eorum natalitia cum Octavis celebrentur. S. R. C. coram Alexandro VII. 20. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 13. Vide num. 380.

374. Locorum Ordinarii, auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſunt, imo debent Sæculares, & Regulares quoſcumque, quantumvis exemptos, & ſpeciali expreſſione indigentes, etiam ſub cenſuris compellere ad omnimodam omnium decretorum circa Beatos obſervationem; cum aliqui nullo ſubduntur Epiſcopo, qui eos, ſi exceſſerint, coercere valeat, eo caſu a Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ſi adſint, ſin minus ab Archiepiſcopis in eorum Provinciis, vel ab Epiſcopis Romano tantum Pontifici ſubjectis, intra, vel prope quorum Diœceſis limites, eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita fuerint, tanquam a Sede Apoſtolica delegatis ad hujuſmodi Decretorum obſervationem prædicti omnino cogi debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 15.

375. In Miſſis ferialibus, quæ contingunt a Dominica Paſſionis ad Feriam V. Cœnæ Domini, ſi facienda obveniat Commemoratio de ſimplici, omittenda eſt tertia Oratio, quæ pro ſecunda aſſignatur in Miſſali, nempe pro Eccleſia, vel pro Papa. S. R. C. 22. Novembris 1659. *in una Rubricarum*. Vide n. 506. 614. 700.

376. Archidiaconus Prima Dignitas Cathedralis tenetur accedere ad cubiculum Epiſcopi, ob obſequium ei exhibendum dum Epiſcopus ad Eccleſiam cum Cappa accedit, & ſi recuſat, omnino eſt compellendus, ut præſtet. S. R. C. 24. Januarii 1660. *in una S. Severini*.

377. Archidiacono, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Camerinenſis petentibus, an ipſis liceret plures Miſſas celebrare Feria V. in Cœna Domini, in qua cadit Feſtum SS. Annunciationis. Sac. Rit. Congr. reſpondit licere, & juſſit, ut a Cardinali Vicario ſingularum Eccleſiarum Urbis Rectoribus idem notificaretur. 20. Martii 1660. Vide n. 632.

378. Ubi indultum fuerit, ut Miſſa de aliquo Beato celebretur, licitum eſt ejus Imaginem, & ſimulacrum, ſuper Altari exponere, nec non votivas Tabellas illi appendere. S.R.C. 17. Aprilis 1660. Vide n. 361. cui per præſens Decretum non derogatur. Vide pariter n. 362. 363. 381.

379. Dies Feſti in Beatorum honorem non celebrandi, non extenduntur ad Feſta Devotionis. Sac. Rit. Congr. 17. Aprilis 1660. Vide n. 367.

380. Indulta recitandi Officium cum Octava, vel ſine Octava, & celebrandi Miſſam de Beatis, non fuerunt revocata per Decretum emanatum anno 1659. 27. Septembris. S. R. C. 17. Aprilis 1660. Vide n. 373.

381. In Eccleſiis, in quibus Officium, & Miſſa de Beatis recitari, ac reſpective celebrari poſſunt, licitum eſt eorum Reliquias exponere. S. R. C. 17. Apr. 1660. Vide n. 378.

382. Epiſcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, non poſſunt de Beatis ſuæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere. Sac. R. C. 17. Aprilis 1660.

383. Privilegium conceſſum ab Alexandro II. Abbatibus Monaſterii Cavenſis Congregationis Caſſinenſium celebrandi pontificaliter in exequiis nobilium Virorum, non extenditur ad alia Monaſteria ejuſdem Congregationis. Neque comprehenditur in reſtrictione uſus Pontificalium, quæ habetur §. 5. Decreti Generalis 27. Septembris 1659. pro tribus diebus tantum de præcepto quolibet anno, ex Decreto Sac. R. C. 12. Julii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide n. 342.

384. Abbates Congregationis Caſſinenſium Divina peracturi in acceſſu, & receſſu non obſtante prohibitione in §. 6. Decreti Generalis 27. Septembris 1659. expreſſa ab immemo-

rabi-

Digitized by Google

rabili tempore poſſunt aſſociari more Epiſcoporum a ſuis Monachis, modo non extra, ſed intra ſepta Monaſterii ſeſe ad Eccleſiam conferant. Ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide n. 543.

385. Abbatibus Congregationis Caſſinenſis licet in §. 7. Decreti Generalis 27. Septembris 1659. taxatus fuerit numerus Miniſtrorum inferiorum, conceduntur tamen alii quatuor Miniſtri Cotta induti, ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide n. 544.

386. Abbates Congregationis Caſſinenſium, non obſtante prohibitione Mitræ pretioſæ facta in §. 8. Decreti Generalis 27. Septembris 1659. debent ſervare diſpoſitionem capitis: *ut Apoſtolicæ de Privilegiis in 6.* ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide n. 545.

387. Abbates Congregationis Caſſinenſium poſſunt uti Mitra, & aliis inſignibus Pontificalibus in actu Ordinationum, & Benedictionum cum Oleo Sancto, non obſtante quod uſus Mitræ, & aliorum inſignium Pontificalium in §. 17. Decreti Generalis 27. Septembris 1659. fuerit prohibitus, ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide n. 354.

388. Prælato Epiſcopis inferiori, vel cuique alio gaudenti uſu Pontificalium, non licet benedicere Concionatorem, qui Concionem ſit habiturus, dum ipſemet Miſſarum ſolemnia Pontificali more peragit; quia poſt Concilium Tridentinum prohibentur hujuſmodi Benedictiones etiam per Decretum emanatum 27. Septembris 1659. circa uſum Pontificalium, a Rit. C. 12. Junii 1660. *in Mediolanen.*

389. Miſſa ſolemnis in Dominica intra Octavam alicujus Sancti, non debet celebrari de eodem Sancto, licet de conſenſu Ordinarii fiat Proceſſio ad ejus Eccleſiam. S. R. C. 24. Julii 1660. *in Aretina.*

390. Miſſæ omnes de Sanctis ſub Ritu duplici excluduntur ab Octava Epiphaniæ, præter eas, quæ ſunt primæ Claſſis, neque Titularis, & Patroni Principalis, ac Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 20. Novemb. 1660. *in Aſculana in Apulia.*

391. Miſſa ſecunda de Paſſione Domini, cum Gloria, & Credo, in Altari SS. Crucifixi ſingulis Dominicis, præter Reſurrectionis Domini noſtri, & Pentecoſtes, non conceditur, neque poteſt tolerari. S. R. C. 2. Julii 1661. *in Toletana.*

392. Miſſæ Sacrificium peragi poteſt in publico Oratorio extra aliquod Oppidum conſtructo, de licentia Epiſcopi in diebus ſolemnioribus anni, etiam contradicente Parocho pro commoditate Villicorum circumhabitantium, dummodo habeat omnia requiſita ad Eccleſiam, vel ſaltem ad publicum Oratorium conſtituendum. S. R. C. 3. Septembris 1661. *in Feretrana.*

393. Habens Indultum a Sede Apoſtolica erigendi Oratorium privatum in propria domo, ſi quis voluerit ibi ædificare Altare ligneum, non indiget facultate Apoſtolica, dummodo Altare ligneum cum Sacro Lapide parieti colligatum, amovibile non ſit, & Altaris portatilis Imaginem non præſeferat. Sac. R. C. 3. Decembris 1661. *in una Nullius Loci Cirignolæ.*

394. Symbolum in Miſſa ſolemni poteſt decantari in illa Eccleſia, ubi eſt Altare erectum ſub invocatione alicujus Sancti, ratione concurſus ad præſcriptum Rubricarum, licet de eo fiat Officium ſub Ritu ſemiduplici, ut pro Feſto S. Antonii de Padua declaravit S. R. C. 1. Aprilis 1661. *in una Burgi Sancti Domini.*

395. Miſſa in die Solemnitatis Corporis Chriſti, non debet cantari poſt abſolutam Proceſſionem, & hujuſmodi conſuetudo, uti a Cæremonialis diſpoſitione aliena, omnino abroganda eſt. Sacra Rit. Congreg. 3. Junii 1662. *in Albiganen.*

396. Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſvis Ordinis, etiam neceſſario exprimendi, diſtricte præcipitur, ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de *Requiem*, in duplicibus, nullatenus celebrare audeant, vel præſumant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ, incidant in Feſtum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de Feſto currenti, cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorumdem Benefactorum; curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique, ad quos ſpectat, ut hujuſmodi Decretum inviolate ſervetur, atque in Sacriſtia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit; in eos autem, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, Locorum Ordinarii, tam Sæculares, quam Regulares pro modo culpæ animavertant. S. R. C. approbante Alexandro VII. 5. Auguſti 1662. Vide n. 16. 217. 422. 430. 438. 439. 488. 622. 623. 624. 625.

397. Miſſa Votiva ſolemnis de B. V. poteſt celebrari in die Dominico, ratione concurſus Populi. S. R. C. 20. Novembris 1662. *in Aretina.*

Hoc tamen intelligitur de Dominicis, aliiſque Feſtis non privilegiatis, & dummodo Dominica non incidat in Feſto duplici primæ, & ſecundæ Claſſis, vel Octavis privilegiatis. Vide n. 401.

398. Anniverſaria dies Dedicationis Eccleſiæ, dum Epiſcopus in Conſecratione ejuſdem non elegerit diem, ſed conſecravit Eccleſiam die &c. Menſe &c. debet celebrari in futurum diem, quo hactenus in præteritum, conſueverunt celebrare. S. R. C. 20. Novembris 1662. *in Albiganen.*

399. In Feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Cæremonialis Epiſcoporum *lib. 2. cap. 33.* in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de *V. Dominus vobiſcum*, non vero Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiſcum*, & ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervatur ab omnibus. S. R. C. 16. Junii 1663. *in Granaten.* & 28. Septembris 1675. *in Salernitana.*

400. Crux parva cum imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum. Et in Altari, in quo adeſt magna ſtatua Sanctiſſimi Crucifixi non eſt neceſſe, ut ponatur alia Crux dum celebratur Miſſa S. R. C. 16. Junii 1663. *in Raſſanen.* Vide n. 604.

401. Miſſa Votiva cantata de B. M. V. cum Gloria, & Credo, poteſt celebrari in die Dominico cauſa voti, ſeu alia cauſa S. R. C. 16. Junii 1663. *in Aretina.*

Hæc tamen non habet locum in Dominicis, & Octavis privilegiatis, licet neque Duplicibus primæ, & ſecundæ Claſſis. Vide n. 397.

402. Miſſa ſolemnis de S. Joſepho quando ejus Feſtum incidit in Feria II. III. & IV. Majoris hebdomadæ non poteſt cantari, etiam ob concurſum Populi, ſed debet omitti, nec poteſt in illis diebus fieri Proceſſio in ejus honorem, S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Urbis.*

403. Paſſio in Miſſis Privatis legi debet a celebrante in cornu Evangelii, licet in Miſſa ſolemni legatur in cornu Epiſtolæ. Ita S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

404. In primis Veſperis Dominicæ Paſſionis, non ſolum Cruces, & Imagines Salvatoris, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum tegi debent. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

405. In Conſecratione Epiſcoporum ſolus Epiſcopus conſecrandus ſemper uti debet colore albo; Conſecrator vero, & Aſſiſtentes debent uti colore, qui tempori convenit, Sac. Rit. Congregat. 16. Junii 1663. *in Granaten.*

Idem Ritus a fortiori ſervandus eſſe videtur etiam in Ordinationibus, ita ut Sacris Ordinibus initiandi ſemper uti debeant colore albo, licet Epiſcopus Ordines conferens, & Tres Sacerdotes manus imponentes utantur colore diei currentis.

406. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote ſuper oblata, non ſunt faciendæ manu tranſverſa, ſed manu recta in tranſverſa parte Crucis. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum*, & 24. Julii 1683. *in Albiganen.*

407. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ſupra manus, non vero infra manus. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

408. Pars inferior Hoſtiæ præcidi debet, non autem ſuperior, quando dicitur: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

409. Licet Epiſcopus non celebret, ſed tantum aſſiſtat Miſſæ ſolemni, Celebrans debet ad confeſſionem reſpondere Epiſcopo uſque ad *Indulgentiam* incluſive, non vero ſimul cum illo dicere *in Nomine Patris &c.* Sacr. Rit. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

410. Finito Evangelio Miſſæ ſolemnis, cui aſſiſtit Epiſcopus cum Cappa, thurificandus eſt Celebrans, non vero Epiſcopus. Sac. Rit. Cong. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.* Vide n. 1. & alios ibi notatos.

411. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ſacrificia poſſunt a Sacerdotibus Celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. S. R. C. 4. Aug. 1663. *in una Dalmatiarum*, & 9. Dec. 1709. Ord. Cappuccinorum.

412. Canonici Pluviali, Planeta, Dalmatica, vel Tunicella parati, non debent deferre Almutias; Canonico vero Defuncto induto Planeta, ſeu Dalmatica, vel Tunicella imponi poteſt Almutia ſuper Brachium. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

413. Canonici quando Miſſam celebrant, de rigore uti poſſunt annulo aureo, ſed ſine gemma, & ſine aliqua effigie. Sac. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.* Vide n. 592. 237. 450.

414. Canonici aſſiſtentes tenentur accipere birretum de manu Epiſcopi Cappa induti, & eidem reddere, non obſtante Decreto 3. Junii 1662. præcipiente per Capellanum hujuſmodi implenda eſſe. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in Raguſina.*

415. In Capella Palatii Epiſcopalis abſente Epiſcopo, vel Sede vacante, poteſt Vicarius Generalis Miſſam celebrare, & in diebus Feſtis ipſam audientes adimplent præceptum Eccleſiæ. S. R. C. 2. Julii 1665. *in Bitontina.*

Die

Digitized by Google

Die vero 24. Novembris ejuſdem Anni *in Neapolitana* ſancitum fuit, non poſſe celebrari Miſſas etiam pro Animabus Purgatorii una hora poſt meridiem.

416. Archipresbytero Eccleſiæ, tamquam Archipresbytero, & in functionibus Archipresbyteralibus, & ad ſe uti Archipresbyterum ſpectantibus, non competit uſus habitus Prothonotarii. S. R. C. 24. Maji 1664. *in Taurinen.*

417. Prothonotarius Apoſtolicus prima Dignitas alicujus Cathedralis non poteſt cum habitu Prothonotarii ſedere in Choro in ſuo ſtallo, ſed ſedere debet, ut dicitur in libro Cæremoniali. S. R. Congreg. 12. Julii 1664. in *Triventina*.

418. Recitantes ex conceſſione Officium de SS. Corpore Chriſti in quacumque Feria V. per annum, non impedita Feſto novem Lectionum, illud recitare debent, ut in die ejuſdem ſolemnitatis; Miſſam vero ut in Votiva. S.R.C. 12. Julii 1664. *in Romana Ord. Minorum Sancti Franciſci de Obſerv.*

419. In Miſſis de Beatis, quæ ſub Ritu duplici majori celebrantur, non debet dici *Credo*. S. R. C. 12. Julii 1664. *in Romana Ord. Minor. S. Franciſci de Obſerv.*

420. Miſſæ celebratio in Eccleſia (ſeu Oratorio) ſita in Territorio, extra Mœnia alicujus Oppidi, non poteſt prohiberi, antequam celebretur in Eccleſia Parochiali, & Matrice, non obſtante Decreto Epiſcopi in Synodo Diœceſana, aut quocumque alio etiam in erectione Eccleſiæ edito, celebrationem hujuſmodi prohibente. S. R. C. 30. Auguſti 1664. *in Camerinen.* & 24. Januarii 1665. *in Nucerina*.

421. Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti celebranti in die Purificationis, in Feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet celebrante ſupradicta accipere ſtans, non vero flexis genibus. S. R. Congreg. 30. Auguſti 1664. *in Sutrina*.

Inhærendo Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 17. n. 2. hoc Decretum intelligitur de Canonicis, & ideo non derogatur per aliud ſequens Decretum datum ſub num. 590.

422. Anniverſaria, & Miſſæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, poſſunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Auguſti 1662. edito, non comprehenduntur. S. R. C. 22. Novembris 1664. *in Novarien.* approbante Alexandro VII. in ejus Bullario.

Hoc Decretum intelligitur de unica Miſſa de Requiem cantata, non vero de Miſſis privatis. Vide n. 396. 424. 430. 438. 439. 483. 490.

423. Archipresbyter alicujus loci, & Eccleſiæ, quæ non habet Clerum, ipſo abſente, vel impedito poteſt deputare in functionibus Parochialibus unum ex Capellanis amovibilibus plurium Confraternitatum in ſua Eccleſia degentium ſibi bene viſum, non obſtante quod alii Capellani noviter inſtituti prætendant ad ipſos, uti non amovibiles ſpectare. S. R. C. 20. Junii 1665. *in Ariminen.*

424. In die, quo celebratur Feſtum duplex etiam translatum, prohibetur Miſſa de Requiem, niſi ſit præſens Cadaver: Anniverſarium poteſt anteferri, immo debet, & in Feriis majoribus debent omnino cantari duæ Miſſæ, & Collectæ pro Defunctis non admittantur, niſi in Miſſis Feſtorum ſimplicium, & Ferialium. S. R. C. 31. Julii 1665. *in una Nullius Provinciæ Treviren.* Vide num. 422. & 438.

Hoc Decreto non permittitur poſſe coram Cadavere celebrari Miſſas privatas de Rrquiem, ſed unicam tantum cantatam, cum clare conſtet ex nonnullis reſolutionibus. S. R. C.

425. Jus porrigendi, & dandi Aſperſorium Epiſcopo accedenti ad Cathedralem privative in omnibus functionibus ſpectat ad digniorem de Capitulo, non autem ad Vicarium. S. R. C. 31. Julii 1665. *in Marturanen.* Vide n. 61. & n. ibi notatos.

426. Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio quadraginta Horarum, vel Spiritualium Exercitationum, ſi accidat in Feſto primæ, vel ſecundæ Claſſis, ſive in Dominica privilegiata primæ, vel ſecundæ Claſſis, tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Miſſæ, una de Feſto, ſeu de Dominica poſt Tertiam; altera Votiva de Sacramento poſt Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione SS. Sacramenti. S. R. C. 13. Februarii 1666. *in Romana*.

Hæc regula obſervanda eſt etiam pro diebus, in quibus prohibetur fieri Officium de duplici, vel ſemiduplici.

427. In aſſignatione Miſſæ, & Evangeliorum, quæ debentur extra tempus Paſchale SS. Martyribus Stanislao Pontif. Petro, & SS. Nereo, & Achilleo, ſervandæ ſunt Rubricæ generales. S. R. C. 18. Septembris 1666. *in Romana*.

428. Celebrans, & Aſſiſtentes, in Veſperis, & Miſſa ſolemni etiam in ſolemnitatibus debent ſedere in ſcamno, & non in ſede Camerali. S. R. C. 31. Julii 1665. *in Reginaten. in Calabria*.

429. Prima Dignitas in Cathedrali præcedit Vicario Capitulari, quia cum hic habeat auctoritatem, & juriſditionem a Capitulo, non debet præcedere primam Dignitatem, in qua Capitulum repræſentatur. S.R.C. 2. Apr. 1667. *in Feretrana.* Vide n. 14. & n. ibi notatos, necnon n. 467.

430. Miſſæ de Feſto duplici celebratæ in Altari pro Animabus in perpetuum privilegiato, & in quo proinde etiam in duplicibus ſint celebrandæ Miſſæ de Requiem ex oblatione ſuffragantur, ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis juxta formam privilegiorum, ut declaravit Alexander VII. in ſuo Brevi, quod incipit: *Credite nobis*, 22. Jan. 1667. Vide n. 396. 422. 439. 489. 622. 623. 624. 625.

431. Miſſa Votiva dum cantatur pro re gravi de aliquo Sancto, ſemper dici debet cum *Gloria*, & *Credo*, & cum colore, quo utitur in Feſto, cujus Miſſa cantatur. S.R.C. 13. Aug. 1667. *in una Civitatis Quenchæ*. Vide nu. 58. 401. 462. 606.

432. Intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Eccleſia non licet exponere Tabellam ſuper januam ipſius Eccleſiæ, cum inſcriptione: *Indulgenza per li Morti*, ſed tantum ſuper ipſo Altari privilegiato conſuetis verbis: *Altare privilegiatum pro Defunctis*. S. R. C. 13. Auguſt. 1667. *in Romana*.

433. Miſſæ plures non poſſunt celebrari in Capellis privatis nobilium a Sacerdotibus Regularibus. S. R. C. 23. Febr. 1661. *in Januen.*

434. Sacerdos Sæcularis, ſive Capellanus, ſive non, qui recitavit Officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, illo die celebrans, in aliqua Eccleſia Regularium, in qua recitatum eſt ab ipſius Regularibus, eadem die Officium duplex non de præcepto, prout de aliquo Sancto ſui Ordinis, non poteſt dicere Miſſam de Requiem. S.R.C. 9. Jun. 1668. *in Converſana*. Vide n. 558. 559. 560. 561. 562.

435. Miſſa S. Crucis non debet ullo modo celebrari die Veneris infra Octavam Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, non obſtante quacumque prætenſa conſuetudine illam celebrandi ſingulis diebus Veneris infra Annum, & ſignanter infra Octavam ſupradictam. S. R. Congr. 12. Jan. 1609 *in Florentina*.

436. Quando adeſt Legatum, quod Sacerdos antequam diſcedat ab Altari, recitet aliquod Evangelium, Pſalmum, ſeu Orationem poſt terminatam Miſſam, debet oneri ſibi injuncto ſatisfacere poſt finem Miſſæ, exutis veſtibus Sacerdotalibus, & cum ſola Cotta in Altari, vel in Sacriſtia, & ſic Legatum adimplere. S. R. C. 31. Aug. 1669 *in Converſana*.

437. Miſſa Immaculatæ Conceptionis B.M. V. & continuatio qualibet die Sabbati ex particulari Populi devotione, & ex quo ſit Patrona loci, non conceditur, ſed ejus loco permittitur Miſſa de S. Maria in Sabbato; dummodo non ſit impedita ab aliis Feſtis duplicibus, ſeu ſemiduplicibus, S. R. C. 20. Jul. 1669. *in Alexanen.*

438. Annivefaria, & Miſſæ de Requiem, quæ ex diſpoſitione Teſtatorum cum cantu, ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus inciderit in Feſto duplici majori. S.R.C. 20. Julii 1669. annuente Clem. IX. die 13. Aug. ejuſdem Anni, in Decreto generali. Vide n. 396. 422. & alios ibi notatos.

439. Privilegium Alexand. VII. die 22. Jan. 1667. circa Miſſas de Feſto duplici in Altaribus perpetuo privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad Altaria, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata: ac proinde Miſſæ, quæ ibidem de Feſto curreuti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragantur; ita ut Animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent. S.R.C. 29. Jul., annuente Clem. IX. 13. Aug. 1669. & in ſuo brevi, quod incipit: *Cum felicis record.* 23. Sept. ejuſdem Anni confirmatur. Vide etiam n. 396. 422. 430. 622. 623. 624. 625.

440. Miſſa B. M. V. ſub Invocatione ſeptem Dolorum Feria VI. infra hebdomadam Paſſionis ab iis, qui gaudent hujuſmodi Indulto, debet recitari cum *Gloria Patri* ad Introitum, & cum Pſalmo *Judica me Deus* ad Confeſſionem, ſed ſine *Gloria in Excelſis*. S. R. C. 31. Aug. 1669. *in Tornacen.*

Præfata Miſſa a Bened. XIII. die 22. Auguſt. 1727. demandata fuit cum Officio ſub Ritu duplici majori pro Eccleſia univerſali, in qua Miſſa dicitur *Gloria Patri* ad Introitum cum Pſalmo *Judica me Deus* ad Confeſſionem, cum *Gloria in excelſis*, & *Credo*. In aliis tamen diebus etiam ejuſdem hebdomadæ Paſſionis, quando celebratur hæc Miſſa uti Votiva, debet quidem ad Introitum dici *Gloria Patri*, *&c.* nec non ad Pſalmum *Judica me Deus*, licet omittatur Hymnus Angelicus *Gloria in Excelſis*, qui dicitur ſolum in Sabbato, ſemper vero ſine Symbolo.

441. Præcedentia debetur Coadjutori Canonici Ordinis Presbyteralis, non adhuc Sacerdoti, ſed in Minoribus Ordinibus tantum conſtituto, & pro ſuo Coadjuto Eccleſiaſtic s fun-

functionibus, & Choro intereſſenti, Canonici quoque Ordinis Diaconalis, in Minoribus Ordinibus, vel in Sacro tantum Diaconatus Ordine conſtituti debent præcedere Canonicis Ordinis Subdiaconalis in Presbyteratus Ordine conſtitutis. S. R. C. 31. Maji 1670. *in Æſina*. Vide n. 14. & alios ibi indicatos.

442. Infra Octavam Sanctiſs. Corporis Chriſti prohibentur Miſſæ Votivæ quæcumque, vel pro Defunctis. S. R. C. approbante Clemente X. 21. Junii 1670. Vide n. 448.

443. Miſſam in Altari Majori, ubi eſt expoſitum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare, præſertim ſi in Eccleſia adſint alia Altaria, in quibus celebrari poſſit. Sac. R. C. 9. Auguſti 1670. *in Bononien.*

444. Miſſæ Defunctorum non poſſunt celebrari, niſi cum colore nigro, vel ſaltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670. *in Oritana*.

445. Prothonotarius ſimplex Sacerdos, ſi vult præcedere aliis Sacerdotibus antiquioribus ſimplicibus quoad Ordines, & ætatem, debet incedere in habitu Prothonotarii, ſecus nulla eidem præcedentia debetur. S. R. C. 13. Septembris 1670. *in Vintimilien.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

446. Archidiacono primæ Dignitatis non licet ſive in præſentia, ſive in abſentia Epiſcopi uti pulvinari ſerico, ſed coreo tantum. S. R. C. 13. Septembris 1670. *in Beneventana*,

In qua, eadem die ſancitum fuit, quod quando a Choro cantatur Symbolum in Miſſa, non poteſt a Celebrante proſequi Offertorium, ſed debet expectari, donec terminatum fuerit Symbolum, de quo vide etiam n. 510.

447. Prima Dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda Dignitas in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia; & omnibus Dignitatibus impeditis, vel abſentibus, primus Canonicus id exequatur. Sac. Rit. C. 29. Novembris 1670. *in Senen.*

448. Miſſæ cantatæ Mortuorum infra Octavam Corporis Chriſti, non ſunt celebrandæ, niſi præſente Corpore. S. R. C. 12. Septembris 1671. *in Nuſcana*. Vide n. 442. 526.

449. Functiones Pontificales, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt Feſtum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, Tituli ejuſdem Eccleſiæ, Patroni Civitatis, nec non Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, Diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, celebratio Officii Feriæ V. in Cœna Domini, Feriæ VI. in Paraſceve, Feſtum Paſchatis Reſurrectionis D. N. & dies ſolemnis Corporis Chriſti cum Proceſſione. S. R. C. 3. Decembris 1672. *in Andrien.*

450. Prothonotario Apoſtolico in celebratione Miſſæ non licet deferre annulum in digito. Sacr. Rit. Congr. 2. Martii 1674. *in Baren.* Vide n. 192. 236. 413.

451. In exequiis Parvulorum in Feria V. & VI. & Sabbato Majoris hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in Pſalmis qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. Januarii 1677. *in Hiſpalen.*

452. Ad Benedictionem ſolemnem Epiſcopi omnes, etiam Magiſtratus Civitatis tenentur genuflectere præter Dignitates, & Canonicos Cathedralis. S. R. C. 21. Martii 1676. *in Ferentina*, & 23. Martii 1641. *in Imolen.*

453. Miſſa aſſignata Feſto Conceptionis B. M. V. pro fratribus Minoribus non poteſt dici per annum, uti Votiva, etiam in Sabbatis. Sac. Rit. Cong. 30. Septembris 1679. *in una Ordinis Cappuccinorum*.

Ex Rubricis ſparſim in corpore Miſſæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in Miſſali Fratrum Minorum ab Innocentio XII. denuo approbatis, apparet eamdem Miſſam uti Votivam ab ipſis recitari poſſe per annum.

454. In aſperſione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit a Sacerdote Alba, & Stola induto, vel etiam cum Pluviali immediate celebraturo Miſſam Conventualem, Stola aptanda eſt ante pectus ad modum Crucis, non vero pendens a collo ad utrumque latus. Sacr. Rituum Congreg. 30. Septembris 1679. *in una Cappuccinorum*.

455. Sacerdotes in die Cœnæ Domini, SS. Chriſti Corpus ſumpturi, poſſunt deferre Stolam, vel ante pectus, vel a collo pendentem. Sacr. Rit. Cong. 30. Septembris 1679. *in una Cappuccinorum*.

456. In Proceſſionibus Sanctiſſimi Sacramenti, quæ occaſione Quadraginta horarum fiunt per Eccleſias, debent proceſſionaliter incedentes ante Sacramentum in occurſu, & tranſitu a latere ejuſdem facere genuflexionem, dummodo in tranſitu videatur. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canonicorum Regul. Lateranen.* Vide n. 11. 178.

457. In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine Sanctiſſimo Sacramento non eſt pulſanda Campanula ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur Elevatio, tunc genuflectendum eſt in utroque genu a tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito Sanctiſſimo Sacramento, progrediendum eſt. Similiter ſi alii tranſeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canonicor. Regul. Lateranen.* Vide n. 15. 178.

458. In nocte Nativitatis Domini non poſſunt dici tres Miſſæ privatæ immediate poſt decantatam, circa quod adeſt Decretum tenoris ſequentis: *in Lucana*. Inhærendo aliis Reſolutionibus circa celebrationem trium Miſſarum in nocte Naralis Domini alias editis, & ſignanter ſub die 7. Decembris 1641. iterum declaravit S. R. C. non eſſe permittendum uſum introductum a nonnullis Canonicis, & Presbyteris Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Lucanæ celebrandi tres Miſſas privatas immediate poſt decantatam Miſſam ſolemnem in media nocte Natalis Domini, ſed omnino prohibendum. Hac die 22. Novembris 1681. *in Lucana*. Idem decrevit 15. Septembris 1668. *in Januen.* Vide n. 282. 487.

459. Qui habent Privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima, occurrente die infra Octavam in Feria IV. Cinerum, nullam debent facere Commemorationem de Octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Marſicana*.

460. In diebus infra aliquam Octavam occurrentibus in Quadrageſima, debent Privilegiati dicere Miſſam Conventualem de Feria currente cum Commemoratione Octavæ, quamvis recitaverint Officium de die infra Octavam. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Marſicana*.

461. Regulares tenentur celebrare ſub Ritu duplici primæ Claſſis Feſtum de Patrono principali Loci, ac titularis Eccleſiæ Cathedralis, Patroni Principalis Regni, vel Provinciæ, ſed ad Octavam non tenentur. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ordinis minorum de Obſervantia*.

462. Receptio ad habitum, & ad profeſſionem religioſam ſub re gravi numerari non poteſt, ut ex conſuetudine cantari poſſit Miſſa Votiva ſolemnis etiam de Spiritu Sancto in Dominicis, vel duplicibus, & hic abuſus omnino eſt derogandus. S. R. G. 24. Julii 1683. *in Ruremunden.* Vide n. 8. 237. 401. 432. 468. 606.

463. Miſſæ Votivæ de SS. Sacramento, vel de B. V. in cantu fundatæ, dici non poſſunt in duplicibus, aliiſque diebus duplicia excludentibus; ſed cantari debent Miſſæ de Feſto currenti, cum applicatione Sacrificii, juxta Decretum editum die 19. Maji 1614. ſicque ſatisfieri, & Benefactorum mentem impleri, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, declaravit S. R. C. 24. Julii 1683. *in Ruremunden.* Vide n. 14.

464. In Proceſſionibus, quæ fiunt cum interventu Capituli Cathedralis præcedentia debetur Beneficiatis ejuſdem ſupra Parochos. S. R. C. 2. Octobris 1686. *in Taurinen.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

Hoc Decretum ita intelligitur, quando Parochi non ſunt de gremio illius Capituli; ſecus vero ſi Parochi habent Stallum in Choro, & ſunt de gremio illius Capituli, ut declaravit S. R. C. 22. Auguſti 1688. *in Bituntina*.

465. Vicario Foraneo ratione ſui Vicariatus nulla debetur præcedentia, ſeu præeminentia, & ad Præpoſitos forenſes ſpectat præcedentia, ſuper Vicarios foraneos in Proceſſionibus, ſeſſionibus, & aliis actibus fieri ſolitis, occaſione Synodi Diœceſanæ. S. R. C. 11. Martii 1684. *in Papien.* Vide n. 14. & alios ibi notatos, præſertim n. 480.

466. Vicario Apoſtolico in omnibus Eccleſiis, & Eccleſiaſticis functionibus debentur tantum illæ prærogativæ, quibus gaudent Vicarii Generales Epiſcopi, & titulus *Illuſtriſſimi* Vicario Apoſtolico non debetur. S. R. C. 12. Aug. 1684. *in Spoletana*, & 12. Auguſti 1684. *in Imolen.*

467. Vicario Generali debetur primus, & dignior locus, ac præcedentia ſupra primam, & omnes alias Dignitates, & Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, tam in Choro, quam in Proceſſionibus, & aliis functionibus Eccleſiaſticis. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in Meliten.* Vide n. 13. & alios ibi notatos, & vide n. 429.

468. Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet inſignem Reliquiam in propria Eccleſia; ſi celebrat eo die in alia Eccleſia debet omittere *Credo*. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.*

469. Clerus, qui habet Indultum recitandi Officia Sanctorum, quorum Inſignes Reliquiæ aſſervantur in aliena Eccleſia, quæ habet Clerum ſeparatum, in Miſſis non debet dicere *Credo*. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonicor. Regular. Lateranen.*

470. In Miſſis Votivis privatis, de SS. Sacramento, & de Officio duplici, quæ celebrantur in Eccleſiis, ubi adeſt SS. Sacramentum expoſitum occaſione quadraginta horarum, non dicitur *Credo*, niſi aliter competat Miſſæ Officii duplicis de die. Sac. Rit. Cong. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regular. Lateran.*

Idem ſtatuitur in Inſtructione Clementis XI. pro expoſitione SS. Sacramenti occaſione Quadraginta horarum §. 10.

471. In Miſſa privata de Sancto duplici, vel ſemiduplici, de quo tali die fit Officium, poteſt quidem fieri Commemoratio de SS. Sacramento expoſito occaſione Quadraginta horarum, ſed omittenda in Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis. Sacr. Rit. Congr. 2. Decembris 1684. *in una Canonicor. Regul. Lateran.* Vide n. 219.

472. Durante expoſitione Sanctiſs. Sacramenti occaſione Quadraginta horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa pri-

Digitized by Google

privata de *Requiem*, licet occurrat Officium hujuſmodi Miſſas admittens: neque cantari poteſt Miſſa Defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive Anniverſario ſatisfaciendo. S.R.C. 2. Dec. 1684. *in una Canonic. Reg. Lateran.* Vide n.20. & alios ibi notatos.

473. In Miſſa privata de Feſto ſemiduplici, ſimplici, ſeu votiva, vel de infra Octavam, ſive de Feria non privilegiata, poteſt in penultimo loco dici Collecta pro particulari Defuncto, puta: *Inclina*, vel *Deus, qui nos Patrem*, &c. & ſimilia, ſed ob id non eſt omittenda ulla ex Collectis pro tempore aſſignatis, puta: *A cunctis*, vel *Eccleſiæ*. S.R.C. 2. Dec. 1684. *in una Canonic. Reg. Lateran.*

474. Qui in Sabbato infra aliquam Octavam B.M.V. recitat Officium de aliquo Sancto, eo die occurrente, volens celebrare Miſſam Votivam de B.V. tenetur quidem dicere Miſſam feſtivam cum *Gloria*, ſed ſine *Credo*. S.R.C. 2. Dec. 1684. *in una Canonic. Lateran.*

475. Qui in Sabbato recitat Officium de B.M. volens celebrare Miſſam Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria*, neque *Præfationem* B.M.V. ſed communem. S.R.C. 2. Dec. 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.* Vide n. 608.

476. Non eſt omittenda una ex aſſignatis Orationibus in Miſſa, veluti tertia *A Cunctis*, ſi ſecunda eſſet de Feſto ſimplici, ut ejus loco dicatur Oratio imperata, veluti *Deus Refugium*; ſed poſt tertiam Orationem *A cunctis*, poteſt & imperata dici, cum in Miſſa de ſemiduplici, vel ſimplici, vel Votiva, non ſint neceſſario dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel ſeptem. S.R.C. 2. Dec. 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.*

477. In Exequiis poſt abſolutionem, quæ fit ſupra Cadaver in die obitus, vel ſupra Tumulum in die Anniverſario, dicto ℣. *Requieſcat in pace*, ſubjungi debet: *Anima ejus, & Animæ omnium Fidelium Defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace*; ſed ſuper lecticam, ſeu caſtrum doloris in commemoratione omnium Fidelium Defunctorum nihil eſt ſuperaddendum. S.R.C. 2. Decemb. 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.*

478. In Eccleſiis B.M.V. dicatis, ſeu aliis Sanctis, ubi adeſt immemorabilis conſuetudo cantandi Miſſam Votivam de B.M.V. ſingulis Sabbatis, licite continuari poteſt, etiamſi occurrat Officium duplex, dummodo non omittatur ſuo tempore Miſſa Conventualis. S.R.C. 2. Dec. 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.* Vide n. 273.

479. In Miſſa Patroni minus principalis non debet dici *Credo*. S.R.C. 2. Dec. 1684. *in Beneventana*, & 15. Sept. 1691. *in Licien.* in qua declaratum fuit, particulam *Patroni* intelligendam eſſe de Patrono principali tantum, nec extendi poſſe ad minus principales, & ideo in horum Miſſa non eſſe dicendum Symbolum.

480. Vicarii foranei in functionibus Eccleſiaſticis, nimirum Miſſis, Veſperis, & Proceſſionibus, ſeſſionibus locorum, aliiſque ſimilibus non debent præcedere Archipresbyteris, aliiſque Curatis Parochialium. In Congregationibus vero caſuum conſcientiæ, quæ ſolent fieri, debent præcedere ſupra omnes etiam Archipresbyteros. S.R.C. 10. Febr. 1685. *in Imolen.* Vide n. 14. & alios ibi notatos, præſertim n. 465.

481. Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam non poſſunt ſucceſſive aliæ duæ Miſſæ celebrari, nec Communio exhiberi Euchariſtica Fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Soc. Jeſu, tum omnes cujuſcumque alterius inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neque poſſunt excipi in Eccleſia confeſſiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſt, ut illuceſcat Aurora tam pro confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda Fidelibus utriuſque ſexus. S.R.C. 23. Mart. 1686. *in Senen.* Vide n. 282. 458. & 15. Septemb. 1668. *in Januen.*

482. Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in Proceſſionibus per Civitates, & Oppida, non debent deferri ſub Baldachino. S.R.C. 23. Mart. 1686. *in Calaguritana*. Vide n. 163. 230. 264. 585.

483. Anniverſaria, ſive Miſſæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum pro certis diebus, hiſque impeditis die Dominico, ſeu alio Feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de Feſto duplici majori, non tamen de præcepto, præcipue de Sanctis alicujus Ordinis, non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici minori occurrente, quatenus adſit obligatio cantandi. S.R.C. 4. Maji 1686. *in una Canonic. Regul. Lateran.* Vide n. 20 & alios ibi notatos.

484. Cum primum accipitur nuntius de obitu in loco diſſito alicujus poteſt cantari Miſſa de Requiem, ut in die obitus pro ejus Anima: in Feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citius ſuffragetur Animæ Defuncti, non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici, quatenus adſit obligatio. S.R.C. 4. Maji 1686. *in una Canonicorum Regul. Later.*

485. In Anniverſario tranſlato ob Feſtum de præcepto non variari debet Oratio: *Cujus Anniverſarium depoſitionis diem commemoramus*, &c. ſed recitanda, ut in Miſſali. S.R.C. 4. Maji 1686. *in una Canonic. Regul. Later.* Vide n. 20. & alios ibi notatos.

486. Quando in Miſſa ſolemni Concionator poſt Salutationem Angelicam, ſalutat Miniſtros Altaris, ſeu facit reverentiam, non eſt incongruum, ſi Miniſtri Altaris, & ipſe Celebrans correſpondeat ſalutationi Concionatoris diſcooperiendo caput. S.R.C. 20. Jul. 1686. *in Angenopolitana*.

487. In Natali Domini in tribus Miſſis poſt ſumptionem Sanguinis, eundo, & redeundo in medium Altaris, non eſt facienda genuflexio, vertendo ſe celebrans ad *Dominus vobiſcum*, & ad dandam benedictionem debet renes vertere ad Altare, licet ſpecies vini non ſint exſiccatæ in Calice, & ſerventur Rubricæ Miſſalis Romani de Ritibus ſervandis in celebratione Miſſarum 11. & 12. n. 2. S.R.C. die 29. Jul. 1686. *in Angenopolitana*. Vide n. 537.

488. In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, poteſt fieri Officium de Feſto duplici minori, etiam tranſlato, ſed Miſſæ privatæ ſunt celebrandæ de Requiem. S.R.C. 5. Oct. 1686. *in una Urbis*. Vide n. 536. 543. 683.

489. Vicario Generali in functionibus Eccleſiaſticis, in Choro, Proceſſionibus, Synodo, & aliis actibus publicis, & privatis competit præcedentia ſupra Capitulum Cathedralis. S.R.C. 13. Mart. 1688. *in Lauden.* Vide n. 14. & ibi notatos.

Decreta Alexand. VII. & Clem. IX. (de quibus num. 430. & 438.) circa Miſſas Defunctorum in Altaribus pro Animabus privilegiatis non celebrandas, occurrente Feſto duplici, explicantur ab Innoc. XI. in ſuo Brevi, quod incipit: *Alias poſtquam*, & deinde a Clem. XI. ut videre eſt n. 622. & ſeq.

490. Occurrente Feſto S. Marci die Dominico, in Miſſa Rogationum non dicitur *Credo*, quia eſt Miſſa Ferialis. S.R.C. 25. Sept. 1688. *in Mutinen.* Vide n. 18. & alios ibi notatos.

491. Quando occaſione belli contra Turcas dicitur Collecta, vel Miſſa contra Paganos, non poteſt mutari nomen *Paganorum*, dicendo *Turcarum*, vel *Hæreticorum*. S.R.C. 30. Jul. 1689. & 4. Apr. 1626. *in Egitian.*

492. Canonici Sacerdotes, quamvis poſſeſſione Canonicatus poſteriores, ubi Præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſemper, & ubique præferendi ſunt Canonicis inferioris Ordinis, etiam poſſeſſione Canonicatus anterioribus, non obſtante immemorabili conſuetudine, quam abuſum impræſcriptibilem eſſe declaravit S.R.C. 30. Jul. 1689. *in Sutrina*. Vide n. 14. & ibi notatos.

493. Vicario Generali quotidiano habitu induto, ſive ſi ſit Protbonotarius cum Rocchetto, & Mantelletto, danda eſt præcedentia ſemper, & ubique ſuper omnes Dignitates, & Canonicos ſacris veſtibus non indutos. S.R.C. 30. Jul. 1689. *in Iſolana*. Vide n. 14. & alios ibi notatos.

494. In Proceſſione ſolemni SS. Corporis Chriſti, quando Proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, & Diaconus non debent ſedere, neque in ſcamno, neque in ſedibus, etiamſi deferantur ad ornatum tantum. S.R.C. 21. Januar. 1690. *in Hiſpalen.* Vide n. 8. & ibi notatos.

495. In Sabbato Sancto, etiamſi occurrat Feſtum Annunciationis B.M.V. celebratio Miſſarum privatarum omnino prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis, tam publicis, quam privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, ſed unica tantum Miſſa Conventualis una cum Officio ejuſdem Sabbati Sancti celebretur. S.R.C. 11. Febr. approbante Alexand. VIII. 11. Mart. 1690. Vide num. 188. 501. 504.

496. Vicario Generali numquam competit præcedentia ſupra Canonicos ſacris veſtibus indutos, neque in Choro, neque in Proceſſionibus, nec competit uſus ſacrum veſtium, niſi ſit de gremio capituli, & eo caſu ſtare debet in loco ſuæ receptionis, juxta alias reſoluta. S.R.C. 2. Decembris 1690. *in Adjacen.* Vide num. 14. & ibi notatos.

497. In Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, vel Lignum Crucis, tam Clerus, quam Sæculares detecto capite incedere debent; in aliis vero Proceſſionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel Statuæ Sanctorum, tunc Sæculares, & Eccleſiaſtici, qui eas deferunt, detecto capite alii vero Clerici poſſunt incedere tecto capite, cum bireto; quando vero non geſtantur Reliquiæ, Magiſtratus ad inſtar, Cleri poteſt incedere capite cooperto. S.R.C. 18. Jun. 1690. *in Cajetana*. Vide n. 8. & ibi notatos.

498. Officia Sanctorum ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda; intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis; & dummodo conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illuſtret Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, Officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, non obſtante quod ipſorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur; quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debita Fidelium veneratio (prout haćtenus

nus ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione S. Pii V. contentis, Sac. Rit. Congr. 11. Auguſti in Decreto generali ab Innocentio XII. approbato 19. Octobris 1691, prout in ejus particulari Bullario. Vide n. 163. 230.

499. Concionator abſente Epiſcopo debet prius ſalutare Canonicos Cathedralis in apparatu Chorali capitulariter ſedentes, & deinde Gubernatorem Sæcularem Civitatis. S. R. C. 11. Auguſti 1692. *in Vercellen. Salutationis.*

500. Canonici ſemper, & quandocumque tenentur in Miſſis ſolemnibus, & Conventualibus, quæ a Dignitatibus, & ab ipſis cantantur per gyrum, præcipue in diebus Feſtis, ex obligatione Capitulari, aſſiſtere ſibimetipſis gradatim in miniſterio Subdiaconi, & Diaconi, nec poſſunt ſubſtituere alios ſimplices Sacerdotes non de gremio Capituli ad exercendum Officium Subdiaconi, & Diaconi in hujuſmodi ſolemnium Miſſarum celebrationibus, etiam aſſiſtente Epiſcopo, non obſtante quacumque antiqua conſuetudine. S. R. C. 15. Septembris, & 15. Decembris 1661. *in Sarnen.* quod pariter 14. Junii 1692. fuit demandatum *in una Brunt.*

501. Si Feſtum S. Joſeph occurrat in Feria V. majoris hebdomadæ, ejus Officium transferendum erit ad aliam juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta S. Congreg. cæterum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, non erit transferendum, ſed ſervandum in prædicta Feria V. adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ, ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint: ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni illius diei, qua Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. S. R. C. 13. Sept. 1692. & habetur in Bullario particulari Innocentii XII. Vide n. 405. 503. 632.

502. Si Officium, & Miſſa de aliquo Sancto celebrentur in Cathedrali, vel Matrice, ſeu Parochiali propter inſignem Reliquiam, quæ ibi aſſervatur, non poteſt celebrari per Civitatem, ſed in ipſa ſola Eccleſia ex Decreto S. Congregationis, contra abuſus, edito 8. Aprilis 1628. & impreſſo in Miſſali, & Breviario Romano. Si autem Officium conceſſum ſit univerſo Clero Civitatis de aliquo Sancto, cujus inſignis Reliquia aſſervatur in Cathedrali, vel Matrice, ſeu Parochiali, tunc Miſſa cum Symbolo celebranda eſt in ipſa Eccleſia tantum; in aliis vero Eccleſiis ſine Symbolo ex Rubrica Miſſalis Romani 11. de Symbolo, juxta Decretum 2. Decemb. 1684. *in una Ordinis Canonicorum Regul. Lateranen.* S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliarum.*

503. Ubi eſt Confraternitas SS. Sacramenti, quando in una Dominica cujuslibet Menſis fit Proceſſio intra, vel extra Eccleſiam cum SS. Sacramento, debet dici Miſſa de Dominica. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide n. 8. & ibi notatos.

504. Quando Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrit in Sabbato Sancto, Miſſæ privatæ celebrari non poſſunt, & Feſtum Annunciationis transferendum erit ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, tamquam ad diem propriam, & fixam, juxta Decretum 11. Februarii, & 11. Martii 1690. Quando vero occurrit in Feria V. in Cœna Domini, ſervandum eſt Decretum generale pro Feſto S. Joſeph editum 13. Septembris 1692. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide n. 561. & alios ibi datos.

505. Miſſæ privatæ de Requiem, corpore præſente, & inſepulto dici non poſſunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, & quacumque conſuetudinem tamquam abuſum abolendam, juxta diſpoſitionem Rubricæ V. Miſſalis Romani de Miſſa Defunctorum n. 2. in fine, & Decreta S. Congregationis, & ſignanter Generale 5. Auguſti 1662. ſervanda eſſe mandavit. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliarum.* Vide n. 16. 69. & alios notatos.

506. In Miſſa ſolemni de Feria Commemoratio non eſt facienda de Sancto ſemiduplici occurrente, cujus Miſſa pariter cantanda eſt abſque Commemoratione Feriæ, & in utriſque Miſſis tempore Paſſionis dicenda eſt tantum ſecunda Oratio *Eccleſiæ, vel pro Papa*, ut docet Gavantus. In Miſſis autem privatis de Feſto ſemiduplici, cum ſit clara diſpoſitio Rubricæ IX. de Oration. n. 5. dicenda eſt ſecunda oratio de Feria, 3. Eccleſiæ, vel pro Papa; De ſimplici vero facienda eſt Commemoratio juxta eamdem Rubricam. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide n. 357. 614. 700.

507. Si in die S. Marci poſt Proceſſionem in Eccleſia Minori, ſeu non Collegiata cantetur unica Miſſa, ipſa debet eſſe de Rogationibus, & ſervanda eſt Rubrica Miſsalis Romani poſita ante Miſsam Feſti Sancti Marci, ubi præſcribitur, quod de prædicto Sancto cantanda eſt Miſſa tantummodo quando Proceſſio terminatur ad Eccleſiam eidem Sancto dicatam, quemadmodum cavetur in Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 32. Et decrevit S. R. C. 23. Maji 1603. & alias pluries. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide n. 18. & alios ibi notatos.

508. Occurrente Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli in Feria tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ, obſervandum eſt jejunium, quod non poteſt anticipari ratione Carnis Privii. S.R.C. 23. Januar. 1694. *in Ariminen. & una Decretum,*

509. Parochis miniſtraturis SS. Sacramentum Infirmis, non eſt licitum de die, neque de nocte uti parvo Pileolo in delatione ejuſdem per Civitatem, ſub prætextu alicujus infirmitatis, abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia. S. R. C. 13. Auguſti 1695. *in una Urbis.*

510. Sacerdos, qui celebrat Miſſam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non poteſt eam proſequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum. S. R. C. 17. Decembris 1695. *in Januen.*

Idem ſtatutum fuit die 13. Septembris 1670. *in Beneventana*, ut videre eſt n. 446.

511. In Eccleſiis, in quibus occaſione Quadraginta horarum expoſitum detinetur Auguſtiſſimum Sacramentum, congruentius abſtinendum eſt a celebratione Miſſarum Defunctorum, etiam ſi ex præſcripto Teſtatorum eſſent celebrandæ. Sac. Rit. C. 27. Aprilis 1697. *in Eugubina.*

512. Evangelium pro ſolemni benedictione Palmarum a Sacerdote celebrante abſque Diacono, & Subdiacono, canendum eſt in Cornu Epiſtolæ. S. R. C. 27. Aprilis 1697. *in Eugubina.*

513. Diaconus miniſtrans thus Canonico celebranti, ut benedicat, debet dicere: *Benedicite Pater Reverende*, & non *Pater Reverendiſſime*. S. R. C. 4. Aprilis 1690. *in una Burgi S. Sepulchri.*

514. In Vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt Miſſæ privatæ Defunctorum. S. R. C. 27. Aprilis 1697. *in Panormitana.* Vide n. 607. 635. 651.

515. In Eccleſiis, tam Parochialibus, quam non Parochialibus, ubi deeſt numerus Cantorum, non poteſt celebrari in Sabbato Sancto unica Miſſa privata, loco ſolemnis, ut in eiſdem Eccleſiis fiat benedictio, tam Luminis, & Cleri, quam Aquæ, attentis maxime Decretis 11. Februar. & 11. Martii 1690. prohibentibus celebrationem Miſſarum privatarum, & unicam tantum Miſſam Conventualem una cum Officio Sabbati Sancti celebrari præcipientibus. S. Rit. C. 1?. Julii 1697. *in Januen.*

Benedictus vero XIII. juſſit in omnibus Parochialibus debere fieri omnes functiones ſolemnes, etiam ſine numero Cantorum, & miniſtrorum, & parvum Cæremoniale pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit anno 1725. ac ſervari mandavit diebus Purificationis B. M. V. Feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, Feria V. in Cœna Domini, Feria VI. in Paraſceve, & Sabbato Sancto.

516. Benedictio Aquæ in Sabbato Sancto etiam ſine infuſione Olei Sancti, fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus fontem baptiſmalem; quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiis talem benedictionem fieri. S.R.C. 13. Julii 1697. *in Januen.*

517. In Eccleſiis permittuntur Altaria tantum antiqua Sanctis veteris Teſtamenti Prophetis dicata. S. R. C. 31. Auguſti 1697. *in Imolen.*

518. In depoſitione Defunctorum in verbis illis; *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo*, Quando eſt Mulier, aut plures ſunt Defuncti, non poſſunt verba *Servo tuo*, immutari in *Serva tua*, vel *Servis tuis*, abſque Sacræ Rubricæ læſione, & ſervandum eſt Rituale. S. R.C. 31. Auguſti 1697. *in Fanen.*

519. Non eſt tolerandus uſus, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur Feria VI. in Paraſceve, incenſandi iterum SS. Sacramentum poſt incenſationem Oblatorum, omittendo conſuetam Crucis incenſationem, cum ſit contra Rubricam illius diei. S.R.C. 3. Aug. 1697. *in Panormitana.* Vid. n. 535.

520. Ante Verſiculum, qui dicitur Communio, cooperiendus eſt Calix velo in anteriori parte, prout ante Confeſſionem. S. R. C. die 1. Martii 1698. *in Pragen.*

521. Si in Feria III. Rogationum occurrat Feſtum Simplex in Cathedralibus, & Collegiatis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

522. In abſolutione in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, non eſt dicenda tota Concluſio in Oratione. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

523. In expoſitione, & depoſitione SS. Sacramenti, etiam cauſa devotionis non eſt addendum Alleluja ad ℣. *Panem de Cœlo*. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

Hoc Decretum non comprehendit tempus Paſchale, & Octavam Corporis Chriſti, tunc enim addendum eſt ad prædictum ℣. *Alleluja.*

524. In Anniverſario occurrente in Feſto duplici ſecundæ Claſſis, non poteſt cantari Miſſa de Requiem. S.R.C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide n. 20. & alios ibi notatos.

525. In duplicibus primæ Claſſis, etiam præſente Corpore, non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, & multo minus dicenda eſt una Miſſa privata deficientibus Clericis in Choro. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

526. Infra Octavas privilegiatas non poteſt cantari Miſſa Defunctorum in Anniverſario, & officio ſolemni. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide n. 448.

527. In die Anniverſarii, & depoſitionis non poteſt cantari

Miſſa

Digitized by Google

Miſſa Defunctorum loco Conventualis. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide n. 198. 604.

528. In Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus fit de duplici primæ Claſſis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S.R.C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

529. Si Anniverſarium anticipetur, & poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici Miſſa, ut in anniverſario. S.R.C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide n. 20. & alios ibi notatos.

530. Occurrente Feſto S.Marci infra Octavam Paſchatis, in Miſſa Rogationum non eſt dicendum *Credo*. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide n. 18. & alios ibi notatos.

531. Deficiente Subdiacono pro Miſſa ſolemni, data neceſſitate, poteſt permitti per Superiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in Minoribus Ordinibus, ad cantandam Epiſtolam pariter abſque Manipulo. S.R.C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

532. Sacerdos Miſſam celebraturus tranſiens ante Altare, ubi fit Populi Communio, non debet permanere genuflexus, donec, & quouſque terminetur Communio. S. R. C. 5. Julii 1698. *Collen.*

533. In Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, quæ habet privilegium recitandi Officium novem Lectionum qualibet hebdomada non impedita, non poteſt cantari unica Miſſa Feriæ, cum Commemoratione Officii currentis novem Lectionum, quando eo die occurrit Feria, quæ habet Miſſam propriam. S. R. C. 6. Julii 1698. *in Collen.*

534. Poteſt permitti, quod Hebdomadarius, aut alius Canonicus poſt Proceſſionem in Feſto alicujus Sancti, ſtans ad Altare majus, benedicat Populum, habens tantum Superpelliceum, & Stolam, ſicut in aliis Proceſſionibus, in quibus circumferuntur aliquæ Reliquiæ cum Alba, Stola, & Pluviali. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

535. In Feria VI. Paraſceves thurificanda ſunt Oblata; ſed poſt thurificationem Oblatorum, non eſt iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis, ſed Crux, & Altare thurificanda ſunt eo prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus, tranſeundo ante SS. Sacramentum. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Panormitana*. Vide n.° 519.

536. In die Commemorationis omnium Defunctorum in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava Dedicationis Eccleſiæ, Miſſæ privatæ dicendæ ſunt de Requiem, & cantandæ ſunt duæ Miſſæ Conventuales, una ſcilicet de die Octavæ poſt Tertiam, & altera de Requiem poſt Nonam, juxta Rubricas. Quando vero dies Octavæ incidit in Dominica, omnes Miſſæ celebrandæ de die Octavæ; & Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum transferatur in diem ſequentem. S. R. C. 27. Septembris 1698. *in una S. Germani Montis Caſſini*. Vide n. 488. 543. 683.

Per hæc Decreta non derogatur alteri n. 631. ob ſpeciale motivum, ibi indicatum.

537. In tranſeundo de una ad alteram partem Altaris in prima, ſecunda, & tertia Miſſa Nativitatis Domini, ſerventur Rubricæ Miſſalis, quæ nullam præſcribunt genuflexionem ante Calicem eſſe faciendam. S. R. C. 2. Auguſti 1698. *in Veneta*. Vide n. 487.

538. In Expoſitione SS. Sacramenti, cantatis, ſeu recitatis Verſiculis, *Panem de Cœlo, &c.* Sacerdos inſurgens non debet reiterare genuflexionem antequam recitet Orationes. S. R. C. 2. Aug. 1698. *in una Urbis*, & 6. Sept. 1698. *in Ravennaten.*

539. Pyxis, in qua proprio velo coopertum defertur SS. Viaticum Infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S. R.C. 21. Martii 1699. *in Bergomen.*

540. Dignitatibus, ſeu Canonicis in Choro non debetur thurificatio triplici, ſed duplici tantum ductu, non obſtante quod ibi amiſſis diſtributionibus Perſona habens dignitatem, vel Canonicatum incedat cum habitu Prothonotarii in Choro. S. R. Congreg. 21. Martii 1699. *in Cavallicen. Inſulæ*. Vide n. 1. & alios ibi notatos.

541. Non poſſunt Canonici in celebratione Miſſæ uti Palmatoria, vulgo *Bugia*. S. R. C. 11. Julii 1699. *in Vicentina*.

542. Dignitates nunquam debent Canonicis celebrantibus inſervire. S. R. Congreg. 3. Octobris 1699. & 11. Junii 1701. *in Gerunden.*

543. Occurrente duplici minori, ſeu translato in die Commemorationis Defunctorum, Officium faciendum eſt de Sancto, Miſſæ vero celebrandæ ſunt de Requiem. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

Vide n. 488. 536. 631. 683. quæ quidem Decreta firma remanent, non obſtante Decreto, quod datur infra ſub n. 631. per quod ob particularem inſpectionem inſignis Reliquiæ illius Sancti, cujus Officium celebratur ſub Ritu duplici, debet etiam dici *Credo* in Miſſa, quod redolet aliqualem ſolemnitatem, declaravit S. R. C. tale Feſtum eſſe transferendum, non vero celebrandum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

544. In Feſto translationis Patroni Principalis Cathedralis ſub Ritu duplici majori, non poteſt in Miſſa dici Symbolum, nec in ipſa Eccleſia Cathedrali, neque per totam Diœceſim. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

545. In Feſtis SS. Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, quæ celebrantur ſub Ritu duplici majori, non eſt dicendum Symbolum in Miſſa, ſed ſerventur Rubricæ generales Miſſalis Romani XI. de Symbolo. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

546. In Eccleſiis Parochialibus Ruralibus, in quibus per Annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici Miſſa *de Requiem*, quando Anniverſaria ex Teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in Feſtum duplex majus; Non idem tamen dicendum de diebus tertio, ſeptimo, & trigeſimo, ſed ſervetur Decretum Generale editum 5. Auguſti anno 1662. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* Vide n. 422.

547. Ex privata devotione Parochianorum petentium ſæpius per Annum Anniverſaria pro Defunctis parentibus, fratribus, amicis, & aliis Defunctis, poteſt in Ruralibus Eccleſiis cantari Miſſa ſolemnis de Requiem in Feſto duplici minori, altera Miſſa cantata de Feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes, dummodo fermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* Vide n. 20. & alios n. ibi notatos.

548. Quadrageſimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus, necnon in diebus Rogationum occurrente aliquo Feſto duplici, vel ſemiduplici, non licet poſt Primam celebrare Miſſam prædictarum Feriarum, ſed ſolvendæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

549. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt celebrari Miſſa ſolemnis de Requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

550. Benedictio publica ſacrorum Cinerum facienda in Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, non poteſt fieri poſt Tertiam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, in quibus præſcribitur poſt Nonam. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

551. Abſque Pluviali non licet in die, & infra Octavam SS. Corporis Chriſti peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento; non poteſt tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum Pluviali. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

552. In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda Palla à parte ſuperiori drappo ſerico cooperta. S. R. C. 22. Januar. 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

553. Sacerdotes in Miſſæ Sacrificio congruentius utuntur Cingulo lineo, quam ſerico. S. R. C. 22. Januar. 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

554. Quando exponuntur ſacræ Reliquiæ ultra lampadem, debent continuo ſuper Altare ardere duo ſaltem lumina, alias non exponantur. S.R.C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

555. Ante oſtiolum Tabernaculi Sanctiſſimi Sacramenti, in quo depicta, vel inſculpta eſt Imago Domini Noſtri, non eſt retinendum vas florum, vel quid ſimile, ſed poteſt collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. Januar. 1702. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

556. In Miſſa Conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu, & Miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio. S.R.C. 22. Jan. 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*.

557. Canonici Eccleſiæ Cathedralis intereſſentes Concionibus præſertim Quadrageſimalibus, debent eſſe induti habitu Canonicali, dum ſedent in propriis ſtallis. S. R. C. 31. Martii 1703. *in una Pomponi Stabitæ*.

558. Sacerdotes etiam Regulares diebus, quibus propria Officia recitant ſub Ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur Feſtum cum ſolemnitate, & concurſu Populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe Ritui, & colori earumdem Eccleſiarum. In aliis vero diebus poſſunt, ſed quando prohibentur Miſſæ Votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem. S.R.C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci*.

559. Sacerdotes exteri confluentes ad Eccleſias, etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis etiam Ordinis, quando Feſtum celebratur cum ſolemnitate, & concurſu Populi, debent in Miſſis ſe uniformare cum Sacerdotibus illius Eccleſiæ etiam Regularibus quoad *Credo*, & numerum Orationum more duplicium; in aliis vero diebus poſſunt. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci*.

560. In Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica, poſſunt exteri uti coloribus Paramentorum, quibus utuntur Regulares, ratione alicujus Octavæ; & Regulares, Celebrantes in alienis Eccleſiis uti coloribus juxta Ritum eorumdem & tam exteri in Eccleſiis Regularium, quam Regulares in alienis poſſunt apponere commemorationem Octavæ, ut ſupra occurrentis, ſervata Rubrica de duplici Oratione habenda in Dominicis infra Octavam. S.R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci*.

561. Facultas celebrandi cum Miſſali Romano pro Capellanis Monialium, intelligi debet pro omnibus, & ſingulis qui ex debito tenentur celebrare in Eccleſiis ipſarum Monialium, dummodo celebrent cum Miſſali Romano. Sac.

Rituum Congregatio 11. Februarii 1702. *in Tarviſina* Vide n. 238. 634.

562. Prohibitio facta 9. Junii 1668. Sacerdotibus Sæcularibus, etiam Capellanis, qui licet recitaverint Officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, ne celebrent Miſſam de Requiem in Eccleſiis Regularium, in quibus recitatum ſit Officium duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto eorumdem ſui Ordinis, intelligi etiam debet pro Eccleſiis Monialium. Sac. R. C. 11. Februarii 1702. *in Tarviſina*. Vide n. 434. 558. & ſeqq.

563. In prima, & ſecunda Miſſa, quæ celebrantur in die Feſto Nativitatis D. N. J. C. non debet fieri purificatio Calicis. S. R. C. 16. Septembris 1702. *in una Regni Portugalliæ*.

564. Sacerdotes non debent deferre manutergium ſuper Calicem, tam eundo, quam redeundo ab Altari. S. R. C. 1. Septembris 1703. *in Piſauren.*

565. Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non ſunt de juribus mere Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1704. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704. Vide n. 55.

566. Functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ non ſunt de juribus mere Parochialibus. Sac. Rit. Congregat. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. prout ſupra. Vide n. 336.

567. Celebratio Miſſæ ſolemnis Feriæ V. in Cœna Domini non eſt de juribus Parochialibus, ſpectat ad Parochos. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c. Vide n. 336.

568. Prima pulſatio Campanarum in Sabbato Sancto non eſt de juribus Parochialibus, prout jacet, ſed ſpectat ad Eccleſiam Digniorem ad formam Conſtitutionis Leonis X. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, &c. Vide n. 76.

569. Expoſitio quadraginta Horarum, & benedictio, quæ fit ſuper Populo, non eſt de juribus mere Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, &c.

570. Expoſitio, quæ fit cum Reliquiis, vel ſacris Imaginibus, benedictio, quæ cum eis fit ſuper Populo, non eſt de juribus Parochialibus; & quoad benedictiones cum Reliquiis & Imaginibus ſerventur Decreta. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, &c.

571. In Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres ſtatis horis, recitari poſſunt Horæ Canonicæ cum cantu, vel ſine, abſque licentia Parochi, niſi aliter Ordinarius ſtatuat ex rationabili cauſa; & licita eſt in dictis Oratoriis privatis Celebratio Miſſæ, aſſentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho; Capellani autem Confraternitatum poſſunt Populo denunciare Feſtivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada, & abſque licentia Parochi. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, &c.

572. Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt Proceſſiones juxta cujusvis Confraternitatis Inſtitutum, abſque interventu, & licentia Parochi. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, &c.

573. Proceſſiones juxta Inſtitutum Confraternitatum fieri non poſſunt extra ambitum earum Eccleſiarum, abſque licentia illorum Parochorum, per quorum Territorium traſeundum eſt, niſi adeſſet licentia Epiſcopi; & extra propriam Eccleſiam non poſſunt Capellani dictarum Confraternitatum in iiſdem Proceſſionibus deferre Stolam. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, &c.

574. Epiſcopo accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, non eſt porrigendum Aſperſorium a Parocho, in cujus Territorio ſunt ſitæ Eccleſiæ. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, &c. Vide n. 61. & alios ibi notatos.

575. Non poteſt Parochus ceſſante alio ſpeciali, ac legitimo titulo, & ex ſolo jure Parochialitatis compellere Eccleſiarum, & Confraternitatum Rectores, & Capellanos invitos ad aſſiſtendum functionibus Eccleſiæ Parochialis. S. R. C. 10. Decembris 1703. in eodem Decreto generali, &c.

576. In Eccleſiis Confraternitatum, ſi non ſint Parochiales, vel Regulares, non poteſt retineri SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 10. Decembris 1703. in eodem Decreto generali, &c.

577. Præſuppoſita facultate retinendi SS. Euchariſtiæ Sacramentum, non poteſt per annum publice exponi ſine licentia Ordinarii. S. R. C. 10. Decembris 1703. approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704. in Decreto generali, quod extat in Bullario particulari ejuſdem Pontificis par. 2.

578. Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo liceat extra Domum propriæ habitationis in Domibus laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere. S. R. C. 15. Decembris 1703. approbante Clemente XI. in ſua Conſtitutione, quæ extat in particulari Bullario parc. 3. & quæ incipit: *Quoniam Sancta ſancte, &c.* Vide n. 640.

579. In Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licet Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, celebrare in diebus Paſchatis SS. Reſurrectionis D. N. J. C. aliiſque Anni Feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non liceat, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare: atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt Meridiem, & in omnibus hujuſmodi caſibus perſonæ quæcumque dictas Miſſas audientes, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfaciunt. Eadem S. R. C. dicta die 15. Decembris 1703. approbante eodem Clemente XI. ibidem.

580. Quo ad Altare portatile, licentiæ, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in capite *In his, de privilegiis*, & per aliquos Summos Pontifices, aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata ſunt per Sacrum Concilium Tridentinum; & propterea iiſdem Regularibus prohibetur, ne illis utantur, ac mandatur Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concil. in Decreto ſeſſ. 22. cap. unico, uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam iiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde, ac ſi per Sanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet. Eadem S. R. C. 15. Decembris 1703. approbante, & mandante eodem Clemente XI. ibidem. Vid. n. 648.

581. Prima Dignitas præciſe tenetur ſupplere partes Epiſcopi impediti in celebrandis Miſſis ſolemnibus, & peragendis aliis ſolemnibus functionibus ad ipſum Epiſcopum ſpectantibus. S. R. C. 10. Januarii 1749. *in Cremonen.* Vide n. 611.

Idem antea declaraverat 11. Februarii 1702. S. R. C. in *Gerunden.* impedito, ſcilicet, aut nolente Epiſcopo celebrare, & alias functiones explere, ſpectare non ad Vicarium Generalem, aut ad Canonicum Hebdomadarium, ſed ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias ejus vices ſupplere.

582. Dedecet, quod Sacra Corpora, & Reliquiæ SS. Martyrum, quorum Zelotypus eſt Chriſtus, & ſpecialiter Inſignes, collocentur, & conſerventur in Domibus privatis, & apud Laicos, cum ſint cuſtodiendæ, & adorandæ religioſe in Eccleſiis; in Alma Urbe non conceduntur Corpora integra, nec Reliquiæ Inſignes, niſi petentes deferant literas Ordinarii loci, a quo exponatur qualitas Eccleſiarum, in quibus debent collocari, & decenter cuſtodiri; Excipiuntur tamen ab hac prohibitione Magni principes, & conſpicui Eccleſiæ Prælati. Et ne pietas aliorum Fidelium hiſce omnino privetur Sacris theſauris, eis conceduntur Reliquiæ minus Inſignes. Clemens XI. 19. Febr. 1704. in ejus Bullario particulari.

583. Quando in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ occurrit Feſtum Purificationis B. M. V. in Eccleſiis eidem ſub alio titulo dicatis, ſcilicet Annunciationis, &c. Miſſa ſolemnis poſt Benedictionem Candelarum, & Proceſſionem debet cantari de Dominica. S. R. C. 23. Auguſti, & 13. Septembris 1704 *in Catanien.* & 15. Septembris 1736. *in Toletana* Vide n. 691.

584. Cruces Altarium, ſeu Proceſſionum, non ſunt benedicendæ de præcepto; poteſt tamen ſimplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non ſolemniter. Sacr. Rit. Congr. 12. Julii 1704. *in una Urbis*,

585. Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis, licitum eſt Spinam D. N. J. C. præſertim in Paraſceve, capite aperto, ſub Baldachino proceſſionaliter deferre. S. R. C. 12. Julii 1704. *in una Urbis & Orbis*. Vide n. 162. 230. 264. 482.

586. In Eccleſiis, ubi quotidie non cantatur Miſſa, ſi occurrat Feſtum Patroni, ſeu Titularis diebus, quibus non poteſt de eo fieri Officium, poteſt nihilominus (diebus non exceptis a Rubrica Miſſalis tit. 6. de translatione) cantari Miſſa de Patrono, ſeu Titulari, licet non canetur altera Miſſa concordans cum Officio. S. R. C. 23. Auguſti 1704. *in una Ordinis Eremitar. S. Auguſtini*.

587. Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici, qui Cotta induti interveniunt Proceſſionibus funeralibus, deferant ſicuti in aliis Proceſſionibus, Birretum Sacerdotale, non vero Pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis, prout diſponit Rituale Romanum, Tit. de Proceſſionibus, & ut ſæpe reſolvit S. R. C. quæ quidem pilei prohibitio non ſolum eſt pro Eccleſiaſtico Sæculari, ſed etiam Regulari, licet ſint Parochi Cotta induti. Clemens XI. 9. Decembris 1704. *in ejus Bullario particulari part. 2.*

588. Quando Feſtum Purificationis B. M. V. non celebratur die 2. Februarii, ſed transfertur ejus Officium poſt aliquam Dominicam, vel poſt Feſtum ſemiduplex, vel ſimplex, in Suffragiis debet dici ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*,

cum

Digitized by Google

cum Oratione, *Concede nos famulos*, & in Miſſa ſecunda Oratio, *A cunctis*, tertia ad libitum, cum in fine Completorii diei ſecundæ Februarii ex Decreto S. R. C. 11. Januarii 1681. *in una Urbis* dicenda ſit Antiphona, *Ave Regina Cœlorum*, S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Ordinis Cappuccinorum Galliæ*.

589. Si Feſtum S. Marci occurrit in die Paſchatis, Proceſſio cum Litaniis transfertur in Feriam tertiam ſequentem, juxta Rubricam particularem Miſſalis, & ſi alicubi ſit abſtinentia, vel jejunatur, ſervanda eſt conſuetudo a Regularibus. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ*. Vide n. 18. & alios ibi notatos.

590. Dignior e Clero, a quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, Palmam, debet accedere ad Altare, ſine Stola, & genuflexus ſicut alii, recipere Candelam, Cineres, Palmam a Celebrante, & oſculari manum Celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam, &c. Sac. Rit. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ*.

Hoc decretum quoad ſecundam partem circa genuflexionem non loquitur de Canonicis, ſed de aliis inferioribus in Eccleſiis non Collegiatis juxta diſpoſitionem Miſſalis Romani; & ideo non derogat alteri n. 421.

591. Non eſt toleranda conſuetudo quorumdam, qui contra id, quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patenter Hoſtiam conſecratam reſervandam a Feria V. in Cœna Domini, uſque ad ipſius conſumptionem in Feria VI. in Paraſceve. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ*.

592. Antiphona B. M. V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediate ſequitur Miſſa, quæ in Eccleſiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, ſed in Minoribus etiam Regularium, licet non cantetur a Choro, ſed coram Clero legatur tantum a Celebrante, habenda eſt tamquam Conventualis; & in Feſtis ſecundæ Claſſis debet omitti Commemoratio S. Simplicis eadem die occurrentis, ut præſcribitur in Rubrica Miſſalis Tit. 7. n. 1. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ*.

593. Quando dies anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Dominicam primæ Claſſis, infra hebdomadam Majorem, in die Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, vel alio ſolemniori, non poteſt dici Miſſa de dicta Conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die, fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica Concluſione, ut diſponit Cæremoniale Epiſcoporum. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycien*. Vide n. 619.

594. In Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis ſi occurrit Feſtum novem Lectionum, facienda eſt in Miſſa Commemoratio illius diei, niſi Feſtum fuerit ex ſolemnioribus, juxta Rubricas. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycien*.

595. In Miſſa Votiva SS. Sacramenti tertia Oratio dicenda, eſt ea, quæ ſecundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ eſt aſſignata ſecundo loco infra Octavam ejuſdem SS. Sacramenti. S. R. C. 4. April. 1705. *in Lycien*.

596. In Proceſſionibus, & Funeralibus debetur præcedentia Parochis ſupra Manſionarios etiam Eccleſiæ Cathedralis, incedentes ſine Canonicis & Capitulo: Manſionariis autem Eccleſiæ Collegiatæ incedentibus abſque Capitulo, non eſt licitum deferre pelles ſuper brachio in Proceſſionibus funeralibus. S. R. C. 16. Septembris 1705. *in Aretina*. Vide n. 14. & alios ibi notatos.

597. Parochi, Superiores Eccleſiarum Sæcularium, & Regularium, Sacriſtæ, & alii, ad quos ſpectat, non permittere debent, quod Cadavera Eccleſiaſticorum Sæcularium præſertim Sacerdotum, ſicut etiam Diaconorum, & Subdiaconorum transferantur ex propriis Domibus ad Eccleſias, vel in iſtis exponantur quocumque alio habitu, ſive Confraternitatum, ſive Religionum, ſed cum Sacris Veſtibus eorum Ordini convenientibus, juxta diſpoſitionem Ritualis Romani Tit. de Exequiis. Clemens XI. 9. Decembris 1705. *in ejus Bullario particulari part.* 2.

598. Si accedat ad Regularium Eccleſias Epiſcopus Titularis Suffraganeus ad celebrandum Pontificaliter, non debent Regulares ei Baldachinum erigere, quod nec in Eccleſiis ſuis, nec in exemptis Diœceſibus, nec extra Diœceſim illi competit, quamvis accedat de licentia Ordinarii. S. R. C. 6. Martii 1706. *in Hildiſimen*.

399. Miſſa ad poſtulandam gratiam bene moriendi, demandatur apponenda in Miſſali Romano poſt Miſſam *pro Remiſſione peccatorum*; & in Rubricis Generalibus in *Tit. de Coloribus Paramentorum* ſub colore violaceo, ac propterea in Gradualibus ad cantum Chori in eodem cantu, & tono, qui in antiquis habetur Feria IV. Dominicæ primæ, & Sabbato Dominicæ tertiæ in Quadrageſima, & in Dominicis IV. VI. XVI. XX. & XXI. poſt Pentecoſten. S. R. C. 20. Mart. 1706. approbante Clem. XI. 27. ejuſdem Menſis, & Anni.

600. Dignitatibus, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis convenit diſtinctio, tam quo ad qualitatem Paramentorum, quam quo ad locum ſe parandi pro Miſſis privatis reſpectu Altaris tantum, aliorumque Sacerdotum eidem Eccleſiæ addictorum. S. R. C. 20. Martii 1706. *in Recineten. præeminentiarum*.

601. Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ conceditur, ut in Navibus Magnis occaſione longæ navigationis in alto Mari contra Infideles (quibus Navibus rariſſime terra attingitur, & ſunt magni ponderis, ac firmæ ſtructuræ, ut unaquæque ſuſtineat quinquaginta ænea tormenta bellica) celebrari poſſit Miſſa, eo dumtaxat tempore, quo Mare eſt tranquillum, & Cœlum eſt ſerenum, & cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, ſeu Diaconi; ita ut adeſſe non poſſit periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione. Clemens XI. in Diplomate *Exponi nobis*, editum die 22. Martii 1706. *in ejus particulari Bullario part.* 1.

602. Occurrente Vigilia Nativit. S. Joann. Baptiſtæ in die Feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato jejunio Vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis 232. S. M. Urbani Papæ VIII. emanatæ 24. Septemb. 1638. de eadem Vigilia nihil fit in Officio & Miſſa. S. R. C. 18. Septembris approbante Clemente XI. 2. Octobris 1706. Vide num. 281.

Habetur etiam in ejus Bullario particulari part. 2.

603. Feria III. Rogationum non dicitur ſecunda Oratio Dominicæ, S. R. C. 25. Septemb. 1706. *in una Urbis, & Orbis*.

Decretum de non celebrandis Miſſis Votivis privatis, & de Requiem infra Octavam Nativitatis Domini hoc anno emanatum ſervetur. Vide infra ſub num. 628.

604. Super Altare, in quo Sanctiſs. Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debet, cum Imagine Crucifixi appoſita, S. R. C. 14. Maji 1707. *in una Senarum*. Vid. n. 400.

605. Canonicus Sacerdos præcedere debet Canonicum Diaconum, ſeu Subdiaconum anteriorem habentem poſſeſſionem tam in Stallis, quam in omnibus aliis functionibus intra, & extra Eccleſiam, & Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus anteriorem habens poſſeſſionem, promotus poſtea ad Sacerdotium præcedere debet Canonicum Sacerdotem Ordine Sacerdotali anteriorem. S. R. C. 27. Auguſti 1707. *in Sutrina præcedentiæ*. Vide num. 14. & alios ibi notatos.

606. Non poteſt Miſſa Votiva de Spiritu Sancto, vel alia celebrari etiam ab Epiſcopo pro eligenda Abbatiſſa in Feſto duplici, vel Dominica. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen. Dubiorum*. Vide n. 58. & alios ibi notatos.

607. In Vigilia Epiphaniæ non licet celebrare Miſſas privatas de Defunctis. S. R. C. die 16. Junii 1708. *in Pariſien.* Vide num. 514. 635. 651.

608. Quando per Annum fit apud privilegiatos Officium de Immaculata Conceptione, vel ſub alio Titulo, vel de Sancta Maria in Sabbato, vel de SS. Sacramento, ſi dicatur aliqua Miſſa Votiva, non habens Præfationem propriam, Præfatio debet eſſe de Communi, vel de Tempore, ſi tunc ſpecialis dicatur, non vero ea, quæ eſt conformis Officio, & ſervetur Rubrica Generalis Tit. 12. S. R. C. 16. Junii 1708. *in Pariſien.* Vide num. 475.

609. In die S. Laurentii Titularis alicujus Eccleſiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Diœceſis, non eſt recitandum Symbolum Apoſtolorum in aliis Eccleſiis ejuſdem loci, ſed tantum in Eccleſia propria. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Peruſina*.

610. Celebratio Miſſæ ſolemnis in diebus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in die Feſto SS. Corporis Chriſti, ſpectat privative ad primam Dignitatem, ſeu primum de Capitulo; Eo autem abſente vel impedito, non poteſt alium in ſui locum ad libitum ſubrogare, ſed hujuſmodi celebratio fieri debet privative ab illo, qui immediate ſuccedit, non vero ab Hebdomadario. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Compſana*.

611. Celebratio Miſſarum in ſecundis Feriis Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ac in die Feſtivitatis S. Stephani Prothomartyris, necnon in die Dominico infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſpectat ad ſecundum de Capitulo. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Capſana*. Vide num. 58.

612. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in Feſto SS. Corporis Chriſti deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum in Proceſſione, quæ fit in die Dominico infra ejus Octavam, non vero deferendum eſt a primo de Capitulo, qui non celebravit. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Compſana*.

613. Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in Feria II. Quadrageſimæ, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, non debet in Miſſa quarto loco dici Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum, &c.* pro Commemoratione Defunctorum, ſed ſufficit tertia Oratio *A cunctis*. Quod ſi dicatur quarta *Omnipotens, &c.* quinta erit ad libitum. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.*

614. Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in Feria II. poſt Dominicam Paſſionis, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, in Miſſa dicenda eſt ſecunda Oratio de ſimplici tantum. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.* Vide n. 375. 506. 700.

615. Epiſcopi debent uti Veſtibus violaceis in die Annunciationis B. M. V. quando occurrit in Quadrageſima, excepta tota Hebdomada majori, & Feria VI. non vero eo die, ad quem prædictum Feſtum transfertur in Quadrageſima. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.*

616. Cingulum, tertium indumentum Sacerdotale, poteſt eſ-

ſe coloris Paramentorum. S.R.C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* Vide num. 553.

617. Inſtrumentum bugiæ, de candela ſerviens Epiſcopo, non poteſt eſſe materia Ordinis Acolythorum loco Candelabri, ſeu Ceroferarii. S.R.C. 8. Jun. 1709. *in Bracharen.*

618. Quatuor Dignitates, ſeu Canonici aſſiſtentes Epiſcopo ad abſolutionem ad tumulum, debent neceſſario eſſe Sacerdotes. S. R. C. 8. Jun. 1709. *in Bracharen.* Vide n. 6. & ibi nntatos.

619. Commemoratio in Miſſa pro conſecratione Epiſcopi, quando ratione Feſti occurrentis dicitur Miſſa de Feſto habente plures commemorationes, debet uniri cum Oratione Miſſæ, & dici ſub unica concluſione, juxta Rubricam Pontificalis Romani de conſecratione electi in Epiſcopum, & Miſſalis Romani in fine poſt benedictiones. S. R. C. 8. Jun. 1709. *in Bracharen.* Vide n. 593.

620. Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, etiam privilegiati, non poſſunt in Feria VI. Paraſceves, occaſione SS. Annunciationis in dicta Feria occurrentis celebrare in quavis Eccleſia, ſeu Oratorio aliquam Miſſam ſolemnem, vel privatam, nec facere Feſtum, vel parare, & ornare Eccleſias, aut Altaria, licet dicata B. V. jam Annunciatæ, cum ob doloroſam Mortis Noſtri Redemptoris recordationem tenendæ ſint coopertæ ſacræ Imagines, & Altaria ſpoliata, ſed tantum debet fieri ſolita ſacra functio, prout præſcribit Miſſale Romanum, in Eccleſiis ſcilicet, in quibus Feria V. in Cœna Domini collocari ſolet Venerabile in aliquo Altari, vel alio decenti loco vulgato, *Il Sepolcro*, & per hanc prohibitionem pro Feria VI. in Paraſceve, non poſſunt in Feria V. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Miſſæ privatæ, ſed ſolum Conventualis juxta Ritum Sanctæ Eccleſiæ, & iterata Decreta. S.R.C. Clem. XI. 15. Mart. 1712. in ejus Bullario particulari part. 2. Conſt. 17. Vide n. 495. 501. 632.

621. Quando in Miſſa ſolemni miniſtratur Sacra Euchariſtia Clericis, vel Laicis, reliqui de Clero in Choro debent ſtare. S. R.C. 9. Maji 1711. *in Catanien.*

622. Miſſæ pro Defunctis, ſive de Requiem in Feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani, nullatenus celebrari debent. Quod ſi ex Benefactorum inſtitutione Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidunt in Feſtum duplex, tunc, ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, ſed dicantur de Feſto currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum. S.R.C. 5. Aug. 1662. approbante Alexandro VII. eadem die, & iterum ab eadem demandatum 15. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

623. Decretum de die 5. Aug. 1662. ab Alexand. VII. approbatum, de Miſſis Defunctorum non celebrandis in Feſto duplici, ſed dicendis de dicto Feſto cum applicatione Sacrificii, a ſpeciali Brevi, quod incipit: *Credite nobis*, iterum ab eodem fuit confirmatum, ac inſuper ſtatutum idem ſervari debere, quoad Miſſas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, & Indulgentias per ejuſmodi Privilegia conceſſas Animabus in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum. Ac Denique declaratum, Anniverſaria, & Miſſas cantatas de Requiem relictas ex diſpoſitione Teſtamentorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, in prædicto Decreto die 5. Aug. 1662. edito minime comprehendi, prout antea. S. R. C. 22. Nov. 1664. *in una Novarien.* declaravit die 22. Jan. 1667. Pontif. XII. ac denuo ab eadem S.R.C. demandatum 15. Septemb. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

624. Clem. IX. S. R. C. Decreta de die 5. Auguſt. 1662. & 22. Novemb. 1664. alio Brevi, cujus initium: *Cum ſel. rec.* confirmavit. & Alexand. VII. diſpoſitionem de die 22. Jan. 1667. Quoad Miſſas in Altari privilegiato ex obligatione celebrandas, & Indulgentias per hujuſmodi privilegia conceſſas Animabus Purgatorii ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ de Requiem, extendit ad Altaria, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus nunc, & in futurum quandocumque Privilegiata. Die 23. Sept. 1669. Pontific. III. Quod quidem ab eadem S. R. C. fuit confirmatum 15. Septemb. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

625. Declaratinnes Alexand. VII. 22. Jan. 1667. & Clem. IX. 23. Septemb. 1669. circa Miſſas Defunctorum in Altari pro Animabus Purgatorii privilegiato non celebrandas, licet loquantur tantum de Feſtis duplicibus, tamen intelligenda ſunt etiam de diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licet a Feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum juxta Ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licitum eſt, ſervata cæteroquin Privilegiorum forma ad Altaria privilegiata celebrentur. S. R.C. 3. Apr. 1688. ab Innoc. XI. Brevi, quod incipit: *Alias poſtquam* 4. Maji 1688. confirmatum, & denuo ab eadem demandatum 15. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

626. Decretum a S. R. C. Ann. 1630. editum, quo permittitur poſſe in Eccleſiis recitari Officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis quorum Corpora, vel Reliquiæ inſignes in iiſdem aſſervantur, intelligendum eſt de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis eorumdem, vel inſignis Reliquiæ, ſecus vero de Sanctis in eodem Martyrologio non deſcriptis; Quorum tamen Corporibus, & Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis debita Fidelium veneratio exhibenda eſt, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtit. S. Pii V. contentis. S.R.C. 11. Aug. 1691. approbante Innoc. XII. 19. Octob. ejuſdem, & iterum ab eadem demandatum 15. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

627. Ad augendam Fidelium venerationem erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque cultum in toto Terrarum Orbe promovendum, prohibuit celebrari Miſſas Votivas, vel pro Defunctis infra Octavam Corporis Chriſti. S. R. C. 21. Jun. 1670. & iterum ab eadem 15. Sept. 1714. demandatum, annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

628. Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ Votivæ, vel pro Defunctis. In Miſſis vero ſolemnibus pro re gravi infra eamdem Octavam celebrandis dicenda eſt Præfatio juxta Rubricam generalem tit. 12. n. 4. S.R.C. 25. Sept. 1706. & denuo ab eadem 15. Sept. 1714. demandatum, annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

629. Feria V. in Cœna Domini, cum Epiſcopus exit a Sacrorum Cuſtodia ad Altare, non debent Canonici, qui eum parati aſſociant, præcedere Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos paratos, qui eum comitantur, ſed debent ſequi. S.R.C. 8. Jun. 1709. *in Bracharen.*

630. In Vigilia Omnium Sanctorum ſi occurrit dici Miſſa de Feſto ſemiduplici poſt Orationem Vigiliæ, tertia Oratio erit *A cunctis*, non vero de Spiritu Sancto. S.R.C. 21. Jun. 1710. *in una Ordinis Cappuccinorum.*

631. Quando die 3. Novemb. occurrit Feſtum duplex minus ratione inſignis Reliquiæ (ſicut accidit Oeniponti in Eccleſia PP. Soc. Jeſu, in qua celebratur Feſtum S. Pirmini Epiſcopi Meldenſis ob inſignes ejus Reliquias ibi aſſervatas) & cadit in Feria II. in qua transfertur aliquando Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, tunc dictum Feſtum transferendum eſt ad primam diem non impeditam, non vero celebratur dicta die tertia ſimul cum Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Ita decrevit S.R.C. die 11. Jul. 1716. *in una Oeniponti, ſeu Brixinen.*

Per hoc Decretum non derogatur Decretis datis ſub n. 488 636. 643. & 683. nam ob ſpecialem inſpectionem dictarum Reliquiarum inſignium, congruum cenſuit S. C. transferendum eſſe tale Feſtum, ut de eodem poſſent celebrari omnes Miſſæ, in quibus dicitur etiam *Credo*, quod redolet ſpecialem aliquam ſolemnitatem.

632. Si Feſtum Sanctiſſimæ Annunciationis inciderit in Feriam V. majoris hebdomadæ, præceptum audiendi Miſſam, & abſtinendi a ſervilibus, non erit transferendum, ſed omnino ſervandum in prædicta Feria V. prout in Camerinenſi, & pro Eccleſiis Almæ Urbis mandatum fuit 20. Mart. 1660. adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro Civitatum, & Pagorum qualitate, ac Chriſti Fidelium in iis degentium numero, plures Miſſæ privatæ ante celebrationem Miſſæ Conventualis, pro præcepti adimplemento, celebrandæ non deſint; ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma Religione hactenus obſervatus, nullo modo omittatur. S.R.C. 12. Sept. 1716. approbante Clem. XI. 27. ejuſdem, in ejus Bullario particulari part. 3. Vide n. 377. 455. 501.

633. Quando Altare fuit conſecratum ad modum Altaris fixi cum Sacris Sigillis, & unctionibus inter ſtipitem, & Altare, ſi motus fuerit lapis ſuperior, qui format menſam Altaris, a ſuo ſtipite, tunc execratur Altare. Si vero fuit conſecratum ad modum Altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, ſed tantum quando frangitur Sepulcrum Reliquiarum. S. R. C. 21. Jun. 1710. *in una Ordinis Cappuccinorum.*

634. Confeſſario, & Capellanis tantum quarumcumque Monialium ſervitio addictis licitum eſt Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant Officium, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de Communi, non vero Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus conceſſas. S. R. C. 20. Nov. 1717. approbante Clem. XI. die 1. Decembr. *in Decreto generali contento* in ejus Bullario particulari part. 3. Vide n. 238. 561.

635. In Vigilia Epiphaniæ, Miſſæ Votivæ, & Defunctorum celebrari non poſſunt. S.R.C. 10. Dec. 1718. *in Æſina.* Vide n. 514. 607. 651.

636. Epiſcopus celebrans Miſſam de Natali Domini in Pontificalibus, vel aſſiſtens cum Pluviali, vel Cappa, quæ eo die ob maximam ſolemnitatem nunquam conveniret ex quo ſedens legit Evangelium, non debet genuflectere ad *Ver-*

*bum*

Digitized by Google

*bum caro factum eſt*, ſed ſolum quando Diaconus illud cantat, S. R. C. 28. Septembris 1708. *in Bracharen. Dubiorum.*

637. Epiſcopus, deputatus Adminiſtrator alterius Eccleſiæ, in functionibus Pontificalibus, non gaudet omnibus illis præeminentiis, & prærogativis, quibus fruuntur, & gaudent omnes alii Epiſcopi in propriis Diœceſibus. S. Rit. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

638. Epiſcopus, & Adminiſtratnr amovibilis Eccleſiæ vacantis, dum cantat Miſſam, & Veſperas in Pontificalibus non poteſt ſedere ſuper Cathedra Epiſcopali elevata quatuor gradibus, parata cum Baldachino, & poſtergali, nec uti poteſt Baculo Paſtorali, ſed ſedere debet ſuper Faldiſtorio prope Altare, ſine ipſo Baculo. S. R.C.22. Auguſti 1722. *in Sarſinat.*

639. Epiſcopus deputatus Adminiſtrator amovibilis Eccleſiæ vacantis, noo poteſt concedere Indulgentiam quadraginta dierum ſine ſpeciali facultate Apoſtolica. S. R.C.22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

640. Epiſcopo deputato Adminiſtratori amovibili Eccleſiæ vacantis, dum aſſiſtit Miſſæ ſolemni ab alio cantatæ, non debent Canonici facere Circulos *ad Kyrie eleiſon*, *Gloria in excelſis*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, & tuoc ſedeat in primo Stallo Chori. S.R.C.22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

641. Pro Epiſcopo deputato Adminiſtratore Eccleſiæ vacantis fieri non debet Anniverſarium ſuæ Conſecrationis, cum Miſſa cantatur per Capitulum, & Clerum: ejuſque nomen non debet in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes. S. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.* Vide n. 149.

642. Dum Epiſcopus deputatus Adminiſtrator Eccleſiæ vacantis Miſſam cantat in Pontificalibus, non debet poni ſuper Altare ſeptimum Candelabrum cum Candela accenſa. Sacra Rit. Congreg. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

643. Dum Epiſcopus deputatus Adminiſtrator amovibilis Eccleſiæ vacantis, cantat Miſſam in Pontificalibus, noo debent omnes Canonici Sacris Paramentis indui, ſed tres tantum fungentes Officio Diaconi, Subdiaconi, & Presbyteri Aſſiſtentis. S. R. C. 22. Auguſti 1622. *in Sarſinaten.*

644. Cum Epiſcopus Adminiſtrator Eccleſiæ vacantis, vadit ad Cathedralem, poteſt proprio arbitrio ſumere Cappam Magnam, vel in Ædibus ſuperioribus Epiſcopatus, vel in ingreſſu Eccleſiæ, vel Presbyterii. Sac. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

645. Epiſcopum adminiſtratorem accedentem ad Cathedralem, decet, quod omnes Canonici excipiant in Ædibus Epiſcopalibus, non vero ſoli tres, aut quatuor ad portam Eccleſiæ. S. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

646. Diebus Feſtis fieri debent publicæ orationes pro novi Epiſcopi electione ad formam Concilii Tridentini, & Cæremonialis Epiſcoporum, licet adſit Epiſcopus adminiſtrator. S. R. C. 22. Auguſti 1712. *in Sarſinaten.*

647. Epiſcopi abuſus omnes, qui in Eccleſiis, aut Sæcularibus, aut Regularibus contra præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum, & Ritualis Romani, vel Rubricas Miſſalis, & Breviarii irrepſerint, debent omnino removere, & ſi adverſus ea, quæ in dicto Cæremoniali ſtatuta ſunt, conſuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, poſtquam recognoverint, aut eam non ſatis probari, aut etiam probatam ſuffragari, utpote irrationabilem, de jure non poſſe, executioni eorum, quæ in dicto Cæremoniali inſtituta ſunt, diligenter incumbere debent, nec ulla ſuſpenſio, aut appellatio admittitur. Innocentius XIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii*, 13. Maji 1723. ſuper Eccleſiaſtica Diſciplina confirmata a Benedicto XIII. in alia Conſtitutione, quę incipit: *In ſupremo*, 23. Sep. 1724. Vid. n. 39. & 50.

648. Circa Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, & uſum Altaris geſtatorii juxta Clementis XI. de die 15. Decembris 1703. npportunum Decretum, Epiſcopi debent operam dare, ut omnia ibidem ſtatuta, ubique ſerventur, idemque in ſuis reſpective Diœceſibus, ut facilius omnibus innoteſcat, publicari faciant, addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium Cellis, ſive Cubiculis erigatur Altare pro ſe ad ſacra ibidem facienda, & contra quoſcumque contravenientes, cenſuris etiam Eccleſiaſticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis Apoſtolicæ in memorato Decreto ipſis delegata, remotaque quacumque in contrarium conſuetudine etiam immemorabili. Innocent. XIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii*, 13. Maji 1723. ſuper Eccleſiaſtica Diſciplina, confirmata a Benedicto XIII. in alia, quæ incipit: *In ſupremo*, 23. Septembris 1724. ex Bullario Romano. Vide n. 579.

649. In Decreto a Clemente XI. 15. Decembris 1703. promulgato circa Miſſarum celebrationem in Oratoriis privatis, necnon circa uſum Altaris geſtatorii ſtatuitur, non licere Epiſcopis extra Domum propriæ habitationis in domibus Laicis erigere Altare; ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere; declaratur quod hujuſmodi prohibitio intelligenda non eſt de domibus etiam Laicis, in quibus dicti Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiuntur, ut nec etiam quando Epiſcopi io caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciunt in aliena domo per modum ſimilis habitationis: in his enim caſibus licita iis erit erectio Altaris, ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus, ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. Innocentius XIII. 13. Maji 1723. in Conſtitutione, quæ incipit; *Apoſtolici Miniſterii*, ſuper Eccleſiaſtica Diſciplina, quam confirmavit Benedictus XIII. 17. Septembris 1724. in alia, quæ incipit: *in ſupremo*, 23. Septembris 1724. ex Bullario Romano. Vide n. 578.

650. In Litaniis Sanctorum pro diverſitate functionum, & temporis aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ, ſtatim adjungi debet S. Joſephi, dicendo, *Sancte Joannes Baptiſta, Ora pro nobis: Sancte Joſeph, Ora pro nobis: Omnes Sancti Patriarchæ*, Benedictus XIII. 19. Decembris 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis*. Vide n. 179.

651. In Vigilia Epiphaniæ Domini noo poſſunt celebrari Miſſæ privatæ de Requiem, & Votivæ. S.R.C.16. Sept.1630. *in una Ordinis Hieroſolymitani*. Vide n. 514. 607. & 635.

652. Canonici, & Beneficiati, dum occaſione benedictionis Auguſtiſſimi Sacramenti ſingulis Dominicis poſt Completorium cantatur Hymnus *Pange lingua*, non tenentur deſcendere a Choro, ſed flexis genibus canere ante Venerabile, & remanere poſſunt in eorum ſtallis Choralibus. S. R. C. 26. Auguſti 1730. *in Avenionen.*

653. Capellani Eccleſiæ Cathedralis, de Maſſa nuncupati, Epiſcopum Miſſam, aliaque Divina Officia Pontificaliter celebraturum ex Aula Epiſcopali ad Eccleſiam, & ab ea ad Aulam, ubi adeſt antiquum ſolitum comitari tenentur. S. Rit. Congreg. 3. Martii 1731. *in Januen.*

654. Aſſociatio a Capellanis, juxta antiquum ſolitum debetur Epiſcopo, quando ipſe Cappa indutus deſcendit ad Eccleſiam pra præſtanda aſſiſtentia. S.R. C. 3. Martii 1731. *in Januen.*

655. Capellani, ubi adeſt antiquum ſolitum, in Aula Epiſcopali, quando Epiſcopum excipiunt tam in acceſſu, quam in regreſſu, tenentur eidem Epiſcopo genuflectere. S. R. C. 3. Martii 1731. *in Januen.*

656. Capellani, de Maſſa nuncupati, non tenentur Epiſcopo Pontificaliter celebraturu deferre Sacra Paramenta ad Cathedram Epiſcopalem, niſi deficientibus Acolythis, actualiter vero Celebranti debent tenere librum, & bugiam. S. R. C. 3. Martii 1731. *in Januen.*

657. Directio Chori privative ſpectat ad Primicerios, quatenus interſunt Choro. S.R.C. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

658. Non poſſunt Primicerii, eiſdem, vel eorum altero abſentibus ſubrogare eurum loco ſimplicem Presbyterum, ſed eorum vices ſupplere debent Canonici; eoſque coadjuvare in canendis Antiphonis. S.R.C. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

659. Primicerii quando ſunt ſecundæ Dignitates, debent aſſiſtere Epiſcopo in Eccleſia Collegiata Diœceſis Pontificaliter celebranti. Sac. Rit. Congreg. 24. Novembris 1731. *in Baren.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

660. Primicerii, ſeu ſecundæ Dignitates non debent aſſiſtere in officio Diaconi, & Subdiaconi Archipresbytero primæ Dignitati functiones ſolemniter peragenti. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

661. Aliqui ex Dignitatibus, ſeu Primiceriis, & Canonicis abeſſe poſſuot a Choro audiendi cauſa Monialium, ſeu Sæcularium Confeſſiones, & dirigendi Confraternitates, vel ex alia cauſa pro diebus, quibus tenentur intereſſe Choro. Sacra Rit. Conge. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

662. Ad ſecundas Dignitates, non vero ad Canonicos ſpectat peragere functiones ſolemnes, prima Dignitate impedita, vel celebrare nolente. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

663. Functiones ſolemniores Dignitatibus, ſeu Primiceriis peragentibus, tenentur Canonici illis aſſiſtere in munere Diaconi, & Subdiaconi. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Baren.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

664. Abbatibus Pontificaliter indutis, uti coabſiſtentibus juxta Decretum 12. Julii 1727. debetur præcedentia ſuper Canonicos Cathedralis in Proceſſionibus funerum. S.R.C.24. Novembr. 1731. *in Raguſina*. Vide n. 14. & ibi notatos.

665. Abbates Pontificalibus induti invitati pro aſſiſtentia in ſolemnibus Veſperis, Proceſſione, & Miſſa debent ſedere in loco decenti ſeparatim a Canonicis in Choro poſt Epiſcopos. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Raguſina*. Vide n. 6. & alios n. ibi notatos, necnon n. 14. & alios ibi notatos.

666. Abbatibus Pontificaliter indutis, & genua flectentibus in actu receptionis, & reſtitutionis Sacrarum Reliquiarum, quæ per eoſdem in Proceſſione deferuntur, debet permitti uſus ejuſdem Pulvini, quo in eodem actu utuntur tam Archiepiſcopus, quam Epiſcopi Suffraganei. S.R. C. 24. Novembris 1731. *in Raguſina*.

667. Abbates Pontificaliter induti in Proceſſionibus ſecum ducere poſſuot duos tantum Clericos, ſeu Monachos Cotta indutos in utroque latere aſſiſtentes pro ſervitio, & uſu Mitræ, & Baculi Paſtoralis. S.R.C.24. Novembris 1731. *in Raguſina.*

668. Licitum eſt Capitulo eligere pro functionibus Canonicalibus, & ejus ſervitio Magiſtrum Cæremoniarum diſtinctum ab altero Epiſcopi S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana*.

669. Magiſter Cæremoniarum non poteſt ſuum munus exer-

cere abſque approbatione Epiſcopi. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana*.

670. Magiſter Cæremoniarum in functionibus tantum Epiſcopalibus, uti valet veſte violacea, ex diſpoſitione Cæremonialis. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana*.

671. Dignitates, & Canonici in eorum Miſſis privatis celebrandis, tam intra, quam extra Cathedralem ultra unum inſervientem, qui Miſſæ reſpondeat, uti non poſſunt Magiſtro Cæremoniarum, cum vel ſine veſte violacea, vel alio Miniſtro Sacerdote, tam pro delatione Calicis ad Altare, & illius reportatione ad Sacriſtiam, quam pro ſuſtinendo Miſſale, indicando Orationes, operiendo, & porrigendo Patenam cum Hoſtia, eumdemque poſtea cum velo inſtruendo, & cæteris actibus Miſſæ inſerviendo ad inſtar Epiſcoporum; ſed debent celebrare, ut quilibet alius ſimplex Sacerdos, omnes relatos Ritus a ſeipſo explendo abſque ope Miniſtri. Sac.R.C.7. Julii 1734. *in Aquilana*.

672. Dignitates, & Canonici tenentur capitulariter in babitu Canonicali recipere Epiſcopum a ſuo Cubiculo, & aſſociare ad Eccleſiam Cathedralem, ſimilique modo ad idem reducere, quando ipſe vult Pontificaliter celebrare tam in ſolemnioribus a Pontificali Romano præſcriptis, quam in aliis Feſtis ex conſuetudine, vel devotione in Civitate introductis, vel occaſione univerſalis Jubilæi, vel alia rationabili cauſa Epiſcopu beneviſa. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana*. Vide n. 6. 23. 94. 673.

673. Quando Epiſcopus ad Eccleſiam Cathedralem accedit cum Cappa, ut aſſiſtat Miſſæ cantatæ, Veſperis, vel Proceſſioni, vel ut Concionem audiat, vel alia de cauſa, dignitates, & Canonici tenentur capitulariter in habitu Canonicali ipſum recipere a ſuo cubiculo, & aſſociare ad eamdem, & ſimiliter ad idem reducere, juxta Cæremoniale Epiſcoporum. S. R. C. 6. Julii 1734. *in Aquilana*. Vide n. 6. 672. & n. ibi notatos.

674. Licitum eſt Capitulo eligere Magiſtrum Cæremoniarum ab Epiſcopo confirmandum. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana*.

Pro hujus Decreti intelligentia animadvertendum eſt, quod in qualibet Cathedrali retineri debent duo Magiſtri Cæremoniarum, unus eligendus a Capitulo pro functionibus Capitularibus, alter eligendus ab Epiſcopo pro functionibus Epiſcopalibus, uterque tamen approbandus eſt ab Epiſcopo, ut declaratum fuit per Congregationem particularem a Clemente XI. deputatam *in Caſalen*. 16. Maji 1708. quæ quidem reſolutio una cum aliis fuit ab eodem Pontifice confirmata per Breve 6. Junii 1708. Quæſtio autem non verſabatur circa primum, ſed circa ſecundum ex dictis Magiſtris Cæremoniarum, cujus electio debet quidem fieri a Capitulo, ſed confirmari ab Epiſcopo, juxta deciſionem Congregationss particularis.

675. Epiſcopus juſtis de cauſis in Cæremoniali Epiſcoporum præſcriptis confirmationem Magiſtri Cæremoniarum a Capitulo factam poteſt denegare, nec tenetur cauſas exprimere. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana*.

676. Magiſter Cæremoniarum non cenſeri debet electus privative etiam quoad omnes functiones Pontificales, & aſſiſtentias præſtari ſolitas Epiſcopo tam intra, quam extra Eccleſiam Cathedralem. S.R.C.17. Julii 1734. *in Monopolitana*.

677. Epiſcopo licitum eſt alium Magiſtrum Cæremoniarum eligere pro omnibus functionibus ab ipſo peragendis, & aliis ipſo præſente explendis, tam intra, quam extra Eccleſiam Cathedralem. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana*.

678. Magiſtro Cæremoniarum ab Epiſcopo electo omnes Capitulares tenentur obedire quoad ea, quæ divinum cultum concernunt ſub pœna arbitrin Epiſcopi. S. R.C.17. Julii 1734. *in Monopolitana*.

679. In Feſto S. Marci, vel reſpective in Feriis Rogationum, ſi fiat de Officio duplici, vel ſemiduplici in locis, ubi tantum una Miſſa cantasur, pro majori Populi commoditate, ut poſſit poſt Proceſſionem vacare laboribus, convenientius eſt Proceſſionem facere poſt Nonam, inde cantare Miſſam Rogationum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden*. Vide n. 18. & alios ibi notatos.

680. In Feſto B. M. V. de Monte Carmelo, dicenda eſt Miſſa a Sede Apoſtolica approbata, quæ incipit: *Gaudeamus omnes &c.* juxta præceptum Benedicti XIII. & in Miſſali Romano impreſſa. S.R.C. 5. Maji 1736. *in Einſilden*.

681. Quando Feſtum S. Petri Martyris transfertur extra tempus Paſchale, Evangelium erit: *Si quis venit ad me*. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden*.

682. Ab Orationibus expungenda ſunt cognomina, & patriæ Sanctorum. Sac. Rit. Congr. 23. Junii 1736. *in Einſilden*. Vide n. 196.

683. Annua Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu Communitatis non eſt transferenda, ſi in illa die occurrat Feſtum duplex minus, etiam translatum, ſed fiet Officium de duplici cum ſola Miſſa ſolemni poſt Tertiam; Officium vero Defunctorum recitandum erit poſt Laudes ſub Ritu duplici, & omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis in paramentis nigris. Sac. Rit. Congr. 5. Maji 5736. *in Einſilden*. Vide n. 488. 536. 543.

Per hæc Decreta derogatum non venit alteri n. 631. ob particulare motivum Inſignis Reliquiæ ibi expoſitum.

684. Dum Miſſa cantatur coram SS. Sacramento in Altari expoſito, debet fieri Commemoratio de eodem SS. Sacramento poſt omnes alias Commemorationes de præcepto, & in Miſſis ſolemnibus tantum Feſtorum primæ, & ſecundæ Claſſis eſt facienda ſub unica concluſione. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Burgen*.

685. Sequentia in Miſſa de SS. Nomine Jeſu, eſt omittenda. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Burgen*. & 16. Februarii 5737. *in Meclinien*.

686. Dum præter Miſſam Conventualem cantatur Miſſa Votiva ex fundatione, in hac Miſſa non debet fieri Commemoratio Feſti, de quo cantatur Miſſa Conventualis, Sac. Rit. C. 23. Junii 1736. *in Burgen*.

687. Quando occurrit Vigilia, aut Feria Quatuor Temporum infra Octavam Conceptionis B. M. V. debet recitari Officium de die infra Octavam. Miſſæ autem, ſive una cantentur, ſive legantur, ſint de Feria Quatuor Temporum cum ſecunda Oratione de Octava, & tertia de Spiritu Sancto, quæ ſemper dicitur infra Octavas B. M. V. juxta Tit. 9. de Orationibus n. 7. & 9. nam Oratio, quæ ibi præſcribitur dicenda ſecundo loco, ponitur tertin loco.

At ſi Feria Quatuor Temporum occurrat in die Octava Conceptionis, omnes Miſſæ privatæ dicantur de Octava, cum commemoratione Feriæ. Miſſa autem ſolemnis, quæ dicitur poſt Tertiam, erit de ipſa Octava ſine commemoratione Feriæ, cum de ea cantari debeat alia Miſſa poſt Nonam ſine commemoratione Conceptionis. Dicendæ autem ſunt Orationes aſſignatæ in ipſa Feria, nempe *Deus qui de B. V. utero*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, cum Præfatione communi. Idem ſervandum eſt in Miſſa, & Officio alicujus Sancti, ex ſpeciali privilegio aliquibus in locis in Quadrageſima Octavam habente, in qua Miſſæ omnes dici debent de Feria cum commemoratione Octavæ, & tertia Oratione *Concede*, non vero *A cunctis*.

Tempore autem Paſſionis, quando contingat fieri Officium de infra Octavam, unica pariter cantari debet Miſſa de Feria cum commemoratione diei infra Octavam, & Præfatione de Octava, ſi habetur propria, ut dictum eſt de Octava Conceptionis. S. R. C. 23. Junii 5736. *in Einſilden*. Vide quæ dicta ſunt in noſtris Obſervationibus p. 1. tit. 3. n. 5.

688. In Miſſa Feriali, quæ ſubſtituitur Miſſæ de Octava, eſt genuflectendum in Choro. S.R. C. 23. Junii 1736. *in Einſild*. Vide quæ dicta ſunt in Novis Obſervat. p. 1. tit. 3. n. 5.

689. In Miſſa Votiva, quæ celebrari aliquando poteſt infra Octavam, in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, & ſecunda Rogationum, prima Oratio erit de Miſſa, ſecunda de Octava, tertia de Feria, & non recitatur Evangelium Feriæ, ſed initium S. Joaonis: *In principio, &c.* S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden*.

690. In ſecundo triduo majoris Hebdomadæ non poſſunt celebrari exequiæ Defunctorum, & Officium, & Preces recitentut privatim. S. R. C. 11. Auguſti 1736. *in Placentina*.

691. Si Feſtum Purificationis B. M. V. venerit in Dominica Septuageſimæ, vel Sexageſimæ, in Eccleſiis dicatis ſub Titulo Annunciationis, vel Aſſumptionis debet cantari Miſſa Dominicæ tantum, nec facienda eſt commemoratio Purificationis B. M. V. S.R.C. 15. Septemb. 1736. *in Toletana*. Vide n. 583.

692. In Proceſſiune Feriæ VI. in Paraſceve, Epiſcopo totum Officium, & ſacram functionem in Pontificalibus non peragente, non ſunt a geſtantibus haſtas Baldachini adhibenda Pluvialia, ſed ſolum Cottæ. Sac. Rit. C. 15. Septembris 1736. *in Toletana*.

693. In adoratione Crucis Feriæ VI. in Paraſceve debent Celebrans, & Miniſtri deponere etiam Manipula. S.R.C. 15. Septembris 1736. *in Toletana*.

In extendendu hoc Decreto irrepſit forſan aliqnis error Scriptoris, ut aliquando evenit, quia ex Rubricis Miſſalis potius deducitur, non deponendum Manipulum in dicta circumſtantia; unde opus eſt, ut hoc diligentius examinetur.

694. Translatn Feſto ſemiduplici ad Vigiliam alicujus Apoſtoli, in Miſſa Feſti, tertia Oratio debet eſſe *A cunctis*, Sac. Rit. Congr. 15. Septembris 1736. *in Toletana*.

695. Si ſecunda Oratiu eſt de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentin, tertia, ſive ultima non debet concludi *ejuſdem Spiritus ſancti Deus, &c.* S.R.C. 25. Sept. 1736. *in Toletana*.

696. In Commuoione Monialium habentium feneſtellam in parte Evaugelii, Sacerdos debet deſcendere, & reverti per gradus anteriores, & non laterales Altaris. S. R. C. 15. Septembris 1737. *in Toletana*.

697. Poſt expoſitionem Reliquiæ Sanctiſſimæ Crucis, vel poſt ejus delationem in Proceſſione, benedicendus eſt Populus cum ipſa. Sac. Rit. C. 15. Septembris 1736. *in Brixien*.

698. Reliquia SS. Crucis non eſt incenſanda a Celebrante genuflexo. Sac. Rit. C. 15. Septembris 1736. *in Brixien*.

699. Non eſt genuflendum a Capituln, & Clero & proceſſionaliter trauſeuntibus ante Altare, in quo recondita eſt Reliquia SS. Crucis. S.R.C. 14. Septembris 1736. *in Brixien*.

700. In Miſſis Ferialibus a Dominica Paſſionis uſque ad Feriam V. in Cœna Domini, & infra Octavas Paſchatis, &

Pen-

Pentecoſtes, juxta alias reſolutione 22. Novembris 1659. *in una Rubricarum* 13. Septembris 1692. *in Cæſarauguſtana*, & 4. Maji 1709. *in Piſtorien.* occurrente Feſto ſimplici, non eſt dicenda tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. S. R. C. 15. Septemb. 1736. *in una Rubricarum*. Vide n. 375. 506. 614.

701. Cum Sacrorum Rituum Congregatio ſub die 29. Decembris Anni 1670. annuente ſan. mem. Clemente X. demandaverit in expreſſione Nominum Beatorum, qui canonizandi ſunt, ſervandum eſſe Ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, nempe antecedere debere, Primo illos ſtatus Clericalis; ſecundo illos ſtatus Regularis; & tertio inter plures ejuſdem Ordinis attendendum eſſe tempus mortis; prout clarius ſubinde declaravit alio ſimili Decreto die 24. Januarii ſubſequentis Anni 1671. ab eodem Pontifice ſimiliter approbato; Cumque occaſione proximæ futuræ Canonizationis dubitatum fuerit de ordine ſervando in exprimendis Nominibus B. Vincentii a Paulo Sacerdotis Fundatoris Congregationis Miſſionis, & Societatis Puellarum de Charitate; & B. Joannis Franciſci Regis Sacerdotis Profeſſi Societatis Jeſu; Congregatio Particularis Sacrorum Rituum a Sanctiſſimo Domino Noſtro deputata hoc ſuo Decreto, ſtatuit, & mandat, ſervari memorata Decreta, cum hac tamen declaratione, quod ſi inter plures ejuſdem ſtatus, & Ordinis reperiatur unus, qui ſit Fundator alicujus Religionis, Congregationis, Societatis, aut alterius hujuſmodi Inſtituti, ſive Clericalis, ſive Regularis a S. Sede approbati, præferatur aliis, qui hanc qualitatem Fundatoris non habent, licet ante in Domino obdormierint, ideoque in caſu, de quo agitur, primo loco nominetur Vincentius a Paulo, ſecundo Joannes Franciſcus Regis, ſi Sanctiſſimo, &c. Die 16. Aprilis 1737.

Factaque per me Fidei Promotorem de prædictis SS. Domino Noſtro CLEMENTI XII. relatione, Sanctitas Sua Decretum iſtud prædictæ Sacræ Congregationis Particularis confirmavit, & approbavit, & in poſterum ſervari mandavit. Die 17. ejuſdem menſis Aprilis 1737.

*Ludovicus de Valentibus S. Fidei Promotor.*

# APPENDIX ALIORUM DECRETORUM,

*Quæ ſolum poſt confectam, & coordinatam ſuperiorem Seriem quoad maximam ſui partem, reperta fuerunt, & collata cum ſuis Originalibus deſcriptis in Regeſtis Sacræ Rituum Congregationis.*

702. Canonicus Prothonotarius poteſt uti ſubtana violacea in Choro, & in Eccleſia dum Divinis aſſiſtit, dummodo in cæteris habitum proprium Canonicis convenientem deferat. S. R. C. 14. Januarii 1612. *in Panormitana*.

703. Coadjutor Canonici juſta de cauſa immunis, & exempti a Choro, tenetur intereſſe, ut Canonicus lucretur diſtributiones. S. R. C. 29. Februarii 1627. *ad dubium de Coadjutore*.

704. Electus Eccleſiæ Archiepiſcopalis non poteſt exercere Pontificalia in ſua Eccleſia ante receptionem Pallii, S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in Ulyſſiponen.*

705. Prothonotarii Titulares præcedere debent Canonicos Cathedralis Collegialiter non incedentes. S. R. C. 12. Julii 1628. *in una Urbis*.

706. Præcedentia ſemper danda eſt ſupra Dignitates, & Canonicos Vicario Generali tam præſente, quam abſente Epiſcopo, prout declaravit S. R. C. 23. Martii 1602. *in Lauretana, & Nolana*. S. R. C. 7. Auguſti 1628. *ad dubium de Vicario Generali*.

707. Epiſcopus poteſt cogere Sacerdotes Sæculares, ut audiant Confeſſiones Sacramentales cum Superpelliceo, & Stola, & Regulares cum Stola tantum. S. R. C. 28. Auguſti 1628. *in Caſertana*.

708. Quando adeſt obligatio, & onus faciendi diverſa Anniverſaria ſtatis diebus, in quibus occurrunt Feſta duplicia, ſive ſemiduplicia, necnon etiam tempus Quadrageſimale, & Quatuor Tempora, Vigiliæ, & ſimilia, Miſſa Conventualis nullo pacto eſt omittenda, ſed utraque Miſſa eſt cantanda, altera de die, altera de Requiem, etiamſi occurrat Feſtum duplex, dummodo non ſit feſtivum de præcepto, ad hoc, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, & licite eleemoſyna lucrari poſſit, ut declaravit 1. Septembris 1607. *in Pampilonen.* S. R. C. 29. Novembris 1628. *in Januen.* Vide in Indice n. 20. & alios ibi notatos.

709. Sacerdos etiamſi ſit Dignitas, vel Canonicus, abſente, vel impedito Epiſcopo, diſtribuens Palmas juxta Decretum 18. Julii 1626. ſtare debet capite detecto. S. R. C. 31. Maji 1629. *in Pientina*.

710. Non valentes ſatisfacere Anniverſariis Defunctorum in diebus Ferialibus, poſſunt ipſa adimplere in Feſtis duplicibus, non tamen de præcepto. S. R. C. 3. Martii 1629. *in Papien.* Vide in Indice num. 20. & 707.

711. In Altari, ſub quo ſunt ſepulta Cadavera Defunctorum, non poteſt celebrari. S. R. C. 11. Junii 1620. *in una Turritana*.

712. Coadjutores, quando Coadjuti ſunt præſentes in Choro, vel Proceſſionibus, non poſſunt in habitu Canonicali intervenire. S. R. C. 24. Maji 1636. *in una Civitatis Caſtelli*.

713. Benedictio cum SS. Sacramento danda eſt in fine Hymni *Pange lingua*, non vero ad ℣. *Sit & benedictio*, S. R. C. 5. Februarii 1639. *in Sabinen.*

714. Capellani Societatum non poſſunt prohiberi a Parocho celebrare Miſſam ante Miſſam Parochialem. S. R. C. 11. Novembris 1641. *in Narnien.* Vide num. 420.

715. Feria V. in Cœna Domini Epiſcopus debet per ſeipſum miniſtrare Euchariſtiam Canonicis, & Clericis, nunquam vero debet illam miniſtrare Diaconus, vel unus ex Aſſiſtentibus. S. R. C. 8. Auguſti 1643. *in Majoricana*.

716. Canonici Presbyteri non debent habere præcedentiam ſuper Archidiaconum, etiam ſi ipſe in Diaconali tantum Ordine ſit conſtitutus. S. R. C. 26. Septembris 1643. *in Ariminen.* Vide in Indice num. 214.

717. Tam Sæculares, quam Regulares cujuſcumque Inſtituti etiam Societatis Jeſu non poſſunt excedere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in Celebratione Miſſarum, & Officiis cum Octavis, niſi hoc expreſſe Sedes Apoſtolica eis indulſerit. S. R. C. 5. Octobris 1652. approbante Innocentio X. 16. Decembris ejuſdem Anni.

718. Regulares etiam Societatis Jeſu in Miſſis ſolemnibus adhibere debent Diaconum, & Subdiaconum; & in Veſperis Sacerdotem Pluviali indutum, ac in reliquis omnibus tenentur exacte obſervare Rituale, Cæremoniale, & Rubrica Miſſalis Romani. S. R. C. 5. Octobris 1652. confirmante Innocentio X. 16. Decembris ejuſdem Anni.

719. In novem diebus ante Nativitatem Domini, ubi adeſt antiquiſſima conſuetudo, vel concurſus, poteſt decantari unica Miſſa Votiva ſolemnis B. M. V. quamvis in ipſis occurrat Feſtum S. Thomæ Apoſtoli, & Dominica tertia, vel quarta Adventus; non omiſſa tamen Conventuali, ſtatuta hora decantanda. S. R. C. 28. Septembris 1658. *in Agren.*

720. Jus deferendi SS. Sacramentum, & Reliquias in Proceſſionibus ſpectat ad Hebdomadarium, Miſſarum ſolemnium peractarum poſt Proceſſionem, vel ad illum, qui immediate ante Proceſſionem eadem peregerit privative quoad reliquos, etiam Dignitates, & Seniores Canonicos, tam abſente, quam nolente Epiſcopo prædicta munia ſubire. S. R. C. 26. Januarii 1658. *in Cajetana*.

721. Prima Dignitas Officium Presbyteri aſſiſtentis, Epiſcopo Divina Pontificaliter peragente, faciens, tenetur ſuſtentare librum, quando ſolum Epiſcopus cantat, non vero quando legit, quod ſpectat ad Capellanum. S. R. C. 16. Martii 1658. *in Raguſina*.

722. Patenæ ſuppoſitio per Sacerdotem Cotta indutum in Communione Generali, quæ per Dignitates agitur, licita eſt. S. R. C. 3. Septembris 1661. *in Andrien.*

723. Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis non poteſt cogi ad inſerviendum Miſſis cantatis pro Diacono, & Subdiacono, conſtitutione, ſeu conſuetudine in contrarium non obſtante. S. R. C. 21. Januarii 1673. *in Veliterna*.

724. Celebrans in Miſſa ſolemni procedere debet ad præparatam ſedem aperto capite, & ita regredi ad Altare, quando ſedere debet dum cantatur Hymnus Angelicus, & Symbolum Apoſtolorum, ſed ad illa verba, quæ cantantur in Choro, ad quæ fieri debet inclinatio, tenetur ſe inclinare nudo capite, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 21. Martii 1676. *in Collen.*

725. In benedicendo Populum cum SS. Sacramento, iſte modus approbatur, nimirum cum Sacerdos ſtat ante Populum, Oſtenſorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non ſupra caput, ſed tantum uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta linea illud tollit uſque ad pectus, & exinde ad ſiniſtrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & verſus ante pectus reducit, ibique aliquantulum ſiſtit, quaſi peracta ad omnes Mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tum gyrum perficiens collocat Oſtenſorium ſuper Altare. Servari etiam poteſt alius modus deſcriptus in Cær. Epiſ. l. 2. caſ. 33. ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem Sacramento Celebrans producat ſignum Crucis. S. R. C. 21. Martii 1676. *in Collen.*

726. Poteſt Epiſcopus concedere, etiam contradicente Parocho, licentiam Regularibus in die feſtivitatis alicujus Sancti, præcipue Fundatoris, faciendi proceſſionem cum Reliquia ejuſdem Sancti, & cum Confraternitatibus erectis intus Conventum, & extra Clauſtra dicti Conventus, & intra limites Parochiæ dictorum Regularium. S. R. C. 13. Junii 1676. *in Nuſcana*.

727. Si urgente cauſa celebranda eſt Miſſa Votiva infra Octavam, quæ habeat Præfationem propriam, ac Communicantes: in Miſſa Votiva debet dici Præfatio conveniens, Communicantes vero de infra Octavam, quia eſt proprium de illo tempore. S. R. C. 16. Junii 1683. *in Granaten.*

728. Si Altare non haberet planitiem, ſed multos gradus, vel ſi ipſam haberet nimis latam, debet in eo apponi pradella, quæ dividat Altare a planitie, ut Sacerdos incipiat Miſſam ante ipſam pradellam. S. R. C. 16. Junii 1683. *in Granaten.*

729. SS. Sacramento expoſito Gubernator Civitatis, ſeu perſonam Regiam repræſentans, debet habere eamdem ſedem, vel ſcamnum, quod habet repoſito SS. Sacramento. Sac. R. C. 16. Junii 1683. *in Granaten.*

730. Patena ad Miſſam in extremitate, ſeu ora Patenæ congruentius eſt oſculanda. S. R. C. 24. Junii 1683. *in Albiganen.*

731. Rubrica concedit uſus Planetarum complicatarum ante pectus Diaconis, & Subdiaconis miniſtrantibus in Miſſa ſolemni, in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis, in diebus jejuniorum cum limitatione, ut ibi; in minoribus vero Eccleſiis, Miniſtris prædictis dat tantum uſum Albæ cum Manipulo Subdiacono, & cum Stola, ac Manipulo Diacono. S. R. C. 13. Junii 1684. *in Angelopolitana*.

Ex quo ſequitur, quod in Eccleſiis non inſignibus Regularium, & Monialium, & in parvis Eccleſiis Sæcularibus, etiam Parochialibus, non conceditur uſus Planetarum complicatarum. Vide num. 247.

732. Modus benedicendi alios, vel rem aliquam debet eſſe cum manu recta, & digitis ſimul junctis, & extenſis. S. R. C. 24. Julii 1683. *in Albiganen.* Vide in Indice n. 406.

733. In Miſſis Votivis B. M. V. quæ recitantur in Sabbato, dicitur *Gloria in Excelſis Deo*, etiam ſi non fiat Officium de eadem. S. R. C. 30. Julii 1689. *in una Ordinis Capuccinorum*.

734. Licitum eſt Epiſcopo incedere cum Mitra, quando defert Reliquiam Ligni Sanctiſſimæ Crucis in Proceſſionibus. S. R. C. 14. Junii 1692. *in Materan.*

735. In expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, quæ fit ad inſtar Proſcenii, quantitas luminum pietati facientis expoſitionem remittitur, & in Altari ſuper candelabris ad minus ſex candelæ accendi debent. Sac. Rit. Cong. 15. Martii 1693. *in Narnien.*

736. Si Epiſcopus Suffraganeus accedens ad Eccleſiam deferat Cappam, tenetur ipſe ſuſtentare ſibi caudam involutam brachio ſiniſtro, & duo Canonici debent ire uſque ad oſtium Eccleſiæ, dignior vero illorum porrigere ei tenetur Aſperſorium, quo Suffraganeus ſe ipſum tantum aſpergit, & pariter eum aſſociaut ad eumdem locum. S. R. C. 6. Septembris 1698. *in Veliterna*.

737. Si Epiſcopus Suffraganeus aſſiſtens Concioni ſedeat in Presbyterio, Concionatoris ſalutatio ei prius dirigi debet diſtincta ab illa Canonicorum, & Magiſtratus Sæcularis. S. R. C. 6. Septembris 1698. *in Veliterna*.

738. Si Epiſcopus Suffraganeus occaſione functionum Epiſcopalium accedat cum Cappa, debet ſe parare in faldiſtorio, alias in ſacrario, non poteſt tamen ſibi deferri facere caudam veſtis violaceæ una cum elevatione fimbriæ anterioris in plano pavimenti Eccleſiæ. S. R. C. 6. Septembris 1696. *in Veliterna*.

739. Non licet Clericis miniſtrantibus coram Epiſcopo genu illis flectere, ſicuti fit Epiſcopo. S. R. C. 4. Aprilis 1699. *in una Burgi Sancti Sepulcri*.

740. Lampas ardens omnino retinenda eſt ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, non vero ſupra valvas Eccleſiæ in Choro de diametro oppoſito ante prædictum Altare. S. R. C. 22. Auguſti 1699. *in una Ordinis Capuccinor.*

741. Epiſcopus Palmas benedicens, & Miſſæ aſſiſtens, non debet legere Epiſtolam, neque Evangelium *Cum appropinquaſſet*; vel *Altera autem die* poſt Paſſionem tam ex praxi Capellæ Pontificiæ, quam ex præſcripto Cæremonialis Epiſcoporum. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*

742. Dum Epiſcopus diſtribuit Candelas, Cineres, Palmas, &c. Celebrans, & Miniſtri debent ſedere Capitibus coopertis. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*

743. Epiſcopus aſſiſtens Miſſæ in Dominica Palmarum paratus, vel cum Cappa, non debet ſedere, neque genuflectere, ſed ſtare diſcoopertus dum cantatur Paſſio, & in caſu impotentiæ debet abſtinere ab interventu ſaltem Miſſæ. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*

744. Canonici, & Aſſiſtentes Epiſcopo parati, & illum ad Altare comitantes in Pontificalibus, ratione Paramentorum poſſunt procedere per Eccleſiam coopertis, non vero nudis Capitibus. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*

745. In Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet diebus, in quibus juxta Rubricas Miſſalis *de Translatione Feſtorum*, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de Feſto. Sed in Eccleſiis, in quibus non eſt obligatio cantandi Miſſam quotidie, cantari poteſt Miſſa ſolemnis Votiva de Feſto occurrente tantum. S. R. C. 17. Auguſti 1709. *in Bergomen.*

746. In die Conſecrationis, vel Tituli Eccleſiæ Parochialis, non Cathedralis, & per Octavas non poteſt celebrari Miſſa Dedicationis, ſeu Titularis ſub eodem Ritu duplici, ac in Parochiali, etiam in Oratoriis eidem Eccleſiæ Parochiali ſubjectis, in quibus multi Sacerdotes celebrant. S. R. C. 17. Auguſti 1709. *in Bergomen.*

747. Quando tertia Oratio in Miſſis eſt ad libitum, & ex juſſu Summi Pontificis, vel Epiſcopi debet apponi aliqua ſpecialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turcas, ſeu ad petendam ſerenitatem, aut pluviam, &c. hæc Oratio debet recitari tamquam ex præcepto, 4. loco, non omiſſa 3. loco illa, quæ eſt ad libitum, ſeu pro devotione Sacerdotis eligenda. S. R. C. 17. Auguſti 1709. *in Bergomen.* Vide in Indice num. 476.

748. Canonico Epiſcopo Titulari, poſt delatam per Archidiaconum ſive Presbyterum aſſiſtentem pacem Epiſcopo locali, non debet illa per eumdem Archidiaconum, ſive Presbyterum ipſi deferri, ſed illam recipere debet ab eodem Miniſtro parato, qui eam diſtribuit Choro, & poſtquam Epiſcopus localis ipſam dederit Canonicis aſſiſtentibus in Throno. S. R. C. 10. Aprilis 1728. *in Aſculana*.

749. Canonicus Epiſcopus Titularis in Miſſis, & Veſperis cantatis cum aſſiſtentia Epiſcopi localis tenetur diſcedere a Stallo una cum reliquis Canonicis pro faciendis conſuetis circulis præſcriptis a Cæremoniali Epiſcoporum. S. R. C. 10 Aprilis 1728. *in Aſculana*.

750. Canonicus Epiſcopus Titularis, exercente Pontificalia Epiſcopo locali, cum exiſtentia Capituli ſacris veſtibus parati, poteſt cum reliquis Canonicis in Stallo aſſiſtentibus deferre Pluviale, & de conſenſu Epiſcopi geſtare Mitram lineam, ſed illam per ſeipſum imponere, & removere debet a capite; & ſemper thurificandus eſt poſt Archidiaconum, ſeu Presbyterum aſſiſtentem, & Canonicos a latere Epiſcopi in Throno pariter aſſiſtentes. S. R. C. 10. Aprilis 1728. *in Aſculana*.

751. Canonicus Epiſcopus Titularis debet ſe abſtinere a Celebratione Miſſæ cantatæ, & Veſperarum de Turno in propria hebdomada, ſed ſubrogare tenetur alium; in ſolemnioribus vero Feſtis de licentia Epiſcopi debet uti Faldiſtorio, & indumentis Pontificalibus. S. R. C. 10. Aprilis 1728. *in Anagnina*.

752. Præpoſitus Cathedralis, abſente Epiſcopo, non debet thurificari triplici ductu, neque præſente Vicario Generali. Ubi ob deficentiam Sedium fixarum Chori, Canonici ſedent in ſcamnis, ſive in functionibus ſacris, ſive in congreſſibus Canonicalibus, præſente, vel abſente Epiſcopo, debet ſedere in illis, primo loco, nec eidem apponenda eſt Sedes Cameralis. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina*.

753. In diebus Solemnibus, ſacrum faciente Præpoſito Cathedralis, non poſſunt exponi in gradibus Abaci pelvis, gutturnium, & Manutergium in lance pro *Lavabo*, duobus Manſionariis, vel Clericis cum Cotta miniſtrantibus, ſed debet celebrare adinſtar aliorum Canonicorum. Sac. Rit. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina*.

754. In Proceſſionibus Præpoſito Cathedralis debetur Candela majoris ponderis, & in diſtributione Palmarum diſtincta, & honorabilior Palma, quam cæteris de Capitulo. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina*.

755. Aſſiſtentibus in Choro Vicario Generali, & Præpoſito Cathedralis, præcedere debet Vicarius, non vero Præpoſitus; ſecus vero ſi Præpoſitus ſit indutus Sacris veſtibus, aut ſi Vicarius ſit Canonicus, & interſit in Choro habitu Canonicali. S. R. C. 21. Aprilis 1730. *in Anagnina*. Vide num. 14.

756. Præpoſitus Cathedralis, dum induitur veſtibus Choralibus, tolerari non poteſt, ut ei inſerviat unus ex Manſionariis; neque aliquis ex illis debet ei deferre Breviarium ad ſuum Stallum. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina*.

757. Præpoſito Cathedralis non debentur paramenta ſacra, & nobiliora in loco diſtincto a cæteris Canonicis. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina*.

758. Præpoſitus Cathedralis tenetur per ſeipſum, quando non eſt legitime impeditus, ſervare hebdomadam in Choro, & canere Miſſas per Turnum cum cæteris Canonicis. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina*.

# APPENDIX ALTERA DECRETORUM,

*Quæ ſive ante, ſive poſt editam a Merato Seriem & Additionem, uſque in præſens ab eadem Sacra Rituum Congregatione emanarunt.*

759. PResbyter ritu græco ordinatus a SS. D. Noſtro, licentiam petiit ingredieodi Religionem Cappuccinorum, & celebrandi Miſſam ritu latioo, & cum ex ejuſdem Sanctiſſimi Dataria hujuſmodi ſupplicatio ad S. Rituum Congregationem remiſſa fuerit; Sac. R. Congr. cenſuit licentiam petitam celebrandi ritu latino poſſe concedi poſt ingreſſum Religionis, & emiſſionem profeſſionis. S. R. C. 16. Octobris 1604. *in Anconitana*.

760. Canonicus pœnitentiarius non poteſt cogi ad miniſtrandum pro Diacono & Subdiacono quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante. S.R.C. 22. Auguſti 1620. *in Anagnina*, & 21. *Jan.* 1673. *in Veliternen.*

761. Per comporre le differenze vertenti in queſta Sacra Congregazione tra li Canonici, e Capitolo della Chieſa di Calleri per una parte, e li Beneficiati della medema Chieſa dall'altra, piacque alle Signorie Voſtre Illuſtriſſime di ſcrivere a quell'Arciveſcovo, che ſaria ſtato bene di far oſſervare quanto diſponeva il Ceremoniale Romano. Ma perchè tal lettera cnnteneva ſolo una ſemplice inclinazione della Sagra Congreg. non ordine o precetto alcuno, percio non fu mai meſſa in eſecuzione: onde di nuovo ſupplicano i Canonici le Signorie voſtre Illuſtriſſime, che ſi degnino far decreto preciſo ſopra l'oſſervanze di detto Ceremoniale Romano, conforme la coſtituzione di Clemente Octavo ſopra l'approvazione, e confermazione di eſſo, che tutto ec.

S. R. Coogr. mandavit, & præcepit in Eccleſia Calaritana ſervari ad unguem Cæremoniale Epiſcoporum, die 30. Sept. 1628. *in eadem Calaritana Urbano VIII. annuente. Die* 30. *Junii* 1629. *in Conſt. quæ incipit*. Exponi nobis fecerunt.

162. Inſtante Patre Don Silvio Favilla de Neapoli Procuratore generali Congregationis Monachorum Montis Oliveti, nomine Abbatum ejuſdem Congregationis; ut attenta antiquiſſima conſuetudine ſolemniter cum baldachino & aſſiſtentibus in eorum Eccleſiis celebrandi, recederetur quoad eos a decretis alias hac de re editis in cauſſis Firmana 28. Januar. 1606 & in Neapolitana 18. Mart. 1617. Sac. Rit. Congreg. ſæpius audito eodem Procuratore generali, & rationibus ab eo deductis mature conſideratis, Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinali Caſarino referente, cenſuit & declaravit, in hac parte recedendum eſſe a dictis Sacræ Congreg. decretis, & licere Abbatibus Olivetanis ſolemniter, in tribus tantum anni feſtivitatibus, celebrantibus uti baldachino, ſine auro tamen & pompa: nec non aſſiſtentia unius Presbyteri, & duorum Diaconorum, ac aliorum ſex ad ſummum Monachorum ſacris indumentis coloris ſolemnitati convenientis paratorum, ultra Diaconum & Subdiaconum, qui in Miſſa cantaturi ſunt Evangelium & Epiſtolam: atque ita, iidem Abbates nullo modo teneant ſedem Abbatialem fixam & permaoentem prope altare, ut ſedes Epiſcopalis retineri conſuevit: ſed eorum ſedes retineatur in Eccleſia iis tantummodo diebus, quibus ſolemniter celebratur; & dicti ſex Monachi, ut ſupra parati non in ſedibus choralibus, ſed ſuper ſcabellis ſedeant in ſitu congruo juxta Eccleſiarum convenientem ſitum tunc appoſitis, panno laneo coopertis: dictis S. C. decretis in cauſſa Firmana & Neapolitana editis alias in ſuo robore permanſuris. Eadem S. R. C. die 17. Martii 1629. *in eadem Neapolitana Congregationis Montis Oliveti, approbante Urbano VIII. die* 5. *Aprilis ejuſdem anni. Conſtitut.* Exponi Nobis.

763. Cum S. R. C. alias de anno 1606. ſub die 18. Januar. ad inſtantiam Archiepiſcopi Firmani prohibuerit Priori S. Catharinæ ordinis Canooicorum Regularium in eorum Eccleſia uſum baldachini & aliquarum cæremoniarum. Et de anno 1617. ſub die 18. Mart. idem decretum ad inſtantiam Card. Caraſe Archiepiſcopi Neapolitani extenderit ad omnes Priores & Abbates cujuſcumque ordinis, etiam Caſſinen. R. P. D. Henricus Fortuna de Monte Leone Procurator generalis totius Coogreg. Monachorum Cæleſtinorum ordinis S. Benedicti, ægre ferens hujuſmodi decreta tamquam præjudicialia antiquiſſimæ conſuetudini ſolemniter celebrandi cum baldachino & aſſiſtentibus in eorum Eccleſiis; inſtetit audiri in eadem Sacra Congreg. ſuper dicta antiquiſſima eorum conſuetudine. Et commiſſa Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Card. Antonio Barberino, coram quo, audito ſæpius dicto Procuratore generali Cæleſtinorum, & rationibus ab eo deductis bene perpenſis, eodem Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Antonio referente: S. R. C. re mature diſcuſſa cenſuit in hac parte recedendum a ſupraſcriptis decretis de anno 1606. & 1617. & declaravit licere Abbatibus Cæleſtinis in tribus tantum anni feſtivitatibus ſolemniter celebrantibus uti baldachino ſine auro tamen & pompa, necnon aſſiſtentia unius Presbyteri, & duorum Diaconorum, ac aliorum ſex ad ſummum Monachorum ſacris veſtibus coloris ſolemnitati reſpective convenientis indutorum, duorum nempe cum pluvialibus, duorum cum planetis, & aliorum duorum cum tunicellis, ultra Diaconum & Subdiaconum, qui in Miſſa cantaturi ſunt Evangelium & Epiſtolam: dummodo iidem Abbates nullo modo teneant Sedem Abbatialem fixam & permanentem prope altare, ut ſedes Epiſcopalis retineri ſolet, ſed eorum ſedes retineatur in Eccleſia iis tantum diebus, quibus ſolemniter, ut ſupra, celebrari debet: Et dicti ſex Mnnachi, ut ſupra parati, non in ſedibus choralibus, ſed ſuper ſcabellis ſedeant in ſitu congruo, juxta Eccleſiarum convenientem ſitum tunc appoſitis, panno laneo coopertis, firmis in reliquo remanentibus ſupra ſcriptis Sacræ Congreg. in Firmana, & Neapolitana Decretis editis. Eadem S. R. C. 30. Junii 1629. *in una ſupradicti ordinis Urbano VIII. approbante die* 26. *Sept. ejuſdem anni, Conſtitutione, quæ incipit:* Exponi Nobis.

764. Sacra Rituum Congregatio annuente SS. Domino noſtro in electione Patronorum mandavit, infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla ſit ipſo jure.

Primo, quod deligi poſſint in Patronos ii ſolum, qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia a populo, mediante Conc. generali civitatis, vel loci, non autem ab officialibus ſolum: & quod accedere debeat aſſenſus Epiſcopi & Cleri illius loci. Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia a populo ſingularum Civitatum Provinciæ. Et quod Repræſentaotibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulterius conveniat conſenſus Epiſcopi & Cleri dictarum civitatum.

Tertio, quod cauſſæ electionis novorum Patronorum debeant in S.C. deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſſa cognita ab eadem Congreg. approbari & confirmari. S. R. C. 23. Mart. 1630. *Urbano VIII. jubente & confirmante*.

765. Regulares in publicis proceſſionibus non poſſe prohiberi a Clero ſæculari, quod incedant ſub propria Cruce, non obſtante contraria conſuetudine. S.R.C. 11. Aug. 1631. *in una Ord. Cappuc. Terra Modogni Baren. Diæceſ. Urbano VIII. confirmante* 30. *ejuſdem menſis & anni, in ſua Conſtit. quæ incipit*: Exponi Nobis.

766. An liceat Curatis, ſalvis eorum juribus parochialibus, impedire, contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares Curati ad funus corpora Defunctorum ad quaſvis Eccleſias deferenda una cum Parochis & Clericis proceſſionaliter aſſocient? Reſponſum fuit, Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri. S. R. C. 23. Aprilis 1633. *in una Ord. Præd. S. Franc. S. Aug. & Diſcal. Carmel. Urbano VIII. annuente* 25. *Junii ejuſdem anni in ſua Conſt. quæ incipit*: Nuper pro parte dilectorum.

767. Propoſitum fuit dubium pro parte Cathedralis Hiſpalenſis, nempe de quo feſto translato potius agendum ſit, an de patrono civitatis, qui eſt S. Iſidorus, an vero de Titulari, qui eſt Beatiſſima Virgo? Reſponſum fuit de digniori, nempe de B. Maria Virgine. S. R. C. 27. Aug. 1633. *in Hiſpalen.*

768. Articulo ſuper matricitate prætenſa, inter Eccleſias S. Georgii, & S. Petri Civitatis Modicæ. Sac. Cong. reſpondit S. Georgii eſſe matricem, eique competere præcedentiam. S. R. C. 24. Maji 1636. *in Syracuſana Innoc. XI. confirmante in Conſt. quæ incipit*: Alias emanarunt *die* 4. *Junii* 1689. *edita*.

769. Cum Sacr. Rituum Cong. ſub die 24. Maji 1636. ad relationem Em. & Rever. D. Card. Cæſarini declaraverit Eccleſiam S. Georgii Civitatis Modicæ Syracuſanæ diœceſis eſſe Collegiatam inſignem, & Matricem, eique uti tali deberi præcedentiam ſupra omnes alias Collegiatas ejuſdem civitatis, inſtitutum fuit pro bono pacis declarari quænam ſint hujuſmodi præeminentiæ, & S. R. C. cenſuit eſſe infraſcriptas.

Primo, quod in ſolemnitate Corporis Chriſti proceſſio incipere debeat ab ipſa Eccleſia Matrice, ad quam convenire debent Archipresbyter S. Petri cum ſuo clero, & omnes alii intereſſe debentes enumerati in Cæremon. Epiſcop. Lib. 2. cap. 33. & nullo modo per vias expectare.

Se-

Digitized by Google

Secundo, quod delatio SS. Sacramenti ſpectet ad Præpoſitum S. Georgii, & eo abſente ad aliam Dignitatem ejuſdem Matricis ordine ſucceſſivo, dummodo illo die ſolemniter celebraverit.

Tertio, quod omnes aliæ proceſſiones publicæ, puta S. Marci Rogationum, pro pluvia petenda, ſerenitate impetranda, & ſimiles, incipere debeant ab ipſa Matrice.

Quarto, quod in die Aſcenſionis Domini, & proceſſionibus S. Marci, nec non Rogationum tam intra, quam extra civitatem Præpoſitus S. Georgii, ſeu alia Dignitas, quæ ſuccedit, deferendo ſtolam, officium faciat, benedicendo ſegetes, & ſimilia.

Quinto, quod in omnibus actibus, in quibus intervenit clerus S. Georgii, & clerus S. Petri, Præpoſitus S. Georgii præcedentiam habeat, & votum ſupra Archipresbyterum, & Canonicos S. Petri.

Sexto, quod accedente clero S. Georgii ad Eccleſiam S. Petri pro exercenda publica functione, ſpectet præcedentia, & pertineat ad Præpoſitum S. Georgii, & hoc caſu præcedentiam deberi eidem clero S. Georgii; in functionibus autem privatis, puta ex devotione, vel ſimili, præcedentiam competere clero S. Petri in propria Eccleſia.

Septimo, quod in Sabbato ſancto pulſatio campanarum ſpectet privative quoad omnes alius, ad Matricem Sancti Georgii.

Octavo, quod Indulgentiæ, ſeu excommunicationes publicandæ nullibi publicari valeant, niſi prius publicatæ fuerint in Eccleſia S. Georgii.

Nono, quod fideles in die Paſchatis recipientes Sanctiſſimam Euchariſtiam in Eccleſia S. Georgii ſatisfaciant obligationi.

Decimo, quod quando aliquis Parochianus S. Petri eligit ſepulturam in Eccleſia S. Georgii, Præpoſitus S. Georgii officium faciat ſuper cadavere, etiam præſente Archipresbytero & clero S. Petri.

Undecimo, quod in aſſumptione cadaveris, quando intervenit Clerus S. Georgii, & S. Petri, ſemper præcedentia debeatur Præpoſito, & clero S. Georgii, etiamſi cadaver deferatur in Eccleſiam S. Petri, quo caſu erit deferenda crux S. Georgii, ſub cujus cruce omnes funus aſſociantes incedere debeant, officium vero ſuper cadavere ſpectet ad Curatum, vel Sacerdotem illius Eccleſiæ, in qua cadaver tumulari debet.

Duodecimo, quod Archipresbyter S. Petri nullo modo miniſtrare valeat Sacramenta ſuis Parochianis extra propriam Parochiam. S. R. C. 6. Sept. 1636. *in Syracuſana Innoc. XI. confirmante 4. Junii 1689. in ſua Conſt. quæ incipit*; Alias emanarunt.

770. Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum de Congregatione Italiæ conceditur licentia erigendi propriam Crucem in publicis proceſſionibus, dummodo digniorem locum omnibus aliis Regularibus, qui hactenus Crucem erexerunt concedant, S. R. C. 1. Octobr. 1636. *in una Ord. Erem. S. Aug. Urbano VIII. approbante Conſt.* 225. *quæ incipit*, Cum ſicut.

771. Præcedentiam & digniorem locum in proceſſionibus tam publicis quam privatis, competere & deberi Auguſtinianis ſupra Franciſcanos Recollectos & Diſcalceatos juxta diſpoſitionem Bullæ Gregor. XIII. quæ incipit *Expoſcit* ſub die 15. Jul. 1583. editam. Et hoc ſive dicti Recollecti incedant conjunctim, ſive diviſim; & perpetuum ſilentium impoſuit S.R.C. 20. Decembr. 1636. *in una Civitatis Orvietenſis Urbano VIII. approbante die 12. Jan. 1637. ex Bulla quæ incipit*: Ex incumbenti.

772. Imagines S. Auguſtini, S. Nicolai de Tolentino, ac aliorum Beatorum ejuſdem Ordinis impreſſæ, aut depictæ a Fratribus Diſcalceatis ejuſdem Ordinis cum habitu, quo ipſi Diſcalceati utuntur, ſuſpendendæ ſunt & abolendæ, injungendumque dictis Fratribus Diſcalceatis, ne ſub pœnis arbitrio hujus Sac. Cong. infligendis, talia amplius audeant peragere, & omnino ſervari. S.R.C. 19. Decemb. 1637. *in una Ord. S. Aug. Urbano VIII. anno* 1638. *confirmante, in Conſt. quæ incipit*; Exponi nobis *die* 23. *Jan. edita*.

773. Sacerdos celebraturus Miſſam privatam, dum tranſit ante altare, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, poſt factam adorationem flexis genibus, aperto capite, dum ſe erigit caput cooperiat. S.R.C. 7. Septemb. 1638. *approbante Clem. XI. Bened. XIII. & Clemente XII. in Brevi pro oratione quadraginta horarum, quæ incipit*: Eſſendo ſtate introdotte, n. 5.

774. Officium ſuper cadaveribus in Eccleſiis Regularium ſpectat, & pertinet ad ipſos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum: & ita impoſterum ſervari mandavit, non obſtante contraria conſuetudine. S.R.C. 27. Novemb. 1638. *in una Ord. S. Franc. de Obſerv.*

775. Electionem, & numerum Religioſorum pro aſſociandis Cadaveribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectat, & pertinet: ita ubique ſervari debere cenſuit S. R. C. 14. Jan. 1640. *in una Ord. Frat. Mendic. approbante Alex. VII. in ſua Conſt.* 93. *anno* 1660. *emanata*.

776. Epiſcopus quando reperitur in aliquo oppido ſuæ diœceſis ob viſitationem, ſeu aliam ob cauſſam, poteſt licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma rubricarum, ſeu ex conceſſione Sac. Cong. eo quod ſint Patroni, ſeu Titulares, in iiſdem oppidis recitatur, & ſic præcepto de recitando Officio ſatisfacit. S. R. C. 14. Mar. 1643 *in una Dubiorum*.

777. Regulares, etiam Soc. Jeſu, in Miſſis ſolemnibus adhibere debent Diaconum & Subdiaconum; & in Veſperis Sacerdotem pluviali indutum, ac in reliquis omnibus tenentur exacte obſervare Rituale, Cæremoniale, & Rubricas Miſſalis Romani. S.R.C. 5. Oct. 1652. *confirmante Innoc. X.* 16. *Decemb. ejuſdem anni*.

778. Stante altercatione in terra Montechii diœceſis Burgi S. Sepulcri ſuper delatione ſimulacri S. Antonii de Padua in Proceſſione, reſpectu habitus Cappuccinorum, cum quo efficienda eſt: Sac. Rit. Congr. ad quam negotium deductum eſt, reſpondit: Habitum hujuſmodi non eſſe vetitum in caſu, de quo agitur, & ideo arbitrio Epiſcopi &c. Eadem S. R. C. 18. Jul. 1654. *in una Ordinis Cappuccinorum Montechii Provinciæ Marchiæ* 17. *Junii* 1673. *in Beneventana*.

779. Aſſerentibus Monachis Caſſinenſibus eorum Abbatibus licitum eſſe benedicere paramenta Eccleſiarum non ſubditarum ex Apoſtolico Indulto, S. R. C. mandavit exhiberi indultum authenticum ex archivio Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtinere. Eadem S. R. C. 12. Jun. 1660. *confirmante Alexand. VII. die* 20. *Julii ejuſdem anni* in decreto quod incipit; *Procurator generalis*, Vide num. 372.

780. In capella Palatii epiſcopalis, abſente Epiſcopo, vel ſede vacante, poteſt Vicarius generalis Miſſam celebrare, & in diebus feſtis ipſam audientes adimplent præceptum Eccleſiæ, S.R.C. 2. *Julii* 1661. *in Bituntina*.

781. Non poſſe celebrari Miſſas etiam pro animabus Purgatorii una hora poſt meridiem ſtatutum fuit, S.R.C. 24. Nov. 1661. *Neapolitana*.

782. Laicos profeſſos non debere præſumere præcedentiam a Clericis ſuæ religionis eo quod hi ſint profeſſione poſteriores, ſed in omnibus & quibuſcumque actibus tam publicis quam privatis ſunt præferendi. S. R. C. 19. Auguſt. 1662. *in una ordinis Miniſtrantium infirmis Alex. VII. die* 6. *Decemb. ejuſdem anni confirmante in Conſtit. quæ incipit*: Alias emanavit.

783. Decretum de non exponenda imagine S. Antonii de Padua in habitu Cappuccinorum ſed Conventualium, habet locum tantum in Sacrario & Eccleſia Metropolitana Neapolis & non ubique. S. R. C. 21. Jul. 1668. *in una Ordinis Cappuccinorum*.

784. Non debet cantari, nec celebrari Miſſa in Altari, ubi expoſitum eſt SS. Sacramentum, niſi ſit pro eo reponendo: at ſi ex neceſſitate fieri opus eſſet, populus benedicendus eſt more conſueto, & non cum SS. Sacramento, S.R.C. 13. Jun. 1671. *in Angelopolitana*.

*Decreta S. Rituum Congregationis de iis quæ in cauſſis Beatificationum & Canonizationum Sanctorum ſervanda ſunt approbantur.*

785. Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. provide conſiderans, quod in tota Eccleſiæ gubernatione nihil majus, aut gravius ſit, quam homines declarari pro Sanctis, eoſque uti tales colendos, & venerandos decernere, & perpendens, quod licet fel. rec. Urbanus VIII. de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis nonnulla ſuper hoc ediderit decreta, ſubindeque S.R.C. alias ordinationes fecerit ſecundum caſuum contingentias a Summis Pontificibus approbatas; nihilominus experientia docuit quod adhuc nonnulla deſiderantur pro meliori cauſarum hujuſmodi directione; idcirco juſſit materiam diligenter diſcuti primum in Congreg. particularibus, deinde vero in generalibus, prout factum fuit, & ſub diebus 9. Jul. & 6. Aug. 1678. emanarunt reſolutiones ſequentes, ſi eidem SS. placuerit, publicandæ.

## §. I.

Primo. Animadvertens eadem S. Cong. quod neceſſarium ſit ut proceſſus auctoritate ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, cenſuit mandari Ordinariis locorum, ut ultra Teſtes inductos a poſtulatoribus, teneantur ipſi quoque inquirere, ac examinare alios Teſtes bene inſtructos ſuper vita & moribus Servi Dei; & ſi aliquid repererint in contrarium, quod ipſis videatur relevans, ſuperſedeant in ulteriori inquiſitione, donec S. Congr. ab eis certiorata per litteras, mandet quid agendum ſit.

Secundo. Hujuſmodi diligentias ſervari vult etiam in proceſſibus auctoritate Ap. faciendis a Judicibus Delegatis, quibus per litteras particulares S. Cong. enixe commendari debeat: & idem faciat Promotor Fidei in litteris ſcribendis Subpromotoribus.

Tertio. Et pro majori cantela præſcribi debeat in litteris remiſſorialibus, quod non ſolum Interrogatoria retinean-

tur

tur ſemper clauſa & ſigillata cum ſigillis eorumdem Judicum, non aperienda, niſi in actu examinis, & claudenda in fine, ſed ulterius depoſitiones ipſæ, antequam proceſſus ſit abſolutus, in fine cujuslibet ſeſſionis claudi, & ſignari debeant cum ſigillis Judicum; nec poſſint aperiri, niſi in præſentia ipſorum in principio cujuslibet examinis, & ſeſſionis; ac hujuſmodi diligentiæ fieri debeant etiam in proceſſibus fabricandis in Curia. Idemque Judices, prout etiam Subpromotores, & Notarii tam in partibus, quam in Curia, ac Teſtes, & in Curia etiam Prothonotarius, debeat ante inchoationem proceſſuum præſtare juramentum de ſervando ſecreto, ſervandum religioſe ſub pœna excommunicationis ipſo facto in caſu contraventionis incurrendæ juxta formulam ejuſdem juramenti imprimendam in fine decretorum, & pro omnimoda obſervantia tranſmittendam Judicibus Delegatis in ipſis litteris remiſſorialibus, & Subpromotoribus in litteris Promotoris.

Quarto. Conſiderans quoque S. Cong. quod principale fundamentum in cauſſis Beatificationum, & Canonizationum conſtitui debet in fideli interpretatione proceſſuum extero idiomate confectorum: & quod licet ex laudabili obſervantia interpres ſemper fuerit electus ab Em. Ponente, citato & audito R. P. Fidei Promotore; nihilominus ſuper hoc decreta generalia nihil diſponunt: idcirco decrevit, quod imposterum in qualibet cauſſa Interpres eligatur ab Em. Car. Ponente citato, & audito R. P. Fidei Promotore, & pro majori cautela, poſtquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo viro probo, & perito, qui ſecrete ad hoc Officium aſſumatur ab eodem Em. Ponente, & ſi reperiatur aliquis error ſubſtantialis, Interpres ſevere puniatur arbitrio S. Cong. per quem Em. deferri debeat tam Interpreti quam Reviſori juramentum de fideliter ſibi munus commiſſum adimplendo, quibus etiam eadem S. Cong. aſſignavit mercedem pro ſuis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, ita ut facies ſit linearum 24. & linea ſyllabarum 26.

Quinto. Advertens etiam quam neceſſarium ſit diligens cuſtodia proceſſuum originalium, decrevit quod ii, ſicuti etiam interpretationes originales illorum, qui ſunt extero idiomate confecti, retineri debeant in archivio S. Cong. in Vaticano, in loco clauſo, & ſeparato ab aliis ſcripturis, nec poſſint amoveri niſi de ordine Em. Card. Ponentis, vel ad inſtantiam R. P. Promotoris ad effectum videndi, quatenus opus ſit, & deinde reportandi. Cujus archivii duæ ſint claves: una penes Prothonotarium Apoſtolicum qui pro tempore intervenerit Sac. Cong. & altera penes Secretarium, & clavis loci in quo cuſtodiuntur dicti proceſſus, ſtet penes eumdem Prothonotarium, alterius vero, in quo retinentur aliæ Scripturæ S. Cong. penes Secretarium.

Sexto. Idemque Prothonotarius etiam habet facultatem revidendi inventarium dd. proceſſuum, & quatenus non adeſſet, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una ſtet penes eumdem Prothonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, & quarta in eodem archivio, & in fine anni iidem Prothonotarius, Promotor, & Secretarius revidere debeant dictam inventarium, & conferre cum proceſſibus, ad effectum recognoſcendi an aliquid deficiat, & curandi ut reportentur, & Secretarius referat in prima ſequenti Congregatione.

Septimo. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam decretorum pag 28. quod non prius Sedes Apoſtolica moveri ſoleat, quam Reges, Principes, & aliæ perſonæ authenticæ, & honeſtæ inſtanter ſupplicaverint Summo Pontifici, & tunc etiam non ſtatim, ſed expectare, quod diu pulſetur: nam ſi perdurabunt miracula, & ſupplicantium iſtantiæ, tum Summus Pontifex, ſi ei videbitur, committit cauſſam S. Cong. ideo ſi ita Sanctiſſimo viſum fuerit, cenſuit eadem S. Cong. commiſſionem non eſſe ſignandam niſi poſt elapſum tempus decem annorum a die præſentationis proceſſus auctoritate ordinaria fabricati, & cum præcedenti rigoroſa diſcuſſione ejuſdem proceſſus cum ſcriptura, & ſummario, & inſuper habitis poſt decennium a die fabricationis illius novis litteris Epiſcoporum circa percrebreſcentiam famæ Sanctitatis, & miraculorum, ac devotionis populi enixe pro Beatificatione, & Canonizatione inſtantis. Niſi tamen in aliqua cauſſa ex peculiaribus circumſtantiis S. Cong. exiſtimaverit anticipari poſſe tempus in diſcuſſione proceſſuum auctoritate ordinaria confectorum, & Sanctiſſimus hoc approbaverit.

Octavo. In cauſſis Servorum Dei ante Decretum fel. record. Urbani VIII. introductis non ſigneutur commiſſiones reaſſumptionis, niſi prius per Sacr. Cong. examinatis proceſſibus, tam auctoritate ordinaria confectis, quam examinatis auctoritate apoſtolica, quatenus adſint.

Nono. Cum in decreto approbato a fel. record. Urbano VIII. die 12. Martii 1631. impreſſo in libello pag. 57. Sac. Congreg. cognoſcens, quod in hac re, utpote graviſſima, rite, ſancteque procedendum eſt, prohibuerit omnibus, & ſingulis perſonis eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quam Regularibus, quantumvis ſpeciali nota dignis, ne audeant per ſe vel per alios capere informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones ſub pœnis arbitrii ipſius S. Cong. infligendis, illud confirmando juſſit quod hujuſmodi extrajudiciales atteſtationes non ſolum exquiri, aut obtineri non valeant, ſed rurſus quod hactenus obtentæ, ſive in futurum obtinendæ non faciant aliquem gradum probationis, nec inſeri poſſint in proceſſibus, tam ordinaria, quam apoſtolica auctoritate fabricandis.

Decimo. Subpromotor fidei a R. P. Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco ſpoliandi, & examinandi proceſſus (ex quibus pendet beatificationum, & canonizationum ſubſtantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujuſmodi munus diligentiſſime, ac cum omni rigore adimplere, ac ſummaria quæ ſolent a procuratoribus fieri, antequam typis mandentur, conferat cum proceſſibus, ſubſecuta atteſtatione, quod fuerint per ipſum reviſa, & in quolibet folio ſe ſubſcribat, eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuſcripto iterum faciat poſtquam fuerint impreſſa cum iterata ſubſcriptione in fine, quam ſubſequatur ſubſcriptio, & ſigillum Secretarii: nec ante prædictas ſubſcriptiones poſſint tam ſummaria, quam informationes publicari ſub graviſſimis pœnis tam quoad poſtulatores, quam etiam quoad impreſſorem arbitrio Sac. Cong. ſeu Em. Card. Præfecti infligendis. Idemque Subpromotor (quatenus ipſe D. Promotor ex diligenti, & accurata reviſione proceſſuum, quam facere ſolet, neceſſarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud ſummarium objectionale ad comprobationem oppoſitionum conficere, quod Sac. Cong. plurimum expedire cognoſcit ad hoc ut veritas magis eluceſcat. Et pro quolibet proceſſu ab eodem Subpromotore examinando in quolibet dubio, perſolvatur ei ſtipendium decem ducatorum auri præſcriptum in decretis generalibus pag. 62. cum declaratione tamen quod reſpectu proceſſuum auctoritate apoſtolica in ſpecie, qui pluries ad diverſum effectum examinari debent, dictum ſtipendium debeatur pro tribus dubiis tantum, nempe prima vice quando diſputatur validitas, ſecunda vice quando diſputatur de virtutibus, ſeu de Martyrio, & cauſſa Martyrii, & tertia vice quando diſputatur de miraculis: quamvis diſputationes alicujus ex dictis dubiis pluries reiterari contingat, ſeu eadem dubia in diverſas inſpectiones pro faciliori reſolutione dividantur.

Undecimo. Et quia materiæ gravitas, & dignitas expoſcit ut pertractetur, & dirigatur a viris notæ probitatis, experientiæ, & peritiæ; cenſuit Sac. Cong. quod ad conficiendum tam informationes in facto, quam ſummarium, in quibus potiſſime conſiſtit cauſſarum pondus, aſſumantur ſolum Procuratores Collegii Sacri Palatii Apoſtolici, tribuendo Poſtulatoribus libertatem eligendi ex dicto cœtu quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non poſſit eodem tempore patrocinari plures cauſſas quam quatuor, ad hoc ut eis facilius operam dare poſſint, ſub pœna inhabilitatis amplius ſcribendi in caſu contraventionis: & liceat partibus in quocumque ſtatu cauſſæ, rationabiliter tamen, & prævia licentia Em. Ponentis, mutare procuratorem, dummodo alius in ejus locum ſubrogandus ſit de eodem collegio, & non habeat in totum plures cauſſas quam quatuor.

Duodecimo. Advocati vero ad ſcribendum in jure aſſumi debeant ad libitum poſtulatorum, dummodo ſint ex Collegiis Sacræ Conſiſtorialis Aulæ, vel ex duodecim aliis approbatis a Sac. Cong. ita tamen ut quilibet eorum ſex tantum cauſſas patrocinari poſſit.

Decimotertio. Pro mercede autem prædictorum, ac etiam Notarii, Sac. Cong. juſſit ſervari taxas ab ea diligenter reviſas, quæ ut omnibus innoteſcant, typis mandari debeant, & in fine decretorum inſeri.

Decimoquarto. Cum etiam obſervatum fuerit ſæpe poſtulatores dare ſcripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, & ex alia parte non fuerit ſolitum reſponderi per peritos ejuſdem profeſſionis, ideo videtur neceſſarium ad hoc ut reſpondeatur ſecundum artem, quod Em. Ponens deputet ex officio ſecreto, & prævio juramento, alium Medicum, vel Chirurgum celebriorem, qui reſpondeat pro veritate, ad effectum videndi an aſſerta miracula excedant vires naturæ.

## §. II.

*Die 15. Octobris 1678. facta per me infraſcriptum relatione Sanctiſſimo præfatorum Decretorum cum eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, & approbavit, atque ſervari mandavit, & publicari.*

Joann. Baptiſta de Luca Auditor, & Secret. Memorialium.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secretarius.

§. III.

## §. III.

*Formula juramenti Judicum ante inchoationem Proceſſuum.*

Ego infraſcriptus tactis Sacroſanctis Evangeliis coram me poſitis juro, & promitto fideliter adimplere munus mihi commiſſum circa fabricationem Proceſſus in cauſſa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. juxta formam Decretorum Sac. Congr. Rit., & præcipue noviſſimorum, quæ confirmata fuerunt a Santiſs. D. N. Innoc. XI. Necnon juro, & promitto religioſe ſervare ſecretum, tam de contentis in Interrogatoriis, quam de Teſtium depoſitionibus ſuper iiſdem, & ſuper Articulis, nec de iis loqui cum aliqua perſona, exceptis aliis Judicibus, & Subpromotore, ac Notario pro eodem Proceſſu deputatis, & in Curia excepto etiam Prothonotario, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nonniſi a Summo Pontifice (excluſo etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo abſolvi poſſim: Et ita promitto, & juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

*Idem juramentum præſtabitur a Subpromotore, & Notario, & in Curia etiam a Prothonotario mutatis mutandis.*

## §. IV.

*Formula juramenti Teſtium.*

Ego infraſcriptus tactis Sacroſanctis Evangeliis coram me poſitis, juro dicere veritatem, tam ſuper interrogatoriis, quam ſuper articulis, ſuper quibus examinabor, necnon ſervare ſecretum, nec alicui penitus revelare, tam contenta in iiſdem Interrogatoriis, quam reſponſiones, & depoſitiones a me factas, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ Sententiæ, a qua nonniſi a Summo Pontifice (excluſo etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo abſolvi poſſim: Et ita promitto, & juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

## §. V.

*Taſſa per gli Avvocati, e Procuratori, che patrocinano le cauſe di Beatificazione, e Canonizazione nella Sagra Congregazione de' Riti, rinnovata, e ſtabilita dalla medeſima.*

Primo. Per lo ſpoglio univerſale, che ſi fa *pro una vice tantum*, ſi oſſervi la Taſſa del 1618. al n. 3. ove ſi dice, che non ſi poſſa dare più di ſcudi 4. per ogni cento foglj di eſſo proceſſo ridotto, cioè che il foglio ſia due facciate da linee 24. e la linea abbia ſillabe 16.

Secondo. Per le Scritture *ſuper virtutibus, & miraculis*, ſc. 20. per ciaſcheduna, e non più.

Terzo. Per le riſpoſte ne' medeſimi dubj ſc. 10. e per tutte le altre ſcritture, che riſguardano fatica conſiderabile in tutti gli altri dubbj ſc. 55. per ciaſcheduna, e non più.

Quarto. Per le ſcritture d'introduzione delle cauſe nuove, e di reaſſunzione di quelle introdotte avanti li Decreti del 1642. ad effetto di ſegnarſi nell'une e nell'altre la Commiſſione, ſc. 15. e non più.

Quinto. Per le copie originali di tutte le ſcritture bajocchi 15. il foglio ridotti come ſopra.

Seſto. Per il Sommario ſopra ciaſchedun dubbio, bajocchi 5. per carta dello ſteſſo, ridotte le carte come ſopra.

Settimo. Per li memoriali di qualſivoglia ſorta giulj 12. per ciaſcheduno, eccettuate le ſcritture di reaſſunzione o introduzione delle cauſe, quali vogliono andare ſotto nomi di memoriali, per li quali ſi oſſervi ciò che s'è diſpoſto di ſopra al n. 4.

Ottavo. Per la prima copia originale tanto de' ſommarj, quanto de' memoriali bajocchi 6. la carta ridotti, come ſopra.

Nono. Per l'informazione in voce, quando s'informa tutta la Congregazione con l'intervento de' Conſultori ſc. 30. tra il Procuratore e gl'Avvocati, e quando s'informa la ſola Coongregazione ordinaria, ſi dia la metà.

Decimo. L'emolumento degl'Avvocati ſia di ſc. 10. per la ſcrittura, e per l'informazione in voce ſia il medeſimo che ſi dà a Procuratori.

Undecimo. Per la minuta di qualſivoglia commiſſione giulj 15. e per le due copie da darſi al Sig. Card. Ponente, ed al Segretario, ſi paghi a ragione di bajocchi 6. il foglio ridotto come ſopra.

Duodecimo. Per l'acceſſo del Procuratore al Sig. Card. Ponente, ed al Promotore e per la minuta, e copia originale del fatto concordato giulj 12.

Decimoterzo. Per l'informazione in voce di N. Signore, e dell'Auditore di Sua Santità ſc. 3. moneta al Procuratore, ed altrettanti all'Avvocato, ſe informerà anch'eſſo.

Decimoquarto. Per le citazioni, ed intimazioni non ſi paghi coſa alcuna, e per l'eſecuzione di eſſe ſi paghi a ragione della Taſſa de' Curſori.

Decimoquinto. Le copie dell'oppoſizioni del Promotore, eccetto la prima originale, ſi facino fare dalle parti, e fatte che ſaranno, dovranno portarle al Promotore, che ſigillate le darà alle medeſime parti per diſtribuirle alli Sig. Cardinali, Protonotario, e Segretario, e Conſultori.

Decimoſeſto. Per qualſivoglia fatica o ſcrittura non eſpreſſe di ſopra, s'intenda l'arbitrio del Sig. Cardinale Prefetto della S. Cong. e Ponente della cauſa, nè poſſino i Curiali arbitrare da sè medeſimi.

Decimoſettimo. E li ſuddetti ordini ſi debbano regiſtrare, ſtampare, e pubblicare, ed oſſervare ſotto pena di perpetua privazione del patrocinio, e ſollecitazione delle cauſe vertenti nelle dette Cong. e ſotto altre pene ad arbitrio della medeſima Sagra Congregazione.

## §. VI.

*Adì* 15. *Ottobre* 1678. *Avendo Io infraſcritto fatto relazione della preſente Taſſa a Noſtro Signore Innocenzio XI. la Santità Sua l'ha lodata, ed approvata, ed ha comandato, che ſi oſſervi, e ſi pubblichi.*

Gio: Battiſta de Luca Auditore, e Segretario de' Memoriali.

Luogo ✠ del Sigillo.

Bernardino Caſali Segretario della Sag. Congregaz. de' Riti.

*Ordini e Taſſa da oſſervarſi dal Notaro della Sagra Congregazione de' Riti rinnovati, e ſtabiliti dalla medeſima Congregazione.*

## §. VII.

Primo. S'ordina che il Notaro non faccia regiſtri, ſe non degli atti giudiziarj, e non dell'eſame de' Teſtimonj, o altro, e quelle ſiano ſenza eſtenſione di termini, o ripetizione de' titoli, eccetto che nel primo atto: quali regiſtri debbano onninamente farſi in tutte le cauſe.

Secondo. Che per ogni centinajo di foglj di regiſtro ben fatto, e ſecondo la riforma della felice memoria di Paolo V. ſotto il titolo de' regiſtri, non pigli più di quattro ſcudi, nè per la rubricatura, nè per la cullazionatura, nè per qualſivoglia altro preteſto.

Terzo. Che l'iſtanze de' Principi, Religioſi, Univerſità, ed altri nelle cauſe delle Beatificazioni, o Canonizazioni dal Segretario ſi conſegnino al Notaro, il quale le regiſtri negli atti, non altrimenti *per extenſum*, ma indicando ſolamente il nome del Principe, o d'altri che fa l'iſtanza; e la data della lettera, cioè: *pro introductione cauſæ inſtat talis Rex ſuis litteris datis die tali &c. & talis Rex &c.* ed in altra ſeparata, o ſuſſeguente carta dopo gli atti fatti per l'introduzione della cauſa ſcriva: *Pro cauſſæ proſequutione ad effectum obtinendi litteras remiſſoriales in genere inſtant N. Rex &c.* e gli originali ſi conſervino nell'archivio, nè ſi dia l'eſtratto *de verbo ad verbum*, ma ogni volta che ſarà richieſto il Notaro, ne dovrà dare un riſtretto da cavarſi dal detto regiſtro, o manuale, come ſopra, e per eſſe copie, ſi paghi a ragione di copia, come ſi dirà al ſeguente numero. E per la fede di eſſe ſi diano due giulj per ciaſcuna copia, delle quali una ſi darà all'Em. Signor Card. Ponente, e l'altra a Monſ. Segretario, e l'altra a Monſ. Promotore della Fede.

Quarto. Per la copia degli atti fatti in curia o fuori in forma di buon' originale non ſi paghi più di bajocchi ſette, e mezzo per foglio da tutte due le bande, e la facciata ſia di linee 24. e la linea di ſillabe 16. ed eſſendo ſcritta in forma di regiſtro, ſi paghi a ragione di regiſtro, come ſopra.

Quinto. Per la copia pubblica di qualſivoglia Proceſſo, tanto fatto *auctoritate ordinaria*, quanto *apoſtolica*, ſi paghino al Notaro bajocchi 7. e mezzo per foglio ſolamente, ſenza alcun' altro emolumento, o mercede per detta copia, o ſcrittura; ed il foglio ſia di facciate, linee, e ſillabe, come al n. 4.

Seſto. Tutti li regiſtri, copie, e ſcritture ſi debbano fare in carta buona, e lettera intelligibile, e ſecondo la riforma, ed ordini ſopraddetti: altrimente il Notaro ſia tenuto farle copiare di nuovo ſenza altra ſpeſa.

Settimo. Che li proceſſi che vengono *de Partibus* tanto fatti *auctoritate ordinaria*, quanto *auctoritate apoſtolica*, non ſi regiſtrino per conto alcuno, ſecondo la detta riforma, ancorchè non paſſaſſero 20. foglj, ma ſolo ſi poſſano rubricare ſe non ſaranno rubricati, o non intieramente, nel qual caſo, ſi poſſa ſolo rubricare quello che manca, e non altro.

Ottavo. Per la rubricazione di qualſivoglia coſa, che n'abbia biſogno, ridotto in Proceſſo a carte buone, conforme alla detta riforma, oltre detti bajocchi ſette e mezzo per foglio per la ſcrittura, ſi paghino giulj dieci per cen-

to,

Digitized by Google

to, e tale rubricazione debba in ſoſtanza cootenere tutto quello, che contiene il corpo della ſcrittura, e venendo Proceſſo, o altra ſcrittura rubricata *de partibus*, non eſſendo intieramente rubricata, ſi paghi ſolamente quello che manca, come ſi è detto.

Nono. Per l'aſcoltazione, e collazione de' Proceſſi ogni volta che ſia continuata a ragione di ſei ore il giorno, non ſi paghi al Notaro più di uno ſcudo il giorno oltre gli emolumenti ſuddetti, e gli ajutanti ſieno deputati dalle parti, dalle quali ſe gli paghi quel tanto che ſarà convenuto, e per la fede dell'aſcoltazione di tutto il proceſſo, ſi paghino giulj cinque per la prima copia ſolamente, e quando le parti voleſſero altre copie autentiche di detti proceſſi, oltre la prima, non poſſa il Notaro pretendere più di bajocchi cinque per foglio, ridutto come ſopra, compreſovi la rubricatura; ma oltre detti bajocchi cinque per foglio, ſe gli debba la mercede della collazionatura, e aſcoltatura, come ſopra, e per la fede di dette copie duplicate.

Decimo. Per le compulſurie ſi paghino giulj 12. conforme preſcrive la Riforma ſuddetta di Paolo V. al Tribunale dell'A. C.

Undecimo. Per le Remiſſioni in genere, anche *ſuper non cultu*, *ſuper caſu excepto*, o altre inoſſervanze, ed eſecuzione de' Decreti della SS. Inquiſizione, non ſi paghi più di ſcudi 6. per quelle in ſpecie di ſc. 10. in tutto compreſavi la ſcrittura, ed ogni altra coſa ſpettante alle medeſime ſpedizioni. Nè per la ſcrittura delle interrogazioni, che ſi mandano chiuſe, prenda il Notaro mercede alcuna; ma per gli articoli l'eceſſività della ſcrittura ſopra a quindici fogli, ſe gli paghi a ragione di bajocchi ſette e mezzo il foglio, come al num. 5. ed occorrendo di dette lettere darne duplicati, non debba il Notaro per eſſi eſigere che la metà della mercede ſtabilita per la prima ſpedizione, ed eſſendovi eceſſività di ſcrittura degli Articoli, come ſopra, debba la detta eceſſività pagarſi a ragione di bajocchi 5. il foglio.

Duodecimo. Per compulſa di qualſivoglia ſcrittura fuori di Officio, per l'acceſſo, e ſeſſione di tre ore, non poſſa pigliar più di otto giulj, per la fede in fine del Proceſſo compulſato 4. giulj, e per la ſcrittura a ragione di bajocchi ſette e mezzo per foglio, come al num. 4. dentro l'officio per ciaſcuna ſeſſione di tre ore giulj cinque, per la fede, e ſcrittura, come ſopra.

Decimoterzo. Dovendoſi compulſare libri ſtampati dandoſi dalle parti un ſanto, ſia tenuto il Notaro inſerirlo in fine del proceſſo, ſenza farne copia, o regiſtro di ſorta veruna.

Decimoquarto. Per ogni eſame nell'officio, ſe finiſce in una ſeſſione, ſi paghino giulj tre, ſe ſi vogliono più ſeſſioni, ſinchè ſi finiſce l'eſame di detto Teſtimonio, non poſſa il Notaro pretendere più di giulj due per ſeſſione, e fuori dell'Officio il doppio.

Decimoquinto. Per le ſurrogazioni de' Giudici, o nuovi termini nelle cauſe delle Beatificazioni, e Canonizazioni non ſe li paghi più di 15. giulj in tutto, per ciaſcuna ſpedizione di lettere remiſſoriali, e compulſoriali, proroghe di termini, e ſurrogazione de' Giudici da farſi ſolamente per comandamento dell'Em. Sig. Card. Prefetto della Sag. Congreg. Ponente nelle cauſe controverſe, non ſi paghi più di quello che preſcrive la Riforma ſuddetta al Tribunale dell'A. C.

Decimoſeſto. Per qualſivoglia citazione ſemplice da ſpedirſi ſolamente, come ſopra, e da eſeguirſi fuori di Roma, non ſi paghi più di giulj tre, e per quelle che ſi ſpediſcono con l'inibizioni in virtù delle commiſſioni, giulj 10.

Decimoſettimo. Per duplicato di qualſivoglia ſcrittura pubblica, o privata con ſottoſcrizione, ſigillo, ec. o ſenza, non ſi debba pagar più di 5. bajocchi per foglio.

Decimottavo. Occorrendo dar altra ſcrittura, o far altre fatiche non eſpreſſe nella preſente Taſſa, l'emolumento ſi ſtabiliſca dall'Em. Sig. Card. Prefetto, nè poſſa il Notaro prendere alcun'altro emolumento, ancorchè incorra la medeſima, o maggior ragione delle mercedi eſpreſſe.

Decimonono. Che per li Proceſſi delle Beatificazioni, e Canonizazioni s'oſſervi puntualmente per le Commiſſioni, Remiſſorie, Compulſorie, Articoli, Interrogatorj, e altro la forma preſcritta nelli Decreti, e norma di fare detti Proceſſi pubblicati d'ordine della Santa mem. d'Urbano VIII. l'anno 1642. ed ora confermati da Noſtro Signore coll'aggiunte, che ci ſono fatte.

Vigeſimo. Che il Notaro debba ritenere il libro *Receptorum*, e fedelmente in eſſo notare quanto gli entra in mano de' ſuoi emolumenti ſotto pena della privazione dell'officio

Vigeſimoprimo. Che ſi facciano due manuali, cioè uno degli atti delle cauſe di Beatificazioni, e Canonizazioni, e l'altro degli atti delle cauſe controverſe, nelle quali ſi regiſtrino tutte le comparſe, proteſte, citazioni, e intimazioni con le ſue intitolazioni, quali reſtino ſempre nell'Officio, e per queſte non ſi paghi coſa alcuna, e poſſano ſempre da tutti gl'intereſſati eſſer veduti, e lerſi *gratis*, ed il Notaro ſia ſempre obbligato moſtrarli.

Vigeſimoſecondo. Non poſſa il Notaro eſtrarre fuori d'Officio gli proceſſi originali, o qualſivoglia altra ſcrittura prodotta, ma debba darne copia pubblica, o ſemplice, ſecondo che le parti chiederanno.

Vigeſimoterzo. Per la reſtituzione di qualſivoglia ſcrittura prodotta, *dimiſſa copia*, ſi diano tre giulj, e debba il Notaro far buoni due foglj, e delli due in ſu ſe li paghi a ragione di ſette bajocchi e mezzo, come ſopra al n. 4. ma ſe ſi reſtituiſcono in una volta più ſcritture prodotte in un ſol atto, ſi debbano ſolamente tre giulj, e di più l'eceſſività della copia, come ſopra.

Vigeſimoquarto. Che volendo le parti veder proceſſi, o qualſivoglia altra ſcrittura originale dentro l'Officio, ſia il Notaro tenuto laſciarli vedere ſenza mercede alcuna.

Vigeſimoquinto. Sappino le parti, che nella Segretaria della Sag. Congreg. tutto ſi ſpediſce *gratis*; nè perciò debbano al Notaro per ſigillo, ſcrittura, ſottoſcrizione, o qualunque altra coſa, che ſi faccia in Segretaria, emolumento, o mercede alcuna.

Vigeſimoſeſto. Che non poſſa pretendere il Notaro per il viatico coſa alcuna nell'andare a leggere le citazioni.

Vigeſimoſettimo. Che il Notaro debba dare il giuramento in S. Cong. d'oſſervare la preſente Taſſa, ed ordine nella forma ſeguente.

*Ego N. Notarius a S. Cong. ſpecialiter deputatus in cauſſis ejuſdem S. Congr. tactis Sacroſanctis Dei Evangeliis juro, & promitto fideliter exercere officium mihi conceſſum, & ad unguem obſervare ſupradictam taxam ſub pœna perjurii, privationis officii ipſo facto incurrenda; & reſtitutionis contra & ultra dictam Taſſam habitorum, & acceptorum, aliiſque pœnis arbitrio ipſius Sac. Cong.*

Vigeſimo ottavo. Che ſi faccino ſtampare li preſenti Ordini, e Taſſa; ed il Notaro debba tenerli pubblicamente affiſſi, ed il tutto ſia obbligato ad oſſervare tanto nelle cauſe di Beatificazioni, e Canonizazioni, quanto reſpettivamente in quelle de' Sagri Riti, ſotto le pene contenute nel detto giuramento; dandoſi facoltà di ricorrere ad ogn'uno, che ſi ſentiſſe gravato, e vedeſſe non oſſervarſi quanto è eſpreſſo di ſopra, perchè vi ſi prenderà la debita proviſione. *Dato in Roma li 6. Agoſto 1678.*

## §. VIII.

*A 15. Ottobre 1678. avendo Io infraſcritto fatto relazione della ſuddetta Taſſa a Noſtro Signore Innocenzo XI. con la ſua intiera lettura, la Santità Sua l'ha lodata, ed approvata, ed ha comandato, che ſi oſſervi, e ſi pubblichi.*

Gio: Battiſta de Luca Auditore, e Segr. de' Memoriali.

Loco ✠ del Sigillo.

Bernardino Caſali Segretario della Sag. Congreg. de' Riti.

786. Feſtum Purificationis B. M. V. quando occurrit in Dominicis Privilegiatis, niſi ſit titulus Eccleſiæ, quoad Officium & Miſſam in ſequentem diem transferendum eſt. S. R. C. 9. Auguſti 1682. *in Bergomenſi*.

787. Dies tertia Februarii non poteſt aſſignari alicui Sancto duplici, vel ſemiduplici ſemper tranſlato pro ejus certa, & perpetua ſede. S. R. C. 9. Auguſti 1681. *in Bergomenſi*.

788. Cum SS. D. N. Innocentius Papa XI. per univerſam Eccleſiam celebrari præceperit Feſtum SS. Nominis Mariæ Dominica infra Octavam Nativitatis ejuſdem cum Officio & Miſſa propria ſub ritu duplicis majoris: quod feſtum jam ante ex Indulto Apoſtolico, nonnullis in locis, cum Indulgentiis pro Chriſti fidelibus Miſſæ ſolemni intereſſentibus die 17. Septembris celebrabatur cum Officio & Miſſa propriis; Inſtitum fuit a Sac. Rit. Cong. declarari: Primo: An ceſſare debeat in dictis locis tam Officium proprium, quam feſtum SS. Nominis Mariæ jam antea a Sede Apoſtolica approbatum, ita ut ideo feſtum dicta die 17. Sept. cum dicto Officio & Miſſa propriis non poſſit amplius mutari? Secundo; An dictæ Indulgentiæ etiam cenſeantur ceſſare, an vero intelligantur tranſlatæ ad dictam Dominicam infra octavam B. M. Virginis? Tertio: An dictum Officium & Miſſa pro dictis locis, aut Ordinibus Regularibus poſſint amplius reimprimi; ac illo poſthac poſſint iidem uti? Et Sac. C. ad dicta dubia reſp. ut infra. Ad primum Ceſſare debere. Ad ſecundum. Indulgentias pariter ceſſare pro illa die, & pro tranſlatione ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo. Ad tertium; Non licere. Ead. S. R. C. 17. Junii 1684. *annuente Innocentio XI. in ſua Conſtitutione XVI. in fine*, quæ incipit NUPER PRO PARTE.

789. Propoſito dubio, an Declarationes Alexandri VII. & Clementis IX. ſibi locum vindicarent etiam in diebus Dominicis & intra octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus licet a feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ defunctorum juxta ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licet, ſervata ceteroquin Privilegiatorum forma, ad altaria privilegiata celebrarentur. Et reſponſum fuit; Prædictorum

Pon-

Digitized by Google

Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt, intelligendas eſſe. S. R. C. 3. Apr. 1688. *in decreto generali ab Innocentio XI. confirmato per Breve, quod incipit:* Alias poſtquam, *datum die 4. Maji* 1688.

790. Quando Parochi non ſunt de gremio Capituli, præcedentia debetur Beneficiatis ſupra Parochos, ſecus vero ſi Parochi habent ſtallum in choro, & ſunt de gremio illius Capituli, S. R. C. 22. Aug. 1688. *in Bituntina*.

791. Uſus pileoli Parocho reumate laboranti, & Euchariſtiam infirmis deferenti, non intra civitatem & oppidum, ſpectat privative ad Epiſcopum. S.R.C. 10. Jun. 1693. *in Trevirenſi*.

792. In conſecrandis Virginibus ſervetur Pontificale, & quoad egreſſum in Eccleſiam exteriorem arbitrio Em. Archiepiſcopi, circa modum acceſſus & receſſus ſtandum erit. Moniales vero per eamdem portam exterioris Eccleſiæ accedere debent, ac recedere. S. R. C. 27. Septemb. 1698. & antea 4. Julii ejuſdem anni *in Bononien.*

793. Conceditur primatus Fratribus Provinciæ S. Didaci novæ Hiſpaniæ in Indiis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Diſcalceatorum nuncupatorum contra Fratres Auguſtinianos in Regno Mexicano, non ſolum in proceſſionibus ſolitis, & ſub propria Cruce, ſed etiam in concionibus, diſputationibus, concurrentia Prælatorum, aliiſque actibus tam publicis, quam privatis, interveniente, vel non interveniente familia de Obſervantia: tam in voce, quam in ſcriptis partibus acerrime informantibus auditis, ita reſpondit, & amplius dubium proponi vetuit. S. R. C. 13. Martii 1700. *annuente Innoc. XII. 4. Apr. ejuſdem anni in Conſt. quæ incipit*, Emanavit.

794. Impedito, aut nolente Epiſcopo celebrare, & alias functiones explere, ſpectat non ad Vicarium generalem, aut ad Canonicum hebdomadarium, ſed ad primam Dignitatem, eaque impedita gradatim ad alias, ejus vices ſupplere. S. R. C. 11. Februarii 1702. *in Gerunden.*

795. An Confraternitates Laicorum legitime erectæ in Eccleſiis Parochialibus, habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Eccleſiaſticis, non parochialibus; & reſponſum fuit: Affirmative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis & Orbis. Clemente XI.* 12. *Jan.* 1704. *confirmante, Conſt. quæ incipit*: Ad debitum.

796. An Confraternitates Laicorum erectæ in Capellis, vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis adnexi Parochialibus Eccleſiis, ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quad dictas functiones? Et reſponſum fuit: Affirmative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis & Orbis*. Clem. XI. approbante ut ſupra.

797. An Confraternitates erectæ in aliis Eccleſiis publicis, habeant quoad eaſdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites ſitæ ſunt Eccleſiæ? Et reſponſum fuit: Negative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis & Orbis, ut ſupra*.

798. An Confraternitates erectæ in Oratoriis tam publicis, quam privatis, ſejunctis ab Eccleſiis Parochialibus, quoad dictas functiones Eccleſiaſticas, habeant dictam dependentiam a Parocho? Et reſponſum fuit: Negative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis*.

799. An benedictiones Mulierum poſt partum, Fontis Baptiſmalis, Seminis, Ovorum, & ſimilium, ſint de juribus mere Parochialibus? Et reſponſum fuit: Negative; ſed benedictiones Mulierum, & Fontis Baptiſmalis fieri debere a Parochis. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis*.

800. An celebratio Miſſarum ſolemnium per annum, ſive pro vivis, ſive pro defunctis, ſit de dictis juribus Parochialibus? Et reſponſum fuit: Negative prout jacet, ſed licere confratribus ſolemnioribus ejuſdem Eccleſiæ vel Oratorii, ut in Brunduſin. ſub die 1. Junii 1601. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis*.

801. An Parochus invitis Confratribus docere poſſit doctrinam Chriſtianam in prædictis Eccleſiis, Oratoriis publicis vel privatis a Parochia diviſis, & ſeparatis? Et reſponſum fuit: Negative. S. R. C. 10. Decemb. 1702. *Urbis, & Orbis*.

802. An in ſæpe dictis Eccleſiis publicis Confraternitatum poſſint haberi publicæ Conciones etiam per totum curſum Quadrageſimæ, vel Adventus cum licentia Ordinarii, & abſque licentia Parochi? Et reſponſum fuit: Affirmative, S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis*.

803. An in eiſdem Eccleſiis poſſit celebrari Miſſa ſive lecta, ſive cantata ante Miſſam Parochialem, ſive lectam ſive cantatam? Et reſponſum fuit: Negative, niſi aliter Epiſcopus diſponat. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis*.

804. An ad Parochum ſpectet Officium funebre ſuper cadaveribus ſepeliendis in ſæpe dictis Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum? Et reſponſum fuit: Affirmative, quando tumulandus eſt ſubditus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium. S. R. C. 10. Dec. 1703. *Urbis, & Orbis*.

805. An poſſit Parochus ſe ingerere in adminiſtratione oblationum, vel eleemoſynarum in ſæpe dictis Eccleſiis recollectarum, vel Capſulæ pro illis recipiendis expoſitæ clavem retinere? Et reſponſum fuit: Negative, S. R. C. 10. Decembris 1703. *Urbis, & Orbis*.

806. An in Eccleſia Parochiali Confratres, vel eorum Capellani immiſceri ſe valeant invito Parocho in ejuſdem Eccleſiæ functionibus, ſive Parochialibus, ſive non Parochialibus? Et reſponſum fuit: Negative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis & Orbis*.

807. An Confraternitates ſive ſint erectæ in Eccleſia Parochiali, ſive extra illam, poſſint pro libito, & juxta uniuſcujuſque peculiaria ſtatuta Congregationes ſuas facere, abſque interventu, vel licentia Parochi? Et reſponſum fuit: Affirmative, dummodo non impediant functiones, & divina officia, S. R. C. 10. Decembris 1703. *Urbis, & Orbis*.

808. An poſſint propria bona adminiſtrare, atque de illis diſponere abſque ulla dependentia a Parocho? Et reſponſum fuit: Affirmative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis*.

809. Quando Parochus eiſdem Congregationibus interſit de mandato Ordinarii, & tamquam ejus Delegatus, an poſſit ſuffragium deciſivum ferre, & quatenus Affirmative? Et reſponſum fuit; Negative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis*.

810. An etiam ſuffragium duplex? Die 10. Decembris 1703. prout infra reſpondit, Et reſponſum fuit: Negative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. *Urbis, & Orbis, Clem. XI. annuente ſuper omnia dicta dubia die* 12. *Januar.* 1704. *Conſt. quæ incipit*: AD DEBITUM.

811. An impedito Diacono munus auferendi mitram, & gremiale Celebranti in Capella Pontificia, & alia, ejuſdem Diaconi munera, ſpectent ad Subdiaconum, vel potius ad Cæremoniarum Magiſtros & S. Congr. reſpondit *Dilata*, & ad Eminent. Ponentem *ad mentem* & mens fuit, quod Em. Ponens curaret, ut Magiſtri Cæremoniarum abſtineant in futurum ab imponendo & auferendo mitram, & gremiale in caſu &c. niſi impeditis Diacono & Subdiacono. S. R. C. 26. April. 1704. & iterum denegata nova audientia Præfectis Cæremoniarum, ſervari hoc Decretum ſtatuit eadem S. R. C. 7. Jun. 1704. *in Romana*.

812. Religioſi celebrantes ex quacumque cauſa in aliena Eccleſia ubi non agitur Officium Duplex, & fiunt Exequiæ pro aliquo Defuncto, vel anniverſaria, vel ſimile Officium pro Defunctis, etiamſi ipſi Religioſi recitaverint Officium Sancti duplicis, poſſunt ſe conformare cum Eccleſia, in qua celebrant. S. R. C. 23. Auguſti 1704. *in una Eremit. Camald.*

813. An liceat PP. Cappuccinis Civitatis Neocaſtri retinere, proceſſionaliter publice deferre, & reſpective publice exponere in propria, & in alienis Eccleſiis ſtatuam S. Antonii de Padua in Habitu Cappuccino? Et an eiſdem PP. Cappuccinis in publicis functionibus Eccleſiaſticis tam intus propriam Eccleſiam, quam extra, & in Proceſſionibus tam publicis, quam privatis, liceat uti Vexillis, velis, palleolis, planetis, pluvialibus, vel ſimilibus mobilibus, ubi ſint depictæ, ſculptæ, & impreſſæ imagines ejuſdem Sancti Antonii cum Habitu Cappuccino? Et an eiſdem PP. Cappuccinis ſubtus imagines ejuſdem S. Antonii, vel S. Franciſci de Aſſiſio depictas, ſculptas, vel impreſſas cum eorum Habitu, & Caputio, tam intus Eccleſiam, & Conventum, quam extra, & ſignanter in parietibus, & frontiſpicio eorum Eccleſiæ ſint permittendæ inſcriptiones indicantes illas eſſe effigies Sancti Antonii de Padua, & S. Franciſci de Aſſiſio cum veriore forma Habitus ipſius S. Franciſci, vel potius ſint delendæ, aut cancellandæ, ac in futurum prohibendæ in caſu? Reſponſum fuit ad primum, & ſecundum, Affirmative. Ad tertium quoad primam partem, Negative, & quoad ſecundam, Affirmative: & ita decrevit, & ſervari mandavit S. R. C. die 22. Januar. 1707. *in una Neocaſtrenſis*.

814. Epiſcopus celebrans Miſſam de Natali Domini in pontificalibus, vel aſſiſtens cum pluviali, vel cappa, quæ eo die ob maximam ſolemnitatem numquam conveniret; ex quo ſedens legit Evangelium, non debet genuflectere ad *Verbum caro factum eſt*, ſed ſolum quando Diaconus illud cantat. S. R. C. 28. Septemb. 1708. *in Bracharen.*

815. Quando altare fuit conſecratum ad modum altaris fixi cum ſacris ſigillis, & unctionibus inter ſtipitem, & altare, ſi motus fuerit lapis ſuperior, qui format menſam altaris a ſuo ſtipite, tunc execratur altare. Si vero fuit conſecratum ad modum altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, ſed tantum, quando frangitur ſepulcrum Reliquiarum. S. R. C. 21. Junii 1710. *in una Ord. Cappucc.*

816. Cum S. R. C. ne tam proceſſus cauſſarum Beatificationum, & Canonizationum, quam alii qui in cauſſis controverſis confici poſſunt, per manus Notariorum variorum tribunalium diſperſi vagarentur, uſque ad annum 1725. eadem S. C. cenſuerit omnes cauſſas penes ipſam controverſas, ac impoſterum controvertendas, ab eaque cognoſcendas, illarumque acta omnino ſpectare ad Notarium ipſius S. C. privative quoad omnes alios Notarios quorumcumque tribunalium; ita obſervari mandavit, non obſtantibus quibuſcumque, quæ cauſſæ, proceſſus &c. quovis modo in ipſa S. Congregatione privative quoad omnes etiam Sac. Palatii Apoſtolici, & A. C. Notarios ſub pœnis arbitrio ipſius Sac. Cong. infligendis cum ingerere ſeſe audeant, & præſumant. Ead. Sac. R. C. 6. Julii 1715.

*Clem.*

*Clem.XI. approbante 13. ejuſdem menſis, & anni* in Decreto XXI. Tom.8. Bull.Rom.edict. Luxemburgi 1727.pag.438.

817. Licet Capitulo Collegiatæ S. Joannis Baptiſtæ Modœtiæ Coronam ferream uno ex clavis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ut pie creditur, in laminam, ſive circulum compacto exornatam, retinere intus Crucem, in qua fuit repoſita ſimul cum aliis reliquiis, & publicæ venerationi exponere, etiam in altari majori, & proceſſionaliter deferre, prout olim practicabatur. S.R.C. 7. Auguſti 1717. *in una Modœtiæ. Clem.XI. annuente 10. ejuſdem menſis & anni in ſuo Brevi, quod incipit:* Cum Modœtiæ. *Tom.8.Bullar.Rom.ut in n.*888.*pag.*440.

818. Cum Tertiariæ Ordinis Cappuccinorum Terræ Fani Diœceſis Nonantularum, ob nondum conſtructam earum Eccleſiam, Miſſam in una ex Capellis Parochiæ audire ſoleant, cumque Feria V. majoris hebdomadæ in eadem Capella Miſſa ſolemnis celebrari nequeat, propterea pro facultate, ut ultra Miſſam Parochialem in altari majori decantandam alia privata in memorata Capella, ad ſpiritualem ipſarum conſolationem celebrari poſſit, S.R.C. enixe ſupplicarunt, & eadem S. Cong. attentis circumſtantiis, Oratricibus gratiam petitam, concedendam eſſe cenſuit, quibuſcumque Decretis in contrarium non obſtantibus. S.R.C. die 11. Mart.1719 *in una nullius Nonantulæ.*

819. In Miſſa S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Angliæ Primatis, quæ incipit; *In medio Eccleſiæ*, dicitur etiam Credo. S.R.C.3.Feb.1720.*in una urbis & Orbis ad inſtantiam Sereniſſimi Jacobi III. Magnæ Britanniæ &c.Regis approbante Papa Clemente XI. die* 8. *ejuſdem menſis & anni decreto* 29. *quod incipit:* Ad pias preces. *Tom.*8. *Bull. Rom. edict. Luxemburgi* 1727.*pag.*441.

820. In Miſſa S. Iſidori die 4. Apr. de communi Doctorum dicitur Credo. S.R.C. 25. Apr. 1722.*in decreto Urbis & Orbis ad pias Sereniſs. Philippi V. Regis Catholici preces,& Eccleſiæ Hiſpalenſis, annuente Innoc.Papa XIII.die eodem & anno.*

821. Officium S.Margaritæ de Cortona Ord.Min. cum Lectionibus ſecundi Nocturni, ac Oratione, necnon Antiph.ad Benedictus,& Magnificat propriis, & Miſſam reſpective Clem. XII. approbavit pro die 23. Febr. ſub Ritu ſemiduplici, recitandum ab utroque Clero Sæculari, & Regulari, & tantum in totam Italiam extendit cum Decr. S.R.C. die 5.Maji 1736.

822. In ſecundo triduo majoris hebdomadæ non poſſunt celebrari Exequiæ defunctorum, & Officium, & preces recitentur privatim. S.R.C. 11. Aug. 1736. *in Placentina.*

823. Clemens XII. Miſſam & Officium proprium S. Aloyſii Gonzagæ e Soc. Jeſu pro Feſto ipſius die 21. Jun. omnibus Sac. Cæſareæ Majeſtati ſubjectis, nonnulliſque aliis Regnis & Provinciis conceſſum ſub Ritu duplici minori, dictum Officium, & Miſſam ad omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles exiſtentes in tota Italia, & Inſulis adjacentibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub eodem Ritu impoſterum extendi mandavit. Die 10. Maji 1737.

824. Orationes & Lectiones ſecundi Nocturni proprias S.Vincentii a Paulo Congr. Miſſionis, & Miſſam cum Evang. *Deſignavit Dominus &c.* ut in Communi Evangeliſtarum, S.R.C. annuente Papa Clem.XII. pro die 19. Jul. in Officio dicti Feſti ipſius Sancti ab omnibus Chriſti fidelibus, utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu ſemiduplici recitari poſse conceſſit. Die 7. Dec. 1737.

825. Serventur Rubricæ Miſsalis, Breviarii, & Cæremonialis Epiſcoporum ad verba Invitatorii: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum &c.* ad verba Symboli: *Et incarnatus eſt &c.* & ad alia ſimilia genuflexionem requirentia, etiam a Cantoribus ad ambonem, aut Chorum degentibus, dum ea proferuntur actualiter: ſic tamen, ut quando mora genuflexionis eſt brevis, hæc fiat; quando autem mora eſt longa, ne plurium vocum uniſona modulatio inflectatur, genuflectendum erit ſub finem verborum. S. R. C. 8. Mart. 1738. *in Ulixbonen. Occid. Regii Noſocomii.*

826. An Feria ſecunda poſt Feſtum SS. Trinitatis, in qua tamquam in ſede perpetua, & propria quotannis celebratur ſolemnitas SS.Myſterii uti Titularis, debeat cantari Miſſa ſolemnis de SS. Trinitate cum *Gloria*, & *Credo* ratione rei gravis ob concurſum fidelium, licet ipſamet Feria ſecunda impedita ſit feſto duplici, dempto claſſico. Reſponſum fuit: Pro gratia. S.R.C. 8. Mart. 1738. *in una Ulixban. Occident. pro Confraternitate Clericorum Sæcularium in Eccleſia Regii Noſocomii.*

827. An Officia pro animabus Confratrum extra diem obitus, ſeu depoſitionis, tertium, ſeptimum, & trigeſimum cum caſtro doloris, & concurſu Sacerdotum officiata, habere debeant ritum duplex, vel ſemiduplex cum pſalmo, ac tribus orationibus? Reſponſum fuit: Serventur Rubricæ Ritualis Romani una cum noviſſimo Decreto edito anno 1737. in Molana, nempe duplicatio Antiph. præter diem commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & diem depoſitionis Defuncti, fiat in diebus tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario tantum. S. R. C. 8. Mart. 1738. *in Ulixbon. Occid.*

828. Feria ſecunda poſt Dominicam infra Octavam omnium Sanctorum, feſto duplici minori occupata, in qua pro animabus Confratrum cantatur Officium Defunctorum cum ſolemnitate, debet pro gratia cantari Miſſa de Requiem: quod ſi anniverſarium prædictum contingat in feſto altioris ritus, debet illud præcedenti die celebrari. S. R. C. 8. Martii 1738. *in Ulixbon.Occident.pro Eccleſia Regii Noſocomii.*

829. An in diebus infra Octavam Corporis Chriſti duplicia non excludentibus, cantari poſſit Miſſa de Requiem in die obitus, tertio, ſeptimo, & trigeſimo, ac anniverſario in dicto Octavario incidentibus? Reſponſum fuit negative, & ſerventur Decreta vulgata in Nuſcana 12. Sept. 1671. & in collenſi 5. Junii 1698. S. R. C. 8. Martii 1738. *in Ulixb. Occid.*

830. Rappreſenta umilmente all'EE. VV. il Capitolo, e Canonici della Cattedrale di Liſbona Orientale, qualmente per uſo antichiſſimo, e ſenza memoria d'uomini, quando il Parroco di detta Cattedrale porta il SS. Sacramento per Viatico agl'Infermi, e dà la benedizione al popolo con il Santiſſimo chiuſo nella Piſſide, l'incenſa uno, o due Canonici, o Sacerdoti, che ſono obbligati, ed ordinariamente ſono due Canonici, che accompagnano in Santiſſimo per li ſtatuti di detta Cattedrale approvati dalla S. Sede Apoſtolica, e Coſtituzioni dell'Arciveſcovato in modo tale, che tanto li Sacerdoti, come li Canonici, che il Preſidente del Coro manda ad accompagnare il Santiſſimo Viatico, ſono contati nel Coro, quando in eſſo cantano il Matutino, ed altre ore dell'Offizio Divino. Ma perchè, Eminentiſſimi Signori, è ſtata riprovata dal Maeſtro di Cerimonie di detta Cattedrale quella d'incenſare il Santiſſimo rinchiuſo nella Piſſide, quando il Parroco dà la benedizione al popolo, e non oſtante detta riprovazione, ha ordinato il Capitolo Oratore, s'oſſervaſſe la detta cerimonia d'incenſare il Santiſſimo nel ſuddetto atto per renderli maggior culto: pertanto ſupplicano l'EE. VV. a degnarſi graziarli con dichiarare, ſe devono, o nò oſſervare detta cerimonia, che laſciando di farla, ſeguirà ſcandalo al popolo.

S. R. C. declaravit ſervari debere dictam cæremoniam thurificandi SS. Sacramentum incluſum in Pixide, cum defertur pro Viatico infirmis, & cum ipſo benedicendum eſſe populum. Eadem S. R. C. 28. Junii 1738. *in Ulixbon. Orient.*

831. Si transferatur ad tempus Paſchale feſtum SS. Martyrum, in quorum Miſſa Introitus ſit *Gaudeamus omnes in Domino &c.* ſi ultra Introitum *Gaudeamus &c.* habeat etiam proprium vel Evangelium, vel Epiſtolam; tunc debet recitari idem Introitus; ſecus ſi nihil aliud proprii haberet, quia in eo caſu Introitus alter incipiens *Protexiſti me Deus*, dicitur. S. R. C. 29. Novemb. 1738. *in una Carthagen. in Hiſpan.*

832. Si feſtum alicujus Sancti Martyris habens in Miſſa proprium Evangelium transferatur ad tempus Paſchale, dici debet idem proprium Evangelium, non vero unum ex aſſignatis pro tempore Paſchali. S. R. C. 29. Nov. 1738. *in una Carthag. in Hiſpania.*

833. Dum incenſatur Altare, in quo eſt expoſitum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet poſt illud incenſatum Crux quoque incenſari. S. R. C. 29. Nov. 1738. *in una Carthagen. Hiſp.*

834. Ex parte moderni Epiſcopi Polenſis S.R.C. pro declaratione infraſcripti dubii ſupplicatum fuit; nempe Dignitates, Canonici, & Capitulum Cathedralis Polenſis, obtentu conſuetudinis, terminatis omnibus Horis Canonicis, etiam diebus feſtivis, in quibus nec horam Tertiam umquam canunt, niſi Pontificalia exercente Epiſcopo, recitatis anticipate hoc caſu Sexta, & Nona, Miſſam Conventualem decantant. Itemque Miſſas pro Defunctis a teſtatoribus legatas ante Matutinum, quoties contingunt cum cantu celebrant. Cumque hæ conſuetudines reſiſtant Rubricis Miſſalis Titul. de hora celebrandi Miſſam, nec non cuidam Decreto Sac. Rit. Cong. in una Cathacen. die 18. Junii 1689. quæritur, an attenta conſuetudine tolerari queant hujuſmodi reſpective anticipationes, & poſtpoſitiones horarum, & ſolemnium Miſſarum cantationes ſupramemoratæ. Et reſponſum fuit: Serventur omnino Rubricæ Miſſalis Romani ſub tit. xv. S. R. C. 9. Maji 1739. *in Polana.*

835. Anno itidem 1739. ſub die 9. Maji S. R. C. decrevit, ut Officium S. Gertrudis Virg. Abbat. Ord. S. Benedicti cum Lectionibus ſecundi Nocturni, ac Oratione propriis in Eccleſia univerſali die 15. Novembris recitetur ſub Ritu Dupl. Min. ac ejuſdem Miſſa reſpective celebretur.

836. Nequit Epiſcopus Abbatibus, aliiſque Prælatis inferioribus exercitium Pontificalium reſtrictive habentibus, in ſuis tantum Eccleſiis, facultatem, ſeu licentiam impertiri exercendi illa in Eccleſiis ipſis non ſubjectis, ſive Sæculares fuerint, ſive Regulares ſuæ Diœceſis. S.R.C. 11. Julii 1739. *in Barchinon.*

837. Canonici Collegiatæ, ſecluſa conſuetudine in contrarium, uti perſonæ graduatæ, & quaſi in dignitate conſtitutæ non genuflectunt, ſed caput, & humeros profunde inclinant Epiſcopo, & Altari, ad inſtar Canonicorum Cathedralis. S. R. C. 11. Julii 1739. *in Neritonen.*

8,8. In Sabbatis quatuor Temporum, vel aliis ad Ordines conferendos a jure præſtitutis, Epiſcopus Ordinationem faciens, Miſſam de feria, non autem de Sancto, qui forte diebus illis occurret duplex, vel ſemiduplex, v. g. S. Matthiæ tempore verno, S. Thomæ tempore hyemali &c. ce-

lebrare debet. Sac. R. Cong. 11. *Jul.* 1739. *in Neritonen.*

839. Non tenetur Capitulum Cathedralis pro inchoandis Divinis Officiis, quibus interventre aſſolet Magiſtratus Civitatis multoties ad deferendas conſuetas oblationes, expectare ultra horam condictam. S.R.C. 11. Jul. 1739. *in Senogallien.*

840. Capitulum, & Canonici celebrantes tam in Cathedrali, quam extra, poſtquam ingreſſi ſunt prebyterium pro Miſſis, vel Veſperis celebrandis induti pluvialibus, ſicut quoties procedunt ad ſedem, & redeunt ad Altare ſeſe inclinant Cruci, Epiſcopo, & Canonicis exiſtentibus in presbyterio, ita quoque non debent ſe ſe vertere a presbyterio ad extra, & ſalutare Magiſtratum. S.R.C. 11. Jul. 1739. *in Senogallien. inhærendo aliis reſolutionibus in ſimilibus pluries editis.*

841. Non licet juxta mentem, & normam præſcriptam in Rituali Romano Sacerdotibus Prioriæ S. Petri in Silice civitatis Volaterranæ deferre cadavera Monialium ex Monaſterio ad Eccleſiam ſupradictæ Prioriæ. S. R. C. 11. Jul. 1739. *in eadem Volaterrana.*

842. Servandum eſt Cæremoniale Romanum quoad Canonicos Cathedralis, etiam ſi Mitram deferant ex indulto Apoſtolico, pro Diacono, & Subdiacono, aſſiſtentes a latere Archiepiſcopi; nempe debent genuflectere, dum Archiepiſcopus actu Sacramento benedicit, ut declaravit pro Cathedrali Meſſanenſi: nec valet contraria conſuetudo, licet immemorabilis, ut ſtent, ex praxi etiam nonnullarum Cathedralium corroborata. S.R.C. 28. Nov. 1739. *in dicta Meſſanen.*

843. Reſponſorium ex teſtamento quotidie cantandum pro Defunctis a Monialibus Monaſterii *das Chagas* poteſt cantari poſt Miſſam decantatam, exceptis diebus primæ, & ſecundæ claſſis, Octavis eorumdem feſtorum privilegiatis, necnon tota hebdomada majori, in quibus diebus, ne pia Teſtatoris voluntas defraudetur, recitetur privatim in Choro a Monialibus prædictis, abſolutis Horis Canonicis. S.R.C. 8. Jul. 1741. *in Lamacen.*

844. Quando feſtum Anounciationis B.M.V. transfertur ſimul cum præcepto audiendi ſacrum ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici etiam primæ claſſis eo die occurrenti. Si vero transfertur abſque præcepto audiendi ſacrum, præfertur quidem cuicumque feſto translato, licet primæ claſſis, non autem feſtis eo die occurrentibus. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

845. Obligatio audiendi ſacrum non reddit ſolemnitatem majorem, ſed relinquit Officium in ſuo ritu: quare reponendum prius erit Officium altioris ritus præ alio minoris, quamvis iſtud haberet annexum præceptum audiendi ſacrum; cum ſit peculiaris tantummodo prærogativa feſti Annuntiationis B.M.V. & S. Joſeph ex Dec. Alex. VIII. tum Clem. XI. quod iſta feſta ſic translata quibuſque aliis feſtis tam translatis, quam occurrentibus præferantur, quando cum illorum Officio transfertur ſimul obligatio audiendi ſacrum. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

846. Feſta duplicia, quæ coluntur a populo de præcepto, retinent eumdem ritum, quem alias haberent, ſecluſa hac qualitate præcepti, nec ſunt duplicia majora. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

847. Cum juxta Rubricas Ritualis Romani abſque Miſſa quantum fieri poteſt defunctorum corpora non ſint ſepelienda, poterit præſente cadavere unica Miſſa ſolemnis pro defunctis celebrari feria ſecunda poſt Paſcha, aut Pentecoſtes. Hæc autem Miſſa decantabitur in duplici primæ claſſis haud feſtivo, ſi corpus præſens fuerit, aut pridie ſepultum. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

848. In Miſſis quotidianis, quæ pro defunctis celebrantur, poſſunt quidem plures dici orationes quam tres, ſed curandum ut ſint numero impares, & aliquando pro illa *Deus veniæ largitor* impune ſubrogabitur alia, v.g. pro Patre, pro Matre, &c. dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium*. Inſuper Anniverſaria adimplenda non ſunt infra Octavas privilegiatas. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

849. In Miſſa defunctorum, ſeu, ut utar verbis Decreti, in paramentis nigris, non miniſtratur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo Pixidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum Sacrificii, prout eſt, quando fidelibus præbetur Communio cum particulis infra eamdem Miſſam conſecratis. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

850. Etſi Decretum hujus Sac. Congreg. de anno 1707. præcipiat, quod in Altari ubi eſt publice expoſitum SS. Sacramentum tempore Sacrificii Crux de more collocetur; non eſt tamen in viridi obſervantia, & Patriarchales Eccleſiæ Urbis oppoſitum ſervant. Supervacuam enim adjudicant Imaginis exhibitionem, ubi prototypus adoratur. Et hacce de cauſa Inſtructio pro Oratione quadraginta Horarum Clem. XI. Bened. XIII. & Clem. XII. Summ. Pontificum juſſu edita ſub ſilentio præterit, an locanda, removendave ſit hujuſmodi Crux, linquens quemlibet in ſua praxi. S.R.C. 2. Septembr. 1741. *in Aquen.* Bened. Papa XIV. 16. Jul. 1746. Conſt. quæ incipit *ACCEPIMUS* corroborante.

851. Commemorationem de SS. Sacramento tempore ſolemnis expoſitionis poſſe fieri in Miſſa de feſto duplici, non tamen primæ, vel ſecundæ claſſis, declaravit S.R.C. Inſuper SS. Reliquias non eſſe collocandas ſuper Altari, in quo reipſa Sanctiſs. Sacramentum publicæ venerationi eſt expoſitum. S. R.C. 2. Septemb. 1741. *in Aquen. & antea per Conſtitutionem Quadraginta Horarum* Clem. XI. Benedicti XIII. & Clem. XII. quæ data fuit die 1. Sept. 1736. incipit Italicæ: *Eſſendo ſtate fatte.* §. v.

852. Poſſunt adimpleri quælibet fundationes, ſive in honorem Sanctorum, ſive pro defunctorum liberatione Miſſam de die celebrando, quando & Miſſæ Sanctorum, & defunctorum prædictæ ab occurrente primæ, vel ſecundæ claſſis ſolemnitate, aut feſtivo die quoad forum impediantur. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

853. Tertia oratio in Miſſa dicenda ad libitum Sacerdotis poteſt eſſe vel de Sancto, vel de Sanctiſs. Sacramento, vel de Patrono, de Paſſione, de Cruce, &c. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

854. Organa non ſilent, quando Miniſtri Altaris, Diaconus ſcilicet, & Subdiaconus utuntur in Miſſa Dalmatica, & Tunicella, licet color ſit violaceus. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

855. Ubi feſtum S. Petri ad Vincula, vel Converſionis S. Pauli eſt Titulus Eccleſiæ, ſemper per Octavam facienda eſt commemoratio diſtincta alterutrius prout in die feſto, non autem unica communis per Antiph. *Petrus Apoſtolus &c.* S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

856. Si Epiſcopus non ſit primum conſecratus pro Eccleſia cui præeſt, ſed pro alia, a qua ad præſentem fuerit translatus, Miſſa quæ habetur in Miſſali, celebranda eſt in Eccleſia cui fuit ultimo loco præpoſitus, recurrente die quo Papa eum tali Eccleſiæ præfecit. Exempla habentur in electione Summi Pontificis. Feſtumque hujuſmodi erit annuntiandum cum termino translationis. Sac. Rit. Congreg. 2. Septemb. 1741. *in Aquen.*

857. Petitum fuit, an poſſint Regulares, cujuſcumque ſint Ordinis, intra limites Parochiæ, & extra ambitum propriæ ſuæ Eccleſiæ abſolutiones defuncti facere, cumque incenſo adolere, etiamſi ad id faciendum rogati ſint a parentibus defuncti, vel a Magiſtratibus Civitatis, quando agitur de funeribus unius e Magiſtratibus; & ſi contra jus parochiale ſupradictas functiones palam, & publice depoſito feretro in vico facere præſumant, quanam pœna plectendi ſint? Et reſponſum fuit negative quoad primam partem: Parochi juriſdictio ſupra defuncto durat quouſque tranſeat in aliorum juriſdictionem: non tranſit autem in juriſdictionem Regularium, niſi quando pervenit ad fores eorum Eccleſiæ. Sac. Cong. Conc. 28. Febr. 1708. in Sutrina, & 26. Mar. 1711. in Montiſpolitiani. Et ſicut non licet Parocho depoſito feretro ante limen Eccleſiæ Regularium conſuetas recitare preces ſupra cadaver S. R. C. in Camarinen. 1. Septembr. 1708. ita non poterunt Regulares antequam vere & realiter ſit cadaver intra limites propriæ juriſdictionis, ſuper illud abſolvere, depoſito feretro in vico, qui actus ad ſummum unice ſpectaret ad Parochum. Ad ſecundam vero partem pœna conſultius erit pecuniaria, quia agitur de re mere juriſdictionali juxta alias in ſimilibus ſtatutas, prout ex decreto diei 21. Mart. 1609. quod inflixit pœnam centum aureorum Regularibus pulſantibus campanas in Sabbato Sancto ante Eccleſiam Matricem. S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

858. Conſuetudo deferendi in proceſſionibus Reliquiam Sanctiſs. Crucis manibus opertis cum velo a ſpatulis pendente, poteſt retineri. S.R.C. 16. Sept. 1741. *in Bracharen.*

859. An feſtis, quibus conceſſa eſt Indulgentia, attenta eorum perpetua translatione, transferri etiam poſſit Indulgentia? ut multi prætendunt virtute Conſtitutionis Leonis X. quæ incipit, *Expoſuit*, ſub die 23. Jul. 1518. qua in prope finem habentur hæc verba: *Ac volumus ut quoties dictarum feſtivitatum, & octavarum earumdem celebrationes qualibet ex cauſa, etiam extra tempus, transferrentur etiam Indulgentiæ, dictas Eccleſias in feſtivitatibus hujuſmodi, & per earum octavas viſitantibus pro tempore conceſſæ ad tempus celebrationis hujuſmodi ſint, & cenſeantur translatæ.* Et reſponſum fuit: Translato feſto unice quoad Officium non transfertur Indulgentia tali feſto conceſſa. S. R. C. 16. Sept. 1741. *In Panormit. in una Ord. Min. de Obſerv. Ref. S. Franciſci.*

860. Non eſt omittendus in fine cujuſvis Horæ ℣. *Fidelium animæ* &c. quando poſt eam immediate dicitur Miſſa, ſed ſervandus adamuſſim textus Rubricæ 30. Brev. Romani ſub n. 3. S. R. C. 14. Apr. 1742. *in Theleſina.*

861. Ex vi aut lege Cæremonialis Epiſcoporum non prohibetur Epiſcopo, ut propria utatur ſede, qua ex deſuper umbraculum, ſeu baldachinum dependeat, dum divinis aſſiſtit, vel per ſe ipſum peragit, SS. Sacramento ſuper altari palam expoſito: dummodo genuflexiones tunc præſcriptas, debitaſque reverentias adamuſſim obſervet, atque aperto capite in ſignum reverentiæ ſaltem aſſiſtat. S. R. C. 9. Jun. 1742. *in Conimbricen.*

862. D. Mattia Eremita Camaldoleſe di Monte Corona al preſente Priore, dell' Eremo di S. Maria degli Angeli di Nola in Regno Oratore umiliſſimo dell' EE. VV. riverentemente eſpone, come in tutta la ſua Congregazione vi è l'abuſo, che nella proceſſione del *Corpus Domini* ſi porta il Venerabile dal Celebrante col ſolo umerale, e ſenza alcuna aſſiſtenza de' Miniſtri con indumenti ſagri, che d'un ſolo Chierico, che por-

Digitized by Google

porta il turribulo, ed un'altro, che ſoſtiene l'ombrella appreſſo, lo che pare ſia contro le Rubriche, e l'uſo univerſale di S. Chieſa, ed anche di poca venerazione, decoro, e riſpetto verſo Gesù Sacramentato: che però ſupplica l'EE. VV. volerſi compiacere d'inſtruire tanto l'Oratore, che tutta la detta ſua Congregazione della maniera propria, colla quale ſi deve fare non ſolo detta proceſſione del *Corpus Domini*, ma anche quelle del Giovedì, e Venerdì Santo, per potere in avvenire correggere gli abuſi, ed errori fin al preſente Commeſſi. Che ec.

Reſponſum fuit a S. R. Cong. Præcedat Crux haſtata a Religioſo Cotta induto delata inter Ceroferarios Cotta pariter indutos. Sequentur viri Religioſi bini incedentes, qui in ſolemnitate Corporis Chriſti, Monaſterii cappis depoſitis, poſt Communionem Celebrantis, ſument non in Choro, ſed in alio convenienti loco, ſuperpelliceum, cereoſque accenſos geſtabunt. In Proceſſionibus vero, quæ fiunt Feria V. in Cœna Domini, & Feria VI. in Paraſceve, quia hæ intra Eccleſiam peraguntur, cum cappis Monaſticis procedent. Poſt digniores Religioſos viros ſuccedent duo Thuriferarii itidem cum Cottis, qui thuribula cum incenſo fumigantia lente ducent ante Celabrantem facie, non dorſo, ad Sacramentum ſemiverſa in inceſſu. Tandem adveniet Celebrans pluviali, ac velo humerali albo amictus, deferens Sacramentum inter miniſtros ſacris veſtibus, ſed ſine manipulo, indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum eodem Celebrante pſalmos ſubmiſſa voce recitabunt. Supra Celebrantem Sacramentum portantem deferatur omnino baldachinum quaternis ſaltem haſtis inſtructum, quæ a totidem Religioſis ſuperpellicro indutis in Feſto Corporis Chriſti eleventur. Feria autem ſexta in Paraſceve deferri poterit baldachinum a Religioſis ſine Cotta: qua die Celebrans non ſumet Pluviale, miniſtri autem Celebrantis, cum non utantur planetis plicatis, tum ſolemnis illius diei Officio, tum Proceſſioni, cum ſuperpellicen aſſiſtent. Cerei extinguuntur poſtquam reconditum fuerit Sacramentum, & Feria ſexta in Paraſceve poſtquam fuerit a Celebranre conſumptum; nec ceſſabit campanarum ſonitus, ubi ab Eccleſia non prohibetur, niſi poſt ſacram actionem abſolutam. Quod ſi ad hujuſmodi ſupplicationes convocentur Confratres alicujus Sodalitii, hi ſacco induti deſignari poterunt ad deferendum baldachinum, ſupplendo vices Religioſorum alia munia obeuntium. In his autem Cœnobiis, ſeu Religioſis familiis, in quibus parva Monachorum manus ſit, aſſiſtentes Celebrantis poterunt incedere cum ſuperpelliceo; ſed numquam fas ſit ut omittatur baldachinum, ſemper deferendum ut ſupra, ſive a Monachis, ſive a Confratribus. S.R.C. 15. Sep. 1742. *in una Ord. Erem. Mont. Coronæ.*

863. Si Feſtum alicujus Sancti erit, tamquam Patroni loci, electi a Clero, populo &c. illius loci cum approbatione Epiſcopi vigore Conſtitutionis Urbani VIII. anno 1642. quæ incipit: *Univerſa*, juxta decreta S. R. Cong. tunc feſtum prædicti Sancti erit de præcepto obſervandum, & celebrandum ab incolis totius loci, etiam a ſuburbanis, alias negative. S. R. C. 15. Septemb. 1742. *in Tridentina*.

864. Feſta, quæ ſunt ritus duplicis, non celebrantur ſub alio ritu, quam ritu duplicis minoris, niſi conſtet de diverſa conceſſione. Feſta tamen ſecundaria Patronorum minus principalium, ſi celebrentur cum ſolemnitate, habent in ſe naturam duplicis majoris, & qualitatem duplicis minoris, ſi abſque ſolemnitate peragantur. Symbolum autem in Miſſis recitandum non eſt niſi in iis Eccleſiis, in quibus aut ſacrum eorum corpus, aut inſignes Reliquiæ aſſervantur. S. R. C. 1. Decemb. 1742. *Poloniæ, in una Ord. Carmel. Excal.*

865. Cum in Synodo Provinciali conſtitutum ſit, ut in Adventu ſingulis diebus celebretur Miſſa primaria de B. Virgine, quæ vocatur *Rorate*, utrum in duplicibus poſſit dici Miſſa eadem privatim, & in Dominicis Adventus, ac Feſtis primæ, vel ſecundæ claſſis ſecundum inſtitutum ejuſdem Synodi, utrum ut ſolemnis cum oratione unica, *Gloria & Credo*, an vero cum Orationibus Dominicæ, vel alia tum canenda ſit, & præcipue in illis Eccleſiis, ubi non eſt conſuetudo cantandi duas, ſed tantum unam Miſſam? Et reſponſum fuit tum ad primam, tum ad ſecundam dubii hujus partem negative. S. R. C. 1. Decemb. 1742. *Poloniæ in una Ord. Carmel. Excalceat.*

866. Cantata Miſſa ſolemni de aliquo Sancto, ut eſt de S. Joſeph in Polonia, ob concurſum populi, & Indulgentias, licet ſolemnitas & expoſitio SS. Sacramenti adeſſet, color paramentorum in Miſſis privatis, nullo habito reſpectu colori adhibito in quavis Miſſa votiva ſolemni, ſemper is eſſe debet, qui convenit Officio in illa die occurrenti, etiamſi violaceus. S. R. C. 1. Decemb. 1742. *Poloniæ in una Ord. Carmel. Excalceat.*

867. An Celſitudinis Regalis Eminentiſſimi Ludovici Domini Cardinalis Infantis Hiſpaniarum Toletanæ Hiſpalenſis Eccleſiæ adminiſtratoris, ac poſſeſſoris, licet ſacris deſtituti Ordinibus, nomen in Canone Miſsæ, Collecta, & Præconio ſit exprimendum? Et reſponſum fuit affirmative. S.R.C. 19. Januar. 1743. *in Hiſpalen.*

868. Cum per Rubricas, & Decreta ſtatutum ſit, quod Quadrageſimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum occurrente aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, celebretur Miſſa dictarum feriarum poſt Nonam, cum per Conſtitutiones teneantur Camaldulenſes Montis Coronę celebrare Miſſam conventualem poſt Nonam in Quadrageſima, & non ſit conſuetudo celebrandi poſt Nonam aliis temporibus; dubitatur an prædicta Miſſa feriarum remitti poſſit ad aliud tempus, an potius relinquendi, cum non adſit aliqua obligatio apud illos eam, celebrandi? Reſponſum fuit obſervandum eſſe decretum die 22. Jan. 1701. in quo prohibetur celebratio Miſſæ Vigiliarum &c. poſt Primam, ſed ſervandas eſſe Rubricas, in quibus præſcribitur poſt Nonam. S.R.C. 19. Jan. 1743. *in una Congr. Camald. Montis Coronæ.*

869. Cum in Eccleſiis Camaldulenſium Montis Coronæ non adſit conſuetudo celebrandi Miſſam poſt Nonam in feria quarta Cinerum, & cum rubrica, ac decreta præcipiant benedictionem publicam ſacrorum Cinerum fieri debere poſt Nonam, dubitatur an remitti poſſit ad aliud tempus, nempe poſt Tertiam hæc benedictio, aliter poſt conſuetudinem apud illos introducta. Reſponſum fuit obſervandum eſſe decretum 22. Jan. 1701. in quo prohibitum fuit fieri Cinerum benedictionem poſt Tertiam, ſed ſervandas eſſe Rubricas, in quibus præſcribitur poſt Nonam. S. R. C. 19. Jan. 1743. *in una Cam. Montis Coronæ.*

870. Pax danda eſt Magiſtratibus ſæcularibus ſolemniter aſſiſtentibus Miſſæ Conventuali in Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium, ſed cum inſtrumento ab eodem miniſtro, qui illud per oſculum defert Dignitatibus, & Canonicis, ceteriſque Choro intereſſentibus, & non per Diaconum. S. R. C. 23. Mart. 1743. *in Barchin.*

871. An Mazzerii, & Virgarii Magiſtratus ſæcularis in proceſſionibus Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & aliis, in quibus dictus Magiſtratus aſſiſtit, & aliqui ex perſonis, quæ Magiſtratum componunt, haſtas baldachini deferant, & reliqui Magiſtratus cum ſuo capite Epiſcopum ſubſequentem, incedere debeant ante illos baldachinum deferentes, ita quod ante dictos Mazzerios, & Virgarios incedant Sacerdotes faces, & inſignia Pontificalia portantes, ſeu potius illi incedere debeant ante dictos Sacerdotes, aut extra lineam proceſſionis alam facientes a lateribus illorum, vel poſt Epiſcopum ante reliquum majorem numerum Regitorum cum ſuo capite, in quibus potius corpus Magiſtratus repræſentatur? Et reſponſum fuit: Mazzerios autem in proceſſione SS. Corporis Chriſti incedere debere non ante, ſed hinc inde prope baldachinum. S.R.C. 23. Mart. 1743. *in Barchinonen.*

872. An Subdiaconus, vel alius quicunque Miniſter, qui inter Miſſarum ſolemnia, vel alio quovis caſu petit benedictionem a Prælato pro incenſo, ſeu aqua, poſſit, ſeu debeat invertere ordinem Pontificalis Rubricæ, qua jubetur, ut dicat: *Benedicite Reverendiſs. Pater*, & dicere Bracharæ tempore præſenti, *Benedicite Sereniſs. Pater*? Et reſponſum fuit: Servetur Cæremoniale Epiſcoporum lib. 1. c. 23. S.R.C. 11. *Maji* 1743. *in Bracharen.*

873. An illa Antiphona: *Ecce Sacerdos magnus*, quæ dici debet ex diſpoſitione Pontificalis Romani in ingreſſu, & receptione Prælatorum in ſuis civitatibus, debeat repeti toties quoties iidem Prelati ingrediuntur Eccleſiam cathedralem ad actus Pontificales peragendos? Et reſponſum fuit: Servetur conſuetudo. Sac. Rit. Congreg. 11. Maji 1743. *in Bracharen.*

874. In oratione *A cunctis*, & in Suffragiis præponendus eſt S. Joſeph Apoſtolis Petro & Paulo, ut præſcribitur in Litaniis majoribus, S.R.C. 11. Maji 1743. *in Senen.*

875. Ubi S. Joannis Baptiſtæ feſtum, & ejuſdem Decollationis memoria gaudent prærogativa Patroni, vel Titularis, in Miſsa eſt utique recitandum Symbolum, ſecus vero negative, ni rurſus adeſſet ejuſdem Sancti inſignis Reliquia. S.R.C. 11. Maji 1743. *in Senen.*

876. Il Guardiano, e Religioſi Cappuccini di Vipacco nella Provincia di Stiria, dioceſe di Aquileja eſpongono riverentemente all'EE. VV. come eſſendo nato un dubio circa il giorno anniverſario della Dedicazione della loro Chieſa, ſtantechè il documento della Congr. della medeſima parla in queſti termini: *Conſecravimus anno 1643. ipſa Dominica quatuor Temporum poſt feſtum Exaltationis S. Crucis Eccleſiam &c.* e dandoſi alcuni anni, che fra l'Eſaltazione di S. Croce, e le quattro tempora intermedia una Domenica: ſi domanda, ſe queſta Domenica, che antecede le quattro Tempora, o quella che immediatamente ſegue, debba conſiderarſi propriamente: *ipſa Dominica quatuor Temporum*, nella quale ſi debba celebrare l'anniverſario di Conſecrazione.

S. Cong. reſpondit: Dominicam quatuor Temporum eſſe illam, quæ Sabbatum quatuor Temporum immediate ſequitur, non eſt prorſus ambigendum. S. R. C. 31. Aug. 1743. *in Aquilejen. in una Ord. Cappuc.*

877. An diebus, quibus juxta ritum Eccleſiæ Ambroſianæ prohibetur fieri de duplici, ſive de ſolemni, prohibeantur etiam Miſſæ de Requiem? Et reſponſum fuit affirmative. S.R.C. 7. Dec. 1743. *in Mediolanen.*

878. An Miſſæ pro enuntiatis diebus Officium de duplici, ſeu

ſeu de ſolemni non admittentibus in Calendario, & Miſſali Ambroſiano præſcriptæ ad altaria privilegiata celebratæ, animabus in Purgatorio exiſtentibus perinde ſuffragentur, ac ſi celebrentur Miſſæ de Requiem. Reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 31. Auguſti 1743. *in Mediolanen.*

879. In fixatione feſtorum attendi debet, quod præcipitur a Rubrica x. Breviarii Romani ſub num. 7. de Tranſlatione feſtorum, ut ſcilicet prius agatur de duplici, poſtea de ſe-miduplici, & inter plura duplicia quod eſt magis ſolemne ſemper prius celebretur, ſive ex ritu, ſive ex dignitate majoritas iſta ſolemnitatis proveniat; alioquin ſi ſint omnino æqualia, unum ante aliud reponatur, & ordine quo erant celebranda in propriis diebus: eadem enim militat ratio in fixatione, quæ probaret in tranſlatione. S. R. C. 7. Decemb. 1743. *in Mediolanen.*

880. An ſit validum votum emiſſum anno 1726. in civitate Thermitana ob liberationem a ruinis Terræmotus, primo celebrandi tria feſta de præcepto, ſcilicet diem primam, ſecundam, & tertiam Septembris: ſecundo jejunandi die præcedente prædicta feſta: tertio nunquam admittendi mulieres in ſcænis hiſtrionum, & theatris? Reſponſum fuit: Votum ſuſtineri quoad perſonas tantum, quæ illud emiſerunt. S. R. C. 1. Febr. 1744. *in Panormitana.*

881. Utrum in Sabbato Sancto pro collatione ſacrorum ordinum, Epiſcopus in ſuo domeſtico Oratorio teneatur Miſſam cum Prophetiis, ut in Miſſali, celebrare? Reſponſum fuit Miſſam collationis &c. incipiendam eſſe a Prophetiis. S. R. C. 21. Mar. 1744. *in Bergomen.*

882. In Ordinum collatione diebus a jure ſtatutis dicenda eſt ſemper Miſſa de feria occurrente, non de Sancto in ea contingente. S. R. C. 21. Martii 1744. *in Bergomenſi.*

883. Utrum in Dominicis primæ claſſis, & aliis diebus, in quibus abſolute quæcumque alia feſta etiam primæ claſſis excluduntur, licitum ſit cantare Miſſam de Requiem præſente cadavere? Et reſponſum fuit. Servetur decretum latum die 5. Jul. 1698. videlicet: In duplicibus primæ claſſis etiam præſente cadavere non poteſt cantari Miſſa defunctorum. S. R. C. 21. Mar. 1744. *in Bergomenſi.*

884. Cum Rubrica Miſſalis de Introitu n. 5. præſcribat, quod incenſata Cruce, incenſentur & Reliquiæ, ſeu imagines Sanctorum; quæritur an imagines Sanctorum debeant habere incluſas Sanctorum Reliquias juxta Quarti part. 2. lib. 4. de Introitu; & Merati tom. 1. part. 2. tit. 4. Reſponſum fuit: Non eſſe de neceſſitate in ſculptis Sanctorum imaginibus in altari diſpoſitis ſacras includere Reliquias ad hoc, ut incenſata Cruce valeant illæ a celebrante thurificari. S. R. C. 21. Mar. 1744. *in Bergomen.*

885. Cum in Miſſali ultra primam in principio detur & altera Rubrica in ordine, & canone Miſſæ, & inter has videatur aliqua diſcrepantia, præcipue in inclinationibus, & manuum junctionibus; quæritur quænam ſequendæ? Reſponſum fuit, pari forma ſequendas eſſe tum Rubricas generales, tum particulares Miſſalis Romani, præcipue ad cæremonias inclinationibus, & manuum junctione rite peragendas. S. R. C. 21. Mar. 1744. *in Bergomen.*

886. Permitti poſſe, ut ſtatua B. M. Virg. velo nigro circumdata in nocte feriæ quintæ in Cœna Domini cum Jeſu Domino filio mortuo in gremium depoſito in Eccleſia exponatur, & ſequenti feria ſexta in mane proceſſionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. S. R. C. 21. Mar. 1744. *in Bergomen.*

887. Serventur præſcripta a Cæremoniali Epiſcoporum circa veſtem violaceam, & ferulam geſtandam, prout legitur cap. 5. & hujuſmodi color, & ferulæ geſtatio convenit ſolummodo Cæremoniariis Eccleſiæ cathedralis. S. R. C. 21. Mart. 1744. *in Bergomen.*

888. Capellani Monialium Ordinis S. Benedicti, cæterique Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares ad earum Eccleſias confluentes, Miſſam propriam S. Benedicti cum Miſſali Monaſtico, non ſolum in die feſti, ſed per ſubſequentes dies alias non impeditas infra ejus octavam celebrare poſſunt, ac debent. S. R. C. 1744. *in Patavina, Benedicto XIII. antea permittente.*

889. Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIV. ad inſtantiam Sereniſſimi Caroli utriuſque Siciliæ Regis ſub die decima Julii 1745. indulſerit univerſo Clero prætatorum regnorum, Officium, & Miſſam Beati Camilli de Lellis ſub ritu duplici ad libitum pro die 15. Julii; cumque eadem die occurrat Officium diei feſti S. Enrici Confeſſoris ſub ritu ſemiduplici de præcepto; propterea Clerus diœceſis Barenſis ad tollendam omnem hæſitationem S. R. C. demiſſe ſupplicavit, quatenus benigne declarare dignaretur, quodnam ex duobus enunciatis Officiis ſit transferendum? Et Sac. eadem Congreg. cenſuit reſcribendum ad Dominum Secretarium cum Sanctiſſimo. Et facta de prædictis per me Secretarium relatione, Sanctitas ſua decrevit: ut fiat Officium de S. Enrico Confeſſore die 15. Julii, Officium vero Beati Camilli non transferatur, ſed omittatur. Die 18. Apr. 1744. *pro eadem Barenſi.*

890. Clerus alicujus Terræ non tenetur recitare Officium, & octavam Dedicationis Eccleſiæ Matricis, niſi fuerit ipſius Eccleſiæ ſervitio, vel commoditati adſtrictus, aut in ea aliquod beneficium, vel tenue poſſideat, vel beneficium ſimplex. S. R. C. 16. Maji 1744. *in Auximana.*

891. An Clerus alicujus Terræ poſſit, vel debeat recitare Officium cum Miſſa tam in die, quam per octavam Dedicationis Eccleſiæ matricis, an ſint excludendi Sacerdotes alicujus Congreg., qui habeant onus recitandi divinum Officium more Canonicorum in propria Eccleſia, cujus Dedicatio occurrit, ſub cujus Cruce in proceſſionibus, quæ fiunt infra annum promiſcue incedunt? Et reſponſum fuit non indigere reſponſione. S. R. C. 16. Maji 1744. *in Auximana.*

*Decretum generale Sanctiſſimi D. N. Benedicti Papæ XIV.*

892. Cum ex relatione eorum, quæ in Congregationibus Sacr. Rituum, aut Antepræparatoriis, aut Præparatoriis proponuntur & diſcutiuntur facta Nobis pro ſui muneris adimplemento tum a Congregationis Secretario, tum a Fidei Promotore, innotuerit, ſæpe excitatam fuiſſe inter ejuſdem Congregationis Conſultores controverſiam, an in cauſis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei, procedentibus per viam non cultus, cum diſputandum proponitur dubium ſuper virtutibus, aut Martyrio, Teſtes de auditu auditus, qui ſoli extant in Proceſſu Apoſtolico, in linea probationis jungi poſſint cum Teſtibus de viſu, qui extant in Proceſſu Ordinario, contendentibus nonnullis, id tantum fieri poſſe, ſi Teſtes de auditu, qui extant in Proceſſu Apoſtolico, ſint de auditu a videntibus; aliiſque aſſerentibus, id ipſum fieri debere, etiamſi Teſtes non ſint de auditu a videntibus, ſed de auditu auditus, dummodo cætera alia non deſint, quæ requiruntur pro conjunctione Proceſſus Ordinarii cum Proceſſu Apoſtolico, & alia etiam concurrant a Congregatione Rituum ſtatuta, ut rite, & recte admittantur Teſtes de auditu, de quibus omnibus in Noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 4. & 5.*

2. Nos ad amputandam quamcumque controverſiam, decernimus primo, non poſſe in linea probationis conjungi Teſtes de auditu auditus in Proceſſu Apoſtolico examinatos, cum Teſtibus de viſu, qui extant in Proceſſu Ordinario, prædictamque conjunctionem in linea probationis competere tantum Teſtibus de auditu a videntibus, qui ſint in Proceſſu Apoſtolico examinati, dummodo cætera ſupra indicata non deſint requiſita; & ex conjunctione Teſtium de viſu examinatorum in Proceſſu Ordinario, cum Teſtibus de auditu a videntibus, examinatis in Proceſſu Apoſtolico, propoſitis Dubiis ſuper Virtutibus, aut Martyrio, reſponderi poſſe, *conſtare de Virtutibus &c.* aut *conſtare de Martyrio*: & in progreſſu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione ſufficere debere duo miracula, quæ ante Beatificationem patrata ſint, & approbata: & pro obtinenda Canonizatione ſufficere debere alia duo miracula, poſt Beatificationem ſecuta, & approbata.

3. Decernimus ſecundo loco, quod, ſi in Proceſſu Ordinario Teſtes extent de viſu, & in Proceſſu Apoſtolico non reperiantur niſi Teſtes de auditu auditus, Teſtes hi de auditu auditus, in Proceſſu Apoſtolico excepti, vim, & robur adminiculi habere valeant, modo quidem levis, modo gravis, prout eorum numerus, & qualitas expoſcit, ita ut, excluſa a Poſtulatoribus quacumque fraudis, aut negligentiæ ſuſpicione, ex qua factum ſit, uti ſoli Teſtes de auditu auditus in Proceſſu Apoſtolico fuerint examinati, ſi, attentis numero, & qualitate Teſtium de viſu in Proceſſu Ordinario examinatorum, habitaque conſideratione adminiculi non levis, ſed gravis, deſumpti ex Teſtibus de auditu auditus in Proceſſu Apoſtolico examinatis, res ad eum ſtatum redacta ſit, ut faciat fidem, & auctoritatem Viro prudenti de re gravi judicaturo, propoſitis Dubiis ſuper Virtutibus, aut Martyrio, reſponderi poſſit: *ita conſtare de Virtutibus*, aut *ita conſtare de Martyrio, ut procedi poſſit ad ulteriora, hoc eſt ad diſcuſſionem Miraculorum*: Nec obtineri poſſe Decretum Beatificationis, niſi tria Miracula præceſſerint, quæ fuerint approbata: neque demum Canonizationis Decreto locum eſſe debere, niſi duo alia poſt Beatificationem Miracula ſuperveniant, quæ pariter fuerint approbata.

4. Demum tertio loco decernimus, nihil per præſens Decretum a Nobis fuiſſe immutatum ſuper Dubio Virtutum, aut Martyrii, in Cauſis, quæ procedunt per viam caſus excepti, aut in quibus, etſi procedant per viam ordinariam non cultus, ſoli Teſtes de auditu extant in Proceſſu tum Ordinario, tum Apoſtolico; quoad eas enim exacte obſervari mandamus Decretum Generale a Nobis editum *die 23. Aprilis 1741. &c.* impreſſum in Noſtro Opere *de Canonizatione Sanctor. lib. 3. c. 3. n. 25. editionis Patavinæ, & editionis Romanæ*, quod etiam nunc confirmamus tum quoad numerum Miraculorum, tum etiam quoad cetera, quæ in dicto Decreto continentur; & in quibus ſtatuitur Miracula ſemper eſſe comprobanda per Teſtes conteſtes de viſu, ſive agatur de Cauſis procedentibus per viam Ordinariam de non cultu, ſive per viam extraordinariam de caſu excepto, & ſive res ſit de miraculis pro obtinenda Beatificatione, ſive de aliis, quæ proponuntur pro Canonizatione obtinenda. Et Secretario Congregationis Sacrorum Rituum mandamus, ut præſens no-

ſtrum

Digitized by Google

ſtrum Decretum inter acta Congreg. referat, a typis edi curet, ut ad omnium notitiam deveniat.

Datum hac die 17. Jul. 1744.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Locus ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secr.

893. Occurrente die octavo S. Michaelis cum feſto B.M.V. de Roſario, faciendum eſt Officium de octava S. Michaelis, transferendo Officium, & Miſſam Roſarii ad primam diem non impeditam. S.R.C. 20. Junii 1744. *in Albiganen.*

894. Tolerari poteſt Miſſa Votiva cantata B.M.V. toto tempore Adventus, ut in Polonia, exceptis ſolemnioribus feſtivitatibus, dummodo cantetur ſine Symbolo, etiamſi Miſſa occurrens illud exigat, & ſolum cum *Gloria in excelſis* in Sabbatis, & infra octavam ejuſdem B.V. non omiſſa tamen Miſſa Conventuali. S.R.C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi.*

895. In Eccleſiis minoribus, ubi unica celebratur Miſſa, non poteſt omitti illa occurrentis feſti de præcepto, ut cantetur Votiva. S.R.C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi.*

896. Exequenda ſunt omnino Decreta 2. Dec. 1684. 15. Sept. 1691. & 19. Jun. 1700. quibus vetitum eſt dicere *Credo* in Miſſis Patronorum minus principalium, etiamſi numquam fuerint ad praxim deducta, & a Miſſalibus, ubi contrarium notatur, expungatur. S.R.C. 12. Auguſti 1744. *in Cracovienſi.*

897. Imagines Beatorum pingi, ornarique poſſunt laureolis, radiis, & ſplendoribus; non autem diademate juxta Decretum S.R.C. 19. Febr. 1658. ab Alexand. VII. confirmatum; *quod rurſus a Benedicto XIV.* die 16. Sept. 1744. *in cauſa Canonizationis B. Nicolai Albergati renovatum fuit, ut in ejus Bullario.*

898. Prima die menſis impedita duplici, aut ſemiduplici, cum ex præſcripto Rubricarum Officium Defunctorum, & Miſſa Conventualis de Requiem non ſit celebranda, Officium, & Miſſa hujuſmodi differenda ſunt ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas. S.R.C. 23. Mart. 1745. *in una Eponegien.*

899. Non eſt reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum infirmo feria ſexta in Paraſceve, dummodo privative, & ſubmiſſa, quinimo ſubmiſſiſſima, voce, recitet pſalmos conſuetos per vias publicas, etiamſi dicat ℣. *Gloria Patri &c.* quia in tali circumſtantia actio talis nullam habet connexionem cum functionibus Eccleſiæ hujus diei, & conſiderandum eſt, quod defert cum ſtola, atque pluviali albi coloris, quando in feria ſupradicta color paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ functionibus. Ideoque ſi defert privatim pro aliqua neceſſitate, non eſt reprobandum, ſi populum abſque benedictione dimittat feria ſexta in Paraſceve, quia in publica Eccleſia non debet recondi. S. R. Congr. 15. *Maji* 1745. *in Lucana.*

900. Licet Epiſcopo obſervari facere cæremoniam candelæ accenſæ in Confirmatione conferenda, utpote ab Eccleſia receptam uti fidei proteſtativam, & meritoriam. S.R.C. 15. Maji 1745. *in Portugallen.*

901. Non licere Tertiariis Sacerdotibus S. Franciſci in numero decem, & octo, ſeu viginti nuncupatis congregatis B.M.V. de Oliveria in Diœceſi Portugallenſi deferre Mozzetam ad inſtar Epiſcoporum, & Epiſcopus etiam auctoritate S. Cong. per cenſuras, ſi opus ſit, eos obliget ad illam deponendam: ita declaravit Sacr. Rit. C. 15. Maji 1745. *in eadem Portugallen.*

902. An non obſtante Decreto prima Septemb. 1707. aut alio quocumque poſſit quis in feſto omnium Sanctorum poſt ſecundas Veſperas, etiam Veſperas Vigiliæ defunctorum una cum Matutino & Laudibus recitare, facereque fructus ſuos, aut an obligetur ſub peccato obedire prædicto Decreto, & ſecunda Novembris dictum Matutinum cum Laudibus recitare, facereque fructus ſuos? Et reſponſum fuit: Privata Officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione abſolvi licite poteſt poſt veſpertinas horas feſti omnium Sanctorum; in Choro autem juxta Rubricas adimplenda eſt mane die ſecunda Novembris: niſi ut populi commodius, & frequentius illis intereſſe poſſint, contraria jam faceret conſuetudo. Sacra Rit. Congr. 4. Sept. 1745. *in Ratiſpon.*

903. Canonici aſſiſtentes Epiſcopo in Miſſa Pontificali non albam, ſed Rocchettum, vel Cottam, quoquo modo, vel forma ad regionis morem compacta illa ſint, & conſueta induere debent una cum amictu ſubtus Dalmaticam, vel aliud Chori peculiare inſigne. S.R.C. 4. Septemb. 1745. *in Pernambucen.*

904. Quando præbendæ non ſunt diſtinctæ, duo Diaconi aſſiſtentes apud ſolium Epiſcopi erunt primæ duæ Dignitates immediate ſequentes poſt primam. Si autem inter præbendatos Canonicos perpetua, non autem accidentalis eſſet ordinum diſtinctio in Presbyterales, & Diaconales, tum pro munere aſſiſtentiæ aſſumuntur primo duo Canonici ex Ordine Diaconali. Diaconus vero Evangelii, & Subdiaconus pro Epiſtola in Miſſa Pontificali inſervientes, quando tale onus inter omnes per vices, vel alias juxta Eccleſiæ conſuetudinem diſtribuendum non ſit, erunt alii duo digniores, ſive Canonici, ſive Dignitates fuerint, qui ſequuntur in ordine poſt aſſiſtentes Canonicos in ſolio; ſi, ut ſupra dictum eſt, nulla intercedat ordinum, vel præbendarum diſtinctio. Sac. Rit. Cong. 4. Septemb. 1745. *in Pernambucen.*

905. Cum nullus pro Vicario Generali Epiſcopi determinatus ſit locus, ſed illum diverſum obtineat juxta diverſam conſuetudinem Eccleſiarum; idcirco ſcribendum Epiſcopo, ut de ſuæ reſpondeat Eccleſiæ praxi. S. R. C. 4. Sept. 1645. *in Pernambucen.*

906. Vigore Decreti SS. D. N. Bened. XIV. editi ſub die 12. Apr. 1742. in actis Sacræ Congr. exhibiti, poteſt Ordinarius Rhegienenſis Provinciæ Bononienſis, in feria quinta poſt Sexageſimam abſque alia ulteriori facultate, ſolemni pompa feſtum S. Aloyſii Gonzagæ cum Communione generali, Indulgentia plenaria, & Miſſa ejuſdem Sancti celebrare juxta conſuetudinem, ac reſpective in perpetuum aſſignare Patribus Soc. Jeſu feriam prædictam poſt Sexageſimam pro celebratione prædictæ feſtivitatis pro ſpirituali populorum profectu. S.R.C. 19. Jan. *in eadem Rhegien. Provinciæ Bononien.*

907. Cum Officium Gratiarum actionis pro victoria de Turcis obtenta pro Polonia conceſſum ſit, atque approbatum a S. R. C. ſub die 21. Jan. 1629. ſub ritu duplici, & Miſſa nulla ſit ordinata, varie illam Sacerdotes dicunt, alii dicunt Votivam de SS. Trinitate cum ſecunda oratione pro gratiarum actione, ut in Miſſali, alii vero Miſſam quidem dicunt de SS. Trinitate, ideoque ad tollenda dubia ſupplicatur declarari qualiter debeat dici Miſſa, an priori modo, an poſteriori, utpote in quo Miſſa eſt conformior Officio. Reſponſum fuit: Exhibeant Officium conceſſum, ut ex ipſo deſignari poſſit Miſſa. S.R.C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

908. Commemoratio de SS. Sacramento in Miſſis privatis poterit fieri, quando ejus expoſitio fiat pro publica cauſa, etiamſi Sacramentum expoſitum ſit in Pixide. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

909. Miſſæ de Requiem extra Altare ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum etiam in Pixide poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non ſit pro publica cauſa. S.R.C. 7. Maji 1746. *in Varſav.*

910. Genuflexio utroque genu eſt facienda a tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamſi fuerit in Pixide patenter expoſitum. Sac. Rit. Congreg. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

911. Quando frequenter fiunt expoſitiones Sanctiſſimi publice in majori Altari, & præter Miſſam ſolemnem dicuntur etiam Miſſæ privatæ ad idem Altare Majus, an etiam in Miſſis privatis ad Altare majus, & ad alia Altaria minora durante expoſitione Sanctiſſimi poterit fieri commemoratio de Sacramento durante expoſitione? Reſponſum fuit: Poterit fieri commemoratio de SS. Sacramento durante expoſitione. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

912. Expoſito SS. Sacramento in Altari majori dum ſub Magnificat in Veſperis idem Altare majus incenſatur, an debeant etiam incenſari alia Altaria, ex eo quod incongruum eſſe videtur relinquere in Altari expoſitum Sacramentum; & utrum thurificato Altari majori, ubi eſt expoſitum Sanctiſs. debeat etiam fieri thurificatio illius Altaris in quo eſt reconditum Sanctiſs. in ciborio? Reſponſum fuit, non eſſe thure adolenda alia Altaria, licet alibi SS. Sacramentum aſſervetur. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

913. Tranſeuntes ante expoſitam Reliquiam S. Crucis, utrum debeant genua uſque ad terram flectere, vel etiam, an ſufficiat ſemigenuflexio, uti ſolet fieri coram Epiſcopo: & utrum eadem genuflexio facienda ſit ante prædictam Reliquiam S. Crucis, quæ licet non ſit expoſita, aſſervatur tamen occluſa in aliquo Altari, aut etiam quando expoſita eſt, ſed non apparet, ex eo quod pars hæc, quæ reſpicit populum, habeat figuram Chriſti Crucifixi? Et reſponſum fuit: Si loco principe Reliquia SS. Crucis ſuper Altare fuerit expoſita, tum tranſeuntes ante illam unico genu uſque ad terram flexo venerare debent; diverſimode vero ſola capitis inclinatione, ſi præfata Reliquia recondita erit intra cuſtodiam. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

914. Cum contingat ſæpius in Eccleſiis Regularium, vel aliis, præſertim in die obitus, ſeu anniverſario defunctorum, Miſſas celebrari a confluentibus Sacerdotibus, ſupplicatur declarari, an Sacerdotes, qui recitant Officium de feſto duplici confluentes ad Eccleſias ſive Regularium, ſive aliorum, ubi dicitur Officium de ſemiduplici, poſſint ibi dicere Miſſas privatas defunctorum? Reſponſum fuit negative. Sacr. Rit. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

915. Recitantes Officium de Martyre, & celebrantes in Eccleſiis, ubi dicitur de Confeſſore, utrum debeant ſe conformare in colore illis Eccleſiis etiam ſi nulla ibi ſit ſolemnitas? Reſponſum fuit affirmative, etiam quoad Miſſam, quæ non poterit celebrari de S. Confeſſore, ſi color fuerit rubeus. S.R.C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

916. An Dominica infra octavam Beatæ Mariæ Virg. ut de S.Maria de Monte Carmelo in Miſſa &c. Sacerdotes qui accedunt ad dictam Eccleſiam debeant in ea celebrare Miſſam de S. Maria cum commemoratione, & Evangelio Dominicæ in fine, & an poſſit eadem Eccleſia celebrare ejuſmodi Miſſam ſolemnem, prout ſingulis annis celebrat dicta Eccleſia de Maſſa abſque ulla commemoratione? Reſponſum fuit: In Dominica infra octavam, Miſſæ privatæ nequeunt dici de feſto, ſed dicuntur de Dominica cum commemoratione octavæ juxta Rubricas, conſtito tamen de concurſu populi, permittitur unica tantum Miſſa ſolemnis de octava cum *Gloria* & *Credo* abſque ulla commemoratione. S.R.C. 3.*Sept.* 1746. *in una Maſſæ, & Populoni.*

917. An in exequiis defunctorum Sacedotum præſente corpore, Subdiaconus ſe ſiſtere debeat ad caput defuncti Sacerdotis, vel ad pedes juxta opinionem P. Merati? Reſponſum fuit: Servetur Rit. Rom. & in exequiis defuncti Sacerdotis præſente corpore locetur Crux ad caput defuncti inter feretrum, & altare. S.R.C. 3.Sept. 1746. *in una Maſſæ & Populoni.*

918. An in Eccleſia ſub titulo S. Mariæ Angelorum fieri debeat die ſecunda Auguſti Officium cum Miſſa de B. M. V., prout hactenus ſervatum fuit, vel potius feſtum S. Mariæ Angelorum ſit celebrandum die Aſſumptionis ejuſdem. S. R. C. re mature diſcuſſa ad relationem Em. & Rev. D. Card. Alexandri Albani reſcribendum cenſuit, ſervari ſolitum, nempe in caſu propoſito, die ſecunda Auguſti faciendum eſſe Officium cum Miſſa de B.M.V. titulari Eccleſiæ, prout in feſto ad Nives, præter lectiones ſecundi Nocturni, quæ ſumendæ ſunt ex ſecundo nocturno Nativitatis ejuſdem B. M. mutato verbo *natali* in verbum, *feſtivitate*, juxta decretum editum die decima Jun. anni 1690. in una Ord. M. de obſerv. S. R. C. 7. Sept. 1748. *in una Cappuccinorum Provinciarum Calabriæ in Italia, SS. Papæ Benedicto XIV. ſuppliciter porrecta & ad* S.R.C. *eadem die remiſſa.*

919. Ubi Proceſſio SS. Sacramenti in ejus feſto die, vel per octavam ea, qua decet ſolemni pompa nequiverit haberi, deſignabit Epiſcopus pro ſuo arbitrio & prudentia unicuique Eccleſiæ aliquam ex ſequentibus Dominicis, in qua celebrata Miſſa cum commemoratione SS. Sacramenti juxta Rubricarum præſcriptam formam ſolemnis illius Proceſſio peragi poſſit. S.R.C. 8.Mart. 1749. *in Lisbonen.*

920. Inſtructio pro Oratione quadraginta horarum Romæ juſſu fel.rec. Clem.XI. primum edita, extra Urbem non obligat; laudandi tamen, qui ſe illi conformare ſtudent, niſi aliud ab Ordinariis locorum ſtatutum ſit. S.R.C. 12. Jul.1747. *in una Cong. Oratorii S.Philippi Nerii civitatis Patavinæ.*

921. An Presbyteri ordinandi ſtatim ab initio vel ſolum a *Suſcipe Sancte Pater* &c. debeant inchoare Miſſam cum celebrante, & ordinante Epiſcopo? Reſponſum fuit, teneri ſolum ad *Suſcipe Sancte Pater*. S. R. C. 20. Sept. 1749. *in una Jaurinen. in Hungaria.*

922. An Presbyteri ordinandi debeant legere Miſſam ſtantes, vel in terra genuflexi? Reſponſum fuit negative ad primam, affirmative ad ſecundam partem. S.R.C.20.Sept.1749.*in Jaurinen. in Hungaria,*

923. An Presbyteri ordinandi omnes illas, quas Epiſcopus ordinans in Miſſa facit actiones, debeant facere, adeoque, an ii Presbyteri debeant cruces manu ſuper oblata peragere, an genuflectere &c. ac denique omnia illa, quæ Epiſcopus ſub Sacrificio agit, agere? Similiter idem quæritur de Epiſcopo conſecrando? Reſponſum fuit ad primum negative, ad ſecundum, ſervandum eſſe Pontificale Romanum. S.R.C.20. Sept.1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

924. An Presbyteri ordinandi poſtquam ſunt de Corpore D.N.J. C. communicati, debeant de illo Calice, quem in ordinatione ſua tetigerunt, ablutionem ſumere? Reſponſum fuit, non eſſe neceſſe. S.R.C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

925. Cum Sabbato Sancto unica tantum in quavis Eccleſia Miſſa cantata admittatur, an Epiſcopus in privata Capella, vel Oratorio poſſit ordinationem ſub Miſſa lecta ſervare? Et quatenus affirmative, an debeat poſt communionem idem Epiſcopus pro Veſperis: *Alleluja, Veſpere autem &c. Laudate Dominum, Magnificat &c.* dicere? Reſponſum fuit, ad mentem. S.R.C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

926. An Epiſcopi non habentes facultatem ſpecialem concedendi in Oratoriis privatis, & Capellis pro ſæcularibus, & aliis, legendi Miſſam, poſſint licentiam dictam petentibus concedere? Reſponſum fuit, negative. S.R.C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

927. Cum in Rubricis de Sacramento confirmationis dicatur: Adulti ſeu alii Majores ponant pedem ſuum ſuper pedem dexterum Patrini ſui: quæritur, an ſufficiat, ſi Patrinus ponat manum ſuam dexteram ſuper humerum dexterum Confirmandi? Reſponſum fuit, ſufficere. S.R. C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

928. An confirmandus tempore confirmationis, quando Epiſcopus dicit: N. *Signo te ſigno Crucis &c.* præter nomen ſuum baptiſmale, poſſit aliud nomen Sancti ſibi imponi curare? Reſponſum fuit, poſſe. S. R. C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

929. Dum fit expoſitio SS. Sacramenti ratione ſolemnitatis ad populum in Dominicis privilegiatis, vel aliis feſtis, in Altari majori ubi eſt expoſitum publice Sacramentum, ſi celebretur Miſſa diei, celebrari debet cum paramentis feſto ſeu officio convenientibus, ſcilicet non eſt adhibendus color albus, uti competens ſolemnitati ratione expoſitionis, ſed etiam violaceus. S.R.C. die 29. Jan. 1752. *in una Ordinis Diſcalceat. Carmelitarum Provinciæ Poloniæ.*

930. Etſi cum maxima ſolemnitate, & concurſu populi, cantetur ab immemorabili tempore in Adventu Domini ſingulis diebus Miſſa Votiva B. M. V. quæ vocatur *Rorate* inſtituta etiam a Conc. Provinciali, ut eſt in Regno Poloniæ, a Paulo V. Papa approbato, non eſt tamen recenſenda inter Miſſas Votivas pro re gravi, vel pro publica cauſa, ſed haberi duntaxat poterit, ut mera populi devotio. S.R.C 29. Jan.1752. *in una Ordinis Carmelit. Diſcalc. Provinciæ Poloniæ.*

931. Utrum ex præſcripto Fundatorum, & inſtitutione eorumdem poſſit dici Miſſa de Aſſumptione, Purificatione, Conceptione B.M.V. in ſabbatis, vel aliis feriis per annum non impeditis feſto duplici? Reſponſum fuit; Non ſunt violandæ Rubricæ imperitorum laicorum cauſa, & ideo petentibus Miſſam Votivam de Aſſumptione &c. fiet ſatis celebrando unam ex Miſſis Votivis B.M.V. juxta temporis occurrentiam. S.R.C. 29. Jan. 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalc. Provinciæ Poloniæ.*

932. In iis Eccleſiis Regularium, in quibus non eſt conſuetudo canendi quotidie Miſſam currentis officii, utrum in Miſsa ſolemni, quæ ſola canitur pro re gravi, vel ob occurſum feſti ſolemnis, de quo eodem die officium nequit fieri; non cantata Miſsa officii diei, nempe de Dominica privilegiata, feria majori, vel feſto aliquo, debeat addi Collecta illius diei officii currentis? Reſponſum fuit; in Miſſis Votivis ſolemnis quæ pro re gravi, vel ob occaſum feſti ſolemnis in aliam diem ſunt transferendæ, etſi unica tantum cantetur, unica Oratio dicenda eſt. S.R.C. 29. Jan. 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.*

933. Utrum Sacerdos ſæcularis vel regularis habens officium duplex, & quid ſi duplex primæ vel ſecundæ claſſis, Celebrans in aliena Eccleſia ex devotione, ubi celebratur feſtum ſolemne, debeat ne celebrare Miſſam ſe conformando illi Eccleſiæ, ubi celebrat, etiam quoad ſolemnitatem, & colorem paramentorum? Utrum etiam Sacerdos ſæcularis vel regularis habens officium duplex, & quid ſi duplex primæ vel ſecundæ claſſis, celebrans in alia Eccleſia ex obligatione in ſepultura ſolemni alicujus cadaveris, vel exequiis ſolemnibus, debeat ſe conformare illi Eccleſiæ celebrando Miſſam de Requiem? Reſponſum fuit: Serventur Decreta alias edita in una Tertii Ordinis S. Franciſci die undecima Jun.1701. Et Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, conformare ſe debent ritui Eccleſiæ, in qua celebrant. S. R. C. 29. Januar. 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.*

934. Miſſæ privatæ de Requiem etiam corpore præſente, & inſepulto dici non poſſunt diebus, quibus fit de officio duplici etiam minori, vel aliis a rubrica exceptis, & quæcumque conſuetudo in contrarium abuſus eſſe declaratur; Miſſa tamen unica ſolemnis in ſepulto corpore celebrari poterit etiam in Dominicis & feſtis diebus, non tamen ſolemnioribus primæ claſſis. S.R.C. 29. Jan. 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalc. Provinciæ Poloniæ.*

935. Utrum in majori hebdomada, excepto triduo ante Paſcha, & biduo poſt, & infra octavam Paſchæ & Pentecoſten, ac etiam in feſtis duplicibus primæ claſſis, non tamen celebribus, poſſit cantari Miſſa unica ſolemnis de Requiem in ſepultura cadaveris? Reſponſum fuit, Affirmative. S.R.C. 29. Jan.1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.*

936. In die obitus, vel depoſitionis alicujus defuncti ſacerdotis dici poterit vel Miſſa prima, quæ eſt pro Epiſcopis aſſignata, ut in commemoratione omnium fidelium defunctorum, vel ea quæ eſt ſecundo loco poſita, quæ eſt in die obitus, ſeu depoſitionis, dummodo oratio pro eo deſignata; *Deus qui inter Apoſtolicos Sacerdotes &c.* omnino adhibeatur: Similiter agendum erit in anniverſario pro Sacerdote defuncto. S. R. C. 29. Jan. 1752. *in una Carmel. Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.*

937. Dignitates, & Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Urbinatenſis poſſunt uti annulo cum unica gemma, cruce pectorali ſine gemmis, caligis, ſandaliis, & chyrothecis ſine auri ornatu in Miſſis ſolemniter decantandis; & quoad ſolum celebrantem, qui ſedere debet in ſcamno cooperto tapete, vel panno currentis coloris, non vero in faldiſtorio. S. R. C. 29.Jan.1752. *in eadem Urbinaten. Benedicto XIV. confirmante die 28. Febr. ejuſdem anni in Conſt. quæ incipit.* In Throno Juſtitiæ *ad primum & ſecundum dubium.*

938. Supradicti Dignitates & Canonici, an Palmatoria ſeu Bugia in Pontificalibus, & in Miſſis lectis ſeu privatis, uti valeant? Reſponſum fuit negative, & amplius. S.R.C. 29. Jan.1752. *in eadem Urbinatenſi ut ſupra n. ant.*

939. An liceat eiſdem in Miſſa pontificali populum ſalutare dicendo: *Pax vobis*: loco dicendi: *Dominus Vobiſcum?* Et an

Digitized by Google

an poſt Miſſas, Veſperas, aut Matutinum in Pontificalibus celebratum, poſſint ipſi ſolemnem dare benedictionem, dicendo: *Sit nomen Domini Benedictum*: ſeu potius ſimplicem benedictionem tantum poſt Miſſam dicendo: *Benedicat vos omnipotens Deus* cum unico, ſeu cum trino ſigno Crucis? Et an benedicendo populum cum Sanctiſſimo Sacramento, dare poſſint trinam benedictionem, vel unicam? nec non, an induti mitra, aliiſque paramentis ad inſtar Abbatum, etiam Miſſas aut veſperas in Pontificalibus non celebraverint, dare poſſint trinam benedictionem? Et reſponſum fuit ad primum, Negative & amplius. Ad ſecundum, Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, cum unico ſigno & amplius. Ad tertium ad primam partem, affirmative; ad ſecundam, cum unica tantum & amplius. Ad Quartum, negative, & amplius. S. R. C. 29. Januar. 1752. *in ſupradicta Urbinaten. ad quintum, ſextum, ſeptimum, & octavum dubium Benedicto XIV. annuente*.

940. An poſſint ſupradicti pontificaliter celebrare Miſſas in Eccleſiis Monialium abſque conſenſu Archiepiſcopi? Et an in veſtitionibus, & velationibus Monialium factis de commiſſione Archiepiſcopi, uti poſſint Mitra? Et reſponſum fuit, Negative in omnibus. S. R. C. 29. Jan. 1752. *in dicta Urbinatenſis ad nonum & decimum dubium ut ſupra*.

941. An in Metropolitana Eccleſia ſupralaudatæ Dignitates & Canonici uti poſſint mitra, & pontificaliter celebrare in Miſſis defunctorum? Et reſponſum fuit, negative. S.R.C. 29. Jan. 1752. *in Urbinatenſi ad undecimum dubium, ut ſupra*.

942. An in inſignibus, & armis ſuæ familiæ appoſitis, vel apponendis in paramentis ſacris, aliiſque rebus Eccleſiam concernentibus, loco mitræ, vel una cum ipſa, pileum apponere valeant, Dignitates & Canonici ſupradictæ Metropolitanæ? Et reſponſum fuit, Affirmative quoad mitram tantum, & amplius. S. R. C. 29. Jan. 1752. *in Urbinatenſi ad undecimum dubium ut ſupra*.

943. An pluries ſuperlaudatæ Dignitates & Canonici in Proceſſionibus Sanctiſſimi Corporis Chriſti incedere poſſint capite mitra cooperto? Reſponſum fuit Negative & amplius. S. R. C. 29. Januar. 1752. *in Urbinatenſi ad trigeſimum, & ultimum dubium, Benedicto XIV. ad ſervandum mandante die 29. Januar. ejuſdem anni in Conſt. quæ incipit:* In Throno Juſtitiæ.

944. Miſsæ, quæ cohærenter ad officia ſemel in menſe, vel hebdomada recitari conceſſa celebrabantur, puta de SS. Sacramento feria quinta, de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis in Sabbato, de Patrono principali in alia feria, cum *Gloria in excelſis* tantum, & ſine *Credo* celebrari debent. S. R. C. 26. Auguſti 1752 *in una Gadicenſi*.

945. Cum ex fundatorum voluntate muneris ſit quotannis ultra officium diei plura anniverſaria adimplere, & de pluribus feſtivitatibus Sanctorum officium cum Veſperis, & Miſſa celebrare, quæritur num Veſperæ dictarum feſtivitatum Sanctorum Pontificum v.g. ſeu Virginum tempore Paſchali, ſi celebrentur, Antiphonæ Pſalmorum, & reliquæ dici debeant cum *Alleluja* ob citati temporis Paſchalis occurrentiam. Et ſimiliter in iiſdem Veſperis (utpote extra diem proprium earum feſtivitatum) ultimus Pſalmus eſſe debeat in ſanctis Pontificibus v.g. *Memento Domine David* & in ſanctis Martyribus Pſalmus *Credidi*, num vero Pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes*? Reſponſum fuit: Quando ultra officium dei recitatur aliud de aliquo Sancto ex fundatorum voluntate, ſi tempus curterit Paſchale, ritum pro tempore convenit imitari, addendo Antiphonis, Verſiculis & ſingulis reſponſoriis *Alleluja* uno excepto Beatæ Mariæ Virginis officio parvo, in quo dum feriali conjungitur officio die nullum additur *Alleluja* ſecundum peculiarem illius Rubricam juxta alias reſoluta: Pſalmi quoque Veſperarum erunt, ut jam alias deſignati in feſto, ſcilicet ut in primis, ſi primæ decantantur Veſperæ, ut in ſecundis, ſi ſecundæ. S.R.C. 26. Auguſti 1752. *in una Gadicenſi*.

946. Cum ex fundatorum voluntatæ Miſſæ ſolemnes ultra illam diei celebrentur, quæritur num propoſitæ Miſsæ ſolemoes celebrari poſſint occurrente feſto duplici, & maxime quia tunc caſus, ſi celebretur, datur quod de eadem feſtivitate in eodem die duæ Miſsæ ſolemnes in eodem principali Altari dicantur, e.g. una ſolemnis poſt Primam, & altera eadem poſt Tertiam? Reſponſum fuit: In caſu de quo agitur duplex de eodem occurrenti ſolemni feſto cantabitur Miſsa: una videlicet pro fundatione poſt Primam, altera Conventualis poſt Tertiam. S. R. C. 26. Aug. 1752. *in una Gadicenſi*.

947. Quæritus, num in Officio eidem Cathedrali Gadicenſi, & Clericis ejus Choro tantum adſcitis conceſſo nomine & privilegio dictorum Clericorum Cathedralis gaudere poſſint Clerici Curati, in eadem Eccleſia curam animarum exercentes, qui quidem eidem Choro de rigore non ſunt adſcripti? Reſponſum fuit: Servetur Decretum S. R. C. 30. Auguſti 1602. nempe: Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati Choro, non tenetur recitare officia, quæ in Choro propria dicuntur. S.R.C. 26. Aug. 1752. *in eadem Gadicenſi*.

948. Lignum SS. Crucis & Spinæ Coronæ Dom. Noſtri Jeſu Chriſti, ubi adeſt immemorabilis conſuetudo, licitum eſt capite aperto ſub baldachino proceſſionaliter deferre; eaſdem reliquias incenſantibus duobus thuriferaris. S. R. C. 28. Auguſti 1752. *in Gadicenſi*.

949. An onus celebrandi Miſsam unam omnibus diebus feſtivis Deiparæ Virginis, intelligendum ſit pro diebus feſtantum de præcepto, an etiam pro aliis ſimplicibus, in quibus Commemoratio in honorem Deiparæ Virginis intra annum fieri conſuevit; quo relato per Eminentiſſimum Cardinalem Cavalchinum Ponentem, Sacra eadem Cong. reſpondit: Miſſas eſſe celebrandas omnibus diebus, in quibus fit officium Beatiſſimæ Virginis ſub ritu duplicis majoris, & altioris ritus tam in Eccleſia univerſali, quam in Diœceſi. Die 9. Decembris 1752. *in Bracarenſi*.

950. An attentis circumſtantiis toleranda ſit conſuetudo aſſerta cantandi unicam Miſſam, aliamque legendi iis diebus, quibus a Rubrica duæ præcipiuntur Miſſæ? Reſponſum fuit: Negative, reſervato jure probandi antiquam conſuetudinem, & amplius. S. R. C. 14. Apr. 1753. *in Conimbricenſi*.

951. An in Miſſa Conventuali cani ſemper debeant *Gloria*, *Credo*, totum *Graduale*, *Offertorium*, *Præfatio*, & *Pater noſter*? Reſponſum fuit. Affirmative juxta præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum, & amplius. S. R. C. 14. Apr. 1753. *in Conimbricenſi*.

952. An ſervari poſſit aſſerta conſuetudo, qua diebus non feſtivis in Miſſas Conventuali non adſiſtit Magiſter Cæremoniarum, nec adhibetur incenſum? Reſponſum fuit: Affirmative quoad Magiſtrum Cæremoniarum; Negative quoad thurificationem, & amplius. S. R. C. 14. April. 1753. *in Conimbricenſi*.

953. An ſervari poſſit aſſervata conſuetudo pulſandi organum tempore Quadrageſimæ, Adventus, ac Vigiliarum in Miſſis Votivis B. M. V. quæ ſingulis Sabbatis ſolemniter celebrantur, & in ejuſdem Litaniis, quæ poſt Veſperas cantantur? Reſponſum fuit: Affirmative, & amplius. S. R. C. 14. Apr. 1753. *in Conimbricenſi*.

954. An Canonici poſſint, & teneantur in Feria 4. Cinerum transferre Proceſſionem quamdam, & aliquas Commemorationes pro Defunctis, ad quas ex Legato tenentur, ut expoſitionem SS. Sacramenti quadraginta horarum facere poſſint; ſeu potius, an melius ſit dictam Expoſitionem in aliam diem transferre, ut prædictis functionibus mentem Teſtatorum impleant? Reſponſum fuit: Negative quoad primam partem: Affirmative quoad ſecundam: nempe Expoſitionem SS. Sacram. eſſe transferendam in aliam diem commodiorem arbitrio Epiſcopi, & amplius. S.R.C. 14. Apr. 1753. *in Conimbric.*

955. An in elevatione SS. Sacramenti in Miſſis ſolemnibus cani poſſit: *Tantum ergo &c.* vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria: Reſponſum fuit: Affirmative, & amplius. S. R. C. 14. Aprilis 1753. *in Conimbricenſi*.

956. An a Cantoribus in Choro incipi poſſit Introitus Miſſæ, priuſquam Sacerdos eamdem Miſsam celebraturus ad Altare pervenerit? Reſponſum fuit: Negative, & amplius. S.R.C. 14. Aprilis 1753. *in Conimbricenſi*.

957. An Hebdomadarius in Choro intonare poſſit initium Horæ ſequentis priuſquam Sacerdos Evangelium S. Joannis terminaverit? Reſponſum fuit: Negative, & amplius. S. R. C. 14. Aprilis 1753. *in Conimbricenſi*.

958. Utrum ſervari poſſit aſſerta conſuetudo, ut Feria 4. Cinerum Canonicus Turnarius, impedito, vel nolente Epiſcopo, Cinerum Benedictionem peragat, & Miſsam cantet? Reſponſum fuit: Affirmative, & amplius. S. R. C. 14. Aprilis 1753. *in Conimbricenſi*.

959. An ſervari poſſit aſſerta conſuetudo, ut in Proceſſionibus Palmarum, & Candelarum, functionem non peragente Epiſcopo, Crucem portet Capellanus per turnum paratus? Reſponſum fuit: Affirmative, & amplius. S. R. C. 14. April. 1753. *in Conimbricenſi*.

960. An ſervari poſſit aſſerta conſuetudo, ut in Proceſſionibus Litaniarum, earumdem Cantores incedant Pluvialibus induti? Reſponſum fuit: Affirmative, & amplius. S. R.C. 14. Apr. 1743. *in Conimbricenſi*.

961. An in Eccleſiis, quas Proceſſio Litaniarum per viam ingreditur, fieri poſſint Commemorationes pro Defunctis in adimplementum Legatorum a Perſonis in iiſdem Eccleſiis ſepultis relictorum? Reſponſum fuit: Affirmative. S. R. C. 14. Apr. 1753. *in Conimbricenſi*.

962. An ſervari poſſit aſſerta conſuetudo, ut duo medii Canonici, ſeu Tertienari Tunicella, ſeu Dalmatica induti in Proceſſione Corporis Chriſti thuribula deferant, & Sanctiſſimum Sacramentum incenſent? Reſponſum fuit: Affirmative, & amplius. S.R.C. 14. Apr. 1753. *in Conimbricenſi*.

963. Utrum aſſerta conſuetudo, ut quatuor Canonici, ſeu medii Canonici Pluvialibus induti quædam argentea inſignia ſine Palmis, & Candelis præ manibus geſtent in Proceſſionibus Palmarum, & Candelarum, licite retineri poſſit? Reſponſum fuit: Affirmative, & amplius. S. R. C. 14. Apr. 1753. *in Conimbricenſi*.

964. Anniverſaria, quæ ex diverſorum Teſtatorum voluntate ſunt a Capitulo præſertim circa ſingula quatuor anni tempora in cantu celebranda, abſolvi poſſunt in feſto duplici majori per annum, non tamen de præcepto, etiam-



Digitized by Google

ſi dies ille non ſit vere anniverſarius deſuncti. Sac. Rit. Con. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

965. Tranſlato Anniverſario a proprio die obitus Teſtatoris ob occurrens impedimentum in alium diem non impeditum, de Requiem cantanda eſt Miſſa ſive ut in anniverſario, ſive ut in quotidianis, verba tamen in oratione; *cujus anniverſarium depoſitionis diem commemoramus &c.* non ſunt varianda. S.R.C. 22. Dec. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

966. Obitus die impedito, non poteſt pro Defunctorum anniverſario cantari Miſſa de occurrenti feſto vel feria privilegiata pro applicatione, S. R. C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

967. Aniverſaria quæ occurrunt abſolvenda circa quatuor tempora Paſchalia, & infra octavam Pentecoſteo, & non poſſunt omnia abſolvi aut finiri ante octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quomodo & qualiter abſolvenda? Reſponſum fuit: Servetur Decretum datum die 4. Maji 1686. in una Canonicorum Regularium Lateranenſium. S.R.C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

968. Pro Miſſis ex fundatione, aut ex alia quacumque cauſa in cantu celebrandis, ſive de Aſſumptione, ſive de Conceptione beatæ Mariæ Virginis extra ejus feſtos dies, vel octavas earumdem ſolemnitatum, aſſumi nequit propria feſtivitatis, ſed ſubſtituenda eſt ei una ex quinque votivis Miſſis Beatæ Mariæ Virginis, quæ habentur in Miſſali Romano juxta congruentiam temporis. Sac. Rit. Cong. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

969. Pro Miſſa votiva alicujus Sancti, ſi habeat propriam, mutanda ſunt verba: *natalitia vel feſtivitas* in aliis congruentibus votivis, ſcilicet *commemoratio aut memoria.* S. R. C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania pro Miſſa S. Caſimiri.*

970. Quando per Rubricas Miſſalis, ac per decreta Sacræ Congregationis, videlicet per octavas Nativitatis, Epiphaniæ, per feriam IV. Cinerum, a Dominica Palmarum uſque poſt Octavam Paſchæ, per octavas Pentecoſtes & Sanctiſſimi Corporis Chriſti probibentur Miſsæ votivæ privatæ, prohibentur etiam votivæ in cantu fundatæ. S. R. C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

971. Subſtitui debent Miſſæ de feſto pro votivis in cantu fundatis diebus impeditis; & ex rationabili cauſa ab Ordinario dignoſcenda, & approbanda ſatisfieri poſse lectis, loco cantatarum, ſtatuit S. R. C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

972. Num ſaltem in primis diebus ſolemnibus poſſint ſubſtitui loco votivarum Miſſæ cantatæ de feſto; reliquis vero diebus infra octavas prædictas, & aliis diebus ſupra enuntiatis cantari votivæ? Reſponſum fuit, negative. S. R. C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

973. Quando juxta Rubricas Miſsalis in feriis Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Rogationum, ac Vigiliarum præſcribantur duæ Miſſæ cantatæ in Cathedralibus & Collegiatis, una de feſto poſt Tertiam, altera de feria poſt Nonam; An propter inſufficientiam temporis, ratinne multarum votivarum cantandarum ex fundatione (ut eſt in Cathedrali Vilnenſi) poſſit una ex his duabus ſubſtitui lecta pro cantata; & quæ potius; an de feſto poſt Tertiam, an poſt Nonam de feria? Reſponſum fuit: Non poſse omitti alteram ex his duabus Miſſis cantandis. Rurſus, an ſecurius una ex dictis votivis legi poſſit, ut ambæ Conventuales de Sancto, & de feria per rubricas præſcriptæ decantentur? Et reſponſum fuit: Quoad Miſsam votivam lectam cantatæ ſubſtituendam, jam proviſum ſub num. octavo (de quo vide num. 971.) S. R. C. 22. Dec. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

974. An in Dominicis infra octavam ſive privilegiatam, ſive non, præter Miſsam Conventualem, quæ cantatur de Dominica, debeat etiam alia Miſsa cantari de die infra octavam. In Dominicis per annum, in quibus fit de aliquo feſto cum commemoratione Dominicæ. An item præter Miſsam Conventualem de feſto celebrandam per Hebdomadarium, debeat etiam alia Miſsa cantari de Dominica per Vicarios, ut agitur in Cathedrali Vilnenſi. Et reſponſum fuit, Negative: ſcilicet in Dominicis infra octavas, vel aliis a feſto duplici impeditis, unicam tantummodo cantandam eſse miſsam: In Dominicis quidem infra octavas, de Dominica cum commemoratione octavæ, in aliis vero Dominicis non privilegiatis, & in quibus fit de occurrenti feſto duplici; Miſsa de feſto cum commemoratione Dominicæ, ejuſque Evangelio in fine. S. R. C. 22. Decembris 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

975. Quando abſolvitur Miſsa lecta coram Sanctiſs. Sacramento in pixide expoſito, debent omnes genuflexiones obſervari in tali miſſa, quæ alias obſervantur coram Sanctiſſimo Sacramento publice expoſito, & non velato conformiter ad rubricam Miſſalis feriæ quintæ in Cœna Domini. S. R. C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

976. Quando Epiſcopus pro publicis ſupplicationibus injungit in ſua Diœceſi recitari publice in templis litanias de Sanctiſſimo Nomine Jeſu, utrum Parochi ſcientes eaſdem litanias eſſe prohibitas, debeant ſatiſfacere huic edicto? Reſponſum fuit: Dilata, & exbibeantur Litaniæ. S. R. C, 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

977. Cum Archiepiſcopus Civitatis Bahiæ, alias S. Salvatoris nuncupatæ, occaſione controverſiæ in ſua civitate exortæ circa commemorationem faciendam inter Communia ſuffragia de Sanctiſſimo Salvatore Titulari civitatis prædictæ, ejuſque Cathedralis, ac de S. Franciſco Xaverio Patrono principali rite electo, & confirmato ejuſdem civitatis, per ſupplicem libellum humillime ſupplicaverit Sanctiſs. Domino Noſtro Benedicto Papæ XIV. pro ſolutione ſequentium duorum dubiorum, ac Sanctitas ſua preces Oratoris S. R. C. remiſerit, prædicta dubia ab Eminentiſſimo Cardinali Tamburino ejuſdem Sacræ Congregationis Præfecto, ac Ponente in ea propoſita fuerunt, nempe; An Archiepiſcopo prædicto liceat declarare per litteras Paſtorales Sanctiſſimo Salvatorem non eſſe patronum, ſed ſemper fuiſſe, & eſſe Titularem Civitatis Bahienſis, ejuſque Cathedralis; adeoque in poſterum pro Titulari habendum, & colendum ſub eodem ritu, quem nunc habet, & ſemper habuit quamdiu Patronus exiſtimabatur? Reſponſum fuit, audito prius voto ab Apoſtolicarum Cæremoniarum collegio ſcriptis exarato, typiſque vulgato: Licere prout in dubio. S. R. C. 16. Februarii 1754. *in Babien. ad primum dubium.*

978. An eidem ſupradicto Archiepiſcopo liceat declarare per litteras Paſtorales, Sanctum Franciſcum Xaverium eſſe patronum principalem civitatis Bahienſis rite conſtitutum; adeoque impoſterum pro Patrono Principali habendum, & colendum ſub eo ritu, qui Patronis principalibus civitatum conceditur, ita ut infra annum in Officio divino, quando dicuntur Suffragia Sanctorum, de eo, ut Patrono Principali fieri debeat commemoratio loco competenti, & propterea in Miſſa quando dicitur oratio *A cunctis* ſub littera N. ejus nomen exprimi debeat? Reſponſum fuit; Licere prout in dubio, dummodo non omittatur in Metropolitana commemoratio Sanctiſſimi Salvatoris, tamquam Titularis ejuſdem. S. R. C. 16. Februarii 1754. *in eadem Babien. ad ſecundum dubium.*

979. Ubi erectæ ſunt Confraternitates Sanctæ Annæ, Sancti Franciſci, S. Antonii, & aliorum Sanctorum, non poſſunt cantari Votivæ ſimplices de hujuſmodi Sanctis in feſto duplici minori, & majori, etiamſi non ſit de præcepto ſeu feſtivo, licet antiqua conſuetudo vigeat, & populus concurrat, libenterque eas audiat, & cantari procuret. S. R. C. 11. Maji 1754. *in una Ordinis Minor. de Obſervantia S. Franciſci Provinciæ majoris Poloniæ.*

980. Miſſæ de Requiem pro parentibus Fratrum, quavis feria ſecunda in quolibet Conventu non poteſt cantari expoſito Caſtro doloris, occurrente feſto duplici minori & majori, etiamſi non ſit de præcepto ſeu feſtivo. S. R. C. 11. Maji 1754. *in una Ordinis Minorum de Obſervantia Sancti Franciſci Provinciæ Majoris Poloniæ.*

981. Miſſæ de Requiem poſſunt cantari in iis Eccleſiis pro benefactoribus defunctis (qui apud illos non ſepeliuntur) in die obitus illorum, occurrente feſto duplici minori & majori, ſed non de præcepto ſeu feſtivo. S. R. C. 11. Maji 1754. *in una Ordinis Minor. de Obſerv. S. Franc. Provinciæ Majoris Poloniæ.*

982. An Miſſæ de Requiem (ut populus ſemper prætendit, & non per applicationem Sacrificii) poſſint cantari pro Benefactoribus defunctis ad petitionem hæredum quavis die, etiamſi non ſit dies obitus, vel anniverſarii, occurrente feſto duplici minori & majori, ſed non de præcepto ſeu feſtivo? In omnibus ſupradictis quæſitis excluſa volumus feſta primæ & ſecundæ claſſis, Dominicas per annum, Dominicas ac octavas privilegiatas. Reſponſum fuit: *Negative.* S. R. C. 11. Maji 1754. *in una Ord. Minorum de Obſerv. Sancti Franciſci Provinciæ Majoris Poloniæ.*

983. Cum Sac. Rit. Cong. decreverit in feſto duplici minori & majori, ſed non de præcepto poſſe cantari Miſſam de Requiem, cum accipitur nuncius de obitu alicujus in loco diſſito ſub die 4. Maji 1686. & Anniverſaria quæ ex diſpoſitione Teſtatorum cum cantu quotannis ſunt celebranda, poſſint cantari etiamſi eorum dies inciderit in feſtum duplex majus, non tamen de præcepto ſub die 20. Julii 1669. annuente Sanctiſſimo Clemente IX. quæritur intelligendum duplex majus de præcepto, an quod ſit celebre ad populum, ſeu feſtivum, vel alio modo &c. Et Sacra Congregatio audito prius voto unius ex Cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſtris ad relationem Eminentiſſimi Cardinalis Tamburini ejuſdem Congregationis Præfecti, reſcribendum cenſuit. Feſtum duplex majus de præcepto eſt illud, in quo occurrit Officium recitandum ſub ritu duplici majori, cuique a legitimo ſuperiore adnexum eſt præceptum audiendi ſacrum, & abſtinendi ab operibus ſervilibus. S. R. C. 11. Maji 1754. *in una Ordinis Minor. de Obſerv. S. Franc. Provinciæ Majoris Poloniæ.*

984. Quando adeſt onus celebrandi, v. g. duas Miſsas ſingulis diebus feſtivis duodecim Apoſtolorum, & pariter alias duas in feſtis Evangeliſtarum; non tenetur pro adimplendo teſtamento in feſtis SS. Joannis & Matthæi ultra duas

Miſ-

Digitized by Google

Miſſas, alias duas ſimiliter celebrare ex eo quia prædicti Sancti non ſolum Apoſtoli, ſed etiam ſunt Evangeliſtæ. S.R.C. 7. Septemb. 1754. *in una Lisbon.*

985. Onus celebrandi, v. g. duas Miſſas in feſtis Doctorum Sanctæ Matris Eccleſiæ rite adimpletur, quando in officio Eccleſia utitur Antiphona *O Doctor optime*. S. R. C. 7. Septembris 1754. *in una Lisbon.*

986. Patriarchas Religionum pro adimplendo onere, puta duarum Miſſarum in feſtis eorumdem, eos omnes intelligendos eſſe, de quibus Eccleſia Catholica celebrat Officium & Miſſam declarat. S. R. C. 7. Septembris 1754. *in una Lisbon.*

987. SS. D. N. Benedictus XIV. in Conſt. *Militantis Eccleſiæ*; Volumus, præcipimus, & mandamus, ut in Officii Divini Breviario, in feſto Sancti Leonis I. Papæ, & Confeſſoris, Antiphona ad *Magnificat* in utriſque Veſperis ponatur ea, quæ incipit; *O Doctor optime*; In Miſſa autem dicatur introitus: *In medio Eccleſiæ*; & poſt Collectam ſubſequatur Lectio libri Sapientiæ: *Juſtus cor ſuum tradet*, cum Graduali, ut in Communi Doctorum; Poſt Evangelium vero dicatur *Credo*, reliqua ut in conſueta Miſſa propria de S. Leone, Atque ita per omnes Eccleſias, & reſpective ab omnibus, & ſingulis, qui ad Divini Officii recitationem tenentur, perpetuo ſervandum ſtatuimus, & decrevimus. Die 15. Octob. 1754.

988. An Fratres Provinciæ S. Mariæ de Arrabida in Regno Portugalliæ infra octavam omnium Sanctorum, Anniverſarium a Joanne V. Rege Fideliſſimo fel. rec. Cœnobii & Eccleſiæ fundatore inſtitutum pro animabus Regis Petri II. & Reginæ Mariæ parentum ſuorum; necnon alia tria anniverſaria pro omnibus defunctis Religioſis Provinciæ, eorumque parentibus, & Provinciæ Patronis ſolemniter celebrare poſſint illis diebus ab officio ſub ritu duplici impeditis? Reſponſum fuit: Anniverſarium pro gratia, & in reliquis ſervetur Decretum Alexandri VII. 5. Auguſti 1662. S. R. C. 11. Januarii 1755. *in una Ordinis Minorum Reformatorum Sancti Franciſci in Provincia Sanctæ Mariæ de Arrabida in Regno Portugalliæ.*

989. An ferenda ſit immemorabilis, aut antiqua conſuetudo Parochorum benedicentium ſacrum fontem de mane, aut in Veſperis dierum feſtorum juxta præſcriptum Ritualis Romani, ubi agit de benedictione Fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes, cum aqua conſecrata non habetur? Reſponſum fuit: Parochos habentes facultatem benedicendi Fontem Baptiſmalem Sabbatis diebus Paſchatis aut Pentecoſtes dumtaxat, & non aliis diebus, illum de mane benedicere debere. Qui vero hanc facultatem non habent, ab ejus benedictione ſe abſtinere tenentur. S. R. C. 12. Aprilis 1755. *in Lucana.*

990. An Parochis, quibus in die Sabbati Sancti imminet onus adeundi Eccleſiam Matricem, aut Plebanalem, ut functioni Fontis interſint, aquamque benedictam, atque olea ſacra recipiant, poſſint, aut teneantur idem onus in alium Sacerdotem ab iis deputandum, ac delegandum rejicere, ut qui habent Fontem Baptiſmalem illum benedicant, & cum quo numero miniſtrorum, aut ſaltem ſacrum faciant pro commoditate, & devotione ſuorum Parochianorum? Reſponſum fuit: Parochis licere alium Sacerdotem delegare, qui benedictioni Fontis Baptiſmalis in Eccleſia Matrice pro iis aſſiſtat; ſicuti etiam poſſunt die Sabbati Sancti alteri Sacerdoti Miſſæ celebrationem in propria Eccleſia committere. Qui facultatem obtinent Fontem benedicendi, quatuor ſaltem Clericos in miniſterio habebunt, S. R. C. 12. Aprilis 1755. *in Lucana.*

991. An fas ſit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptiſmatis aqua in Eccleſia Matrice aut Plebanali benedicta, cui privatim, & ſeparatim, & non in ipſo actu benedictionis Baptiſmalis infuſa fuerint olea ſacra? Reſponſum fuit: Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui ſacra olea jam fuerint commixta, ſuſcipere debent, quam adhibeant in Baptiſmi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem olea ſacra recipere non potuerunt, illa ſubinde privatim, ac ſeparatim in aquam mittere poterunt. S.R.C. 12. Aprilis 1755. *in Lucana.*

992. An Parochi in alienas Eccleſias convenientes poſſint attenta conſuetudine immemorabili, aut ſaltem antiqua, ſacrum facere in die Sabbati Sancti cum cantu, aut ſine cantu in propria Eccleſia, prætermiſſis benedictionibus Ignis, Cerei, Prophetiis, aliiſque ritibus ipſa die præſcriptis, aut non obſtante eadem conſuetudine idem ſacrum omittere teneantur, & quatenus Negative quoad ſecundam partem, ſub qua pœna ſtatuenda contra Parochos, alioſque Sacerdotes? Reſponſum fuit: Congruit, ut Miſſæ in Sabbato Sancto celebrandæ ignis ac cerei benedictionem præcedant, ante quam Miſſam Prophetiæ omitti non debent; & Archiepiſcopus Parochos ad ignis ac cerei benedictionem faciendam aliqua pœna pecuniaria adigere poterit. S. R. C. 12. Aprilis 1755. *in Lucana.*

993. An Canonici cogi poſſint ad recitationem in Choro ſtatutis diebus officii Beatæ Mariæ Virginis, & Defunctorum, Pſalmorum quoque Pœnitentialium atque Gradualium juxta rubricas Breviarii Romani, Conſtitutiones Synodales & conſuetudines Firmanæ Diœceſis; & propoſito dubio per Eminentiſs. Card. Tamburini Sacræ Rituum Congreg. Præfectum, & hujus inſtantiæ Ponentem; Eminentiſſimi Patres Sacræ Rituum Congregationi Præpoſiti unanimes fuerunt in ſenſu, Non eſſe cogendos; & ita S. R. C. decrevit, ac ſervari mandavit. Die 14. Junii 1755. *in una Firmana.*

994. Cum adſint Decreta Sacræ Rituum Congregationis aliquoties repetita, quod in Miſſa de Beatis, ideſt nondum Canonizatis, *Credo* dici non debeat; dubitatur, an in Feſtis B. Joannis Cantii, B. Joannis de Dukla, B. Ladiſlai de Gielniou, & B. Cunegundis Virginis, quorum Officium auctoritate Sedis Apoſtolicæ, tamquam de Patronis Regni principalibus ritu duplici primæ claſſis in Polonia recitatur, *Credo* in Miſſa dicendum ſit? Et reſponſum fuit: Affirmative, S. R. C. 29. Novembris 1755. *in Varmienſi.*

995. Quamvis juxta rubricam generalem Breviarii & Miſſalis Romani in feſtis ritus duplicis primæ claſſis nulla die infra octavam fiat commemoratio; tamen hymni ad Horas terminari debent, v. gr. *Jeſu tibi ſit gloria*. Et in Miſſis Præfatio Beatæ Mariæ Virginis erit dicenda, ut pro feſtu S. Hyacinthi patroni principalis Poloniæ decrevit Sac. R. C. 29. Novembris 1755. *in Varmienſi.*

996. Pater Provincialis Ordinis Minorum Excalceatorum S. Franciſci Provinciæ S. Didaci Hiſpalenſis Sacræ Rituum Congregationi expoſuit, prohiberi ſuis Religioſis a quibuſdam peculiaribus Conſtitutionibus uſum pluvialis in Proceſſionibus Sanctiſſimi Corporis Chriſti; quæ leges cum adverſentur Decretis hujus Sacræ Congregationis, humillime eidem ſupplicavit, ut præcipere dignaretur, ut ab omnibus ſuis Religioſis præfatæ Provinciæ eadem Decreta Sacræ Congregationis eſſent obſervanda. Et Sacra Congregatio reſcripſit, quod eidem Oratori darentur Decreta alias in hoc dubio emanata, videlicet: Congregationis Montis Coronæ: Supplicante humiliter Sacræ Rituum Congregationi P. Juvenale Viſitatore generali Congregationis Camaldulenſium Montis Coronæ infraſcriptum dubium declarari: An liceat non habentibus uſum pluvialis in die, & infra octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti peragere proceſſionem cum Sanctiſſimo Sacramento, & illud ſine pluviali exponere? Et Sac. eadem Rituum Congregatio cenſuit reſpondendum: Negative quoad primam partem, & quoad ſecundam non poſſe cogi, ideſt in expoſitione SS. Sacramenti? Et ita reſpondit & declaravit. Die 22. Januarii 1701. Quod Decretum eadem Sacra Congregatio etiam a Religioſis Excalceatis S. Franciſci dictæ Provinciæ S. Didaci ſervari mandavit. Die 15. Maji 1736. *in eadem Hiſpalenſi.*

997. Sanctiſſ. Dominus Noſter Clemens XIII. prævio Voto Sac. Cong. Indulgentiis, & ſacris Reliquiis præpoſitæ indulſit die 19. Maji 1759. omnibus Eccleſiis Parochialibus Orbis Chriſtiani Altare Privilegiatum quotidianum ad ſeptennium, quo expleto Sanctitas ſua præcipit omnibus Epiſcopis, Abbatibus, & Sede vacante, Vicariis Capitularibus pro unaquaque ſuarum Diœceſum Parochia pro confirmatione ejuſdem Privilegii ad ſeptennium. Idque fieri jubet ſub unico tantum Brevi, atque vult hoc unicum Breve ſuffragari omnibus uniuſcujuſque Diœceſis Eccleſiis Parochialibus. Ne autem Parochi expenſis graventur, vetat omnibus tam Epiſcoporum, quam Abbatum Officialibus, ſub pœna nullitatis Privilegii, ne quidquam penitus exigant a Parochis, ſive pro ipſis certiorandis, ſive in expediendis litteris pro deſignatione Altaris privilegiati in eorum Parœciis.

998. Singulis Dominicis diebus totius anni, quibus Præfationes propriæ, per Rubricas non ſunt adſignatæ, incipiendo a Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis anni 1759. Sacerdotes omnes utriuſque Cleri Sæcularis, atque Regularis, Præfationem de SS. Trinitate, quæ jam inde a vetuſtiſſimis temporibus in uſu fuiſſe dignoſcitur, in Miſſa recitare teneantur; & inviolabiliter obſervari mandavit S. R. C. 3. Jan. 1759. *in Decreto urbis & orbis, Sanctiſſimo D. N. Papa Clem. XIII. feliciter regnante, ipſo movente, & confirmante.*

999. SS. Dom. Noſter Papa Clemens XIII. pro ſua erga Sanctum Laurentium Juſtinianum pietate, decrevit, ut ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu ſemiduplici de Præcepto die 5. Sept. prædicti Sancti Officium, & Miſſam impoſterum recitari, & celebrari debeat. Die 12. Sept. 1759.

F. Card. Tamburinus Præfectus

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secret.

1000. Conceſſo jam a SS. Clemente XIII. die 8. Aug. 1759. Officio & Miſſa de Comm. Conf. non Pontif. B. Petri Acotanto ſub ritu dupl. min. Clero Sæculari & Regulari Civitatis Venetiarum, modo ad novas preces Rev. Patriarchæ ſupradictæ Civitatis pro approbatione Lectionum ſecundi Nocturni, Orationis, & Antiphonarum in primis Veſperis ad *Magnificat*, & *Benedictus*, Sanctitas ſua eas accurate reviſas, & approbatas a S. R. C. recitari conceſſit die 13. Nov. 1760.

1001. Piis, enixiſque precibus Sereniſs. Reip. Venet. pro extenſione Officii, & Miſſæ, cum Lectionibus, Oratione, & Antiphonis die 19. Nov. 1760. pro Civitate Venetiarum approbatis, Sanct. Clem. XIII. benigne annuit die 10. Junii 1761.

I N-

# INDEX DECRETORUM SAC. CONGREG. RITUUM.

Quæ ſpectant ad MISSALIS ROMANI RUBRICAS, ad majorem Legentium commoditatem per Materias concinnatus.

*Numerus indicat ſeriem cuicumque Decreto præfixam.*

A

ABacus, ſive Credentia, num. 341. 753.
Abbas, 45. 100. 101. 139. 159. Vide Prælati Epiſcopis inferiores.
Abbas Collegiatæ exemptæ. 29. 347.
Abbates Olivetani ter in anno utantur Baldachino. 762.
—— Cœleſtini ter in anno utantur Baldachino. 763.
—— Caſſinenſes ne benedicant paramenta Eccleſiarum non ſubditarum. 779.
—— Gaſſinenſes. 384. 385. 386. 387.
—— Cavenſes. 383.
—— plures in eodem loco. 134.
—— Pontificaliter induti. a n. 664. uſque ad 667.
Abbatiſſæ electio, in qua Miſſa de Spiritu Sancto quando prohibita. 606.
Abſolutio Solemnis in Anniverſario Epiſcopi. 316.
Abſolutio quomodo concludenda ſuper Cadaver. 477.
In Commemor. Omn. Fidel. Defunctorum. 522.
Abuſus contra Cæremoniale, Rituale, & Rubricas tollendi ab Epiſcopo. 647.
Adoratio Crucis in Fer. VI. Paraſceve. 693.
Oblationes ſervandæ. 26.
Alleluja in expoſitione & depoſitione SS. Sacramenti. 523.
Almutia Canonicalis. 412.
Altare in unaquaque Parochialium quotidie pro Defunctis Privilegiatum. 997. quando execretur. 815.
Altare cum pradella. 728.
Altare fixum conſecratum, quomodo & quando execretur. 633.
Altare ligneum in Oratoriis. 393.
Altare majus, & quando Miſſæ privatæ ibi probibitæ. 177.
Altare non poteſt ſibi erigere Epiſcopus extra ſuam habitationem. 578.
Explicatur & declaratur. 649.
Altare portatile quomodo permiſſum. 132. 580.
Altare Privilegiatum. 206. 298. 430. 432. 439. 489. 623. 624. 625.
Altare, ſub quo ſunt Cadavera. 712.
Altaria non erigenda in privatis cubiculis Regularium. 648.
Altaria Sanctorum Prophetarum Veteris Teſtamenti. 517.
Anniverſaria fieri poſſunt in feſto duplici majori. 964.
Anniverſario tranſlato quæ Miſſa dicenda. 965.
Anniverſario non fundatur alio die a die obitus impedito. 966.
Anniverſaria infra quatuor Tempora, & Oct. Pentecoſtes, &c. 967.
Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi. 593. 619.
Anniverſaria Dedicationis Eccleſiæ. 398. 536. 746.
Anniverſarium Defunctorum transferendum. 20. & alia ibi notata. 143. 424. 485. 524. 529. 707. 711.
Anniverſarium, & Miſſa de Requiem quando in duplici cantari non poſſunt, quomodo transferri debeant. 472. 483. ſecus quando poſſint cantari in Duplici. 422. 438. 546. 547.
Annuli uſus in Miſſa. 192. 237. 450. & alia ibi notata.
Annulus aureus ſine gemma, & effigie permiſſus Canonicis in Miſſa. 413.
Annunciationis B. Mar. Vir. Feſtum. 321. 377. 495. 504. 620. 632.
Antiphona B. M. V. in fine Officii, quando omittenda. 592.
Archidiaconus. 53. 78. 106. 154. 274. 293. 376. 446. 716.
Archiepiſcopus. 137. 318. 319. 329. 706.
Archiepiſcopus Granatenſis. 324.
Archipresbyter, 12. 109. 330. 416. 423. 480.
Aſperſio die Dominico. 299.
Aſperſio quoad Canonicos, 44. 268.
Aſperſorium a quo miniſtrandum Epiſcopo. 61. 121. 309. 317. & alia ibi notata. 241. 260. 425.
A Cardinali. 262.
A Religioſis. 292.
Aſſiſtens Canonico celebranti cum Pluviali. 4. & alia ibi notata.
Aſſiſtentes Epiſcopo. 6. & alia ibi notata. 19. 48. 106. 107. 269. 286. 295. 312. 327. 618. 744.
Aſſiſtentia Epiſcopo extra Cathedralem. 164.
In Miſſis privatis. 327.
Aſſiſtentia Epiſcopo ſuffraganeo. 30. & alia ibi notata.
Aſſiſtentia proprio Epiſcopo. Vide Epiſcopus.
Aſſiſtentia in Choro quando non attendatur. 21. 78. & alia ibi notata.
Aſſociatio Abbatum Caſſinenſium. 384.
Aſſociatio Epiſcopi. 6. & alia ibi notata. 23. 261. 262. 317. 376. & a n. 653. uſque ad 656. 672. & 673.
Aſſociatio Epiſcopi ſuffraganei. 736.
Aurora. 276.

B

BAculus, & Mitra. 22. 51.
Baculus Paſtoralis Prælatorum Epiſcopis inferiorum. 345.
Baldachini Haſtæ. 10. 195.
Syri a ſexto ſæculo in Azymo conſecrabant. 10. abuſus quorundam Monachorum circa Euchariſtiam conditam ad veſcendum potius. *ibid.*

Syro-Chaldaica lingua, qua Chriſtus Dominus loquebatur, qualis erat. 12. Evangelium S. Matthæi eadem conſcriptum. *ibidem*.

T

TEſt figura Crucis Chriſti, & ideo ab eo initium Canonis. 148.

Tabaccum ſumptum per nares, aut in fumo, vel etiam in folio (niſi ex induſtria, aliqua ejus particula trajiciatur in ſtomachum) Jejunium naturale non ſolvit. 211.

Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis, a pag. 342. uſque ad 349.

Tabella Sacra ad dandam pacem, quæ. 161. cur adhibita. *ibid.* cum velo, & quando tergenda ſit cum eodem. *ib.* forma ejuſdem. 350.

Tabella Secretarum, *In principio*, & *Lavabo* in Altari ad Miſſam. 81. ex quo ligno, & qualis. 350.

Tabernaculum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, Conopæo veſtiendum. 81. Immobile Paſtophorium dictum. 98. antiqui forma, & materia. *ibidem*. ejus forma, & quomodo exornandum. 350. clave claudendum. 169. in Miſſa ſolemni Defunctorum velo violaceo, non nigro tegendum. *ibid.*

Tabula itineraria. V. *Ara lapidea*.

Tapetia quomodo conſervanda. 352.

*Te igitur* &c. an elevatio manuum & oculorum fieri debeat ante, vel ſimul cum prolatione Verborum. 148.

Tela Stragula ad operiendum Altare finitis Miſſis, qualis. 350.

Teleſphorus Papa Hymnum Angelicum conſtituit dici ante Sacrificium. 51. non ante horam tertiam cantari Miſſam. 20. & 71. ei tribuitur Quinquageſimæ, & Quadrageſimæ inſtitutio, ſed negativa ſententia adſtruitur. 240.

Teletin, id eſt Myſterium: Miſſa. 5. & 8.

Templum. V. *Eccleſia*.

Templum Corporis Chriſti. 46. annis quomodo ædificatum. 241.

Ternarius numerus quid referat. 303. Orationum in Miſſa Myſterium. 52.

S. Theclæ Miſſa poteſt recitari in Feſto S. Lini cum *Gloria*. 29.

Thomaſius Joſeph Cardinalis ex Congregatione Cleric. Regular. ſummæ pietatis, & eruditionis vir Codicem Sacramentorum, ſeu Miſſæ a Gelaſio Papa conſcriptum in lucem edidit. 3. & Antiphonarium S. Gregorii Papæ. 4. Codex Gelaſianus, ab eo editus vocatur Thomaſianus. 242. de Ritibus Eccleſiæ Græcæ, ſeu Officium Dominicæ Paſſionis edidit. 302.

S. Thomas Aquinas auctor Sequentiæ, ſeu Proſæ in Feſto Corporis Chriſti. 58. idem egregius auctor Officii SS. Corporis Chriſti, 312.

S. Thomæ Cantuarienſis Feſtum ſi in Sabbato, Miſſa quomodo. 237.

S. Thomæ Feſtum ſi incidat in Sabbatum ante Dominicam. 4. Adventus, quid circa Officium, & Miſſam. 230.

Thuribulum, Thymiamaterium idem, quid. 113. Tres catenulæ, quid. *ibidem*. Suffitorium. *ibidem*. ejus forma. *ibid.* qualiter deferendum. 102. cum Navicula. 103. & 113. Aureum a Sergio Papa ſuſpenſum ad Imagines S. Petri. 11. duorum thuribulorum uſus in incenſatione perſonarum non probatur, 146. & quando tolerari poteſt. *ibid.* in Proceſſionibus SS. Sacramenti, ac ſolemnibus translationibus Reliquiarum, duo. *ibid.* forma. 350.

Thuribulum. Extra Proceſſionem, & Reliquiarum translationem uſus duorum Thuribulorum non approbatur. 277.

Thu-

Digitized by Google

Thuriferarii munera, V, *Miſſa ſolemnis* per ſingulas ejus partes.
Thuriferarii duo in Eccleſia Ambroſiana. 103.
Thuriferarius non habet locum ſtabilem in Presbyterio. 116. cur præcedat Diaconum Evangelium cantaturum. 127.
Thus. V. *Incenſum*.
Thyara. V. *Mitra*.
Thymiamaterium. V. *Thuribulum*.
Thyſia id eſt Sacrificium, Miſſa, 5.
Tintinnabulum. V. *Campanula*.
Titularis Sancti alicujus Capellæ, ſeu Altaris, de quo non fit Officium, an poſſit Miſſa celebrari de eo in iiſdem. 28. ſi eſſet Canonizatus, vel in Martyrologio deſcriptus, quid, *ibid*.
Titularis Eccleſiæ eſt primæ Claſſis, 61. Vide *Patronus*.
Titulus Lectionum cur omittitur Fer. VI, in Paraſceve. 269. & Sabbato Sancto. 291.
Tonſura Clericalis, quid, cur Corona Eccleſiaſticis ſub pœnis injuncta. 89.
Tractus quando dicendus, vel non, in Miſſis votivis. 40. quid, unde, & cur. 59. quando dicatur. *ibid*. a quo, & quomodo cantandus. *ibid*.
Traditio Symboli quando, & quomodo fiebat olim Catechumenis. 27.
Translatio Feſtorum quoad leges Miſſæ. 46. Decreta, *ibid*.
Translatio Sanctorum, an dicendum *Credo* in Miſſa. 61. Patronis tantum concedi ſolet, *ib*.
Tribunal. V. *Pulpitum*.
Trigeſimi diei pro Defunctis origo, & cur fiat. 44.
SS. Trinitatis Feſtum cur inſtitutum in Octava Pentecoſtes. 309. cur tardius in Eccleſia Romana. 311. alibi non celebrabatur in Octava Pentecoſtes, & ſuper hoc contentiones obortæ. *ibidem*. in Gallia cœptum celebrari hac die Octavæ, in quibuſdam ejus Regni Eccleſiis bis celebrabatur. *ibidem*. Romæ diem Feſtum ſtatuit Joannes XXII. *ibid*. Alexander II. nihil de agendo Feſto hoc definivit, ſed non improbavit. *ibidem*. Alexander Papa III. quid de hoc ſcripſerit. *ibid*. Officium adjudicatum Stephano Leodienſi. 309. & 311. Præfatio approbata a Pelagio Papa. 309. Miſſæ auctor non fuit Alcuinus, ſicuti aſſerit Micrologus. 311. Orationes ſi SS. Trinitati diriguntur, quomodo in Concluſionibus. 57.
S. Triphonis Miſſa poteſt celebrari in Feſto S. Andreæ Avellini cum *Gloria*, etiamſi non ſit recitatum Officium. 29.
Triſagion Hymnus Angelicus, quo concluditur Præfatio: Sanctus ter, ejus antiquitas in Liturgiis. 65. quid de eo alternando in Miſſa S. Sixtus I. Papa. *ibidem*. partim ab Angelis, partim a quibus, *ib*. in Miſſis etiam Defunctorum, a quo. *ib*. ex Inſtituto S. Sabbæ a Latinis cantatur græce in Paraſceve. 272.
Trium Puerorum Antiphona cum Cantico, & Pſalmo, dicenda poſt Miſſam, non ligat ſub pœna excommunicationis. 179. Ritus dicendi. 180. cur Canticum omittatur in Sabbato 4. Temporum Pentecoſtes poſt quintam lectionem. 304.
Tumulus, Feretrum, Lectica Mortuorum, Caſtrum doloris, idem, quomodo, & quo loco parandus. 183.
Tunicella quid, *Subtile* olim appellata, & cur. 78. quando Subdiaconis data. *ib*. *Subucula* etiam dicta, & cur. *ibid*. quid ſignificet. *ib*. cum Amictu, & Cingulo geſtanda. *ib*. quibus in ſacris functionibus ea utendum. *ib*. loco ejus, quando Planeta plicata eſt adhibenda. *ib*. cur induitur ab Epiſcopo, Doctrinam Chriſti inconſutilem ſignificat. 94. quæ in Epiſcopo non videtur, virtutes intimas, & proprias Epiſcopi. 95.
Tunicella Diaconalis, qualis. 208.
Turris geſtatoria V. *Pyxis*.

V

VAlor Miſſæ ex parte Sacrificii, & ex parte Celebrantis. 353.
Vaſculum, Vas Myſticum. V. *Calix*.
Vas Hoſtiarum, quale. 350.
Vas pro abſtergendis Calicibus, & lavandis Corporalibus qualis forma. 350.
Vaſa Sacra, dicti ſunt Calix, & Patena. 86. non licuit Subdiaconis ea tangere, & quando illis conceſſum. *ib*. & 87. Chriſmate conſecranda. *ib*. non omnibus licet Vaſa Sacra tangere. *ib*. Lectoribus quandoque in Eccleſia Romana *ib*. eorum forma. 350.
Velare Caput indicium ſervitutis, & ſubjectionis. 99.
Velum, quo Calix tegebatur, olim ex linn. 86. *Peplum*, *Sudarium*, & *Aer* dictum, & quid. *ib*. nunc ſericeum ſtatutum. *ib*. non plicandum a Celebrante, ſed a Miniſtro, ubi ponendum. *ib*. quando Celebrans poſſit illud plicare ſuis manibus. *ib*. ejus forma. 350.
Velum Pixidis, quale. 350.
Velum pro deferenda SS. Euchariſtia, ejus forma. 350.
Velum, quo Imagines, & Cruces velantur tempore Paſſionis, debet eſſe violaceum. 247. neque removendum in Feſtis, etiam Titularis, & Patroni occurrentibus. 248. uſus Capellæ Pontificiæ ubi Crux ad Miſſam ſolemnem in Miſſa Feriæ V, in Cœna Domini tegitur velo albo, violaceo tamen in aliis Eccleſiis. *ibid*.
Velum cur trina Elevatione auferatur a Cruce Fer. VI. in Paraſceve. 272.
Velum humerale pro Subdiacono. 141. ejus forma. 350.
Velum pendens e Cruce Regularium in Proceſſionibus, & e baculo Abbatiali cur. 77. ſupra Caput Mulieris quid. *ibid*.
*Veni Sancte Spiritus* Sequentia Miſſæ diei Pentecoſtes licet antiquiſſima, nuper Romæ introducta. 309. adſcribitur Roberto Galliæ Regi, & Hermanno Contracto ſed probabilius Innoc. Papæ III, & ab eodem Miſſali inſerta putatur. *ib*. & 58.
Verba enuntiativa in Rubricis ſunt imperativa. 215.
Vermes ſi ex Euchariſtia generentur, quid. 213.
Veſperæ una cum Miſſa cur in Sabbato Sancto. 296.
Veſtes Sacerdotales, cur. 74. quibus Veſtibus primis temporibus Miſſa agebatur. *ibid*. S. Clemens uſum decrevit, & ſanctam, & honeſtam veſtem S. Stephanus Papa. *ibid*. in qua veſte Chriſtus Euchariſtiam inſtituit. *ibid*. de earum coloribus. V. *Colores*. De illarum Benedictione. Vide *Benedictio Veſtium Sacerdotalium*, quæ omnino ſint neceſſariæ. 93. An ſine illis poſſit unquam celebrari. *ibid*.
Veſtis pro Miſſa celebranda talaris eſſe debet. 89. in peregrinis, & ruſticanis brevior ad medium cruris toleranda. *ibid*. Veſtis, & tonſura ſunt ſibi correlativa. *ibid*. Talaris dicta Caracalla. *ibid*.
Veſtes Sacræ in celebratione Miſſæ an primitus in Eccleſia adhibitæ. 11.
Veſtium Epiſcopalium, & Sacerdotalium ſignificationes Allegoricæ, & Anagogicæ. 94. & 95. Tropologicæ. 95.
Veſtes Altaris quid. 81.
Veſtes Chriſti coloris violacei. 76.
Veſtes Clericorum olim coloris violacei. 76. quando in nigrum immutatæ a Monachis. *ibid*.
Veſtes Cæremoniariorum Eccleſiarum Cathedralium violacei coloris. 76.
Veſtes Caudatariorum Sanctæ Rom. Eccl. Card. violacei coloris. 76.
Viaticum. V. *Ara lapidea*.
Vicarius Generalis, non competit ei celebrare cum duobus Miniſtris, neque cum quatuor candelis accenſis. 81. & 98. etiamſi ſit Prothonotarius. 108. neque oſculari Evangelium in Miſſa. 123. niſi ſit Epiſcopus, Decretum. 125. ei non licet benedictionem dare Concionatori antequam Pulpitum aſcendat. 130. in thurificatione, & aliis niſi Canonici ſint parati, attendenda conſuetudo. 146. parati aſſiſtentes Epiſcopo præcedunt Vicarium Generalem. *ibid*. in Vicario, & Canonicis attendenda conſuetudo in accipiendis Cineribus, palmis, &c. in thurificatione. 245. Epiſcopales functiones in Eccleſia abſente Epiſcopo illi non competunt. 315.
Vicario Apoſt. non defertur Evangelium ad oſculandum. 123.
Vicarii perpetui tenentur diebus Feſtis & Dominicis applicare Sacrificium pro ovibus ſuis. 223.
S. Victor Papa Decretum edidit de Paſchate celebrando in Dominica poſt Lunam XIV. primi Menſis. 304.
Victorianus Voconius Mauritaniæ Epiſc. an fuerit Scholaſticus, cui *Canon* Miſſæ tribuitur. 67.
Vigiliæ dies mœroris. 59. Vigiliæ. Unde cœperunt. 325. tota nocte ante Feſta quædam vigilabatur, & cur nocturnæ interdictæ fuerint, retento Vigiliarum nomine. *ibid*. cur indictæ. *ibid*. a SS. Ambroſio, & Auguſtino non fuerunt interdictæ. *ibid*. alicubi ante Dominicam totius anni celebratæ. *ibid*. improbatæ a Vigilantio, & cur. *ib*. S. Leo Papa I. obſervantiam earum inculcat. *ibid*. interventum fœminarum interdictum a Conc. Eliberitano *ibid*.
Vigilia, vel Feria majori occurrente infra aliquam Octavam, vel in Octava quid in Miſſa. 31.
Vigiliæ in Adventu occurrentis, Miſſæ Ritus, & ordo. 31. & cur Evangelium Vigiliæ non legatur in fine Miſſæ. *ibid*. ſi in Quadrageſima, & Quat. Temporibus. *ibidem*. tempore Paſchali non dicitur Miſſa de Vigilia, niſi Aſcenſionis. *ibid*. Decreta pertinentia ad Vigilias Feſtorum. *ibid*.
Vigiliæ habentes rationem Feſti duplicis, quæ. 54.
Vigiliæ infra aliquam Octavam, circa *Credo* in Miſſa. 63.
Vigilia S. Andreæ in Adventu currente in Feſto duplici translato, quid circa Evangelium in fine Miſſæ. 227.
Vigilia SS. Apoſtolorum infra Octavam Corporis Chriſti Miſſæ Ritus. 30.
Vigilia Aſcenſionis ſine Jejunio. 308. ſi occurrat Feſtum Patroni principalis loci, vel Titularis, quid in Miſſa. *ibid*. ſi Feſtum 9. Lectionum, vel dies Octava, quid. *ibid*. ſi occurrat, in Cathedralibus, & Collegiatis tres Miſſæ cantandæ, & quo Ritu. *ibid*. ſi dies Octavæ, quomodo. *ibid*. ſi Feſtum ſimplex, quid. *ibid*.
Vigilia Aſſumptionis ſi exigatur Miſſa votiva S. Laurentii quomodo. 36. ſi in Sabbatum incidat, quomodo Miſſa votiva de B. V. dicenda. 38.

Vi-

Digitized by Google

Vigilia Epiphaniæ non jejunatur, & cur. 235. eſt privilegiata, & æquiparatur Dominicis. 238. ſi occurrat Feſtum primæ Claſſis, quid in Miſſa. *ib.* an duæ Miſſæ cantandæ, & quomodo. *ibid.* ſi infra aliquam Octavam conceſſam ex privilegio, quid de Miſſa Conventuali. *ibid.* non poſſunt dici Miſsæ votivæ, neque Defunctorum. *ib.*

Vigilia S. Joannis Baptiſtæ infra Octavam Corporis Chriſti, Miſsæ Ritus. 29

Vigilia Nativitatis Domini celebranda cum jejunio, ab antiquiſſimis temporibus. 232. non habet *Alleluja*, niſi venerit in Dominica, ejus Ritus in Miſsa. 231. Fuſius. 232. ſi venerit in Dominica quarta Adventus, quid in Miſsa. *ib.*

Vigilia Paſchæ plena lætitiæ. 59. V. *Sabbatum Sanctum*.

Vigilia Pentecoſtes habet Jejunium de præcepto ex conſuetudine. 303. an olim jejunaretur, & a quo tempore cœperit Jejunium. 308. Officium fit ſicut in Sabbato Sancto. *ib.* Benedictio Fontis, & Baptiſmus celebratur, ſolemniter, & cur. 303. Miſsa quomodo. *ib.*

Vigilia S.Th. Apoſt. ſi in Quatuor Temporibus. 231.

Vinum ad conſecrandum naturale, & ex vite debet eſse. 204. alii liquores ex granis, fæcibus vini, ex fructibus, e aqua & melle decocti non ſunt apta materia. *ib.* neque ex uvis acerbis. *ib.* corruptis, ſeu decoctis, vel ſiccatis *ib.* aqua nimia permixtum, conditum, & decoctum, nec liquor nondum expreſſus ex uvis. *ib.* Vinum ex aqua miraculoſum eſt apta materia. *ib.* vinum congelatum conſecratur valide, ſed non licite. *ib.* ſi congeletur quid. *ib.* ſi incipit aceſcere, vel corrumpi, quid. *ib.* Muſtum recens expreſſum, ex neceſſitate tantum conceſſum. *ib.* aqua cum vino miſcenda ex præcepto Eccleſiæ tantum. *ibid.* quid Concilium ſuper hoc definierit. *ib.* Armeni ſolum vinum adhibent, eoſque damnat Eccleſia. 205. Aquarii hæretici ſolam aquam adhibebant. *ib.* modica debet eſſe, vel quanta. *ib.* ex Sacris Eccleſiæ Sanctionibus. *ibid.* an album, vel rubeum potius ſit adhibendum. *ib.* quid ſi advertatur aut vinum, aut aquam, non eſſe in Calice ante conſecrationem, vel poſt, aut poſt ſumptionem Calicis vinum non eſſe, quid. *ib.* a Diacono quomodo in Calicem infundendum. 206. in Purificatione vino utendum eſt, & aqua in quantiaate. 163.

Violaceus color quando. V. *Color*.

Violatio Eccleſiæ ſi ſequatur ante Canonem ,! Miſsa dimittenda, ſecus ſi poſt. 212.

Virga Paſtoralis. V. *Baculus*.

Viridis color. V. *Color*.

Vitrea vaſa quomodo purganda. 351.

Umbella ſerica Alba elevanda ſupra Caput celebrantis dum procedit ab Altari ad Baldachinum deferens SS. Sacramentum. 276. 316, & alibi.

Umbella ſuper Altare qualis formæ. 350.

Umbella alia quæ defertur ſuper Euchariſtiam in Proceſſionibus. 350.

Umbellarum variæ formæ. 350.

*Unde & memores* tribuitur S. Alexandro Papæ. 156. ab Apoſtolis potius derivata cenſentur, & Alexandri Decreto roborata. *ib.*

Voce clara, quæ dicenda in Miſsa. 72.

Vomitus. Si Species Euchariſticæ evomantur, quid. 213. poteſt procurari, ſi ſpecies venenatæ cenſentur. *ib.*

Votiva Miſsa. V. *Miſſa Votiva*.

Votivum quid. 31.

Vox, in Miſsa celebranda, quomodo eam modulari debet Celebrans. 72. multa quæ in privata dicuntur alta voce, in ſolemni ſubmiſsa dicenda. *ib.*

Urbanus Papa I. Calices argenteos, & aureos inſtituit. 86.

Urbanos Papa II. Præfationem de B.V.M. addidit. 65. primus Mitram Abbatibus conceſſit. 94. Officium B. V. in Sabbato juſſit. 35.

Urbanus Papa IV. Solemnitatem Corporis Chriſti ubique celebrandam indixit. 309.

Urbanus Papa VI. decrevifse Symbolum recitandum in Feſtis quatuor Doctorum Latinorum dicitur. 61.

Urbanns Papa VIII. omnes Octavas interdixit a die 17. Dec. uſque ad Epiphaniam. 238. multa Decreta ſub eo emanata ſuper celebratione Miſsarum. 217. a Regularibus bis in anno legenda. 321.

Urceoli quomodo, & quando mundandi. 351.

X

Ximenes Franciſcus Card. Officium Mozarabicum inſtanrat Toleti. 17. multa ex antiquo Miſsali expungit, plura addidit; ac in Sacello majoris Eccleſiæ, ac quinque Parœciis Ritum illum ſervari curavit. *ib.*

Y

Zacharias Papa ne velato capite Sacerdotes adſtent Altari juſſit. 99.

Zephyrinus Papa Calices vitreos decrevit. 86.

Zona. V. *Cingulum*.

Zoſimus Papa conſtituit, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linoſtimis. 92. uſum Cerei Paſchalis ſingulis Parochiis conceſſit, ſed auctor Benedictionis non fuit. 287.

*F I N I S.*

# THESAURUS
## SACRORUM RITUUM

*AUCTORE REV. PATRE*

## D. BARTHOLOMÆO GAVANTO

CONGR. CLER. REG. S. PAULI, S. R. CONGR. CONSULTORE &c.

*CUM NOVIS OBSERVATIONIBUS, ET ADDITIONIBUS*

## R·P·D· CAJETANI-MARIÆ MERATI

*Clerici Regularis, ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Conſultoris.*

EDITIO NOVISSIMA,

*CETERIS OMNIBUS CORRECTIOR, ET LOCUPLETIOR;*

Cui, præter quadringenta circiter alia Decreta, quæ ſive ante, ſive poſt editam a MERATO ſeriem uſque in præſens ab eadem Sac. Rit. Congregatione emanarunt, addita ſunt ex ipſomet GAVANTO

PRAXIS DIOECESANÆ SYNODI, ET VISITATIONIS EPISCOPALIS, ET MANUALE EPISCOPORUM, brevibus notis illuſtrata.

## TOMUS SECUNDUS

Complectens omnia GAVANTI Commentaria IN RUBRICAS BREVIARII ROMANI.



VENETIIS, MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA ZERLETTIANA,

Superioribus Annuentibus.

# PRÆFATIO GAVANTI
## AD CANDIDUM LECTOREM.

BReviarii Romani Leges, & Rubricas, neminem adhuc legi, qui plene explicaverit: nonnullas attigit in ſuo Cæremoniali, Hiſpano Petrus Ruiz; ſed earum aliquot in prima recognitione Breviarii merito mutatis, redditus eſt fere inutilis ejuſdem laudabilis labor; antiquiores alii, qui de Horis Canonicis ſcripſerunt, quam pauciſſimas ſunt perſecuti; earum, formam cum cauſis myſticis indicarunt, præterea nihil. Plurimæ poſt Concilium Tridentinum additæ fuerunt Rubricæ, quæ Commentariis egent, & notis. Poſt horum Commentariorum editionem primam ſcripſit in eaſdem Breviarii Rubricas, Thomas Alvarez Luſitanus non contemnendum Opuſculum. In quo tamen abundat ille ſæpius in ſenſu ſuo, præter legitimum Rubricarum ſenſum, quem in Urbana Breviarii recognitione diligentius examinavere Delegati, ut ſuis locis ſignificabo. Itaque collegi in hoc altero volumine Rubricas omnes, quæ ad Horas Canonicas attinent: demonſtrata, ut in priori volumine, cujuſque Ritus origine, cauſa, obligatione, praxi, & uſu proprio de majorum auctoritate, Decretiſque Sacræ Rituum Congregationis rite, & opportune additis: diverſa tamen methodo a ſuperiori volumine, non textui Rubricarum mordicus inhærens, ſed ea omnia, quæ ad Breviarium Romanum attinere, ſeu in Breviario contineri videbantur, in decem Sectiones, & centum Capita dividens: quibus non modo univerſæ Eccleſiæ, cui labor meus deſervire potiſſimum debet; verum etiam particularibus Eccleſiis, in iis, quæ earum ſunt propria, fiat abunde ſatis: moneo Lectorem, quod pro dignoſcenda horum quoque Rituum antiquitate recurrendum erit ad primos prioris voluminis Indices: proprios autem dabunt Indices proximæ, quæ ſequuntur, paginæ. Vale, & Auctorem ſalutis ora pro ſalute Auctoris.

# PRÆFATIO AUCTORIS
## NOVARUM OBSERVATIONUM.
### ET ADDITIONUM
### AD GAVANTI COMMENTARIA.

*Benevolo Lectori*,

SI poſt breve Gavanti ad Lectores monitum, in quo de hujus ſecundi Tomi, Operiſque ſui conditione, atque utilitate docte ille, eleganterque prælocutus eſt, longiori Præfatione, Lector benevole, te onerarem, otio meo ac patientia tua abuti viderer. Paucis igitur te expediam, niſi is ſis, cui etiam pauca moleſtiam afferant. His Gavanti Commentariis, Rubricarum Breviarii Romani Textus, quos ille prætermiſit, nos ſuis locis addendos exiſtimavimus: congruum quippe viſum fuit, & Rubricas ipſas, & earumdem Rubricarum explanationes Lectorum oculis una ſubjicere; quamquam non eum hiç ordinem ſint habituræ, quem habent in fronte Breviarii: ſervatam etenim a Gavanto methodum invertere non debuimus, quod incommodum vitari non poterat, ſi nativam Rubricarum diſpoſitionem ſequi placuiſſet. In noſtris Obſervationibus præclariſſimi Auctoris veſtigiis, quantum licuit, adhæſimus, ejus placita pro virili noſtra deſendimus, & ab eo nuſquam, niſi vi veritatis adacti, receſſimus. Cum id faciendum fuit, libere quidem, ſed non petulanter, eſt factum. Veritas ſiquidem fidenter loqui debet, at etiam modeſte. In eruendis Sacrorum Rituum antiquitatibus, in perſcrutanda ipſorum origine, in explicandis Rubricarum Legibus prolixiores Gavanto ſæpe fuimus, non quod illo etiam doctiores ſimus; ſed quod major nobis, quam illi lux, & copia documentorum affulſerit; nempe Gavanti ævo nondum nati erant Bona, Thomaſius, Menardus, Mabillonius, Acherius, Martene, Fronto Guyetus, Grançolas, Biſſus, Bonartius, Caracciolus, Magius, Perſicus, Halden, Lohner, &c. quorum ſummis laboribus factum eſt, ut tot tantaque nunc habeamus monumenta Rubricis, & Breviarii Ritibus illuſtrandis aptiſſima: Si tam præclara opera Gavanti ætas dediſſet, qualem, Deus Bone, Sacrorum Rituum Theſaurum nobis vir peritiſſimus reliquiſſet! Fecimus ergo, quod ille haud dubie facturus erat, dum in ejus Theſaurum tam pretioſas merces invehimus; etſi (quod ingenue fatendum eſt) non ea doctrinæ copia, non eo eruditionis delectu facimus quod ipſe feciſſet. Vale.

# INDEX SECTIONUM, ET CAPITUM TOMI SECUNDI.

## SECTIO PRIMA,

*De Horis Canonicis in genere,*

DE nomine Officii, & Horarum Canonicarum. Cap. I. Pag. 7.
De origine Officii Divini. II. 7
De partibus Officii Divini, & Horarum. III. 8
De obligatione Officii Divini. IV. 8
De defectibus in Officio Divino contingentibus. V. 8
De omiſſione Officii Divini. Tit. I. 8
De mutatione Officii Divini. II. 9
De intentione Officii Divini. III. 11
De attentione Officii Divini. IV. 11
De prolatione Officii Divini. V. 11
De tempore Officii Divini. VI. 11
De loco Divini Officii. VII. 11
De ordine Divini Officii. VIII. 12
De interruptione Divini Officii. IX. 12
De pœnis circa Divinum Officium. Cap. VI. 12

## SECTIO SECUNDA.

*De Præludiis Breviarii Romani.*

DE Titulo Breviarii Romani. Cap. I. 12
De Bulla Pii V. & de uſu Breviarii Romani. II. 15
De Bullis Clementis VIII. & Urbani VIII. III. 18
De Computo Eccleſiaſtico. IV. 18
De Kalendario. V. 20

## SECTIO TERTIA.

*De Rubricis.*

DE Rubricis generalibus Horarum Canonicarum. I. 21
De duplici Officio. II. 22
De Semiduplici. III. 23
De Simplici. IV. 24
De Dominica. V. 26
De Feria. VI. 28
De Vigilia. VII. 29
De Octava. VIII. 31
De Concurrentia Officii. IX. 39
De occurrentia Officii, ſeu de tranſlatione Feſtorum. X. 42
De Commemorationibus. XI. 51
De Patrono loci, ſeu Titulo Eccleſiæ. XII. 57

## SECTIO QUARTA.

*De proprio Ritu ſingularum Horarum.*

DE Matutino. I. 62
De Laudibus. II. 63
De Prima. III. 65
De Horis Tertia, Sexta, Nona. IV. 67
De Veſperis. V. 67
De Completorio. VI. 69

## SECTIO QUINTA.

*De Partium, hoc eſt Horarum Partibus.*

DE Oratione Dominica. I. 71
De Salutatione Angelica. II. 72
De Symbolo Apoſtolorum. III. 73
De Initio Horarum. IV. 74
De Invitatorio. V. 76
De Hymnis. VI. 77
De Antiphonis. VII. 81
De Pſalmis. VIII. 86
De Canticis. IX. 90
De Verſibus. X. 91
De Abſolutionibus, & Benedictionibus. XI. 91
De Lectionibus. XII. 94
De Reſponſoriis. XIII. 99
De Reſponſoriis brevibus Horarum. XIV. 101
De Capitulis. XV. 102
De Oratione. XVI. 103
De Precibus, & Confeſſione. XVII. 104
De Commemorat. & Suffragiis SS. communibus. XVIII. 106
De Hymno Te Deum. XIX. 109
De Symbolo S. Athanaſii. XX. 112



De Martyrologio, XXI. 117
De fine Officii, & Antiphonis finalibus B. V. XXII. 122

## SECTIO SEXTA.

*De Proprio de Tempore.*

DE Adventu. I. 124
De Antiphonis majoribus Adventus. II. 124
De Dominica quarta Adventus. III. 125
De Vigilia Nativitatis Domini. IV. 125
De Natali Domini. V. 126
De Feſtis infra Octavam Nativitatis Domini. VI. 126
De Epiphania Domini. VII. 128
De Dominicis poſt Octavam Epiphaniæ. VIII. 128
De Septuageſima, & Dominicis ſequentibus. IX. 131
De Feria IV. Cinerum. X. 131
De Dominicis Quadrageſimæ. XI. 131
De Dominica Paſſionis. XII. 132
De Dominica Palmarum, & Hebdomada majori. XIII. 133
De Paſchate, & ejuſdem Octava. XIV. 136
De Tempore Paſchali. XV. 136
De Litaniis majoribus, & minoribus. XVI. 137
De Feſto Aſcenſionis Domini. XVII. 139
De Pentecoſte. XVIII. 141
De Dominica Trinitatis. XIX. 142
De Feſto Corporis Chriſti. XX. 143
De Dominicis poſt Pentec. XXI. 143

## SECTIO SEPTIMA.

*De Proprio Sanctorum.*

DE Vigiliis, Feſtis, & Octavis Sanctorum. I. 144
De Feſtis SS. Menſe Decembri. II. 145
De Feſtis SS. Menſe Januario. III. 147
De Feſtis SS. Menſe Februario. IV. 148
De Feſtis SS. Menſe Martio. V. 150
De Feſtis SS. Menſe Aprili. VI. 150
De Feſtis SS. Menſe Majo. VII. 151
De Feſtis SS. Menſe Junio. VIII. 153
De Feſtis SS. Menſe Julio. IX. 155
De Feſtis SS. Menſe Auguſto. X. 156
De Feſtis SS. Menſe Septembri. XI. 158
De Feſtis SS. Menſe Octobri. XII. 160
De Feſtis SS. Menſe Novembri. XIII. 162

## SECTIO OCTAVA.

*De Communi Sanctorum.*

DE Communi Apoſtolorum. I. 165
De Communi Martyrum. II. 165
De Communi Confeſſorum. III. 166
De Communi Virginum, & non Virginum. IV. 167
De Communi Dedicationis Eccleſiæ. V. 167
De Officio B. V. in Sabbato. VI. 173

## SECTIO NONA.

*De Appendicibus Breviarii.*

DE Officio parvo B. V. M. I. 174
De Officio Defunctorum. II. 175
De Pſalmis Gradualibus. III. 179
De Pſalmis Pœnitentialibus. IV. 181
De Ordine Commendationis Animæ. V. 181
De Benedictione Menſæ, & Itinerario Clericorum. VI. 182

## SECTIO DECIMA.

*De Cæremoniis ad Horas Canonicas adhibendis.*

DE Cæremoniis in privata Horarum Canonicarum recitatione. I. 183
De Cæremoniis Hor. Canon. in Choro recitandarum. II. 184
De Cæremoniis Horarum Canon. ſolemnius in Choro recitandarum. III. 185
Notula verborum in Breviario producendorum, vel corripiendorum. 190
Martyrologii nomina dubiæ pronunciationis ordine alphabetico. 191
Ordo perpetuus recitandi Divini Officii.

# INDEX RUBRICARUM

**Eo ordine, quo diſpoſitæ ſunt in fronte Breviarii Romani.**

*Poſterior numerus indicat paginam hujus Voluminis, in qua ſunt a nobis collocatæ.*


I. DE Officio duplici. *pag.* 22
II. De Officio ſemiduplici. 23
III. De Officio ſimplici. 24
IV. De Dominicis. 26
V. De Feriis. 28
VI. De Vigiliis. 29
VII. De Octavis. 31
VIII. De Offic. S. M. in Sabb. 173
IX. De Commemorationibus. 50
X. De Translatione Feſtorum. 41
XI. De Concurrentia Officii. 39
XII. De ordinando Officio ex prædictis Rubricis. 61
XIII. De Matutino. 61
XIV. De Laudibus. 63
XV. De Prima. 65
XVI. De Horis Tertia, Sexta, & Nona. 66
XVII. De Veſperis. 67
XVIII. De Completorio. 69
XIX. De Invitatorio. 76
XX. De Hymnis. 77
XXI. De Antiphonis. 81
XXII. De Pſalmis. 85
XXIII. De Canticis. 90
XXIV. De Verſibus. 91
XXV. De Abſolutionibus, & Benedictionibus. 91
XXVI. De Lectionibus. 92
XXVII. De Reſponſoriis poſt Lectiones. 99
XXVIII. De Reſponſoriis brevibus Horarum. 101
XXIX. De Capitulis. 101
XXX. De Oratione. 102
XXXI. De Hymno Te Deum. 109
XXXII. De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica. 71
XXXIII. De Symbolo Apoſtolorum, & Symbolo S. Athanaſii. 73
XXXIV. De Precibus. 104
XXXV. De Commemorationibus communibus, ſeu ſuffragiis Sanctorum. 105
XXXVI. De fine Officii, & Antiphonis finalibus Beatæ Mariæ. 122
XXXVII. De Officio parvo B. M. V. 174


COM-

Digitized by Google

# COMMENTARIA
# IN RUBRICAS
# breviarii ~~MISSALIS~~ ROMANI.

## SECTIO PRIMA.

### De Horis Canonicis in genere.

### GAVANTI TEXTUS.

AD pleniorem de Horis Canonicis tractationem, prænotanda putavimus ea breviſſime, quæ Theologi, Canoniſtæ, & Summiſtæ de Horis iiſdem docuere, hoc eſt, de nomine, Origine, Numero, Obligatione, Defectibus, & Pœnis ad Officium Divinum pertinentibus.

### SECTIONIS PRIMÆ CAPITA SEX.


1. *De Nomine Officii, & Horarum Canonicarum.*
2. *De origine Officii Divini.*
3. *De partibus Divini Officii, & Horarum numero.*
4. *De Obligatione Officii Divini.*
5. *De defectibus in Officio Divino contingentibus.*
6. *De pœnis circa Divinum Officium.*

TIT. 1. *De omiſſione Divini Officii.*
2. *De mutatione Officii Divini.*
3. *De intentione Divini Officii.*
4. *De attentione Divini Officii.*
5. *De prolatione Divini Officii.*
6. *De tempore Officii Divini.*
7. *De loco Divini Officii.*
8. *De Ordine Divini Officii.*
9. *De interruptione Divini Officii.*


### De nomine Officii, & Horarum Canonicarum. Cap. I.

### GAVANTUS.

1. OFficium eſt quaſi efficium *ſecundum Hieronym. in lib. de Officiis*: unicuique enim convenit ſuum efficere Officium: vel *ſecundum Iſidorum*, ut quiſque illa agat, quæ nulli officiant: vel *ſecundum eumdem*, eſt proprius, & congruus actus cujuſque perſonæ ſecundum mores Civitatis, vel inſtitutæ profeſſionis. *Divinum* dicitur, quia eſt proprius actus eorum, qui Deo ſunt dicati.

2. *Horæ* dictæ ſunt, vel ab orando, nam ora idem videtur eſſe, ac hora, cum aſpiratione, Deum, vel melius quia definitis horis ex inſtituto Eccleſiæ recitantur. *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 1. qu. 2.*

3. *Canonicæ* appellantur, ideſt Regulares, quia juxta Regulam Eccleſiaſticam. Alii dixerunt, quia Canonicorum Choro addictorum ſunt preces: *Azor. ubi ſupra*. Alii quia Canonicum, & Eccleſiaſticum ſunt idem, quod probat *Steph. Duranti lib. 3. de Ritibus cap. 1.*

4. Horæ Canonicæ dictæ ſunt aliquando, *Curſus*, ut in vita S. Germani Epiſcopi Pariſienſis ſcribit Fortunatus Pictavorum Epiſcopus *cap. 74. & 79.* apud Sur. *tom. 3.*

### De origine Officii Divini. Cap. II.

### GAVANTUS.

1. APoſtoli eb Hebræis eccepere horas orandi, & hora Tertia erant orantes in Pentecoſte. *Act. 2.* hora Sexta Petrus orabat. *Act. 10.* ad horam Nonam eſcenderunt in Templum Petrus, & Joannes. *Act. 3.* media nocte orabant Paulus, & Silas. *Act. 16.* quare eaſdem horas præſcripſere Fidelibus, *Ex Clement. lib. 8. Conſtit. Cap. 40.* Non ergo Pelagius I. ut ait *Maurolicus in Martyrolog. 27. Auguſti*, neque Pelagius II, *ut voluit Polidor. Virgil. lib. 6. de invent. rerum cap. 2.* neque Damaſus, *ex Pontificali cap. 39. in ejus vita*, dicendi ſunt auctores, ſed ii, vel formulas Officii Decretis firmaverunt, vel Ritus amplificaverunt.

2. Certe Gelaſius I. & duo Gregorii I. & VII. formulæ Officii, qua nunc utimur, dicuntur Conſtitutores, & Reformatores a Pio V. *in Bulla ſua, initio Breviarii edita*, & non alii.

3. Præterea certum eſt, non eodem tempore Horas omnes inſtitutas fuiſſe. Nam Primam, & Completorium ultimo fuiſſe additas docet *Radulphus Tungrenſis prop. 14.* & nos dicemus, cum de ſingulis Horis agemus *Sectione quarta*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gavant. num. 1. -- *Apoſtoli ab Hebræis, &c.*) Oliverius Bonartius in ſuo Tractatu de Horis Canonicis *lib. 1. cap. 2*, oſtendit fuſe hanc veritatem, nimirum Apoſtolos ab Hebræis accepiſſe horas orandi; & adeo certum eſſe adſtruit precationum Canonicarum adumbrationem in veteri Teſtamento præceſſiſſe, ut etiam Calvinus ipſe quamvis Catholicorum Dogmatum infenſiſſimus hoſtis hanc veritatem fateri cogatur in ſuis Commentariis *ad cap. 3. Actor. Apoſtolic.* Et equidem ex Sacris Paginis aperte colligitur Prophetas, & alios veræ Religionis cultores præter matutinum, & veſpertinum tempus impendiſſe horam Tertiam, Sextam, & Nonam in precibus Deo fundendis. Laudatus Bonartius *cap. 3.* procedit ad comprobandam originem noſtrarum horarum Canonicarum ab Apoſtolis repetendam eſſe, & cenſet cum aliis prima fundamenta horariarum precationum jacta fuiſſe in ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, ſtatim ab Aſcenſu Chriſti in Cœlum illo die, quo ingreſſi in Cœnaculum præfati Chriſti Diſcipuli perſeveraverunt unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre JESU, & fratribus ejus; contenditque idem Auctor orationem hujuſmodi fuiſſe non pure mentalem, ſed & vocalem. Denique luculentis SS. PP. auctoritatibus oſtendit in Eccleſia morem Pſalmos, & Hymnos recitandi, non aliunde, quam a Chriſto Domino, & ab Apoſtolis ad noſtra uſque tempora perveniſſe. Divinam Pſalmodiam ab ortu Eccleſiæ, & deinceps temporum ſerie ſervatam oſtendit pariter priſcorum PP. auctoritatibus more ſuo doctiſſimus Card. Bona in ſuo Tractatu Divinæ Pſalmodiæ *cap. 1. §. 4.*

### De partibus Divini Officii, & Horarum numero. Cap. III.

### GAVANTUS.

1. SEptem horæ ſunt, vel octo, de quibus forte mandatum accipis, ut des illis partem, *Eccl. 11.* Communior eſt opinio ſeptem eſſe, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium, ita *in Concilio Cabillon. 2. Can. 59.* juxta illud *Pſalm. 118.* Septies in die laudem dixi tibi, *Fuſe Azor. cap. 1. qu. 2.*

2. Qui volunt eſſe octo, dividunt Laudes a Matutino, & deducunt ab Eſdra *lib. 2. cap. 9.* Qui quater in nocte, & quater in die juſſit laudari Deum, *leg. Navarr. de Orat. cap. 3.*

3. Romæ nullum fuit interſtitium inter Matutinum, & Laudes, ut teſtatur *Amalar. in prolog. de ord. Antiphonarii.*

4. Ordo Horarum patet *ex citato Concilio Cabil.* quamvis *Rabanus lib. 2. de inſtit. Cleric. cap. 3.* eaſdem numeret incipiens a Laudibus, quas vocat matutinas preces, & eas terminat in nocturnas Vigilias; ſed hæ certe, hoc ordine poſito, ſpectarent potius ad ſequentem, quam ad præcedentem diem.

5. Non caret myſteriis hic numerus Horarum ſeptenarius; & primo reſpectu creationis, ut agamus Deo gratias pro rebus creatis in ſeptem diebus. *Ita Caſſianus de inſtit. Mon.*

*lib.* 3. *cap.* 3. Secundo, Redemptionis noſtræ myſteria his horis operata fuere; nam media nocte natus eſt Chriſtus, & reſurrexit. Hora prima ductus ad Pilatum. Tertia linguis Judæorum in Crucem actus, flagellis cæſus, ſpinis coronatus. Sexta vero Cruci affixus. Nona expiravit, & ad Inferos deſcendit. Veſpertina de Cruce depoſitus eſt; eadem hora cœnavit, pedes lavit, Euchariſtiam confecit. Hora Completorii oravit in horto. Tertio, reſpectu noſtri, ſepties in die cadit juſtus. *Proverb.* 24. & nos ſepties orando reſurgimus. Quarto, numerus univerſitatis eſt ſeptenarius, *ex S. Gregorio Papa*, & in multis a Sanctis Patribus commendatur. Quinto, ſeptem aſſumit Dæmon nequiores ſpiritus contra nos, quæ ratio eſt *Mich. Timothei in ſpec. ordinandi* 3. *part. tract.* 6. *cap.* 4. ubi, & addit Sextam cauſam, ad ſeptiformem ſancti ſpiritus gratiam obtinendam. Denique ſeptem fuere partes Orationis Dominicæ, a Chriſto traditæ.

6. Adhuc in unaquaque hora ſeptem, vel octo particulæ numerantur *a Rupert. lib.* 1. *de Divin. Offic. cap.* 2. hoc eſt: Deus in adjutorium, Hymnus, Pſalmi, Antiphona, Capitulum, Reſponſorium breve, Oratio completiva. In Laudibus, autem, Veſperis, & Completorio, adduntur cantica Evangelica, quia, *inquit Rupert.* canuntur pro Octava, & ſpectant ad beatitudinem; de quibus, & nos dicemus infra *Sectione quarta.*

## De Obligatione Officii Divini. Cap. IV.

### *G A V A N T U S.*

1. NON eſſe juris Divini Officium Divinum, ſed tantum juris eſſe Canonici, communior eſt opinio. Vid. *Azor. cap. ult. quæſt. ult.*

2. Illud autem hodie eſt legitimum Officium Divinum, quod Pii V. juſſu eſt editum, Clem. VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognitum, & ad hoc tenentur, quicumque tenentur recitare Canonicas Horas, exceptis iis, qui ante ducentos annos alia uſi ſunt Officii Divini formula. Hæc *in Bulla Pii V. P.* plura inferius, ubi de Breviario Romano *Sect.* 2. *cap.* 2.

3. Tenentur autem ad Horas Canonicas recitandas primo Beneficiati, qui titulum habent Eccleſiaſtici beneficii; ſive ſit Beneficium tenue, & eſt communior opinio. *Navar. de orat. cap.* 7. *num.* 27. ſive ſit præſtimonium. *Idem cap.* 21. *num.* 9. & Pius V. in Bulla; ſive ſit commendatum. *Navarrus cap.* 20. *n.* 16. ſive ſit manuale, vel amovibile. *Azor. cap.* 4. *qu.* 2. ſive injuſte collatum. *Navarrus in Miſcellan.* 11. *de orat. ad finem*; Sive nondum percipiantur fructus, cum ſpe tamen percipiendi, *idem cap.* 7. *n.* 30. ſive fructus ſint reſervati alteri. *Azor. cap.* 4. *qu.* 5. ſive nunquam ſint percipiendi de conſenſu, vel ob culpam beneficiarii; *Azor. ibidem*, ſive titulum tantum habeant cum ſuffragio in Capitulo, *idem ibid.*

4. Non tenetur Coadjutor, ut Coadjutor, *Navar. cap.* 20. *num.* 17. neque penſionarius, *ibid. cap.* 7. *n.* 25.

5. Porro incipit in prædictis obligatio a die poſſeſſionis adeptæ (quam debent procurare citius, ne cum culpa differatur) ex conſuetudine Romanæ Curiæ; teſtante *Pariſien. lib.* 1. *de reſignat. benefic. quæſt.* 9. *n.* 15. immo ab Hora; quæ reſpondet Horæ in qua poſſeſſio capta eſt. *Bonac. loco mox citando punct.* 4. *n.* 10.

6. Qui plura habet Beneficia, ad unum Officium recitandum eſt tantummodo obligatus, *Palud.* 4. *diſt.* 25. *qu.* 5. *quem ſequuntur alii apud Bonac. diſp. de Hor. Canon.* 1. *qu.* 2. *punct.* 4. *num.* 27. qui addit *num.* 28. eum, qui duo habet beneficia, alterum juſte, injuſte alterum, teneri ad recitanda duo Officia. Vide ibi optimam cauſam.

7. Initiati Sacris Ordinibus tenentur ad Horas Canonicas ex præcepto S. Gregorii Papæ, ut docet *Cornel. Schulingius tom.* 1. *Biblioth. Eccleſ. part.* 1. *cap.* 24. ubi citat in hanc Hiſtoriam de S. Gregorii præcepto Hermannum Gigantem in flore temporum: Præcipitur iiſdem *in Concil. Baſileenſi cap. qualiter*, at ex ſola conſuetudine eos obligari vult *Navar. c.* 7. *n.* 2.

8. Si cenſuris innodati ſint, adhuc tenentur. *Sylv. V. Hora quæſt.* 3.

9. Incipit autem eorum obligatio, ſtatim ac ordinati ſunt Subdiaconi, ſcilicet ad eam horam, quæ in Choro tunc temporis dicenda eſſet. *Azor. lib.* 10. *cap.* 13. *quæſt.* 17. quod ſi anticipent, recitando Horas antequam initientur, adhuc iterum debent eaſdem recitare. *Bonacina loco citat. punct.* 5. *num.* 11.

10. Regulares quoque profeſſi, tam mares, quam fœminæ, Choro addicti, tenentur ad Horas Canonicas recitandas, *Navarr. cap.* 7. *num.* 21. ex conſuetudine ubique recepta, *ait Cajet. V. Horæ*. Si vero ejiciantur per ſententiam, aut ad triremes compellantur, non tenentur, *Sot. lib.* 10. *de juſt. qu.* 5. *art.* 3. *quem ſequitur Bonacin. diſput.* 1. *qu.* 2. *punct.* 3. *num.* 3. niſi ſint in ordine ſacro, *ibidem*. Volunt autem ejuſmodi reos teneri *Navarr. cap.* 9. *num.* 20. *Azor. cap.* 6. *qu.* 7. & alii, quibus conſentio.

11. Incipit in his obligatio ab hora, qua profeſſionem votorum ſolemnem emiſerunt, ut in ſimilibus dictum eſt ſupra *num.* 5. & 9.

Novæ Obſervationes, & Additiones, &c.

I. Gavant. n. 3. -- *Sive ſit beneficium tenue &c.*) Quamvis ſit communis ſententia Doctorum, præſertim Pontificii Juris, hujuſmodi Beneficiariis, poſſidentibus etiam tenue Beneficium, incumbere onus recitandi quotidie Horas Canonicas, nihilominus plures viri docti, & pii cenſent eum, qui Beneficium poſſidet, exiguos proventus annuos reddens, a recitatione Officii excuſari; ita inter primos tenuit Sotus *lib.* 10. *de Juſtitia qu.* 5. *n.* 3. cui adhæſit Petrus Aragonius 2. 2. *qu.* 83. *art.* 12. & alii recentiores, qui etiam plus requirunt, v. gr. quindecim, vel ſexdecim aureos annui redditus, itaut Beneficium ſuppeditet ſaltem bonam aliquam partem tenuis ſubſtentationis, ut ad quotidianum penſum horarum Beneficiarius obligetur. Oliverius Bonartius *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 11. admittit tamquam probabilem hanc ſententiam, ſed animadvertit, quod qui ſolum recipit ex Beneficio viginti quinque florenos, ſatisfaciet ſuo oneri Canonicum Officium Feſtis tantum, Dominicisque diebus legendo, quia ſumma illa non attingit quartam partem mediocris ſubſtentationis, ut quotidie Officium recitare teneatur, [illegible] Eccleſia recipit, æquum eſt, ut aliquod [illegible] Eccleſiæ reddat, additque, ſententiam Soti, & aliorum intelligendam eſſe de Beneficio, quod a principio fuit tenue, & modicum, non vero de illo, quod ab initio pingue, & opulentum, poſtea caſu aliquo ad tenuiores proventus redactum eſt. Numero vero 3. non admittit tamquam probabilem, neque tamquam practice ſecuram quorumdam Doctorum Sententiam, extendentium opinionem Soti ad Beneficiarium non habentem totam ſubſtentationem ex Beneficio; quia (ait ipſe) Beneficium non debet totum victum, & amictum Clerico ſuppeditare, cum lectio horarum vix duas horas dici requirat, ut commode adimpleatur.

II. Gavant. n. 4. -- *Neque Penſionarius &c.*) Certum eſt apud Theologos, & Canonum Doctores non obligari ad Officium Canonicum eos, qui ex Patrimonio Eccleſiæ alimenta capiunt per modum Penſionis etiam Titulo Clerici, ideſt ob Spirituale aliquod miniſterium. Verum quamvis Penſionarii ad Horas Canonicas legendas non teneantur, & ad nihil jure antiquo obligarentur, nova tamen Conſtitutione S. Pii V. tenentur dicere ad minus Officium B. M. V. alioquin fructus non faciunt ſuos, ſed ad eorumdem reſtitutionem, eadem cum Beneficiarii menſura, obſtringuntur: hac obligatione tenentur præſertim Penſionarii illi, quorum Penſio eſt Eccleſiaſtica, & Spiritualis, vel ſaltem media inter Eccleſiaſticam, & temporalem. Quod ſi ſit Penſio mere temporalis, non obligabit ea gaudentem ad quidquam recitandum.

## De defectibus in Officio Divino contingentibus. Cap. V.

### *G A V A N T U S.*

1. REvocari poſſunt defectus omnes in hac materia ad novem Titulos, nempe, omiſſionem, mutationem, intentionem, attentionem, prolationem, tempus, locum, ordinem Horarum, & interruptionem, de quibus hoc loco breviſſime, & quaſi per Aphoriſmos. Fuſius ad hæc ſtimulos addit, hoc eſt, rationes, & argumenta ad perfectum Hymnos diæ uſum, Anacletus Siccus noſtræ Congregationis in libro edito de Eccleſiaſtica Hymnodia, cantantibus in Choro valde utili, & prope neceſſario.

### *De Omiſſione. Tit. I.*

### *G A V A N T U S.*

1. QUotidiana recitandi Officii Divini obligatio cœpit Anno Domini 540. *ex Sigiberto in Chronicis*. Quare qui totum Officium unius diei omittit, etiam abſque contemptu, ſine juſta cauſa, per ſolam negligentiam, peccat lethaliter. *Navarr. cap.* 7. *num.* 1. & eſt communis; unumque eſt, ſed gravius, ſi unica voluntate omiſit totum, *ibid. num.* 6. at in Subdiacono, & Beneficiario ſimul eſt duplex peccatum, ob duas obligationes, Ordinis, & Beneficii, quod & in ſequentibus nota. *DD. apud Bonacin. loc. cit. qu.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. non autem, ſi plura habeat beneficia, ut diximus ſupra *cap.* 4. *num.* 6.

2. Idem dic de eo, qui omittit Horam integram, *Navarr. loc. cit. num.* 1.

3. Idem dic de eo, qui omittit Horæ partem notabilem. *Navarr. num.* 44. quam idem *ex S. Antonino* docet eſſe tertiam horæ partem *ibid.* Alii putant medietatem horæ parvæ *apud Bonac. loc. cit. n.* 2. cenſet *Joann. Petrus Moneta noſtri Ordinis de diſtribut. part.* 2. *qu.* 2. *n.* 33. decimam partem eſſe notabilem. Placet mitior *Leſſii & Bonacinæ* ſententia, Horam parvam integram tantum eſſe materiam peccati mortalis, & infra eam eſſe ita modicam quamcumque partem, ut Eccleſia non credatur ob eam facere velle reos ignis æterni.

4. Qui omittit Officium in primis ſex menſibus ab adepta poſſeſſione beneficii, licet non amittat fructus, peccat tamen;

Digitized by Google

men: Pius Quintus *in Bulla aperte, ex proximo Lateranenſi*.

5. Excuſatur primo ob infirmitatem corporis judicio Medici. *Navarr. cap.* 21. *n.* 16. & ſi res eſt adhuc dubia, accedat aſſenſus Superioris, *Sotus lib.* 10. *de inſtit. q.* 3. Neque tunc tenetur audire alium recitantem, *Navarr. cap.* 11. *n.* 6. quod intellige de impotentia ad totum officium, vel ad majorem partem ejuſdem, in quibus caſibus ad nihil tenetur; ſi vero poteſt recitare majorem partem, vel æqualem, excuſatur tantum a minori, vel æquali, quam non poteſt. *Sanchez in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 2. Secundo, cæcus excuſatur, ſi cum ſocio non poteſt recitare, quem non habet. *Navar. n.* 13. quod ſi bonam partem memoria teneat, eam recitet. *Num.* 15. Tertio, infirmus, qui non facile ſocium habet, eum quo poſſit ſine ſui præjudicio recitare. *Num.* 19. *idem Navarr.* Quarto, gravius occupatio excuſat, quæ omitti nequit, neque differri ſine aliorum offenſione; & ea eſt ad longum tempus, ut deſit tempus ad recitandum. *Navarr. num.* 34. Quinto, juſta occupatio in Choro, quærendi Pſalmos aliis, incenſandi, &c. *Sanctus Antonin. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 12. §. 3. *cum Navarr. cap.* 11. *num.* 36. Sexto, non excuſat autem peregrinatio ſuſceptâ legitime. *Navarrus n.* 33. neque ſtudium literarum, etiam ſi per ſubſtitutum ſerviatur Eccleſiæ. *Idem n.* 31. Septimo, ob carentiam Breviarii, etiam ex culpa, a qua etſi non excuſetur, tamen ab Officio excuſatur. *Azor c.* 13. *quæſt.* 16. An vero a toto, vel a parte excuſetur, eadem dicito, quæ ſupra de infirmo, & cæco. Octavo, ignorantia regularum Officii excuſat, licet peccet, qui ſuſcepit ordinem, vel beneficium cum hac ignorantia. *Navarr. n.* 20. niſi bona fide ſuſcipiat, ſe ſtatim cum alio recitaturum, *Azor. quæſt.* 18. Nono, metus mortis excuſat, ſi ab Hoſtibus Eccleſiæ periculum vitæ immineat. *Idem Azorius quæſt.* 19. Decimo, ſi abſolvatur a Papa, non tenetur recitare. *Navarr, cap,* 11. *n.* 31. ab Epiſcopo non poteſt abſolvi, *num.* 24. Poteſt autem religioſus, ut religioſus, non teneri, ex diſpenſatione Superioris, ut, ex cauſa ſtudiorum, vel alia juſta, quia poteſt ſuperior in legibus Religionis diſpenſare. *Leſſius cum Bonac, diſp.* 1. *quæſt.* 2. *n.* 9. Superiorem intellige ſupremum, *ait Bonacin.* Denique tenuitas beneficii non ultra octo ducatos, ex quadam æquitate, Confeſſarii prudentis arbitrio, excuſare poteſt a quotidiani Officii recitatione, dummodo diebus Feſtis recitetur. *Homobon. noſter, tract.* 4. *c.* 5. *quæſt.* 33. quod & concedunt alii, *apud Molphesium tract.* 5. *de hor. Can, c.* 3, *n.* 26. quando non excedit ſexdecim ducatos.

*De mutatione Officii Divini. Tit. II.*

*GAVANTUS.*

1. SAcra Rituum Congreg. reſpondit non eſſe relinquendum Officium debitum pro alio Officio devotionis; die 29. *Novemb.* 1603.

2. Epiſcopus Regularis debet Officium recitare juxta Ritum ſuæ Diœceſis, non regulæ, & occurrente Feſto regulæ in Feſto Diœceſis, hoc præferri debet, ita cenſuit Sacra Rituum Congreg. 11. *Junii* 1605.

3. Capellani Epiſcopi, qui cum eo recitant Officium, debent ſe illi conformare. Eadem Congregat. *die eadem*.

4. Qui ſunt de gremio Eccleſiæ, debent recitare Officium, quod in Choro dicitur, & licet extra Eccleſiam, vel Diœceſim morentur, decet eos recitare Officium proprium Eccleſiæ ipſorum. Eadem Congreg. *die* 8. *Septemb.* 1602.

5. Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, & ejuſdem ſervitio, non tamen obligati Choro, & quicumque alii Clerici ſæculares, Regulareſve in Civitate, vel Diœceſi commorantes, non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœceſis, vel quæ de conſuetudine in eadem Eccleſia recitantur in Choro. Eadem Sacra Congregat. *die qua ſupra* 8. *Septembr.*

6. Feſtum Patroni principalis loci tenentur omnes cum Officio de eodem, etiam Regulares, celebrare; non autem octavam Regulares; ut cenſuit ſæpius eadem Sacra Congreg. & poſtremo 27. *Maji* 1628.

7. His caſibus exceptis, & aliis, qui habentur aperte in Rubricis, ſeu Decretis Sacræ Congregat. de quibus nos infra ſuis locis; non licet mutare Officium unius diei in Breviario Romano præſcriptum in Officium alterius diei, & qui mutat, præcepto non ſatisfacit. *DD. apud Bonacin. quæſt.* 3. *punct.* 1. *n.* 17. *& fuſius probat Hieron. Onuphrius in aureo hac de re opuſculo Bononiæ edito; quod ne unquam pereat dabimus in calce hujus Voluminis*: tum quia Pius V. in Bulla non modo præcipit ſubſtantiam, ſed etiam modum, & formam Horarum Canon. tum quia motus ille fuit, graviſſime ferens varietatem orandi, & *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *c.* 23. *n.* 12. *&* 14. ita improbat mutationem, ut ſi fiat ſine cauſa rationabili, improbabilem eam eſſe mutationem prorſus exiſtimet. Addit *Bonac. n.* 19. neque Epiſcopum poſſe hanc præſcribere mutationem: quod intellige cum *Suar. loc. cit. c.* 11. *n.* 6. *& c.* 23. *n.* 17. ſi ab Epiſcopo id fiat ex lege, aut quaſi permanenter, quod ait, ad Papam ſpectare. Quod ſi mutatio fiat, etiam ex inadvertentia, debent omiſſa ſuppleri. *Tolet. in ſum. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 6. *& Bonac. n.* 8. *loc. cit.* Quare in hac re non audiendus *Sylv. V. Hora, quæſt.* 12. qui ante Pium Quintum vixit, neque *Navarr. qui c.* 19. *num.* 217. ante Pium ſcribens permiſit, ſi raro mutatio fiat.

8. Sed neque fieri poteſt mutatio Ritus, ut ſcilicet duplici Ritu celebretur Feſtum, quod alias ſimplici ſub Ritu vel ſemiduplici decretum eſt. *Doctores qui ſupra*. Et ſacra quidem Congregatio Rituum *die* 23. *Novemb.* 1602. decrevit, quod de Sancto, cujus inſignis Reliquia habetur, fieri poteſt Officium duplex minus in ejus Feſto, dummodo ſit Reliquia approbata, ea prorſus regula, qua Gregor. XIII. *die* 30. *Decembris* 1573. in Bulla, quam affert *Genuenſis in praxi Neapoli cap.* 66. *in* 3. *edit.* 1616. conceſſerat Eccleſiis Hiſpaniarum Feſta Sanctorum nation. & quorum Reliquias inſignes haberent, ſub ritu duplici celebrare poſſe; licet in Breviario non exiſterent, vel minori ritu haberentur. Vide infra *ſect.* 3. *cap.* 3. *n.* 5.

9. Denique eadem Sacra Rituum Congregat. decreto edito *die* 8. *Aprilis* 1628. Rubricis Breviarii nunc addito, & approbato a Sanctiſſimo Domino Noſtro Urbano Octavo, cenſuit, & re mature diſcuſſa decrevit, non potuiſſe, neque poſſe locorum Ordinarios tam Sæculares, quam Regulares addere Calendariis etiam propriis (quod idem eſt, ac mutare Calendarium Romanum) Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur: ſub pœna, quod non fiat ſatis obligationi recitandi Divini Officii, & conſequenter non faciendi a Clero fructus ſuos beneficiorum.

10. Et multo minus adhiberi poſſunt Officia Feſtorum alia, a Sacra Rituum Congregatione non approbata, quæ in prædicto Decreto eadem merito rejecit, & damnavit, & pro rejectis, & damnatis haberi voluit, & præcepit ſub pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex Decreto Conc. Tridentin. edito, & impreſſo: hoc eſt, ut præter peccati mortalis reatum, quo afficitur ille, qui prædictis utitur, judicio Epiſcoporum ſevere puniatur; quod expreſſe habetur *in Regula* 10. *in fine, & in Bulla Pii IV.* 24. *Martii* 1564. *pro eodem Indice data*.

11. Neque item poteſt Epiſcopus extendere Officium, quod fieri ſolet in Civitate, ad ſuam Diœceſim contra Decretum hac de re a Sac. Rit. Congreg. *die* 16. *Januar.* 1607. *edit.* & conſequenter multo minus Officium, ſeu Lectiones, approbatas pro una Eccleſia, illud, vel illas extendere ad alienas Eccleſias, ſuique Cleri uſum. Habes hoc idem in Decretis Sac. Congreg. Rit. in Breviario appoſitis.

12. Atque in prædictis num. 8. &. 9. ſtricte eſt accipiendum nomen, *Sancti*, hoc eſt, Canonizati ab Eccleſia, ſeu per immemorabile tempus habiti pro Sancto, cui tantum publicus, & univerſalis conceditur cultus, *a Gloſſa in cap. unic. de reliq. & vener. §§. in* 6. §. *Sedis Apoſtolic. verſ. dicimus*, Quam ſequitur *Caſſaneus in catal. glor. mundi part.* 3. *conſid.* 46. §. *Adverte*. Etenim Sedes Apoſtolica, quoad locum, tempus, ritum in Beatorum cultu limitate procedit; veluti nuper de B. Roccho nondum canonizato conceſſit Officium, & Miſſam in Eccleſiis tantum ejus nomini dicatis, & in eremitoriis ejuſdem habentibus requiſita Eccleſiarum, per Sacram Rituum Congreg. *die* 26. *Novemb.* 1629., quod iden monui, quia, licet in Martyrologio recenſeantur, tamen in rigore appellantur Sancti; & ibidem multi dicuntur Beati, qui non fuere canonizati, illud enim verum eſt, quod quilibet Sanctus dicitur Beatus: non e contra, Beatus dici poteſt Sanctus, niſi improprie, & abuſive.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. n. 5. -- *Sacra Congregatio die quo ſupra Octava Septembr. &c.*) Decreta a Gavanto ſupra allegata ſub die 8. Septemb. reperiuntur in Regeſtis S. R. C. ſub die 30. Auguſti 1602. *in Salernitana*, & dantur in noſtro Indice ſub numer. 2. & 3.

Vide etiam Decreta in noſtro Indice data ſub num. 4. & ſub num. 186. declarantia quodnam Officium recitare debeant, & poſſint Tertiarii Sancti Franciſci degentes in ſæculo &c.

II. Gavant. num. 6. - *Feſtum Patroni Principalis loci, &c.*) Decretum allegatum a Gavanto ſupra de Regularibus, qui tenentur celebrare Feſtum Patroni Principalis loci, ſed ſine Octava, habetur in noſtro Indice *ſub num.* 63. ubi indicantur etiam alia S. R. C. Decreta ſpectantia ad eamdem materiam, ſed quia de Patrono loci, ſeu Titulo Eccleſiæ agendum eſt cum Gavanto etiam infra *in ſectione tertia Cap.* 12. idcirco nos quoque nonnulla addemus ſpectantia ad ritum, quo celebrari debet Officium Patroni loci, tum a Regularibus, tum etiam ab aliis.

III. Gavant. num. 7. - *Non licet mutare Officium unius diei in Breviaria Romana præſcriptum, &c.*) Declarat Gavantus ſupra, quod præter prædictos caſus exceptos, & alios, qui habentur aperte in Rubricis, ſeu Decretis S. C. de quibus ipſe, & nos cum eodem infra ſuis locis, non licet mutare Officium unius diei in Breviario Romano præſcriptum, in Officium alterius diei, & qui mutat, præcepto non ſatisfacit, quæ Gavanti ſententia deſumitur ex Bulla S. Pii V. Breviariis Romanis præfixa, in qua Sanctus Pontifex præ-

cepit

Digitized by Google

cepit in virtute S. Obedientiæ, quod non aliter Horæ Canonicæ recitentur ab iis, qui ad illas obligantur, quam juxta ritum in eo Breviario præſcriptum, addens -- *Neminem ex his, quibus hoc dicendi munus neceſſaria impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe* -- Unde ſequitur peccare mortaliter omnes eos, qui notabiliter ab ea formula diſcedunt, venialiter vero ratione parvitatis materiæ, dempto tamen contemptu, qui citra rationabilem cauſam, ab ea Regula diſcedunt, ſed non notabiliter. Uſque modo tamen, & ex prædictis verbis Pontificis non evincitur, niſi quod ii, qui juxta ſuam Conſtitutionem, uti debent Breviario Romano, non ſatisfaciant muneri ſuo, ſi recitent Officium juxta normam in aliis Breviariis præſcriptam; & equidem etiam poſt emanatam talem Conſtitut. controverſia non levis eſt inter Theologos, utrum ſatisfaciant præcepto Divini Officii, qui aliquod Officium juxta formam Breviarii Romani, pro alio Officio in eodem Breviario contento recitant.

Prima Sententia, cui adhæret Gavantus, ſupra num. 7. & quam tradit Gobat. *tract.* 5. *diſp.* 3. *num.* 858. cum Tulet. Bonac. & aliis docet quamcumque Officii mutationem importare notabilem deviationem a formula præſcripta in Bulla Pii V. & ideo eſſe mortaliter peccaminoſam, & non ſatisfacere præcepto illum, qui taliter variaret Officium Divinum. Verum quamvis Gavantus ſupra verſetur in hac ſententia, nihilominus infra *ſect,* 2. *cap.* 2. *n.* 8. fatetur Bullam Pii V. obligare omnes, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut utantur Breviario Romano, alias non ſatisfacere muneri ſuo; in quo omnes profecto conveniunt, ſed non inde ſequitur, non ſatisfacere eidem muneri, qui unum Officium in Breviario Romano contentum pro alio recitaret.

Secunda ſententia extreme oppoſita, pro qua Gobat loc. cit. aſſerit triginta quatuor Auctores nominari, docet quamcumque Officii pro Officio mutationem eſſe levem, atque adeo numquam in ea culpam gravem reperiri, quia in quolibet Officio habetur Ritus ſubſtantialis a Pio V. præſcriptus, videlicet, quod conſtet ſeptem Horis, Pſalmis, Lectionibus &c. & eorum variatio eſt mere accidentalis, ſicut eſt mere accidentalis variatio unius Miſſæ in aliam, dummodo ſervetur Ritus ſubſtantialiter præſcriptus, quod ſcilicet conſtet Introitu, Epiſtola, Evangelio &c.

Tertia ſententia, quam tenent Suarez, Baldel. Reginald. & alii, docet graviter peccari, quoties in fraudem mutatur Officium in notabiliter brevius, & quoties frequenter mutatur in æquale, quia in his caſibus videtur notabilis diſceſſus a Ritu, & formula præſcripta, & ſub gravi præcepta.

Quarta demum ſententia, quam Sanchez putat probabiliorem, & quam tenent pariter Vaſquez, Eſcobar, Rodriquez, & Tamburinus, docet ſolum frequentiam mutandi Officium importare culpam lethalem, & non niſi venialem ſi ſemel, aut iterum Officium de Sancto ſubrogetur Officio Dominicæ, etiamſi illud ſit valde Brevius: præfati tamen Auctores nuſquam docent expreſſe poſſe Officium Reſurrectionis, vel Pentecoſtes extra ſuas octavas recitari citra culpam gravem; ſolus Caramuel id aſſerit, ſed poſtea ſuam ſententiam retractavit in alia ſui operis editione *n.* 1489. ejuſque primam opinionem utpote repugnantem communi Fidelium, & Doctorum ſenſui confutavit noſter celeberrimus Pater Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſolut.* 26. & revera caret omni probabilitate, præſertim poſtquam Alexander VII. proſcripſit ſequentem propoſitionem, nimirum: *In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto*: certum igitur omnino eſt, quod qui recitat Officium Reſurrectionis, aut Pentecoſtes (extra ſuas octavas) quæ uno tantum nocturno conſtant, & breviſſima ſunt, adeoque notabiliter diverſa a communi, & ordinario Ritu, non ſatisfaciunt præcepto, cum talis variatio ſit notabiliter diverſa, ac proinde citra mortale nequit Officium Reſurrectionis, & Pentecoſtes Officio trium nocturnorum, ſeu feriali ſubrogari; & hanc ſententiam validis rationum momentis probat Dominicus Viva in Trutina Theologica Damnatarum Theſium *part.* 1. *propoſit.* 34.

Prima ex propoſitis ſententiis pace illuſtrium virorum, qui illam propugnant, videtur nobis nimis rigida, quia ex Bulla Pii V. non eruitur niſi id, quod ſupra adnotavimus etiam cum Gavanto in explicatione ejuſdem ſententiæ; Secunda e contra illi extreme oppoſita apparet nimis laxa, quia nimis generaliter loquitur de mutatione cujuſcumque Officii in aliud nulla facta exceptione. Tertiam libenter admitto. Quarta autem non caret ſua probabilitate, ſed utrum amplectenda ſit, non eſt hic diſputandi locus, aliis hanc Provinciam relinquimus.

Lubet hoc loco tradere aliam propoſitionem damnatam ab Alexandro VII. quæ habetur num. 35. in qua ſic legitur -- *Unica Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino* -- Hanc opinionem inſinuabat Caramuel in ſua Theologia fundamentali, ubi num. 31. inquirebat, an recitans Matutinum cum Laudibus poſt Veſperas, quando poteſt illud recitari tam pro die hodierno, quam pro craſtino, ſatisfaciat duplici præcepto recitandi illud pro utroque die? ibique adducebat rationes pro ſententia affirmativa, quæ fuit proſcripta, & quam ſupra laudatus P. Viva optime ſuo more refellit.

Denique congruum videtur hic mentionem facere Decreti dati in noſtro Indice *ſub n.* 79. nimirum: *Recitatio Officii de Beatis non Canonizatis non eſt ſatisfactoria præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit.*

IV. Gavant. num. 8. *Fieri poteſt Officium Duplex, &c.*) Allegat Gavantus Decretum S. R. C. editum die 23. Novembris 1602. *in Vicentina*, & datum in noſtro Indice *ſub num.* 6. in quo ſtatuitur, quod de Sancto, cujus Inſignis Reliquia habetur, fieri poteſt Officium Duplex minus in ejus Feſto, dummodo ſit reliquia approbata. Hoc Decretum confirmatum fuit alio ſimili edito die 3. Junii 1617. *in una Urbis* Theatinorum, & dato in noſtro Indice *ſub n.* 40. Inſignes autem Reliquiæ (quarum ratione recitari poteſt Officium ſub Ritu Duplici) ſunt Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata, juxta Decretum editum die Octava Aprilis 1628. & datum in noſtro Indice ſub num. 59. Tale autem Officium non poteſt celebrari per totam Civitatem, ſed tantum in illa Eccleſia, in qua aſſervatur Corpus, aut prædicta Inſignis Reliquia, ut declaratur in alio Decreto edito die 8. Aprilis 1628. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 60. in Decreto emanato die 3. Junii 1662. & dato in noſtro Indice ſub num. 82. declaratum fuit Epiſcopum non poſſe ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicujus Sancti Martyris, de quo ſervatur Reliquia Inſignis, immo neque poſſe de eo celebrari Officium, & Miſſam in die ipſa martyrii, vel obitus, niſi Reliquia ſit de Sancto deſcripto in Martyrologio Romano, & conſtet de identitate Reliquiæ ejuſdem Sancti. Denique in eodem Decreto declaravit Sac. Cong. Tybiam non eſſe Reliquiam Inſignem, prout etiam habetur in Rubricis tum Miſſalis, tum Breviarii Romani. In Decreto autem edito die 11. Auguſti 1691. approbante etiam Innocentio XII. die 19. Octobris ejuſdem Anni, & dato in noſtro Indice ſub num. 165. confirmantur prædicta Decreta, & deinde additur, quod de cæteris Sanctis in Martyrologio Romano non deſcriptis, aut quibus a Sancta Sede non fuerit conceſſum, Officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, non obſtante quod ipſorum corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur, quibus tamen Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis, debita fidelium veneratio (prout hactenus ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio, & Miſſa ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione Pii V. contentis.

Reliquia inſignis, ratione cujus poteſt recitari Officium duplex, & dici *Credo* in Miſſa de tali Sancto (in Eccleſia, in qua aſſervatur talis inſignis Reliquia) judicio Quarti *par.* 1. *tit,* 11. *dub.* 3. eſt Manus, vel Pes, vel aliud fruſtum; ſed hæc ſententia corruit, attento Decreto S. R. C. ſupra relato, in quo declaratur, quod inſignis Reliquia debet eſſe Caput, Brachium, Crus, vel pars illa, in qua paſſus eſt Martyr, & quidem integra, & non parva. Cenſetur autem adhuc eſſe integra pars, juxta citatum Quarti *part,* 1. *tit.* 3. *dub.* 4. & Lobner *inſtruct.* 1. *part.* 2. *n.* 1. quamvis illa (v. g. Caput) ex pluribus fragmentis conſtet per artificialem unionem, tamen ita conjunctis, ut non modo adſint omnia fruſta, ſeu fragmenta, ſed etiam appareat integra; integrum, v. g. Caput, Braabium, &c.

Porro ſi Reliquia ſit de Chriſtu Domino, Beatiſſima Virgine, aut alio Eminentiſſimo Sancto juxta Quintanadvennam apud Gobat *tract.* 3. *n.* 683. ea cenſebitur eſſe inſignis, ſicet ſint tantum Capilli B. V. aut ſint S. Annæ, vel alicujus Apoſtoli Oſſa magnitudinis palmaris: *Tunc enim*, inquit laudatur Auctor, *defectus quantitatis ab excaſſu qualitatis ſuppletur*. Verum amplectenda eſt ſententia noſtri Paſqualigi *de Satrific. novæ legis tom.* 1. *tract.* 2. *quæſt.* 261. *ſub. num.* 6. ubi docet defectum quantitatis Reliquiæ, non ſuppleri a qualitate Sancti, quia licet ſint inſignes relative ad Sanctos, non tamen ſunt inſignes ſecundum ſe, & conſequenter nec in ordine ad recitationem Officii, & celebrationem Miſſæ. Quoad vero Spinam de Corona Domini noſtri Jeſu Chriſti, Paſqualigi ſententia non eſt admittenda, nam in Decreto edito die 21. Junii 1632. & dato in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Miſſalis *ſub n.* 264. declaratur, quod Spinæ de Corona D. N. J. C. inter Reliquias inſignes computantur, & ſpeciali nota, & cultu dignæ ſunt, ideoque in Terra Tarragæ, & alibi conceſſum poſtea fuit, ut poſſet recitari Officium, & Miſſa de corona Domini, dummodo conſtaret Spinas eſſe de dicta Corona, prout conceſſit eadem Congregatio *in Celſonen.* 1633. 20. Martii.

Quando dicimus, quod in ſola Eccleſia, in qua eſt inſignis Reliquia, recitari poſſit Officium, non eſt ſenſus, quod ſolum intra ipſam Eccleſiam recitari poſſit, ſicut dicitur de Symbolo dicendo in Miſſa, ſed quod illis ſolis liceat recitare, qui ſunt adſcripti tali Eccleſiæ. Ita Neuſer, & Gobat *tract.* 3. *n.* 696. *append.* 4. *lit. B.* Plura alia ad has Reliquias pertinentia vide apud eumdem Gobat *n.* 683. & 686.

Reliquum eſt, ut hic mentionem faciamus alterius Decreti editi die 5. Julii 1698. *in Collen.* & dati in noſtro Indice *ſub num.* 199. in quo S. R. C. iterum declaravit, quod conſuetudo triginta Annorum non habet vim ad hoc, ut continuari poſſit recitatio Officis de aliquo Sancto in Eccleſia,

in qua-

Digitized by Google

in qua ſervatur ejus Corpus, niſi doceatur an ſit deſcriptus in Martyrologio, & conſtet de ejus identitate. Videri poteſt etiam Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 259. ex quo deduci poteſt quid ſervandum ſit in aliquo caſu particulari ſimili contento in eodem Decreto.

V. Gavant. n. 12. - *In Beatorum cultu limitate procedit.*) Veriſſimum eſt, quod Eccleſia limitate procedit in cultu Beatorum tum quoad locum, tum quoad tempus, tum quoad Ritum celebrandi eorumdem Feſta, Miſſas, & Officia, ut videre eſt in Decretis editis die 27. Septembris Anno 1659. & datis in Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Miſſalis *ſub n.* 361. & ſeq. necnon *ſub n.* 378. 379. & ſeq. Deinde liquet ex Decreto ſupra expoſito, & dato in noſtro Indice *ſub n.* 79. declarari recitationem Officii de Beatis non eſſe ſatisfactoriam præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit, ac inſuper talium Beatorum nomina non eſſe apponenda niſi in Kalendariis illius loci, & earum perſonarum, in quo, & a quibus, cultus Beatis cum Officio, & Miſſa conceſſus eſt.

*De intentione Officii Divini. Tit. III.*

*G A V A N T U S.*

1. SUfficit intentio implicita orandi Deum. *Nav. cap.* 13. *n.* 15. & habetur in ſola Breviarii acceptione, ut recitetur Officium.

2. Qui recitat principaliter ob lucrum diſtributionum, ſeu fructuum, ſive ſit intentio actualis, ſive virtualis, peccat, *Navarr. de Orat, cap.* 6. *n.* 15.

3. Ille item Religioſus peccat, qui principaliter recitat ob timorem pœnarum a Superiore irrogandarum, vel alios fines minus bonos. *Navarr. ibid. n.* 19.

*De Attentione Officii Divini. Tit. IV.*

*G A V A N T U S.*

1. QUI non attendit ad verba, vel ad ſenſum verborum, vel ad finem in Oratione propoſitum, peccat; & duæ primæ attentiones ſingillatim ſufficiunt. *S.Thom.* 2.2.*q.* 83. *art.* 13. neque meliorem tenetur quærere, ait *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 9.

2. Qui recitat ſine attentione actuali, vel virtuali, peccat mortaliter; nec habitualis ſufficit, quæ abſque ullo voluntatis actu non raro contingit. *Azor. cap.* 12. *q.* 1.

3. Qui voluntarie diſtractus, alia faciens, quæ attentionem impediant, ſcribendo, pingendo, & ſimilia faciendo, peccat. *Azor. q.* 3. *ex c. dolentes*, ubi præcipitur attentio interior, & exterior: non tamen tenetur repetere, quia, licet male, ſolvit tamen debitum. *Cordub. in ſuis quæſt. lib.* 3. *q.* 13. *ad fin.* putat *Azor. oppoſitum eſſe verius, quæſt.*6. & addit *Navarr. cap.* 20. *n.* 32. teneri, ac ſi non recitaſſet, ad reſtitutionem fructuum, quod nobis magis placet.

4. Qui recitat, dum veſtes induit, exuit, faciem lavat, &c. peccat venialiter. *Navarr. n.* 32.

5. Qui attente quidem recitat, ſed in animo habet non ſatisfacere præcepto, tenetur repetere. *Nav. cap.* 12. *n.* 74.

6. Qui tantum legit preces Horarias, & non orat, minime ſatisfacit. *Nav. cap.* 13. *n.* 15.

7. Qui recitat Officium, & ſimul audit Miſſam, ſatisfacit, peccat tamen venialiter, *ex Cajet. in Opuſc. tom.* 2. *tr.* 4. negat *Navarr. cap.* 16. *n.* 71. ſi juſta ſit cauſa. At concordant omnes, nullum eſſe peccatum, ſi recitat, quando Sacerdos Miſſæ ſecreta dicit.

8. Qui recitat cum aliis, ſatis eſt, ſi attente audiat verba plurium, non ſingulorum, ac ſi ab uno tantum dicerentur. *Azor. cap.* 7. *quæſt.* 7.

*De prolatione Officii Divini. Tit. V.*

*G A V A N T U S.*

1. QUI recitat ſolus, ſatis eſt, ſi verba ita proferat, ut ſeipſum percipiat, & intelligat, neque ſufficit, ſi in gutture tantum pronunciet, ſed linguam & labia vere moveat. *Nav. cap.* 20. *n.* 4.

2. Qui verba diminuit, & detruncat, ſyncopat, & tranſcurrit (niſi vitio linguæ, vel conſuetudine quadam quaſi ingenita fiat) peccat ſaltem venialiter, nec tenetur repetere. *Azor. cap.* 7. *quæſt.* 11.

3. Qui recitat cum ſocio, ſatisfacit, ſive ille ſit obligatus ad Officium, ſive non, & ſatis eſt, ſi attendat ad Antiphonas, Capitula, & Orationes, quæ ſocius ſolus dicit. *Navar. cap.* 10. *n.* 16. Idem dic de Lectionibus. *Azor. c.* 7. *quæſt.* 9. In Pſalmis autem, & Hymnis recitandis, cave, ne ſi plures ſocii ſint, alio modo dicantur, quam alternis verſibus ad modum duarum partium Chori, ex uſu communi Eccleſiæ, alioquin non ſit ſatis, ait *Suar. lib.* 4. *cap.* 25. *n.* 3.

4. Qui in Choro deſtinatus ad cantum non cantat, non ſatisfacit. *Nav. miſcell.* 79. *de Orat. cap.* 10. *n.* 47. *ex Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 12. ubi de Canonicis loquitur. Conſuetudo contraria in Canonicis, qui per alios cantant, ubi moribus gentium ſit recepta, ſive continuata poſt Bullam Pii V. poteſt excuſari a cantu. *Azor. cap.* 11. *q.* 6. Videant tamen Epiſcopi, ne ſit abuſus, & dum per Organum ſonatur verſus, dicatur hic ab aliquo, ut ab aſtantibus audiatur. *Azor. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 7.

5. Ad exactam prolationis formam, & præſertim in Choro, valde juvat cognitio verborum Grammaticalis, quænam corripienda ſint, aut producenda: & quia rudioribus etiam ſum ego debitor, addidi, ad calcem hujus operis, eorum verborum notulam, quæ in Breviario Romano ſparſim habentur: & in quibus plurimi hærere poſſunt, & ſolent: licet in Breviario ipſo nuper edito ſuis locis eadem jam adnotaverimus.

*De Tempore Officii Divini, Tit. VI.*

*G A V A N T U S.*

1. DOcet *Francol. de hac re fuſiſſime*, & *part.* 1. *cap.* 10. præciſum tempus cujuſque Horæ recitandæ debitum, eſſe intra ſpatium Horæ diei ſibi reſpondentis, non extra illud, & *cap.* 21. Primam in prima diei hora, Tertiam in tertia, Sextam in ſexta, Nonam in nona, Veſperas in undecima, Completorium in duodecima recitandas eſſe; Matutinum autem poſt mediam noctem, Auroram verſus, ſumitque ille horas cum latitudine.

2. A media nocte antecedentis diei incipit tempus recitandi Officii, & perſeverat uſque ad mediam noctem ſequentis incluſive. Eſt communis *apud Bonac. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 1. ita ut ultra mediam noctem ſequentis diei Officium præcedentis non valeat. *Navar. cap.* 3. *n.* 54.

3. Qui variat intra dictum tempus notabiliter horam a Sacris Canonibus præſcriptam, peccat venialiter. *Bonac. loc. cit. n.* 4. niſi juſta cauſa excuſet, quæ eſt major devotio, vel periculum probabile futuræ occupationis. *Idem n.* 5. Quare nec tenetur repetere, *n.* 6.

4. Conſuetudini in hac re ſtandum eſt potius, quam juri ſcripto. *Azor. quæſt.* 8. *in* 2. *object.*

5. Satius eſt etiam anteponere, quam poſtponere. *Azor. cum Communi cap.* 9. *quæſt.* 5.

6. Matutinum, & Laudes ex juſta cauſa poſſunt recitari in Veſperis præcedentis diei, puta, ut devotius oret, vel ſtudiis mane operam det; vel quia non poterit mane ita commode recitare, *S.Thom. quod lib.* 3. *art.* 28. *& communis*, & poſt Completorium ſatis eſt expectare tertiam, vel quartam horam poſt meridiem. *S.Th. ib. & alii apud Bonac. loc. cit. n.* 16. non ante horam vigeſimam *n.* 17. *Azor.* autem docet *c.* 9. *q.* 5. non ante 21. æſtate, nec hyeme ante 22.

7. Prima ante Solis ortum, vel paulo poſt, Tertia aliquantulum poſt ortum, Sexta paulo poſt, Nona prope prandium, Veſperæ, & Completorium poſt prandium. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 23. ſed excuſatur ab omni peccato ille, qui recitat Primam cum Tertia, Sexta, & Nona ſimul, duabus, vel tribus horis poſt Solis ortum. *Bonac. loc. cit. n.* 9.

8. Qui vero differt Matutinum ſine cauſa ad Veſperas, vel anticipat Completorium ante prandium, nimis notabiliter variat tempus, & peccat venialiter. *Bonac. ibid.*

9. In Choro ſtatæ horæ ſunt obſervandæ magis quam in privata recitatione. *Nav. c.* 3. *n.* 63. *& alii cum Bonac. n.* 7. qui tamen cum Cajetano, ſecluſo ſcandalo, cenſet non peccare mortaliter eos, qui extra ſtatas horas in Choro recitant, & ibidem addit, poſſe ob Proceſſionem, vel Concionem mutari horam, ſi quod eſt peccatum, imputant Superiori potius, quam Canonicis, paratis tamen ad obediendum,

*De loco Divini Officii, Tit. VII.*

*G A V A N T U S.*

1. UBique recitari poteſt private. *Azor. lib.* 10. *c.* 11. *quæſt.* 8. modo non impediatur attentio. *Navarrus cap.* 21. *n.* 32. & locus ſit decens, *ex Molfeſ. tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 80.

2. In Choro vero tenentur recitare, qui Choro ſunt addicti ex juſtitia, juxta inſtitutionem beneficiorum, & conſuetudinem locorum, niſi aliud cogat neceſſitas, ut hyemis tempore in Sacriſtia, vel adſit conſuetudo legitima, vel privilegium Papæ, vel Fundatoris inſtitutio. *Bellarmin. in lib. de bon. oper. cap.* 8. *verſ. locus*, *& DD. communiter*.

3. Unde Canonici, qui ultra tres menſes a Tridentino permiſſos notabiliter, hoc eſt pluribus diebus, ultra quatuor, in Choro abſunt, per ſe loquendo mortaliter peccant, ut fuſius *Bonac. diſp.* 2. *q.* 1. *part.* 2. *n.* 1. Neque poſſunt alios ſibi ſubſtituere, *ibid. punct.* 4. *n.* 1. niſi conſuetudo legitima, vel privilegium adſit, ait *Moneta noſter de diſtrib. part.* 2. *q.* 14. *n.* 20. & 42. An teneantur adeſſe in habitu Canonicali, vide Monetam *ibid. quæſt.* 19. *ad finem*.

4. Fieri etiam poteſt, ut conſuetudine immemorabili, vel ſufficienter præſcripta Canonici, quorum fructus ſunt tenues, non teneantur quotidie ad Chorum. *Bonac. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 14.

5. Epiſcopi per ſe loquendo non ſunt addicti Choro. *Bonac. ibid. n.* 12.

6. Pa-

Digitized by Google

6. Parochi de jure antiquo tenebantur, nunc minime ad publicam recitationem Officii in Eccleſia, & hoc de conſuetudine fere univerſali, & communiter recepta, exceptis Veſperis in diebus Feſtis, *ex Suar. & Bonac. loco ſupra cit. n.*12.

7. Multo minus Capellani tenentur ad Chorum, quibus ex fundatione non incumbit hæc cura. *Bonac. n.* 13.

8. Regulares addicti Choro non tenentur ad Chorum, niſi ex vi regulæ, & ideo non ſub peccato mortali. *Cajet. V. Horæ Canonic. & Bonac. loco cit. quæſt.* 2. *punct.* 2. *n.* 8.

*De ordine Divini Officii. Tit. VIII.*

*G A V A N T U S.*

1. QUI ſine juſta cauſa pervertit ordinem Horarum, peccat venialiter, juſta vero cauſa eſt, oblivio, inadvertentia, ut Chorus juvetur, vel alius, ad dicendum Officium. *Azor. cap.* 10. *q.* 1. *ex Navar. cap.* 3. *n.* 65.

2. Perverſio ejuſdem Horæ, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, ex juſta cauſa excuſari poteſt ab omni peccato. *Bonac. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. *n.* 5.

3. Gravior autem erit culpa, ſi in Choro pervertatur ordo. *Suar. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 10. *& alii*, qui putant eſſe ex ſuo genere culpam lethalem, *negat Bonac. ibid. n.* 5.

*De interruptione Officii Divini. Tit. IX.*

*G A V A N T U S.*

1. QUI dividit Matutinum a Laudibus nocte tota interpoſita, non peccat. *DD. apud Bonac. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *n.* 11. *Azor.* vult eſſe veniale ſine cauſa, *cap.* 8. *q.* 4.

2. Qui dividit nocturnum a nocturno per horam unam, pluresve cum juſta cauſa non ultra tres horas, non peccat. *DD. apud Bonac. n.* 13. *contra Azorium loco cit.*

3. Qui dividit Horam parvam, vel Pſalmum, non peccat. *Azor. quæſt.* 5.

4. Interruptio ad longum temporis ſpatium probabilius obligat ad repetitionem. *Navarr. cap.* 16. *n.* 75. Ad breve tempus, etiam ad jocum, vanoſque ſermones, non obligat. *Navarr. n.* 75. *& cap.* 10. *n.* 42. *& cap.* 16. *num.* 66. At in utroque caſu non eſſe repetendum, docet cum aliis *Bonac. ſup. punct.* 2. §. 1. *n.* 28. Peccari ſaltem venialiter, ſine juſta cauſa, eſt dicendum, *num.* 30.

5. Qui interrumpit animo continuandi, ut aliud agat, non tenetur repetere, immo nec ille, qui animo repetendi, & poſtea non repetit, communiter *DD. apud Bonac. n.* 31. *contra Navarr. & Azor.*

De pœnis circa Divinum Officium. Cap. VI.

*G A V A N T U S.*

1. BEneficiarii habentes onus recitandi Divinum Officium titulo beneficii tenentur etiam ante Judicis ſententiam ad reſtitutionem fructuum pro rata omiſſionis Officii, ſi, elapſis ſex menſibus poſt obtentam beneficii poſſeſſionem, Officium, culpabiliter non recitaverint, etiam ſi alio die penſum prætermiſſum ſupplere conentur, niſi forte pars omiſſa ſit levis. *Bonac.* explicat, & probat ſingulas hujus axiomatis partes, *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *punct.* 2. *per tot.*

2. Rata omiſſionis, & reſtitutionis eſt, ex Pii V. Bulla, ut pro toto Officio unius, vel plurium dierum reſtituantur fructus beneficii, ſeu beneficiorum, qui illi, ſeu illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur: pro Matutino dimidiam partem fructuum: pro cæteris horis ſimul aliam dimidiam: pro unaquaque hora ſextam partem unius diei reſtituant.

3. Qui paucos verſiculos, aut Pſalmum omittit, non tenetur quidquam reſtituere. *Nav. cap.* 9. *& cap.* 10. *n.* 42. *& alii apud Bonac. loco cit. n.* 11. & eo magis, ſi tenue ſit beneficium: quod ſi ſæpius partem notabilem omittat ex pluribus omiſſionibus compoſitam, quibus ſingulis non reſpondet pars notabilis fructuum, nihilominus tenebitur ad reſtitutionem. *Bonac. n.* 14. contra Monetam noſtrum negantem, cujus opinio mitior non eſt improbabilis, & mihi placet.

4. Qui recitavit abſque attentione, tenetur ad reſtitutionem. *Nav. & alii cum Bonac. ibid. n.* 17.

5. Omittenti Divinum Officium, ita ut infra quindecim dies illud ſaltem bis non recitet, imponitur privationis beneficii pœna, non tamen ipſo facto, ex Decreto Concil. Lateranen. firmato a Pio V.

6. Atque hæc intelligenda ſunt de fructibus reſpondentibus oneri Divini Officii, de quibus in Bulla Pii V. non autem de iis fructibus, qui reſpondent oneri Epiſcopali, Parochiali, Canonicali, præter Officium Divinum, de quibus vide *Bonac. loco cit. punct. cap.* 3. *n.* 2. qui rejicit dicentes, onus Clerici quoque eſſe geſtare habitum, & coronam, quæ alioquin compenſantur immunitate, &c.

7. Tutior tamen eſt aliorum ſententia. *Azor. lib.* 10. *c.* 14. *q.* 5. *& aliorum apud Bonac. n.* 3. qui nihil diſtinguunt inter prædicta onera, & abſolute volunt reſtitui fructus, non tamen enervant priorem, & mitiorem ſententiam, quæ in praxi ſuſtineri poteſt.

8. Facienda vero eſt reſtitutio prædicta fabricæ beneficii, vel pauperibus ex Bulla Pii V. non præciſe fabricæ Eccleſiæ, ſed vel domui, vel agro beneficii, & ſimilibus, dummodo ſit in utilitatem beneficii, non alterius loci. *Suar. lib.* 4. *n.* 19. *& alii*.

9. Quod ſi alter locus ſit pauperibus deſtinatus, idem eſt, ac ſi pauperibus reſtitueretur; quod conceditur in Bulla, imo, & pro animabus Defunctorum expendi poſſunt ii fructus. *Navar. cap.* 25. *n.* 122. Denique beneficiarius pauper ſibi poteſt illos applicare, *ex Bonac. loco cit. n.* 8. modo aliud non conſtet ex conſuetudine, vel ſtatuto particulari. *Suar. loco cit. n.* 17.

10. In Choro vero, addicti eidem, amittunt diſtributiones, quando non interſunt, vel præſentes non recitant attente, confabulando, voluntarie dormiendo, &c. *Bonac. diſput.* 2. *q.* 4. *punct.* 1. *n.* 10. *&* 12. etiam ſi id faciant eo tempore, quo Sacerdos ſecreta dicit, vel Antiphonæ, aut Reſponſoria per Manſionarios cantantur, ſi ſit pars notabilis. *Idem ibid.* contra Monetam noſtrum, qui mitiorem in partem inclinat negativam in hoc ultimo caſu.

11. In percipiendis diſtributionibus abſentes excuſare poſſunt, Primo gravis infirmitas, quæ ſcilicet de ſe levis, ſed acceſſu ad Chorum gravis efficeretur de judicio Medici. Nec eſt neceſſe, ut ſit infirmus in loco beneficii. *Moneta noſter* 2. *part. q.* 6. *n.* 7. *&* 19. ſi tamen alias intereſſe conſueverat, *idem quæſt.* 5. *n.* 21. Secundo, juſta, & rationabilis cauſa, ſeu neceſſitas corporis, quamdiu durat neceſſitas, & præciſa conſuetudo in contrarium, velut cauſa ſumendæ medicinæ, convaleſcentiæ nutriendæ, ſenectutis in bene merito, peſtis graſſantis eo loci cum gravi periculo, gravis metus injuſte incuſſi, inimicitiarum gravium, & ſine culpa abſentis; ſi capiatur ab hoſtibus, ſi injuſte impediatur a Choro, etiam a Superiore in carcere detentus, &c. *Bonac.* hæc ſingula habet *poſt Monetam loco cit. q.* 5. *punct.* 2. *toto*, ubi eadem docet §. 2. de injuſte excommunicato, §. 3. de injuſte ſuſpenſo, §. 4. de injuſte interdicto, §. 7. de irregulari, ut ſic præciſe, & poſt beneficium facto irregulari. Tertio, excuſat evidens utilitas ſuæ Eccleſiæ in eo, qui ſolet alias intereſſe Choro, qua de re fuſe *Bonac. & Moneta loco cit.* quamdiu ſcilicet durat actio in evidentem propriæ Eccleſiæ utilitatem, bona fide, & ſine dolo, neque eſt neceſſaria licentia Epiſcopi, ut probat *Bonac. punct.* 3. *n.* 22.

12. Aliæ cauſæ excuſantes afferuntur a *Bonac. ibid.* §. 3. ad tuenda jura Capituli, ſeu proprii beneficii, ad habendam lectionem Theologalem ex officio præbendæ. Item privilegio Pontificio poteſt abſens lucrari diſtributiones, *punct.* 4. & conſuetudine induci poteſt, ut abſentes lucrentur eaſdem.

13. Neque unquam valet remiſſio, donatio, colluſio, de quibus fuſe *Bonac. punct.* 7. *toto*, & hæc ſatis.

---

# SECTIO SECUNDA.

## De Præludiis Breviarii Romani.

*G A V A N T U S.*

UT nihil omittatur eorum, quæ in Breviario continentur, dividam illud in partes, ſeu Sectiones novem, nimirum, Præludia, Rubricas Generales, Horarum proprias leges, Partes Horarum ſingulas, Proprium de Tempore, Proprium Sanctorum, Commune Sanctorum, Appendices ad calcem Breviarii, & Cæremonias Horarum Canonicarum. Præludia igitur continent Titulum, Bullas Pii V. Clementis VIII. & Urbani VIII. Computum Eccleſiaſticum, & Calendarium.

SECTIONIS SECUNDÆ CAPITA QUINQUE.


1. *De Titulo Breviarii Romani.*
2. *De Bulla Pii V. & uſu Breviarii Romani.*
3. *De Bullis Clementis VIII. & Urbani VIII.*
4. *De Computo Eccleſiaſtico.*
5. *De Calendario.*


De Titulo Breviarii Romani. Cap. I.

*G A V A N T U S.*

1. BReviarium, vox eſt ſatis antiqua in re noſtra, quam legi apud Micrologum *cap.* 28. *de Eccleſiaſticis obſervat.* qui vixit circa ann. 1080. apud antiquiores nondum legi. Radulphus Tungrenſis utitur hac voce *propoſ.* 22. *& habetur in Conciliis Colonienſi, Moguntino, Trevirenſi, & Generali Tridentino.* Horarium vocavere quidam, ideſt, precationum librum. *Cornel. Scult. tom.* 1. *cap.* 34.

2. Significat autem Compendium, ſive Summarium, & conciſum opus ex *Plinio lib.* 18. *cap.* 26. *& Sveton. in Auguſto cap. ult.* Item Indicem, *ut in* 2. *Concil. Tomo.* Titulus cujuſdam operis extat: Breviarium cauſæ Neſtorianorum, &c. quæ optime conveniunt Breviario Eccleſiaſtico, quod, ut ait Leſſius *de juſt. & jure, de devot. & orat. dub.* 8. admirabile

eſt

eſt myſteriorum Sac. Scripturæ compendium. Continet enim Pſalmos, in quibus per modum laudis omnia myſteria clauduntur; tum ſelectiſſima quæque veteris, & novi Teſtamenti; tum Patrum monumenta nobiliora, tum præcipua Sanctorum; breves denique Orationes, ſeu collectas a Summis Pontificibus, ut plurimum compoſitas, & indicat quotidie, quæ preces adhibendæ. *Romanus* dicitur, quia preces continet juxta Ritus S.R.E.

3. Uſus tamen Breviarii quocumque nomine vocaretur, non fuit ante Lectionarium S.Hieronymi, inquit Cornelius lo co citato, & ex dicendis magis patebit. Haymo General. Miniſter Ordinis Min. S. Franciſci ſub Greg. IX. Anno 1241. *ut ex ejuſdem Bulla patet*, Breviarium Romanum cum Miſſali reformavit, & eſt illud fere idem, quo nunc utimur, *ex Radulpho propoſ.* 17. lege *VVadingum in Annal. Min. ann.* 1244. qui tamen Rad. quam maxime dolet, fuiſſe receptum a Nicolao III. ad uſum communem, propter multitudinem Feſtorum in eodem Breviario cum diminutione ferialis Officii.

4. Reſtitutum dicitur Decr. Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *in fine*, ut intelligas non eſſe novum; editum autem a Pio V. & recognitum a Clem. VIII. & Urbano VIII. ea prorſus ratione, qua in Bullis eorumdem, de quibus nunc dicemus.

Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. -- *Breviarium vox eſt ſatis antiqua*, *&c.*) Preces vocales, quæ ſingulis diebus a Clero recitari debent, varia ſortitæ ſunt nomina apud antiquos, ut etiam adnotavit noſter Gav. *ſup. ſect.* 1. *c.* 1. Plerique Patres appellarunt has preces *Divinum Officium*, ex quo Deo præſtare, & perſolvere debemus hoc laudis Sacrificium. *Oremus*, *pſallamus*, *reddamus Domino Officium*, *& ſic ad vineam properabitis*, ait S. Hieronymus in vita S. Pacomii. Quoniam igitur Eccleſiæ oratio eſt debitum quoddam, atque Officium, quod Deo perſolvit; hinc tale nomen ſortita eſt. Appellatæ etiam ſunt hujuſmodi preces *Horæ Canonicæ*, quia a Regulis, ſive legibus Eccleſiæ, quæ Canones vocantur; præſcriptæ ſunt, vel potius quia ſtatutis horis tales preces ab Eccleſia recitandæ ſunt. S. Columbanus in ſua Regula *c.* 47. prædictas preces *Curſum* appellat, & S. Gregorius Turonenſis *l.* 1. *de gloria Martyrum* ait, opus a ſe conſcriptum fuiſſe *de Curſibus Eccleſiaſticis*, quod & alio loco repetit; *Exurgente Abbate cum Monachis ad celebrandum Curſum &c.* Fortunatus quoque, quem citat etiam Gav. ſupra citato loco, in vita S. Germani Pariſienſis, de illo ait; *iter agens ſuper nudo capite Curſum recitavit*. Rurſus in vita S. Alberti Abbatis ſub medium ſeptimi ſæculi, ſanctique Serenici legitur: *quotidie Romanum Curſum decantaſſe*; ita in ſæculo ſecundo, & tertio Benedictino, Denique S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus Clericis ſuis *Epiſt.* 17. mandans, ut Officium horis ab Eccleſia ſtatutis recitarent, eodem nomine illud appellat: *ſpeciales horas*, *& Curſum Eccleſiæ cuſtodiant.* Videatur etiam Mabillon in Diſſert. *de Curſu Gallicano*. Idem Divinum Officium in Regula S. Pacomii *Collecta* dicitur. In compluribus Conc. *Agenda* appellatur, In Conc. Agathenſi Can. 3. *Miſſæ* nomine deſignatum fuit, ut etiam alibi, nempe in primo Tomo hujus Theſauri, nos adnotavimus. In Regula S. Benedicti *opus Dei* appellatur, quod propter Deum laborem illum Sanctum ſubeamus; & ab aliis *Penſum ſervitutis* dictum fuit, tamquam Deo debitum ab hominibus ſervituti ejus devictis.

Denique idem Officium *Breviarii* appellationem acquiſivit, quæ quidem nuncupatio non eſt antiquior Micrologo, ut notat Gavant, qui teſtatur ſe apud antiquiores hanc nuncupationem nondum legiſſe.

II. Gav. n. 2. *Significat autem compendium &c.*) Officium Divinum Breviarii nomen fortaſſe ſortitum eſt, quod temporis ſucceſſu idem Officium valde contractum fuerit, præſertim apud Monachos, ut notat Grancolas *Comment. hiſtor. in Brev. Rom. l.* 1. *c.* 3. teſtatur ſiquidem S. Benedictum ad breviorem formam redegiſſe præfatum Officium, cum antea totum Pſalterium recitaretur quotidie a Clero, ipſe vero ita rem compoſuit, ut ſemel tantum in hebdomada abſolveretur, Breviarium igitur dictum eſt Officium Divinum, quaſi *Breve Horarium*, ſive *Precum Epitome*, quod quidem Breviarii nomen Micrologi Ævo, nempe anno 1080. pervulgatum fuit, & exinde ſemper uſurpatum ad deſignandum Divinum Officium. Hinc in ſtatutis Abbatum Provinciæ Narbonenſis anno 1222. promulgatis, ſancitum eſt, *ut Monachi in Sacris Ordinibus conſtituti in longo itinere profecturi ſine Breviario*, *vel Pſalterio non mittantur*, & in Spicilegio Dacheriano Tom. 6. Conc. Tholoſanum 1223. habitum *can.* 14. Laicis uſum Sanctorum librorum interdicit, præter Pſalterium, & Breviarium: *Ne libros veteris Teſtamenti*, *aut novi Laici permittantur habere*, *niſi fuerit Pſalterium*, *vel Breviarium pro Divinis Officiis*. Immo in Monaſterio Caſſinenſi reperitur Breviarium ad uſum Chori, quod cenſetur exaratum anno circiter 1100. cum hac inſcriptione -- Incipit Breviarium, ſeu Ordo Officiorum per totam anni decurſionem, Ita refert Eminentiſ. Card. de Lambertin, in ſecundo volumine ſuorum Edictorum inſtruct. 4. n. 5. Hucuſque dicta oſtendunt nomen Breviarii libro Divinorum, Officiorum appoſitum non fuiſſe, niſi poſt Micrologi ætatem, quia idem floruit circa ann. 1000. Quod ſi apud Grancolas in Commentario Hiſtorico *Breviarii Romani*, lib. 1. c. 6. legitur, S. Auguſtinum Angliæ Apoſtolum ſecum in ea Inſula Breviarium tuliſſe, non inde ſequitur, quod tunc temporis prædictum nomen fuerit in uſu, ſed nomine Breviarii intellexit prædictus Auctor Librum Pſalmorum, ſeu Divini Officii, cui applicuit illud nomen, quo impræſentiarum utimur.

III. Gavant. n. 3. *Uſus tamen Breviarii quocumque nomine vocaretur &c.*) Amalarius noni ſæculi Auctor Commentarios conſcripſit in Breviarium Romanum, atque poſt illum Rabanus, Alcuinus, VValafridus Strabo, & alii, horum poſtremus ait, Officii Romani originem a S. Petro repetendam eſſe, deinde ejuſdem Officii Romani tria tempora, ſeu ſtatus diſtinguit, cui conſonat etiam Durandus in Ration. lib. 5. cap. 2. pluresque alii. Primum conſtituunt ab Eccleſiæ exordiis, uſque ad annum 420. ajunt per ea tempora Officium Oratione Dominica, Apoſtolorum Symbolo, certoque Pſalmorum numero abſolutum fuiſſe, quæ in Cleri, & Fidelium Conventibus recitabantur, ut innuere etiam videtur S. Paulus 1. Cor. c. 14. v. 26 illis verbis: *Cum convenitis unuſquiſque veſtrum Pſalmum habet*, *Doctrinam habet*, *&c.*

Secundus Officii Divini ſtatus eſt ille, quem prædicti Scriptores aſſerunt eveniſſe poſt annum 420. ajunt enim, quod precum diverſitas confuſionem in Eccleſia pareret, & quod Hæretici Catbolicorum Officium ludibrio haberent, hinc, inſtante Theodoſio, Damaſum Papam S. Hieronymo mandaſſe, ut Pſalmorum in diei, & noctis horas diſtributionem inſtitueret; hanc autem Pſalmorum diſtributionem, necnon Lectionum digeſtionem ab Hieronymo factam, & a Damaſo approbatam, ab univerſa Eccleſia receptam fuiſſe, ſed revera hujus Officii Romani reformationis nulla habetur ſufficiens probatio, nihilominus credibile non eſt Strabonem Scriptorem alioquin ſatis accuratum hæc ſine fundamento ſcriptis conſignaſſe; unde dicendum eſt nono ſæculo monumenta quædam fortaſſe extitiſſe, ex quibus conjici potuit, prædictum Pontificem S. Hieronymo impoſuiſſe onus diſtribuendi Pſalmos, & concinnandi Lectiones in Divinis Officiis recitandas.

Poſtquam Officium Div. a S. Damaſo, ſeu potius a S. Leone, S. Gelaſio, S. Gregorio Magno, Hadriano I. Greg. III. digeſtum fuit, & in meliorem ordinem diſtributum, Greg. VII. poſtremam illi manum impoſuit, & hic dici poteſt tertius Officii, ſeu Romani Breviarii ſtatus. Officium hoc, ita a Gregorio reformatum, a Micrologo ejuſdem Pontificis Auctore contemporaneo deſcribitur; idemque Pontifex, ut in Hiſpania Romanum Officium reciperetur, effecit. Idque colligitur ex ejuſdem Epiſtolis ad Sancium Aragoniæ, atque ad Alphonſum Caſtellæ Reges datis; idemque Simeoni, in Regnis illis Epiſc. per litteras mandavit. S. Gregorius Magnus cum in Angliam S. Auguſtinum miſiſſet, Romanos libros eo perferri curavit, Romanumque Officium, & alii Ritus ibi inducti fuerunt, ut conſtat ex Conc. Cloveshovienſi habito anno 748. prohibente in illis Regionibus aliud Martyrologium, aliam Pſalmodiam, ſeu Cantilenam, quam Romanam. Hatto vero Baſileenſis Epiſcopus in ſuis Statutis anno 824. editis, Presbyteris ſuis, Breviarii Romani recitationem commendavit *Can.* 24. præſcribendo etiam, ut Horis Canonicis, diu, noctuque juxta Eccleſiæ Romanæ morem adeſſe non negligerent, Denique Pipinus, Caroluſque Magnus Officii Romani pulchritudine illecti id in ſua Regna introducere ſtatuerunt. Carolus Calvus vero Romano Officio hoc perhibuit teſtimonium. *Celebrata ſunt coram nobis ſolemnia more Hieroſolymitarum*, *& more Conſtantinopolitano*, *& ſicut in Gallia*, *in Italia*, *& Toleti*; *Sed nos ſequendam judicavimus in omnibus Romanam Eccleſiam*. Quibus verbis declaravit ſe poſt ſpectatas Orationes omnes apud Græcas, & Latinas Eccleſias uſurpatas, nihil ordine Romano ſapientius diſtributum inveniſſe. En igitur quibus laudibus commendatum fuit nono ſæculo Breviarium Romanum, ut reliquis aliarum Eccleſiarum præponeretur.

IV. Gav. eodem n. 3. - *Haymo Generalis Miniſter Ordinis Minorum ſub Greg. IX. &c.*) Quamvis Breviarii, ſeu potius Officii Divini aliqualis contractio inſtituta fuerit a S. Gregor. VII. ut ſupra diximus, ac propterea Officium ita contractum Breviarium appellari incœperit, nihilominus aliam viciſſitudinem, aliamque contractionem iterum paſſum eſt in Romana Curia Divinum Officium, currente nempe ſæculo XIII. ut Radulphus Tungrenſis *de Canonum obſervantia propoſit.* 22. refert, aitque, Pontifices, cum olim in Laterano Palatio degebant, Romanum Officium in eorum Sacello haud ita abſolutum, ut in aliis Eccleſiis, recitare conſueviſſe, quod & Pontificii Sacelli Clericis faciebant, ut negotiis ſuis vacare poſſent, additque Radulphus bujus Officii ordinarium ſe vidiſſe collectum, Innocentii III. tempore. Hoc Breviario uſos fuiſſe Minores creditur, cum S. Franciſcus eorum Inſtitutor eis mandaſſet, ut Divinum Officium ſecundum ordinem Romanæ Eccleſiæ peragerent, Exiſtimantes igitur Eccleſiæ Romanæ morem illum eſſe, qui in Pontificis Sacello ſervabatur, & cum præterea Miſſionibus Apoſtolicis diſtinerentur, ideo contractum Breviarium, quod in Pontificis Sacello recitabatur, ſuſcepere. Breviarium porro iſtud cum male digeſtum eſſet, Haymo Franciſcanorum Generalis in id incubuit,

ut

ut Officium, quod Romanum dicitur, reformaret, & ad meliorem ſtatum, mandante, & approbante Gregorio Papa IX. perduceret; idque colligitur ex VVadingo tom. 3. Annalium Minorum ad annum Chriſti 1244. Religionis Minorum 37. Nicolaus vero III. teſte laudato Radulpho mandavit, ut Breviarium prædictum in ſingulis Romanæ Urbis Eccleſiis adhiberetur. Sciendum eſt, quod Nicolaus PP. III. natione Romanus de genere Urſinorum, qui cœpit anno 1277. & Palatium apud S. Petrum conſtruxit, fecit in Eccleſ. Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Miſſalia, & alios libros Officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cætero Eccleſiæ Urbis uterentur libris, & Breviariis Fratrum Minorum, quorum Regulam etiam confirmavit, unde hodie in Urbe Roma omnes libri ſunt novi & Franciſcani -- hæc Radulphus, qui antecedenter dixerat duplicem olim fuiſſe Romæ modum Divini Officii, ut etiam nos innuimus, unum breviorem, quo Romana Curia, ſeu Capella Pontificis utebatur, alterum prolixiorem pro cæteris Eccleſiis Urbis, qui proprie Ritus Romanus dicebatur; opera vero Fratrum Minorum utrumque Officium Curiæ, & Eccleſiæ in unum coaluiſſe, haud prolixiori, & proprio abrogato, omnes poſtea Eccleſiæ, excepta Lateranenſi, Officium Curiæ uſurpaverint. Sed Radulphum vel in Fratres Minores male affectum, vel deceptum fuiſſe, evidenter probare contendit Franciſcus Pagius in *vita Nicolai III. n. 22.* ex eo, quod centum fere annis ante inſtitutionem, & confirmationem Ordinis Minorum factam ab Honorio III, omnes Eccleſiæ Urbis, excepta Lateranenſi, rejecto Officio antiquo, quo Romana Eccleſia utebatur, novum illud Breviarium jam admiſiſſent. Quod certo eruitur ex Petro Abaelardo, qui in Epiſtola Apologetica, quam ſcripſit adverſus S. Bernardum p. 250. ait: *Antiquam Romanæ Sedis conſuetudinem nec ipſa Civitas* (Romana) *tenet, ſed ſola Eccleſia Lateranenſis, quæ Mater eſt omnium, antiquum tenet Officium, nulla filiarum ſuarum in hoc eam ſequente, nec ipſa etiam Romani Palatii Baſilica*, ideſt Capella Pontificia. Si itaque Petri Abaelardi tempore, hoc eſt circa annum 1140. in omnibus Eccleſiis urbis Romæ legebatur illud Officium Breviatum, quo pacto dicere potuit Radulphus, Nicolaum III. mandaſſe, *ut Eccleſiæ Urbis uterentur Libris, & Breviariis Fratrum Minorum*, cum centum, & quinquaginta circiter annis ante Nicolaum III. Officium illud breviatum, quod, ut idem Radulphus aſſerit, *ſecuti ſunt Fratres Minores*, in omnibus Romanæ Urbis Eccleſiis, excepta Lateranenſi, legeretur, quod aliquo modo fatetur ipſemet Radulphus, dum ait, ſe vidiſſe *Romæ hujus Officii ordinarium a tempore Innocentii III. recollectum*, ideoque ante Fratres Minores? Hæc omnia Franciſcus Pagius, qui alia ſubdit in vindicando ſuo ordine Franciſcano a Radulphi querimoniis. Verum cum ipſemet Wadingus loco ſupracitato fateatur, Breviarium ab Haymone correctum juſſu Gregorii IX. eo auctoritatis perveniſſe, ut in ordinarium S. R. E. Ritum tranſiverit præcipiente Nicolao III. idque probante VVadingo ſupra adducta auctoritate Radulphi Tungrenſis, mihi videtur ſuſtineri poſſe, Nicolaum III. præſcripſiſſe omnibus Eccleſiis, in quibus jam introducta erat recitatio Officii contracti, ſed male digeſti, celebrationem ejuſdem Officii, & uſum aliorum librorum, ſed juxta emendationem, & correctionem factam ab Haymone Franciſcanorum Generali, & a Gregorio IX. approbatam.

Breviarium Romanum modo ſupradicto a Fratribus Minoribus contractum, ſeu potius recognitum, & correctum, brevius adhuc redditum fuit hortatu Clementis VII. a Franciſco Quignonio Cardinali S. Crucis, & inſcriptum eſt hoc Titulo -- Breviarium Romanum ex Sacra potiſſimum Scriptura, & probatis Sanctorum hiſtoriis &c. -- Prædictum Breviarium editum reperio prius Romæ Anno 1536. deinde Venetiis 1537. Typis Lucæ Antonii Junctæ in 8. & iterum Venetiis 1546. in officina ad ſignum Agnus Dei pariter in 8. & denique iterum Venetiis, 1563. apud hæredes Lucæ Antonii Junctæ, quæ quidem editiones Venetæ aſſervantur in noſtra Bibliotheca S. Sylveſtri de Urbe in Quirinali. Quamvis hoc Breviarum, regnante Clemente VII. confectum fuerit, nihilominus nonniſi ſub Pontificatu Pauli III. fuit promulgatum, & non ſolum Romæ, & Venetiis, ut mox expoſuimus, ſed etiam Lugduni, & Pariſiis, & quidem pluries editum fuit, ut infra dicemus. In hoc Breviario perlegebatur totum Pſalterium ſingulis hebdomadis, terni Pſalmi ſingulis horis Canonicis, unius longitudine cum alterius brevitate ſic compenſata, ut labor legendi diurnus par penemodum fuerit omnibus diebus, ſive de Feria, ſive de Feſto recitaretur officium. Rurſus in eodem Breviario Veteris Teſtamenti magna, & utiliſſima pars, totum vero novum, præter partem Apocalypſis in toto anno legebatur: In eodem Breviario ſemiduplicibus expunctis ſola duplicium, ac ſimplicium diſtinctio ſervabatur, quorum inter ſe diſcrimen in hoc maxime poſitum erat, quod illa duas, pridie videlicet, atque ipſo die; iſta vero unas dumtaxat ipſo die Veſperas haberent. Nulla in eodem Breviario reperiuntur Capitula, nulla Reſponſoria, nulli verſiculi, non quia hæc ſupervacanea, aut inutilia viderentur (augent enim, ut fatetur Auctor ejuſdem Breviarii in ſua Præfatione, pietatem, & ſunt Scripturæ Sacræ particulæ) ſed quoniam cum introducta ſint ad Cantus potiſſimum modulandos, & legentes ſæpe morentur cum moleſtia recitandi, idcirco hæc prætermitti ſatius judicavit Quignonius contentus Lectione Scripturæ Sacræ, quæ, ait ipſe, magis facit ad pietatem, atque doctrinam privatim legentium, quorum hac quidem in parte majorem rationem habere voluit, quam concinentium. Denique deſideratur in hoc Breviario Officium parvum B. V. in aliis Breviariis uſitatum, cujus omiſſione non minuitur ejuſdem Virginis honor, ait Quignonius: Nam paucis Feſtis exceptis, quotidie variis Commemorationibus adoratur, & obſecratur: Atque ejus memoria multis dicatis eidem Feſtis, & Octavis pro cujuſque ratione celebratur, ipſique ſolitum Officium tribuitur Sabbatis fere omnibus, præterquam in Quadrageſima.

De hoc Breviario Quignoniano ſpecialem mentionem facit Ricardus Simon in primo Tomo ſuorum Epiſtolarum Selectarum Epiſt. 27. data ſub die 4. Januarii 1685. atque hujuſmodi Breviarium a Facultate Pariſienſi primum fuiſſe rejectum, & ſe legiſſe in Regeſtis ejuſdem Facultatis cenſuram ab eadem factam anno 1535. quæ eſt ſub hoc Titulo -- Notæ Cenſuratiæ S. Facultatis in Sacrum Quignonii Breviarium. In qua quidem cenſura adnotatum fuit diſcrimen, quod reperitur inter hoc, & antiqua Breviaria, ſequentibus præciſis verbis. Cum autem hæc uſque adeo ſalutaria Eccleſiæ inſtituta in Eccleſiaſticis Officiis a primordio ferme Eccleſiæ ad hæc uſque tempora ſervata fuerint, mirum quonam pacto is, qui novum hoc Breviarium edidit, hæc omnia rejiciat, ac rejicienda decernat, tamquam, ut inquit, nec ad pietatem, nec ad cognitionem Sacræ Scripturæ, magnopere conducat,...,... parum quoque ſapere ſobrie viſus eſt hujuſmodi Scriptor dum ſuam unius ſententiam antiquis Patrum decretis, Communi & approbato uſui, ac Eccleſiæ authenticis Hiſtoriis minime erubuit præferre; proinde ut quam periculoſa ſit, nec ferenda hujuſmodi Breviarii editio cognoſcant omnes, operæ pretium eſt oſtendere. Ex quibus liquet Theologos Pariſienſes non approbaſſe impreſſionem hujus Breviarii, & in eadem Cenſura ſubnectunt alia argumenta ſupprimendi eundem compendiarium curſum Divini Officii. Seidanus Auctor Lutheranus lib. 9. conſcius prædictæ cenſuræ, audacter aſſerit, a Theologis Pariſienſibus Quignonianum Breviarium tamquam Hæreticum fuiſſe proſcriptum, ſed impudentiſſime loquitur, cum ex cenſura ſupradicta ſatis conſtet, non tamquam hæreticum, ſed ob alia motiva Facultatem Pariſienſem non approbaſſe dictum Breviarium, & equidem paucis poſt annis, & alio adhibito examine ejuſdem Breviarii eadem Facultas mutavit ſententiam, permiſitque anno 1540. novam editionem dicti Breviarii, quæ Lugduni ſecuta fuit, & facta legitur cum privilegio ſummi Pontificis, & Galliarum Regis ſine approbatione tamen Inquiſitoris Orii, & Doctorum Sorbonenſium. Deinde de anno 1552. iterum idem Breviarium prodiit Lugduni Typis Teob. Pagani cum Regio privilegio, & accedente correctione, & examine Matthæi Orii Doctoris Theologi, & Inquiſitoris Generalis, & cum approbatione Facultatis Sorbonæ juxta normam illorum temporum. Apud eumdem Pagani impreſſum jam fuerat idem Breviarium de anno 1547. & 1548. ibidem Lugduni pariter editum fuerat apud hæredes Biain Gnidonis de anno 1557. & de anno 1544. in fol. Typis Bald. Arnoullet. Pariſiis vero anno 1542. Typis Ambr. Graud. in 4. & rurſus ibidem typis Franciſci Maguet in 8. majori; anno vero 1545. typis Thiel Kervel in 12. Ejuſdem Breviarii uſus quadraginta circiter annorum ſpatio perſeveravit, nimirum a Paulo III. uſque ad S. Pium V. Pontificem maximum, numquam tamen præcepta fuit, ſed ſolum permiſſa hujuſce Breviarii recitatio.

V. Gav. n. 4. *Reſtitutum dicitur Decr. Conc. Trid., editum autem a Pio V.* Quamvis Breviarium Quignonianum ab aliquibus fuerit admiſſum, non omnes tamen Eccleſiæ, neque Regulares Ordines eo utebantur; multi enim Diœceſeon ſuarum peculiaria Breviaria adhibebant, & nonnulli alii priſcum Romanum recitabant. Hujuſmodi erant noſtræ Congregationis Patres, qui, ut refert Antonius Caracciolus in notis ad noſtras Conſtitutiones, ſeu in Synopſi Veterum Religioſorum Rituum *part. 1. ad Caput primum*, *n. 11.* numquam Quignonii illud Breviſſimum Officium, quamvis licuiſſet, recitarunt; porro tanti fecit Clem. VII. Joannis Petri Caraffæ, & Cajetani Thienei, aliorumque noſtrorum Patrum Sacrorum Rituum eruditionem, & in divino cultu exquiſitiſſimam diligentiam, ut anno Chriſti 1529. iiſdem per literas Apoſtolicas, quas refert Hiſtoricus noſter Joſeph Silos *part. 1. pag. 95.* conceſſerit, ut Miſſas, & Divina Officia ipſorum, ac præcipue Caraffæ induſtria ad meliorem formam compoſita per annum publice experiri, atque in Choro recitare liceret; eaque noſtrorum Patrum experimento probata, exacteque recognita poſſet poſtmodum ſedes Apoſtolica publico Eccleſiarum uſui tradere. Quod & fecit: Nam jam dictum Miſſale, & Breviarium, quod noſtri Seniores ediderant, Conc. Trident. primo delatum eſt: Inde vero quod Concilii PP. graviſſimis aliis occupationibus, & negotiis diſtenti, Sacris Ritibus, Officiiſque recognoſcendis vacare non poſſent, cura ejuſmodi ad Summum Pontificem rediit: itaque Pius V. noſtrorum Patrum correctionibus, & commendationibus valde approbatis, & Bernardini Scoti Cardinalis Tranenſis, ac Thomæ Goldwelli Epiſcopi Aſaſenſis, Præſulum e noſtro Ordine inſignium, opera, atque eruditione ad hanc rem perficiendam adhibita,

Miſſa-

Digitized by Google

Miſſalem librum, & Breviarium Sacrarum precum ad priſtinum decorem, gravitatemque reſtitutum, ac methodo certiore diſpoſitum, uſui Eccleſiarum Chriſtiani Orbis feliciter tradidit, ut liquet ex ejus Bulla Breviario Romano præfixa. Prædicta omnia tradit laudatus Caracciolus loco citato, & fuſius narrat in vita Pauli IV. noſtri Ordinis conditoris ab eodem diligenter digeſta, ſed nondum prælo commiſſa: eadem pariter refert Cronologus noſter ſupra citatus, qui addit perdifficile hoc negotium ad auctoritatem, judiciumque Romani Pontificis poſt Concilium Tridentinum iterum relatum, tandem fauſte abſolutum a Pio V. qui in iis, quas in Romani Breviarii fronte literas affixit, ſe, & anteceſſores ſuos a Paulo IV. exemplar, ac poſthumas ejus curas teſtatur ſecutos quam ſtudioſiſſime fuiſſe, neque ab hac mente Tridentinorum PP. propoſitum diſcrepaſſe iis verbis: *Patres in illa ſalutari reformatione a Concilio Conſtituta Breviarium ex ipſa Pauli IV. ratione reſtituere cogitarunt*. Suſtulit itaque S. Pontifex Pius V. graviſſimis ductus rationibus, ac potiſſimum, ne in materia Divini cultus quidquam innovaretur, uſum Breviarii Quignoniani, quod a præcedentibus Pontificibus Clemente VII. & Paulo III. erat quidem approbatum, ſed non generatim, videlicet pro Eccleſiaſticis in ſæculo degentibus duntaxat, ac dummodo ſpecialem ſinguli ſuper hoc ab Apoſtolica Sede facultatem haberent, ut teſtatur Ludovicus Donius d' Atticbis tom. 3. Florum Hiſtoriæ Sacri Collegii ad annum Chriſti 1527. n. 14. ubi ſubnectit, quod ſi uſum hujuſce Breviarii abrogavit Pius PP. non propterea Quignonii intentionem damnavit, immo meritus eſt unuſquiſque laudem ſuam apud Deum & homines tam Pontifex, quam Cardinalis, qui nunquam cogitavit inventum ullum novum in Eccleſiam inducere, niſi approbantibus, & annuentibus ſummis Pontificibus, quorum cenſuræ omnia ſua dicta, ſcriptaque perpetuo ſubjecit, unde ad calcem Præfationis, quam Breviarii ſui fronti præfixit, Paulum PP. III. cui eam direxit, ſic affatus eſt: *Habes Pater SS. inſtituti noſtri rationem, habes formulam Breviarii; ſupereſt, ut ſi tibi res, quemadmodum ſperamus, non improbabitur, ipſe quoque faveas inceptis noſtris, & labori publicæ commoditatis gratia ſuſcepto*.

De hujus Breviarii ſuppreſſione ſermonem etiam habet Ciaconius in vita Clementis VII. qui Quignonium PP. Franciſcanorum Generalem Sacro Collegio adſcripſit: de quo communiter Cardinali S. Crucis in Jeruſalem nuncupato, commendabilem etiam mentionem faciunt Onuphrius in Clemente VII. Marcus Ulyſſiponenſis Epiſcopus Portuenſis, ſeu potius Portugallenſis ſub Archiepiſcopatu Bracarenſi *Part. 3. Chronicor. Ord. Seraphici lib. 8. c. 11. & 47.* Bzovius ad annum 1526. & 1527. Spondanus ad annum 1527. Waddingus Laudatiſſimus ſcriptor, Ordinis Minorum.

## De Bulla Pii V. & de uſu Breviarii Romani. Cap. II.

### *GAVANTUS.*

DAta fuit Bulla Pii V. *ſeptimo Idus Julii 1568. Anno tertio*, in qua Pontifex multa facit.

1. Primo ſignificat cauſam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.

2. Enarrat ea, quæ in hac re præſtitere Paulus, & Pius nomine Quarti, & quam ipſe adhiberi operam curavit ex Decreto Concilii Trid.

3. Tollit, & abolet omnino Breviarium a Cardinale Sanctæ Crucis compoſitum, quod erat breviſſimum. Item alia Breviaria Romana, & alia, quæ ex inſtitutione, vel conſuetudine legitima non ſuperant ducentos annos.

4. Permittit tamen, ut antiquiora non Romana ducentis annis poſſint mutari in hoc Breviarium; iis omiſſis, ſi Epiſcopus, & univerſum Capitulum conſentiunt.

5. Revocat omnes permiſſiones, conſuetudines, ſtatuta, privilegia, licentias, & indulta precandi, & pſallendi more, & Ritu prædictorum Breviarorum ſuppreſſorum.

6. Præcipit obſervari hoc Breviarium in toto Orbe cum exceptione 200. annorum, de qua ſupra.

7. Statuit nihil in eo mutandum, addendum, detrahendum.

8. Obligat quoſque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non ſatisfaciant muneri ſuo.

9. Jubet omnibus Prælatis ut hoc introducant tam in Choro, quam extra Chorum.

10. Tollit obligationem, quæ erat ſub mortali, recitandi extra Chorum Officium parvum Beatæ M. Virg., & Defunctorum, Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales juxta Rubricas Breviarii.

11. Hortatur, ut recitentur eadem propoſitis indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum B.M.V. & Defunctorum, quinquaginta recitantibus Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales, quando Rubricæ ea præſcribant.

12. Non tamen tollit laudabilem conſuetudinem, ubi eſt, recitandi Officium parvum B.V. in Choro, immo eamdem confirmat; & tandem tempus decernit obligationis ad uſum Breviarii poſt ejuſdem publicationem. Hæc Pius V.

13. Ex quibus collige primo ubi aliquando, omiſſo proprio & licito Breviario, receptum eſt illud Pii V. non poſſe amplius omiſſum repeti. *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 12. n. 5.*

14. Habenti privilegium utendi antiquiore Breviario 200. annos ſuperante, non eſt licitum, privatim uti Romano, relicto ſuæ Religionis, vel Eccleſiæ proprio. *Bonag. diſput. 1. q. 3. punct. 1. n. 3.* & putat probabilius; unde oppoſitum quoque ſuſtineri poteſt, & præſertim, ſi raro fiat, *n. 5.* & niſi præceptum alieni Breviarii extet, ut Mediolani pro Breviario Ambroſiano *n. 6.*

15. Qui Romæ degit, poteſt uti Breviario Romano. *Idem ibid. n. 7.* Monachus tamen non poteſt uti Romano, quippe qui promiſit obſervantiam ſuæ regulæ, *Ibid. ad Tertiam ex Sylv. V. Hora q. 1. dicto*.

16. Qui alio concedit, animo conſtituendi ſibi domicilium vel ibi manendi majore anni parte, tenetur uti Breviario loci, ubi moratur; ſecus minime. *Bonac. in num.* 8.

17. Qui duo habet Beneficia in locis, ubi diverſa Breviaria ſunt in uſu, debet in Choro uti Breviario loci, ubi reſidet: extra Chorum vero uti Breviario loci, ubi dignius, non pinguius habet beneficium, quod ſi æqualia ſint dignitate, uti ad libitum utroque Breviario. *Sylv. loco cit.*

18. Qui in una Eccleſia habet beneficium, & in altera Diœceſi habet domicilum, ubi Breviarium eſt diverſum, tenetur adhibere Breviarium domicilii. *Suar. n. 6. loco c.* contra quem alii putant prævalere Breviarium beneficii, cum ex eo ſurgat obligatio Officii. *S. Thomæ quodlib. 6. art.* 8.

19. Non poteſt Epiſcopus cum aliquo diſpenſare, ut relicto proprio Breviario, recitet Officium juxta formam alterius Breviarii. *Bonac. n. 19.*

20. Poteſt Epiſcopus curare, ut Breviarium Romanum recipiatur, uti in Bulla dictum eſt, & univerſum Capitulum conſentire debet, ideſt, in unum locum coactum, & congregatum; non tamen omnium, & ſingulorum conſenſus eſt neceſſarius, *Suar. c. 11. num. 4. ad fin.*

21. Nihil addi poſſe juſſit Pius Breviario, hoc eſt tamquam partem Officii notabilis; ſi quid modicum addatur ex devotione, non peccatur contra Bullam. *Bonac. n. 21.*

22. Edita vero Bulla Pii V. ceſſavit omnis antiqua facultas Epiſcoporum circa feſtorum officia, quam habebant ex Sac. Canonibus Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quos refert *Quaranta in ſum. Bullarii, Verbo Archiepiſcopus n. 23.* ubi idem docet, attendendam eſſe nunc Pii V. Bullam, in qua prohibetur omnis additio, ſeu mutatio Breviarii Romani reformati & poſtea recogniti a Clemente Octavo.

23. Ceſſaverunt etiam conſuetudines quæcumque, & privilegia Sedis Apoſtolicæ contra novum Breviarium, quod innuimus *ſupra num. 3. & 5.* Unde non potuerunt retineri Officia recitata ante Pium V. ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, quia retinere officia abrogata eſt idem ac addere Breviario Pii V. ſeu mutare Officium in Brev. quotidie præſcriptum.

24. Et hic eſt ſenſus eorum verborum Decreti 8. *Aprilis* 1628. renovati, locupletati, & nunc impreſſi in Breviario: nimirum. *Non potuiſſe, neque poſſe locorum Ordinarios addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum Officia, niſi ea duntaxat, quæ ex Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur*; hoc eſt, non potuerunt addere poſt publicatam Bullam Pii V. quod poterant ante illam.

25. Neque potuerunt iidem Ordinarii, neque poſſunt (quod habetur in eodem Decreto) eadem de cauſa mutare Ritum in altiorem, puta de ſimplici in ſemiduplicem, vel duplicem propria auctoritate, licet cauſa videretur juſta, non enim ſufficit cauſa legitima; ſed eſt neceſſaria quoque Sedis Apoſtolicæ auctoritas, vel Sacræ Congr. Rituum licentia.

26. Et hinc ſequitur, quod ſine prædicta facultate non poteſt fieri Officium, eo quia devotio populi adeſt, ſeu votum.

Neque, quia Clerus conſentit in Diœceſana Synodo.

Neque, quia voluntas teſtatorum legato proprio juſſit Officium de Sancto, quod non eſt in Kalendario.

Neque, quia titulus eſt Cappellæ, ſeu Altaris.

Neque, quia ille Sanctus fuit Archiepiſcopus loci, vel Titularis Eccleſiæ Matricis reſpectu Officii totius Cleri.

Neque, quia ille eſt ortus ibi, aut martyrium ibi eſt paſſus; vel ibid. obierit Confeſſor.

Neque quia translatio eſt Reliquiarum.

Neque, quia uniti ſunt reditus alicujus Eccleſiæ, vel unita ipſa Eccleſia alteri.

Nec eo, quia titulus eſt præbendæ Canonicalis, aut dignitatis.

Neque quia in aliquo loco celebrata eſt aliquando a Papa alicujus Sancti Canonizatio.

Nec eo, quia conformare ſe debent Eccleſiæ minores Matrici, ſeu Cathedrali.

Neque quia Feſtum populi eſt de præcepto, vel conſuetudine, quod poteſt eſſe ſine Officio, ut Romæ Feſtum S. Rochi.

Neque, quia habetur in Civitate, ſeu loco Abbatialis, vel Regularis, vel Parochialis Eccleſia.

Neque quia penſionem quis habeat ſuper aliquam Eccleſiam.

Neque quoad Regulares, quia vivunt ſub Regula Sancti, a quo tamen non pendent in propria origine.

ad

Neque eo quia communicationem habet unus Ordo Privilegiorum alterius Ordinis, quæ communicatio non extendi debet ad Officia, ſeu Feſta Sanctorum; non ad omnia, quod nnn fit; nec ad aliqua, cum non ſit minor ratio de unn Feſtn, ſeu Officin, quam de alio celebrando. Et ratio prædictorum eſt, quia in Rubricis Pii V. nulla fuit, neque eſt certa lex de his Officiis; & licet juſta in aliquibus ſit cauſa, petenda tamen eſt licentia omittendi Officium tali die in Breviario præſcriptum, ut aliud de prædictis recitetur.

27. Dices: in Rubricis habentur ſæpius hæc verba, ut *titul. 1. num. 1. tit. 2. num. 1. & alibi*, Feſta Sanctorum illorum, *quæ conſueverunt celebrari*: ergo concedit Pius V. retineri adhuc conſuetudines. Reſpondeo, quod ſic ſe habet textus, *celebrari conſueverunt ſolemniter*, vel *ſolemnius*: tum quia alioquin Pius V. ſibi eſſet contrarius ſi in Rubricis concederet conſuetudines, quas abrogavit in Bulla, non enim abrogavit conſuetudines ſolemnes, quas concedit in Rubricis, tum quia vere conceſſit retineri Feſta Sanctorum in locis propriis; non autem quæcumque Faſta, ſed ſolemniter celebrata.

28. Dices adhuc; *In iiſdem Rubricis tit. 7. n. 4.* habentur præciſe ſine adverbio hæc verba: *conſuevit celebrari*, *& tit. 5. num. 1. conſuetum celebrari*: ergo ſufficit conſuetudo ſimpliciter, non ſolemnis. Sed facile reſpondeo, poſteriores textus pendere a prioribus, ergo in eodem ſenſu accipiendi ſunt ut priores, qui addunt adverbium: *ſolemniter*, ne pugnent invicem ipſæmet Rubricæ priores, & poſteriores.

29. Quid eſt, ais, *ſolemniter?* Reſpectu Cleri ſæcularis, ſignificat Feſtivitatem, aut populi, aut Cleri cum pompa exteriori, puta proceſſione, apparatu, concurſu, & hujuſmodi, & ita declaravit S. R. C. *die* 28. *Octobris* 1628. reſpectu vero Regularium, & Congr. ſignificat ſingularem quemdam cultum non communem aliis Faſtis de Kalendario: quæ ratio cum non in omnibus Feſtis in Hiſpania celebratis adeſſet, recurrerunt eæ Eccleſiæ ad Gregorium XIII. *Anno* 1573. & obtinuerunt, poſſe retinere Feſta Civium, Reliquiarum inſignium, & alia ejuſmodi; quod & tandem præſtitere ſero omnes Eccleſiæ Italiæ poſt Decretum præſatum 8. *Aprilis* 1628. editum, quibus S. R. C. multa conceſſit rationabilia, & eſt parata aliis concedere ſimilia.

30. Poſtremo reſtat dubium: An per Bullam Pii V. derogetur Bullis Canonizationum Sanctorum: in quibus videntur Pontifices dare facultatem recitandi Officium de Canonizato in die mortis ejus ſolemniter ad formam in Rubricis Breviarii Romani præſcriptam.

Verum patet omnibus, quod de omnibus Canoniaatis non fit Officium ab omnibus: deinde ex Rubricis Breviarii non apparet de unoquoqua Canonizato, an ſimplex, ſemiduplex aut duplex Officium fieri debear, & eſt neceſſarium novum decretum de Ritu, quo fieri debet Officium, quod expreſſe decrevit S. R. C. *die 7. Decembris* 1628. de hoc ipſo caſu interrogata. Vel dicerem, loqui Pontifices copulative (&) una cum ædificio Eccleſiatum, de quo in Bulla, fieri poſſe Officium ſolemne tanquam de Titulari Eccleſiæ, quod habetur in Rubricis Breviarii, hoc eſt primæ Claſſis cum octava.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 2. *Enarrat ea, quæ in hac re præſtitere Paulus, & Pius nomine quarti &c.*) In brevi hiſtoria, quam ſupra tradidimus Breviarii Romani a Pio V. reformati, & recogniti nonnulla enarravimus circa ea, quæ præſtitit Paulus IV. Congregationis noſtræ Inſtitutor, unde ne eadem repetamus, nunc prætermittimus.

II. Gavant. num. 4. *Abolet omnino Breviarium a Cardinali S. Crucis compoſitum &c.*) De hoc Breviario a Cardinali Quignonio compoſito, & a S. Pio proſcripto ſatis locuti ſumus ſupra, & idcirco ad alia addenda nunc progredimur.

III. Gav. n. 13. *Non poteſt amplius omiſſum repeti &c.*) Ubi omiſſo proprio Breviario, receptum eſt illud Sancti Pii V. non ſolum ex ſententia Suarez non poteſt amplius omiſſum repeti, ſed etiam ex Decreto S. R. C. edito die 15. Martii 1608. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 31. in quo declaratue, quod uſus Miſſalis, & Breviarii Romani ſemel introductus in Eccleſia, quæ habebat particulare Miſſale, & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire in uſum Antiqui Miſſalis, & Breviarii.

IV. Gav. n. 24. *Et hic eſt ſenſus eorum verborum Decreti &c.*) Decretum, quod affertur ſupra a Gavanto datur in noſtro Indice *ſub n.* 58. quod quidem Decretum eamdem prorſus vim habet, ac ipſæ Bullæ Pontificiæ, & Breviarii Rubricæ, tum quia eſt a S. R. C. editum, & ejus obſervantia omnibus ſtricte præſcripta, tum quia idem Decretum laudavit, & approbavit Urban. VIII. & ab omnibus ſub pœnis Conſtitutionis Pii V. ubique reſpective ſervari præcepit noviſque Breviariis imprimendis præfigi mandavit.

Præfati autem Decreti obligatio ſe extendit ad omnes Ordinarios tam Sæculares, quam Regulares, quo nomine cum Epiſcopi comprehendantur, multo magis qui iis ſunt inferiores, nimirum Abbates, Decani, Præpoſiti, cæterique Eccleſiarum Præſides. Rurſus etiam Capitula, & Monaſteria a Juriſdictione Ordinariorum exempta. Diſpoſitio tamen allegati Decreti ſic accipienda eſt, ut non afficiat eos, qui Romano uſui adſtricti non ſunt, nam qui ex Bulla Pii V. ſuo adhuc proprio Breviario gaudent, neque hoc Decreto urgentur juxta Sententiam Guyeti *lib. 1. c. 2. q. 3.* quia cum acceſſorium ſequatur naturam principalis, illi, qui ad principalem non obſtringuntur, neque ad acceſſorium tenentur, ita Guyet. Sed ſi ex vi hujus Decreti non obligantur prædicti ad ſervanda ea, quæ ibi ſtatuuntur, ex aliis tamen Eccleſiæ ſtatutis, & Canonibus eadem profecto præſtare debent, cum nonniſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ interveniente poſſit addi Kalendariis nova Sanctorum Officia, & mutari eorumdem Ritus: ita etiam de Sanctis Epiſcopis locorum Martyribus, Civibus, & aliis Feſtis, de quibus in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, ut etiam de Beatis non Canonizatis nihil propria auctoritate ſtatuere debent Ordinarii locorum, ſed omnino conſulenda eſt S. R. C.

V. Gav. num. 26. -- *Neque quia ille Sanctus Archiepiſcopus loci, vel Titularis Eccleſiæ Matricis, &c.*) Quomodo Clerus debeat celebrare Officium Sancti Titularis Eccleſiæ Matricis tractabimus infra *ſect. 3. cap. 12. n. 7.*

VI. Gav. eodem n. 26. -- *Neque eo quia communicationem habet unus Ordo privilegiorum alterius Ordinis, &c.*) Hæc Gavanti ſententia, quod communicatio privilegiorum, quam habent Ordines Regulares, non extendi debeat ad Officia, ſeu Feſta Sanctorum, confirmata fuit nonnullis Decretis editis a S. R. C. quæ data ſunt in noſtro Indice *ſub num.* 102. 107. 238.

VII. Gav. n. 27. -- *Conceſſit retineri Feſta Sanctorum in locis propriis, non autem quæcumque Feſta, ſed ſolemniter celebrata, &c.*) Tuetur hic Gavantus ſuam ſententiam de Feſtis Sanctorum illorum, quæ conſueverunt celebrari in aliquibus locis propriis, nimirum quod Sanctus Pius V. in ſua Bulla abrogavit omnis hujuſmodi Feſta, & ſolum continuati permiſit illa, quæ ſolemniter ſolebant celebrari? Quæ autem talia recenſenda ſint, declarat poſtmodum num. 29. Hoc vero ideo ſic adſtruit, quia, inquit, alioquin Pius V. ſibi eſſet contrarius, ſi in Rubricis concederet conſuetudines quas abrogavit in Bulla, unde cum in Rubricis *tit. 1. n. 1. tit. 2. n. 1.* & alibi concedantur tantum conſuetudines Feſtorum, quæ conſueverunt celebrari *ſolemniter*, *vel ſolemnius*; hinc infert cætera Feſta non ſolemnia per Bullam Pii V. abrogata fuiſſe. Sed Guyetus *lib. 1. cap. 13. quæſt. 2.* miratur tantum virum in tam levi ſalebra, vel minimum hæſitaſſe. Quaſi idem ſint conſuetudines, quas in Bulla Pontifex abrogat, & Feſta celebrari conſueta, quæ per citatas Rubricas concedit. Abrogat quidem Pontifex, ut ipſemet loquitur in Bulla; *omnes, & quaſcumque Apoſtolicas, & alias permiſſiones, ac conſuetudines, ſtatuta, privilegia, licentias, et indulta precandi, et pſallendi more, et Ritu Breviariorum ſic ſuppreſſorum*, videlicet Quignonii, & Propriorum, quæ ſibi quemque fere Epiſcopatum confeciſſe conqueritur; ac hic loquendi modus non eſt abrogare Feſta in qualibet Eccleſia, uſu aliunde legitimo, recepta, ſed eſt abrogare Ritum, & modum prædicta Feſta celebrandi a Romano Breviario alienum, qualis eſt recitandi in Matutino, ac Veſperis tres tantum Pſalmos, non duplicandi Antiphonas, omittendi Reſponſoria, &c. Diſtinguere igitur debemus Ritum a Feſto, & conſiderare Feſtum tamquam materiam, Ritum vero tamquam formam, hanc abrogavit quidem Pontifex, non vero illam, ita ut ſi Feſta illa celebrentur, non amplius juxta Ritum, & modum prædictorum Breviariorum, ſed ut diſerte habet *Rubr. 1. n. 1. ſervata forma Breviarii*, ſcilicet Romani, quidquam prorſus contra Bullam, fieri, nemo jure exprobret. Qua explicatione plana, ac facili quiſque videt nedum ſibi invicem repugnare Bullam, ac Rubricas, ut potius harum, & illius maxima ſit convenientia. Hæc Guyetus *loc. cit.* qui inſuper addit, quod hanc explicationem ipſemet Gavantus non poteſt non admittere, quia *ſect. 10. c. 2.* ſic loquitur: *Proprios mores unaquæque habet Eccleſia, et laudabiles conſuetudines, quas non tolli a Cæremoniali Romana, neque a Rubricis Breviarii ſæpius declaravit S. R. C.*

Quod autem vim facit Gavantus illo adverbio *ſolemniter*, vel *ſolemnius* (ait Guyetus) leve eſt, immo nullum, tum quia, ut ipſemet ſibi objicit, *Rubrica 5. numer. 1.* præciſe habetur *conſuetum celebrari*, & *Rubrica 7. numer. 3. conſuevit celebrare*, ſine prædicto adverbio, *ſolemniter*; tum quia vox illa *ſolemniter* non eo ſenſu accipitur, quem ipſe ſubjicit, ſed alio ad mentem ipſius minime faciente, immo refragante potius, quem ſenſum ſequenti *quæſt. tertia* diſcutit idem Guyetus, & reſolvit, quod ſolemne dicitur Feſtum id, quod ſtato die ſolet in Anno celebrari, ſic ut nunquam omittatur, qualia ſunt Feſta omnia duplicia, ac ſemiduplicia, de quibus fit ſemper Officium, ſive proprio die, nimirum eo, quo ſignantur in Kalendario, ſive alio conſequenti, ſi quando ea transferri contingat. Quæ autem firmius ſtant in ſuo die, ac minus facile ab eo dimoventur, ſolemniora ſunt, hincque fortaſſe ortum habet Claſ-

ſium

ſium diſtinctio, ut alia ſint primæ, aliæ ſecundæ Claſſis, &c. ſimplicia vero Feſta cum non ſemper habeant Officium, ſed plerumque impedita omitrantur, proprie ſolemnia nec ſunt, nec dici debent. Et revera in Rubricis nuſquam vox illa *ſolemnis*, aut *ſolemnitas* in cauſa ipſorum impenditur, ut patet ex *Rubrica 11 de concurrentia Officii n. 2. & ſeq.* Hæc, & alia affert Guyetus ad comprobandam ſuam ſententiam, & tandem concludit prædicta omnia intelligenda eſſe, modo conſuetudo celebrandi prædicta Feſta aliunde ſit legitima. Præfati Guyeti ſententia confirmari poteſt ex quo in Kalendario Ambroſiano Feſta duplicia ſignificantur hoc verbo *ſolemne*. Rurſus etiam ex quo ipſemet Gavantus infra *ſect. 3. cap. 3.* affert auctoritatem Breviarii Venetiis editi Anno 1550. in quo, Feſtum *ſemiduplex* vocatur *ſolemne*; & equidem Conſtitutiones Synodales Eccleſiæ Patriarchalis Venetiarum ſtatuerunt ſolemnitates Sanctorum habentium Eccleſias in Civitate, & Diœceſi Venetiarum debere ab omnibus celebrari ſolemniter cum officio novem Lectionum; en igitur verbum *ſolemne* & *ſolemniter* uſurpatum etiam pro ſignificando Feſto ſemiduplici, tale autem Decretum Synodale fuit firmatum auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ut innuitur in Kalendario Venetiis edito 1669. Hæc omnia dicta ſint ad magis, magiſque comprobandam opinionem Guyeti.

Hic Auctor procedit in quæſtione ſubſequente ad examinandum, quæ conſuetudo celebrandi Feſta cenſeri debeat legitima, & reſolvit imprimis requiri, ut Feſtum ejuſmodi ſit de Sancto Canonizato, nimirum Canonizatione formali, vel æquivalenti, aut de myſterio ab Eccleſia recepto, & approbato, unde ſi introducta eſſet alicubi conſuetudo celebrandi Feſtum Sancti alicujus, qui nunquam extiterit, aut qui ab Eccleſia receptus non ſit, vel etiam celebraretur Feſtum myſterii alicujus inuſitati, ac dubii, tunc talis conſuetudo eſſet penitus tollenda, utpote prava, & abſurda, veritatique ipſi, ac Summorum Pontificum Decretis repugnans. Secundo requiritur, ut ejuſmodi conſuetudo ſit introducta ante Bullam Pii V. ſeu ante receptionem illius reſpectu illarum Eccleſiarum, quæ ſuo antiquo Breviario legitimo primum uſæ, Romanum deinceps admiſerunt, ſed non requiritur, quod talis conſuetudo ſit legitime præſcripta, ex eo quod non ſit contra legem uſu receptam, ſiquidem lex id prohibens nondum condita, aut nondum recepta erat, quando ea conſuetudo inducta eſt, ut ſupponitur, ſed eſt tantum præter legem, quæ præſcriptione non indiget. Nam quod jure Canonico requiritur ſpatium quadraginta Annorum, & decem jure Civili, ad hoc ut conſuetudo valeat, hoc intelligendum eſt ad abrogandam legem contrariam, non autem ad hoc ut ipſamet conſuetudo in uſum inducatur, & inducta currat; præſertim ſi lex inducta jam conſuetudine, ſuperveniens, eam minime abroget. Lex autem Brev. Rom. nedum abrogat Feſta in propriis locis celebrari conſueta, ut ea etiam expreſſe confirmet: ergo & ipſa præſcriptione non indigent, ita Guyet. loc. cit. Cui quidem Guyeti ſententiæ non leve robur accedit ex Decreto S. R. C. edito die 27. Novembris 1632. *in Converſana*, pro Officio S. Onuphrii ibidem intermiſſo in hunc modum ſtatuendo -- Si dictum Feſtum ante Bullam Pii V. celebrabatur cum Officio, & Miſſa, poteſt continuari; ſi vero introductum eſt poſt Bullam, nullo modo permittendum eſt -- Quod Decretum reperitur in Rubricis Breviarii Minorum Obſervantium num. *66.* & datur in noſtro Indice *ſub n.76.* ubi pariter antea habetur, quod pro Sanctis Canonizatis, vel Beatificatis, aut in Martyrologio Romano deſcriptis, ſeu Officiis tunc, aut poſtmodum de Sedis Apoſtolicæ benignitate, & auctoritate decoratis, conſuetudo longi temporis (ideſt centum Annorum) non requiritur. Ex quibus confirmari videtur utraque Guyeti opinio tam de Feſtis non abrogatis per Bullam Sancti Pii V. quam de conſuetudine inducta celebrandi talia Feſta ante prædictam ſuam Bullam.

Prætermittere non debeo, quod ante Guyetum tenebat prædictas ſententias etiam noſter P. Quarti in ſuis Commentariis ad Rubricas Miſſalis *part. 1. tit. 1. dub. 6.* ubi docet poſſe utique celebrari Officium, & conſequenter Miſſam de Sancto non deſcripto in Kalendario, etiam ſub Ritu duplici, & primæ Claſſis in illis Eccleſiis, quæ de aliquo Sancto conſueverunt ſolemniter celebrare, vel ſub alio Ritu inferiori, juxta conſuetudinem introductam, ſervata tamen omnino forma, ſeu norma tam Miſſalis, quam Breviarii præſcripta a Pio V. quotieſcumque enim adeſt conſuetudo legitime introducta, ex. gr. per decem Annos, ait ipſe, ante Bullam Pii V. verificatur conditio in Rubricis requiſita ad hunc effectum. Sufficere autem decem Annos ad conſuetudinem legitime inducendam, ipſe pro certo habet, cum id doceant etiam Suarez *de Legibus lib. 7. cap. 15.* Layman *de Legibus cap. 24.* Leſſius *lib. 2. de Juſtit. cap. 6. dub. 14. num. 46.*

Id quod in Decreto edito die 28. Oct. 1628. & dato in noſtro Indice *ſub n.66.* ſtatum eſt, nimirum: *Officia de Epiſcopis Sanctis locorum poſſe continuari de Communi, ſi conſtaret illos fuiſſe Canonizatos, vel tempus immemorabile celebratum fuiſſet de illis Officium, & Miſſam*; videtur utique exigere conſuetudinem centum annorum pro Sanctis non formaliter Canonizatis, ad hoc ut poſſit continuari de illis Officium de Communi; ſed cum Decretum a nobis ſupra allegatum ſit poſterius, & non requirat tempus centum Annorum etiam pro Sanctis tantum æquivalenter Canonizatis, nempe in Martyrologio Romano deſcriptis, & ab Eccleſia univerſali receptis; hinc fit, quod diſpoſitioni hujus poſterioris Decreti poſſumus citra ullum ſcrupulum inhærere.

Ex quo tamen in præfato priori Decreto conceditur de Epiſcopis Sanctis locorum, &c. Officium de Communi, ſequitur, quod Eccleſiæ, quæ Breviarium proprium habebant ducentis Annis haud antiquius, relate ad tempus Bullæ Pii V. non potuerunt de prædictis, neque de ullo alio Sancto retinere Officia antiqua ſua propria abſque Sedis Apoſtolicæ approbatione, ut diſerte aſſerit Gavantus ſupra num. 23. clara enim ſunt, & expreſſa Pontificis verba revocantis *omnes permiſſiones, conſuetudines, ſtatuta, privilegia, licentias, & indulta precandi, & pſallendi more, ac Ritu Breviariorum illorum, quæ ſupprimit*, unde fit, quod de Sanctis, quorum habebant conſuetudinem celebrandi Feſtum, & Officium, non poſſint amplius uti Officio proprio, ſed debeant recitari de Communi, & juxta Ritum Breviarii a Pio V. recogniti, & reformati, ut ſupra innuimus.

Eccleſiæ vero illæ, quæ propria Breviaria olim habuere per Bullam Pii V. minime abrogata, utpote ducentis Annis antiquiora, ſed iis ſponte relictis Romanum deinceps aſſumpſere (quod liberum reliquit ipſemet Pius V.) poſſunt antiqua ſuorum Feſtorum propria Officia, ſive integra, quæ nulla egent caſtigatione, ſive emendata retinere, juxta ſententiam Layman aſſerentis Officia ſuſpicione falſi carentia antehac recitari conſueta, approbatione Sedis Apoſtolicæ opus non habere, cui ſententiæ adſtipulatur etiam Guyetus allegando præfatum Auctorem *lib. 3. cap. 1. qu. 8. §. Secundo*, qui addit, quod ſi hoc tantum dicat Rodericus, & de dictis Breviariis antiquis loquatur, ubi ſermonem habet de Officiis Regularium, nec ad nova inſuper extendat, eidem Auctori non refragatur: ad id autem ſuſtinendum movetur Guyetus, quia cum Bulla Pii V. quando lata fuit, Eccleſias illas, & Ordines Regularium ſua obligatione minime obſtrinxerit, immo eas Eccleſias, & Ordines Regularium exemerit, neque etiam eorumdem Officia propria tunc abrogaſſe ullatenus cenſendum eſt; adeoque perſeverarunt ejuſmodi Officia tamquam legitima, riteque approbata quamdiu ſtetit vetus Ordinum, & Eccleſiarum illarum Breviarum ducentis Annis antiquius. Neque per ſpontaneam poſtea aſſumptionem Breviarii Romani, exciderunt prædicta illa Officia a ſua priſca approbatione. Hæc, & alia Guyetus ibi, cui tamen non ita libenter adhæreo, quoad talia Officia propria retinenda poſtquam aſſumptum fuit a prædictis Eccleſiis, vel Ordinibus Regularium Breviarium Romanum.

VIII. Gavantus num. 29. *Reſpectu Cleri ſæcularis ſignifi. at Feſtivitatem cum pompa exteriori &c.* Explicat hic Gavantus quid ſit celebrare Feſtum cum ſolemnitate, cum ſupra ſuſtinuerit non fuiſſe abrogata Feſta illa, quæ ſolemniter celebrabantur. Et ait reſpectu Cleri ſæcularis ſignificare Feſtivitatem, aut Populi, aut Cleri cum pompa exteriori. &c. Citatque pro ſua opinione declarationem Sacræ Congregationis editam die 28. Octobris 1628. quæ cum afferatur, & allegetur a prædicto Gavanto, de ejuſdem authenticitate dubitandum non videtur; nihilominus facta diligenti perquiſitione in Sacræ Congregationis Regiſtro, tale Decretum reperiri non potuit. Guyetus ſupra cit. *q. 3.* non acquieſcit Gavanti doctrinæ, & ſuſtinet juxta ſuam ſententiam ſupra expoſitam, poſteriorem illum ſolemnitatis modum a Gavanto deſcriptum, nempe apparatum, concurſum Populi, Proceſſionem &c. ſupponere abſolute priorem: Ideo enim talis apparatus impenditur ejuſmodi Feſto, quod ſit v.gr. duplex majus, vel minus, aut primæ, vel ſecundæ Claſſis &c. Non e contra, ideo eſt primæ, vel ſecundæ Claſſis, quia ei talis apparatus impenditur: ergo prius eſt ipſum Feſtum eſſe tale, vel tale duplex, quam gaudere tali, vel tali apparatu; hinc fit ut in majoribus Eccleſiis recte ordinatis, tot ſint diverſi ritus apparatus illius exterioris, quot diverſa Feſtorum genera; adeo ut unicuique Feſto ſuus apparatus adhibeatur, prout qualitate magis, aut minus excellit; puta ſi eſt primæ Claſſis, tot Campanæ pulſandæ, tot cerei accendendi, tot Cappæ induendæ &c. juxta cujuſque Eccleſiæ uſum, ac conſuetudinem; ſi ſecundæ Claſſis, pauciores, & ſic conſequenter. Ex quo patet qualitatem Officii, in qua conſiſtit prior illa ſolemnitas, eſſe menſuram, & veluti radicem poſterioris, quæ in apparatu exteriori collocatur, adeoque non ex hac, ſed ex illa primum attendendam eſſe rationem Feſtorum propriorum, quæ a quibuſvis locis, & Eccleſiis conſueverunt celebrari. Procedit ulterius laudatus Guyetus ad comprobandam hanc ſuam explicationem validioribus rationum momentis, ex quibus tandem concludit, & confirmat ſuam ſententiam ſupra expoſitam verba illa Rubricæ primæ, & ſecundæ *Conſueverunt ſolemniter celebrari* de priori ſolemnitatis modo eſſe accipienda, ut ſcilicet velint Feſta, quæ olim conſueverunt celebrari ſolemniter, hoc eſt ſtato per ſingulos annos die, & Officio, quod nunquam omittebatur, & non cum ſimplici commemoratione, ipſa eadem adhuc fieri eo Ritu novo, qui veteri propius reſpondeat. Qui ſenſus omnino conformis eſt ei, qui *Cap. Conſilium de celebr. Miſſ.* ſtatuitur in Miſſis votivis non debere dici Hymnum Angelicum, nec Symbolum, *ut ſit*, inquit Innocentius III. *inter commemorationem, & ſolemnitatem differentia*, ubi vides ſolemnitatem, ideſt Feſtivum Officium hoc nomine contradiſtingui a Com-



Digitized by Google

memoratione, ideſt ab Officio ſimplici. Hæc omnia ex Guyeto, apud quem alia videri poſſunt congruentia ad hanc materiam.

IX. Gav. n. 30. - *De omnibus Canonizatis non fit Officium &c.*) Veriſſimum eſt, quod quamvis Pontifices in Bullis Canonizationum concedant quod de Sancto illo Canonizato recitetur Officium, & Miſſa, intelligendi tamen ſunt Pontifices quoad habilitatem, non quoad actum; declarant enim eſſe talem, ut poſſit ipſi Sancto Canonizato talis honor, & cultus deferri, idque patet ex ipſa praxi, & obſervantia, non enim ſtatim ac aliquis eſt Sanctorum Catalogo adſcriptus, liberum eſt cuilibet Feſtum ejus inducere. Officium de eo recitando niſi tantum iis in locis, in quibus ipſum Patronum eſſe vel Titularem alicujus Eccleſiæ continget, more aliorum Sanctorum, ut optime docet Gavantus ſupra, cui adſtipulatur etiam Guyetus *lib.* 1, *cap.* 5. *quæſt.* 7. nec non Paſqualigus de Sacrific. novæ Legis. *Tom.* 1. *tract.* 1. *q.* 68. *n.* 5. & ibidem *quæſt.* 269. *n.* 6. *&* 7.

Lubet hoc loco tradere opinionem Caſtaldi circa Feſtum Canonizationis quomodo ſit celebrandum, *lib.* 3. *ſect.* 12. *cap.* 4. *n.* 16. ita ſcribit præfatus Auctor - Cum primum, juxta Eccleſiaſticos Ritus a Romano Pontifice aliquis in Sanctorum numerum fuerit relatus præter ſolemnem feſtivitatem, quæ in propria Eccleſia debetur die natalis ejuſdem, Canonizationis Feſtum ſolemniter celebrari conſuevit cum Proceſſione, in qua defertur Vexillum cum imagine Sancti Canonizati, & Reliquiis, procedendo ordine ſupra *lib.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 4. præſcripto, Officium erit ſolemne primæ Claſſis cum Octava deſumptum ex Communi juxta gradum, & dignitatem Sancti, & in Oratione (niſi propria a Sede Apoſtolica aſſignetur) loco *Natalitia* dicetur: *cujus Canonizationem colimus*; ipſius etiam laudes virtutum, ac miraculorum a Concionatoribus ad id electis, annuntiantur, quo Sancti cognitis meritis pro affectu omnes ad venerationem, ac ſinguli ad ejus imploranda ſuffragia excitentur - Ita Caſtaldus, qui ſubnectit ſequentia ibidem - Eadem reſpective obſervari poterunt in particularibus Eccleſiis, cum alicujus beatificatio ſolemniter celebratur - Hæc Caſtaldus. Quæ tamen, ut optime notat Halden *part.* 3. *tit. ult. v. Canonizatio*, intelligenda ſunt cum proportione, & niſi aliter in Decreto Beatificationis a Sede Apoſtolica ordinetur, aut præſcribatur. Prædictam Caſtaldi ſententiam de Feſto Canonizationis alicujus Sancti recenter Canonizati admittere videtur laudatus Halden. Et cum in Decreto emanato die 9. Decembris 1628, *in Giennen.* dato in noſtro Indice *n.* 67. habeatur - De Sancto Canonizato non poteſt fieri Officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto - Eruitur, quod de tali Sancto recens Canonizato poſſit celebrari Officium cum Miſſa in illa Eccleſia, in qua fit Feſtum ſolemne ſuæ Canonizationis, prout cenſuit Caſtaldus, & prout eſt praxis Eccleſiarum in alma Urbe. Hæc Caſtaldi opinio, necnon communis praxis confirmatur pariter auctoritate Decreti editi 8. Aprilis 1628. in quo ad dubium n. 6. excitatum, ſuper Decretum contra abuſus, reſponſum fuit: nullatenus in Anniverſario Beatificationis, ſeu Canonizationis debere celebrari Feſtum cum Officio, niſi in illa tantum die Canonizationis, vel Beatificationis, & eo modo quo concesſerit S. C. Ex quibus Decreti verbis dati n. 66. in noſtro Indice, arguitur communiter admiſſam eſſe Caſtaldi doctrinam, & ad praxim deductam in illis Eccleſiis, in quibus celebratur ſolemniter Feſtum Canonizationis alicujus Sancti recenter Canonizati.

Huic opinioni non acquieſcit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 9. *q.* 9. ubi ait hujuſmodi ſolemnitatem cum Officio Sancti Canonizati debere fieri ſolum, quando Pontifex id expreſſe concedit, ut conceſſit Gregorius XV. de Sanctis Iſidoro, Ignatio Franciſco Xaverio, Philippo Nerio, & Thereſia. Verum cum in Bullis Canonizationum regulariter concedatur, quod de Sancto Canonizato recitari poſſit Officium, & Miſſa. Ex his verbis deducitur forſan prædicta praxis, & opinio Caſtaldi, nimirum poſſe celebrari Miſſam, & Officium in Eccleſiis propriis, in quibus celebratur ſolemnitas ſuæ Canonizationis; & hoc pro una vice tantum, non vero annuatim, nam quoad Anniverſariam prædictæ Canonizationis celebritatem cum ejuſdem Miſſa, & Officio prædicta Bullarum verba intelligi nequeunt, immo oppoſitum ex Decreto mox allegato deducitur.

Igitur cum ex Bullis Canonizationum, ſive etiam ex ſpeciali indulto Apoſtolico poſſit celebrari ſolemnitas Canonizationis alicujus Sancti, non inde tamen ſequitur liberum eſſe Anniverſariam ejuſdem ſolemnitatis diem inducere, ut advertimus ſupra, cum hujuſce rei uſus non extet, ut optime etiam adnotat Guyetus *cit. loc.* afferendo hanc rationem, quia cum Canonizatio nihil aliud ſit, quam pii hominis defuncti, quod is Sanctus ſit, declaratio, adeoque Feſtum illius quotannis ſuo proprio die recolendi conceſſio, utrumque illud ipſamet Anniverſaria natalis ejuſdem celebritate ſufficienter recolitur. Celebratur utique in Eccleſia Briocenſi Feſtum Canonizationis Sancti Guillelmi Epiſcopi die 15. Aprilis, S. Nicolai Tolentinatis, in proprio Eremitarum S. Auguſtini 5. Junii, & S. Franciſci de Paula in Ordine Minimorum die 4. Maji; hæc tantum tria exempla hujuſce rei, ait Guyetus ſe colligere potuiſſe; at hæc non potuiſſe ſine peculiari Pontificis conceſſione fuiſſe inducta, ut nos ultro admittimus; alioquin concludendum eſſet cujuslibet Sancti Canonizati liberum eſſe duo Feſta celebrari, natalis videlicet, & ipſius Canonizationis, quod nemo dixerit. Exemplis a Guyeto adductis addere poſſumus, quod S. R. C. auctoritate ſub die 22. Januarii 1735. indultum pariter fuit Minoribus Conventualibus quotannis facere commemorationem Canonizationis S. Franciſci (a Gregorio IX. Anno 1228. Aſſiſii in Eccleſia S. Georgii peractæ, Dominica, die 16. Julii, recurrente) in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa, poſt Orationem diei 16. Julii, immediate ante quaſcumque alias Commemorationes. Ita pariter Patribus Societatis Jeſu conceſſum eſt celebrare unam Miſſam ſolemnem 12. Martii de S. Franciſco Xaverio, recurrente tunc die Anniverſario ſuæ Canonizationis.

## De Bullis Clementis VIII. & Urbani VIII. Cap. III.

### *G A V A N T U S.*

EDita fuit a Clemente VIII. Bulla *die* 10. *Maji* 1602. *Anno undecimo*, & in ea habetur pauca.

1. Accuſat Typographorum incuriam, aliorum & audaciam, qui Breviarium a Pio V. editum depravarunt.

2. Significat, ſe ideo commiſiſſe peritis viris ejuſdem Breviarii recognitionem.

3. Prohibet ne in Urbe imprimatur, niſi in Vaticano, extra Urbem juxta exemplar Vaticanum, & de licentia Inquiſitorum, vel Ordinariorum, impoſitis pœnis ſpiritualibus, & pecuniariis; aliterque impoſterum impreſſa Breviaria interdicit, ac prohibet.

4. Inquiſitores, & Ordinarios pœnis inflictis inſtruit, qua ratione approbare debeant impreſſa.

5. Tolerat in gratiam pauperum Clericorum impreſſa Breviaria ante ejuſdem recognitionem quoad uſum, &, ut vendi queant, indulget.

6. Publicationem Bullæ mandat cum ſolitis derogationibus & clauſulis.

7. Urbanus VIII. Pontifex Max. adhibitis aliis peritiſſimis viris (& me minimo inter eos, qui & adfui Clementinæ recognitioni) eadem ſe proſequutum eſſe aſſerit, quæ prædeceſſores inchoaverant: ſignificat deinde ea, quæ acta ſunt in Breviario nuperrime recognito prohibet, inſtruit, tolerat, ut ſupra n. 3. 4. 5. edita Bulla initio Breviarii poſita.

8. Certe ad hanc uſque diem Breviarium non eſt editum tot numeris abſolutum.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 2. - *Significat, ſe ideo commiſiſſe peritis viris Breviarii recognitionem.*) Poſt reformationem Breviarii Romani factam a Pio V. Summo Pontifice, iterum juſſu Clementis VIII. recognitum fuit Breviarum a Pio V. editum, quia Typographorum incuria, & aliorum audacia depravatum fuerat. Hujuſmodi autem recognitionem commiſit Clemens peritis viris, quorum Indicem lubet hic ſubnectere.

Cæſar Baronius )
Sylvius Antonianus ) S. R. E. Card.
Robertus Bellarminus )

Ludovicus de Torres Archiepiſcopus Montis Regalis, poſtea Cardinalis.

Joannes Baptiſta Bandinus Canonicus S. Petri de Urbe, Secretarius.

Michael Ghiſlerius Congregationis noſtræ Clericorum Regularium.

Bartholomæus Gavantus Mediolanenſis Clericorum Regular. S. Pauli hujuſce Theſauri Sacrorum Rituum commendatiſſimus Auctor.

Gavant. n. 7. - *Urbanus VIII. adhibitis aliis peritiſſimis viri &c.*) Alia etiam recognitio Breviarii Romani facta fuit juſſu Urbani VIII. adhibitis aliis peritiſſimis viris, quorum Catalogus hic exhibetur.

Aloyſius Cajetanus S. R. E. Card. Præſes.

Tegrimus Tegrimius Epiſcop. aſſiſienſis Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.

Fortunatus Scacchus Apoſt. Sacrarii Præfectus.

Nicolaus Riccardus S. Palatii Magiſter, & S. R. C. Conſultor.

Hieronymus Lannius utriuſque Signaturæ Referendarius.

Hilarion Rancatus Mediol. Abbas S. Crucis in Hieruſalem, Sacræ Inquiſitionis Conſultor, & qualificator, & S. R. C. Conſultor.

Jacobus Vulponius Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii,

Bartholomæus Gavantus S. R. C. Conſultor.

Terentius Alciatus Mediol. Societatis Jeſu Sac. R. Cong. Conſultor.

Lucas Wadingus Ordinis Minorum Hiſtoricus, S. Officii qualificator, & Sacræ Congreg. Indicis librorum.

## De Computo Eccleſiaſtico. Cap. IV.

### *G A V A N T U S.*

1. AGitur initio Breviarii de Anno, & ejus partibus, de quatuor temporibus, de Nuptiarum tempore, de

Digitized by Google

de Cyclo decennovennali, de Epactis, de Novilunio, de Indictione, de Feſtis mobilibus, additis Tabellis, perpetua, & temporaria, antiqua, & nova reformatis, quantum ſatis eſſe videtur pro captu communiori ingeniorum. Plura qui deſiderat legat *Guillelm. Durand. in Inovat. Div. Offic. lib. 8. toto.*

2. Ea ſunt præcipue notatu digna, quæ ad annum biſſextilem formandum ſpectant: nam ſingulis quaternis annis conſtituitur dies in Menſe Februario, qui dicitur compoſitus ex 24. horis, nempe ſex cujuslibet annorum, quatuor excipe (quod pauci norunt) primum, ſecundum, & tertium centeſimum annum, qui occurrunt intra ſpatium quadringentorum annorum, ut expreſſe habetur *in Bulla Gregorii XIII. de Reformatione Kalendarii edita anno* 1582. quare, ſicut annus proxime præteritus 1600. fuit biſſextilis, ita erit etiam biſſextilis annus 2000. qui vero ſunt medii 1700. 1800. 1900. non erunt biſſextiles, ne redeat annorum confuſio.

3. De quatuor Temporibus agemus in proprio de Tempore.

4. Paſcha celebrari debet in die Dominico, qui proxime ſuccedit decimæ quartæ Lunæ primi Menſis, ideſt Martii; ita tamen, ut ſi decimaquarta Luna cadit in Dominicum diem, Paſcha noſtrum celebretur in ſequenti Dominico die, ne conveniamus cum Hebræis.

5. Conſtituto Paſchatis die, facile decernuntur Feſta mobilia, ita dicta, quia moventur ad motum Paſchatis, & ſunt: Septuageſima, Sexageſima, Quinquageſima, Quadrageſima, quæ præcedunt Paſchatis Feſtum; Aſcenſio, Pentecoſtes, Feſtum Trinitatis, & Corporis Chriſti, quæ ſequuntur; de quibus egimus tomo primo, & infra agemus in proprio de Tempore.

6. Adventus autem non habet primum diem certum, ſed eum diem Dominicum, qui propinquior eſt Feſto Sancti Andreæ, ut loco citato explicavimus.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 4. – *Paſcha celebrari debet in die Dominico, qui proxime ſuccedit decimæ quartæ lunæ primi menſis.*) Paſcha Chriſtianum a Judaico Paſchate profecto diſtinguitur, hoc ſiquidem velut figura, quæ in Chriſti immolatione ſuper Crucem peracta, implementum ſuum obtinuit, quemadmodum cætera legalia, fixum erat ad diem XIV. lunæ menſis primi, nempe Martii, a quo Judæi annum Sacrum auſpicabantur. Paſcha vero Chriſtianum inſtitutum eſt ad recolendam memoriam Dominicæ Reſurrectionis, quæ contingit in Dominica ſequente diem quartam decimam ejuſdem menſis. Qua de re verba facit Venerabilis Beda *Hiſtoriæ lib. 1. cap. 22. Votiva Paſcha noſtra Feſta celebramus, ut indicemus nos non cum antiquis excuſſum Ægyptiacæ ſervitutis jugum venerari; ſed Redemptionem totius Mundi (quæ in antiqui Dei Populi liberatione præſignata, in Chriſti autem Reſurrectione completa eſt) devota fide, ac devotione colere; ut Reſurrectionis etiam noſtræ, quam eadem die Dominica futuram credimus.* Diſpenſatum hac de re ab Apoſtolis fuiſſe, & permiſſum Judæis, qui ad Eccleſiam venerant, ut ſolemnem Paſchatis diem more ſuo, & Cyclo Judaico, die nimirum XIV. Lunæ poſt Vernale æquinoctium, in quamcumque diem concurreret Ritu majorum celebrare poſſent, non ſine graviſſimo fundamento exiſtimat vir clariſſimus, ac eruditiſſimus Franciſcus Dominicus Bencini *diſſert. 2. de lit. Encycl. cap. 5.* ſed quod ſemel datum fuerat durioris cervicis hominibus, id pro lege univerſali totius Chriſtianæ Eccleſiæ a nonnullis poſtea prætenſum fuit. Prima hac de re diſceptatio orta eſt Aniceti temporibus, quibus Polycarpus Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Paſchatis Judaici defenſor Romam peregrinatus eſt, ut controverſiam amice cum illo componeret. Sed Anicetus a Polycarpo impetrare non potuit, ut Paſcha die Dominico celebraret, nec Polycarpus obtinuit ab Aniceto, ut Paſcha Judaico more obſervaret. Uterque Apoſtolorum traditionem ſibi ſuffragari autumabat. Refert diſceptationem hanc Irenæus in Epiſtola ad Victorem Romanum Pontificem apud Euſebium *lib. 5. cap. 24.* Secunda ſuper Paſchate Diſceptatio orta eſt occaſione Montanïſtarum, qui volebant Paſcha neceſſario celebrandum eſſe ſecundum legem Moyſis die XIV. Menſis; & contrariam Eccleſiæ conſuetudinem conviciis appetebant; ex quo factum eſt, ut ab œconomia, cui hactenus faverant Romani Pontifices, Eleutherius, & Victor ſuperſedendum eſſe decernerent. Ab Eleutherio igitur Romano Pontifice determinatum fuit occaſione hæreſis Montaniſtarum, ut Paſcha Chriſtianum ad univerſaliorem deinceps Eccleſiarum obſervantiam exigi deberet. Ejus Decretum confirmatum eſt a Victore, ſeu priuſquam id præſtaret, opuſcula varia ad hanc quæſtionem pertinentia in vulgus emiſit referente Hieronymo *de Script. Eccleſ.* Secundo requiſivit Eccleſiarum ſenſa, ut cum eo, quod rei gravitas exigebat, moderamine procederet. Scripſit ergo ad Theophilum, Cæſarienſem Paleſtinæ Primatem, ut ab eo Eccleſiarum Paleſtinæ conſuetudinem diſceret: coegit ille Concilium, & reſponſum eſt Victori, Paſcha celebrandum eſſe poſt Lunam XIV. die tamen Dominico. Fragmentum hujus Concilii vulgatum eſt a Baluzio *in nova Collect. Concil. pag. 14.* Victor acce-



pta Theophili Cæſarienſis Epiſtola moribus Eccleſ. Romanæ conſentanea, Synodum coegit, in qua vetat Judaico more celebrari Luna XIV. Sanctum, & Myſticum Paſcha, ut loquitur Auctor Libelli Synodici *n. 9.* Policrates Epheſinus Exarcha ubi Epiſtolam Cæſarienſem a Victore confirmatam accepit; coacta ſtatim Synodo, ſententiam contrariam tueri conatus eſt pluribus momentis, quæ ipſum, & Aſianos Epiſcopos in obſervatione Judaici Paſchatis confirmarent, atque ita rem acriter egit, perinde ac ſi illud morum diſciplinæ caput inter Dogmata, & Regulas Fidei omnino eſſet referendum. Epiſtola etiam ad Victorem data ſententiam ſuam propugnare conatus eſt. Victor e contra perpendens ſuum, & totius Orbis judicium, ludibrio ab Aſianis habitum, perinde ac ſi Paſchatis Chriſtiani celebratione adverſus Fidei Regulam abirent omnes, Synodicam Epiſtolam ad Policratem, & Epiſcop. Aſianos tranſmiſit, ſevere commonens, ut ſua præjudicia exuerent, ſententiam excommunicationis paſſuri, ſi ſecus facerent. De lata in eos excommunicatione, verba facit Euſeb. *lib. 5. cap. 24.* Ægre tulere Epiſcopi Gallicani, Irenæus præſertim, quod Victor excommunicationis fulmen jeciſſet in Aſianos Epiſcopos, eumque placare conati ſunt Epiſtola, quam idem refert Euſebius. Decretis Pontificis plurimi Aſianorum exterriti a præjudicio, & juris errore ſemet purgarunt; alii vero propoſiti tenaciores, & ad Decreta contumaciores effecti in hæreticam ſectam abierunt, Quartodecimanorum appellatam, iidemque paſſim ut hæretici ab Eccleſiis Orbis fuere proſcripti. Eos quartodecimanos pariter nuncupavit Epheſinum Generale Concilium, cum a Diœceſi Aſiana Reliquias eorumdem depellere moliretur. Sed de his conſulendi Epiphanius, Auguſtinus, Philaſtrius, aliique Hæreſiologi. Victoris Decretum a Nicæna tandem Synodo confirmatum eſt, & Quartodecimanorum error, univerſi Orbis auctoritate convulſus. Tres erant rationes, quæ cauſam edendi Decreti præbuerunt Victori. Prima, ne communicaremus cum Judæis Chriſti interfectoribus. Secunda, ut in tota Eccleſia eſſet una celebrandi Paſchatis ratio, & pauci Orientales Judaizantes, omnibus Occidentalibus, pluribuſque Orientalibus aliter ſentientibus cederent. Tertia, quia Orientales aliter facientes quandoque uno anno bis, quandoque numquam Paſcha celebrabant. Quibus rationibus Conſtantinus Magnus etiam in Epiſtola ad univerſas Eccleſ. apud Euſebium *lib. 3. de Vita Conſtantini*, Decreti hujus æquitatem oſtendit poſt Concilium Nicænum. De Decreto Sancti Pii I. Pontificis, qui Apoſtolicam Cathedram anno Domini 142. regebat, adeoque anteceſſit in Pontificatu Romano Anicetum, Eleutherium, & Victorem; de præfati, inquam, Pontificis Decreto, (quod legitur in Chronico Euſebii his verbis: *Sancitum eſt a Pio, ut Reſurrectio die Dominico celebraretur, quod a pluribus poſtea Pontificibus confirmatum eſt*,) nihil præmiſi, quia ejus authentia revocatur in dubium ab eruditis viris; Arnaldus enim Pontacus in notis teſtatur illa verba non reperiri in M. SS. Codicibus Chronici Euſebii, ideoque ex eo penitus delenda, ut cenſet etiam Pagius in vita laudati Pontificis; & equidem Joſephus Scaliger in nova editione Chronici Euſebiani, ex eo verba illa expunxit. Cæterum de celeberrima hac controverſia videri poſſunt Baillet *tom. 4. part. 2. an. 1. uſque ad n. 38.* Pagius in vita Victoris, & Clariſſimi Viri Franciſcus Blanchini, & Sornier in notis Anaſtaſianis Tom. 2. Sapientiſſimus Petavius *lib. 2. de Doctrina temporum c. 57.* Tillemont *in notis ad prædictum Pontificem Victorem, Thomaſſinus tract. de diebus Feſtis l. 2. c. 15.* ſed omnium maxime ſupracitatus Bencini, qui fuſe, & doctiſſime de ea re diſſeruit in primo, & ſecundo volumine *de Literis Encyclicis*.

II. Gav. eod n. 4. – *Ita tamen, ut ſi decimaquarta Luna cadit in Dominicam diem, Paſcha noſtrum celebretur in ſequenti Dominico die &c.*) Cum ex Decreto, imino Eccleſiæ precepto debeamus omnes celebrare noſtrum Paſcha die primo Dominico ſequente ad Lunam XIV. Martii optime tradit hic Gavantus, quod quando XIV. Luna cadit in Dominicum diem, Paſcha celebretur non in eodem, ſed in ſequenti Dominico die.

Hoc anno 1734. dum hæc ſcribo gravis exorta eſt quæſtio in remotis Regionibus ſuper die, quo celebrandum eſſet Paſcha ejuſdem Anni; contendebant plures celebrandum eſſe die 18. Aprilis, & plures alii die 25. ejuſdem menſis: ortum eſt hoc dubium ex errore Typographorum, qui repetitur in Tabulis aliquot Miſſalium, & Breviariorum, de quo errore infra ſermonem clarum, & diffuſum habebimus, ut in apertis ponatur, & clare appareat veritas hujus gravis controverſiæ. Ad cujus pleniorem diſcuſſionem, diligenter nobis examinandæ videntur Tabulæ Paſchales Kalendarii Gregoriani juſſu Clem. VIII. editi Romæ Anno 1603. quia earumdem Tabularum ductu, nullus errare poterit in determinanda Dominica, in quo Paſcha Chriſtianum celebrandum eſt. Quoniam vero in prædicto Kalend. circa epactam ordinatur pag. 21. ut omnes numeri Cycli epactarum repræſentari debeant charactere latino I. II. III. IV. &c. uſque ad numerum XXIX. & in fine ſit aſteriſmus * pro epacta 30. vel 0. & ut numerus vigeſimus quintus bis, & duobus characteribus differentibus imprimatur, charactere ſcilicet latino XXV. & charactere Arithmetico, vel

etiam colore diverſo 25. ut videre eſt in Tabulis, & Menſibus Breviarii, & Miſſalis Romani, ac etiam in Kalend. Gregoriano pag. 37. poſt Canonem Sextum; quid vero ſignificet hæc diverſitas numeri 25. XXV. mox exponam; ſed præmittere debeo, quod

Regula Generalis cap. 30, prædicti Kalendarii Gregoriani *pag.*120. *num.* 5. *& cap.* 12. *num.* 6, *& pag.* 166. *&c.* Eſt ut ad diſcernendum quo anno diem Paſchæ indicet alteruter ex dictis characteribus XXV, vel 25. inveniatur prius aureus numerus Anni, & examinentur utrum aureus numerus ſit major, quam 11. vel minor quam 12. nam ſi aureus numerus ſit minor quam 12. & cum illo occurrerit Epacta vigeſima quinta, illo Anno aſſumetur Epacta charactere Latino XXV. impreſſa: Si vero aureus numerus erit major, quam undecim, & occurrerit Epacta vigeſima quinta, tunc pro Epacta aſſumetur num. 25. charactere arabo vel diverſo colore impreſſus.

Hoc fundamento præmiſſo inſpiciatur pars ultima Tabulæ Paſchalis novæ reformatæ, quæ eſt conformis Tabulæ Kalendarii Gregoriani pag.38. in qua parte Tabulæ oriri poſſunt errores in determinando die Dominico Paſchæ ex Typographorum oſcitantia; quapropter ad arcendum omnem errorem, & ad clariorem intelligentiam operæ pretium duco apponere ſequens exemplar. In aliquibus etenim Breviariis, & Miſſalibus non ponunt Epactam vigeſimam quintam in ſuis locis; num. ſiquidem 25. charactere arabo, ſeu diverſo colore poni debet in penultima linea Epactarum, & XXV. charactere Latino in ultima linea cum Epacta XXIV. ut apparet infra, & in Tabula in Adnotationibus ad Lectorem num, XIII, in Ordine perpetuo Divini Officii.

*Pars ultima Tabula Paſchalis novæ reformatæ Kalendarii Gregoriani,*

| | | Septuageſ. | Dies Cinerum. | Paſcha. | Aſcenſio. | &c, |
|---|---|---|---|---|---|---|
| C | xxiii. xxii, xxi. xx. xix. xviii. xvii. | 24. Janu. | 10. Febr, | 28. Mar. | 6, Maji. | |
| | xvi. xv. xiv. xiii, xii. xi. x. | 31. Janu. | 17. Febr. | 4. Apr. | 13. Maji, | |
| | ix, viii. vii, vi. v. iv, iii, | 7. Febr, | 24. Febr. | 11. Apr. | 20. Maji. | |
| | ii. i. * xxix, xxviii. xxvii. xxvi. 25. | 14. Febr, | 3. Mar, | 18, Apr, | 27. Maji, | |
| | xxv. xxiv. | 21. Febr. | 10. Mar. | 25. Apr. | 3. Junii. | |

In Breviariis autem, & Miſſalibus mos eſt imprimere omnes Epactas numeris arabicis, ſeu arithmeticis colore rubro, unica tantum excepta 25. colore nigro, hoc modo, ut ſequitur,

| | | Septuageſ. | Dies Cinerum. | Paſcha. | Aſcenſio. | &c, |
|---|---|---|---|---|---|---|
| C | 23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. | 24. Janu. | 10. Febr, | 28. Mar. | 6. Maji. | |
| | 16. 15. 14. 13 12. 11. 10. | 31. Janu. | 17. Febr. | 4. Apr. | 13. Maji. | |
| | 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. | 7. Febr. | 24. Febr, | 11. Apr. | 20. Maji. | |
| | 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. | 14. Febr, | 3. Mar. | 18. Apr. | 27. Maji, | |
| | 25. 24. | 21. Febr. | 10. Mar. | 25. Apr. | 3. Junii. | |

Pars ſuperius expoſita Tabulæ Paſchalis novæ reformatæ non ſolum concordat cum Tabula primo impreſſa in præfato Kalendario Gregoriano, verum etiam in Tabulis præfixis Miſſali Lugdunenſis Eccleſiæ optime impreſſo de Anno 1620. apud Petrum Rouſſelet.

Cum autem hoc An. 1734. in aliquibus locis orta fuerit diſſenſio in determinanda die Paſchæ ex Tabulis male impreſſis, non ponendo, neque advertendo aureum numerum currentem Anni 1734. eſſe n. 6. ſcilicet minorem, quam 12. & Epacta vigeſima quinta occurrat in eodem anno; unde ſecundum Regulam mox a nobis præmiſſam adhibenda erat Epacta XXV. charactere latino, vel rubeo colore impreſſa, ut dictum eſt ſupra, at quia hæc Epacta XXV. in ſupradictis Tabulis charactere latino, vel rubeo colore impreſſa poſita eſt in ultima linea; hinc fit, quod dat Dominicam Paſchæ die 25. Aprilis, non vero die 28. ut multi contendebant.

Contentio vero iſta & opinio erronea oriebatur etiam ex falſa ſuppoſitione, quod numeri Epactarum per dies Kalendarii, & Miſſalis diſtributi non reſpondeant prædictæ Tabulæ novæ reformatæ, ſignanter in menſe Aprili, ſcilicet quod Epacta XXV. charactere latino, ſeu rubro colore, ſit affixa diei 4. Aprilis, & altera Epacta 25. arithmetica, ſeu nigri coloris diei 5. quod utique ex errore factum eſt, nam in Kalend. Gregoriano pag. 43. & in omnibus Miſſalibus, & Breviariis eidem Kalend. Gregoriano conformibus, Epacta 25. nigro charactere arithmetico, ita eſt e regione diei 4. Aprilis, Epacta vero XXV. charactere latino colore rubro, ut ſunt reliquæ Epactæ, eſt appoſita ad diem quintam Aprilis.

Regula autem Generalis deſcripta in Breviario de Feſtis mobilibus diſponit, quod ſi Epacta cujuſvis Anni inveniatur intra ſpatium dierum ab 8. Mart. uſque ad 5. Apr. incluſive, hæc indicabit novilunium Paſchale; ſi enim numerentur quatuordecim dies infra ipſam Epactam incluſive, dabit decimam quartam Lunæ, unde in Dominica proxime ſequenti Paſcha Domini celebrari debet. En exemplum: In anno 1734. & iterum Ao. 1886. occurrit Epacta XXV. rubra, quæ ſita eſt e directo ad 5. diem Apr. ſi ab hac die 5. incluſive numerentur quatuordecim dies, cadet decima quarta die 18. Aprilis; at quia hac die occurrit Dominica, ut non conveniamus cum Hebræis, ideo Dominica Paſchæ defferri debet ad diem 25. Aprilis.

Item cum Paſcha celebrari debeat die Dominica, quæ proxime Lunam decimamquartam poſt æquinoctium vernum conſequitur; advertendum eſt, quod æquinoctium (& ita intelligatur de Luna 14.) aliud eſt rigoroſum, prout ab Aſtronomis conſideratur in curſu ſolis, & aliud eſt Eccleſiaſticum, ſeu politicum affixum diei 21. Martii, prout in Calendario Gregoriano conſideratur. Et quamvis Eccleſiaſticum certo modo dependeat ab Aſtronomico, juſtis tamen de cauſis Eccleſiaſticum æquinoctium, & quartadecima Luna aliquando differunt ab Aſtronomico rigoroſo, & hoc ad conſervandam omnium Chriſtifidelium in Eccleſia concordiam, & uniformitatem. Eccleſia ſiquidem Catholica ſatius duxit proſpiciendum eſſe uniformitati fidelium, ut uno eodemque die unanimi conſenſu, & devotione ubique locorum Paſcha Domini celebretur, quam inhærere rigoroſæ uniformitati motuum ſolis, & Lunæ in definienda quartadecima. Hæc autem 14. ne in tanta celebritate error aliquis, aut diſſenſio ulla oriatur, tum in Concilio Nicæno, tum in Arelatenſi primo, in Carthaginenſi 4. ac noviſſime in Kalendario Gregoriano c. 5, ſtatutum eſt, ut poſthabita ſtricta ratione rigoroſi motus Solis, & Lunæ, ac etiam motuum mediorum, determinetur eadem Luna 14. cum Regulis, & obſervatione tantum Cycli Epactarum in eodem Kalendario diſtributi, præcipue a die 8, Martii, uſque ad diem 5. Aprilis incluſive,

Medios tamen motus non omnino reſpuit Eccleſia Catholica, tum quia per illos compoſiti ſunt Cycli, tum quia per ipſos deciditur, quinam Cyclus, ex omnibus in Kalendario Gregoriano diſpoſitis, Lunam 14. indicet, ut in Capite 4. Kalendarii Gregoriani habetur.

Quod autem aſſeritur in Tabula Temporaria noſtri Præclariſſimi Gav. Paſcha anno 1734. & 1886. celebrandum eſſe die 18. Apr, error eſt, non quidem Gav. qui Tabulam Temporariam compoſuit uſque ad Ann. 1700. ut videre eſt in primo ejus Libello Bononiæ impreſſo Ann. 1625. ſed eorum, qui poſt illum, non conſiderata proprietate Cycli Epactarum concurrentium cum Aureo numero (juxta ſuperius a nobis dicta) reliquos Annos addiderunt in aliis impreſſionibus Tabularum ejuſdem Gav. ponentes loco Epactæ XXV. alteram charactere Arabico, vel arithmetico 25. non ſolum in hoc ſæculo 1700. ſed etiam in ſæculo 1800. In ſæculo vero 1900. ubi debebat poni Epacta 25. charactere Arabico, vel Arithmetico, poſita fuit illa charactere Latino XXV. unde ex hac permutatione numeri Epactarum derivati ſunt prædicti errores, & diſſidia in determinanda vera die Dominica Paſchæ.

## De Kalendario. Cap. V.

### G A V A N T U S.

1. KAlendarium a Kalendis dictum eſt: Kalendæ vero primus dies Menſis eſt καλῶ idest, voco; tunc enim Pontifex calato, hoc eſt, vocato populo, quot dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pronunciabat. *Plut.* Kalendaria quoque dicebantur Tabulæ, ab obſervatione ſingulorum menſium, ut Diaria a ſingulorum dierum ratione, & nos in ſingulis menſibus obſervamus Feſta Chriſti Domini noſtri,

& San-

Digitized by Google

& Sanctorum, *Durand. lib. 8. cap. 4.* explicat Calendas, quaſi coleodas; quia tunc erat ſemper Junoni feſtus dies primus: Ergo Kalendarium & Colendarium erunt fere idem, a cultu Feſtorum dierum. Matriculam Sanctorum vocat *Radulph. prop. 17.*

2.° De Feſtis in Kalendario deſcriptis, quando, & quo ritu fuerint adſcripta, in Proprio de Tempore, & in Proprio Sanctorum ſigillatim enarrabimus.

3. Ex prædictis autem Computo, & Kalendario compoſuimus ordinem Officii divini perpetuum, & quam breviſſimum, quem in calce hujus Operis dante Deo, dabimus pleniorem, & emendatiorem.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. *Kalendarium a Kalendis dictum eſt, &c.*) Calendarium eſt vox Latina, deducta nempe a Calendis, ut optime notat Gavantus, & nihil aliud eſt, quam menſium, dierumque, ex quibus annus conſtat, ac una Feſtorum coordinatio, immo non modo Feſtorum, ſed aliorum etiam ſimilium, quæ poſſunt dici dierum adjuncta; quoniam pleraque alia ſunt, quæ Calendariis pleriſque adſcribunt, ſiquidem præter inſcripta Civili, & Calendario Eccleſiaſtico præter Feſta adnotata, Interdum addita leguntur eventa quæpiam illuſtriora, ut prælia, triumphi, inaugurationes, interdum Solis, Lunæque ingreſſus in ſigna Zodiaci, ortus, occaſuſque ſtellarum fixarum, adſpectus luminarium, ſtellarumque errantium prætereaque æſtus, algores, pluviæ, fulgura, venti, & alia, quæ Aſtrologi ariolantur.

Diviſimus Calendarium, in Civile, & Eccleſiaſticum, quia adſunt Calendaria pure prophana, in quibus non habetur niſi coordinatio dierum, hebdomadum, menſium, &c. ex quibus annus conſtat; Hujuſmodi Calendarium civile (cum nihil fere Eccleſiaſtici admixtum habeat) appellarem illud quod doctiſſime concinnatum fuit a Domino Blondello Regio Profeſſore Mathematico Regiæ Academiæ Pariſienſis Gallice exarato, & impreſſo Anno 1684. Calendarium vero Eccleſiaſticum continet Sacrorum Feſtorum tum mobilium, tum immobilium coordinationem, & deinde aureum numerum, literas Dominicales, Epacta, & denique Calendas, nonas, atque idus menſium, & alia hujuſmodi exhibet.

Præter hujuſmodi Tabellas, quas Calendaria Eccleſiaſtica nuncupamus, antiquitus reperiebantur etiam laterculi, quo nomine indigitabantur Tabellæ illæ, in quibus adnotabantur Feſta mobilia, ut ſunt illa in Breviario appoſita. Sic Sanctum Paſcha ſecundum Laterculum Victoris ab omnibus Sacerdotibus, ut uno tempore celebretur, habetur in Concilio Aurelianenſi 4. can. 1. diverſa enim obſervantia Laterculorum Paſchalis Feſtivitatis interdum errorem parturit, ait Concilium Toletanum 4. can. 4. apud Tertullianum vero Laterculus ſignificat etiam Tabellam, in qua Magiſtratus notabantur, ut notat Macrius verbo *Laterculus*.

Veteres pro eodem habuiſſe videntur Martyrologia, Faſtos & Calendaria. Verum quid diſcriminis ſit inter hæc, docet Henricus Valeſius in ſua eruditiſſima diſſertatione ſuper Martyrologio, quod edidit Roſwvedus, & in hac aſſerit nobiliores Eccleſias ſuos ſemper Faſtos habuiſſe, in quibus & Epiſcoporum nomina, & Martyrum, qui apud ipſas Martyrium ſubierunt, Natales dies deſcripti habebantur, de quo profecto dubitandum non eſt. Laudatus Valeſius contendit Calendaria in hoc differre a Martyrologiis, quod ſingulæ Eccleſiæ ſua habuere particularia Calendaria, in quibus digeſta erant nomina Epiſcoporum, & Martyrum, dieſque notati, quibus memoria eorum anniverſario cultu celebraretur; Martyrologia vero unius loci propria, ſed totius Eccleſiæ fuere communia, quippe quæ totius orbis Martyres, Confeſſoreſque generaliter obtinerent; ſed melius mihi arridet Valeſius in ſequenti diſcrimine, quod aſſignat inter Martyrologia, & Calendaria, nimirum, quod in Calendariis nomen Urbis, in qua Martyr paſſus eſt, & ſpecies Martyrii, quod ſubiit, numquam deſcribitur, in Martyrologio vero nomina ſingularum Urbium, & Oppidorum conſignantur, & tormenta, quæ pertulit Martyr deſcribuntur: cæterum negari nequit quin ſingulæ Eccleſiæ nobiliores, ſicut ſingularia Calendaria, ſic etiam ſingularia Martyrologia habuerint, ſed veriſſimum eſt, quod ex pluribus Calendariis, ſeu particularibus Martyrologiis unum compoſitum fuit univerſale Martyrologium omnium Eccleſiarum.

Inter Calendaria Eccleſiaſtica antiqua celebriora ſunt illa, quæ edita ſunt a nonnullis recentibus Auctoribus; inter quos primum locum ſibi vindicat Joannes Fronto Gallus Canonicus Regularis Monaſterii S. Jenoveſæ, qui anno 1652. Pariſiis evulgavit Calendarium Romanum nongentis annis antiquius, & eruditiſſimis notis illuſtravit. Idem Calendarium recuſum fuit Amburgi anno 1720. additis Epiſtolis, & diſſertationibus Eccleſiaſticis ejuſdem Joannis Frontonis. Denique idem Calendarium prælo Veronenſi iterum conſignatum fuit anno 1733. in qua editione adjectæ ſunt variantes Lectiones, atque emendationes Calendarii Romani ex alio vetuſtiori M. SS. Carnotenſi per V. Card. Thomaſium excerptæ, & cum ejus autographo collatæ.

Prædicto Calendario Romano aliud antiquius edidit Ægidius Buccherius, quod etiam edidit Theodoricus Ruinart in calce ad Acta SS. Martyrum.

Antiquum Gorbejenſe Calendarium publici juris fecit Edmundus Martene in Theſauro Anecdot. tom. 3. pag. 1597. Rurſus Vetuſtiſſimum Carthaginenſe Calendarium in lucem emiſit doctiſſimus Mabillonius tom. 3. Analectorum, quod etiam editum fuit a Theodorico Ruinart. In Spicilegio Dacheriano nonnulla pariter reperiuntur edita vetuſta Calendaria.

Recentiſſime autem Calendarium medii ævi, præcipue Germanicum, in quo obſcuriora menſium, dierum, Feſtorum, atque temporum nomina ex antiquis monumentis, tam editis, quam M. SS. eruuntur, atque illuſtrantur, in lucem emiſit Chriſtianus Gotlob Lypſiæ anno 1729. ſed caute legendum, quia prædictus Auctor Luteranis erroribus infectus apparet.

Denique præterire non debeo mentionem facere celeberrimi Kalendarii Gregoriani a clariſſimo, & doctiſſimo viro Clavio Bambergenſi Societatis Jeſu, regnante Gregorio XIII. correcti & emendati, typiſque Romanis in fol. traditi anno 1603.

II. Gav. num 2. *De Feſtis in Kalendario deſcriptis, &c.*) Inhærentes noſtro Gavanto de Feſtis deſcriptis in noſtro Kalendario Romano quando, & quo ritu fuerint adſcripta, & in proprio de tempore, & in proprio de Sanctis, adjiciemus omnia ea, quæ poſt Gavantum evenere, allegando Decreta poſt ipſum edita, & examinando recentium Auctorum doctrinas, atque ſententias.

III. Gav. num. 3. *In calce hujus operis, dante Deo, dabimus pleniorem, & emendatiorem, &c.*) Ediderat Gavantus Cononiæ 1625. Ordinem divini Officii perpetuum, & quam breviſſimum, quem in calce hujus ſui Theſauri pleniorem, & emendatiorem promiſerat, ſed variis curis, & laboribus diſtentus, numquam edere potuit; noſtris novis Additionibus, & Obſervationibus adjicietur etiam hic ordo perpetuus divini Officii pleniſſimus, & emendatus, qui confectus fuit, me Conſulente, & urgente, a D. Dominico Luchini Sacerdote Piſaurenſi in Sacris Ritibus, & rebus Mathematicis peritiſſimo, qui quidem ordo conſtituet ſecundam partem hujus ſecundi Tomi Theſauri Sacrorum Rituum.

# SECTIO TERTIA.

## De Rubricis.

### GAVANTUS.

AGgredimur nunc eam Provinciam, quæ proprie noſtra eſt, explicandi nimirum Sacras Leges, & Rubricas Breviarii: de quibus prius in genere, deinde in ſpecie, ordine ſervato ejuſdem Breviarii, erit agendum.

## SECTIONIS TERTIÆ CAP. XII.

1. *De Rubricis generalibus Horarum Canonicarum.*
2. *De Duplici Officio.*
3. *De Semiduplici.*
4. *De Simplici.*
5. *De Dominica.*
6. *De Feria.*
7. *De Vigilia.*
8. *De Octava.*
9. *De Occurrentia Officii.*
10. *De Occurrentia Officii, ſeu de Translatione Feſtorum.*
11. *De Commemorationibus.*
12. *De Patrono loci, & Titulo Eccleſiæ.*

## De Rubricis generalibus Horarum Canonicarum, Cap. I.

### GAVANTUS.

1. DE voce, *Rubricæ*, alibi diximus, *initio Comment. in Rubric. Miſſalis, tomo ſuperiore.*

2. Uſurpata fuit eadem vox prius in Breviario quam in Miſſali, & reperitur *in editione Veneta Breviarii ante annum* 1550. ſed Pius V. inſcripſit omnes leges Breviarii titulo Rubricarum Generalium, quod ante non fuerat factum.

3. Pauciſſimi tamen erant earum Tituli, nempe undecim tantum, in prima editione juſſu Pii V. hauſti e Directorio Divini Officii, compoſito a Ludovico Ciconiolano Regularis Obſervantiæ ſub Paulo III. qui & Directorium approbavit.

4. Rubricarum additio, detractio, mutatio prohibentur in Bulla Pii V. in his enim eſt formula data precandi in Breviario; quare, ſi notabiliter Officio Divino injuriam facis in obſervantia Rubricarum ſubſtantiali Officii, graviter peccas; non ita in accidentariis accidit Rubricis, puta ſi ſedens recites, quæ flexis genibus jubentur dici, in Oratione privata; Secus eſſe poſſet in publica, ſi abſque cauſa fiat, aut cum aliorum offenſione. *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 27. n. 2.*

*& alii apud Bonacin. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 6. numer. 1. & 2.*

5. Divido nunc Rubricas in tres partes, quas proſequar in proximis, & diſtinctis Sectionibus. Aliæ ſpectant ad totum integrum Officium; quod eſt, vel Duplex, vel Semiduplex, vel Simplex, vel Dominicale, vel Feriale, vel de Vigil. vel de Octava, vel de Officio S. Mariæ in Sabbato, vel pro Officio Commem. habet, vel concurrit cum alio, vel occurrit, ita ut alterius accidat Tranſlatio: de quibus agitur in Breviar. primis undecim Titulis, ſeu Capitibus. Aliæ continent Ritus proprios majorum partium, hoc eſt, Horarum Officii, de quibus a tit. 13. uſque ad 18. incluſive, Matutini ſcilicet, Laudum, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſper. & Compl. aliæ denique verſantur circa partium partes, ex quibus ipſæmet Horæ componuntur, nempe Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apoſtolorum, Initium Horarum, Invitatorium, Hymni, Antiphonæ, Pſalmi, Cantica, Verſus, Abſolutiones, Benedictiones, Lectiones, Reſponſoria, Capitula, Orationes, Hymus Te Deum, Symbolum Athanaſii, Preces, Suffragia Sanctorum, Antiphonæ B. Mariæ finales, de quibus in Rubricis Brev. a tit. 19. ad tit. 36.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

Gav. num. 1. - *De voce Rubricæ, alibi diximus &c.*) Nos quoque Gavanti veſtigiis inſiſtendo de voce Rubricæ, & de aliis ad Rubricas ſpectantibus tomo 1. hujus Theſauri locuti ſumus, præſertim initio Commentarii ejuſdem Gavanti in Rubricas Miſſalis, & in noſtris Additionibus ad Tit. XI. tertiæ partis ejuſdem Tomi ſuperioris.

In ſequenti Cap. progredituream Provinciam, quam merito ſuam appellat, explicandi nimirum in ſpecie Sacras Leges ſeu Rubricas Breviar. quorum Textum placuit nobis ſuis Commentar. præmittere ad majorem Lectorum commoditatem, ut facilius ob oculos habeant tum legem, tum ejuſdem Commentaria novaſque noſtras ad eadem Obſervationes. & Additiones.

## RUBRICÆ GENERALES BREVIARII.

### De Officio Duplici. I.

1. *Officium ſit Duplex in diebus a Feria quinta in Cœna Domini, uſque ad Feriam tertiam Paſchæ incluſive, in Dominica in Albis, in Aſcenſione Domini, in Dominica Pentecoſtes, vel duobus diebus ſequentibus: in Feſto Trinitatis, Corporis Chriſti, & Dedicationis propriæ Eccleſiæ: in Feſtis, quibus Kalendario apponitur hæc vox, Duplex: in die oct. Feſti habentis oct. in Feſto Patroni unius vel plurium alicujus loci, vel Titularis Eccleſiæ; & in Feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari, cum Officiis propriis a Sede Apoſtolica approbatis, aut ex ejuſdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (ſervata tamen forma hujus Breviari) alioquin de communi, etiam ſi prædicta Feſta in hoc Kalendario non ſint deſcripta. Præterea Officium ſit Duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum & in die obitus, ſeu depoſitionis Defuncti, ut in eodem Officio dicitur, circa finem Breviarii.*
2. *Feſtum Duplex celebratur eo die quo cadit, niſi illud contingat transferri: ut dicetur in Rubrica de Tranſlatione Feſtorum.*
3. *Habet primas, & ſecundas Veſperas integras, niſi cum alio ſimili concurrat, ut dicetur in Rubr. de concurrentia Officii: & totum Officium ſit de duplici, incipiendo a primis Veſperis uſque ad Completorium ſequentis diei, incluſive, niſi aliter in propriis locis aſſignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Veſperas, Matutinum, & Laudes, ut circa finem Breviarii ponitur.*
4. *In utriſque Veſperis, & Matutino, & Laudibus tantum, non autem in aliis Horis duplicantur Antiphonæ, id eſt, integræ dicuntur in principio, & in fine Pſalmorum.*
5. *Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Pſalmis, & totidem Lectionibus, hoc eſt, in unoquoque Nocturno tres Pſalmi, & tres Lectiones, præterquam in Paſchate Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus Pſalmis, & totidem Lect. ut ibidem ponitur.*
6. *Preces ad Primam, & Completorium, & Suffragia de S. Maria, Apoſtolis, & Pace ad Veſperas, & Laudes, non dicuntur in Officio Duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.*
7. *Quomodo ſit ordinandum Officium Duplex in Veſperis, Matutino, & cæteris Horis: ſimiliter & de Antiphonis, Reſponſoriis, Verſibus, Capitulis, & aliis in eo dicendis, habentur inferius de ſingulis propriæ Rubricæ.*

### De Duplici Officio. Cap. II.

*GAVANTUS.*

1. VArietas Officii, & Feſtorum inde eſt, quia ſtella ſecundum Apoſtolum differt a ſtella in claritate: & quia *ex Dionyſ. Areopag.* Eccleſiaſtica Hierarchia repræſentat aliqualiter in ſuis actionibus cœleſtem Hierarchiam, in qua Sancti ſecundum meritorum diverſitatem diſponuntur; ideo ad hoc repræſentandum varietas Officiorum diverſorum in Eccleſia reperitur. Hæc *Durand. in lib. 7. cap. 1.*

2. Hæc vox: *Duplex apud Durand. loc. cit.* habetur. Apud antiquiores non habetur. Et ex eodem Durand. ſignificat, Antiphonas in Officio duplicari, hoc eſt integras recitari ante & poſt Pſalmos.

3. Dividit *ibidem* Durand. in duplex in totum, & in duplex ſimpliciter; illud majus, & hoc minus ibidem appellat: quod nos hodie dicimus, Duplex primæ, & ſecundæ Claſſis ex una parte, & Duplex per annum ex altera parte. Sed in recognitione Clementina Breviarii ad majorem diſtinctionem inſtituta ſunt quatuor genera Duplicium Feſtorum; primum, quod dicitur primæ Claſſis, alterum, ſecundæ Claſſis, tertium quod appellatur majus per annum, quartum minus per annum.

4. Primæ Claſſis ſunt: Nativitas Domini, Epiphania, Paſcha Reſurrectionis cum tribus præcedentibus, & duobus ſequentibus diebus, quod & habet *Durand. lib. 7. cap. 2.* & de triduo quidem præcedente Paſcha rationem reddit *Rupertus lib. 5. de Divinis officiis cap. 25.* ob exequias ſolemnes Chriſti demortui. Aſcenſio Domini. *Durandus lib. 7. cap. 1.* Pentecoſtes cum duobus ſequentibus. *Durand. ibidem.* Feſtum Corporis Chriſti, *ex Decreto Urbani IV.* Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ, Feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptio Beatæ Virginis, Feſtum Omnium Sanctorum, de quibus dicemus in proprio Sanctorum, Dedicatio propriæ Eccleſiæ. *Durand. loc. cit.* Patroni Feſtum, vel Titul. Eccleſiæ, quod innuit *Micrologus cap. 43. & Radulph. propoſit.* 17. Sunt igitur Feſta in Eccleſia univerſali, n. 18. primæ Claſſis duplicia.

5. Secundæ Claſſis ſunt: Circumciſio Domini, Feſtum Sanctiſs. Trinitatis, Purificatio, Annunciatio, Nativitas Beatæ Virginis, Natalitia duodecim Apoſtolorum; hoc eſt, de numero duodecim, Feſta Evangeliſtarum, Inventio Sanctæ Crucis (quod fuit additum huic claſſi a Clemente VIII. Et noviſſime a Clement. X. Feſtum S. Joſeph Sponſi B. V. M.) Feſtum S. Laurentii, Dedicatio S. Michaelis Archangeli, de quibus in proprio Sanctorum. Quibus adde Feſta SS. Stephani, & Innocent. quæ infra ſuo loco probabimus; hæc igitur Feſt. n. 22.

6. Duplicia majora per annum, quæ, ut dicemus, integras habent Veſperas in concurſu cum aliis Duplicibus minoribus, ſunt hæc: Transfiguratio Domini, Exaltatio Sanctæ Crucis, Feſtum Nivis, Viſitatio, Præſentatio, Conceptio Beatæ Mariæ, Apparitio Sancti Michaelis, Cathedra Sancti Petri utraque, Feſtum ejuſdem ad Vincula, Converſio Sancti Pauli, Feſtum Sancti Joannis ante portam Latinam, Sancti Barnabæ Apoſtoli, Dies Octava Epiphaniæ, Dies item Octava Corporis Chriſti, & Aſcenſionis ejuſdem, * item Patroni locorum minus Principales, niſi ſint in Kalendario Romano altioris Claſſis. Sunt autem Feſta hæc n. 16. in univerſali Eccleſia.

7. Reliqua duplicia ſunt Minora, quibus in Kalendario apponitur hæc vox. Duplex, & præterea Dies Octavæ Feſtorum Octavam habentium, quarum ſupra non meminimus; ſunt autem illa n. 31. hæc vero ſunt n. 9. in Breviario. Ergo Duplicia, n. 98. in Breviario celebrantur.

8. * Neque diſtinguas adhuc, ut Feſta Beatificatorum tantum minora ſint Feſta minoribus Canonizatorum, ita ut habeant hæc integras utraſque Veſperas; quod eſt privilegium Feſtorum majorum per annum, *de concurr. Offic. n.* 2. quia in eo tantum differunt, quod Canonizati ubique coli poſſunt, non autem Beatificati.

9. De privilegiis Feſtorum Duplicium reſpectu aliorum, & inter ſe, dicemus, cum de concurrentia, & occurrentia Officii, de Matutino, Precibus, & Suffragiis.

10. De Sancto, cujus inſignis habetur Reliquia, ſi concedatur Officium, ſit duplex minus per annum, Sacra Rituum Congreg. 23. *Novemb.* 1602. ut ſupra diximus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. n. 8.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 2. - *Significat Antiphonae in Officio duplicari &c.*) Joannes Fronto in Kalendario nongentis annis antiquiore a ſe evulgato §. XI. adſtruit, quod antiquitus Sancti qui in Kalendario locum habebant, alii Feſto ſimplici, alii duplici colebantur, & opinatur hanc fuiſſe primam die-

rum

Digitized by Google

rum Feſtorum diviſionem, quam ex ſuo Kalendario ſic definit: Cum unica Miſſa, & unicum Officium notabatur, Feſtum dicebatur ſimplex, ſed cum duplex Officium, & duplex Miſſa, vel etiam plures, dicebatur Feſtum duplex, cui ſententiæ adſtipulatur etiam Grancolas *lib.* 1. *cap.* 44. *Comment. hiſtor. in Breviar. Roman.* ſed Guyetus *lib.* 2. *ſect.* 3. *c.* 9. *qu.* 2. acerrime refellit laudati Frontonis ſententiam, ex quo ſepties dumtaxat in dicto Kalendario reperitur, ut duplex ſit Officium, ac Miſſa præſcribatur, unde ſeptem dumtaxat fuiſſent tunc Feſta duplicia, quæ recenſet idem Guyetus, nec ea quidem Sanctorum majorum, qui aliis dignitate, ſeu celebritate præſtant, ut facile apparebit Feſta illa cum aliis comparanti. Immo addit Guyetus, quod in eodem Kalendario Frontoniano juxta dictam opinionem nec duplicia fuiſſent Natale Domini, Natale Sancti Stephani, Natale S. Joannis &c. Id quod tamen nemo ſibi perſuadere poterit; vel enim nota illa fuit majoris, ſeu excellentioris celebritatis, vel non; ſi ſuit, iniquum plane eſt eam minoribus Feſtis tribui, & majoribus denegari; ſi non, quomodo ex tali nota poteſt erui origo ejus inſtituti, quod perpetua traditione uſui fuit in Eccleſia Romana ad indicandam majorem certorum Feſtorum præ aliis celebritatem? Hæc Guyetus loco citato ſubnectens vocem hanc *duplex*, cujus vis, & origo nunc quæritur, non numerantis, ſed extollentis eſſe, ad exprimendam videlicet digniorem Officii qualitatem; At juxta Frontonis mentem hoc tantum indicabat, duo una die fieri Officia, alterum de uno Sancto, alterum de alio eadem die occurrente, ſeu ut conjiciendo pergit dicere, alterum de Feria, vel de Feſto Martyris, alterum de Feſto Confeſſoris; quod utrumque Officium vitandæ prolixitatis gratia, primo omiſſo, aut ſola commemoratione tranſacto, in unum deinceps coaluiſſe aſſeruit; illud brevius, aut pauciora complectens, quippe quod præter Antiphonas nihil conduplicatum haberet; alia etiam addit Joannes Fronto, quæ tamen confutantur a Guyeto, adſtruente modum ratiocinandi Frontonis eſſe prorſus alienum a vera, & germana diſtinctionis Officiorum ratione. Officia enim quo digniora ſunt, eo magis per ſe ſola fiunt, ut patet in eo, quod duplicia primæ Claſſis ea ſint, quæ omnem omnino commemorationem excludunt; ſecundæ Claſſis, quæ admitunt in Laudibus, & Miſſis privatis tantum; Reliqua vero duplicia per annum præſemiduplicibus, & ſimplicibus, commemorationes, ſeu ſuffragia communia abjiciunt; Fronto vero e contra duplicia, adeoque digniora cenſet Officia, quæ ex pluribus, vel copulatione, vel etiam mixtione coaleſcunt; audiendus igitur eſt melior Frontone non conjector, ſed aſſertor Durandus, qui *lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 31. ait: *dicuntur quædam duplicia in quibuſdam Eccleſiis pro eo quod Reſponſoria tam majora, quam brevia, & Verſus a duobus cantantur, & omnia incipienda, a duobus incipiuntur, & quia Antiphonæ in Matutinis, & Veſperis duplicantur, dicuntur enim Complete* (hoc eſt integre) *ante Pſalmum, & poſt.* Durando conſonat Gloſſa *in Cap. Glorioſus de Reliq. & Venerat. Sanct.* & ſapientiſſimus noſter Gavantus ſupra, recentior illo quidem, ſed cui primas in veſtiganda hujuſmodi origine, ut ait Guyetus, & merito quidem, nemo negaverit: Ritum autem duplicandi Antiphonas antiquum eſſe oſtendit etiam loco citato idem Guyetus, qui poſtea hoc unum addit, duplicis rationem (ſi pro numero vox illa accipiatur, uti Fronto eam accipit) rectius deduci, ex quo duplex duas olim, ut & hodie haberet Veſperas, pridie videlicet, & ipſo die Feſti: Simplex vero unas dumtaxat, nempe primas, quod ex Officiorum diverſitate procedit, quæ ad majoris ſolemnitatis indicium ſic inducta fuit; unde in Breviario proprio Eccleſiæ Sancti Martini Turonenſis cum nulla habeantur Feſta ſemiduplicia, quæ ſimplicia ſunt novem Lectionum, æque carent ſecundis Veſperis, ac ſimplicia trium Lectionum. Etiam in Breviario Quignoniano, in quo ſemiduplicibus expunctis, ſola duplicia, & ſimplicia Officia habentur; hæc inter ſe hoc diſcrimen habent, quod illa duas Veſperas, iſta vero unas dumtaxat, ſed ipſo die habeant; verum cum ſuppreſſum fuerit a Pio V. tale Breviarium, ipſumque contra antiquiſſimum, ac receptum ubique morem, ſecundas Veſperas, demptis primis, Feſtis ſimplicibus tribuat, nullius debet eſſe auctoritatis.

II. Gav. n. 5. *Hæc igitur Feſta n.* 22. *&c.*) Nunc addenda ſunt alia duo duplicia ſecundæ Claſſis, nimirum Feſtum Sanctiſſimi Nominis Jeſu, & Feſtum Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, de quibus iterum ſermonem habebimus infra in proprio Sanctorum.

III. Gavantus n. 6. - *Conceptio Beatæ Mariæ &c.*) Hoc Feſtum, ut mox innuimus, non eſt in claſſe Duplicium majorum, ſed elevatum fuit ad Feſta ſecundæ Claſſis cum Octava ab Innocentio PP. XII. die 15. Maji 1693. Duplicibus autem majoribus addi nunc debent etiam Feſtum Dolorum B. M. V. Feſtum SS. Nominis ejuſdem B. V. M. Feſtum B. Mariæ de Monte Carmelo, Feſtum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & denique Feſtum Sanctiſſimi Roſarii B. V. M. quapropter dempto ab hac Claſſe Feſto Conceptionis B. M. & additis præfatis quinque aliis Feſtis, Duplicia majora in univerſali Eccleſia, ſunt n. 17. Nam Octava Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, aliorumque Domini Feſtorum non ſunt revera duplicia majora, ſed in concurrentia ſunt ad inſtar duplicium majorum.

IV. Gavantus n. 7. - *Sunt autem illa n.* 31. *hæ vero ſunt n.* 9.) Duplicia minora, quæ nunc habentur in Breviario, cum multa poſt Gavantum addita fuerint, de quibus agemus in proprio Sanctorum, excedunt profecto n. 31. Octavæ vero, quæ ſunt Duplicia minora, nec privilegiata, nunc ſunt n. 10. quia addenda eſt octava Conceptionis B. M. Ergo duplicia omnia minora, quæ in Breviario celebrantur, excedunt n. 86. demptis diebus octavarum Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, quæ licet ſint duplicia minora, in concurrentia tamen, ut diximus, ſunt ad inſtar duplicium majorum.

V. Gav. n. 10. - *De Sancto, cujus Inſignis habetur Reliquia &c.*) Videantur ea, quæ a nobis dicta ſunt ſupra *ſect.* 1. *cap. V. tit.* 2. *n. IV.* ubi Decreta omnia adduximus ſpectantia ad præſentem materiam de Indulto recitandi Divinum Officium ratione Reliquiæ Inſignis alicujus Sancti.

VI. Supra innuimus cum Gavanto Feſtorum Duplicium alia eſſe *primæ Claſſis*, alia *ſecundæ Claſſis*, & alia *per Annum*, ſive *majora*, ſive *minora*; verum tamen eſt, quod Duplicia majora primo, & per ſe dicuntur quæcumque Feſta *primæ*, & *ſecundæ Claſſis*, nam in *Rubrica de Translatione Feſtorum n.* 2. dicitur expreſſe: *ſi in die Octavæ occurrat aliquod Feſtum Duplex ex majoribus ſupra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis &c.* Ex quibus verbis Rubricæ liquet omnia Feſta ibi enumerata majora appellari. Quæ vero poſtea *majora per annum* dicuntur, minime cenſenda ſunt ejuſdem ordinis cum illis, ſed alterius inferioris, adeoque haud abſolute majora, ſed reſpective ad alia *per annum illis minora*. De his duplicibus per annum majoribus, & minoribus, quæritur a Rubriciſtis an inter ſe differant ſpecie; & pari diſcrimine, atque Duplicia primæ Claſſis a Duplicibus ſecundæ Claſſis, adeoque duo illa duobus iſtis addita, quatuor univerſim duplicium genera conficiant? Affirmat noſter Gavantus ſupra *n.* 3. nullam tamen proferendo intrinſecam rationem, niſi quod in recognitione Clementis VIII. ad calcem Rubricarum poſt Duplicia primæ, & ſecundæ Claſſis enumerentur diſtincta ſerie duplicia majora per annum, aliis minoribus præferenda: Guyetus tamen *loc. cit. q.* 4. ſeriem illam majoris quidem facilitatis gratia additam fuiſſe non diffitetur, at diverſum Duplicium genus, ſeu Claſſem a Duplicibus minoribus per annum diſtinctam conſtituere abſolute negat, & conatur nonnullis rationibus id oſtendere, quæ apud ipſum legi poterunt: ſed mihi videtur quæſtio de puro nomine, & inutilis; cum ſemper certum ſit aliquod diſcrimen intervenire inter præfata Duplicia majora, & minora per Annum, & hoc ſufficit ad conſtituendam aliquam ſpeciem diverſam; & equidem concludit Guyetus ſe nolle ſuis rationibus ſeriem illam Duplicium majorum per Annum in calcem Rubricarum appoſitam damnare. Eſt enim ea perutilis ad hoc, ut ſub oculis habeantur Feſta illa, quæ in concurſu præferenda ſunt.

## De Officio Semiduplici. II.

### R U B R I C A.

1. *Officium ſit Semiduplex diebus Dominicis (excepta Dominica in Albis, in qua ſit Duplex) & diebus infra Octavam: item in Feſtis, quibus in Kalendario ponitur hæc vox, Semiduplex, & in Feſtis propriis quorumdam locorum, ſeu Congregationum, quæ ſolemnius apud illas, quam Simplicia, conſueverunt celebrari.*
2. *De Feſto Semiduplici ſit eo die quo cadit, niſi contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de Translatione Feſtorum.*
3. *Habet totum Officium integrum ſicut Duplex, ſed non duplicantur Antiphonæ.*
4. *Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, præterquam infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Pſalmis, & totidem Lectionibus. Et regulariter quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Pſalmi, et totidem Lectiones, exceptis iis Dominicis, in quibus ſit Officium, ut in Pſalterio, quæ habent xviii. Pſalmos, ut ibi.*
5. *Quomodo ſit ordinandum Officium Semid. tam in Feſtis, quam in Dominicis, et infra Oct. item et de Antiphonis, Verſibus, Reſponſoriis, et hujuſmodi aliis, et quando in Semid. dicantur Preces ad Primam, et Completorium, et Suffragia de Sanctis ad Veſperas, et Laudes, habentur inferius de ſingulis propriæ Rubricæ.*

## De Semiduplici. Cap. III.

### *G A V A N T U S.*

1. HÆC vox: *Semiduplex* apud *Durandum lib.* 7. *cap.* 1. habetur. Dicebatur antea novem lectionum, apud *Radulph. propoſ.* 7. Alii vocaverunt ſolemne, *ut in Breviar. Venetiis edito ann.* 1550. Alii, non duplex, ut legi in anti-

quioribus Breviariis. Idem ſonant, eo quod in officio novem lectiones leguntur, ut a Simplici diſtinguatur; non duplicantur Antiphonæ, ut differat a duplici.

2. Semiduplici ritu gaudent Dominicæ per anuum, & ea Sanctorum Feſta, quibus in Calendario appoſita eſt vox, *ſemiduplex*, numero hodie ultra 40. item dies infra Octavas, quæ jure merito minores ſunt die Feſto, & die Octava; ſunt autem & hi numero ultra quadraginta, quare ſemiduplicia cum Dominicis excedunt n. 130.

3. De Sancto, cujus Reliquia non inſignis habetur, ſi concedatur Officium, debet eſſe ſemiduplex, ad differentiam inſignis Reliquiæ.

4. De Sanctis locorum conſuevit Sancta Sedes Apoſtolica in iis locis, ubi neque Reliquiæ inſignes extant, concedere Officium ſemiduplex, ne Dominicæ Officium, quod eſt Domini, impediatur ab Officio ſemid. quod notat expreſſe Clem. VIII. 19. *Junii* 1601. quando concedit univerſæ Congregationi Eremitarum S. Auguſtini Officium Semiduplex de B. Joanne a S. Facundo Hiſpano; cujus Bullæ tenorem refert *Caſtellanus in Compendio Bullarum in tertia editione Venetiis* 1605, Inventiones, Translationes hac eadem lege colendæ forent, ad differentiam Feſtorum principalium, quod obſervat Eccleſia in Inventione S. Stephani Protom. in qua hæc ſcribimus.

5. De Sanctos, cujus habetur Eccleſia Abbatialis, Parochialis, vel Regularium, vel Monialium, hoc ſolo titulo, fiebat ante annos tres ſemiduplex in multis locis; at neſcio quo jure, nam Officium feriale fere totum omittebatur cum Officio Beatæ Virginis in Choro, & Defunctorum, & quod magis dolebam, feriarum Quadrageſimæ, a quibus antiqui removebant Feſta Sanctorum, & a quibus in recognitione Breviarii Octavæ ſunt excluſæ, contra quos acerrime invehitur *Radulph. propoſ.* 17. ea potiſſimum ratione, quod tollitur continuatio, & recitatio totius Pſalterii. Et feriale Officium, inquit, Domini Officium eſt; quod a quocumque ſervo non debet obrui. Videant Epiſcopi, ne pluralitate Feſtorum fiat injuria Officio feriali Domini Dei noſtri. Sed ecce Deo dante, ſublatus eſt abuſus a S. Rit. Congr. Decreto edito *die quo ſupra ſect. 1. c. 5. tit. 2. n. 9.* in hæc verba, *vetuit, & prohibuit celebrari per totam civitatem, vel diœceſim, etiam de cujuſque Ordinarii licentia, Miſſam, vel Feſtum cum Officio de Sancto. eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, ſed tantum in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeu, ubi aſſervatur inſignis Reliquia, & non alibi.* Quæ vero ſit inſignis Reliquia, eadem Sacra Congregatio declaravit ſtatim, & nos deſcripſimus *in primo tom. p. 1. tit. 11. circa finem.* Addidit pœnam eadem S. Congreg. *ib.* nimirum, quod aliter non fit ſatis muneri recitandi divini Officii, & conſequenter infligitur pœna non faciendi a Clero fructus ſuos beneficiorum, præter lethale peccatum, quod committitur. * Eadem S. Congr. declaravit, comprehendi in dicto Decreto Eccleſias Abbatiales die 28. *Septembris* 1628.

6. De privilegiis Feſti, ſeu Officii Semiduplicis agemus infra in pluribus locis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Semiduplex apud Durandum habetur lib. 7. c. 1.*) Durandus quamvis Feſtorum Semiduplicium mentionem faciat, ante ipſum tamen, qui floruit an. 1280. duplicis, vel ſemiduplicis appellatio Feſtis indita non reperitur. In Breviario M. SS. Dominicanorum Pariſienſium, quod exeunte XIII. vel ineunte XIV. ſæculo exaratum fuit, Apoſtoli ſemiduplex tantum Officium adhuc habebant. Idem quoque legitur in Breviario M. SS. Dionyſiano Joannis Regis ævo conſcripto, ut aſſeverat Grancolas *loc. ſuprac.* Rurſus in Breviario Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Lugduni edito ann. 1551. Apoſtoli, Sancto Petro excepto, atque ipſe Sanctus Auguſtinus, cujus Regulam ſequuntur, & Decollatio S. Joannis Baptiſtæ eorum Patroni, ſemiduplici tantum ritu celebrabantur: quapropter dicendum eſt, Decretum Bonifacii VIII. qui Romanæ Eccleſiæ præerat anno 1294, & qui primus ſtatuit, ut Apoſtolorum, quatuor Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum Eccleſiæ Officium duplex eſſet -- in aliis Eccleſiis non fuiſſe eodem tractu receptum, ita ut pro ſola Romana Eccleſia primum editum fuerit. *De hoc* Bonifacii VIII. Decreto extat in formulario Marini Ebuli, & majori ex parte in ſexto Decretalium *cap. Glorioſus, tit. de Reliq. & Venerat. Sanct.* Diploma, quod Raynaldus in hiſtoria præfati Pontificis ad prædictum annum *n.* 55. integrum refert inſcriptum -- *Archiepiſcopo Rhemenſi, & ejus Suffraganeis datum Anagniæ XII. Kalendas Octobris Pontificatus Anno primo* -- Concilium quoque Marciacenſe in Provincia Auxienſi Anno 1326. celebratum Can. 41. mandat, *ut Annis ſingulis Feſta Beatorum Apoſtolorum Domini, quatuor Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum ipſius Sanctæ Matris Eccleſiæ, Gregorii, Auguſtini, Ambroſii, & Hieronymi ſub Officio Duplici celebrentur*; unde inferre licet, quod in præfata Provincia ante allegatum Concilium ejuſmodi Feſta ſub ritu tantum Semiduplici celebrata fuerint.

Poſtquam hæc ſemiduplicia ad duplicem ritum elevata ſunt, ut ea ab illis, quæ duplicia appellabantur, diſtinguerentur, duplex Claſſis Feſtorum duplicium conſtituta eſt, vetuſtaque Feſta, ſeu digniora duplicia primæ Claſſis dicta fuere, alia vero duplicia ſecundæ Claſſis, inter quæ recenſentur Apoſtolorum, & nunc etiam Evangeliſtarum Feſta, quæ ſunt ſecundæ Claſſis. Feſtum vero D. Petri Apoſtolorum Principis in prima Claſſe ſibi locum vindicavit. De prædictorum tamen Feſtorum primæ, & ſecundæ Claſſis origine diſſerendo ſapientiſſimus Guyetus *loco ſuprac. quæſt.* 3. ait ſe neſcire an ante Pium V. talium Feſtorum in Breviario eſſet uſus, nam nec in Romano, ſive M. SS. Anni 1519. ſive editionis Annorum 1550. & 1555. nec in ullo alio ejuſmodi nomenclaturam ipſe reperire potuit. Ad Romanum Breviarium quod attinet, in prædictis exemplaribus ſola erat inſcriptio majorum, & minorum, quæ Durandus appellat Duplicia in totum, & Duplicia ſimpliciter. Sed cum talis inſcriptio non videretur ſufficiens ad exprimendam variam Feſtorum inter ſe dignitatem, Duplicium majorum in novo Pii V. Breviario duæ conſtitutæ ſunt Claſſes, quarum una vocatur prima, altera ſecunda, ad diſtinguenda Feſta majora a minoribus pro ſua quæque dignitate.

II. Gav. n. 2. -- *Semiduplici ritu gaudent Dominicæ per annum &c.*) Quatuor ſunt ſpecies Semiduplicium. Ad primam pertinent Dominicæ, quæ in tres ſpecies ſubdividuntur, ſcilicet in Dominicas primæ Claſſis, quæ nulli Feſto cedunt, v. gr. Dominica prima Adventus &c. Quadrageſimæ &c. de quibus infra: In Dominicas ſecundæ Claſſis, quæ Feſto Patroni, vel Titularis, vel Dedicationis cedunt: & in Dominicas Communes, ſeu per annum, ut vocant. Hæ omnes, inquam, Dominicæ (excepta Dominica Reſurrectionis, Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis, & in Albis) ſub ritu Semiduplici celebrantur, ita tamen, ut in occurſu ſemper aliis Semiduplicibus præferantur. Ad ſecundam pertinent Feſta Semiduplicia, qualia ſunt, quibus in Calendario, vel in proprio Sanctorum vox *Semiduplex* appoſita eſt. Ad tertiam ſpectant omnes dies infra Octavam, nempe ſex illis dies, qui intra Feſtum, & ipſam diem Octavam intercidunt, quæ proinde in occurſu tam Dominicis, quam Semiduplicis cedunt, niſi ad aliquam ex Octavis privilegiatis, de quibus infra, pertineant. Ad quartam pertinent Vigilia Epiphaniæ & Pentecoſtes cum præcedenti ſexta Feria, quæ ſub ritu Semiduplici celebrantur, nec tamen ad ullam præcedentium Claſſium commode revocari queunt, ut optime notat Lohner in Inſtructione practica de Horis Canonicis *tit.* 2. §. 2.

III. Gav. eod. n. 2. -- *Numero hodie ultra quadraginta &c.*) Officia Semiduplicia profecto nunc excedunt allegatum numerum, ſicut etiam dies infra Octavas, quare Semiduplicia cum Dominicis non eſt dubium quin modo tranſcendant numerum centum triginta.

IV. Gav. n. 3. -- *Debet eſſe Semiduplex &c.*) Quamvis veriſſimum ſit, quod de Sancto, cujus Reliquia non Inſignis habetur, ſi concedatur Officium, debet eſſe ſemiduplex; nihilominus hoc dependet a S. Congregationis arbitrio, & equidem apud Monanel. *in Formulario Legali practico part. 4. in ſupplemento ad primum Tomum* aſſertur S. C. R. Decretum, quo conceditur Parocho Albegni Bergomenſis Diœceſis, ut poſſit celebrari Miſſa ſub ritu duplici ſine *Credo* in ſua Eccleſia pro Sancto in Martyrologio Romano deſcripto, cujus Reliquia non Inſignis aſſervatur in eadem Eccleſia.

V. Gav. n. 6. *De privilegiis Feſti &c.*) Nos quoque Gavanti veſtigia ſectando de privilegiis Feſti, ſeu Officii Semiduplicis agemus infra in pluribus locis, interim tamen innuendum eſt hæc Semiduplicia a duplicibus diſtingui per hoc, quod duplicia tria habent privilegia. nimirum primum, quod Antiphonæ, ut diximus ſupra, duplicantur in Matutino, ad Laudes, & ad Veſperas; ſecundum, quod in duplicibus Suffragia Communia non admittuntur tertium, quod nullæ Preces in illis dicuntur, in Semiduplicibus autem non duplicantur Antiphonæ, dicuntur Preces ad *Primam*, & ad *Completorium*, præter quam tamen in diebus infra Octavas; ſicut etiam admittuntur Suffragia Communia, ſed etiam hæc in diebus infra Oct. prætermittuntur. A Simplicibus vero diſtinguuntur Semiduplicia per hoc, quod novem Lectiones, tres Nocturnos, & primas, ac ſecundas Veſperas de jure exigant, niſi aliter fieri debeat, ratione concurrentiæ Feſti altioris ordinis, vel æqualis, quod examinabimus agendo infra de concurrentia Feſtorum. Differt etiam Semiduplex a Feſto Simplici per hoc, quod Semiduplex ſi impediatur ab aliquo Feſto ſuperioris Ritus, vel etiam æqualis juxta diſpoſitionem Decretorum, poteſt transferri in aliam diem, ſimplex vero Feſtum fit ſemper eo die, quo cadit, quod ſi ob occurrentiam Feſti alicujus nihil poſſit de eo fieri illo die, neque Commemoratio, de tali Feſto nihil amplius eo anno agitur, unde non poteſt ullo modo transferri.

## De Officio Simplici. III.

### R U B R I C A.

1. *Officium fit ſimplex in diebus Ferialibus, quando occurrit fieri de Feria. Item in Feſtis, quibus in Kalendario non apponitur hæc vox, Duplex, vel Semid. vel de oct. Item quando fit de B. Maria in Sabbato, ut in ejus Rubrica dicetur.*

2. *De*

Digitized by Google

2. *De Feſto Simplici fit eo die quo cadit, niſi eodem die occurrat fieri Officium novem Lectionum vel de Sancta Maria in Sabbato, vel de aliquibus Feriis, quibus feſtum Simplex cedit: ut dicetur in Rubr. de Feriis, & de Commemorationibus.*

3. *Habet tantum primas Veſperas, in quibus dicuntur Pſalmi feriales, & a Capitulo fit de Feſto, niſi cum eo concurrat Officium novem Lectionum, quia tunc de eo fit ſola commemoratio, ut dicitur in Rubrica de Concurrentia Officii, & ejus Officium terminatur ad Nonam, & nihil amplius fit de eo, nec commemoratio.*

4. *Ad Matutinum, poſt Invitatorium & Hymnum de feſto, dicitur unum tantum Nocturnum, cum duodecim Pſalmis, ut in Pſalterio, ſecundum feriam qua occurrit: & tres Lectiones leguntur, ut infra in Rubrica de Lectionibus habetur.*

5. *Quomodo ſit ordinandum Officium Simplex ad Veſperas, Matutinum, & alias Horas; item & de Antiphonis, Verſibus, Reſponſoriis, & aliis, ac quando Preces, & Suffragia de Sanctis dicenda ſint, habentur inferius propriæ Rubricæ.*

## De Simplici. Cap. IV.

### *G A V A N T U S.*

1. Durandus *loco cit.* uſurpat hanc vocem *Simplex*. Antea vocabatur Officium trium lectionum, *Microl. c. 44. & Radulph. propoſ. 17.*

2. Feſta vero Simplicia, quibus in Calendario nihil apponitur, ſuperant hodie centenarium numerum, de quibus agemus ſingillatim in proprio Sanctorum.

3. Qui numerus centenarius, quam recte congruat, accipe ex Sancto Bernardo & Radulpho. Numeroſitas Feſtivitatum, inquit *Bernardus ad Canon. Lugdun.* cives decet non exules. *Radulphus autem propoſ. cit.* addit ſumendam eſſe nimirum proportionem a Chriſto, qui duodecim elegit Apoſtolos, quos poſuit in ſuperiori gradu; in inferiori vero poſuit ſeptuaginta duos Diſcipulos, hoc eſt, ſexies duodecim. Unus eſt Chriſtus, cui datur Officium Dominicæ; Apoſtoli duodecim ſunt, ergo & Feſta Sanctorum ſolemnia in minori numero eſſe debent, quam numerus Dominicarum, ſimplicia plura eſſe debent, (cum quibus ſtat recitatio Pſalterii) ſicuti a Chriſto multiplicantur Diſcipuli. Duplicia Sanctorum (non loquor de Duplicibus Chriſti Feſtis) in Calendario Romano ſunt num. ſexaginta quatuor, Sanctorum Semiduplicia ad quadraginta; convenit ergo, ut ſimplicia excedant, uti ſit, numerum centeſimum.

4. Incipit a Veſperis quidem, ſed ferialibus, & terminatur Officium ſimplex ad Nonam. *Microl. cap. 44. & Radulph. propoſ. 18.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. -- *Antea vocabatur Officium trium Lectionum*) Feſta ſimplicia ita appellata a Durando, quod ſimplici, ſeu minus ſolemni ritu celebrentur, alio nomine, nimirum etiam Feſta trium Lectionum appellata fuere. Primo, & per ſe Feſtum ſimplex Duplici olim veluti opponebatur, ut aliud diceretur novem Lectionum, ſeu Officium plenum, ſimplex vero appellaretur Officium trium Lectionum tantum. Poſtmodum dictum Officium novem Lectionum etiam ſemiduplex nuncupatum fuit, & alia nova claſſis Officiorum inducta eſt media inter Officium Duplex, & Simplex. Patet igitur utrumque non ex æquo Duplici opponi: Semiduplex enim eſt medium quid inter Duplex, & Simplex, ita ut conveniat cum Duplici, quia gaudet Officio integro, & pleno novem Lectionum, & trium Nocturnorum, & ob eamdem rationem opponatur Simplici, quod unum tantum Nocturnum, & tres dumtaxat in ſuo Officio habeat Lectiones; quia vero Semiduplex nec Antiphonas, nec alia Solemnitatis indicia duplicat, ſimplicis potius, quam Duplicis rationem participat. Simplex igitur ſic in uno cum Semiduplici convenit, ut in utroque a Duplici diſcrepet.

Dixi officium ſimplex tres dumtaxat habere Lectiones, quarum prima tantum eſt de Sacra Scriptura, ſi Sanctus ſecundam, & tertiam propriam habeat; ſi autem is unam tantum habuerit (vel propriam, vel ex Communi Sanctorum aſſignatam) tunc prima Lectio, & ſecunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto.

Ad Matutinum dictis Invitatorio, & Hymno de Feſto, ut in Communi Sanctorum, dicitur Nocturnum Feriæ occurrentis, ut in Pſalterio; ſicut diſponitur in Rubr. de Officio ſimplici *tit. 3.* terminatis duodecim Pſalmis, ſubjungitur verſus de Feſto, ut in qualibet Feria notatur, deſumptus ex eo Nocturno, qui in Communi Sanctorum Feriæ currenti correſpondet: idem eſt de Abſolutione, prout innuitur in Rubricis Breviarii. Benedictio autem prima ſemper eſt: *Ille nos benedicat, &c.* ſecunda: *Cujus, vel quorum Feſta colimus, &c.* tertia: *Ad ſocietatem, &c.* Poſtea dicuntur Lectiones, ut ſupra, & Reſponſoria, quæ dicuntur poſt primam, & ſecundam Lectionem, ſumuntur regulariter de Communi Sanctorum ſecundum Ferias, ideſt Feria II. & V. ex primo Nocturno de Communi Sanctorum, addendo in fine ſecundi Reſponſorii ſemper *Gloria Patri* cum repetitione partis Reſponſorii. Feria III. & VI. ex ſecundo Nocturno. Feria denique IV. ex tertio Nocturno. Poſt tertiam Lectionem dicitur *Te Deum laudamus*. Ad Laudes, & per Horas omnia dicuntur de Feſto eo modo, quo in ſemiduplicibus illius temporis uſque ad Nonam incluſive, qua terminatur Feſtum ſimplicis eo die occurrentis, quod incipere debet a Veſperis pridianis cum Pſalmis ferialibus, & ſolum a Capitulo fit de prædicto Feſto ſimplici. Cætera trademus infra ſub hoc Titulo, & etiam alibi cum Gavanto.

Quod ſi Feſtum ſimplex Officium habere non poſſit, vel quia occurrit cum aliquo Officio ſuperioris Ritus, vel cum aliqua Feria ex majoribus infra numerandis, tunc habet tantum Commemorationem in primis Veſperis, & Laudibus, & legitur nona Lectio de eo, ſi propriam habeat, ſi duas, in tali caſu ex duabus fit una: at ſi habeat tantummodo Lectionem ex Communi ſibi appropriatam, ut accidit die 20. Julii in Feſto S. Margaritæ; hæc pro nona Lectione non legitur. Id patet *ex Rubr. de Translatione Feſtorum n. 9.* ubi dicitur ſic. *Si propriam* (Lectionem) *de vita Sancti habuerit.* Nona Lectio de ſimplici etiam non legitur in Dominicis, quæ habent nonum Reſponſorium; quales ſunt Dominicæ Adventus, Septuageſimæ, &c. nec quando in Feſtis legenda eſt nona Lectio de Homilia Dominicæ, vel Feriæ. Nec in Feriis, aliiſque diebus, quando in Officio diei leguntur tantum tres Lectiones, ut ſtatuunt Rubricæ ſuis reſpective locis.

Similiter non legitur nona Lectio de ſimplici infra Octavas Paſchæ, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti. De duabus primis conſtat *ex Rubr. tit. 9. de Commemorationibus n. 10.* de tertia clara eſt Rubrica, Feſto Corporis Chriſti præpoſita. Sed ſi infra Octavam Corporis Chriſti fiat de Feſto duplici occurrente, in quod ſimul incidat Feſtum ſimplex, habens Lectionem propriam, tunc legenda eſt nona Lectio de Feſto ſimplici, ut patet ex Decreto S. R. C. dato in noſtro Indice *ſub n. 95.*

Dixi ſupra, quod quando de Feſto ſimplici non poteſt fieri Officium, fit tamen ejus Commemoratio; ſed hæc in duplicibus primæ Claſſis omnino omittitur: in duplicibus vero ſecundæ Claſſis fit tantum ad Laudes, & in Miſſis privatis, legiturque pro ultima Lectione Lectio de eodem Feſto ſimplici: contingit tamen aliquando, quod facienda ſit Commemoratio Feſti ſimplicis ad primas Veſperas tantum, licet nullum adſit impedimentum, quin de Feſto ſimplici fieri poſſit a Capitulo: Nam ſi in Fer. IV. Cinerum, vel in Feriis quatuor Temporum Septembris, aut Vigiliis, in quibus legitur propria Homilia, occurreret Feſtum aliquod ſimplex, in pridianis Veſperis eſſet facienda de Feſto ſimplici ſola Commemoratio, quia tale Feſtum occurrens in dictis Feriis, vel Vigiliis, non habet Officium, ſed ſolam Commemorationem etiam ad Laudes, & ideo etiam convenit, quod in primis Veſperis non fiat de eo a Capitulo, ſed tantum habeatur Commemoratio, ut colligitur ex Rubrica Generali *tit. 11. n. 10.* ex qua pariter habetur, quod ſi occurreret in Feria V. in Cœna Domini Feſtum ſimplex, de eo neque facienda ſit Commemoratio in pridianis Veſperis, quia in dicta Feria V. nihil de eo fieri poteſt, neque Commemoratio ad Laudes.

Sed quamvis Feſtum ſimplex cedat Feriis ſupradictis majoribus, & Feriæ II. Rogationum, præcedit tamen Feriam III. non vero IV. earumdem Rogationem, in qua occurrit Vigilia Aſcenſionis, & in Rubrica ibi expreſſe declaratur, quod tali die de Feſto trium Lectionum fit tantum Commemoratio.

II. Gavant. num. 2. *Feſta vero ſimplicia, &c.*) Feſta Sanctorum ſimplicium, ait Gavantus, ſuperaſſe ſuo tempore numerum centenarium, verum quia nonnulla poſtmodum elevata fuerunt ad ſublimiorem Ritum; hinc Feſtorum ſimplicium numerus diminutus eſt. Conſiderare tamen debemus, quod ad Claſſem ſimplicium, nempe ad Ritum celebrandi Officium modo ſimplici pertinent etiam *Feriæ majores* ſic dictæ, quia de illis fit Commemoratio quocumque Feſto occurrente, quales ſunt Feriæ Adventus, & Quadrageſimæ (de quibus Commemoratio etiam in Veſperis fieri debet) & Feria II. Rogationum, ac Quatuor Temporum, de quibus in ſolis Laudibus Commemoratio facienda eſt, pertinent pariter ad Claſſem ſimplicium Vigiliæ Feſtorum, quia ſub Ritu ſimplici celebrantur, & omnibus veris Feſtis ſimplicibus in occurſu præferuntur. Rurſus ſpectat ad Claſſem ſimplicium Feſtum B. M. in Sabbato, quia ejus Officium ſub Ritu feſti ſimplicis celebratur, & præfertur cuicumque alio Feſto ſimplici. Reduci poſſunt ad hunc Ritum ſimplicem etiam Dominicæ illæ, quæ ſuo loco celebrari non poſſunt, ſed per anticipationem more feriali transferuntur in præcedentem hebdomadam in die non impedita Officio novem Lectionum etiam de Octava, & translato, non tamen ad libitum occurrente, ut decrevit Sac. Rit. Congreg. 4. Aprilis 1704. *in Lycien.* & datur in noſtro Indice num. 234. nec Officio votivo, veluti de SS. Sacramen-

to

Digitized by Google

to, Immaculata Conceptione, & ſimiſibus, juxta Decretum ejuſdem S. R. C. 20. Martii 1706. ut in eodem Indice *n.* 236. ac etiam Feſto ſimplici.

Non incongrue hic videtur notandum pro his Dominicis, quod ſi tota hebdomada fuerit impedita, die Sabbati in præfato Officio novem Lectionum ad Matutinam recitatur nona Lectio de Homilia Dominicæ, cum ejus commemoratione ad Laudes, & Miſſam; quæ dies omnino erit Sabbatum, cum commemoratio Dominicæ non poteſt anticipari in Officio, ut ſupra, niſi in die Sabbati. Secus autem ſi de Feria poteſt celebrari Officium infra hebdomadam, in qua poni debet Homilia cum Reſponſoriis, *ut in Rubr.* 27. *n.* 5. & Antiphona cum Oratione Dominicæ; excepta tamen ſecunda Dominica poſt Epiphaniam, quando ipſa cadit in Dominicam Septuageſimæ, pro qua transfertur Officium ſemiduplex de præcepto infra hebdomadam occurrens, & in ea Feria recitari debet Officium pro dicta Dominica ſecunda more feriali.

Cæterum cum Feſta ſimplicia transferri nequeant in aliam diem, ut ſupra, hinc optime obſervat Guyetus *lib.* 2. *c.* 13. *quæſt.* 3. *& lib.* 2. *cap.* 12. Feſta ſimplicia non eſſe ſolemnia, ſicut etiam nos innuimus, eo quod in Anno non ſoleant ſemper celebrari, tum quia ſæpiſſime fit de bis tantum commemoratio, tum quia etiam aliquando penitus omittuntur, ſi nempe occurrant in Feſto duplici primæ Claſſis. At vero quando impedimentum eſt perpetuum, tunc pro Feſto ſimplici aſſignatur alia dies, ut providè S. R. C. in correctione, & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium die 22. Januarii 1735. decrevit pro Sancto Theodoro Martyre impedito in Urbe, ac ejus diſtrictu ab Officio Dedicationis Baſilicæ SS. Salvatoris, ab ipſis uti Cathedralis Romani Pontificis, celebranda ſub Ritu duplici primæ Claſſis ſine Octava, aſſignavitque ei diem 12. Novembris. Et de S. Pontiano Papa, & Martyre impedito a S. Eliſabeth Vidua Hungariæ Regis filia, cujus Officium a Sororibus, & Monialibus Tertii Ordinis ejuſdem S. Franciſci tamquam Patrona celebratur ſub Ritu duplici primæ Claſſis cum Octava, decrevit de eodem Sancto Pontiano fieri 20. Novembris tamquam die propria; ex quo amborum impedimentum fuiſſet quotannis perpetuum, utpote de Sanctis ad libitum perpetuo impeditis, eadem S. R. C. pro nonnullis Diœceſibus, Ordinibus Regularibus, ac locis decrevit, aſſignando aliam diem fixam non impeditam, ut clare demonſtrabimus in Capite X. hujus ſectionis.

## De Dominicis. Cap. IV.

### R U B R I C A.

1. DE *Dominica ſemper Officium Dominicis Adventus, & in Dominicis a Septuageſima uſque ad Dominicam in Albis incluſive, quocumque Feſto duplici, vel Semiduplici adveniente: quia tunc Feſtum transfertur (ut in Rubr. de Translat. Feſtorum dicetur) niſi illud Feſtum ſit de principali Titulo, vel Patrono alicujus Eccleſiæ, vel loci, aut Dedicat. Propriæ Eccleſiæ: quia tunc de hujuſmodi Feſto fit tantum in Eccleſia, vel loco, cujus eſt Titulus, vel Patronus, vel Dedicatio, cum commem. Dominicæ; quibuſdam Dominicis exceptis, ut dicetur in Rubr. de Commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, quando in eis non occurrit Feſtum Duplex; quia tunc fit de Duplici, cum commemor. Dominicæ in utriſque Veſper. & Laudibus; & ad Matutinum legitur ix. Lectio de Homilia Dominicæ, ut dicetur in Rubric. de Commemorationibus. Si Semiduplex eadem die occurrat, transfertur, ut dicetur in Rubric. de Translat. Feſtorum.*
2. *De Dominicis infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti occurrentibus, Officium fit ſicut infra Oct. & in Proprio de Tempore, cum commemorat. Oct. & ſine Precibus, & Suffragiis Sanctorum. In Dominicis vero, quæ occurrunt infra alias Octavas, tot Officium fit de Dominica, ut in Pſalterio, & in Proprio de Tempore, cum commemor. Octavæ, omiſſis etiam dictis Precibus, & Suffragiis, ut ſupra. De Dominica occurrente in die Octava fit commem. ſicut dictum eſt, quando in ea fit de Feſto Duplici, præterquam in die Oct. Epiphaniæ, in qua nihil fit de Dominica, quia ejus Officium ponitur in Sabbato præcedenti.*
3. *Poſitum eſt autem Officium ſex Dominicarum poſt Epiphaniam, & viginti quatuor poſt Pentecoſten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quæ eſſe poſſunt ab Epiphania uſque ad Septuageſimam, & a Pentecoſte uſque ad Adventum: ne nulla ex his Dominicis vacet, quin ſaltem de ea fit commemoratio. Nam quæ aliquando ſuperſunt poſt Epiphaniam ante Septuageſimam ponuntur poſt xxiii. a Pentecoſte, hoc ordine.*
4. *Si Dominicæ poſt Pentecoſten fuerint xxv. Dominica xxiv. poſt Pentecoſten erit quæ eſt vi. poſt Epiphan. Si fuerint xxvi. Dominica xxiv. erit quæ eſt v. & xxv. quæ eſt vi. Si fuerint xxvii. Dominica xxiv. erit quæ eſt iv. & xxv. quæ eſt v. & xxvi. erit vi. Si fuerint xxviii. Dominica xxiv. erit iii. & xxv. erit iv. & xxvi. erit v. & xxvii. erit vi. & ultimo loco ſemper ponitur, quæ in ordine eſt xxiv. poſt Pentecoſten, etiamſi poſt Pentecoſten aliquando non ſint niſi xxiii. Dominicæ. Tunc enim xxiv. ponitur loco xxiii. & Officium xxiii. ponitur in præcedenti Sabbato, quod non ſit impeditum Feſto ix. Lectionum; alioquin in alia præcedenti die ſimiliter non impedita, in qua fiat Officium de Feria, cum commemor. Feſti Simplicis, ſi occurrat; & in ea legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, omiſſis Lectionibus Scripturæ illius Feriæ: & in Laudibus dicatur Antiphona ad Benedictus, & Oratio de Dominica xxiii. Quod ſi tota hebdomada impedita ſit Feſtis ix. Lectionum, etiam translatis, vel aliqua Octava, tunc in Sabbato legatur ix. Lectio de Homilia Dominicæ xxiii. & de ea fiat commemorat. in Laudibus tantum, cum Antiphona, & Oratione propria.*
5. *Cum vero interdum contingat, ut Dominica iii. vel iv. vel v. vel vi. poſt Epiphaniam ſuperſit, nec poſſit poni etiam poſt xxiii. a Pentecoſte, tunc de ea fit Officium in Sabbato ante Dominicam Septuageſimæ, ut dictum eſt ſupra num. præc.*
6. *De Dominica ii. poſt Epiphaniam, quando Septuageſima venerit immediate poſt Octavam Epiphaniæ, quomodo agendum ſit Officium, habetur in propria Rubrica ante Dominicam i. poſt Epiphaniam.*
7. *Cum autem in Proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica eſſe prima Menſis, in qua primo ponitur initium libri, de Scripturæ cum ſua Hiſtoria, ideſt, cum Reſponſoriis, animadvertendum eſt, eam dici i. Dominicam Menſis, quæ venerit in Calendis illius Menſis, vel eſt proximior Calendis, hoc modo: Si Calendæ venerint in ii. & iii. & iv. Feria, Dominica prima Menſis erit quæ præcedit Calendas, licet veniat in præcedenti Menſe, ſi autem Calendæ venerint in v. & vi. Feria, & Sabbato, prima Dominica erit quæ ſequitur poſt ipſas Calendas. Dominica autem prima Adventus non ſumitur ea, quæ eſt proximior Calendis Decembris, ſed feſto S. Andreæ, vel quæ venerit in ipſo feſto.*
8. *Officium Dominicæ fit Semiduplex, & incipit a primis Veſperis in Sabbato: & habet totum Officium integrum uſque ad Completorium Dominicæ incluſive, niſi cum aliquo concurrat, ut dicitur in Rubrica de Concurrentia Officii.*
9. *Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Pſalmis, ut in Pſalterio; & leguntur novem Lectiones; ut in Proprio de Tempore.*
10. *Quomodo autem ſit ordinandum ejus Officium, inſuper & de Lectionibus, Reſponſoriis, & aliis: & quomodo initia librorum Scripturæ cum ſua Hiſtoria ſint ponenda, habentur de ſingulis inferius propriæ Rubricæ.*

## De Dominica. Cap. V.

### *G A V A N T U S.*

1. DE Officio Dominicæ *Microl. cap.* 62. hæc habet memoranda. In omni Dominica Eccleſiaſtico conventui cum Officio Dominicæ ſatisfacimus, niſi aliqua multum celebris (*nota*) Feſtivitas occurrat. Addo ego, ratione Dominicæ quædam Officia feſtiviora fieri, ut videre eſt in Feſto Innocentium, & in Vigilia Nativitatis Domini, quibus cantur, *Alleluja, & Te Deum*, reſpective cum ſequentibus.

2. De Dominicis Adventus, & a Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ, quæ ſunt majoris reverentiæ, & cultus, teſtatur *Radulph. propoſ.* 15. eas nunquam omitti, quod & hodie obſervamus.

3. Dominicæ infra Octavas Nativitatis: *ex Microl. cap.* 37 Epiphaniæ, *ex eodem cap.* 41. Aſcenſionis Domini, *ex eodem cap.* 37. & Corporis Chriſti, *ex Urbano IV.* ſunt privilegiatæ, ita ut Officium non ſit Dominicale, ſed de Octava, & de Domino tamen. Ratio eſt, *ex Microl.* ut Officium inſtanti celebritati concordet, hoc eſt, ſummæ celebritati Domini, nam in Dominicis aliis infra Octavas Sanctorum non eſt æquum, ut Officium Dominicale, quod Domini eſt, cedat Officio Sancti, cujus dies infra Octavam celebratur. Addi poteſt alia ratio pro Dominicis infra Octavas Nativitatis, & Epiphaniæ; quia ſcilicet ut plurimum ille Nativitatis celebratur extra diem Dominicum, & hæc Epiphaniæ celebratur aliquando in Sabbato. Extra vero diem ipſum Dominicum non dicuntur congrue Pſalmi de Dominica eidem diei præciſſe aſſignati.

4. Quæritur, cur a Nativitate Domini uſque ad Epiphaniam incluſive dantur Dominicæ, in quibus nulla prorſus contingit fieri de iiſdem commemoratio, unde, & in Calendariis dicuntur Vacantes? Ratio dubitandi eſt, quia ſicut occurrente Feſto S. Sylveſtri in Dominica fit de Feſto cum commemoratione Dominicæ; ita in Feſto (puta, S. Joannis) occur-

Google

currente in Dominica, poterat idem fieri. Verum incongruum erat, ſi occurreret Feſtum Nativitatis, vel Circumciſionis, vel Epiphaniæ in Dominica, quod una ſimul cum Feſto Domini fieret commemoratio eodem die de Feſto ejusdem Domini, quod eſt Dominica; in gratiam autem Nativitatis Domini, & Circumciſionis fuit ordinatum, quod nec in tribus Feſtis, & Octavis diebus S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium haberetur ratio Dominicæ occurrentis; de qua tamen infra Octavam, tamquam de Dominica impedita, fit Officium poſt Feſtum S. Thomæ, vel in Feſto S. Thomæ, hoc eodem translato in Feriam ſequentem, & ita congruit Evangelium, quod legitur ratione Dominicæ, legi poſt natum Chriſtum, non eodem veluti naſcente per quamdam repræſentationem. Eadem ratio militat in Vigilia Epiphaniæ, & in Epiphania, in quibus, ſi occurrit Dominica, ea vacat, neque habet Evangelium, quod tempori conveniat, neque conſequenter commemorationem: immo neque ex textu Evangelico decerpi potuit, quod legeretur convenienter in Dominicis occurrentibus intra hæc Feſta, ut rite conſideranti patet (Evangelium autem eſt caput totius Officii, ait *Rupert. lib. 1. c. 37.*) & ea, quæ leguntur in Dominica infra Octavam Nativitatis, & in Vigilia Epiphaniæ anticipate leguntur, cum ea contigerint poſt Purificationem Beatæ Virginis, ut patet in textu Evangelico S. Lucæ, & Sancti Matthæi.

5. Dominicis poſt Epiphaniam additum eſt a Pio V. Officium Dominicæ ſextæ. Antiquitus autem ſi Dominica ſexta occurreret, in ea repetebatur Officium Dominicæ præcedentis, teſte *Durand. lib. 6. cap.* 23. quæ nunc ſuperſunt, vel in Sabbato præcedenti, vel inter Dominicas poſt Pentecoſten, celebrantur, ita ut non omittatur Dominica ulla (vide cultum diei Dominicæ) quin de ea ſaltem commemoratio fiat, ſi minus Officium fieri queat, explicat *Radulph. prop.* 5. in hanc rem illud Pſalm. 117. quod in Officio primo diei Dominicæ legitur: *Conſtituite diem ſolemnem in frequentationibus* (ut legit Pſalterium Romanum, & Ambroſianum) ideſt ut frequenter Dominicis diebus ſervetur Officium Dominicale, niſi magna feſtivitas occurrat: *uſque ad cornu Altaris*, hoc eſt, etiam Officium Miſſæ Dominicale obſervando. Hæc ille.

6. Dominicarum poſt Pentecoſten Officia ſunt 24. quod ſi Berno *de quibusdam ad Miſſam ſpect. c. 6.* numeret tantummodo 23. Dominicas, ideo eſt quia quintam ſuperaddit Adventui, quod in idem recidit, ut nimirum præter Adventum, & a Septuageſima ad Feſtum Trinitatis, Dominicæ per Annum non excedant num. 30. ut rite numeranti patet.

7. Quæ igitur non poſſunt celebrari ante Septuageſimam transferantur poſt 23. Dominicam Pentecoſtes, ut nulla vacet. Poſt Pentecoſten vero ad ſummum erunt Dominicæ 28. de quo numero Berno *loc. cit. ait:* Septenario quater ducto in hanc perfectionis ſummam excreſcit; & nulli dubium eſt, quin ſeptem ad Spiritum Sanctum, quatuor vero pertineant ad Evangelium; quia per ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti (in Pentecoſte effuſam) prædicatum eſt Evangelium per quatuor Mundi plagas. Hæc ille.

8. Ultimo loco ſemper ponitur, quæ vocatur vigeſima quarta. *Microlog. cap.* 26. ut ultimum, inquit, Officium in proxima tantum hebdomada ante Adventum Domini cantetur. Eſt enim præparatio Dominici Adventus; atque, ut notavit *Azor. lib.* 10. *cap.* 15. finiuntur Eccleſiaſtica Officia in commemoratione extremi futuri Judicii, ſicut etiam ſimiliter inchoantur, ut patet legenti Evangelia Dominicæ 24. & Dominicæ primæ Adventus. Addo ideo Dominicam 24. de Judicio futuro ſemper eſſe ultimam Anni Eccleſiaſtici, qui incipit in Adventu; quia Eccleſia, in toto Anni curriculo repræſentare ſtudet Chriſti actiones a primo Adventu in carne uſque ad ſecundum in fine Mundi Adventum.

9. Si qua ſuperſit Dominica, ita ut proprie in die Dominico locum non habeat (quod accidere poteſt in Officio ſecundæ Dominicæ: de qua tamen habetur propria Rubrica *ſect. 6. c.* 8. vel ſequentium poſt Epiphaniam, & in Officio Dominicæ 23. poſt Pentecoſten) tunc fit de Dominica excluſa in Sabbato præcedenti, non impedita Feſto novem Lectionem; alioquin in alia immediate præcedenti Feria, ſeu Feſto ſimplici, in qua, ſeu quo, Officium fiat de Feria, & legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, & in Laudibus dicatur Antiph. ad Benedictus, & Oratio de Dominica currente proprio loco, cum commemoratione Feſti ſimplicis. Et nota, præcedentem Feriam non eſſe ad libitum, ſed Sabbato ſolum impedito novem Lectionum: & illud verbum *fiat*, quod habetur *in Rubric. de Dominica* 24. eſt conjungendum cum verbo *legantur*, ita ut ambo ſint imperantia, quod ſi tota hebdomada ſit impedita Officiis novem Lectionum, • etiam translatis (quod in poſtrema Breviarii recognitione additum eſt) tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia illius Dominicæ, & de eadem fiat commemoratio in Laudibus tantum cum Antiphona, & Oratione propria. Hæc *in Rubricis de Dominica tit.* 4. *n.* 4. *&* 5. Ratio eſt, ne Officium ullius Dominicæ omittatur; tum ne admirationi Populo ſit, quod ante Clementem VIII. fiebat, dum, translato ſemiduplici Feſto, fiebat Officium de Dominica extra ſuum diem, & propriam ſedem, quæ ob anni anguſtiam deerat; quod Populum facile latet; qui tamen erga Feſtum de Sancto ſemiduplici devotius moveri ſolet.

10. Ex quo etiam patet, quod, impedito Sabbato, ut ſupra, aut Feria ſexta, aut quinta a Feſto ſimplici, non erit anticipandum Officium prædictarum Dominicarum Feria quarta, aut tertia, in qua nullum fortaſſe occurrit Feſtum; nam neque ſimplex Officium B. V. in Sabbato, neque Feſtum ſimplex in eodem occurrens, impedit quo minus in Sabbato fiat Officium de Dominica, quæ ſuperſit; ſed tantum Officium novem Lectionum impedit Officium Dominicæ: & curandum eſt, quod ejus fieri poteſt, ut propius ad Sabbatum fiat de ea Dominica Officium.

11. Excellunt hæ Dominicæ, quibus cedunt etiam Patroni, neque unquam omittuntur, primæ Claſſis idcirco cognominatæ: nimirum prima Adventus, & Quadr. Dominica Paſſionis, Palmarum, in Albis, in quibus decet Populum moveri ad myſteria majora in iiſdem celebrata Redemptionis noſtræ, tum Officio, tum colore paramentorum. Aliæ minores ideo dictæ ſecundæ Claſſis cedunt quidem Feſtis Patroni loci, Tituli Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicationis, quæ ad afficiendum Populum maxime valent: aliis autem minime cedunt SS. Feſtis, nimirum ſecunda, tertia, quarta Adv. & Quagrag. Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ, Quinquageſimæ, quarum Ritum in proprio de Tempore inveſtigabimus.

12. Dominica prima Menſium habet rationem potiſſimam in Breviario, quia in ea ſolent poni initio ſacrorum librorum cum ſuis Reſponſoriis. Ea igitur prima eſſe dicitur, quæ venit in Calendis Menſis, vel eſt proximior (ſive ante, ſive poſt) ipſis Calendis; quod niſi fieret in Menſe Nov. deficeret tempus neceſſarium ad legendos ſacros libros eidem Menſi aſſignatos, adveniente Dominica prima Adventus in fine Novemb., ut notatum eſt in Breviariis MSS. antiquiſſimis.

13. Dominica vero prima Adventus eſt ea, quæ proximior eſt Feſto S. Andreæ, vel quæ venerit in ipſo Feſto. *Durand. l. 6. c. a.* ſeu, ut cum Radulpho loquar, *propoſ.* 16. poſt craſtinum S. Catharinæ, neque enim ante craſtinum, neque in craſtino ejuſdem Virginis contingit initium Adventus. De Officio Dominicali dicemus, cum de Matutino, & aliis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *In omni Dominica &c.*) Optime ponderat Henricus Piſart in ſuo Directorio Canonico ad tit. 4. *de Dominicis*, quod ſicut olim Deus completo opere in Creatione Mundi ſex dierum ſpatio, benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum; ita recreato, & redempto, per Chriſtum, mundo, ſanctificatus fuit dies Reſurrectionis ejus, feſtumque Sabbati in hunc diem, qui Dominicus dictus eſt, a Chriſto, & Apoſtolis fuit translatum. Unde notat Cyrillus relatus a Cornelio a Lapide *cap.* 20. *in Joannem verſ.* 26. *Apoſtolos jam tunc ex indiciis apparitionum Chriſti cæpiſſe die Dominico Conventus Eccleſiaſticos agere, & quaſi Conſecrare diem Dominicum, eo quod eo die Chriſtus reſurrexiſſet; quare Chriſtum ad Dominicam Sabbato ſubſtituendam ſenſim Apoſtolos direxiſſe.* Quiquidem dies *ideo Dominicus* appellatur, ait Auguſtinus *ſerm.* 251. *de Tempore, ut in eo a terrenis operibus, vel mundi illecebris abſtinentes tantum Divinis Cultibus ſerviamus, dantes ſcilicet huic diei honorem, & reverentiam propter ſpem Reſurrectionis*] *noſtræ, quam habemus in illa.* Dominicæ diei varias prærogativas recenſet Eminentiſ. Card. Bona *in tract. de Divina Pſalmodia c.* 16. §. 18.

Hujuſmodi autem Dominicæ, ut etiam alibi innuimus, aliæ dicuntur Majores, aliæ Minores, ſive per annum. Majores ſunt illæ, in quibus præcipua Creationis, & Redemptionis Myſteria recoluntur; nimirum Dominicæ Adventus, & quæ occurrunt a Septuageſima uſque ad Dominicam in Albis incluſive, & præterea Dominica Pentecoſtes, & Ss. Trinitatis. Dominicæ minores, ſive per annum ſunt reliquæ, quæ pee totum anni decurſum occurrunt.

Dominicæ majores dividuntur in duas Claſſes; Dominicæ primæ Claſſis ſunt, quæ nulli Feſto cedunt, & idcirco nunquam omittuntur, ejuſmodi autem ſunt: Prima Adventus, Prima Quadrageſimæ, Paſſionis, Palmarum, Paſchæ, in Albis, Pentecoſtes, & Trinitatis.

Dominicæ ſecundæ Claſſis ſunt illæ, quæ non omittuntue, niſi occurrente Pattono Principali, vel Titulari Eccleſiæ, et ejuſdem Dedicatione; & tunc de his ſemper fit Commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus, Ejuſmodi autem ſunt: Secunda, Tertia, & Quarta Adventus, Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ, Quinquageſimæ, Secunda, Tertia, & Quarta Quadrageſimæ, ut colligitur ex Tabella Breviarii de hac re tractante. De quibus etiam mentionem facit Gav. ſupra n. 11.

Dominicæ ulterius dividuntur in *Vacantes, & non Vacantes*. Vacantes dicuntur illæ, de quibus nihil omnino fit in Officio currentis diei, uti contingit quando Feſtum *Nativitatis*, aut *Circumciſionis*, aut *Epiphaniæ Domini*, vel *Feſta*, aut *Octavæ Sancti Stephani*, vel *Joannis Apoſtoli*, aut *Innocentium MM.* vel denique *Vigilia Epiphaniæ* in *Dominicam* incidunt: Tunc enim quia in Officio ejuſmodi Feſtorum, vel die-

dierum *de Dominica*, in qua occurrunt, nihil fit ne quidem Commemoratio, ideo Dominica eo anno vacare, ſeu *Dominica vacans* dicitur. Non *Vacantes* dicuntur illæ, quæ vel totum Officium, vel ſaltem Commemorationem, & Lectionem Evangelii, de ſuo Officio habent. Gav. n.4. rationem reddit cur a Nativ. Domini uſque ad Epiphaniam dantur hujuſmodi Dominicæ Vacantes.

Dividuntur præterea Dominicæ in *Vagas*, & *fixas*. Vagæ dicuntur illæ, quæ nec certum cum aliis ordinem, nec certum *Introitum*, nec alia determinate neceſſaria (puta *Offertorium*, *Graduale*, & *Communionem*) in Miſſa habent, & poſt longum tempus transferuntur: tales autem ſunt tantum, Quarta, Quinta, & Sexta poſt Epiphaniam, utpote quæ ſubinde poſt Epiphaniam, aliquando vero longe poſt Pentecoſten celebrantur, habentque alium *Introitum*, aliud *Offertorium*, & aliam *Communionem* ſi celebrentur, ſeu ſuppleantur poſt Pentecoſten, quam habeant ſi celebrentur ſtatim poſt Epiphaniam. Reliquæ vero omnes ob rationem contrariam *Dominicæ fixæ* dicuntur, niſi prioribus addenda etiam ſit Dominica XXIII. poſt Pentecoſten, eo quod & ipſa proprium in die Dominico aliquando non habet locum; id quod contingit, quando poſt Pentecoſten uſque ad Adventum numerantur ſolum XXIII. Dominicæ: tunc enim quia ultima illa Dominicarum, quæ ſunt poſt Pentecoſten uſque ad Adventum, juxta Rubricam ſuperiorem *de Dominicis*, ſemper debet eſſe illa Dominica, quæ eſt in ordine XXIV. ideo Officium autem Dominicæ XXIII. tunc ponitur in Sabbato, Dominicam illam ultimam poſt Pentecoſten immediate præcedente, dummodo illud non ſit impeditum Feſto novem Lectionum, etiam translato, & etiam Feſto novem Lectionum ad libitum, non tamen Officio Votivo, ut de Ss. Sacramento, Immaculata Conceptione, & ſimilibus; ac etiam Feſto ſimplici alioquin in alia præcedenti die ſimiliter non impedita: de hac re diſcurrit etiam Gavantus ſupra *a n. 7. uſque ad* 10. *incluſive*, & de prædictis Dominicis Vagis tractat. Gav. etiam *tom. 1. part. 4. tit. 4. n. 4.*

II. Gav. n. 3. -- *Sunt privilegiatæ*.) Dividuntur præterea Dominicæ Minores, & per annum in privilegiatas, & non privilegiatas. Privilegiatæ ſunt quatuor, nimirum eæ, quas recenſet Gav. ſupra, cæteræ aliæ dicuntur non privilegiatæ, quia in his Officium eſt Dominicale, non vero Octavæ illius, infra quam aliquando incidunt.

III. Gav. n. 12. -- *Ea igitur prima eſſe dicitur, quæ &c.*) Innuit Gav. Dominicam primam alicujus Menſis eam cenſendam eſſe, quæ venit in Kalendis, vel quæ eſt proximior Kalendis talis menſis, ſive poſt. Lobner autem *part. 5. in Rubricas Breviarii littera G* ait, quod ut clarius explicetur, illa eſt dicenda Dominica prima Menſis, juxta Rubricas Breviarii, quæ vel cadit in tres ultimas dies hebdomadæ antecedentis Calendas, vel in quatuor primos dies hebdomadæ ſequentis Calendas, quod idem pariter dicendum eſt cum proportione de Prima Dominica Adventus reſpectu Feſti S. Andreæ, nimirum quod ſit illa, quæ vel cadit in ipſum Feſtum, vel quæ eſt ipſo Feſto proximior.

IV. Gav. n. 13. -- *De Officio Dominicali dicemus cum de Matutino, & aliis &c.*) Pro ordinando Officio Dominicali legenda ſunt quæ traduntur in Rubricis Breviarii tit. 4. de Dominicis n. 8. & ſeqq. & ea, quæ tradit Gav. infra, agendo de Matutino, & aliis.

Advertere tamen debemus, quod Dominicæ Majores, de quibus ſupra mentionem fecimus primæ, vel ſecundæ Claſſis, non ſequuntur Ritum Duplicium primæ, vel ſecundæ Claſſis; nam Ritus earum non eſt niſi ſemiduplex, exceptis Dominicis Paſchæ, in Albis, Pentecoſtes, & Trinitatis. Ritus porro Dominicarum Paſchæ, & Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus eſt ad inſtar Feſtorum primæ Claſſis; Dominica in Albis eſt Duplex ad inſtar majoris quoad Ritum celebrandi Officium, ſed primæ Claſſis quoad excluſionem aliorum Feſtorum. Ritus vero in Dominica Ss. Trinitatis, eſt ſecundæ Claſſis. Quæ quidem Dominica in Tabula Feſtorum recenſetur inter Dominicas primæ Claſſis, unde excludit quodcumque Feſtum etiam primæ Claſſis, ſed celebratur Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis ſub Ritu duplicis ſecundæ Claſſis, de qua re videatur Gavantus infra *Sectione 6. cap. 19. num. 2.*

Pro coronide hujus Sectionis mentio facienda eſt de Decreto edito a Sac. Rit. Cong. die 12. Mart. 1618. & dato in noſtro Indice *ſub n. 41.* In quo declaratur, quod ſub nomine Feſti novem Lectionum veniat etiam Dominica.

## De Feriis. V.

### R U B R I C A.

1. *Officium Feriale, hoc eſt, Simplex de Tempore occurrenti, prout in Pſalterio, & proprio de Tempore habetur, fit ſemper in Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, & in Feria ſecunda Rogationum, quando infra hebdomadam non occurrit Feſtum Duplex, vel Semiduplex, vel de Octava, quia tunc de hujuſmodi Feriis fit commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus; Si vero in eis occurrat Feſtum Simplex, de eo fit tantum commemoratio. Item per annum fit Officium de feria illis diebus, quibus infra Hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod Feſtum Duplex, Semiduplex, vel Simplex, & non occurrit aliqua octava, vel Officium S. Mariæ in Sabbato, vel aliquod Feſtum ſolemne, quod conſuetum in aliqua Eccleſia celebrari, quamvis in Kalendario hujus Breviarii non ſit deſcriptum.*

2. *Officium Feriæ in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, & prima die Rogationum, incipit a Matutino: in aliis vero Feriis per annum, inde fit de feria, ubi deſiit Officium præcedentis diei, ita ut ſi præcedenti die fuerit Duplex, vel Semiduplex, Officium Feriæ incipiat ſequenti die a Matutino, ſi præcedenti die fuerit Feſtum Simplex, de feria fiat a Veſperis illius præcedentis diei incluſive. Similiter & quando in Feria iv. & vi. Quatuor Temporum Septembris, & in Feria iv. Cinerum, ac in Vigiliis occurrit aliquod Feſtum Simplex, de quo fieri debet commemoratio; tunc præcedenti die (niſi fuerit Feſtum ix. Lectionum) in Veſperis fit de Feria, ut in Pſalterio ſine precibus, cum Oratione Dominicæ præcedentis, & cum commemoratione Feſti trium Lectionum in ſequenti feria occurrentis, ut dicetur infra in Rubrica de Concurrentia. Terminatur autem Officium de feria ſubſequente Duplici, vel Semiduplici ad Nonam: ſubſequente vero Simplici, de quo fieri debet Officium, ad Capitulum Veſperarum, quia inde fit de Feſto Simplici, abſque ulla deinceps commemoratione Feriæ.*

3. *Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum cum xii. Pſalmis ſecundum ordinem Feriarum in Pſalterio, & tribus Lectionibus ut in proprio de Tempore.*

4. *Excipiantur ab hoc ordinario Officii Ferialis tres Feriæ Majores Hebdomadæ Sanctæ, & Feriæ Octavarum Paſchæ & Pentecoſtes, in quibus fit Officium ut in propriis locis ponitur.*

5. *Quomodo ordinandum ſit Officium de Feria ad Matutinum & alias Horas: item de Lectionibus & Reſponſoriis: & quando dicendæ ſint Preces Feriales; ac de aliis quæ ad Officium Feriæ pertinent, habentur inferius de ſingulis propriæ Rubricæ.*

## De Feria. Cap. VI.

### *G A V A N T U S.*

1. FEria a fando, inquit *Rabanus 2. de inſtit. Cleric. cap.* 46. quæ vox apud Eccleſiaſticos antiquior eſt Sylveſtro, *ex eod. ibid.* de ea *apud Tertull. adverſ. Pſychicos cap.* 8. & *c.* 14. ubi ait: Nobis omnis dies etiam vulgata, conſecratione celebratur, cum enim horrerent fideles nominare dies a Diis gentium, vel Judaico more a Sabbato primam, ſecundam Sabbati, &c. Ideo ac ſi Dominica prima Feria diceretur, appellavere reliquos dies, Feriam ſecundam, tertiam, &c. retento tantum nomine Sabbati. Vacante itaque die ab aliis Chriſti, vel Sanctorum Feſtis, fit de Feria, quod Officium Domini eſt, ut quiſque intelligat, ſe Deo deditum, uni Deo vacare debere. Appellabant antiqui Officium Feriale trium Reſponſoriorum Officium.

2. Feriarum genus duplex, majus alterum dicitur, eo quod de Feria majori ſemper fit in Officio ſaltem Commemoratio, nempe de Feria qualibet Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & ſecunda Rogationum; quæ diſtinctio majorum, & minorum in recognitione Breviarii Clementina inventa eſt, occaſione Tabellarum de occurrentia, & concurrentia in fine Rubricarum editarum ad faciliorem Tabellarum uſum, Auctore hujus operis ipſas Tabellas reformante juſſu majorum.

3. * Occurrit autem per annum Officium Feriale, fere quadrigies, niſi occupentur dies a Feſtis mobilibus, ſeu Dominicis, vel diebus infra octavam particularium Eccleſiarum, ſeu a Sancta Maria in Sabbato, ſeu a Feſtis locorum propriis. Vide ergo; an expediat minui adhuc feriarum numerum.

4. De Feriali Officio, & partibus ejus, agemus infra, cum de ſingulis partibus Officii.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

Gavant. num. 2. -- *Feriarum genus duplex, majus alterum, &c.*) Hic Feriæ nomine intelligitur dies, in quam nullum Officium de Sancto, aut alicujus Feſti octava, nec de Dominica, Ritu Duplici, aut Semiduplici celebrata, nec denique de Vigilia, aut de B. V. in Sabbato recitandum cadit. Hoc ſenſu accepta Feria, dividitur in majorem, & minorem, ut innuit, & de quibus ſatis locutus eſt Gavantus ſupra, cujus explicationibus addere debemus, quod Feriæ majores ſubdividuntur in privilegiatas, & non privilegiatas.

Pri-

Privilegiatæ ſunt, quæ nulli alteri Officio, aut Feſto cedunt, tres ſunt ſequentes, nempe. Primo *Feria IV. Cinerum*. Secundo *Feriæ omnes majoris Hebdomadæ*, Tertio *Feriæ omnes infra Octavam tam Paſchæ, quam Pentecoſtes*; Nam & dies infra utramque hanc octavam occurrentes ab ipſo Breviario Romano, non tantum in Proprio de tempore, ſed etiam in præſenti Rubrica *n.* 4. Feriæ appellantur. Hæ igitur omnes Feriæ privilegiatæ excludunt quodcumque aliud Officium, ac Feſtum in iis occurrens, etiam primæ Claſſis, faciuntque id transferri ſaltem in *Choro*; nam in *Foro*, ſeu quoad obligationem audiendi Sacrum, & abſtinendi ab opere ſervili, regulariter Feſta fori, in hujuſmodi Feriis, ac diebus privilegiatis occurrentia non transferuntur; excipitur tamen ex parte Feſtum Annunciationis B. M. V. quod occurrens in Feria VI. Paraſceves, aut Sabbato Sancto, tam in Choro, quam in Foro transfertur, ut diximus in Tomo ſuperiori, & dicemus etiam infra in Proprio de Sanctis,

Cæteræ Feriæ Majores, quæ Feſtis Duplicibus, aut etiam Semiduplicibus in iis occurrentibus cedunt, dicuntur non privilegiatæ, nimirum reſpectu Feſtorum ix. Lectionum; nam Feſtis ſimplicibus, ac Vigiliis etiam, hæ non cedunt, ſaltem quoad Officium, quod additur, quia ſi Vigilia aliqua occurrat in alia Feria ſine Commemoratione Vigiliæ, Miſſa tamen tunc dicitur de Vigilia cum Commemoratione Feriæ Adventus.

*Feriæ Minores per annum* (qualis eſt etiam *Feria III. Rogationum*) cedunt cuicumque Feſto etiam trium Lectionum, itaut in Officio occurrentis in ea Feſti ſimplicis, de prædicta Feria III. Rogationum, & multo magis de aliis Feriis, neque fiat Commemoratio. Eædem Feriæ minores per annum cedunt etiam Officio B. M. in Sabbato, item Vigiliis, necnon diebus infra Octavam aliquam, ac a fortiori ipſis Octavis.

## R U B R I C A.

### De Vigiliis, VI.

1. *DE Vigilia fit Officium in omnibus Vigiliis per annum, quæ jejunantur, ubi in Kalendario annotatur hæc vox, Vigilia: niſi in die Vigiliæ occurrat Feſtum novem Lectionum, vel Octava; tunc enim in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homil. Vigil. & fit commemoratio de ea ad Laudes tantum, cum Antiphona ad Benedictus, & ℣. Feriæ occurrentis de Pſalt. & Orationes Vigiliæ; præterquam in illis Feſtis majoribus, quæ inferius excipiuntur.*

2. *Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato quod non ſit impeditum Officio ix. Lection. quia tunc de Vigil. fit tantum commemorat. ut dictum eſt. Excipitur ab hac regula vigilia Nativitatis, & Epiphaniæ Domini, quæ ſi venerint in Dominica fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur. Si autem in vigilia occurrat Feſtum ſolemne alicujus loci, vel ex ſolemnioribus infra annum, quæ inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur (veluti ſi in vigilia S. Joannis Baptiſtæ venerit Feſtum Corporis Chriſti) nihil tunc prorſus, nec commemorat. fit de vigilia, excepta vigilia Epiphaniæ, Idem ſervetur quando aliqua vigilia venerit in Adventu, Quadrageſ. & Quatuor Temporibus; nulla enim in his Feriis de Vigilia fit Commemoratio.*

3. *Officium Vigil. incipit ad Matutinum, ſicut dictum eſt in ſuperiori Rubrica de Feriis; terminatur autem ad Nonam, quia Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto.*

4. *Officium Vigil. totum fit de Feria occurrenti, ut in Pſalterio: & tres Lect. leguntur de Homil. in Evangelium vigiliæ, ut in propriis locis aſſignatur, cum tribus Reſponſoriis de Feria occurrenti, ordine in Rubrica de Reſponſoriis deſcripto. Dicuntur preces feriales, & Commemorationes communes, aliaque omnia ſicut in Feriis Adventus, Quadrageſimæ, & Quatuor Temporum: de quibus & de aliis circa ordinandum ejus Officium, habentur inferius propriæ Rubricæ.*

5. *Excipitur ab hoc ordinario vigiliarum, quæ jejunantur, vigil. Pentecoſtes, quæ cum tribus Nocturnis ſub Officio Semidupl. celebratur, ut ibi: & vigil. Nativit. Domini, quæ Nocturno Feriæ excepto, in Laudibus & Horis habet reliquum Officium Duplex. In vigiliis vero Epiph. & Aſcenſionis, quæ non jejunantur, fit Officium; ut in propriis locis notatur.*

### De Vigilia. Cap. VII.

## G A V A N T U S.

1. QUædam Vigiliæ cum jejunio celebrantur, & pleræque[1], pauciſſimæ ſine jejunio, videlicet, Vigilia Epiphaniæ, & Aſcenſionis Domini, de quarum jejunio lex nulla eſt, ob lætitiam Natalis Domini, & ejuſdem Reſurrectionis. Quam ob cauſam, ſeu cauſas neque jejunatur pridie S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ, neque Sanctorum Philippi, & Jacobi, tempore Paſchali, ex *Innocent. III. de obſerv. jejun. tit. 46. cap. 2.* Vigiliæ cum jejunio in Brev. Romano ſunt quatuordecim.

2. Vigilia occurrens in Dominica transfertur in Sabbatum præcedens, exceptis Vigiliis Nativitatis Domini, & Epiphaniæ, de quibus fit Officium eo die, quo occurrunt. *Radulph. propoſ.* 19. Primo quidem ne jejunemus in Dominica, quod prohibetur *diſt. 76. c. utinam & in Conſt. Apoſt. lib.* 5. *c.* 21. deinde, ut cum jejunio bona ſit oratio, & Officium ad præparationem Feſti. Jejunium ab Hebræis fieri ſolitum pridie Sabbati, numquam in Sabbato, teſtatur Moſes Ægyptius *de temp. cap. d. Sabbato, & cap. de jejunio*. Vigiliæ vero Nativitatis Officium, uti feſtivum ſeparatur eo caſu a jejunio, quod fit in Sabbato; ſicut etiam Vigiliæ Epiphaniæ Officium Feſtivum eſt, non Feriale, & jejunio caret.

3. Vigilia occurrens in Feſto primæ Claſſis in Officio nullum habet locum, neque etiam commemorationem, ne ſolemnitas imminuatur, immo expediret, auctoritate majorum, eo caſu anticipari jejunium ante illud Feſtum primæ Claſſis, eo modo, quo teſtatur *Navarr. in Man. cap.* 21. *num.* 11. Leonem X. ſtatuiſſe, ut eo anno, quo Vigilia S. Joann. Baptiſtæ incidit in feſtum Corporis Chriſti, pridie ejuſdem Feſti jejunetur, quarta ſcilicet Feria; Cajet. etiam docet in *V. Jejunium cum Tabiena, & aliis*, poſſe Epiſcopum in Feſto ſolemni Patroni loci, ſi in eo occurrat Vigilia, transferre jejunium in pridianum diem; alicubi ob Feſtum S. Chriſtinæ Patronæ jejunatur pridie ejus Feſti ratione Vigiliæ S. Jacobi Apoſtoli; Officium autem Vigiliæ in his caſibus non eſt anticipandum; * ſeparari namque poſſunt Officium Vigiliæ, & jejunium ejuſdem, quod patet in Vigilia Nativ. Domini cum occurrit in Dominica.

4. Vigilia occurrens in Feriis majoribus omittitur in Officio; ita ut nec de ea commemoratio fiat; quia Feriæ majores ſunt Feriæ Domini, & Vigiliæ ſunt Feriæ ſervorum Domini, quæ uti minores cedere debent, cum de utriſque non poſſit Officium fieri, neque pro commemoratione alterius legi Homilia congruenter poſt Homiliam alterius in Officio trium Lectionum, quæ eo caſu ſunt, vel de ſcriptura ordinaria, ut in Adventu, vel de Homilia, ut in Quadrageſ.

5. Officio Vigiliæ, quod tunc erat de Feria, addidit Pius V. Homiliam in Evangelium, quod in Miſſæ legebatur. *Azor. lib.* 10. *cap.* 16. *queſt.* 5.

6. De partibus Officii Vigil. dicemus infra, & terminatur ad Nonam.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium,

I. Gavant. n. 1. -- *Quædam Vigiliæ, &c.*) Hoc nomen Vigiliæ a vigilando derivatur, eo quod primis Eccleſiæ temporibus ſolerent Fideles in præcipuis Feſtivitatibus noctem in Eccleſia Divinis Laudibus conſecrare; de qua re teſtatur Auguſtinus *in Pſalm.* 85. dicens: *Si modo pugnamus contra nos, quamvis geramus domum ſomni carnem iſtam, & evigilamus in his luminaribus, & Solemnitas iſta* (Sancti Cypriani) *dat nobis animum vigilandi, dies illa,* (æterna ſcilicet) *quales nobis Vigilias dabit!* Minutius etiam Felix, necnon Sanctus Cyprianus, Prudentius, Concilium Laodicenum, Hieronymus, atque alii harum Vigiliarum mentionem faciunt, allegati præſertim a Joanne Grancolas *Comment. Hiſt. in Brev. lib.* 1. *c.* 20. & a Petro Anellio Perſico *in tract. de Offic. Eccleſ. dub.* 2. §. 3. & a Martene in tract. de antiqua Eccleſiæ diſciplina *cap.* 7. ubi *n.* 3. poſtquam numeris præcedentibus multos antiquos Patres, & Auctores de hac antiqua Eccleſiæ diſciplina agentes recenſuit, ait, non eſſe exiſtimandum hæc fuiſſe primorum dumtax Chriſtianorum exercitia, cum calens adhuc Servatoris noſtri ſanguis ipſos ad omnia pietatis opera excitaret; nam idem ſubſecutis ſæculis fervor extitit, eadem diſciplina in Cathedralibus præſertim Eccleſiis, immo & in aliquibus Parochialibus. Et equidem inter Capitula, quæ ineunte ſæculo IX. Ahito Baſileenſis Epiſcopus ſuæ Diœceſis Presbyteris dedit *c.* 24. ſtatuit, ut Horas Canonicas tam nocturnas, quam diurnas nullatenus prætermittant. Uvala qui circa annum 877. Antiſiodorenſem rexit Eccleſiam, non ſolum nocturno Officio ipſe minime deerat, ſed & abſentes nominatim requirebat Fratres pueroſque; ut legitur in hiſtoria Epiſcoporum Antiſiodorenſium cap. 39. Sæculo X. Ratherius Veronenſis Eccleſiæ Præſul in ſua Synodica ad Presbyteros Epiſt. eis præſcribebat ut omni nocte ad nocturnos ſurgerent. Alias idem Martene ibi adducit Hiſtorias, quibus oſtendit uſque ad ſæculum XV. viguiſſe hanc diſciplinam Vigiliarum nocturnarum, præſertim in aliquibus Eccleſiis Cathedralibus.

Hujuſmodi Vigiliæ nocturnæ præceſſerunt etiam legem Evangelicam, tum apud Ethnicos, tum apud Judæos, qui duodecim horas noctis artificialis dividere ſolebant in quatuor partes æquales inter ſe; inæquales vero in ſe, ideſt longiores, vel breviores, juxta noctium longitudinem, vel brevitatem; nam in æſtate erant breviores, in hyeme vero longiores, quarum partes, ſtationes, & Vigiliæ militares dicebantur, & harum quælibet tribus horis conſtabat. Prima incipiebat ab occaſu ſolis, & terminabat in horam tertiam, & dicebatur *Conticinium*; ſecunda incipiebat ab hora tertia, & termi-

naba-

nabatur in horam ſextam, & dicebatur *Intempeſtum*; Tertia incipiebat ab hora ſexta, & terminabatur in nonam, & dicebatur *Gallicinium*: Quarta, quæ proprie dicebatur Vigilia matutina, incipiebat ab hora nona, & terminabatur in duodecimam, ideſt uſque ad ortum ſolis, & dicebatur *Antelucanum*. Prædictarum Vigiliarum mentio ſit in veteri Teſtamento. De Prima Vigilia *Threnorum 2. verſ. 19. lauda in nocte in principio Vigiliarum*. De Tertia *Judicum 7. verſ. 19. Incipientibus Vigiliis noctis mediæ*. De quarta, *Exodi 14. verſ. 24. Jamque advenerat Vigilia matutina*. In teſtamento pariter novo multis in locis earumdem Vigiliarum habetur expreſſa mentio; *Lucæ 2. verſ. 8. Paſtores erant in Regione eadem vigilantes, & cuſtodientes Vigilias noctis*. Sanctus Matthæus c. 14. *Verſ. 25.* de Chriſto loquens ait: *Quarta autem Vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare*, & idem Chriſtus Dominus Marci 13. *verſ. 35.* dixit: *Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat, ſero, an media nocte, an Galli cantu, an mane*. Quod hic dixit *ſero*, intelligit *primam Vigiliam noctis*; Quod hic dixit *media nocte, an Galli cantu*, *Lucæ 12. verſ. 38.* dixit: *ſi venerit in ſecunda Vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit*. Et quod hic dixit *mane*, Sanctus Matthæus ſupra, *quarta Vigilia noctis*. En igitur antiquiſſimum Vigiliarum nocturnarum uſum, a quibus hodiernæ noſtræ Vigiliæ nomen deſumpſerunt. Ethnicos quoque nocturnas Vigilias celebraſſe in honorem Deorum, oſtendit Cardin. Bona *Divinæ Pſalmodiæ c. 4.* Chriſtianorum Vigiliæ in deſuetudinem abierunt, populorum potius negligentia, ac oſcitantia, quam Bonifacii I. *Decreto*, quod nullum extat; aut C. 5. Concilii Antiſiodorenſis, quo vigiliæ quidem anili ſuperſtitione inductæ in privatis ædibus ad honorem quorumnam Sanctorum tantummodo, vetitæ fuerunt, non vero Vigiliæ illæ, quæ ex antiquo Ritu fieri conſueverant.

Scio Polidorum Virgilium *de Invent. Rer. lib. 6. c. 4.* tradidiſſe, quod nocturna Sacra ſemper fuerint damnata ob periculum impudicitiæ: Verum hic error, ut egregie ait citatus Bona, tam ſupinus eſt, ut exſibilari potius debeat, quam confutari. Quod enim frequentius exercitium, quæ magis vulgata pietas, præſertim in primis Chriſti cultoribus, quam ſacræ pernoctationes, & pervigilia, ad quæ paſſim utriuſque ſexus Fideles in Eccleſia conveniſſe Sancti Patres, quos mox adduximus, commemorant? Immo cum ſæculo quarto Vigilantius hujuſmodi Vigilias temerario auſu improbaret, acerrime confutatus eſt ab Hieronymo, a quo per jocum dicitur Dormitantius. Vide etiam quæ ſuper hac eadem materia obſervavimus in ſuperiori Tomo *par. 4. Tit. XIII. num. 1.*

Abolitis prædicta ratione univerſaliter Chriſtianorum Vigiliis, adhuc tamen in aliquibus inſignioribus Eccleſiis, ante aliquod Feſtum ſolemne pie, ac laudabiliter obſervantur, ſic in Eccleſia Aurelianenſi in nocte Inventionis Sanctæ Crucis, teſtante Guyeto *lib. 1. c. 17.* nec non in Eccleſia Cenomanenſi in nocte S. Juliani, & in Eccleſia S. Martini Turonenſis in nocte Feſti tranſitus ejuſdem S. Denique per univerſam Eccleſiam in nocte Nativitatis Domini. Remanſit pariter Vigiliarum nomen ad ſignificandum jejunium, quod ſive jure ſcripto, ſive jure tradito, aut generali conſuetudine ſervatur pridie Feſtorum ſolemniorum. Jure quidem ſcripto in Pervigiliis Nativitatis Domini, Aſſumptionis B. M. & omnium Apoſtolorum, præterquam Philippi, & Jacobi, ac Joannis Evangeliſtæ *c. ex parte, & c. de obſerv. jej.* Generali vero conſuetudine vim præcepti habente, ſive præcepto tradito, & non ſcripto, ut vult Cardenas, & alii Theologi, in Pervigiliis Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & Feſtivitatis omnium Sanctorum.

Præter has vigilias duæ aliæ recenſentur in Breviario a jejunio immunes, Epiphaniæ, videlicet, & Aſcenſionis Domini, ideo tamen recentæ, quia in his ſolemnitatibus perinde, ac in aliis, Vigiliæ olim ſolemnes in Eccleſiis haberentur.

Ex ſuperius dictis deducitur abolitarum Vigiliarum loco non fuiſſe ſubrogatum jejunium, ut plerique opinantur, innixi forſan auctoritati Durandi *in ſuo Rat. lib. 6. cap. 7. n. 8.* utrumque enim, tam jejunium, quam Vigilias nocturnas priſcis Eccleſiæ temporibus æque ſervatum fuiſſe colligitur ex Sancto Ambroſio, qui *in Sermone in Pſalmum 109. edit. Rom. de Feſto Pentecoſtes*, commendans exactam Vigiliarum obſervationem, ait: *Jejunavimus Sabbato, Vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus*, qui Textus refertur etiam a Gratiano *diſtinct. 46. cap. noſſe*. Eadem veritas comprobari etiam poteſt ex alio Textu S. Auguſtini; *in Sermone ad Fratres in Eremo*, qui licet ſuppoſititius ſit, tribuitur nihilominus Auctori, qui floruit ſæculo undecimo, ut vult Chriſtianus Lupus; ibi autem hæc leguntur; *Scitote Fratres mei & quod antiquitus Patres noſtri Fideles jejunare conſueverunt in Vigiliis magnarum ſolemnitatum uſque ad noctem*. Eadem varietas demonſtratur ex verſibus S. Paulini *natali Septimo, S. Felicis*, quos refert Guyetus loc. ſupra cit. minime officiente textu, qui legitur *in Canone de jejunio cit. diſtinct. 76.* nimirum -- Vigiliam ſimul, & jejunium celebrari non debere -- per jejunium enim, ut ponderat bene Guyetus, non intelligitur ibi actio jejunandi; ſed Jejunium Quatuor Temporum, quod dicto Canone cavetur, ne fiat in Vigilia Pentecoſtes, ſed poſt dictam ſolemnitatem, ut modo obſervatur: Cæterum priſcam eſſe conſuetudinem jejunandi in tali Vigilia, oſtendimus etiam in ſuperiori Tomo hujus Theſauri *part. 4.* quo vero jure ſit ſervandum tale jejunium in dicta Vigilia, egregie diſcutit laudatus Guyetus *cit. lib. 1. c. 17. q. 6.*

Reliquum eſt, ut adnotemus, quod Græci Profeſta appellant eos dies, quibus a nobis Vigiliæ nomen appoſitum eſt, talia autem Profeſta obſervant dumtaxat in Feſtis Chriſto Domino, & B. V. dicatis, videlicet in Nativitate Domini, Transfiguratione, Nativitate, Præſentatione, Annuntiatione, Hipapante, & Aſſumptione B. M. in Exaltatione, & Proceſſione vivificæ Crucis.

II. Gav. num. 3. *Vigilia occurrens in Feſto primæ Claſſis.*) Inhærendo verbis Rubricæ *de Vigiliis tit. 6. num. 2.* declarat Gavantus, quod ſi in Vigilia occurrat Feſtum ſolemne primæ Claſſis, nihil tunc prorſus, neque commemoratio fit de Vigilia, excipitur tamen ab hac Regula etiam juxta prædictæ Rubricæ diſpoſitionem Vigilia Epiphaniæ, in qua ſi occurrat Feſtum etiam primæ Claſſis, debet de ea fieri Commemoratio in primis Veſperis, & Laudibus, cum nona Lectione de Homilia, item in Miſſa cum Evangelio in fine, ita etiam advertit Guyetus *lib. 4. cap. 5. quæſt. 5.* & etiam Biſſus *lit. V. num. 52.*

III. Gav. eod. n. 3. *Eo Anno, quo Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidit in Feſtum Corporis Chriſti, &c.*) Refert Gavantus Leonem X. ſtatuiſſe, ut eo Anno, quo Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidit in Feſt. Corporis Chriſti, pridie ejuſdem Feſti jejunetur, quarta ſcilicet Feria, quæ tunc incidet in diem 22. Menſis Junii. Idem etiam confirmavit S. R. C. die 24. Sept. Anno 1638. cujus Decretum datur in noſtro indice Decretorum pertinentium ad Rubricas Miſſalis ſub num. 281. quod quidem Decretum laudavit, & idcirco ſuper hoc expedivit Breve Confirmatorium Urbanus VIII. apud Cherubinum *in Bullario Romano Tom. 4. Conſtitut. 152. quæ incipit; Cum evenire*, edita eodem Anno 1638. 13. Octobris, refert eam Peyrinus *de Privilegiis Regularium* in fine operis.

Ex quo autem in præfato Decreto habetur ſolummodo anticipandum eſſe Jejunium die antecedenti, nempe Feria 4. prout jejunaretur in ipſa Vigilia, & nullus habeatur ſermo de Officio Vigiliæ; hinc ſubortum eſt dubium, an occurrente prædicta Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in die Feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato jejunio ejuſdem Vigiliæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbanæ, debeat in Officio diei 24. prædictæ, ejuſdem Evangelii nona Lectio recitari, & in Officio, & in Miſſa de eadem fieri Commemoratio; Remiſſa fuit diſcuſſio huius dubii a SS. Domino noſtro Clemente PP. XI. ad S. R. Congregationem, quæ die 18. Septembr. 1706. reſpondendum eſſe cenſuit: *Nihil de Vigilia in Officio & Miſſa peragendum eſſe*, quod quidem Decretum approbavit laudatus Pontifex die 2. Octobr. ejuſdem Anni, & datur in noſtro Indice *num. 241.*

Mirabitur forſan quis, & quæret cur S. C. in hoc caſu cum anticipatione jejunii non conjunxerit Commemorationem Vigiliæ, vel potius ejuſdem Vigiliæ Officium, ſi nullum occurrat Feſtum novem Lectionum, eo modo, quo fieri ſolet quando Vigilia aliqua occurrens in Dominica transfertur in Sabbatum præcedens, tunc enim diſponit Rubrica Generalis *de Vigiliis num. 2.* quod de prædicta Vigilia ita translata fiat etiam Officium in dicto Sabbato, quod ſi ſit impeditum Officio novem Lectionum, tunc de Vigilia in eodem Sabbato fiat tantum Commemoratio. Huic quæſito ſatis fieri poſſe crediderim, ſummos Pontifices, Sacramque Congregationem laudabiliter ſtatuiſſe in dicto Caſu anticipationem jejunii, quia decens non videbatur lætitiam exortam ex magna ſolemnitate, & Feſtivitate Corporis Chriſti, jejunio temperare, nullam vero ſtatuere voluiſſe mutationem Rubricæ Generalis VI. circa Officium, vel commemorationem Vigiliæ, de qua ibi præſcribitur, ut ſupra etiam adnotavimus, quod ſi occurrat in Feſto primæ Claſſis, nullum in Officio habet locum, neque etiam Commemorationem, ne ſolemnitas minuatur. Hanc igitur Rubricæ diſpoſitionem S. C. immutatam reliquit in prædicto caſu, & ſolummodo anticipationem jejunii optime præſcripſit; quia, ut etiam notat Gavantus ſupra num. 3. expedit in ſimilibus caſibus transferri jejunium in pridianum diem, abſque eo quod anticipetur, & connectatur cum jejunio Officium Vigiliæ, ſeparari namque poſſunt unum ab alio; huic doctrinæ noſtri Sapientiſſimi Doctoris, ac Magiſtri, adſtipulatur etiam Guyetus *lib. 2. c. 5. quæſt. 1.* ubi alios ſimiles caſus adducit; necnon Biſſus *lit. V. n. 50. §. 3. & lit. 1. n. 6. a §. 1.*

Diſcuti hic poſſet quæſtio, utrum præter Vigilias in Kalendario expreſſas, liceat agere Officium de Vigilia alicujus Feſti proprii, puta Patroni? Guyetus *lib. 1. c. 17. quæſt. 3.* & Biſſus *lit. V. n. 50. §. 11.* cum diſtinctione procedunt, dicentes, quod ſi uſus agendi Officium talis Vigiliæ fuerit legitime introductus, non erit profecto reprobandus, quia Rubricæ Breviarii non tollunt antiquas Conſuetudines, ut declaravit Sac. R. C. & refert etiam Gavantus noſter infra *ſect. X. cap. 2. n. 1.* ſi vero uſus recitandi tale Officium non fuit legitime introductus, nullo modo debet continuari, neque de novo introduci. Nun loquimur de jejunio, quod unuſquiſque pro ſua devotione poterit obſervare.

IV. Gav. num. 4. *Itaut nec de ea Commemoratio fiat, &c.*) Quando Vig. venerit in Adventu, Quadrageſ. & Quatuor



Digitized by Google

tuor Temporibus, præſcribit Rubrica Generalis *ſup. n.* 2. ut nulla in prædictis Feriis fiat Commemoratio de Vigilia Rationem hujus diſpoſitionis aſſignat Gav. dicendo, quia pro Commemoratione Vigiliæ legi non poteſt congruenter Homilia poſt Homiliam Feriæ in Officio trium Lectionum, quæ eo caſu ſunt vel de Scriptura occurrente, ut in Adventu, vel de Homilia, ut in Quadrageſima. Verum hæc ratio ſolum probat, quod Evangelium, & tertia Lectio de Vigilia dici non debeat, non autem evincit, quod ſaltem Commemoratio in Laudibus de Vigilia fieri non poſſet, ſicut interdum de ſimplicibus Feſtis, etiam ſi nona Lectio de eiſdem ob juſtam cauſam aliquando non legatur, tamen fit Commemoratio in Laudibus. Dicendum ergo erit, ait Lohn. *part. 4. tit. 5.* hoc eſſe ſpeciale privilegium, aut potius requiſitum Vigiliarum, ut ſi de iis Officium, aut nona Lectio dici nequeat, etiam Commemoratio de iiſdem omitti debeat.

Sed huic ponderationi addi poſſet, non fieri in tali caſu Commemorationem de Vigilia, etiam ex defectu (generaliter loquendo) Antiphonæ, & Verſus, quæ reſumenda eſſent ex Feria currenti. Verum cum regulariter ea adhibeantur pro Officio Feriæ, hinc deſunt pro Commemoratione Vigiliæ. Dixi (generaliter loquendo) quia revera tempore Adventus, & Quadrageſimæ, nec non quando anticipatur Officium, vel Commem. Dominicæ, pro Commemoratione Vigiliæ poſſent deſumi Antiphonæ, & Verſus de Pſalterio, in rigore tamen hujuſmodi Antiphonæ, & Verſus dici non poſſunt propria Feriarum Adventus, & Quadrageſimæ; idcirco tales Antiphonæ, & Verſus eſſent ſubſtituta, non vero propria pro Commemoratione Vigiliæ. In quatuor vero temporibus Septemb. & quando anticipatur Officium, vel Commemoratio Dominicæ, & a Fer. IV. Cinerum uſque ad Sabbatum ſequens incluſive, licet pro Commemoratione Vigiliæ poſſet deſumi Antiphona ex Feriis Pſalterii, nihilominus quia deficiunt Verſus, quorum loco quamvis poſſet ſubſtitui Verſus ex Laudibus Dominicæ, vel ex Veſperis, ut in caſu multiplicium Commemorationum de Sanctis præſcribit Rubr. IX. de Commemorationibus n. 8. Attamen cum demandetur nullam deberi fieri in ſupradictis caſibus Commemorationem Vigiliæ in Officio, ſed tantum in Miſſa, niſi aliter a S. R. C. diſponatur, eiſdem Rubricis inhærere debemus, & nullam ſubſtituere Antiphonam, neque Verſum. In Miſſa autem occurrente aliquo Feſto fit quidem Commemoratio Vigiliæ, quamvis de ea non ſit facta Commemoratio in Laudibus, ut videre eſt apud noſtrum Gav. *Tom. 1. part. 1. tit. 3. n. 4.* quia cum Vigilia habeat Orationem propriam, & non confundatur cum Oratione Feriæ, hinc nulla eſt ratio omittendi ejuſdem Commemorationem in Miſſa, quæ in ſola Oratione conſiſtit: at in Laudibus Commemoratio involvit etiam Antiphonam Feriæ, quæ eſt deſignata pro Cantico *Benedictus*, & Verſus, qui poſt Hymnum dicuntur, quæ, ut dixi, deberent repeti, ſi facienda eſſet Commemoratio Vigiliæ, cum ſemper in tali Commemoratione deſumantur Verſus, & Antiphona ex Feria tunc currente.

Ex dictis ſequitur, Vigilias dividi poſſe primo in eas, quæ non jejunantur, nempe celebrantur ſine jejunio, & in eas, quæ jejunantur, ut Rubriciſtæ loquuntur. Prioris generis in Eccleſia univerſali ſunt tantum duæ, ut innuimus ſupra, nempe Vigilia Epiphaniæ, & Vigilia Aſcenſionis. Poſterioris vero generis ſunt reliquiæ Vigiliæ omnes, quarum ſupra mentionem fecimus, & quæ quia annexam habent obligationem ſervandi jejunium (cujus finis eſt Carnis mortificatio, ac caſtigatio, non autem reſtauratio, ut apud Card. Bona *Rerum Liturgic. lib. 1. c. 21. §. 6.* notat Zonar.) ideo ad hoc deſignandum in his Vigiliis Eccleſia adhibet colorem violaceum.

Dividi poſſunt ſecundo Vigiliæ in majores, & minores. Majores dicuntur, quæ ſub ritu ſemiduplici (uti Vigilia Epiphaniæ, & Pentecoſtes) vel omnino ſub ritu Duplici (uti Vigilia Nativ. Domini a Laudibus inchoatur) celebrantur. Minores autem ſunt illæ, quæ nonniſi ritum ſimplicis habent.

V. Gav. *n. 6. de partibus Officiis Vigiliæ dicemus infra &c.*) Eſſet hic agendum de ordine ſervando in Vigiliæ Officio, at quia de hoc loquitur Rubr. 8. generalis ſupra *n. 3. & ſeqq.* & nos cum Gavanto agemus infra in ſuis locis, idcirco talis ordo petendus erit, ubi de ſingulis Horis Canonicis loquemur.

## De Octavis, VII.

### R U B R I C A.

1\. *De Octava fit Officium, vel ſaltem commemoratio (quando aliquo Feſto, vel Dominica impeditur) per octo dies continuos. Fit de Octava Paſchatis Reſurrectionis, in Aſcenſione Domini, in Pentecoſtes, in feſto Corporis Chriſti, in Feſtis, quibus in Kalendario apponitur Octava: item in Feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & in Feſto principalis Patroni, & Titularis loci, vel Eccleſiæ, & in Feſtis aliorum Sanctorum, quæ apud quaſdam Eccleſias, Congregationes, & Religiones conſueverunt ſolemniter cum Octavis celebrari; niſi illa Feſta venerint in Quadrageſima, quo tempore omittitur Officium cujuſcumque Octavæ. Quod ſi aliquod Feſtum, quod celebrari ſolet cum Octava, paulo ante Quadrageſimam venerit, & jam per aliquot dies factum ſit Officium de ejus Octava, adveniente Quadrageſima, nihil amplius fit de ea, nec commemoratio. Et idem ſervetur de Octavis nondum abſolutis quando ſupervenit Feſtum Pentecoſtes, & dies 17. Decembris.*

2\. *In Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſtes Officium Octavæ terminatur in Sabbato ſequenti ad Nonam.*

3\. *Infra Octavas fit de Feſtis Duplicibus & Semiduplicibus occurrentibus, ac etiam tranſlatis, ut dicetur infra de Tranſlatione Feſtorum numer. 5. cum Commemoratione Octavæ: niſi illa Feſta ſint de ſolemnioribus enumeratis in ſequenti Rubrica de Commemorationibus, in quibus nulla fit commemoratio de Octava: exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti, de quibus fit ſemper commemoratio, quocumque Feſto in illis occurrente. Infra Octavas autem Paſcha & Pentecoſtes non fit de Feſto aliquo, etiam principali Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, vel Dedicatione ejuſdem, ſed transfertur poſt Octavam. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, & de Dedicatione ejuſdem (non tamen in die Octava) cum commemoratione Octavæ. Infra Octavam Corporis Chriſti fit tantum de Duplicibus, non tamen tranſlatis, cum commemoratione Octavæ, de Semiduplicibus vero infra eam non fit, ſed transferantur poſt Octavam, ut dicetur in Rubrica de Tranſlatione Feſtorum. De Simplicibus infra quaſcumque Octavas occurrentibus fit tantum commemoratio, præterquam in duobus diebus poſt Paſcha & Pentecoſten, ut dicitur in ſequenti Rubrica de Commemorationibus. De Dominicis infra Octavam occurrentibus fit Officium, ut dictum eſt ſupra in Rubrica de Dominicis. Si duæ Octavæ ſimul occurrant, (ut Octava Sancti Joannis Baptiſtæ & Octava Corporis Chriſti, vel Octava Patroni, vel Titularis Eccleſiæ cum alia Octava) quando non erunt celebranda Feſta ix. Lectionum, vel dies Dominicus, fiet Officium de digniori cum commemoratione alterius. De die autem Octava cujuſcumque Feſti, fit totum Officium Duplex cum commemoratione diei infra aliam Octavam. De Feſtis occurrentibus in die Octava, ſervetur quod dicitur in Rubrica de Tranſlatione Feſtorum.*

4\. *Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem ſcilicet Pſalmis, & novem Lectionibus, (exceptis Octavis Paſchæ, & Pentecoſtes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut ſuis locis ponitur) & omnia dicuntur ſicut in die Feſti, præter Lectiones; quarum primæ tres ſemper ſunt de Scriptura occurrente in Officio de Tempore, præterquam infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ, in qua ſingulis diebus poſitæ ſunt Lectiones propriæ de Canticis Canticorum; aliæ Lectiones ſecundi & tertii Nocturni dicuntur, quæ infra Octavam poſitæ ſunt. Infra Octavam vero Patroni, vel Titularis Eccleſiæ, aut alterius Feſti, quod in aliquibus Eccleſiis conſuevit cum Octava celebrari, ſi apud illas Eccleſias non habentur propriæ & approbatæ Lectiones, pro ii. & iii. Nocturno infra Octavam repetantur Lectiones poſitæ in Communi Sanctorum, ſi de Sanctis fiat Octava, alioquin Lectiones diei Feſti.*

5\. *Infra Octavam Officium fit Semiduplex: in die Octava Duplex. In Veſperis infra Octavam omnia dicuntur ſicut in ſecundis Veſperis Feſti; & in primis Veſperis diei Octavæ omnia ſicut in primis Veſperis Feſti, niſi aliter in propriis locis notetur.*

6\. *Infra Octavas non fiunt Suffragia conſueta de Sanctis, nec dicuntur Preces ad primam & Completorium, etiamſi fiat Officium de Dominica, vel Feſto Semiduplici. In aliis, quomodo ſit ordinandum Officium de Octava, habentur inferius propriæ Rubricæ.*

## De Octavis. Cap. VIII.

### G A V A N T U S.

1\. Chriſto Domino conſtitutæ ſunt octavæ quinque, Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti: Spiritui Sancto, Pentecoſtes: B. Virgini duæ: Nativitatis, & Aſſumptionis; Nativitatis Sancti Joanni Baptiſtæ, Martyrio SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli: Feſto Omnium Sanctorum: S. Stephano, Joanni Evangeliſtæ, Innocentibus, & Laurentio; Dedicationi propriæ Eccleſiæ; Patrono principali loci, & Titulari in eorum principali feſto. De quarum origine vide, quæ ſcripſimus *in Præfatione ad Octavarium Romanum*, ubi & caſus explicavimus octavarum. De Patrono loci Microl. ſubobſcure tradit cap. 43. quare non excedunt numerum ſeptendecim; conſueverunt cum Octavis ſolemniter celebrari Feſta Sanctorum apud quaſdam Eccle-

ſias,

ſias, Congreg. & Religiones, quæ in Rubric. *de Octavis n.* 1. non abrogantur, ſed poſt editum a Pio V. Breviarium nulla poteſt induci Octava, ultra prædictas ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Ex quo, qui addidit recentior, fieri Feſtum cum octava, tum Canonizationis, tum Beatificationis Sanct. aperte fallitur ſi loquatur, ſine præciſa licentia S. Sedis Apoſtolicæ.

2. Inter has Octavas eſt differentia, quæ revocari poteſt ad quatuor gradus. In primo gradu ſunt Octavæ Paſchatis, & Pentecoſtes, in quibus non ſit de Feſto aliquo, nec etiam de Patrono loci, Titulove, ſeu dedicatione Eccleſ. In ſecundo gradu, Octava Epiphaniæ admittit tantum Feſtum de Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, & Dedicationis propriæ Eccleſiæ, non tamen in die Octava, in qua celebratur Baptiſmus Chriſti, & dicitur a *Durand. lib. 6. cap.* 17. Octava ſuppletionis, quia eo die ſupplemus, quod in Feſto Epiphan. recolimus minus aperte, ideſt, Baptiſmum Chriſti, cui cedere debet Patroni Feſtum, ut ſervi Domino. In tertio gradu Octava Corporis Chriſti admittit tantum Feſta duplicia, non tamen tranſlata, ut decretum eſt in recognitione poſtrema Breviarii; niſi tranſlata ſint altioris ordinis, ut de Feſto S. Joann. Baptiſtæ dicemus. Non admittit ſemiduplicia, ex Decreto Joann. XXII. quod habetur in Breviar. M. S. Bibliothee. Sancti Iſidori de Urbe. In quarto gradu Octavæ reliquæ Nativitatis Domini, Aſcenſ. & aliorum Sanctorum admittunt quæcumque Feſta etiam ſemiduplicia. Neque mireris, quod in Octava Nativitatis admittantur ſemiduplicia, quia ſchola Nativitatis Chriſti eſt officina humilitatis, *ex S. Auguſtin.* Aſcenſionis item reſpectu Eccleſiæ militantis eſt octava mixta mœrore, ob diſceſſum Chriſti.

3. Rubrica, *de Octavis n.* 3. addit *etiam tranſlata*, quod verbum verificatur in duplicibus; quia vere celebrantur quocumque die infra dictas octavas. At in ſemiduplicibus non videtur verificari: nam Feſtum S. Leonis 28. Junii, ſi occurrit in Dominica, transfertur poſt octavam Apoſtolorum; ut dicitur in propria rubrica, ergo idem fiet de aliis ſemiduplicibus. Verum Rubrica ſatis verificatur in duobus caſibus, primo quando ſemiduplex occurrit in Dominica; ſecundo; quando in Feſto Aſcenſionis Domini, in quibus caſibus transfertur ſemiduplex in diem proxime ſequentem, ſi non eſt impedita; & ſic infra octavam ſit de ſemiduplici tranſlato. In Eccleſiis particularibus contingit ſæpius ſemiduplex occurrere in Feſto majori, quod habet octavam, & de eo fit in ſecunda die infra octavam. Rubrica vero hæc non loquitur de ſemiduplicibus occurrentibus ante octavam, quæ ſine dubio transferri debent poſt Octavam: ſed de occurrentibus in feſto ſeu in Dominica infra octavam, & de tranſlatione in diem proxime ſequentem, non impeditum alio Feſto.

4. Adhuc accidit alia differentia inter Octav. trium graduum poſteriorum, quod occurrente Feſto in iiſdem admiſſo, ut ſupra, ſemper tamen de Octava Epiphaniæ, Corporis Chriſti, & Nativitatis ejuſdem fit commemoratio, ob earumdem dignitatem. Infra alias Octavas Aſcenſionis, & aliorum Feſtorum, occurrentibus Feſtis minoribus, accidit, ut neque de iis octavis fiat commemoratio, ut dicetur, cum de commemorationibus, fortaſſe quia tria illa Feſta noſtra ſunt; Feſtum vero Aſcenſionis Angelorum potius, quam noſtrum; aliorum denique Sanctorum quia ſunt Feſta non æqualia tribus primis; ideo quandoque nulla fit commemoratio.

5. Omnes dies octavæ pro una feſtivitate computantur, ait *Radulph. propoſ.* 23. qui etiam *propoſ.* 19. appellat Octavam prorogationem Feſti. Ex quo ſequitur, quod eo nobilior eſt octava, quo minus interrupta eſt a Feſtis aliorum.

6. At undenam major octavæ dignitas attendi debet, præſertim, ſi duæ occurrant ſimul celebrandæ? Certe penes Claſſem Feſtorum; nam primæ claſſis dignior eſt ſecunda: in eadem vero claſſe attende perſonas hoc ordine, Chriſtum, B. Virg. Angelos, S. Joan. Baptiſtam, Apoſtolos, & alios juxta ordinem Litaniarum, & Rubricam *de concurrentia Officii n.* 2. & cæteris paribus dignior eſt ea Octava, quam celebrat univerſalis Eccleſia.

7. Dubitari poteſt de Dedicationis Octav. an ſit major, quam Octav. Patroni loci, ſeu Tituli Eccleſ. *S. Thom. lect.* 5. *in cap. Jo:* 10. docet, majus eſſe Feſt. Dedicationis Eccleſiæ, quam alicujus Sancti, quia in illo recoluntur beneficia toti Eccleſiæ collata, quæ ſuperant beneficia cuivis Sancto donata, quæ in ejuſdem Feſto celebr. ergo erit Octava Dedicationis Eccleſ. dignior, quam Octava Patroni loci, & eadem ratione dignior erit Octava Aſſumptionis B. Virginis, quam Octava dedicationis, quia majora beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quam contulerit toti militanti Eccleſiæ, cum præſertim Theologi doceant, collective in Deipara Virgine eſſe omnia gratiæ, & gloriæ dona, quæ Angelis, & hominibus ſingillatim diſtributa fuerunt. Confirmatur hæc doctrina ex Rubric. Brev. tit. *de Duplici n.* 1. ubi prius recenſetur Dedicatio propriæ Eccleſiæ, quam Patronus loci, ſeu Titularis Eccleſiæ, tit. *de Octavis n.* 1. ubi prius nominatur Dedicationis octava, quam principali Patronis, veluti dignior, & nobilior, cæteris paribus; in fine Breviarii additæ ſunt lectiones propriæ pro tota octava Dedicationis, non item pro aliis omnibus Patronis locorum, quibus poſtremo proviſum eſt cum Octavario Romano a nobis edito, & a S. R. Congr. approbato.

8. In poſtrema recognitione Breviarii actum eſt de excludendis octavis ab Adventu, ſicuti a Quadrageſima, ſed illud ſaltem congruere viſum eſt eas excludi a die 17. Decembr. uſque ad Epiph. & ante Nativit. quidem ea ratione, quam num. ſequenti dicemus. Poſt Nativitat. vero, quia dies omnes & ſinguli proprium offic. habent nullo modo omittendum, fieri vero de octav. quæ non habetur in Breviar. per ſolam commemorationem, viſum eſt modicum quid, quod congruentius omitti poteſt, in gratiam infantiæ Chriſti, & Octavarum non ſine myſterio comitantium Nativit. Chriſti, ex S. Bern.

9. Accidit etiam, inchoatas non compleri octavas Feſtor. de S. & præſertim in tribus caſibus. Primus eſt, quando advenit dies 17. Decembr. in qua ponuntur Antiphonæ propriæ, quod in poſtrema Breviar. recognitione merito decretum eſt, ne omittantur quotannis Antiphonæ privilegiatæ, quas recitabant antiqui in Feſtis occurrentibus, additis ideo Laudibus ferialibus. Quare ſi occurrat dies Octava Feſti habentis Octavam in die 17. Decembris in pridianis Veſperis nihil fiat, neque commemoratio de Octav. cum in ſequenti die nihil item ſit de ea faciendum: nam argumento a ſimili mox infra num. 13. probabimus, non convenire, ut habeat in primis Veſperis aliquid illud Feſtum, ſeu Offic. illud, quod nihil omnino debet habere in Laudibus, & Veſperis ſecundis. Alter caſus eſt, quando advenit Feria Quarta Cinerum, pridie cujus eodem modo, quo nunc dictum eſt, abrumpenda eſt Octava Feſti habentis Octavam. Tertius eſt, adveniente Vigilia Pentecoſtes, quæ loco citato ejuſdem eſt privilegii ad Octavas mutilandas cum prædictis feriis. Certe ante Microl. *cap.* 48. non celebrabantur Feſta in Quadrageſima, & hodie pauciſſima; ergo convenit, ut abſtineamus in Quadr. a prorogatione Feſtorum, hoc eſt, Octava Natalis Domini, ſicuti Paſcha, debet habere quaſi octavam ante, & poſt, licet non æqualem, & convenit etiam in Vigilia Pentecoſtes ceſſare octavam, quæ omne Feſtum etiam Patroni excludit.

10. Dierum infra Octavam Officium eſt ſemiduplex, exceptis primis duobus poſt Paſcha, & Pentecoſten, quorum Officium duplex eſt. Diei vero octavæ duo ſunt privilegia: alterum eſt, quod numquam transfertur, alterum eſt, quod duplici ritu celebratur; quia eſt repetitio Feſti, quod a *Radulph. propoſ. 19.* in majoribus octavis ſignificatur. *Microl. cap.* 41. ſcribit, quod diei infra octavam minorem, ideſt, S. Officium erat feriale trium lectionum, & *cap.* 44. quod neque mentio per medios dies agebatur, quia extremi tantum dies celebrantur: nihilominus hodiernum ritum *in Breviariis M. S. ante annos* 300. ego reperi; licet *Radulph. propoſ.* 19. ejuſdem ætatis dicat eadem, quæ Micrologus. Per idem (puto) tempus, mutatus fuit ritus in hodiernum, ut eſſet communis omnibus Octavis.

11. Feſtum habens Octavam ſi transferatur poſt octo dies a die Feſti, non celebratur eo anno cum octava. Non enim numeratur octava a Feſto, ſed a die, quo ille Sanctus obiit, vel obiiſſe creditur, cui fit Feſtum, niſi aliud ex privilegio concedetur, *de tranſl. Feſt. num.* 1.

12. Dies octava, quia non transfertur, excludit, & transferri facit Feſtum Duplex in ea occurrens per annum; ſive ſit majus, ſive minus; ut dicitur *de Tranſlatione Feſtorum n.* 2. & in Tabella de occurrentia, in qua duplex per annum comprehendit majus, & minus: qua de re dubitarunt aliqui, eo quia, inquiunt, in concurſu Duplicis majoris cum die octava, illud habet integras Veſp. ſed eſt ratio diſpar in occurſu, quæ communis eſt Duplici majori, & minori per annum, ne ſcilicet omittatur officium diei octavæ in proprio die, cedit autem ſolemnibus Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, ita ut de die Octava nonniſi fiat commemoratio; uti quando in die Octava Corporis Chriſti occurrit Feſtum S. Joann. Baptiſtæ, de quo fit Officium cum commemorat. Octavæ, ex decr. Jo: XXII. ſupra citato, in quo meminit, non modo Feſti S. Joannis, ſed etiam alterius Feſti ex majoribus.

Excipe octavam diem Nativitatis, quæ eſt ſecundæ Claſſis, & Epiphaniæ, quæ eſt privilegiata, ut diximus ob Baptiſmum Chriſti, hæ namque excludunt alia Feſta. Cedit item dies Octava Dominicis, quæ excludunt Feſta duplicia per annum, puta Septuageſimæ, Sexageſimæ, & ſimilibus, ut dicitur *de Tranſlat. Feſtor. n.* 5. in quibus fit tantum commemor. de die Octava.

13. Sed quid agendum erit in primis Veſperis communibus diei Octavæ, & Dominicæ Privilegiatæ? Recitabis Veſperas cum Pſalmis Sabbati a Capitulo de Dominica privilegiata; & in fine addes commemorationem diei Octavæ, ut in primis Veſperis Feſti: ita decrevit, me petente, S. R. C. *die 9. Novembr.* 1622. Et ratio deſumitur a ſimili, ex Rubric. *de Concurrentia num.* 10. ubi, cum ageretur de ſimplici Feſto occurrente in Feria quarta Cinerum, in qua de Feſto fit tantum commemoratio, eadem tantum commemoratio Feſti decernitur in primis ejuſdem Veſperis: *quia*, inquit, *cum in ſequenti die Feſtum non habeat Officium, nec etiam convenit habere primas Veſperas in præcedenti die*. Voluiſſent alii, primas Veſperas diei octavæ integras ritu duplici recitari, ſed abſurdum viſum eſt inchoare cum omni ſolemnitate diem Octavam, quæ ſequenti die officium non habet.

Alii

Digitized by Google

Alii dimidiatas Veſperas uſque ad Capitulum ritu ſemiduplici de Octava, Capitulum deinde de Dominica : at hoc modo non erant primæ Veſperæ de die Octava, ut patet, cum ritu ſemiduplici ; neque erant ſecundæ Veſperæ de die infra Octavam, quæ terminatur in nona Sabbati, & in Pſalmo quinto erat difficultas an dicendus ille, qui in primis aut in ſecundis Veſperis Feſti ; & pro commemoratione diei octavæ Antiphona ad Magnificat, ut in primis Veſperis Feſti, incongrue dicebatur ratione diei infra Octavam. Maluiſſent alii, abrumpi Octavam in Sabbato ad Veſperas; & nihil de ea fieri amplius, ut ſupra diximus num. 8. ſed viſa eſt ratio looge diſpar in Dominicis privilegiatis, extra Quadrageſim. Natalitium tempus, & Pentecoſtes. Quare ſola commemoratione contenti de die Octava, tam in primis ejuſdem Veſperis, quam in Laudibus, & ſecundis Veſperis, omiſſiſque precibus ad Primam, & Completorium, & Suffragiis commnnibus, decreverunt Eminen. Patres, & ſapientiſſimi, ut prædiximus, nempe in gratiam diei nctavæ, & Dominicæ occurrentis privilegiatæ : quibus & obſequendum erit.

14. In ſecundis etiam Veſperis diei Octavæ occurrentis in Dominica privilegiata, eadem Dominica conſervat ſedem ſibi acquiſitam, ita ut de die Octava fiat taotum commemoratio, ut in ſecundis Veſperis Feſti, quod ſi Dominica ipſa concurrat cum ſequenti Feſto duplici ; adhuc commemoratio diei Octavæ poſt Dominicæ commemorationem fiet, non autem, ſi concurrat cum ſemiduplici ; quia tunc Veſperæ erunt de Dominica cum commemoratione diei Octavæ, ut in ſecundis Veſperis Feſti, deinde ſemiduplicis, ut in primis ejuſdem Veſperis, quia in pari gradu commemorationis, nobilior eſt dies Octava, quam Feſti ſemiduplicis commemoratio.

15. Cæterum ordinarie dies Octava ſi concurrat cum alio die octavæ, a Capitulo fit de ſequenti cum commemorat. præcedentis, excepta Octava Corporis Chriſti concurrente cum octava S. Joann. Baptiſtæ, de quo fit tantum commemoratio, & quando in Breviario aliter notatur, ut in Octav. SS. Stephani, & Joannis Evangeliſtæ, &c. *in Rubric. de concurr. Offic. num. 7.*

16. Dies eadem Octava ſi concurrat cum ſequenti Duplici minori, etiam translatum, a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione octavæ, ſi cum majori, fit totum de ſequenti, commemorat. de præcedenti, ut in die octava S. Joannis Baptiſtæ. Excipe dies octavæ Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, in quibus ob earum dignitatem ſecundæ Veſperæ, etiam in concurſu cum duplici majori per annum, & multo magis primæ Veſper. Octavæ Aſcenſion. & Corporis Chriſti, ut in poſtrema Breviarii recognitione decretum eſt, debent eſſe integræ.

Et quidem de ſecundis Veſperis Octavæ Corporis Chriſti eſt lex convenientiſſima, nova tamen poſt Joann. XXII. qui in Decreto ſupra citato juſſerat fieri a Capitulo de ſequenti : eadem autem eſt ratio in Octava Aſcenſionis.

17. Si concurrat cum Feſto primæ Claſſis, in hujus primis Veſperis nulla fit de die Octava commemoratio, ut declaratum eſt in poſtrema recognitione, *de Commemorat. tit. 9. n. 4.* Si vero concurrat cum Feſto ſecundæ Claſſis, etiam translatm, ut eſt Annuntiatio Beatæ Virginis, vel Sancti Marci Feſtum poſt Dominicam in Albis, totum Officium erit de ſequenti cum commemoratione præcedentis diei Octavæ, ut aperte dicitur *de Concurrentia n. 7.* & eſt Rubrica generalis modo in poſtrema recognitione Breviarii, additis verbis iis *in ſecundo ordine*, ut utrique ordini Feſtorum ſit proviſum.

18. Accidit alius concurſus Feſti duplicis, vel ſemiduplicis cum die infra Octavam, & Duplex quidem totum habet Veſperarum officium cum commemoratione diei infra Octavam ; Semiduplex autem regulariter uſque ad Capitulum : quod erit de die infra Octavam, *in Rubr. de Concurrent. n. 34.* ſed fallit illud primum de Duplici in duobus caſibus ; hoc eſt, quando Duplex eſt primæ Claſſis quia tunc nulla fit de ſequenti die infra Octavam commemoratio; & quando Duplex eſt ſecundæ claſſis, ſed in die ſequenti non fit Officium de die infra octavam; tunc enim in ſecundis Veſperis Feſti duplicis nulla fit commemoratio diei ſequentis infra octavam. Alterum item de Semiduplici fallit in ſecundis Veſperis SS. Joann. & Pauli, quæ ſunt integræ cum commemorat. tantum diei infra Octavam S. Joann. ita *in Rubric. de Concurr. n. 3. & 4.* cauſam dabimus in Proprio de tempore.

19. Dies etiam infra octavam cedit Dominicæ præcedenti, in cujus ſecundis Veſperis non fit commemoratio, niſi de die ſequenti infra Octavam, *loco cit. num. 5.*

20. Eadem dies infra Octavam cedit Feſto Duplici, in cujus ſecundis Veſperis ſola gaudet commemoratione ; quæ etiam deperditur, niſi Duplex ſequens ſit primæ, vel ſecundæ claſſis, ibidem n. 4.

21. Non cedit ſequenti Dominicæ, vel Semiduplici, niſi uſque ad Capitulum, quod erit de Dominica, vel de Semiduplici ; multoque minus cedit Simplici, de quo fit tantum commemoratio in ſecundis Veſperis diei infra Octavam. Ibidem num. 6.

22. Quæres : an detur caſus, quo dies Octava, quæ eſt duplex, cedat in concurſu Feſto ſemiduplici ? Reſpond. poſito decreto Sacræ Congregat. de quo ſupra *n. 13.* ſequitur aperte, quod, ſi occurrat Feſtum ſemiduplex in Sabbato ante Dominicam privilegiatam, quæ eſt ſimul dies Octava Feſti habentis octavam, eo caſu in Veſperis Sabbati, Antiphonæ & Pſalmi erunt de Semiduplici, Capitulum de Dominica privilegiata, commemoratio primum de Semiduplici, quod habet dimidium Veſperarum ; & deinde diei Octavæ, quæ in toto die ſequenti Dominico nihil habet, niſi meram commemorationem.

23. Volunt aliqui diem Octavam principalis Patroni loci poſſe dici Feſtum Duplex majus per annum eo fine, ut habeat integras Veſperas ; ſed defendi non poteſt, tum quia *de Concurrentia Officii n. 7.* expreſſe jubetur, Veſperas dividi in concurſu diei Octavæ cum duplici Feſto ; tum quia dies Octava omnium Sanctorum non habet ſecundas Veſperas integras ; tum quia eſt privilegium Octavarum Chriſti Domini ; tum quia Rubricæ ſenſus in *loco citato n. 7.* eſt de die Octava Patroni, ſeu Tituli Eccl. quibus extra Breviar. conceditur Octava. Neque dicas, in Octava S. Joannis Evangeliſtæ, ſecundæ Veſperæ ſunt integræ de eodem ; quia ſingularis eſt caſus in concurſu cum Octava Innocentium longe inferioris ordinis. Optaſſem & ego cum aliis, diem Octavam Feſti B. Virginis habentis Octavam eſſe Duplex majus, ſicuti ſunt ejuſdem minora Feſta per annum : at eadem fere ratio militaret in Angelis, & Apoſtolis, ut patet. Rubrica vero non diſtinguit inter diem Octavam, & diem Octavam, niſi in Feſtis Domini : unde neque nos diſtinguere debemus. Urgetque rurſus exemplum diei Octavæ omnium Sanctorum, quod eſt præcipue B. V. ex Martyrologio, & non habet integras Veſperas. Octava quoque S. Joannis Evangeliſtæ minus urget, quæ in Rubricis excepta fuit, *de Concurrentia Officii n. 7.* iis verbis : *& quando aliter in propris locis notatur* : nulla igitur alia dies octava Sanctorum eſt Duplex majus.

24. Denique dies octava Corporis Chriſti licet ſit digniſſima, ſi tamen ea die occurrat Feſtum Nativitatis S. Joannis, vel Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſola gaudet commemoratione, ob ſingularia merita Sanctorum Principum Eccleſiæ Chriſtianæ toto orbe venerandorum ; & eadem ratione fit Officium de Patrono loci ſi occurrat in dicta die Octavæ Corporis Chriſti cum ejuſdem commemoratione tantum, quia eſt primæ Claſſis in loco, ubi eſt Patronus. Idem dico de Titulo Eccleſiæ, & multo magis affirmarem de Dedicatione Eccleſiæ, ſi in eam diem Octavam incideret ob rationem a fortiori ſumptam a Sancto Thoma, de qua ſupra *hoc cap. n. 7.* Feſta vero ſecundæ Claſſis cedere debent prædictæ diei Octavæ ; ſicut a tota Octava arcentur ſemidupl. Feſta, & de facto cedit commemoratio Sancti Pauli extra propriam Eccleſiam, ut in propria Rubrica dicitur ; quamquam non eſt proprie ſecundæ Claſſis, uti ibi dicemus.

25. De Lectionibus infra Octavas, infra agemus de Precibus, Suffragiis, in propriis Titulis, & Capitibus, *Sectione quinta.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. n. 5. -- *Beatæ Virginis duæ &c.*) Hodie Octavæ B. V. tres recenſentur, Octavis enim Nativitatis, & Aſſumptionis, addita eſt ab Innocentio PP. XII. die 15. Maji 1693. etiam pro univerſa Eccleſia octava Conceptionis ejuſdem Immaculatæ Virginis Mariæ, de qua re extat Conſtitutio ejuſdem Pontificis in ſuo particulari Bullario, quæ incipit -- *In Excelſa Sedis Apoſtolicæ ſpecula &c.*

II. Gavant. eod. num. 1. -- *De quarum origine vide quæ ſcripſimus in Præfatione ad Octavarium Romanum*). Sicut de Vigiliis oſtendimus ſupra, ita de octavis, quibus auguſtiora Myſteria, & ſolemniora Sanctorum Feſta recoluntur in Chriſtiana Eccleſia, dicendum eſt, quod a Judæorum Eccleſia originem ſuam trahunt, quam quidem veritatem fuſe ſatis commonſtravit ſapientiſſimus noſter Gavantus in ſua erudita Præfatione ad Octavarium Romanum, quam conſulere poterit curioſus Lector, & idcirco ab indaganda hac origine nos hic abſtinemus, ne eadem repetamus. Duo tamen in hanc rem obſervare lubet, quæ a præſtantiſſimo noſtro Auctore prætermiſſa fuerunt. Quale illud in primis eſt, quod adnotat Grancolas *libro ſupra cit. cap. 45.* quod Beda, qui floruit Anno Domini 731. de Pentecoſte octava tantum meminit. Theodemarus Carolo Magno coævus Natalis tantum, & Epiphaniæ octavarum mentionem facit. Sanctorum vero Feſtis, nullæ adhuc tributæ erant : octavo enim tantum ſæculo præcipuis Feſtis octavæ adſignari in Occidente cœperunt ; earum uſum ignorant Græci. Hæc Grancolas ; ex cujus tamen obſervatione inferre non licet, quod Bedæ, & Caroli Magni temporibus Paſchatis octava non celebraretur ; hæc enim in omnibus Sacramentariis, Beda etiam vetuſtioribus habetur, ſicut etiam octava Natalis Domini. Theophaniæ quidem octava in codice Gelaſiano non extat, ſed in Gregoriano utique reperitur. Sanctorum autem octavas quod attinet, in mox laudato codice Gelaſiano leguntur octava SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, nec non S. Laurentii, ſed hæc in Gregoriano non habetur. Verum prædictas SS. Apoſtolorum, & Laurentii octavas adjectas fuiſſe dictis Sacramentariis, cenſet Grancolas *loco cit.* quod de octava S. Laurentii negare non auſim, de altera autem apertiſſime nego.

Secundo obſervandum eſt, quod licet antiquitus recolerentur dictæ octavæ, nihilominus diebus intermediis de Sanctis non ſolum nullum recitabatur officium, ſed neque ulla de ipſis fiebat Commemoratio, de quo aliquod veſtigium extat in Breviario Romano pro S. Agnete, in cujus octava *S. Agnetis ſecundo* officium fit. At poſtea, ſex dierum intervallum eodem Feſti, cujus celebratur octava, officio repletum fuit, ut etiam octavæ Sanctorum octo diebus durarent. Refert Micrologus *c.40.* Romæ octavis omnibus etiam Domini noſtri, excepta Paſchatis, & Pentecoſtes hebdomada, Pſalmos de Feria, ad Matutinum nunquam prætermiſſos fuiſſe, licet Invitatorium, Antiph. in Pſalmos, & Reſponſoria de Feſto eſſent, quia tres tantum Lectiones in octavis erant. Addit idem Auctor *c.44. juxta Romanam auctoritatem nullorum Sanctorum octavas obſervare debemus, niſi unde certam aliquam traditionem a Sanctis Patribus habemus. Eorum quoque, quorum octavas celebramus, nullam auctoritatem inde habemus, exceptis de S. Maria, & de S. Petro, quorum memoriam, & alio tempore non ceſſamus celebrare.* Hæc Micrologus, qui floruit ſæculo undecimo. Feſtis igitur B. V. ſcilicet ejus Aſſumptione, & S. Petri juxta Romanum morem, non horum officium, ſed commemoratio tantum diebus intra octavam fiebat. Poſtquam vero officia diebus illis inſerta fuere, Dominicæ officium recitabatur infra octavam, Radulphi Ævo, ipſo teſtante *propoſ.* 10. quod adhuc ſervatur juxta Rubricas noſtri Breviarii Romani, exceptis Dominicis infra octavam Aſcenſionis, Epiphaniæ, Natalis, & Corporis Chriſti, quæ Feſta ſunt Domini noſtri, quibus multa de Feſto cum Dominicæ officio miſcentur, at in octavis aliis Dominicæ officium integrum non intermittitur, quia æquum non eſt diem intra alicujus Sancti Octavam, Domini Feſto, & officio præferre, ut optime ponderant Rubriciſtæ.

III. Gav. eod. n.1. -- *De Patrono loci Microlog. ſubobſcure tradit, quare non excedunt numerum ſeptemdecim.* ) De Feſto Patroni principalis debere celebrari Octavam, dubium non eſt, nam id ſtatuitur in ſuperioris Rubricæ n. 1. & conſtat ex Decreto dato in noſtro Indice *ſub n. 63.* Rurſus quoniam in Kalendario Romano addita eſt, ut diximus, Octava Conceptionis B. M. V. hinc fit modo Octavas excedere numerum ſeptemdecim.

IV. Gav. n. 1. -- *Quæ addit recentior fieri Feſtum cum Octava tum Canonizationis tum Beatificationis Sanctorum aperte fallitur.* ) Optime docet noſter præclariſſimus Auctor, & Magiſter, quod poſt editum a Sancto Pio V. Breviarium, nulla poteſt induci Octava ultra jam recenſitas, ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & hinc inferebat falli Caſtald. cujus a nobis ſupra n. 9. *In Additionibus ad Caput II. Sectionis II.* allata eſt ſententia circa ſolemnitatem Canonizationis Sanctorum, cum Octava celebrandam; quam tamen, ob rationes, & auctoritates ibi allegatas, rejicere non potuimus. Ad Beatos vero quod attinet, de his extat Decretum editum a S. R. C. die 5. Octobris 1652. approbante Innocentio X. 16. Decembris ejuſdem Anni, & dato in noſtra Appendice Decretorum ad Miſſale n. 717. in quo habetur, quod nullus poſſit excedere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, & Officii cum Octava.

Verum quamvis de Beatis nequeat celebrari Octava, ſolent tamen celebrari per Triduum aliqua ſolemnia, quorum methodum forſan dabimus in calce hujus voluminis, & erit eadem, quæ ſervata fuit in Eccleſiis PP. Cappuccinorum occaſione recentiſſimæ Beatificationis ſequutæ anno 1737. Beati Joſephi a Leoniſſa ejuſdem Ordinis Sacerdotis profeſſi.

V. Gav. n. 2. *Inter has Octavas eſt differentia, quæ, &c.*) Octavarum aliæ ſunt privilegiatæ, aliæ non privilegiatæ: ex privilegiatis vero aliæ magis, aliæ minus privilegiatæ; unde Octavarum differentia ad quatuor Claſſes, ſeu gradus poteſt revocari, ut optime dicit Gavantus. In primo gradu ſunt duæ; nempe Octava Paſchæ, & Pentecoſtes, in quibus de nullo Feſto, etiam primæ Claſſis poteſt celebrari Officium, neque alicujus Feſti poteſt fieri Octava, & ne quidem Commemoratio. Solum Feſti ſimplicis (ſine aliqua tamen de eo Lectione) ſi tale infra illas, poſt primum earum Triduum occurrat, fit commemoratio in Veſperis, & Laudibus, & ad Miſſam: tres autem primi dies hujus utriuſque Octav. tamquam Feſta Duplicia primæ Claſſis, etiam Feſti ſimplicis Commem. & a fortiori ultimam de eo Lectionem, omnino excludunt. In ſecundo gradu eſt Octava Epiphaniæ, quæ ad differentiam Octavæ Paſchatis, & Pentecoſtes admittit tantum Feſtum Patroni principalis, itemque Feſtum Titularis, & Dedicationis Eccleſiæ, diebus infra ipſam occurrentibus celebrari, ſed ſemper cum commemoratione ipſius Octavæ Epiphaniæ tam in Officio, quam in Miſſa. In ipſa tamen Octava Epiphaniæ nullum permittitur celebrari Feſtum ex ſupradictis, etiamſi ſint primæ Claſſis, unde eſt, quod talis Octava primæ Claſſis nuncupatur a Rubriciſtis.

VI. Gav. eodem n. 2. -- *In tertio Gradu Octava Corporis &c.*) Recenſet Gavantus in tertio gradu Octavam SS. Corporis Chriſti, quæ duplicia tantum infra eam occurrentia non autem tranſlata, admittit, niſi ſint altioris ordinis, hoc eſt ſolemniora, utpote primæ, aut ſecundæ Claſſis, & in die Octava excludit duplicia ſecundæ Claſſis occurrentia, admittit enim tantum duplicia primæ Claſſis, quæ occurrunt. Vide Decr. S. R. C. 30. Maji 1669. quod datur in noſtro Indice *n.* 198. in quo declaratur duplicia ſecundæ Claſſis in Feſto SS. Corporis Chriſti occurrentia transferri poſſe infra talem Octavam.

Quod hucuſque diximus circa Feſta ſecundæ Claſſis etiam tranſlata, nimirum quod poſſint eorum Officia celebrari infra Octavam Corporis Chriſti, eſt conſonum doctrinæ Biſſi, quæ legitur in T. 1. *Verbo Feſtum Corp. Chriſti lit. F. n. 66.* §. 1. huic ſententiæ non refragatur Decr. datum in noſtro Indice *ſub n.* 110. quia ibi S. R. C. conſulta fuit non de Feſto ſecundæ Claſſis, ſed de Duplici Minori.

In ſupradictis autem Feſtis etiamſi primæ Claſſis, ſemper facienda eſt commemoratio dictæ Octavæ Corporis Chriſti, tam in Officio, quam in Miſſa. Poterat olim infra Octavam Corporis Chriſti non modo fieri commemoratio de occurrente Feſto ſimplici, ſed etiam legi de eo nona Lectio propria, & fieri ex duabus una, ſi duas ejuſmodi habuiſſet. At vero ex Rubrica præfixa huic Feſto, ac ex Decretis S. R. C. quæ mox innuemus, infra Octavam Corporis Chriſti, adhuc quidem fieri poteſt, & debet commemoratio Feſti ſimplicis, non tamen infra illam poteſt amplius dici ejuſdem Feſti nona Lectio, niſi in caſu, quo fit Officium duplex de alio Sancto, dummodo hujus Feſtum non ſit duplex primæ Claſſis, hoc enim aliunde omnem Feſti ſimplicis, & commemorationem, & Lectionem excludit. Non autem eſſe legendam de ſimplici nonam Lectionem, niſi in dicto caſu Feſti duplicis S. R. C. decrevit 12. Septembris 1671. & 21. Januarii 1679. ut videre eſt in Decreto dato in noſtro Indice *n.* 95. & in alio *n.* 182. 10. Januarii 1693. Id etiam apparet ex altero Decreto n. 235. edito 4. Aprilis 1705. ex quibus Decretis liquet nonam Lectionem de Feſto ſimplici eſſe legendam infra prædictam Octavam, quando celebratur Officium de aliquo Sancto ſub Ritu duplici. Vide etiam Biſſum *tom. 1. verb. Lectiones in Officio ſub n.* 45.

VII. Halden *part. 3. tit. 4. n. 3.* proponit hanc quæſtionem, an ob paritatem, vel etiam identitatem rationis, ſimiliter dicenda ſit nona Lectio de Feſto ſimplici (ſi propriam unam, vel duplicem habeat) infra prædictam Octavam Corporis Chriſti, occurrente tunc quando Officium infra eamdem Octavam fit de die infra Octavam SS. Trinitatis in eo loco, ubi SS. Trinitatis eſt Titulus Templi, adeoque celebratur cum octava? quæ Octava (ait Halden) cum juxta Octavarium Romanum ſit dignior, quam Octava Corporis Chriſti, ideo Feria ſexta, & Sabbato poſt Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Officium, & Miſſa non dicuntur de Octava Corporis Chriſti, ſed de Octava SS. Trinitatis, cum hujus Præfatione in Miſſa, cum Commemoratione tamen Octavæ Corporis Chriſti in Officio, & in Miſſa. Hæc Halden, ſubnectens a ſe propoſitum fuiſſe, & aliquatenus diſcuſſum hoc dubium *par.* 2. occaſione Feſti Sancti Paulini, ſed revera agitat hoc dubium dicta quidem *part.* 2. ſed occaſione Vigiliæ Sancti Joannis Baptiſtæ *n.* 23. ubi ſupponit, & aſſerit eſſe communem omnium ſententiam, quod Octava Corporis Chriſti in prædicto caſu, tam quoad Officium, quam quoad Miſſam cedat Octavæ SS. Trinitatis tamquam digniori; qua ſuppoſita ſententia, alia ibi proponit dubia, & reſolutiones, quæ attento Decreto S. R. C. infra allegando, omnino corruunt. Idem Halden ſuſtinet prædictam ſuam ſententiam *part. 1. tit.* 31.

Ex parte autem Magiſtrorum Cæremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Bracharenſis quæſitum fuit a S. R. C. *An diebus ſexta, & ſeptima Octavæ SS. Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, cum de ea fiat Officium, quia eſt dignior Octava Corporis Chriſti, debeat etiam dici nona Lectio de Simplici illis diebus occurrente, an omitti ratione Octavæ Corporis Chriſti?* Et S. R. C. ad hoc dubium reſpondit: *Diebus ſexta, & ſeptima infra Octavam Feſti SS. Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum eſſe Officium de die ſecunda, & tertia infra Octavam Corporis Chriſti, cum commemoratione Sanctiſſimæ Trinitatis.* Ita die 8. Junii 1709. *in una Bracharen. ad ſecundum dubium;* & datur in noſtro Indice *n.* 248. Hæc S. R. C. ponderatiſſima reſolutio dirimit omnes illas quæſtiones, quas Halden cit. locis proponit, nec potuit bene reſolvere, cum ignotum ei fuerit hoc Decretum, & quia ædificavit ſemper innixus falſo fundamento, ſupponens nimirum cum omnibus Rubriciſtis, vi Rubricæ extantis in Octavario Romano præfixæ diei ſexto, & ſeptimo Octavæ SS. Trinitatis, ex iis, quæ tradit Gavantus infra eadem *ſect. 6. cap. 19. n. 3.* Octavam SS. Trinitatis digniorem eſſe Octava Corporis Chriſti, & in prædictis diebus Feria VI. & Sabbato ſubſequentibus ad Feſtum Corporis Chriſti, & qui ſunt ſexta, & ſeptima dies infra Octavam Trinitatis, agendum eſſe Officium de die infra Octavam ejuſdem SS. Trinitatis in Eccleſiis, quarum Titulus eſt, cum ſola commemoratione de die infra Octavam SS. Corporis Chriſti; quando juxta ſupradictam reſolutionem ponderatiſſime editam a S. R. C. oppoſitum omnino eſt tenendum, nimirum in tali concurſu Octavam SS. Corporis Chriſti eſſe digniorem, & non cedere Octavæ SS. Trinitatis, & ideo in prædictis duobus diebus dicendum eſſe Officium de Octava Corporis Chriſti cum commemoratione Octavæ SS. Trinitatis ab iis, qui illam celebrant.

Non

Non me latet in prædicta communi falſa ſententia verſari etiam Joannem Baptiſtam Pittouum *in deciſ. ad Sacros Ritus n.* 868. quinimo etiam doctiſſimum Guvetum *lib. 4. c. 6. qu. 5.* qui quamvis forſan plus æquo diligens ſit in examinandis Gavanti placitis, & valde propenſus in refellendis ejuſdem doctrinis, nihilominus in hac controverſia eidem, nullam movens difficultatem ſubſcribit, hac ratione motus, quod cum SS. Trinitatis myſterium primum ſit, ac digniſſimum omnium, ejus Octava, ait ipſe, in Eccleſiis, quarum Titulus eſt, præfertur Octavæ SS. Sacramenti. Non conſideravit hic Auctor ſapientiſſimus, quod in præferendis Octavis non debet conſiderari tantum major ſublimitas myſterii, cujus Octava celebratur, ſed alia privilegia, & ſolemnitates, quas infra examinabimus; & equidem ſi ſola major ſublimitas, & dignitas myſterii ſufficeret ad talem Octavarum prælationem, Octava SS. Trinitatis non ſolum eſſet dignior Octava Corporis Chriſti, ſed etiam Octava Paſchatis, & Octava Pentecoſtes, nam myſterium SS. Trinitatis profecto eſt dignius, & ſublimius myſterio Reſurrectionis Chriſti Domini, & myſterio miſſionis, ac deſcenſus Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, & nihilominus certiſſimum eſt Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes digniores eſſe, & in ſuperiori gradu ab Octava SS. Trinitatis. Veriſſimum eſt, quod Gavantus in ſuo Octavario digeſſit Lectiones pro hujuſmodi Octava Trinitatis præ Octava Corporis Chriſti, ſed ſtante ſupradicta reſolutione, & reſponſione S. R. C. modo expungendæ viderentur præd. Lectiones ab Octav. Romano, nempe pro diebus ſexta, & ſeptima infra Octavam SS. Trinitatis, & mutanda Rubrica ibi præfixa, quia de hac Octava non debet fieri, niſi commemoratio in dictis diebus, & Officium recitari de Octava Corporis Chriſti.

Dixi ponderatiſſimam fuiſſe reſolutionem mox allegatam S. R. C. quia revera, conſideratis etiam Gavanti fundamentis, oſtenditur hæc veritas, nimirum Octavam Sanctiſſ. Corporis Chriſti eſſe digniorem, adeoque præferendam Octavæ SS. Trinitatis, nam ſupra num. 6. ait idem Gavantus, quod dignitas Octavarum attendi debet penes Claſſes Feſtorum; primæ enim Claſſis Octava dignior eſt quacumque Octava ſecundæ Claſſis etiamſi perſonæ dignioris; ſic Octava primæ Claſſis alicujus Sancti Titularis Eccleſiæ erit profecto dignior quacumque octava ſecundæ Claſſis, etiam B. V. quamvis hæc ſit perſona magis digna quocumque alio Sancto. In Eadem vero Claſſe ſi ſint duæ Octavæ, debent attendi perſonæ, ut dignoſcatur quænam ſit dignior, ait Gavantus, hoc ordine: Chriſtus, B. V. Angeli, Apoſtoli, &c. itaut Octava primæ Claſſis Chriſti Domini cenſenda ſit dignior Octava primæ Claſſis B. V. & ſic Octava primæ Claſſis B. V. ſit dignior Octava primæ Claſſis Angelorum, &c. Progreditur Gavantus dicendo, quod, cæteris paribus, dignior eſt ea Octava, quæ eſt univerſalior, ideſt, quæ latius extenditur, quod etiam notat Guyetus *lib. 4. c. 6. qu. 6.* quo poſito (quod tamen indiget diligenti diſcuſſione) concludi deberet, quod in prædicto caſu Octava SS. Corporis Chriſti, quam celebrat univerſalis Eccleſia, dignior eſt reputanda, quam Octava SS. Trinitatis, quam celebrat particularis Eccleſia; ambæ enim hujuſmodi Octavæ ſunt primæ Claſſis, ambæ ſunt in primo ordine, cum Feſtum SS. Trinitatis, & Feſta Chriſti Domini reputentur in eodem ordine ratione dignitatis divinarum Perſonarum, quapropter ſi verum eſt, quod in tali concurſu Octavarum ejuſdem Ordinis, & Claſſis, dignior ea ſit, quam celebrat univerſalis Eccleſia, proculdubio attenta hac declaratione, dignior cenſenda erit Octava Corp. Chriſti, quam Octava SS. Trinitatis.

Præterea idem Gavantus ſupra *num.* 2. dividit Octavas in quatuor genera, ſive ad quatuor gradus revocat earumdem differentiam; in primo gradu, ut etiam ſupra innuimus, collocat Octavas Paſchatis & Pentecoſtes, quæ ſunt ſupra omnes alias privilegiatæ. In ſecundo gradu collocat Octavam Epiphaniæ ob Privilegia ibi recenſita. In tertio gradu collocat Octavam Corporis Chriſti, ob Privilegia, quibus decoratur, nimiram, quia admittit tantum Feſta duplicia, non tamen translata, niſi ſint primæ, ſecundæ Claſſis, juxta Decret. S. R. C. die 30. Maji 1699. datum in noſtro Indice n. 598. In quarto gradu collocat Octavas reliquas, inter quas profecto recenſeri debet Oct. Tit. SS. Trinitatis hæc enim non excludit Feſta ſemiduplicia, nec duplicia translata; non excludit Miſſas votivas, & de *Requiem*; quæ tamen omnia excludit Octava Corporis Chriſti, ob quam etiam rationem ex eodemmet Gavanto deducitur Octavam Corporis Chriſti eſſe digniorem Octava Sanctiſſ. Trinitatis, ipſe enim ſupra num. 5. appellat, cum Radulpho Tungrenſi, Octavam Prorogationem Feſti. Ex quo ſequitur (ait idem Gavantus) quod eo nobilior eſt Octava, quo minus intertupta eſt a Feſtis aliorum; quapropter ſi Octava Corporis Chriſti excludit ſemiduplicia occurrentia, & duplicia translata, non tamen primæ & ſecundæ Claſſis, eſt minus interrupta a Feſtis aliorum, quam Octava SS. Trinitatis, unde iterum dico etiam ex hoc capite, ad tradita per Gavantum ſequitur primam ex dictis Octavis eſſe nobiliorem ſecunda. Denique ex his, quæ docet ipſe Gavantus ſupra num. 4. deducitur aliud argumentum ejuſdem noſtri aſſumpti. Dicit enim ibi noſter Auctor: *Adhuc accidit alia differentia inter Octavas trium graduum poſteriorum, quod occurrente Feſto in illarum admiſſo, ſemper tamen de Octava Epiphania, Corporis Chriſti, & Nativitatis ejuſdem ſit Commemoratio ob earumdem dignitatem.* Igitur juxta Gavantum, & omnes alios Rubriciſtas, quamvis in Feſtis primæ aut ſecundæ Claſſis occurrentibus infra Oct. quarti gradus, nempe non Privilegiatas (excepta tamen Octava Nativitatis Domini) nulla fiat Commemoratio, neque in Officio, neque in Miſſa de Octava, infra quam occurrunt prædicta Feſta, nihilominus de Octava Corporis Chriſti, ſicut etiam de Octava Epiphaniæ, & Nativitatis Domini ob earumdem dignitatem, neceſſe eſt facere Commemorationem in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa, in quocumque duplici quantumvis ſolemni, & primæ Claſſis infraeas occurrente, unde ſequitur, quod ſi in Feria VI. poſt Feſtum Corporis Chriſti occurrat Feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, a celebrantibus Octavam Trinitatis debet quidem omitti Commemoratio hujus Octavæ, non vero Commemoratio Octavæ Corp. Chriſti, quo poſito nonne evidenter conſtat etiam apud ipſos nobiliorem eſſe, & digniorem Octavam SS. Corp. Chriſti, quam Octavam ſui Titularis, nempe Ss. Trinitatis?

Ex quibus omnibus concludendum eſt ponderatiſſime, ut dixi, S. R. C. ad propoſitum dubium negaſſe, ut ita loquar, ſuppoſitum, nempe nihil reſpondiſſe quoad nonam Lectionem de Feſto ſimplici, ſed declaraſſe, quod in concurſu talium Octavarum SS. Corporis Chriſti, & SS. Trinitatis, hæc ſecunda debet cedere illi primæ, utpote magis ſolemni, & majoribus privilegiis decoratæ, & idcirco Feria VI. & Sabbato ſubſequentibus immediate Feſto Corporis Chriſti, etiam illi, qui celebrant Octavam SS. Trinitatis debeant recitare Officium, & conſequenter dicere Miſſam de Octava Corporis Chriſti cum ſola Commemoratione Octavæ SS. Trinitatis, & idcirco nona Lectio de ſimplici forte occurrente in prædictis diebus eſt omittenda.

VIII. Gav. eodem num. 2. -- *In quarto gradu Octavæ reliqua Nativitatis Domini, Aſcenſionis, & aliorum Sanctorum, &c.*) In quarto gradu Octavarum recenſet Gavantus Octavas non privilegiatas, infra quas ſit non tantum de Feſto duplici, & ſemiduplici quocumque tunc occurrente, ſed etiam de duplici quocumque translato; in hujuſmodi tamen Feſtis ſit commemoratio dictæ Octavæ, niſi Feſtum illud occurrens ſit primæ, aut ſecundæ Claſſis, tunc enim nec in Officio, nec in Miſſa ſit commemoratio de die infra Octavam hujuſmodi quarti gradus, ſeu non privilegiatam. Excipitur tamen Octava Nativitatis Domini, nam de hac ſemper ſit, ut innuimus ſupra in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa commemoratio, uti habetur *in Rubrica nona de Commemorationibus.*

IX. Gav. n. 3. -- *Verum Rubrica ſatis verificatur in duobus caſibus, &c.*) Diximus, quod Octavæ quarti gradus admittunt Feſta quæcumque, non modo occurrentia, ſed etiam translata, & iſta non tantum ſi ſint duplicia, ſed etiam ſi ſint ſemiduplicia, cum hoc tamen diſcrimine, ut de duplicibus tam ante, quam infra Octavam translatis fieri poſſit Officium quacumque die infra hujuſmodi Octavas, Feſto alio novem Lectionem, aut Dominica occurrente, non impedita, at vero ſemiduplicia translata in duobus tantum caſibus a Gavanto ſignatis poſſunt celebrari in prædictis Octavis non privilegiatis, nempe primo, quando ſemiduplex occurrit in Dominica, ſecundo, quando in Feſto Aſcenſionis Domini, tunc enim transfertur ſemiduplex in diem proxime ſequentem, ſi non fuerit Feſto alio duplici, vel ſemiduplici impedita, nam ſi talis feria ſecunda fuerit prædicto modo impedita, tunc Feſtum ſemiduplex veniens in Dominica infra Octavam, debet transferri poſt Octavam, itaut tale Feſtum (ſunt verba Rubricæ X. generalis de Translatione Feſtorum n. 5.) *infra Octavam non transferatur, niſi in proxime ſequentem diem.* Prædictam Rubricam de Feſto ſemiduplici occurrente in Dominica interpretatus eſt Gavantus, & extendit ob identitatem rationis etiam ad Feſtum ſemiduplex occurrens in Feſto Aſcenſionis, & in quocumque alio Feſto habente Octavam, de quo aſſerit, quod fiat in proxima die immediata infra Octavam, & quia hæc Gavanti interpretatio communiter admittitur a Rubriciſtis, ideo ſuo placito, & tali extenſioni me ſubſcribo.

An vero idem quoque ſit intelligendum de Feſto Semiduplici alia die infra hujuſmodi Octavas, Feſto alio duplici, aut ſemiduplici impedito occurrente, itaut de eo fieri debeat Officium die proxima infra Octavam, alio Feſto novem Lectionum non impedita (uti ſit quando cadit in Dominica infra Octavam) vel utrum ſit transferendum tunc poſt Octavam, controvertunt Doctores, non eſſe transferendum in tali caſu Feſtum ſemiduplex in diem proximam infra Octavam Feſto novem Lectionum non impeditam, ſed omnino poſt Octavam cenſet Pater Gobat, *tract. 5. num. 658. in appendic. lit. R.* ſuamque ſententiam ex principiis utriuſque juris, & ipſis etiam Rubricis, ac præcipuo Rubricarum interprete Gavanto noſtro petitis, ſtabilire conatur. Et equidem ſpectando rationem, ut ait Halden *part. 3. tit. 4. num.* 3. & finem Rubricæ de non transferendo, ultra unum diem, Feſto ſemiduplici in Dominica infra Octavam occurrente, ſed eo tunc transferendo poſt Octavam, ne alioquin, ut notat idem Gavantus *hac ſection. cap.* 10. *n.* 4. *imperturbetur Octava, & numerus dierum nimis minuatur*; Gobati ſententia admo-

admodum fundata apparet; nihilominus alii ampleſtuntur contrariam opinionem, ſuſtinendo, quod feſtum ſemiduplex occurrens etiam extra Dominicam, in feſto v. gr. Duplici infra Octavam non privilegiatam, non ſit transferendum poſt illam, quando dies immediate ſequens alio feſto Duplici, vel Semiduplici impedita non fuerit, ſed tunc perinde ſit faciendum de eo Officium die immediate ſequenti, ac quando incidit in Dominicam. Hanc ſententiam tradit, & ſequitur Lohner *Inſtruct. pract. II. part. 3. tit. 3. n. 2.* Henricus Piſart in ſuo *Directorio Canonico tit. 10, n. 7.* aſſerens in favorem ſuæ ſententiæ Decretum a S. R. C. editum 30. Septembr. 1679. & datum in noſtro Indice n. 104. in quo hæc habentur: *Feſtum Semiduplex incidens in feſto Duplici infra Octavam non privilegiatam, transferendum eſt in diem immediate ſequentem feſto novem Lectionum non impeditam, ut fit de Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam non privilegiatam,*

Huic Decreto, ſicut etiam alteri eodem anno emanato, & dato in noſtro Indice ſub n. 105. derogatum profecto fuit per Decretum generale editum die 22. Decembris 1696. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 191. Verum quia ad dubium propoſitum ex parte Eccleſiæ Brugenſis de Feſto Semiduplici incidente in feſtum habens Octavam, vel in Dominicam infra Octavam, an die immediata ſequenti debeat de ipſo Semiduplici celebrari Officium, etiamſi remaneat aliud Officium Duplex reponendum v. gr. anno 1736. Feſtum Aſcenſionis incidit in die 10. Maji, ſeu in Feſto Sancti Antonini, & remanebat celebrandum Feſtum Duplex Sancti Petri Martyris, hinc quærebatur, an die 11. Maji celebrari deberet Feſtum Semiduplex Sancti Antonini juxta Rubricam de Translatione Feſtorum n. 5. transferendo ulterius Feſtum Sancti Petri Martyris, quia, inquam, præfatum dubium reſolutum fuit deciſione affirmativa, & deinde ab eadem Sac. Congreg. juſſum fuit, quod dentur Decreta emanata ſub diebus 30. Septembris 1679. hinc videntur per hanc reſolutionem datam a Sac. Rit. Congregat. die 23. Junii 1736. *in Burgen.* & poſitam in noſtro Indice per extenſum *ſub n.* 316. videntur, inquam, iterum confirmatæ diſpoſitiones prædictorum Decretorum emanatorum die 30. Septembris 1679. in quibus ſtatutum erat, quod Feſtum Semiduplex incidens in Feſto duplici infra Octavam non privilegiatam, transferendum eſt in diem immediate ſequentem Feſto Duplici, vel Semiduplici non impeditam. Et quod de Feſto translato faciendum eſt Officium die immediate ſequenti, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis Feſtum prius translatum, quam tamen confirmationem, & renovationem prædictorum Decretorum, nonnulli in dubium revocant. Certiorem habent confirmationem Decreti emanati 16. Septembris 1702. & dati in noſtro Indice *ſub n.* 226. de Feſto Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam aliquam non privilegiatam, de quo pariter Decreto facta fuit mentio in dicta *Brugen.* Rurſus certior quoque videtur reſolutio de Semiduplici incidente in Feſtum habens Octavam; nimirum quod debeat de eo celebrari Officium die immediate ſequenti eo modo, quo fit de Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam talis Feſti, quia Sac. Rit. Congreg. in eadem *Burgen.* affirmative reſpondit, quoad utramque partem dubii propoſiti, & deinde additum fuit, dentur Decreta ſub diebus 30. Septemb. 1679. & 16. Septembris 1702.

Concludendum itaque eſt certiſſimum eſſe, quod Feſtum Semiduplex ſive occurrat in Dominica infra Octavam non privilegiatam, ſive in Feſto Duplici habente Octavam; (& ſolum probabile, ſi occurrat in duplici infra Octavam) celebrandum eſt die immediate ſequenti, Feſto novem Lectionum non impedita, etiamſi reponendum foret Officium majoris Ritus, ſive æqualis, ſed prius in Kalendario.

Advertendum eſt, quod quamvis Octava Corporis Chriſti admittat Feſta Duplicia non translata (imo etiam translata, dummodo ſint primæ, vel ſecundæ Claſſis) nihilominus, ſi prima die hujus Feſtivitatis occurrat Feſtum Duplex, quod non ſit primæ, aut ſecundæ Claſſis, non poteſt de eo fieri Officium die immediate ſequenti, ſed transferri debet poſt Octavam, ſicut diſponit Decretum S. R. C. 7. Decemb. 1680. quod Decr. datur in noſtro Indice *ſub n.* 110. Vide etiam aliud *ſub num.* 198.

Cæterum quoad Semiduplicia translata, quæ non poſſunt celebrari infra Octavam, videantur ea, quæ tradit Gavantus ſupra *cap.* 8. *n.* 3. & infra *cap.* 10. *n.* 4.

X. Gavant. num. 6. *Undenam major Octavæ dignitas attendi debet &c.*) Dignior Octava profecto dicenda eſt illa, quæ eſt Octava Feſti dignioris: major autem dignitas Feſti, & conſequenter etiam Octavæ, non eſt ex eo deſumenda (uti in Adnotationibus ad Octavarium Romanum, & hoc loco monet Gavantus, atque ex eo Arnaud.) quod Sanctus ille in Eccleſia, ubi celebratur Octava, videatur potiorem habere locum; ſed attendenda eſt dignitas, ut innuimus ſupra, penes Claſſes Feſtorum, & Octavarum occurrentium; nam prima Claſſis eſt dignior ſecunda; in pari autem Claſſe attendendus eſt Ordo perſonarum, earumque dignitas, prout ſupra declaravimus; & in pari Ordine perſonarum, & dignitata, conſiderandi ſunt ordines diverſi, ſeu Ritus ſolemniores ab Eccleſia præſcripti, quibus diverſimode celebrantur Octavæ, de quibus ſatis ſupra locuti ſumus. Inſuper Titulos, ex quibus deſumi queat major Feſti unius (& conſequenter etiam Octavæ) præ altero ſolemnitas, vide apud P. Gobat *tract. 5. n. 658. tit. V. & X.* nec non apud Guyetum *lib. 4. c. 6. quæſt. 6,* & alibi prout notat Halden *part. 3. tit. 4.* cum quo ſentit, & monet, id quod tradit Gavantus ſupra de deſumenda dignitate Feſtorum ex ordine, ſive ſerie, qua Sancti collocantur in Litaniis, non eſſe integre verum, S. C. R. declaraverit die 18. Sept. 1666, ut patet in noſtro Indice num. 92. nullam adeſſe diſparitatem inter translationem Feſtorum Apoſtolorum, ac illam Evangeliſtarum, ſed occaſione dictæ tranſlationis faciendum Officium, quod prius in Kalendario proponitur. Et inhærendo huic reſolutioni eadem S. R. C. declaravit die 17. Junii 1700. prout datur in noſtro Indice n. 237. quod ſi Feſtum S. Marci Evangeliſtæ occurrat in Feria ſecunda poſt Dominicam Reſurrectionis; & ſimiliter Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi in Dominica in Albis, ac propterea juxta Rubricas utrumque ſit transferendum, prius transferri, & reponi debeat Officium S. Marci. En igitur, quod quamvis Divus Marcus in Litaniis poſteriorem locum habeat, Sancti vero Apoſtoli priorem; nihilominus Apoſtoli, & Evangeliſtæ ſunt in eadem Claſſe dignitatis Perſonarum; rurſus quoniam Feſtum utrumque ex dictis SS. eſt ſecundæ Claſſis, hinc ſtatuitur, quod Feſtum Sancti Marci ſi transferri debeat, non cedit locum ſuum Feſto Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi. Quando itaque præſcribitur, quod ſi transferenda fuerint duo Feſta ejuſdem Ritus, quæ eodem die occurrunt, prius celebretur de digniori, juxta ordinem Litaniarum; hoc juſtum, & congruum eſt, quando in reliquis ſint omnino paria, nam in tali caſu omnimodæ paritatis, proculdubio præferendum eſt Feſtum de digniori, juxta ordinem Litaniarum, ſed in noſtro caſu omnia non ſunt omnino paria, quia juxta regulam juris: prior in tempore eſt potior in jure: prior autem in tempore, & in Kalendario Eccleſiaſtico eſt D. Marcus, & ideo debet præcedere in tranſlatione Feſtum dictorum Apoſtolorum.

XI. Gav. eodem num. 6. -- *Dignior eſt octava, quam celebrat Univerſalis Eccleſia &c.*) In eadem ſententia verſatur Guyetus loco ſupra cit. quæſt. 6. nimirum, quod inter pares omnino octavas, ea quæ eſt univerſalior, præferenda eſt particulari, ſed cum idem Guyetus doceat, quod octava, utpote quid acceſſorium ſequitur naturam Feſti tamquam ſui principalis; & cum adſit Decretum S. R. C. 12. Julii 1704. datum in noſtro Indice n. 227. ubi allegatur aliud ſimile, necnon duo alia ab iis non diſcordantia, in quorum primo præſcribitur; præferenda eſſe Feſta particularia Feſtis univerſalibus, hinc ſequi videretur, Octavas horum Feſtorum particularium præferendas eſſe Octavis Feſtor. univerſalium. His tamen non obſtantibus, nos quoque cum Gavanto & Guyeto aſſerimus, Octavas univerſales, cæteris paribus, præferendas eſſe octavis particularibus, ex eo quod iſtæ conceſſæ ſunt aliquibus Feſtis univerſalibus de præcepto Eccleſiæ ſervandis Ritu duplici primæ, vel ſecundæ Claſſis gaudentibus, & ut plurimum Vigilia eum Officio, & jejunio inſignitis. Et quidem S. R. C. die 21. Auguſti 1688. ſtatuit octavam S. Joannis Baptiſtæ præferendam eſſe octavæ Dedicationis Eccleſiæ, quod Decretum datur in noſtro Indice n. 156. ſupra vero allegata Decreta nihil officiunt huic ſententiæ, quia non intelliguntur de Feſtis univerſalibus, ex Præcepto Eccleſiæ quoad forum ſervandis. Immo etiam Feſta particularia ſi quæ ſint de præcepto ſervanda in aliqua Diœceſi, cæteris paribus, præferri debent Feſtis ejuſdem Ritus. Et revera Lateranenſis, Vaticana, & Liberiana Urbis Baſilicæ, poſtquam multos annos celebrarunt die 26. Maji Feſtum S. Eleutherii P.P. ſub Ritu duplici; accedente Feſto Sancti Philippi Nerii ejuſdem Ritus in Urbe de præcepto quoad forum ſervando celebrant alia die Feſtum ſancti Eleutherii.

XII. Gav. num. 7. -- *Dubitari poteſt de octava Dedicationis, an ſit major &c.*) Reſolvit Gavant. hoc loco, quod Octava Dedicationis Eccleſiæ ſit dignior alia octava, etiam Patroni loci, vel Titularis Eccleſiæ, ſed Guyetus loco ſuprac. varia adducit argumenta in favorem contrariæ, concludit tamen quod hujus opinionis neque eſt aſſertor, neque impugnator, ſed media via incedendo, exiſtimat in hac re ſervandam eſſe conſuetudinem Eccleſiarum, ut quæ primas dant Dedicationi, quæ vero Patrono loci, in ſua quæque ſtare agendi ratione, & nihil innovare permittantur. Ego tamen inhærendo vero ſenſui Rubricæ, rationi, & æquitati, cenſerem, quod ſi Patronus vel Titularis Eccleſiæ fuerit B. M. V. & juxta Decr. S. R. C. 21. Auguſti 1688. & datum in noſtro Indice num. 156. S. Joannes Baptiſta, vel SS. Apoſtoli Petrus & Paulus, debet fieri de Titulari cum commemoratione Dedicationis; in reliquis præferenda eſt octava Dedicationis.

XIII. Gav. eodem num. 7. -- *Dignior erit Octava Aſſumptionis B. M. V. quam Octava Dedicationis &c.*) Poſtquam dixerat Gavantus majus eſſe Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, quam ullius Sancti, quia in illo recoluntur beneficia toti Eccleſiæ collata, quæ haud dubie ſuperant beneficia cuivis Sancto donata, quæ in ejus Feſto commemorantur; procedit ulterius dicendo, digniorem eſſe octavam Aſſumptionis Beatæ Virginis, quam octava Dedicationis, quia majora beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quam con-

contulerit toti militanti Eccleſiæ; ex quo colligit Guyetus *lib. 4. cap. 6. quæſt. 5.* nullam pariter octavam etiam Dedicationis eſſe præferendam octavæ omnium Sanctorum, quia Sancti omnes ſimul ſumpti, & præſtant ſingulis ſeorſim, & ſunt ipſimet tota Eccleſia non jam militans, ſed Triumphans. Addit ulterius hoc argumentum ad confirmandam hanc ſententiam, nimirum: illius Feſti octavam cuique alteri præferendam eſſe, cujus feſtum alteri cuicumque Feſto præfertur: cum autem Feſtum omnium Sanctorum præferatur Feſto cujuslibet Patroni, & Dedicationis; hinc ſequitur etiam ejus octavam præferri debere, nam acceſſorium ſequitur naturam principalis. Præterea in prædicto Feſto omnium Sanctorum præcipuum locum obtinet ipſamet Beata Dei Genitrix Maria, ut patet ex Martyrologio Romano, in quo annuntiatur hoc Feſtum his verbis: *Feſtivitas omnium Sanctorum, quam in honorem Beatæ Dei Genitricis Mariæ & Sanctorum Martyrum Bonifacius IV. dedicato Templo Pantheon, celebrem, & generalem inſtituit agi quotannis in Urbe Roma &c.* Et revera tale Templum ſub hoc titulo eſt, *S. Mariæ ad Martyres*. Unde ob eamdem rationem, qua Aſſumptio B. M. præfertur Feſto Dedicationis, huic debet præferri etiam Feſtum omnium Sanctorum. Denique conſtat etiam hæc veritas ex Decretis S. R. C. in qua propoſito dubio: An reliquis diebus octavæ omnium Sanctorum, præferri debeat octava Dedicationis Eccleſiæ in illis occurrens? die 5. Martii 1695. reſpondit: octavam omnium Sanctorum tamquam digniorem præferendam eſſe octavæ Dedicationis Eccleſiæ, quod Decretum datur in noſtro Indice num. 187. Præſtat hoc loco exhibere præſentem Tabellam.

TABELLA COMPARATIONIS inter plures Octavas ſimul occurrentes, ut ſciatur quæ ſit dignior, & alteri præferenda,

*Ad tramites Rubricarum Breviarii Romani, & Decretorum S. R. C.*

| | Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis. | Feſtorum propriorum ſecundæ Claſſis. | Feſtorum propriorum primæ Claſſis. | Patroni, vel Tituli Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Matricis nullius Diœceſis. | Dedicat. Eccleſ. Cathedr. vel Matric. nullius Diœceſis, in Civit. ſeu Loc. earum. | Patroni principalis Loci, Civitatis, Diœceſis, Provinciæ, ſeu Regni. | Patroni, vel Tituli Eccleſiæ. | Dedicationis propriæ Eccleſiæ. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Nativitatis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes. | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 |
| Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corp. Chriſti, Aſſump. B. M. & Omnium Sanctorum | 0 | 1 | 1 | 1 | 1 | 1 | 1 | 1 |
| Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. | 0 | 1 | 5 | 5 | 1 | 5 | 5 | 1 |
| Dedicationis propriæ Eccleſiæ, | 2 | 1 | 5 | 5 | [illegible] | 6 | 5 | 0 |
| Patroni, vel Tituli Eccleſiæ, | 2 | 1 | 3 | [illegible] | 4 | 3 | 0 | 4 |
| Fundatoris, vel Patroni Congregationis, ſeu Inſtituti Sæcularis, | 2 | [illegible] | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 4 |
| Fundatoris, vel Patroni Inſtituti, ſeu Congregationum Regularium. | 2 | 1 | 3 | 0 | 0 | 0 | 3 | 4 |
| Patroni Principalis Regni, Provinciæ, Diœceſis, Civitatis, ſeu Loci, | 2 | 1 | 3 | 3 | 4 | [illegible] | 3 | 4 |
| Feſtorum propriorum primæ Claſſis, | [illegible] | 1 | 3 | 3 | 4 | 3 | 3 | 4 |
| Conceptionis, & Nativitatis B. V. Mariæ, | 0 | 6 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 |
| S. Laurentii Martyris, | 0 | 6 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 |
| Feſtorum propriorum ſecundæ Claſſis, | 2 | 3 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 |
| Diei infra quamcumque Octavam. | 2 | 0 | 0 | 0 | 6 | 0 | 0 | 0 |

1. Prima dignior.
2. Secunda dignior.
3. Præferenda quæ eſt Perſonæ ordinis dignioris, & ſi Perſonæ ſint æquales, præferenda eſt antiquior, aut ſolemnior.
4. Secunda dignior, niſi prima fuerit B. M. V.
5. Prima dignior, niſi ſecunda fuerit B. M. V.
6. Præferenda quæ eſt Perſonæ ordinis dignioris, & ſi Perſonæ ſint æquales, præferenda cujus Feſtivitas Solemnius eſt celebrata.

Notandum, quod ſi S. Jo. Evangeliſta, vel SS. Innocentes fuerint Patroni, ſeu Titulares Eccleſiæ, eorum reſpectiva Commemoratio infra Octavam facienda eſt immediate poſt Commemorationem Nativitatis Domini.

XIV. Gavant. n. 8. -- *Sicut a Quadrageſima &c.*) In poſtrema recognitione Breviar. excluduntur octavæ a die decima ſeptima Decembr. uſque ad Epiphaniam, ſicut etiam per totam Quadrag. nihiloſominus Clemens PP. X. anno 1672. die 31. Decembr. extendit privilegium, a Clemente IX. ſub die 20. Martii 1668. & 16. Febr. 1669. conceſſum Monialibus Conceptionis B. V. M. Immaculatæ in Campo Martio de Urbe, celebrandi in earum Eccleſia Feſtum S. Benedicti, & S. Scholaſt. cum octava, extendit, inquam, ad totam Congr. Caſſinenſem, nempe tam ad Monachos, quam ad Moniales eidem Congregat. ſubjectas, & S. R. C. die 17. Februarii 1672. Congregat. Hiſpaniarum Valliſoletanæ Ordinis S. Benedicti conceſſit facultatem celebrandi eadem Feſta S. Benedicti, & S. Scholaſticæ cum octava, etiam quando eorum officia celebrantur in Quadrageſima. Eadem autem S. R. C. die 24. Jan. 1682. ſtatuit, quod qui habent privilegia celebrandi octavas in Quadrageſima, non ideo debent facere commemorationem in Fer. IV. Cinerum, & datur hoc Decretum in noſtro Indice n. 123. Ulterius eadem S. R. C. declaravit, quod in prædicto Officio Feriæ IV. Cinerum, relinquendo Commemorationem Octavæ, debent d. Privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales, & ſervare omnino Rubricas d. Feriæ IV. Cinerum. Idem confirmatur in Decreto emanato die 23. Jun. 1736. in Enſilden, quod datur in noſtro Indice ſub n. 324. ubi additur, quod ſi octava S. Scholaſticæ occurrat Feria IV. Cinerum; nihil omnino fit de illa octava, quæ terminatur ad primas Veſperas ejuſdem Feriæ IV. Cinerum excluſive, & conformiter ad hoc Decr. idem fere ſtatuitur; Si octava S. Benedicti incidat in Dominicam Paſſionis, ut videre eſt in Decreto ſequenti dato *ſub. n. 325.*

XV. Gavant. n. 9. -- *In pridianis Veſperis nihil fiat &c.*) Inchoata aliqua octava & ſupervenientibus prædictis temporibus, in quibus octavæ non celebrantur, ceſſari debere a quacumque octava jam inchoata, & nondum abſoluta, declarat Gavant. hic, & cum eo Guyet. *lib. 2. c. 5. q. 4.* ſed dubitatur, quo in loco ſit ceſſandum, an ſtatim poſt Nonam, an dictis inſuper Veſperis, & Completorio? primum affert noſter Gavant. hoc n. 9. in eo ſaltem caſu, in quo dies octava incidit in die 17. Dec. aut in Feria IV. Cinerum, ſeu Vigilia Pentecoſtes: tunc enim, ait; abſurdum eſſet pridie facere primas Veſperas de eo Officio, de quo neque Matutinum, & Laudes, nec quidquam aliud eo die faciendum occurrit. Ex quo infert terminandam eſſe octavam pridie ad Nonam; adeoque in Veſperis conſequentibus agendum eſſe de Feria, id quod confirmat etiam n. 13. Eodem modo eſſe agendum non tantum in caſu propoſito diei immediate præcedentis diem oct. ſed etiam abſolute de quocumque alio die infra oct. inchoatam, aſſerit Cæremoniale Monaſticum *lib. 4. c. 5. n. 6.* Verum dicti Cæremonialis opinio refellitur a Guyeto *l. 4. c. 12. q. 6.* ex quo compertum eſt Officium cujuslibet alterius diei infra octavam non terminari ad Nonam: ſed habere inſuper (ſi nullum ſaltem ſequatur Feſtum) Veſperas & Completorium, quæ non poſſunt illi detrahi ob ſequentem Feriam, cujus Offic. inchoatur dumtaxat a Matutino. Exemplum, quod affert Gavant. n. 13. diei octavæ in Dominicam Privilegiatam incidentis, ob idque carentis primis Veſperis, & exigentis Veſperas de Feria, par omnino non eſt, in eo ſiquidem caſu vere abſurdum eſſet tribuere primas Veſperas diei octavæ, de qua poſtridie fieri debet ad ſumum tantum Commem. at in caſu propoſito, ceſſante prorſus, & quoad Officium, & quoad Commemorationem die Octava, abſurdum non eſt, imo valde congruum, Officium inchoatum diei infra octavam abſolvere, cum nihil aliunde obſtet, eo modo, quo abſolveretur Officium Feſti ſemiduplicis in tali die occurrentis. Concludendum itaque in prædicto caſu juxta citat. Decr. n. 325. Veſperas recitandas eſſe de die illo Ritu Semiduplici ad inſtar aliorum dierum infra octavam, videlicet uti in ſecundis Veſperis. De Feria VI. poſt octavam Aſcenſionis, ſuo loco ſermonem habebimus.

XVI. Gav. n. 11. *Feſtum habens octavam, ſi transferatur &c.*) Eſt clara Rubricæ diſpoſitio, quod feſtum habens octavam ſi transferatur poſt ſuam octavam, vel ſi celebretur in die ejus octavæ, tunc eo anno illud feſtum amittit octavam, niſi quoad hoc habeatur aliquod privilegium, quale habent Monachi Caſſinenſes pro octava S. Benedicti, & PP. Minimi pro octava S. Franciſci de Paula. Quid autem agendum ſit de illa octava, cujus Feſtum infra ipſam octavam transfertur, reſpondet optime Guyetus *lib. 4. cap. 12. q. 3.* & ipſi inhærens Biſſus *lit. O. n. 16. §. 10.* in tali caſu eos dies infra octavam eſſe ſupprimendos, qui tranſacti ſunt a die celebrationis Feſti principalis: quare ſi Feſtum ipſum celebratur ſecunda die infra octavam, tunc de diebus infra octavam omittenda erit ſecunda dies; itaut dies infra octavam in hoc caſu incipiat a tertia die; ſi vero feſtum principale celebratur tertia die infra ſuam octavam, tunc omittenda erunt ſecunda, & tertia dies; itaut poſt Feſtum, dies infra octavam incipiant a quarta die, & ſic de ſingulis diſcurrendum; neque de prioribus diebus fieri debet aliqua Commemoratio, quia ut bene notat Guyetus, octava nihil aliud eſt, quam continuatio feſti; ad quid ergo facere Commemorationem dierum continuationis illius Feſti, quod adhuc non eſt inchoatum?

Hic nobis oritur aliud dubium ſuper feſto SS. Annuntiationis B. M. V. quando juxta Decretum Alexandri VIII. datum in noſtro Indice *n. 160.* debet transferri ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, ut contingit in Tabula quinta, in qua habetur Litera Dominicalis A. Epacta vero 19. 20. 21. 22. 23. & in Tabula ſexta, in qua occurrit Litera Dominicalis B. Epacta vero 18. 19. 20. 21. 22. & 23. in prima enim ex dictis Tabulis die 25. Martii occurrit Sabbatum Sanctum, in ſecunda vero ex dictis Tabulis in dictam diem 25. Martii incidit Feria ſexta Paraſceves, Cum in prædictis caſibus transferatur feſtum Annuntiationis ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio feſto impeditam, itaut eadem Feria prædicto caſu eveniente perpetuis futuris temporibus pro ſede propria, & fixa memorato feſto Annuntiationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur: Et in illa eo prorſus modo, & forma præfixum feſtum quoad Offi-

cium, & Miſſam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur; oritur, inquam, dubium utrum de eodem Feſto in tali caſu debeat celebrari Octava ab illo Clero, cujus Eccleſiæ Titulus eſt Annuntiatio B. V.? Ideo enim de tali Feſto non celebratur Octava regulariter loquendo, quia occurrit in Quadrageſima, ſed in noſtro caſu hoc Feſtum celebratur tamquam in ſede propria eo tempore, quo non prohibentur Octavæ; hinc ad propoſitum dubium reſpondendum videtur, in Eccleſiis Annuntiationi dicatis, tali feſto non eſſe deneganda Octavam in prædictis caſibus, incipiendo a dicta Feria II. tamquam a die propria. Et ita ſentit etiam Fagiolus in Kalendario perpetuo Rationali *in Adnotationibus ad menſem Martii lit. L. ſub n. 2.*

Adverſatur tamen huic ſententiæ Joannes Baptiſta Pittonus *in Deciſionibus ad Sacr. Rit. n. 1029.* & putat ſe verum dicere, quia ex die fixa non venit conſequenter celebratio Octavæ in Officiis pro aliquo caſu transferendis. Ponderare tamen debuiſſet prædictus Auctor, quod in prædicto caſu Feſtum, & Officium Annuntiationis non eſt ſimpliciter translatum, ſed ſuum mutavit domicilium, itaut Feria II. poſt Dominicam in Albis tunc ſit illi aſſignata ab Alexandro VIII. tamquam dies fixa, & propria, ac ſi eſſet dies 25. Martii; cum autem tale tempus non excludat celebrationem Octavæ cujuſcumque Feſti, ſicut excludit tempus Quadrageſimale; hinc concludendum eſt, quod in Eccleſiis in quibus Annuntiatio eſt Titulus illarum, debeat abſque dubio celebrari cum ſua Octava, quod enim (etiam juxta eumdem Pittonum ibi) fieri nequit tempore prohibito, fieri poteſt tempore permiſſo; ob quam rationem idem Pithonus aſſerit, quod quando Annuntiatio juxta Tabulam primam, vel ſecundam, occurret *in Feria IV. vel V.* infra Octavam Paſchæ, celebrabitur 30. vel ultima Martii, & ſic poterit continuari Octava per unum, vel duos dies, juxta ea, quæ initio hujus noſtræ obſervationis diximus, ſed ſi hoc verum eſt quando tale Feſtum transfertur infra ejuſdem Octavam, & remanent aliqui dies, in quibus de eadem Octava celebrari poteſt Officium, quodnam erit abſurdum ſi concedatur initium ejuſdem Octavæ, quando incipit prædictum feſtum in Feria 2. poſt Dominicam in Albis tamquam in die proprio, & fixo, ut ſupra explicavimus?

Unica poteſt eſſe difficultas ſuper Lectionibus 3. Nocturni, quænam nimirum eſſent recitandæ? in Octavario enim Romano quamvis habeantur Lectiones 2. Nocturni pro quacumque Octava B. V. habentur tamen Lectiones particulares 3. Nocturni pro aliis Feſtis B. V. præterquam pro Feſto Annuntiationis; quia cum hoc regulariter celebretur tempore Quadrageſimali, in quo omnis Octava excluditur, iden pro Octava hujus Feſti nullæ reperiuntur aſſignatæ, legendæ ad 3. Nocturnum. Sed etiam huic difficultati occurritur, quia hujuſmodi Lectiones pro 3. Nocturno, nempe Homilia in Evangelium *Miſſus eſt* dici poterunt illæ, quæ habentur in Officio Almæ Domus Lauretanæ, vel Expectationis Partus ejuſdem B. M. V. vel in Feſto S. Gabrielis Archangeli cum Reſponſoriis, ut in Feſto Annuntiationis, & prædictæ Lectiones ſufficiunt, quia in Tabula V. infra dictam Octavam Annuntiationis occurrunt multæ Sanctorum Feſtivitates, in quibus non poteſt recitari Officium de Octava Annuntiationis, ſed ſolum ejuſdem fieri Commemoratio, excepto Sabbato, in quo fiet de ſexta die infra Octavam, & equidem videat Lector dictam Tabulam V. & reperiet die 4. Aprilis Feria 3. immediate ſequenti poſt Feſtum Annuntiationis occurrere Feſtum Sancti Iſidori Epiſcopi & Confeſſoris Duplex, Fer. 4. S. Vincentii Ferrerii, Dupl. Fer. 5. S. Joſephi Duplex 2. Claſſis translatum, Feria 6. S. Benedicti Duplex pariter translatum. Sabbato vero, ab iis qui celebrant prædictam Annuntiationis Octavam, recitabitur Officium de Sexta die infra eamdem Octavam hoc modo: In 1. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente: Lectiones vero ſecundi ac tertii Nocturni ſumendæ erunt, vel ex Feſto Translationis Almæ Domus Lauretanæ, vel ex Feſto Expectationis Partus B. V. aut ex Feſto S. Gabrielis Archangeli; Reſponſoria vero, & reliqua omnia dicuntur de Feſto Annunciationis, Dominica autem 2. poſt Paſcha, fit de ea, Semidupl. cum commemoratione Octavæ. Die 10. Aprilis occurret Feria 2. in qua agendum erit de die Octava Annuntiationis ſub ritu Duplici, ſed Lectiones 1. Nocturni leguntur de Script. occurr. Lectiones vero 2. & 3. Nocturni ſumendæ erunt ab una, vel altera ex Feſtis ſupradictis, quæ non ſunt lectæ. Animadvertendum, quod, ſi Lectiones ſumantur ex Feſto Translationis Almæ Domus Lauretanæ, tunc Lectio ſexta, ideſt tertia ſecundi Noct. terminabitur per verba, *fecundaretur & caro.* Incluſive. Cætera omnia ut ſupra innuimus.

In ſexta pariter Tabula habentur omnes dies impediti, ut videre eſt, & die 11. Aprilis celebrabitur de Octava Annuntiationis eo modo, quo mox diximus, transferendo Feſtum Sancti Leonis Papæ.

XVII. Gavant. n. 12. *Dies Octava quia non transfertur excludit, &c.*) Doctrina, quæ traditur hic a Gavanto, nimirum quod dies Octava, quia non poteſt transferri, excludit, & transferri facit Feſtum duplex in ea occurrens, non ſolum minus, ſed etiam majus, colligitur ex Rubrica *de Transl. Feſt. n. 2.* Hoc idem colligitur ex Decreto S. R. C. de die 22. Januarii 1707. dato in noſtro Indice n. 244. & ex alio 19. Junii 1700. ibi n. 216. vide tamen ſpecialem diſpoſitionem pro Feſto SS. Nominis B. V. M. in Decreto dato in noſtro Indice num. 155.

XVIII. Gav. n. 13. *Recitabis Veſperas cum Pſalmis Sabbati, a Capitulo de Dominica privilegiata, & in fine addes Commemorationem &c.*) Gavanti ſententiam, & S. R. C. deciſionem amplectuntur omnes, & de hac tractant Corſettus in praxi *tract. 1. part. 1. c. 24. in Addition. ſub n. 22.* Biſs. *t. 2. lit. T. verb. transl. Feſt. ſub n. 73. §. 8.* Tale Decretum habetur etiam inter Rubric. Brev. Ordin. Minor. S. Franciſci a S. R. C. approbatas *n. 49. & 97.* in quibus additur, quod in dictis Dominicis privilegiatis, occurrentibus infra Octavas, debet fieri Commemoratio Octavæ tam in primis, quam in ſecundis Veſperis, & Laudibus, & omittuntur ſuffragia Communia, necnon preces ad Primam, & Completorium.

XIX. Gav. eod. n. 13. *Neque erant ſecundæ Veſpere de die infra Octavam, quæ terminantur ad Nonam Sabbati &c.*), Non placet Guyeto hoc Gavanti aſſumptum, nimirum terminari in Nona Sabbati Officium de die infra Octavam; quia hoc modo loquendi metitur Gavantus ſingulos dies infra Octav. quaſi ſingula feſta, quod naturæ ipſius Octavæ repugnat, neque enim Octava feſtum eſt, ſed Continuatio, & prolungatio feſti, quod tamdiu perſeverat, quamdiu durat Octava, & idcirco niſi improprie, dictum eſt Officium diei infra Oct. terminatum fuiſſe ad Nonam, niſi quatenus Veſperæ fiunt de die Oct. Quod ſi contingit ut Veſperæ non ſint ejuſmodi, cur continuanda non erit in iis Octava, eo modo, quo fieri poteſt, nempe ſumendo Pſalmos, & Antiph. de ipſa ex ſecundis Veſperis feſti, Capitulum vero, &c. deinceps de Dominica, cum Commem. Oct. per Antiphon. ad Magnificat, & Verſum ex primis Veſperis? Hæc ratio quadrabat apprime cum antiquo uſu Breviarii Caſalis Benedicti, & aliorum, in quibus anticipato pridie, ob feſtum aliquod Majus, Officio diei Oct. fiebat nihilominus adhuc ejus Commem. in ipſa die Octava, ut ſic tandem, quo meliori modo fieri poſſet, integra compleretur Octava. Hæc Guyet. *lib. 4. c. 7. q. 7.* qui tamen concludit, quod his non obſtantibus, ſtandum eſt Decreto, quod a S. C. emanavit. Verum ſi Dominica privilegiata non cadit in die Octava, & in Sabbato præcedenti factum fuerit Officium de die infra Octavam, Veſperæ erunt de eadem infra Oct. & a Capitulo de Dominica, cum Commemoratione de dicto die infra Octavam.

XX. Gav. num. 16. *Excipe dies Octavæ Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis &c.*) Excipiendi etiam ſunt dies Octavarum Aſſumptionis, Nativitatis, aliarumque Feſtivitatum B. M. V. Oct. habentium; hi enim concurrentes cum Officio Duplici minori habere debent integras Veſperas, ut diſponit Rubrica ultimo poſita in Officio Octavæ Conceptionis ſi concurrat cum S. Lucia, & ita reſpondit S. R. C. *die 1. Martii 1681. in una Canonicorum Regularium Lateranenſium ad tertium dubium*, & datur in noſtro Indice ſub n. 117. Idem etiam declaratum fuit *die 11. Aug. 1691.* & datur in noſtro Indice *ſub n. 167.* hujuſmodi autem Decreta ſe extendunt non ſolum ad dies Octavas B. M. V. quæ ſunt Univerſales pro tota Eccleſia, ſed etiam ad particulares alicujus Diœceſis, vel Religionis.

XXI. Gav. num. 23. *Tum quia eſt privilegium Octavarum Chriſti Domini … &c. optaſſem & ego cum aliis diem Octavam Feſti B. V. habentis octavam eſſe duplex Majus &c.*) Ex Decretis mox recenſitis patet, non ſolum Octavas Chriſti Domini habere integras Veſperas in concurſu duplicis Majoris, ſed etiam diem Oct. cujuſcumque Feſti B. M. V. habere integras Veſperas in concurſu quidem Duplic. Min. non vero majoris, unde optaverat Piiſſimus Gavant. inter vivos degens, poſt obitum ſaltem quod partem obtinuit, nimirum, quod dies Octavæ Feſtorum B. M. V. habeant integras Veſperas in concurſu Duplicis Minoris, non ideo tamen tales Octavæ cenſendæ ſunt duplicia majora, ut bene notat Halden. part. 3. Tit. 6. §. 3. & alibi.

Superest nunc, ut hic exbibeamus ſequentem Tabellam, quæ juvare poteſt pro Commemorationibus Octavarum, & infra trademus etiam aliqua Decreta ſpectantia ad hanc Materiam.

TABELLA COMMEMORATIONIS DIERUM OCTAVARUM

| | | |
|---|---|---|
| Occurrentium cum | Dominica primæ, & ſecundæ Claſſis. | 1 |
| | Duplici primæ, & ſecundæ Claſſis. | 1 |
| | Alia die Octava. | 2 |

1. Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus, ac Miſſa.
2. Commemoratio minus dignæ in Officio dignioris.

Dies Octava Epiphaniæ, & Paſchæ, cum Feſta omnia rejiciant, nunquam cum ſola commemoratione fiunt.

Feſta ad libitum, quæ cadunt infra aliquam Octavam celebrari non poſſunt, S. R. C. 24. Jan. 1682. & 15. Martii 1698. quæ Decr. dantur in noſtro Indice *n. 122. & 196.*

Pro Octavis vero Beatorum videnda ſunt Decreta data in Indice noſtro Decretorum ſpectantium ab Rubricas Miſſalis num. 373. & 380.

In

In Rubricis Generalibus Breviarii Romani, Rubricam ſeptimam de Octavis excipit Rubrica VIII. de Sancta Maria in Sabbato, & poſt hanc ſequitur Rubrica IX. de Commemorationibus, deinde Rubrica X. de Translatione Feſtorum, & poſt eam Rubrica XI. de Concurrentia Officii; Nos inſiſtendo Gavanti veſtigiis poſt prædictam Rubricam de Octavis conſignamus ſequentem de Concurrentia Officii, & reliquas trademus ſuo loco, præferendo ſemper eas ad Gavanti commentarium ſuper illas.

## De Concurrentia Officii. XI.

## R U B R I C A.

1\. *Concurrentia Officii attendenda eſt ſemper in ſecundis Veſperis, quomodo ſit ordinandum Officium cum ſequenti die. itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in ſecundis Veſperis cum ſequenti in primis Veſperis.*

2\. *Duplici ergo in ſecundis Veſperis concurrente cum alio ſequenti Duplici in primis, ſi utraque ſiat ejuſdem ſolemnitatis, regulariter a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione præcedentis, niſi aliter in propriis locis annotetur: Si vero non ſint ejuſdem ſolemnitatis, ſervetur differentia in Rubricis de Commemorationibus, & Translatione Feſtorum aſſignata: ſcilicet, Feſta majora habeant primas & ſecundas Veſperas integras cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet: Si autem poſt aliquod Feſtum ex iis, quæ in ſecundo ordine poſita ſunt in Rubrica de Commemorationibus, ſequatur immediate aliud ex ſolemnibus majoribus, Veſperæ erunt de ſequenti cum commemoratione præcedentis. Inter Feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, ut Feſta Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utraſque Veſperas integras; ſicuti Feſta B. Mariæ Feſtis Sanctorum: item Feſta Angelorum, S. Joſeph, & Apoſtolorum cæteris aliis; & Feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Kalendario deſcriptis.*

3\. *Duplici vero concurrente cum Feſto Semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam, cum Feſto Simplici, & cum Officio B. Mariæ in Sabbato, omnia in ſecundis Veſperis de Duplici cum commemoratione illorum; niſi illud Duplex fuerit de iis, quæ excipiuntur in Rubrica de Commemorationibus, in quibus aliquæ commemorationes omittuntur. Duplici etiam, & quocumque Officio novem Lectionum concurrente cum Feria, vel potius ſequente Feria, omnia de Duplici, & nihil de Feria ſequenti. Sed ſi Feſtum celebretur in Adventu & Quadrageſima, fit ſemper commemoratio de Feria, ut infra dicetur. Idem dicendum de Feſtis Simplicibus venientibus cum ſequenti Feſto novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit non ratione concurſus, ſed quia eodem die occurrunt, ut dictum eſt in Rubrica de Commemorationibus.*

4\. *Semiduplici Feſto, Dominica, & die infra Octavam concurrentibus cum ſequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum: niſi Duplex fuerit ex numero majorum, quæ ſupra in Rubrica de Commemorationibus numerata ſunt, in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici Feſto concurrente cum ſequenti alio Semiduplici, cum Dominica, vel cum die infra octavam, a Capitulo fit de ſequenti: & commemoratio præcedentis, niſi aliter ſignetur. Semiduplici autem concurrente cum ſequente Feſto Simplici, vel cum Officio B. Mariæ in Sabbato, omnia de Semiduplici cum commemoratione ſequentis.*

5\. *Dominica concurrente cum ſequente Feſto Semiduplici, & cum die infra Octavam, vel cum Feſto Simplici, omnia de Dominica cum commemoratione ſequentis.*

6\. *Die infra Octavam concurrente cum ſequente Dominica vel Semiduplici, a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione Octavæ. Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concurſum, quia in ſequenti die infra Octavam non fit de Simplici, niſi commemoratio, quæ, & eadem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet.*

7\. *Die Octava concurrente cum alia die Octava, a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione præcedentis excepta Octava Corporis Chriſti concurrente cum Octava Sancti Joannis Baptiſtæ, in qua de ſequenti fit tantum commemoratio; & quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum ſequenti Duplici minori, etiam translato, a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione Octavæ. Concurrente vero cum ſequenti Duplici majori, etiam translato, totum Officium fit de ſequenti cum commemoratione Octavæ, excepta die Octava Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, in quibus de ſequenti fit tantum commemoratio. Si autem ſequens Feſtum etiam translatum, fuerit ex ſolemnioribus ſupra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in ſecundo ordine numer. 6. totum Officium fit de ſequenti cum commemoratione Octavæ.*

8\. *Simplex cum alio non poteſt concurrere in ſecundis Veſperis, (licet cum ipſo poſſit eſſe concurſus in primis Veſperis,) quia non habet ſecundas Veſperas, ſed ejus Officium terminatur ad Nonam, & deinceps nihil fit de eo nec commemoratio. Si ſequatur aliud Simplex, Pſalmi erunt de Feria occurrente in Pſalter. ad Veſperas, & a Capitulo fit de ſequenti Simplici ſine ulla commemoratione præcedentis. Si ſequatur Officium novem Lectionum, Veſperæ totæ erunt de eo ſine ulla ſimiliter commemoratione Simplicis præcedentis. Si nullum Feſtum ſequatur, ſubintrat Officium de Tempore, & Veſperæ totæ erunt de Feria.*

9\. *Feria non poteſt concurrere cum alio Officio in ſecundis Veſperis, neque cum ipſa poteſt eſſe concurſus in primis Veſperis: quia ejus Officium incipit & deſinit, ubi deſinit & incipit quodcumque aliud Officium. Quamvis proprie (ſi ei dandum eſt principium,) ſequente Feria poſt aliam Feriam, ejus Officium incipiat a Matutino, & terminetur ſequente alia Feria ad Completorium; & ideo ſi Feria ſequatur aliam Feriam, in Veſperis præcedentis Feriæ nihil fit de ſequenti, quoad ea, quæ in ſequenti Feria ſunt propria. Verbi gratia, ſi in Veſperis Feriæ 3. ante Feriam 4. Cinerum fiat de Feria, dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, non autem ea, quæ eſt propria in ſequenti Feria 4. Cinerum, nec ante Orationem dicuntur Preces, quæ dicendæ ſunt in dicta Feria 4. Cinerum. Quod etiam fit quando Feria per annum præcedit Feriam Quatuor Temporum, vel Vigiliarum. Hac etiam ratione ſuperius dictum eſt in concurrentia aliorum Officiorum, cum Feria nullum Officium concurrere, & nihil fieri de Feria præcedenti, adveniente alio Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Veſperis, non fit ratione concurſus, ſed quia eo die quo Officium Feriarum Adventus & Quadrageſimæ impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex præcepto Eccleſiæ prætermitti non debet.*

10\. *Cum vero occurrit, ut Feſtum ſimplex veniat in Feria 4. & 6. Quatuor Temporum, in Feria 4. Cinerum, & in Vigiliis, quæ jejunantur, Veſperæ antecedentes (niſi ea die celebratum ſit Feſtum novem Lectionum) erunt de Feria communi per annum, non autem de ſequenti, ut dictum eſt, cum commemoratione Feſti Simplicis in ſequenti Feria occurrentis. Quod ideo non fit, quia ſequens Feria non habeat primas Veſperas: ſed quia cum Feſtum Simplex in ſequenti die non habeat Officium propter Feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Veſperas in præcedenti die. Et eadem ratione, ſi Feſtum Simplex occurrat Feria 4. in Cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Veſperis Feriæ 4. præcedentis.*

## De Concurrentia Officii. Cap. IX.

## *G A V A N T U S.*

Dantur in Officio divino Concurrentia, & Occurrentia, quæ habent pro diverſa ratione proprias leges. Nam Concurrentia eſt duorum pridie, & poſtridie celebrandorum & attenditur ordinarie in ſecundis Veſperis unius, & in primis alterius Feſti, Occurrentia vero eſt duorum in eodem die.

2\. Sequar autem ordinem Titulorum præcedentium Capitum; & primo de Duplici, nam Feſtum duplex concurrere poteſt cum alio Duplici, vel die Octava Feſti habentis octavam: Si ergo ſunt æqualia, regulariter a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione præcedentis: Dixi: *ſi ſint æqualia*: quia ſi Duplex majus ſit, totum fit de Duplici cum com. diei Octavæ, ut in ſecundis Veſperis Exaltationis S. Crucis. Dixi, *regulariter*, quia in tribus Feſtis Nativitatis Domini fallit hæc regula, ut eo loco patet; eſt autem diviſio veſperarum a Capitulo in partes fere æquales. Si ſunt inæqualia, illud Feſtum quod majus eſt, habet integras Veſperas, cum commemoratione minoris, quando & hæc fieri debeat, ut dicemus *ex Microl. cap.* 35. quo enim magis, vel minus Feſtum habet de Veſperis, & præſertim de primis Veſperis, quæ ex *Amal.* ſunt nobiliores Secundis, eo etiam ſolemne magis & minus eſt Feſtum.

3\. Inæqualitas attenditur ex hoc ordine. Feſta Domini præferuntur omnibus aliis, & habent utraſque Veſperas integras. Feſta B.M. Feſtis aliorum Sanctorum. Feſta Angelorum, & Apoſtolorum cæteris aliis: ſi aliis, ergo etiam Evangeliſtis, quod bene nota. Feſta Sanctorum, quæ in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Kalendario deſcriptis. Hinc appellantur prædicta Feſta vel primæ, vel ſecundæ Claſſis, vel duplicia majora, quæ in concurſu cum minoribus habent integras primas, & ſecundas Veſperas. Errant ergo ii, qui in Eccleſia B. Rochi propria de eodem, ut patrono, recitant primas Veſperas cum commemoratione Aſſumptionis B. V.

cui debentur integræ ſecundæ Veſp. ex hac Rubrica: nam utrumque Feſtum eſt quidem primæ claſſis, ſed dignior B. Virgo B. Rocho. Neque valet exemplum, quo ſe tuentur, quia in primis Veſperis Comm. S. Pauli in propria Eccleſia Veſperæ ſunt integræ de S. Paulo; tum quia concurſus eſt inter æquales, tum quia eſt ſpecialis Rubrica, cui alluditur in Rubrica generali *de concurrentia officii n.2.* iis verbis, *niſi*, inquit, *aliter in propriis locis annotetur*; Quod autem dictum eſt, Feſta ſolemnia locorum præferri aliis in Kalendario deſcriptis, intellige de concurſu, & ut diximus ſupra *Sect.2. c.2. n.29.* cæteris paribus, habita ratione perſonarum juxta prædictos gradus, & majoritatis ritus, de qua ibidem Rubricæ loquuntur.

4. Duplex autem concurrere poteſt cum Semiduplici, Dominica, die infra Octavam, ſimplici, & officio S. Mariæ in Sabbato, & tunc omnia in ſecundis Veſperis de Duplici erunt cum commemoratione illorum, niſi Duplex eſſet primæ claſſis, quod admitteret commemorationem tamen de Semiduplici, & de Dominica, non de aliis prædictis; vel eſſet ſecundæ claſſis, quod admitteret præterea commemorationem de die infra octavam, ſi in ſequenti fieri debet officium, & de Simplici, & de S. Maria in Sabbato, cum feria vero non concurrit, neque cum Vigilia.

5. Semiduplex poteſt concurrere cum duplici, & omnia de duplici fiunt cum commemoratione ſemiduplicis, niſi duplex ſequens fuerit ex iis ſolemnibus, quæ excludunt etiam commemorationem ſemiduplicis. Item poteſt concurrere cum ſemiduplici, Dominica, die infra octavam, & tunc dividuntur Veſperæ, a Capitulo de ſequenti. Item poteſt ſemiduplex concurrere cum ſimplici, & S. Maria in Sabbato, & eo caſu omnia de ſemiduplici, cum commemoratione ſequentis.

6. Dominica concurſum habere poteſt cum ſequenti duplici, & omnia erunt de Duplici & commemoratio de Dominica: niſi ſit duplex primæ, vel ſecundæ Claſſis, quod excludit Dominicæ commemorationem. Item cum ſemiduplici poteſt concurrere, vel cum Feſto ſimplici, & in his caſibus omnia de Dominica cum commemoratione ſequentis, quod habet etiam *Radulph. propoſ.15.*

7. Quæres, cur Dominica habeat integras ſecundas Veſperas dum concurrit cum ſemiduplici ſequenti, & non habeat integras primas Veſperas concurrens cum ſemiduplici præcedenti, ut *n.5.* diximus; & en major eſt ratio dubitandi, quia diximus, nobiliores eſſe primas Veſperas ſecundis? Dicetem, vel ob concurſum populi ad ſecundas Veſperas, quas amat, Dominicales, non ad primas; vel forte, quia Pſalmi Sabbatini minus habent Feſtivitatis, plus ferialitatis, & incongrui viſi ſunt inter Feſtum ſemiduplex, & Feſtum Dominicæ: quo factum eſt ut Pſalmi eſſent Feſtivi de ſemiduplici, & Capitulum de Dom.

8. Simplex non poteſt concurrere cum ſequenti, quia non habet ſecundas Veſperas: ſi ſequatur aliud ſimplex, de eo fit a Capitulo poſt Pſalmos de feria, ſine commemoratione præcedentis: ſi ſequatur Officium novem Lectionum, Veſperæ integræ erunt de hoc ſine ulla ſimiliter commemoratione ſimplicis præcedentis: ſi nullum Feſtum ſequatur, Officium erit de Feria totum.

9. Feria item non concurrit cum ſequenti, quia incipit, & deſinit, ubi deſinit, & incipit quodcumque aliud Officium; ſi diverſe ſint feriæ proximæ, unaquæque ſuo die, non ultra diem, locum habet, ut fuſius dicitur *in Rubr. de concurrent. n.9.* De Octavæ concurſu activo, & paſſivo cum aliis in hoc cap. omiſimus dicere, cum plene *c.8.* jam dixerimus *a n. 15.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. *n.1. -- Dantur in officio divino Concurrentia, & Occurrentia.*) Duorum officiorum datur aliquando conflictus, & mutua pugna, primo, quando ſimul una, eademque die occurrunt, & hoc appellatur occurrentia, in Sacris Rubricis, de qua cum Gavanto agemus capite ſequenti; quando autem duo officia ſe invicem continuis duobus diebus conſequuntur, tunc pugna, quam poſſunt habere in Veſperis, Concurrentia appellatur. Quapropter Concurrentia non datur niſi inter officia, quæ Jus habent aliquod in Veſperas illas veluti intermedias, & utrique Communes, qualia ſunt primo Feſta omnia duplicia cujuſcumque ordinis, item ſemiduplicia, quæ cum utraſque habeant Veſperas, ſunt capacia Concurrentiæ tam activæ, quam paſſivæ; nomine autem Concurrentiæ activæ venit illa, quæ ſe tenet ex parte ſecundarum Veſperarum Feſti præcedentis, quod proprie cum ſequenti concurrit; paſſiva vero Concurrentia eſt illa, quæ ſe tenet ex parte primarum Veſperarum Feſti ſequentis, quod proprie a præcedenti concurritur, ut accurate explicat Guyetus *lib.4. c.13. q. 1.* Hinc ſequitur aliqua Feſta poſſe habere, ut mox innuimus, utramque concurrentiam, nempe illa, quæ habent utraſque Veſperas, qualia ſunt Feſta duplicia, & ſemiduplicia, ut diximus. Illa vero, quæ habent tantum primas Veſperas, ut ſunt Feſta ſimplicia, poſſunt habere ſolam concurrentiam paſſivam, & tandem illa, quæ habent tantum ſecundas Veſperas (ſi quæ darentur Feſta hujuſmodi habentia ſolas Veſperas ſecundas, ut olim habebant Feſta Simplicia) habere poſſent ſolam concurrentiam activam.

Effectus igitur concurrentiæ totus eſt in Veſperis, nimirum, ut vel integræ fiant de alterutro concurrentium, vel inter utrumque dimidientur. Cum enim concurrentia omnis, aut ſit majoris cum minore, aut minoris cum majore, aut denique æqualium inter ſe: in primo, & ſecundo caſu Veſperæ ſunt integræ de majore cum ſola Commemoratione minoris, imo nonnumquam etiam abſque hujuſmodi Commemoratione, prout dignitas major exigit. In 3. autem caſu regulariter Veſperæ dimidiantur, adeo ut Pſalmi cum Antiphonis ſint de Officio præcedenti, capitulum vero cum reliquis fiat de ſequenti, & tunc ſemper cum Commemoratione præcedentis. Ex quo in Concurrentia majoris cum minore Veſperæ ſint ſemper integræ de majore; debemus hic explicare quo ordine majora haberi debeant. Igitur ſemper duplex primæ Claſſis majoritatem habet ſupra duplex ſecundæ Claſſis; duplex ſecundæ Claſſis vero ſupra quodcumque aliud duplex per Annum, ſive Majus, ſive minus, duplex Majus ſupra duplex minus. Quodcumque duplex per Annum ſupra Dominicam, Feſtum ſemiduplex, & diem infra Octavam: hæc vero ſupra Feſtum ſimplex, & Officium B. Mariæ in Sabbato, & taliter ſervari debet hæc regula, ut ſi Feſtum aliquod Domini, vel B. Mariæ ſit duplex tantum, & concurrat cum Feſto ſecundæ Claſſis Apoſtoli, aut cujuſvis alterius Sancti, Veſperæ integræ fieri debeant de Sancto cum Commemoratione Feſti Chriſti Domini, & B. Mariæ quia videlicet major perſonæ dignitas non ſufficit in hoc caſu, ſed ſolum quando adeſt æqualitas gradus, ſive Ritus, & ſolemnitatis.

II. Gav. n.3. *Inæqualitas attenditur ex hoc Ordine, Feſta Domini præferuntur &c.*) Quando autem Feſta ſunt æqualis omnino Ritus, & ſolemnitatis, tunc attendenda eſt diſpoſitio Rubricæ ſuperioris n. 2. ubi habetur *inter Feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic Ordo, ut Feſta Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utraſque Veſperas integras, ſicut Feſta B. V. Feſtis Sanctorum. Item Feſta Angelorum, S. Joſeph, & Apoſtolorum cæteris aliis*: Cæteris igitur omnino paribus, majora reputantur Feſta omnia, ſive SS. Trinitatis, ſive Chriſti Domini præ omnibus aliis; ſecundo Feſta B. Mariæ præ Sanctis omnibus; Tertio Angelorum, S. Joſeph, & Apoſtolorum præ cæteris, aliis an vero Angelorum Feſta tertiam conſtituant Claſſem, ſuperiorem etiam Feſtis Apoſtolorum: Rurſus utrum Apoſtolorum Feſta, cæteris paribus, præferri etiam debeant, & majora cenſeri Feſtis Evangeliſtarum, dicemus infra. Solum hic ſtatuimus cum omnibus Rubriciſtis, quod Feſtum primæ Claſſis Chriſti Domini comparatum cum Feſto primæ Claſſis B. V. illud cenſetur Majus, hoc vero minus, unde in Concurrentia haberet illud integras Veſperas; & ita pariter Feſtum aliquod B. V. v. gr. ſecundæ Claſſis in comparatione alterius Feſti Angelorum, S. Joſeph, ſive Apoſtolorum pariter ſecundæ Claſſis, illud B. V. majoritatem haberet ob dignitatem ſuæ perſonæ, & in concurſu illorum Feſtorum integræ Veſperæ darentur Feſto B.V. de alio vero Feſto ſola fieret commemoratio, & ſic de cæteris Guyet. *l.4. c.13. q.5.* doctiſſime explicat dignitatem Chriſti Domini, excellentiam B. V. ratione cujus illa excellit omnem creaturam; Iſta vero præfertur ipſiſmet Angelis, & Apoſtolis, aliiſque Sanctis. Et procedit ulterius ad examinandas Angelorum perfectiones, & merita, concluditque ſe non poſſe recedere a legitimo Eccleſiæ uſu præferendi in Concurrentia Sanctos Angelos Sanctis hominibus, etſi enim hominum aliqui præſtent aliquibus Angelorum, juxta opinionem aliquorum, ab eo ibi recenſitam, non tamen præſtant omnibus Angelis, & idcirco tenet Feſta Angelorum, in æquali Ritu præferenda eſſe etiam Feſtis Apoſtolorum, ſaltem ob communem Angelorum naturæ præſtantiam.

III. Gav. eod. n.3. *Feſta Angelorum, S. Joſeph, & Apoſtolorum cæteris aliis, ergo etiam Evangeliſtis &c.*) Aſſerit hic Gav. Feſta Apoſtolorum ob eorumdem dignitatem præferenda eſſe omnibus aliis Sanctis, etiam Evangeliſtis; ſed cum nullam dicti ſui proferat rationem, ait Guyet. loc. cit. ut aſſerantur pares, facit Claſſis, & Officiorum omnimoda paritas. Guyeti ſententiam tenemur nos quoque tueri, & Gavanti opinio eſt profecto reformanda, quia a S. R. C. emanarunt Decreta, quibus paria reputantur Feſta Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, ut videre eſt in Decretis datis in noſtro Inde *n.92. & 239.* de quibus pariter mentionem fecimus, & per extenſum dedimus in noſtris Additionibus ad Commentaria Capitis præcedentis n.9.

De reliquis Sanctis an alii aliis v.g. Martyres Confeſſoribus, Confeſſores Virginibus ſint præferendi, Communis eſt Rubriciſtarum Sententia prædictos Sanctos reputandos eſſe æquales, nullamque habere Martyres in hac parte rationem dignitatis perſonarum præ Confeſſoribus, neque Confeſſores præ Virginibus; quamvis in Litaniis Martyres in diverſo, & ſuperiori ordine ad Confeſſores, Confeſſores vero in diverſo, & ſuperiori ordine ad Virgines collocentur; & ſuper hoc emanavit Decretum a S. R. C. 20. Julii 1686. datum in noſtro Indice *n.157.* & aliud 14. Dec. 1709. n. 250.

De

Digitized by Google

De Sanctis Joanne Baptiſta & Patriarcha Joſepho Sponſo B. M. V. quorum invocatio præfertur in Oratione -- *A cunctis*, & in Litaniis, controverſia minime eſſe poteſt, cum circa primum adſit Decretum S. R. C. 22. Auguſti 1620. datum in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Miſſalis n. 179. circa vero S. Joſephum eſt certa diſpoſitio Decreti Benedicti Papæ XIII. 19. Decembris 1726. ut videre eſt in noſtro Indice n. 268. Idcirco eorum Feſta primaria ſi ſint æqualis Ritus in quocumque caſu concurrentiæ, vel etiam occurrentiæ ſemper præferenda ſunt Feſtis SS. Apoſtolorum. Si vero ſermo ſit de eorum Feſtis ſecundariis concurrentibus, vel occurrentibus cum Feſtis primariis Apoſtolorum ejuſdem Ritus, tunc non ſunt præferenda, niſi celebrentur cum majori ſolemnitate & apparatu, quam Feſta Apoſtolorum. Quod videtur magis congruum, magiſque conforme Rubricis & S. R. C. Decretis. Hinc ſequitur, quod ſi alicubi occurrit Feſtum Patrocinii S. Joſeph ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis cum Feſto Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, vel Sancti Marci Evangeliſtæ ejuſdem Ritus, tunc his ſemper præferendum eſt, etiamſi celebretur cum majori ſolemnitate & apparatu. Ita S. R. C. die 11. Maji 1743. Hæc omnia tute aſſero accedente etiam maturo conſilio, & approbatione peritiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini Joannis Baptiſtæ Gambarucci Amaſeni Archiepiſcopi, & Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfecti.

Ex dictis a Gavanto ſupra, & ex noſtris Additionibus ſatis conſtat quomodo ordinandæ ſint Veſperæ in concurrentia duorum Feſtorum diverſæ Claſſis, & dignitatis, nimirum dicendas eſſe integras de Feſto Claſſis ſuperioris cum Commemoratione inferioris; circa quas Commemorationes faciendas in concurſu Feſtorum diverſæ, & etiam æqualis Claſſis & dignitatis, Lectorem remittimus ad evolvenda ea, quæ tradit Gavantus infra Cap. XI. de Commemorationibus, & ea, quæ a nobis adjicientur; ne eadem hic, & ibi repetamus.

Reliquum eſt, ut pro coronide hujus capitis innuamus aliqua Decreta ſpectantia ad hanc Materiam diebus infraſcriptis edita, quæ dantur in noſtro Indice &c.

1. Martii 1681. num. 117. circa Veſperas dierum Octavarum Beatæ Mariæ Virginis.

12. Julii 1664. num. 88. 17. Junii 1684. n. 150. 20. Julii 1686. num. 157. & 14. Decembris 1709. num. 250. circa Veſperas Duplicium, etiam majorum abſque ſolemnitate, & apparatu & inter Sanctos Apoſtolis inferiores. Quæ quidem Decreta minime abrogata intelliguntur per illa de diebus 21. Auguſti 1688. *in una Aquilejen.* & 25. Septembris 1688. *in una Hiſpan.* cum ibi agatur de caſibus particularis inſpectionis, & ſpeciali nota dignis.

1. Martii 1681. num. 116. 14. Maji 1707. 20. Auguſti 1712. n. 245. & 16. Septembris 1730. n. 277. circa Veſperas Sanctorum Angelorum ſub ritu dupl. min. per quæ Decreta omnimode abrogatum intelligitur illud de die 27. Septemb. 1698. in una Ordinis Cappuccinorum editum.

QUANDO CONCURRIT.

| In ſecunda Veſperis. \ In primis Veſperis. | Sancta Maria in Sabbato. | De infra Octavam. | Die Octava. | Simplici. | Semiduplici. | Duplici per annum minore. | Duplici per annum majore. | Patrono, ſeu Titulo Eccleſiæ. | Duplici ſecunda Claſſis. | Duplici primæ Claſſis. | Dominica quæcumque. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Dominica major, ſeu 1. & 11. Cl. cum | 0 | [illegible] | 3 | 4 | 4 | 1 | 3 | 3 | 1 | 3 | 0 |
| Dominica minor, ſeu per annum | [illegible] | 4 | 1 | 4 | 4 | 1 | 1 | [illegible] | 2 | 1 | [illegible] |
| Duplex primæ Claſſis. | [illegible] | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | [illegible] | 4 | [illegible] | 4 |
| Duplex ſecundæ Claſſis. | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | [illegible] | 4 | 1 | 4 |
| Patronus, ſeu Titulus Eccleſiæ. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | 4 | 4 | [illegible] | 4 | [illegible] | 4 |
| Duplex per annum majus. | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 1 | 1 | 4 | 4 |
| Duplex per annum minus. | 4 | 4 | 5 | 4 | 4 | 5 | 5 | [illegible] | 1 | 1 | 4 |
| Semiduplex. | [illegible] | 5 | 3 | 4 | 5 | 1 | 1 | [illegible] | 3 | 1 | 1 |
| Dies Octava. | 4 | 4 | [illegible] | 4 | 4 | 6 | 3 | 3 | 1 | 3 | 4 |
| Dies infra Octavam. | 0 | [illegible] | 1 | 4 | 5 | 1 | 3 | 3 | 3 | 1 | 1 |

1 Totum de ſequenti, nihil de præcedenti.
2 Totum de præcedenti, nihil de ſequenti.
3 Totum de ſequenti, commemoratio de præcedenti.
4 Totum de præcedenti, commemoratio de ſequenti.
5 Capitulum de ſequenti, commemoratio de præcedenti.
6 Totum de digniori, commemoratio de minus digno.
Simplex, & S. Maria in Sabbato, Feriæ, & Vigiliæ non concurrunt.

*Notandum, quod in primis Veſperis diei Octavæ Aſcenſionis & Corporis Chriſti, totum Officium fit de Octava, cum Commemoratione præcedentis feſti Duplicis, niſi fuerit Feſtum ſolemne principale, vel primæ, vel ſecundæ Claſſis, quia tunc de Feſto fieret Officium, & Commemoratio de Octava.*

*In ſecundis Veſperis diei Octavæ Epiphaniæ, Paſchæ Aſcenſionis & Corporis Chriſti, de ſequenti duplici fit tantum Commemoratio, niſi illud fuerit primæ, vel ſecundæ Claſſis, ſeu Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio Eccleſiæ: quia tunc de Feſto fieret Officium, & de Octava Commemoratio. Et ſimiliter die Octava Corporis Chriſti in ſecundis Veſperis concurrente cum die Octava S. Joannis Baptiſtæ, Veſperæ erunt de Octava Corporis Chriſti cum Commemoratione Octavæ Sancti Joannis.*

*In ſecundis Veſperis Duplicis ſecundæ Claſſis non fit Commemoratio de die infra Octavam, niſi quando de ea fieri debeat Officium die ſequenti.*

*Cum plures fiunt Commemorationes, ſervetur hic ordo. De Duplici, de Dominica, de ſemiduplici, de die infra Octavam, de Feria majori, ſeu Vigilia, de ſancta Maria in Sabbato, de Simplici.*

Expoſita Tabella concurrentiæ, & alia occurentiæ, quæ infra dabitur, non ita univerſales ſunt, ut ex iis præciſe omnia decidantur, quæ in hac materia occurrere poſſunt dubia, ſed ſæpius ad ipſas Rubricas, eaſque non modo ſpeciales, ſed aliquando etiam generales, eſt recurrendum. Et revera ubi agitur de Concurrentia duplicis primæ claſſis cum Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ, vel Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ cum duplici primæ claſſis, vel cum Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ, qui reſpective poteſt eſſe Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ particularis vel Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Matricis nullius Diœceſis, vel quid hujuſmodi, non ponitur in quadrangulo *num.* 6. qui ſignificaret faciendum eſſe de digniori, adinſtar Concurrentiæ duplicis primæ claſſis cum duplici primæ claſſis, ſed ponitur littera, O, non quia hujuſmodi concurſus minime accidere poſſit, ſed quia nos remittit ad Rubricas generales, præſertim tit. XI. num. 2. ubi pro hujuſmodi Feſtorum ordinando concurſu ſufficienter diſponitur, ſi recte expendantur ea, quæ ibi habentur, quod cæteris paribus præferenda ſunt Feſta, quæ ſunt magis particularia, & ſolemnius celebrantur, & conſequentur his debentur integræ Veſperæ cum commemorat. alterius Feſti concurrentis.

Rurſus in eadem Tabella duplex primæ claſſis concurrens cum die infra Octavam, præſcribitur totum fieri debere de primo, & nihil de ſecundo, ſed advertendum eſt, quod intelligendum eſt de quacumque Octava non privilegiata, etiamſi de ea fieri debeat Officium die ſequenti, quæ ſententia Gavanto conformis eſt, *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 18. & *c.* 11. *num.* 14. ſicut & Biſſo *lit.* C. *num.* 363. §. 11. ac Halden *part.* 3. *tit.* 6. §. 1.

Denique in eadem Tabella ad diem infra Octavam concurrentem cum die infra aliquam Octavam, non aſſignatur *n.* 6. ubi habetur, totum de digniori, commemoratio de minus digno, ſed litera O. non quia hujuſmodi concurſus numquam evenire poſſit, nam de facto diverſæ Octavæ poſſunt eodem die occurrere; ſed cum hoc principaliter pertineat ad Tabellam de ocurrentia, ubi *num.* 7. ſtatuitur Officium de digniori, commemoratio de minus digno, ideo in tali concurſu Veſperæ regulandæ ſunt ad inſtar occurſus. Fuſius tamen de occurſu Octavarum particularium, ut dignoſcatur quænam ſit præferenda, nos ſupra ſermonem fecimus, & Tabellam deſcripſimus.

## De Translatione Feſtorum. XX.

### RUBRICA.

1. *SI aliquod Feſtum duplex occurrat in Dominicis Adventus, & in Dominicis a Septuageſima uſque ad Dominicam in Albis incluſive, in Vigilia Nativitatis Domini, in die Circumciſionis, in tota octava Epiphaniæ, in Feria quarta cinerum, in tota majori Hebdomada, & infra Octavam Paſchæ, in Aſcenſione Domini, in diebus a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Feſtum Trinitatis incluſive, in Feſto Corporis Chriſti, & ejus die Octava, in Feſto Aſſumptionis B. Virginis, & omnium Sanctorum, transfertur in primam diem Feſto Duplici, vel Semiduplici non impeditam: exceptis tamen Feſtis Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ in die Octava Corporis Chriſti celebrantur; excepto quoque Feſto quocumque ſolemni alicujus loci quod in propria tantum Eccleſia, etiam in aliquibus ex ſupradictis diebus occurrens, ſcilicet, in Dominicis 2. 3. & 4. Adventus & Quadrageſimæ, Dominica Septageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, & diebus infra Octavam Epiphaniæ, (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum eſt) celebratur. Si autem Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ venerit in die Corporis Chriſti, transfertur in ſequentem diem, cum commemoratione Octavæ; & in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fit tantum commemoratio S. Joannis: ſequentibus autem diebus fit Officium de eadem octava Corporis Chriſti, cum commemoratione octavæ S. Joannis, Dies autem octava S. Joannis tunc veniens in die Octava Corporis Chriſti, non transfertur, ſed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utriſque Veſperis & Laudibus diei octavæ Corporis Chriſti; & id ſemper ſervetur, quando Feſtum habens octavam transfertur: ut non ideo dies octava transferatur, ſed ipſa die de ea fiat commemoratio, quæ alias erat octava, ſi feſtum non fuiſſet translatum. Quod ſi feſtum poſt totam ſuam octavam transferri contigerit, illo anno celebretur ſine octava: niſi Titularis Eccleſiæ privilegio aliter fieri oporteat.*

2. *Si*

2. *Si in die Octava alicujus Feſti habentis Octavam, occurrat aliquod Feſtum Duplex ex majoribus ſupra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis, fiat de Feſto cum commemoratione diei Octavæ: excepta die Octavæ Nativitatis Domini & Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo Feſto, ſed transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam. Si autem non fuerit ex prædictis Feſtis, fiat de Octava, & Feſtum transferatur, ut ſupra.*

3. *Si aliquod Feſtum Duplex infra Octavam occurrens, alio majori feſto Duplici impediatur, transferatur in primam diem ſimiliter non impeditam, & in eo fiat commemoratio de Octava.*

4. *Si in aliis Dominicis per annum a ſupradictis occurrat Feſtum Duplex, non tranſfertur, ut dictum eſt in Rubrica de Commemorationibus.*

5. *Feſtum Semiduplex occurrens diebus ſupradictis, & infra Octavam Corporis Chriſti, & aliis Dominicis per annum, transfertur in primam diem ſimili Officio non impeditam: occurrens vero in Dominicis infra illas Octavas, in quibus fit de Feſtis occurrentibus, (ut dictum eſt in Rubrica de Octavis, transfertur in ſequentem diem, cum commemoratione Octavæ: quæ ſi fuerit alio Feſto Duplici vel Semiduplici impedita, prædictum Feſtum Semiduplex veniens in Dominica, transfertur poſt Octavam: ita ut Feſtum Semiduplex infra Octavam non transferatur, niſi in proxime ſequentem diem.*

6. *Si duo, vel plura Feſta novem Lectionum ſimul eodem die veniant, fiat Officium de majori, id eſt, de Duplici, & Semiduplicia transferantur. At ſi omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori, ſeu ſolemniori; & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, tranſferantur.*

7. *Si plura Feſta novem Lectionum transferenda ſint, prius transferatur Duplex, quam Semiduplex; & inter plura Duplicia, quod eſt magis ſolemne ſemper prius transferatur, & prius celebretur: alioquin ſi ſunt æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.*

8. *Feſtum Simplex numquam transfertur: ſed ſi de eo fieri non poteſt Officium, fiat commemoratio, ut dictum eſt in Rubrica de Commemorationibus: ſi autem venerit in illis diebus, in quibus de Simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius.*

9. *Si aliquod Feſtum novem Lectionum, in quo annotatum eſt fieri commemorationem alicujus Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud Feſtum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in eo aſſignata; ſed dicta commemoratio fit die ſuo in Dominica, vel alio Feſto, in quo fieri poſſit, cum nona Lectione ejuſdem, ſi propriam de vita Sancti habuerit: Feſtum vero novem Lectionum transfertur ſine ulla amplius commemoratione Feſti Simplicis prædicti. Quod etiam ſervatur in commemorationibus occurrentibus in Vigiliis, cum de Vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti; tunc enim commemoratio Feſti Simplicis non fit in Officio Vigiliæ, ſed in Dominica.*

De Occurrentia Officii Divini, ſeu de Tranſlatione Feſtorum. Cap. X.

## *G A V A N T U S.*

1. DUplex Feſtum poteſt occurrere in Dominicis Adventus, & a Septuageſima uſque ad Dominicam in Albis incluſive, in Vigilia Nativitatis Domini, in Circumciſione, in tota Octava Epiph. in Feria quarta Cinerum, in tota majori hebdomada; infra Octavam Paſchæ, Aſcenſionis Domini, in diebus a Vigilia incluſive Pentecoſtes, uſque ad Feſtum Trinitatis incluſive, in Feſto Corporis Chriſti, & ejus die Octava, in Aſſumpt. B. V. & in Feſto omnium Sanctorum, quæ duo ultima Feſta addita ſunt in poſtrema recognitione: & tunc duplex transfertur in primam diem Feſto novem Lectionum non impeditam. *Radulph. meminit propoſ.* 15. *Microl. etiam cap.* 42. tradit, occurrentibus duobus Feſtis, minus nobile differri.

2. Si vero eſt duplex primæ claſſis, de eo fit in Dominicis ſecunda, tertia, quarta Adventus, & Quadr. in Dominicis Septuageſimæ, Sexag. Quinquag. & infra Octavam Epiphaniæ, quia ratio Feſti, & præſertim Patroni loci, ſeu Titularis Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem, prævalet penes populum ejus loci; neque hæ Dominicæ pares ſunt primis Dominicis, in quibus myſteria Religionis noſtræ inchoantur.

3. Si contingat, ut duo Feſta duplicia occurrant eodem die infra Octavam, hoc eſt in Eccleſia aliqua particulari, quæ forte celebret Octav. Patroni loci, infra quam poteſt occorrere Duplex ex Feſtis mobilibus una cum duplici per annum in Kalendario Romano: eo caſu debet transferri duplex minus in primam diem ſimiliter non impeditam, & hic eſt ſenſus Rubricæ *de Transl. Feſtorum num.* 3. quam putant aliqui eſſe ſuperfluam: ſed ideo ſancita fuit ad differentiam Semiduplicis, cujus translatio aliquando fit extra Oct. Et hæc de duplici.

4. Semiduplex poteſt occurrere in diebus prædictis num. 1. & 2. & præterea infra Octavam Corporis, & aliis Dominicis per annum, in quibus omnibus caſibus transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam, quod in ultima Breviarii recognitione dictum eſt. Quod ſi occurrat in Dominica infra Octavam, quæ admittit Semiduplex Feſtum; tunc in ſequentem Feriam ſecundam transfertur: & ſi eſt impedita, ultra Octavam, ne nimium interturbetur Octava, & numero dierum nimis minuatur. Eadem de cauſa Semiduplex occurrens infra Octavam Corporis Chriſti, ſi proxime ſequantur Octavæ S. Joannis, & SS. Petri & Pauli, transfertur poſt omnes Octavas, & hoc eſt, quod addit Rubrica in fine 5. *ita ut*, inquit, *Feſtum Semid. Infra octavam non transferatur, niſi in proxime ſequentem diem*, ideſt: ſi ſequens erit impedita, transfertur Semiduplex ultra omne Officium 9. Lectionum; Ratio eſt, quia amiſſio jure vicinitatis ad proprium diem, non eſt major ratio, cur citius celebretur.

5. Occurrentibus pluribus Feſtis novem Lectionum, transferatur illud, quod eſt minus nobile; vel ratione ritus, puta, quia Semiduplex: vel ratione Perſonæ, quæ ſit inferioris ordinis, ſi in ritu ſint æquales. Hic eſt ſenſus Rubricæ *n.* 6.

6. Translatis pluribus Feſtis duplicibus, & ſemidupl. fiat Officium prius de digniori, quoad ritum; quod ſi æqualia ſit ritus, fiat de eo prius, quod erat prius in Kalendario celebrandum. Ita, licet obſcurius, in Rubrica *numer.* 7.

7. Si vero occurrat in Dominicis in Albis, vel Trinitatis aliquod Feſtum, quod ex prædictis debet transferri (nulla ratione habita, quod habeat jus ad eam Dominicam) fiat in Feria ſecunda non impedita de Feſto prius translato, ordine ſervato dignitatis, & Kalendarii, prout vere ſonant verba dictæ Rubricæ de Translat. Feſtor. num. 7. examinata in poſtrema recognitione Breviarii, & in hunc ſenſum communiter accepta; quia vere & illud ipſum eſt a ſua die transſlatum, & hoc etiam intelligitur de aliis Dominicis per annum.

8. Feſtum Simplex non transfertur; ſed vel Officium, vel commemoratio fit de eo, aut vero etiam omittitur; ſi occurrat in Feſto primæ claſſis, alicubi poteſt accidere, ut numquam de eo fiat, neque commemoratio: ut in Eccleſiis Sancto Auguſtino, S. Jacobo dicatis, & aliis SS. Patronis locorum, ſeu Titularibus Eccleſiarum, numquam fit de Sanctis Hermete, Chriſtophoro, & ſimilibus.

9. Translato fortaſſe Feſto novem Lectionum, quo cum facienda eſt commemoratio feſti ſimplicis, non transfertur feſtum Simplex, de quo fit ſemper proprio die, niſi impediatur a Feſto ſolemniori, & eodem modo, translata in præcedens Sabbatum aliqua Vigilia, quæ occurrit cum Feſto ſimplici in Dominica, non tamen transfertur Feſtum Simplex, ſed de eo fit in Dominica, & proprio die, quia illud tantum eſt transferendum, quod proprio die impeditur a Majori Officio.

10. Adverte præterea, quod ſi Translatio alicujus Feſti fiat a tempore Paſchali ad tempus non Paſchale, recitandum erit Officium temporis non Paſchalis, quod accidit in Tranſlatione Ss. Martyrum menſis Maji, & aliquorum menſis Junii.

11. Attinent ad hoc caput eæ Rubricæ, quæ habentur extra Titulos aliarum Rubricarum generalium, nempe inter duas Tabellas de occurrentia, & concurrentia Offic. & primo, ſi occurrant duo Feſta eodem die ſub una ratione Feſti, in Kalendario Romani Breviarii, quorum tamen alterum eſt Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ Feſtum, v. gr. S. Sebaſtiani, cui cum S. Fabiano fit ordinarie Feſtum, eo caſu fit de Patrono, ſeu Titulari tantum, hoc eſt, de S. Sebaſtiano ſolo, uti Feſto primæ claſſis, non autem de ſocio eo die. Aliqui putarunt hanc Rubricam loqui de occurrentia duorum Feſtorum: quorum alterum eſt in Kalendario Romano, alterum in Kalendario loci proprio, ſed falluntur, ex iis verbis *deſcriptus ſit eodem in die Kalendario* non ait *Calendariis* & loquitur de Kalendario Romano, me teſte: in recognitione Clementina, nam de occurrentia duorum Kalendariorum agitur in Rubrica *de Transl. Feſt. n.* 6.

12. Qui vero hac de cauſa in eorum proprio die omittuntur: vel ſunt in Kalendario Romano ſub ritu duplici, ſeu Semiduplici, & tunc prima die ſimiliter non impedita, fit Officium de omiſſis ſub ritu Semiduplici, puta in exemplo allato fiet de S. Fabiano, ritu ſemidupl. poſt Octavam S. Sebaſtiani: vel ſunt ſub ritu Simplici, & tunc in ea Eccleſia nihil fit de ſociis omiſſis; Ex. gr. in Eccleſia Ss. Marcellino, & Petro dicata, S. Eraſmus nihil habet umquam, neque commem. die 2. Junii. Ratio vero cur in hac diviſione fiat alterum Feſtum ritu ſemiduplici, eſt, quia non transfertur Feſtum, niſi ſit ſaltem ſemiduplex; & diviſio ritus duplicis Feſti plurium SS. viſa eſt fieri ſatis congrue, ſi ſocii gaudeant ritu ſaltem ſemiduplici, niſi ſint, ut mox dicemus, altioris Ordinis.

13. Quod

13. Quod ſi ii, qui dividuntur, ſunt altioris Ordinis, & claſſis, ut io Eccleſia S. Philippi Apoſtoli, de quo ſolo fit idcirco Feſtum primæ claſſis; eo caſu in prima die non impedita, fiet Officium de tranſlato S. Jacobi ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, quia eſt de 12. Apoſtolis, & die 4. Maji in Laudibus tantum fit commemoratio cum 9. Lectione S. Monicæ.

14. Porro, prædicta ſeparatione facta Patroni, ſeu Titularis a ſociis, quos illi habent in Kalendario Romano, curandum erit, ut oratio, Lectiones, & Evangelium cum Homilia congruant Feſto, ita ut pro uno, noo pro pluribus Offic. fiat: & deficientibus propriis erit ad Commune Sanctorum recurreodum, reſervata Patrono potius, quam ſociis, oratione propria, & in numero ſingulari accommodata. Pro ſociis autem ſumatur de Communi, ut ſit varietas; niſi forte contingat de ſociis Officium fieri extra Octavam Patroni, ſeu Tituli, quo caſu variandi neceſſitas minus urgeret.

15. Quæſitum eſt aliquando; quid agendum eſſet in Eccleſia Regularium, in qua occurrebant duo Feſta, eodem die Patroni Principalis loci, & Titularis Eccleſiæ illorum Regularium: & poſito, quod ſupra docuimus, teneri Regulares ad Officium de Patrono, infertur manifeſte, quod de Patrono loci tamquam de digniori, recitandum ſit Officium, translato Titulari, qui eſt minus dignus *de Tranſlat. Feſtorum tit. 50. n. 6.* tum quia io Rubric. ſemper præponitur Patronus Titulari; tum quia ille totius loci eſt Protector, hic unius templi particularis; tum quia æquius eſt, ut populus ubique eo die audiat Miſſam de ſuo Patrono, quod ſi quotannis hic accidat occurſus, aſſignanda erit dies ſequens in perpetuum Titulari illius Eccleſiæ niſi ex Privil. aliter fieri debeat. A fortiori cedet Patrono loci aliud quodcumque Feſtum Regularium inferioris claſſis, puta Conceptionis B. V, ſi occurrat in Feſto Patroni loci, quod eo magis patet, quia Feſtum Conceptionis cedit Dominicæ 2. Adventus, cui non cedit Patronus loci, *de Tranſlat. Feſtorum n. 1.*

16. Officia conceſſa ad libitum in pari gradu cedunt aliis de præcepto, vel ex vi Rubricarum recitandis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. Sect. III. Tit. X. Cap. X. *De occurrentia &c.*) Ex conflictu duorum Officiorum una ſimul, eademque die occurrentium id efficitur, ut ſi neutrum cum ſola Commemoratione peragi queat, neceſſe ſit alterum dimitti, donec die, qua primum libera, reſumatur, quod cum fit, tranſlatio proprie dicitur, de qua luculenter ſatis egit Mict. *Cap.* 42. & nos hic fuſe pertractare debemus. Rurſus Tranſlatio, ut optime advertit Guvetus *lib. 4. cap. 7. q. 1.* non eſt idem ac mutatio, de qua idem doctiſſimus Auctor agit *lib. 2. cap. 6. q. 3. & ſeqq.* nam licet utraque ſit amotio Feſti a ſuo die proprio, differunt tamen in eo, quod mutatio eſt veluti tranſmigratio, & perpetua alterius ſedis occupatio; tranſlatio vero inſtar eſt peregrinationis, qua ſe alio quis ſic confert, ut tamen ad ſedem propriam illico ſit rediturus; utriuſque cauſa eſt Officium aliquod diem Feſto deſtinatum occupans; at hujus ex accidenti, atque pro hac, aut alia ſimili vice dumtaxat, ut fit in occurrentiis Dominicæ Septuageſimæ, Feriæ IV. Cinerum, Aſcenſionis Domini, & aliis Feſtorum Mobilium; illius conſtanter, ac perpetuo propter occurſum videlicet Feſtorum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſſumptionis B. M. Omnium Sanctorum, & ſimilium, quæ eodem ſtato ſemper Kalendarii die recurrunt. Porro occupantis Officii ratio, qua alteri præfertur, vel eſt ipſius dignitas, vel neceſſitas, vel dignitas ſimul, & neceſſitas. Dignitas quidem, ut in Feſtis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſſumptionis B. M. Omnium Sanctorum, quæ cum duplicia ſint primæ Claſſis, & quidem Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Virginis, omnibus aliis dignitate antecellunt; neceſſitas vero ut in Dominicis Adventus, Septuageſimæ, Quadrageſimæ, Feriæ IV. Cinerum &c. quæ cum non niſi ritu ſemiduplici, ac ſimplici celebrentur, ideo tamen Feſtis duplicibus longe dignioribus in occurrentia præſtant, quia nec omitti penitus, nec ullo alio die fieri poſſunt. Dignitas denique ſimul, & neceſſitas in Dominicis Paſchæ, Pentecoſtes, & Trinitatis, quæ ſimul & Dominicæ ſunt & Feſta item omnium Solemniſſima.

Ex his colligitur Officii de tempore ut ſic, nullam dari proprie tranſlationem. Quamvis enim aliqua pars Officii Dominicalis, aut Ferialis, puta Lectiones primi Nocturni, Reſponſoria, Hiſtoriæ, expoſitio, item Homiliæ, & Evangelii Dominicæ alia die interdum reſumantur, numquam tamen totum Officium talis Dominicæ, aut talis Feriæ alio die fit, quam tali Dominica, aut tali Feria. Non ſic Feſta Sanctorum; hæc enim idonea ſunt æque uno die fieri atque alio, unde ſi ſuo proprio die impediantur, facile reſumi poſſunt in alio; hincque eſt, quod traoslatio proprie Feſtorum dicatur.

Cum autem Feſta, quo digniora ſunt, & ſuperioris gradus, eo firmius diem ſuum retineant, & ab eo difficilius removeantur, idcirco ut eorum Tranſlationes certius a Nobis inveſtigentur, operæ pretium eſt rem juxta varios ſingulorum gradus definire, qui quatuor numerantur, ut alibi etiam innuimus, videlicet Duplicium primæ Claſſis, Duplicium ſecundæ Claſſis, Duplicium per Annum, ſive Majorum, ſive Minorum, & Semiduplicium; de Simplicibus, ſicut etiam de Vigiliis, & Octavis mentionem hic noo facimus, quia regulariter non dantur de his tranſlationes. Hæc ex Guyeto placuit tranſcribere, quia perutilia ſunt ad ſternendam viam quæſtionibus omnibus ad præſentem tranſlationis materiam ſpectantibus.

II. Gav. n. 1. *Duplex Feſtum poteſt occurrere, &c.*) Quamvis indiſtincte loquatur Gavantus hoc loco de Feſto Duplici quocumque occurrente io Dominicis Adventus &c. tamen ex iis, quæ poſterius tradit, & ex Rubrica ſuperiori, colligitur, quod dies excludentes Feſtum quodcumque etiam primæ Claſſis in iis occurrens, & quod proinde deberet transferri ſeu reſpective mutari, ſunt Dominica prima Adventus, Vigilia Nativitatis Domini, & a fortiori ipſiuſmet Feſtum, Circumciſio Domini, Epiphania, & ejus dies Octava, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Paſſionis, Dominica Palmarum, ac deinceps uſque ad Dominicam in Albis incluſive, Aſcenſio Domini, a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Dominicam Trinitatis incluſive, Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Aſſumptio B. M. V. Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & Feſtum Omnium Sanctorum. Præfati, inquam, dies tali Religione, & Solemnitate ab Eccleſia celebrantur, ut excludant quodcumque Feſtum in iis occurrens etiam primæ Claſſis, qualia ſunt Feſtum Patroni Principalis loci, ſeu Ordinis, nec non Titularis Eccleſiæ ac ejus Dedicatio, itaut nequeat fieri Officium de dicto Feſto, ſed transferri ſeu reſpective mutari debeat in diem proxime non impeditam.

Verum quidem eſt, quod prædictorum omnium dierum non eſt eadem ratio in excludendis omnibus Feſtis etiam primæ Claſſis, ut ſupra obſervavimus, nam cum prædictorum dierum alii ſint inſtabiles, ſeu certam in Kalendario ſedem non habentes, puta Dominica prima Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, & cætera Feſta Mobilia; alii e contra fixi, ſtatoque ſemper die quotannis recurrentes, ut ſunt Vigilia, & Feſtum Nativitatis Domini, Circumciſio, Epiphania, & ejus Octava, Aſſumptio B. M. V. Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & feſtum Omnium Sanctorum; hi quidem, Occurrentia ſecum feſta etiam primæ Claſſis, perpetuo excludunt, adeo ut de iis nullo unquam Anno tali die poſſit fieri, puta de S. Anaſtaſia die 25. Decembris. De aliis non item diſcurrendum eſt; ſi enim Dominica 1. Adventus incidat in diem 30. Novembris, excludit quidem feſtum S. Andreæ ab eo die, ſed hoc non niſi quinto, aut ſexto quolibet anno, aut etiam undecimo accidit: Unde in hoc poſtremo caſu tranſlatio eſt adhibenda, in illo vero priori opportunior eſſet mutatio, ut optime conſulit Guyetus *lib. 2. cap. 2.* præſertim *q. 6.*

III. Gavantus n. 2. - *Si vero eſt Duplex primæ Claſſis, de eo fit in Dominica &c.*) Advertit optime hic Gavantus, quod ſi feſtum aliquod Duplex primæ Claſſis occurrat in Dominica majore ſecundæ Claſſis, nempe vel in Dominica ſecunda, vel tertia, vel quarta Adventus (niſi in hanc incidat vigilia Nativitatis Chriſti) vel in Dominica Septuageſimæ, vel Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, vel denique in ſecunda, vel tertia, vel quarta Quadrageſimæ, tunc Officium fit de feſto illo primæ Claſſis: fieri tamen ſimul debet Commemoratio de hujuſmodi Dominica occurrente ſecundæ Claſſis in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa, cum nona Lectione de Homilia ejuſdem Dominicæ in Officio, & cum ultimo de eadem Evangelio in Miſſa. *Si* vero feſtum Duplex ſecundæ Claſſis incidat in Dominicam aliquam majorem ex dictis primæ, vel ſecundæ Claſſis, tunc Officium, & Miſſa debent dici de Dominica prædicta majori, & feſtum Duplex ſecundæ Claſſis debet transferri in diem aliam, eamque proximam non impeditam feſto novem Lectionum.

Ex hucuſque dictis patet tranſlationem feſtorum eſſe motum aliquem duos terminos habentem, videlicet terminum a quo feſtum amovetur, & terminum in quem feſtum rejicitur. Rurſus liquet, quod terminus a quo, non eſt idem pro omnibus feſtis, quæ enim digniora ſunt, difficilius a ſuo loco dimoventur, ſic difficilius amoventur feſta primæ Claſſis, quam feſta ſecundæ Claſſis, unde ſequitur, quod dies illi, qui rejiciunt ſuperiora feſta, v.gr. primæ Claſſis, iidem quoque rejiciunt omnia inferiora, nempe ſecundæ Claſſis, &c. Sed non e contra, Semiduplicia enim v. gr. rejiciuntur a Dominicis per Annum, in quibus ſtant immota Duplicia &c.

Terminus vero ad quem, ſive dies, in quem feſtum tranſlatum rejicitur, quoad Ferias idem eſt pro feſtis Superioribus, & inferioribus, ita ut tam hæc, quam illa in primam, quæ vacat transferantur, unde cum io Rubricis dicitur: *transfertur in primam diem non impeditam*: intellige io Feriam, ſeu diem non impeditam feſto Duplici, vel Semiduplici juxta ſuperiorem Rubricam *num. 1.* ſub nomine vero feſti novem Lectionum cum veniat etiam Dominica, ut patet ex Decreto S. R. C. 12. Martii 1618. dato *num. 41.* hinc fit, quod etiam quælibet dies Dominica cenſetur dies impedita ad admittendum Officium tranſlatum. E contra nomine feſti non admittentis Officium tranſlatum, non veniunt dies infra octavam aliquam non privilegiatam, in quibus fit de Duplicibus tranſlatis, immo & de Semiduplicibus in diem imme-

di-

Diate ſequentem, ſed de his tantum, quando occurrunt in Dominicam infra Octavam, in Feſto duplici habente Octavam, vel in Feſto Duplici infra eamdem Octavam occurrente, de qua re videantur ea, quæ diximus ſupra ad *Cap.* 8. ibi pariter adnotavimus diem Octavam nunquam poſſe transferri, & diximus quid faciendum ſit, ſi in ea occurrat Feſtum aliquod ſolemnius, & quomodo transferri debeat duplex per annum, vel majus, vel minus, ſi in dictam diem Octavam incidat, cum talia Duplicia cuicumque Octavæ cedant, non ſic vero Duplicia primæ, vel ſecundæ Claſſis, quæ non cedunt niſi Octavis privilegiatis, quales ſunt Octavæ Paſchatis, Pentecoſtes, & dies Octava Nativitatis Domini, in qua occurrit Circumciſio ejuſdem, & dies Octava Epiphaniæ. In die autem Octava SS. Corporis Chriſti, poteſt fieri tantum de Duplici primæ Claſſis in ea occurrente, non vero translato, & infra eam excluſis aliis Duplicibus translatis, ut notat Gavantus ſupra *Cap.* 8. *n.* 24. Exceptis tamen Duplicibus primæ, immo etiam ſecundæ Claſſis translatis, ut declaravit S. R. C. die 30. Maji 1699. quod Decretum datur in noſtro Indice *num.* 198. & idem (licet cum aliqua hæſitatione) adnotavit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 6. *q.* 7. Diximus, quod dies infra Octavas non privilegiatas non rejiciunt a ſe Duplicia quæcumque translata, nam Octavæ privilegiatæ, nempe Paſchatis, & Pentecoſtes excludunt quæcumque Feſta etiam primæ Claſſis occurrentia, unde a fortiori translata. Dies vero infra Octavam Epiphaniæ non admittunt aliud Feſtum, niſi ſit *primæ* Claſſis, cætera vero transferenda ſunt poſt dictam Octavam.

Diſputabatur inter Rubriciſtas utrum in Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis (quæ cenſetur tamquam dies infra Octavam) poſſit fieri de Officio translato? De Feſtis duplicibus translatis nulla poteſt eſſe difficultas, quia etiam translata fiunt infra Octavas non privilegiatas, ut diximus ſupra; ſola igitur remanebat difficultas de Feſtis ſemiduplicibus translatis, de quibus non poteſt fieri infra Octavas, niſi transferantur a Dominica in Feriam ſecundam proxime ſequentem non impeditam Feſto duplici, vel ſemiduplici in eam occurrente, vel transferantur a Feſto duplici Octavam habente, vel a Feſto duplici infra eamdem Octavam occurrente in proximam diem immediate ſequentem, prout diximus ſupra *cap.* 8. Propoſitum dubium affirmativa deciſione reſolverat Guyetus *loc. cit. q.* 8. ubi ait, quod Feſta ſemiduplicia quomodocumque translata poſſunt habere locum in dicta Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, licet enim hæc Feria more diei infra Octavam celebretur, in rigore tamen non eſt talis, ſed repetitio Officii Dominicæ infra Octavam, quamvis Ritus Octavæ in ea ſervetur. Hanc vero quæſtionem, juxta mentem Guyeti, omnino dirimit Decretum a S. R. C. die 11. Auguſti 1691. datum a nobis n. 169. Non poteſt tamen in ea fieri de quacumque alia die infra Octavam occurrente, cujus ſola commemoratio debet fieri ad Laudes, & Miſſam, nec amplius de ea fit aliud, cum debeat ceſſare Octava ob Vigiliam Pentecoſtes ſupervenientem, ut optime præſcribitur in Rubricis Breviarii Franciſcani a S. R. C. die 13. Februarii 1666. approbatis, & in poſtrema ejuſdem recognitione Tit. IX. de Commemorationibus n. 94. & Tit. X. de Translatione Feſtorum n. 103. die 18. Octobris 1696. recognitis, & per Innocentium Papam XII. 21. Novembris 1696. & 3. Decembris 1697. per binas Conſtitutiones confirmatis, quodque videtur valde rationi congruum ex quo cum ſit Officium Domini, eſt præferendum Officio diei infra aliquam Octavam.

Aliqua quoque movetur difficultas ſuper Vigilia Epiphaniæ, utrum in ea poſſit reponi Officium translatum? ſed citatus Guyetus negat firmiter cum noſtro Gavanto *ſect.* 6. *cap.* 7. *n.* 1. quia Officium prædictæ Vigiliæ eſt vere Dominicale, & ſe habet veluti Dominica inter Circumciſionem, & Epiphaniam, taliter ut in ea Vigilia, nec de occurrente quidem ſemiduplici fieri poſſit; en igitur, quod excludit talis Vigilia quodcumque Officium translatum etiam primæ Claſſis.

Poſſet etiam agitari quæſtio cum Guyeto quomodo eſſet celebrandum Officium S. Agnetis, ſi transferri deberet uſque ad diem 28. Januarii, quo occurrit ipſiuſmet S. Agnetis Feſtum *ſecundo* dictum; & quid faciendum ſi ulterius tale Feſtum transferatur? ſed cum adſit Decretum S. R. C. 5. Maji 1736. in noſtro Indice n. 286. hæc quæſtio remanet deciſa. Alia quæſtio, quam ibidem *lib.* 4. *q.* 9. proponit Guyetus circa transferendum Feſtum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſi eo die occurrat Feſtum Titularis, ſeu Dedicatio Eccleſiæ, eſt inutilis pace tanti viri; ex dictis enim a nobis ſupra *n.* 2. hic caſus eſt impoſſibilis, quia omne Feſtum primæ Claſſis cedit Feſto ſolemni dictorum Apoſtolorum.

De translatione Feſti S. Benedicti pro PP. Benedictinis vide Drecretum emanatum 23. Januarii 1727. datum ſub n. 270. De aliis translationibus Feſtorum particularium, v. gr. de Translatione Feſti ſeptem Dolorum B. M. V. S. Joſeph, Annunciationis B. M. V. &c. agemus in noſtris Additionibus ad Sectionem 7. quæ eſt de proprio Sanctorum in ſuis locis propriis. Interea procedemus ſectando Gavanti veſtigia ad diſcutienda, & decidenda alia dubia cum noſtris doctrinis, tum S. C. Decretis, quæ ſpectant ad hanc materiam Translationis in genere, quorumcumque Feſtorum, ſeu Officiorum. Quoniam vero ſermo hic eſt de termino ad quem, ſive de die, in quo Feſtum translatum, eſt reponendum, circa quod legenda ſunt Decreta in noſtro Indice 7. Februarii 1669. n. 211. & 20. Martii 1706. n. 237. quo vero ad translationem Officiorum de uno ad alium Annum inſpiciantur Decreta 7. Decembris 1680. n. 108. 27. Aprilis 1697. *in Florentina*, & 27. Septembris 1698. n. 207. Et licet S. R. C. ad dubium propoſitum ab Eccleſia Hiſpalenſi tenoris ſequentis; *An Sancti, de quibus in toto Anni decurſu celebrari Officium non potuit, transferendi ſint ad Annum ſequentem, vel potius eo Anno ſint omittendi?* reſponderit ſub die 26. Novembris 1735. *Sanctos qui in fine Anni ſuperſunt, non eſſe ad Annum ſequentem transferendos, ſed quoties, toto Anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo Anno, diebus eorum propriis, conſiderandos eſſe tamquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in ſimplicibus, cum nona Lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum Lectionibus propriis ſecundi Nocturni ad modum unius.* Et cum hoc Decretum aliquibus viſum fuerit particulare; attamen quia poſtea eadem Sacra Congregatio conſulta *in una Toletana*: *An ſtantibus Decretis de non addendo, mutando, vel retrahendo in Breviario Rom. nec non Decretis Officior. noviter apponendorum in corpore, in quibus præcipitur his verbis - Debeant, teneantur, agant. In Officiis vero provincialibus concluditur ſic - Valeant, poſſint, recitari poſſe cenſuit, conceſſit, annuit &c. Si autem in aliqua Eccleſia, præſertim Regularium, ſint tot Feſta, quod non poſſint nonnulla ſemiduplicia translata, adhuc recurrente anno, reponi ſemel in biennio. In hoc ergo caſu licebit omittere, quæ ſunt de Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo conceſſis?* ſub die 15. Septembris 1736. reſpondit: *Detur Decretum in Hiſpalen. 26. Novembr.* 1735. nempe ſupra allegatum. Et quamvis illuſtriſs. D. Diverſini unus ex Cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſtris innuerit in ſuo Voto poſſe juxta Decreta emanata transferri Officia, quæ ſuperſunt, in annum ſequentem, nihilominus concluſit potius moderandas eſſe Octavas minus principales in aliquibus Ordinibus Regularibus, & quatenus ſuperſint aliqua Officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem; unde S. C. reſolvit juxta hoc votum; confirmando Decretum in Hiſpalen. Ex quibus aliqui cenſent, quod talis norma, & diſpoſitio non transferendi ullum Officium ad Annum ſequentem, debeat ſervari ab omnibus Eccleſiis, & Ordinibus etiam Regularium. Et revera Minores S. Franciſci Conv. in praxim eam deduxerunt, ut videre eſt in Ordine Divini Officii pro Anno 1737. Decreta vero ſupradicta innuuntur in noſtro Indice n. 282. & 337. quæ quidem Decreta ab aliis judicantur particularia pro præfatis Eccleſiis Hiſpalen. & Tolet.

IV. Gav. num. 3. - *Si contingat, ut duo Feſta duplicia occurrant eodem die, &c.*) Inhærendo diſpoſitioni Rubricæ, quæ habetur n. 3. docet optime Gavantus, quod ſi occurrant eodem die infra Octavam non privilegiatam duo Feſta duplicia, eo caſu debet celebrari Officium de magis nobili, ſeu de eo, quod præferri deberet, juxta regulas ſupra, & infra tradendas, & transferri aliud duplex minus nobile in primam diem infra eam Octavam non impeditam alio Feſto novem Lectionum. Hæc diſpoſitio congrua omnino eſt, quia cum certiſſimum ſit etiam juxta mentem S. R. C. declaratam in ſuo Decreto 30. Septembris 1679. dato in noſtro Indice n. 101. in quo habetur: *Feſtum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam ſi eſt transferendum, non eſt protrahendum poſt Octavam, ſed infra eamdem celebrandum:* hinc optime fit, quod idem Feſtum duplex non eſt pariter protrahendum quotieſcumque occurrit etiam intra eamdem Octavam.

Non me latet aliquos Auctores aſſerere fere idem etiam de Feſto ſemiduplici, quando incidat in Feſtum duplex infra Octavam non privilegiatam, dicendo in tali caſu transferendum eſſe tale Feſtum ſemiduplex in diem immediate ſequentem Feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam, ita tradit Piſart in ſuo Directorio Canonico *tit.* 10. *n.* 7. quem ſequitur Halden *part.* 3. *tit.* 6. §. 5. innixi præſertim S. C. Decretis 30. Septembris 1679. datis n. 104. & 105. & his duobus Decretis profecto derogatum fuiſſe per ſubſequens editum die 22. Decembris 1696. & datum n. 191. jam diximus in noſtris Additionibus ad Caput 8. hujus tertiæ Sectionis, ubi concludimus, quod Officium ſemiduplex non poteſt transferri, niſi in ſequentem Feriam II. quando occurrit in Dominica antecedenti infra Octavam non privilegiatam, & admittentem Feſta ſemiduplicia occurrentia, & ſi tale Officium inveniat Feriam illam ſecundam impeditam, tunc transferri debet poſt illam Octavam in primam diem pariter non impeditam, ſervato ſemper debito translationis ordine cum aliis Feſtis, quæ transferri debent, quodque S. R. C. declaravit habere locum etiam Officium quoad Feſtum ſemiduplex occurrens in Feſto duplici infra Octavam non privilegiatam, ut ibi clare, ac diſtincte adnotavimus. Cæterum ſi Feſtum ſemiduplex incidat in aliam Dominicam per Annum, tunc obſervanda eſt ad literam diſpoſitio ſuperioris generalis Rubricæ, quæ habetur n. 7. & ea, quæ tradit Gavantus ſupra num. 4. videantur Decreta data in noſtro Indice

dice

Digitized by Google

dice num. 226. & 316. quibus confirmantur noſtra placita mox expoſita.

Multoties accidit, & in pluribus locis, ſive Eccleſiis, quod plura Officia ejusdem, ſive diverſi Ritus de præcepto eadem die occurrant, & ita fixe, ut translatio alicujus ſit perpetua; in hoc caſu quæri poſſet utrum prima dies proxime non impedita, aſſignata cenſeatur in perpetuum pro die propria, & fixa Feſti translati reſpective? Hanc quæſtionem tractabimus, & decidemus infra perpendentes verba, & opinionem Gavanti, quæ habentur *num.* 15.

V. Gavant. num. 5. -- *Occurrentibus pluribus Feſtis novem Lectionum, transferatur illud, quod eſt minus nobile, &c.*) Optime explicat hoc loco Gavantus, verba Rubricæ Generalis, quæ habentur *n.* 6, & docet, quod in transferendis Feſtis ſervanda eſt hæc Regula, nimirum: quod in occurrentia duorum Feſtorum debeat celebrari Officium de magis nobili, & transferri illud, quod eſt minus nobile, vel ratione ritus, vel ratione perſonæ, quando Feſta, ſeu Officia in ritu ſint æqualia. Huc ſpectant ſequentia Decreta, quæ videre eſt in noſtro Indice, videlicet 21. Auguſti 1688. num. 156.
6. Septembris 1727. n. 270. & 20. Novembris 1717. n. 260.
3. Septembris 1672. num. 97. & 25. Januarii 1729. n. 272.
27. Auguſti 1633. n. 76. & 20. Martii 1706. n. 237.
4. Martii 1681. n. 115. 12. Julii 1704. n. 227.
15. Martii 1698. n. 194. & 27. Septembris 1698. n. 209.
7. Decembris 1680. o. 109. & 112. 5. Maji 1736. n. 286.
& 23. Junii 1736. n. 286. 287. 288. 322.
20. Martii 1683. n. 137. & 138. 10. Januarii 1693. n. 177.
20. Julii 1686. n. 157. & 5. Maji 1736. *ſub num.* 290.

VI. Gavantus num. 6. *Translatis pluribus Feſtis &c.*) Poſtquam *num.* 5. explicavit Gavantus quodnam Feſtum ſit celebrandum, & quodnam transferendum quando plura occurrunt eodem die, tranſit deinde *n.* 6. ad explicandum ordinem, qui ſervari debet in reponendis pluribus Feſtis translatis, & dicit, quod ſi plura Officia habeantur translata diverſi Ritus, tunc id, quod eſt Ritus altioris, v. gr. primæ Claſſis, prius transferendum, & reponendum eſt, quam illud, quod eſt Ritus inferioris v. gr. ſecundæ Claſſis; & ſic ob eamdem rationem prius Officium Duplex, quam Semiduplex. Inter plura autem ejusdem Claſſis, & Ritus debet ſervari ordo dignitatis, unde prius transferri debet Officium de Digniore, quam de minus digno, quod innuit pariter Gavantus *n.* 7. dicendo, quod in Translationibus debet ſervari ordo tum Dignitatis, tum Kalendarii. Cohærendo autem prædictis Diſpoſitionibus, quæ eruuntur ex ſacris Rubricis, emanarunt ſequentia Decreta a Sacra Rituum Congreg. 13. Junii 1682. num. 127. 5. Maji 1736. numer. 290. 18. Septembris 1666. n. 92. 17. Julii 1706. num. 239. 2. Septembris 1741. num. 360.

Cæterum quodnam ex pluribus Feſtis ejusdem Ritus unum cenſendum ſit dignius altero, atque adeo, vel ſimul occurrenti, præferendum, vel ſi ambo ſint translata, prius reponendum, colligi poteſt ex dictis a nobis in præcedente Capite de Concurrentia Feſtorum, & ex dicendis infra.

VII. Gavantus num. 8. -- *Feſtum Simplex non transfertur &c.*) Ex hucuſque dictis colligitur quænam Officia, ac Feſta, poſſint, ac debeant transferri, nempe ex Feſtis ſola Feſta Duplicia, & Semiduplicia de præcepto, ſuo die celebrari impedita. Ex aliis vero diebus quoad Officium, immo quoad partem Officii, ut ſupra notavimus, & Miſſam (non autem quoad obligationem audiendi ſacrum, & abſtinendi ab opere ſervili) etiam Dominicam (quando juxta Rubricas aliquando contingit, ut ad diem aliquam præcedentis Hebdomadæ ſit anticipanda) ac etiam Vigilias minores, quando incidunt in Dominicam, & Feſta illa, quorum ſunt Vigiliæ, in feriam ſecundam incidant &c. Tunc enim de talibus Vigiliis fit in Sabbato præcedenti, ut diſponunt Rubricæ, e contra nunquam transferuntur dies Octava, nec Feria, nec Feſtum Simplex, ut ait Gavantus hoc numero; ſed de iſtis ſi die ſuo celebrari Officium non poſſit, vel ſolam fieri Commemorationem ſuis locis, ſi dies, aut Feſtum occurrens id permittat; vel ſi ratio diei, vel Feſti occurrentis neque hanc Commemorationem permittat, tunc omittitur omnino Officium Simplex pro eo Anno, aut loco; Unde fieri poteſt, ut optime notat Gavantus, ut alicubi nunquam quid fiat de Feſto Simplici, neque Officium, neque Commemoratio. Huic autem perpetuo impedimento S.R.C. die 22. Januarii 1735. in correctione & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium provide occurrit, ut adnotavimus ſupra hac Sect. Cap. IV. in fine. Alia etiam ſunt Officia, quæ transferri non poſſunt v. grat. Feſta Duplicia, aut Semiduplicia mere ad libitum, de quibus tamen fuſiori calamo agemus infra in noſtris Additionibus *ad n.* 16.

Præterire tamen hoc loco non debeo, quod ſi Feſta Semiduplicia ad libitum, quæ antea fuerant Simplicia, occurrant v. gr. in Dominica, tunc de his 9. Lectio legi debeat, & fieri Commemoratio, ac ſi forent adhuc Simplicia, nec minus habeant eo Anno, quam ante habuerant: hoc colligitur ex Decreto 13. Junii 1682. dato in noſtro Indice *n.* 126. Hoc contingit aliquando in Feſto S. Remigii incidente in diem primam Octobris, cujus Feſtum ſub Ritu Semiduplici eſt ad libitum, ſub Ritu vero Simplici eſt de præcepto. Neque poteſt dici, quod ſi tale Feſtum occurrat in Dominica, & ſequens dies vacet, poſſit in talem diem transferri, quia Decretum, quod aſſeritur datum die 30. Martii 1692. & quod aſſertur ab Henrico Piſart *in ſuo Directorio Canonico Tit. X. n.* 19. nimirum, quod -- Feſta ad libitum transferri poſſunt in ſolam immediate ſequentem diem, dummodo non ſit impedita Feſto Duplici, vel Semiduplici, vel non habeatur, reponendum aliquod Feſtum translatum cujuſcumque Ritus -- in Regeſto Decretorum S. R. C. reperiri non potuit; & anno 1692. die 30. Martii incidit in Dominicam Palmarum; unde tamquam authenticum tale Decretum admitti ſane nequivit.

VIII. Gavant. num. 11. -- *verbi gr. S. Sebaſtiani, cui cum S. Fabiano ſit ordinarie Feſtum &c.*) Aſſerit hic Gavantus, quod ſi occurrant duo Feſta eodem die ſub una ratione Feſti, quorum tamen alterum eſt Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ, v. g. Feſtum S. Sebaſtiani, cujus cum S. Fabiano ſit ordinarie Feſtum, tunc eo caſu ſit de Patrono, ſeu Titulari tantum, hoc eſt de S. Sebaſtiano ſolo, uti Feſto primæ Claſſis, non autem de ſocio eo die: & n. ſequenti reſolvit, quod tunc de S. Fabiano fiet prima die non impedita ſub Ritu ſemiduplici poſt octavam S. Sebaſtiani. Quamvis doctrina Gavanti vera ſit generaliter loquendo de occurrentia talium Feſtorum, quorum alterum eſt Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ; attamen ſi unus fuerit Patronus minus principalis, officium ſit de ambobus, juxta Decreta Sac. Rit. Congreg. 22. Novembris 1698. & 16. Septembris 1730. data in noſtro Indice n. 210. & 273. & licet per quamdam ejusdem reſolutionem *in una Egitanien.* 6. Septembris 1603. nonnulli verſarentur in opinione de S. Sebaſtiano in Eccleſia propria non poſſe recitari Officium ſeparatum a S. Fabiano: corruit tamen hic error, ſi accurate perpendatur, quod a Sacra Congregat. nunquam proſcripta fuit in ea Eccleſia S. Sebaſtiani recitatio communis Orationis amborum Sanctorum, vel tantum S. Sebaſtiani; ſed quia colore Orationis, quæ petebatur particularis, & ſolum de S. Sebaſtiano, conjiciebatur, implicite, & indirecte obtineri velle tacita approbatio, vel confirmatio celebrandi Officium & Miſſam ejusdem S. Sebaſtiani bis in quolibet Anno, nempe ultra diem propriam 20. Januarii, etiam in Dominica ſecunda Auguſti; hinc eadem Sacra Congregatio congrue, & proprie rejecit inſtantiam, quam utique admiſiſſet, & annuendum eidem eſſe cenſuiſſet ad tramites Rubricæ, poſt Tabellam de occurrentia, deſcriptæ. Prædictum autem Decretum hic prout jacet exhibemus, ut exinde noſtri aſſerti veritas magis eluceſcat.

Cum Epiſcopi, & Capitulum Egitanien. ob generalem peſtilentiam in Regno Portugalliæ Eccleſiam a fundamentis in eadem Civitate erexerint, & B. Sebaſtiano inclyto Martyri dedicaverint, ad quam ſingulis Annis bis accedunt, & ſolemniter in honorem dicti S. Sebaſtiani Miſſam, & Officium celebrant, nempe die 20. Januarii in Feſto ejusdem Sancti, & ſecunda Dominica Auguſti: & quia in Officio, quod de S. Sebaſtiano recitatur, Oratio eſt communis cum S. Fabiano, ſupplicaverunt, ut eis licitum ſit in dicta Eccleſia B. Sebaſtiano dicata, dictis duobus Anni diebus, Orationem de S. Sebaſtiano tantum recitare, cum in Cathedrali Eccleſia, etiam Officium, & alia Miſſa de Sanctis Fabiano & Sebaſtiano a parte Capituli, quæ ibi remanet, celebretur juxta formam Breviarii, & Miſſalis Romani. Congregatio vero nihil concedendum eſſe judicavit: & ita reſpondit die 6. Septembris 1603. Decreta autem, quæ reſpective ad hanc materiam attinent, reperientur in noſtro Indice ſub diebus 12. Februarii 1633. n. 74. 12. Julii 1664. n. 86. 7. Auguſti 1717. num. 259. 16. Septembris 1730. n. 273. 22. Novembris 1698. n. 210.

Una idcirco eſt omnium Doctorum ſententia, quod quando in Kalendario habentur duo, vel plura Feſta ſub eadem feſtivitate eodem die celebranda, quorum alterum eſt in qualitate Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ, & alia non, tunc in ea Eccleſia debet fieri tantum de Patrono, vel Titulari, abſque commemoratione aliorum, & hæc eſt particularis Rubrica, quæ habetur in Breviario Romano poſt Tabellam de Occurrentia n. 8.

E contra vero cum quæſitum fuiſſet an in Eccleſia S. Mariæ in Porticu, ubi aſſervatur Brachium S. Marcelliani tantum (occurrentis die 18. Junii) faciendum ſit Officium etiam de S. Marco ſub Ritu duplici minoris de Communi plurimorum Martyrum, vel potius de S. Marcelliano tantum de Communi unius Martyris? S. R. C. die 7. Auguſti 1717. reſpondit -- Officium eſſe recitandum de utroque Sancto de Communi plurimorum Martyrum -- Et hoc Decretum datur in noſtro Indice n. 259. Ex hoc infertur non eſſe dividendos eos Sanctos, qui juncti ſunt per ſe, & quaſi ex natura rei, cum videlicet aliqua inter eos conſanguinitas, vel affinitas interceſſit; SS. igitur Marcus, & Marcellianus, qui erant fratres, ideo non ſunt dividendi, licet in prædicta Eccleſia reperiatur Reliquia inſignis tantum de S. Marcelliano. Qui non ſunt pariter dividendi, etiamſi unus eorum eſſet Patronus, vel Titularis, ſecus vero ſi fraternitas eſſet tantum ſpiritualis, utpote quia Sancti Fratres alicujus Inſtituti, ſeu

Con-

Congregationis Regularis; in tali enim caſu apud illos Regulares, qui gaudent privilegio recitandi eorum Officium, ſi unus, vel plures eorum ſunt reſpective Titulares, vel Patroni, etiam Provinciæ Regularis, per modum unius, de ipſo, vel ipſis debet recitari ſub Ritu duplicis primæ Claſſis cum Octava; de reliquis vero in propria die ſub Ritu quo debebat celebrari, ac ſi nullus eorum fuiſſet Titularis, vel Patronus. Octava vero ex omnimoda congruentia ab ipſis Regularibus debet recitari, quando aliquis Sanctus eorum Ordinis eſt Patronus tantum Loci, vel Provinciæ, ſeu Regni, vel Titulus Cathedralis, ſeu Matricis nullius Diœceſis, quamvis ipſi in eorum Ordine, ſeu Congregatione de prælaudato Sancto, vel Sanctis Octavam non celebrent; Quodque intelligitur de aliqua Octava ipſorum Sanctorum Regularium Clero Sæculari conceſſa. Si autem unus dictorum Sanctorum eſt Patronus minus principalis, Officium fit de ambobus. Ab ipſis vero qui non fruuntur privilegio recitandi Officium talium Sanctorum Fratrum alicujus Inſtituti Regularis, de eo tantum debet recitari, qui eſt Titulus, vel Patronus, etiam minus principalis, vel aſſervatur Reliquia inſignis, vel adeſt indultum particulare: de reliquis autem nullum recitatur alio die Officium, neque fit commemoratio. Ex prædictorum exemplo idem dicendum cenſet de aliis Sanctis Fratribus eadem die occurentibus Guyerus *lib. 3. ſect. 1. cap. 3. quæſt. 5.* & cum eo Joann. Baptiſta Pittonus n. 1368.

IX. Gav. n. 15. - *De Patrono loci tamquam de digniori recitandum ſit Officium, tranſlato Titulari &c.*) Reſolvit hic Gavantus, quod in Eccleſia Regularium quando occurrunt duo Feſta eodem die Patroni principalis loci, & Titularis Eccleſiæ illorum Regularium, reſolvit, inquam, quod Regulares debent recitare Officium de Patrono loci, tranſlato Titulari, qui eſt minus dignus. Huic Gavanti deciſioni non acquieſcit Guyetus, ſed eam refellere nititur *lib. 4. cap. 12. q. 2.* Guyeti ſententiæ ego pariter propendeo ea ratione ductus, quia Feſta propria cæteris omnino paribus, ut ſupra innuimus, & patet ex Decreto 23. Junii 1736. dato *ſub n. 322.* præferenda ſunt in ea Eccleſia, cujus ſunt Feſta, aliis Feſtis communibus; Feſtum autem Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ eſt profecto Feſtum omnium maxime proprium; unde in paritate Ritus hoc eſt præferendum. Rurſus conſidero Regulares teneri quidem ad celebrandum Feſtum Patroni loci ſub Ritu primæ Claſſis, ſed ſine Octava, ut liquet ex Decreto 27. Maji 1623. dato in noſtro Indice *n. 63.* & ex aliis Decretis ibidem indicatis. Feſtum vero Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ tenentur pariter Regulares ſub Ritu duplici primæ Claſſis, & cum Octava, ut patet ex Decr. 13. Junii 1682. dato in noſtro Indice *n. 125.* unde dignius, vel ſolemnius profecto apparet relate ad Regulares Feſtum Patroni, ſeu Tituli propriæ Eccleſiæ, vel ejus Dedicationis, quam Feſtum Patroni loci, ex quo illud ſolemnius celebratur ab ipſis, nempe cum Octava, hoc vero ſine Octava. Hinc eſt, quod Cæremoniale Monaſticum, licet Gavanto addictiſſimum *lib. 4. cap. 16.* ubi agit de Feſtis Patronorum, præfert Feſtum Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, Feſto Patroni principalis loci, nam præſcribit primum eſſe celebrandum ſub Ritu primi ordinis, ſecundum vero ſub Ritu duplici tertii ordinis.

X. Gav. eod. n. 15. - *Quod ſi quotannis hic accidat occurſus, aſſignanda erit dies ſequens in perpetuum Titularis Eccleſiæ.*) Inhærendo ſuæ ſententiæ progreditur Gavantus ad declarandum, quod ſi quotannis accidat prædictus occurſus Patroni principalis loci cum Titulari Eccleſiæ, tunc aſſerit aſſignandam fore diem ſequentem in perpetuum Titulari illius Eccleſiæ, adjuncto etiam Feſto Dedicationis Eccleſiæ; ſpecialiter cum Feſtum Patroni loci habet forum, & populus magis gaudet Miſſa de ſuo Patrono, quam de quocumque alio Titulari, ſeu Patrono, vel Dedicatione alicujus Eccleſiæ particularis.

Fateor quod valde urgerent Gavanti rationes, ſi Feſtum Patroni loci eſſet ſub præcepto obſervandum cum obligatione audiendi Sacrum, & abſtinendi ab operibus ſervilibus; quia in hoc caſu, ſi Feſtum Titularis Eccleſiæ non celebraretur a Regularibus cum majore ſolemnitate, quam Feſtum Patroni principalis loci, tunc videretur præferendum Feſtum dicti Patroni loci Feſto dicti Titularis Eccleſiæ, quia cæteris paribus quando concurrunt duo Feſta, quorum unum ſit in Populo celebre, & alterum tantum in Choro conſuetum ſolemniter celebrari abſque celebratione Populi; prius poſteriori eſt præferendum, quia major eſt habenda ratio publicæ celebrationis Cleri, & Populi, quam ſolius Cleri; videantur quæ diximus de occurſu Feſtorum Patrocinii S. Joſeph, cum Feſto univerſali de præcepto SS. Philippi, & Jacobi. Ubi reſolvimus non eſſe præferendum primum; licet ejuſdem Ritus, niſi ubi celebratur cum majori ſolemnitate, quam celebretur Feſtum ſecundum dictorum Apoſtolorum. Si autem ſermo ſit de Feſto Fundatoris, ſeu Patroni alicujus Ordinis, tamquam de præcepto celebratur ab omnibus ſub ejus Inſtituto militantibus, & ideo abſque dubio ab iis præferri debet Feſto Patroni loci, & non eſt poſtponendum, niſi Feſtis primæ Claſſis Eccleſiæ univerſalis, quæ ſupra recenſuimus.

Nunc ſe offert occaſio agitandi quæſtionem, quam ſupra *n. 4.* innuimus, nimirum quando plura Officia ejuſdem, ſive diverſi Ritus de præcepto eadem die occurrunt, & ita fixe, ut tranſlatio alicujus ſit perpetua, utrum in hoc caſu prima dies proxime non impedita aſſignanda cenſeatur in perpetuum pro die propria, & fixa Feſti tranſlati reſpective? Hæc quæſtio propoſita fuit pluries in S. R. C. præſertim vero die 28. Auguſti 1706. & 14. Decembris 1709. & S. C. reſpondit negative, ſiquidem conceſſio facta utentibus Breviario Minorum de Obſervantia, ut habetur in Rubricis particularibus n. 15. per quam conceditur talis facultas, non extenditur ad non utentes tali Breviario, quæ Decreta videri poſſunt in noſtro Indice *n. 240.* & 252.

Tandem de Anno 1712. fuerunt propoſita ſequentia dubia S. R. C. ex parte Canonicorum Eccleſiæ Piſaurenſis.

Primo. In Civitate, & Diœceſi Piſaurenſi die 31. Auguſti occurrit Feſtum Dedicationis Cathedralis ſub Ritu duplici primæ Claſſis celebrandum, & in eadem die ab Eccleſia univerſali fit Officium Sancti Raymundi Nonnati ſub Ritu duplici minori.

Secundo. Item in eadem Civitate, & Diœceſi die 24. Septembris occurrit Feſtum S. Terentii Martyris Patroni principalis Civitatis, & Diœceſis ſub Ritu duplicis primæ Claſſis celebrandum, & eadem die ab univerſali Eccleſia fit Officium B. M. V. de Mercede ſub Ritu duplici minori; ſupplicatum autem fuit S. R. C. a prædictis Canonicis declarari, ſi ſupradicta Feſta altioris ordinis venerint die Sabbato, an Officia S. Raymundi, & Beatæ Mariæ Virginis de Mercede vigore Decreti S. R. C. editi 14. Auguſti 1664. & iterum 18. Octobris 1696. in reformatione Kalendarii Fratrum Minorum ſint celebranda die Dominico ſequenti tamquam die propria, vel debeant transferri in Feriam proximam non impeditam?

Hæc ſupplicatio a S. R. C. remiſſa fuit ad D. Abbatem Joann. Baptiſtam Gambarucci tunc Sedis Apoſtolicæ, & Sacrarum Cæremoniarum Magiſtrum pro voto; votum autem prædicti, qui nunc Archiepiſcopatus Amaſæni dignitate decoratus, & Officii Apoſtolicarum Cæremoniarum Præſes eſt commendatiſſimus, fuit ſequentis tenoris.

Duplici propoſito dubio, uno dumtaxat, ac compendioſo reſponſo ſatisfaciendum videtur. Officia enim Sanctorum, quorum Feſta, non quidem ex accidenti, atque pro hac, aut alia ſimili vice, ſed conſtanter, ac de rei natura, propter occurſum majoris Feſti perpetuo ſunt impedita, apud Peritos Sacrorum Rituum in aliam diem *permutari*, & non transferri dicuntur. Tranſlatio namque non idem eſt, quod mutatio, juxta tradita per Guyetum *in ſua Heortologia lib. 4. cap. 7. qu. 1.* Quamvis etenim utraque ſit amotio Feſti a die propria, differunt tamen in hoc, quod mutatio eſt quædam veluti tranſmigratio, ac nova alterius ſedis adeptio: Tranſlatio vero inſtar eſt peregrinationis, qua ſe alio quis ita confert, ut tamen ad ſuam ſtationem illico ſit rediturus. Poſita igitur hac diſtinctione, liquido apparet in noſtro caſu, quod Officia S. Raymundi Nonnati, & M. V. de Mercede non tranſlata omnino ſint, ſed potius permutata, & ſtabiliter conſtituta a trigeſima prima Auguſti in die vigeſima quarta Septembris; necnon reſpective a die vigeſima quarta Septembris in die immediate ſequenti; ac propterea ſub præfatis hiſce diebus perpetuo, & quandocumque etiam in occurſu Dominicæ juremerito celebranda. Adſtipulatur noſtræ ſententiæ praxis Baſilicæ Vaticanæ, cujus auctoritas in hac materia quanti a nobis facienda ſit, colligi poteſt ex Conſtitutione Nicolai III. quæ incipit: *Civitatem Sanctam Hieruſalem &c.* ubi Principis Apoſtolorum Baſilica cunctarum Eccleſiarum exemplar, & ſpeculum nuncupatur; ex ejus ſiquidem Kalendario, omiſſis aliis quampluribus, unum ſat erit adduci exemplum, de Feſto ſcilicet S. Catharinæ *Virg. & Mart.* quod ob perpetuum impedimentum diei Octavæ Dedicationis dictæ Baſilicæ, a ſua priſtina ſede amotum, & in diem proximam aſportatum, ita ei firmiter addictum eſt, ut etſi inciderit in Dominicam, ceſſare faciat illius Officium, quemadmodum pro ultima vice de Anno 1708. laudabiliter ſervatum fuit.

Quare ex allatis juxta mentem hujus S. C. jam pluries declaratam, & ſignanter per duo Decreta, quæ in præſenti ſupplici libello citantur, reſcribi poſſe cenſerem faciendum eſſe de Officiis, de quibus agitur ſub diebus reſpective aſſignatis, etiam in occurſu Dominicæ.

Audita ab Eminentiſſimis PP. hac conſultatione, S. R. C. ad propoſita dubia reſpondit - *Juxta Votum antedicti Cæremoniarum Magiſtri*, nimirum faciendum eſſe de Officiis, de quibus agitur ſub diebus reſpective aſſignatis etiam in occurſu Dominicæ, & ita decrevit die 2. Julii 1712.

Hoc Decreto derogatum videtur ex vi ſuæ declaration. Decr. datis in noſtro Indice *n. 240.* & 252. & eo magis ſuadeor de hac derogatione, quia de Anno 1717. aliud ſimile Decretum emanavit, nam cum quæſitum fuiſſet ex parte Eccleſiæ S. Jacobi incurabilium Urbis: an Officium Viſitationis B. M. V. die 2. Julii, in qua Feſtum Dedicationis ejuſdem S. Jacobi occurrit, celebrari poſſit die immediate ſequenti, etiamſi fuerit in die Dominica? Rurſus cum pariter ex parte dictæ Eccleſiæ ſecundo quæſitum fuerit: an item die immediate ſequenti diei primi Auguſti etiam Dominica celebrandum ſit Officium S. Petri ad Vincula, cum hac ipſa die occurrat Octava S. Jacobi? S. Rit. C. reſcripſit - Faciendum

eſſe

eſſe de Officiis, de quibus agitur in die immediate ſequenti, etiam in occurſu Dominicæ, propter perpetuum impedimentum in propria die juxta alterum Decretum editum die 2. Julii 1712. *in Piſauren*, & ita declaravit S. C. die 20. Novembris 1717. -- Vide etiam Decreta poſita in noſtro Indice *ſub num.* 286. 287. 288. 318. quibus idem declaratur, & confirmatur.

Hujuſmodi ſuis iteratis Decretis S. R. C. approbavit ſententiam Guyeti, expoſitam in voto Illuſtriſſimi Præſulis Gambarucci, quod Offic a Sanctorum non ex accidenti, ſed conſtanter a ſuo proprio die amota, non intelliguutur transferri, ſed permutari, adeoque prædictis Officiis prima dies proxime non impedita aſſignata cenſeri debeat in perpetuum pro die propria, & fixa tali Feſto ſic translatn, itant ſi celebretur ſub Ritu duplici etiam in occurſu Dominicæ tali die ſit celebrandum, id quod fieri non poſſet, ſi prædicta proxima prima dies non eſſet illis in perpetuum aſſignata, unde nunc pro omnibus Eccleſiis videtur firmiter ſtatutum id, quod declaratum, & conceſſum jam fuerat in Rubricis particularibus Minorum Obſervantium *num.* 15. pro his, qui tali Breviarin utuntur, nimirum, quandn plura Officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita aſſignata cenſetur in perpetuum pro die propria Feſti reſpective translati, Et equidem hæc omnia evidenter confirmantur ex praxi communi Eccleſiæ, etenim cum Benedictus PP. XIII. ſan. m. Anno 1728. 27. Septembris indulſerit, atque conceſſerit, ut Officium S. Gregorii PP. VII. alias a S. R. C. die 19. Auguſti 1719. cum Lectionibus ſecundi Nocturni, & Oratione propriis pro univerſo Ordine Benedictino reviſum, & approbatum, impoſterum ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur die 25. Maji ſub Ritu duplici recitari, & Miſſa reſpective celebrari debeat; hinc a ſua ſede amotum fuit in perpetuum Feſtum, & Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quod eodem die 25. Maji occurrebat, & celebrabatur, cui Feſto, & Officio S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis reperitur aſſignata in perpetuum (etiam antequam ullum emanaſset Decretum circa hoc Feſtum alii diei aſſignandum, ſicut emanavit poſt aliquos Annos, ut videre eſt in noſtro Indice *ſub n.* 318.) tamquam dies propria, & fixa, dies 27. Maji, quæ erat dies proximior, & non impedita; unde apparet ad praxim communiter deductam eſſe ſententiam, quam amplectimur, & quam tenemus, confirmatam pariter eſſe a S. R. C. Decretis mox adductis, quibus nihil officiunt Decreta data in noſtro Indice *n.* 262. & 264. pro Eccleſia, & Diœceſi Januenſi, quia prædicta Decreta loquuntur tantum in caſu, de quo agitur, adeoque ſunt particularia prn dicta Diœceſi, quapropter pee ipſa non fuit derogatum præcedentibus S. C. Decretis datis in noſtro Indice ſub numeris ſupra indicatis. Ex quibus omnibus firmata remanet prædicla regula generalis pro Officiis in perpetuum a ſua ſede amotis, & neceſſario transferendis; quam quidem regulam inſinuaſſe videtur noſter præclariſſimus Auctor dicendo, quod ſi quotannis accidat occurſus Patroni loci cum Titulari Eccleſiæ, aſſignanda erit dies ſequens in perpetuum Titulari illius Eccleſiæ, niſi ex privilegio aliter fieri debeat.

XI. Gavant. n. 16. -- *Officia conceſſa ad libitum in pari gradu cedunt aliis de præcepto &c.*) Præter Officia recitanda de præcepto, hoc eſt ex obligatione impoſita univerſali Eccleſiæ, vel alicui particulari Diœceſi, Nationi, vel Ordini Regularium ſub Ritu iiſdem conveniente celebranda, dantur, inſuper, & occurrunt quædam alia per Annum, quæ dicuntur ad libitum, eo qund de licentia, ac indulto Sedis Apoſtolicæ poſſunt quidem, non tamen neceſſario debent celebrari; ſed ſi celebrantur, nonniſi ſub Ritu, ac modo ejuſmndi Indulti, vel expreſſe præſcripto, vel a S. R. C. declarato celebrari debent.

Circa Feſta, ſeu Officia hujuſmndi ad libitum celebanda nihil quidem expreſſe diſponunt, ac ſtatuunt Rubricæ generales Breviarii; non deſunt tamen quædam Decreta auctoritate Summorum Pontificum a S. R. C. edita, ac proinde in praxi obſervanda, quæ infra ſimul collecta ad dirimenda nonnulla dubia, quæ oriri poſſent ſuper hac materia, fideliter trademus.

Præmittere tamen debemus primo, alia hujuſmodi Feſta eſſe ad libitum ubique, hoc eſt ſine reſtrictione ad certum locum, aut Nationem, vel Communitatem, & hujuſmodi ſunt nunc primo Feſtum S. Canuti Regis Danorum Martyris ſemid. 19. Januarii a Clemente X. ſecundo S. Laurentii Juſtiniani Epiſcopi Confeſſoris ſemidupl. 5. Septembr. ab Innocentio XII. tertio S. Remigii Epiſc. Conf. 1. Octobr., quæ de Sedis Apoſtolicæ licentia alicubi quidem ſunt Feſta de præcepto, at vero in tota reliqua Eccleſia univerſali in quantum ſunt ſemiduplicia, ſeu novem Lectionum, ſunt Feſta ad libitum tantum. Alia vero ſunt ad libitum conceſſa alicui loco, aut Communitati, vel Provinciæ duntaxat particulari: ad hujus poſterioris generis Officia Sanctorum ad libitum poſſunt revocari illa, quæ nonnullæ Congregationes, Religiones, aut Eccleſiæ, vel Nationes de Sedis Apoſtolicæ licentia ſemel per menſem, vel ſingulis habdomadibus de SS. Sacramento, aut de B. M. V. vel de ſui Ordinis Fundatore, aut de aliis Sanctis, diebus non impeditis Feſto duplici, vel ſemiduplici, aut Feria majori, ſeu Vigilia, vel in Feria, in qua ſit reponendum officium Dominicæ, poſſunt recitare.

De hujuſmodi Feſtis ad libitum nonnulli ſcripſerunt, ſed non omnia ad praxim deduci poſſunt, quæ iidem tradiderunt, ſic olim P. Gobati relati ab Halden *part.* 3. *tit.* 5. & aliorum communis erat ſententia: Feſta ad libitum æque transferri poſſe, ac Feſta de præcepto, cui opinioni favebant etiam Decreta S. R. C. ſed moderata fuit hæc facultas ab eadem S. R. C a qua die 20. Decemb. 1673. approbante etiam Clemente X. Summo Pontifice editum fuit ſequens Decretum datum in noſtro Indice *ſub n.* 98. -- Officia Sanctorum ad libitum cenſuit S. C. in futurum non eſſe transferenda, quando dies eorum Feſtivitatum ſunt impediti Dominico, vel aliquo die Feſtorum mobilium -- Sed quia in hoc Decreto habetur limitatio ad ſolos dies Dominicos, ac dies Feſtorum mobilium, itaut Feſta ad libitum non ſint transferenda juxta hoc Decretum, niſi quando occurrit die Dominico, vel in aliquo ex Feſtis mobilibus, ideo Feſta ad libitum in alios dies impeditos incidentia, perinde ac Feſta de præcepto, adhuc poſſe transferri in aliam diem non impeditam ſupracitatus Gobat, & cum eo Lobner, necnon Biſſus *lit. T n.* 73. §. 17. cum aliis ſuſtinebant, ſed prædictorum aliqui cum hac limitatione, itaut ſi contingeret ex pluribus translatis unum eſſe Feſtum de præcepto, alterum vero ad libitum, juxta regulam noſtri Gavanti, hoc numero traditam, tunc prius fieri debere de eo, quod fuit de præcepto, & poſtea de eo, qund erat ad libitum; ſed ſi translatum ad libitum altioris Claſſis, ſeu gradus foret; tunc hoc prius transferendum. Hanc Gavanti regulam admittebat quoad utramque partem Gobat *tract.* 5. *n.* 36. *append.* 6. *num.* 650. Guyetus *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 3. & cum eo Biſſus ſupracitatus §. 16. refellunt prædictam Gavanti regulam, quoad primam partem, ex eo quod Rubrica generalis ſupra *n.* 6. nulla poſita diſtinctione Feſti de præcepto, vel Feſti ad libitum præſcribat, quod ſi occurrant plura Feſta, illud ſit transferendum, quod eſt Claſſis inferioris, qund ſi Feſta ſint in æquali gradu, regula transferendi unum ex illis eſt deſumenda a minori, vel majori dignitate, non vero, qund Feſtum ſit de præcepto, vel ab libitum, quam diſtinctionem cum non poſuerit Rubrica, ait Biſſus, neque nos pro noſtro arbitrio ponere debemus. Sed optime defendi poteſt Gavantus, quia in pari gradu, & in pari dignitate, ſemper præcedentiam habet Feſtum de præcepto ſupra Feſtum ad libitum. Omnes autem modo corruunt hujuſmodi concertationes inter Gavantum, Guyetum, & Biſſum, quia S. R. C. approbante Innoc. XI. Anno 1682. die 24. Januarii Clem. X. diſpoſitionem de non transferendis Feſtis ad libitum, ſed de his penitus omittendis, extendit etiam ad Octavas, & Natalitia Sanctorum ex Indulto Apoſtolico in aliqua Religione, vel Diœceſi de præcepto celebranda, itaut Feſta ad libitum intra, aut infra aliquam Octavam, aut in Feſto aliquo univerſali, vel particulari alicujus Diœceſis, vel Ordinis occurrentia, nec die illo celebrari, nec etiam transferri amplius (ſecluſo ſpeciali Indulto) poſſint, ſed omnino omitti debeant; hinc fit, qund nec Gobati, nec Gavanti, nec Biſſi ſententia poteſt amplius admitti circa translationem prædictorum Feſtorum ad libitum. Allegatum Decretum reperitur in noſtro Indice *ſub num.* 172. per extenſum, in quo etiam additur, quod ſi Feſta ad libitum occurrant eo die, in quo alias aliqund Feſtum translatum poni deberet, tunc liberum fore eadem Officia ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre; ita etiam, omiſſo Officio, qund ſemel per hebdomadam, aut per menſem ex Apoſtolico Indulto recitari conceſſum eſt, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari poſſe ibidem declaratur.

E contra non licet in occurſu transferre Officium duplex proprium Ordinis, cauſa faciendi aliud duplex ad libitum, etiamſi de hoc non ſit conceſſa translatio, ita S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canonic. Regular. Lateranen. ad decimum dubium*, & datur in noſtro Indice ſub *num.* 153.

Advertendum eſt hoc Decretum loqui de Officio duplici proprio Ordinis occurrente eodem die cum Officio duplici ad libitum, in quo caſu diſponitur non eſſe omittendum Officium proprium Ordinis, cauſa faciendi aliud duplex ad libitum; unde non loquitur Decretum de Officio proprio Ordinis jam ob aliquam cauſam omiſſo, & deinde transferendo, in quo caſu valet diſpoſitio tradita in ſuperiori Decreto Anni 1682. nimirum qund ſi Feſtum ad libitum occurrat eo die, in quo alias aliquod Feſtum translatum poni deberet, tunc liberum eſſe idem Officium ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius in alia die non impedita reponere, quod nunc ita certum eſt, ut dubitandi locus non ſit.

In præfato Decreto edito die 24. Januarii 1682. habetur, ut Officia Sanctorum ad libitum etiam ſub Ritu duplici in diebus Dominicis, & Octavis occurrentia non poſſint transferri, ſed omitti debeant. Hinc dubium obortum eſt an illa verba, *in Octavis*, intelligi debeant de die proprio Octavæ, vel de tota Octava? an de quilibet Octava, vel ſal-

tem

tem de Octavis privilegiatis? Et reſolutum fuit, verba illa intelligenda eſſe de tota Octava, & de quacumque Octava. Ita S.R.C. die 28. Novembris 1682. *in Faventina*, & datur hoc Decretum in noſtro Indice *num.* 132. Hoc idem confirmatum fuit in Decreto 2. Decembris 1683. dato *n.* 154. item in alio 11. Auguſti 1691. *num.* 168. & denique 10. Januarii 1693. *num.* 174.

Diximus ſupra revocari poſſe ad Claſſem Officiorum ad libitum Officia ſemel in menſe, vel hebdomada recitari conceſſa aliquibus Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus; unde videnda ſunt Decreta edita 20. Martii 1706. & data in noſtro Indice ſub *num.* 236. & 237. utpote ſpectantia ad dicta Officia ad libitum, & declarantia quales dies cenſeantur impediti pro dictis Officiis recitandis. Videatur etiam Decretum editum ſub die 7. Februarii 1699. & datum in noſtro Indice *num.* 211.

Præter allegata Decreta lubet etiam mentionem facere de eo, quod editum fuit die 20. Novembris 1683. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 146. in quo habetur — Quando in Indultis, & Decretis ſuper conceſſione Officiorum leguntur verba illa; *recitari poſſe*: *fieri poſſe* — Ita intelligenda ſunt, ut nihil ſignificent præter Officia ad libitum, quibus omnino competit Decretum die 24. Januarii 1682. pro Sanctis ad libitum editum.

Hoc Decretum multos ingerere poterat ſcrupulos, ob nonnulla, & pene innumera Officia Nationibus, & Religionibus ſub præfatis terminis *recitari*, & *celebrari* conceſſa, quæ tamen ab omnibus ſi quandoque occurrant in die impedito transferuntur. Ad evellendos ſcrupulos, qui ſuboriri poterant ex allegato Decreto, examinanda eſt doctrina, quam cum aliis Rubriciſtis tradit Henricus Piſart *in direct. Canonico Tit. X. num.* 21. ubi ait non in alio ſenſu ad libitum prædicta Feſta cenſeri debere, quando ſunt conceſſa ſub illis terminis: *celebrari poſſe*, *recitari poſſe*, quam quod liberum fuerit Epiſcopis, Superioribus Ordinum, aut Capitulis Generalibus ea acceptare, vel non; ſemel autem admiſſa a Superioribus, liberum non eſſe ſubditis ea dimittere, vel non ſervare. Quibus poſitis ſequitur citra omnem ſcrupulum prædicta Officia ſic acceptata ſi occurrant in die impedito non reputari debere tamquam Officia mere ad libitum, ſed tamquam de præcepto, adeoque eſſe ex genere illorum, quæ poſſunt transferri. Nunc vero omnis removetur difficultas a Decreto emanato 16. Septembr. 1730. *in Meliten.* dato in noſtro Indice *num.* 278. Vide etiam Decretum editum die 26. Novembris 1735. *in Hiſpalen.* in noſtro Indice ſub *num.* 279.

Quamvis juxta Decreta ſupra allegata omitti omnino debeant, & non transferri Officia Sanctorum ad libitum, quando dies eorum Feſtivitatum ſunt impediti alio Officio novem Lectionum de præcepto, nihilominus adſunt aliquando ſpeciales declarationes, & reſpective conceſſiones ab Apoſtolica Sede peculiariter factæ, vel recitandi talia Officia ad libitum etiam in die impedito, ut ex Decreto edito die 20. Octobris 1683. & dato in noſtro indice ſub *num.* 143. & ex alio pariter edito die 28. Novembris 1682. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 131. colligi poteſt, eadem Officia ad libitum occurrentia in diebus impeditis, aſſignari, ſeu mutari in aliam die non impeditam, ſic conceſſum fuit in toto Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini, ut ab omnibus utriuſque ſexus Religioſis Fratribus, & Monialibus Officia ad libitum Sanctorum Canuti, & Wenceslai occurrentia in diebus impeditis Officio novem Lectionum aliorum Sanctorum dicti Ordinis, determinari poſſint ad aliam primam diem non impeditam, ita S.R.C. 19. Aprilis 1687. & reperitur tale Decretum in initio Breviarii ejuſdem Ordinis. Ita pariter die 5. Martii 1721. Conceſſit S.R.C. univerſo Ordini S. Benedicti facultatem aſſignandi Officium ſemiduplex ad libitum S. Canuti Martyris ad diem 20. Februarii, quia die 19. Januarii ob occurrentiam alterius Officii S. Agathonis Papæ Confeſſoris, a prædicto Ordine Benedictino recitari minime poteſt; ita etiam pro dicto S. Canuto conceſſa fuit altera dies fixa, nempe 6. Februarii pro Civitate Cenetenſi ſub die 12. Junii 1713. ob perpetuam occurrentiam infra Octavam S. Titiani Patroni principalis occurrentis die 16. Januarii. Nec deſunt quamplura exempla tam pro Eccleſiis Almæ Urbis, quam pro Ordinibus Regularibus, Diœceſibus, ac locis particularibus.

In his autem caſibus quando prædicta dies fixa pro Officio S. Canuti incidit in Dominicam, eo Anno omitti omnino debet tale Officium etiam a dictis privilegiatis, quia adhuc remanent in ſuo robore Decreta ſupra allata de non transferendis, ſed omittendis Officiis ad libitum, quando ob aliquod impedimentum in die illis aſſignato recitari minime poſſunt.

Reliquum eſt, ut exhibeamus hoc loco ſequentia Decreta ſpectantia ad hanc materiam translationis Officiorum, ultra ea, quæ ſupra, juxta materiæ opportunitatem, tradidimus.

Officia conceſſa pro aliquibus locis, quibus aſſignata eſt dies aliqua Dominica, ſi ſit impedita alio Feſto altioris Ritus, vel dignitatis, non ſunt transferenda, ſed omittenda, Ita S. R. C. 20. Martii 1683. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 139.

In noſtris tamen Tabulis transfertur Officium Patrocinii B. V. in Statu Eccleſiaſtico affixum Dominicæ ſecundæ Novembris, quando hæc eſt impedita Feſto altioris Ritus, quia pro eodem Statu memoratum Officium B. V. eſt demandatur, & præceptum a Benedicto Papa XIII. ut patet ex illius Diplomate edito die 23. Auguſti 1725. Ubi vero conceſſum eſt dictum Officium, ſeu quodvis aliud ſine illa particula *ad libitum*, ſed cum expreſſione, *recitari poſſit*, vel *recitare poſſint*, & *valeant*, vel aliquid ſimile virtute ſupradictorum Decretorum *in Meliten. & Hiſpalen.* quæ dantur in noſtro Indice ſub *num.* 278. & 279. intelligitur tale Officium eſſe de præcepto recitandum; idcirco quoties fuerit impeditum, debet transferri. Ex his liquet, quod ſuperius Decretum emanatum die 20. Martii 1683. explicatum remanet per Decreta mox a nobis indicata.

In Officio pro Sanctis Confeſſoribus, quoties eiſdem fixa dies eſt aſſignata, quæ non eſt dies obitus eorum, recitari non debet ad Hymnum *Iſte Confeſſor &c.* ℣. *Meruit beatas ſcandere ſedes &c.* & eadem Regula ſervanda eſt, ſi transferatur Feſtum S. Confeſſoris ad diem, quæ non ſit ſui Obitus, ita S.C.R. ad relationem Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi D. Cardinalis Petrucci, auditis prius Cæremoniarum Magiſtris die 31. Junii 1701. in *una Tertii Ordinis S. Franciſci*, & datum in noſtro Indice ſub *num.* 223.

Quando contingit transferri Feſtum alicujus S. Confeſſoris a die ſui obitus in diem proxime ſequentem, tunc in primis Veſperis, & in reliquo Officio continuandus eſt Verſus, *Meruit Beatas &c.* S.R.C. 13. Junii 1682. & datur in noſtro Indice *num.* 128.

Translata aliqua Feſtivitate non dicuntur translatæ Indulgentiæ pro die ejuſdem Feſtivitatis conceſſæ, ita S. R. C. 30. Septembris 1679. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 106. necnon die 10. Junii 1690. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 162.

Fagioli in Kalendario perpetuo rationali *pag.* 55. cenſet excipiendum eſſe caſum, in quo Feſtum Annunciationis B. M. V. juxta Decretum editum 11. Februarii & 11. Martii 1690. celebratur quoad forum, & Chorum in Feria II. poſt Dominicam in Albis tamquam in die fixa; itaut una cum Feſto ita translato in diem illam, tamquam in diem fixam, & propriam, ac ſi eſſet dies 25. Martii, intelligatur tunc translata etiam Indulgentia. In eamdem opinionem deſcendit Felix Poteſtas in Examine Eccleſiaſtico ſub *num.* 3793. Excipiendi etiam ſunt Caſus, in quibus ex ſpeciali Indulto Apoſtolico una cum Translatione Feſti, transfertur etiam Indulgentia. Hujuſmodi Indultum Apoſtolicum obtinuerunt PP. Minimi a Gregorio XIII. ut refert Peyrinus de Privilegiis Regularium Tom. 2. circa Conſtitutionem 4. ejuſdem Pontificis, necnon Urſaya Diſceptationum Eccleſiaſticarum Tom. 3. part. 2. diſceptatione 24. ſub *num.* 18. obtinuerunt, inquam, dicti PP. Minimi, ut cum translatione Feſti S. Franciſci de Paula eorumdem Inſtitutoris, translata pariter cenſeatur Indulgentia plenaria Fidelibus conceſſa pro ejuſdem Sancti Feſto. Ita pariter Indulgentia perpetua a Clemente X. 1671. 19. Decembris conceſſa viſitantibus aliquam ex Eccleſiis erectis, vel erigendis tam Monachorum, quam Monialium Militantium ſub Regula S. Benedicti ex Indulto Innocentii XI. ut per extenſum habetur in Officiis propriis Sanctorum Monaſtici Ordinis S. Patris Benedicti impreſſis Patavii anno 1715. transfertur ad illam diem, in qua celebrabitur prædicti S. Benedicti Feſtum translatum. Hæ ſunt ſpeciales conceſſiones; cæterum translato ſimpliciter Feſto, ut diximus, non transferuntur Indulgentiæ conceſſæ pro certo, & determinato die tanquam pro die ejuſdem Feſtivitatis conceſſæ, & eidem affixæ, niſi hoc per Summos Pontifices ſufficienter exprimatur; ſicut ſufficienter exprimi cenſent fere omnes, ſi una cum Officio transfertur Feſtum quoad forum. Monacelli tamen in Formular. leg. pract. 2. tit. Formul. 9. & alii contrariam ſuſtinent ſententiam.

XII. Lubet hic ſubnectere ſequentem Tabulam Occurrentiæ quæ reperitur præfixa etiam omnibus Breviariis, ut Lector ob oculos habeat omnia ea, quæ ſpectant ad præſentem materiam Translationis Feſtorum.

TABU-

**TABULA GENERALIS**
*Tranſlationis Feſtorum communium, ſeu in Kalendario deſcriptorum, occurrentium in Dominicis, & Feſtis per Annum, tam Mobilibus, quam Immobilibus.*

SI OCCURRAT EODEM DIE

| | Vigilia. | Feria major. | S. Maria in Sabbato. | Simplex. | Semiduplex. | Dies Octava. | Dies infra Octavam. | Duplex per annum. | Duplex ſecundæ Claſſis. | Duplex primæ Claſſis. | Dominica per Annum. | Dominica ſecundæ Claſſis. | Dominica primæ Claſſis. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Duplex primæ Claſſis, & | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Duplex ſecundæ Claſſis. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Duplex per annum. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Dies infra Octavam. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Dies Octava. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Semiduplex. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Simplex. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| S. Maria in Sabbato. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Feria major. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Vigilia. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |

1 Tranſlatio de primo, Officium de ſecundo.
2 Officium de primo, tranſlatio de ſecundo.
3 Commemoratio de primo, Officium de ſecundo.
4 Officium de primo, commemoratio de ſecundo.
5 Nihil de primo, Officium de ſecundo.
6 Officium de primo, nihil de ſecundo.
7 Officium de digniori, commemoratio de minus digno.
8 Officium de digniori, tranſlatio de minus digno.

*Notandum, quod Duplex quodcumque etiam Patroni, & Tituli Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini & Pentecoſtes, in die Circumciſionis, in die Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, ac in tota majori hebdomada, & infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, in Aſcenſione Domini, in Feſto Corporis Chriſti, in Feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, transfertur.*

*Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicatione, cum Commemoratione Octavæ: alia Feſta transferuntur poſt Octavam.*

*Infra Octavam Corporis Chriſti, Semiduplex transfertur, neque fit de Duplici tranſlato; & de ea, quocumque adveniente Duplici, fit Commemoratio.*

*Infra illas Octavas, in quibus fit de Feſtis occurrentibus, Semiduplex occurrens in Dominica, transfertur in proxime ſequentem diem: quæ ſi fuerit impedita alio ſimili Feſto, transfertur poſt Octavam.*

*De Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ & Corporis Chriſti ſemper fit Commemoratio, quocumque Feſto in illis occurrente.*

*De aliis Octavis, quæ non ſunt in Kalendario, nihil fit a Feria quarta Cinerum uſque ad Dominicam in Albis, & a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Feſtum Trinitatis incluſive, & a die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam.*

*Dies Octavæ numquam transfertur; ideo quamquam Nativitas S. Joannis Baptiſtæ occurrens in die Corporis Chriſti, transferatur in diem ſequentem; non tamen transfertur Octava Corporis Chriſti.*

*Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia fit tantum de Patrono, vel Titulari, abſque Commemoratione aliorum. Qui ſi in dicto Kalendario deſcripti ſint ſub Officio Duplici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem ſimplici Officio non impeditam, & de eis fiat Officium Semiduplex; niſi tamen ſiat de majoribus Feſtis, quia tunc de tranſlato quoque fiet Officium Duplex, ac ſi proprio die celebraretur. Si vero in Kalendario omnes ſint tamquam Feſtum Simplex, de illis nihil fit.*

*De Feriis Adventus & Quadrageſimæ, quando de eis non fit Officium, fit Commemoratio in utriſque Veſperis & Laudibus cujuſcumque Feſti: de Quatuor Temporibus, & Feria ſecunda Rogationum, ac Vigiliis in Laudibus tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadrageſima, & Quatuor Temporibus, vel in diebus Feſtorum Duplicium primæ Claſſis, ſive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus.*

XIII. Ex dictis in hac, & præcedentibus Sectionibus infertur Feſta Duplicia conſtituta eſſe in triplici differentia ſeu ordine, generatim loquendo, alia enim dicuntur Duplicia primi ordinis, ſeu Claſſis, alia Duplicia ſecundæ Claſſis, alia denique Duplicia per annum, & in unoquoque ordine alia eſſe aliis digniora; atque in tertio ordine, ea quæ ſunt digniora, appellantur Duplicia majora per annum, reliqua vero ejuſdem ordinis, appellantur Duplicia minora. His firmatis, certum eſt apud omnes Duplex primæ Claſſis in Concurrentia, & Occurrentia præferri aliis aliorum ordinum & Duplex ſecundæ Claſſis præferri cæteris inferioris ordinis; inter Feſta autem unius ordinis digniora præferri aliis ejuſdem ordinis minus dignis, v. g. Feſta Domini primæ Claſſis præferri Feſtis B. M. primæ Claſſi. Ita Feſta ſecundæ Claſſis B. M. præferri Feſtis ſecundæ Claſſis Apoſtolorum, & Angelorum; denique Feſta illorum Sanctorum, quæ in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, præferri aliis in Kalendario deſcriptis, ut patet ex Rubrica de Concurrentia Officii *nn.* 2. & ex Rubrica de Tranſlatione Feſtorum *n.* 6.

Infertur ſecundo certum pariter eſſe, quod in præferentia Feſtorum, in primis habenda eſt ratio majoris Solemnitatis; dignitatis autem majoris ſolum eſt habenda ratio in æqualitate ſolemnitatis, ac in præferendis tantum (aliis remanentibus paribus,) Feſtis Domini, Feſtis Beatæ Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum, non vero aliorum, verb. gr. Martyrum, aut Virginum, ut ſupra annotavimus.

Infertur tertio, quod quamvis nullum Feſtum inferioris ordinis ex more, & Ritu Romanæ Eccleſiæ, in qua omnia magis ordinate fiunt, videatur Solemnius celebrari altero ordinis ſuperioris, in aliis tamen Eccleſiis ſæpe aliter evenire, ut verbi gratia, apud nonnullos in Feſtis S. Antonii, & Sanctæ Annæ, quæ ſunt ſolum Duplicia per annum, major adhibetur Solemnitas, quam in pleriſque Feſtis ſecundæ Claſſis, verb. gr. Sanctorum Jacobi, Matthæi, Andreæ &c. Hinc oritur interdum difficultas in concurrentia quoad Veſperas, & Commemorationes faciendas, utrum videlicet præferenda ſint ea, quæ majori celebrantur Solemnitate ex particulari Conſuetudine, an ea, quæ ſunt ſublimioris dignitatis, vel Ritus ex præſcripto Rubricarum Breviarii, ſeu Cæremonialis?

Infertur quarto ex ſupra firmatis a nobis omnia Feſta in uſu Romano celebranda eſſe cum ea Solemnitate, quæ ipſis convenit ex Rubricis Breviarii & ex præſcripto Cæremonialis; proinde in omnibus Feſt. primæ, & ſecundæ Claſſis debent exerceri illæ Cæremoniæ aliæque Solemnitates, quæ pro Feſtis prædictis præſcribuntur a Breviario, & Cæremoniali.

Advertere autem eſt, nullum Feſtum habendum eſſe in aliqua Eccleſia, ſeu Diœceſi pro Duplici primæ aut ſecundæ Claſſis præter ea quæ ſpecialiter conceduntur a Sede Apoſtolica, & præter enumerata in Rubrica de Commemorationibus, & in fine Rubricarum, quamvis in Choro, vel etiam in Populo ſit celebre; quia Rubricæ diſponentes circa Feſta primæ, & ſecundæ Claſſis ubique loquuntur ſolum de ibi enumeratis, ut videre eſt in Rubric. de Octavis *num.* 3. de Commemorationibus *num.* 3. & 4. de Tranſlatione Feſtorum *num.* 2. Unde irregulare eſſet aliquod Feſtum, quod non eſt de illorum Claſſe alicui ex ipſis præferre ob Solemnitatem qua celebratur, quia eſt contra ordinem, ut Feſtum inferioris ordinis, ſeu generis præferatur alteri ordinis ſuperioris, & contra Rubricam de Concurrentia Officii *n.* 2. ubi expreſſe dicitur, *ut Duplici concurrente cum alio Duplici, ſi non ſint ejuſdem Solemnitatis ſervetur differentia in Rubricis de Commemorationibus, & tranſlatione Feſtorum aſſignata, ut ſcilicet Feſta majora habeant primas, & ſecundas Veſperas integras cum Commemoratione minorum, quando de eis fieri debet.* Ex quibus ſequitur, ut innuimus paulo ante, Feſtum Duplex ſimpliciter per annum verb. gr. Sanctæ Annæ, etiamſi alicubi celebretur cum majori Solemnitate quam Feſtum S. Jacobi, quod eſt ſecundæ Claſſis, non debet tamen huic præferri, & habere integras Veſperas, quia eſt contra ordinem, ut diximus, ut Feſtum inferioris ordinis præferatur alteri ordinis ſuperioris. E contra non videtur tam inordinatum, quod Feſtum tertii ordinis præferatur ratione majoris Solemnitatis alteri ejuſdem ordinis æquali: aut etiam digniori ob celebritatem, ſeu Solemnitatem majorem, quam alicubi habet in populo, vel in Eccleſia, ſeu Choro, & ratio eſt, quia in præferentia Feſtorum in primis habenda eſt ratio Solemnitatis, dignitatis autem non niſi in æqualitate Solemnitatis, ut ſupra diximus, & patet tum aliunde, tum ex Rubrica de Concurrentia Offi. *n.* 2. & de Tranſlatione Feſtorum *n.* 6. Unde etiam ibidem inter Feſta ejuſdem Solemnitatis Feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Eccleſiis, ſolemniter celebrantur, dicuntur præferenda aliis in Kalendario deſcriptis uſque etiam dignioribus. Hinc etiam in Rubrica de Officio Duplici *n.* 1. ordinatur, ut in Feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari, Officium fiat Duplex: quocirca non immerito ait Joannes Jacobs Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Brugenſium in ſuo aureo Compendio Cæremoniarum Conſideratione V. Feſtum Sancti Nicolai quod tunc in Kalendario Romano erat tantum ſemiduplex, Brugis ob celebritatem in populo quaſi celebrabatur Officio duplici cum ſola commemoratione S. Ambroſii in ſecundis Veſperis. Æquum enim eſt, & rationi maxime conſonum, ut Officium, quod ſit pro Clero, & Populo, & nomine omnium, omnibus eo loci quoad fieri poteſt, accommodetur. Unde etiam veriſimile eſt,

eſt, quod ob ſolam majorem Solemnitatem in Eccleſia ſeu Choro adhiberi conſuetam abſque celebratione Populi, Feſtum tertii ordinis alioquin æquale, vel minus dignum, alteri ejuſdem ordinis præferendum ſit in publica decantatione Officii, ut ita Solemnitati, Officium Feſti, ob quod ea adhibetur, correſpondeat, & omnia ordinate fiant. Unde ulterius idem videtur ſervandum in privata recitatione, quæ quaſi ſubrogatur loco publicæ in iis qui Choro non tenentur aſſiſtere, vel de facto non aſſiſtunt, ut ſic quiſque ſe ſe conformet ſuæ Eccleſiæ in qua reſidet.

Quare autem Feſtum tertii ordinis, nimirum Duplex minus, ſeu majus per annum ob particularem Solemnitatem majorem, præferendum ſit alteri ejuſdem ordinis etiam digniori, ut hucuſque diximus, & verbi gratia, fit Brugis in Feſto S. Antonii, quod in ſecundis Veſperis concurrit cum Cathedra Sancti Petri, & ob eamdem rationem non ſit etiam præferendum alteri ſecundæ Claſſis, verbi gratia non ſit præferendum, ut diximus, Feſtum S. Annæ Feſto Sancti Jacobi, ut ſic Solemnitati correſpondeat Officium Feſti ob quod ea adhibetur, ut in divinis Officiis omnia ordinate fiant, ratio jam eſt a nobis aſſignata, nimirum quia Solemnitas illa, qua celebratur Feſtum Sancti Jacobi, omnibus Feſtis ſecundæ Claſſis convenit, nec ſolum illis, ſed etiam aliis, quæ a Populo obſervantur; proinde illis omnibus tribuenda eſt, & non alia ipſis præferenda, ſed potius illa ita moderanda, ut omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant, ut monet Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 14. & maxime intenditur per Rubricas Breviarii ac diſpoſitiones Cæremonialis. Inordinatum enim, & irregulare eſſet, quod majora Feſta Eccleſiæ præſcripta ſolemniter celebrari negligantur, ut alia minora, quæ non ita præſcribuntur celebrari, adeo ſolemniter, & cum tali pompa celebrentur, ut ipſis etiam Feſtis majoribus præferantur. Etſi enim, ut ſupra diximus, Feſta Sanctorum qui conſueverunt ſolemniter celebrari, per hoc etiam ex diſpoſitione Rubricarum, conſtituantur Duplicia, relinquuntur tamen intra limites Duplicium tertii ordinis, & merito, ne alioquin per particulares conſuetudines Ordo Officii Romani nimium turbetur, & quia decet majora Feſta Eccleſiæ, cujuſmodi ſunt Feſta primæ, & ſecundæ Claſſis, apud omnes eadem eſſe, & uniformiter celebrari: in minoribus autem admittitur varietas, quin etiam ea ad ornatum Eccleſiæ ſpectat.

Infertur quinto ex dictis, quod ſi concurrant duo Feſta tertii ordinis, quorum unum ſit in Populo Celebre, & alterum tantum in Choro conſuetum ſolemniter celebrari abſque celebratione Populi, prius poſteriori ſit præferendum, quia ut diximus, in omnibus Feſtis, quæ a Populo obſervantur, Officium celebrandum erit in Choro ſolemniter, & cum illud fiat pro omnibus, & nomine omnium, major habenda eſt ratio publicæ celebrationis Cleri, & populi, quam ſolius Cleri.

Denique ex hucuſque dictis inferendum pariter eſt, quod conſtituta jam quiditate & qualitate Officii ſingulorum Feſtorum juxta præſcriptiones Rubricarum generalium, dicere oportet, quod ſi plura Feſta eodem die occurrant, vel unum in 2. Veſperis concurrat cum altero ſequenti in primis Veſperis juxta eamdem qualitatem, judicandum eſt de præferentia illorum, & de Commemorationibus faciendis ex Rubricis de Translatione Feſtorum, & de Concurrentia Officii, & de commemorationibus, ſeu ex tabulis Generalibus ex illis exceptis, & a nobis ſupra poſitis. Ex illa Occurrentia videre eſt de quo duorum Feſtorum Occurrentium eo die faciendum ſit Officium; & ex altera Concurrentia, videre eſt de quo in Concurrentia ſint faciendæ Veſperæ, & de quo tantum Commemoratio. Sed animadvertendum ex dictis: illud quod dicitur in Regula Tabulæ Generalis pro occurſu Feſtorum ejuſdem ordinis, ſeu ad numerum 8. *Officium de digniori, Translatio de minus digno*, accipiendum eſſe accommodate ad Rubricam de Translatione Feſtorum ſub *n. 6.* & ad ſupradicta a nobis videlicet hoc modo: *Officium faciendum de digniori, ſeu ſolemniori, & quod, minoris Solemnitatis vel dignitatis transferendum*, & ſimiliter quod dicitur in regula Tabulæ de Concurrentia *n. 6.* nimirum: *totum de digniori, Commemoratio de minus digno* accipiendum eſt accommodate ad Rubricam de Concurrentia Officii *num.* 2. & ad dicta a nobis ſupra, videlicet hoc modo: *totum Officium faciendum de digniori, vel ſolemniori cum Commemoratione ejus, quod eſt minus dignum, vel minus ſolemne*. Et Duplex per annum majus ſic extendendum, & accommodandum ſit, ut ſub eo comprehendatur tam majus dignitate, quam majus ſolemnitate, ideſt tam dignius, quam ſolemnius, licet enim inter Feſta ejuſdem ordinis, ſeu generis, v. g. primæ Claſſis, vel ſecundæ Claſſis in Concurrentia, & Occurrentia dignius abſolute dicitur præferendum, quia ſcilicet ejuſmodi per ſe ſunt æqualis Solemnitatis, ut indicatur in Rubrica de Concurrentia Officii *n.* 2. Ubi tamen ex conſuetudine unum eorum ſolemnius celebratur, quam alterum, ibi in Concurrentia, & Occurrentia potius habenda eſt ratio majoris Solemnitatis, quam majoris dignitatis, ut ſupra explicatum eſt. Sed advertendum, quod ſicut Duplex tertii ordinis nunquam ratione Solemnitatis debet præferri Duplici ſecundæ Claſſis, ſeu ſecundi ordinis, ita Duplex ſecundæ Claſſis, ſeu ſecundi ordinis, nunquam ratione Solemnitatis debet ita elevari, ut in occurſu, ſeu concurſu præferri debeat Feſtis primæ Claſſis, & primi ordinis; ſicut etenim inordinatum, & præpoſterum eſt, ut Feſtum tertii ordinis præferatur ratione Solemnitatis Feſto ſecundi ordinis, ita inordinatum eſſet Feſtum ſecundi ordinis ita ſolemniter celebrare, ut præferri deberet Feſtis primi Ordinis.

Multa ex his, quæ hoc loco adnotavimus, deſumpta ſunt ex allegato opuſculo Joannis Jacobi. Omnia vero diligenter diſcuſſa, & approbata fuerunt a viris in hac ſcientia Rubricarum peritiſſimis; unde crederem poſſe ab omnibus ad praxim deduci; ſupereſt tantum, ut hoc loco mentionem faciamus Decreti emanati die 23. Junii 1736. *in Einſilden*; & dati in noſtro Indice *ſub num.* 322. in quo hæc leguntur. In Occurrentia Feſtorum ejuſdem Ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habebit Officium Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis, ſeu Religionis, tertium Diœceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ Univerſalis. Huic Decreto conſonant alia data *ſub num.* 174. 286. 287. 288. quæ tamen Decreta intelligenda ſunt juxta exceptiones, & conſiderationes mox a nobis factas de majori, vel minori Solemnitate, quo prædicta Feſta celebrari poſſunt, ut melius intelligatur quæ in aliquo caſu particulari cæteris paribus præferenda, vel poſtponenda ſint.

## De Commemorationibus. XI.

## R U B R I C A.

1. *Commemorationes fiunt de Feſtis Simplicibus, quando in eorum diebus incidit Feſtum novem Lectionum etiam translatum, vel Octava, vel Sabbatum: & quando fieri debet de Feria, ut ponatur Officium alicujus Dominicæ, quæ eo anno ſuperſit.*

2. *De Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, & ſecundæ Rogationum fit Commemoratio, quando Feſtum novem Lectionum in illis Feriis occurrit. Si Simplex Feſtum in eiſdem Feriis occurrat, Officium fit de Feria, & Commemoratio de Feſto Simplici.*

3. *Præterea fit Commemoratio de Dominicis a Penteceſte uſque ad Adventum, & ab Epiphania uſque ad Septuageſimam, & a Dominica in Albis uſque ad Pentecoſten excluſive, quando Feſto Duplici impediuntur. De aliis Dominicis nulla fit Commemoratio occurrente Feſto Duplici, quia Feſtum in illis occurrens transfertur; niſi illud Feſtum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipſius Eccleſiæ, non autem alicujus Capellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ; & tunc de hujuſmodi principali Feſto fit tantum in eo loco vel Eccleſia, cujus eſt Patronus vel Titulus, aut Dedicatio, cum Commemoratione Dominicæ, excepta Dominica 1. Adventus, Dominica 1. Quadrageſimæ, Dominica Paſſionis, Dominica Palmarum, Dominica Paſchæ, Dominica in Albis, ac Dominica Pentecoſtes, & Trinitatis: in quibus hujuſmodi occurrens Feſtum, transfertur in ſequentem diem ſimiliter non impeditam: dummodo non fuerit infra majorem Hebdomadam, & per Octavam Paſchæ & Pentecoſtes: quibus diebus non fit de aliquo Feſto Duplici occurrente.*

4. *De Octava etiam, quando Feſto novem Lectionum, vel Dominica impeditur, fit Commemoratio, niſi illud Feſtum novem Lectionum fuerit ſolemne principale alicujus loci, ut ſupra. Nam in primis Veſperis & Laudibus hujuſmodi Feſti nulla fit Commemoratio Feſti Simplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliæ (excepta Vigilia Epiphaniæ,) nec alicujus diei infra Octavam, nec alicujus præcedentis Feſti novem Lectionum (niſi id Feſtum fuerit ex iis, quæ infra in hac eadem Rubrica enumerantur) nec diei Octavæ, nec Dominicæ, ſi Feſtum illud ſolemne celebretur Feria ſecunda: exceptis Dominicis Adventus, & Dominicis a Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ incluſive; de quibus Dominicis, ſicut etiam de Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & ſecundæ Rogationum, ſemper fit Commemoratio, quocumque Feſto adveniente. Quod ſi hujuſmodi Feſtum ſolemne venerit in quacumque Dominica, fit Commemoratio de ea in utriſque Veſperis & Laudibus. Et ſimiliter, ſi occurrat in die Octava alicujus Feſti habentis Octavam, de ea fiet Commemoratio etiam in utriſque Veſperis & Laudibus. In ſecundis autem Veſperis Feſti prædicti fit Commemoratio de Duplici, Semiduplici, & Dominica ſequentibus, & non de aliis.*

5. *Idem ſervatur in quibuſdam Feſtis majoribus per annum, ſcilicet in Nativitate Domini (in cujus Officio nulla fit Commemoratio de S. Anaſtaſia, ſed in ſecunda tantum Miſſa) in Epiphania, in Paſcha Reſurrectionis cum tribus proxime antecedentibus & duobus ſequentibus diebus, in Aſcenſione Domini, in Pentecoſte cum duobus ſequentibus diebus, in Feſto*

Cor-

*Corporis Chriſti, & in Feſtis Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ, in Feſto Omnium Sanctorum, & in Feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ; in quibus Feſtis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum eſt ſnpra de Feſto ſolemni alicujus loci.*

6. *In Feſtis autem ſecnndi ordinis, videlicet, Circnmciſionis, Trinitatis, Purificationis, Annunciationis, & Nativitatis Beatæ Mariæ, in Feſto S. Joſeph, in Natalitiis xii. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, in Feſto Inventionis S. Crucis, & in Feſto S. Laurentii, & Dedicationis S. Michaelis Archangeli, in primis Veſperis fit Commemoratio Feſti Duplicis eo die celebrati, niſi aliter in propriis locis notetnr; de Dominica vero, de die infra ectavam, & de Feſtie Semiduplicibus non fit commemoratio, eo modo quo nec in Feſto ſolemni alicnjus loci, ut dictnm eſt ſnpra. De ſimplicibus, & Vigiliis in his Feſtis occurrentibus legitur nona Lectio, & fit Commemoratio in Laudibus tantum. In ſecundis autem Veſperis fit Commemoratio de quocumque ſequenti Feſto, etiam Simplici, & de die infra Octavam, ſi de ea fieri debeat Officium die ſequenti. De Octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti ſemper fit Commemoratio in utriſque Veſperis & Laudibus, quandocumque contigerit infra illas de aliquo alio Feſto Officium celebrari, juxta Rnbricam de Octavis n. 3.*

7. *De Dominicis & Feriis Adventus, et Quadrageſimæ Commemoratio fit in utriſque Veſperis et Laudibus. De Feriis Quatuor Temporum, Vigiliarum, et ſecunda Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet, fit in Laudibus tamen tantnm. De Feſtis autem Simplicibus (niſi in diebus ſupradictis occurrant) Commemoratio fit in primis Veſperis et Laudibus eo die, quo in Kalendario aſſignantur. De aliis vero Dominicis per annnm, et Octavis Commemoratio fit in utriſque Veſperie et Laudibus, niſi concurrant cnm ſupra enumeratis Feſtis.*

8. *Commemorationes fiunt hoc modo. Poſt Orationem diei, in primis Veſperis dicitur Antiphona, quæ poſita eſt ad Magnificat, et in Laudibus, quæ poſita eſt ad Benedictus in Communi (ſi propriam non habuerit) conveniens ejus Officio, cnjus fit Commemoratio. Poſt Antiphonam dicitur Verſus, inde ſnmendus unde ſumpta eſt Antiphona, ſcilicet poſt Hymnum Veſperarum et Laudum: deinde dicitur Oratio. Si Antiphona et Verſus Feſti, de quo fit Commemoratio, ſumenda eſſent ex eodem Communi unde ſumpta ſunt in Officio diei, in Feſto Commemorationes variantur; ita nt in Veſperis ſumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Veſperis ejuſdem Communis, niſi alitrr ſignatur. Et ſimiliter ſi in ſecundis Veſperis S. Agathæ, aut alterius Sanctæ novem Lectionum fieri debeat Commemoratio B. Mariæ pro ejus Officio in ſequenti Sabbato celebrando, ut repetatur ℣. Diffuſa eſt gratia; dicatur ℣. Benedicta tu, ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem ſit Oratio Feſti de quo fit Officium, et ejus de quo fit Commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat Commemoratio, de Dominica ſcilicet, vel Feria, Antiphona et Verſus ante Orationem eodem modo ſumantur ex proprio de Tempore, ſi habuerit proprium; alioquin de Pſalterio: Oratio vero ex proprio de Tempore.*

9. *Quando fit Commemoratio de Dominica vel Feria, quæ habent propriam Homiliam, nona Lectio in Officio diei novem Lectionum legitur de Homilia Dominicæ vel Feriæ; quæ erit vel prima de Homilia, vel tres ſimul in una Lectione conjunctæ.*

10. *Si in die, in quo fit Officium novem Lectionum, fiat Commemoratio de Feſto trium Lectionum, nona Lectio legitur de Feſto trium Lectionum, ſi propriam habuerit: ſi dnas, ex duabns fiat una Lectio, quæ ſit nona in Officio novem Lectionum. Quæ Lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit Commemoratio in Dominicis, quæ habent nonum Reſponſorium, nec quando nona Lectio legenda eſt de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, ut ſupra; nec in Feriis, & aliis diebus, quando in Officio diei leguntur tantum tres Lectiones; nec etiam nona Lectio legitur de die infra Octavam, quando de ea fit Commemoratio in Dominica vel aliquo Feſto, licet habeat Evangelium proprium, & Homiliam.*

11. *Quando contingit fieri plures Commemorationes, ſervatus hic ordo. De Duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante Feſtum Semidnplex, de Semiduplici ante diem infra Octavam, de die infra Octavam ante Ferias Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum & Rogationum, & de dictis Feriis ante Feſtum Simplex: De Sancta Maria (quando in ſecundis Veſperis Feſti novem Lectionum, quod Feria vi. celebratum ſit, de ea fieri debet Commemoratio pro Officio ſequentis Sabbati) fiat ante Feſtum Simplex in Sabbato occurrens: De Feſto ſimplici fit commemoratio ante Suffragia, ſeu communes Commemorationes de Cruce, Sancta Maria, Apoſtolis, & Pace, & ante Commemorationem cujuſcumque Tituli vel Patroni Eccleſiæ, quæ etiam pro ſui dignitate aliis Suffragiis prædictis præponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo & quando facienda ſint, habetur inferius propria Rubrica.*



## De Commemorationibus. Cap. XL

*G A V A N T U S.*

1. QUatuor præſcribuntur in Breviario Tit. de Commemorationibus: & Primo, quibus diebus, &c. de quibus feſtis, ſeu Officiis facienda ſit Commemoratio. Secundo, quo loco & in qua parte divini Officii. Tertio, quomodo, quave ratione. Quarto, quo ordine, quando multæ ſunt ſimul faciendæ, & de his ſingillatim dicemus.

2. De Feria Majori, de ſimplici, de S. Maria in Sabbato, de die infra Octavam, de Semiduplici, de Dominica, de die Octava, de Duplici Omnium Claſſium contingit fieri Commemorationem in Officio, ut ex ſequentibus hoc eodem ordine patebit.

3. Nam de Feria majori fit Commemoratio quando Feſtum novem Lectionum in ea occurrit, neque unquam omittitur de ea Commemoratio, exceptis Vigiliis, quæ occurrunt in alia feria majori, puta Adventus, aut Quadrageſimæ; vel occurrunt in Feſto Duplici primæ Claſſis, quia tunc nihil fit de Vigilia excepta Vigilia Epiphaniæ.

4. De Simplici fit Commemoratio, quando occurrit in Feria majori, Vigilia, S. M. in Sabbato, die infra Octavam, Semiduplici, Dominica, die Octava, & in Duplici per annum, tam in primis Veſperis, quam in Laudibus. In duplici Feſto 2. Claſſis tantum in Laudibus. Item in ejuſdem Feſti Simplicis primis Veſperis, quando cum eo pridie concurrit Semiduplex, Dominica, dies Octava, Duplex per annum, Duplex 2. Claſſis, non autem quando Duplex primæ Claſſis concurrit cum Simplici.

5. De Sancta Maria in Sabbato fit Commemoratio, quando cum ea pridie concurrit dies Octava, Semiduplex, Duplex per annum (modo non ſit Feſtum B. Virginis, nec de eadem fiat Feſtum, & Commemoratio) Duplex ſecundæ Claſſis, non primæ.

6. De die infra Octavam fit Commemoratio, quando in ea occurrit dies Octava alterius Octavæ, vel dies infra aliam Octavam digniorem, vel Duplex per annum, vel Dominica: non autem quando Duplex primæ, vel ſecundæ Claſſis occurrit, exceptis Octavis SS. Stephani, Joannis & Innocentium: de quibus fit Commem. in Feſto 2. Claſſis eo modo quo in Feſto S. Jo. Evangeliſtæ fit de die infra Octavam S. Stephani, & in Feſto Innocentium diebus infra Octavam S. Stephani, & S. Joannis, ex privilegio ſpeciali. Item quando concurrit cum ſequenti die octava alterius Octavæ, Duplici per annum, & Dominica quacumque; non cum aliis.

7. De Semiduplici fit Commemoratio quando concurrit cum ſequenti die infra Octavam, die Octava, cum alio Semiduplici, cum Duplici per annum, & Dominica; non cum aliis.

8. De Dominica, quando in ea occurrit Duplex primæ, aut ſecundæ Claſſis, aut Duplex per annum, aut dies Octava. Item quando ea concurrit cum ſeq: Duplici per annum, aut cum die Octava; non cum aliis.

9. De die Octava fit Commemoratio quando in ea occurrerit alia dies Octava dignior, aut Duplex primæ, vel ſecundæ Claſſis, aut Dominica primæ, vel ſecundæ Claſſis. Item, quando concurrit cum ſequenti alia die Octava Duplici per annum minore, & majore, cum Duplici ſecundæ Claſſis, non cum aliis.

10. De Duplici minore per annum fit Commemoratio quando concurrit, aut cum ſequenti alio Duplici minore; aut cum die Octava; aut cum Duplici majore, aut cum Duplici ſecundæ Claſſis; non cum aliis.

11. De Duplici majore per annum, fit Commemoratio, quando concurrit cum alio Duplici majore, digniore, per annum, aut cum Duplici ſecundæ Claſſis.

12. De Duplici ſecundæ Claſſis fit Commemoratio, quando concurrit cum Duplici primæ Claſſis, vel cum Duplici ſecundæ Claſſis digniore.

13. De Duplici primæ Claſſis fit Commemoratio, quando concurrit cum alio digniore Duplici primæ Claſſis. Hæc ſunt, quæ patiuntur Commemorationem ſui ipſorum in Officio divino.

14. Ex dictis patet, vice verſa, quod Duplex primæ Claſſis admittit in primis Veſperis Commemorationem de Duplici primæ Claſſis minus digno, de Duplici ſecundæ Claſſis, de Dominica primæ, vel ſecundæ Claſſis, item de Dominica per annum, ſi illud Feſtum occurrat in Dominica, de fer. majore; non de aliis. In Laudibus admittit Commemorationem

Dominicæ ſecundæ Claſſis, & per annum, diei Octavæ, & Feriæ majoris, non tantum Vigiliæ. In ſecundis Veſperis admittit Commemorationem Dominicæ cujuſcumque, Duplicis primæ Claſſis minus digni, Duplicis ſecundæ Claſſis, & per annum, diei Octavæ, Feriæ majoris; non aliorum.

15. Duplex ſecundæ Claſſis admittit in Veſperis primis Commemorationem Dominicæ primæ, vel ſecundæ Claſſis, & Dominicæ per annum; ſi illud occurrat in Dominica, Duplicis ſecundæ Claſſis minus digni, Duplicis per annum, diei Octav. Feriæ majoris, non alioeum. In Laudibus admittit Commemorationem Dominicæ cujuſcumque, diei Octavæ, Feſti Simplicis, & Feriæ majoris. At cur non diei infra Octavam? hæc enim major eſt Simplicis Feſto. Sed ratio diſpae eſt; quia de Octava ſæpius, de Simplici ſemel fit, quo die occurrit. In ſecundis Veſperis admittit Commemorationem Dominicæ cujuſcumque, Duplicis ſecundæ Claſſis minus digni, Duplicis per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei O-Octavæ, diei infra Octavam, ſi de ea ſequenti die fiat Officium, (quod eſt bene advertendum) Sanctæ Mariæ in Sabbato (niſi Feſtum ſit Beatæ Mariæ) & Feriæ majoris; ſi ſequatur aliud Feſt. ſecundæ Claſſis minoris ſolemnitatis, de quo idcirco in dictis Veſperis fiat tantum Commemor. & ſi in eodem Feſto ſequenti occurrit Feſt. Simplex: tunc in ſecundis Veſp. integris præcedentis Feſti nihil adhuc fit de Simplici: quia Feſtum ſequens, licet non habeat Veſperas, habet tamen jus in ſuis primis Veſperis excludendi Commemorationem Feſti Simplicis: caſus accidit, & ita reſpondi.

16. Duplex per annum majus in primis Veſperis admittit Commemorationem Dominicæ cujuſcumque, tum Duplicis minoris per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octavam, diei Octavæ, cum qua concurrit, & Feriæ majoris. In Laudibus admittit Commemorationes Dominicæ, Feſti Simplicis, diei infra Octavam, & Feriæ majoris. In ſecundis Veſperis admittit Commemorationem Dominicæ cujuſcumque, Duplicis minoris per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octavam, diei Octavæ, Feriæ majoris, & B. M. in Sabbato.

17. Duplex per annum minus in primis Veſperis admittit Commemorationem Dominicæ cujuſcumque, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octavam & Feriæ majoris. In Laudibus admittit Commemorationem Dominicæ per annum, Feſti Simplicis, diei infra Octavam, & Feriæ majoris. In ſecundis Veſperis admittit Commemorationem Dominicæ, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octavam, Feriæ majoris, & Beatæ Mariæ in Sabbato.

18. Dies Octava admittit Commemorationes, quas Duplex per annum minus, ſed dies Octava Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti ſunt Duplicia majora, quæ habent integras Veſperas, & admittunt eas tantum Commemorationes, quas conceſſimus Feſto duplici majori per annum, ſi accidere poſſint.

19. Dies infra Octavam admittit in primis Veſperis Commemorationem Semiduplicis, cum quo dividit Veſperas, Simplicis, & Feriæ majoris. In Laudibus, & ſecundis Veſperis admittit Commemorationem Simplicis, & Feriæ majoris in omnibus, & alterius diei infra Octavam minus dignam.

20. Semiduplex admittit in primis Veſperis Commemorationem Semiduplicis, & diei infra Octavam, cum quibus Veſperas dividit, Simplicis, & Feriæ majoris. In Laudibus Commemorationem diei infra Octav. Simplicis, & Feriæ majoris. In ſecundis Veſperis Commemorationem alterius Semidupl. Simplicis, Beatæ Mariæ in Sabbato, & Feriæ majoris.

21. Dominica in primis Veſperis admittit Commemorationem Semiduplicis, & diei infra Octavam, cum quibus dividit Veſperas, & Feſti Simplicis. In Laudibus Commemorationem diei infra Octavam, & Simplicis. In ſecundis Veſperis Commemorationem Semiduplicis, diei infra Octavam, & Simplicis.

22. Simplex in primis Veſperis, & Laudibus admittit Commemorationem tantum alterius Simplicis: aliis Officium cedit.

23. Sancta Maria in Sabbato admittit Commemorationem in primis Veſperis, & Laudibus Feſti Simplicis tantum; cedit Officium aliis.

24. De tribus Octavis fit Commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus, quocumque Feſto infra eas adveniente, nimirum Nativitatis Domini, Epiphaniæ & Corporis Chriſti.

25. Ratio vero prædictorum deſumitur ex majori, vel minori qualitate Feſti: quo enim eſt nobilius, magis etiam habet de officio, & minus de aliorum commemoratione. Dicamus nunc de loco faciendæ commemorationis, in qua parte Officii fiat.

26. Fit commemoratio in Veſperis, & Laudibus poſt Orationem Feſti, de quo fit Officium, & ſi habeatur lectio, ultimo loco legitur in tertio Nocturno ante Hymnum *Te Deum*. Modum commemorationis fuſius explico.

27. Fit hoc modo commemoratio. In Veſperis ſumitur Antiphona, quæ eſt aſſignata Cantico *Magnificat*, cui additur *Verſus*, qui dicitur poſt Hymnum Veſperatum, tum Oratio ejus, de quo fit commemoratio; ſumuntur autem vel de proprio, vel de communi, eodem modo fit in Laudibus cum Antiphona Cantico *Benedictus* aſſignata, & Verſu, qui habetur poſt Hymnum ad Laudes.

28. Si ex eodem communi ſumitur commemoratio, unde ſumptum eſt Officium, variantur Antiphonæ, & Verſus, ita ut in Veſperis ſumatur commemoratio ex Laudibus, & e contra, niſi aliter ſignetur, inquit Rubrica *de Commemora*. *n.* 8. quia in Feſto S. Hilarii in ſecundis Veſperis aliter res ſe habet, ut videre eſt in eo loco, quod de Antiphona, & Verſu dicitur, intellige quoque de Verſu tantum, ut varietur, ſi eſt opus: & ſimiliter de Oratione. * Neque refert, ſi pro commemoratione ejuſdem contingat dici eumdem Verſum in primis Veſperis, & Laudibus, ut in Feſto Sancti Donati, in quo fit aliquando de tranſlato Inventione Sancti Stephani, & pro commemorat. Sancti Donati dicitur, & in Veſperis, & in Laudibus item Verſus: *Juſtus ut palma &c.* quia in Laudibus nulla eſt neceſſitas variandi Verſum de Laudibus proprium, ut patet.

29. Dubitavere quidam: an Antiphonæ ad *Benedictus* in Communi Pontificum, & non Pontificum Confeſſorum ſint diverſæ, ut altera pro Officio, alteea pro commemoratione in Laudibus deſervire queant? Quibus ego reſpondi, initio eſſe unam, in fine apparere diverſas: & hoc ſufficit ad varietatem: quod etiam fit in praxi communiori. Habes nunc exemplum in Breviario in Feſto Sancti Bonaventuræ, & Sancti Henrici

30. Quæres adhuc: quid agendum, quando in Officio de uno Martyre fit commemoratio de Martyre altero, & inter ſuffragia fit commemoratio de Patrono item Martyre, per Antiphonas de communi: quinam Verſus dicendus erit pro Patrono? Habes exemplum in ſecundis Veſperis Sancti Hilarii, ubi tres concurrunt Confeſſores, utere ergo ultimo loco Verſu ultimo ſecundi, vel tertii Nocturni; & idem fiat, ſi quatuor occurrant, adhibita Antiphona, quæ prima eſt Nocturni primi, & Verſu Nocturnorum, qui non eſt dictus in commemorationibus.

31. Ratio vero, cur pro commemoratione ſumantur Antiphonæ ad *Magnificat*, *&* *Benedictus*, ea eſſe poteſt; quia ſunt nobiliores Antiphonæ tum ratione Canticorum Evangelicorum, tum vicinioris aditus ad Orationem, ſeu Collectam, quæ dicitur pro commemoratione.

32. Commemoratio de Dominica, vel de Feria majori, vel de die Octava SS. Petri, & Pauli (ſi in ea occurrit nobilius Feſtum) quæ habet Homiliam cum ſuo Evangelio, addit præterea Lectionem ejuſdem Homiliæ; in fine tertii Nocturni pro nona lectione, ideſt, vel primam tantum de Homilia, vel tres in una ſimul lectiones conjunctas. Sicut enim in Miſſa pro commemoratione Dominicæ, vel dictæ Feriæ, vel diei Octavæ Populo legitur Evangelium in Miſſæ, ne ſit Evangelium aliquod in Miſſali, quod non aliquando legatur Populo, ita convenit, ut in Choro exponatur illud idem Evangelium per Homiliam in fine Officii Matutini, in quo paulo ante per aliam Homiliam declaratum eſt Evangelium principale Feſti, & Officii.

33. De Sanctis autem, qui propriam Lectionem habent de vita, & geſtis ipſorum convenit etiam, ut legatur ad inſtructionem Cleri, quæ erit nona, ſi una eſt, vel de duabus fiat una; quam congruentiſſime ſequitur laus divina per Hymn. *Te Deum*. Quod ſi Hymnus hic non ſit dicendus, omittitur eo caſu lectio de Sancto, quia Reſponſorium nonum, quod vice Hymni *Te Deum*, dicitur, non bene quadrat lectioni de Sancto, ſed bene lectioni Homiliæ, & ideo nona lectio eſt de præcedenti eadem Homilia.

34. Dixi, *qui propriam lectionem habent*, non appropriatam de communi, ut in Feſto SS. Naboris, & Felicis, S. Margaritæ, & aliorum. Et adeſt exemplum in Feſto S. Auguſtini, cujus lectio nona non eſt de Sancto Hermete, quia propriam non habet laudem, ſi de communi ſumatur, imo etiam in Rubr. *de Tranſlatione Feſtorum n. 9.* expreſſe habetur: *Si propriam*, inquit, *de vita Sancti habuerit lectionem.*

35. Si vero duæ commemorationes concurrant in eodem Officio; ſcilicet Dominicæ, vel Feriæ majoris, quæ habet Homiliam, & ſimplicis Feſti, quod habet propriam lectionem, tunc omittatur lectio de S. & legatur Homilia, quia Dominica, & Feria major digniores ſunt Feſto ſimplici. Immo & omittitur, quando in feriali Officio Feriæ majoris tres tantum leguntur lectiones, quia non dicitur *Te Deum*, ſed tertium Reſponſorium, quod non reſpondet Feſto ſimplici; vel certe ideo fit intra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, quando in iis occurrit Feſtum ſimplex, quia parum legitur de ſolemniori Feſto, quod non videtur minuendum, dempta illius tertia lectione pro lectione de Sanctis.

36. De die infra Octavam non legitur nona lectio, licet habeat in Breviario, & Octavario Homiliam qualibet die; quia Evangelium lectum eſt in die Feſto, & repetitur infra Octavam ſæpe; neque de ea fiat in Miſſa commemoratio; immo, neque ſi habeat Evangelium diverſum ab Evangelio Feſti, quod accidit infra Octavam Apoſtolorum Petri, & Pauli, & conceditur in Octavario Romano, *not.* 4.

37. Accidit alicubi, quod Octava Apoſtolorum Petri, & Pauli occurrat in Dominica, in qua fit de Titulari Eccleſiæ cum commemorationibus Octavæ, quæ habet proprium Evangelium, & Dominicæ: quæres, quodnam Evangelium cum ſua Homilia legetur pro nona lectione, Octavæ ne, an Dominicæ? Illa enim, quæ duplex eſt, dignior eſt Dominica.

Ni-

Nihilominus ego legerem potius Evangelium Dominicæ, neque enim vacare permittitur aliqua Dominica per annum, quin de ea ſaltem in Sabbato præcedenti, fiat commemoratio, ut dictum eſt ſupra *c.* 5. & hoc fit ratione Evangelii, ut legantur Populo per annum in Miſſa omnia Evangelia Dominicalia, ſi vero in Miſſa eſt legendum: ergo & in Officio. Reliquum eſt, ut ſignificemus ordinem commemorationum.

38. Quando contingit fieri plures commemorationes, ſervetur hic ordo. De duplici fiat ante Dominicam; de Dominica ante Feſtum ſemiduplex, de ſemiduplici ante diem infra Octavam, de Octava ante Ferias majores, & de his ante Feſtum ſimplex, Hæc Rubr. *de Commemor. num.* 11.

39. Latet hic, quod pauci norunt. Cur enim de ſemiduplici ante diem infra Octavam? cum in Concurrentia ſemiduplicis ante diem infra Octavam dixerimus ſupra, fieri a Capitulo de die infra Octavam cum commemoratione ſemiduplicis? Ergo inde ſequitur, quod ordo commemorationum erit de die infra Octavam ante ſemiduplex. At vide diſparitatem. Nam in ratione Officii dividuntur Veſperæ, itaut ad præcedens Feſtum prima pars ſpectet; ad ſequens altera a Capitulo; ſed in ratione ſimplicis commemorationis, puta, quando ſemiduplex concurrit cum duplici infra Octavam Feſti habentis Octavam, quia ſemiduplex Feſtum eſt nobilior per ſe loquendo (quia Feſtum eſt) quam dies infra Octavam, quæ eſt continuatio Feſti, ut diximus ſupra *c.* 8. *n.* 4. idcirco fit commemoratio ſemiduplicis ante diem infra Octavam. Caſum habes in terminis in ſecundis Veſperis S. Thomæ Cantuarienſis, quando concurrit cum Feſto S. Sylveſtri, in quibus integræ Veſperæ ſunt de duplici cum commemoratione S. Thomæ ſemiduplicis, & deinde Octavarum.

40. De Sancta Maria in Sabbato, ſi in Feria ſexta fiat Feſtum novem Lectionum, fit commemoratio ante Feſtum ſimplex, quod celebratur in Sabbato.

41. De Feſto ſimplici fit commemoratio ante ſuffragia Sanctorum, ſeu communes commemorationes, de Cruce, Sancta Maria &c. & ante commemorationem cujuſque Tituli, vel Patroni Eccleſiæ, quæ forte omnibus ſuffragiis præponeretur pro ſui dignitate, veluti Sanctiſſimæ Trinitatis, Corporis Chriſti &c. quia cum hæ commemorationes dicantur, & ſint communes, cedunt ſimplicibus, quæ eo die locum proprium, & feſtivum habere debent: ita ſervos ſuos honorante ipſomet Deo, & quaſi locum cedente in eorum Feſto.

42. Denique fit commemoratio tantum Feſti ſimplicis in Veſperis de Feria, quando poſtridie de eodem facienda eſt tantum commemoratio, ob occurrentem Feriam quartam Cinerum, ſeu Feriam quartam, aut ſextam Temporum, aut Vigiliam, quia non habet Officium: ergo neque primas Veſperas; ſicut etiam omittitur, & ipſa commemoratio in Feria quarta majoris hebdomadæ, cum in ſequenti Feria nihil fiat de Feſto ſimplici.

43. Ratio prædicti ordinis patet, congruit enim qualitati Feſtorum, & Officiorum; & eo ordine, quo Feſta prædictorum fierent; eodem faciendæ ſunt ſolemnes, non communibus comparatæ, commemorationis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. -- *De Commemorationibus.*) Tractationem de commemorationibus non ſervato Rubricarum ordine poſtponit Gavantus tractationibus Concurrentiæ Officii, ac Occurentiæ, ſeu Translationis Feſtorum, & nos hujus inſignis Auctoris veſtigiis ſemper inhærendo, in his Additionibus, & Obſervationibus nonnulla ſpectantia ad hanc materiam hic adnotabimus. Commemorationes igitur, quæ faciendæ ſunt aliquando in Officio diei currentis ad utraſque, aut ſaltem alterutras Veſperas, necnon ad Laudes, & reſpective ad Miſſam poſt Orationem diei ex præſcripto Rubricarum ſunt duplicis generis, nempe *Speciales*, & *Communes*. Speciales conſiſtunt in his Antiphonis, Verſibus, & Orationibus, quæ ratione alterius Feſti, aut Officii occurrentis, vel concurrentis, Orationi Feſti, aut diei currentis in hujus Officio prædicti loci ſunt ſuperaddendæ. Communes (quæ alio nomine ſuffragia Sanctorum a majori illarum parte deſumpta denominatione dicuntur) ſunt illæ, quæ una cum ſuis Antiphonis, & Verſibus ſub titulo commemorationum communium, ſeu ſuffragiorum Sanctorum extant in Pſalterio poſt Veſperas Sabbati immediate ante Completorium, ſiuntque in fine Veſperarum, & Laudum poſt Orationem Officii currentis, & poſt antedictas commemorationes ſpeciales, ſi quæ fieri debent ab Octava Epiphaniæ uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſive, diebus infra referendis. De hujuſmodi commemorationibus, & ſuffragiis Sanctorum communibus agemus infra cum noſtro Auctore *Sect.* 5. *c.* 18. nunc enim ſermonem contrahimus ad ſolas commemorationes ſpeciales, quæ, ut dixi, conſtant Antiphona, Verſu, & Oratione. Antiphona in Veſperis ea ſumitur, quæ eſt aſſignata pro Cantico *Magnificat* Officii illius, de quo fit commemoratio, in Laudibus vero, quæ pro *Benedictus*, cujus rei rationem aſſignat Gavantus ſupra *num.* 31. & Verſus ſunt, qui dicuntur poſt Hymnum reſpective ad Laudes, vel Veſpetas, prout pariter notat Gavantus ſupra *n.* 27. & 28.

II. Gav. num. 3. -- *De Feria majori fit commemoratio &c.*) De Feriis majoribus ſemper in Veſperis, & Laudibus, quando de dictis Feriis non poteſt fieri Officium propter impedimentum Feſti duplicis, ſemiduplicis, vel Octavæ tempore reſpective permiſſo, debet fieri commemoratio. Addita etiam pro ultima Lectione Homilia earum Feriarum majorum ad Matutinum; hujuſmodi autem Feriæ ſunt ſequentes, nimirum Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Feria II. Rogationum: de his, inquam, Feriis ſemper fieri debet commemoratio, etiam occurrente Feſto duplici primæ Claſſis, cum hac differentia, quod de Feriis Quatuor Temporum Septembris, & de Feria II. Rogationum fit commemoratio tantum in Laudibus, de aliis vero etiam ad Veſperas; cæterum de Feriis minoribus per Annum nulla umquam fit commemoratio, etiamſi de his non poſſit fieri Officium, excepta Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, quæ habet Officium, ſicut dies infra Octavam ejuſdem Feſti, unde ſi in hac Feria occurreret Feſtum novem Lectionum, non tamen aliqua dies infra Octavam, quæ per ſolam commemorationem ceſſat ad Nonam; tunc quidem erit faciendum Officium de Feſto (etiam tranſlato, ut ſupra diximus) addita tamen commemoratione dictæ Feriæ VI. ex Rubrica particulari poſita ante hanc VI. Feriam, quæ commemoratio, excepto duplici primæ, & ſecundæ Claſſis, facienda eſt ad Laudes abſque nona Lectione de Homilia hujus Feriæ, ut notat etiam Gavantus infra *Sect.* 6. *cap.* 17. *num.* 6. & 7. At in ſecundis Veſperis dictæ Feriæ non deſunt, qui cenſent faciendam eſſe ejuſdem Feriæ commemorationem, etiamſi occurrat Feſtum duplex primæ Claſſis. Hanc opinionem amplectuntur Patres Monachi Benedictini Sancti Mauri in ſuo Cæremoniali Monaſtico *lib.* 4. *c.* 16. *pag.* 533. Qui huic opinioni adhærent, opinantur hanc Antiphonam hujus Feriæ, quæ eſt in ſecundis Veſperis, pertinere ad Feriam ſequentem, nempe ad Vigiliam Pentecoſtes, quam comparant aliquo modo cum Vigilia Epiphaniæ, de qua fit commemoratio in Veſperis antecedentis diei; occurrente etiam Feſto primæ Claſſis in illa die. Ego nihil decidere auſim ſuper hanc rem, quamvis potius inclinem in Guyeti ſententiam, prout in ſequenti Tabula.

Rurſus fit etiam commemoratio Vigiliarum (de quibus non poteſt fieri Officium propter aliquod impedimentum) & non ſolum Vigiliarum, quæ jejunantur, ſed etiam, quæ non jejunantur, ut accidit in Vigilia Aſcenſionis Domini, quæ eſt ſine jejunio. Excipiendæ tamen ſunt Vigiliæ occurrentes in Feſto duplici primæ Claſſis, tunc enim de Vigilia nulla fit commemoratio, ut præſcribitur in Rubrica generali Breviarii *tit.* 6. necnon in Rubrica generali 3. Miſſalis *num.* 2. ubi inter alia habetur, quod ſi Vigilia occurrat in die alicujus Feſti ex majoribus primæ Claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de ea, ſicut nec in Officio. Fit tamen commemoratio dictarum Vigiliarum occurrente quocumque alio Feſto duplici, etiam ſecundæ Claſſis, ut bene notat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 2. omittitur etiam commemoratio Vigiliæ in officio Feriarum (non vero in Miſſa, ut alibi diximus) Adventus, Quadrageſimæ, & Quatuor Temporum, etiamſi fieret de aliquo Feſto, ut notat etiam Biſſus *in lit. V. num.* 50. §. 4.

Supereſt mentionem facere de Vigiliis privilegiatis, nempe de Vigilia Nativitatis Domini, Pentecoſtes, & Vigilia Epiphaniæ; ad primas duas quod attinet, nihil eſt addendum, quia de his ſemper fieri debet Officium, cum nulli Feſto cedant, ut obſervat Guyetus *loc. cit. quæſt.* 5. quoad Vigiliam vero Epiphaniæ occurrere poteſt caſus; quod in ea celebretur Feſtum duplex, non tamen tranſlatum, & tunc de Vigilia debet fieri ſemper commemoratio in primis Veſperis, & Laudibus, cum Lectione de Homilia, etiamſi tale Feſtum duplex fuerit primæ Claſſis; Feſta vero ſemiduplicia in hac Vigilia occurrentia transferuntur, ut alibi diximus.

Sicut ad commodiorem antedictorum intelligentiam conſignavimus Tabellas a Guyeto traditas, ejuſdem quaſi formæ cum illis, quæ in calce Rubric. Generalium appoſitæ ſunt pro Occurrentia, & Concurrentia Officiorum, ita hoc loco congruum videtur ſubjicere alias ſequentes Tabellas, ut ſtatim uno aſpectu colligatur, quæ, & qualis fieri debeat in quocumque eventu Commemoratio Feriarum, Vigiliarum &c.

### TABELLA COMMEMORATIONIS FERIARUM.

| | Occurrentes in iis. | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | Semiduplici etiam translato. | Die infra Octavam. | Die Octava. | Duplici per annum. | Duplici ſecundæ Claſſis. | Duplici primæ Claſſis. |
| Adventus. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Quadrageſimæ. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Secundæ Rogationum. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Quatuor Temporum. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| Sextæ poſt Octavam Aſcenſionis. | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |

1. Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa.
2. Commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum; item in Miſſa cum Evangelio in fine.
3. Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum, item in Miſſa cum Evangelio in fine.
4. Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia: Miſſa vero de Feria ipſa, cum commemoratione Octavæ.
5. Commemoratio in Laudibus, Miſſa, & Veſperis.
6. Commemoratio Feriæ in Veſperis tantum.
7. Commemoratio diei infra Octavam in Laudibus, & Miſſa. Veſperæ de illa Feria ſexta.
8. Commemoratio de Feria, in Laudibus, Miſſa, & ſecundis Veſperis.
9. Nulla commemoratio Feriæ.

### TABELLA COMMEMORATIONIS VIGILIÆ.

| | | |
|---|---|---|
| Occurrentis cum | Duplici primæ Claſſis. | 2 |
| | Duplici ſecundæ Claſſis. | 1 |
| | Duplici per Annum. | 1 |
| | Semiduplici. | 1 |
| | Die infra Octavam. | 3 |
| | Die Octava. | 1 |
| | In Adventu. | 4 |
| | In Quadrageſima. | 5 |
| | In Quatuor Temporibus. | 5 |

1. Commemoratio in Laudibus, cum ix. Lectione de Homilia ad Matutinum; item in Miſſa cum Evangelio in fine.
2. Nulla commemoratio in Officio, nec in Miſſa.
3. Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia; Miſſa de ipſa Vigilia: cum commemoratione Octavæ.
4. Nulla commemoratio in Officio; Miſſa de ipſa Vigilia, & in Quatuor Temporibus commemoratio de ipſa in Miſſa.
5. Commemoratio in Miſſa tantum.

De Vigiliis Nativitatis, & Pentecoſtes nuſquam fit commemoratio, quia de iis ſemper fit Officium. De Vigilia Epiphaniæ fit commemoratio pridie in Veſperis more Feſti. Ipſa vero die fit Officium novem Lectionum; ſi tamen occurrat alicubi Feſtum duplex, non tamen tranſlatum, etiam primæ Claſſis, fiet de eo, cum nona Lectione de Homilia, & commemoratione Vigiliæ in Laudibus, ac Miſſa, & ultimo Evangelio in fine.

III. Gavant. n. 4. -- *De ſimplici fit Commemoratio &c.*) Ex Textu Rubricæ ſuperioris, & ex Gavanti Commentatio colligitur, quando fieri debeat commemoratio de feſto ſimplici, nimirum in occurrentia alicujus Feſti, vel Feriæ, in qua de eodem Feſto ſimplici non poteſt fieri Officium. Colligitur pariter, quod in duplicibus primæ Claſſis omnino omittitur commemoratio Feſti ſimplicis in prædictis duplicibus occurrentis. In duplicibus vero ſecundæ Claſſis fit tantum commemoratio ſimplicis ad Laudes, & in Miſſis privatis. Notat tamen Gavantus, quod in ejuſdem Feſti ſimplicis primis Veſperis, quando cum eo pridie concurrit ſemiduplex, Dominica, dies Octava, duplex etiam ſecundæ Claſſis, non autem primæ Claſſis, debet fieri commemoratio dicti Feſti ſimplicis; & *n.* 15. ſupra proponit caſum, quod detur concurrentia duorum Feſtorum duplicium ſecundæ Claſſis, itaut in feſto ſecundæ Claſſis occurrente ſequenti die adſit etiam Feſtum ſimplex, & in Veſperis fiat Officium totum de præcedenti Officio ſecundæ Claſſis, utpote magis digno, ſola vero commemoratio de ſequenti Feſto ſecundæ Claſſis, ut minus digno; quo poſito quærit Gavantus an in ſecundis Veſperis illius præcedentis duplicis ſecundæ Claſſis ſit facienda commemoratio Feſti ſimplicis occurrentis die ſequenti? & quidem cum ex his, quæ aſſerit hoc loco in ſecundis Veſperis duplex ſecundæ Claſſis admittat commemorationem ſimplicis ſequentis, videtur in caſu propoſito non debere excludi, nihilominus reſolvit in prædicto caſu ommittendam eſſe commemorationem Feſti ſimplicis, quia occurrit in duplici ſecundæ Claſſis ſequentis, quod non admittit commemorationem ſimplicis in primis ſuis Veſperis, ſed tantum in Laudibus; neque officit, quod ſequens duplex ſecundæ Claſſis careat primis Veſperis, licet enim has non habeat, ſemper tamen habet jus in ſuis primis Veſperis excludendi commemorationem Feſti ſimplicis, ita reſolvit præclariſſimus Auctor.

IV. Gavantus eodem num. 4. -- *Quando occurrit in Feria majori &c.*) Ex quo de Feſto ſimplici fieri debeat commemoratio, quando occurrit in Feria majori, ſequitur, quod ſi Feſtum ſimplex occurrat Feria quarta Cinerum, aut Feria quarta, vel ſexta Quatuor Temporum, aut in aliqua Vigilia, tunc quia Feſtum ſimplex occurrens in dictis Feriis, & Vigiliis, non habet Officium, ſed tantum commemorationem in Laudibus; idcirco etiam pridie in Veſperis Feriæ, ſi quæ illud præceſſerit, habet tantum commemorationem: itaut pridie integræ dicantur, tunc de Feria currente (niſi ea die celebrandum ſit Feſtum novem Lectionum) non autem a Capitulo de Feſto ſimplici, ut alioquin dicendæ forent, ſi poſtridie diceretur de Feſto ſimplici. Quod ſi Feſtum ſimplex occurrat in Feria quinta Cœnæ Domini, tunc in Veſperis Feriæ quartæ præcedentis ne quidem fit commemoratio de illo ſimplici, eo quod poſtridie, nempe in dicta Feria quinta, nihil omnino fit, nec ad Laudes. Hæc omnia colliguntur ex Rubrica generali XI. ſupra tradita *n.* 10

V. Gavant. eodem num. 4. -- *Dominica &c.*) Simplici occurrente in quacumque Dominica, de eo fit commemoratio in Veſperis Sabbati, & Laudibus Dominicæ, & in Miſſa, præterquam in Dominica Palmarum, ſicut & Vigilia Pentecoſtes, in quibus omittitur commemoratio ſimplicis in Miſſa etiam privata, licet de eo in Officio facta fuerit commemoratio, ut colligitur ex Rubric. VII. Miſſalis.

Adnotare etiam debemus cum Gnyeto *citato loco quæſt.* 2. quod ſunt aliqua Feſta ſimplicia, quæ cum aliis feſtis ſimplicibus occurrunt, ut accidit die ſeptima Octobris, in qua occurrit Feſtum ſimplex Sancti Marci PP. & Confeſſoris cum feſto Sanctorum Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apulei Martyrum; in hoc autem caſu de uno fit Officium, & de alio commemoratio in Laudibus, Veſperis, & Miſſa, ſic die dicta ſeptima Octobris de Sancto Marco PP. fit Officium, de aliis vero prædictis Martyribus fit tantum commemoratio ſine ulla Lectione.

### TABELLA COMMEMORATIONIS FESTI SIMPLICIS.

| | | |
|---|---|---|
| Occurrentis cum | Duplici primæ Claſſis. | 5 |
| | Duplici ſecundæ Claſſis. | 3 |
| | Duplici, & Semiduplici per annum. | 1 |
| | Dominica ſine *Te Deum*. | 2 |
| | Dominica cum *Te Deum*. | 2 |
| | Feria majori, & Vigilia. | 2 |
| | Alio ſimplici. | 4 |
| | Die infra Octavam, & die Octavæ. | 1 |

1. Commemoratio in primis Veſperis, & Laudibus, cum nona Lectione ad Matutinum, ſi propriam habuerit; item in Miſſa.
2. Commemoratio in primis Veſperis, Laudibus, & Miſſa, ſine Lectione ad Matutinum.
3. Commemoratio in Laudibus; & Miſſis privatis tantum cum nona Lectione, ſi propriam habuerit.
4. Commemoratio poſterioris in primis Veſperis, Laudibus, & Miſſa prioris.
5. Nihil fit de eo.

VI. Gav. n. 5. *Modo non ſit Feſtum Beatæ Virginis &c.*) Aſſerit hoc loco Gavantus, quod de S. M. in ſabbato fieri debet commemoratio in primis Veſperis, quando cum ea pridie concurrit dies Octava, ſemiduplex, duplex per annum &c. modo non ſit Feſtum B. Virginis, ne de ea fiat Feſtum, & commemoratio; optime hæc aſſeverat Gavantus, & equidem ob eamdem rationem in Decreto edito die 3. Septemb. 1672. & dato in noſtro *n.* 97. habetur, quod ſi Feſtum de ſeptem Doloribus B. M. V. concurrat cum Feſto Annunciationis B. M. V., Veſperæ dicuntur de Annunciatione ſine commemoratione de ſeptem Doloribus. Ita pariter in Decreto edito die 23. Septemb. Anno 1684. & dato in noſtro Indice ſub *n.* 152. ſancitum eſt, quod in Feſto SS. Nominis B. M. V. non eſt facienda commemoratio de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis Veſperis de Nativitate cadentibus in Sabbato, non eſt facienda commemoratio de prædicto SS. Nomine.

VII. Gav. num. 6. -- *Exceptis Octavis Sanctorum Stephani, Joannis, & Innocentium &c.*) Poſtquam Gavantus docuit hoc numero de die infra Octavam fieri debere Commemorationem, quando in ea occurrit dies Octava, &c. non autem faciendam eſſe dictam commemorationem, quando in ea occurrit duplex primæ, vel ſecundæ Claſſis, ſubdit, exceptis Octavis Sanctorum Stephani, Joannis, & Innocentium, de quibus fit commemoratio etiam in Feſto ſecundæ Claſſis ex ſpeciali privilegio; debemus tamen addere, excepto die Feſto Circumciſionis, quod Feſtum, licet ubi non eſt Titulus, ſit tantum duplex ſecundæ Claſſis, excludit tamen commemorationem tam

in

in Officio, quam in Miſſa dierum infra Octavam cujuslibet illorum Feſtorum, & excludit etiam in primis Veſperis commemorationem de Duplici minori præcedente. Rurſus quamvis regulariter loquendo de die infra Octavam non fiat commemoratio, quando in ea occurrit Feſtum primæ vel ſecundæ Claſſis, hoc intelligendum eſt de die infra Octavam non privilegiatam, nam de tribus Octavis, nempe Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti, utpote privilegiatis, fit, juxta ea quæ diximus ſupra in Cap. VIII. commemoratio, quocumque Feſto etiam primæ Claſſis infra eas occurrente.

Placet hoc loco configurare ſequentem Tabellam, quam tradit etiam Guvetus *pag.* 554. edit. Venetæ, utpote valde utilem ad nonnullas ſolvendas difficultates in præſenti materia.

TABELLA COMMEMORATIONIS DIERUM INFRA OCTAVAS

| | Occurrentium cum | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | Die alia Octava. | Die infra aliam Octavam. | Semiduplici. | Duplici per annum. | Duplici ſecundæ Claſſis. | Duplici primæ Claſſis. |
| Nativitatis Domini, | 0 | 0 | 4 | 1 | 1 | 1 |
| Ephiphaniæ, | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 1 |
| Corporis Chriſti, | 1 | 5 | 0 | 1 | 5 | 1 |
| Cujuſvis alterius, | 1 | 6 | 4 | 1 | 3 | 2 |

1. Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus, ac Miſſa.
0. Nulla commemoratio.
3. Commemoratio in ſecundis Veſperis, ſi fiat poſtridie de ipſa Octava.
4. Commemoratio in Veſperis, Laudibus, & Miſſa. In ſecundis Veſperis à Capitulo de Octava.
5. Officium de Corpore Chriſti, commemoratio de infra Octavam.
6. Officium de digniori, commemoratio de minus digna.
0. Hæc nota indicat nullam dari caſum ejuſmodi.
Omiſſæ ſunt Octavæ Paſchæ, & Pentecoſtes, quia cum ambæ Feſta omnia rejiciant, numquam de iis contingit fieri commemoratio.

VIII. Gav. n. 7. - *de ſemiduplici fit Commemoratio, quando occurrit &c.* ) Huc uſque tractavit Gavantus de commemorationibus faciendis in concurrentia alicujus Feriæ, vel Feſti &c. quando contingit eorum Officium ab alio impediri, adeoque de commemoratione facienda in Laudibus, nunc tranſit ad commemorationem faciendam de Feſto ſemiduplici, de quo non poteſt fieri commemoratio, niſi in concurrentia, nempe niſi in primis, vel ſecundis Veſperis, numquam autem in occurrentia alterius Feſti, in Laudibus; quia vel fit Officium de dicto ſemiduplici, & tunc in Laudibus nullo modo poteſt fieri de eodem commemoratio; vel non fit Officium de dicto ſemiduplici, & ſic pariter in Laudibus non poteſt fieri de eodem commemoratio, quia in hoc caſu Officium ſemiduplex transfertur, & de eo fit in prima die non impedita. Poſtquam egit Gavantus n. 7. de hac commemoratione ſemiduplici, n. 8. & 9. reſumit ſermonem commemorationis faciendæ de Dominica, & de die Octava, quæ cum non poſſint transferri, de his poteſt, & debet fieri commemoratio in occurrentia alterius Feſti impedientis earumdem Officium, adeoque reſumit ſermonem de commemoratione facienda in Laudibus. Hanc diſtinctionem commemorationum faciendarum in occurrentia, & concurrentia Officiorum optime diſtinguit Guyetus *lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 1. *q.* 1. ubi dicit; ejus fit commemoratio, de quo fieret Officium (ecce commemoratio facienda in occurrentia, & ad Laudes) niſi ab alio digniore impediretur. Eſt itaque commemoratio pars quædam exigua Officii in ipſius integri locum ſubſtituta, & quaſi vices ſupplens. Ex quo ſequitur eorum dumtaxat fieri commemorationem, quorum contingit Officium ab alio impediri. Sunt autem horum quinque capita, videlicet Dominicæ, Feriæ, Feſta ſimplicia, Vigiliæ, & Octavæ &c. Hæc Guyetus; ex quibus patet ipſum optime procedere loquendo in primis de commemoratione facienda in Laudibus, & in occurrentia Officiorum. Poſtea procedit idem Auctor dicendo: Feſta vero duplicia, & ſemiduplicia hic non recenſuimus, quia licet commemorationem aliquando ſuſcipiant, haud tamen vice Officii integri, quod nunquam ex toto deperditur (ut etiam nos innuimus ſupra loquendo de Officio ſemiduplici, quod transfertur, & ideo numquam deperditur) ſed tantum vice Veſperarum in concurſu. De qua re nos agemus infra incipiendo a n. 10. cum Gavanto, qui eodem loco agere debebat, & antequam ſermonem haberet de commemoratione duplicis minoris, tractare poterat de commemoratione ſemiduplicis, ne confunderet commemorationes faciendas in occurſu, cum commemorationibus faciendis tantum in occurſu Officiorum. Verum ne ab eodem Auctore diſcedamus, quoniam hic mentionem facit commemorationis de Feſto ſemiduplici, advertere debemus (in majori ſucc ponendo ejuſdem verba, nimirum) quod de ſemiduplici facienda eſt Commemoratio, quando concurrit cum ſequenti die infra Octavam, cum die Octava, item cum alio ſemiduplici, cum duplici per annum, & Dominica, & quamvis addat Gavantus, non cum aliis; tamen advertendum eſt, hoc verum eſſe quando agitur de Concurrentia activa ſemiduplicis, nempe



in ſuis ſecundis Veſperis, ſed aliter diſcurrendum de ejuſdem Concurrentia paſſiva, nempe in ſuis primis Veſperis cum aliis Feſtis; in hoc enim caſu etiam ſemiduplici fit Commemoratio in ſecundis Veſperis duplicis, non ſolum ſecundæ Claſſis, ſed etiam primæ. Hæc omnia clariſſime patent, & declarantur in ſupra expoſitis Tabulis generalibus Concurrentiæ, & Occurrentiæ. Vide etiam quæ dicit Gavantus infra n. 20. ubi tractat, de quibus ſemiduplex admittir commemorationem, præſertim in utriſque Veſperis.

IX. Gav. n. 8. - *De Dominica, quando in ea occurrit duplex prima, vel ſecunda Claſſis &c.* ) Quando de Dominica fieri non poteſt Officium, ob occurrentiam Feſti duplicis primæ, aut ſecundæ Claſſis, aut duplicis per Annum, aut diei Octavæ (excipe Dominicas vacantes, de quibus ſupra, nempe Dominicas occurrentes in aliquo e Feſtis Domini, & quæ in Kalendario appellantur vacantes, quarum commemoratio omittitur) fieri debet illius commemoratio in primis Veſperis, & Laudibus, lecta etiam pro ultima Lectione Homilia Dominicæ; item in ſecundis Veſperis, etiamſi Feſtum in ea occurrens ſit duplex primæ Claſſis.

Rurſus ſi veſperæ ſecundæ cujuſcumque Feſti duplicis concurrant cum primis Veſperis alicujus Dominicæ, tunc in ſecundis Veſperis Feſti duplicis erit facienda commemoratio Dominicæ ſequentis: ſi autem contra ſecundæ Veſperæ Dominicæ concurrant cum primis Veſperis alicujus Feſti duplicis, tunc videndum eſt, & cujus ordinis ſit Dominica, & cujus Claſſis ſit Feſtum duplex; ſi enim Dominica eſſet ex majoribus primæ, vel ſecundæ Claſſis; tunc de Dominica ſemper debet fieri commemoratio, etiamſi concurreret cum primis Veſperis duplicis primæ Claſſis, ſi autem Dominica eſſet ex minoribus per Annum, & concurſus eſſet cum duplici primæ, & ſecundæ Claſſis, tunc nulla debet fieri commemoratio Dominicæ; quod ſi concurſus ſit cum alio duplici, in eo caſu etiam de Dominica per annum fieri debet commemoratio.

Occurrit etiam faciendam eſſe commemorationem Dominicæ anticipatæ in Sabbato, prout præſcribitur in Rubrica ſupra expoſita generali IV. *de Dominicis n.* 4. quando ſcilicet neque in aliæ præcedenti Feria potuit fieri de illa Dominica; hæc autem commemoratio fit tantum ad Laudes cum Antiphona, & Oratione propria, ſed cum Verſu Feriæ tunc occurrentis, non vero cum Verſu ipſius Dominicæ, ut aſſerit Biſſus *lit. C. n.* 363. §. 5. debet enim in Commemoratione talis Dominicæ adhiberi idem Verſus, qui diceretur, ſi celebraretur Officium Feriale, adeoque Verſus ille, qui recitaretur poſt Hymnum ſolitum cantari ad Laudes ejuſdem Feriæ. Diximus faciendam eſſe talem commemorationem tantum ad Laudes, non enim de Officio talis Dominicæ anticipatæ eſt facienda aliqua commemoratio ad Veſperas, quia hoc Officium utpote Feriale caret tam primis, quam ſecundis Veſperis, ut notat etiam Biſſus *in lit. O. n.* 32. & ut aperte diſponit Rubric. citat. num. citat. Supereſt advertendum, quod ad Matutinum pro ultima Lectione addi debet Homilia talis Dominicæ, & in Miſſa fit ajuſdem commemoratio cum Evangelio in fine, & non dicitur *Credo*.

Sequitur ex dictis hic, & alibi, ut de Dominicis primæ Claſſis numquam fiat commemorat.ratione Feſti occurrentis, quia quodcumque Feſtum in illis occurrat etiamſi fuerit Patroni principalis, ſeu Tituli Eccleſiæ, aut Dedicationis ejuſdem, transfertur, ut patet etiam ex Rubrica generali IV. *de Dominicis, n.* 1. & Rubrica IX. *de Commemorationibus* his Commentariis, & Additionibus præfixa *n.* 3. Dominicarum vero ſecundæ Claſſis fit commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum &c. occurrente in iis Feſto principali Tituli, vel Patroni, aut Dedicationis Eccleſiæ, ut ſupra; id colligitur ex citatis Rubricis.

TABELLA COMMEMORATIONIS DOMINICARUM,

| | Occurrente in iis | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | Semiduplici. | Die infra Octavam. | Die Octava. | Duplici per annum. | Duplici ſecundæ Claſſis. | Duplici primæ Claſſis. |
| Dominicæ primæ Claſſis, | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 |
| Dominicæ ſecundæ Claſſis, | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 |
| Dominicæ per Annum, | 0 | 0 | 1 | 1 | 1 | 1 |
| Dominicæ infra Hebdom. anticipatæ, | 2 | 3 | 2 | 2 | 2 | 2 |

1. Commemorationis Dominicæ in utriſque Veſperis, ac Laudibus Feſti, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum. Item in Miſſa cum ultimo Evangelio in fine.
2. Commemoratio Dominicæ in Laudibus Feſti tantum, cum nona Lectione ad Matutinum. Item in Miſſa cum ultimo Evangelio in fine.
3. Commemoratio Dominicæ in Laudibus Octavæ, cum nona Lectione ad Matutinum; in Miſſa vero de Dominica cum commemoratione Octavæ.
0. Non Commemoratio, ſed ipſum Officium fit de Dominica, translato Feſto, aut facta de infra Octavam Commemoratione.

X. In ſupra expoſita Tabella Commemorationis Dominicarum,

rum, in poſtremis quadrangulis ultimæ lineæ Guyetus ponit literam O ſignificare volens, impoſſibilem eſſe occurſum Dominicæ anticipatæ cum Duplici primæ, vel ſecundæ Claſſis. Nos vero in dictis duobus poſtremis quadrangulis, poſuimus n. 2. ſignificare volentes eſſe poſſibilem talem occurſum, in quo caſu debet fieri Officium de duplici primæ, vel ſecundæ Claſſis, cum Commemoratione Dominicæ in Laudibus Feſti tantum, & in Miſſa, cum nona Lectione ad Matutinum ejuſdem Dominicæ, & cum ſuo ultimo Evangelio in fine Miſſæ.

Pro intelligentia horum omnium, advertendum eſt noſtrum Gavantum infra *Sectione 6. cap. 8. n. 7.* aſſerere, quod quando Officium Dominicæ III. vel IV. vel V. vel VI. poſt Epiphaniam non poteſt habere locum, neque poſt Pentecoſten, de illa Dominica, quæ locum alibi non habeat, debeat fieri Officium juxta Rubricam Generalem III. *n.* 4. & 5. in Sabbato Dominicæ Septuageſimæ immediate antecedente (, non impedito Feſto novem Lectionum, ſeu occurrente, ſeu translatum; alioquin in alia die anteriore illius hebdomadæ ſimiliter non impedita (quæ tamen ſit omnium proxima ipſi Sabbato) dicendo, Sabbato illo, aut die illa Officio novem Lectionum non impedita, Officium de Feria occurrente cum tribus Lectionibus de Homilia talis Dominicæ anticipatæ &c. prout dicemus infra ad locum Gavanti ſuprac. Si autem contingat, ut de dicta Dominica anticipata Officium, nec ad Sabbatum Dominicam Septuageſimæ proxime antecedens, nec ad aliquam anteriorem Feriam anticipari poſſit, eo quod tota Hebdomada ſit impedita Feſtis novem Lectionum etiam translatis, tunc prædicto Sabbato Dominicam Septuageſimæ immediate antecedente, in Officio Feſti etiamſi fuerit ſecundæ, & primæ Claſſis, nos diximus legendam eſſe Lectionem de Homilia illius Dominicæ anticipatæ una cum Commemoratione de eadem, in Laudibus per Antiphonam, & Orationem propriam, per ℣. vero Ferialem dicti Sabbati: in Miſſæ quoque fit tunc ſimiliter Commemoratio de illa Dominica cum ultimo, de eadem, in Miſſa Evangelio; Guyetus vero *lib. 4. cap. 2. q. 3.* aſtruit, quod ſi in prædicto Sabbato fuerit Feſtum primæ, vel etiam ſecundæ Claſſis, tunc congruum foret Commemorationem illius Dominicæ omittere, ſed anticipandam eſſe dictam Commemorationem die præcedenti, & ideo ſupponit in ſua Tabella impoſſibilem eſſe occurſum Feſti primæ, vel ſecundæ Claſſis cum dicta Dominica. Verum nos ſequimur Patris Halden ſententiam, quam tradit *part. 1. tit. 6. pag. mihi* 35. ſuſtinendo in prædicto caſu nullam urgere neceſſitatem anticipandi Commemorationem illius Dominicæ, quia Feſtum etiam primæ Claſſis non excludit Commemorationem in Laudibus; & Miſſam Feriæ majoris; & ideo Feſtum etiam primæ Claſſis, occurrens in dicto Sabbato, poteſt optime admittere Commemorationem in Laudibus, & in Miſſa cum Evangelio in fine prædictæ Dominicæ anticipatæ, quæ debet conſiderari veluti una ex Feriis majoribus occurrens cum dicto Feſto primæ Claſſis, unde ſatius duximus in duobus poſtremis quadrangulis ultimæ lineæ ſupra expoſitæ Tabellæ ponere *n.* 2. hoc tantum ſignificans; quam literam O ſignificantem impoſſibilitatem talis occurſus.

Hæc omnia confirmantur ex verbis citatæ Rubricæ Generalis 4. *n.* 4. ubi legitur in fine, quod ſi tota Hebdomada impedita ſit Feſtis novem Lectionum, etiam translatis, vel aliqua Octava, tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia Dominicæ &c. ex quibus verbis patet nullam fieri exceptionem de Officio primæ Claſſis, quod in Sabbato occurrere poſſet, ſed abſolute dicitur, quod quando tota Hebdomada eſt impedita Feſtis novem Lectionum, in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia Dominicæ, quæ prætermitti oportuit ob defectum ſui loci in illo anno &c. nihil igitur obſtat quin in dicto Sabbato legatur præfata Homilia etiam ſi occurrat in eodem Sabbato Feſtum primæ Claſſis.

XI. Gav. n. 10. - *De Duplici minori per annum, &c.*) Poſtquam egit Gavantus *n.* 9. de Commemoratione facienda diei Octavæ Feſti habentis Octavam, adeoque de Commemoratione facienda in Occurrentia alicujus Dominicæ majoris, vel Feſti ſolemnis impedientis Officium dictæ Octavæ, quæ non poteſt transferri, tranſit hic *n.* 10. *& ſeqq.* ad tractandum de Commemorationibus faciendis in Concurrentia Officiorum, nimirum in utriſque Veſperis, & ubi primum, ut diximus ſupra, tractare poterat de Semiduplici, quia de hoc non poteſt haberi Commemoratio, niſi in concurrentia, tranſit immediate ad tractandum de Duplici minore per annum, & clariſſime quomodo de eo facienda ſit Commemoratio quando concurrit, aut cum ſequenti alio Duplici minore, aut cum die Octava &c. *n.* 11. 12. *&* 13. procedit ad explicandum reſpective, quando & quomodo facienda ſit Commemoratio de duplici majore per annum, de Duplici ſecundæ Claſſis, & de Duplici primæ Claſſis, de quibus ita plene diſcurrit, ut nihil addendum ſuperſit.

XII. Gav. n. 14. - *Feriæ majoris, non aliorum &c.*) Procedit noſter Auctor ad inferendum quas Commemorationes vice verſa admittat Duplex primæ Claſſis, & in fine aſſerit, quod in ſecundis Veſperis admittit Commemorationem diei Octavæ, Feriæ majoris, non aliorum; hic oblitus profecto eſt, quod tale Duplex in ſuis ſecundis Veſperis admittit etiam Commemorationem ſemiduplicis ſequentis. Ita etiam in ſecundis Veſperis primæ Claſſis ſi die ſequenti fiat Officium de aliquo die infra Octavam aliquam magis dignam tunc occurrentem; debet fieri Commemoratio de tali Octava &c. Quod intelligendum eſt de quacumque Octava non privilegiata, ut ſupra diximus de Concurrentia Officii §. Rurſus.

XIII. Gav. n. 15. - *Duplex ſecundæ Claſſis &c.*) Ex his, quæ tradit Gavantus hoc *n.* colligitur quaſnam Commemorationes admittat Duplex ſecundæ Claſſis in primis ſuis Veſperis, nimirum Commemorationem Dominicæ præcedentis, dummodo fuerit primæ, vel ſecundæ Claſſis, non autem Dominicæ minoris, ſeu per annum; niſi Feſtum idem ſecundæ Claſſis incidat in ipſam Dominicam minorem, tunc enim admitteret ejus Commemorationem etiam in ſuis ſecundis Veſperis, Secundo admittit Commemorationem de antecedente Duplici majore, ac minore per annum, non vero de antecedente Feſto Semiduplici, nec etiam de Simplici occurrente. A prædicta tamen Regula excipiendum eſt Feſtum Circumciſionis Domini, in cujus primis Veſperis, quamvis ſit ſecundæ Claſſis tantum, nulla tamen fit Commemoratio de Sancto Sylveſtro, ut ibi propria habet Rubrica, licet ille ſit Duplex minus per annum in Eccleſia Univerſali. Tertio Duplex ſecundæ Claſſis admittit in ſuis primis Veſperis Commemorationem de die Octava quacumque tam præcedente, quam occurrente (non vero de die infra Octavam non privilegiatam occurrente) De Feria majore qualibet Adventus, & Quadrageſimæ, non autem de aliis Feriis, nec etiam de præcedenti Vigilia, nec de S. M. in Sabbato.

XIV. Gav. eodem n. 15. - *In Laudibus admittit Commemorationem &c.*) Proſequitur Gavantus ad declarandas Commemorationes, quas Duplex ſecundæ Claſſis admittit in Laudibus, nimirum Dominicæ cujuſcumque, diei Octavæ, Feſti Simplicis, & Feriæ majoris, non autem diei infra Octavam; neque obſtat, quod dies infra Octavam ſit nobilior Feſto Simplici, nam cum de die infra Octavam fiat ſæpius Commemoratio, de Feſto autem Simplici ſemel tantum, ideo non officit, ait Gavantus, quod aliquando omittatur Commemoratio diei infra Octavam, licet nobilioris Feſto Simplici. Hæc pariter Regula intelligenda eſt cum exceptione Octavarum privilegiatarum, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti; de his enim quocumque Feſto infra illas occurrente ſemper debet fieri Commemoratio in Officio, & in Miſſa. Verum quidem eſt infra Octavam Epiphaniæ, non admitti Officium Duplicis ſecundæ Claſſis occurrentis, nec pariter primæ Claſſis translatum; ſed tantum primæ Claſſis occurrens, quod non excludit Commemorationem de Octava ejuſdem Epiphaniæ.

XV. Gav. eodem n. 15. - *In ſecundis Veſperis &c.*) Denique agit Gavantus de Commemorationibus, quas Feſtum ſecundæ Claſſis admittit in ſuis ſecundis Veſperis, & iis, quæ hoc loco optime tradit, nihil aliud addendum eſt, niſi quod, ficut in caſu ab ipſo propoſito, omittenda eſt Commemoratio Feſti Simplicis, quia occurrit in Duplici ſecundæ Claſſis ſequentis, quod non admittit Commemorationem Simplicis in primis Veſperis, ita ob eamdem rationem omittenda eſſet Commemoratio Dominicæ antecedentis minoris, ſeu per annum, quia ut diximus ſupra, licet Feſtum ſecundæ Claſſis, de quo diſcurrit Gavantus, utpote minus dignum non habeat in prædicto caſu pridianas veſperas, ne quidem a Capitulo, ſed tantum Commemorationem in illis, habet tamen jus in iis Veſperis, quæ ſuæ primæ eſſent, niſi occurreret eo die Feſtum magis dignum, excludendi Commemorationem Feſti Simplicis ſubſequentis, & conſequenter Dominicæ antecedentis, ut addimus nos cum Halden *par. 3. Tit. 6. §. 2. n. 3.* Admittit præterea Feſtum Duplex ſecundæ Claſſis in ſecundis ſuis Veſperis Commemorationem Dominicæ ſequentis cujuſcumque, etiam minoris per annum, item Commemorationem de Feria majore Adventus, & Quadrageſimæ, die illa occurrente, non autem Commemorationem aliarum Feriarum, ut nec Vigiliæ, niſi Vigiliæ Epiphaniæ, & Feriæ ſextæ poſt Octavam Aſcenſionis, ſicut unuſquiſque ex Rubricis deducere poteſt.

XVI. Gav. n. 26. - *Fit Commemoratio in Veſperis & Laudibus poſt Orationem Feſti &c.*) Poſtquam egit Gavantus ſatis fuſe de Commemorationibus, quas admittunt Duplex primæ Claſſis, Duplex ſecundæ Claſſis, Duplex majus per annum, Duplex minus, Semiduplex, Simplex &c. *n.* 26. declarat, quando ſunt faciendæ prædictæ Commemorationes in Veſperis, & Laudibus, & *n.* 27. docet quæ Antiphonæ, & qui Verſus ſit deſumendi pro faciendis eiſdem Commemorationibus.

XVII. Gav. n. 28. - *Si ex eodem Communi ſumitur Commemoratio &c.*) Nonnumquam accidit, quod fiant plures Commemorationes ſumpta Antiphona, & Verſu ab eodem Communi, ideo ne eadem Antiphona, & idem Verſus ad eamdem Horam repetatur, docet Gavantus, quid faciendum ſit, quando celebratur ver. grat. Officium de uno Martyre, & rurſus de alio Martyre ſub Ritu Simplici facienda eſt Commemoratio; docet igitur, quod tunc pro Commemoratione Simplicis varietur Antiphona, itaut in primis Veſperis ſumatur a Laudibus Antiphona *ad Benedictus*; in Laudibus vero ſumatur Antiphona a primis Veſperis *ad Magnificat*; a quo loco etiam mutandus erit Verſus; quod ſi ulterius

Digitized by Google

terius ſit facienda alia Commemoratio de uno Martyre, tunc ſumenda erit Antiphona a ſecundis Veſperis de eodem Communi, niſi aliter in proprio loco notetur. Quod ſi adhuc eſſet facienda alia Commemoratio ejuſdem qualitatis, ſive ſit Commemoratio particularis, ſive ſit addenda Suffragiis Sancto patrono, vel Titulari Eccleſiæ, in eo caſu, quia antiphona, & verſus deſumi non poſſunt a Veſperis, neque a Laudibus cum ſupponamus jam fuiſſe dicta, erit deſumenda illa, quæ eſt primi Nocturni, & Verſus ſimiliter deſumetur a primo, ſecundo, vel tertio Nocturno, ita non ſit idem cum Verſibus jam dictis; & quod diximus de Antiphona, & Verſu, intellige etiam de Verſu tantum ſi hic ſolus mutari deberet; item in caſu erit mutanda Oratio, & ſumenda alia de Communi diverſa a jam dicta. Biſſus *lit. C. n. 363.* §. 16. qui §. 18. ibidem advertit cum Guyeto *lib. 4. c. 8. quæſt. 9.* quod ſi contingeret eſſe faciendam Commemorationem ejuſdem Sancti, de quo ſit Officium, tunc Commemoratio erit omittenda, & caſus dabitur, ſi eſſet transferendum Officium Sanctæ Agnetis, in diem, qua occurrit S. Agnes ſecundo, in eo enim caſu facto Officio de S. Agnete, erit ſuperflua ejuſdem Commemoratio. Notandum tamen eſt quod dies 28. Januarii in Eccleſia Univerſali debet ſemper eſſe libera, neque convenit aſſignari Officium novem Lectionum in tali die, cum debeat dari locus Officio Sanctiſſimi Nominis Jeſu aliquando translato, ut provide S. R. C. in correctione, & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium &c. 22. Januarii 1735. decrevit, ne officium SS. Nomini Jeſu, quando Dominica ſecunda poſt Epiphaniam cadit in Dominica Septuageſimæ, recitetur intra Quadrageſimam: quodque eadem S. R. C. die 5. Maji 1736. declaravit *in una Einſilden.* ad dubium I. ſuper *Tit.* X. de translatione Feſtorum & datur in noſtro Indice *n.* 289.

XVIII. Gavant. num. 38. -- *Quando contingit fieri plures Commemorationes, ſervetur hic Ordo &c.* ) Docet hic Gavantus, inhærendo Rubricæ, ordinem ſervandum in faciendis Commemorationibus, quando plures fieri debent, & certa Regula eſt, quod prius fiat Commemoratio de digniori, poſtea de aliis juxta ordinem dignitatis, itaut idem ordo in faciendis Commemorationibus ſervetur, qui obſervaretur inter ipſa Feſta, ſi de illis fieret Officium. Hinc optime ſequitur, quod ut docet Gavantus, de duplici fieri debet Commemoratio ante quaſcumque Dominicas, de Dominica ante Feſtum Semiduplex, de Semiduplici ante diem infra Octavam, de die infra Octavam ante Ferias majores, de Feriis vero majoribus ante Simplicia, ſicut etiam ante Simplicia facienda eſt Commemoratio de Vigiliis. Optime tamen notat Biſſus *lit. O. n. 226.* §. 1. quod de Feriis majoribus facienda eſt Commemoratio ante Vigilias, ſed in Officio hic caſus dari non poteſt, cum in eo nulla fiat Commemoratio de Vigilia occurrente in Feriis majoribus, vel in quatuor Temporibus Septembris. Rurſus inter Feſta Simplicia prius fiat de digniori, quod ſi poſtridie de aliquo faciendum ſit Officium, primo loco illa ponenda erit, de quo fiat Officium, poſtea de aliis Simplicibus; ſi vero plures adſint Commemorationes Communes, ſeu Suffragia Sanctorum, de quibus agemus infra cum Gav. *Sect. V. c.* 18. hujuſmodi communes ſemper poſtponuntur Commemorationibus particularibus, etiam Feriæ, vel Feſti Simplicis.

Diximus ſupra cum Gavanto, quod de Duplici, & conſequenter de die Octava debet fieri Commemoratio ante Commemorationem Dominicæ, verum contingere poteſt caſus, in quo Commemoratio Dominicæ præferatur Commemorationi diei Octavæ, de qua re vide noſtrum Gavant, ſup. *cap.* 8. *n.* 14.

Ad ea, quæ tradit Gavantus in ſuis numeris ſubſequentibus nihil adnotandum occurrit, unde pro coronide ſuorum Commentariorum ad Rubricam Generalem nonam, & noſtrarum obſervationum ad ejuſdem Gavanti Commentaria in eamdem Rubricam nihil aliud addendum ſupereſt, niſi exhibere ſequentia Decreta, utpote ſpectantia ad præſentem Commemorationum materiam.

Si occurrat Officium novem Lectionem de pluribus Sanctis Virginibus, & Martyribus, eo die, quo cadit Feſtum Simplex ejuſdem qualitatis, ſervanda eſt pro Commemoratione Simplicis Antiphona -- *Iſtarum eſt Regnum Cælorum &c.* -- ut in Feſto SS. Perpetuæ, & Felicitatis Virg. & Mart. Ita S. R. C. 7. Decemb. 1680. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 113.

Qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadrageſima, non ideo debent facere Commemorationem in Feria IV. Cinerum. S. R. C. 24. Januarii 1682. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 123. Vide etiam Decretum 324.

Antequam his Additionibus, & Obſervationibus finem imponamus, animadvertere etiam eſt, quod in quocumque Feſto Sancti Petri ſit Commemoratio Sancti Pauli ante quamcumque aliam Commemorationem, & e contra in quocumque Feſto Sancti Pauli ſit pariter Commemoratio Sancti Petri ante quamcumque aliam Commemorationem, de quibus Brev. Rom. in ſuis locis aperte diſponit.

E contra vero in Feſto Deſponſationis B. M. V. non eſt facienda Commem. Sancti Joſephi a quibuſcumque celebratur Officium Deſponſationis, ſed ſolum debet fieri ab his, quibus ſpecialiter præſcribitur facienda talis Commemoratio, ut habetur in Decreto emanato die 5. Maji 1736. quod eſt in noſtro Indice *ſub num.* 285.

## De Patrono loci, & Titulo Eccleſiæ. Cap. XII.

### *G A V A N T U S.*

1. PAtroni Feſtum fieri congrue docuimus ſupra *cap.* 2. *ex Microlog. cap.* 43. *& Radulph. prop.* 17. & fieri ſub ritu Duplici primæ Claſſis ibidem ex Rubricis generalibus *n.* 4. Quæritur: quomodo differant Patronus & Titulus Eccleſiæ? Reſpondeo, Patronum eſſe, quem Epiſcopus cum populo ſibi Patronum eligit, eo, vel quia primus eo loci Epiſcopus fuit, vel quia ibi humatus, vel quia Civis ejuſdem loci, vel quia juvit aliquando mirabiliter in ejuſdem populi neceſſitatibus, vel ob alias ſimiles cauſas. Datur autem Titulus Eccleſiæ, qui non ita late patet, ut Patronus loci, puta, quia Eccleſia dedicata eſt ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, Corporis Chriſti, Sanctæ Crucis, Beatæ Mariæ, Sanctorum &c. Cur vero dicatur Titulus, dicam *Sect.* 8. *c.* 5.

2. Nonnulli vocant Patronos eos, erga quos ſolo devotionis affectu moventur, non communi toti civitati, ſeu loco; at de iis non loquitur Rubrica, quæ *locum* accipit pro multitudine cleri, & populi ex communi modo loquendi. In poſterum decernendi erunt Patroni juxta Decretum, quod ſequitur.

*Decretum ſuper electione Sanctorum in Patronos, a Sacra Rituum Congregatione de ordine Sanctiſſimi Domini Noſtri Urbani Papæ VIII. emanatum die 23. Martii 1630.*

SAcra Rituum Congregatio, Annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro, in electione Patronorum mandavit infraſcripta impoſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio, nulla ſit ipſo jure.

Primo, quod eligit poſſint in Patronos ii ſolum, qui ab Eccleſia Univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia a populo, mediante Conſilio generali illius Civitatis, vel loci, non autem ab Officialibus ſolum, & quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci.

Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia a populo ſingularum Civitatum Provinciæ.

Et quod Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulterius interveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum.

Et tertio, quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit allegari, eadem S. R. C. ſupradictum Decretum imprimi, & publicari mandavit.

Jo: Bapt. Cardin. Detus,

*Loco ✠ Sigilli,*

T. Tegrimius *Secr.*

RAtio Decreti, & primæ quidem conditionis eſt, quia Beatificati non poſſunt eſſe Titulares Eccleſiarum, quarum ædificatio conceditur in honorem Canonizatorum tantum in Bulla Canonizationis; non ergo Patroni eſſe debent, quorum gradus eſt nobilior, quam Titularium. Neque Beatificatis dari ſolet a S. R. C. aliud Officium, quam duplex majus per annum; Patronis autem Duplex primæ Claſſis. Decretum tamen comprehendit etiam Petronos minus principales, quos decet eſſe Sanctos univerſales.

Alterius conditionis ratio eſt: quia primo populus debet eligere ob beneficia a Sancto accepta: deinde Clerus debet conſentire, ut poſtea colatur cum officio debito, & Miſſa.

Tertiæ conditionis eſt ratio; quia ſæpe numero ſine cauſa, arbitrio Principum, vel arte aliorum minus legitima extorquentur vota Conſiliariorum, & Epiſcoporum; Romæ vero cenſura eſt liberior, & ob auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſecurior, & ſanctior.

3. Dantur Patroni unius Civitatis, & Patroni unius Provinciæ, ut Mediolanenſis Provinciæ decreto Provinciali Patronus eſt Sanctus Ambroſius. Dantur etiam plures Patroni loci *ex Rubrica de Officio duplici n.* 1. ubi habentur hæc verba: *In Feſto Patroni unius, vel plurium alicujus loci:* e quibus unus eſse debet principalis, *ex Rubr. de Octav. n.* 1. alii minus Principales. Titulus autem Eccleſiæ unius materialis ſolet eſse unicus; ſed tamen poteſt etiam eſse plurium Sanctorum, ut apud nos Romæ Eccleſia Sanctorum Blaſii, & Caroli, in qua duo feſta celebrantur: vel plurium ſub eodem Feſto, ut SS. Coſmæ, & Damiani, & ſimilium.

4. Tam

Digitized by Google

4. Tam de Patrono principali, quam de Titulari Eccleſiæ, ſit Officium, ut de Duplici primæ Claſſis, ut *in Rubrica de Commemorat. n. 3.* Item ſit Octava de utroque, *in Rubrica de Octavis n. 5.* & quæcumque ſupra dedimus Duplici primæ Claſſis, & Octavis, eadem concedenda ſunt Patrono principali loci in loco ſuo, & Titulari in Eccleſia ſua. Eadem enim eſt ratio ſolemnitatis in utriſque.

5. At quinam tenentur ad Feſtum, & Officium de Principali loci Patrono? S. R. C. decrevit ſæpius, Regulares etiam teneri ad Feſtum de Patrono loci, & Officium ſolemne, juxta Bullam Gregorii XIII. die 30. Decemb. 1573. non tamen teneri ad Octavam ejuſdem; quod novo Decreto firmatum eſt a Sac. Rit. Congreg. die 27. Martii 1628. & illud quidem decretum eſt ut populus, qui in eo Feſto ad Regularium Eccleſias acceſſit, Miſſas, & Officia divina auditurus, ad pietatem erga Patronum ſuum non minus accendatur, quam ſi ad Eccleſiam confluat Cathedralem. Octava vero ſatis eſt, ſi fiat a Clero ſæculari illius loci; nec cogendi ſunt Regulares occupati etiam propriis Religionis Officiis ad omnia Cleri ſæcularis Officia recitanda.

6. Si Patroni plures, ſeu Titulares conceduntur, ut ſupra *n. 2.* erit ne eorumdem æquale Feſtum, hoc eſt primæ Claſſis cum Octava? Officium ſingulorum Duplex erit, ut dicitur *in Rubr. de Officio Duplici n. 1.* ſed Octava non conceditur, ex Rubricis Breviarii *de Octavis num. 1.* niſi Feſto Principalis Patroni, & Principalis item Titularis Eccleſiæ: imo neque primæ Claſſis Feſtum erit, niſi ſit ſolemne principale Feſtum Principalis Patroni, aut Tituli Eccleſiæ, ut aperte in Rubric. *de Commemorat. n. 3. & 4.* quale non eſt Patroni tranſlatio, nec Feſta ſimilia.

7. Neque de his Patronis minus principalibus tenentur Regulares Officium recitare, ſi non ſunt in Kalendario Romano, quos nulla lex obligat: laudabile tamen eſt, ſi recitent in gratiam populorum, ut paulo ſupra diximus, & & eo magis, ſi populus agat Feſtum ſine opere ſervili, Officium autem erit Duplex majus per annum ex Rubric. *de Concurr. n. 2. in fine:* quod addidimus ante Tabellas in poſtrema recognitione Breviarii.

8. Quid ſi accidat, quod in Cathedrali fiat de Patrono loci abſque Octava, veluti Mediolani de Sancto Ambroſio, cujus Feſtum ritu Ambroſiano non habet Octavam; ao ſubditi Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſecundum Ritum Romanum Horas Canonicas recitaturi, teneantur ad Octavam Sancti Ambroſii celebrandam? Negant aliqui, quia ſatis eſt, ut membra a capite non diſcordent. Affirmant alii, quia tenentur ad ſervandas Breviarii Romani Rubricas; quibus ego magis aſſentior in gratiam Rubricarum Romanarum. Noſtri Ordinis Patres celebrant ibidem Sancti Ambroſii Octavam, etiam ex vi noſtrarum Conſtitutionum, quæ *lib. 2. cap. 5.* id præcipiunt ubique fieri in Feſto Patroni loci.

9. Cæterum Patroni, ſeu Tituli Feſtum, licet excludatur, ſi incidat infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, & in Hebdomada majori; locum tamen habet infra Octavas Epiphaniæ, quæ Duplicia alia Feſta excludit.

10. In die Octava Epiphaniæ, ſi incidat Patronus, vel Titularis Eccleſiæ in eamdem diem, transfertur Feſtum Patroni, & eodem modo ſi in Dominica prima Adventus, & Quadrageſimæ, Dominica Paſſionis, Palmarum, Paſchæ, in Albis, Pentecoſtes, & Trinitatis, in quibus Myſteria Redemptionis noſtræ a populo quoque ſunt magis celebranda, licet quædam ex prædictis Feſtis ſint Claſſis ſecundæ. Idem fiat, ſi incidat in Vigilia Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, in die Circumciſionis, in Feria quarta Cinerum, ut ſcilicet transferatur.

11. Tanta eſt Solemnitas Patroni principalis loci, ut ſi incidat in Vigiliam, quæ ſit in Kalendario cum jejunio de præcepto, nihil in Officio fiat de Vigilia, quæ mœſtitiam infert, in menſa tamen jejunandum erit, niſi transferatur in præcedentem diem jejunium ipſum, auctoritate majorum, de qua ſupra *cap. 7. n. 5.*

12. Habet integras utraſque Veſperas, niſi concurrat cum Feſtis Chriſti primæ Claſſis, aut B. Virginis Aſſumptæ, aut Dedicationis propriæ Eccleſiæ, ex iis quæ diximus ſupra *cap. 8. n. 7. & cap. 9. n. 9.* adeo, ut eidem cedant in concurſu, tum ſecundæ Veſperæ diei Octavæ Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, tum primæ Veſperæ diei Octavæ Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, ut *in Notis dicitur Tabellæ 2. de Concurrentia.*

13. Debentur eidem Lectiones in primo Nocturno, quæ habentur in Communi, non autem de Scriptura occurrente, ad majorem celebritatem, ut dicitur in Rubricis *cap. de Lectionibus, n. 9.*

14. Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni, ſi non adſunt propriæ in Breviario, neque extra Breviarium approbatæ a Sancta Sede Apoſtolica, ſumantur de Communi, & de Octavario Romano in hanc præcipue cauſam edito. Nam in Officio nihil legendum eſt, quod ab eadem Sede Apoſtolica non ſit approbatum, ut fuſe probat ex Gelaſio Papa *Radulphus propoſ. 11.* & Sixtus V. Conſtit. 74. concedens varias facultates. Sacra Rituum Congregatio Officia Sanctorum Patronorum noluit approbari poſſe inconſulto ipſomet Summo Pontifice. Approbata vero pro certo loco negavit ſæpius Sacra Congregatio, extendi poſſe ad alia loca, non conſulta eadem Congreg. quæ juſtis de cauſis alicui loco concedit, alicui negat.

15. Quæritur de Titulo Altaris, ſeu Capellæ, quo Ritu ſit celebrandus? conſtat ex Rubrica *de Commemorationibus n. 3.* non eſſe celebrandum, uti Duplex primæ Claſſis. Reliquum eſt igitur, ut celebretur, prout in Kalendario Romano deſcribitur. In quo ſi neque nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Miſſæ Feſtivæ cum Hymno Angelico, ut alibi diximus; ſed Officium nullatenus fiat ſine licentia majorum, ad quos attinet Officia mutare, qua de re diximus *Sect. 5. c. 5. tit. 2. n. 9.*

16. Si Altare Titulus eſt beneficii, beneficiatus adhoc non debet Officium recitare de eo, ut de Feſto primæ Claſſis: neque alio Ritu, quam in Kalendario ſit deſcriptus; & eo ibidem non deſcripto non video, qua ratione propria auctoritate poſſit de eo recitari Officium.

17. Si vero titulus eſt Eccleſiæ dirutæ ad illud Altare tranſlatæ, ille, qui emolumenta prædictæ Eccleſiæ percipit, æquum eſt, ut recitet Officium de eo in ejus Feſto, ne depereat cultus illius Titularis Eccleſiæ, & Ritus erit Semiduplex, niſi dignitas ejuſdem aliud expoſcat; exemplo ſumpto a Vaticana Collegiata S. Petri, quæ celebrat Feſtum Sancti Blaſii Semiduplex ob Eccleſiam ejuſdem Sancti cum emolumentis unitam Collegio Canonicorum S. Petri: ſed in his caſibus conſulatur S. R. C. Vide, quæ diximus *Section. 2. cap. 2. num. 26.*

18. Cæterum beneficiatus quilibet habens Eccleſiam, quæ eſt Titulus beneficii, licet apud eam non reſideat, debet tamen Feſtum ejuſdem colere, uti primæ Claſſis, & cum Octava celebrare; quia Feſtum Tituli eſt Eccleſiæ.

19. Sed utrum cultus Titularis alicujus Eccleſiæ poſſit & debeat extendi ad alios de Clero, & extra propriam Eccleſiam, ita ut debeant omnes, tam in Civitate, quam in Diœceſi celebrare Feſtum particularis Eccleſiæ Ritu Semiduplici? negavimus ſupra *cap. 3. num. 5.*

20. Dies Octava Patroni loci accidit alicubi in Feſto Duplici, quod ibi eſt in præcepto, unde populus magis optat audire Miſſas de feſto, quam de die Octava; ut in Urbe Regii Ditionis Eſtenſis, in qua Octava dies S. Proſperi occurrit in Feſto Viſitationis B. Virginis, quod ibi eſt de præcepto: quid ergo erit agendum? S. R. C. approbans Officia pro Clero Regienſi decrevit fieri Officium de Feſto cum Commemor. Octavæ; alias transferretur Feſtum, ut de Octavis diximus *cap. 8. num. 12.* Si neget aliis, poteſt Epiſcopus transferre Feſtum de præcepto in ſequentem diem, ſi ab eo pendet.

21. An vero poſſit dies Octava Patroni loci appellari majus Duplex, ut habeat integras Veſperas? negavimus ſupra *cap. 8. num. 23.*

22. Quomodo ſeparandus ſit Patronus a Sociis, quos habet in Kalendario; & quo Ritu ſit de Sociis officium faciendum, oſtendimus ſupra *cap. 10. num. 11. & ſeqq.*

23. In Vigilia Patroni, quæ habet Officium in Kalendario, erit ea die omittenda Commemoratio de Patrono, quæ ſolet fieri inter Suffragia, ne de eodem fiat Officium, & commemoratio; quæ eſt indubitata regula in Officio divino. Vide infra *Sect. 5. cap. 18.*

24. Quæ diximus de Patrono principali loci, eadem conveniunt Fundatori, & Patrono Ordinis in toto Ordine poſt ſolemnem Canonizationem ejuſdem.

25. Negamus autem illud, quod non nemo ſcripſit: nimirum, quod infra Octav. Patroni, ſeu Tituli, ſeu Dedicationis propriæ Eccleſiæ, debeat fieri Commemoratio de Octava, quocumque adveniente Feſto: quia gratis dicitur, & eſt privilegium Octavarum Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti tantum.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. n. 1. -- *Reſpondeo Patronum eſſe, quem Epiſcopus &c.*) Cum in Rubricis generalibus ſæpe mentio fiat de Patrono loci, duo examinanda occurrunt; quid nomine Patroni loci veniat, & quænam ſit differentia inter Patronum loci, & Patronum, ſeu Titularem Eccleſiæ? Ad primum quod attinet, Gavantus reſpondet illum dicendum eſſe Patronum loci, quem Epiſcopus cum Populo ſibi Patronum eligit ob rationes, quas ipſemet Gavantus inſinuat; Guyetus tamen *lib. 1. cap. 7. quæſt. 1.* adſtruit Patronum loci, dicendum eſſe illum Sanctum, qui ſive perpetuo uſu, ac traditione a majoribus accepta, ſive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum Interceſſor, propriuſque Suffragator, ab Univerſo loci illius Clero, ac Populo colitur, & obſervatur; quæ definitio nihil diſcrepat ab ea, quam dedit noſter Gavantus, niſi quod ſola electione Gavantus unum e Sanctis aliquem Protectorem cenſeri afferit; Guyetus autem traditionem, uſumque immemorialem adjecit, quia antiquitus Patroni locorum magis ex uſu, & traditione colebantur, ut tales, quam ex electione, ſive is uſus primum electione aliqua inductus fuerit, ſive aliqua alia ratione, puta unius, aut alterius arbitrio, aut tacito plurium conſenſu, ſeu ſecreta quadam Dei

inſpi-

inſpiratione, prout fuſius declarat *q. 9.* Nunc autem certiſſimum eſt, quod Patroni Locorum, Provinciarum, & Regnorum eligendi ſunt juxta tenorem, & obſervatis conditionibus, quæ habentur in Decreto edito die 23. Martii 1630. quod exhibetur ſupra a Gavanto per extenſum.

Procedit Gavantus ad aſſignandum diſcrimen, quod intervenit inter Patronum Loci, & Patronum, ſeu Titularem Eccleſiæ, aſſeritque primum latius extendi, quam ſecundum, cum hic ad unam tantum Eccleſiam ſpectet, ille vero plures Eccleſias reſpiciat: locus enim, inquit Gavantus *n. 2.* accipitur pro multitudine Cleri, & Populi, ſeu potius pro multis Cleris, ac Populis, in uno loco, puta Civitate, aut Diœceſi conſtitutis. Alias etiam differentias conſiderat Guyetus inter utrumque ex dictis Patronis, aſſeritque Patronum Eccleſiæ ipſam Eccleſiam denominare, quod de Patrono loci dici nequaquam poteſt; quamvis etenim aliqua loca a ſuo Patrono nuncupentur, quorum exempla nonnulla affert *q. 2.* hoc tamen omnibus locis non eſt univerſale, ſicuti ſemper verificatur, quod particulares Eccleſiæ denominationem accipiant a ſuo Patrono, qui ideo etiam Eccleſiæ Titulus dicitur, de quo Eccleſiæ Titulo cum noſtro Gavanto agemus pariter *Sect. 8. cap. 5.* & paulo infra, nempe num. VII. aſſignabimus diſcrimen, quod etiam intervenit inter Patronum, & Eccleſiæ ſolum Titulum.

Addit præterea Guyetus, quod inter Patronum Loci, & Patronum Eccleſiæ reperitur etiam hæc diſcrepantia, quod Eccleſiæ Patronus ſoleat eſſe unicus, aut ſi multiplex, non niſi ſub ratione unius, ut ipſe explicat eodem *lib. 1. cap. 4. qu. 5.* e contra vero Patroni loci poſſunt eſſe plures, & revera dividuntur in Principales, & minus Principales, ut etiam innuit Gavantus ſupra *n. 3. ex Rubric. de Octavis n. 3.*

Denique (ait idem Auctor) Patronus loci eligi debet, ut annuimus ſupra, Cleri, Populique Suffragiis de conſenſu Epiſcopi, & accedente S. R. C. approbatione, ut liquet ex Decreto ſupra relato; Patronus vero Eccleſiæ non ſimili electione, ſed ex Fundatorum dumtaxat beneplacito conſtituitur.

Plures agit quæſtiones Guyetus de Patronis locorum, nimirum utrum detur ſemper Patronus Regni, ſeu Provinciæ? utrum cujuslibet Diœceſis detur ſemper Patronus proprius? utrum plures dari contingat unius Diœceſis Patronos, & quo ordine ii ſe habeant? utrum præter Diœceſanum detur cujuſque Civitatis, Oppidi, Burgi, ſeu Pagi proprius, ac ſingularis Patronus? quas ſtudioſus Lector poterit apud eumdem Auctorem faciliter legere; nos enim abſtinemus a tractandis hujuſmodi quæſtionibus, ne in immenſum creſcat hoc opus, & ſatis nobis eſt exhibere Decreta ſpectantia ad hanc materiam, & alias dirimere quæſtiones pertinentes ad Ritum, quo celebrari debent Officia dictorum Patronorum.

II. Gav. n. 4. -- *Tam de Patrono principali, quam de Titulari Eccleſiæ fit Officium &c.*) Ex Rubrica ſeptima generali *de Octavis n. 1.* & ex alia Rubrica nona *de Commemorationibus n. 3.* optime eruit Gavantus, quod tam de Patrono principali loci, in loco ſuo, quam de Titulari in ſua Eccleſia fit Officium, ut de duplici primæ Claſſis, & quidem cum Octava, ac propterea quæcumque conveniunt Duplici primæ Claſſis, & Octavis, eadem concedenda ſunt Feſto Patroni principali loci, & Titularis Eccleſiæ. Sermo nunc eſt de Patrono principali; quamvis enim Patroni locorum, ut diximus, plures eſſe poſſint, unus tamen locum principalioris obtinet, regulariter loquendo, ita ut cæteri minus principales cenſeantur, de quibus non celebratur Officium, niſi ſub Ritu Duplici majori, ut optime docet noſter Gav. ſupra *n. 7.* ex Rubrica *de Concurrentia n. 2. in fine*. Quod ſi in aliqua Civitate, vel Diœceſi plures habeantur Patroni æquales, abſolute tamen dicendum eſt neutrum illorum Patronorum æqualium eſſe principalem, ſed omnes minus principales, quia Patronus magis principalis cum aliis æqualibus ſtare non poteſt, ait Guyet. *l. 1. c. 7. q. 5 &c. 18. q. 4.*

Aliquando tamen contingit, quod ex ſpeciali Indulto Apoſtolico plures in aliquo Regno, vel Diœceſi colantur Sancti tamquam Patroni æque principales; ſic Clero Sæculari, & Regulari, necnon Univerſitatibus, & Populo Pampilonenſi, totiuſque Regni Navarræ injungitur, ut quotannis tamquam de Patronis æque principalibus dicti Regni, ex præcepto Eccleſiæ recolant Feſta Sanctorum Firmini Martyris, & Franciſci Xaverii Confeſſoris, eorumdemque Officia, & Miſſas cum Octavis æque impoſterum recitent, & reſpective celebrent, prout injungit Alexander VII. in Bullario Romano *tom. 5. Conſt. 34.* quæ incipit: *Sacroſancti &c.* edita die 14. Aprilis 1657. Vide etiam Bullam ejuſdem Pontificis, quæ incipit: *Commiſſi nobis &c.* ubi duplicis Patroni Feſtum celebrari præcipit in Regno Neapolitano, nempe S. Januarii tamquam principalis, & S. Dominici tamquam minus principalis, ſed cum Octava.

Rurſus quamvis dixerimus unum tantum debere eſſe Patronum principalem loci, nihilominus alicubi occurrit, quod dentur duo Patroni, quorum unus ſit univerſalis totius Regni, alter vero particularis alicujus Civitatis intra idem Regnum exiſtentis, & tunc decrevit Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione, quæ habetur in Bullario Rom. *tom. 4. ſub n. 164.* & quæ incipit: *Univerſa &c.* quod Feſtum unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, aut Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit, ſit præceptum cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus; unde in prædicta Civitate tunc de utroque Patrono, & principali Regni, & principali Civitatis deberet celebrari Officium cum octava. Quod ſi eodem die occurrunt hujuſmodi Feſta, & Patroni univerſalis totius Regni, vel Provinciæ, & alterius particularis alicujus Civitatis exiſtentis intra fines ejuſdem Regni, vel Provinciæ, tunc in prædicta Civitate eſſet celebrandum Feſtum ſui particularis Patroni, & aſſignandum Feſtum Patroni univerſalis totius Regni in aliam diem non impeditam, ſicut occurrente Feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ, hoc deberet celebrari in dicta Eccleſia, aſſignando Feſtum Dedicationis dictæ Cathedralis pariter in aliam diem non impeditam, prout declaravit Rota *in Cæſarauguſt. Dedic.* coram Manzanedo *dec.* 801. ex qua deciſione idem docet noſter Gavantus infra *ſect. 8. c. 5. n. 6.* vide etiam ea, quæ diximus ſupra in noſtris Obſervationibus ad Cap. IX. ſub n. 9.

Denique prætereundum non eſt, quod non ſolum ex uſu ordinario dantur plures Patroni minus principales, & non ſolum ex Indulto Apoſtolico dantur in aliquo Regno plures Patroni principales, ſed etiam ex uſu antiquiſſimo, & inveterato in aliquibus Diœceſibus coluntur plures Sancti tanquam Patroni æque principales, & eorumdem Officium ibidem celebratur ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, & cum Octava. Hinc P. Claudius La Croix *tom. 4. lib. 4. n.* 1262. aſſerit, quod licet ordinarie unus tantum ſit Patronus Principalis loci, poſſunt tamen etiam eſſe plures; & idem ante ipſum docuit expreſſe noſter P. Paſqualigus *de Sacrific. novæ legis q. 258. n. 5.* idipſum pariter, ut mox innuimus, non unius tantum Diœceſeos, ſed plurium praxis confirmat, nam in Diœceſi Brixinenſi, ut refert Halden *part. 3. tit. 1.* adhærens huic ſententiæ, non modo Sancti Ingenuinus, & Albuinus Epiſcopi, & Confeſſores 5. Februarii, ſed etiam S. Caſſianus Epiſcopus, & Martyr 13. Auguſti tamquam Patroni principales Diœceſani Officio, ac Ritu Duplici primæ Claſſis celebrantur, & in Diœceſi Conſtantienſi non minus S. Pelagius Martyr 28. Auguſti, quam S. Conradus Confeſſor, & Pontifex 26. Nov. ceu Patroni principales coluntur; nam de utroque celebratur ibi Officium ſub Ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava, qui Ritus Patronis minus principalibus non convenit, ut manifeſtum eſt Catalogo præfixo in quocumque Breviario Romano Tabellæ occurrentiæ, in quo Patroni minus principales in duplicium dumtaxat majorum per Annum numero recenſentur; unde addit P. Alden ſe non aſſequi cur P. Gobat. *tom. 1. tract. 5. num. 628.* incidenter appellet Sanctum Pelagium Patronum ſecundarium Diœceſeos Conſtantienſis. Ratio autem, qua permotus Paſqualigus docuit hanc ſententiam, eſt quia ſi juxta Gavantum ipſum ſupra n. 3. poſſunt ſine abſurdo eſſe plures Patroni Titulares æque principales alicujus Eccleſiæ, & de pluribus, ut talibus fieri poteſt Officium primæ Claſſis cum Octava, ut ibidem oſtendit in exemplo a ſe adducto, non apparet cur non poſſint pariter eſſe ſimul plures Patroni principales alicujus loci. Sed quidquid ſit de hac ſententia, certiſſimum modo eſt in electione Patronorum, & multo magis in plurium æque principalium, debere ſervari exacte Decretum ſupra expoſitum a S. C. editum de Ordine S. D. N. Urbani PP. VIII. die 23. Martii 1630.

Huc ſpectare videntur ſequentia Decreta, quæ idcirco a nobis ſimul collecta exhibentur.

Sub nomine Patroni principalis loci venit etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciæ, de quo conceſſum eſt ab Apoſtolica Sede, ut a Clero tam Sæculari, quam Regulari recitetur Officium. S. R. C. 20. Martii 1683. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 141.

In Patronorum, ſive Protectorum præcedentia ſervandus eſt ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & inter ordinem Eccleſiaſticum attendenda eſt anterioritas in electione. S. R. C. 11. Martii 1690. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 161.

Quando duæ Octavæ ſimul occurrunt, quarum una ſit Patroni principalis loci ſub Ritu duplicis primæ Claſſis, altera vero B. M. V. ſub Ritu duplicis ſecundæ Claſſis, recitandum eſt Officium de Patrono principali cum comm. Octavæ B. V. M. S. R. C. 19. Junii 1700. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 215.

Nomine Patroni loci non venit Patronus Parochiæ &c. S. R. C. die 14. Februarii 1705. & datur in noſtro Indice *n.* 231.

III. Gav. num. 5. -- *Regulares etiam teneri ad Feſtum de Patrono loci, & Officium ſolemne, non tamen teneri ad Octavam ejuſdem &c.*) Quod docet hic Gavantus ex Decretis S. R. C. nimirum Regulares teneri ad ſervandum Feſtum, & recitandum Officium ſub Ritu primæ Claſſis de Patrono loci, non tamen teneri ad ejuſdem Octavam, immo neque poſſe, patet etiam, & confirmatur aliis Sacræ Rit. Congregat. Decretis, quæ dantur in noſtro Indice *ſub n.* 63. 78. 125. 142. 147. 224. quæ lector evolvere poterit, cum ſpectent omnia ad eamdem doctrinam confirmandam, & aliqua extendant prædictam Regularium utriuſque ſexus obligationem, etiam ad Titulum Cathedralis Eccleſiæ, celebrandi nimirum



Digitized by Google

mirum ejuſdem Officium ſub ritu duplici primæ Claſſis ſine Octava.

IV. Gav. nu. 7. -- *Neque de his Patronis minus principalibus tenentur Regulares &c.*) Docet hic Gav. Regulares non teneri ad recitanda Officia de Patronis locorum minus principalibus, niſi ea ſint deſcripta in Kalendario Romano, vel proprio ipſorum Regularium. Id etiam confirmatur Decreto a S.R.C. edito die 13. Junii 1682. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 125. in quo declaratur, quod Regulares tenentur quidem recitare Officium ſub Ritu duplici primæ Claſſis, ſed ſine Octava de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis tantum: de aliis autem Patronis minus principalibus non tenentur recitare, niſi ſint deſcripti in Kalendario Romano, vel dictorum Religioſorum proprio. Sed quamvis Regulares non teneantur recitare Officium de prædictis Patronis minus principalibus, poſſunt tamen, immo laudandi ſunt, ſubnectit Gav. ſi illud recitent in gratiam Populorum &c. Quibus omnibus conſentit etiam P. Gobat *tract.* 5. *n.* 78. 79. 81. 85.

V. Gav. num. 15. -- *Quæritur de Titulo Altaris, ſeu Capellæ &c.*) Dixit ſupra Gav. *n.* 4. tam de Patrono principali loci, quam de Titulari propriæ Eccleſiæ Officium debere fieri ut de duplici primæ Claſſis, & quidem cum Octava; nunc procedit ad examinandum quo Ritu Titulus Altaris, ſeu Capellæ ſit celebrandus? & reſpondet primo conſtare ex Rubrica *de Commemorationibus n.* 3. de tali Titulo non eſſe celebrandum Officium ſub Ritu duplici primæ Claſſis, & procedit ad dicendum, ut celebretur talis Titulus, prout in Kalendario Romano deſcribitur: in quo ſi neutrum nominatur, poterunt ad illud Altare celebrari Miſſæ Feſtivæ cum Hymno Angelico (non autem cum *Credo*, cum hoc expreſſe neget Rubrica generalis XI. Miſſalis, niſi tamen habeatur inſignis Reliquia) ut alibi diximus. Officium autem de tali Sancto Titulari nullatenus recitari debet, etiamſi Titulus Altaris eſſet Titulus alicujus Beneficiati, non ideo hic poſſet, inconſulta S.R.C. de eo Titulo Officium facere, niſi ſit in Kalendario; immo, & ſi eſſet in Kalendario, non poſſet de illo recitare ſub altiori Ritu, quam ſit in eo notatum, ut docet noſter Gav. n. 16. qui loquitur conformiter ad ea, quæ jam dixerat *ſect.* 1. *c.* 5. *tit.* 2. *n.* 9. ubi advertit ex Decreto S.R.C. edito die 8. Apr. 1628. nemini licere, neque Ordinariis locorum ſive Sæcularibus, ſive Regularibus aliqua Ss. Officia Kalendario addere, inconſulta Sancta Sede Apoſtolica, ſub pœna non ſatisfaciendi propriæ obligationi. Excipe tamen ex Guyeto *lib.* 1. *c.* 10. *q.* 3. niſi de Sancto Titulari Altaris haberetur Inſignis Reliquia; tunc enim ratione Reliquiæ inſignis approbatæ authentice, & de Sancto in Martyrologio Romano deſcripto, eſſet faciendum Officium, prout alibi diximus, addit etiam Biſſus *lit. T. n.* 65. niſi quoque adeſſet recepta conſuetudo in aliqua Eccleſia faciendi Officium de Sancto titulari alicujus Altaris; tunc enim conſuetudo (intellige de legitime introducta) erit attendenda, ut colligitur ex iis, quæ idem dixit *in lit.* C. *n.* 490.

VI. Gav. n. 32. - *Quomodo ſeparandus ſit Patronus a ſociis &c.*) Aliquando contingit, quod Patronus, & Titularis Eccleſiæ ſit ſeparandus a ſocio, aut ſociis, quem, aut quos habet in Kalendario. Quo autem Ritu ſit celebrandum Officium de ſociis vide tum in Rubrica, quæ extat in Breviario Romano poſt Tabulam occurrentiæ ante finem, tum etiam apud noſtrum Gavantum ſupra *cap.* 10. *n.* 11. & in noſtris Obſervationibus ibidem factis. Agit etiam de hac re Pater La Croix *tom.* 4. *lib.* 4. *n.* 1267. ubi reſolvit varios caſus.

VII. Gav. *n.* 24. - *Eadem conveniunt Fundatori, & Patrono Ordinis &c.*) Quæ dicta ſunt de principali Patrono loci, ait Gavantus, conveniunt pariter Fundatori, & Patrono Ordinis in toto Ordine poſt ejus ſolemnem Canonizationem, & obtentam a Sede Apoſtolica licentiam dicendi de eo Officium, ac Miſſam. Patronus autem Ordinis dicitur ille Sanctus, a quo primo Ordo fuit inſtitutus, ſic apud Benedictinos Patroni locum ſibi vindicat S. Benedictus, apud inclytum Prædicatorum Ordinem S. Dominicus, apud Seraphicum Ordinem Minorum S. Franciſcus, & apud noſtram Congregationem Cleric. Regularium S. Cajetanus Thienæus, cum Primus vere ſit noſtri Ordinis Parens, & ut talis declaratus fuerit in ejuſdem Canonizationis Bulla edita ab Innocentio XII. & quæ in Bullario Romano ejuſdem Pontificis Romanæ recentiſſimæ editionis reperitur ſub *n.* 3. Sicut autem diſtinguitur in Eccleſia Titulus, rigoroſe acceptus, a Patrono, ſic etiam non eſt confundendus Patronus Religionis cum Titulo illo, a quo aliqua Religio nuncupatur; ita, v. gr. Titulus potius, quam Patronus Religionis, ſeu Ordinis de Redemptione Captivorum eſt SS. Trinitas. Ita etiam Titulus potius, quam Patronus Clericorum Regularium Cruciferorum eſt Sancta Crux, a qua hæc Religio denominatur, quorum tamen Feſta a prædictis Ordinibus reſpective, ceu de Patrono principali ſui Ordinis coluntur, recitantur Divina Officia, & Miſſarum ſolemnia celebrantur. Dixi Sanctiſſimam Trinitatem eſſe dicendam potius Titulum, quam Patronum, quia nomine Patroni rigoroſe loquendo venit Sanctus aliquis, cujus Patrocinium imploratur apud Deum, quod non poteſt dici de Sanctiſſ. Trinitate, unde ejus Feſtum non recte appellatur Feſtum Patrocinii reſpectu Eccleſiæ in ejus honorem dicatæ, vel reſpectu Ordinis Regularis, ſub ejuſdem invocatione inſtituti, ſed ejus Feſtum appellandum eſt Feſtum Titulare, ſeu Feſtum Tituli talis Eccleſiæ, vel prædicti Ordinis; idem eſt dicendum de Titulo S. Salvatoris, S. Crucis, a quorum primo recte aliqua Eccleſia ſub ejuſdem Tituli invocatione conſecrata, vel aliqua Religio inſtituta, Templum, ſeu Ordo S. Salvatoris; ab altero vero, Templum, ſeu Ordo S. Crucis, vel Cruciferorum denominatur. De hac re iterum redibit ſermo in noſtris Obſervationibus infra ad caput Sect. VIII. ſub n. 3.

Cæterum Lohner *Inſtitutione practica* 2. *part.* 3. *tit.* 6. *n.* 5. & La Croix *tom. & lib.* 4. *cit. num.* 1258. aſſerunt non videri Regularibus prohibitum plures Patronos ſui Ordinis ſub Ritu primæ, vel ſecundæ Claſſis, ac cum Octava celebrare.

Antequam abſolvamus has noſtras Obſervationes, & Additiones ſpectantes ad Ritum, & modum celebrandi Feſta Patronorum, & Titularium, placet aliqua colligere ex iis, quæ tradit Henricus Piſart in ſua Appendice ad Directorium Canonicum.

Primo igitur, ſi in aliqua Civitate, vel Oppido præter Patronum loci principalem, aliqui velut minus principales habeantur, veroſimilius apparet, quod Clerus Sæcularis illorum Feſta ſervare poſſet, & deberet; at non Regularis, niſi ſit Feſtum de præcepto in populo, quo caſu cenſemus cum Gavanto, quod Regulares etiam ſe conformare poſſent; ſervando talis Feſti Officium, vel proprium, ſi adſit debite approbatum, vel de communi.

Secundo, per Patronum principalem loci non ſolum deſignatur Patronus principalis Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Diœceſis, ſed etiam Patronus Matricis nullius Diœceſis, Patriæ, & Loci, ſeu Oppidi, quæ ſæpe non tam late patent, quam Diœceſis; item Protector Civitatis, & Patronus, ſeu Titularis Parochiæ, & Monaſteriorum, ſeu Eccleſia Regularium. Feſtum Patroni principalis Eccleſiæ Cathedralis, qualis eſt Leodii S. Lambertus, juxta ſuperius dicta, & juxta S. C. Decreta, ſervandum eſt per totam Diœceſim; ut Feſtum Patroni Patriæ, qualis eſt Leodii S. Joſeph, in tota illa Patria ſervandum eſt ab utroque Clero Ritu, & modo ſupradicto, at non in tota Diœceſi, ſi hæc latius pateat, & in plures Patrias ſit diviſa, præſertim ſi aliæ hujuſmodi Patriæ habeant ſuum Protectorem, & Patronum particularem, ſi autem non habeant peculiarem Protectorem, & Patronum, congrua videretur obſervantia Decreti editi die 28. Septemb. 1658. ad inſtantiam Epiſcopi, & Capituli Cathedralis Calaguritanæ, & dati in noſtro Indice ſub *num.* 78. quod lector videre poterit, ſicut etiam Decretum editum 15. Martii 1608. datum in noſtro Indice *ſub n.* 32. in quo declaratur ſervandum eſſe uſum ſemel introductum, & receptum in aliqua Eccleſia Cathedrali celebrandi ſolemniter Feſtum de aliquo Sancto tamquam de Patrono &c.

Tertio, Patronus Parochiæ, ſeu Titularis Eccleſiæ Parochialis colendus eſt ab omni Clero, qui illius Eccleſiæ eſt adſcriptus, idque Ritu primæ Claſſis, & cum Octava. Regulares autem ſub tali Parochia in Civitate habitantes tale Feſtum non reſpicit, utpote qui proprium in ſua Eccleſia Titularem habent, & inſuper Feſtum Protectoris Civitatis celebrant; hoc confirmatur Reſcripto S. C. quoad quæſita Guardiani Fratrum Cappuccinorum Conventus S. Michaelis Leodii die 28. Auguſti 1606. quæ reſpondens, declaravit nec licere, nec licuiſſe prædictis Fratribus recitare Officium S. Servatii, quamvis ſit Patronus Parochiæ, in qua morantur, ſitque Feſtum devotionis in Populo, & illud Officium conſueverint ab immemorabili recitare. Hæc S. C. reſponſio reperitur impreſſa in Directorio Anni 1707. per Reverendum P. Martinum Leodium Cappuccinum in Rubricis verſantiſſimum, pro tota illa Provincia compoſito. Hæc ex Piſart *cit. loc. n.* 9. ubi addit, quod ſi tamen in aliqua Parochia Rurali ſitum ſit Religioſorum Monaſterium, hi quoque Feſtum Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ Ruralis colere debent ſub Ritu duplicis primæ Claſſis, ſed ſine Octava. Verum hoc admittendum non videtur ob eamdem rationem, ob quam Regulares in Civitate habitantes ſub aliqua Parochia, ejuſdem Parochiæ Titulum, & Patronum colere non debent ſub dicto Ritu duplici primæ Claſſis.

Quarto, lubet hoc loco proponere dubium, quod diſcutit P. Gobat *Tract.* 3. *n.* 696. *Append.* 3. *lit. B.* 3. uſque ad *ſ.* 3. nimirum: an quando Jus Parochiale unius adhuc ſtantis Eccleſiæ, tranſlatum eſt ad aliam novam loco commodiore ſitam, Titulus veteris Eccleſiæ, etiam nunc, ut dixi, ſtantis, nihilominus poſſit, aut debeat quotannis Ritu Duplici primæ Claſſis, & cum Octava celebrari? Hoc dubium affirmativa deciſione per ſe loquendo reſolvit laudatus Gobat cit. loc. ubi etiam declarat a quo tam in Feſto Titulari, quam infra ejus Octavam dicendum ſit Officium, & Miſſa.

Quinto denique quæri poteſt an poſſit, vel etiam debeat ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, & cum Octava celebrari Titulus, aut Titularis Patronus privatæ Capellæ exiſtentis intra, vel extra ædes, ſeu Religioſas, ſeu non Religioſas, conſecratæ tamen, ac dedicatæ modo, ac Ritu aliarum Eccleſiarum publicarum? Huic etiam Dubio idem P. Gobat eod. *tr.* 3. *n.* 696. *Append.* 2. *a lit. bb.* uſque ad finem Appendicis affirmati-

mative reſpondet per ſe loquendo, & ſuſtinet hanc ſententiam variis rationibus, & auctoritatibus, præſertim Paſqualigi, Neuſſer, Bordoni, & aliorum. Idem Auctor citato loco *a lit. ll. & uu.* declarat a quibus tam in Feſto Titulari, quam infra ejus Octavam dicendum ſit Officium, & Miſſa de talis Sacelli privati Sancto Titulari, alia etiam huc pertinentia ibidem ab eodem diſcutiuntur, præſertim an Officio, aut ſaltem Miſſa coli poſſit, vel etiam debeat Patronus Titularis alicujus Capellæ intra Eccleſiam exiſtentis, de quo nos *ſup. n. V.* reſolvimus quid agendum ſit.

Ad hoc *Capite 12. Sectionis tertiæ* in quo egit Gavantus de Patrono Loci, & Tituli Eccleſiæ, gradum facit idem Gavantus ad *Sectionem quartam*, in qua declarat ſe poſt Regulas generales totius Officii, deſcendere ad explicandas Regulas ſingularium Officii partium, hoc eſt Horarum, ſed huic ſuæ *Sectioni quartæ* congruum videtur præfigere Textum Rubricæ Generalis duodecimæ, in qua habentur quædam Regulæ Generales pro ordinando Divino Officio, & revera inſcribitur.

### De ordinando Officio ex prædictis Rubricis. XII.

### R U B R I C A.

1. *SI quis velit ex ſupradictis Rubricis ordinare officium occurrentis diei, videat in Kalendario, & in Tabula Feſtorum mobilium, de quo fiat Officium ſequenti die, & ut invenerit eſſe faciendum, ſic ordinabis illud in Veſperis, & aliis Horis Nocturnis & Diurnis.*
2. *Si ordinandum ſit Officium de Tempore, ideſt, de Dominica vel Feria, recurrendum eſt ſemper ad Pſalterium, ubi ordinate ponitur quod eſt commune Officii de Tempore cum diſtributione Pſalmorum: & ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones & Reſponſoria quædam, Antiphonæ & Orationes ponuntur, quæ deſunt in Pſalterio. Invitatorium, Hymni, Capitula, Verſus, Reſponſoria brevia, & Antiphona, quæ diverſis temporibus ponuntur in proprio, dicuntur loco eorum, quæ ſunt in Pſalterio; cum vero propria non fuerint, dicuntur ut in Pſalterio.*
3. *Si Officium ſit ordinandum de Sancto, recurrendum eſt ſemper ad Commune Sanctorum (niſi proprium habeat in proprio Sanctorum,) ubi pro qualitate Feſti, ſi novem Lectionum, ideſt, Duplex vel Semiduplex fuerit, omnia ordinate ponuntur, illis exceptis, quæ propria ſuis locis habentur. Si Feſtum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feriæ & Lectionibus exceptis,) omnia ſumuntur de eodem Communi. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, & prima & ſecunda Lectio, vel prima tantum in Feſtis trium Lectionum, ſumuntur de Scriptura in Officio de Tempore, niſi aliæ in propriis locis ponantur.*
4. *In majoribus Solemnitatibus & Feſtis per annum, totum Officium ordinatur, ut in propriis locis ponitur.*
5. *In Feſtis Beatæ Mariæ (omiſſis iis, quæ propria in illis habentur) Hymni, novem Pſalmi, & alia quædam requirenda ſunt ex Communi ejus Officio parvo, circa finem Breviarii.*
6. *Modus inchoandi Officium, dicendi Invitatorium, Hymnos, Antiphonas, & verſus, habetur in principio Pſalterii. Cum vero Antiphonæ duplicandæ ſunt, dicuntur integræ ante Pſalmos, ſicut in fine Pſalmorum.*
7. *Modus dicendi Abſolutiones & Benedictiones ante Lectiones, legendi & terminandi Lectiones, dicendi Reſponſoria poſt Lectiones, ac Reſponſoria brevia poſt Capitula, habetur in prima Dominica de Adventu.*
8. *Quomodo ſit inchoandum, & terminandum Officium per horas, habetur in Pſalterio: quomodo terminandum per Antiphonas Beatæ Mariæ, habetur in fine Completorii.*
9. *Sed ut hæc omnia facilius habeantur, poſitæ ſunt ſequentes Rubricæ, de ſingulis Horis, earumque partibus diſtincte cognoſcendis.*

---

## S E C T I O   Q U A R T A,

### De proprio Ritu ſingularum Horarum Canonicarum,

### *G A V A N T U S.*

POſt Regulas Generales totius Officii veniendum eſt ad Regulas ſingularum Officii Partium, hoc eſt Horarum, quo Ritu quæque ſit recitanda,

### SECTIONIS IV. CAP. SEXT.

1. *De Matutino.*
2. *De Laudibus.*
3. *De Prima.*
4. *De Horis Tertia, Sexta, & Nona.*
5. *De Veſperis.*
6. *De Completorio.*

### De Matutino. XIII.

### R U B R I C A.

1. *AD Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur, ſecundum diverſitatem Officii, niſi aliter in quibuſdam diebus annotetur: Pater noſter: Ave Maria: Credo, omnia ſecreto: deinde clara voce Hebdomadarius dicit: Domine labia mea &c. pollice ſignando ſibi os ſigno crucis: Deus in adjutorium &c. manu extenſa ſignando ſe ſigno Crucis a fronte ad pectus, & a ſiniſtro humero uſque ad dextrum (quod ſervatur in principio omnium Horarum, cum dicitur Deus in adjutorium) cum Gloria Patri, & aliis, ut in principio Pſalterii. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore vel Sancto, quod dicitur cum Pſalmo Venite exultemus, eo modo quo in principio Pſalterii deſcribitur. Dicto Pſalmo, & repetito Invitatorio, dicitur Hymnus, qui Officio de Tempore vel de Sancto convenit.*
2. *Poſtea in Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Pſalmi (ſed in Dominicis plures ut in Pſalterio) cum ſuis Antiphonis & Verſibus, quæ Tempori, vel Feſto conveniunt, & totidem Lectiones cum octo Reſponſoriis, aliquando cum novem, ut ſuis locis ponitur, per tres Nocturnos diſtinctos, hoc modo.*
3. *In primo Nocturno dicuntur tres Pſalmi cum tribus Antiphonis, poſt ſingulos Pſalmos una Antiphona; ſed tempore Paſchali, ideſt, a Dominica in Albis uſque ad Pentecoſten (præterquam in Officio Aſcenſionis Domini) tres Pſalmi cujuſque Nocturni dicuntur ſub una Antiphona, & in fine Pſalmorum poſt ultimam Antiphonam cujuſque Nocturni dicitur Verſus: poſtea, Pater noſter. Et ne nos; Abſolutio, Exaudi: Benedictio, Benedictione perpetua, & aliæ ad ſingulas Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ per ordinem in Officio de tempore occurrunt (niſi aliæ aſſignentur,) & ad ſingulas Lectiones dicitur unum Reſponſorium conveniens Officio: ſi de Tempore, ut in proprio Temporis: ſi de Sancto, ut in proprio Sanctorum: alioquin ut in Communi, etiamſi Lectiones primi Nocturni ſint de Scriptura Officii de Tempore.*
4. *In fine ultimi Reſponſorii cujuſque Nocturni dicitur Gloria Patri, cum repetitione partis Reſponſorii, eo modo, quo notatur in iii. Reſponſorio primæ Dominicæ de Adventu; niſi aliter in propriis locis ſignetur.*
5. *In ſecundo Nocturno dicuntur alii tres Pſalmi, Antiphonæ, Verſus, Pater noſter, Abſolutio, Ipſius pietas, & ei conſequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica prima de Adventu: tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, & ad quamlibet Lectionem unum Reſponſorium.*
6. *In tertio Nocturno alii tres Pſalmi cum Antiphonis, ut ſupra: poſt tertiam Antiphonam, Verſus, Pater noſter, Abſolutio, A vinculis, & Benedictiones conſequentes ad ſingulas Lectiones, quæ erunt de Homilia Evangelii de Tempore, vel de Feſto, ſecundum qualitatem Officii, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Poſt vii. & viii. Lectionem dicitur Reſponſorium Officio conveniens, ideſt, poſt quamlibet unum: aliquando autem dicitur etiam poſt nonam Lectionem, ut ſuis locis notatur: & in fine ultimi Reſponſorii, aut octavi, aut noni, dicitur Gloria Patri, ut ſupra, niſi aliter ſignetur. Si non dicitur nonum Reſponſorium, poſt ultimam Lectionem dicitur Hymnus Te Deum.*
7. *In Officio trium Lectionum, ad Matutinum; Pater noſter, Ave Maria, Credo, Domine labia mea, &c. Invitatorium, & Hymnus, in feriali Officio de Feria, ſi non ſint in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Pſalterio; in Feſtis, de Feſto, ut in Communi Sanctorum; deinde Nocturnum Feriæ, ut in Pſalterio: id eſt, duodecim Pſalmi cum ſex Antiphonis, & tempore Paſchali cum una Antiphona, Alleluja: qui dicuntur tam in Officio Feriali, quam in Feſtis Simplicibus.*

9. *Poſt Pſalmos & Antiphonas dicitur Verſus, in Feriali Officio ut in Pſalterio, in Feſtis ut in Communi Sanctorum, qui in Feſtis ſumitur ſecundum Ferias ex Nocturno de Communi unde ſumuntur Reſponſoria, ut dicetur infra in Rubricis de Verſibus et Reſponſoriis.*

Poſt

*Poſt Verſum dicitur Pater noſter, Abſolutio, & Benedictiones, ut habetur infra in Rubrica de Abſolutionibus & Benedictionibus. Tres Lectiones ( ſi non adſit Homilia ) ſingulæ in Officio Feriali dicuntur de Scriptura, quæ eo die occurrit in Proprio de Tempore: ſi adſit Homilia, ſingulæ tres de Homilia. In Feſtis, prima, & ſecunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliquæ de Sancto.*
9. *Poſt ſingulas Lectiones in Feriis extra tempus Paſchale dicitur unum Reſponſorium, ita ut dicantur tria Reſponſoria; tempore vero Paſchali, & in Feſtis, duo tantum Reſponſoria dicuntur, ſcilicet poſt primam & ſecundam Lectionem tantum. In fine ultimi Reſponſorii, ſecundi ſcilicet, aut tertii, dicitur Gloria Patri, cum repetitione partis Reſponſorii, niſi aliud notetur. Quæ Reſponſoria in Officio de Sanctis ſumuntur ex Communi Sanctorum; in Feriali Officio ex Dominicis, quando propria per Ferias non diſtribuuntur, ordine deſcripto in Rubrica de Reſponſoriis. Quando non dicitur tertium Reſponſorium, poſt tertiam Lectionem dicitur Hymnus: Te Deum laudamus,*

## De Matutino, Cap. I.

## *G A V A N T U S,*

1. MAtutinum; eſt vox antiqua in *Concil. Cabillon.* 2. Deducitur a Matuta, ideſt, Aurora. Sunt autem apud Auctores hæc ſynonima pro eodem, Nocturni, Vigiliæ Nocturnæ, & Matutinum, de quo hic loquimur, ut eſt a Laudibus diſtinctum; nam alioquin ſupra diximus *Sect.* 1. *c.* 3. conſtituere unam horam cum Laudibus. S. Iſid. 6. *Etymolog. cap. ult.* deducit Matutinum a Stella Matutina, Lucifero; quæ oritur inchoante mane inter noctem & diem, ut hinc ediſcas, ſi media nocte cum antiquioribus illud non recites, in aurora ſaltem recites; ſed de tempore Matutini recitandi vide ſupra *Sect.* 1. *c.* 5. *tit.* 6. A Diis manibus, qui reſtituunt lucem, dici Matutinum ſcripſit *Auctor Gemmæ Animæ, lib.* 1. *c.* 31. ſed quid luci ad tenebras? omittamus profana.

2. Primus uſus Matutini Officii in Bethelem fuit, *ex Caſſiano cit. a S. Iſidor. lib. de Eccleſ. Offic. cap.* 23. niſi de Officio Primæ ſit ille explicandus, ut putat verius *Francolin.* 1. *parte cap.* 14. Congrueret autem ſi illud verum eſſet, ut a loco Nativitatis Chriſti exordium ſumpſiſſet Eccleſia laudum Dei; ibi enim Angeli canentes Deo, & Paſtores laudantes, benedixerunt Dominum,

3. Ordo Matutini per ſe patet in *Rubr. de Matutino cap.* 13. De cujus partibus, ex quibus componitur, dicemus *Sect. ſequenti*.

4. Forma ipſa Matutini veſtigium habet non obſcurum apud Apoſtolum 1. *Cor. ut notat Baronius Anno* 57. Ait enim *cum convenitis, unuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, doctrinam, Apocalypſim, linguam, interpretationem*. Et vere in Matutino habemus Pſalmos, Lectiones pro doctrina; Reſponſoria pro Apocalypſi, ideſt, revelatione; Evangelium pro lingua; Homiliam pro interpretatione: illi vere hæc habebant, voce primorum Diſcipulorum; nos ſcripto ſacrorum Auctorum, & SS. Patrum. Addit ibidem Paulus, *Spiritus Prophetarum ſubjectus ſit Prophetis*; quo quid aliud ſignificatur, quam ritus ille Matutini, quo lector petit benedictionem a majore, cui ſe ſubjicit, antequam legat? *Hæc Baronius*.

5. Novem Pſalmi in Duplicibus, & Semiduplicibus dicuntur, *ex Amalar. lib.* 4. *cap.* 35. In Dominicis decem, & octo, *ex eodem cap.* 9. ubi & diſtinguit primos duodecim inter quaternos, ut hodie fit, & dicebantur cum *Gloria Patri*, in fine ſingulorum; non apud omnes, ut hodie, *Durand. in Ration. lib.* 5. *c.* 3. in Feriis & Feſtis Simplicibus Nocturnum dicitur 12. Pſalm. Greg. VII. *de conſecrat. diſt.* 5. *in die*, jubet ex antiquo more 12. Pſalmos, & Lectiones tres quotidie dici, exceptis Feſtis.

6. Antiphonæ in Feſtis dicuntur novem, in Feriis, & Simplicibus ſex, tempore Paſchali in Feſtis tres, una pro quolibet Nocturno. In Feriis una communis 12. Pſalmis.

7. Abſolutiones, Benedictiones, Lectiones, Reſponſoria plura in Feſtis, pauciora in Feriis, & Hymnus *Te Deum*, in Sectione ſequenti ſuis locis enodabuntur. Myſtica nunc dicamus.

8. Initio ſumpto ab Oratione Dominica, a Salutatione B. M. Angelica, & a profeſſione Fidei ab Apoſtolis tradita, clara voce petitur apertio labiorum, & divinum adjutorium cum ſigno Crucis apertiſſimo ante omnem actum, & cum *Gloria* SS. Trinitatis, & unitatis laude per *Alleluja*, *Durand. loc. cit.* Invitantur omnes ad divinas laudes, quarum prima cum jubilo per Hymnum canitur, ad fugandum noctis torporem, ait *Hugo lib.* 2. *de Offic. c.* 8.

9. Adduntur Nocturni tres in Feſtis ad ratam primarum trium noctis vigiliarum, quas antiqui obſervabant, *ex Hieron. epiſt.* 22. *ad Euſtochium*, iis verbis: noctibus bis, terve ſurgendum, quidquid neget *Azor. c.* 2. *q.* 2. non reperiri, quod antiquitus diſtinctis horis noctis Nocturni cantarentur; affirmant tamen multi ab eodem citati. *Amalar. de ordin. Antiphonarii*, & *Iſid. lib.* 1. *de Offic. Eccleſ. c.* 19. Laudes autem quartæ Vigiliæ reſervabantur. Hodie non dividuntur Nocturni, ſtante conſuetudine vim legis habente: & ſignificatur una Eccleſia juſtorum omnium, eorum, qui ante legem, ſub lege, poſt legem, *ex Amalar. lib.* 4. *c.* 9. ideoque in tertio Nocturno legitur Evangelium, tempori gratiæ congruum, inquit *Gemma lib.* 2. *c.* 14.

10. Novem autem Pſalmis gratias agimus Deo de deſcenſu ejuſdem propter nos, & ad nos ſub novem Choris Angelorum, in Feſtis nimirum Domini; at in Feſtis Sanctorum, eo quod digni facti ſunt illi aſcendere uſque ad altitudinem Cœli, in quo habitant iidem Chori Angelici. Hæc *Amalar. fuſe de ordin. Antiph.* Vel ter tria cantamus cum Angelis, ait *Durand. loc. cit.*

11. Decem & octo Pſalmi Dominicales ita diſtribuuntur, ut primi 12. per quaternos diviſi ſignificent Patriarcharum 12. & Apoſtolorum totidem cultum erga Ss. Trinitatem, per quatuor virtutes Cardinales. *Amalar. loc. cit.* Reliqui tres in ſecundo & tertio Nocturno ſignificant electos ſub lege, & ſub gratia, cum eodem cultu Ss. Trinitatis, *idem ibidem*.

12. Duodecim vero Pſalmi feriales ea ratione ſunt conſtituti, quia duodecim ſunt horæ noctis, & cuilibet horæ Pſalmus reſpondet, *Amalar. c.* 11. Qui dicuntur bini ad charitatem excitandam, *ex Hugo Vict. Spec. Eccleſ. c.* 3.

13. Verſus, quo vertimur ad Deum, renovat intentionem debitam in Officio: *Amalar. loc. cit.* Oratioque Dominica dicitur, ut poſtulemus a Deo ſapientiam, & intellectum doctrinæ, ut docuit *ex Jacob. c.* 1. *Durand. lib.* 5. *cap.* 2. alte recitato verſu: *Et ne nos*, &c. & communiter ( reliquum ſecreto, & ſingillatim ) propter Ss. Communionem, inquit *Hugo Spec. c.* 5. & eadem de cauſa fit Abſolutio, ut ſimus capaciores doctrinæ ſalutaris.

14. Lectiones namque doctrinam continent; quæ ternæ ſunt in honorem Trinitatis a qua docemur. *Hugo* 2. *Offic. c.* 9. In Feſtis novem eæ ſunt, quæ *ex Amalar. loc. cit.* conjungunt nos doctrinæ, & converſationi novem ordinum Angelicorum; ſicut & gaudiis ipſorum conjungunt nos, novem, quæ ſequuntur, Reſponſoria. *Idem*. Vel Reſponſoria poſt doctrinam excitant nos ad opera, unde ad ea ſurgimus. *Idem de ordin. Antiph. c.* 1. & 4.

15. Et quia tempore gratiæ, lætitiæ locus eſt magis, quam in aliis ſtantibus ante legem, & ſub lege: & ideo in fine tertii Nocturni, ſi dicendus eſt, cantatur Hymn. *Te Deum*, Fuſius *Hugo Vict. Spec. Eccleſ. loc. cit.* & ſingillatim hæc habes infra, *Sect. ſeq.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Matutinum ut eſt a Laudibus diſtinctum &c.* ) Horæ Canonicæ nocturnæ, ſeu Officium nocturnum ita appellatum eſt, quia noctu recitabatur; hoc idem Officium plerumque Matutini nomen uſurpavit, quia Laudibus conjunctum eſt, quæ ſummo mane recitari ſolebant; hinc Edmundus Martene in ſuo Commentario in Regulam S. Benedicti *c.* 8. *pag.* 257. ait, quod idem S. Benedictus Dominicis diebus nocturnis Vigiliis ſine ullo intervallo jungit Matut. non ſic capiendum eſt, quaſi Laudes accelerare voluiſſet, & conſuetam illorum horam mutare, ſed potius nocturnos ad Auroram uſque produxiſſe dicendus: nam Matutini, quos Laudes appellamus, ſemper ad Auroram, ſive, ut loquitur S. P. B. *incipiente luce*, dicendi ſunt; unde & Matutini dicti ſunt a voce Matuta, ideſt Aurora, eo quod ad Auroram celebrari debeant. Hæc laudatus Martene *cit. loc.* ubi idem comprobat auctoritatibus Hildemari, Bernardi Caſſineons, & Nicolai de Fractura. Idem Martene in eodem Commentario *ad cap.* 12. hæc omnia confirmat dicendo, quod veteres Matutinorum nomine appellabant Laudes ob antedictam rationem, nunc vero Matutinorum nomine intelligimus Vigilias nocturnas, quas etiam ita appellatas olim fuiſſe, probat Menardus ex Concilio Turonenſi ſecundo *Canone*, 18. & Mabillonius in *lib.* 2. de Antiqua Liturgia Gallicana. Atque ita Beda in Vita S. Cuthberti *cap.* 45. ut refertur in ſæculo 2. Bened. ( omne, inquit, nocturnæ, ſive Matutinæ Pſalmodiæ, tempus, ſtando perſolvit, )

II. Gav. eod. n. 1. -- *De tempore Matutini recitandi &c.* ) De tempore, quo Matutinum recitandum eſt agit, Auctor noſter ſupra *Sect.* 1. *c.* 5. *tit.* 6. *n.* 6. ubi ait Matutinum, & Laudes ex juſta cauſa poſſe recitari in Veſperis præcedentis diei &c. ut ibi iterum legi poteſt, *num.* vero 8. ibid. adſtruit, quod qui differt Matutinum ſine cauſa uſque ad Veſperas, vel anticipat Completorium ante prandium, nimis notabiliter variat tempus, & peccat venialiter; unde etiam hic, ut diximus in noſtris Obſervationibus *tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 11. *n.* 7. Gav. mitigit arctam ſententiam, quam ipſe ſectari videbatur in ſuis Commentariis *tom.* 1. *ad tit.* 1. *fine* 2. *partis*, cognoſcendo nunc nonniſi culpam venialem in eo, qui abſque ulla juſta cauſa nimium differt recitationem Matutini cum Laudibus, quam ſententiam etiam nos ſecuti ſumus, non approbando rigidam illam opinionem, quæ gravi culpa reos conſtituit illos Sacerdotes, qui non recitant Matutinum, & Laudes antequam Sacrificium celebrent; ſupradictam benignio-

Digitized by Google

gniorem ſententiam veram, & ſecuram appellat Oliverius Bonartius in ſuo Tract. de Horis Canonicis *lib.* 11. *cap.* 16. *n.* 8. nonnullos allegando graviſſimos Auctores; validiſque rationibus eamdem ſententiam confirmando.

Circa horam, qua in Choro nocturno Officium, & Matutinum antiquitus pergebatur, non ubique eadem fuit diſciplina. S. Joannes Chryſoſtomus *homilia* 59. ad Populum Antiochenum de Officio agens, quod ſua ætate ſub noctis medium recitabatur, hanc temporis circumſtantiam indicare volens, ait *initium illi dandum ad galli cantum*. In Regula Abbatis Iſaiæ *cap.* 57. in Regola S. Baſilii *cap.* 37. tempus illud, quo nocturnum Officium peragi debebat, noctis medium appellatur, & hoc idem in Regula Columbani *cap.* 7. Carthuſiani duabus horis ante noctis medium incipiunt, & in Regula S. Benedicti *cap.* 8. duabus poſt mediam noctem horis ſurgendum eſſe præſcribitur: *Octava hora noctis ſurgendum eſt, ut modice amplius de media nocte pauſetur &c.* unde infert Martene in ſuo Commentario ad dicta verba, eos a præſtituta regula horæ recedere qui media nocte ſurgunt, ut ſunt Burſfeldenſes in Allemania, Valliſoletani in Hiſpania. Romanorum vero, & Clericorum mores quod ſpectat circa Matutini horam, hæc in antiquis Romanis Ordinibus reperiuntur. Solemnioribus diebus, quibus duplex Officium recitabatur, prima Matutini pars prima noctis hora, ſcilicet poſt Solis occaſum decantabatur, *in initio, ſeu crepuſculo noctis*; ſecunda vero *ad primum galli cantum*. Iis vero diebus, quibus unicum Officium erat, decernitur ad galli cantum ſemper eſſe recitandum; ſed tribus ante Paſcha diebus præſcribitur id media nocte peragendum eſſe: *ad Vigilias media nocte*; quibus verbis diſcrimen profecto aliquod innuitur inter noctis medium, & galli cantum, ut optime advertit Grancolas Commentario-Hiſtorico in Breviarium Romanum *lib.* 1. *cap.* 23. addens hunc primum galli cantum poſt noctis medium fuiſſe ea fortaſſis hora, quam S. Benedictus octavam appellavit, & quæ apud Gallos, Hiſpanos, & Germanos appellatur ſecunda poſt mediam noctem. Nonnulla alia, quæ ſpectant ad ſacram eruditionem hujus Horæ Canonicæ, ad tempus, quo recitata fuit, & adhuc recitatur in nonnullis Monaſteriis, & etiam Eccleſiis Cathedralibus, legi poterunt apud Card. Bona *de Divina Pſalmodia cap.* 5. apud cit. Grancolas, Edmundum Martene, Francolinum *de tempore Horarum Canonicarum cap.* 5. Oliverium Bonartium *de Hor. Canonic. inſtitutione lib.* 1. *cap.* 21. *&* 22.

III. Gav. n. 9. *Adduntur Nocturni tres ad ratam primarum trium noctis Vigiliarum &c.*) In Noctis Officio unicus erat priſcis temporibus nocturnus, qui conſtabat duodecim Pſalmis, quemadmodum etiam nunc in Feriali Officio, & in primo Dominicæ Nocturno fieri ſolet, ſed quia Dominica dies tota Deo colendo, atque laudando Sacra eſſe debet, cœperunt Monachi noctem, quæ Dominicam præcedit, orando tranſigere. Tradit etiam Caſſianus *lib.* 3. *cap.* 3. Monachos Ægyptios tribus diverſis noctis temporibus diebus Dominicis oraſſe, quibus opus facere non licebat, contra vero diebus reliquis, quibus opus faciebant, ſemel tantum per noctem oraſſe: eas noctes in partitis diſtinguunt Officiis. Poſt aliquot Pſalmos decantatos, tres Lectiones perlegebant, idque tribus diverſis temporibus per noctem repetebant; quæ res tres noſtros Dominicæ Nocturnos profecto demonſtrat: non ſolum Dominicis diebus, ſed etiam præcipuis Anni Feſtis noctis Officium in tres Nocturnos dividebatur; ſed hæc Feſta olim exiguo erant numero, & idcirco trium Nocturnorum Officia minus frequentia erant, & nullo negotio tres Nocturni pleriſque Feſtis tributi fuere. Tres Nocturni iſti, qui tria diverſa noctis Officia conſtituebant, in Monaſteriis majoris pietatis ardore ferventibus, diverſis noctis Vigiliis correſpondentibus recitabantur; conjuncti vero fuere, atque continenter recitati tepeſcente Monachorum pietate, & quando nimis arduum viſum fuit ter per noctem cubitum concedere, atque totidem vicibus ſurgere.

Tres Nocturni iſti, qui tria diverſa noctis Officia conſtituebant, non ſolum apud Monachos majori pietatis ardore ferventes, ſed etiam apud Clericos in Eccleſiis Cathedralibus diverſis horis, diverſis noctis Vigiliis correſpondentibus, recitabantur; ſed tepeſcente, & Clericorum, & Monachorum fervore factum fuit, ut Nocturni non ſeparatim, ut ante, ſed continenter una cum Laudibus decantarentur, & ex tribus Vigiliis una ſolum texeretur, & quidem initio decretum erat, ut media nocte ſurgentes Officium nocturnum tunc temporis cum Laudibus conjungerent, qui mos etiam nunc apud quoſdam Regulares perſeverat, ſed cum nec onus illud ſurgendi media nocte Clerus toleraret (ſicut tolerat uſque modo Clerus Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis ad tradita per Grancolas *lib.* 1. *cap.* 23.) hoc ſaltem obtinuerunt Eccleſiarum Præſides, ut ultima noctis Vigilia Clerici ad Matutinum recitandum ſurgerent, & convenirent, ut jam fieri ſolet in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. Nonnulla ex his tradit Gullielmus Durandus *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 3. *&* 6. & Joannes Beleth in eodem *cap.* 20. *& ſeqq.* quibus addit Thomas VValdenſis *de Sacram. cap.* 24. *n.* 4. quod quamvis omnes quatuor nocturnæ Vigiliæ a ſingulis Clericis hodie precibus non conſecrentur, aliquæ tamen obſervantur ab omnibus, ſicque poſſunt dici, omnes ab Eccleſia celebrari, *ita*, inquit, *quidam devoti in prima noctis Vigilia totum Officium decantant, alii vero in ſecunda, alii in tertia, alii vero in quarta, ut plerique omnes Clerici.* Et id profecto verificatur relate ad diverſos Regularium Ordines, qui diverſis horis nocturnis ſurgunt ad decantandum Matutinum; itaut in qualibet noctis Vigilia veriſſimum ſit aliquem eſſe Regularem Ordinem, qui nocturnas Laudes Deo perſolvit.

Cæterum redeundo ad ea, quæ antea dicebamus, hæc eſt Amalarii ſententia, qui *lib.* 4. *cap.* 9. affirmat tres Nocturnos inſtitutos fuiſſe; ut tribus Vigiliis, ſive noctis ſtationibus reſponderent, quibus ad orandum ſurgendum erat, quemadmodum & interdiu Tertia, Sexta, & Nona hora tribus diverſis intervallis oramus: *Habeant finem tres ſtationes Vigiliarum, per quas ternas horas diviſæ, & exercitatæ ſunt, & in quarta oriente Lucifero*; Laudes erant quarta noctis hora ſub lucis ortum, Veſperæ vero quarta diei hora ad ſolis occaſum. Alia ſpectantia ad dictorum Nocturnorum Ritum, & praxim eos recitandi, legi poterunt apud Oliverium Bonartium *loc. ſuprac.* nimirum *cap.* 21. & apud Grancolas *lib.* 1. *comment. Hiſt. in Breviarium cap.* 24. qui inter alia tradit in Carthuſianorum Statutis a Guidone conſcriptis *cap.* 9. eos inter ſingulos Nocturnos ſeptem Pſalmos Pœnitentiales recitaſſe, vel alias quaſdam non breviores preces. Juxta vero nova ipſorum Statuta duabus horis ante noctis medium conſurgunt, atque inter ſingulos Nocturnos horæ circiter integræ intervallum habent, atque hoc intermedium tempus ſingillatim B. V. vel Defunctorum Officium recitando conſecrant, vel cuidam alteri pietatis operi vacant, unde in ipſis adhuc perſeverat antiquorum Monachorum ferventiſſima pietas, & Religio.

## De Laudibus. XIV.

### RUBRICA.

1. *AD Laudes dicto Hymno, Te Deum, vel ultimo Reſponſorio, Hebdomadarius abſolute dicit: Deus in adjutorium &c. ut ſupra, & dicuntur Pſalmi, & Canticum Benedicite, vel aliud, ut habetur in feriali Officio extra tempus Paſchale, cum Antiphonis Officio convenientibus. Qui Pſalmi, & Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis a Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum incluſive) & in Feriali Officio temporis Paſchalis, ac in Feſtis tam novem, quam trium Lectionum dicuntur de Dominica, ut in Pſalterio. In prædictis vero Dominicis a Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum incluſive, dicuntur, ut ſuis locis ponuntur. In Feriali Officio per annum, extra tempus Paſchale, dicuntur ut in Pſalterio.*
2. *Antiphonæ in Dominicis, quando propria non aſſignantur, dicuntur ut in Pſalterio. In Feſtis novem & trium Lectionum, ſi non adſint propriæ, dicuntur de Communi. Poſt Pſalmos dicitur Capitulum, Hymnus, Verſus, Antiphona ad Canticum, Benedictus, cum eodem Cantico, & Oratio; omnia pro qualitate Officii, de Tempore, vel de Feſto.*
3. *Preces quando dicendæ ſunt, dicuntur ante primam Orationem, Commemorationes vero de Cruce, de S. Maria, de Apoſtolis, de Patrono, & de Pace, ſimiliter quando dicendæ ſunt dicuntur poſt Orationem; niſi alia commemoratio Feſti ſimplicis occurrat, quæ ſemper prædictas Commemorationes præcedit: de quibus in propriis Rubricis dicitur.*
4. *Ante Orationem dicitur: Dominus vobiſcum, & Oremus. Poſt ultimam Orationem repetitur, Dominus vobiſcum; deinde, Benedicamus Domino, & Verſus, Fidelium animæ: Pater noſter: Dominus det nobis ſuam pacem; & Antiphona B. Mariæ, ut habetur in fine Completorii, ſi tunc diſcedendum ſit a Choro: alioquin in fine ultimæ Horæ, niſi ſequatur Miſſa, vel Officium Defunctorum, vel Pſalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, ut in propria Rubrica dicetur.*

## De Laudibus. Cap. II.

### *GAVANTUS.*

1. LAudes dictæ ſunt, *ex Hug. lib.* 2. *de Offic. cap.* 10. eo quod Laudem aperte ſonant divinam, quod repetit *in Spec. Eccleſ. cap.* 3. Matutinale Officium appellantur ab *Amalar. lib.* 4. *cap.* 10. Matutinum quoque dicuntur in Rubrica *de Precibus n.* 5. quia ſunt pars Matutini Officii, & ideo non finitur Matutinum, ſeparatum a Laudibus cum Oratione, neque cum *Benedicamus Domino*, ut notavit *Hugo lib.* 2. *de Offic. cap.* 2. *&* 9. *Amalar.* autem *in prologo de ordin. Antiph.* teſtatur de conſuetudine Romana, quod Laudes Matutino ſtatim jungantur.

2. Objicies: initium ſumi a, *Deus in adjutorium*, quod eſt initium Horarum ſingularum, ergo eſt Hora a Nocturnis diſtincta. Reſpondeo, nihil obeſſe, ſed initium illud datum eſſe, ut poſſit ex cauſa dividi Matutinum a Laudibus.

3. Quæritur inter Auctores de Ritibus; An Hymnus, *Te*

*Deum*

*Deum laudamus*, ſit finis Nocturnorum, an vero initium Laudum? *Innoc. III. de Celebrat. Miſſæ cap. Conſilium*, videtur ſentire, quod ad Laudes ſpectet Matutinum. Opinio communior *Microl. cap. 34. & Hug. Spec. Eccleſ. cap. 3.* & ex praxi in nocte Natalis Domini, Hymnum, *Te Deum*, eſſe finem Matutini, Innocentius autem pro Laudibus Matutinis intelligit totum Matutinum ex Nocturnis, & Laudibus conflatum, ut ait *Navarr. de Orat. cap. 3. n. 64.* Quare, ſi dividas a Nocturnis Laudes, hic erit Ritus; ut termines Nocturnos cum Oratione poſt *Te Deum*, & cum *Benedicamus Domino*, abſque Commemorationibus, & ſubmiſſa voce Orationem addas Dominicam. Incipias deinde Laudes a *Deus in adjutorium*. Ita *Francolinus part. 1. cap. 27. n. 18. cum Navarro loco cit.* & ita fit in Natali Domini.

4. Quærunt item: an dividenti Laudes a Nocturnis præmittendum ſit ante Laudes *Pater noſter*, cum *Ave Maria*? affirmat *Navarr. loco cit.* quia putat eſſe octo Horas, & Laudes eſſe diſtinctam Horam. *Francol. cap. 28. n. 3.* licet ſentiat, eſſe tantum ſeptem Horas; conſentit tamen Navarro ob eam Rubricam Breviarii, qua jubentur ea dici ante omnes Horas, præterquam ad Completorium. Sed hæc ratio eſt contra ipſum Francolinum, qui non diſtinguit Laudes, ut Horam ab aliis: non ergo neceſſe; & in nocte Nativitatis Domini nihil dicere jubemur, ſed abſolute Laudes incipiemus, ut indicatur in Breviario in proprio loco.

Poſſet tamen reſponderi adhuc, quod hæ Laudes uniuntur Miſſæ; & ideo libenter ſequor auctores prædictos.

5. Ordo Laudum patet in ſua Rubrica, ſunt enim pares Veſperis *ex Concil. Bracaren. diſt. 12. cap. ult. & Agathen. de conſecrat. diſt. 5. conveuit*. In utriſque Pſalmi quinque, Capitulum, Hymnus, Canticum Evangelicum, Oratio, Commemot. Differunt ab aliis Horis minoribus in pluralitate precum; quia mane, & veſpere holocauſtum offerebatur a Judæis; cui ſucceſſere apud nos holocauſta Matutinarum Laudum, & Veſpertinarum *ex Rupert. lib. 1. cap. 6.* & cum aliæ minores Horæ ſeptem quaſi partibus conſtent, ut notavimus *ex eodem Rupert. Sect. 1. cap. 3. n. 6.* Veſperæ, & Laudes, addito Cantico, conſtant ex partibus octo, quæ ad beatitudinem ſpectant. *Idem loco cit.*

6. *Deus in adjutorium &c.* meminit hoc loco *Amalar. in prolog. de ord. Antiph.* Pſalmi quinque ex eodem ſunt, ad muniendos quinque corporis ſenſus, ait *Hugo in Spec. Eccleſ. cap. 3.* qui notat præterea, eos eſſe octo vere, ad ſignificandos octo ordines electorum; ſed dicuntur quinque, quia tertius, & quartus ſub una concluſione terminantur, ad denotandum *ex Amal. de ord. Antiph.* geminam dilectionem Dei, & proximi: vel *ex eodem lib. 4. de div. offic. c. 10.* unionem Eccleſiæ, ex Judæis, & Gentilibus. Tertius autem eſt in uſu Matutino, *ex Conſtit. Apoſt. lib. 3. cap. 63.* ſextus item, ſeptimus, & octavus unam habet concluſionem ad ſignificandas *ex Amalar. loc. cit. cap. 2.* Fidem, Spem, & Charitatem unitas, junctas erga Deum (*inquit cap. 5.*) Trinum, & unum: vel ſignificant *ex eodem lib. 4. Offic. cap. 10.* unionem Eccleſiæ ex Aſia, Africa, & Europa, ad divinas Laudes: *omnis enim ſpiritus laudet Dominum*, dicitur in eorum fine. Unde factum eſt, ut hi Pſalmi quotidie dicantur in Laudibus, nequr unquam omittantur *ex eodem Amal. cap. 12.*

7. Dixi, *Pſalmos eſſe quinque:* nam licet quartus ſit proprie Canticum, abuſive Pſalmus appellatur, & ſuo loco videbimus parum differre Canticum a Pſalmo.

8. Dicuntur autem ſemper in Feſtis iidem, & in Feriis Paſchalibus, *ex Microlog. cap. 43.* quia reſonant lætitiam, & Reſurrectionem glorioſam in octonario eorum numero. In Feſtis quoque trium Lectionum eoſdem dici, tradit *Radulphus propoſit. 10.*

9. Duo ex his mutantur in Dominicis a Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum incluſive: vice quorum dicimus Pſalmos, *Miſerere*, & *Confitemini*, ad timorem, & ſpem eo tempore excitandam: timorem ob peccata in primo, ſpem ex bonitate Dei in altero. Hæc *Amal. lib. 4. de Offic. cap. 18.* & quia non eſt tempus lætitiæ, quam exprimunt ii duo Pſalmi, *Dominus regnavit*, & *Jubilate*. Sed dices: cur deinde dicitur alter eorum in Prima? Reſpondeo: ne in tota Hebdomada Feriali omittatur Pſalmus ullus de Pſalterio: alter autem locum habet in Nocturno Sabbati: & hæc ad literam.

10. In Feriali Officio per annum primus Pſalmus eſt Pœnitentialis, *Miſerere*, quia dies Feriales ſunt Pœnitentiæ, inquit *Hugo 1. de Offic. cap. 10.* ſecundus variatur, ut expleatur Pſalterium; ſed in qualibet Feria reperies in ſecundo Palmo mentionem fieri Matutini temporis, ut videantur magis proprii ad rem; & ideo eo loco ſunt poſiti, ut notat *Amal. de ordine Antiphonarii cap. 5.* nam dicimus in Feria ſecunda, *Mane exaudies vocem meam*: Feria tertia, *Emitte lucem tuam*: Feria quarta, *Exitus Matutini*: Feria quinta, *mane ſicut herba*, & *Repleti ſumus mane*: Feria ſexta, *Auditam fac mihi mane*: Sabbato, *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam*, ſed præterea titulus hujus Pſalmi eſt, *In die Sabbati*.

11. Cantica vero fuere diſtributa per Hebdomadam, ita ut in Dominicis, & Feſtis, *Trium puerorum*, quod eſt nobilius, cantaretur: In Sabbato Canticum Moyſis in fine vitæ ab eodem compoſitum, & prope Terram promiſſionis, ideſt, quietis, ſignificatæ in Sabbato, qua de re *Beda lib. 2. tr. in Lucam*. Alia Cantica non ſine myſteriis fuere aliis diebus aſſignata; ſatis tamen ad libitum ea Durando explicante *lib. 5. cap. 4.* deſumpta ad verbum explicatione *ab Amal. lib. 4. de Offic. cap. 12. & ſeqq.* Certe illud Feriæ ſextæ, ubi legitur, *cornua in manibus ejus*, de Cruce intelligitur, & quadrat Feriæ ſextæ *ex Gemma lib. 2. cap. 53.* Plura de Canticis *ſect. ſeq.*

12. De Antiphonis, Capitulo, Hymno, Verſu, Antiph. Canticis, Cantico, & Orat. infra ſuis locis. Hymni non meminit Amalar. meminit *Hugo in Spec. Eccl. cap. 3.* ad excitandam mentem pro intelligentia proximi Cantici Evangelici, inquit *idem lib. 2. de Offic. cap. 8.* Verſus dicitur ante Canticum, ut magis attenti ſimus ad verba Cantici. *Amal. lib. 4. cap. 45.* vel excitemur ad credendum ea, quæ promittuntur in Cantico. *Durand. lib. 5. cap. 4.*

13. Cur autem primo loco Canticum, *Benedictus*, in Officio dicitur, cum non fuerit in Evangelio Canticum primum? An quia a Veſperis inchoatur Officium, in quibus primum cantatur Canticum? An quia, ut ait *Dur. loc. cit.* Zacharias loquitur cum Joanne, qui eſt Aurora ante Chriſtum Solem? & in Aurora quidem Laudes dicuntur magis congrue. An quia de lumine fit mentio: *Illuminare his &c.* quod eſt Matutinæ horæ proprium? De Oratione poſt Canticum omnes meminere Auctores. De Precibus, Suffragiis, Fine, Antiphonis finalibus in ſuis capitibus, *Sectione ſequenti* cum reliquis agemus.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. *Non finitur Matutinum ſeparatum a Laudibus &c.*) Ex quo Matutinæ Laudes juxta Romanum Ritum conjunctim cum Nocturnis recitantur, factum eſt, ut Matutini nomen æquivocum ſit; accipitur enim aliquando pro ſolis Nocturnis a Laudibus ſeparatis, quæ acceptio, non adeo erronea eſt, ut viſum fuit Cardinali Bona de Pſalmodia *c. 5. §. 1. n. 2.* Nocturnas enim preces antiquitus aliquando Matutini nomine inſignitas fuiſſe, probat Mabillon. in Diſquiſitione De Curſu Gallicano *pag. 420. & ſeqq.* Secundo Matutini nomen accipitur pro aggregato ex Nocturnis, & Laudibus, quatenus in unum coaluerunt, quæ acceptio vulgatiſſima eſt, & improbari non poteſt. Accipitur tertio pro ſolis Laudibus, quæ eſt valde propria, & revera in antiquis libris Miſſalibus, & Romanis Ordinibus, nomine Matutini non veniunt niſi Laudes.

II. Gav. n. 2. - *Reſpondeo nihil obeſſe &c.*) Suſtinet Gavantus Laudes eſſe partem Matutini Officii, & non eſſe Horam Canonicam a Nocturnis diſtinctam; objicienti quod incipiuntur per illam precem - *Deus in adjutorium &c.* reſpondet hoc non officere, nec indicare principium alicujus Horæ a Nocturnis diſtinctæ, ſed initium illud datum eſſe, ut poſſit ex cauſa dividi Matutinum, nempe Nocturnum, ſeu Nocturnos, ut rigoroſius loquamur, a Laudibus. Eſt igitur controverſia inter Auctores, utrum Officium Nocturnum ab ipſis Laudibus diſtinguatur, quod ſub aliis terminis etiam diſputatur, nimirum an Horæ Canonicæ ſint ſeptem tantum, vel octo? Si factum conſideremus, certiſſimum eſt in multis locis, diverſoque tempore diſtinctionem Nocturni Officii a Laudibus eveniſſe; & fuiſſe ſeparatim cantatas Laudes a Nocturnis. Id manifeſte colligitur ex Regula Divi Benedicti *Cap. 8. & 16.* & probatur ex Hugone de Sancto Victore in Speculo Eccleſiaſtico *Cap. 3. & lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 1. & 9. in fine*, Amalario *lib. de ord. Antiph. cap. 7. in princ.* Radulpho Tungrenſi *lib. de Canon. obſerv. propoſ. 14.* & aliis, quam quidem diſtinctionem Laudum a Nocturno Officio, ſatis indicat ipſum Laudum initium, quod eſt ſimile, aliarum Horarum, tempore diſtinctarum, principiis; tum communis Oratio, qua Nocturnum Feriale, vel Nocturni Feſti vi olim terminabantur. Hæc tamen conſuetudo peragendi Nocturnum Officium interpolato tempore a Laudibus, non fuit ubique recepta, & Univerſalis, ſiquidem multis in locis, Nocturnis Vigiliis, etiam primis temporibus, vel ſaltem paulo poſt, Laudes Matutinæ jungebantur; ita enim oſtendit Caſſianus *lib. 3. de Inſtit. Cænob. cap. 4.* ubi ait: *Hæc Matutina Solemnitas* (Laudes) *in Galliæ quidem Monaſteriis expletis Nocturnis Pſalmis, & Orationibus poſt modicum temporis intervallum ſolita eſt celebrari, ſed in Orientis partibus cum quotidianis Vigiliis pariter conſumatur.* Idem tradit Amalarius *in Prolog. lib. de ord. Antiph.* ex quo apparet Romanam Eccleſiam numquam forte recepiſſe morem illum ſeparandi Matutinas Laudes a Nocturnis, ſeu Nocturno. Prædicti oppoſiti mores occaſionem præbuerunt Auctoribus abeundi in oppoſitas ſententias, quorum Auctoritates, & argumenta congerunt Franciſcus Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 6.* & Azorius *1. part. lib. 10. cap. 1. q. 2.* Franciſcus Magius de Divino Officio *Opuſc. 1. diſquiſit. 2.* Cardinalis vero Turrecremata *tract. 73. in Regulam S. Benedicti*, & in *Cap. Presbyter diſtinct. 91. quæſt. 1. concluſ. 2.* habet - olim in multis Provinciarum Eccleſiis Nocturnas Vigilias fuiſſe, & ſejunctas a Matutinis Laudibus, & in Monachorum Conventibus plane ſecerni, & disjungi: & per Orationes diſtinctas

termi-

Digitized by Google

terminari ſolitas eſſe, & tunc temporis octo Horæ veriſſime numerabantur. At vero noſtris temporibus uſu receptum eſt, ut Matutinæ Laudes ſimul cum Nocturnis Vigiliis decantentur, ac proinde ſeptem tantummodo Horæ ſupputantur. Quin etiam olim in Eccleſia Romana uſus obtinuit, ut Nocturnæ preces una cum Matutinis Laudibus conjungerentur. Ita præfatus Auctor ſtudet conciliare utramque ſententiam de numero octonario, & ſeptenario Horarum Canonicarum. Cætera quæ ſpectant ad hanc Horam Canonicam Matutinarum Laudum tradunt Grancolas *loc. cit. cap.* 34. Cardinalis Bona *loc. cit.* & §. 2. Oliverius Booartius *loc. cit.* aliique Auctores a Franciſco Magio, & Gavanto allegati.

De Prima. XV.

## R U B R I C A.

1. *AD Primam: Pater noſter, Ave Maria, Credo, ſecreto: Deus in adjutorium &c. Hymnus, Jam lucis ordo ſidere: Deinde incboatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Feſtis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quarta prætermiſſa, ut dicetur infra in Rubrica de Antiphonis. Poſtea dicuntur Pſalmi, qui in Dominicis & Feriis dicuntur ut in Pſalterio. In Feſtis autem, & tempore Paſchali, tres tantum, ut etiam ibi annotatur.*

2. *Poſt Antiphonam dicitur* Capitulum, *Regi ſæculorum. In Feriali Officio extra tempus Paſchale dicitur Capitulum, Pacem. Deinde Reſponſorium Breve, Chriſte Fili Dei vivi &c. Poſt* ℟. *breve in Officio Duplici, & infra Octavas, ſtatim dicitur Oratio, Domine Deus omnipotens. In alio Officio dicitur, Kyrie eleiſon, cum reliquis Precibus; omnia ut in Pſalterio. Ad* ℣. *autem, Adjutorium, Hebdomadarius ſignat ſe ſigno Crucis a fronte ad pectus. Quando aliquis ſolus recitat Officium, ſemel tantum dicit, Confiteor; omiſſis illis verbis, Tibi pater, vel, Vobis fratres, & Te pater, & Vos fratres, & ſimiliter dicit; Miſereatur noſtri; peccatis noſtris; perducat nos; quod etiam ſervatur ad Completorium. In Feriali Officio quando dictæ ſunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Pſalterio.*

3. *Poſt Orationem Primæ: vel, ſi dicatur Officium Beatæ Mariæ, poſt illius Orationem, dicto Benedicamus, in Choro legitur Martyrologium; deinde dicitur: Pretioſa, cum reliquis: quæ etiam dicantur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Abſolutionem Capituli: in Feſtis & aliquibus diebus pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, ſi adſit proprium, alioquin de Communi: alio tempore tam in Dominicis, quam Feriis, Lectio brevis Officio illius temporis in Pſalterio aſſignata.*

De Prima. Cap. III.

## *G A V A N T U S.*

1. PRimæ, vocabulum ad rem noſtram uſurpatur *in Regula Sancti Benedicti cap.* 16. *& in Concilio Cabilonenſi* 2. Res ipſa eſt antiquior, tempore Caſſiani expreſſe cœpta, de qua ipſe *lib.* 3. *Inſtit. monaſt. cap.* 4. cujus veſtigium potius, quam res ipſa tota, videtur haberi *apud Athanaſ. lib. de Virginit.* Sol, inquit, exoriens videat librum in manu tua, ideſt, Pſalterium: & loquitur de prece poſt Laudes, quæ ante Solis ortum complebatur. Volunt, S. Clementem loqui de prima, cum ait *lib.* 8. *de Conſtit. cap.* 34. Precationes facit mane, *Turrianus ibi, & Durandus lib.* 3. *de ritib. cap.* 7. *& Suar. lib.* 4. *de Horis Canon. cap.* 5. *& n.* 8. Negant *Radulph. propoſ.* 14. qui expreſſe docent, Primam, & Completorium, non ante Caſſianum fuiſſe, & *Fraeolinus* 1. *part. cap.* 14. *n.* 6.

2. Quidquid ſit de origine; affines Horæ ſunt Prima & Completorium, ſicuti Laudes, & Veſperæ. Nam utrobique Confeſſio, quatuor Pſalmi, Hymnus, Capitulum, & Reſponſorium immobiliter dicuntur: Canticum quoque Simeonis eſt immobile, cui reſpondet Symbolum Sancti Athanaſii in Dominicis immobile. Quæ omnia apta ſunt initio diei, & noctis, ut armemur contra hoſtes diurnos, & nocturnos, & *ex Radulph. loc. cit.* Præclare *Ambroſ. ſerm.* 43. *& in Hexam. lib.* 5. *c.* 12. de avibus loquens, ait; Quis ſenſum hominis gerens non erubeſcat ſine Pſalmorum celebritate diem claudere, & adoriri, cum etiam aves ſuavi modulatione, & dulci carmine ortus dierum, ac noctium proſequantur? Hæc de Prima, & Completorio ſimul.

3. Poſt ortum Solis *Prima* congruentius recitatur; tum ex origine *apud Caſſianum* expreſſo: tum ex Hymno. *Jam lucis orto ſydere*: tum ex Auctoribus pluribus citatis *a Francol. cap.* 15. *n.* 14. Primo, ut ſicut ovibus, quæ noctu cuſtodiuntur in ovilibus incluſæ, mane ad paſcua exeuntibus, adeſt opilio, qui eas dirigat, ducat, defendat a lupis; ita nobis primo diluculo ſurgentibus, Sole oriente, adiit Dominus verus Paſtor, *Amal. lib.* 3. *cap.* 2. Deinde, ut ipſo Solis ortu, Solem Juſtitiæ nobis orientem poſtulemus. *Raban.* 2. *Inſtitut. cap.* 3. Denique ex *Rupert. lib.* 3. *cap.* 3. *de divin. Offic.* prima hora diei quærendum primum eſt regnum Dei, & primæ cogitationes Clericorum, tamquam quædam lucis primitiæ, Deo ſunt offerendæ.



4. Ordo *Primæ* patet in Rubricis; apud Scriptores de divinis Officis ſola mentio fit ante omnes Horas de Oratione Dominica, de qua etiam *Brev. MSS. antiquiſſima.* De Symbolo quoque Apoſtolorum *apud Polid. Virgil. de invent. rer. lib.* 6. *cap.* 2. Initium a, *Deus in adjutorium*, habetur *ex Amalar. lib.* 3. *cap.* 2. cum *Gloria Patri*. De Hymno *Amal. non meminit*, ſed Hugo meminit *in Spec. Eccl. cap.* 3. Antiph. nemo notat, niſi *Radulph. propoſ.* 14. qui unam, & ſolam Antiph. ſingulis Horis tribuit.

5. Pſalmi in Dominicis quatuor, *Gemma anim. lib.* 2. *cap.* 58. In feriis totidem, *ex Durando lib.* 5. *rat. cap.* 5. Additi ſunt alii, qui ſecundo loco ponuntur, * qui iidem dicebantur omnes ante Pium V. in Dominicis, *ex Brev. MSS. & impreſſis*: nunc diſtributi ſunt per ferias, tamquam Pſalmi olim aſſignati *Primæ*: tum vero etiam ne de Pſalterio quidquam ſuperſit. Et in Dominica quidem dicitur Pſalm. *Confitemini*, quia in eo habetur verſus, qui eſt de Reſurrectione Domini, quam ſignificat dies Dominica; *Hæc dies, quam fecit Dominus &c.* Pſalmus aſſignatus fer. 2. habet pro titulo. *Prima Sabbati*, quare & convenit dici ſaltem prope Dominicam. Forte etiam Pſalm. Feriæ 5. datus eſt, in quo agitur de menſa, refectione, paſcuis: quia ſignificant Eucharistiam feria 5. inſtitutam. Pſalmus autem feriæ 6. totus eſt de Paſſione Domini, cum autem nullus ſuperſit Palm. qui aſſignari queat Sabbato, in quo etiam ſæpius fit de B. Virgine, ideo Sabbato quatuor Pſalmi numquam dicuntur. Quaternarius hic Pſalm. numerus denotat, quod in quatuor mundi partibus doctrina quatuor Evangeliſtarum laudatur. *Durand. loc. cit.* Unde ſtatim

6. Subditur Symbolum S. Athanaſii; quia doctrinæ Evangelicæ, quam ſignificant quatuor Pſalmi, fundamentum eſt Fides. *Idem loc. cit.* qui addit, initio diei recitari, quia Fides eſt initium ſalutis. Plura de hoc Symbolo in proprio capite.

7. Verum in Feſtis Pſalmi tres dicuntur tantum. *Radulph. propoſ.* 10. ut etiam toto tempore Paſchali, ob temporis, inquit, jucunditatem, quæ laborem multa canendi excludit. Amal. autem *lib.* 3. *cap.* 2. tres ideo dici putat, quia pro tribus horis a prima ad tertiam laudandus eſt Deus Trinus, & armandi ſumus contra tres hoſtes. Hugo *in Spec. cap.* 3. quinquennarium numerum in tribus Pſalmis obſervat ad muniendos quinque ſenſus. *Gemma lib.* 2. *cap.* 58. ad quinque partitam, per Chriſti vulnera, paſſionem initio diei recolendam. Explicat Duran. Hugo *loc. cit.* quod dividuntur duo Pſalmi *Beati immaculati, & Retribue*, in quatuor octonarios, qui ſunt veluti quatuor Pſalmi, & in hebræo textu apparet hæc in quatuor partes diſtinctio. Primus Pſalmus, *Deus in nomine tuo, &c.* dicitur pro toto itinere, & curſu diei, contra hoſtes aptiſſimus, & Pſalm. *Beati immaculati*, plenus eſt morali inſtructione. Hæc fuſius Amalar. *de ordin. Antiph. cap.* 6.

8. De Capitulo, quod Amal. omittit ſcribere, ſcribit Hugo *lib.* 2. *cap.* 1. & lectionem vocat. De Reſponſ. brevi, de quo idem Hugo, nihil Amal. De oratione, cujus Hugo meminit. De precibus quas Amal. innuit: De Confeſſione, de qua Gemma *lib.* 2. *cap.* 64. de Martyrologio, de quo Gemma *lib.* 2. *cap.* 58. De *Pretioſa*, cum reliquis uſque ad finem, quibus Hugo 2. *de offic. cap.* 2. & Radulph. *propoſ.* 14. diſtinctius, & plenius Sectione ſequenti diſſeremus.

9. Illud hoc loco notandum eſt, Orationem illam, *Sancta Maria, & omnes Sancti, &c.* eſſe antiquiſſimam, & in Ordine Romano legi. Ter quoque dici, *Deus in adjutorium*, ut præſentia, & præterita deleamus, & futura peccata caveamus. Hugo *loc. cit.* vel, ut armemur contra diabolum, Mundum, & Carnem, in nomine Trinitatis. Duran. *lib.* 5. *cap.* 5.

* Nullum tamen ad hæc verba: *Deus in adjutorium*, formatur crucis ſignum.

10. Abſolutio item Capituli cum Lectione, & Capitulo Nonæ ſæpius concluditur, quia prædicta, quæ extra Primam æſtimantur eſſe, dicuntur a Regularibus in Capitulo, ex Gemma *lib.* 2. *cap.* 58. & ad lectionem communem poſt horam primam conveniebant Monachi, ex Amalar. *de Ordin. Antiph. cap.* 7. Vice cujus legitur hodie (& hoc nomine vocatur in Breviario) Lectio brevis. Idem Amalar. *lib.* 4. *de offic. cap.* 3. putavit, additam fuiſſe in fine Lectionem hanc brevem pro Capitulo, quod poſt Pſalmos Primæ non legebat antiqui.

11. Sed cur, quando Lectio brevis non habetur propria, ſumenda eſt de Capitulo Nonæ? An, quia Capitulum Nonæ in Feſtis ſolet eſſe finis Epiſt. quæ legitur in Miſſa? ut ſcilicet finis Epiſt. finem imponat Primæ Horæ.

12. Denique Prima, & Completorium non variantur, ſicut aliæ Horæ, in quibus Capitula, Reſponſoria, Verſus, Oratio variantur; quia principium, & finis operum noſtrorum firmiter ſunt tribuenda Deo, ait Hugo *lib.* 2. *de Offic. cap.* 1.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. - *Tempore Caſſiani expreſſe cœpta &c.*) Officium Primæ ignotum fuit primis Eccleſiæ temporibus, necnon primis Monachis, fuit autem primo inſtitutum in Bethleemitico Monaſterio (ubi Dominus noſter Jeſus Chriſtus natus ex Virgine humanæ infantiæ ſuſcepit incrementa) tempore quidem Caſſiani, ut recte probat Gazæus in Commentario ad eumdem Caſſianum *lib. 3. cap. 4.* quidquid reclament nonnulli aſſerendo hujus Horæ inſtitutionem Caſſiano antiquiorem eſſe, nam quod aliqui ex priſcis Patribus mane orandum eſſe hortantur, hoc de Matutino, non de Primæ Officio recte intelligitur, ut optime adnotavit Cardinalis Bona in lib. de Divina Pſalmodia *cap. 6. n. 2.* ubi adverſariorum difficultates pariter ſolvit. Ex oriente inde ad occidentales Regiones idem Primæ Officium propagatum fuit; hujus autem inſtitutionis cauſa repetenda eſt ex inertia, & ſomnolentia quorumdam Monachorum, qui poſt Matutinas Laudes cubitum redibant, & multo prolixius, quam par eſſet, ſomno indulgebant, nempe ad Tertiam uſque, cum aliud Officium, aliumve Conventum ad hanc uſque horam agendum non haberent, ut fuſe narrat Caſſianus *lib. 3. de diurnis Orationibus cap. 4.*

II. Gav. n. 3. - *Poſt ortum Solis Prima congruentius recitatur &c.*) Quamvis Prima alterum ſit, ac vere diſtinctum Officium a Matutinis Laudibus, nihilominus a nonnullis eodem tenore conſequenter perſolvebatur, ita S. Aurelianus relatus ab Edmundo Martene *lib. 1. de Antiquis Monachorum Ritibus cap. 4.* præſcribebat recitationem hujus Horæ nullo interpoſito exercitio inter hanc, & Matutinos; ita etiam in Regula incerti Auctoris manuſcripta *cap. 2.* habetur -- A Sancto autem Paſcha uſque ad Kalendas Octobris poſt Matutinum Officium mox Prima ſubſequatur -- & Beatus Aelredus *in Regula ad Virgines cap. 14.* præſcribit, quod ſaltem a Kalendis Novembris ad Quadrageſimam albeſcente Aurora Matutinæ Laudes cum Hymnis Horæ primæ perſolvantur. Sed juxta Regulam S. Benedicti aliquod breve ſpatium intercipitur inter Primam, & Matutinum Officium, & in Commentario ad *cap. 8.* ejuſdem Regulæ tradit citat. Martene, quomodo a ſuis Monachis illud breve ſpatium tranſigendum ſit; e contra vero Benedictini Gorzienſes Matutinis Primam continue ſubjungebant, ut docet Joannes Mettenſis in Vita S. Joannis Abbatis Gorzienſis *num. 82.* ſed juxta Romanum Ritum ſemper disjungitur Primæ Officium a Matutinis Laudibus, & hinc eſt, quod optime Gavantus aſſerit poſt ortum Solis *Primam* congruentius recitari.

III. Gav. n. 4. - *Sola mentio fit ante omnes Horas de Oratione Dominica &c.*) Aſſerit hic Gavantus Scriptores de Divinis Officiis facere mentionem tantum de Oratione Dominica præmittenda ante omnes Horas Canonicas, & quod de Symbolo Apoſtolorum non fiat mentio, niſi apud Polidorum Virgilium *loc. cit.* verum Monachi Benedictini Burſfeldenſis Congregationis recitant ante hanc Horam *Pater*, *Ave*, & *Credo*, ut diſerte præſcribitur in eorum Cæremoniali *cap. 11.* his verbis: *Primæ Regulari præmittimus ex more*, Pater noſter, Ave Maria, & Credo in Deum.

IV. Gav. eod. n. 4. - *Initium a Deus in adjutorium, habetur ex Amalario &c.*) Amalarius a Gavanto allegatus refert Primam incipiendam eſſe ab illa prece: *Deus in adjutorium* cum *Gloria Patri*, ſed nil habet de Hymno *Jam lucis &c.* quia nulli Hymni ejus ætate Romæ recitabantur, S. Benedictus tamen Amalario antiquior, qui Primam a Laudibus diſtinguit (ut diximus) *cap. 17.* ſuæ Regulæ hunc ordinem in ea ſervari præſcribit - Prima hora, inquit, dicantur Pſalmi tres ſingulatim, & non ſub una *Gloria*, Hymnus ejuſdem Horæ poſt Verſum *Deus in adjutorium meum intende* antequam Pſalmi incipiantur.

V. Gav. eod. n. 4. *Antiphon. nemo notat, &c.*) Prima ſine Antiphona dicebatur. Primus Radulphus Tungrenſis, qui tradidit ſingulas Diei Horas antiphonam habere; minores autem Horæ olim nullam Antiphonam habebant, ut colligitur ex Ordinibus Romanis, & hodie ſervatur tribus ante Paſcha diebus, & Paſchatis hebdomada. Quamvis autem in Regula S. Benedicti *cap. 17.* poſt illa verba: *Hymni earumdem Horarum, terni Pſalmi, Lectio, &c.* ſubnectitur: *ſi major Congregatio fuerit, cum Antiphona, ſi vero minor, in directum pſallantur*, nihilominus non ſignificantur hic nomine *Antiphonæ* verba illa, quæ in Horarum Canonicarum principio intonantur, ſed prædictis verbis, nempe *cum Antiphona pſallere* voluit Sanctus Benedictus, ut explicat Hæftenſus *lib. 7. tr. 4. diſquiſit. 3.* voluit, inquam, deſignare eam Divini Officii partem, quæ fit cum nota, & melodico concentu; *in directum* vero *pſallere*, ſeu *ſine Antiphona* idem eſt, ac pſallere ſine notis, modulatione, aut tono, itaut æqualis vocis tenore recte omnia abſque aſcenſu, vel deſcenſu pronuntientur. Et ſic optime intelligitur illa diſpoſitio, *ſi major Congregatio fuerit, cum Antiphonis*, nomine enim Congregationis, venit Congregatio, in qua ſint plures, quam duodecim Monachi, ut explicat Bernardus Caſſinenſis apud Martene in prædictum caput Regulæ S. Benedicti, qui optime poſſunt ſuſtinere laborem, & onus pſallendi cum notis, & modulatione modo ſupradicto. Minorem vero Congregationem ab Antiphonis, nempe cantu, exemit S. Patriarcha, ne nimio labore pauci opprimantur, quod enim fit a multis, facilius adimpletur, quam a paucis. Et certe, ſubdit Martene *loc. cit.* in minori Congregatione, ubi minor ſolet eſſe ſubſtantia, neceſſe eſt quoſdam frugibus colligendis foras exire, aliiſque Monaſterii utilitatibus vacare, paucis in Choro remanentibus, quibus grave eſſet has Horas cantu ſolemni perſolvere. Præterire non poſſum, quod juxta mentem aliorum, quos ſuppreſſo nomine allegat Cardinalis Turrecremata, major Congregatio dicitur illa, quæ eſt a triginta, & ſupra Monachis conſtituta; minor vero Congregatio, ſi minus a triginta fuerint Fratres deſcendendo uſque ad duodecim; nam minus a duodecim non videtur Congregatio Regularis. Quæ quidem ſententia valde arridet Martenio *loc. ſuprac.* nam ait ipſe, Sanctus Benedictus in Regula *cap. 21.* Decanos in ſola majori Congregatione inſtituit; verum ſupra duodecim, aut quindecim Monachos, vel circiter ſufficiunt Abbas, & Præpoſitus: major ergo Congregatio, haud poteſt eſſe, niſi ubi duo ad minimum exiſtunt Decani ſinguli ſupra denos Monachos conſtituti, & ſupra utroſque Abbas, & Præpoſitus, hoc eſt viginti quatuor.

VI. Gav. n. 5. - *Pſalmi in Dominicis quatuor, &c.*) Juxta Regulam S. Benedicti *cap. 17.* a nobis jam allegatam in Officio Horæ Primæ recitari debent Pſalmi tres, quos tamen ſingulis diebus S. Pater ſic variat, ut Dominica ad Primam quatuor Capitula Pſalmi 118. Feria II. primum, ſecundum, & ſextum Pſalmum, & ita per ſingulos dies tres per ordinem Pſalmos, uſque ad Pſalmum 19. dicendos inſtituat; ita tamen, ut 9. & 17. Pſalmi prolixiores dividantur in binas *Glorias*, & ſic Dominica Vigilia ſemper a 20. Pſalmo incipiatur. Longe prolixius eſt Primæ Officium a S. Aureliano in ordine pſallendi Regulæ ſubjecto diſpoſitum, ubi ait - poſt Matutinos ad Primam 12. Pſalmi dicantur &c. In Regula tamen ad Virgines ſex tantummodo Pſalmos aſſignat. Prædictis tribus Pſalmis a S. Benedicto præſcriptis ſubjungebant olim ejuſdem Monachi Symbolum S. Athanaſii, ut notat Martene *loc. cit. n. 10.* idque colligit ex Catalogo Abbatum Floriacenſium, qui habetur *tom. 1. Miſcell. Baluz.* ubi de Theodulpho Abbate dicitur - Explanationem edidit Symboli S. Athanaſii, quod a Monachis poſt tres regulares Pſalmos ad Primam quotidie canitur - Idem colligit ex Ordinario Tullenſi S. Apri, in quo habetur - Omnibus diebus Dominicis infra preces poſt *Domine exaudi*, dicatur *Quicumque vult &c.* Cæteris autem diebus dicatur *Quicumque vult* ante Antiphonam: & infra in Feria II. ad Primam Hymnus *Jam lucis*, Antiphona *Servite Domino*, Pſalmi *Beatus vir*: *Quare fremuerunt*: *Domine ne in furore tuo*; *Quicumque vult &c.* Pſalmus *Beati immaculati* pro minoribus Horis diverſus peculiaris eſt Eccleſiæ Romanæ mos, legimus tamen in Vita S. Benedicti Anianenſis Pſalmum illum juxta Romanum Ritum præſcriptum fuiſſe: *Divinum Officium juxta Romanos Pſalmo 118. perſolvatur.* Obiit autem prædictus S. Abbas Anno 821. Ante Pſalmum *Beati immaculati* ſex Pſalmi Romæ recitabantur, a *Confitemini* incipiendo, & in Breviariis recognitis, & emendatis hi Pſalmi in ſex dies diſtributi ſunt, in Dominicam ſcilicet, & quinque alios hebdomadæ ſequentes dies; Sabbatum autem hoc quarto Pſalmo caret. Poſt Pſalmos Primæ Dominicis diebus dicitur Symbolum S. Athanaſii, ut præſcribit ſuperior Rubrica, de quo Symbolo agemus infra in ſequenti Sectione *cap. 20.* ſimul cum noſtro Gavanto.

VII. Gav. n. 8. *De Capitulo, quod Amalar. omittit ſcribere &c.*) Videri poſſunt etiam ea, quæ tradit Edmundus Martene *cit. loc.* de Ritibus Monachorum ſpectantia ad Capitulum, ad Reſponſorium breve, ſeu Verſus, ad Lectiones, Confeſſionem, & Preces, quæ ad Primam, ſeu poſt recitatos Pſalmos interponuntur. De Martyrologio, de Pretioſa cum Reliquis uſque ad finem fuſius cum Gavanto Sectione ſequenti etiam nos differemus.

## De Horis Tertia, Sexta, & Nona. XVI.

### R U B R I C A.

1. *AD Tertiam, Sextam, & Nonam, ante ſingulas Horas dicitur Pater noſter, Ave Maria, Deus in adjutorium, Hymnus, & Pſalmi ut in Pſalterio: Antiphonæ ſecundum Officii qualitatem, ordine quo ſupra. Dictis Pſalmis & Antiphona; dicitur Capitulum, & Reſponſorium breve pro qualitate Officii: quæ in Dominicis & Feriis, quando non habentur propria in proprio de Tempore, dicuntur ut in Pſalterio: in Feſtis, ſi in Proprio Sanctorum non ſint propria, ſumuntur de Communi. Poſt Reſponſorium breve dicitur; Dominus vobiſcum, & Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore; ſi autem ſit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum: alioquin ut in Communi.*

2. *Poſt Orationem repetitur Dominus vobiſcum, & dicitur: Benedicamus Domino: Fidelium animæ: & Pater noſter ſecreto, ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.*

De

Digitized by Google

## De Horis, Tertia, Sexta & Nona. Cap. IV.

### *G A V A N T U S.*

1. HÆ tres Horæ notiſſimæ fuerunt Apoſtolorum tempore ad preces Deo fundendas, ut ſupra docuimus *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 1. inſigniores erant in rebus humanis, ait Tertullianus *in libro de jejunio*, & ſolemniores in orationibus divinis, quod ibidem confirmat exemplo, tum Danielis, qui orabat ter in die; tum Apoſtolorum, ut nos loco citato diximus.

2. Præter eas, quas loco citato attulimus, rationes myſticas de his tribus Horis, poſſumus addere, quod Hora *Tertia* datus fuit Spiritus Sanctus, quem & nos petimus in Hymno ad Tertiam; lex nova data eſt Apoſtolis, de qua diximus; *Legem pone mihi Domine*, &c. Hæc Duran. *lib.* 5. *c.* 6. hora *Sexta* Deus viſus eſt Abrahæ in Valle Mambre; Joſeph cum ſuis fratribus pranſus eſt; Ruth Moabitis excepta eſt a Booz; cum Samaritana Chriſtus ſermonem habuit. Anaſtaſ. Sinaita *l. com. in Hexam.* 7. hora *Nona* Cornelius Angelum vidit *Act.* 10.

3. Ordo trium Horarum minorum habetur in Rubricis, ille idem, qui legitur apud Hugonem *in Spec. Eccleſ. c.* 3. in quo ex Amalar. *lib.* 4. *de Offic. cap.* 3. impletur illud Apoſtoli ad Epheſios: in Pſalmis, Hymnis, & Canticis (quæ Cantica exponit ille eſſe Reſponſoria brevia) cantantes, &c. Pſalmi vero tres, inquit idem, protegunt nos in tribus horis ſequentibus, nam quælibet ex tribus horis tres continet temporis horas, ut patet; immo, ut idem ait *c.* 1. *ibid.* in Prima, Tertia, Sexta, & Nona, duodecim canimus Pſalmos (in Feſtis) pro numero duodecim Horarum diei, ut Deo præſentes ſimus omnibus horis.

4. Addit Hugo *loc. cit.* in Pſalmis opera denotari, quia Pſalterium manu ſonatur. In Antiphona, quæ eſt reciproca charitatem geminam, & conjungitur Pſalmis, quia ſine charitate nulla ſunt, & nullius meriti opera noſtra; Capitulum autem eſſe exhortationem boni operis: Reſponſorium breve novum opus bonum ſignificare: in Verſu, ad Deum, fructum boni operis contineri; & his poſitis Oratio, ſeu Collecta in fine recte concludit Horam.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. -- *Hæ tres Horæ inſigniores erant in rebus humanis, & ſolemniores in Orationibus Divinis, &c.*) Veteres, maxime Judæi, Romani, & Itali, ut Hiſtoriæ, & Mathematicorum libri teſtantur, artificialem diem, hoc eſt totum illud ſpatium temporis, quod ab ortu ſolis ad occaſum intercipitur, & noctem, ſive tempus illud, quod ſolis inter occaſum, & ortum labitur, in horas, ſive Partes duodecim æquales partiebantur, modo quidem breviores, modo vero prolixiores, juxta brevitatem, aut prolixitatem noctis, aut diei; nam æſtate, qua breviores ſunt noctes, horæ diurnæ prolixiſſimæ, nocturnæ vero breviſſimæ erat, & e converſo hyemis tempore; unde horas illas vocabant inæquales, non quod inter ſe non eſſent æquales, ſed quod duodecim horæ diurnæ reſpectu aliarum duodecim nocturnarum, excepto æquinoctio, eſſent inæquales. Hanc conſuetudinem dividendi hoc modo horas diurnas, ac nocturnas per ſæcula duodecim viguiſſe in Eccleſia ſcribit Paulus le Furt Monachus Ciſtercienſis in eo Libello, quem *de antiquis, & modernis horis* exaravit *c.* 2. §. 3. & Julianus Pariſius *de prima vivendi ratione Ciſtercienſium part.* 3. *c.* 1. §. 1. tradit horis inæqualibus uſos fuiſſe Ciſtercienſes uſque ad annum 1429.

Rurſus apud Antiquos pro Oratione diurna in quatuor partes æquales dies diſpartitus fuit, quarum unaquæque tribus conſtabat horis ex prædictis duodecim diurnis, & ab ultima ſui hora incluſa, Oratio, quæ fiebat, ſumpſit denominationem; ita ut prima Orationis pars, quæ in tertia diei hora finiebatur, *Tertia* diceretur: ſecunda pars, quæ in ſexta, *Sexta*: tertia, quæ in nona, *Nona*: quarta, & poſtrema, quæ in Veſpere, & duodecima, *Veſpera*, ſeu duodecima appellaretur. Hinc eſt, quod horæ Canonicæ diurnæ, quæ uſque modo in Officio Divino recitantur, eodem modo omnes, & univoce a prædictis quatuor diei horis adhuc denominantur, ſcilicet *Tertia* a tertia, & ſic de ſingulis. Ex prædictis tamen quatuor diei partibus duæ poſtmodum particulæ fuerunt ſeparatæ, prima ſcilicet, & ultima diei hora; pro Prima hora Canonica, quæ ſtatim ab ortu ſolis; & pro Completorio; quæ in hora duodecima, ſeu in ſolis occaſu, celebrantur, de quibus apud Antiquiores mentio non habetur, cum neutra harum horarum Canonicarum ab initio eſſet cognita, ut de Prima jam oſtendimus, & de Completorio probabimus infra.

Si autem quæratur in quanam parte illius ſpatii, ſeu trium horarum, quod dicitur tertia, ſit recitanda hora Canonica, quæ *Tertia* pariter denominatur, in principio, an in fine, cum ſatis longius ſit dictum ſpatium horæ diei, quam recitationis unius horæ Canonicæ? reſpondendum eſt cum Marcello Francolino *Tract. de Tempore horarum Canonicarum c.* 10. *num.* 9. quod in quacumque parte horæ recitetur, dummodo tota Oratio intra ſpatium illud complicatur, recte, & ſuo tempore recitata cenſetur, ſed ſi fieri poſſit, ut cum finitur hora diei, finiatur etiam ſimul tota recitatio horæ Canonicæ illi correſpondentis, tunc rectiſſima facta recitatio, quantum ad temporis circumſtantiam pertinet, dici debet: excepta tamen prima hora Canonica, quæ ſtatim poſt Ortum Solis incipi deberet.

II. Gav. eod. num. 1. -- *Tum Danielis, qui ter orabat in die, tum Apoſtolorum &c.*) Prædictas diei Tertiam, Sextam, & Nonam notiſſimas fuiſſe etiam Apoſtolorum tempore ad preces fundendas, optime docet Gavantus, nam hora Tertia Apoſtoli orantes acceperunt Spiritum Sanctum, ut S. Petrus teſtatus eſt *Act.* 2. *verſ.* 16. dicens: *Cum ſit hora diei tertia*. Rurſus *Act.* 10. *v.* 9. *legitur*, quod *aſcendit Petrus in ſuperiora, ut oraret circa horam Sextam*. Denique *Act.* 3. *verſ.* 1. habetur: *Petrus autem, & Joannes aſcendebant in Templum ad horam Orationis Nonam*. Hinc Tertullianus a Gavanto citatus antedictas horas Canonicas Apoſtolicas appellat, tamquam ab eorum diſciplina profectas; ad exemplum Danielis, in cujus *Capitis* 6. *Commentario* ait Divus Hieronymus; *Tria autem ſunt tempora, quibus Deo flectenda ſunt genua, Tertiam horam, Sextam, & Nonam Eccleſiaſtica Traditio intelligit*; & Amalarius Fortunatus *lib.* 4. *de Eccleſiaſtic. Offic. cap.* 3. ait: *Tres horæ diei nobis initiatæ ſunt ad orandum Deum a Daniele Propheta*. S. Cyprianus vero in *ſerm. de Oratione Dominica* prope finem docet: *Hora tertia orandum eſſe, ut Spiritum Sanctum, qui hora illa deſcenderat, veneremur, ſexta, quod Chriſtus Cruce affixus fuit, nona vero, quia ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & ut redimere, & vivificare nos poſſet victoriam ſuam tunc paſſione perfecit.*

Caſſianus *lib.* 2. refert orientis Monachos tres horas iſtas dum opus facerent, recitaſſe, atque Dominicis tantum diebus ad eas decantandas conveniſſe; & Gregorius Turonenſis *l.* 10. *Hiſtoriæ* teſtatur Injurioſum Epiſcopum XV. Turonenſi Eccleſiæ præſcripſiſſe, ut ibidem Tertia, & Sexta recitarentur, unde ſuſpicandi locus datur, ut optime advertit Granculas *lib. ſuprac. cap.* 37. ante ejus tempora privatim tantum, atque ex Fidelium pietate, nulla lege jubente, recitatas fuiſſe. Et in vita S. Cæſarii Arelatenſis legitur eum ſtatuiſſe, ut impoſterum Clerici Tertiam, Sextam, & Nonam publice decantarent, quo pœnitentes, & Laici illis adeſſe poſſint; atque in Regula ſua ſingulis horis iſtis ſex Pſalmos tribuit. Ita pariter S. Aurelianus ſex Pſalmos pro qualibet hora recitandos diſpoſuit. S. vero Benedictus tres dumtaxat cum Lectione, ℣. Kyrie &c. Mos vero Romanæ Eccleſiæ eſt diſtribuere pro Horis iſtis Pſalmum 118. *Beati immaculati &c.* in undecim partes; quarum duæ pro Prima, & reliquæ ſunt pro aliis horis, qui Ritus in nulla Monaſtica Regula invenitur. S. Benedictus Ananienſis tamen hunc Romanum morem, ut innuimus ſupra, ſervabat, ut in ejus vita legitur. Varios Monachorum mores circa Lectiones, Preces, & alia in his horis recitanda tradit Grancolas *loc. cit.* nec non Card. Bona.

Cæterum in quibuſdam Eccleſiis diebus Feſtis Tertia cantitur ſolemniter, ante Miſſam Conventualem, de qua Solemnitate agunt Cæremoniale, & Conſuetudines particularium Eccleſiarum.

## De Veſperis. XVII.

### R U B R I C A.

1. *AD Veſperas: Pater noſter, Ave Maria, Deus in adjutorium, ecc. Deinde dicuntur quinque Pſalmi cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum ſignantur. In Dominicis autem & Feriis, Antiphonæ & Pſalmi ſemper dicuntur ut in Pſalterio (ubi etiam tempore Paſchali Pſalmi dicuntur ſub una Antiphona, Alleluja) niſi aliæ propriæ Antiphonæ vel Pſalmi, (ut in Dominicis Adventus, et triduo ante Paſcha) aſſignentur.*

2. *Poſt Pſalmos et Antiphonas dicitur Capitulum, Hymnus, Verſus, Antiphona ad Magnificat cum eodem Cantico, et Oratio; omnia de Tempore, vel de Sancto, pro qualitate Officii.*

3. *Preces quando dicendæ ſunt, dicuntur ante Orationem: Commemorationes vero de Cruce, de ſancta Maria, Apoſtolis, Patrono, et Pace poſt Orationem, ut in propriis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Veſperarum, ut in aliis Horis.*

## De Veſperis. Cap. V.

### *G A V A N T U S.*

1. V*Eſperæ* a ſydere, quod Veſper nominatur, & decidente Sole oritur, inquit Iſidorus *lib.* 1. *de off. c.* 20. Sed ex Janſenio *in Concordia c.* 47. latius patet vocabulum, ſignificat enim tempus, tum ante ſolis occaſum, ut *Mat.* 14. Veſpere facto actum de ſatiandis quinque millibus, tum poſt occaſum Solis, ut *ibidem* additur; Veſpere autem facto, ſolus erat ibi. Lucernarium dicebatur ab Hieronymo in *Epiſt.*

*Epiſt. ad Lætam*; & Lucernaris Hora a Caſſiano *lib. 3. de Can. cap. 3.* eo quod dum lucernæ accenderentur, preces veſpertinæ perſolvi ſolebant, ait Azor. *lib.* 10. *cap.* 2. *quæſt.* 10. Duodecimam appellat Concil. Turonenſ. 2. *can.* 2. quia ultima diei hora recitabantur. Durand. *De Rit. lib.* 3. *cap.* 11. aſſerit, Eccleſiam conſtituiſſe, ut poſt Nonam decantarentur, quo plures de populo adeſſe poſſent. Puto ego, quod tardius, quam nunc, cantaretur Nona.

2. Certe a primis Veſperis inchoatur Feſtum, quod forte a Davide deduci poteſt: *Veſpere*, inquit, *mane & meridie narrabo*, &c. *Pſ.* 54. docet Amalar. *de ordine Antiph. c.* 16. deductum ab Hebræis, quibus dictum, *Feſta veſtra celebrabitis a Veſpera uſque ad Veſperam*. Et vere magnitudo Feſti exigit, ut prius incipiat, hoc eſt a Veſperis pridianis; & tardius terminetur, ideſt, uſque ad Completorium diei Feſti *cap. 2. de Feriis in princ.* Radulph. autem *propoſ.* 18. aſſignat hunc ritum primarum Veſperarum Dominicis, & quibuſcumque Feſtis novem lectionum.

3. Primæ Veſperæ nobiliores ſunt ſecundis, teſte Amalar. *loc. cit.* quod & hodie in Capella Papali obſervatur, quæ non habet ſecundas Veſperas coram Papa, ſed tantum primas, quia initium Feſti reputantur eſſe.

4. Præter ea, quæ dicta ſunt de paritate Veſperarum cum Laudibua *c.* 2. *n.* 5. hæc addi poſſunt in laudem Veſperarum, nam in Veſperis commemoratur Adventus Domini, vergente mundi Veſpere. Hugo *in Spec. c.* 3. tum in Veſperis offerebant Abraham, & Patriarchæ ſacrificia: Gemma *lib.* 2. *c.* 62. tum commendatur ſacrificium Veſpertinum a Davide *Pſ.* 140.

5. Ordo in Rubricis nullam habet difficultatem: ad myſteria vocor. Nam quinque Pſalmi vulnera Chriſti recolenda munent, quarum ultimum vulnus hora Veſpertina fuit ſacro lateri illatum, & in Veſpera mundi; Gemma *lib.* 2. *c.* 62. Item, quia ſicuti quinque ſenſibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras, ita neceſſe eſt, ut initio noctis proeis veniam precemur; Amalar. *lib.* 4. *de eff. c.* 7. qui & addit ibidem, quod illis neceſſe eſt deplorare quinque carnales ſuos ſenſus, quibus occidit verus Sol, ut in Matutino, ideſt, in evaſione peccatorum, quando Sol eis iterum inchoat oriri, poſſint lætari; tenemus etiam quinque hos Pſalmos, quaſi lampades Virginum quinque, ut veniente nocte, Domino obviam eamus; ait idem *de Ordin. Antiphon. c.* 6.

6. In Feſtis Sanctorum iidem fere dicuntur Pſalmi, qui in Dominica: quia ſicuti Dominica victoriam Chriſti reſurgentis repræſentat; ita Pſalmi ejuſdem victoriam per Chriſtum reſonant electurum Domini. *Amal. lib.* 3. *cap.* 2.

7. De Capitulo, quod lectionem vocat Amal. ibidem, & poſt Pſalmos collocat; De Hymno, de quo Hugo poſt Capitulum *in Spec. c.* 3. (non autem meminit *Hymni* Amal.) ut ſcilicet venienti Domino pſallentes, & jubilantes, occurramus, ait *Gemma lib.* 2. *c.* 62. De Verſu, quo converſi ad Deum cum Virginibus quaſi oſtium pulſamus, Gemma ibid. dicemus fuſius in ſeq. Sect.

8. Canticum *Magnificat* paſſim vocatur in Ordine Romano, Evangelium, quia ita eſt *Luc.* 1. Et cantatur in Veſperis ob multas cauſas. Primo, quia a Veſperis inchoatur Feſtum, & hoc Canticum in Evangelio eſt in ordine primum. Secundo, Veſperæ ſunt nobiliores Laudibus, & Completorio; quibus ideo debetur Canticum nobilius. Tertio, quia ſub Veſperam Beata Virgo pervenit in Domum Eliſabeth, quam ſalutavit, & Canticum ſtatim hoc compoſuit, *Benzonius in Magn. lib.* 1. *cap.* 20. Quarto *Amalarius* addit *de ordine Antiph. c.* 6. ut Maria cum ſuo Cantico introducat Virgines cum quinque lampadibus, hoc eſt, Pſalmis quinque præparatas ad Chriſtum. Quinto, ex eodem *lib.* 4. *de effic. c.* 7. ut caſtigatis ſenſibus per quinque Pſalmos, caſtigentur cogitationes cordis tumeſcentis cum humilitate, de qua in Cantico B. Virg. agitur. Sexto, ut animos fidelium frequentior Dominicæ incarnationis memoria (quotidie namque dicitur) ad affectum devotionis accendat; & recogitata ſæpius exempla Genitricis illius in virtutum ſoliditate nos confirment, & hoc præſertim in Veſperis, ut incumbente quietis tempore mens inde fatigata ad unionem ſe ſuæ conſiderationis colligat. Idem ibidem. Septimo & eſt *Duran. lib.* 5. *c.* 9. *ex Beda Magnificat* cantatur ad Veſperas, quia in ipſa Veſpera mundi ſuo aſſenſu B. Virgo mundo ſuccurrit perdito, & ipſa eſt Veſpera Stellæ Maris. Octavo denique in ſexta laude ex horis ſeptem convenit hoc Canticum cantari, in quo Dominus ille veniſſe dicitur, qui ad Veſperam mundi venit ad nos in ſexta mundi ætate.

9. De Oratione, Precibus, Suffragiis, & fine Veſp. ſuis locis in Sect. ſeq.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Veſperæ a ſydere &c.*) De Veſpertino Officio plura hic inquirit Gavantus, præſertim quo nomine apud Auctores antiquos appellaretur, deinde quanam hora celebraretur, & denique quæ Preces in Veſpertino Officio ab Antiquioribus funderentur. Præcipuum autem, ac celeberrimum hujus Officii nomen, quod etiam nunc ubique retinet, fuit, *Veſpera*, ita dictum, ut optime etiam advertit Gavantus cum Iſidoro *a ſydere, quod Veſper vocatur, & decidente ſole exoritur*, eo quod nunc temporis celebraretur: hoc vocabulo, & nomine nihil frequentius apud Auctores: itaut ſupervacaneum omnino ſit eorum teſtimonia referre. Hoc Officium a S. Baſilio *in Regulis fuſius diſputatis c.* 37. vocatur *Eucbariſtia*, ſeu gratiarum actio, eo quod ad referendas pro beneficiis a Deo per diem acceptis gratias præſertim inſtitutum ſit; a S. Gregorio Nyſſeno autem in vita S. Macrinæ vocatur *Lucernalis gratiarum Actio*, quo nomine etiam appellatur a laudato S. Baſilio *in lib. de Spiritu Sancto c.* 29.

II. Gav. eod. n. 1. -- *Lucernarium dicebatur, & lucernalis hora &c.*) Alii Veſperarum Officium, quod ſemper in Eccleſia habitum fuit, tamquam omnium diei horarum maxime ſolemne, & reſpondens Sacrificio Veſpertino, quod ab Hebræis offerebatur, alii, inquam, hoc Officium *Lucernarium* appellarunt, alii *Officium Lucernarum*, alii *lucernalem horam*, quia valde ſero recitabatur, & cerei, necnon lampades ad hoc Officium accendebantur. Socrates *lib.* 2. *cap.* 25. *lucernæ accenſionem* illud vocat ob eamdem rationem, nempe ob cereos, & lampades, quæ accendebantur; quinimmo preces nunnullæ fiebant in actuali lampadum accenſione, ut colligitur ex Officio Mozarabico, in quo Veſperæ incipiunt ab Oratione, quæ recitatur dum lampades accenduntur, diciturque *lumen offerre*. Recitatur autem *Kyrie, Chriſte, Kyrie, Pater noſter*, deinde *in N. D. J. C. lumen cum pace, Amen, hoc eſt lumen oblatum*, ℟. *Deo gratias*. Eadem iſta Oratio dum lumina ad Officium Veſpertinum accenduntur facienda legitur in quodam Hymno Prudentii male inſcripto *ad incenſum Cerei Paſchalis*, nullo enim modo pro Cereo Paſchali; ſed pro Veſpertino Officio deſervit, cum ſilice percuſſa, ignis excitabatur ab Cereos accedendos, idque quotidie Veſperis fieri ſolebat. De his omnibus fuſe, ac docte differit Menardus in notis ad Regulam S. Benedicti *c.* 24. §. 2. ubi refert preces, quæ a Monachis recitabantur in luminum accenſione. Neque tamen confundenda eſt *Veſpera* cum *Lucernario*, ſeu cum precibus, quæ ad accendendas lucernas in Eccleſia dicebantur ante Veſperas, quas etiam *Lucernarium* appellarunt; utrumque enim diſtinguitur, licet eodem nomine vocaretur, ut probat idem Menardus, & patet ex Regula, quæ ſub nomine S. Auguſtini, inter ejus opera vulgata, eſt in appendice.

III. Gav. eod. num. 1. -- *Ultima diei hora recitabantur &c.*) Ex dictis ſatis liquet quanam hora perſolveretur Veſperarum Officium, nempe accenſis lucernis, qua forte de cauſa a quamplurimis antiquis Auctoribus, quos congerit Cardinalis Bona *de Divina Pſalmodia c.* 37. inter nocturnas Divini cultus horas recenſetur. Sed Officium Veſpertinum ſine controverſia inter diurnas horas numerandum eſt, quia ultima diei artificialis hora, ſcilicet occidente Sole recitari ſolebat: ac proinde tempus Canonicum Veſperarum erat hora duodecima, & poſtrema totius diei, non quidem exacta, & completa, ſed labente, & hinc eſt, quod Concilium Turonenſe a Gavanto allegatum Veſperarum Officium *duodecimam* appellavit, ſumpto nomine ab ultima diei hora, in qua recitandum eſt. Hoc eodem nomine nuncupatum fuit idem Officium in Regula Caſſiani, ſeu potius in Regula ex operibus Caſſiani conflata, & a S. Benedicto Annanienſi Abbate citata *in Concord. Regul. c.* 24. §. 2. non alia ratione, ut conſiderat etiam Martene *de Monachorum Ritibus lib.* 1. *c.* 10. *n.* 8. niſi quia duodecima, ſeu ultima diei hora diceretur. Neque officit, quod Caſſianus *lib.* 3. *de Inſtitutis Cœnobiorum cap.* 3. dicat horam lucernalem eſſe undecimam, adeoque non duodecimam; nam Caſſianus ibi loquitur de hora undecima jam exacta, & completa, ac proinde de duodecima jam cœpta; nam accommodat Laudes Officii Veſpertini ad illorum opus, qui hora undecima vocantur ad vineam, ſic enim ait: *In his quoque horis etiam ille Evangelicus Pater familias operarios conduxit in vineam ſuam, ita enim, & ille primo mane conduxiſſe deſcribitur, quod tempus deſignat Matutinam noſtram ſolemnitatem; deinde Tertia, inde Sexta, poſt hæc Nona, ad extremum undecima; in qua lucernalis hora ſignatur*. Hæc Caſſianus, ſed illos operarios hora undecima exacta operari cœpiſſe, & uſque in finem duodecimæ operatos fuiſſe teſtatur *cap.* 20. illis verbis: *Hi noviſſimi una hora fecerunt*. Ex quo patet ita etiam loqui Caſſianum mox citatum, quæ omnia confirmari poſſent hac ratione; nimirum, quia lucerna, & lumina, quæ adhibebantur tamquam neceſſaria ad Veſperarum Officium, non erant profecto neceſſaria hora decima, vel undecima inchoante, cum Sol adhuc clariſſime luceat, ſed hora undecima jam expleta, & hora duodecima jam labente, Solem jamjam occumbente, præſertim in locis obſcurioribus, ſicut Oratoria, & Chori eſſe ſolent.

IV. Gavant. n. 5. -- *Nam quinque Pſalmi, &c.*) Circa Veſperarum Officium varia in Eccleſiis fuit diſciplina, ſicut, & in cæteris Officiis, aliqui ſex Pſalmos, & ſex Lectiones recitabant, alii vero plures, aut pauciores, prout videre eſt apud Martene *loc. cit. de Monachorum Ritibus num.* 10. *& ſeqq.* Hodie autem quatuor Pſalmi apud Monachos, quinque vero juxta Romanum morem decantantur: Dominicani tamen quinque Pſalmos pariter recitant, licet in aliis cum

Roma-

Digitized by Google

Romano Ritu non conveniant: apud Ciſtercienſes vero Pſalmi ad Veſperas numquam mutantur, atque illos, qui ſingulis Feriis proprii ſunt, ſemper recitant, aſſeruntque S. Benedictum, ut Pſalmi in Feſtis mutarentur numquam juſſiſſe, niſi ad Nocturnum Officium: Carthuſiani vero pro Feſtorum ratione Pſalmos mutant. In veteri Pſalmorum diſtributione, quam pro Officio recitando evulgavit Card. Thomaſius juxta antiquam Romæ diſciplinam hæc leguntur: *Ad Veſperas recedente Sole, de ac ceſſante in Feſtis, ſive majoribus, ſive minoribus ſemper dicuntur Pſalmi Feriæ occurrentis, niſi aliter notetur*. Proprii in Natali tantum, in Cœna Domini, atque aliis quibuſdam diebus his ſimilibus habentur.

V. Gav. n. 7. - *De Capitulo, de Hymno etc.*) Veſperarum Capitulum, quod ante Hymnum recitatur, ab Amalario *cap. ult. de Antiphonis*: Lectio a Paſtore prolata, dicitur: Præpoſitus enim, ſive Celebrans illud recitabat. Prædictam Lectionem modo apud Monachos, reliquoſque omnes recitat Hebdomadarius, qua finita reſpondetur a Choro *Deo gratias*; deinde juxt. Monachorum morem ſubjungitur breve, vel prolixum Reſponſorium ab uno, vel pluribus cantandum, ut notat Martene ſupra *n.* 24. de quibus Reſponſoriis mentionem etiam facit Amalarius *loc. cit.* atque ait: Se a Metis non invexiſſe, eo quod ignoraret cur potius ad Veſperas ante *Magnificat*, quam ad *Laudes* ante *Benedictus* adhiberentur, & ſicuti nulla erant ad Laudes, nulla quoque pro Veſperis deſignavit. Juxta Romanum Ritum nulla ſunt Reſponſoria, neque ad primas, neque ad ſecundas Veſperas; Benedictini tam ad Veſperas, quam ad Laudes quotidie habent Reſponſoria ſimilia illis, quæ ad minores horas adhibentur, & brevia Reſponſoria appellant, poſtremo tantum Verſiculo ante *Magnificat*, vel *Benedictus* translato.

VI. Gav. n. 8. - *Canticum Magnificat etc.*) De hoc Cantico poſt Hymnum omnibus diebus recitando ſatis ſuperque diſcurrit Gavantus. Prædictum Canticum Amalarius *lib.* 3. *cap.* 7. Hmnum B. V. appellat. Finito hoc Cantico *Kyrie etc.* dicebatur, poſtea vero Collecta. Poſt Veſperas dabatur benedictio, quemadmodum, & ad aliorum Officiorum finem. Epiſcopi ſolent etiam ad hanc diem, cum res divinas faciunt poſt Laudes, & Veſperas Benedictionem impertiri; idque præſcribitur a Concilio Agathenſi *Can.* 30. in quo ſancitur: *Plebs Collecta Oratione ad Veſperam, ab Epiſcopo cum Benedictione dimittatur*. Et in Vita S. Cæſarii Arelatenſis *lib.* 2. legimus eum Benedictionem elargitum fuiſſe ad finem Veſperarum: *Cum, expleto Lucernario, benedictionem Populo dediſſet*. Reliqua ſpectantia ad hanc horam Canonicam, atque Diurnam legi poſſunt apud allegatos Auctores, nimirum Martene, Grancolas, Card. Bona, Amalarium, Francolinum, & alios.

## De Completorio. XVIII.

### R U B R I C A.

1. A*D Completorium abſolute dicitur Lectio brevis, ut in Pſalterio, deinde, Pater noſter, Confiteor, Miſereatur, Indulgentiam, Converte, Deus, in adjutorium, Antiphona, Pſalmi, Hymnus, Capitulum, Reſponſorium breve, Canticum cum Antiphona, omnia ut in fine Pſalterii; & poſt Antiphonam in Duplicibus, et infra Octavas dicitur Oratio: in alio autem Officio ante Orationem dicitur, Kyrie eleiſon, cum reliquis Precibus, ut ibid. in Pſalterio.*

2. *Poſt verſum, Benedicat, et cuſtodiat nos etc. dicitur una ex Antiphonis B. Mariæ cum Verſiculo, et Oratione, ut ibidem: et dicto Verſu, Divinum auxilium, dicitur ſecreto, Pater noſter, Ave Maria, et Credo.*

## De Completorio. Cap. VI.

### *G A V A N T U S.*

1. VOx, *Completorium*, reperitur primo *in Regula S. Benedicti cap.* 42. Completam vocat *Iſidor. lib.* 1. *de Offic. cap.* 21. Vel quia in ea completur quotidianus uſus cibi, potus, & locutionis apud Regulares, *ex Amalar. lib.* 4. *de Offic. c.* 8. Vel quia in Completorio ſumma eſt perfectio Divinorum Officiorum, ex eodem *de ord. Antiph. cap.* 7. Vel quia completur dies ſervitutis noſtræ, *Gemma lib.* 3. *cap.* 64. Vel quia completur totum Officium Divinum, ait *Beda in l. Medit. Paſſionis Chriſti cap.* 1. Vel quia ipſamet dies completur ea Hora; *Archid. in cap. ſolent de conſecr. diſt.* 1.

2. Ejus origo rei deſumi poteſt cum *Iſidor. loc. cit.* a Davide, qui *Pſal.* 131. *Si dedero ſomnum*, ait, *oculis meis, donec inveniam locum Domino*, vel a S. Baſilio, qui *in reg. fuſius diſp. interrog.* 37. meminit Pſalmi, *Qui habitat*; licet Baſilium aliter explicet *Francol.* 1. *part. cap.* 19. *initio, ſed Durant. de Rit. lib.* 3. *cap.* 12. quem ſequuntur *Azor. lib.* 10. *cap.* 2. *quæſt.* 11. *et Suar. lib.* 4. *de Hor. Can. cap.* 5. *num.* 9. explicat de Completorio. Colligit Suar. Completorium *ex Ambr.* 5. *Exam. cap.* 12. *et lib.* 3. *de Virginib.* immo ex Cypriano videtur poſſe colligi, *lib.* 1. *de Oratione*, ubi ait recedente Sole, ac diſcedente, neceſſario rurſus eſt orandum, ubi primo verbo, *recedentes*, Veſperas, in altero *diſcedente*, notat Suar. Completorium. Verum iis primis temporibus rude fuit potius, quam completum Completorium.

3. Additum fuiſſe Caſſiani tempore ſimul cum Prima certum eſt, ut docuimus *ſup. cap.* 3. *hujus Sectionis*, ubi etiam cum Prima comparavimus Completorium.

4. Sequitur ex dictis, illud eſſe recitandum congruentius hora duodecima, nimirum: quando Chriſtus ſepulturæ fuit traditus, in fine diei Paraſceves, *Luc.* 23. quod fuſe probat *Francol.* 1. *part. cap.* 18. ſed ante diei finem (ut laici quoque intereſſe queant) ſtatuiſſe Eccleſiam cantari poſſe, docet Durandus *loc. cit.*

5. Hac autem Hora, inquit Turrecremata *in Regula S. Benedicti tr.* 107. ut animalia a paſtu reverti ſolent; ita ſpiritus revocandus eſt ab externis ad interiora. Item parandus eſt locus, in quo ſpiritus cum Deo quieſcat, & contra fraudes Dæmoniorum armandi ſumus ante noctem, de quorum capite in lectione brevi dicitur: *quærens quem devoret*. Addit *Hugo in Spec. cap.* 3. Completorium ſignificare gaudium electorum, quod completo eorum numero, complebit Deus in Sanctis ſuis in die generalis Reſurrectionis in fine Mundi; & ideo in fine diei recitatur.

6. Ordo Completorii per ſe patet. Lectio brevis ortum habuit a lectione, ad quam hora Completorii conveniebant præſertim Monachi, ſicut ad eamdem diximus poſt Primam ex Reg. S. Bened. cit. quod notat etiam *Amal. lib.* 4. *cap.* 8. *& de ordine Antiph. cap.* 7. qui & addit, Lectionem ideo præponi, quia finito Completorio per preces dormitum ſtatim ibant. Confeſſio apte fit; ut quidquid in die commiſimus, diluamus, *Gemma lib.* 2. *cap.* 64. & alterna confeſſione mundemur; ait *Hugo in Spec. cap.* 3. agens de Completorio. De initio proprio Completorii, de quo Hugo, dicemus Sectione ſequenti, ubi etiam de Hymnis, & aliis ſingillatim, citra myſticam expoſitionem, quam affero hoc loco.

7. Nam Pſalmis quatuor, ait Amal. loc. c. quatuor elementa corporis noſtri Domino commendamus. Et quidem in primo Pſalmo, qui recitatur in Matutino Sabbati Sancti, cum Chriſto quietem poſcimus: *in pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* In ſecundo ad ea verba, quæ protulit Chriſtus in extremo vitæ. *In manus tuas etc.* optamus mori cum eo. In tertio, & quarto contra tentationes nocturnas armamur. Fuſius hæc Amal.

8. Hymnus ante Capitulum præter morem dicitur, quia illi, in quibus completa ſunt ſignificata præcedentium laudum, ideſt electi præveniunt exhortationem, quam denotat ſequens Capitulum, *Hugo in Spec. cap.* 3. eodem quoque Hymno petimus victoriam de nocturnis illuſionibus, *Gemma loc. cit.* Capitulum ergo ex Hugone exhortationem ſonat, qua ſemper egemus. Reſponſorio brevi quaſi ſignaculo divinæ cuſtodiæ nos ſigillamus, ut pupillam oculi, *Gemma loco cit.*

9. Et quia Completorium eſt commendatio animæ quaſi migrantis e corpore per ſomnum; ideo Canticum Simeonis additur, quod maxime congruit; Amalar. ſupra, quo pacem, & lucem optamus a Deo; Gemma loc. cit. Precibus complemus; ad humilitatem in fine diei, cum Oratione Dominica, & Symbolo Fidei ad munimentum ab hoſtibus nocturnis. Hugo ibidem.

10. Concluditur cum benedictione Prælati: *Benedicat &c.* quæ valet contra hoſtes, ait Turrecrem. loc. cit. & ſolemni religione imploratur auxilium B. V. contra eoſdem nocturnos hoſtes, idem Turrecrem. Adhuc in fine dicuntur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apoſtolorum ſecreto, tum quia iiſdem Ritibus finiendum eſt totum Officium, quibus eſt inceptum, tum quia in fine Mundi tempore Antichriſti ora Fidelium claudentur, & ſecreto Deum orabunt. *Durant. lib.* 4. *cap.* 26. *Radulph.* denique notat *propoſ.* 14. Completorium eſſe fere ſemper idem, niſi propter tempus aliqua demantur, hoc eſt preces, in Duplicibus &c. cauſam autem attulimus *ſupra cap.* 3. *de Prima in fine*.

11. Quæres quando Completorium dicitur ſeparatim a Veſperis, an præmittenda ſit Oratio Dominica cum Salutatione Angelica? Videtur affirmandum, ea ratione, qua dicuntur ante Laudes ſeparatas a Matutino, & ante omnes alias Horas. At contraria eſt praxis in Quadrageſima, ut nihil præponatur lectioni brevi, & vere ſatis eſt poſt eam dici Orationem Dominicam.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. - *Completam vocat Iſidorus &c.*) Hanc ultimam diei horam Canonicam, quam S. Benedictus in ſua regula *cap.* 17. *et* 42. *Completorium* appellat, ob rationes a Gavanto adductas, S. Iſidorus *lib.* 1. *de Offic. Eccleſiaſtico cap.* 21. *Completas* vocat, & nonnulli PP. *Completam*; verum citatus Iſidorus in Regulam *cap.* 7. *Completorium* pariter vocat. S. autem Columbanus Regul. *cap.* 7. *Initium noctis* nuncupat hanc horam. Fructuoſus vero Bracarenſis Epiſcopus *Primam noctis horam*, forte quia dicebatur in *crepuſculo Veſpertino*, ut tradit Eddius in Vita S. VVilfridi *cap.* 64. ſive *inſtante noctis articulo*, ut in hiſtoria translationis S. Jenulphi *n.* 25. quæ habetur in Sæculo 4. Benedictino *par.* 2.

II. Gav. num. 2. - *Vel a S. Baſilio etc.*) Inquirendo ori-



Digitized by Google

originem hujus horæ Canonicæ, hanc repeti poſſe ait Gavantus, vel a S. Cypriano, vel a S. Baſilio, qui in Regulis fuſius diſputatis *q. 37.* ait: *Cum autem primis ſe jam noctis intendentibus tenebris, ſequeretur petitio, ut quies, quam ſumus capturi ab omni perturbatione, ac vitio libera ſit, qua hora etiam neceſſario nonageſimus recitari Pſalmus debet.* Sed aliter omnino explicat Baſilii verba Marcellus Francolinus in Tractatu de tempore horarum Canonicarum *cap. 29. n. 1. & ſeqq.* In Francolini ſententiam abit etiam Cardin. Bona de Divina Pſalmodia *cap. 48. §. 1.* ubi validis rationum momentis oſtendit hujus horæ Canonicæ inſtitutionem tribuendam omnino eſſe S. Benedicto, præſertim quia licet in Scripturis, & Patribus frequens habeatur mentio Orationis faciendæ in fine diei, ad Veſperas tamen, vel ad Orationes quaſdam privatas, & non ad Completorium Orationem communem ab Eccleſiaſticis faciendam, illæ PP. ſententiæ referri debent. Præterea accedit, quod ipſo nomine Completorii nullus Eccleſiaſticus Scriptor Benedicto antiquior uſus fuit, nec apud quempiam Græcum, vel Latinum Auctorem hujus Officii nomen reperitur.. Proſequitur idem Bona ad refellendam opinionem illorum, qui S. Baſilium primum Completorii inſtitutorem tueri conantur, & etiam in Epiſtola quadam MS. alias addit validiſſimas rationes, quibus propugnat hanc ſuam ſententiam; unde qui ſuæ curioſitati ſuper hac quæſtione ſatisfacere cuperet, conſulat prædictum Auctorem, & evolvat ſua allegata monumenta. Huic ſententiæ conſentit profecto Gavantus noſter, nam loquendo de antiquis temporibus, quibus aliqua Oratio poſt Veſperas, recitanda præſcribebatur: Hoc rude fuit potius (ait ipſe) quam Completum Completorium; & revera ante S. P. Benedictum poſt Veſperas nulla ſolemnis Oratio perſolvenda remanebat, ſed privata ſolum cuique Pſalmodia imponebatur, unde Joannes Climacus, qui ſexto Sæculo floruit, in Sermone *de Paſtoris Officio* ait: Quidam Pater poſt complementum Veſpertinarum Orationum alicui duos, alii tres, alii centum Pſalmos ante ſomnum injungebat - Igitur in apertis eſt hanc fuiſſe Orationem non communem, ſed peculiarem, & aliquod Completorii veſtigium, non vero ipſum Completorium, quod conſtituit ſeptimam horam Canonicam, quæ addita fuit non Caſſiani tempore, ut innuit Gavantus *ſupra n. 3.* hic enim Anno 440. floruit, ſed ſolum S. Benedicti ævo, qui ſexto ineunte Sæculo vixit, cum ante ipſum Benedictum, ut innuimus ſupra, nullus Scriptor mentionem faciat de Completorio.

III. Gav. n. 4. - *Illud eſſe recitandum hora duodecima &c.*) Omnes conveniunt Auctores, quod Canonicum tempus Completorii erat hora duodecima jam exacta poſt cœnam, immo poſt collationem, nempe lectionem aliquam ſpiritualem, quæ apud Monachos cœnam ſubſequebatur, de qua late diſſerit Edmundus Martene *lib. 1. de Monachorum Ritibus cap. 11.* unde dicebatur Completorium poſt omnia opera ſomnum antecedentia ante finem crepuſculi Veſpertini, poſtremo ſcilicet termino abeuntis diei, & ita docent omnes, præſertim Bellarminus *lib. 1. de bonis operibus in particular. cap. 11.* necnon Stephanus Duranti *de Eccleſiæ Ritibus cap. 12.* Non ideo tamen, ut optime advertit Cardinalis Bona ſupracitatus §. 2. quorumdam Canoniſtarum errori aſſentimur, qui putant Completorium unam eſſe ex nocturnis Vigiliis; quamvis enim poſt Solis occaſum celebretur, diurnis nihilominus Officiis, tamquam ipſorum Complementum, deputatur.

IV. Gav. eod. n. 4. - *Ut laici quoque intereſſe queant &c.*) Francolinus *loc. ſuprac.* probare nititur Completorium ante Solis occaſum recitari debere, præſertim quia Completorio Chriſti ſepultura repræſentatur, Chriſtus autem ſepulturæ conſignatus fuit ante Solis occubitum, ut aſſerunt Auctores ab eodem citati; deinde aliam addit rationem Francolinus, nimirum quia alias in Hymno Completorii non deberent dici illa verba *Te lucis ante terminum*. Ex denique addit Gavantus, ut laici quoque intereſſe queant huic Officio; verum omnia concordari poſſunt, nam optime in Completorio poteſt repræſentari Chriſti ſepultura, etiamſi poſt Solis occaſum recitetur; non enim Mathematice accipiendum eſt temporis momentum, quo Sacroſanctum Chriſti Corpus in tumulo repoſitum fuit; ad illud de verbis Hymni *Te lucis ante terminum* optime reſponderi poſſet cum Clichthoveo *in expoſitione dicti Hymni*, illud verbum *lucis* accipiendum eſſe pro luce crepuſculi, non vero pro luce corporis Solaris, & ita verificatur Completorium dici ante terminum lucis, nempe ante terminum crepuſculorum, & ſic optime proferuntur, & concordant illa alia verba, quæ inter preces Completorii dicuntur, nempe *Dignare Domine nocte iſta &c.* quia nimirum hæc recitantur incipiente jam noctis crepuſculo. Denique nil vetat laicos in tali temporis circumſtantia intereſſe huic Officio, & ad Eccleſiam convenire poſſe. Cæterum apud antiquos Monachos certum eſt hanc ultimam reflexionem locum non potuiſſe habere, quia ab iiſdem Completorium recitabatur eodem loco, quo collatio fiebat. Antiquus autem Ordo Converſationis Monaſticæ locum collationis faciendæ deſignat; Capitulum: *Poſt Veſperas*, inquit, *hora competenti facto ſigno omnes conveniant in Capitulo, & legatur Scriptura, quæ ædificet audientes*: ita apud Haeſt.: aliter autem legit editio Neapolitana. Eumdem locum aſſignat Hildemarus, necnon Caſſinenſium declarationes *in cap. 42. Regulæ*, in quibus habetur: *pro qua lectione pulſatur primum ſignum Completorii, & Fratres omnes in Capitulo conveniunt ad hujuſmodi lectionem*. Camaldulenſes etiam, ut ſcribit cit. Haeſt. collationem fieri volunt in Capitulo, vel Clauſtro Eccleſiæ proximiori, & Valiſoletani in Capitulo, vel loco, qui Choro vicinior eſt.

V. Gav. n. 6. - *Ordo Completorii per ſe patet &c.*) Quæ Completorium præcedunt ab Antiquis Monachorum Ritibus mutuata ſunt; hinc noſtrum Romanum Completorium incipit a *Jube Domne* cum Lectione; atque imitatio hæc eſt eorum, quæ S. Benedictus ſtatuit *cap. 42. ſuæ Regulæ*; conveniendum ſcilicet eſſe veſpere, ut mox nos quoque innuimus ad Lectionem habendam, cui initium dabatur Lectione aliqua, petita prius benedictione a Lectore, ut colligitur ex libro Uſuum Ciſtercienſium, & ex MSS. Conſuetudinibus Sancti Germani a Pratis, nec non ex Cæremoniali Burſfeldenſium *diſtinctione 3. cap. 4.* Finita ad nutum Abbatis Collatione, & dicto a Lectore *Tu autem Domine &c.* ſubjungebat Abbas: *Adjutorium noſtrum &c.* Et ſic intrabant ad Completorium. Ita antiquus Ordo Converſationis Monaſticæ - Finita Lectione ſurgant omnes pariter, & dicat Dominus Abbas: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini* in ipſo Collationis loco - Hoc tamen, in Choro cum omnes ad Eccleſiam pervenerint a Præſidente dici volunt Burſfeldenſes *in ſuo Cæremoniali cap. 13.* his verbis - Cum finita Lectione Regulari pervenerint Fratres ad Chorum, ad Complendum .... dicat Præſidens per accentum *Adjutorium noſtrum in nomine Domini* - Lectio autem Brevis ex Epiſtula Sancti Petri, ad quam nos quoque benedictionem poſtulamus, inſtituta fuit pro Lectione Collationis ad Completorium extra Chorum dicendum, unde in ejus fine Monachi ſubjungebant ℣. *Adjutorium noſtrum*, *etc.* Id patet ex MSS. Conſuetudinibus Sancti Germani a Pratis, & ex Breviario Congregationis Caſalis Sancti Benedicti, edito anno 1586. in quo hæc leguntur: Ad Lectionem ante Completorium: *Jube Domne*, Benedictio: *Noctem quietam &c.* Extra Chorum reſpondetur *Amen*. Lectio Brevis extra Chorum: *Fratres Sobrii eſtote &c.* In aliis etiam Ordinariis Monaſticis adnotatum eſt Lectionem prædictam ab illis fuiſſe recitatam, qui Completorium extra Chorum abſolvebant, & revera apud Burſfeldenſes citatos, qui in Choro Completorium recitant, nulla hujuſmodi brevis Lectionis in eorumdem Ordinariis fit mentio.

Orationem Dominicam, quæ poſt prædictum ℣. *Adjutorium* ſecreto ſubjicitur, primum eam ſe reperiſſe in MSS. Conſuetudinibus Sancti Germani a Pratis ait Edmundus Martene *loco ſuprac. n. 8.* in quibus præſcribitur, ut a Collatione, omnibus in Eccleſiam ingreſſis, Prior ordinis, qui fuerit in Choro terminet *Pater noſter*; Burſfeldenſes addunt etiam Orationem Angelicam, & idem præſtabant Monachi Benedictini Caſalini nuncupati, ſed hæc omnia recentiora eſſe, ait Martene, vicemque tenere trium Orationum, quas olim Completorio, ut aliis diei horis præmittere ſolebant. Ex prædictis Conſuetudinibus, & Burſfeldenſium Cæremoniali liquet morem jam invaluiſſe apud prædictos Monachos celebrandi Officium Completorii in Eccleſia, & non amplius in Collationis loco. Cæterum Orationem Dominicam quod attinet, ante Completorium recitandam, eam nonniſi in recentioribus Monaſticis Conſtitutionibus reperiri, aſſeverat Grancolas *lib. 1. cap. 39.* nam Pius V. Breviario Romano illam inſeruit, & ſecreto recitari juſſit, ut doceret eam Officii partem non eſſe, & numquam eo loco recitatam fuiſſe.

VI. Gav. n. 6. - *Confeſſio apte fit &c.*) Peccatorum Confeſſio, quam poſt Orationem Dominicam facimus, antiqua profecto eſt; hujus enim non ſolum Conſuetudines S. Germani Pratenſis mentionem faciunt, ſed etiam multo anterior Sancti Dunſtani Concordia, necnon antiquiſſimus Ordo Converſationis Monaſticæ, quorum verba refert Martene *ſuprac. n. 9.* Eumdem ritum, ſed poſt Completorium tantum obſervandum, præcepiſſe videtur S. Fructuoſus Epiſcopus Bracarenſis in ſua Regula *cap. 2.* his verbis: *Recepto Nocturno ſilentio vale facientes invicem, et reconciliationi, ac ſatiſfactioni alterutrum inſiſtentes, laxant mutuo debita*; cujus rei praxim videre eſt in obſervationibus præviis ad vitam S. Dunſtani *n. 9.* quæ habetur ſæculo V. Benedictino. Hinc Pariſiis, atque in pluribus Eccleſiis *Confiteor* ad finem eſt Completorii, non vero ad initium, ut in Rom. Breviar. *Confiteor* invicem dicebatur: dicebat enim unus *Confiteor*, alter vero reſpondebat *Miſereatur tui*, atque ideo tacite recitatur ad Primam, & ad Completorium, ne invicem ſeſe interturbent. Burſfeldenſes autem omittunt omnino hunc Ritum, ſed dicto *Pater, et Ave*, Completorium imponunt, & incipiunt, prout diſponitur in eorum Cæremoniali *Cap. 53.* hoc eſt a ℣. *Deus in adjutorium*.

Verſus *Converte nos etc.* non reperitur, ait Martene *loco cit.* in Conſuetudinibus S. Germani a Pratis, ſed dicto *Confiteor* cum Conventu; tunc, inquiunt, Hebdomadarius incipiet Completorium, & dicet *Deus in adjutorium*. Verſiculus igitur *Converte nos* noviſſimum eſt additamentum in Completorio, præſcribitur tamen in Antiquis Conſuetudinibus Sancti Dionyſii in Francia, in quibus *cap. 16. §. 4.* hæc leguntur - eant ad Collationem, deinde ad Completorium, poſt per-

cutiet

Digitized by Google

cutiet unus Prior ſuper ſedem, & dieat unus ad alterum: *Confiteor Deo*; deinde incipiatur a Sacerdote Hebdomadario; *Converte nos &c.*

VII. Gav. num. 7. -- *Nam Pſalmi quatuor &c.*) Juxta Romanum Ritum Pſalmi quatuor recitaotur ad Completorium, ſed juxta Ritum Monaſticum S. Benedicti Pſalmi tres tantum recitantur ſine Antiphona, totidemque præſcribit Magiſter in ſua Regula, ſed cum Antiphonis pſalli inſtituit; ex prædictis Pſalmis celeberrimus omnium cenſendus eſt Pſalmus 90. quem etiam ad petitionem S. Baſilius, ad Completam S. Aurelianus decantari voluerunt.

VIII. Gav. num. 8. *Hymnus ante Capitulum dicitur &c.*) Pſalmos ſequitur ſtatim Hymnus, quem pro temporis diverſitate variabant Monachi, ut refert Martene *loc. cit. n.* 11. Nobis autem Hymnus numquam mutatur, ſed per totum Anni ſpatium idem eſt. Poſt Hymnum Lectio, Verſus &c.

IX. Gavant. num. 9. -- *Canticum Simeonis additur &c.*) Poſt Verſus dicitur quoque Canticum Evangelicum *Nunc dimittis &c.* quod neque in Breviario Monaſtico S. Benedicti, neque Cluniacenſium, neque Carthuſianorum reperitur, ſed eſt peculiaris Romanæ Eccleſiæ Ritus. De ea re agit Amalarius *lib. 7. cap.* 49. Hoc Canticum invenitur etiam in Conſtitutionibus Apoſtolicis ad preces Veſpertinas. Preces ſubſequentes *Kyrie*, *Benedictus es Domine*, *Dignare*, *&c.* a Monachis profectæ ſunt, atque in Breviario Caſſinate, perleguntur. Quare quidquid Pſalmos præcedit; atque etiam Hymnus, Capitulum, Preces, & Collecta a Monachis Completorio addita, & ab eiſdem accepta fuerunt. Oratio *Viſita quæſumus Domine* in nullo Romano Ordine, quamvis multi uſque modo evulgati fuerint, neque in aliquo antiquitatis Ordinario Monaſtico reperitur, habetur tamen in Completorio apud Carthuſianos, ſed hoc ab eiſdem recitatur in Cella, non vero in Choro. Opinatur Gracolas ab eiſdem fuiſſe acceptam, & Fratres Minores Breviario Romano inſeruiſſe. Dicebatur quidem a Monachis iſta Oratio, cum in Dormitorio fiebat aſperſio aquæ benedictæ, id quod contingebat omni nocte, ut habetur apud S. Dunſtanum *capit.* 5. *Omni nocte poſt Completorium aſpergatur Domus requietionis eorum, recumbentibus eis propter illuſiones Diabolicas.* Hac Oratione igitur petebatur Dei protectio adverſus Diaboli inſidias, atque Angelorum Patrocinium invocabatur pro eis, qui in Dormitorio quieſcebant. Non fuit itaque compoſita hæc Oratio, ut in Choro, vel Eccleſia recitaretur, non enim ibi Angelorum permanentia expoſcitur per noctis tempus, ut ibidem nos cuſtodiant, quia in Eccleſia nemo dormire ſolet, ſed talis Oratio a Superiore dicebatur erga ſuos Monachos in loco requietionis, antequam recumberent, & deinde eis dabatur Benedictio. Conſimilis Oratio extat in vita Sancti Aicardi Abbatis Gemeticenſis ſæculi 2. Benedict. dum fit aquæ benedictæ aſperſio in Dormitorio: *Suſcipe Domine preces noſtras, & muro cuſtodiæ tuæ hoc ſanctum ovile circumda, & omni adverſitate depulſa ſit hoc ſemper domicilium incolumitatis, & pacis per Dominum noſtrum &c.* Diverſa autem ab iſtis erat Oratio, quæ in fine Completorii dicebatur, nam in Breviario Ambroſiano, ſequens legitur Oratio -- *Illumina quæſumus Domine tenebras noſtras, & totius noctis inſidias tu a nobis ſemper repelle propitius, noctem iſtam illumina, quæſumus, Domine ſancte Pater Omnipotens æterne Deus, & fac nos famulos tuos ſine peccatis obdormire, & virtutibus Angelorum excitari, ut ad diem clarum, te auxiliante ſalvi, & protecti pervenire mereamur* -- Contractior eſt illa, quæ legitur in Breviario Eccleſiæ Bituricenſis, necnon Eccleſiæ Lugdunenſis dicenda in Feſtis trium Lectionum, & Feriis, nimirum -- *Illumina quæſumus Domine tenebras noſtras, & totius noctis inſidias tu a nobis repelle propitius per, Dominum &c.* Advertere debemus, quod in prædicto Breviario Ambroſiano Sancti Caroli Borromæi juſſu edito, poſt prædictam Orationem, ſubnectitur etiam ſtatim illa, quæ a nobis dicitur, nimirum -- *Viſita quæſumus Domine.* --

In Breviario autem Auguſtano edito anno 1570. & auctoritate Pii Quinti etiam reſtituto, nec non in memorato Breviario Eccleſiæ Lugdunenſis pro diebus Feſtis, novem Lectionum, atque in aliis antiquioribus Breviariis, ſequens legitur Oratio dicenda in fine Completorii. *Deus, qui illuminas noctem, & lucem poſt tenebras facis, concede nobis, ut hanc noctem ſine impedimento Satanæ tranſeamus, atque matutinis Horis ad Altare revertentes, tibi Deo gratias referamus. Per Dominum &c.* De præfata Benedictione a ſuperiore danda, ejuſque ritu vide quæ tradit Martene *loc. ſupra cit.* ex quo eruitur, quod Monachis datur Benedictio his verbis: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat & maneat ſuper nos*, & reſpondetur *Amen*.

## SECTIO QUINTA.

### De Partium, hoc eſt, Horarum Partibus.

### GAVANTUS.

Horarum partes multæ ſunt, & variæ, quæ proprios habent ritus, & variam eruditionem, de quibus nunc ſingillatim, ordine ſervato, quo ſunt in Horarum uſu paucis exceptis, ob alias cauſas cum affiniori conjunctis.

### SECTIONIS V. CAP. XXII.

1. *De Oratione Dominica.*
2. *De Salutatione Angelica.*
3. *De Symbolo Apoſtolorum.*
4. *De Initio Horarum.*
5. *De Invitatorio.*
6. *De Hymnis.*
7. *De Antiphonis.*
8. *De Pſalmis.*
9. *De Canticis.*
10. *De Verſibus.*
11. *De Abſolutionibus, & Benedictionibus.*
12. *De Lectionibus.*
13. *De Reſponſoriis.*
14. *De Reſponſoriis Brevibus Horarum.*
15. *De Capitulis.*
16. *De Oratione.*
17. *De Precibus, & Confeſſione.*
18. *De Commemorationibus, & Suffragiis SS. Communibus.*
19. *De Hymno Te Deum.*
20. *De Symbolo S. Athanaſii.*
21. *De Martyrologio.*
22. *De Fine Offic. & Antiph. finalibus B. Mariæ.*

### De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica. XXXII.

### RUBRICA.

1. *Oratio Dominica: Pater noſter: & Salutatio Angelica: Ave Maria: ſemper dicitur ſecreto: ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio poſt Lectionem brevem: Fratres ſobrii eſtote: dicto Verſu: Adjutorium noſtrum: dicitur tantum Pater noſter, ſecreto; & in fine Completorii ſtatim poſt Orationem B. Mariæ dicitur: Pater noſter; Ave Maria; & Credo. Totum ſimiliter ſecreto. Finitis Horis & dicto Verſu, Fidelium animæ: dicitur ſimiliter ſecreto Pater noſter, tantum, niſi ſequatur Officium B. Mariæ: quia tunc poſt illud dicitur Pater noſter, ut ſupra, & niſi alia Hora ſubſequatur: tunc enim dicitur ſemel tantum Pater noſter, cum Ave Maria, pro principio ſequentis Horæ, qua finita dicitur Pater noſter: ita ut ſemper dicatur in fine ultimæ Horæ. Si autem poſt Veſperas immediate ſequatur Completorium: dicto Fidelium animæ: incipitur V. Jube domne.*
2. *Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum eſt clara voce: Et ne nos inducas: ſemper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba: Pater noſter; ut in Precibus, & ſimilibus: alias numquam proferuntur, ſed totum dicitur ſecreto. Ad Laudes vero, & Veſperas, quando in Feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario.*
3. *Salutatio Angelica ſemper dicitur ante Officium B. Mariæ, quando non conjungitur cum Officio Domini: quia tunc ſufficit dixiſſe eam in principio cum Oratione Dominica.*

### De Oratione Dominica. Cap. I.

### GAVANTUS.

1. Ab Oratione Dominica ſumitur initium Officii Divini, tum ex antiquis Breviariis, teſte Francolino 1. *part. c.* 18. *n.* 11. tum ex Dur. *in Ration. lib.* 5. *c.* 3. ubi ait, ter dici ad Matutinum, & ſemel ante quamlibet Horam, tum ex Concil. Toletan. 4. *cap.* 9. quo ſtatuitur, ut quotidie Oratio Dominica in Officio Divino recitetur. Pius V. ordinavit recte, ad omnes Horas eam præmitti debere.

2. An vero initio Laudum, quando ſeparantur a Nocturnis, ſit dicenda, vide ſupra *Sect.* 4. *cap.* 2. *n.* 4.

3. In fine Matutini, ſi dividatur a Laudibus, dicenda eſt probabilius, ex Concil. Gerundenſi *de conſecr. diſt.* 5. *c. id ſemper*. Navarr. *de orat. cap.* 3. *num.* 64. & Francol. *loc. cit. num.* 1.

4. In fine Laudum, Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ſi ſeparatim ſingulæ recitentur, ea item dicenda eſt: vel certe in fine ultimæ Horæ quando plures ſimul dicuntur. Navarr.

*cap.* 10. *num.* 61. citat Hugutium Doctorem, qui hoc affirmat de ſingulis Horis, quod Gerundenſe de Matutinis, & Veſperis juſſit.

5. In fine ergo Veſperarum dici debet ex dicto Conc. Gerundenſi; ſed an dici debeant, ſubſequente ſtatim Completorio? Navarr. affirmat in Miſcel. 73. de jure communi, & antequam dicatur, *Jube Domne*. Negat Francol. *n.* 5. *loc. cit.* & docet fuſe, ſufficere Orationem Dominicam, quæ dicitur poſt Lectionem Brevem; cui vere ſavet Rubrica Breviar. in poſtremis verbis *c.* 32. *n.* 1. in fine, dicto *Fidelium animæ*, incipitur verſ. *Jube Domne*. De Completorio ſeparato a Veſperis diximus *præc. Sect. c.* 6. *n.* 11. In fine Completorii ea dicitur; de quo ritu antiquiores Durandum non meminere.

6. Illud eſt Notandum, quod quando in fine Horæ additur Antiphona finalis B. M. ſufficit Oratio Dominica, quæ ante ipſam Antiphonam dicitur, neque poſt eamdem Antiphonam dicenda eſt iterum, ut fit in Completorio, qua in re deceptum fuiſſe Navarrum arguentem Urbis Eccleſias, quod in hac re peccent omnes, notat, & corrigit Francolin. *n.* 3. & 4. a quo Navarr. *in Miſcell.* 73. *n.* 74. ſe defendit, nihil mutatus a ſententia propria; ſed praxis Eccleſiæ univerſalis contraria eſt Navarro.

7. Aliud item eſt notandum cum Navar. *In Miſcell.* 73. *in fine*, quod in fine Horæ ſubſequente alia Hora ejuſdem diei, ſufficit ſemel dici Orationem Dominicam pro fine præcedentis, & initio ſequentis Horæ, & habetur in Rubricis *c.* 32. *num.* 1. poſt medium. Dixi, *ejuſdem diei*: quia ſi poſt Completorium recitare velis Matutinum diei ſequentis, bis Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, & Symbolo recitabis. *Francol. n.* 17. & Rubrica cit. *cap.* ſavet cum aliis Rubric. *de Matutino, & Completorio*.

8. Initio Horarum dicitur ad animorum præparationem: ut morientes muſcæ abigantur, & mens Oratione ſerenetur, ut digne in Officio cum Deo loquatur *Dur. lib.* 5. *c.* 2. In fine vero, ne diabolus de corde Sacerdotis rapiat, ſi quid boni ſeminatum eſt in Horis Canonicis. *Dur. ib.* Unde Navarrus dolet quam maxime *de orat. c.* 10. *n.* 63. quod hæc formula, quam ipſe commendat *c.* 19. *n.* 12. ubi perfectiſſimam, Deo gratiſſimam, nobis utilem, ut nihil magis, & contra hoſtes efficaciſſimam, minus attente, & reverenter uſurpetur, & majori cum incuria, animi laxitate, & evagatione majori, una cum Salutatione Angelica ejuſdem fere momenti pronuncietur, quam ipſæ Horæ Canonicæ.

9. Recitatur autem in Officio tribus modis, initio, in fine & in medio, ideſt, ad Preces. Item totum ſecreto, totum clare voce, totum partim ſecreto, partim clara voce: & initio quidem, aliquando in medio, & in fine Officii totum ſecreto additur, *Amen*, in fine: in medio vero reliquis duobus modis, & omiſſo ſemper, *Amen*, ut videre eſt in toto Breviario. Dicitur clara voce in Precibus Laudum, & Veſperarum; in aliis Precibus partim ſecreto, partim clara voce: ut omnibus modis orandum eſſe Deum intelligamus, raro clara voce, nempe in diebus jejuniorum, & præterea in Adventu, ut cum jejunio clara voce magis audiamur: unuſque Hebdomarius, qui vicem Chriſti gerit, omnium nomine orat, ut in Breviario edito 1550. de quo ritu neminem legi. Sæpius autem totum ſecreto dicitur, quia Deus de corde clamantes audit. Non raro, clara voce, & ſecreto, ſimul, primis iis verbis invitando alios: *Pater noſter*; poſtremis requirendo eoſdem ad conſenſum, *Dur. lib.* 3. *c.* 5. quo fit propter Sanctorum Communionem, inquit *Hug. in Spec. c.* 3. quod autem dicatur in medio Horarum, id fit ad humilitatem, & devotionem, & ut ad interiora reverſi mente capiamus, quæ dicimus, & ut Oratio ipſa Horarum efficaciam habeat majorem, *Durand. loc. cit.* De excellentia Orationis Dominicæ, & de ejuſdem partibus non eſt hujus loci plura congerere.

10. Quid, quando Miſſa ſequatur poſt Horam (quod accidit quotidie in Choro) eritne omittenda Oratio Dominica in fine Horæ? ſi ommittitur Verſ. *Fidelium*, conſequenter etiam Oratio Dominica, qua de re infra cap. 22.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. *Tum ex antiquis Breviariis &c.*) Quamvis in antiquis Breviariis reperiatur hic Ritus ſumendi initium Officii Divini ab Oratione Dominica, nihilominus fateri cogimur quod Monachi primi fuerint, qui id uſurparunt, nullumque hujuſce Ritus veſtigium invenitur ante librum Conſuetudinum Ciſtercienſium, ubi hæc habentur *c.* 68. *Dimiſſo Officii ſigno, Orationem ſuper miſericordias facimus, ideſt Pater noſter, & Credo in Deum, antequam Verſum Deus in adjutorium decantent*. Id autem in nulla Monaſtica Regula X. XI. vel XII. Sæculi occurrit, neque in Breviario Caſinenſi XI. Sæculi, neque in veteribus conſuetudinibus Cluniacenſibus, ut tradit Grancolas *lib.* 1. *c.* 25. ubique enim Officii Divini principium deſignabatur ab illis verbis: *Deus in adjutorium &c.* De dicenda hac Oratione in fine Horarum extat quidem *Can.* 10. in Concil. Gerundenſi habito Anno 517. in quo præſcribitur Epiſcopum quotidie Orationem Dominicam poſt Matutinum, & Veſperas alta voce recitare; de eadem vero Oratione Dominica ſingulis horis præmittenda etiam Card. Bona *lib. de Divina Pſalmodia c.* 16. fatetur nihil ſe legiſſe apud PP. antiquiores; Sanctus autem Benedictus nec in principio, nec in fine recitandam præſcribit, ſed inter precum dumtaxat ſolemnia recitari decernit.

Poſtquam autem Oratio Dominica ante Officium recitari conſuevit in nonnullis Conſtitutionibus Monaſticis, illam cum aliis precibus recitari jubetur; legimuſque Monachos ante Officium omnia Eccleſiæ Altaria percurriſſe, atque coram ſingulis *Pater* recitaſſe, quæ res aliquando Officium initii retardabat, ſed ejuſmodi ſupplicationes, atque pietatis opera abrogata fuere, & ſtatutum fuit, ut ſuo quiſque loco eas preces recitaret, antequam Celebrans Officium inciperet; hinc in Carthuſianorum Rubricis facultas conceditur recitandi ante Matutinum ter *Pater*, & *Ave*, inclinato corpore, vel flexis genibus: *Ad Matutinas omni tempore ter* Pater, *& ter* Ave *præmittimus, deinde*, Deus in adjutorium. Pius autem V. PP. *Pater* ſecreto ante Officium recitari primus juſſit, atque etiam *Ave*, & *Credo*.

De præſtantia hujus Orationis Dominicæ legenda ſunt ea, quæ tradit Cardinalis Bona *loc. cit.* necnon omnes Auctores ab ipſomet allegati, qui exponunt dictam Orationem.

II. Gav. num. 2. -- *An vero initium Laudum &c.*) Quærit hic Gavantus utrum Laudibus a Nocturnorum Officio diviſis præmittendum ſit ſecreto *Pater*, & *Ave*? Hanc autem quæſtionem reſolvit ſupra *Sect.* 4. *c.* 2. *n.* 4. tenens cum Navarro, & Francolino affirmativam ſententiam, cui etiam adhæret Guyetus *lib.* 3. *c.* 19. *quæſt.* 2. haud tamen motus ratione Navarri, qui exiſtimat eſſe octo Horas Canonicas Divini Officii, neque etiam Francolini id inferentis ex Rubrica 32. qua jubetur ea dici ante omnes horas, præterquam ad Completorium; ſiquidem Laudes non ſunt hora a Matutino diſtincta, ut tenet idem Francolinus, & fuſe tuetur Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 1. *c.* 6. *n.* 13. ſed prædictæ ſententiæ adhæret Guyetus ductus ex ſola quadam decentia, qua fit, ut nullum Officium, ne tridui quidem ante Paſcha, quamvis illud ſit valde heteroclitum, ſoleat inchoari, niſi prænuntiato prius ſecreto *Pater*, & *Ave*.

## De Salutatione Angelica. Cap. II.

### GAVANTUS.

1. DE primis Auctoribus Angelicæ Salutationis, non eſt quod quæram, Gabriele videlicet, & Eliſabetha, quorum alter ea verba protulit: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: altera repetens ultima verba Archangeli addidit alia: *Et benedictus fructus ventris tui, Luc.* 1. quæro potius, quando reliqua uſque ad finem fuere addita ab Eccleſia? certum autem eſt in Concilio Epheſino hæc, quæ ſequuntur pronunciata fuiſſe: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus*, *Amen*, ut ait Baronius Anno 431. Quæ verba addita Salutationi Angelicæ perduravere uſque ad Breviarium Cardinalis S. Crucis, ut initio habetur ejuſdem; poſtremis ergo temporibus, de conſuetudine Romana a Pio V. in Breviario approbata, additum eſt quod ſequitur: *nunc, & in hora mortis noſtræ*. Verbum *Jeſus* in medio dici ex antiquiore uſu ego puto.

2. Jure communi numquam fuit ſtatutum, eam eſſe recitandam in Officio Divino. *Navarr. de Orat. c.* 10. *n.* 62. Ante Pium V. in ſolo Breviario Cardinalis S. Crucis legebatur, non in antiquioribus. Pii V. ergo juſſu jure novo cum Oratione Dominica dicitur, & dici debet initio Horarum omnium, excepto Completorio, ex *Navarr. c.* 19. *n.* 129. prout in Breviario nunc legitur, neque uno verbo dempto. Ante Ann. 1550. non dicebatur in Officio.

3. Qui volunt Orationem dici Dominicam ante Laudes a Nocturnis ſeparatas, volunt etiam cum ea Salutationem Angelicam; qua de re, *ſupra Section.* 4. *c.* 2. *n.* 4.

4. Forte inde data eſt comes Orationi Dominicæ in Officio, quia *ex Durando lib.* 5. *c.* 2. dicebatur, *Ave Maria*, in principio, & in fine Horarum B. V. quæ Horæ, ut dicemus, quotidie recitabantur cum Officio Divino: & quia nunc omittuntur, præſertim extra Chorum, ſaltem retenta eſt Salutatio Angelica ob cultum Beatæ Virginis, cujus ope ſingulis horis indigemus.

5. In fine Horarum non dicitur, niſi in fine Completorii, ut finis Officii concordet cum principio ejuſdem Officii. De ejuſdem excellentia lege *Navarr. de Orat. c.* 19. *Conſil.* 12. * expoſitionem vero accuratiſſimam edidit inter alios Rutilius Benzonius Ann. 1612.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Ut ait Baronius Anno* 431. *&c.*) Cenſet Gavantus, inhærens Baronio, hæc verba: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus*, *Amen*, addita fuiſſe Salutationi Angelicæ in Concilio Epheſino, quando Beatiſſima Virgo vere Mater Dei, vere Θεοτόκος proclamata fuit, communi Patrum conſenſu; & proſcriptus, condemnatuſque Neſtorius Auctor contrarii erroris; ſed quamvis certum ſit, quod

Digitized by Google

quod in prædicta Sacroſancta Epheſina Synodo B.V.M. vere Dei Mater declarata fuerit, non inde ſequitur, quod prædicta verba in eadem Synodo ſtatim Salutationi Angelicæ fuerint adjecta, & hinc eſt, quod Grancolas *suprac. cap.25.* aſſerat, quod nulla ſatis valida auctoritas produci poteſt, quæ faveat piæ opinioni Eminentiſs. Baronii, quinimo additamentum *S. Maria &c.* in nulla precum formula ante Ann. 1508. reperitur, tunc vero tantum uſurpari cœptum *S. Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, Amen*. Franciſcani addiderunt poſtea, *& in hora mortis noſtræ*, atque ita in Breviario Anni 1525. legitur, eaque de cauſa Card. S. Crucis, alias Quignonius, qui Franciſcanus fuerat, Breviario ſuo inſeruit Anno 1536. & Pius V. cum hoc Franciſcanorum additamento retineri voluit in Breviario Romano ejus auctoritate recognito.

Cæterum reſumendo priorem ſermonem de Antiquitate prędicti additamenti, veriſſimum eſt, quod in libro de Baptiſmate, ſeu de Baptiſmi Ritibus, qui nomen Severi Patriarchæ Alexandrini præfert, Oratio *Ave Maria &c.* his verbis concepta legitur: *Pax tibi Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui eſt in utero ſuo Chriſtus. S. Maria Mater Dei ora pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen.* Sed talis liber falſo prædicto Auctori tribuitur, cum nullus ſit inter Alexandrinos Patriarchas, qui Severus appellatus fuerit; & hinc eſt, quod in quibuſdam Codicibus manu exaratis præfatus liber Severo Antiocheno adſcribatur. Veteres tamen, qui Severi Antiocheni operum meminere, libri de Baptiſmate nullam omnino mentionem fecerunt.

Addere etiam lubet, quod nullus eorum Scriptorum, qui hortati ſunt Fideles ad perſolvendas quaſdam pias preces, de Salutatione Angelica nullum verbum protulerunt; & Concilia uſque ad Sęculum XI. necnon Patres, Symboli tantum & Orationis Dominicę meminerunt, quę a Populis diſci, & quotidie recitari hortabantur; hujuſmodi ſunt Conc. Forojulienſe Anno 795. Moguntinum Anno 813. & Caroli Magni Capitularia *lib. 6. c. 71.* & plures alię Synodi, in quibus nulla fit mentio hujus precis *Ave Maria &c.* ut teſtatur Grancolas *loc ſuprac.* Occurrit tamen *Ave Maria* in minori Officio B. V. ad Invitatorium, & in S. Gregorii Sacramentario habetur ad Offertorium Miſſę quartę Dominicæ Adventus; ſed verba ab Angelo prolata tantum ibi leguntur, & eſt potius Antiphona, quam Oratio. Inter preces igitur Populo præſcriptas hæc Oratio *Ave Maria &c.* primum invenitur apud Odonem de Soliaco Epiſcopum Pariſienſem in ſuis Statutis An. 1195. *exhortentur Populum ſemper Presbyteri ad diſcendam Orationem Dominicam, Credo in Deum, & Salutationem Angelicam B. M. V.* Poſt ea vero tempora ſæpius in Conciliis hujus Orationis recitatio inculcatur, ita in Oxonienſi Anni 1287. in Bituricenſi Anni 1584. in Statutis Lingonienſibus Anni 1404. & in aliis pluribus Conciliis, & tractu temporis adeo invaluit uſus Salutationis Angelicæ, ut eam recitantibus etiam Indulgentiæ conceſſæ fuerint. Cujus conceſſionis primus Auctor fuiſſe videtur Jo: XXII. de quo hæc lego in Concil. Pariſienſi Anno 1347. *c. 13.* Auctoritate dicti Concilii præcipimus, quod obſervetur inviolabiliter ordinatio facta per ſanctæ memoriæ Joannem Papam XXII. de dicendo ter *Ave Maria* tempore, ſeu hora ignitegii (nomine *ignitegii* venit tempus Veſpertinum, quo ruſtici ignem tegere ſolent) in qua ordinatione conceditur certa Indulgentia dicentibus ter *Ave Maria* prædictis tempore, & hora. Concilium hoc Senonenſe vocant Dufreſne in Gloſſario verbo *Ignitegii*, & Illuſtriſſimus Hieronymus Criſpi in ſua erudita expoſitione Officii B. V. forſan quia huic Concilio præfuit Guillelmus Archiepiſcopus Senonenſis; Pariſiis tamen habitum fuit, ut conſtat ex Synodali Conſtitutione ejuſdem Guillelmi actis hujus Concilii præfixa. Ex hoc Concilio patet nondum tunc temporis recitatam fuiſſe Salutationem Angelicam cum illis verbis: *Angelus Domini*.

Roſaria quoque exinde, & Corollæ in B. Virginis honorem fuerunt approbatæ, & denique ter pariter per diem *Angelus Domini* inſtitutum fuit, diluculo, meridie, & ſero, cum trina ſemper recitatione antedictæ Salutationis Angelicæ, & nonnullæ conceſſæ fuerunt Indulgentiæ adimplentibus prædicta Religionis Officia erga B.V. præſertim vero recentiſſime a ſanct. mem. Bened. XIII. qui omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus Roſarium, vel ſaltem tertiam partem ejuſdem devote recitantibus, pro qualibet Oratione Dominica, & pro qualibet Salutatione Angelica indulgentiam centum dierum conceſſit: recitantibus vero quotidie per integrum Annum idem Roſarium, vel pariter ſaltem ejus tertiam partem, ſi confeſſi, ac Sacr. Communione refecti fuerint, & pro Chriſtianorum concordia, Hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione oraverint, ſemel in Anno, die ab unoquoque eligenda, inſuper conceſſit Indulgentiam Plenariam, etiam cum facultate applicandi Defunctis: declaravit tamen præfatus Summus Pontifex, quod, ad effectum lucrandi prædictas Indulgentias, requiritur, ut Roſarium ſit de more benedictum a Fratribus Ordinis Prædicatorum. Et idem Pontifex conceſſit recitantibus ſemel in die *Angelus Domini* cum Salutatione Angelica, flexis genibus, centum dierum Indulgentiam, & ſemel in menſe, Communione refectis Indulgentiam Plenariam; & ut talis Indulgentia obtineatur, advertendum eſt quod etiam tempore Paſchali ad Angelicæ Salutationis ſignum eſt genuflectendum, ut S. C. declaravit. De hac autem genuflexione præſtanda etiam tempore Paſchali dum recitatur *Angelus Domini &c.* erudite, & doctiſſime diſſerit noſter P. Franciſcus Magius in ſuo libro de Divino Officio, & Choro, *diſquiſ.41. pag.322. diſquiſ.4. & 6.* in quarum prima tenet tempore Paſchali audito jam ſigno Salutationis Angelicæ non recitandum eſſe Hymnum *Regina Cœli*, ſed ſolitam precem *Angelus Domini &c. cum Ave Maria*.

Advertere etiam eſt quod ſi Regulares dum pulſatur ſignum Salutationis Angelicæ ſint impediti ob aliquod exercitium ſui Inſtituti, & non poſſint genuflexi recitare hanc precem, ex Indulto ejuſdem Pontificis, ſatis eſt ſi ſtatim poſtquam impedimentum ceſſavit, id præſtent, ut poſſint ſibi conſequi prædictas Indulgentias.

De hac Salutatione Angelica videri poſſunt ea, quæ tradit doctiſſimus Caniſius *lib. 3. & 5. de Virgine Deipara*, & Card. Bona *de Divina Pſalmodia c. 16. §. 2.* nec non Grancolas *loc. ſupracit.*

## De Symbolo Apoſtolorum, & Symbolo S. Athanaſii. XXXIII.

### R U B R I C A.

1. *Symbolum Apoſtolorum ſemper dicitur ante Matutinum, & Primam; & finito Completorio poſt Orationem Angelicam, totum ſecreto; etiamſi Primam, & Completorium iterum dicendum ſit cum Precibus. Quando vero dicitur cum Precibus ad Primam, & Completorium, clara voce profertur, Credo in Deum, & in fine, Carnis reſurrectionem, reliquum dicitur ſecreto: alias totum ſecreto dicitur, ut ſupra.*

2. *Symbolum S. Athanaſii dicitur ad Primam poſt Pſalmum Retribue, in omnibus Dominicis per annum, quando Officium fit de Dominica, exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, ac Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes, in quibus dicuntur tantum tres Pſalmi conſueti, ut in Feſtis. In Dominicis infra alias Octavas, & in Dominica Trinitatis dicitur, alias nunquam, neque ſi aliquod Feſtum duplex celebretur in Dominica. Et in fine illius dicitur, Gloria Patri,*

## De Symbolo Apoſtolorum. Cap. III.

### *G A V A N T U S.*

1. *Symbolum*, ait Ruffinus in expoſitione Symboli, eſt Græce, indicium, & collatio; hoc eſt, quod in unum confertur. Dicitur, *Apoſtolorum*, quia ſinguli Apoſtoli in unum contulere, quod quiſque, dictante Deo, ſenſit ante ipſorum diviſionem, lege Auguſtin. *ſerm. 115. de tempore, Si illius eſt*. Petrus dixit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Joannes dixit: *Creatorem Cœli & Terræ*. Jacobus dixit: *Credo & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum*. Andreas dixit: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*. Philippus ait: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus*. Thomas ait: *Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit a mortuis*. Bartholomæus dixit: *Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Matthæus dixit: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos*. Jacobus Alphæi dixit: *Credo, & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Simon Zelotes: *Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum*. Judas Jacobi: *Carnis reſurrectionem*. Matias complevit: *Vitam æternam. Amen*. Hæc Auguſtinus, ex quibus patet, editum fuiſſe Symbolum ante necem Jacobi majoris, quæ contigit Anno Domini 44. Dixi ſupra *dictante Deo*, teſte Tertulliano *de præſcript. adverſ. hæret. c.14.* quod ideo a Romana Eccleſia integre cuſtoditum fuit, adeo ut Romanum Symbolum fuerit a Vigilio Papa appellatum, *lib. 4. contra Eutychen*, ubi ait, Romanum Symbolum antiquius eſſe Nicæno, id eſt, Apoſtolicum, exponente Duranto *de Rit. lib.2. c.24.* immo Ruffinus aſſerit, in diverſis Eccleſiis factas illi fuiſſe additiones. Romæ vero minime, eo quod nulla hæreſis Romę habuerit exordium. Plura de hoc Symbolo Dominicus Gravina *in Cathol. præſcript. lib.4.*

2. Decreverat Damaſus, ad omnes horas recitari hoc Symbolum, ut *in Supplem. Chron. in ejus vita*, & idem habet Polid. Virg. *lib. 6. de invent. cap. 2.* Durand. quoque *lib. 4. c. 45.* innuit, ſuo tempore fuiſſe in uſu hunc Ritum; ſed uſu abrogatus eſt, exceptis Matutino, & Prima, ante eaſdem Horas, & Completorio in fine. Ambroſ. *de Veland. Virginibus*, de Symbolo ait: quotidie antelucanis horis recenſendum eſt. Auguſt. *lib. 1. de Symbolo ad Cathec. c. 1.* quotidie dicite, antequam dormiatis, & *homil. 42. inter 50.* quotidie dicite, quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum. Ergo Hora Matutina, & poſt Completorium aptiſ-

ſime

ſime dicitur. Ante Horam Primam, quæ diei eſt initium æque apte dicitur. Amalar. *lib.4. c.2. Gemma lib. 2. c. 59. Hugo Vict. in Spec. c.3.* mentionem hujus Symboli faciunt in Prima, Completorio, & ad Preces tantum.

3. Quare novo jure quinquies hodie recitatur in Officio, ſi dicantur Preces in Prima, & Completorio: initio quidem Matutini, & Primæ ad profeſſionem Fidei, quæ eſt virtutum omnium fundamentum: & dicitur ſecreto, quia in primitiva Eccleſia ſub ſilentio plerique Fideles erant, metu perſecutionum. Durand. *lib.4. c.15.* in fine quoque Completorii ſecreto dicitur: quia in fine Mundi plures in corde reſervabunt Fidem, non ore palam prædicabunt, idem *ibid.* In medio ad Preces Primæ, & Completorii: quia in primitiva Eccleſia, & in fine Mundi in electis ſolidior Fides; unde & his in his duabus Horis dici ſolet.

4. Sed cur in medio, ad Preces, partim clara voce, partim ſecreto dicitur? Quia corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Roman.*10. Durand. *lib.5. c.5.* ſed nunquam totum clara voce, ſicut in Miſſa, quia, inquit S. Th. *2.2. q.1. art.9. ad 6.* initio diei, in primitiva ſcilicet Eccleſia, prædicabatur Fides potius occulte, & idem in fine diei Antichriſti tempore fiet; nunc vero temporis, quod Hora Miſſæ repræſentat, manifeſtata Fide; Symbolum Patrum, quod declaratur Symbolum Apoſtolorum, evulgatur libere, & abſque metu cantatur. De Symbolo ſatis.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n.1. -- *Dicitur Apoſtolorum; quia ſinguli Apoſtoli &c.*) Symbolum, de quo agit ſuperior Rubrica, Apoſtolorum nuncupatur, quia ab Apoſtolis compoſitum fuit, unde a ſuis Auctoribus nomen uſurpavit. Sancti enim Apoſtoli, ait Clemens Rom. *in Epiſt. Jacob.* inter ſe Symbolum Fidei condiderunt. De hoc pariter Tertullianus *in lib. de Veland. Virgin. cap. 1. & de præſcript. c.21. & 37.* ait, *Fidei regula una omnino eſt, ſola, immobilis, & irreformabilis: & hanc Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit.* Quæ autem ſententiæ a ſingulis Apoſtolis compoſitæ ſint, tradit ſupra Gav. ſed legere etiam poteſt curioſus lector ea, quæ tradit Baronius *Anno 44. nu. 15. & ſeqq.* cur vero regula Fidei Symboli nomen præferat, docet Card. Bona *ſupracit. c. 16. n.1. & 2.* De Symbolo Nicæno, ſive Conſtantinopolitano, quod in Miſſa cantatur, non eſt hic tractandi locus, de eo enim nos egimus in ſuperiori Tomo; quapropter legenda ſunt ea, quæ ibi tradidimus; de Symbolo vero S. Athanaſii, de quo mentionem facit Rubrica ſuperior, non agimus hoc loco, ſed agemus infra cum Gav. *c.* 20.

II. Gav. eod. n. 1. -- *Adeo ut Romanum Symbolum fuerit a Vigilio Papa appellatum &c.*) Prædictis duobus antiquius eſt profecto Symbolum Apoſtolorum, quod ob cauſam a Gavanto aſſignatam fuit Romanum appellatum, ſed non a Vigilio Papa, ut aſſerit idem Gavantus, neque enim libri contra Eutychem poſſunt dicto Pontifici adſcribi; cum ex libro 4. manifeſte appareat Auctorem ipſorum Zenonis Imperatoris temporibus floruiſſe; & quamvis dum hæc Gavantus ſcribebat ignotus eſſet horum librorum parens, nemo tamen, quod ſciam, Vigilio Romano Pontifici vindicavit, ſed alii Vigilio Epiſcopo Tridentino, alii incerto Auctori tribuebant, nunc vero certum jam eſt penes omnes, hos libros adverſus Eutychen fœtum eſſe Vigilii Tapſenſis Epiſcopi in Africa, ut demonſtravit eruditiſſimus Chiffletius in nova horum operum editione, quam adornavit Anno 1664.

III. Gav. n.3. *Et dicitur ſecreto &c.*) Oratio Dominica, atque Symbolum in Miſſa alta voce adhuc pronuntiantur, & canuntur, atque veluti pars Liturgiæ habentur. *Pater* clara voce a Monachis ad Laudes, & Veſperarum finem recitatur: Symbolum S. Athanaſii, ut liquet ex Rubrica ſup. ſingulis Dominicis canitur tamquam publici Officii pars. Igitur ut vetuſtatis aliqua ratio haberetur, atque a veteri Officio diſtiguerentur, cum hæ novitiæ *Pater*, & *Credo* repetitiones invectæ fuere, ſtatutum fuit, ut ſecreto pronunciarentur; hæc ponderat Granculas *lib. ſuprac. cap.*25. Cur autem in medio ad preces partim clara voce, partim ſecreto, & non totum clara voce, ſicut in Miſſa, dicatur Symbolum, reddit rationem ex D. Th. Gav. ſup.

## De Initio Horarum. Cap. IV.

### *G A V A N T U S.*

1. TRibus modis inchoantur Horæ. Matutinum per *Domine labia mea aperies &c.* Completorium per *Converte nos &c.* Reliquæ Horæ per *Deus in Adjutorium.* De Matutini principio prædicto meminit Amalar. *lib. 4. c. 9.* & alii poſt eum. Signum Crucis ad os fieri, ſcribit Gemma *animæ lib.2. c.1.* De initio Completorii prædictus Hug. *in Spec. c 3.* De initio reliquarum Horarum quod diximus, Navarr. *de Oration. c. 3. n. 64.* & auctorem facit Damaſum ſuaſu Hieronymi. Gregorio tribuit Polid. Virg. *lib. 6. invent. cap.* 2. Amal. autem in Matutin. *lib. 4. c. 9.* non meminit hujus verſus *Deus in adjutorium.* Erat autem hic verſus in ore Monachorum frequentiſſimus, Caſſiano teſte *lib.12. Inſtit. cap.23. coll.*10. Signum Crucis a fronte ad pectus ad ea verba fieri tradidit Beleth. *de div. Offic. c.24.*

2. Contingit enim, ait Turrecrem. *ad Reg. S. Benedicti*, tribus modis peccare, corde, ore, & opere. *Domine labia*, dicitur contra peccatum oris. *Converte, &c.* contra peccatum cordis. *Deus in adjutorium* contra peccatum operis, & quia in peccatis oris, & cordis eſt aliquid operis, ideo ait Dur. *lib.5. c. 2.* in Matutino quoque, & Completorio additur ℣. *Deus in adjutorium &c.*

3. Aptius autem principio totius Officii præponitur, *Domine labia &c.* quia ore laudandus eſt Deus cum recitatione Officii: & quia per diem vagamur a Deo, ideo ſub noctem dicimus aptius, *Converte nos Deus, &c.* Per diem autem ſæpius cum antiquis Monachis dicimus, *Deus in adjutorium &c.*

4. Proſequimur cum *Gloria Patri, & Filio &c.* auctoritate Damaſi: & ad omnes Horas dici ſcribunt Amalar. *lib. 4. c. 9.* & VValafridus *cap.* 25. Damaſus tamen non eſt auctor hujus verſus, qui ante Damaſum a Nicæna Synodo fuit compoſitus: imo ab Apoſtolis fluxiſſe probat ex Baſilio Baronius *ann.* 325. Nicænumque addit: *Sicut erat in principio, &c.* ut idem Baron. *ibid. ex Concilio Vaſenſi can.* 7. Plura *infra c.*8.

5. Completur initium Horarum per, *Alleluja*. Vox eſt Hebræa, quæ ſignificat, Laudate Deum, ex Auguſt. in *Pſ.* 118. cum plenitudine tamen gaudii & exultationis, auctore S. Th. *poſt Gloſ. in cap. 19. Apocal.* Sanctus Germanus *in Theoria* explicat hoc modo; Al, venit; el, Deus; uja, laudate: vel ex eodem, Pater, Filius, Spiritus Sanctus; quam expoſitionem S. Gregorio tribuit Durand. *lib. 4. cap.* 20. ubi alias tres affert, quæ mihi non ſatis placent. In aliam linguam transferri non debet propter ſanctiorem auctoritatem, ait Iſidor. *lib.1. de divin. Offic. c.* 13.

6. A S. Hieronymo fuit hæc tranſlata de Jeroſolymitana Eccleſia ad Romanam, juſſu Damaſi, ut docet S. Gregorius *lib. 7. Epiſt. 63.* qui & eamdem vocem Romæ reſtituit; ex Rupert. *lib.1. de divin. Offic. cap.* 35. non ſimpliciter, ſed inſtituendo, ut diceretur etiam extra tempus Paſchale, ut exponit Baronius, Auguſtinum citans *in Pſal.* 106. *cum ſcribit de Damaſo ann.* 384. Erat enim in uſu Jeroſolymis ante Damaſum, qui & Romæ eamdem vocem ordinaverat; ſed deinde fuerat omiſſa uſque ad tempora S. Gregorii, qui eamdem reſtituit.

7. Poſt Septuageſimam loco, *Alleluja*, dicitur *Laus tibi Domine &c.* ex Decreto Alexandri Secundi, ut ait Auctor Gemmæ animæ *lib. 4. cap. 117. tit. de S. Stephano, in poſtremis Verbis.* Mutationis hujus ratio eſt, ex Alcuin. *c. de Septuag.* quia convenit humiliori tunc uti linguæ, qualis eſt Latina comparata cum Hebræa.

Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n.1. -- *De Matutini principio prædicto meminit Amalarius &c.*) A longo tempore Romana Eccleſia officio ſuo inſeruit precationes illas: *Domine labia, & Deus in adjutorium*, quia Amalarius a Gav. citatus earumdem mentionem facit. Primus autem, qui pro ſingulis Horis hanc Pſalmi Orationem *Deus in adjutorium meum* adhibuit, fuit S. Benedictus, atque ab eo hunc Ritum Romana Eccleſia accepit, ſed cum hoc diſcrimine, quod S. Benedictus ad Matutinum recitabat *Deus in adjutorium* ante *Domine labia mea*, Romæ vero a *Domine labia mea aperies* incipitur Divinum Officium, Magiſtri Regula *cap.44.* initium pariter facit a *Domine labia &c.* & reliqua *Verſus aperitionis* appellantur, & præſcribit Abbatem hunc Verſiculum canere debere, quia ipſe Officium incipere debet: *oportet in Nocturnis ab Abbate dici verſum aperitionis: Domine labia mea.* Animadvertit etiam, quod dum Verſiculus ille profertur, ori Crucis ſignum imprimendum ſit, quod modo nos facimus ſolo pollice manus dexteræ. Diximus Orationem *Deus in adjutorium,* in Officio Divino a S. Benedicto primum invectam fuiſſe, qui hoc fecit ad antiquorum Monachorum exemplum, quorum meminit Caſſianus *collat.*2. ubi ait: Abbatem Paphnutium præcepiſſe Monachis ſuis ut in omnibus vitæ ſuę actibus hanc Pſalmi precatiunculam adhiberent. Prędictum Ritum pręſcripſit etiam Conc. Aquiſgranenſe anno 810. his verbis. *Nocturnis Horis cum ad opus divinum ſurrexit Clericus, primum ſignum ſibi S. Crucis imponat per invocationem Ss. Trinitatis, deinde dicat Verſum, Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in Adjutorium meum .... totum cum Gloria Patri .... & ad Oratorium feſtinet, dicendo Pſalmum, Ad te levavi Animam.* Ex hac tamen diſpoſitione dicti Concilii evincitur antedictas preces adhuc ad Officium non pertinere, cum abſolvi deberent a Clericis antequam in Chorum pervenirent. Idem Ritus laudatur etiam in Regula Chrodogangi ex qua etiam eruitur, quod adhuc hę preces pars Officii minime erant, ſicut modo non ſunt apud nos in Officio Defunctorum, & tribus ante Paſcha diebus, ſacraque Epiphanię die.

Pſalmus *Deus in Adjutorium*, ut colligitur ex allegato

Cun-

Digitized by Google

Concilio Aquiſgranenſi antiquitus totus recitabatur, poſtea vero primus tantum Verſiculus cum *Gloria Patri*, & *Amen* ſervatus eſt.

II. Gav. n. 3. -- *Sub noctem dicimus aptius Converte nos Deus &c.*) Optime innuit Gavantus hoc loco, quod principio totius Officii præponitur *Domine labia mea &c.* Subjungens, quod ſub noctem, & ad Completorium dicimus aptius *Converte nos Deus &c.* Solent enim per diem rerum labentium curæ, & variarum imaginum confuſa phantaſmata orantium mentes diſtrahere; & idcirco initio Completorii, quod ſub noctem decantamus, opportune dicitur Verſiculus ille: *Converte nos Deus ſalutaris noſter &c.* Hunc tamen ante Completorium omittunt Monachi Ciſtercienſes, qui Regulam S. Benedicti exacte obſervant, quia idem S. Patriarcha talem Verſiculum in ſua Regula non præſcritit, ſed ſolum jubet, quod ſemper diurnis horis dicatur Verſus: *Deus in adjutorium meum intende*.

Dum autem promuntur illa verba ab Hebdomadario ad ſingulas Horas Canonicas, & ipſe, & alii Choro intereſſentes formant ſibi, ſignum Crucis; de quo quæritur ab Auctoribus qua ratione hoc ſignum exprimi debeat, & manu formari. Aliqui illud tribus digitis dextræ manus efformant ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, alii vero duobus, ad duas Chriſti naturas & voluntates contra Monophyſitas, & Monothelitas indicandas. Alii autem ſignant ſe a ſuperiori in inferius deſcendendo, & a dextra tranſeunt ad ſiniſtram, quia Chriſtus de Cœlo deſcendit in terram, & a Judæis tranſivit ad Gentes. Uſus tamen communis Occidentalis Eccleſiæ eſt, ut dextra manu extenſa Crucis expreſſio a fronte ad pectus & a ſiniſtro ad dextrum humerum ducatur. De hoc Crucis ſigno diffuſiſſime ſcribunt Jonas Epiſcopus Aurelianenſis, & Duncalus adverſus Claudium Iconoclaſtam Epiſcopum Taurinenſem, itemque Chryſoſtomus *Homil. 55. in Matth.* Scripſerunt quoque pie, & erudite de Cruce Juſtus Lypſius, & Jacobus Gretſerus; de Crucis vero veneratione antiquos Canones refert Antonius Auguſtinus, & de hac re plura etiam tradit Baronius in Annalibus, & Jacobus Boſſius in Cruce Triumphante. Noviſſime vero doctiſſimam elucubravit Diſſertationem D. Rupertus Sala Abbas Ciſtercienſis prælo dandam cum operibus Card. Bona ab ipſo illuſtratis. De cultu & veneratione Crucis præclarum etiam opus edidit S. Franciſcus Saleſius, cui titulus eſt Vexillum Crucis.

III. Gav. n. 4. -- *Proſequitur cum Gloria Patri, & Filio &c.*) Prædicta precatio *Deus in adjutorium*, quæ omnibus Horis Canonicis præmittitur, terminatur cum *Gloria Patri &c.* Hoc autem relationem habet ad Pſalmum illum, qui totus olim, ut diximus, decantabatur, & ad cujus finem, ſicuti ad aliorum Pſalmorum terminum, *Gloria Patri* dici ſolebat. Difficile tamen eſt, poſſe tempus aſſignari, quo facta eſt hujus Ritus prima inſtitutio propter varias, & oppoſitas Scriptorum, qui de hac re diſſeruerunt, ſententias. Walfridus Strabo *cap. 5. de Rebus Eccleſiaſticis* aſſerit Damaſum Papam hunc morem in Occidente invexiſſe ad Orientalium imitationem, id ſuadente S. Hieronymo. Walfridi ſententiæ nonnulli adhærent, ſed omnes decipiuntur ob Epiſtolam Hieronymi ad Damaſum, quæ habetur primo Tomo Conciliorum in Rebus Damaſi, in qua hæc leguntur -- Precatur ergo Cliens tuus, ut vox iſta pſallentium in Sede tua Romana diu noctuque canatur, & in fine Pſalmi cujuslibet, ſive Matutinis, ſive Veſpertinis Horis conjungi præcipiat Apoſtolatus tui Ordo *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, & quæ ſequuntur -- Decipiuntur, inquam, ob dictam Epiſtolam, quia in Calce ejuſdem, in Conciliis Coloniæ editis ex Baronio notatum eſt, quod ab eruditis Hieronymi res accuratius expendentibus, ea tamquam adulterina, ac plane commentitia exploditur. Rurſus quoniam in Epiſtola prædicta aſſeritur dicendum eſſe *Gloria Patri &c.* quemadmodum in Concilio Nicæno ſtatutum fuerat, atque in Oriente ſervabatur, hæc pariter narratio ſuppoſititiam omnino reddit citatam Epiſtolam, nullibi enim Canon iſte Nicæni Concilii in veteribus monumentis occurrit, neque Scriptor quiſpiam reperitur, qui Ritus illius mentionem faciat: quod vero morem Eccleſiarum Orientalium attinet, Caſſianus, qui non multo poſt S. Hieronymum floruit, *lib. 2. Inſtit. cap.* 8. ait -- Illud etiam, quod in hac Provincia videmus, ut uno cantante in clauſula Pſalmi omnes adſtantes concinant cum clamore *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, nuſquam per Orientem audivimus; ſed cum omnium ſilentio, ab eo, qui cantat, finito Pſalmo Orationem ſuccedere: hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo ſolere Antiphonam terminari -- Ex quibus Caſſiani verbis, ut optime arguit Cardinalis Bona *loc. cit.* §. 6. quis non videt nullam fidem prædictæ Epiſtolæ eſſe adhibendam? ſi enim Caſſianus ſagaciſſimus Sacrorum Rituum obſervator nuſquam audivit *Gloria* poſt Pſalmos in Oriente cantari, quomodo potuit Hieronymus, qui ante Caſſianum quinquaginta annis illa ſcripſiſſe dicitur, uſum qui non erat in Oriente, in Occidentem transferre?

Quis autem fuerit prædicti Hymni glorificationis Auctor, ambigitur ex Cardinali Bona, qui *de Divina Pſalmodia c. 16. §. 6.* ait certiſſimum eſſe, quod Hymnus glorificationis ab Apoſtolis compoſitus, a Patribus Nicænis auctum, ab Univerſa Eccleſia receptus, omni reverentia debet cantari. Manavit ergo ad nos Apoſtolica Traditione, atque adeo errarunt illi, qui innixi auctoritatibus Theodoreti *lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſ. c. 4.* Sozomeni *lib. 3. c. 19.* Hiſtor. Tripartitæ *lib. 4. c.* 35. & Nicephori *lib. 9. c. 23.* Flavianum Monachum Antiochenum hujus Hymni faciunt Auctorem. Cum enim Catholici imperante Conſtantino, Patrem cum Filio Pari gloria celebrarent; & Ariani ambiguis locutionibus Filium Patre inferiorem oſtendere conarentur; Flavianus, ſcripſerunt iſti, coacta Monachorum Caterva, primus omnium clara voce cantavit *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Sed hunc Hymnum Flaviano antiquiorem evincunt Sanctus Athanaſius *in lib. de Virginitate* & S. Baſilius *in lib. de Spiritu Sancto c. 7.* ubi ait: *Quapropter glorificationis Hymnum Patri ſimul cum Filio offerimus; ſed nonne hoc nobis ſufficit, quod hæc Patrum ſit Traditio?* Idem docet *c. 27. & 29.* ubi agit de Traditionibus Apoſtolicis. Ejuſdem quoque Hymni fit mentio in vita S. Eugeniæ, quæ ſub Commodo Imperatore floruit, in qua vita hæc habentur -- & Angeli tranſeuntes Hymnum Deo dicebant: hoc ſolum intelligebatur, quod nomen Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti in ipſis laudibus reſonabat: *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen* -- Quod igitur tradit Walfridus in *lib. de Reb. Eccl. c.* 25. ubi aſſerit a Magno Nicæno Concilio prædictum Hymnum compoſitum fuiſſe, intelligendum eſt de ſola illa appendice *Sicut erat, &c.* quam revera in eo Concilio additam fuiſſe aſſeverat Cardin. Bona *loc. cit.* Idque fuiſſe factum ad obſtruendum Sacrilegum os Arianorum iniqua loquentium, & aſſerentium fuiſſe tempus cum Filius non erat cum Patre. Confirmat ſuam aſſertionem Eminentiſſimus Auctor Teſtimonio Concilii Vaſenſis I. in Gallia paulo poſt Concilium Nicænum tempore Conſtantii Imperatoris ſub Julio Papa celebrati, licet ejus Canones exiſtant cum Vaſionenſi II. ſub Leone Magno, hac ſanctione edicta -- Quia non ſolum in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed a tempore fuiſſe, blaſphemant. In omnibus clauſulis poſt *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen*, dicitur: etiam nos in Univerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum decernimus -- Prædicta tamen verba *per totum Orientem* addita eſſe exiſtimat Menardus, cum nuſquam reperiatur apud Græcos, *Sicut erat in principio* fuiſſe in uſu. Walfridius quoque *cap.* 25. teſtatur Græcos non dicere, *Sicut erat in principio*, ſed hoc modo -- *et nunc, et ſemper, et in ſæcula ſæculorum Amen.* -- Rurſus etiam in vita S. Eugeniæ, & in Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi, & apud Joannem Moſcum in Patrono Spirituali *cap.* 219. hæc ſola clauſula habetur -- *nunc et ſemper, et in ſæcula ſæculorum Amen* -- immo quidam etiam hæc tantum verba promebant -- *in ſæcula ſæculorum Amen* -- ut videre eſt in Concilio Toletano 4.

Cæterum modus exprimendi etiam primam hujus Hymni partem varius fuit, & multiplex, primo *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ſecundo ex Sancto Baſilio *lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Gloria Patri, & Filio, & cum Sancto Spiritu*; tertio *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ita legitur in vita S. Eugeniæ ſupracitatæ, & ita decernitur in Concilio Toletano 4. ſupra allegato; quarto Ariani his verbis ad ſuæ hæreſeos patrocinium abutentes ita dicebant: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, ut colligitur ex Theodoreto *lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap.* 24. ubi refert, quod Leontius Patriarcha Antiochenus, ut diſſimularet hæreſim, cum eſſet in ſynaxi hæc ejuſdem Hymni verba - *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* ſubmiſſe promebat; reliqua vero *in ſæcula ſæculorum* clare, & diſtincte. Quinto Vigilius Papa Epiſt. 1. reprehendit errorem quorumdam, qui ſubducta una conjunctiva ſyllaba, perfectum Sanctiſſimæ Trinitatis vocabulum minuere conabantur dicentes: *Gloria Patri, & Filio Spiritui Sancto*.

Antiquiſſimus fuit Eccleſiæ mos decantandi in templo ad finem diei *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, quam glorificationem Græci Doxologiam minorem appellarunt, ad differentiam Hymni Angelici *Gloria in excelſis Deo*, quem Doxologiam majorem dixerunt: verbum enim Græcum *Doxa*, latine *Gloria* redditur. Poſtquam autem Ariana Peſtis graſſari cœpit, Eccleſia Catholica diligentius prædictum Ritum dicendi *Gloria Patri &c.* ſervavit.

Additum fuit verbum *Amen* in fine dictæ glorificationis, ad ſignificandum Eccleſiæ deſiderium, ut Gloria ſcilicet a ſe Trinitati data, eam re ipſa glorificet; verbum enim *Amen* Hebræum eſt, quod ſignificat, *ita eſt*, vel *ita ſit*, eſtque comprobatio eorum, quæ dicta ſunt, atque ut expleantur, deſiderium. In hoc Chriſtiana Eccleſia imitata eſt morem Judæorum, qui Sacerdoti precanti reſpondebant *Amen*, ut legere eſt Deuteronomii *cap.* 27. Tobiæ *cap.* 9. Qua voce ſignificabat Populus ſe probare, & rata habere quæ a Sacerdote dicta erant; hinc nos hac voce utimur etiam ad finem Collectarum, & Orationum. Cætera ad hanc vocem ſpectantia tradit Gracolas *loco cit. cap.* 26.

IV. Gav. n. 5. *Completur Initium Horarum per Alleluja &c.*) Verbum *Alleluja*, quo initium Horarum completur, Hebraicum profecto eſt, non vero Græcum, ut docuit Durandus *lib. 2. de Ritu Eccleſ. cap.* 20. Rurſus falſum eſt prædictum verbum non eſſe vocem alicujus linguæ, ut tradidit

An-

Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus in *cap. 9. Apoc.* ſi tamen ipſe ejus operis Auctor eſt. Hebraicum igitur eſt prædictum verbum *Alleluja*, cujus vocis legitimus ſenſus nihil aliud eſt, niſi *Laudate Deum cum jubilo, lætitia, et Cantu. Alleluja* enim non eſt una ſimplex dictio, ſed e duobus vocabulis compoſita, nempe *Hallelu*, & *Jah*, *Hallelu* idem eſt ac *Laudate*, *vocem extollite cum lætitia. Jah* vero unum eſt ex nominibus Dei. Cætera, quæ ſpectant ad hujus nominis explicationem, & interpretationem vide apud Cardinal Bona *citat. cap.* §. 7. ubi ſuo more eruditiſſime tractat non ſolum de hujus nominis interpretatione, ſed etiam de ejuſdem Antiquo Ritu tum in Eccleſia Judaica, tum etiam in Eccleſia Chriſtiana.

V. Gav. n. 6. -- *Ut docet S. Gregorius lib. 7. Epiſt. 63. etc.*) Quod in allegata Epiſtola ſcribit Gregorius Magnus, nimirum Damaſum Papam ex Beati Hieronymi traditione accepiſſe, ut ad imitationem Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, Romæ etiam cantaretur *Alleluja*, id caute intelligendum eſt, ut optime adnotat Gavantus ipſe, nec non Cardinalis Bona *loc. cit.* non enim eo tempore in Eccleſia Romana cantari cœpit *Alleluja*, ſed cum tempore tantum Paſchali concineretur, Damaſi tempore ſtatutum eſt, ut prædicta vox etiam extra tempus Paſchale adhiberetur. Porro vivente Damaſo adeo frequentabatur prædicta vox *Alleluja*, ut in funere quoque Defunctorum diceretur, idque colligitur *ex epiſt.* 30. Divi Hieronymi, in qua narrat, quod dum agebantur exequiæ Fabiolæ, templa reſonabant hujus vocis cantu. In Sacris item Defunctorum Liturgiis ab Hiſpanis dicebatur *Alleluja*, ut legitur in Miſſali Gothico, ſive Mozarabico, & in Eccleſia Gallicana eumdem Ritum ſervatum fuiſſe, oſtendunt Acta S. Radegundis apud Baronium *anno* 590. *n.* 39.

Hac voce ſæpe utitur Eccleſia in ſuis officiis poſt Antiphonas, Reſponſoria, & Verſiculos, præcipue Paſchali tempore. Omitti tamen ſolebat etiam antiquitus a Septuageſima uſque ad Paſcha, quia tale tempus triſtitiæ eſt, atque luctus.

Obſervandum ſupereſt quod utrumque verbum, nimirum *Alleluja*, & *Amen* Eccleſiæ ſermone adeo conſecratum eſt, ut neque Græci, neque Latini, aliæve Nationes linguis ſuis interpretari auſæ fuerint, quinimmo Apoſtoli ipſi in ſcriptis ſuis eadem retinuerunt, neque in aliud idioma tranſtulerunt, ſeu interpretati ſunt, ut eadem ratione loqueremur in Terris, qua Sancti gloriam Dei laudant in Cœlis. Divus enim Iſidorus *lib. 6. cap.* 19. Ait: *Amen, & Alleluja ſacroſancta ſunt, ut etiam Joannes referat audiſſe cæleſtes exercitus dicentium Amen, & Alleluja, ac per hoc ſic in terris oportet utraque dici, ſicut in Cœlo reſonant.*

## De Invitatorio. XIX.

### R U B R I C A.

1. *INvitatorium ſemper dicitur in omni Officio ad Matutinum cum Pſalmo Venite exultemus, ordine in principio Pſalterii deſcripto; ſed variatur pro Officii qualitate, ut in Pſalterio & Proprio de Tempore, ac in proprio et Communi Sanctorum.*

2. *Non dicitur in die Epiphaniæ, nec in triduo ante Paſcha, ut ſuis locis notatur: nec in Officio Defunctorum per annum, excepto die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, ac in die obitus ſeu depoſitionis Defuncti, et quandocumque dicuntur tres Nocturni.*

## De Invitatorio. Cap. V.

### *G A V A N T U S.*

1. HAbetur *Invitatorium* apud Amalar. *lib. 4. capit.* 9. in quo inquit: communis Cœtus Fratrum convocat omnes degentes undique, ut excitentur, & veniant ad confitendum Domino. De eodem Alcuinus ante Amalar. dum cauſam reddit, cur Invitatorium in die Epiphaniæ non dicatur.

2. Dicitur autem ſexies integre, infra Pſalmum, *Venite*, & ter imperfecte, ideſt pro medietate ejuſdem: quia aliqui perfecte, aliqui imperfecte invitationem recipiunt. Senarius eſt perfectorum, qui conſtat uno, duobus, tribus. Imperfectorum numerus eſt illorum trium, qui Superbiæ, Avaritiæ, & Luxuriæ ſtudent -- Dur. *in Rat. lib. 5. cap,* 3. Sexies item integre, quia in ſex ætatibus mundi invitantur omnes ad Deum. Mich. Timot. *in Spec. ordin. 4. p. tract. 6. cap.* 16.

3. Variatur pro Officii qualitate, & in Feriis variari tradit Radulph. *propoſ.* 15. quæ varietas concinnior eſt hodie, quam ante Pium V. tum in Officio de Tempore, tum de Sanctis.

4. Dominico die, de Creatione; *Qui fecit nos*, quæ facta eſt primo dierum omnium, in reliquis diebus concordat Invitatorium cum antiquis.

5. In die Epiphaniæ non dicitur, ex Alcuino *cap. de Theophania*, quia, inquit, Herodes invitavit, & congregavit Scribas ut ſcirent de Chriſto ad eumdem occidendum; vel quia Magi, inquit Hugo *in Spec. cap.* 3. a nemine invitati venerunt ad Chriſtum, vel quia Pſalmus, *Venite* dicitur eo die in nocturnis, neque bis in eodem Officio dici Pſalmus ſolet, Dur. *lib. 6. c.* 16. & in tertio Nocturno Pſalmus ille dicitur, quia tempore gratiæ invitantur omnes ad Deum, non ita communiter in lege, & ante legem. Unde frequens eſt repetitio verborum. *Venite adoremus eum.*

6. Non dicitur in triduo ante Paſcha ne imitemur, ſed potius per ſilentium deteſtemur peſtiferum Judæorum conſilium, & conventum eorum contra Chriſtum. Præterea Apoſtoli tunc diſperſi erant, qui alios ad Dominum invitare conſueverant. Dur. *tit. 6. cap.* 72.

7. Quando, & cur in Officio Defunctorum dicatur, vel taceatur, dicemus ultima Sectione.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. -- *Convocat omnes degentes undique etc.*) Invitatorium dicitur ſignum illud, quo Eccleſia Filios ſuos ad Officium vocat, & reipſa Pſalmus *Venite* eſt quædam invitatio. In Officio Mozarabico Sancti Iſidori Invitatorium vocatur *Sonus*, quaſi Tuba eſſet excitans homines ad Deum laudandum. In Regula vero Monachorum Auctore Anonymo, quem tamen Magiſtrum communiter vocant, Invitatorium dicitur *Verſus aperitionis*, ſeu *Reſponſorium hortationis*. Romæ olim nullum erat Invitatorium, quod ad hanc uſque diem ſervatur tribus ante Paſcha diebus, & in Defunctorum Officio ſolemniter non celebrato; quando autem Romæ receptum fuit, dicebatur Invitatorium his tantum diebus, quibus Populus ad Officium convenire conſueverat, unde Populi gratia Matutino fuit inſertum. Ex Romanis Ordinibus colligitur, majoribus Feſtis duo Officia noctu celebrata fuiſſe, primum recitabatur in Sacello Pontificio, & hoc quidem ſine Invitatorio, ſecundum vero dicebatur cum Invitatorio, quia Populus huic intererat; Amalarius teſtatur *Supplem. c.* 4. ætate ſua Invitatorium Dominicæ duntaxat Officio, non vero feriali præfixum fuiſſe, quia Populus plerumque diebus, quibus exercetur opus ſervile, Officio non interveniebat, neque ad illud invitabatur; Clerici vero, atque Monachi, qui ex lege ſui Status, ſeu Inſtituti ad Officium tenebantur, ad hoc recitandum Invitatorio opus non habebant. Et Graocolas *l. 1. c.* 27. aſſerit Invitatorium a Monachis originem habere, qui hoc ſigno mane excitabantur, & ut expergeſierent, promebantur illa verba: *Venite, adoremus Dominum*, inde Invitatorii occaſione Pſalmus *Venite* additus fuit, ex quo deſumptus eſt Verſiculus ille *Venite, adoremus*. Hæc tamen intelligenda ſunt de antiquiſſimis Monachis, nam in Regula S. Benedicti *c.* 9. præſcribitur, quod poſt prædictum Hymnum glorificationis Pſal. 94. Invitatorius appellari ſolitus, ſit decantandus, idque in ipſo Divini Officii exordio. Ante Sancti Benedicti tempora recitatum fuiſſe, quidam volunt ex Athanaſio, qui in Sermone de Deipara teſtatur Chriſtianos ad precum principium invitantes invicem, & adhortantes clamare ſolitos verba hujus Pſalmi. Et Marcus Gazæus Diaconus, qui vivebat Anno Domini 430. Proceſſionem deſcribit Chriſtifidelium Pſalmum *Venite exultemus* concinentium, & in Verſiculorum Pſalmi interciſione dicentium *Alleluja*, quæ modulatio quamdam Invitatorii ſpeciem repræſentat.

Rurſus in prædicta Regula Sancti Benedicti non ſolum præſcribitur recitatio Pſalmi 94. ſed etiam additio Antiphonæ. Antiphona autem, ait Martene in ſuo Commentario, hic vocat Invitatoriam huic Pſalmo præmitti ſolitum, v. g. *Regem Confeſſorum Dominum venite adoremus*, quod Amalarius vocat Invitatoriam Antiphonam, id, quod confirmat Ordo Romanus XI. Benedict. in quo *n.* 52. habetur: Infra Albas Paſchæ ad Matutinum Invitatorium *Surrexit Dominus vere &c.* Repetitur autem, aut ex toto aut ex parte ad ſingulos Pſalmi Verſiculos, idque a tempore Sancti Benedicti, ut ſcribit Boherius *in ſuo Comentar.* Meminit Amalarius *in Supplemento ad lib. 4. de Offic. Divin.* quod habetur in Analectis *tom.* 2. Invitatorium juxta Regulam Sancti Benedicti feſtivis diebus hedomadalibus ſine modulatione Antiphonæ ſolere dici; cum enim in dicta Regula habeatur de Pſalmo 94. quod *ſit certe decantandus*, hinc Bernardus Caſſinenſis exiſtimat talem Pſalmum aliquando in directum eſſe dicendum, & ſine Antiphona, ut legitur pariter in Petri Diaconi Textu; & certe Paulus Auguſtinus a Janua relatus a Martene obſervat in Regulam *cap.* 12. particulam *De* interdum eſſe negativam, ut idem ſit decantare, ac non cantare, ſed ſimpliciter ſine vocis modulatione.

II. Gavant. num. 4. -- *In die Epiphaniæ non dicitur &c.*) In die ſolemni Epiphaniæ Invitatorium Romæ hactenus non dicitur ob rationes allegatas a Gavanto, nempe ne bis idem Pſalmus repetatur, & revera Benedictini, qui ad tertium Nocturnum cantica habent, ſicut etiam Carthuſiani, qui Pſalmos Epiphaniæ proprios recitant, inter quos Pſalmus *Venite* non habetur, cum ab Officii initio cum Invitatorio in Epiphaniæ Feſto decantant: eumdem eſſe morem Ciſtercienſium teſtatur Cardinalis Bona *loc. ſupr.* ubi ait -- Nos vero, qui ex præſcripto Regulæ noſtræ in tertio Nocturno tria Cantica e veteri Teſtamento pſallimus, ipſa etiam apparitionis die Invitatorium more ſolito decantamus -- Hæc Cardinalis Bona. Conſtat tamen ex Amalarii Supplemento ſupracit. omiſſum fuiſſe etiam apud Benedictinos in Epiphania hunc Pſalmum in Officii initio, & in ſecundo nocturno decantatum.

De

Digitized by Google

## De Hymnis XX.

### R U R I C A.

1. HYmni ſemper dicuntur in qualibet Hora, præterquam a triduo ante Paſcha, uſque ad Veſperas Sabbati in Albis excluſive, & præterquam in Officio Defunctorum.

2. *Ad Matutinum Hymnus dicitur poſt Pſalmum, Venite, repetito Invitatorio, præterquam in die Epiphaniæ: ad Laudes, & Veſperas dicitur poſt Capitulum: ad Horas, ante Pſalmos: ad Completorium, poſt Pſalmos, & Antiphonam.*

3. *Dicuntur autem in Officio de Tempore, ut in Pſalterio, quando proprii Hymni in proprio de Tempore non adſunt; qui Hymni de Pſalterio in Dominicis, & Feriis aſſignati, dicuntur ab Octava Pentecoſte uſque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Chriſti excepta) & ab Octava Epiphaniæ uſque ad Dominicam 1. Quadrageſimæ excluſive. In Officio de Sanctis dicantur, ut in communi Sanctorum, niſi proprii in proprio Sanctorum habeantur.*

4. *In Nativitate Domini uſque ad Epiphaniam, in Feſto Corporis Chriſti, & per Octavam, & quandocumque fit Officium B. Mariæ tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paſchali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni Ave maris ſtella, & Hymni ad Laudes in Feſto Corporis Chriſti, qui habet ultimum verſum proprium) dicitur: Jeſu tibi ſit gloria, Qui natus es de Virgine: ut in ejus Officio parvo, etiamſi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas prædictas celebrantur, dummodo Hymni illi ſint ejuſdem metri, nec habeant ultimum verſum proprium, ut Hymnus S. Crucis ad Veſperas, & plurimorum Martyrum ad Matutinum.*

5. *In Epiphania Domini, & per octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: Jeſu, tibi ſit gloria, Qui apparuiſti Gentibus.*

6. *A Dominica in Albis uſque ad Aſcenſionem, in Pentecoſte, & per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: Deo Patri ſit gloria, et Filio, qui a mortuis; etiam in Feſtis Sanctorum eodem tempore Paſchali occurrentium, dummodo Hymni ſint ejuſdem metri, nec habeant ultimum verſum proprium, qui non mutatur, ut ſupra.*

7. *In Aſcenſione autem uſque ad Pentecoſten (præterquam in Hymno, Salutis humanæ Sator) dicitur: Jeſu, tibi ſit gloria, Qui victor in Cœlum redis; ſimiliter etiam in Feſtis tunc occurrentibus.*

8. *In Transfiguratione Domini dicitur: Jeſu, tibi ſit gloria, Qui te revelas parvulis. Aliis temporibus terminantur Hymni, ut ſuis locis ponitur.*

## De Hymnis, Cap. VI.

### *G A V A N T U S.*

1. HYmni Græce, Laudes Latine. Sunt enim cantus laudem continentes Dei, Auguſt. *in Pſalm.* 72. ita ut hæc tria conſtituant Hymnum, Laus, Dei Laus, & Cantus. Carmina quæcumque in laudem Dei, Hymni vocantur ab Iſidoro *lib.* 1. *de Divin. Offic. c.* 6.

2. Primus auctor David, ex Iſidoro *ibid.* inter Græcos e noſtris primus Hierotheus, & Nepos, apud Euſebium *lib.* 7. *Hiſt. c.* 19. Deinde Hilarius e Latinis Librum edidit Hymnorum Eccleſiaſticorum, teſte Hieronym. *de Script. Eccleſ.* quem imitatus Ambroſius, Hymnos Populo componens, perſecutionem Juſtinæ Auguſtæ rerum novitate lenivit, ut ſcribit Walafr. *de rebus Eccleſ. c.* 25. & tunc in Eccleſia quoque cantari cœperunt; quamquam & Apoſtolicum inventum fuiſſe dicendum eſt, de quo Paulus *Coloſ.* 3. *Epheſ.* 5. immo a Chriſto deduci poteſt, qui Hymno dicto, exivit in Montem Oliveti. *Matth.* 26.

3. Cantandos autem in Eccleſia Romana compoſuit quoque Gelaſius Papa, ex Walaf. *loco cit.* cantuſque eorumdem in Horis Canonicis approbavit Conc. Turon. 4. *Can.* 22. *Tolet.* 4. *cap.* 12.

4. Significant Hymni Fortitudinem, & Majeſtatem Dei, & ejuſdem vel beneficia, vel facta miranda, ait Hieron. citat. ab Amalar. *lib.* 4. *c.* 3. unde & ſtando eos cantamus ob reverentiam, & ut nitendamus nos ſurſum habere quoque ad Deum corda noſtra. Durand. *lib.* 5. *c.* 2.

5. Multos enumerat Hymnos Radulph. *propoſ.* 13. qui erant tunc in uſu: e quibus nos cantamus eos, qui ſequuntur; quorum Auctores hoc loco addimus, prout alii nobis tradiderunt non contemnendi Scriptores.

1. Ad Cœnam Agni providi. *Nondum novi Auctorem.*
1. Æterna Cœli gloria. *Ambroſii eſt ex Mich. Timoth.*
1. Æterna Chriſti munera Apoſtolorum, & Martyrum. *Ambroſiani ſunt ex Dionyſ. Carthuſ. & Clictoveo. Sed alterum pro Martyribus tribuit Gregorio Timotheus, in quadam editione, non in omnibus.*
2. Æterne rerum conditor. *Ambroſianus eſt, ex Radulph. loc. cit. & ex Timoth.*
1. Ales diei nuncius. *Prudentii ex Clictov. & Timoth.*
4. Angularis fundamentum. *Pars eſt Hymni*, Urbs Jeruſalem beata, *de quo infra.*
3. Antra deſerti teneris ſub annis. *Pauli Diaconi, ex Clictov. Carthuſ. Timoth.*
1. A Solis ortus cardine. *Sedulii ex Cornel. Scult. tom.* 5. *part.* 2. *c.* 26. *Biblioth. Alphabeticus eſt, quia primi verſus ab A. alii a B.C.D. &c. quod notavit Timoth.*
1. Audi benigne Conditor, *Ambroſ. ex Cornel. loc. cit. Prudentii, ex Thimot. Gregor. ut in ejuſdem operibus tom.* 5. *Romæ* 1593. *in calce Sacramentarii.*
5. Ave maris ſtella. *S. Bernardo tribuitur a Franc. Coſtero.*
2. Aurea luce, & decore roſeo. *Elpis uxoris, Boetii, quæ vixit circa Ann.* 522. *in Ligno Vitæ, de Anicia familia.*
1. Aurora jam ſpargit polum. *Ambroſ. ex Timoth. ſi nota marginalis eſt Timoth. non enim ita in omnibus ejuſdem libris habetur.*
1. Aurora lucis rutilat. *Ambroſ. ex Cornel.*
1. Beata nobis gaudia. *Hilarii ex Cornel.*
1. Cœli Deus ſanctiſſime. *Ambroſii dicitur eſſe, in quibuſdam Brev.*
1. Chriſte redemptor omnium. *In Natali, Ambroſianus eſt ex Thimoth.*
2. Chriſte Sanctorum decus Angelorum. *Deſideratur Auctor.*
1. Conditor alme ſiderum. *Ambroſ. ex Thimoth.*
1. Conſors paterni luminis. *Ambroſii ex Cornel.*
1. Deus tuorum militum. *Ambroſ. ex Radulph. Gregor. ex Timoth.*
3. Ecce jam noctis tenuatur umbra. *Greg. ex Clictov. & Timoth. in calce Sacram. Greg. habetur.*
1. Ex more docti myſtico, *Ambroſ. ex Thimoth.*
1. Exultet Cœlum laudibus. *Ignoratur auctor.*
1. Hoſtis Herodes impie, *Sedulii ex Timoth.*
1. Jam Chriſte Sol juſtitiæ. *Ambroſ. in quibuſdam Brev. & ex Jo: Bapt. Rubeo.*
1. Jam Chriſtus aſtra aſcenderat. *Ambroſ. ex Radulph. Greg. ex Cornel.*
1. Jam lucis orto ſydere. *Ambroſ. ex Clictov. Carthuſ. Timoth.*
1. Jeſu corona celſior. *Ambroſ. ex Radulph.*
1. Jeſu corona Virginum. *Ambroſ. ex Radulph. Greg. ex Timoth.*
1. Jeſu noſtra redemptio. *Ambroſ. ex Cornel.*
1. Jeſu Redemptor omnium. *Deſidero auctorem.*
1. Immenſe Cœli conditor. *Ambroſ. ex Timoth.*
3. Iſte Confeſſor Domini ſacratus. *Nondum ſcitur auctor.*
1. Lucis Creator optime. *Gregorianus eſt, ex Timoth. & habetur in calce Sacram. Gregoriani.*
4. Luſtris ſex, qui jam peractis. *Ambroſ. ex Jacobo de Valentia in Pſ.* 95. *apud Timoth. ſed videtur auctoris, qui ſcripſit* Pange lingua: *unde ut unus Hymnus habetur in Miſſa Feriæ VI. Paraſceve.*
1. Lux ecce ſurgit aurea. *Prudentii ex Jo: Bapt. de Rubeo, in Pſalter.*
1. Magnæ Deus potentiæ. *Ambroſ. in quibuſdam Brev.*
1. Martyr Dei, qui unicum. *Auctor neſcitur.*
3. Nocte ſurgentes vigilemus omnes. *Greg. ex Clict. & Timoth. & legitur in calce Sacram. Greg.*
1. Nox atra rerum contegit. *Ambroſ. ex Timoth.*
1. Nox, & tenebræ, & nubila. *Prudentii ex Clict. & Timoth.*
1. Nunc Sancte nobis Spiritus. *Ambr. ex Clictov. Carthuſ. Timoth.*
1. O glorioſa Domina. *Fortunati, ex Corn. Ambroſii, ex Rubeo.*
2. O lux beata Trinitas. *Alcuini ex Cornelio. Gregorii ex Timoth.*
3. O nimis felix, meritique celſi. *Pauli Diaconi ex Clict. & Carthuſ. Timoth.*
4. Pange lingua glorioſi Prælium certaminis. *Fortunati ex Baron. Ann.* 566. *& Timoth.*
1. Plaſmator hominis Deus. *Ambroſii, in quibuſdam Brev. Gregor. in aliis Brev.*
1. Primo dierum omnium. *Gregor. ex Clictov. Timoth. & habetur in calce Sacram. Gregor.*
1. Quem Terra, Pontus, Æthera. *Fortunati ex Corn. Greg. ex Timoth.*
1. Rector potens verax Deus. *Ambroſ. ex Clict. Carthuſ. Timoth.*
1. Rerum Creator optime. *Ambroſ. ex iiſdem.*
1. Rerum Deus tenax vigor. *Ambroſ. ex iiſdem.*
1. Rex glorioſe Martyrum. *Greg. ex Timoth.*
1. Rex ſempiterne Domine. *Quis mihi det Auctorem?*
6. Sanctorum meritis inclyta gaudia. *Neque Auct. novi.*
1. Somno refectis artubus. *Ambroſ. ex Corn. & Timoth.*
1. Splendor paternæ gloriæ. *Ambroſ. ex Radulph. & Timoth.*
1. Summæ Deus clementiæ. *Ambr. ex Carth. & Timoth.*
1. Te lucis ante terminum. *Ambr. ex Corn. & Timoth.*

1. Tel-

1. Telluris ingens conditor. *Ambroſ. in quibuſdam Brev,*
5. Tibi Chriſte ſplendor Patris. *Quis auctor?*
1. Tu Trinitatis unitas. *Ambroſ. ex Cornel.*
1. Veni Creator Spiritus, *Ambroſ. ex Cornel,*
1. Verbum ſupernum prodiens A Patre. *Greg. in quibuſdam Brev. S. Tom. Aquin. ex Timoth. quem forte ſefellit alterius Hymni ſimile principium.*
1. Vexilla regis prodeunt. *Theodulphi, ſeu Theodoli, ex Benzonio in Magnif. lib. 1. c. 5. Fortunati, ex Baron. An. 566. Sedulii, ex aliis, vel Ambroſ. apud Timoth.*
3. Virginis proles, opifexque Matris. *De Auctore nemo.*
1. Vox clara ecce intonat. *Ambroſ. ex Cornel.*
4. Urbs Jeruſalem beata. *Auctor Ambroſ. ex Rubeo.*

3. Ut queant laxis reſonare fibris. *Pauli Diaconi.* Hunc putant aliqui in prima ſtrophe collegiſſe ſex notas muſicales, ut, re, mi, fa, ſol, la; ſed errant; nam hæ notæ cœpte ſunt adhiberi tamquam muſicales a Guidone Abbate, qui Græcos imitatus muſicos, ſyllabis uſos ad muſicam docendam, adinvenit & ipſe has ſyllabas latinas de prædicta Hymni ſtrophe de ſumptas, ut ſcribit Arnoldus Auctor Ligni Vitæ *lib.* 5. obiit autem Guido An. 1020 longe poſt Paulum Diaconum, qui floruit Anno 770.

6. Radulphus *loc. cit.* ſignificat alios Hymnos fuiſſe tunc in uſu in Hymnis Romanis, & fortaſſe non paucos de ſequentibus, quos ille non indicat; & habentur in Breviario Pii V.

4. Æterne Rex altiſſime. *Gregor. in quibuſdam Brev. habetur etiam in Brev. MS. ante ann. 300.*
1. Æterne Patris unice. *Non ante ann. 1550. Auctorem deſidero.*
1. Amor Jeſu dulciſſime. *Bernardo tribuit Timoth. in Brev. non ante ann. 1550. fuit in uſu.*
1. Audit Tyrannus anxius. *Prudentii ex Timoth. poſt ann. 1550. eſt in Brev.*
1. Chriſte Redemptor omnium. *De omnibus Sc. Ambroſ. ex Timoth. habetur in præd. Brev. MS.*
1. Claro Paſchali gaudio. *Habetur in præd. MS. Brev. Auct. idem qui Hymni,* Triſtes erant Apoſtoli, *unus enim erat Hymnus, qui nunc diviſus eſt.*
6. Cuſtodes hominum Pſallimus Angelos, *ann. 1608. auctoritate Pauli V.*
2. Doctor egregie Paule. *Elpis dicitur eſſe a Cornel. ſupra habetur in præd. MS. Brev.*
1. Fortem virili pectore. *Sylvii Antonian. in recognit. Brev. a Clem. VIII.*
3. Hujus obtentu Deus alme noſtris. *Pars Hymni* Virginis proles, *de qua infra.*
2. Jam bone Paſtor Petre. *Elpis. Habetur in præd. Breviar. MS.*
1. Jeſu Salvator ſæculi. *In præd. Brev. MS. Sed Auctorem neſcio.*
1. Memento ſalutis auctor. *Pars eſt Hymni Natalis Domini,* Chriſte Redemptor omnium.
1. Nardo Maria piſtico. *Pars Hymni in Benedict.* Palmarum *in Ordine Romano, mutatus in Brev. recognitione ſub Clem. VIII. & eſt S. Greg. ex Rubeo.*
1. Orbis patrator optimæ, *ann. 1608. juſſu Pauli V.*
1. O ſola magnarum Urbium. *Prudentii ex Timoth. non ante ann. 1550. in Brev. eſt.*
4. Pange lingua glorioſi Corporis. *S. Thom. Aquin. in Opuſc. 57.*
1. Pater ſuperni luminis. *Roberti Card. Bellarm. in recogn. Brev.*
2. Petrus beatus catenarum laqueos. *Dicitur Elpis, in prædicto Brev. MS. ante 300. annos habetur.*
1. Quicumque Chriſtum quæritis. *Prudentii, ex Tim.* ſed nota marginalis in alia *editione tribuit Bernardo. Non ante ann. 1650. habetur in Brev.*
2. Quodcumque vinclis ſuper terram. *Elpis, habetur in prædicto Brev. MS.*
6. Sacris ſolemniis juncta ſint gaudia. *S. Th. opuſc. 57.*
1. Salvete flores martyrum. *Prudentii, ex Timoth. non ante ann. 1550. in Brev. habetur.*
1. Triſtes erant Apoſtoli. *Habetur in Brev. MS. prædicto, auctorem facit Ambroſium Rubeus.*
1. Verbum ſupremum prodiens, Nec Patris. *S. Thom. opuſc. 57.*

*Omnes ergo ſunt numero* XCVI.

7. Si rationem Metri cujuſque ſcire cupis, breviter addam: nam ad ſex ſpecies ii reducuntur, & formas. In prima ſunt Hymni Jambici Dimetri, a Jambo pede, & a duabus menſuris dicti: & ii ſunt, quos a capite notavimus hac nota, 1. hoc eſt, primæ ſpeciei.

In ſecunda continentur Jambici Trimetri, a Latinis ternarii, vel ſenarii appellati, qui conſtant ſex pedibus, locis imparibus: ii vere ſunt, quos notavimus a capite hac nota 2. hoc eſt, ſecundæ ſpeciei.

Tertia forma continent Sapphicos cum Adonico in fine, notatos hac nota 3.

Ad quartam ſpectant Trochaici Dimetri, hac nota 4.

Quintæ formæ, nempe Trochaici, & a Servio Ithyphallici, unicus eſt Hymnus in ejus laudem, quæ unica eſt Mater, & Virgo. *Ave maris ſtella*; qui ſpeciem metri tantum habet quoad ſyllabas, ut notat Clictov. & Cathuſ.

Sexta complectitur Aſclepiadæos cum Glyconico in fine, notatos hac nota 6.

8. Sed auctores Eccleſiaſticorum Hymnorum leges metri ſæpius neglexerunt, ut ſenſui verba conſonarent: quod de ſe fatetur S. Bernard. *epiſt.* 312. *ad Guidonem*, & in prædictis patet. Ambroſius e ſupradictis accuratius Hymnos *nn.* 77. compoſuiſſe creditur. Gregorius octo: Bernardus duo; Hilarius unum: S. Thomas quatuor; reliquos alii, quos nominavimus.

* 9. Prædictos Hymnos emendavit tandem Ss. D. N. Urbanus VIII. correctis falſis ſyllabis ultra nongentas, & mutatis ideo principiis Hymnorum ultra triginta, anno 1629. quos & laudavit S.R.C die 17. Martii ejuſdem anni. Intactos reliquit tres de Ss. Sacramento, ratione Ethruſci ritus, quos Auctor S. Th. eos compoſuit: Hymnum item, *Ave Maris ſtella*, quæ eſt ſoluta potius oratio aliquibus inciſis partita: & Hymnum Angelorum ad Veſperas, qui ſine labe fuit, & paucos alios.

*Index ergo deinceps hic erit.*


1. AD regias agni dapes.
1. Æterni Cœli gloria.
1. Æterna Chriſti munera.
1. Æternæ Rector ſyderum.
1. Æterne rerum Conditor.
1. Æterne Rex Altiſſime.
1. Ales diei Nuntius.
1. Alto ex Olympi vertice.
3. Antra deſerti teneris ſub anni.
1. A ſolis ortus cardine.
1. Audi benigne Conditor.
1. Audit Tyrannus anxius.
5. Ave Maris ſtella.
1. Aurora jam ſpargit polum.
1. Aurora Cœlum purpurat.
1. Beata nobis gaudia.
2. Beate Paſtor Petre, clemens accipe.
1. Cœli Deus ſanctiſſime.
3. Chriſte, Sanctorum decus Angelorum.
1. Chriſto profuſum ſanguinem.
1. Cœleſtis Urbs Jeruſalem.
1. Conſors paterni luminis.
1. Creator alme ſyderum.
1. Crudelis Herodes, Deum.
6. Cuſtodes Hominum pſallimus Angelos.
2. Decora lux Æternitatis auream.
5. Deus tuorum militum.
3. Ecce jam noctis tenuatur umbra.
2. Egregie Doctor Paule mores inſtrue.
1. En clara vox redarguit.
1. Ex more docti myſtico.
1. Exultet orbis gaudiis.
1. Fortem virili pectore.
1. Hominis ſuperne Conditor.
3. Hujus oratu, Deus alme nobis.
1. Jam Chriſtus aſtra aſcenderat.
5. Jam lucis orto ſydere.
1. Jam ſol recedit igneus.
1. Jeſu Corona celſior.
1. Jeſu Corona Virginum.
1. Jeſu Redemptor omnium, Perpes.
1. Jeſu Redemptor omnium, quem.
1. Immenſe Cœli Conditor.
5. Invicte Martyr, unicum.
3. Iſte Confeſſor Domini, colentes.
1. Lucis Creator optime.
4. Luſtra ſex, qui jam peregit.
1. Lux alma Jeſu mentium.
1. Lux ecce ſurgit aurea.
1. Magnæ Deus potentiæ.
1. Maria caſtis oſculis.
1. Memento rerum Conditor.
2. Miris modis repente liber, ferrea.
3. Nocte ſurgentes vigilemus omnes.
1. Nox atra rerum contegit.
1. Nox, & tenebræ, & nubila.
1. Nunc Sancte nobis Spiritus.
1. O glorioſa Virginum.
3. O nimis felix, meritique celſi.
1. O ſola magnarum Urbium.
1. O ſol ſalutis, intimis.
4. Pange lingua glorioſi Corporis.
4. Pange lingua glorioſi Lauream.
1. Paſchale Mundo gaudium.
1. Pater ſuperni luminis.
1. Placare, Chriſte, ſervulis.
1. Primo die, quo Trinitas.
1. Quem Terra, Pontus, Sydera.
5. Quicumque Chriſtum quæritis.

2. Quodcumque in Orbe nexibus revinxeris.
1. Rector potens, verax Deus,
1. Rerum Creator optime.
1. Rerum Deus tenax vigor,
5. Rex Glorioſe Martyrum.
5. Rex ſempiterne Cœlitum.
6. Sacris ſolemniis juncta ſint gaudia,
5. Salvete flores Martyrum.
5. Salutis æterne Dator,
5. Salutis humanæ Sator.
6. Sanctorum meritis inclyta gaudia,
2. Somno refectis artubus.
1. Splendor paternæ gloriæ.
5. Summæ Parens Clementiæ,
1. Summi Parentis Unice.
5. Te lucis ante terminum.
1. Telluris alme Conditor.
1. Te ſpleodor, & virtus Patris,
1. Triſtea erant Apoſtoli.
1. Tu Trinitatis unitas,
1. Veni Creator Spiritus.
1. Verbum ſupernum prodiens E Patris.
1. Verbum ſupernum prodiens, Nec Patris,
5. Vexilla regis prodeunt.
3. Virginis Proles, Opifexque Matris,
3. Ut queant laxis reſonare fibris,

10. Mendum curant aliqui, in Hymnis Jambicis, quando legunt novem ſyllabarum verſus, non advertentes, Anapæſtum poni pedem primo loco, qui conſtat duabus primis ſyllabis brevibus, & tertia lunga, pro ſpondeo, vel jambo, ut: *Hominis ſuperne Conditor*, *Populique Rex Judaici*, *Tibi mille denſa milium*. *Michael ſalutis Signifer*.

11. Hymni dicuntur, vel poſt Invitatorium, ex inſtitutione Gelaſii, ait Platina, in ſignum gaudii vocatorum ad Deum, ex *Mich. Timoth. loc. cit. cap.* 17. & ad excitanda, ne ſint torpentia, corda, Hugo Vict. *lib.* 2. *de Offic. cap.* 8. vel poſt Pſalmos, ut excitemur ad immediate ſequens Canticum Evangelicum, ut in Laudibus, Veſperis, & Completorio; Hugo *ibid.* vel ante Pſalmos, uti ad alias Horas, ut initio Horæ ad dulcedinem divini amoris retrahantur corda, curis quotidianis occupata. *Hugo ibid.*

12. Finis Hymnorum variatur pro ratione Feſtorum, ut dicitur in Rubr. *de Hymnis n.* 4. & in Nativitate Domini, auctore Sancto Bonaventura, uſque ad Epiphaniam, fit ſemper mentio de partu Virginis. Idem fit in Feſto Corporis Chriſti, auctore Sancto Thoma Aquinate in honorem Deiparæ, de cujus carne eſt caro Chriſti, & habetur in Decreto a nobis ſupra citato Joannis XXII. In Epiphania, quæ ſignificat apparitionem, apparet ratio cur dicatur in fine, *Qui apparuiſti Gentibus*: ob eamdem cauſam dicitur: *Qui te revelas parvulis* in Transfiguratione Domini. Reliquarum terminationum patet ratio, niſi dubites in Pentecoſte, cur dicatur: *Deo Patri ſit gloria &c.* qui finis hodie communis eſt temporis Paſchalis: ſed ut attinent ad Paſchale tempus ea verba: *a mortuis ſurrexit*; ita ad Pentecoſten illud verbum; *Paraclito*, cui fit Feſtum in Pentecoſte.

13. Excipiuntur duo genera Hymnorum, quæ non patiuntur mutationem aliquam; nimirum, quando Hymni non ſunt ejuſdem metri; abſonum enim eſſet, præſertim ubi cantantur Hymni: & quando Hymni habent ultimum verſum proprium, hoc eſt, ita proprium, ut ſi careat ſolito fine, careat petitione, quæ fit ad Deum ante glorificationem Sanctiſſimæ Trinitatis, vel ſimul cum eadem glorificatione; cujuſmodi ſunt ultimi Verſus Hymnorum: *Uni, Trinoque Domino, &c. Te Tunc Redemptor quæſumus*, *Ut Martyrum conſortio*, *Te fons ſalutis Trinitas*, in Hymno Sanctæ Crucis.

14. Concluſio vero Hymnorum ſemper fit, vel ratione temporis, vel ratione Octavæ, quamvis in Officio nulla fiat de tempore, vel de Octava Commemoratio; ea ratione, qua dicitur Præfatio de Tempore; vel de Octava in Feſto, quod propriam non habet Præfationem, ut in Rubric. Miſſalis *tit.* 12. *num* 3.

15. In Officio Semiduplici de Beata Virgine, quod a Regularibus ex privilegio fit in Sabbato, ſi in primis Veſperis dicatur ſaltem Capitulum de Beata Virgine, dicitur in Veſperis, & in Completorio: *Jeſu tibi ſit gloria*, *Qui natus es de Virgine*: & item, ſi fiat tantum Commemoratio, adhuc illud dicitur in Completorio. In ſecundis autem Veſperis ſi fiat de ea Commemoratio, eodem modo concluduntur Hymni uſque ad Completorium incluſive; ut habetur in libello Officiorum Patrum Diſcalceatorum a S.C.R. approbato, & Romæ impreſſo anno 1629. Atque idem ſervandum eſt in Officio Semiduplici de Sanctiſſimo Sacramento in Feriis quintis a Regularibus celebrando, ex eadem Sac. Cong. ibidem. Si vero nulla fiat in Veſperis Commemoratio, neque in Completorio variatur finis Hymni.

16. Dices, cur dicitur: *Qui ſcandis ſuper ſydera*: cum in aliis utatur verbo temporis præteriti? Reſpondeo, illud a Sancto Ambroſio fuiſſe dictum in Hymno, ratione metri, quem ſecutus Urbanus dici juſſit: *Qui victor in Cælum redis*.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 2. — *Hymni Græce, Laudes Latine, &c.*) Quod Græce dicitur Hymnus, Latine redditur Laus Dei; & equidem Auguſtinus egregie in Pſalmum 148. ait: *Hymnus ſcitis quid eſt? Cantus eſt cum Laude Dei, Si laudas Deum, & non cantas, non dicis Hymnum. Si cantas, & non laudas Deum, non dicis Hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, & ſi cantando laudes, non dicis Hymnum.* Hæc itaque tria Hymnum, juxta Auguſtini mentem, conſtituunt, ut obſervat etiam Gavantus: Cantus, Laus, & Dei. Advertendum tamen, quod cantus ille debet eſſe metricus, alioquin Hymnus nuncupari non poſſet. Hinc Iſidorus *l.* 5. *Ethimol. cap.* 19. Hymnum ſic deſcribit. — *Canticum laudantium pro eo, quod ſit carmen lætitiæ, & laudis.* Et Divus Ambroſius *in Orat. contra Auxentium de Baſilicis non tradendis Hæreticis*, Hymnos a ſe compoſitos, carmina vocat: *Hymnorum*, inquit, *meorum carminibus deceptum Populum ferunt, grande carmen iſtud eſt, quo nihil potentius.*

De Hymnorum origine ſuperfluum hoc loco cenſemus aliqua agere, cum plurimi de ea copioſe ac erudite ſcripſerint, & compertum ſit apud omnes non modo ab Hebræis, verum numen, ſed ab Ethnicis inanes ipſorum Deos Hymnis fuiſſe celebratos. Hujuſmodi Hymnorum auctores Hymnographi dicti ſunt: inter eos autem celeberrimi fuerunt, Linus, Muſæus, Callymachus, & Homerus. Porro Auctor eſt Pauſanias in Bœticis Lycium Oden primum omnium Hymnos compoſuiſſe, quod tamen ab aliis inficiatur, affirmantibus Anthum Anthedunium primum Hymnographum fuiſſe. Dubitatur num inter vetuſtiſſimos Hymnographos locum habeat Orpheus, ex quo Tatianus, ac Clemens Alexandrinus negent Hymnos, qui ſub Orphei nomine circumferuntur, ipſius eſſe. Verum hos Scriptores decipi erudite demonſtrat Gulielmus Canterus in novis Lectionibus *lib.* 2. *cap.* 3. Certe Pauſanias advertit Hymnos Orphei religione, ſanctitate, & elegantia cæteris omnibus anteire. Apud Hebræos Moyſes, aliique Vates Hymnos Deo cantarunt, ut ex Sacris litteris patet, idque multis ante ſæculis, quam Poetæ in Græcia florerent; ut immerito Græci primam ſibi Hymnorum inventionem attribuant. David quoque Hymnographus antonomaſtice a Philone *lib. de Mundo cap.* 9. appellatur, & quidem merito, cum Pſalmorum Liber, quorum ſaltem præcipua pars Davidem habet Auctorem, *Liber Hymnorum* hebraice inſcribatur. Advertit tamen optime Guyetus *lib.* 3. *cap.* 5. quod Hymni noſtri a Pſalmis ea ratione diſcrepant, quod Pſalmus Dei Laudes generatim metrice proſequatur, ſeu quatenus ejus gloria in opere Creationis, vel in mirabilibus Legis antiquæ effulget, Hymnus vero noſter ſpeciatim, ſeu quatenus ipſius Magnalia nobis in Myſterio, ſeu Sancto, qui colitur, referantur: quapropter perfecta erit Hymni noſtri Definitio, quod ſit Cantus metricus continens laudem Dei propriam diei, vel Feſti, quod celebratur.

Antiquiſſimum eſſe ritum in Eccleſia cantandi Hymnos in Laudem Dei compoſitos, pluribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis comprobari poteſt. Philo enim Judæus agens de Therapeutis Alexandriæ, quos veteres omnes, ac plerique recentiores Chriſtianos fuiſſe fatentur, teſtatur quod illi *non ſolum contemplationi vacabant ſed etiam Cantica, & Hymnos in Dei laudem componebant, vario metrorum, carminumque genere concinnatos*. Dionyſius, ſeu quiſquis eſt Auctor *libri de Divinis Nominibus*, Sacros Hierothei Hymnos ſæpe commemorat, ſicut, & ſuos, quos plures ille conſcripſit. De Chriſtianorum etiam Hymnis mentionem facit Plinius in Epiſtola Celebri ad Trajanum. Pulcherrimum hujus ritus veſtigium quoque apparet in Epiſtola Synodi Antiochenæ adverſus Paulum Samoſatenum habitæ, in qua Hereſiarchæ crimini vertunt, quod Hymnos in laudem Chriſti compoſitos aboleverit, & alios in ſui honorem die Paſchatis ab improbis mulieribus cani præceperit. Paulum antedictum imitati fuere Ariani, qui Hymnos apte ad ſuam hæreſim compoſitos alternatim cantare ſolebant: quod cum Arcadio Imperatore Gainæ potentia freti, publicæ, ac ſumma cum licentia præſtarent, referentibus Socrate, ac Sozomeno, veritus Chryſoſtomus, ne quis ex ſimplicioribus ab Eccleſia abſtraheretur hujuſmodi Canticis, quoſdam Catholicos eis oppoſuit, qui majori cum pompa, & apparatu Hymnos decantando, Arianorum ſtudia ſuperarent. Neque mirari debemus apud veteres Chriſtianos tam frequentem fuiſſe Hymnorum uſum, ut mox obſervavimus; illi enim conſuetudinem hanc ab Apoſtolis didicerant, præſertim a Paulo, qui ad Coloſſenſes ſcribens, eos *cap.* 3. hortatur, ut Deum colerent Pſalmis, Hymnis, & Canticis Spiritualibus. Immo Chriſtus ipſe hunc Hymorum uſum exemplo ſuo commendaſſe videtur; de eo enim, ſicut & de Apoſtolis referunt Evangeliſtæ Matthæus, & Marcus, quod Hymno dicto exierunt in Montem Oliveti. Recte igitur Auguſtinus *epiſt.* 119. *Veteris edit.* & poſt ipſum Concilium Toletanum IV. *can.* 3. aſſerunt, quod de Hymnis in Eccleſia canendis, & ipſius Domini, & Apoſtolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta, quæ mire confirmant Gavanti dictum aſſerentis *n.* 2. Hymnorum uſum eſſe Apoſtolicum inventum, immo a Chriſto deduci poſſe.

II. Ga-

II. Gavant. num. 2. *Deinde Hilarius e Latinis &c.*) Quis primum Hymnos ediderit in Eccleſia incertum omnino videtur. S. Iſidorus *lib. 1. Offic. Eccleſiaſt. cap. 6.* hoc Hilario laudis tribuit, quod Hymnorum carmine claruit primus. Id tamen de Latinis Hymnorum Auctoribus omnino capiendum eſt, ſiquidem ſupra oſtendimus ex Euſebio non modo Therapeutas, ſed & alios Scriptores Græcos longe ante Hilarii tempora Hymnos compoſuiſſe. Hilarii veſtigia ſecutus Ambroſius plures Hymnos, & ipſe conſcripſit, adeo commendatos Eccleſiis, ut pleræque illos adoptare non dubitaverint. S. Benedictus Monachorum Occidentalium Patriarcha Hymnorum Cantum *cap. 9.* Regulæ ſuæ præſcribens hac utitur formula -- *Inde ſequatur Ambroſianum* -- Qua voce Hymnos ab Ambroſio compoſitos indigitari conſentiunt Regulæ Benedictinæ Doctiores Expoſitores, Smaragdus, Menardus, Martene, aliique, & confirmat Amalarius in ſupplemento *ad lib. 4. de div. Offic.* edito ab Edmundo Martene *tom. 2. Analect.* his verbis: *Certum autem probatur, quodammodo S. Benedictum conſuetum morem S. Ambroſii in nonnullis Eccleſiaſticis elegiſſe, v. g. de Hymnis, quos Ambroſianos nominas &c.* Præclariſſimum Ambroſianorum Hymnorum Teſtimonium perhibet nobis Concilium Turonenſe his verbis -- Licet Hymnos Ambroſianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, præter ea, quorum Auctorum nomina non fuerint in limine prænotata.

Præter allegatos Auctores a Gavanto tum Græcos, tum Latinos, ſunt & alii, qui Hymnos ſcripſerunt, nimirum Syneſius, Coſmas Hieroſolymitanus, Joannes Damaſcenus, Theophanes, Theoſterictus, Theoleptus, Metrophanes Smyrnæus, Prudentius, Beda, Sedulius, Paulinus, Venantius Fortunatus, Fulbertus Carnotenſis, Paulus Diaconus, Thomas de Aquino, Joannes Geometra, Maximus Margunius, quos congerit Card. Boua *cit. lib. cap. 16.* quibus addi poſſent Gregorius Nazianzenus inter Græcos, Clemens Alexandrinus, qui Hymnum compoſuiſſe creditur, & habetur ad calcem Pædagogi; & ex Latinis Gelaſius, necnon Gregorius Magnus Romani Pontifices; ſi vera ſunt quæ tradunt Walfridus, Clictbovæus, & Timotheus allegati a Gavanto ſupra. Hymnos autem authenticos, qui in antiquis Hymnariis reperiuntur, nominatim congerit Radulphus Tungrenſis *propoſit. 13.* eoſdemque collegit, & Scoliis illuſtravit Jodocus Clicthovæus in ſuo Elucidario Eccleſiaſtico.

Huc ſpectat mentionem facere de Hymnario, ſeu Hymnorum libro, quem edidit noſter Thomaſius, in tres partes diviſum; quarum prima eos Hymnos continet, qui per Anni circulum, ab Antiquis; a Modernis vero, de Tempore appellantur. Secunda de Natalitiis Sanctorum. Tertia de quotidianis, ac diverſis cauſis. Prædictum Thomaſianum Hymnarium confectum eſt ex vetuſtiſſimis Codicibus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ, & Vallicellanæ, tum ex Hymnis excuſis variis in locis, & præſertim ex Breviario Mozarabico, cæteriſque Breviariis antiquioribus, quibus ex Codicibus magno adjumento fuit magnus ille Codex Pſalterii Reginæ Sveciæ, cujus ſæpius mentionem fecit idem Thomaſius, in quo ait, quod pauciores quidem habentur Hymni, ſed vetuſtiores; & ii ferme, de quibus extat mentio in priſcis Eccleſiæ monumentis; quos inter cum genuinos Hymnos S. Ambroſii inveniſſet, reliquos in eo contentos eidem S. Doctori adſcribere non dubitavit; ſolos enim Ambroſianos Hymnos in eo exhiberi pro certo habuit. Cæterum, ut ea, qua decebat, fide, ageret, Hymnos eoſdem ſæpius mendis reſperſos, ſublatis tantummodo manifeſtioribus erratis; reliquis vero retentis, integros, prout in Codicibus reperiuntur, in lucem emiſit. Progreditur idem Thomaſius in ejuſdem Hymnarii Præfatione ad allegandos Auctores, apud quos fit mentio prædictorum Hymnorum, nec non eorumdem commendatio.

Alium pariter Hymnorum librum edidit Carolus Guyetus, qui reperitur in calce ſui præclariſſimi operis inſcripti: *Heortologia, ſeu de Feſtis propriis Sanctorum*. In eo Hymnario collegit omnes quotquot ex variis Galliæ Breviariis, Sanctorumve propriis reperire potuit Hymnos, eoſque triplici ſerie diſpoſuit; ut primum deſcripti habeantur, qui pertinent ad Officium de Tempore, deinde qui de Sanctis communi ubique locorum uſu cultis, tum denique alii ſingularis cujuſque Eccleſiæ proprii, eoſque ita diſpoſitos evulgavit. Cuilibet Hymno ab Urbano VIII. emendato præfixit ejuſdem Hymni initium, quale erat ante emendationem, ut cui libuerit in promptu ſit utrumque comparare: indicavit veterum teſtimonia, ex quibus reſcitur verus aliquorum antiquorum Hymnorum Auctor, & addidit Radulphi Tungrenſis, Dionyſii Carthuſiani, & Clictovæi nomina, quando in eorum ſerie, aut Commentariis habetur ille Hymnus, quem exhibet. Denique citat Breviaria, ſeu Diœceſes, aut Eccleſias, apud quas prædicti Hymni ſunt in uſu.

Aliam Hymnorum collectionem, juxta veram metri, & latinitatis normam ediderat olim Romæ Zacharias Ferrerius, approbatam, ut ait, a Clemente VII. ut ex Brevi ejuſdem Pontificis operi præfixo apparet; ſed nemo, quod ſciam, ea facultate uſus eſt. Hymnos, & Preces Latinæ Eccleſiæ collegit etiam Georgius Caſſander, quæ una cum ejuſdem in Hymnos notis, tum ſeorſum Coloniæ 1556. tum inter ejus opera Pariſiis 1616. excuſa leguntur -- Poſt ipſum Elias Ehingerus Hymnos Eccleſiaſticos Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii Magni, Theodulphi, Fulberti, aliorumque Francofurti in lucem emiſit Anno 1578.

Plures etiam ex recentioribus præter jam laudatos commentaria in Sacros Hymnos ediderunt. Celebriores ſunt Donatus Marra, qui enarrationes evulgavit in Hymnos omnes, qui cantantur in Eccleſia per Annum, & ſecundum morem Religioſorum Ordinum Sanctorum Auguſtini, Benedicti, Dominici, & Carmelitarum; Jacobus Wimphelingius, qui edidit Argentinæ Anno 1513. Hymnos de Tempore, & de Sanctis emendatos, & interpretatos; Henricus Bebellius, qui librum Hymnorum cum expoſitione vulgavit Hagen. Anno 1517. Pater Gregorius Valentinianus Siculus a Marſalia Ordinis Capuccinorum, qui ſcripſit Hymnodiam Sanctorum Patrum, quæ a S. R. E. per Annum decantari ſolet Commentariis uberrimis explicatam Venetiis impreſſam Ann. 1640. Joannes Baptiſta Poſſevinus, qui Romani Breviarii Hymnos Italica lingua donavit addita ſingulis morali explicatione, Sanctolius Victorinus, qui Hymnos Sacros, & novos compoſuit, ediditque Pariſiis Anno 1689. & excerptos ex Breviario Pariſienſi, & Cluniacenſi illuſtravit. Andreas Wilckius, qui Anno 1610. prælis dedit ἱερογραφίαν opus in duas partes diviſum, in quibus continentur Commentarii in Hymnos veterum, recentiumque Poetarum: advertendum tamen inter hos Poetas nonnullos hæreticos reperiri. De hac materia videri etiam poſſunt Cardinalis Bona de Divina Pſalmodia *cap. 16. §. 9.* Cardinalis Thomaſius in Præfatione ad Hymnarium. Joannes Hoornbeckius *lib. 1. Miſcellan. Sacror. c. 11.* Jn. Fileſacus *lib. 2. Electorum pag. 195.* Balthaſar Bebelius *tom. 2. ſect. 4. Antiq. Eccleſ.* Nicolaus Le Nourry in Apparatu ad Bibliothecam Patrum, Conradus Samuel Schurzfleiſchius *in diſſ. de Hymnis veteris Eccleſiæ* Witembergæ Anno 1681. & Joſeph Binghammus *tom. 6. Originum Eccleſiaſticarum cap. 1. & 2.*

III. Gavant. num. 3. -- *Cantandos autem in Eccleſia Romana compoſuit quoque Gelaſius &c.*) Docet hic Gavantus ex Walfrid. *de Rebus Eccleſ. c. 25.* aliquos Hymnos in Eccleſia Romana cantandos a Gelaſio compoſitos fuiſſe. Adnotare tamen debemus, quod allegatus Walfridus Strabo hæc tantum dicit: *De Gelaſio Papa ſcribitur, quod tractatus, & Hymnos in morem B. Ambroſii compoſuerit.* Non vero addit, quod Hymnos concinnaverit ut in Eccleſia Romana decantarentur. Et equidem Romæ non ab antiquo tempore, ſed ſero Hymni cani cœperunt; neque enim in ullis Romanis Ordinibus, & ne in illo quidem, quem Benedictus Canonicus Sancti Petri tribuit Guidoni de Caſtello, qui poſtea Ann. 1143. Pontifex Romanus fuit, & Cœleſtinus II. appellatus, mentio aliqua fit Hymnorum recitandorum in Officiis, quæ deſcribit. Hinc & ex aliis conjecturis infert Grancolas *lib. 1. c. 23.* poſt duodecimum dumtaxat Sæculum Romæ Breviario Hymnos inſertos fuiſſe. Radulphus Tungrenſis, pleroſque eorum, qui ſua ætate dicebantur, recenſet, & ſunt fere iidem cum illis, qui hodie recitantur; itaut nemo negare poſſit per ea tempora, XIV. ſcilicet Sæculo, Hymno in Breviario contentos fuiſſe. Conjicit tamen Grancolas id ab Haimone Franciſcanorum Generali præſtitum fuiſſe, cum Romanum Officium, Gregorio IX. jubente Anno 1240. recognovit, & concludit, quod etiamſi prioribus Sæculis aliqui Hymni inſerti fuerint Breviario Romano, certiſſimum tamen eſſe, quod XII. Sæculo in Eccleſia S. Petri nulli recitati fuere; & cum Uldaricus in Conſuetudinibus Cluniacenſibus Hymnorum Romanæ Eccleſiæ mentionem facit, de ſingulatium aliquarum Eccleſiarum Hymnis loqui voluiſſe. Nulli quoque Hymni apud Græcos extant, neque apud veteres Orientis Monachos, cum Caſſianus eorum non meminerit, ſicut etiam nullam mentionem Hymnorum faciunt in Occidente Regulæ S. Columbani, S. Iſidori, S. Fructuoſi, Magiſtri, & Donati. Primam illarum mentionem faciunt in Gallia Regulæ S. Cæſarii, & S. Aureliani, in Italia vero Regulæ S. Benedicti, de qua ſupra ſatis locuti ſumus.

IV. Gav. eod. n. 3. -- *Approbavit Concilium Turonenſe c. 23. Toletan. 4. Can. 12. &c.*) Ante Concilia allegata a Gavanto, Concilium Bracarenſe primum Ann. 552. *Can. 32.* Hymnorum uſum vetat in Horis Canonicis, jubetque ne publicis precibus inſerantur, niſi Hymni illi, qui ex Scripturis deſumpti ſunt. Jubet pariter eadem Synodus, ut poetica omnia, & quæcumque humana elucubratio excludantur: *Ut extra Pſalmos, vel Canonicarum Scripturarum veteris, & novi Teſtamenti nihil poetice compoſitum in Eccleſia pſallatur, ſicut & Sancti præcipiunt Canones.* Verum Sæculo ſequenti Concilium Toletanum quartum, Hymnos cani in Eccleſiis conceſſit, dummodo ab Auctoribus inſignioribus eſſent compoſiti, & Concilium Toletanum VIII. Ann. 653. *Can. 8.* vetat Clericum ordinari, qui Pſalterium, Cantica, & quotidianos Hymnos ignorat.

V. Gavant. n. 9. -- *Prædictos Hymnos emendavit Urbanus VIII. &c.*) Exhibuit Gavantus *n. 5*, Catalogum, & initia Hymnorum, quos olim decantabat Romana Eccleſia, & omnem diligentiam adhibuit in enunciandis Auctoribus illis, qui prædictos Hymnos compoſuerunt; adnotat pariter monumenta, & alios Auctores, ex quibus notitias ſuas deſumpſit: ſed hoc loco indicat prædictos Hymnos, a ſe relatos,

tam-

tandem Urbani VIII. juſſu, necnon ſapientia, emendatos fuiſſe. Ad præfatos Hymnos recitandos, & corrigendos adhibuit præfatus Pontifex tres lectiſſimos Societatis Jeſu viros, ac politiorum litterarum bene peritos, & hi fuerunt Famianus Strada, Tarquinius Gallucius, & Hieronymus Petruccius; quorum laborem magni omnino faciendum eſſe, adſtruit clariſſimus vir Theophilus Raynaudus *tom.* 11. *panct.* a. *pag.* 12. Hanc Urbani VIII correctionem commendat pariter Carolus Guvetus *lib.* 3. *cap.* 5. *quæſt.* 2. & aſſerit, quod qui hanc emendationem reſpuunt, quibuſcumque ducti rationibus, parum ſe Eccleſiæ decorem diligere probant. Henricus tamen Valeſius acerrimam cenſuram ferre auſus fuit contra præfatam Hymnorum emendationem, eoſque male compoſitos, atque adverſus communem hominum ſenſum, depravatos exiſtimat; ſed hujuſce Auctoris cenſuræ nimis ſeveræ aurem præſtare non poſſumus. Similiter contra variationem litteræ in Hymno Eccleſiaſtico de Spiritu Sancto, in quo vox *Paraclitus*, per *i*, aut *e* Latinum productum juxta aliquorum opinionem per *i* latinum correptum nunc effertur, ſcripſit eruditam diſceptationem Benignus Sanctey *in tractatione de Recta pronunciatione vocis Paracletus*, cui aſſentiri videtur Theophylus Raynaudus *loc. ſupracit.* ubi ait potuiſſe non mutari *e* in *i*, vel *u*, ne genuinus ſenſus vocis *Paracletus*, vel *u* latine producto *Paraclitus*, ea unius litteræ mutatione convellatur. Videnda tamen eſt erudita Diſſertatio elucubrata a Joanne Baptiſta Thiers, in qua ſuſtinet, quod in Eccleſiaſticis libris retinenda ſit vox *Paraclitus* penultima correpta, ſuamque opinionem validis comprobat argumentis.

VI. Gav. eod. n. 9. - *Inden ergo deinceps ſic erit &c.*) Adoectit denique Gavantus hoc loco in ſecunda editione ſui Theſauri Indicem Hymnorum emendatorum ab Urbano VIII. quibus uſque modo utitur Romana Eccleſia. Indici tamen a Gavanto evulgato addendi ſunt peuci alii, qui poſt ipſum Breviario Romano inſerti fuerunt, & dicendi in Feſtis Sanctiſſimi Nominis Jeſu, S. Martinæ, S. Joſeph, Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Ermenegildi, Sancti Venantii, Sanctæ Julianæ de Falconeriis, S. Eliſabeth Portugalliæ Reginæ, & Sanctæ Tereſiæ, quorum Hymnorum initia inhærendo veſtigiis Gavanti hic exhibemus juxta ordinem alphabeticum.

Athleta Chriſti nobilis,
Cœleſtis Agnis nuptias.
Cœlitum Joſeph decus, atque noſtræ.
Domare cordis impetus Eliſabeth,
Dum nocte pulſa Lucifer.
Hæc eſt dies, qua candidæ.
Jeſu dulcis memoria.
Jeſu Rex admirabilis.
Jeſu decus Angelicum.
Iſte, quem læti colimus fideles,
Martinæ celebri plaudite nomini,
Martyr Dei Venantius,
Non illam crucians ungula, non feræ.
Nullis te genitor blanditiis trahit.
Opes, decuſque Regium reliqueras.
Regis ſuperni Nuncia.
Regali ſolio fortis Hiberiæ.
Stabat Mater doloroſa.
Te Joſeph, celebrent agmina cœlitum.
Tu Natale ſolum protege, tu bonæ.

Antequam hiſce noſtris Additionibus poſtremam manum imponam, lubet animadvertere, quod ſi Lector ſuæ curioſitati circa hanc Hymnorum materiam ſatisfacere cupit, legere poterit ea, quæ tradunt ſupra allegati Auctores, nimirum Cardinalis Bona, Grancolas, Anacletus Siccus in ſuo libro inſcripto *de Eccleſiaſtica Hymnodia*, & Carolus Guyetus, qui *cit. loc. cap.* 5. ſatis docte more ſuo pertractat quod metri genus Hymnis conveniat, quæ ſint Hymni partes, ſeu qualis ſtructura, quæ Hymnorum concluſio ſit immutabilis, & alias ſimiles quæſtiones.

## De Antiphonis. XXI.

## R U B R I C A.

1. *AD omnes Horas Nocturnas & Diurnas ſemper cum Pſalmis dicantur Antiphonæ, vel una, vel plures, pro diverſitate Officii, & Horarum.*
2. *Si de tempore fiat Officium, ideſt, de Dominica aut Feria, dicuntur Antiphonæ ut in Pſalterio, quæ cum Pſalmis poſitæ in Veſperis Dominicæ & Feriarum, in Completorio & in Nocturnis (etiam quando ſit Officium de Feſto trium Lectionum, id eſt, Simplici) nunquam mutantur, niſi tempore Paſchali, in quo dicitur una tantum Antiphona, Alleluja: excepto etiam tempore Adventus, in quo ad Veſperas & Nocturnos Dominicæ ponuntur Antiphonæ propriæ. In Laudibus, & aliis Horis mutantur pro diverſitate temporum, ut in proprio de Tempore habentur; cum vero non aſſignantur propriæ, ſemper dicuntur quæ poſitæ ſunt in Pſalterio.*



3. *Antiphonæ, quæ in Proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad Magnificat pro prima Dominica alicujus menſis, ſumendæ ſunt ex ea Dominica, quæ eſt proximior Kalendis, vel eſt in Kalendis illius menſis; ut dictum eſt ſupra in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica menſis Auguſti: & ſemper in Sabbato ponitur Antiphona ad Magnificat, quæ congrua eſt libro Scripturæ in Dominica ponendo.*
4. *In Feſtis novem Lectionum ad Veſperas dicuntur Antiphonæ de Laudibus, niſi propriæ in Veſperis aſſignentur. Ad Horas ſimiliter tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, quando habentur propriæ in Laudibus, & aliæ propriæ non fuerint ad Horas, ſumantur ex Laudibus, quarta prætermiſſa, hoc ordine: ad Primam, prima: Ad Tertiam, ſecunda: ad Sextam, tertia: ad Nonam, quinta.*
5. *In Feriis Adventus, quæ non habent in Laudibus Antiphonas proprias, ſumantur ad Horas ex Laudibus Dominicæ præcedentis; ubi vero in Laudibus Feriarum fuerint propriæ, ſumantur ex ipſis Laudibus.*
6. *Tempore Paſchali, in Officio tam novem, quam trium Lectionum, Pſalmi cujuslibet Nocturni dicuntur ſub unica Antiphona, quæ Officio convenit, ut ſuis locis ponitur; & in fine omnium Antiphonarum additur Alleluja, quando in illis non habetur. A Septuageſima uſque ad Paſcha, ubi habetur Alleluja, tacetur; neque aliud ejus loco dicitur.*
7. *In Duplicibus ad Veſperas, Matutinum, & Laudes tantum, Antiphonæ dicuntur ante Pſalmos vel Cantica integræ, & poſt Pſalmos vel Cantica integræ repetuntur; in aliis Horis, & in Officio non Duplici, in principio Pſalmi Cantici inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur. Et quando Antiphona ſumitur ex principio Pſalmi vel Cantici, & incipit ſicut Pſalmus vel Canticum, poſt Antiphonam non repetitur principium Pſalmi vel Cantici; ſed continuatur quod ſequitur in Pſalmo vel Cantico, ab eo loco, ubi ſecundum ritum diei deſinit Antiphona; niſi diſcontinuetur per Alleluja.*
8. *Antiphonis propriis, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, ſemper cedant quæ habentur in Pſalterio, & in Communi Sanctorum.*
9. *Quando fit aliqua Commemoratio, ſemper dicitur Antiphona ante Orationem cum Verſu: quæ ſumitur ex Officio, quod convenit ei, de quo fit Commemoratio: ita ut in Veſperis ſumatur Antiphona, quæ aſſignatur ad Magnificat: in Laudibus, quæ ad Benedictus, cum Verſibus, qui habentur poſt Hymnum,*
10. *Antiphonæ S. Mariæ poſitæ in fine Completorii, dicuntur ut inferius in propria Rubrica diſponitur,*

## De Antiphonis. Cap. VII.

## *G A V A N T U S.*

1. ANtiphona idem eſt, ac vox oppoſita, ſeu contraſonans. Alcuin. *de celebration. Miſſæ*, & Amalarius *lib.* 4. *de Offic. cap.* 7. Vocem reciprocam interpretantur, quia inchoatur ab uno unius Chori, & ad ejus Symphoniam cantatur Pſalmus per duos Choros; ipſaque Antiphona conjunguntur ſimul duo Chori. Hinc uſu receptum eſt, ut ſententia, & quæ Pſalmum, aut Canticum præcedit, Antiphona dicatur, ex Durando *lib. de ritu* 3. *cap.* 17.

2. Auctor Antiphonarum fertur Ignatius Antiochenus, ex Caſſiodor. *in Tripartita lib.* 10. *cap.* 8. poſt quamdam viſionem Angelorum, quos vidit, unum ad alterum cantantes, Sanctus, Sanctus, ideoque ille præſcripſit alternum cantum in Eccleſia Antiochena: non dico Pſalmorum, de quibus in capite ſequenti. Græcos imitatus primus inter Latinos Ambroſius Antiphonarum eſt auctor, circa annum 383. ut egregie probat Francolinus 1. *part. cap.* 3. ſub Damaſo, non ſub Siricio, ut ſcripſit Sigebertus. Inſtitutionis hujus habemus teſtem Auguſtinum *lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 6.

3. Dicuntur Antiphonæ ſemper cum Pſalmis; ut, ſicut Pſalmus, inquit Amalarius loco citato, ſignificat ex Hieron. opus bonum; ita non ſine Antiphona debet eſſe, quæ ſua combinatione, ſeu repetitione, ante, & poſt Pſalmum, ſignificat diverſorum unionem, & charitatem; ſine qua opus bonum non facit concentum Deo, nec aliquid valet. Hæc ille fuſius.

4. Duplicantur in duplicibus, non in aliis, & inde dicitur eſſe Officium Duplex; quia cum, ut diximus, Antiphona ſignificet charitatem, in ſolemnioribus perfectiorem charitatem oſtendere debemus. Hugo *in Spec. cap.* 3. alias ſignificat inchoatam in hac vita charitatem, conſummandam eſſe in fine vitæ; ſicut integra dicitur Antiphona in fine Pſalmi. Idem Hugo, cui Durandus *lib.* 5. *c.* 2. addit, inchoari Antiphonam ante Pſalmum, quia charitas præcedere debeat opus bonum, ut ſit meritorium. Et inchoatur ab uno, quæ ab omnibus completur, quia ab uno Chriſto diffunditur charitas ad membra. Hæc ille.

5. Plures Antiphonæ nobilioribus dantur Horis, Matutino, & Veſperis, non aliis horis, quæ humilius celebrari debent,

Radulphus *propoſ.* 10. ſed de tempore Paſchali tam in Matutino, quam in Veſperis, minor eſt numerus Antiphonarum, quam per annum, ita ſub una Antiphona multi dicantur Pſalmi. Radulphus *propoſ.* 16. An igitur minorem charitatem oſtendere debemus eo tempore? abſit, immo vero hæc diminutio Antiphonarum denotat, ita fervere Clericos ex Paſchalibus ſacramentis, & gaudiis, ut non egeant pluribus Antiphonis ad charitatem accendi. Poſterior hic ritus eſt ex Micrologio, qui *capite* 55. in Inventione Sanctæ Crucis ponit in quolibet Nocturno tres Antiphonas, uti alias per annum.

6. Ad Horas minores una dicitur Antiphona, quæ deſumitur in Feſtis regulariter a Laudibus, quarta prætermiſſa, quia eſt Antiphona pro Cantico, non pro Pſalmo.

7. Dantur Antiphonæ communes, & propriæ; illæ ut plurimum deſumuntur e Pſalmis, quorum ſunt Antiphonæ: propriæ vero vel a tempore privilegiato, vel a Feſto, &c. & hæ præferuntur communibus, uti par eſt.

8. Ob Feſti ſolemnitatem in primis Veſperis ponuntur aliæ Antiphonæ diverſæ a Laudibus, & a ſecundis Veſperis; ut in Natali Domini, Purificatione Beatæ Virginis, in Feſto Corporis Chriſti, & in Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ.

9. In Adventu quoque ob temporis celebritatem Antiphonæ de Laudibus Dominicæ repetuntur ad Horas per Hebdomadam, quouſque octo diebus ante Nativitatem dicantur Antiphonæ propriæ, poſtremis diebus ad Laudes, & per Horas aſſignatæ.

10. Antiphonæ ad *Magnificat*, in primis Veſperis Dominicarum, ut plurimum ſumuntur ex Sacra Scriptura veteris Teſtamenti legenda in Matutino ejuſdem Dominicæ. In ſecundis autem Veſperis ſumuntur de Evangelio, quod in eadem Dominica legitur, ſicut etiam ad Laudes: ut diei Dominico deſerviat utrumque Teſtamentum. Dominicæ Paſchales Antiphonis gaudent de novo tantum Teſtamento, quia Chriſti reſurrectio cauſa eſt, ut in novitate vitæ ambulemus ex Paulo *Rom.* 6.

11. Additur Antiphonis tempore Paſchali in fine, *Alleluja*; ad lætitiam Paſchalem ſæpiſſime declarandam, de qua voce diximus ſupra *cap.* 4. *n.* 5.

12. Quid, ſi Antiphona ſumitur ex principio Pſalmi, vel Cantici, & incipit, ſicut Pſalmus vel Canticum? eo caſu non dicitur principium Pſalmi, ſeu Cantici; ſed continuatur, quod ſequitur in Pſalmo, vel Cantico, ab eo loco, ubi deſiit Antiphona, quod nota præſertim (errant multi) in Officio Dedicationis Eccleſiæ in tertio Nocturno, in Pſalmo *Qui habitat*, nam die primo, & Octavo, dicta integra Antiphona a Choro, incipi debet Pſalmus a ſecundo verſu: *Dicit Domino &c.* ſi vero tempore Paſchali addas in fine, *Alleluja*, tunc incipitur Pſalm. a primo verſu, *Qui habitat*, quia illud *Alleluja* tollit continuationem Antiphonæ cum Pſalmo. Simile habes exemplum in Aſcenſione Domini, in ſecundo Nocturno; *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, Alleluja*, & Pſalmus incipit a primis verbis ejuſdem: *Exaltabo te Domine, &c.* & ita in praxi communiori ſervatur, quod eſt rationabilius: * & in recognitione poſtrema Breviarii addi hoc loco curavimus. In Feriæ ſecundæ Veſperis ferialibus, dicto initio Antiphonæ ab Hebdomadario. *Magnificat*, Cantor, & Chorus ſimul proſequuntur: *anima mea Dominum*: quia dividi commode non poteſt ultima pars verſus. Illud certe eſt obſervandum, in enunciandis Antiphonis, ut initium numquam ſit unius ſyllabæ: neque ejuſmodi, ut abſurde orationem præcidat, quod monetur in Cærem. Clericorum Regular. S. Pauli *lib.* 1. *cap.* 12.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. - *Antiphona idem eſt, ac vox oppoſita &c.*) optime docet Gavantus, quod Antiphona idem ſignificat, ac vox oppoſita, ſeu contraſonans; Antiphona enim Græcum eſt vocabulum ex propoſitione, ac nomine conflatum. *Phone* namque vocem; propoſitio autem *Anti* oppoſitionem, & viciſſitudinem ſignificat. Hinc Antiphona vox intelligitur reciproca; ſic cum montium concava vocem aliquam reſonant ab aliquo prius editam, Græce *Antiphonazim*, ſive, ut ita dicam *Antiphonare* dicuntur.

Quamvis vocabuli notione inſpecta, vox *Antiphona* vocum oppoſitionem importare videatur, apud Eccleſiaſticos tamen Scriptores pro ea tantum vocum reciprocatione accipitur, qua bini Cantorum Chori cantum alternant; itaut Chorus Choro reſpondeat; cum in Reſponſorio cantu Chorus plurium uni tantum Cantori reſpondeat; pro certo enim habeo Antiphonam ad initium Pſalmi, vel Cantici, ſive ante ſuos Verſus, non ſemel tantum, verum & bis olim conſueviſſe cantari; hoc etiam ſibi perſuadet eruditiſſimus noſter Thomaſius loco infra citando; aut certe in ea decantanda ante Pſalmum ab uno Choro priorem mediam Antiphonæ partem cani, poſtremamque ejuſdem Antiphonæ partem ab altero Choro perfici conſueviſſe, arbitratur omnino mox laudatus Thomaſius, Quod Antiphonæ olim ſemel ab uno, & iterum ab alio Choro dicerentur ante Pſalmum, probari poteſt ex ſupradicto diſcrimine inter Antiphonas, & Reſponſoria aſſignata ab Antiquis, juxta quos Antiphonæ a Reſponſoriis non differebant, niſi in modo cantandi; germana porro Reſponſoria modulandi ratio poſtulat, ut bis dicatur ℞. ante ℣. ſemel ab uno Cantore, & iterum a Choro toto; pari itaque modo Antiphonarum germanus Ritus exigit, ut his a duobus Choris alterne decantetur eo modo, quo ex parte retinemus in Invitatorio hunc morem geminatæ Antiphonæ ante Pſalmum. Admiſſa hac Antiphonæ congeminatione ante Pſalmum, itaut ſaltem ejuſdem pars ab uno, altera vero ab altero Choro dicatur, verificantur optime verba Amalarii dicentis *lib.* 4. *cap.* 7. *ipſa Antiphona conjunguntur ſimul duo Chori..., duobus Choris alternatur Antiphona: quoniam non poteſt minus eſſe charitas, quam inter duos.... hos duos Choros deſignaverunt pennæ animalium invicem porrecta, quas vidit Ezechiel.... conjunctio duarum pennarum Antiphona eſt, quæ vicem tenet Charitatis.* Hanc reſponſionem utriuſque Chori in una eademque Antiphona retinebant Clerici Romani in ſolemnioribus Feſtis Sæculo XII. ſicut in Antiphonario Vaticano, edito a ſupra memorato Cardinali Thomaſio Anno 1686. *pag.* 51. in Epiphania habetur, & idem repetit hic Auctor in ſua Præfatione præfixa libro a ſe evulgato ſub hoc titulo; *Reſponſorialia, & Antiphonaria Romanæ Eccleſiæ pag.* 32. *pag. vero* 30. oſtendit in Breviario Mozarabico eſſe quid diſſimile in Antiphona ad Primam, quæ dicitur per totum Annum. Denique probari id adhuc poteſt ex his, quæ infra eum eodem Thomaſio dicemus de uſu antiquo repetendi Antiphonam ad ſingulos Pſalmorum verſus. His omnibus prænotatis citatus Thomaſius *pag.* 24. Antiphonam ſequenti modo definit.

Antiphona eſt verſus aliquis, ſive ſententia intercalaris, quæ una cum Pſalmi, Canticive verſibus, ſive aliquo, ſive omnino omnibus, decantatur intercalari concentu eodem prorſus ordine, quo Eccleſiaſtica Reſponſoria cantantur; cum ea ratione a Reſponſorio Antiphona differat, quod in ℞. Chorus uni Cantori reſpondeat; in Antiphonis vero Chorus unus alteri Choro ſuccinat; & in Reſponſorio quidem unus Cantor verſus intercinat, intercalante ſemper Choro, Reſponſorium; in Antiphona vero Chorus alter concinat verſus, altero Choro Antiphonam reciprocante.

Verum quia præſentium temporum mores ab Antiquis plurimum diſcrepant, in præſentiarum ſecundum Pſalmodiæ hodiernam Rubricam, nomine Antiphonæ venit ſententia illa, quæ inchoatur ab uno unius Chori, completurque a Choro, quando Officium eſt Duplex, & ad ejus Symphoniam Pſalmus cantatur.

Antiphonarum autem in prædicto ſenſu acceptarum triplex eſt genus; Scripturalium, Hiſtoricarum, & ex utriſque mixtarum. Scripturales ſunt, quæ ex libris Sacræ Scripturæ tum veteris, tum novi Teſtamenti depromptæ ſunt. Sic Antiphonæ ad *Magnificat*, ut bene notat Gavantus n. 10. in primis Veſperis Dominicarum, ut plurimum ſumuntur ex Sacra Scriptura veteris Teſtamenti, legenda in Matutino ejuſdem Dominicæ. In ſecundis autem Veſperis ſumuntur ex Evangelio, quod in eadem Dominica legitur, ſicut etiam ad *Benedictus*. In Nocturnis vero Dominicæ, & Feriarum; necnon in Veſperis, plerumque ſumuntur Antiphonæ ex Pſalmis, quæ idcirco dicuntur Pſalteriales, ſed ſemper reducuntur ad Scripturales. Hiſtoricæ ſunt illæ, quæ ex Hiſtoria Myſterii, ſeu Sancti, cujus Feſtum eſt, carptim delibatæ per ſingulos Pſalmos, ſeu Cantica diſtribuuntur; cujuſmodi ſunt Feſtorum Chriſti Domini, Sanctorum Petri, & Pauli, Stephani, Laurentii, Clementis, & Sanctarum Agathæ, Cæciliæ, Luciæ, & aliæ omnes Officiorum propriorum. Ad has reducuntur etiam aliæ, quæ ad Myſterium, ſeu Sanctum pertinent, licet ex Hiſtoria non ſint depromptæ, ut ſunt Antiphonæ Feſti Circumciſionis, *O admirabile commercium &c.* & aliæ hujuſmodi. Mixtæ denique dicuntur illæ, quæ vel ex Pſalmis, vel ex alio Scripturæ libro depromptæ paucis verbis additis, vel mutatis, vel transpoſitis ad rem Myſterii, ſeu Sancti traducuntur, quales ſunt Antiphonæ Veſperarum diei Nativitatis Domini: *Tecum principium &c.* Antiphona tertia Laudum Sancti Stephani, & Sancti Laurentii: *Adhæſit Anima mea poſt te.* Inter prædictas Antiphonas hoc diſcrimen intervenit, quod Pſalteriales, & Mixtæ cum illis non ſunt idoneæ, niſi ad eos Pſalmos, ex quibus erutæ ſunt, aliæ vero Antiphonæ, ſive Hiſtoricæ, ſive Scripturales, quæ e Pſalmis non ſunt deſumptæ, ad quoſcumque Pſalmos præmitti poſſunt.

II. Gav. n. 2. - *Auctor Antiphonarum fertur Ignatius Antiochenus &c.*) Non ſolum Canticum aliquod contractius, breviuſque, ſive verborum juſta complexio, ſeu intercalaris ſententia, quam Chorus Choro alteri pſallenti reſpondens intercinit, & quæ Pſalmum ſemper præcedit, ſed ipſi quoque Pſalmi cum a pluribus alternatim recitantur, Antiphonæ dici poſſunt, juxta interpretationem Varroni, ut aſſerit etiam Cardinalis Bona *de Divina Pſalmodia cap.* 16. §. 10. quia ſcilicet duo Chori ad ſtatutæ Antiphonæ ſymphoniam alterna modulatione ſibi mutuo reſpondent. Hanc autem conſuetudinem alternatim pſallendi ab antiquiſſimis Sæculis habet Orthodoxa Eccleſia, juxta nonnullos, qui hunc morem Sancto Ignatio Antiochiæ Antiſtiti tertio poſt Apoſtolum Petrum referunt: verum quamvis prædictum Ignatium Antiphonarum auctorem aſſerat quoque Gavantus noſter, quatenus ille primum præſcripſerit

alter-

Digitized by Google

alternum cantum in Eccleſia Antiochena, poſt illam viſionem, quam inſinuat idem Gavantus, nihilominus nondum fatetur eumdem Ignatium eſſe primum auctorem canendi alternatim Pſalmos in Choro; ponderanda enim ſunt noſtri Auctoris verba illa *non dico Pſalmos.* de quibus agit in Capite ſequenti *n.* 15. cum quo ibidem agemus & nos. Interea tamen aſſerere cogimur apud Chriſtianos alternum Pſalmorum cantum per duos Choros ſerius eſſe introductum; antiquiſſimis namque temporibus, ut ex Euſebio *lib.* 2. *c.* 17. Hiſtoriæ apparet, uſus erat illis frequentior Pſalmos Reſponſorios canere, Choro ſcilicet reſpondente uni præceptori. Primi, qui Pſalmos binis Choris concinendos inſtituere, fuerunt Flavianus, & Diodorus Monachi Antiocheni Divi Athanaſio æquales. *Iſti namque primi* (ut ſcribit Theodoretus Epiſcopus Cyri *lib.* 2. *c.* 29.) *in duas partes Choros pſallentium dividentes, ex ſucceſſione Davidicam melodiam cantare docuerunt; & hoc in Antiochia primitus fieri cœpit, & diſperſum ad terminos totius Orbis uſque pervenit.* Vide etiam Sanctum Baſilium *epiſt. ad Clericos Neocæſarienſes*, Sydonium *lib.* 5. *Epiſt.* 17. Caſſiodorum *in Pſalmum* 33. *verſ.* 3. & alios paſſim. Sed de hac re vide denique quæ nos trademus infra in noſtris Obſervationibus ad Cap. VIII. ſub *n.* 10. Sub alterni cantus genere, ut optime ponderat ſupramemoratus Thomaſius *pag.* 22. is maxime Eccleſiaſtico Ritu comprehenditur, quo alternant quidem Chori melodiam, non unum tamen, eumdemque Pſalmum, vel Canticum alternatim ex ſucceſſione concinunt, ſed unus quidem Chorus Pſalmi alicujus verſus modulatur, alter vero aliquid aliud præter ipſum Pſalmum, vel Canticum per verſus ſingulos intercinit. Hoc porro aliud, quod ſæpius repetitur ab altero Choro, generali uſu Eccleſiæ, *Antiphona* apud Latinos; apud Græcos autem *Troparium Antiphoni* appellatur, in qua ſignificatione *Antiphona* eſt illud Canticum contractius, ſeu intercalaris ſententia, ut innuimus ſupra, quam Chorus Choro alteri pſallenti intercinit. De hoc autem genere Antiphonarum loquitur Socrates *lib.* 6. *c.* 8. non de Pſalmorum alterno concentu, quem Flavianus, & Diodorus primi inſtituere, ut tradidit Theodoretus, necnon Suidas, qui facillime Socrati conciliantur prædicta ratione; quam ſibi conciliationem expetebat afferri (ut ait Thomaſius) doctus vir Petrus Guſſanvillæus Presbyter in Præfatione ad Antiphonarium Sancti Gregorii. Sic autem ſcribit Socrates ex veteri interpretatione Epiphanii Scholaſtici Hiſtoria tripartita *lib.* 10. *c.* 9. -- Dicendum tamen eſt, unde ſumpſit initium, ut in Eccleſia Antiph. decantentur. Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius poſt Apoſtolum Petrum Epiſcopus, qui etiam cum ipſis degebat Apoſtolis, vidit Angelorum viſionem, quomodo Antiph. S. Trinitati dicebant Hymnos. Iſque modum viſionis, Antiochenæ tradidiſſe probatur Eccleſiæ; & ex hoc ad cunctas tranſivit Eccleſias -- Socratem autem Antiphonæ appellatione Hymnum aliquem compoſitum alterne reſonantem intellexiſſe, argumento eſſe poteſt, quod quæ de Sancto Ignatio narrat, ejus fuiſſe generis indicet, ac cæterarum Antiphonarum ab Arianis primum Conſtantinopoli uſurpatarum, & a S. Joanne Chryſoſtomo viciſſim poſtea inter Catholicos inſtitutarum, quæ etiam Hymni appellati ſunt, ut nos quoque adnotavimus in Capit. præcedenti. Vide *c.* 10. *Hiſtoriæ tripartitæ*. Hæc, quæ ex Thomaſio noſtro deprompſimus diligentiſſimo Eccleſiaſticarum antiquitatum indagatore, optime conciliant ſupramemoratos Auctores, qui oppoſiti videntur circa primos Inſtitutores cantus alternativi.

III. Gavantus eodem num. 2. -- *Primus inter Latinos Antiphonarum eſt Auctor &c.*) S. Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes primus fuit, qui Græcorum imitatus exemplum hunc canendi modum per Antiphonas in ſua Eccleſia Mediolanenſi inſtituit, ut narrat Paulinus in ejus vita his verbis -- Hoc in tempore primo Antiphonæ, Hymni, & Vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt, cujus celebritatis devotio uſque in hodiernum diem, non ſolum in eadem Eccleſia, verum per omnes penes Provincias Occidentis manet -- Idem S. Auguſtinus a Gavanto citat. confirmat *lib.* 9. *Confeſſionum c.* 7. ubi loquens de perſecutione, quam a Juſtina Valentiniani Regis Pueri Matre Ambroſius patiebatur, ait -- Excubabat pia plebs in Eccleſia mori parata, cum Epiſcopo ſervo tuo; tunc Hymni, & Pſalmi, ut canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne Populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt, ut ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pæne omnibus gregibus tuis &c. -- Ex præfatis Paulini, & Auguſtini verbis colligit Thomaſius, non ſolum Pſalmos, verum & Hymnos, ſcilicet Eclogas aliquot Sacrarum Cantionum alterno concentu adhibitas fuiſſe. Nam Hymni nomine eo loco non veniunt ea Sacra Carmina, quibus Auctore præcipue Ambroſio, ut diximus in Capite præcedenti, hodie utimur; eorum enim uſus nullus eſt apud Orientales eo modo, quo uſurpantur a noſtris Occidentalibus; quare Hymnorum nomine cenſet Thomaſius, accipiendas eſſe Sacras illas Cantiunculas, quas Paulinus ante Antiphonas appellaverat; itaut priori vocabulo canendi modum, poſteriori vero id, quod cantabatur, explicaverit.

IV. Gavantus eodem num. 2. -- *Sub Damaſo, non ſub Siricio, &c.*) Ex quo uſus Antiphonarum in Eccleſia Occidentali ſub Damaſo Papa incœperit, nonnulli inferunt etiam in Eccleſia Romana ſub eodem Pontifice talem uſum invectum fuiſſe, & huic opinioni præſertim adhærent illi, qui adſtruunt præfatum Pontificem ſuo Decreto Ambroſianum Antiphonarum ritum firmaſſe, de quo tamen nihil certi habemus. Antiphonarum igitur uſum Eccleſia Romana non Damaſo, ſed Cœleſtino Papæ acceptum refert, ut ex Antiquis Scriptoribus colligitur. Super hac materia adeat Lector erudītiſſimum Henſchenium in actis Sanctorum *Tom.* 1. *Aprilis die* 6. *pag.* 544. Conſulat etiam notas Franciſci Dominici Bencini, & Franciſci Blanchini in Tom. 3. Anaſtaſii, ſemel autem acceptum conſtanter retinuit hunc ritum, ut ex Libro Diurno Romanorum Pontificum Titulo 7. & Antiphonariis Sancti Gregorii tum Miſſæ, tum Officiorum plane docemur. De Antiphonarum uſu apud cæteras Occidentis Eccleſias conſulenda ſunt variarum Concilia vetera Nationum, necnon Conſtitutiones, ſeu Regulæ antiquæ Monachorum.

V. Gavant. n. 4. -- *Duplicantur in Duplicibus &c.*) Juxta præſentem ritum Antiphonæ in Feſtis Duplicibus duplicantur, itaut ante Pſalmi initium ab uno ex Choro imponatur, & deinde a Choro compleatur, & iterum terminato Pſalmo tota integra repetatur Antiph., ita duplicantur Antiphonæ ad Veſperas, Matutinum, & Laudes, quando Officium celebratur ſub Ritu Duplici, non vero ad alias Horas minores, in quibus numquam dicuntur integræ, niſi in fine Pſalmorum; & ita pariter quando Officium celebratur ſub Ritu Semiduplici, vel Feriali &c. etiam ad Veſperas, Matutinum, & Laudes non dicuntur integræ Antiph. niſi in fine Pſalmorum. Antequam tamen diſcrimen Officii duplicis, vel Semiduplicis fuiſſet inventum, inter Officia Solemnia vel Ferialia nulla erat diverſitas in concinendis Antiphonis; indiſcriminatim etenim integræ præmittebantur Antiphonæ Pſalmis; nec uſpiam invenitur in priſcis Ritualibus, ut ſola Antiphonarum exordia Pſalmos præcedant, ut fit nunc in Feſtis Semiduplicibus, & diebus Ferialibus. Quod ſi quis contendat, haud raro in vetuſtioribus ſcriptis occurrere, ut ante Pſalmum Cantor imponat Antiphonam; id nihil officere dicimus, quin etiam favere. Si enim Cantor Antiphonam imponebat, eam utique Chorus illico perficiebat, eo modo, quo nunc eam perficit in Officiis Duplicibus; ſic Amalarius *c.* 1. *de ordine Antiphonali* dicit, Cantorem inhoare Antiphonam invitatoriam, quæ tamen omnium Eccleſiarum uſu adhuc retento integra dicitur ante Pſalmum *Venite*. Rurſus ex eodem Amalario magis comprobatur hæc veritas, nam *lib* 4. *c.* 7. ait: *Antiphona inchoatur ab uno unius Chori, & ad ejus Symphoniam Pſalmus cantatur per duos Choros*; quibus in verbis ſatis indicatur integram concinendam eſſe Antiphonam ante Pſalmum; *Symphonia* enim eſt plurium concentus: itaque ob Antiphonam ab uno Cantore tantummodo inchoatam, non potuiſſet recte dici ad Antiphonæ *Symphoniam* Pſalmum decantari. Accedit, quod cum Pſalmus decantari debeat ad tonum Antiphonæ, quonam pacto, ad Antiphonæ tonum potuiſſet cantari Pſalmus, ſi ipſamet Antiphona tota in ſuo perfecte modulata tono non præceſſiſſet? Quin e contrario ſi Pſalmum Antiphona tantum conſecuta fuiſſet, dici potius debuiſſet ad tonum Pſalmi Antiphonam decantari.

Hiſce Argumentis optime comprobat Cardinalis Thomaſius *cit. loc. pag.* 27. priſcum Eccleſiæ Ritum concinendi integram Antiphonam ante Pſalmum, ſubdens, quod in antiquioribus Eccleſiaſticis Libris nullum elucet argumentum quo exordium dumtaxat Antiphonæ ante Pſalmos pronunciatum fuiſſe arbitremur. Et quod nec minimum extat apud veteres veſtigium ejus diſcriminis, ut diebus celebrioribus integræ Antiphonæ dicantur ante Pſalmos, ſecus vero quotidianis.

Idem Auctor in citata Præfatione *pag.* 30. alio etiam argumento utitur ad confirmandum hoc aſſumptum, idque deſumit ex repetitione Antiphonæ, quæ ad ſingulos Pſalmorum Verſus fiebat ab uno Choro, ut diximus etiam ſupra; concinnius enim fiet, ait ipſe, hæc repetitio ab eodem ſemper Choro; ſi Chorus idem integram iteravit Antiphonam ante Pſalmum; nempe ut totum id repetat ad ſingulos Verſus, quod a principio totum, & non ex parte tantum poſtrema dixerat. Id quod ſubjecto exemplo explanatum vult.

Primus Chorus Antiphona. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. Ego hodie genui te.*

Secundus Chorus Antiphona. *Dominus dixit ad me: Filius meus &c.*

Primus Chorus Pſalmus. *Quare fremuerunt ... inania.*

Secundus Chorus Antiphona. *Dominus dixit ad me: Filius meus &c.*

Primus Chorus Pſalmus, *Aſtiterunt Reges terræ ... Chriſtum ejus.*

Secundus Chorus Antiphona. *Dominus dixit ad me: Filius meus &c.*

Sicque deinceps uſque ad finem; ubi pulcherrima ipſa ratio in alternando Antiphonam perfecte ſervatur: Dum Chorus ſecundus ita integram ſæpe repetit Antiphonam inter Verſus, ut integra antea reperiatur in principio.

Thomaſio prædicto hic videtur germanus modus Antiphonæ reſpondendæ, ſive repetendæ ante Verſus, vel Pſalmum; &

adſtruit, quod ex græcis libris Orientalium Eccleſiarum colligitur, quod ſemper bis dicunt primam Antiphonæ periodum, ſive Verſiculum. Idque pariter confirmat *pag. 36.* auctoritate Amalarii, clariſſimis verbis atteſtantis hanc veritatem *c. 3.* ubi loquitur de Nocturnis Feriarum: *ex ſenis Antiphonis, quas viciſſim Chori per ſingulos verſus repetunt &c.*

Idem Thomaſius *pag. 41.* duplicem deprehendit modum Antiph. concinendi ritu Græcorum: eorum alter eſt, cum Verſus, ſive ſententia, quæ a noſtratibus Antiph. appellatur, eadem intercalata conſtanter repetitur ad ſingulos Pſalmi verſus. Alter vero cum haud una, eademque ſemper ſententia intercalatur; ſed plures, diverſæque concinuntur breves periodi, quæ a Græcis *Troparia* appellantur, a converſione, vel immutatione; plures namque ſunt, quæ in una eademque Antiphona commutantur, novæ ſententiæ; quæ ut ſingillatim ab uno Choro canuntur, ita ſingillatim ab altero Choro iterantur: & ibidem Thomaſius ſubjicit exempla utriuſque modi repetendi Antiphonam apud Græcos, quorum primum eſt deſumptum ex Typico S. Sabæ in Nativitate Domini, ſecundum vero ex Triodio Græcorum in Vigiliis Dominicæ Paſſionis.

Græcorum morem, quo diverſarum ſententiarum Cantus in una Antiphona adhibebatur, aliquo pacto imitata eſt Eccleſia Romana; id ſignificat vetus Ordo Romanus MS. relatus a Thomaſio *in ſua appendice pag.* 404. *col* a. agens de duabus Antiphonis de die, & de Natalitiis Sanctorum ad idem Canticum concinendis. Sed clarius extat exemplum, quod in ſua Præfatione *pag.* 43. deſcribit ex Membranaceo Antiphonario Miſſæ ad uſum Scholæ Cantorum ſcripto Sæculo XI. ſervatoque in Bibliotheca Angelica apud S. Auguſtinum hujus Almæ Urbis; cujus exempli initium nos quoque hic dabimus, reliqua enim videri poſſunt apud eumdem Thomaſium.

*Sabbato Sancto ad Vigilias poſt Communionem in Miſſa, in Evangel.*

*Antiphona.* Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum, omnia *Euouae.*

*Pſalmus.* Magnificat &c.

*Antiphona.* Et ecce Terræmotus factus eſt magnus: Angelus autem Domini deſcendit de Cœlo, alleluja, omnia *Euouae.*

*Antiphona.* Angelus autem Domini deſcendit de Cœlo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Alleluja, Alleluja. *Euouae.*

*Pſalmus.* Quia reſpexit &c.

*Antiphona.* Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimenta ejus ſicut nix alleluja, alleluja, omnia *Euouae.*

*Pſalmus.* Quia fecit mihi &c. *uſque ad finem; ut videre eſt apud eumdem Thomaſium; & Edmundum Martene, qui extenſe hoc refert.*

Cæterum antiquiſſimam Antiphonarum, repetitionem ad omnes Pſalmorum verſus attigiſſe videtur Anonymus Author Opuſculi *de Benedictione Dei* in Præfatione ad Bathericum Epiſcopum Ratisbonenſem, qui ſedem illam obtinuit anno 814. cujus verba refert Thomaſius in ſua ſæpius allegata Præfatione *pag.* 37. ex quibus quidem verbis colligitur, quod jam tum temporis cœperat in Eccleſiis Germaniæ Antiphonarum repetitio intermitti; immo ipſaſmet etiam Antiphonas omitti brevitatis gratia; quæ quidem omiſſio ſatis demonſtrat, quod plurimum temporis poſtularet ex antiquo more Antiphonarum concentus, quam quod flagitat mos hodiernus, cum ſemel tantum, vel bis Antiphonam canimus; malebant idcirco Eccleſiaſtici illi ipſas Antiphonas omnino prætermitere, quam eas reſponſionibus truncatas, præter authenticum ordinem utcunque concinere.

Decimo tamen ſæculo occurrit in Eccleſia Occidentali repetendæ Antiphonæ ad ſingulos Pſalmorum verſus Teſtimonium graviſſimum, quod habetur in vita S. Odonis Abbatis Cluniacenſis, Auctore Joanne ejuſdem Diſcipulo inter Acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti Sæculo V. Dicitur enim *ib. 1. n. 10. Quia ejuſdem Officii Antiphonæ* (Vigiliarum ſcilicet Sancti Martini) *uti omnibus patet, breves ſunt, & ejus temporis longiores noctes, volentes Officium ad lucem uſque protendere; unamquamque Antiphonam per ſingulos Pſalmorum verſus repetendo canebant &c.* Hinc germanam elicit rationem Thomaſius quamobrem contractiores ſunt Antiphonæ quæ cum Pſalmis, vel Canticis canuntur in Eccleſiaſticis Curſibus, quam quæ in Miſſa cantantur ad Introitum, Offertorium, & Comunionem; nimirum quia illæ quam frequentiſſimæ repetebantur poſt ſingulos omnes Pſalmorum omnium Verſus, hæ vero, poſt ſingulos quidem, ſed paucos tantum Verſus, vel proprios, vel Pſalmi, reſpondebantur.

In præſentiarum priſcum illum repetendi Antiphonam ritum ad unumquemque Pſalmi Verſum, non ſervamus, niſi in Pſalmo Invitatorio, in quo bis ad initium Antiphonam dicimus, & repetimus modo integram, modo ex parte ad ejuſdem Pſalmi Verſus. Quod ſi mores noſtros ad antiquiorem revocaremus, nolentes tamen ad ſingulos Pſalmorum Verſus Antiphonas repetere; certe poſt Pſalmos ante *Gloria Patri*, itemque poſt ℣. *Gloria Patri*, & poſt ℣. *Sicut erat* omnino Antiph. repetere deberemus. Et hunc ritum Sæculo XII. retinebant Romani ſaltem in præcipuis aliquot Officiis Natalis Domini, Epiphaniæ, & Nat. Sancti Petri, ut videre licet in Antiphonario Vaticano *pag.* 38. 51. & 148. quin & in Romano Breviario Venetiis edito 1489. præſcribitur hic Ordo, ut ſi Feſtum S. Thomæ Apoſtoli in Dominicam inciderit, Antiphona *Nolite timere* dicatur primo ante Canticum *Benedictus*, tum poſt *Gloria*: demum poſt *Sicut erat*, ſed ex Vaticano (ut diximus) Antiphonario, etiam ante ℣. *Gl. Patri* poſt Pſal. dici debet. Hæc pariter omnia deprompta ſunt ex his, quæ tradit pluries citatus Thomaſius *pag.* 38.

Supereſt nunc, ut cum eodem, necnon cum Grancolaſio *lib. ſupracit. c.* 30. animadvertamus Antiphonarum inchoationem, ſive, ut Antiqui loquebantur, impoſitionem, ad Clericos cantores ſemper pertinere, ad illos ſcilicet, qui majores ſunt in Schola Cantorum, qui ſeptem olim erant, in Eccleſia Romana, non Presbyteri, nec Diaconi, ſed tantummodo Subdiaconi, qui juſtum puerorum Paraphoniſtarum numerum ſibi ad Cantus adjumentum adſcribebant. Ii Cantores Ordine ſuo inchoabant Antiphonas, ut primam Primicerius, ſecundam Secundicerius, & ſic reliqui reliquas imponerent, ad nutum tamen Archidiaconi, exceptis aliquibus Antiphonis ad Evangelium in Paſchate, quarum impoſitio Diaconis tribuebatur, ut videre eſt in appendice vulgata a Thomaſio *pag.* 389. & ſequentibus. Cæterum nuſquam invenitur in antiquioribus ritibus, ut Pontifex, vel Presbyter in Divinis Officiis Antiphonam incipiat; id enim vel maxime ſolemnioribus diebus præſtitiſſent; cum iiſdem tamen diebus in priſcis Codicibus id conſtanter occurrat, ut Cantor, vel Primicerius Antiphonam incipiat; generatim namque totum Eccleſiaſticæ Cantilenæ officium ad Subdiaconos, & inferiorum graduum Clericos olim pertinebat, ut Sanctus Gregorius Magnus decrevit, cujus ſtatutum refertur *in c. In Sancta Romana Eccleſia diſt.* 92. Sermo nunc eſt de ritibus ſervatis ab Eccleſia Romana; prætermittimus enim afferre quid apud alias Eccleſias in uſu fuerit. Præfatus mos antiquus ſervatur in Officiis celebratis coram Romano Pontifice, in quibus (niſi ipſemet celebraturus ſit Miſſarum ſolemnia in craſtinum) Antiphonas, neque ipſe, neque Cardinales, ſed ſoli Cantores, imponunt. Quando autem Pontifex intonat Antiphonam, poſt *Gl. Patri* Subdiaconus eidem Papæ ſtando, capite inclinato, ſubmiſſa voce, præintonat Antiphonam, v. g. *Rex Pacificus*, & poſtea flectit genua ante eum, & iterum Papa reincipit Antiphonam, qua dicta, ſedet, ſtatimque Chorus incipit ..... ſecundam Antiphonam incipit Diaconus, qui ſtat a dexteris: tertiam incipit Epiſcopus Cardinalis, qui ſervit in Officio Presbyteri: quartam incipit prior Presbyterorum Cardinalium: quintam Diaconus Cardinalis, qui ſtat a ſiniſtris, & iſte ordo obſervatur quandocumque Veſperæ ſunt Papales. Et hæc traduntur in Ordine Romano XV. Auctore P. Amelio *num.* 6.

In aliis autem Eccleſiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis, necnon in nonnullis Regularium ſolent etiam Presbyteri in Choro intereſſentibus Antiphonas imponere, ſervato hoc Ritu, ut quando Officia ſolemniter celebrantur, Antiphonæ ab aliquo Cantore præintonentur, ſive annuncientur illi, qui debet Antiphonam imponere. Hinc in Cæremoniali Monaſtico *lib. 2. c. 6. §.* a. in quo agitur de munere Cantorum in Veſperis ſolemnibus, deſcribitur quomodo prædicti Cantores indui debeant Albis, & Pluvialibus, & quomodo ſe gerere cum pervenerint ad Altare, & prope ſedem Celebrantis &c. Denique *n.* 4. præſcribitur, quod primus Cantor ad initium Verſiculi *Sicut erat* ſe inclinabit aliquantulum aliis Cantoribus, qui & ipſi viciſſim facient minimam inclinationem, & ſtatim deſcendit e ſedili ſuo; tum ante Analogium ſtans, profunde ſe inclinabit Altari, & manibus junctis (ſi non utatur Baculo) accedet ad celebrantem, cui primam Antiphonam præcinet, inclinans ſe debite prius, & poſt; ac eadem via revertetur ad ſedem ſuam, ſicque alii Cantores ordine ſuo ſenioribus aliis reliquas præcinent Antiphonas: Advertitur præterea in dicto Cæremoniali, quod quando aliquis Cantor accedit propius ad ſedem Celebrantis, ut ille, qui proximus eſt ei, præcinat Antiphonam, debet præcentor inclinari profunde Celebranti; ſi ſit Superior, ac deinde mediocriter ad eum, cui ſecundam Antiphonam præcinit. Aliæ ſunt cæremoniæ præſtandæ ab eiſdem Cantoribus, quæ diverſæ ſunt, juxta diverſarum Eccleſiarum conſuetudines, & cæremonialia. Sed de præintonatione Antiphonarum alibi etiam ſermonem habebimus, & quomodo facienda ſit in Cathedralibus, vide in Cæremoniali Epiſc. *lib. 2. c.* 1.

Congruum nunc videtur exhibere ſequentia Decreta, utpote ad præſentem materiam ſpectantia.

Magiſter Cæremoniarum non poteſt alterare, ſeu mutare conſuetudinem circa præintonationem Antiphonarum ad Veſperas. Sacr. Rituum Congregatio 28. Aprilis 1607. *in Sueſſarin.* & hoc Decretum datur in noſtro Indice *ſub numero* 25.

Antiphona in Choro Cathedralis poſtquam primo loco data fuerit Celebranti a cornu Epiſtolæ, danda eſt ſecundo loco

primæ

primæ Dignitati, ſive a cornu Evangelii, ſive a cornu Epiſtolæ exiſtenti, & ſive interveniat, ſive non, prima Dignitas, quæ ſede a dicta parte Evangelii, non obſtante allegata conſuetudine. Sacra Rituum Congreg. 21. Martii 1665. *in Senogallien.* & datur in noſtro Indice *ſub num.* 90.

Antiphonas primas recinere in Choro & Spiritum Sanctum invocare in Capitulo ſpectat ad primum Canonicum Metropolitanæ, ſeu Cathedralis Eccleſiæ, quando tamen talis Canonicus ſit conſtitutus in Ordine Epiſcopali, non autem ſpectat tunc ad primam Dignitatem primas Antiphonas recinere. Sacra Rituum Congreg. 17. Novemb. 1674. *In Neapolitana*, & datur in noſtro Indice *ſub num.* 99.

Locus concinendarum Antiphonarum eſt Chorus, qui olim tabulis marmoreis circumcinctus in Eccleſiæ ſinu ante Sanctuarium, ſive Presbyterium ſitus erat, extatque etiam nunc vetus hujuſmodi Chorus in Titulo Sancti Clementis in Urbe; ibi enim bifariam diſpertiti Clerici Cantores conſiſtebant ad cantandum, & ex binis Claſſibus duo Chori reſultabant; ſicque Chorus Choro, ut voce, ita & loco, correſpondebat. Et ſicut in Antiphonis concinendis, ſuiſque Pſalmis, vel Verſibus Chorus Choro correſpondebat alternis; ita in earum impoſitione Antiphonarum ordo ſervabatur alternus, ut una quidem Antiphona ab uno Cantore unius Chori inchoaretur, alia ab alio alterius Chori; ſicque deinceps ſemper alterna. Amalarius *lib.* 4. *cap.* 7. hæc teſtatur dicens: *hanc viciſſitudinem Charitatis ſignificant Cantores, qui alternatim ex utraque parte Antiphonas levant*, ideſt incipiunt.

In Antiphonis inchoandis exordium ſumebatur ab antiquioribus Cantoribus ad inferiores uſque deſcendendo, diſcrimen tamen erat inter binos ipſos Choros hebdomadatim ſibi adſcribentes Officiorum exordia, per unam ſcilicet hebdomadam in uno Choro inchoabatur prima Antiphona cujuſque Officii, & per hebdomadam aliam in Choro altero. Diebus autem ſolemnibus in Schola Cantorum Eccleſiæ Romanæ ad Primicerium, ut diximus, pertinebat primam Antiphonam exordiri; porro Primicerii locum in dextera Chori parte fuiſſe, & Secundicerii in ſiniſtra Thomaſius pro certo habet; ea autem cenſebatur Chori pars dextera, non quæ ad dexteram erat ingredientium Eccleſiam, ſed ea, quæ ad dexteram erat Sacerdotis ad Altare ſtantis, hoc eſt ad Auſtrum, quo etiam viri confluebant, mulieribus ad Aquilonem conſiſtentibus, & ad ſiniſtram ſcilicet Sacerdotis ad Altare ſtantis. Ita pro varia Eccleſiarum ſtructura, & aſpectu ad diverſam Cœli plagam Eccleſiæ dexteram, vel ſiniſtram partem accipiebant Antiqui. Quare in Baſilica Lateranenſi, Vaticana Sancti Petri, Exquilina Sanctæ Mariæ Majoris, ac Tituli Sancti Clementis, Sancti Marci, aliiſque quampluribus Eccleſiis Urbis, quarum proſpectus anterior Orientem ſpectat, ac Sacerdos ad Altare ſtans reſpicit Populum, & Templi fores, ea cenſenda eſt pars Eccleſiæ dextera, quæ ad ſiniſtram occurrit eaſdem Eccleſias ingredientibus, quæ videlicet ad Auſtrum eſt; in qua & Ambo Evangelii, & Senatorium erat, ſicut adhuc videtur in Eccleſia Sancti Clementis. Cantores in binas Claſſes diſpertiti in Antiphonarum cantu, Pſalmorumque, & Canticorum, quæ cum Antiphonis decantabantur, neque Altare, neque Orientem, ſed ſe invicem e regione aſpiciebant; nec ſedentes, ſed conſiſtentes hinc, illincque alterne canebant; id teſtante Durand. *lib.* 5. *cap.* 2. 2. *n.* 30. ubi ait: Clerici Antiphonas cantantes non vertunt ad Altare, ſed ſe invicem verſis vultibus reſpiciunt. De corporis ſtatu erecto in Antiphonarum cantu meminit Joannes Caſſianus *de Inſtitution. Renuntiantium lib.* 3. *cap.* 8. ita ſcribens: *Cum ſtantes Antiphonas tres concinuerunt &c.* Hæc pariter placuit ex Thomaſio depromere pro exacta notitia antiquorum Rituum canendi Antiphonas.

Pro Coronide tamen hujuſce Capitis, & hujuſce materiæ, ſeu Antiphonarum concinendarum Ritus, meminiſſe opus eſt Divum Gregorium Papam prædictis Antiphonis, atque earum Cantui inſtituendo operam dediſſe, librumque componi curaſſe Antiphonarium appellatum. Præfatus enim Pontifex, ſicut vetuſtum Codicem Sacramentorum (quem Gelaſianum poſtea appellaverunt) in unum librum abbreviavit, ad uſum præcipue publicarum Stationum Eccleſiæ Romanæ, qui Sacramentarium Gregorianum paſſim eſt vocatus; ita & libros Antiphonarios, necnon Reſponſoriales recenſuit, ac ordine meliori diſpoſuit; id quod in pluribus MSS. Antiphonariis Monaſterii Sancti Galli in Helvetiis, Verſiculi præpoſiti oſtendunt, dum dicunt: *Hoc quoque Gregorius Patres de more ſequutus inſtauravit opus.* Ob eam itaque recenſionem, aptioremque diſpoſitionem S. Gregorio Magno Reſponſoriales libri, & Antiphonales veteres adſcribunt, quorum teſtimonia videri poſſunt apud probatos Auctores, ut ſunt Monachus Engoliſmenſis in Vita Caroli Magni *cap.* 8. *tom.* 2. *Hiſtor. Francorum Duchesne*, Joannes Diaconus *in Vita ejuſdem Sancti Gregorii lib.* 2. *cap.* 6. *& ſeqq.* Micrologus *cap.* 25. Eanehardus Junior in vita B. Notkerii Balbuli *cap.* 2. in Actis Sanctorum eruditiſſimorum Henſchenii, & Papebrochii die 6. Aprilis, & alii. Hujuſmodi Antiphonarii Gregoriani Codices varii reperiuntur, ſed diverſi inter ſe, teſtante Amalario, aliter ſe habere Antiphonarium Corbejenſe (quod Romanum appellare ſolet, quia a Gregorio IV. Walla Abbas Corbejenſis acceperat) atque aliter Metenſe, quod Roma ſub Carolo Magno deportatum Metis eſt collocatum. Romanum Antiphonarium poſtquam in Gallias devectum eſt, complures a Gallicanis Magiſtris acceſſiones habuit; id quod diſertis verbis teſtatur Walfridus Strabo, qui IX. Sæculo floruit, *lib. de Reb. Eccleſ. cap.* 25.



Diligentiſſimo noſtro Thomaſio animus fuerat pura, ac germana Sancti Gregorii Antiphonaria e tenebris proferre, ſed cum ea nanciſci nequiverit, vetuſtiora ſaltem, quæ habere potuit, edere curavit, quia quo antiquiores ſunt Codices Rerum Eccleſiaſticarum, eo propius accedunt ad priſcos fontes, unde derivantur, minuſque recentiorum additamentis ſunt infarciti. Quamobrem duo Antiphonaria in ſua collectione evulgavit, quæ etſi germanam illam, puramque Sancti Gregorii inſtitutionem illibatam haud exhibeant, utriuſque tamen Codicis mutua collatione id fieri poſſe arbitratur, ut ferme deprehendantur, quæ ex Sancti Gregorii inſtitutione, vel ſubſequentium antiquorum temporum uſu ſunt profecta. Ex prædictis duobus Antiphonariis a clariſſimo Thomaſio editis, primum eſt Vaticanæ Baſilicæ membranaceum, notis muſicis, non iis, quæ hodie ſunt in uſu, connotatum. Hoc Antiphonarium exhibet Ritus ſolitos uſurpari in Eccleſia Romana Sæculo XII. ut unuſquiſque facile agnoſcat, qui illud contulerit cum Rituali Benedicti Canonici ſcripto ad Guidonem de Caſtello, qui poſtea Summus Pontifex fuit, & Cœleſtinus II. appellatus. Alterum Antiphonarium ab eodem Thomaſio evulgatum, quod Sanctum Gregorium inſtitutorem perhibet in verſiculis initio præfixis, membranaceum eſt, notiſque muſicis antiquis condiſtinctum, ſervaturque in Bibliotheca Monaſterii Sancti Galli in Helvetiis, cujus exemplar, ut & alia quamplura, quæ ex eodem Monaſterio protulit laudatus Thomaſius in appendice ſui voluminis, cuncta peramanter deſcripta ſe recepiſſe fatetur a viro claro D. Hermanno Shenk illius Cœnobii Bibliothecario. Prædictum Codicem refert Thomaſius ad X. vel XI. Sæculum ob Officium præſertim Sanctiſſimæ Trinitatis in eo contentum, quod ignotum erat Sæculis prioribus. Poſt Joannis Diaconi ætatem omnino conſcriptum fuiſſe, ſatis demonſtrant Antiphonæ in Feſto Beati Gregorii ab ejuſdem Sancti Vita, quam Joannes ille texuit, exceptæ. Antiquiorem demum Alexandro II. hunc Codicem deprehendit Thomaſius ob id maxime, quod in Dominica Septuageſimæ nocturna, & matutina officia Allelujatica contineat; Alexander enim II. ſua ſanctione prætermitti juſſit *Alleluja* primæ illius Dominicæ; cum antea ipſamet Dominica poſt Matutinum tantummodo omitteretur.

## De Pſalmis. XXII.

### RUBRICA.

1\. *PSalmi in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis, & Feriis dicuntur eo modo, quo diſtributi ſunt in Pſalterio, niſi aliter in Proprio de Tempore ſignetur. In Feſtis autem dicuntur, ut in propriis locis ſignantur; alioquin, ut in Communi Sanctorum.*

2\. *Pſalmi ad Laudes de Dominica, cum Cantico, Benedicite, dicuntur in omnibus Feſtis per Annum, & in Feriis temporis Paſchalis.*

3\. *Pſalmus, Confitemini, dicitur ad Primam cum aliis Pſalmis in Pſalterio aſſignatis, in omnibus Dominicis (quando Officium fit de Dominica, ut in Pſalterio, etiam in Dominicis, quæ occurrunt infra Octavas Sanctorum) a tertia Dominica poſt Pentecoſten incluſive, uſque ad Nativitatem Domini excluſive: & a ſecunda Dominica poſt Epiphaniam incluſive, uſque ad Septuageſimam excluſive: a Septuageſima autem uſque ad Paſcha, ejus loco dicitur Pſalmus, Dominus regnavit, quia Pſalmus, Confitemini, tunc dicitur ad Laudes poſt Pſalmum, Miſerere, ut ſuo loco ponitur: In Dominicis vero temporis Paſchalis a Dominica in Albis incluſive, uſque ad Aſcenſionem excluſive, dicuntur tantum tres Pſalmi ſicut in Feſtis, addito Symbolo S. Athanaſii. Alii Pſalmi per ſingulas Ferias diſtributi ad Primam, dicuntur ſinguli loco Pſalmi, Confitemini, in Feriali tantum Officio, quando in Feria agitur extra tempus Paſchale. In Feriis vero temporis Paſchalis, in Feſtis per annum, & in Sabbato, ſive de S. Maria, ſive de Feria fiat Officium, dicuntur tantum tres Pſalmi, ſcilicet, Deus in nomine tuo, Beati immaculati, & Retribue, etiamſi Feſtum Duplex celebretur in Dominica.*

4\. *In Dominicis autem, quando Officium fit de Dominica, ut in Pſalterio, poſt Pſalmos additur ſemper Symbolum S. Athanaſii, Quicumque, ut infra in propria Rubrica dicitur.*

5\. *Pſalmi Horarum, ſcilicet ad Tertiam, Sextam, & Nonam, & ad Completorium, numquam mutantur, ut in Pſalterio, ſive de Sanctis, ſive de Tempore fiat Officium.*

6\. *Pſalmi de Dominica ad Veſperas, ut plurimum dicuntur in Veſperis Feſtorum, excepto ultimo, qui muta-*

*tur; cum vero aliter fieri debet, ſuis locis notatur. In Veſperis infra Octavam dicuntur Pſalmi, ut in ſecundis Veſperis Feſti; ſed in primis Veſperis diei Octavæ dicuntur, ut in primis Veſperis Feſti, niſi aliter notetur.*

7. *In fine Pſalmorum ſemper dicitur, Gloria Patri, præterquam in Pſalmo, Deus Deus meus ad te de luce vigilo, & in Pſalmo, Laudate Dominum de Cœlis, qui conjunguntur cum aliis Pſalmis, & in fine ultimi tantum dicitur Gloria, ut ſuis locis notatur. Præterea non dicitur in triduo majoris hebdomadæ ante Paſcha; nec in Officio Defunctorum, cujus loco pro Defunctis dicitur, requiem æternam dona eis Domine, etiamſi fiat Officium pro uno tantum.*

8. *Ut ſacræ vulgatæ editionis puritas inconfuſa, & illibata ſervetur, etiam quoad interpunctiones, & diſtinctiones in Sacris Bibliis appoſitas, additus eſt Aſteriſcus *, ut ſit nota muſicæ partitionis in medio verſu.*

## De Pſalmis. Cap. VIII.

### G A V A N T U S.

1. SI Pſalterium Sacerdos ignorat, nomen Sacerdotis vix in eo conſtabit, ait Auguſtin. 28. *diſt. que ipſis*, & hoc me movit, ut hoc loco plura recenſeam ad pleniorem Pſalterii cognitionem, de Vocabulo, Auctore, Ordine, Materia, Cantu, & uſu Pſalmorum, breviter tamen enarraturus.

2. *Pſalmus* Græcis idem, quod Latinis, cantus ſive ſonus, qui fit manibus, pulſato Pſalterio, ut 1. *Reg.* 16. Fit etiam voce, *ut Pſalm.* 33. *bene pſallite ei in vociferatione.* At Pſalmi Davidici continent Dei laudes vel preces ad eum, unde fere idem eſt Pſalmus, quod Hymnus, ut ex titulo Hebræo Pſalterii habetur, qui eſt; liber Hymnorum, ſeu laudum divinarum.

3. Pſalterium, quo Romana Eccleſia utitur, eſt ex translatione Sancti Hieronymi Romana, teſte Radulph. *propoſ.* 8. & differt a Pſalterio Romano, quod adhibetur Romæ in Æde Vaticana Sancti Petri, quo etiam utuntur Ambroſiani. Sanctus Franciſcus in ſua Regula excipiens ab Officio Divino Pſalterium Romanum intelligit de eo, quod in Vaticana S. Petri eſt in uſu antiquiſſimo.

4. De *Auctore*, tria ſunt certa. Primo, Auctorem primarium eſſe Spiritum Sanctum. *Actor.* 1. *Hebr.* 3. Secundo, maximam partem eſſe Davidis, qui 2. *Reg.* 29. egregius appellatur Pſaltes Iſrael: & Iſidor. *lib.* 1. *de Offic. c.* 5. vocat Davidem Pſalmorum Theſaurum. Tertio, probat Bellarm. *in præf. ad explan. in Pſalm.* eos, qui carent titulo, & eos item, qui nomen David in titulo præferunt, quocumque caſu, ſeu genitivo, ſeu dativo, eſſe Davidis. De reliquis Pſalmis, qui alium præferunt Auctorem, communior eſt ſententia, eſſe omnes unius Davidis; quæ eſt Chryſoſtomi, Auguſtini, & aliorum. Pluribus agit de hac re Auguſtinus Torniellus Congregationis noſtræ, *in Sacris Annal. Anno Mundi* 1964. *a num.* 2.

5. *Ordo* Pſalmorum triplex eſſe poteſt; Biblicus, Hiſtoricus, Eccleſiaſticus: *Biblicus* eſt, qui in Sacris Bibliis habetur, a primo uſque ad Pſalm. 150. quos dividunt aliqui (& placet diviſio Bellarmino) itaut primi quinquaginta pertineant ad pœnitentes, ſive incipientes; alii quinquaginta ad proficientes; reliqui quinquaginta ad perfectos. Si dividas, ut dimidium Pſalterii invenias pro numero verſuum; ſicuti omnes verſus ſunt 2606. ita dimidium verſuum erit inter illos duos verſus Pſalm. 77. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo &c. ipſe autem eſt miſericors*, quaſi centrum Pſalterii ſit ſumma malitia hominum & ſumma bonitas Dei.

6. Ordo *Hiſtoricus*, quo ſcilicet tempore quiſque Pſalmus fuerit compoſitus, difficillime haberi poteſt. Nam ordo *Biblicus* eſt, vel quo reperti ſunt ab Eſdra, ut videtur ſentire Sanctus Athanaſius *in ſynopſi*; vel quo ordinati ſunt a ſeptuaginta Interpretibus, ut docet Sanctus Hilarius *in Prologo Pſalmorum*, ſcitur aliquorum tempus, qua de re vide Torniellum loco citato, qui ſequentes ordinat hoc modo; Pſalm. 143. Benedictus Dominus.

- 9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo,
- 10. In Domino confido.
- 58. Eripe me de inimicis meis.
- 33. Benedicam Dominum.
- 56. Miſerere mei Deus, miſerere.
- 62. Deus Deus meus: ad te.
- 51. Quid gloriaris in malitia.
- 108. Deus laudem meam.
- 139. Eripe me Domine ab homine.
- 53. Deus in nomine tuo.
- 141. Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.
- 25. Judica me Domine: quoniam.
- 5. Verba mea auribus.
- 12. Uſquequo Domine.
- 16. Exaudi Domine juſtitiam.
- 57. Si vere utique.
- 85. Inclina Domine.
- 93. Deus ultionum Dominus.
- 26. Dominus illuminatio.
- 138. Domine probaſti me.
- 132. Ecce quam bonum.
- 2. Quare fremuerunt.
- 23. Domini eſt terra.
- 46. Omnes gentes plaudite.
- 28. Afferte Domino.
- 104. Confitemini Domino, & invocate.
- 29. Exaltabo te Domine.
- 50. Miſerere mei Deus, ſecundum magnam.
- 6. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Miſerere mei &c.
- 37. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Quoniam &c.
- 31. Beati quorum remiſſæ.
- 7. Domine Deus meus, in te.
- 3. Domine quid multiplicati ſunt.
- 142. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe.
- 38. Dixi: Cuſtodiam vias meas.
- 39. Expectans expectavi Dominum.
- 40. Beatus qui intelligit.
- 41. Quemadmodum deſiderat.
- 42. Judica me Deus.
- 54. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris.
- 83. Quam dilecta tabernacula tua.
- 96. Dominus regnavit, exultet terra.
- 45. Deus noſter refugium.
- 17. Diligam te Domine.
- 106. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Dicant, &c.
- 123. Niſi quia Dominus erat nobis.

Pſalmorum tempus aliorum prorſus neſcitur. Omnes autem ante Annum Mundi 3020. quo David mortuus eſt, & forte ultimus ille fuit, qui in Bibliis eſt 36. *Noli æmulari &c.* in quo ait: *Junior fui, etenim ſenui*; ut mea fert conjectura.

7. Ordo Pſalmorum *Eccleſiaſticus* eſt alius a prædictis. Nam aliqui dicuntur Matutinales, qui ante prandium in Choro dicuntur; aliqui Veſpertinales, qui a prandio. Matutinales 112. Veſpertinales 38. quamquam in Matutino de Sanctis, & Dedicationis Eccleſiæ aliquando cantantur Pſalmi, *Cum invocarem*, & *Qui habitat*, qui ſunt Veſpertinales, & in Completorio, Pſalm. *In te Domine ſperavi*, qui eſt etiam Matutinalis. Si dividas eoſdem per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada XCI. ad Laudes XIII. ad Veſperas XXXV. ad alias Horas XI. qui faciunt ſummam CL.

8. Eoſdem recitari in Horis Canonicis, *Pontiani Decreto refert in ejus Vita Ribadeneira; ſed vel ubique non fuit receptum, vel Romæ quoque neglectum; nam poſt Annos centum, & ultra, Pſalmos omnes per Dominicam, & Ferias diſtribuit S. Hieron. *ex Radulph. propoſ.* 10. & Damaſus decrevit hoc ordine recitari, *ex Baronio Anno* 60. cum nihil fere ex Pſalmis Romæ in Templis legeretur, ut ipſe Damaſus fatetur, *in Epiſtol. ad Hieron. in tomo primo Concil.* Hieron. igitur conſtituit in Dominicis 18. Pſalmos, duodecim in Matutinis Ferialibus, & in Matutino Feſtorum dimidium numeri Dominicarum, ideſt, Pſalmos novem. Ad Horas, Ambroſium ſequutus, diſtribuit in plures partes Pſalm. 118. *Beati immaculati.* Hæc poſtrema Radulphus *propoſ. cit.* De numero duodenario in Feriis, Narrat Caſſianus 2. *de inſtit. cœn. cap.* 4. quod coram Monachis Angelus apparens duodecim Pſalmos continenter cecinit, quibus finitis *Alleluja*, cantavit, ac ſiluit, non amplius viſus, nec auditus. Unde a Concil. Turonenſ. *cap.* 19. ad Matutinum duodecim ſaltem Pſalmos expediri juſſum eſt, facta mentione prædictæ viſionis Angelicæ. Extat Decretum Greg. VII. *de conſ. diſt.* 5. *In die*. Omnibus diebus, inquit, aliis (excipit Paſcha, & Penteceſten) per totum Annum, ſi Feſtivitas eſt, novem Pſalmos, & novem Lectiones dicimus. Aliis autem diebus duodecim Pſalmos, & tres Lectiones recitamus. In diebus Dominicis octodecim Pſalmos, & novem Lectiones celebramus. *Hæc ibi.*

9. Pluralitas Pſalmorum myſtice ſignificat, recolendos eſſe mores bonos diverſorum operum per plures Pſalmos. Ita Ordo Romanus *in Octavis Paſchæ*. Minor etiam numerus Pſalmorum in Officio dicitur ob temporis jucunditatem, ut tempore Paſchali. Radulph. *propoſ.* 10.

10. Pſalmi mutatio unius in alium, ut pro, *Confitemini*, in Prima Dominicali dicatur Pſalmus, *Dominus regnavit*, & pro, *Jubilate*, in Sabbato de B. V. dicatur, *Bonum eſt confiteri Domino*, ideo decreta eſt, ut in hebdomada, quoad ejus fieri poſſit, expleatur Pſalterium, neque Pſalmus unus omittatur in Officio totius hebdomadæ.

11. Additum eſt in fine cujuſque Pſalmi, *Gloria Patri, & Filio &c.* (de eujus origine diximus *ſupra cap.* 4. *n.* 4.) ex inſtitutione Damaſi, ut dicitur in ejus Feſto, quod hodie hæc ſcribentes celebramus, & probat Baronius Anno 382. Ambroſius autem addidit tantum eamdem glorificationem Trinitatis in fine Hymnorum, non Pſalmorum, ut S. Augu-

ſtinus

ſtinus affirmat *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* & Caſſianus docet, tantum in fine Antiphonarum ſubdi ſolitum, *Gloria Patri &c. lib. 2. de noct. orat. cap. 8.* Falluntur ergo Nicephorus, qui *lib. 9. cap. 24.* auctorem facit Flavianum primi verſus *Gloria Patri &c.* & Alcuinus, qui facit auctorem Hieronym. petente Damaſo: unde epiſtola Hieronymi hac de re merito reprobatur a Baronio Anno 235. quidquid dicat Francolin. 1. *part. cap. 2. in fine*. Hoc autem verſu manifeſte diſtinguimur a Judæis, Paganis, & Hæreticis, conformamur Angelis, qui quotidie cantant Trino Deo, & Uno. Benzonius *in Magnif. lib. 5. c. 2.*

12. Non dicitur, *Gloria Patri*, in triduo majoris hebdomadæ. Ordo Romanus *in Dominica Mediana*; quia in Paſſione Chriſti viſa eſt Trinitas obſcurari. Durand. *lib. 6. cap. 72.* neque in Officio Defunctorum; quia verſus eſt lætitiæ, non mœroris. Walafrid. *cap. 25.*

13. *Materia* Pſalmorum ea eſt, ut ſint quaſi compendium totius veteris Teſtamenti; quidquid enim Moyſes, vel in hiſtoria tradidit, vel in lege præcepit; & quidquid Prophetæ reliqui, vel exhortando ad virtutes, vel prædicendo futura ſcripſerunt, id fere totum in Pſalmis comprehenditur. Lege de hac re *Radulph. propoſ. 9. & Bellarm. præfationem Pſalmorum*.

14. De eorum *Cantu* nunc dicendum. Ab Apoſtolis habetur, *Coloſſ. 3. Epheſ. 5. in Pſalmis cantantes*; adeo ut *ex Dion. de Cæleſt. Hierarch. cap. 3.* Pſalmorum modulatio omnibus fere Pontificiis myſteriis, eſſentiæ inſtar, adhibeatur, cantus autem primitivæ Eccleſiæ, modico flexu vocis, pronuncianti Pſalmos, quam canenti, vicinior erat, *ex Iſidor. loc. cit.* quod accepit ab Auguſtin. *lib. 10. Confeſſ. cap. 33.* ubi facit auctorem hujus moderati cantus Athanaſium. Renovaverunt hunc cantum Clerici Regulares.

15. De *Alterno cantu*, eſt magna quæſtio, quis fuerit auctor? inter Græcos videtur Dion. *de Cæleſt. Hierarch. cap. 3.* hunc innuere cantum. Item Baſil. *epiſt. 63.* qui teſtatur de Ritu communi omnibus Eccleſiis, exemplo ſumpto a cantu Antiphonarum Ignatiano, de quo præced. Cap. *n.* 2. diximus. Caſſianus, qui poſterior, nondum videtur noviſſe alternum cantum *lib. 2. inſtitut. cap. 5. & cap. 10.* forte loquitur de ſolo Ritu Monaſtico. Faciunt autem alterni cantus Pſalmorum Flavianum, & Diodorum auctores, ex Athanaſio hoc enarrante, Hiſtorici Græci; ſed potius inſtauratores vocat Theodor. *lib. 2. cap. 24.*

16. At inter Latinos, quamvis Tertullianus *lib. 2. ad uxorem* iis verbis (Pſalmum inter duos ſonare) videatur ſignificare alternum cantum, tamen de privata ratione recitandi Pſalmos explicatur: & Ambroſio tribuitur, qui Græcos imitatus, ex Iſidor. *lib. 1. de Offic. cap. 7.* & teſte Auguſtino *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* primus invexit in Eccleſiam alternum cantum. quem Damaſus Decreto generali firmavit, & communem toti Eccleſiæ fecit, ut dicitur in Breviario in ejuſdem Feſto. Fuſius hac de re Francolin. 5. *part. cap. 3.*

17. Denique alternus cantus ſignificat alternam Sanctorum ad bene operandum exhortationem. Hugo *in Spec. c. 3.* & quod alter alterius onera portare debet, Durand. *in Ration. lib. 5. c. 2.*

18. Addit Amalar. *lib. 4. c. 3.* ſtandum eſſe ad Pſalmos (quod hodie obſervant Clerici Regulares, & noſtri Ordinis ad Officium diurnum) & Baronius probat ex P. Damiani Anno 1062. ut ex ſtatu corporis, ait Amalar. demonſtremus affectum mentis; hoc eſt, paratos nos eſſe, ſive ad domandam carnem noſtram, ſive ad exercitium operis (quod ſignificat Pſalmus, ut diximus) in cauſa noſtra, & fratrum ſtantes etiam in operibus bonis facilius vincimus hoſtes, ait Durand. *loc. cit.*

19. *Uſus* ejuſdem Pſalmi in pluribus Feſtis ad Matutinum eam habet cauſam, quia in eodem ſunt plures, & varii verſus, qui pertinere commode poſſunt ad varia Feſta, & ſuggerunt varias, & ad rem accommodatas Antiphonas, ut recte conſideranti patebit: quod etiam notavit Durand. *loc. cit.*

20. In Veſperis Feſtorum accidit mutatio ultimi Pſalmi Dominicalium, ut ſit conformior Feſto, quam mutationem ſignificat Radulph. *propoſ. 50.*

21. In poſtrema Breviarii recognitione viſum eſt Aſteriſco interpungere Pſalmorum verſus, ut eorumdem lectio, etiam quoad puncta, & commata, eſſet eadem, quæ in vulgata editione Sacrorum Bibliorum, emendatione Vaticana ultima Anni 1598.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 5. *Si Pſalterium Sacerdos ignoret &c.*) Quanti momenti eſſet apud veterem Eccleſiam hæc diſciplina, ut Clerici Pſalterium totum animo perciperent, & memoria cuſtodirent, præter Auguſtini teſtimonium, hic a Gavanto noſtro laudatum, illud etiam præclare demonſtrat, quod legimus de Gregorio magno, qui Epiſcopum ordinare recuſavit Joannem Presbyterum, utpote pſalmorum neſcium, & id habetur in ejuſdem Pontificis Epiſtola 44. *lib. 4.* Idem Sanctiſſimus Pontifex antequam quempiam ordinaret Epiſcopum, inquirebat, an Pſalmos memoriter teneret, nec ne, ut colligitur ex Epiſtola 34. *lib. 8.* ad Epiſcopum Cluſinum de Joanne Diacono promovendo in Epiſcopatum Balneoregienſem, ubi hæc ſcribit: *Requirendum quoque eſt ſi in opere Dei ſtudium habuit, vel Pſalmos novit.* Et in Epiſtola 6. *libri* 12. habetur, quod ab eodem Pontifice repulſus fuit ab Epiſcopatu Anconitano, ad quem erat electus Ruſticus Diaconus, quia Pſalmorum ignarus repertus fuit. Hunc eumdem morem in ordinandis primi Ordini Sacerdotibus reintegravit Oecumenica Synodus Nicæna II. his verbis: *quoniam Pſallentes Deo ſpondemus*: in juſtificationibus tuis meditabor; non obliviſcar ſermones tuos: *omnes quidem Chriſtianos ſalutare eſt hoc ſervare; eos autem præcipue, qui Sacerdotalem Dignitatem obtinent; quamobrem decernimus quemlibet, qui ad Epiſcopalem gradum eſt provehendus, Pſalterium omnino noſſe; ut ex eo omnem quoque ſuum Clericum ita inſtitui moneat*, Concilium pariter Toletanum VIII. Anno Domini 653. coactum, hunc juſtiſſimum Canonem edidit, ut videre eſt Tom. 2. Collectionis maximæ Conciliorum Hiſpaniæ factæ a Sapientiſſimo Cardinali Joſepho Saenz de Auguirre pag. 566. -- *Sollicite conſtituitur, atque decernitur, ut nullus cujuſcumque dignitatis Eccleſiaſticæ deinceps percipiat gradum, qui non totum Pſalterium, vel Canticorum uſualium, & Hymnorum, ſive baptizandi perfecte noverit ſupplementum* -- Hujus Canonis memores PP. Concilii Covacenſis in Diœceſi Oretenſi Anno 1050. decreverunt, *ut Archidiaconi tales Clericos, conſtitutis quatuor temporibus, ad ordines ducant, qui perfecte totum Pſalterium, Hymnos, & Cantica, Epiſtolas, Evangelia, & Orationes ſciant*. Hoc idem antiquæ Diſciplinæ caput anno 889. ſuis Presbyteris commendarat Ridulphus Sveſſionum Epiſcopus: Cum in ſua ad illos Conſtitutione ſcripſit. *Monemus, ut unuſquiſque veſtrum Pſalmos, & Sermonem Fidei Catholicæ, cujus initium*, Quicumque vult ſalvus eſſe, *& Canonem Miſſæ, ac Cantum, vel computum memoriter & veraciter, ac correcte tenere ſtudeat*. In Eccleſia etiam Conſtantinopolitana inter veteris ſuæ diſciplinæ Officia id fuit, us Clerici Pſalmos omnes memoriter complecterentur: hinc Gennadius ejuſdem Sedis Antiſtes, is, qui Anatolio ſucceſſit, non diu poſt Chalcedonenſe Concilium noluit ordinare Sacerdotem Diaconum illum, qui prius Pſalterium ſedulo in ore non habuiſſet. Ita Nicephorus *l. 5. Hiſtor. cap. 27.* & Theodorus Lector *in Collectan.* narrat Archiepiſcopum Leonem in more habuiſſe, ut neminem Sacris Ordinibus initiaret, qui Pſalterium neſciret. Cæterum Pſalmos memoriter, & ſine libro cantandi mos diu viguit, ejuſdemque moris adhuc in quibuſdam locis remanſerunt veſtigia, ut de Eccleſia Lugdunenſi, & Rhotomagenſi &c. nec non de Carthuſianis aſſeverat Guſſanvilæus in notis ſuis eruditiſſimis ad ſupra memoratam Epiſtolam 45. Divi Gregorii. Immo hanc eſſe diſciplinam PP. Benedictinorum præſcriptam a S. P. Benedicto, infert Haephtenus *lib. 7. tract. 4. diſquiſit.* 2. ex verbis ſuæ Regulæ, quæ habentur *cap. 9.* & hanc eſſe antiquam veterum Monachorum conſuetudinem Pſalterium, alioſque Sacræ Scripturæ libros memoriæ commendandi, pluribus auctoritatibus oſtendit Edmundus Martene in ſuo eruditiſſimo Commentario ad prædictum *cap. 9.* Regulæ Sancti Benedicti.

II. Gav. num. 2. -- *Unde fere idem eſt Pſalmus, quod Hymnus &c.*) Pſalmos Davidicos, Hymnos quoque, & appellatos fuiſſe, & bene appellari poſſe, nos pariter ſupra inſinuavimus, agentes de Sacris Hymnis. Quapropter licet ex uſu Eccleſiæ Hymnus stricte acceptus diſtinguatur a Pſalmis ut innoteſcat diſcrimen inter Laudes Divinas a Davide factas, & alias Laudes a Catholicis Doctoribus compoſitas, nihilominus ſi vera ſignificatio attendatur, idem omnino ſunt Hymnus, & Pſalmus, utraque enim vox explicat Laudem Dei cum metro, & utraque exigit cantum ad ſui perfectionem; idcirco qui a nobis dicitur *Liber Pſalmorum* ab Hebræis dicitur *Liber Hymnorum*, & Philo *lib. de Mundo* loquens de Davide Pſalmorum Auctore, vocat eum nomine Hymnographi. Has, & alias rationes in hujuſce veritatis comprobationem adducit P. Anacletus Siccus in præfatione præfixa ſuo erudito libro inſcripto *de Eccleſiaſtica Hymnodia*, in quo agit de Divina Pſalmodia, qui idem liber prius ex Italico prælo in lucem emiſſus, paucos poſt annos Antverpiæ, Typis Plantinianis fuit recuſus.

III. Gavant. num. 3. -- *Pſalterium, quo Romana Eccleſia utitur &c.*) Primam Latinam Scripturæ Verſionem Romæ factam fuiſſe veriſimile eſt, ſtatim enim ut Romani Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, Sacra Scriptura ex Græco, in ipſorum idioma tranſlata fuit, & equidem tanta eſt hujuſce Verſionis antiquitas, ut tranſlationis nomen ignoretur; Itala tamen appellata eſt hæc Verſio, & uſque modo hoc nomen retinet, & eſt communis ſententia, quod ex veteri illa Græca LXX. Interpretum expreſſa fuerit. Aliæ poſtea pariter ex Græco textu LXX. & non ex Hebræis fontibus Latinæ Verſiones prodierunt, quia ut ſcribit Sanctus Auguſtinus *lib. 2, de Doctrina Chriſtiana c. 11.* quicumque ſibi videbatur utramque linguam, Græcam, & Latinam aliquantulum callere, auſus eſt novam Sacrorum Bibliorum exarare interpretationem. Sed inter omnes illa ubique recepta fuit, quæ Itala dicebatur, ipſo Auguſtino teſtante *lib. citat. cap. 15.* his verbis: *In ipſis interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate Sententiæ.*

Hoc verſio Romana pariter appellata fuit, quia illam ab initio recepit Romana Eccleſia, & quia forſan, ut mox dixi, hæc verſio Romæ ex Græco Textu fuit expreſſa ab aliquo Apoſtolorum Diſcipulo, & a primis Eccleſiæ Fundatoribus viſa, & approbata, atque ab his ſimul cum fidei depoſito ſucceſſoribus concredita. Hac verſione non ſolum Sedes Apoſtolica, ſed & reliquæ Occidentales Eccleſiæ utebantur; quamvis in eam temporis progreſſu aliquæ mutationes irrepſerint, vel Scriptorum audacia, ſive oſcitantia, vel Epiſcoporum licentia, qui vel verba, vel ſententias ad ſuæ Regionis idiotiſmos accommodarunt. Porro integrum hujus verſionis corpus nullibi extare autumat Cardinalis Bona *lib. 2. de Rebus Liturgicis c. 3.* cum enim Hieronymi verſio tamquam Hebraicis exemplaribus magis reſpondens cœperit in Eccleſiis legi, citari a Conciliis, & a Scriptoribus exponi, vetus illa negligi cœpit, donec tandem omnino periit, quod ducentis, & amplius Annis poſt Hieronymum contigiſſe putat idem doctiſſimus Cardinalis; ſolum autem Pſalterium remanſit, quia cum illud Fideles adhiberent in Divinis Officiis, ipſumque memoriæ diligenter mandaſſent, adduci non potuerunt, ut novam editionem Hieronymianam ediſcerent. Ex hoc Pſalterio Sanctus Gregorius Introitus Miſſarum, & reliqua excerpſit, quæ in ſuo Antiphonario continentur. Hujus Italicæ verſionis præcipuos errores Romæ circa Annum 382. juſſu Damaſi Papæ correxit Sanctus Hieronymus ad Fidem editionis LXX. a qua Italica verſio non ſemel diſcrepabat. Correxit, inquam, vir Sanctus editionem illam Latinam, ſed tumultuario opere, ut ipſe teſtatur in epiſtol. ad Paulam, & Euſtochium: *licet curſim magna illud ex parte correxi*. Eo Pſalterio, ita ab Hieronymo correcto, uſa eſt primum Eccleſia Romana, deinde ad alias Eccleſias, ſed minori ſucceſſu delatum eſt; Populi enim antiquæ aſſueti verſioni, S. Doctoris correctiones negligebant, itaut non multo poſt tempore totum opus mendis fœdatum fuerit: *Quod quia rurſus videtis* (ita Hieronymus ad Paulam, & Euſtochium) *Scriptorum vitio depravatum, pluſque antiquum errorem, quam novam emendationem valere me cogitis &c.* Quapropter duabus præd. Matronis inſtantibus circa Ann. 384. novam ipſe veram verſionem Latinam, cum Bethleem verſaretur, e Textu LXX. expreſſam ſuſcepit; quæ non fuit pura correctio, ut prima Romæ facta, ſed vera nova verſio, & quidem accuratiſſima, atque omnino emendata, & de hac ſua editione ſcribit ille ad Sophronium dicens: *Quoniam* (LXX.) *tranſlationem diligentiſſime emendatam olim meæ linguæ hominibus dedi*. Pſalt. hoc Bethleem ab Hieronymo ſecundo emendatum, illud idem eſt, quod nunc in Breviariis utitur Romana Eccleſia, & quod in corpore Sacrorum Bibliorum reperitur; & quod etiam Gallicanum eſt appellatum. Prima autem editio Pſalterii etiam juxta Hieronymi correctionem Romana dicta fuit, & ad illam veterem Latinam interpretationem pertinere non levi conjectura creditur, quam Divus Auguſtinus *lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 11.* Italam appellat. Primi, qui ab hac Itala vetere Pſalmorum editione diſceſſere, fuerunt Galli; hi etenim alteram Beati Hieronymi veram verſionem, & correctionem diligentiſſimam Bethleem factam, obelis, & aſteriſcis, additionibuſque ex Theodotione deſumptis condiſtinctam, priori prætulerunt, poſt Sanctum Gregorium Turonenſem Epiſcopum, qui illam, ut ſcribit Walfridus Strabo *de reb. Eccleſ. c. 25* a Patribus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Eccleſias tranſtuliſſe, unde & Gallica dici cœpit. Ex Galliis mox in Germaniam facile commigravit, ipſomet Walfrido ſcribente -- Galli, & Germanorum aliqui ſecundum emendationem, quam Hieronymus Pater de LXX. editione compoſuit, Pſalterium cantant -- Eruditiſſimus tamen Mabillon *in ſua Diſquiſitione de Curſu Gallicano n. 22.* demonſtrare contendit eo tempore, quo Gregorius Turonenſis Antiſtes Hiſtoriam ſuam ſcribebat, Pſalterium ab Hieronymo emendatum, quod Gallicanum vocatur, nondum in Gallia receptum fuiſſe, ſed admiſſum putat tale Pſalterium medio Gregorium inter, & Walfridum intervallo, opera fortaſſe S. Bonifacii Moguntini Pontificis, qui illud Gallicanis, Germaniſque Eccleſiis probabiliter tradidit.

IV. Gavant. eodem n. 3. -- *Quod adhibetur Romæ in æde Vaticana Sancti Petri &c.*) Prima, ſeu Romana Pſalmorum editio nonniſi poſt X. Chriſti Sæculum in Italia ipſa ſenſim commutari cœpit, nam cum Sanctus Franciſcus ſuis Fratribus præceperit ut ſecundum Ritum Eccleſiæ Romanæ Divina peragerent, excepto Pſalterio Romano; hinc diſcimus per id tempus in Umbria Romanam Pſalterii editionem obſolevisſe, & Pſalterium juxta Divi Hieronymi interpretationem in uſu fuiſſe. Res ideo eo deducta eſt, ut ſub Sixto IV. Roma tantum, ejuſque diſtrictus (continentia ſcilicet Urbis, quaquaverſum ad XL. lapidem protenſa) priſcam Romanam editionem retinuerint. Et equidem in Archivio Canonicorum Baſilicæ Liberianæ Sanctæ Mariæ ad Præſepe, extat Pſalterium Romanæ editionis hac inſcriptione prænotatum -- Ad honorem omnipotentis Dei, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Matris ejus incipit Pſalterium ad uſum Venerabilium Dominorum Canonicorum Venerabilis Baſilicæ, & Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, ſecundum conſuetudinem Clericorum Romanæ Urbis, ejuſque diſtrictus &c. -- Quodque Pſalterium ſcriptum, & illuminatum fuit ſumptibus, & expenſis nobiliſſimæ Dominæ, Domnæ Caredonnæ de Annibaliis de Urbe, tempore Archipresbyteratus Reverendiſſimi Domini, Domini Guillelmi de Eſtoutevilla Epiſcopi Oſtienſis, Cardinalis Rothomagenſis, ac Sanctiſs. Domini Noſtri Sixti PP. IV. Camerarii digniſſimi, ſub Anno Domini 1480. tempore Sanctiſſimi Domini, Domini Sixti PP. IV. Anno vero ejus nono.

Hiſpaniam autem quod attinet, ad S. uſque Gregorium VII. Romana Pſalterii editione uſam fuiſſe, indubitanter creditur; nam ad id uſque temporis proprium Ritum conſtanter retinuit, quem Mozarabicum dicunt, in quo Pſalmi ex prima Romana editione continentur; quin etiam nunc, ubi Ritus ille adhuc in Hiſpania viget, juxta eamdem editionem pſallitur. Tandem inhærendo Decreto Concilii Tridentini Sanctus Pius V. Pontifex Maximus Breviarium Romanum in meliorem formam redegit, & ad communem fere omnium Eccleſiarum uſum reſtituit, ejuſque juſſu tunc ubique recepta eſt Vulgata, ſeu Gallicana Pſalmorum editio præter quam in ſola Baſilica Vaticana, in qua nunc etiam vetus Pſalterium juxta antiquam, & Italicam dictam editionem religioſiſſime recitatur, & accurate ſublatis mendis, quæ irrepſerant priſtinæ integritati reſtitutum, quod notat etiam Cardinalis Bona *loc. ſuprac. n. 4.* Eadem verſione extra Urbem utitur etiam hodie vetuſto more Eccleſia Ambroſiana, necnon Ducalis Baſilica Sancti Marci apud Venetias, & in Hiſpania, ut dixi, utuntur eodem Pſalterio antiquo Romano omnes Clerici illi, qui ex inſtitutione Franciſci Ximenes Archiepiſcopi Tolerani pſallunt juxta Ritum Mozarabicum. Reliquæ autem omnes Occidentales Eccleſiæ unicum tantum Pſalmum, nempe XCIV. qui Invitatorius dicitur, quotidie juxta Italam editionem recitant, & ſolum in ſolemni Feſto Epiphaniæ fere ab omnibus recitatur idem Pſalmus juxta editionem Vulgatam, & Gallicanam.

Præfati utriuſque Pſalterii Codices tam Romani veteris, quam Gallicani exactiſſimis exemplaribus reſpondentes in lucem emiſit ſæpe laudatus Cardinal. Thomaſius Romæ Anno 1683. Typis Tinaſſii, præmiſſa juxta morem ſuum trudititiſſima Præfatione.

Recentiſſime autem in Tom. 4. Anaſtaſii Bibliothecarii Salvionianæ & Vaticanæ editionis inſertum reperitur Pſalterium cum Canticis juxta Vulgatam antiquam Latinam, & Italam Verſionem, Verſibus priſco more diſtinctum, quod in Romana Eccleſia ab Apoſtolico fere ævo uſu receptum; poſtmodum vero a Divo Hieronymo recognitum, & emendatum, nunc etiam intactum ex parte, ac fere primævum (in aliquibus enim ad laudatam Divi Hieronymi Verſionem caſtigatum atque compoſitum eſt) in Sacroſancta Vaticana Baſilica obtinet, ut dixi, caniturque viciſſim in Divina Pſalmodia. *Prædictum* Pſalterium e tenebris Archivii Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis, recens in lucem emiſſum fuit ex Codice Græco Latino miræ, ac pluſquam millenariæ antiquitatis, uncialibus characteribus exarato, ſumma fide, ac diligentia, in omnibus fere locis, in quibus ab Editione Vulgata, Clementis VIII. juſſu recognita, diſcrepat, & cum veteribus Pſalteriis collatum, opera, & ſtudio Joſephi Blanchini, præſtantiſſimi Viri Veronenſis Congregationis Oratorii Presbyteri de Urbe.

Antequam poſtremam manum noſtris hiſce Obſervationibus imponam, meminiſſe lubet, quod Divus Hieronymus in Correctione, & Verſione Pſalmorum ter laboravit. Primo Romæ quando juſſu Damaſi Papæ Italicam Pſalmorum Verſionem, ex Traductione LXX. Interpretum expreſſam, a nonnullis mendis expurgavit, quæ Verſio ita emendata, ſtatim a Romana Eccleſia recepta fuit. Secundo in Pſalmorum verſione, & correctione laboravit Hieronymus quando Bethleem degens inſtantibus Paula, & Euſtochio admiſcuit editioni LXX. editionem Theodotionis, obelis, & aſteriſcis notatam, de qua verſione jam ſatis ſupra. Tertio denique aliam verſionem Pſalterii adornavit S. Doctor, & eſt illud Pſalterium, quod Hebraicum nominatur, quia nimirum petente Sophronio vertit immediate ex Hebraicis Fontibus, quæ verſio extat inter opera ejus, & quia ex Hebraico Textu immediate translata fuit, ab aliis duabus ſuis Editionibus, Græco Textui LXX. conſonis, plurimum diſcrepat, tam in verbis, quam in ſententiis, ut quiſque poteſt ex utriuſque collatione proſpicere. Hæc autem ideo recepta non fuit, quia duæ Priores quotidiano uſu in Eccleſia frequentatæ, ſine magna Divini Officii perturbatione, abrogari non poterant. Adlaboravit etiam ſuper Davidicum Pſalterium maximus hic Eccleſiæ Doctor, quando diligenter adnotavit diſcrepantias inter Pſalterium Græcum, & Latinum, admonendo quodnam Hebræo magis congrueret, ut colligitur ex ejuſdem Epiſtola 135. quæ eſt ad Suinam, & Fretellam.

V. Gavant. num. 4. -- *Communior eſt Sententia eſſe omnes omnius Davidis &c.*) Agit hoc loco Gavantus de Pſalmorum Auctore; circa quam quæſtionem non una eſt, ſed varia Patrum Sententia, ut etiam Gavantus fatetur, alii enim omnes Pſalmos uni Davidi tribuunt, alii vero aliquos Pſalmos aliis Auctoribus adſcribunt. Sanctus Chryſoſtomus *in Pſalmum 50.* Sanctus Ambroſius *Præfat. in Pſalm.* Sanctus Auguſtinus *de Civitates Dei lib. 17. cap. 14.* Theodoretus *Præf. in Pſalmos*, Caſſiodorus *Prolegomen. in Pſalmos*; Euthymius *Præfat. in Pſalmos*, Philaſtrius *hæreſis 79.* priorem amplectuntur ſententiam, quam Gavantus communem appellat.

Op-

Oppoſitam tamen opinionem tuentur S. Hilarius *Prolegomen. in Pſalmis*, Vulgatus Athanaſius in Synopſi, S. Hieronymus *epiſt. ad Sophronium*, & *epiſt. ad Cyprianum*, aliique ſexcenti, ut aſſeverat Celebris Vir Auguſtinus Calmet in ſua eruditiſſima Diſſertatione ſuper hac materia, in qua utriuſque opinionis rationes diligenter diſcutit, nec non allegatorum Auctorum monumenta, & concludit tantam eſſe Turbam Scriptorum ex utraque parte, oppoſitam Sententiam ſuſtinentium, ut ſi auctoritate res agenda eſſet, ancipites verſaremur; & cum Textus Scripturæ, Patrum Teſtimonia, & Eccleſiæ Traditio nihil in ea re ſatis certi habeant, ideo poſt ſedulam diſcuſſionem, quæ magis probatur ſententiam tenere, ſingulis permiſſum eſſe arbitratur.

VI. Gav. n.6. - *Ordo Hiſtoricus difficillime haberi poteſt &c.*) Triplicem Ordinem Pſalmorum Gav. *n.* 5. proponit, nempe Biblicum, Hiſtoricum, & Eccleſiaſticum; hoc *num.* vero 6. agens de Ordine Hiſtorico, quo ſcilicet tempore quiſque Pſalm. fuerit compoſitus, adſtruit, quod difficillime haberi poteſt; hanc tamen chronologicam Pſalmorum ſeriem ſupralaudatus Calmet diligentiſſime tradit poſt Diſſertationem, quam exaravit in quindecim Pſalmos Graduales.

VII. Gav. n.8. -- *Ut ipſe Damaſus fatetur in Epiſt. ad Hieronymum in Tom.I. Conciliorum &c,*) Nullo modo admitti poteſt, quod ante Damaſi Pontificatum nullus fere recitaretur Pſalmus in Eccleſia Romana, conſtat ſiquidem ex dictis ſupra, quod Hieronymus juſſu Damaſi Pſalterium recenſuerit, & correxerit errores, qui in illud irrepſerunt, quod quidem Pſalterium profecto uſurpatum fuit ab Apoſtolico ævo. Epiſtolam autem Damaſi ad Hieronymum, cui aſſertum Gav. innititur, ſuppoſititiam eſſe una cum Hieronymi reſponſo ad Damaſum, eruditi omnes affirmant, & præclare demonſtrat Emmanuel a Schelestrate in ſecunda parte Antiquitatis illuſtratæ. Vide etiam quæ diximus ſupra in Obſervationibus *ad Cap.* 4. *n.* 3. de Epiſtola ſuppoſititia Hieronymi ad Damaſum.

VIII. Gav. n.11. -- *Ex Inſtitutione Damaſi &c.*) Aſſerit hoc loco Gav. in fine cujuſque Pſalmi additum eſſe *Gloria Patri, & Filio* ex Inſtitutione Damaſi; verum videnda ſunt ea, quæ diximus ſupra in *noſtris Obſervationibus ad cap.* 4. *n.*3. a quibus repetendis hic abſtinemus.

IX. Gav. n.14. -- *Renovaverunt hunc Cantum Clerici Regulares &c.*) Mentionem hic facit Gav. noſtræ Congreg. cui tribuitur, quod Cantum primitivæ Eccleſiæ renovaverit, nempe modico flexu vocis Pſalmos canendo. Hanc ſimplicem cantionem ab Apoſtolis derivatam eſſe colligitur ex S. Iſidoro *lib.* 5. *c.*5. ubi ait, *Primitiva Eccleſia ita pſallebat, ut modico flexu vocis faceret Pſalm. reſonare, ita ut pronuntianti vicinior eſſet, quam canenti.* Apoſtolos imitati ſunt primi illi Ægypti Patres, de quibus Caſſianus *Inſtit. lib.*2. *c.*5. ait, *Ab Angelo edoctos fama eſt, ut duodecim Pſalmos parili pronuntiatione, & ſimplici vocis tem pore deinceps, ut ipſe cecinerat, canerent.* D. Auguſtinus poſtquam in vita Chriſtiana magnos progreſſus fecerat, illam modulationis ſuavitatem, quæ tantopere ipſi placuerat, ſimplici Pſalmorum prolationi, cum gravitate factæ, poſtponebat. Ita etiam loquitur in *lib.*10. *Confeſſ. cap.* 33. *Sed valde incertum, ut melos omne Cantilenarum ſuavium, quibus Davidicum Pſalterium frequentatur ab auribus meis removeri velim, atque ipſius Eccleſiæ: totiuſque mihi videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare Lectorem Pſalmi, ut pronuntianti vicinior eſſet, quam canenti.* Hæc ille: ex cujus verbis evincitur, quod in Monaſteriis non modo ſed etiam in Cathedralibus Ægypti Baſilicis mos ille vigebat æquabili vocis tenore Pſalmos recitandi. Eumdem ſervaſſe canendi ritum Eccleſias Africanas ſignificat idem S. Auguſtinus Epiſt.55. juxta novam editionem *n.*34. ubi ait: *De hac re* (nempe de Hymnis & Pſalmis canendis) *varia conſuetudo eſt, & pleraque in Africa Eccleſiæ membra pigriora ſunt: itaut Donatiſtæ nos reprehendant, quod ſobrie pſallimus in Eccleſia Divina Carmina prophetarum.* Denique ſimplicem, ſobriamque hujuſmodi cantionem Auctor reſponſionum ad Orthodoxos *qu.* 107. quæ Juſtino Martyri tribuuntur, & S. Jo: Chriſoſt. *Hom. de Monachatu Tom.*5. & *Hom.*14. *in Epiſt.* 1. *ad Thimotheum* approbant, & collaudant.

X. Gav. n.15. -- *De alterno Cantu eſt magna quæſtio quis fuerit Auctor &c.*) De hac re loquuti ſumus ſupra *c.*7. *n.*11. ubi egimus de Auctore Antiphonarum; iis tamen, quæ ibidem diximus, addimus hoc loco, quod quamvis Henricus Valeſius in ſuis eruditiſſimis Adnotationibus ad Socratis hiſtoriam, aſſeruerit primos omnium Flavianum, ac Diodorum Regnante Conſtantio Pſallentium Choros Antiochiam bifarie diviſiſſe, & Pſalmos Davidicos alternis canendo eis tradidiſſe, eamque rem primum Antiochiæ inſtitutam, poſtea ad reliquas totius orbis Eccleſias dimanaſſe, teſtante hoc Theodoreto *in lib.* 2. *Hiſtoriæ c.*24. & ante illum Theodoro Mopſueſteno, nihilominus Valeſius idem eam Pſalmodiæ ſpeciem jam ante Flavianum, atque Diodorum a Syris fuiſſe uſurpatam colligit ex laudati Theodori Mopſueſteni fragmento, quod refert Nicetas in Theſauro Orthodoxæ Fidei *lib.*5. *c.*13. idque magis firmatur, ex quo prædictos Monachos Flavianum, & Diodorum Theodoretus *cit. loc.* ut adſtruit Gav. alterni Cantus potius Inſtauratores vocat, quam Inſtitutores. Quidquid autem ſit de Auctore hujuſce ritus; alterum Cantum tempore Gregorii Nazianzeni in Monaſteriis utriuſque ſexus jam receptiſſimum fuiſſe, manifeſtum eſt ex jambico ejus carmine de virtute ſub finem; idque omnibus notiſſimum eſſe dicit. Eorum Chorum Angelicum vocat, *qui nunc ſimul, nunc vicibus alternis canit*: quapropter ſaltem inde colligitur, quod uno ferme ante Caſſianum ſæculo alternatim canendi ritum apud Orientales inolevit, qui ſenſim inde manavit ad Occidentales, ut optime notat Mabillon. *in Diſquiſition. Curſus Gallicani num.* 7. erga finem. De hac re legendus eſt etiam eruditiſſimus Thomaſſinus *in lib.*1. *Diſciplina Eccleſiaſticæ c.*34. & 35.

Cæterum præfatum alternatim pſallendi Ritum a Lege veteri derivaſſe, videtur non dubitandum; in veteri enim Teſtamento ex Davidica inſtitutione; Levitæ in tres Choros diſtributi canebant coram Tabernaculo Teſtimonii; ſtabant autem juxta ordinem ſuum in Miniſterio. Chorus medius Levitarum erat Caathitarum, ſub Cantore Heman; Chorus dexter Levitarum Gerſonitarum, ſub Cantore Aſaph; Chorus vero ſiniſter Levitarum Meraritarum, ſub Cantore Ethan. *Primo Paralipomen. c.*6. Eos autem per Choros decantaſſe, ac ſibi invicem reſpondiſſe, nulli dubium eſſe poterit, ait noſter Thomaſius *in ſua Præfatione ad Antiph. Roman. Eccleſiæ.*

XI. Gav. n.18. - *Standum eſſe ad Pſalmos, quod hodie obſervant Clerici Regulares &c.*) Etiam hoc loco noſtræ Congreg. Ritum allegat Gav. quem obſervamus in Cantu Pſalmorum. Caſtaldus noſter in Cæremoniali *lib.*2. *c.*3. *n.*2. de corporis habitu in canendis Pſalmis juxta noſtri Ordinis morem a S. Patre noſtro Cajetano acceptum ita decernit. *Cum Pſalmi cantantur, regulariter omnes ſtare oportet, quod ſi ob Corporis imbecillitatem alicui ſedere opus ſit; arbitrio Superioris juſta ex cauſa concedendam relinquitur.* Idem Caſtaldus in ſua Praxi *lib.*2. *ſect.*3. *c.*2. *n.*2. ait: *ſatis laudabilis eſt Religioſorum conſuetudo, apud quos maxime Eccleſiaſtica viget obſervantia, Pſalmos ſtantes præcinendi.* Sed quod magis eſt, talis diſciplina diſerte præſcribitur in noſtris Conſtitutionibus *part.* 1. *c.* 1. *n.* 10. ubi habetur. *Pſalmos Pœnitentiales genibus flexis, Graduales, & pro Defunctis ſedentes, reliquos ſtantes in Choro recitent.* Quem quidem noſtri Ordinis Ritum cum in citato Conſtitutionum loco Joannes Lorinus Societate Jeſu præclarus Theologus, & Pſalmorum eruditiſſimus Interpres advertiſſet, in Prolegomenis ad ſuos Commentarios *c.* 14. ſingularitatis notam noſtris impingeos ſcripſit hæc præciſa verba: *mirum eſt præter unum aliquem Ordinem* (nos Clericos Regulares intelligens, ut liquet ex illius contextu) *nullum hodie extare, qui ſitu Corporis, aliterve, quam ſedendo Pſalmos in Choro decantet.* Quocirca Antonium Caracciolum eruditiſſimum plane Virum, & noſtrarum Conſtitutionum eximium Interpretem & acerrimum hujus Ritus defenſorem ſevera nimis manu perſtringit. Verum fœde labitur Vir ille doctiſſimus; mos enim concinendi Pſalmos, non ſedendo, ſed ſtando adhuc juxta priſcam diſciplinam ſervatur non ſolum a nobis, ſed etiam ab aliis Regularium Ordinibus, & equidem in Rituali Ciſtercienſi ex *Libro uſuum, definitionibus Ordinis* &c. collecto, & Pariſiis impreſſo *anno* 1721. *c.* 8. *n.* 3. legitur: *Stamus adhuc in ſtallis, ſed vultibus ad invicem verſis, ſeu Chorus ad Chorum &c. ad Pſalmos, Hymnos, Cantica, & Antiphonas communes.* Petrus Boherius exponens verba illa; *ſedentibus in ſcamnis*, quæ leguntur in *c.* 9. Regulæ S. Benedicti; dicit: in hac Regula expreſſe non contineri num ſtandum an ſedendum ſit; quando Pſalmi canuntur; Menardus tamen ex iis S. Benedicti verbis ſatis appoſite intulit, ut obſervat Martene ibidem in Commentario inſtituti ſui, inter pſallendum Monachos ſtare debere, qui enim jubentur ſedere, dum leguntur Lectiones prius ſteriſſe pſallendo neceſſe eſt, id quod aliis etiam argumentis probat Menardus, & hanc fuiſſe veterum Monachorum praxim aſſerit, quam videre eſt apud S. Athanaſium in *libro de Virginitate*, ubi ait. *Media nocte ſurgito & Pſalmos dicto, quantum potes, ſtans.* Rurſus idem colligitur ex S. Jo: Chryſoſtomo de vita Monachorum ſui temporis, ita ſcribente *Hom.* 14. *in prima Timoth.* Cum ante lucem Gallus emittit vocem; omnes cum reverentia diſcuſſo ſopore conſurgunt a ſuo excitati Prælato; adſtantque Sacro Choro, protinus expanſis manibus Sanctos concinunt Hymnos. Supra allegatus Boherius, quamvis dixerit ex verbis Regulæ S. Benedicti colligi non poſſe utrum ſtandum, vel ſedendum ſit, quando Pſalmi canuntur; fatetur tamen in magnis Monaſteriis Sublacenſi & Specus, ubi S. Benedictus primo pœnitentiam egit, Fratres in Pſalmis omnino non ſediſſe. Quod de Sublacenſi Boherius, hoc de Caſſinenſi aſſerit Bernardus Caſſinenſis: *uſque hodie*, inquit, *in Pſalmis canendis non ſedent Fratres in Monte Caſſinenſi, licet alibi videam ſedentes alternatim per vices, quod & ego non vitupero: iſtud tamen, utpote magis conſonum intentioni S. Patris Noſtri Benedicti, magis laudo.* Idem Boherius, cujus verba refert Edmundus Martene *cit. loc.* adſtruit pariter in magnis Galliæ Cœnobiis advertiſſe Fratres ſedere, dum Pſalmi explentur, interdum tamen Fratrum medietatem in uno Pſalmo ſediſſe, aliam alternatim in alio. Inter prædicta magna illa Monaſteria recenſeri poſſet Cluniacenſe, in quo *ſi quis ſedere voluerit inter pſalmodiam*, inquit Uldaricus *lib.* 2. *c.* 7. *obſervat ne ſedeat juxta alium ſedentem, & ita, ut unus ſtet, & ſedeat alter, & invicem exhibere debent occaſionem ſedendi.* Divionenſe

ſe S. Benigni, cujus antiquæ Conſuetudines MSS. eadem cum Uldarico præſcribunt, addunt, *quod unus poſt duos Pſalmos ſedeat, & alter ſtet*. Bruſfeldenſes etiam ad Pſalmos alternatim ſedent. Nos vero, ait laudatus Martene, ad omnes Horas Diurnas ſemper ſtamus. Non ſolum prædicti Cœnobitæ, ſed etiam alii Religioſi Pſalmos ſtando decantant, ut Cappuccini, ita enim præſcribitur in eorum Cæremoniali *part.* 5. *c.* 14. Item Clerici Regulares Minores, ut ex illorum pariter Cæremon. *part.* 1. *c.* 10. conſtat, & alii etiam Regulares, Antiquiſſimum autem eſſe hunc ritum, ut Pſalmi a ſtantibus cantentur eruditiſſime probant ſupracitatus Antonius Caraccinlus in 2. edit. ſui Commentarii ad prædictum noſtrarum Conſtitutionum locum, nec non Franciſcus Maggius *diſquiſ.* 5. *& ſeqq. de Divino Officio, & Choro*; qui ita convellunt Lorini cenſuram, ut mirum ſit tantum Auctorem id aſſerere potuiſſe. Quæ vero ex Caſſiano in ſui confirmationem adduxit Lorinus, illis potius adverſantur; cum ex ipſo Caſſiani Textu Alardus Gazæus in ſuis Commentariis *ad c.* 5. *lib.* 2. evidenter oſtendat, Monachos quidem, qui alios pſallentes audiebant, ſediſſe, eos vero qui pſallerent, ſtetiſſe. Quod ſi quis opponat ex eodem loco, *& c.* 12. Monachos illos non ſtantes, ſed ſedentes Pſalmodiam celebraſſe, reſponſio ex eodem in promptu eſt Monahos illos non recitaſſe quidem Pſalmos, ſed ſolummodo unicum Pſallentem auſcultaſſe, & ut in Textu dicti *Cap.* 5. habetur: *In Pſallentis verba omni cordis intentione defixos ſtetiſſe*. Ita ex hoc Textu utrumque habetur, & Pſallentem ſtetiſſe, & non pſallentes conſediſſe. Ex hoc ritu autumat idem Gazæus ortam eſſe conſuetudinem, ut qui legit Sacr. Scripturam, Sanctorum Vitas, Martyrologium, Capitula, aut Collectas, & alia hujuſmodi, ipſe quidem Lector ſtando legat, cæteri ſedentes auſcultent. De non ſedendo ad opus Dei integrum edidit Petrus Damiani opuſculum, quod curioſus Lector conſulere poterit.

### De Canticis. XXIII.

### R U B R I C A.

1. *Cantica dicuntur in Officio de Tempore, tam de Dominicis, quam Feriis, ad Laudes, Veſperas, & Completorium, ut in Pſalterio diſtribuuntur.*
2. *In Feſtis & tempore Paſchali, ad Laudes ſemper dicitur Canticum Benedicite ut in Dominica; & in fine ejus non dicitur Gloria Patri, ſicut in aliis Canticis dicitur, nec reſpondetur, Amen. Alia Cantica ferialia, ut in Pſalterio, ad Laudes non dicuntur, niſi quando ſit Officium de Feria extra tempus Paſchale.*
3. *Canticum Benedictus, Magnificat, & Nunc dimittis, ſemper dicuntur ſuo loco, ut in Pſalterio.*

### De Canticis. Cap. IX.

### G A V A N T U S.

1. *Canticum* fecerunt a Pſalmo S. Hilarius *in prol. expoſitione Pſalmorum ſatis fuſe*. Brevius, auctore Euthymio, Pſalmus eſt carmen cum inſtrumento Pſalterii. Canticum eſt vox muſica cum harmonia ore ſolo prolata. Myſtice Pſalmus bona opera; Canticum gratiarum actionem ſignificat, ex Durand. *lib.* 5. *c.* 4. Eſt autem Canticum antiquius Pſalmo, cum illius ſit primus auctor Moyſes; neque deſuit ejuſdem uſus inter Apoſtolos. *Coloſſ.* 3.

2. Septem Cantica ex ſacris literis habentur in Breviario, quorum ordo temporis eſt, qui ſequitur.

1. *Cantemus Domino*, quod eſt Moyſis editum An. mundi 2544. *Exodi* 16.

2. *Audite Cœli quæ loquor*. Ejuſdem Moyſis, Ann. 1583. *Deuter.* 32.

3. *Exultavit cor meum*, Annæ Matris Samuelis, Anno 3904. 1. *Reg.* 2.

4. *Confitebor tibi Domine*. Iſaiæ anno circiter 3314. *Iſ.* 12.

5. *Ego dixi: In dimidio dierum meorum*. Ezechiæ Regis, Anno 3322. *Iſ.* 38.

6. *Domine audivi auditionem tuam*. Habacuc, Ann. circiter 3351. *Habac.* 3.

7. *Benedicite omnia opera Domini Domino*, Trium puerorum, Anno 3462. *Dan.* 3.

Ex Evangelio habentur in Breviario alia tria, quorum ordo temporis eſt.

*Magnificat*, B. M., *Luc.* 1, Anno mundi 4051. *ex Torniello*.

*Benedictus Dominus Deus Iſrael*. Zachariæ, eodem, anno poſt tres menſes. *Luc.* 1.

*Nunc dimittis Domine, &c.* Simeonis *Luc.* 2. Anno ſeq. 4052. Chriſti primo.

3. Alius eſt ordo in Breviario, nimirum in Dominica, Canticum, *Benedicite &c.* quia in Dominica univerſa creata, ſunt confuſe, quæ in Cantico invitantur ad laudem Dei. Durand. *lib.* 5. *c.* 4. ſed verſus Cantici ab Eccleſia reducti ſunt ad minorem numerum, rejecta illa repetitione; *laudate, & ſuperexaltate, &c.* quæ habetur in Daniele, præterea addidit in fine glorificationem Trinitatis: *Benedicamus Patrem, &c.* de qua meminit Amalar. *lib.* 4. *c.* 10. tamen paulo diverſa ab ea, quæ hodie eſt in uſu. Benedicamus, inquit ille, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nec reſpondetur, *Amen*, in fine, ſicuti neque in Miſſa quatuor Temporum.

In Feria ſecunda Canticum Iſaiæ, in Feria tertia, Ezechiæ. In Feria quarta, Annæ. In 5. Moyſis primum; & de his aſſeritur myſticas cauſas valde arbitrarias. Amalar. *lib.* 4. *a c.* 12. *uſque ad* 16. & Gemma *lib.* 2. *c.* 53. a quibus ad verbum accepit Durand. *loc. cit.* In Feria ſexta, Canticum Habacuc, in quo mentionem de Cruce facit: *Cornua in manibus ejus*. Sabbato Canticum Moyſis ultimum, de quo ait Beda *in Lucam*: Ad memoriam priſcæ religionis. Canticum Deuteronomii, in quo univerſus veteris populi ſtatus continetur, Sabbato nonnullis in locis dici conſuevit; alioquin eſſet præpoſterum, ut pluribus ſeptimanæ diebus Prophetarum dictis carminibus Moyſis ultimum diceretur. Hæc ille. Alcuinus *de celebr. Miſſæ ait*, ideo recitari, quia dixit Apoſtolus, *Actor.* 15. quod Moyſes habet in ſingulis civitatibus, qui eum per ſingula Sabbata prædicent.

4. Canticum trium puerorum eſt Feſtivius; & ideo in omnibus Feſtis dicitur; reliqua tantum in ferialibus, Gemma *lib.* 2. *c.* 53. quibus additur in fine, *Gloria Patri*, more Pſalmorum, a quibus parum differunt Cantica.

5. Tria vero Cantica Evangelica quotidie dicuntur. Amalar. *lib.* 4. *c.* 8. & cauſas vide ſup. *Sect. præced. c.* 2. *n.* 8. *cap.* 6. *num.* 9.

6. Evangelica vocantur ab antiquioribus hæc Cantica; ita Ordo Roman. quia ſunt pars textus Evangelii S. Lucæ: & ideo ſtant omnes, dum hæc dicuntur, uti ſit ad Evangelium in Miſſa. Plurimi initio Cantici formant ſibi Crucem a fronte ad pectus, ex Beleth. *c.* 40. quia eſt Evangelium: & placet, tum quia hoc præſcribitur Epiſcopo ad initium Cantici *Magnificat*, in Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 5. tum quia idem ſignum Crucis adhibetur in Miſſa initio Evangelii, licet diverſo modo.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. -- *Canticum eſt vox muſica cum harmonia ore ſolo prolata &c.*) Orthodoxi Patres Hilarius, Chryſoſtomus, & Euthymius in præfat. Pſalmorum, necnon Baſilius in Pſal. 29. Cantica diſtinguunt a Pſalmis, per hoc, quod Pſalmus ſermo muſicus quidem ſit, qui ſecundum harmonicam rationem ad Organum pulſari, & ſimul cantari ſolet. Canticum vero eſt cum Cantorum Chorus libertate ſua utens, nec in conſonum Organi adſtrictus obſequium ſolius vocis modulatione exultat. Quando autem Organo præcinente Cantoris vox inſtrumenti æmulatrix ſubſequitur; Canticum Pſalmi nuncupatur. Cum autem humana voce incipiente Organi ſonus pari ſuavitate vocis modulos imitatur, Pſalmus Cantici vocari conſuevit. Ita Card. Bona de Divina Pſalmodia *c.* 36. §. 12.

II. Gav. eod. n. 1. -- *Canticum gratiarum actionem ſignificat &c.*) Omnia Cantica compoſita fuiſſe ad perſolvendas Deo grates pro inſigni aliquo, & ſpeciali Beneficio, affirmant Riccardus Victorinus *l.* 4. *in Apocal. c.* 6. & Rupertus in *Proleg. Canticorum*. Verum alii Auctores obſervant multiplicem fuiſſe Canticorum materiam. Aliquando fuit gratulatoria, ut in Cantico Moyſis poſt tranſitum Maris Rubri, in Cantico Deboræ poſt interfectum Siſaram, in Cantico Judith poſt necem Holofernis, & in Cantico, quod tres Pueri liberati ab incendio fornacis Babilonicæ cecinerunt; hujuſmodi tamen Cantica euchariſtica etiam dici poſſunt. Rurſus materia Canticorum fuit etiam prophetica, ut in Canticis Iſaiæ, & Habacuc, fuit item invectiva, ut in Cantico, quod cecinit Moyſes coram filiis Iſrael, quando invocavit contra ipſos Cœlum, & Terram. Hæc omnia confirmat Card. Bona *loc. cit.* auctoritate Ambroſii *Lib.* 6. *in Lucam*.

III. Gav. n. 2. -- *Septem Cantica ex Sacris literis habentur in Breviario Romano &c.*) Quamvis multa ſint Cantica, quæ in Sacris paginis leguntur, Eccleſia tamen Romana plura non admittit in ſuo Breviario, quam ſeptem ex veteri, & alia tria ex novo Teſtamento, allegata a Gav. hoc loco.

Cantica, quæ pſallit Eccleſia Romana, ſecundum utramque editionem, & veterem ex LXX. Interpretibus, & vulgatam ex B. Hieronymo Presbytero, edidit Card. Thomaſius ſimul cum Pſalterio Anno 1697. doctoque Commentario illuſtravit. Idem Auctor jam evulgaverat Anno 1683. Canticorum Codices ex duplici item editione ſimul cum Pſalterio ad veterem Eccleſiaſticam formam, ex antiquis MSS. exemplaribus digeſtos, de qua editione ſupra mentionem fecimus. Celeberrimum trium Puerorum Canticum, quod *Benedictiones* noſtri appellavere Majores, evulgavit Præfato Ann. 1683. juxta exemplar vetuſtiſſimi Pſalterii quadratis literis ſupra nongentos Annos (ut arbitratur) ſcripti, quod ſervabatur in Bibliotheca Reginæ Sveciæ, ex quo etiam depromſit, & typis commiſit antiquam editionem Canticorum Ezechiæ, & Annæ.

De

## De Verſibus, XXIV.

### R U B R I C A.

1. *Verſus ſemper dicuntur ad Matutinum poſt ultimum Pſalmum, & Antiphonam Nocturnorum: ſive in Officio dicantur tres Nocturni, ſive unus. Ad Laudes, & Veſperas Verſus dicitur poſt Hymnum: ad Horas dicitur in Reſponſorio brevi poſt repetitionem partis Reſponſorii, dicto Gloria Patri.*
2. *In Paſcha Reſurrectionis, & per Octavam uſque ad Veſperas Sabbati in Albis excluſive, in Nocturno tantum dicitur verſus, in aliis Horis non dicitur, ut ibidem.*
3. *Quando fit aliqua Commemoratio, ſemper poſt Antiphonam ejus, de quo fit Commemoratio, dicitur Verſus, qui in ejus Officio ponitur poſt Hymnum Veſperarum, & Laudum, niſi aliter notetur.*
4. *Verſibus prædictis, tempore Paſchali ſemper additur, Alleluja: non autem Verſibus Precum, nec in: Pretioſa, ad Primam, neque in Verſibus Reſponſoriorum Matutini.*
5. *In Officio Feſti trium Lectionum, poſt omnes Pſalmos Feriales cum Antiphonis: dicitur Verſus de Communi Sanctorum, hoc ordine: Feria ii. & v. ℣. primi Nocturni: Feria iii, & vi. ℣. ſecundi Nocturni: Feria iv. ℣. tertii Nocturni.*
6. *Verſus poſiti in Pſalterio ad Laudes, & Veſperas, ſemper dicuntur quando alii proprii non aſſignantur in Proprio de Tempore.*

## De Verſibus. Cap. X.

### G A V A N T U S.

1. A Vertendo dicitur, *Verſus*. Alcuin. *cap. de celebratione Miſſæ*, & hoc habet ſingulare Verſus, ut excitet corda cantantium ad requirendam faciem Dei, in oratione. Amalar. *lib. 4. cap. 45.* & præterea *cap. 3.* ait, vim habet, ut converti faciat totum Chorum ad unum, & totam intentionem illius ad rem, pro qua fit Officium. Idem repetit *in ordin. Antiph. cap. 1.* ubi ait: Verſum eſſe compoſitionem officialem, per quam revertitur intentio mentis, unde eodem teſte Amalar. vertebant ſe cantantes Verſus ad Orientem *lib. 4. cap. 2.* vel ad Altare, *de ordin. Antiph. cap. 1.*

2. Verſus igitur poſt Nocturnos ante Lectiones dicuntur, ut excitemur ad Orationem Dominicam, Abſolutionem, & Lectionem, ad quam ſeſſio facile negligentiam parit. Idem *cap. 45.* in fine quoque Pſalmorum, ideſt operum, excitamur ad ſpem præmiorum. Idem *cap. 12. eod. lib.* Ante Cantica Evangelica, in Laudibus, Veſperis, & Completorio, excitamur Verſibus ad intelligentiam eorumdem, & ad Orationem proximam. Idem *cap. 45.* Denique ante Orationem, & in Commemorationibus ſemper adhibetur Verſus, ut oratio ferveat. Idem *cap. 9.*

3. In Paſchate, & ejus Octava non habentur Verſus in Horis, ut alias; quia tanta eſt Feſtivitas cum brevitate Officii conjuncta, ut non egeamus ſtimulis. Amalar. *de ord. Antiph. cap. 7.*

4. Tempore Paſchali additur utrique parti Verſus *Alleluja*, ad majorem lætitiam exprimendam; non tamen Verſibus Reſponſoriorum additur, quia non terminant totum Reſponſorium, & non ſunt Verſus ad excitandum, ut ii, de quibus in hoc Capite.

5. Verſibus, qui habentur in Precibus, non additur, *Alleluja*, quia in iis attenditur potius ratio humilitatis, & mœroris, quam lætitiæ.

### Novæ Obſervationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium.

Gav. n. 1. *Vertebant ſe cantantes Verſus ad Orientem, vel ad Altare &c.*) Verſus a vertendo dicitur, vel quia ab Officio Pſalmorum ad Lectiones vertimur, vel quia quando Verſum audimus, faciem illico vertimus ad Altare, ut omnis cogitatio, quæ foras exivit per vagationem, revertatur ad Deum per devotam introverſionem, ut loquitur Cardinalis Bona de Divina Pſalmodia *cap. 16. §. 13.* Canitur autem Verſus clara, & accita voce, inquit præfatus Cardinalis, ut eo audito excitentur pigri, & revertantur ad cor. Rurſus canitur Verſus ab uno, vel duobus Cantoribus, juxta qualitatem Ritus, ſub quo celebratur Officium, duplicis, vel ſemiduplicis, & canitur nomine totius cœtus; Chorus deinde junctis omnium vocibus reſpondet. Amalarius *lib. 4. cap. 4.* teſtatur pluribus locis Verſiculos poſt Lectiones fuiſſe decantatos, quod Reſponſoriorum loco eſſent, ſicut in minoribus Horis Verſiculus poſt brevem Lectionem dicitur: poſtquam vero Verſus præfixi fuerunt Lectionibus, Reſponſoria compoſita ſunt.

## De Abſolutionibus, & Benedictionibus ante Lectiones. XXV.

### R U B R I C A.

1. *Abſolutiones, & Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, ſcilicet: Poſt Verſum, dicto Pater noſter, Et ne nos, dicitur Abſolutio, & Benedictiones, ut ibi, præterquam in Matutinis tenebrarum majoris hebdomadæ, & in Officio Defunctorum, in quibus Abſolutio, & Benedictiones non dicuntur.*
2. *Si fiat Officium trium Lectionum, & ſit de Feria, in qua ſingulæ tres Lectiones ſunt de Scriptura, Abſolutio, & Benedictiones ſumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine. Feria ſecunda & quinta dicuntur Abſolutio, & Benedictiones primi Nocturni. Feria iii. & vi. ſecundi Nocturni; Feria iv. & Sabbato tertii Nocturni.*
3. *Si autem ſingulæ tres Lectiones ſint de Homilia ſuper Evangelium, Abſolutio dicitur ſecundum Ferias, ut ſupra. Benedictiones vero ſemper dicuntur ut in iii. Nocturno, ſcilicet, prima, Benedictio erit: Evangelica Lectio; ſecunda: Divinum auxilium; tertia: Ad ſocietatem. Si ſit de Sancto trium Lectionum, Abſolutio dicitur ſecundum Ferias, ut ſupra; Benedictiones vero ſemper dicuntur ut in tertio Nocturno, hoc modo. Prima: Ille nos benedicat; ſecunda: Cujus, vel Quorum, vel Quarum Feſtum colimus; tertia: Ad ſocietatem.*
4. *Quando ſit Officium S. Mariæ in Sabbato, Abſolutio, & Benedictiones dicuntur ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarii.*

## De Abſolutionibus, & Benedictionibus. Cap. XI.

### G A V A N T U S.

1. A*bſolutionem*, de qua hoc loco meminit Radulphus *propoſit. 15.* puto ita vocari, vel quia abſolvitur Nocturnum, vel quia ſimul cum Oratione Dominica præcedenti petimus (ait Hugo *in Spec. cap. 3.*) mundari corda, & corpora noſtra ad audiendum verbum Dei in Lectionibus, nam Oratio Dominica dicitur, ex Durand. *lib. 5. cap. 3.* ut qui eget ſapientia, ad Lectiones intelligendas neceſſaria, poſtulet eam a Deo, qui dat omnibus affluenter, & ut ejuſdem Orationis auxilio proficiat in nobis renovata per præcedentem Verſum intentio.

2. Verſum appellat ipſammet quoque Abſolutionem Gemma *lib. 1. cap. 5.* quaſi, inquit, qui mandatum Legatis ad prædicationem injungit, quaſi abſolvat eos, ut eant ad legendum. Rupertus *lib. 1. cap. 11.* putat Abſolutionem eſſe Orationem, qua rogamus Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem, & aperiat cor noſtrum in lege ſua, ne ſemen, ideſt, verbum Dei, quod audituri ſumus, aut volucres comedant, aut ſpinæ ſuffocent, aut in petra, quæ non habet humorem, areſcat: dicerem, Abſolutiones appellari, ſumpta denominatione a nobiliori, quæ dicitur in tertio Nocturno, in qua ſunt ea verba: *A vinculis peccatorum noſtrorum abſolvat nos &c.*

3. Lector petit *Benedictionem* magnæ humilitatis gratia, & Sacerdos, ut tantæ humilitatis vicem reddat, poſcit a Deo, ut Benedictio prærogetur, Petrus Damiani *de Dominus vobiſcum cap. 2.* Petit etiam Benedictionem, ut mittatur, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Roman. 10.* Rupert. *lib. 1. cap. 12. de Divin. Offic.* Petit licentiam eundi, & Benedictio eſt licentia. Gemma *lib. 1. cap. 5.* Vide, addit Hugo *in Spec. cap. 3.* quam larga poteſtas benedicendi tradita ſit illi, cui jubere dictum eſt: *Jube Domne benedicere*, lecturus enim dicit Vicario Chriſti quod principatum Eccleſiæ innuit: Sacerdos autem orat, ut Dominus benedicat, qui totius eſt fons benedictionis.

4. Lector dicit, *Domne*, non *Domine*, quia hic Dei titulus eſt, ille hominis præclari, ut docet Baron. *ex Evodio* Anno 416, ſed tempore S. Hieronymi omnes Sancti, & homines alii vocabantur, Domni, ſolus autem Deus, Dominus. Papa ipſe appellatur Domnus Apoſtolicus in Litaniis Sanctorum, & ad ultimam Lectionem, quam Superior legit, debet hic dicere, quicumque ille ſit, Epiſcopo inferior: *Jube Domne*, non *Domine*, cui ſecundus in Choro reſpondere debet Benedictionis congrua verba; quidquid alii proprio marte ſcripſerint, & nulla fulti auctoritate; non enim quilibet in Choro Superior æquandus eſt Epiſcopo. * Notarunt aliqui, quod ille, qui ſolus Officium recitat, dicere debet: *Jube Domine*; ſicuti dicit Sacerdos hoc idem in Miſſa privata ante Evangelium, & vere par eſt ratio: uſus tamen non idem.

5. Benedictiones fiunt in numero ternario, & in nomine diſtincto Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, & rectiſſime, ut patet. Benedictio illa: *Divinum auxilium* dicitur etiam in Feſtis Trinitatis, Transfigurationis, & Feſtis S. Crucis, & Dedicationis Eccleſiæ.

6. Ab-

6. Abſolutiones diſtribuuntur per Ferias quadam proportione, ut primus dies Ferialis gaudeat prima, ſecundus ſecunda, tertius tertia Abſolutione; & rurſus quartus dies prima, quintus ſecunda, Sabbatum tertia, cum Abſolutionibus autem concordant Benedictiones, niſi Lectiones ſint de Homilia, vel de Sancto, in Officiis trium Lectionum. Convenit enim, ut magis in iis caſibus reſpondeat Lectionibus, quam Abſolutionibus. Sumuntur igitur in his caſibus Benedictiones a tertio Nocturno; ſimiliaque indicat Radulphus *propoſitione* 15.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. - *Vel quia ſimul cum Oratione Dominica petimus &c.*) Dicto verſu, ejuſque Reſponſorio ab univerſo cœtu, intonatur ab Hebdomadario *Pater noſter*, quod ab eodem ſecreto dicitur uſque ad ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*, cui totus Chorus reſpondet alta voce: *Sed libera nos a malo*; deinde Hebdomadarius procedit ad dicendam Abſolutionem, & Benedictiones, prout ſuo loco in Breviario deſcribitur.

Olim nihil horum recitari ſolebat, ut colligitur ex Regula S. Benedicti, ait Grancolas *lib.* 1. *cap.* 31, verum in Regula Sancti Benedicti *cap.* 9. diſerte præſcribitur, quod ante Lectionem a Lectore dicendam, ſtatim, dicto Verſu, Abbas benedicat; & explicando hanc Benedictionem ab Abbate impertiendam, ait Smaragdus, ideſt poſt ℣. a Cantante dictum, dicat Abbas: *Precibus omnium ſanctorum ſuorum ſalvet, & benedicat nos Dominus*. Hæc eſt, ait Martene, brevis illa precatio, quam Abſolutionem vocamus, & præcedit Oratio Dominica, ſequiturque Benedictionis petitio a Lectore, quæ omnia ſub Benedictionis nomine complecti videtur Bernardus Caſſinenſis in hunc locum Regulæ Benedictinæ ſic ſcribens: *Nam Abbas antequam legantur Lectiones, Dominicam præmittit Orationem, Poſtmodum aliquam aliam Orationem præmittit, videlicet: A vinculis peccatorum &c. Lectore vero Benedictionem poſtulante per illud, ſcilicet: Jube Domne benedicere, tunc dat Benedictionem Abbas*. Hæc laudatus Bernardus Caſſinenſis, quæ quidem omnia minutatim (ſubnectit Martene dicta verba referens) Sanctus Benedictus haud expoſuit, quia ex uſu ſatis nota exiſtimavit; ſi tamen uſus fuerit Sancti Benedicti tempore Lectionibus præmittere Orationem Dominicam, quam Boherius, uti & Abſolutionem, præter Regulæ præſcriptum additas eſſe cenſuit. Et equidem Ciſtercienſes utramque omittunt, ut tradit Bona *liv. ſuprac. cap.* 18. §. 4. Videtur tamen uſus ille antiquiſſimus, ad quem forte, ut ait Martene, reſpexit Capitulum V. Monachorum Sangallienſium decernens - Ut dictis ſex Pſalmis primis ad Nocturnum, genua non inflectant, ſed ſtantes orent - Prædicti Ritus antiquitas colligitur etiam ex Divo Ambroſio in Eccleſia Mediolanenſi, qui *lib.* 3. *de Virg.* ait: *Poſt Pſalmos cum Oratione Dominica frequenti contexas voce*; eadem Oratio claudebat Nocturnum. Præmonſtratenſes quoque poſt quodlibet Nocturnum dicant quidem *Pater*, ſed nullam habent Abſolutionem, & in Carthuſianorum Breviario hodierno habetur, *Pater*, & *Ave Maria*, poſt quæ dicitur: *Et ne nos, &c.*, atque inde Abſolutio. In Defunctorum Officio Verſiculus tantum eſt, & *Pater*, ſicut etiam in Officio trium dierum ante Paſcha. In Eccleſia tamen Romana Ritus dicendi Orationem Dominicam poſt Pſalmos Nocturnales non eſt perfecte antiquus, nam Amalarius, qui floruit Sæculo IX. *lib.* 3. *c.* 6. teſtatur Romæ ſua ætate nondum *Pater* ad Pſalmorum finem, ut in Gallia, recitatum fuiſſe: *Quod nos Galli finitis Pſalmis Nocturnalibus, ſolemus cantare Orationem Dominicam; Romana Eccleſia prætermittit*.

II. Gav. n. 4. *Verſum appellat ipſammet quoque Abſolutionem, &c.*) Abſolutio, quæ profertur ab Hebdomadario, & quæ ſequitur poſt prædictam Orationem Dominicam eſt alia brevis Oratio, quæ pro quolibet Nocturno deſcribitur in Breviario, & ita dicitur, nimirum Abſolutio, *ab abſoluta prece*, vel dicendum cum Gavanto, triplicem illam Orationem, Abſolutiones appellari, ſumpta denominatione a nobiliori, quæ dicitur poſt recitatos Pſalmos tertii Nocturni, in qua continentur ea verba: *A vinculis peccatorum noſtrorum abſolvat nos, &c.*

III. Gav. n. 3. - *Lector petit Benedictionem, &c.*) Juxta veterem diſciplinam Lector deſtinatus ad legendam Lectionem, antequam inciperet, ab Abbate Benedictionem petebat verbis iſtis: *Benedic Pater*; ut colligitur ex initio Sermonum S. Ephrem. Refert S. Gregorius Turonenſis *de Miraculis S. Mart. lib.* 3. S. Ambroſium Lectiones incipi noluiſſe, niſi Lectori prius ipſe ſignum daret: *Cui celebranti ita erat conſuetudo, ut veniens Lector, non ante legere præſumeret, quam Sanctus ei juſſiſſet*. Cum autem die quadam Sanctus iſte obdormiviſſet, Lectorque ad legendum paratus eſſet, *jubent*, inquit, *Dominus Lectori Lectionem legere*. Ex quo loco patet origo hujus Ritus, nempe petendi Benedictionem his verbis: *Jube Domne benedicere*; cujus antiquitatem oſtendit Gretſerus *l.* 2. *de Cruce in Orat.* De hac petendæ Benedictionis formula ita ſcribit Petrus Damiani *lib. de Dominus vobiſcum cap.* 2. Lecturus magnæ humilitatis gratia non a Sacerdote, ſed ab eo, cui Sacerdos juſſerit, ſe poſtulat benedici, dicens: *Jube Domne benedicere*. Sacerdos autem, ut tantæ humilitatis vicem reddat, non ſubjecto cuiquam benedicendi delegat officium, non per ſemetipſum Benedictionem dare præſumit, ſed prius, ut a Deo, qui eſt ſuper omnia benedictus, erogetur, expoſcit.

IV. Gav. n. 4. - *Quod ille, qui ſolus Officium recitat debet dicere Jube Domine, &c.*) Juxta Rubricas Lector dicere debet *Jube Domne*, non *Jube Domine*, quia hic Dei Titulus eſt, ille autem Hominis præclari; & ſolus Epiſcopus dicit *Jube Domine benedicere*, & non *Domne*, cui abſolute reſpondetur per Chorum *Amen*. Si vero adeſſet Legatus, aut aliquis Prælatus major, tunc Epiſcopus verſus ad illum peteret Benedictionem, ille vero ſtans in loco ſuo reſponderet: *Ad ſocietatem Civium, &c.* vel *Per Evangelica dicta, &c.* Factis tamen prius mutuis reverentiis inter Epiſcopum, & Legatum, ſeu alium Prælatum majorem Epiſcopo: ita Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 9. Oritur tamen dubium, utrum qui recitat ſolus Officium dicere debeat *Jube Domine &c.* ſicut dicit Sacerdos hoc idem in Miſſa privata ante Evangelium, & vere par eſt ratio, ait Gavantus, uſus tamen non eſt idem, Petrus Damiani *lib.* 3. *de Virgin.* agit de nonnullis Eremiculis dubitantibus, an cum ſoli Officium recitarent, benedictionem pro Lectionibus petere deberent, atque dicere *Jube Domine*, vel ante Orationem *Dominus vobiſcum*; ad quem enim, ajebant illi, verba iſta dirigemus; num ad lapides, atque Tabulas iſtas Cellæ noſtræ? Alii vero ne adverſus Regulæ mores peccarent, timebant. Idem Petrus Damiani libellum conſcripſit, quo prædictorum dubitationem reſolvit, dicendo: Officium cum ſingillatim dicitur, eodem ſemper pacto recitandum eſſe, ac ſi in communi orantes pſallerent, Ille enim, inquit ipſe, qui Officium Canonicum recitat, totius Eccleſiæ nomine orat, atque loquitur, eamque repræſentat, alias omnia, quæ plurali numero pronuntiantur, eſſent reſecanda, veluti Invitatorium: *Venite exultemus*, atque etiam *Oremus*; & Eccleſiæ Doctores aliud Officium pro ſingularibus hominibus, aliud pro eorumdem cœtibus, ſeu Conventibus inſtituiſſent, quod cum non fecerint, eodem ſemper modo recitandum ſane eſt Divinum Officium.

Circa modum petendi præfatam benedictionem præſcribit Cæremoniale Clericorum Regularium S. Pauli *lib.* 1. *cap.* 10. Tit. de Lectoribus, quod illi, qui deſtinati ſunt ad legendas Lectiones, tempore debito a ſuo loco diſcedant, manibus, non quidem junctis, ſed tamen ante pectus rite compoſitis: ad Lectorile autem appropinquantes, verſus Sanctiſſimum Sacramentum genuflectant, & poſtquam ſurrexerint (dicentes: *Jube Domne benedicere*,) manibus junctis vertent ſe ad Hebdomadarium, ſed non toto Corpore, itaut terga non vertant Altari, & Sacerdotes quidem ſe tantum inclinabunt, alii autem genuflectent; ita autem manebunt inclinati, ſeu genuflexi reſpective, donec Hebdomadarius ſtans omnia benedictionis verba protulerit, imo non incipiant etiam Lectionem antequam omnes conſederint.

Ad Lectorile recitabunt Lectiones, manibus hinc inde ſuper Librum poſitis, etiam cum Evangelii Textum legunt, ſed ſi legerint nocturnis horis, lumen ipſi manu dextra tenebunt, & ſiniſtra ſupra librum poſita; cum dicunt in fine: *Tu autem, &c.* Caput inclinabunt verſus Altare, Redituri ad locum ſuum, prius genuflectent, poſtea ad Superiorem ſe inclinabunt, id quod præſtare debent etiam antequam accedant ad Lectorile infra gradus ſedilium.

Juxta tamen diſpoſitionem Caſtaldi in noſtro Cæremoniali *lib.* 1. *c.* 34. *n.* 2. & 3. ſemper Lector etiamſi Clericus ſit, non genuflexus, ſed inclinatus tantum verſus Celebrantem manet proferendo illa verba: *Jube Domne benedicere*; & ſic perſeverat donec ab illo ſtante proferatur benedictio. Et in fine cujuſcumque Lectionis cum dicturus eſt: *Tu autem Domine &c.* genuflectit verſus Altare: tum ſurgens, legit ibidem verſus, qui ſunt poſt Reſponſoria. Verum hujus Caſtaldi præſcriptum apud nos plerumque non obſervatur, hoc eſt non ad finem cujuſcumque Lectionis a Lectore genu deponitur, ſed in ultima tantum Lectione deflectitur, quando plures ab eodem Lectore recitantur; ſi enim a ſingulis Clericis, & Sacerdotibus decantantur, dubium non eſt, quin quoties ſingulæ Lectiones ſolemnibus Feſtis a ſingulis Clericis, & Sacerdotibus decantantur in cujuſcumque Lectionis fine, toties genuflectendum ſit. Præfatus ritus præſcribitur etiam *in Cærem. Minor. Convent. part.* 3. *cap.* 7. *n.* 4. ubi ſic habetur; Si unus legat tantum unam Lectionem ſemper in fine, ſi autem tres legat ſolum in fine ultimæ cum dicturus eſt, *Tu autem Domine*, genuflectit, Idem præſcribunt Cæremoniale Obſervantium, nec non Camaldulenſium, & ipſemet Caſtaldus noſter in praxi *lib.* 1. *ſect.* 6. *cap.* 3. *num.* 2. ubi ait; *In fine cujuſcumque Lectionis cum dicturus eſt;* Tu autem Domine, &c. *ſi recedendum erit, genuflectit. Cum vero leguntur plures, videlicet ab eodem Lectore, tunc tantum profunde ſe inclinat, & in fine diſceſſurus genuflectit.* Hæc Caſtaldus *cit. loc.* ubi mutavit ſententiam, & eſt illa, quam nos ſequimur in praxi, Franciſcus tamen Maggius de Officio Chori *opuſc.* 2. *diſq.* 43. cenſet noſtrates hac in re primam Caſtaldi diſpoſitionem ſequi debere, non vero ſecundam, & praxim noſtram; cum, ut ait ipſe, & ritus Romanus ſit, & communius obſervetur ab omnibus poſt quamcumque Lectio-

nem

Digitized by Google

nem, ad *Tu autem Domine*, *&c.* genuflectit, & ibidem affert auctoritates nonnullorum Cæremonialium, necnon Gavanti infra *ſect.* 10. *cap.* 2. *num.* 8. Corſetti *tract.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. & denique Bauldry *part.* 2. *cap.* 15. *num.* 3. dicentis: *Genuflectendum a Lectore in fine Lectionis dicente*: Tu autem Domine, &c. *ad quaſcumque Lectiones, excepto Celebrante parato*.

Advertendum igitur eſt ab omnibus, ait citatus Maggius, genuflexionem, finita Lectione, non fieri ob Sanctiſſimum Sacramentum, quod Lector a Legili tunc diſcedat, ſed quod verba ipſa, quæ tunc in fine pronunciantur, eam demiſſionem depoſcant, ut colligitur *ex Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 6. ubi ſic ait: *Lector cum dicit* Tu autem Domine *in fine Lectionis genuflectit, ſi non eſt Canonicus, & factis debitis reverentiis iis, qui in Choro exiſtunt, diſcedit*. Cæterum quia Cæremoniale Epiſcoporum ſupponit Canonicum, vel Beneficiatum recitare tantum unam Lectionem, & non tres; ideo in tali caſu inclinationem, ſeu genuflexionem fieri poſt recitatam, ſive decantatam Lectionem diſponit; Quando vero unus dicit tres Lectiones, ad duas primas debet profunde inclinare caput; ad ultimam tamen quia debet diſcedere, ſi non eſt Canonicus, debet genuflectere, ſi vero eſt Canonicus debet tantum ſe profunde inclinare, ſupponitur enim non adeſſe Sanctiſſimum Sacramentum, alias etiam Canonici deberet genuflectere.

Super hac re iterum Sermonem habebimus in ſuo proprio loco, nimirum in noſtris Obſervationibus ad ſequens Caput noſtri Gavanti *ſub num.* 13.

V. Gav. num. 6. *Abſolutionibus concordant Benedictiones, niſi Lectiones ſint de Homilia, vel de Sancto, &c.*) Quænam Benedictiones impertiendæ ſint diebus Ferialibus ab Hebdomadario, ſeu Celebrante, & in Feſtis Sanctorum, iis, qui recitare debent Lectiones, ſatis liquet ex Rubricis Breviario Romano præfixis; ſupereſt ſolum, ut hic exhibeamus aliqua Sacræ Rituum Congreg. Decreta pertinentia ad hanc rem.

In Officiis Sanctorum conceſſis Regularibus infra annum, puta Conceptionis, S. Franciſci, &c. ſicut etiam in Officiis Translationum, Octava Benedictio erit: *Cujus Feſtum colimus*, *&c.* ita Sacra Rituum Congregatio 13. Februarii 1666. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 91. cum alio ibi indicato.

Decretum ſimile huic affertur a Pitono, & a Fagioli emanatum die 13. Februarii 1666. quo ſancitum fuit, ut ad Octavam Benedictionem in Feſto Converſionis S. Pauli Apoſtoli non dicatur: *Cujus Converſionem*, ſed, *cujus Feſtum colimus*. Sed hoc Decretum in Regeſtis non reperitur, verum quidem eſt, quod ex anteriori Decreto hoc pariter inferri poteſt.

Ex quibus Sac. Congreg. Statutis patet quid faciendum ſit in Officiis Translationis, Apparitionis, Ordinationis, Inventionis, & ſimilium: & hoc etiam obſervatur in Rubricis Breviarii Minorum Conventualium, nec non Cappucinorum.

Denique ſub die 13. Septembris 1692. emanavit ſequens Decretum poſitum in noſtro Indice *ſub n.* 173. nimirum: Ubi celebratur Feſtum S. Raphaelis Archangeli ad Octavam Benedictionem dicatur: *Cujus Feſtum colimus*, non vero: *Quorum Feſtum colimus*. Et ita etiam habetur in fine Breviarii Romani inter Feſta aliquibus locis conceſſa. Ratio hujus Decreti eſt, quia in Officio S. Raphaelis, (ſicuti etiam in Officio S. Gabrielis) imploratur, & invocatur ejus ſolum auxilium, ſed quia in Feſto S. Michaelis imploratur Patrocinium omnium Angelorum, idcirco ad octavam Benedictionem tunc dicitur: *quorum Feſtum colimus*, *&c.*

## De Lectionibus XXVI.

## ℞ U B R I C A.

1. *LEctiones leguntur ad Matutinum dictis Pſalmis Nocturnorum cum Antiphonis, Verſibus, Abſolutionibus quoque, & Benedictionibus, ut ſupra. In Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, ideſt, in quolibet Nocturno tres: in Feſtis ſimplicibus leguntur tantum tres Lectiones.*

2. *In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo: In primo Nocturno ſemper leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ, quando ſuis locis propriæ, aut de Communi Sanctorum, non aſſignantur, ſemper leguntur ut in Officio de Tempore, quæ ſua quaque die occurrunt legendæ. In ſecundo Nocturno, ſi fit de Sancto, tres Lectiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu, qui ei convenit; quæ ſi non adſint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam, vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica, vel de alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone, aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno ſemper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium, poſitæ in Proprio, aut ex Communi aſſignatæ; & primæ Lectioni de Homilia ſemper præponitur principium Evangelii, de quo eſt Homilia, etiam infra Octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum, Matutina tenebrarum ante Paſcha, & Defunctorum, ut in ſuis Officiis ponitur.*

3. *Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Reſponſorium, contingat fieri Commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de Sancto: ſi habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectio, omiſſo nona Lectione in dicto Officio novem Lectionum: vel Octavæ Lectioni adjuncta. Quod ſi eodem die occurrat Dominica vel Feria, quæ habeat Homiliam, nona Lectio Sancti omittitur, & ejus loco legitur Homilia Dominicæ vel Feriæ, ſcilicet, vel prima Lectio de Homilia, vel tres ſimul in unam Lectionem conjunctæ,*

4. *In Officio trium Lectionum, ſi fit de Feria, tres Lectiones dicuntur de Scriptura; niſi tres ſint de Homilia, quia tunc omiſſis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. Si fit de Sancto, qui habeat duas Lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus ſimul junctis fiat una: ſecunda & tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit vel propriam, vel ex Communi aſſignatam, prima & ſecunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto: quod etiam ſervatur in Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.*

5. *Lectiones autem de Scriptura in Officio de Tempore ſic diſtributæ ſunt per annum, ut quotidie aliquid ex ea legatur, etiam in Officio de Sanctis, quando aliæ (ut dictum eſt) non aſſignantur.*

6. *Initia librorum ſacræ Scripturæ (qui fere ſemper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata ſunt, etiam ſi fiat Officium de Sancto; niſi in Feſto aliæ propriæ Lectiones Scripturæ vel de Communi aſſignentur: tunc enim initium Lectionis de Scriptura transfertur in ſequentem diem ſimiliter non impeditam: & Lectiones illi dies de eadem Scriptura aſſignatæ, vel cum ſuperioribus Lectionibus legantur, vel omittantur: ita ut non oporteat eas amplius in alio ſequenti die reſumere, ſed illæ legantur, quæ ſua quaque die occurrunt, aut cum eiſdem jungantur, quod ſemper ſervetur quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.*

7. *Cum autem initium alicujus Epiſtolæ Catholicæ tempore Paſchali, aut alicujus Prophetæ minoris menſe Novembris infra Hebdomadam illorum tempore impeditur aliquo Feſto novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epiſtolæ & Prophetæ, quoad commode fieri poterit, ponatur in ſequenti Feria, alio ſimili initio Scripturæ ponendo, vel Feſto non impedita; alioquin in præcedenti ſimiliter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiamſi plura initia eadem die poni oporteat.*

8. *De Scriptura quoque tantum eſt poſitum, quantum ſatis videtur pro numero Hebdomadarum, quæ eſſe poſſunt & inter Epiphaniam, & Septuageſimam, & inter Pentecoſten & Adventum. Ubi vero contingit minui numerum Dominicarum & Hebdomadarum poſt Epiphaniam, adveniente Dominica Septuageſimæ, quod ſupereſt de Epiſtolis Beati Pauli, quæ diſtributæ ſunt pro numero dictarum Dominicarum & Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epiſtolis nihil ſit lectum: Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab octava Pentecoſtes uſque ad Dominicam primam Auguſti) cum non expletur numerus Dominicarum poſt Pentecoſten de eis libris annotatis uſque ad Menſem Auguſti: quia tunc Lectionibus de his libris omiſſis, legitur de Scriptura, quæ ponitur Menſe Auguſti: Quod ſi fiat de aliqua Dominica poſt Epiphaniam anticipate in Feria, eo modo quo dictum eſt de Dominicis num. 4. & 5. tunc poſt Officium Dominicæ anticipatæ in ſequentibus diebus legatur de Epiſtolis S. Pauli aſſignatis Dominicæ anticipatæ & ſequentibus Feriis, omiſſis aliis, quæ ſunt aſſignatæ præcedenti Hebdomadæ. Quid autem obſervandum ſit, cum Menſis, cui quinque Dominicæ aſſignantur, non habuerit niſi quatuor, in propriis locis notatur.*

9. *Lectiones de Scriptura poſita in Communi Sanctorum, leguntur in Feſtis, ubi aſſignantur in Proprio Sanctorum per annum: Rurſus quando aliquod Feſtum in propria Eccleſia ſolemniter celebratur; Item quando aliquod Feſtum novem Lectionum occurrit in Quadrageſima & Quatuor Temporibus, in ſecunda Feria Rogationum & in Vigilia Aſcenſionis; in quibus Feriis in Officio de Tempore non aſſignantur Lectiones de Scriptura, ſed de Homilia: tunc enim in Feſtis recurrendum eſt ad Lectiones de Scriptura poſitas in Communi Sanctorum. Quod ſi in aliquibus ex ſupradictis Feriis occurrat dies Octava alicujus Feſti habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei Octavæ repetantur Lectiones, quæ in primo Nocturno Feſti lectæ fuerunt: ſi vero*

oc-

*occurrat. dies infra Octavam, tunc ſumantur de Communi. Aliæ Lectiones ii. & iii. Nocturni poſitæ in Communi Sanctorum ſimiliter leguntur, quando in proprio Sanctorum aſſignantur, & quando in aliqua Eccleſia aliquod Feſtum celebratur cum novem Lectionibus, quia in ea eſt ſolemne, aut conſuetum in ea celebrari, quod proprias & approbatas de Feſto Lectiones non habuerit.*

10\. *Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo libri, ex quo ſumantur, niſi aliter in propriis locis notetur. Lectiones etiam ii. Nocturni, quando ſunt ex aliquo Sermone vel tractatu, leguntur cum titulo, & nomine auctoris: alias minime. Et ſimiliter in iii. Nocturno præponitur titulus auctoris, cujus eſt Homilia.*

11\. *In fine cujuſque Lectionis dicitur: Tu autem Domine miſerere nobis: & reſpondetur: Deo gratias: quod etiam fit in Lectionibus brevibus in principio Completorii, & in fine Primæ poſt Pretioſa, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Paſcha, & in Officio Defunctorum, ut ſuis locis ponitur.*

De Lectionibus. XII.

*G A V A N T U S.*

1\. PAter vocabulum *Lectionum*, eo quia leguntur, & non cantantur, ut Pſalmi. Durand. *lib.* 5. *c.* 2. Uſus earum originem ducit a Lectione, quæ fiebat in Scholis Patrum. *Act.* 13. *&* 15. ut notat Amalar. *lib* 4. *c.* 9. deducit ab Hebræis Iſidor. *lib.* 1. *de Offic. c.* 10. qui certis diebus legebant de lege, & Prophetis in Synagogis, & legit Chriſtus. *Luc.* 4.

2\. S. Auguſtin. *initio expoſit. ad* 1. *epiſt. Joann.* ſignificat, tunc ſolitas legi certas Lectiones in Eccleſia, ita determinatas, ut aliæ eſſe nequireat. Hieronymus (Damaſi juſſu creditur) compoſuit Lectionarium, teſte Bernone, *de quibuſdam ad Miſſas ſpect. cap.* 1.

3\. In Concilio Laodicenſi *Can.* 17. *cit. a Suar. lib.* 4. *de Hor. Canon. cap.* 2. *n.* 16. decreta fuit Lectio poſt Pſalmos, vel longa in Matutino, vel brevis in aliis Horis; Capitula enim ſunt Lectiones breves, ut infra dicemus.

4\. Numerus vero Lectionum nec fuit major novem, nec minor tribus Lectionibus. Amalar. *lib.* 4. *c.* 9. ut per novem conjungamur converſationi novem ordinum Angelorum; vel ut tria prædicationis tempora deſignarentur ante legem, ſub lege, tempore gratiæ. Idem *cap.* 11. Addit Rupert. *lib.* 1. *cap.* 13. pluralitatem Lectionum ad diverſos Nocturnos, ſeu Vigilias indicare, quod noſtrum eſt parare corda ad aperiendum Deo, quacumque hora pulſaverit verbo ſuo; pluresque Prædicatores eſſe, ut excuſationi non ſit locus. Cum autem Pſalmi, ut ſæpe diximus, opera bona ſignificent; novem Pſalmi, & novem Lectiones docent, æqualia in nobis eſſe debere, verbum, & opus. In Profeſtis autem paucitas Lectionum innuit tempus antiquæ legis (nos enim Feſta agimus, ſi comparemur cum antiquis Hebræis) in quo pauci Prædicatores erant. Hæc Rupertus.

5\. Ex utraque Teſtamento deſumi Lectiones Officii Divini ſcribit Radulphus *propoſ.* 11. a priſcis uſque temporibus; & apud Romanos in primo Nocturno legi de veteri Teſtamento. In ſecundo Nocturno Sermones. In tertio Homilias, & per hebdomadam continuari Sacra Biblia. Ibid. tamen non excludit a primo Nocturno Lectiones aliquando de novo Teſtamento; quod & hodie ſervamus, ut in Rubricis patet.

6\. Verum, quo ordine diſtribuuntur Lectiones primi Nocturni per annum? Triplex eſt ordo ſacrorum librorum, primum voco *Conciliarem*, alterum *Hiſtoricum*, tertium *Eccleſiaſticum*. Conciliaris eſt ille ordo, qui habetur in Sacris Bibliis ſancitus a Concil. *Trident. ſeſſ.* 4. Iſidor. *cap.* 12. numerat 72. libros Sacrorum Bibliorum, qui numerus non caret myſterio.

7\. Hiſtoricus eſt, quem ad pleniorem Sacrorum Bibliorum, & hujus capitis notitiam compendio excerpſi, & hoc loco deſcripſi, *ex Annalium Sacrorum duobus tomis, quater impreſſis, Auguſtini Tornielli Ordinis noſtri* juxta ſeriem temporum, quo quiſque liber ſcriptus fuit, vel potuit ſcribi. Auctores dabo Sect. 6. quos hic deſideras,

Nam Geneſis continet Acta ab ortu Mundi uſque ad ann. ejuſdem 2400.
Job Hiſtoria contigit anno proximo 2399.
Exodus ab ann. 2438. uſque ad ano. 2545.
Leviticus pertinet ad ann. 2545.
Numeri liber pervenit ad ann. 2583.
Deuteronomium ad eumdem ſpectat annum.
Joſue uſque ad anu. 2593.
Judicum ab anno 2594. ad ann. 2899.
Inter hæc Ruth circa ann. 2748.
Regum Primus a 2900. ad ann. 2979.
Pſalterium a 2964. exorditur.
Regum Secundus ad ann. 3017.
Regum Tertius ad ann. 3138.
Canticum Canticorum, circa ann. 3021.
Proverbia, Eccleſiaſtes, circa hæc tempora.
Sapientia eſt Salomonis, ſeu a Philone excerpta.
Regum Quartus ad ann. 3472.
Duo Paralipomenon concurrunt cum libris Regum.
Inter hæc Prophetæ vixerunt, hoc ordine uſque ad prædict. ann. 3472.
Jonas enim circa ann. 3227.
Oſeas, Joel, Amos, Abdias circa ann. 3238.
Iſaias ab ann. 3253. ad ano. 3358.
Michæas circa ann. 3286.
Nahum circa ann. 3321.
Tobias illuminatur ann. 3329.
Habacuc circa ann. 3351.
Jeremias ab ann. 3407. quo etiam Sophonias.
Sed Jeremias complevit ann. 3448.
Baruch ann. 3451.
Daniel ab ann. 3438. uſque ad ann. 3519.
Ezechiel ab ann. 3440. uſque ad ann. 3462.
Hi intra annos quarti Regum, excepto Daniele.
Eſdras circa ann. 3517. uſque ad ann. 3596.
Aggæus, Zacharias, Malachias ann. 3533.
Judith ann. 3572.
Nehemias a 3609. ad 3629.
Eſther 3652.
Eccleſiaſticus circa 3798. quo anno floruere LXX. Interpretes.
Machabæorum duo, a 3868. uſque ad ann. 3919.
Nato Chriſto anno Mundi 4050. ut fuſe probat Torniellus, qui ultra Chriſtum paſſum non ſcribit; proſequor eum Baronio ordinem hiſtoricum librorum novi Teſtamenti.
Matthæus igitur ſcripſit Evangelium ann. Chriſti 41.
Petrus Epiſtolam primam aon. 45.
Judas Epiſtolam ann. 68.
Marcus Evangelium eodem anno.
Paulus ad Theſſalonicenſes primam ann. 52. ad eoſdem alteram ann. 53.
Ad Corinthios primam, & 1. ad Timoth. ann. 57.
Ad Tituum 58.
Lucas Evangelium ann. 58.
Paulus ad Corinthios alteram, ad Galatas, ad Romanos ann. 58. ad Timoth. alteram, ad Epheſios ann. 59.
Ad Philippenſes, Coloſſenſes, Philemonem, Hebræos ann. 60.
Acta Apoſtolorum a Luca completa ſunt ann. 61.
Jacobus Epiſtolam ſcripſit ante ann. 63.
Petrus Epiſtolam ſecundam ann. 68.
Apocalypſis ann. 97.
Evangelium Joan. cum tribus Epiſtolis ann. 99.

8\. Tertius eſt ordo, qui Eccleſiaſticus dici poteſt, quia non eſt omnium librorum ſacræ Scripturæ, ſed tantum ad uſum Breviarii, a Gelaſio Papa decretus. 15. *diſt. cap. Sancta Romana*. Eſt autem, qui ſequitur ordo.

In Adventu legitur Iſaias; quia inquit Amalar. *de ord. Antiph. c.* 76. nemo Propheta apertius loquutus eſt de Nativitate Chriſti.

Ab Epiphania (immo a Natali Domini) ad Septuageſimam leguntur Epiſtolæ S. Pauli, quia, inquit Rupert. *lib.* 10. *cap. ult.* dum repræſentatur Chriſtus in Mundo, novi Teſtamenti præcones audiri debent ante Quadrageſimam.

A Septuageſima ad Dominicam de Paſſione, Geneſis, & Exodus: quia paſſionem Domini celebraturi recurrere debemus ad Adæ peccatum, pro quo paſſus eſt; &, dum legitur de Patriarchis, Abraham, Iſaac, & Jacob, quaſi de diverſis ætatibus ad Chriſtum Choros Patrum deducimus. Rupert. *lib.* 4. *c.* 5.

In paſſione Jeremias legitur, qui multa narrat de eadem. Amalarius *loc. cit. cap.* 76.

Poſt Paſcha Actus Apoſtolorum, Apocalypſis, & Epiſtolæ Apoſtolorum; quia virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Chriſti. Rupertus *lib.* 10. *cap. ult.* De Actibus indicat Auguſt. *in ſerm. quodam citato a Demochares, tom.* 4. *cap.* 12.

Poſt Pentecoſten uſque ad menſem Auguſtum libri Regum ponuntur, ut reſumatur ordo Hiſtoricus a Geneſi ad lib. Regum, Amalarius *de ord. Antiph. cap.* 72.

Menſe Auguſto leguntur Sapientiales libri; quia poſt libros Regum, æquum eſt, ut Rex Salomon audiatur: ferventeque Sole eo menſe ferveat & ſapientia. Amalar. *loc. cit.* Sunt autem Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus.

Menſe Septembri Job, Tobias, Judith, Eſther: quamquam Gelaſius pro Judith, Eſdram ponit, ſed ordo Roman. habet Judith, ut imitemur eo tempore patientiam Jobi, & Tobiæ, inquit Amalarius *cap.* 73.

Menſe Octobri Machabæorum libri leguntur. Amalar. non addit cauſam, quam alii reddunt, & mox enarrabimus.

Menſe Novembri leguntur Ezechielis, Danielis, & duodecim Prophetarum libri, quia ſæpe loquuntur de Adventu Meſſiæ, quem celebramus in proximo Decembris. Idem Amal. *c.* 76.

9\. Rupertus a Pentecoſte ad Adventum enarrans ait *lib.* 12. *c.* 24. In lectione librorum Regum ſignificari tempus Martyrum, bellorum, & perſecutionum Eccleſiæ poſt Adventum

tum Spiritus Sancti. In libris Sapientialibus SS. Doctorum inſinuari tempus: cum legibus de Sancto Job, pax Eccleſiæ repræſentatur, non abſque tentationibus. Vel menſe Septembri, ut in Job juſtitiam diſcere poſſumus; in Tobia prudentiam, in Judith fortitudinem, in Eſther temperantiam. Dixi, in Job juſtitiam, ut loquar ad uſum noſtrum: nam Rupert. pro Job habet Eſdram, cujus libri tunc legebantur. Proſequitur *cap.* 25. & docet libros Machabæorum deinde legi, ut meminerimus inter virtutum profectus vitiorum bella non deeſſe, Libros denique prophetarum excitare nos ad ſpem & metum, uſquequo redeat Chriſtus in Adventu ſecundo. Hæc ille.

10. Durandus *in Rat. lib.* 6. *c.* 114. has cauſas reddit. In Septuageſima legimus caſum humani generis. In Quadrageſima repræſentamus ſub Pharaone ſervitutem. In Paſchate exitum de Ægypto; per Quadraginta dies Paſchales, quadraginta annos in deſerto; per Rogationes ingreſſum in Terram promiſſam: per ſeptem dies Pentecoſtes diviſionem donorum Dei, & Terræ promiſſæ. Sub Regibus deinde fuerunt, & ideo libri Regum leguntur poſt Pentecoſten; & *cap.* 129. addit; præcedunt quidem libri Exemplares, ſequuntur Doctrinales, redeunt alii Exemplares, tum alii demum Doctrinales, quia plus movent facta, quam verba; & hac viciſſitudine ad perfectionem virtutis pervenitur. Libris igitur Regum ad exemplum lectis, legimus Auguſto menſe Doctrinales Salomonis libros: tum Septembri exempla Job, Tobiæ, Fœminarum, & Milites ad virtutem menſe Octobri nos incitant, & impellunt. Novembri Doctrinales alii Prophetarum ſuccedunt. Hæc ille fuſiſſime.

11. Initia librorum Sacrorum regulariter leguntur in Dominicis; quod ſi Feſto aliquo impediantur, æquum eſt, ut ab initio libri in ſequenti die non impedito auſpicetur lectio. In Rubr. *n.* 6.

12. Ex prædictis libris aliquid quotannis, vel in proprio die, vel in ſequenti, vel in præcedenti, eſt legendum. Rubr. in *n.* 7. * etiam ſi plura Prophetarum initia uno die ſint legenda; hac adhibita lege, ut non extra propriam eorum Hebdomadam legantur; neque duo initia ſub una concluſione: *Tu autem &c.* neque in præcedenti Feria, ſi in ſequenti datur locus ea legendi, ut indicant verba Rubricæ. Quod ſi alicubi impediantur Feriæ Feſtis locorum propriis: An in his initia legantur, omiſſis aliis Lectionibus primi Nocturni aliunde ſumendis? Dicemus infra opportuniori loco *Sect.* 6. *cap.* 21. n. 11. Excipe ſequentes caſus. Primus eſt in Epiſtolis S. Pauli; eæ enim omnes ſimul conſtituunt unum librum, quem ſufficit incœpiſſe; & adveniente Septuageſima finis imponitur Lectioni Paulinæ, licet tantum de Epiſtola ad Romanos, ſeu Corinthios ſit lectum. Alter caſus eſt in libris Regum, adveniente Auguſto, ſufficit enim, quod de iis lectus ſit primus, vel ſecundus liber.

13. * Ubi vero contingit minui numerum Dominicarum poſt Epiphaniam, adveniente citius Dominica Septuageſimæ, & ideo in Feria tertia, vel alia die proxima ſit de Officio Dominicæ tertiæ, vel ſequentium anticipatæ: ſtatim ac factum eſt Officium Dominicæ, in ſequentibus diebus legi debent Epiſtolæ S. Pauli, quæ poſitæ ſunt in Dominica anticipata; quod in poſtrema recognitione decretum eſt, & adnotavimus in Tabulis noſtris 8. 9. 10. 16. 17. & 22.

14. Quando de Scriptura per annum diſtributa non poteſt legi in Feſto novem Lectionum, in primo Nocturno, quia eo die non habetur in Breviario, puta, quia ſunt Quatuor Tempora, Feriæ Quadrageſimæ, &c. ut in Rubrica *n.* 9. eo caſu ſumuntur Lectiones primi Nocturni de Communi, quæ alioquin ad majorem ſolemnitatem ſolent aſſignari, tunc enim ad neceſſitatem leguntur: quod intelligi debet, non tantum in Feſtis occurrentibus, & in die Octava Feſti habentis Octavam, in dictis Feriis majoribus: ſed etiam in diebus infra Octavas, de quibus Rubrica nona loquitur: eadem enim eſt ratio defectus. * Si tamen in Feſto habente Octavam lectæ fuiſſent in primo Nocturno aliæ Lectiones, non de Communi Sanctorum: eo caſu repetendæ erunt eædem in ejus die Octava, ut aperte dicitur in Rubr. *de Lectionibus num.* 9.

15. Accidit etiam, aſſignari in Breviario quibuſdam Feſtis plurium Apoſtolorum Lectiones proprias in primo Nocturno, quæ ſunt propriæ alterius illorum: & eo caſu, ſi dividatur Feſtum, quia alter eorum tantum eſt Titulus Eccleſiæ, juxta ea, quæ diximus ſupra *Sect.* 3. *cap.* 10. *n.* 11. alteri debentur Lectiones propriæ; alteri de Communi, quæ habentur in primo Nocturno. * Quæ item legi debent, quando aliquod Feſtum in propria Eccleſia ſolemniter celebratur, ex Rubrica cit. *n.* 9. hoc eſt in Feſto Patroni loci, Tituli, ſeu Dedicationis Eccleſiæ, & in Feſtis ſecundæ Claſſis ob majorem Solemnitatem, quod etiam ſit in Breviario; imo vero, etiam in Feſtis Patronorum minus principalium, more Duplicium majorum, quæ habentur in Breviario, niſi ob anguſtiam temporis ponendum ſit initium Prophetiæ, quod in Feſtis poni decretum eſt, in poſtrema recognitione Breviarii.

16. Pro ſecundo Nocturno Gelaſius decernit *loc. cit.* hæc Opuſcula poſſe legi in Officio Divino; nimirum SS. Cypriani, Joannis Chryſoſtomi, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Iſidori, & Leonis Papæ, Item Opuſcula Orthodoxorum Patrum, qui a Sancta Romana Eccleſia non deſciverunt. Præterea vitas Patrum, Antonii, & aliorum a Sancto Hieronymo ſcriptas. De Bedæ operibus nondum legebatur tempore Radulphi, ut ipſe ſcribit *propoſit.* 11. Primæ Hiſtoriæ de Sanctis in Officio Divino habuerunt auctores Paulum Diaconum juſſu Caroli Magni *ex auctore Ligni Vitæ lib.* 5. & Iſuardum, ſeu Uſuardum Monachum, qui degebat in humanis circa Ann. 800. ex Polidor. Virgil. *lib.* 6. *c.* 2. Quas nunc habemus ſecundas Lectiones ex Hiſtoriis Sanctorum, eæ fuerunt a Card. Bellarmino, & Baronio recognitæ, & approbatæ ſub Clemente VIII. qui rejecerunt ea omnia, quæ jure merito revocari poterat in dubium. * Qua in re perdifficile viſum eſt illis ad Hiſtoriæ veritatem bona fide reſtituere SS. Lectiones, idque minima, qua fieri potuit, mutatione, imo, quæ controverſa erant, alicujus tamen gravis Auctoris teſtimonio ſuffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta ſunt eo modo, quo erant, quo falſitatis argui non poſſent: quamvis fortaſſe altera ſententia ſit a pluribus recepta. Porro in enumerandis Romanorum Pontificum annis a Card. Baronio non diſceſſerunt, qui omnium exactiſſimus in hac re habetur. In ordinationibus eorumdem ſecuti ſunt librum, Pontificale inſcriptum, quod nomine Damaſi circumfertur: cum aliunde nihil certi haberi queat. Textus item Sanctorum Patrum collati ſunt proxime cum Auctorum libris, & MS. & melioris notæ impreſſis; itaut in hoc genere emendatius nihil edi poſſe videatur. Ex quibus laudare non poſſum eos, qui ritu Romano recitant Officium, & ab Officio Ritus alteri mutuo accipiunt Lectiones de Vita Sanctorum, non approbatas Romæ, contra Rubr. Breviarii *de Dupl. n.* 1. *&* *de Lect. n.* 9. ubi approbatæ requiruntur Lectiones auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Vide *Sect.* 3. *cap.* 12. *n.* 14. Secundas autem Lectiones, & tertii Nocturni ex SS. Patribus deſumptas recognovimus poſtremo, ut concordent cum emendationibus eorum Textibus, ſive impreſſis, ſive MS. Codicibus Vaticanis. In tranſlationibus Græcorum Patrum, ſi varietas contingit, Breviarii Romani Lectio, cæteris paribus, retenta fuit.

17. Pro tertio Nocturno Evangelium cum ſua Homilia legitur, ex Radulpho *propoſ.* 11. & quadrat ad repræſentandum tempus gratiæ, & Evangelii poſt eos, qui ante legem, & ſub lege fuerunt. Duran. *lib.* 5. *c.* 2. ex *Gemma lib.* 1. *cap.* 14. Homilia Græce, ſermonem, & colloquium ſonat Latine.

18. Monent Rubricæ, quando in Officio novem Lectionum facienda eſt commemoratio de Sancto, vel Feriæ, vel Dominicæ, quæ habet proprium Evangelium, quod legi debet pro nona Lectione, monent, inquam, ut de primæ Homiliæ Lectionibus Octava, & nona fiat una, quæ ſit octava, quod quamvis ſit ad libitum, ut ex verbis Rubricæ *de Lectionibus num.* 3. tamen in quibuſdam caſibus, deberet omnino nona legi adjuncta octavæ Lectioni; nimirum, quando in nona Lectione continetur laus propria eorum, de quibus agitur Feſtum, v. gr. in Feſto SS. ſeptem Fratrum, cujus in nona Lectione laudatur mater ipſorum. Et in Feſto SS. Nerei, Achillei, &c. quorum laudes propriæ habentur in nona Lectione, & in gratiam hujuſce nonæ Lectionis datum eſt Evangelium integrum eorum Feſto, alioquin non valde congruum, a Dominica vigeſima poſt Pentecoſten deſumptum. De nona Lectione de Sancto ſatis docuimus ſupra *c.* 11. *n.* 33. 34. 35. *&* 37. Reliquæ hujus tituli Rubricæ patent.

19. In modo legendi illud obſerva, ut legas titulum Libri, ſeu Evangelii, ſeu Sermonis, ſeu Homiliæ, niſi aliter notetur, ut in Natali Domini. In Vitis Sanctorum eo tantum caſu legitur titulus, quando eſt auctoris claſſici; puta, cum legimus *De libro S. Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & hujuſmodi. Quærit autem Hugo Victor. *lib.* 2. *de Offi. cap.* 3. cur in Lectionibus diurnis, ideſt, Capitulis ad Horas, & quandoque in Nocturnis, non pronunciatur auctor: in Miſſa vero ſemper pronunciatur titulus, excepta majore hebdomada? Reſpondet ad Miſſam convenire quoque bubulcos; qui neſciunt de auctore niſi doceantur, ad Horas autem Clerici conveniunt, qui bene norunt auctores Lectionum. Utinam ſit vera reſponſio, & Clerus minime ignoret.

20. In fine Lectionis dicitur: *Tu autem Domine miſerere nobis*, non *Domne*, ut ante Lectionem, quia cum Deo loquitur Lector, & indicat, ne ipſum quidem officium prædicandi ſine alicujus, vel levis culpæ pulvere peragi poſſe. Rupert. *lib.* 1. *de Div. Offic. cap.* 13. cui ſuccinit Chorus dicens: *Deo gratias*; quod ad totam Lectionem refert Rupert. *c.* 14. quia, inquit, agimus Deo gratias, quod panem doctrinæ nobis frangere ſit dignatus, idemque ideo reſpondetur in fine omnium Capitulorum, quamvis non addatur, *Tu autem Domine &c.* Omittuntur hæc in triduo majoris Hebdomadæ, & in Officio Defunctorum, de quibus ſuo loco dicemus.

21. Denique ad Lectiones ſedetur. Amalarius *lib.* 3. *c.* 11. *& lib.* 4. *cap.* 3. vel ſilendo ſtatur, *ibid.* ad majorem attentionem utrumque, ut probat Julius Nigronus *in Reg. commun. Soc. Jeſu Reg.* 2. *num.* 59.

22. Interrogatus quandoque fui, quænam Lectiones legi poſſunt in Feſtis S. Abrahæ, & S. Job, quæ alicubi celebrantur? An leges primas Lectiones hauſtas ex Geneſi, & ex hiſtoria Job, quæ videlicet habentur in Dominica Quinquageſimæ, & 1. Dominica Septembris; in ſecundo Nocturno, quæ ibi-

Digitized by Google

ibidem habentur in eorumdem commendationem, & laudem; in tertio Nocturno Evangelium, *Homo quidam nobilis*, cum Homilia S. Ambroſii, in noſtro Octavario Romano, ſeu in Feſto Sancti Ludovici Regis; vel, in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti. In ſecundo Nocturno, quæ habentur in ſecundo Nocturno Dominicæ Quinquageſimæ, & Dominicæ 1. Septembris, ſicuti pro Hiſtoria S. Agnetis legitur Sermo S. Ambroſii in laudem ejuſdem. In tertio, ut ſupra. Poſterior hic modus nihil magis placeret, conformior aliis Sanctorum Feſtis. Quæ vero dicimus de SS. Abraham, & Job, valent etiam in Feſtis SS. Iſaiæ, Jeremiæ, Danielis, Davidis, & ſimilium, ubi eorum Feſta celebrantur, propriis e Breviario adhibitis eorum Lectionibus.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 3. -- *In Concilio Laodiceno decreta fuit Lectio poſt Pſalmos &c.*) Quamvis in Laodiceno Concilio anno 320. celebrato decretum fuerit, ut Pſalmorum recitationem ſequeretur Lectio, incertum tamen eſt utrum Romæ olim ſolemne fuerit in noctis Officio fieri Lectiones, ſicut certum eſt ſolitas fieri in Miſſa; Theodemarus ſiquidem Abbas Caſſinenſis, ſeu Paulus Diaconus ejus nomine in Epiſtola ad Carolum Magnum quæſtione propoſita, cur S. Benedictus unam tantum in Æſtate Lectionem dici præceperit, hanc affert cauſam: quia *necdum eo tempore in Romana Eccleſia, ſicut nunc leguntur, Sacras Scripturas legi mos fuerit; ſed poſt aliquot tempora hoc inſtitutum, ſive a B. Papa Gregorio, ſive, ut ab aliis aſſirmatur, ab Honorio. Qua de re*, addit Theodemarus, *noſtri Majores inſtituerunt, ut in hoc ſacro noſtro Cœnobio tres quotidianis diebus æſtivo tempore ex veteri Teſtamento Lectiones legantur, ne a Sancta Romana Eccleſia diſcrepare viderentur.* Verum de Theodemari priori ſententia, ſcilicet Sacras Scripturas in Romana Eccleſia tempore S. Benedicti lectas non fuiſſe, legitima dubitandi ratio eſt, ut ait Joannes Mabillon *in diſquiſ. de Curſu Gallicano n. 9.* non enim veriſimile eſt, aut nullas tunc in Divinis Officiis Lectiones, aut ſi aliquæ ex aliis, non etiam ex Sacra Scriptura inſtitutas fuiſſe: Gelaſius enim Papa I. definiens in Concilio Romano qui libri legendi eſſent, quive non legendi, id de Lectione eorum publica in Eccleſia decreviſſe videtur; accedit, quod Gregorius Magnus in Synodo Romana ſtatutum edidit, ne impoſterum Diaconi Cantorum officio fungerentur, ſolumque Evangelium in Miſſa cantarent, reliquæ vero Lectiones a Subdiaconis perſolverentur. *Qua de re*, inquit, *præſenti Decreto conſtituo, ut in ſede hac Sacri Altaris Miniſtri cantare non debeant, ſolumque Evangelicæ Lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exſolvant, Pſalmos vero, ac reliquas Lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel, ſi neceſſitas exigit, per minores ordines exhiberi.* Legitur hoc Decretum *lib. 4. epiſt. 44.* Quare cum Gregorius prohibeat Diaconos ne impoſterum Lectiones canant, & abuſum ſuper hac re introductum arguat, manifeſtum eſt Lectiones jam ante Gregorii tempora in Eccleſia Romana uſitata fuiſſe. Cum autem Romæ hæc conſuetudo cœpit, ſervatus fuit ſupra allegati Laodicenſis Concilii *Can. 17.* præſcribens fieri Lectionem per ſingulos Pſalmos, quod *in Conventu Fidelium nequaquam Pſalmos continuare conveniat, ſed per intervallum, ideſt per Pſalmos ſingulos recenſeri debeant Lectiones*; ita Canonem vertit Dionyſius Exiguus. Hinc eſt, quod Romæ Feſtis illis, quæ in Matutinis novem Pſalmos habent, novem quoque Lectiones aſſignatæ ſunt: Lectiones autem iſtæ legebantur, donec qui Choro præſidebat ſignum daret terminandi. Juxta Ritum vero, ſeu Regulam S. Benedicti Lectiones a Monachis per vices, & alternatim recitabantur, ideſt, nunc iſte, nunc ille, ut notat Smaragdus *in cap. 9.* Regulæ prædictæ, vel alternative ſibi ſuccedendo, ut ait Bernardus Caſſinenſis ibidem, itaut nunquam duas unus, & idem diceret Lectiones. Unde, & ad ſingulas petitur Benedictio, quam iterare neceſſe non eſſet, ſi unus, & idem plures conſequenter recitare deberet Lectiones; ita ponderat Martene in ſuo Commentario ad eumdem locum, ubi ſubnectit, *& certo id poſtulabat S. Patris diſcretio, ne forte nimium laborarent in legendo, maxime cum prolixiores tunc eſſent Lectiones, nec ita facile eſſet legere in Codicibus MSS.* Curioſus Lector conſulere poteſt etiam ea, quæ idem Martene tradit *lib. 2. de antiq. Monach. Rit. cap. 1.*

Supereſt advertendum hoc loco non ſubſiſtere rationem adductam a Theodemaro, propter quam S. Benedictus unam tantum præſcripſerit Lectionem a Paſchate uſque ad Kalendas Novembris legendam in Officio nocturno. Sanctus enim Patriarcha Benedictus uſus eſt hac Indulgentia propter ſolam brevitatem noctium, ut ait ipſe in ſua Regula *cap. 10.* non ergo quia nondum vigebat mos in Eccleſia Romana legendi Lectiones in Officio, ut cenſuit Theodemarus; voluit S. Benedictus, ut prædicto tempore pro tribus Lectionibus una tantum de veteri Teſtamento memoriter diceretur. Hæc Lectio, quam pueri apud Cluniacenſes legebant ex Udalrico *lib. 3. cap. 8.* apud Carthuſienſes Cantor Hebdomadarius ex nova collectione Statutorum *part. 1. c. 16.* ex Regulæ præſcripto memoriter recitanda eſt, adeoque brevis eſſe debet, ita etiam in citata Regula Sancti Benedicti præſcribitur, ut illa unica Lectio ex corde, ſeu memoriter dicatur, & minime legatur, adeoque debebat eſſe brevis. Quæſtionem movet Hildemarus, & poſt eum Bernardus Caſſinenſis, Boerius, & Turrectemata, cur nimirum laudatus Patriarcha Benedictus unicam dumtaxat Lectionem Menſibus Septembri, & Octobri præſcripſerit, qui tamen æquales cum Martio, & Aprili, in quibus tales inſtituit Lectiones, habent noctes; & dicunt hoc potiſſimum factum eſſe ad ſublevandos Fratres ab aliis magnis laboribus, quos in colligendis frugibus, & vindemiis ſubire cogebantur.

II. Gavant. num. 4. -- *Numerus vero Lectionum nec fuit major novem, nec minor tribus, &c.*) Veriſſimum eſt, quod juxta morem antiquum in Breviario Romano numerus Lectionum non fuerit major novem, nec minor tribus Lectionibus, ut docet noſter Gavantus ex Amalario; ſed verum pariter eſt, quod antiquitus varius fuit Lectionum numerus. In veteri ſiquidem quodam Ordine Romano e Codice manu exarato Sangallenſis Monaſterii deſcripto, atque a noſtro Thomaſio Romæ edito anno 1686. *pag. 404.* habetur -- Lectiones vero aut tres, aut quinque, aut ſeptem, aut novem in Vigilia Sanctorum, aut ubilibet contigerit, leguntur. Nam quatuor, aut ſex, vel octo nullo modo; quia antiquitus talis conſuetudo non fuit. Ex quibus verbis poſtremis *loc. cit.* deducit Grancolas, quod olim nullæ Lectiones dici ſolebant, quando revera ex prædicti Ordinis verbis nihil aliud inferri poteſt, niſi quod antiquitus non fuerit conſuetudo legendi Lectiones numero pares, nimirum quatuor, aut ſex, vel octo. Pag. autem 405. ejuſdem Ordinis legitur -- Qui voluerint novem Lectiones facere, novem Pſalmos decantent. Qui vero ſeptem, cantent ſex. Qui vero quinque, ſimiliter ſex. En igitur numerum Lectionum antiquitus varium fuiſſe, quando juxta recentem morem ſemper conſtituitur, vel ex novem, vel ex tribus Lectionibus tantum; nunquam vero ex quinque, vel ſeptem; quæ de Romano ritu intelligenda ſunt. Ritus namque Monaſticus modo duodecim, modo tres, aliquando unam Lectionem tantum admittit.

III. Gav. n. 5. -- *Ex utroque Teſtamento deſumi Lectiones Officii Divini, &c.*) Quando Romæ Lectiones Nocturno Officio inſeri cœperunt, illæ ex Sacra Scriptura tantum deſumi ſolebant, qui mos ſervatur in Feriali Officio uſque ad præſentem diem; poſtquam vero plures Nocturni inſtituti fuerant, ordo ille ſervatus eſt, qui adhuc ſervari ſolet tribus ante Paſcha diebus, nimirum PP. quoque ſermones inferti fuerunt, & ad tertium Nocturnum, ex novo quidem Teſtamento, peti ſolebant Lectiones, non legebatur tamen adhuc Evangelium, quia hoc Miſſæ Lectioni deſtinatum erat.

IV. Gavant. num. 6. -- *Verum, quo ordine diſtribuuntur Lectiones primi Nocturni per annum? &c.*) Gavantus ab hoc numero ſexto uſque ad numerum 15. incluſive optime deſcribit ordinem Lectionum Sacræ Scripturæ, quæ in primo Nocturno per annum legi ſolent juxta Ritum Breviarii Romani, & *n. 8.* ait prædictum ordinem referri a Gratiano in cap. Sancta Romana diſt. 15. quod quidem Decretum quamvis nonnulli Gelaſio Papa abjudicent, nihilominus a Sapientioribus Criticis eidem Pontifici tribuitur, ut videbimus infra; ſed ea Decreti pars, quæ recenſet Scripturas in Divino Officio legendas, Gelaſium profecto non habet Auctorem, cum in nullo ex Decreti Gelaſiani antiquioribus Codicibus MSS. reperiatur. Deeſt etiam in collectionibus Conciliorum Regia Labbeana, & Biniana; quapropter nonnulli opinantur illam Decreti partem a S. Gregorio hujus nominis VII. eſſe editam, qui morem Eccleſiæ Romanæ, longe ante ſua tempora ſervatum, confirmare tantum voluit.

V. Gav. n. 7. -- *Hiſtoricus eſt, &c.*) Hiſtoricus Sacrorum Bibliorum Ordo, quem ex Annalibus ſui Auguſtini Tornielli hoc loco Gavantus deſcripſit, non ſatis convenit cum Chronologia, quam modo eruditiores Sacrarum Literarum Interpretes ampleсtuntur, inter hos præcipue elucet Antonius Vitre, Auguſtinus Calmet, Jacobus Uſſerius, & alii, quos curioſus Lector adire poterit, ſi diligentiore examine cujuſcumque libri Canonici, qui in Breviario legitur, ſi non veram, ſaltem probabiliorem Chronologiam aſſequi exoptat.

VI. Gav. n. 12. -- *Etiamſi plura Prophetarum initia uno die ſint legenda, &c.*) Ad hoc Gavanti Commentarium ſpectat tria Decreta edita a S. R. C. die 5. Julii 1698. *in Collen.* & data in noſtro Indice *ſub. n. 202. 203. & 204.* in quibus ſancitum eſt, quod quando in menſe Novembris ſunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, dicenda eſt tantum unica Lectio, & quod non poſſunt poni plura tribus initiis Prophetarum unica die, & denique, quod ubi ſunt plura Officia habentia primas Lectiones proprias, poſſunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophetarum, occurrente legitima cauſa. Vide etiam Decretum editum die 12. Julii 1664. datum in noſtro Indice *ſub num. 89.*

VII. Gavant. eod. num. 12. -- *Eæ enim omnes ſimul conſtituunt unum Librum, &c.*) Docet hic Gavantus Epiſtolas Beati Pauli, quæ leguntur poſt nativitatem Domini, unum dumtaxat librum conſtituere, cujus libri initium ſufficienter poſitum cenſet per inchoationem primæ Epiſtolæ, nempe ad Romanos, ita ut ſequentium Epiſtolarum initia ſi diebus, quibus poſita ſunt, impediantur, non ſit opus reſumere.

Et

Digitized by Google

Et idem aſſerit pari jure de Epiſtolis Catholicis ſecunda Petri, ſecunda, & tertia Joannis infra Octavam Aſcenſionis ſequenti *Sect. 6. cap.* 17. *n.* 3. Huic Gavanti opinioni favere videtur Textus Rubricæ ſupra a nobis poſitæ *num.* 7. ubi recenſitis Epiſtolis Catholicis tempore Paſchali, & Prophetis minoribus menſe Novembri, quorum initia reſumenda ſunt, nihil ejuſmodi præſcribitur de Pauli Epiſtolis poſt Domini Nativitatem legendis. Gav. ſententiam amplectuntur etiam Lohner *Inſtr. pract.*2. *part.*2. *tit.*1. §.9. *n.*5. aliique plures, teſte Claudio La Croix *l.*4. *q.*207. *De Horis Canonicis nu.* 1285. quia ſibi ſuffragari exiſtimant ſuper Rubr. *n.* 8. Nihilominus ab hac Gav. & allegatorum Auctorum ſententia recedunt nonnulli in re Rubriciſtica verſatiſſimi viri apud laudatum La Croix, nec non Halden *part.*1. *tit.*5. & *tit.*28. & doctiſſimus Guyetus *l.* 4. *c.*16. *q.*2. validis permotus rationibus, quibus adducor ego quoque ad dicendum, quod ſi ſermo ſit de initiis Epiſtolarum, quæ omittuntur ratione alicujus impedimenti intervenientis (v. g. quia celebrantur Officia aliquorum Sanctorum, quæ habent Lectiones proprias in primo Nocturno) eo tempore, quo perſeverat Lectio dictarum epiſtolarum, nempe a Nativitate Domini uſque ad Septuageſimam; tunc crederem debere reſumi Epiſtolarum Paulinarum initia, ſi locus adſit ad ea initia reſumenda; non ita diſcurrendum eſt, ſi omittantur eadem initia ratione ceſſationis, nempe quia ſupervenit Dominica Septuageſimæ, qua adveniente, quæcumque ſuperſunt de Epiſtolis B. Pauli, omittuntur, ut dicitur, per ceſſationem, licet una tantum, aut altera ex dictis Epiſtolis lecta fuerit, ſicut adveniente prima Dominica Auguſti, omittitur non per aliquod impedimentum, ſed per ceſſationem quidquid ſupereſt de libris Regum, & tunc initia Epiſtolarum, quæ omittuntur, profecto reſumenda non ſunt, niſi in caſu, quem proponit Gav. *ſup. n.*13. & ſuper quo ait ita decretum fuiſſe in poſtrema recognitione Breviarii, de quo Decreto ſola Gavanti auctoritate inuixi non dubitamus, quidquid in contrarium aſſerat Guyet. *lib. ſuprac. q.* 5.

VIII. Gav. n.16. -- *Pro ſecundo Nocturno Gelaſius decernit loc. cit. hæc Opuſcula legi poſſe in Officio Divino*, &c.) Verum eſt Gelaſium in ſuo Decreto (quod ipſius vere eſſe validis argumentis comprobant contra Perſonam, alioſque tum Hæreticos, tum Catholicos Pagius in Critica Annalium Baronii, Card. Noriſius Diſſert. ſecunda de Cenotaphiis Piſanis, Juſtus Fontanini Archiepiſcopus Ancyranus *l.*2. *de Antiquit. Ortæ*) Verum, inquam, eſt Gelaſium in ſuo Decreto ſtatuere legenda Opuſcula Ss. Patrum, hoc loco a Gav. citata, ſicut etiam alia ab eo omiſſa; attamen ne verbum quidem habet de Opuſculorum Lectione in ſecundo Nocturno, quamquam negare non auſim, quod Gelaſii Decretum intelligi debeat de Lectione publica in Eccleſia, quæ fuit etiam Mabillonii ſententia *in Diſquiſit. de Curſu Gallicano*, cui pariter mox laudatus Julius Fontanini adhæſit. Porro errat Gav. aſſerens inter Patres a Gelaſiano Decreto laudatos Iſidorum connumerari, nam Iſidorus multis poſt Gelaſium annis floruit; quocirca ab eo commendari non potuit. Grancolas integrum hunc Gavanti locum exſcribens *l.* 1. *c.* 32. in eumdem errorem impegit. Cæterum in præfato Gelaſii Decreto, etſi geſta Ss. Martyrum ſuſcipiantur, nihilominus eorum acta non probantur ad publicam Lectionem. *Sed ideo ſecundum antiquam conſuetudinem*, inquit Gelaſius, *ſingulari cautela in S. Romana Eccleſia non leguntur, quia & eorum, qui conſcripſere nomina penitus ignorantur; & ab Infidelibus, aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur.* Ex ejuſdem tamen Gelaſii Decreto *actus B. Silveſtri, licet ejus, qui conſcripſit, nomen ignoretur, a multis in Urbe Catholicis legebantur; & pro antiquo uſu multæ hæc imitabantur Eccleſiæ*; unde apparet, ut notat Mabillon. *loco cit. n.* 10. non in tota Romana Eccleſia, ſed plurimum in Lateranenſi ejuſmodi acta, quæ Auctoris nomine deſtituta erant, lecta minime fuiſſe, alia vero, quæ probabiles Auctores habeant ſæculo octavo in Eccleſia Romana legebantur, cujus rei teſtem habemus Hadriani Papæ I. Epiſtolam tertiam. *Vitæ Patrum ſine probabilibus Auctoribus minime in Eccleſia leguntur, nam ab orthodoxis titulatæ, & ſuſcipiuntur, & leguntur.* De Actis Martyrum in Officio legendis mox iterum numero ſequenti erit ſermo.

IX. Gav. eod. n.16. -- *Primæ hiſtoriæ de Sanctis in Officio Divino habuerunt Auctorem Paulum Diaconum*, &c.) Fidem plus æquo præſtitit Gav. Auctori ligni vitæ, & ideo in hoc ſuo placito veritatem minime eſt aſſecutus; Paulus enim Diaconus neque hiſtorias de Sanctis contexuit, neque Divino Officio eas inſeruit, ſed ſolummodo Homilias, & Sermones Ss. Patrum collegit, immo collectas ab Alcuino, ut dicemus infra, elimavit; ſed quidquid ſit de hac quæſtione, certum tamen eſt ex iis, quæ paulo ante diximus, etiam in Eccleſia Romana Sæculo octavo morem inoleviſſe legendi Acta SS. quæ probabiles habebant Auctores; vitas quoque Confeſſorum ſolitas fuiſſe tunc recitari in Eccleſia Romana probat Joannes Diaconus in præfatione ad vitam Gregorii Magni, in qua Joannem Papam VIII. ſic alloquitur -- *nuper ad Vigilias B. Gregorii Romani Pontificis, Anglorum, ſcilicet gentis Apoſtoli, Lectione de Paulino Civitatis Nolanæ Præſule conſuetudinaliter perſonante, viſus es a Venerabibilibus Epiſcopis, divino quodam inſtinctu commotus, requirere, cur tantus Pontifex, qui multorum Sanctorum vitas texuerat, geſtis propriis in propria dumtaxat Eccleſia caruiſſet.* Hinc etiam patet, tractatus Patrum defectu propriarum Lectionum in eadem Eccleſia receptos fuiſſe, quorum delectus erat in arbitrio Epiſcopi. tempore Gregorii Magni, ut conſtat ex *libr.* 10. *Epiſtol.* 22. ad Joannem Subdiaconum Ravennatem, in qua non probat, quod Marianus ejuſdem Urbis Epiſcopus Commenta Beati Job, publice ad vigilias legi præcepiſſet his verbis: *Illud, quod ad me quorumdam relatione perlatum eſt, quia Reverendiſſimus Frater, & Coepiſcopus meus Marianus legi Commenta Beati Job publice ad vigilias facit, non grato ſuſcepi; quia non eſt illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis, quam provectum generat. Sed dic ei, ut Commenta Pſalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes Sæcularium ad bonos mores præcipue informant. Neque enim volo dum in hac carne ſum, ſi quæ dixiſſe me contigit, ea facile omnibus innoteſcere.* Ita Pontifex Maximus ſapientiſſimus, ſed modeſtiſſimus. Ex hac Sancti Gregorii Epiſtola colligitur nondum in Eccleſia ordinata fuiſſe Lectionaria, ut vocant ex Sanctorum Patrum Sermonibus, & Homiliis compilata; ſed in arbitrio Epiſcoporum, & Prælatorum fuiſſe aſſignare libros, unde excerperentur Lectiones. Primus id feliciter aggreſſus eſſe videtur Carolus Magnus Imperator, qui per manum Pauli Diaconi Caſſinenſis duo volumina ex Sanctorum Patrum Homiliis, & Sermonibus per anni circulum legenda confecit prænotata hoc titulo -- Opus præclarum omnium Homiliarum, & poſtillarum Venerabilium, ac egregiorum Doctorum Gregorii, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Bedæ, Erici, Leonis, Maximi, Joannis Epiſcopi, atque Origenis integraliter de tempore, & de Sanctis per totius anni circulum, cum quibuſdam eorum ſparſim interpoſitis Sermonibus hinc inde ſuis locis collectis, coaptis temporibus in partem hyemalem, ac æſtivam diviſum -- Quod quidem opus ab Alcuino adornatum Paulus Diaconus juſſu Caroli Magni elimavit. Extat ea de re Epiſtola Caroli Magni Religioſis Lectoribus ſuæ ditioni ſubjectis directa, quam Edmundus Martene aſſerit in ſuo Commentario ad *caput* 9. Regulæ Sancti Benedicti vulgatam fuiſſe a Mabillonio in *tom.* 1. *Annal. Benedict.* Sed eamdem Epiſtolam Caroli Magni multo tempore ante Mabillonium publici juris fecerat Laurentius Surius Carthuſianus anno 1576. eamque præfixit operi ab eodem prænotato hoc titulo -- Homiliæ, ſive Conciones præſtantiſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum ab Albino Flacco, ſeu Alcuino juſſu Caroli Magni primum acri judicio collectæ, & ſubinde ab aliis non parum auctæ. Quibus acceſſere in totius æque anni Epiſtolas Conciones exegeticæ -- In qua quidem opere laudatus Surius recognovit jam antiquam collectionem Alcuini, & a pluribus mendis vindicavit, & aliquot locis adauxit. In prælaudata autem Epiſtola Caroli Magni ab eodem Surio evulgata hæc præciſe verba leguntur -- Denique quia ad Nocturnale Officium copulatas quorumdam caſſo labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus Lectiones, quippe quæ & ſine Auctorum ſuorum vocabulis eſſent poſitæ, & infinitis vitiorum anfractibus ſcaterent: non ſumus paſſi noſtris in diebus in Divinis Lectionibus inter Sacra Officia, inconſonanter perſtrepere &c.

De Paſſionibus vero SS. Martyrum legendis publice in Eccleſia antiquior fuit uſus. Hujus rei præclarum perhibet teſtimonium S. Auguſtinus in Semon. 2. de S. Stephano, ubi ſic loquitur: *Cum aliorum Martyrum vix geſta inveniamus, quæ in Solemnitatibus eorum recitare poſſimus, hujus paſſio in Canonico libro eſt*: Et in Concilio Carthaginenſi tertio ſub finem Sæculi IV. celebrato permiſſum fuerat legi paſſiones Martyrum in eorumdem Anniverſario, ſive die Feſto. Trullana vero Synodus *Can.* 63. falſa Martyrum, aliorumque Sanctorum Acta legi vetat; ſed ex hac prohibitione, colligi poteſt genuinas Martyrum hiſtorias ſolitas fuiſſe legi. In Regula etiam S. Cæſarii ad Virgines apud Bollandum Januarii 12. *num.* 69. decernitur, ut -- *Quando Feſtivitates Martyrum celebrantur, prima Miſſa de Evangeliis legatur*, (nomine Miſſæ non ſolum Cæſarius, ſed etiam Aurelianus in ſuis Regulis, ut notat Mabillon in *diſquiſit. de Curſu Gallicano num.* 34. Lectiones intelligunt) *reliquæ de paſſionibus Martyrum* -- Idem habetur in Regula S. Aureliani, & in Ordine pſallendi, & in Regula Ferreoli *c.* 18. Unde gravis erroris poſtulatur Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, qui in Opuſculo *De veteri ritu canendi Pſalmos, & de correctione Antiphonarii*, nihil Divinis in Officiis audiri debere propugnat, niſi Sacram Scripturam, ne, inquit, ignem alienum offeramus Deo. Agobardo occaſionem errandi præbere potuit Concilii Laodiceni *Can.* 59. quo prohibetur legi alios, quam Sacros Canonicos libros, quos ſingillatim recenſet. Hæc, & alia, quæ adduci poſſent teſtimonia comprobant antiquum morem legendi in Officio Sanctorum Martyrum Acta. Verum in Ro-

mana Eccleſiæ, ut veteri Ordine Romano Sangallenſi a Cardinali Thomaſio edito; & ſupra a nobis citato habetur: *Paſſiones Sanctorum, vel geſta ipſorum, uſque ad Hadriani tempora, tantummodo ibi legebantur, ubi Eccleſia ipſius Sancti, vel Titulus erat. Ipſe vero* (nempe Hadrianus) *a tempore ſuo recitari juſſit, & in Eccleſia S. Petri legendos eſſe conſtituit.* Ita præfatus Ordo *pag.* 405.

Prætereundum non eſt, quod Martyrum Actorum Lectio ad Miſſam fiebat ante Epiſtolam, & Evangelium, & hinc eſt, quod eadem Acta quibuſdam Miſſalibus, & Sacramentariis inſerta fuerunt. Mos iſte ſervatus fuit in Gallia ad IX. uſque Sæculum, in Hiſpania vero ultra X. ut ex Liturgia Gallicana eruitur. Eadem Acta ſub Miſſæ medium explicabantur ab Epiſcopo, & hinc originem ſuam traxerunt Homiliæ, ſive Sermones, quos Patres in Martyrum laudem pronunciabant. Lectiones iſtas Martyrum Romana Eccleſia ſuo Miſſali inſeri nunquam permiſit, ut videre eſt ex Codicibus Sacramentorum, ſeu Miſſalibus Gelaſiano, & Gregoriano, quæ tamen in ipſis Præfationibus, Martyrum, eorumque tormentorum genera paucis verbis meminerunt, ſed ita caute, ut falſitatis nota inuri non poſſent. Ex quo autem in Liturgia Romana Martyrum Acta non legerentur, inferri legitime poteſt, quod quando in Ordinibus Romanis præſcribitur eorumdem Actorum Lectio, intelligi debet de Lectionibus in Officio faciendis, vel eoſdem Ordines ad alias Eccleſias pertinere.

Nicolaus de Clemangis relatus a Grancolas *loc. ſupracit.* in Tractatu de Feſtorum imminutione improbat uſum invectum in pleriſque Eccleſiis nulla fere recitandi Officia de tempore, cum ex hoc ortus fuerit abuſus vix amplius Divinam Scripturam in Officio legendi, ſed tantum Sanctorum hiſtorias, itaut alicubi nihil fere aliud ad primum, & ſecundum Nocturnum legeretur, atque aliquoties omnes novem ipſæ Lectiones, e vita Sancti, cujus Officium celebrabatur, petitæ eſſent imo duodecim etiam Lectiones de vita & tranſitu S. Benedicti in Nocturnis ejus Feſti legebantur a Monachis ejuſdem Alumnis, ut habetur in conſuetudinibus Dionyſianis Codici Colbertini relati a Martene *lib.* 4. *de antiq. Monach. Rit. c.* 4. *n.* 9. Ab iiſdem Dionyſianis legebantur pariter duodecim Lectiones de paſſione S. Hippolyti in ejus Feſto, ut teſtatur idem Martene eodem *l.* 4. *c.* 7. *nu.* 18. Rurſus in ordine Tulleoſi ad Nocturnos in Feſto S. Martini duodecim erant Lectiones de vita ejuſdem Sancti, ut idem Martene refert eodem *l.* 4. *c.* 9. *n.* 14. & in Officio S. Franciſci apud Minores erant novem Lectiones ex legenda S. Bonaventuræ per totam Octavam, quæ methodus circa Lectiones novem de vita alicujus Sancti paſſim in eorum antiquis Breviarijs tenebatur. Verum hæc diſciplina penitus abrogata eſt, cum in omnibus Eccleſiis, nonniſi tres habeantur Lectiones in Nocturnis, erutæ ex vita illius Sancti, cujus Feſtum recolitur.

X. Gav. eod. n. 16. -- *Eæ fuerunt a Card. Bellarmino, & Baronio recognitæ &c.*) Narrat Gavantus teſtis oculatus, ſecundas Lectiones ex Hiſtoriis Sanctorum, quas nunc habemus, recognitas fuiſſe a Card. Bellarmino, & Baronio, qui rejecerunt ea omnia, quæ jure merito in dubium revocari poterant. Hæc tamen Gavanti aſſertio Jacobo Laderchio Annalium Baronii continuatori non placet, & Gavantum audet perſtrigere in opere, cui titulus *Acta Ss. Martyrum vindicata ab Odoacre Ilbachio*. Ita in prædicto ſuo opere hoc aliud larvatum, & inſolitum Laderchius nomen aſſumpſit, forſan, ut pueris metum incuteret. Ejus cenſura non ſatis videtur æqua: quamvis enim verum ſit, non omnia a Breviario expuncta fuiſſe, quæ Viri illi doctiſſimi expungenda putaverant, verum tamen ſemper eſt ſecundas Lectiones hiſtoricas Sanctorum, quorum geſta referuntur, & quæ modo in Breviario habentur, ab illis recognitas fuiſſe, & rejecta, quæ jure merito revocari poterant in dubium. Immo ipſemet Gavantus fatetur, quod aliqua, quæ controverſa erant, utpote alicujus gravis Auctoris teſtimonio fulfulta, cum aliquam haberent probabilitatem, adeo rejecta non fuerunt, ſed retenta eo modo, quo erant, falſitatis ſiquidem argui non poſſunt, quamvis fortaſſe oppoſita ſententia ſit a pluribus recepta.

XI. Gav. n. 17. -- *Pro tertio Nocturno Evangelium cum ſua Homilia legitur &c.*) Priſcis temporibus, ut ſupra diximus, ad tertium Nocturnum Lectiones ex novo quidem Teſtamento deſumptæ legebantur, ſicut etiam uſque modo leguntur tribus diebus ante Paſcha, non vero legebatur Evangelium, quia hoc Miſſæ Lectioni deſtinatum erat. Verum poſtea tertii Nocturni ordo mutatus fuit, & inſtitutus Ritus legendi Evangelii diei currentis initium tantum ad nimiam Officii longitudinem evitandam, & deinde Homiliam, ſive cujuſdam Patris ejuſdem Evangelii explanationem, ut quemadmodum pro Lectione ſecundi nocturni, explicatio alicujus Patris, Lectionis in primo Nocturno dictæ, atque ex veteri Teſtamento depromptæ, legebatur; ita etiam tertii Nocturni Lectiones explicationem quamdam Evangelii, ab aliquo Patre tradita, complecterentur. Cenſet Grancolas *lib. ſuprac. c.* 32. hunc morem originem ſuam trahere ex Regula S. Benedicti. Verum S. Benedictus id tantum præſcribis *c.* 11. ut Abbas dicto Hymno *Te Deum laudamus legat Lectionem de Evangelio*, nulla facta Homiliæ legendæ mentione. Præfatus Ritus nonniſi Sæculo VII. in Eccleſia invectus fuiſſe videtur; idque deducit ex Codice Homiliarum, quas juſſu Caroli Magni Paulus Diaconus, ut ſupra diximus, limavit: in epiſtola enim ejuſdem Caroli ſupponitur hunc Ritum jam antea introductum fuiſſe, legendi Homilias in Divino Officio, nimirum explanationes Evangeliorum.

XII. Gav. n. 19. -- *Ut legas titulum Libri, ſeu Evangelii.*) Juxta recentem Ritum a Lectore ſemper legitur titulus Libri, ſeu Evangelii etc. Antiquitus tamen poſtquam Libri inſcriptio ſemel lecta fuerat, ſequentibus diebus, durante ejuſdem Libri Lectione, minime repetebatur inſcriptio, ſeu titulus Libri; hinc ſine inſcriptione leguntur Lectiones Iſaiæ ad primum Nocturnum Natalis Domini; Capita item ſine titulo leguntur, quia olim erant continuatio illorum, quæ ad Matutinum recitata fuerant; vel quod ex Epiſtola Miſſæ excerpta ſint, quæ nunquam ſine inſcriptione legitur.

XIII. Gav. n. 20. -- *In fine Lectionis dicitur: Tu autem Domine miſerere nobis &c.*) Olim valde prolixæ erant Lectiones, quæ recitabantur in Nocturnis; Aureliani ſiquidem Regula præſcribit, ut tres, vel quatuor paginæ legantur pro Scripturæ modo; S. Cæſarius vero ait, tres paginas ad ſingulas Lectiones legendas eſſe; Udalricus in Conſuetudinibus Cluniacenſibus refert librum Geneſeos ſeptuageſimæ hebdomada perlectum fuiſſe, Iſaiam ſex ante Adventum noctibus, Epiſtolam ad Romanos duabus; unde libri cujuſque Lectio donec abſolutus eſſet perdurabat, & ideo integra legabatur Sac. Scriptura in Curſu Officii Divini. Quoniam igitur prolixæ ita erant Sacræ Lectiones, pertinebat ad eum, qui Choro præſidebat, jubere, ut Lectio ceſſaret, dicendo *Tu autem*, reſpondente Lectore *Domine miſerere nobis*. Chorus autem dicebat *Deo gratias*. Monachus S. Galli in vita Caroli Magni ait, Imperatorem illum, ſignum Lectori, ut ceſſaret, dediſſe ſibilo quodam linguæ. Nunc autem quia in noſtro Curſu præſcriptæ ſunt breviores Lectiones, & illarum quantitas legenda, diſponitur pariter, quod Lector terminata Lectione dicat *Tu autem Domine miſerere nobis*, cui ſuccinit Chorus dicens: *Deo gratias*.

Huc ſpectaret diſquiſitio 43. quam in Opuſculo ſecundo *de Div. Offic. & Choro* inſtituit eruditiſſimus noſter Franciſcus Maria Maggius, nimirum an in Officio Nocturno quoties a Lectore *Tu autem Domine, &c.* dicitur, toties, etiamſi SS. Sacramentum e Choro abſit, ſit genuflectendum? ſed quia de hac re differendi occaſio occurrit etiam ſupra in Obſervationibus noſtris ad præcedens Caput Gavanti ſub *n.* 4. idcirco ad ea, quæ ibi diximus Lectorem remittimus, addimus tamen, quod etiam juxta Cæremoniale Papale *l.* 2. *c.* 11. præſcribitur genuflexio facienda ab iis, qui non ſunt Cardinales, ad differentiam eorumdem, finita Lectione cum dicunt *Tu autem Domine &c.* & tamen ſupponitur non adeſſe Sacramentum in Sacello Pontificio. Juvat tamen ſcire, quod unus in medio præfati Sacelli unicam tantum Lectionem cantat, non vero tres; & quia debet diſcedere, ideo ſi eſt Cardinalis, inclinat tantum profunde, ſi vero tali dignitate non eſt inſignitus, genuflectit. Rupertus *l.* 3. *c.* 13. & ex eo Macrius in ſuo Hierolexico v. *Lectio* addens ibidem: *Et ideo flexis genibus talia verba, nempe* Tu autem Domine *dicuntur*. Immo Donatus Ramerius *lib.* 2. *c.* 8. in Rituali Patrum Cœleſtinorum præſcribit, *ut Lectione expleta, genuflectat* (Lector) *Altare verſus, ſtatimque ad Abbatem converſus, in terram ſe proſternens, omnino veniam de more petat: & facto ab ipſo Præſidente ſigno, mox ſurgat.* Prædicta omnia confirmantur auctoritate Card. Bona, qui *c.* 16. *de Divina Pſalmodia n.* 7. ait: *Quia ipſum legendi munus ſine aliqua culpa peragi nequit. Si recte legit, animum tentat elatio; ſi male, vana ſequitur confuſio. Semper ideo miſericordia Dei indiget qui legit, ne opus per ſe bonum, vel ſuperbiæ contaminet vitium, vel damnabilis verecundiæ pudor inficiat.* En igitur ratio, ob quam a Cæremonialibus, & a Rubriciſtis præſcribitur antedicta genuflexio. Unde tota quæſtio præcipua, quæ agitur inter auctores, in hoc ſita videtur, utrum Lector in ultima tantum Lectione ex tribus, quas legit, vel in qualibet ex dictis Lectionibus debeat genuflectere ad illa verba *Tu autem Domine &c.* Franciſcus Maggius ſupracitatus, ut dixi, cenſet hac in re nuſtrates ſequi debere diſpoſitionem Cæremonialis a Caſtaldo concinnati, non vero Ritum, quem idem Auctor in ſua Praxi tradidit, quia prima illa diſpoſitio eſt magis conformis Ritui Romano, & eſt juxta mentem clariſſimorum Auctorum, & multorum Cæremonialium. Et equidem in Cæremoniali Canonicorum Regularium *c.* 8. habetur: *genuflectat ſemper Lector quando poſt Lectiones dicit*: Tu autem Domine &c. Zacharias Boverius in Cæremoniali Cappuccinorum *l.* 1. *c.* 16. ait: *Cum in fine Lectionum pronunciatur*: Tu autem Domine &c. & in die Paraſceve quoties ante Crucem fit tranſitus, toties genuflexiones iterentur. Idem præſcribitur in Cæremoniali Auguſtinenſium Diſcalceatorum *l.* 2. *c.* 5. §. *ultim.* Eamdem ſententiam amplectuntur Arnaudus in Epitome *part.* 3. *tit.* 2. *num.* 7. Corſetus *tract.* 1. *cap.* 19. *n.* 2. & Bauldry *part.* 2. *cap.* 15. *num.* 3. ubi ait: *Genuflectendum a Lectore in fine Lectionis dicente*:

Tu

*Tu autem Domine miſerere nobis ad quaſcumque Lectiones, excepto Celebrante parato*, præſertim vero Gavantus infra *Sect. X. cap. 2. num. 8.* ſed nos libentius iterum adhæremus illis, quos primo loco adduximus, & qui unicam tantum genuflexionem in ultima Lectione faciendam eſſe, docent. Cæterum allegatus Maggius *loc. cit. num. 256.* adſtruit, quod Superior, aut Abbas, aut Præpoſitus ſufficit, quod ad illa verba *Tu autem Domine &c.* caput verſus Altare profunde ſolum inclinet, & id deducit ex citato Cæremoniali Epiſcoporum. Expreſſe autem id præſcribunt Camalduleoſes, Clerici Regulares Minores, & alii in Cæremonialibus ſuis. Cum tamen adeſt SS. Sacramentum in Altari, quilibet, nemine excepto, antequam a legili diſcedat, debet genuflectere, & tunc ob reverentiam SS. Sacramenti, quod ſi abeſſet, ſufficeret profunda inclinatio Altari facta a prædictis Abbatibus, Superioribus, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, non vero a reliquis inferioribus.

XIV. Gav. n. 21. -- *Denique ad Lectiones ſedetur &c.*) Mos iſte aſſidendi ad Lectiones eſt antiquiſſimus, & quia valde longæ erant, & ut majori cum attentione audirentur. Ita S. Cæſarius *ſerm. 300.* qui reperitur in appendice operum S. Auguſtini, ait: *Quando aut paſſiones prolixæ, aut certæ aliquæ Lectiones longiores leguntur, qui ſtare non poſſunt, humiliter, & cum ſilentio ſedentes, attentis auribus audiant quæ leguntur.* Et S. Petrus Damianus *opuſc. 33. Prohibendum eſt* (ait) *non modo Clericis, ſed etiam Laicis, ut niſi, ſicuti mos eſt, inter Nocturni Officii Lectiones, nemo ſedeat.* In Regula vero Sancti Benedicti *c. 9.* expreſſe præſcribitur: *ſedentibus omnibus in ſcamnis legantur a Fratribus Lectiones.* Ex quibus verbis intulit ſatis appoſite Menardus Monachus Benedictinus inter pſallendum, juxta inſtitutum ſuum, eſſe ſtandum: qui enim jubentur ſedere, ait ipſe, dum leguntur Lectiones, prius ſtetiſſe pſallendo neceſſe eſt; de quo Ritu pſallendi ſtando, & non ſedendo nos ſupra alia tradidimus. Juxta Regulam vero S. Cæſarii *n. 20.* non ſolum audientibus, ſed Lectori ipſi, propter longitudinem Lectionum ſedere licebat: *legat Frater folia tria, & oret; legat alia tria, & levet ſe*, & idem præſcribitur in Regula S. Aureliani *n. 53. quantum Abbati viſum fuerit, tantum legatur: quando ſignum facit, qui legit ſine mora conſurgat.* Juxta eamdem S. Aureliani Regulam *n. 29.* qui Officiis aderant dum Lectiones legebantur, ne obdormiſcerent opus aliquod faciebant: *ad Vigilias dum Lectio legitur, aut de Sparto, aut de Cannabe, aut aliud hujuſmodi manibus operamini, ut non ſomnus obrepat, ſi vero Dominicus, aut Feſti ſunt dies, cui ſomnus venerit, aliis ſedentibus, jubeatur ſtare, ut poſſit a ſe ſomni marcorem repellere; ne in opere Dei, aut tepidus inveniatur, aut negligens.* Denique juxta eamdem Aureliani Regulam *n. 54. Omni Dominica poſt Nocturnos cum prima Miſſa, nempe Lectio legitur, ideſt reſurrectio, nullus ſedere præſumat, ſed omnes ſtent. Alia Dominica, alia reſurrectio, & ſic in ordine tota quatuor reſurrectiones per ſingulas Dominicas legantur.* Juxta noſtrum Ritum omnes ſtare debent, quando legitur textus Evangelii ab Hebdomadario, ſive ab alio, ante Homiliam. Ad Lectiones quoque in Officio parvo B. V. in Adventu Laudibus ſtatur, ut docet Gavantus infra *Sect. X. c. 1. n. 3.*

Supereſt pro coronide hujus capitis, & harum Additionum, ut aliqua mentio fiat de Decretis datis in noſtro Indice *ſub numeris* 39. & 43. in quibus ſancitum eſt, quod Lectiones duæ penultimæ, quando ab Epiſcopo Matutinum ſolemniter celebratur, ſunt cantandæ a duobus Canonicis, qui tunc inde aſſiſtunt Epiſcopo, ſive ſint Dignitates, ſive Canonici etiam ultimi non obſtante alia conſuetudine -- Et quod Lectiones, & Lamentationes deficientibus Cantoribus cantandæ ſunt a Canonicis incipiendo a Junioribus. Videnda ſunt etiam Decreta data in noſtro Indice *ſub numeris* 182. 202. 203. 204. 235. 283. 396. 299. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 307. 308. 309. 320. ad hanc materiam Lectionum legendarum in Matutinis ſpectantia.

## De Reſponſoriis poſt Lectiones. XXVII.

### R U B R I C A.

1. R*Eſponſoria dicuntur ad Matutinum poſt Lectiones: id eſt, poſt quamlibet Lectionem dicitur unum Reſponſorium, ut infra.*

2. *In Feſtis novem Lectionum (præterquam in Feſto Sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica,) & in Dominica ab Octava Paſchæ incluſive uſque ad Adventum excluſive, & a Dominica infra Octavam Nativitatis incluſive uſque ad Septuageſimam excluſive, dicuntur octo tantum Reſponſoria. Et in fine tertii, & ſexti, & octavi, dicitur Gloria Patri, cum repetitione partis Reſponſorii; quod regulare eſt in fine ultimi Reſponſorii cujuslibet Nocturni tam in Officio novem, quam trium Lectionum, excepto tempore Paſſionis, quo tempore loco Gloria Patri, repetitur Reſponſorium a principio; excepto etiam Officio Defunctorum, cujus loco dicitur Requiem æternam, &c. Qui verſus Gloria Patri, quibuſdam diebus dicitur in primo Reſponſorio, ut in propriis locis annotatur. Poſt nonam Lectionem, prædictis diebus quando octo tantum dicuntur Reſponſoria, immediate dicitur Hymnus: Te Deum.*

3. *In Dominicis Adventus, & in Dominicis a Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum incluſive, & in triduo ante Paſcha dicuntur novem Reſponſoria, quia tunc non dicitur Te Deum.*

4. *In Officio autem trium Lectionum, quando fit de Feſto, & in Feriis temporis Paſchalis, quod eſt inter Dominicam in Albis & Aſcenſionem, (excepta Feria ſecunda Rogationum, in qua ponitur tertium Reſponſorium) dicuntur duo Reſponſoria, quia poſt tertiam Lectionem dicitur, Te Deum: Quæ Reſponſoria in Feſtis ſumuntur de Communi Sanctorum & in dictis Feriis temporis Paſchalis, quando alia propria non aſſignantur, ſumuntur de Dominica, in qua primo ſunt poſita, hoc ordine: Secunda & quinta Feria, primum & ſecundum Reſponſorium primi Nocturni: Feria tertia, & ſexta primum & ſecundum Reſponſorium ſecundi Nocturni: Feria quarta, primum, & ſecundum Reſponſorium tertii Nocturni.*

5. *In aliis Feriis extra tempus Paſchale dicuntur tria Reſponſoria (quia in illis non dicitur Te Deum,) hoc ordine. Feria ſecunda & quinta tria Reſponſoria primi Nocturni: Feria tertia & ſexta tria Reſponſoria ſecundi Nocturni: Feria quarta & Sabbato, quando in eo fit de Feria, tria Reſponſoria tertii Nocturni Dominicæ præcedentis, in qua primo ſunt poſita. Verum quia in tertio Nocturno Dominicarum, a tertia poſt Pentecoſten incluſive uſque ad Adventum excluſive, non habetur niſi unum Reſponſorium dicendum infra Hebdomadam, quod eſt ſeptimum in Dominica, propterea quod Reſponſorium, Duo Seraphim, non dicitur niſi in prædictis Dominicis; ideo Feria quarta & Sabbato, quando Reſponſoria ſumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Reſponſorium erit quod eſt ſeptimæ Dominicæ: ſecundo & tertio loco dicitur ſecunda & tertia ſequentis Feriæ; id eſt, poſt ſecundam & tertiam Lectionem dicitur ſecundum & tertium Reſponſorium, quod eſt ſecundum & tertium ſecundæ ſequentis Feriæ, ſi propria Reſponſoria habuerit; alioquin ſi non habuerit propria, dicitur ſecundum & tertium Reſponſorium primi Nocturni ejuſdem Dominicæ. Ab Octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam habentur Reſponſoria propria in ſingulis Feriis, excepto Sabbato, in quo, quando fit de Feria, dicuntur Reſponſoria Feriæ quartæ.*

6. *Sumuntur autem Reſponſoria ex eo loco, ubi primo ſunt poſita in principio menſis, vel libri, & repetuntur in aliis ſequentibus Dominicis illius menſis, in quibus alia non aſſignantur, vel donec de illo libro legitur, unde ſumpta ſunt Reſponſoria. Quæ autem in prima Hebdomada menſis poſita ſunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eiſdem Feriis per ſequentes Hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi vero non adſunt propria, ſemper ex Nocturnis Dominicæ ſumuntur dicto ordine.*

7. *Si Reſponſoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primo ponuntur, propter Feſtum Duplex in ea occurrens, in ipſa Dominica poni non poſſint, ponantur prima die ejus Hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, & omittantur alia, quæ forte in illa Feria propria haberentur. Si vero in tota Hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de Feria, illa Reſponſoria ponantur in ſequenti Hebdomada vel Dominica ſimiliter non impedita, & dummodo in ea alia Reſponſoria non ſint primo ponenda; alioquin eo anno omittantur. Reſponſoria etiam, quæ in aliquibus Feriis per Hebdomadam habentur, ſi eo die, quo poſita ſunt, non poſſunt dici propter Feſtum occurrens, non ſunt transferenda in aliam diem, ſed omittuntur.*

8. *Tempore Paſchali in fine Reſponſorii ante Verſum additur Alleluja.*

## De Reſponſoriis. Cap. XIII.

### G A V A N T U S.

1. R*Eſponſorium* poſt Lectiones appellatur Hiſtoria a Microl. *cap. 32.* & Radulph. *propoſit. 12.* qua voce Rubricæ noſtræ non carent, Rubr. *De Dominicis n. 7.* quia proſequitur Hiſtoriam Sacræ Scripturæ in præcedenti Lectione lectam, ait Turrecremat. *ad Regul. S. Benedicti tract. 66.* & ſecundum ordinem Hiſtoriæ ordinata ſunt Reſponſoria, inquit Amalar. *in Ordine Antiphonar. cap. 37. & 39.* Reſponſorium autem a reſpondendo deducit Rupert. 1. *de Offic. cap. 15.* quia, inquit, reſpondet Lectionibus, triſtia triſtibus, læta lætis, ſuccinente Choro. Vel quia a capite repetitur; Alcuin. *cap. de celebr. Miſſæ.* Vel quia, uno canente, Chorus

nando reſpondet, ante, unus; nunc duo, vel plures, Choro reſpondente, ait Iſidor. 1. *de Offic. cap.* 8.

2. Itali primum inventores fuerunt Reſponſoriorum, Iſidor. *loc. cit.* S. Hilarius videtur meminiſſe *ad Pſalm.* 65. inter divinorum, ait, Sacramentorum Officia reſponſionem devotæ confeſſionis accipiat

3. Additum eſt, *Gloria Patri*, a modernis Apoſtolicis, ex Amalar. *de Ordin. Antiph. c.* 1. & dicebatur integre cum Verſ. *Sicut erat:* quod nunc non dicitur, neque dicebatur tempore Radulphi, ut ipſe teſtatur *propoſitione* 12. quod præcepiſſe Concil. Tolet. 4. *Canone* 15. certum eſt, ea lege ut in lætis tantum ſequatur, *Gloria Patri*, in triſtioribus repetatur initium Reſponſorii, quod obſervatur in Dominica de Paſſione & ſequentibus feriis.

4. Significat autem Reſponſorium, quod exoptat nos Eccleſia, non tantum auditores verbi Dei in Lectione, ſed etiam factores poſt Lectionem. Amalar. *de ordin. Antiph. c.* 4. & novem Reſponſoria nos conjungunt gaudiis novem Ordinum Angelicorum. Idem *lib.* 4. *c.* 9. Item ſignificat aſſenſum auditorum. Hugo *in Spec. cap.* 7. eſt item ſpirituale Canticum ad ſublevandos animos inter legendum; Amalar. *lib.* 4. *c.* 3. Et etiam Gratiarum actio de beneficio collato intra illam horam, cui cum Nocturno, ſeu Hora Canonica correſpondet Reſponſorium. Duran. *lib.* 4. *c.* 19. Et quia laus Dei repeti debet, ideo repetitur Reſponſorium, & in fine additur, *Gloria Patri*, ut de omnibus donis, ac datis laudemus Creatorem. Amalar. *de ord. Antiph. cap.* 1. Tertio potiſſimum Reſponſorio annectitur, *Gloria Patri*, quia Trinitati omne tempus præteritum, præſens, & futurum ſubjicitur, Radulphus *prop.* 12.

5. Qui inchoat Reſponſorium, idem & verſum recitat, ait Ordo Rom. cæteri repetunt, ut id ipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis Schiſmata. Rupert. *loc. cit.* Repetitio eſt imperfecta, hoc eſt, partis tantum Reſponſorii, ut fateamur, opera noſtra eſſe imperfecta, Durand. *lib.* 5. *c.* 2. In aliquibus Feſtis eſt perfecta a capite, ut in primo Reſponſorio Natalis Domini, Paſchatis, & prima Dominica Adventus: Ad denotandam plenam notitiam, & perfectionem Sanctorum. Idem *ibid.* Repetitio, poſt *Gloria Patri*, debet eſſe brevior, quam poſt Verſum, Radulph. *propoſ.* 12. quod apud nos non raro fit, ut dimidiata repetatur periodus, quæ eſt ante verſum a Choro, quia in gratiarum actione ad Deum impares, & diminuti ſumus, ait Radulph. *ib.*

6. Quando dicitur, *Te Deum* Romani omittunt nonum Reſponſorium, & octavo addunt, *Gloria Patri*; Radulph. *propoſition.* 15. quod octavum Reſponſorium in Dominicis per Annum eſt de Trinitate: *Duo Seraphim*, &c. quia ex Durand. *lib.* 5. *c.* 2. antiquitus Lectio nona ſemper erat de Trinitate, cui reſpondebat nonum Reſponſorium de eadem. Ceſſavit Lectio, translatum eſt Reſponſorium in octavum locum, & ſucceſſit, *Te Deum*, in laudem Trinitatis, vice Lectionis de eadem.

7. In Feriis, ſeu Feſtis trium Lectionum ſumuntur Reſponſoria e Nocturnis Dominicæ ſeu Communi Sanctorum eodem ordine, & proportione, qua diximus de Abſolutionibus, & Benedictionibus, *ſup. cap.* 11. *n.* 6. & quando deſunt in tertio Nocturno Dominicæ, tunc, in Feria quarta, Sabbato ſuppletur cum proximioribus Reſponſoriis, ſecundo, & tertio Feriæ ſecundæ: neque alia eſt cauſa, quam neceſſitas cum vicinitate conjuncta.

8. Reſponſoria primo ponenda in Dominica, ſi hæc impediatur a Feſto Duplici, ponenda ſunt in prima Feria ſequenti, tamquam Hiſtoriæ principium antequam dicantur alia Reſponſoria; eadem ratione qua initium libri legendum eſt ante alias ejuſdem libri Lectiones, quæ vero non poſſunt dici, eo anno omittuntur. Neque viſum eſt in recognitione Clementina Breviarii convenire, ut pro recitatione primorum Reſponſoriorum fiat Officium de Feria, translato Semiduplici Feſto, vel ſuppreſſo quandoque ob hanc cauſam, Feſto ſimplici, quod alias fiebat cum admiratione populi, qui Miſſam de Sancto potius, quam de Feria optabat audire. Excipe Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam, de qua ſuo loco dicemus.

9.* Reſponſoria de Trinitate, ſi in Dominica, aut Feriis 2, & 3. poni non poſſunt, ponantur Feria 4. ſed Fer. 5. ne eadem immediate repetantur, poterunt dici Reſp. 2. Nocturn. Domin. eadem ratione, qua dicetur, de Lectionibus in Feſto Sanctorum Philippi & Jacobi in Sabbato ante Dom. 4. poſt Paſcha.

10. Tempore Paſchali additur, *Alleluja*, ante verſum, non verſui; quod aſſerit de Romana conſuetudine Rad. *propoſition. duodecima*, quia in verſu non finitur Reſponſorium: ſed in ea parte, quæ a Choro repetitur, cui tamquam termino convenit augmentum lætitiæ.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. *Reſponſorium poſt Lectiones &c.*) Poſt Lectiones dicuntur Reſponſoria. *Reſponſorium* autem quodlibet duabus conſtat partibus, priori, quæ ipſa Reſponſorium dicitur, & poſteriori, quam *Verſum* appellamus. Et ſic ambo invicem committi, & aptari decet, ut verba, in quibus deſinit Verſus cum parte Reſponſorii reſumenda quadrent appoſite, ſenſum efficiendo hærentem, ac congruum, non autem diſtortum, & a propoſito aberrantem. In quibuſdam, ut bene ponderat Guyetus *lib.* 3. *c.* 4. *quæſt.* 5. videtur id ſtudioſe ſpectatum, ut Reſponſorio de actis ſumpto, Verſus de Scriptura ſubnectatur; hac ratione Sanctus Thomas ſic Reſponſoria in Officio Corporis Chriſti concinnavit, ut Reſponſorio de veteri Teſtamento, Verſus de novo attexatur, & viciſſim, quaſi ambo Teſtamenta, duo illa ſint Seraphim clamantia unum ad alterum. Aliorum vero cum aliis vix ulla eſt connexio, niſi quod in pleriſque Officiis primum, & ultimum inſignioribus ſententiis, ſeu elogiis conſtare videntur.

II. Gav. n. 2. -- *Itali primum inventores fuerunt Reſponſoriorum &c.*) Reſponſoria, de quibus nunc eſt ſermo, nempe verba, & Verſus, qui ſæpe iterantur, ab Italis longo ante tempore fuiſſe reperta, non ſolum tradit Iſidorus a Gavanto citatus, ſed etiam Rabanus, aliique, immo & Papias in ſuo Vocabulario dicens: *Reſponſoria Itali tradiderunt antequam Græci, Antiphonas, inde dicta, quod alio canere deſinente, alter reſpondeat; & in hoc differunt ab Antiphonis, quia in Reſponſoriis unus Verſum dicit; in illis autem Antiphonarum Verſibus Chori alternant.* Antiquiſſimum eſſe ejuſmodi Reſponſoriorum uſum in Eccleſia Romana colligit noſter commendatiſſimus Thomaſius in Præfatione ad librum prænotatum: *Reſponſorialia, & Antiphonalia Romanæ Eccleſiæ*, colligit, inquam, ex priſca cautione, quam Romano Pontifici præſtare ſolebat Epiſcopus recens ordinatus; vide *tit.* 7. *libri Diurni Rom. Pontif.* cujus cautionis formulam ea tempore ſapere, quæ S. Gregorium Magnum præceſſere facile quiſque exiſtimabit, ſi Pelagii Papæ Reſcriptum cum illa contulerit, relatum *cap. Eleutherius diſt.* 91. Ex Italia antiquiſſimis temporibus Reſponſoria acceperunt Eccleſiæ Galliarum, atque Hiſpaniarum, ut ex veteribus illarum gentium Conciliis, aliiſque monumentis ſatis apparet. Hæc Thomaſius, qui procedit ad diligenter conſiderandum veterem, germanumque modum Reſponſorii modulandi; atque intercalandi tum in Miſſa, tum in Divinis Officiis; de quo Ritu infra nos quoque ſermonem habebimus, nempe in noſtris Obſervationibus ad *n.* 5. Gavanti.

III. Gav. n. 3. -- *Additum eſt Gloria Patri &c.*) De hoc Hymno glorificationis, nempe *Gloria Patri &c.* Reſponſoriis adjuncto ait Amalarius *c.* 18. *ab initio tertio cantabantur Reſponſoria a Cantoribus: quem ordinem monſtrant Reſponſoria de Paſſione Domini; non enim ab initio cum Reſponſoriis cantabatur* Gloria. Et *c.* 1. idem Auctor hæc habet: *Priſcis temporibus non cantabatur* Gloria *poſt Verſum, ſed repetebatur Reſponſorium..... a Modernis vero Apoſtolicis additus eſt Hymnus* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto *poſt Verſum*. Quod quidem additamentum ex S. Benedicti Regula mutuatum a Romanis Pontificibus rectiſſime cenſet laudatus Thomaſius: vere enim S. Patriarcha ſaltem in tertio Reſponſorio dictum Hymnum decantari voluit. Radulphus Tungrenſis in libro de obſervatione Canonum *propoſ.* 12. de eodem Hymno hæc tradit: Gloria Patri *Reſponſorium Romæ in libris antiquis requiritur integre cantatum ad notam toni; ſicuti facimus poſt Introitum. Et quia poſteris non placuit totum cantari, ideo deciſe cantatur in quolibet octo tonorum uſque; Sicut erat.* Narrat pariter Walfridus Strabo de Rebus Eccleſiæ *c.* 25. crebrius a Romanis prædictum Hymnum in Reſponſoriis uſurpatum fuiſſe, ſed & Concilium Toletanum 4. a Gavanto citatum redarguit eos, qui in Reſponſoriis non adhibeant *Gloria Patri*; & *Can.* 15. ſtatuit eſſe canendum cum hac diſcretione -- Ut in lætis ſequatur *Gloria*, in triſtioribus, repetatur principium -- Id quod eſt adhuc in uſu, unde nec dicitur in Officio Defunctorum ex Concilio Aquiſgran. *Canone* 66. nec a Dominica Paſſionis uſque ab Paſcha, quia *a tali Dominica incipit Eccleſia recitare ignominiam Paſſionis Chriſti, & Gloria Chriſti cum ignominia Paſſionis ejus dicenda non eſt congrue*. Hanc afferunt rationem conſuetudines Grandimontenſes *capit.* 15. cur tunc temporis in Reſponſoriis, Invitatoriis &c. *Gloria Patri* dimittatur. Hildemarus tamen *capit.* 14. in Regula S. Benedicti adſtruit in ſuo Monaſterio ſemper dici *Gloria* præterquam triduo ante Paſcha.

VI. Gav. n. 5. -- *Qui inchoat Reſponſorium, idem & Verſum recitat &c.*) Qui olim Reſponſorium præcinebat, unus dumtaxat erat Cantor, non duo Cantores, ut teſtatur Iſidorus *c.* 8. *de Div. Offic.* citatus ſupra a Gavanto, cujus tamen hæc verba ſunt: *Reſponſoria ab Italis longo ante tempore ſunt reperta; & vocata hoc nomine, quod uno canente, Chorus conſonando reſpondeat. Ante id ſolus quiſque agebat; nunc unus interdum, & interdum duo, vel tres communiter canunt, Choro in plurimis reſpondente.* Romæ vigebat hic Ritus etiam Sæculo IX. ut unus ſcilicet Cantor Reſponſorium cantaret, & hoc teſtatur Amalarius *de Ord. Antiphonarii cap.* 18. & alibi. Id quod ſervabatur pariter in Reſponſorio Graduali Miſſæ, ut ex eodem Amalario *lib.* 3. *de Eccleſiaſticis Officiis cap.* 11. & ex Ordine Romano in Monaſterio Sangallenſi aſſervato, & a Thomaſio edito, aliiſque, conſtat Auctoribus. Poſteriori ævo Cantores duo in Eccleſia Roma-

na

Digitized by Google

na Reſponſorium Graduale modulari cœperunt, ut in Cæremoniali Benedicti Canonici habetur.

Cantor cum primo Reſponſorium præcinebat, non excelſa ad id voce utebatur, neſciens quomodo idem finiretur Verſus celſiore forſitan nota cantandus. Verſu contra cantato, ſideoter alta voce repetebatur Reſponſorium, intercepti Verſus nota plane jam perſpecta. Hæc tradunt Amalarius *lib.* 3. *cap.* 11. & Sychardus in ſuo Mitrali MSS. de Reſponſorio Graduali Miſſæ; id quod æque, atque in Reſponſoriis cæteris locum habet. Cum autem iidem Auctores dicant Reſponſorium Graduale poſt Verſum iterum a Præcentore inchoandum, id ſane dicunt ex more tunc temporis recepto; rectius namque juxta priſcam Reſponſorii cantus rationem a toto ſimul Choro repeti debet Reſponſorium ab initio ad finem uſque; vide eumdem Amalarium *de Ord. Antiphon, cap.* 18.

Cæterum Ritus præſens canendi dicta Reſponſoria varius eſt juxta Eccleſiarum variarum conſuetudines, & diſpoſitiones: Caſlaldus in Cæremoniali noſtræ Congregationis *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 16. hæc deſcribit: Reſponſoria poſt Lectiones a toto Choro ſimul dicuntur, Verſus vero niſi ſolemniter celebretur ab eodem, qui Lectiones tam in Officio Divino, quam in Officio parvo Beatæ Virginis, & Mortuorum legendi ſunt. Quando autem ſolemniter celebratur, tunc Verſus dicuntur ab iiſdem Cantoribus, qui Pſalmos intonant. In aliquibus autem Eccleſiis mos viget, ut Reſponſorium incipiatur ab Hebdomadario, & deinde a Choro reliquum Reſponſorii dicatur, & Verſus ab eodem, qui legit Lectiones, ſi tamen non ſit Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, tunc etenim deberet dici Verſus a Cantoribus deputatis. In Exequiis vero Defunctorum etiam juxta noſtrum Cæremoniale Reſponſoria inchoantur a Cantoribus, quæ deinde Chorus proſequitur.

V. Gavant. eod. num. 5. -- *Repetitio poſt Gloria Patri debet eſſe brevior, quam poſt Verſum &c.*) Reſponſoria quandoque ſunt longiora, præſertim ea, quibus addendus eſt Verſus *Gloria Patri*. Duplex in nonnullis eſt repetitio, altera poſt Verſum incipiendo a remotiori aſteriſco, altera poſt *Gloria Patri*, & hæc fit a viciniori aſteriſco: Igitur quando duobus aſteriſcis eſt diviſum Reſponſorium, prima repetitio juxta mentem Gavanti, quam optime explicat Piſart *Direct. Canon. in reſtrx. poſt tit.* 37. *n.* 16. debet fieri a primo aſteriſco uſque ad Verſum, non vero uſque ad ſecundum aſteriſcum tantum, ſecunda vero repetitio, quæ fit poſt *Gloria Patri*, & quæ revera debet eſſe brevior, non comprehendit niſi verba, quæ habentur poſt ſecundum aſteriſcum, v. g. in Reſponſorio octavo Dominicarum intra annum poſt ℣. repetuntur hæc omnia verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Plena eſt omnis Terra gloria ejus*, & poſt *Gloria Patri* iterum repetuntur hæc verba tantum: *Plena eſt omnis Terra gloria ejus*. Cæterum vide Decreta data in noſtro Indice *ſub num.* 178. 251. & 293. quæ ſpectant ad hanc materiam.

## De Reſponſoriis brevibus Horarum, XXVIII.

### RUBRICA.

1. *R*Eſponſoria brevia dicuntur poſt Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, & ad Completorium, præterquam in triduo ante Paſcha uſque ad Nonam Sabbati in Albis incluſive, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam, & Completorium ſemper dicuntur eodem modo, ut in Pſalterio. In aliis Horis, quando fit Officium de Dominica, vel Feria per annum, dicuntur, ut habentur in Pſalterio: in Adventu autem, Quadrageſima, tempore Paſſionis, & Paſchali, ut ſuis locis habentur propria: in Feſtis ſimiliter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.*

2. *In fine Reſponſorii brevis dicitur; Gloria Patri, cum repetitione Reſponſorii, eo modo quo ordinatur ad Primam in Pſalterio, præterquam tempore Paſſionis; tunc enim non dicitur Gloria Patri, in Officio de Tempore ſed ſolum repetitur Reſponſorium breve a principio.*

3. *In Reſponſorio brevi ad Primam, loco Verſus: Qui ſedes &c. in Adventu dicitur: Qui venturus es in mundum, tam in Dominicis, & Feriis, quam in Feſtis: excepto Feſto Conceptionis B. Mariæ. In Nativitate Domini uſque ad Epiphaniam, etiam in Feſtis occurrentibus: in Feſto Corporis Chriſti, & per Octavam, & in omni Officio B. Mariæ tam novem, quam trium Lectionum, etiamſi infra ejuſdem Octavas fiat de Feſto, vel de Dominica, dicitur: Qui natus es de Maria Virgine. In Epiphania, & per Octavam, & in Feſto Transfigurationis dicitur: Qui apparuiſti hodie. A Dominica in Albis incluſive uſque ad Aſcenſionem excluſive, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis (excepto Officio Sanctæ Mariæ) ſemper dicitur: Qui ſurrexiſti a mortuis. In Aſcenſione uſque ad Pentecoſten excluſive dicitur: Qui ſcandis ſuper ſidera. In Pentecoſte, & reliquo anni tempore, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, dicitur: Qui ſedes ad dexteram Patris, ut in Pſalterio.*

4. *Reſponſoria brevia aliarum Horarum, quæ ponuntur in prima Dominica de Adventu, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Tempore; ſimiliter, quæ ponuntur in prima Dominica Quadrageſimæ, dicuntur uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive: & quæ ponuntur in Dominica Paſſionis, dicuntur uſque ad Feriam v. in Cœna Domini excluſive: item, quæ ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur uſque ad Aſcenſionem excluſive: quæ vero ponuntur in aliquo Feſto habente Octavam, dicuntur per totam Octavam, quando fit de Octava. In Officio autem B. Mariæ, tam novem, quam trium Lectionum (excepto Feſto Aſſumptionis ejuſdem) dicuntur ſemper Reſponſoria brevia de Communi Virginum.*

5. *Tempore Paſchali, a Dominica in Octava Paſchæ uſque ad Sabbatum poſt Pentecoſten incluſive, in fine Reſponſorii brevis ante primum Verſum dicuntur duo Alleluja; quæ etiam poſt dictum primum Verſum repetuntur pro parte Reſponſorii; & in fine ſecundi Verſiculi unum tantum Alleluja, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quæ eſt in Sabbato in Albis. Extra tempus Paſchale, quamvis in aliquibus Feſtis ad Tertiam, Sextam, & Nonam Reſponſoriis brevibus addantur Alleluja, non ideo adduntur ad Primam, & Completorium.*

## De Reſponſoriis brevibus Horarum, Cap. XIV.

### GAVANTUS.

1. BRevia dicuntur, tum in ſe, tum reſpectu præcedentium Lectionum breviorum, ideſt Capitulorum: Unde Raduiph. *propoſ.* 12. appellavit Reſponſoria [illegible], quæ capite præcedenti declaravimus. Eadem autem [illegible] fere dici poſſunt, quæ in præcedentibus diximus, tum de forma, tum de cauſis myſticis: Adde cum Amalar. *lib.* 4. *de Offic. cap.* 3. duo convenire Eccleſiaſtico viro: exhortationem ad fratres, quæ fit in Reſponſorio brevi, & ſingularem ad Deum deprecationem, cum intentione recta in gloriam Dei: quæ attenduntur in verſu Reſponſorii; & addito Verſu *Gloria Patri*.

2. Omittitur *Gloria Patri*, in tempore de Paſſione, reſumiturque initium Reſponſorii, ob cauſam in præcedenti capite allatam, *num.* 3. ex Concil. Tolet. 4. * Non omittitur in Officio novem Lectionum, ita ut, ſi in Dominica Paſſionis Commemoratio fiat in ſecundis Veſperis de aliquo Feſto Semiduplici, in Completorio dicendus erat Verſ. *Gloria Patri*, quia Feſtum eſt jam inchoatum, ea ratione, quam attulimus de fine Hymnorum de Beata Virgine *ſup. tit.* 6. *n.* 15. ſed vide infra *ſect.* 6. *c.* 12. *n.* 8.

3. Ad Primam fit variatio Verſus pro varietate Feſtorum, ut in Rubrica *de iis Reſponſoriis n.* 3. quæ mutatio habet eaſdem cauſas, quas attulimus ſupra de fine Hymnorum vario in Feſtis, *cap.* 6. *n.* 12. Meminit Radulph. *prop.* 14. mutationis hujus in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, & Aſcenſione Domini. De aliis Feſtis non loquitur, quare mutatio in his poſterior eſt Radulpho. * Decrevit Joann. XXII. mutari in Feſto Corporis Chriſti, in *Decreto ſupius cit.* Concurrentibus autem duobus Verſibus propriis, altero ratione temporis, altero ratione Feſti, ut in Conceptione B. V. intra Adventum, præferri debet ratio Feſti, & ejus Octavæ, ſicut in fine Hymnorum fit: quare in Dominica infra Octavam dicemus: *Qui natus es de Maria Virgine*, ad Primam, non autem: *Qui venturus es in mundum*.

4. In Adventu accidit ad Nonam mutatio Verſus: qui in Dominicis dicitur, *Domine Deus virtutum converte nos*, & in Feriis dicitur, *Veni Domine, & noli tardare*. Reliqua ſunt eadem, ad omnes Horas. Quærunt aliqui myſterium, ſed nulla eſt alia ratio; niſi quod in feriali Officio dicuntur ſtatim Preces, in quibus dicitur Verſus *Domine Deus virtutum &c.* neque conſuevimus idem bis dicere in eadem Hora. Hinc ergo variatio illius Verſus.

5. Tempore Paſchali adduntur duo *Alleluja* ex auctoritate Romana, inquit Radulph. *prop.* 12. *& ex Regula S. Benedicti cap.* 24. quod aliis Feſtis nobilioribus conceditur, Natali Domini, Circumciſioni, Epiphaniæ, Feſto Corporis Chriſti, & Transfigurationi, * non tamen in his Feſtis adduntur ad Primam, & Completorium: & de Feſto Corporis Chriſti negat Joann. XXII. *in Decreto cit.* Additionis patet ratio, ad pleniorem lætitiam indicandam: ubi verba quaſi deſunt ob brevitatem Reſponſoriorum.

## De Capitulis. XXIX.

### RUBRICA.

1. *C*Apitula ſemper dicuntur (præterquam a Feria v. in Cœna Domini uſque ad Veſperas Sabbati in Albis excluſive, & præterquam in Officio Defunctorum) ad Veſperas, Laudes, & alias Horas, dictis Pſalmis et Antiphonis; Completorium vero, dicto etiam Hymno.*

2. *Capitula Dominicalia poſita in Pſalterio in primis & ſecundis Veſperis, in Laudibus & Horis, dicuntur a tertia Dominica poſt Pentecoſten uſque ad Adventum, & a ſecunda poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam. Capitula autem Ferialia dicuntur poſt Octavam Pentecoſtes uſque ad Adventum, & ab Octavam Epiphaniæ uſque ad Dominicam i. Quadrageſimæ. Aliis temporibus dicuntur ut in proprio de tempore; ſi fit de Sanctis, ut in proprio de Sanctis, cum propria adſunt, alioquin de Communi Sanctorum, Capitulum Primæ & Completorii (quando Capitula dicuntur) numquam mutatur, ut in Pſalterio.*

3. *In Dominicis ab adventu uſque ad Octavam Epiphaniæ, & a Septuageſima uſque ad tertiam poſt Pentecoſten, & in Feriis temporis Paſchalis; & in omnibus Feſtis regulariter Capitulum poſitum in primis Veſperis dicitur in Laudibus, ad Tertiam, & in ſecundis Veſperis, quibuſdam exceptis, quæ ſuis locis aſſignantur.*

4. *In Feriis tempore Paſchali ad Primam dicitur Capitulum: Regi ſæculorum; ſicut in Dominicis & Feſtis. Poſt Capitulum ſemper reſpondetur: Deo gratias.*

## De Capitulis, Cap. XV.

## G A V A N T U S.

1. CApitula, Lectiunculæ, Lectiones breves, parvulæ, Verſiculi parvi, Collationes, ſunt idem apud Radulph. *prop.* 13. & 14. Capitella vocat Hugo *lib.* 2. *cap.* 1. quia, inquit, capita ſunt & principia variationis ad Horas; cum præcedentia ſint ſemper eadem. Capitula quoque dicuntur, quia ut plurimum in Feſtis ſumuntur de capitibus Epiſtolarum, quæ leguntur in Miſſa. Durand. *lib.* 5. *cap.* 2.

2. Ambroſius fuit Auctor Capitulorum ad Tertiam, Sextam, & Nonam: Deinde Concil. Agathenſe, *can.* 21. *diſt.* 5. *de conſecr. c. convenit*, juſſit ea dici poſt pſalmodiam: ubi & ea vocat Collectiones, non Colationes, ut male legit Gratianus, quem corrigit Suar. *lib.* 3. *de Hor. Can. capit.* 2. *num.* 19. unde etiam corrigendus erit Radulphus ſupra. Sed Beda in Eſdram ait, morem hunc inoleviſſe in Eccleſia, ab Eſdra deſumptum: cujus tempore quater in nocte, quater in die convenientes Hebræi, legentem ſacras literas audiebant. Nam a noſtris poſt ſingulas pſalmodias Horarum Canonicarum, legitur ſemper aliquid; & octies in Officio, ſi feriale eſt, ſi ſolemne, decies, propter tres Nocturnos; ſive de veteri, ſive de novo teſtamento, vel multum, vel parum: lege Hugon. *lib.* 2. *de Offic. c.* 2. Aliqui dicunt quater in nocte nos legere, idest, ad Veſperas, Completorium, Matutinum, & Laudes; quater in die; Ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam.

3. Quærit Amalar. *lib.* 4. *cap.* 3. cur ante Capitula non petitur benedictio? Reſpondet, quia ut plurimum has Lectiones legit Superior, qui Chriſti vicem gerit, vel Hebdomadarius eas legit, qui legentibus ad Matutinum, & ad Abſolutionem in fine Primæ, & ante Completorium benedictionem impertit, vicem & ipſe majoris gerens.

4. Quærit Hugo *lib.* 2. *cap.* 3. cur a majoribus leguntur hæ diurnales Lectiones breves, a minoribus Nocturnales? Reſpondet, quia diurnæ variantur, in qua varietate majores ſunt peritiores, ut eas inveniant, & opportune recitent; Nocturnales autem facilius habentur ex Invitatorio, & Pſalmis, qui juvant, inquit, ad diſtinctionem earumdem Lectionum. Facilius habentur (ego dicerem) quia Hebdomadarius peritior eas præparat, & ſignaculis diſpoſitis apte ſtatim indicat, quid ſit legendum, hoc enim munus eſt ejuſdem.

5. Quærit Durand. *loc. cit.* cur longiores ſunt Lectiones Nocturnæ, quam diurnæ? & reſpondet noctu libertius aures accommodari Lectionibus.

6. Tacetur in his Capitulis titulus, & nomen auctoris ob cauſam ſupra allatam; *cap.* 12. *num.* 19. *ex Hugone*. Et præterea ſtamus ad Capitula, non ſedemus, ſicut ad Lectiones Matutini; tum quia breves ſunt Lectiones, & minus fatigamus: tum quia, ſtante majore, qui Capitula legit, ob ejuſdem reverentiam ſtare debent alii, ut de nona Lectione ab Epiſcopo lecta in Natali Domini præſcribitur *in Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 5.

7. In fine non dicitur: *Tu autem Domine &c.* quia neque dicitur ante: *Jube Domine, &c.* quæ duo ſunt invicem correlativa; tum vero Sacerdos Hebdomadarius ea recitat, cui non convenit ordinarie benedictionem ab alio petere; & præterea in breviori Lectione facilius culpa evitatur, præſertim a perfecto viro, qualem repræſentant Hebdomadarius, qui Capitula recitat. Durand. *loc. cit.*

8. Notat Raduiph. *propoſ.* 13. Capitulum Tertiæ in Feſtis idem, ut plurimum eſſe cum Capitulo Laudum, & Veſperarum. Ratio eſſe poteſt, quia Veſperæ, Laudes, & Tertia, ſunt Horæ nobiliores, Ad Tertiam enim dicitur Miſſa de Feſto ſolemnis, & per Tertiam fit ad Miſſam aditus. Quare Capitula Veſperarum ter dicuntur; Capitula Nonæ bis, ad Abſolutionem in Prima, & ad Nonam, Capitula ad Sextam ſemel, quæ ſunt quaſi meditullia Epiſtolarum Miſſæ, ſicuti Capitula Tertiæ, initia Epiſtolarum, & Capitula Nonæ, terminationes Epiſtolarum. Sed tempore Adventus, & Quadrageſimæ quælibet Hora habet ſuum Capitulum pro toto tempore, ut dicemus ſuo loco.

9. Sumi vero debent ex Scriptura Sacra. Radulph. *loc. cit.* & de ore corde recitari, ait S. Bened. *in Regula*, his enim Dei laudem agimus, & pronunciamus. Radulph. *prop.* 8. exhortantur noſmetipſos, & alios audientes, qui opere bono reſpondent; quod ſignificat Reſponſorium Breve; Hugo *in Spec. cap.* 3. excitamus etiam devotionem contra tædium, Durand. *loc. cit.*

10. Diſcordant aliquando a textu vulgato Bibliorum: quibus in caſibus ſufficit auctoritas S. Roman. Eccl. de qua S. Bernard. *Serm.* 3. *Vig. Nativ.* hæc habet: cum Eccleſia, inquit, in Scripturis divinis verba vel alterat vel alternat, fortior eſt illa compoſitio, quam poſitio prima verborum: & fortaſſis tanto fortior, quantum diſtat inter figuram, & veritatem, inter lucem, & umbram, inter Dominam, & ancillam. Hæc ille, quæ notanda ſunt pro caſibus pluribus in Miſſali, & Breviario, ſi nulla alia ſuppetit ratio.

11. Semel in Officio Capitulum dicitur ante Hymnum, hoc eſt, in Completorio, cujus cauſam dedimus, ex Hugone *ſup. Sect.* 4. *cap.* 6. *num.* 8. & Deo gratias in fine reſpondetur. Vide cauſam *ſupra cap.* 12. *num.* 20.

12. Omittuntur Capitula in triduo majoris Hebdom. & in Officio Defunctorum, & ſuo loco afferentur cauſæ.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Capitula, Lectiunculæ, &c.*) Capitula, de quibus hoc loco eſt ſermo, ſunt breves quædam Lectiones e Sacra Scriptura depromptæ, quæ dicuntur ad Horas Canonicas, aliquando ante Hymnum, ut ad Laudes, & Veſperas, aliquando poſt Hymnum, ut ad Completorium, aliquando dictis Pſalmis cum Antiphona, ut ad reliquas Horas minores. Hæc Capitula Radulphus *prop.* 13. Lectiunculas appellat obſervante Gavanto. S. vero Benedictus ſemper Lectiones vocat, quas memoriter recitandas eſſe præſcribit *cap.* 12. & 17. Regulæ ſuæ, quod quidem S. Benedicti præſcriptum non aliam habet cauſam præter brevitatem ipſarum Lectionum. Gavantus *num.* 2. Capitulorum ad Tertiam, Sextam, & Nonam S. Ambroſium Auctorem facit; cujus aſſertionis rationes merito ab ipſo deſideramus, cum nihil ea de re in ipſius Operibus, neque apud vetuſtos Auctores invenimus.

II. Gavant. num. 10. -- *Si nulla alia ſuppetit ratio, &c.*) Crederem aliquando ſaltem in prædictis caſibus, nimirum quando Capitula diſcordant a Texto vulgato, ſuppetere hanc rationem, quod Eccleſia in his Capitulis utitur aliquando Verſione Itala Sacræ Scripturæ, ſicut ex eadem verſione deſumpſit Introitus, & reliqua, quæ in Miſſa cantantur.

## De Oratione. XXX.

## R U B R I C A.

1. O*Ratio in Veſperis & Laudibus dicitur poſt Antiphonas ad Magnificat & Benedictus immediate, niſi quando dicendæ ſunt Preces, quæ dicuntur poſt Antiphonam, & in fine illarum, Oratio. Ad Primam & alias Horas Oratio dicitur poſt Reſponſorium breve, niſi dicendæ ſint Preces; tunc enim Oratio dicitur poſt Preces. Ad Completorium Oratio dicitur poſt Antiphonam: Salva nos; niſi dicendæ ſint Preces, & tunc dicitur poſt illas.*

2. *Ad Primam & Completorium numquam mutantur Orationes, quæ habentur in Pſalterio, præterquam in triduo ante Paſcha, in quo triduo ad omnes Horas uſque ad Nonam Sabbati ſancti incluſive poſt Pſalmum: Miſerere: dicitur Oratio ut ſuo loco ponitur. In aliis Horis, regulariter dicitur Oratio, quæ dicta eſt in primis Veſperis. In Quadrageſima autem, Quatuor Temporibus, Vigiliis, & Feria ii. Rogationum, Oratio quæ dicta eſt in Laudibus, dicitur tantum ad Tertiam, Sextam, & Nonam. In Veſperis autem ſequentibus, ſi fit de feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadrageſima vel Dominicæ præcedentis, ut in aliis Feriis; quæ Oratio præcedentis Dominicæ ſemper dicitur in Feriali Officio per Hebdomadam, quando propria non aſſignatur. Infra Octavas dicitur Oratio ut in die Feſti, ſimiliter & in die Octava, niſi alia propria aſſignetur.*

3. *Ante Orationem, etiam quando aliquis ſolus recitat Officium, ſemper dicitur Verſus: Dominus vobiſcum. Reſpondetur: Et cum ſpiritu tuo. Qui Verſus non dicitur ab eo, qui non eſt ſaltem in ordine Diaconatus, nec a Diacono, præſente Sacerdote, niſi de illius licentia; ſi quis autem ad Diaconatus ordinem non pervenerit, ejus loco dicat: Domine exaudi orationem meam. Reſpondetur: Et clamor meus ad te veniat: Deinde dicitur: Oremus; poſtea Oratio: quæ ſi unica tantum dicatur, Verſus: Dominus vobiſcum, vel: Domine exaudi, repetitur finita Oratione, poſtquam fuerit reſponſum: Amen. Sin autem plures Orationes dicendæ ſint,*

ante

Digitized by Google

*ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona & Verſus, deinde: Oremus: & poſt ultimam Orationem repetitur: Dominus vobiſcum; poſtea dicitur: Benedicamus Domino. Reſpondetur; Deo gratias. Deinde dicitur Verſus; Fidelium animæ; qui Verſus non dicitur poſt: Benedicamus Domino. Ad Primam ante Pretioſa &c. neque ad Completorium ante Verſum: Benedicat &c. nec quando poſt aliquam Horam immediate ſequitur Officium parvum B. Mariæ, vel Officium Defunctorum, aut Septem Pſalmi Pœnitentiales, vel ſolæ Litaniæ.*

4. *Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur: Per Dominum; ſi ad Filium; Qui vivis & regnas. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur: Per eumdem; ſi in fine Orationis, dicatur: Qui tecum vivit & regnat. Si fiat mentio Spiritus Sancti, dicatur: in unitate ejuſdem Spiritus &c.*

5. *Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur ſub ſua concluſione: Per Dominum, vel aliter ut ſupra; aliæ non concluduntur, niſi in ultima Oratione, ſed unicuique Orationi ſemper ponitur, Oremus: præterquam in Officio Defunctorum, in quo, alio modo, quam ut ſupra, Orationes dicuntur: item in Litaniis Orationes omnes dicuntur conjunctim ſub uno: Oremus, ut ſuis locis habetur.*

## De Oratione. Cap. XVI.

### *G A V A N T U S.*

1. UNica *Oratio* pro omnibus Horis communis habetur, ait Radulph. *propoſ.* 13. quæ noviſſimum locum in Horis Canonicis tenet, ex antiquo Eccleſiæ ritu, Ait Amalar. *lib.* 4. *cap.* 45. ut unuſquiſque tali ſcuto, ideſt, communi Oratione rediens ad ſua, muniatur contra omnia adverſa, vel ex Hugone *in Spec. c.* 3. ut divina gratia, quæ actiones noſtra præceſſit, eadem ipſa ſubſequatur.

2. Eam dici in fine juſſit Concil. Agathen. *de conſecr. diſt.* 15. *cap. convenit.* quæ ſolet eſſe brevis, ne multum loquentes oremus. *Matt.* 6.

3. Compoſuit Ambroſius plurimas, ex Gemma *lib.* 1. *c.* 87. a Gelaſio Papa auctæ, & limatæ fuerunt, *ex Sigeb. ad Ann.* 487. a S. Gregorio collectæ, & diſtributæ, additis aliis, ex Walfrid. *de rebus Eccleſ. c.* 22. atque Orationem concordare ſemper cum Officio, & Evangelio, S. Gregorii opera, aſſerit aperte Microlog. *c.* 61. Nos certe Ambroſianis non paucis Orationibus utimur, ut ſuis locis indicabimus. Concilium vero Cartagin. ſeu, ut alii, Africanum *c.* 70. & Milevit. *c.* 12. quibus adrrat S. Auguſt. rejiciunt non probatas Orationes a Miſſa, & conſequenter ab Officio Divino, cui, & Miſſæ, regulariter communis eſt Oratio.

4. Prima, & Completorium retinent eaſdem Orationes, ob cauſam allatam *ſupra ſect. præced. num.* 13. ubi de Horis egimus. Reliquæ Horæ eadem concluduntur Oratione.

5. Ante Orationem dicitur, etiam ab eo, qui recitat ſolus, *Dominum Vobiſcum*, ut fuſe probat P. Damiani *in Opuſculo de Dominus vobiſcum*, & præſertim *c.* 4. intendere namque debet ſe loqui cum Eccleſia, ut monet Navarr. *in Miſcell.* 67. *de Oration. num.* 5.

6. Quæ verba a Dionyſ. *de Eccleſ. Hier.* appellantur diviniſſima ſalutatio, deſumpta ex libro Ruth *cap.* 2. & 2. *Paralip.* 15. cujus efficacia ab ipſo Chriſto eſt, qui dixit *Mat. ult.* Ego vobiſcum ſum, quam & Apoſtoli introduxerunt, *ex Concil. Bracaren. lib.* 21. Decretoque firmavit, vel Clemens ex Gemma *lib.* 1. *cap.* 87. vel Anacletus, ex Hugone *lib.* 2. *cap.* 11. vel uterque ex Radulph. *propoſ.* 23. Senſus autem eſt: Dominus in vobis maneat, & petitionibus veſtris effectum tribuat. Durand. *lib.* 4. *cap.* 14. vel Sacerdos ſe habere pacem cum toto Clero, & Populo docet, ex P. Damiani *loc. cit.* vel dicitur ad excitandam animorum attentionem ad Orationem. Rupert. *lib.* 1. *de Offic. cap.* 31. dicitur etiam Dominus, non Deus, vel Chriſtus: quia Dominus poteſtatem ſignificat. Turrecrem. *in cap. Jacobus, de conſ. diſt.* 2. Hæc fere eadem, & quæ ſequuntur proxime, in priori tomo: quæ tamen, & hoc loco videntur opportuna.

7. Subditur ſtatim: *Et cum ſpiritu tuo*, quaſi alii optent Sacerdoti, quod ipſe aliis optat, ex Floro *in expoſitione Miſſæ*, quod eſt deſumptum ab Apoſtolo 2. *Timoth. ult.* neque dicitur, tecum, ſed, *cum ſpiritu tuo*, quia ſpiritualiter Officia Eccleſiaſtica fiunt, ex P. Damiani *opuſc. cit. cap.* 4. ut nimirum unus ſit affectus omnium. Amalar. *lib.* 2. *cap.* 9.

8. Non dicitur: *Dominum vobiſcum*, niſi a Sacerdote, & Diacono, abſente Sacerdote, vel nonniſi de illius licentia, quod & docet Navarr. *in Miſcell. de Orat.* 67. *n.* 3. ex recepta conſuetudine, quam teſtatur Durand. *lib.* 4. *cap.* 14.

9. Excommunicatus autem Sacerdos non poteſt uti hac ſalutatione, etiam in privata Officii recitatione: quia pertinet ad dignitatem ordinis, qua ille indignus effectus eſt. Navarr. *de Orat. cap.* 7. *n.* 16. & *fuſius Stephan. Durand. lib.* 3. *de ritibus cap.* 22.

10. Qui non poteſt uti prædicta ſalutatione, dicat: *Domine exaudi orationem meam &c.* cujus meminit Radulph. *propoſ.* 20. tamquam rei tunc etiam uſitatæ. Docet Navarrus *in dict. Miſcellan, num.* 6. quando occurrunt Preces, quarum finis eſt per verſum, *Domine exaudi orationem &c.* non debere dici bis hunc verſum, ſed ſemel tantum, ad vitandum Battologiam.



11. Additur, *Oremus*, ante publicam Orationem, ex Auguſt. *epiſt.* 106. *ad Vitalem*, ut invitentur alii ad orandum.

12. Repetitur poſt Orationem ſalutatio prædicta, *Dominus vobiſcum*, ait Hugo *lib.* 4. *c.* 4. ſicut Chriſtus dixit ſemel, & iterum Apoſtolis: Pax vobis. Sacerdos enim dicens Orationem vicem Chriſti gerit; & ideo regulariter ſtans eam dicit, ex Amalario *lib.* 4. *cap.* 4. ſed & ob memoriam futuræ reſurrectionis ſtans eam pronunciat. *ibidem cap.* 7.

13. Concluditur Oratio variis modis, ut in Rubr. *de Oratione num.* 4. & ut plurimum, per Chriſtum, quia ut plurimum dirigitur Oratio ad Patrem, *Matt.* 6. & *Joann.* 16. tum ex Decreto Carthagin. Conc. *c.* 23. Raro ad Filium dirigitur, & non antiquitus, ut notat Bellarminus *de Miſſa lib.* 2. *cap.* 6. quod factum eſt deinde, ut ipſe quoque Filius credatur Deus. Numquam dirigitur ad Spiritum Sanctum; quia donum Dei eſt, & a dono non petitur donum, ſed a donatoribus, a quibus ille procedit, Durand. *lib.* 4. *cap.* 15. Prout ergo dirigitur Oratio, fit etiam concluſio, ut concinat ſenſui Orationis ultimæ, quando plures junguntur ſimul. Navarr. *de Orat. cap.* 19. *num.* 169.

14. Hoc autem eſt commune omnibus concluſionibus, ut ſemper in iis fiat mentio Sanctiſs. Trinitatis, ut intelligamus nullum fieri præjudicium reliquis Divinis Perſonis, quæ in Oratione taceri videntur; dum conſummatio oſtendit, nullum eſſe diſcrimen in Trinitate; ita Fulgent. *lib.* 2. *ad Monium quæſt.* 1. In unitate Spiritus Sancti Deus; non eſſe præponendam vocem *Deus*, ex Romana auctoritate, tradit Radulph. *propoſ.* 23. & in fine additur *Amen*; ut communem Orationem, quam Sacerdos recitat, omnes confirment. Idem *ibid.* Meminit hujus Ritus reſpondendi, *Amen*, in fine, Auguſt. *tract.* 41. *in Joann.* & *Epiſtol.* 278. quæ vox Hebræa eſt, ſignificans, quod apud nos, Fiat, in precationibus uſurpata ab Apoſtolis 1. *Corinth.* 14. numquam mutata neque a Græcis, neque a Latinis. Origenes *tract.* 35. *in Matth.* cum Ambroſio *de iis qui initiantur myſteriis lib.* 1. *c.* 9. explicat *Amen*, hoc eſt, Verum eſt: qua ratione concordat, *Amen*, cum Orationis potius concluſione, quam cum Oratione ipſa; quaſi affirmetur, verum eſſe regnare Deum in unitate Spiritus Sancti. Innocent. III. *lib.* 2. *de Myſter. Miſſæ cap.* 26.

15. Quando plures in Officio dicuntur Orationes, ſi quid inter eas intercedit, puta Antiphona pro commemoratione, ad ſingulas Orationes præmittitur, *Oremus*, ut rurſus invitatio fiat ad orandum, quando una immediate aliam ſequitur, ut in Litaniis, non dicitur, *Oremus*, niſi ad Primam: quia Oratio non interrumpitur, ſed veluti una continuatur.

16. Prima Oratio concluditur in Laudibus, & Veſperis, quia eſt principalis, ad quam dirigitur totum Officium. Ultima item concluditur, quia colligit medias, & ſua concluſione præcedentes firmat.

17. Si Oratio pro commemoratione ſit eadem cum Oratione principali Officii, mutatur Oratio pro commemoratione, ne eadem repetatur: quod facile contingit in commemoratione Patroni loci, ſeu Titularis Eccleſiæ, de communi ſumpta Oratione.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. -- *Unica Oratio pro omnibus Horis &c.*) Sive Officium ſit de Sancto aliquo, ſive de Feria, eadem Oratio dicitur ad omnes Horas juxta Ritum Romanum, exceptis Prima, & Completorio, in quibus quocumque recurrente Officio, ſemper eædem dicuntur Orationes. In Ambroſiano tamen, ſicut & in proprio quorumdam Monachorum Ritu multas in unoquoque Officio haberi Orationes, obſervavit Guyetus, ut ipſe teſtatur *lib.* 3. *c.* 2. *quæſt.* 8. præſertim in antiquis Breviariis Cluniacenſi, Cadomenſi, & Majoris Monaſterii, in quibus reperit ad Sextam, & Nonam non ſolum diverſa eſſe Capitula, ſed diverſas pariter ſemper poni Orationes, & plurimas quidem ſelectas admodum, & elegantes. Id quod uſus Romanus nequaquam pro uno, & eodem Feſto, vel die permittit. Permittit vero varias pro variis unius, ejuſdemque Sancti Feſtis, ut conſtat ex Feſtis S. Petri ad Vincula, & Cathedræ ejuſdem, S. Joannis ante portam Latinam, & aliis ſimilibus.

II. Laudatus Guyetus *cit. lib.* 2. *quæſt.* 5. controverſiam inſtituit an, & qua ratione exprimenda ſint Sanctorum nomina, & qualitates, & advertit in Orationibus Sancti Felicis Martyris 14. Januarii, SS. Marii, Marthæ &c. 19. ejuſdem, SS. Felicis, & Adaucti 30. Auguſti, & S. Caliſti Papæ, & Martyris 14. Octobr. nomen nullatenus exprimi, non alia ratione, niſi quia tales Orationes ſic deſcriptæ reperiuntur in Sacramentario Gregoriano: in aliis omnibus, quando commode fieri poteſt, pronunciantur ſemper Sancti, vel Sanctorum nomina, quorum ſit Officium; non idem dicendum eſt de cognomine; hoc enim nomini Sancti, de quo celebr-

lebratur Officium, numquam addi deberet, immo nec patria; Unde ponderat laudatus Guyetus ibidem, quod Maria Magdalena, Joanne Chryſoſtomo, & Joanne Gualberto exceptis (quibus tamen addi poſſunt Petrus Nolaſcus, Joannes de Matha, & Petrus Chryſologus) in nullo alio Sancto, ſervatum eſt in Breviario Romano, quod præter nomen addatur in Oratione vel patria, vel cognomen, vel alicujus virtutis naturalis, quam habuerunt, commendatio, ſicut nec Sedis Epiſcopalis mentio, quam tenerunt; & equidem hæc videtur mens S. R. C. nam ab eadem die 23. Decemb. 1624. hoc Decretum emanavit: *Regulares Ordinis Minimorum dum in Oratione S. Franciſcum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere* de Paula. Ex quo Decr. dato in noſtro Indice *ſub n.* 50. ut ait Jo: Baptiſta Pittonus, quid in ſimilibus ſit faciendum, infertur, nempe, quod non poteſt addi in Orationibus cognomen, vel patria alicujus Sancti, & revera S. R. C. die 23. Junii 1736. *in una Einſolden.* ſtatuit expungi debere a ſimilibus Orationibus nomen patriæ, & cognomina SS. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 323.

III. Nomini illius Sancti, quod exprimitur in Oratione, addenda eſt qualitas, puta Apoſtoli, Evangeliſtæ &c. ſed in Oratione Fundatoris, vel Inſtituturis an ſint ab Alumnis ejuſdem Ordinis addenda hæc verba: *Patris noſtri*, eſt quæſtio, quam optime diſcuſſit, & manu exaravit Venerabilis noſter Thomaſius, aſſeruitque, quod ex antiquo, probatoque more, ac Ritu Eccleſiæ Romanæ in omnibus Sacramentariis, & Miſſalibus numquam titulus *Patris noſtri* ad nomen Sancti alicujus in Orationibus adjungitur, ne Apoſtolorum quidem, vel Principis Apoſtolorum, qui in toto Orbe fundaverunt Eccleſiam ſanguine ſuo; & merito ſane Eccleſia ab eo titulo ſemper ſe abſtinuit in Orationibus, cum uno in loco, nempe *Matth. cap.* 23. Chriſtus dixerit: *Patrem nolite vocare vobis ſuper Terram, unus eſt enim Pater veſter, qui in Cælis eſt*. Et in alio, nempe *Luc.* 11. *Cum oratis dicite; Pater ſanctificetur nomen tuum*: unde valde immemores ſimus oportet, ſi eo ipſo tempore, quo cum Patre noſtro, qui in Cælis eſt, loquimur, alium nobis tunc vocemus Patrem ſuper Terram præter Domini juſſum. Sicut enim, ut recte monuit Sanctus Auguſtinus *Serm.* 219. in Lectionibus ſuis Sacræ Scripturæ Deus nobis loquitur, ſic nos Deo loquimur in precibus noſtris. Cæterum in Breviario Monaſtico Sancti Benedicti juſſu Pauli V. edito, in Præmonſtratenſi, & in Officiis Minorum S. Franciſci, quæ alicubi reperiuntur, nomina Sanctorum Fundatorum Benedicti, Norberti, & Franciſci, titulum *Patris noſtri* in Orationibus non habent, ſi quæ vero Religio illum in eis haberet, auctoritate Sedis Apoſtolicæ accedente talis titulus delendus eſſet, ne melioris conditionis eſſe videantur Religionum Fundatores, quam Apoſtoli, & S. ipſe Petrus, Fundatores Eccleſiæ, per totum Terrarum Orbem conſtructæ. Hæc ex Thomaſio, quibus addi poſſet, quod ſicut Sacerdos in Miſſa, ita Hebdomadarius in Choro dum Orationes recitat, eas profert tamquam Miniſter, & nomine Eccleſiæ, decens autem non eſt, quod in obeundo hoc munere, addat nomen *Patris noſtri* illi Sancto, cujus præſidium invocat apud Clementiſſimum Dominum, nomine totius Eccleſiæ; nam licet ille Sanctus poſſit dici Parens, & Inſtitutor ſui Ordinis, numquam tamen poteſt conſiderari tamquam Pater, & Inſtitutor totius Eccleſiæ, cujus miniſterium adimplens Sacerdos in Miſſa, & in Choro publice Orationes recitat.

IV. Non videtur hoc loco prætermittendum, quod antiquitus Monachi nullam aliam ad Horas Canonicas Orationem, quam Dominicam recitabant, id præſcribente S. Benedicto in ſua Regula *c.* 13. quem Ritum etiam Eccleſia Lateranenſis olim obſervabat teſte Joanne Diacono in libro de Eccleſia Lateranenſi *c.* 7. ubi hæc habet -- Hæc reſervans Apoſtolicam inſtitutionem nonniſi Dominica in Officiis utitur Oratione: quoniam aliæ Orationes poſtea ſunt ſuperadditæ; & congruum eſt, atque conveniens ut prima, & ſumma aliarum Eccleſiarum, primam, & ſummam omnium aliarum Orationem frequentet, & quæ Salvatoris vocabulo conſecrata eſt Salvatoris Orationem, quam Diſcipulos ſuos orare docuit, præ cæteris præcipuam ſemper habeat -- Prædicta autem Oratio alta voce ad Laudes, & Veſperas dicebatur ex eodem *cap.* Regulæ S. Benedicti, & ex Decreto Concilii Gerundenſis Anno 517. celebrati *Can.* 10. his verbis -- Item nobis ſemper placuit obſervari, ut omnibus diebus poſt Matutinas, & Veſperas Oratio Dominica a Sacerdote proferatur -- Quem morem adhuc ævo Durandi ab Eccleſia Lateranenſi retentum fuiſſe colligitur ex ipſo Durand. *lib.* 5. *Rationalis cap.* 2. Duabus porro de cauſis Orationem Dominicam alta voce recitari juſſit S. Benedictus, ut aſſerunt Hildemarus, & Durandus *lib.* 3. *c.* 3. Propter ſimplices, ut audientes Orationem Dominicam, illam memoriæ commendent, quæ tamen ratio Haefredo non placet *libr.* 7. *tract.* 8. *diſquiſit.* 3. Propter aſtutos, qui ſi tacite Oratio Dominica recitaretur, petitionem de peccatis dimittendis facile prætermitterent, atque unam hanc rationem aſſignat præſcripti ſui S. Benedictus his verbis -- Plane agenda Matutina, vel Veſpertina non tranſeat aliquando niſi in ultimo per ordinem Oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur a Priore, propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent, ut conventi per ipſius Orationis ſponſionem, qua dicunt: *dimitte nobis ſicut nos dimittimus*, purgent ſe ab hujuſmodi vitio — Prætermiſſam vero aliquando fuiſſe a malevolis hanc Orationis Dominicæ petitionem obſervat Abbas Iſaac apud Caſſianum *collatione* 9. *c.* 32. dicens: *Tantum remittitur nobis, quantum nos remiſerimus eis, qui nobis quacumque malignitate nocuerant: quod formidantes nonnulli cum in Eccleſia hæc Oratio ab univerſa plebe concinitur, hunc locum taciti prætermittunt, ut ſemetipſos obligare potius, quam excuſare ſua profeſſione videantur.* Hinc a Concilio Carthaginenſi *Can.* 7. & 8. jure notata eſt Pelagianorum temeritas, qui cum ſe juſtos exiſtimarent, petitionem hanc: *dimitte nobis debita noſtra*, aut omnino ſilebant, aut eam non pro ſeipſis, ſed pro aliis ſe recitare profitebantur.

## De Precibus. XXXIV.

## R U B R I C A.

1. *PReces ſunt aliquot Verſus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes a Kyrie eleiſon, vel a Pater noſter.*
2. *Preces Dominicales ad Primam, & Completorium, ut in Pſalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas nec in Vigilia Epiphaniæ, & Feria vi. & Sabbato poſt Octavam Aſcenſionis, etiamſi infra Octavam fiat Officium de Dominica, vel alio Feſto Semiduplici, quia tunc ratione Octavæ non dicuntur; alias autem ſemper dicuntur.*
3. *Preces Feriales ad Laudes, & per horas diſtincta, ut in Pſalterio, dicuntur tantum in Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini, ac Vigiliæ, & Quatuor Temporibus Pentecoſtes) & tunc dicuntur flexis genibus. In aliis Feriis per annum numquam dicuntur, niſi Dominicales, & in illis non flectuntur genua.*
4. *In Feriis Adventus, Quadrageſimæ, & Quatuor Temporum, dicuntur Preces Feriales etiam ad Veſperas, ſi non ſequatur Feſtum: ad Completorium dicuntur conſuetæ de Dominica, ſed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus ab Hebdomadario uſque ad Verſum, Dominus vobiſcum, ante primam Orationem: a circumſtantibus autem uſque ad verſum, Benedicamus Domino, poſt ultimam Orationem.*
5. *In Vigiliis Preces Feriales dicuntur tantum ad Matutinum, & per Horas; ad Veſperas vero ſequentes non dicuntur; quia inde fit de Feſto. Quod ſi poſt Vigiliam S. Mathiæ ſequatur primus dies Quadrageſimæ, in Veſperis dicuntur Preces Feriales, quamvis dicenda ſit Oratio Dominicæ præcedentis, & non Vigiliæ. Quod etiam ſervatur quando in Feria vi. & Sabbato Quatuor Temporum Septembris ſit Officium de Feria, cum in eis non occurrat Feſtum novem Lectionum; tunc enim in Veſperis Feriæ vi. dicuntur Preces, quamvis dicenda ſit Oratio Dominicæ præcedentis, non autem Feriæ Quatuor Temporum.*
6. *Pſalmus, Miſerere, dicitur cum Precibus ad Veſperas tantum, & Pſalmus De profundis ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Pſalmi, qui in eo Officio ſignantur.*

## De Precibus, & Confeſſione. Cap. XVII.

## *G A V A N T U S.*

1. PReces hoc loco ſunt aliqui verſus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes a *Kyrie eleiſon*, vel *Pater noſter*: quarum meminit Amalar. *lib.* 3. *c.* 6. ante Orationem, inquit, ſpecialem Sacerdotum neceſſe eſt præcedere miſericordiam Dei, idcirco dicitur, *Kyrie eleiſon*. Ter dicitur ad Trinitatem. Amalar. *lib.* 3. *c.* 2.

2. A Græcis compoſitas fuiſſe primum ſcribit Iſidor. *lib.* 1. *de Offic. cap.* 6. unde retinentur primæ voces Græcanicæ, *Kyrie eleiſon*, quæ ſignificant, Domine miſerere.

3. Multiplicantur Preces, ad Primam, & Completorium, ut per diem a malis imminentibus defendamur. Hugo *in Spec. a.* 3. & humilitatem indicant, quæ in principio, & fine diei convenit. Idem *ibid.* Dicuntur etiam nomine eorum, qui quotidie cadunt, & nituntur reſurgere per pœnitentiam. Idem *lib.* 2. *de Offic. c.* 2.

4. In Dominicis autem, & Feſtis diebus ſtando dicuntur, ob memoriam Dominicæ Reſurrectionis. Idem *ibid.*

5. Dantur & flebiles Preces, quæ non dicuntur in Dominicis. Amalar. *de ord. Antiphon. cap.* 7. de quibus Micrnlog. *c.* 50. ait, quod ad omnes Quadrageſimales Horas genu flectimus. De his Hugo *loc. cit.* loquitur, cum ait; in aliis diebus genua flectimus ad Preces. Pſalm. *Miſerere*, ad Veſperas dici ſcribit Rad. *prop.* 15. & ad Laudes etiam, ſed hodie dicitur Pſalm. *De profundis*, ne in iiſdem Laudibus dicatur bis Pſalm. *Miſerere*, habetur Pſalm. *De profundis*, ad Laudes ab Anno 1550. & deinceps in Breviario.

6. Docet Hugo *lib.* 2. *de Offic. cap.* 4. in his Precibus ferialibus

rialibus contineti modos omnes orandi, quos enumerat Apoſtolus 1. *Timoth.*2. nimirum Obſecrationem, cum petimus ſolutionem malorum, ut illud: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam*. Poſtulationem, cum precamur, ut omnia, quæ ſunt contraria bonis noſtris, minuaotur, & ſuperentur, ut illud: *Convetere Domine uſquequo*. Gratiarum actionem, ut illud: *Confiteantur tibi omnia opera tua: Benedic anima mea Domino &c.* Pro his, inquit Paulus, qui in ſublimitate ſunt, orandum eſt, ut illud: *Domine ſalvum fac Regem. Oremus pro Pontifice noſtro N.* Hæc fere Hugo. Regem autem hoc loco totius Eccleſiæ intelligimus Papam.

7. Infra Octavas, nedum in Duplicibus, non dicuntue, nec in Vig. Epiphaniæ, nec in duabus Feriis poſt Octavam Aſcenſionis, quæ attinent ad eamdem Octavam, vel quia Octava habet rationem unius Feſti, vel quia prædicti dies habent ſolemnitatem Officii.

8. Ad Primam, & alias Hoeas, exceptis Laudibus, & Veſperis dicebantur feriales Preces quotidie in Officio feriali, quæ nunc recitantur ad Laudes, & Veſperas in Feriis majoribus. Sed Pius V. diſtioxit melius inter Horas, & Horas; inter Ferias majores, & minores. Nam ad Peimam tantum, & Completorium dicuntur Preces ordinariæ. Feriales flexis genibus ad Laudes, & Veſperas, longiores aliæ ad Primam; non variantur ad Completorium, niſi quod genua flectimus; ad Horas item minores, breviores adhibentur Preces. * Flectimus autem genua uſque ad *Benedicamus Domino*; inquit Rubrica. An excluſive? affirmarem, ſicuti Hebdomadarius uſque ad *Dominus vobiſcum*: ibidem intelligitur excluſive: & concordat hic Ritus cum Miſſa Feriarum majorum, in qua, dictis Orationibus, præciſe ſtatim ſurgimus; at uſus communior non ſurgendi, niſi dicto, *Fidelium animæ &c.* eſt mage pius, & retinendus; cum præſertim addenda eſt Antiph. finalis in fine Horæ, ne rurſum ſtatim genua flectamus. Neque Rubrica adverſatur.

9. Feriales tamen Preces non dicuntur in Vig. Nativitatis Domini, nec in Vigilia, & Quatuor Temporibus Pentecoſtes; quia hi dies ſunt feſtiviſſimi, itaut excludant etiam Patronos locorum; & hæc fere omnia habet etiam Radulphus *propoſ.*14. Neque dicuntur in Dominicis privilegiatis, in quibus de die Octava occurrente fit tantum commemoratio, ex Ruiz *in ſuo Cærem. Rom.* ratione ſcilicet Octavæ diei occurrentis.

10. Totus dies Feriarum majorum, & Vigiliarum, ſi non ſequatur Officium de Feſto, humiliationis dies eſt. Quare ad Veſperas dicuntur Peeces feriales, licet Oratio non ſit de Feria Quatuor Temporum, nec de Vigilia: quod accidere poteſt eo Anno, quo Feſtum S. Mathiæ occurrit in Feria IV. Cineeum, cujus gratia transfertur Officium in Feriam V. Cinerum ſequentem.

11. Quod attinet ad Confeſſionem, quæ fit in Officio ad Primam, & Completorium: primo ſignum Crucis adhibetur ad ℣. *Adjutorium*, ut in Rubr. *de Prima* 15. *n*.4 ſumpto Ritu congruo ex Miſſali: nam per Crucem remiſſio facta eſt peccatorum. Confeſſio vero fit, ut quidquid in nocte, vel die peccavimus, puniamus. Gemma *lib.*2. *c.*64.

12. Quando quis recitat ſolus, omittere debet *nobis fratres &c.* ſemelque recitans *Confiteor*, debet addere in plurali, quæ ſequuntur. *Miſereatur noſtri*, *peccatis noſtris*, *perducat nos*, ſicut fit in oratione Dominica: ita in Rubrica citata *de Prima*, ex quo ſequitur, quod recitantes duo Officium ſimul, nihil debent mutare, in textu Breviarii; ſed qui major eſt, dicat, *vobis fratres*, *vos fratres*, qui minor, *tibi Pater*, & *te Pater*. Sicut dicunt invicem *Dominus vobiſcum*. *Et cum ſpiritu tuo*. * Neque Moniales mutare debent in verba *mater*, *matrem*, *ſorores*: ſed eodem modo loqui nomine Eccleſiæ, ac ſi eſſent viri, ex Decr. S.R.C. *die* 18. *Aug.* 1629. altera vero Confeſſione mundamur, inquit Hugo *in Spec. c.*3.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n.5. - *Dantur & flebiles Preces &c.*) Flebiles Preces, ſeu longiores, de quibus ſermonem habet hoc loco Gav., dicuntur ante Orationem, immediate poſt Antiph. ad *Benedictus* ad Laudes, & ad reliquas Horas pariter poſt Antiph., flexis genibus, quando Officium fit feiale in Feriis Adventus, Quadrageſimæ, excepto triduo ante Paſcha; item in Feriis Quatuor Temporum, & in Vigiliis, quæ jejunantur: immo etiamſi alicubi non jejunentur Vigiliæ, quæ cæterum ab omnibus ſolent jejunari, nihilominus in Officio feriali earum dicuntur, ut reſolvit Guyetus *lib.*4. *c.*18. *q.*34. ubi aſtruit has Preces inſeparabiles a forma talis Officii. Excipiuntur tamen Vig. Nativitatis, & Pentecoſtes, ut notat Gav. *n.*9. In aliis vero Feriis, & in Vigiliis, quæ non jejunantur, quales ſunt duæ tantum, Epiphaniæ, & Aſcenſionis, hujuſmodi Preces flebiles, ſeu longiores non dicuntur, ſed ſolummodo aliæ, quæ Dominicales appellantur, in quibus genua non flectuntur.

II. Gav. n.6. - *Regem autem hoc loco totius Eccleſiæ, intelligimus Papam.*) Neſcimus, quo jure Gav. petitionem hanc: *Domine ſalvum fac Regem*, qua utimur in ferialibus Precibus poſt Laudes, de Papa velit intelligi. Certum quippe videtur precem illam fundi peo Principe, cujus dominio ſubjecti ſunt, qui precem illam recitant, quod manifeſtum eſt ex ordine precum ipſarum; nam ante dictum eſt: *Sacerdotes tui induantur juſtitiam*, in quo Verſiculo Papam etiam primario comprehendi certum omnino videtur: ad ſummum ergo verba illa Papam reſpicere poſſunt cum a dominio Pontificio ſubjectis recitantur.

III. Gav. n. 7. -- *Infra Octavas nedum in duplicibus non dicuntur &c.*) Prædictæ Preces Dominicales non dicuntur neque in Duplicibus, neque infra Octavas. Illi tamen, qui ex ſpeciali privilegio celebrant aliquam Octavam etiam in Quadrageſima, ſicuti ſunt Monachi Benedictini, aliique pauci, ſi dies quarta Cinerum occurrat infra Octavam, quam dicti privilegiati celebrant, debet ſervari Decretum editum die 24. Jan. 1682. & datum in noſtro Indice *ſub n.*124. in quo præſcribitur, quod in Officio Feriæ IV. Cinerum relinquendo Commem. Octavæ, debent dicti privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales &c. & ſervare omnino Rubricas dictæ Feriæ IV. Cinerum, Vide etiam Decreta data *ſub n.*324. & 325.

IV. Gav. n.8. -- *Sicut Hebdomadarius uſque ad Dominus vobiſcum &c.*) Docet hic Gav. quod ad preces flebiles debent omnes de Choro flectere genua uſque dum Hebdomadarius dixerit *Benedicamus Domino* poſt Orationem ultimam, & quidem incluſive; Hebdomadarius vero debet pariter perſeverare flexis genibus uſque ad *Dominus vobiſcum*, ſed excluſive: tunc enim, nempe ad verſum *Dominus vobiſcum* elevando vocem debet ſurgere, ut docent omnes Rubriciſtæ communiter, præſertim Caſtaldus in Praxi *lib.* 2. *ſect.*3. *c.*4. *n.*1. dixi elevando vocem, nam preces prædictæ flebiles in omni Hora, qua debent dici, non ſolum flexis genibus, ſed etiam tono humiliori, & preſſiori voce, dicuntur.

Nunc quæſtio ſuboritur utrum *Pater noſter*, quod inter prædictas flebiles preces clara voce totum ab Hebdomadario dicitur, ab eo ſtante ne, an vero genuflexo ſit recitandum? Reſolvit hoc dubium noſter Franciſcus Magius in *ſi-prac. Opuſc.* 2. *de Offic. Chori diſquiſit.* 38. *pag.* 312. dicendo, ſe non poſſe niſi arguere Hebdomadarios illos, qui Dominicalem Orationem clara voce recitandam, ſtantes erecto corpore cantant; cum id in nullo Cæremoniali, ſeu Rituali libro præſcribatur, quinimo cum Rubrica Breviarii *n.* 4. diſertis verbis hæc habeat -- dicuntur autem preces flexis genibus ab Hebdomadario uſque ad *Dominus vobiſcum* ante primam Orationem: a circumſtantibus autem uſque ad verſum *Benedicamus Domino* poſt ultimam Orationem -- infertur Hebdomadarium prædictam Orationem Dominicam flexis genibus debere recitare. Neque dici poteſt per preces a Rubrica inſinuatas, intelligi ſolum quæ poſt *Pater noſter* preſſiori voce ab Hebdomadario recitantur, nam poſt Laudes, & Veſperas, ante *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*, & ipſum *Pater noſter* hæc leguntur: *dicuntur ſequentes preces flexis genibus*; Unde in apertis eſt, quod Oratio Dominica recitanda ab Hebdomadario includitur in illis precibus, quæ flexis genibus dicendæ ſunt. Confirmari poteſt hæc ſententia auctoritate Victorini Totinii, qui in Cæremoniali Patrum Camaldulenſium *lib.* 5. *c.* 14. *n.* 15. de Monaſtico ſimul, & Romano Ritu loquens ſic ait: *Ad Orationem Dominicam etiam cum tota clare dicitur apud Monachos, genuflectit qui eam dicit, cum tunc videatur includi intra preces &c. Sicut certe includitur intra preces ad Veſperas, & Laudes Breviarii Romani, juxta ipſam Rubricam* ſimiliter tota dicenda tunc clare. *Quare & Monaſticum in Rubrica generali XXXIV.* 4. *docet* Pater noſter *ante Orationem, flexis genibus, dici, nullam de hoc exceptionem faciens*. Idem præſcribit Cæremoniale Cappuccinorum *lib.*1. *c.*10. his verbis - Cum dicendæ ſunt preces, repetita Antiph. poſt *Magnificat* omnibus genuflexis, Hebdomadarius ipſe genuflectit &c. - Ex quibus omnibus colligitur quod Hebdomadarius citra ullum dubium genuflectere debeat ſimul cum aliis de Choro in prædicto caſu.

De Commemorationibus communibus, ſeu Suffragiis Sanctorum XXXV.

R U B R I C A.

1. *COmmemorationes communes, ſeu Suffragia de Sanctis, quæ habentur in Pſalterio poſt Veſperas Sabbati, dicuntur in fine Veſperarum & Laudum, ab Octava Epiphaniæ uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſive in Dominicis, Feriis, & Feſtis (niſi Officium ſit Duplex, vel infra Octavas, etiam ſi de Dominica, vel Semiduplici infra eas fiat) & illis adjungitur commemoratio de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ, ante vel poſt commemorationem de S. Maria, & de Apoſtolis, pro dignitate illius, ita tamen, ut ſemper ultimo loco ponatur commemoratio de Pace. Et ante illas in Feriali Officio fit commemoratio de Cruce, quæ habetur in Pſalterio poſt Laudes Feriæ ſecundæ.*

2. *Tempore Paſchali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi po-*

Digitized by Google

*ponitur in Laudibus Feriæ ii. poſt Dominicam in Albis, & ea ſolum tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas.*

3. *Si facienda ſit commemoratio alicujus Feſti occurrentis, ſemper fit ante ipſa Suffragia conſueta, etiam ante commemorationem de Cruce.*

4. *Commemoratio de S. Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus Officium parvum; nec quandocumque fit Officium de ea.*

## De Commemorationibus, & Suffragiis Sanctorum Communibus. Cap. XVIII.

### G A V A N T U S.

1. RAdulphus *prop.*14. appellat Memorias, quas hoc loco dicimus: *Commemorationes Communes*, Suffragia Sanctorum vocat Gem. *l.*3. *c.*45. ubi tradit ea dici in Dominicis, & Feſtis Ss. Meminit Microlog. *c.*44. & de Cruce nominatim *c.*30. de S. Mariæ, & de Apoſtolis, *c.*44. qui omnes ſunt Patroni totius Eccleſiæ, ait Durand. *l.*6. *c.*60.

2. Miror, cur de Cruce, a qua pendet noſtra ſalus, non niſi fiat in feriali Officio? An quia Feſta excludunt omnium cruciatuum imaginem, ac memoriam? An feriali diei convenit labor Crucis, & patientiæ meditatio? nam tempore Paſchali fit de Cruce commemoratio ad victoriam ejuſdem Crucis recolendam: a qua Reſurrectio ortum habuit, cujus Oratio Paſchalis eſt Ambroſiana in Mediolanenſi Miſſali in Feria ſexta Paraſceve, Microl. non placet commemoratio de Cruce ab Epiphania ad Purificationem; ergo erat in uſu, ut hodie. Minus tamen recte ſentiebat ille.

3. De S. Maria non fit, niſi in propria Eccleſia, tamquam de Titulari ex Decr. S.C. R. 10. Jan. 1624. quando dicitur ejuſdem Officium parvum in Choro: de quo nos Sectione ultima: nec quandocumque Officium fit de ea, neque enim de eodem fieri debet Officium, & commemoratio ſimul. Qui vero privilegiatim recitat Officium B.V. parvum, debet in Officio de die facere commemorationem de B.V.; ac ſi illud non recitaret, niſi recitet ratione Chori. Nil autem refert, ſi dividatur Officium B.V. ab Officio diei, quia illud Veſpere, hoc mane recitetur in Choro, quia ibidem utrumque dicitur, & unum in ordine ad aliud.

4. Non ſeparatur Petrus a Paulo, nec in vita, nec in morte, nec in Feſtis, neque in hac communi commemoratione, ait Durand. *l.*5. *c.*2.

5. De Pace ſit ultimo loco Commemoratio, quia qui pacem dedit, omnia bona uno verbo dedit, ait Gloſſa, & ultimum, quod expectamus a Deo, eſt pax æterna, pro qua oramus, & obſecramus Deum, per Dominum N. J. C.

6. De Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ hæc ſunt notanda: primo, eum eſſe Patronum loci, qui majorum auctoritate, & communi ſenſu populi recolitur ut Patronus; qua de re nos egimus ſup. *Sect.*3. *c.*12. *n.*1. Titularis autem Eccleſiæ ille eſt, a quo denominatur Eccleſia.

7. Deinde pro dignitate Patroni, vel Titularis Eccleſiæ, ante, vel poſt S. Mariam, & Apoſtolos, vel inter eoſdem facienda eſt commemoratio: hoc eſt, de Titulo Trinitatis, Spiritus Sancti, Corporis Chriſti, ante S. Mariam; de Salvatoris Titulo non fit, quando de Cruce fiat, quia æquipollent. De Angelis, & de S. Jo: Baptiſta ante Apoſtolos: de Ss. Veteris Teſtamenti poſt Apoſtolos, licet in Litaniis ordine Temporis præcedant. De S. Patrono loci ante Titularem Eccleſiæ regulariter loquendo, niſi ſit valde magna inter hos dignitatis diſtantia * quia in Rubricis præponitur Patronus Titulari *tit.* 1. *de Duplici n.* 1. *tit.* 17. *de Octavis n.* 1. 3. 4. *tit.* 9. *de Commun. n.* 3. *tit.* 35. *de comm. n.* 1, *& in Tabellis ſepties*, licet *tit.* 4. *de Dominicis n.* 1. *& tit.* 9. *de commem. n.* 11. præferatur Titularis Patrono; ſed in his duobus locis non attenditur ordo ex profeſſo: alioquin Dedicatio Eccleſiæ inferior eſſet Patrono, quæ poſt eum *in tit.* 4. *n.* 1. recenſetur. Patronus Principalis Ordinis æquiparatur Patrono loci, ut ſupra diximus *in cap. de Patrono Sect.* 3. *c.* 12. *n.* 24. Primum vero locum, ante quacumque de Chriſto Domino commemorationem, ratione Tituli, in feriali Officio ſemper habet commemoratio de Cruce, ut expreſſe habetur *tit.* 35. *n.* 1. *in fine*; quia feriæ indicium eſt; ultimum commemoratio de Pace; *ibid.* * Quod ſi de Cruce, tamquam de titulo Eccleſiæ, facienda ſit commemoratio, ſufficit prædicta, quæ ante alias, ex Decreto S. R. C. *die* 30. *Martii* 1621. & eodem modo ſufficit commemoratio de S. Franciſco apud eos Ordinis Minorum, quorum Eccleſiæ Titulus eſt Sacrorum Stigmatum ejuſdem.

8. Dices; cur de Cruce primo loco fit, etiam ante SS. Trinitatem, cum tamen in Rubrica Miſſ. *de comm. tit.* 7. *n.* 5. Votiva de Cruce cedat Votivæ de Trinitate? Reſpondeo, in Miſſa rationem haberi dignitatis Votivarum; in Officio rationem ferialitatis, quæ non habet congruum locum in medio Suffragiorum non ſemper ferialium, quippe quæ locum etiam habent in Semiduplicibus, indicium enim eſt Feriæ, ut dixi, commemoratio de Cruce.

* 9. Quæres adhuc: An in Eccleſia omnium Sanctorum nomine dicata fieri debeat commemoratio de B. V. & de Apoſtolis, in quo ordine? Reſp. non eſſe omittenda Suffragia ſpecialia pro generalibus, ſicuti infra Octavam Omnium Sanctorum fit etiam de S. Carolo, Ss. Vitale, & Agricola, & aliis. Deinde aſſigno locum commemorationis Tituli Omnium Sanctorum poſt Apoſtolos, ut fit in Officio parvo B.V. *Protege &c.* & *Omnes Sancti tui*, *&c.* neque enim congruit de eodem bis fieri mentionem, ſemel aperte, ſemel latenter, ut docuimus *tom.* 1. *de Sexageſima n.* 15. & præterea commemoratio Omnium Sanctorum eo caſu poteſt intelligi de aliis omnibus non expreſſis inter Suffragia Sanctorum Communia.

10. Oratio de Patrono, ſeu Titulari ſumitur a die Feſto eorumdem (non a Vigilia) neque a die Octava, ut gratis quidam dicunt mutato verbo, Nativitatem, Natalia, vel aliud ſimile, in commemorationem. * Quæ ſi minus congruit, ſumatur alia de Communi. In Collecta S. Leonis II. pro *commemorationis Feſta* lege, *commemorationem*. In Collecta Ss. Dionyſii, & Sociorum, tace, *hodierna die*; in Collecta S. Apollinaris, tace *hunc*: Nec eſt incongruum dicere, *præſentem diem honorabilem in B. Jo: commemoratione*, neque, *qui venerandam, ſanctæque lætitiam in B. Bartholomæi commemoratione*: & his ſimilia, quia non enuntiant falſa, & commemoratio Patroni, ſeu Titularis eſt quaſi repetitio Feſti per annum. Adde cum Suar. *de Sacrificio Miſſæ* 9. 83. *art.* 2. *diſp.* 80. *ſect.* 4. referri quandoque præſentia ad præterita; unde circa meridiem celebrantes dicimus in prima Miſſa Natalis Domini, *Hanc noctem*.

11. Quæritur hoc loco: An, qui plures habet beneficiorum, & Eccleſiarum Titulos, teneatur in Officio totidem commemorationes facere? Reſp. primo. Si Tituli ſunt de eodem, puta de S. Maria, licet diverſa ſint Titulorum Feſta, ſufficit commemoratio Communis: *S. Maria &c.* & ſic de aliis. Si Tituli diverſi ſunt Sanctorum, poterit fieri altero ex duobus modis; vel diſtinguantur Claſſes Sanctorum in Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, ita ut unaquæque Claſſis recolatur cum propria Antiphona, Verſu, & Oratione, in qua ii nominentur, quorum Tituli ſunt beneficiorum, vel de majorum licentia formetur Antiphona cum ſuo Verſu, & Oratione, quæ conveniat omnibus, non exprimendo Titulos Martyrii, ſeu Virginitatis, & ejuſmodi, ne fiat mendacium in Oratione. Habes exempla in Breviario, in Feſto S. Nazarii, & Celſi, &c. in quorum Oratione non dicitur *Martyrum*, quia Innocentius, de quo ibidem, non fuit Martyr; & in Feſto Ss. Alexandri, Eventii, Theoduli, & Juvenalis idem fit, quia non fuit martyr Juvenalis.

12. Atque omiſſio hæc multarum commemorationum, facile lethalis erit, & ſufficiens ad gravem materiam peccati mortalis conſtituendam, ut in ſimili probat Sanch. *oper. mor.* *l.*5. *c.*1. *n.*16. imo & ad ratam reſtitutionis fructuum faciendæ teneri Beneficiarium in hoc caſu expreſſe docet Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 28. ſed rigoroſa nimis eſt hæc doctrina.

13. Regulares autem debent facere commemorationem de eo Titulari, cujus Eccleſiæ ſunt adſcripti, & quamdiu ſunt adſcripti, etiam extra Chorum, eadem enim eſt ratio, ac in beneficiato; cum uterque alatur Eccleſiæ propriæ emolumentis.

14. Quid agendum erit in Officio Vigiliæ Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, qui Vigiliam habet in Breviario? An in Laudibus cum aliis ſuffragiis facienda erit de more commemoratio Patroni, ſeu Titularis? omittendam puto in hoc caſu, ſumpto argumento a ſimili, allato ſup. *n.* 3. de Officio S. Mariæ, quod excludit communem hanc commemorationem de eadem; ne ſcilicet de eodem his fiat in eadem parte Officii. Eadem ratio militat in Semiduplici Feſto Inventionis, Tranſlationis, & ſimilium illius, qui Patronus eſt loci, ſeu Titularis Eccleſiæ.

15. Cedunt hæ Communes commemorationes commemorationi Feſti Simplicis eo die occurrentis; quia Feſti commemoratio privilegiata eſt titulo feſtivo ſupra communem aliorum commemorationem; ideoque communes dictæ fuerunt, ut cedant priorem locum feſtivis.

16. Fiunt igitur ad recolenda Sanctorum merita, & ad impetrandum ſæpius eorum patrocinium. Durand. *l.*6. *c.* 70.

17. Omittuntur autem initio Adventus ex Microl. loco citato, ut in Adventu Principis cedant Servi. Durand. *l.* 6. *c.*2. Item tempore Paſſionis, ut uni Chriſto Crucifixo vacemus. Idem *l.*6. *c.*60. uſque ad Octavam Pentecoſtes, *ibid.* tum in Duplicibus, & infra Octavas, ea ratione, qua in Feſtis majoribus excludimus Sanctorum commemorationes, ad majorem tum temporis Paſchalis, tum Feſtorum celebritatem. Item in Dominicis privilegiatis, in quibus de die Octava occurrente fit tantum commemoratio, ex Ruiz *in ſuo Cærem. Roman.* ratione Octavæ.

18. Pius V. mutavit Antiph. pro Suffragio B. V. in pleniorem, quæ in S. Auguſtini, ſerm. 18. de Sanctis; nimirum; *S. Maria ſuccurre Miſeris*, *&c.*

Novæ

Digitized by Google

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 5. - *Suffragia Sanctorum vocat Gemma, &c.*) Suffragia, ſeu Commemorationes Communes Sanctorum ſunt illæ, quæ habentur in Breviario poſt Veſperas Sabbati, & dicuntur in fine Veſperarum, & Laudum poſt Orationem Feſti, ſeu illius Dominicæ, aut Feriæ, quarum celebratur Officium, & poſt omnes Commemorationes ſpeciales, de quibus ſupra Sermonem habuimus, & quæ aliquibus diebus debent fieri juxta Rubricarum diſpoſitiones, & Kalendariorum declarationes. Hujuſmodi autem Communes Commemorationes Sanctorum inſtitutæ ſunt tum ad recolendam memoriam meritorum ipſorum, tum ad implorandum eorum ſalutare auxilium, ut docet Durandus in Rational. Divinorum Officiorum *lib. 6. cap. 6. num. 5.* Rurſus hæc Suffragia non ſemper dicuntur in Officio Canonico, neque hic exponimus quibus diebus dicenda ſint, quia de hoc ſatis loquitur Superior Rubrica Breviarii *n. 1.*

II. Gav. n. 2. - *Miror cur de Cruce &c.*) Prima inter dictas Commemorationes Communes eſt de Cruce, quæ tamen non fit niſi in Feriali Officio, & quidem ſemper primo loco. Miratur Gavantus cur talis Commemoratio non fiat pariter quando celebratur Officium de Simplici, vel de Semiduplici, in quibus fiunt aliæ omnes Commemorationes Communes, ſed nos miramur Gavanti pietatem, & Religionem erga hoc ſalutiferum, & vitale lignum, præcipuum Redemptionis noſtræ inſtrumentum, in quo Chriſtus triumphavit, & mortem ſuperavit in æternum, cujus idcirco frequentius Commemorationem fieri optabat noſter piiſſimus Auctor, Cæterum non niſi ad ponendam diſtinctionem aliquam inter prædictos dies feſtivos, & pure feriales, Rubrica in feriali die cæteris Communibus Commemorationibus addit etiam illam, & quidem primo loco de Cruce.

Poſt hanc Commemorationem de Cruce regulariter debet fieri immediate Commemoratio de B. M. V. ſed ſi in Eccleſia, in qua celebratur Officium, habeatur Titulus Sanctiſſimæ Trinitatis, Spiritus Sancti, Sanctiſſimi Sacramenti &c. de quibus infra, tunc horum Commemoratio debet præcedere Sanctæ Mariæ Suffragium.

III. Gav. n. 3. - *De S. M. non fit, niſi in propria Eccleſia &c.*) Quando in Choro dicitur Officium parvum B. M. V. tunc de ea non fit Commemoratio, niſi in illa Eccleſia, cujus Sancta Maria eſt Titularis, & Patrona, & ſuper hoc extat Decretum editum die 30. Januarii 1604. relatum quidem hoc loco in poſtremis Gavanti editionibus, non vero in prioribus, & antiquis; & revera ſuo Indici Decretorum numquam inſertum fuit, datur autem in noſtro Indice ſub *n.* 85. immo ſuper hac eadem materia aliud ſimile emanavit Decretum a S. R. C. die 23. Aprilis 1605. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 189. denique aliud exhibetur Decretum in noſtro Indice ſub *n.* 190. eodem tempore editum, in quo declaratur, quod pro Suffragio B. M. in Eccleſiis eidem dicatis ſub quocumque Titulo, ſive Aſſumptionis, ſive Conceptionis &c. ſufficit conſueta Antiphona - *Sancta Maria ſuccurre miſeris &c.* Non me latet Arnaudum *tr. 2. tit. 35.* docere, nec in propria etiam Eccleſia faciendam eſſe Commemorationem S. M. V. quando ejus parvum Officium dicitur, ſed hoc aſſerebat dictus Auctor, quia ignorabat primum allegatum Decretum, quod, ut dixi, in priſcis Gavanti editionibus non reperiebatur, & Arnaudus Doctrinarum Gavanti fidelis ſectator talem opinionem amplectendo, putabat forſan Gavanti ſententiam ſequi, qui revera ſuper hac re non ita clare mentem ſuam aperuit, ſicut in poſterioribus editionibus legimus ab aliquo recentiori innominato additum, & explicatum fuiſſe.

IV. Gav. n. 7. *De Titulo Trinitatis, Spiritus Sancti, Corporis Chriſti ante Sanctam Mariam &c.*) Cum de Titulari Eccleſiæ, in qua recitatur Officium, debeat, juxta diſpoſitionem ſuperioris Rubricæ n. 5. fieri Commemoratio, docet hic Gavantus id, quod ſupra nos pariter innuimus, nimirum, quod quando Titulus Eccleſiæ eſt Sanctiſſimæ Trinitatis, Spiritus Sancti, Salvatoris, Myſteriorum omnium Chriſti, nominis Jeſu &c. tunc Commemoratio talis Tituli collocari debet ante Suffragium B. M. ſunt enim præfati omnes Tituli ſuperiores dignitate præ omnibus aliis, & ideo etiam Titulum S. M. V. præcedunt. De nullo tamen dictorum Titulorum in Feriali Officio fit commemoratio ante Commemorationem de Cruce, ut præſcribit ſuperior Rubrica *n. 1.* Rationem hanc adducit Gavantus, *quia Commemoratio de Cruce eſt indicium Feriæ*; quam rationem approbat quidem Guyetus *lib. 3. c. 38. q. 11.* ſed vellet Gavantus eam paulo amplius elucidaſſet, ipſe tamen Gavanti aliquando nimis rigidus cenſor, quamvis regulariter ejus doctrinæ admirator, non auſus eſt rationem illam in majori lumine collocare. Ego autem dicerem ideo in prædicto caſu Crucis Commemorationem debere præcedere quamcumque aliam, etiam de Sanctiſſima Trinitate &c. quia Commemoratio de Cruce, quæ eſt commemoratio de Chriſto Crucifixo, *affixa primo loco Officio Feriali, & in Feriæ ſignum*, ut paulo ante dixi, cum ſit prior in tempore, debet eſſe potior in jure, adeoque congruum eſt, ut præcedat omnem aliam Commemorationem ejuſdem ordinis, quæ aliquando fit per accidens ratione Tituli, & prout adjuncta aliis Commemorationibus.

V. Gav. eod. n. 7. *De Salvatoris Titulo non fit &c.*) Docet hoc loco Gavantus fieri non debere Commemorationem de SS. Salvatore in Eccleſia ipſi dicata, quando ratione Feriæ debeat etiam fieri Commemoratio Crucis, cum hæ Commemorationes æquipolleant. Libenter in Gavanti ſententiam deſcenderem ob prædictam æquipollentiæ rationem, niſi modo illa ſententia recta fronte pugnaret cum Decreto edito a S. R. C. die 23. Auguſti 1704. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*, & dato in noſtra Appendice ſub n. 345. quod quidem Decretum aliam etiam quæſtionem ſolvit, quam movet Halden *part. 2. tit. 1. n. 4.* nimirum, an Crux, & Transfiguratio Chriſti, ubi hæc qua talis, non vero ſub ratione Salvatoris eſt Titulus Templi, invicem æquipolleat: cum enim prædictum Decretum diſerte præſcribat faciendam eſſe Commemorationem Sanctiſſimi Salvatoris, licet fieri etiam debeat de Cruce, manifeſtum eſt hujuſmodi Commemorationes non æquipollere; ac proinde in caſu ab Halden propoſito non eſſe omittendam Commemorationem Transfigurationis Chriſti, in quam quidem ſententiam merito Halden propendebat.

VI. Gav. eod. n. 7. - *De Angelis, & de Sancto Joanne Baptiſta ante Apoſtolos &c.*) Commemoratio de Angelis, & de Sancto Joanne Baptiſta quando eſt facienda ob rationem Tituli Eccleſiæ, vel Patroni principalis loci, ea inferi debet poſt Commemorationem B. M. ut docet Gavantus, & ante commemorationem Apoſtolorum, eodem videlicet ordine, quo in Litaniis collocantur, ob quam rationem nunc debet eodem loco ante Apoſtolos inferi Commemoratio Sancti Joſephi in ſua Eccleſia Titulari, quia juxta recens Decretum Apoſtolicum a Benedicto XIII. PP. editum, de quo ſæpe mentionem fecimus, ejus nomen in Litaniis poſt Sanctum Joannem Baptiſtam, & ante Apoſtolos locum obtinuit.

Si tamen facienda ſit aliqua Commemoratio alicujus Apoſtoli Titularis Eccleſiæ, vel Patroni loci, hæc profecto non debet præferri Commemorationi Sanctorum Petri, & Pauli, hi enim duo ſunt Apoſtolorum Principes, quibus omnes alii cedunt.

VII. Gav. eod. n. 7. - *De Sanctis veteris Teſtamenti poſt Apoſtolos &c.*) Tradit Gavantus, quod de Sanctis veteris Teſtamenti fiat Commemoratio non ante, ſed poſt Apoſtolos, licet enim in Litan. ratione temporis, non tamen dignitatis eos præcedunt. Quinimmo Lohner *parte 2. §. 6. n. 2.* ait: Minus congrue a Gavanto Sanctos veteris Teſtamenti ordine dignitatis ſtatim poſt Apoſtolos collocari, cum nullum hujus prælationis fundamentum ex Rubricis habeatur, atque adeo merito idem inter hos, & Sanctos novi Teſtamenti ordo conſtitui debet, qui inter alios Sanctos novi Teſtamenti ſolet obſervari, nimirum de quibuſcumque Martyribus fieri debet Commemoratio ante quoſcumque Confeſſores, & de his ante Virgines, quod ſi plures fuerint ejuſdem Ordinis, puta duo Martyres, duo Confeſſores, duæ Virgines, nihil de hoc caſu ſtatutum reperitur, ac veriſimilius eſt, ait Guyetus *loc. cit.* ordinem Litaniarum eſſe ſervandum, ut videlicet Sancti Innocentes, & poſt eos Sanctus Stephanus quibuſcumque aliis Martyribus anteponantur; præferantur quoque tam inter Martyres, quam Confeſſores, Epiſcopi, non Epiſcopis, utriſque autem Sanctos Doctores præfert Guyetus, ſed intelligendus eſt ſi Doctoris ſimul Laurea, & Epiſcopali dignitate fuerint inſigniti, nam Doctores non Pontifices præferri non deberent Confeſſoribus Pontificibus, Inter Virgines vero, Martyres præferuntur non Martyribus, & utræque non Virginibus. Haberi etiam poteſt ratio temporis inter quoad cætera æquales, & tunc hoc jure juxta ſententiam Guyeti æquum videtur, ut Sancti veteris Teſtamenti, & qui Diſcipulorum Domini Titulo gaudent, uno verbo, qui tempore præcedunt, aliis ſui ordinis, cæteris paribus, præferantur.

VIII. Gav. eod. n. 7. *De Sancto Patrono loci ante Titularem Eccleſiæ &c.*) Deſcribit Gavantus *n. 6.* quis intelligi debeat Sanctus Patronus principalis loci, & quis Titularis Eccleſiæ, hic autem ſtatuit de utroque Commemorationem eſſe faciendam, & de Patrono quidem loci ante Eccleſiæ Titularem, regulariter tamen loquendo, niſi valde magna inter hos ſit dignitatis diſtantia. Gavanto adhærent Halden *par. 3. tit. 1.* & Lohner *inſtruction. pract. 2. part. 2. tit. 2. §. 11. n. 3.* Interpretantes illa verba Rubricæ ſuperioris, quæ habentur *n. 1. & illis adjungitur Commemoratio de Patrono, vel titulo Eccleſiæ ante, vel poſt Commemorationem de Apoſtolis:* & dicentes quod to, *vel* ibi tantum ſignificet ante, vel poſt Commemorationem de Sancta Maria, & de Apoſtolis, cæterum debere Commemorationem fieri, & de Patrono loci, & de Titulari Eccleſiæ, ſed prout eorum dignitas expoſcit. Gavanti tamen opinionem refellit Guyetus *lib. & cap. cit. q. 9.* dicens, quod ſi vera eſſet ſua ſententia, peſſime concepta fuiſſet Rubrica; debuiſſet enim ſaltem ſic poni; *illis adjungitur Commemoratio de Patrono loci, & Titulari Eccleſiæ &c.* at cum vox *loci* tum in Rubrica generali ſuperius poſita, tum in Rubrica particulari, quæ in Pſalterio habetur ante ipſa Suffragia, non habeatur vox

loci;

*loci*; & utrobique deficiat particula *&*, habeaturque ſemper particula *vel* disjungens Patronum a Titulari, itaut non ſeorſim uterque ad diverſa, ſed alteruter ad idem pertineat, videlicet ad Eccleſiam in gradu Patroni, vel in gradu Tituli, quis non videt Gavantum tenebras in tam clara luce offundere? Hæc Guyetus, qui ſubdicit: maneat itaque Rubricam unius dumtaxat præcipere Commemorationem, ſive is ſit Eccleſiæ Patronus, ut Sanctus Stephanus, Sanctus Antonius &c. ſive Titulus aliquis, puta Sanctiſſimæ Trinitatis, S. Salvatoris, Sanctæ Crucis &c.

Quamvis difficillime a Gavanti noſtri doctrina recedam, nihilominus in hoc caſu ponderationes, & rationes a Guyeto allatæ cogunt me ad ejuſdem potius, quam ad Gavanti, & aliorum ſupracitatorum ſententiam amplectendam. Revera enim Rubrica unius tantum Commemorationem præcipit, non vero duorum. Siquidem poſtquam dixit adjungendam eſſe Commemorationem de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ, ante vel poſt Commemorationem de Sancta Maria, & de Apoſtolis, ſubdit *pro dignitate illius*: ubi adverto, quod non dicit pro dignitate illorum, ſicuti dixiſſet ſi duorum, nempe tum de Patrono loci, tum de Titulo Eccleſiæ Commemorationem faciendam præſcripſiſſet, ante, vel poſt Commemorationem de Sancta Maria, & de Apoſtolis. Auctor igitur Rubricæ optime conſideravit, quod aliquando Eccleſia habet ſolum Titulum ſtricte acceptum, non vero Patronum, ſicut accidit quando eſt conſecrata ſub Invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, vel alterius Myſterii; aliquando vero contingit Eccleſiam eſſe dedicatam ſub Invocatione, ſeu Protectione alicujus Sancti, qui propterea vocatur Eccleſiæ Patronus, & idcirco Rubrica præſcribit faciendam eſſe Commemorationem Tituli, vel Patroni. Diſcrimen, quod intervenit inter Eccleſiæ purum Titulum, & Eccleſiæ Patronum fuit a nobis expoſitum in noſtris Additionibus ſupra ad Commentaria Gavanti *Sect. 3. cap. 12. ſub n. 7.* De hoc diſcrimine inter Patronum, & Titulum Eccleſiæ agit etiam ſuo more fuſe, & doctiſſime citatus Guyetus *lib. 1. cap. 5. quæſt. 1. & ſeqq.*

Quamvis igitur ex diſpoſitione prædictæ Rubricæ nulla deducatur obligatio faciendi Commemorationem de Patrono loci, nihilominus, quia mos invaluit apud fere omnes inter Communia Suffragia recenſendi etiam Patronum principalem loci, in quo recitatur Officium, idcirco non eſt recedendum ab hac pia conſuetudine, præſertim ubi eſt legitime introducta. Pro qua facit ſequens Decretum - Dum dicenda ſunt Suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis principalibus, facienda eſt Commemoratio tantum de Patrono principaliori - ita Sacra Rituum Congregatio 30. Novembris 1683. & datur in noſtro Indice ſub *n. 149.* Guyetus tamen *cit. lib. c. 17. q. 8.* poſtquam docuit, quod ubi fuerint plures Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ (qui duos numquam excedunt) omnium fieri debere Commemorationem, adducendo aliqua exempla; concludit, quod idem pariter eſt faciendum ubi eſt conſuetudo, ut de Patrono loci, ſeu Diœceſis, fiat Commemoratio per omnes Diœceſis Eccleſias. Verum ſemper ſervandum eſt allegatum Sacræ Congregationis Decretum. Cæterum, quod ſi adſint plures Patroni, vel Tituli Eccleſiæ, de omnibus poſſit fieri Commemoratio, immo omnes in una Antiphona, & in unica Oratione poſſint de licentia Majorum conjungi, exemplum nobis exhibet Sacroſancta Lateranenſis Baſilica, quæ hoc modo comprehendit Commemorationem Salvatoris, & utriuſque Joannis, qui ſunt Titulus reſpective, & Patroni ejuſdem primæ omnium Cathedralis Eccleſiæ. Lubet hoc loco adducere Antiphonam, Verſus & Orationem, quam pro dicta Commemoratione adhibet Clerus ejuſdem Baſilicæ.

### COMMEMORATIO SALVATORIS,

#### ET UTRIUSQUE JOANNIS
#### Præcurſoris, & Evangeliſtæ,

*Facienda a Choro Romano Sacroſanctæ Cathedralis Eccleſiæ Papalis Lateranenſis.*

*Ad Veſperas, et Laudes, Antiphona.*

SALVATOR Mundi, ſalva nos omnes hujus Aulę ſervulos, & Pręcurſoris inclyti, Diſcipulique dilecti devota memoria vota noſtra perducat in Patriam.

*Ad Veſperas:*

℣. Mirabilis Deus.
℟. in Sanctis ſuis.

*Ad Laudes.*

℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hanc Sacratiſſimam Conſtantinianam Baſilicam in tuo, & utriuſque Joannis Nomine dedicatam, cunctarum Urbis, & Orbis Eccleſiarum decoraſti Primatu; concede nobis famulis tuis, ut amborum meritis, & precibus, a noſtris reatibus expiari, ad te SALVATOREM noſtrum pervenire valeamus. Qui vivis & regnas, &c.

IX. Gav. eod. n. 7. - *Patronus principalis Ordinis æquiparatur Patrino loci &c.*) Cum juxta Gavanti ſententiam, & juxta communem conſuetudinem inter Commemorationes communes recenſeatur Commemoratio Patroni loci; rurſus cum juxta ejuſdem Gavanti aſſertionem Patronus principalis Ordinis æquiparandus ſit Patrono loci, hinc pius inolevit uſus apud quemlibet Ordinem Regularem Sancti ſui inſtitutoris Suffragium addere inter Commemorationes communes. Sicut autem de Patrono loci regulariter ante Eccleſiæ Titularem fieri Commemorationem convenit juxta Gavanti ſententiam, idem etiam de Patrono principali Ordinis ſentiendum eſſe arbitrantur Halden *part. 3. tit. 6. §. 14.* & Lohner *Inſtruct. practic. 2. part. 2. §. 10.* & citatus Halden addit hanc præcedentiam intelligendam eſſe ſi Patronus Ordinis, & Titularis Eccleſiæ ſint æqualis dignitatis, ſi vero ſint inæqualis, in his Commemorationibus ſervandus eſt ordo dignitatis, qui colligitur ex alibi ab eodem Halden, & etiam a nobis dictis.

Quoad præcedentiam tamen præfatæ Commemorationis recurrendum eſt ad quæſtionem, quam diſcutit Guyetus *lib. 4. c. 12. q. 2.* & quam nos pariter breviter expoſuimus ſupra in noſtris Additionibus ad *Sect. 3. cap. 10. Gavanti n. 9.* nimirum, utrum occurrentibus duobus Feſtis eodem die Patroni principalis loci, & Titularis Eccleſiæ aliquorum Regularium, debeat præferri ab iiſdem Regularibus Feſtum ſui Tituli? In quo dubio decidendo inclinavimus in Guyeti opinionem ob rationes ibidem adductas, & ob eaſdem cenſemus, cæteris paribus, Commemorationem Titularis Eccleſiæ, præſertim a Regularibus præferendam eſſe Commemorationi Patroni loci. Quam quidem ſententiam, etiam generaliter loquendo, & non ſolum de Eccleſia Titulari Ordinum Regularium, tuetur laudatus Guyetus *lib. 3. c. 18. q. 15.* aſſerens diſertis verbis, in prædictis Commemorationibus, cæteris paribus, Titularem Eccleſiæ præferendum eſſe Patrono loci. Utrum autem Regulares eodem modo præferre debeant Commemorationem Titularis ſuæ Eccleſiæ Patrono Principali, ſeu inſtitutori ſui Ordinis; etiam hanc quæſtionem decidiſſe videtur Guyetus *cit. lib. 4. cap. 11. q. 2. §. ult.* ubi concludit - Occurrente ſimul eadem die Patrono, ſeu Titulo Eccleſiæ cum Patrono loci, vel Ordinis, ſeu quocumque alio, illum his eſſe præferendum, ut de eo tranſlatis aliis ſuo die fiat Officium, puta Pariſiis de Sancto Euſtachio in Eccleſia Parochiali ſui nominis die 3. Novembris, pro Sancto Marcello Epiſcopo Pariſienſi, de quo tamquam Patrono eodem die fit in tota Diœceſi; itidem de S. Hermete, aut S. Juliano Martyribus in Eccleſia propria, ſi quæ ſit, Ordinis Sancti Auguſtini die 28. Auguſti eadem ipſa die occurrente. Ex hac enim Guyeti doctrina infertur, quod pariter in Commemorationibus Communibus PP. Auguſtinienſes addicti Eccleſiæ S. Hermetis deberent præferre Commemorationem ejuſdem Titularis Eccleſiæ, Commemorationi Sancti Auguſtini eorumdem Patroni. Nihilominus & PP. Auguſtinienſes, & PP. Franciſcani in Rubricis ſui Breviarii Commemorationem Sancti Franciſci reſpective, & Sancti Auguſtini præferunt Commemorationi Titularis Eccleſiæ.

X. Gav. n. 15. - *An qui plures habet beneficiorum, & Eccleſiarum Titulos, &c.*) Putat hoc Gavantus cum Sanchez & Bonacina, eum qui plures habuerit Beneficiorum, & Eccleſiarum Titulos, teneri totidem in Officio Commemorationes facere, uniendo ſaltem earum nomina in Orationibus, de majorum licentia formata communi Antiphona cum ſuo Verſu. Longius progreditur Bonacina, & omittentem hujuſmodi Commemorationes peccati lethalis reum affirmat, tenerique pro rata ad reſtitutionem fructuum. Doctrinam hanc nimium rigidam jure Gavantus autumat. Cæterum priorem Gavanti & Bonacinæ ſententiam tacito tamen Sanchez nomine, refellit doctiſſimus Guyetus *lib. 3. cap. 17. q. 10.* hac ratione, quia prædictus Beneficiarius non plus tenetur ad Commemorationes, quam ad ipſamet Feſta, cum Rubricæ æque obligent ad hæc, quam ad illas, immo etiam amplius, nam Rubrica de Feſtis loquitur in plurali, quæ vero præcipit Commemorationes; tantum in ſingulari, quaſi non pluſquam ad unam obligans; ſed ad omnia Feſta prædictorum Titulorum ſeu Eccleſiarum, non tenetur ejuſmodi Beneficiarius, ſatiſque eſt ſi illius Eccleſiæ, apud quam reſidet, vel ſi in nulla reſideat, dignioris, aut ſi pares ſint Eccleſiæ, utrius volet, Feſta ſervaverit, ergo non tenetur etiam per omnium ad omnes Commemorationes, ſed ad Commemorationem Tituli tantum in quo reſidet, vel dignioris, vel cujus ipſe voluerit.

XI. Gav. n. 18. - *Quæ eſt Sancti Auguſtini Serm. 18. de Sanctis, etc.*) Quamquam in Breviario Romano ſecunda die poſt Octavam Nativitatis, legatur Sermo iſte 18. *de Sanctis*, in quo habentur verba illa: *Sancta Maria ſuccurre miſeris, etc.* quæ modo conſtituunt Antiphonam pro Suffragio Beatæ Virginis, nihilominus certum omnino videtur Sermonis illius parentem non eſſe Auguſtinum, ac proinde ipſum hujus Antiphonæ auctorem dici non poſſe, quemadmodum hoc loco Gavantus aſſeruit. Illum ut falſum Verlinus, & Vindingus omnino rejiciunt; dubium vero relinquunt Lovanien-

nienſes Auguſtini operum editores. PP. Maurini; Verlino, & Vindingo adhærent his moti rationibus: etenim ſi ſermo ille de Nativitate B.V. compoſitus fuit, ſicuti in omnibus fere MSS. inſcribitur, neceſſe eſt auctorem habeat Auguſtino recentiorem, cum hic in Sermonibus 289. & 293. dictis in Natali S. Jo: Baptiſtæ diſerte teſtetur hujus tantum, & Chriſti Domini Nativitatem in Eccleſia ævo ſuo celebrari ſolitam. Sed in quamcumque B.M. diem referatur hic Sermo, certe nullum ipſius Virginis Feſtum exhibet Kalendarium antiquum in Carthaginenſi Eccleſia uſque ad Auguſtini ſaltem obitum, qui in eo conſignatur, uſitatum. Negotium etiam faceſſit, quod in eo Sermone fingitur de Sabellianis; illos nimirum commentos fuiſſe B. V. non decurſis novem a Conceptione menſibus peperiſſe Chriſtum, ſed fortuito parvulum ab ea repertum; delirium hoc nuſquam ab Auguſtino refutatum, ibi commemoratum eſt, immo Patripaſſianos, qui ſunt Sabelliani, dixiſſa ipſum Patrem natum ex fœmina obſervat in Sermone 52. *n.6.* quæ momenta clare convincunt Sermonem hunc Auguſtino adjudicari non poſſe. Lovanienſes obſervant S. Fulgentio a quibuſdam tribui; Patres vero Maurini teſtantur in duobus MSS. Germanenſibus præferri nomen Hieronymi. Tantis nominibus indignus eſt Sermo. Grancolas *l.1. c.34.* vult Auctorem illius Antiph. *S. Maria ſuccurre miſeris, &c.* eſſe Ambroſium Auſpertum Monachum Beneventanum, qui ſæculo VIII. floruit, quæ aliorum quoque ſenteotia fuit obſervante Guillelmo Cave, qui tamen id adeo incertum eſſe affirmat, ut uberiorem diſpoſitionem nequaquam mereatur.

## De Hymno, Te Deum. XXXI.

### R U B R I C A.

1. *Hymnus, Te Deum, dicitur in omnibus Feſtis per annum, tam trium, quam novem Lectionum, & per eorum Octavas, excepto Feſto Ss. Innocentium, niſi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis, a Paſcha Reſurrectionis incluſive uſque ad Adventum excluſive, & a Nativitate Domini incluſive uſque ad Septuageſimam excluſive, & in omnibus Feriis temporis Paſchalis, ſcilicet a Dominica in Albis uſque ad Aſcenſionem, excepta Feria ii. Rogationum, in qua non dicitur.*
2. *Non dicitur autem in Dominicis Adventus, & a Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum incluſive; neque in Feriis extra tempus Paſchale.*
3. *Cum dicitur, omittitur ſemper nonum, vel tertium Reſponſorium: & ſtatim dicitur poſt ultimam Lectionem.*
4. *Cum non dicitur, ejus loco ponitur nonum, vel tertium Reſponſorium: quo dicto, ſtatim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur Te Deum, eo Hymno dicto, ſtatim inchoantur Laudes, præterquam in Nocte Nativitatis Domini: quia tunc dicitur Oratio: poſtea celebratur Miſſa, ut ſuo loco notatur.*

## De Hymno, Te Deum. Cap. XIX.

### *G A V A N T U S.*

1. Hymnus, *Te Deum*, a Ss. Ambroſio, & Auguſtino compoſitus fuiſſe dicitur, quando S. Auguſtinus baptizatus fuit Ann. 388. ut ſcribit S. Dacius Epiſcopus Mediolanenſ. *lib. 1. c.10. Chronici*; quod tamen Chronicum non eſt Dacianum, ſi eruditionibus eſt credendum Mediolanenſibus; qui etiam melius cenſent, totum Hymnum uni Ambroſio deberi, cum ille Dialogiſmo careat. In Breviario MS. Collegii Aniciani de Urbe antiquiſſimo, legi pro titulo: *Hymnus S. Abundii*; de quo peritiores conſului, qui tamen adhuc ignorant, quis ille poſſit eſſe. Gelaſius autem decantari decrevit, ex Benzon. *in Magnific. lib. 1. c.19.* & S. Bened. *in Regula* cantari juſſit, poſt tertium Nocturnum, quo ſignificante tempus gratiæ, quaſi Chriſtum hoc tempore invenerimus, exclamamus. *Te Deum laudamus*, ut meditatur *Hugo l.2. de Offic. c.9.*

2. Dicebatur Romæ in Feſtis Pontificum tantum; tempore Amalar. ut ipſe ſcribit *in prolog. de ordine Antiphon.* In Dominicis, & Feſtis novem Lectionum, ait *Micrologus cap. 46.*

3. Non in profeſtis dicendum, ait Innoc. III. *de celebrat. Miſſ. c. Conſilium*, quod explicat Radulph. *propoſit.* 13. etiam de Feſtis Simplicibus, *& propoſ.* 16. probat, quod non deberet diei, neque etiam tempore Paſchali, neque infra Octavas. Ex quo infero, tunc temporis etiam in his diebus fuiſſe uſurpatum in Officio, contra ſententiam Radulphi, non bene ſentientis de hoc Ritu.

4. A Septuageſima ad Paſcha non dicitur, *Microl. c.47.* neque in Adventu. Idem *c.30.* cum *Gemma l.3. c.1.*

5. An vero ſit finis Matutini, vel initium Laudum, diſputavimus ſup. *Sect.4. c.2. n.3.*

6. Plenus eſt lætitiæ, & ideo in prædictis, cantatur, aut omittitur: quo dicto, inquit Rubrica, de hoc Hymno *n.4.* ſtatim inchoantur Laudes. Noſtra enim conſuetudo humanæ infirmitati parcens, & labori, Officio nocturno laudes matutinas continuat, & Oratione una duo concludit Officia, *Hugo Victor. l.3. c.9.* excepta nocte Natalis Domini, ut ibi dicemus.

7. Feſtum Innocentium non admittit hunc Hymnum, niſi in die Octava, cujus cauſam dabimus in Sectione ſequenti *c.6. n.3.*

* 8. Verſus, *Sanctus, Sanctus, &c.* videtur eſſe unus, & ab una parte Chori totus dicendus: ſed quia primæ litteræ S. imprimuntur colore rubro, videntur alternatim ea verba cantanda, & ideo ſtandum erit conſuetudini locorum.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n.1 — *Quod tamen Chronicum non eſt Dacianum &c.*) Vulgaris, & communior ſententia tenet Hymnum, ſeu Canticum *Te Deum laudamus* a Ss. Ambroſio, & Auguſtino alternatim, & extempore ejuſdem Verſus divino ſpiritu afflatis recitantibus, fuiſſe compoſitum, in gratiarum actionem, ſtatim poſtquam D. Auguſtinus Baptiſmi Sacramentum ſuſcepit. Hanc vulgarem, & communiorem ſententiam amplectuntur omnes illi, quos refert doctiſſima; Puricellus *in Diſſert. Nazarian. c. 39. n. 12.* quos etiam recenſet P. Euſtachius a S. Ubaldo in ſua elaboratiſſima Diſquiſitione, quam adornavit de Auctoribus hujus Hymni, ſeu Cantici *n.* 457. quibus addit etiam Cornelium Schultingium *in Biblioth. Eccleſiaſt. tom. 1. part. 2. c. 2. in fin.* Lorinum *in Pſal. 27. verſ. 9.* Rutilium Benzonium *in Magnificat l. 1. c. 29.* Joannem Azorium *Inſtitut. Moral. tom. 1. lib. 10. c. 15. de Canticis* & iterum *de Hymnis*. Carolum Macignum *de Hor. Canonic. c. 36.* Jacobum Bayum *Inſtitut. Religion. Chriſtian. lib. 4. c. 12. §. Cantus*. Henricum Spondanum *in Epitom. Annal. Baron. in addit. ad n. 9. Anno* 388. Franciſcum Suarium *tom. 2. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. c. 2. n.14.* Antonium Perez *ad c.9. Regul. S. Bened. n.* 4. Jo: Baptiſtam Caſalium *de vet. Sac. Chriſt. Ric. c.* 46. Ambroſium Coriolanum *in Vit. S. Auguſtin.* Antonium Bellotte *de Rit. Eccleſ. Laudun. obſerv. 32. n. 3. pag.* 193. Franciſcum Carrier *in Digeſt. Fidei Cathol. pag. 585. col. 1.* Emmanuel Gonzalez *in Coment. ad c. Presbyter. de celebr. Miſſar. n.* 20. Aloyſium Torrellum *in Sæcul. Auguſtinian. ad Ann. 387. n.* 25. Alphonſum Villeg. *in l. Flos Sanctorum in Vit. S. Auguſt.* 28. *Auguſti*. Joann. Stephan. Menochium in ſuis *Stromat. par. 5. c. 6.* Dominicum Macrium *in Notit. verb. Eccleſ. verb. Te Deum laudamus*. Placidum Pucinellum *in Zodiac. Eccleſ. Mediol. part. 3. c. 17. in fin. & in Vit. S. Simplic. pag.* 15. Andream Piſcaram Caſtaldum *in Prax. Caremon. l. 2. ſect. 3. c. 2. n. 9.* & Jo: Baptiſtam Ruſcam *in MS. de Cantu Eccleſiaſt. c. 52. in Bibliotheca Ambroſiana*. Omnes iſti præfati Hymni *Te Deum laudamus* S. Ambroſium, & Auguſtinum nonniſi ex ſuppoſito S. Dacii Chronico *l. 1. c. 9.* Auctores fuiſſe cognoſcunt; cujus Dacii Textum damus, non prout traditur a Jacobo de Valentia in expoſitione *Te Deum*, ſed prout legitur in Hiſtoria Landulphi a celeberrimo viro Ludovico Antonio Muratorio, cui innumera debet eruditorum Reſpublica, nuperrime evulgata, & inſerta *tom.4. Script. Rerum Italicar.* — Eodem tempore contigit, ut quidam ſapiens, tamen errore Manichæorum ſeductus, nomine Auguſtinus, argumentis Dialecticæ armatus, & poſtea Dei Fidelis, & Catholicus vivens Epiſcopus, eum in Eccleſia Hyemali non orationis curioſitate neque ſecundum cauſam utilem videndi, & audiendi Dominici myſterii, ſed reprehendendi gratia B. Ambroſium de Incarnatione Domini ad Populum inveniſſe tractantem, & prædicantem, oblitus ſui, & ſuarum omnium cogitationum, pallens, & tremens omnibus, qui erant, & videntibus obriguit. Quin etiam finita admonitione, quam ad Populum B. Ambroſius miniſtrabat, privatim ad eum Auguſtinus pervenit. At B. Ambroſius cognita ejus ſcientia, patefactaque ejus diſciplina quid in arte valeret, qualiter in Fide Catholica diſſentiret, & per Spiritum Sanct. cognoſcens, qualiterque Fidelis, & Catholicus futurus eſſet, placidiſſime, & multum charitative eum ſuſcepit . . . Tandem nutu divino non poſt multos dies, ſicut multis videntibus, & ſibi conſentientibus, palam obſervaverant, ſic in fontibus, qui B. Joannis adſcribuntur, Deo opitulante, a B. Ambroſio, cunctis Fidelibus hujus Urbis adſtantibus, & videntibus, in nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis baptizatus, & confirmatus eſt. In quibus fontibus, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, *Te Deum laudamus* decantantes, cunctis, qui aderant, audientibus, & videntibus, ſimulque mirantibus, id poſteris ediderunt, quod ab univerſa Eccleſia Catholica uſque hodie tenetur, & religioſe decantatur, & quaſi ditari multis divitiis, et inæſtimabilibus Margaritis, mutuo in Deum lætantes, et cum gratiarum actione cibum ſumentes, lætati ſunt, et gaudio magno gaviſi in Deo confortati ſunt. —

Gav. autem noſtræ prædictæ vulgari, et Communiori ſententiæ aperte refragatur, quia, eruditioribus adhærendo, non admittit chronicum S. Datii Antiſtitis Mediolanenſis, qui ſupre-

ſupremum diem obiit, vel anno 553. ut opinatur Eminent. & Doctiſſimus Card. Henricus Noris *Diſſert. Hiſtor. de Quinta Synodo c. 9.* vel anno 552. ut eruditiſſime oſtendunt Ballarini Fratres in Obſerv. ad dictam Diſſertationem n. 1. Gav. & aliorum ſententiæ ſubſcripſit etiam Hugo Menardus *in notis ad Ritum Unctionis Regis Francorum poſt Sacramentarium S. Gregorii pag. 399. & 400.* Theophilus Raynaudus *tom. 11. in Erotem. de bon. & mal. lib. part. 1. Erotem.* 10. *n.* 184. Supracitatus Jo: Petrus Puricellus in *Vit. S. Laurentii c. 11. n. 2. & c. 20. n. 17.* fuſe vero in *Diſſert. Nazarian. c. 39. n.* in. *& ſeq.* Oudin. *in Supplem. ad Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. verb. S. Datius*; Edmundus Martene in *Comment. ad Reg. S. Benedicti c. 11. part.* 280. Paulus Boſca in *Martyrol. Eccleſ. Mediol. ad diem 14. Jan.* Jo: Mabillon *tom. 1. Analect.* Grancolas *Comment. Hiſtor. in Breviar. Roman. l. 1. c. 33.* Card. Bona *in notitia Auctorum præfixa ſuo operi de Divin. Pſalmod. lit. D* ubi ait: *Datio Epiſcopo Mediolanenſi falſo adſcriptum Chronicum, ut cenſent viri eruditi.* Et *eod. lib. de Div. Pſalmod. c. 16. §. 12. n. 3.* Verum idem Cardinalis in memoria M. S. Correctionum, quas Pſalterio Romano, quo nunc Baſilica Vaticana utitur, adhibendas adnotarat, & quas per manus eruditiſſimi Ciampini ſe obtinuiſſe aſſerit ſupralaudatus P. Euſtachius n. 495. ſic legitur -- Corrigendi pag. 27. quamvis Hymnus Te Deum laudamus in Pſalterio M. S. Baſilicæ Vaticanæ nomen præferat S. Siſebuti, non eſt tamen recedendum ab antiqua traditione, quæ Ss. Ambroſio, & Auguſtino ipſum tribuit, cum ſit communiter recepta; neque ſatis conſtat quis fuerit ille S. Siſebutus. Ab aliis tribuitur S. Abundio, ut obſervo in meo tractatu de Divin. Pſalmod. c. 16. §. 12. n. 3. Delendum igitur nomen S. Siſebuti, & ſubſtituendum Ss. Ambroſii, & Auguſtini. Hæc Card. Bona.

Omnes Auctores, qui Gav. ſententiæ adſtipulantur, eodem cum ipſo nituntur fundamento, nimirum, quia Chronicum Datianum ſuppoſititium omnino eſt; vel ſaltem valde dubium, juxta eruditorum Auctorum ſententiam, unde corruente fundamento principali contrariæ ſententiæ, eamdem quoque nutare perneceſſe eſt.

P. Euſtachius in *ſua eruditiſſima Diſquiſ. n. 455.* aperte fatetur S. Datii Chronicon revera non reperiri, ſed *n. 473.* prædictum Chronicon extitiſſe ait; & ſuum aſſertum probare conatur, quia Bernardinus Corius, Gualvaneus Flamma, qui floruit anno 1344. necnon Auctor Chronici *Flos florum*, qui claruit anno 1339. omnes, inquam, iſti ſcriptores antiqui Mediolanenſes Datiano Chronico utuntur; unde concludit P. Euſtachius *a tot antiquis laudatum Datii Chronicon extitiſſe, pervicacis tantummodo eſſet denegare.* Nihilominus ſupra allegatus doctiſſimus Muratorius in Appendice ad primum tomum Anecdotorum Cap. 6. necnon in Præfatione ad Landulphi Senioris hiſtoriam, validis profecto argumentis P. Euſtachii ſententiam convellit, ejuſque fundamenta evertit; oſtendit ſiquidem Chronicon Datii Mediol. Archiepiſcopi ab Hiſtoriographis mox laudatis commemoratum, nihil aliud eſſe, quam Landulphi Senioris Chronicon, nunc a ſe publici juris factum, nullaque ſatis firma ratione probari poſſe Chronicon aliquod a vetuſtiſſimo illo Archiepiſcopo Datio conſcriptum fuiſſe, atque adeo excidere, vel ſaltem nutare argumentum ex ejuſdem S. Datii auctoritate & antiquitate petitum pro Auctoribus Hymni *Te Deum laudamus*. Muratorii autem argumentis magnum præſidium accedit ex iis, quæ ipſemet P. Euſtachius *n. 467.* & *n. 468.* commemoranda eſſe tamquam certa aſſeverat; & primo quidem in Bibliotheca Capituli Metropolitani Eccleſiæ Mediolanenſis duos reperiri Codices Hiſtoriarum Landulphi Senioris juxta fidem laudati Puricelli *in diſſertat. Nazarian. cap. 37. n. 8. & c. 39. n. 13. & 21.* quorum ſaltem uni adnexæ ſunt Hiſtoriæ Arnulphi, & Landulphi Junioris Scriptorum pariter Mediolanenſium. Secundo vero commonet idem Euſtachius huic Landulphi Codici hunc appoſitum fuiſſe, recentiore tamen manu, Titulum; *Chronica Datii Archiepiſcopi Mediolani nuncupata*; idem colligitur ex reſponſionibus Antonii Mariæ Puſteriæ ejuſdem Capituli Metropolitani Bibliothecarii ad quæſita Jo: Mabillonii ſuper veritate Datiani Chronici, quod, in eadem Bibliotheca aſſervari prætenſerat, prout in Analectis ejuſdem Mabillonii *tom. 1. pag. 5. ad 2. & 3.* habetur his verbis: *Non modo non eſſe eadem manu deſcriptum; verum neque ab eodem Auctore; nam primam partem ſcripſit Landulphus ſenior; ſecundam Arnulphus; & tertiam Landulphus junior omnes Mediolanenſes Hiſtorici. Titulus Chronicorum eſt recentior, iſque eſt hujuſmodi: Chronica Datii Archiepiſcopi Mediolani nuncupata.* Hoc forte inſinuare voluit Carolus a Baſilica Petri in fragmentis Hiſtoricorum Mediolanenſium illis verbis: *Libellis quibuſdam Hiſtoricis imperite præpoſitum Datii nomen vidimus.* Sed revera Chronicon Datii non eſſe, & talem Titulum illi Codici ab imperito fuiſſe adjectum, qui cum Chronicon Datii non inveniret, & nomen Landulphi fortaſſe non obſervaverit, putavit hanc, quam eſſe Landulphi ignorabat, hiſtoriam Datio eſſe adſcribendam. Ita fatetur ipſemet Euſtachius, & ita eveniſſe cenſet Muratorius, qui aliis etiam verbis exhibet alium ſimilem Titulum, quem eiſdem plane characteribus, figuris in priori pagina ſcriptum ſe legiſſe aſſeverat, nimirum; *Chronica Datii Archiepiſcopi Mediolanenſis mei Franciſci Caſtelli S. Mediolanenſis Eccleſiæ Ordin.* 1575. En igitur, ſubdit Muratorius, ut in eo Titulo apponendo, erravit Franciſcus Caſtellus, Vir alioquin eruditus, nam quamvis ad Datium quempiam referri forſan potuit Chronicon illud; at numquam profecto ad Datium Antiſtitem Mediolanenſem, qui tot ſæculis poſt mortem ſuam acta, litteris conſignare nequivit. Hinc dicere poſſumus cenſuiſſe Caſtellum (eodem ſæculo) quo *Corius, & Alciatus* viventem, quamquam juniorem, non aliud eſſe Datii Chronicon, quam Landulphi hiſtoriam. Quamquam in calce Codicis Metropolitani ſcriptum ſit, vetuſtiſſimis characteribus *explicit Liber hiſtoriarum Landulphi hiſtoriographi*, nihilominus hæc nil obſtitere, quo minus Datio eam hiſtoriam Caſtellus inſcriberet; quippe qui probe noſſet cum veteres Chronici Datiani mentionem faciunt, non de alia, quam de Landulphina hiſtoria agere. Animadvertit etiam Muratorius, quod in eadem pagina, in qua Franciſcus Caſtellus affixit præfatum Titulum, ab alia manu exarata leguntur hæc verba: *Primus Landulphus, Secundus Arnulphus, Tertius Landulphus*, qui omnes ſcripſere inter ann. Domini 1000. & 1100. & fere de Rebus ſchiſmaticis illius temporis, ut mirum ſit bonum Caſtellum Datii Titulum impoſuiſſe. Miratur P. Euſtachius n. 469. quomodo Puricellus, qui prælatas Landulphi hiſtorias perluſtravit, de ſupradicto Datii appoſito Titulo, nec verbum habuerit, quare niſi ſuppoſita Caroli a Baſilica Petri verba obſtarent, locus eſſet dicendi non ſolum recentiori, ſed recentiſſima manu, hoc eſt poſt ipſum Puricellum illi Codici additum ejuſmodi Titulum. Hæc Euſtachius, qui ſubdit, quod ubi ab Auctoribus de Chronico Datii agitur, v. g. ubi *Te Deum laudamus* in Auguſtini Baptiſmo, ab ipſo una cum Ambroſio decantatum, aut alia hujuſmodi e Datii Chronico referunt, non ſunt intelligendi de hoc Landulphi Codice, cum ea inſcriptione *Chronica Datii Archiepiſcopi Mediolani nuncupata*: ſed de alio opere hiſtorico, a Landulphi hiſtoria diſtincto, ab eodem S. Datio conſcripto. Verum hujuſmodi Euſtachii aſſumptum omnino collabeſcit, quia ut optime obſervat Muratorius in ſua allegata Præfatione ad Hiſtoriam Landulphi, omnia ea, quæ a Gualvaneo, aliiſque tamquam e Datii Chronico afferuntur, iiſdem verbis in Landulphi hiſtoria perhibentur. Incredibile autem videtur Landulphum, cum hiſtoriam ſuam ſcriberet, unum Datium explicare voluiſſe, totamque ferme hiſtoriam ſuam ex ejuſdem libris concinnaſſe; deinde Gualvaneus, & alii ſupra allegati Scriptores antiqui Mediolanenſes unius Datii mentionem ſæpe quidem fecerunt, nullam vero Landulphi, cum tamen hujus Chronicon eorum ævo extaret; evidens igitur eſt illos Scriptores Datium cum Landulpho confudiſſe. Denique Gualvaneus Flamma in enumerandis libris, unde ſuam contexit hiſtoriam, inter alios refert Chronicon Datii: *Chronica Datii, & Arnulphi*, in duobus autem Metropolitanæ Bibliothecæ vetuſtis Codicibus conjuncte ſimul habentur *cum Landulphi, tum Arnulphi Hiſtoriæ*; nimirum apud veteres ſubſequi ſolebat Arnulphus; hinc clare apparet Gualvaneo idem fuiſſe Chronicon Datii, ac Chronicon Landulphi. Cur vero Landulphi hiſtoria ſub Datii nomenclatura apud antiquos etiam celebrata fuerit, certis documentis profecto aſſequi nequimus; neque hic inſudandum, ait Muratorius, cum reliqua omnia ad id ſtatuendum conſluant, nempe hiſtoriam hanc Landulphi antiquis cognitam, memoratamque fuiſſe ſub Datii nomine, neque neceſſarium eſſe a Landulpho excogitare Datium, eidem Landulpho Syncronum, ut excogitavit Puricellus, ſed ſine ullo fundamento, ut fatetur etiam ipſemet P. Euſtachius.

Neque excipias, quod Puricellus, & P. Euſtachius, aliqua a Gualvaneo, Corio, & Alciato adducta aſſerant, tamquam excerpta e Datii Chronico, quæ nunc in hiſtoria Landulphi, aut fruſtra quæruntur, aut aliter exhibentur, itaut inferri poſſit aliam a Landulphina fuiſſe Datianam hiſtoriam: non enim ex hac diverſitate Textuum inferri legitime poteſt varietas Auctorum præfatæ hiſtoriæ; Verborum quippe, & ſententiarum diverſitas, vel tribuenda eſt Gualvaneo, qui hæc amplificat, aut ex aliis hiſtoriis, aut de ingenio, & eruditione ſua explicat Landulphi ſenſa, vel dicendum eſt cum Muratorio olim fuiſſe, & adhuc eſſe Landulphi unius Codices inter ſe diſcordes, quod forte idem Scriptor, aut alius quiſquis addiderit, ſive imminuerit, aut priora mutarit. Aliqua hujuſmodi adnotat diverſa Landulphi ſenſa Muratorius in laudata ſua Præfatione, quæ curioſus Lector conferre poterit cum Codice unde Landulphi hiſtoriam ipſe Muratorius deſcripſit, & facile intelliget Landulphinæ hiſtoriæ Codices M. SS. non omnes in iiſdem conſentire, multaque aut addita, aut dempta fuiſſe.

Unicum ſupereſt argumentum a nobis diluendum, quo P. Euſtachius confidenter jactitat nu. 484. ſe probare S. Datium Hiſtorias vere conſcripſiſſe, quia nimirum Paulus Diaconus, qui floruit anno 780. *Hiſtor. lib. 16.* ſic habet: *Tanta ſiquidem per univerſum mundum eo Anno, maximeque apud Liguriam fames excreverat, ut ſicut vir Beatiſſimus Datius Mediolanenſis Antiſtes retulit, pleræque Matres infelicium natorum comederent membra*, quod, & præſtat Anaſtaſius Bibliothecarius in S. Sylverio dicens: *eodem tempore tanta fames fuit per univerſum mundum, ut Datius Epiſcopus Ci-*

vita-

Digitized by Google

*vitatis Mediolanenſis relatione ſua hoc evidenter narraverit, quod in partibus Liturgiæ, &c.* Ex iis P. Euſtachius deducit liquido conſtare a S. Datio hiſtoriam aliquam ſui temporis conditam fuiſſe. Verum Doctiſſimus Bollandus *tom. 1. Act. Sanct. in vita S. Datii ad diem 14. Jan.* §. 1. n. 13. de hiſce Datii ſcriptis ait: *Poſſent tamen relationes videri fortaſſis epiſtolicæ narrationis*, cui Bollandi opinioni libenter accedo, non enim ex prædicta famis relatione a S. Datio exarata, inferri legitime poteſt ipſum, & ſuorum, & ſuperiorum temporum hiſtorias ſcriptis conſignaſſe: multoties ſiquidem contingit, quod ſacri Antiſtites in ſimilibus eventibus Paſtorales exſcribant Epiſtolas ad ſuum Clerum, Populumque directas, eos adhortando ad publicas pœnitentias ſubeundas, preceſque effundendas, ut divinæ Juſtitiæ flagella removeantur, ſic Doctiſſimus, & zelantiſſimus Henricus Xaverius Benſuncius præſens Maſſiliæ Antiſtes anno vigeſimo currentis ſæculi, quo in prædicta Civitate magna graſſabatur lues, piiſſimam, elegantemque adornavit epiſtolam Plebi ſuæ directam, in qua mirabili profecto ſtylo deſcribebat illius temporis calamitates, quibus ſua Diœceſis premebatur, referebatque damna Maſſiliæ illatæ ab ea, quæ tunc ibi ſæviebat, gravi peſtilentia. Si quis hiſtoricus, ſeu Annaliſta ad comprobandas ſuas enarrationes mentionem faceret hujuſce Relationis, in dicta Paſtorali contentæ, poſſetne inferri laudatum præclariſſimum Præſulem Chronicas ſeu Hiſtorias ſui temporis elucubraſſe? Minime gentium. Ex quo igitur S. Datius aliquam exaravit Relationem maxime famis, quæ per totam Liguriam ſuo tempore excreverat, non inde ſequitur Hiſtorias ſuorum, & multo minus ſuperiorum temporum concinnaſſe. Non bene igitur P. Euſtachius ex prædicta Relatione a Paulo Diacono, & ex eo a Vulgato Anaſtaſio allegata infert, & adſtruit, liquido conſtare S. Datium Chronicon aliquod compoſuiſſe. Quinimmo cum Paulus Diaconus nonniſi pro dicta fame comprobanda, Datii Teſtimonio utatur, & in nullius alterius rei eumdem Præſulem teſtem advocet, ſignum manifeſtum eſt nullum Chronicon ab eo ſcriptis traditum fuiſſe. Rurſus, quoniam hujuſce famis in ſupralaudati Landulphi Codice nulla fiat mentio, omne ruit argumentum, quo probetur eumdem Landulphum ex Datii Chronico aliquid hauſiſſe, quod in ſua hiſtoria cumplexus ſit. Semper itaque firmum remanet nihil certi ſtatui poſſe ſuper prædicto Datii Chronico, & ſuper prælaudatis Auctoribus Hymni, ſeu Cantici *Te Deum laudamus* in eodem Chronico ſignificatis.

Laudatus P. Euſtachius §. 12. & 13. procedit ad comprobandam ſuam ſententiam aliis etiam conjecturis, & argumentis, itaut non ſubſiſtente etiam veritate Chronici Datiani, minime excludi debeant a compoſitione Hymni *Te Deum laudamus* prælaudati Sancti PP. Ambroſius, & Auguſtinus. Igitur comprobare ſtudet hanc ſuam opinionem allegatus Auctor ex M. S. Libro Pſalmorum, quem Carolus Magnus anno 772. Hadriano I. Summo Pontifici dono miſit, qui poſtea ab eodem Hadriano S. Willehado I. Eccleſiæ Bremenſ. Epiſc. de anno 788. donatus in eadem Eccleſia ſæculorum octo, & ultra ſpatio aſſervatus, modo vero in Bibliotheca Cæſarea cuſtoditur teſtante eruditiſſimo Lambeccio *tom.* 2. *Comment. ad eamdem Bibliothecam lib.* 2. *c.* 5. *pag.* 294. poſt *n.* 130. In appendice ejuſdem Pſalterii Hymnus *Te Deum laudamus* reperitur ſub hoc Titulo n. 7. *Hymnus, quem S. Ambroſius, & S. Auguſtinus invicem condiderunt*, Te Deum laudamus. Ex quibus, & ex aliis conjicit P. Euſtachius, quod ſi illis temporibus hæc erat de præfati Hymni Auctoribus opinio, cum putandum non ſit ſine fundamento prædictum opinamentum invaluiſſe, conjicit, inquam, ex Datii Chronico talem notitiam fuiſſe deſumptam; prout & Sapientiſſimus Mabillonius Cap. 6. de Azimo ex prædicto Caroli Magni Pſalterio ſufficienter ſic inſinuat: *hinc apparet perſuaſionem de Auctoribus iſtius Cantici* (ſcilicet Ambroſio, & Auguſtino) *non eſſe admodum novam, & recentem: ſed aut ipſius Datii tempore, aut paulo poſt receptam*. Ex prædictis tamen argumentis, & ex aliis conjecturis, quas congerit Euſtachius §. 13. nihil aliud probatur, niſi quod ante Landulphi ævum, & Hiſtoriam ab ipſo concinnatam locum habuit apud aliquos ſua ſententia de Auctoribus prædicti Cantici, ſed numquam evincitur prædictam opinionem ex Chronico Datiano derivatam fuiſſe, cum revera ante Landulphinam hiſtoriam de tali Chronico Datii nullum habeatur verbum, nulla penitus mentio fiat a ſcriptoribus antiquis, & Landulpho ſuperioribus. Dicendum igitur potius eſt quod antiquæ illi opinioni fucum probabiliter fecit ſermo 92. S. Ambroſii, qui habetur in *edit. Pariſienſ. ann.* 1549. & qui eſt inſcriptus; *De Auguſtini Baptiſmo*; in hoc enim ſermone leguntur hæc verba: *In quo una vobiſcum cum divino inſtinctu Hymnum cantavimus de Chriſti fide*; hic ſermo, & hæc verba, quæ Divo Ambroſio ſuppoſita fuerunt, occaſionem dederunt opinandi S. Antiſtitem locutum fuiſſe de Hymno *Te Deum laudamus*, & hinc originem habuit illa antiqua nonnullorum opinatio, quam Pater Euſtachius derivatam fuiſſe arbitratur ex Chronico Datiano, quod profecto numquam extitit, ut cum Muratorio ſupra oſtendimus. Sed quia pariter prædictus ſermo 92. non eſt genuinus Ambroſii fœtus, immo omnino ſuppoſititius, eumque redarguunt docti viri, (ut aſſerit Poſſevinus in Apparatu ſacro) in quibus eſt etiam Baronius, & Bellarminus Cardinales, quorum poſtremus ait, talem ſermonem longiſſime diſtare a ſtylo, & gravitate Ambroſii, nec ullo modo credibile eſſe, quod in eo ſermone dicitur, Ambroſium ſæpe Deum oraſſe, ut eum a captionibus Auguſtini liberaret. Auguſtinus enim non diſputando cum Ambroſio, ſed eum concionantem audiendo, ad Fidem Catholicam converſus eſt, ut ipſe idem teſtatur *lib.* 5. *Confeſſ. cap.* 13. *& lib.* 6. *c.* 1. Ea quæ aſſeruntur in dicto ſermone, referuntur pariter a Landulpho *ſuprac. lib.* 1. *cap.* 29. unde liquido conſtat ea, quæ ibi enarrat, non eruiſſe ex Chronico Datii, ſed ex hoc ſuppoſito ſermone Ambroſiano. Hunc ſermonem Benedictini PP. adeo Ambroſio indignum exiſtimarunt, ut in noviſſima Ambroſii editione illum omiſerint.

Quamvis autem laudatus Bellarminus Ambroſio dictum ſermonem 92. abjudicet, nihilominus verſatur in vulgari, & communi opinione, quæ Cantici *Te Deum laudamus* Ambroſium, & Auguſtinum Auctores cognoſcit; ait enim *extare Chronicum S. Datii Epiſcopi Mediol. qui Juſtino imperante floruit, in cujus Chronici lib.* 1. *cap.* 10. *ſcribitur: Completo Baptiſmo S. Auguſtini, toto obſtupeſcente Populo, repente Canticum illud a SS. Ambroſio, & Auguſtino alternatim fuiſſe cantatum*. Hæc Bellarminus, cujus ſententiam de Datii Chronico ſatis ſupra refutavimus; quod vero ait Datium, Juſtino imperante, floruiſſe, quod etiam a Gerardo Voſſio dictum eſt *de Hiſtoricis Latinis cap.* 11. falſum omnino eſt, cum Datius ſub Juſtiniano, Juſtini ſucceſſore, floruerit. Ex prædictis omnibus clarum fit prædictam illam antiquam opinionem, quæ ante Landulphi hiſtoriam invaluerat de Auctoribus Cantici *Te Deum*, falſo pariter fundamento fuiſſe innixam, nempe dicto Ambroſiano ſermoni, & quamvis verum ſit, ut ait Mabillonius, eam opinionem receptam fuiſſe, aut Datii tempore, aut paulo poſt, nunquam tamen evincitur, neque Mabillonius aſſerit ex Chronico Datiano eam fuiſſe depromptam. Quapropter confidenter nimis loquitur P. Euſtachius, quando infert nullum eſſe fundamentum denegandi a SS. Ambroſio, & Auguſtino compoſitum fuiſſe Hymnum *Te Deum laudamus*, cum potius e contra certum ſit nullum eſſe fundamentum talem opinionem tuendi, quia hæc deſumi non poteſt neque ex Chronico Datii, quod numquam extitit, neque ex citat. ſerm. Divi Ambroſii, qui ab omnibus ſapientibus rejicitur.

II. Gav. ead. n. 1. -- *Qui etiam melius cenſent totum Hymnum uni Ambroſio deberi, &c.*) Auctores, qui præfatum Hymnum, ſeu Canticum ſoli Ambroſio adjudicant, ſunt Joannes Petrus Puricellus *in Diſſertatione Nazariana ſupracit. cap.* 39. *n.* 7. *&* 8.; Edmundus Martene *ad cap.* 11. *Regulæ S. Benedicti* hæc dicit: *Solus a Smaragdo, & aliis quibuſdam creditur Ambroſius*, ſcilicet Auctor. quia Smaragdus in dicto Cap. Regul. Benedict. *Ambroſianum* eum vocat Hymnum. Qua forte de cauſa Petrus Boerius ad dictum capit. 11. Regul. ex Titulo, inquam, *Ambroſiani*, ſcripſit: *Hic autem Hymnus factus eſt a B. Ambroſio poſt Baptiſmum S. Auguſtini*. Eumdem Hymnum eodem Titulo prænotavit & Gualterus Tervanenſis in vita S. Caroli Comitis Flandriæ *cap.* 38. apud Dufreſne Verb. *Hymnus Te Deum laudamus*; & Scriptor miraculorum S. Pelini apud Ughellium in *Italia Sacra tom.* 9. *col.* 38. ubi legitur: *Quod perſpicientes Clerici intraverunt Eccleſiam, & Te Deum laudamus, Ambroſianum ſcilicet Hymnum ſuccinunt ante ſancti ſepulturam*. Noviſſime vero Tobias Lohner in *Inſtruct. pract. de Offic. Divin. part.* 2. *tit.* 1. §. 11. Rurſus in Codice etiam non ſolum n. 555. anno 1472. exarato, ſed & in altero n. 430. Bibliothecæ Caſſinenſis ſupra 350. annos antiquo *Te Deum laudamus* ſic inſcribitur: *Hymnus S. Ambroſii*.

Verum ex his omnibus minime firmari poteſt hæc ſecunda opinio, quæ ſoli Divo Ambroſio tribuit præfatum Hymnum; ex Codicibus etenim allegatis Bibliothecæ Caſſinenſis nihil ſolide deſumi poteſt, ob libertatem Amanuenſium jam ſupra a nobis obſervatam in apponendis Titulis, & quam nemo inficiari poteſt. Præterquamquod alii Codices reperiuntur in eadem Bibliotheca Caſſinenſi, teſte D. Eraſmo Gattola allegato a P. Euſtachio num. 445. in quibus *Te Deum laudamus* ſequentibus inſcriptionibus adnotatur: *Hymnus S. Ambroſii, & S. Auguſtini. Hymnus, quem S. Ambroſius, & S. Auguſtinus compoſuerunt*.

Similiter nihil juvat illud de *Ambroſiani* Titulo, ob quem Martene adſtruit ſoli Ambroſio tributum fuiſſe illum Hymnum a Smaragdo, quia hæc ſunt verba Regulæ S. Benedicti; *Poſt quartum Reſponſorium, incipiat Abbas Te Deum laudamus, quo prædicto, legat Abbas lectionem de Evangelio cum honore, & tremore, ſtantibus omnibus, qua perlecta reſpondeant omnes* Amen, *& ſubſequatur mox Abbas Hymnum* Te decet laus. Poſt quæ verba Smaragdus ſubjungit; *Cantores* (loquitur de Abbatibus non Diaconis) *non geſtent officium, & ideo non poſſunt Ambroſianum alto boando Hymnum incipere*; unde non ſatis apparet quem Hymnum ex iſtis duobus *Ambroſianum* appellare voluerit Smaragdus, & quando utrumque in mente habuerit, nihil inde probatur, quia Smaragdus S. Benedicti phraſim adoptavit, qui omnes Hymnos Ambroſianos vocat, ſive ab Ambroſio compoſiti fuerint, ſive ad ſuorum Hymnorum imitationem ab aliis Auctoribus fuerint elucubrati, ut teſtificatur Walfridus Strabo *de Rebus Eccleſiæ cap.* 25. dicens: *Hymni dicuntur per Horas Canonicas, quos Ambroſianos nominamus, vel illos vult* (S. Benedictus)

in-

*ſive ii, quos confecit Ambroſius, vel alios ad imitationem Ambroſianorum compoſitos*. Et Cornelius Scultingius *tom. 1. part. 2. Bibliothec. Eccleſiaſt. ſect. 2. cap. 7.* aſſerit: *Hymni autem omnes dicuntur Ambroſiani, non ſolum quos Ambroſius fecit: ſed omnes etiam alii Ambroſiani dicuntur, qui eodem tempore facti ſunt a quocumque Auctore, ut quarta quoque verſu ſententiam abſolvant*. Hæc omnia confirmant eruditiſſimi Benedictini Sangermanenſes tom. 3. Sancti Ambroſii in Admonitione ad Hymnos ejuſdem S. Antiſtitis, ubi dicunt quod *Sanctus Benedictus dum in ſua Regula Divini officii rationem ſuis præſcribit* Ambroſianum, *ſcilicet Carmen, quod etiam alibi* Hymnum *vocitat, ad ſingulas Horas Cantari jubet. Verumtamen qui commentaria ſcripſerunt in eamdem Regulam, vocem*, Ambroſianum, *poſt Radulphum ita interpretantur, ut eos Hymnos, vel quos confecit Ambroſius, vel alios ad imitationem Ambroſianorum compoſitos deſignet*. Prælaudati Monachi adnotant eodem loco, quod *Hymnus* Te decet laus, *Ambroſianus vocatur lib. 1. miraculorum* Sancti Richarii; ſed quonam ſenſu ita dictus ſit, haud ſatis liquere affirmant, eum enim ille non conſtet metris, neque ab Ambroſio, neque ad formam Ambroſianorum Hymnorum factum oportet. Ex quibus colligitur a Smaragdo perperam appellatum eſſe Ambroſianum Hymnum *Te Deum laudamus*, vel *Te decet laus*, quia uterque caret Metro; Hymni autem qui Ambroſiani vocitantur, ſive ab Ambroſio ſint compoſiti, ſive ad ejuſdem imitationem, metrici ſemper ſunt. Ex iis igitur, & ex aliis Teſtimoniis, quæ legi poſſunt apud allegatum P. Euſtachium n. 448. non eſt cur ex Titulo *Ambroſianus* dicto Hymno ab aliquibus appoſito, dicatur, quod idem Hymnus a Divo Ambroſio compoſitus fuerit.

Ad ea, quæ aſſerit Puricellus loc. ſupracit. nimirum quod Sanctus Ambroſius compoſuerit Hymnum de Trinitate, quem quotidie recitabant Fideles, ut idem Ambroſius teſtatur in *orat. de Baſilic. non traden. Hæret.* per hæc verba: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt* (Ariani) *Plane nec hoc abnuo. Grande Carmen illud eſt, quo nihil potentius; quam Confeſſio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes ſtudent Fidem fateri, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum norunt verſibus prædicare*. Quem Hymnum alium eſſe non poſſe opinatur Puricellus, quam *Te Deum laudamus* propter Trinitatis Confeſſionem, quæ in eo habetur, ob illa verba: *Per ſingulos dies benedicimus te?* & quia veteres Ambroſiani hunc Hymnum *de Fide Chriſtiana* nuncupabant, quem Hymnum cum S. Auguſtinus adhuc Catechumenus dicere potuerit, potuit itidem in Baptiſmo ſuſcipiendo cum S. Ambroſio concinere. Ad hanc Puricelli conjecturam occurrit Theophylus Raynaudus *Erotem. 10. n. 179.* dicens verificari poſſe omnia, quæ ab eodem Puricello aſſeruntur de Hymno S. Ambroſii *Jeſu Redemptor Gentium*, vel de altero *Deus Creator omnium*, ut vult Valdenſis *tom. 3. tit. 2. cap. 19. n. 4.* dicens *poſſet fieri, ut illum Hymnum intelligat* (in ea concione Ambroſius) *quem ejus eſſe de Trinitate compoſitum verſibus jam Auguſtinus edixit*: Deus Creator omnium, *vel etiam de illo* Splendor paternæ gloriæ, ut *in tom. 5. operum S. Ambroſii, in quo SS. Trinitatis Myſterium proponitur, & qui illis perſequentium Arianorum temporibus valde congruebat pro fide conſervanda*. Poſſet etiam dici omnes Ambroſii Hymnos Confeſſiones Trinitatis vocari, quia in omnibus tunc a ſe editis Hymnis, & in Eccleſia canendis, populo traditis, ad finem cujuſcumque ipſorum glorificatio eſſet SS. Trinitatis, ut explicat Baron. ad Ann. 387. & confirmat Suarez de Religione *lib. 4. c. 2. n. 13.* dicens: *quatenus in Hymnis a S. Ambroſio editis ſemper in fine addit glorificationem Trinitatis*. Unde Guyetus *lib. 3. cap. 5. q. 6.* loquens de Hymnis hæc habet: *Ubinam ſtropham obtinet glorificatio Trinitatis, quam Hymni omnes, æque ac Pſalmi ſemper concludunt ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu, quod adſtruxit Ambroſius orat. in Auxen. de Baſilicis non traden. ubi de Hymnis a ſe conſcriptis, & in Eccleſia a Populo decantatis ſermonem habens, ſic ait: Quid potentius, quam Confeſſio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes ſtudent Fidem fateri. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum norunt verſibus prædicare*. Et ſic ut optime ponderat P. Euſtachius n. 449. cum habeatur clare quid intellexerit S. Doctor pro Hymno *de Trinitate* ſeu Trinitatis Confeſſionem continente, a ſe compoſito, non eſt cur ad hæc Ambrnſii verba verificanda recurratur ad *Te Deum laudamus*, ut contendebat Puricellus.

III. Gav. eod. n. 1. - *Legi pro titulo Hymnus S. Abundii*. Præter ſupradictas opiniones circa Auctorem Hymni *Te Deum laudamus* aliæ etiam circumferuntur, quæ aliis Auctoribus eumdem Hymnum referunt. Ita Gavantus in Breviario MS. Collegii Aniciani de Urbe antiquiſſimo legit: *Te Deum laudamus*, hoc Titulo prænotatum: *Hymnus S. Abundii*, cujus tamen Auctoris nullibi alias mentio habetur, unde prorſus ignoratur quis ſit. Natalis Alexander *in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculo 4. cap. 6. num. 16.* Canticum *Te Deum laudamus* refert cuidam Monacho Ordinis Benedictini Siſebuto nomine, idque conſtare aſſerit ex antiquo Breviario Chori Monaſterii Caſſinenſis deſcripto paulo poſt Ann. ſo86. in quo hucce Canticum inſcribitur: *Hymnus Siſebuti Monachi*: cui pariter idem Canticum tribuitur in altero Codice MS. Vaticanæ Bibliothecæ laudato a doctiſſimo Cardinali Bona *in lib. de Div. Pſalmod.* Verum mirati profecto eſt Natalem Alexandrum ita facile hunc errorem amplecti, & a ſemetipſo cognitum, cum eodem loco fateatur hujus Cantici *Te Deum* mentione fieri in Regul. S. Bened. ab eodem inſtituta, & quod pluris eſt in Regul. S. Cæſarii Arelatenſis, quam Benedictina antiquiorem eſſe, probat P. Euſtachius *n. 421.* quare ſine aperta contradictione affirmare non potuit Siſebutum Ordinis S. Benedicti Monachum hujus Hymni parentem fuiſſe.

Non deſunt etiam, qui eumdem Hymnum Nicetæ adſcribant, ducti auctoritate Pſalterii Latini-gallici, eujus mentionem fecit Jacobus Uſſerius Armacanus *in tr. de Symb. Rom. Eccleſ.* ſed cum ignoretur, quis fuerit iſte Nicetas, qua ætate floruerit, hujus Hymni auctor judicari non poteſt, præſertim cum ex verbis, ab Uſſerio laudatis, colligatur Nicetam recitaſſe Hymnum cum quibuſdam additionibus, ab eodem Uſſerio relatis, non autem compoſuiſſe prædictum Hymnum.

Denique Benedictini PP. qui S. Hilarii Pictavienſis opera recens ediderunt Anno 1693. eruditiſque notis illuſtrarunt, in Præfatione §. 3. *n. 22.* citant fragmentum Epiſtolæ MS. Abbonis Floriacenſis, in quo res veluti nota, & conſtans ponitur hujus Hymni parentem eſſe Hilarium his verbis: *In Dei palinodia, quam compoſuit Hilarius Pictavienſis Epiſcopus; &c.* Et quidem Hymnos ab Hilario fuiſſe compoſitos, graviſſima Concilii Toletani IV. Sancti Hieronymi, & Iſidori auctoritate probatur. Hunc vero Hymnum S. Hilario tribuere propter unius Abbonis teſtimonium non ſatis conſultum videtur, cum iſte Auctor vixerit poſt Hilarium Sæculo VI. Incertum itaque prorſus eſt, cui debeat hic Hymnus vindicari, quamvis de ejus antiquitate dubitari non poſſit. *Suſpicor ego hunc Hymnum, ſeu potius Canticum, vel a S.* Hilario Arelatenſi, vel ab aliquo Lirinenſi Monacho fuiſſe compoſitum, certum enim videtur hunc Hymnum fuiſſe conſcriptum pro Matutinis Officiis, ut ex poſtremis ejuſdem verſibus facile colligi poteſt: *Per ſingulos dies benedicimus te, dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire*; quæ aptata ſane ſunt viris Choro addictis, & quotidie Deo laudes in exordio diei perſolventibus; hinc fortaſſe Cæſarius Hilarii ſucceſſor, qui primus Hymni mentionem fecit, Regulæ ſuæ eumdem inſeruit.

IV. Gav. eod. n. 1. - *Gelaſius autem cantari decrevit, &c.*) Quod aſſerit Gavantus Gelaſium decreviſſe cantari *Te Deum*, id colligit ex Benzon. *in Magnificat*, cui tamen nulla fides adhiberi debet, cum alia adducat idem Auctor, quæ aliena ſunt a veritate, ſicut falſum omnino eſt Gelaſium inſtituiſſe decantationem hujus Cantici, cum hoc neque ex ſuo Decreto, neque ex alio documento erui poſſit.

V. Gav. n. 3. - *Radulp. propoſit. 13. etiam de Feſtis Simplicibus, &c.* Radulphus a Gavanto citatus allegando caput Innocentii III. *Conſilium extrav. de celebration. Miſſar.* aſſerit hunc Hymnum omittendum eſſe in diebus profeſtis, hoc eſt, ut ait Gloſſa, privatis, quaſi procul a Feſto, quando videlicet tres fiunt Lectiones; rationem reddit Innocentius *cit. Can.* ut videlicet inter Commemorationem, & Solemnitatem differentia oſtendatur, unde, juxta Radulphum etiam in Feſtis Simplicibus, quæ Solemnitates non cenſentur, ſed potius Commemorationes, prætermitti debet *Te Deum*. Quia tamen jure novo Breviarii Pii V. Feſtorum nomine hac in parte veniunt etiam Feſta ſimplicia, idcirco uſu Romano, & juxta diſpoſitionem ſuperioris Rubricæ in iis nequaquam amplius eſt omittendum *Te Deum*, ſicut nec in ullis duplicibus, & ſemiduplicibus, etiam tranſlatis temporibus Adventus, & Quadrageſimæ. Immo præfatus Hymnus juxta Ritum Romanum recitatur etiam in Officio feriali toto tempore Paſchali. Juxta Regulam tamen Monaſticam S. Benedicti numquam dicitur *Te Deum*, niſi quando habetur Officium duodecim Lectionum.

VI. Gav. n. 7. *Feſtum Innocentium non admittit hunc Hymnum, niſi in die Octava, &c.*) Hoc Feſtum admittit Hymnum etiam quando venit in Dominica, ut patet ex ſuperiori Rubrica, & ex noſtro Gavanto infra *Sect. 6. cap. 6. n. 3.* ubi etiam reddit rationem harum diſpoſitionum, & *n. 7.* admittit cantandum eſſe Hymnum in ea Eccleſia, in qua Titulus Eccleſiæ (non tamen ſolius Altaris majoris) fuerit SS. Innocentium.

Quando recitantur illa verba; *Te ergo quæſumus, &c.* omnes in Choro, detecto capite, genuflectunt, & quidem utroque genu, immo in Cærem. Epiſcoporum *lib. 2. cap. 5.* adnotatur, quod etiamſi adhibeatur Organum, hæc verba ſunt cantanda a Choro, & omnes, ut diximus, genuflectunt.

## De Symbolo S. Athanaſii. Cap. XX.

### *G A V A N T U S.*

a *Symbolum* quid ſignificet, diximus ſupra *cap. 3.* S. Athanaſius, dum eſſet Romæ, ſcripſit Latine Symbolum, de quo hic loquimur, & recitavit coram Pontifice, & ei aſſiſtentibus, Anno 340. ut ſcribit Baronius, & eſt illud idem, non mutatum legique ſolitum in Eccleſia, ante Annos nongentos ſexaginta. Vide Annales ad Annum prædictum.

2. De-

2. De uſu ejuſdem Symboli ad Primam, Hugo meminit *lib. 2. de Offic. cap. 1.* his verbis: His addidit Fidelium devotio; *Quicumque vult ſalvus eſſe*, ut articulorum Fidei, qui ſunt neceſſarii ad ſalutem, nulla diei hora obliviſcamur. Idem *Spec. cap. 3.* ait: His adjungimus expoſitionem Catholicæ Fidei ex eo quod hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum, Fidei noſtra: & clypeus inexpugnabilis contra antiquum hoſtem. Vide, quæ diximus ſupra *Sect. 4. cap. 3. n. 6.*

3. Non dicitur in Dominicis infra Octavam Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, nec in Dominicis Paſchatis, & Pentecoſtes: quia harum Officia non ſunt proprie Dominicalia, neque in aliis Dominicis eadem de cauſa dicitue, in quibus fit de Feſto Duplici. *Gemma lib. 3. cap. 128.* notat, ideo non dici in Paſchate, quia in futura vita, quæ in Paſchate denotatur, totum habetur, quod nunc creditur. Quare ſimili ratione, ac ſi myſteria ipſa in Natali Domini, Epiphania, Aſcenſione, Feſto Corporis Chriſti, & Pentecoſte, oculis cernamus, abſtinemus a Symbolo Sancti Athanaſii.

4. In Dominica, ſeu Feſto SS. Trinitatis dicitur, quia Symbolum de Trinitate doctrinam continet: non tamen quotidie dicendum eſt, ubi celebratur Octava SS. Trinitatis, quia Dominicæ aſſignatum videtur, Quare & in die Octava dicendum erit, quod alias non diceretur. Dies enim Octava æque ac prima, non eamdem Claſſem, ſed eumdem Ritum habet. In fine illius additur *Gloria Patri, &c.* ut fit in Pſalmis: tum quia more Pſalmorum cantatur, tum quia declarato myſterio Trinitatis, æquum eſt, ut eidem gloria detur.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. - *S. Athanaſius dum eſſet Romæ ſcripſit Latine Symbolum, de quo hic loquimur ... Anno 340. ut ſcribit Baronius, &c.*) Gavantus inhærens Baronii ſeotentiæ celeberrimum Symbolum, de quo nunc eſt ſermo, Athanaſio adjudicare non dubitat; immo cum eodem Annalium Eccleſiaſticorum parente cenſet Romæ editum fuiſſe ab Athanaſio, & coram Pontifice Julio I. & aliis fuiſſe recitatum; cui quidem ſeotentiæ adſtipulatur etiam Card. Bona *lib. de Div. Pſalmod. c. 16.* Verum quamvis horum Virorum commendatiſſimæ auctoritati plurimum tribuam, nihilominus adduci non poſſum, ut prædicto eorumdem placito acquieſcam. Conſidero ſiquidem, quod S. Athanaſius non fuerat de doctrina apud Julium Pontificem accuſatus (Euſebiani enim ejus hoſtes, Nicænæ Fidei ſe aſſentiri ſimulabant) ſed accuſatus fuit Athanaſius, quod a Synodo damnatus, nec ab ea reſtitutus Sedem contra Canooes recepiſſet. Inſimulatus pariter fuit idem S. Antiſtes, quod ejus Alexandriam reditus multarum cædium cauſa fuiſſet, & denique, quod Ægypti, ac Libiæ Viduis triticum eripuiſſet a Conſtantini munificentia iiſdem donari ſolitum. Cum igitur non hæreſeos, ſed aliorum criminum reus ab Euſebianis accuſaretur S. Athanaſius & non ſolum Fidei ejus integritas nota eſſet Julio Romano Pontifici, Catholiciſque omnibus, ſed perſpectum etiam eſſet ejuſdem Athanaſii ſtudium pro Nicæni Concilii defenſione, necnon exploratum eumdem Sanctum Antiſtitem in odium Fidei calumniis impetitum, & depoſitione, ac exilio afflictum fuiſſe; hinc incredibile omnino videtur, quod Julius Pontifex ad comprobandam Athanaſii orthodoxiam illum coegerit ad emittendam coram ſe, & aliis Catholicæ Fidei profeſſionem. Secundo ad non ſubcribendum Baronianæ ſeotentiæ ſuadeor etiam, quia cum Athanaſius nunquam ab Apoſtolicæ Sedis Communione ſeparatus, ſed ea ſemper gaviſus fuerit, eo etiam tempore, quo ab Euſebianis accuſabatur, non ſatis intelligo cur Eminentiſs. Baronius hanc Fidei profeſſionem Athanaſio neceſſariam fuiſse arbitretur, ut Eccleſiæ Romanæ Communione frui valeret. Tertio denique moveor, quia ſi Romæ conditum, & palam recitatum fuiſset hoc Symbolum, quis ſibi ſuadere poterit, quod nullum exemplar in Scriniis Apoſtolicæ Sedis cuſtoditum fuerit; & quod Sanctus Leo, qui ſæpius poſt quartam Synodum ſcribens, ad Orientales Epiſcopos, propriam Orientalium Eccleſiarum traditionem appellat, exinde nullam mentionem fecerit Athanaſiani Symboli, in quo tam expreſse, & tam diſtincte Neſtorii, & Eutychetis hæreſes confodiuntur? Ultro quidem admitto multo invicem intervallo diſtare poſse aliquando Scriptoris ætatem, & ejus operis notitiam, necnon ſub veri Auctoris nomine celebritatem; ſed ſi verum eſset Athanaſium hanc Fidei Teſſeram Romæ edidiſse, & palam recitaſse, iterum dico difficile plane videtur, quod opus adeo pretioſum, & monumentum hoc commendatiſſimum Sancti Leonis notitiam, & diligeotiam omnino effugerit; præcipue quia in Pontificiis archiviis hujuſmodi Fidei profeſſiones ſedulo conſervabantur, cum utiliſſimæ forent ad naſceotes hæreſes profligandas.

Inter Auctores igitur, qui præfatum Symbolum Sancto Athanaſio tribuunt, veritati propius accedunt, & congruentius loquuntur illi, qui Treveris ab eo ſcriptum fuiſſe opinantur, quia ſinceriorem ſui notitiam Trevirenſi Metropoli debet hoc monumentum; cum enim multis argumentis, & antiquis monumentis comprobetur a clariſſimo viro Joſepho Anthelmio in ſua doctiſſima *diſquiſitione de Symbolo Athanaſiano ſect. 2.* hanc Fidei Confeſſionem ab initio nullius Auctoris nomen prætuliſſe, & deinceps Athanaſii nuncupationem quinto labente ſæculo ex conjecturis, ac opinione primum illi datam fuiſſe; prædictæ ſententiæ hunc colorem profecto affundere potuit mox memorata hujus Symboli exploratio Treviri primum facta, & exinde ex Trevirenſibus eductio; cum enim, dum in Galliis exulabat, Trevirim per biennium incoluiſſet Athanaſius; & Symbolum ſuo nomine adornatum, Catholicam ſuam doctrinam ſplendide referat, ab eo in eadem Urbe digeſtam hanc Fidei Confeſſionem cum aliquo fundamento credi potuit; præſertim vero quia idem monumentum ibidem aſſervatum, ibidem primo detectum, & deinde in alias Orbis Regiones tranſmiſſum fuit. Hujuſce opinionis aſſertor eſt Durand. *in rationali div. offic. l. 4. C. 25.* ubi Symbola recenſens, de hoc ſubjungit: *Secundum Symbolum*; Quicumque vult ſalvus eſse, &c. *Ab Athanaſio Patriarcha in Civitate Treviri compoſitum.* Sed longe ante Durandum ab Othone Friſingenſi *in Chronic. lib. 4. cap. 27.* obſervatum fuit, quod *Athanaſius manens in Eccleſia Trevirorum ſub Naximino ejus Eccleſiæ Epiſcopo*: Quicumque vult ſalvus eſse, &c. *a quibuſdam dicebatur edidiſſe.* Quæ quidem opinatio nuſpiam veriſimilius ortum traxiſse credi poteſt, ut dixi, quam ab exploratione Symboli ejuſdem Treviris primum facta, ut optime etiam ponderat cit. Athelmius *ſect. 2. cap. 3.*

S. Athanaſium Auctorem hujus Symboli cognoſcunt Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Poſsevinus in apparatu ſacro, Annatus in ſuo *apparatu ad Poſitivam Theologiam lib. 4. ar. 17.* nullum tamen exprimendo locum, in quo Sanctus Doctor hanc Fidei confeſſionem confecerit. Ad comprobandam ſuam ſententiam utuntur allegati Auctores, præſertim Annatus, his argumentis, nimirum, quia Symbolum hoc velut genuinum Athanaſii ſcriptum agnoſcunt, & citant Sancti PP. Gregorius Nazianzenus, Auguſtinus, & Angelicus Doctor Thomas Aquinas. Gregorius quidem Nazianzenus, dum *in orat. de laudibus Athanaſii*, ut laudet S. Antiſtitem, inter alia dicit, eum *Imperatori donum vere Regium, & magnificum obtuliſſe, ſcriptam nimirum Fidei profeſſionem*, per quam ſcriptam Fidei profeſſionem, intelligi a Sancto Gregorio Symbolum illud ſub nomine S. Athanaſii vulgatum in divinis Officiis, notat expreſse Genebrardus Aquenſis Archiepiſcopus in Præfatione ad ſuum Commentarium hujuſce Athanaſiani Symboli. Notat idem pariter operum Sancti Gregorii Interpres, & Illuſtrator Jacobus Billius.

Sanctus vero Auguſtinus eumdem Fidei Confeſſionem eſse S. Athanaſii germanum opus maniſeſte declarat, dum *tract. in Pſal. 120.* explicans illud Davidicum: *Per diem ſol non uret te*, ſic ait: *De hoc ſole P. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulchre locutus eſt: Filius, inquit, Dei a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.* Quæ ſunt expreſsa S. Athanaſii verba in eodem Symbolo. Alia ſparſim in ſuis operibus pronuntiat ſenſa, & verba, quæ in eodem Athanaſiano Symbolo continentur S. P. Auguſtinus, quæ refert Annatus ibidem, ſed quæ non fatetur Auguſtinus a S. Athanaſio ſuiſse prolata, ſeu ſcripta.

Denique, quod Sanctus Thomas idem Symbolum S. Athanaſio aſserat, id liquet, quia paſſim expreſsa ejus Symboli verba ſub nomine Athanaſii *refert, & citat.*

Auctores vero, qui S. Athanaſio hoc Symbolum eripiunt, ſunt Natalis Alexander in *ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica ſæculo IV. c. 6.* Oudin. *in ſuppl. ad Bellarm. de Scriptor. Eccleſiaſt. ad ann. 340.* & ad *opera Athanaſii §. v.* Gotefridus Hermantius Bellovacenſis Canonicus in *ſuis obſerv. ad vitam S. Athanaſii* gallice a ſe compoſitam, Joſephus Anthelmius in *ſua diſq. ſuprac.* & recentiſſime omnibus iſtis præferendus Clariſſimus Montſauconius Monachus Sangermanenſis Athanaſianorum operum diligentiſſimus Editor, & Illuſtrator *tom. 3. in fin.* & alii plures ab iiſdem citati, quorum aliqui occurrunt Auctoritatibus SS. PP. mox adductis in favorem communioris ſententiæ dicendo, quod Sanctus Gregorius Nazianzenus nomine Confeſſionis Joviano Imperatori, a S. Athanaſio oblatæ, quæ verum donum Regium, & magnificum fuit, non intelligi Symbolum illud, quod Athanaſianum vocatur. Fuit igitur tale donum Epiſtola Synodica ab Athanaſio ad Jovianum ſcripta nomine omnium Epiſcoporum Ægypti, Thebaidos, & Lybiarum, quæ & Nicænum Symbolum complectitur, & quædam ad profligandam Pneumathomacorum naſcentem hæreſim, negantem nempe Spiritus Sancti Divinitatem. Præterea addi poſset, certum eſse apud omnes Scriptores tum aſserentes, tum adjudicantes Athanaſio hoc Symbolum ab initio conſcriptum fuiſse latino, non vero græco idiomate; Confeſſio autem Fidei, quam obtulit Athanaſius Imperatori Joviano græce fuiſse exaratam non eſt qui audeat inficiari: non poteſt igitur confundi hæc Confeſſio cum Symbolo, de quo nunc eſt quæſtio, & quod nonniſi poſt multum tempus Athanaſii nomine adornatum fuit.

Ad Auguſtini adductam Auctoritatem quod attinet, fatentur aliqui ex citatis Auctoribus, quod validum profecto eſset argumentum, ſi talia verba legerentur apud Auguſtinum, ſed Lovanienſes olim jam adnotarunt hæc nullatenus legi in M. Ss. omnibus a ſe perluſtratis D. Auguſtini operibus, idem



Digitized by Google

advertunt doctiſſimi Viri Monachi Sangermanenſes in ſua recenſione operum ejuſdem Auguſtini. Genuina igitur verba Auguſtiniana in loco ſupra adducto hæc ſunt: *ergo aliam ſolem fecit Deus, qui oritur ſuper bonos, & malos, quem vident boni, & mali, alius eſt autem ille ſol, non factus, ſed genitus, per quem facta ſunt omnia.* En igitur nullam apud S. Auguſtinum eo loci mentionem factam fuiſſe Sancti Athanaſii.

Nullus eſt itaque ex allegatis textibus, qui poſſit favere Auctoribus vindicantibus hoc Symbolum S. Athanaſio. Quapropter communiorem hanc ſententiam melius probatam iri crediderim auctoritate aliquorum Summorum Pontificum, præſertim Gregorii IX. qui per ſuos Legatos ad Græcos pro Græcorum cum Latinis unione miſſos ann. 1233. tribuit Athanaſio hoc Symbolum, & Eugenii IV. qui ann. 1439. in Decreto de Armenorum unione, dum eis hoc commendat Symbolum, inter alia dicit: *Sexto compendioſam illam Fidei Regulam per Beatiſſimum Athanaſium editam ipſis præbemus, videlicet: Quicumque vult ſalvus eſſe, &c.* Quod & idem ante in ſua Eccleſia commendaverat Hincmarus Rhemenſis circa annum 852. ſingulis Eccleſiæ Miniſtris, ut diſcerent explicationem Symboli Apoſtolorum, Orationis Dominicalis, & Symboli Sancti Athanaſii. Comprobari poteſt etiam hæc ſententia auctoritate Canonum Æduenſium, quos Jacobus Sirmondus publici juris fecit, & in annum 670. eos rejiciunt idem Sirmundus, Pet. de Lalande, Gotefridus Hermant. Cointius autem ad annum 673. retrahit. Canon vero ille, qui Symbolum Athanaſio tribuit, ſic habet: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod Sancto inſpirante Spiritu, Apoſtoli tradiderunt, & Fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Sed hæc opinio, & fama de Symbolo Athanaſiano longe etiam ante Canonum Æduenſium ætatem invaluerat. Uſſerius enim Armacanus ab Anthelmio in ſua cit. diſquiſit. allegatus, monuit obſervata ſibi Pſalteria duo latina M. SS. in quibus Apoſtolicum, & *Athanaſianum* Symbolum deſcripta ſunt apicibus antiquiſſimis. Et in priori, *quod*, inquit, *Gregorii Papæ I. tempore recentius non eſſe colligitur, tum ea antiquo Picturæ genere, tum ea literarum forma grandiuſcula.* Athanaſianum, *Fidei Catholicæ* præfert Titulum; alterum vero Symbolum Apoſtolorum, utrumque totidem omnino, quot hudiernum noſtrum continens Capitula. Poſterius vero Pſalterium ſic commendat: *In poſteriore, quod Regis Æthelſtani aliquando fuit Apoſtolicum* viceverſa Symbolum ſimpliciter; alterum autem: *Fides Sancti Athanaſii Alexandrini* nuncupatur. Æthelſtanus autem Anglorum Rex trigeſimo ſupra nongenteſimum annum regnabat: ſed ex alio Pſalterio Gregorii Magni ætatem referente probatur, id quod ſupra innuimus, nempe, quod Athanaſiani Symboli fama ante Canonum Æduenſium ætatem percrebuerat: cum enim Gregorius Magnus anno 590. Pontifex creatus fuerit, & poſt ann. 13. obierit, conſequens eſt, quod Symbolum ejus ætate deſcriptum non alia de cauſa Pſalterio ſit inſertum, quam ut cum Pſalmorum precibus recitaretur, & hinc eſt, quod Leodegarius Auguſtodunenſis, qui poſt annos circiter 70. ejuſdem Athanaſiani Symboli lectionem Clericis ſuis tam impenſe commendavit, non quid novi excogitatum ſuſcepit, ſed *illam Fidem Catholicam* nullius nomine prænotatam, & *Athanaſii*, ex multorum ſententia, creditam, ipſe ſimpliciter, & abſolute, Fidem S. Athanaſii pronuntiavit. Ex quibus magis, magiſque firmatur Scriptoris hujus Symboli, fortunam primum ignoratam, & deinceps in conjectura poſitam, ex opinione tandem in Athanaſium conceſſiſſe.

Hæc ſunt potiora, & firmiora fundamenta, quibus innititur communior ſententia, quæ tribuit Sancto Athanaſio hoc Symbolum; cui ſententiæ profecto obſtare non videtur, quod iſtud Athanaſii opus numquam fuerit citatum contra Eutychianos a S. Leone, nec contra Neſtorianos a S. Cæleſtino; & quod nulla mentio facta fuerit hujus doctrinæ Athanaſianæ, in Conciliis Epheſino, & Calcedonenſi; reſponderi enim poſſet huic difficultati, quod hoc Symbolum, vel nondum cognitum erat prædictis Pontificibus, & Conciliis, vel ſaltem, quod nondum Athanaſii nomen præferebat. Neque hoc incredibile videri debet; cum enim S. Auguſtinus jam Presbyter, & Epiſcopus ordinatus ep. 110. fateatur ſe Nicænos nondum noviſſe Canones jam a centenis annis, & ultra vulgatos, & a 318. PP. palam, & in generali cætu congregatis editos, & promulgatos: (en verba Auguſtini in cit. Epiſtola: *Adhuc in Corpore poſito Beatæ memoriæ Patre Epiſcopo meo Sene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam.*) Cur igitur non potuerunt ſimiliter, immo a fortiori præfati Pontifices Romæ, & Concilia in Oriente iſtud Athanaſii opuſculum ignorare, quod non palam, non in generali Synodo, ſed privatim, & a ſolo S. Athanaſio conſcriptum fuerat?

Parum etiam urget contra hanc ſententiam, quod in eodem Symbolo refutentur hæreſes Neſtoriana de duabus in Chriſto perſonis, & Eutychiana de unica in eodem Chriſto natura; quæ quidem hæreſes nondum tunc exortæ fuerant. Non, inquam, urget hæc difficultas, quia Athanaſius potuit conſcribere hoc Symbolum non tantum præciſe, ut jam ſuo tempore exortas hæreſes confoderet gladio ſuæ doctrinæ, ſed ut Fidem Catholicam, & Orthodoxam veritatem manifeſtaret ad præcavendos futuros errores; & hinc eſt, quod hoc Symbolum, non hæreſum refutatio, ſed Fidei manifeſtatio appellatur a S. Thoma 2. 2. q. 1. ar. 10. ad 3. ubi ait: *Athanaſius non compoſuit manifeſtationem Fidei per modum Symboli, ſed magis per modum cujuſdam doctrinæ, ut ex ipſo loquendi modo apparet; ſed quia integram Fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis eſt recepta, ut quaſi Fidei Regula habeatur.* Deinde liquet, quod ex aliorum Sanctorum Patrum ſcriptis nonnullæ refutantur hæreſes, quæ tamen ortæ nondum erat, quando veteres illi PP. ſcriptis ſuas doctrinas conſignarunt; nec inde ullus dicere audet hæc ſcripta non eſſe prædictorum PP. germana opera. Innumeræ pene ſunt antiquorum PP. aſſertiones, & doctrinæ paginis traditæ, quibus hoc aſſumptum commonſtrari poſſet, a quibus referendis, ne nimius ſim; abſtineo, & ſolum concludendo innuo, quod neceſſariæ ſunt tales PP. doctrinæ, quibus futuræ hæreſes prædamnantur; harum enim doctrinarum allegatione, & traditione novi inſurgentes Hæreſiarchæ, & errorum Magiſtri tamquam novi erroris diſſeminatores convincuntur, afferendo nimirum doctrinas antiquorum Patrum ſuis impiis erroribus omnino adverſantes.

Validiora itaque videntur argumenta, quibus ad confutandam hanc ſententiam utitur Montfauconius loc. ſuprac. nimirum, quod ſi quis Fidei formulas ab Athanaſio, vel Athanaſii ævo conſcriptas cum hoc Symbolo conferat, tantum animadvertet inter illa diſcriminis, ut vel hinc ſolum arguere poterit, & alii ævo, quam Athanaſiano, & alii Scriptori, quam Athanaſio Symbolum hoc adjudicari debere. Perlegat qui voluerit quas Athanaſius accurate collegit ſui ævi Fidei Confeſſiones, & numquam reperiet formulam iſtam: tres perſonas, aut græce τρεῖς ὑποστάσεις in Catholicorum Symbolis admiſſam, & promulgatam: licet una, eademque ſemper fuerit Eccleſiæ doctrina de Trinitatis Myſterio, nondum tamen hæ formulæ receptæ, vel in confeſſo erant, ut fuſe comprobat in Profeſſione generali præfixa Athanaſii operibus citatus Montfauconius. Hoc confirmat etiam diſſidium ortum inter Orientales Orthodoxos circa nomen hypoſtaſeos, quam controverſiam in Concilio Alexandrino poſt Coſtantii mortem, & Confeſſorum ab exilio reditum celebrato cum Euſebio Vercellenſi, & aliis anno Chriſti 362. nonnihil ſedavit Athanaſius ipſe. Vocatis namque & iis qui tres hypoſtaſes, & aliis, qui unam tantum conſtituebant, primos interrogavit num ſic tres hypoſtaſes ponerent quomodo Ariani, *alienas, peregrinaſque, ac diverſæ a ſe invicem ſubſtantiæ, & unamquamque hypoſtaſim per ſe, ac ſeorſim diviſam eſſe, ut cæteræ creaturæ, & uti ea hominibus naſcuntur? Etc.* At illi reſponderunt ſe nequaquam id ſentire, ſed *ſeſe in Trinitatem credere, non quæ nomine tenus, ſed quæ vere Trinitas eſt, & ſubſiſteret: & Patrem, ut vere exiſtentem, & ſubſiſtentem, & filium, ut exiſtentem, & ſubſiſtentem, necnon & Spiritum Sanctum agnoſcere, non tamen ſe dixiſſe tres Deos, aut tria principia, ſed ſe ſcire eſſe Sanctam Trinitatem, ut tamen ſit una Deitas, & unum principium, & Filium ſe agnoſcere eſſe coeſſentialem Patri, & Spiritum Sanctum non creaturam, neque alienum, ſed propriam, & indiſgregatum ab eſſentia Patris, & Filii.* Deinde quæſivit Athanaſius ab iis, qui unam tantum hypoſtaſim ſtatuebant, utrum ad mentem Sabellii loquerentur, *ut ſublatos vellent ex Trinitate Filium, & Spiritum Sanctum, quaſi Filius eſſentia careat, aut Spiritus Sanctus non ſubſiſtat.* At ipſi profeſſi ſunt ſe longe alia ſentire. Nam idcirco ſingularem Trinitatis hypoſtaſim ſe ſtatuere, *quia ὑπόστασιν idem eſſe cum οὐσίᾳ intelligebant, & quia Filius ea eſſentia Patris eſt, & quia in tribus eſt identitas naturæ, unam autem ſe Deitatem, unam naturam credere, neque aliam Patris, aliam Filii, aut Spiritus Sancti eſſe naturam.* His auditis aſſenſi ſunt alterius partis homines, atque ita omnes convenerunt, ut omnibus hæreſibus anathematis gladio confoſſis, aliam Fidei formulam non exigerent, aut aliam verborum conceptionem, præter eam, quam Nicæna Synodus expreſſerat. Ita conſtant ex Epiſtola Synodica Concilii Alexandrini ad Antiochenos apud S. Athanaſium. Hanc interpretationem de tribus hypoſtaſibus, & una hypoſtaſi Paulinus ipſe ſubſcribens approbavit.

Ex quibus colligitur orthodoxos fuiſſe, qui de una, vel tribus in Sancta Trinitate hypoſtaſibus diſſidebant, nec de veritate Myſterii, ſed de verbis dumtaxat, quibus in eo explicando utendum eſſet, fuiſſe inter eos quæſtionem; ut egregie confirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus de laudibus Sancti Athanaſii, de quo ait, *quod utraque parte leniter, & humaniter accerſita, verborumque ſententia diligenter, & accurate perpenſa, poſteaquam concordes reperit, & neque quoad doctrinam quidquam inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſegit, ut nominum uſum ipſis concedens, rebus eos conſtringeret.*

Ille tamen concordiæ modus non adeo placuit poſteris Latinis, quibus *hypoſtaſis* ſubſtantiam ſignificare videbatur, atque adeo tres hypoſtaſes dicere, idem erat, ac tres aſſerere ſubſtantias; unde Sanctus Auguſtinus *lib. 5. de Trin. cap. 8.* hæc habet: Eſſentiam dico οὐσία græce dicitur, quam uſitatius ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidem, & illi hypo-

ſtaſim;

ſtaſim; ſed neſcio quid volunt intereſſe inter οὐσίας & ὑποστά-σεις, itaut plerique noſtri, qui hæc græco tractant eloquio, dicere conſueverint, μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, quod eſt latine, unam eſſentiam, tres ſubſtantias. Sed quia noſtra loquendi conſuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus eſſentiam, quod intelligitur cum dicimus ſubſtantiam non audemus dicere: unam eſſentiam, tres ſubſtantias: ſed unam eſſentiam, vel ſubſtantiam, tres autem Perſonas; quemadmodum multi Latini iſta tractantes, & digni auctoritate dixerunt, cum modum alium aptiorem non invenirent, quo enuntiarent verbis, quod ſine verbis intelligebant.

Sed paulo ante S. Auguſtinum ſub Damaſi Pontificatu diſcuſſa fuit hæc de hypoſtaſibus controverſia; de qua nonnulla ſcribit ad Damaſum ipſum Sanctus Hieronymus *epiſt.* 57. quam his verbis concludit — Sufficiat nobis dicere unam ſubſtantiam, tres Perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & una teneatur. Non bonæ ſuſpicionis eſt cum in eodem ſenſu verba diſſentiunt, aut ſi rectum putetis, tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere, non negamus; ſed mihi credite, venenum ſub melle latet, transfiguravit ſe Angelus Satanæ in Angelum lucis; bene interpretantur hypoſtaſim judicor. Quid tam anxie unum verbum tenent? Si ſic credunt ut interpretantur, non damno, quod retinent. Si ſic credo, ut ipſi ſentire ſe ſimulant, permittant & mihi meis verbis ſenſum ſuum loqui. Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum in Mundi ſalutem, ὁμοούσιον Trinitatem, ut mihi epiſtolis tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum detur auctoritas. Ex quibus rurſus eſt eos, qui vel unam tantum, vel tres hypoſtaſes in Sanctiſſima Trinitate admittebant, de ſolis verbis diſſenſiſſe, non de ſumma Fidei diſceptaſſe. Sed Sanctus Hieronymus merito trepidabat, & venenum ſub melle latere dicebat. Ariani ſiquidem hypoſtaſis nomine ſubſtantiam intelligebant, & ideo periculoſum eſſe exiſtimabat tres aſſerere hypoſtaſes. Quod autem ſic vocem illam uſurpaverint Ariani patet ex epiſtola Synodica Concilii Sardicenſis, quam refert Theodoretus *lib.* 2. *c.* 8. *Hæreticorum factio, inquit, pertinaciter aſſeverat Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti, diverſas eſſe hypoſtaſes, & a ſe invicem ſeparatas, nos vero hanc a majoribus accepimus, ac didicimus, & hanc tenemus Catholicam, atque Apoſtolicam traditionem, & Fidem, ac profeſſionem, unam eſſe hypoſtaſim, quam ipſi hæretici ſubſtantiam appellant Patris, ac Filii, ac Spiritus Sancti.* Apud Sanctum Epiphanium *epiſtol.* 77. extat Paulini Fidei profeſſio eadem omnino cum ea, quæ inter Sancti Athanaſii opera Synodicæ Concilii Alexandrini epiſtolæ ſubjecta legitur, qua pium agnoſcit loquendi modum, quo tres in Deo hypoſtaſes aſſerunt, quod, cum objectum fuiſſet Sancto Hieronymo, ut in eam ſententiam traheretur, quæ tres hypoſtaſes propugnabat: ait: *ignore Paulinum &c.* Hinc tamen Paulinus, teſte Acacio Epiſcopo Berenſi in epiſtola ad Sanctum Cyrillum Alexandrinum, tres hypoſtaſes diſerte dicere recuſabat ob eamdem cauſam, qua movebatur Hieronymus. *His,* inquit, *& ſi tres hypoſtaſes palam dicere recuſaret, re tamen, & virtute ab illorum ſententia, & Fide, qui hoc profitebantur, non recedebat, ſectabatur hic autem piiſſimos Occidentales Epiſcopos, propterea quod Romanæ linguæ anguſtia ſicut Græca phraſis, tres hypoſtaſes dicere, commode non ferat.*

S. Epiphanium laudat Baſilius Magnus, quod tres hypoſtaſes ſtatuendas agnoſceret: ſic nempe habet *epiſt.* 325. ad ipſum data: *Illud inſuper & mentem meam bene ſatis habuit, quod ad reliqua egregie, accurateque (ut Theologum decebat) diſputata, adjecit tua diligentia neceſſum eſſe omnimodo confiteri tres hypoſtaſes.*

Ex quo autem illud diſſidium terminavit, hypoſtaſim, ſeu ſubſiſtentiam pro Perſona Concilia ſemper uſurparunt. Hoc perſpicuum eſt ex Concilio ſecundo Oecumenico in Synodica ad Damaſum epiſtola, quæ ſcripta fuit, poſt diſſidium ſupra expoſitum, ſuper controverſia de hypoſtaſibus, in qua epiſtola PP. unam divinitatem, & poteſtatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti profitentur, *ſive in tribus perfectis ſubſiſtentiis, ſive in tribus perfectis perſonis.*

Idem conſtat ex Concilio Epheſino anathematiſmo 4. *Si quis duabus perſonis, ſive hypoſtaſibus eas voces attribuit, quæ in Evangelicis, & Apoſtolicis ſcripturis paſſim occurrunt, & alias quidem homini tamquam ſeorſim a Dei Verbo conſiderato ſcribit, alias vero tamquam Deo convenientes ſoli Dei Patris Verbo adaptat, anathema ſit.* Et Anathemate 2. *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni ſecundum hypoſtaſim unitum, unumque tantum una cum ſua Carne eſſe Chriſtum, eumdem nimirum Deum ſimul, & hominem, anathema ſit.* Quibus verbis ſignificatur, unitum ſecundum hypoſtaſim, idem eſſe, ac, unitum ſecundum Perſonam.

His duobus Conciliis concinit quoque Concilium Chalcedonenſe *actione* 5. in ſecunda Confeſſione Fidei, qua dicitur *Chriſtum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente*, habet textus Græcus ἐν ... εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν

Ex hucuſque dictis magnum præſidium accedit argumento, quod inſinuavit citatus Montfauconius contra ſententiam tribuentem Athanaſio Symbolum, de quo nunc diſceptamus. Magis enim, magiſque comprobatur, & factis, & auctoritatibus, quod nonniſi poſt extinctum diſſidium ſuper nomen hypoſtaſeos in Fidei Profeſſionibus, & ab Oecumenicis Conciliis adhibitum fuit nomen Perſonæ, ad ſignificandas tres divinas ſubſiſtentias, & nonniſi poſt illud tempus uſurpatum fuit dictum nomen: itaut reſponderet Græco vocabulo *hypoſtaſim*. Unde ſemper magis evincitur, quod Symbolum ſub nomine Athanaſii evulgatum, neque correſpondet tempori, quo conditum fuiſſe aſſeritur ab Auctoribus ſententiæ, nimirum anno circiter 343. quando S. Antiſtes Treviris commorabatur, neque correſpondet eidem Antiſtiti, nam ſi Divus Athanaſius hoc Symbolum compoſuiſſe, & tamquam Fidei teſſeram ab omnibus firmiter tenendum declaraſſet; cum in eo diſerte dicat, non eſſe confundendas perſonas, neque ſubſtantiam ſeparandam; aliam eſſe perſonam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti; quod totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales; & Chriſtum Dominum unum eſſe non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ; in apertis eſſet Athanaſium ipſum ex tunc perfectiſſime intellexiſſe quid veniat nomine *perſonæ* in Latino idiomate, & quid nomine *ſubſtantiæ*. Unde nullam ambiguitatem, nullam æquivocationem, nullam obſcuritatem illis amplius ingerere poterant Græca vocabula *hypoſtaſis*, *uſiae*. Et cum hanc perfectam intelligentiam, & correſpondentiam dictorum vocabulorum aſſecutus eſſet, eiuſque propoſuiſſet ante ſuum regreſſum ad Orientales Regiones, & Metropolim Alexandrinam, cur non adhibuit hanc ſuam doctrinam, ſuaque tam clara vocabula ad edocendos id, quod vere per illa verba ſignificabatur, diſſidentes orthodoxos in ſupradicto Concilio Alexandrino ob obſcuram, & ambiguam ſignificationem nomini *hypoſtaſeos*. Certum eſt, quod poſtquam ſupra allegata Concilia nomen *hypoſtaſim* acceperunt pro *Perſona*, & poſtquam declararunt plures, nempe tres eſſe hypoſtaſes in Divinis, non fuit amplius in libertate dicendi unam eſſe in Deo hypoſtaſim. Si igitur Sanctus Athanaſius in dicto Symbolo jam ſtatuerat, & declaraverat nomen Latinum *Perſonam* correſpondere nomini Græco *hypoſtaſis*, non permiſiſſet prædictis Catholicis, in Concilio ſecundo Alexandrino anno 362. diſſidentibus ſupra prædictum nomen, dicere utrumque: & unam, & trinam eſſe hypoſtaſim, juxta tamen eorum rectam explicationem; ſed illos potius docuiſſet id, quod vere intelligendum erat nomine *hypoſtaſis*; nimirum, non Divinam ſubſtantiam, ſed Divinas ſubſiſtentias, ſeu Perſonas, & ſic declaraſſet illos teneri ad dicendas tres hypoſtaſes; nunquam vero unam tantum.

Magnæ etiam admirationi profecto locus daretur, ſi præfatum Symbolum tam clara, & eleganti latinitate donatum; myſteria, ac dogmata noſtræ Fidei clare, & diſerte adeo complectens, compoſuiſſet Athanaſius apud Occidentales degens; & deinde ſuis Regionibus reſtitutus, & ab exilio revocatus, eamdem Fidei confeſſionem, opus vere aureum, Græco ſuo, & naturali idiomati non reddidiſſet, ut Clerum, Populumque ſuum, & univerſam Orientalem Eccleſiam, clariſſima hac doctrina, & Catholicis dogmatibus perfecte imbueret, & ut pretioſum hoc pharmacum illis præberet contra venenum illarum hæreſum, quæ jam ibidem exortæ fuerant, Ariana ſcilicet, & Sabelliana, necnon illarum, quæ poſtea in eiſdem Regionibus diſſeminatæ ſunt, quales fuerunt Neſtoriana, & Eutychiana, a quarum periculo præcavendo mirabiliter juvare poterat ſana, Orthodoxa, & Catholica doctrina in eodem Symbolo contenta, & clariſſimo ſtylo explicata.

Dicendum eſt igitur S. Athanaſium, poſtquam editum fuit Symbolum Nicænum, procul omnino fuiſſe a condenda nova Fidei formula, ut ipſemet reſtatur in epiſtola ad Antiochenſes, in qua Nicænæ Synodi Symbolum ſuis omnibus numeris abſolutiſſimum eſſe adſtruit, & juxta Sardicenſis Concilii Decretum *nullam amplius edendum eſſe profeſſionem Fidei, ne illa, quæ Nicææ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur: neve illis, quibus libido eſt, ſemper nova ſtatuere, occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterum, atque iterum de Fide deficiant.* Et revera huic Sardicenſi Decreto inſiſtendo Catholici inter ſe diſſidentes ſuper nomen *hypoſtaſeos* coram Athanaſio in Concilio Alexandrino omnes convenerunt, ut alia Fidei formula non exigeretur, aut alia verborum conceptio, niſi illa, quam Nicæna Synodus expreſſerat.

Quod ſi hanc œconomiam ſervavit Athanaſius apud Orientales manens, ubi aliqua occurrebat occaſio novam condendi Fidei formulam, eodem modo ſe geſſiſſe dicendum eſt, & multo magis, quando apud Occidentales degebat, quia hic præſertim nulla idonea occaſio excogitari poteſt, propter quam idem S. Antiſtes hoc novum Symbolum Treviri, vel in alia Europæ Civitate commorans edere permotus fuerit, & a prædicto ſuo propoſito deflectere. Ubicumque enim maneret, ſemper eædem rationes urgebant, quæ PP. Sardicenſes impulerant Decreto ſancire, ne quid ulterius de Fide ſcriberetur. Et ſi aliqua fuiſſet occaſio ab hoc Decreto recedendi, iterum dico, hæc in Oriente præſertim locum habuiſſet: nam toto eo tempore, quo Alexandrinam rexit Eccleſiam Athanaſius, Ariani Fidei Nicænæ

oblatrare, ejuſque Symbolum variis artibus, & machinationibus impetere non quieverunt, ſed adverſus hæc molimina pro muro æneo ſtetit S. Antiſtes, Symbolum Nicænum ſemper acerrime propugnans, nullum aliud novum proponens, ne quibus libido erat nova ſemper ſtatuere, occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterum, atque iterum nova dogmata edocerent, & definirent.

Alius etiam utitur argumentis Montfauconius ad tuendum ſuum aſſumptum, quod hoc Symbolum non correſpondet ævo Athanaſiano, idque colligit ex illo verſiculo: *Spiritus Sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*; quamquam enim Athanaſius Spiritum Sanctum ex Patre, atque ex Filio emanare non ſemel docuerit in ſuis, quæ jam extant, operibus; iis tamen formulis, ſcilicet *procedere*, numquam eſt uſus, multoque minus illæ in Symbolis, Fideique Confeſſionibus locum tunc habuerunt.

Prædictis ſuis momentis addit Montfauconius, Symboli verba, ſententiaſque, Latinum indicare Scriptorem, neque ullam verſionis ex Græco factæ notam præferre. Si verſum ex Græco fuiſſet, multa Græcæ dictionis in Latina interpretatione competerent, uti ſolet in ejus ævi verſionibus obſervari. Neque dici poſſe videtur, ab Athanaſio fuiſſe Latine compoſitum: namque Scriptorem redolet, pro illa ætate latinum ſermonem perfectiſſime callentem, non ſolum quippe verbis, ſed etiam numeris; periodorum commenſuratione, ac rotunditate, moduliſque latinis elucubratum eſt hoc Symbolum, itaut vix credi poſſit S. Athanaſium, ſi in ætate jam provecta hunc laborem ediſcendæ peregrinæ linguæ ſubierit, perfecte adeo, & excellenter Peregrinum idioma aſſecutum fuiſſe, ſibique familiare reddidiſſe.

Demum ſi hujus Symboli auctor fuiſſet Athanaſius, ei inſeruiſſet *Conſubſtantialis* vocem, pro qua tuenda toto vitæ curriculo concertavit, tantiſque periculis perfunctus eſt. Hæc ſunt argumenta, quibus Montfauconius, Anthelmius, & alii, Symbolum *Quicumque* Athanaſio incunctanter abjudicandum arbitrantur. Quæ quamvis valida profecto ſint; nihilominus ſimile cum eiſdem Auctoribus non auſim ferre judicium; ne mea prolata ſententia firmiter opponi videat communiori, & piæ opinioni, quæ aſſerit S. Athanaſio hanc Fidei confeſſionem, quam tamquam Canonicam Catholicæ Fidei Regulam ſuo conſenſu univerſa amplexata eſt Eccleſia.

Procedimus tamen nunc ad aliorum ſententias, & cui Auctori adſcribendum ſit idem Symbolum, varias, & diverſas opiniones proponendas. Joſephus Anthelmius in *diſquiſit. ſuprac.* probare conatus eſt Vincentium Lirinenſem Auctorem eſſe Symboli, quod Athanaſii nomine adornatur; præcipuum ejus argumentum petitur ex convenientia ſententiarum Commonitorii Vincentiani cum ſententiis Athanaſiani Symboli. Nullius tamen roboris eſt hoc argumentum, cum hujuſmodi ſententiarum collatio in iis præſertim, quæ Fidem ſpectant, inter varia diverſorum plane Auctorum opera fieri poſſit, & Symbolum ex Commonitorio derivatum, ac expreſſum veriſimilius dici poſſit ab Auctore Vincentio Lirinenſi longe recentiore, ut optime ponderat Natalis Alexander, quam ab ipſo Vicantio compoſitum. Contra Athelmi ſententiam facit etiam ſilentium Gennadii, qui *Vincentium Lyrinenſem* commendat, & Commonitorium, quod abſconſo nomine ſuo, ſub Titulo Peregrini adverſus hæreticos vulgavit, Symbolum pariter celebraſſet, ſi ab eodem Vincentio editum, ac vulgatum eſſe, cognoviſſet.

Queſnellius *in appendice ad diſſert. 14. in opera S. Leonis Magni*, nervis omnibus demonſtrare contendit a Vigilio Tapſenſi, in Africa Epiſcopo, qui floruit ſub fine V. Sæculi, Symbolum hoc prodiiſſe; idque probat præſertim auctoritate Codicis Thuanæi, in quo præter Dialogum adverſus Arianos, Sabellianos, & Photinianos ſub Athanaſii nomine a Vigilio editum, proxime legitur Symbolum Athanaſianum ſub hoc Titulo: *Fides dicta a S. Athanaſio Epiſcopo*. Regula huic Vigilio familiare fuit ſæviente VVandalorum in Africa perſecutione opera a ſe elucubrata, non ſuo, ſed antiquorum PP. nomine prænotare; ſic præfatum Dialogum ſub nomine, ut diximus, S. Athanaſii compoſuit, ut ipſemet in Præfatione hujus Dialogi fatetur his verbis. *Sabellium, Photinum, Arium, atque ad noſtras partes Athanaſium adduxi, ut veritas .... ad omnium notitiam perveniret*. Queſnellianam conjecturam firmare poteſt quod Theodulphus Abbas Floriacenſis, & deinde Epiſcopus Aurelianenſis, qui claruit anno 835. hoc Symbolum citet ex illis Athanaſii libris, qui Vigilii Tapſenſis eſſe jam certo dignoſcuntur, cura, & ſtudio eruditiſſimi P. Chifletii; quique in antiquo, & probe noto Codice Floriacenſi cum Vigilii libris adverſus Neſtorium, & Eutychen conjunguntur. Ex quibus alia deſumitur conjectura favens Queſnellianæ opinioni, ſcilicet, quia idem Vigilius libris ſuis Neſtorianos, atque Eutychianos impetere ſolebat, quod conſilium a Symboli Auctore ſibi quoque propoſitum fuiſſe videtur; & ſic optime correſponderet tempori, quo hæc elucubratio exarata cenſetur, nimirum poſt Synodos Epheſinam, & Chalcedonenſem, in quibus Neſtorianæ, & Eutychianæ erroneæ doctrinæ diligenter diſcuſſæ, & tamquam impia dogmata proſcriptæ fuere: ideo autem Vigilius hoc Symbolum Athanaſii nomine adornavit, ait Queſnellius, quia ſummam Athanaſianæ Fidei, præſertim eam, quæ reſpicit Myſterium SS. Trinitatis, clare continebat, & ne quiſquam Africanorum Epiſcoporum de condita hujus Fidei formula in ſuſpicionem apud hæreticos deveniret, ac propterea in certiſſimum vitæ diſcrimen adduceretur; aliunde Paſtoralis officii partes eſſe exiſtimavit periclitanti Populo ſuo ſuppetias ferre, & ſimplicioribus Chriſtianis eam Fidei profeſſionem exhibere, quæ Catholicam doctrinam contra Arianæ, Neſtorianæ, & Eutychianæ ſectæ errores pure, nitide, breviterque exponeret. Movetur etiam Queſnellius ad tribuendum Vigilio Tapſenſi hoc Symbolum, quia inſignes aliquæ locutiones, ac formulæ Vigilio familiares in eodem Athanaſiano Symbolo repertuntur. Queſnellii ſententiæ adhæret Natalis Alexander, & nonnihil propendet in eam Joſephus Blanchinus in ſua Enarratione Pſeudo-Athanaſiana *pag.* 15. verum hanc Queſnellianam opinionem refellit Joſephus Anthelmius his rationibus adductus; quia P. Chiffletius, qui quamvis omnes penes ingenii divitias explicet, ut Vigilii Tapſenſis libros a ſe editos, atque lucubrationes multiplicet, nihilominus inter ejuſdem Auctoris opera Symbolum Athanaſianum recenſere non audet. Hujus autem docti viri receſſus grave contra hanc ſententiam præjudicium ſtatuit, ait Anthelmius *ſect. 3. n. 15. & n. 18.* fuſius invehitur in Queſnellianam opinationem, ejuſque conjecturas, inter quas gravior eſt illa, quæ adſtruit inſignes aliquas locutiones, ac formulas Vigilio familiares in prædicto Symbolo reperiri, ex qua conjectura priores aliæ robur mutuantur; & ideo idem Anthelmius in hac refellenda omnem impendit operam; & primo quidem ait, quod formulæ Symbolo propriæ erutæ ſunt e tractatu, qui contra Varimadum Arianum ſcribitur; cum autem tractatus ille Vigilii fœtus non ſit, nec talis P. Chiffletio Vigilianorum operum illuſtratori videatur, quem ideo ab aliis ejuſdem indubitatis operibus fecerit *Vindiciarum opuſculo 2. c. 9.* Hinc ſequitur Queſnellium fundamento valde dubio ſuam opinionem firmare: rem autem incertam pro re certa ſtatuenda in medium adducere, prudentis, & ſapientis curæ non eſt. Progreditur Anthelmius *n.* 18. ad oſtendendum libros tres contra Varimadum, alterius eſſe quam Vigilii. Quapropter magis, magiſque demonſtrat locutiones, ac formulas in Symbolo contentas, non Vigilio, ſed alteri Auctori fuiſſe familiares. Conſulat curioſus Lector citati Anthelmii prolixam ejuſdem aſſumpti comprobationem, ex qua certo certius evinci ipſe arbitratur, Symbolum Vigilio aſſeri nequaquam poſſe.

Alii Auctores, qui Symbolum iſtud non eſſe Athanaſii, neque Vincentii Lirinenſis, neque Vigilii Tapſenſis aſſeruerunt, dividuntur in alias opiniones; alii enim Euſebio Vercellenſi tribuerunt hanc lucubrationem; alii vero Anaſtaſio Sinaitæ, confundendo forſan Anaſtaſii nomen cum Athanaſio, ut Suſpicatur Montfauconius. Alii denique ab Anonymo Theologo Gallo editum fuiſſe hoc Symbolum conjecerunt, Pipini, vel Caroli Magni temporibus, occaſione præbente controverſia de proceſſione Spiritus Sancti, de qua in Gallicis Synodis tunc actum eſt. In hanc ſententiam deſcendit P. Pithoeus *lib. de Proceſſione Spiritus Sancti*, & in eam ſe propendere profitetur Voſſius in *Diſſertat. de tribus Symbolis*. Hæc tamen Pithoei ſententia quoad ſecundam partem, nempe quoad temporis circumſtantiam, facile refellitur, cum ex ſupradictis, & ex aliis argumentis ab Anthelmio productis *Sect.* 2. manifeſte probetur altius ab octavo ſæculo repetendam eſſe hujus Symboli originem. Quod autem (quando Athanaſio abjudicetur) præclariſſimum hoc opus alicui Gallo Scriptori ſit tribuendum, ut etiam cenſet Montfauconius, non paucæ, nec contemnendæ concurrunt conjecturæ; revera etenim aliis Regionibus Galliam præferendam eſſe videtur, tum quia in Galliis cœpit manifeſtari Symbolum, & in earum Metropoli, Treveri primo repertum fuit ejuſdem Symboli exemplar, tum quia a Gallis Scriptoribus primo fuit celebratum, & a Gallicanis Synodis, necnon Epiſcopis primo receptum, atque commendatum, & denique in Gallicanis Eccleſiis primo decantatum fuit. Ex his omnibus haud temere conjicitur operam hanc in Galliis conſtructam fuiſſe, & ex hac Regione primum prodiiſſe; cum autem eadem Regio fuerit ſemper, præſertim vero ſæculo quinto præcellentium Scriptorum fœcundiſſima parens; ideo inconſultum nonnullis videtur, & prorſus illiberale alium extraneum, & non potius Gallum, credere Auctorem illum, qui aureum hoc opus, & omni præconio commendandum elucubravit. Ex his opinionibus eam ſeligat Lector, quæ ſibi magis arriſerit, & quæ ſolidioribus fundamentis innixa ſibi viſa fuerit; cum nulla, circa Auctorem ejuſdem Symboli, ſententia definitiva ab Eccleſia fuerit adhuc pronunciata.

II. Gav. num. 2. *De uſu ejuſdem Symboli ad Primam &c.*) Quo tempore hoc Symbolum Romano Officio inſertum fuerit, exploratum non habemus, Amalarius tamen, qui de hac re agit, teſtatur ſua ætate recitatum fuiſſe. In Regula vero Sancti Benedicti nulla ejus fit mentio, neque etiam in novo Breviario Cluniacenſi. Hincmarus Rhemenſis in Synodo quadam anno 842. ſtatuit ut perlegeretur hæc Fidei Confeſſio, quam Sancti Athanaſii Symbolum appellat. Nonnulli pariter cenſent in Concilio quodam Auguſtodunenſi Sancti Leodegarii ætate habito, ſcilicet anno 670. hoc Symbolum recitatum fuiſſe, exiſtimant cum eo reſpexiſſe Canonem illum,

Digitized by Google

lum, qui de Fide Sancti Athanaſii, & Symboli Apoſtolorum agit.

III. Gav. n. 3. - *Non dicitur in Dominicis infra octavam Nativitatis Domini etc.*) Gav. ſupra *sect. 4. cap. 3. n. 6.* declarat in Dominicis per annum poſt recitatos Pſalmos ad Primam debere dici etiam Symbolum S. Athanaſii. Hic vero excipit eas Dominicas, in quibus omittitur recitatio ejuſdem Symboli. Honorius Auguſtudunenſis. lib. 2. cap. 19. refert in quibuſdam Eccleſiis quotidie ad Primam cum Oratione Trinitatis: *Omnipotens... qui dediſti famulis tuis veræ Fidei Trinitatis etc.* recitatum fuiſſe. In Cathalogo Abbatum Floriacenſium ad Ligerim tom. 1. Miſcellan. Balluz. refertur Theodulphi Abbatis tempore ad Primam tres Pſalmos quotidie perlectos fuiſſe, atque poſt eos explicationem Symboli S. Athanaſii ab illo Abbate compoſitam. Idem legere eſt in Ordinario S. Apri Tullenſis, atque in Conſuetudinibus Cluniacenſ. ab Udalrico collectis *lib. 9. cap. 3.* ubi habetur: Quicumque &c. *nullo die omittitur a nobis, ſed in privatis diebus dicitur ſimul cum aliis Pſalmis, in Dominica poſt preces.* Ex quibus colligitur, quod Monachi illi poſt Pſalmos quotidie recitabant dictum Symbolum; Dominicis vero diebus poſt preces. Sed novum Breviarium Cluniacenſe hunc morem non ſervavit, immo Symbolum hoc penitus prætermiſit. Carthuſiani quoque illud quotidie recitant poſt Pſalmos Horæ Primæ, ſicut etiam Eccleſia Senonenſis, ut refert Grancolas in *Comment. Hiſtoric. in Breviar. Rom. lib. 1. cap. 35.*

IV. Gav. n. 4. - *Non tamen quotidie dicendum eſt ubi celebratur octava &c.*) Inhærendo Rubricæ ſuperius expoſitæ *sect. 5. cap. 3. n. 2.* declarat hoc loco Gavantus in Dominica Sanctiſſ. Trinitatis debere recitari Symbolum hoc, licet officium non fiat de Dominica; ratio hujus diſpoſitionis eſt, quia in hoc Symbolo clariſſima, & diſtinctiſſima fit explicatio, & confeſſio hujuſce Myſterii SS. Trinitatis: Utrum vero ubi hoc Myſterium, ſeu feſtum Titulare eſt, debeat hoc Symbolum per totam octavam recitari, diſputant Auctores. P. Teophilus Raynaudus *in Netroclytis ſpiritualibus par. 1. fol. 16.* contendit, per totam octavam quotidie recitandum; eo quod officium per totam octavam celebrandum ſit, ut in ipſo Feſto; nec Symbolum in hoc Feſto dicatur ratione Dominicæ, utpote de qua non fit officium. Et ita Lugduni, ubi Socirtas Jeſu Templum Sanctiſſimæ Trinitatis dedicatum habet, de facto practicari docet. Gavantus tamen ſupra cenſet hoc Symbolum non niſi ſoli Dominicæ convenire, atque adeo in tali caſu nonniſi in ipſo Feſto, & die octava (quæ eumdem cum Feſto ritum, licet non eamdem claſſem habere debet) dicendum, uti de facto in aliquibus locis practicatur, ſaltem quoad ipſum Feſtum. Et hanc ſententiam Pater Lohner probabiliorem cenſet *p. 2. prax. Divin. offic. tit. 3. §. 5. n. 2.* Ex quo in tali caſu ipſi duntaxat Feſto ratione Myſterii conceſſum videatur, quemadmodum de facto in Feſto Epiphaniæ ratione Myſterii omittitur Invitatorium cum Pſalmo *Venite*, quod tamen per rutam reliquam octavam deinceps dicitur; quo exemplo perſuadetur laudatus Lohner, ut neque per totam octavam, ſicut vult Raynaudus; neque in die octava, ut tenet Gavantus, dicendum ſit hoc Symbolum; ſuadet tamen interea, ut ſuæ quiſque Diœceſis, aut Eccleſiæ conſuetudinem ſervet. Nunc vero tota hæc difficultas ſubmovetur a Decreto S. R. Congr. edito die 8. Junii 1709. in *Bracaren.* dato ſub n. 247. & ab alio ſimiliter edito die 5. Maji 1736. in *Einſilden.* ſub n. 313. in quibus demandatur quod Symbolum Athanaſianum recitetur tantum in Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis, & in ejuſdem die octava.

## MARTYROLOGII RUBRICÆ.

*Lectio Martyrologii recitatur quotidie in Choro ad Primam ante verſum*, Pretioſa, *excepto triduo ante Paſcha, quibus diebus omittitur.*

*Legitur autem ſemper præcedenti die Lectio illa, quæ memorias Sanctorum ſequentis diei continet, præponendo Kalendas, Nonas, vel Idus, & quantitatem Lunæ ejuſdem ſequentis diei.*

*Lector non petit benedictionem: ſed abſolute incipit a Kalendis ut ſupra: quia etiam in fine leget Lectionem brevem ad abſolutionem Capituli.*

*Feſta, de quibus eo die fit Officium, ſemper primo loco ponuntur: quod etiam ſervandum erit & in Feſtis Mobilibus, quæ pronuncianda ſunt ut infra dicetur; & in Sanctis propriis particularium Eccleſiarum in hoc Martyrologio non appoſitis, qui in iis tantum Eccleſiis & locis, ubi præcipue memoria eorum celebris habetur, & legi poterunt etiam primo loco, ſi de illis ibidem agatur Officium: ſi vero non agatur, poſt Sanctos in hoc Martyrologio deſcriptos, ordine ſuo, videlicet Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, & Virgines poſt Virgines.*

*In fine cujuslibet diei ſemper additur*: Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum. *Et reſpondetur a Choro*: Deo Gratias.

*Feſta Mobilia cum ſingulis annis mutentur, non potuerunt in Martyrologio adſcribi: ſed hoc loco poſita ſunt, ut unumquodque poſt Kalendarium, & Lunæ pronuntiationem, immediate præponatur Lectioni Martyrologii illius diei, in qua eo anno celebrabatur, hoc modo.*

Sabbato ante Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam.
*Feſtum Sanctiſſimi Nominis Jeſu.*
Sabbato ante Dominicam Septuageſimæ.
*Dominica Septuageſimæ, in qua deponitur Canticum Domini, Alleluja.*
Feria tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ.
*Dies Cinerum, & initium jejunii ſacratiſſimæ Quadrageſimæ.*
Feria quinta poſt Dominicam Paſſionis.
*Feſtum ſeptem Dolorum Beatiſſimæ V. Mariæ.*
Sabbato ante Dominicam Palmarum.
*Dominica Palmarum, quando Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, juxta Zachariæ prophetiam, ſedens ſuper pullum aſinæ, Jeroſolymam intravit; cui turba cum ramis palmarum obviam venit.*
Feria quarta majoris Hebdomadæ.
*Cœna Dominica, quando Chriſtus Jeſus, pridie quam pro noſtra ſalute crucifigeretur, myſteria Corporis, & Sanguinis ſui ſuis diſcipulis tradidit celebranda.*
In die ſancto Paſchæ, antequam legantur Kalendæ.
*Hac die, quam fecit Dominus, Solemnitas ſolemnitatum; & Paſcha noſtrum: Reſurrectio Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem.*
Deinde pronuntiantur Kalendæ, & Martyrologium ſequentis diei.
In Vigilia Aſcenſionis.
*In Monte Oliveti Aſcenſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.*
In Vigilia Pentecoſtes.
*Dies Pentecoſtes, quando Spiritus Sanctus Jeroſolymis ſuper diſcipulos igneis linguis advenit.*
Sabbato infra Octavam Pentecoſtes.
*Feſtum ſanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis.*
Feria quarta poſt Octavam Pentecoſtes.
*Feſtum ſanctiſſimi Corporis Chriſti.*
Sabbato ante Dominicam infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ.
*In Judæa Sancti Joachim Patris beatiſſimæ virginis genitricis Dei Mariæ.*
Sabbato ante Dominicam infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.
*Feſtum ſanctiſſimi Nominis Beatæ Mariæ Virginis, quod Innocentius Undecimus ob inſignem victoriam a Chriſtianis de Turcis inſultantibus Viennæ in Auſtria reportatam, celebrari mandavit Dominica infra Octavam Naſivitatis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis.*
Sabbato ante Dominicam primam Menſis Octobris.
*Solemnitas Roſarii Beatiſſimæ Mariæ Virginis.*

## De Martyrologio. Cap. XXI.

### *G A V A N T U S.*

1. *Martyrologium* legitur in Choro ad Primam; de quo Baronius multa *in Præfatione ante Romanum Martyrologium.* Quæ vero ille fuſius, brevius hoc loco dabo. S. Clemens per ſeptem Notarios Romanos curavit, ut acta Martyrum deſcriberentur, quibus addidit ad eamdem cauſam ſeptem Subdiaconos Fabianus Papa. Aliæ Eccleſiæ idem fecere, ut Smyrnenſis, & Carthaginenſis, etiam ante S. Cyprianum Epiſcopum, & martyrem.

2. Gelaſius deinde rejecit ſcripta in hoc genere apocrypha, & falſa, vetuitque legi in Eccleſia; ſed & permulta legitime ſcripta perierant in perſecutione Diocletiani, qui edicto generali ea tradidit igni, non tamen omnia, Deo diſponente; ut Gregor. Turon. *de glor. mart.* teſtatur.

3. Et quia quotidie ad altare Dei fiebat Commemoratio Martyrum, ac etiam, ut ait Auguſtinus *de S. Virg. cap. 45.* defunctarum Sanctimonialium; ideo pridie recitabantur eorum, & earum nomina in Eccleſia, quorum Natalitia die ſequenti recolenda eſſent una cum ſacrificio; atque hinc origo Martyrologii, hoc eſt Sermonis de Martyribus.

4. Legebantur Tabulæ Eccleſiaſticæ Martyrum, quæ etiam Faſti dicti ſunt a Tertulliano *de Corona militis*, eo quod in Sanctorum Natalitiis Chriſtiani ſolerent mutua inter ſe charitate gaudere, & convivium celebrare, quod Agape dicebatur, ſeu Sacrum Epulum Natalitium, ex Nazianzeno. Lege Pamel. *in Epiſt. 37. S. Cypriani.*

5. Porro Martyrologii Romani neſcitur proprius auctor. Fuit ille ante S. Gregorium, ut apparet *ex ejuſdem Ep. 29. lib. 17. indict. 1.* Non tamen fuit Euſebius Cæſarienſis, neque S. Hieronymus: qui ad ſummum Hiſtorias Martyrum ab Euſebio ſcriptas redegit in compendium. Addidere Martyrologio Rom. idem Hieronymus, Beda, Florus, Uſuardus, VVandelbertus, & Addo * Viennenſis, non Trevirenſis, ut optime probat Heribertus Roſvveydus ante Adonis Martyrologium,

gium, ſed nemo ex his dicendus eſt auctor. In Breviariis MS. antiquioribus pro Martyrologio ego legi, Datarium Kalendarii.

6. Continet autem Martyrologium Romanum ex omnibus Chriſtiani Orbis provinciis collectos Martyres, quia Romana Eccleſia materna charitate fideles omnes filios ſuos eſſe novit; neque tantum Romæ paſſos cenſuit eſſe ſuos, ſed omnes alios ubique gentium coronis auctos. Verumtamen neque datur ſingillatim ſingulorum nomina recenſere; tum quia ſuper arenam multiplicati ſunt amici Dei; tum quia ex inſtituto antiqui ritus Eccleſ. brevitati fuit conſulendum.

7. Tertia editio prodiit purior, & emendatior, edita anno 1584. curante Cæſare Baronio. * Recognita fuit rurſus Urbani VIII. juſſu, additis SS. Feſtis, qui nuper canonizati ſunt; & in primo loco poſitis iis, quibus datum eſt officium de præcepto: tum vero emendatus fuit textus multis in locis juxta veritatem certiſſimæ Hiſtoriæ, me quoque minimo omnium Collegarum præſente; & minus certa interim commiſimus tempori decernenda maturius, quod intelligant ii, quæſo; qui mutationem optavere majorem in ipſo textu, qui vero utuntur antiquiori textu, non prohibito, obſervent ea tamen, quæ dicuntur infra *n.* 12. Dabimus in calce hujus Tomi Concordiam Maryrologii cum Breviario.

8. Ad illud legendum opportune datæ ſunt leges initio libri, e quibus quarta, & ſexta ſunt obſervandæ magis. Ut nimirum primo loco pronuncietur ille regulariter, de quo in ſequenti die faciendum eſt officium, etiamſi non ſit in Martyrologio, ſi a majoribus rite decretum ſit officium. Alii Sancti, de quibus non fit officium, & de quorum ſanctitate nullum eſt dubium, nominari poſſunt ſuis locis, Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, Virgines poſt Virgines, eo fine, ut in propriis locis, ubi merito coluntur, quotannis recolantur ſaltem in Martyrologio. Dixi, *pronuntientur*, & *nominari poſſunt*: non autem dico: deſcribantur, & deſcribi poſſunt, niſi ſeparatim, non autem in ipſo Martyrologio Romano; nam illa conceduntur in Regulis Martyrologii approbatis in Bulla Gregorii XIII. hæc autem prohibentur in eadem Bulla, data *die* 14. *Januarii* 1584.

9. Tranſlato tamen Feſto alicujus Sancti juxta Rubricam de Tranſlatione Feſtorum, non fit tranſlatio de eodem in lectione Martyrologii, niſi in caſibus in Martyrologio expreſſis, nam licet, ut dictum eſt, legatur pridie de eo Feſto, quod in ſequenti die Officium in Kalendario habet, non tamen ita fit ſemper, ſed ut plurimum: quod patet in menſe Januario, in Feſtis SS. Hilarii, & Pauli primi Eremitæ, & in Septembri in Feſto Sanctorum Cornelii, & Cypriani, de quibus legitur in Martyrologio pluribus ante diebus, quam officium fiat.

10. Dices: in anno Biſſextili transfertur Vigilia S. Mathiæ, & ejuſdem pronunciatio in diem 24. ergo tranſlato Feſto aliorum Sanctorum, transferri debet de eodem nominatio in Martyrologio. Reſpondeo, legem haberi certam in ipſomet Martyrologio de hac Vigilia, & S. Mathiæ Feſto; & ratio legis fuit, quia vere cum nomine Vigiliæ jejunium quoque transfertur; & cum Vigilia Feſtum, qua ratione convenit etiam anticipari extra Romam, quæ de Vigilia, & Feſto S. Bartholomæi habentur in Martyr. Rom. at in aliis SS. Feſtis, etiamſi transferantur, nullum contingit mendacium, quia vere eo die, quo leguntur in Martyrologio, illi objere; & præterea in tranſlatione plurium Feſtorum difficilior eſſet Martyrologii lectio, retrocedendo per dies aliquando multos.

11. * Tranſlata quoque Vigilia in Sabbatum, non anticipatur Lectio de Vigilia in Martyrologio, licet anticipetur officium cum jejunio.

12. Per eamdem Reg. IV. legenda ſunt primo loco nomina SS. qui adduntur in dies Breviario Rom. etiam eorum, quorum officium ad libitum recitari poteſt, ſi illud recitandum ſit in Choro.

13. Sexta vero Regula decernuntur formulæ prænunciandi Feſta Domini mobilia: quæ primo loco poſt Lunæ pronunciationem annuncianda ſunt, excepto Paſchate, quod antequam legantur Calendæ, annunciatur; & ratio patet, quia in ipſo die Paſchatis annunciatur; Calendæ vero pertinent ad ſequentem diem: & quia mobilia Feſta incertam habent ſedem, ideo initio Martyrologii fuerunt datæ Formulæ propriæ, numero novem; nempe pro Dominica Septuageſimæ, Die cinerum, Dominica Palmarum, Cœna Domini, die Paſchæ, Aſcenſione, Pentecoſte, Feſto Trinitatis, & Sanctiſſ. Corporis Chriſti.

14. Legitur autem Martyrologium poſt Orationem ad Primam, Gemma *lib.* 2. *c.* 58. & in fine additur Verſus ad lectionem accommodatus: *Pretioſa in conſpectu Domini, &c.* in venerationem, inquit Hugo 2. *de offic. c.* 2. Sanctorum omnium; invocantur iidem Sancti per Orationem ſequentem, *Sancta Maria*, *& omnes Sancti &c.* a quibus ad Deum Trinum elevamur, repetito Verſu ter: *Deus in adjutorium meum intende*, quem & precamur ſecreto Oratione Dominica; tum Verſu Davidico: *Reſpice in ſervos tuos*; denique Oratione, qua dirigi poſtulamus in omnibus toto die. Vide Sectionem præcedentem *c.* 3. *a n.* 9.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. *p.* 1. (*De quo Baronius multa in Præfatione &c.*) Quamvis Gavantus noſter lectorem ſuum ad Baronium amandet pro ampliori Martyrologiorum notitia, nos tamen pauca hoc loco tradere audemus. Itaque Martyrologiorum originem ab ipſius Eccleſiæ Primordiis repetendam eſſe facile ſibi perſuaſerit quiſquis accurate perpenderit quanta olim diligentia dies eorum notarentur, qui proprio ſanguine Fidem Eccleſiæ Catholicæ propugnabant, ut eorum triumphus in ſacris conventibus publica laudatione celebraretur: huic enim conſuetudini Martyrologiorum initia debemus. Viri eruditi morem a ſæculo Apoſtolorum fluxiſſe contendunt; cum Sanctus Clemens I. ut notat etiam Gavantus, Notarios conſtituiſſe, ac per Urbis regiones diviſiſſe legatur, qui Martyrum acta colligerent, quæ dum Anterus poſtmodum diligenter inquireret, & recunderet ne interirent, vel ab Ethnicis fœde corrumperentur, viam ſibi ad palmam aperuiſſe creditur. Anaſtaſius enim Bibliothecarius in libro de Geſtis Pontificum Romanorum de Antero hæc ſcribit: *Hic geſta Martyrum diligenter a Notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit. Propter quod a Maximo Præfecto Martyrio coronatus eſt.* Fabianus Anteri Succeſſor Prædeceſſorum diligentiam imitatus, urgente Domitiani perſecutione ſeptem inſtituit Subdiaconos, ut Notariis jam a S. Clemente conſtitutis incumberent, ne aliqua fraus in colligendis Martyrum actis interveniret: *Hic fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent.* Sunt verba Libri de geſtis Rom. Pontif. Porro neceſſaria erat hujuſmodi cautio, ut ait Franciſcus Dominicus Bencini in notis ad Vitam Fabiani, dum ex his actis nedum glorioſi Tituli Confeſſoribus, verum & coronatis Martyribus condignæ laudes in Eccleſia decernebantur. Specialis autem Fabiani temporibus urgebat neceſſitas in ſciendis veris Confeſſoribus diſcriminandiſque a reliquis: ſiquidem cum ob martyrii, aut Confeſſionis vera merita facultas concederetur ſubſcribendi libellis pœnitentium ad relaxandas pœnas, plures confingebant merita ad prærogativam ſibi vendicandam ſubſcriptionum libellorum, de quo ſæpiſſime conqueritur Sanctus Cyprianus; cui malo ut remedium afferret Fabianus, Subdiaconos elegit, qui Notariis præeſſent. Eccleſiæ Romanæ curam imitata eſt Africana Eccleſia, ut diſcimus ex S. Cipriano, cujus antea verba recitare non pigeat. *Denique & dies eorum*, inquit *epiſt.* 37. *quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus, et devotiſſimus Frater noſter pro certa ſollicitudine, et cura ſua, quam Fratribus in omni obſequio operationis impertit .... ſcripſerit, et ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere Domini Fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, et celebrentur hic a nobis oblationes, et ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobis cum Domino protegente celebrabimus.* Hinc frequenter de Martyribus epiſtolæ ultra, extraque ex provinciis in provincias tranſmittebantur, ipſique fideles Sanctorum certaminibus, ut eorumdem acta, exituſque adnotarent, cum codicillis adſtabant, quemadmodum apud Euſebium, & ſinceriora acta Martyrum unuſquiſque facile inveniet. Hinc ſacros cenſus, & municipales Faſtos, hoc eſt proprios ſingularium Urbium indiculos, in quibus dies natales Sanctorum poſteritati commendarentur, ortum duxiſſe, omnes conſentiunt. Sacros hos cenſus, & Faſtos perduellibus opponebat Tertullianus, ut morem hunc ab Eccleſiæ crepundiis ortum duxiſſe convinceret. *Coronatur*, inquit lib. de Cor. Milit. *cap.* 13. *et vulgus nunc ex principalium proprietatum exultatione, nunc et municipalium ſolemnitatum proprietate, et eſt omnis lætitiæ publicæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus es mundi hujus, Civis ſupernæ Hieruſalem. Noſter*, inquit, *Municipatus in Cœlis. Habes tuos faſtos.* Et quidem ſæculo quarto codicem aliquem in uſu fuiſſe, qui toto anno florentes Martyres contineret, ſatis clare inſinuat S. Aſterius Amaſenus, qui ſub Juliano Apoſtata vixit. Siquidem oratione in Sanctorum Martyres ita rem attingit ex Combefiſii verſione. *Ecce enim per univerſum orbem impletus eſt Chriſti Athletarum Circulus, nec eſt locus ullus, quo non eorum memoria habeatur, annique tempora omnia etc. Quocirca ut aliquis ſedulus eſſet Martyrum amans, atque omnium paſſionibus feſti vellet celebritate litare, ne diem quidem in anno non feſtum præteriret.* Quomodo vero Feſti dies ſingulos per annos peragi poſſent ſine aliquo codice memoriali? Horum martyrum acta publice legebantur in Eccleſia, immo in ipſo Miſſæ Sacrificio eorum nomina recitari conſueverant, Auguſtinus *in ſerm.* 101. inter editos a Lovanienſibus, ait: *Habent honorabilem locum Martyres Sancti; advertite in recitatione ad Altare Chriſti: loco meliore recitantur, non tam pro Chriſto adorantur.* Cum autem ſub perſecutionum rabie innumeri quotidie Martyres excreſcerent, & tandem pace Eccleſiis reddita plurimi vitæ inculpabilis viri ſub Confeſſorum Titulis Sanctorum Catalogo mererentur adſcribi, antiquis Indiculis, & Kalendariis ſatis ampla facta fuit acceſſio; quo circa opus fuit ad celebrantium, vel audientium minuendum laborem, nomina tantum, locum, & dies paſſionis, vel depoſitionis compendioſius in commentarium redigere, non quidem quorumcumque Martyrum, ſed in ſuis Urbibus, vel Regionibus clariorum. Gregorii Magni temporibus Romæ fuiſſe

hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi codicem, qui nomina ſolum Martyrum, locum, & diem paſſionis exhiberet, ipſe teſtatur in epiſtola ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, qui cum peteret a Gregorio acta Martyrum ab Euſebio Cæſarienſi conſcripta, hæc reſpondit. *Veſtra Beatitudo ſcribere ſtuduit, ut cunctorum Martyrum geſta, quæ piæ memoriæ Conſtantini temporibus ab Euſebio Cæſarienſi collecta ſunt, tranſmittere debeamus, ſed neque ſi collecta ſunt, neque ſi ſunt, ante veſtræ Beatitudinis ſcripta cognovi. Ago ergo gratias quia Ss. veſtræ Doctrinæ ſcriptis eruditus cœpi ſcire, quod neſciebam. Præter illam enim, quæ in ejuſdem Euſebii libris de geſtis Ss. Martyrum continentur, nullam in Archivio hujus noſtræ Eccleſiæ, vel in Romanæ urbis Bibliothecis eſſe cognovi, niſi pauca quadam in unius codicis volumine collecta.*

II. Gav. n.5. -- *Porro Martyrologii Romani neſcitur proprius Auctor &c.*) inſiſtendo Gav. veſtigiis aliqua nunc de Martyrologiorum Auctoribus diſſeremus. Acta Symphoroſæ apud Surium die 18. Julii teſtantur Euſebium Cæſarienſem memoriæ prodidiſſe, quod Julius Africanus, qui floruit Sæculo tertio aliquantulum adulto, Romæ, ac totius Italiæ Martyrum geſta deſcripſerit; immo ipſa S.Symphoroſæ acta in nonnullis MSS. Codicibus teſte Ruinartio Julio Africano tribuuntur. Et quidem genuina eſſe hujuſmodi acta non dubitat ipſe Ruinartius, cum illis inter ſincera, & ſelecta locum dederit; ob ſinceritatem, & brevitatem commendantur etiam a Tillemontio. Nihilominus quia nullibi legitur apud Euſebium, quod illi acta attribuunt, putant Tillemontius, ac Jo: Pinus ad diem 18. Julii a recentiori aliquo additum fuiſſe: quapropter Ruinartius & Bollandiſtæ totam illam ſententiam prætermittendam eſſe duxerunt; nec Pino placuit Carduli conjectura, qui exiſtimat hoc ab Euſebio traditum, in Commentariis, quos de Martyribus edidit, quod fieri potuiſſe non dubitat Tillemontius; cum enim hoc Euſebii opus antiquitas nobis inviderit, fruſtra contenditur aliquid in eo ſcriptum non reperiri, niſi certum aliunde ſuppetat argumentum. Crederem ego Julium Africanum in libris de Chronographia, quos accuratiſſime editos fuiſſe teſtatur Euſebius *l. 6. Hiſtor.* c. 31. &c. in quibus præcipuos eventus, qui ab Orbe condito uſque ad Eliogabali Imp. tempora contigerant, Auctor retulerat, plurium Italiæ Martyrum, eorumque martyrii feciſſe mentionem, idque poſtea ab Euſebio proditum in citatis Commentariis, quæ legens actorum Symphoroſæ Scriptor, vel recentior aliquis, exiſtimavit Julium Africanum totius Italiæ Martyrum acta collegiſſe. Quidquid ſit de hac collectione Africana, certum eſt Euſebium ipſum Cæſarienſem plurima SS. Martyrum geſta conſcripſiſſe, quem propterea nonnulli primum Martyrologii Auctorem affirmant: verum ut optime obſervat Florentinius *admonit.* 3. difficillimum eſt credere Euſebium Cæſarienſem deſcripſiſſe Martyrum codicem, qualem laudat Gregorius Magnus. Etenim cum Eulogius Alexandrinus a Gregorio petiiſſet -- Cunctorum Martyrum geſta, quæ piæ memoriæ Conſtantini temporibus ab Euſebio Cæſarienſi collecta erant; Reſpondit Pontifex ea in Romanis Bibliothecis non inveniri, & vulgarem tunc Romæ Codicem de Martyribus exhibuit, in quo *non quis qualiter paſſus*; ſed tantummodo *nomen, locus, & dies paſſionis indicarentur*. Hujuſmodi vero Codex longe diſtabat a geſtorum collectione ab Euſebio contexta, cum iſta non modo locum, & dies paſſionis, ſed integrum certamen Martyris continerent. Id manifeſte demonſtrat Euſebii locus *lib. 4. hiſtor. Eccleſ. cap.* 15. ubi martyrium S. Pinnis commemorat -- *Cujus ſingulas Confeſſiones*, inquit, *& libertatem in dicendo atque coram Populis, ac Præſidibus pro Fidei noſtræ defenſione peroraverit: Conciones item de Inſtitutione Fidei, præterea cohortationes, atque invitationes ad eos, qui perſecutionis tempore lapſi fuerunt: allocutiones etiam, & Conſolationes, quas in carcere poſitus adeuntibus ipſum Fratribus adhibuit; quæ ſuper his tormenta, quantoſque dolores ſuſtinuerit; clavorum inſuper confixiones, & mirabilem in medio rogo conſtantiam; mortem denique ipſam, quæ cuncta illa miracula conſecuta eſt, ſi qui volent cognoſcere, eos ad epiſtolam de illius martyrio uberrime conſcriptam amandamus: quam nos in opere de priſcis martyribus, quarum paſſiones collegimus, ordine ſuo inſeruimus.* Libro autem *V. cap.* 21. de Apollonio Senatore agens ait -- *Porro cuncta ab illo in judicio dicta, & quæcumque Perenni interroganti reſpondit, & orationem illam, quam pro Fidei noſtræ defenſione in ſenatu habuit, quiſquis noſſe voluerit ex antiquorum Martyrum paſſionibus a nobis collectis poterit percipere* -- Ex quibus colligere poſſumus Euſebii opus ampliſſimum fuiſſe, atque integras Martyrum hiſtorias continuiſſe, ac proinde a contracto illo Gregorii Codice, & a vulgato Martyrologii charactere longe diſſimile. Quamvis tamen Euſebius primus Martyrologii Auctor veredici non poſſit, nihilominus eo nomine audit apud Florum, Uſuardum, & Adonem, fortaſſe quia ex magna ejus collectione excerpta ſunt paucula illa acta, ex quibus poſtea conflatum eſt Martyrologium. Huic operi primum incubuiſſe Hieronymum, creditu facillimum eſt. Nam Caſſiodorus Aſcetas ſuos in Divinis Lectionibus inſtituens *c.* 32. Hieronymi opus commendat, quod de paſſionibus Myrtyrum conſcripſit -- *Paſſiones Martyrum legite conſtanter, quas inter alia in epiſtola Hieronymi ad Chromatium, & Heliodorum deſti ta proculdubio reperietis, qui per totum orbem terrarum floruere* -- Martyrologii utique Caſſiodorus nomen illi non tribuit, ſed Epiſtolæ paſſionis Martyrum, cum vero epiſtolam dixerit, quis magnum codicem fuiſſe exiſtimabit? Edidit Florentinius vetus Martyrologium ſub Hieronymi nomine, quod ipſius eſſe validiſſimis argumentis demonſtrat; certe illud notis a Gregorio Magno codici ſuo attributis ita reſpondet, ut nominis, & martyribus per totum urbem florentibus Hieronymi epiſtolæ congruat, cujus meminit Caſſiodorus. Hoc Martyrologium a Beda, Floro, Adone, Notkero, & Uſuardo tamquam Hieronymi laudati probat in Admonitionibus præviis Florentinius, ut ea de re dubitari non poſſe videatur.



Poſt Gregorii tempora diverſa eſſe cæperunt Martyrologii exemplaria, ac plures mutationes acceperunt, factumque eſt, ut non tantum ipſa nomina Martyrum, diem locaque paſſionum continerent, ſed quid quis ſit paſſus, ſæpe breviter narraretur, ſuperadditis etiam aliis Martyribus, & Confeſſoribus. Cum autem non æque omnes ab omnibus adderentur Eccleſiis, inde accidit, conjiciente Baronio, ut quot eſſent Eccleſiæ, totidem fere haberentur Romani Martyrologii exemplaria, eademque inter ſe diverſa: primus qui aliquid veteri Martyrologio addidiſſe creditur, fuit Ven. Beda, de quo hæc refert Auctor Catalogi Scriptorum ejus poſt Præfationem ejuſdem Bedæ lib. de temp. Martyrologium ſcripſit de Natalitiis Sanctorum diebus, in quo omnes, quos invenire potuit, non ſolum qua die, verum quo genere certaminis, vel ſub quo Judice vixerint, diligenter adnotare ſtuduit -- Putat Baronius Bedam nihil aliud feciſſe, quam Romanum Martyrologium Roma in Angliam a S. Auguſtino allatum novis aliquot additionibus cumulaſſe, quas ſatis prolixas fuiſſe colligit ex iis, quæ ex eodem recitat Amalarius de Officiis Eccleſiaſticis *lib. 2. c.* 24. Vulgatum eſt hoc Martyrologium *tom. 3. operum Bedæ anno* 1563. ac deinde ſeorſim typis Plantinianis anno 1564. Metricum Martyrologium ſub nomine Bedæ vulgavit Dacherius tom. 10. ſpicileg. primæ editionis. Dubitat Bollandus in Præf. Gen. §. 58. an uſpiam germanum Bedæ Martyrologium exiſtat? Sed dubitationem omnem exemere Viri DD. Enſchen. & Papeb. qui genuinum Bedæ Martyrologium a Flori auctariis accurate diſtributum ediderunt tom. 2. SS. Martii. Quia vero Beda aliquot dies Martyrum nominibus vacuos reliquit, Flori Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconi cura ſuppleti ſunt, ut teſtatur Ado Viennenſis in Præfatione ſui Martyrologii; ejuſdem Flori mentionem fecit Uſuardus, & Sigebertus de Viris illuſtribus *c.* 64. -- Poſt Bedam, ac Florum, ſtrenuam condendo Martyrologio operam navavit Uſuardus, de quo hæc Sigebertus Gemblacen. in lib. de ſcriptor. Eccleſiaſtic. cap. 85. -- *Uſuardus Monachus provocatus ſtudio Hieronymi, & Bedæ, qui Feſtivitates Sanctorum annuatim recurrentes partim annotaverant, maxime autem animatus ſtudio, & juſſu M. Caroli Imp. cui diſplicebat, quod Hieronymus, & Beda ſtudentes nimis brevitati, præterierant multa neceſſaria, & quamplures Kalendarum dies intactos reliquerant, in gratiam ejus ſtudit opus imperfectum ſupplere, & Feſtivitates Sanctorum per ſingulos Kalendarum dies annotans integrum Martyrologium effecit* -- Quod hic ait Sigebertus Hieronymum plures Kalendarum dies intactos reliquiſſe, falſi convincitur ex ipſo Uſuardo, qui Bedæ ſoli defectum illum attribuit in Epiſtola ad Carolum Calvum -- In hac fatetur Uſuardus ſe plurimum profeciſſe ex Flori, quem memorabilem virum appellat, additamentis. Prima hujus Martyrologii editio ea eſt, quam frequenter citatam habes ſub nomine Lubecanæ ann. 1475. quam maximam Jo: Bapt. Sollerius appellat, quia ejus forma in lato, ſpiſſoque folio expanſa eſt, & ab illa Lubecana diſtinguitur anno 1490. Secunda hujus editio facta eſt Ultrajecti ann. 1480. immixta Aureæ Jacobi de Voragine. Tertia Coloniæ eodem anno, ac ſecunda Lubecana, ſicut & alia Pariſiis eodem anno 1490. ſub ſolo titulo Martyrologii, ut teſtatur Roſveydus. Deſcriptas hactenus Uſuardi editiones antecellit Veneta procurante Belino Ord. Eremit. S. Auguſtini anno 1498. cui titulus -- *Martyrologium ſecundum morem Romanæ Curiæ.* -- Pariſiis denuo editum eſt hoc Martyrologium ann. 1521. & aliam ejuſdem editionem Pariſiis curavit ann. 1536. Eribertus Roſveydus. Caſtigatior Belinianis editionibus eſt utraque Coloniæ anno 1515. & 1521. quam utramque Hermanno Greſgen adſcribunt Bollandus, & Socii. Prodiit etiam hoc Martyrolog. Lovanii 1568. cum additionibus Jo: Molanii, & cenſura Jo: Heſſels de Legendis quibuſdam Sanctorum. Poſtremo omnium pulcherrimam Martyrologii Uſuardini editionem adornavit Jo: Baptiſta Sollerius tom. 6. Sanct. Junii.

Inter opera Rabani legitur Martyrologium, quod in Codice Monaſterii S. Galli repertum, atque editum eſt ab Henrico Caniſio tom. 6. Antiq. Lect.

Bollandus videtur dubitare an Rabani ſit Martyrologium illud, cum nemo veterum memoriæ mandaverit a Rabano Martyrologium aliquod fuiſſe conſcriptum; ſed Bollandi ſucceſſores Papebrochius, Joan: Baptiſta Sollerius, & Caſtellanus in præfat. ab I. Bimeitre pro certo habent, Rabanum in pluribus ſuppleviſſe Bedæ Martyrologium exemplo Flori; immo Papebrochius in Prologo *num.* 11. credidit Rabanum, ac Florum eodem tempore Bedam ſuppleviſſe, ſcilicet circa annum 830. Aliter cenſet Caſtellanus *loc. cit.* ubi ait Rabanum Martyrologium ſcripſiſſe circa ann. 845. tunc nempe cum,

demiſſa anno 842. Abbatiæ Fuldenſis Præfectura, privatus ibi degeret, ut probabile omnino ſit Flori laborem in augendo Beda ad Rabani manus perveniſſe. Sollerius rejecta Papebrochii ſententia, Caſtellano adhæret. Eodem Sæculo nono floruit Wandelbertus Prumienſis Monachus, qui Flori ope, & ſubſidio uſus, ut ait ipſe in epiſt. ad illuſtrem virum Otricum, Martyrologium metro edidit ann.842. Martyrologium hoc legitur *tom.*1. operum Bedæ ſub Titulo Ephemeridum Bedæ, ſed Molanus in prima Uſuardi editione vero Auctori reſtituit. Bollandus illud ſe ex MS. Codice accuratius editurum pollicetur in *Præf. art.* 9. *c.*3. §.18. Addo etiam Viennenſis Epiſcopus ejuſdem Sæculi Scriptor luculentius ſcripſit Martyrologium, quod a Jacobo Moſandro, tum a Roſveydo editum eſt; ſed jam illud ante utrumque vulgaverat Lipomanus *tom.* 4. Adonem ante Uſuardum ſuum edidiſſe Martyrologium probare conatur Sollerius in prænotatis ad Uſuardi Martyrologium; iis tamen utitur argumentis, quæ facile ſolvi poſſent ſi unum excipias, quod omnium eſt validiſſimum, & invictum, atque hoc eſt -- Uſuardi Martyrologium dedicatur Carolo Calvo jam Imperatori: atqui Carolus Imperator non fuit ante ann. 875. ergo vel illo anno compoſitum, vel anno ſequenti. Atqui Ado ſuum ſcripſit Martyrologium circiter ann.857. Illud enim certe compoſuit antequam ad Cathedram Viennenſem eveheretur, at indubium Cathedram Viennenſem conſcendiſſe ann.860. ergo ante prædictum ann. Martyrologium ab eo deſcriptum eſt. Negat etiam Sollerius nullam Uſuardum Adonis feciſſe mentionem, & putat hæc Uſuardi verba: *Adhibui Flori memorabilis viri collecta e pluribus in eodem negotio ſecundi libri Commenta*, de Addone intelligenda eſſe; quem idcirco Uſuardus Florum eſſe credidit, quod tranſitulum ad ſe Adonis Martyrologium Auctoris nomen in fronte operis non haberet. Id creditu difficile videtur; argumentum tamen illud chronologicum rem extra dubium ponit. Adoni ſuppar Notkerus Monachus Cœnobii S. Galli apud Helvetios Martyrologium quoque compoſuit, quod ab Henrico Caniſio vulgatum eſt *tom.*4. antiquæ lection. mutilum tamen, obſervante Bollando: qui plura de Notkero deſiderat, adeat Papebrochium in Comment. ad diem 6. April. *pag.*570. ubi hunc a variis Notkeriis accurate diſtinguit. Putant aliqui Ditmarum Merſburgenſem in Laſconia Epiſcopum Martyrologium aliquod compoſuiſſe, quod in ejus Chronico ita legatur: *SS. Reliquias, & munda earumdem receptacula, cum aliis utilitatibus plurimis tam in prædiis, quam in mancipiis ego acquiſivi, & ne te forſitan laterent, Martyrologio inſcripſi*. Bollandus tamen contendit ex illis verbis concludi non poſſe an ipſe Ditmarus Martyrologium confecerit, an ab alio deſcripſerit, aut eo dumtaxat uſus fuerit. Hæc ſunt Martyrologia, quæ ab antiquis Scriptoribus edita ſunt. Plures etiam recentiores edendis, vel illuſtrandis Martyrologiis ſuam operam collocarunt, quos inter Galeſinius, Cæſar Baronius; ſed nobis ſufficit aliqualem veterum notitiam ſuppeditaſſe. Qui plura deſiderat, adeat Bollandum in Præfatione generali, Florentinium in Admonitionibus prævils, & Andream du Sauſſay, necnon noſtri Franciſci Mariæ de Alte Diſceptationes in Martyrol. Romanum. Antequam huic de Martyrologiis animadverſioni finem imponam, obſervare lubet Valeſium in eam deſcendiſſe opinionem, ut crederet nullum unquam fuiſſe proprium, ac peculiare Martyrologium Eccleſiæ Romanæ ante illud, quod juſſu Sixti V. editum eſt Baronii notationibus illuſtratum. Portentoſam hanc Valeſii ſententiam clariſſimis argumentis evertit doctiſſimus Florentinius loco ſupra laudato. Mabillonius Præfatione ſecunda in Sæculum quartum *c.*6. *n.*174 ait, ſe Valeſii opinionem (quam ibid. extenſe refert) penitus refutare nolle: ſe tamen diſſimulare non poſſe auctoritatem Conc. Cloveshovienſis ann. 747. celebrati, in quo diſerta de Martyrologio Romano mentio habetur in Can. 13. definiente -- Ut per gyrum totius anni Natalitia Sanctorum una eademque die juxta Martyrologium ejuſdem Romanæ Eccleſiæ cum ſua ſibi convenienti pſalmodia, ſeu cantilena venerentur -- Nihil, inquit Mabillonius, hoc Teſtimonio apertius: At Teſtimonio, quo nihil clarius afferri poteſt, an non penitus refutatur Valeſii ſententia invito etiam Mabillonio?

III. Gav. n.9. -- *Tranſlato tamen Feſto alicujus Sancti &c.*) Contendit hoc loco Gav. quod in tranſlatione Feſti alicujus Sancti, fieri non debeat tranſlatio de eodem in lect. Martyrologii, niſi in caſibus, qui in Martyrologio exprimuntur. Hanc ſententiam docent etiam communiter cæteri Rubricitæ, præſertim Biſſus *lit. M. n.* 101. §. 7. & Guyetus *l.* 2. *c.* 14. *q.*5. Quærit tamen eodem loco Guyetus, an appellatio Sancti transferri poſſit in lectione Martyrologii, quando Feſtum ipſius non ſimpliciter transfertur, ſed penitus mutatur a die proprio, in quo ſemper impeditur, in alium, cui perpetuo addicatur, quod modo contingit in Feſto S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ a die 25. Maji modo impedita Feſto S. Gregorii VII. in perpetuum fuit tranſlatum ad diem 27. ejuſdem Menſis? Quæſtioni affirmative reſpondet Guyetus, ſi tamen id fiat ab Eccleſiarum Præſidibus. Hæc opinio Guyeti omnino conformis eſt Decr. S. R. C. 5. Maji 1736. in *Eeinſilden.* in quo ſtatuitur, ut pridie Feſto S. Canuti, quod pro Ordine Benedictino fixe eſt repoſitum ad diem 18. Febr. hoc elogium legatur in Martyrologio -- S. Canuti Regis, & Martyris ſeptimo Idus Januarii -- non variata tamen diſpoſitione Martyrologii Romani, quod etiam confirmatur altero Decreto ejuſdem Congreg. *in eadem Einſilden.* quo permittitur annunciari in Martyrologio Feſta ad diem fixum tranſlata pridie quam celebrentur. Utrumque Decretum datum in noſtro Indice, primum quidem *ſub n,* 306. alterum vero *ſub n,* 314.

Quæri etiam hic poteſt, num dies Octava Feſtorum propriorum annunciari debeat in Martyrologio, ſicut etiam Vigiliæ, & Beati nondum canonizati? Quod attinet ad Octavas, Cæremoniale Monaſticum *l.* 2. *c.* 7. §. 3. aſſerit annunciandam eſſe Octavam: conſentit Biſſus *lit. M. n.* 101. §. 4. ſi tamen de ea ſequenti die faciendum ſit Officium. Guyetus non omnino dat manus, quia neque diei Paſchæ, nec Aſcenſionis, nec Feſti Corporis Chriſti Octavarum annunciatio in Martyrologio ipſo in ſerie Feſtorum Mobilium præſcribitur, quod utique fieri oportuerat, ſi de jure eſſet, ut Octavæ omnes annunciarentur. Et vero nihil pronius erat, quam, ut in præfata Rubrica Martyrologii Feſtis propriis adderentur ſimul & eorum dies Octavæ, ſi earum annunciatio æque fieri debuerat. Hac ratione Guyetus impugnat uſum annunciandi Octavas. Sed neſcio an omiſſio Octavarum Feſtorum Mobilium præjudicium inferre poſſit Octavis Feſtorum non Mobilium. Certe quodcumque Feſtum non Mobile habens Octavam annunciatur in Martyrologio cum ſua Octava: præterea exemplum Octavarum Paſchæ, & Pentecoſtes ad rem non facit, nam hujuſmodi Feſta proprie non habent diem Octavam, & Rubrica Breviarii diſertè affirmat *tit.*7. *n.*2. quod -- in Paſchate Reſurrectionis, & Pentecoſtes Officium Octavæ terminatur in Sabbato ſequenti ad Nonam; unde mirum non eſt ſi eorum Octavæ non annuncientur. Octavarum Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, quamvis nulla ſit mentio in Rubrica Martyrologii, uſus tamen communis Eccleſiarum eſt ut annuncientur. Utemur ergo libertate, quam poſtea nobis Guyetus ipſe concedit, & cum Biſſo opinabimur Octavarum, ſaltem quarum ſequenti die fiat Officium, mentionem fieri poſſe in Martyrologio. De Vigiliis Feſtorum propriorum nullo modo conſentit idem Guyetus ut fiat aliqua enunciatio, ſive ipſarum fiat, ſive non fiat Officium, ſive in iis ſervetur, vel non ſervetur jejunium, cui opinioni adhæret Biſſus *loc. citat.* §. 3. Nam, inquit, ex Rubrica Martyrologii ſolum habetur addenda eſſe Feſta, de quibus ſequenti die faciendum eſt Officium; Vigilias autem non venire nomine Feſti eſt ſatis compertum. Sed cum in Martyrologio Romano Vigiliæ etiam plurium Feſtorum annuncientur, neſcio quare permitti non poſſit annunciatio aliarum Vigiliarum in Eccleſiis particularibus. An non Rubrica permittit annunciari Feſta particularia? cur ergo prohibita cenſetur annunciatio Vigiliarum? Qui principale concedit, videtur etiam concedere acceſſorium; & certe quamvis Rubrica de Feſtis tantum expreſſe loquatur, vult tamen Biſſus eorum Octavas enunciari poſſe. Neque nos movet ratio illa, quod Vigiliæ non veniant nomine Feſti; probaret enim male appoſitam eſſe Martyrologio Romano commemorationem Vigiliarum, quæ in illo habentur, cum ipſæ Feſta non ſint. De Beatis concedunt idem Guyetus, & Biſſus fieri poſſe in Martyrologio appellationem, & quidem primo loco, ſi de iis ex conceſſione Summi Pontificis alicubi fiat Officium. Si vero de iis non fiat Officium, putant etiam eorum nomina in propriis locis palam pronunciari poſſe, ſed poſt cæteros Sanctos. In utroque placito viri doctiſſimi non patientur nos adverſarios. Quoniam vero diximus in Martyrologio legendo pronunciari poſſe nomina Sanctorum, quæ in ipſo non recenſentur, advertendum eſt cum Biſſo *loco cit.* §. 10. ad id brevi admodum Oratione utendum eſſe, quare præter nomen Sancti, locum & diem obitus, ſive paſſionis, ſi fuerit Martyr, non erit opus aliud addere. Et quamvis idem Biſſus velit de ipſis prædicari poſſe breve aliquod elogium ad excitandam majorem erga ipſos venerationem; ego tamen inconſulta S. R.C. crederem abſtinendum eſſe ab hujuſmodi elogiis.

Circa modum legendi in Choro Martyrologium, Lector exacte ſervare debet diſpoſitiones Rubricæ Martyrologio præfixæ, quam ſupra exhibuimus, quibus addi poteſt, quod idem Lector accedere debet, detecto capite, ad legile, ſuper quo ponendum eſt Martyrologium, & præmiſſa Cruci Altaris reverentia, vel genuflexione, præſertim ſi Sacramentum aderit, poſtquam Hebdomadarius dixerit *Benedicamus Domino*, & reſponſum fuerit a Choro *Deo gratias*, incipiet lectionem Martyrologii, Choro interim, & Hebdomadario ſedentibus. Quod ſi præcipuum aliquod Feſtum, vel Patroni nomen pronuncietur, fieri debet ab omnibus reverentia capitis detectioni, & inclinationi conjuncta. Poſtquam finita fuerit lectio Martyrologii, Lector facta debita reverentia, vel genuflexione, ut ſupra, & ſalutato prius Choro, revertitur ad locum ſuum. Chorus reſpondet *Deo gratias*, & ſurgunt omnes, proſequente Hebdomadario *Pretioſa*.

Speciali autem Solemnitate, & Ritu in omnibus Eccleſiis cantari ſolet, & debet Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, de quo Gavantus agit *ſectione* 10. *cap.* 3. *num.* 7. Nos vero in eadem Vigilia Nativitatis Domini de Riti-

bus

bus in ea ſervandis in dicto Martyrologio cantando differemus.

IV. Gav. n. 14. -- *Legitur autem Martyrologium poſt Orationem ad Primam, &c.*) In noſtris Obſervationibus ad c. 3. *ſect.* 4. ſuſpendimus loqui *de Martyrologio, de Pretioſa*, & de reliquis precibus, quæ recitantur ad Primam, quia ſectando Gavanti veſtigia de his omnibus boc loco ſermonem nos habituros promiſimus. Poſtquam igitur de Martyrologii origine, & Auctoribus ſatis, ut arbitror, locuti ſumus, nunc procedimus ad examinandam circumſtantiam tum temporis, tum etiam loci, in quo Martyrologium impræſentiarum legitur, & antiquitus legebatur. Itaque legitur Martyrologium in Churo poſt Orationem ad Primam, ut notant Rubricæ cujuſcumque Breviarii eidem Primæ Horæ inſertæ. Sed antiquus Monachorum mos erat mane Capitulum vocare, ſeu Monachos congregare in ſuis Monaſteriis ad Martyrologii, Necrologii, ſacræque Regulæ lectionem, culparum emendationem, ac laboris injunctionem, diſtributionemque faciendam a Capitibus, ſeu Superioribus Cœnobiorum, qui ſimul cum aliis conveniebant, ut volunt nonnulli, ſeu quod verius credit Martene *lib.* 1. *c.* 5. *de Monachorum Ritibus* a Regulæ *Capitulo*, quod in tali Monachorum Congreg. legebatur hæc *Capitulum* fuit appellata. Immo etiam locus ipſe ubi hæc tractabantur, Capituli nuncupationem accepit, de qua re fuſe differit Haeſtenus *lib.* 8. *tract.* 5. *diſquiſit.* 5. Multa etiam *loc. cit.* deſcribit Martene, præſertim de loco ejuſdem Capituli, de modo quo Monachi congregabantur, necnon de tempore, quod erat poſt Primam, & aliquando, etiam poſt Tertiam, & de his, quæ in Capitulo peragebantur. Idem Martene *n.* 7. aſſerit, quod congregati omnes, atque in unum ſedentes ad actus Capitulares procedebant, ex quibus tres dumtaxat memorat Radulph. in *lib. de obſervat. Canonum, prop.* 14. ubi ait -- In Officio autem Capituli, quod fit poſt Primam, fiunt tria: Primo, memoria Sanctorum in recitatione Martyrologii cum ℣. *Pretioſa*, & Capitulo *Sancta Maria*: Secundo, memoria Defunctorum in Anniverſariis recitandis cum *Miſerere mei Deus*, & Collectis: Tertio, quia tunc ad labores diurnos præparari debemus, addunt preces congruentes, dicendo ter *Deus in adjutorium, &c.* Hæc laudatus Radulphus, quibus ſubnectit Martene, quod multo plures Capitulares actus recenſeri poſſent, & 1. lectio Martyrologii cum Collecta ſequenti; 2. Divini invocatio auxilii, ad reliquos diei actus per ℣. *Deus in adjutorium &c.* 3. Lectio Regulæ, aut alicujus Homiliæ; 4. Commemoratio Defunctorum per lectionem Necrologii; 5. Commemoratio item Benefactorum viventium cum precibus; 6. Officialium inſtitutio; 7. Culparum correctio; 8. Laboris injunctio, de quibus ſingillatim, & breviter quidem idem Martene agit.

Primus itaque actus Capituli erat lectio Martyrologii, ita pariter ſtatuente Synodo Aquiſgranenſi *Can.* 66. his verbis: *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur*; Quæ tamen lectio antea in uſu fuiſſe docet antiquus Ordo Converſationi Monaſticæ. Circa hanc Martyrologii lectionem obſervandum eſt cum Martene, primo, quod lector in medio Capituli conſtitutus benedictionem poſtulabat ad legendum, ut tradit Ordo Converſationis Monaſticæ anno 1659. Neapoli editus, in quo habetur: *Et petat benedictionem lector, & recitentur nomina Sanctorum.* Liber uſuum Ciſtercienſium *Cap.* 70. ait: *Lector vero veniens ante Analogium aperiat librum, & inclinet ſe ad benedictionem*; & Burſfeldenſes in Ordin. Cap. 11. ita præſcribunt: *Procedat in medium qui lecturus eſt ad benedictionem humiliter ſe inclinans, qua data, reſideant, ſed nemo ante Præſidentem.* In antiquis vero Germaniæ Conſuetudinibus manuſcriptis ad ſolum Prioris Sacerdotis nutum legi debet Martyrologium: *Et ſedentibus cunctis Prior Sacerdos dat lectori ſignum ut legat.* Sed neque in Concordia Dunſtani, neque in Decretis Lantfranci, neque in M. SS. Conſuetudinibus S. Germani a Pratis ulla fit mentio petendæ Benedictionis ad lectionem Martyrologii.

Secundo, idem Lector eos ſemper annuntiabat Sanctos, quorum Natalis dies in diem ſequentem incideret, ſive ut habet antiquus Ordo Converſationis Monaſticæ Cap. 3. *quorum Feſta craſtina dies excipiet*, quibus diem menſis, & lunæ præmittebat; & ita præſcribit Cæremoniale Burſfeldenſium Cap. 11. *Lector legat Lectionem de Martyrologio præmittens quotam menſi, & Lunæ juxta Computationem Kalendarii, & pronunciatur non præſens dies, ſed ſemper craſtinus.*

Tertio, in illa Lectione non dicet Lector, ea finita, *Tu autem &c. ſed aliorum plurimorum Sanctorum &c.* De qua clauſula ita in Chronico Chronicorum fol. 166. *Uſuardus*, qui juſſu Caroli Magni compilavit Martyrologium, reperit ſingulis diebus pluſquam trecenta Feſta concurrere, ideo ſtatutum fuit, ut diceretur: *& aliorum plurimorum Sanctorum &c.* Sed vide Decreta ſpectantia ad Martyrologiam ſub n. 306. & 314.

V. Gav. num. 14. *Pretioſa in conſpectu Domini &c.*) Finita Martyrologii lectione, ſurgere debent omnes, & dici ab Hebdomadario *Pretioſa in conſpectu Domini*, cui cæteri de Choro reſpondent *Mors Sanctorum ejus.* Liber autem Uſum Ciſtercienſium Cap. 70. ait *Tunc ſurgant Fratres, & vertant ſe ad Orientem dicentes Verſum, qui in Collectaneo habetur, ideſt Pretioſa in conſpectu Domini, Sacerdote Hebdomadario incipiente*; quem ſequebatur dicenda a Sacerdote Oratio: *Ipſi, & omnes Sancti Dei intercedant pro nobis, ut mereamur ab eo adjuvari, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.* Cui quidem orationi Religionis, ac devotionis ergo in Beatiſſimam Dei Genitricem, juxta præſentes Rubricas præmittitur Sacratiſſimum Beatæ Mariæ nomeo hoc modo: *Sancta Maria, & omnes Sancti, &c.* Quæ additio utique non reperitur in antiquo Ordine Converſationis Monaſticæ, neque in M. SS. Conſuetud. S. Germani a Pratis, neque apud Crodogangum in Reg. Canon. neque in Cær. Burſfeldenſium; ſed non ideo ita recentioris eſt inſtitutionis, nam extat in MS. Breviario Caſſinenſi Inſtitutionis Oratorii, in quo utrumque dicendi modum, diverſis tamen in locis ſe reperiſſe aſſerit Martene *loc. cit. n.* 12. Hæc oratio a Sacerdote, ut innuimus, dicebatur; in Ordine tamen Monaſtico apud Haeſtenum, & in MS. Sangermanenſi præſcribitur, quod dicatur a priore.

VI. Gavant. eod. n. 14. *Repetito verſu ter*: Deus in adjutorium meum intende &c.) Recitata prædicta Oratione a Sacerdore, ad Deum Trinum elevamur, ait Gavantus, repetito verſu ter *Deus in adjutorium meum intende.* De hoc eodem verſu laudatus Martene num 14. ait quod erat ſecundus Capitularis actus, & num. 17. quod ter a Priore, vel a Sacerdote ex integro talis verſus dicebatur, terque item a Congregatione repetebatur, ut patet ex antiquo Ordine Converſationis Monaſticæ: *Dicatur verſus ad ſolvendum ſilentium, ideſt* Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina, *tribus vicibus Priore incipiente, cæteris autem reſpondentibus ad ipſum.* Tertin extat ſuper hac re Capitulum XI. Monachorum Sangallenſium relatum in ſæculo IV. Benedictino *par.* 1. *pag.* 741. ubi leguntur hæc verba. (*Ut verſus ad Capitulum, ideſt* Deus in adjutorium meum *a Presbytero ter, terque a Congregatione repetitus dicatur, & dicta* Gloria *poſt hoc non adjungant* Alleluja) idem præſcribit Cæremoniale Burſfeldenſium relatum a Martene *loco cit. loco* Alleluja *poſt* Gloria Patri *dicitur Litania ſeu Kyrie eleiſon &c.* ad quam Monachi flectebant genua, ſurgebantque ad Orationis Dominicæ concluſionem, ita enim tradit liber Uſuum Ciſtercienſium *Cap.* 70. *Proſternantur ſuper Sedes Superiores, aut incurventur ſuper genua ſecundum tempus dicentes ſimul* Kyrie eleiſon .... *& quando Sacerdos dixerit*; & ne nos inducas in tentationem, *erigantur donec Sacerdos dicat*: Dirigere, & ſanctificare &c. *& tunc incurventur.* Cæremoniale vero Burſfeldenſe præſcribit: *Deinde Litaniam, ſcilicet* Kyrie eleiſon: Chriſte eleiſon: Kyrie eleiſon: *alternatim per Choros dicant, & conſequenter proſtrati, aut pro temporis qualitate incurvati ſub ſilentio*, Pater noſter *uſque ad* & ne nos, *quam partem poſtquam erectis ad ſonitum Præſidentis fratribus, Sacerdos dixerit, & Conventus reſponderit*: Sed libera nos a malo; *ſubjungat Sacerdos verſum*: Reſpice &c. *Denique ſubnectet orationem*: Dirigere &c. Cujus Orationis varia exemplaria refert Martene *loco ſuprac. n.* 19. Hæc oratio ex antiquo Ordine Converſationis Monaſticæ dicenda præſcribitur a Priore, ex libro Uſuum Ciſtercienſium a Sacerdote, ad quam ſemper incurvati debent eſſe omnes; ea finita Prior ex eodem Ordine Monaſtico ſubjungebat: *Adjutorium noſtrum &c.* cæteri reſpondebant: *Qui fecit Cælum, & terram.*

Tertius Capitularis actus prædictas preces, (quæ non erant ſimplex præparatio ad laborem manuum, ſed ad omnes diurnos actus reſpiciebant, ut ſatis indicant prædictæ Collectæ verba illa: *Dirigere & ſanctificare &c.*) immediate ſequebatur Lectio Regulæ, de qua multa tradit ſæpe laudatus Martene in ſuo eruditiſſimo Commentario ad ejuſdem Regul. *c.* 66. Ad hanc ſedebant omnes, ita tamen, ut prius aſſideret, qui Capitulo præerat, in cujus fine ſubjungebat Lector: *Tu autem Domine &c.* ſed nullam initio videtur petiiſſe benedictionem. Huic Regulæ lectioni ſubſtituta eſt juxta Ritum Romanum brevis lectio, ſeu Capitulum, quod dicitur in fine Primæ, petendo tamen benedictionem ab Hebdomadario, quo brevi Capitulo lecto, ſubjungitur a Lectore: *Tu autem Domine &c.*

Lectionem Regulæ, vel Homiliæ excipit in Sancti Germani a Pratis M. SS. Conſuetudinibus, & Cæremoniali Burſfeld. Lectio Necrologii, in quo deſcripta erant eorum nomina, qui ex hac vita migraverant, deſumendo initium ab inſignioribus viris, poſt quos Epiſcopi de Eccleſia benemeriti, qui eam conſtruxerant, Benefactores, Amici, aliqui Defuncti nominatim appellabantur, eorumque merita in Eccleſia narrabantur, atque preces pro illis effundebantur.

De hujuſmodi Necrologii lectione nulla fit mentio neque in Antiquo Ordine Monaſtico, neque in Concordia Dunſtani, neque in ſtatutis Lantfranci, neque in M. SS. Conſuetudinibus Germaniæ; nihilominus Necrologiorum ſatis antiquus videtur uſus; nam Regis Oſvvaldi Depoſitionis diem annotatum fuiſſe in Codice Defunctorum, legimus apud Bedam, quem etiam Annalem vocat *lib.* 4. *Hiſtor. Anglicanæ c.* 14. Alia de his Necrologiis, & de aliis Capitularibus actibus legi poſſunt apud eumdem Martene, & apud Grancolas *lib.* 1. *in Breviar. Rom. cap.* 36.

### De Antiphonis Beatæ Mariæ in fine Officii. XXXVI.

### R U B R I C A.

1. *ANtiphonæ Beatæ Mariæ poſitæ in fine Pſalterii poſt Completorium, ſingulæ dicuntur pro temporis diverſitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Paſcha.*

2. *Dicuntur autem extra Chorum, tantum in fine Completorii, & in fine Matutini, dictis Laudibus, ſi tunc terminandum ſit Officium; alioquin, ſi alia ſubſequatur Hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem ſemper dicuntur, quandocumque terminata aliqua Hora diſcedendum eſt a Choro.*

3. *Numquam vero dicuntur poſt aliquam Horam, quando ſubſequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, præterquam poſt Completorium, in quo ſemper dicuntur, etiam ſi prædicta ſubſequantur: neque etiam dicuntur, quando poſt aliquam Horam immediate ſubſequitur Miſſa. Dicuntur autem flexis genibus, (præterquam in diebus Dominicis, a primis Veſperis Sabbati, & toto tempore Paſchali) Hebdomadario tamen ad Orationem ſurgente.*

### De fine Officii, & Antiphonis finalibus Beatæ Mariæ. Cap. XXII.

### *G A V A N T U S.*

1. HOrarum finis ſolet eſſe poſt Orationem per Verſum *Benedicamus Domino*, *Reſp. Deo gratias*, ſubſequitur, inquit Amalar. *lib.* 4. *c.* 4. Benedictio, & gratiarum actio (dixerat de Oratione) quia Chriſtus benedixit Apoſtolis, cum diſcederet: & Apoſtoli in gratiarum actionem adoraverunt: quod notavit Hugo *lib.* 2. *de offic. c.* 4. Idem *c.* 2. dixerat etiam, morem fuiſſe Monachorum, cum diſceſſuri erant, petendi benedictionem a Superiore, quæ & congrue a Deo petenda eſt in fine cujuslibet Horæ.

2. Addit idem *in ſpec. c.* 3. voce puerili cantari, hoc eſt, a pueris, *Benedicamus Domino*, quia omnis laus puerilis eſt, reſpectu Dei, quem laudamus: & quidquid hic dici poteſt, minus eſt laude Dei, *Deo gratias*, quaſi dicamus: placet, ut pium eſt, in laude Dei ſuperari. Idem *ibid.*

3. Pietas Eccleſiæ erga Defunctos ea eſt, ut peracto officio divino ad utilitatem vivorum, ſuffragetur ſtatim & Defunctis, qui degunt in Purgatorio; eo verſu finali addito: *Fidelium animæ*, &c. cujus tamen ritus non meminere antiqui.

4. Qui Verſus non dicitur ante *Pretioſa*, ad Primam; quia adhuc non eſt finitum officium Primæ, cui deinde additur in ejuſdem fine; neque ad Completorium habet in fine locum congruum; non enim ante Antiphonam Beatæ Virginis, quæ ad officium vivorum attinet: neque poſt eam, quam ſequitur Oratio Dominica cum Salutatione Angelica, & Symbolo Apoſtolorum, quare forte hinc factum eſt, ut ſub noctem dato ſigno cum Campana fiat commemoratio Defunctorum, ut aliquo modo ſuppleatur Completorio, quod noctis initio recitabatur. Neque dicitur poſt aliam Horam. ſi aliud ſequatur, ut, vel Miſſa, ſicuti fit in nocte Nativitatis Domini, & hoc idem legi inter ordinationes officii editas a Sancto Bonaventura impreſſas *in libro Clericorum familiari Venet. Anno* 1561. Vel officium parvum Beatæ Mariæ ſeptem Pſalmi, Litaniæ, in quorum fine dicitur: *Fidelium animæ &c.* Vel officium Defunctorum, in quo pro iiſdem abundantius oratur, omnino extremum locum habere debet: Noviſſima enim eſt mors, ait Sanctus Paulus 1. *Cor.* 15.

5. Dicta Oratione Dominica pro fine Horæ ea ratione, qua diximus ſupra *cap.* 1. addimus Verſum, *Dominus det nobis ſuam pacem*. Quem apud aliquos fuiſſe in uſu docet, Durand. *lib.* 5. *c.* 2. *n.* 6. ſequitur autem una ex Antiphonis B. V. quas non legi apud antiquos. Habetur in Breviario *Venetiis edito* 1521. ubi dicuntur ſtatutæ a Clemente VI. Anno 1350. meminitque Turrecrem. *in Regula S. Benedicti ad Completorium*. De iis autem diſtincte meminit Jo: Parmenſis in Epiſtola data ad Fratres ſuos minores Anno 1249. quam recitat Lucas Wadingus *eodem anno in Annal. Minor. n.* 2. ubi eaſdem quatuor, quibus nos utimur, ſolitas cantari poſt Completorium indicat a Franciſcanis, quorum opera paucis ante annis, Breviaria, ut dictum eſt ſupra, fuerant reformata, & Romæ recepta, ſub Gregorio IX. & Innocentio IV. ut egregie probat idem Lucas anno 1244.

6. *Alma Redemptoris*, ab Hermanno Contracto fuit compoſita, ex Benzon *in Magn. lib.* 1. *c.* 19. obiit ille Anno 1054. ex Wion *in Ligno Vitæ lib.* 5. Verſiculi varii ante, & poſt Nativitatem una cum variis Orationibus manifeſtam cauſam habent. Cum enim primæ Veſperæ ſint initium Feſti Nativitatis Domini, ideo ab iiſdem dicitur Verſus *Poſt partum*, ſicut etiam in Hymnis: *Qui natus es de Virgine*.

7. Dicitur hæc Antiphona uſque ad Purificationem incluſive, ita ut ſi Purificatio, quoad officium, transferatur; Antiphona hæc quoque non dimittatur, niſi in fine illius officii: immo vero, ſi Purificatio alicubi Octavam habeat, adhuc Antiphona hæc dicenda erit uſque ad Completorium diei Octavæ excluſive; ſeu uſque ad finem Octavæ: ſi forte contingat finiri ad Nonam pridie feriæ quartæ Cinerum, quia tota Octava pro die uno reputatur ex Radulpho *ſupra citato de Octavis*. Et ita decrevit Sacra Rituum Congregatio *in Officiis auctoritate ipſius editis Romæ Anno* 1606. *ad uſum Patrum Diſcalceatorum Carmelitarum*.

Et licet uſque ad Purificationem tam in ſuffragiis communibus, quam in Antiphona finali Officii dicantur iidem Verſus, & eadem Oratio, nihil tamen refert: quia non intra Horas fit repetito, quæ regulariter prohibetur; ſed poſt Horas fit repetitio: quod eadem de cauſa accidit toto die Circumciſionis Domini, quoad orationem, *Deus, qui ſalutis &c.*

8. Quod ſi dividantur Veſperæ Purificationis a Completorio ejuſdem, adhuc dicenda eſt poſt Veſperas, *Alma Redemptoris*, quæ pertinet ad partum Virginis. Rubrica enim jubet mutari Antiphonam in fine Completorii; tum ut ſequens Antiphona poſt Purificationis officium, quod terminatur in Oratione Completorii, habeat locum; tum ut in Completorio ſolemnius dicatur, in quo reliquæ inchoari ſolemniter ſolent, non autem in Laudibus diei ſequentis. Atque hic fuit ſenſus eorum, me præſente, qui Breviarium recognoverunt auctoritate Clementis VIII. & verbum in Rubrica (excluſive) non attinet, niſi ad feriam quintam in Cœna Domini, cui proxime adhæret, qua de re dubitavere non pauci. In recognitione Urbana Breviarii additum eſt Rubricæ de *Ave Regina*, verbum *incluſive*; ex Decreto Sac. Rituum Congreg. 27. *Julii* 1624.

9. *Ave Regina Cælorum*, habet innominatum auctorem. Verſus eidem aditum: *Dignare me, &c.* eſt S. Ephrem, teſte Sancto Hieronymo citato a Cornelio Schultingio *Tom.* 4. *p.* 3. *de peculiaribus Miſſæ*.

10. *Regina Cœli lætare*, ab Angelis inventa, & edita, ex antiqua traditione, ut ſcribit Sigonius *lib.* 2. *Italici Regni*, & ab eo Caniſius *ult. lib. de B. V. cap.* 22. cui addidit ultimum verſum, *Ora pro nobis Deum* Sanctus Gregorius Papa, quando tempore Paſchali peſtis inguinaria devaſtabat Romam, ut in ejus vita narratur. & a Durando *lib.* 6. *cap.* 89.

11. *Salve Regina*, vel habet auctorem Petrum Compoſtellanum, ex Durando *lib.* 4. *c.* 22. vel Hermannum Contractum, ex Trithemio *lib.* 2. *de Viris Illuſtribus Bened. cap.* 84. *Anno* 1040. Certe canticum hoc fuit ſtatim receptum, & in divinis Officiis cantatum ex Benzonio *in Magnificat lib.* 1. *c.* 18. Sanctus Bernardus piis Commentariis hanc Antiphonam illuſtravit, *quæ habetur in operum ejus tom.* 2. & eamdem auxit ultimis iis verbis, *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*, ut habetur *in lib.* 12. *Chron. de Urbe Spirenſi*.

12. Gregorius IX. decrevit prædictam Antiphonam recitari in Matutinis, & Veſperis, Anno Domini 1239. Bzovius eodem Anno. Non eam tamen legi in Breviariis antiquis, ſed in Breviario Cardin. S. Crucis edito ſub Paulo Tertio. Lege Navarrum *de Oratione cap.* 19. *num.* 184. ubi eam dicit cantatam ab Angelis in Sabbatis in Roncavalle; & appellari Cantionem nauticam, quia nautæ eam frequenter habent in ore naufragantes.

13. Extra Chorum prædictæ Antiphonæ dicuntur tantum in fine Completorii, & Matutini poſt Laudes, ſi tunc terminatur Officium, quando vero ſeparatur Matutinum a Laudibus, non dicuntur, poſſunt tamen ſemper dici poſt quamcumque Horam, ex devotione. Convenit autem, ut ex ſeptem Horis prior in ordine, hoc eſt, Matutinum cum Laudibus, & ultima, quæ eſt Completorium, concludantur ſub invocatione B. Virginis, & ſolemnius ultima, qua completur totum diei Officium, ſi alia ſequitur Hora, dicuntur poſt ultimam Horam, non ratione Horæ, ſed ratione Matutini, & Laudum.

14. Dicuntur ſemper poſt quamcumque Horam, quando a Choro diſcedendum eſt, etiam poſt Horam Officii parvi B. V. ut receſſuri ſalutent prius Beatam Virginem, quam initio cujuſque Horæ ſalutaverunt cum Angelica Salutatione, vice cujus in fine Officii dicuntur hæ Antiphonæ poſt Orationem Dominicam.

15. Nunquam vero dicuntur poſt aliquam Horam, quando ſubſequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, etiam ex devotione recitandum; quia tunc non eſſent Antiphonæ finales Officii, ſequente alio Officio; neque quando ſubſequuntur Pſalmi Pœnitentiales, quorum finis proprius habetur alius ab his Antiphonis, eodem modo quando ſolæ Litaniæ ſubſequantur. Dixi *ex devotione recitandum*, quia hoc ſignificat ea verba *præterquam poſt Completorium, etiam ſi prædicta ſequantur*: ergo poſſunt ſequi, etiam ex devotione; nedum in ratione Officii: quod vel ſequitur Veſperas, vel Laudes, non autem Completorium. Neque item dicuntur, quando ſubſequitur Miſſa, quia continuatur Officium Divinum, qualis eſt Miſſa, neque per Antiphonas prædicta facienda eſt interruptio, ſeu diviſio. Oratio vero mentalis poſt Horas non tollit has Antiphonas finales, ſed debent dici, licet a Choro non diſcedatur. Si tamen Miſſa longiori mora diffe-

differatur, eo caſu erunt dicendæ, ac ſi diſcedendum eſſet a Choro, nam in Rubrica 36. n. 3. habes hæc verba; *quando poſt aliquam Horam immediate* (nota ad verbum) *ſubſequitur Miſſa.*

16. Sed quæritur: An finita deinde Miſſa, & nulla alia ſequente Hora, dicendæ ſint? Reſpondeo, ex modo loquendi Rubricæ de his Antiphonis *num.* 3. colligi poſſe videtur eas omittendas eſſe; nam de Completorio in Rubrica dicitur; quod in eo ſemper hæ dicantur, etiamſi prædicta ſubſequantur; de aliis Horis dicitur, quod ſi poſt Laudes alia ſubſequatur Hora, in fine ultimæ Horæ dicendæ ſunt Antiphonæ. Ergo, cum ibidem dicatur, *nunquam dici*, abſolute prohibentur dici; tum in fine Horæ, ſi prædicta ſubſequantur: tum in fine prædictorum, & Miſſæ, quæ ſubſequuntur poſt Horam. Confirmatur ex praxi, quæ habet, ut non dicantur hæ Antiphonæ poſt Miſſam Sabbati Sancti, neque poſt Officium Defunctorum, quod conjungitur Officio diei: ergo neque alias poſt Miſſam erunt dicendæ. Proprius etiam modus finiendi Miſſam videtur excludere has Antiphonas. Unde & Carmelitæ ex inſtituto Regulæ eaſdem recitant ante ultimum Evangelium, quod debet eſſe Miſſæ terminus, & finis. Neque dicas cum quibuſdam, Rubricam loqui de Horis minoribus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, ita ut poſt Veſperas Defunctorum adjunctas Veſperis diei, debeant Antiphonæ prædictæ recitari: quia hæc vox, *Hora*, niſi aliud addatur ad diſtinctionem, ſignificat etiam Matutinum, & Veſperas, ut patet in Rubricis *tit.* 20. *n.* 3. *tit.* 21. *n.* 1. *tit.* 22. *n.* 1. *& tit.* 32. *n.* 1. Quare poſt Miſſam, ſi diſcedendum ſit a Choro, non ſunt eæ recitandæ; ſi fiat, poteſt eſſe laudabilis conſuetudo, nec improbanda, quæ cedit in laudem B. Virginis Mariæ.

17. Dicuntur autem flexis genibus, præterquam in diebus Dominicis, a primis Veſperis Sabbati, ex Concilio Nicæno *Can.* 20. *vel* 29. *apud Turrianum*: Synodo Turonenſi ſub Carolo Magno *c.* 37. ob Dominicam Reſurrectionem; qui ritus antea fere deperditus a Clemente VIII. fuit Eccleſiæ reſtitutus. Et a primis quidem Veſperis genuflexiones omitti tradit Amalar. *lib.* 4. *c.* 7. & Concilium Conſtantinopolit. 6. *Can.* 90.

18. Toto item tempore Paſchali non genuflectimus, ex Ambroſ. *ſermone* 62. *de Pentecoſte*: Hieronymo *in Dialog. adverſum Luciferianos*, lege Turrecrem. *in cap. quoniam de confecr. diſt.* 3. At Hebdomadarius ſemper ſtat ad Orationem recitandam poſt prædictas Antiphonas ex Amalar. *lib.* 4. *capit.* 4. *&* 7. ubi loquitur de Oratione, quæ eſt finis Officii, eademque de cauſa ſtandum quoque erit (alias enim genuflectit rurſus Hebdomadarius) ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolicum, quæ dicuntur poſt Antiphonam finalem in Completorium. Verum, ſicut hic ritus ſtandi incipit a primis Veſperis Dominicæ, non a media nocte: ita deſinit in Occaſu Solis ejuſdem Dominicæ more Indulgentiarum, & poſt occaſum Solis non eſt amplius ſtandum in Oratione, quod ii notent, qui Veſperi recitant Officium Feriæ ſecundæ poſt Salutationis Angelicæ ſignum datum ſub noctem. Et hic eſt finis Sectionis Quintæ.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 5. *Sequitur autem una ex Antiphonis B. Virginis, quas non legi apud antiquos &c.*) Vere Gavantus affirmat ſe in antiquis monumentis non legiſſe Antiphonas, quas in fine Completorii ſtatis anni temporibus recitare ſolemus; ſiquidem in nullo, quod ſciam, Breviario reperiuntur ante annum 1520. quamvis apud Franciſcanos, jam ab anno 1249. ut optime advertit Gavantus, in uſu eſſent. Earum mentio eſt in MSS. ſtatutis Capituli Floriacenſis Abbatum Floriaci, & Prioris, & Conventus *de Regula cap.* 4. apud Martene *de Antiq. Monach. Ritib. cap.* 12. *num.* 17. his verbis -- In fine Completorii loco Antiphonarum, quæ dicuntur de Beata Maria, videlicet; *Completi ſunt*, *& Ecce completa ſunt*, debet alia Antiphona, ſcilicet *Alma Redemptoris*, aut *Salve Regina*, ſeu quælibet alia Antiphona ad libitum Cantoris ſingulis diebus in Conventu ſolemniter celebrari -- Neſcio an de hujuſmodi Antiphonis intelligendum ſit decretum Capituli Generalis Anglorum Monachorum ann. 1444. Northamptonæ celebrati, quod refert Martene *loc. cit.* -- Ne Serpens verſutus, quos Vigilantes nequit ſubvertere, dormientes noctanter illudat, opus eſſe cenſemus ante ſomnum ejus implorare ſuffragium, per quam extitit caput ipſius Serpentis contritum: hinc eſt quod ſtatuimus, ut ſingulis diebus ſtatim poſt Completorium in honorem B. Virginis una in Choro cantetur Antiphona.... poſt quam ſequatur oratio de eadem. Quod jam diu ſancitum fuerat in Capitulo Provinciali ann. 1343. ibidem celebrato. Sed forſan Antiphonæ B. Virg. in his decretis non ſunt aliud niſi illæ de quibus fit mentio in laudatis ſtatutis Floriacenſibus, nempe *Completi ſunt*, *& Ecce completa ſunt*. Burſfeldenſes in Cæremoniali ante annos ducentos editos, has Antiphonas cum ſua collecta vocant Laudes Beatæ Mariæ: Præcipua ex illis Antiphonis, & cujus in Eccleſia uſus antiquior videtur, eſt *Salve Regina*, cujus recitationem in Eccleſia, præceptam fuiſſe a Gregorio IX. anno 1234. contendit Sigonius; Cardinalis Quingnonius ſuo Breviario eam inſeruit, ex quo Pius V. tranſtulit in Romanum. S. Ludovicus Galliarum Rex, teſte Nangio, eam in fine Completorii quotidie recitari volebat. Id pariter decretum fuit a Concilio apud Pennam Fidelem in Hiſpania anno 1302. In laudem Sanctæ Virginis in ſingulis diebus poſt Completorium canatur *Salve Regina &c.* alta voce cum verſu *Ora pro nobis &c.* & Oratio *Concede nos Famulos &c.* Carthuſiani non in fine Completorii, ſed ad Veſperas dicunt hujuſmodi Antiphonam; Carmelitæ in fine cujuslibet horæ; Ciſtercienſes toto anni tempore; Cluniacenſes vero nunquam recitant. Fratres Prædicatores quotidie poſt Completorium faciunt proceſſionem canentes in honorem Virginis prædictam Antiphonam; quod primum Pariſiis inſtitutum fuit, teſte Thoma Cantipratenſi *lib.* 2. *de Apol. cap.* 10. Auctorem hujus Antiphonæ Gavantus facit Petrum Compoſtellanum ex Durando, vel Hermannum Contractum ex Trithemio: ſed longe probabilius eſt compoſitam fuiſſe ab Hermanno Contracto Monaco Reichariarenſi in Suevia ita appellato, quia ab infantia membra contracta habebat, & obiit anno 1074. Inter opera D. Bernardi habentur IV. Sermones in *Salve Regina*, in quibus tamen Jacobus Merlonus Horſtius nihil aut parum invenit dignum ingenio, vel ſtylo S. Bernardi. Guillelmus Einſengrenius in Chronico Spirenſi refert Sanctum Bernardum Apoſtolicæ Sedis ad Germanos Legatum cum quadam die hujuſmodi Antiphona recitaretur in Eccleſia Spirenſi, genua flexiſſe, & hæc verba adjunxiſſe: *O clemens*, *o pia*, *o Dulcis Virgo Maria:* Hæc tamen narratio falſitatis omnino argui debet, ſi verum eſt, quod ſtatuunt Poſſevinus in Apparatu, & citatus Horſtius, nimirum meditationem quamdam in *Salve Regina*, quæ legitur poſt ſuppoſititios illos Bernardi ſermones, Auctorem habere Anſelmum Mantuanum Lucenſem Epiſcopum; cum hic ante Bernardum Clarevallenſem vixerit, & in meditatione illa prædicta verba legantur. Aliquam verborum mutationem paſſa eſt hæc Antiphona: nam Hermannus Contractus ita ſcripſerat -- *Salve Regina miſericordiæ*, *vitæ dulcedo*, *&c.* & ſic recitabant etiam Dominicani Pariſiis cum proceſſionem illam inſtituerunt, de qua paulo ante meminimus, & ſic etiam nunc recitant Carthuſiani. In ſermonibus citatis habetur quidem Regina miſericordiæ, ſed cætera verba leguntur perinde ut in Breviario Romano. Reliquarum Antiphonarum Auctor ignoratur, niſi quod Antiphonam *Alma Redemptoris* nonnulli eidem Hermanno Contracto adſcribunt. Nobis tamen non placet antiqua illa traditio, cujus meminit Sigonius *lib.* 2. Regni Italici, quæque docet Antiphonam *Regina Cœli lætare* ab Angelis inventam fuiſſe, cui Traditioni miramur Gavantum aliquam fidem præſtare potuiſſe. Proteſtantes vitio nobis vertunt, quod in recitatione hujuſmodi Antiphonarum, iis titulis Beatam Virginem decoremus, qui ſoli Deo debentur. Iniqua prorſus accuſatio: nos enim Beatam Virginem non alia ratione Vitam noſtram, Spem noſtram appellamus, niſi quia ipſa nobis genuit Chriſtum Dominum, qui vere ſpes noſtra eſt, ac vita, & a quo ipſa ſuis precibus ſpem nobis ac vitam impetrare poteſt. Quod ſpectat ad tempus, quo unaquæque ex his Antiphonis recitari ſolet, id accurate a Gavanto notatum eſt, præter unum aliquod, quod modo examinabimus.

II. Gavant. num. 7. *Ita ut ſi Purificatio transferatur*, *Antiphona hæc quoque non dimittatur &c.*) Aſſerebat Gavantus, quod Antiphona *Alma Redemptoris &c.* taliter debeat dici uſque ad Purificationem incluſive, ita ut ſi Purificatio, quoad Officium transfertur, prædicta Antiphona quoque non dimittatur, niſi in fine Officii Purificationis; Immo vero ſi Purificatio alicubi octavam habeat, dicebat idem Gavantus, quod Antiphona *Alma Redemptoris* deberet dici uſque ad Completorium diei octavæ excluſive, ſeu uſque ad finem octavæ, & in comprobationem harum aſſertionum adducebat Decretum emanatum pro PP. Carmelitis Diſcalceatis. Verum hæc Gavanti ſententia non poteſt amplius admitti; quia Decreta edita ſub die 11. Januar, 1681. & die 10. Januar. 1693. & die 4. April. 1705. quæ dantur in noſtro Indice ſub numeris 114. 179. & 232. aperte derogant Decreto ſupra allegato a Gavanto pro PP. Diſcalceatis, & declarant, quod die 2. Februarii poſt Completorium dimiſſa Antiphona *Alma Redemptoris* ſemper dicatur Antiphona *Ave Regina Cælorum*, etiam ſi Purificatio quoad Officium transferatur, vel alicubi octavam habeat, ſicut habet in noſtra Congregatione ex Conceſſione Clementis X. die 20. Auguſti 1671. ut patet ex ejuſdem Pontificis Conſtitutione, quæ incipit *Ad Paſtorale*, & quæ eſt *n.* 44. in Bullario Romano Cherubini, nunc vero in Bullario recentiſſimæ Romanæ editionis *tom.* 7. *n.* 75. Attentis præallegatis Decretis corruit etiam opinio Guyeti, quæ habetur in Heortologia *lib.* 4. *ſect.* 3. *cap.* 18. *quæſt.* 5. (ubi ſectatur ſententiam Gavanti) propter Decreta poſterius edita & ſuperius allegata, quæ profecto derogant anterioribus, ut in puncto de Decretis Sac. Cong. docet, & probat Urſaya celebris hujus Almæ Urbis Advocatus *Diſcept. Eccleſ. tom.* 1. *part.* 3. *Diſcept.* 14. *num.* 82.

S E-

# SECTIO SEXTA.

## De Proprio de Tempore.

### GAVANTUS.

EXpoſcit Ordo Breviarii, ut explicatis Rubricis generalibus, accedamus ad Rubricas ſpeciales, & partes ejuſdem Breviarii; & cum de Pſalterio (quod alias erat in centro Breviarii, nunc in capite,) dixerimus ſatis, cum de Pſalmis enarraremus Sectione præcedenti, *cap.* 8. reliquum eſt, ut proprium de tempore, quod Pſalterium ſequitur examinemus, digniora tantum relaturi.

## SECTIONIS SEXTÆ CAPITA XXI.

1. *De Adventu.*
2. *De Antiphonis majoribus Adventus.*
3. *De Dominica quarta Adventus.*
4. *De Vigilia Nativitatis Domini.*
5. *De Natali Domini.*
6. *De Feſtis infra octavam Nativitatis Domini.*
7. *De Epiphania Domini.*
8. *De Dominicis poſt octavam Epiph.*
9. *De Septuageſima, & Domin. ſeqq.*
10. *De Feria 4. Cinerum.*
11. *De Dominicis Quadrageſimæ.*
12. *De Dominica Paſſionis.*
13. *De Dominica Palmarum, & Hebdomada majore.*
14. *De Paſchate, & ejuſdem Octava.*
15. *De Tempore Paſchali.*
16. *De Litaniis majoribus, & minoribus.*
17. *De Feſto Aſcenſionis Domini.*
18. *De Pentecoſte.*
19. *De Dominica Trinitatis.*
20. *De Feſto Corporis Chriſti.*
21. *De Dominica poſt Pentecoſten.*

## De Adventu. Cap. I.

### GAVANTUS.

1. DE Hymnis, & Lectionibus egimus ſuperiori Sectione *cap.* 6. & 12. omittimus ſuffragia Sanctorum, ne ante Chriſtum natum implorare videamur eorum opem, quos ipſe Chriſtus ſuo adventu ſanctitate donavit. Neque fit commemoratio Crucis, ne videatur paſſus, antequam natus, neque item de Pace, quæ ante Nativitatem ejuſdem non fuit; ſed eo nato ab Angelis data eſt hominibus bonæ voluntatis, Azorius *lib.* 10. *part.* 1. *cap.* 16. Adventu Principis cedunt alii, ait Durandus *lib.* 6. *cap.* 2. quod ſupra retulimus.

2. Reſponſorium primum eſt in Breviario unicum, quia tres verſus habet: & Amalarius *de Ord. Antiphon. cap.* 8. meminit. Auctor illius fuit Monachus S. Gregorius ex Durando *lib.* 6. *cap.* 3. Tres autem verſus ex eodem Durand. dicuntur nomine trium ordinum Sanctorum, qui ante legem, in lege, poſt legem Salvatorem exoptarunt, quibus additur *Gloria Patri*, in laudem Ss. Trinitatis, quæ tandem miſit eum in terras. Repetitur demum a capite Reſponſorium, quia, ut inquit Gemma *lib.* 3. *cap.* 1. iterum Adventus Domini a fidelibus expectatur. Repetitio fit a remotiori; deinde a minus remoto: & demum a propinquiori; quia Patres primi temporis remotiores fuerunt ab Adventu Chriſti, quam recentiores. Mich. Timoth. *in Spec. ordinand. tract.* 6. *par.* 5. *c.* 4.

3. Reliquorum Reſponſoriorum dicitur auctor Sanctus Gregorius, & mentio eſt eorumdem, ſed ordine paulum diverſo, apud Amalarium *loc. cit.* cætera cum eodem Amalario concordant, præter Lectiones.

4. In Dominica tertia mutatur Invitatorium, quod concordat cum Capitulo Veſperarum, & Laudum, ad excitandos animos erga Chriſtum venientem, & congruentius nunc mutatur in Dominica tertia, quam in Feria 4. Quatuor Temporum, ut ante Pium Quintum fiebat.

5. S. Hilar. *in l. officiorum* citat. a Bernone *de quibuſdam ad Miſſam ſpect. c.* 4. notat, in tribus Dominicis Adventus ſignificari Trinum Chriſti adventum ad ficulneam infructuoſam; venit enim ante legem per naturalem hominis intellectum, venit ſub lege, cum ipſa lege, venit ultimo per gratiam. Hæc ille.

6. De quatuor temporibus Adventus, ſicut etiam de aliis in Vere, Æſtate, & Autumno, ſatis ſuperque diximus priore Tomo. Officium eſt feriale cum Precibus, exceptis Temporibus Pentecoſtes; & appellatæ ſunt Feriæ majores in recognitione Breviarii, ut diximus *Sect.* 3. *cap.* 6. *num.* 2.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. -- *Neque fit Commemoratio Crucis, ne videatur paſſus, antequam natus etc.*) Omittuntur ab Adventu uſque ad Octavam Epiphaniæ Sanctorum Suffragia, necnon Commemoratio de Cruce, ea videlicet ratione, quam adducit Gavantus, & quæ pariter allegatur in MSS. Conſuetudinibus Monaſterii Lyreoſis, quia videlicet non natum, vel adhuc parvulum, inconveniens eſt prædicare Crucifixum.

Huc ſpectant ſequentia Decreta, nimirum.

Cum multis Congregationibus, Religionibus &c. conceſſum ſit a S. Sede Apoſtulica, ut ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadibus, vel menſibus celebrentur varia officia per annum, v. g. de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Feſto duplici, vel ſemiduplici, hujuſmodi Indulta non habent locum in Feriis Adventus, Quadrageſimæ &c. prout in Decreto dato in noſtro Indice *ſub n.* 236. unde ſuſpenſio prædicti Indulti non ſolum incipit a die 17. menſis Decembris, quando incipiunt Feriæ digniores uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini incluſive, ut videtur ſupponere Patres Cappuccini in Rubricis particularibus ſui Breviarii *n.* 7. ſed a Feria ſecunda Dominicæ primæ Adventus.

Concurrente Dominica 2. Adventus die 7. Decembris cum Feſto Immaculatæ Cocceptionis B. M. V. & die octava Sancti proprii, debet fieri prius Commemoratio de octava Sancti proprii, deinde de Dominica, juxta diſpoſitionem Tabellæ ſecundæ de Concurrentia Dominicæ Majoris, ſive primæ, ſive ſecundæ Claſſis cum die octava; ut ibi Regula tertia, quemadmodum docet Rubrica Breviarii *n.* 51. Ita Sac. Rit. Cong. 10. Januarii 1693. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 180.

In Feriis Adventus, quæ Antiphonæ dicendæ ſunt tum ad Laudes, tum ad Horas, ſatis declaratur in Rubricis Breviarii, ſicut etiam quando ſit dicendum officium Defunctorum.

## De Antiphonis majoribus Adventus. Cap. II.

### GAVANTUS.

1. ANtiphonæ majores in Adventu dicuntur eæ, quæ per ſeptem dies ante Nativitatem Domini recitantur, incipientes ab, O, quæ majores aliis ſunt, quia duplicantur. De his quæruntur quatuor: &

Primo: Cur ad *Magnificat* recitantur? nam ad Laudes congruentius videbantur recitari poſſe, ad Canticum Zachariæ, quod fuit cantatum de adventu Meſſiæ. Reſpondet tamen Amalar. *de Ord. Antiph. cap.* 13. eas ſpectare magis ad Beatam Virginem, quam ad Zachariam. Addit Durand. *lib.* 6. *cap.* 11. quia Chriſtus expectabatur ad Veſperam mundi, ideo dicuntur in Veſperis ad *Magnificat*.

2. Cur duplicantur? ad explicanda iterata ſuſpiria Sanctorum Patrum. Durandus *loc. cit.*

3. Cur ſeptem? Ad literam, ut per Octavam ante Nativitatem Domini accendamur erga Chriſtum venturum, admirantes potius, quam vocantes Salvatorem, qui jam venit. Nam, illud, O, admirantis eſt magis, quam vocantis, ex Amalario *loc. cit.* Miſtice quoque ſeptenarius numerus ſignificat ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam, & ſeptem humani generis miſerias, quas ex Antiphonis hauſtas recenſet Durand. *loc. cit.* quarum cauſa, inquit, egemus Doctore contra ignorantiam, Redemptore a pœnis æternis, Liberatore a ſervitute diaboli, Eductore a conſuetudine peccati; Illuminatore tenebrarum noſtrarum, Salvatore ad reducendos exules in patriam, tum Gentes, ut in ſexta Antiphona, tum Judæos, ut in ſeptima.

4. Quis ordo inter eaſdem? Amalarius *loc. cit.* eas enumerat juxta Antiphonarium Metenſe, & innuit, ordine diverſo a Romanis recitari. Ordo noſter eſt apud Gemmam *lib.* 3. *cap.* 5. & ab eodem auctore ſic explicatur; ut in prima Antiphona dicatur Chriſtus *Sapientia*, quia venit in Spiritu ſapientiæ. In ſecunda, *Adonai*, quod nomen Moyſi indicavit Deus, qui legem dedit, & venit nos redimere per Spiritum intellectus. In tertia, *Radix Jeſſe in ſignum populorum*, hoc eſt, in ſignum Crucis, & liberare nos venit in Spiritu conſilii. In quarta, *Clavis David*, qui cœlum juſtis aperit, & infernum claudit in Spiritu fortitudinis. In quinta, *Oriens*, qui nos illuminat Spiritu ſcientiæ. In ſexta, *Rex gentium, & lapis angularis*, qui ſalvat omnes per Spiritum pietatis. In ſeptima, *Emmanuel*, qui venit non ſine Spiritu timoris, dans cunctis chariſmata amoris. Hæc ille fuſius. Eſt igitur hic numerus ſeptenarius ex *Iſ.* 11. deſumptus.

5. Præcedunt has Antiphonas aliæ ad Laudes, quaſi præparatoriæ ad majores, de quibus Amalar. *lib.* 4. *cap.* 30. ut renovemur, ait, paulo ante Nativitatem: Habebantur de his in Breviariis antiquioribus quædam Tabulæ Pariſienſes, cum hac Rubrica, ut ſcilicet, ſi Feſtum occurreret, completis omnibus de Feſto, rurſus dicerentur Laudes cum his Antiphonis, & Pſalmis ferialibus, quæ Tabulæ a Pio V. mutatæ ſunt in Rubricam commodiorem, qua quinque Feriæ complentur; & quæ in die S. Thomæ occurrunt, in Sabbato collocantur.

6. Tres aliæ Antiphonæ ſunt privilegiatæ in his diebus. Prima eſt, *Expectetur*, quæ ſemper in Sabbato dicenda eſt quarto loco (quod, & antiqui obſervarunt) ut concordet cum Cantico Sabbatino, de quo ſumpta eſt, & bene quadrat Adventui Domini. Altera eſt, *Nolite timere*, quæ die 21.

Men-

Menſis Decemb. ſemper eſt ponenda, ſive ſit Feſtum S. Th. ſive Dominica; ne enuncietur falſum extra quintum diem ante Nativitatem. Hæc ante Pium V. dicebatur ter cum *Gloria Patri*, ex inſtituto Fr. Minotum, non Romano; & ideo ritus ille fuit abrogatus. Tertia eſt, *Ecce completa ſunt*, quæ ultimo die dicitur ante Vigil. Nativit. ex Tabulis Pariſienſibus, & Radulpho antiquioribus, quas ille citat, & excludit *propoſ. 16.* Congruit autem diei, ut ex verbis ejuſdem Antiph. conſtat.

7. Conceſſit Hiſpanis Gregor. XIII. ut anticipent prædictas Antiph. in die 16. Dec. quia die 17. celebrant Feſtum Expectationis partus B. V. At, quid, quando dies 16. eſt Dominica? eo anno omittuntur Antiph. Feriæ 2. ea ratione, qua in univerſali Eccleſia omittuntur Antiph. illius Feriæ, in qua occurrit Feſtum S. Thomæ, quando Vigilia Nativit. occurrit in Dominica, cujus Antiph. dicuntur in Sabbato.

8. Et quando alicubi contingit reponi has Antiph. in Feria diverſa ab ea cui ſunt aſſignatæ, Antiph. 1. ea erit, quæ conformis eſt Cantico recitando, ſicuti præſcribitur de Ant. *Expectetur*, reſervata Sabbato.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gav. n.1. -- *Quæ per ſeptem dies ante Nativit. Domini recitantur &c.*) Quando advenit dies XVII. Decemb. (in qua, ut notat Gav. & ante ipſum Rubricæ,) regulariter ponuntur Antiph. propriæ ad Laudes in Officio de tempore, & in quocumque Officio Antiph. Majores, *O.* ad *Magnificat*, vel poſt 10 Officio de aliquo Feſto) ceſſant, ac ſuſpenduntur omnes Octavæ particulares, unde uſque ad diem Epiphaniæ incluſive, non modo nullum amplius Feſtum Eccleſiæ alicujus particularis celebrari intra illud tempus poteſt cum Octava, ſed etiam Octavæ jam antecedenter cœptæ, ſeu inchoatæ tunc abrumpuntur, itaut nil amplius, ne quidem Commemoratio de ea fieri poſſit in Officio, & Miſſa, ut expreſſe præſcribit Rubrica generalis VII. Breviarii in fine *n.* 1. Quare ſi occurrat dies Octava Feſti habentis Octavam, v. gr. Titularis Eccleſiæ, Dedicationis &c. in Die 17. Decembr., ne quidem in pridianis Veſperis fieri debebit Commemoratio *de die illa Octava*: eum enim ſequenti die, dies Octava Feſti Officium non habeat, nec etiam conveniet, ut habeat primas Veſperas etiam tantum partiales, aut Commemorationem ex primis Veſperis, uti ad citatam Rubricam diſcurrit noſter Gavantus ſupra *ſect.* 3. *c.* 8. *n.* 9. *ac* 13.

Huc ſpectant Decreta edita a S. R. C. die 17. Nov. 1607. & die 17. Maji 1692. & quæ dantur in noſtro Indice *ſub num.* 30. *&* 170.

### De Dominica quarta Adventus. Cap. III.

#### *G A V A N T U S.*

1. Contingit non legi in Officio Dominic. 4. Evangelium, quod ideo ſaltem in præcedenti Sabbato legitur: puta, quando in hac Dominica occurrit Vigil. Nativit. & eo anno omittuntur Antiph. ad Laudes, quæ occurrunt die S. Thomæ, ut in Sabbato Quatuor Temporum ponantur Antiph. Dominicæ quartæ, quæ omitti non debent, quod affirmat Microl. *c.*33. & approbat indagator Romanorum Rituum Radulphus *propoſ.*16. qui appellat ibid. ſupercreſcentia ea, quæ habentur in Breviario poſt Domin. 4. quia in breviori tempore Adventus omittuntur.

2. Et licet in prædicto caſu Antiph. quartæ Dominicæ omittatur, cujus loco dicitur Ant. *Expectetur*, eadem tamen quarto loco reſumitur in Vigilia Nativ. ne Officium hujus Dominicæ ullo modo pereat.

### De Vigilia Nativitatis Domini. Cap. IV.

#### *G A V A N T U S.*

1. Si Vigilia venerit in Sabbato, vice Pſalmi *Jubilate*, in Nocturno dicitur Pſal. *Bonum eſt*, ne ille bis dicatur, ad Matutinum, & Laudes, & neque hic omittitur in Officio.

2. Antiph. ad Laudes: *Judæa, & Jeruſalem, &c.* habentur apud Rupertum *l.* 3. *c.*12.

3. Ritus Officii a Laudibus eſt Duplex, non ante ann. 1525. in Breviario impreſſis; at erat etiam in antiquis MSS. duplex; &, cum Vigilia ſit illius Feſti, quod eſt initium ſalutis noſtræ, jure merito, cum exultatione eſt celebranda. Eſt igitur Officium partim feriale, quia Vigilia eſt, partim feſtivum, juxta illud: *Levate capita veſtra &c.* & ut Officium Primæ ſit ſolemne, in quo eſt annuncianda Nativitas Salvatoris, cum ſolemni lectione Martyrologii.

4. Legitur Martyrologium cum majori, quam alias, ſolemnitate: qui in re quiſque abundet in Ritu ſuo: illud eſt commune fere omnibus, ut genua flectamus, excepto Lectore, ad ea verba; *In Bethleem Juda &c.* uſque ad ea: *ſecundum carnem*; ea ratione, qua ad Miſſam genuflectimus in Symbolo ad ea: *Et incarnatus eſt*; & in ultimo Evangelio ad ea: *Verbum caro factum eſt*, humiliatio namque Deo, & nos uſque ad terram profundius ſolito humiliari decet, quod & additum eſt in poſtrema Martyrologii recognitione.

5. Ad Nonam incluſive definit Adventus, & ceſſat Verſus *Angelus Domini &c.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n.1. -- *Si Vigilia venerit in Sabbato &c.*) De hac Vigilia, quando venerit in Sabbato; ſatis diſponitur in Rubricis Breviarii hujus diei, nimirum quomodo recitandi ſint Pſalmi ad Laudes; nunc etiam ſatis diſponitur quomodo recitandum ſit Officium, quando occurrat in Dominica quarta Adventus; unde hoc loco ea prætermittimus, cum facile legi poſſint in eodem Breviario.

II. Gav. n.4. -- *Legitur Martyrologium cum majori, quam alias ſolemnitate &c.*) Hic breviter innuit Gav. quod hac die cantatur Martyrologium cum majori, quam alias, ſolemnitate, fuſius vero deſcribit hanc ſolemnitatem infra *ſect.* 10. *c.* 3. *n.* 7. ſed adhuc aliqua deſiderantur, quæ tamen deſcribuntur tum a Caſtaldo *l.*3. *ſect.*1. tum a Bauld. *part.* 4. *c.* 2. qui aſſerunt, Sacriſtam, aut alium ante Primam in medio Chori, vel ante Altare parare debere Pulpitum, ſeu Legile panno violaceo tectum, ſuper quod poni debeat Martyrologium grandioris formæ, ſi fieri poteſt, tectum etiam eodem colore.

In Sacriſtia parari debent duo candelabra cum cereis accendendis, Amictus, & Alba, ſi his utitur Sacerdos cantaturus Martyrologium: deinde Stola, & Pluviale pariter violaceum; vel paretur Amictus tantum cum Cotta, & Pluviali, juxta Eccleſiæ conſuetudinem. Thuriferarius etiam parat ignem pro Thuribulo, & Naviculam. Præfatus Sacerdos dum *Prima* cantatur in Choro ſolemniter, induitur memoratis ſacris indumentis, & dum dicuntur verſus poſt Capitulum, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & Acolytho cum Navicula, necnon Ceroferariis cum Cereis accenſis, procedit ad locum in medio Chori, vel ante Altare, ubi cantari debet Martyrologium, & facta Altari ab eo, & a Miniſtris debita reverentia, ſicut in Miſſa Solemni, dum dicitur Oratio: *Domine Deus omnipotens*, miniſtrantibus Acolythis imponit ter incenſum in Thuribulum cum ſolita benedictione, formans ſignum Crucis, ut de more; deinde accepto Thuribulo ter incenſat Martyrologium, interim Acolytho elevante fimbriam pluvialis a dexteris, & poſt incenſationem, Thuriferarius accepto Thuribulo, poſt eum ſtat cum Acolytho; Ceroferarii etiam ſtant hinc inde a lateribus ejuſdem Cantantis Martyrologium, faciem, ſicut ipſe, vertentes, & omnes dicto modo manent uſque in finem.

Dicto in Choro *Deo gratias*, & omnibus ſtantibus detecto capite, incipit Cantor lectionem Martyrologii, in quo neque ſeipſum, neque librum ſignabit, ſed ſtans manibus junctis, cantat tono competenti, primo pronunciando Kalendas, deinde proſequendo lectionem. Cum dicit *in Bethleem Juda &c.* elevat vocem, & ſtatim omnes (præter ipſum Lectorem, & Ceroferarios, qui ſemper ſtant immobiles) genuflectunt; poſtea altiori, ac ſolemniori tono, qui dicitur paſſionis, ſubdet: *Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem.*

His peractis, & factis debitis reverentiis cum Acolythis, ac Ceroferariis, eodem ordine, quo venerat, revertitur in Sacriſtiam, ibique paramenta deponit, in Choro vero adſtantes omnes, ad reliquam lectionem, quam aliquis lector, more ſolito, cantabit, tecto capite ſedebunt.

In aliis Eccleſiis, in quibus hoc Martyrologium non cantatur adeo ſolemniter, debent ſaltem obſervari ea, quæ in Directorio Chori Romani præſcribuntur.

Advertendum eſt hoc loco Bauld. *n.* 7. aſſerere, quod ad prædicta verba genuflectere debet etiam ipſemet celebrans, nempe is, qui Martyrologium decantat: verum noſter Gavantus apertis verbis loc. ſuprac. *num.* 7. excipit Lectorem Martyrologii ab hac obligatione genuflectendi; cui Gavanti ſententiæ omnes ſubſcribere debemus, ſequendo regulam illam generalem, quæ habetur in Cæremoniali PP. Carmelitarum a Sebaſtiano Fantonio concinnato *l.*1. *Rubr.* 52. *n.* 3. & in Cæremoniali Clericorum Regularium Minorum a P. Dominico Flumara compoſito *part.* 5. *c.* 13. nimirum: *quidquid cantatur ab Hebdomadario, Sacerdotibus, vel Cantoribus, ab ipſis ſtantibus dicetur, & capite detecto.* Etiam in Cæremoniali Clericorum Regul. S. Pauli *l.* 5. *c.* 10. §. *de Hebdomadario*, hæc habentur: *Hymnum* Veni Creator Spiritus, *&* Ave Maris Stella, *ipſe ſtans cantabit, & primis illis verbis pronuntiatis, genuflectet.* Et in allegato Cæremoniali Cler. Minor. *part.* 1. *c.* 12. præſcribitur, quod *quando in Veſperis ſolemnibus Celebrans intonat Hymnum* Veni Creator Spiritus, mentes tuorum viſita, *&* Ave Maris Stella, Dei Mater alma, *non genuflectit, niſi poſt cantum ipſorum duorum verſuum, ſed omnes alii de Choro genuflectunt a principio.* Neque id tantum præfati Clerici Regulares, ſed etiam Minores Conventuales S. Franciſci *part.* 8. *cap.* 6. & Minor. Obſerv. *part.*4. *c.*11. necnon Auguſtinenſes Diſcalceati in ſuo Cæremoniali *l.* 2. *cap.* 5. idem omnino præſcribunt. Denique Caſtaldus noſter in praxi *l.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 8. *num.* 10. ita

ſtatuit:

Digitized by Google

ſtatuit: *Si vero Hymnus ſit* Veni Creator Spiritus, *vel* Ave Maris Stella, *dum celebrans Hymnum intonat, omnes genuflectunt, ipſe vero celebrans poſtquam illum intonavit, in ſuo genuflexorio, vel in aliquo pulvino ad id parato pariter genuflectit*: ex quibus omnibus aperte deducitur hujus Martyrologii Cantorem dum pronunciat prædicta verba, quamvis omnes genuflectere debeant, ipſum tamen ſtantem eadem cantare debere; & revera Diaconus in tertia Miſſa ſolemni diei ſequentis cantando Evangelium, dum profert illa verba: *Et Verbum caro factum eſt*, cæteris genuflectentibus, ipſe ſtans, non vero genuflexus decantat, inclinato quidem capite; & qui cantando Paſſionem Chriſti Domini munus gerit Evangeliſtæ, dum profert illa verba: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum*, quamvis omnes ad eadem verba genuflectant, ipſe tamen non procumbit, niſi prolatis iiſdem verbis, & dum fit aliqua pauſa. Ex quibus omnibus magis, magiſque confirmatur Martyrologii Cantorem in prædicto caſu non debere procumbere, niſi aliqua pauſa ſit facienda per ſpatium Orationis Dominicæ, ut tradit Bauld. *n.*8. nam ſi vere, ut decens eſſet, fiat prædicta pauſa, ſtatim poſtquam decantata fuerunt illa verba: *Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem*, tunc profecto etiam Martyrologii Cantor genuflectere deberet, ſicuti fit ab eo, qui cantat Paſſionem, ut mox diximus.

Unicus nunc mihi ingeritur ſcrupulus ſuper colore Stolæ, & Pluvialis adhibendi a ſupradicto Cantore hujus Martyrologii. Dixi ſupra, inhærendo Caſtaldo, Bauld, & aliis communiter prædicta indumenta ſacra debere eſſe violacea correſpondentia colori hujus Vigiliæ; verum quia agitur de cantando Martyrologio, in quo annunciatur Feſtum ſummæ lætitiæ, nempe Nativ. Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem, non videretur incongruum ſi legile, ſuper quo cantandum eſt Martyrologium prædictum, tegeretur panno albi coloris, & ſi ejuſdem Martyrologii Cantor indueretur pariter Stola, & Pluviali ejuſdem coloris. Neque obeſſe poſſet, quod Altaris antipendium, & aliæ veſtes Sacerdotum in hac die ſint coloris violacei, nam etiam in Sabbato Sancto, quamvis Celebrans & Subdiaconus induti ſint veſtibus violacei coloris & Altare tectum ſit palliolo pariter violaceo, nihilominus Diaconus cantaturus Præconium Paſchale deponit Caſulam plicatam violaceam, & induit Dalmaticam coloris albi, & ſic etiam pulpitum, ſeu legile, ſuper quo cantare debet Præconium, tegitur velo argenteo, vel aureo, non vero violaceo; ſicut igitur ad annuntiandum Feſtum Paſchale utitur Diaconus prædicto colore lætitiæ, quamvis cæteri induti reperiantur colore violaceo, ita congruum videtur, quod Presbyter, qui cantaturus eſt eam tantum Martyrologii partem, in qua Nativitas Salvatoris noſtri annuntiatur, adhibeat indumenta coloris indicantia lætitiam, nempe albi, non vero coloris violacei, qui ſignificare ſolet triſtitiam. Et revera hic Ritus obſervatur in Eccleſia Cathedrali Maceratenſi. Sed quamvis hujuſmodi ponderationes hoc mihi ſuadeant; nihilominus recedere non audeo a communi praxi, & ſententia noſtrorum Doctorum præſcribentium in tali circumſtantia uſum coloris violacei, non vero albi.

## De Natali Domini. Cap. V.

### G A V A N T U S.

1. LEctiones Iſaiæ hac nocte leguntur ſine titulo; ea forte ratione, qua Hugo docet *l.*2. *c.*3. Capitula legi ſine titulo, quando ſcitur Auctor; & Iſaias in toto Adventu lectus eſt, ita ut pateat ejus nomen. Dicerem cum Patre Ruiz, jam non per Prophetas, ſed in Filio Deum loqui.

2. Reſponſoria videntur vagari; ſed ait Amalarius *de ord. Antiphonarii c.*15. quem ſequitur Gemma *l.*3. *c.*9. eſſe Xenia, quæ deferuntur partim puero nato, partim *Deiparæ*. In primo vero Reſp. additur, *Gloria Patri*, in gratiarum actionem de tanto beneficio. Gemma *c.* 7.

3. In tertio Nocturno multiplicatur, *Alleluja*, ad Antiph. quia, ut alias diximus, tertium Nocturnum ſignificat tempus gratiæ poſt legem, in quo ſignificari debet lætitia per Chriſtum natum, nobis communicata, Amalarius *l.*4. *c.*31.

4. Dividitur Matutinum a Laudibus, & inter utrumque cantatur Miſſa, ex Microlog. *c.*34. & Gemma *l.*3. *c.*10. *l.*4. *c.*117. qui ritus videtur habuiſſe ortum poſt Ord. Romanum, in quo prima Miſſa celebratur, expletis Vigiliis, ideſt, Nocturnis, & Matutinis, ideſt, Laudibus (hoc enim nomine vocabantur Laudes) niſi dicamus fuiſſe peculiarem hunc ritum Capellæ Pontificiæ, quæ eadem nocte tres Eccleſias S.M.Majoris, S. Anaſtaſiæ, & S. Petri viſitabat, & Miſſas ſolemnes celebrabat. Quidquid ſit, cum Laudes pertineant ad diem potius, quam ad noctem, & prima Miſſa ſit noctis, non diei, congrue præſcriptum eſt, ut ea cantetur ante Laudes, & poſt Hymnum *Te Deum*. Gemma *dicto c.*117. * Dixi cantetur, contra eos, qui volunt poſſe dici Miſſam primam ſeparatim ab Officio, & aliis Miſſis, de nocte, in Oratoriis, & locis privatis ex quadam devotione, quæ mihi non probatur, cum ea dicatur in ordine ad Officium noctis inter Matutinum, & Laudes cantandas. Vide in 1. Tom. quæ diximus de tribus Miſſis *part.*4. *tit.*3. *n.*3.4.6.

5. Laudes ſequuntur Miſſam primam de æterna generatione, quæ prius extitit ante omnem creaturam, quæ Deum laudare potuerit. Durand. *l.*6. *c.* 13. & in prima Antiph. quaſi choream diximus, iis verbis *Quem vidiſtis Paſtores &c.* Durand. *ibidem*, quam Antiph. non videtur noviſſe Amalarius, *qui de Ord. Antiph. c.*15. incipit ab ea *Genuit puerpera Regem*.

6. Prima ſummo mane dicta, cantatur altera Miſſa. Antiquiores aliqui ante Primam immediate poſt Laudes, cantabant ſecundam Miſſam, ex Gemma *l.*3. *c.*11. At S. Antoninus *3.part. Summ. tit.*13. *c.*6. §.4. cum Palud. *in 4.diſt.*13. *q.*2. *art.*2. *concl.* a refert de generali conſuetudine Miſſam ſecundam ante Primam Canonicam celebrari ſolitam; niſi eos explicemus cum Francolino *de temp. Hor. Canon. 1. part. c.* 16. *n.* 6. non loqui de ritu Eccleſiarum Urbis. Addit ibid. Francol. ideo Primam ante horam conſuetam ſpeciali lege recitari, ut Miſſa ſecunda Aurora cantari queat. Neque enim debet unquam Miſſa cantari ſine præparatione Chori ad illam, per aliquam Horam Canonicam, ut *ibid.* auctor idem fuſe probat, & exemplis confirmat. Neque dicas, ſufficere Laudes ante Miſſam ſecundam; tum quia non debent dividi a Nocturnis, niſi quantum Miſſa prima occupat temporis, quod intercedit, cum ſint unica Hora, ut notat Navarr. *de Orat. c.*3. *n.*28. tum quia a Laudibus ad Auroram; in qua ſecunda Miſſa cantatur, multum adhuc ſupereſt temporis, ut nequeat congruenter ſequi ſecunda Miſſa. Poſt tertiam Horam Miſſa tertia convenit cantari, ut in Feſtis. Nihil eſt præterea in Officio notandum niſi quod Antiph. in ſecundis Veſperis, *Tecum principium*, ſunt privilegiatæ, ut nunquam omittantur infra Octavam, & de his eſt mentio apud Amalarium *de Ordine Antiph. c.* 16. Ut nimirum fiat de Octava Nativit. præter morem aliarum Octavarum de Sanctis, & non per ſolam commemorationem de eadem; & eo magis, quia intra eamde Octavam admittuntur quotidie Feſta Sanctorum, quæ ab Octavis Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, vel omnino excludantur, vel parce in iis admittuntur.

## De Feſtis infra Octavam Nativitatis Domini. Cap. VI.

### G A V A N T U S.

1. CUjus Claſſis erit S. Stephani Feſtum? Andreas Caſtaldus *in Cærem. Clericor. Regul. l.* 3. *c.* 5. *n.* 1. innuit eſſe primæ Claſſis; Mihi placet, ut dicatur ſecundæ Claſſis; tum quia ſequens Feſtum S. Joannis non eſt, niſi ſecundæ Claſſis, ut aliorum Apoſtolorum; tum quia Stephanus, & Laurentius in Martyrologio, Officio, Octava, ſepulchro ſunt pares; concordant in tertia Antiph. ad Laudes, & in Oratione duplici, altera in Feſto, altera in die Octava: ex quibus ſequitur, quod hæc Sanctorum Feſta cederent occurrenti Feſtu primæ Claſſis. Habent privilegium non commune aliis Feſtis ſecundæ Claſſis, quod de die infra Octavam eorum fit Commemoratio in Feſtis eorumdem, ut habetur in Breviario.

2. Antiph. Feſti hujus, & duorum ſequentium ſunt Gallicæ, ex Radulpho *propoſ.* 1a. & Lectiones primi Nocturni de S. Stephano habentur etiam in Ord. Romano. Reliquum Officium tribuitur Alcuino ab Auctore Ligni Vitæ *l.* 5. & a Schultingio; Officium S. Joannis a S. Gregorio compoſitum aſſerit Schultingius. Duplicia ſunt hæc duo Feſta apud Durandum *l.* 7. Orat. Miſſ. habentur in Sacramentario Greg. Introitus, &c. in Antiphonario ejuſdem, ubi & Feſti ſequentis Miſſa.

3. In Feſto Ss. Innoc. non dicitur *Te Deum*, quod lætitiam ſonat, quia deſcenderunt in Limbum, ait Microlog. *c.* 36. ſed non placet, quia Jo: Baptiſta item deſcendit in Limbum, in cujus tamen Decollatione dicitur *Te Deum*. Potius ob lacrymas Matrum, ait Amalarius *l.* 5. *cap.* 41. In Dominica vero, & in die Octava dicitur; quia in Dominica lætitia Reſurrectionis Domini excellit ſuper omnem lacrymam, & dies Octava beatitudinem ſignificat, ut alibi diximus.

4. Tertium hoc Feſtum puto item eſſe ſecundæ Claſſis, cui datur Octava, & de his Octavis Amalarius *l.* 4. *c.* 37. meminit; immo vero in Octava Innoc. S. Auguſtinus duos habit ſermones, ut ſcribit Poſſidius. * Officium erat Semiduplex. Durandus ſupra. Pius V. decrevit fieri Duplex. Officium a S. Gregorio, ait Schultingius.

5. Quid agendum, quando Feſtum ex tribus prædictis erit Patronus loci, ſeu Titulus Eccleſiæ? Reſp. in ſecundis Veſperis Nativ. etiam in Eccleſia propria S. Stephani, idem fieri, quod in univerſali Eccleſia: quia in pari prima Claſſe majus eſt Feſtum Chriſti, quam Stephani, & ideo habet integras Veſperas utraſque.

6. Inter eadem vero Feſta ſerventur Rubricæ generales, ut Veſperæ primæ, & ſecundæ ſint de digniori Feſto, ideſt, primæ Claſſis, & Patroni, ſeu Titularis cum Commemoratione minus digni, & item de Octava Nativit. cujus etiam Antiph. ad Veſperas ſemper recitantur, ut ſervi cedant Domino medietatem Veſperarum, qui venit vergente mundi Veſpere pro ſalute noſtra. Ad Laudes vero non fit

Com-

Commemoratio de die infra Octavam aliam; excepta Nativitatis Octava, de qua fit ſemper Commemoratio, ut in Rubricis generalibus, & nos ſupra *Sect.* 3.

7. Si Titulus Eccleſiæ (non Altaris majoris) fuerit Innocentium, erit conſequenter primæ Claſſis, & eo caſu non negarem poſſe dici *Te Deum* in Officio, & concederem rubeum colorem cum ſuis conſequentiis in Miſſa, quia ſi hæc conceduntur ratione Dominicæ, in qua non eſt dolendum, cur dolemus in Feſto Titularis Eccleſiæ ſolemni? eo prorſus modo, quo conceditur in Miſſa, *Credo*, S. Joanni Baptiſtæ, ſi in Dominica venerit, & quando celebratur in propria Eccleſia: quod idem dicitur in Feſto S. Laurentii: ergo æqualia ſunt, fieri Feſtum in Dominica, & fieri in propria Eccleſia.

8. Hymni Innocentium de novo fuerunt additi, licet eorum Auctor ſit antiquus. Vide tit. de Hymnis.

9. Quæ diximus de prædictis, quando ſunt Titulares Eccleſiarum, valent etiam de ſequentibus Feſtis, S. Thomæ Cantuarienſis, & Sancti Sylveſtri: quibus tamen hodie negatur Octava. In ſecundis Veſperis Sancti Sylveſtri Antiph. *Tecum principium*, non habent amplius locum, terminatæ in primis Veſperis ejuſdem: ergo ſumendæ erunt de Communi Confeſſoris Pontificis, & fit Commemoratio Circumciſionis.

10. De Dominica infra Octavam Nativitatis Rubrica clara eſt. Quod ſi tota Octava, ut in quibuſdam Eccleſiis vidi, impedita ſit Feſtis Duplicibus, de eadem fiat Commemoratio, eo prorſus die, quo univerſalis Eccleſia facit de eadem Dominica Officium, vel Commemorat. Officium vero Dominicæ ſi ea occurrat in Feſto Sancti Sylveſtri, non deperit, quin Lectiones primi & ſecundi Nocturni in præcedenti Sabbato leguntur. Vide cultum Dominicæ diei, qui non perit.

11. Occurrit in Urbe N. Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in Feſto SS. Innocentium: quæſitum eſt a me, qualiter Officium recitandum erit? Reſpondi, ex vi Rubricarum, in primis Veſperis poſt Antiphonas, & Pſalmos de Nativitate, Capitulum cum reliquis dici debere de Dedicatione, & cum commemoratione S. Joannis, cum Feſtum eſt Duplex ſecundæ Claſſis, & Nativitatis Domini, quæ nunquam omittitur, de Sancto Stephano nihil, quia de die infra Octavam nihil fit in Feſto primæ Claſſis. In Laudibus, & Miſſa de Dedicatione fit tantum Commemoratio de Nativitate. In ſecundis Veſperis Antiphonæ & Pſalmi de Nativitate, Capitulum, Hymnus &c. de Dedicatione; Commemoratio de ſequenti Feſto Sancti Thomæ, vel Dominica, & de Nativitate, non de diebus infra Octavas SS. Stephani, & Joannis *ex Rubrica de Commemorationibus* n. 4. *in fine*. Non fit Octava de Dedicatione, quia prohibita eſt in poſtrema recognitione Breviarii. Feſtum Innocentium regulariter celebrandum erit in die Octava eorumdem; & quia de eiſdem non fit eo caſu Octava, poterit dici *Te Deum*, cum conſequentibus, una cum Eccleſia univerſali; & interim nulla fit de iis commemoratio infra Octavam Nativitatis, quia nondum celebratum fuit Feſtum. Sed eo anno, quo Feſtum hoc occurrit in Feria V. celebrabitur in Sabbato ſequenti, quod eo caſu erit dies infra Octavam Nativitatis; intra quam fit de Duplici, & præſertim ſecundæ Claſſis, etiam tranſlato. Eo autem anno, quo occurrit in Sabbato tunc celebrabitur in Feria ſecunda ſequenti; quia de duobus Feſtis tranſlatis, Innocentium, & S. Thomæ, de digniori prius eſt recitandum Officium: & Feſtum S. Thomæ celebrabitur prima die non impedita poſt Octavam Epiphaniæ, *ex vulgatis Rubricis*.

12. Circumciſionis Feſtum de Chriſto recens eſt, ut alibi docuimus tomo primo. Antiphonæ probant eſſe de B. Virgine Feſtum, *O admirabile commercium*, quas commemorat Amalarius *lib.* 4. *cap.* 32. Oratio confirmat, *Deus, qui ſalutis æternæ*; de qua Microlog. *loc. cit.* Officium enim Miſſæ, licet habeatur, in Antiphonario Gregoriano, eſt tamen poſterius S. Gregorii ut ibidem Pamelius probat. In ſecundis Veſperis non fit commemoratio de diebus infra Octavas Sanctorum Joannis, & Innocentium, quia de his non fit Officium die ſequenti, ut dicitur in Rubrica *de Commemorat.* 9. *num.* 6.

13. In ſecundis etiam Veſperis Octavæ Sancti Joannis concurrentibus in primis Veſperis Octavæ Innocentium, fit tantum Commemoratio de Innocentibus, ut integræ Veſperæ ſint de digniori, ex Rubrica, *de Concurrentia Officii*, 11. *n.* 2.

14. Erant hæ tres Octavæ Semidupl. in Breviario 1550. editæ. Duplices a Pio V. qui addidit omnes Lectiones. Oratio S. Stephani eſt Ambroſiana.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. -- *Habent privilegium non commune aliis Feſtis ſecundæ Claſſis, &c.*) Feſta Sanctorum Stephani, Joannis Apoſtoli, & Innocentium prorſus ſingularia ſunt, quia in paucis ordinarias, & generales Rubricarum leges ſequuntur, & in aliis ab iiſdem legibus diſcrepant. In primis Feſtum S. Stephani, & Sanctorum Innocentium in Tabula Feſtorum, nec inter Feſta primæ, nec ſecundæ Claſſis recenſentur, cum tamen Feſto Sancti Stephani, Feſto Sancti Joannis Apoſtoli, quod eſt ſecundæ Claſſis, iæ primis Veſperis cedat. Secundo, quia non modo Octavas integras habent (quod ſatis indicat ea Feſta eſſe ad minimum ſecundæ Claſſis) ſed etiam contra privilegia duplicium ſecundæ Claſſis commemorationem diei infra Octavam, in ipſo ſuo Feſto admittunt, ut obſervat Gavantus ſupra. Tertio, quia in die Feſto nullum eorum integras habet Veſperas, ſed dimidiatas tantum, ſeu a Capitulo inchoatas. Quarto, quia nec cedunt ſibi mutuo juxta Regulas Breviarii, cum Feſtum S. Joannis, utpote Apoſtoli dignius videatur Feſto Sancti Stephani, utpote Martyris dumtaxat; & tamen primis Veſperis cedere debeat Sancti Stephani Feſto; ob quam cauſam Caſtaldus in noſtro Cæremoniali *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 1. Feſtum Sancti Stephani ad primam Claſſem duplicium revocandum eſſe arbitratur.

II. Gavant. eodem num. 1. -- *Mihi placet, ut dicatur ſecundæ claſſis &c.*) Caſtaldi ſententiam improbat Gavantus, & cenſet Feſtum Sancti Stephani eſſe tantum ſecundæ Claſſis. Lohner tamen *part.* 4. de ſpecialibus quibuſdam Feſtis, & Officiis §. 2. Caſtaldi ſententiæ accedit, & tamquam probabiliorem admittit; his permotus rationibus: tum quia ſic generales Rubricæ in omnibus tribus his Feſtis magis ſervantur, dum de ſingulis ratio reddi poteſt cur alteri cedat, nempe quia minus dignum erat; tum quia valde credibile eſt, quod ſicut Eccleſia primarios duos Apoſtolos in prima Claſſe collocavit, ita etiam Stephanum Eccleſiæ Prothomartyrem eodem honore proſequuta fuerit; tum quia ſic ratio reddi poteſt, cur Eccleſia Feſtum Sancti Stephani, & Sanctorum Innocentium inter Feſta primæ, & ſecundæ Claſſis in Catalogo Feſtorum non poſuerit, ſcilicet, quia ex ipſo eorum Officio id ſatis colligi potuit, nempe Feſtum Sancti Stephani inter Feſta primæ Claſſis numerandum eſſe, quia Feſtum Sancti Joannis Apoſtoli, quod eſt ſecundæ Claſſis, eidem cedit (quod non contingeret ſi ſecundæ Claſſis pariter eſſet Feſtum Sancti Stephani, quia tunc Feſtum Sancti Joannis in paritate Ritus, ob majorem dignitatem Apoſtoli, quam Martyris, præferendum eſſet) & Feſtum Sanctorum Innocentium eſſe ſecundæ Claſſis, ob Octavam, quam habet, & minus dignum Feſto Sancti Joannis, quia eidem in paritate Ritus ob dignitatem Apoſtolatus cedit; quæ omnes rationes cum pro feſto S. Laurentii non pugnent, hinc ex paritate ejuſdem Sancti cum Sancto Stephano, eamdem Claſſis dignitatem, Gavantus, quamvis conetur, evincere tamen non poteſt.

III. Gavantus num. 2. -- *eo autem anno, quo occurrit in Sabbato &c.*) Occurrente alicubi Feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ in Feſto Sanctorum Innocentium, quando hoc accidit in Sabbato, decernit hic Gavantus, quod Feſtum Sanctorum Innocentium debet transferri in Feriam II. ſequentem, quodque Officium & Feſtum S. Thomæ Cantuarienſis, incidens tunc in Dominicam debeat celebrari prima die non impedita poſt Octavam Epiphaniæ; ſed hæc Gavanti ſententia repugnat, & Rubricæ generali *tit.* 10. de Tranſlatione Feſtorum num. 5. & Decretis editis, præſertim die 22. Decembris 1696. & die 16. Septembris 1702. datis in noſtro Indice *ſub num.* 191. & 226. aliiſque ibi indicatis, in quibus ſtatuitur, quod Feſtum Semiduplex occurrens in Dominica infra aliquam Octavam non excludentem Officia Semiduplicia, debeat transferri in Feriam II. immediate ſequentem, ſi non ſit impedita alio Feſto Duplici vel Semiduplici tamquam in diem propriam; unde Officium Semiduplex in Dominica infra Octavam non privilegiatam occurrens, ſicuti eſt Octava Nativitatis Domini, tantum habet juris in eadem Feria II. non impedita, ut non cedat ſolum Duplici ſecundæ Claſſis, ſicut eſt Feſtum Sanctorum Innocentium, ſed neque primæ Claſſis tranſlato; quare cogimur in prædicto caſu recedere a Gavanti ſententia, & ſtatuere, quod tunc debet celebrari Officium Sancti Thomæ in illa Feria ſecunda, & Feſtum Sanctorum Innocentium prima die non impedita, nimirum, in die 4. Januarii, quæ erit dies Octavæ Feſti eorumdem. Hanc noſtram ſententiam tenet etiam Henricus Piſart in Directorio Canonico *cap.* 2. *proprio de tempore* n. 9. necnon P. Halden *part.* 2. *tit.* 12. *& part.* 3. *in Corollariis tituli de occurrentia, & concurrentia, coroll.* 3.

Ubi Feſtum Sancti Sylveſtri eſt Titulus Eccleſiæ, optime declaravit Gavantus ſupra *num.* 9. quod in primis Veſperis ejuſdem Feſti dicuntur quidem Antiphonæ, & Pſalmi ſub Ritu Duplici uſque ad Capitulum de Nativitate Domini, ut in ſecundis Veſperis Feſti; a Capitulo vero fit de S. Sylveſtro cum ſola Commemoratione de Octava Nativitatis, niſi id Feſtum veniat in Dominica; tunc enim ante Commemorationem de Octava Nativitatis fit in prædictis primis Veſperis primo Commemoratio de Dominica infra Octavam Nativitatis per Antiphonam: *Dum medium ſilentium &c.* Lectiones primi Nocturni erunt de communi Confeſſor. Pontifi. *Fidelis ſermo*. Secundo vero de Octava Nativitatis, de aliis autem tribus Octavis in Eccleſia nulla fit Commemoratio nec in Officio, nec in Miſſa. In ſecundis autem Veſperis ejuſdem Feſti in prædicta Eccleſia non amplius habent locum Antiphonæ; *Tecum principium &c.* utpote jam terminatæ in primis Veſperis ejuſdem, ut notat etiam Gavantus ſupra, conſequenter in iis erunt ſumendæ Antiphonæ de Communi Confeſſoris Pontificis, ac Veſperæ ſecundæ integræ ibi dicendæ de S. Sylveſtro, ut in ſecundis Veſperis de eodem Communi cum

Com-

Commemoratione ſolius Feſti Circumciſionis, ut in primis Veſperis, non autem Octavarum, nec etiam Dominicæ in tali die, aut ſequenti occurrentis.

## De Epiphania Domini. Cap. VII.

### *G A V A N T U S.*

1. VIgilia Epiphaniæ habet Officium Semiduplex, quod nuper expreſſum eſt in Breviario, licet excluſio Precum ad Primam erat ſufficiens indicium Ritus Semiduplicis: Si occurrat in hac Vigilia Feſtum Duplex, fit de Vigilia Commemoratio tantum, cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ; quia Duplici Officio occurrenti eodem die cedit Semiduplex. De Duplici tranſlato non fit in ea, quia eſt Officium novem Lectionum, cui etiam Dominica cedit. Si occurrit in ea Feſtum Semiduplex, transfertur poſt Octavam Epiph. eadem de cauſa; & quia eſt longe ſuperior, quam Feria ſexta poſt Octav. Aſcenſionis; quippe quæ habet Evangelium proprium, æquiparatur in multis Vigiliæ Nativitatis Domini, ut in Rubr. *de Vigiliis* n. 2. *&* 5. quod ſi fuit conceſſum Hiſpanis a Greg. XIII. poſſe in hac Vigilia fieri Officium de S. Thoma Cantuar. ob Feſtum tranſlationis S. Jacobi, eſt ſingulare privilegium, non lex.

2. Antiphonæ: *Ante luciferum genitus*, habentur apud Amalar, *de ord. Antiph. cap.* 23. Quarta Antiphona, *Maria & flumina &c.* non viſa eſt aliquibus ad rem præſentem; ſed meminerunt duorum miraculorum in aquis Baptiſmi Chriſti, & in Cana ad nuptias, de quibus in Hymno, & in Antiphona ad *Magnificat*.

3. Matutinum incipitur ex abrupto ab Antiphona, & Pſalmo; quia, viſa ſtella ſtatim venerunt Magi, muto nuncio non loquente. Durand, *lib. 6. cap.* 16. Omittitur etiam Invitatorium; ad deteſtandam fraudulentam Herodis invitationem ad Chriſtum adorandum. Alcuin. *in Epiphan.* tum etiam, quia Pſalmus, *Venite*, dicendus eſt in tertio Nocturno. Hymnus etiam non cantatur primo die, quia perfectorum eſt cantare Hymnos: converſio vero Gentium in ſolis Magis perfecta non erat. Durand. *ibid.*

4. Infra Oct. vero dicitur Invitatorium nomine Magorum, alios invitantium ad adorandum Chriſtum. Durand. *ibid.*

5. Pſalmi apud Alcuinum habentur, excepto quod Pſalm. *Deus noſter refugium, & virtus*; nunc cantatur in primo Nocturno ſecundum ordinem Pſalterii, qui alias cantabatur in tertio. Unde & hodie retinet Antiphonam cum *Alleluja*, qui eſt ritus tertii Nocturni, ut diximus in Nativitate Domini, *ſup. c.* 5. *n.* 3. & uſque ad tempora Jo: Beleth, perſeveravit: ſed præpoſtere, ait Alcuinus, reſtitutus eſt igitur Nocturno primo ſecundum ritum Romanum, teſte Durand, *loc. cit.* Item Pſal. *Venite*, qui ex Gemma *lib.* 3. *c.* 10. cantabatur in fine ſecundi Nocturni, nunc in principio tertii dicitur, docente Durando; & cum peculiari Antiphonæ repetitione: ad indicandum, quod in tempore gratiæ, per tertium Nocturnum ſignificato, invitata eſt Eccleſia de Gentibus per Magos, & ſtellam: repetita ideo Antiphona ſæpius *Venite, adoremus*, ut confluant undique omnes. Cantatur autem hic Pſalmus, vel a duobus Cantoribus, vel melius a quatuor, duobus hinc inde alternatim cantantibus verſus, & Choro ſemper Antiphonam repetente.

6. Infra Octavam pro Pſalmo *Venite*, alius ſubſtituitur, ne idem Pſalmus bis dicatur, in Invitatorio; & in tertio Nocturno Pſalmi deſumuntur a Feriis 2. 3. 4. 5. 6. ſed plures e Feria ſexta, fortaſſe, quia in hac eadem Feria Magi adoraverunt Chriſtum, ut innuimus Tom. 1. par. 4. tit. 3. n. 15.

7. Hymnus ad Laudes a Pio V. mutatus: erat enim antiquus ab Hymno Natalis Domini deſumptus; *Enixa puerpera Regem, &c.*

8. De Dominica infra Octavam Epiphaniæ, quando Epiphania occurrit in Dominica, fit in Sabbato præcedente diem Octavam. Sed quæritur, cur in ipſamet die Octava, quæ occurrit in Dominica, non fit de Octava Epiphaniæ cum Commemoratione Dominicæ primæ poſt Epiphaniam? Fieret enim (ut in duplicibus per annum occurrentibus in Dominica) utrique ſatis. Conjicio ergo hanc eſſe cauſam, ſcilicet, ne ordine perverſo vitæ Chriſti, quæ ab Eccleſia repræſentatur in Officio Divino per totum annum, Chriſtus legatur trigeſimum annum agens, antequam repræſentetur duodennis, ætatis, inquam, annorum duodecim. Nam, ſi in die Octava, quæ habet Evangelium de Baptiſmo Chriſti, fieret commemoratio de Dominica prima poſt Epiphaniam, quæ habet Evangelium de Chriſto duodenne, inter Doctores Dei cauſam agente, tam in Officio, quam in Miſſa legeretur prius Evangelium de die Octava, quam de Dominica: quod eſſet inconveniens, & ordo perverſus. Fiat ergo Officium de Dominica in Sabbato, in qua Chriſtus eſt duodennis; deinde ſequenti die fiat de die Octava, in qua eſt tricenarius; & ordo ſervabitur hiſtoricus vitæ Chriſti: qui ritus habetur in Breviario MS. anno 1300. Parutinæ Sacriſtiæ.

9. Adhuc quæritur, & caſus accidit, ſi Patronus loci incidat in Sabbatum, in quo faciendum eſt Officium de prædicta Dominica prima; An Officium Dominicæ anticipandum erit Feria ſexta, quod aliqui ſcripſere? Ego reſpondi, non eſſe anticipandum; quia in Sabbato ſufficit fieri commemorationem de Dominica prima cum Homilia pro nona Lectione; argumento a ſimili, quod, quando Dominica 23. poſt Pentecoſten non habet propriam ſedem in Dominica, neque Feriam in tota præcedenti Hebdomada, in qua poſſit poni Officium Dominicæ 23. eo caſu in Officio novem Lectionum in Sabbato, fit commemoratio de Dominica 23. cum nona Lectione, ut expreſſe habet Rubrica *de Dominicis n.* 4. *in fine*: ergo & eodem modo ſatis eſt, ſi fiat hoc loco. In ſecundis autem Veſperis prædicti Patroni concurrentibus cum die octava Epiphaniæ fit commemoratio tantum de die Octava, ut in Rubrica *de Concurrentia Officii n.* 2. Quæ vero dicimus de Patrono, eadem dicito de Titulari Eccleſiæ, vel ejuſdem Dedicatione ex Rubr. 11. *num.* 7.

10. Lectiones Epiſtolæ primæ ad Corinthios, ex Decreto Gelaſii, ponuntur in Dominica ipſa prima poſt Epiphaniam, non in Officio Dominicæ, ſi fiat in Sabbato; quia initia librorum Scripturæ, quoad ejus fieri poteſt, magis congruunt diei Dominicæ, quæ eſt initium Hebdomadæ; & hoc in uſu fuiſſe, ut a die Nativitatis legatur Apoſtolus, tradit Rupert. *lib.* 4. *de Div. Offic. cap.* 6.

11. Dies Octava Epiphaniæ de Baptiſmo Chriſti eſt. Amalarius *lib.* 4. *cap.* 34. & antiquum Officium de Baptiſmo erat, nunc autem Evangelium tantum habetur. Semiduplex erat Officium in Breviario edito Venetiis Anno 1521. nunc eſt Duplex.

12. Quando Epiphania Domini occurrit in Feria tertia, accidit in Sabbato ad Veſperas, quod pro commemoratione Epiphaniæ dicitur Antiphona *Omnes de Saba venient*. Et in hoc caſu mutatur Verſus, ne eadem Antiphona cum Verſu ſit idem. Dicitur autem Verſus de Laudibus Epiphaniæ, *Adorat Deum &c.* ſi occurrit Feria 2. in primis Veſperis diei Octavæ, pro commemoratione Dominicæ, dicitur Antiphona *Fili*, & cum Verſ. *Omnes de Saba*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. -- *Si occurrat &c. Feſtum Duplex &c.*) In Patriarchalibus Urbis contra Gavantum de Sancto Teleſphoro Papa, licet Duplex, non fit in Vigilia Epiphaniæ, ſed transfertur.

II. Gavant. num. 9. -- *Fit Commemoratio tantum de Octava &c.*) Henricus Piſart *loc. ſupr. cit. cap.* 3. improbat dictam Gavanti ſententiam, & ſuſtinet, quod in dicto caſu non debet omitti Commemoratio Dominicæ in ſecundis Veſperis, cum id ſemper fiat in Dominicis per annum, ſi Feſtum primæ, vel ſecundæ Claſſis occurrit, & hæc non eſt Dominica repoſita, ſed quaſi occurrens, ſeu aſſignata in Sabbato, & quando Epiphania cadit in Dominica, ordinarie in primis Veſperis fit a Capitulo de eadem Dominica, cujus Commemoratio in primis Veſperis Octavæ Epiphaniæ, non eſt omittenda, quæ pariter Commemoratio debet fieri in ſecundis Veſperis, ut in primis, quando fuerit impedita ab Officio Patroni, ſeu Titularis, vel Dedicationis Eccleſiæ, & caſus Dominicæ 3. vel 4. vel 5. vel 6. poſt Epiphaniam, vel 23. poſt Pentecoſten, quæ non poſſit celebrari in proprio die Dominico, eſt omnino diverſus, ut clare apparet in Rubrica gener. IV. de Dominica numero 4. & 5. & ex Rubric. particular. de Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

III. Gavant. n. 10. -- *Ex Decreto Gelaſii ponuntur in Dominica ipſa prima poſt Epiphaniam &c.*) Aſſeverat hoc loco Gav. Lect. Epiſt. primæ ad Corinthios poni in Dominica ipſa prima poſt Epiphaniam ex Decreto Gelaſii: ſed, ut alibi dixi, ea pars Decreti, in qua id ſtatuitur, & quæ habetur in *Decreto diſt.* 15. *cap.* 3. Gelaſio Summo Pontifici referri non poteſt, ſed fuit ab aliis Pontificibus adjecta.

## De Dominicis poſt Octavam Epiphaniæ. Cap. VIII.

### *G A V A N T U S.*

1. DOminicæ poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam, vel ad ſummum ſex, vel ad minimum una eſſe poſſunt, & ideo poſitum eſt Officium ſex Dominicarum. Quo propior eſt, vel remotior Septuageſima, quæ a Paſchatis mobilitate pendet, eo plures, vel pauciores ſunt Dominicæ intra hoc tempus. Quæ ſuperſunt, transferuntur poſt 23. Dominicam poſt Pentecoſten, qua de re nos egimus ſupra *Sect.* 3. *cap.* 5.

2. De Dominica ſecunda poſt Epiphaniam ſemper fit Officium ante Septuageſimam, ſaltem in Sabbato præcedente eamdem Septuageſimam, vel in die prima poſt Octavam Epiphaniæ, Microlog. *cap.* 41. tranſlato, ſi opus eſt, Feſto Semiduplici; & hoc duplici de cauſa. Primo, ut ordine hiſtorico ſervato de Vita Chriſti, legatur poſt ejuſdem Baptiſmum, primum miraculum in Cana Galileæ factum, antequam quidquam aliud in ſequentibus Dominicis de eo narretur. Secundo, ut Officium, & Reſponſoria Dominicarum poſt Epiphaniam ſemel dicantur ſuo proprio tempore, nec omittantur omnino. De quibus Reſponſoriis, & Pſalmis meminit *Amalarius de ordine Antiphon. cap.* 27.

3. Di-

Digitized by Google

3. Dices: in prædicto caſu, quodnam Semiduplex erit transferendum, ſi eo die fiat de Dominica ſecunda poſt Epiphaniam? Reſpondeo, in Eccleſia univerſali Feſtum S. Hilarii transferendum erit in diem 23. Januar. quidquid alii notarint in Kalendariis, S. Hilario parcentes: quia in Rubrica propria dicitur, *Prima die poſt Octavam*. Videbatur tamen parcendum S. Hilario, qui in primis Veſperis participare ſolet de proprio die, in quo obiit, magis, quam S. Paulus Eremita, qui obiit infra Octavam Epiphaniæ; ſed verba Rubr. ſunt attendenda ſimpliciter, quæ generatim poſita ſunt juſtioribus de cauſis, & præſertim ob faciliorem executionem.

4. Quid ſi feſta omnia per Hebdomadam ſint duplicia? eo caſu erit ſatis Commem. fieri Dom. 2. in Sabbato & omittuntur Reſp. de tempore.

5. Si Octava celebretur in ea Hebdomada; tunc fiat prima die de Feria, quia dies infra Oct. cedit ſemiduplici, ergo a fortiori etiam huic Officio Dom. ſecundæ, ſed omittendæ tamen erunt preces cum Suffragiis ratione Octavæ.

6. Epiſtolæ S. Pauli, quæ non poſſunt legi in primo Nocturno, ſeu in feriali Officio infra hoc tempus uſque ad Septuageſimam, eo anno omittuntur: quia unus liber omnium Epiſtolarum S. Pauli tamquam unius auctoris reputatur: & antiquiores non legebant de Epiſtolis Pauli, niſi uſque ad eam, quam ille ſcripſit ad Epheſios, incluſive.

7. Officium Dom. 3. vel 4. vel 5. vel 6. ſi poſt Epiphaniam minus habeat locum, neque item poſt Pentecoſten; de ea, quæ locum alibi non habet, fiat Officium in Sabbato, vel in alia Feria præcedenti, non ad libitum, ſed impedito Sabbato, ob Feſtum novem Lectionum, & non trium B. V. vel fiat Commemor. ſaltem in Sabbato, ne protſus omittatur, *ut in Rubr. de Domin. n. 5.* quæ remittit nos ad formam datam *in n. 4. ibid.* Quod ſi in Feria prædicta fiat de Feſto Semiduplici tranſlato, ſatis erit, quod in Sabbato fiat Commem. Dominicæ, ut ſupra, ne tranſlatum Semiduplex, ſine neceſſitate adhuc ultra transferatur, ut decretum eſt in poſtrema recognitione Urbana Breviarii; nulla enim eſt neceſſitas, quando ſaltem in Dom. 2. dicta ſunt Reſp. de tempore.

8. Dom. ſextæ Officium cum ſuo Evangelio eſt de novo jure Pii V. in qua antiquiores repetebant Officium Domin. quintæ poſt Epiph.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 2. — *De Dominica ſecunda poſt Epiphaniam ſemper fit Officium &c.*) In poſterum in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam recitandum eſt Officium proprium Ss. Nominis Jeſu ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub ritu Duplici ſecundæ Claſſis; die enim 29. Nov. ann. 1721. editum fuit ſequens Decretum.

Officium proprium Ss. Nominis Jeſu, quod alias pleriſque Chriſtiani Orbis Provinciis, & Regnis, variiſque particularibus Eccleſiis, & Ordinibus Regularibus fuerat conceſſum, in poſterum ab omnibus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub ritu Duplici ſecundæ Claſſis, Dominica ſecunda poſt Epiphaniam recitari, & Miſſam reſpective celebrari debere indulſit Congr. Rit. annuente Innoc. XIII. ſub die 20. Decembr. ejuſdem anni.

Hoc loco adnotandum occurrit, quod quando Dominica ſecunda poſt Epiph. non habuerit propriam ſedem Dominicalem, id, quod evenit quando Dominica Septuageſimæ occurrit die 18. vel 19. aut etiam 20. Jan. ut deſcribitur in noſtris Tabulis I. II. & III. tunc agendum eſt de prædicta Dominica Septuageſimæ, & præfatum Officium Ss. Nominis Jeſu traſferendum erit ad diem 28. Jan. tamquam diem propriam ex Decr. Sacr. Rit. Congreg. 22. Januarii 1735. in correctione, & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium, & ex ejuſdem Sacr. Rit. Congr. declaratione die 5. Maji 1736. in *una Einſild.* & datum in noſtro Indice *n.* 289. Officia enim generalia, licet affixa Dominicis, non ſubjacent Regulæ præſcriptæ in Decreto edito die 20. Martii 1683. & dato in noſtro Indice ſub *n.* 139. quia ibi eſt ſermo de Officiis conceſſis pro aliquibus locis, quibus aſſignata eſt dies aliqua Dominica; hæc utique occurrente Feſto altioris ritus, non ſunt transferenda, ſed omittenda. Officia vero generalia pro omnibus locis conceſſa, poſſunt, immo debent transferri, licet alicui Dom. affixa ſint, ut eſt præſens Officium Ss. Nominis Jeſu. De prædicta autem Dominica ſecunda poſt Epiph. in prædictis caſibus agendum eſt ut diſponitur in propria Rubr. ante Domin. primam Epiphaniæ, ut etiam declarabimus infra.

Secundo adnotare debemus, quod circa dictam tranſlationem idem prorſus dicendum eſt, ſi in eadem Domin. ſecunda alicubi occurrat Feſtum duplex primæ Claſſis, & in hujuſmodi caſibus nona Lectio prædicti Officii Ss. Nominis Jeſu tranſlati erit — *Merito ſane dum circumciditur puer* — ut dicitur in Rubr. Breviarii poſt octavam Lectionem hujus Officii; quæ tamen nona Lectio eſſet omittenda, ſi dictum Feſtum reponendum eſſet eo die, quo occurreret Lectio de aliquo Feſto ſimplici.

Tertio notandum eſt, quod per prædictum generale Decretum derogatur conceſſionibus particularibus alias factis (de quibus iterum redibit ſermo infra *Sect. 7. c. 3. n. 14.*) recitandi tale Officium die 14. Jan. nunc enim omnes tenentur illud celebrare in dicta Dom. ſecunda poſt Epiphaniam, & ita declaravit S. R. C. die 28. Nov. 1722. Monialibus ſiquidem Ss. Corporis Chriſti Civitatis Bononiæ eidem S. C. humillime ſupplicantibus, ut benigne declarare dignaretur an ipſis liceat in poſterum die 14. Jan. Officium SS. Nominis Jeſu, ſicut antea juxta conceſſionem Fratribus Ordinis Minorum, aliis factam, recitare? *S. C. reſpondit*, nec Monialibus prædictis, nec Fratribus Minoribus, aliarumque Religionum licere amplius memoratum Officium die 14. Jan. ſed Dominica ſecunda poſt Epiph. recitare; omneſque teneri ſub pœnis de non ſatisfaciendo Officio Divino, aliiſque in Bulla S. Pii V. contentis &c. Poſt hoc Decr. tamen Fratres Minores Obſervantes eorumque Miniſtro Generali ſubjecti per Reſcriptum obtinuerunt facultatem a Bened. XIII. celebrandi dictum Feſtum, die 14. Januarii.

Quarto notandum eſt, quod licet in pluribus Miſſalibus impreſſa habeatur *Sequentia* in Miſſa propria dicti Feſti Ss. Nominis Jeſu. non eſt tamen dicenda, niſi a PP. Minoribus S. Franciſci, tum quia in conceſſione antea facta Soc. Jeſu anno 1701. 1. Octob. dicitur expreſſe, *excluſa tamen Sequentia*; tum quia S. R. C. die 23. Junii 1736. in *Brugen.* aperte ſtatuit Sequentiam in Miſſa de Ss. Nomine Jeſu eſſe omittendam, quod Decr. datur in Indice Decr. ſuperioris tomi *ſub n.* 685.

II. Gav. eod. n. 2. — *Saltem in Sabbato præcedenti eamdem Septuageſimam &c.*) Dicta ſecunda Dominica poſt Epiphaniam numquam transfertur poſt, ſed omnino de ea fieri debet ante Septuageſimam, ob rationem, quam affert Gav. ſuperiori *tom. part. 4. tit. 3. n. 3.* nimirum, ut Evangelium illius Dominicæ, (in qua mentio fit Converſionis aquæ in vinum, quæ fuit initium miraculorum Chriſti) congruo tempore legatur. Igitur quando Domin. Septuageſimæ occurrit ſtatim poſt primam Domin. Epiphaniæ, optime docet hic Gav. inhærens Rubr. quod tunc de Domin. ſecunda poſt Epiph. faciendum erit in Sabbato antecedenti ipſam Dominicam Septuageſimæ, dummodo illud Sabbatum non ſit impeditum Feſto novem Lectionum; nam ſi illud Sabbatum taliter ſit impeditum, tunc de Dominica ſecunda poſt Epiphaniam erit faciendum Officium prima die poſt Octavam Epiph. quod ſi in ea prima die occurreret Feſtum Semiduplex, illud Feſtum transferendum erit in aliam diem non impeditam Feſto novem Lectionum, ut aperte diſponit Rubr. Breviarii poſita ante Dominicam primam Epiphaniæ. Ex hac diſpoſitione ſequitur in tali caſu eſſe transferendum Feſtum S. Hilarii, quod eſt Semiduplex, & occurrit prima die poſt Octavam Epiphaniæ; & revera ita tenet Gav. ſup. *n.* 3. necnon Bauld. *part.* 4. *c.* 2. *n.* 42. & Guyet. *l.* 4. *c.* 18. *q.* 13.

Quomodo autem in prædicto caſu faciendum ſit de Dominica ſecunda Epiphaniæ colligitur ex iis quæ dicit Biſſus litter. *O n.* 32. cum aliis communiter, nimirum, tunc dicendum eſſe Officium de Feria occurrente, ut in Pſalterio, & poſt Nocturnum duodecim Pſalmorum, legi debent Lectiones tres de Homilia hujus Dominicæ tranſlatæ, cum tribus Reſp. primi Nocturni ejuſdem Dominicæ, omiſſis aliis Lectionibus, & Reſp. & alia dicantur, ut in Officio feriali dictæ diei, cum Antiph. ad *Benedictus*, & Oratione præfatæ Dominicæ; facta Comm. Feſti Simplicis ſi occurrat, & dictis Suffragiis Sanctorum, prout de more. Reliqua vide in præfatis Tabulis noſtris 1. 2. & 3.

Dum ad faciendum Officium de præfata Dominica debeat transferri Feſtum Semiduplex ſi occurrat, tenet Guyetus *loc. ſuprac.* de dicta Domin. fieri poſſe Officium in Sabbato impedito Feſto Semiduplici, transferendo tale Feſtum Semiduplex, quia Officium Dominicæ ſic celebratæ, ait idem Guyetus, convenientius fit in Sabbato, quam in alia Feria. Verum in Sabbato prædicto, impedito etiam ſolo Feſto Semiduplici, nullo modo erit faciendum de prædicta Dominica, quod deducitur ex Rubrica citata, quæ clare præcipit eſſe faciendum Officium de prædicta Dominica in Sabbato non impedito Feſto novem Lectionum; alioquin prima die poſt Octavam Epiphaniæ; & licet eadem Rubrica præſcribat eſſe transferendum Feſtum Semiduplex, tamen non loquitur de Semiduplici occurrente in Sabbato, ſed ſolum occurrente illa prima die poſt Octavam Epiphan. quod aperte habetur in verbis ejuſdem Rubricæ, quæ in fine ait. *Feſtum vero Semiduplex in ea occurrens transfertur &c.* ubi illa verba, *in ea*, notanda ſunt; cum enim ſint fœminini generis, referuntur ad primam diem, non ad Sabbatum, quod eſt generis neutrius, ut bene ponderat Biſſus *loc. citat.* §. 9. Corruit igitur ſententia Guyeti contendentis ea verba in Rubrica *non impedito* (loquendo de Sabbato) *Feſto novem Lectionum*, ſignificare Feſtum Duplex tantum, itaut ſi Sabbatum eſſet impeditum

Feſto Semiduplici, tunc eo tranſlato faciendum ſit de Dom. ſed pace tanti viri, adoptando verba Biſſi, non video quomodo ſolum Duplex veniat nomine Feſti novem Lectionum. Et equidem Rubrica Miſſalis, quæ habetur ante Dominicam ſecundam Epiphaniæ, omnem removet ambiguitatem, quia aperte excludit Sabbatum, ſi in eo incidat Feſtum Semiduplex; (quod intelligitur de Semiduplici non tranſlato, & de præcepto) ſolum ergo in dicto Sabbato deberet fieri de Dominica memorata, & transferri Feſtum Semiduplex in eo occurrente, & a fortiori Semiduplex tranſlatum, quando Feriæ præcedentes omnes eſſent impeditæ Feſto Duplici occurrente, non tamen tranſlato; ita ut ſi eſſet aliqua dies, in qua reponi deberet aliquod Officium novem Lectionum, vel occurreret Officium Semiduplex ad libitum, Officium præfatæ Dominicæ II. debeat ea die recitari. Si vero tota Hebdomada fuerit impedita Officio Duplici occurrente, in Sabbato fiat Comm. ejuſdem Dominicæ in Laudibus & Miſſa cum nona Lectione Homiliæ ad Matutinum, & hæc pro Rubr. Generali. Feſtum autem Semiduplex in tali caſu, quod in Eccleſia univerſali deberet reſpective transferri, eſſet ut dixi S. Hilarii 14. Jan. vel S. Marcelli 16. & S. Canuti 19.

III. Gav. n.4. -- *Eo caſu erit ſatis Commem. fieri Domin. II. in Sabbato Sancto &c.*) Reſolvit hic optime Gav. quod ſi in tota prædicta Hebdomada poſt Octavam Epiphaniæ, dies eſſent impediti Feſto duplici, nullum ex illis eſſet transferendum, ſed ſufficeret in eo caſu facere Commem. dictæ Dominicæ in Sabbato; huic Gav. ſententiæ licet repugnare non audeat Guyetus citatus, tamen ibid. a.1, ſe non refellere eum, qui pro faciendo Officio dictæ Dominicæ, transferret ex illis Feſtis Duplicibus unum aliquod minus, putans ſic ſe loqui magis conformiter ad Rubricam citatam. Sed noſtri Gavanti doctrina eſt omnino ſequenda, quia cum in Rubr. citata dicatur, quod Feſtum Semiduplex transferatur, & nulla fiat mentio de Duplici, evidenter ſequitur nullum Feſtum Duplex eſſe transferendum, ut detur locus Officio dictæ Dominicæ. Id etiam clariſſime patet in cit. Rubric. Miſſal. poſita ante Domin. ſecundam Epiph. in qua habetur -- *Si vero Sabbatum fuerit impeditum Feſto Semidupl. tunc prima die poſt Octav. Epiph. in qua non fit Feſtum Duplex, dicitur Miſſa de 2. Dominica, & Feſtum Semiduplex in eo occurrens transfertur* -- En igitur Feſtum Duplex non eſſe transferendum, ſed ſolum Semiduplex ad faciendum Officium de dicta Domin. Supereſt adnotandum hoc loco, quod quando in Sabbato, vel alio die fit ſolum commem. dictæ Domin. licet Antiph. ſumatur illa, quæ eſt propria Domin. *ad Benedictus*; Verſiculi tamen ſumi debent ex Feria currenti.

Licet juxta opinionem Guyeti *l.4. c.2. q.4.* aſſerentis, quod ſi in prædicto Sabbato fuerit Feſtum Patroni, aut aliud quamvis primæ, vel etiam ſecundæ Claſſis, incongruum non erit anticipare commem. dictæ Domin. die præcedenti, attamen ex Rubr. generalibus, & aliis particularibus, necnon ex eis deductis, eidem opinioni minime poſſum adhærere, quia ſi in Duplici primæ Claſſis fit commem. de 4. Temporibus, & ſimilibus, a fortiori debet fieri commem. Domin. quæ non poteſt celebrari in die propria, & juxta Rubric. anticipatur.

IV. Gav. n.5. -- *Si Octava celebretur in ea Hebdomada &c.*) Quid ſit faciendum ſi in Hebdomada, in qua eſſet recitandum Officium de dicta Dominica, celebraretur aliqua Octava, reſolvit Gav. quod tunc fiat prima die infra talem Octavam Officium de Feria cum tribus Lectionibus de Dom. ut ſupra, & quod in eo caſu omittendæ ſunt preces feriales, & Suffragia ratione octavæ. Guyetus tamen *l. 4. cap.* acerrime impugnat hanc Gavanti ſententiam, immo fatetur an nullo ſe repugnantiorem eſſe Gavanto, quam in hoc placito. Rationem autem, quam affert Gavantus pro tuenda qua opinione, ita refellit laudatus Auctor; nimirum, non ſola Semiduplici cedit dies infra Octavam, debet a fortiori cedere huic Officio Dominicæ, nam ideo cedit dies infra Octavam Feſto Semiduplici, quia cum ambo ſint ejuſdem Ritus, & Solemnitatis, Semiduplex, quod per ſe Feſtum eſt, eo vel Titulo præfertur diei infra Octavam, quæ non eſt niſi repetitio, ſeu continuatio Feſti. At Feſtum Semiduplex non ideo cedit Officio Dominicæ anticipatæ, quia hoc ſit æqualis Ritus, ac Solemnitatis cum illo; immo eſt inferioris, ſed quia tali privilegio gaudet, ut cum de eo fieri neceſſe ſit, nec poſſit, niſi iſto die, Feſtum Semiduplex in ea occurrens transfertur; Ipſum vero Semiduplex ſic tranſlatum nullum inde accipit detrimentum; quippe ſuum æque integrum Officium alio die eſt recuperaturum: at dies infra Octavam cedens hujuſmodi Officio Dominicæ, cum ſola commemoratione peragitur; & ideo aliquod recipit detrimentum. Alio etiam utitur argumento Guyetus ad refellendum Gavantum, ſcilicet, quia privilegium uni Officio, etiam inferiori, conceſſum, non ideo alteri, etiam ſuperiori, conceditur; verbi gratia Feſtum Semiduplex quamvis cedat diei infra Octavam Corporis Chriſti, tamen non cedit diei infra Octavam Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi ea ſit, utpote cui, vel ipſo Gavanto teſte, cedit ipſa Octava Corporis Chriſti. Verum hoc argumentum valet utique contra Gav. qui hanc tenuit ſententiam, quod celebrantes Octavam Trinitatis, de ea debeant celebrare Officium in Feria VI. & Sabbato poſt Feſtum Corporis Chriſti, cum ſola commem. ejuſdem Octavæ; nos vero ſupra inhærentes Decretis S. C. ſuſtinuimus Octavam Corporis Chriſti, utpote ſublimioris Ritus, ſeu ſaltem magis privilegiatam, non cedere Octavæ Trinitatis, unde quoad nos hoc ſecundum Guyeti argumentum nullum robur habet. Abſurdum quidem cum eodem Guyeto reputamus, quod dicatur Officium feriale pro celebrando Officio dictæ Domin. & debeant omitti preces cum Suffragiis ratione Octavæ; revera ſiquidem, quis umquam audivit, ut fiat Officium de Feria, ut in Pſalterio, ſine precibus, ſine Suffragiis, maxime de Cruce, quod eſt veluti Officii Ferialis proprius character, ac nota præcipua? Et equidem infra mentionem facimus de Decreto, quo S. R. C. præſcripſit, quod qui habent privilegium faciendi aliquam Octavam infra Quadrageſimam, Feria IV. Cinerum ſemper dicant Officium Feriale, ſed cum precibus, & Suffragiis, etiamſi dicta Feria incidat infra Octavam conceſſam celebrari etiam Quadrageſimali tempore. Ecce igitur, quod preces Feriales, & Suffragia numquam ſejunguntur ab Officio Feriali. Quapropter dicendum eſt in præſenti controverſia, Rubricis fore conformius, ſi de hac Feria infra aliquam Octavam perinde agatur pro anticipanda Domin. atque de Vigiliis infra Octavas occurrentibus, ut videlicet fiat Officium de die infra Octavam cum nona Lectione de Homilia, & commem. Dominicæ. Miſſa vero non erit de Octava, ſed de ipſa Dominica, ſine *Gloria*, & *Credo* cum commem. Octavæ. Vide quæ diximus ſuperiori Tomo de Miſſa Vigiliæ cadente infra aliquam Octavam. Hanc ſervando œconomiam Officii Divini in prædicto caſu, vitantur abſurda illa, ut ait Guyetus, quæ incurri neceſſe eſſet, ſi Officium fiat de Feria; Quæ vero Dom. anticipandæ propria ſunt, nempe Hom. in Evangelium, Antiph. ad *Benedictus*, & Oratio, & quod omnium præcipuum eſt Miſſa integra, recitantur.

V. Gav. n.7. — *Officium Dominicæ III. vel IV. &c. ſi poſt Epiph. minus habeat ipſum &c.*) Contingit aliquando, ut optime advertit Gavant. quod Dominica tertia vel quarta, vel quinta, vel ſexta poſt Epiphan. non poſſit expleri ſuis diebus, immo ita ſuperſit, ut ea poni ſuo loco nec poſſit ante Septuageſimam, nec poni etiam poſſit poſt Dominicam 23. a Pentecoſte (uti circa Dominicam ſextam contigit anno 1710. & circa quartam anno 1711.) ideo juxta Rubricam generalem tertiam, *n. 4. & 5.* & juxta Gavantum noſtrum hoc loco, tunc fieri debet de ejuſmodi Dominica in Sabbato Dominicam Septuageſimæ præcedente, non impedito tamen Feſto novem Lection. ſeu occurrente, ſeu tranſlato; vel etiam Octava, alioquin in alia die anteriore illius Hebdomadæ ſimiliter non impedita (quæ tamen ſit omnium proxima ipſi Sabbato) dicendo in dicta die Officium de Feria currente ut in Pſalterio, cum commemoratione Feſti Simplicis, ſi quod ea die occurrat, & legendo tres Lectiones de Homilia talis Dominicæ anticipatæ, omiſſis vel tranſlatis (ſi ſint initium aliquod libri Sacræ Scripturæ, cujus Lectio proſequi debeat) Lectionibus Scripturæ illius Feriæ, & omiſſa pariter Lectione de Simplici, ſi occurrat; dicendo tamen Reſponſoria Feriæ currentis, niſi forte tria prima Reſp. Dominicæ anticipatæ nondum illo anno ſint recitata; tunc enim Reſp. deſumi deberent ex primo Nocturno Dominicæ ejuſdem anticipatæ. In tali Officio cum ſit Feriale quoad Ritum, non dicitur *Te Deum*, adeoque dicitur tertium Reſponſorium. In Laudibus (pariter de Feria currente dicendis) Antiph. ad *Benedictus* illi & Oratio (non tamen verſus poſt Hymnum) ſunt de eadem Dominica anticipata, & deinde ſubnectentur Commemorationes &c. — ac etiam de Cruce, cum Officium ſit Feriale.

Quod ſi inter Feſta novem Lectionum, quibus in dato caſu tota Hebdomada eſt impedita, ſit aliquod Feſtum ad libitum (v. gr. S. Canutus Mart.) occurrens ante Sabbatum immediate præcedens ante Dominicam Septuageſimæ Feſto alio novem Lectionum de præcepto impeditum, tunc ad diem illum, quo ejuſmodi Feſtum ad libitum occurrit, poteſt anticipari modo prædicto Officium & Miſſa Dominicæ, quæ nec Sabbato ante Septuageſimam, nec poſt Dominicam 23. a Pentecoſte celebrari poteſt, omiſſo pro eo anno dicto Feſto novem Lectionum ad libitum. Si vero alicui placeat die illo recitare Officium de Feſto ad libitum, tunc in ejuſmodi caſu, quia ob tale Feſtum tota Hebdomada eſt impedita Feſtis novem Lectionum; ideo Sabbato Dominicam Septuageſimæ præcedente fiat Commemoratio cum nona Lectione de eadem Dominica anticipata, & ejuſdem Evangelio in fine Miſſæ. Quæ commemoratio fieri deberet etiamſi in prædicto Sabbato occurreret Feſtum primæ Claſſis: ſi enim hujuſmodi Feſtum non excludit a ſuo Officio commemorationem cujuſcumque Feriæ Majoris, & nonam de hac Lectionem ac ultimum Evangelium, a fortiori non excludet commemorationem &c. ejuſmodi Dominicæ, & hanc ſententiam tenet etiam Halden *part. 1. titul. 6.* necnon Cocquerius apud eumdem, quam nos etiam in noſtris Tabul. ſequuti ſumus. Cæterum obſervandum eſt quod de hujuſmodi Domini-

Digitized by Google

minicis anticipatis, neque in primis, neque in ſecundis Veſperis fieri debet ulla commemoratio, cum Officium earum non celebretur niſi Ritu Feriali.

## De Septuageſima, & Dominicis ſequentibus, Cap. IX.

### G A V A N T U S.

1. DEponitur in Septuageſima, *Alleluja*, bis eo cantato, & repetito in fine primarum Veſperar. Dominicæ, ex Decreto Alexandr. II. ut ait Microlog. *c.* 47. & Baron. Ann. 1073. qui Ritus in Martyrologio ad Primam pronunciatur; & deponitur cum reduplicatione ad majorem ſignificationem, & emphaſim.

2. *Alleluja* ſignificat Chriſtum, ſine quo nunc repræſentatur genus humanum, ob peccatum Adæ, de quo fit mentio principalis in Septuageſima. *Rupert. lib.* 3. *cap.* 5.

3. Pro *Alleluja*, dicimus humiliori Latina lingua *Laus tibi Domine*, *&c.* ex Alcuino; quia tempori congruit humilitas ob memoriam peccati originalis. A Muſicis pro *Alleluja*, dicitur, *In æternum*, *Jo. Beleth. de Div. Offic. c.* 79. ſed a recitantibus Officium omittitur, *Alleluja* in Antiphonis, ubi eſt; & ejus loco nihil dicitur.

4. Invitatorium: *Præoccupemus*; anticipatur in Septuageſima a Pio V. cum ſit ejuſdem rationis cum ſequentibus Dominicis.

5. Lectiones de Geneſi, ex Decreto Gelaſii, & Ord. Rom. Reſponſoria de eadem Geneſi recitari juſſit Alexander II. *ex Microl. loc. cit.* amotis aliis, quæ dicebantur cum *Alleluja*, cum non deceat (inquit Leo IX. *de conſecr. diſt.* 1. *Hi duo*) cantare *Alleluja*, quando recolimus primi hominis caſum in Lectionibus.

6. In Sexageſima dicuntur Reſponſoria de Hiſtoria Noe, ex Decreto Gregor. VII. teſte *Radulp. propoſ.* 16. cum antea ex Decreto Alexandri II. repeterentur Reſponſoria Septuag. Collecta Sexageſimæ non impedit commemorationem communem de S. Paulo in Officio. Vide in *tom.* 1. de Sexageſim. *num.* 5.

7. In Quinquageſima Reſponſ. de Abraham dici juſſit Gregor. VII. *ex Radulpho loc. cit.*

8. Datæ ſunt Antiphonæ propriæ ad *Magnificat*, fere omnibus Feriis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, de quibus antiqui nihil dicunt. Si Antiphonas ſpectes, eæ propriæ ſunt, quia hæ Feriæ non ſunt ita communes, ut aliæ per annum; neque ita propriæ, ut Feriæ Adventus, & Quadrageſimæ, quarum Antiphonæ numquam omittuntur. Si Ferias attendas, in Feria ſexta nulla eſt Antiphona; quia ſaltem de Sancta Maria in Sabbato fit in Veſperis a Capitulo. In Feria quinta Sexageſimæ, & item ſexta in anno biſſextili, dicuntur Antiphonæ, quæ in præcedentibus Feriis fuerunt omiſſæ, ſi occurrat fieri de Sancto in eiſdem, vel certe ex Pſalterio ſumuntur; non autem de Feriis Septuageſimæ, quarum Antiphonæ, ſi omittantur ob Feſta Sanctorum, non reſumuntur in ſequenti Hebdomada: quod perperam ſcripſere aliqui in Calendariis Eccleſiarum particularium: neque Rubrica de his Antiphonis poſita ante Feriam 5. Sexigeſ. ſe extendit ultra ſuam Hebdomadam. Si vero numerum obſerves Antiphonarum, myſterii aliquid fortaſſe ineſt, tum quia novem eæ ſunt omnes; tum quia inter eas certus quidam eſt gradus nonniſi congruus (ex majorum ſaltem auctoritate, qui eas decreverunt) ut nimirum quatuor Antiphonæ in Veſperis ſint aſſignatæ Feriis Septuageſimæ, tres Feriis Sexageſimæ, duæ Feriis Quinquageſimæ.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gav. num. 1. -- *Deponitur in Septuageſima Alleluja bis eo cantata, &c.*) Ad Veſperas Sabbati præcedentis Dominicam Septuageſimæ, ſive celebretur Officium de Feſto, ſive de Feria, quando poſt ultimam Orationem pronunciatur *Benedicamus Domino* ſubnectitur a Cantoribus, vel ab Hebdomadario bis *Alleluja*, & reſponſo a Choro *Deo gratias*, repetitur pariter bis *Alleluja*, ita uſus Romanus proſcripſit antiquas repetitiones dictæ vocis *Alleluja*, quæ uſque ad nauſeam dicta die repetabatur. Reformatio hæc emanavit ab Alexandro II. Teſtante hoc Micrologo *c.* 47. ut tradit etiam Gavantus, ut videlicet ejus geminatio, addit Durandus *lib.* 6. *cap.* 34. *num.* 19. *ad finem præcedentis temporis referatur, & ejus depoſitio luctui ſequentis temporis aſſignetur*; tum quia *non decet*, inquit Leo IX. Cap. Hi duo *de conſecr. diſtinct.* 5. *cantare Alleluja, quando Lapſus Protoplaſti in Eccleſia recitatur*; recitatur autem in lectionibus hujus Dominicæ.

## De Feria quarta Cinerum. Cap. X.

### G A V A N T U S.

1. EST privilegiata hæc Feria, in qua occurrens quodcumque Duplex transfertur, ex Decreto Clem. VI. ann. 1352. ut ego legi in Martyrologio MS. antiquo in Bibliotheca Fortunati Scacchi, Sacri Palatii Sacriſtæ, de Sacris litteris optime meriti; & habetur in Breviario edito Venetiis 1549. quia eo die convenit, ut populus Chriſtianus pœnitentiæ publicæ det indicia.

2. Omnia ergo fiunt, ut in Quadrageſima, ait *Microl. c.* 49. & ad omnes Horas, inquit, *c.* 50. genuflectimus, hoc eſt, dicuntur Preces: nam quia nos augere debemus penſum ſervitutis noſtræ, præſertim in precibus, ex S. Gregor. relato a *Radulph. propoſ.* 16. hinc factum eſt, ex eodem Radulph. quod dicantur his diebus feriales Preces cum Officio Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium.

3. Duæ Orationes dicantur quotidie in feriali Officio, quarum ſecunda eſt Veſperarum propria; quia in Miſſa duæ item dicuntur ſuper Populum, altera initio, altera in fine; cujus rei cauſam dedimus, cum de Miſſæ Sacrificio, Tomo priore.

4. Nondum dicuntur Veſperæ ante comeſtionem, ut reſervetur prærogativa Dominicæ ſequentis, quæ eſt caput Quadrageſimæ, cujus primæ Veſperæ dicuntur in Choro ante cœnam; & deinceps idem fit in diebus ferialibus, ex Concil. Cabillon. *de Conſecr. diſt.* 1. *c. Solent.*

5. Dixi, *ante cœnam*, quia antiquitus ſolvebatur jejunium hora cœnæ in Quadrageſima poſt Veſperas; & licet horam anticipemus, retinemus tamen vocabulum cœnæ, cui benedicimus ea Prece quæ adhibetur ad cœnam: *Edent pauperes, &c.*, ut in fine dicitur Breviarii. Quia vero non poſſumus jejunare diebus, & noctibus, ſicuti fecit Chriſtus, jejunemus ſaltem uſque ad horas diurnales incluſive, hoc eſt, dictis Veſperis, ut ait *Archid. in cap. Solent*, *de conſecr. cit.*

6. Extra Chorum non tenemur ante comeſtionem recitare Veſperas, quia Concil. Cabillon. intelligitur de publica in Choro recitatione: cui tamen congruum eſt, ut conformemur in privata quoque Veſperarum recitatione.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gav. num. 1. -- *Eſt privilegiata hæc Feria, &c.*) Adeo eſt privilegiata hæc Feria, ut ei cedere debeat Feſtum qualecumque, etiam Patroni, aut Titularis, &c. Rurſus juxta Rubricam *VII. de Octavis*, ceſſant ab hac die omnes Octavæ, itaut ſi aliquod Feſtum, quod celebrari ſolet cum Octava paulo ante Quadrageſimam venerit, & jam per aliquot dies factum ſit Officium de ejus Octava, adveniente Quadrageſima, adeoque hac Feria IV. Cinerum, nihil amplius fit de ea, nec commemoratio: ſi autem dies Octavæ cadat in prædictam Feriam IV. Cinerum, quid, & quomodo agendum ſit in pridianis Veſperis, ſatis innuimus ſupra in noſtris Obſervationibus ad Cap. 2. Sect. 6. de Antiphonis majoribus Adventus, & etiam alibi, nempe in Obſervationibus ad Cap. 8. Sect. 3.

Quia tamen aliqui ex ſpeciali privilegio celebrant aliquod Feſtum cum Octava etiam in Quadrageſima, v. gr. Benedictini de S. Benedicto, & de S. Scholaſtica, ut alibi diximus, debemus hoc loco mentionem facere decretorum editorum 24. Januarii 1682. quæ dantur in noſtro Indice *ſub num. ris* 123. & 124. in quibus ſtatuitur, quod qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadrageſima, non ideo debent facere commemorationem in Feria IV. Cinerum, & quod prædicto Officio Feriæ IV. Cinerum, relinquendo commemorationem Octavæ, debent dicti privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales, &c. quodve in Decret. S. R. C. de die 23. Junii 1736. *in una Einſiden.* declaratur etiam pro Dominicis primæ Claſſis Quadrageſimæ in die vel infra Octavam occurrentibus, & datur in noſtro Indice *ſub num.* 325.

## De Dominicis Quadrageſimæ. Cap. XI.

### G A V A N T U S.

1. INvitatorium Dominicæ primæ, *Non ſit vobis vanum, &c.* compoſuit Amalarius ex Wion Auctore Ligni Vitæ *lib.* 5. & ille ipſe meminit, *de Ordin. Antiphonar. c.* 36. ubi docet tamen ſe tranſtuliſſe hoc Invitatorium in hanc Dominicam a media Quadrageſima, in qua ab aliis cantabatur. Primæ Lectiones interrumpunt quidem Lectiones de Geneſi, ſed indicant fructus pœnitentiæ, ex Durand. *lib.* 6. *c.* 32. Reſponſoria, ex Amalar. *de Ordin. Antiphonar. cap. cit.* ſunt claves tituli de converſatione, & ſtatu totius Quadrageſimæ. Oportet enim hoc tempore corrigere mores, jejunare, plorare, patientes eſſe, vigilare, pœnitere, eleemoſynam dare, quæ omnia in Reſponſoriis continentur.

2. Frequentatur Pſalmus nonageſimus, *Qui habitat, &c.* a quo plures verſus hoc tempore deſumuntur, quia inquit Amal. *lib.* 4. *c.* 19. ſumus in his diebus in majori certamine tentationum: vel inde eſt, quia male uſurpavit hunc Pſalmum Satanas tentando Chriſtum, contra quem repetimus eumdem in proprio ſenſu: *Angelis ſuis mandavit, &c.*

3. Antiphonarum ad Laudes: *Cor mundum, &c.* meminit Amalar. *de Ordin. Antiphon. cap.* 35.

4. Cantabatur in diebus noſtris Hymnus, *Ad preces noſtras*, in ſecundis Veſperis, qui non erat antiquus, & ratione

metri ſcatebat erroribus: tum nullum erat Feſtum, quod quatuor gauderet Hymnis ad primas Veſperas, Nocturn. Laudes, & ſecundas Veſperas, præter Dominicas Quadrageſimæ; & occupatis Feriis ſecundis a Feſto Duplici (quando Paſcha occurrit die 22. Aprilis) eo anno numquam recitabatur, quibus omnibus conſideratis, in recognitione Breviarii Clementina, de Breviario fuit ademptus. De aliis tribus Hymnis diximus *Sect.* 5. *c.* 6.

5. In Feria ſecunda ſequenti adſunt Capitula propria pro omnibus Horis ferialibus Quadrageſimæ, de quibus mentio eſt apud Durand. *lib.* 6. *c.* 28.

6. De Quatuor Temporibus nihil fit in Officio. Et de his jam diximus Parte priori.

7. Dominica ſecunda cur habeat Evangelium Sabbati præcedentis, habes in Parte priori. Forte legitur, quia initio Martii Transfiguratus eſt Chriſtus, ſi Beletho credimus, *de Divin. Offic. c.* 144. Anno Chriſti ultimo: & in Dominica, hora quarta diei, ut ſcribit S. Epiphan. cit. ab Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *c.* 15. *quæſt.* 4. Antiphonæ ad Laudes, *Domine labia mea, &c.* habentur apud Amal. *de Ordin. Antiph. c.* 38.

8. Dominica tertia habet eaſdem Antiphonas ad Laudes, *Fac benigne, &c.* quas recenſet idem Amalar. *c.* 40.

9. In ſequenti Feria quinta eſt Oratio ſingularis de SS. Coſma, & Damiano; quia Statio fit in eorum Eccleſia, quam dedicavit Romæ in Foro Boario Felix IV. ex Rupert. *lib.* 8. *cap.* 2. Sed in lib. Sacramentorum Sancti Gregorii non habetur hæc Collecta; & alias diximus a Gregorio II. data eſſe Officia Feriis quintis Quadrageſimæ; quis igitur Collectam compoſuerit, eſt incertum; cum in lib. cit. Sancti Gregorii I. habeatur Oratio alia cum Secreta, & Poſtcommunione, quarum auctor dicitur Gregorius II. ergo non eſt Gregoriana, neque Primi, neque Secundi. Non tamen impedit commune Suffragium de iiſdem Sanctis in Eccleſia eorumdem, qua de re in Tomo 1.

10. Dominica quarta dicitur *Lætare*, ſicut in Adventu Dominica tertia, *Gaudete*, quia Miſſæ harum Dominicarum habent Introitum, *Lætare Jeruſalem*, & *Gaudete in Domino*; & cum lætitiam indicent, Dalmaticis utuntur Miniſtri in ſolemni Miſſa, ut alibi diximus.

## De Dominica Paſſionis. Cap. XII.

### G A V A N T U S.

1. IN primis Veſperis etiamſi ſint de Sancto, teguntur Cruces, & Imagines, omittuntur Suffragia, ſeu communes commemorationes Sanctorum, ut ad Chriſtum hoc tempore ſit unicum refugium noſtrum; nec de Pace loquimur; quia repræſentative moritur ille, & nondum reſurrexit, qui deinde dixit; *Pax vobis*. Durand. *lib.* 6. *cap.* 62.

2. Ad Completorium de Tempore, & ad Horas minores, non autem de Sanctis, in Reſponſorio brevi, item in omnibus Reſponſoriis, omittitur *Gloria Patri*, Ordo Romanus ſicut etiam in Invitatorio, ex Concil. Toletan. *Can.* 15. *Gloria Patri*, inquit Conc. in fine Reſponſoriorum in lætis ſequitur, in triſtioribus vero repetitur principium: quod ideo fit, ut compaginemur humilitati Chriſti omittendo excelſa noſtra eo tempore, quo ipſa Trinitas dehoneſtatur in perſona Chriſti, ait Alcuinus.

3. In Pſalmis tamen nondum tacetur, *Gloria Patri*, quia Pſalmi, ut diximus ſupra, ſignificant opera, & nondum Judæi, operibus, ſed linguis tantum, de nece Chriſti agunt: in triduo vero majoris Hebdomadæ removetur a Pſalmis, quia opere compleverunt Judæi necem Chriſti. Hæc Dur. *lib.* 6. *c.* 60.

4. Hieremias legitur, ut in Ord. Rom. & ex Decreto Gelaſii, ob cauſam allatam ſupra *Sect.* 5. *c.* 12. *n.* 8. De Hymnis diximus eadem *Sect. c.* 6.

5. In Fer. 2. ſequenti habemus eadem Capitula, quæ indicat Durand. *c.* 61.

6. In Fer. 5. Antiphonæ, ad *Benedictus*, & *Magnificat*, contra morem præcedentium Feriarum, diſcordant ab Evangelio Feriæ. Quare? tum quia de Paſſione ſunt congruentiſſimæ tempori; tum quia meminiſſe debes Feriam hanc non habuiſſe proprium Evangelium ante tempora Gregorii II. ut dixi cap. præ., num. 9. & licet in aliis præcedentibus Feriis quintis, addito Evangelio, additæ quoque ſint, remotis aliis, concordantes Antiphonæ; tamen in hac ultima Feria quinta, addito Evangelio, non ſunt mutatæ priores Antiphonæ, ut antiqui Ritus veſtigium aliquod remaneret in hanc uſque diem.

7. In Sabbato Palmarum Evangelium legitur, quod hiſtorice contigit pridie Dominicæ Palmarum, nam ibi dicitur: *in craſtinum autem, &c.* qua de re ſcribit Durand. *lib.* 6. *c.* 66. quod quædam Eccleſiæ hoc idem Evangelium legebant hac die, non omnes: nam aliæ ex Rupert. *lib.* 5. *c.* 6. & eodem Durand. *ib.* legebant in Sabbato: *Ante ſex dies Paſchæ*, & in Fer. 2. Palmarum: *Cogitaverunt, ut Lazarum interficerent*, quem Ritum noſtrum quis non videat aptiorem eſſe ad Myſteria, quæ celebramus? & conformior eſt Brev. & Miſſalibus Miſſ. antiquis, & prælo etiam datis, ante annum 1550.

8. Quæritur: An in concurſu Feſti novem Lectionem cum Dominica Paſſionis, ſeu Palmarum, in Reſponſorio brevi Completorii omittendus ſit verſus, *Gloria Patri?* Et quidem certum eſt, quod in concurſu Feſti duplicis non omittitur, ratione cujus Completorium eſt feſtivum, in quo idcirco non dicuntur Preces. Controverſia eſt de Feſto Semiduplici; de quo tamen diximus Sect. 5. cap. 14. num. 2. quod in ſecundis Veſperis Domin. Paſſionis, inchoato Feſto per commemorationem ſemiduplicis, ea, quæ ſequuntur, feſtiva cenſentur. At in primis Veſperis Domin. Paſſionis, ſeu Palmarum, Completorium ſequens habent magis de ratione Dominicæ jam inchoatæ Veſperis, quam de ratione Feſti jam finiti: & ideo debet omitti verſus, *Gloria Patri*. Neque obſtant ea, quæ in fere ſimili caſu diximus Sect. 5. c. 6. num. 15. quia aliud eſt mutare formam glorificationis Trinitatis in fine Hymni Completorii, quæ in re nihil deperit Officio Dominicæ, quod ejuſdem ſit proprium; aliud eſt omittere glorificationem eamdem in Reſponſorio brevi, quod eſt de proprio Ritu Dominicæ Paſſionis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Teguntur Cruces, & Imagines, &c.*) In pridianis Veſperis hujus Dominicæ juxta Romanum Ritum teguntur Imagines, & Cruces in Eccleſia; ita ſtatuitur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 20. quod & poſtrema recognitione auctoritate Urbani VIII. inſertum fuit in Miſſali. In multis tamen Galliæ locis receptum eſt, ut id fiat Sabbato ante Dominicam primam Quadrageſimæ; ſed Romanus uſus, & Ritus longe conformior eſt rationi, quam affert Durandus *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 34. *quia tunc*, inquit, *divinitas fuit abſcondita, & velata in Chriſto, permiſit enim ſe capi, & flagellari, ut homo, tamquam non habens in ſe virtutem divinitatis*; unde in Evangelio hujus diei dicitur: *Jeſus abſcondit ſe, & exivit de Templo*; In Sacello Pontificio hac die juxta diſpoſitionem Cæremonialis a Marcello Corcyrenſi editi cum in fine Evangelii dicitur: *Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo*, Clerici Capellæ ſuper Altare velum paratum cordulis in rotulis ſupra in altum connexis euntibus, ſurſum trahebant, ut eo Imagines omnes ibidem depictæ cooperirentur. De hoc Ritu cooperiendi Imagines jam in ſuperiori Tomo cum noſtro Gavanto ſermonem fecimus, unde videantur ibi dicta. Solum advertimus hoc loco, quod vela iſta, quibus Cruces, & Icones Altarium cooperiuntur, debent eſſe violacei coloris, nec mutari opus eſt juxta colorem Feſtorum occurrentium. Nulla quoque ſint oportet, ac plana, abſque ulla Imagine, vel alio ſigno Crucis in medio intexta.

II. Gav. n. 2. -- *Sicut etiam Invitatorio, &c.*) Agit hic Gavantus de Rubricis præſcribentibus omiſſionem *Gloria Patri* toto hoc Paſſionis tempore in Reſponſoriis, &c. Præſertim vero in Invitatorio ad Matutinum; circa quod Invitatorium orta fuit quæſtio an poſt verſum *Quadraginta annis* dicto ex integro in Officio de tempore *Hodie ſi vocem Domini, &c.* & omiſſo *Gloria Patri*, dici debeat a Cantoribus *Nolite obdurare corda veſtra*, ac tum integre repeti *Hodie ſi vocem Domini, &c.* Hoc dubium fuit Sacr. C. propoſitum, quæ reſpondit: omiſſis *Gloria Patri*, & *Nolite obdurare*, repeti tantum debere Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini, &c.* 4. Julii 1683. *in Ruremonden.* & in Indice *n.* 143.

III. Gav. n. 8. -- *In ſecundis Veſperis Dominicæ Paſſionis inchoato Feſto per commemorationem ſemiduplicis, &c.*) In Reſponſorio brevi Completorii in ſecundis Veſperis Dominicæ Paſſionis vult Gavantus non eſſe omittendum *Gloria Patri*, ſi in prædictis Veſperis facta fuerit commemoratio alicujus Feſti ſemiduplicis die ſequenti celebrandi, quia ait, inchoato Feſto per commemorationem ſemiduplicis, ea quæ, ſequuntur feſtiva cenſentur. Negat tamen hoc in primis Veſperis ejuſdem Dominicæ Paſſionis, ſeu Palmarum, ſi fiat commemoratio ſemiduplicis præcedentis, quia tunc Completorium ſequens, ait Gavantus, habet magis de ratione Dominicæ jam inchoatæ in Veſperis, quam de ratione Feſti jam finiti, & idcirco tunc debet omitti verſus *Gloria Patri*. Non placet tamen Guyeto hoc Gavanti diſcrimen, tum quia utrumque Completorium tam Dominicæ, quam Sabbati, æque pertinet ad Dominicam, ideoque ſi in uno omittendus eſt verſus *Gloria Patri*, erit etiam in altero: tum quia ratio omittendi, quæ afferri poteſt optima, æque pugnat pro utroque. Ratio autem optima hæc eſt, quod cum id ſit proprium Officii de Paſſione, ut omittatur *Gloria Patri* ad Reſponſoria brevia, perinde, atque propria eſt, verbi gratia terminatio Hymnorum in Feſtis Domini, certe perinde debet ſervari ejuſmodi omiſſio in omni hora, in qua incipit, & deſinit Officium de Paſſione, atque retinetur terminatio propria Hymnorum in omni hora, in qua incipit, & deſinit Officium Feſti, cujus eſt propria; at in eo ſu propoſito incipit Officium de Paſſione a primis Veſperis Sabbati, & non terminatur niſi in Completorio Dominicæ, cujus ſunt integræ Veſperæ, ergo ejuſmodi omiſſio ſervari debet tam in Completorio Sabbati, quam in Completorio

Do-

Dominicæ, cum ad idem Officium de Paſſione utrumque pertineat, hæc Guyetus *lib. 4. c. 18. qu. 26.*

IV. Feria VI. hujus Hebdomadæ Paſſionis celebrari debet Feſtum Septem Dolorum B. M. V. & recitari Officium ſub Ritu Duplici majori juxta tenorem Decreti editi die 22. Auguſti 1727. & dati in noſtro Indice *ſub n. 269.*

Hoc Officium taliter eſt proprium hujus Hebdomadæ, ut ultra hanc non ſit celebrandum, & hoc declaravit S. R. C. die 19. Junii 1700. *in Curien.* in noſtro indice *ſub num. 219.* ſequenti reſolutione: *Si in Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis, in qua* (in locis ubi conceſſum eſt) *celebratur ſub Ritu Duplici majori Officium Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, occurrat Feſtum Duplex primæ, vel ſecundæ Claſſis, dictum Officium non eſt transferendum, ſed omittendum.* Advertendum tamen quod hæc reſolutio non intelligitur de totali omiſſione in prædicto caſu, cum poſſit celebrari in Sabbato proxime ſequenti non impedito, nam die 3. Septemb. 1672. emanavit hoc aliud Decretum: *Si Feſtum de Septem Doloribus Beatæ Mariæ Virginis occurrat in aliud Feſtum altioris Ritus, transfertur in Sabbatum ſequens. Si vero occurrat cum Feſto Annunciationis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, Veſperæ dicuntur de Annunciatione ſine Commemoratione de Septem Doloribus.* En igitur, quod qui habebant ſpecialem conceſſionem recitandi dictum Officium, poterant illud transferre in Sabbatum ſequens. Decretum mox expoſitum datur inter Rubricas Breviarii Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini pro menſe Martii *ſub num. 1.* Rurſus habetur etiam aliud, & clarius ſimile Decretum editum die 26. Februarii 1693. in quo ſic ſtatuitur: *Si Feſtum de Septem Doloribus B. M. V. quod multis in locis celebratur Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis, impediatur ab Officio altioris Ritus, vel majoris dignitatis, transferatur in Sabbatum ſequens non impeditum, & non ulterius.* Habetur hoc Decretum initio Breviarii Romani ad uſum Fratrum Minorum Cappucinorum pro menſe Martio *ſub n. 1.* ac etiam per modum Rubricæ hoc idem reperitur in Corpore Breviarii Monaſtici in fine menſis Martii.

Præfata Decreta concedebant tranſlationem dicti Officii in Sabbatum ſequens, ſi non fuiſſet impeditum aliquo Officio novem Lectionum, ſed poſtquam emanavit Decretum Benedicti XIII. a nobis ſupra allegatum ſub die 22. Aug. 1727. de celebrando hoc Officio in Eccleſia Univerſali, aliud emanavit Decretum die 25. Januarii ann. 1729. datum in noſtro Indice *ſub num. 272.* in quo ſtatuitur, quod quando in prædicta Feria VI. poſt hanc Dominicam Paſſionis ob occurrentiam Officii ſecundæ Claſſis, hoc Septem Dolorum Beatæ Virginis recitari minime valeat, idem Officium die Sabbati immediate ſequentis, non obſtante, quod dicta die occurrat aliud Officium alterius Sancti, dummodo non ſit altioris Ritus, ab Eccleſia Univerſali in poſterum celebretur, & Feſtum Sancti occurrentis, juxta Rubricas generales, transferatur. Quapropter modo transfertur dictum Officium in dictum Sabbatum, etiamſi fuerit impeditum alio Officio, inferioris tamen, vel æqualis Ritus, nam ſi idem Sabbatum occupatum fuerit ab Officio altioris Ritus, tunc Officium Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis non erit amplius transferendum, ſed omittendum, quia, ut diximus, extra præfatum Sabbatum ad tempus Paſchale transferri nequit.

Ex Decretis ſupra expoſitis ſpectantibus ad hoc Officium ſequitur primo, quod licet Officia univerſalia ſint regulariter transferenda, hoc tamen Officium de Septem Doloribus excipitur ab hac Regula, quia non eſt transferendum niſi in Sabbatum ſequens, & ſic numquam ad tempus Paſchale facienda eſt de eo Feſtiva tranſlatio; quando autem in Decreto ſupra allegato ſub die 22. Auguſti 1727. dicitur, *ſervatis in reliquis Rubricis Miſſalis, & Breviarii Romani*, hoc intelligi poteſt, vel de occurrentia alterius Officii ejuſdem Ritus, & non dignioris in dictam Feriam VI. ſimul incidentis, & ideo transferendi, vel de alia occurrentia alterius quidem Officii, ſed altioris Ritus & dignioris, & ideo celebrandi, vel de concurrentia reſpectu Veſperarum digniorum cum Commemoratione de minus digno, quæ omnia profecto ſervari debent etiam in hoc Feſto, & Officio Septem Dolorum, & quamvis, ut optime notat etiam Joannes Baptiſta Pittonus in ſuis Conſtitutionibus, & Deciſionibus pro Sacris Ritibus *num. 1468.* Noſter Paſqualigus de *Sacrific. novæ Legis tom. 1. quæſt. 279. ſub num. 2.* teneat, quod quando in Officiorum Indultis additur Clauſula -- *Juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani* intelligenda venit facultas transferendi, attamen dicendum, quod pro hoc Officio adeſt particularis exceptio, vel quod etiam hoc revera transfertur, ſed in ſolam diem immediate ſequentem, & ſic opinio tanti Auctoris etiam in hoc caſu aliquo modo verificatur.

Secundo ſequitur, quod ſi primæ Veſperæ de dicto Feſto Septum Dolorem concurrerint cum ſecundis de Annunciatione, ut accidit in Tabula XIII. & XIV. noſtri Ordinis Perpetui, tunc in ſecundis Veſperis de Annunciatione non erit facienda Commemoratio de prædictis Septem Doloribus; ita etiam ſi ſecundæ Veſperæ de Septem Doloribus concurrerint cum primis de Annunciatione, ut evenit in noſtra Tabula XII. tunc Veſperæ erunt de ſequenti die ſine Commemoratione præcedentis.

Adnotandum præterea eſt, quod quando primæ Veſperæ de eiſdem Septem Doloribus fuerint impeditæ, ſive a Feſto Annunciationis, ſive ab alio Officio altioris Ritus, tunc ut integra dicatur Sequentia, quæ dicitur loco Hymni, pars omiſſa in dictis primis Veſperis impeditis uniri debet alteri parti Matutini, ſicut fit in Hymnis S. Martinæ, & aliorum ſimilium.

Et notandum etiam eſt, quod in imagine Beatæ Mariæ Virginis, quamvis pictæ ad repræſentandum dolorem paſſum in morte Filii, conſtantiſſime retinendus eſt tamen color cæruleus, non vero niger, ſeu ater, cum minime fingendum ſit eam veſte lugubri voluiſſe proſequi funus Filii, quem certo ſciebat eſſe verbum Dei, ac voluntarie ſe offerre pro Redemptione totius generis humani, & poſt triduum cum majeſtate a mortuis ſurrecturum; & cum hæc imago Virginis juxta Crucem ſtantis depicta fuiſſet cum ſtola, ſive Amiculo nigris coloris, S. R. C. juſſit, ut depingeretur cum ſtola cærulea, ut legitur apud Paſcuccium in Compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part. 1. de Canonizat. Sanctorum & part. 2. tit. de Rit.*

## De Dominica Palmarum, & Hebdomada majore. Cap. XIII.

### GAVANTUS.

1. EVangelium Palmarum cum Homilia in Officio legi, ſcribit Microlog. *cap. 25.* reliqua concordant cum antiquis. In Capitulo Nonæ non genuflectitur ad ea: *In nomine Jeſu, &c.* eadem ratione, qua non genuflectitur in Reſponſoriis ad ea: *& Verbum caro, &c.* neque in verſibus Precum ſit ſignum Crucis ad ea: *Deus in adjutorium, &c.* Sunt enim actus proprii, non communes ubique iiſdem verbis.

2. In Fer. 3. & 4. nulla Homilia, quia in Miſſa nullum Evangelium, in qua Paſſio Chriſti ſecundum Marcum, & ſecundum Lucam legitur. De Jeremia legitur, ut in Dominica præcedenti, quia de Paſſione Domini propius ſcribit.

3. Fer. 5. diſcordat Officium a Miſſa, quæ eſt de Sanctiſſimo Sacramento.

4. In Horis Canonicis hujus tridui celebramus Exequias triduas mortis Chriſti, ait Rupert. *lib. 5. cap. 24.* ſine initio inchoamus Matutinum: Ordo Rom. & Horas item; & ſine fine ſolito imponimus finem; quia Chriſtus moritur, Alpha, & Omega, principium & finis. Rupert. *ibid. c. 14. & 15.*

5. Invitatorium omittitur: Ordo Rom. in deteſtationem invitationis Judæorum ad Conciliabula contra Chriſtum. Alcuinus *cap. In Cœna Domini.*

6. Quindecim candelæ accenduntur in candelabro triangulari, ad fidem de SS. Trinitate denotandam; quæ tunc vigebat in B. V. Apoſtolis, & tribus fœminis, Mariæ nomine inſignitis, ex Joann. Beleth. *cap. 101.* Numerus autem candelarum erat tunc apud quoſdam, quem univerſalis Eccleſia recepit, ut in Brev. edit. Venet. 1550. habetur: antiquiores enim vel non indicant numerum, in Brev. MS. vel diverſum numerum, in Ord. Rom. 24. candelarum, vel alium numerum in diverſis locis diverſum: lege Jo: Beleth. *loc. cit.* Candelæque debent eſſe ex cera communi, non alba, ex Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 22.* quia color eſt obſcurus; quindecim conformes, *ibid.* & in altari ſex ejuſdem generis ceræ, *ibid.*

7. Candelabrum triangulare a latere Epiſtolæ collocandum eſt, ut in Cæremon. *citat. loco*: quia ſiniſtrum cornu Altaris eſt, quod in Miſſa Hebræos ſignificat, ad quos primo venit Chriſtus. Ivo Carnot. *Sermon. de Convenientia novi, & veteris ſacrificii.* Fuerunt enim Apoſtoli ex Hebræis, niſi velimus in ſiniſtro latere protendi ſiniſtro eventus in Chriſto.

8. Prima Antiphona eſt *Zelus Domus tuæ, &c.* in Ord. Rom. Pſalmi vero, & Antiphonæ finiuntur cum modica deflexione vocis ad diſtinctionem ex Directorio Chori antiquo: præſertim, quia non dicitur in fine *Gloria Patri*, ob cauſam allatam *ſup. cap. 12. num. 3.* Signum Crucis adhiberi poteſt ante Antiphonam, *Zelus domus tuæ*, ut ante Officium fieri ſolet, ad ℣. *Deus in adjutorium.* Ante omnem actum manus pingat Crucem, ait Sanctus Hieronymus & his præſertim diebus, quibus Crucis vexillum prodit.

9. Ad unumquemque Pſalmum extinguitur una candela, Amalar. *lib. 4. cap. 22.* una poſt aliam; quia Apoſtoli paulatim defecerunt a Chriſto. Beleth. *cap. 101.* Et primo loco extinguitur ea, quæ eſt ultima in latere Evangelii, Cæremon. Epiſcop. *loc. cit.* & deinde ab alio latere, & ſic ſucceſſive. Ordo Rom.

10. In fine Pſalmorum cujuſlibet Nocturni dicitur totum ſecreto *Pater noſter*, quia inquit Durand. *cap. 72.* de Evangelio eſt, & Evangelica enunciatio, fugientibus Apoſtolis, ceſſavit. Chriſtus etiam oravit in Paſſione avulſus ab aliis, & valde ſecreto. Idem *ibid.* trepidabant Apoſtoli in precibus, Gemma *lib. 3. cap. 88.*

11. Neque dicitur, *Jube Domne*, nec *Tu autem Domine, &c.* Ordo Rom. quæ ſignificant, ut alias docuimus, euntes ad prædicationem, & ab ea redeuntes, & hoc loco ſic explicat



Digitized by Google

Gemma *loc. cit,* obi etiam addit, non dari benedictionem ante Lectiones, quia paſtor recedit, fons omnis benedictionis.

12. Lectiones primi Nocturni ſunt de Lamentationibus Jeremiæ, ex Decreto Gelaſii *loc. ſup.* cum de Lectionibus: dicuntur Threni, ideſt, Lamentationes, quæ a Jeremia compoſitæ fuerunt poſt dirutam Jeroſolymam, & Templum ejus exuſtum Anno mundi 3447. ex Torniello noſtro. Threni dicuntur a Beleth *cap.* 101. ob Threnarum montem, ubi animarum lamentationes, quæ illic ponuntur, ſæpius audiuntur, ſed penes eum ſit fides, Durandus eb eo accepit, & approbat *cap.* 72.

13. Alphabeto diſtinguuntur Verſus Threnorum, *Aleph, Beth, &c.* quæ & debent dici a Lectore; tum ex more Hebræorum, qui alphabeto utuntur in Canticis nobilioribus, ut David *Pſal.* 33. & 118. Salomon *Prov.* 31. ubi laudat mulierem fortem: tum ex Hieronym. *in prologo Bibliorum*, quia Verſus ipſi in Hebræo Codice a characteribus Alphabeti ordine Alphabetico incipiunt; tum vero etiam, ex Durando *loc. cit.* ad increpationem Judæorum, qui rem notiſſimam, ut Alphabetum, Paſſionem Chriſti negant. Fuſius Durandus.

14. Terminus Lectionum Fer. 5. uſque *ad Cogitavit Dominus, &c.* habetur in Ordine Romano cum exterminatione, inquit idem Ordo, in fine Lectionis: exterminatio vero eſt ea: *Jeruſalem convertere, &c.* ex Jo: Beleth. *loc. cit.* quæ cum geminatione fit: *Jeruſalem, Jeruſalem*, exemplo Chriſti, qui *Matth.* 23. hac geminatione uſus eſt, ut notavit Mich. Tim. *in divin. offic. quæſt.* 68. *tract.* 3.

15. Lectiones ſecundi Nocturni ex tractatu S. Auguſtini, *Exaudi Deus*, habentur in Ordine Romano.

16. Lectiones tertii Nocturni de Apoſtolo, ex Decreto Gelaſii, uti etiam præcedenter, nimirum de Euchar. 1. Cor. 11. & Reſponſoria ſunt eadem, quæ in antiquis Breviariis.

17. Antiphonæ ad Laudes cum reliquis concordant cum antiquis. Non dicitur Capitulum, ſed tantum Verſus, Antiphona cum Cantico Evangelico, *Pater noſter*, & Oratio ſecreto. Hæc in Ord. Rom. Pſalm. *Miſerere*, & oratio, *Reſpice*, habentur apud Beleth. *cap.* 102.

18. Verſus ille, *Chriſtus factus eſt, &c.* erat in Breviariis MSS. antiquis, & in edito Anno 1550. cum eadem diſtributione in tres partes, pro triduo, quam nos hodie adhibemus, & ad omnes Horas. Dicitur ſemper genibus flexis, etiam ad Horas minores, & in fine Matutini dicitur cum Pſalm. *Miſerere*, & Oratione, ſi Matutinum ſeparetur a Laudibus.

19. Sed cur Capitulum non dicitur, Verſus autem dicuntur? Reſpondet Amalar. *lib.* 4. *cap.* 21. majorum munus eſt cantandi Capitulum, ut diximus ſupra *ſect.* 5. *cap.* 15. *num.* 4. minorum autem eſt dicere Verſus. Cum igitur hoc Officium ſit de Chriſti humilitate, taceant majores, audiantur minores, & hi quoque minores ex Diſcipulis (uti ſuos mulieres) adhæſere Crucifixo.

20. Pſalmus *Miſerere*, & Oratio humili voce dicuntur in Breviariis MSS. ad deſignandum Apoſtolorum timorem. Durand. *loc. cit.* Oratio qur dicitur, non a ſtante, ut alias, Sacerdote; Amalar. *lib.* 4. *cap.* 21. ſed genuflexo, ex Cæremon. Pap. *lib.* 2. *cap.* 42. Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 22. & ex Breviario ipſo in iis verbis, *& omnes ſurgunt*; ergo non prius celebrans ſurgit: nimirum ad imitandum Chriſti humilitatis exemplum: neque ſalutatione Sacerdotali utimur, hoc eſt, *Dominus vobiſcum*, ad deteſtandam ſalutationem Judæ, Amalar. *ibid.* vel quia ſummus Sacerdos moritur, Alcuinus. In fine Horarum hujus tridui non dicitur Oratio Dominica, nec aliud quidquam, quia nulla eſt Rubrica quæ id ſignificet; & quæ neceſſario dicenda ſunt, ſatis aperte deſcribuntur.

21. Fragor denique fit, & ſtrepitus, qui ſignificat, vel tenebras in Chriſti morte cum terræmotu, vel concrepationem Judæ, & tumultum cohortis. Durand. *loc. cit.*

22. Extinctis, præter unam, quæ eſt in ſummitate candelabri, candelis omnibus, ex Alcuino; ſignificatur primo defectus fidei circa 14. articulos a S. Thoma enumeratos, Durand. *loc. cit.* quæ ratio a modernis Theologis exploditur, ſi de Apoſtolis loquatur, deinde tunc nondum erant 14. articuli fidei. Occultata candela, & rurſus oſtenſa populo, ut fragor ceſſet, vel deſignat Virginem Matrem, in qua ſuper Apoſtolos Fides excelluit, vel denotat Chriſtum, mox redivivum futurum in reſurrectione, ex Amalario *lib.* 4. *cap.* 22. Vel fidem Eccleſiæ eo tempore occultatam. Durand. *loc. cit.* Candelas Altaris extinctas cum aliis ſignificare docet Prophetarum mortem, & Judæorum cæcitatem. Rupert. *lib.* 5. *c.* 26.

23. Horæ minores recitantur demiſſa voce, ut in Rubrica propria, quæ eadem eſt cum antiquis, & in Ord. Rom. neque legitur Martyrologium, neque dicitur *Pretioſa*, ratione allata ſupra *ſect.* 5. *c.* 18. *n.* 17. cum de Suffragiis SS. Veſperæ eædem, quæ in Ord. Rom. excepta Oratione: Completorium inchoatur a Confiteor, ex uſu communiori, quem firmavimus Rubrica clariori in poſtrema Breviarii recognitione.

24. Cur autem hæ demiſſa voce, quæ ſunt Horæ diurnæ; alta voce nocturnæ dicuntur? quia Prophetæ obſcurius, ſed liberius de Chriſto ſunt locuti, Apoſtoli, qui ad diem Chriſti, quem vidit Abraham, & gaviſus eſt, attinent, in paſſione ejuſdem vix audiebantur. Beleth *cap.* 102,

25. Lectiones Feriæ ſextæ eædem ſunt, quæ in Ord. Rom. uti etiam Antiphonæ, & Pſalmi. De Sabbato nihil occurrit novi. Atque in hoc triduo, ait Alcuinus *de Cæna Domini*, inſinuatur, quod Dominus deſcendens ad inferos, tria hominum genera rapuit, & tranſvexit ad 9. Ordines Angelorum, quos deſignant tres Nocturni cujuſque Officii, hoc eſt, ut exponit Amalar. *lib.* 4. *cap.* 21. qui in agro, molendino, & lecto eſſe dicuntur, *Lucæ* 17. qui ſub lumine, & lege naturali, qui ſub Moſaica, & qui ſub Prophetis: Vel, ut exponit Durandus *lib.* 6. *cap.* 22. Virgines, conjugati, continentes.

26. Veſperæ Sabbati in fine Miſſæ dicuntur ut in Miſſali: extra Miſſam, qui recitarit, dicat *Pater, & Ave*, & ſine principio, hoc eſt, *Deus in adjutorium* (quidquid ſcribant alii contra Rubricam Miſſalis apertam) quia nondum caput noſtrum rediit in reſurrectionem; cum Antiphona *Alleluja*, ad modum Duplicis; recitet Pſalmum, & quæ ſequuntur in Breviario, quibus finitis, nihil aliud addatur, nisi *Pater noſter*; ut hæ Veſperæ (quas non habet proprie hoc Sabbatum, ex S. Auguſtino) careant adhuc principio, & fine, quod eſt firmatum in poſtrema Breviarii recognitione.

27. Conſueverunt dici Veſperæ breviores in hoc Sabbato, & una cum fine Miſſæ, tum, ne Neophyti nondum aſſueti divinis Officiis tædio afficerentur; tum ne finita Miſſa, per *Ite Miſſa eſt*, populus recederet ſine Veſperis Paſchalibus. Beleth. *c.* 111. quo fere modo idem ſcribit *c.* 98. finiri Miſſam cum Veſperis in Paraſceve.

28. Completorium incipit eſſe Paſchale cum principio, & fine. Antiph ad *Nunc dimittis*, dicitur ad modum ritus Semiduplicis, ut expreſſe dicitur in Breviario, edito 1550. Quod autem dicitur, ad Antiph. *Regina Cœli &c.* ſtandum eſſe, neque genua flecti toto tempore Paſchali, hoc poſtremum intellige de Oratione, non de Adoratione, quæ ſemper fit cum genuflexione, ut ad ea verba patet: *Et incarnatus eſt, &c. Et verbum caro factum eſt: Te ergo quæſumus tuis famulis &c.* Quare ad ſalutationem Angelicam, quæ ter in die ſonatur cum Campana ex Decreto Joannis XXII. ut ſcribit Polid. Virg. *lib.* 6. *c.* 12. ſeu verius, mane, & Veſp. ex Decreto Gregorii IX. Anno 1239. ut eodem Anno ſcribit Bzovius: & in meridie, abrogatum fortaſſe uſum poſt Joannem XXII. reſtituit Calliſtus III. Anno 1456. ex eodem Bzovio, *ibid.* itaque ſi Orationem eam eſſe putas, ſtare debes, ſi adorationem, genua flectere: Ego exiſtimo adorationem eſſe Incarnationis Verbi divini; ſed quia communior eſt hodie ſenſus, & uſus, quod ea ſit oratio; nec ego genua flecto cum aliis.

29. Quæres: An in hoc triduo ad Horas minores accendantur cerei in Altari? in Nocturnis quidem, & Laudibus accenduntur; extinguuntur autem cum cantatur *Benedictus*, a Verſu illo *Ut ſine timore*. In Feria ſexta Horæ ante Miſſam ſine Cereis accenſis dicuntur. Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 25. In Sabbato idem faciendum eſt ante novi ignis benedictionem. In aliis Horis ante Miſſam Feria 5. & ad Veſperas quaſcumque accendi debent, non ad Compl: niſi Sabbato S.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. n. 4. -- *In Horis Canonicis hujus tridui &c.*) In poſtremo triduo majoris Hebdomadæ celebrat Eccleſia triduas exequias mortis Chriſti Domini, ait Gavant. ex Ruperto. Quomodo autem ſint celebranda hujuſmodi Officia, ſeu Horæ Canonicæ horum dierum, non ita exacte tradit Gavantus, ut nihil deſiderandum ſit: quopropter aliqua ſuis Commentariis adjiciemus pertinentia ad Cæremonias, & Ritus ſervandos in Horis Canonicis recitandis; nam ea, quæ pertinent ad Miſſæ Sacrificium, & alias functiones Eccleſiaſticas horum dierum, ſatis, & abundanter deſcripſimus cum eodem Gavanto in ſuperiori Tomo.

Itaque pro Matutinis tenebrarum celebrandis Feria quarta hujus Hebdomadæ, Altare paramentis violaceis ornetur abſque floribus, ac Sanctorum imaginibus, ſeu Reliquiis, & ſuper illud ſint ſex candelabra ex materia obſcura, & candelæ ceræ communis; a latere vero Epiſtolæ, in plano Presbyterii, ubi ſcilicet Subdiaconus cantare ſolet Epiſtolam, vel ubi poni ſolet Faldiſtorium Epiſcopi dum in eo Epiſcopus celebrat, præparetur Candelabrum triangulare ligneum, in quo quindecim candelæ pariter ceræ communis pro matutinis tenebrarum tantum, affigantur hinc inde gradatim inſurgentibus ſeptennis clavis ferreis, in ſupremo loco habentibus quintumdecimum, æqualiter inter ſe diſtantibus, cum ſuis lucernulis, ſeu girellis, opere tornatili elaboratis, ſi fieri poteſt, ſintque candelæ prædictæ duarum, aut trium circiter unciarum, & quotidie hoc triduo, ſi fieri poteſt, renoventur.

Si Sanctiſſimum Sacramentum ſit ſuper Altare, ante quod dicendæ ſint Matutinæ, omnino removeatur, paulo ante Completorium, & cum debita decentia in aliquod Sacellum transferatur; in hoc Sacello ſervari debent lampades accenſæ, quæ nunquam extingui debent, donec ibi aſſervetur idem Venerabile. In Altari, a quo removetur Sanctiſſimum Sacramentum, debet relinqui oſtium Tabernaculi apertum, ne adoretur, quod ibi non eſt.

Sed

Digitized by Google

Sed quia Matutinum hac die celebrandum, ſpectat ad ſequentem diem, quæ ſolemnis eſt, ratione Cœnæ Dominicæ, ideo quamvis Officium ipſum ratione Dominicæ Paſſionis, quæ præcipue recolitur, ſit luctuoſum, Campanarum tamen ſonitus armonicus, & feſtivus eſſe debet, uſque ad *Gloria in Excelſis*, *&c.* ſequentis diei incluſive.

Itaque hora convenienti, quæ erit media inter meridiem, & occaſum Solis, poſtquam ter ſolemniter pulſatæ fuerint Campanæ, inchoabitur Officium, itaut circa occaſum ſolis terminetur.

Completorium hac die cantabitur more ſolito (poſt ſecundum Campanarum ſignum) in cujus fine dum dicuntur Preces flexis genibus, & Antiph. B. V. per Acolythum deputatum accenduntur cerei in Candelabro triangulari, incipiendo ab altiori, qui eſt in cuſpide, & continuando prius a parte Evangelii, deinde a parte Epiſtolæ.

Rurſus eodem tempore per alios pariter duos Acolythos deputatos accenduntur in Altari ſex cerei, incipiendo juxta morem ab iis, qui ſunt Cruci proximiores, quibus omnibus accenſis, extinguuntur, & amoventur candelæ cum Candelabris, quæ accenſæ fuerant pro Completorio, & interim hac die pulſantur tertio Campanæ, & datur tertium Matutini ſignum, quo terminato, & finita Antiph. B. M. V. flexis genibus, & poſt eam dictis ſecreto, more ſolito, *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*, & dato a Superiore ſigno, omnes ſurgunt, & verſus Altare inclinati, dicunt iterum ſecreto *Pater*, *Ave*, & *Credo*.

II. Gav. n. 8. -- *Prima Antiph. eſt*: *Zelus domus tuæ*, *&c.*) Officium immediate incipit ab Antiph. *Zelus domus tuæ*, quam Superior Celebrans inchoare debet ſignans ſe interim ſigno Crucis, quod omnes pariter præſtare debent, in principio cujuslibet Horæ Canonicæ, Chorus deinde proſequitur Antiph. qua terminata, cum modica deflexione vocis, ut præſcribit Directorium Chori antiquum, Cantores intonant Pſalmos, qui graviter, ac devote cantantur a Choro, absque inſtrumentis muſicis, quæ nullo pacto in hujuſmodi Officiis adhiberi debent, & poſt tres Pſalmos cujuſvis Nocturni, iidem Cantores intonant juxta ſolitum verſiculos, omneſque obſervant reſpective eoſdem Ritus, qui ſervari ſolent ad alias Matutinas ſolemnes. Unde ubi ſolet præintonari Celebranti ab aliquo ex Cantoribus, ſeu ab alio principium Antiph. etiam in his Matutinis eodem ordine, ac ritu præintonari debet.

In fine cujuslibet Pſalmi, utroque Choro ſimul conveniente, aliquantulum inflectitur vox, quod in toto hoc tridun ſervatur in ultimo verſu Pſalmorum, ac in fine Lectionum, prout habetur in Directorio Chori & in Cærem. Paridis de Craſſis *l. 2. c.* 5n.

III. Gav. n. 9. -- *Ad unumquemque Pſalmum extinguitur candela*, *&c.*) Finito quolibet Pſalmo, Sacriſta, vel potius aliquis Acolythus, facta in medio Chori, vel Presbyterii genuflexione ad Altare, & debito inſtrumento accepto, extinguit unam ex candelis in prædicto Candelabro triangulari poſitis, incipiens ab ea, quæ eſt in extremitate ejus a latere Evangelii, & poſt finem ſecundi Pſal. pari diſciplina extinguit alteram candelam, quæ eſt in latere Epiſtolæ, incipiendo etiam ab illa, quæ eſt in extremitate ab eadem parte Epiſtolæ, & ſic ſucceſſive alternatim ab utroque latere ſingulos cereos extinguit in fine omnium Pſalm. Matutini, & Laudum, uſque ad ſupremum cereum, qui eſt in cuſpide excluſive. Extincto quolibet cereo, prædictus Acolythus genuflectit Altari, & depoſito extinctorio in loco congruo, recedit ad locum ſuum in cornu Epiſtolæ.

IV. Gav. n. 16. - *In fine Pſalmorum cujuslibet Nocturni*, *&c.*) In fine tertii Pſalmi cujuslibet Nocturni, & repetita Antiph. ſi ſolent ſedere, tunc ſurgunt omnes, & ſtant detecto capite, donec dicatur Verſus cum Reſp. & *Pater noſter* ſecreto, quo finito, dum dicuntur Lectiones, omnes ſedent, etiam illi, qui ſtantes ſolent cantare Pſalm.

V. Gav. n. 11. -- *Neque dicitur Jube Domne*, *&c.*) Tunc deputati ad cantandas Lectiones, incipiendo a Junioribus, unus poſt alium accedunt cum debitis reverentiis Altari, & Clero ab utraque parte Chori, ducente aliquo Cæremoniario, vel Acolytho, ad legile (quod nudum eſſe debet) in medio Chori præparatum, vel ubi Lectiones ſolent legi, & non præmittendo *Jube Domine*, *&c.* cantant ſucceſſive Lectiones tono in Directorio Chori explicato; Celebrans tamen ultimam ſolet cantare, qui ritus ſervari debet, niſi alicubi alia ſit conſuetudo. In fine cujuslibet Lectionis, non dicitur *Tu autem Domine &c.* ſed Lectiones primi Nocturni, deſumptæ ex Lamentationibus, ſeu Threnis Hieremiæ Prophetæ, concluduntur per illa verba: *Jeruſalem*, *Jeruſalem convertere*, *&c.* inflectendo tamen parumper vocem. Cantata Lectione, factis iterum reverentiis a Cantore Altari, & Choro, pergit ad locum ſuum. Lectiones vero ſecundi, & tertii Nocturni pari modo, ſed diverſo tono cantantur, ordine ſupradicto, & proferendo ultima Lectionis verba, fit aliqua vocis inflexio. Reſp. cujuslibet Lectionis cantantur, ut in aliis Matutinis, & poſt tertiam Lectionem cujuslibet Nocturni, repetita per Chorum ultima parte Reſponſorii poſt Verſum, Chorus totum illud repetit a principio.

Advertendum tamen eſt, quod qui tranſeunt ante Crucem, in medio majoris Altaris poſitam, toto hoc triduo, quod incipit a ſupradicta remotione SS. Sacramenti, hoc etiam abſente omnes debent genuflectere unico genu, præter Celebrantem paratum, qui ſolum profundam facit reverentiam, niſi aliud notetur, quia in die Paraſceve etiam ipſe genuflectit; coram aliis vero Crucibus, quæ in Altaribus reliquis, aut locis poſitæ ſunt, ſola inclinatio ab omnibus eſt de more facienda.

VI. Ga. n. 17. -- *Antiph. ad Laudes*, *&c.*) Laudes cantantur eodem modo, quo Matutinum, cum extinctione unius candelæ in fine unius Pſalmi, poſt quem repetitur Antiph. ut dictum eſt de Pſalmis Matutini. Prima Antiph. inchoatur a Superiore, ſeu ab alio Officiatore, ſicut & Antiph. ad *Benedictus*. Canticum *Benedictus* cantabitur alternatim ab utroque Choro, ſicut in aliis Matutinis in tono ſolemniori ipſius Antiph. qui ei præmittitur: ſi ad alios Pſalmos ſedere ſolent in Choro, ad hoc Canticum, omnes qui adſunt, ſtant nudo capite, interim vero a Sacriſta, vel ab alio lampades omnes, & alia omnia luminaria Eccleſiæ extinguuntur, præter illa, quæ ardent coram SS. Sacramento. Cum autem in dicto Cantico cantatur verſiculus ille: *Ut ſine timore*, *&c.* vel Acolythus ille, qui, extinguit candelas trianguli, vel alius incipit extinguere ſingillatim ad quamlibet ex ſequentibus verſiculis ſingulos ſex cereos Altaris hoc ordine. Ad dictum verſiculum: *Ut ſine timore*, *&c.* extinguitur primus cereus, qui eſt remotior a Cruce Altaris in cornu Evangelii. Ad ſequentem verſiculum: *In ſanctitate*, *&c.* extinguitur ſecundus cereus, qui eſt remotior a Cruce a parte Epiſtolæ, Et ſic ſucceſſive alternatim extinguuntur ſinguli cerei ad ſingulos verſiculos, itaut nonniſi in fine verſiculorum remaneant extincti. In noſtra Congr. adhibentur duo Clerici retro Altare ſtantes ex utraque parte, quorum unuſquiſque utitur extinctorio, & viciſſim extinguunt prædictos cereos. Juxta ſententiam tamen Bauld. alius ſervatur ordo in extinctione horum cereorum, nam præſcribit, quod incipiatur ab eo, qui eſt remotior a Cruce, & deinde, his tribus extinctis præſcribit, quod Miniſter accedat ad aliud cornu Altaris, & eodem ordine extinguat tres alios cereos in cornu Epiſtolæ, incipiendo pariter ab eo, qui eſt a Cruce remotior. Rurſus in Cæremoniali Cathedralis Pariſienſis, necnon in Monaſterio S. Mauri diſponitur, quod in extinguendis hujuſmodi cereis, tam Altaris quam trianguli incipiatur ab eo, qui eſt a latere Epiſtolæ.

Dum repetitur Antiph. Cantici *Benedictus*, Miniſter removet ex cuſpide Candelabri cereum ibi relictum, eumque accenſum ſuſtinet genuflexus, manu elevata ſuper cornu Epiſtolæ Altaris, & cum inchoatur verſus *Chriſtus factus eſt*, *&c.* illum ſic accenſum abſcondit in eodem Epiſtolæ cornu ſub Altari, vel alio modo poſt Altare, itaut tale lumen non appareat.

VII. Gav. n. 18. -- *Verſus ille*: *Chriſtus factus eſt &c.*) Finita Antiph. Cantici *Benedictus*, ſolus Celebrans, ſeu Superior cantando gravi voce inchoabit verſum: *Chriſtus*, *&c.* non plura; in aliis vero horis incipiet præfatum verſum dicando ſine cantu hæc verba: *Chriſtus factus eſt*, nec plura, nec pauciora, toto hoc tridun, Choro cætera eodem tenore proſequente, prout in Breviario.

Cum inchoabitur ille verſus, omnes genuflectent nudo capite uſque ad finem Matutinarum, & poſtquam ſecreto dictum fuerit *Pater noſter*, Officiator, vel Superior incipiet Pſalm. *Miſerere mei Deus*, humiliori voce, & cum inflexione modica ad ultima verba verſus ultimi. Finito hoc Pſ. idem, qui ſupra permanens genuflexus, id, quod etiam faciet ad omnes horas hujus tridui, inclinato paululum capite, abſolute, ac eodem tono dicet Orationem *Reſpice quæſumus*, *&c.* non præmittens *Dominus vobiſcum*, *&c.* neque *Oremus*; ac in fine inflectet paululum vocem, ut ſupra, & ſecreto dicet cum omnibus aliis: *Qui tecum vivit*, *& regnat*, *&c.*

VIII. Gav. n. 21. -- *Fragor denique fit*, *& ſtrepitus &c.*) Oratione completa, Superior Chori vel Cæremon. excitabit fragorem, ac ſtrepitum, percutiens manu librum, aut ſcabellum; ac ſimiliter omnes alii facient, donec Acolythus deputatus accenſum cereum, quem tenebat occultum, ſpatio Dominicæ Orationis, vel circiter a finita prædicta Oratione, illum producat, & in ſummitate Candelabri ſuo loco reponat, hoc enim prolato, omnes a ſtrepitu ceſſare debent, & Eccleſiæ Cuſtodes invigilare ne ſtrepitus ulterius protrahatur in illis locis præſertim, in quibus fit talis fragor cum exceſſu.

Terminato ſic Matutino, hac die non datur Campanulæ ſignum, neque ubi moris eſt, & diebus ſequentibus, neque dabitur hoc ſignum cum crotalo: omnia enim his diebus terminant cum prædicto fragore, & ſolum poſt ipſum, ubi moris eſt, fit aſperſio Aquæ benedictæ in Choro, deinde omnes ſub ſilentio diſcedunt.

Si tamen Matutinum terminatur hora convenienti, nempe hora Veſpertina, hac die pulſatur in Turri Salutatio Angelica ſigno Campanæ, non vero duobus diebus ſequentibus, in quibus hoc ſignum debet dari Inſtrumento ligneo.



Digitized by Google

Poſt Matutinas tenebrarum, & omnia prædicta, extinguetur cereus, qui per aliquod ſpatium in cuſpide Candelabri accenſus remanere debuit, & deinde aufertur idem Candelabrum triangulare cum candelis, quæ, ut diximus, non amplius reponuntur eædem, ſed earum loco aliæ novæ, ſi fieri poſſit.

Duobus diebus ſequentibus, prædicta omnia obſervari debent, cum aliqua tamen differentia, nam Altare his diebus, pavimentum, & alia ſimilia prorſus denudantur; Completorium; & aliæ horæ minores dicuntur ſine candelis accenſis, prout etiam notat Gav. *ſup. n.* 29. ad Veſperas tamen accendi debent, & juxta Gav. etiam in horis minoribus ante Miſſ. Feriæ V. quamvis hoc non ſit in uſu apud omnes Eccleſias.

Hoc triduo ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium Cantor, ſeu Officiator tantummodo incipiet primum Pſalmum, & Chorus alios ſimul proſequitur, ac ſi tantum eſſeot verſus unius, & ejuſdem Pſalmi uſque ad ultimum illius horæ verſum incluſive, qui terminabitur cum modica inflexione vocis. In Veſperis vero, in quibus Pſalmi dicuntur cum Antiph. Cantores incboabunt omnes Pſalmos de more, & terminabuntur cum modica inflexione vocis. Cærem. Monaſt. *l.* 4. *c.* 8.

Si in Altari Majori ſit Tabernaculum Ss. Sacramenti, prima die tantum, finitis Matutinis, reponitur cum luminibus, nempe aliquis Sacerdos Cotta, & Stola alba, ac velo etiam albo paratus, præcedentibus duobus Clericis cum intorticiis accenſis transfert Sacram Pyxidem ab Altari, in quo repoſita fuerat, ad Altare Majus, & tunc coram illo lampades accenſæ manere debent.

## De Paſchate, & ejuſdem Octava. Cap. XIV.

### *G A V A N T U S.*

1. MAtutinum habetur, ut apud nos, in Ord. Rom. cum tribus Pſalmis, totidem Antiph. Lectionibus, ſine Hymno; quibus ternariis ſignificantur opera trium dierum, quæ Chriſtus ſe promiſit facturum in præſenti ſæculo, *Lucæ* 13. hoc eſt, dæmonia ejicere, ſanitates perficere, & conſummari tertia die; vel ſignificantur Fides, Spes, & Charitas; quæ in hoc myſterio maxime vigent. Hæc Amal. *l.* 4. *cap.* 23. vel dicamus cum Rupert. *l.* 8. *c.* 2. in nomine Ss. Trinitatis celebratum eſſe Baptiſma; & ideo tres dici Pſalmos; tres autem Lectiones, quia adhuc pauci prædicatores erant, inquit idem *l.* 1. *c.* 10. Vel triduanam ſepulturam recolimus, ex qua Reſurrectio ortum habuit. Durand. *l.* 6. *c.* 28. Certe antiquum eſſe hunc ritum teſtatur, & firmavit Decreto Greg. VII. *de conſecr. diſt.* 5. *In die*.

2. Non dicitur Hymnus, neque ad alias Horas, quia tempus Paſchale ſignificat ſtatum Beatorum, quorum Hymnus eſt *Alleluja*. Durand. *loc. cit.*

3. Antiphonæ ad Laudes habentur in Breviar. MSS. antiquis. Capitulum non dicitur neque ad Horas: quia in ſtatu Beatorum non eſt locus exhortationi, quam alias diximus contineri in Capitulis. Ex quo conſequenter non dicitur Reſp. breve, ut notat Durand. *loc. cit.* ſunt enim correlativa in Horis minoribus Capitulum, & breve Reſp. ſicut exhortatio, & opus bonum, quæ in illis ſignificantur, ut docuimus *ſect.* 5. neque ſunt Comprehenſorum, ſed tantum Viatorum.

4. Non dicuntur Verſus, niſi in Nocturno, ob eamdem cauſam; cum ſignificent excitationem animorum, & converſionem ad Deum. In Nocturno dicitur, quia in nocte timor adeſt, ait Amalar. *de Ord. Antiph. c.* 52. & ob facilem noctis ſomnum; cum Verſuum ſono fugandus eſt animorum torpor.

5. *Hæc dies*, loco prædictorum dicitur, qui Verſus deſumptus eſt e Pſalmo, cui Titulus eſt, *Alleluja*, ut notat Rupert. *l.* 7. *c.* 11. Ordo Romanus eumdem Verſum habet, & ſignificat lætitiæ magnitudinem, ex Rupert. *l.* 8. *c.* 12. & quod in ſtatu Beatorum ſibi invicem gaudent, & gratulantur. Gemma *l.* 3. *c.* 128.

6. Non dicitur ad Primam Symbolum Athanaſii, quia in ſtatu Beatorum non eſt fides, Gemma *loc. cit.* qui ſtatus repræſentatur in Chriſti reſurrectione.

7. Veſperæ in Ord. Rom. dividebantur, ita ut duo ultimi Pſalmi, *Laudate pueri*, & *In exitu*, cantarentur ad Fontes Baptiſmales, in quibus baptizati facti ſunt pueri, & quaſi per Mare rubrum tranſeuntes exierunt de Ægypto, ſed ubi non erant Fontes, cantabuntur ſine diviſione. Durand. *l.* 6. *c.* 89.

8. Fer. 2. & 3. ſunt Feſta majora, quorum meminit Auguſt. *l.* 22. *Civit. Dei c.* 8. & his, & in ſequentibus diebus eadem dicuntur, quæ in die primo; quia ut alias dictum eſt, octo dies in Octava una dies ſunt; unde & dicitur quotidie: *Hæc dies*; Ordo Rom. eumdem habet ritum præſcribens Homiliam ſingulis diebus, quem reſtituit Pius V. addens Homiliam Fer. 3. in qua ante Pium legebatur Sermo S. Auguſtini: & item Fer. 6. in qua Sermo S. Ambroſii legebatur.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gav. *De Paſchate.* ) In tomo altero oſtendimus diem Paſchę ſemper cadere in Dominicam proximam poſt plenilunium Martii, vel quę eſt in ipſo plenilunio, numquam ante illud, ne unquam conveniamus cum Judęis, qui luna, ſive die quartadecima Martii Paſcha celebrant, nam ubi nos ſolari, ipſi lunari utebantur anno, de qua re pręter auctores a nobis ibi citatos videri etiam poterit Cornelius a Lapide in *Exod. c.* 12. Si Feſtum S. Marci, & conſequenter Litanię Majores incidant in Paſchatis diem, quid faciendum ſit, dicetur infra *c.* 16. Hoc die Sancto Paſchę decet, ut Matutinę ſolemniter ante Auroram (quo tempore nimirum reſurrexiſſe a mortuis Chriſtum credimus, ) celebrentur. Ad Laudes, & Veſperas celebrans intonat ſolemniter Antiph. *Hæc dies*, *&c.*

Ad Primam vero dum Lector Martyrologii annuntiat hodie tono ſolemniori ſolemnitatem Paſchalem dicens: *Hæc dies*, *quam fecit Dominus*, *&c.* Omnes in Choro ſtant nudo Capite: cum vero poſtea dicuntur Kalendę, & annuntiatur Martirologium ſequentis diei, omnes ſedent more ſolito. Ad Primam, tertiam, Sextam, & Nonam, poſt *Deus in adjutorium*, & *Gloria Patri*, *&c.* cum *Alleluja* in fine, dicuntur immediate Pſalmi conſueti (qui ad Primam ſunt iidem, qui in Feſtia, ſcilicet *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati*, & *Retribue* ) quibus finitis incboatur ab Officiatore Antiph. *Hæc dies*, quam proſequitur Oratio, quę ad Primam eſt, ut in Pſalterio, *Domine Deus*, *&c.* & poſt eam reliqua, prout in Pſalt. ad Primam in Dominica. Lectio brevis: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto*; *&c.* ut ibid.

Ad reliquas Horas minores poſt Antiphonam: *Hæc dies*, *&c.* Pſalmis conſuetis immediate ſubjunctam, dicitur ab Officiatore: *Dominus vobiſcum &c.* & Oratio diei poſita in Laudibus, ac reliqua pro more.

In fine Laudum, ac Veſperarum tantum dicitur *Benedicamus Domino*, *Alleluja*, *Alleluja*, & reſpondetur *Deo gratias*, *Alleluja*, *Alleluja*, & ita cantantur Horæ Canonicæ uſque ad Veſperas Sabbati in albis excluſive.

## De Tempore Paſchali. Cap. XV.

### *G A V A N T U S.*

1. IN Dominica in Albis reſumuntur plures Pſalmi, & Hymni, ex Ord. Rom. ubi additur etiam cauſa. Deinde, inquit, in ſequenti tempore, quaſi creſcentium arborum frondes multiplicantur Pſalmi, & recoluntur mores boni diverſorum operum per plures Pſalmos. Idem aſſerit de novem Lectionibus in hac Dominica, Gemma *l.* 4. *c.* 117. Ad Primam non dicitur Pſal. *Confitemini*, licet ſit Paſchalis, more feſtorum, quia tempus Paſchale totum eſt feſtivum, etiam in Officio feriali.

2. In ſecunda Feria leguntur Actus Apoſtolorum ex Decreto Gelaſii, & Ord. Rom. Indicat Auguſt. *in Sermone citato a Demochare tom.* 4. *cap.* 12. ſcripſit Lucas Romæ eadem Acta Ann. 61. Neronis quinto, ex Baron. *ad eumdem Annum*.

3. Pſalmi dicuntur hoc tempore, Feriales præſertim, ſub Antip. *Alleluja*, ex Gemma *loc. cit.* quia ſicuti ex Ordin. Rom. paulo ante diximus, multiplicantur Pſalmi, quaſi arborum frondes; ita ab una Antiph. quaſi ab una radice cunctæ pendent. Vide *ſect.* 5. *c.* 7. *n.* 5. aliam cauſam. Ad Laudes iidem ſemper Pſalmi dicuntur, ex Gemma *loc. citat.* & Commemoratio de ſola Cruce fit in Breviariis MSS. antiquis; quia Chriſtus ipſe ad gloriam Crucis vulnera retinuit; ab ea vel in ea eidem inflicta, quæ paſſim Apoſtolis; & alia oſtendit his diebus. Oratio vero de Cruce deſumpta eſt e Sacramentario S. Gregorii, ſed eſt Ambroſiana, ut dictum eſt Tomo primo.

4. In Dominica ſecunda poſt Paſcha continuatur Lectio Actuum Apoſtolorum, quia eſt exemplaris, cum antiqui legerent in hac, & ſequenti Dominica Apocalypſim, uſque ad Ann. 1550. & Reſp. congruunt Lectionibus, repetita in tribus Hebdomadibus, tamquam propria Reſurrectionis ejus, qui tertia die reſurrexit.

5. Dominica tertia legitur Apocalypſis, quam ſcripſit Jo: Apoſtolus in Pathmos, ad quam inſulam relegatus fuit a Domitiano, Anno decimo ejus Imperii, & 14. ejuſdem eam ſcripſit, qui fuit Annus Chriſti 97. ex Baronio *eodem Anno Annal.*

6. In Dominica quarta legitur Epiſtola Jacobi, quam Euſebius *l.* 2. *hiſt. c.* 22. appellat primam earum, quæ Catholicæ nominantur; non quod Jacobus ante Petrum ſcripſerit, ſed quia in Canone prima collocatur. Obiit ille Anno 63. ex Baronio, & facile eam ſcripſit occaſione Hæreſum Simonis Magi. Reſponſoria Davidica habentur apud Amalar. *ex ordin. Antiph. c.* 54. Quod ſi hæc Dominica occurrat die 2. Maji, cum pridie legi debeat initium Epiſtolæ Jacobi ob ejuſdem Feſtum, legantur in hac Dominica Lectiones fer. 2.

ſequen-

ſequentis ad varietatem, uti decretum eſt in poſtrema Breviarii recognitione.

7. In Dominica 5. legitur Epiſtola prima S. Petri, ſcripta Anno 45. cum eſſet Romæ, quam in fine Epiſtolæ, more illorum temporum ab Apoſtolis uſitato, Babylonem appellat, & hæc de Dominicis poſt Paſcha, in quibus cur legantur Apoſtolica facta, & ſcripta, præter Gelaſii Decretum, addit cauſam Rupertus *lib.* 10. *c. ultimo*, quia virtute magna reddiderunt Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Chriſti. Orationes a Dominica ſecunda ad quintam ſunt aliæ a Miſſis, quæ habentur in Sacramentario Gregoriano.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 2. -- *In ſecunda Feria, &c.*) Si Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrat in Paraſceve, vel Sabbato Sancto, ſicut contingit in noſtris Tabulis perpetuis V. & VI. tunc ex Decreto S. R. C. edito 11. Martii 1690. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 159. transfertur ejus Officium, una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, ad hanc Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, itaut alia Feſta, vel prius tranſlata, vel in hanc Feriam incidentia, ſi hæc poſteriora non ſint altioris Ritus, protrahenda, vel tranſferenda ſint (quoad Officium, & Miſſam) in aliam diem non impeditam; eo quod per dictum Decretum ab Alexandro VIII. approbatum, hæc Feria II. ſit dies fixa in tali eventu pro dicta Feſtivitate Deiparæ. Unde deducitur, quod ſi Feſtum Annunciationis, quod eſt ſecundæ Claſſis, ob Feſtum aliud altioris Ritus, nempe primæ Claſſis, in eadem hac II. Feria occurrens, aliquando, aut alicubi transferri debeat quoad Officium, & Miſſam; non propterea transferri debet obligatio in hac eadem Feria II. audiendi Miſſam, & vacandi ab omni opere ſervili, quia ſemper perſeverat Annunciationis Feſtum hac die affixum in prædicto eventu? Quo die in tali caſu prohibentur Miſſæ in Oratoriis privatis.

Quamvis tamen Annunciatio tamquam Feſtum ſecundæ Claſſis cedere debeat Feſto altioris Ritus, ſeu primæ Claſſis occurrenti in hac Feria II. ut exprimitur etiam in Decreto allegato S. C. non tamen cedit Feſto altioris Ritus ſolummodo tranſlato, eo quod hæc Feria II. eſt dies fixa pro Feſto Annunciationis, quando hoc a Paraſceve, aut Sabbato Sancto in eum transfertur, atque adeo impedit reſpectu alterius Feſti etiam Ritus altioris, quando hoc ob proprium ſuum diem impeditum neceſſe habet pariter transferri.

Videndum eſt etiam Decretum editum die 14. Junii 1692. & poſitum in noſtro Indice *ſub n.* 171. in quo ſtatuitur, ut quotieſcumque contingat Annunciationis Feſtum etiam quoad ſolum Officium poſt Octavam Paſchæ transferri, idem cæteris Feſtis æqualis Ritus ſemper præponatur, licet temporis ordine ſit in Kalendario poſterius illis, ex quo ſequitur quod ſi hoc modo transferri debeant Feſtum S. Joſeph, & Feſtum prædictum Annunciationis, licet utrumque ſit ſecundæ Claſſis, & Feſtum S. Joſeph ſit prius in Kalendario; tamen ob reverentiam Incarnationis, prius transfertur memoratum Feſtum Annunciationis; ubi autem S. Joſeph eſt Patronus loci, ſeu Eccleſiæ Titularis, prius transferendum eſſet hujus Feſtum ob majorem Ritus ſublimitatem.

In noſtris Obſervationibus ſupra ad *C. VIII. Sect. III. n. XV.* agitavimus quæſtionem, utrum quando celebratur Feſtum Annunciationis hac II. Feria tamquam die fixa, juxta allegatum Decretum S. C. ab Alexandro VIII. approbatum in Eccleſiis ſub eodem titulo Annunciationis B. M. V. conſecratis, poſſit celebrari idem Feſtum cum Octava? & fuimus in ſententia affirmativa. Videri igitur poſſunt ea, quæ ibidem a nobis dicta ſunt.

II. Gav. num. 3. -- *Pſalmi dicuntur hoc tempore Feriales, &c.*) Sicut toto hoc tempore Paſchali in Officio de Feria dicuntur Pſalmi Feriales ad Matutinum ſub unica tantum Antiphona *Alleluja*, ita in Feſtis novem Lectionum Pſalmi in quolibet Nocturno dicuntur ſub prima tantum Antiphona ejuſdem Nocturni, ſervato Ritu Duplici, vel Semiduplici competente ei Feſto, de quo fit Officium.

In Feſtis Simplicibus pariter Pſalmi omnes de Nocturno currentis Feriæ dicuntur ſub una Antiphona *Alleluja*, ut notatur in Pſalterio tempore Paſchali, & in prædicta Feria II. poſt hanc Dominicam in Albis.

In Feſtis Sanctorum Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, necnon unius, aut plurimorum Martyrum hoc tempore Paſchali occurrentium Officium dicitur uti notatur in Breviario ſuo loco, tempore Paſchali.

In Feſtis vero B. M. V. Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum, item Sanctarum Virginum, & non Virginum aliorumque non habentium Officium particulare pro tempore Paſchali Officium fit, ut aliis temporibus, niſi quod ad Invitatorium, Antiphonas, verſuſque Nocturnorum, ac reliquarum Horarum (exceptis tamen Verſibus precum, quæ dicuntur ad Primam, & Completorium) necnon ad Reſponſoria Lectionum in Nocturnis additur in fine unum *Alleluja*, dummodo jam antecedenter *Alleluja* aliquo non terminentur, tunc enim aliud juxta Rubricas, non additur. Advertendum etiam, quod non dicitur tertium Reſponſorium in Officio Feriali, ſed ejus loco Hymnus *Te Deum laudamus*, quia harum Feriarum Officium eſt Feſtivum uſque ad Aſcenſionem, excepta Feria II. Rogationum, in qua dicitur tertium Reſponſorium loco *Te Deum*.

III. Gav. eod. n. 3. -- *Ad Laudes iidem ſemper Pſalmi dicuntur, &c.*) In Feriali Officio ad Laudes Antiphonæ, & Pſalmi toto hoc tempore Paſchali dicuntur de Dominica ut in Pſalterio tempore Paſchali. Capitulum: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, &c.* uti notatur Feria II. poſt Dominicam in Albis in proprio de tempore, necnon in fine Laudum Dominicalium ante Canticum *Benedictus*. Hymnus, & Verſus, ut in Dominica in Albis, Antiphona ad *Benedictus* propria, Oratio Dominicæ præcedentis.

IV. Gav. eod. num. 3. -- *Et Commemoratio de ſola Cruce, &c.*) Poſt prædictam Orationem fit in eodem Officio Feriali Commemoratio de S. Cruce, non quidem illa, quæ alioquin dici ſolet per annum in Officio Feriali, ſed alia tempori Paſchali propria, quæ pro Laudibus, ac Veſperis adnotata eſt dicta Feria II. poſt Dominicam in Albis in proprio de tempore, & dicitur quotidie in Laudibus, ac Veſperis uſque ad Aſcenſionem tam in Officio de tempore, quam de Sanctis, niſi ſit Duplex, vel infra Octavas: aliæ autem Commemorationes de S. Maria, de Apoſtolis, &c. non dicuntur pro tempore Paſchali.

*Prima* Ferialis Officii toto tempore Paſchali dicitur uti in Feſtis, dicendo tantum tres Pſalmos conſuetos ſub Antiphona *Alleluja*, ut in Dominica tempore Paſchali. Capitulum *Regi ſæculorum, &c.* Hymnus cum clauſula Paſchali. In Reſponſ. Brev. duplex *Alleluja* cum Verſu *Qui ſurrexiſti a mortuis, &c.* uſque ad Aſcenſionem etiam in Feſtis (niſi proprium habeant, ut habent Feſta B. M. V.) Preces de Dominica, ut ibi in Pſalterio. Ad Abſolutionem Capituli Lectio Brevis: *Si conſurrexiſtis, &c.*

Ad *Tertiam, Sextam, & Nonam*, in Feriali Officio hujus temporis dicuntur Hymni cum clauſula Paſchali; Pſalmi ſub Antiphona *Alleluja*, ut in Dominicis tempore Paſchali modo notato in Pſalterio, & proprio de tempore dictæ Feriæ. Capitula, & Reſponſ. Brev. uti notantur ibidem, Oratio Dominicæ præcedentis.

Ad Reſponſoria Brevia prædictarum Horarum tum in Feriis, tum in Feſtis occurrentibus hoc tempore Paſchali, nempe ab Octava Paſchæ, uſque ad Sabbatum poſt Pentecoſten incluſive, ante primum Verſum dicantur duo *Alleluja*, quæ etiam poſt dictum primum Verſum ante *Gloria Patri*, repetuntur loco partis Reſponſorii (extra tempus Paſchale alioquin poni ſolitæ) in fine autem ſecundi Verſiculi dicatur tantum unum *Alleluja*, ut in Rubrica Sabbati in Albis, ac Rubrica generali 28. *n.* 5.

Veſperæ Feriales dicuntur ſub una Antiphona *Alleluja*, in Feſtis vero dicuntur pro quolibet Pſalmo ſuæ Antiphonæ ſub Ritu Duplici, vel Semiduplici, vel propriæ, ſi eas habeant, vel de Communi, addendo in fine cujuſcumque Antiphonæ *Alleluja*, prout fit ad Laudes; ad Completorium vero loco Antiphonæ *Miſerere* dicitur *Alleluja, &c.* prout notatur in Breviario. In Officio parvo B. M. V. quod tempore Paſchali dicitur in Choro, non additur *Alleluja*, Antiphonis, neque Verſibus, neque Reſponſoriis, ut habetur in Rubrica generali 37. & confirmatur S. C. Decreto edito die 28. Martii 1626. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 52.

Cæterum ſicut ſi fiat tranſlatio alicujus Feſti a tempore non Paſchali, ad Paſchale, recitantur Officium, ac Miſſa, prout tempore Paſchali, ita, ſi fiat tranſlatio a tempore Paſchali ad non Paſchale, recitantur prout tempore non Paſchali.

## De Litaniis majoribus, & minoribus. Cap. XVI.

### *G A V A N T U S.*

1. SI occurrant Litaniæ majores in Paſchate, quod accidit Anno 1666. & quando Litera Dominicalis eſt C. & Epacta xxv. vel xxiv. ut videre eſt in Tabula noſtra 35. Ordinis perpetui, eo caſu transferendæ ſunt in Feriam tertiam ex Decreto S. R. Cong. die 25. Septembris 1627. cum Proceſſione, in diem quidem Feſtum, ut Populus adſit, non in die Paſchatis, ne Populus impediatur a Communione Paſchali, neve triſtari videatur, vel minimum, in tanta ſolemnitate, colore violaceo adhibito, & Miſſa cantata de luctu: & conſequenter Litaniæ a privatis in eadem Feria recitandæ erunt.

2. Alias non habebatur in Breviario Officium de Rogationibus, ſed Miſſa tantum dicebatur. Nunc autem Homilia legitur ſuper Evangelium Miſſæ, & dicitur in Officio Oratio Miſſæ, quæ habetur in Sacramentario Gregoriano. De Feria tertia Rogationem nulla fit in Officio de Feſto, etiam Simplici, commemoratio.

3. Qui non interſunt Proceſſionibus, dicant privatim Litanias, &c. quo verbo præcipitur omnibus, qui tenentur recitare Horas Canonicas, ſub mortali, ex Suar. *lib.* 4. *de Hor. Can.* 15. *num.* 8. *&* 9. Neque de his loquitur Pius V. in Bulla, quando tantum hortatur ad Pſal. Pœnitentiales, &c. & licet oremus ſtantes tempore Paſchali: tamen ii, qui non interſunt Proceſſionibus, flexis genibus eas recitare debent:

Jo:

Digitized by Google

Jo: Beeth. *c.* 121. Mœrorem enim habent cum colore violacen, & recitantes peccatorum potius ſtatum repræſentant, quam juſtorum: unde in iis dicunt, *Peccatores*. De auctoritatibus Litaniarum majorum, & minorum diximus in primo Tomo.

4. Caveant ii, qui in Proceſſione fabulantur, & materialiter tantum cantant cum aliis Litanias, vel non cantant, ne rei fiant coram Deo: communis enim eſt opinio, eos teneri ad privatam earumdem recitationem; quia inter abſentes eo modo numerantur.

5. An vero in Proceſſione ſint cantandæ Litaniæ cum repetitione, uti fit in Sabbato Sancto? nonnulli eas cantant cum repetitione in Litaniis majoribus, non in aliis: alii ſemper cum repetitione, ſtandum videtur conſuetudini locorum habita ratione quoque longioris, aut brevioris viæ: ſed repetitio propria eſt Sabbati Sancti, & Pentecoſtes. Si fiat Proceſſio, non ante diſcedatur ab Altari, quam ſit cantatum incluſive: *Sancta Maria, ora pro nobis*, ut dicitur in Rituali Pauli V. In longiori Proceſſione, vel repetantur, vel addantur Pſalmi Pœnitentiales, ſeu Graduales, *ibid.* Terminentur autem cum Precibus, & Orationibus, quæ habentur in fine Litaniarum Breviarii Romani, *ibid.*

6. Quæſitum fuit: An ille, qui recitat Veſperi Matutinum cum Laudibus, poſſit etiam ſtatim recitare Litanias? & reſpondi, poſſe; quia Rubrica conjungit Litanias cum Laudibus, quibus idcirco adimitur ℣. *Fidelium*, *tit.* 30. *de Oratione n.* 3. & acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, quod in hoc caſu, ſunt Laudes.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. num. 1. -- *Si occurrant Litaniæ majores in Paſchate, &c.*) De Litaniis tum majoribus, tum minoribus ſermonem habuit Gavantus etiam *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 11. *n.* 7. *& ſeqq.* & nos quoque nonnulla ibidem obſervavimus, & addidimus; unde ne eadem hic repetantur, videantur ibidem dicta, præſertim quoad originem talium Litaniarum, & quoad Miſſam poſt eas celebrandam; hoc loco aliqua adjiciemus, ſpectantia ad Horas Canonicas recitandas in Feriis, quæ Rogationum dicuntur, & ad Ritum ſervandum in Proceſſionibus, in quibus præfatæ Litaniæ recitantur.

II. Gav. n. 2. -- *Nunc autem Homilia legitur ſuper Evangelium Miſſæ, &c.*) Tres dies præcedentes Feſtum Aſcenſionis vocantur Feriæ Rogationum, quia in iis fiunt *Litaniæ minores*, ideſt, *Rogationes*, ſeu *Deprecationes*, ob remiſſionem peccatorum obtinendam, pacem, conſervationem frugum, & cæteras neceſſitates; primus prædictorum dierum vocatur communiter Feria II. Rogationum, quia occurrit in Feria II. talis Hebdomadæ, & ita ſecundus dictorum dierum vocatur Feria III. Rogationum, &c. de quibus hoc loco notandum occurrit, quod Feria II. Rogationum eſt *Feria major*, unde licet non excludat Feſtum novem Lectionum in ea occurrens, etiam tranſlatum, quo minus in ea poſſit celebrari, debet tamen fieri ſemper de eadem Feria commemoratio in Laudibus, ac Miſſa, & quidem ante commemorationem Feſti ſimplicis, ſi etiam de eo ſimul occurrente ſit facienda commemoratio, attamen poſt commemorationem de die infra Octavam, ſi tamen ſimul occurrat. Ruſſus eodem Feſto occurrente in hac Feria debet de eadem legi nona Lectio, & in Miſſa ultimum legi Evangelium etiamſi tale Feſtum fuerit primæ Claſſis: quod diximus de Evangelio hujus Feriæ legendo in Miſſa, & de commemoratione facienda, intelligi debet in Miſſis privatis, non vero in ſolemni, quia hac die debent cantari duæ Miſſæ, ſi occurrat Feſtum, uti alibi diximus, quarum prima eſt de Feſto, in qua nulla fit commemoratio Feriæ, ſecunda vero eſſe debet de Feria, in qua nulla fit commemoratio Feſti.

Quod ſi Feſtum duplex, aut ſemiduplex (etiam tranſlatum) in hac Feria occurrens, non habeat proprias Lectiones in primo Nocturno, tunc Lectiones pro 1. Nocturno Feſti hodie occurrentis ſumendæ ſunt ex Communi Sanctorum, niſi forte initium Epiſtolæ primæ B. Petri Apoſtoli heri poni non potuerit, tunc enim hodie eſt ponendum in tali Officio de Feſto in primo illius Nocturno, ut præſcribit Rubrica generalis 26. n. 7. ac 9. Pari modo, ita diſponente eadem Rubrica ſumendæ ſunt Lectiones de Communi Sanctorum pro primo Nocturno, ſi hac Feria II. Rogationum occurrat dies infra Octavam. Si vero hac eadem Feria occurrat dies Octava alicujus Feſti, tunc in primo Nocturno diei Octavæ repetendæ ſunt Lectiones, quæ in primo Nocturno Feſti habentis Octavam ſunt lectæ.

Si autem Feria hac II. Rogationum nullum occurrat Feſtum novem Lectionum, nec dies Octava alicujus Feſti, nec dies aliqua infra Octavam, Officium, & Miſſa fiet de ea, & color erit violaceus. Officium quidem dicetur, ut in Pſalterio tempore Paſchali. Lectiones propriæ de Homilia in Evangelio cum tribus Reſponſoriis (quia non dicitur Hymnus *Te Deum*) ut ibi, & ut ſupra etiam nos diximus, *Ad Laudes* Ant. & Pſalm. de Dominica cum Antiphona ad *Benedictus* Oratione propria. Si ſimul occurrat Feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio in Laudibus, ſed de eo non legitur nona Lectio. Non dicuntur preces feriales in hac Feria, ſed tantum commemoratio de S. Cruce ſuis locis, & quidem poſt commemorationem de Feſto ſimplici.

Præterire non debemus, quod Congregationes illæ, Religiones, Eccleſiæ, ſeu Nationes, quibus alioquin a Sede Apoſtolica indultum eſt, ut ſemel, vel pluries in ſingulis Hebdomadis, aut menſibus dicant Officium, & Miſſam, v. gr. de Sanctiſſimo Sacramento, aut certo aliquo Sancto diebus nullo Feſto duplici, vel ſemiduplici impeditis, non poſſunt uti hoc ſuo Privilegio in hac Feria II. Rogationum, quamvis in eam nullum incidat Feſtum novem Lectionum. Hoc colligitur ex Decreto edito a S. R. C. 20. Martii 1706. dato in noſtro Indice *ſub n.* 236. & hoc Decretum habet etiam locum in Feria IV. Rogationum, ſeu in Vigilia Aſcenſionis Domini.

Veſperæ hujus diei, niſi occurrat Feſtum, dicuntur de Feria currente, ut in Pſalterio tempore Paſchali, ac proprio loco, cum Oratione Dominicæ præcedentis, & commemoratione de Cruce, Antiphona ad *Magnificat*, ut in proprio de Tempore, color Altaris erit Albus. Si vero ſequatur Feſtum ſolummodo ſimplex, tunc quidem Veſperæ uſque ad Capitulum pariter erunt de Feria currente, ut in Pſalterio tempore Paſchali, ſed a Capitulo dicentur (ritu Paſchali) de Feſto cum Commemoratione de S. Cruce tantum, ut tempore Paſchali, color erit Feſto conveniens. Si denique cras occurrat Feſtum, aut Officium novem Lectionum, totæ Veſperæ erunt de illo, ſine ulla Commemoratione, ſi illud fuerit duplex, vel tantum de S. Cruce, ſi fuerit ſemiduplex, niſi forte etiam ſimul occurrat Feſtum ſimplex; tunc enim etiam de hoc facienda erit Commemoratio in hodiernis Veſperis de Feſto novem Lectionum (niſi hoc ſit primæ, vel ſecundæ claſſis) ac craſtinis Laudibus cum nona de eo ſimplici Lectione, (in Feſto etiam 2. claſſis tantum) ſi propriam habeat.

Si hoc triduo Feſtum non occurrat, Altarium Minorum paramenta erunt Officio conformia, Altaris autem majoris, vel ejus, in quo celebratur Miſſa Rogationum, debent eſſe conformia huic Miſſæ ſaltem dum hæc celebratur. Vide Gavant. Tom. I. part. I. Tit. XVIII. lit. a.

III. Gav. eod. num. 2. -- *De Feria III. Rogationum nulla fit Commemoratio.*) Feria III. Rogationum, ſi in ea occurrat Feſtum IX. Lectionum, aut dies Octava alicujus Feſti, aut dies infra Octavam, fit de illo tam Officium, quam Miſſæ etiam privatæ cum commemoratione de Feſto ſimplici in primis Veſperis, ac Laudibus (ſi quod ſimul in hac Feria occurrat) atque etiam nona de eo Lectione, ſi propriam habuerit; at vero de Feria III. Rogationum (quæ eſt tantum Feria minor) nulla fit Commemoratio, uti nec Feſti ſimplicis, ſi Feſtum IX. Lectionum, de quo fit Officium, ſit primæ Claſſis, aut nonniſi in Laudibus, ac Miſſis privatis (cum IX. tamen, dicto modo, de eo Lectione) ſi ſit duplex ſecundæ Claſſis.

Si autem hac Feria III. Rogationum occurat Feſtum ſolummodo ſimplex, tunc fit Officium de eo ſine commemoratione de Feria occurrente, ſed tantum de Cruce, ut tempore Paſchali, at vero Miſſa dici tunc poteſt vel de Feſto cum Commemoratione Rogationum, vel de Rogationibus cum Commemoratione Feſti ſimplicis (ut dicitur in Rubrica propria) & tertia Oratio erit *Concede*, ac ultimum Evangelium S. Joannis in utralibet, ut etiam alibi innuimus. Paramenta Altarium minorum in tali Feſtis ſimplicis cum hac Feria Rogationum occurrentia, quoad colorem erunt conformia Officio, at vero Altaris Majoris (ſaltem ſub Miſſa ſolemni) & celebrantium ad quodcumque Altare conformia erunt Miſſæ, quam celebrant, adeoque violacei coloris, ſi dicant Miſſam de Rogationibus; ſecus autem ſi dicant Miſſam de Sancto.

Si denique Feria III. Rogationum nullum omnino occurrat Feſtum, nec trium, nec novem Lectionum, tunc Officium dicetur de ea, ut in Pſalterio tempore Paſchali, Lectiones Nocturni de Scriptura occurrente, ut in proprio de tempore; Reſponſoria duo pariter, ut ibi, poſt tertiam Lectionem non dicitur Reſponſorium, ſed Hymnus *Te Deum laudamus*; ad Laudes Antiph. ut in proprio de tempore. Ad eaſdem, & reliquas Horas Oratio, ut in Dominica præcedenti.

Si autem nec hodie, nec cras occurrat Feſtum novem Lectionum, tunc hodiernæ Veſperæ totæ erunt de Feria III. currente, dicendo de ea Pſalmos Feriales ſub una Antiphona *Alleluja*, ut in Pſalterio tempore Paſchali, & reliqua omnia dicentur de eadem Feria currente cum Antiphona propria ad *Magnificat*, & Oratione de Dominica præcedente, etiamſi cras forte occurrat Feſtum ſimplex: & quia hoc ſequenti die haberi non poteſt Officium propter cras occurrentem Vigiliam Aſcenſionis, ideo nec convenit illud habere hodie primas Veſperas a Capitulo (ut in Rubrica XI. *de concurrentia Officii n.* 9. *&* 10. docetur) unde in tali caſu de craſtino Feſto ſimplici in hodiernis Veſperis Ferialibus fit tantum Commemoratio, ſuperaddendo quidem ei aliam Commemorationem Paſchalem de S. Cruce, non vero Commemorationem de craſtina Vigilia Aſcenſionis. Quod ſi cras nullum occurrat Feſtum ſimplex, in hodiernis Veſperis Ferialibus fit tantum Commemoratio prædicta de Sancta Cruce, & color Altarium erit albus.

IV. Gav. num. 5. -- *Fiat proceſſio, non ante diſcedatur ab Altari, quam ſit cantatum incluſive Sancta Maria ora*

*pro*

*pro nobis*.) Antequam agamus de Vigilia Aſcenſionis Domini, ſeu de Feria IV. Rogationum, (de qua inhærendo Gavanti veſtigiis, agemus infra cum eodem Cap. XVII.) ſermonem inſtituimus de ritu ſervando in Proceſſionibus, quæ fiunt hoc triduo ante Aſcenſionem Domini, & in quibus recitantur Litaniæ. Modum itaque competenter inſtituendi Proceſſionem Litaniarum tam majorum, quæ recitantur in Feſto Divi Marci, quam minorum, quæ recitantur hoc triduo, tradit Rituale Romanum in *Rubrica*, ſeu *Titulo de Proceſſionibus*, necnon Cæremoniale *Lib. 2. cap. 32.* & ex iiſdem Caſtaldus in Cæremoniali noſtræ Congregationis *Lib. 3. c. 25. n. 5.* & in Praxi Cæremoniarum *Lib. 3. ſect. IX. c. 6. n. 1. & ſeq.* Quarti in *Lib. de proceſſionibus punct. 9.* Bauldry *part. 2.* Manualis *C. 17. part. 4. C. 22. a n. 9.* necnon Gerdacus Vtnitor *part. 5. tit. 20.* ex quibus omnibus hæc colliguntur ſervari debere in prædictis Proceſſionibus.

1. Mane die, ac hora ſtatuta, & pulſatis Campanis, Clerus indutus Cottis, & Populus in Eccleſia congregari debent, & ibi contrito, & humili corde Deum flexis genibus deprecari, & adorare. 2. Sacerdos Hebdomadarius debet in Sacriſtia indui Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali (vel in hujus defectu Stole ſupra Cottam, ſeu Superpelliceum) violacei coloris, & deinde præcedente aliquo Clerico Crucem ferente inter duos Acolytos deferentes Candelabra cum cereis accenſis, procedit ad Altare majus, ibique Clerus in Presbyterio congregatus ſtando cantat Antiphonam *Exurge Domine, &c.* uti in Rituali Romano. 3. Repetita hac Antiphona poſt primum verſum Pſalmi: *Deus auribus noſtris audivimus*, & Verſu *Gloria Patri, &c.* genuflectunt omnes, & duo Clerici, vel Cantores pariter ante ipſum Altare majus genuflexi, devote cantare incipiunt Litanias omnium SS. Choro reſpondente, vel eadem etiam repetente, ſi talis ſit conſuetudo, ut innuit Gavantus ſupra, aut ſaltem ſi longior ſit Proceſſio. 4. Statim ut cantantum fuerit *Sancta Maria ora pro nobis*, & non prius, ſurgunt omnes, ut docet etiam Gavantus, ac ordinatim procedunt egredientes ab Eccleſia, Litaniaſque proſequentes, præcedentibus eo, qui defert Crucem, necnon Acolythis Candelabra cum cereis accenſis, ſeu intortitia deferentibus, deinde ſequetur Clerus, ultimo vero loco Sacerdos paratus Pluviali, ut ſupra, & poſt eum Populus. Si autem Proceſſio fiat tantum circa Atrium Eccleſiæ, vel circa ipſam Eccleſiam, juxta ſententiam Caſtaldi in noſtro Cæremoniali *loc. cit.* egreditur, & incipit gyrum ſuum a latere Epiſtolæ, regrediens autem intrat in Presbyterium pee Cancellos a latere Evangelii. 5. Quando Proceſſio Eccleſiæ Cathedralis vadit uſque ad Eccleſiam, ad quam dirigitur juxta morem, & conſuetudinem cujuſcumque loci, tunc Clerus ejus Eccleſiæ, ad quam Proceſſio pergit, obviam veniet uſque extra portas Templi, ibique ſtans eam recipiet, aliquo Sacerdote aſpergenta Aqua benedicta ingredientes Templum. 6. Poſtquam perventum fuerit ad dictam Eccleſiam, tunc ſi conſuetudo habeat, ut ibi terminetur Proceſſio, dicuntur (omnibus genuflexis, etiam Celebrante, qui tamen ad Orationes ſurgit) ea, quæ remanerent pro terminandis Litaniis, cum precibus, quibus in hunc modum abſolutis, debet dici Miſſa Rogationum (& quidem ſine commemoratione Feſti occurrentis) & ſic finitur omnino Proceſſio. Quia vero alicubi mos eſt, ut in ea Eccleſia, ad quam dirigitur Proceſſio, ſtatim ut ad eam pervenerit, decantetur quidem ibi Miſſa ſolemnis de Rogationibus in paramento violacei coloris, non autem de S. Marco (ſi Proceſſio eſt Litaniarum majorum, nec de alio Sancto occurrente, ſi fuerit Proceſſio Litaniarum minorum) niſi hic fuerit Patronus Titularis illius Eccleſiæ, & celebrata ibi dicta Miſſa Rogationum, ſeu Proceſſionali, tunc non terminantur ibi Litaniæ, ſed Clerus ſimul, ac Populus ab ea Eccleſia redire proceſſionaliter debent ad primam Eccleſiam, unde diſceſſerant, cantando in reditu, vel partem Litaniarum, quæ remanſit, vel ſi nihil remanſit, recitando Pſalmos Pœnitentiales, aut Graduales. 7. Proceſſione in primam Eccleſiam reverſa, ab omnibus genuflectitur, dicitur Pſalmus: *Deus in adjutorium, &c.* alternatim ab ipſomet Choro, incipientibus ipſum Cantoribus, & deinde ab Hebdomadario, ſeu Sacerdote officiatore Pluviali induto, & ante ſummum Altare genuflexo, cantantur preces, quibus perſolutis, idem ſurgens, & ſtans ſubjungit Orationes in Breviario Romano poſt Litanias omnium Sanctorum aſſignatas, Clero tamen genuflexo reſpondente. 8. Advertendum ſupereſt, quod ſi Proceſſio ſit longior, & finiantur Litaniæ antequam perveniat ad dictam Eccleſiam, tunc Litaniis uſque ad preces excluſive abſolutis, vel decantentur Pſalmi (ſaltem aliqui) Pœnitentiales, aut Graduales, ut innuit etiam Gavantus ſupra, vel etiam repeti poſſent eædem Litaniæ, uſque dum ventum ſit ad Eccleſiam, ad quam terminatur Proceſſio, in qua debet dici Miſſa rogationum. 9. Pariter notari debet, quod ſi in via divertendum ſit ad Eccleſiam unam, vel plures, poſt ingreſſum in talem Eccleſiam, intermiſſis tantiſper Litaniis, vel Pſalmis, cantatur Antiphona cum Verſu, & Oratione de Sancto Patrono illius Eccleſiæ, ſed juxta ſententiam Caſtaldi *loc. cit.* in Praxi, dicitur illa Oratio, quæ recitari ſolet in Suffragiis, quæ fiunt in Commemoratione per annum, non vero illa de ipſomet die Feſti, niſi ſit conformis Commemorationi. Egredientes vero reſumunt Litanias, vel Pſalmos ab eo loco, quo eos intermiſerunt, eodem ordine procedentes uſque ad Eccleſiam deſignatam.

V. Gav. n. 6. - *Et reſpondi poſſe, &c.*) Propoſita quæſtione, an ille, qui recitat Veſperi Matutinum cum Laudibus, poſſit etiam ſtatim recitare Litanias? Gavantus reſpondit poſſe, ea ratione ductus, quia Rubrica conjungit Litanias cum Laudibus, & acceſſorium, cujuſmodi ſunt Litaniæ, ſequitur naturam ſui principalis, quapropter ſi pridie poſſunt recitari *Laudes*, non eſt cur non poſſint recitari Litaniæ. Hæc ex Gavanto. Hanc Gavanti ſententiam ſuo quoque calculo olim probavit Gobat, *tr. 5. n. 615.* at contrariam ſententiam tenent Thomas Tamburinus *lib. 2.* in Decalogum *cap. 2. §. 5. n. 7.* necnon Joannes Stoz in Tribun. La Croix *tom. 4. n. 190.* Halden *par. 1. tit. 27.* necnon *part. 2. tit. 4.* præcipue vero Guyetus *lib. 4. cap. 20. q. 6.* qui validis profecto rationum momentis refellit Gavanti ſententiam, itaut Gobat eam tamquam probabiliorem in poſteriore ſui operis editione *tr. 5. n. 616.* amplexus fuerit. Rationes, quæ movent Guyetum, ſunt, quia licet Litaniæ juxta Rubricæ diſpoſitionem jungantur cum Laudibus, non tamen habentur, aut vere ſunt pars illarum, adeoque iis Veſperis anticipatis, non ſequitur, Litanias ipſas quoque poſſe anticipari. Sed fortiori argumento, & ad hominem confutat etiam hoc alio modo Gavantum, nimirum, quia ipſemet infra Gav. *ſect. 7. c. 13.* ad diem 2. Novembris refert Decretum S.R.C. editum die 1. Septemb. 1607. & præſcribens ne pridie Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Officium Veſperi recitetur, ſed ipſa die mane, quamvis Matutinum, & Laudes Defunctorum æque bene poſſent dici pars Laudum diei, ac Litaniæ, nam æque Laudibus adjunguntur per Rubricam, & æque iis adimunt Verſum *Fidelium animæ, &c.* Adde, quod uſus eſt multarum Eccleſiarum, ut Veſperi decantent Matutinum, & Laudes Defunctorum, at nullibi recentum eſt, ut Litaniæ majores, vel minores pridie decantantur, ergo juxta communem ſenſum magis ſunt affixæ diei Divi Marci Litaniæ majores, & tribus diebus Rogationum Litaniæ minores, quam ſit affixum diei 2. Novembris Officium Defunctorum. Si igitur Gavantus in ea aſt ſententia, quæ negat poſſe recitari Matutinum, & Laudes Defunctorum pridie 2. Novembris poſt Veſperas, quomodo concedit poſſe Litanias majores, vel minores eodem modo anticipari anta diem Divi Marci, vel ante dies Rogationum? Igitur ſentiendum potius prædictas Litanias vere additas eſſe diei 25. Aprilis, & tribus diebus Rogationum, adeoque anticipari non poſſe.

Nec obſtat, ut optime notat Guyetus, quod Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales, qui præſcribuntur recitari in Feriis IV. & VI. Quadrageſimæ; poſſint ex Declaratione Sacræ Rit. Congr. anticipari Veſperi, tum quia liberum non eſt talem declarationem ad ſimilia extendere, tum quia par non eſt utrorumque ratio; Pſalmi enim prædicti extra Chorum recitantur ex devotione tantum, non vero ex obligatione, e contra Litaniæ prædictæ etiam a non intereſſentibus Proceſſioni, ſi ad Horas Canonicas recitandas obligantur, debent privatim recitari, ut docet etiam Gavantus *n. 3.* ex communiſſima, ac probabiliore ſententia, fundata in *cap. Rogat. de conſec. diſt. 3.* ſunt enim pars notabilis Officii Canonici illius diei.

Alicubi toto hoc triduo (uti, & in Litaniis Majoribus, ſeu Feſto S. Marci, ſaltem ſi cadat extra Feſta Paſchalia) ſervatur, veteri more, abſtinentia a Carnibus; alicubi vero nonniſi in Vigilia Aſcenſionis, alicubi denique mos ille penitus exolevit. Quiſque igitur ſequatur conſuetudinem ſuæ Diœceſeos; Vide Gavantum *tom. 1. par. 4. n. 12.* Guyetum *loco ſuprac.* de his, & aliis huc pertinentibus accurate diſcutientem, necnon Claudium La Croix *lib. 4. n. 1291.* qui pariter *lib. 1. n. 571. & n. 592.* & P. Gobat tradunt Regulam cognoſcendi an ejuſmodi conſuetudo ſit ſolummodo devotionalis, an vero obligatoria ſub reatu culpæ, qualem ſupponit Gobat, dari in Diœceſibus Pariſienſi, Monaſterienſi, &c.

## De Feſto Aſcenſionis Domini. Cap. XVII.

### *G A V A N T U S.*

1. Vigilia Aſcenſionis non habet jejunium; quia de tempore Paſchali eſt, unde & admittit Hymnum *Te Deum*. Habet Homiliam de Evangelio Miſſæ, de novo jure Pii V. ut concordet Officium cum Miſſa. Microl. *c.* 55. meminit jejunii, ergo poſt eum ceſſavit, vel alicubi tantum fuit ſervatum.

2. Aſcenſio Domini indicitur feſtiva, cum Antiphonis ad unumquemque Pſalmum, puto ad fervorem charitatis excitandum, quæ in Antiphonis ſignificatur, ut diximus ſupra *ſect. 5. cap. 7. n. 3.* & in Ordine Romano leguntur Lectiones primi Nocturni, de Actibus Apoſtolorum, quæ a nobis. Amalarius *de ordine Antiphonarii cap. 56.* indicat Officium idem, quod nos recitamus. Oratio habetur in Sacramentario Gregoriano. Habet Octavam, ex Radulpho *propoſit.* 19.

3. In ſequentibus diebus proſequuntur reliquas Epiſtolas legere Apoſtolorum Petri, Joannis, & Judæ uſque ad Penteceſten, ex Decreto Gelaſii, & binas Petri, ternas Joannis

habent

habent rationem unius libri, ſicuti diximus de Epiſtolis Pauli; ut idcirco nihil cures, ſi earum initia legi non poſſint, impeditis propriis Feriis: quod in poſtrema Breviarii recognitione examinavimus.

4. Scripſit autem Petrus ſecundam Epiſtolam Anno Chriſti 68. paulo ante martyrium, ut idemmet ſignificat in Epiſtola, Baronius eo anno; Sanctus Joannes ſcripſit primam, quæ legitur in Dominica infra Octavam Aſcenſionis, Anno 99 occaſione Hæreſis Baſilidis, qui negabat veritatem carnis in Chriſto; eodemque anno ſcripſiſſe creditur alias duas, quæ leguntur in Feria quarta, & ſexta ſequentibus. Judas autem, ut putat Baronius, ſcripſit poſt 2. Petri, Anno 68. cum ſit ejuſdem fere argumenti, & ultimo loco ponitur, quia in Catalogo Apoſtolorum erat auctor de poſtremis; neque inſignis ea fuit æſtimata, ut epiſtola Jacobi, quæ cæteris propoſita fuit, ut merito Judæ Epiſtola ceſſerit locum Epiſtolis S. Joannis poſterius ſcriptis, ut diximus, Anno 99. Et hæc de Auctoribus Epiſtolarum.

5. Octava Aſcenſionis erat Semiduplex in Breviario edito Venetiis 1521. hodie Duplex, & habet Officium quod Lectiones proprium; alias enim, ut in Feſto legebatur. Habet primas, & ſecundas Veſperas integras, ſi concurrant cum duplici majori, ut in poſtrema Breviarii recognitione dictum eſt.

6. In Feria ſexta, & Sabbato ſequentibus Officium eſt de Aſcenſione, & de Dominica infra Octavam Aſcenſionis. Sed cur in ſecundis Veſperis Octavæ Aſcenſionis non fit Commemoratio ſequentis Officii Semiduplicis, per Antiphonam ad *Magnificat*, Dominicæ ſicuti in ſecundis Veſperis Octavæ Innocentium fit de ſequenti Officii Semiduplicis, Vigiliæ Epiphaniæ, & per Antiphonam Dominicæ infra Octavam Nativitatis? eadem enim videtur eſſe ratio. Non eſt tamen eadem: nam concurrente Octava Innocentium cum ſequenti Vigilia fit concurſus inter Feſtum de Sanctis, & Officium de Domino Sanctorum ſub minori ritu: & ideo de Duplici ſunt Veſperæ cum Commemoratione ſequentis Semiduplicis. At in octava Aſcenſionis cum ſequenti Officio non debet eſſe concurrentia, quia utrumque Officium, licet Duplex alterum, alterum Semiduplex, eſt tamen de eodem Domino; de quo non convenit facere Feſtum, & ſimul Commememorationem, ideo omittitur Commemoratio.

7. Si Feria ſexta occurrat Feſtum Semiduplex, in ſecundis Veſperis fit tantum Commemoratio Feriæ ſextæ, & ratio eſt, quia potius eſt occurrentia Feſti, & Feriæ, quam concurrentia cum Sabbato ſequenti, quod neque eſt Feſtum Semiduplex, neque dies infra Octavam, ſed Officium Semiduplex repetitæ Dominicæ uſque ad Nonam incluſive. Si occurrat Feſtum Duplex, fit de eo cum Commemoratione Feriæ in Laudibus, & ſecundis Veſperis, ſine Lectione Homiliæ, cujus Evangelium in Dominica ſufficienter fuit lectum. De Feſto autem Semiduplici translato fit in hac Feria ſexta ut alias, reſtituta Rubrica de translatione Feſtorum *n.* 5. prout legebatur ſub Clemente VII. Quamvis non defuerit quidam, & bene verſatus in Rubricarum notitia, qui obſervato verbo illo (occurrat) tulerit opinionem, non poſſe fieri de Translato, citatque pro ſe Gavantum Romæ editum, ac Sac. Congreg. ſententiam.

8. Dices: cur in Sabbato, Vigilia Pentecoſtes, non dicitur in Officio Oratio Miſſæ, & Legitur in eodem Evangelium Miſſæ? Reſpondeo, quod Oratio Miſſæ ad baptizatos pertinet, ut patet ex ejuſdem verbis, & baptizantur cantata Nona, & finito Officio.

9. Ad Primam, his duobus diebus, licet ſint Officia Semiplicia, & extra Octavam, omittuntur tamen Preces, de jure novo Clementis VIII. quod erat in uſu Breviario edito 1550.

10. Per decem vero dies fit Officium de Aſcenſione. Amalarius *de ord. Antiph. cap.* 54. quia per obſervantiam Decalogi acceperunt Apoſtoli Spiritum Sanctum in Pentecoſte. Durandus *lib. 6. cap.* 105. Oratio Dominicæ alia eſt ab Oratione Miſſæ, quæ habetur in Sacramento Gregoriano.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 5. - *Vigilia Aſcenſionis non habet jejunium, &c.*) Feria IV. Rogationum occurrit Vigilia Aſcenſionis Domini, ſed ſine jejunio; ſi in ea occurrat Feſtum primæ Claſſis, puta Patroni, ſeu Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, fit de eo, abſque eo quod in Officio, & in Miſſa fiat aliquid de hac Vigilia, ut notat Caſtaldus in Praxi *lib.* 3. *ſect. 9. cap. 6. n.* 7. & Halden. *part. 1. tit.* 27. Item nihil pariter debet fieri Feſto Simplici in tali caſu, ſi quod forte occurrat. Si autem in eadem Vivigilia occurrat aliud Feſtum novem Lectionum, ſeu Duplex, ſeu Semiduplex, aut alicubi dies Octava alicujus Feſti, vel dies infra Octavam, tunc Officium fit de eo cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ, ejuſque Commemorationes ad Laudes, ut notatur in proprio de tempore, & cætera fiunt, prout de more.

Si denique in hac Vigilia Aſcenſionis, ſeu Feria IV. Rogationum non occurrat Feſtum IX. Lectionum, &c. eſto occurrat in ea fortaſſis Feſtum aliquod trium Lectionum, ſive Simplex, tunc Officium, & Miſſa dicuntur de Vigilia; Excepta tamen Miſſa Litaniarum, ſive ea, quæ in termino Proceſſionis dicitur de Rogationibus prout ſupra. De prædicto autem Feſto ſimplici tunc forte occurrente fiet tantum Commemoratio (ſine Lectione de eo, etiam ſi alioquin propriam habeat) in Laudibus, ac Miſſa. Ad Matutinum fit feriali ritu Paſchali, ut Feria IV. tempore Paſchali. Lectiones Nocturni de Homilia Vigiliæ, ut in proprio de Tempore; Reſponſoria poſt primam, & ſecundam Lectionem, ut ibidem (niſi loco eorum ponenda ſint duo prima Reſponſoria primi Nocturni Dominicæ IV. poſt Paſcha, eo quod nunquam adhuc poni potuerint) poſt tertiam vero Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum.* Laudes, & cæteræ Horæ uſque ad Veſperas dicuntur ſicut in aliis Feriis tempore Paſchali, Antiphona ad Benedictus, *Pater venit hora, &c.* ut in proprio de tempore, Oratio Dominicæ præcedentis, cui ſubjungitur Commemoratio de S. Cruce, & ante hanc Commemoratio de Feſto Simplici, ſi quod occurrat. Color ad Altare erit albus. De Ritibus ſervandis in Miſſis horum trium dierum ſatis dictum eſt ſuperiori tomo ſuo loco.

Veſperæ hodie dicuntur de Feſto Aſcenſionis Domini ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, ſine omni Commemoratione, niſi de Feſto primæ, & ſecundæ Claſſis, ſi quod hodie alicubi fuerit celebratum, necnon de die Octava, ſi tamen cras alicubi occurrat, non autem de die Octava hodie occurrente ſeu celebrata. In eiſdem Veſperis ſolemnibus ad principium Hymni *Salutis humanæ Sator, &c.* debet celebrans, ſe officiator jungere, extendere, & elevare manus, ac caput inclinare verſus Altare, &c. Ut ex Cæremoniali Epiſcoporum Lib. 2. monet Bauldra *part. 2. cap. II. art. I. n.* 25. par ratio de Hymno in Laudibus dicendo. Hymnus Completorii, & alii ejuſdem metri (excepto Hymno Veſperarum, ac Laudum Officii de Aſcenſione, & Hymno Matutini de pluribus Martyribus, necnon Hymnis de Sancta Cruce, ac denique, Hymno proprio Sancti Venantii Martyris, ſi infra hoc tempus occurrant) terminatur uſque ad Pentecoſten per verba: *Jeſu tibi ſit gloria, Qui victor in Cælum redis, &c.*

II. Gav. n. 1. - *Aſcenſio Domini indicitur feſtiva, &c.*) Feria V. poſt Dominicam V. poſt Paſcha celebratur in Eccleſia univerſali Feſtum Aſcenſionis Domini, quod eſt Privilegiatum contra quodcumque aliud Feſtum, etiam Patroni, & Tituli Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem in ea occurrens: unde ſi in eo occurrat Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi etiam in propria ipſorum Eccleſia, non ſolum transferri debet eorum Officium, ſed nec ulla Miſſa cantari hodie poteſt de illis, inhærendo Rubricæ generali VI. Miſſalis. Admittit tamen hoc Feſtum in utriſque Veſperis, Laudibus, & conſequenter in Miſſa Commemorationem de die Octava, ſi alicubi dies Octava alicujus Feſti in illud incidat. Officium dicitur ut in proprio de tempore cum Antiphonis ad unumquemque Pſalmum (licet currat adhuc tempus Paſchale) ob rationem, quam Gavantus aſſignat, nempe ad fervorem Charitatis excitandum. Officium autem de Feſtis infra hanc Octavam uſque ad Pentecoſten occurrentibus fit Ritu Paſchali cum una Antiphona pro quolibet Nocturno eodem modo, quo ante Aſcenſionem, niſi, quod Hymni terminantur ut ſupra; & ad Primam in Reſponſorio Brevi etiam Feſtis dicatur: *Qui ſcandis, &c.*

III. Gav. n. 3. - *In ſequentibus diebus proſequimur reliquas Epiſtolas legere, &c.*) Feria VI. & reliquis poſt Aſcenſionem Feriis, ſi non occurrat Feſtum IX. Lectionum, Officium fit de Octava Ritu Semiduplici, dicendo omnia uti in Feſto, exceptis tamen Lectionibus, quæ quotidie ex Scriptura aſſignantur in proprio de tempore, & dicta Feria VI. pro primo Nocturno aſſignantur initium *Epiſtolæ ſecundæ Beati Petri Apoſtoli*; quod initium ſi prædicta Feria poni non poſſet ob occurrens Feſtum IX. Lectionum habens proprias lectiones, cenſet Halden par. I. Tit. 28. quod ponendum eſſet Sabbato ſequenti ſimili Feſto non impedito, inhærendo, ait ipſe, Rubricæ generali XXVI. n. 7. & iis, quæ ipſemet aſſeruit ſupra tit. V. contra noſtrum Gavantum, qui ſupra ſect. V. Cap. 12. n. 12. & hic docet non eſſe curandum ſi initia Epiſtolarum ab eodem Apoſtolo ſcriptarum legi non poſſunt, putat enim omnes Epiſtolas Sancti Pauli conſtituere unum librum, & ita binas Petri, necnon ternas Joannis Epiſtolas habere rationem unius Libri. Sed laudatus Halden putat ſententiam eſſe admittendam quando illarum Epiſtolarum initia abſolute, ac ſimpliciter poni non poſſunt intra ſuam hebdomadam, non autem ſi tantum poni non poſſint in propria ſua Feria, poſſint autem vel alia ſequenti, vel ſequentibus omnibus impeditis, ſaltem aliqua antecedente intra illam hebdomadam, ut colligitur ex Rubrica generali XXVI. n. 7. & 8. Quod autem ſubnectit Gavantus ad firmandam ſuam ſententiam, nimirum in poſtrema Breviarii recognitione examinatum, & deciſum fuiſſe, prædictas Apoſtolorum Epiſtolas reſpective unum librum conſtituere, & idcirco non eſſe curandum ſi impeditis propriis Feriis, earum initia legi non poſſunt, putat Halden loqui ibi Gavantum de ſuo examine tantum, nam in Breviario recognito aliud non legitur deciſum hac in parte, quam quod extat in Rubrica generali XXVI. num. 6. 7. & 8. Ibi autem non modo non dicitur, quod Epiſtolæ binæ S. Petri, & ternæ S. Joannis Apoſtoli habeant rationem unius libri, & conſequen-

Digitized by Google

ſequenter earum initia non ſint legenda in alia Feria, ſi ea in propriis Feriis legi non potuerunt intra eamdem hebdomadam, ſed potius oppoſitum colligit Halden cum ſcriptoribus a ſe Tit. 5. allegatis, quos etiam nos citavimus ſupra in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad Sect. V. Cap. 12 ſub n. VII. quibus Auctoribus addendus eſt etiam Joſeph Coquet in expoſitione Tab. n. 21.

IV. Gav. n. 7. *Neque eſt Feſtum Semiduplex, neque dies infra Octavam, &c.* Quamvis Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis (ſi in ea non occurrat Feſtum IX. Lectionum) uti & Sabbato ſequenti uſque ad Nonam iſtius incluſive, Officium fiat ritu Semiduplici, ſicut infra Octavam Aſcenſionis, nihilominus aſſerit Gav. quod in prædictis duobus diebus neque eſt Feſtum Semiduplex, neque dies infra Octavam, ſed Officium Semiduplex repetitæ Dominicæ; verum non dicuntur preces neque ad Completorium. In eadem Feria VI. & Sabbato ſequente, occurrente Feſto ſimplici fit de eo Comm. & recitatur IX. Lectio, ſi eam habeat, dummodo cum eodem Feſto ſimplici in eadem Feria VI. non occurrat Feſtum duplex primæ Claſſis. Si autem in dictam Fer. VI. incidat Feſtum primæ, vel ſecundæ Claſſis, de eadem Feria nulla fit Commem. quæ aliunde fieri debet occurrentibus aliis Officiis minoris Ritus.

V. Gav. eod. n. 7. -- *De Feſto autem Semiduplici tranſlato fit in hac Feria VI. &c.*) Si eadem Feriæ VI. poſt Octavam Aſcenſionis occurrat Feſtum Semiduplex, fit de eo cum commem. Feriæ currentis, ac Feſti Simplicis, ſi in ea occurrat: ſed dubium oritur an eadem Feria tantum fiat de Feſto Semiduplici occurrente, ſed etiam tranſlato? Ad hoc dubium ii, qui Gav. recentius ediderunt, & aliqua addiderunt, reſpondent affirmative, ut conſtat ex Textu ſupra allegato, quæ quidem opinio confirmata remanet recenti Congr. Decreto edito 11. Auguſti 1691. & dato in noſtro Indice *ſub* n. 169.

De hac Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis videantur ea, quæ diximus in noſtris Obſervationibus ſupra ad Sect. 3. c. 11. de Comm. n. 11.

A Veſperis hujus Feriæ VI. uſque ad Feſtum SS. Trinitatis ſuſpenduntur, ac abrumpuntur Octavæ omnes particulares, v. g. *Patroni*, *Titularis*, *Dedicationis &c.* itaut ſi per aliquot dies dictum ſit Officium de Octava, abrumpi debeat a Veſperis hujus diei ob advenientem craſtinam Vigiliam Pentecoſtes. Quomodo autem debeant recitari Veſperæ hujus Feriæ ſi craſtina dia occurrat dies Octavæ, vel dies infra Octavam, videantur ſuperius dicta a Gav. *Sect.* 3. *c.* 8. *n.* 8. & n. 13. & noſtræ Obſervationes ibid. adjectæ. De eadem re pariter locuti ſumus in Obſervationibus ad Cap. II. hujus Sect. VI.

VI. Sabbato poſt Octavam Aſcenſionis celebratur Vigilia Pentecoſtes cum jejunio, ut alibi diximus, nempe in primo quæ quidem Vigilia, ut mox innuimus, quia cum ſubſequente Octava Pentecoſtes eſt privilegiata contra quodcumque Feſtum 9. Lectionum in ea occurrens, ideo ſi tale infra hoc tempus occurrat, transferendum id erit poſt Feſtum SS. Trinitatis, ut diſerte præſcribit Rubrica hujus diei, quæ pariter diſponit quomodo recitandum ſit Officium, in quo non excluditur comm. Feſti Simplicis, ſi quod tale in hac Vigilia occurrat, quamvis talis comm. non fiat in Miſſa. Poſt 9. Lectionem, etiamſi Feſtum Simplex non occurrat, dicitur *Te Deum laudamus*: In primis Veſperis, & Laudibus hujus (& præcedentis diei) nulla fieri debet comm. de Cruce.

In Martyrologio, quod legitur ad *Primam*, annuntiatur in Choro a Lectore poſt Kal. primo loco, Feſtum Pentecoſtes, & reliqua ad eamdem Primam, ſicut ad reliquas Horas dicuntur, prout diſponitur in Rubrica hujus diei.

Ad Officium hujus Sabbati uſque ad Nonam incluſive adhibetur color albus. Poſtmodum ad Prophetias, Benedictionem Fontis Baptiſmalis, & Litanias uſque ad Miſſam excluſive color violaceus. Deinceps vero adhibetur rubeus, qui & in privatis Miſſis hujus diei quoad veſtes celebrantium eſt adhibendus, licet celebrent ante Nonam. Pro Miſſa ſolemni autem, cum colorum poſt Nonam mutatio, ſeu diverſitas ſit etiam quoad Pallia, ſeu Antependia Altaris majoris, facienda, ideo Antependium illius violaceum in Eccleſiis habentibus Fontem Baptiſmalem ita erit accommodandum, ut facile removeri, eique aliud, nempe rubeum, ſubſtitui poſſit.

Veſperæ dicuntur de Dominica Pentecoſtes ſub ritu duplici, primæ Claſſis, omnia dicendo, uti notatur in Rubrica, ſeu in proprio de tempore, excluſa quacumque comm. In eiſdem Veſperis, quæ ſolemniter cantantur, Officiator ad intonationem Hymni debet ſtans jungere, extendere, & elevare manus, ac caput inclinare verſus Altare, uti paulo ante diximus de Hymno Aſcenſionis. Intonato hoc modo Hymno, Officiator mox ſeſe ſuper proximum Altaris gradum in genua demittit, ibique flexis genibus manet, donec prima ſtropha abſolvatur, Bauld. *part.* 2. c. 11. *art.* 1. *n.* 25. & 26. Lohner *inſtruct. pract.* 3. *tit.* 3. §. 1. cum Officiatore poſt intonationem prædicti Hymni ſupra primum Altaris gradum pariter genuflectent ambo ejus aſſiſtentes, unus quidem a dexteris, alter vero a ſiniſtris uſque ad abſolutionem primæ ſtrophæ. Ceroferarii autem ſemper ſtant, & nunquam genuflectunt. Abſoluta prima ſtropha, Officiator, facta Altari debita reverentia, ad ſuam revertitur ſedem; idipſum, exhibitis Altari, & Officiatori debitis reverentiis, faciunt ejus aſſiſtentes, ac Miniſtri omnes. Circa modum intonandi Hymnum hujus diei, & alios ſimiles vide quæ tradunt Auctores mox citati, necnon Gavantus infra *Sect.* 10. *cap.* 1. & 2. *&c.*

Hymni Completorii hujus diei, & Horarum deinceps uſque ad primas Veſperas Ss. Trinitatis excluſive terminantur per verba: *Deo Patri ſit gloria, & Filio, qui a mortuis ſurrexit, ac Paraclito, in ſæculorum ſæcula.*

## De Pentecoſte. Cap. XVIII.

### *GAVANTUS.*

1. HAbet in Matutino tres Pſalmos, cum totidem Lectionibus, ut in Paſchate. Ordo Roman. & ex Gregorio VII. *de conſecr. diſt.* 5. *cap. In die*, ubi aſſeritur fieri de antiquo more, quamvis apud Romanos fuiſſe ſuo tempore Feſtum novem Lectionum ſcribat Amalar. Gregorio longe antiquior *in prologo de Ord. Antiph.* contra Ord. Rom. Amalar. antiquiorem.

2. Reſtitutus eſt ergo Ritus a Gregor. VII. vel firmatus Decreto: quo Ritu idem ſignificatur, quod diximus ſupra in Paſchate *c.* 54. *n.* 1. exceptis propriis cauſis ad Reſurrectionem pertinentibus. Antiph. quæ in hac die dicuntur in nocturno, recenſet Amalar. *lib.* 4. *de Divin. Offic. cap.* 27. ut demonſtretur, inquit, unum opus eſſe in potentia miraculorum SS. Trinitatis, tum in Reſurrectione Filii, tum in adventu Spiritus Sancti. Tres Pſalmos dici ob Baptiſmum, qui datur in Pentecoſte in nomine Trinitatis, tradit Gemma *l.* 3. *c.* 144. Antiphonarum ad Laudes, quæ apud nos, meminit Amalar. *de Ord. Antiph. cap.* 57. Antiphona quarta non videtur aliquibus congruere Feſto: ſed recolant, quod in Geneſi dicitur *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. De Hymnis, & eorum fine, vide ſup. *Sect.* 5. *c.* 6. n. 5. & 12.

3. Ad horam Tertiam dicitur Hymnus: *Veni Creator:* quia hora Tertia ſuper Apoſtolos Paraclitus deſcendit. Et licet quotidie ad eamdem horam invocemus eumdem Spiritum: *Nunc Sancte nobis Spiritus*; tamen convenit hac die, ut Hymno longiori, & proprio Feſti eum invocemus, & ad nos invitemus.

4. Per Octavam leguntur Evangelia cum Homiliis quæ apud Durand. habentur *lib.* 6. *a c.* 110. *& deinceps*, nam tempore Ruperti alia legebantur in Quatuor Temporibus Pentecoſtes, ut ipſe ſcribit *lib.* 10. *c.* 27.

5. De Feria quarta, ſexta, & Sabbato Quatuor Temporum, quæ ſunt Tempora æſtiva, diximus Tomo priore. In his autem ad horas non flectimus genua, ex Ord. Rom. quia tempus adhuc Paſchale eſt, & ideo dicitur etiam *Te Deum*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. nu. 3. — *Ad horam Tertiam dicitur Hymnus: Veni Creator &c.*) De hac Dominica Pentecoſtes erudite agit Gav. etiam *tom.* 2. *part.* 4. *tit.* 11. *a n.* 22. & nos eidem nonnulla adjecimus, quæ ſpectant tum ad eruditionem ſacram, tum ad explicationem Rubricarum, ad Miſſas horum dierum ſpectantium; nunc ſermonem vertimus ad Rubricas Breviarii tantum expendendas, quæ præſcribunt hac die, & per totam hanc Octavam ad horam Tertiam cantandum eſſe Hymnum *Veni Creator Spiritus*: quia hora Tertia ſuper Apoſtolos Paraclitus deſcendit. Caſtaldus in noſtro Cæremoniali *lib.* 3. *c.* 14. *nu.* 14. præſcribit talem Hymnum cantandum eſſe ſolemniter; unde in noſtra Congreg. mos eſt, ut in hac Dominica, & duobus ſequentibus diebus intonetur talis Hymnus a Celebrante Amictu, Alba, Stola, & Pluviali induto. Hanc majorem ſolemnitatem in decantando hoc Hymno, & tota hora Tertia, inſinuat Gavantus, cum dicit convenire hac die, ut Hymno longiori, & proprio Feſti Paraclitum Spiritum invocemus, & ad nos invitemus. Quapropter decet etiam, quod, uti monet Bauld. decantetur tota hora Tertia, accenſis omnibus cereis Altaris, ad eamque omnes Clerici de Eccleſia adſint.

Præfatus Celebrans ſtans, non vero genuflexus, ut mox diximus, debet intonare prædictum Hymnum, idque colligitur ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. ubi dicitur, quod ſi fuerint Hymni *Veni Creator Spiritus*, aut *Ave Maris Stella*, dum Epiſcopus Hymnum intonat, omnes genuflectunt, & ſtatim ipſe quoque Epiſcopus in ſuo genuflexorio, ſi adeſt, genuflectit; ſin minus, ſuper aliquo pulvino; cum ergo Cærem. non doceat a genuflexo jam Epiſcopo Hymnos, quos diximus, intonari; ſignum eſt, quod ab Epiſcopo ſtante inchoantur; qui tamen intonatis a ſe Hymnis, ſtatim ipſe quoque genuflectere debet. De hoc Ritu tractat etiam ſatis erudite noſter Franciſcus Magius in ſuo opere *de Officio, & Choro opuſcula* 2. *diſquiſit.* 35. ubi affert auctoritates aliquorum Cæremon. hunc eumdem Ritum præſcribentium, præſertim vero Cæremon. Clericorum Regularium S. Pauli, in cujus *lib.* 1. *cap.* 10. §. *De Hebdomadario* hæc habentur

tur

Digitized by Google

tur -- Hymnum *Veni Creator Spiritus*, & *Ave Maris Stella* ipſe ſtans enuntiabit, & primis illis verbis pronuntiatis, genuflectet -- Hoc idem præſcribitur in Cærem. Clericorum Minorum *part.1.c.12.* & in illo Minor. Convent. S. Franciſci, necnon Minorum Obſervantium. Sebaſtianus vero Fantonius in Cærem. PP. Carmelitarum a ſe elucubrato *lib.1. Rubr. 52. n. 3.* hanc regulam generalem tradit. *Notandum eſt, quod in omnibus ſupradictis, cum aliquis ſolus quidam incipit, vel canit, in ſuo loco, inter alios ſtans incipiet, vel canet: cum vero duo ſimul aliquid canunt, vel incipiunt, in medio inter alios ſtantes, illud dicunt, vel incipiunt.* Idem quoque præſcribitur in Cærem. Canonicorum Regularium S. Salvatoris *c. 6.* ubi hæc habentur: *Cantores, vel alii Canonici quando in Choro aliquem cantum incipiunt, ſemper verſis vultibus ad Altare, capitibus detectis, ſtare debent.* Rationem hujus Ritus, quem omnes profecto obſervant, aſſignat Victorinus Totinius in Cærem. PP. Camaldulenſium *l. 5. c.14. n.9.* dicendo: *Ut intonatio majeſtatem præſeferat majorem, recto Sacerdote manente in intonando, & ideo magis viſibiliter, magiſque audibiliter, & alacriter, ad ipſiuſque vocem illico genuflectentibus aliis, præter Miniſtrum, qui librum ſuſtinebit; hic enim juxta Cærem. Epiſcoporum cit. non genuflectit, niſi aliquando ob commoditatem legentis:*

Hanc tamen Communi ſententiæ adverſari videtur auctoritas Romani Pontificalis præſcribentis hanc genuflexionem vel ipſimet Epiſcopo celebranti in *Titulo de Benedictione, & Conſecratione Virginum*, ubi ſic ait: *Quibus finitis ſurgunt omnes, & dicitur Hymnus* Veni Creator Spiritus, &c. *Pontifice cum Mitra ante Altare genuflexo incipiente & Choro illum proſequente.* Idem pariter præſcribitur in Tit. *de Ordinatione Presbyteri*, ubi hæc habentur: *Tunc Pontifex ſine Mitra ante Altare converſus flexis genibus, incipit alta voce, ſchola proſequente Hymnum:* Veni Creator Spiritus, &c. Denique in Tit. *de Conſecratione electi in Epiſcopum* ſtatuitur, quod *Conſecrator, flexis genibus ad Altare, incipit, cæteris proſequentibus Hymnum,* Veni Creator Spiritus, &c. Verum quamvis hujuſmodi Pontificalis Romani diſpoſitiones contrariæ videantur noſtræ, & communi ſententiæ, nihilominus adhuc ab ea non eſt recedendum, quia pro hac non ſolum ſtat communis praxis, verum etiam Cærem. Papale, *lib.* enim *2. Sect. 2. Cap. II. de Vigil. a Pentecoſtes* hæc ait: *Conſuevit etiam Pontifex Hymnum Veſpertinum, videlicet* Veni Creator Spiritus, *in ſede ſolii ſtans, detecto Capite incboare: deinde deſcendere ad Faldiſtorium, ubi poſtquam genuflexit, & non prius Cantores proſequuntur Hymnum. Finito primo verſu, ſurgit Pontifex, & aſſumpta Mitra redit ad Faldiſtorium.* Favet etiam noſtræ ſententiæ auctoritas Cærem. Epiſcoporum ſupra a nobis allegata, & a nobis explicata, quam interpretationem admittit etiam Paris de Craſſis, qui *l.2. c.10.* de Cærem. Card. & Epiſcoporum hæc tradit: *ſine Mitra* (Celebrans) *verſus ad Altare ipſum Hymnum intonat: deinde ſic ſtat uſque ad finem Hymni; & ſi Hymnus erit;* Ave Maris Stella, *ſive* Veni Creator Spiritus, *tunc poſtquam in eodem loco Celebrans intonavit, ibid. genuflectit ſine Mitra.* Ex quibus omnibus fit, quod non obſtante Pontificalis Romani diſpoſitione in dictis Caſibus ab eodem adductis, nos in noſtro debemus ſervare communem ritum, & praxim abſque ulla hæſitatione. Poſſet etiam dici Pontificalis Romani diſpoſitionem verſari circa intonationem quaſi privatam præfati Hymni, non requirentem illam vocis elationem, & majeſtatem, quæ requiritur in ejuſdem Hymni intonatione, de qua nos loquimur, & de cujus ritu reddit rationem Totinius mox laudatus, nimirum, *ut intonatio majeſtatem præſeferat majorem, &c.* Concludendum denique eſt, quod diſpoſitio Pontificalis Romani debet ſervari pro illis functionibus ibi præſcriptis; illa vero Cærem. Epiſcoporum ſervari debet in reliquis ſacris functionibus, quæ ad præfatum Pontificale non attinent, nec inter ſe, circumſpectis actionibus, repugnant.

Dum Celebrans ſtando intonat præfatum Hymnum, reliquos omnes de Choro genuflectere debere, præter Ceroferarios, & aſſiſtentes ipſimet Celebranti ſi adſit, certum eſt apud omnes; dubium tamen aliud oboritur, quandonam Celebrans, & reliqui de Choro ſurgere debeant? Noſter Gav. infra Sect. X. Cap. 1. n.4. & Ordinarium Carthuſienſe Cap.14. n.46. & 49. quamvis cum aliis ad initium Hymni genuflexionem præſcribant, de ſurrectione nullum verbum faciunt. Caſtaldus tamen in Cærem. noſtræ Congr. lib.2. Cap.21. præſcribit, ut omnes ſurgant poſt primum Verſum. *Genuflectunt*, inquit, *ſicque permaneant omnes, donec compleatur totus primus Verſus, quo completo, ſurgentibus omnibus, ipſe quoque Celebrans ſurgit.* Idem præſcribit Paris de Craſſis his verbis: *Quo primo Verſu finito, ſurgit* (Celebrans) *ſurgentibus omnibus.* Ita pariter Fantonius in Cæremon. Carmelitarum poſt *Primum Verſum Hymni* Ave Maris Stella, *& poſt Primum Verſum Hymni* Veni Creator Spiritus; ſtatuit, ut omnes exurgant; ſed quomodo poſt primum Hymni Verſum exurget Celebrans, ſi nondum ex eodem Caſtaldo, Paride de Craſſis, & Fantonio genuflexit? Ita inquirit optime Franciſcus Magius libr. suprac. diſquiſit. 36. n.22. ſed hujuſce difficultatis ſolutionem pariter ibid. affert dicendo, præfatos Auctores nomine primi Verſus intelligere Primam Hymni Stropham. Caſtaldus enim in eodem lib. c. 4. n. 16. hæc habet: *In principio &c. donec quatuor primi verſus dicuntur, genuflectendum eſt.* Idem pariter declarant citatis in locis Cærem. Clericorum Minorum, & Canonicorum Regularium, idemque clarius exprimitur in Cærem. Camaldulenſium, ubi Totinius loc. ſupracit. ait. *Uſque ad finem primi verſus*, & paucis interjectis, ſubdit: *Uſque ad finem primorum quatuor verſiculorum.* Patres quoque Prædicatores de primo Hymno Treveris anno 1249. De altero vero Ulliſſiponæ 1618. Mediolani 1622. Romæque 1629. in tertia ordinatione ſic ſtatuerunt; *In pronunciatione Hymni, &c. Fratres maneant genuflexi uſque quo abſolvatur prima ſtrophes;* & idem ſtatuit Cærem. Minorum Obſervantium part.4. c.6. & Minorum Conventualium c.11. dicendo: uſque ad finem primi Metri.

## De Dominica Trinitatis. Cap. XIX.

### *G A V A N T U S.*

PRæter ea, quæ diximus *Tom. 1. part.4. tit. 12.* de origine Feſti Ss. Trinitatis, invenies apud S. Auguſtinum *tom.10.* nonnullos ſermones in eodem Feſto habitos: ſeu, quod puto verius, eidem Feſto a collectoribus aſſignatos, nam in iis ne verbum quidem habetur, quo Feſtum hoc tunc temporis inſinuetur. Atqui poſt Alex. III. in Romana Eccleſia decretum eſt hoc Feſtum *c. Quoniam de Feriis.*

1. Officium, quod hodie recitatur, antiquum appellatur in Breviario edito Venetiis 1550. & puto eſſe illud, quod a S. Stephano Leodienſi compoſitum fuiſſe ſcribunt Durand. *l.6. c.114.* & Tritemius *in Chron. Hirſagienſi.* Aliud Officium ego legi a Rom. Eccleſ. uſurpatum a Jo: Pechano Archiep. Cantuar. compoſitum a Franciſco Titelmanno expoſitum, quod fuit in uſu circa Ann. 1290. quo vivebat Pechanus: ſed quia ſtylus eſt difficilior, & obſcuriſſimus, eo abrogato, illud eſt ſuffectum denuo, quo nos utimur, in quo tamen Pius V. mutavit Hymnos, & Lectiones; addidit primam, & ultimum Reſp. media aliqua mutavit in meliora. Ad Laudes autem juſſit repeti Antiph. in primis Veſperis poſitas. Reliqua non ſunt mutata. Oratio habetur in Sacramentario S. Gregorii, *in Miſſa de Nocte Pentecoſtes, editionis Romanæ.* Fit Comm. Dominicæ primæ poſt Pentecoſt. ne omittatur Dominica, cujus Oratio eſt Ambroſiana. In ſecundis Veſperis, ſi concurrat cum Feſto primæ Claſſis, fit de ſequenti cum Comm. Trinitatis tantum, ſi cum Feſto ſecundæ Claſſis, integræ Veſperæ erunt de Trinitate ex Rubr. *de Concurrentia nn. 2.* quæ Veſperas integras aſſignat majori Feſto, & commemorationem minori. Ipſamet Trinitas ſic voluit, a qua regitur Eccleſia: quidquid contra ſcripſerit Petrus Ruiz.

2. Et hæc Dominica prima poſt Pentecoſten ut ſic, eſt ejuſdem rationis cum Dominicis ſequentibus, non enim de ea intelligitur Rubr. ſub titulo Dominicarum primæ Claſſis, quæ numquam omittuntur: nempe Dominica Trinitatis: ut patet, quia de illis fit totum Officium; de hac vero Commem. tantum, & ipſa Commem. omittitur in iis Veſperis, ſi Feria II. celebretur Feſtum 2. Claſſis, vel primæ. Neque mireris, quod Feſtum Trinitatis, nunc dicatur Feſtum, nunc Dominica, nam utrumque verum eſt, & ratione Dominicæ, in qua ſemper occurrit, habet hoc, quod numquam omittitur Officium de Trinitate, licet eo die occurrat alicubi primæ Claſſis Feſtum, ratione vero Feſti habet ea tantum, quæ ſunt propria Feſtorum 2. Claſſis, puta, Comm. de ſimplici in Laudibus tantum, & in Miſſis privatis, neque in Rubricis potuit congrue aliter fieri ad utrumque decernendum, quidquid objecerint non pauci.

3. Octavam in Octavario noſtro deſcriptam arguunt aliqui, quia Micrul. non laudat Feſtum. Sed aliud eſt loqui de Eccleſia univerſali, in qua quælibet Dom. Trinitati erat dicata; aliud eſt loqui de Titulo Eccleſiæ particularis, & in hoc ſenſu S.R.C. decrevit: Octavam SS. Trinitatis, digniorem in propria Eccleſia eſſe, Octava Corporis Chriſti: An vero infra Octavam dicatur Symbolum S. Athanaſii, vide ſupra *ſect.5. c.20. n.3.*

4. In tertia Antiph. ad Laudes, vox, *omnium*, conjungenda eſt cum, *ore*, non autem cum *Patri*, ita ut dicas, *in ore omnium.*

5. In Feria ſecunda ſequenti, cum pridie non potuerit legi ob Feſtum Trinitatis, legitur Primus liber Regum. Microl. *c. 59.* & Gemma *lib. 4. c.117.* qui in librum a Samuele fuiſſe compoſitum, teſtatur *lib.1.* Paralipomen. *cap. ult.* hoc eſt uſque ad *c.24.* nam in ſequenti narratur ejuſdem obitus; Davidem ſuppleviſſe, ait Iſidor. *lib.6. Originum cap. 2.* quem ſequuntur alii. Nathanum, & Gadum alii, ex *cap. ult.* 2. Paralipom. Jeremiam potius Tornielus noſter exiſtimat probabilius *ſub anno mundi 2977. n.2.* Res eſt incerta. Legitur autem de *libris Reg.* ex Decreto Gelaſii, ut diximus *ſect.5. c.12. n.8.*

Novæ

Digitized by Google

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gavant. num. 2. -- *S. R. C. Decrevit Octavam Sanctiſſimæ Trinitatis digniorem in propria Eccleſia eſſe Octava Corporis Chriſti &c.*) Utrum Octava SS. Trinitatis dignior ſit Octava Corporis Chriſti, eſt quæſtio, quam fuſe agitavimus in noſtris obſervationibus ad *c. 8. ſect. 3. n. VII.* & acerrime ſuſtinuimus Octavam Corporis Chriſti eſſe præferendam Octavæ Sanctiſſimæ Trinitatis ab iis, qui eam celebrant, quia Sanctiſſima Trinitas eſt Titulus propriæ ſuæ Eccleſiæ. Pro tuendo ſuo placito allegat hoc loco Gavantus Decretum S. R. Congr. ſed puto hoc Decretum conſiſtere in approbatione Octavarii Romani, in quo Feria VI. & Sabbato ſubſequentibus ad Feſtum Corporis Chriſti, aſſignantur Lectiones dicendæ ab iis, qui celebrant Octavam Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ profecto poſitæ non fuiſſent, ſi Sac. C. cenſuiſſet in concurrentia harum Octavarum præferendam eſſe Octavam Corporis Chriſti. Aliud enim Decretum, quo præciſe declaretur Octavam Sanctiſſimæ Trinitatis digniorem eſſe Octava Sanctiſſimi Corporis Chriſti, certe non reperitur, & revera talis Decreti a Gavanto allegati non ponitur nec Annus, nec menſis, nec dies, ſub quo emanavit, & quatenus extaret tale Decretum, ſicut extat revera approbatio prædicti Octavarii, adhuc ſubſiſtit veritas ſententiæ, quam ibidem propugnavi, quia cum ex parte Magiſtrorum Cæremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Bracarenſis quæſitum fuerit a Sac. C. an diebus VI. & VII. Octavæ Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, cum de ea fiat Officium, quia eſt dignior Octava Corporis Chriſti, debeat etiam dici IX. Lectio de Simplici illis diebus occurrente, an omitti ratione Octavæ Corporis Chriſti? S. R. C. die 8. Junii 1709. reſpondit ad hoc dubium; diebus VI. & VII. infra Octavam Feſti Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum eſſe Officium de die II. & III. infra Octavam Corporis Chriſti cum Commemoratione Sanctiſſimæ Trinitatis. Stante igitur hoc Decreto, quod eſt poſterius Decreto, quod Gavantus ſupra allegavit, dirimitur omnino Controverſia, diſerte enim declaratur a S. C. & quidem ſapientiſſime, Octavam Corporis Chriſti, utpote magis privilegiatam, & admittentem ſolum Duplicia occurrentia, & tantum translata primæ & ſecundæ Claſſis, digniorem eſſe Octava Sanctiſſimæ Trinitatis, adeoque ei præferendam. Videantur ea, quæ a nobis ibidem allata ſunt pro comprobanda hac noſtra ſententia, & unicuique perſuaſum erit hoc placitum, quod a nullo adhuc popoſitum, & propugnatum fuit.

## De Feſto Corporis Chriſti. Cap. XX.

### *G A V A N T U S.*

1. Officium ſcripſit Sanctus Thomas, *habetur in Opuſc. 57.* juxta ſitum illorum temporum. Hodie concordamus cum auctore, ſervato ritu Pii Quinti in Officio toto, his exceptis. Capitulum in primis Veſperis erat aliud. Lectiones primi Nocturni erant de Scriptura veteri: amoto quarto Reſponſorio S. Thomæ, additum eſt ſextum de novo Pii V. juſſu.

2. Per Octavam non mutatur amplius Invitatorium, neque Antiphonæ ad *Benedictus*, & *Magnificat*. Lectiones quoque pro tribus Nocturnis additæ ſunt a Pio V. in quibus apparent congruentiæ cum myſterio etiam in primis Lectionibus, quæ de Arca Teſtamenti, Euchariſtiæ figura, narrationem continent.

3. De Privilegiis hujus Octavæ, ſi concurrat cum Feſto, & Octava S. Joannis Baptiſtæ, & qua ratione excludat Semiduplicia Feſta & Duplicia translata, diximus *ſect. 3. c. de Octavis*.

4. De Simplici fit tantum Commemoratio infra hanc Octavam. An nona Lectio erit legenda? Negant aliqui: quia hoc non dicitur in propria Rubrica, quod tamen dictum fuit in Rubrica poſita infra Octavam Aſcenſionis: ſed una Rubrica explicat aliam, prior poſteriorem. & patet debere legi ex Rubrica gener. *de Commem. 9. n.* 10. ſed noviſſime Sac. Congr. mandavit, quod de Simplici fiat tantum Commemoratio ſine 9. Lect.

5. Indulgentiæ conceſſæ iis, qui interſunt Horis Canonicis in Feſto, & per Octavam, valent, etiamſi Officium dicatur de Sanctis occurrentibus, ex Decreto Jo: XXII. quod ego legi in antiquo MS.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. -- *Officium ſcripſit Sanctus Thomas, &c.*) Feria *V.* poſt Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis occurrit Feſtum Solemne Sanctiſſimi Corporis Chriſti cum Octava, inſtitutum ab Urbano IV. (ut fuſe diximus in primo Tomo *part.* 4. loquendo de hoc eodem Feſto) anno 1262. & ab Eugenio IV. Anno 1433. confirmatum. Officium ejuſdem Feſti compoſitum fuit ab Angelico Doctore S. Thoma Aquinate juxta Ritum illorum temporum, ut videre eſt in ejuſdem Opuſculo 57. Eſt Feſtum primæ Claſſis, & privilegiatum contra quodcumque aliud Feſtum, unde ſi occurrat hac die Feſtum aliud Duplex, vel Semiduplex, transferri debet poſt Octavam, ut diximus etiam alibi, nempe in noſtris Additionibus ſuperius datis ad Caput octavum *ſect.* 3. ſub *n. VI.* ubi plura congeſſimus Decreta, omnino iterum videnda, quæ pertinent ad hanc Octavam. Translatio dictorum Feſtorum eſt etiam conformis Rubricæ tum propriæ præfixæ primis Veſperis hujus Feſti, tum generali *Tit. X. n.* 1. *&* 5. *loc. ſuprac.* Diximus excipi a prædicta Regula, & Decretis Feſta primæ & ſecundæ Claſſis, de quibus ſolis etiamſi translatis, poteſt celebrari Officium infra hanc Octavam. Quapropter quando Feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ occurrit in hoc Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti juxta Rubricam generalem *Tit. X.* de Translatione Feſtorum transfertur in ſequentem diem cum Commemoratione Octavæ; & in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fit tantum Commemoratio S. Joannis; reliquis autem infra Octavam Corporis Chriſti diebus dicendo Officium de eadem Octava fit Commemoratio Octavæ S. Joannis. Dies autem Octava S. Joannis veniens tunc in Octava Sanctiſſimi Corporis Chriſti, non transfertur, ſed de illa eo anno fit tantum Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa. De prædicto Feſto S. Joannis celebrando in dicta occurrentia quoad Officium in prædicta Feria VI. inſurgit dubium inter Rubriciſtas, utrum celebretur in tali Feria VI. tamquam in die fixo, & proprio, itaut excludat quodcumque aliud Officium alicubi in dicta Feria VI. occurrens. Interrogatus ſuper hoc dubio, affirmative reſpondi, quia id videtur colligi ex verbis allegatæ Rubricæ, quæ in prædicto caſu videtur aſſignaſſe pro ſemper Feriam immediate ſequentem tamquam diem propriam pro dicto Feſto S. Joannis, unde de eo non fit Officium tamquam de Feſto translato, itaut ſi aliud alicubi occurat Officium tali die, debeat Officium S. Joannis Baptiſtæ ulterius protrahi, & in aliam diem transferri.

Poſtquam hæc ſcripſeram, a S. R. C. emanavit ſequens Decretum, quo remanet omnino deciſa hæc quæſtio. Si Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ ſive aliud ex ſolemnioribus venerit in die Corporis Chriſti, Officium S. Joannis ſingulari privilegio transfertur in ſequentem diem a quocumque Officio novem Lectionum etiam impeditam cum Commemoratione Octavæ, ſed in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fit Commemoratio tantum S. Joannis. Cætera vero Feſta ſolemniora occurentia in dicta die Corporis Chriſti transferantur infra Octavam in primam diem non impeditam. Ita Sacra R. C. die 23. Junii 1736. in *Einſilden.* & datur in noſtro Indice *ſub num.* 327.

II. Gav. n. 3. *Diximus ſect. 3. cap. de Octavis &c.*) Sectando Gavanti veſtigia etiam nos ibidem in noſtris Obſervationibus & Additionibus nonnulla tradidimus de Privilegiis hujus Octavæ, & quomodo excludat Semiduplicia Feſta, necnon Duplicia translata, non vero ſi ſint hæc Feſta translata Ritu Duplici primæ vel ſecundæ Claſſis decorata.

III. Gav. n. 4. -- *At nona Lectio erit legenda &c.*) Loco mox citato egimus pariter de hac re, nempe utrum infra hanc Octavam de Simplicibus legenda ſit IX. Lectio, unde videantur ibi dicta, præſertim vero Decreta nonnulla allegata, & a S. R. C. edita. De expoſitione, & de Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti facienda in hac ſolemnitate fuſe tractaviſſimus cum Gavanto *tom. 1. part. 4. tit.* 12. *a n.* 3.

## De Dominicis poſt Pentecoſten. Cap. XXI.

### *G A V A N T U S.*

1. Non minorem viginti tribus, nec majorem viginti octo Dominicarum numerum poſt Pentecoſten fore uſque ad Adventum, ſatis ſuperque patet, quæ ſupplentur cum Dominicis, quæ ſuperſunt poſt Epiphaniam, ut docuimus *Sect. 3. c. 5. de Dominicis*, Ponuntur autem in Breviario Dominicæ vigintiquatuor cum propriis Orationibus, & Evangeliis, quæ fuerunt optime per Dominicas diſtributa. Orationes quidem a S. Gregorio: Evangelia vero a S. Hieronymo, quorum auctoritas ſufficiat pro ratione; cur potius hæc, vel illa Oratio: cur hoc, vel illud Evangelium legatur, & hac, vel illa Dominica. Idem fere, pauciſſimis mutatis, tum textus, tum ordo Evangeliorum hodie perſeverat a S. Hieronymo præſcriptus, ut vidimus in ejus Comite, ſeu Lectionario. In primis autem Dominicis poſt Pentecoſten apud minus antiquos erat alius ordo, vel mutata ſedes aliquando Dominicæ pro diverſarum Eccleſiarum uſu, quod videre eſt in Rupert. *toto libro* 12. *de divinis Officis*, in Gemma *lib. 4. toto*, & in Durando *lib. 6. toto*. Orationes item, quæ mox ſequuntur, Ambroſianæ ſunt, & a Sancto Gregorio aliter diſtributæ, nimirum, Dominicæ quintæ, nonæ, & vigeſimæ primæ, reliquæ Romanæ.

2. Tempus autem hoc totum a Pentecoſte ad Adventum ex Amalario *de Ord. Ant. c.* 58. inſinuat humilitatem illam, quam ſolet ſuſtinere Eccleſia propter abſentiam Chriſti ſui Sponſi.

3. De ordine, quo legitur Scriptura Sacra hoc tempore, quam

Digitized by Google

quam ob cauſam, ſcripſimus ſupra *Sect.* 5. *c.* 12. *n.* 8. *& ſeq.* Et quidem uſque ad Auguſtum legimus libros Regum, quorum ſecundum ſcripſit, vel Nathan, vel Gad, vel Jeremias; Tertium, & Quartum Jeremias, ex Gemma *lib.* 4. *c.* 117. qui hauſit ab Iſidoro *lib.* 1. *de div. Off. c.* 12. & eſt opinio conſtantior.

4. Menſe Auguſto leguntur Sapientales libri, inter quos Cantica Canticorum infra Octavam B. V. Aſſumptæ, in ejuſdem laudem; & quidem Proverbiorum, Eccleſiaſtici, Cantica Canticorum eſt ſine dubio Salomon auctor: Sapientiæ vero libri facit auctorem eumdem Salomonem Iſidorus *loc. cit.* Philonem S. Hieronymus, qui conciliantur a Bellarmino, *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quod ſententiæ Salomonis ſunt; earum collector Philo, qui Græce ſcripſit, antiquior alio Philone, qui ſub Cajo Imperatore floruit. Eccleſiaſticus quoque legitur per duas Hebdomadas, niſi dematur altera ob brevitatem temporis, appropinquante Septembri: quem librum ſcripſit Jeſus filius Sirach nepos Jeſu Sacerdotis, cujus meminit Zacharias, ut tradit Iſidorus *de div. Off. loc. cit.*

5. Menſe Septembri legitur primo Job, cujus hiſtoria, vel ab ipſomet, vel a Moyſe, vel ab aliquo ex Prophetis ſcripta eſt, ex Iſidoro *lib.* 6. *Originum c.* 2. Bellarminus *loco citato* putat a Job fuiſſe adnotatas res a ſe geſtas lingua Arabica, & a Moyſe denique ex iis compoſitum fuiſſe librum, quem nunc habemus lingua Hebraica: tum quia Hebræi hoc idem aſſerunt eſſe opus Moyſis; tum quia dicitur Moyſes primus ſacrarum literarum Scriptor, qui fuit tamen longe poſterior Jobo: & hac ratione in Canonem Scripturarum ab Hebræis admiſſus fuit hic liber. Legitur autem per duas Hebdomadas Septembris.

6. Legitur præterea Tobias in Tertia Hebdomada, cujus hiſtoriæ auctor, vel fuit Tobias ſenior, vel junior, ait Bellarminus. Incertum eſſe auctorem ſcribit Iſidorus *de div. Offic. loco cit.* Sed parum de eo legitur propter Ferias quatuor Temporum, de quibus in priori tomo diximus: & in Officio earum Feriali nihil occurrit ſpecialiter notandum.

7. Circa finem Septembris in Hebdomada quarta, & quinta legitur Judith cum Eſther; libri vero Judith fuit auctor incertus ex Iſidoro *loc. cit.* Bellarminus *ex Joſephi hiſtor. lib.* 1. *contra Appionem*, Sacerdoti Eliachim tribuit, qui, & Joachin, de quo *c.* 4. *&* 15. Judith. Achiorem vult eſſe auctorem Gemma *lib.* 4. *cap.* 17. Eſther hiſtoria ab Eſdra ſcripta fuit, ex Iſidoro *lib.* 6. *Originum c.* 2. Sed Bellarmino magis placet, quod fuerit auctor Mardochæus. Lege Torniellum noſtrum *Anno* 3650. *n.* 3. & Gemma locu cit.

8. Menſe Octobri leguntur libri Machabæorum, quorum primus habet auctorem incertum; ex Iſidoro *lib. de Div. Off. c.* 12. Probabile videtur Bellarmino, fuiſſe ſcriptum a Joanne filio Simonis; ſed Gemma loco citato docet, Simonem ſcripſiſſe prima capita, poſteriora Joannem. Secundum vero librum ſcripſit Philo Judæus, ex Gemma loco citato, vel Judæus agreſtis, ſed eruditus, ut ait Durandus *lib.* 6. *c.* 130. vel certius Jaſon Cirenæus, ut loco cit. docet Bellarminus.

9. Menſe Novembri legitur primo Ezechiel per duas hebdomadas, niſi Adventus præpropere occupet Novembrem: cujus revelationes, ſicuti & Danielis, & 12. minorum Prophetarum Synagogæ ſapientes viri collegere, ex Iſidoro *l.* 1. *de Div. Offic. c.* 12. Auctores tamen iidem dicendi ſunt, qui prophetaverunt. Majores dicti ſunt Prophetæ Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel; minores alii duodecim, tum ex Auguſtino 18. *Civit. Dei c.* 29. quia prolixiora volumina illi ſcripſere, hi ſermones breves: tum ex Bellarmino, quia minorum Prophetarum libri omnes unico libro comprehenduntur: apud Hebræos illi ſingulos edidere libros. Ordinem autem temporum, quo ſcripſerunt, habes ſupra *ſect.* 5 *c.* 12. *n.* 7.

10. In gratiam martyrii ſeptem Machabæorum, ſi forte deſit Dominica quinta Octobris, jubemur legere de eo Fer. 5. præcedente dictam Dominicam; & eodem modo, ſi Dominica quinta, & Feriæ ſequentes fuerint impeditæ, quo minus de Scriptura legi poſſit, leguntur in aliis ſequentibus Feriis poſt Feriam 3. itaut ſaltem incohentur, ſi minus omnes de eorumdem martyrio poſſunt legi Lectiones. Nulla enim eſt obligatio legendi totam Hiſtoriam de martyrio ſeptem Machabæorum, *ut ex Rubrica patet in Breviario poſita ante Feriam* 5. *hebdom. Oct.* ex qua, vel leguntur in Feria 5. & 6. & Sabbato Dominicæ 4. vel iis impeditis omittuntur, quæ legi non poſſunt: vel in ſua propria hebdomada 5. leguntur in ſuis propriis Feriis, vel in ſequentibus 4. vel 5. vel 6. vel Sabbato juxta ordinem Hiſtoriæ; nunquam vero ultra tres Lectiones in qualibet Feria, ne gravetur Clerus, & fuit hoc ſancitum, me præſente, in recognitione Breviarii ſub Clemente VIII. Qui vero voluerit, uno, eodemque die, eas omnes novem, ut ſimul legere, impeditis aliis diebus, legat arbitratu ſuo: ſicuti quilibet etiam legere poteſt integrum totum textum trium Lectionum pro initio cujuſque Prophetarum, & Lectione una: at in Kalendariis Eccleſiarum ſatis eſt imponere neceſſarium onus Lectionum non autem arbitrarium: quod & nos præſtitimus in Ordine noſtro Divini Officii perpetuo in Tabulis ejuſdem. Habent autem SS. Machabæi Feſtum proprium 1. die Auguſti, quod omiſſionem harum Lectionum ſupplere videtur.

11. Initia Lectionum minorum 12. Prophetarum legi debent, licet dixerimus apud Hebræos conſtituere unum librum; quia plures nihilominus ſunt auctores, ut in Rubrica *de Lectionibus* dicitur *n.* 7. itaut, inquit, aliquo modo ponatur initium Prophetæ, vel in ſequenti, vel in præcedenti Feria non impedita ſimili initio Scripturæ ponendo, vel plura ſimul initia uno die, ut diximus ſupra *ſect.* 5. *c.* 12. *n.* 12.

12. Quid, ſi, verbi gratia, Feſtum Sanctæ Catharinæ ſit Duplex primæ Claſſis in ſua Eccleſia, in quo legi ideo debent Lectiones primi Nocturni de Communi Virginum; neque dies amplius vacet ad legenda reliqua initia Prophetarum? ſæpe accidit in longiori Adventu, & tunc omitti poſſunt, quæ locum non habent, nam Rubrica citata *n.* 7. ait: *quoad commode fieri poterit*: parumque refert, ſi in Eccleſia aliqua particulari non legatur de omnibus Prophetis aliquo anno

13. Lectiones autem 2. Nocturni in prædictis Dominicis concordant cum Lection. 1. Nocturni, itaut ſint quaſi earumdem Commentaria, excepta Dominica 3. Septembris, in qua S. Leo nos invitat ad jejunium ſeptimi menſis, & Dominica quinta Novembris, in qua S. Baſilius timorem Domini docet, eo quod ea Dominica ultima poſt Pentecoſten, in Evangelio de fine mundi, & de judicio univerſali agitur.

14. Reſponſoria denique Lectionibus reſpondent, ut nihil magis; ſicuti etiam Antiphonæ ad *Magnificat* in primis Veſperis Dominicæ, deſumuntur e Scriptura legenda in 1. Nocturno Dominicæ ejuſdem: ad *Benedictus*, & *Magnificat* in ſecundis Veſperis, ex Evangelio ejuſdem Dominicæ lecto in Nocturno tertio; itaut ipſæmet Antiphonæ ſint de veteri, vel de novo Teſtamento. Atque hæc de proprio de Tempore.

---

# SECTIO SEPTIMA.

## De Proprio Sanctorum.

## SECTIONIS SEPTIMÆ CAPITA XIII.

1. *De Vigiliis, & Feſtis, & Octavis Sanctorum.*
2. *De Feſtis Sanctorum Menſe Decembri.*
3. *De Feſtis Sanctorum Menſe Januario.*
4. *De Feſtis Sanctorum Menſe Februario.*
5. *De Feſtis Sanctorum Menſe Martio.*
6. *De Feſtis Sanctorum Menſe Aprili.*
7. *De Feſtis Sanctorum Menſe Majo.*
8. *De Feſtis Sanctorum Menſe Junio.*
9. *De Feſtis Sanctorum Menſe Julio.*
10. *De Feſtis Sanctorum Menſe Auguſto.*
11. *De Feſtis Sanctorum Menſe Septembri.*
12. *De Feſtis Sanctorum Menſe Octobri.*
13. *De Feſtis Sanctorum Menſe Novembri.*

### De Vigiliis, Feſtis, & Octavis Sanctorum. Cap. I.

### *GAVANTUS.*

1. DE his vide in primo Tomo, & in Præfatione ad Octavaſium Romanum.

2. Hiſtorias ſingulorum Sanctorum, de quibus in Breviario fit Officium, non eſt hujus loci recenſere, aliorum eſt provincia, non noſtra.

3. Quare hoc loco tantum eſt dicendum. Primo, quandonam cuique Sancto, de quo fit Officium, fuit aſſignata Sedes in Kalendario Romano, ſeu quod idem eſt, in Breviario. Sedem autem intellige eum diem, quo quiſque deſcriptus eſt in Kalendario Romano: quæ ſedes eſt ita propria cujuſque, ac ſi eo die obiiſſet; licet vere alio obierit, & in diem præſcriptum alia de cauſa translatus fuerit; ſalvis tamen Rubricis circa diem obitus: Secundo, quo ritu quiſque colendus eſt, & a quo præſcriptus: Tertio, quis auctor Officii, quod de unoquoque recitatur. Quarto circa Vigilias, & Octavas quæcumque occurrunt notanda.

4. Ut autem aſſequamur Primum, citabo Micrologum, qui floruit circa Annum 1080. tum Durandum, qui circa Annum 1280. tum Radulphum, qui Kalendaria collegit Sanctorum, & obiit Anno 1403. tum Miſſalia, & Breviaria MS. Bibliothecæ Vaticanæ, tum Appendicem MS. Sacramentarii Sancti Gregorii, eidem Sacramentario additam non longe poſt tempora S. Gregorii, quæ in Bibliotheca eadem habetur, & redolent illa MS. antiquitatem ſaltem ſupra trecentos annos, & ultra. Quæ in Sacramentario ipſo Sancti Gregorii habentur in hanc cauſam, ſuis locis non omittam. Alios quoque Auctores referam, de quorum fide non videtur dubitandum eſſe.

5. Ritus vero Duplicis, Semiduplicis, & Simplicis officii, a quo datus, ſeu mutatus fuerit in unoquoque Sanctorum Feſto, ex antiquis ſolus Durandus indicare poterit, qui Duplicium, & Semiduplicium ſatis diſtincte meminit *lib.* 7. *cap.* 1. Micrologus quandoque indicat; Radulphus parciſſime. MS. Breviaria ſuppeditabunt multa. Et quidem ante Nicolaum Tertium, pauciora erant Sanctorum Feſta cum

novem

novem Lect. apud Romanos, ex quibus Pontificum Romanorum Martyrum, pleno Officio, ideſt, cum novem Lect. ait Microl. *c.* 43. agebantur Feſta, ex Decreto Greg. VII. quo tempore Microl. vivebat; ſed Nicolaus (cujus ætate vivebat Durand.) amotis ab Urbe aliis Brev. & Miſſalibus, mandavit, ut adhiberentur tantum Brev. Fratrum Minorum, ut ſcribit Radulph. *prop.* 22. indeque omnes libri Romæ de divinis Officiis fuere novi, & Franciſcani: contra quos idem Radulph. acriter invehit, quod plures Sanctos in Kalend. invexerint, quam antea, & cum novem Lect. nullos fere cum tribus, in præjudicium Pſalterii.

6. Dixi ex Microl. decreviſſe Gregor. VII. Officia novem Lect. ſeu plena Ss. Pontificibus Romanis Martyribus: quod tamen hodie non eſt de omnibus in uſu, & negat Radulph. hunc uſum *prop.* 22. Sed conciliari poſſunt hoc modo; quod, vel decretum Gregor. VII. non fuit uſu receptum, vel Romæ tantum, non ubique, vel per non uſum deinde paulatim per 300. annos, qui inter Microl. & Radulph. interceſſere, in aliquibus feſtis abrogatum eſſe. Variorum horum rituum cauſam attulimus *Sect.* 3. *c.* 2. *n.* 1.

7. Quod attinet ad auctores Officiorum, quando certos habuerimus, eoſdem nominabimus. Illos eſſe auctores putat regulariter Cornelius Schulting. *Tom.* 3. *Biblioth. Eccl. part.* 1. qui eorumdem Ss. Feſta decreverunt, eorum enim auctoritate fuere compoſita, & edita.

8. Si quæ ex his non fuerint, traditioni Eccleſiæ, auctoritati Pii V. & Sedi Apoſtolicæ ea reſervata eſſe intelligantur. Gregor. creditur eorum auctor, quorum nomina ſunt in ejuſdem Sacrament.

9. Denique ſequemur ordinem menſium a Vig. S. Andreæ, qui eſt ordo Brev. in proprio Sanctorum; licet attineat ad finem menſis Novemb.

### Nuvæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 5. -- *Contra quos idem Radulphus acriter invehit, quod plures Sanctos in Kalend. invexerint &c.*) De variatione, quæ ſecuta eſt in Brev. Romano tempore Nicolai III. Summi Pontificis, alibi locuti ſumus, nempe in noſtris novis Obſervationibus ad *Cap. I. Sect.* 2. *ſub n. III.* Hoc loco iterum dicitur tempore præfati Pontificis multa Ss. Officia, & quidem plena, nempe IX. Lect. in Brev. Romano inſerta fuiſſe, mandavit enim idem Pontifex, ut adhiberentur tantum Brev. Fratrum Minorum, ut ſcribit Radulphs Tungrenſis, in ſuo inſigui Libro de Obſervantia Canonum *propoſit.* 22. indeque omnes libri Romæ de Divinis Officiis fuere novi, & Franciſcani, contra quos idem Radulphus propoſitione 17. & 18. acriter invehitur, quod plures Sanctos in Kalendario invexerint, quam antea, cum tali præjudicio Pſalterii, ut hanc multiplicitatem Feſtorum etiam abuſum deteſtandum, idem Radulphus appellare non dubitet. Guzetus quoque *l.* 1. *c.* 1. *q.* 19. approbare neſcit Feſtorum pruriginem, quæ multorum e Clero tam Sæcularium, quam Regularium animos ita pervaſit, ut nihil plus optent, nihil fere vehementius ambiant, quam abactis procul omnium Feriarum Officiis, continuis, ac prope quotidianis Feſtis indulgere, opinantes ſibi, & Religioni magnum augmentum, & Eccleſiæ ſuæ, vel Ordini ſplendorem acciviſſe, ſi coerogatis undique opportune, importune Sanctis, cooſertum, & coagmentatum, atque ſuperfluens Kalend. propeium compegerint, quod profecto a priſco, & legitimo Eccleſiæ ſenſu alienum eſt. Quoad priſcum Eccleſiæ ſenſum ſufficit percurrere antiqua Kalend. in quibus profecto raræ inveniuntur Feſtivitates Sanctorum, & hinc eſt, quod citatus Radulphus præmiſſa comparatione Feriarum ſex pro unica Dom. & Diſcipulorum 72. pro duodecim Apoſtolis ſic concludit; *Sicut ergo pauci ſunt dies Dominici, & multæ Feriæ; ac pauci Apoſtoli, & multi Diſcipuli, ita paucæ debent eſſe feſtivitates, & multæ Feriæ &c.* & paucis interjectis proſequitur dicens: *Si bene conoutes & ordines, non erunt tot feſtivitates in anno, ſicut Dominici dies, quia ſervi non debent eſſe ſupra eorum Dominum, nec Diſcipuli ſupra Magiſtrum.*

Huic Radulph. auctoritati addit Guyetus etiam illam Gerſonis Cancellarii Pariſienſis, qui conſultus a Canonicis Carnotenſibus, qua ratione S. Joſephi poſſent celebrare Feſtum; modum hunc illis præſcribit, nimirum; ut Hom. de Evang. proprio legerent Feria V. poſt Dom. 3. Adventus; & Miſſam eodem die de ipſo cantarent: *qui modus*, inquit Gerſon, *placet admodum, quia facilis, nec turbativus in aliquo, vel impeditivus ordinarii ſervitii de Advenen.* Ita Doctor ille in Epiſtola ad Cantorem Carnotenſem data Conſtantiæ 7. Septembris anno 1416. qui & in alia itidem Epiſtola, ſcripta Pariſius 17. Auguſt. 1413. ipſam Hom. cum tribus Reſp. & Miſſam integram plene deſcribit. Hinc apparet quanta eſſet priſcis temporibus Officii Ferialis reverentia, quantaque averſio ab illius decoctione, cui tam multi hodie liberali nimis, impenſoque ſtudio ſavent.

Quod autem hæc Feſtorum multiplicatio ſit etiam aliena a legitima Eccleſiæ mente, hoc elucet ex notabili detrimento, quod inſertur Officio de tempore, adeo etiam ingens eſt Feſtorum coacervatio, quam aliqui promovent, ut vix locus ullus, aut, certe exiguus admodum Feriis ſupeeit, quin & Dom. plurimæ ſupprimantur. Ad præcavendum hoc inconveniens emanarunt tum Summorum Pontificum, Conſt. tum S.C.R. Decr. nam Gregor. XIII. in Bulla, quæ incipit: *Paſtoralis Officii*, data anno 1573. ad Eccleſias Hiſpaniæ, prohibet, ne tantam multitudinem Feſtorum inducant: *in primis*, ait Pontifex, *illud nobis declarandum ſe offert, ex quo magna oriri poterat confuſio, ut ſcilicet Officium majoris partis Feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarii ſubverteretur*. Sacra pariter Rit. Congr. novis Brev. auctoritate Urbani VIII. recognitis, eodem approbante Pontifice, immo & jubente, appoſuit Decretum illud, quo facultatem omnem Ordinariis quibuſcumque adimit, Feſta ulla Kalend. etiam propriis, addendi, præter ea, quæ a Rubr. conceduntur; cujus Decr. interpres noſter Gav. Cap. 3. Sect. 3. ſic ait: *Feriale Officium Domini eſt, quod a quocumque ſervo non debet obrui*, & ideo *videant Epiſcopi ne pluralitate Feſtorum fiat injuria Officio Feriali Domini Dei noſtri*. Verba tamen inſignis hujus Magiſtri non ſic accipienda ſunt, quaſi aliquod ſit Officium, quod non ſit Domini, cum ipſe Deus Optimus Maximus, & Dominus noſter finis ſit, ad quem omne Officium etiam Sanctorum dirigitur; ſed cum ratione materiæ aliud ſit Officium de Sanctis, in quo videlicet eorum laudes, & gratiæ a Deo ipſis datæ prædicantur, & ipſimet Sancti invocantur; aliud vero, in quo ipſemet Deus, ſeu ipſius attributa ex profeſſo laudantur, aut Domini myſteria, ſeu ejus dicta, factave recoluntur: ſenſus Gav. eſt, utrumque ſic ordinari debere, ut pluries de Domino fiat Officium, quam de Sanctis. Quo ſane ordine nihil æquius, nihil decentius excogitari poteſt, ait Doctiſſimus Guyetus loc. cit. ex quo placuit hæc exſcribere. Et qui cap. ſeq. q. 1. ſubnectit non eſſe hoc novum zelandi genus, quod in Fratribus Minoribus ſui temporis redarguit, ut ſupra diximus, Radulph. Tungrenſis propoſit. 17. & 22. (ſed eorum vindicias alibi exhibuimus) utpote qui Sanctos ſui Ordinis proprios in Kalend. Romanum intuliſſent, cujus rei fidem eidem Guyeto fecere duo Kalend. alterum editum an. 1483. alterum 1555. ambo prædictis Feſtis, aliiſque plurimis exoticis referta, quæ deinceps expuncta fuere. Et ne ſimile amplius a quocumque attenteretur, emanavit mox allegatum Decretum omnibus Brev. præfixum, eo maxime fine, ut vaga illa, & incerta Feſtorum etiam particularium multiplicatio reſtringatur.

In ſequentibus Gav. Capitibus ne ulla oriatur confuſio, noſtrarum Obſervationum, & Additionum methodum mutare, operæ pretium duximus. Igitur advertimus, quod illa, quæ his commatibus, ſignata reperies, continebunt nova noſtra Additamenta, ſeu Obſervationes, reliqua vero nullis virgulis prænotata, exhibebunt Gav. Textum. Alia, quæ ſunt hac Cruce † ſignata, ſunt Additamenta Gav. Textui ab aliis facta.

### De Feſtis Sanctorum menſe Decemb. Cap. II.

1. Die 29. *Novembris*. Vig. S. Andreæ. Extat Decretum de Vig. Apoſtolorum apud Clem. *l.* 8. *Conſt. Apoſt. cap.* 39. & Innoc. III. *de obſerv. jejun. cap.* 2. Officii auctor Pius V. eſt, qui Vig. omnibus addidit Homil. ſuper Evang. Miſſæ; quod hoc loco ſatis ſit ſemel dixiſſe. Officium Miſſæ hujus habetur in Antiphonario S. Gregorii, & Orationes in Sacramentario ejuſdem. Epiſtolæ, & Evang. ut in Comite, ſeu Lectionario S. Hieronymi, ,, Habetur etiam in Sacramentario Gelaſiano & in Kalend. ,, Frontonis. ,,

In Adventu nihil fit de Vig. niſi in Miſſa, quia cedit Vig. Fer. Adventus digniori: Miſſa vero dicitur de Vig. cum comm. Fer. & S. Saturnini, quibus additur quarta *Fidelium*, ſi incidat in Fer. ſecundam, & quinta de B. V. juxta Rubr. gener.

S. Saturnini, fiebat de eo Officium in Breviario 1550. Venet. edito; nunc a Pio V. decreta eſt tantum ejuſdem commemoratio. Habentur Orationes Miſſæ omnes in Sacramentariu S. Gregorii. ,, Miſſa S. Saturnini legitur pariter in ,, vetuſto Codice Turonenſi annorum circiter 800. in Miſ- ,, ſali Gothico, & notatur in Kalendario Frontonis. Sed ,, in Ordine Gelaſiano; & in Sacramentario Gellonenſi Miſ- ,, ſa eſt de Ss. Saturnino, Chryſanto, Mauro, & Daria: ,, in Sacramentario Pameliano, & Menardino nulla fit men- ,, tio de S. Mauro. "

,, Occurrente aliqua Vigilia in Adventu, Miſſa utique di- ,, citur de Vigilia cum commemoratione Feriæ ex Rubr. III. ,, Miſſalis num. 4. & merito, cum nulla ſit Miſſa Feriæ pro- ,, pria, ſed tantum repetatur Miſſa Dominicæ. Quod ſi in ,, eadem Vigilia occurrat Feſtum Duplex, vel Semiduplex, ,, puta S. Saturnini in Vigilia S. Andreæ, ubi celebratur ,, ſub Ritu duplici, vel ſemiduplici, erit quidem facienda ,, in Miſſa Commemoratio Vigiliæ poſt Commemorationem ,, Adventus; ſed utrum ſit legendum Evangelium ejuſdem

„ Vig. in fine M. Te, vide ea, quæ diximus in noſtris Obſer-
„ vationibus, & Additionibus ad Tom. 1. part. 1. tit. 13. n. 7.

30. *Novembris*. Andreæ Apoſtoli Feſtum a primitiva Eccleſia, ex Clem. ſupracit. quod Bonifacius VIII. decreto firmavit, in honorem omnium Apoſtolorum. Vide Aaor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 24. *initio*. Idem Bonifacius Duplicem ſtabilivit ritum, Epiſtolam, Evangelium, ut in Comite Hieronymi. Officium Horarum a S. Gregorio I. qui idem Apoſtolo impenſe paritus erat, fuit compoſitum, ex Beleth. *cap.* 164. Tamen Radulph. *propoſ.* 12. affirmat, Antiphon. a Gallis compactas. Officium Miſſæ, præter Communionem, habetur in Antiph. Gregoriano, & in Sacrament. Orationes omnes. „ Hoc Feſtum
„ cum Miſſa habetur in vetuſtiſſimo Ordine Leonino, in Gela-
„ ſiano, & in Miſſali Gothico, in Kalendario Frontonis &
„ Martene. Feſto Octav. aſſignant Ordo Gelaſianus, & varii
„ Codices ab eodem Martene laudati *de antiq. Eccleſ. diſcipl. c.* 30, *n.* 6.

2. *Decembris*. Bibianæ Feſtum in Brev. MSS. antiquiſſimo Vaticano *Vol.* 4753. Simplex in Brev. 1550. nunc Semiduplex ab Urbano VIII. anno 1628. a quo Oratio, & Lectiones propriæ.

3. ✠ Franciſci Xaverii Officium conceſſit Alexander VII. ſub ritu Semid. cum Oratione propria, & Lect. ſecundi Nocturni, die 6. Septemb. 1663. & in Hymno *Iſte Confeſſor*, ad Matutinum mutatur tertius verſus, & in Martyrologio legatur primo loco, Duplex a Clem. X. die 14. Jun. 1670. qui mutavit Lectiones III. Nocturni non amplius de Communi, ſed illæ quæ leguntur in Feſto Ss. Cyriaci, & Soc. in Ev. *Euntes in mundum* die 8. Auguſti, ac tribuit ei Miſſam propriam.

„ In Hymno *Iſte Confeſſor* ad Matutinum non debet mu-
„ tari tertius verſus, nam in Decr. edito die 13. Jun. 1682.
„ & dato in noſtro Indice *ſub n.* 128. ſtatutum fuit, quod
„ ſi Officium S. Confeſſoris transferatur in diem proxime ſe-
„ quentem ab ejus obitu (ſicuti eſt præſens Officium S. Fran-
„ ciſci Xaverii) & in primis Veſp. ſaltem a Capitulo fiat
„ de ipſo, tunc in Hymno *Iſte Confeſſor* non mutatur ver-
„ ſus, ſed dicitur *meruit Beatas* tam in primis Veſp. quam
„ in Matutino, & in ſecundis Veſp. & ratio eſt, quia in die
„ obitus habet Capitulum, & hoc Decret. eſt conforme opinio-
„ ni noſtri Gav., quam referimus infra, Sect. 8. c. 5. n. 7.

4. Barbaræ in Appendice Vatic. Sacrament. Gregoriani *Vol.* 3806. meminit Manuel *tit. de Feriis*, teſtatur Radulph. *propoſ.* 17. a Teutonicis Feſtum fieri. Simplex erat in Breviar. 1550.

„ Hac die 4. Decemb. celebratur in Eccleſia univerſali Fe-
„ ſtum, & recitatur Officium S. Petri Chryſologi Epiſcopi, &
„ Confeſſoris, cum Oratione, & Lectionibus propriis (jux-
„ ta approbationem a S. R. C. ſub die 19. Auguſti 1617. pro
„ Eccleſia Imolenſi factam) ab omnibus tam ſæcularibus, quam
„ Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas te-
„ nentur, ſub ritu duplici, ſervatis tamen Rubricis Brev. ac
„ Miſſalis Romani, ita pariter Miſſa reſpective celebrari de-
„ bet, & in Brev., ac Miſſali Romano apponi mandavit *Be-*
„ *nedictus XIII. in Decreto Urbis, & Orbis, edito 1729. die*
„ 10. *Febr.*

„ Igitur tam in Officio, quam in Miſſa debet fieri com-
„ mem. Feriæ, & S. Barbaræ V. & M. Notandum pariter oc-
„ currit, quod in Officio ad Hymnum *Iſte Confeſſor* debet
„ mutari verſus, & dici *Meruit ſupremos Laudis honores* jux-
„ ta Decr. editum 13. Jun. 1701. & datum in noſtro In-
„ dice *ſub nu.* 223. quia hæc non eſt dies obitus, nam S.
„ Petrus Chryſologus obiit die 2. Decembris ut patet ex
„ Martyrologio Romano, ubi Baronius adnotavit, quod
„ Tabulæ Eccleſiæ Ravennatenſis (cujus idem Sanctus fuit
„ Antiſtes) de eodem hac die, ſcilicet ſecunda Decembr.
„ recolit feſtivitatem. Præterea advertendum eſt, quod cum
„ in utriſque Veſp. ad *Magnificat* aſſignata ſit pro dicto S.
„ Petro Chryſologo Antiph. *O Doctor optime*, ideo ubi ce-
„ lebratur Octava S. Ambroſii Epiſcopi, & Eccleſiæ Docto-
„ ris, ſi infra eam Octav. reponendum eſſet Feſtum hoc tran-
„ ſlatum, & debeat fieri commem. S. Ambroſii, tunc pro ta-
„ li commem. ſumenda erit Antiph. ex Communi Confeſ-
„ ſoris Pontificis, ne bis recitetur Antiphona *O Doctor*
„ *optime*.

5. Sabæ in Brev. Vatic. 4760. Radulph. citato loco, Romæ fieri ſcribit Simplex. In Brev. 1550.

6. Nicolai Epiſcopi in Appendice citata Gregoriana. Zonaras in Vita Alexii aſſerit, hoc Feſtum inſtitutum undecimo ſæculo, hoc eſt, circa Annum 1110. S. Bernardus ſermonem habuit in hoc Feſto. Manuel habet *in titul. de Feriis*. Radulph. loco cit. teſtatur, ab omnibus receptum. Semiduplex apud Durandum *lib.* 7. *cap.* 1. Pius V. Homil. legi juxta Rubricas, & Lectiones 2. Nocturni emendatiores, & breviores edi curavit. † Tandem Duplex a Clemente X. die 6. Decembris 1670. ſi transferatur, mutat verſum in Hymno, *Iſte Confeſſor*.

7. Ambroſii, Ordinationis Feſtum eſt, quia obiit in Sabbato Sancto, In dicta Appendice Gregor. habetur, ratione obitus in April. Bonif. VIII. Decreto tuo Doctores Eccleſiæ Duplici Ritu coli præcepit, Officium de Communi; præter 2. Lectiones. Paulo ante Bonif. Doctores quatuor Latini habuere Officium Semid. apud Ordinem Minor. An. 1260. ut ſcribit Wadingus in Annal. Minor. In Hymno *Iſte Confeſſor*, mutatur verſus tertius, ut in Brev. recognito.

8. Conceptionis B. V. a S. Nicolao habuiſſe ortum ſcribit Ribadeneira: ſed unde probat? puto falli, quia dicitur S. Nicolaus Pontificali veſte indutus apparuiſſe Abbati Elſimo, de quo S. Anſelmus, & monuiſſe, ut celebraret hoc Feſtum. Et Petrus quidem de Natal. *lib.* 1. *Catal. SS. c.* 41. nominat, Nicolaum; ſed Anſelmus ſcribit de illo Pontifice, qui apparuit, ut anonymo; unde ergo hauſit nomen Petrus de Natalibus? quidquid ſit: in Hiſpania primum celebratum eſſe hoc Feſtum Tritemius aſſerit ſub S. Ildephonſo; ſed negat Salazar. *de Conceptione B. V. c.* 35. *n.* 53. & cum Benedictino Bulto facit auctorem Gondiſalvum Epiſcopum Tholoſanum, qui paulo poſt Ildephonſum vixit, ante ann. 800. antequam Græci, & Latini celebrarent, & *ibid. n.* 54. id probat fuſius. Deinde Fridericus Patriarcha Aquilejenſis in ſuis Eccleſiis Feſtum egit, qui obiit ann. 897. *ex lib.* 4. *Ligni Vitæ*. In Anglia Anſelmus Feſtum edixit, ſeu Elſimus Abbas *ex lib.* 5. *Ligni Vitæ*, *c.* 103. *Anno* 1109. tum ex Baronio *in Martyrol.* In Gallis dilatatum eſſe circa ann. 1145. Manuel commemorat *titul. de Feriis*. Ab Ordine Minorum ab anno 1263. celebrari decretum ſit ex Annalibus Minor. citatis ſupra; a Romanis ante annos 300. fuiſſe celebratum Romæ in Domo Carmelitarum cum Card. interventu, Miſſa ſolemni, & Sermone de eodem Feſto, ſingulis annis, tamquam de re annorum multorum ante ſe, ſcribit oculatus teſtis Joann. Bacconus *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 4. *a.* 1. 3. Poſtea Sixtus IV. evulgavit in omnem Eccleſiam ann. 1483. Quare ducentis ab hinc annis eſt Feſtum univerſale Romanæ Eccleſiæ, quod a Conc. quoque Baſilienſi ann. 1438. ſect. 30. fuerat approbatum. Duplex a Sixto IV. Officium autem de Nativ. dicitur ex revelatione Angelica, de qua ſcribit Anſelmus *in epiſt. ad Epiſcop. Angliæ*. Pius V. innovavit Lect. Clem. VIII. Duplex majus eſſe declaravit.

✠ Hoc Feſtum pluribus in locis celebratur cum Octava ex indulto Apoſtolico, præcipue in tuto Dominio Venetorum ex conceſſione Alex. VII. die 13. Jun. 1665. & noviſſime SS. D. N. Clem. Papa IX. in ditione totius Status Eccleſiaſtici celebrandum conceſſit die 21. Octobris 1667.

Igitur in his locis hoc Feſtum erit Duplex ſecundæ Claſſis, & occurrens in Dom. 2. Adventus transferatur in Feriam 2. & in Sabbato ſequenti ſervetur Rubr. poſita *in ſect.* 3. *c.* 8. *de Octav. n.* 13.

Nonnulli putant in 3. Antiph. ad Laudes pro *exorta*, dici debere *concepta*, ſed uſu communi non mutatur hoc verbum, & eſt commune Conceptioni Nativ. ut rite intelligenti patet.

„ Octava hujus Feſti Conceptionis Immaculatæ V. M. &
„ conſequenter ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis celebratur
„ nunc in univerſa Eccleſia, prout inſtituit, & mandavit
„ Innoc. PP. XII. die 15. Maji 1693. de qua re extat Con-
„ ſtitutio ejuſdem Pontificis, quæ incipit: *In excelſa Sedis*
„ *Apoſtolicæ ſpecula &c.* Rurſus hoc Feſtum recolitur ab uni-
„ verſa Eccleſia tamquam de præcepto cum obligatione au-
„ diendi Miſſam, & abſtinendi ab operibus ſervilibus, ita
„ inſtituente, & præcipiente Clem. XI. prout apparet in
„ ejus Conſt. quæ incipit: *Commiſſi nobis &c.* edita die 6.
„ Decemb. ann. 1708. & quæ in ejus particulari Bullario
„ reperitur *part.* 1. *ſub n.* 40.

10. Melchiadis, ex Decreto Greg. VII. citato a Microl. *c.* 43. in Appendice Gregor. Simplex in Brev. MS. & in edito 1550. Ubi fit de eo Feſtum 9. Lect. dicitur 8. Reſponſor. *Domine prævenisti*, quia in Martyrologio multa quidem eſt paſſus, non tamen effudiſſe ſanguinem dicitur, quod enunciatur in Reſp. *Hic eſt vere Martyr &c.* ideirco omittendo.

„ Hac die in toto Eccleſiaſtico Statu ab omnibus utriuſ-
„ que ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Ho-
„ ras Canonicas tenentur, recitari debet Officium Transla-
„ tionis Sac. Domus Lauretanæ ſub Ritu Duplici majori,
„ & reſpective Miſſa celebrari, ita concedente, & man-
„ dante Bened. PP. XIII. die 23. Aug. 1725. cujus Decr.
„ etiam pro aliis Feſtis ejus Ss. M. V. datur in noſtro In-
dice *ſub n.* 265.

„ Officium prædictæ Translationis Almæ Domus B. M. V.
„ approbatum fuit a S. R. C. die 16. Septemb. 1699. & ita
„ pariter Miſſa, approbante etiam omnia Innoc. XII. die
„ 10. menſis Octobris ejuſdem anni, & conceſſa recitari
„ in tota Provincia Picena pro hac die. Notandum eſt,
„ quod in utriſque Veſperis, & Laudibus, ac in Miſſa
„ hujus Feſti omittenda eſt Commemoratio Conceptio-
„ nis; in Præfatione vero dicendum eſt: *Et te in Feſti-*
„ *vitate.* "

11. Damaſi in Dicta Appendice Gregor. & in Cod. Pameliano Sacrament. Gregor. cum Orationibus, aliis a noſtris. „ Hujus S. Natale notatur etiam in Codice Regio
„ annorum 900. teſte Martene *loc. cit. n.* 19. " Semiduplex a Pio V. cum Officio proprio, excepta Oratione, quæ habetur

betur in Brev. MS. & edito 1550. ſub Ritu ſimplici. Si transfertur, muta verſum tertium in Hymno, *Iſte Confeſſor*.

13. Luciæ. In Antiphon. & Sacram. S. Gregor. ſed poſt Gregorium, ex Pamelio *ibid.* „ Legitur Natale S. Luciæ in „ Kalendario Frontonis. Semid. apud Durand. & in Brev. 1521. Duplex a Pio V. addita Homilia ab eodem. Oratio ſecreta, & Poſtcomm. diſcordant a citato Sacramentario Romæ edito: non autem a Codice Pameliano.

15. Euſebii Vercell. Ordinatio, nam obiit Kal. Auguſti, & quia tunc fit commem. Ss. Machab. Clem. VIII. aſſignavit hanc diem, Joann. Stephano Ferrerio Epiſcopo Vercellenſi procurante. S. Ambroſius habuit duos Sermones in ejus laudem.

„ Hac die celebratur nunc Octava Conceptionis B. M. V. & de S. Euſebio Vercellenſi nulla fit amplius commemoratio, quia celebratur die ſequenti ejus Feſtum ſub Ritu Semiduplici.

„ 16. Benedictus XIII. in Decreto edito die 7. Julii 1728. mandavit, ut hac die Officium S. Euſebii Epiſcopi Vercellenſis, & Martyris cum Lectionibus propriis ſecundi Nocturni ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu ſemiduplici recitari, & Miſſa reſpective celebrari debeat. Quapropter, cum hic Euſebius ſit ille idem, de quo tamquam de ſimplici die antecedenti, recurrente Octava Conceptionis B. M. V. fiebat commemoratio in Veſperis, ac Laudibus & in Miſſa, ideo, ut etiam mox diximus, in poſterum reticenda eſt eadem die.

„ Si hoc Feſtum occurrerit Dominica 3. Adventus, transferendum erit in Feriam II. ſequentem non impeditam, nam a die 17. ejuſdem Decembris, uſque ad 23. incluſive fieri poteſt de quocumque Feſto 9. Lectionum etiam translato, juxta Decretum editum die 17. Maji 1692. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 170. & in ſecundis Veſperis pro commemoratione Feriæ dicenda eſt prima ex ſeptem Antiphonia majoribus tunc temporis occurrens, nempe, *O Sapientia*. Præterea advertendum eſt, quod ultimum Reſponſorium hujuſce Officii debet eſſe: *Domine prævenisti*, poſitum immediate poſt nonam Lectionem, & ſtatim ante Laudes in Communi unius Martyris; S. enim Euſebius quamvis multas paſſus ſit ærumnas, ut refertur in ejus Lectionibus, ſanguinem tamen non effudit, & idcirco pro eo non debet recitari Reſponſorium: *Hic eſt vere Martyr, qui ſanguinem ſuum fudit &c.* Cæterum non ſolum vetera Martyrologia hunc Martyrem appellant, ſed etiam in epitaphio invento in ejus ſepulchro inſcribitur acroſticis verſibus: *Euſebius Epiſcopus, & Martyr*, ut notat Baronius ſub die 1. Auguſti *lit. H*

In toto Eccleſiaſtico Statu, juxta Decretum Benedicti XIII. editum die 23. Auguſti 1725. de quo ſupra ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitari debet Officium ſub Ritu Duplici majori Expectationis Partus B. M. V.

20. 21. De Vigilia, & Feſto Sancti Thomæ Apoſtoli eadem, quæ diximus diximus de S. Andrea Apoſtolo, Officium a Gelaſio, ex Schulting. Oratio prima, Secreta Miſſa in Sacram. Gregor. " Habetur hoc Feſtum in Sacramentario Gelaſii, ſed " ſine Vigilia; in Vetuſto autem Corbejenſi Kalendario legitur - In India translatio S. Thomæ Apoſtoli. Si Vigilia incidat in Feriam Quatuor temporum, in Miſſa de Quatuor Temporibus fit commem. Vigiliæ; in Officio nihil fit de Vigilia. At, cur non dicuntur duæ Miſſæ, de Temporibus, & de Vigilia? quia ambæ dicendæ forent poſt Nonam, nulla hora mediante inter eas; quod non convenire docuimus *tom. 1. part. 1. tit. 5. n. 2.* Si Feſtum S. Thomæ ſit Titulus Eccleſiæ, & occurrat in Domin. 4. Adventus, tunc in Sabbato dici debent Antiphonæ ad Laudes Domin. 4. cum Antiph. *Expectetur*, & in Feria 2. Antiph. ejuſdem Feriæ: quia Octava non fit amplius, & Rubrica præcipit in Sabb. eas dici, quæ occurrunt in ipſa die Sancti Thomæ, ſi non transfertur.

25. Anaſtaſiæ. In Sacramentario, & Append. Gregor. & non fit de ea, niſi in ſecunda Miſſa Nativitatis. „ De ea „ fit mentio in Sacramentario Leonino, Kalendario Frontonis, & Marteniano.

De Ss. Stephano, Joanne, & Innocentibus, vide ſupra *ſect. 6. cap. 6. & ſeq.*

29. Thomæ Cantuarienſ. Kalendarium Ciſtercienſe editum Divione Ann. 1657. tradit, obiiſſe die 25. Dec.; iiſque diebus impeditis fieri Feſtum hac die. Ciaconius in Alex. III. ſcribit in Feſto Innocentium ad aram fuiſſe percuſſum; ſed Brev. Rom. die 29. occubuiſſe tradit, cui magis eſt credendum. Feſtum circa Annum 1200. fuiſſe inſtitutum ſcribit Continuator Sigiberti. Semidupl. in Brev. MS. auctor Officii creditur Alexander III. a Schulting. Pius V. addidit Homiliam.

31. S. Sylveſtri in Sacrament. S. Gregorii. " Ex Kalenda- „ riis Frontoniano, & Marteniano. " Semidupl. in Brev. 1550. Duplex a Pio V. Officium a S. Gregorio ex Cornel. Schultingio. Habetur Officium Miſſæ in citat. Sacrament. & in cit. Antiphonario. In Comite S. Hieron. erat Evang. *Vigilate*.



De Feſtis Sanctorum Menſe Januario. Cap. III.

1. DE Octavis Ss. Stephani, Joann. & Innoc. diximus ſupra *ſect. 6. cap. 6.*

5. Teleſphori. In Appendice Gregor. reſtituitque Feſtum Clem. VIII. vel potius inſtituit Commemorationem.

11. Hygini in dicta Appendice Gregor. Simplex in Brev. 1550.

14. Hilarii, in Appendice Greg. Semidupl. a Pio V. qui & Officium addidit, erat enim Simplex 1550. Si Feſtum hoc transferatur, Verſus erit: *Juſtum deduxit &c.* quia ceſſat ratio mutationis in concurſu aliorum duorum Confeſſ. ubi vero eſt primæ Claſſis, dividatur Octava Lect. in duas, in Hymn. *Iſte Confeſſor*, mutatur tertius Verſus, ut in Brev. quæ mutatio fit etiam in ſequenti Feſto, quia ambo obiere extra hos dies, Hilarius die 13. Paulus die 10. Januarii.

Felicis in Pincis. In Comite S. Hieron. & in Sacram. Gregor. " In Codice Gelaſiano, & Kalendariis Frontonis „ atque Martene " ſimplex in Brev. MS. Officium a Paulino Nolano, ex Schulting. Ubi fit de eo Feſtum 9. Lectionum dicitur 8. Reſponſ. *Domine prævenisti*: quia non fuſo ſanguine mortuus eſt.

Si ſequens Feſtum transferatur, non mutantur Antiphonæ, & Verſus pro S. Mauro: ſed dicuntur, ut in Communi. Ita in Brev. Urbano.

„ Officium proprium Sanctiſſimi Nominis Jeſu, quod die „ 14. Januarii alias in pleriſque Chriſtiani Orbis Provinciis, & Regnis, variiſque particularibus Eccleſiis, & Ordinibus Regularibus recitabatur ex Indulto S. C. nunc ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis Dominica II. poſt Epiphaniam recitari, & Miſſam reſpective celebrari debere, indulſit S. C. C. 29. Novembris 1721. annuente Innocentio XIII. die 20. Decembris ejuſdem anni. Vide ea, quæ de tali Officio dicta ſunt in noſtris Obſervationibus ſupra ad dictam Dominicam II. poſt Epiphaniam. "

15. Pauli primi Eremitæ. In Appendice Gregor. Simplex in Brev. 1550. Semiduplex a Pio V. cum Officio.

„ Nunc Duplex minus a S. R. C. die 15. Julii 1722. annuente Innocentio XIII. ſub die 18. ejuſdem menſis, & „ anni. "

Mauri Abbat. in Miſſali Vatic. vol. 4743. apud Teuton. ex Radulph. *propoſ.* 17. Simplex in Brev. 1550. Lect. ejuſdem Clem. VIII.

16. Marcelli. In Comite S. Hieron. in Sacram. S. Greg. „ In Codice Gelaſiano, in Kalendario Frontonis. " Semid. a Greg. VII. ex Microl. 53. Officium a Greg. I. *ib.* Microl.

17. Antonii Abbatis ante annum 1200. ex actis S. Euthymii, ut Baron. ait in Martyr. In Appendice Greg. reperitur Simplex. In MS. Brev. Semid. 1550. Dupl. a Pio V. qui addidit Homiliam.

18. Cathedræ Petri Rom. Sanctus Auguſtinus duos habuit ſermones. Beda meminit. Baronius deducit ex Append. Gregor. Reſtituit Paulus IV. 1550. a quo ritus Duplex: Officium autem deſumptum eſt ab Antiochena Cathedra, quod eſt Gregorianum, ex Schultingio Addidit Clemens VIII. quod ſit Duplex majus, & Homiliam Sancti Hilarii.

Priſcæ in Sacr. Greg. " Et Gellonenſi, ac in Kalendario „ Frontonis. "

„ Antiquiſſimam eſſe in Eccleſia Feſtivitatem Cathedræ S. Petri, plura vetera monumenta demonſtrant, quæ a viris doctiſſimis - Baronio tam in Annalibus, quam in notis ad Martyrologium, Bollando cum eodem 18. Januarii, & 22. Februarii, Joanne Baptiſta Solerio afferuntur. Diei autem 22. Februarii Romæ hæc Feſtivitas addicta fuit, ut aboleretur ſuperſtitio cibos afferendi ad ſepulchra mortuorum, teſte Div. Auguſtino ſerm. 15. de Sanctis, ſeu alio Auctore: ut viſum eſt PP. Maurinis, de qua re iterum infra ſub die 22. Februarii. Hinc hujuſmodi Feſtivitas appellari ſolebat etiam Feſtum epularum obſervante Hieronymo Macri in Hierolexico. Iſta tamen ſuperſtitio adhuc poſt inſtitutam hujuſmodi Feſtivitatem apud Chriſtianos diu perſeveravit, ut eam propterea Concilium Turonenſe ſecundum anno 570. celebratum Can. 22. reprobaverit, cujus verba dabimus infra ad dictam diem 22. Februarii. Unicum olim fuiſſe hujuſmodi Feſtum in Eccleſia Romana opinabatur cum aliis doctis viris etiam Cajetanus Cenni in Diſſertatione de Romana Cathedra, quam tom. 4. Anaſtaſii Bibliothecarii inſeruit pag. 150. & revera adhuc Sæculo VII. Beletbus ſe ignorare fatetur an Romana ſit, vel Antiochena, quam die 22. Februarii Romani celebrabant. Certum quidem eſt in Hiſpanis, & Gallicanis Eccleſiis jam a Sæculo IX. Cathedræ Romanæ celebritatem ab Antiochena fuiſſe diſtinctam, illique hanc diem Januarii 19. aſſignatam fuiſſe, atque alteri diem 22. Februarii, quem morem fortaſſe etiam Romæ imitati ſunt aliqui; apud quos tamen deſierit mos ille neceſſe eſt, cum Romanæ Cathedræ Feſtivitatem Paulus IV. anno 1558. in ſua Bulla relata a Bollando, Romæ iterum obſervari præceperit, ad exemplum aliarum Eccleſiarum, quæ hujuſmodi,



„ Ca-

Cathedram hac die ſolemniter celebrabant. Sed quamquam Romanæ Cathedræ Feſtum antiquis Eccleſiæ temporibus Romæ ſub hoc titulo minime obſervaretur, probabilis tamen videtur aſſertio noſtri P. Joſephi de Fetio in ſuis eruditiſſimis Vindiciis Librorum Liturgicorum a Cardinali Thomaſin editorum *cap.* 2. §. 6. qui putat hujuſmodi Feſtum olim Romæ celebratum ipſo die natalis Sancti Petri, cum in Sacramentario Gelaſiano prima ex tribus Miſſis, quæ in Feſto Sancti Petri dici ſolebant a Summo Pontifice, eadem omnino ſit, quam nos hodie in Feſtivitate Romanæ Cathedræ dicimus, & in qua ejuſdem Apoſtolorum Principis ſuprema juriſdictio ſuper univerſam Eccleſiam exprimitur. Rejicienda pariter non eſt conjectura laudati Cennii aſſerentis, quod cum origo Romanæ Cathedræ repetenda ſit ab Epocâ inſtituti Romani Pontificatus, hacque docente eruditiſſimo Præſule Franciſco Blanchinio 25. Aprilis addictus fuerit, non inveroſimile ſit hac die celebratam olim fuiſſe Romanæ Cathedræ Feſtivitatem; & propterea non recte Eccleſiæ Hiſpanæ, & Gallicanæ Romanæ Cathedræ initium IV. Calendas Februarii conſtituerint; Paulus autem IV. diem hanc mutare non debuit, ut una, eademque die Romanæ Cathedræ Feſtivitas toto orbe celebraretur. Hanc Cennii conjecturam certam plane reddere videtur Sacramentarium a Joſepho Blanchinio vulgatum tom. 4. Anaſtaſii Bibliothecarii, in quo die 25. Aprilis exhibetur integra Miſſa D. Petri. “

19. Mariæ & Marthæ &c. in Append. Gregor. “ Codice Gellonenſi, & Corbejenſi Rodradi legimus - Natale Mariæ, & Marthæ - in Rhemenſi - Natale Sanctæ Mariæ, & Martæ. In pluribus vero Kalendariis, & Martyrologiis legitur - Hieroſolyma Martha, & Maria ſorores Lazari - quod Menardi opinionem confirmat aſſerentis hac die celebrari Feſtum Marthæ, & Mariæ ſororum Lazari. Codex Gelaſianus ita habet - Natale SS. Martyrum Sebaſtiani, Mariæ, Marthæ, Audifacis, & Abacum - “ Simplex in Brev. MS. & 1550. Canuti Martyris Semidup. ad libitum de mandato Clement. X. cum Oratione propria, Lectiones ſecundi Nocturni die 13. Septembr. 1670.

20. Fabiani, & Sebaſtiani. S. Auguſt. *Serm.* 100. *de diverſis*, agit de S. Sebaſtian. uterque in Comite S. Hieronym. & Sacramentar. Gregorian. “ In Kalendario Frontonis hac die duæ exhibentur Miſſæ, una de Sancto Sebaſtiano, altera de Sancto Fabiano, quod etiam faciunt Sacramentar. Gellonenſe, & Codex perveruſtus Turonenſis. Codex vero Gelaſianus unicam habet de Sancto Fabiano, quia de Sancto Sebaſtiano mentio fiebat in Miſſa communi SS. Sebaſtiani, Mariæ, Marthæ, &c. “ Semid. 1550. Dupl. a Pio V. addita Homilia. Officium eſt Gregorianum.

21. Agnetis. Ejus Feſtum celebeans Ambroſius incœpit libros de Virg. Habetur in Comite S. Hieronym. in Sacramentario Gregorii. “ Habetur etiam in Codice Gelaſiano cum hoc titulo - Sanctæ Agnetis Virginis de paſſinoe - In Kalendario Frontonis - Natale S. Agnæ de paſſione - in Miſſali Gothico legitur - Miſſa in Natali Agnes Virginis, & Martyris - & in Codice Gellonenſi - S. Agnæ Virginis. “ Semidupl. apud Durand. & in Breviar. 1550. Duplex a Pio V. Officium a S. Ambroſ. Schulting. Pius V. addidit Homiliam; Lectiones ſecundi Nocturni, quæ ſunt Sancti Ambroſii, juſſit legi Clem. VIII. Ob ejus autem fortitudinem egregiam tam in Matutino, quam in ſecundis Veſperis, dicuntur Pſalmi de Communi virorum Sanctorum: iidemque dicendi ſunt in primis Veſperis in propria Eccleſia, ſicuti dicuntur in Feſto Sanctæ Agathæ. Mendum aliqui putant eſſe in textu Lectionis 4. editionis Vaticanæ, ſub Clem. VIII. in iis verbis: *Natalis eſt Sanctæ Agnes*, quæ habentur in textu S. Ambroſ. at in caſu genitivo, *Agnetis* erat in uſu apud Sanctos Patres, & apud Hieronym. quoque: cujus verba in Martyrolog. Roman. ſunt, *Agnes vita laudata eſt*, utroque igitur modo poteſt legi, *Agnes*, & *Agnetis*.

22. Vincentii, & Anaſtaſii. De primo Auguſt. habuit Sermones duos, adeſt etiam in Sacram. & Antiph. Greg. ſed Pamelius negat Officium Miſſæ a Sancto Gregorio compoſitum. “ De S. Vincentio fit etiam mentio in Kalendario Frontonis, & in Codice Gellonenſi, neuter tamen meminit Anaſtaſii. “ Utriuſque Ritus Simplex in Brev. 1550. Semidupl. in Brev. MS. Officium a S. Gregor. addidit Homiliam Pius V.

23. Emerentianæ, in Appendicæ Gregorian. “ In Codice Regio, Gellonenſi, & Turonenſi, non habetur Emerentianæ, ſed Emerentiani, cui additur S. Macarius Martyr. “ Simplex in Breviario MS. & 1550. † Raymundi de Pennafort Confeſſor, Semidupl. a Clem. X. die 13. Martii 1671. hucuſque nihil de proprio; ideo de Communi Confeſſor. non Pontific. 9. Lect. & commem. Sanctæ Emerentianæ, in Martyrolog. de eo legatur primo loco.

“ In Statu Eccleſiaſtico Deſponſatio Beatæ Mariæ Virginis cum Sancto Joſeph Duplex majus a Benedicto XIII. 23. Auguſti 1725. Idcirco Feſtum Sancti Raymundi de Pennafort Ord. Prædicatorum transferri debet in Statu Eccleſiaſtico, vel ad diem 28. ſi non transferatur Feſtum SS. Nominis Jeſu, vel ad primam diem non impeditam. “

24. Timothei in Miſſali Vaticano *vol.* 3808. apud Teutonicos. Radulph. *propoſ.* 17. Simplex in Breviar. 1550. Semidupl. a Clem. VIII. Homilia addita.

25. Converſionis Sancti Pauli. Auguſt. Sermonem habuit in Sacramentar. Gregor. & ex generali conſuetudine fit, ex Radulph. *propoſit.* 17. Semidupl. apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Duplex, apud Radulph. *loc. cit.* Invitatorium eſt Hermanni Contracti, ex Schulting. qui & inde argumentatur, eumdem eſſe auctorem totius Officii; ſed, exceptis Lectionibus, idem eſt Officium, ac Commemorationis 30. Junii quod a Sancto Gregorio fuiſſe compoſitum docet Microlog. *cap.* 42. quod neque negat Schultingius. Homiliam Bedæ addidit Clem. VIII. & declaravit, eſſe Duplex majus.

26. Polycarpi. Smyrnenſis Eccleſia ſtatim, ac obiit, Feſtum indixit, ut ex ejuſdem Epiſtola patet. In Append. Gregorii habetur 1. Februarii Simplex in Breviar. 1550. Semiduplex a Clem. VIII.

27. Joannis Chryſoſtomi, translatio eſt, ait Menologium, & Martyrologium Roman. nam obiit 14. Septembris, quo die fit Feſtum Crucis. In menſe Septembris, quo die ejus Feſtum celebrari cœptum die 16. anni 427. ex Ciacconio in Cœleſtino I. ſeu ex Baron. ad eumdem annum. n. 20. Habetur ante Feſtum Crucis in Breviar. Vatic. *vol.* 4751. in Jan. vero in Miſſali Vatic. *vol.* 3808. Simplex in Breviar. 1550. Duplex a Pio V. una cum Officio. In Hymno, *Iſte Confeſſor*, mutatur tertius verſus, ut in Breviario.

28. Agnetis ſecundo. In Sacramentar. Gregor. eratque Titulus in Appendice Gregoriana, *de Nativitate Agnetis*, quia nata eſt hodie, ex Gemma *lib.* 3. *cap.* 23. “ In Codice Gelaſiano habetur - In Natale ejuſdem de Nativitate - Kalendarium Frontonis habet - Natale S. Agnæ de Nativitate - Codices vero duo Eccleſiæ Turonenſis - Nativitas S. Agnæ Martyris “ explicat Durand. *lib.* 7. *cap.* 3. non eſſe Octavam Feſti, ſed Nativitatem hoc loco intellige, quod nata eſt Cœlo: non autem natalem illius diem in carne, ut notat Pamelius in Sacrament. Greg. tum quia nata eſt, ut alii; tum quia ex Auguſtino *Sermone* 20. *de Sanctis*, nullius hominis Nativitatem legimus celebrari poſt Natalis Domini diem, niſi ſolius B. Joannis Baptiſtæ, & licet poſt Auguſtinum, celebrari cœpta ſit Nativitas B. Virg. & potuerit S. Greg. Auguſtino poſterior, indicere Feſtum cum titulo de *Nativitate S. Agnetis*, cum tamen illa B. Virg. ubique recepta fuerit feſtivitas, ut de Sancta Nativitate: de Sancta vero Agnete non habeamus, quod fuerit in utero matris ſanctificata, hinc fit probabilius, Feſtum fieri ob apparitionem ejuſdem Parentibus, & Conſtantiæ, ubi narratur in Lectione Breviarii, quæ facta eſt octava die, ait Baronius *in Martyr.* Quare, abrogato dicto titulo, in Kalendario dicitur aptius, *Agnetis ſecundo*, ſex Lectiones, & Officium, ut in die, habuit in Breviario MS. & 1550. nunc Simplex a Pio V. Officium eſt Gregorianum: aſt ſumpta conjectura ex Sacramentario ejuſdem a Cornelio Schultingio. Ubi celebratur Octava Sanctæ Agnetis, dicuntur omnia, ut in die, excepta Oratione, Antiph. ad *Magnificat* in primis Veſperis, Lectionibus 1. Noct. de Scriptura occurrente, & Lect. 4. quæ eſt de S. Agnete ſecundo, 5. & 6. de Communi Virginum, vel, ut in Octavario Romano. Reliqua, ut in Feſto, ſeu Octavario.

29. ✠ Franciſci Saleſii. Ab Alexandro VII. Sem. cum Oratione propria, & Lectionibus 2. Noct. die 18. Septembris 1666. & Feſtum S. Petri Nolaſco celebrari juſſit die 31. Januar. die 21. Octobris 1666. In Hymno *Iſte Confeſſor*, mutatur tertius verſus, & de eo legatur primo loco in Martyrologio.

„ Nunc celebratur ſub Ritu Duplici a S. R. C. 23. Novembris 1691. annuente Innocentio XII. „

30. Martinæ Virg. & Mart. Officium Ritu Semid. compoſuit, & Clero indixit recitandum Urbanus VIII. anno 1635. In Martyrologio legatur de ea primo loco.

31. ✠ Petri Nolaſco, ſub Ritu Sem. conceſſit Alexander VII. cum Oratione propria, & Lectionibus 2. Noct. ad preces Regis Hiſpaniarum die 12. Julii 1664. Duplex a Clem. X. die 13. Julii 1672. in Hymno *Iſte Confeſſor*, mutatur tertius verſus, & de eo legatur primo loco in Martyrologio.

## De Feſtis Sanctorum Menſe Februario. Cap. IV.

1. IGnatii, extat Sermo S. Joannis Chryſoſt. Manuel meminit *ei. de Feriis*. Appendix Sacram. Gregorian. habet Feſtum in Decembri; ſed in Breviario Vaticano *vol.* 4751. in Februarii primo. Lectiones 9. habebat in Brev. impreſſo 1521. & 1550. Homiliam addidit Pius V. & Lect. 2. Nocturni.

2. De Purificationis B. Virg. Feſto, vide, quæ diximus in 1. Tomo. Duplex apud Durandum *loc. cit.* Offic. habetur in Ord. Rom. Pius V. addidit 1. Lect. de Scriptura. Nota quatuor eſſe ſolemniores B. Virg. Feſtivitates, Purificationem in Hyeme, Annuntiationem in Vere, Aſſumptionem in Æſtate, Nativitatem in Autumno. Si occurrat hoc Feſtum in Dominicis privilegiatis, transfertur in Feria 2. ex Decreto Clem. VI. Vide in Indice Decretorum alia Decreta Sacr. Congr. *ſub num* 347. & 364.

3. Blaſii. In Appendice Gregoriana. Simplex in Brev. 1550. erat

erat Semid. in Brev. 1521. nunc Simplex a Pio V. Gemma *lib.* 3. *c.* 25. meminit cum luminum uſu, An forte ad ſignandum guttur, quod in Provincia Mediolanenſi adhuc eſt in uſu, cum candelis accenſis pridie benedictis?

4. ✠ Andreæ Corſini Semidup. ad libitum ab Alexandro VII. cum Oratione propria, & Lectionibus 2. Nocturni die 21. Octobris 1666. ſi fiat Officium, de eo legatur primo in Martyrologio.

„ Idem Officium de præcepto ſub Ritu Semid. a S. R. Congr. 31. Auguſti 1697. annuente Innoc. XII.

„ Denique ad Ritum Duplicem elevatum fuit pariter de præcepto a Clemente XII. 3. Januarii 1731. & ſub Duplici majori in Sacroſancta Baſilica Lateranenſi tantum, in qua præfatus Pontifex ad honorem ejuſdem S. Andreæ gentilis ſui, pietatis ergo Sacellum magnificentiſſime a fundamentis erexit, pretioſis lapidibus, marmoreis, æneiſque ſtatuis affabre elaboratis, ac muſaica hujuſce Sancti Titularis imagine exornavit; multis præterea muneribus, annuiſque redditibus locupletavit. „

5. Agathæ. In Antiphonario, & Sacramentario Gregoriano, ſed poſt Gregorium, ait Pamelius *in Antiphonario ejuſdem*, & ex Radulp. *propoſ.* 17. de conſuet. generali Semidupl. apud Durand. & Radulph. *loc. cit.* Mutavit Homiliam Pius V. cum Evangelio; & ob ejus præclara merita dicuntur Pſalmi in toto Officio de Communi SS. Virorum. „ Hujus Feſti mentio habetur etiam in Codice Gelaſiano, & Kalendario Frontonis.

„ Officium ejuſdem Virginis, & Martyris ſub ritu Duplici recitari, & in Breviario apponi, ac ſervari mandavit S. R. C. 26. Auguſti 1713. “

6. Dorotheæ. In Appendice Gregoriana, Simplex in Brev. MS. & 1550. Hymnus ejus extat in Breviario Toletano.

7. Romualdi. Clemens VIII. 9. Julii 1595. Semidupl. Ritu, una cum Officio, Brev. appoſuit qua die fuit translatum ejus Corpus Fabrianum in Piceno, ex Baron. *in Martyrol.* nam obiit die 19. Junii, impedita Feſto SS. Gervaſii, & Protaſii, quorum Miſſa non erat expungenda de Miſſali, quæ habet introitum proprium (uti dicemus ſuo loco) ut ejus vice poneretur Miſſa Sancti Romualdi cum ſola commemor. SS. Martyrum; & ideo in Hymno *Iſte Confeſſor*, mutatur tertius verſus. Duplex a Clem. IX. die 23. Februarii 1669.

„ 8. S. Joannis de Matha Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Inſtitutoris. Duplex de Communi Confeſſ. non Pontificis a S. R. C. ſub die 15. Maji 1694. annuente Innocentio XII. antea erat ad libitum.

9. Apolloniæ. In Miſſ. Vat. *vol.* 3808. Simpl. in Brev. 1550.

„ 10. Officium Sanctæ Scholaſticæ Virginis, & Abbatiſſæ, ac Sororis Sancti Benedicti cum Lectionibus ſecundi Nocturni, & Oratione propriis, jam in univerſo Ordine Benedictino recitari ſolitum, in poſterum ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur ſub Ritu Duplici, recitari, & Miſſa reſpective celebrari debet, ut mandavit Benedictus XIII. ſub die 1. Februarii 1729.

„ PP. Benedictini Congregationis Caſſinenſis, & Vallis-Oletanæ ex ſpeciali privilegio illis concesſo die 17. Februarii 1672. & die 25. Septembris 1674. celebrant Feſtum ejuſdem Sanctæ Scholaſticæ cum Octava etiam in quadrageſima, unde ſervare debent ea, quæ ſtatuta ſunt in Decretis editis die 24. Januarii 1682. & datis in noſtro Indice *ſub num.* 123. 154. 324. & 325. „

14. Valentini. In Comite S. Hieronymi, & Sacrament. Gregor. „ Et in Kalendario Frontonis. Gelaſii Sacramentarium habet -- Natale Valentini, Vitali, & Feliculæ -- Codices Regius & Gellonenſis addunt Zenonis. „ Simplex 1530. & nulla Lectio habetur in Breviar. MS. neque apud nos.

15. Fauſtini, & Jovitæ. Appendix Gregor. Simplex in Breviar. 1550.

18. Simeonis: In Brev. Vatic. *vol.* 4755.

22. Cathedræ Sancti Petri Antioch. In Comite Hieronym. Antiph. Gregor. & in ejuſdem Sacramentario, ubi additur (Romæ) in editione ſcilicet Romana; non autem in Pameliana. Dictum fuit Feſtum S. Petri Epularum, quia vinum & epulæ offerebantur pro mortuis. Joann. Beleth. *c.* 93. Semidupl. apud Durand. *loc. cit.* Duplex ex conſuetudine generali apud Radulph. *propoſ. cit.* Officium vel a S. Gregorio, vel a Gelaſio, ex Ordine Roman. conjicitur. Orationis auctor S. Leo III. ex Durand. *lib.* 7. *cap.* 15. Homiliam Sancti Leonis addidit, & haberi Duplex majus juſſit Clem. VIII. notat Beleth. *loc. cit.* ſub nomine Antiochenæ comprehenſam fuiſſe etiam Romanam Cathedram ſuo tempore: nunc diſtinguuntur. Si concurrat hoc Feſtum cum Dominica Sexageſimæ, ut in Tabulis noſtris 20. 30. nihil refert, dici his Orationem de Sancto Paulo ſub diverſa ratione formali, de qua vide *in tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 5. *num.* 15.

„ Non ſolum in Codice Gregoriano a Pamelio edito, ſed etiam in Codice Rodradi *in* 3. *part.* & Cod. Rhem. & in parvulo Martyrolog. MS. exiſtente ad calcem ejuſdem libri legitur: *Cathedra Sancti Petri*, ſine adjuncto. In editis autem Romæ, ut notat Gavantus, additur *Romæ*, in Codice Ratoldi habetur: *In Antiochia Cathedra Sancti Petri*, Apud Auguſt. [illegible] inter Sermones de Sanctis extat Sermo 15. in editione veteri prænotatus *de Cathedra Sancti Petri*, in quo in Paganorum ſuperſtitionem invehitur. Talis autem Sermo in editione recentiſſima inter dubios recenſetur. Rurſus in Concilio Turonenſi 2. *Canon.* 22. fit mentio ejuſdem feſtivitatis, & prædictarum ſuperſtitionum his verbis: *Sunt etiam, qui in Feſtivitatem Cathedræ Domni Petri Apoſtoli cibos mortuis offerunt redeuntes ad domos proprias, ad gentilium revertuntur errores & poſt Corpus Domini, ſacratas Dæmoni accipiunt eſcas, conteſtamur illam ſollicitudinem, tam Paſtores, quam Presbyteros gerere, ut quemcunque in hac fatuitate perſiſtere viderint, vel ad neſcio quas petra, aut arbores, aut ad fontes deſignata loca Gentilium perpetrare, quæ ad Eccleſiæ rationem non pertinent, eos ab Eccleſia Sancta auctoritate repellant.* Ex prædictis Auguſtini, & Concilii Turonenſis locis nulla fit mentio de menſe, & de die hujus Feſti, ſed ex eorum verbis ſatis conjicere datur, ut ait Menardus in notis, & obſervationibus ad Sacramentar. Gregor. *pag.* 47. agi de Cathedra S. Petri, quæ hoc Menſe Febr. celebratur; fit enim mentio eorum, qui Paganorum Ritu mortuis parentabant, eorumque ſepulchris dapes inferebant, quod olim fiebat in Feralibus, quæ in priſco Kalendario Romano incipiunt die 20. Februarii, & durabat uſque ad finem ejuſdem menſis, in quibus Manes placabantur, eorum tumulis, cibo, quo veſcerentur, appoſito, ut conſtat ex Ovidio *libr.* 2. Faſtorum, qui eſt de menſe Februario, & refertur a Menardo *loc. cit.* qui ſubdit: cum in allegato Concilio, & in Codicibus MSS. ſupra citatis nominetur Cathedra S. Petri ſine adjuncto, puto olim hoc 22. die Februarii ſolemnitatem utriuſque Cathedræ celebratam fuiſſe, & decurſu temporis Cathedræ ſoli Antiochenæ devolutam fuiſſe -- Hæc Menardus, qui præterea notat in Codicibus MSS. nullum eſſe Feſtum Cathedræ Sancti Petri Romæ, ut neque in editis, neque apud Pamelium; verum, ut diximus, in editione Romana reperitur Romæ, ut notavit Gavantus. “

23. Vigilia Sancti Mathiæ, eadem, quæ de Vigilia Sancti Andreæ. Officium a Pio V. Si dies ſequens fuerit Feria 4. Cinerum, & ideo transferatur Feſtum Sancti Mathiæ in Feria quinta, eo caſu in ſecundis Veſp. Vigiliæ dicuntur Preces feriales cum Oratione Dominicæ, non Vigiliæ, ut in Rubricis generalibus, *titul. de Precibus n.* 5. *Vide ſupra n.* 10. & quia caſus eſt ſingularis hujus loci proprius; ideo & hoc loco adnotavimus. In anno Biſſextili, in lectione Martyrologii transfertur pronunciatio hujus Vigiliæ, & Feſti ſequentis, ut dicitur in eodem Martyrologio. Si Vigilia S. Mathiæ incidat in ultimum diem Bacchanalium, poteſt Epiſcopus transferre jejunium in Sabbatum præcedens, ne violetur jejunium. Diana 3. *part. tract.* 6. *Miſcellan. reſolut.* 65.

„ In Anno Biſſextili ad lectionem Martyrologii pro Vigilia, & Feſto S. Mathiæ, prout exprimitur in Breviario ſub menſe Februario, & in Martyrologio ad diem 23. & 24. Februarii, dies 24. eo anno interponitur quaſi non eſſet, nec reputanda eſſet: & hinc non legitur eo die lectio Martyrologii; ſed tantum dicitur: *Sexto Kalendas Martii Luna* quota fuerit; deinde ſic: *Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli. Item Commemoratio plurimorum &c.* Die porro 25. (quæ pro 24. tunc reputatur) dicitur rurſus: *Sexto Kalendas Martii*, eademque, quæ pridie, Luna pronuntiatur, & legitur Lectio diei 24. appropriata: *In Judæa Natalis S. Mathiæ &c.* & ſic conſequenter dies 26. cenſetur eſſe 25. & 27. cenſetur eſſe 26. „

„ Si Vigilia Sancti Mathiæ incidat in ultimam diem Bacchanalium, non poteſt, juxta Dianæ ſententiam, Epiſcopus transferre jejunium in Sabbatum præcedens, quia habetur Decretum editum a Sac. R. Congr. 23. Januarii 1694. prohibens talem anticipationem, quod Decretum datur in noſtro Indice *ſub n.* 185. „

„ Eadem die 23. per totam Italiam celebratur Officium Sanctæ Margaritæ de Cortona, ſub Ritu Semiduplici de Communi non Virgin. nec Martyr. & Miſſa etiam reſpective celebratur, Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente: Lectiones vero ſecundi Nocturni, Oratio, & Antiphonæ ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* propriæ ex Decreto S. R. C. die 5. Maji 1736. annuente Clemente XII. die 11. ejuſdem menſis. „

24. Mathiæ, ut diximus de S. Andrea. Quoad originem Feſti habetur in Sacramentario Gregor. Duplex a Bonif. VIII. Pius V. addidit Evangel. cum Homilia, & Lection. ſecundi Nocturni mutavit. Quod autem in Biſſextili Anno, fiat Officium die ſequenti 25. Alexand. III. præcepit *de verbor. ſignific. cap.* 14. Concionem de S. Mathia habuit Berno. Secreta miſſæ alia eſt in Sacramentar. Gregor.

Circumfertur Officium Sancti Conradi 19. Februarii, & quod pejus eſt Venetiis intra Breviarium impreſſum eſt, ſine Decreto Sacræ Rituum Congregationis, quæ illud conceſſit Placentinis, & Netinis in Sicilia tantum, ſub Ritu Semiduplici, 19. Maji 1614. deinde ab Urbano VIII. etiam Ordinis Minorum Sancti Franciſci die 13. Septembris 1625. quodcirca non eſt cuique datum illud recitare, neque ſine [illegible] libi-

libitum conceſſum, ut videri poteſt in novis impreſſionibus factis Venetiis, ubi dicitur pro Netinis, & Placentinis tantum.

### De Feſtis Sanctorum Menſe Martio. Cap. V.

FEſta Sanctorum in Quadrageſima ab antiquis non celebrabantur; quem Ritum retinet mordicus Eccleſia Ambroſiana. Longe tamen ante Micrologum cœpta ſunt coli in Quadrageſima, ut idem ſignificat, *cap.* 48.

4. Caſimiri. Extat Decretum, Paulo V. Pontifice S. R. Congr., quod fiat Semiduplex, die 23. Januarii 1621. Officium autem ſub Clem. VIII. fuerat editum pro Regno Poloniæ: deinde a Paulo V. ad uſum communem approbatum fuit, die 7. Auguſti 1621. in lectione Martyrologii legatur primo loco, iuxta leges Martyrologii.

Lucii. In Appendice Gregoriana reſtituit Clem. VIII. ob ejuſdem Corpus inventum cum Corpore Sanctorum Valeriani, & Tiburtii in Eccleſia S. Cæciliæ.

7. Thomæ Aquinatis a Joanne XXII. anno 1324. uti Doctoris, a Pio V. 1567. Simplex in Breviar. 1550. a Pio V. Duplex cum Officio. Si transferatur, mutatur tertius verſus Hymni, *Iſte Confeſſor*.

Perpetuæ, & Felicitatis, S. Auguſtin. in hoc Feſto tres tractatus habuit, ex Poſſidio, & habetur Feſtum in calce Sacrament. Gregor. „ Et in Codice Gelaſiano, " Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

„ 8. S. Joannis de Deo Confeſſoris Ordinis Fratrum Hoſpitalitatis Fund. nunc Duplex a S. R. C. approbante Innocentio XIII. die 25. Aprilis anno 1722. olim idem Officium recitabatur ſub Ritu Semiduplici, mandante S. R. C. die 21. Aprilis 1714. annuente Clemente XI. ſub die 4. Maji ejuſdem anni. "

9. ✠ Franciſcæ Romanæ. Paulus V. primo conceſſit Officium de Communi nec Virg. nec Mar. non determinans Rituin, ut habetur in Bulla Canonizationis §. 40. *Verſ. ſtatuentes*, anno 1608. Kal. Junii, quem poſtea Urbanus VIII. Semidupl. ad libitum in Urbe tantum, cum Lectionibus ſecundi Noct. propriis, & tandem Duplex ab Innocentio X. de præcepto ab omnibus, adjuncta Oratione propria, & dedit diem ſequentem Quadraginta Martyr. & de ea legatur primo loco in Martyrologio.

10. Quadraginta Martyrum. Baſilius, & Nyſſenus Orationem habuere in eorum Feſto. Manuel *in tit de Feriis*, in Appendice Greg. habetur Feſtum Simpl. in MS. 1550. Semid. a Pio V. cum Officio.

12. Gregorii Papæ. In Sacrament. Gregorian. hoc die, cui ſtatim additum fuit in calce hoc Feſtum, poſt ejus obitum; ſed Orationes Miſſæ diſcordant a noſtris in editione Romana; concordant in Pameliana. „ Habent hoc Feſtum etiam Kalendarium Frontonis, & Codex Gellonenſis. " In Septembri, quando fuit ordinatus die 3. Feſtum agebatur, ex Radulph. *propoſ.* 17. eo tempore, quo in Quadrag. natalitia Sanctorum non celebrabantur. Officium ab ejuſdem ſucceſſoribus ſtatim, ex Schultingio. Duplex a Boniſ. VIII. ſi transferatur; mutatur in Hymno, *Iſte Confeſſor*, tertius verſus, quæ mutatio quoque fit, ſi transferantur ſequentia Feſta.

17. Patritii. Ab Urbano VIII. in recognitione Breviarii, ſine Lectione quia ſemper occurrit in Quadrageſima, & in Martyrologio erit de eo legendum in primo loco.

„ Nunc celebratur ſub ritu Semiduplici, cum Lect. ſecundi Noct. & Orat. propriis. Ab Innocentio XI. anno 1687.

19. Joſeph. In Appendice Gregor. cum hoc titulo — Nutritoris Domini. Renovavit Feſtum Sixtus IV. Præcepit diem Populo Feſtum Greg. XV. cum Decreto Sac. Rit. Congr. 8. Maji 1622. Duplex in Breviar. 1550. Pius V. mutavit Officium; quod prius erat totum de eodem propriiſſimum. Duplex ſecundæ Claſſis a Clem. X. die 29. Novembris 1670. & Sac. Rit. Congr. approbavit. Hymnus proprius in primis Veſperis, ad Matutin. & Laud. ac Antiph. ad *Magnificat*, *Benedictus*, die 21. Novembris 1671.

„ Officium S. Joſeph. Sponſi B. M. V. cum novis Antiph. verſibus, Lect. primi Noct., Reſponſoriis, & Capitulis approbavit, ac in Feſto ejuſdem recitari mandavit S. R. Congr. die 3. Februarii 1714. annuente Clem. IX. ſub die 4. ejuſdem menſis, & anni; & hoc Decretum datur in noſtro Indice *ſub num.* 256.

„ Occurrente hoc Feſto in Feria quinta majoris hebdomadæ, non transfertur Feſtum, ſeu Solemnitas, ſed ſolummodo Officium ad aliam diem juxta Rubricas, & Decreta Sacr. Congregationis. Cæterum obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus adhuc urgebit in prædicta Feria Quinta Majoris hebdomadæ, adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum erit, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ pro præcepti adimplemento non deſint, & cætera præſtentur, prout habetur in Decreto a Sacr. Rit. Congreg. edito die 13. Septembris 1692. & dato per extenſum in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Miſſalis *ſub num.* 501. Ob identitatem rationis, & ob ſimilem cauſam idem præſtandum eſt, ſi Feſtum SS. Annuntiationis occurrerit in prædicta Feria quinta in Cœna Domini. Quoniam vero in prædicto caſu occurrit transferri debere etiam Officium SS. Annuntiationis, quod incidet in Feriam IV. poſt Paſcha, licet hoc ſit poſterius in translatione, attamen anterius debet eſſe in repoſitione, juxta Decretum editum die 14. Junii 1692. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 171.

„ 20. S. Joachim Feſtum non celebratur amplius hac die, ſed in Dominica infra Octavam Aſſumptionis B. M. V. juſſu Clementis XII. ideo vide Decr. in App. *ſub n.* 353. „

21. S. Benedicti. In calce Sacramentarii Gregor. & infra Antiphonarium ejuſdem, ſed poſterius eſt Greg. ait ibidem Pamelius; & de generali conſuetudine, Radulph. *propoſ.* 17. qui & Semiduplex aſſerit habuiſſe Officium, quod duravit ultra ann. 1522. ut ex Breviar. eodem anno impreſſo conſtat. Duplex in Breviar. 1550. ut hodie. Officium eſt Greg. vel, ut ait Schulting. a S. Bernardo, vel a S. Petro Damiani, vel Odone Floriacenſi: aliud tamen Officium Miſſæ habetur in Antiph. Gregor. in menſe Julio.

„ PP. Benedictini Cong. Caſſinenſis, & Vallis-Oletanæ facultatem habent hoc Feſtum celebrandi cum Octava etiam in Quadrageſima, quod quidem privilegium, ſeu Indultum Apoſtolicum extenſum fuit etiam ad Moniales ejuſdem Ordinis Sancti Benedicti, quæ ſunt ſubjectæ Ordinariis locorum, ut conceſſit Clemens X. die 17. Februarii & 31. Decembris anno 1672. & die 22. Septembris 1674. Notat Martene de antiq. Eccleſ. diſciplin. *cap.* 31. *n.* 25. quod in veteri Sacramentorum libro Eccleſiæ Turonenſis tres Miſſæ habentur de Sancto Benedicto, quas ipſe retulit *lib.* 1. de antiq. Eccleſ. Ritibus. „

25. Annuntiationis B. V. Orationem habuit (creditur in ejus Feſto) Sanctus Gregorius Taumaturgus; quam in Latinum tranſtulit Cardin. Sirletus, ſeu verius in Notis Baronian. in Martyrolog. eo prodente Græcam, latinitati donavit Vuilhelmus Lindanus Ruremundenſis Epiſcopus. Meminit Feſti S. Athan. *enarratione de Deipara, quæ tamen videtur tribuenda Cyrillo, cum ibi pugnet auctor contra Neſtorium*. Sexta Synodus *c.* 12. meminit Feſti, tamquam antiqui, citata a Baron. *in Notis Martyr.* S. Auguſt. ſermonem de eadem habuit. Sanctus item Petrus Chryſologus. „ Feſtum habetur in Sacram. Gregoriano, & Gelaſiano, " in Kalendario Frontonis, & Marteniano. „ Duplex apud Durand. ſupra. Lectiones primi Nocturni habentur eædem hodie, quæ in Ord. Rom. reliquum Officium Schultingius Ildephonſo tribuit. Oratio Miſſæ habetur in Sacram. Gregor. Quid agendum ſit, quando Feſtum hoc incidat in ultimo biduo majoris hebdomadæ; An populus audire Miſſam teneatur; An queat communicare: diximus in primo Tomo, cum de iis, quæ ad Miſſam ſpectant. Si transferatur poſt Dominicam in Albis, primæ Veſperæ erunt de B. V. cum Commemoratione Dominicæ.

„ Si hoc Feſtum Sanctiſſimæ Annuntiationis B. M. V. occurrat in Feria ſexta Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transfertur una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, uti diximus ſupra in noſtris Obſervationibus & Additionibus ad prædictam Feriam ſecundam, de qua agit Gavantus ſupra *Sect.* 6. *c.* 15. unde videantur ibi dicta, ne eadem hic repetantur. Vide etiam Decreta data in noſtro Indice *ſub n.* 337.

„ Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis Feſtum Septem Dolorum B. V. M. Duplex majus, de quo vide quæ a nobis dicta ſunt ſupra in poſteris Obſervationibus, & Additionibus ad Ferias poſt Dominicam Paſſionis, de quibus Gavantus agit *Sect.* 7. *c.* 12. „

### De Feſtis Sanctorum Menſe Aprili. Cap. VI.

2. FRanciſci de Paula. In Miſſali Romano fuit ann. 1557. reſtituit Sixtus V. 1585. qui & Duplex Officium recitari juſſit: quod mutatum quidem fuit in Semiduplex a Clem. VIII. ne Offic. Dominicæ impediret (quod in ſequentibus ſimilibus mutationibus obſerva,) ſed reſtitutum denuo Duplex (quia Ordinis Fundator) a Paulo V. fuit. Officium vero a Sixto V. fuerat evulgatum. Si transferatur, mutatur Verſus Hymni *Iſte Confeſſor*.

„ 4. S. Iſidori Epiſcopi, & Confeſſoris ſub ritu Duplici minori recitari mandavit S. R. C. 25. Aprilis 1722. approbante Innocentio XIII. cum Lectionibus propriis ſecundi, & tertii Nocturni, ac octavo Reſponſorio *In medio Eccleſiæ*, & Oratione *Deus, qui populo tuo*, necnon cum Antiph. ad Magnificat in utriſque Veſperis *O Doctor optime*, aſſignata Miſſa de Communi Doctorum cum *Credo*. „

5. ✠ Vincentii Ferrerii Confeſſ. Semid. ad libitum a Clem. IX. cum Orat. propria, ac Lect. 2. Nocturn. die 10. Martii 1668. & de eo primo legatur in Martyrologio.

„ Deinde Semiduplex de præcepto a Clemente XI. tandem Duplex pariter de præcepto a Benedicto XIII. 5. Aprilis 1726. „

11. Leonis PP. in Appendice Gregoriana; non tamen fuit in Breviariis MSS. & 1550. a Pio V. deinde cum Duplici ritu, & Officio, fuit reſtitutum. In Octavario Romano pro Octava S. Leonis potuiſſent legi (monet Praxis Cæremoniarum Auctor) Lectiones, ſeu Homiliæ in Feſtis S. Petri 29. Julii,

Julii, & 18. Januar. ſed Bellarmino placuit, Homilias tantum infra hanc Octavam legi a S. Leone compoſitas, in quibus de ſe loquitur, & quarum gratia datum eſt huic Feſto tale Evangelium. Si transferatur, mutatur tertius verſus in Hymno, *Iſte Confeſſor*. „ Vide alia, quæ circa recitationem Officii & Miſſæ mutanda ſunt, in noſtro Indice ſub numer. 368.

13. ✠ Hermenegildi martyr. Officium Semid. ab Urbano VIII. cum Oratione, Hymnis ad Veſp. & Matutinum, & Lectionibus propriis, & ſi celebretur tempore Paſchali, legatur Evang. *Si quis venit ad me & non odit Patrem, &c.* contra aliquos, qui dixerunt, quod debebatur legi Evangel. temporis Paſchal. nam in Breviar. habetur cum Hymnis, & Evangel. ut ſupra. „ Si Hymnus in primis Veſperis ſit impeditus, ponendus eſt in Matutino, & Hymnus Matutini in Laudibus juxta Decretum emanatum die 5. Maji 1736. in *Einſilden.* datum in noſtro Indice *num.* 291.

14. Tiburtii, & Valeriani, &c. in Sacramentar. Gregor. „ Sicut in Kalendariis Frontonis, & Martene, Nulla ipſorum eſt mentio in Codice Gelaſiano, ſed in Leonino unius Tiburtii meminit Collecta, quæ ibi legitur, „ Simplex in Breviar. MS. & deinceps Officium Gregorian. Non dicitur, *Hæc eſt vera, &c.* quia non eſt Reſponſ. Paſchale, neque ſunt omnes fratres.

17. Aniceti, in Appendice Gregor. Semidupl. ex Microlog. *cap.* 43. Romæ tantum, Radulph. *propoſit.* 22. Simplex in Breviar. MS. & 1550. ut hodie.

„ 21. S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Angliæ Primatis, alias ſub Ritu Semiduplici de præcepto, nunc ſub Ritu Duplici recitari mandavit Sac. Rit. Cong. 3. Februarii 1720. approbante Clemente XI. ſub die Octava ejuſdem menſis, eodemque anno. In utriſque Veſperis poni debet Antiphona *O Doctor optime*, & in ejus Miſſa, quæ incipit *In medio Eccleſiæ*, debet dici etiam *Credo*, ita reſcribente eadem Congregatione.

22. Soteris, & Caji in Append. Gregor. Soteris tantum, „ S. Soteris Feſtum in Codice Gelaſiano habetur non hac die, ſed xv. id. Februar. „ Radulph. *propoſit.* 22. Semidupl. ex Micrulog. *c.* 43. Simplex in MS. & 1550. a Pio V. reſtitutus eſt ritus Semidupl. una cum Officio.

23. Georgii. In Antiphon. & Sacrament. Greg. ſed additum putat Pamelius *ibi.* poſt S. Gregorium. „ Habetur quoque in Kalendario Frontonis, deeſt in Marteniano. „ Manuel *tit. de Feriis*. Simplex in MS. Breviar. & 1550. a Pio V. Semidupl. cum Oratione ſumpta a Feſto S. Barnabæ, Nulla Lectio propria in antiquis, neque in recentioribus.

„ De hoc S. Martyre mentionem facit Martyrologium Romanum Vetus, ſive S. Hieronymi, necnon Uſuardus, Ado, Notkerus, & paſſim alii recentiores Martyrologii, Menologium quoque Græcorum, Metaphraſtes apud Lippomanum *tom.* 7. & Surium *tom.* 2. ubi referuntur acta Martyrii, de quibus, aliiſque, quæ vulgo circumferuntur, quid ſentiendum ſit videndus eſt Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hac die, necnon ea, quæ ad eamdem diem erudite ſcripſit Papebroch. in Commentario prævio ad Vitam ejuſdem S. Georgii *tom.* 3. ubi agit de antiquo hujus Martyris cultu ſtatim a principio late diffuſo, deque templis, Monaſteriis, Oratoriis S. Georgio per Univerſum Orbem erectis, ac Reliquiarum diſtractione plura congerit, ejuſque acta tum Latina, cum Græca, quæ melioris eſſe fidei, quam Latina, licet non omnino accuratiſſima, pluribus aſtruit, & ex MSS. profert, notiſque exornat; ubi & Encomium ejuſdem Sancti, auctore S. Andrea Archiepiſcopo Cretenſi ex MS. Vaticano; aliudve Encomium, auctore Georgio Cyprio Patriarca Conſtant. ex MS. Græco refert cum Analectis de ejuſdem Sancti Reliquiis, miraculis, ac patrocinio. Martyrium ſubiit magnus hic Martyr, & toto Chriſtiano Orbe celeberrimus Sæculo IV. anno Cbriſti 303.

25. Marci Evangel. Ordo Rom. Sacramentar. Gregor. Decretum Bonifacii VIII. qui ritum Duplicem præſcripſit. De Litaniis majoribus, vide præcedentem *Section. cap.* 16. Decrevit S. R. C. Litanias majores occurrentes in die Paſchatis differendas eſſe in Feriam tertiam ſequentem: quod me petente, ſancivit die 25. Septemb. 1627. eo, quia Miſſa Epiſcopalis, communio totius populi, & Cleri ob has cauſas occupatio, impediunt Proceſſionem, in die tamen Feſto faciendam, ex inſtitutione Sancti Greg. quare hæc translatio ſolius erit Paſchatis diei privilegium, non autem dierum, qui ſequuntur. Objiciebatur Concio Matutina: at hæc, vel ante, vel poſt Proceſſionem haberi poterit, vel a prandio ut in Paſchate.

„ De origine, & Ritu Litaniarum majorum, quæ hac die recitantur, vide quæ a nobis dicta ſunt in *tom.* 1. hujus Theſauri, necnon in hoc *tom.* 2. ſupra agendo de Rogationibus.

„ Si hoc Feſtum Sancti Marci transferendum ſit, necnon Feſtum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi; prius reponendum eſt Feſtum Sancti Marci, deinde Feſtum SS. Apoſtolorum, ita decrevit Sacr. Rit. Congregat. 18. Septembris 1676. necnon 17. Julii 1706. ratio autem eſt; quia Feſta Evangeliſtarum, & Apoſtolorum ſunt æqualis ſolemnitatis, nec aliqua occurrit inter eos differentia, & ideo quando ſunt æqualis Ritus, in eorum repoſitione attendenda eſt prioritas tranſlationis, ſeu temporis Feſti transferendi quoad Officium.

26. Cleti, & Marcellini. In Appendice Gregor. Semidupl. ex Microlog. 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propoſ.* 22. Simplex in MS. & 1550. Semidupl. a Pio V. reſtituitur a quo & Officium.

28. Vitalis. In Antiphon. & Sacramentar. Gregor. „ Et in Kalendariis Martene, atque Frontonis. “ In hoc Feſto ſermonem habuit Petrus Cardin. Damiani apud Surium *tom.* 2. Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

29. Petri Martyris. In Brev. Vatic. *vol.* 4760. reſtituit Sixtus V. 1586. qui & Dupl. cum Officio inſtituit. Semiduplex juſſit eſſe Clem. VIII. Denuo Duplex a Clemente X.

30. Catharinæ Senenſis Clem. VIII. Commemorationem ordinavit in præcedenti die, ſuggerente Roberto Cardinali Bellarmino, at Urbanus VIII. Semiduplex Officium eſſe voluit 7. Auguſti 1628. Lectiones proprias, & Orationes addidit, præſertim ad varietatem Orationum in Officio, & Miſſa, quando contingit hoc Feſtum transferri in diem 4. Maji, in qua occurrit Feſtum S. Monicæ, Duplex a Clemente X.

## De Feſtis Sanctorum Menſe Majo. Cap. VII.

1. PHilippi, & Jacobi. Sine Vigilia, ex Innoc. III. *de obſervat. jejun. cap.* 2. Officium Vig. adhuc legitur in Sacrament. Gregor. pro Miſſa tantum. „ Habetur hoc Feſtum in Codice Gelaſiano, Kalendariis Frontoniano, & Marteniano. “ Feſtum, ut de S. Andrea dictum eſt; Officium creditur a Schulting. eſſe Pelagii Papæ, qui eorum corpora condidit in Baſilica duodecim Apoſtolorum, & uno, eodemque die utriuſque Feſtum celebrari juſſit; Habetur in Comite Hieronym. in Antiphon. & Sacrament. Gregor. Offic. Miſſæ. Si occurrat hoc Feſtum in Sabb. poſt Domin. tert. poſt Paſcha, tunc in Dominica 4. debent legi Lection. Fer. 2. ſequent. ne bis initium Epiſtolæ S. Jacobi legatur immediate duobus diebus; ut ſupra diximus *Sect.* 6. *cap.* 15. *n.* 6. quod ſi contingat eos dividi juxta Rubric. de qua ſupra *Sect.* 3. *cap.* 10. *n.* 13. eo caſu in Eccleſ. S. Philippi Lect. 1. Noct. erunt de Comm. Apoſt. reſervata Lectione, Epiſtola Sancti Jacobi Officio ejuſdem, cujus eſt propria.

Lectiones ſecundi Nocturni quinta, & ſexta ſumentur de Communi Apoſtolorum; Lectiones tertii Nocturni cum Antiphonis in Laudibus, ut in proprio Feſto: quia ſunt magis propria de S. Philippo; in Officio vero S. Jacobi, quod transferri debet in primam diem non impeditam, etiam intra Octavam S. Philippi Titularis (hoc eſt, die 4. Maji, vel ſi ea dies Dominica eſt, in diem quintam) primæ Lectiones, ut dictum eſt, erunt de Epiſtola Jacobi: ſecundæ erunt propriæ, addita ſexta de Communi Apoſtolorum, tertiæ Lectiones erunt de Evang. *Ecce nos reliquimus omnia*, ut in eodem Communi Apoſtol. Antiphonæ omnes de Communi Apoſtolor. tempore Paſchali. De S. Monica fiat Commemor. in Laudibus tantum, cum nona Lectione ex duabus una. Pro varietate Orationum, quæ neceſſaria certe erit in ſecundis Veſperis S. Jacobi, ſi die ſequenti fiat de die infra Octav. S. Philippi, ſumi poterit Oratio de S. Jacobo majore, 25. Julii. Eadem ſervanda erunt, vice verſa; ſi Feſtum S. Jacobi minoris ſit Titularis Eccleſiæ. Miſſa quoque de S. Philippo erit ea ipſa, quæ in Miſſali eſt propria cum Orationibus in numero ſingulari de eodem. De S. Jacobo poterit dici Miſſa ut in Feſto S. Marci Evangel. demptis Oratione, Epiſtola, & Evangelio, quæ cum Officio concordare debent.

Ubi fit Octava, ſi intra eamdem occurrat Fer. 2. Rogationum, vel Vigil. Aſcenſionis, Lection. primi Nocturni ſumuntur de Communi Apoſtol. Miſſa vero dicitur de Rogat. cum Commem. Octavæ ſine *Gloria, & Credo*, & cum Præfatione de Tempore, non de Octava.

Alicubi accidit hoc Feſtum transferri poſt Feſtum Trinit. & conſultus reſpondi (ſalva ſemper auctoritate S. R. C.) Officium eo caſu fieri, ut in Communi Apoſt. extra tempus Paſch. retentis iis, quæ ſunt propria Feſti, & demptis, Alleluja, in Antiph. In Miſſa vero demptis etiam Alleluja in Introitu, & Communione, ſumerem Epiſt. Graduale, & Offertorium e Miſſa Votiva Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.

2. Athanaſii. In Appendice Gregor. Orationem Nazianzenus habuit in ejus Feſto, Manuel *tit. de Feriis*. Simplex in Breviar. 1550. Duplex a Pio V. cum Officio. In Octavario noſtro non damus Octavæ hujus Sancti tria Evangelia, quod ſcripſit aliquis; ſed in die Octava legitur, in idem Evangelium Feſti, Homilia Feſti S. Polycarpi quæ explicat poſtremam partem Evangelii Feſti S. Athanaſii. Homilia ergo, non Evangelium Feſti S. Polycarpi legi debet. Si transferatur, mutatur verſus tertius in Hymno, *Iſte Confeſſor*.

3. Inventionis Sanctæ Crucis. Decreto Euſebii Papæ, *diſt.* 3. *Crucis* a S. Silveſtro inſtitutum fuit, ex Fl. Lucio Dextro *in Chronico* (ſi tamen illius eſt, quod nuper editum eſt *Anno* 424. *num.* 12.) Comes Hieronym. Ordo Roman. & Sacrament. Gregorian. „ Hujus Feſti habetur mentio in Codicibus Gelaſiano, & Gothico, nihil de eo legitur in Kalendariis toties laudatis. “ Semiduplex apud Durand. *lo. ci.* Du-



K 4 plex

plex apud Radulph. *propoſ.* 17. Officium ab Euſebio, & habetur apud Microl. *c.* 55. Alii in Brev. Venet. 1521. auctorem faciunt Petrum Epiſcopum Singalenſem, approbante Gregorio XI. Oratio eſt Ambroſiana, & habetur in Sacramentario Gregoriano cum aliis duabus, quæ dicuntur in Miſſa; Officiumque Miſſæ in Antiphonario. Clemens VIII. inter Feſta ſecundæ Claſſis collocavit, mutavitque Antiphonas ad Laudes, ut eſſent eædem, in Exaltatione, quia priores hiſtoriam continebant dubiam. Si concurrant Feſta Aſcenſionis, & Inventionis Sanctæ Crucis, fiat Commemoratio de Feſto Sanctæ Crucis, licet videatur Feſtum de eodem Domino, & differentia ſatis patet in diverſitate myſterii, quidquid alii contra ſcripſerint.

Alexandri, &c. cum Juvenali Confeſſore. Primorum trium mentio eſt in Sacramentario Gregoriano: Juvenalis quoque in Antiphonario Gregoriano; omnium ſimul in Miſſali Vaticano, omnium antiquiſſimo, *Vol.* 4770. „ Alexandri, Eventii, & Theoduli meminerunt etiam Kalendaria Frontonis, & Martene. Codex Gelaſianus unius Juvenalis Miſſam habet. „ Simplex 1550. Officium Gregorianum, In Oratione titulus (martyrum) omittitur, quia Juvenalis non fuit martyr.

„ Si hoc Feſtum transferatur extra tempus Paſchale, omittitur in Officio *Alleluja*, exceptis quibuſdam locis, ut in Exaltatione: in Hymno autem *Vexilla* dicitur *in hac triumphi gloria*. Ad Matutinum Antiphonæ de Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis dicentur, excepta prima primi, & ſecundi Nocturni; & Miſſa dicitur, ut in Feſto Exaltationis ejuſdem, exceptis Orationibus, Evangelio, & Offertorio, quæ ei ſunt propria. „

4. Monicæ. In Breviar. Vatican. *volum.* 4752. Simplex in MS. & a Pio V. cum Officio, pro Octava ejuſdem (quæ celebratur, ut plurimum apud alumnos S. Auguſtini, & proprias habent Lect.) indicatum eſt ſatis in Octavario; dataque ideo ſunt Lectiones de Communi; poſſunt tamen etiam legi in die Octava, quæ Feria quinta Dominicæ quartæ Quadrageſimæ habentur in Breviario. Semiduplex a Clement. IX. adjuncta Lectione 3. 2. Noct. ex Divo Auguſtino, ac Lection. 3. Nocturn. Die 14. Julii 1669.

„ Nunc elevatum eſt hoc Officium ad Ritum Duplicem a S. R. C. ſub die 26. Auguſti 1730. Gavantus poſuit hoc Feſtum ſub die 5. hujus menſis, ſed translatum fuit ad præſentem diem, unde non poteſt amplius ad diem 4. transferri Feſtum S. Jacobi, ut aſſeruit Gavantus ſupra in caſu &c.

„ 5. Sancti Pii V. ex Ord. Prædicator. a Clemente XI. in Sanctorum albo ſolemniter adſcripti cum Oratione, & Lectionibus ſecundi Nocturni propriis, jam aliquibus Civitatibus, & Diœceſibus Officium conceſſum, extenſum fuit ad Eccleſiam Univerſalem pro hac die ſub ritu Semiduplici de præcepto recitandum; a S. C. R. die 28. Januarii 1713. annuente Clemente XI. die 17. Februarii ejuſdem anni. „

6. Joannis ante portam Latinam. In Appendice Gregor. & Gemma *lib.* 4. *c.* 160. „ In Sacramentario Gelonenſi habetur -- Natale Sancti Joannis ante portam Latinam -- in Miſſali Gothico poſt Feſtum Inventionis Sanctæ Crucis legitur -- Miſſa Sancti Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ. Nihil de ea in memoratis Kalendariis, & in Codice Geleſiano. „ Semiduplex apud Durand. *loc. cit.* Duplex a Pio Quinto ut in Breviario 1550. Clemens VIII. Duplex majus declaravit eſſe. Si occurrat in Sabbato Aſcenſion. legitur initium Epiſtolæ Dominic. ſequentis, in qua deinde legi poſſunt Lectiones Feriæ ſecundæ, ne bis initium legatur immediate: ita in recognitione poſtrema Breviarii. Si occurrat in Domin. vel Fer. ſecunda Rogationum, convenit, ut nona Lectio conjungatur octavæ, quia in illa de martyrio illius agitur.

„ Non ſolum ſi hoc Feſtum occurrat in Dominica, vel Feria ſecunda Rogationum convenit, ut nona Lectio conjungatur cum Octava, quia in illa de martyrio Sancti Joannis agitur, ſed idem dicendum eſt ſi hoc Feſtum celebretur Feria quarta Rogationum, aut transferatur in diem, quo dici debebit Lectio nona de Feſto Simplici. Quod ſi idem Feſtum S. Joannis occurrat intra Octavam Aſcenſionis, in fine Hymnorum Feſti dicetur ultima Strophe de Aſcenſione, licet dicta ſit Strophe penultima temporis Paſchalis, & eadem eſt lex in Feſto Sanctorum Philippi, & Jacobi; ſi vero hoc Feſtum transferatur extra tempus Paſchale, fient omnia de Communi Apoſtolorum extra idem tempus, exceptis iis, quæ ſunt propria; Miſſa autem dicetur, ut in ejuſdem Feſto menſe Decembri, præter Orationem, & Evangelium, quæ dicentur, ut in hoc Feſto. "

7. Stanislai in Breviar. Vatican. *vol.* 4751. a Clem. VIII. reſtituitur Ann. 1595. a quo & ritus Semiduplex, & Officium decernitur; hac nimirum die, licet obierit die ſequenti, ex Not. Baron. in *Martyrol.* quæ impeditur majori Feſto. Petrus Galeſin. *in ſuo Martyrolog.* ſcribit obiiſſe die 11. Aprilis, quæ item impedita eſt Feſto S. Leonis. „ Nunc vero dictum Officium elevatum eſt ad ritum Duplicem a S. R. C. die 10. Martii 1736. approbante Clem. XII. Summo Pontifice die 13. ejuſdem menſis, & anni. „

8. Apparitionis Michaelis Archangeli. Hujus Feſti meminit Alexander II. *Epiſtol. ad Petrum Archiepiſc. Dioclenſem*, in qua concedit eidem, ut poſſit uti Pallio in duobus Feſtis Sancti Angeli, in aliis de more explicat recentior hunc textum de duobus Feſtis, quæ ſequuntur immediate diem Paſchatis; at unde probat dici hæc duo Angelorum Feſta? An quia Mediolani celebratur Feſtum Feriæ ſecundæ Paſcharis apud Ædem Sancti Angeli? annuit ille. Certe Urbanus II. conceſſit uſum Pallii etiam in Feſto Sancti Michaelis *in Epiſt. ad Berengarium Tarrocenenſem Archiepiſcopum*, quod adnotavit idem boni nominis Auctor. Contigit Apparitio ſub Gelaſio, *in Sigibert. Chronico*, ob aliam apparitionem ante eam, quæ in Garganomonte, (ait Baron. in Martyr.) agebatur Feſtum, & habetur in Miſſali Vatican. *vol.* 4770, Semidupl. apud Durand. *loc. cit.* & in Breviario 1550. Duplex a Pio Quinto. Duplex majus a Clemente VIII. ille addidit primas, & ſecundas Lectiones: hic Homiliam Sancti Hilarii, reliquum Officium a Feſto Dedicat. ſumitur, ritu tamen Paſchali. Octava Benedictio: *Quorum Feſtum &c.* ut ex 8. Lectione patet. Lectiones autem pro Octava a nobis alias editæ, & a S. R. C. approbatæ: reformatæ fuerunt in Octavario Romano. Quod ſi Feſtum Apparitionis transferatur ultra tempus Paſchale, fiat, ut in Septembri. Si occurrat in Feria ſecunda Rogationum, octavæ Lectioni convenit adjungi nonam, in qua de Sanctis Angelis agitur.

„ Si hoc Feſtum transferatur extra tempus Paſchale, Officium, & Miſſa dicentur, ut in Feſto Dedicationis, ſicut etiam notavit Gavantus ſupra, exceptis tamen Lectionibus ſecundi, & tertii Nocturni, quæ dicentur ut in hoc Feſto apparitionis, omiſſo *Alleluja* in Reſponſoriis. „

9. Gregorii Nazianzeni. Manuel *de Feriis*. In Breviario Romano non ante ann. 1550. ut notavi diligentiſſime perluſtratis multa Miſſalia, & Breviar. antiquiora, neque de eo fit mentio in Breviar. edit. 1550. Duplex ergo cum Officio toto a Pio V. Si transferatur, mutatur tertius verſus Hymni, *Iſte Confeſſor*.

10. Gordiani, & Epimachi. In Antiphon. & Sacramentario Gregoriano. „ Et in Kalendario Martene, ſed in Frontoniano nulla fit mentio S. Epimachi, ſicuti nec in veteri Codice Gellonenſi, in quo hoc Feſtum ita exprimitur -- Natale S. Gordiani via Latina. -- „ Simplex in MS. & 1550. Officium Gregorianum.

„ Sancti Antonini Epiſcopi, & Confeſſoris olim Semiduplex ad libitum, nunc de præcepto a S. R. C. 2. Aprilis 1707. approbante Clem. XI. ſub die 16. ejuſdem menſis, & eodem anno. „

12. Nerei, Achillei, &c. excepta Domitilla, quæ obiit die 7. Maji, & quam, ob hodiernam translationem, addit Clemens VIII. omnes habent Feſtum in Antiphonario Gregoriano, ubi habetur Officium Miſſæ. Orationes etiam leguntur in Sacramentario Gregoriano, non Romano, ſed a Pamelio edito. „ Hoc Feſtum memoratur etiam in Codice Gelaſiano, & in Kalendario Martene; ſed in neutro fit mentio S. Domitillæ, nec S. Pancratii in poſtremo. Kalendarium Frontonis duas hac die Miſſas habet, unam de Sanctis Nereo, & Achilleo, alteram de S. Pancratio, quas etiam habent Codices Gellonenſis, & Turonenſis. „ Pancratii Feſtum habetur in Comite S. Hieronymi. Simplex in MS. & 1550. omnes autem Ritu Semid. a Clem. VIII. coli jubentur, qui addidit Homiliam cum Evangelio, & Lectiones ſecundi Nocturni ampliavit in laudem Domitillæ, inſtante Cardinali Baronio, qui pridie tranſtulit in Eccleſiam eorumdem, & Titulum ſuum, corpora trium priorum, Anno 1597. reliquum Officium eſt Gregorianum. Si occurrat hoc Feſtum in Fer. 2. Rogat. congruit legi nonam Lectionem cum Octava; in ea enim agitur de Sanctis. Si venerit extra tempus Paſchale, quia transfertur, mutantur Antiphonæ, & Reſponſoria; non tamen dicitur: *Hæc eſt vera Fraternitas*: quia non ſunt omnes fratres. *V. de ſect.* 9. *c.* 6. *num.* 9. Miſſæ dicuntur cum Orationibus, & Evangelio propriis ut in Communi extra tempus Paſchale.

„ Prædicta Miſſa dicenda extra dictum tempus Paſchale erit -- Sapientiam. „

14. Bonifacii. In Breviario Vaticano *Vol.* 4753. Cum novem Lectionibus in Breviar. 1550. cum duabus a Pio V.

16. Ubaldi a Cæleſtino III. Anno 1192. in Breviario Vaticano *Vol.* 4760. A Paulo Quinto, Duce Urbinate procurante, reſtitutum eſt Feſtum die 24. Septembr. quia hac die 16. creatus ille fuit Summus Pontifex & huic ſeniori natus eſt filius, Anno 1605. ſimplex in MS. Officium a Paulo V. editum eſt 17. Decembr. 1605.

„ Nunc vero Semiduplex de præcepto a S. R. C. die 11. Februarii 1702. approbante Clemente XI. „

17. ✠ Venantii martyr. Semid. a Clemen. X. cum Oratione & lectionibus ſecundi Nocturni, cum Hymnis in primis Veſperis, ad Matutinum & Laudes 18. Novembris 1670. in gratiam hujus Sancti, Patroni Civitat. Camerini, in qua ipſe fuit Epiſcopus.

19. Pudentianæ in Antiphonario Gregoriano. „ Et in Kalendario Frontonis, in aliis Liturgicis libris altum de ea ſilentium. „ Poſterius tamen eſt Gregorio ex Pamalio *ib.* ſimplex

plex

plex in MS. & 1550. Officium Gregor. Petri Cœleſtini Papæ & Conf. Semid. a Clem. IX. die 2. Junii 1668. & Sac. Congr. approbavit Orationem propriam cum quarta Lectione die 5. Oct. 1669. & de eo legitur primo loco in Martyrologio.

„ Officium S. Cœleſtini Pp. & Confeſ. elevatum fuit ad Rit. Dupl. ab Innoc. XI. ſub die 10. Martii 1681.“

20. ✠ Bernardini Senenſis Semidupl. Ab Alex. VII. cum Oratione, & Lection. ſecundi Noctur. propriis die 15. Septemb. 1657. & de eo legatur primo in Martyr.

„ 21. In tota Italia, & Inſulis adjacentibus celebratur Feſtum S. Felicis a Cantalicio, Ordinis Cappuccinorum Confeſſor. ſub ritu Semiduplici. Oratio, & Lectiones ſecundi Nocturni propriæ. Miſſa pariter propria: *Dominus pauperem facit, &c.* Ex Decreto Sacr. Rit. Congr. die 23. Martii 1739.“

25. Urbani. In Antiphonario, & Sacramentar. S. Greg. „ Et in Kalend. Martene. In Frontoniano ita legitur — Natale S. Urbani Confeſ. atque Pontificis.“ Semidupl. apud Micrologum c. 4. Romæ tantum, Radulph. *propoſ.* 22, Simplex in MS. & 1550.

„ Officium S. Gregorii PP. VII. alias a Sacr. Rituum Congreg. die 19. Auguſti 1719 cum Lectionibus ſecundi Noct. & Oratione propriis pro Baſilicis Patriarchalibus Urbis, & univerſo Ordine Benedictino reviſum, & approbatum, in poſterum ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, hac die ſub Ritu Duplici recitari, & Miſſam reſpective celebrari debere, ac ita in Breviario, ac in Miſſali Romano apponi mandavit Bened. XIII. die 25. Sept. 1728. Dum hoc Officium dicendum ſit juxta conceſſionem factam Ordini S. Benedicti, hinc in tertio Noct. legenda eſt Homilia S. Hilarii Epiſcopi in Evangelium *Vigilate*, quæ habetur in ſecundo loco de Communi Confeſſoris Pontificis, & conſequenter idem Evangelium recitandum in Miſſa, licet hæc ſumenda ſit ex primo loco ejuſdem Communis, incipiens *Statuit*: In eodem Officio nona Lectio erit de S. Urbano Pp. & Martyre, de quo idcirco facienda etiam erit commemoratio in primis Veſperis, Laudibus, & Miſſa.“

26. Eleutherii. In Miſſal. Vatican. *vol.* 4743. Simplex in MS. 1550.

Philippi Nerii Confeſſoris. Ad libitum fieri poteſt Feſtum cum Officio approbato, ſub Urb. VIII. 6. Novemb. 1625. ſi fiat Officium, in Lect. Martyrologii legatur primo loco: * ſi transferatur, mutatur tertius Verſus Hymni, *Iſte Confeſſor*.

De præcepto ab Alexand. VII. Tandem Duplex a Clem. IX. die 8. Jun. 1669.

27. Joannis Papæ, ut dictum eſt de præcedenti Eleutherio: ſed hic dies translationis eſt: obiit enim die 21. & die 27. Romam fuit translatum Corpus, ex Baron. *in not. Martyrolog.*

„ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis Officium Semiduplex de præcepto pro univerſa Eccleſia a Clem. X. anno 1670. 9. Junii ad preces Card. de Haſſia nomine Cæſareæ Majeſtatis.

„ In Italia vero, & Inſulis adjacentibus Duplex a Benedicto XIII. 28. Jan. 1728. ad pias preces Violantis Beatricis Etruriæ Magnæ Principiſſæ. Hoc Officium olim recitabatur die 25. hujus Menſis, ſed poſtquam ejus locum occupavit Feſtum, & Officium S. Gregorii VII. reperitur in omnibus Breviariis, & Miſſalibus aſſignata hæc dies tanquam propria prædictæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Nona Lectio erit de S. Joanne Pp. & Martyre, & de eo fit commemoratio in primis Veſperis, Laudibus, & Miſſa.“

30. Felicis Papæ. In Appendice Gregor. Simplex in MS. & 1550.

31. Petronillæ. In eadem Appendice, a Theutonicis, & ex Radulph. *propoſ.* 17. Simplex MS. & 1550. Lect. dubiam de ea ſuſtulit Clem. VIII. Ant. Gallonius optime negat eſſe Petri filiam, niſi velis eſſe ſpiritualem tantum.

## De Feſtis Sanctorum Menſe Junio. Cap. VIII.

2. PEtri, & Marcellini. In Antiphonario, & Sacrament. Gregor. „ In Codice Gelaſiano, in Kalend. Martene, & Frontonis, & quamplurimis aliis Codicibus, “ Agebatur tamen Feſtum eorum, tempore S. Greg. in Menſe Decembri, niſi ſit mendum in Codice ejuſdem, *in inſcriptione Homil. 6. in Evangel. quæ habita fuiſſe dicitur in die natali ipſorum, Domin. 3. Adventus.*

Eraſmi. Romæ tantum, Radulph. *propoſ.* 22. & in Miſſali Vatican. *vol.* 4743. Simplex in MS. cum novem Lect. in Brev. 1550. a P. V. Simplex Officium Gregor. * ſed, cur Eraſmus ultimo loco? nam Epiſcopus eſt, & Martyr. Fortaſſe, quia primi duo erant Romani, quibus & Conſtantinus Eccleſiam ædificavit ex Brev. in Feſto Dedicat. Baſilicæ Apoſtolorum 18. Novemb.

6. Norberti. A Paulo V. 14. Novemb. 1620. cum Ritu Semidup. & Officio: die 30. Martii 1621. approbato a Sac. Rit. Congr. in lect. Martyrologii ponatur primo loco; ſi transferatur, mutatur tertius verſus Hymni *Iſte Confeſſor*, circumfertur Decr. Urbani VIII. anni 1625. quo transfertur hoc Feſtum in diem 11. Julii, ſed idem Pontifex anno 1631. declaravit, ab Ordine tantum Præmonſtratenſi transferendum eſſe, non a reliquo Clero, * Duplex a Clem. X. die 7. Sept. 1672.

9. Primi, & Feliciani. In Antiphonario, & Sacrament. Gregoriano Simplex in MS. & 1550. „ In Kalendar. Frontonis, in Codice Gellonenſi, & quibuſdam aliis.“ Officium Gregorianum.

„ Horum SS. Martyrum Corpora Theodorus Papa I. ex Arenario Nomentano, in quo poſt martyrium ſepulta fuerunt, tranſtulit in Eccleſiam S. Stephani in Monte Cœlio, ubi anno 1625. inventa fuerunt ab Urbano VIII. & iterum anno an. 1735. die 18. Nov. & tandem an. 1736. ſolemni pompa a Cardin. Antonio Xaverio Gentili non minus Purpura, quam doctrina, ac pietate Eminentiſſimo, & ejuſdem Eccleſiæ Titulari translata, & ſub novo Altari ſumma ejuſdem Card. munificentia extructo, collocata ſunt, poſita in fronte ſarcophagi inſcriptione ſequenti.“

„ CORPORA SS. MM. PRIMI ET FELICIANI EX ARENARIO NOMENTANO A THEODORO PP. I. HUC TRANSLATA, ATQUE AB URBAN. PP. VIII. ANNO 1625. INVENTA ANTONIUS HUJUS ECCLESIÆ SANCTI STEPHANI IN MONTE CÆLIO PRESBYT. CARDINAL. GENTILI SUB NOVO ALTARI A SE EXCITATO, ET CONSECRATO SOLEMNI POMPA REPOSUIT. 30. JUNII 1736.“

„ Hæc animadvertere placuit, tum ut Auctorum opinionem refelleremus, qui SS. Primi, & Feliciani Corpora alio translata ſcripſerunt, tum, ut Eminentiſſimi Principis pietatem, cui plurimum etiam debet hoc opus noſtrum, commendaremus. De hac SS. Corporum inventione, & ſolemni translatione loquitur doctiſſimus Joannes Marangoni Congr. Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, & Anagninæ Eccleſiæ Canonicus in opere Aſceco Theologico, & Hiſtorico, cui titulus eſt: *De' Santi Angeli Cuſtodi, Dodici Meditazioni &c.* ſingularem etiam, ac eruditiſſimam ea de re ſcripſit auctor Diſſertationem, quæ brevi publici juris fiet.“

„ S. Margaritæ Scotiæ Reginæ Semid. de præcepto a S. R. C. 21. Febr. 1693. annuente Innoc. XII.

11. Barnabæ. In Appendice Greg. & ex generali conſuetudine, Radulph. *propoſ.* 17. Semid. apud Durandum, & Radulph. *loc. cit.* Duplex in Brev. 1550. addidit Lect. primi Nocturni Clem. VIII. auctore hujus operis procurante in honorem illius, a quo Barnabitæ vocantur; qui item mutavit Evangelium cum Homilia, & declaravit eſſe Duplex majus. Si venerit ante Pentecoſten, Officium fit, ut tempore Paſchali. Miſſa erit, ut in Feſto S. Marci, exceptis Oratione, Epiſtola, & Evangelio, quæ dicuntur, ut in propria Miſſa.

12. Baſilidis &c. Primi tantum in Antiph. Gregor. aliorum vero poſt Gregor. in Antiphon. fuiſſe poſitum Officium Miſſæ, notat Pamelius; omnium vero ſimul in Sacram. ejuſdem habentur Orationes, quarum prima Ambroſiana eſt, ſumpta de Feſto Ss. Vitalis, & Agricolæ, mutatis nominibus. „ Baſilidis tantum meminit Kalend. Frontonis, & Codex Gelaſianus Cyrini, Naboris, & Nazarii, omiſſo Baſilide. Conſuli poteſt nota Frontonis ad hanc diem.“

„ S. Joannis a S. Facundo Conf. Ord. S. Auguſtini Duplex a Bened. XIII. ſub die 16. Nov. 1729. Lectio erit Ss. Baſilidis, Cyrini, &c.; de quibus fit pariter commemoratio in primis Veſperis, Laudibus, & Miſſa.“

13. Antonii Patavini. In Miſſali Vatican. *vol.* 4743. a Sixto V. reſtituitur anno 1586. cum novem Lect. in MSS. quæ, ut initio dixi, erant Franciſcana. Duplex a Sixto V. Semid. (ut olim) a Clem. VIII. Officium a Sixto V. Si transferatur, mutatur tertius verſus in Hymno *Iſte Confeſſor*. * Iterum Duplex a Clem. X. die 18. Junii 1670. ad preces Eminentiſs. Card. Barbadici Epiſcopi Patavini.

14. Baſilii. Obiit Kalend. Jan. & in ea die habetur Feſtum in Brev. Vatican. *vol.* 4752. Alia Breviar. habent in Octobr. ut in Vatic. *vol.* 4759. Ordinatus dicitur anno 369. hoc menſe, & die 14. ideo nunc communiter hac die celebratur. Simpl. in Brev. edito 1550. Novem Lect. a Clem. VI. ut in calce Martyrol. MS. apud Fortunatum Scacchium. Duplex cum Officio a Pio V. In Hymno *Iſte Confeſſor*, mutatur tertius verſus.

15. Viti, Modeſti, &c. in calce Sacram. Gregor. Creſcentiæ vero in Appendice Gregor. „ Codex Gelaſianus Miſſam tantum habet de S. Vito.“ Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor. Oratio eſt Ambroſiana.

18. Marci, & Marcelliani. In Antiph. & Sacram. Greg. „ Et in Kalend. Marteniano, & Frontoniano, Codex Gelaſianus duas exhibet Miſſas, primam de Ss. Marco, & Marcelliano, alteram de Vigilia Ss. Gervaſii, & Protaſii, quod obſervatur pariter in Codice Gellonenſi.“ Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor. Oratio eſt Ambroſ.

19. Ga-

19. Gervaſii, & Protaſii. Extat Sermo S. Ambroſii, in Comite S. Hieron. habentur Epiſtola, & Evangelium. Et quia eo die conciliata pax fuit inter Imper. Romanum, & Regem Longobardorum, S. Gregorius compoſuit Introitum Miſſæ hujus Feſti: *Loquetur Dominus pacem, &c.* Durand. *l.* 7. *c.* 13. & habetur in Antiph. Gregor. Orationes autem in Sacramentario ejuſdem. „ Miſſa etiam ipſorum habetur in Sacramentario Gelaſiano, necnon in Kalend. ſæpe laudatis. " Simplex in MS. & 1550. Officium Ambroſianum eſt ex Radulph. *propoſ.* 19. ſed non illud, quo nos utimur.

„ Eadem die nunc celebratur Feſtum S. Julianæ de Falconeriis ſub ritu Semiduplici cum Lectionibus ſecundi Noct. Oratione, & Hymno propriis. Ita demandavit S. R. C. die 8. Martii 1738. approbante Clem. XII. die 15. ejuſdem Menſis & Anni.

20. Sylverii. In Miſſali Vatican. *vol.* 4743. a Greg. VII. ex Microlog. *c.* 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propoſ.* 22. Sem. ex Microl. *cit.* & in Breviar. 1550. Simplex a Pio V.

„ 21. In tota Italia, & Inſulis adjacentibus, necnon in Dominiis omnibus Sac. Cæſareæ Majeſtati ſubjectis, nonnulliſque aliis Regnis, & Provinciis celebratur Feſtum S. Aloyſii Gonzagæ Soc. Jeſu ſub Ritu Duplici. Oratio, & Lectiones ſecundi Noct. propriæ, Miſſa pariter propria *Minuiſti eum &c.* In ſecundis Veſperis commemorat. S. Paulini Epiſcopi, Ex Decret. Sac. Congr. die 18. Maji 1737.

22. Paulini. In Appendice Gregor. & Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

23. Vigiliæ S. Jo: Baptiſtæ Beda meminit. Officium a Pio V. Oratio tamen antiquior in Sacramentario S. Gregorii: Officium Miſſæ in ejuſdem habetur Antiph. & in Comite S. Hieron.

„ Occurrente hac Vigilia S. Jo: Baptiſtæ in die Feſto Ss. Corporis Chriſti, anticipato jejunio in diem 22. hujus menſis, ad formam Conſt. Urbanæ (de qua in Decretis pertinentibus ad Rubr. Miſſalis ſub die 24. Sept. 1638.) nihil de Vig. in Officio, & Miſſa peragendum eſt, ut declaravit, & ſtatuit S. Rit. Congr. ſub die 18. Septembris 1706. approbante Clem. XI. die 2. Octobr. ejuſdem anni. "

24. Nativit. S. Jo: Baptiſtæ, Auguſtinus & Maximus Sermones habuere de hoc Feſto. Ordo Rom. meminit. Comes S. Hieron. Antiph. & Sacrament. Gregor. in quo omnes habentur Orationes Miſſæ; ſed prima eſt Ambroſiana, ex Pamelio. „ Hujus Feſti mentio habetur in omnibus ferme tum MSS. tum editis Sacramentariorum libris, Kalendariis, & Martyrologiis, & quidem cum Vigilia, prætérquam in Miſſali Gothico, & in Sacramentario Leonino, in quo nulla mentio Vigiliæ, quamquam in præfatione fiat mentio ſolemnis jejunii, quo B: Jo: Baptiſtæ natalitia præveniuntur; ex quo eruitur magnam in eo Sacramentario rerum confuſionem factam fuiſſe. " ab Ægyptiis celebratur, ex Cyrillo Alexandrino, ait Baron. ann. 432. A Græcis etiam, ex Manuele *tit. de Feriis*: Duplex majus dicitur a Durando, & Radulph. *loc. cit.* Officium a S. Gregorio, Hymni a Paulo Diacono, qui raucedine impeditus ſanitatem impetravit, quam initio Hymni, qui ad Veſperas dicitur, poſtulavit. Durand. *lib.* 7. *cap.* 14. De artificio primæ ſtrophæ vide *ſect.* 5. *cap.* 6. Amalar. *de Ordin. Antiphonar. cap.* 59. notat, in hoc Feſto legi multa de Iſaia, & Jeremia; quia Iſaias de Joanne prophetavit; Jeremias Joanni fuit ſimilis in ſanctificatione: in tertio item Nocturno, addit, non dici *Alleluja*, in Antiph., ſicut in tertio Nocturno Apoſtolorum, quia, inquit, Nativitas Joannis extitit ante Chriſti Reſurrectionem. Antiph. ad *Benedictus*, non impedit, quin inchoetur Canticum *Benedictus*, a capite de more: quia Rubrica generalis loquitur de Antiphona, quæ eſt eadem cum Cantico. Ar in Antiph. hac dicit *Dominus*. Cæterum accidit Nativ. S. Joan. in die Veneris, ut recte colligit, ex Nativ. Chriſti Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 25.

26. Joannis, & Pauli. In Comite S. Hieronymi, & Antiphonario, & Sacramentario S. Gregorii. „ Et in Sacramentar. Leonino, Miſſali Gothico, ac Frontonis Kalendario. Hoc Feſtum in Codice Gelaſiano, & aliis a Martene relatis habet etiam Vigiliam. " Semidupl. in MS. & 1550. Nihil Durandus de iiſdem. Officium Miſſæ habetur in Antiphonario Gregoriano, & Orationes item in Sacramentario; ſed prima eſt Ambroſiana, de Ss. Gervaſio, & Protaſio. Pius V. mutavit Evangelium, & addidit Homiliam. In ſecundis Veſperis adeſt Ritus ſpecialis contra Rubricam generalem de Concurrentia Officii *num.* 4. qui tamen ibidem ſignificatur iis verbis: *niſi aliter ſignetur*; & ratio eſt, quia fuere nobiles Romani. Veſperæ igitur ſecundæ erunt integræ de Sanctis, cur non primæ nobiliores ſecundis? ita placuit Majoribus noſtris. Si Feſtum hoc concurrat cum Dominica, aut transferatur, in ſecundis Veſperis ſequere Rubricas general. de Concurrentia Officii.

„ Hoc Officium Ss. Joannis, & Pauli Martyrum elevatum fuit ad Ritum Duplicem a Benedicto XIII. ſub die 21. Maji 1728. unde Rubrica illa, quæ hactenus legitur in Breviario ſub die 26. Junii in proprio Sanctorum, & quæ innuitur a Gavanto ſupra, nempe: *Si hoc Feſtum venerit in Dominica, transfertur in ſequentem diem*, modo ceſſat, quia cum Officium eorumdem Martyrum ſit nunc Duplex, celebrari poteſt non ſolum in Dominica infra Octavam S. Joann. Baptiſtæ, verum etiam in Domin. infra Octavam Ss. Corporis Chriſti omnia, & ſingula Duplicia occurrentia admittentem. Ex prædicta Ritus Duplicis elevatione corruit, cæteroquin tunc bene fundata opinio Gavanti mox expoſita, nimirum, quod ſi Feſtum hoc concurrat cum Dominica, aut transferatur, in ſecundis Veſperis ſervandæ ſint Rubricæ de Concurrentia Officii, nam modo ſemper erunt integræ de prædictis Sanctis Martyribus, dummodo die ſequenti non fiat de alio Feſto Duplici, propter quod vel dividandæ ſint a Capitulo, vel debeant eſſe de ſequenti, juxta Ritus duplicis qualitatem. Denique ad primas Veſperas dictorum Ss. Martyrum Antiphonæ erunt *Paulus, & Joannes* cum reliquis de Laudibus, & Pſalmi de Communi plurimor. Martyr. ad primas Veſperas, ſicut etiam Capitulum, Hymnus, Verſiculus, &c. Ad *Magnificat* vero Antiphona propria, ſicut & Oratio cum commem. de Octava S. Joannis Baptiſtæ. "

28. Leonis. In Sacramentar. Gregoriano, ſed additum eſt poſt obitum Sancti Gregorii. „ In Kalendario Frontonis ita legitur — Tranſlatio Corporis Beati Leonis. " Semidupl. in MS. & 1550. Durandus non habet Officium antiquius Pio V. qui Homiliam addidit pro Vigilia Ss. Apoſtolorum de qua vide ſupra in Vigil. Sancti Andreæ. Vigiliæ meminit Hieronymus in Comite, ſeu Lectionario. Officium Miſſæ ejuſdem Vigiliæ legitur in Antiphonar. Gregor. ſed Orationes aliæ ſunt in ejuſdem Sacrament. Prima tamen Oratio in eodem Sacrament. legitur in calce Miſſæ Commem. S. Pauli, quæ deinde tranſlata eſt in Offic. Vigil. Pamelius eam collocat in Vigil. Si transferatur Feſtum, mutatur tertius verſus Hymni *Iſte Confeſſor*.

29. Petri, & Pauli. Ambroſ. Sermones ſex habuit. Comes S. Hieron. habet Feſtum, & Ordo Roman. Senator autem Feſtus obtinuit majorem Feſti celebritatem ab Anaſtaſio Imperatore, qui obiit anno 518. ex Nicephor. *lib.* 18. *Hiſtor. cap.* 39. Manuel meminit *tit. de Feriis*. Duplex majus apud Durand. Lection. 1. Nocturn. ut in Ord. Romano, Hymno ad Veſperas additum fuit Pii V. juſſu: *O felix Roma, &c.* & ad Laudes, *Doctor egregie Paule*, quos tamen verſus ego legi in Breviar. MSS. Coll. Aniciani. Reliquum Officium a S. Gregorio ſicut & ſequentis diei, ex Microlog. *cap.* 42. diviſit enim S. Gregor. hæc Feſta ad eorum majorem cultum Durand. *lib.* 7. *cap.* 15. Habetur Officium Miſſæ utriuſque in Antiphonar. & Sacramentar. Gregor. „ In Sacramentario Gelaſiano a Cardinali Thomaſio edito, de quo pluries in hoc opere mentionem fecimus, præſertim in ſuperiori Tomo; in prædicto inquam Sacramentario leguntur pro hac die tres Miſſæ, quarum prima intitulatur: *In Natali Sancti Petri propria*. Secunda vero: *In Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli*. Tertia denique: *In Natali Sancti Pauli propria*. Eaſdem habeot, teſte Martene, Codex Regius vetuſtiſſimus, & Novionenſis annorum circiter 900. In cæteris Liturgicis monumentis Miſſa communis eſt, etiam in Sacramentario Leonino, de quo ſatis mirari poſſum, cum Ritus ille Codicis antiquior ſit. De antedictis tribus Miſſis mentionem fecimus ſupra ad diem 18. Jan., agentes de Feſto Cathedræ Divi Petri, & ibi innuimus, primam Miſſam pertinere ad Feſtum dictæ Cathedræ, quod poſtea tranſlatum fuit ad aliam diem. Huic ſententiæ valde favent verba, illa quæ leguntur in Kalendario Bucheriano ad diem 22. Febr. qua celebratur Feſtum dictæ Cathedræ ſub titulo: *Natale Petri de Cathedra*. In Sacramentario vero Leonino a Blanchino edito in hoc Feſto Divi Petri repeɾiuntur decem & octo Miſſæ. "

30. Commem. S. Pauli. A S. Gregorio, ex Ordin. Rom. & Microl. *loc. cit.* „ Ejus mentio habetur in Kalend. Frontonis his tamen verbis — Ad S. Paulum. " In Appendice Gregoriana vocatur *Celebritas S. Pauli*, in Codice Pameliano, *Natale S. Pauli*, ſolebat ait Baron. *in Not. Martyrolog.* Summus Pontifex obire pridie Pontificias functiones in utraque Eccleſia S. Petri, & S. Pauli; ob diſtantiam vero locorum, conſultius viſum eſt, duobus diebus integrum de iis agere Feſtum. Duplex minus eſt apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. legitur ſermo S. Auguſtini, ut in Ord. Rom. de reliquo Officio diximus præcedenti die, ex Microl. & habetur, ut ſupra dictum eſt, in libris Gregor.

Dices cujus Claſſis eſt hæc S. Pauli Commemor.? Reſp. non eſt primæ, niſi ubi eſt Patronus, vel Titularis: non eſt ſecundæ, quia admittit in Laudibus Commem. de Octava S. Joannis; non eſt Duplex majus, quia non habet integras utraſque Veſperas; non eſt Duplex minus, quia Apoſtoli Feſtum eſt ſecundarium: eſt ergo unicæ Claſſis; & unico debentur unica Paulo, ideoque Commem. nominatur, non Feſtum.

Si transferatur in diem 4. Julii ut in Tabulis noſtris, *n.* 34. ratione Octavæ Corporis Chriſti, vel in ſequentem diem non impeditam Feſtn novem Lectionum: totum Officium uſque ad ſecundas Veſperas incluſive fit, ut in propria Eccle-

ſia,

Digitized by Google

ſia, omiſſa Commemoratione Octavæ S. Joannis, & ita decretum eſt in recognitione poſtrema Breviarii, conſideratis omnibus, quæ hinc inde adduci poterant; & S. Paulo favendum erat in caſu dubio. Quod autem ſit aliquando transferenda hæc Commemoratio, habetur aperte in *tit.* 11. *de Concurrentia Officii n.* 7. in iis verbis, *excepta Octava Corporis Chriſti concurrente cum Octava S. Joannis Baptiſtæ, in qua de ſequenti ſit tantum Commemoratio.* Non tamen ubique transfertur: nam in propria Eccleſia, ubi Commemoratio eſt primæ Claſſis, fit de S. Paulo cum Commemoratione Octavæ Corporis Chriſti tantum ex Rubric. *De Translatione Feſtorum* 10. *n.* 1. in iis verbis: *exceptis tamen Feſtis Nat. S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſt. Petri & Pauli, quæ in die Octava Corporis Chriſti celebrantur*; & pro Feſto intelligitur, etiam, Commemoratio hæc Sancti Pauli, in propria ſcilicet Eccleſia, ut ex Officio patet, quod excludit in Laudibus Commemorationem Octavæ S. Joannis. Translata vero hac Commemoratione; tunc in die Octava Corporis Chriſti fiet Commemoratio in Laudibus, & ſecundis Veſperis primo de Octava S. Joannis, deinde de Octava SS. Apoſtolorum, per Antiphonas, quæ dicuntur infra Octav. eorumdem, & Orationem communem iiſdem. Neque dicas fieri de Octava S. Pauli ante Feſtum illius per quatuor dies 30. Junii, 1. 2. & 3. Julii: quia Feſtum ejuſdem celebrari cœptum eſt cum S. Petro; quamquam ſine propriis S. Pauli Laudibus, quæ habentur in Antiphonis, Lectionibus, & Reſponſoriis: quæ, & ideo (contrarium ſcripſit non nemo) non ſunt omnino tacendæ.

Si dies 30. fuerit Sabbatum, in ſecundis Veſperis, quæ ſunt in Antiphona Commemorationes communes ambobus Apoſtolis, Commemoratio Dominicæ fieri debet poſt Apoſtolos, non ante; quod male notavit, & docuit recentior, non advertens, quod hæ ſecundæ Veſperæ Duplices ſunt nobiliores Dominica.

## De Feſtis Sanctorum menſe Julio. Cap. IX.

1. OCtavæ Sancti Joannis Beda meminit, & habetur in Miſſali Vatic. 4743. inter majores Octavam eam numerat Radulph. *propoſ.* 19. Semidupl. apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. & in Breviario 1550. Duplex a Pio V. & qui ſermonem Sancti Maximi addidit, ſi contingat non legi de Homilia Sancti Ambroſii, quæ habetur in ſecunda, vel quarta die infra Octav. S. Joannis ob Dominicam occurrentem infra eamdem, poterit legi, quod omiſſum eſt, in die Octava ad varietatem, & ad libitum, quod notavimus in Tabul. Ordinis noſtri perpetui A. B. D. litterarum Dominicalium, & eſt conforme Rubricis Octavarii Romani.

2. Viſitationis Beatæ Mariæ, Ab Urbano VI. anno 1389. a Bonifacio IX. publicatum eſt anno ſequenti 1390 ex Bzovio anno eodem. Extat Decretum de hoc Feſto in Concilio Baſileenſi *Sect.* 43. Anno 1441. qua nimirum die finita eſt Viſitatio Beatæ Mariæ in domo Eliſabeth; ut ait Azor. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 23. *q.* 2. apud Ordinem Minorum celebratum fuit ab anno 1263. Anno Annal. Min. Duplex in Breviario 1550. cum Officio proprio; quod mutavit Pius V. excepta Homilia, ſed Clemens VIII. fere totum, ut hodie habetur, complevit; præſertim Antiphonas, & Reſponſoria: majuſque Duplex eſſe declaravit. Proceſſi, & Martiniani in Antiphonario & Sacramentario Greg. ſed poſt Gregorium, ait Pamelius. " Hoc feſtum habetur etiam in Kalendariis Frontoniano, & Marteniano, & in Codice Gellonenſi. " Simpl. in MS. Semiduplex, in Brev. 1550. Pius V. reſtituit ut olim.

4. Eliſabeth. Officium eſt ad libitum ab Urbano VIII. ejuſdem Officii auctore, Semidupl. Anno 1630. & ſi fiat, de ea legatur primo loco in Martyrologio.

,, Hoc Feſtum aſſignatum fuit ad diem Octavam hujus
,, menſis.

6. Octava Apoſtolorum. In Actis Sancti Sebaſtiani in Martyrio Sancti Tranquillini, de quo Martyrolog. hac die, Comes S. Hieronymi meminit. Sanctus Leo ſermonem habuit in hac die, habetur etiam apud Bedam, & Radulph. *prop.* 19. qui & appellat Octavam majorem. Duplex minus, a Durand. *lib.* 1. *cap.* 1. & in Breviario 1550. Officium Greg. ex Scultingio, & Officium hujus Miſſæ habetur in Antiphonario & Sacramentario Sancti Gregorii; ſed Orationis auctor eſt Leo II. ex Durand. *lib.* 7. *cap.* 15. Leo ex auctore ligni vitæ *lib.* 5. ex Platina, & auctore Breviar. Chronologici; cum eſſet certaturus contra Saracenos ad Oſtia Tyberina. Pius V. mutavit per totam Apoſtolorum Octavam Lectiones ſecundi Nocturni.

,, 8. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ Viduæ, Semiduplex a
,, Sac. Rit. Congr. die 18. Decemb. 1694. annuente Innoc.
,, XII. olim erat die 4. hujus menſis, & ad libitum.

10. Septem Fratrum. Officium Miſſæ in Antiphonario & Sacramentario Gregoriano habetur Rufinæ, & Secundæ, in Miſſali antiquiſſimo Vaticano *vol.* 4770. Romæ tantum, ait Radulph. *propoſ.* 22. cum novem Lectionibus in MS. Simplex in Breviario 1550. Semidupl. a Pio V. cum Officio, ut diximus, Gregoriano, cui Pius V. Homiliam addidit, quæ hodie legitur. Si transferatur hoc Feſtum in Feriam ſecundam, convenit, ut Octavæ Lectioni adjungatur nona quæ de iis agit. " Hujus Feſti mentio habetur in Kalendario
,, Martene; in Frontoniano tres aſſignantur Miſſæ, prima ad
,, Aquilonem, ſecunda ad S. Alexandrum, tertia ad S. Fe-
,, licitatem. Id factum Fronto ac Martene propter loca di-
,, verſa, in quibus SS. illi Martyres ſepulti creduntur, quod
,, confirmari poteſt ex Codice Leonino, in quo ita legitur.
,, vi. Iddum Juliarum Natale SS. Martyrum Felicis, Philip-
,, pi in Cæmeterio Priſcillæ: Vitalis, & Martialis & Ale-
,, xandri in Cæmeterio Jordanorum, & Silani in Cæmete-
,, rio Maximi via Salaria, & Januarii in Cæmeterio Præta-
,, xati via Appia. "

11. Pii Papæ, In Miſſali Vaticano, *vol.* 4743. Semidupl. ex Microlog. *cap.* 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propoſit.* 22. Simplex ex MS. & 1550. ut hodie.

12. Naboris, & Felicis in Miſſali Vaticano proxime citato. Romæ Radulph. *propoſit.* 22. Simplex ſine Lectione in MS. cum tribus in Breviar. 1550. Pius V. Antiquiora Breviaria ſequutus nullam Lectionem legi mandavit. Oratio eſt antiquior Pio.

✠ Jo: Gualberti a Clem. VIII. Commemoratio tantum in recognitione Breviar. Semidupl. a Clemente X. ad libitum cum Oratione propria, Lectiones ſecundi Nocturni ac tertii, die 21. Martii 1671.

,, Nunc duplex de præcepto a Sac. Rit. Cong. 16. Decem-
,, bris 1679. annuente Summo Pontifice Innocentio XI. 18.
,, Januarii 1680. olim erat Semiduplex pariter de præcepto
,, a Sac. Rit. Cong. ſub die 10. Decembris 1679. "

13. Anacleti. Miſſali Vaticano *vol.* 4743. Semidupl. ex Microlog. *cap.* 43. Romæ tantum ex Radulph. *propoſit.* 22. Simplex in MS. & 1550. Semidupl. a Pio V. ut olim una cum Officio.

14. Bonav. a Sixto IV. deinde, uti Doctoris, a Sixto V. 1588. Semiduplex, a Pio V. Duplex, a Sixto V. mutata Oratione, quæ erat, *Exaudi*, & Evangelio Doctorum addito.

15. Henrici I. Imperatoris Commemoratio, ab Urbano VIII. in recognitione Breviarii, inſtante Ferdinando Auſtriaco Imperatore, Ann. 1631. de quo legendum erit primo loco in Martyrolog. Orationes Miſſæ habentur in Bulla Canonizationis S. Chunegundis S. Henrici conjugis, auctore Innocent. III. & mutato tantum nomine in nomen Henrici, Semidupl. de præcepto a Clemente IX. die 13. Junii 1668. & Clemens V. approbavit Lectiones ſecundi Nocturni mutata Oratione die 28. Februarii 1671. Ad Hymnum mutatur tertius Verſus.

,, 16. Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Duplex
,, majus a Benedicto XIII. ſub die 24. Septembris 1726. "

17. Alexii. Inſtitutum fuiſſe Feſtum circa Ann. 1200. ait Chronicum Germanicum citat. a Scultingio, & habetur in Breviar. Vatican. *vol.* 4475. Simplex in Brev. 1550. ſed hodie Semidupl. ad libitum ab Urbano VIII. die 18. Octobris 1637.

,, Deinde Semidupl. de præcepto ab Innocentio XII. 31.
,, Auguſti 1697. Romæ vero, & in toto ejus diſtrictu Du-
,, plex de præcepto a Sacr. Rit. Congregat. die 23. Junii
,, 1736. approbante Clemente XII. die 30. ejuſdem menſis
,, & anni. Oratio & Lectiones ſecundi necnon tertii No-
,, cturni propriæ.

18. Symphoroſæ, & filiorum. In Appendice Gregor. Romæ tantum, ait Radulph. *propoſit.* 22. Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

,, 19. Vincentii a Paulo Fundatoris Congregationis Miſ-
,, ſionis, Confeſſoris, Semiduplex. Ita noviſſime Sac. Rit.
,, Congreg. die 7. Decembris 1737. annuente Clemente XII.
,, die 11. ejuſdem Menſis, & Anni, a quo Pontifice feli-
,, citer regnante ſolemni ritu Sanctorum Catalogo fuit ad-
,, ſcriptus. Oratio, & Lectiones ſecundi Nocturni propriæ.
,, in tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ in E-
,, vangelium *Deſignavit Dominus, &c.* ut in Communi E-
,, vangeliſtarum. ℟. VII. *Iſte eſt, &c.* ℟. VIII. *Sint lum-*
,, *bi, &c.* In ſecundis Veſperis fit Commemoratio S. Mar-
,, garitæ. In Hymno *Iſte Confeſſor*, dicitur Verſus *Meruit*
,, *ſupremos*, quamvis recolatur Feſtivitas ejuſdem Sancti, non
,, eſt tamen dies ſui obitus. Noviſſime autem Officium præ-
,, dicti S. Vincentii elevatum fuit ad ritum Dupl. min. a
,, Sac. Rit. Congr. die 12. Maji 1753. "

20. Margaritæ. in Litaniis fit de ea mentio in Ordine Romano. Item in Appendice Gregor. & in Concil. Oxonienſi. Simplex in Breviar. 1550. Pius V. ademit Lectiones incertas de ejus martyrio, & mutavit Orationem.

21. Praxedis in Antiphon. Gregorian. Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor.

22. Mariæ Magdalenæ. Habentur Orationes ad Miſſam in Sacramentario Gregoriano a Pamelio edito; qui tamen notat, eas eſſe poſteriores Gregor. Anſelmus meminit Feſti *Epiſtol. Ad Ermulphum*. De generali conſuetudine teſtatur Radulph. *propoſit.* 17. & habetur in Miſſali Vaticano *Volum.* 4743. Semidupl. apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Duplex apud Radulph. citat. rurſus Semidupl. in Breviar. 1550. tandem Duplex a Pio V. qui mutavit Capitula, addidit Hymnum ad Veſperas (quem Clemens VIII. correxit) & alium ad Laudes: mutavitque Lectiones, & ordinem Reſponſoriorum.

Cle-

Clem. VIII. mutavit Hymnum poſt Invit. quem accepit ab Ordine Romano in die Palmarum: *Nardo Maria piſtice*: cui tandem extremam impoſuit manum Urbanus VIII.

23. Apollinaris. In Antiphon. & Sacrament. Gregorian. ,, Et in Kalend. Frontoniano & Marteniano. " Petrus Chryſologus ſermonem habuit. Microlog. meminit *c.* 43. Simplex in MS. 1550. Semiduplex a Pio V. cum Hom. propria. Officium Gregor. ex Microl. citat. & Offic. Miſſæ habetur in Antiph. Gregor.

,, S. Liborii Epiſcopi, & Conf. ſub ritu Simplici a S. R. ,, C. 1. Jul. 1702. annuente Clem. XI. die 15. ejuſdem menſis, ,, & eodem anno, Oratio: *Da quæſumus*, ex ejus ,, Communi. Si hac die occurrerit Sabbatum, fiet in eo ,, Commem. de Vigil. anticipata S. Jacobi Apoſtoli, cu- ,, jus Oratio, eum ſit *Da quæſumus*, ideo ad varietatem ,, tunc pro Commemorat. S. Liborii, dicenda erit Oratio ,, *Exaudi*, inhærendo Rubr. Miſſalis *Tit. IV.* de Commem. ,, *ſub n.* 8.

24. Vig. S. Jacobi, ut dictum eſt de Vig. S. Andreæ. Chriſtinæ. In Appendice Gregor. Simplex in Brev. MS. & 1550. ut hodie.

25. Jacobi Apoſt. Dies Translationis eſt; nam obiit in Paſchate, Gemma *l.* 3. *c.* 163. Vide in Feſto S. Andreæ. Duplex a Boniſ. VIII. Officium creditur a Caliſto II. compoſitum, qui de S. Jacobi miraculis ſcripſit, & Compoſtellam Archiepiſcopatu decoravit, ex Schultingio. Orationes, quæ in Miſſa dicuntur, habentur in Sacrament. Gregor., in Miſſa ipſius notatur etiam in Kalend. Marteniano, deſideratur ,, in Frontoniano.

Chriſtophori. In Appendice Gregor. & Brev. S. Iſidori citat. a Baronio *in Martyrolog.* Simplex Commem. in MS. & 1550.

26. Annæ. In Brev. Toletano S. Iſidori, in Miſſali Vaticano *vol.* 3808. Manuel *tit. de Feriis*, quod apud Minores S. Franciſci ab Anno 1263. ex Annal. Min. Gregor. XIII. reſtituit Feſtum Anno 1584. cum novem Lectionibus erat in Brev. 1550. Duplex cum Officio a Greg. XIII. Oratio antiquior Pio V. Clem. VIII. mutavit Lect. ſecundi Noct. Gregor. XV. præcepit diem agi Feſtum ubique Conſtitut. edita 24. *April.* 1622.

,, Nunc elevatum eſt hoc Officium ad Ritum Duplicem ,, majorem a S. R. C. ſub die 20. Septembris 1738. an- ,, nuente Ss. D. N. Clemente XII. die 3. Octobr. ejuſdem ,, Anni.

27. Pantaleonis alias Pantaleemonis. Ait Baron. *in Martyrol.* In Appendice Gregor. Manuel *tit. de Feriis*. Simplex in MS. & 1550.

28. Nazarii, &c. Ambroſ. ſermonem habuit. Habentur primi duo in Miſſali Vaticano *vol.* 4770. Victorini in Miſſali Vaticano *vol.* 4734. & ex Microlog. *c.* 43. Romæ tantum, Radulph. *propoſ.* 22. Innocentii in Appendice Gregor. & Radulph. *loc. cit.* omnes vero ſimul in Miſſali Vaticano 4743. Simpl. in MS. cum 9. Lect. in Breviar. 1660. Semiduplex a Pio V. qui addit Homil. In Eccleſia Ss. Nazarii, & Celſi transfertur Feſtum Ss. Victoris, & Innocentii in primam diem non impeditam, ritu Semiduplici de Communi plurimorum Martyrum, ex decreto S. R. C. die 12. Febr. 1933. & cum Evangelio, & Oratione Feſti eorumdem, omiſſis nominibus Ss. Nazarii, & Celſi. Hæc ille; hoc eſt, poſt Octavam Ss. Nazarii, & Celſi ex Rubric. Brev. nuperrime recogniti. Neque mirum videatur, quod S. Innocent. colatur, ut Martyr una cum non Martyre, tum quia colitur in tota Eccleſia cum Officio Martyr. ut patet; tum quia Martyr, ut nobilior, ad ſe trahit non Martyrem; tum quia aliis non Martyribus, ſeu non viris dantur ab Eccleſia Pſalmi Martyrum, & virorum, ut videre eſt in Feſto S. Martini Epiſcopi, Ss. Agnetis, & Agathæ ex ſpeciali privilegio, quod in translatione S. Innoc. non fuit illis detrahendum. Antiph. autem, & Reſponſoria de effuſione ſanguinis, & nonnulla eum demonſtratione: *Iſterum eſt enim*, &c. *Iſti ſunt*, *qui venerunt* &c. ne ſumas pro iis rigoroſe, quorum feſtum colitur; ſed ea intellige, vel de præparatione animi ad martyrium, reſpectu S. Innoc. vel quia plurale ponitur in Brev. pro ſingulari, & econtra, ut in Feſto plurium Apoſtolorum dicimus in ſecundis Veſp. *Collocet eum Dominus*, &c. & ſæpius in feſto unius Apoſtoli, *Iſti ſunt*, &c. bis, & ter, & in feſtis plurium Confeſſorum non mutantur Antiphon. nec Reſponſoria de uno Confeſſore, vel accipe Encomiaſtice, in laudem totius Ordinis Martyrum, quod fit in toto Officio Apoſtolorum Communi, & in Feſto Ss. Innocentium adhuc licite dicitur in 3. Nocturno *Tradiderunt corpora ſua in mortem, ne ſervirent Idolis*, quod non contigiſſet iis, ſi diutius vixiſſent.

29. Marthæ. In Miſſali Vatic. 4743. & apud Minores S. Franciſci ab Anno 1263. In Annal. Minor. Simpl. in MS. & 1550. emid. a Pio V. qui mutavit Orationem & Hym. addidit Felicis in Antiphon., & Sacramentario Gregoriano ſociorum diſtincte *ibi*, apud Pamelium. ,, Hujus & So- ,, ciorum in omnem faciunt Kalendarii toties memorati. ,, Codex Gelaſianus omittit Felicem, & loco Beatricis habet Viatricis. " Simplex in MS. & 1550. in Octavario Romano Bononiæ primum edito pro Octava S. Marthæ citantur Hom. quæ infra Octav. Aſſumptionis B. V. at, quia additum eſt S. Hyacinthi Feſtum, & 2. die nulla erit amplius Homilia; ut legee, quæ in 4. 5. 7. & 8. die habentur in edit. Octav. Antverpienſi, Veneta, & Neapolitana, inoffenſo decurres pede.

30. Abdon, & Senen. In Sacrament. Gregor. ,, Et Codice ,, Gelaſiano, ac Kalend. Frontonis. ,, Simplex in MS. & 1550. Officium Miſſæ in Antiph. S. Gregorii.

31. ✠ Ignatii Confeſſoris Semiduplex. Ab Innocent. X. eum Oratione propria, & Lectionibus ſecundi Noct. Duplex noviſſime a S. D. N. Clem. Papa IX. die 15. Octobris 1667. in Martyrologio de eo legatur primo loco. In tertio Noct. legitur Homilia S. Gregor. Papæ. Evang. *Deſignavit Dominus*, da Communi Evangeliſtarum; ita Sacra Congregat. die 21. Jan. 1623. & aſſignavit etiam Miſſam propriam.

## De Feſtis Sanctorum Menſe Auguſto. Cap. X.

QUotidie hoc Menſe celebrari de Sanctis, teſtatur Conc. Turonenſ. 2. *c.* 18.

1. Petri ad Vincula. Ab Alexand. Papa ex Durand. *lib.* 7. *c.* 19. inſtitutum eſt: vel a Sylveſtro, Anno 315. ex Polid. Virgil. *lib.* 6. *c.* 8. quod reprobat Baron. *in Martyrologio*. In Sacrament. Gregoriano: ,, Et in multis aliis Codicibus a ,, Martene laudatis. Kalendarium Frontonis ſimpliciter ha- ,, bet — ad Vincula. " Gemma meminit *lib.* 3. *c.* 164. & de generali conſuetudine tradit Radulph. *propoſ.* 17. circa Ann. 438. ex Sigeberto. Semiduplex apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Duplex apud Radulphum *loc. cit.* & in Brev. 1550. Oratio eſt Gregoriana in Sacrament. & forte etiam totum Officium; quod in multis concordat eum Feſto Junii. Officium Miſſæ aliud tamen eſt ab Antiphonario S. Gregorii, & item Oratio Secreta alia eſt in Sacrament. Pamelius numerat inter Officia non Gregoriana, poſt eum ſcilicet addita. Schultingius Sixto III. tribuit, qui ad Eudoxiæ preces Feſtum decrevit. Pius V. addidit Lectiones proprias ſecundi Noct. Clem. VIII. Homil. S. Auguſtini valde propriam, & declaravit eſſe Duplex majus.

Machabæorum extant Orationes Nazianzeni, Ambroſii Chryſoſtomi, Auguſtini, Leonis in eorum Feſto, & Maximi; habetur Feſtum in Appendice Gregor. & in Codice Pameliano Sacrament. Greg. ,, Et in Codice Gelaſiano, ac in Pontificali MS. Egeberti Eboracenſis Archiepiſcopi. " Simplex in MS. & 1550. Nomina eorum ſunt; Salomona Mater, Machabæus primogenitus, Aber, Machir, Judas, Achas, Arat, & Jacob ultimus, ex Joſepho *in Comment. ad Polybium*, cur Machabæi ſint appellati, Sixtus Senen. *libr.* 1. *Biblioth. Sanctor.* docet, in vexilis eorum ſcribi ſolitum M. C. B. I. quæ Hebraice ſonant: *quis ſimilis tui in fortibus Domine?*

2. Stephani Papæ. In Sacrament. Gregor. ,, Et in utroque Kalend. ſæpe citato. Simplex in MS. Miſſæ Officium non aliud ab Antiph. Gregor.

3. Inventionis S. Stephani. In calce prædicti Sacrament. Anconæ erat Feſtum ſolemne, ubi lapis eſt S. Stephani, ex Beda; cui Feſto facta eſt deinde acceſſio, tit. Inventionis; quæ tamen non accidit hac die: neque vero hac die obiit Stephanus, ut aliqui putant, contra quos fuſius Baronius in *Martyrolog.* Semidupl. in MS. & 1550. Lectiones primi & ſecundi Noct. mutatæ ſunt a Pio V. auctorem facit Offic. S. Stephan. Leodienſem Ant. Demochares *l.* 4. *cap.* 14. *contra Miſſoliturgos*, ſed omnia ſumuntur de Feſto Decembris, cujus Officium ab Alcuino dicitur compoſitum, ex Cornelio Schultingio, qui hodierni Officii facit auctorem Bonifacium I. ſub quo Luciani Hiſtoria de hac inventione ſcripta eſt; ſeu Pelagium I. quo tempore oſſa S. Stephani Romam fuere translata. Sed ego puto; eſſe Gregorianum: Orationes tamen in Miſſa hujus Feſti aliæ ſunt in Sacramentario. ,, In Kalenda- ,, rio Leonino hac die celebratur Feſtum potius S. Stepha- ,, ni Protomartyris, quam Reliquiarum ejuſdem inventionis; ,, Collectæ enim omnes de ejus Natali loquuntur, nihilque ,, de eo habetur die 26. Decemb. In quadam tamen præfatio- ,, ne ejuſdem Codicis huic diei aſſignata ſit ſermo de Dedi- ,, catione Baſilicæ S. Stephani: habentur enim hæc verba — ,, *Vere dignum hac feſtivitate lætantes, qua dicatam nomini* ,, *tuo Baſilicam B. Stephanus Martyr ſuo honore ſignavit Le-* ,, *vita Venerandus*, &c. Quid hoc rei ſit, ſcimus cum ignora- ,, tiſſimis. Eruditiſſimus Auctor, qui Codicem illum evulga- ,, vit, fortaſſe nos inſtruet in obſervationibus ad illum Codi- ,, cem, quas parat. "

4. Dominici, a Gregorio IX. Anno 1234. ſed Feſtum fieri juſſit die ſequenti, quo relatus eſt inter Sanctos, & in Miſſali Vaticano habetur *volum.* 4743. Paulus IV. hac ipſa die 4. celebrari juſſit, ob Feſtum B. Virginis ſequens, licet obierit ille die 6. hujus menſis, Semidupl. erat in MS. Breviario, & 1550. Duplex a Paulo IV. Pius V. excepta Oratione, mutavit totum Officium antiquum a Conſtantino Epiſcopo Urbever. compoſitum, juſſu Jo: Teutonici Generalis 4. in Hymno *Iſte Confeſſor*, mutatur tertius verſus.

5. De-

5. Dedicatio Sanctæ Mariæ ad Nives, ſeu Baſilicæ Liberii, ſeu Xyſtinæ a Xyſto Tertio, ſeu Majoris dictæ, ſeu ad Præſepe, quod *ibid.* aſſervatur, vide cauſas apud Baronium *in Not. Martyrolog.* De ea in Miſſali Vatic. *vol.* 4743. Romæ tantum celebrabatur, ait Radulphus *propoſit.* 22. Duplex in Breviario MS. & 1550. nihil Durand. Pius V. mutavit Orationem, aliqua Reſponſoria, & Lectiones primi, & ſecundi Nocturni. Clem. VIII. declaravit eſſe Duplex majus una cum ſequenti.

6. Transfigurationis Domini Noſtri. Hodie revelata fuit ab Apoſtolis, teſtibus ejuſdem, ait Beleth. *cap.* 144. extant ſermones de hoc myſterio SS. Leonis, Cyrilli Alexandrini, Ephrem, Baſilii Seleuciæ, & Andreæ Cretenſis. Habetur Feſtum in Martyrol. Wandelberti, qui floruit Anno 850. in Miſſali Vatican. *volum.* 4770. Manuel meminit *tit. de Feriis*. Duplex in Breviario 1550. Auctor Feſti, & Officii apud omnes fuit Callixtus III. Anno 1456. ex Platina, & Nauclero, *gener.* 49. *volum.* 2. ſed vere non fuit Feſti, quod notat Baron. *in* 2. *notat. Martyrolog.* ex Wandelberto. Pius V. mutavit Hymnos ad Veſp. Laudes, & Lectiones primi, & ſecundi Nocturni.

Xyſti, Feliciſſimi, &c. Comes Hier. meminit Xyſti, & eſt II. S. Auguſtinus expreſſe de hoc Feſto teſtatur tract. 27. in Joann. Sacrament. Gregor. diviſim omnium & ejuſdem Antiphonarium, cum novem Lectionibus in MS. & 1550. Simplex a Pio V. Orationes Miſſæ leguntur in Sacramentar. Gregoriano. „ Codex Gelaſianus, & Miſſale Gothicum Sixti „ tantum meminerunt, ut etiam Kalendarium Martene: „ Frontonianus omnium meminit. In Sacramentario Leoni„ no ita legitur -- *Natale S. Xyſti in Cæmeterio Calliſti, & „ Feliciſſimi, & Agapiti in Cæmeterio Prætextati via Appia* -- „ ex quo habes rationem, ob quam in Codice Gregoriano, „ & Gellonenſi duæ habentur Miſſæ, una de S. Sixto, al„ tera de SS. Feliciſſimo, & Agapito; nimirum eam, quam „ aſſignavimus, ubi de VII. Fratribus loquuti ſumus. In „ hoc etiam Leonino Codice duæ habentur Miſſæ. “

7. Donati. In Appendice Gregoriana. Simplex in MS. & 1550. Cajetani Thienæi Confeſſor. Semidupl. de præcepto a Clemente X. die 27. Martii 1673. hujuſque nihil de proprio; ideo de Communi Conf. non Pontif. nona Lect. & Commemoratio Sancti Donati, & in Martyrologio legatur primo loco.

„ Nunc Officium S. Cajetani noſtræ Congregationis Inſti„ tutoris eſt Duplex de præcepto a S. R. C. die 24. Januar. „ 1682. approbante Innocentio XI. ſemper habuit Lectiones „ proprias ſecundi Nocturni, & in tertio Nocturno legitur „ Homilia S. Auguſtini, quæ habetur in Dominica 14. poſt „ Pentecoſten cum Lectione ejuſdem Evangelii; Ad *Magni„ ficat*, & ad *Benedictus* pariter ſemper fuerunt Antiphonæ „ propriæ, necnon Oratio prout deſcribuntur in Breviario. “

8. Cyriaci, Largi, &c. Primus habetur in Sacramentario Gregoriano, cujus Miſſæ Offic. idem, quod in Antiphonario, & Sacramentario S. Gregorii: additis deinde ſociis, de quibus in Appendice Gregoriana. „ Cyriaci tantum meminit „ Kalendarium Frontonis, & Codex Gellonenſis. “ Simplex in MS. 1550. Semiduplex a Pio V. cum Officio proprio.

Hac autem die tranſlata fuerunt eorum corpora, qui obiere die 16. Martii, ut dicitur in Martyrologio Romano.

9. Vigilia S. Laurentii. In Comite Hieron. & Sacram. Gregor. „ In Codice Gelaſiano, Kalendariis aliiſque quampluri„ mis monumentis. Codex Leoninus quamvis Titulum Vigi„ liæ non habeat, habet tamen Vigiliæ Collectas. “ ex priſtina conſuetudine vigilandi ad corpus martyris, ut Acta teſtantur ex Baron. Aliæ cauſæ prædicationis, vel martyrii allatæ a Durando *lib.* 7. *c.* 13. minus probantur. Officium a Pio V. ſed Miſſæ idem, quod in Antiphonario & Sacrament. Gregoriano.

Romani. In Appendice Gregor. Simplex in MS. & 1550.

10. Sancti Laurentii. In Actis S. Matronæ apud Metaphraſtem fit mentio Feſti, in Comite item Hieron. in Sacrament. Gregoriano habentur Orationes Miſſæ, excepta ultima; quam tamen habet Pamelianus Codex. „ Hujus Feſti mentionem „ habent omnes antiqui Codices. Kalendaria ſæpius laudata „ duas exhibent Miſſas hac die. Prima in utroque Kalenda„ rio inſcribitur -- *in prima Miſſa* -- Altera in Kalendario „ Frontonis -- *Miſſa publica Natal. S. Laurentii* -- In Marte„ niano -- *Item ad Miſſam* -- Duas haſce Miſſas habent et„ iam plures Codices ab eodem Martene relati. “ SS. Auguſtinus, Leo, & alii antiquiſſimi Patres ſermones habuere de Feſto. Tradit Radulphus *propoſit.* 17. ortum habere ex Apoſtolica auctoritate, hoc eſt, a Sede Apoſtolica, Duplex majus, ex Durando *lib.* 7. *cap.* 1. & Radulph. *loco citato*. Officium eſt Gregorianum, ex Schultingio; & Miſſæ Offic. habetur in Antiphonario Gregoriano. Pius V. mutavit Lectiones primi, & ſecundi Nocturni. In Antiphonis tertia & quarta ad Laudes: *Caro mea igne cremata eſt, & non ſum æſtuatus*; nulla eſt contrarietas ex S. Auguſtino in fine Lectionis ſextæ ſecundæ diei infra Octavam S. Laurentii.

11. Tiburtii. In Antiphonario, & Sacramentario Gregor. „ In Sacramentario Gelaſiano, Kalendario Frontonis, & Co„ dice Gellonenſi. Kalendarium Frontonis duas habet Miſſas, „ unam de Sancto Tiburtio, alteram de Sancta Suſanna. “ Suſannæ. Romæ tantum, Radulph. *propoſit.* 22. utriuſque Feſtum habetur in Appendice Gregoriana. Simplex in MS. & 1550.

12. Claræ. Ab Alexandro IV. 1255. & in Miſſali Vatic. *volum.* 4743. in Breviario MS. erat ſolemne, quia Breviaria, ut dixi, Nicolai III. juſſu Franciſcana erant. Simplex a Pio V. Duplex ad libitum ab Innocentio X. De præcepto a Clemente X. die 27. Maji 1670.

13. Hippoliti. In Sacramentario Gregoriano, „ In Codi„ ce Gelaſiano, Miſſali Gothico, & utroque Kalendario, „ Sacramentarium Leoninum Hippolyto ſocium addit Pontia„ num. “ Apud Romanos Feſtum celeberrimum fuiſſe ſuo tempore teſtatur Prudentius in Hymno. Mentio eſt in Breviario S. Iſidori, Hippolyti, Caſſiani, & ſimul in Antiphonario Gregoriano, & Appendice Gregoriana. Simplex in MS. & 1550.

14. Vigilia Aſſumptionis. Ordo Romanus, Sacramentar. Gregorian. ubi habentur Orationes Miſſæ, paulo mutata Secreta, Beda, Nicolaus Papa *ad conſulta Bulgarorum* meminere. Officium a Pio V.

Euſebii. In Antiphonario, & Sacramentario Gregoriano, excepta ultima Oratione Miſſæ. „ meminit etiam Fronto„ nis Kalendarium. In Codice Gellonenſi duæ habentur Miſ„ ſæ, una de Vigilia Aſſumptionis, altera de S. Euſebio. “ Simplex in MS. & 1550.

15. Aſſumptionis B. V. Comes Hieronym. Ordo Romanus, Sacramentarium S. Gregorii, ubi Orationes leguntur, in cujus Appendice appellatur Pauſatio B. V. & idem legitur in Appendice Bibliorum antiquiſſima Vatican. *vol.* 5729. „ Sacra„ mentarium Gelaſianum Kalendaria citata -- In Frontoniano „ duæ habentur Miſſæ -- “ Dies Dominæ ab Hunnis dicta fuit ex Baronio *Ann.* 48. *& in Martyrolog.* Apud Orientales veriſimile eſt, cœptum eſſe Feſtum coli ſtatim poſt Concil. Epheſinum; quo tempore Cyrillus Alexandr. cultum Deiparæ contra Neſtorium amplificavit, ut notavit Azorius *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 20. *quæſt.* 1. & deinde propagatum eſt ſub Mauritio ex Niceph. *lib.* 17. *cap.* 28. Manuel habet *in tit. de Feriis*. Apud Gallos ſub Carolo Magno in Concilio Moguntino *cap.* 36. S. Bernardus meminit *Epiſt.* 174. Duplex majus ex Durando *loc. cit.* Officium Gregorianum, ſed Officium Miſſæ aliud eſt in Antiphonario Gregorian. Lect. Cantici Canticor. in primo Nocturno ex Ordine Romano mutavit Pius V. Lectiones ſecundi Nocturni, quarum etiam titulum merito deinde mutavit, veriore auctore appoſito, Clem. VIII. Lectiones autem Cantic. Canticorum conveniunt myſtice Beatæ Virgini, ſed & poſſunt dici Lectiones de Scriptura occurrente menſe Auguſto, in quo leguntur omnes libri Sapientales Salomonis, ex Radulph. *prop.* 18.

„ Dominica infra Octavam Aſſumptionis celebratur Fe„ ſtum Sancti Joachim Confeſſor. & Patris B. Virginis Ma„ riæ ſub ritu duplici majori, cujus Officium Gregorius XV. „ approbavit die 28. Martii 1623. Antea hoc Feſtum cele„ brabatur in tota Eccleſia die 20. Martii cum Officio & „ Miſſa; nunc ex Decreto S. R. C. die 20. Septembr. 1738. „ annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XII. die „ 3. Octobris ejuſdem anni, celebrari mandavit in Domini„ ca prædicta, ne Feſta de præcepto multiplicentur, & de„ bitus honor Genitori Matris Dei non denegetur, & id „ ad inſtantiam Sac. Cæſareæ Majeſtatis, &c.

„ Notandum, quod, ſi in prædicta Dominica inciderit „ dies Octav. Sancti Laurentii, vel dies Octav. Aſſumptio„ nis, aut aliquod Feſtum Duplex primæ, vel ſecundæ „ Claſſis, tunc Feſtum Sancti Joachim transfertur in aliam „ diem non impeditam. “

Dubitatum fuit: an Officium de B. Roccho nondum Canonizato, neque a S. Sede Apoſtolica Beatificato, poſt Alexandr. III. defuncto, Anno 1327. in Concilio Conſtantienſi Anno 1414. inter Beatos habito, recitari poſſit, & negotio mature diſcuſſo, S. R. C. cenſuit, concedendam eſſe Miſſam, & Officium in ejus die Feſto, in Eccleſiis dumtaxat, & Eremitoriis habentibus requiſita Eccleſiarum in honorem ejuſdem Deo dicatis, non extra dicta loca, *die* 4. *Julii & clarius die* 26. *Novembris* 1629.

„ Quoniam hic habetur ſermo de S. Roccho, cujus Fe„ ſtum celebratur die ſequenti alicubi, idcirco ſubjicimus „ ſequens Decretum, nimirum, quod licet ejus Feſtum ſer„ vetur ex Devotione, attamen non poteſt de eo recitari „ Officium, & celebrari Miſſa, niſi in propriis Eccleſiis, „ eidem Sancto dicatis ex conceſſione Sacr. Congr. die 4. „ Junii 1629. & clarius die 20. Novembris ejuſdem anni, „ & tunc dicendum eſt ejus Officium ſub ritu Duplici pri„ mæ Claſſis, ita declaravit, & decrevit Sac. Rit. Congreg. „ 10. Januar. 1693. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 183. “

16. Hyacinthi. Ab Urb. VIII. Duplex cum Officio 1. Feb. Ann. 1625. approbato, ad inſtantiam Filii Regis Poloniæ, cum eſſet Romæ pro Jubilæo Anni Sancti. In Mart. Lect. pridiana primo loco ponatur; * In Hymn. *Iſte Confeſſor* mutatur tertius verſus, Lectiones 1. Nocturni erunt de Scriptura occurrente, juxta Rubr. quæ poſita eſt in Breviario ante Dominic. 3. Auguſti; licet ibi fieret olim tantum mentio de Octava S. Laurentii, & de Feſto S. Bern. eadem enim eſt ratio in his tribus Feſtis.

17. Octava S. Laurentii. In Sacramentario Gregoriano. Inter majores Octav. numeratur a Radulpho *propoſit.* 19. Semiduplex ex Durando *l.* 7. *cap.* 1. & 1550. Duplex a Pio V.

qui

qui addidit Orationem propriam, quæ tamen habetur in Sacram. Gregor. ad calcem Feſti S. Laurentii, in editione Romana, & ordinavit melius Lection. totius Oct. Offic. Miſſæ habetur in Antiph. Gregor. Orationes autem aliæ ſunt in Sacrament.

Agapiti, In Antiph. & Sacram. Greg. a quo Secretam tantum in Miſſa Orationem habemus; ſed in Codice Pameliano ſunt eædem, quæ apud nos. „ Miſſa S. Agapiti legitur etiam in Codice Gelaſiano -- habetur in Kalendario Frontonis, deſideratur in Marteniano. Codex Leonianus inter Collectas, quæ aſſignantur pro Natali Sanctorum Hippolyti & Pontiniani unam habet, quæ meminit Agapiti, ſed eruditiſſimus illius Codicis editor ſuſpicatur mendum irepſiſſe, & legendum eſſe Hippolyti, puto ego in titulo omiſſum fuiſſe ab Amanuenſi, nomen Agapiti, aut unius Feſti collectas mixtas cum aliis alterius Feſti. „ Simplex in MS. & 1550.

20. Bernardi. In Miſſali Vaticano *vol.* 3808. Semidupl. in Breviar. 1550. Dupl. a Pio V. Offic. putat Schultig. ab Alexandr. III. qui eumdem canonizavit. Pius V. mutavit Orationem, addidit Homiliam. Stephani Hungarorum Regis, Simpl. Commem. ab Urbano VIII. 1631. ad inſtantiam Ferdinandi Imperatoris. In Martyr. legatur a. l. Ubi celebratur cum novem Lect. in Hymn. *Iſte Confeſſor* mutatur tertius verſus, ut ex Lection. patet propria, nono loco legenda. De S. Stephan. vide ad diem 2. Septembris.

22. Octav. Aſſumptionis. A Leone IV. ann. 847. ex Sigeberto, vel anno 848. ex Jacobo Phil. Bergomenſi, vel 855. ex Baronio *tom.* 10. qui citat Anaſtaſ. Bibliothec. Radulph. meminit *propoſ.* 19. Duplex minus apud Durand. *loc. cit.* & in Breviar. 1550. Pius V. in tota Octav. reformavit Lectiones, & novas adjecit.

Timothei, &c. Primus habetur in Sacram. Gregor. „ Et in Kalendario Frontonis. „ Symphorianus etiam in Antiph. Gregor. Hippolytus in Brev. Vaticano *vol.* 4753. Simplex in MS. & 1550. Pamelius numerat inter Officia Gregorio poſteriora; Oratio tamen Sacram, eſt nobis etiam Communis.

23. Vigilia S. Bartholomæi. De hac, & de Feſto ſequenti Concil. Oxonienſe, Innocent. III. *de obſerv. jejun. cap. conſilium;* attendatur, inquit, locorum conſuetudo, quod ad diem attinet hodiernum, vel ſequentem 23. 24. ſeu 25. Romæ Vigil. 24. Offic. a Pio V. in Lect. Martyrolog. hac die, & præcedenti, extra Romam prænuncietur Vigilia, & Feſtum, juxta morem locorum, nam Martyrol. Romanum conſuetudinem ſequitur Romanam.

„ S. Philippi Benitii Conf. & Propagatoris Ordin. Servorum B. M. Duplex minus a S. R. C. 2. Octobris 1694. annuente Innocent. XII. Lectiones ſecundi Nocturni, & Oratio propria.

24. Bartholomæi. Beda Romæ 25. De eo Martyrolog. & Kalendar. MS. *cit.* a Baron. *in Notis Martyrolog.* Item in Sacram. Greg. ubi ſecreta Miſſæ, & Poſtcommunio paulo diverſæ leguntur. Collecta prima eſt Ambroſiana. „ Hujus Feſti mentionem etiam facit Kalendarium Martenianum. „ Græci celebrant Feſtum bis in anno: natalem diem 11. Junii, tranſlationem hac die. Romani celebrant die 25. tranſlationem ab Othone II. factam anno 983. in Romanam inſulam Licaoniam, in tumbam porphyreticam, ut ſcribit Otho Friſingenſis *l. 6. c.* 25. Eccleſiam vero, quæ nunc Apoſtoli nomine vocatur, in honorem Sancti Adalberti ædificatam aſſerit Baron. *in Martyr.* 22. *Junii.* Duplex a Bonifacio VIII. Pius V. mutavit omnes Lectiones. Eſt autem idem cum Nathanaele laudato a Chriſto; quod in calce operis hujus in utriuſque laudem, qui tamen unus eſt, probabo fuſius. Nunc Dupl. 2. Claſſis.

25. Ludovici Regis IX. & Francorum XIV. A Bonifac. VIII. 1297. inter Sanctos eſt relatus. Habetur Officium in Brev. Vatican. *vol.* 4752. Simplex in MS. Semid. a Paulo V. anno 1618. 29. Novembr. cujus Lectiones recitandæ approbatæ fuerunt 23. Februarii 1619. & rurſus 23. Apr. 1622. Ubi celebratur die 26. mutatur in Hymno *Iſte Confeſſor*, tertius verſus. „ In Galliis, ubi hoc Feſtum celebratur de præcepto, adhuc ejus Offic. recitatur ſub ritu Dupl. minori tantum; propterea non eſt dubitandum, quin recitari debeant Lectiones, quæ aſſignantur de ſcriptura pro primo Nocturno, approbatis propriis ſecundi, & tertii Nocturni, ita declaravit S. R. C. die 10. Jan. 1693. ut videre eſt in noſtro Indice *ſub n.* 183.

26. Zephyrini in Miſſ. Vatic. 4732. Semid. ex Microlog. *c.* 43. Romæ tantum Rad. *prop.* 21. Simpl. in MS. & 1550.

28. Auguſtini. In Sacram. Gregor. ubi omnes Orationes Miſſæ ſunt eædem, quæ apud nos. Bonifac. VIII. decreto Dupl. Pius V. mutavit omnia, retenta Oratione tantum; Officium autem Miſſæ aliud eſt in Antiph. Gregor. & Pamelius illud numerat inter Officia poſteriora Gregorio.

Hermetis. In Antiphonario & Sacrament. Greg. a quo ultimam tantum habemus Orationem; Miſſæ primam, & ſecundam in Pameliano Codice; apud Antium celebris memoria, ex Actis S. Bonifacii Papæ *tom.* 1. Concil. „ Hujus Feſti mentio eſt in Sacramentario Gelaſii & Kalendario Frontonis -- Sacramentarium Gregorianum a Menardo editum & Codex Gellonenſis duas habent Miſſas, 1. In Natali Sancti Auguſtini. 2. In Natali S. Hermetis -- Codex pervetuſtus Turonenſis duas etiam exhibet Miſſas -- 1. In Natali SS. Martyrum Ermetis, & Juliani, 2. S. Auguſtini In alio Codice ejuſdem Eccleſiæ tres aſſignantur Miſſæ, 1. de S. Ermete, 2. de S. Juliano, 3. de S. Aug. „

29. Decollationis S. Joann. In Comite S. Hieronym. & in Sacram. Gregor. ubi omnes Miſſ. Orationes habentur, poſteriores tamen Gregor. excepta prima, quæ a Miſſali Ambroſiano accepta eſt. „ Hujus Feſti meminit Kalendarium Martenianum hoc titulo - Paſſio S. Joannis Baptiſtæ -- Codex Gelaſianus habet -- In die Paſſionis S. Joannis Baptiſtæ - In Kalendario Frontonis habetur hoc Feſtum die ſequenti. „ Manuel *tit. de Feriis.* Hac die Caput eſt inventum, ex Gemma *lib.* 3. *c.* 165. & placet Baronio *in Mart.* hoc eſt, ſecunda inventione, nam obiit in die Annuntiationis B. Virg. ex auctore Gemmæ *ibid.* & imminente Paſchate, ex Baronio *loc. cit.* qui addit, hac item die fuiſſe conſecratam celebrem Eccleſiam Alexandriæ in honorem S. Joannis, & reliquias ejuſdem in ea reconditas. Semid. apud Durand. *lib.* 7. *c.* 1. & in Brev. 1550. Duplex a Pio V. qui de more mutavit primas, & 2. Lect. Officium Miſſæ aliud eſt in Antiph. Greg. poſterius Greg. ex Pamelio, ut dictum eſt. Optarunt aliqui hoc Feſtum fieri Dupl. majus ſicuti ſunt alia minora Feſta Apoſtolorum: ſed neque dies hæc martyrii illius eſt, neque martyrium pro fide Chriſti, & Evangelio, neque ſtatim in cœlum ivit; neque demeretur S. Auguſtin. ut amittere debeat 2. Veſp. quas dividit cum S. Jo: quibus etiam de cauſis longe majus Feſtum eſt Nativitatis, quam Decoll. S. Jo: Aliam adde cauſam, quia Nativitas illius toti mundo magis profuit, tamquam Præcurſoris Chriſti, quam Decoll. quæ illi ſoli utilis fuit *& multi*, ait Angelus, *in Nativitate ejus gaudebunt*.

Sabinæ. In Ant. „ Ex Kalendario Frontonis, „ & Sacrament. S. Gregorii, ſed deinde mutatæ ſunt omnes Orationes Miſſæ, quas tamen habet Pamel. Cod. Simpl. in MS. & 1550.

30. Felicis, & Adaucti. In eodem Sacramentario cum Orationibus omnibus Miſs. „ Miſſa horum SS. Martyrum legitur in Codice Leoniano, Kalendario Frontonis, „ Sim. in MS. & 1550. Officium Miſſ. ut in Antiph. Gregor.

S. Roſæ Limanæ Virg. Ordinis Prædic. Duplex a Benedicto XIII. ſub die 28. Julii 1727. Lectiones ſecundi Nocturni propriæ, alias a S. Congr. approbatæ pro Regnis Hiſpaniarum, aliiſque Dominiis, & Diœceſibus, Oratio pariter propria. „

31. ✠ Raymundi Nonnati. Semid. ad libitum. Clemens IX. cum Oratione propria, ac Lect. ſecundi Nocturni 13. Auguſti 1669. ad Hymnum mutatur tertius verſus, & in Martyrologio legatur primo loco.

„ Nunc Duplex ab Innocentio XI. ſub die 10. Martii 1681. Lectiones ſecundi Nocturni propriæ, necnon Oratio.

## De Feſtis Sanctorum Menſe Septembri, Cap. XI

1. ÆGidii Abbatis ab Urbano IV. ex Radulpho *cit. a Schult.* in Miſſ. Vatic. *vol.* 3808. cum 9. Lect. apud Radulp. *prop.* 22. Simplex in MS. & 1550. & a Pio V.

Duodecim Fratrum Romæ tantum ex Radulpho *cit.* in Miſſali Vaticano *vol.* 4770. Simplex in MS. & 1550.

2. Sancti Stephani Hungariæ Regis Confeſſoris Semid. de „ præcepto ab Innocentio IX. die 19. Aprilis 1587. habet Lectiones proprias pro ſecundo Nocturno, nec non Orationem.

„ 4. In toto Statu Eccleſiaſtico, & in Etruria S. Roſæ Virg. Viterbienſis tertii Ordinis S. Franciſci ſub ritu Duplici de præcepto a Benedicto XIII. ſub die 18. Januarii 1728. Lectiones propriæ ſecundi Nocturni, & Oratio propria, prout erant approbatæ pro Ordine Minorum.

„ 5. S. Laurentii Juſtiniani Epiſcopi, & Confeſſoris primi Venetiarum Patriarchæ, Semid. ad libitum ſub die 16. Decembris 1690.

8. Nativitatis Beatæ Virg. Temporibus Epheſini, & Chalcedonenſis Concilii diem Feſtum hunc celebrari cœpiſſe exiſtimat Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 29. *q.* 1. at Baron. *in not. Martyr.* non præſumit hoc dicere, quia in Concilio Moguntino videntur illius Patres hoc ignoraſſe Feſtum, extant Orationes de hoc eodem Feſto Chryſoſtomi, Proculi, & Joannis Damaſceni. Manuel meminit *tit. cit.* Certum eſt, quod apud Latinos non ubique celebratum fuit hoc Feſtum ante Auguſtinum, qui nullius hominis Nativitatem celebrari aſſerit, niſi Chriſti, & Joannis *Sermo* 20. *&* 21. *de Sanctis*, quod ſi in Breviario hac die dicat Auguſtinus in Sermone: *tantæ Virginis illuſtrata Natali*: & in ſecunda die infra Octavam, *tuam ſanctam Nativitatem*: illa verba *Natali*, *Nativitatem* ſunt adventitia, mutata ab Eccleſia; pro quibus alia habet originalis textus, *in Serm.* 18. *de SS.* qui eſt 2. de *Annuntiatione.* Habetur præterea Feſtum hoc in Comite Sancti Hieronymi in Ord. Rom. & in Sacramentario Gregoriano cum omnibus Orationibus Miſſæ. „ Habetur etiam in Codice Gelaſiano, in Kalendario Frontonis, & in vetuſtiſſimis MSS. Codicibus ante annos 900. deſcriptis teſte Martene *de*

„ *an-*

„ *antiq. Eccleſ. diſcipl. cap.* 34. *num.* 2. Codex Turnnenſis „ annorum 800. duas continer Miſſas de Nativit. B. V. “ S. Ildephonſus indicat hoc Feſtum *in lib. de Virg. Maria*; de quo etiam Sermonem habuit. Poſt eum Bernardus meminit, rationemque addidit, quia Sancta nata eſt, *in Serm. ſuper Salve Regina*; atque ex cantu Angelorum hac die audito ſtaturum fuiſſe Feſtum, docet Gemma *lib.* 3. *cap.* 1dd. tum Sergii Decreto firmatum, ait Sigebertus *in Chronico*; ſed fortaſse en die indixit ille Litanias tantum, ut ait Auctor Breviar. Chronolog. qui, & addit quod in Gallia poſt Ludovicum Pium celebtari cœpit Duplex majus, ex Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Antiphon. & Reſponſ. a Joann. Damaſceno compoſita poſt recuperatam abſciſſam manum, ſcribit Sebulting. citans Martinum Conſentinum Archiepiſcop. *lib.* 4. *Chronic. in Siricio*. Nihil mutavit Pius V. Officium tamen Miſſæ aliud eſt ab Antiphoo. Gregor. Ubi eſt Titulus Eccleſiæ Nativitat. B. Virg. in tertio Nnclurn. vel de ſeprima, & de octava Lectione fiant tres, vel pro nona legatur ſeptima diei ſequentis infra Octav. parumque refert, ſi die ſequenti eadem repetatur. „ Huic Feſto Vigiliam inditam „ fuiſse a Gregorio XI. aſserit Radulphus Tungrenſis *in lib.* „ *de obſervant. Canon. cap.* 19. Et certe in vita dicti Grego„ rii a Boſqueto edita hæc legimus -- Secundo ordinavit, „ quod Nativitas B. Mariæ Virginis haberet Vigiliam cum „ jejunio, pro qua etiam Officium proprium Miſsæ ordinavit.

Adriani. In Antiphon. & Sacramentar. Gregor. mutatis inde Orationibus, & eſt tranſlationis Feſtum, quando Romam ejus Corpus delatum eſt, ex Baron. *in Martyrol.* obiit enim die 4. Martii. Commemoratio in MS. Simplex in Breviar. 1550. „ Miſsa hujus Feſti habetur etiam in Ka„ lendario Frontonis, Cod. Gellonenſi, & aliis.

9. Gorgonii. In Antiphon. & Sacram. Gregor. cum omnibus Orationibus Miſsæ; non tamen in Pamel. Cod. Simplex in MS. & 1550. Poſterius eſt Gregor. ex Pamelio. „ Quod eſse „ non poteſt, nam hujus Feſti meminit Gelaſii Sacramentorium.

„ Dominica inſra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Vir„ ginis celebratur Feſtum Nominis ejuſdem B. V. ſub Ritu „ Duplici majori de præcepto ab Innocentio XI. ſub die 22. „ Novembris 1693. cum Officio & Miſsa propriis, quæ poſt„ ea ſub die 5. Februarii 1694. approbavit Sacra Rituum „ Congregat. Antea hoc Feſtum celebrabatur in pleriſque „ Eccleſiis die 17. hujus menſis cum Officio, & Miſſa ex „ Indulto Apoſtolico, ſed in memoriam inſignis victoriæ „ ab armis Chriſtianis de Turcis reportatæ, & Civitatis „ Viennæ ab arctiſſima obſidione ſolutæ, quotannis in Ec„ cleſia univerſali ab omnibus utriuſque ſexus, qui ad Ho„ ras Canonicas tenentur, ſub prædicto Ritu celebrari man„ davit memoratus Pontifex Innocentius.

„ In prædicto Feſto Ss. Nominis B. M. V. non eſt facien„ da commemoratio de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis „ Veſperis de Nativitate cadentibus in Sabbato non eſt fa„ cienda commemoratio de præfato SS. Nomine, ut decre„ vit S. R. C. die 23. Septembris 1684. Rurſus ſi hoc Fe„ ſtum SS. Nominis B. M. V. occurrerit in die Oct. Nativi„ tatis ejuſdem B. V. Officium erit de Sanctiſſimo Nomine, „ omiſſa in utriſque Veſperis, & Laudibus commemoratione „ de prædicta die Oct. Nativitatis, ita ſtatuit, & declaravit „ S. R. C. die 15. Septembris 1685. quæ pariter Congre„ gatio ſub die 22. Januarii 1707. declaravit, quod ſi oc„ curterit apud Franciſcanos dies Octava S. Roſæ Viterbien„ ſis in Dominicam infra Octavam Nativitatis B. M. V. de„ beant iidem Franciſcani Officium recitare de dicta Octava, „ protracto ulterius Feſto SS. Nominis ejuſdem B. M. V. dies „ enim Octava cujuslibet Feſti, quia non transfertur, exclu„ dit, & transferri facit quodlibet Feſtum Duplex, ſive ma„ jus, ſive minus, ſoliſque cedit Feſtis ſolemnibus primæ, „ vel ſecundæ Claſſis, prout declaravit eadem Sacr. C. 1. „ Martii 1681. idcirco autem in Octava Nativitatis B. M. „ V. ſi occurrat Feſtum dicti SS. ſui Nominis octav. omit„ titur, quia ambo ſunt Feſta ad eamdem SS. Virginem ſpe„ ctantia, & præfertur illud, quod eſt ſub altiori Ritu. De„ nique ſi hoc Feſtum Ss. Nominis B. M. V. occurrat in Fe„ ſto Exaltationis S. Crucis, transfertur ad primam diem non „ impeditam, ut declaravit S. R. C. 20. Julii 1686. & datur „ per extenſum hoc Decretum in noſtro Indice *ſub num.* 156.

10. Nicolai de Tolentino. In Brev. Vatic. *vol.* 4760. reſtituitur a Sixto V. 1585. cum Officio, & duplici Ritu, ſed comparatione facta cum Nicolao Mirenſi Epiſcopo, a quo hic Nicolaus prodiit in lucem, Clem. VIII. Semidupl. Ritu Feſtum decrevit fieri, mutavitque Orationem. Si transferatur, mutatur verſus tertius in Hymno *Iſte Confeſſor*. Duplex denuo a Clemente IX.

11. Prothi, & Hyacinthi. In Antiphoo. & Sacrament. Gregor. „ Et in Kalendariis ſæpe laudatis. “ Romæ celebre Feſtum fuiſſe docet Baron. *in Martyrolog.* Simplex in MS. & 1550. Gregorianum, ubi ſupra. Fuere germani, teſte S. Damaſo in Epigram. quod in recognito Martyrolog. & Breviar. adnotatum eſt; quare in Officio novem Lection. 8. Reſponſ. erit: *Hæc eſt vera*.

14. Exaltationis S. Crucis. Ante obitum S. Joann. Chryſoſtomi, qui hac die obiit, & duos de hoc Feſto Sermones habuit. In Comite S. Hieron. fit mentio; in Ord. Rom. & in Sacram. Greg. habetur Secreta Miſſæ Oratio, qua nos utimur; reliquæ deinde mutatæ fuerunt. „ Codex Gelaſianus, „ & Gregorianus duas hac die exhibent Miſſas 1. de Exal„ tatione S. Crucis, 2. de SS. Cornelio, & Cypriano: eaſ„ dem habet Kalendarium Frontonis. In vetuſto Codice Tu„ ronenſi tres continentur Miſſæ, duæ de Exaltatione S. „ Crucis, tertia de Ss. Martyribus Cornelio, & Cypriano. „ In Codicibus Regin, & Gellonenſi tres etiam leguntur, 1. „ de Exaltatione S. Crucis, 2. de Ss. Cornelio, & Cypria„ no. 3. de S. Cypriano propriæ. “ Honorius I. invexiſſe dicitur hoc Feſtum in Eccleſiam Orientalem anno 623. ex Platina; fortaſſe ampliavit. Quare Heraclii victoria longe poſterior reddidit illuſtriorem jam inſtitutam celebritatem, quæ contigit anno 631. ex Sigebert. Semid. apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Duplex MS. & 1550. Officium Gregor. mutavit aliqua. Pius V. in Reſp. & Lectionibus. Clem. VIII. in Hymno juſſit dici: *In hac triumphi gloria*. Et declaravit etiam hoc Feſtum Duplex majus. Officium Miſſæ Introitum tantum habet ex Antiph. Gregor.

15. Octava Nativitatis B. V. Ab Innoc. IV. ex Durand. *lib.* 7. *cap.* 28. hoc eſt, Officium ejuſdem, ait Baron. *in Martyr.* Beda enim meminit Octavæ cum Radulph. *propoſ.* 19. qui eam numerat inter Octavas majores. Habetur in Miſſali Vaticano *vol.* 3808. Semidupl. apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Duplex ab Alexand. IV. ut dicitur in Brev. 1550. Officium ab Innocent. IV. ex Platina anno 1246. qui & eidem tribuit Feſtum, ſed falſo, ut ſupra innuimus. Pius V. infra Octav. ademit in primo Nocturno Lectiones de Canticis Canticorum quotidianas, exceptis prima, & ultima die, & mutavit Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni.

Nicomedis. Olim die prima Junii, ex Beda, Uſuardo, & Adone. Habetur Officium Miſſæ in Antiph. & Sacram. Gregor. cum omnibus Orationibus Miſſæ. „ Habetur in Ka„ lendario Frontonis, & Sacramentario Gellonenſi. “ Simplex in Brev. MS. & 1550.

16. Cornelii, & Cypriani. Obiere tamen die 14. Septemb. qua, & ſequenti impedita, data eſt iiſdem hæc dies pro natali. De iis in Comite Hieron. & Sacram. Gregor. ubi habetur prima, & ultima Oratio Miſſæ. „ Hoc Feſtum legi„ mus etiam in Sacramentario Leonino, & Kalendario Marte„ niano, ac Miſſali Gothico. “ D. Cyprianus Nazianzenus orationem habuit, & ſolemnius erat Feſtum apud Græcos. Extant aliorum ſermones, Auguſt. 113. 114. 115. 116. *de diverſis*; Ss. Maximi, & Petri Chryſol. In Italia per antonomaſiam dicebatur celebritas Cyprianea, ut ſcribit Procopius *de bell. Wand.* Simplex in MS. & 1550. Semidupl. a Pio V. cum Offic. Lection. 1. Noct. de Communi Martyr. eatenus fuerunt aſſignatæ, quatenus de libro Tobiæ cœptum ſit legi: alioquin initium ejuſdem legatur in hoc Feſto (qui caſus contingit alicubi ob Feſtum ſolemne in Domin. die 13. Septemb.) ne ſcilicet liber ille omittatur. Miſſæ Offic. diſcrepat ab Antiphon. Gregor.

Euphemiæ &c. A tempore Chalcedonenſis Concil. in Sacrament. Gregor. diviſim habentur: ubi etiam Orationes omnes, quæ nunc in Miſſa dicuntur, Pamelius numerat inter Officia Gregor. poſteriora. „ Quod verum eſſe non pot„ eſt, cum natale S. Euphemiæ notetur in Codicibus Leo„ nino, & Gelaſiano. Euphemiæ, & Luciæ meminit etiam „ Kalendarium Frontonis. Codex Gellonenſis duas habet „ Miſſas, unam de S. Euphemia, alteram de Ss. Lucia, & Ge„ miniano. “ In Antiph. Gregor. ante tempora Doni Papæ, ait Baron. *in Martyrol.* Manuel *tit. de Feriis*, cum novem Lect. in MS. & 1550. commem. tantum a Pio V.

„ Cum in hoc Feſto Ss. Cornelii, & Cypriani pro Com„ memoratione Ss. Euphemiæ, & ſociorum dicatur in primis „ Veſperis Antiph. *Gaudent in Cœlis*, & in Laudib. Antiph. „ *Iſtorum*, quæſitum fuit, utrum prædictæ Antiphonæ dicen„ dæ ſint etiam quando Officium Ss. Cornelii, & Cypriani „ transfertur ex quo occurrat in Dominica? & Sac. Congr. „ ſub die 14. Decemb. 1709. reſpondit, quod in prædicto „ caſu in primis Veſperis Dominicæ pro commemoratione „ Ss. Euphemiæ, & ſociorum dicenda ſit Antiphona *Iſto„ rum*, & in Laudibus Antiphona *Veſtri capilli &c.*

17. Stigmatum S. Franciſci. Baronius *in Martyrolog.* ſcribit, Bened. XI. juſſiſſe ſolemnitatem hanc celebrari duplici Officio: ideſt, in ordine S. Franciſci, & lapſam, in Martyrolog. Rom. juſſiſſe Sixtum V. hac die recenſeri, additis ipſiuſmet Sixti V. verbis. Deinde vero conceſſit Paulus V. celebrari eamdem poſſe ad libitum Cleri, Duplici quidem Officio in Religione S. Franciſci: extra eamdem Semiduplici, ut patet ex prima editione Romana, & Decreto S. R. C. die 28. Auguſti 1615. & rurſus die 2. Octobris 1627. Scripſit de hoc Feſto Anton. Daza Minorita, & ait, univerſæ Eccleſiæ fuiſſe præceptum ſub Ritu Duplici a Benedicto XI. & a Paulo V. ſed fallitur: tum quia Marcus Uliſſiponenſis in ſuo Chronico Minorum *part.* 1. *cap.* 59. aperte tradit, a Benedicto XI. datum eſſe Feſtum Duplex Ordini tantum S. Franciſci: tum quia ſemel, & iterum decrevit Sacra Congreg. Rit. Semiduplicem, ut diximus: tum quia ejuſmodi Decreto delata ſunt ea verba in 6. Lectione: *Officio duplici*, quæ videbantur ad totum Clerum attinere 6. Novembr. 1627. & ratio favet:

vet: quia in Brev. ſecundaria SS. Feſta longe ſunt inferiora primariis, ut videre eſt in Duplicibus majoribus per annum: non ergo debet eſſe Feſtum Stigmatum æquale Feſto primario S. Franciſci, quod eſt Dupl. minus; congruit autem eſſe Duplex in Ord. Min. ubi Feſtum primarium S. Franciſci eſt Duplex primæ Claſſis. Color albus adhibendus eſt, ut alias docuimus contra FF. Minores. In Martyr. Lect. ſi hat Offic. ponatur 1. loco de præcepto a Clem. IX. ,, Nunc apud Min. in tali Feſto adhibetur color albus, juxta Decr. S. R. C.

✠ 18. S. Thomæ de Villanova Epiſc. Sem. ad libitum ab Alexandro VII. cum Orat. propria, Lect. 2. Nocturni, & Antiph. ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*, die 17. Junii 1659. ,, Ad Hymn. mutatur tertius verſus, & in Martyr. de eo legatur primo loco. ,, Deinde Semid. de præcepto ab Innocentio XII. 4. Septembris 1694.

19. Januarii &c. Primus erat in Appendice Gregor. Apud Græcos ante Procopium, qui de hoc Feſto ſcribit *lib. 2. de bello Gothico*, cum ſociis reſtitutum fuit a Sixto V. 1586. & cum Officio Semiduplici. ,, Clem. VIII. mutavit Evang. cum Homil. Nunc Duplex ab Innoc. XI. 7. Dec. 1676. ,,

20. Vigilia S. Matthæi. Ut de Vigilia S. Andreæ, & S. Thomæ dictum eſt. In Comite Hieronym. Evangelium, Officium Miſſæ in Ant. & Sacrament. Gregor.

Euſtachii &c. ,, Unius Euſtachii meminit Kalendarium Frontonis. ,, Apendix Sacramen. Gregor. habet hoc Feſtum Kal. Novembr. hac vero die Miſſale Vatic. *vol.* 4743. commem. in MS. Simplex 1550. Pius V. ademit Lect. ob Homiliam Vigiliæ. Urbanus VIII. Ritu Semid. celebrari juſſit, ad inſtantiam Mauritii Cardinalis a Sabaudia Diaconi ejuſdem Eccleſiæ; cujus Lect. approbatæ fuerunt die 24. Novembris 1625. addiderant alii ſine facultate Reſp. *Hæc eſt vera*; quod non quadrat: alias dicendum eſſet etiam in Feſto Ss. Mariæ, & Marthæ &c. 19. Januarii; eadem enim eſt ratio, patris, matris, & duorum filiorum; Non igitur eſt dicendum. * Duplex a Clem. X. die 26. Januarii 1671.

21. Matthæi. Ut de S. Andrea. Comes S. Hier. meminit, ,, Sicut & Kalendarium Martenianum. ,, Oratio eſt Ambroſiana. Pius V. mutavit Lectiones omnes Offic. Miſſæ, ut in Antiph. & Gregor. Sacrament.

22. Mauritii &c. Primus in Ant. Gregor. ſed ex Pamelio poſt Gregorium; ſocii vero in Appendice Sacram. ,, Codex Corbejenſis Ratoldi duas habet Miſſas de SS. Martyribus Mauritio, ejuſque ſociis. Miſſa ipſorum legitur etiam in Miſſali Gothico Gallicano, ,, Simplex in MS. & 1550. Officium Greg. & Miſſæ præſertim, ut in citato Antiphon.

23. Lini. In Appendice Gregor. Semid. ex Microlog. *c.* 43. Romæ tantum Radulph. *prop.* 22. Simplex in MS. & 1550. Semid. reſtituitur a Pio V. mutavit autem Evangel. cum Homilia Clem. VIII.

Teclæ. In Append. Greg. Ubique celebre Feſtum, ait Bar. *in Mart.* cum novem Lect. in Brev. 1550. commem. a Pio V.

,, 24. B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum ſub Ritu Duplici majori a Benedicto XIII. 22. Martii 1727. olim ſub Ritu Duplici minori tantum de præcepto a S. R. C. 18. Februarii 1696. cum Oratione propria, ac Lectionibus, approbante etiam Innocentio XII. ſub die 21. ejuſdem Februarii, & anni 1696.

26. Cypriani, & Juſtinæ. In Append. Gregor. Simplex in MS. & 1550.

27. Coſmæ, & Damiani. In Sacram. Gregor. mutatis Orationibus omnibus Miſſæ: quas tamen nobis etiam communes Pamelianus habet Codex. ,, Miſſa hujus Feſti habetur etiam in Codice Gelaſiano, & Kalendario Frontonis, ,, Romæ celebrem eorum cultum ante Menolog. indicat Bar. *in Martyr.* Manuel *tit. de Feriis*. Simplex in MS. & 1550. Semidupl. a Pio V. Offic. autem Miſſæ habetur in Antiph. Greg. ubi & poſterius eſſe S. Gregor. notat Pamel.

28. ✠ Wenceſlai Martyris Ducis Bohemiæ. Noviſſime a Clemente X. Semid. ad libitum cum Oratione propria, & Lect. 2. Noct. die 29. Nov. 1670.

,, Nunc Semiduplex de præcepto a Benedicto XIII. ſub die 14. Martii 1729. Quapropter ſi hoc Officium occurrat in Dominica, vel in die infra Octavam, non omittitur, prout omittebatur quando erat ad libitum, ſed infra Octavam poteſt celebrari, & ſi occurat in Dominica, debet transferri in primam diem non impeditam.

29. Dedicationis S. Michaelis in Monte ſcilicet Gargano, ait Martyrol. Romanum. Habetur in Comite Hieron. & in Sacr. Greg. cum omnibus Orationibus Miſſæ. ,, In Kalendario Frontonis, Codice Gelaſiano & Sacramentario Leonino, in quo ita legitur *Baſilicæ Angeli in Salaria*; ex quo manifeſtum eſt hoc Feſtum a ſui inſtitutione nihil commune habere cum apparitione S. Michaelis in Monte Gargano, nec illius Eccleſiæ dedicationem hac die celebratam fuiſſe; ut volunt Gavantus, & Martene, omneſque alii. Doctiſſimus Sacramentarii Leoniani Editor tem nobis aperiet: ,, In Concilio Moguntino *c.* 6. Manuel *tit. de Feriis*. Ado inquit, ob dedicationem Eccleſiæ in mole Adriani; quam Baronius *in Martyrol.* vult fuiſſe dedicatam a Bonifacio III. vel IV. qui ſunt poſteriores Greg. Radulph. *tit. propoſ.* 17. fieri ex auctoritate Apoſtolica. Commaadat *lib. 3. c.* 167. ob victoriam fieri contra Paganos. Duplex apud Radulph. *cit.* & in Breviario 1550. Officium eſt Gregor. quod dici teſtatur Shulting. a Concilio 2. Triburienſi MS. celebrato anno 1030. Pius V. mutavit Lectiones primi, & ſecundi Nocturni; tum ordinem Reſponſ. tum Capitulum ad Sextam. Nota, quod ad octavam Lectionem dicitur: *Quorum Feſtum colimus*; quia eſt Feſtum omnium Angelorum, ut in Oratione, & Lectione quarta patet, & ſequentibus, & quia Dedicatio hæc in Monte Gargano facta fuit in Michaelis, & Angelorum memoriam, ut expreſſe dicitur in Lectione ſexta Feſti Apparitionis, *die* 8. *Maji*. Officium Miſſæ habetur in Antiph. Greg. Si occurrat hoc Feſtum in Dominica, convenit, ut Octavæ Lectioni jungatur nona, quæ de Angelis agit.

30. Hieronymi. In Sacrament. Greg. cum diverſis tamen Orationibus Miſſæ. Ex Decreto Bonifacii VIII. Duplex. Pius V. mutavit Lectiones omnes.

## De Feſtis Sanctorum Menſe Octobri. Cap. XII.

1. Feſtum Roſarii debet ubique, & perpetuo celebrari in iis Eccleſiis, in quibus adeſt Altare, ſeu Capella Roſarii B. Virg. duplici majori Officio, in prima Dominica Octobris, quæ ſcilicet occurrit in Kalendis, vel poſt Kalendas, ex decreto Greg. XIII. *die* 1. *Aprilis* 1573; Offic. recitant Bononienſes de Nativitate, mutato nomine in *Feſtivitatis*; quod non improbamus. Certe melius, ut in Feſto ad Nives; cum Lect. 2. Nocturni de Nativitate B. V. mutato verbo, *Natali in ſolemnitate*; minus enim cohærent Ant. & Reſponſ. Nativitatis Feſto Roſarii, quam Feſto Viſitationis, & Præſentationis B. V. & tamen hæc duo Feſta non habent amplius Offic. de Nativitate: mutante Clem. VIII. in Offic. quæ hodie habentur. Quibus autem placet Offic. Nativitatis, pro iis verbis: *Hodie nata eſt*, dicere poterunt, *Hodie Feſtum eſt B. V.* ſed vere diſſonat illud, *ex progenie David*, a voce *Feſti*. Vide, quæ diximus *in primo Tomo par.* 4. *tit.* 3. *n.* 22. Nota, quod in ſecundis Veſperis ſi concurrant cum Angelis Cuſtodibus, Veſperæ integræ erunt de Beata Virgine, cum commemoratione Angelorum Cuſtodum, habet enim Feſtum Roſarii integras utraſque Veſperas; quia Gregorius celebrari voluit ritu duplicis majoris, ut diximus, & ubi hoc Feſtum, legatur de eo in Martyrologio primo loco. Occurrit non raro dies Octava Titularis Eccleſiæ S. Michaelis, S. Hieronymi, & aliorum, in Dom. 1. Octobr. in qua Roſarii Feſtum a Clero ejuſdem Eccleſiæ fieri debet, Officiumque de eodem recitari; & ſicuti dies octava non poteſt transferri, ita neque videtur transferri debere Feſtum Roſarii, quod a die 7. Octobris in primam Dominicam ejuſdem ex profeſſo tranſtulit Gregorius XIII ut Officio populus interſit, *ex Bulla cit. ſupra*. Quodnam erit igitur Officium recitandum? conſultus reſpondi, recitandum eſſe Officium de Roſario cum comm. dies Octavæ, & Dominicæ 1. Octobr. tum quia dum neutrum transferri debet, ut dixi, Feſtum Roſarii eſt duplex majus. Octava vero duplex minus; tum quia Feſtum Roſarii eſt Deiparæ; tum quia Feſtum eſt de præcepto univerſalis Eccleſiæ; *ex Bulla Gregorii*; dies Oct. eſt de præcepto in particulari Eccleſia; tum quia S. R. C. in honorem B. V. decrevit, a Clero Regii fieri Feſtum Viſitationis B. V. in die Octav. S. Proſperi Patroni loci, ut ſupra ſcripſimus *Sect.* 3. *cap.* 12. *n.* 20. licet potuiſſet, & debuiſſet ex vi Rubricarum transferri Feſtum Viſitationis, at Roſarii feſtum a Dominica non eſt dimovendum.

Major eſt difficultas, quando in prima Dominica Octobris occurrit Feſtum Patroni loci, ſeu Titularis Eccleſiæ, in qua Altare adeſt Roſarii, de quo fiet Officium, de Feſto, an de Roſario? Bononiæ aun. 1637. recitandum eſt Officium de feſto S. Petronii, & in Dom. 2. Octobris translatum eſt Officium Roſarii, vel potius feſtum: nam Clerus eo die recitavit Officium de Octava S. Petronii. At S. Rit. Congr. die 6. Febr. 1638. decrevit in hoc caſu nihil fieri de Feſto Roſarii, neque transferri debere.

,, Nunc prædictum Officium Sanctiſſimi Roſarii B. V. M. Clemens XI. die 13. Octobris 1716 extendit ad Eccleſiam univerſalem abſque ulla reſtrictione ſub ritu duplici majori in Dominica pariter prima Octobris recitandum: & hoc ob inſignem victoriam ab Exercitu Auguſtiſſimi Caroli VI. Romanorum Regis in Imperatorem electi de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relatam 5. Auguſti, hoc eſt Feſto dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives, necnon ob Civitatem, & Arcem Corcyrenſem paulo poſt, videlicet in Octava Feſti Aſſumptionis Sanctiſſimæ Virginis prædictæ ab immaniſſima eorumdem Turcarum oppugnatione feliciter liberatam. Exſtat Diploma Apoſtolicum de hoc Officio in Bullario particulari Clementis XI. parte III. Conſtitut. 25. quæ incipit; *Cum alias* pagin. inibi 754. & reperitur etiam in Bullario Romano recentiſſimæ edit. Ex quo Feſtum Sanctiſſimi Roſarii, ejuſque Officium modo eſt univerſale, & de præcepto, licet affixum Dominicæ primæ Octobris, ſi alicubi impediatur ab Officio altioris Ritus, & majoris Dignitatis, vel a die Octava alicujus Feſti habentis Octavam; nihilominus erit abſolute transferendum in primam diem non impeditam, prout idem dicendum eſt, & diximus de Sanctiſſi-

,, mo

„ mo Nomine ejuſdem B. V. quod celebratur in Dominica infra ejus Octavam, & de Sanctiſſimo nomine Jeſu, quod celebratur in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam: Feſta enim univerſalia, licet affixa Dominicis, transferuntur, non vero omittuntur, ſi impedita ſint, ut alibi diximus, & colligitur ex Decreto edita die 20. Martii 1583. „

1. Remigii. Dies eſt Translationis, obiit enim Idibus Januarii ex *Bar. Mart.* Habetur feſt. in Appendice Gregoriana, & in Concilio Moguntino *c. 6.* Simpl. in MS. & 1550. In Hymn. Veſper. mutatur tertius Verſus, Semid. ad libitum a Clemente IX. die 26. Novembris 1668.

„ Si hoc Officium occurrat in Dominica, vel alicubi in aliquo Feſto, aut infra octavam, omittendum quidem erit quoad Ritum ſemiduplicem ad libitum, ſed dicendum quoad Ritum ſimplicem, nempe per nonam Lectionem, & Commemorationem juxta Decretum editum a S. R. C. die 13. Junii 1682., & datum in noſtro Indice *ſub n.* 126. Si tamen alicubi occurrerit hac die Feſtum Duplex primæ Claſſis, tunc neque legetur nona Lectio, neque ulla fiet Commemoratio de S. Remigio.

2. De Feſt. SS. Angelorum Cuſtodum conceſſit Paulus V. 27. Septembr. ann. 1608. poſſe fieri Offic. duplex a ſe approbatum ad libitum Cleri, prima die non impedita Officin novem Lect. poſt Feſtum Dedicationis S. Michaelis. De præcepto a Clemente X. aſſignata pro ſua die propria hac 2. Octobr. quia prima eſt impedita pro Feſto S. Remigii.

Ad Octav. Lectionem dicitur: *Quorum Feſtum colimus*, nam titulus, & Oratio eſt de pluribus, & unuſquiſque intendit venerari ſuum Angelum in Choro una cum aliis; qui ſolus recitat Officium, adhuc dicat *Quorum Feſtum colimus*, *&c.* non *cujus Feſtum colimus*, *&c.* quod poſtremum docuit recentior, minus advertens, quod uni recitanti neque convenit, *colimus*, in plurali, ſi verborum vim attendimus: in Lect. Martyrologii legatur primo loco eodem.

„ Cum in omnibus Dominiis Imperio ſubiectis recitetur ex Indulto Apoſtolico Officium proprium SS. Angelorum Cuſtodum Dominica prima Septemb. cum octava, non eſt de eis recitandum etiam hac die 2. Octobr. ita declaravit S.R.C. 30. Septembris 1679. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 103.

„ Quando hoc Feſtum concurrit in primis, vel ſecundis Veſperis cum ſimili Officio Duplici minori, totum debet fieri de SS. Angelis cum ſola Commemoratione alterius Duplicis concurrentis, ut liquet ex Decretis S. R. C. datis in noſtro Indice *ſub n.* 116. *&* 245. „

4. Franciſci. A Gregor. IX. 1228. dilatatur Feſtum a Sixto IV. 1472. in Miſſali Vaticano *vol.* 4743. Duplex in Miſſ. & 1550. Pius V. retenta Oratione, mutavit Officium antiquius, opera Fratrum Minorum in Breviario poſitum, & auctoritate Nicolai III. approbatum, ut diximus *c.* 1. *hujus Sectionis*. In Lect. 6. legitur, quod S. Franciſcus in die Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis recepit Sacra Stigmata, & Lect. 4. Stigmatum, ait S. Bonav. quod circa Feſt. Exaltationis id acciderit. Non tamen pugnant inter ſe hi textus: quia tempore S. Bonav. erat incertus dies, qui deinde fuit præciſe revelatus. Lege Wadingum in Annal. Min. Ann. 1282. Feſtum Sancti Franciſci eſt de præcepto ubique locorum; ex Decreto Sixti IV. ut indicat Silveſter *V. Dominica. num.* 3. §. 6. ubi tamen ait, conſtitutionem illius non fuiſſe moribus utentium approbatam, ſed rurſus præcepit ubique S. R. C. die 3. Januarii 1622. annuente Sanctiſſimo; Decretumque originale oſtendit mihi Joannes Petrus Maſſarius meus, virtutum, doctrinæ, & fortunarum hæres Julii Benignii Advocati Conſiſtorialis, Primarii, & unici tunc temporis in Gymnaſio Romano Doctoris, Archiepiſcopi Teſſalonicenſis, & S. R. C. Secretarii, de Romana Republica optime meriti, cui & ego debeo plurimum, cum ejus opera potiſſimum, in album Conſultorum ejuſdem Sac. Congr. relatus fuerim: idemque Maſſarius publicari Decretum Romæ curavit, in Tabella, de conſenſu majorum edita Ann. 1631. Feſtorum ubique obſervandorum ex præcepto S. Romanæ Eccleſiæ; favente Tegrimo Tegrimio, Domino meo, Epiſcopo Aſſiſinate, & præfatæ S. R. Congr. a Secretis incomparabili viro, in gratiam Sancti Patroni Aſſiſinatum. Æquum eſt igitur, ut deinceps ubique gentium obſervetur.

„ Gavanti Ævo hoc Feſtum erat utique de præcepto obſervandum, ſed poſterius fuit hoc Feſtum abrogatum ab Urbano VIII. ut patet ex ejus Conſtitutione edita idibus Septembris anno 1642. quæ incipit: *Univerſa per Orbem*. Et in qua receſentur omnia Feſta de præcepto, ubique ſervanda, nullam faciendo mentionem de hoc Feſto S. Franciſci, unde patet hoc Feſtum fuiſſe tunc abrogatum. „

5. Placidi, & Sociorum in Breviar. Vaticano *vol.* 4760. reſtituit Sixtus V. anno 1588. Simplex ab eodem. Mutavit Orationes Clemens VIII. non dicitur Reſpon. Vide infra *Sect.* 8. *cap.* 22. *n.* 6.

6. Brunonis. A Greg. XV. die 17. Febr. 1623. Semid. cum Officio ab eodem 6. Maji 1623. In Lectione Martyrol. ponatur primo loco. „ Si transferatur, mutatur in Hymno Veſper. tertius verſus. Nunc vero celebeatur ſub Ritu Duplici ex Decreto S. R. C. die 3. Martii 1674. annuente Clem. X. die 14. ejuſdem Menſis. „

7. Marci Papæ. In Antiph. & Sacram. Gregor. a quo initium primæ Orationis, & ultimam Miſſæ Orationem habemus: omnes autem leguntur in Codice Pameliano: „ Kalendarium Frontonis Marci quidem Feſtum habet, reliquos omnino ſilet. In Codice Gelaſiano legitur tantum Miſſa SS. Marcelli, & Apuleji. “

SS. Sergii, &c. In Appendice Gregor. Simplex in MS. & 1550.

8. Birgittæ. A Gregor. XV. & 8. Aprilis 1613. approbatum eſt Officium cum Ritu Semiduplici, Oratione, & Lectionibus propriis. Decreto S. R. C. recitandum quidem die 7. Octobris, in qua fuit illa Canonizata, ut in Bulla Bonifacii IX. ſed Urbanus VIII. in Miſſa S. Marci Papæ in Miſſali deleretur, juſſit hac die Octava, annuente Poloniæ Rege, celebrari Feſtum; in Polonia vero, ut prius, die ſeptima, cujus obitus contigit die 23. Julii, impedita Feſto S. Apollinaris: unde, & in Martylog. quoque recognito translata eſt Lectio de eadem in hanc diem Octobris Octavam. Acta ſunt hæc anno 1628.

„ Prædictum Officium S. Brigittæ Viduæ a Ritu Semiduplici ad Ritum Duplicem elevatum fuit a S. R. C. die 26. Auguſti 1724. annuente Benedicto XIII. ſub die 2. Septembris ejuſdem anni. “

9. Dionyſii, &c. quem Athanaſ. de Syn. Nicænæ decret. appellat Theognoſtum. Habetur de eodem in Antiph. Gregor. ſed poſt Gregorium, ex Pamelio; qui ait eſſe Gallicanum Officium. Nam ortum habuit in Gallia a tempore Ludovici Pii & Amalarii, *ex epiſt. Halduini ad eumdem*. „ Hoc Feſtum habet Vigiliam in Codice Rhemenſi & Corbejenſi Ratoldi. Mirum eſt hoc Feſtum non reperiri in Miſſali Gothico. “ De Generali conſuetudine teſtatur Radulph. *propoſ.* 17. Simplex in MS. & 1550. Semidupl. apud Radulph. quem Ritum reſtituit Pius V. mutavit autem Evangel. cum Homil. Clem. VIII. Offic. Miſſæ aliud eſt in Antiph. Gregor.

„ 10. S. Franciſci Borgiæ Societatis Jeſu Confeſſoris Semiduplex de præcepto a S. R. C. die 1. Septemb. 1688. annuente Alexand. VIII. anno ſeq. cum Lectionibus 2. Nocturni, & Oratione propriis.

13. „ S. Eduardi Angliæ Regis Confeſſ. Semidupl. de præcepto a S. R. C. ſub die 6. Aprilis 1680. annuente Innocentio XI. cum Lectionibus 2. Nocturni, & Oratione propriis; in Hymno *Iſte Confeſſor* mutatur tertius verſus. “

14. Callixti. In Sacrament. Gregor. cum omnibus Orationibus Miſſæ. „ In Kalendario Frontonis, & Codice Gellonenſi. “ Semidupl. ex Microl. *cap.* 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propoſ.* 22. Simplex in MS. & 1550. Semid. Pius V. inſtituit ubique. Clemens VIII. mutavit Evangelium cum Homilia. Officium aliud eſt Miſſæ in Gregor. Antiph.

15. * Tereſiæ Virginis Urban. VIII. ad libitum conceſſit fieri Officium Semidupl. approbatum a S. R. C. die 25. Auguſti 1636. De ea ſi fiat Officium, in Lectione Martyrologii legatur primo loco; de præcepto ab Innoc. X. die 29. Octob. 1644. tandem Duplex a Clemente IX. die 11. Septemb. 1668.

17. „ S. Heduvigis Viduæ Semidupl. de præcepto a S. R. C. ſub die 20. Martii 1706. annuente Clem. XI. cum Lectionibus ſecundi Nocturni, & Oratione propriis. “

18. Lucæ Evangeliſtæ. Martyr a S. Paulino *ad Severum epiſt.* 22. reputatur. Metaphraſtes in hoc Feſto concionem habuit. In Sacrament. Gregor. habetur cum omnibus Orationibus Miſſæ, quarum prima eſt Ambroſiana. Decreto Bonif. VIII. eſt Duplex. A Pio V. Duplex 2. Claſſis.

19. „ S. Petri de Alcantara Confeſſor. Ordinis Minorum. Duplex a S. R. C. die 16. Aprilis 1701. annuente Clemente XI. olim Semidupl. a Clem. X. cum Lectionibus ſecundi Noct. & Oratione propriis. “

21. Hilarionis. In Appendice Gregorian. Simplex in MS. & 1559.

Urſulæ, &c. In quinto ſæculo, hoc eſt, anno 500. indictum eſſe Feſtum, ait Jac. Philipp. Bergomenſ. citatus a Schultingio, in Miſſali Vaticano *vol.* 3808. Officium ſolemne proprium totum in Brev. 1550. Pius V. commemorationem decrevit. Si adſit alicujus ex his Virginibus caput, aut inſignis Reliquia, & nomen ignoretur, fiat de ea Officium, Duplici Ritu, ſumpta Oratione de Communi in ſingulari, tacito illius nomine (quod fit in S. Callixto, & aliis) & fiat commemor. S. Hilarionis, & Ss. Urſulæ, & ſociorum: niſi aliud a Majoribus concedatur, aut legitime præſcribatur.

25. „ Chryſanthi, & Dariæ. In Appendice Gregor. Et in Kalendario Frontonis. Codex Gelaſianus habet Feſtum 3. Decembr. una cum Antonino, & Martha. “ Simplex in MS. & 1550. Officium creditur compoſitum a Varino, & Armeno fratribus ordinatis Presbyteris a S. Stephano, qui vitas eorum ad omnes Eccleſias direxerunt. Hæc Corn. Schulringius, ex quibus facile conjicitur Feſtum indictum eſſe 400. annisante S. Gregorium. „ Hæc tamen fidem omnem ſuperare videntur. “

26. Evariſti. In Miſſali Vatic. *vol.* 4743. Semid. ex Microl. *cap.* 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propoſit.* 22. Simplex in MS. & 1560.

27. Vigilia SS. Simonis, & Judæ. Vide in Vigilia S. Andræ. In Comite S. Hieronymi habetur Evangelium. Homilia a Pio V. Miſſæ vero Officium in Antiph. & Sacrament. Gregor.



Digitized by Google

28. Simonis, & Judæ. Dicito, ut de Feſto S. Andreæ. Pius V. innovavit Officium, Oratione excepta. Evangelium idem, quod in Comite S. Hieron. Officium Miſſæ, ut in Antiphon. & Sacrament. Gregor. ſi contingat eos dividi, quia alter tantum Titularis eſt Eccleſiæ, juxta Rubr. quæ habetur ſupra *Sect.* 3. *cap.* 10. *n.* 11. tunc pro S. Simone legatur in 1. Noct. de Communi Apoſt. reſervata Epiſt. Judæ eidem, qui eſt ejuſdem Auctor; ut *ſect.* 5. *cap.* 12. *n.* 15. ſignificavimus. Vide quæ diximus in prima die Maji; at quia Lectio quarta non poteſt dividi, ea legatur in Feſto Titularis: & iterum in Officio alterius tranſlati, ſicuti etiam Evangelium cum Homilia, Lectiones quinta, & ſexta variari poſſunt; ut in communi Apoſt. Pro varianda Oratione, ſumi poteſt Oratio Vigiliæ in numero ſingulari, & mutatis verbis: *prævenimus* in *celebramus*; & *præveniat* in *imploret*, ſed in his caſibus conſule Sacram Congregationem, ut aliquid proprium concedar.

31. Vigilia Omnium Sanctorum. In Antiph. & Sacram. Gregor. habentur Orationes cum Officio Miſſæ; ſed poſterius eſt S. Greg. ex Pamelio, Conc. Oxonienſe, & Beda meminerunt.

## De Feſtis Sanctorum Menſe Novembri. Cap. XIII.

1. Omnium Sanctorum, Ord. Roman. habet hæc verba notanda: *In Kalend. Novembr. & per totum Orbem plebs univerſa, ſicut in die Natali Domini ad Eccleſiam in honorem omnium Sanctorum ad Miſſarum ſolemnia convenire ſtudeat; illud attendentes, ut quidquid humana fragilitas per ignorantiam, aut negligentiam in ſolemnitatibus, ac Vigiliis Sanctorum minus plene peregerint, in hac obſervatione ſancta ſolvatur.* S. Cyprian. *ep.* 34. docet, natalitia Sanctorum annua celebranda eſſe cum Miſſæ Sacrificio: ſed quia omnium Martyrum, & aliorum non poſſunt ſingula celebrari (teſte Euſebio, citato a Beleth *cap.* 154. exiſtimante, quotidie excedere numerum quinque millium) ideo Bonif. IV. inſtituit Romæ Feſtum omnium Sanctorum hac die: quod deinde aliis Orbis Eccleſiis edixit Gregor. IV. ann. 835. ex Sigeberto, & præſertim Gallis, & Germanis, ex Baronio *in Annal. ad annum eumdem*. Neque vero eſt Sanctorum Martyrum tantum hoc Feſtum; verum etiam Confeſſorum, ut in Codice MS. ſe legiſſe ait Baron. *in Martyrolog. die* 13. *Maji*. Habetur Feſtum in Sacram. ſolemne Feſtum in Ord. Rom. Unde Duplex primæ Claſſis convenienter fuit ſtatutum. Officium a Gregor. IV. compoſitum eſſe ſcribit Scultingius, ex Beleth *cap.* 127. Pius V. mutavit omnes Lectiones, ſuſtulit primum Reſponſorium, & addidit Octavum de Virginibus. In ſecundo Nocturno, & per Octavam, legi juſſit Sermonem accommodatum Feſto; quem tribuebant alii Auguſtino, quod eſt falſum, cum ille obierit ante Bonifacium IV, alii Odoni Abbati, de quo tamen unicum Manuſcriptum habemus teſtem in Vaticana Bibliotheca. Nomine Bedæ a Clemente VIII. juſſus eſt legi, quia inter ejus opera habetur, & vixit ille poſt Bonifacium IV. unde & in poſtrema recognitione Breviarii ſecuti ſumus textum ipſum, qui Bedæ adſcribitur. Officium Miſſæ in Antiph. & Sacrament. Gregor. legitur, exceptis Offertorio, & Communione, quæ fuerunt mutata: ſed poſterius eſt S. Gregorio; ait Pamelius. In ſecundis Veſperis mandavit Urbanus VI. poſt Veſperas feſtivas cantari Veſperas Defunctorum Ritu Duplici, ut dicitur in Brev. Venetiis edito anno 521.

„ Pantheon erat celeberrimum Romæ delubrum, quod a Marco Agrippa Auguſti Genero, & ter Conſule Jovi Vindici, vel Marti, Venerique dicatum fuit; dubium tamen eſt, an illud Agrippa a fundamentis erexerit, vel jam inceptum perfecerit; Dio enim *lib.* 53. vocem uſurpat, quæ, obſervante Pitiſco, non totum ædificium conſtruere, ſed perficere tantummodo ſignificat: *Pantheon quoque perfecit Agrippa*. Quidquid ſit, certum eſt Agrippam ſaltem hoc delubrum porticu ornaſſe, ut fidem facit ejus inſcriptio: *M. Agrippa L. F. Conſſ. Tertium fecit*. Tanti fiebat hoc ædificium, ut inter præſtantiſſima Urbis opera enumeraretur, ad quod poſteritati ſervandum Romani Cæſares ſedulo incubuere; illud enim vetuſtate collapſum reſtituit Hadrianus, Spartiano teſte in ejus vita *cap.* 14. *Romæ inſtauravit Pantheon*. Antonius quoque, & Septimius Severus hoc idem Fanum repararunt, ut teſtatur inſcriptio Gruteriana *par.* 1. ideo autem hoc nomine Pantheon appellatum fuit, quod in ſimulacris Martis, ac Veneris multas Deorum imagines acceperit, quamquam Dioni videatur inde id nominis habuiſſe, *quod forma convexa faſtigatam Cæli ſimilitudinem acceperit*. Olim laminis argenteis coopertum erat, ſed Conſtantinus Heraclii nepos eas abſtulit cum reliquis Urbis ornamentis. Multo celebrius poſtea hoc templum evaſit, cum ab Idololatriæ ſordibus expurgatum, a Venere tranſiit ad noſtram Virginem, opera Bonifac. IV. Summi Pontificis, qui illud a Phoca Imperatore obtentum, eidem Deiparæ Virgini Mariæ, Sanctiſque Martyribus conſecravit ſub annum Chriſti Domini 607. die 13. Maji, unde poſtea nomen accepit *Baſilica Sanctæ Mariæ ad Martyres*, & ob formæ ſtructuram vulgo vocatur *Sanctæ Mariæ Rotunda*. Hæc uno conſenſu referunt Anaſtaſius in vita Bonifacii IV. Beda *lib.* 2. *Hiſtoriarum cap.* 4. Paulus Diaconus, & vetuſtiſſimum Epitaphium Vaticanum apud Manlium. Verum Edmundus Martene in notis ad Kalend. Rom. ab ipſo editum *tom.* 4. *Theſauri Anecdo. &c.* quod antiquius eſt ævo Bonifaciano contendit longe ante memoratum Bonifacium IV. Pantheon in honorem B. M. & SS. Martyrum fuiſſe conſecratum, neque indubiam eſſe libri Pontificalis fidem ad tempora Bonifacii IV. id referentis duplici hoc argumento demonſtrare conatur, quorum primum ab ipſo ſuo Kalendario deſumit, in quo Kalendis Januarii hæc leguntur: *In Octava Domini ad Sanct. Mar. ad Martyres*. „ Secundum petit ex Sacrament. Gregoriano, quod ad diem Maji 13. habet: *Dedicationem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres*. Verum quis docuit Edmundum Martene, verba illa tum pervetuſto Kalendario Romano ab ipſo edito, tum Sacramentario Gregoriano inſerta, & adjecta non fuiſſe? certe Pamelius obſervat ad diem 13. Maji verba illa in duobus antiquiſſimis MSS. deſiderari, quod manifeſte oſtendit in genuino Gregorii Sacramentario illa non extitiſſe. Et quamvis Kalendarium a laudato Martene editum, ejus eſſet antiquitatis, quam illi adſcribit (quod tamen clariſſimus Pinus in Diſſertatione de Liturgia Hiſpanica rotunde inficiantur) nihilominus norunt omnes quam facile hujus generis libris recentia Feſta ab Amanuenſibus inferantur. Neque unus libri Pontificalis Auctor poſterorum memoriæ mandavit Bonifacium IV. B. M. & SS. Martyribus Pantheon dedicaſſe, ſed id ante ipſum Paulus Diaconus, & Beda ſcriptis ſuis conſignaverant. Ac proinde negari non poſſe videtur ante Bonifacium IV. Pantheon nondum fuiſſe vero Numini, ejuſque nomine conſecratum. Gregorius III. qui anno 731. univerſam regebat Eccleſiam, prædictam ſolemnitatem a Bonifacio IV. in honorem Sanctorum Martyrum tantum inſtitutam, ad omnes etiam Sanctos extendit, eamque Kalendis Novembris colendam eſſe decrevit, quod Baronii notitiam fugit. Id vero ex Uſuardi Martyrologio colligunt Andreas Sauſſay, Joannes Fronto in notis ad hanc diem necnon recentiſſime Franciſus Pagius in ſuo Breviario Hiſtorico Chronologico ad vitam Sancti Bonifacii IV. Pontificis *n.* 2. cui opinioni libenter accedo, cum de præfato Pontifice ſcribat Anaſtaſius: *Hic fecit Oratorium intra eamdem Baſilicam* (Sancti Petri) *juxta arcum principalem, parte virorum, in quo recondidit in honorem Salvatoris, S. ejus Genitricis Reliquias, Sanctorumque Apoſtolorum* (ideſt in honorem Sanctorum Apoſtolorum) *vel omnium Sanctorum Martyrum, atque Confeſſorum, perfectorumque Juſtorum toto in orbe Terrarum requieſcentium, quorum Feſta Vigiliarum a Monachis trium Monaſteriorum* (ut alibi dicuntur Monachi Canonici) *illic ſervientium quotidie per ordinem exiſtentium, atque Natalitiorum Miſſas in eodem loco celebrare inſtituens, in Canone Miſſæ hoc adjecit ita a Sacerdote dicendum:* Quorum ſolemnitas in conſpectu tuæ Majeſtatis celebratur Domine Deus noſter in toto orbe Terrarum. *Quam inſtitutionem in eodem Oratorio tabulis lapideis conſcribere fecit.* Ex quibus deducit Fronto Gregorio III. deberi Sanctorum omnium ſolemnitatis inſtitutionem. “

„ Non me latet Auguſtinum Oldoinum in ſuis additionibus ad vitam Gregorii IV. (qui anno Chriſti 828. Pontificatum ſuſcepit ineundum,) a Ciacconio exaratam tribuere huic Pontifici ſtatutum celebrandi hoc Feſtum die 1. Novembris in honorem Sanctorum omnium, cui opinioni favere videtur Sigebertus in Chronico, ſed recedere non poſſum a prima ſententia, quia præter allegata argumenta reperio Feſtivitatem Sanctorum omnium celebratam fuiſſe in Anglia ante Gregorium IV. idque diſerte eruitur ex genuino Martyrologio Bedæ, qui obiit anno 1735. in eo enim ad Kalendas Novembris habetur: *Feſtivitas omnium Sanctorum*. Ejus mentio fit pariter in Pontificali Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis, qui e vivis exceſſit an. DCCXLI. In Galliis vero nonniſi paucis ante Caroli Magni obitum Menſibus illud celebrabatur, & hoc colligitur ex Capitularibus, eo regnante, editis, & ex Concilio Moguntino anni DCCCXIII. in quibus tametſi de Feſtivitatibus infra anni circulum publico cultu celebrandis agatur, nihil tamen de ſolemnitate Sanctorum omnium: quare Gregorius IV. Ludovicum Pium anno DCCCXXXV. monuit, ut in ſuis Ditionibus Feſtivitas omnium Sanctorum ageretur, & hoc eſt, quod tradit de Gregorio IV. Sigebertus in Chronico ad eum Chriſti annum his verbis: *Tunc monente Gregorio PP. et omnibus Epiſcopis aſſiſtentibus, Ludovicus Imperator ſtatuit, ut in Italia, et Germania Feſtivitas omnium Sanctorum in Kalendis Novembris celebretur, quam Romani ex inſtituto Bonifacii PP. celebrant*. Obſervat tamen Edmundus Martene in tract. de antiq. Eccleſ. diſcipl. in Divin. celebrandis Offic. *pag.* 587. ante Gregorium IV. in quibuſdam jam Galliarum Eccleſiis Feſtum hoc celebratum fuiſſe, cum ejus mentionem faciat Sanctus Adalhardus utriuſque Corbejæ Abbas in ſtatutis anno 822. editis in *lib.* 2. *cap.* 3. apud Dacheſium *tom.* 4. Spicilegii primæ editionis. Quapropter

„ ma-

„ magis, magiſque comprobatur Romæ, & alibi ſaltem, ſi non in univerſis Regionibus, ante Greg. IV. celebratum fuiſſe feſtum Sanctorum omnium, ejuſque inſtitutionem repetendam potius eſſe e Greg. III. quam ab alio hujus nominis IV.

„ Ad hanc diem pertinent ſequentia Decr. nimirum Matutinum Defunctorum pro generali eorum Commemoratione prohibitum eſt cantari pridie Veſp. in Feſto omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die 2. Nov. poſt Laudes diei. Ita S. R. C. ſub die 1. Sept. 1607. & datur in nuſtro Indice *ſub n.* 28. Hoc idem confirmatum fuit per aliud Decr. editum 22. Jan. 1701. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 220.

„ Nihilominus pro Eccleſiis Cathedralibus aliter ſancitum videtur, nam die 5. Jul. 1698. a S. R. C. emanavit hoc Decr. Officium Defunctorum pro ſecunda die Nov. poteſt recitari etiam præſente Epiſcopo ante Completorium diei Feſti omnium Sanctorum. Hoc datur in noſtro Indice *ſub n.* 206. quod quidem Decr. eſt conforme Cæremon. Epiſcoporum, in cujus *l.* 2. *c.* 10. *n.* 1. ſic habetur — De Veſp. & Matutinis, quæ celebrantur quotannis pro Commem. & Suffragiis omnium Fidelium Defunctorum immediate poſt ſecundas Veſperas feſtivitatis omnium Sanctorum, quæ ſimul, & junctim in multis Eccleſiis recitari ſolent, hoc eſt, ſtatim poſt Veſperas omnium Sanctorum; Veſperæ, & Matutinæ Defunctorum, ad hoc, ut Populus commodius, & frequentius illis intereſſe poſſit: & tunc, ſi Epiſcopus ipſemet erit in craſtinum celebraturus Miſſam ſolemnem pro Defunctis, debebit etiam in his Veſp. & Matutinis Officium facere, nullis tamen tunc ex Canonicis a Lateribus aſſiſtentibus.

„ Denique ad Octav. hujuſce Feſti pertinet pariter Decr. editum die 2. Mart. 1695. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 187. in quo declaratum fuit, Octavam omnium Sanctorum tamquam digniorem præferendam eſſe Octavæ dedicationis Eccleſiæ. “

2. Commem. omnium Fidelium Defunctorum. Tribuitur hic ritus communiter Odiloni Abbati Cluniacenſi, ex Sigeberto ann. 998. e quo diffuſus eſt in totum Orbem auctoritate Apoſtolice; ſed a Bonif. IV. indictam eſſe Commemor. hanc ſcribit M. Polonius ann. 607. immo ann. poſt inſtitutionem Feſti omnium Sanctorum ab eodem Bonifacio, docet Petrus de Netal. citatus a Demochare *tom.* 4. *cap.* 18. Petrus Galeſinius, auctorem facit Jo. XVI. ſuadente Odilone, *in Notis Martyr.* Amalarius autem meminit, *de Ord. Antiph. cap.* 65. qui vixit poſt Bonifacium: & ante Odilonem circa ano. 809. & cauſam reddit. Poſt Officium, inquit, Sanctorum inſerui Officium pro mortuis. Multi enim tranſierunt de præſenti ſæculo, qui non illico Sanctis conjunguntur, pro quibus ſolito more Officium agitur. Hæc ille: nota ea verba: *ſolito more*, ergo erat in uſu, Duplex in MS. & 1550. De Officii auctore, & ritu dicemus *Sect.* 9.

Si in Dominica occurrat, transfertur Commem. hæc in diem Lunæ, & Veſperæ in Veſperas Dom. in Decreto Urbani VI. *loc. cit.* Niſi dies Lunæ ſit item impedita Feſto de præcepto; tunc enim in diem quartam Novemb. (etiam ſi ſit impedita Feſto novem Lect.) transfertur Officium Defunctorum cum Miſſis, cantata de Feſto altera Miſſa, una cum Officio de die. Neque Officium hoc Defunctorum omitti debet, cum ſit pars Officii divini eo die præſcripti, ut notat Suar. *lib.* 4. *hor. Canonic. c.* 25. *n.* 8. & 9. & cum ſit pars notabilis, ad reſtitutionem fructuum tenetur Beneficiarius ad ratam Veſp. vel Matutini, vel utriuſque prout in Bulla S. Pii V, de qua ſup. *Sect.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Decrevit etiam S. C. R. t, Sept. 1607. ne pridie Veſperi recitetur Matutinum Defunctorum, ſed hac die mane: quod eſt notandum, & obſervandum, ex Rubr. propria Brev. Vide *Sectionem nonam cap.* 3.

„ Quamvis ab Eccleſiæ primordiis Preces, & Sacrificia pro mortuis in Eccleſiæ Societate ſemper oblata fuerint, minime tamen comperimus Patres, Synodoſque conſuluiſſe ſtato aliquo die omnium generatim Defunctorum Commemorationem, preceſque pro omnibus illis effudiſſe, ac ſacrificia peregiſſe. Fertur, quod omnium primus Auctor S. Odilo Cluniacenſis Abbas Rit. hunc in ſua Cœnobie invexerit, ut innuit etiam Gav. ann. 998. Et teſtatur Petrus Damiani in ejus rebus geſtis: *Venerabilis Pater Odilo per omnia Monaſteria ſua conſtituit generale Decretum, ut ſicut primo die Novembris juxta univerſalis Eccleſiæ Regulam omnium Sanctorum Solemnitas agitur, ita ſequenti die in Pſalmis, & eleemoſynis, & præcipue Miſſarum ſolemniis omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur.* Hunc Rit. approbavere Pontifices Maximi, & in quaſvis Eccleſias introduxere. In eumdem fere modum complures Feſti dies privato quodam, pioque ſtudio Monachorum, vel Eccleſiarum particularium Religione primum inſtituti, ab univerſa Eccleſia poſt diuturnum examen celebrati ſunt.

„ Adnotare debemus, quod ſi transferatur Commemor. hæc in diem 3. hujus menſis, propter Dom. occurrentem in die 2. tunc, ſi occurrat Feſtum Duplex etiam translatum, de eo celebrari poterit Officium. Ita ſtatuit S.R.C. pluribus Decr. quibus conceditur eadem die recitatio Officii Duplicis etiam translati, ſed cum obligatione faciendi ſimul hanc Commem. omnium Fidelium Defunctorum, & celebrandi unam Miſſam tantum conformem prædicto Officio Duplici. Vide Decr. data in noſtro Indice Decr. ſpectantium ad Rubr. Miſſalis *ſub num.* 348. 536. 543. 683. & in ſequenti Indice vide Decreta data *ſub n.* 158. 218. 276. & 312. “

4. Vitalis, & Agricolæ. In Miſſali Vaticano *vol.* 4743. Simplex in MS. & 1550.

Caroli. A Paulo V. ad libitum Cleri 6. Decemb. 1613. cum Officio, & Ritu Semiduplici 3. Decemb. 1616. approbato. Si fiat Officium, in lectione Martyrol. legatur de eo primo loco. In tota Provincia Mediolanenſi celebrari poteſt duplici Ritu, ex Decr. S. C. R. 20. Nov. 1610. * De præcepto ab Innoc. X. die 10. Sept. 1732. & tandem duplex ab Alex. VII.

8. Octava omnium Sanctorum. A Sixto IV. & ex Codice MS. Eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres citato a Baronio *in Martyrol. hac die*. Duplex ab eod. Sixto, & in Brev. 1550. Pius V. per totam Octav. reformavit Lect.

Quatuor Coronatorum. Ordo Romanus, Antiph. & Sacram. Greg. cum omnibus Orationibus Miſſæ, ſub nomine quinque aliorum. Decr. Melchiadis, ait Durand. *l.* 7. *c.* 36. „ Hoc Feſtum ita ſignetur in Codice Gelaſiano. Natale SS. quatuor Coronatorum Coſtani, Clendit, Caſtorii, Simphroniani -- In Codice Gellonenſi ita enunciantur - Clodii, Nicoſtrati, Simphroni, Caſtori -- Sacram. Leoninum, & Frontonis Kalend. ſimpliciter habent -- Nat. Ss. IV. Coronatorum. “ Simplex in MS. & 1550. Officium, vel ab Honorio I. qui Romæ ædificavit eorum Eccleſiam, ex Martino Conſentino in Chronicis; vel a Leone IV. qui ex Platina Corpora eorum invenit, & Eccleſiam illuſtriorem reddidit.

„ Dom. ſecunda Novemb. in toto Statu Eccleſiaſtico celebratur Feſtum Patrocinii B. M. V. ſub Ritu duplici ex mandato Benedicti XIII. ſub die 23. Auguſti 1725. “

9. Dedicationis Baſilicæ Salvatoris. Dicta eſt Baſilica Julii a S. Gregorio. Item Conſtantiniana Lateranenſis a S. Hieronymo, cujus laudes proſequitur Petrus Card. Damiani *in epiſtol. ad Cardin. S. R. E.* ex quibus patet eam eſſe caput Eccleſiarum: & hæc eſt potiſſima ratio Feſti. Romæ tantum celebrabatur, ex Radulph. *propoſit.* 22. Habetur in Miſſali Vatic. *volum.* 4770. Duplex in Breviario 1521. Offic. de Communi. Pius V. Lect. 1. & 2. Noctur. addidit.

Theodori. In Antiph. & Sacrament. Gregoriano, cum omnibus Orationibus Miſſæ. „ Meminit hujus Feſti Kalendarium Frontonis. “ Habuit Orationem Nyſſenus. Metaph. meminit *in actis Sancti Alipii die* 26. *Novembris apud Sur. tom.* 6. Manuel quoque *tit. de Feriis*, Simplex in MS. & 1550.

„ Hæc Dedicatio Baſilicæ Salvatoris extra Almam Urbem non habet integras Veſp. ſi concurrat cum ſequenti Officio duplici minori, ita declaravit Sac. Rit. Congreg. 12. Jul. 1684. quod Decr. eſt in noſtro Indice *ſub n.* 85. “

„ Bened. XIII. die 14. Sept. 1726. ad humillimas preces Capituli, & Canonicorum Baſilicæ Lateranenſis, ut novæ Conſecrationis ejuſdem Baſilicæ, quam Sanctitas Sua die 18. Aprilis ejuſdem anni ſolemni Ritu peregit, memoriam poſterum recolatur, benigne indulſit, atque conceſſit, ut in Feſto Dedicationis illius hac die 9. Nov. ſextæ Lectioni ſecundi Nocturni ſequentia verba addantur, videlicet; *Eamdem Eccleſiam incendiis, vaſtationibus, Terræ inſuper motibus disjectam, everſamque, ac ſedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova poſtmodum molitione reſtitutam Benedictus XIII. Pontifex Maximus, Ordinis Prædicatorum, die* 29. *Aprilis anni* 1726. *Ritu ſolemni conſecravit, ejuſque celebritatis memoriam hac die recolendam ſtatuit.* “

„ Inſuper idem Pontif. mandavit, ut hoc Feſtum Dedicationis Baſilicæ Lateranenſis tamquam Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis Almæ Urbis ab univerſo ipſius Clero Sæculari tantum, ejuſque diſtrictus ſub Ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava quotannis celebretur juxta Decreta Sac. Rit. Congregat. hac in re pluries edita. Juxta quæ a reliquo Clero Regulari idem Feſtum debet celebrari ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis, ſed ſine Octava. Hæc Decreta dantur in noſtro Indice *ſub n.* 81. 147. 176. 224. 266. “

10. Tryphonis, &c. Conſtantinopoli celebre Feſtum Juſtiniano Imperatore, ex Procopio *lib.* 1. *de ædif. Juſtiniani.* Romæ, ex Radulp. *prop.* 22. In Miſſali Vatic. *vol.* 4743. Simplex in Brev. 1550.

„ S. Andreæ Avellini Confeſſoris Congegr. Cler. Regul. Semiduplex de præcepto e S. R. C. die 7. Jul. 1725. approbante Benedicto XIII. die 18. Auguſti ejuſdem anni, habetur Oratio, & Lectiones ſecundi Nocturni propriæ, a S. Rit. C. approbatæ. Nona Lectio Ss. Triphonis, &c.

„ Martyrum, & eorum Commemoratio in Laudibus, & „ Miſſa.

11. Martini Epiſcopi, Leone I. Pont. celebratum fuiſſe hoc Feſtum ex Concil. Turonico ſeribit Galeſin. *in Martyrol.* Habetur in Sacrament. Greg. a quo in editione Romana primam tantum Orationem habemus in Miſſa: omnes autem in Pameliana. „ Hujus Feſti Miſſam habent etiam Ka„ lendarium Frontonis, Miſſale Gothicum. Plura Sacramen„ taria teſte Martene habent etiam Vigiliam. „ S. Bernardus Sermonem habuit, & de generali conſuetudine teſtatur Radulph. *propoſit.* 17. Semidupl. apud Durand. *lib.* 8. *cap.* 1. Duplex apud Radulph. *loc. cit.* Rurſus Semidupl. in Brev. 1550. a Pio V. tandem Duplex, qui & mutavit Lectiones omnes. Reliqui Officii Gallicani, ut obſervat Pamelius *ad Antiphon. S. Gregorii*, dicitur auctor S. Radbodus Epiſcopus Trajectenſis, ex Schultingio. Pſalmi Nocturnor. ſunt de Communi Martyris, quia S. Martino non defuit palma martyrii, ut dicitur in Antiphona ad *Magnificat*. Officium Miſſæ non eſt idem, quod in Antiphonario Gregoriano, & eſt poſterius Gregorio, & Pamelio.

Mennæ. In Antiph. & Sacrament. Gregor. a quo in Romana habemus primam tantum Orat. Miſſæ, omnes autem in editione Pameliana. „ Miſſa legitur etiam in Kalendario „ Frontonis." Simplex in Breviar. 1550.

12. Martini Papæ. Ex Kalendario, & Martyrolog. Romano antiquiſſimis, citatis a Baronio *in Martyrolog.* & in Miſſali Vatic. *vol.* 4743. Semidupl. ex Microl. *cap.* 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propoſ.* 22. Simpl. in MS. & in Brev. 1550. Reſtituitur Semidupl. a Pio V. Clem. VIII. mutavit Evangelium cum Homilia.

13. ✠ Didaci Confeſſ. Sixtus V. primo conceſſit Officium De Communi Confeſſ. non Pontif. non determinans Ritum, ut habetur in Bulla Canonizationis ejusdem Sancti §. 29. verſ. *Statuentes*, edita anno 1588. Nonis Julii, quem poſtea Clem. VIII. Semidupl. adſcripſit, ut habetur in ejus Bulla ſub die 26. Martii ann. 1598. Verſ. *Præterea*, cum ab eodem Sixto, quæ habetur in Compendio Bullarii Flavii Cherubini inter Bullas Sixti V. poſt Compendium Bullæ Canonizationis æjusdem Sancti, ſed ob incuriam (tunc temporis) cujus erant partes, ad executionem poſita non fuit; tandem Clem. X. per ſuum ſpeciale Breve ſub die 27. Febr. 1671. mandavit idem Feſtum celebrari die 13. Novembr. juxta conceſſionem ſupradicti Sixti V. & Clementis VIII. In Hymno Matutini, & 2. Veſp. dicatur: *Meruit ſupremos*, & in Martyr. legatur primo loco.

„ In Hymno Matutini, & 2. Veſp. non debet dici *Meruit* „ *ſupremos*, *&c.* ſed *Beatas ſcandere ſedes*; nam, ut nota„ vimus ſub die 3. Decembris pro Feſto S. Franciſci Xaverii „ in Decreto edito die 13. Junii 1682. declaratum fuit, „ quod, ſi Officium S. Confeſſoris transferatur in diem pro„ xime ſequentem ab ejus obitu (ſicut eſt præſens Officium „ S. Didaci, qui pridie idus hujus menſis, nempe heri, ob„ dormivit in Domino) & in primis Veſperis, ſaltem a Ca„ pitulo fiat de ipſo, ſicut revera fit de hoc Sancto, cujus „ primæ Veſperæ dimidiantur cum S. Martino, tunc in „ Hymno *Iſte Confeſſor* non debet mutari verſus, ſed debet „ dici, *Meruit beatas*, tam in primis Veſperis, quam in „ Matutino diei ſequentis, & ratio eſt, quia in die ſui o„ bitus habuit Capitulum.

15. „ S. Gertrudis Virginis, Duplex de præcepto a Sac. Rit. „ Congreg. die 9. Maji 1739. annuente SS. D. N. Clemente „ XII. die 19. ejusdem Menſis & Anni; habetur Oratio, & „ Lectiones ſecundi Nocturni propriæ, & a S.R.C. approbatæ.

17. Gregorii Thaumaturgi. Niſſenus Orationem habuit. In Miſſali Romano non ante annum 1550. habetur Feſtum. Simplex a Pio V. Semiduplex a Clem. VIII. cum Homil. Si transferatur, mutatur in Hymno *Iſte Confeſſor* tertius verſus.

18. Dedicationis Baſilicæ Apoſtolorum. Loca ipſa antea Limina Apoſtolorum vocabantur, de quorum oſculo ob dignitatem lege Baronium *in Martyrol.* unde ſumitur ratio Feſti. Romæ tantum tempore Radulph. *propoſ.* 22. In Miſſali Vatic. *volum.* 4743. Dupl. 1550. Pius V. Lect. 1. & 2. Nocturni adjecit. Clem. VIII. Homiliam S. Gregor. aſſignavit. Urb. VIII. quintam Lect. opere, & verbis locupletavit an. 1627.

19. Pontiani. In Miſſali Vatic. proxime citat. Simplex in MS. & 1550.

✠ Eliſabeth Viduæ Regis Hungariæ Filiæ. Semiduplex ad libitum a Clem. X. cum Oratione propria, ac Lectionibus ſecundi Nocturni a Sac. Rit. Congr. approbatis die 13. Sept. 1670. Duplex de præcepto ab eodem Pontifice die 29. Martii 1661. In Martyr. de ea legatur primo loco.

20. „ S. Felicis de Valois Confeſſoris olim ad libitum, „ nunc Duplex de præcepto a S. R. C. ſub die 15. Maij „ 1694. approbante Innocentio XII. habentur Lectiones pro„ priæ pro 2. Nocturno, necnon Oratio.

21. Præſentationis Beatæ Virginis. Hac die præſentatam fuiſſe, Uſuardus ait *in Martyr.* Sermones habuere Gregorius Niſſenus, Germanus Conſtantinop. & Georgius Nicomedienſis, qui vixit circa annum 1000. Menologium, & Manuel *tit. de Feriis*. Apud Gallos ſub Carolo V. Franc. R. 1735. procurante Abbate S. Nicolai in Normandia: ab his ad Savones; tum ad Siculos tranſiit, ut enarrat Wion. auct. Ligni vitæ *lib.* 5. Pius II. & Paulus II. ex Molano *in addit. ad Martyr.* vel, ut alii volunt, Sixtus IV. edixerunt. Tandem reſtituit Feſtum Sixtus V. 1585. Duplex in Brev. 1550. & a Sixto V. Officium vero, quo nunc utimur, Clem. VIII. deſignavit, abrogato antiquo, quod erat de Nativitate Virginis, mutato nomine, *Nativitatis in Præſentationis*: cui non bene omnes Antiph. congruebant: & declaravit eſſe Duplex majus: in 7. Reſp. pro *Feſtivitatem*, dici debet *Præſentationem*. Vide Decretum *ſub num.* 181.

22. Cæciliæ. In Sacramentar. Gregor. cum prima & ſecunda Oratione Miſſæ; ultima deinde fuit mutata, quæ tamen habetur in Codice Pameliano. De generali conſuetudine teſtatur Radulph. *propoſ.* 17. & in Breviar. S. Iſidori habetur Hymnus de ea. Semid. apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. & Radulph. citatum, & item in Brev. 1550. quod perſeverat. Officium Miſſæ habetur in Antiphon. Greg. Lectiones mutatæ a Pio V. fuerunt. Duplex a Clem. X. „ Hoc Fe„ ſtum ſignatum etiam invenio in Codicibus Leonino, Ge„ laſiano, Miſſali Gothico, & Kalendario Frontonis. In Ge„ laſiano, & Gregoriano Vigiliam habet."

23. Clementis. In Sacram. Gregor. ſed Orationes omnes fuerunt poſtea mutatæ, quæ tamen leguntur in Codice Pameliano. De generali conſuetudine Radulph. *propoſit.* 17. S. Bernardus Sermonem habuit. Semidupl. apud Radulph. citat. & in Brev. 1550. immo tempore Microlog. *cap.* 43. Officium eſt antiquum, mutatis Lectionibus, & quibusdam Reſponſoriis a Pio V. Officium Miſſæ, ut in Antiphonario Gregor. „ In Sacramentariis Leonino, & Gelaſiano, ac „ Kalendario Frontonis duæ hac die aſſignantur Miſſæ -- Una „ de S. Clemente, altera de S. Felicitate.

Felicitatis. In Comite Hieron. habetur menſe Julio, & item in Sacrament. Gregoriano, a quo habemus primam, & ultimam Orationem Miſſæ; ſecundam etiam habet Pamelianus Codex. Sermones habuere S. Petrus Chryſ. & S. Gregor. Simplex in MS. & 1550.

24. „ Chryſogoni in Sacrament. Gregor. Et in Kalendario „ Frontonis, Codex Leoninus habet: *Natale SS. Chryſogoni*, „ *& Gregorii*. „ Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor. Miſſæ tamen aliud eſt in ejusdem Antiphon. ſed Orationes, quæ apud nos habentur in citato Sacrament. leguntur.

„ Eadem die nunc celebratur Feſtum S. Joannis a Cruce „ Conſ. ſub ritu Semiduplici de præcepto in tota Eccleſia „ cum Oratione, & Lectionibus ſecundi Nocturni propriis, „ ex Decreto S. C. R. die 20. Sept. 1738. annuente SS. D. N. „ Clemente die 3. Octobris ejusdem Anni."

25. Catharinæ. A Trevirenſibus cæpit coli ann. 1245. ex Lipomano *tom.* 5. & de generali conſuetudine fieri ſcribit Radulph. *propoſit.* 17. in Breviar. Toletano duo Hymni de ea. In Miſſali Vaticano *vol.* 4743. habetur. Galeſinus, *in Martyr.* ſcribit hoc Feſtum in Kalend. fuiſſe poſitum a Joann. XXII. quia, inquit, in antiquis Martyr. de ea non legitur. Semidupl. apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Duplex apud Radulph. cit. rurſus Semidupl. in Brev. editis 1521. & 1550. & Duplex tandem a Pio V. qui retentis Oratione, & Lectionibus 2. & 3. Nocturni antiquum Officium proprium integrum ablegavit. Dicitur Æcatherina in antiquo Codice citato a Baronio *in Martyr.*

26. Petri Alexandrini. In ejus Feſto S. Athanaſius puer puerilibus luſibus feria prænunciaſſe ſcribitur a Ruffino *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 14. Habetur Feſtum in Miſſalibus Vatic. *vol.* 4743. & 4771. & in edit. Venet. 1505. non ante. In Breviario tamen 1550. non extat: ergo reſtitutum eſt a Pio V. qui & Simplici Ritu celebrari Feſtum juſſit; obiit ille tamen pridie hujus diei, ex Galeſino *in Mart.* & hæc de Proprio Sanctorum.

Addam duo pro declaratione prædictorum; alterum eſt, quod nomine, *Officii Miſſæ*, intelligimus Introitum, Graduale, Offertorium, Communionem, & in Horis Canonicis pro *Officio*, Orationem conformem Miſſæ; tum Antiph. Reſp. & Lect. Alterum eſt, quod Manuelem ſæpius citavimus, *tit. de Feriis*; non quod ipſe indixerit Feſta, ſed Ferias in Feſtis, & eum tamquam teſtem Feſtorum apud Græcos, obſervatorum, attulimus in medium. Floruit autem anno 1180. & ſequenti obiit.

---

## SECTIO OCTAVA.

### De Communi Sanctorum.

COmmune Sanctorum continet ea, quæ ad Horas Canonicas ſunt neceſſaria, quando in eorum Feſtis non habentur propria: nimirum Hymn. Antiph. Pſalm. & hujusmodi. Potiſſimum autem deſervit iis Sanctorum Feſtis, qui de numero Apoſtolorum ſunt, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, non Virginum, item Patronorum, ſeu Titularium: Dedicat. Eccleſiæ, & ſequenti Officio, quod vocatur Sanctæ Mariæ in Sabbato. Sed in genere occurrit quæſtio de Communi: quo die celebrandum erit Feſtum illius Sancti, de

quo

quo neſcitur dies obitus, neque tranſlationis, oeque inſignis manifeſtationis, & ejuſmodi; & tamen aliis de cauſis celebrari debet ejus Feſtum, in die, quo in Martyr. Feſtum alterius Sancti ejusdem nominis occurrebat; quod notavit Baronius in Martyr. die 2a. Febr. ſub littera E. ubi trium Modeſtorum fit mentio. Et hic quidem Ritus placet, niſi, ubi tenetur error in populis, qui credant eum, quem colunt, eſſe eumdem, qui in Kalend. Roman. deſcriptus eſt: quod non ſine gravi peccato fit hodie alicubi, ut audio, ſuadentibus tale quid iisdem de Clero, ut fiat coocurſus ad eorum Eccl. ubi requieſcit Corpus Sancti ejusdem nominis: quo caſu tutius eſſet celebrari Feſtum illius alio die, puta, translationis, vel proximiori; invigilent autem Epiſcopi, ad quos attinet Sacras approbare Reliquias, ne inducatur hic abuſus, neve inductus toleretur. Quæ vero ad Comuoe Sanctorum attinent, ad ſex capita revocari poſſunt.

## SECTIONIS OCTAVÆ CAPITA VI.

1. *De Communi Apoſtolorum.*
2. *De Communi Martyrum.*
3. *De Communi Confeſſorum.*
4. *De Communi Virginum, & non Virginum.*
5. *De Communi Dedicationis Eccleſiæ.*
6. *De Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.*

### De Communi Apoſtolorum. Cap. I.

### *GAVANTUS.*

1. APoſtolis & Evangel. communia ſunt omnia, exceptis Oratione, & Lect. trium Noct. ut videre in Brev. antiquiſſimis MSS. neque dubito, Evangeliſtas comprehendi nomine Apoſtolorum a S. Clem. *lib. 8. Conſtit. cap. 39.* ubi de Feſtis Apoſtol. agit.

2. De Hymnis, & eorum auctoribus diximus *Sect. 5. cap. 6.* Antiph. & Pſalm. congruunt Apoſtolico muneri, & dignitati, in quibus illud certe eſt ſingulare, (non io aliis Sanctorum Communibus) quod novem Pſalm. Noct. deſumpti ſunt, ordine Pſalm. ex Noct. integræ Hebd. primus e *Dominicali Noct.* 3. tempus gratiæ ſignificante, ſecundus e *Feria* 2. tertius, & quartus e *Feria* 3. in qua creavit Deus maria, & ornavit terram, loca propria juriſdictionis Apoſtolicæ, quintus & ſextus e *Feria* 4. in qua produxit Deus luminaria Mundi Apoſtolicæ dignitatis indicia: ſed hæc Feria dicata eſt Apoſtolis, ut diximus in 1. *tom.* ſeptimus e *Feria* 5. octavus e *Feria* 6. nonus e *Sabbato;* ita ut unaquæque dies tanto muneri, & dignitati merito plaudat, & collætetur, & multo magis *Feria* 3. & 4. ob prædictas cauſas Lect. rite congruunt, & Reſp. ut patet. Quod ſi dicas: numerum pluralem in hoc Officio adhibitum ſæpius non convenire Feſto unius tantum Apoſtoli, ſcito, quod principaliter Officium hoc Principum eſt Apoſtolorum, Petri, & Pauli, a quibus ad alios Apoſtolos tranſlatum fuit: vel Apoſtolorum Chorum ita eſſe unum, ut, qui unius celebrat Feſtum, non excludat alios: unde, & in Miſſa Præfatio de Apoſtolis eos omnes una ſemper complectitur, & concelebrat. Amalarius *lib. 4. cap.* 36. indicat Officium hoc eſſe antiquiſſimum. Pius V. ab eo Officio, quod erat in Brev. 1550, nihil fere receſſit, niſi quod unicum Invitatorium firmavit, erat enim geminum, alterum Æſtivum, alterum Hyemale. Decrevit Lect. de Scriptura; juxta antiquam regulam Roman. ex Radulph. *prop.* 11. addidit alias Lect. pro Apoſtolis ad celebrandas forte eorumdem Octavas, vel minora eorum Feſta, quæ alicubi occurrunt; ademit Reſponſ. nonum, quod amplius non dicitur, & mutavit in melius Capitulum Horæ ſextæ.

3. Dices; ſuperfluum eſt illud Evang. *Hoc eſt præceptum meum*, cum ſua Homil. in 3. Noctur. nam cujuſvis Apoſtoli Feſtum habet proprium Evang. & Homiliam. Præterea Evang. *Hoc eſt præceptum meum*, deſervit nuoc Vigiliis Apoſtolorum: ergo collocandum io eodem quidem Communi, ſed ante Orationem communem de Vigilia, Sed hæc argumenta ſub Pio V. nulla erant, quia in Feſto S. Barnabæ legebatur Evang. *Hoc eſt præceptum*, cujus Homil. ideo debuit collocari in tertio Nocturno. Quid igitur ſub Clem. VIII. dicendum erit? cum ſingula Communia ſuum habeant in tertio Nocturno Evangelium cum Homilia? Io prima recognitione Brev. nulla viſa fuit mutandi loci ratio; immo accidere poteſt alicubi, quod fiat aliquod Feſtum Apoſtolorum, non principale: in quo ad differentiam Feſti principalis, legi poterit Evangelium poſitum in Communi: qua item de cauſa additum fuit, ut ionuimus, a Pio V. aliud Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*: quod Abbatum Communi reſervari poterat, Tandem in poſtrema Breviar. recognitione repoſitum eſt illud, & optime, ſub titulo Vigil. Apoſtolorum, & in tertio Noct. aliud: *Ecce nos reliquimus omnia*.

4. In tertio Nocturno frequeoter additur *Alleluja*: & rationem affert Amalarius *de Ordin. Antiphon. cap.* 59. quia extiterunt primi, qui viſo Domino reſuſcitato gaviſi ſunt, nempe in tertio ſtatu naturæ humanæ, poſt legem, tempore uberioris gratiæ.

5. Io ſecundis Veſperis dicuntur Antiph. aliæ a primis Veſperis, & Laudibus, ad majorem ſcilicet ſolemnitatem, & ad declarandam eorumdem propinquitatem majorem cum Chriſto, in cujus Feſtis fit hæc additio Antiph. & multiplicatio. Diximus etiam *Sect. 5. c. 7. num.* 4. Antiph. ſignificare Charitatem, quæ refulſit in Apoſtolis ſuper alios, ut merito abundare debeat Antiph. eorum Officium, & novis: *Charitas Chriſti urget nos*, ajebat Paulus, aliorum nomine. In Nativitate S. Joann. Baptiſtæ idem fieri non nego; immo, & inde fieri puto, quia miſſus a Deo, ideſt Apoſtolus ipſe quoque fuit, Chriſto carne propinquior, & mente. In Feſto quoque plurimorum Martyrum idem fit; quia *majorem charitatem nemo habet quam &c.* & ubi plures coluntur Martyres ſimul, multiplicata charitas per Antiph. plures indicari debet, quod anticipate monuimus hoc loco, ne idem repetamus infra.

6. Lectiones pro Evangeliſtis in primo Noctur. addidit Pius V. congruentiſſimas. Reliquæ erant in uſu, ſed Lectiones 3. Nocturni cum Evangelio de miſſione binorum Diſcipulorum in duobus Feſtis leguotur, Marci nimirum, & Lucæ; qui quaſi bini ſcriptores mittuntur ad menſem.

8. Tempore Paſchali æquum erat, ut Apoſtolis, qui virtute magna reddebant teſtimonium Jeſu Chriſti, daretur Officium lætitia plenum, quibus & promiſerat Chriſtus gaudium plenum. Durand. indicat mutationem hanc Offic. *lib. 7. cap.* 45. Pius V. diviſit Hymnum io duas partes, ita ut altera in Laudibus cantari queat cum varietate, ordinavit melius Reſponſoria, reſtituto primo, quod rejectum fuerat, citatum a Durando ſupra. De una Antiph. cum tribus Pſalmis, vide *Section. 5. cap. 7. num.* 5.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. — *Apoſtoli & Evangeliſtæ, &c.*) Optime notat Guyetus *lib. 3. cap. 9. qu.* 1. præter undecim, ac Paulum a Chriſto Dominn vocatos, Judæque in locum ſubrogatum Mathiam, & adjunctos ipſis, Barnabam, Lucam, & Marcum, nullis Sanctis aliis tribui debere Apoſtolorum Officium, quamvis appellatione Apoſtoli, ſive in Panegyricis, ſive etiam in Martyrologio, Tabuliſque Eccleſiaſticis decorentur. Ex quo Marcus, & Lucas Evangeliſtæ Apoſtolorum Choro adnumerati ſunt, optime ſancitum eſt ab Eccleſia, ut Apoſtolis, & Evangeliſtis io Breviario Commune ſit Officium, & mirari ſatis non deſino cum Guyeto *loc. cit.* quod, io antiquo Breviario Sylvanectenſi Commune Evangeliſtarum, quod diverſum in eo plane eſt, præferatur Communi Apoſtolorum, quando ſicut Apoſtoli gradu, & dignitate cæteris Sanctis præſtant, ſic eorum Commune Officium deberet primum omnium collocari, ſicut optime collocavit Romana Eccleſia, & nec ullus ſit controverſiæ locus, utriſque, nimirum tam Apoſtolis, quam Evangeliſtis idem Officium Commune rectiſſime tribuit.

II. Gavant. num. 2. — *Qui unius celebrat Feſtum, non excludat alios, &c.*) In hoc Apoſtolorum Officio, cum recitatur de uno tantum Apoſtolo, videtur numerum pluralem ſæpius adhibitum non convenire, ſed huic difficultati optime occurrit Gavantus, dicendo, Apoſtolorum Chorum ita eſſe unum, ut qui unius celebrat Feſtum, ooo excludat alios. E contra opponet alius Antiphonas 7. & 8. Matutini, 1. 2. & 3. in ſecundis Veſperis cum ſint ſingularis numeri, pluribus Apoſtolis, quando Officium ſimul recitatur, haud convenienter aptari, ob idque aliquas illarum in antiquo Cluniacenſi Breviario, aliiſque Monaſticis inveniri mutatas, & egomet ſæpius audivi aliquos ſecundam in ſecundis Veſperis Antiphonam ita enunciare: *Collocet eos Dominus &c.* loco dicendi: *Collocet eum Dominus*, Sed invariatas ſemper debere eſſe has Antiphonas, ſive de uno, ſive de pluribus Apoſtolis celebretur Officium, certum omnino eſt, ſatis enim pluribus ita conveniunt, ſi de unoquoque ſeorſim vere enunciantur, ut optime etiam notat Guyetus *lib. citat. qu.* 2.

### De Communi Martyrum. Cap. II.

### *GAVANTUS.*

1. MArtyrum Feſta antiquiſſima ſunt Clem. teſte *lib. 8. Apoſtol. Conſtit. cap.* 39. & vidiſti io *Sectione* præcedenti.

2. Alii ſunt Martyres Pontifices, alii non Pontifices, & utriſque datur Officium Comune, excepta Oratione, & Lectiooibus primi Nocturni, *A Mileto*; quæ leguntur taotum io Feſto Martyris Pontificis, cui congruit ea narratio, de Paulo recedente ab ovibus. Itaque de Feſto Martyr. non Pontificis leguotur aliæ, quæ habentur io Communi plurimorum Martyrum, *de Epiſtol. ad Roman.*

3. Lectiones 2. & 3. Nocturni plures ſunt in Communi poſitæ, tum ad varietatem, præſertim infra Octavas; tum ad proprietatem, quia in Miſſali diverſa Feſta diverſa habent Evangelia.

4. Dices: quid agendum, quando in Miſſa legitur Evangelium, cujus Homilia nulla habetur in Communi? quomodo concordabitur eo caſu Officium cum Miſſa? Reſpond. le-

genda erit Homilia, quæ forte in Proprio Sanctorum habetur: ut Homilia ſuper Evangelium: *Nihil eſt opertum &c.* quæ habetur in Feſto S. Polycarpi. Quod ſi non habeatur in Breviario, veluti ſuper Evangelium: *Nolite arbitrari*: vel *Qui vos audit, me audit*, & ſimilia; recurre ad Octavarium Romanum, in quo habentur Homiliæ de quocumque Evangelio, quod habetur in Miſſali, ſi Octavario careas, lege in Officio Homiliam Evangelii, quam habes in Communi, & in Miſſa deinde idem Evangelium leges, juxta Rubricam, quæ in Miſſali habetur poſt primam Miſſam de Communi unius Martyris Pontificis, in qua conceditur uſus Evangeliorum, quæ in eodem Communi aſſignata ſunt, ita ut liberum ſit legere in Miſſa quodcumque Evangelium, de eodem tamen Communi ſumptum.

5. Reſponſorium proprium poſt 9. Lect. poſitum pro Feſto quinque SS. Martyrum Pontificum: *Domine prævenisti*; non eſt, ut putant aliqui, ad excellentiam: ſed ad vitandum mendacium in eo Reſponſorio futurum, ſi in eodem Feſtis recitaretur: *Hic eſt vere Martyr, qui ſanguinem fudit*, cum ii perierint quidem, ſed non effuſo ſanguine, ut ex eorumdem hiſtoriis patet, Marcelli, Joannis, Silverii, Pontiani, & Martini. Conſule Lect. eorum in propriis Feſtis. Adde iis, ob eamdem cauſam, Feſta 9. Lectionum S. Felicis in Pincis, & S. Melchiadis Papæ ubi celebrantur. * Hac eadem de cauſa voluiſſent aliqui in prædictis Feſtis mutari Verſum in Hymno Veſper. *fundensque pro te ſanguinem*: ſed poetis idem eſt ac fundens vitam, quæ eſt in ſanguine.

6. Totum Officium de Communi unius Martyris, quo nunc utimur, habetur in Brev. MS. & 1550. Durandus indicat eadem Reſponſoria *lib. 7. c. 45.* Pius V. reformavit Lectiones tantum.

7. Commune plurimorum Martyrum idem eſt, quod in Antiquis Brev. MS. & 1550. Pius V. decrevit primas Lectiones de Scriptura, mutavit alias in aptiores.

8. De fine Hymni, qui dicitur poſt Invitatorium (etenim proprius finis eſt) diximus, numquam eum mutari, *Sect. 5. cap. 6. n. 13.*

9. Reſponſorium poſt 8. Lect. pro Fratribus Martyribus: *Hæc eſt vera Fraternitas*, non dicitur umquam, niſi vero ii ſint Fratres ſecundum carnem. Quod ſi cum Fratribus carnalibus celebrentur alii non Fratres in eodem Feſto non dicitur, quod nota in Feſto Sanctorum Placidi, & Sociorum; quamvis enim in iis duo Fratres, & Soror ſimul obierint, aliorum non Fratrum cauſa illud omittitur. Neque dicas, in Breviario non adnotatum fuiſſe dictum Reſponſorium in Feſto Sanctorum Placidi, & Sociorum; quia unicam Lectionem habent, quaſi illud poſitum fuiſſet, ſi duas, ut in Feſto Sanctorum Gervaſii, & Protaſii; Primi, & Feliciani; nam in Feſtis Sanctorum Fauſtini, & Jovitæ; Marci, & Marcelliani, quæ unicam Lectionem habent, ante eamdem notatum eſt idem Reſponſorium, *Hæc eſt vera Fraternitas*; in editione Breviarii Vatic. 1608. præcedentibus editionibus emendatiore.

Objecerunt aliqui, quod in Miſſa Sanctorum Nerei, & Achillei, Domitillæ, atque Pancratii, dicitur poſt Epiſtolam, *Hæc eſt vera Fraternitas*; & tamen certum eſt, eos omnes non eſſe Fratres ſecundum carnem: At non valet illatio a Miſſali ad Breviarium; & præterea Miſſa illa erat antiquitus de duobus Fratribus Nereo, & Achilleo; Pancratius habebat Miſſam propriam. Domitilla addita eſt a Clemente VIII. qui recognovit corrigenda, non mutavit congruentia, & quæ rationi potiori conſona forent. Potiſſimum vero fit eo die Feſtum de SS. Fratribus, ut ex Evangelio, & ejuſdem Homilia conſtat.

Dices adhuc; Symphoroſa Mater eſt, & cum filiis habet hoc idem Reſponſorium. ℟. Feſtum hoc in rigore eſt tantummodo filiorum, & Fratrum, qui die 18. Julii obierunt, Mater autem pridie, ut putat aperte in Lectione tertia illius Feſti.

10. Inter utrumque Commune unius, & plurium Martyrum recte collocatum eſt aliud Commune Martyrum tempore Paſchali, ut eſſet Commune utriſque. Ratio vero, cur Martyribus Officium Paſchale tribuatur, a S. Ambroſio affertur, in Sermone, qui in eodem Officio legitur. *Dignum eſt, & congruum &c.*

11. Pius V. nihil mutavit, niſi primas Lectiones, & ſecundas S. Ambroſii, & S. Cypriani, additque Homiliam ad aliud Evangelium Paſchale, *Ego ſum vitis, vos palmites*; pro varietate Evangeliorum in Miſſa legendorum, ut Officium deinde concordet cum Miſſa.

12. Hymnus; *Rex glorioſe Martyrum*, dicitur etiam in Veſperis, omiſſo illo, *Sanctorum meritis inclita gaudia*: (qui alioquin non diſcordaret a gaudiis Paſchalibus) tum, ut cantari poſſit cantu Hymnorum Paſchalium, tum ut poſſit mutari finis Hymni more Paſchali, * quod eſt peculiare in Officio Martyrum, non autem Confeſſorum, in quo dicitur, *Iſte Confeſſor*, metri diverſi, ob rationem a S. Ambroſio allatam ſupra *num. 10.*

13. De Antiphona una, & tribus Pſalmis in unoquoque Nocturno diximus *Sect. 5. cap. 7. n. 5.*

14. Quæ deſunt in Communi Paſchali, ſumi debent ex Communi extra tempus Paſchale, ait Rubrica, ſed intellige quoad Lect. tantum primi Nocturni: nam in ſecundo non bene conveniunt aliæ, quæ leguntur extra tempus Paſchale, niſi infra Octavam ad varietatem, ut dicitur in Octavario Romano: *Infra Octavam Martyrum temporis Paſchalis poſt quartam diem.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gavantus n. 5. - *Addo his ob eamdem cauſam, &c.*) Optime notat Gavantus, quod in Officio Martyrum, qui pro Chriſto perierunt quidem, ſed non effuſo ſanguine, debet omitti ℟. octavum, nimirum; *Hic eſt vere Martyr, qui ſanguinem &c.* cujus loco debet recitari ℟. proprium poſt nonam Lectionem poſitum pro Feſto quinque SS. Martyrum Pontificum: *Domine prævenisti eum*. Prædictis quinque Pontificibus addendi ſunt S. Felix in Pincis, & S. Melchiades Papa, ubi celebrantur eorum Officia novem Lectionum, quia pariter ipſi abſque ſanguinis effuſione pro Chriſto mortem oppetierunt. Præterea debemus addere S. Euſebium Vercellenſem, cujus Officium nunc celebratur in Eccleſia univerſali die 16. Decembris ſub Ritu Semiduplici de præcepto, ſicut ibidem adnotavimus: quamvis enim idem S. Euſebius, & S. Felix Nolanus Confeſſorum dumtaxat Titulo a S. Ambroſ. inſcribantur, & ab aliis antiquis Scriptoribus, ambos tamen, ut Martyres colendos poſt noviſſimas Martyrologii, & Kalendarii recognitiones jam extra controverſiam eſt. Nec immerito, nam juxta S. Cyprianum pro Martyribus habendi ſunt, qui tormentis ſuperſtites, in pace poſtmodum quieverunt. *In Confeſſoribus Chriſti* (ait laudatus Cyprianus *ep. 61. ad Lucium*) *dilata martyria non meritum Confeſſionis minuunt, ſed magnalia divinæ protectionis oſtendunt.* Idque trium puerorum Babyloniorum, ac Danielis Prophetæ adductis exemplis ibi confirmat: *neque enim in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia, morte fruſtrata de camino ignis incolumes exierunt, aut non conſummatus Daniel extit in ſuis laudibus, quia qui leonibus miſſus fuerat ad prædam, protectus a Domino vixit ad gloriam*. Ob eamdem rationem idem Cyprianus *epiſt. 10. ad Martyres, & Confeſſores*, eos ſolatur, quos ante conſummatam Fidei Confeſſionem liberos dimitti contigit, dicendo: *Quod ſi ante diem certaminis veſtri de indulgentia Domini pax ſupervenerit, vobis tamen manet voluntas libera, & conſcientia glorioſa. Nec contriſtetur, aliquis ex vobis, quaſi illis minor, qui ante vos tormenta perpeſſi, victo, & calcato ſæculo ad Dominum glorioſo itinere pervenerunt.* Ob eamdem rationem Martyrum Choro accenſetur in ipſo Martyrol. S. Numidicus 10. Aug. S. Eutychius Diſcipulus S. Joannis, & S. Soſthenes Diſcipulus S. Pauli 28. Nov. S. Maxima 16. Octob. & omnibus præferenda S. Thecla 23. Septemb. dicta ipſa inter fœminas Protomartyr, quos tamen omnes tormenta olim expertos, conſtat ſpontanea deinceps morte deceſſiſſe. Rurſus a Martyrum Claſſe minime excluduntur S. Thomaſius Cœnobiarca 13. Jan. S. Mathias Jeroſolymorum Epiſcopus 30. ejuſdem. S. Lazarus Monachus 23. Febr. S. Theodotus Epiſc. Cyriniæ 6. Maji, Ss. Epiſcopi Martene Mediolanenſis, & Philaſtrius Brixienſis 18. Jul. S. Paphnutius 11. Septemb. aliique conſimiles. Quin & Baronius ad diem 9. Jan. de S. Baſiliſſa V. uxore S. Juliani Mart. profert hoc illuſtre teſtimonium: *Baſiliſſa autem licet martyrium non obierit, tamen quia multa, graviaque paſſa eſt, & Dux Martyrum extitit, cenſita etiam inter Martyres reperitur.*

Utrum præferendum ſit Officium Martyris in concurrentia cum Officio Confeſſoris, aut Virginis &c. vide Decr. data in noſtro Indice *ſub n. 157. & 250.* vide pariter Decr. data *ſub n. 177. 178. & 259.*

## De Communi Confeſſorum. Cap. III.

### *G A V A N T U S.*

1. COmmune Confeſſorum Pontificum eſt idem, quod in Brev. MS. & 1550. paucis exceptis, nam Pius V. legi juſſit de Scriptura in primo Noct. addiditque alias ad calcem pro Octava, vel ad varietatem in Feſtis, e quibus primæ illæ; *Laudemus viros glorioſos*; deſervire poſſunt in Officio plurium Confeſſorum ſimul, ſi alicubi occurrant.

2. Pro Summis Pontificibus Confeſſoribus unica eſt differentia ab aliis, in Antiph. *ad Magnificat* in 2. Veſp. qua utimur in Cathedra S. Petri, in qua ſederunt ſucceſſores ejuſdem *Dum eſſet Summus Pontifex &c.*

3. Pro Doctoribus extat Antiphona * propria in utriſque Veſperis, ad *Magnificat*: *O Doctor optime*: quæ habetur in Brev. MS. 1550. Pius V. addidit Lect. 1. Noct. & 2. mutavit Lect. 3. ut pro Hom. S. Hieronymi legatur ea, quæ eſt S. Auguſtini. Clem. VIII. adjecit octavum Reſponſorium, *In medio Eccleſiæ &c.*

4. Commune Confeſſorum non Pontificum eſt idem, ut in antiquis Brev. mutavit Pius V. Lect. 1. Noctur. ut eſſent de Scriptura, & ſecundi Noct. in magis proprias. Ex Joann. Chryſoſt. alias adjecit de more ad varietatem in Feſtis, vel pro Oct. Oratio, *Adeſto*, habetur in Sacram. Gregor.

5. Quando fit feſtum plurium Confeſſorum, ſive Pontificum,

Digitized by Google

cum, ſive non Pontificum, datur facultas mutandi verba, tum in Oratione, tum in Sermonibus, ut ſonent numerum pluralem, verbi gratia; *Ad Sanctorum, ac Beatiſſimorum Patrum noſtrorum N. N. quorum &c. Beatorum N. N. dies quorum feſtivitatem celebramus*, non tamen in Sermone Sancti Gregorii ex libro Moralium; *Deridetur juſti ſimplicitas*: quia non eſt proprie Sermo de Sancto, ſed tractatus, & expoſitio libri Job. In Antiphonis, Reſponſoriis, Hymnis, & Homiliis nulla fit mutatio, licet non quadrent pluribus, quia nimia eſſet mutatio, & perdifficilis, ut congruat in omnibus.

6. Tempore Paſchali additur *Alleluja*, ubi ſcilicet non habetur, ut in Breviar. MS. & 1550. & ad Reſponſoria brevia Horarum duplicantur. In Invitatorio repetitur, ut alias, *Venite adoremus, Alleluja*: quod in Apoſtolis etiam, & in ſequentibus obſerva, contra eos, qui putant repetendum eſſe tantum *Alleluja*, ut in Invitatorio Martyrum tempore Paſchali. Tres Pſalmi dicuntur ſub una Antiphona, etiam poſt Aſcenſionem Domini; quæ & obſerva in ſequentibus Communibus Virginum, Mulierum Sanctarum, & Dedicationis Eccleſiæ: cauſam myſticam habes *ſect. 5. cap. 7. num. 5.*

7. In Translationum Feſtis, & quando Officia Confeſſorum transferuntur in aliam diem, ut in Rubricis, mutatur verſus in Hymno *Iſte Confeſſor*, ut in Breviario Urbani VIII. juſſu recognito, ne mendacium dicatur, quod en die objerint: in Hymno Laudum Confeſſorum non Pontificum videbatur etiam mutandus ille verſus: *Dies refulſit lumine, quo Sanctus, &c.* ſed non mutatur, quia non dicitur *Hic dies*, præciſe, in quo fit Officium. Contingit etiam transferri Officium a die obitus in immediate ſequentem diem, puta a Dominica in Feriam ſecundam, & eo caſu in primis Veſperis non eſt mutandus prædictus verſus, quia vere eo die obiit; infra Octavam vero dicitur, ut in Feſto; quia, ut ſæpe dixi, tota Octava eſt velut unus, idemque dies, Octava ſcilicet Feſti, non autem Octava dierum menſis, intra quam translatum contingit celebrari; quod bene nota.

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 7. -- *Quando Officia Confeſſorum transferuntur in aliam diem, ut in Rubricis, mutatur verſus in Hymno Iſte Confeſſor &c.*) Declarat hic Gavantus, inhærens Rubricis Breviarii recogniti, quod debeat mutari verſus in Hymno *Iſte Confeſſor*, quando contingit Officium Natalis alicujus Sancti Confeſſoris transferri ad aliam diem, ob impedimentum alterius Officii majoris Ritus; ideo autem dicit noſter Auctor debere mutari verſum, & debere dici: *Meruit ſupremos laudis honores*, ne dicatur mendacium, quod ipſe en die obierit, ſicut diceretur, ſi recitaretur conſuetus verſus: *Meruit beatas ſcandere ſedes*. Contra hanc Gavanti opinionem ſcripſerunt Macer in Hierolexico v. *Hymnus*, Sarnellius *Literarum Eccleſiaſticarum lib. 5. lit. 19.* & Felix Gabriellius *in Animadverſiones ſuper Rubricam*: ſi non eſt dies obitus. Hi tres Auctores concorditer, & acerrime ſuſtinent non eſſe mutandum verſum in dicto Hymno: *Iſte Confeſſor*, quando ratione impedimenti transfertur ad aliam diem Officium natalitium alicujus Sancti Confeſſoris, ſed tantum eſſe mutandum prædictum verſum, quando celebratur Officium alicujus Sancti Confeſſoris non ſub titulo natalis ejuſdem, ſed ſub alio titulo, ex. grat. ſub titulo ſuæ Ordinationis in Epiſcopum, ſicut celebratur hoc modo Feſtum S. Ambroſii die 7. Decembris, & S. Baſilii die 14. Junii, vel ſub titulo translationis ſui Corporis, uti celebratur Feſtum S. Joannis Chryſoſtomi die 21. Januarii, & S. Franciſci Saleſii ſub eodem titulo Translationis die 29. ejuſdem menſis; in his, inquam, circumſtantiis admittunt utique præfati Auctores mutandum eſſe verſum in Hymno *Iſte Confeſſor*, & debere dici *Meruit ſupremos laudis honores*: ſed quotieſcumque contingit fieri Officium Natalis alicujus Sancti Confeſſoris etiam translatum ad aliam diem, ob impedimentum majoris ſolemnitatis, iidem Auctores firmiter tenent, ſemper in Hymno præfato debere dici verſum: *Hac die lætus meruit beatas &c.* Hæc ſententia adeo validis eſt munita rationibus, ut ei forſitan adhærerem, niſi obſtaret clariſſimum Decretum editum a Sac. Rit. Congr. die 11. Junii anni 1701. & datum in noſtro Indice *ſub num. 223.* in quo ſtatutum fuit, quod in Officio ad Hymnum *iſte Confeſſor* pro Sanctis Confeſſoribus quoties eiſdem fixa dies eſt aſſignata, quæ non eſt dies obitus, non debeat recitari verſus *Meruit beatas ſcandere ſedes*; quamvis revera Officium fiat de die obitus; & quod eadem regula ſervanda ſit in Officiis translatis, quamvis Officium ſit de die obitus. Igitur tenenda eſt omnino Gavanti ſententia, quæ eſt authentica S. C. deciſione fulcita, & contrarii Auctores attendi non debent, eo quia quando adſunt hujuſmodi reſolutiones, hæ ſunt omnibus aliis Doctoribus præferendæ.

II. Gavant. eod. num. 7. -- *Et eo caſu in primis Veſperis non eſt mutandus verſus &c.*) Hæc pariter Gavanti ſententia confirmata remanet alio Decreto, quod emanavit die 23. Junii 1682. & datur in noſtro Indice *ſub num. 128.* in quo ulterius ſancitum fuit, quod ſi Officium Sancti Confeſſoris transferatur in diem proxime ſequentem ab ejus obitu, & in primis Veſperis a Capitulo fiat de ipſo, tunc in Hymno *Iſte Confeſſor* non mutatur verſus, ſed dicitur *Meruit beatas*, tam in primis Veſperis, quam in Matutino, & in ſecundis Veſperis, quia in die obitus habet Capitulum, & ita declaratur etiam in Breviario Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo *Rubr. 25. ſub num. 6.* necnon apud Fagioli *in Kalendario perpetuo in Adnotationibus ad Januarium ſub lit. F.* Contrarium tamen tenet Guyetus *lib. 3. ſect. 1. cap. 13. qu. 8.* ſed nunc remanet deciſa controverſia ex Decreto mox allegato.

III. Gavant. eod. num. 7. -- *Infra Octavam vero dicitur, ut in Feſto &c.*) Si Feſtum S. Confeſſoris habeat Octavam, & annuatim celebretur propria die obitus, certum eſt, quod per totam Octavam debet dici verſus *Meruit beatas &c.* verum ſi Feſtum Sancti Confeſſoris celebratur annuatim die fixa, & alia a die obitus, ut Feſtum S. Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris, tunc & in Feſto, & per ejus Octavam dicitur in Hymno: *Meruit ſupremos*; idemque ſervandum, ſi ex privilegio Apoſtolico translato Feſto, transferatur & octava.

## De Communi Virginum, & non Virginum. Cap. IV.

### G A V A N T U S,

1. DAntur Virgines tantum; Virgines, & Martyres; Martyres non Virgines; nec Martyres, nec Virgines & licet Officium ſit commune his omnibus, in multis tamen aliqua, ut decet, ea habent propria.

2. Virgines igitur non Martyres habent Orationem propriam, Hymnum poſt Invitatorium, primum Reſponſ. & Capit. Nonæ, Hymnum, & Cap. a Clem. VIII. primum Reſponſ. a Pio V. qui & addidit Lectiones de Scriptura 1. Nocturni & alias pro 2. Noct. ex Ambroſ.

3. Virgines, & Martyres habent, præter Orationem, Hymnum poſt Invitatorium, primum a Pio V. Reſponſorium, Lectiones primi Nocturni, *Confitebor tibi &c.* ab eodem Pio V. qui addidit ſequentes alias Lectiones ad varietatem in Feſtis, vel ad Octavam.

4. Martyres tantum, non Virgines, habent Commune diſtinctum a ſuperiore tum primas Lectiones a Pio V. *Confitebor*: in reliquis concordat Officium cum Brev. MS. & 1550. Lectiones ſecundi Nocturni pro Martyre non Virgine additæ ſunt ab Urbano VIII.

5. Sanctæ Mulieres, nec Virgines, nec Martyres, idem habent Officium cum præcedentibus non Virginibus: ſed a Pio V. habent Capitula Horarum: *Mulierem fortem &c.* tum Lectiones ſecundi Nocturni S. Ambroſ. Additus eſt a Clem. VIII. Hymnus in Veſp. *Fortem virili pectore*; cum Antiph. Ad *Magnificat*, aptiore, tum in primis, tum in ſecundis Veſp. Addidit aliam ad Laudes Urbanus VIII. Mirantur non pauci, quod in Officio dicatur adhuc: *Veni ſponſa Chriſti*; nimirum in 3. Nocturno, ſed ea ſponte retenta eſt, recitanda noctu, ne ſancta mulier, non virgo, rejecta videatur a nuptiis Chriſti Spiritualibus, quibus & ipſa gaudet occultiore modo.

6. Si fuerint plures, nihil mutatur, præter Orationem; & ſi plures ſint Virgines, habent propriam Antiphonam ad utraſque Veſperas, & Laudes pro Canticis Evangelicis: *Prudentes Virgines &c.*

7. Oratio, *Deus, qui inter cætera potentiæ &c.* habetur in Sacramentario Gregor. item ibidem. *Indulgentiam nobis Domine &c.* quæ in concurſu, ſeu in occurſu duarum Virginum, ſeu SS. Mulierum, poterit dici ad varietatem, tacitis titulis, *Virginis, & Martyris*.

## De Communi Dedicationis Eccleſiæ. Cap. V.

### G A V A N T U S.

1. ECcleſiæ materiali duo accidunt in ordine ad Horas Canonicas: nimirum Titulus, & Dedicatio, quæ differunt, & conveniunt in multis.

Titulus Eccleſiæ eſt a quo denominatur Eccleſia, puta Sancti Salvatoris, S. Bartholomæi, & ſimilium. Antiquitus enim Eccleſiæ in Urbe per Titulos diſtinguebantur: qua de re Baron. *in Notis Martyrolog. 26. Julii fuſius*. Hoc loco breviter accipe, Lector: Titulum, & Eccleſiam eſſe idem; eo quod in loco Eccleſiæ conſtruendæ figebatur Crux in Titulum. Ord. Rom. *cap. de ædif. Eccleſiæ*. Romæ item, ex antiqua loquendi conſuetudine, non omnis Eccleſia Titulus dicebatur, ſed tantum inſigniores Eccleſiæ, quibus præficerentur Cardinales: unde Titulus Paſtoris dicta eſt Eccleſia Sanctæ Pudentianæ: *in Martyrolog. 20. Julii*, & Titulus Eudoxiæ Eccleſia Sancti Petri ad Vincula. Evariſtus autem diviſit in Urbe Titulos Presbyteris, hoc eſt multiplicavit Eccleſias, quæ dictæ ſunt Tituli, accepta nomenclatura a rebus fiſcalibus. Tituli namque impoſitione rem ſibi Fiſcus vindicabat, & Principi conſecrabat, & erant hi Tituli vela quædam, quæ regiam repræſentabant poteſtatem cum imagine, vel nomine Imperatoris: cortinæ regiæ, apud Ambroſium *Epiſtola*

*ad Marcellinam*. Quamquam notabantur etiam litteris, ex Auguſt. *in Pſalm.* 21. *expoſit.* 2. quos titulos vetuit imponi Eccleſiaſticis rebus S. Gregor. *lib.* 5. *Epiſt.* 44. qui optime notat, Titulos Eccleſiaſticos diverſos eſſe a fiſcalibus. Hi ergo vela erant; ille vero ſignum Crucis. Præterea Eccleſia dicta eſt Titulus; quia, qui eidem adſcriberetur Presbyter, ab ea nomen, Titulumque accipiebat, ut ejus loci diceretur Presbyter (quod & hodie) inter Cardinales. Fuſius hæc idem Baron. *Tom.* 2. *Annalium ann.* 112. Titularis ergo Eccleſiæ eſt ille Sanctus, a quo Titulus, ſeu Eccleſia, denominationem habet.

2. Dedicatio vero Eccleſiæ eſt ipſamet conſecratio facta ab Epiſcopo, ut in Pontificali, quæ ita recolitur quotannis, ut natalis dicatur dies, ex S. Leone, *Serm. de Machabæis*, dedicati Templi, Berlam. *de Cultu SS. lib.* 3. *cap.* 5. De more antiquo fuit introducta ex Euſebio *lib.* 9. *Hiſt. cap.* 10. Feſtum autem Dedicationis dignius eſt, quam Sancti Patroni loci, ſeu Titularis Eccleſiæ, ut probavimus *Sect.* 3. *cap.* 8. *n.* 7.

3. Conveniunt in his: ſunt enim propriæ Claſſis: habent Octavam: celebrari poſſunt infra Octavam Epiphaniæ: item in Dominicis ſecundæ Claſſis. In eiſdem ſi Vigilia occurrat, nihil fit de ea, nec etiam in Laudib. habent primas Veſp. integras, etiam in ſecundis Veſp. diei Octavæ Epiph. Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti cum aliis privilegiis Feſtorum primæ Claſſis; ſed jam dicamus de ſola Dedicatione.

4. Si contingat dedicari Eccleſiam in aliquo feſto ex ſolemnioribus, nec quotannis occurrentia duo Feſta ſe invicem impediant, poteſt Conſecrator decernere alium diem ad celebrandam anniverſariam Dedicationem Eccleſiæ, puta, vel diem Dominicam proximiorem, vel alium adeo commodum, ut poſſint Octavæ celebrari liberius; & populus, præſertim ruſticus, majori frequentia colere Feſtum poſſit. Translationem vero ejuſmodi a Conſecratione poſſe fieri ex juſta cauſa decrevit Sacra Congregatio Rituum *die* 19. *Februarii* 1585. ut refert Paulus Piaſecius *in ſua praxi part.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. *§. diem*, & Congregatio item Cardin. ſuper negotia Epiſcoporum, reſpondens hac de re Epiſcopo Biſſinen. *die* 14. *Februarii ejusdem anni citato Specul. conſil.* 4. *part.* 3. *rubr.* 52. Extra actum vero Conſecrationis non poteſt amplius mutari Feſtum; inconſulta ſancta Sede Apoſtolica; quæ 16. *Octobr.* 1604. juſſit fieri de Dedicatione Eccleſiæ in ipſamet die Nativit. B. Virg. in qua accidit Conſecratio: & duas potius cantari Miſſas de duobus Feſtis, ſervata in reliquis Rubrica de Concurrentia Octavarum.

5. Præter propriæ Eccleſiæ Dedicationem, celebrari quoque debet anniverſaria Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, in Civitate quidem cum Octava, in Diœceſi ſine Octava ex Decreto S. R. C. 2. *Maij* 1616. Erit tamen in Diœceſi quoque, 1. Claſſis Feſtum, inſtar eorum, quæ transferuntur ultra Oct. & ſine Octava celebrantur, vel uti Feſtum Patroni loci, quod celebrari debet a Regularibus: qui tamen non tenentur ad Octavam celebrandam. Neque tenentur idem ad hoc Feſtum Dedic. Eccleſiæ Cathedralis, niſi ex quadam congruentia, & præſertim, ſi populare ſit Feſtum, non Cleri tantum: ob rationem allatam ſupra, cum de Patrono loci ageremus. Quod ſi concurrant, ſeu occurrant Dedic. Feſta, vel Octav. pro varietate Orationum, ſumi ea poterit, quæ aſſignata eſt ipſi diei Dedic. quod additum fuit Rubricæ in poſtrema Breviarii recognitione.

6. Occurrentibus autem, Dedicatione propriæ & Dedicatione Cathedralis Eccleſiæ, eodem die, quænam erit celebranda? Rota Roman. *deciſ.* 616. *num.* 1. *& per totam in recentior. part.* 1. definit, præferendam eſſe Dedicationem propriæ Eccleſiæ. Quare de hac fiet Officium infra Octavam cum Commem. Octav. Dedic. Cathedralis: translato Feſto altero in primam diem non impeditam. Neque dixerim, eſſe communia privilegia hiſce duabus Dedicationibus, quæ Dedic. propriæ Eccleſiæ data ſunt, niſi novo Decreto fiant communia; puta ſi occurrant infra Octav. Epiphaniæ.

7. Officium Dedicationis eſt Duplex majus, apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. cum Octava, *ibid.* ubi & indicat Officium, quo nunc utimur *cap.* 48. Pſalmos notans reſonantes portas, atria, & ædificia. Concordamus cum Brev. MS. & edito 1550. quod eſt vicinius Concil. Trident. & Pio V. reſtituenti Breviar. Romanum; neque Pius mutavit, niſi de more ſuo, Lectiones primi Nocturni, ut eſſent de Scriptura, juxta regulam antiquam Romanam, ex Radulph. *propoſit.* 11. addiditque Lectiones varias pro tota Octav. & Orationem propriam pro ipſo die Dedicationis. Atque ex hac Octava, quam non habent alia Sanctorum Communia, cum Lectionibus unicuique diei aſſignatis, colligitur ejuſdem Feſti excellentia, & dignitas ſuper alias Octavas Sanctorum, quæ celebrantur cum Lection. de Communi ſumptis. De Antiph. & Pſalmo: *Qui habitat*, in 3. Nocturno; vide quæ diximus *Sect.* 5. *cap.* 7. *num.* 12. contra regulam communiorem Brev. Reſponſorium breve ad Sextam non ſumitur a verſu ſecundi Nocturni Matutini; quia hic verſus, non poteſt dividi in prima ſui parte: & ideo vice illius dicitur, *Locus iſte Sanctus &c.* Habes alia de Dedic. Eccleſ. in 1. *tom.*

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 1. -- *Unde Titulus Paſtoris dicta eſt Eccleſia S. Prudentianæ &c.*) Ædes Sacræ aliquando nomen habebant ejus Sancti, cui dicatæ erant, ſic Baſilica, in quam convenere Epiſcopi Synodi Epheſinæ dicta eſt ſimpliciter Maria; hinc, & Anastasii templum Jeroſolymitanum, & Eccleſia Conſtantinopoli dicta [illegible] ut docet Socrates *lib.* 1. *cap.* 37. ſic denique Titulus S. Petri dicitur Eccleſia Romæ eidem dicata: hincque ortum habet, quod Eccleſiæ in his olim potiſſimum locis extſtruerentur, in quibus paſſi eſſent Martyres, aut Sanctorum quorumcumque Corpora requieſcerent, de quo eſt illuſtris locus Prudentii in Hymno 5. de S. Vincentio.

*Ne ſit ſepulcrum funeris,*
*Quod Plebs Gregalis excolat*
*Titulumque figat Martyris.*

Aliquando Titulus Eccleſiæ, ſeu nomen deſumptum fuit ab eo Pontifice, qui illam vel conſtruxit, vel dedicavit, ut Baſilica Callixti trans Tyberim, quæ fuit Beatæ Virgini dicata, Baſilica Sancti Marci Papæ, Baſilica Julii, Baſilica Liberii, nempe Sanctæ Mariæ Majoris, quæ etiam Sixtina dicta eſt, Baſilica Damaſi, quæ nunc S. Laurentii in Damaſo appellatur. Sed primis Eccleſiæ Sæculis nomen, ſeu Titulus Eccleſiæ frequentius deſumebatur ab eo, cujus cura, & ſumptibus Eccleſia ædificata erat; ille enim, qui Eccleſiam curat ædificari, prius Titulum, ſeu fundum aliquem conferre debet, ex cujus annuo reddita quid ad luminaria, quid ad Rectoris, Miniſtrorumque ſtipendia ſufficiat, commode ſuppeditetur. Ita præcipit Pontificale Romanum, ubi ſermo eſt de Benedictione, & Impoſitione primarii lapidis, & habetur *Cap. Nemo Eccleſiam de Conſecrat. diſt.* 1. unde veteres Chriſtiani domus ſuas in Eccleſias conſecrantes, eas poſtmodum Titulo ſui nominis appellabant. Hinc in Urbe orti ſunt Titulus Pudentius, Titulus Æquitii, Titulus Faſciolæ, Titulus Pamachii, item Baſilica Conſtantiniana, & Baſilica Helenianа, Titulus Veſtinæ, quia nempe Veſtina illuſtris Fœmina, referente Baronio in notis ad 19. Junii, Baſilicam extſtruxit in honorem SS. Gervaſii, & Protaſii, quæ & Veſtinæ Titulus, & eorumdem quoque Martyrum dictus reperitur; ſed nihil vulgatius, quam illud, quod habetur in Breviario Romano die 1. Auguſti Lect. 5. *Sanctus honor ſacris illis vinculis haberi cœpit, ut propterea hoc nomine S. Petri ad Vincula Eccleſia Titulo Eudoxiæ dedicata ſit in Exquiliis*. Ex qua Duplici ratione Tituli, alia, quæ Sanctum Eccleſiæ Patronum indicat, alia, qua Eccleſiæ Fundatorem, perſpectum habes, qua ratione antiquiſſima Eccleſia S. Prudentianæ nomen ſortita fuerit, ſeu Titulum Paſtoris, nimirum ab illo, qui eam ædificari curavit.

II. Gavantus eod. num. 1. *Evariſtus autem diviſit in Urbe Titulos Presbyteris, &c.*) S. Evariſtus natione Græcus, qui in locum Anacleti ſuffectus eſt Romanus Pontifex anno Domini 95. Titulus in urbe Roma Presbyteris diviſit, ideſt Eccleſias, in quibus Chriſtiani Synaxes agere conſueverant, ut tradit Anaſtaſius, ſive alius Auctor Libri Pontificalis. Titulos igitur loca ſacra fuiſſe, in quibus Chriſtiani conveniebant ad ſacras peragendas Synaxes, & Sancta Eccleſiæ Sacramenta a Sacerdotum manibus percipienda, omnino certum eſt, & idem prorſus fuiſſe cenſendum, atque Eccleſias, quas nunc Parochiales vocamus. Numerus dictorum Titulorum an vigintiquinque, an minor eſſet, ab Evariſto conſtitutus, merito dubitatur; nullus enim ab Anaſtaſio numerus in Evariſto exprimitur, & hominis inconſulti eſſet, ut optime adnotat vir clariſſimus Nicolaus Antonellus in ſua erudita Diſſertatione ſuper his Titulis, in re obſcura, atque ambigua aliquid certi definire velle. De eorumdem Titulorum vero diviſione erudite pertractarunt doctiſſimi viri Holſtenius, Schelestrate, & Franciſcus Blanchinus. Allegatus Auctor Pontificalis ſummatim recenſens geſta Sancti Dionyſii Pontificis, qui Romanam Sedem regendam ſuſcepit die 22. menſis Julii anni 259. hæc de Beatiſſimo Pontifice ſcriptis conſignavit: *Hic Presbyteris Eccleſias diviſit, & Cœmeteria, & Parochias & Diœceſes inſtituit*. Nimirum Titulos ab Evariſto ſuo prædeceſſore conſtitutos, & ob Eccleſiæ perſecutionem a Valeriano excitatam perturbatos, rurſus Urbanis Presbyteris diviſit: loca autem, quæ in vita Evariſti *Tituli* appellata fuerunt, in vita Dionyſii *Eccleſiæ* nuncupantur, quo nomine ſignificantur profecto loca divino cultui, & ſacris faciendis aſſignata. Quod additur in Dionyſio ab Anaſtaſ. & Parochiales Eccleſias ſignificat extra Urbem poſitas, quas ſuis limitibus, & terminis Sanctus Pontifex diſtinxit; *& Diœceſes inſtituit*, ideſt parvas quaſdam *ἐπαρχίας* ſuis terminis definitas fecit. Quod etiam confirmat Hincmarus Rhemenſis *opuſc.* 55. *cap.* 15. ubi ait: *Dionyſius Papa Ruſticanis Parochiis terminos certos poſuit, ac ponendos diſpoſuit; de quibus etiam Chalcedonenſe Concilium, quæ ſunt, nota decrevit*. Et in hunc ſenſum Anaſtaſii verba explicari debere cenſet mox laudatus Antonellus, non autem ea de ſolis Titulis accipienda eſſe, aut de ſolis Ruſticanis Eccleſiis, ut putant plurimi recentiores. Nam Eccleſiæ, quæ a Dionyſio iterum Presbyteris Urbanis diviſæ fuerunt, in Pontificali diſtinguuntur a Parochiis, quas ſolum finibus circumſcri-

ptas

Digitized by Google

ptas fuiſſe affirmatur. Cum enim vis perſecutionis in Urbe potiſſimum invaleſceret, facile erat, ut perturbatio, & confuſio in Urbanis Titulis accideret. Da Eccleſiis autem extra Urbem locatis non item. Diviſionis Eccleſiarum in Urbe, & limitationis Parochiarum, quas Dionyſio Auctor Pontificalis tribuit, fidem facere videntur ea, quæ tradidit Euſebius *lib. 7. cap. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*.

Cæterum de Titulorum diviſione, & numero ſermonem reſumendo, certum omnino eſt S. Marcellum Romanum Pontificem, qui anno 308. ordinatus eſt, vigintiquinque Titulos Romæ conſtituiſſe, ſeu Parochiales Eccleſias propter Baptiſmi, & Pœnitentiæ adminiſtrationem, & propter Martyrum ſepulturas, ut literis conſignavit allegatus Anaſtaſius, ſeu alius Auctor in ejuſdem Pontificis vita. Numerum igitur Titulorum Marcellus definivit, & fines, limiteſque cuique ſuos adſcripſit, ne ob multitudinem Paganorum, qui Chriſtianam Fidem profeſſi, ſacro Fonte ablui poſtulabant, confuſio, & tumultus oriretur; tum etiam, ut Pœnitentes Pœnitentiæ actus in Titulis quique ſuis exercerent, quibus exactis per manuum impoſitionem ab Epiſcopo, vel ejus permiſſu a Presbytero Eccleſiæ reconciliarentur. Cætera ad hanc rem ſpectantia curioſus Lector videre poteſt in citata Diſſertatione a Nicolao Antonello eruditiſſime elucubrata.

Hoc unum tamen ſupereſt addendum, quod ad rem noſtram plurimum refert, obſervatorem, quem habet Baronius in notis *ad 26. Julii*, Romæ videlicet, veterem loquendi uſum obtinuiſſe, ut non omnis Eccleſia, Martyrumve memoria Titulus diceretur, ſed tantum inſigniores Eccleſiæ, quibus præficerentur Presbyteri Cardinales, & hoc aperte confirmatur ex Bulla Sixti V. data die 13. Maji anni 1587. in qua ſummus Pontifex adſtruit Eccleſias in Urbe Roma, vel finitimis locis conſtitutas, *quæ Cardinalis dignitate gaudent, Titulos eſſe appellandas, quod ſint quaſi quædam cujuſque propriæ Diœceſes, ac præter ſex Cardinales Epiſcopos, qui certis Cathedralibus Eccleſiis Urbi finitimis præſunt ſingulis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus Eccleſiæ illæ, Tituli videlicet, & Diaconiæ cum ſuis Clero, & Populo, ac quaſi Epiſcopali juriſdictione in ſpiritualibus, & temporalibus regendæ, & adminiſtrandæ committantur*. Poſtmodum vero idem Pontifex enumerat, quænam tum ex antiquis, tum ex recens erectis Baſilicis Tituli, ac Diaconiæ ſint appellandæ, vetatque ne ullæ aliæ hiſce Titulis afficiantur.

III. Gavantus eod. num. 1. « *Titularis ergo Eccleſiæ eſt ille Sanctus, a quo Titulus, ſeu Eccleſia denominationem habet &c.*) Nomine Tituli Eccleſiæ regulariter venit Sanctus ille, ſive Angelus, ſive homo, vel id myſterium, ſive Chriſti Domini, ſive Beatæ M. V. vel denique quæcumque res ſacra, puta Crux, Corona ſpinea, Sudarium &c. ſub cujus nomine ſeu Titulo fundata eſt, & vulgo appellatur Eccleſia. Titulus Eccleſiæ aliquando confunditur cum Patrono, aliquando vero non. Patronus etenim Eccleſiæ eſt perſona aliqua creata, nempe Angelus, vel homo Sanctus, cujus nomine nuncupatur Eccleſia, v. gr. S. Michael, S. Petrus &c. & tunc confunditur Titulus Eccleſiæ cum Patrono. Titulus vero propriiſſime ſamptus perſonam proprie non ſignificat, ſaltem creatam, ſed potius myſterium aliquod, vel perſonam aliquam divinam, ſeu rem quamcumque ad perſonam etiam creatam pertinentem; quo myſterio, ſeu re Eccleſia ipſa veluti inſcribitur, & appellatur, v. gr. Sanctiſſima Trinitas, Spiritus Sanctus, Chriſti Domini Nativitas, Transfiguratio, Reſurrectio, Aſcenſio, B. M. Conceptio, Annunciatio, Aſſumptio &c. Cum vero Patroni, & Advocati nomen pro eodem communiter accipiatur; Rurſus cum Patronus non dicatur niſi cum relatione ad Judicem, aut quemvis alium majorem, apud quem alterius cauſam ſuſcipit defendendam, aut a quo gratiam aliquam pro ſuo Cliente ſe impetraturum ſpondet: hinc certiſſimum eſt Patroni nomen Deo in hoc ſenſu haudquaquam convenire poſſe, quia Summus Judex eſt, nullumque majorem agnoſcit, apud quem noſtras cauſas poſſit ipſe patrocinari. Solum igitur Angelis, & Sanctis Patroni nomen competere poteſt. Hinc citra dubium ſuarum Eccleſiarum non ſolum Titularis, ſed etiam Patrona dicenda eſt Beatiſſima Virgo Maria. Ita pariter SS. Angeli Eccleſiarum ipſis conſecratarum Patroni appellari poſſunt; & denique Sanctis omnibus cujuſcumque ſint Ordinis, convenit ut poſſint eſſe Eccleſiarum Patroni. Ex quibus omnibus liquet diſcrimen, quod intervenit inter purum Eccleſiæ Titulum, & Patronum; quamvis enim Patronus, ut mox dixi, multoties confundatur cum Eccleſiæ Titulo, quando Eccleſia eſt dedicata alicui Sancto, vel Angelo; non æque tamen Titulus ſemper cum Patrono confunditur, nam Eccleſiæ alicui divinæ Perſonæ dedicatæ, vel divino aliquo myſterio conſecratæ, & intitulatæ, habent quidem Titulum, quo denominantur, non vero Patronum, in eo ſenſu acceptum, quo nomen Patroni mox explicavimus.

Quæſtio gravis agitatur, an Chriſtus Dominus dici poſſit Patronus (in eodem ſenſu, quo ſupra) earum Eccleſiarum, quæ vel ipſimet, ut Salvatori nominatim, vel ſub Titulo S. Crucis, aliove ad ipſum pertinenti dedicantur. Hanc quæſtionem egregie diſcutit Guyetus more ſuo *lib. 1. cap. 5. q. 3.* & reſolvit, quod quamvis Chriſtus 1. *Joannis* 2. dicatur Advocatus noſter; nihilominus Patronus alicujus Eccleſiæ intitulari non poſſit, tum quia uſus huic locutioni non conſonat, tum quia Chriſtus talis non eſt, qui in Patronum particularem eligi debeat, cum ipſe communis ſit omnium Advocatus apud Patrem, cæteri vero Sanctorum Advocati apud ipſum; nec apud Patrem, niſi mediante ipſo, *Unus eſt enim mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*, ut ait Apoſtolus. Tum quia ſic Chriſtus eſt Advocatus noſter apud Patrem, ut non ſolum Imperator, quatenus homo, ſed ſit etiam ipſemet, quatenus Deus, Auctor, & Largitor bonorum, quæ a Patre pro nobis, prout homo, poſtulat: immo, quod Patronorum haud proprium eſt, ille erit ſupremus Judex noſter, qui modo Advocatus noſter eſt, ut ait Auguſtinus *Sermon. 180. de Tempore*.

Nonnullas alias promovet Quæſtiones Guyetus, nimirum utrum Deus abſolute ſumptus aſſumi poſſit in Titulum Eccleſiæ; An Perſonæ Divinæ aliæ ſeorſim ab aliis; & an Attributa, ſeu perfectiones divinæ idoneæ pariter ſint ad conſtituendum Eccleſiæ Titulum; & alia hujuſmodi promovet dubia omnino apud ipſum videnda, quorum diſcuſſiones ne nimius ſim, prætermitto.

IV. Omiſſis prædictis quæſtionibus, alias tamen proponere lubet, ſpectantes ad eamdem materiam Titularis Eccleſiæ, utpote magis conducentes ad noſtrum intentum, & ad praxim recitationis Divini Officii; cum certum ſit, ut alibi diximus, & magis etiam patebit ex Decretis infra exhibendis, quod de Patrono, ſeu Titulari Eccleſiæ recitandum ſit Officium ſub Ritu Duplici primæ Claſſis a Clero ejuſdem Eccleſiæ.

Contingere itaque poteſt, Eccleſiam aliquando habere plures Patronos, ſeu Titulos, quamvis Patronus, ſeu Titulus, ſub cujus nomine ædificata eſt, ac dedicata primitus Eccleſia, ut plurimum ſit unicus; aut ſi plures ſint non niſi per modum unius, id eſt ſub uno eodemque Feſto, puta Ss. Gervaſii, & Protaſii, Ss. Coſmæ, & Damiani, S. Dionyſii cum Sociis &c. Quotieſcumque igitur Eccleſia habet prædicto modo plures Patronos, ſeu Titulos per modum unius, celebratur hoc modo Feſtum de omnibus Sanctis Titularibus per modum pariter unius de Communi vel Martyrum, vel Confeſſorum, prout illis convenit.

Aliquando vero contingere poteſt ejuſdem Eccleſiæ plures eſſe Patronos, ſeu Titulos etiam diviſim, nempe quorum Feſta diviſim celebrantur, uti Romæ recenſetur Eccleſia Ss. Sylveſtri, & Martini; item Ss. Blaſii, & Caroli, quod exemplum adducit Gavantus; Pariſiis vero Ss. Lupi, & Ægidii, & aliæ alibi: in quo caſu Officium quidem ſingulorum diebus ſuis Duplex erit, ut innuitur in Rubrica de Duplici *n.* 1. ſed Octava non conceditur, niſi Feſto Principalis Titularis: ita colligitur ex Rubrica de Octavis *n.* 1. & docet Gavantus noſter ſupra *Sect. 3. cap. 12. n. 6.* Guyetus tamen *lib. 1. c. 4. quæſt. 3. §. de cujus demum*, reſolvit, quod prædicti Sancti diviſim Titulares ejuſdem Eccleſiæ, æquales in omnibus omnino ſunt, adducendo exempla ſupradicta Ss. Sylveſtri, & Martini, Ss. Blaſii, & Caroli, nihilque diſcriminis intercedere, niſi quod in pronuntiandis nominibus alterum alteri præferre neceſſarium eſt, cum utrumque ſimul non poſſit; unde de utroque Titulari prædicto admittit diviſim Officium primæ Claſſis cum Octava, laudatus Guyetus ibidem.

Denique contingere poteſt, quod ſucceſſive deatur plures Tituli, ſeu Patroni ejuſdem Eccleſiæ, & hoc contingit quando Eccleſiæ jam dicatæ, ac de Sancti alicujus, aut myſterii, reive Sacræ nomine appellatæ, Patronus alter, ſeu Titulus ſuperveniat, a quo ipſa nomen aliud, ſive relicto, ſive retento priore, accipiat; hujus rei exemplum affert Guyetus *cit. loc. §. & hujus quidem* in Eccleſia Turonenſi, quæ a S. Martino ſub Titulo S. Mauritii primum fundata, illato in ea poſtmodum ab eodem S. Martino S. Gatiani prædeceſſoris ſui, ac primi illius ſedis Antiſtitis Corpore, ſuppreſſo deinceps S. Mauritii Titulo, appellata eſt, & etiam appellatur vulgo S. Gatiani; & hoc caſu idem Guyetus *cit. §. de cujus demum* reſolvit, quod ſi de qualitate in ratione Tituli agitur, prior omnino, immo vero ſolus vere Titularis eſt is, ſub cujus primum nomine dedicata fuit Eccleſia; ſi vero agitur de qualitate quoad celebritatem in Choro, ſeu ratione Officii, ambo pares eſſe cenſet idem Guyetus; primæ ſcilicet Claſſis. Si denique agitur quoad celebritatem in Foro, ſeu apud vulgus, & tunc ut plurimum hac in parte, poſterior tempore ſolet prior eſſe fama, nominiſque pervagatione, & ſic in prædicta Turonenſi Eccleſia nominatior eſt S. Mauritio Sanctus Gatianus.

Si autem Feſtum Patroni vel Tituli occurrat eodem die cum alio ſecum deſcripto in Kalendario ſub una ratione Feſti Duplicis, vel Semiduplicis, tunc ſit de ſolo Patrono, vel titulo ſub ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava, & nihil de Socio, qui ea die omittitur, & transfertur, ſeu mutatur perpetuo in primam diem non impeditam, tuncque ſit de eo ſub ritu Semiduplici juxta ea, quæ dicit noſter Gavantus ſupra *Sect. 3. cap. 10. num. 11.* ubi affert exemplum Eccleſiæ dicatæ Sancto Sebaſtiano. Si autem Patronus, vel Titularis ſit altioris ordinis v. gr. Sanctus Philippus Apoſtolus, cujus Feſtum in Kalendario occurrit eodem die cum S. Jacobo Apoſtolo, tunc de translato, nempe de S. Jacobo fit ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis, quia eſt unus de duodecim Apoſtolis, ut optime notat Gavantus ſupra *num. 13.* Denique

Digitized by Google

que ſi plures Sancti, quorum unus eſt Titularis, ſunt ſub ritu Simplici in Kalendario Romano, tunc in ea Eccleſia fit tantum de Titulari ſub ritu Duplici primæ Claſſis, & de Sociis, licet Gavant. *ibid. n.* 12. aſſerat, quod nihil omnino fit, neque eorum transfertur Feſtum, quia de Sancto ſub ritu Simplici nulla fit translatio, attamen, cum hæc omiſſio ſit perpetua, poſſet fieri recurſus ad Sacram Congregationem, ut provideat, ſicut provide in Correctione, & Approbatione Kalendarii Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium ſub die 22. Januarii 1735. aſſignavit aliam diem pro Feſto Simplici impedito ſemper a Duplici primæ Claſſis, ut ſupra adnotavimus *Sect.* 3. *cap.* 4. in fine noſtrarum Obſervationum. Vide etiam ea quæ diximus ad *cap.* 15. ejuſdem *Sect.* 3. *ſub num. VI. & VII.*

Laudatus Guyetus *cap.* 5. duas proponit quæſtiones, alterum an poſſit mutari Patronus, ſeu Titulus Eccleſiæ; & an Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ Feſtum fieri poſſit, aut debeat, Eccleſia ipſa benedicta quidem, ſed nondum conſecrata. Primam ex dictis quæſtionibus citatus Auctor negativa deciſione reſolvit, niſi accedat nova Eccleſiæ Dedicatio, nam ſtante eadem Eccleſia cum eadem Dedicatione, inane, ac prope Sacrilegum illi videtur, abdicato priori Titulo, novum alium inducere.

Ad ſecundam vero ex prædictis quæſtionibus reſpondet, Feſtum Patroni, ſeu Tituli celebrari poſſe ante factam Eccleſiæ Dedicationem, quia in Pontificali Romano ubi de Benedictione, & impoſitione primarii lapidis pro ædificanda Eccleſia agitur, præcipitur in quadam Oratione nominari Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem, ac nomen fundatur, ipſa Eccleſia; hinc conſequens omnino videtur Titulum illum exinde valere, ac veluti ipſi acquiri; adeoque ubi primum ædificata, convenienti ſaltem ex parte, ac benedicta fuerit Eccleſia, & incipiant in ea celebrari divina Officia, poterit quoque, immo debebit fieri Feſtum de Titulo, ſeu Patrono ipſius. Hæc & alia Guyetus. Vide ſupra de hac re Dec. in Append. *num.* 343.

Supereſt nunc, ut hoc loco ſubnectamus Decreta S. R. C. ſpectantia ad hanc rem Titularis, ſeu Eccleſiæ Patroni.

Uſus ſemel introductus, & receptus in Eccleſia Cathedrali celebrandi Feſtum ſolemniter de aliquo Sancto tamquam de Patrono, continuandus eſt, licet non ſit de antiquis Patronis Eccleſiæ, vel in Breviario de eo non fiat Officium Duplex. Ita S. R. C. 15. Martii 1608. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 32.

Celebrari non poteſt per totam Civitatem, vel Diœceſim etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate Feſtum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, ſed tantum in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeu ubi aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi. Ita Sac. Rit. Congregat. 8. Aprilis 1628. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 60.

Epiſcopus quando reperitur in aliquo Oppido ſuæ Diœceſis ob viſitationem, ſeu aliam ob cauſam, poteſt licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubricarum, ſeu ex conceſſione S. C. eo quod ſint Patroni, ſeu Titulares, in eiſdem Oppidis recitatur, & ſic Præcepto de recitando Officio ſatisfacit. Ita declaravit S. R. C. die 14. Martii 1643. & datur in Appendice ad noſtrum Indicem Decretorum *ſub num.* 348.

Debent Religioſi recitare ſub ritu Duplici primæ Claſſis, & cum Octava de Dedicatione, & de Titulari propriæ Eccleſiæ, ubi morantur, & ſub eodem ritu Duplici primæ Claſſis tenentur recitare de Patrono Principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis tantum; ad Octavam autem non tenentur, ita S. R. C. 13. Junii 1682 & datur in noſtro Indice *ſub num.* 125.

Moniales Ordinariis locorum ſubjectæ non tenentur recitare Officia particularia Diœceſum, tenentur tamen recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, necnon de ejuſdem Eccleſiæ Dedicatione, non vero de eorumdem Feſtorum Octavis. Ita S. R. C. 20. Novembris 1683. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 147.

Moniales Ordinariis ſubjectæ non debent recitare officium de Octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, nec poſſunt ad libitum, & tantum tenentur prædictum Officium recitare ſub Ritu Duplicis ſecundæ Claſſis, ita S. R. C. 11. Februarii 1702. & in noſtro Indice *ſub num.* 224. vide etiam *n.* 81. 142. & 266. pro aliis Regularibus.

Ideo hoc loco exhibemus hoc Decretum, quamvis ſpectet ad Dedicationem Eccleſiæ, de qua infra, quia eſt connexum cum antecedente, & quia ex hoc deducitur, quod neque de Titulari Cathedralis Eccleſiæ poſſunt Moniales, & Regulares ad libitum celebrare Octavam.

In Titularibus Eccleſiis ſub Invocatione S. Mariæ Angelorum (apud Minores S. Franciſci) non de Dedicatione, prout in Feſto Portiunculæ, ſed de B. Maria Eccleſiæ Titulari, prout in Feſto S. M. ad Nives faciendum eſt Officium, & Lectiones ſecundi Nocturni ſumendæ ſunt ex ſecundo Nocturno Nativitatis ejuſdem, mutato verbo *Natali* in verbum *Feſtivitate*. Sacr. Rit. Congregat. 10. Junii 1690. & datur in noſtro Indice *ſub num.* 162. Attamen re maturius perpenſa, aliquid addidit *in una Pariſien. ad* 2. *dub. num.* 349.

Parochus duarum Eccleſiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare Officium juxta Rubricas, maxime ſi Eccleſiæ ſint peræque unitæ. Ita S. R. C. 5. Junii 1698. & datur in noſtro Indice *ſub n.* 201.

V. Gavant. num. 2. - *Dedicatio vero Eccleſiæ eſt ipſamet Conſecratio &c.*) A Feſto Sancti Titularis Eccleſiæ progredimur nunc inſiſtendo Gavanti veſtigiis ad nonnulla diſcutienda circa Feſtum Dedicationis Eccleſiæ. Titulus igitur, & Dedicatio Eccleſiæ in multis differunt, & in aliis conveniunt, nam Titulus Eccleſiæ eſt (ut ſupra diximus) illud myſterium vel ille Sanctus, a quo Eccleſia denominatur. Dedicatio vero Eccleſiæ eſt ipſamet ejus Conſecratio facta ab Epiſcopo; peracta ſiquidem novæ Eccleſiæ fabrica, cum primum fieri poterit, debet ab Epiſcopo ſolemni Ritu, qui præſcribitur in Pontificali Romano, dedicari, ac conſecrari, cujus Dedicationis Feſtum, quia quotannis anniverſaria recolitur celebritate, *anniverſarius* (ſcilicet *dies*) vel *anniverſarium* (nempe *Feſtum*) *Dedicationis* nuncupatur; dies vero ipſa Dedicationis appellatur *natalis Templi dedicati dies*.

De origine, Rituque dedicandi, & conſecrandi Eccleſias, necnon de modo celebrandi tam ipſum Feſtum Dedicationis, quam diem ejus anniverſarium, erudite differunt Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 13. *cap.* 4. Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 16. *a n.* 9. necnon hoc loco *n.* 1. & 7. Auctoreſque ab eodem citati, præſertim Tobias Corona *par.* 1. *cap.* 7. necnon Guillelmus Durandus in Rationali Divin. Offic. ac Joannes Stephanus Duranti de Ritibus Eccleſiæ. Rurſus ſuper eadem re eruditiones varias afferunt Joannes Clericatus in Deciſionibus de Miſſæ Sacrificio *dec.* 41. & Biſſus v. *Dedicatio Eccleſiæ n.* 51. ubi oſtendit, Feſtum Dedicationis Eccleſiæ celebrandum eſſe, ſumpto exemplo a Chriſto Domino, & ex auctoritate Apoſtolica; de qua re allegat etiam Canones Felicis IV. & Gregorii I. de Conſecratione *diſt.* 1. *cap. Solemnitates*. Vide etiam Commentaria viri præſtantiſſimi Joſephi Catalani in Pontificale Romanum, & Martene *lib.* 2. *de antiq. Eccleſ. Ritib. cap.* 13.

De Eccleſiæ Dedicatione fit Officium, & omnino idem, ut diximus, tam in ipſa die, in qua conſecratur, quam quotannis in die anniverſaria Dedicationis, in utroque caſu primæ Claſſis cum Octava, ut conſtat ex Breviario, ita tamen, ut in ipſo die Dedicationis dicatur Oratio: *Deus qui inviſibiliter &c.* in Anniverſario vero dicatur alia, videlicet: *Deus qui nobis &c.*

Quando in Officio Dedicationis alicujus Eccleſiæ habetur aliquid de proprio, illud retinendum, & cætera de Communi ſupplenda, puta pro Dedicatione Baſilicæ SS. Salvatoris, & Baſilicarum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. Rurſus aliquando contingit nihil eſſe ſumendum de Communi Officii Dedicationis, quando nempe pro Feſto Dedicationis fit Officium de Titulari, & caſus datur in Dedicatione S. Mariæ ad Nives, in Dedicatione S. Michaelis Archangeli; in quibus Feſtis nihil ſumitur de Officio Dedicationis, ſed fit Officium de Sancta Maria, & de Sancto Michaele, ut in Breviario habetur, quod optime adnotavit Guyetus *lib.* 3. *cap.* 15. *q.* 1.

Huc ſpectat Decretum editum a S. R. C. die 18. Auguſti 1629. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 69. ſcilicet: Feſtum aliarum Eccleſiarum a Cathedrali celebrandum eſt tantum in ea Eccleſia, ubi Conſecrationis dies peragitur. Declarat inſuper S. R. C. non poſſe celebrari Feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ, quam certum eſt non fuiſſe conſecratam, vel dubium eſt. Si autem conſtet de Conſecratione, quæ ex certis indiciis, nempe ex Crucibus in parietum ſuperficie deſcriptis, Altarique fixo & immobili, vel ex aliqua inſcriptione authentica deduci poteſt, & ignoretur dies Conſecrationis, declarat, inquam, Sacr. C. poſſe tunc loci Ordinarium aſſignare diem pro Feſti prædicti celebratione. Hæc pariter quoad ultimam Partem fuit ſententia Guyeti ab ipſo tradita in *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 4. eam deducens ex alio, non vero ex hoc Decreto a nobis dato; & Guyeti ſententiæ conſentit pariter Biſſus *tom.* 1. v. *Dedicatio Eccleſiæ n.* 51. §. 11. qui ex eodem Guyeto *q.* 6. notat, quod ſi proceſſu temporis innoteſcat dies vera anniverſaria, quæ e memoria exciderat, tunc ſuo vero reſcito diei debere reſtitui, dummodo ex hac mutatione nullum timeatur ſcandalum, quia cæterum de conſenſu Epiſcopi, vel Superiorum, ad quos ſpectat, poterit retineri eadem illa dies, in qua ex antiqua conſuetudine ſolitum erat agere anniverſarium Dedicationis Feſtum.

Spectat etiam ad hunc locum Decretum editum die 13. Junii 1682. datum in noſtro Indice *ſub n.* 125. necnon mox ſupra allegatum, ubi egimus de titulo Eccleſiæ; ſcilicet - Religioſi tenentur celebrare ſub Ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava Feſtum tam de Dedicatione, quam de Titulari Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur &c. - Item Regulares tenentur pariter, ut videbimus infra, ad celebrandum Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis.

Denique congruum pariter eſt hoc loco mentionem facere Decreti editi die 20. Novembris 1662. & dati in noſtro Indice *ſub n.* 83. in quo habetur - Anniverſaria dies Dedicationis Eccleſiæ dum Epiſcopus in Conſecratione ejuſdem

non

non elegerit diem, ſed conſecravit Eccleſiam die &c. menſis &c. debet celebrari in futurum diem, quo hactenus conſueverunt celebrare.

VI. Gav. eod. n. 2. *Feſtum autem Dedicationis dignius eſt &c.*) Adſtruit Gav. Feſtum Dedicationis Eccleſiæ dignius eſſe feſto S. Patroni loci, ſeu Eccleſiæ Titularis, quam ſententiam docuit etiam ſup. *Sect. 3. c. 8. n. 7.* de qua re in noſtris Obſervationibus ibid. *ſub n. 12.* nonnulla nos quoque addidimus omnino videnda, ne eadem hoc loco repetamus. Ad hanc rem pertinet Decret. datum in noſtro Indice *ſub n. 156.*

VII. Gav. n. 3. — *Conveniunt in his &c.*) Diximus Titulum & Dedicationem Eccleſiæ in pluribus convenire, præſertim vero in ſequentibus, 1. tam Feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ, quam Titularis ſunt primæ Claſſis, 2. utraque habet Octavam, niſi occurrat intra Quadrag., aut tempus Rubr. generali *n. 1. in fine* exceptum. Uno verbo, utraque habet privilegia Feſtorum primæ Claſſis, ut notat etiam Gavantus ſupra, alia ibi animadvertendo.

VIII. Gav. n. 4. — *Si contingat dedicari Eccleſiam in aliquo Feſto ex ſolemnioribus &c.*) Docet hoc loco Gav. inhærendo Decr. Sac. C. quod ſi contingat dedicari Eccleſiam in aliquo Feſto ex Solemnioribus, tunc ne quotannis occurrentia duo Feſta ſe invicem impediant, poteſt Conſecrator decernere alium diem ad celebrandum anniverſarium Feſtum Dedicat. ejuſdem Eccleſiæ a ſe conſecratæ. Decr. a Gavanto allegata exhibentur in noſtro Indice *ſub n. 16. & 17.* Nomine autem Feſtorum ſolemniorum veniunt profecto hi dies, quibus interdicitur a Rubr. cujuſcumque Feſti celebratio, qui quidem dies, ut colligitur ex Rubr. *de Tranſlatione Feſtorum n. 1.* ſunt Domin. 1. Adventus, Vig. & a fortiori dies ipſa Nativ. Domini, Circumciſio, Epiphania, & dies ejus Oct. Feria IV. Cinerum, Dom. 1. Quadrag. Dom. Paſſionis, Dom. Palmarum, & deinceps uſque ad Dom. in Albis incluſive, Aſcenſio Domini, Vig. Pentecoſtes, & deinceps uſque ab Dom. Trinitatis incluſive; Feſtum Corporis Chriſti, Aſſumptio B.M. & Feſtum Omnium Sanctorum, quibus addit etiam Guyetus *l. 2. c. 1. q. 3.* quodcumque aliud Feſtum primæ Claſſis, nimirum Feſta Nativ. S. Jo: Baptiſtæ, & Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quinimo, ſi lubet, ait ipſe, inter Feſta ſecundæ Claſſis prætee Circumciſionem Domini, & Feſtum SS. Trinitatis ſupra memorata, addi poſſunt tria quoque Feſta B.V. Purificatio, Annuntiatio, & Nativ. quod ea ſolemniori apparatu ubique conſueverint celebrari; item dies 2. Novemb. forte etiam 3. ob Commem. Defunctorum in alterutro illorum fieri ſolitam. Prædictis Feſtis B. V. nunc addendum eſſet ob eamdem rationem a Guyeto allatam etiam Feſtum Conceptionis ejuſdem Immaculatæ Virginis. Reliqua vero omnia etiam Duplicia ſecundæ Claſſis, qualia ſunt Natalitia Apoſtolorum, idem Guyetus cenſet non obligare Conſecratorem ad mutandum diem Dedicationis, ſi forte hanc in iis fieri contingat, cum ipſa utpote minoris ſolemnitatis Dedicationi facile cedant, adeoque transferri magis deceat, quam ipſam Dedicationem. Si quibus tamen contrarium commodius videatur, haud repugnat idem Guyetus, motus exemplo Eccleſiæ Bituricenſis, quæ anniverſarium Dedicationis ſuæ feſtum non die 6. Maji, quo facta eſt a Guillelmo de Broca 77. Archiepiſcopo anno 1324. ſed præcedenti, nimirum die 5. celebrat per anticipationem, ne moveat a loco ſuo feſtum S. Joannis ante Portam Latinam.

Cenſet idem Auctor poſſe mutari a Conſecratore præfatum diem Dedicationis etiam ob concurſum temporum Adventus, & Quadrag. ac conſequentium feſtorum Natalis Domini, & Paſchæ: videlicet a die 10. vel 11. Menſis Decembr. uſque ad Octavam Epiphaniæ incluſive; & a medio circiter Februario uſque ad finem Aprilis; quia ex dicto concurſu Dedicationis Octava grave diſpendium pati poſſet, quia aliquando non poſſet ullo modo celebrari, & aliquando ſaltem abrumpi.

Denique juſta cauſa mutandi Dedicationis diem eſſe poteſt, ſi Eccleſiæ Dedicatio fiat eodem die, qui Patrono, ſeu Titulari Eccleſiæ eſt dicatus, ſed melius eſt cavere, ne quid ſimile occurrat jam inde ab ipſamet Eccleſiæ Dedicatione, quam utique fieri convenit alio die ab eo, quo fit feſtum Patroni, ſeu Titularis.

Procedit Gav. ſupra ad declarandum diem illum, quem Conſecrator decernere poteſt ad celebrandam anniverſariam Dedicationem Eccleſiæ, & ad alleganda Decr. S. C. quæ concedunt Epiſcopo Conſecratori in actu Conſecrationis facultatem mutandi diem anniverſarium Dedicationis Eccleſiæ.

IX. Gav. eod. n. 4. — *Extra actum vero Conſecrationis non poteſt amplius mutari feſtum &c.*) Epiſcopum Eccleſiæ Conſecratorem tranſacto Conſecrationis actu non poſſe Dedicationis feſtum amplius mutare, & in aliam diem transferre, inconſulta Sede Apoſtolica, liquet ex Decr. a Gav. allegatis, & datis in noſtro Indice *ſub n. 56. & 17.* Et quamvis die 27. Novemb. anno 1706. emanaverit a S.R.C. Decr. ſequens, nimirum — Cum Eccleſia Cathedralis Ferentina fuiſſet pluribus in locis reſtaurata, & magna in parte renovata, & de illius Conſecratione ſigna nullibi apparerent, neque aliæ probationes exiſterent, adhuc quia in præteritum feſtum Dedicationis fuerat celebratum, S. R.C. declaravit: non indigere nova Conſecratione, & Dedicationis Feſtum poſſe transferri ab Epiſcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam — Quamvis, inquam, hoc emanaverit Decr. datum in noſtro Indice *ſub n. 243.* nihilominus non cenſetur in hoc Decreto, & in aliis ſimilibus conceſſum arbitrium omnibus Epiſcopis in ejuſmodi caſibus transferendi Dedicationis feſtum ad aliam diem extra actum Conſecrationis, ſed illis tantum, quibus petentibus benigne indulget eadem S. C. talem facultatem. Ita pariter Lantuſca in Theatro Regularium verbo *Conſecratio Eccleſiæ* refert Decr. editum die 7. Augusti 1655. in quo hæc habentur — Quia quandoque non poteſt celebrari, Feſtum Conſecrationis alicujus Eccleſiæ cum Octava ob impedimentum alterius Officii, ſicut evenit in Conſecratione S. Mariæ de Puteo Fratrum Minorum Strictioris Obſervant. de Summa Nolanæ Diœceſis: quæ fuit Conſecrata in die Annuntiationis B.M.V. ideo inſtantibus prædictis Fratribus S. R. C. Ordinarii arbitrio remiſit, poſſe transferre feſtum præfatæ Conſecrationis ad menſem Septembris — Ex quo paritee Decreto colligitur, quod occurrente ſimili impedimento non eſt in Epiſcopi arbitrio transferre anniverſariam Conſecrationis diem, ſed debet ſemper fieri recurſus ad dictam S. R. C. pro gratiæ conſecutione, quæ juſta interveniente cauſa indulget locorum Ordinariis prædictam facultatem etiam extra actum Conſecrationis.

Vide etiam Decr. mox ſupra allegata ſpectantia ad Titularem Eccleſiæ, quorum aliqua pertinent ad feſtum Dedicationis. Vide pariter Decr. editum die 18. Aug. 1629. & datum in noſtro Indice *ſub n. 69.*

X. Gav. eod. n. 4. — *Servata in reliquis Rubrica de Concurrentia Octavarum, &c.*) Gav. ſupra *Sect. 3. c. 8. n. 7.* præfert Octavam Dedicationis Eccleſiæ Octavæ cujuſcumque Sancti, vel Patroni loci, vel Eccleſiæ Titularis; dignorem vero cenſet Octavam Aſſumptionis B. M. V. Octava Dedicationis Eccleſiæ, ob rationem ibi allatam; non ſolum tamen prædicta Aſſumptionis Octava, ſed etiam Ss. Omnium dignior certiſſime cenſeri debet, quam Octava Dedicationis Eccleſiæ, nam extat Decretum S.R.C. editum die 5. Mart. 1695. datum in noſtro Indice *ſub num.* 187. rem hanc aperte declarans. Sententiam iſtam ante præfati Decreti emanationem tenuit etiam Guyetus *lib. 4. cap. 6. q. 5.* hac ratione motus, quia illius feſti Octava cuicumque feſto præfertur; ſed feſtum Omnium Sanctorum præfertur feſto cujuslibet Patroni, & Dedicationis Eccleſiæ, ut liquet ex Rubrica X. *De Tranſlatione Feſtorum*, ubi inter dies, quibus cedunt quæcumque alia Feſta, numerantur ex additione Urbani VIII. Feſta Aſſumptionis B. M. & Omnium Sanctorum: ergo, ut optime infert idem Guyetus, Octava Omnium Sanctorum pariter præferri debet Octavæ Dedicationis Eccleſiæ, acceſſorium ſiquidem ſequi debet naturam principalis.

XI. Gav. n. 5. — *Celebrari quoque debet anniverſaria Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, &c.*) Explicat hoc loco Gavantus quo ritu anniverſaria Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis celebrari debeat in Civitate necnon in Diœceſi juxta Decretum S. C. editum die 2. Maji 1619. datum in noſtro Indice *ſub num.* 42. Vide etiam Decretum ſpectans ad eumdem Rit. editum 19. Jun. 1700. & datum in noſtro Indice *ſub n.* 214.

XII. Gav. eod. n. 5. — *Quod celebrari debet a Regularibus &c.*) Eadem anniverſaria Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis celebrari debet etiam a Regularibus, ſed ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, & ſine Octava, ut declaratur in Decreto edito die 1. Apr. 1662. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 81. Hoc idem colligitur ex alio Decreto edito die 11. Febr. 1702. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 224. Vide etiam Decreta data in noſtro Indice *ſub n.* 147. & 176.

XIII. Gavant. eodem num. 5. — *Neque tenentur iidem ad hoc Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, niſi ex quadam congruentia, &c.*) Poſtquam declaravit Gavantus Regulares debere celebrare Feſtum, & Officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu Duplici, ſed ſine Octava; nunc procedit ad aſſerendum eoſdem Regulares non ſolum non teneri ad Octavam, ſed ne quidem ad dictum Feſtum Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ, niſi ex quadam congruentia, ut Eccleſiæ matrici ſe conforment. Huic Gavanti ſententiæ conſentit etiam Biſſus *loc. ſupracit. §. 6.* Verum ex Decretis S. R. C. mox allegatis aperte liquet Regulares non ſolum ex congruentia, ſed ex præcepto vere teneri ad celebrandum dictum Officium Anniverſariæ Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ illius Civitatis, in qua morantur, ſed ritu Duplici ſecundæ Claſſis, & ſine Octava.

XIV. Gav. eod. n. 5. — *Pro varietate Orationum ſumi ea poterit, quæ aſſignata eſt, &c.*) Juxta Rubricam, quæ habetur in poſtrema Brev. recognitione, docet noſter Auctor, quod ſi concurrant, ſeu occurrant Dedicationum Feſta, vel Octavæ, pro varietate Orationum ſumi ea poterit, quæ aſſignata eſt ipſi diei Dedicationis. Huic Rubric. diſpoſitioni conſonat Decretum editum die 25. Septembris & datum in noſtro Indice *ſub n.* 242.

XV.

XV. Gavant. num. 6. — *Deſinit præferendam eſſe Dedicationem propriæ Eccleſiæ, &c.*) Cum de Jure quælibet Eccleſia poſſit, & debeat celebrare feſtum ſuæ Anniverſariæ Dedicationis juxta ea, quæ habentur in *Cap. Solemnitates 1. & 2. de Conſecratione diſt. 1. & c 3. diſt. 3. eod. Tit.* contingere poteſt, quod eadem die occurrat Feſtum Dedicationis Cathedralis celebrandum, ut diximus, tota Civitate, & Diœceſi, & Feſtum Dedicationis alicujus particularis Eccleſiæ ejuſdem Civitatis, in quo caſu, juxta Romanæ Rotæ deciſionem, tenet Gav. præferendam eſſe Dedicationem propriæ Eccleſiæ Dedicationi Eccleſiæ Cathedralis; & ſicut præferenda eſt in propria die, ſic etiam erit agendum principaliter infra ejus Octav. cum Commem. de Dedicatione Cathedralis per Orationem aſſignatam ipſi diei Dedicationis, ſcilicet: *Deus qui inviſibiliter omnia contines &c.* ut diſponitur in Rubr. & ut mox adnotabimus.

Ex prædicta deciſione Sac. Rotæ, & Gav. ſententia ſequitur, ut alibi diximus, quod ſi eodem die occurrant duo Patroni, quorum unus ſit univerſalis totius Regni, vel Provinciæ, alter vero particularis alicujus Civitatis exiſtentis intra fines ejuſdem Regni, vel Provinciæ, idem pari ratione agendum eſt, præſertim ſi ſint ejuſdem dignitatis, & Hierarchiæ, nam concurrente in aliquo illorum majori dignitate, is præferendus eſſe videtur; ſed ante deciſionem quæſtionum particularium, quæ ſuboriri poſſunt in variis caſibus, evolvendum eſt Decr. editum die 20. Jul. anni 1686. & in noſtro Indice *ſub n. 157.*

Sequitur etiam ex dictis, quod Feſtum Dedicationis Eccleſiæ particularis in Diœceſi, & extra Civitatem a fortiori præferendum ſit Feſto Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, quia prædictum Feſtum Dedicationis Cathedralis in reliqua Diœceſi extra Urbem non celebratur cum Octava, adeoque non cum tanta ſolemnitate, cum quanta idem Feſtum celebratur in Urbe, in qua Eccleſia Cathedralis ſita eſt, ibi enim, ut diximus, celebratur non ſolum ſub ritu Duplici primæ Claſſis, ſed etiam cum Octava. Ob hanc rationem licet animadvertat P. Halden *part. 3. tit. 4. §. quæritur primo*, quod cum Gav. ſup. *ſect. 3 c. 8. n. 7.* & alii ibi citati docuerint, quod occurrente Feſto Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis in Feſto Nativ. S. Jo: Baptiſtæ, aut Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli, debeat Officium celebrari de dicta Dedicatione, tranſlato Feſto S. Jo: Baptiſtæ, aut Ss. Petri, & Pauli in diem primam non impeditam; animadvertat, inquam, Halden hanc Gav. doctrinam intelligendam dumtaxat eſſe, ubi Feſtum Dedicationis ejuſmodi Eccleſiæ celebratur ſub ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava, non autem ubi celebratur ſine Octava, nempe in Diœceſi extra Urbem, ob rationem ſupra adductam, quia nimirum in reliqua Diœceſi Feſtum Nativ. S. Jo: Baptiſtæ, aut Ss. Petri & Pauli ſolemniori ritu celebratur, ſcilicet cum Octava, & idcirco ibi tranſlato Feſto Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis in diem proximam Feſto IX. Lect. non impeditam: ipſum Feſtum S. Jo: Baptiſtæ, aut Ss. Petri, & Pauli proprio ſuo die eſt celebrandum. Attamen inhærendo S.R.C. Decr. ſub die 6. Sept. 1727. in una Fulden. ad 3. dubium, & datum in noſtra noviſſima Appendice ſub n. 350. in ſimilibus caſibus debet aſſignari in perpetuum alia dies pro Dedicatione, quodque etiam debet fieri pro Patrono ſeu Titulari, & quocumque alio duplici primæ Claſſis particulari, ut apparet ex dicto & aliis Decretis.

XVI. Gav. n. 7. — *Officium Dedicationis eſt Duplex majus, &c.*) Feſtum tum actualis, tum anniverſariæ Dedicationis propriæ Eccleſiæ eſſe majus, nempe primæ Claſſis cum Octava, certiſſimum eſt apud omnes, cum id pateat ex Rubr. tum Miſſalis, tum Brev. Romani, unde tali Feſto, & tali Octavæ conveniunt omnia ea, quæ diximus de Feſtis, & Octavis primæ Claſſis.

XVII. Quæritur a nonnullis, an quando jus Parochiale veteris, ſed adhuc ſtantis Eccleſiæ, tranſlatum eſt ad aliam Eccleſiam de novo, ac loco commodiore ædificatam, Dedicatio veteris Eccleſiæ etiam nunc, ut diximus, ſtantis, adhuc debeat quotannis celebrari a dicto Parocho, & ſuo Clero ritu duplici primæ Claſſis, & cum Octava?

Proponit, & reſolvit hanc quæſtionem Gobat *tr. 3. n. 696. appendice 3.* deciſione affirmativa, quam comprobat argumentis ibid. allatis a *lit. a 3.* uſque ad *lit. f. 3.* Idem Auctor eod. *tr. 3. n. 689. & n. 696. appendice 3. lit. o*, refert opinionem, quam tradiderunt P. Quintanadvennas, & Bruno Neuſſer, nimirum Dedicat. annuæ cujuslibet Eccleſiæ etiam ſolummodo benedictæ, & adhuc non conſecratæ quotannis celebrari poſſe, ac debere cum Officio, & Miſſa, ſed idem Gobat citans Guyetum *l. 1. c. 3. q. 4.* non modo obligationem, ſed etiam licentiam celebrandi Officium, & Miſſam in prædicto caſu, optime negat, & revera attentis Rubr. & Decr. S.R.C. non poteſt celebrari Miſſa, & Officium anniverſariæ dedicationis, niſi Eccleſiæ vere ab Epiſcopo conſecratæ.

XVIII. Aliam ſingularem quæſtionem proponit Halden. *p. 3. tit. 3. §. quæritur 7.* nimirum quodnam Officium recitare debeat Clerus, ſeu Religioſi illius Eccleſiæ, quæ dedicatur in ipſa die Conſecrationis; an pridie Conſecrationis poſſint primas Veſp. & poſtridie Matutinum, ac Laudes cum reliquis Horis dicere de die dedicationis? Dubium hoc oritur, quia Eccleſia non remanet conſecrata regulariter loquendo, niſi mane paulo ante meridiem, & antequam celebretur Miſſa in tali Eccleſia ab Epiſcopo Conſecratore; cum igitur adhuc non ſit conſecrata, videtur pridie Conſecrationis non poſſe recitari primas Veſp. de Dedicatione, & poſtridie pariter non poſſe dici Matutinum, ac Laudes cum reliquis Horis de Feſto Dedicationis, & Conſecrationis; & equidem in Brev. proprio Ord. Prædicatorum legitur Rubr. hæc ad rem præſentem valde notabilis, in Feſto Dedicationis Eccleſiæ: *in primo anno Dedicationis Eccleſiæ Officium inchoatur in Miſſa; in Hora vero, quæ ſequitur Miſſam, & deinceps in omnibus Horis uſque ad Completorium ſequentis diei excluſive fiat Officium totum Duplex, & die ſequenti in Matutino fiant 9. Lect. &c.* ex quo argui poſſet ipſum ſequentem diem eſſe proprium diem Dedicationis: verum quia ſtatim ſubditur hæc Clauſula, *Octava vero celebrabitur revoluta hebdomada eo die, quo Dedicatio facta fuerit*; hinc infert Guyetus *l. 2. c. 1. q. 1.* Ex eadem prædicti Brev. Rubr. diem Dedicationis non eſſe ipſum ſequentem diem feſtivum dedicationis, ſed illum, in quo revera fit dedicatio, unde laudatus Auctor aſſerit, & tenet, quod licet Officium dedicationis in ipſa Eccleſia dedicata incipiat tantum in Miſſa, poſt completam videlicet dedicationis actionem: debuerunt tamen primæ Veſperæ, ac Matutinum cum Laudibus, necnon Prima, ac Tertia a Clero de ipſa dedicatione ante cantari. Eamdem ſententiam amplexus eſt etiam allegatus Halden, nulla tamen Guyeti mentione facta, cujus opinionem forte non legit. Docet igitur Halden in Feſto dedicationis poſſe Officium a Clero Eccleſiæ dedicatæ recitari de dedicatione a primis Veſperis uſque ad Completorium ſequentis diei incluſive, & id colligit ex Rubrica, quæ extat in Breviario Romano *in Communi Dedicationis Eccleſiæ*, in qua cum tam in primis Veſperis, quam in Laudibus *pro ipſo die Dedicationis Eccleſiæ, & per ejus Octavam*, expreſſe præſcribatur Oratio in Officio recitanda, diverſa ab ea, quæ in Officio dicenda eſt, *in die Anniverſario Dedicationis, ac per iſtius Octavam* manifeſte ſupponitur ab Auctore Rubricarum dari caſum, in quo Officium dicendum ſit ad primas Veſperas, ad Matutinum, & Laudes *de ipſo die Dedicationis*, & hujus Octavæ; quinimmo ſupponit idem Rubricarum Auctor etiam primas Veſperas in ejuſmodi caſu dicendas eſſe, non poſt factam Conſecrationem, ſed pridie Conſecrationis de die ſubſequente Dedicationis, ſeu Conſecrationis; ut quid enim aliam Breviarium præſcriberet etiam in primis Veſperis Orationem dicendam *pro ipſo die*, ut ibi loquitur, *Dedicationis?*

Neque obeſt, quod pridie, & mane ſubſequenti ante abſolutam Conſecrationem nondum ſit Conſecrata Eccleſia; ſicut enim, ait Halden, pridie diei Feſto, quo aliquis Sanctus Confeſſor obiit, uti per ſubſequentem Octavam citra inconvenientiam, ac falſitatem dicitur: *Hac die lætus meruit beatas ſcandere ſedes*, (quia nimirum hæc verba dicuntur relate ad tempus, quo reipſa verificantur, & fictione juris Eccleſiaſtici, tam Veſper præcedens, quam Octava ſubſequens habentur pro uno, eodemque moraliter tempore, ſive die, licet non pro ſingulis ejus partibus æqualiter verificentur) ita & hic ſuo modo contingit.

Præterea pro majori comprobatione hujus ſententiæ conſiderandum occurrit, quod pridie Conſecrationis alicujus Eccleſiæ ad Veſperas incipit aliquo modo ejuſdem Eccleſiæ Dedicatio per Cæremonias prævias, & ritus, qui tunc exercentur. Deferuntur etenim tunc ſolemniter Sanctorum Martyrum Reliquiæ ad Eccleſiam ſequenti die conſecrandam, & interea collocantur in aliquo Sacello, ſeu Altari prope illam exiſtente, pulſantur ſolemniter Campanæ more feſtivo, itaut Eccleſiæ Dedicatio ſit tunc, ut ita dicam in fieri, & in via, licet adhuc non ſit in facto eſſe; quapropter cum incipiat ex illa hora Dedicationis actualis ſolemnitas, & Feſtum, poteſt etiam ejuſdem Feſti Officium incipi, & recitari, præſertim cum in Oratione dicenda pro ipſo die Dedicationis nullum contineatur verbum, quod ſupponat, & aſſerat Eccleſiam antecedenter jam conſecratam. Denique cum Miſſa ſolemniter celebranda debeat correſpondere Officio, ſi Miſſa dicenda a Conſecratore eſt de ejuſdem Eccleſiæ actuali Conſecratore, ut patet ex Orationibus, quæ habentur in Miſſali; Officium pariter dicendum illa die a Clero eidem eidem Eccleſiæ addicto, debet profecto eſſe de Dedicatione. Ex his igitur omnibus omnino ſuadeor admittendam eſſe ſententiam, quam in hac re docuerunt Guyet. & Halden ſupra allegati.

Limitanda tamen eſt hæc ſententia, & excipi debent dies illi, in quibus non poteſt recitari quodcumque Officium etiam primæ Claſſis, ſeu dedicationis, ſeu Patroni, & Tituli Eccleſiæ; unde, ſi Conſecratio fieret in diebus privilegiatis, quales ſunt Feſtum Paſchæ, Pentecoſtes, Dominica prima Adventus &c. & aliis hujuſmodi, de quibus ſermo habetur in Rubricis tum Miſſalis, tum Breviarii, & de quibus ſupra nos quoque mentionem fecimus; tunc profecto Officium, & Miſſa deberet dici diei currentis, & a ſolo Conſecratore poſt Orationem diei poſſet addi Oratio de Dedicatione ſub unica concluſione. Et idem Epiſcopus Conſecrator rogari deberet, ut ad celebrandam anniverſariam Dedicationem Eccleſiæ decernat aliquam diem adeo commodam, ut in tale Feſtum, aut Dominicam privilegiatam &c. non incidat.

Quam-

Quamvis laudati Halden ſententiæ quoad prædictum Officium adhærendum eſſe cenſeam, eidem tamen Auctori non accedo quoad alteram partem, quam ibidem docet de Miſſa privata dicenda antequam conſummata fuerit Conſecratio; ſuſtinet enim, quod Sacerdotes, ſive Sæculares, ſive Regulares Eccleſiæ, quæ conſecratur, poſſint etiam Miſſam privatam de die Dedicationis celebrare, in loco idoneo, horis, & tempore præcedentibus ejuſdem Eccleſiæ completam Conſecrationem. Hanc, inquam, opinionem admittere non auſim, quia in Poſtcommunione Miſſæ, ipſa die Dedicationis, dicendæ, habentur hæc verba: *ut in hoc loco, quem nomini tuo indigne dedicavimus*; quæ verba convenire profecto non poſſunt, niſi Epiſcopo Conſecratori celebranti poſt peractam & completam templi Conſecrationem. Et quamvis ultro admittamus prædicta verba non ſolum congruere poſſe ipſi Epiſcopo Conſecratori, ſed etiam aliis Sacerdotibus, qui ad templi Dedicationem aliquo modo cooperati ſunt, vel ſua opera, vel intentione, aut votis, quibus templum illud divino cultui deſtinaverunt, ac dedicaverunt, ſi non explicite, ſaltem implicite; nihilominus quoad temporis circumſtantias iiſdem Sacerdotibus accommodari profecto non poſſunt illa verba: *quem nomini tuo dedicavimus*, quia nondum completa cenſetur Dedicatio; ſoli igitur Sacerdoti Celebranti poſt Eccleſiæ Conſecrationem poteſt convenire to *dedicavimus*. Deinde conſidero, quod Eccleſia conſecranda, ante Conſecrationem eſt omni ſupellectili denudata, nullum habet Altare præparatum, & ſi aliquod haberet conſecratum, eſſet omnino expoliatum, & denudatum; quapropter certiſſimum omnino eſt, quod in præfata Eccleſia permitti nullo modo poteſt Sacrificii celebratio, antequam compleatur Conſecratio ejuſdem Eccleſiæ. Itaque ſi Sacerdotes eidem Eccleſiæ addicti celebrarent in aliena Eccleſia illo die Conſecrationis, ſe accommodare deberent ejuſdem Eccleſiæ alienæ Ritibus, in qua Sacrificium peragunt. Si autem adeſſet aliquod Sacellum eidem Eccleſiæ aliquo modo adnexum, & idoneum ad celebrandum, ab eadem tamen Eccleſia ſeparatum, præfati Sacerdotes adhuc non poſſent celebrare Miſſam de die Dedicationis, niſi poſt peractam conſecrationem ob rationem ſupradictam, & in tali Sacello deberent celebrare Miſſam correſpondentem diei currenti in Kalendario, vel ad ſummum poſſet forſan permitti celebratio etiam Miſſæ de die Dedicationis, dicendo tamen illam Orationem poſt Communionem, quæ dicitur in anniverſaria die Dedicationis, quia omnia illius verba proferri poſſunt ſine ullo mendacio, & optime etiam illi diei, & horæ congruere.

## De Officio S. Mariæ in Sabbato. VIII.

### R U B R I C A.

1. *IN omnibus Sabbatis per annum extra Adventum, Quadrageſimam, ac niſi Quatuor Tempora, aut Vigiliæ occurrant, vel niſi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum eſt: & niſi fiat Officium novem Lectionum, vel de Octava Paſchæ, & Pentecoſtes, ſemper fit Officium de S. Maria, eo modo quo fit de Feſto Simplici, quemadmodum circa finem Breviarii diſponitur. De Feſto autem Simplici in Sabbato occurrente fit tantum commemoratio.*
2. *Cum vero ſupradictis diebus fieri non poteſt Officium de S. Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum: ſed tantum in Semiduplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur) fit conſueta ejus commemor. per annum cum aliis Suffragiis poſitis in Pſalterio poſt Veſperas Sabbati.*
3. *Ejus Officium in Sabbato incipit Feria vi. ad modum Feſti Simplicis, a Capitulo, & terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria ſexta occurrat Officium novem Lectionum, in Veſperis fit tantum commemoratio de S. Maria, cum Antiphona, Verſu, & Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, niſi illud Officium novem Lectionum ſit de eadem B. Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda eſt.*
4. *Ad Matutinum poſt Invitatorium, & Hymnum de S. Maria, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Pſalmis ferialibus, ut in Pſalterio, Verſus de S. Maria, prima, & ſecunda Lectio ex Scriptura de tempore occurrenti; tertia Lectio, & alia omnia tam in Matutino, quam in Laudibus, & Horis, ut in Officio S. Mariæ in Sabbato aſſignantur.*
5. *Dicuntur Preces Dominicales ad Primam, & Completorium; & fiunt Suffragia conſueta de Apoſtolis, & Pace, & tempore Paſchali ſola commemoratio de Cruce, ut in ſecunda Feria poſt Octavam Paſchæ. Poſt Nonam nihil fit de ea, niſi conſueta ejus commemoratio cum aliis Suffragiis, quando dicenda ſunt in Officio de Dominica.*

## De Officio Beatæ Mariæ in Sabbato. Cap. VI.

### *G A V A N T U S.*

1. SAbbatum dicatum eſſe Beatæ Virgini conſtant, & docuimus tomo 1. meminitque hujus Ritus Microlog. *c. 60.* in Concil. Claromont. anno 1099. Officium in Sabbato B. V. Decreto ſuo deſtinavit. Radulph. *propoſ.* 20. Non eſt ergo votivum, ut aliqui ſcripſerunt: ſed præceptivum, quod habet originem, improprie, a voto Eccleſiæ, ſi votivum contendas eſſe.

2. Ritus Officii eſt ad modum Feſti Simplicis, quod optabat Radulph. *ibid.* nec tamen apparet, quo ritu tunc temporis Officium fieret de Beata Virgine hac die; ſed neque reperitur Officium hoc in Sabbato in Breviario MS. & fortaſſe id cauſæ fuit; quia ante Pium V. tenebatur Clerus ad recitationem quotidianam Officii parvi B. M. una cum Officio Domini: quam obligationem abrogavit Pius in Bulla anta Breviarium poſita.

3. Quare totum hoc Officium cum Lectionibus Sanctorum Patrum ſingulo Menſe pro varietate legendi, juſſu Pii V. fuit compoſitum, & editum. Clemens VIII. illud recognovit, mutata tantum Lectione pro Menſe Aprili, quæ erat S. Epiphanii, nunc vero S. Hieronymi.

4. Fit autem in omnibus Sabbatis non impeditis Officio, quoad ritum, digniori: quale eſt etiam Officium Feriæ majoris, aut Dominicæ anticipatæ, quæ ſcilicet ſuum non habet locum, ut diximus *Sect. 3. c. 5. n. 9.* quam quidam nimis pii erga B. V. anticipare vellent in alia Feria, nimium amantes ſui, ne Sabbati Officium recitent feriale cum Nocturno, & Laudibus prolixioribus. Feſtum Simplex cedit huic Officio Simplici de B. Virgine ratione dignitatis ejuſdem in pari ritu: & de Feſto Simplici fit tantum Commemoratio.

5. Et ideo ad modum Feſti Simplicis Officium hoc incipit in Veſp. Feriæ *6.* vel a Capitulo, ſi ille dies ferialis eſt, vel per Commemorationem, ſi eo die Feſtum eſt *9.* Lectionum. In Completorio Feriæ *6.* quamvis fiat de Feſto *9.* Lectionum, in fine tamen Hymni jus habet B. V. ut dicatur: *Jeſu tibi ſit gloria, Qui natus es de Virgine:* niſi ſit Feſtum Transfig. Domini, quod habet proprium finem omnibus Hymnis illius diei deſtinatum, & Feſtum eſt Domini.

*6.* Quod ſi Feria ſexta fuerit Feſtum ejuſdem B. V. in 2. Veſperis omittitur Commemoratio Officii in Sabbato: quia non convenit, ut de eadem fiant Veſperæ, & Commemoratio Caſus accidere poteſt in Purificationis Feſto, quod celebratur Feria *6.* ſeu in die Octavæ, quæ fit alicubi ejuſdem Purificationis; præterea nullus: & hac eadem de cauſa, inter Suffragia Sanctorum Communia, nihil, in hoc Officio dicitur pro Suffragio, ſeu Commemorat. Beatæ Mariæ, nec in primis Veſperis, nec in Laudibus. Ad Nonam finis eſt hujus Officii, ſicut Feſtorum Simplicium.

7. In Nocturno Sabbati omittitur Pſalmus *Jubilate*: pro quo dicitur Pſalmus e Laudibus Sabbati *Bonum eſt*; tum, ne ille bis dicatur in Matutino, & Laudibus, quæ conſtituunt, ut ſupra diximus, unam Horam: tum, ne hic per Hebdomadam omittatur, & ideo fit commutatio.

8. Pro varietate temporum additæ ſunt aliæ Antiphonæ cum Orationibus pro tempore; poſt Nativitatem, uſque ad Purificationem, quæ ſumptæ ſunt ex Officio parvo B. Virg. tum aliæ ad *Magnificat*, & *Benedictus*; pro tempore Paſchali, quo & additur *Alleluja* Invitatorio, Antiphonis, Reſponſoriis, & Verſibus.

9. Lectio aſſignata Martio eo anno tantum legitur, quo Paſcha celebratur die 20. vel 21. & ultra, Menſis Aprilis: ut videre eſt in Tabulis noſtri Ordinis perpetui a Tabula 30. uſque ad 35.

10. Ea item Lectio aſſignata Menſe Decembri non legitur unquam, niſi quando Dominica prima Adventus incidit in diem 2. Decembris. Reliquæ ſæpius leguntur.

11. Quæres: An ſuperfluat illa Parentheſis in Rubricis generalibus *tit.* 8. *n.* 2. ubi de hoc Officio: in Semiduplicibus (*quando ejus Officium parvum non dicitur*) fit ejus conſueta Commemoratio pee annum. Nam in Semiduplicibus non dicitur Officium parvum de B. Virgine, ſed explica illud *quando*, ideſt, quo die: vel indicat Parentheſis, alicubi dici Officium parvum de Beata Virgine etiam in Semiduplicibus, ob conſuetudinem, de qua *Sectione ſequenti capit. 1. n. 6.*

### Novæ Obſervationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubric. *Et niſi fiat officium novem Lectionum, &c.*) Diſponit Rubrica, & declarat a quibuſnam Feſtis, ſeu Officiis impediatur Officium Simplex Beatæ Mariæ in Sabbato; declarat igitur hoc Officium impediri ab omnibus Officiis 9. Lectionum, nempe ab omnibus Duplicibus, & Semiduplicibus, a diebus infra Octavas, includendo etiam Sabbatum infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, quamvis in his habeatur Officium tantum trium Lectionum. Rurſus impeditur



Digitized by Google

hoc Officium etiam a Feriis Adventus, & Quadrageſimæ, & ab omnibus Vigiliis &c. prout citata Rubrica *num.* 1. Denique inhærendo Decretis editis die 27. Aprilis 1697. & die 7. Februarii 1699. datis in noſtro Indice *ſub num.* 192. & 213. impeditur etiam hoc Officium Sanctæ Mariæ in Sabbato ab Officio novem Lectionum conceſſo aliquibus Regularibus, *vel* alicui Diœceſi ſemel in Hebdomada recitando, præſertim ſi tota Hebdomada tale Officium non potuerit recitari.

II. Gavant. num. 5. -- *In Completorio Feriæ VI. quamvis ſit de Feſto novem Lectionum, &c.*) Concedit Gavantus hoc loco, quod ſi in Feria VI. habeatur Officium novem Lectionum, & ſequenti Sabbato debeat recitari hoc Officium Beatæ Mariæ, tunc in Completorio Feriæ VI. in fine Hymni debeat dici: *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine, &c.* Aſſeritque illud jus habere B. M. quia ſupponit Gavantus in tali Feſto novem Lectionum factam eſſe Commemorationem ejuſdem Officii B. V. an vero eadem Hymni concluſio in Completorio dici quoque habeat ſi omittatur dicta Commemoratio ob Officium altioris ritus, quod occurrere poteſt in Feria VI. negat idem Gavant. ſupra *Section.* 5. *cap.* 6. *num.* 15. Guyetus tamen *lib.* 4. *cap.* 19. *qu.* 3. adſtruit, quod haud multum reſiſteret aſſerenti contrariam opinionem, hac ratione permotus, quia quamvis omiſſa Commemoratione B. V. nondum inchoatum fuerit Officium diei ſequentis de B. V. formaliter, & expreſſe, nihilominus cum de eadem poſtridie futurum ſit Officium, virtute ſaltem cenſeri debet inchoatum; adeoque jam inde aſſumenda quæ ejus ſunt, perinde atque retinentur in Feſto aliquo primæ Claſſis occurrente infra Octavas, quæ ad Octavam pertinent, licet de eo nulla facta ſit Commemoratio.

---

## S E C T I O   N O N A.

### De Appendicibus Breviarii.

IN fine Breviarii addita ſunt quædam, quæ dici poſſunt Appendices; quia non ſunt partes Horarum Canonicarum, nec ad eas, niſi remote, pertinent, de quibus, ordine Breviarii ſervato, nunc reſtat dicendum.

### SECTIONIS NONÆ CAP. VI.

1. *De Officio parvo B. Virginis Mariæ.*
2. *De Officio Defunctorum.*
3. *De Pſalmis Gradualibus.*
4. *De Pſalmis Pœnitentialibus.*
5. *De Ordine Commendationis Animæ.*
6. *De Benedictione Menſæ, & Itinerario Clericorum.*

### De Officio parvo Beatæ Mariæ, & aliis. XXXVII.

### R U B R I C A.

1. *DE Officio parvo B. Mariæ, de Officio Defunctorum, de Septem Pſalmis Pœnitentialibus, & Litaniis, & de Pſalmis Gradualibus, quando & quomodo, tam in Choro, quam extra Chorum, dicenda ſint, habentur ſuis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarii.*

2. *Tempore Paſchali in Officio parvo B. Mariæ, quod dicitur in Choro, non additur Alleluja Antiphonis, neque Verſibus, neque Reſponſoriis,*

### De Officio parvo Beatæ Virginis Mariæ. Cap. I.

### *G A V A N T U S.*

1. A Petro Damiani Cardinali fuit inſtitutum Officium, quod dicitur parvum B. V. ante annum 1056. ait Baronius, *eodem anno in Annalibus*: vel reſtitutum, ut ſcribunt, *in vita ejuſdem Petri*, Flaminius, & Fortunatus, quæ habetur initio operum ejuſdem: Greg. VII. jubente, ut addit Hieron. Rubeus *In Hiſtoria Raven.* quod puto verius; quia Paulus Diaconus *in expoſitione Regulæ S. Benedicti, quæ habetur MS. in Bibliotheca Aniciana Collegii S. Gregorii de Urbe*, ſcribit, quod Greg. III. & Zacharias Summi Pontifices, qui vixere ante ann. 752. præceperunt Caſſinenſi Congreg. ut omni tempore, una cum Officio Divino, recitarent etiam Officium B. V. ergo antiquiorem habet Auctorem. Decreto deinde Urbani II. in Concil. Claramont. anno 1096. Menſe Novembr. recitari ab omnibus Eccleſiaſticis quotidie juſſum eſt, ut notat Radulp. *prop.* 20. conſuetudo tamen hæc, ſeu lex fortaſſe non fuit ubique recepta; quæ paulatim in communem uſum abiit: unde Summiſtæ omnes dicunt, uſu tantum vim legis habente, non jure ſcripto illud recitari, quod notat Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 16.

2. Extra Chorum tunc temporis nemo tenetur hoc Officium recitare; contra Navar. *de Orat. cap.* 10. *num.* 3. qui tamen *Miſcell.* 77. mutavit ſententiam ob Bullam Pii V. qui in Bulla edita pro Breviario tollit omnem obligationem recitandi hoc Officium extra Chorum.

3. Penſionarii extra Chorum tenentur ad recitationem quotidianam hujus Officii ſub pœna reſtitutionis fructuum Penſionis ad ratam, ea ratione, quam attulimus ſupra in reſtitutione fructuum Beneficii *ſect.* 1. *cap.* 6. *n.* 2. ut patet in Bulla Pii V. hac de re edita: *Ex proximo Lateranenſi.*

4. Quod ſi Penſionarii recitent Horas Canonicas majores ratione Ordinis ſacri, vel Beneficii, tunc eximuntur ab onere recitandi hujus Officii parvi, immo vero etiam, ſi ex pietate tantum recitent Officium majus, quod docent communiter DD. Vide Azor. *loc. cit. cap.* 4. *qu.* 3.

5. In Choro, ſi adeſt conſuetudo recitandi hoc Officium, obligat adhuc, cum Pius V. eamdem potius confirmaverit in Bulla Breviarii: non tamen Canonicus extra Chorum tenetur ad illud recitandum, ut docet Azor. *loc. cit. cap.* 6. ſi utatur Breviario Pii V.

6. Immo Sac. Rit. Congreg. die 1. Septembris anno 1607. decrevit; ſervandam eſſe quoque eam conſuetudinem, qua recitatur in Choro hoc Officium in Semiduplicibus, & Dominicis, non obſtante Rubrica Breviarii, de qua mox dicemus; quia nimirum Pius V. in Bulla Breviarii habet hæc verba: *ſine præjudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus Officium parvum B. Virginis in Choro dici conſueverat, itaut in prædictis Eccleſiis ſervetur ipſa laudabilis conſuetudo celebrandi, more ſolito, prædictum Officium.* More, ait, ſolito; ergo & in Dominicis, & in Semiduplicibus, ſi adeſt conſuetudo. Tandem Urbanus VIII. de conſilio Sacræ Rituum Congreg. decrevit 2. Januarii 1627. etiam mutato proprio Breviario, & Romano acceptato, adhuc eos teneri ad quotidianam Officii B. V. recitationem, qui antea ex conſuetudine tenebantur, & Decretum fuit impreſſum Romæ inſtante Abbate Ripolenſis Monaſterii in Cathalonia.

7. Quando vero ſit alias dicendum in Choro, explicatur in Rubricis Breviarii circa finem ejuſdem. Nam omittitur, quando ſit Officium 9. Lectionum (excepta conſuetudine, numero præcedenti allegata) & hac de ea cauſa, quod doleo, in multis Eccleſiis Feſta plura 9. Lectionum introducta ſunt a Regularibus quoque eadem celebrantibus, ut relegetur a Choro Officium parvum B. V. Ipſi viderint.

8. Non item dicitur in Vigilia Nativitatis Domini, quod etiam notatum reperi in Breviario MS. nec in Feriis majoris Hebdomadæ, ut uni Chriſto vacemus. Alias autem in Breviario MS. & 1550. triduum tantum ultimum majoris Hebdomadæ excipiebatur in recitatione hujus Officii; nec infra Octavam Paſchæ, quod & tradit Radulph. *propoſit.* 20. propter temporis, inquit, incongruentiam; nec infra Octavas Pentecoſtes, ut in Breviario MS. & 1550. nec in Sabbatis, quando ſit Officium de B. Maria, ne bis, ait Radulph. videatur dici idem Officium. Quibus diebus omittitur a primis Veſperis, & in Vigilia Nativitatis a Matutino, ut in Breviario etiam MS. & 1550. Antea recitabatur in Choro, etiam in Feſtis Duplicibus majoribus, ut teſtantur Breviaria prædicta MS. & 1550. non puto tamen ubique, quia adhuc ſervatur hic Ritus ob ea, quæ diximus *num.* 6.

9. De modo illud recitandi, tum in Choro, tum extra Chorum, nunc dicamus. Nam ſeptem Horas habet, & Horæ eaſdem partes, quas in Horis Canonicis enumeravimus: ut in numero earum ſeptenario eaſdem cauſas mediteris erga B. Virginem, quas erga Deum ſignificavimus in Horis Canonicis. *Sect.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. *&* 6.

10. Concordant hæ Horæ cum antiquis, ut ſatis indicat Radulph. *loc. cit.* & cum Breviar. MS. exceptis his, quæ ſequuntur. Nam in Breviario 1550. additur Hymno, *Memento ſalutis auctor* (qui eſt de Hymno ad Veſp. Nativit. Domini) ſequens alter verſus *Mariæ Mater gratiæ*, qui olim erat ultimus Hymni, *o glorioſa*: ex Michaele Timotheo *de Hymnis lib.* 4. *Hymno* 32. Ante ſecundam Lectionem addidere Benedictionem, quæ in MS. non erat: mutata eſt tamen a Pio V. in eam, quæ nunc legitur: ad Horas omnes fiebat commemoratio Apoſtolorum, & omnium Sanctorum, quæ hodie fit ad Veſperas, & Laudes tantum. Extat Bulla Pii V. ann. 1575. qua prohibentur Officia B. V. vulgari ſermone edita, & approbatur, quod hodie habetur, additis aliis, quæ in eodem Officio leguntur.

11. Quadruplex item mutatio hujus Officii indicatur a Radulph. *loc. cit.* & habetur in Breviario MS. & 1550. in Advent. poſt Nativitatem, tempore Paſchali, & reliquo anni tempore, & congruit varietati temporum. Tempore Paſſionis nulla fit detractio, ſed dicitur *Gloria Patri*, in Invitatorio, & Reſponſ. 3. ut in Feſtis Sanctorum. Tempore Paſchali dicuntur in Noct. tres Antiph. ut alias, quia non eſt Officium de Feſto. An vero addendum ſit, *Alleluja* Invitatorio, Antiphonis, Reſponſoriis &c. dubitavere non pauci: ex una parte negant, & ad diſtinctionem Horarum majorum Canonicarum, & quia Rubrica hac de re in loco proprio Breviarii non habetur, ex altera affirmant, & videtur haberi ſatis in Officio ſimili B. M. in Sabbato; neque minus reſonare debet *Alleluja*, in Officio parvo B. Virginis, quam in Officio Chriſti, qui ſuæ Reſurrectionis prima Matri gaudia, & majora dedit. Nihilominus tamen non eſt addendum *Alleluja*; ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 28. Martii 1626. Mutatur etiam in Noct. Antiph. *Poſt Partum* in *Angelus Domini*, tempore Adventus, & in Officio Annunciationis, & Conceptionis B. V. quia proprie, & principaliter repræſentant

tur tempus ante Nativitatem Chriſti, & myſterium Incarnationis; quod ſonat Antiphona, *Angelus Domini*.

12. Si contingat transferri Feſtum Purificationis ob Dominicam privilegiatam, ſeu aliam ob cauſam; eo caſu transfertur etiam mutatio Officii, quam ſupra ſignificavimus, quod ſupra expreſſe dicitur in Breviario 1550. ſed extra Chorum mutatur die 3. Breviarii; quia in hoc caſu attenditur Feſtum, non Officium Chori.

13. In Choro dicitur hoc modo, Præponitur Officio diei in Matutinis, & Veſperis, in aliis Horis poſtponitur, Docet idem Radulph. *loc. cit.* ex uſu Romano, ſecundum uſum, inquit, Fratrum Minorum, quorum Breviaria adhibita ſunt, ut alias diximus, excluſis aliis a Nicolao III. Habetur etiam hic Ritus in Breviario MS. & 1550, Ratio eſſe poteſt, quia dividitur Officium in antemeridianum, & pomeridianum: utrumque vero, auſpice B. V. inchoari debet, præmiſſis ejuſdem Horis parvis, Matutino, & Veſperis majoribus de Officio diei: & eo caſu omittitur verſus in fine, *Fidelium animæ*, Reliquæ Horæ poſtponuntur, uti minores Horis Canonicis. Prima de B. V. dicitur, antequam legatur Martyrologium, quod non eſt pars Horæ Primæ, ſed quid ſuperadditum, ut ſupra docuimus; unde, & a multis legitur extra Chorum in loco Capituli.

14. Extra Chorum dicitur pro opportunitate temporis, & primo ante quamcumque Horam dici debet Salutatio Angelica, ut in Breviario 1550. præſcribitur, & Durandus docet *lib. 5. cap.* 2. tum in fine ultimæ Horæ, ſi plures ſimul recitentur, ut Durand. *ibidem*.

15. Dividi quoque poteſt in privata recitatione ex cauſa, Matutinum a Laudibus, dicta in fine Salutatione Angelica, & eadem repetita ante Laudes, ut in ſimili caſu diximus de Horis Canonicis cum Navarro ſupra *Sect. 4. c. 2. n. 3. & 4.*

16. Propoſita eſt Indulgentia centum dierum recitantibus dictum Officium juxta Rubricas Breviarii a Pio V, *in Bulla ejuſdem Breviarii*.

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 5. -- *Vel reſtitutum, ut ſcribunt in vita ejuſdem Petri, Flaminius, & Fortunatus, &c.*) S. Petrus Damiani, Monaſticorum Rituum propugnator acerrimus, primus eſt, qui in Annalibus Eccleſiaſticis Officium parvum B. V. inſtituiſſe narratur; verum, ut proprie advertit Gavantus, laudatus clariſſimus vir ejuſdem Officii fuit potius reſtaurator, quam inſtitutor; quam quidem veritatem teſtantur etiam Scriptores vitæ ejus fide digniſſimi, nimirum Joannes Monachus ejuſdem Sancti Petri Damiani diſcipulus *cap.* 15. Joannes Antonius Flaminius Forocornelienſis *poſt medium*, Auguſtinus Fortunatus Camaldulenſis *lib. 5. Hiſtor. Camaldulenſium*, & Hieronymus Rubeus *lib. 5. Hiſtor. Ravennaten.* Hi omnes uniformiter aſſerunt, Officium parvum B. V. a B. Petro non inſtitutum, ſed reſtitutum fuiſſe; ut cujus deſuetudo paulatim in ſuis Monaſteriis irrepſerat, ipſo urgente, & procurante, ad priſtinam obſervantiam revocaretur. Altius a Petro Damiani prædictam inſtitutionem repetendam eſſe, oſtendit etiam Cardinalis Bona *cap. 12. de Divin. Pſalmod.* in utraque enim Eccleſia Græca, & Latina vir eruditiſſimus horas B. M. inſtitutas invenit trecentis, & amplius annis ante Damianum. Et e Græca quidem Vincentius Bellovacenſis *in Spec. Hiſtor. lib. 17. cap.* 103. teſtem profert Joannem Presbyterum Damaſcenum, de quo Vincentius ſic ſcribit -- Joannes Damaſcenus in amore Dei, ac glorioſæ Matris ejus ſe exercens monachalem habitum aſſumpſit, Virgoque permanens, Reginæ Virginum horas quotidie ſtudioſiſſime decantabat, &c. -- vivebat autem Damaſcenus ann. Domini 728. e Latio vero clariſſimum exhibet teſtem præfatæ veritatis idem Cardinalis Bona Petrum Diaconum Caſſinenſem (non Paulum, ut ſupponit Gavantus) qui in Regulam Sancti Benedicti inſigne Commentarium compoſuit, quod hic Romæ MS. aſſervabatur apud D. Conſtantinum Cajetanum: in hoc igitur libro verba faciens Petrus de Abbatibus Caſſinen. Congregationis, ait; Eo die Abbas nihil aliud, niſi panem, & aquam comedat, & Canonica ſeptem horarum Officia in commemoratione B. P. Benedicti nunquam dimittat, ſalvo ſcilicet eo, quod in honorem Sanctæ Dei Genitricis perſolvi conſuetudo eſt, quod etiam generaliter ſub diſtricto præcepto Caſſinenſi Congregationi Zacharias Papa obſervari præcepit, conſtituens, ut totius anni tempore tam æſtatis, quam hyemis ante nocturnale, vel diurnale Officium mox ut Fratres in Choro convenerint, incipiant Officium de S. Benedicto, & eo expleto, inchoent Officium, quod Regula præcipit, adjuncto etiam S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ Officium -- Hæc Petrus Diaconus, qui & alibi eamdem inſtitutionem ad Gregorium II. refert. Hic autem, teſte Baronio, Pontificatum iniit anno ſalutis 715. cui poſt Gregorium III. ſucceſſit Zacharias. Ex quibus omnibus liquet prædicti Officii uſum, & inſtitutionem antiquiorem eſſe, quam vulgus hominum putet.

II. Gavant. eodem num. 5. -- *Decreto deinde Urbani II. &c.*) Urbanus II. Romanus Pontifex utrique in Concilio apud Claromontem in Galliis celebratum ann. 1095. ſancivit, ut Sanctiſſimæ Virginis Officium jam a quibuſdam Monachis frequentatum, etiam a Clericis recitaretur; quod quidem Officium in præfata Synodo Clericis omnibus præſcriptum, deinceps tanto ſtudio propagatum fuit, ut ipſi etiam Laici illud ſoleant frequentare.

III. Gavant. n. 11. -- *Et quia Rubrica hac de re in loco proprio Breviarii non habetur, etc.*) Non ſolum ex Decreto edito die 28. Martii 1626. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 52. ſed etiam ex ſuperiori recentis Breviarii Rubrica habetur, quod in Invitatorio, Antiphonis, & Reſponſoriis hujus parvi Officii B. V. tempore Paſchali non ſit addendum, *Alleluja*.

IV. Gavant. num. 12. -- *Eo caſu transfertur etiam mutatio Officii, etc.*) Docet hic Gavantus, quod ſi contingat transferri Feſtum Purificationis ob Dominicam privilegiatam, ſeu aliam ob cauſam, eo caſu transferatur etiam Officium parvum B. V. quod præſcribitur recitandum a primis Veſperis Nativitatis Domini uſque ad diem Purificationis; verum attento Decreto edito die 11. Januarii 1681. & dato in noſtro Indice *ſub num.* 114. in quo ſancitum fuit, quod tranſlato Feſto Purificationis, non ſit protrahenda etiam recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris etc.* ſed die 2. Februarii poſt Completorium, illa dimiſſa, ſumi debeat Antiphona *Ave Regina Cælorum etc.* & attentis etiam aliis Decretis datis in noſtro Indice *ſub num. 179. et* 232. hoc idem confirmantibus, cenſeo in prædicto caſu tranſlationis Feſti Purificationis, non eſſe transferendam mutationem Officii parvi B. V. quia in Laudibus ejuſdem Officii, quod recitatur a Nativitate Domini uſque ad Feſtum Purificationis B. M. habentur Antiphonæ, quæ ſpectant ad ejuſdem Puerperium, quæ terminare debent die 1. Februarii, & idcirco tranſlato Feſto Purificationis, illi, qui recitant Officium parvum B. M. V. ſtatim poſt diem 2. Februarii, debent recitare illud, quod præſcribitur dicendum a die poſt Feſtum Purificationis uſque ad Veſperas Sabbati ante primam Dominicam Adventus.

## De Officio Defunctorum. Cap. II.

### *GAVANTUS.*

I. OFficium Defunctorum dictum eſt, Agenda a Walafrid. *cap.* 25. & a Durando *lib. 7. cap.* 35. quia agere ſignificat celebrare, Item Exequiæ, ab Auguſtino *lib. de cura pro mortuis*, non quia extra alia ſequuntur, ut quidam definiere, ſed quia ex Durando *ibid.* extra vivos mortui ſepeliuntur, & extra Horas Canonicas hoc Officium proprios habet ritus. Donatus definit Exequias, quia mortuus præibat, cæteri ſequebantur in funere, Cum autem hodie in funere præcedat Clerus cadaver mortui, dicere poſſumus, nos mortuum ſequi, quia obiit ille prius. Exequias explicat ab executione dictas Mutius Capuccinus *de Offi. mort. cap.* 6. quia, inquit, executioni mandanda eſt Defunctorum voluntas.

2. De hoc Officio habetur Canon *extra de celebratione Miſſarum cap. cum cantatur*, Ab Apoſtolis ortum habet, ex Dionyſ. *de Eccleſiaſt. Hierarch. cap.* 7. ab Origene auctum fuiſſe dicitur, teſte Auguſtino *in lib. Enchiridion*, & Iſidoro *de Offic. Eccleſiaſticis*. Sancto Auguſtino tanquam auctori tribuit Jacobus de Valentia *in expoſit. Hymni Te Deum*. Auctor ligni vitæ *lib.* 5. auctorem hujus Officii facit Amalarium, qui *cap. 79. de ordin. Antiphonar.* indicat, ſe collegiſſe ex Romano, & Metenſi Antiphonariis ea, quæ recta ſibi viſa ſunt, de ordine ſepulturæ. Reſponſoria compoſuit Mauritius Epiſcopus Pariſien. qui obiit anno 1196. teſte Sancto Antonino citato a Demochare *tom. 2. de ſacrificio Miſſæ cap.* 18. Orationes *Deus qui inter Apoſtolicos, et Fidelium*, habentur in Sacramentario Gregoriano. Pius V. addit Orationes tres nimirum pro die Depoſitionis Defuncti, Anniverſario, Patre, & Matre Sacerdotis, vel recitantium eamdem Orationem, non cujuſcumque: in quo non pauci errant; & tamen Oratio ipſa indicat, de Patre, & Matre recitantis tantum ibi fieri Commemorationem, non aliorum, Oratio *Abſolve*, eſt in Sacramentario Gregoriano, Clemens VIII. addidit alias duas pro Defuncto, & Defuncta, quæ erant neceſſariæ, pro vario Defunctorum ritu: quarum prima *Inclina*, legitur in Sacramentario citato: reliquæ ſunt poſteriores Sacramentario. In reliquis nulla eſt mutatio. Idem eſt Officium apud Radulph. *loc. cit.* & in Breviar. MS. & in edito 1550. Concluſiones Orationum in Breviario diverſæ ſunt a concluſionibus in Officio Defunctorum Ritual. Roman. in quo ſemper dicitur *Per Chriſtum Dominum noſtrum*: ſed in Breviario datur ritus Officii in Ordine ad Officium de die Divinum, in quo ea eſt concluſio *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.* in Rituali vero traditur Officii ritus in ordine ad Exequias, in quibus unica eſt concluſio *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, & hac ratione non pugnant invicem Breviarium, & Rituale Romanum.

3. Inchoationes, & explicationes hujus Officii non fiunt, ut in Horis Canonicis, ad triſtitiam ſignificandam, ex Walafrid. *cap. 25. de Eccleſ. obſervat.* & ſimili modo, ait Alcuinus *cap. penult.* celebramus hæc Officia, quo celebrantur in iis diebus, quibus Chriſtus deſcendit ad inferna. Matutinum dicitur Vigiliæ ab Alcuino *de exeq. mort.* in quo Invitatorium dici-

Digitized by Google

dicitur; ut in propria Rubrica, nempe in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, in die depoſitionis, ſeu obitus Defuncti, etiamſi unum tantum dicatur Nocturnum, ut habetur in Rituali Romano. Itemque in die depoſitionis tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario; & regulariter, quando tres Nocturni dicuntur, etiam ex Durando *lib.* 5. *cap.* 3. quia ad ſolemnius Officium invitandi ſunt plures. Per annum autem omittitur, quia in hoc Officio exequias Chriſti, in Paraſceve fieri ſolitas, imitamur, Durand. *ibid.* Nocturni vero tres dicuntur in craſtino omnium Sanctorum, ut in prædicto Breviario MS. & apud Radulphum, in depoſitione Defuncti, niſi aliud impediat; ex Rituali Romano Pauli V. duplicatis Antiphonis; in quibus Nocturnis ex Alcuino, ſignificantur illa Officia Nocturnalia, quæ in morte Domini celebrantur. In ferialibus autem, tres Lectiones cum tribus Pſalmis, ſeu uno Nocturno, & Laudibus ad repræſentandum, ex eodem Alcuino, triduanam Chriſti ſepulturam; & ideo neque ad Lectiones datur Benedictio, neque in fine dicitur *Tu autem*, ſicut nec in triduo mortis Chriſti, Durand. *lib*, 5. *cap*, 2. Antiphona nona *Sitivit anima mea ad Deum vivum*: ita legenda eſt, licet in Pſalmo dicatur: *ad Deum fortem* (non fontem) *vivum*, & habes exempla in Breviario Antiphonarum, quæ paululum diſcordant a verſu Pſalmorum, quorum ſunt Antiphonæ: ut in 2. Antiphona 1. Nocturni Dominicæ. In fine Veſperarum, & Laudum dicuntur preces ſemper genibus flexis, etiam quando omittuntur Pſalmi. Epiſcopis autem *in Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 10. pro eorum dignitate præſcribitur, ut ſtantes dicant preces: quod non debet eſſe commune reliquo Clero. Dicitur *Pater noſter*, *Et ne nos*: alta voce, quod in MS. Breviario traditur. In Breviario 1550. male legatur, quem ritum in Veſper. reſtituit Pius; & in Laudibus explicavit magis Clemens VIII. Verſus autem frequentiſſimus, *Requiem æternam*, *&c.* habetur in Sacramentario Gregoriano, qui dividitur in fine Pſalmorum, & Precibus; licet in Reſponſoriis ſit unus verſus, contra P. Ruiz, ut ſit loco *Gloria Patri*, *&c.* in fine Pſalmorum. Auctores facit Apoſtolos hujus verſus Michael Timoth. *in quæſt.* 300. *quæſt.* 17. Pſalmi vero in fine Veſper. & Laudum non dicuntur in Commemoratione omnium Defunctorum, neque in depoſitione Defuncti, ſi tres Nocturni dicantur, ex Rituali Romano Pauli V. Neque in Officio Duplici, pari ratione, contraria eſt enim ratio illorum, ac noni Reſponſorii longioris, *Libera me*, quod non modo dicitur in prædicta Commemorat., ſed etiam quandocumque dicuntur novem Lectiones, quare omittuntur illi Pſalmi, quando dicitur hoc Reſponſ. Verſus, qui dicuntur poſt Pſalm. ſi pro uno ſit Officium, dicuntur in numero ſingulari, ſicut & Oratio ſequens; Reliqua in toto Officio non mutantur; neque verſus poſt Orationem, quod in Rituali Romano habetur.

4. Orationes tres dicuntur ſub una concluſione, diverſo modo, ac in Miſſa, in qua prima Oratio concluditur, & duæ aliæ per modum Commemorationis adduntur, ſed in Officio Commemorationes non ſunt, cum Antiphon. & Verſus non habeant, & ideo unius Orationis rationem habent, ad quam totum Officium ordinatur. Oratio *Fidelium*, ſi ſola dicitur, habet concluſionem valde propriam: ſi cum prioribus duabus, habet breviorem, & communem tribus, quæ diriguntur ad Deum Conditorem, & Redemptorem, diverſam a concluſione, quæ habetur in Miſſa, majoribus ita volentibus, qui diverſimodam concluſionem aſſignavere in Miſſali, Breviario, & Rituali. Verſus *Requieſcant in pace* dicitur in fine, omnibus ſurgentibus, tam in Veſperis, quam in Laudibus eo modo, quo diximus de *Benedicamus Domino*, *ſect.* 5. *cap.* 78. *n.* 7. niſi conſuetudo ſit alia.

5. Quæritur, an quando Veſperæ Defunctorum, & Matutinum dicuntur ſeparatim ab Horis Canonicis, ſive in Choro, ſive extra Chorum, præmittenda ſit ſecreto Oratio Dominica? Hoc obſervat Capella Papalis in Feſto Omnium Sanctorum, in quo, omiſſis ſecundis Veſperis de Feſto, ne Veſperæ Defunctorum inchoentur ex abrupto, recitatur prius Orat. Dominica, quæ item repetitur ante Matutinum, quod notat Chriſtoph. Marcellus *in Cæremon. Pap. lib.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 24. *&* 25. & exemplo Capellæ idem præſcribitur in *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *c.* 19. etiam ſi Veſperæ Defunctorum jungantur Veſperis de Feſto: certe Rit. Rom. non præſcribit Orationem Dominicam, licet agat de Officio ſeparatim dicendo ab Horis Canonicis: quare placet non dici regulariter. Illud quoque eſt notandum, quod ſi aliquando dividatur Matutinum hoc a Laudibus, eo caſu in fine Matutini dicuntur preces ſine Pſalmo cum Oratione, ſeu Orationibus, ut congruo fine terminetur.

6. Adhuc quæritur. An Veſperæ dicendæ ſint ante Matutinum, quod, præſente corpore, mane cantatur ante Miſſam; cum eæ ſint primæ Veſperæ, & tamen mane non eſt Veſperarum tempus? Reſpond. omittendas eſſe eas Veſperas, quæ pridie Matutini Offic. recitari nequeunt. Noſtri igitur Clerici, qui tenentur pro Defuncto ex noſtris recitare ter Officium Defunctorum, tribus ſcilicet diebus; ſi nocte moriatur ille, non tenentur in Choro ad primas Veſperas, alias autem recitare debent conjunctas Veſperis diei, ſi feriales ſint; alioquin poſt Completorium, non habita ratione Officii, ſed Suffragii, qua ratione primo die poterunt mane cantare ſemel Matutinum, & iterum a prandio poſt Veſper. 2. Matutinum, & deinceps ſequenti die tertium, ut celerius ille juvetur: ſed congruentius quolibet die mane cantatur Matutinum tribus dictis diebus: vel ea ratio ſaltem ineatur, qua Veſperæ nullo modo ſecundæ (quas non habent Defuncti) videntur eſſe.

7. Non habent Defuncti 2. Veſperas ad ſignificandum, quod hoc Officium finem habebit, quando animæ ab omni pœna liberatæ Deo fruentur. Beleth. *cap.* 160. Sed mea ſententia tenentur ad minorem Officii ſolemnitatem, ut ſit in Feſto Simplici.

8. Omittitur hoc Officium tempore Paſchali, quia, inquit Durand. *lib.* 6. *cap.* 72. ad Chriſtum ſolum eo tempore dirigenda eſt mens, neque interea patiuntur animæ diſpendium, quia & beneficia noſtra ſunt illis communia, & nec expreſſius memoria pro illis fieri poſſet, quam agendo memoriam de morte Chriſti (nota pro ſequenti caſu) & ejuſdem reſurrectione, per quam a pœnis liberari expectant. Extra Chorum tamen utile eſt ipſa Officia dicere. Hæc Durand.

9. Item omittitur in Hebdomada Majori; quod a Pio V. fuit ſtatutum. Nam apud Durand. *loc. cit.* in Breviar. MS. & 1550. triduum tantum ultimum dictæ Hebdomadæ excipiebatur. Cauſam attulimus *n. præc.* Aliam affert Rad. *prop.* 20. ob dierum incongruentiam, ſicuti tempore Paſchali ob temporibus jucunditatem: & hanc intelligo cauſam. Incongruentiam vero ille non explicat; fortaſſe, quia pro Chriſto ſolo, non pro aliis, in Hebdomada majori debemus eſſe in triſtitia ſumma.

10. Item in Feſtis 9. Lectionum: quod habet etiam Rad. *loco cit.* ob dierum, ait, feſtivitatem. In MS. & 1550. idem præſcribitur; niſi adimplenda ſit Defunctorum voluntas, pro qua permittitur, ſeparatim dici ab Officio diei, a S. R. C. die 12. Junii 1628.

11. Dici vero debet prima die cujuſcumque menſis non impedita Feſto novem Lectionum, & ut ait Alcuinus, in Kalend. certe, ut quantocyus Defunctis ſuffragemur: & ſemel ſaltem in menſe, pro omnibus Defunctis communibus Eccleſiæ ſuffragiis. Quod ſi ſola dies ultima menſis ſit libera, ea die dicatur, licet in ſequenti die rurſus pro menſe ſequenti dicendum foret, quod adnotavimus in Ordine noſtro perpetuo Tabul. 13. 14. menſe Majo.

12. Sed quid, ſi in Adventu, & Quadrageſima dici non queat in menſe Decembri, & Martio, in Feriis ſecundis, de quo ritu dicemus ſtatim: utrum ratione menſis erit ſemel ſaltem recitandum prima die non impedita Feſto 9. Lectionum? contingit caſus in Advent. quando Dom. 1. Advent. occurrit die 29. Novembris, ut videre eſt in Tabulis noſtri Ordinis perpetui Tab. prima, Octava, & aliis; & in Quadrageſima unicus etiam eſt caſus quando Fer. 4. Cinerum occurrit in die 28. Februarii, ut in Tab. 25. eo enim anno Feriæ 2. omnes ſunt impeditæ Feſtis 9. Lectionum. Andreas Caſtaldus *in ſuo Cæremon. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 8. negat debere dici, ea ratione, quia in Quadrageſima hoc Officium eſt annexum oneri diei, nempe Feriæ 2. & idem valet in Adventu; ſed ratio non convincit, quia onus annexum Fer. 2. non tollit onus, quod poteſt eſſe ratione primæ diei menſis: unde accidit in Feria ſecunda per annum, dici Miſſam pro Defunctis, ut in Rubricis Miſſalis *tit.* 5. *n.* 2. & Feria tertia, quæ ſit prima menſis ſequentis, dici Miſſam quoque pro iiſdem ratione Rubricæ *num.* 1. Ea igitur verba: *Ante Quadrageſimam prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum*, &, *Ante Adventum prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum*, ita ſunt intelligenda, ut intra Quadrageſimam & Adventum nulla habeatur ratio menſis, & confirmatur ex Rubrica generali Miſſalis *tit.* 5. *n.* 1. cujus verba ſunt: *Prima die cujuſque menſis (extra Adventum, & Quadrageſimam) dicitur Miſſa pro Defunctis*: quæ certe reſpondet Officio Defunctorum, & ratio eſt, quia nulla habita ratione menſis, fiunt ſuffragia ſæpius, hoc eſt, ſemel in Hebdomada tam Adventus, quam Quadrageſimæ. Si vero aliquo anno (quod raro contingit) Feriis ſecundis omnibus impeditis, non dicatur Officium Defunctorum, parum refert.

13. Dicitur præterea hoc Officium in Feriis ſecundis, tam Adventu, quam Quadrageſimæ, hoc eſt, initio Hebdomadæ, ut citius Defunctis ſuffragemur: qui ritus præciſe in Feria 2. ortum habuit a Monachis Gamungenſibus ex Petro Damiani anno 1056. quod adnotavit etiam Baronius, *Eodem anno*. Vel dici poteſt, quia cœlum creatum fuit die Lunæ, ideo petit Eccleſia, ut in Cœlum transferantur animæ de Purgatorio. In Quadrageſima vero quotidie recitabatur, ex Radulph. *loc. cit.* Pius autem V. Feria 2. contentus, nihil ultra juſſit.

14. Quæres, occurrente Vigilia Nativitatis Domini in Feria 2. Hebdomadæ 4. Adventus, utrum ea die recitandum ſit hoc Officium? In Breviario MS. & 1550. aperte negatur; quia non debent dici Veſperæ, niſi dicatur etiam Nocturnum cum Laudibus. Nocturnum autem, cum locum habeat poſt Laudes diei, non congruit deinde ut poſt Laudum Vigil. Officium, quod eſt Duplex, dicatur Officium Defunctorum: & eo magis, quia eſt Officium Duplex privilegiatum, quod excludit omne aliud Duplex. Adde, omitti eodem die Officium Beatæ Virginis parvum, cum tamen agitur eadem die de proximo partu Virginis: quanto magis Officium Defunctorum

ctorum, quod minuit jucunditatem illius Vigiliæ? Denique ſi concedatur Officium Defunctorum, etiam in Miſſa fiet Commemoratio eorumdem: quæ tamen nullam admittit Commemorationem, niſi Dominicæ, ſi in ea occurrit Vigilia, immo & poſſet celebrari Miſſa de Requiem in ea Vigilia, a qua excluditur Duplex Feſtum, & Miſſa conſequenter Defunctorum, quæ prohibetur dici in Feſto Duplici. At Caſtaldus *in Cæremon. lib. 3. cap. 1. n. 9.* concedit, poſſe dici Officium Defunctorum in Vigilia Nativitatis ratione Feriæ 2. tum quia non eſt impedita Feſto 9. Lectionum, tum quia in ea Vigilia excluditur tantum a Rubricis Officium parvum B. Virginis, & addit prudentiſſime potius eſſe recitandum pridie Veſperi, ubi eſt conſuetudo, quæ certe non tollitur a Rubricis Brev. in Offic. Defunctorum. Cui tamen Reſpondeo, in Brev. MS. & 1550. expreſſe prohiberi Officium Defunctorum a Completorio pridie Vigiliæ Nativitatis cantato; & ad primam rationem dico, æquiparari, & præcedere Officium dictæ Vigiliæ, ſi comparetur cum Feſto quolibet 9. Lectionum, ad alteram, ibi non excludi Officium B. V. cum particula reſtrictiva, *tantum*; ſed omitti; de Officio Defunctorum id præſcribere, quod præſcriptum jam fuerat de Officio parvo B. V. Immo non fuit neceſſe aliud decernere; ſumpto argumento a fortiori, ut diximus, ſi excluditur Officium Beatæ Virginis, ergo multo magis Defunctorum.

15. Accedamus ad horam recitandi hujus Officii, & Veſper. quidem recitari debent poſt Veſperas, etiam Feſti Duplicis, ſi Fer. ſequatur, ut in Breviar. MS. & 1550. & Sac. Rit. Congr. 23. Maji 1603. pro prima die menſis, ſi hæc ſit libera a Feſto 9. Lectionum, decrevit Veſp. Defunctorum recitandas eſſe ultima die præcedentis menſis, licet ea ſit feſtiva de præcepto, ut populus frequens, poſt auditas Veſperas Dominicæ, vel Feſti, audiat ſtatim & Veſperas Defunctorum pro ſuffragiis generalibus, ſicut in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ fieri ſolet in Veſperis pro Officio Defunctorum, ſequenti Feria 2. perſolvendo; qui ritus mihi placeret quam maxime in iis etiam Regularium Eccleſiis, in quibus vi Regulæ quolibet Feria 2. vel alia non impedita, ſolet ſingula Hebdomada recitari Offic. pro Defunctis fratribus, conſanguineis, & benefactoribus. Defunctis autem utilius eſſet, quia contingere poteſt, ut dempta Feria 2. reliquæ Feriæ ſint impeditæ Feſtis 9. Lectionum: & ſic in ea Hebdomada non dicatur Officium.

16. Matutinum vero Defunctorum poſt Laudes diei recitatur, in Breviar. MS. & 1550. cui Rubricæ inhærendo Sac. Rit. Congr. prohibuit, in Feſto Sanctorum omnium cantari Matutinum Defunctorum Veſperi, & juſſit recitari in ipſamet die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum poſt Laudes diei 3. Septembris 1667. Epiſcopis autem tantum conceditur, ut in die Feſto omnium Sanctorum poſſint in ſuis Eccleſiis recitare cum Clero ſuo Matutinum Defunctorum, ut dicitur in Cæremon. Epiſcop. *lib. 2. cap. 10.* ea certe de cauſa, ut ſequenti mane liberiores ſint ad Miſſam ſolemniter cantandam pro Defunctis: quæ cauſa ſatis aperte ſignificatur initio prædicti capitis.

17. Conſuetudo tamen illa Regularium recitandi Matutinum Defunctorum Veſperi poſt Completorium pro die ſequenti, non videtur improbanda, ſi de Officio ex vi Regulæ agatur: neque etiam ea vi Rubricarum, in quibus dicitur, *niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum*.

18. Reſtat ultimo dicendum de obligatione ad hoc Officium recitandum; hæc autem nulla eſt, excepta Commemoratione omnium Defunctorum, de qua diximus *Sect. 7. cap. 13.* Nulla, inquam, eſt, ſolvente nos Pio V. in Bulla Breviar. ab antiqua obligatione, & ab omni peccato: exhortante tantum, & Indulgentia centum dierum pro unaquaque vice ad præſcriptum Rubricarum propoſita, alliciente. Ex quo Navarrus rejicitur, qui ante Pium Quintum *de Orat. cap. 10. n. 4.* docuerat Officium Defunctorum certo die præſcriptum in Breviario eſſe partem Horarum Canonicarum.

19. Quod ſi aliunde oriatur obligatio recitandi Officium Defunctorum, puta, ex voluntate teſtatorum: in iis quidem diebus, quibus conceditur Miſſa de Requiem (qua de re in primo Tomo diximus) abſque dubio recitari poterit.

20. In aliis vero diebus, in quibus prohibetur Miſſa de Requiem, adhuc tamen recitari poterit (exciperem Feſta primæ, & ſecundæ Claſſis, & triduum majoris Hebdomadæ poſtremum) etiam in Choro: quia diſpar eſt ratio inter Miſſam, & Officium Defunctorum; illa namque ſuppleri poteſt cum Miſſa de die, eo modo, quo docuimus primo Tomo *part. 3. Tit. XII. n. 19. & ſeqq.* non autem Officium cum Officio de die: vel præter cantatam Miſſam de die in Collegiatis, poteſt cantari altera de Requiem, ut Romæ fit quotidie in Eccleſia S. Petri. Feſtum autem etiam de præcepto, ex minus ſolemnibus, non impedit recitationem hujus Officii, ut patet ex dictis ſupra *n.* 10. 15. & 17. maxime ſi adſit Eccleſiarum conſuetudo.

21. Pius itaque V. tam in Bulla, quam in Rubricis loquitur de Officio Defunctorum ex communi intentione Eccleſiæ pro ſuffragiis generalibus recitando in Choro; remittens antiquam obligationem illud ſæpius recitandi, & quotidie, ut olim, in Quadrageſima: tum præſcribit eos dies, quibus illud congruentius recitari, vel omitti debet; non autem excludit obligationes proprias ex teſtamentis Defunctorum, rationabiles.

22. Si tamen accidat, in his obligationibus aliqua neceſſitas, ex cauſa rationabili, reducendi, aut commutandi, aut eas moderandi, ad tempus, ſeu in perpetuum, declaravit Sacra Trident. Concil. Congr. *ſeſſ. 25. cap. 4.* poſſe Epiſcopos in Synodo, & Regularium Superiores in Capitulis generalibus circa hæc Officia decernere, quidquid magis expedire judicaverint, ea commutando in Miſſas &c. ſi ante Concil. ea fuerint impoſita; quod poſtremo a nobis additum eadem Sacr. Congr. ſignificare viſa eſt *in Decretis de celebratione Miſſarum ſub Urbano VIII. 21. Junii 1625. §. Ac primo*, ubi dum prohibet reductionem Miſſarum poſt Concilium, non ante illud, indicat aperte, eam fuiſſe mentem Sacri Concilii, de qua dubitabant Doctores. Fuſius Moneta noſter *de Commut. ult. volunt. quæſt. 11. concl. 4. n. 367. & ſeq.* de his Officiorum commutationibus agit; hoc loco hæc ſatis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 2. -- *Ab Apoſtolicis ortum habet &c.*) Chriſtianorum viventium preces ſuffragari poſſe, & prodeſſe Fidelium Defunctorum Animabus in Purgatorii carcere detentis, eſt certiſſimum Fidei dogma, & idcirco Sancta Mater Eccleſia ſalubri conſilio decrevit, quod Sacerdotes in ſuis Sacrificiis recolant ſemper eorumdem Defunctorum memoriam, quod olim fieri ſolebat recitatis ex ſacris Diptycis mortuorum nominibus, ut ex Sacr. Canonibus conſtat, præſertim vero ex epiſtola Joannis Conſtantinopolitani ad Hormiſdam, & ex Epiſtola ejuſdem Hormiſdæ. Erant autem Diptyca duplices tabulæ, quæ in formam libri claudebantur, quarum una parte Defunctorum, altera vivorum inſignium nomina inſcribebantur. Deinde pia Mater Eccleſia ſpeciale etiam Officium pro Defunctis inſtituit recitandum poſt reliquas Horas Canonicas. Hujus Officii Defunctorum, ut nunc eſt, inſtitutio quamvis ignoretur, conſtat tamen, conſuetudinem preces effundendi pro animabus Defunctorum ab ipſis Apoſtolis emanaſſe. Guillelmus Durandus Officii, de quo loquimur, ordinationem refert ad Origenem, cujus rei teſtes allegant nonnulli SS. Iſidorum, & Auguſtinum, ut notat etiam Gavantus ſupra; Arnoldus Wion *lib. 5. Ligni Vitæ*, auctorem hujus Officii facit Amalarium; ſed quia mala fide teſtes proferunt antiquiores, haud digni plenaria fide credendi ſunt, ait Cardinalis Bona *cap. 13. de Divin. Pſalmod.* §. 2. Eadem ex cauſa explodendam eſſe cenſet opinionem Iſidori de Iſolanis, qui S. Ambroſio, & Jacobi de Valentia, qui Divo Auguſtino hujus Officii originem adſcribunt; in hoc vero conveniunt omnes, antiquiſſimum eſſe hoc Officium, & a primis Eccleſiæ PP. inſtitutum.

II. Gavant. num. 3. -- *Itemque in die Depoſitionis tertio, ſeptimo, trigeſimo, &c.*) Defunctorum memoria ſolet generaliter ſolemnius celebrari non ſolum in die obitus, ſeu Depoſitionis Defuncti, ſed etiam in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, ab ipſa die Depoſitionis, ſeu obitus, & pariter in die Anniverſario, quæ inſtitutio antiquiſſima eſt, ut ex Auguſtino, & aliis PP. teſtimoniis comprobat Joſeph Vicecomes.

Advertendum hoc loco eſt, quod ſi nomine Depoſitionis intelligatur ipſa Corporis Defuncti Terræ traditio, ac commendatio, juxta illud S. Andreæ: *Tempus eſt, ut commendetur terræ corpus meum*, non eſt in eo ſenſu Depoſitio idem, quod obitus; erit tamen ea utriuſque dies, ſi eodem die Corpus ſepeliatur, quo Defunctus obiit, ſecus ſi poſtridie, vel in longum tempus exequiæ differantur. Et quamvis non ſit omnino improbabile a die Depoſitionis in hoc ſenſu acceptæ, poſſe computari dies tertium, ſeptimum, & trigeſimum, immo & anniverſarium; communior tamen uſus eſt, & Rubricarum ſenſui conformior, ut ab ipſo die veri, & naturalis obitus perſonæ defunctæ præfati dies tertius, ſeptimus, trigeſimus, & anniverſarius computentur. Noſter Auctor *tom. 1. part. 4. tit. 18. n. 9.* ſui hujus Theſauri non improbat præfatos dies computandos eſſe a die ſepulturæ, ſed monet hac in parte ſequendam eſſe locorum conſuetudinem.

Myſticas harum dierum rationes eleganter reddunt, & explicant Amalar. *lib. 3. cap. 44. & lib. 4. cap. 42.* necnon Alcuinus in fine libri de Divinis Officiis: breviter nos dicemus, quod die tertia peculiaris, & ſolemnior fit Defunctorum recordatio, quia ſicut Chriſtus tertia die reſurgens ex mortuis vitam noſtram in melius reparavit, ita nos tertia die pro Defunctorum Animabus preces, & Sacrificia offerentes, illorum feliciorem ſtatum, & æternæ Beatitudinis gloriam exoptamus; necnon ſpem futuræ Reſurrectionis profitemur. Septimo quoque die fit Defunctorum ſpecialis recordatio, vel quia ſeptima hebdomadæ dies Sabbatum eſt, Dominum autem Sabbati precamur, ut Requiem æternam Defunctorum Animabus donet; vel quia ſicut filii Jacob, *Gen. c. 50.* optimi Patris celebrantes exequias, impleverunt ſeptem dies, juxta illud Eccleſiaſt. 2. 13. *Luctus mortui ſeptem dies*, ita nos eorumdem exemplo inſiſtentes die ſeptimo ſpecialem facimus Defunctorum memoriam. Ad celebrandam vero trigeſimam diem veteris pariter Teſtamenti exemplum nos excitat, *Num.* enim *c. 20. & Deuter. 34.* legimus, quod omnis multitudo filiorum

Iſrael videns occubuiſſe Aaron, flevit ſuper eum triginta diebus; itemque cum mortuus eſſet Moyſes fleverunt eum triginta diebus in Campeſtribus Moab. Denique anniverſarium diem repetimus, quia, ſi forte Animæ, quæ luſtralibus flammis cruciantur, nondum expiatis criminibus, noſtris ſuffragiis indigeant, iis poſſint adjuvari, & a pœnis, quas adhuc patiuntur, erui; melius enim eſt, ut illis ſuperſint noſtra ſuffragia, quam ut per oblivionem, vel incuriam noſtram deſint.

III. Gavantus eodem num. 3. -- Licet in Pſalmo dicatur: *Ad Deum fontem* (non fortem) *vivum &c.* ) Supponit Gavantus in Pſalmo 41. debere legi: *Sitivit Anima mea ad Deum fontem vivum*, non vero *fortem, vivum*. Attamen revera in editione vulgata noſtra Communi, & approbata, necnon in Pſalterio cum Canticis edito a Cardinali Thomaſio, & ab eodem doctiſſimis Commentariis illuſtrato legitur -- *Ad Deum fortem: vivum*; quæ verba ita explicat idem Thomaſius: Anima mea flagrans, ſitivit ac deſideravit ardenter Deum fortem, ac viventem -- Obſervare etiam eſt, quod cum tò *fortem* in Pſalterio mox memorato, legamus incluſum inter aſteriſcum * & duo puncta; juxta regulas, quas tradit Beatus Hieronymus in Præfatione allata ab eodem Thomaſio, de Hebræis voluminibus, additum eſſe intelligere debemus juxta Theodotionis editionem, qui ſimplicitate ſermonis a ſeptuaginta Interpretibus non diſcordat.

IV. Gavant. eodem num. 3. -- *Neque in Officio Duplici, &c.*) Tradit hoc loco Gavantus Pſalmum *Lauda Anima mea Dominum &c.* in fine Veſperarum, & Pſalmum *De profundis &c.* in fine Laudum, minime dici in Commemoratione omnium Defunctorum, neque in depoſitione Defuncti, ſi tres Nocturni dicantur ex Rituali Romano Pauli V. neque in Officio Duplici, pari ratione &c. Verum utique eſt, & in die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti omittendos eſſe prædictos Pſalmos in Veſperis, & Laudibus reſpective, ſed nunc falſum eſt, omitti pariter debere eoſdem Pſalmos, quotieſcumque recitatur Officium Defunctorum ſub ritu Duplici: Contraria enim habentur Decreta; primum quidem emanatum die 5. Julii 1698. in *Collen.* & datum in noſtro Indice ſub *num.* 205. Secundum vero emanatum die 23. Junii 1736. in *Enſilden.* datum in noſtro Indice ſub *num.* 335. & alia ibi indicata, in quibus ſancitum eſt, debere omitti prædictos Pſalmos ſolum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti.

Difficiliter acquieſcentes ejuſmodi Decretis PP. Eremitæ Ordinis Camaldulenſis in Regno Neapolitano commorantes, recurſum recentiſſime habuerunt ad Sacr. Rit. Cong., humillime petentes, Decretum, quo ſtatuatur, ut in Anniverſariis Defunctorum, quoties Officium recitatur integrum cum tribus Nocturnis, toties in Veſperis omittatur Pſalmus *Lauda anima mea Dominum &c.* & Pſalmus *De profundis &c.* in Laudibus. Sacra autem Congregatio caute procedens in deciſione cujuſcumque dubii, & in editione ſuorum Decretorum, in præſenti caſu exquiſivit Suffragium Illuſtriſſimi Domini Venantii Philippi Pierſantes Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtri, cujus doctiſſimam Conſultationem iiſdem omnino verbis, quibus eam coram Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus expoſuit, congruum arbitror hic exhibere.

*Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Patres.*

QUum aſſerant Patres Eremitæ Ordinis Camaldulenſis in Regno Neapolitano degentes, eſſe ſe ac ſtudioſe Eccleſiaſticis Rubricis inhærere, quibus Monachi Sancti Benedicti Regulam profeſſi in divina Pſalmodia perſolvenda ſe conformant; ideo petunt ab Eminentiis Veſtris firmiter ſanciri, ut in Anniverſariis Defunctorum quoties Officium recitatur integrum cum tribus Nocturnis, toties in Veſperis omittatur Pſalmus *Lauda anima mea Dominum*, & Pſalmus *De profundis* in Laudibus; hiſce fulti rationibus, quod a Breviarii Monaſtici Rubricis ita demandetur; & quod ita doceat Gavantus in ſuo Theſauro Sacrorum Rituum.

Ecce jam tertio, ſupremo Sacræ hujus Congregationis præcepto impellor ad opinionem meam, qualiſcumque ea ſit, proferendam; quamvis de hac eadem difficultate ſemel anno 1736. ab Abbate Celeberrimi Monaſterii Einſidlenſis in Helvetia, referente Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo D. Cardinali Spinula propoſita: iterumque anno 1737. Cappellanis Eccleſiæ S. Mariæ Gratiarum Oppidi quindecim Nolanæ Diœceſeos efflagitantibus, a claræ memor. Eminentiſſimo Domino Cardinali Zondadari coram Eminentiis Veſtris accurate expenſa, mentem meam aperuerim; in qua adhuc perſeverans, ſervanda eſſe Decreta, in Einſidlenſi, & in Nolana omnium Suffragiis nuperrime vulgata, cenſerem. Decretorum autem eſt hujuſmodi tenor -- Serventur Rubricæ Breviarii Romani, & Ritualis itidem Romani; nempe Pſalmi *Lauda anima mea Dominum, & De profundis* omittantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti.

Quamvis enim in impreſſis recens Breviariis Monaſticis Ordinis Sancti Benedicti legatur ſequens Rubrica: -- *Pſalmi ſupradicti non dicuntur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, nec quando dicuntur tres Nocturni*; -- tamen non conſtat, cujuſnam auctoritate Rubrica hæc immutata fuerit, eique facta notabilis additio, quæ, ut inferius innoteſcet, Ritualis Romani diſpoſitionis penitus adverſatur. Siquidem poſtremum Rubricæ membrum -- *Nec quando dicuntur tres Nocturni* -- non modo reperitur in pervetuſtis Breviariis Monaſticis Summorum Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. auctoritate recognitis, ſed ne legitur quidem in ipſo Breviario Romano, in quo ſic habetur: *Qui Pſalmi non dicuntur in die omnium Fidelium Defunctorum.*

Quapropter re diligenter inveſtigata, triginta ab hinc circiter annis liquet, additionem hanc, nemine conſulto, Breviariis Monaſticis inſertam perperam fuiſſe. Nam, quæ prius, & juxta ordinem recitationis Officii (ut adhuc extat in Breviario Romano) appoſita fuerat poſt Veſperas, diemque Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, tamquam ſolemniorem duntaxat deſignata; nunc perturbare poſt Laudes, dies quoſcumque, quibus alicujus arbitrio Agenda pro Mortuis fit, ſine ullo diſcrimine complectitur.

Neque meum intellectum movet, innovatæ huic Rubricæ conformis præclariſſimi viri Bartholomæi Gavanti ſententia; qui in prælaudato Theſauro Sacrorum Rituum ſuper Rubric. Breviarii Romani *Sect. 9. cap. 2. num.* 13. diſerte ſic habet, -- *Pſalmi in fine Veſperarum, & Laudum non dicuntur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum; neque in depoſitione Defuncti, ſi tres Nocturni dicantur; neque in Officio Duplici pari ratione; contraria enim eſt ratio illorum, ac noni Reſponſorii longioris -- Libera me Domine, -- quod non modo dicitur in prædicta Commemoratione, ſed etiam quandocumque dicuntur novem Lectiones. Quare omittuntur illi Pſalmi, quandocumque dicitur hoc Reſponſorium*, -- Notetur quæſo ſequens locutio: -- *& hi caſus videntur omiſſi in Breviario.*

Contra hanc ſententiam, pro Eminentiarum Veſtrarum Decretis, illorumque firma executione propugnaturus, brevem ita ſermonem inſtituo. Eſto, in Breviario hi caſus non ſolum non videantur, ſed revera ſint omiſſi; quid inde? Integrum Breviario ſupplementum defert Rituale Romanum Pauli V. Pontificis Maximi juſſu editum, & juxta ſuas Apoſtolicas literas *inviolate ſervandum*; in quo, eos, quos Gavantus aſſerit omiſſos caſus, omnes, & ſingulos expreſſos legimus, ipſique Gavanto perſpicue adverſantes; enunciantur enim præter diem depoſitionis Defuncti dies tertius, ſeptimus, triceſimus, & Anniverſarius. Poſita igitur diſſimilitudine præcepti Ritualis Romani ab opinione Gavanti, aliter ac Vir ille, cæteroquin Sapientiſſimus, tenet, ſentire nos oportet.

Rituale Romanum, quod pluribus precibus morientes juvandi modum præſtituit, animabus quoque mortuorum debita ipſis Suffragiorum acceſſione religioſe conſuluit. Primo in deductione funeris; ſecundo in Exequiis Corpore præſente faciendis; tertio tandem abſente Corpore in recitatione Officii pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine; quod ſonat idem, ac ſemper, & quandocumque Mortuorum Officium recitatur.

Ubi liber Ritualis tractat de Exequiis Corpore præſente, ita diſponit: -- *Depoſito feretro &c. & cereis accenſis circa Corpus, dicatur Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis & Laudibus ut infra ponitur &c. & duplicentur Antiphonæ.* -- At quia diem illum pro Defuncto tamquam ſolemniorem conſiderat; prout Catholica Eccleſia pro univerſis Defunctis ſtatuit diem ſecundum Novembris, non vult recitari Pſalmos in precibus poſt Officium. Ideoque poſt deſignatam ad Canticum -- *Benedictus* -- Antiphonam -- *Ego ſum* -- Subdit per extenſum Preces, & Orationem ſine Pſalmo dicendam, & in dicendis Precibus genuflexionem non demandat.

Verumtamen Defunctorum Officium cum ſoleat aliis etiam diebus pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine recitari, ac præcipue in diebus tertio, ſeptimo, triceſimo, & Anniverſario; quamvis duplicari Antiphonas jubeat Rituale Romanum, nihilominus poſt Pſalmos Veſperarum apponit Preces, & Pſalmum -- *Lauda anima mea Dominum* -- omittendum juxta mentem Gavanti, & inſuper apertis notis particularem hanc addit Rubricam: -- *Sequentes Preces dicuntur flexis genibus, ſimiliter & ad Laudes.*

Rubrica iſta appoſita poſt aliam Rubricam, quæ firmat ritum ſervandum in recitatione Officii Mortuorum *pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine* (verba ſunt Rubricæ,) caſus omnes, qui Gavanto videntur omiſſi in Breviario Romano, contineri in Rituali clare demonſtrat, ritumque celebrandi quocumque tempore Mortuorum Officium exponit: hoc intercedente diſcrimine, quod ſive poſtulet temporis opportunitas, ſive urgeat Eccleſiæ conſuetudo, numquam duplicandæ ſint Antiphonæ, niſi in die tertio, ſeptimo, triceſimo, & Anniverſario.

Sane in ſervando Ritu duplicandarum Antiphonarum, uno diſcordante Gavanto, omnes inter ſe conveniunt Auctores, Biſſus, videlicet, Guyetus, Halden, & Baruffaldus, aſſerentes, duplicandas eſſe Antiphonas non quoties Officium recitatur integrum; ſed juxta Rubricas generales Breviarii Romani *titul.* 1. de Officio Duplici, quando illud dicitur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitus, ſeu depoſitionis Defuncti. His vero diebus cum Rituale Romanum *titul. de Officio Defunctorum* addat tertium, ſeptimum, triceſimum, & Anniverſarium; patet regu-

regulam duplicandi Antiph. non deſumi ab eo, quod in Officio dicatur Invit. cum tribus Noct. ſed a tempore, & ab occaſione, qua Officium decantetur. Nam illi dies ſicuti myſterio vacui minime ſunt; ita in iis aliquam ſolemnitatis ſignificationem exhibendam præcipit Rituale Romanum. Et jure optimo E.E.V.V. in prædicta Nolana anno elapſu decreverunt ſervandas eſſe Rubricas Brev. & Ritualis Romani: & Antiph. duplicandas eſſe in comm. omnium fidelium Defunctorum, in die obitus, ſeu depoſitionis defuncti: in die tertio, ſeptimo, triceſimo & Anniverſario dumtaxat.

Duo hic ſunt diligenter adnotanda; primum, quod non obſtante Antiphonarum duplicatione, ex vi Rubricæ Ritualis Romani, in caſibus a Breviar. omiſſis, Precibus addendi ſunt Pſalmi: alterum, quod hujuſmodi Preces flexis genibus ſunt recitandæ. In hac genuum flexione concordat etiam Gavantus, cujus verba dd. *Sect.9. & c.2.* refero -- *In fine Veſperarum, & Laudum dicuntur Preces -- ſemper flexis genibus etiam quando omittuntur Pſalmi*; -- ideſt ad ejuſdem Gavanti ſenſum; quando duplicatur Antiphonæ.

Admiſſa genuum flexione in Precibus etiam quando Officium Defunctorum recitatur ſub ritu Duplici, corruere videtur, tanquam vana, ratio, quam affert Gavantus; nempe quod in fine Veſperarum, & Laudum Pſalmi non ſint dicendi propter Reſponſorii longioris -- *Libera me, Domine* -- recitationem in tertio Nocturno. Nam præterquamquod Reſponſorii longioris contextus nihil commune, vel quid relativum habet cum Pſalmis, illorumque locutione, Regularis eſt Officii Divini ritus, ut, quoties in eo Preces dicuntur flexis genibus, toties non recitentur Preces Dominicales, ſed flebiles Preces, quæ in Veſperis Pſalmum -- *Miſerere*, -- in Laudibus vero Pſalmum -- *De profundis* -- ex veteri Eccleſiæ inſtituto expoſcunt, præter alias Preces cæteris Horis minoribus adjunctas. Inſuper extra Horas Canonicas, Mortuorum Officium proprios habet ritus, qui ſi in Breviario non videntur expreſſi, luculenter explicati, & appoſiti ſunt in Rituali Romano. Si igitur, ex Gavanti ſenſu, bene ſtat, præter diem Commem. omnium Fidelium Mortuorum, & diem obitus, ſeu depoſitionis Defuncti poſſe aliis temporibus Antiph. duplicari, & nulla duplicandarum Antiphonarum habita ratione debere ad Preces ſemper genuflecti; cum genuflexio ex communi Patrum, & Liturgicorum Scriptorum ſententia indicet mæſorem precum, & mœſtis flebilibuſque Precibus ſemper addantur Pſalmi, æquum, & juſtum erit, ut Ritualis Romani diſpoſitione, cui Sacræ hujus Congreg. Decreta acceſſere ſervata, Pſalmi -- *Lauda anima mea Dominum*, -- ac -- *De profundis* -- ſemper dicantur poſt Veſp. & Laudes Defunctorum, etiamſi pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine fiat pro iis Agenda cum tribus Nocturnis, & Antiphonarum duplicatione.

Quare ſalvo ſemper melioſi, ſupremoque Eminentiarum Veſtrarum judicio, reſcribendum putarem. Serventur Decreta in Einſidlenſi 23. Jun. 1736. & in Nolana 3. Auguſti 1737, videlicet Pſalmi -- *Lauda anima mea Dominum* -- & -- *De profundis* -- omittantur in Precibus poſt Officium in die Commemorationis omnium Fidelium Mortuorum, & in die obitus ſeu depoſitionis Defuncti dumtaxat; cæteris autem diebus ſemper, & omnino dicantur. Hæc præfatus præſtantiſſimus Vir cujus opinioni adhærens S.R.C. confirmavit mox allegata Decreta Die 8. Martii 1738. *in una Eremitarum Ordin. Camaldulenſ.*

Cæterum ad Defunctorum Officium ſpectant pariter Decreta data in noſtro Indice ſub *n.8.* & *64.*

VI. Gav. n.12. -- *Sed ratio non convincit &c.*) Quamvis Gavantus in hac, & aliis editionibus approbet ſententiam Caſtaldi aſſerentis, quod ſi in Adventu, & Quadrageſima dici nequeat Officium Defunctorum in Feriis ſecundis, eo quia hæ reperiantur omnes impeditæ Feſtis novem Lectionum, non idcirco debeat dici tale Officium ſemel in dictis menſibus memoratorum temporum, prima die non impedita; attamen non approbat idem Gavantus rationem adductam ab eodem Caſtaldo, ſed ideo tenet hanc ſententiam, quia verba Rubricæ a ſe allegata ſic loquantur; *ante Quadrageſimam prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum: & ante Adventum prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum*; quæ verba ita intelligi debent, ut intra Quadrageſimam nulla habeatur ratio menſis, ſed ſolummodo Feriarum ſecundarum, quando non ſunt impeditæ Officio novem Lectionum. In prima editione ſuorum Commentariorum poſt illa verba; *Si vero aliquo anno Feriis ſecundis omnibus impeditis non dicatur Officium Defunctorum parum refert* -- Hæc addebat ſincere doctiſſimus Auctor -- Secutus igitur aliorum opinionem, quæ favebat magis Defunctis, edidi Ordinem perpetuum Divini Officii cum affirmativa ſententia; quam, re melius conſiderata, exiſtimo minus certam, minuſque conſonam Rubricarum verbis, & corrigo meipſum cum aliis, qui in Kalend. editis præſcribunt, Officium Defunctorum in Adventu, ratione menſis, quando impeditæ ſunt Feriæ ſecundæ, tunc enim in toto Adventu, ſeu Quadrageſima non præcipitur Officium Defunctorum -- Hæc Gavantus in prima ſua editione, qui revera in Ordine perpetuo Divini Officii ab eodem evulgato Bononiæ anno 1625. in prima Tabula ponit Officium Defunctorum recitandum die 6. Februarii, quæ eſt Feria VI. intra Quadrageſimam, & in Tabula 25. præſcribit idem Officium Defunctorum recitandum die 1. Martii in Feria V. quæ immediate ſequitur Feriam IV. Cinerum; at Rubricarum verbis melius examinatis in ſuis doctiſſimis Commentariis, quæ primo evulgavit Romæ anno 1628. ſententiam negativam amplexus eſt, ut ex ejuſdem verbis ſupra allatis manifeſte patet; necnon in Tabulis, quas eidem operi adtexuit.

VII. Gav. n. 15. *Veſperæ quidem debent recitari poſt Veſperas, &c.*) Confirmat Gavantus hanc ſuam, & communem ſententiam circa horam recitandi Veſperas Defunctorum, etiam in diebus Feſtivis, Decreto, quod datur in noſtro Indice ſub *num.* 8.

VIII. Gav. n. 18. - *Excepta Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, &c.*) De obligatione recitandi hoc Officium in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, locutus eſt Gavantus ſupra *Sect.* 7. *c.* 13. ubi etiam nos aliqua adjecimus. Decreta vero ſpectantia ad ritus celebrandi hoc Officium, necnon Miſſas dicta die Novembris, exhibuimus ſupra in noſtris Additionibus ad *c.* 13. *Sect.* 7. ſub eadem die 2. Nov.

IX. Gav. n. 20. -- *In aliis vero diebus, &c.*) Quando Officium Defunctorum debet recitari pro adimplenda Teſtatorum voluntate, abſque dubio recitari poterit etiam in Choro in diebus, quibus permittitur Miſſa de Requiem. In aliis vero diebus, in quibus prohibetur Miſſa de Requiem, adhuc recitari poterit, ait Gavantus, nam diſpar eſt ratio inter Miſſam, & Officium, illa namque ſuppleri poteſt cum Miſſa de die, ut ipſe Gavantus docuit *tom.* 5. *part.* 3. *tit. XII. num.* 19. *& ſeqq.* (& nos etiam innuimus in noſtris Additionibus *ad tit.* 5. *part.* 1. *num.* 2. dicendo, quod in Feſtis ſolemnibus, & privilegiatis, in quibus non poteſt cantari Miſſa de Requiem etiam præſente Cadavere, poſſet applicari pro Defuncto Miſſa illa ſolemnis, quæ cantatur de die Feſto, vel de Dominica privilegiata, dummodo tamen poſſit libere applicari talis Miſſa, quia in illis Eccleſiis, in quibus Miſſa Conventualis, quæ ſolemniter cantatur, debet applicari pro Eccleſiæ Benefactoribus, ut contingit in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, non poſſet applicari pro Defuncto, cujus Cadaver eſt præſens, dicta Miſſa Conventualis) At Officium Defunctorum ſuppleri non poteſt cum Officio de die, idcirco in prædicto caſu poterit Officium Defunctorum ſine Miſſa decantari etiam in diebus Feſtivis, cum illa exceptione Feſtorum primæ, & ſecundæ Claſſis &c. quam proponit Gavantus. Prædicta Regula profecto locum habet in die tertio, ſeptimo, & triceſimo ab obitu Defuncti, in quibus pro eo poteſt ſolemniter recitari Officium; pro die vero Anniverſario ſerventur diſpoſitiones illæ, quas tradit Gavantus 1. *tom. part.* 1. *tit.* 5. & de quibus nos quoque fuſe locuti ſumus, exhibendo Sacræ Congr. Decreta pro Tranſlatione Anniverſariorum, quando occurrunt in diebus, quibus vetitum eſt ea celebrari, & præſcribitur quomodo debeant transferri. Eo igitur die, quo transferuntur Anniverſaria, ſicut differtur celebratio Miſſæ, ſic differri debet recitatio Officii.

Si autem ſermo ſit de die obitus, ſeu depoſitionis Defuncti, cum duo dumtaxat dies ſint, in quibus liberum non eſt corpus Defuncti ſepulturæ tradere, nempe dies Paraſceves, & dies Paſchæ ex Rituali Romano Pauli V. tunc liberum non eſt iis diebus publice Officium Defunctorum perſolvere, quibus (quoad publicam Officii recitationem) addendi ſunt etiam Feria V. & Sabbatum Sanctum, in quibus S. R. C. Decreto dato in noſtro ſuperioris Tomi Indice ſub *n.* 690. vetuit celebrari Exequias Defunctorum permittens recitari Officium, & Preces privatim tantum. Cæteris anni diebus publica hæc Officii Defunctorum recitatio libera eſt, quamquam laudanda ſit aliquarum Eccleſiarum conſuetudo, quæ in Feſtis ſolemnioribus hujuſmodi Officium ſub Veſperum poſt expletum diei Officium differunt. Vide Decretum editum die 12. Julii 1628. datum in noſtro Indice ſub *n.* 64.

## De Pſalmis Gradualibus. Cap. III.

### *G A V A N T U S.*

2. FAciamus gradum ab ordine Breviarii ad Pſalmos Graduales, qui dicuntur, Canticum Graduum, & Aſcenſionis ex vi vocis Hebrææ, *Amalaoth*, & Græci quidem Theodoretus, & Euthymius docent, Cantica hæc intelligenda eſſe ad litteram de aſcenſione Judæorum a Babylone in Jeruſalem, Spiritu Sancto per os David præcinente calamitatem eorum, & libertatem. Alii, e quibus Durandus *lib.* 5. *cap.* 2. malunt eſſe compoſitos hoſce Pſalmos, ut canerentur in aſcenſione quindecim graduum Templi Salomonis, tot enim fuiſſe affirmat S. Auguſt. *tract. in Pſal. ult.* cui Lyranus ſubſcribit, & ſignificant aſcenſiones electorum in Deum per quindecim gradus. Septenarius enim veteris Teſtamenti. Octonarius novi Teſtamenti eſt numerus, ex Ambroſ. *enarrat.* 2. *ad Horontianum*: quaſi dicantur electi per ſcalam præceptorum veteris, & novi Teſtamenti aſcendere ad Deum, & de his fortaſſe gradibus dicebat Salomon *Eccleſ.*11. *ad partes ſeptem* (Græce eſt caſus Dativi) *necnon & octo.*



Digitized by Google

2. Hieron. *in locum Eccleſiaſte*, putat ſeptem, & octo Pſalmos Graduales, veteris, & novi Teſtamenti indiceseſſe; ut enim quondam per aliorum numerum canebatur Deo, ita per utrumque Teſtamentum modo cantantur Laudes eidem Deo. Quinque etiam ſunt ſenſus hominis, per quos animus ad Deum Trinum aſcendit, & ideo diviſi ſunt inter quinos.

3. Radulphus *propoſ.* 21. meminit, & notat, primos quinque dici pro Defunctis: alios quinque pro nobis ipſis, & amicis: poſtremos quinque pro omnibus Fidelibus, & quadrat ordo hic aſcendentibus, juxta Pſalm. 83. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum*, ideſt, Purgatorii; nam a Purgatorio Defunctorum elevamur ad purganda propria peccata, de quibus in ſecunda Oratione agitur; deinde ad unionem cum Deo, quem toto corde perquirimus in tertia Oratione: ita ut in ſecundo ordine Pſalmorum declinantes a malo, in tertio faciamus bonum: in quibus tota Juſtitia conſiſtit.

4. Robertus Cardinal. Bellarmin. *in ſuo aureo Libello de Aſcenſionibus in Deum*, ad inſtar horum 15. Pſalmorum conſtituit quindecim gradus, quibus aſcendas ad Deum: quorum ordo paululum mutatus, triplici Gradualium ordini, meo judicio, reſpondet optime: ſi nimirum in primis quinque Pſalmis mediteris corruptibilia, terram, aquam, aerem, ignem, & mixta, in aliis quinque ſcruteris Cœleſtia corpora, Hominem, Animam ejus rationalem, Angelicam naturam, & Divinam eſſentiam. In tertio Pſalmorum ordine contempleris Dei potentiam, Theoricam, Sapientiam, Practicam ejuſdem, Miſericordiam, & Juſtitiam. Quæ ſingula omnia proſequitur in dicto libello.

5. Si tibi placeant magis Sanctiſs. Roſarii myſteria, ea diſtribue hoc modo, ut quæ ſunt doloris, primo ordini cum *Requiem*, pro Defunctis tribuas; quæ gaudii, ſecundo ordini: quæ gloriæ, tertio adſcribas.

6. Nam primi quinque Pſalmi unicam habet concluſionem: *Requiem æternam, &c.* alii habent quiſque ſuam cum *Gloria Patri:* quia pro Defunctis orantes abſtinere ſolemus a glorificatione Trinitatis, unicam, & æternam eis requiem deſiderando, ut eiſdem poſt quinque ſenſuum in Purgatorio purificationem, in quibus deliquerunt, eadem æterna requies tribuatur. Deo autem danda eſt gloria in aſcenſu noſtro, ſive declinemus a malo, ſive faciamus bonum, de quibus in 2. & 3. agitur Pſalmorum ordine Gradualium. Ultima Oratio habetur in Liturg. Græca S. Petri pro Collecta Miſſæ.

7. Dicuntur autem in Feriis quartis Quadrageſimæ, latius ſumpto vocabulo Quadrageſimæ, ita ut includatur Fer. 4. Cinerum, in qua etiam dicuntur hi Pſalmi: Pio V. ita limitante, ante quem quotidie in Quadrageſima recitabantur. Ante Matutinum dicuntur de more antiquo, ex Radulph. *prop.* 21. in Brev. MS. & in 1550. & ante Officium parvum B. V. quod fit unum Officio majori, ex P. Ruiz *in Cæremoniali*, ut nimirum per octo quoſque dies ab initio jejunii, aſcenſiones in corde noſtro diſponamus de virtute in virtutem, donec ad Chriſtum in Cruce exaltatum perveniamus, quem in Hebdomada majori contemplamur.

8. Omittuntur in ipſamet majori Hebdomada: cum ibi militet eadem ratio, qua omittitur Officium parvum B. V. & Defunctorum, & omittuntur in Feſto novem Lectionum ratione Feſti, ut ait Radulph. *loc. cit.*

9. Nulla nunc eſt obligatio, ex Bulla Pii V. qui proponit recitantibus Indulgentiam quinquaginta dierum: ſi nempe recitent in Feriis IV. Quadrag. ſive in Choro, ſive extra Chorum eos recitent: & abſolvit Clerum ab antiqua obligatione; ſi adeſt conſuetudo eos recitandi in Choro, ſtetur legitimæ conſuetudini, ſicut etiam de Hora recitandi, de qua *cap. ſequenti n. 6.*

Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 1. -- *Qui dicuntur Canticum graduum, & Aſcenſionis, &c.*) Quindecim in Pſalterio Pſalmi, nimirum a Pſalmo 119. uſque ad 134. Graduales appellantur: in Textu Hebræo præfatus titulus idem ſonat, ac *Canticum Aſcenſionum*; in Chaldæo vero *Canticum, quod dictum eſt in Aſcenſionibus Abyſſi*. Hæc autem Chaldæi explicatio ex Hebraicis Traditionibus derivatur; ferunt etenim cum Templi fundamenta poſt regreſſum e captivitate jacienda eſſent, tantam e terra aquæ copiam erupiſſe, ut ad quindecim cubitos elevaretur: illa autem etiam, atque etiam affluente univerſi Mundi ſalus periclitabatur, niſi Architophel inſcripto quindecim gradibus Templi nomine ineffabili Jehovah, prompto remedio rebus afflictis ſuccurriſſet. Ad eam hiſtoriam referunt Judæi Pſalm. 126. *De profundis clamavi, &c.* qui unus eſt e Gradualibus. Junius, & Tremellius allegati ab Auguſtino Calmet in ſuo eruditiſſimo Dictionario Sacræ Scripturæ v. *Pſalmi Graduales* vertunt: *Canticum excellentiarum*, ſive *Canticum eximium*, quod ab aliis doctis Interpretibus non improbatur.

Communem tamen interpretationem *Canticum graduum*, vulgo plures ſequuntur, ſumpto hoc nomine ex quindecim gradibus Templi, in quibus cantabantur, & equidem non ſolum primi ædificati a Salomone, ſed etiam ſecundi Templi a Zorobabele conſtructi, ut ex Rab. David aſſerit Doctiſſimus Villalpandus *tom. 2. in Ezechielem Prophetam part. 2. c. 34.* Eamdem ſententiam tradidit S. Hilarius Præfat. *in Canticum graduum* dicens: *eſſe autem in Templo gradus quindecim, hiſtoria nobis locuta eſt*. Sed cum gradibus hic Miniſtrorum gradus indicari arbitretur, tamdem in ea verſatur ſententia, ut Sacerdotum Summum per hunc graduum numerum in Sancta Sanctorum intrare ſolitum arbitretur. S. Hieronymus vero, ſeu potius alius Auctor ſub ejus nomine, ſuper Pſal. 119. ex ipſo Pſalmorum contextu confirmare videtur ad gradus Atriorum Templi hunc Pſalmorum numerum reſpexiſſe; quamvis myſticos potius, quam alios ſenſus conſectari videatur. Sanctus quoque Auguſtinus in Præfat. Pſal. 150. rationem reddere videtur, propter quam hi graduum Cantici totidem fuerunt: *Septem porro*, inquit, *& octo, quindecim ſunt, tot ſunt, & Cantica, quæ appellantur graduum, quoniam totidem fuerunt Templi gradus*. Eucherius denique *de Spiritualibus for. c. 11.* decimum quintum numerum ad quindecim gradus Templi putat pertinere; *quos*, inquit, *fecit Salomon, ad quorum numerum quindecim Pſalmi, qui inſcribuntur Canticum graduum, compoſiti ſunt*. Hujus opinionis eſt etiam S. Remigius ſuper Pſ. 119. qui tamen putat, gradus, eorumque numerum, pro decantando in eis Pſalmorum numero, extructos fuiſſe; non autem Pſalmos in gradibus decantandos fuiſſe compoſitos, inquit enim: *Pſalmi iſti, qui dicuntur Cantica graduum, & ſunt quindecim, non ad imitationem illorum graduum, qui erant in Templo Salomonis, facti ſunt, cum David longe ante filium præceſſerit, hoſque Pſalmos, ſicut & alios in laudem Dei decantaverit; ſed gradus illi per Salomonem ad imitationem eorumdem virtutum, quæ in Pſalmorum iſtorum numero deſignantur, poſiti ſunt*. Hæc Sanctus Vir. Sed Villalpandus *loc. cit.* recte obſervat, quod cum David dedicaſſe dicatur Salomoni, non modo aurum, argentum, & opes, ligna, lapides, atque alia omnia ad Templi ædificationem neceſſaria, verum etiam deſcriptiones ejus, & *Diviſiones Sacerdotum, & Levitarum in omne miniſterium Domus Domini*, 1. *Paralip. c. 28.* nihil obſtat, quominus idem David potuerit Carmina componere, a Levitis, & a Sacerdotibus canenda, quorum diviſiones, ac ſortis miniſteria omnia jam ante divino Prophetæ ſpiritu plenus excogitaverat, deſcripſerat, ac Salomoni filio opere complenda tradiderat.

II. Gav. eod. n. 1. -- *Theodoretus, & Euthymius docent, &c.*) Quoniam Pſalmi Graduales dicti etiam ſunt *Canticum Aſcenſionis*, ut ſupra diximus, & notat etiam Gavantus; hinc Theodoretus, & Euthymius ab eod. Gavanto relati docent Cantica hæc intelligenda eſſe ad literam de Aſcenſione Judæorum a Babylone in Jeruſalem, Spiritu Sancto per os David præcinente calamitatem eorum, & libertatem. Huic ſententiæ accedit etiam laudatus Calmet hebræum vocabulum vertens ita: *Cantica Aſcenſionis*, ſive Regreſſus e captivitate Babylonica. Movetur hic Auctor ad hanc ſententiam amplectendam, quia Scriptura agens de Regreſſu Populi e captivitate Babylonica, verbo *aſcendere* frequentiſſime utitur, 1. *Eſdræ 2. hi ſunt autem provinciæ filii, qui aſcenderunt de captivitate*; & *c. 7. prima die menſis primi cœpit aſcendere de Babylone*; rurſus 2. pariter *Eſdræ 7. aſcendat in Jeruſalem*; Pſal. vero 121. qui eſt inter Graduales, habetur: *Tribus aſcenderunt in Jeruſalem*. Ex his, ait Calmet, plane intelligimus, Judæos, quoties de itinere Babylone Jeroſolymam agendum eſſet, verbo *aſcendere* frequenter uti conſueviſſe; quippe quo e Babylone in planitie poſita, in Judæam Regionem montuoſam aſcendendo iter pateret. Cantica igitur aſcenſionem facile per eam occaſionem concinnata fuiſſe credimus ob agendas fortaſſe ea de re gratias, quod potiſſimum eſſe Pſalmorum Gradualium argumentum obſervamus. Nec in illis rara etiam receptæ a Populo libertatis mentio, quæ ſane præterquam in hac hypotheſi commodius explicari non poſſunt. Hæc laudatus doctiſſimus Commentator in ſuo Dictionario Sac. Script. *loc. suprac.* addens, quod huic ſuæ opinioni fulciendæ plura congeri poſſent Pſalmorum Teſtimonia, quæ Lectoribus ultro in Pſalterio occurrunt. Super hac re idem Auctor fuſius loquitur in Præfat. ad Pſal. Graduales.

Rabbinorum nonnulli, nimirum Saadias, Hamont. Gatacher. & Commentatores non pauci, ſcilicet Vatabl. Dupin, & Ainſvort Hebræum titulum reddunt: Cantica elevationis, quod ſcilicet elata voce, & elatiori ſinguli modo cantarentur.

Non deſunt etiam, qui præfatum Pſalmorum titulum derivant ex Cathedra in Atrio Iſraelis erecta, ex qua interdum Levitæ ſacros libros legebant 1. *Eſdræ 9.* ſed Cathedram illam legentibus quidem, nunquam tamen canentibus, conſtitutam, omnes norunt, unde hæc opinio videtur nobis cæteris omnibus poſtponenda.

III. Gav. n. 4. -- *Ad inſtar horum quindecim Pſalmorum conſtituit quindecim gradus, &c.*) Vir ſapientiſſimus Card. Bellarminus ſuum Aureum Opuſculum de Aſcenſione mentis in Deum, ad ſimilitudinem quindecim Pſalmorum Gradualium in totidem gradus diſtinxit, quibus Anima Chriſtiana ad Deum aſcendit, quorum ordo triplici Gradualium ordini, ut notat Gavantus, optime reſpondet. Quod ſpectat ad ſpiritualem intelligentiam, horum quindecim Pſalmorum numerus, myſticis Animæ Aſcenſionibus etiam a SS. PP. Hi-

Digitized by Google

Hilario Pictavienſi, Auguſtino, Chryſoſtomo, Gregorio Magno; itemque a Caſſiodoro, Remigio Antiſiodorenſi, & aliis applicatur; quindecim enim Pſalmi Graduales, totidem gradus Chriſtianæ perfectionis apud eoſdem indicant, ut etiam optime conſiderat Cardin. Bona *cap.* 15. §. 1, necnon 2. ubi alia ſubnectit ſpectantia ad myſticas explicationes horum Pſalmorum.

## De Pſalmis Pœnitentialibus. Cap. IV.

### *G A V A N T U S.*

1. PSalmi Pœnitentiales, qui ſcilicet ad pœnitentiam nos movent, ſunt numero ſeptem, & videntur fuiſſe in uſu ante S. Auguſtin. qui morti proximus eos lectitaſſe fertur: neque tamen auctor idem ipſe perhibetur. Ord. Rom. eorum meminit *In fer. 4. Quadrageſ. in capite jejunii*. Caſſiodorus docet, ſeptem eſſe, quia totidem modis remittuntur peccata noſtra: Baptiſmo, paſſione martyrii, eleemoſyna, dimittendo aliis, convertendo alios, abundantia charitatis, & pœnitentia. Hæc ille.

2. Innocentius III. juſſit eos recitari in Quadrageſima, ex Radulph. *propoſ.* 21. quia tempus eſt opportunum ad pœnitentiam.

3. Feriæ ſextæ aſſignati fuerunt in Quadrageſ. a Pio V. cum & hi quotidie recitarentur in eadem. Unde ordine Feriarum ſervato, ſexta Feria ſequente quartam, Pœnitentiales locum habent in Breviario poſt Graduales. Minor eſt etiam Pœnitentialium numerus, quam Gradualium.

4. Abſolute incipiebantur, ex Radulph. *loc. cit.* ſed in Brev. MS. & 1550. præmittitur Antiphon. *Ne reminiſcaris, &c.* ſumpta de Tobiæ libro. Quilibet Pſalmus concluditur cum Trinitatis glorificatione ſolita, a qua ſperatur divina gratia per pœnitentiam, gratia vero dicitur gloria Dei. *Rom.* 3.

5. Recitantur poſt Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino, & Deo gratias*, ut habetur etiam in MS. & 1550. & ante Primam, quia juſtus in principio diei accuſator eſt ſui, ſed Radulphi tempore dicebantur poſt Primam, in qua Confeſſio fit peccatorum.

6. Quod ſi conſuetudo detur aliqua antiqua, & inveterata recitandi in Choro Pſalmos Pœnitentiales in Feriis V. poſt Completorium in Quadrageſ. & in Feriis tertiis Pſalmos Graduales: Sac. Rit. Congr. declaravit, eam retineri poſſe, ut *in una Laudenſi* reſpondit 2. Auguſti 1603.

7. Congruit tamen multo magis Feria ſexta, in qua peccavit Adam, & mortuus eſt Chriſtus eadem die.

8. Non in Feſto 9. Lect. Quid enim peccatoris triſtitia cum feſtivitate Beatorum? nec in Paraſc. Fer. 6. majoris Hebdom. ut dictum de Offic. Defunctorum.

9. Litaniæ, quæ habentur poſt Pſalmos Pœnitentiales, demptis aliquibus Sanctis de novo additis, eadem ſunt, quæ in Ordine Romano, *in Benedictione Eccleſiæ*; non tamen ante S. Hieronymum eas fuiſſe in uſu, ſentit Walafridus *de rebus Eccleſ. cap.* 28. quod intellige apud Romanos; nam in Eccleſia Neocæſarienſi eas adhibitas eſſe ſcribit Sanctus Baſilius *Epiſt.* 63.

10. In Breviar. MS. & in edito 1550. plures Sancti recenſebantur, & petitiones diverſarum rerum multo plures erant, eæ ſcilicet, quibus additur, *Te rogamus audi nos*. Pius autem V. ſelegit nobiliores Sanctos, & ad ſufficientem numerum petitiones redegit: quibus non debet fieri ulla additio, inconſulta Sancta Sede Apoſtolica; nec etiam Patronorum loci: & præſertim, quando dicuntur Litaniæ ex præſcripto Breviarii Romani, in Rogationibus, & in Feriis ſextis Quadrageſimæ: quia Pius V. prohibuit in Bulla omnem additionem. Forte in aliis caſibus addi poterant ab Epiſcopis, puta in quibuſdam neceſſitatibus Populorum, ſicut adduntur in Rituali Roman. varia: *A peſte, fame, & bello*, & ejuſmodi, ob varios caſus: neque Paulus V. videtur prohibuiſſe in Rituali Romano additionem, ex cauſa rationabili; ſed Sacr. Rit. Cong. die 22. Martii 1631. Reſpondit Canonicis Cath. Regienſis, non poſſe inſeri alios Sanctos in Litaniis, præter deſcriptos, etiam tempore peſtis; quo hi petebant facultatem addendi Sanctos Titulares, & Patronos Civitatis. Multo minus invocandi erunt in Litaniis ii, qui nondum ſunt canonizati, ex Gloſſa *in cap. unico de Reliq. & venerat. Sanctorum in 6. §. Sedes Apoſtol. verb. hoc eodem*, quam ſequitur Bellarm. *de Sanctorum Beatitudine cap.* 10. immo neque privatim recitando Litanias, ut docet Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 43. n. 5. & ſeq.*

11. De Domno Apoſtolico, ideſt, Papa, omnes Litaniæ meminerunt: Domnus enim idem eſt ac Dominus; ſed vocabulum, Dominus, terroris eſſe, non reverentiæ exiſtimabant antiqui, ait Panvinus *de interp. vocum obſcur.* qui & Apoſtolicus dictus eſt tamquam ſucceſſor Petri Principis Apoſtolorum, ut ait Rupert. *lib. 1. de Divin. Offic. cap.* 27. Vacante Sede, petitio hæc de Domno Apoſtolico omitti debet, una cum Verſu poſt Pſalmum in precibus, *Oremus pro Pontifice noſtro N.* & Oratione de eodem, quia non eſt, ſi vacat Sedes. Nam & in Canone, Sede vacante, jubemur tacere nomen Pontificis, & vocem ipſam.

12. Pſalmus poſt Litanias erat alius. Orationes item longe plures, quam hodie, ex Radulpho, a quo indicatur eſſe ultima Oratio, quæ item apud nos eſt ultima. Pius V. tamen nihil mutavit, ſed omnia a Breviario edito 1550. in ſuum tranſtulit Breviarium, excepto Litaniarum fine, quem proſus accepit a Brev. MS. Habentur in Sacram. Gregor. Orationes hæ: *Deus, cui proprium eſt miſereri; Ineffabilem; Deus, qui culpa offenderis; Exaudi quæſumus Domine; Deus, a quo ſancta deſideria; Ure igne; Fidelium*, & *Omnipotens*; quæ ibidem dicitur eſſe Sancti Auguſtini, ſed habentur ſparſim in cit. libro.



13. Quod ſi Litaniæ ſeparatim a Pſalmis Pœnitentialibus dicendæ ſint, dicto ad Laudes diei, *Benedicamus Domino, Deo gratias*, ſtatim eæ dicuntur: nam *Fidelium Animæ*, pro fine Laudum dicitur in fine Litaniarum, & utriſque deſervit.

14. Nulla eſt obligatio extra Chorum recitandi ſeptem Pſalmos prædictos, abſolvente nos Piu V. in Bulla Breviarii ab omni peccato, & obligatione de hac re; qui concedit Indulgentiam quinquaginta dierum qualibet vice recitantibus eoſdem juxta Rubricas Breviarii. In Choro, ſi conſuetudo viget eoſdem recitandi, conſervetur.

15. Pro Litaniis ſeparatim dicendis nulla eſt Indulgentia, ſed obligatio in Litaniis majoribus, & minoribus, qua de re vide *Sect. 6. cap. 16. num. 3.*

16. Communior uſus Eccleſiarum Urbis eſt, quod (excepto Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecoſtes) Cantores, & Chorus eas dicant alternatim. In Litaniis majoribus, ad diſtinctionem a minoribus alicubi Chorus repetit, quæ Cantores integre dicunt, ut in Sabbato Sancto. Qua in re, ſtandum eſt locorum conſuetudini, & longior Proceſſio congrue id requirit.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gavant. num. 1. -- *Caſſiodorus docet ſeptem eſſe, &c.*) Non ſolum Caſſiodorus in Pſalm. 6. ſed etiam ante ipſum Origenes homilia 2. in Leviticum docuit, Pſalmos Pœnitentiales ſeptenario numero concluſos eſſe, quia ſeptem ſupradictis modis, a Gavanto ex Caſſioduro allatis, peccata nobis dimitti poſſunt. Inveniuntur & alii fortaſſe modi remittendi peccata noſtra, congruit etenim, ut numerum noſtrarum ſupplicationum divina miſericordia, & indulgentia tranſcendat. Conſiderat etiam Cardinalis Bona *cap.* 14. §. 1. quod antiqui Canones ſeptennem pœnitentiam pro gravioribus peccatis impoſuerunt; deinde legimus in Sacris paginis, quod leproſus mundandus ſepties aſpergebatur. Quod Naaman Syrus ſepties lavari in Jordane juſſus eſt ab Eliſeo; Quod ſeptimo anno fiebant remiſſiones, eratque magnus Jubilæus poſt quadratum ſeptenarium; & alia hujuſmodi: unde infert, non ergo ſine cauſa horum Pſalmorum numerum ad ſeptenarium redactus eſt, ut ſeptuplum expurgati a ſeptem plagis immunes, excluſis ſeptem Dæmoniis, ſeptiformis Spiritus gratia illuſtremur. Deſcendit deinde idem Eminent. Auctor ad notanda quædam de ſingulis hiſce Pſalmis Pœnitentialibus, quæ apud ipſum legi poterunt.

## De Ordine Commendationis Animæ. Cap. V.

### *G A V A N T U S.*

1. MAgni momenti, unde pendet æternitas eſt exitus animarum de ſuis corporibus: & ideo cuicumque Sacerdoti, nedum Parocho, datur facultas commendandi animas Deo in hora mortis, & in tranſitu earumdem animarum. Ut autem quilibet Sacerdos ad manum habere queat, neceſſitate præſertim urgente, & Rituali (quod Parochorum eſt) deficiente, ad calcem Breviarii additus eſt Ordo Commendationis animæ; extat in Breviario MS. Uſus autem commendandi animas in earum receſſu eſt antiquior S. Gregorio, qui de eo meminit *Homilia in Evangel.* 37. & de S. Joan. Eleemoſynario ad morientes ventitante ſcribit Metaph. *in ejus vita*, a quo Agonizantes, ut puto, benedicebantur; nam hic ritus Epiſcopalis Benedictionis in obitu fidelium ante annum 840. erat in uſu, ſcribente Aunonio *lib. 5. cap. 19. de geſtis Francorum*, quod Ludovicus Pius Imperator moriens, Diogenem Epiſcop. Metenſem accerſivit, & ab eo benedictionem petiit. Unde Sanctus Carolus Borromæus obtinuit, a Gregor. XIII. die 30. Decembris 1580. facultatem omnibus Epiſcopis Provinciæ Mediolanenſis concedendæ Indulgentiæ ægrotis, quos vel ipſi, vel eorum nomine alii viſitaverint: tum ut ægroti benedictionem Epiſcopi diligentius procurent: tum vero etiam, ut ea reddatur ægrotis utilior.

2. Concordat noſter Ordo cum antiquis MSS. excepta mutatione aliquorum Sanctorum in Litaniis brevibus: quæ breves eſſe debuerunt, ut diſcedente anima, ſequentibus precibus magis propriis eam Domino commendemus.

3. In Rituali Pauli V. præſcribitur Commendanti animam, ut induat ſuperpelliceum, & ſtolam violaceam, aſpergat locum, & infirmum aqua benedicta, dicens *Aſperge me, &c.* & imaginem Crucifixi ægroto tradat oſculandam, de quibus meminit Alcuinus *cap. antepenultimo*, ubi etiam monet, eſſe legendas ante morientem Chriſti Paſſiones ab Evangeliſtis

ſtis ſcriptas. Et hic ritus quidem eſt antiquus legendi Paſſionem Chriſti coram morituris, ex Actis S. Marthæ Virg. quæ ſibi legi dum obiret, eamdem curavit.

4. Oratio illa: *Commendo te omnipotenti Deo*, *etc.* tota ad verbum Epiſtola eſt, quam Petrus Cardinalis Damiani ſcripſit amico ſuo morienti: quæ habetur initio *Tomi tertii operum ejuſdem*, *reponenda in tom.* 1. *lib.* 8. *epiſt.* 15. *num.* 150. Quod item in hoc loco dicitur de tribus atrociſſimis tormentis S. Theclæ, illud confirmat Baronius *in Not. Martyrol.* 23. *Septembr.* & enumerat ignes, theatrum, & beſtias, citatis Ss. Patribus; ſed non explicat, quodnam in theatro paſſa ſit tormentum diſtinctum a beſtiarum faucibus. In annalibus Anno 47. explicat, eam tauris alligatam fuiſſe, ut diſcerperetur. Nominari vero Theclam in agone mortis, Sanctus Cyprianus indicat, *Oratione pro martyribus*, *et in oratione in die Paſſionis*, quem ſecuti ſunt in hoc eodem ritu Ss. Terentius, & focii, tum alii, ut ſcribit Baron. *loc. cit.*

5. Cæterum fax cum Cruce, præter Lectionem Paſſionis Chriſti, mirifice juvant in agone conſtitutum, ex inſtituto Apoſtolico, quæ aſſuete in obitu Sanctæ Marthæ Hoſpitæ Chriſti, ut refert S. Antoninus *part.* 1. *tit.* 6. *cap.* 20. De Crucis effectibus coram moriente agit Tobias noſter *part.* 3. *cap.* 66. *circa finem*.

6. Reſp. *Subvenite Sancti Dei*, eſt antiquum, & habetur in Antiphonario Sancti Gregorii.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gavant. num. 2. -- *Excepta mutatione aliquorum Sanctorum in Litaniis Brevibus*, *etc.*) In noſtro ordine Commendationis Animæ habentur quædam Litaniæ breves, & aliquantiſper diverſæ ab aliis Litaniis, nam invocantur etiam aliqui Sancti veteris Teſtamenti expreſſo eorum nomine, nimirum Ss. Abel, & Abraham. Ex quo magis, magiſque confirmatur quod hujuſmodi Sancti perinde atque alii novi Teſtamenti ab univerſali Eccleſia colantur, & revera non ſolum ſuppreſſo nomine in Litaniis majoribus invocantur, & nominatim aliqui illorum in præfatis Litaniis Commendationis Animæ, ſed etiam eorum plurimi in Martyrologio Romano recenſentur: multorum item Reliquiis exhibetur veneratio, ut de ſingulis adducit Teſtimonia Baronius in ſuis ad Martyrologium notis; & denique nonnullas Eccleſias ſub eorum nomine ædificatas refert idem Baronius ex probatis Auctoribus, puta Jeremiæ a Coſtantino Magno ſuper ipſammet foveam, in quam is Propheta detruſus fuit, Michææ ad ejus ſepulcrum, Eliæ a Baſilio Imperatore, Samueli a Juſtiniano; Machabæis Martyribus Antiochiæ, Viennæ quoque Allobrogum, necnon Coloniæ Agrippinæ, & denique Venetiis Moyſi, Samueli, Jeremiæ, Job, & aliis. Recentiſſime memoratis brevibus Litaniis pro Animæ Commendatione inſertum fuit etiam nomen S. Joſephi poſt illud S. Joannis Baptiſtæ, id demandante Benedicto Pp. XIII. in Decreto *Urbis*, *et Orbis* evulgato die 19. Decembr. 1726. & dato in noſtro Indice *ſub n.* 268. Ideo autem nomen S. Joſephi collocatum eſt in Litaniis immediate poſt S. Joannem Baptiſtam, quia idem Ordo ſervatus fuit, & adhuc ſervatur in Litaniis Pp. Prædicatorum, & in Litaniis inſertis in Rituali Romano pro aquæ benedictione, nec non antiquioribus temporibus in Litaniis majoribus Univerſalis Eccleſiæ, uti deſumitur ex Miſſalibus, & Ritualibus recenſitis ab Eminentiſſimo Cardin. Lambertini in ſuo eruditiſſimo diſcurſu ſuper hac re edito anno 1723. cum fidei Promotoris munus commendatiſſime obiret; ob quas rationes eidem doctiſſimo viro abſona res videbatur ſi in Litaniis majoribus iterum reponeretur idem S. Joſephi nomen, ſed non amplius immediate poſt S. Joannem Baptiſtam.

Abſque eo quod obeſſe potuerit, quod S. Joſeph Confeſſor vocetur in Martyrologiis, & quod ab Eccleſia in Kalendariis, & Breviario colatur tamquam Confeſſor; ſiquidem non valet argumentum a Breviario, & Officiis ad Litanias. In Litaniis etenim habemus Claſſem Patriarcharum, & Prophetarum, in qua S. Joſeph reponi poteſt. At in Breviariis, & Officiis non habent Sancti Evangelici, in quorum numero eſt S. Joſeph, niſi Commune vel unius, vel plurimorum Martyrum, vel Confeſſoris Pontiſ. vel non Pontiſ. teſte ipſo Guyeto *lib.* 3. *cap.* 16. *quæſt.* 5. ubi ait -- Quotum Sanctorum in quatuor Evangeliorum libris mentio fit cum laude, ii merito appellari poſſunt Evangelici. Sunt autem ejuſmodi præter Beatiſſimam Virginem Deiparam, ejuſque Sponſum Caſtiſſimum S. Joſephum, &c. De iis ergo omnibus commune aliud non datur: quam quod in Breviario poſitum eſt unius, vel plurimorum Martyrum, Confeſſoris Pontificis, vel non Pontificis, pro cujus ſtatu, ac conditione, ut clarum eſt exemplis S. Joſeph, S. Mariæ Magdalenæ, &c. -- Idipſum repetit idem Auctor *lib.* 3. *cap.* 23. *quæſt.* 7. Ex quibus colligit mox memoratus Cardin. Lambertini, hæc duo non eſſe incompatibilia, videlicet S. Joſeph in Officio coli tamquam Confeſſorem, ejuſque nomen reponi in Litaniis in Claſſe Prophetarum, & Patriarcharum immediate poſt S. Joannem Baptiſtam,

## De Benedictione Menſæ, & Itinerario Clericorum. Cap. VI.

### GAVANTUS.

1. Quæ frequenter uſurpare decet Clericum in genere precum, ea collecta ſunt in calce Breviarii, pro uſu faciliori totius Cleri. Inter hæc Benedictio Menſæ, quæ mane fit, & Veſperi, opportunum hoc loco habet locum.

2. Originem habet a Chriſto, qui benedixit, antequam panes quinque diſtribueret Turbis; & in ultima cœna benedixit, fregit, &c. Poſt cœnam eamdem Hymnum dixit, *Matth.* 16. ideſt. Pſalm. 113. *In exitu Iſrael de Ægypto*, ut docet Baron. *Ann.* 34. ex Rituali Hebræorum in Paſchali cœna, quo morem aliorum ſequutus uſus eſſe creditur Dominus noſter.

3. Si antiquiora quæramus 1. *Reg.* 9. ubi legimus, *benedicit Hoſtiæ*. Chaldæus legit: *benedicit ſuper cibum*, & Daniel item *cap.* 14. laudato Deo comedit cibum. Poſt cibum vero extat præceptum de gratiarum actione. *Deut.* 8. *n.* 16.

4. Apoſtoli igitur imitati Chriſtum docuere poſteros Benedictionem Menſæ, ut Paulus Timotheum 1. *ad eumdem cap.* 4. ut exponit locum illum Turrecrem. *cap. Non liceat diſt.* 44. S. Athanaſ. *de Sermone Virg.* ubi, inquit, ſederis ad Menſam, & inceperis frangere panem, ter eum conſignans (hoc eſt, ſigno Crucis) his verbis gratias age: *Gratias agimus tibi*, *Pater noſter*; & cum ſurrexeris a Menſa, rurſus gratias agendo trinis vicibus dicas: *Miſerator*, *et miſericors Deus eſcam dedit timentibus ſe. Gloria Patri*, *et Filio*, *et Spiritui Sancto*.

5. Inter Latinos S. Hieron. ait *epiſt.* 22. *ad Euſtachium de cuſtod. Virgin.* nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa; nec recedatur a Menſa, niſi referatur Creatori gratia. Meminit & Rabanus *de inſtit. Cleric. lib.* 2. *cap.* 50. ubi habetur Verſ. *Edent pauperes*, *etc.*

6. Ejus omiſſio peccatum eſt veniale, ex Navarr. *de Orat. cap.* 18. *num.* 43. valet enim ad abigendos Dæmones, & ad continentiam noſtram in cibo, & potu, ut ait Chryſoſt. *de fide Annæ*, & ad laudandum Deum pro præſentibus, & futuris bonis, ex Baſil. *epiſt.* 1. Item ad delenda peccata venialia gaſtrimargiæ, ex Chryſoſt. *in Pſalm.* 42. Julius Nigronus *tract. aſcetico* 7. *cap.* 1. *incitamento quinto*, citat Germanianum, qui *in cap. Non liceat*, obligat Clericos ſub mortali ad Benedictionem Menſæ; contra communem tamen opinionem; ut vel ex hoc videas eam non eſſe negligendam,

7. Porro formula in Breviario tradita, ut benedicendi, tum gratias agendi, cum auctorem non habeat, & in antiquiſſimis reperiatur Breviariis; ſua antiquitate auctoritatem ſibi conciliat maximam, Clem. *lib.* 7. *Apoſtol. Conſtitut. capit.* 48. meminit orationis in prandio diſtinctæ. In cœna vero, quæ apud antiquiores jejunio deditos erat magis in uſu, quam prandium, verſus ille dicebatur, *Edent pauperes*, *& ſaturabuntur*, *&c.* immo S. Hieronym. *in Marc.* 14. ubi de Hymno Salvatoris diſputat, docet illum aſſumpſiſſe pro Hymno eumdem verſum: *Edent pauperes*, *&c.* ex Pſalm. 21. qui de Paſſione eſt totus; alter verſus: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*, *&c.* quo nos utimur, habet auctorem, ut ſupra dixi, Athanaſium. Oratio *Benedic*, *Domine*, *nos*, *&c.* habetur fere tota in libro Sacramentorum Grimoldi Abb. *num.* 326.

8. Solemus ad ea verba prædictæ Orationis: *Domine nos*, ſignare Cruce nos ipſos: & ad ſequentia verba *& hæc tua dona*, ſignare cibos Cruce, nempe accepto Ritu ab antiquis, qui & ante cibum ſignabant ſe ſigno Crucis, ex Tertullian. *de Corona milit. cap.* 3. & ſignabant ipſus cibos, Athanaſ. *ſupra cit.*

9 Geminatur initio vox: *Benedic*; *Benedicite*, quaſi invicem hortemur nos ad benedicendum Dominum, ex Durand. *lib.* 4. *cap. ult.*

10. Mutatio verſuum pro varietate Feſtorum, ſicut & Pſalmorum, eſt opportuna; ab Hebræis deducta, & Hebræorum Ritualibus, ex Baron. anno 34. Fit autem mutatio regulariter a primis Veſperis Feſti, ſi cœnatur, quia a primis Veſperis incipit Feſtum; ceſſatque mutatio, ut in Rubricis Breviarii, hoc eſt: Verſus de Nativitate Domini dicuntur hodie in poſtrema recognitione Breviarii, uſque ad Cœnam excluſive in Vigilia Epiphaniæ: Verſus de Epiphania uſque ad Cœnam incluſive diei Octavæ: Verſus de Paſchate uſque ad Cœnam excluſive Sabbati in Albis: Verſus de Aſcenſione uſque ad Cœnam incluſive Fer. 6. poſt Oct. Aſcenſionis: Verſus de Pentecoſte a Cœna, quæ fit in meridie Vigiliæ ejuſdem (quia Miſſa Vigiliæ habet omnia, quæ ſunt propria Feſti) uſque ad Cœnam Feriæ 6. Quatuor Temporum: nam in Sabbato poſt Nonam terminatur tempus Paſchale. In triduo Hebdomadæ majoris dicuntur Verſus, ut in Breviario.

11. Dubitarunt aliqui graviſſimi viri, an in Benedictione Menſæ infra Octavam Paſchatis nihil aliud addendum ſit verſui: *Hæc dies*, *etc.* cum in Rubrica habeantur hæc verba: *dicitur tantum verſ. Hæc dies*; ſed facile reſpondetur,

ea

ea omnia dici, quæ in prima Benedictione dicuntur, excepto verſu, & Pſalmo propriis Feſti Paſchalis, juxta præcedentem Rubricam S. *Prædictus modus, &c.* Verſus autem ſolent in aliis Feſtis. & temporibus, tum in prandio, tum in cœna multiplicati; neque qui dicitur ante menſam, dicitur, ſeu repetitur poſt menſam. Solum Paſchale Feſtum, hoc habet, ut non varientur verſus, ſed unus, & idem tantum dicatur ante, & poſt menſam repetatur: *Hæc dies*; & hic eſt ſenſus eorum verborum: *dicitur tantum*, quæ particula, *tantum*, uti dubia, idcirco delata eſt in recognitione poſtrema Breviarii.

12. Ante Orationem, quæ dicitur poſt menſam: *Retribuere dignare, &c.* non præponitur: *Oremus* quia non eſt proprie Oratio, ut patet ex concluſione, quam non habet *Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.* & Clemens VIII. clariorem Rubricam de hac re edjecit, quæ in Pii V. deſiderabatur.

13. Inter hæc benedicitur Lector, ut ad menſam legat, qui in triduo Hebdomadæ majoris non dicit, *Jube Domne*, nec in fine *Tu autem Domine*, ob cauſas a nobis allatas *Sectione VI. c. 13. n. 11.* Quæ etiam omittuntur Veſperi ad jentacula brevia in diebus jejuniorum, in quibus, qui benedicit, aut gratias agit, multa omittit de communi benedictione, aut gratiarum actione; qua in re abundat quiſque in ſenſu ſuo, & variæ ſunt formulæ Regularium. Rubricæ Breviarii nihil præſcribunt de hac re; ut intelligamus, jentacula veſpertina in diebus jejuniorum concedi ſecundam indulgentiam, non ſecundum imperium; & integrum jejunium Eccleſiaſticum non admittere, niſi unicam comeſtionem, quæ in Breviario vocatur cœna, ad quam adhibentur benedictio & gratiarum actio cœnæ aſſignata.

14. De lectione vero quid dicemus? Auguſtinus dicitur auctor lectionis ad menſam a Gemma *lib. 2. c. 63.* ut mentes cum corporibus reficiantur. Juſſa fuit ad menſam Epiſcoporum ab Euſebio Papa, ut in Epitome Conc. Nannetenſi, & Tolet. 3. *c. 7. a Gratiano relatis diſtinct.* 44. Origenis tempore fuiſſe in uſu hanc lectionem tradit Hieronymus *in epiſt.* 18. *ad Marcellam*, in Cœnobiis Regularium adhibitam fuiſſe ſcribit Baſil. *in Regular. Breviar. interrog.* 180.

15. S. Bernardus a Radulpho citatus *propoſ.* 11. curebat legi in Refectorio libros Sacræ Scripturæ, qui non leguntur in Choro, & poſt libros Machabæorum, legi quatuor libros Evangeliorum, dimiſſis, ſeu omiſſis Paſſionibus, quod poſtremum, meo judicio, eſt maxime notandum, & ad majorem Dominicæ Paſſionis reverentiam obſervandum videtur, ob auctoritatem tanti Patris.

16. Itinerarium poſt benedictionem Menſæ ad uſum Cleri collocatum eſt in fine Breviarii; cujus auctor eſt incertus, neque reperitur in antiquis Breviariis. Habetur autem paulo longius pro itinere Prælatorum in Pontificali antiquo, cum Cantico, Aut. Verſibus, & Orationibus, una mutate, & altera ante Canticum addita, ut fere idem fit cum noſtro Clericorum Itinerario; Porro Antiphona, Canticum Zachariæ, Preces, & Orationes, quarum ultimæ duæ diviſim habentur in Sacramentorum libro S. Gregorii, ſunt itineri cuicumque faciendo ſatis accommmodatæ: Convenit autem Clerico ſemper orare, ut itinere ſuo perveniat ad Deum. Atque hic finis eſt Breviarii Romani.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. num. 50. — *Fit mutatio regulariter a primis Veſperis Feſti, &c.*) Mutatio, quæ fit in verſibus pro benedictione Menſæ, incipit regulariter a primis Veſperis Feſti, ut bene ait Gavantus, quia videlicet Feſtum ipſum jam inchoatum eſt a primis Veſperis, idque habet locum etiam in Vigilia Nativitatis, quando incidit in Dominicam, item, & alio quolibet die apud eos, qui cœnam differunt poſt Veſperas. Apud illos vero, qui comedunt ante Veſperas, quamvis comeſtio ille dicatur Cœna, nihilominus in ea non ſunt dicendi verſus Nativitatis, quia nondum eſt inchoatum ejus Officium.

II. Gavant. eod. num. 10 — *Nam in Sabbato poſt Nonam terminatur tempus Paſchale, &c.*) Verſus proprii Pentecoſtes, juxta Rubricam, continuantur *uſque ad Cœnam Sabbati ſequentis excluſive*, quæ verba Rubricæ Gavantus ſic accipit, ut velit excludi penitus Sabbatum, *quia*, inquit, *in ipſo Sabbato poſt Nonam terminatur tempus Paſchale*; unde addidit ipſe de ſuo, *uſque ad Cœnam Feriæ Sextæ quatuor temporum*. Guyetus vero *lib. 4. cap. 20. quæſt. VIII.* exiſtimat, non excludi comeſtionem Sabbati illius a Verſibus Pentecoſtes, niſi ubi fit poſt Veſperas: *quia adhuc*, ait ipſe, *cenſetur perſeverare Officium Pentecoſtes, adeoque omnia, quæ ad illud pertinent, uſque dum inchoatum fuerit Officium ſubſequens, quod profecto ante Veſperas inchoatum dici nequit*: Sed adhærendum eſſe Gavanto, pro certo habeo, quia excluſio illa Rubricarum *uſque ad Cœnam Sabbati excluſive* intelligenda eſt uſque ad comeſtionem diei Sabbati, quæ juxta Rubricas, non appellatur prandium, ſed Cœna, & dicuntur ea omnia, quæ dici debent in benedictione Cœnæ, quapropter cum rubrica præſcribat Verſus proprios Pentecoſtes dicendos eſſe uſque ad Cœnam Sabbati ſequentis excluſive, optime explicat Gavantus, prædictos Verſus dicendos eſſe uſque ad Cœnam, (nimirum incluſive) Feriæ ſextæ Quatuor Temporum, intelligendo ſemper nomine Cœnæ comeſtionem illam unicam, quæ fit in die jejunii.



---

## S E C T I O D E C I M A

### De Cæremoniis ad Horas Canonicas adhibendis.

*G A V A N T U S.*

Horæ Canonicæ vel ab uno, vel a pluribus ſimul: vel extra Chorum, vel in Choro: vel ſolemniter, vel minus ſolemniter recitari poſſunt, quibus modis cum peculiares accidant Cæremoniæ, de his reliquum eſt, ut breviter agamus.

### SECTIONIS DECIMÆ CAPITA III.


1. *De Cæremoniis in privata Horarum Canonicarum recitatione.*
2. *De Cæremoniis Horarum Canonicarum in Choro recitandarum.*
3. *De Cæremoniis Horarum Canonicarum in Choro ſolemnius recitandarum.*


### De Cæremoniis in private Horarum Canonicarum recitatione. Cap. I.

*G A V A N T U S.*

1. Convenienter ſtatur ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, quia ſunt de textu Evangelico; ad Symbolum item Apoſtolorum, ut ad fidei confeſſionem promptiores videamur. Item ad Horarum Initia, quibus adjutorium divinum imploramus, & laudem Deo Trino tribuimus; ad Invitatorium, ne ſegnes videamur, dum alios invitamus; ad Hymnos, qui ſunt laudes Dei ſolemniores, inter quos, *Te Deum* quoque numeramus; ad Verſus quoque Nocturnorum, & poſt Hymnos, quia iis, ut docuimus ſupra, convertimur, & excitamur in Deum: ad textum Evangelii ante Homiliam, quod per ſe patet; ad Capitula, quæ ſunt breves exhortationes majorum, ad Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, quæ vocantur Evangelica. Ad Orationes denique omnes, quibus immediate Deum alloquimur (excepto triduo majoris Hebdomadæ) & ad Preces, quæ præcedunt.

2. Standum erit tempore Paſchali, & in omnibus Dominicis, a primis earum Veſperis ad Antiphonas B. V. quæ dicuntur in fine Officii, ex cauſis ſupra allatis.

3. Ad Pſalmus ſtandum eſſet, ut ſupra probavimus, *Sect.* 5. *c.* 8. ſed plurimi ſedent: non pauci partim ſedent, partim ſtant, quia ſpiritus promptus, caro autem infirma. Ad Lectiones quoque in Officio parvo B. V. in Adventu laudabilius ſtatur, quia ſunt de Evangelio.

4. Genuflectendum autem erit ad ea verba Invitatorii: *Adoremus, & procidamus*, ut in Cærem. Epiſcop. *lib. 2. cap. 6.* quod monent eadem ipſa verba. Item ad Preces Feriales in Laudibus, Veſperis, & horis, in diebus nimirum pœnitentiæ dicatis. Item ad Preces in Officio Defunctorum, majoris mœroris gratia. Item in Hymnis ad ea; *Veni Creator Spiritus*; *Ave Maris Stella*; *O Crux ave ſpes unica*; *Tantum ergo Sacramentum*; ſi coram Sacramento dicitur, ex Cæremon. Epiſcop. *lib. 1. c.* 28. Quidam laudabiliter ad ea quoque: *O ſalutaris hoſtia*; & cauſæ patent ad majorem reverentiam; qua etiam de cauſa genuflectimus ad ea in Hymno, *Te Deum*; *Te ergo quæſumus, &c.* ex Cæremon. *lib. 2. capit. 5. et 6.* Denique ad Antiphonas B. V. quæ dicuntur in fine Officii, & ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum, quæ dicuntur in fine Completorii (exceptis Dominicis, & tempore Paſchali, ut ſupra dictum eſt) erit genuflectendum.

5. Præterea caput inclinandum erit ad verſum: *Gloria Patri, et Filio, etc.* ad nomen Jeſu, Mariæ, & Sancti, de quo Officium recitatur. Item ad *Confiteor, etc.* quod in Prima, & ante Completorium dicitur, uſque ad *Miſereatur* incluſive, ab eo, qui dicit, & cui dicitur reſpective, ut in Miſſa.

6. Signum Crucis adhiberi debet, pollice ſibi ſignando os, ad illud, initio Matutini; *Domine labia mea aperies, etc.* ut in Rubricis Breviar. *de Matutino titul.* 13. *num.* 1. Item manu extenſa ſignando ſe a fronte ad pectus, & a ſiniſtro humero uſque ad dextrum, cum dicitur *Deus in adjutorium, etc.* Item ad verſum: *Adjutorium noſtrum*, ante Confeſſionem in Primæ, & Completorii, ſumpto ritu e Miſſa, *ut titulo 35. dicitur de Prima numer.* 2. Item ad *Indulgentiam*, ut in Miſſa, & ad ea in fine Primæ: *Dominus nos benedicat*, & in fine Completorii: *Benedicat & cuſtodiat nos Omnipotens, etc.* Aliqui ſignum crucis cum pollice formant in pectore ad *Converte nos Deus, etc.* quæ omnia cau-

ſas habent ſatis apertas, & congruentes. Laudabile quoque eſt ſignum crucis fieri ad Antiphonam de Cruce in Officiu Feriali.

7. In Pſalmis Gradualibus, quæcumque Preces dicuntur flexis genibus, ad mœrorem, & luctum indicandum; multoque magis hæc genuflexio congruit Pœnitentialibus Pſalmis, Litaniis, & Orationibus (quæ tamen Orationes a ſtante Hebdomadario dicuntur) ut præſcriptum eſt in fine Breviarii. Ad alia non incongrue ſedetur. Percutiunt ſibi pectus aliqui ad *Agnus Dei*, ſicuti in Miſſa. Bene vero percutiunt pectus, ad ea in confeſſione ad Primam, & Completorium *mea culpa*, *&c.* ut fit in Miſſa.

## De Cæremoniis Horarum Canonicarum in Choro recitandarum. Cap. II.

### *GAVANTUS.*

1. PRoprios mores unaquæque habet Eccleſia, & laudabiles conſuetudines, quas non tolli a Cæremoniali Rom. neque a Rubricis Breviarii ſæpius declaravit Sacra Rituum Congr. ſed videant Epiſcopi, ne ita pugnent cum univerſali Eccleſia, ut peritiorum judicio minus ſint laudabiles conſuetudines.

2. In Breviario quatuor tantum, quæ ad hanc rem faciunt, adnotata in Rubricis reperiuntur. Primum eſt, quod Hebdomadarius clara voce dicat: *Domine labia mea*, *&c.* initio Matutini Officii *tit.* 13. *num.* 1. Alterum, quod in Precibus Ferialibus dicat clara voce totum *Pater noſter*, *&c.* habetur *tit.* 32. *n.* 2. Tertium, quod idem dicat eaſdem Preces flexis genibus uſque ad verſum: *Dominus vobiſcum* excluſive, circumſtantibus genuflexis ad *Benedicamus Domino*. Vide *tit.* 34. *n.* 4. quæ certe ſunt rationi conſentanea, & communi conſuetudini univerſalis Eccleſiæ. Quartum eſt, quod idem ſurgat ad Orationem, quæ dicitur poſt Antiphonam B. V. in fine Officii *tit.* 36. *n.* 3. Hæc in Breviar.

3. Habentur alia in Cæremoniali Epiſcoporum ad hanc rem peropportuna; & primo, quod coram Sacramento Euchariſtiæ Sanctiſſimo, ſtare debent omnes aperto capite ad Horas omnes *lib.* 2. *cap.* 33. Vel ſi ſedeant, caput numquam cooperiant, puta ad Matutinum, quod ordinarie prolixius eſt Officium.

4. Standum item erit ad initia Horarum, ad Invitatorium, Hymnos, Capitula, Reſponſoria brevia, Verſus, Abſolutiones, Benedictiones, textum Evangelii ante Homiliam, Cantica Evangelica, Orationes, Commemorationes, & Suffragia communia Ss. Item ad Antiphonas finales B. V. Tempore Paſchali, & in diebus Dominicis a primis Veſperis, quod habetur expreſſe ex Conc. Aurelian. apud Burchard. *lib.* 33. *Decret. cap.* 3. & Ivo *lib.* 2. *cap.* 183. & alias attulimus propriam cauſam, ob memoriam ſcilicet Dominicæ Reſurrectionis. Ad ea item in Verſibus, & Reſponſoriis, quæ in Evangelio lecta genuflexionem poſtulant: ut *Verbum caro factum eſt: procidentes adoraverunt*, *&c.*

5. Sedendum eſt ad Lectiones, & ubi eſt conſuetudo, ad Reſponſoria, & ad Martyrolog.

6. Dubitatio eſt de Pſalmorum cantu, nam varia eſt conſuetudo: aliqui ſtant, & hi laudabilius; alii ſedent: alii ad Pſalmos Matutini, & Laudum ſedent, ad reliquos ſtant: ad eoſdem Pſalmos alternatim ſtant, & ſedent. Et Unuſquiſque abundet, in ſenſu ſuo.

7. Ad Symbolum S. Athanaſii, quod dicitur ad Primam, alii ſtant, alii ſedent. Certe laudabilius, ſive Symbolum, ſive quaſi Pſalmus ille ſit, recitant ſtantes, ex Decr. Sacr. Rituum Congregat. die 23. Decembris 1624.

8. Genuflectitur etiam in Choro ad ea, de quibus diximus, *ſuperiori capite n.* 4. & 7. Et præterea ad *Tu autem Domine*, *&c.* in fine Lectionum a Lectoribus ex Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 6.

9. Inclinatur caput, ut ſupra dictum eſt, *n.* 5. *cap. præced.* quibus adduntur caſus alii, ut idem fiat a Lectore, dum dicit: *Jube Domne benedicere*, verſus Hebdomadarium, niſi alia de cauſa ſit illi genuflectendum, ab omnibus autem ad nomen Papæ viventis. Ad verſus ſequentes Pſalmorum: *Sit nomen Domini benedictum: Sanctum, & terribile nomen ejus; Benedictus Dominus die quotidie; Benedictum nomen Majeſtatis; Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*, quod multis placet. In Completorio ad Verſ. *Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum; Benedicamus Patrem*, *&c.* *Benedictus es, Domine, in firmamento Cœli*: locorum conſuetudini ſtandum erit.

10. Signum Crucis ſibi adhibent multi, præter ea, quæ capite ſuperiore adnotavimus, *num.* 6. ad initium Canticorum Evangelicorum; quia Evangelia ſunt; & quidem ad *Magnificat* idem præſcribitur Epiſcopo in Cærem. Epiſcopor. *loc. cit. cap.* 1. quare eadem erit ratio, & aliorum ſimilium Canticorum, niſi forte aliud præſcribatur ratione proceſſionis à Sede ad Altare, ut antequam moveatur a Sede, muniat ſe Crucis ſigno; ſed primum eſt verius.

11. Cantores ut plurimum juxta Cæremon. Epiſcoporum cantant Invitatorium, initia Pſalmor. Verſus, & Reſponſoria. Hebdomadarius autem primam Antiph. Capitula, Antiphonam ad Cantica Evangelica, initia quorumdam Hymnorum, & Orationes dicit. Lectiones legunt, qui in Choro ſunt; juniores primas, ſeniores ultimas, ſinguli ſingulas, ex Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 6. Verum, ut diximus ſupra, conſuetudines locorum variæ, & laudabiles non ſunt in hoc genere a Cæremon. Rom. abrogatæ.

12. Ratio prædictorum ſatis patet; partim ex iis, quæ ſupra ſcripſimus, *Sect.* 4. ubi de ſingulis Horarum partibus; partim ex ipſamet conſuetudine, quæ eſt altera lex de re rationabili, & valde congrua, a ſaniori parte univerſalis Eccleſiæ recepta, & diu retenta.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

Gav. n. 8. - *Genuflectitur etiam in Choro ad ea, de quibus diximus ſuperiori cap. n.* 4. *&c.*) De Cæremoniis, quæ præſtari debent dum recitantur Horæ Canonicæ in Choro, cum unaquæque Eccleſiæ habeat proprios mores, & laudabiles conſuetudines, pauca adjicere ad Gavanti Commentaria locus erit. Præfatus Auctor *cap.* præcedenti *n.* 4. dixit genuflectendum eſſe in Hymnis, dum proferuntur ea verba: *Veni Creator Spiritus*, *Ave Maris Stella*, *&c.* De genuflexione præſtanda in proferendis primis illis verbis: *Veni Creator Spiritus* ſatis locuti ſumus in noſtris Obſervationibus ad *cap.* 18. *Sect.* 6. in quo diſcurrit Gavantus de Feſto Pentecoſtes; unde vide ea, quæ ibi tradita ſunt. Genuflectendum pariter eſt in Choro, dum intonatur Hymnus B. V. *Ave Maris Stella*; oritur tamen dubium, utrum Feſtis ne ſolum diebus, an totius anni Sabbatis, Feriiſque ſit decantandus cum genuflexione præfatus Hymus, & quandonam peracta genuflexione ſit ſurgendum? Boverius in Cæremoniali PP. Capuccinorum *lib.* 1. *cap.* 16. genuflexionem præſcribit *in omnibus Feſtis B. V. cum dicitur Ave Maris Stella*, *&c.* per quatuor verſus priores, non autem in Officio parvo, & Sabbati. Verum Gavantus ſupra, necnon Paris de Craſſis *lib.* 1. *cap.* 17. Caſtaldus in noſtro Cæremoniali *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 36. Bauldry *part.* 3. *num.* 2. Frontonius in Cæremoniali Carmelitarum *lib.* 1. *Rubr.* 19. *n.* 4. & alii Auctores aliorum Cæremonialium diligenter allegati a noſtro Franciſco Magio de divino Officio, & Choro *diſquiſit.* 36. prædictam genuflexionem toties præſcribunt, quoties hoc Hymno Deipara ſalutatur, nullo prorſus excepto tempore. Major igitur difficultas eſt, quandonam peracta genuflexione ſurgendum ſit? Gavantus ſupra *loco cit.* Ordinarium Carthuſienſe *cap.* 14. *n.* 46. *&* 49. & alii ad Hymni initium genuflexionem præſcribunt, ſed de ſurrectione non loquuntur. Laudatus noſter Caſtaldus *loc. cit.* dicit, quod genuflectendum eſt, donec quatuor primi verſus dicuntur, *cap.* vero 21. *n.* 9. hæc habet: *Celebrans cantat Capitulum, & principium Hymni, quod ſi Hymnus ſit*; Ave Maris Stella, *ſive* Veni Creator Spiritus, *poſtquam illud intonavit, genuflectit, alii vero omnes, exceptis Ceroferariis, a principio genuflectunt, ſicque permaneant omnes donec compleatur totus primus verſus, quo completo ſurgentibus omnibus, ipſe quoque ſurgit.* Hæc Caſtaldus, qui ibi loquitur de Hymno ſolemniter decantando, & nomine primi verſus evidenter conſtat, intelligere primam Hymni ſtrophem. Iiſdem verbis utuntur etiam Tolinius *lib.* 14. *cap.* 14. *n.* 9. ubi ait: *uſque ad finem primi verſus*, ſed paucis interjectis, ait: *uſque ad finem primorum quatuor verſiculorum*. Patres vero Prædicatores de primo Hymno Treveris an. 1249. De altero vero Uliſſipone 1618. Mediolani 1622. Romæque 1629. in tertia Oratione ſic ſtatuerunt: *quod in pronunciatione Hymni*, *&c.* *Fratres maneant genuflexi, uſquequo abſolvatur prima ſtrophes.* Quod idem omnino eſt, ut notat Cæremoniale Minorum Obſervantium *part.* 4. *cap.* 6. & Conventualium *cap.* 11. *uſque ad finem primi metri.*

In Hymno autem Crucis, & tempore Paſſionis, cum dicitur: *O Crux ave ſpe unica*, ad quatuor verſus; juxta Caſtald. *ſuprac.* ab omnibus in Choro genuflectitur, ita pariter in Hymno: *Pange lingua*, cum dicitur: *Tantum ergo Sacramentum*, ſi SS. Sacramentum ſit expoſitum, ad quatuor verſus ſequentes pariter genuflectitur; ita præſcribit Caſtaldus in noſtro Cæremoniali *loco ſuprac. n.* 18. Verum Cenſores aliqui a noſtro Capitulo generali deputati Caſtaldi præſcriptum ſic emendarunt: In Hymno *Pange lingua* perſiſtendum in genuflexione ad duos tantum primos verſus, nimirum: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*: & his prolatis, ſtatim ſurgendum. Hanc diſpoſitionem tradunt etiam Solarius in Cæremoniali Minorum *part.* 3. *cap.* 7. *n.* 5. Fantonius in Cæremoniali Carmelitarum *lib.* 1. *Rub.* 20. *n.* 5. Ordinarium Carthuſienſe *cap.* 14. *n.* 46. & alii, quos citat Magius *diſquiſit.* 39. hac ratione permoti, quod alii verſus duo, qui ſequuntur: *Et antiquum documentum, novo cedat ritui*, non tantam requiri animi pietatem, ac reverentiam, videantur ſignificare. E contra vero alii prædictam genuflexionem non ad duos ſolum, nec ad quatuor tantum, ſed etiam ad omnes ſex verſus illius ſtrophes genuflexionem præſcribunt. Cæremoniale enim Romanum ad uſum Fratrum Minorum Conventualium *part.* 4. *cap.* 11. & Obſervantium *part.* 4. *cap.* 6. hæc habet: Debent Fratres genuflectere, &c. ad *Tantum ergo Sacramentum &c.* uſque ad

*deſe-*

Digitized by Google

*defectui &c.* Idem docet Cærem. Camaldulenſium, necnon Cærem. Auguſtinienſium, ita pariter Cærem. Canonicorum Regularium, idemque Cærem. Clericorum Regularium S. Pauli *l. 2. c. 10.* hunc in modum loquendo: Genuflexi quoque ſequentes; & denique Cærem. Clericorum Regularium Minorum *part. 1. c. 22.* hæc ait: In Officio Corporis Chriſti, cum in Hymno dicitur *Tantum ergo Sacramentum &c.* uſque ad *Genitori, Genitoque, &c.* omnes genuflectunt.

Alii denique, nimirum Philippus Natolius de Sac. Rit. *tr. 2. ſect. 4. c. 3. tit. 3. n. 4.* Paris de Craſſis in ſuo Cærem. Card. & Epiſcoporum *l. 2. c. 22.* Rameriius Ritual. Cœleſtinorum *lib. 2. c. 18.* Cæremon. Ordinis B. M. de Merc. Reformat. juxta Rit. Rom. *l. 1. c. 9.* Conſtitutiones, Declarationes, & Ordinationes Capitulorum generalium PP. Prædicatorum *tit. de genuflexionibus n. 5.* Bauld. *part. 2. c. 3. n. 2.* & Gav. ſup. *c. 1. n. 4.* necnon Cærem. Epiſcoporum *l. 1. c. 28.* eamdem genuflexionem in pronunciandis prædictis verſibus hujus Hymni præſcribunt, ſed numerum verſuum, quibus durare debet genuflexio, non definiunt. Noſter P. Magius *loc. cit. n. 230.* arbitratur a Caſtaldi præſcripto non eſſe recedendum, & quatuor ad minus omnino verſus cum genuflexione canendos eſſe, quem etiam Rit. tradit Cærem. PP. Cappuccinorum *l. 1. c. 6.* citando Caſtald. Ego tamen cenſerem in prædicto caſu, vel ad duos tantum primos verſus, vel ad omnes ſex illius ſtrophes eſſe genuflectendum; nulla eſt enim major ratio cur genuflexio debeat durare uſque ad prolationem quatuor verſuum, & non uſque ad recitationem omnium ſex verſuum illius ſtrophes. Tum quia ſicut proſternimur in recitatione totius primæ ſtrophes Hymni *Ave Maris Stella*, & totius alterius ſtrophes: *O Crux ave ſpes unica &c.* ut docet Caſtaldus in Hymno Crucis, & tempore Paſſionis, ita congruum omnino videtur, ut proſtrati remaneamus ab illis verbis: *Tantum ergo Sacramentum*, uſque ad aliam ſtrophen: *Genitori, Genitoque.*

Major tamen eſt difficultas, quandonam genua flecti oporteat ad prædicta verba in Hymno *Pange lingua.* Caſtaldus in noſtro Cærem. *loc. cit.* docet prædictam genuflexionem, ſi Ss. Sacramentum ſit expoſitum; idem quoque diſponunt Canonici Regulares, minores Conventuales, & Obſervantes S. Franciſci *loc. cit.* Totinius in Cærem. Camaldulenſium *lib. 1. c. 14. n. 10.* Flumara in Cærem. Clericorum Regularium *part. 1. c. 12.* Eremitæ S. Auguſtini *c. 8.* alii tamen hanc exceptionem non faciunt, ita Boverius *l. 1. c. 6.* in Cæremon. Cappuccinor. qui præſcribit talem genuflexionem in Feſto Corporis Chriſti, & per totam Octavam, & eodem modo diſponunt Conſtitutiones Servorum B. V. *c. 4.* necnon Statuta generalia Ordinis S. Franciſci, & Monachi Caſſinenſes in Cærem. *c. 17.* Fantonius tamen in Cærem. Carmelitarum *lib. 1. Rubr. 19.* ſtatuit, quod in Hymno Corporis Chriſti genuflectatur ad illa verba *Tantum ergo Sacramentum, &c.* ſi Ss. Sacramentum in Tabernaculo ſuper Altare poſitum fuerit, vel in Cuſtodia aperta, licet Ss. Sacramentum videri non poſſit, ſed tantum Tabernaculum, ſeu vas, in quo continetur, alias vero in proferendis prædictis verſibus fiat ſolum inclinatio. Donatus vero Rameriius in Rituali PP. Cœleſtinorum ita ſtatuit: In Hymnis cum dicitur *Veni Creator Spiritus; Ave Maris Stella; O Crux ave; nos quoque, qui ſancto tuo redempti Sanguine ſumus, tantum ergo Sacramentum*; ad prædictos ſolummodo verſus genuflectunt, non autem ad illum, *O ſalutaris Hoſtia*, niſi coram Ss. expoſito Sacramento caneretur, cum non adorationis, ſed admirationis ſint verba. Hæc Rameriius. Noſter tamen Gavant. ſupra *loc. citat.* præſcribit quidem genuflexionem faciendam ad illos verſus: *Tantum ergo, &c. ſi coram Sacramento proferantur*, nec addit *expoſito*; iiſdem verbis loquitur Philippus Natolius in Sacris Ritibus *loc. ſupracit.* & Corſettus in ſua Praxi *cap. 21. n. 31.* ſed clarioribus verbir expreſſit ſenſum ſuum Arnaudius in Epitome Gavanti *part. 2. tit. 1. n. 4.* ubi ait: *Genuflectendum erit ad ea verba:* Tantum ergo Sacramentum; *ſi coram Sacramento, etiam latente in Tabernaculo &c.* & Bauldry *part. 2. cap. 3. n. 2.* præſcribit, genuflectendum eſſe in locis ſuis &c. ad hos verſus: *Tantum ergo Sacramentum &c.* & *O ſalutaris Hoſtia &c.* etiamſi proferantur *coram SS. Sacramento in Tabernaculo incluſo*, alias non. Idem præſcribit Paulus a S. Joanne Evangeliſta in Cærem. PP. Auguſtinenſium excalceatorum *lib. 2. cap. 5. §. 1.* ubi ait: Cum dicitur *Tantum ergo Sacramentum*, & quinque verſus ſequentes in Hymno SS. Corporis Chriſti ſemper genuflectitur. Hanc ſententiam amplexus eſt noſter Franciſcus Magius *loc. ſuprac. n. 223.* cui libenter adhæreo; intelligere enim non poſſum cur ſemper genuflectendum ſit ad principium Hymni *Ave Maris Stella*, & ad illos verſus *O Crux ave ſpes unica*, cum recitatur Hymnus Crucis de tempore Paſſionis, ut docuit Caſtaldus, & non debeamus eodem modo procumbere ad prædictos verſus, *Tantum ergo Sacramentum*, etiamſi Sacramentum non ſit expoſitum, ſed ſit tantum in Tabernaculo incluſum.

## De Cæremoniis Horarum Canonicarum in Choro ſolemnius recitandarum. Cap. III.

### GAVANTUS.

1. Quatuor ex Horis Canonicis ſolemnitatem habent in Choro, nempe Matutinum cum Laudibus, ut in nocte Nativ. Domini. Prima in Vig. Nativ. ejuſdem, ratione Martyrol. Veſperæ frequentiorem, & Completorium quandoque in Quadrag. De iis hoc loco ſingillatim eſt dicendum in gratiam eorum præſertim, quibus non eſt præ manibus Cærem. Epiſcoporum, ſeu Canonicorum.

2. Matutinum igitur nunquam cum Pluviali cantatur ex Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 6.* quod ad Laudes, & Veſperas adhiberi docent Rubricæ Miſſalis *tit. 19. n. 3.* ſed dum cantantur Lectiones tertii Nocturni, parat ſe Celebrans Pluviali ad legendam nonam Lectionem, pro qua accenduntur duo cerei ab Acolythis, parant duo Cantores cum Pluvialibus; neque recedunt Acolythi, donec tota Lectio fuerit abſoluta. Ob reverentiam majoris ſtantis, dum legit, ſtant omnes alii, qui ſunt in Choro. Cærem. *ibid. c. 5.*

3. Ad textum Evangelicum non adhibetur ſignum Crucis: neque legitur manibus junctis, ſed hinc inde ſupra legile poſitis, ſeu ſupra librum. Cærem. *c. 5.*

4. Quicumque ille ſit, qui legit inferior Epiſcopo, dicit: *Jube Domne*, non *Domine*, & ſecundus in Choro, ſi major illo non ſit ibidem, profert verba benedictionis. Quod autem Cæremon. tribuit Epiſcopo ratione rantæ dignitatis, non debet inferiori tribui, eo quia majorem in Choro non habeat; alioquin cuilibet majori de Choro illud idem conveniret.

5. Hymnus *Te Deum*, inchoari debet ab eodem Celebrante, niſi alia ſit Eccleſiæ conſuetudo; ſicut etiam Hymnus poſt Invitatorium. Ex Cærem. *loc. cit.*

6. Ad cantandas ſolemniter Laudes eadem omnino fiunt, quæ ad Veſperas ſolemnes mox dicemus, ſunt enim inter ſe valde ſimiles Horæ.

7. Martyrologium pridie Nativ. Domini ſolemnius cantatur: alicubi cum Pluviali, luminibus, & incenſo cantatur, ſicuti Evang. minus ſolemniter alibi. Illud certe obſervandum ab omnibus eſt, ut audientes ſtent uſque ad ea verba, *In Bethleem Judæ, &c.* quibus auditis, ſtatim genuflectant præter Lectorem uſque ad ea, *Nativitas Domini noſtri &c. ſecundum carnem*, incluſive, quod & notatum eſt in novo Martyrol. humiliato namque Deo uſque ad terram, decet nos quam maxime humiliari.

8. Fuſius de Veſp. ſolemnibus eſt dicendum, quæ ſæpius ab Eccleſiaſticis viris cantantur, & præſertim in Feſtis SS. Titularium. Paratur autem Celebrans Pluviali coloris tempori convenientis, ſeu Feſto, ſuper Cottam ſine Stola, & cum eo parantur alii Pluvialibus item, duo ſaltem, qui eidem hinc inde, quando opus eſt, miniſtrent. Neque tamen reprobamus Regularium ritum, qui Pluviale induunt ſuper Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam in modum Crucis ante pectus; quos tamen monemus, ne dicant Orationes ad has veſtes, quæ ante Miſſam dici ſolent.

8. Procedit Celebrans de Sacriſtia ad Altare, præcedentibus duobus Acolythis cum candelabris, & cereis accenſis, quos ſequitur ſolus Cærem. ſi adeſt: tum alii de Clero bini: deinde miniſtri Pluvialibus induti: poſtremo Celebrans medius inter duos ultimos Pluvialibus indutos, qui fimbrias anteriores Pluvialis ipſius parumper elevant, & omnes hi, exceptis Acolythis, operto capite procedunt. Cæremon. Epiſcop. *lib. 2. c. 3.*

10. Cum pervenerint ante Altare, deſcendentibus aliis in Chorum, formant quaſi lineam rectam Celebrans, miniſtri Pluvialibus induti, & Acolythi; genuflectunt omnes, inclinat caput celebrans, (niſi in Altari ſit Ss. Sacramentum,) & paululum orabunt genuflexi, deponentibus interea Acolythis ſua candelabra cum cereis extinctis ſuper gradu Altaris laterali, ſeu plano Capellæ. Cærem. ſupra.

11. Surgunt deinde, & facta Altari, ut ſupra, reverentia, accedunt ad parata ſcamna in cornu Epiſtolæ, ita ut celebrans ſedeat altius, pulvino ſaltem ſuppoſito, vel accedit ille ad primam Chori ſedem, in qua poni debet pulvinum, & alterum cum Tapete ſuper genuflexorium ante eumdem poſitum, ſuper quo erit Liber, hoc eſt, Breviarium formæ majoris ad uſum celebrantis, vel ſuper legili, quod apponitur, & amovetur, prout opus eſt. Reliqui parati ibunt ad ſcamna loco congruenti præparata in plano Chori. Cærem. ubi ſupra.

12. Sedet ibi celebrans, ſtantibus aliis paratis ante eum in plano; mox ſurgit, & dicit ſecreto verſus Altare: *Pater noſter, & Ave Maria*, quibus dictis, elevatur eidem pars dextera Pluvialis anterior per viciniorem paratum, ſeu per Cærem. & idem ipſe ſignans ſe ſigno Crucis moroſe, prout verba profert, incipit Veſperas dicens: *Deus in adjutorium meum intende*; ita ut finiat verba, & Crucis ſignum a fronte ad pectus una ſimul, Cærem. *loc. cit.*

13. Præintonatur celebranti ab uno ex paratis initium pri-

mæ

mæ Antiph. cum debitis reverentiis Altari, & celebranti ante, & poſt; qua intonata a Celebrante, & a Choro cantata, ſi Duplex eſt Officium, inchoatur Pſalmus a Cantoribus, & ſedent omnes. Aperiuntur capita, & inclinantur profunde ad Veſp. *Gloria Patri*, *&c.*

14. Cantores præintonant reliquas Antiph. dignioribus in Choro, & ſurgentibus aliis ad Antiph. & initia Pſalmorum, Celebrans non ſurgit. Cærem. *cit.*

15. Finitis Pſalmis, Acolythi cum candelabris accenſis ex communi uſu Eccleſiarum Urbis, & item qui parati ſunt Pluvialibus, accedunt ad celebrantem cum debitis reverentiis. Celebrans poſt ultimam Antiph. ſurgit, & detecto capite cantat Capitulum manibus junctis, cui unus ex paratis Miniſtris præintonat initium Hymni, quod iſte cantat, & ſic uſque ad finem ſtat, recedentibus prædictis ab loca ſua, Acolythiſque candelabra ſua deponentibus ubi prius. Cærem. idem *ibid.* Si initium Hymni continet invocationem Chriſti vel Dei, Celebrans elevat, & jungit manus, & caput verſus Altare inclinat, ex Cærem. Epiſcop. *l. 2. c. 14.*

16. Poſt Hymnum cantatur Verſus a duobus ex paratis Miniſtris in medio Chori, ſeu ante Altare (prout Celebrans ſedem habet in Choro,) vel cornu Epiſtolæ, ut dictum eſt, quorum alter ſtatim præintonabit celebranti Antiph. ad *Magnificat*, & ea intonata, ſedent omnes. Idem Cærem.

17. Inchoato Cantico *Magnificat*, ſurgentibus omnibus, Celebrans facto ſibi ſigno Crucis a fronte ad pectus, ex Cærem. *lib. 2. c. 1.* vadit ad Altare capite tecto, cum inclinationibus ad utramque Chori partem, cum facta reverentia Altari debita, medius inter duos paratos, ut ſupra (& ſi via brevis eſt, detecto capite miniſtrorum, & ſine Acolythis) aſcendit ad Altare, oſculatur illud in medio, & mox vertens ſe ad cornu Epiſtolæ, miniſtrantibus naviculam altero ex paratis, & thuribulum Thuriferario, imponit thus, benedicit, & incenſat Altare, eo prorſus modo, quo præſcribitur initio Miſſæ in Rubr. Miſſalis *tit. 4. n. 4.* & nos diximus Tomo primo.

18. Si aliud Altare eſt incenſandum, puta, Ss. Sacramenti (quod more Urbis incenſandum eſt prius, quam Altare, ad quod Veſperæ fiunt) ſeu alterius Sancti pro more locorum, de quo fit Feſtum, præcedunt Acolythi, & procedunt alii parati, ut initio Veſp. & Celebrans ea omnia facit, quæ in incenſatione Altaris fiunt, excepto, quod non imponit rurſus incenſum in thuribulo, niſi opus ſit.

19. Incenſatione Altaris, ſeu Altarium peracta, ſine Pſalmo *Dirigatur &c.* revertuntur prædicti cum debitis Choro reverentiis ad loca ſua, & Celebrans ſtans apud ſedem ſuam, invitanſque ſibi viciniorem ad incenſationem, ab altero ex paratis incenſatur facta ante, & poſt, cui etiam Celebrans modicum reſpondet. Cærem. *ſup.*

20. Thuriferarius incenſat alios de Choro duplici, unicove ductu thuribuli, prout convenit, primo ſaltem in ordine, capite inclinato, & poſtremo populum, ut in Miſſa, in medio, a dextris, & a ſiniſtris. Ceſſabit autem incenſatio initio Orationis, quam incenſum ſignificat, ne figura ſit cum figurato, ait Ruiz in ſuo Cærem. immo ad Verſ. *Dominus vobiſcum*, ex Cærem. Epiſcop. *lib. 2. cap. 1.* & ad ℣. *Gloria Patri*, convenit pauſam facere, & caput inclinare.

21. Cum repetitur Antiph. tunc, non prius, ſedent omnes. Interim Acolythi cum candelabris accenſis, & Miniſtri parati accedunt ad Celebrantem: qui finita Antiph. ſurgit cum aliis, & aperto capite, Acolythiſque ſtantibus verſa facie ad invicem, ſtans verſus Altare, junctis manibus, cantat ℣. *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, & Orationem, ſeu Orationes pro Comm. iterum ſubdit *Dominus vobiſcum*, & demiſſiore voce *Fidelium Animæ &c.*

22. Nam duo ex Miniſtris paratis, ubi Verſum cantaverunt, ibi cantant alta, & plana voce *Benedicamus Domino*, quo dicto, redeunt ad Celebrantem.

23. Si diſcedendum eſt a Choro, dicitur Antiph. B. V. pro qualitate temporis, & in fine ejuſdem celebrans addit ſtans, demiſſiore voce, Orationem, & ℣. *Divinum auxilium*: & tandem diſcedit cum iiſdem, quibuſcum, & eodem modo, quo venerat, in Sacriſtiam. Cæremon. *ſupra cap. 3.*

24. Incenſationis Altaris ad Veſp. meminit Amalarius *l. 4. c. 7. de Eccleſ. Officiis*, & Pſal. 140. habetur: *ſicut incenſum ſacrificium veſpertinum.*

15. Pro Completorio ſolemni ritu cantando hæc adnotanda erunt, ex Cærem. Epiſcop. *l. 2. c. 4.* Organum admitti poteſt. Ad Hebdomadarium ſpectat dicere *Noctem quietam*, *&c. Pater noſter*, item confeſſio, & Abſolutio uſque ad *Deus in adjutorium*, *&c.* incluſive: Capitulum, Oratio, & ℣. *Benedicat vos omnipotens &c.*

Nulla tamen fiat incenſatio Altaris ad Canticum *Nunc dimittis.*

### Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. n. 2. -- *Matutinum numquam cum Pluviali cantatur, &c.*) Quamvis juxta diſpoſitionem Cærem. Epiſcop. in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, etiam abſente Epiſcopo, nunquam ita ſolemniter Matutinum celebretur, ut Pluviale adhibeatur, nihilominus cum a prædicto Epiſcop. Cærem. ut ait Gav. ſupra *cap.* præcedenti *n.* 11. conſuetudines locorum variæ, & laudabiles non ſint abrogatæ, neque improbatæ, idcirco improbari non poſſunt nonnullorum Regularium Ordinum Cæremonialia, in quibus præſcribitur, quod non ſolum ad Laudes, & ad Veſp. ſolemnes, ſed etiam in ſolemnioribus Feſtivitatibus ad Matutinum adhibeatur Pluviale a Celebrante. Qui quidem Ritus approbationem profecto meretur, quia Ordines Regulares cum aliqua ſpeciali ſolemnitate debent ſolemniora Matutina celebrare, & cum eorum Superiores non habeant indumentum Cappæ magnæ, quale habent Epiſcopi, & Canonici in Cathedralibus Eccleſiis, idcirco ſi iſti in ſolemnioribus Feſtis utuntur tali Cappa in Matutino celebrando, decet etiam, quod Regulares aliquo ſpeciali, & ſolemni indumento utantur in celebrandis ſolemniorum Feſtorum Matutinis.

II. Gav. eod. n. 2. -- *Sed dum cantatur Lectiones tertii Noct. &c.*) Quando Epiſcopus in Matutinis Officium facit, nonam Lectionem cantat ipſe ſtans in ſua ſede Pontificali cum Cappa, detecto capite, &c. prout diſponit Cærem. Epiſcop. *lib. 2. c. 5. n. 9.* Si autem celebretur Matutinum in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis ab aliquo Canonico, vel Dignitate abſente Epiſcopo, tunc circa finem tertii Nocturni Canonicus faciens Officium accipit Pluviale coloris tempori congruentis, ut diſponit citatum Cærem. *cap. ſeq. n. 15.* & cantat totam nonam Lectionem, pro qua accenduntur duo Cerei, &c. prout ex eodem Cærem. deſcribit Gav. ſupra. Supradicti Regulares, qui in principio ſolemnis Matutini Pluviali utuntur, ſolent illud dimittere, adjuvantibus Acolythis, poſt completam Antiph. primi Pſalmi, & deinde Celebrans, ſeu faciens Officium reaſſumit idem Pluviale delatum ab iiſdem Acolythis, dum cantatur octavum Reſp. ut eo paratus legat totam ultimam Lectionem, & deinde proſequatur eodem ſacro indumento reliquum Officium, nimirum Matutinas Laudes, quæ eodem Ritu, & ſolemnitate celebrantur, ac Veſp. de quibus Gav. ſupra *n. 8. & ſeqq.* & nos paulo infra.

III. Gav. n. 7. -- *Martyrologium pridie Natalis Domini ſolemnius cantatur, &c.*) De Ritibus, & Cærem. quibus ſolemniter cantari debet Martyrologium pridie Nativitatis Domini, ſermonem fecimus ſupra in noſtris novis Additionibus ad *Cap. IV. Sect. 6.* quapropter legi poſſunt ea, quæ ibi tradidimus.

Quibus loco addere lubet quod in Maſſilienſi Eccleſia Archidiaconus cum quatuor Cantoribus in Cappis ſuper ambonem conſcendens Filii Dei Nativ. annuntiare olim ſolebat, omnibus, Clero, & Populo, in terram proſtratis, qua annuntiata idem Archidiaconus eodem loco Evang. decantabat. Hæc refert Leodegarius Mayer Monachus Benedictinus in ſuo erudito opere recentiſſime evulgato, cui titulus: *Explicatio Cærem. Eccleſiaſticarum part. 3. c. 2.* Cluniacenſes vero Monachi dum Dom. Nativ. pronunciabatur, cuncti in faciem cadebant, & aliquamdiu in Oratione procumbebant, ut tradit Mercard Herrgott Monachus pariter Benedictinus Congreg. S. Blaſii in ſuo opere inſcripto: *Vetus Diſciplina Monaſtica part. 2. cap. 4. de Vig. Nativitatis Domini*, ubi alia ad eamdem diem ſpectantia, juxta Cluniacenſium Monachorum Ritus, enarrat.

IV. Gav. n. 8. -- *Fuſius de Veſperis ſolemnibus eſt dicendum &c.*) Gav. hoc *n. 8. & ſeqq.* fuſe tractat de Cærem. & Ritibus adhibendis in Veſp. ſolemnibus; omiſſis igitur iis, quæ a noſtro Magiſtro ibid. ſcriptis conſignata fuerunt, ne inutiliter eadem repetantur, progredimur ad alia adjicienda, & obſervanda, quæ ab eodem brevitatis ſtudio diſtincte minime examinata fuerunt.

Antequam ultimum pulſetur Veſperarum ſignum, juxta varias Eccleſiarum conſuetudines, vel Ceroferarii, vel unus ex Acolythis, vel ambo ſimul accendere debent cereos in Altari. Bauldry *part. 1. cap. 13. art. 2. num. 1.* ſtatuit, ut Ceroferarii ambo accendant prædictos cereos; idem præſcribit Cærem. Clericorum S. Pauli *lib. 1. c. 9.* ubi ait: *Acolythi accendunt candelas in Altari, & lato ſecum lumine in Sacriſtia, accendunt candelabra.* Caſtaldus vero in Praxi Cæremon. *lib. 2. ſect. 5. cap. 8. n. 3.* ſtatuit, quod Acolythi accendant cereos in Altari, & ſupra parietes, & quod Ceroferarii pariter ſuos cereos eodem tempore accendentes cum candelabris ante oſtium Sacriſtiæ accendant, ibique Celebrantem cum Miniſtris expectent. Præ omnibus mihi placet diſpoſitio, quam tradidit Flumara in Cæremon. Clericorum Minorum *part. 2. cap. 4.* ubi ſic ait -- Thuriferarius Superpelliceo indutus adjuvat Celebrantem ſacris veſtibus ſe veſtientem &c. Acolythus miniſter præparabit ſedem celebrantis,

tis, ponens ſuper eadem ſede, panno, vel tapete cooperta, pulvinum: & alterum cum tapete, vel panno in planitie, vel ſuper genuflexorio ante ſedem polito. Legile etiam ante ſedem collocabit cum Breviario, ſerico, coloris cæterorum paramentorum tecto. Junior Ceroferariorum accendet ſex candelas in Altari cum candela in apicem virgæ accenſa. Accendat autem prius tres a latere, quæ ſunt in cornu Evangelii, ab altiori incipiendo, & poſtea eodem ordine accendat alias in cornu Epiſtolæ. Alter vero accendat duas ipſorummet in Sacriſtia poſitas. Si ſuper parietes erunt candelabra cum candelis, & illæ ſunt accendendæ, eas ambo accendent, junior in cornu Epiſtolæ, & alter in cornu Evangelii; quibus accenſis, antiquior, delato ſecum lumine, accendet eaſdem ipſorummet in Sacriſtia. Sic Flumara. Noſtra tamen conſuetudo eſt, ut ſicut candelæ ſuper parietes, ita etiam eæ, quæ ſunt in Altari, accendantur a duobus Acolythis, nimirum Thuriferario, & Naviculario ordine ſupradicto, incipiendo a proximioribus Cruci, & interim Ceroferarii in Sacriſtia adjuvant Celebrantem ad ſe induendum ſacris veſtibus. Adnotare etiam eſt, quod juxta ſententiam Caſtaldi in noſtro Cæremoniali *lib.* 1. *cap.* 24. Thuriferarius eſt ille, qui cereos accendit in Altari, primo quidem a latere Epiſtolæ faciens initium ab iis, quæ ſunt prope Crucem, mox eodem ordine a latere Evangelii.

V. Gav. n. 13. - *Incboatur Pſalmus a Cantoribus, & ſedent omnes, &c.*) Intonata a Celebrante Antiphona, & a Choro cantanta, ſi Duplex eſt Officium, inchoantur Pſalmi a Cantoribus, &c. & deinde omnes ſedent, ait Gavantus; ſed hoc Ritu ſtandi, vel ſedendi in Choro dum cantantur Pſalmi, non eſt unus, & idem, ſed varie diverſus Eccleſiarum, & Ordinum Regularium Ritus, ut ſupra expoſuimus in noſtris Obſervationibus ad *cap.* 8. *ſect.* 5. Ita etiam varia eſt conſuetudo aliquorum Regularium poſt Veſperas inchoatas, Pluviale, præſertim pretioſum deponendi. A PP. Carmelitis Diſcalceatis ita diſponitur in ſuo Ordinario *part.* 1. *cap.* 6. *n.* 4. Hebdomadarius erectus incipit Veſperas illis verbis: *Deus in adjutorium, etc.* Dictoque in Choro *Alleluja*, incipit primam Antiphonam, qua finita, & incœpto primo Pſalmo, factis ſolitis reverentiis, ad Sacriſtiam revertitur: relictoque ibi Pluviali, præcedentibus Thuriferario, & Acolythis, Chorum ingreditur. Ante finem tamen ultimi Pſalmi, facta ſolita inclinatione in Choro, iterum redit Sacriſtiam, & accepto Pluviali, præcedente Thuriferario cum Thuribulo fumigante egreditur ad Eccleſiam - Hactenus Ordinarium PP. Carmelitarum relatum a Franciſco Magno *opuſc.* 3. *de Offic. Chori diſquiſit.* 2. ubi ſimiles etiam refert aliorum Cæremonialium Ritus, præſertim PP. Minimorum, & Caſſinenſium, quos tamen in Cæremonial. per D. Zachariam a Mutina Caſſinenſem Monachum, & per Theodorum Solarium Ordinis Minimorum reſpective elaboratis, atque digeſtis minime potui reperire, & ſolum in Cæremoniali PP. Eremitarum Sancti Auguſtini Romæ edito anno 1714. *part.* 3. *cap.* 9. legitur, quod uſus deponendi Pluviale poſt initium Veſperarum, & illud reaſſumendi circa finem ultimi Pſalmi, poteſt tolerari, quando Chorus clauditur Cortinis, itaut non videantur Religioſi a Populo, nullo tamen pacto quando Chorus patet. Itaque certiſſimum eſt, quod prædictus uſus deponendi Pluvialia poſt intonatam Antiphonam in Veſperis ſolemnibus, omnino improbandus eſt in illis Eccleſiis, in quibus Chorus omnibus patet, & non eſt retro Altare. Decretum allatum a Barboſa, & datum in noſtro Indice *ſub n.* 29. ita intelligi debet, ut antiquitus noſtri ipſi Veſperarum initio Pluviale forſan non induiſſent, ut ſuſpicatur Magius *loc. cit. n.* 12. cum extet hic Ritus apud Ordinem B. M. de Mercede, in cujus Cæremoniali *lib.* 1. *cap.* 21. his verbis exprimitur - Igitur (Antiphona) ante Canticum præintonata, abit Prælatus ad Sacriſtiam, quem Acolythi, & Thuriferarius comitantur; ubi lotis manibus, Amictu, Alba, quam Cingulo ſtricte præcingit, Stola in modum Crucis ante pectus coaptata, & Cappa ſerica coloris competentis indutus, procedit ad thurificandum Altare - Hæc præfatum Cæremoniale, quo quidem Ritu, ait noſter P. Magius, tametſi laudabilis ſit, & a S. C. permiſſus, noſtri tamen Patres in Veſperis ſolemnibus non utuntur; ſatiſque ſunt arbitrati, ſi pretioſum, & grave aliquod Pluviale, ſedenti tunc Celebranti nimis forat incommodum, & ideo cum levi aliquo, & facili commutetur; ſimiliter ac Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 7. de Mitra Epiſcopi decernit his verbis: *Epiſcopus ſic perſtat, donec expleta per Chorum Antiphona, inceptus fuerit Pſalmus; tunc ſedet, accepta Mitra leviori, ſi placeat, etc.* Miror tamen Magium noſtrum ſupponere hoc loco Celebrantem apud nos ſedere, quando, ut alibi diximus, non ſolum ad Veſperas ſolemnes, ſed etiam ad Matutinum, cæteraſque Horas, etiam diebus ferialibus, pſallimus ſtantes, non vero ſedentes; potius igitur dicendum eſt antiquum noſtrorum Ritum ſimilem fuiſſe illi, quem adhuc in uſu habent PP. Beatæ Mariæ de Mercede, & qui a Sacr. Congreg. non fuit improbatus. Cæterum ergo quoque haud improbarem Ritum mutandi Pluviale grave in leve aliquod, & magis commodum, ex quo præſertim nos non ſedendo, ſed ſtando ſoleamus totas Veſperas, ut dixi, celebrare. Alii vero regulariter, Præſertim in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, celebrant Veſperas, aliaſque Horas ſedendo; unde Pluviale aliquod pretioſum, & magni ponderis, Celebranti ita ſedenti, non poteſt illud afferre incommodum, quod afferret ſtanti, & nullo Stallo, ſeu Poſtergali innixo, ut ſolemus nos ſtare etiam quando hujuſmodi ſacris veſtibus induti, Veſperas, & Laudes celebramus.

VI. Gav. n. 14. - *Cantores præintonant reliquas Antiphonas Dignioribus, etc.*) De hac re, nempe de Cæremoniis præſtandis ab iis, qui præintonare debent dignioribus Antiphonas in Veſperis ſolemniter decantatis, nonnulla adnotavimus ſupra ad *Caput* 7. *Sect.* 5. Idcirco abſtinemus a noſtris Additionibus, & Obſervationibus, ne jam dicta repetamus.

VII. Gav. n. 15. *Finitis Pſalmis, etc.*) Dum cantatur ultimus Pſalmus, Thuriferarius, facta debita reverentia Celebranti, & Choro, accedit ad Altare, & ſi adeſt Navicularius ſimul cum eodem Thuriferario pergit, & poſt factam Altari genuflexionem accendunt Cereos Candelabrorum, quæ deferri debent a Ceroferariis, necnon alios, qui ſunt in majoribus Candelabris, ſi ſit conſuetudo. Deinde facta iterum genuflexione, vel ambo, vel Thuriferarius ſolus recedit in Sacriſtiam, ubi ignem præparat, & alia ſibi neceſſaria. Circa finem ejuſdem Pſalmi Ceroferarii, factis Celebranti, & Choro debitis reverentiis, accedunt ad Altare, ubi genuflectunt, & ſua Candelabra accipiunt, & dum repetitur ultima Antiphona accedunt ad Celebrantem, ſeque hinc inde, ante eum, & a lateribus ejus in plano collocant, facie ad ſe invicem verſa, ſicut & Aſſiſtentes parati accedunt etiam ad celebrantem cum debitis reverentiis, & ita ſe locant hinc inde, ut ipſi Ceroferarii Celebranti ſint propiores in plano Chori. Si adeſt Cæremoniarius, tunc ſe collocabit a dextris, ſi fieri poteſt, Ceroferarii, qui eſt a dextris Celebrantis, caventes omnes, ne terga vertant Altari, aut ipſi Celebranti. Rurſus cavere debent ne in via ſint, dum cantatur Verſus *Gloria Patri, &c.* & ſi aliter fieri non poteſt, inclinent ſe profunde ante Altare.

Finita ultima Antiphona Celebrans ſurgit, biretum tradit Cæremoniario, vel in aliquo loco commodo deponit, ſi nullus ſit qui illud recipiat, junctiſque manibus, ſtans Capitulum cantat, & reſponſo per Chorum: *Deo gratias*, unus Aſſiſtentium, facta prius Altari reverentia, accedit ante Celebrantem, eique præintonat initium Hymni cum debitis reverentiis ante, & poſt; quo per eum repetito, omnes præſtant ea, quæ Gavantus deſcribit ſupra. De ritibus ſervandis in Hymni intonatione, ſatis egimus in noſtris Obſervationibus ad *Caput* 6. *Sect. V.* necnon ad *Caput* 18. *Sect. VI.* Hoc loco tamen addimus, quod ſi Hymnus cantatur a Muſicis, vel alternatim ab Organo, tunc Cantores legent mediocri voce ea verba, quæ a Muſicis ſeu Organo cantantur; hoc tamen ſervato quod prima & ultima Strophe non ab Organo, ſed a Choro cantetur, quod obſervari debet in omnibus Canticis, & Hymnorum Verſibus, in quibus genuflectendum eſt, ſicuti & in Verſiculo: *Gloria Patri &c.* quamvis Verſus immediate præcedens fuerit a Choro pariter decantatus, quæ obſervanda ſunt, non modo in Veſperis, ſed etiam in Matutino, & Miſſa juxta præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 6. Quod ſpectat ad alias Horas Canonicas non eſt conſuetum in iis Organum interponere: ſi tamen alicubi vigeat ea conſuetudo, ſervari poſſe non negat idem Cæremoniale *num.* 7. ea tamen cautione, ut quandocumque per Organum figuratur aliquid cantari, ſeu reſponderi alternatim Verſiculis Hymnorum, aut Canticorum ab aliquo de Choro intelligibili voce pronuncietur id, quod ab Organo reſpondendum eſt, Immo optaret Cæremoniale, ut aliquis Cantor conjunctim cum Organo voce clara idem cantaret. Quibus autem diebus Organa pulſari ſoleant in Eccleſia diſcimus ab eodem Cæremoniali *loco citat. num.* 1. & 2. Omnibus enim Dominicis & Feſtis omnibus per Annum occurrentibus, in quibus Populi a ſervilibus operibus abſtinere ſolent, id decere affirmat; inter has autem Dominicas, ait, non connumerari Dominicas Adventus, & Quadrageſimæ, excepta Dominica tertia Adventus, quæ dicitur: *Gaudete in Domino, &c.* & quarta Quadrageſimæ, quæ dicitur: *Lætare Jeruſalem, etc.* ſed in Miſſa tantum. Excipiuntur etiam Feſta, & Feriæ infra Adventum, aut Quadrageſimam occurrentia, quæ cum ſolemnitate ab Eccleſia celebrantur; ut ſunt Feſta SS. Mathiæ, Thomæ Aquinatis, Gregorii Magni, Joſephi, Annuntiationis, & ſimilia. Item Feria V. in Cœna Domini ad Miſſam tantum, & Sabbato Sancto ad Miſſam, & Veſperas Organum pulſari decet, demum quandocumque occurrat celebrare ſolemniter, & cum lætitia pro re aliqua gravi.

VIII. Gavant. num. 16. - *Præintonabit Celebranti Antiphonam ad Magnificat, etc.*) Dum Chorus reſpondet ad Verſum poſt Cantatum Hymnum, dignior Aſſiſtentium, Comite Cæremoniario, rediens ad Celebrantem cum debitis reverentiis, præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per eum repetita, ipſe, & omnes alii de Choro ſedent, tecto capite, donec fuerit integre decantata, ſi Officium fuerit Duplex; interim Ceroferarii Candelabra ſua accipiunt cum

Can-

Candelis accenſis, & factis debitis reverentiis, accedunt ad Celebrantem, vel ad medium Chori, ubi ſtantes, Celebrantem expectant, ſicut & ipſi Aſſiſtentes parati accedunt etiam ad Celebrantem cum debitis reverentiis, & ita ſe locant hinc inde. Thuriferarius quoque item accedit ad Sacriſtiam cum Thuribulo, & navicula ad Altare, facta debita genuflexione, vel potius redit in Chorum, ubi ſe adjungit Ceroferariis, & ſi adeſt Navicularius, ipſe defert naviculam jungens ſe Thuriferario, ſervato eodem ordine, quem deſcripſimus in *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 2. agentes de Miſſa ſolemni, ubi explicavimus etiam modum, quo Thuriferarius debet geſtare Thuribulum, & alius Acolythus naviculam.

IX. Gav. n. 17. *Inchoato Cantico Magnificat, ſurgentibus omnibus, &c.*) Finita Antiphona, in Choro, duo Cantores, ſive duo ex Aſſiſtentibus paratis intonant Canticum *Magnificat*, & tunc omnes ſurgunt, quia cum cantatur Antiphona, ſedent omnes, ut ſupponit Gavantus ſupra ex Cæremoniali Epiſcoporum.

X. Gav. eod. n. 17. - *Celebrans facto ſigno Crucis, &c.*) Intonato Cantico *Magnificat* Celebrans, & alii ei Aſſiſtentes deponunt bireta ſua, factoque ſibi ſigno Crucis a fronte ad pectus, quod faciunt etiam omnes alii de Choro juxta ſententiam Bauldry *part.* 2. *cap.* 11. *art.* 4. *n.* 31. adducens auctoritatem Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 2. Verum, ut optime adnotat noſter Magius *Opuſc.* 3. *de Offic. Chori diſquiſ.* 8. Cæremoniale Epiſcoporum a Bauldry allegatum de hoc ſigno Crucis ab omnibus de Choro faciendo, nullum verbum habet: hæc enim tantum præciſa verba in dicto Cæremoniali *loco cit.* leguntur - *Cum inchoatur Canticum* Magnificat, *quod a duobus Presbyteris paratis Pluvialibus intonatur, omnes ſurgunt; & ipſe Celebrans ſalutans hinc inde Canonicos capitis inclinatione, qui ei aſſurgere debent capitibus detectis, vadit ad Altare*. Idcirco Caſtaldus in *Praxi lib.* 2. *Sect. V. cap.* 8. *n.* 13. de hoc ſigno nihil ait, & *cap.* 9. *n.* 9. monet, a Celebrante Epiſcopo faciendum eſſe, juxta verba Cæremonialis Epiſcoporum, quæ habentur *loco cit. cap.* 1. & quæ ita præſcribunt - *Ut facto ſibi Crucis ſigno a fronte ad pectus, acceptoque ſiniſtra manu Baculo Paſtorali pergat ad Altare*. Rurſus de eodem ſigno Crucis ab omnibus faciendo, neque loquitur Cæremoniale Clericorum Regularium S. Pauli *lib.* 1. *cap.* 9. ſed quod Celebrans dictum Crucis ſignum edere debeat, præſcribunt Gavantus ſupra, Corſettus in *Praxi part.* 1. *cap.* 17. *n.* 8. Caſtaldus in noſtro Cæremoniali, Flumara in Cæremoniali Clericorum Regularium Minorum, Paulus a S. Joanne Evangeliſta in Cæremoniali Diſcalceatorum Auguſtinenſium, necnon Victorinus Totinius in Cæremoniali Camaldulenſium *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 18. ubi id fieri probat pro reverente acceſſu ad incenſandum Altare.

XI. Gav. eod. n. 17. - *Vadit ad Altare, &c.*) Dubium eſt quandonam Celebrans, qui pergere debet ad thurificandum Altare, deſcendere debeat a ſua ſede, utrum ſtatim poſt intonatam Antiphonam, an vero, nonniſi poſt inchoatum Canticum *Magnificat*? Caſtaldus in noſtro Cæremoniali *lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 10. præſcribit, ut Celebrans, *inchoata Antiphona ad Magnificat* præbeat honoris ſignum, ad utramque Chori partem ſe inclinando, & a ſua mox ſede deſcendat, ut una cum Miniſtris poſt dictum Canticum inchoatum facto ſibi Crucis ſigno, in Chori medio genuflectat; & ad thurificandum Altare, ex Evangelii latere egrediatur. Quod ſi, *inquit*, Antiphona non duplicetur, ipſam non in ſuo loco, ſed in medio Chori intonabit. Verum idem Caſtaldus in *Praxi lib.* 2. *Sect. V. cap.* 8. *n.* 13. mutata ſententia aliter docuit, ſcilicet, ut nonniſi poſt Canticum *Magnificat* inchoatum, Celebrans a ſua ſede deſcendat, & Magius *citato Opuſc. diquiſit.* 7. decentiorem hunc eſſe ritum exiſtimat, & a nobis etiam amplectendum, utpote magis conſonum, & Ritui Romano conformiorem, eumque præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *loco ſuprac. lib.* 2. *c.* 1. necnon Cæremoniale Papale *lib.* 2. *cap.* 9. & Paris de Craſſis de Cæremoniis Cardinalium Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 11. Denique Cæremonialia Clericorum Regularium Minorum, Carmelitarum, Minorum Conventualium S. Franciſci, & aliorum, necnon Corſettus in *Praxi part.* 1. *cap.* 17. *n.* 8. & Bauldry *loco ſuprac.*

XII. Gav. eod. n. 17. - *Capite tecto, &c.*) Hoc loco præſcribit Gavantus, ut Celebrans pergat ad Altare incenſandum capite tecto; Gavanti ſententiam ſequitur Corſettus *cap.* 17. *n.* 8. hunc eumdem ritum docere videntur Felix Franciſchinus in *Cæremoniali Minorum Conventualium p.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. Joannes Merinerus in *Cæremoniali Minorum Obſervant. part. item* 3. *cap.* 3. *n.* 4. qui ſolum de Miniſtris comitantibus Celebrantem dicunt, quod procedant capite detecto, unde legitime infertur, eorumdem Auctorum ſententiam, aliam eſſe de Celebrante, nimirum, quod iſte tecto capite procedere debeat ad Altare. Cæremoniale vero Clericorum Regularium S. Pauli *lib.* 1. *cap.* 9. diſertis verbis ſtatuit, ut ſolus Celebrans tegat caput in prædicto inceſſu. Verum contraria ſententia mihi videtur probabilior, quam docet Caſtaldus in noſtro Cæremoniali *lib.* 2. *cap.* 20. ubi præſcribit, ut Celebrans, *per oſtiolum a latere Evangelii præcedentibus Thuriferario, & Acolytho, & poſt eos Ceroferariis, ultimus ad thurificandum Altare detecto capite, manibuſque ante pectus junctis procedat*. Caſtaldi ſententiam non pauci Cæremoniarum Magiſtri amplexi ſunt: Dominicus Flumara in *Cæremonial. Cleric. Regul. Minor. part.* 2. *cap.* 4. eumdemque ritum approbat Andreas Guerrerus in Declarationibus Rubric. Gener. Breviarii Romani *tract.* 3. *cap.* 1. necnon Bauldry *loco ſupracit.*

Ratio autem detectionis capitis, ut bene advertit noſter Magius *Opuſc.* 3. *ſuprac. diſquiſit.* 6. *n.* 34. non eſt illa, quam Gavantus, & Minores tum Obſervantes, tum Conventuales in Miniſtris aſſignant, quia brevis eſt via, ſed ob *Magnificat*, quod a Choro ſolemniſſime decantatur, ut Guerrerus *loco ſuprac.* tradit his verbis: *Celebrans, & qui eum comitantur, eant ad incenſandum Altare, manibus junctis ante pectus, & capitibus diſcoopertis ob reverentiam Cantici*. Vel, ut ait Bauldry, *nudo capite propter Canticum Evangelicum*. Idem docet Paris de Craſſis *lib.* 2. *cap.* 36. advertens, quod Epiſcopus ſi minime ſacris veſtibus paratus interſit, *debet incenſari capite detecto, & reverenti ad ipſum actum incenſationis, non habito reſpectu ad incenſantem, ſed ad actum incenſandi myſticum, & ad Cantum ipſius Cantici Magnificat, quem reverenter audire debet, non obſtante, quod dum ipſe Epiſcopus paratus incenſatur, debeat cum Mitra incenſari, quia aliud eſt cum Mitra, aliud eſt cum Bireto*. Hæc mox laudatus Auctor.

Si tamen præter Altare majus, aliud Altare incenſandum ſit, Celebrans poſt thurificatum majus Altare, cooperto capite, ut omnes concedunt, incedere debet per Eccleſiam, non quia longior via eſt, ſed quia Presbyterium egrediens, a Choro recedit.

XIII. Gav. n. 17. - *Et ſine Acolythis, &c.*) Præſcribit hic Gavantus, ut celebrans procedat ad incenſandum Altare ſine Acolythis, nempe ſine Ceroferariis; Caſtaldus tamen in *Praxi lib.* 2. *Sect. V. cap.* 8. *n.* 20. docet, quod ſi Chorus diſtet ab Altari, vel ſit retro aliquantulum ab Altari remotus, prout apud Regulares eſſe ſolet, non eſt improbanda conſuetudo procedendi ad incenſandum Altare cum Ceroferariis, ita tamen, ut redeuntes ad Chorum poſt incenſatum Altare, reponant Candelabra, reſumenda ad Orationem, vel Orationes: & Bauldry pariter *loco ſuprac.* abſolute contendit etiam Ceroferarios debere comitari Celebrantem ad Altaris incenſationem, incedendo nimirum poſt Thuriferarium, & Navicularium.

XIV. Gav. eodem n. 17. - *Aſcendit ad Altare &c.*) Celebrans, & alii, qui ipſum comitantur, ante infimum gradum Altaris pervenientes, Cruci reverentiam faciunt, ſeu potius genuflexionem; excepto Celebrante, qui ſolam exhibet reverentiam, ſi tamen ibi ſit Sanctiſſimum Sacramentum, etiam ipſe Celebrans genuflectit cum cæteris, qui omnes ſtant recta linea, mediumque habentes ipſum Celebrantem. Acolythi vero, nempe Thuriferarius, & Navicularius poſt eos remanent. Facta reverentia, Celebrans cum duobus ex dictis paratis, hinc inde elevantibus partem anteriorem Pluvialis ipſius Celebrantis, aſcendit ad Altare, & præſtat omnia ea, quæ tradit Gavantus. Fit igitur incenſatio Altaris eo prorſus modo, quo, ut ait idem Gavantus, præſcribitur Miſſæ initio in Rubricis Miſſalis *part.* 2. *Tit.* 4. *n.* 4. unde legenda ſunt omnia ea, quæ ibi Gavantus dixit, & nos pariter adnotavimus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus. Advertendo ſolum, quod primus Aſſiſtens debet exhibere ea, quæ præſtare ſolet Diaconus in Miſſa, dum incenſatur Altare, nimirum debet miniſtrare Naviculam cum debitis oſculis, & cum alio Aſſiſtente, elevare Pluviale dum Celebrans incenſat.

Ubi vero Officium Veſperarum celebratur ſine Aſſiſtentibus paratis, Thuriferarius, & ejus Socius ſupplent vices Aſſiſtentium in miniſtrando Naviculam, & elevando hinc inde Pluviale Celebrantis, dimiſſa prius Navicula ab eo, qui eam miniſtrabat, in aliquo loco congruo.

Altari thurificato, Celebrans, ſtans in cornu Epiſtolæ, reddit Thuribulum eidem Presbytero Aſſiſtenti parato, a quo acceperat, & ille Thuriferario ſtanti in cornu Epiſtolæ; tum Celebrans rediens ad medium Altaris, & Aſſiſtentes hinc inde ſimul cum eo, caput etiam inclinant Cruci, poſtea in planum deſcendentes, debitas faciunt Altari reverentias, & eo ordine in Chorum redeunt, quo venerant, ac ſervatis iiſdem ſalutationibus. Tum Ceroferarii deponunt candelabra in loco apto, ſi ſuperſit multum temporis uſque ad Orationem, alias vero remanentes ante ipſum celebrantem, ea accenſa ſuſtinent. Aſſiſtentes autem ſemper Celebrantem comitantur, elevantes partem anteriorem ſui Pluvialis, eumque conducunt uſque ad ſedem ſuam, ubi ſtant, donec incenſatus fuerit a primo ex illis, & deinde ſtatim ad ſua loca redeunt, facta ei reverentia.

Hoc loco animadvertere jubet, quod ſi incenſatio Altaris fiat, dum in eo eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum, debent omnes, cum ad Altare pervenerint, utroque genu procumbere, etiam cum inclinatione capitis in plano Cappellæ, deinde Celebrans aſcendens cum ſuis Aſſiſtentibus ad Altare, hoc in medio oſculatur, ſemper tamen ipſe ſolus, ſicut facit etiam quando Sanctiſſimum Sacramentum non eſt expoſitum. Deinde idem Celebrans ſtans, & non genuflexus juxta Cæremoniale Epiſcoporum, imponet incenſum, benedicens illud more ſolito, (quia poſt Sacramentum etiam Al-

tare incenſare debet) ſed nulla interveniente ipſius Celebrantis manus oſculatione, ob Sacramenti reverentiam; deinde vel in ora ſuppedanei genuflexus, vel juxta alios, (in quorum ſententiam nos inclinavimus, in altero primo Tomo, præſertim quando ſolum Sacramentum, & non Altare eſt incenſandum) deſcendens ad infimum Altaris gradum, ibi genuflexus accipit Thuribulum ſine oſculis ab Aſſiſtente pariter genuflexo, factaque inclinatione; & Aſſiſtentibus fimbrias Pluvialis anterioris elevantibus, hinc inde genuflexis, incenſat tribus ductibus Sanctiſſimum Sacramentum; tum facta profunda inclinatione, ſurgit cum ſuis Aſſiſtentibus, fimbrias Pluvialis elevantibus, aſcendit ad Altare, ubi facta cum eis genuflexione, incenſat more ſolito, (non dico, primo Reliquias; quia juxta diſpoſitiones recenter editas, nec Reliquiæ, nec Imagines adeſſe debent ſuper Altare, quando Sacramentum eſt expoſitum) ipſum Altare, genuflectendo ſemper, quando cum ſuis Aſſiſtentibus ante medium tranſit (ſed tunc ultimo genu) & finita incenſatione, reddito in cornu Epiſtolæ thuribulo, redit ad medium Altaris, ubi genuflectit, deinde declinans parumper ad latus Evangelii, ne terga vertat Sacramento, deſcendit ad planum Capellæ una cum Aſſiſtentibus, ibique facta genuflexione ab omnibus utroque genu, redeunt in Chorum (a latere Epiſtolæ, ſi Chorus eſt retro Altare) eo ordine quo venerant.

XV. Gav. num. 19. -- *Incenſatione Altaris, vel Altarium peracta, &c.*) Si aliud Altare, ratione Feſtivitatis ſit incenſandum, facta incenſatione Altaris majoris, vel illius, ubi SS. Sacramentum aſſervatur, (quod prius eſt incenſandum, ut optime docet Gavantus *n.* 18. quam Altare, ad quod Veſperæ fiunt) peracta tali incenſatione Altarium omnium, quæ incenſanda ſunt, reverſuntur omnes prædicti, præſtitis Choro debitis reverentiis ad loca ſua, & Celebrans ſtans apud ſuam ſedem, ut ſupra innuimus, invitat prius digniorem, qui immediate poſt eum incenſari debet, capitis inclinatione, ad incenſationem; & tunc dignior ex prædictis Presbyteris paratis, cum profunda inclinatione antea, & poſtea, incenſat triplici ductu ipſum Celebrantem, deinde reddit thuribulum Thuriferario, qui incenſat alios de Choro, ordine præſcripto, & a nobis explicato, agentes de incenſatione facienda a Diacono in Choro, poſt incenſationem Oblatorum factam a Celebrante in Miſſa ſolemni. Adverto hic quod finita Chori incenſatione, ipſi Aſſiſtentes a Thuriferariis incenſantur.

Addimus tamen hoc loco, quod ſi ratione ſolemnitatis, vel alia quacumque cauſa, adeſſet in Choro, exiſtente ante Altare, Epiſcopus Diœceſanus, vel Archiepiſcopus, Legatus Apoſtolicus, Primas, ſeu Patriarcha in ſuis Juriſdictionibus, vel aliquis S. R. E. Cardinalis, tunc ſpectat ad ipſos incenſum imponere, & benedicere, miniſtrante Naviculam primo ex Aſſiſtentibus cum debitis oſculis, & eo caſu dicit: *Benedicite Reverendiſſime Pater*, & ſi erit Cardinalis: *Eminentiſſime Pater*; & Thuriferarius genuflexus utroque genu, (cum genuflexionibus unico genu ante, & poſt,) miniſtrabit, ſeu ſuſtinebit thuribulum, & poſt Celebrantem prædicti Prælati thurificantur triplici ductu a primo Presbytero Aſſiſtente, cum profundis inclinationibus ante, & poſt incenſationem, tunc vero Celebrans duplici tantum ductu thurificatur, juxta praxim omnium fere Eccleſiarum; ſi vero adeſſent Epiſcopi exteri, vel alii Prælati, honoris gratia, ſemper thurificantur poſt Celebrantem triplici ductu.

Quo ordine, & quomodo incenſandi ſint Principes Magni, Mulieres inſignes, aut Reginæ, Domini locorum &c. tradit Gavantus *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 7. *in Rubric.* 10. *lit. C*, & nos ibidem nonnulla adnotavimus, quæ legi poſſunt, ne eadem repetamus. Circa incenſationem perſonarum in Eccleſiis minoribus, & Regularium, nulla datur in Cæremoniali Epiſcoporum determinata regula, unde unaquæque Eccleſia circa hoc obſervare debet ſuas laudabiles, & præſcriptas, probataſque conſuetudines.

XVI, Gav, n. 20. -- *Ceſſabit autem incenſatio initio Orationis &c.*) Qui in Choro ſunt Cantores, vel Muſici, majori pauſa, aut graviori modulatione Canticum *Magnificat* præcinere debent, ut ante repetitionem Antiphonæ incenſatio compleatur in Choro, quia dum dicitur Oratio, incenſatio ceſſare debet, ut præſcribit Gavantus, & quidem ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 1. Adeoque ſi magnus ſit numerus thurificandorum, itaut non adſit tempus ſufficiens, tunc Thuriferarius brevitatis cauſa, tam ex *una*, quam ex altera parte Chori poterit omnibus ſimul ſe inclinare ante incenſationem, & poſt, Advertat tamen incenſans, quod dum a Choro cantatur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, debet facere pauſam, & inclinari verſus Altare; & deinde proſequi, ſi aliqui remanent incenſandi; ſeu potius procedere ad Populum incenſandum.

Completa incenſatione, abſolutoque Cantico *Magnificat*, reaſſumunt Cantores Antiphonam, niſi reaſſumatur ab Organo, quia tunc mediocri voce eam legunt. Interim Ceroferarii cum Candelis accenſis, & debitis reverentiis accedunt ad Celebrantem, & ſtant eo modo, quo dictum eſt ad Capitulum, præſtantque omnia ea, tum ipſi, tum alii, quæ docet Gav. ſupra *num.* 21. 22. *&* 23.

XVII. Gav. n. 23. -- *Si diſcedendum eſt a Choro &c.*) Si immediate poſt Veſperas, Completorium ſit cantandum, dicto a Celebrante *Fidelium Animæ &c.* ſalutatiſque Prælatis, aliiſque de Choro (nudo capite) ex utraque parte; & reverentiis Altari exhibitis, præcedente Cæremoniario, necnon Ceroferariis, recedit Celebrans cum ſuis Miniſtris, tecto capite, eodem ordine, quo venerat, in Sacriſtiam, ubi omnes paramenta deponunt. Acolythi vero extinguunt Cereos, qui ſunt ſuper Cancellos, vel parietes, itaut ad Completorium ſemper ſit minor luminum numerus, quam ad Veſperas. Si vero non ſit recitandum Completorium, Celebrans dicet Antiphonam B.V. genuflectens, vel ſtans, juxta Regulas Breviarii, in cujus fine dicet voce ſubmiſſa Verſiculum, & (ſemper ſtans) Orationem, deinde recedit eo ordine, quem mox innuimus. Atque hic finis eſto noſtrarum in doctiſſima Gavanti Commentaria Obſervationum, & Additionum, quas ſi ea, quam res ipſa poſtulare videtur, dignitate tractavimus, Patri luminum referendæ ſunt grates. Si quid vero in iis reprehenſione dignum pius Lector offenderit, tenuitati noſtræ concedet. Quæcumque tamen diximus, ea irrefragibili Apoſtolicæ Sedis judicio volumus eſſe ſubjecta.

NOTU-

# N O T U L A

## QUORUMDAM VERBORUM DUBIORUM

### In Breviario Romano, nimirum, qua ratione ſint legenda.

Debitor omnibus, etiam rudioribus e Clero, Notulam ſubjicio, quam promiſi *Sect. 1. cap. 5. tit. 5. num. 5.* eorum nempe verborum, quæ in prolatione varium habent accentum, & habentur in Breviario.

## IN ANTIPHONIS.

Adónai: *Triſyllabum eſt, non quatuor ſyllabarum.*

*Producuntur hæc:*

emánat, excídit. intuéris. proclámat.

*Corripitur.*

Sy'clade,

## IN PSALMIS.

*Producito.*

Abíron, compedítos, hyſſópo. irrítat. morticína. obliviſcéris, trucídent.

*Corripito.*

A'move, circúmdabo circumdare. nycticorax, pálpebræ. revériri. tránſmigra,

## IN HYMNIS ANTIQUIS, & NOVIS.

*Longa ſunt.*

compáge, compágo. decora, decore, decórus. erémus. madére. melódis. reléget.

*Producuntur.*

tenébræ, *ſi in medio verſus eſt.*
Nox, & tenébræ, & núbila.
*eodem modo producuntur*, celébrat.
Hujus celébrat annua.

*Brevia.*

A'ſſeclæ. décorans. ínfremit. pérlinit, rémovens.

## IN LECTIONIBUS.

*Brevem habent penultimam.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| A'baron. | Dátheman. | éxcoquam. | Numénius, |
| adamántinos. | déforet. | éxulis, & éxulas, | O'btuti. |
| A'lcimus. | dénotat. | Gázara. | Pá'menam. |
| Atrébati. | díruta. | Hiacy'nthini. | poly'mitam. |
| A'ufugit. *in Feſt. S. Antonii.* | Dorótheo. | Hírtacus. | præ'pedit. |
| benéplacens. | ébibit. | Jádaſon. | præ'potens. |
| carbáſini. | Ecbátanis. | Jáſonem. | præ'videns. |
| Cásleu. | édocet. | ímmorans. | sárdinis. |
| Catániæ. | élate palmárum. *Sed potius long.* | impéritus. | sépelis |
| Cédrina. | émicat. | ínfremat. | ſmarágdinæ. |
| Circúmdatus. | émori. | íngravant. | súccinis. |
| cómmigrat. | E'rioch. | ínito. | ſycómorum. *Alii long.* |
| cómpedem. | érutus. | írrigans. | tránſilit. |
| cómplacet. | éſurit. | Lácæ'demonas. | vaticinans. |
| chryſópraſus. | évomat. | Mácedo. | véntiles. |
| cypréſſina. | Eupolemum. | Mádaba. | venúmdati. |

*Longa e contra.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Abóbi. | cratére. | incláma. | pendére. |
| accítum. | Daría. | indícens. | præfócant. |
| Acrabatáne. | Daríus. | infídæ. | quæréris (*in Off. Innoc.*) |
| appetítur. | deprávant. | infídos. | redóna. |
| Arpháxad. | Elicórum. | infígunt. | Salómi. |
| aſſevérans. | elúcet. | ituére. | Sardónix. |
| Audiſáce. | enútrit. | inundátus. | ſubrépat. |
| Bacchídem. | Epiphánes. | involúcra. | ſuffócant. |
| Beréan. | eradícans. | lirúra. | textrínum. |
| Bethsúram. | Eudocía. | locuplétem. | Theodúlus: *ſed communiore loquendi uſu corripitur, quem libentius ſequimur.* |
| cæcídit flagéllis. | Euphráten. | lupánar. | Theſſalonícæ. |
| calígat. | exſíles preces. | molímur. | tiáris. |
| calumniéris, | ferímut in cunctis. | Neemías. | tritúrans. |
| Chæréas. | Gargáni. | Nicánor. | trucídat. |
| collídunt. | Garízim. | obrépat. | vectígal. |
| compágum. | Gorgías. | perſcrútans. | vidéris, *in Fer. 5. Cœnæ Domin.* |
| conditum ſale. | Heliodorum. | perſevérans. | vinciret. |
| conſíde. | idóli. | perítus. | |
| contribúles. | impúbes. | Phænícis. | |

*Communem habent penultimam.*

accérſitur. anáthema, *excommun.* anathéma oblivionis. arcéſſitur. tórcular.

*Uſu tamen communiori, primum producitur uti quartæ conjungationis, alterum longatur, ſed vide Riccioli in Proſod. tertium corripitur, uti tertiæ conjungationis ab arceſſo, quartum corripitur, quidquid dixerit Priſcianus. Vide Calepinum.*

IN

## IN RESPONSORIIS.

*Longa ſunt.*

Allíde,
avertéris.
compáret puer.
erémi.
Galaadítim.
podéti.
venundétur.

## IN ORATIONIBUS.

*Longa ſunt.*

Anaſtaſíæ.
Daríæ.
Lucíæ.
Sotéri.
Theodóri.

*Brevia ſunt.*

Achíllei.
Dorótheæ.
Agapiti, *longum eſt, ſed uſus communior habet, ut corripiatur penultima.*
Epímachi.
Náboris.
Nérei.
Timthéi.
Dheoduli, *ut ſupra dictum eſt.*

## IN MARTYROLOGIO.

*Producuntur in penultima.*

A'Aron.
Abdaraméni.
Abdía.
Abdiéſo.
Aberdóne.
Abſalónis.
Acúti.
Adáuci. *triſyll.*
Aderſti.
Adjúti.
Adónis.
Adriónis.
Adruméti.
Ægéa.
Ægina.
Aétio. *tetraſyll.*
Agábi. *ſed communior uſus breviat.*
Agapíti. *ſed uſus corripit.*
Agathodóri.
Agathonícæ.
Agathoníci.
Aghathonis.
Agiléi.
Aidáni.
Altíni.
Amaséa.
Amasias.
Amaſtride.
Ambiáni.
Ammónis.
Amphyáni.
Anachoríta.
Anania.
Anaſtasíæ.
Anathalónis.
Ancyræ.
Anderláci.
Androníci.
Annónis.
Anséno.
Antei.
Anthía.
Anthuſæ.
Antiochſæ.
Antiſiodóri.
Apaméæ.
Aphaátis.
Aphiáni.
Aquiléjæ.
Aratóris.
Arbéle.
Arbonam.
Archelái.
Archimíni.
Ardaliónis.
Areláte.
Argéi.
Argentoráti.
Arginónis.
Arimathéa.
Ariſtéi.
Ariſtíde.
Ariſtiónis.
Ariſtobúli.
Ariſtoníci.
Arpháxad.
Artemónis.
Aſcalóne.
Athanaricus.
Anthenodóri.
Atínæ.
Audácis.
Audifácis. alii *corrip.*
Audoréni.
Avenióne.
Auguſtodúni.
Avíti.
Aulónam.
Auxáni.
Azadáne.
Azaríæ.

*Corripiuntur in penultima.*

A'Bachum.
Abedéchales.
A'bibi.
A'bulæ.
Acépſimas.
Achíllei.
Acíndini.
Andrianópoli.
Æquicolis.
Æthíopis.
A'gapes.
Agathólicæ.
Agáthopi.
Agathópedis.
Agathópolis.
Agérici. *alii produc.*
Aíthalas.
Alemúdarus. *alii produc.*
Alexándriæ.
Alódiæ.
A'mbici.
Améríæ.
A'midæ.
A'mmiſi.
A'mmia.
A'mpeli.
Amphíonis.
Amphípoli.
Anágniæ.
Anaſtaſiópoli.
Anatóliæ.
Anáuniæ.
Andániæ.
Andégavi.
Andéoli.
A'niſum. *alii produc.*
Antígoni.
A'nthimi.
Antinógene.
Antinópoli.
Antinoum.
Antiochi.
Antípatræ.
A'ntiphæ.
Aníciæ.
A'pphiæ.
Arábracos.
A'rarath.
Arauticæ.
A'retæ.
Argentómacho.
Argy'miri.
Argyrópoli.
Arímini.
Ariſtíonis.
Ariſtonis.
A'rtoclis.
A'ſaphi.
Aſcelpíadis.
Aſcelpiódoti.
A'ſculi.
Aſíncriti.
Aſtériæ.
Aſtíagis.
Athenógenis.
Atrébati.
A'ttalæ.
A'ttali.
A'rtici.
Audómari.
A'nguli.
Auſtregíſyli.
Autónomi.
A'uxini.
A'zades.

B'Abúci.
Bajócis.
Baldoméri.
Barcinóne.
Baſiléi.
Baſilídis. *uſus communior corripit.*
Bavónis.
Beátrix.
Bennónis.
Benóſi.
Beróeam. *triſyll.*
Beroníci.

*Producuntur.*

Bery'ti.
Beſſariónis.
Biblídis.
Birínis.
Biſuntino.
Bonſíti.
Bonóſæ.
Britanniónis.
Briváte.
Brixinóne.

B'A'bylæ.
Bájuli.
Bárbeæ.
Bárlaam.
Fárſabas.
Bárulas.
Báſoli.
Bátavos.
Bávaros.
Baudélii.
Bégabar.
Bellóvaci. *alii produc.*

*Corripiuntur.*

Bénjamin.
Béthlehem.
Biánoris.
Bitúricas.
Brácari.
Bráulio.
Bríncolam.
Bulgária.
Burdígale.
Burgundóforæ.

C'Abilóne.
Cainone.
Calaminæ.
Calaníci.
Callinícæ.
Calliníci.
Calócen.
Calocéri.
Calogéri.
Calybitæ.
Cameráci.
Canion. *alii corrip.*
Caniónis.
Capitónis.
Carális.
Carduétum.
Carmélo.
Carnóti.
Caſimiri.
Cataphrygis.

*Producuntur.*

Cenomános.
Cereális.
Ceſareæ.
Ceſénæ.
Charactére.
Charitínæ.
Charitónis.
Cherſonéſum.
Chriſtéræ.
Chroniónis.
Cindei.
Claréi.
Cleoníci.
Clodovéus.
Cománæ.
Domános.
Compáges.
Complúti.
Coprétis.
Corcy'ræ.

Coré-

Corébi.
Corty'næ.
Cratónis.
Creſcentiónis.

Criſpíni.
Croſátis.
Cucúſam.

CAbadæ.
Callíope.
Callíſtrati.
Cándacis.
Cánici.
Cappádocis.
Cáppadox.
Cária.
Carpóphori.
Cárteſæ.
Cáſdoe.
Cáſſiope.

Caſtoris.
Cáſtulj.
Cátanæ.
Caucolſberi.
Céntula.
Céreri.
Cherémonis.
Chalcédone.
Chálcide.
Chóſioe.
Chryſóphori.
Cryſóteli.

DAfróſæ.
Darſæ.
Decapolítæ.
Derphúta.

Deuſdédit.
Diodóri.
Diomédis.

DAphníticam.
Déicolæ.
Demócriti.
Diacónia.
Didymus.

Díoclis.
Dióſcori.
Dioſcóridis.
Dírutæ.

EBoráci.
Ebredóni.
Ebroínus.
Edeſséna.
Ediltrúdis.
Emeríci.

Emmeráni.
Epaphrodíti.
Ephébi.
Epicharídis.
Epictéti.
Epipháne.

EBoræ.
Ebróicis.
Edgari.
Edithæ.
Eleázari.
Elésbaan.
Eleuchádii.
Eleuthérii.
Eleutherópoli.
Elphegi.
FElpiéphori.

Elpidíphoro.
E'meſam.
Eméritæ.
Emíliæ.
Emmaus.
Emméliæ.
Encrátidis.
E'nnathæ.
Eóbano.
Epágathi.
E'paphra.

FArínæ. *triſyll.*
Faronis.
dausínæ.

Ferentíni.
Ferrutiónis.
Fredeſuvindæ.

FÆ'ſulis.
Fándilæ.

Felículæ.
Ferréoli.

GAbdélæ.
Galatiónis.
Galgáni.
Gallióꝛem.
Gandávi.

Gargáno.
Gavális.
Gaugeríci.
Gedeónis.
Geiſerico.

GAlatæ.
Géldubæ.
Gémini.

Gerásimi.
Gerémari.
Germánici.

HEliménæ.
Heliodori.
Helionídis. *uſu produc.*
Hieronídis.
Hiltrúdis.

Henedinæ.
Heracléa.
Heraclídis.
Hippóne.
Homerítas.

HAdrianópoli.
Hedúvigis. *alii produc.*
Hélenæ.
Héleni.
Helenópoli.
Heliópoli.

Heráclea.
Herbípoli.
Hermágoræ.
Hérmiæ.
Hermócratis.
Hermógenis.

IAdéris.
Jæ. *diſyllabum.*
Ibéros.
Idólum.

Jovíni.
Iſaídis. *alii corrip.*
Irénes.
Ireniónis.

Cucupbátis.
Cyrénæ.
Cyrini.

Cyrion.
Cyriónis.
Cythini.

*Corripiuntur.*
Cilícino.
Cláſſici.
Cleómenis.
Cléophæ.
Clímaci.
Cóbade.
Cóchleis.
Cóncitus.
Copróuymo.
Córdubæ.
Córdulæ.
Cóttidi.

Créſiphon.
Críſpuli.
Crónidæ.
Cucúmeris.
Curcúdomi.
Curónoti.
Cynici.
Cyréniæ.
Cyríaca.
Cyríaci.
Cyzici.

*Producuntur.*
Dióne.
Domníno.
Domniónis.

Donnina.
Droctovéi.
Drogónis.

*Producuntur.*
Divíſone.
Diútino.
Dómnoli.
Doróſtori.

Drizíparæ.
Dúnaam.
Dorόthei.
Doróchea.

*Producuntur.*
Epíro.
Epiſtémis.
Erémum.
Eríci.
Ermíni.

Erothédis.
Evágri.
Euhúli.
Eudocíæ.
Evelídi.

*Corripiuntur.*
E'pheſi.
Epidímia.
Epímachi.
Eróthidis.
Eugénii.
Eugraphi.
Euláliæ.
Euménii.
Euméniæ.
Eunómia.
Evóreæ. *alii produc.*

Euphémiæ.
Euphratéſia.
Euphróſynæ.
Eúpori.
Euprépio.
Euſtóliæ.
Eútychen.
Eutrópiæ.
Eúrichis.
Exprobrans.
Exupéria.

*Producuntur.*
Frigdiáni.
Frisónes.

Furséi.
Frisónum.

*Corripiuntur.*
Fídoli.
Frúctuli.

Fúſcoli.

*Producuntur.*
Genovéfæ.
Gereónis.
Gertrúdis.
Gisléni.
Godefrídi.

Gorty'næ.
Guléri.
Gundénis.
Guríæ.

*Corripiuntur.*
Gláphyræ.
Góaris.
Gratianópoli.

Gudéliæ.
Gúmmari.

*Producuntur.*
Herénæ.
Hermétis.
Hermolái.
Hunnérico.
Hygíni.

Herodiónis.
Heróis.
Hierónis.

*Corripiuntur.*
Hérmili.
Hérnicis.
Hirúndinis.
Hierápoli.
Hieróthei.

Hilárii.
Híſpali.
Homobóni. *uſu produc.*
Homoúſii.
Hóricos.

*Producuntur.*
Irmínæ.
Iſchiriónis.
Iſidóri.

Iſmaélis.
Judóci.
Juventíni.

*Corri-*

*Corripiuntur.*

IA'ſone.
Illiſberi.
Illiſtus.
Illy'rico.
Ingenis.
Joſaphat.
Iphigénia, *alii produc.*
Iſáuria.
Iſáurici.
Itálica.

*Produçuntur,*

LAmbéſæ.
Laodicéæ.
Laodicíæ.
Lapidicínæ.
Laudóni.
Lautónis.
Lebétem.
Legio.ıem.
Leobíni.
Leocátæ.
Leonídis.
Leontínos,
Leudfrídi.
Licióuæ.
Lilloſæ.
Limniótæ.
Liſuino.
Littéi.
Lucíæ.
Ludgéri.
Lupánar.
Lupı. ſni.
Lyboſi.

*Corripiuntur.*

LA'mpſaci,
Láurici,
Lemóvicis.
Leocádiæ,
Lígeris
Língonas.
Liobæ.
Líparam,
Lucíoli.
Ly'cia.
Lyſánia.
Ly ſia.
Lysímacho.

*Producuntur,*

MAchúti.
Madáuri, *triſſyl,*
Magínæ.
Magneríci.
Majóli.
Majúmæ.
Mannéæ.
Manuélis.
Manútha,
Maréas.
Maroois.
Marótæ.
Maríthæ.
Matúri.
Mavıméni.
Mauris. *diſſyll,*
Medeńci.
Melitínæ.
Mellíti.
Menedémi,
Menéſi.
Menelái.
Menedóræ.
Merónis.
Meſsánæ.
Metráni.
Milevi,
Milledúno.
Miniátis.
Miroclétis.
Miſsaélis.
Miſſenátis.
Monothelítas.
Moséi.
Moysétis.

*Corripiuntur.*

MAcédonis.
Majórici.
Málacŧ. *alii produc,*
Manachen.
Mándalis.
Mappálici.
Máprilis.
Marcianópoli.
Mároli.
Mártulæ.
Maſsíliæ.
Maſſili.
Mávili.
Mémnonis.
Méruli.
Metróphanis,
Míropis.
Mopſuéſtiæ,
Mutíolæ.
Mutalæ.
Mútinæ,

*Producuntur.*

NAmphaniónis,
Nannétæ.
Narbóne.
Narséi.
Narsétis.
Navalis.
Nomáuſi. *triſſyl,*
Neocesaréæ.
Neónis.
Nicéæ.
Nicerátis..
Nicétæ.
Nicomédes.
Nicónis.
Nilamónis.
Nimphodoræ.
Nonnóſi.
Noviodúmi.
Novocomi.
Novocomi.
Numılonis.

*Corripiuntur.*

NA'boris.
Nárniæ,
Nártali.
Natáliæ.
Neomíſiæ,
Neóphiti,
Neópoli.
Nérei.
Néſtabi.
Néſtoris,
Nicánotis.
Nicéphori.
Nicópoli.
Nicoſtrati.
Nilópolis.
Níſibi.
Nórico.
Nóricos.
Numídico,

*Producuntur.*

ODilónis.
Odónis,
Olávi.
Oppetiére,
Orthónam.
Ozías.

*Corripiuntur.*

OBdúliæ.
Obrutus,
Océani.
Olympíadis.
Onéſimi.
Onesíphori.
Oríeuli.
Othíliæ.
O'thmari.

*Producuntur,*

PAlatiátis.
Palmy'ræ.
Pantaleemónis.
Papíæ. *Urbis nomen,*
Paramónis.
Paraſcéves.
Paſtóris.
Pausídis.
Pelígnis.
Perónæ.
Philéthi.
Philéas.
Philoméni.
Philónis,
Photídis.
Piatónis.
Pictávis.
Pinyti.
Piperiónis.
Platonídis.
Præmónis.
Polamiónis,
Polliónis.
Pomeránis.
Poppónis.
Potíri.
Promóto.

*Corripiuntur.*

PAlæ'monis.
Pámiæ.
Pámphili.
Pantágape.
Petragóricis.
Philadéiphia.
Philémonem,
Philólogi.
Philómeni.
Philóthei.
Philóromi.
Panthágati.
Pánteon.
Papiæ. *Viri nomen,*
Pápyli.
Philótheri.
Philómena.
Pódagra.
Políxena.
Poly'boti.
Pompejópoli.
Páridis.
Pármenæ.
Paſsícratis.
Pátrobæ.
Póntici.
Potámiæ,
Priami.
Próchori.
Propóntide.
Proſdocimo,
Pátrocli.
Pélevis. *triſſyll.*
Peotápoli.
Pérgami.
Protólici.
Protógenis.
Prusíade.
Ptolemáide.
Púpuli.
Putéolis.

*Producuntur.*
in

QUer á.
Quintílis.

RAſthi. *diſſyll.*
Ratisbónæ.

RA'ſyphi.
Rhaidis.
Rhédones.
Rhédonis.

SAbélis.
Salamínæ.
Salóne.
Samónæ.
Samoſaténi.
Sampsónis.
Saníni.
Secúri.
Sedúni.

SA'garis.
Sándali.
Sántonas.
Sápore.
Sarcóphagum.
Sármatæ.
Sátalis.
Satéllico.
Sátiri.
Sáturi.

TArracínam.
Tarracóne.
Tationis.
Taurionis.
Terdóne.
Theodúlus. *uſu tamen corripiuntur.*
Theónas.
Theoprepidis.
Theotimi.

TA'rhula.
Támmarus.
Téndinem.
Ténedo.
Tháraci.
Thebáide.
Thécue.
Theléſphori.

VAlencénas.
Varadini.
Vaſióne.
Velínum.
Venáfrum.
Veráni.
Verénæ.

VA'rici.
Verſíaco.
Véruli.
Viſtorici.

*Producuntur.*

ZAoſte.
Zenaídis.
Zenonis.

*Corripiuntur.*

QUirſacus.
Quírici.
Quodvúldei.

Reáte.
Recharédo.

Rothómagi.
Rictióvaro.
Ríſpſimis.
Romárici.

Serapiónis.
Servidéi.
Sidóne.
Sinaſtæ.
Singidóni.
Sinuéſſe. *triſſyll.*
Siridonis.
Sobélis.
Solocáni.

Sáulæ. *triſſyl.*
Sáxones.
Sconáugiæ.
Scubículi.
Scytópoli.
Secúndolus.
Sédophæ.
Sénonas.
Séquani.
Seráphiæ.

Tiridáte.
Tornáci.
Torpétis.
Tricaſſíno.
Tropéæ.
Thagútæ.
Thamélis.
Theáni.
Thecúſæ.
Thémvis. *diſſyl.*

Themíſtoclis.
Theodoti.
Theogeois.
Theóphanis.
Theóphili.
Theópoli.
Theóticis.
Thmúeos. *triſſyll.*

Veſontióne.
Veſtínis.
Victúri.
Vindecíno.
Vindemiális.
Virodúnum.
Uldarici.

Vitálici.
Viventíoli.
U'ſpali.
U'rſmari.

*Corripiuntur.*

ZE'tici.
Zóſimi.
Zótici.

*Producuntur.*

Resína.
Rhinocolúræ.

Ruthénos.

*Corripiuntur.*

Rhomárico.
Rosália, *alii produc.*
Róſula.

Rudérici.
Rutílii.
Rútuli.

*Producuntur.*

Solodóri.
Sophooſæ.
Saétris.
Spiridiónis.
Stactéo.
Stratoníci.
Stratoníco.
Stratónis.
Stylítæ.

Suadéri. *triſſyll.*
Suévos. *triſſyll.*
Sulcitána.
Sulmónæ.
Sythúni.
Synópe.
Siracúſis.
Syriáni.

*Corripiuntur.*

Serápidis.
Sergiópolis.
Serótinæ.
Sibápoli.
Sigeſtéricum.
Silvarum.
Silvinſacum.
Sínai.
Sópatræ.
Sóphiæ.

Soſípatris.
Sóſthenis.
Sozópoli.
Styríaci.
Sveſſione.
Sveſſiones.
Sy'mmachi.
Synclétice.
Sy'nnadæ.
Sy'ntiches.

*Producuntur.*

Theodóræ.
Theodóri.
Theodomíri.
Theodoríſi.
Theſſalonícæ.
Theusétæ.
Thomaídis.
Thraséæ.
Thrasónis.

Tigídis.
Timolái.
Trudónis.
Tryphénis.
Thryphónis.
Tryphóſæ.
Thuriasóne.
Tyánæ.
Tychónis.

*Corripiuntur.*

Tíbure.
Timóthei.
Tótila.
Tránſaquis.
Tréviris.
Tríchinas.
Trípodis.
Trípoli.

Tríphinæ.
Tróadem.
Trócleas.
Tróphioi.
Turóoico.
Túronis. *alii poduc.*
Thychici.

*Producuntur.*

Ulyſſipóne.
Uncínis.
Uſthazánes.
VValeríci. *tetraſſyll.*
VValfídi.
VVenceslái.

VVenefrídæ.
VVérdan. *diſſyll.*
VVilleſídi.
VVillebáldi.
VVimici.
VVirónis.

*Corripiuntur*

U'ticæ.
VVandálicæ.
VVandregiſíli.

VVintóniæ.
U'zali.
Uzéciæ

# S E R I E S
# D E C R E T O R U M
## A SUMMIS PONTIFICIBUS,

*Præſertim vero a Sac. Rit. Congreg. ad Breviarii Romani Rubricas explanandas, & perfectiorem uſum in ipſis inducendum, emanatorum ab anno 1602. uſque ad Annum 1738. ordine temporis regulariter ſervato, quo fuerunt ſancita: Quæ quidem Decreta omnia, & ſingula excerpta, & iterum diligenter collata fuerunt cum ſuis Autographis, ſeu Originalibus, quæ extant in Regeſtis Decretorum memoratæ S. R. C. Pauca alia, quæ ab Auctoribus Rubriciſtis, & in aliquibus locorum Kalendariis ſparſim referuntur, hic non allegantur, quia non conſtat de eorum Authenticitate, cum in præfatis Regeſtis reperiri nequaquam potuerint. Illa vero, quæ in Indice ſecundi Tomi ſui Theſauri Sacrorum Rituum a Gavanto allata ſunt, in præſenti fuſiori Serie pariter recenſentur, & prænotantur hoc aſteriſco.* *

---

### DECRETA AUTHENTICA SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS.

1. * Conſecrator Eccleſiæ poteſt in actu Conſecrationis ſtatuere aliam diem pro Anniverſario ejuſdem Conſecrationis. 19. Februarii 1587. Vide n. 16. & alios ibi citatos.

Hoc Decretum cum editum fuerit de anno 1587. antequam inciperent ſcribi in Regeſtis S. R. C. Decreta ab eadem emanata, quod contigit anno 1602. ideo in prædictis Regeſtis non reperitur; ſed quia affertur a Gavanto in ſua Serie, etiam in hac noſtra exhibetur.

2. * Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ debent recitare Officium, quod in Choro dicitur, licet morentur alibi. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in Salernitana*.

3. * Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare Officia, quæ in Choro propria dicuntur eadem die. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *In Salernitana*.

4. Tertiarii S. Franciſci degentes in ſæculo, qui fuerint de gremio alicujus Eccleſiæ, & illius Choro obligati, debent recitare Officia particularia illius Eccleſiæ, ſecus autem ſi ſint de gremio, & nullatenus Choro intervenire debuerint. S. R. C. 28. Septembris 1602. *& reperitur in Rubr. Breviarii Minorum Obſerv. n.* 245. Vide n. 186.

5. Canonici debent cantâre alta voce, & poteſt Epiſcopus eos hortari ad id faciendum. S. Rit. C. 23. Novembr. 1602. *in Egitanien.*

6. * De Sancto, cujus inſignis Reliquia habetur, fieri poteſt Officium Duplex minus in ejus Feſto. S. R. C. 23. Novemb. 1602. *in Vicentina*. Vide n. 40. 59. 60. 82. 165. 199. 259.

7. Matutinum Defunctorum pro generali eorum Commemoratione non debet cantari pridie Veſperi in Feſto Omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die 2. Novembris poſt Laudes diei. Sacra Rit. Congreg. 23. Maji 1603. *in Egitanien.* Vide n. 29. 206. & 220.

8. * Veſperæ Defunctorum pro prima die Menſis dicuntur poſt Veſperas etiam Dominicæ, vel Feſti de Præcepto, ſi accidat. Sac. Rit. Congr. 23. Maji 1603. *in Egitanien.*

9. Officium pro die tertio, ſeptimo, vel trigeſimo poſt obitum Defuncti, ſi cadat in die Dominico, vel Feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem Solemnitate. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.* Vide n. 205.

*Vide etiam pro Anniverſario Defunctorum Decreta ſpectantia ad Rubricas Miſſalis n.* 233. 422. 472. 483. 524. 526. 546. 547.

10. * Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licite, ubi eſt conſuetudo eos dicendi, pridie Veſperi Feriæ IV. & VI. poſt Completorium. S. R. C. 2. Auguſti 1603. *in Lauden.*

11. Deſtinatus ad regendum Chorum, non eſt dimovendus a Choro ut aſſiſtat Epiſcopo. Sacra Rit. Congr. 6. Septembris 1603. *in Monopolitana*.

12. Oratio quæ dicitur in Feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani non eſt alternanda; ita ut de S. Sebaſtiano tantum recitetur etiam in propria Eccleſia, eidem dicata. Sac. Rit. C. 6. Septembris 1603. *in Egitanien.*

Pro intelligentia hujus Decreti, vide ea, quæ diximus in noſtria Obſervationibus *ad Sectionem* 3. *cap.* 10. *n.* 8. Vide etiam infra n. 74. 210. 259. & 273.

13. Regularibus non convenit continuo Officium, & Horas Canonicas cum Canonicis, & Clericis Sæcularibus in Choro decantare. S. Rit. Congr. 15. Novembris 1603. *in Illerden.*

14. * Non eſt relinquendum officium Breviarii pro officio devotionis. Sac. Rit. Congreg. 29. Novembris 1603. *in Salamantina*.

15. Commemoratio Sanctæ Mariæ in Suffragiis Sanctorum debet fieri in Eccleſiis eidem dicatis, etiamſi ejus Officium parvum in Choro recitatum fuerit. S. R. C. 10. Januarii 1604. *In Bonien.* & 13. Junii 1682. *in una Ordinis Sancti Franſci*, necnon 10. Junii 1690. *in una Ordinis Minorum Obſervant. Sancti Franciſci*. Vide n. 189. 190.

16. * Dedicationis Feſtum extra actum Conſecrationis, non poteſt amplius mutari ab Epiſcopo inconſulta ſede Apoſtolica. S. R. C. 16. Octob. 1604. *In Ariminen.* Vide n. 69. 82. 85. 123. 242. 243.

17. * Si Eccleſiæ Dedicatio accidat in feſto Nativitatis B. M. V. officium fieri debet de Dedicatione, & duæ Miſſæ poſſunt eadem die cantari. Infra Octavam vero fiat de digniori. S. R. C. 16. Octobris 1604. *in Ariminen.*

18. * Epiſcopus Regularis debet recitare officium juxta Ritum ſuæ Diœceſis, non vero ſui Ordinis. Sac. Rit. Congreg. 11. Junii 1605. *in una pro Regulari promoto ad Epiſcopatum*.

19. * Cappellani Epiſcopi, qui cum eo recitant officium, debent ſe illi conformare. S. R. C. 11. Junii 1605. *in una pro Regulari promoto ad Epiſcopatum*.

20. * Ubi viget Conſuetudo immemorabilis, poteſt recitari officium de communi pro Sanctis etiam non Canonizatis. Sacræ Rit. Congreg. 11. Junii 1605. *in Viſen.* & reperitur in Rubricis Brev. Minor. Obſerv. n. 61. Vide n. 61. 67.

21. Archipresbyter, ſeu alia Dignitas non debet ſe intromittere in Directione Chori, quod ad ſolum Cantorem, ſeu Primicerium pertinet. S. R. C. 3. Septembris 1605. *in Tarentina*.

22. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum non eſt celebranda, nec facienda in die Dominica, ſed transferri debet in Feriam ſecundam ſequentem. S. R. C. 24. Septembris 1605. *in Auguſtan.* Vide n. 28. 93. 158. 206. 218. 220. 257. 312.

23. Officium in Choro dato ſigno inchoandum eſt, non expectato Vicario Generali. S. R. C. 25. Febr. 1606. *in Neritonen.*

24. * Non poteſt Epiſcopus extendere ad ſuam Diœceſim officium illud, quod fieri ſolet in Civitate. S. R. C. 16. Januar. 1607. *in Bojanen.*

25. Magiſter Cæremoniarum non poteſt alterare, ſeu mutare conſuetudinem circa præintonationem Antiphonarum ad Veſperas. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Suaſſen.*

26. Chorus univerſus ad Primam, & Completorium debet replicare *Miſereatur*, & *Confiteor*. S. R. C. 19. Maji 1697. *in Placentina*.

27. * Servanda eſt antiqua & laudabilis conſuetudo ubi recitatur in Choro officium parvum B. M. V. etiam in Semiduplicibus, & Dominicis, non obſtante Rubrica Breviarii. S. R. C. 1. Septembr. 1607. *in Trojana*.

Hoc Decretum eſt conforme Conſtitutioni S. Pii V. & ſervandum eſt etiam mutato proprio Breviario, & accepto Romano, ut ſtatuit Urbanus VIII. de conſilio Sac. R. C. 16. Januar. 1627.

28. * Matutinum Defunctorum pro generali eorum Commemoratione prohibitum eſt cantari pridie Veſperi in Feſto Omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die ſecunda Novembris poſt Laudes diei. S. R. C. die 1. Septembris 1607.

Ubi adeſt Conſuetudo recitandi Matutinum media nocte a Clero Sæculari poteſt dimitti, & mutari, ut recitetur albeſcente die ex juſta cauſa. Sac. Rit. C. 21. Julii 1607. *in Oſcen.*

29. Conſuetudo ut Hebdomadarius ad Veſperas capiat Pluviale ad Capitulum, & non a principio Veſperarum, ſervari poteſt, S. R. C. 1. Septembris 1607. *In una Theatinorum.*

30. Antiphonæ Feriales ad Laudes ante nativitatem omitti poſſunt in Feſto ſolemniter celebrato, ut contingit in Feſto S. Thomæ. Sed Antiphonæ Majores ante Nativitatem etiam in Feſtis Solemnibus dicendæ ſunt *ad Magnificat*, S. R. C. 17. Novemb. 1607. *in Burgen.*

Hoc loco advertimus quod Gavantus *Sect. VI. cap. 2. n.* 7. ubi ſermonem haber de prædictis Antiphonis Ferialibus ante Nativitatem Domini, aſſerit Gregorium XIII. conceſſiſſe Hiſpanis, ut anticipent prædictas Antiphonas in die 16. Decembris, quia die 17. celebrant Feſtum Expectationis Partus B. Virg. Id quod faciendum eſſet in toto ſtatu Eccleſiaſtico, & ubicumque celebratur tale Feſtum. Vetum nunc iſta anticipatio fieri non poteſt ſtante Feſto recens inſtituto S. Euſebii Epiſc. & Martyris celebrando ab Eccleſia univerſali ſub Ritu Semiduplici; unde neceſſario prædictæ Antiphonæ inchoari debent die 17. Decembris, dummodo non incidat dies Dominica. Die autem 18. etſi aſſignatum ſit Officium Expectationis Partus B.M.V. ad Laudes tamen dicendæ ſunt prædictæ Antiphonæ Feriæ occurrentis, cum valde congruant Officio Expectationis, & proximæ ſolemnitati Nativitatis, ut provide S. R. C. ſtatuit in correctione, & approbatione Kalendarii Ord. Min. Convent. S. Franciſci.

31. Uſus Miſſalis, & Breviarii Romani ſemel introductus in Eccleſia, quæ habebat particulare Miſſale, & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire ad uſum antiqui Miſſalis, & Breviarii. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Tullen. ſeu Nullius.*

32. Uſus ſemel introductus, & receptus in Eccleſia Cathedrali celebrandi Feſtum ſolemniter de aliquo Sancto tanquam de Patrono, continuandus eſt, licet non ſit de antiquis Patronis Eccleſiæ, vel in Breviario Romano de eo non fiat Officium, S. R. C. 15. Martii 1608. *in Sempronien.*

33. Canonicus Officium faciens ad Veſperas non poteſt recuſare aſſiſtentiam Clericorum in defectu Cappellanorum, vel Beneficiatorum ſub prætextu, quod Cæremoniale dicat id munus pertinere ad Cappellanos, vel Beneficiatos. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.*

34. Epiſcopus ad Matutinum in nocte Nativitatis poteſt ſedere, vel in Sede Chori, vel in Sede Epiſcopali, prout melius ſibi videtur, & magis populo ſatisfacit, S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.*

35. Sanctæ Eulaliæ Officium cum Octava, etiamſi veniat in Quadrageſima juxta antiquam & immemorabilam Conſuetudinem concedit S. R. C. 6. Decembris 1608. *in Barchinonen.*

36. * Feſtum S. Caroli in Provincia Mediolanenſi celebrari poteſt Ritu Duplici. S. R. C. 20. Novemb. 1610.

Super hoc tamen emanarunt alia Decreta, quæ dantur in *Sectione Septima cap.* 13.

37. Si occurrat Feſtum Annunciationis B. M. V. in Dominica ſecunda, tertia, vel quarta Quadrageſimæ, non fit officium de Annunciatione, niſi in Eccleſiis ſub invocatione Annuciationis dicatis. S. R. C. 1. Septemb. 1612. *in Ulyſſiponen.*

38. Lectiones ſecundi Nocturni propriæ S. Corradi approbantur pro Diœceſi Placentina. Sac. Rit. Congr. 24. Octobris 1609. Extenduntur pro Diœceſi Syracutana, & in diſtrictu, & Civitate Netina. S. R. C. 19. 1614. *in Netina.* Rurſus conceditur idem officium etiam Ordini Minor. S. Franciſci, Patribus Cappuccinis die 2. Auguſti 1625.

39. Lectiones duæ penultimæ, quando ab Epiſcopo Matutinum ſolemniter celebratur, ſunt cantandæ a duobus Canonicis, qui hinc inde aſſiſtunt Epiſcopo, ſive ſint Dignitates, ſive Canonici etiam ultimi, non obſtante alia conſuetudine. Sacra Rituum Congr. 18. Martii 1617. *in Brunduſina.*

40. Duplex officium eſt recitandum de Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, ubi aſſervatur, vel ſit Corpus integrum, aut magna pars ejuſdem, aut caput, & ſit ex Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio Romano. Sac. R. C. 3. Junii 1617. *in una Urbis Theatinorum.* Vide n. 6. 59. 60. 82. 165. 199. 259.

De Reliquia inſigni officium eſt ſolum recitandum in Eccleſia, ubi aſſervatur, nec aliæ Eccleſiæ debent ſe uniformare cum Cathedrali, ſeu Matrice. S. R. C. 12. Maji 1612. *Conchen.*

41. * Sub nomine Feſti novem Lectionum, venit etiam Dominica. S.R.C. 12. Martii 1618. *in Conchen.*

42. * Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in Civitate celebratur cum octava, in Diœceſi vero ſine octava. S. R. Congreg. 2. Maji 1610. *in Conchen.* Vide n. 176. 214. 224. & 266.

43. Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni, deficientibus Cantoribus cantandæ ſunt a Canonicis, incipiendo a Junioribus ad præſcriptum Cæremonialis, S. R. C. 4. Aprilis 1620. *in Converſana.*

44. * Commemoratio de Cruce ordinaria ſufficit in Eccleſiis dicatis in honorem S. Crucis pro Commemoratione Tituli Eccleſiæ S. R. C. 30. Martii 1621. *in una ſub Dubio.*

45. * Feſtum S. Joſeph eſt præcepto ubique. S. R. C. 8. Maji 1621.

46. * Feſtum S. Franciſci eſt de præcepto ubique. S. R. C. 3. Januar. 1622. Verum huic Decreto derogatum fuit ab Urbano VIII. de quo vide etiam in noſtris Obſervationibus ad *cap.* 12. *Sect.* 7. ſub die 4. Octobr.

47. * Feſtum S. Annæ eſt de præcepto ubique, S. R. C. 24. Apr. 1622. ita præcepit & mandavit Gregorius XV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Honor laudis &c.*

48. * In primis Veſperis Communibus diei Octavæ, & Dominicæ privilegiatæ, Veſperæ debent recitari cum Pſalmis Sabbati, & a Capitulo de Dominica privilegiata, addendo in fine Commemorationem diei octavæ. S. R. C. 9. Novembris 1622.

Licet hoc Decretum non reperiatur in Regiſtro Decretorum, tamen Gavantus teſtatur de ejus certitudine; & reperitur in Octavario Romano *tit. XI. de Concurr. Officii n.* 4. & in Rubricis Breviarii Franciſcani a S. R. C. approbatis n. 59. & 97. in quibus additur, quod in dictis Dominicis privilegiatis occurrentibus infra octavas debet fieri Commemoratio octavæ occurrentis; tam in primis, quam in ſecundis Veſperis, & Laudibus, & omittuntur Suffragia Communia, & Preces ad Primam, & Completorium.

49. * In fine Completorii Purificationis B.M.V. dicitur Antiphona *Ave Regina Cælorum.* Sac. R. C. 18. Julii 1624. *in una Urbis.* Vide tamen numer. 115. & alios ibi indicatos.

50. Regulares Ordinis Minimorum, cum in Orationibus Sanctum Franciſcum prælati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere de Paula. Sac. Rit. C. 23. Decembris 1624. *in una Urbis pro PP. Minimis.* Vide n. 323.

51. * Symbolum S. Athanaſii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in Choro recitatur ſtando. Sac. Rit. Congr. 23. Decembris 1624. *in una Dubiorum.*

52. * Ad Invitatorium, Antiphonas, Reſponſoria, & Verſiculos in officio parvo B. M. V. tempore Paſchali non additur *Alleluja.* S. R. C. 28. Martii 1625. *in Tornacen.*

53. Prima Sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantum. S. R. C. 22. Auguſti 1626. *in Caſeriana.*

54. * Litaniæ Majores, ſi occurrant in die Paſcharis, transſerantur in Feriam tertiam ſequentem. S. R. C. 25. Septemb. 1627. *in una Urbis.*

55. * Officium Stigmatum S. Franciſci pro Clero eſt Semiduplex. S. R. C. 2. Octob. 1627. *in una Urbis.*

56. Feſtum Angelorum Cuſtodum eſt Duplex minus. S. R. C. 2. Octob. 1627. *in una Urbis.*

57. * Decreta de officiis approbatis de Præcepto Sanctorum Bibianæ, Caſimiri, Catharinæ Senenſis, Norberti, Joachim, Hyacinthi, Ludovici, Euſtachii, & Sociorum, Brunonis, & Birgittæ; ſimiliter Decreta recentiora aliorum Sanctorum uſque ad Clementem XII. Vide in *Sectione VII.* ſuis locis propriis.

Decreta de officiis Sanctorum ad libitum. Vide *ibid.*

58. * Non poſſunt locorum Ordinarii tam Sæculares, quam Regulares addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum officia, niſi ea duntaxat, quæ a Breviarii Romani Rubricis, vel a S.R.C. ſeu de Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur, neque propria auctoritate, & quovis prætextu poſſunt mutare Ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem Ritum; neque extendere conceſſa officia de loco ad locum. S. Rit. C. 8. Aprilis 1628.

59. Inſignes Reliquiæ (quarum ratione recitari poteſt officium ſub Ritu duplici Min.) ſunt Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata. Sacr. Rituum Congreg. 8. Aprilis 1628. Vide n. 40. & alios ibi indicatos.

60. Celebrari non poteſt per totam Civitatem, vel Diœceſim, etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate, Feſtum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; ſed tantum in Eccleſia ipſius Sancti Titularis, ſeu ubi aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi. S. R. C. 8. Aprilis 1628. Vide num. 6. 40. 59. 82. 165. 199. & 259.

61. De Sanctis Epiſcopis locorum, Martyribus, Civibus, & aliis Feſtis, de quibus in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria auctoritate ſtatuatur, ſed omnino conſulatur. Sac. Rit. C. 26. Aprilis 1628. Vide n. 20. 67.

62. * Officia non approbata damnantur. S. R. C. 8. Apr. 1628.

63. Fe-

Google

63. * Feſtum Patroni principalis loci tenentur omnes cum officio de eodem, etiam Regulares celebrare, ſed iſti ad octavam non tenentur. S.R.C. 27. Maji 1628. *in Piſtorien.* Vide n. 78. 135. & 224.

64. * Officium Defunctorum non poteſt dici in Semiduplicibus, & Officiis novem Lectionum, niſi ad effectum duntaxat ſatisfaciendi menti Teſtatorum. S.R.C. 22. Junii 1628. *in Jannen.* Vide n. 119.

65. * Solemniter conſueviſſe fieri officium, de quo Rubrica Breviarii Romani ſub *tit.* 1. ſignificat Feſtum Populi, aut Clerum pompa exteriori, apparatu, concurſu, &c. S.R.C. 28. Octob. 1628.

66. Officia de Epiſcopis Sanctis locorum poſſunt continuari de Communi, ſi conſtaret illos fuiſſe Canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuiſſe de illis officium, & Miſſam. S.R.C. die 28. Octob. 1628. & reperitur in Rubricis Breviarii Min. Obſervant. n. 62. Vide ſup. n. 61.

67. * De Sancto Canonizato non poteſt fieri officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto. S.R.C. 9. Decemb. 1628. *in Genuen.* Vide n. 20.

68. * Moniales in *Confiteor* ad Primam, & Completorium, ne dicant *Tibi Mater*, nec *Vobis Sorores*, ſed ut in Breviario. S.R.C. 18. Auguſti 1629. *in una Breviarii Romani.*

69. Feſtum Dedicationis aliarum Eccleſiarum a Cathedrali, celebrandum eſt tantum in ea Eccleſia, ubi Conſecrationis dies peragitur. Ita S.R.C. quæ inſuper declaravit non poſſe celebrari Feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ, quam certum eſt non fuiſſe conſecratam, vel dubium eſt; ſi autem conſtet de Conſecratione, & ignoretur dies, poteſt Ordinarius aſſignare diem pro Feſti prædicti celebratione. S.R.C. 18. Auguſti 1629. *in Alexandrina*, & ex Rubricis Breviarii Minorum Obſervantium num. 82. Vide ſupra num. 16.

Vide tamen Concilium Romanum celebratum anno 1725, a Benedicto XIII. *tit.* 25. *cap.* 3.

70. * Officium, & Miſſa S. Rocchi conceditur tantum in Eccleſiis ad ejus honorem Deo dicatis. S.R.C. 26. Junii & 26. Novemb. 1629. *in Matriten.*

71. * Super electione Sanctorum in Patronos Decretum a S.R.C. de ordine Urbani PP. VIII. emanatum die 23. Martii 1630. datum per extenſum *in Sect.* 3. *cap.* 12.

72. Breviarium Romanum denuo emendatur: in eo Hymni (paucis exceptis) qui non metro ſed ſoluta oratione, aut etiam Rhythmo conſtant, vel emendatioribus Codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati; ubi vero non potuit, de integro conditi ſunt, eadem tamen quoad licuit ſervata ſententia &c. prout videre eſt in Conſtitutione Urbani VIII. quæ incipit: *Divinam Pſalmodiam &c.* edita 25. Januarii 1631. & quæ legitur initio cujuſcumque Breviarii Romani.

73. * Non poſſunt in Litaniis inſeri alii Sancti, præter ibidem deſcriptos, neque tempore peſtis addendi ſunt Titulares, & Patroni Civitatis ſine ſpeciali conceſſione. S.R.C. 22. Martii 1631. *in Rhegien.*

74. * In Eccleſia Ss. Nazarii, & Celſi transferendum eſt Feſtum Ss. Victoris, & Innocentii in primam diem non impeditam (poſt Feſtum Ss. Nazarii, & Celſi) ſub Ritu Semiduplici, ſed cum Evangelio, & Oratione eorumdem, in qua omittuntur Socii. S.R.C. 12. Febr. 1633. *in Mediolanen.* Vide n. 12. 210. 259. 273.

75. Dum aliqua legata relinquuntur cum onere celebrandi officium alicujus Sancti ſub altiori Ritu, quam qui a Sede Apoſtolica ei præſcribitur, licitum erit hujuſmodi officia ſolemnius celebrare quoad pompam extrinſecam, non autem quoad Ritum Eccleſiaſticum ex Decreto S.R.C. 14. Maji 1644. & reperitur in Rubricis Breviarii Minorum Obſervantium n. 155.

76. Si Feſtum S. Honuphrii ante Bullam Pii V. celebrabatur cum officio, & Miſſa, poteſt continuari, ſi vero introductum eſt poſt Bullam, nullo modo permittendum eſt. S.R.C. 27. Novemb. 1632. *in Converſana.*

Propoſitum dubium pro parte Cathedralis Hiſpalen. nempe de quo Feſto tranſlato potius agendum ſit, an de Patrono Civitatis, qui eſt S. Iſidorus, an vero de Titulari, qui eſt B. Virgo? Reſolutum fuit de digniori, nempe de B. M. V. ita S.R.C. 27. Auguſti 1633. *in Hiſpalen.*

77. Ad Canonicum Hebdomadarium in Matutinis, & Veſperis ſpectat primam Antiphonam intonare, initium Hymnorum, Antiphonas ad *Benedictus*, & *Magnificat*. Cappellani vero tenentur eidem facere præintonationem dum eſt paratus. S.R.C. 5. Julii 1653. *in Luccana.*

78. De Protectore principali Civitatis debet celebrari officium cum octava per Civitatem, & Diœceſim. S.R.C. 24. Maji 1639. *in Gaven.* Eadem vero Congregatio die 26. Martii ejuſdem anni, poſtulantibus Syndico, & Electis Terræ Aquavivæ facultatem celebrandi Feſtum S. Antonii Patroni dictæ Terræ cum Octava, non obſtante, quod cum Octava celebrarent in eodem Oppido Feſtum S. Euſtachii pariter Patroni; reſpondit de principaliori duntaxat Patrono celebrandum eſſe cum Octava.



Denique ab eadem Sac. Congregatione declaratum fuit: Patroni principalis Civitatis a Clero Sæculari Civitatiſmet celebrandum eſſe cum octava, a Regularibus vero ſine octava. In Diœceſi autem ubi non adſit proprius loci Patronus ſimiliter cum octava, at ubi colitur Feſtum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis; vel attenta conſuetudine ſub Ritu Duplici majori tantum ſine Octava. Ita 28. Semtembr. 1658. *in Calagnritana.* Vide num. 63. 135. 224.

79. Recitatio officii de Beatis non canonizatis non eſt ſatisfactoria præcepti niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit, nec talium Beatorum nomina poni poſſunt in Calendario, niſi illius tantum loci, earumque Perſonarum, in quo, & a quibus cultus Beati cum officio, & Miſſa celebratur. S.R.C. 27. Septemb. 1659. *in Decreto generali* approbante Alexandro VII.

80. Ab eo tempore, quo Innocent. X. ad duplicem Ritum erexit officium S. Franciſcæ Romanæ, dubitari cœpit, an Feſto Quadraginta Martyrum ſit aſſignanda ſedes fixa, nempe dies 10. Martii, an vero idem Feſtum tamquam tranſlatum prima die non impedita ſit celebrandum. Quo dubio in S.R.C. propoſito, hæc declaravit aſſignari debere certam ſedem officio Quadraginta Martyrum, diem ſcilicet 10. Martii; idemque in novis Martyrologiis ſervari mandavit die 29. Novemb. 1659. *in una Rubricarum.* Vide n. 254. 260. 286. 287. 288. 318.

81. Regulares tenentur quidem celebrare Feſtum de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, ſed ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, & ſine Octava. S.R.C. 1. Apr. 1662. approbante Alexandro VII. die 8. ejuſdem menſis, & eodem anno. Vide n. 147. 224. & 166.

82. Epiſcopus non poteſt ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicujus Sanctis Martyris, de quo aſſervatur Reliquia inſignis in aliqua Eccleſia; nec de eo celebrari debere officium, & Miſſam in ipſa die ſui martyrii, niſi Reliquia ſit de Sancto ſcripto in Martyrologio Rom. & niſi conſtet de identitate Reliquiæ ejuſdem Sancti. Tibia autem non eſt Reliquia inſignis. S.R.C. 3. Junii 1662. *in una Dubium.* Vide num. 69. 165. 109. & 259.

83. Dum Epiſcopus in Conſecratione Eccleſiæ non elegit diem, ſed conſecravit eam die, &c. Menſis &c. Anniverſarium Dedicationis debet celebrari in futurum die, quo hactenus conſuetum eſt celebrari. S.R.C. 20. Novembris 1662. *in Albigianen.* Vide n. 16. & alios ibi indicatos.

84. Hebdomadarius in decantandis in Choro Horis Canonicis non debet uti Stola. S.R.C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

85. Dedicatio Baſilicæ Ss. Salvatoris extra Almam Urbem non habet integras ſecundas Veſperas, ſi concurrat cum ſequenti officio duplici minori. S.R.C. 12. Julii 1664. *in una Ordinis Minorum de Obſervantia.* Vide n. 16. & alios ibi indicatos.

86. Cum S. Januarius fuerit declaratus a S.R.C. Patronus principalis Regni Neapolitani, hinc die Feſto dicti Sancti debet in eodem Regno fieri officium ſub ritu duplici cum octava, ſed de Sancto Januario tantum; non vero de Sociis ejuſdem, quorum officium transfertur ad primam diem non impeditam. S.R.C. 12. Julii 1664. *in Monopolitana.*

87. Recitantes ex legitima conceſſione Officium Sanctiſs. Corporis Chriſti in qualibet Feria V. per annum non impedita Feſto novem Lectionum, illud perſolvere debent ut in die ejuſdem Solemnitatis; Miſſam vero debent celebrare, quæ eſt votiva de Sanctiſs. Sacramento. S.R.C. 12. Julii 1664. *in una Ordinis Minorum de Obſervantia.* Vide aliud Decretum ſub n. 359.

88. Secundæ Veſperæ de die octava non privilegiata concurrentes cum primis Veſperis Feſti duplicis debent dimidiari, & fieri a Capitulo de Feſto ſequenti. S.R.C. 12. Julii 1664. *in una Ordinis Minorum de Obſervant.* Vide n. 117. & 167.

89. Lectiones primi Nocturni in officio de Feſto duplici majori ſumendæ ſunt ex ejus Communi; ſi ex conceſſione non habentur propriæ. S.R.C. 12. Julii 1664. *in una Ordinis Minorum de Obſerv.*

90. Antiphona in Choro Cathedralis poſtquam primo loco data fuerit Celebranti a cornu Epiſtolæ, danda eſt ſecundo loco primæ Dignitati, ſive a cornu Evangelii, ſive cornu Epiſtolæ exiſtenti, & ſive interveniat, ſive no a prima Dignitas, quæ ſedet a dicta parte Evangelii, no n obſtante allegata conſuetudine. S.R.C. 21. Martii 1665 n *in Senogallien.* Vide n. 99.

91. In Officiis Sanctorum conceſſis Regularibus infra annum, puta Conceptionis B.V.M. Ordinis S. Franciſci, ſicut etiam in Officiis Tranſlationum, &c. octava Benedictio erit: *Cujus Feſtum colimus &c.* S.R.C. 13. Februarii 1666. Reperitur in Rubricis Breviarii Minorum Obſervantium n. 158. Idem declaratum eſt pro Patribus Benedictinis; nimirum; quod 11. Benedictio in offic. menſili S. Scholaſticæ, item in officio qualibet hebdomad. de S. Benedicto, & in officio de B. M. V. Conceptione in Sabbatis non

ſit dicendum : *Cujus Commemorationem, &c.* ſed ſemper dicatur, *Cujus Feſtum colimus &c.* Ita eadem S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

Ex his patet quid faciendum ſit in officiis Apparitionis, Ordinationis, Inventionis, & ſimilium, &c. v. gr. Converſionis S. Pauli, &c. nempe in octava Benedictione ſemper dicatur; *Cujus Feſtum colimus. &c.* unde approbanda non eſt expoſitio in Breviario Monaſtico-Romano pro officio ſeptem Dolorum B.M.V. apposita, in qua pro xi. Benedictione legitur : *Cujus Transfixionem colimus &c.*

92. Nulla diſparitas adeſt inter tranſlationem Feſtorum Apoſtolorum, & illam Evangeliſtarum, ſed occaſione dictæ translationis faciendum eſt officium, quod prius in Calendario proponitur, S. C. R. 18. Sept. 1666. *in Romana.* Vide num. 239.

93. Nemini licet facere octavam pro Defunctis ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati, licet exponere hanc Tabellam : *Indulgenza perpetua per li Morti* : ſed tantum ſuper ipſo Altari privilegiato; *Altare privilegiatum pro Defunctis.* S. Rit. C. 13. Aug. 1667. *in Romana.*

94. Ratione communicationis privilegiorum non poteſt recitari peculiare officium conceſſum illis Ordinibus Regularibus, de quorum privilegiis facta fuit communicatio, S. R. Congr. 15. Septembr. 1668. *in Januen.* Vide num. 102. 107. 236. & 238.

95. In Officio de die infra octavam Corporis Chriſti non legitur nona Lectio de Feſto Simplici. S. R. C. 8. Jun. 1669. *in una Dubia Rubricarum.* Vide n. 182. & 235.

Si Feſtum Simplex occurrerit eo die, quo fit de Feſto Duplici, infra eandem octavam Corporis Chriſti, tunc legitur nona Lectio de eodem Feſto Simplici. S. R. C. 12. Septembr. 1671. *in Nuſcana.* Vide n. 182. & 235.

96. Clerici Regulares Congregationis Theatinorum poſſunt quotannis die 2. Febr. officium de Purificatione B. M. V. recitare cum octava. Clemens X. in Conſtitutione data 20. Auguſti 1671. quæ extat in Bullario recentiſſimæ Editionis Rom. *tom. 7. n. 75.* Vide Decretum ſub. n. 114. quoad recitationem Antiphonæ : *Ave Regina Cœlorum.*

97. Si Feſtum Dolorum B. M. V. occurrat in aliud feſtum altioris Ritus, transfertur in Sabbatum ſequens; ſi vero concurrat cum feſto Annunciationis ejuſdem B.M.V. Veſperæ dicuntur de Annunciatione ſine commemoratione de Septem Doloribus. S. R. C. 3. Sept. 1672. Vide n. 272.

98. Quamvis S.R.C. die 18. Jul. 1671. annuente Clemente X. die 16. Septemb. ejuſdem anni, ad Dubium, an de Sanctis ad libitum fieri poſſit tranſlatio, ſicut fit de aliis Sanctis, qui non ſunt ad libitum, ſimiliter tranſlatis, reſponderit affirmative; nihilominus eadem S. C. habita die 2. Decembris currentis anni cenſuit prædicto Decreto non obſtante, in futurum officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti Dominico, aut aliquo die Feſtorum mobilium, Sacr. R. Congr. 20. Decemb. 1673. *in una Urbis, & Orbis.* Vide num. 122.

99. Antiphonas primas recipere in Choro, & Spiritum Sanctum invocare in Capitulo ſpectat ad primum Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, quando ſit conſtitutus in ordine Epiſcopali, non autem ad primam Dignitatem, S. R. C. 1674. *in Neapolitana.* Vide n. 98.

100. Habetur in aliquibus Eccleſiis Reliquia inſignis alicujus Sancti, qui cum ſocio eſt in corpore Breviarii, & uterque habet Feſti Simplicis Ritum, veluti contingit in Feſto SS. Gervaſii, & Protaſii, quorum duæ Lectiones vitam, amborumque mortem enarrant; in quo caſu, ſi Lectiones disjungi commode poſſunt, legenda eſt illa de Sancto, cujus fit Officium Duplex propter Reliquiam inſignem in ſecundo Nocturno, & hæc erit quarta Lectio, Quinta, & ſexta ſumendæ ſunt de Communi; altera vero Lectio disjuncta poni poterit pro nona Lectione in tertio Nocturno tanquam de Sancto ſimplici, de quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes. Si vero non poſſunt commode disjungi, utraque ponenda eſt in ſecundo Nocturno pro quarta, & quinta Lectione, & ſexta legenda eſt de Communi; & in hoc caſu Lectio nona pro ſimplici repetenda non eſt, fieri tamen debet de eo commemoratio. S. R. C. 16. Jan. 1677. *in Hiſpalen.*

101. Feſtum Duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam, ſi eſt transferendum, transferri debet in diem infra Octavam. Sacra Rituum Congr. 30. Septembr. 1679. *in una Cappuccinorum ad 2. Dubium.*

102. Regulares propter communicationem, ſeu participationem privilegiorum Mendicantibus, ſive aliis Religionibus conceſſam, recitare non poſſunt officia ſpecialiter conceſſa alicui Religioni, ut *de Corpore Chriſti, &c.* & quatenus extenſio petatur, omnino quoad tempus Adventus, & Quadrageſimæ non eſt concedenda. S.R.C. 30. Sept. 1679. *in eadem Cappuccinorum ad 3. Dubium.* Vide n. 94. 107. 236. & 238.

103. Cum in omnibus Dominiis Imperio ſubjectis recitetur ex Indulto Apoſtolico Officium proprium Ss. Angelorum Cuſtodum cum octava menſe Septembri, non eſt de eis recitandum etiam ſecunda die Octobris. S. R. C. 30. Septembris 1679.

104. Feſtum Semiduplex, incidens in Feſto Duplici infra octavam non privilegiatam transferendum eſt in diem immediate ſequentem Feſto novem Lectionum non impeditam, ut fit de Semiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam. S.R.C. 30. Septem. 1679. *in eadem Cappuccinorum ad 5. dubium.* Vide infra n. 105 & alios ibi notatos.

105. De Feſto tranſlato faciendum eſt Officium die immediate ſequenti, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis Feſtum, prius tranſlatum. S.R.C. 30. Septemb. 1679. *in eadem Cappuccinorum ad 6. Dubium.*

Hujuſmodi reſolutionibus quamvis derogatum videatur per Decretum infra datum ſub n. 191. nihilominus adhuc cenſentur in ſuo vigore, quia pluribus aliis Decretis confirmatæ apparent, præſertim per illud, quod exhibetur ſub n. 316. *in Burgen.* Vide etiam alia Decreta data ſub n. 118. 174. 191. 226. 254. & 284.

106. Tranſlato Feſto, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia. S. R. C. 30. Septembr. 1679. *in eadem Cappuccin. ad 7. Dubium.*

Hoc Decret. poſtea confirmatum fuit die 10. Jun. 1690. iiſdem pene verbis *in una Ordinis S. Benedicti.* Quod quidem Decretum certum eſt, quando transfertur Feſtum quoad Officium tantum; nam ſi transferatur quoad Officium, & quoad Feriationem, ſeu quoad forum, ſicut transfertur Feſtum Annunciationis eo anno, quo tale Feſtum occurrit in Feria ſexta Paraſceves, vel Sabbato Sancto, non deſunt, qui cenſent transferri etiam Indulgentiam, allegando Decretum S. C. Indulgentiarum ſub die 2. Julii 1674. in quo declaratur, quod ſi transfertur Feſtum, quoad Feriationem, & Officium, transfertur etiam Indulgentia; ſi vero quoad officium tantum, non transfertur Indulgentia.

107. Communicatio etiam ampliſſima privilegiorum unius Religionis alteri facta, non ſe extendit ad officia Sanctorum. Sac. Rit. Congr. 16. Decembr. 1679. *ad 1. dubium in propoſitis a Miniſtro Generali Ordinis Minorum de Obſervantia.* Vide n. 94. & alios ibi indicatos.

108. Officia Sanctorum, quæ de menſe Decembri aliquando ſuperſunt, transferri poſſunt, & fieri in prima die non impedita ſequentis anni. S. R. C. 7. Decembris 1680. *in una Canon. Regul. Lateranen.* Idem declaravit die 27. Aprilis 1697. *in Florentina,* & die. 27. Septembri 1698. Vide infra ſub n. 207.

His tamen Decretis derogatum videtur per alia poſteriora Decreta emanata die 26. Novemb. 1735. *Hiſpalen.* & 15. Septembr. 1736. *in Toletana,* & 8. Martii 1738. quæ dantur infra ſub n. 282. 337. & 341.

109. Occurrentibus eodem die tribus Officiis ejuſdem Ritus, quorum unum eſt de Ordine, aliud de Calendario Eccleſiæ univerſalis, & aliud de aliquo Sancto, cujus habetur Reliquia inſignis in propria Eccleſia, faciendum eſt officium de digniori, ſeu ſolemniori, quæ vero ſunt minoris dignitatis ſeu ſolemnitatis, transferenda ſunt S. R. C. 7. Decembris 1680. *in una Canon. Regul. Lateran.*

110. Occurrentibus eadem die duobus Feſtis Duplicibus infra octavam Ss. Corporis Chriſti, non eſt de tranſlato agendum die immediate ſequenti non impedita, ſed poſt prædictam octavam. S.R.C. 7. Decemb. 1680. *in ead. Canon. Regul.* Vide num. 199.

111. Officium Commemorationis S. Auguſtini, quod ex privilegio fit a Congregatione Canonicorum Regularium Lateranenſium ſemel ſub Ritu Duplici in prima die menſis, in qua Feſtum alicujus Sancti non occurrit, fieri non poteſt infra Octavas non privilegiatas, etiamſi aliter fieri nequeat. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in eadem Canon. Reg. Later. ad 6. Dub.*

Idem Officium Commemorationis Sancti Auguſtini fieri poteſt quando habentur officia Semiduplicia tranſlata. S. R. C. 7. Decembris 1680. *in eadem Canon. Reg. ad 7. Dubium.*

Verum huic ultimo Decreto derogatum videtur per aliud emanatum die 20. Martii 1706. Vide n. 237.

112. Officium particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, quod occurrit die Februarii, eſt transferendum in Anno biſſextili ad primam diem non impeditam officio novem Lectionum (niſi eſſet Feſtum Tituli, ſeu Patroni Eccleſiæ) ut fiat officium S. Mathiæ Apoſtoli. S. R. C. 7. Decembris 1680. *in eadem Canon. Lateran. ad 9. Dubium.*

113. Si occurrat officium novem Lectionum de pluribus Sanctis Virginibus, & Martyribus eo die, quo cadit Feſtum Simplex ejuſdem qualitatis, ſervanda eſt pro Commemoratione ſimplicis, Antiphona : *Iſtarum eſt enim Regnum Cœlorum &c.* ut in Feſto SS. Perpetuæ, & Felicitatis Virginum, & Martyrum. S. R. C. 7. Decembris 1680. *in eadem Canon. Regul. ad 11. Dubium.*

114. Occurrente Feſto Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuageſimæ, vel ſimilibus aliis privilegiatis, itaut illius Officium ex hoc contingat transferri, non eſt ob id proра-

trahenda etiam recitatio Antiphonæ : *Alma redemptoris*. Sed die ſecunda Februarii poſt Completorium, illa dimiſſa, ſumenda eſt Antiphona *Ave Regina Cœlorum*, ſublato quolibet alio afferto difformi quarumcumque Eccleſiarum uſu, ſive conſuetudine; ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, pariformiter ſervari mandavit S.R.C. 11. Januarii 1681. *in una Urbis, & Orbis*.

Hoc Decretum confirmatum fuit per alia Decreta infra poſita ſub num. 179. 228. & 232.

115. Si eadem die occurrant duo Officia, quorum unum ſit particulare Ordinis, alterum vero ſit deſcriptum in Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & utrumque ſine Solemnitate, cum eodem Ritu, transferendum eſt Officium de Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & recitandum Officium Sancti proprii, dummodo ſit antiquior ex conceſſione, S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canonicorum Regularium Lateran. ad 1. Dub.* Vide num. 109. 194. 209. Vide etiam n. 227. 315. 322. Hæc tria Decreta utpote poſteriora derogant aliis mox indicatis.

116. Officium Angelorum Cuſtodum concurrens cum alio duplici minori debet habere integras Veſperas. S. R. Cong. 1. Martii 1681. *in eadem Canonicorum Regular. Lateranen. ad 2. Dubium*.

Hoc tamen Decretum diſcordat ab alio, quod datur ſub num. 208. ſed conſonat aliis eum datis ſub n. 245. 277.

117. Dies Octavarum Aſſumptionis, Nativitatis, aliarumque Feſtivitatum B. M. V. Octavam habentium, concurrentes cum Officio duplici Minori, habere debent integras Veſperas, ut diſponit Rubrica ultima poſita in Officio Octavæ Conceptionis; ſi concurrat cum S. Lucia. S. R. Congr. 1. Martii 1681. *in eadem Can. Regul. ad 3. Dubium*. Vide n. 167.

118. Deciſum jam fuit (nempe die 30. Sept. 1679. n. 105.) quod de Feſto tranſlato faciendum ſit Officium die immediate ſequenti, non impedita, etiam ſi adſit aliud ejuſdem Dignitatis Feſtum prius tranſlatum, non tamen idem intelligendum eſt ſi adſit aliud Feſtum, ſeu Officium majoris Ritus prius tranſlatum. S. R. C. 1. Martii 1681. *in eadem Canon. Reg. ad 4. Dubium*.

Pro intelligentia primæ partis hujus Decreti, in quo ſermo eſt de Officio ſeu Feſto cadente infra octavam non privilegiatam, Vide Decretum infra ſub n. 226. in quo ſtatuitur, quod de Semiduplici transferendo fiat die immediate ſequenti non impedita, etiam ſi adſit reponendum Officium, quod ſit majoris Ritus. Cæterum de aliis transferendis; quæ occurrunt extra Octavam, Vide Decretum poſitum ſub n. 316. necnon alia Decreta indicata ſub n. 105.

119. Officia conceſſa ſemel in Hebdomada, ut de Conceptione B. M. in Sabbato, vel SS. Corporis Chriſti in Fer. 5. non ſunt celebranda in Adventu, Quadrageſima, IV. Temporibus, nec in Vigiliis. Ita S. R. C. 1. Martii 1681. *in eadem Canon. Reg. Lateran. ad 6. Dubium*.

120. Ubi Feſtum S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, & Martyris celebratur ſub Ritu duplici, ſi occurrerit in Dominica, recitandum erit Officium de Sancto cum Commemoratione Dominicæ, & die 30. Decembris agendum de die infra Octavam Nativitatis. S. R. C. 1. Martii 1681. *in ead. Canon. Reg. ad 7. Dubium*.

121. Dies Octava cujuslibet Feſti quia non transfertur; excludit, & transferri facit quodlibet Feſtum Duplex ſive majus, ſive minus, ſoliſque cedit Feſtis ſolemnibus primæ, vel ſecundæ Claſſis, niſi ſit Octava privilegiata, qualis eſt Octava Epiphaniæ, de qua in Rubr. generalibus: hinc apud Franciſcanos, ubi Feſtum Sanctæ Eliſabeth Reginæ Ungariæ celebratur cum Octava; Feſtum Beatæ Delphinæ occurrens in die Octava, licet ſit Duplex majus, transferri debet in primam diem non impeditam. Ex Decreto S. R. C. 1. Martii 1681. & reperitur in Rubric. particularibus Breviarii Minorum Obſervan. ſub n. 131.

Hoc Decretum concordat cum Rubr. generalibus Breviarii Romani, quæ habentur *tit. X.* de tranſlatione Feſtorum num. 2. & in Octavario Romano plures exhibentur caſus transferendi Duplicis majora occurrentia in diebus Octavis, v. gr. die Octava Maji tranſlato Feſto Apparitionis S. Michaelis Archangeli habente Ritum Duplicem majorem, ordinatur Officium de die octava Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi. Vide etiam infra Decreta huic conformia, quæ dantur ſub n. 216. & 244.

122. Cum alias S. R. C. decreverit Officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum Feſtivitatum ſunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die Feſtorum mobilium; Quæſitum fuit declarari, quæ regula ſervanda ſit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Kalendarii proprii, vel tranſlatis, vel demum ſemel per Hebdomadam, vel per Menſem recitari conceſſis? & Sacra eadem Congregat. reſpondit, prædicta Officia Sanctorum ad libitum etiam duplicia occurrentia in diebus Dominicis, octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis ex vi Kalendarii proprii a Sede Apoſtolica approbati, quamvis ſub Ritu Semiduplici celebrandis, non eſſe transferenda, ſed omitti debere. Si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod Feſtum tranſlatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit eadem Officia ad libitum recitare, & Officium tranſlatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre, prout etiam omiſſo Officio, quod ſemel per Hebdomadam, aut per Menſem ex Apoſtolico Indulto recitari conceſſum eſt, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari poſſe decrevit. Et ita ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſervari mandavit S. R. C. 24. Januar. 1682. *in Decreto Generali*. Vide num. 125. 126. 132.

123. Qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadrageſima, occurrente die infra octavam in Feria IV. Cinerum, nullam debent facere Commemorationem de octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa. S. R. C. 24. Januar. 1682. *in Marſicana ad primum Dubium*. Vide n. 324.

124. In Officio Feriæ IV. Cinerum relinquendo Commemorationem Octavæ, debent Privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales &c. & ſervare omnino Rubricas dictæ Feriæ IV. Cinerum, S. R. C. 24. Januar. 1682. *in ead. Marſicana ad ſecundum Dubium*.

125. Religioſi tenentur celebrare ſub Ritu Duplici primæ Claſſis cum octava Feſtum tam de Dedicatione, quam de Titulari Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur: & ſub eodem Ritu Duplici primæ Claſſis tenentur recitare de Patrono Principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis tantum; ad octavam autem non tenentur, juxta plures reſoluta. De aliis autem Patronis minus principalibus non tenentur recitare, niſi ſint deſcripti in Kalendario Romano, vel in dictorum Religioſorum proprio. Cæterum de Officiis, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel concedentur recitanda ad libitum a toto Clero tam Sæculari, quam Regulari utriuſque ſexus in aliquo Regno, Provincia, Diœceſi, vel loco, in quibus dicti Religioſi morantur, poſſunt quidem ad libitum de ipſis recitare, ſed ſi aliquod ipſorum occurrat in die in eorum Kalendario impedita Feſto novem Lectionum, debent illud ad libitum omittere, & recitare de Sancto in eorum Kalendario occurrente, ad formam Decreti declarativi alterius Decreti de Sanctis ad libitum non transferendis, emanati die 24. Januar. 1682. S. R. C. 13. Jun. 1682. *in una Ordinis Minorum de Obſervan.* Vide ſupra ſub n. 16. 69. 83. & 122.

126. Si Officium ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam Ritum Simplicem de præcepto, eo anno non omittatur, ſed celebretur ſub Ritu Simplici. S. R. C. 13. Jun. 1682. *in una Ordin. Minor. de Obſervant.*

127. In Repoſitione duorum, vel plurium Feſtorum eumdem Ritum habentium, & diverſa die occurrentium, attendatur prioritas tranſlationis, niſi attendenda ſit major dignitas, quæ attendi debet in illis tantum Feſtis, quæ exprimuntur in Rubricis Generalibus de Tranſlatione Feſtorum n. 7. & de Concurrentia officiorum ſub n. 2. ab illis verbis: *inter Feſta æqualis Ritus &c.* Ita S. R. C. 13. Jun. 1682. *in una Ordinis Minor. de Obſervantia*. Vide n. 134. 137. & 171.

128. Quando contingit transferri Feſtum alicujus Sancti Confeſſoris a die ſui obitus in diem proxime ſequentem, ſi fiat a Capitulo de ipſo, tunc in primis ſuis Veſperis dicitur in Hymno: *Meruit beatus ſcandere ſedes*, & in reliquo Officio diei ſequentis debet continuari idem verſus. S. R. C. 13. Junii 1682. Vide ea, quæ diximus in noſtris Additionibus ad *c.* 2. *Sect.* 7. ſub die 3. Decemb. Vide n. 223.

129. Officium Defunctorum dici poteſt in Choro ſeparatim ab officio diei in diebus exceptis in Breviario pro adimplenda Teſtatorum voluntate, S. R. C. 12. Aug. 1682. *in Trivertina*.

130. Dies Natalitii ii omnes habendi ſunt, qui licet vere non ſint dies obitus, tamen ex Decreto Apoſtolico aſſignati ſunt Feſtivitati alicujus Sancti veluti fixi, & veluti propria eorum Sedes, S. R. C. 28. Novemb. 1682. *in Neapolitana ad primum Dubium*.

131. Ex prædictis Decretis non intelligitur, neque eſt revocata conceſſio, prout aſſeritur, Civitati Neapolitanæ particulariter facta, recitandi ſcilicet ad libitum officium S. Mariæ Ægyptiacæ die ſecunda Aprilis, quamvis occurrat in Feſto Natalitio S. Franciſci de Paula, quod ob hanc cauſam in aliam diem in proprio Kalendario tranſlatum fuerat. Verum ſi præfatum officium S. Mariæ Ægyptiacæ eo die aliquando juxta Rubricas recitari nequeat, tunc & ea cauſa non eſſet transferendum, ſed omitti deberet. S. R. C. 28. Novembr. 1682. *in Neapolitana ad ſecundum Dubium*.

132. Circa dubium Decreti ſub die 24. Januar. anno 1682. emanati, in quo habetur, ut officia Sanctorum ad libitum etiam ſub Ritu Duplici in diebus Dominicis, & octavis occurrentia non poſſint transferri, ſed omitti debeant, quæſitum fuit: An illa verba *in Octavis* intelligi debeant de die proprio octavæ, vel de tota octava, & an de qualibet octava, vel ſaltem de octavis privilegiatis? Sacr. Rit. Congreg. reſpondit verba illa intelligenda eſſe de tota octava, & de quacumque octava, 28. Novembris 1682. *in Faventina ad primum Dubium*, & idem confirmatum

matum fuit die 30. Maji 1699. *in Ultiſſiponen.* Vide numer. 154.

133. Ubi habetur, quod prætermiſſo Officio ſemel in Hebdomada, vel in Menſe ex Indulto Apoſtolico recitando, recitari poſſit Officium ad libitum eadem die occurrens; Quæſitum fuit, an illud verbum *prætermiſſo* intelligi debeat de intermiſſione illius diei, quo occurrit, vel prætermittendum ſit omnino infra totum illum Menſem? Et reſponſum fuit, conſideranda eſſe verba Indulti Apoſtolici, eaque ſervanda, prout ſonat, S. R. C. 28. Novembris 1682. *in eadem Faventina ad tertium Dubium.*

134. Quando transfertur Officium Patriarchæ S. Joſephi, & Annunciationis B. M. V. ambo ſecundæ Claſſis, quocumque in contrarium non obſtante, prius debet transferri, & recitari Officium de Annunciatione, & poſtea de S. Joſepho. S. R. C. 28. Novembris 1682. *in Faventina*, & deinde idem confirmavit die 30. Julii 1689. *in Vigilien.* & denique die 14. Junii 1692. in Decreto Generali dato ſub n. 171.

In eadem Faventina ab eadem Congregatione interdictum fuit omnibus & ſingulis aſſignari diem fixum Sanctis tranſlatis ſine ſpeciali Decreto Sacr. Congregationis; ſed ſuper hoc videnda ſunt Decreta inferius danda ſub n. 254. & 260. & alia ibi indicata.

135. Regulares non poſſunt uti Kalendario Diœceſano, tenentur tamen ad recitationem Officii Patroni Principalis loci, ac titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſed ad eorumdem Octavas celebrandas non tenentur. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ordinis Minorum Obſervant. ad 1. Dub.* Vide infra num. 141. 142. & 224.

136. Regulares poſſunt, & debent recitare Officia ad petitionem Regum, & Principum recitari conceſſa in aliquibus Regnis, Provinciis, Ditionibus &c. a toto Clero tam Sæculari, quam Regulari. S. Rit. C. 20. Martii 1682. *in eadem ad ſecundum Dubium*.

137. In occurrentia aliquorum Officiorum, quæ recitari debent in aliquibus Regnis cum propriis Kalendariis Ordinis Regularis, ſervanda eſt Rubrica de *Tranſlatione Feſtorum* in diſpari Ritu, vel Dignitate. S. R. C. 20. Martii 1683. *in eadem ad 3. Dubium*. Vide n. 127.

138. Si Officia, quæ recitari debent in aliquibus Regnis ſint ejuſdem Ritus, & Dignitatis, an ſit præferendum Officium loci, Officio in proprio Religionis Kalendario deſcripto? Reſolutum fuit preferendum eſſe Officium, quod cum majori Solemnitate, & Populi concurſu celebratur, ad formam Rubricæ de *Tranſlatione Feſtorum n. 6.* S. R. C. 20. Martii 1683. *in eadem ad quartum Dubium*. Vide num. 157. Hoc Decretum valde confert ad confirmandas doctrinas, quas tradidimus in noſtris Obſervationibus ad *cap. 10. Sect. 3. num. XIII.*

139. Quando aliqua ex Officiis conceſſa, ſunt recitanda in diebus Dominicis, v. gr. de B. M. V. de Mercede, de Sanctiſſimo Roſario, de Patrocinio B. M. Virg. & ſi quæ alia ſunt ſimilia; ſi aliqua ex dictis Dominicis impediatur aliquando ab alio Officio majoris Ritus, vel Dignitatis, in tali caſu dictum Officium ex ſupra conceſſis, non poteſt transferri ad aliam Dominicam, vel ad primam diem non impeditam, ſed debet omitti. Ita S. R. C. 20. Martii 1683. *in eadem ad quintum Dubium*.

Verum, cum Officia B. M. V. de Mercede, & SS. Roſarii ſint modo ubique de præcepto recitanda; Hinc mox adducta diſpoſitio quoad hæc duo Officia non eſt attendenda, ſed transferri poſſunt in aliam diem non impeditam. Vide Decreta inferius poſita ſub n. 155. 265. 278. 279. & 311.

140. Quando Officium de Septem Doloribus B. M. V. in Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis occurrit cum alio Officio majoris Ritus, tunc eo Anno debet omitti, niſi tamen alibi S. R. C. aliter in conceſſione indulſerit. Ita S. R. C. 20. Martii 1683. *in eadem ad VI. Dubium*. Nunc vero attendendum eſt recens Decretum Generale emanatum die 25. Januarii 1728. quod inferius datur ſub n. 272.

141. Cum ex declaratione S. R. C. Regulares teneantur recitare Officium de Patrono Principali loci, dubitabatur an ſub ly *loci* comprehendatur etiam Patronus Principalis, Regni, vel Provinciæ, de quo conceſſum eſt ab Apoſtolica Sede, ut a Clero tam Sæculari, quam Regulari in dictis locis recitetur, ſed declaratum fuit comprehendi etiam dictos Patronos, ſi liquido conſtet de conceſſione Apoſtolica. Ita S. R. C. 10. Martii 1683. *in eadem ad 7. Dubium*.

142. Diſponente S. R. C. quod Regulares ad Octavas Patroni Principalis non tenentur, quæſitum fuit an ly *non tenentur*, excludat etiam libitum, ita ut Regulares non poſſint de dicta Octava recitare, ſi velint? Reſponſum fuit excludi etiam libitum, & non poſſe, niſi id ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit ex vi conceſſionis Apoſtolicæ, vel Conſtitutionis Religionis ab Apoſtolica Sede approbatæ. S. R. C. 20. Martii 1683. *in eadem ad 8. Dubium*. Vide num. 63. 153. 147. 215. & 224.

143. Nomine Epiſcopi Ruremundæ quæſitum fuit a S. R. C. declarari, an Invitatorium, *Hodie ſi vocem Domini audieritis; nolite obdurare corda veſtra* -- Tempore Paſſionis in Quadrageſima debeat cantari, ſicut alia Invitatoria extra tempus Paſſionis, ſcilicet ſexies integre, & ter imperfecte, hoc modo poſt verſum. *Quadraginta annis proximus fui &c. Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra* -- & omiſſo *Gloria Patri &c. nolite obdurare corda veſtra*, & iterum repetatur integre *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare?* Et S. R. C. reſpondit omiſſis *Gloria Patri &c.* & *nolite obdurare corda veſtra*, repeti debere integre Invitatorium: *Hodie ſi vocem Domini, &c.* ita 24. Julii 1683. in *Ruremunden*.

An per Decreta de non transferendis, ſed omittendis Officiis SS. ad libitum, quando dies eorum Feſtivitatum ſunt impediti alio Officio novem Lectionum de præcepto, nempe diebus Dominicis, Octavis, & natalitiis Sanctorum &c. comprehendantur, & revocentur conceſſiones Officiorum ad libitum ab Apoſtolica Sede peculiariter factæ, & fixæ diebus, qui ab eadem jam alteri Feſto, & Officio novem Lectionum in Kalendario Romano erant aſſignati, recitandi ſcilicet ad libitum Officium *S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ* die 4. Julii, Officio Octavæ Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli in Kalendario Romano jam impedito? S. R. C. reſpondit, prout alias in Neapolitana die 28. Novem. 1682. non comprehendi. Verum ſi prædictum Officium eo die juxta Rubricas recitari nequeat, tunc eo caſu non eſſe transferendum, ſed omitti debere. Ita S. R. C. die 2. Octobris 1683. *in una Dubium*. Hoc Decretum non attinet ad S. Eliſabeth, cum ſit nunc de præcepto, & celebretur die 8. Julii, attamen poteſt adduci pro exemplo in ſimilibus.

144. Quando pro aliquo Feſto, vel Officio conceſſus reperiatur Ritus duplex abſque expreſſione Majoris, vel Minoris, conceſſio intelligenda eſt de duplici Minori, etiamſi ad honorem Deiparæ facta fuerit. S. R. C. 2. oct. 1683. *in Valentina*, & 20. Novembris ejuſdem anni *in Lauden*. Et reperitur in Rubricis Breviarii Minor. Obſerv. ſub n. 31.

145. Dum dicenda ſunt Suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis Principalibus, facienda eſt Commemoratio tantum de Patrono Principaliori. S. R. C. 20. Novemb. 1683. *in Lauden*. & reperitur in Rubricis ſupradicti Breviar. n. 102.

146. Quando in Indultis, & Decretis ſuper conceſſione Officiorum leguntur verba illa: *recitari poſſe, fieri poſſe:* ita intelligenda ſunt, ut nihil ſignificent, præter Officia ad libitum, quibus omnino competit Decretum die 24. Januarii 1682. pro Sanctis ad libitum emanatum. S. R. C. 20. Novembris 1683. Vide aliud Decret. ſub n. 276. Sed melius in Appendice aliud Decr. quod datur ſub n. 354.

147. Moniales Ordinariis locorum ſubjectæ non tenentur recitare Officia particularia Diœceſum, tenentur tamen recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis; nec non de ejuſdem Eccleſiæ Dedicatione, non vero de eorumdem Feſtorum Octavis. S. R. C. 20. Novemb. 1683. *in Lauden*. Vide n. 81. 142. 224. & 266.

148. Feſtum Nominis B. M. V. celebrari Dominica infra Oct. Nativitatis ejuſdem B. M. V. ſub ritu duplici majori, quotannis in Eccleſia univerſali ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, demandavit S. R. C. 20. Novemb. 1683. approbante Innocentio XI. die 25. ejuſdem menſis, eodemque anno. Sub die 5. vero Februarii 1684. approbavit eadem S. R C. Miſſam propriam, nec non Officium. Vide n. 152. 153. & 155.

149. In Concurrentia Feſtorum S. Antonii Patavini Confeſſoris, & S. Baſilii Epiſcopi, & Confeſſoris, quæ Panormi ex Indulto Apoſtolico ſub ritu majori celebrantur, Veſperæ dimidiandæ ſunt, & faciendum a Capitulo de ſequenti cum commemoratione præcedentis. S. R. C. 17. Junii 1684. *in Panormitana*.

150. Concurrente Sancto antiquiori Patrono Civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, nulla habenda eſt ratio de poſteritate Patronatus; unde Veſperæ dimidiandæ ſunt. S. R. C. 17. Junii 1684. *in Panormitana*.

151. In Eccleſiis Titularibus B. M. V. inter Sanctorum Suffragia facienda eſt commemoratio de B. M. V. non obſtante, quod in Choro reciteтur ejuſdem Officium parvum. S. R. C. 17. Junii 1684. *in una Urbis*, & 14. Aug. 1691. *in Romana Dubiorum*. Vide n. 15. 189. & 190.

152. In Feſto Sanctiſ. Nominis B. M. V. non eſt facienda commemorato de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis Veſperis de Nativitate cadentibus in Sabbato, non eſt facienda commemoratio de prædicto Sanctiſſ. Nomine. Ita Sac. R. C. 23. Septemb. 1784. *in Decreto Generali*. Vide n. 555.

153. In occurſu non licet transferre Officium proprium Ordinis, vel Diœceſis cauſa faciendi ad libitum aliud. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canonicorum Regul. Lateran. ad 22. Dubium*. Vide n. 122.

Si Feſtum Exaltationis S. Crucis occurrat in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. in qua celebrandum eſt Feſtum Sanctiſſimi Nominis B. M. V. tunc officium Nominis B. M. V. transferendum eſt ad primam diem Feſto novem Lectionum non impeditam. S. R. C. 20. Junii 186. *in una Dubium*.

154. In die infra Octavam non poteſt fieri Officium licet occur-

Digitized by Google

currens de Sancto ad libitum. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in ead. Canon. Reg. ad* 14. *Dubium*. Vide n.168. & 154.

155. Si Feſtum SS. Nominis B.M.V, quod ſub ritu duplici majori celebrari debet Dominica infra Octavam Nativ. ejuſdem, occurrerit in die Octava dictæ Nativitatis; Officium erit de dicto SS. Nomine, omiſſa in utriſque Veſperis, & Laudibus commemor. de prædicta Octava Nativ. S.R.C. 15. Septembris 1685. annuente Innocentio XI. 24. ejuſdem *in una Officii Nominis B.M.V.* Vide n.152.

156. Feſtum Nativitatis S. Jo: Baptiſtæ præferri debet feſto Dedicationis Eccleſiæ, & habere integras ſecundas Veſperas, cum commemoratione tantum ſequentis. In feſto autem Dedicationis Veſperæ ſunt dimidiandæ, & a Capitulo debet fieri de SS. Patronis cum commemoratione Dedicationis, ut in utroque caſu præſcribitur in Rubrica de Concurrentia n. 2. verſu *inter Feſta*. Ita pariter infra Octavas dict. Feſtorum, nempe S. Jo: Baptiſtæ & Dedicationis, &c. faciendum eſt Officium de Octava S. Joannis Baptiſtæ cum commemoratione Octavarum Dedicationis, & SS. Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ, ut in Tabula de Concurrentia n. 7. & Gavantus in Rubric. *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 6. Ita S. Rit. C. 21. Auguſti 1688. *in una Aquilejen.* In cujus Cathedrali tria feſta ſolemnia ſucceſſive celebrantur; die 24. Junii feſtum S. Jo: Baptiſtæ; die 25. Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ; die 26. SS. Jo: & Pauli Titularium, & Patronorum dictæ Eccleſiæ.

157. In concurrentia plurium Officiorum æqualis Ritus, ſive Martyrum, vel Confeſſorum: aut Virginum, vel Viduarum, minime attenditur dignitas eorum, ſed præferenda ſunt feſta poſteriorum, ſi celebrentur pompa ſolemniori, aut ſint ex illis feſtis, quæ celebrantur in propriis locis, & Eccleſiis: & hoc juxta verba Rubricæ *de Concurr. Officii tit.* 11. *n.* 2. *inter Feſta æqualis Ritus, &c.* S. R. C. 20. Julii 1686. *in Tridentina*. Vide n. 138. Hoc pariter Decreto confirmantur ea, quæ diximus *c.* 10. *ſect.* 3. *n.* 13.

158. In Commemoratione omnium fidelium Defunctorum poteſt fieri Officium de feſto Duplici minori, ſed Miſſæ ſunt celebrandæ *de Requiem*. S. R. C. 5. Octob. 1686. *in una Urbis*, & 27. Sept. 1698. *in una S. Germani Montis Caſſini*. Vide infra n. 218. 257. & 312.

159. Occurrente eadem die feſto novem Lectionum Kalendarii particularis cum altero feſto Kalendarii univerſalis, quæ tamen ſint ejuſdem Ritus, prius recitari debet de feſto Kalendarii particularis, & poſtea univerſalis. S. R. Congregat. 22. Januarii 1689. *in Senogalien.* Vide n. 115. & alios ibi indicatos, præterea num. 286. 287. 288. & 322.

160. Si feſtum S. Annunciationis B. M. V. occurrat in Feria VI. in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio feſto impeditam: itaut in eadem Feria, prædicto caſu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro ſede propria, & fixa, memorato feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur: & in illa eo prorſus modo, & forma præfatum feſtum quoad Officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die vigeſima quinta Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur: protractis ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani omnibus aliis feſtis in eadem Feria occurrentibus, quæ non ſint altioris Ritus. S R.C. 11. Febr. & 11. Martii 1690. approbante etiam Alex. VIII. Vide quæ ſuper eodem Decreto dicta ſunt in primo Tomo, Vide etiam infra n. 171. & 364.

161. In Patronorum, ſive Protectorum præcedentia ſervandus eſt ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & inter ordinem Hierarchicum attendenda eſt antemoritas in electione. S. Rit. Cong. 11. Martii 1690. *in Lycien.* Vide num. 149. & 150.

162. In Eccleſiis Titularibus ſub invocatione S. M. Angelorum; Officium cum Miſſa faciendum eſt ut in feſto S. M. ad Nives, ſed Lectiones ſecundi Nocturni ſumendæ ſunt a ſecundo Nocturno diei Nativitatis ejuſdem B. V. mutato verbo *Natali* in verbum *Feſtivitate*. S.R.C. 10. Junii 1690 *in una Ord. Minor. Obſervant.* & reperitur in Rubricis Breviarii num. 174. Vide etiam Decretum emanatum 14. Maji 1707. *in Pariſien. ad* 2. & 3. *Dubium*, & datum in noſtra Appendice ſub n. 349.

163. Non licet aliquid ex devotione, ſeu auctoritate privata miſcere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant Officia cujuſvis diei, quia in Officiis Sanctorum, nihil eſt addendum, vel immutandum, niſi a S. Sede Apoſtolica conceſſum fuerit. S. R. C. 10. Junii 1690. *in una Ordinis S. Benedicti*.

164. Feſta Sanctorum celebranda ſunt eo die, in quem cadunt. Verum ſi incidunt in diem impeditam, transferenda ſunt in alteram diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani, neque immutari poſſunt de licentia Ordinariorum, ut pluries decrevit S.R.C. & ſignanter 14. Novembr. 1620. *in Alben.* 22. Novemb. 1631. *in Toletana*, 3. Decemb. 1632 *in Syracuſana* 2. Sept. 1690. *in Panormitana*.

165. Officia Sanctorum ratione Corporis, ſeu Inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ Inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, Officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, non obſtante, quod ipſorum Corpora, vel Inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur; Quibus tamen ab Ordinariis Locorum approbatis, debita fidelium veneratio (prout hactenus ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione S. Pii V. contentis, S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Decret. Gen.* approbante Innoc. XII. Vide n. 6. 40. 59. 60. 82. 199. 259.

166. Sanctorum Officia, Conceſſiones, Lectiones, Orationes, Antiphonæ, & Reſponſoria, aliaque hujuſmodi, in poſterum a Typographo Camerali dumtaxat imprimantur; & inhibeatur omnibus impreſſoribus, ſeu Typographis tam in Urbe, quam extra, ubivis Locorum, dicta Officia imprimere, niſi facultate in ſcriptis accepta ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ſi inibi fuerint, ſin minus a Locorum Ordinariis, qui quidem facultatem hujuſmodi non prius concedant, quam Originale ſumptum Sacræ Congregationis, vel exemplar Typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipſius Sacræ Congregationis, & Sigillo obſignatum ipſis exhibeatur, quod exemplar in nihilo prorſus immutatum, nihilque in eo additum ſive detractum in eo imprimi debeat. Ita decrevit S.R.C. die 11. Auguſti 1691. approbante Innoc. XII. ſub die 19. Oct. ejuſdem anni.

167. Quæcumque dies Octava B.M.V. debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum Officio Duplici Minori. Ita S.R.C. 11. Auguſti 1691. *in Romana Dubiorum*. Vide n.117.

168. Officia ad libitum occurrentia infra Octavas non privilegiatas etiam particulares, & propriæ Religionis, omittenda ſunt. S.R.C. 11. Auguſti 1691. *in Romana Dubiorum*. Vide infra ſub n. 174.

169. In Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis poteſt fieri de Officio Semiduplici tranſlato. S.R.C. 11. Auguſt. 1691 *in Romana Dubiorum*.

170. A die 17. Decembris incluſive uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini excluſive, fieri poteſt quodcumque Officium Duplex, vel Semiduplex, occurrens, vel translatum, ſed in utriſque Veſperis pro Commemoratione Feriæ dicantur Antiphonæ majores tunc occurrentes. S.R. C. 17. Maji 1692. *in Florentina*. Idem ſtatutum fuit 5. Martii 1644. *in Neapolitana*.

171. Etſi ſecundum Regulas Breviarii Romani, cum plura feſta æqualis Ritus transferenda ſunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus: Attamen quia eo Anno (*de quo ſupra* 1690 11. *Februarii, &* 11. *Martii*) *ſpecialis prærogativa conceſſa fuit tranſlationi* feſti Annunciationis B. M. V. Matris Dei incidentis in Feriam VI. Paraſceve, vel Sabbatum Sanctum: idcirco ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis, hoc ſpeciali privilegio decoratur idem feſtum Annunciationis, nimirum ut quotieſcumque contigerit feſtum prædictum, etiam quoad ſolum Officium, poſt Octavam Paſchæ transferri, idem cæteris ſemper feſtis æqualis Ritus præponatur, licet temporis ordine ſit in Kalendario poſterius illis. S.R.C. 14. Junii 1692. *in Decreto Generali*, Vide n.134.

Animadvertendum eſt, quod cum hæc præcedentiæ Tranſlationis ſit privilegium ſpeciale Annunciationi dumtaxat conceſſum ob Incarnationis Myſterium, non eſt extendendum ad alia Officia: immo prioritas temporis & ritus æqualitas, quæ cedunt Officio prædictæ Annunciationis ob rationem in Decreto allatam, cedere non debent aliis ejuſdem Beat. Mar. Virg. Feſtivitatibus ſine novo Decreto; nam ante hujuſmodi privilegium, citra ullum ſcrupulum reponebatur prius feſtum S. Joſephi, deinde feſtum Annunciationis.

Reponenda igitur ſunt feſta prius tranſlata, deinde cætera etiam B.M.V. quæ poſterius occurrunt ſi ſint ejuſdem Ritus. Et hoc majori ratione dicendum eſt de aliis Officiis ejuſdem omnino ritus, & dignitatis.

Animadvertere etiam eſt, quod cum per hoc Decretum non detur præcedentia Annunciationis, niſi in concurſu aliarum feſtivitatum tranſlatarum ejuſdem ritus, non eſt neceſſario reponenda dicta Annunciatio in Feria 2. poſt Dominicam in Albis, ſi in ea Feria occurrat feſtum Duplex, vel Semiduplex, nam tunc transferendum eſſet Officium Annunciationis in primam diem non impeditam feſto etiam Semiduplici, immo reponi etiam deberet poſt Officium Duplex primæ Claſſis, ſive poſterius tranſlatum, cum ſit altioris ritus.

172. Si Feſtum S. Joſeph occurrat in Feria V. Majoris Hebdomadæ, ejus Officium transferendum erit ad aliam diem juxta Rubr. Brev. Romani S. R. C. Decreta. Ita S. R. C. 13. Septembris 1692. *in Hiſpalen.* Vide hoc Decretum per extenſum ad Rubricas Miſſalis ſub iiſdem die, menſe, & anno.

173. Ubi celebratur Feſtum SS. Gabrielis, vel Raphaelis Archangeli, ad Octavam Benedictionem dicatur: *Cujus Feſtum colimus*, non vero *quorum Feſtum*, *&c.* S. R. C. 13. Septembris 1692. *in Hiſpalen.*

174. I. Quæſitum fuit a S. R. C. declarari. Si Officium Duplex Romanum de præcepto cadat in die, quo fit Officium de Sancto proprio alicujus Diœceſis, vel Religionis, & tale Officium propriam habeat Octavam, utrum Romanum transferendum ſit poſt Octavam Officii proprii, vel de eo fieri infra Octavam, & ei aſſignari dies fixus? Si Romanum ſit Semiduplex, utrum debeat idem ſervari? Si Romanum ſit Semiduplex ad libitum, utrum transferri poſt Octavam, vel locus fixus infra Octavam ei aſſignari poſſit? Si Romanum, & proprium ſint ejuſdem Claſſis, & neutrum habeat Octavam; de quo fieri debeat Officium, de Romano, vel de proprio ſi occurrant eodem die? Sacr. autem Congregat, reſpondit; in occurrentia Officii Duplicis Kalendarii Romani cum Officio proprio habente Octavam, de eo (ſcilicet de Duplici Romano) fieri debere infra Octavam prima die alio feſto Duplici, vel Semiduplici non impedita, juxta Rubricam VI. Breviarii Romani *de Octavis n.* 3. & X. *de Tranſlatione Feſtorum num.* 3. Quoad ſecundum, de Officio Semiduplici fieri debere die immediate ſequenti, ſcilicet 2. die infra eandem Octavam, quæ ſi fuerit alio feſto Duplici, vel Semiduplici impedita, prædictum Officium transferendum eſſe poſt Octavam juxta Rubricam X. *de Tranſlatione num.* 5. Neutrum tamen transferri debere in diem fixum, niſi aliter indultum fuerit a Sede Apoſtolica; Officia autem ad libitum, ſive ſub Rito Semiduplici, ſive Duplici infra dictam Octavam occurrentia, non poſſe transferri, ſed debere omitti ex Decreto generali de Officio Sanctorum ad libitum non transferendis edito ſub die 24. Januarii 1682. Si Officium Romanum, & proprium ſint ejuſdem Ritus, ſervari debere Rubricam X. *de Tranſlatione Feſtorum n.* 6. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliarum ad primum dubium*, quoad ultimam reſolutionem. Vide num. 104. 105. 191. 226 284. 316.

175. II. Quæſitum fuit an Officium Tranſlationis Patroni, de quo fit, ut de Apoſtolo, & de quo fit Duplex per Annum, præferri debeat alteri Duplici per Annum, & habere Veſperas integras in Concurſu? Et reſponſum fuit exprimi caſum, & doceri de Indulto recitandi Officium Tranſlationis Patroni. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in eadem Galliarum.*

176. III. Cum præter propriæ Eccleſiæ Dedicationem fieri debeat Officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis in Urbe cum Octava, extra Urbem ſine Octava; quæſitum fuit, utrum extra Urbem in Eccleſia, quæ propriam non habet Dedicationem, fieri debeat Octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis? Et reſponſum fuit negative; & Regulares degentes in Civitate debere recitare Officium Dedicationis Cathedralis ſub Ritu Duplici tantum ſine Octava, ex Decreto edito die 1. Apr. 1662. extra Civitatem non teneri, neque ad recitationem Officii in die feſto, ut alias pluries. S. R. C. 10. Januarii 169?. *in eadem Galliarum.*

177. IV. Quæſitum fuit, ſi uno die occurrant plures Martyres, quorum Officium unum ſit Semiduplex, & aliud Simplex; utrum in Veſp. pro Commemoratione Simplicis dicenda ſit Antiphona *Gaudent in Cœlis* de ſecundis Veſperis, ut exemplum eſt 16. Septembris, & utrum detur ibi Regula, vel exceptio Regulæ Rubricæ de Commemoratione n. 8. Et reſponſum fuit ſervandam eſſe Rubricam IX. de Commemoratione n. 8. niſi aliter aſſignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem Rubrica. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in eadem Galliarum.*

178. V. Quæſitum fuit utrum in Officio Simplici Martyris, qui ſanguinem non fudit, ſemper pro ſecundo Reſponſorio dicendum ſit: *Domine prævenisti*, quæcumque occurrat Feria, vel tantum dum occurrat Feria IV. Et reſponſum fuit, dicendum eſſe Reſponſorium: *Domine prævenisti* in quocumque Officio Martyrum, qui perierunt non effuſo ſanguine. Ita S. R. C. 10. Jan. 1693. *in eadem Galliarum.*

179. VI. Quæſitum fuit utrum Antiphona Beatiſſimæ Virg. Mariæ *Ave regina*, *&c.* ſemper dici debeat die 2. Februarii, etiamſi feſtum Purificationis transferatur, vel habeat Octavam? & ad utrumque reſponſum fuit *affirmative* juxta Decretum Sac. Congr. emanatum die 11. Jan. 1681. Ita S. R. C. 10. Jan. 1693. *in eadem Galliarum.* Vide n. 114. & 232.

180. VII. Quæſitum fuit: Dies Octava Sancti proprii cadens in feſtum Conceptionis Beatiſſimæ M. V. & Dominica ſecunda Adventus die 7. Decembris, utrum in primis Veſperis B. M. primo loco fieri debeat Commemoratio de Dominica Adventus, & poſtea de die Octava Sancti proprii? Et reſponſum fuit concurrente Dominica ſecunda Adventus die 7. Decembris cum feſto Conceptionis B. M. V. & die Octava Sancti proprii, debet fieri prius Commemoratio de Octava Sancti proprii, deinde de Dominica, juxta diſpoſitionem Tabellæ ſecundæ de Concurrentia Dominicæ Majoris, ſive primæ, vel ſecundæ Claſſis cum die Octava; ut in Regula tertia, quemadmodum præciſe docet Rubrica Breviarii Romani de Commem. n. 11. Ita S. R. C. 10. Januarii 1693. *in eadem Galliarum.*

181. VIII. Quæſitum fuit; Quando dies Octava Sancti proprii cadit in feſtum Præſentationis B. M. utrum transferendum ſit Officium B. M. vel ſolum fieri debeat Commemoratio diei Octavæ Sancti proprii, ut in ſimili caſu refert Gavantus fieri Regii de Sancto Proſpero, cujus dies Octava eſt feſtum Viſitationis B. M. Et reſponſum fuit, transferendum eſſe feſtum Præſentationis juxta Rubricam X. *de Tranſlatione Feſtorum n.* 2. & in Tabella de Occurrentia, prout monet Gavantus *Sect.* 13. *cap.* 12. *n.* 20. ibi enim aliter decrevit, & ſpecialiter indulſit Sac. Congreg. in gratiam feſti Viſitationis B. M. V. quod ibidem colitur de præcepto, unde cum privilegium ſit locale, non poteſt extendi de loco ad locum, ex Decreto S. Congr. in principio Miſſalis Romani impreſſo. Ita S. R. C. 10. Januarii 1693. *in eadem Galliarum.*

182. IX. Quæſitum fuit: dum occurrit feſtum Duplex intra Octavam Corporis Chriſti cum Simplici, utrum nona Lectio de Simplici ſit legenda? Et reſponſum fuit, legendam eſſe nonam Lectionem de Simplici in Officio de S. Duplici infra Octavam Corporis Chriſti, ut *in Nuſcana* 12. Sept. 1671. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in eadem Galliarum.* Vide n. 95. & 235.

183. X. Petitum fuit: Si feſtum feſtivetur a Populo, vel de Præcepto, vel de Devotione Populi, ut S. Ludovicus in Gallia, S. Rocchus, &c. utrum dici debeat tale Officium Duplex majus, & Lectiones primi Nocturni legi de Communi, etiam ſi in proprio de Scriptura currenti aſſignentur? Et reſponſum fuit; Feſtum S. Ludovici indictum de Præcepto in Galliis eſſe ſub Ritu Duplici minori tantum, editi Decreti die 15. Martii 1698. & 28. Novembris 1609. propterea non eſſe dubitandum, quin recitari debeant Lectiones, quæ aſſignantur de Scriptura, approbatis propriis ſecundis, & tertii Nocturni ſub die 23. Februarii 1619. de S. Roccho, licet ejus feſtum ſervetur ex Devotione, attamen non poteſt de eo recitari Officium, & celebrari Miſſa, niſi in propriis Eccleſiis eidem Sancto dicatis, ex conceſſione Sac. Congregat. die 4. Junii 1629. & clarius die 20. Nov. ejuſdem anni 1629. & tunc dicendum eſt Officium ſub Ritu duplici primæ Claſſis. Ita Sac. Rit. Congr. 10. Januarii 1693. *in eadem Galliarum.*

184. XI. Quæſitum fuit: Cum ſupereſt una Dominica poſt Epiphaniam, nec poni poteſt poſt Pentecoſten, quæſitum fuit utrum ſi tota Hebdomada ante Septuageſimam præter Feriam ſecundam, quæ Simplex habet Officium, impediatur Officio novem Lectionum, poni poſſit, & debeat in dicta Feria II. vel legi debeat Homilia in Sabbato ante Septuageſimam? Et reſponſum fuit: ſatis eſſe proviſum per Rubricam Breviarii Romani de Dominicis n. 6. & per aliam Rubricam propriam poſitam ante Dominicam primam poſt Octavam Epiphaniæ, nempe in caſu propoſito, Officium de Dominica faciendum eſſe in primo Sabbato poſt Epiphaniam feſto Duplici, vel Semiduplici non impedito; alioquin, ſcilicet ſi prædictum Sabbatum eſſet impeditum, in prima die poſt dictam Octavam, quæ non reperitur impedita feſto Duplici; feſtum vero Semiduplex in ea occurrens transferendum in primam diem ſimiliter non impeditam. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in eadem Galliarum.*

185. Occurrente Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli in Feria III. poſt Dominicam Quinquageſimæ, obſervandum eſt Jejunium, quod non poteſt anticipari, ratione Carnis Privii. S. R. C. 23. Januarii 1694. *in Ariminen.* & habetur in particulari Bullario Innocentii XII.

186. Tertiarii S. Franciſci degentes in Sæculo poſſunt uti Breviario Ordinis Minorum, & illius Kalendario conformari. S. R. C. 7. Auguſti 1694. *in una Ordinis Minorum S. Franciſci.* Vide n. 4.

187. Octava omnium Sanctorum tamquam dignior, præferenda eſt Octavæ Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 5. Martii 1695. *in Sabinen.*

188. Feſtus dies S. Caroli transferendus eſt juxta Rubricam de Tranſlatione feſtorum ob occurrentiam cum Octava Dedicationis Eccleſiæ ad diem ſequentem. Ita S. R. C. 5. Martii 1695. *in Sabinen.*

189. In Eccleſiis B. M. V. ſub quocumque Titulo dicatis, in Feriali Officio debet fieri Commemoratio de eadem S. Maria tamquam de Titulari, etiamſi ejuſdem Officium parvum in Choro fuerit recitatum. S. R. C. 23. Apr. 1695. *in Foſſanen.* Vide n. 14. & 151.

190. Pro Suffragio B. M. in Eccleſiis eidem dicatis ſub quocumque Titulo, ſive Aſſumptionis, ſive Conceptionis &c. ſufficit conſueta Antiph. *Sancta Maria ſuccurre miſeris*,

*ſeris*, *&c.* Sacra Rituum Congreg. 23. Aprilis 1695. *in Foſſanen.*

191. Cum nonnullorum, non rite ſenſum generalis Rubricæ Breviarii Romani *tit.* 10. *n.* 7. de Translatione Feſtorum percipientium, obrepſerit opinio, quod de Feſto transferendo, quod poteſt in ſequentem diem immediate transferri, ſit recitandum Officium ante alia æqualis ritus prius translata, S. R. C. ad relationem Eminentiſſimi, & Rev. D. Card. Petrucci ſupradictam Rubricam Generalem omnino ſervandam, & quocumque alio Decreto in contrarium non obſtante in caſu propoſito (ſervato ſemper ordine Kalendarii) Officium de primo translato prius recitandum eſſe declaravit, Ita tamen, ut per hanc declarationem nihil penitus circa ſemiduplicia in Dominicis infra Octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus prædictam generalem Rubricam *tit.* 10. *n.* 5. pariter omnino ſervandam eſſe cenſuit, & ita ſervari mandavit Sac. Rit. Congregatio 22. Decrembris 1696. *in Decreto generali*, Vide num. 104. 105. 174. 216, 216. 226. 234. 184. & 316.

192. Officium ſemel in hebdomada conceſſum recitari poteſt die Sabbati, ſi tota hebdomada ſit impedita; & in tali caſu omittendum Officium Beatæ Mariæ in Sabbato. Prima autem die menſis non impedita Feſto Duplici, vel Semiduplici, & in qua occurrit recitari Officium Defunctorum, poteſt recitari ſupradictum Officium ſemel in hebdomada conceſſum, transferendo vel etiam aliquando omittendo Officium Defunctorum. Sac. Rit. Congr. 27. Aprilis 1697. *in Panormitana*. Vide num. 211. 212. & 213.

193. Ad removenda aliqua dubia quæſitum fuit: ſub quo Ritu in Hiſpaniæ Regnis (excepta Civitate Gerundæ) ſit celebrandum Officium Sancti Narciſi, & ſub quo Ritu cenſeri debeat indultum Officium per extenſionem in cæteris caſibus, quando a Sac. Congregatione non exprimatur? Examinatis Decretis, reſponſum fuit: Officium Sancti Narciſi recitandum eſſe in Civitate, & Diœceſi Gerundæ die 29. Octobris cum Miſſa ſub Ritu duplici primæ Claſſis cum Octava, die vero 18. Martii de eo fiat commemoratio tantum, ſicut Quadrageſimali tempore fit de Simplicibus. In cæteris Regnis autem Hiſpaniarum recitandum eſſe ſub Ritu duplici minori dicta die 29. Octobris. S. C. R. 3. Auguſti 1697. *in Hiſpalen.*

194. Si aliquod Feſtum ſive Duplex ſive Semiduplex pro univerſali Eccleſia noviter a S. Sede Apoſtolica inſtitutum, vel inſtituendum occurrat ſingulis annis eodem die cum Feſto Diœceſano ejuſdem Ritus, debet fieri Officium de Feſto inſtituto pro Eccleſia univerſali. S. R. C. 15. Martii 1698. *in Herbipolen.*

Hoc Decretum diſcordat ab eo, quod eſt datum ſupra num. 115. necnon ab aliis, quæ dantur infra ſub numeros 209. 227. 315. & 322. quæ utpote poſteriora ſunt obſervanda.

195. Cum Officia non ſunt ejuſdem Ritus, Epiſcopus in ſua Diœceſi non poteſt minus digno fixum diem aſſignare. S. R. C. 15. Martii 1698. *in Herbipolen.*

196. Feſta ad libitum, quæ ſemper cadunt infra Octavas Sanctorum, celebrari non poſſunt, attento Decreto ſanctæ mem. Innocentii XI. 24. Januarii 1682. emanato prohibente talia Feſta ad libitum celebrari infra Octavas. Sacri Rit. Congr. 15. Martii 1698. *in eadem Herbipolen.* Vide num. 122.

197. In Sanctorum Patronorum electione fieri non debent promiſſiones ſervandi diem Feſtum Patroni electi tamquam de præcepto, etiamſi ab Eccleſia univerſali ſub tali Ritu non colatur; nam has promiſſiones, & vota non admittit, nec approbat, ſed rejicit, & tantum ex devotione ſervari poſſe concedit S. R. C. 15. Martii 1698. *in Thentina, & Pennen. pro Clero, & Populo nonnullorum Oppidorum.*

Super hoc Decreto annotandum eſt cum Pittono, quod hujuſmodi vota, quæ frequenter fieri ſolent ab Univerſitate, ſervandi diem Feſtum alicujus Sancti, ac jejunandi in Vigilia, necnon viſitandi ejuſdem Eccleſiam, non obligant Populum, aliaſque perſonas, quæ tale votum non emiſerunt, quæ tamen poſſunt ſponte promiſſa ab aliis facta obſervare. Nullus itaque eſt ſub pœna cogendus, ut illa die jejunet, vel abſtineat ab operibus ſervilibus, vel viſitet talem Eccleſiam, niſi votum de his præſtandis ipſemet fecerit.

198. Infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti poteſt recitari Officium de duplici primæ, & ſecundæ Claſſis etiam translato, non autem in die Octava, in qua necetiam poteſt recitari de duplici ſecundæ Claſſis occurrente, S. R. C. 30. Maji 1698. *in Uliſſiponen.*

199. Conſuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc, ut continuari poſſit recitatio Officii de aliquo Sancto in Eccleſia, in qua aſſervatur ejus Corpus, niſi doceatur, an ſit deſcriptus in Martyrologio, & de ejus identitate conſtet. Ita S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

200. In Expoſitione, & Repoſitione Sanctiſſimi Sacramenti non eſt addendum *Alleluja* ad Verſiculum *Panem de Cœlo &c.* Ita Sacra Rituum Congr. 5. Julii 1698. *in eadem Collen.* Hæc reſolutio non eſt intelligenda de tempore Paſchali, nec de diebus infra Octavam Corporis Chriſti.

201. Parochus duarum Eccleſiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare Officium juxta Rubricas, maxime, ſi Eccleſiæ ſint peræque unitæ. S. R. C. 6. Julii 1698. *in Collen.*

202. Quando in menſe Novembris ſunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, dicenda eſt tantum unica Lectio. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

203. Non poſſunt poni plura tribus initiis Prophetarum unica die. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

204. Ubi ſunt plura Officia habentia primas Lectiones proprias, poſſunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophetarum, occurrente legitima cauſa. S. R. C. Julii 1698. *in Collen.*

205. Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium Defunctorum, non debet illud dici, ut ſecunda die Novembris, omittendo Pſalmos poſt Veſperas, & Matutinum poſitos in Officio Defunctorum, S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide num. 335. & 339.

206. Officium Defunctorum pro ſecunda die Novembris poteſt etiam præſente Epiſcopo ante Completorium diei Feſti omnium SS. recitari. Ita S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Hæc reſolutio ſpectat ad Cathedrales Eccleſias tantum, idcirco vide num. 220.

207. Cum ſæpe contingat aliqua Officia unius anni non poſſe in eodem celebrari, licet anno proxime ſequenti ea perſolvi. S. R. C. die 27. Septembris 1698. *in una Ordinis Cappuccinorum*. Vide num. 308.

His tamen Decretis derogatum videtur per alia poſteriora Decreta emanata die 26. Novembris 1735. *in Hiſpalen.* & 15. Septembris 1736. *in Toletana*, & *in una Ordinis PP. Cappuccinorum* die 8. Martii 1738, quæ dantur infra n. 282. 337. & 341.

208. Veſperas Sanctorum Angelorum Cuſtodum eſſe dimidiandas cum ſequenti duplici minori ſtatuit S. R. C. die 27. Septembris 1698. *in una Ordinis Cappuccinorum*.

Huic pariter Decreto derogatum fuit per Decreta inferius data ſub num. 116. 277. & 245

209. Si incidat in eadem diem duplex Offic. novem Lectionum Ritus æqualis, quorum unum ſit Eccleſiæ univerſalis, aliud vero Ordinis Minorum, & ambo transferantur; Quodnam ex duobus debeat transferri? Quid vero dicendum, ſi ſint Ritus inæqualis, ut contingit die 12. Novembris, in qua occurrunt Feſtum S. Martini Martyris, & Pontificis, quod eſt Semiduplex, & Feſtum S. Didaci, quod eſt duplex ſecundæ claſſis? S. R. C ad primam partem hujus dubii reſpondit Officium, quod ab Eccleſia univerſali celebratur, prius eſſe perſolvendum; ad ſecundam Feſta particularia majoris Ritus Feſti minoris Ritus præferenda eſſe, etiamſi in Kalendario pro univerſali Eccleſia ſint deſcripta, S. Rit. Congr. 27. Septembris 1698. Vide num. 109. 115. 159. 194. 227. 315. 322.

S. C. in eadem Cappuccinorum declaravit, quod commemoratio de S. Dominico ex conceſſione Clementis PP. X. ab iiſdem facienda, quando fit Officium de S. Franciſco, fieri debeat tantum in Officio S. Franciſci, quod ſemel in menſe ab iiſdem recitatur, poſt alias commemorationes, & quod in Officiis per annum ſemel in menſe recitandis de SS. Bonaventura, Antonio Paravino, & Clara, non attendatur ordo dignitatis.

210. Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani una ſimul celebratur in illis locis, in quibus S. Sebaſtianus eſt Patronus minus Principalis. Ita declaravit S. R. C. referente Eminentiſſimo D. Cardinali Colloredo die 22. Novembris 1698. *in Cremen.* reſpondendo ad Epiſcopum dictæ Civitatis, qui petebat aſſignationem diei pro celebrando Feſto S. Fabiani, ſeparatim a Feſto S. Sebaſtiani, ut fieri ſolebat in ſua Diœceſi.

Hoc Decretum ſub aliis terminis, & in alia ſuppoſitione refertur a Pittono ex Monacello, nimirum: Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani una ſimul celebratur, licet Titulus Eccleſiæ ſit tantum de S. Sebaſtiano; ideoque Feſtum S. Fabiani non transferatur, ſed una cum S. Sebaſtiano celebretur. S. R. C. *in Cremen.* Sed eſt error manifeſtus in Decreto ſic relato; nam S. Sebaſtianus non eſt Titulus Eccleſiæ Cremenſis, in qua celebratur tale Officium; in eo enim caſu Officia ſeparanda forent juxta diſpoſitiones clariſſimas Rubricarum generalium. Eſt igitur Sanctus Sebaſtianus Patronus tantum minus principalis dictæ Diœceſis; & ideo rectiſſime declaravit S. R. C. non eſſe ſeparatim celebrandum Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani.

211. Feſta duplicia, & ſemiduplicia translata præferenda ſunt Officio S. Benedicti ſemel in hebdomada conceſſo ſub Ritu Semiduplici omnibus Congregationibus S. Benedicti. S. R. C. 7. Februarii 1699. *in Tarviſina*. Vide num. 237. in Append. num. 342.

212. Officium ſemel in hebdomada conceſſum, non poteſt recitari in Vigiliis ordinariis, & Quatuor Temporibus, juxta alia Decreta jam emanata. S. R. C. 7. Februar. 1699. *in Tarviſina*.

Hoc

Hoc Decretum conforme eſt Decreto generali 20. Martii 1706. emanato, & dato num. 237.

313. Officium ſemel in hebdomada conceſſum, recitari valet in Sabbato, quando fieri deberet de Sancta Maria in Sabbato, S. R. C. 7. Februarij 1699. *in eadem Tarviſina*.

Hoc Decretum concordat cum illo emanato 27. Aprilis 1697. dato num. 192.

314. Cum Feſtum Dedicationis Cathedralis extra Civitatem celebretur ſine Octava, hæc annua Dedicatio per totam Diœceſim celebranda eſt juxta ſolitum quoad Ritum, ſcilicet vel ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, vel ſub Duplici minori. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

Vide num. 42. 81. 176. & infra 224. & 266.

315. Quando duæ Octavæ ſimul occurrunt, quarum una ſit Patroni principalis ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, altera vero B. M. V. ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis, recitandum eſt Officium de Patrono principali cum commemoratione Octavæ B. M. V. S. R. C. 19. Junii 1700. *in eadem Curien.*

316. Si in Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. in qua celebratur Feſtum Ss. Nominis ejuſdem B. M. V. ſub Ritu Duplici majori, occurrat alicubi dies Octava, translato Feſto dicti Ss. Nominis, agendum eſt de die Octava in ipſa Dominica. S. R. C. 19. Junii 1700. *in eadem Curien.*

Hoc Decretum concordat cum alio emanato die 1. Martii 1681. ſub num. 121. & ſic pariter concordat cum Decreto edito die 22. Januarii 1707. dato n. 244. Per Decretum tamen die 15. Septembris 1685. poſitum num. 155. ſtatuitur, quod ſi dictum Feſtum Ss. Nominis occurrerit in die Octava Nativitatis B. M. V. tunc agendum erit de eodem Ss. Nomine, omiſſa in utriſque Veſperis, & Laudibus Commemoratione de prædicta Octava.

317. Ubi Feſtum SS. Angelorum Cuſtodum habet Octavam, non poſſunt in Feſto, & per Octavam terminari Hymni ejuſdem metri ſicut terminatur eorum Hymnus in Laudibus per ſtropham; *Deo Patri ſit Gloria, qui quos redemit Filius, & Sanctus unxit Spiritus, per Angelos cuſtodiat*. S. R. C. 19. Junii 1700. *in eadem Curien.*

318. Occurrente Duplici minori, ſed tranſlato, in die Commemorationis Defunctorum, Officium faciendum eſt de Sancto, Miſſæ vero celebrandæ ſunt de Requiem. Sacra R. C. 19. Junii 1700. *in eadem Curien.* Vide n. 158. 257. & 312.

319. Si in Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis, in qua celebratur ſub Ritu Duplici majori Officium ſeptem Dolorum B. M. V. occurrat Feſtum Duplex primæ, vel ſecundæ Claſſis, dictum Officium non eſt transferendum, ſed omittendum. S. R. C. 19. Junii 1700. *in eadem Curien.*

Videatur tamen Decretum die 3. Septembris 1672. datum num. 97. Videnda pariter ſunt Decreta emanata die 23. Auguſti 1727. ſub num. 269. necnon die 25. Januarii 1729. num. 272. quibus aliter diſponitur circa dictum Officium Septem Dolorum.

320. Matutinum diei Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt recitari in Choro in die Feſtivitatis omnium Sanctorum poſt Completorium, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. Ita S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*. Vide Decretum 5. Julii 1698. n. 206.

321. Benedictio publica Sacrorum Cinerum prima die Quadrageſimæ non poteſt fieri poſt Tertiam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. Ita S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium*.

322. Regularium Superiores non veniunt ſub nomine Ordinariorum, & conſequenter non poſſunt aſſignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione Officii de Patrocinio B. M. V. quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico præfati menſis a locorum Ordinariis eligendo. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in eadem Camaldulenſium*.

Pro eodem Officio de Patrocinio B. M. V. vide Decretum editum die 23. Auguſti 1725. & datum num. 265.

323. In Officio pro Sanctis Confeſſoribus quoties eiſdem fixa dies eſt aſſignata, quæ non eſt dies obitus eorum, recitari non debet ad Hymnum *Iſte Confeſſor &c. Meruit beatas ſcandere &c.*; & eadem Regula ſervanda eſt, ſi transferatur Feſtum Sancti Confeſſoris ad diem, quæ non ſit ſui obitus. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci*. Vide num. 128.

324. Declaratio (de qua n. 62. & num. 135.) ubi dicitur, quod Regulares non poſſunt recitare Officium de octava Patroni principalis ſine ſpeciali indulto, comprehendit etiam Moniales Ordinariis ſubjectas. Ita reſpondit S. R. C. 11. Februarii 1702. *in Tarviſina*.

Moniales Ordinariis ſubjectæ non debent recitare Officium de Octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, nec poſſunt ad libitum, & tantum tenentur prædictum Officium recitare ſub Ritu duplici ſecundæ Claſſis ſine Octava. S. R. C. 11. Februarii 1702. *in eadem Tarviſina*. Vide n. 81. 142. & 147.

325. Feſtum Duplex ante Octavam non privilegiatam, vel infra eam occurrens alio majori Feſto duplici impeditum, eſt transferendum ad diem infra Octavam proxime Feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam, S. R. C. 22. Septembris 1703. *in Viennen. in Auſtria*.

326. Si Dominica infra Octavam Aſcenſionis occurrat in 4. Maji; tunc in Feria ſecunda ſequenti, recitandum eſt Officium de S. Monica, quod dicta Dominica occurrebat ſub ritu ſemiduplici, non vero reponendum eſt Feſtum Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, quod ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis occurrebat die 1. Maji, Sac. R. C. 26. Septembris 1702. *in una Ordinis Cæleſtinorum*. Quamvis hæc reſolutio nunc pro caſu antedicto valere nequeat, & quia Officium Sanctæ Monicæ eſt elevatum ad Ritum duplicem a S. R. C. annuente Clemente Papa XII. die 16. Auguſti 1730. & quia dies 5. Maji modo eſt impedita ab Officio Sancti Pii V. quod recitatur ea die ab Eccleſia univerſali ſub ritu ſemiduplici de præcepto; nihilominus allata reſolutio ſemper remanet in ſuo robore quoad caſus ſimiles, ſive in Eccleſia univerſali, ſive in aliqua Diœceſi, vel Religione occurrentes; quia illa Feria ſecunda conſideratur in tali caſu tamquam dies fixa, & propria Officii ſemiduplicis occurrentis in Dominica infra Octavam non privilegiatam, itaut ſi dicta Feria ſecunda non ſit impedita aliquo Officio novem Lectionum, tunc tale Officium ſemiduplex nulli Officio translato cedet, etiamſi eſſet primæ, vel ſecundæ Claſſis; & revera die 1. Septembris 1703 ſequens Decretum emanavit a S. R. C. *in Camerinen.* Semiduplex occurrens in Dominica infra Octavam juxta Decretum 22. Decembris 1696. debet in ſequentem diem immediate transferri non obſtante duplici prius translato. Prædictum Decretum datur etiam a nobis ſub num. 191. Rurſus aliud ſimile emanavit Decretum a S. R. C. 19. Junii 1700 *in Valentina*, nimirum quod Feſtum ſemiduplex incidens in Dominica infra Octavam non privilegiatam debet transferri immediate in Feriam ſecundam non impeditam, licet ſit reponendum quodcumque Officium etiam ex ſolemnioribus. Vide etiam Decreta data ſub num. 104. 105. 174. 191. 254. 284. & 316.

327. Quando plures adſunt Cathedrales unitæ, Officium Dedicationis cujuslibet Eccleſiæ Cathedralis non debet recitari ab univerſo Clero Diœceſum unitarum, ſed in qualibet reſpective Eccleſia Cathedrali. S. R. C. 8. Martii 1704. *in Viterbien.*

In occurrentia Feſti Kalendarii particularis, & Feſti Kalendarii univerſalis cum paritate Ritus, & ſine excellentia majoris Dignitatis, faciendum eſt de primo, translato ſecundo. S. R. C. die 12. Julii 1704. *in una Urbis, & Orbis Dubiorum*. Referente Eminentiſſimo Colloredo. Vide n. 109. 315. 322.

328. I. Quæſitum fuit, an cum ex Decreto S. R. C. emanato 11. Januarii 1681. dicenda ſit Antiphona Beatiſſimæ Virginis: *Ave Regina Cælorum* cum *V. Dignare me &c.* in fine Completorii ſecundæ diei Februarii, licet transferatur Officium Purificationis; dici debeat in Suffragiis (quando fit de Officio Semiduplici, vel Simplici, &c.) *V. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, cum Oratione *Concede nos famulos &c.* Et in Miſſa ſecunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum? Et S. R. C. affirmative reſpondit 14. Februarii 1705. *in una Ordinis Cappuccinorum Galliæ ad primum Dubium*.

329. II. Quæſitum fuit, an translato Officio Annunciationis B. M. V. de quo poteſt fieri die 5. Aprilis omiſſo Officio *ad libitum S. Vincentii Ferreris* hac die occurrentis, ſatius ſit celebrare Officium Annunciationis, vel hac die, vel die ſequenti, ut non omittatur Officium S. Vincentii? Et ſi hoc ultimum ſatius judicetur, an in Diœceſibus, in quibus celebratur 5. die Aprilis Officium translatum Annunciationis B. V. cum Feriatione diei, in qua transfertur, ſatius ſit *PP. Cappuccinos* illud celebrare hac die, omiſſo Officio ad libitum *S. Vincentii Ferreris* in gratiam Populorum, qui ad ſuas Eccleſias accedunt audituri Miſſam, & Officium de Myſterio Annunciationis? & inde etiam an translato Officio Annunciationis juxta Romanas Rubricas in 4. diem Aprilis, debeant tamen, vel poſſint illud differre in ſequentem diem 5. Aprilis in Diœceſibus, in quibus tunc transfertur in hanc diem ob Feſtum S. Ambroſii, quod celebratur 4. Aprilis propria ipſius obitus die? Et reſponſum fuit, quod quando transfertur ſolum Officium, & non Solemnitas, tunc poteſt fieri de Sancto ad libitum occurrente. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in eadem Cappuccinorum Galliæ*.

330. III. Quæſitum fuit: an in Diœceſibus, in quibus in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ fit Officium Purificationis B. M. V. illis Dominicis occurrentis, debeant, vel poſſint *PP. Cappuccini* iis diebus recitare idem officium cum ſola Commemoratione, & nona Lectione in gratiam populorum ad ſuas Eccleſias accedentium? & reſponſum fuit *Negative*. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in eadem Cappuccinorum*.

331. IV. Quæſitum fuit, an ſub nomine Patroni Loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII. Regulares tenentur recitare

tare officium ſub Ritu Duplici primæ Claſſis veniat etiam Patronus Parochiæ, in qua commorantur? S. R. C. reſpondit: *Negative* die 14. Februarii 1705. *in eadem Cappuccinorum*.

232. Ex parte Magiſtri Cæremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Lycienſis quæſitum fuit, an ſi feſtum Purificationis B. M. V. eſt transferendum, vel ratione octavæ, diutius perſeveret, eo uſque perſeverare debeat Antiphona *Alma Redemptoris Mater*; An vero in hoc caſu die 2. Februarii ad Completorium dicenda ſit Antiphona *Ave Regina Cælorum*? Et reſponſum fuit: quod ſervetur Decretum S.C. emanatum ſub die 11. Januarii 1681. Ita S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Licien.* Vide n. 114. 179. 228.

233. Quæſitum fuit: an officium Expectationis Partus Beatæ M. V. conceſſum ſit omnibus Regnis Hiſpano Monarchæ ſubjectis, an ſolum aliquibus? Reſponſum fuit: Indultum Gregorii XIII. eſſe tantum pro ſola Hiſpania. Ita S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in eadem Lycien.*

234. Officia Sanctorum ad libitum ſive Duplicia, ſive Semiduplicia occurrentia in die, quo fieri debet officium de Dominica anticipanda ante Septuageſimam, vel ante Dominicam 24. poſt Pentecoſten, non ſunt recitanda cum Commemoratione dictæ Dominicæ, neque transferenda, ſed potius omittenda. Sac. R. C. 14. Aprilis 1705. *in Licien.*

235. Infra Octavam Corporis Chriſti occurrente Feſto novem Lectionum, non debet omitti nona Lectio Feſti Simplicis. In Officio enim tantum de octava omitti debet dicta Lectio. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in eadem Lycien.*

236. Cum multis Congregationibus, Religionibus ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit ab Apoſtolica Sede, ut ſemel, vel pluries in ſingulis Hebdomadibus, vel menſibus celebrentur varia officia per annum, v. g. De Sanctiſſimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Feſto Duplici, vel Semiduplici, hujuſmodi Indulta non habent locum in Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in Feria ſecunda Rogationum, nec in alia Feria, in qua ſecundum Rubricas ſit reponendum officium Dominicæ. S. R. C. 20. Martii 1706. in ſuo Decreto Generali, & habetur in Bullario particulari Clementis XI. *part. 3. Conſtit. 6.*

237. Dies impeditus Feſto Duplici, vel Semiduplici pro officiis ſemel in Hebdomada, vel in menſe recitandis, intelligitur etiam dies, in quo ponendum eſt officium de Feſto Duplici, vel Semiduplici translatum, nec non dies octavæ eſt dies impeditus reſpectu talium officiorum. Sacra Rit. C. 20. Martii 1706. *in eodem Decreto Generali.* Vide n. 211. & 342. in Append.

238. Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, non poſſunt addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & *Confiteor*, nec recitare officia, & Miſſas conceſſas aliis Religionibus. S. R. C. 20. Martii 1706. *in Decreto Generali*. Vide numeros 102. 107.

239. Si Feſtum S. Marci Evangeliſtæ occurrat in Feria ſecunda poſt Dominicam Reſurrectionis: & ſimiliter Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi in Dominica in Albis, ac præterea juxta Rubr. utrumque ſit transferendum, prius transferri, & reponi debet officium Sancti Marci. S. R.C. 17. Julii 1706. *in una Urbis, & Orbis*. Vide n. 92.

240. Quamvis PP. Cappuccini Conventus Leodien. ex conſuetudine pluſquam centum annorum ſoleant facere officium Duplex majus de S. Servatio Epiſcopo 13. Maji, quia eſt Patronus Principalis Parochiæ, in qua morantur, & eſt Feſtum devotionis in Populo, nihilominus declaratum, & deciſum fuit: non licere prædictis PP. Cappuccinis continuare recitationem dicti officii, nec in alium diem transferre, quando ab alio majori Feſto contigit eſſe impeditum. Ita S. R. C. 28. Auguſti 1706. *in una PP. Cappuccinorum Provinciæ Leodien.*

Declaratum pariter fuit non licere PP. Cappuccinis, nec aliis cujuſvis Ordinis Regularibus, qui non utuntur Breviario PP. Minorum Obſervantium in uſum deducere Rubricam in dicto Breviario anni 1696. n. 15. his verbis expreſſam - Quando autem plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrant, ut translatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua; tunc prima dies proxima non impedita, aſſignanda cenſeatur in perpetuum pro die Feſti tranſlati reſpective - Siquidem conceſſio facta utentibus Breviario Minorum non extenditur ad non utentes. S.R.C. die 28. Auguſti 1706. *in eadem Cappuccinorum Provinciæ Leodien.* Vide aliud Decretum huic conforme 14. Decembris 1709. *in una Cappuccinorum*, & 29. Novembris 1711. *in Jannen.* n. 262. ſed his Decretis derogatum eſſe videtur per Decreta poſita ſub n. 254. & 260. & alia ibi notata.

241. Occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in die Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, anticipato jejunio Vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbani VIII. emanatæ 24. Septembris 1638. nihil fit in Officio & Miſſa de eadem Vigilia. Sacra Rituum Congregatio 18. Septembr. approbante Clemente XI. 2. Octob. 1706.

242. Occurrente Dedicatione Baſilicæ Sanctiſſimi Salvatoris, vel SS. Petri & Pauli Apoſtolorum intra octavam Dedicationis aliarum Eccleſiarum, pro earum octava debet ſumi alia Oratio de Communi, nempe: *Deus qui inviſibiliter*. Sacr. Rituum Congreg 25. Septembris 1706. *in una Urbis, & Orbis*.

243. Eccleſia Cathedralis Ferentina cum fuiſſet pluribus in locis reſtaurata, & magna in parte renovata, & de illius Conſecratione ſigna nullibi apparerent, neque aliæ probationes exiſterent, adhuc quia in præteritum, Feſtum Dedicationis fuerat celebratum, cenſuit Sac. Rit. Congr. non indigere nova Conſecratione, & ſtatuit Dedicationis Feſtum poſſe transferri ab Epiſcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam. Ita 27. Novembris 1706. *in Ferentina*.

Reſolutio hujus ſecundæ partis concordat cum alia data ab eadem S. C. ſub die 22. Februarii 1698. *in Coraen.* Vide n. 16. & alios ibi notatos.

244. Quotieſcumque occurrerit apud Franciſcanos dies octava S. Roſæ Viterbienſis in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. fiat Officium de dicta die octava, prorogato ulterius Feſto SS. Nominis ejuſdem B. M. V. Sac. Cog. 22. Januarii 1707. *in una Ord. Min. Obſerv.*

Hoc decretum concordat cum alio edito jam a S. R.C. die 21. Auguſti 1688. *in Aquilejen.* in quo ſtatuitur, quod occurrente die octava Dedicationis cum Feſto Viſitationis B. M. V. faciendum ſit Officium de octava, translato officio Viſitationis. Vide n. 121. 216.

245. In ſecundis Veſperis de SS. Angelis Cuſtodibus fieri debet tantummodo Commemoratio, non vero a Capitulo de Translatione S. Claræ apud Franciſcanos. S.R.C. 14. 1707. *in Bononien.*

Ex quo dictum officium Translationis S. Claræ a prædictis Fratribus Minoribus ſub ritu Duplici celebratur, mox allegatum Decretum confirmat aliud Generale datum a nobis ſub n. 116. Aliud ſimile Decretum datur infra n. 277. Deinde ad inſtantiam Cleri Galliæ, in quo Regno Feſtum S. Remigii eſt Duplex minus, & in ſecundis Veſperis concurrit cum Feſto Angelorum Cuſtodum, S. R. C. 20. Auguſti 1712. declaravit in dictis ſecundis Veſperis debere fieri totum de Angelis, & ſolam Commemorationem Sancti Remigii, quæ omnia Decreta derogant ſane contrario Decreto emanato die 27. Septembris 1698. dato ſub numero 208.

246. In Eccleſiis, in quibus celebratur Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli die 25. Auguſti cum octava, vel quia eſt Titulare earumdem Eccleſiarum, vel ex alia ratione, & ſic pemeceſſe Feſtum S. Ludovici ſub Ritu Semiduplici venit celebrandum die 26. dicti Menſis Auguſti, ſecunda die infra octavam S. Bartholomæi, quæſitum fuit, quando die 26. ſit dies Dominica, quæ non admittit Semiduplicia, an in tali caſu officium S. Ludovici ſit transferendum ad diem Lunæ immediate ſequentem, licet impeditam alio officio Semiduplici, nempe die 3. infra octavam S. Bartholomæi; vel potius veniat transferendum poſt octavam ejuſdem S. Bartholomæi? & reſponſum fuit: ſervetur Rubrica X. n. 5. *de Translatione Feſtorum*. S. R. C. 23. Martii 1706. *in Peruſina*.

247. Diebus infra octavam Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, & in Feſtis infra dictam octavam occurrentibus, non debet ad *Primam* dici Symbolum S. Athanaſii. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* Vide n. 131.

248. Diebus ſexta, & ſeptima infra octavam Feſti Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum eſt officium de die ſecunda, & tertia infra octavam Corporis Chriſti cum Commemoratione SS. Trinitatis. S. R. C. 8. Junii 1709. *in eadem Bracharen.*

249. De Titulo, & Conſecratione Parochialis Eccleſiæ, quæ non eſt Cathedralis, non debet fieri officium in die, neque per octavam a Sacerdotibus, qui non ſunt de Clero Parochiali, licet ſub eadem Parochia degant. S. R. C. 17. Auguſti 1709. *in Bergomen.* Vide in Indice Decret. Miſſalis num. 746.

250. Ss. Martyres in concurrentia officii Duplicis cum S. Confeſſore, non debent habere integras Veſperas propter majorem Dignitatem, & nobilitatem, quam habet Martyr præ Confeſſore. Neque hæc major Dignitas, & Nobilitas tribuenda eſt Confeſſori concurrenti cum Virgine, ſicque in concurrentiis officiorum æqualis Ritus, quæ poſſunt accidere, Sanctus Confeſſor non habet integras Veſperas, aliter enim fit in prædictis caſibus, quam fiat in concurrentia Feſtorum Domini, B. M. V. Angelorum, & Apoſtolorum; unde in antedictis primis concurrentiis ſtandum eſt præſcriptioni Rubricæ Breviarii Romani *de Concurrentia Officii* n. 2. quæ dicit: *Regulariter fit a Capitulo de ſequenti*. S. R. C. 14. Decembris 1709. *in una Ordinis Cappuccinorum*. Vide num. 33. 157.

251. In Feſto Ss. Cornelii, & Cypriani die 16. Septembris pro Commemoratione Ss. Euphemiæ, & Sociorum, dicatur in primis Veſperis Antiphona *Gaudent in Cælis*, &c. & in Laudibus Antiphona *Iſtorum*, &c. prædictæ tamen Antiphonæ dicendæ non ſunt quando officium Ss. Cornelii,

iun.

Digitized by Google

& Cypriani transfertur, ex quo occurrat in Dominica; tunc enim in primis Veſperis Dominicæ dicenda erit Antiphona pro dicta Commemoratione: *Iſtorum*, *&c.* & in Laudibus Antiphona *Veſtri capilli &c.* Sacra Rit. Congr. die 14. Decembris 1709. *in Ferrarien.*

Quando Feſtum Ss. Philippi, & Jacobi cadit in Dominica, tunc ultimum Reſponſorium, quia eſt proprium, dicatur loco penultimi, quod eſt de Dominica pro Benedictinis. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden.*

252. Cum nonnulla Officia propter perpetuam occurrentiam majoris Dignitatis, ſeu Solemnitatis, ſeu Ritus perpetuam habeant Translationem, & juxta Rubricas de Translatione Feſtorum n. 6. in primam diem non impeditam ſemper transferenda ſint; quæſitum fuit, an illa prima dies cenſenda ſit propria illius translati Sedes perpetuo, juxta Gavantum *Sect.* 3. *Cap. X. n.* 15. itaut debeat de eo celebrari ſemper illa prima die, etiamſi occurrat transferri aliud officium ejuſdem, vel Superioris Ritus? Sacra Rit. Congreg. 14. Decembris 1709. Reſpondit *Negative*, & ſerventur Rubricæ generales *in una Ordinis Cappuccinorum*. Vide aliud ſimile die 28. Auguſti 1706. *in una Ordinis Cappuccin.* n. 240.

*Huic tamen Decreto derogatum eſſe videtur per poſita Decreta n. 254. & 260. & per alia Decreta ibidem indicata.*

253. Occurrentibus in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. officiis Ss. Nominis ejuſdem B. M. V. & octavæ Sanctæ Roſæ Viterbienſis Ordinis Minorum, transferatur primum in aliam diem, & in ea Dominica fiat de Secundo, nempe de die octavæ. S. R. C. 22. Januarii 1507. *in una Ord. Min. Obſerv.*

254. In Civitate, & Diœceſi Piſaurenſi die 13. Auguſti occurrit Feſtum Dedicationis Cathedralis ſub Ritu Duplici primæ Claſſis celebrandum, & eadem die ab Eccleſia Univerſali fit officium S. Raymundi Nonnati ſub Ritu Duplici Minori.

Item in eadem Civitate, & Diœceſi die 24. Septembris occurrit Feſtum S. Terentii M. Patroni Principalis Civitatis, & Diœceſis ſub Ritu Duplici primæ Claſſis celebrandum, & eadem die ab Univerſali Eccleſia fit officium Beatæ Mariæ Virginis de Mercede ſub Ritu Duplici Minori (nunc vero Majori) ſupplicatur: Si ſupradicta Feſta altioris Ritus venerint die Sabbato, an officia S. Raymundi, & Beatæ Mariæ Virginis de Mercede vigore Decreti Sacræ Rit. Congreg. emanati 14. Auguſti 1684. & iterum 18. Octobris 1696. in reformatione Kalendarii Fratrum Minorum ſint celebranda die Dominico ſequenti tamquam dies propria, vel debeant transferri in Feriam proximam non impeditam? A Sac. Rit. Congreg. fuit remiſſa hæc ſupplicatio ad D. Joannem Baptiſtam Gambarucci Sanctiſſimi D. N. & S. Sedis Apoſtolicæ Sacrarum Cæremoniarum Magiſtrum, nunc Archiepiſcopum Amaſenum pro voto, quo audito Sacra Rituum Congregatio reſpondendum eſſe cenſuit *juxta votum antedicti Cæremoniarum Magiſtri*, nimirum faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur ſub diebus reſpective aſſignatis etiam in occurſu Dominicæ. Et ita decrevit die 2. Julii 1712.

Huic Decreto videtur derogatum ex vi ſuæ declarationis ſuperius datis nimirum Decretis n. 240. 252. Vide etiam Decreta data ſub n. 80. 260. 262. 286. 287. 288. & 318. In quibus confirmatum idem Decretum *in Piſaur.*

255. Omnibus Fratribus, & Monialibus Ordinis Minorum S. Franciſci indulgetur, atque conceditur, ut in recitatione officii Deſponſationis Beatæ Mariæ Virginis cum S. Joſepho fiat ab ipſis Commemoratio ejuſdem Sancti Joſephi, tum in utriſque Veſperis, tum in Laudibus, & reſpective etiam in Miſſa cum Antiphonis, & Oratione a Sacra Rit. Congreg. approbatis. Ita S. R. C. 1. Julii 1713. *in una Ord. Min. Obſerv.*

Hoc Decretum eſt particulare pro dicto Ordine Minor. Obſervant. non vero univerſale pro omnibus illis, quibus conceſſum eſt dictum officium Deſponſationis B. M. V.

256. Officium Sancti Joſeph Sponſi B. M. V. cum novis Antiphonis, Verſibus, Lectionibus primi Nocturni, Reſponſoriis, & Capitulis approbavit, & ab omnibus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur die 19. Martii in Feſto S. Joſeph in poſterum recitari, & in Breviarin apponi mandavit S. R. C. 3. Februarii 1714. annuente Clemente XI. ſub die 4. ejuſdem Menſis, & anni.

257. Cum Feſtum Sancti Pirminii Epiſcopi Meldenſis, & Confeſſoris a Clericis Regularibus Soc. Jeſu Civitatis Oenipontí Diœceſis Brixinen. die 3. Novembris ſub Ritu Duplici Min. celebretur; cumque eadem die aliquando occurrat Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, propterea ex parte Clericorum Regularium prædictorum S. Rit. C. humillime ſupplicatum fuit declarari, an occurrente Feſto S. Pirminii Epiſcopi Meldenſis eadem die Commemorationis omnium Defunctorum, poſſint ipſi, aut etiam debeant transferre Feſtum Sancti Pirminii ad aliam diem non impeditam currentis octavæ, an vero non obſtante officio Commemorationis Defunctorum ſit faciendum officium de Sancto Pirminio, ac ſaltem Miſſa Solemnis dicti Sancti celebrari poſſit? Et Sac. Rit. Congr. reſpondit: transferendum eſſe officium Sancti Pirminii. Ita die 11. Julii 1716. *in una Brixinen.*

Hoc Decretum eſt particulare pro dicta Eccleſia, in qua aſſervantur inſignes Reliquiæ S. Pirminii Epiſcopi Meldenſis, ſicut videre eſt in Decreto poſito ſub n. 631. in Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Miſſalis; ubi diximus per hoc Decretum non derogari aliis Decretis datis ſub numeris ibi indicatis, quæ in hoc Indice dantur ſub n. 158. 218. 312.

258. Feſtum, & officium Sanctiſſimi Roſarii B. M. V. Clemens XI. extendit ad Eccleſiam univerſalem ſub Ritu duplici majori de præcepto quolibet anno recitandum in prima Dominica Octobris, ut videre eſt in ejuſdem Pontificis Bulla, quæ incipit: *Cum alias*, *&c.* & habetur ſub n. 25. in Bullario particulari dicti Pontificis. Ita die 3. Octobris 1716.

259. In Eccleſia Sanctæ Mariæ in Porticu, ubi aſſervatur Brachium S. Marcelliani tantum (occurrentis die 18. Junii) faciendum eſt officium etiam de S. Marco ſub Ritu duplici minori de Communi plurimorum Martyrum. Sac. Rit. Congr. 7. Auguſti 1717. *in una Urbis*. Vide n. 74. 86. & 273.

260. Ex parte Eccleſiæ S. Jacobi Incurabilium Urbis quæſitum fuit, an officium Viſitationis B. M. V. die 2. Julii, in qua Feſtum Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ occurrit, celebrari poſſit die immediate ſequenti, etiamſi fuerit dies Dominica.

Secundo quæſitum fuit ex parte ejuſdem Eccleſiæ, an item die immediate ſequenti diei 1. Auguſti etiam Dominica, celebrandum ſit officium Sancti Petri ad Vincula, cum hac ipſa die occurrat octava Sancti Jacobi? Et S. C. reſcripſit, faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur in die immediate ſequenti etiam in occurſu Dominicæ propter perpetuum impedimentum in propria die juxta alterum Decretum Sacræ Congreg. 2. Julii 1712. & ita declaravit die 20. Novembris 1717. His Decretis confirmatur Decretum ſupra expoſitum *in Piſauren.* die 2. Julii 1712. Vide n. 254. & 318.

261. Cum in univerſo Ordine S. Benedicti officium ſemiduplex ad libitum S. Canuti Martyris die 19. Jan. ob concurrentiam alterius officii S. Agathonis Papæ, & Confeſſoris recitari minime valeat, ut idem officium die fixa in ordine prædicto recitari poſſit, nempe die 20. Februarii, concedit S. R. C. 15. Martii 1721. *in una Ordinis S. Benedicti.*

262. Cum in directorio Divini officii pro Civitate, & Diœceſi Januenſi impreſſo ſub prætextu Decreti Sacræ Rituum Congreg. die 18. Octobris 1684. ſuper aſſignatione diei pro officiis Sanctorum die propria impeditis, prima dies non impedita pro hujuſmodi officiis fixe fuerit aſſignata, cumque occaſione ſimilis impreſſionis multæ exortæ fuerint altercationes, propterea S. R. C. inſtantibus Eccleſiaſticis Civitatis Januenſis, & præcipue, quia Decretum prædictum ſuppoſititium eſt, & numquam editum fuerit; in caſu, de quo agitur, ſervandas eſſe Rubricas declaravit, atque decrevit Sacra Rit. Congr. die 29. Novembris 1721. *in Januen.*

Hoc Decreto, quia eſt tantum in caſu, de quo agitur, non derogatur aliis Decretis ſupra exhibitis ſub n. 254. & 260. Decretum ſiquidem, quod aſſeritur emanatum a Sacra Rit. Congreg. non erat anno 1684. ſed 18. Octobris 1696. idcirco cum aſſignatio prædicta facta fuerit Decreto obreptitio, pro quo exortæ erant altercationes, recte, ac prudenter in caſu, de quo agebatur, reſcriptum fuit, ſervandas eſſe Rubricas. Supradicta Decreta ſub n. 254. & 260. data ſunt conformia Decreto poſterius poſito 23. Junii *in Brugen.* ſub n. 318.

263. Officium proprium Sanctiſſimi Nominis Jeſu ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur ſub Ritu duplici ſecundæ Claſſis, Dominica ſecunda poſt Epiphaniam recitari, & Miſſam reſpective celebrari debere induſſit Sac. R. C. 29. Novembris 1721. annuente Innocentio XIII. 20. Decembris ejuſdem anni.

Sequentia tamen in Miſſa non erit dicenda ex Decreto S. R. C. die 23. Jun. 1736. *in Brugen.*

264. Ad preces Archiepiſcopi Januenſis iterum porrectas ſuper aſſignatione dierum fixorum pro officiis plurium Sanctorum, quæ ob occurrentiam aliorum officiorum majoris Ritus in prædicta Civitate, & Diœceſi propria die recitari nequeunt: Sac. Rit. Congreg. quoad officia tantum Sanctorum Canuti Regis, & Martyris diem 6. Februar. & S. VVenceslai Martyris diem 7. Octob. aſſignari, quoad reliqua officia vero Rubricas de Translatione Feſtorum ſervandas eſſe mandavit die 22. Aug. 1722.

Hoc pariter Decreto utpote particulari, & in caſu, de quo agitur, non videtur derogatum aliis Decretis datis ſupra ſub numeris 254. & 260. quæ potius confirmata remanent per alia Decreta paulo ante indicata *in Brugen.*

265. Benedictus XIII. conceſſit, ut in toto Eccleſiaſtico Statu ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſequentia B. M. V. officia in ejus reſpective Feſtivitatibus recitari, & Miſſæ reſpective celebrari debeant, Videlicet

die

die 23. Januarii Deſponſationis Beatæ M. V. cum S. Joſeph. Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis de ſeptem Doloribus B.M.V. Die 16. Julii B.M.V. de Monte Carmelo. Dominica 2. Novembris Patrocinii B. M. V. Die 10. Debris Translationis Sacræ Domus Lauretanæ, & die 18. Decembris Expectationis Partus B. V. & ita decrevit, & ſervari mandavit die 23. Auguſti 1725. in Decreto totius Status Eccleſiaſtici. Vide num. 338.

Hæc, & ſimilia officia utpote de præcepto recitanda in toto Statu Eccleſiaſtico, ſi aliquando fuerint impedita ab alio officio majoris Ritus, etiamſi ſint affixa alicui Dominicæ; nihilominus poſſunt transferri, idque colligitur etiam ex Decreto S. R. C. die 26. Novembris 1735. *in Hiſpalen.* ſub num. 279. Vide etiam Decretum datum ſub num. 311.

Idem colligi poſſe aliqui cenſent ex alio Decreto emanato die 27. Februarii 1723. in quo S. R. C. ſupplici libello porrecto nomine Bartholomæi Calimani Plebani Eccleſiæ Parochialis, & Collegiatæ S. Mariæ Zebenico Civitatis Venetiarum declaravit transferendum eſſe officium Sanctiſſimi Redemptoris juxta Rubricas.

Prædictum autem Feſtum Sanctiſſimi Redemptoris celebratur Venetiis Dominica 3. Julii, in qua babetur Feſtum Dedicationis prædictæ Eccleſiæ Parochialis Sanctæ Mariæ Zebenico; quapropter non poſſet in ea Eccleſia celebrari Ss. Redemptoris officium, niſi transferatur.

Quoad officium de Septem Doloribus B. M. V. videnda ſunt Decreta inferius data num. 269. & 272.

Sic pariter quoad Officium B. M. V. de Monte Carmelo videndum aſt Decretum emanatum die 24. Septembr. 1726. datum ſub num. 267.

Quo vero ad Officia Deſponſationis, Patrocinii, & Translationis Sacræ Domus Lauretanæ, & Expectationis Partus B. M. V. S. R. C. ſub die 15. Septembris 1736. declaravit celebrari debere ſub Ritu duplici majori, quod Decretum datur a nobis ſub num. 338.

266. Benedictus XIII. die 28. Aprilis anni 1726. Ritu ſolemni conſecravit Sacroſanctam Baſilicam Lateranenſem, ejuſdem celebritatis memoriam decrevit recolendam quolibet anno die 9. Novembris, & mandavit ut idem Feſtum tamquam Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ Almæ Urbis ab univerſo ipſius Clero Sæculari tantum, & ejus diſtrictus juxta S. R. C. Decreta, hae in re pluries edita, ſub Ritu duplici primæ Claſſis cum Octava, quotannis celebretur. Ita etia m S. R. C. die 24. eptembris 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis.*

Regulares vero utriuſque ſexus Urbis, ejuſque diſtrictus non intelliguntur per hoc Decretum exempti a celebratione præfatæ Conſecrationis Baſilicæ Lateranenſis uti Cathedr. Almæ Urbis ſub Ritu duplici ſecundæ claſſis, cum adſit Decr. S. R. C. ſub die 1. Aprilis 1662. confirmatum ab Alexandro VII. die 8. ejuſdem menſis, in quo demandatur, quod Regulares teneantur celebrare ſub Ritu duplici ſecundæ Claſſis ſine octava Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis. Vide num. 81.

267. Ad confovendum, immo ad ſemper augendum cultum B. M. V. Benedictus PP. XIII. officium pro Solemnitate B. M. de Monte Carmelo, prout jacet Romæ impreſſum 1726. Typis Rev. Cam. Apoſt. approbavit, ac ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas teneantur in poſterum ſub Ritu duplici majori pro die 16. Julii quotannis recitari mandavit die 24. Septemb. 1726. *in Decr. Urbis & Orbis.*

Sacra autem R. C. die 23. Junii 1736. *in Einſilden.* declaravit omnes, nempe etiam quoſcumque Regulares teneri celebrare dictum Feſtum B.M.V. de Monte Carm. die fixo 16. Jul.

268. In Litaniis Sanctorum pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in illis pro Animæ commendatione, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ, ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo *S. Joannes Baptiſta ora pro nobis. Sancte Joſeph ora pro nobis. Omnes Sancti Patriarchæ, &c.* Ita ſervari maodavit ab omnibus Chriſtifidelibus Benedictus XIII. 19. Decembris 1726. *in Decr. Urbis & Orbis.*

269. Benedictus PP. XIII. benigne indulſit, ut Officium B.V. Septem Dolorum pluribus Regnis, Dominiis, Civitatibus, ac Diœceſibus jam conceſſum, in poſterum Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis ab omnibus Chriſtifidelibus Sæcularibus, & Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur ſub ritu duplici majori recitari, & Miſſa reſpective celebrari poſſis, & debeat, ſervatis in reliquis Rubricis Miſſalis, & Breviarii Romani; ac ita in Breviario, & Miſſali Rom. apponi mandavis præfatus Pontifex die 22. Auguſti 1727. *in Decreto Urbis, & Orbis.* Vide infra n. 272.

270. Feſtum S. Benedicti, quod habet annexum Forum incidens in aliquam diem majoris hebdomadæ transfertur quocumque alio officio etiam æqualis Ritus in eo occurrente. S. R. C. 6. Septembris 1727. *in Fulden.*

Idem ante ſtatuerat pro omnibus Monachis, & Monialibus Ordinis S. Benedicti, Benedictus Papa XIII. die 23. Januarii 1724.

271. Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, alias ſub Ritu ſemiduplici pro Eccleſia Univerſali die 25. Maji recitari conceſſum, in poſterum ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus exiſtentibus in tota Italia, & Inſulis adjacentibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu duplici recitari poſſe, & debere conceſſit Benedictus PP. XIII. 28. Januarii 1728.

Hoc Feſtum & officium nunc celebratur die 27. Maji tamquam ipſi propria, & aſſignata, quia dies 25. eſt impedita in perpetuum ab officio S. Gregorii VII. Dupl. min. in Breviario Romano appoſito.

272. Cum officio B. M. V. Septem Dolorum Eccleſiæ Univerſali jam pro Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis aſſignatum prout patet ex Decreto edito die 22. Aug. 1727. & poſito ſub num. 269.) multoties in dicta Feria VI. ob occurrentiam officii ſecundæ Claſſis recitari minime valeat, propterea Sanctiſſimus D. N. Benedictus PP. XIII. ob ſpecialem devotionem erga B. M. V. Septem Dolorum, idem officium die Sabbati immediate ſequenti, non obſtante, quod dicta die occurrat aliud officinm alterius Sancti, dummodo non ſit altioris Ritus, ab Eccleſia Univerſali impoſterum celebrari, & Feſtum Sancti occurrentis juxta Rubricas Generales transferri mandavit die 25. Januarii 1729. *in Decreto Generali Urbis, & Orbis.*

Nonnulla alia Decreta pertinentia ad officia Sanctorum celebranda, vel ad eorumdem Ritus elevationem, adducta ſunt a nobis ſuis locis propriis in *Sectione ſeptima*, ubi fuſe agetur, cum Gavanto de proprio Sanctorum.

Pro parte Cleri Sac. Ord. Hieroſolymitani humillime ſupplicatum fuit S.R.C. pro declaratione ſequentium dubiorum.

273. I. Conſuevit Clerus, &c. hactenus celebrare ſub Ritu Duplici majori Feſtum Sancti Sebaſtiani Martyris Patroni prædicti Ordinis, & Titularis Cappellæ Linguæ Alverniæ, erectæ in Eccleſia majori ſub Titulo S. Joannis Baptiſtæ, ejuſdem Ordinis, translato in primam diem non impeditam Feſto Sancti Fabiani P. & Martyris ſub Ritu Semiduplici, & quia, ut aſſeritur, emanavis Decretum S. R. C. uſque de die 22. Novembris 1698. quo declaratum eſt, quod Feſtum Sancti Fabiani non transferatur, ſed celebretur una cum S. Sebaſtiano, ideo humiliter poſtulat, ut poſſit ſolitum ſervare, non obſtante dicto Decretm, aliiſque rationibus. Et reſolutum fuit, quod ſervari debeat Decretum emanatum die 22. Novembris 1698. Ita S. R. C. 16. Septembris 1730. *in una Ordinis Hieroſolymitani, ſeu Meliten.* Vide n. 74. 210. 259.

274. II. Conſuevit transferre in ſolam ſequentem diem, dummodo non impeditam, Feſtum Sancti Laurentii Juſtiniani aſſignatum pro Eccleſia Univerſali die 5. Septembris ſub Ritu Semiduplici ad libitum, eo quia eadem die celebratur officium de die octava Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, unde pariter petit, ut poſſit impoſterum ſolitum ſervare, quibuſcumque non obſtantibus: Et reſponſum fuit, juxta mentem, quæ eſt, quod ſupplicent pro aſſignatione diei fixæ. S. R. C. 16. Septembris 1730. *in eadem.*

275. III. Exponit qualiter de anno 1659. fuerit facta quædam fundatio ab N. pro decantandis in Pontificali primis Veſperis, & Miſſa votivis de Sancto Franciſco Xaverin, aſſignata pro adimplemento ſuæ diſpoſitionis die 10. Decembris cujuslibet anni, ne impediretur, ut creditur, Feſtum ejuſdem Sancti, quod magna cum pompa, & populi concurſu die 3. ejuſdem menſis celebratur in Eccleſia PP. Societatis Jeſu Civitatis Valettæ, unde prædictus Clerus ad tenorem dictæ piæ diſpoſitionis conſuevit uſque adhuc poſt ſolutum penſum officii currentis, decantare primas Veſperas, & Miſſam, in quibus intervenit Eminentiſſimus Magnus Magiſter, & Venerab. Conſil. ideoque interpellat, ut poſſit ſolitum ſervari, quibuſcumque non obſtantibus. Quoad Veſperas S. R. C. ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardin. Zondadati reſcribendum cenſuit negative; & transferatur Feſtum S. Franciſci Xaverii in perpetuum ad diem 10. Decembris. Ita prædicta S. C. 16. Septemb. 1730. *in eadem.*

276. IV. Inſtitit pro extenſione officii Dedicationis cum octava Eccleſiæ Majoris non ſolum ad Clerum ſervitio ejuſdem Eccleſiæ addictum, & ad Equites, qui tenentur ad Horas Canonicas ratione alicujus beneficii, ſed etiam ad omnes alios Religioſos utriuſque ſexus ſupradicti Ordinis ubique locorum exiſtentes etiam extra Melitam, non obſtante Decreto hujus S. R. C. emanato die 11. Julii 1711. Sacra & Rit. Congr. reſpondit: *Negative* quoad extenſionem ubique locorum. Die 16. Septembris 1730. *in eadem.*

277. V. Declarari poſtulat: an Feſtum Sanctorum Angelorum, & Archangelorum debeat habere utraſque Veſperas integras in concurſu alterius Duplicis minoris, ad tenorem novi Decreti emanati, ut aſſeritur die 14. Maij 1707. & S.R.C. reſpondit: ſervandum eſſe Decretum. Ita die 16. Sept. 1730. *in ead. Ordinis Hieroſolymitani, ſeu Meliten.* Vide n. 136. 245.

278. VI. Similiter ſupplicat declarari, an ſub nomine Sanctorum ad libitum comprehendantur officia Duplicia, & ſemi-

ſemiduplicia SS. recitari conceſſa aliquibus Regnis, Provinciis, Civitatibus, & alicui particulari Ordini abſque expreſſa notula (*ad libitum*) ſed tantum cum ſequenti clauſula, nimirum, *recitari poſſint*, *& valeant*, vel *recitari poſſe cenſuit*? aſſeritur enim emanatam fuiſſe quamdam Declarationem ab hac S. C. tenoris ſequentis videlicet -- Ex voto S. R. C. ut conſtat ex reſponſo Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Archiepiſcopi Apameni ejuſdem Sacræ C. Secretarii: ſub nomine Sanctorum ad libitum non comprehenduntur Officia Duplicia Sanctorum aliquibus Regnis, & Provinciis recitari conceſſa, ideoque occurrentia in Dominicis non debent omitti, uti etiam ſi cadant in diebus impeditis juxta Rubricas transferantur. Et S. R. C. dubio propoſito reſpondit: negative die 16. Sept. 1730. *in eadem*.

Hoc Decreto derogatum videtur alteri dato ſub n. 146. & revera vide Decr. infra poſitum ſub n. 279. *In Hiſpalen.* Verum conſiderandum pariter eſt Decr. ſub num. 311. *in Einſilden.*

279. Cum in tota Hiſpania ſit conceſſum, ut tertia Dominica poſt Paſcha celebretur Feſtum Patrocinii S. Joſeph ſub Ritu Duplici, ex parte Reverendiſſimi Archiepiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Hiſpalenſis, quæſitum fuit, ſi cadat illa die Feſtum majoris Ritus, an Feſtum Patrocinii S. Joſeph ſit transferendum ad aliam diem? Et reſponſum fuit, transferri poſſe; ita tamen ut pro dicto Feſto Archiepiſcopus aſſignet certam aliquam diem, quæ non ſit Dominica fixa. Ita S. R. C. die 26. Novembris 1735. *in Hiſpalen.* Vide etiam n. 311. Quoad dignitatem vero S. Joſeph in concurrentia cum Sanctis Apoſtolis, vide n. 363.

280. Cum pluries occurrant quotannis eodem die duo Feſta Sanctorum, quorum unum juxta Rubricas eſt transferendum, petitum fuit ex parte ejuſdem Archiepiſcopi, & Capituli Hiſpalenſis, ut quoties perpetua eſt talis occurrentia, aſſignetur ei, quod transferendum eſt, dies propria, & fixa, prima nempe dies non impedita. Et S. C. reſcripſit quod Sanctis, qui perpetuo ſunt transferendi, ſit aſſignanda dies fixa, & commiſit eidem Reverendiſſimo Archiepiſcopo, ut pro unica vice deveniat ad hanc deſignationem dierum. Vide n. 80. 254. 260. 286. 287. 288. & 318.

281. In Feſto Expectationis Partus Beatiſſimæ Virginis Mariæ Hymni ſunt concludendi cum Verſibus: *Virtus*, *Honor*, *Laus*, *Gloria*, *&c.* & Breve Reſponſorium ad Primam debet eſſe: *Qui venturus es in Mundum*. Sacra Rit. C. die 26. Novembris 1735. *in eadem Hiſpalen.*

282. Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, non transferendi ad annum ſequentem, ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandi ſunt tamquam ſimplices; faciendo illorum Commemorationem ut fit in ſimplicibus cum nona Lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum Lectionibus propriis Nocturni ad modum unius. S. R. C. die 26. Novembris 1753. *in eadem Hiſpalen.* Vide n. 337. & 341.

283. Lectiones primi Nocturni de Exodo, quæ leguntur in Dominica IV. Quadrageſimæ, quoties iſta ſit impedita aliquo Feſto primæ Claſſis, reaſſumendæ ſunt intra illam Hebdomadam in Feſto occurrente carente Lectionibus propriis primi Nocturni, quæ deſumerentur de Scriptura occurrente, ſi Feſtum illud extra Quadrageſimam incidiſſet. S. R. C. die 26. Novemb. 1735. *in eadem Hiſpalen.*

284. Relatis S. R. C. ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Belluga, die 26. Novembris anni proximi præteriti, Reverendiſſimi Archiepiſcopi, & Capituli Metropolitanæ Hiſpalen. enixis precibus, quibus ſupplicatum fuit pro elevatione officii S. Joſephi ad Ritum Duplicis primæ Claſſis, necnon pro declaratione, utrum Officia Semiduplicia, quæ occurrunt in Dominica infra Octavam non privilegiatam, die Lunæ ſequentis non impedito officio novem Lectionum fieri debeant, in excluſionem alicujus Duplicis præcedentis transferendi? Sacra eadem Congregatio tunc reſpondit: *dilata*. Repropoſitis iterum hujuſmodi Inſtantiis per dictum Eminentiſſimum Ponentem, eadem Sacra Congregatio ad primum reſcripſit: pro gratia elevationis abſque Octava. Ita die 21. Aprilis 1736. *in Hiſpalen.*

Ad ſecundum vero eadem S. R. C. reſpondit juxta votum Eminentiſſimi Ponentis, nempe quod in excluſionem Duplicis præcedentis transferendi in diem Lunæ immediate ſequentem non impeditam, debeat fieri Officium de Semiduplici, quod aliquando occurrit in Dominica infra Octavam non privilegiatam, quia eo caſu talis dies eſt aſſignata pro dicto Semiduplici. Ita eadem Sac. Congregatio die 21. Aprilis 1736. *in eadem Hiſpalen.* Vide num. 104. 105. 174. 191. 226. & 316.

285. In Deſponſatione B. M. V. non eſt facienda Commemoratio S. Joſephi, niſi conſtet de ſpeciali conceſſione. Sacra R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.* Vide n. 317.

286. Si die 21. Januarii occurrat in aliquibus locis Feſtum alicujus Sancti particulare ſub Ritu Duplici, v. gr. S. Meinradi apud Benedictinos, faciendum eſt officium de tali Sancto, & transferendum eſt officium S. Agnetis, quod occurrit eadem die, cui aſſignari debet aliqua dies fixa, quæ tamen non ſit die 28. Januarii, ne Feſtum Sanctiſſimi Nominis Jeſu, quod celebratur Dominica 2. poſt Epiphaniam, aliquando occurrat in eadem Dominica, quæ eſt Septuageſimæ, ideoque ne illud Feſtum celebretur intra Quadrageſimam, (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28. Jan. in quam id tunc erit transferendum. Quando autem agetur Feſtum S. Agnetis ſecundo, fiet de eo Commemoratio tamquam de Simplici; nullo habito reſpectu, quod Feſtum ejuſdem ſolemne prius non fuerit celebratum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.* Vide num. 159. 287. 288. & 322.

Ob ſupradictam rationem in Statu Eccleſiaſtico videtur non eſſe aſſignanda dies 28. Jan. Feſto S. Raymundi de Pennafort, ſed nonnulli Ordinariorum Directores inhærendo aliis Decretis relatis ſub numeris 254. 260. & aliis ibi notatis, adhuc tali Feſto aſſignant prædictam diem, tamquam ei fixam, & propriam, & transferunt officium Ss. Nominis Jeſu in aliam diem.

287. Die 3. Martii, qua in Germania occurrunt S. Anſelmus Abbas, & S. Cunegundis Virgo Imperatrix, faciendum eſt Officium de S. Cunegunde, & aſſignanda fixa, & propria dies pro S. Anſelmo. Sacra Rituum Congr. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

Ita deciſum fuit pro Monachis prædictis Monaſterii, quia Feſtum S. Cunegundis eſt Feſtum tum Ordinis, tum Nationis.

288. Ubi celebratur Feſtum S. Barbaræ ſub Ritu Duplici, etiamſi ſine ſpeciali ſolemnitate, fiet de illa officium, aſſignando aliam fixam & perpetuam diem S. Petro Chryſologo. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſild* Vide n. 286. 287. 322.

289. Feſtum Lanceæ, quod eſt approbatum ex Indulto in Germania, & celebratur Feria VI. poſt Dominicam in Albis, ſi ob occurrentiam alicujus Feſti novem Lectionum impediatur, transferri debet ad aliam Feriam VI. intra Tempus Paſchale tantum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

290. Pro tranſlatione Feſtorum talis ratio habeatur, ut prius fiat officium de prius deſcripto in Calendario, nullo habito reſpectu, quod Officium tranſlatum ſit Eccleſiæ particularis Ordinis, ſeu Religionis, Diœceſis, Nationis, & Eccleſiæ univerſalis.

Quando occurrit Feſtum aliquod in Diœceſi, quod ſit de præcepto quoad Forum, Regulares de eo debent Officium facere; niſi apud ipſos occurrat eadem die aliud Feſtum, quod ſit ejuſdem Claſſis, Ritus, & majoris Dignitatis. S. R. C. 5. Maji 1756. *in Einſilden.*

291. Quando in primis Veſperis S. Hermenegildi Martyris, Hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus eſt in Matutino, & Hymnus Matutini ſubſtituendus eſt in Laudibus. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

Cum Hymnus Matutini prædicti Sancti ſit continuatio ejuſdem Hymni, qui dicendus eſt in primis Veſperis: hinc ne recitetur prius vitæ finis, quam primordia, valde congrua & propria eſt talis ſubſtitutio, & variatio. Habemus ſimilem Ritum in Officio Sanctæ Martinæ die 30. Januarii, in quo ſi ad primas Veſperas recitatus non fuerit Hymnus proprius, hic conjungitur, & fit unus cum Hymno Matutini, cujus eſt continuatio; prout Hymnus Laudum eſt finis, & terminus utriuſque: Ita in omnibus Urbis Eccleſiis in caſu ſimili practicatur.

292. Quando Feſtum S. Raphaelis celebratur Dominica tertia poſt Paſcha, Antiphona primi Nocturni erit -- *Multa Magnalia*, & in ſecundo Nocturno -- *Archangele Raphael*; in tertio autem -- *Angelus Archangelus &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden*.

293. Quando Feſtum Ss. Philippi, & Jacobi celebratur extra tempus Paſchale, omitti debent omnia *Alleluja* --, Aſteriſci vero non tolluntur. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

Addendum eſt etiam hoc loco, quod repetitio ultima in iſtis Reſponſoriis, debet eſſe brevior, non autem prolixior, ut notat Gavantus *Sect.* 5. *c.* 13. *de Reſponſoriis*.

294. In Feſto S. Caroli Borromæi 4. Novemb. in primis Veſperis pro Commemoratione Ss. Vitalis, & Agricolæ Mm. Antiphona erit -- *Iſtorum eſt enim Regnum Cœlorum &c.* cum verſu -- *Lætamini in Domino &c.* & ad Laudes ſubſtituetur verſus -- *Exultent juſti &c.* poſt Antiphonam -- *Veſtri capilli &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

285. Quando Antiphonæ, & Verſus in Veſperis variandi ſunt pro Commemoratione alicujus Simplicis facienda, *Tunc ad Veſperas*, Primo accipienda eſt Antiphona, cum verſu Laudum. Si vero plures ſint Commemorationes Simplicium, tunc ſecunda Commemoratio ſumetur ex ſecundis Veſperis cum verſu ſecundi Nocturni; tertia vero Commemoratio fiet, deſumendo Antiphonam primam ex tertio Nocturno cum verſu ejuſdem Nocturni. *Ad Laudes.* - Prima Commemoratio cum verſu erit propria ex primis Veſperis. Secunda Commemoratio fiet cum Antiphona tertii Nocturni, & verſu aſſignatis jam in primis Veſperis. Tertia autem Commemoratio fiet deſumendo Antiphonam & verſum dictos ſecundo loco in primis Veſperis, nempe Au-

Antiphonam ſecundam Veſperarum, & verſum ſecundi Nocturni. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

296. In Feſto S. Joannis Chryſoſtomi, quoad Lectiones in primo Nocturno legendas, ſervetur Rubr. Brev. Rom. unde extra Quadrageſimam dicantur Lectiones de Scriptura occurrente. Intra Quadrageſimam vero recitentur Lectiones de Communi Doctorum. Pro S. Joanne de Matha idem ſervandum, & in Quadrageſima dicantur Lectiones de Communi, ſcilicet *Beatus vir &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

297. Quando in Feſto aliquo Lectiones aſſignantur legendæ ſive propriæ, ſive de Communi, omittitur etiam initium Scripturæ, quod reponendum eſt infra Hebdomadam in Officio Ritus inferioris, minoris Dignitatis, & Solemnitatis: etiamſi tale feſtum habeat Lectiones proprias, aut ſint de Communi, S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

298. Quando October habet tantum quatuor Dominicas, ſervetur omnino diſpoſitio Brev. Rom. & in Feria V. VI. & Sabbato Hebdomadæ IV, legantur Lectiones de Dominica V. continentes hiſtoriam Martyrii Ss. Machabæorum, S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden,*

299. In feſto S. Margaritæ Scotorum Reginæ ab aliquibus Breviariis expungi debent ultima verba Lectionis -- *Cujus Feſtum ab eodem Pontifice conceſſum, Innocentius XI. ad octavum Idus Julii transferri juſſit.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

300. In tertio Nocturno pro Feſto S. Joannis Nepomuceni, tam intra, quam extra tempus Paſchale ſemper dicatur Evangelium -- *Nihil eſt opertum &c.* cum ſua Homilia, S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

301. Cum ſæpe contingat, ut in Diœceſi celebretur unum, & idem Feſtum, & alii in tertio Nocturno unum aſſignent Evangelium, alii vero aliud, Religioſi ſequi debent Ordinem proprii Breviarii. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

302. In Dominica in Albis poteſt legi nona Lectio de ſimplici Feſto occurrente, ut accidit anno 1735. de Sancto Aniceto.

Dominica tertia poſt Paſcha, ubi celebratum eſt Feſtum S. Raphaelis Archangeli, in tertio Nocturno recitetur Homilia S. Joannis Chryſoſtomi, nempe *Cum vellet Deus &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

303. Quando Vigilia Omnium Sanctorum venit in Dominica, & conſequenter anticipanda eſt in Sabbato, quod tunc erit dies 30. Octobris, in qua a PP. Benedictinis celebratur Feſtum Sacrarum Reliquiarum totius Ordinis, tunc a prædictis Monachis facienda eſt Commemoratio tantum de Vigilia Omnium Ss, Ita S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſild.* Vide tamen n. 328.

Ita decrevit S. C. quia Evangelium: *Deſcendens Jeſus de monte &c.* eſt commune tum Officio Vigiliæ, tum Officio Sacrarum Reliquiarum, & quia ita ſervat Eccleſia in Officio Expectationis Partus B. M. V. cujus cum idem ſit Evangelium cum Officio Feriæ Quatuor Temporum; ideo quando dictum Feſtum Expectationis occurrit in memorata Feria Quatuor Temporum, illud unicum Evangelium recitatur, & in fine Miſſæ legitur Initium Evangelii Sancti Joannis. Ita optime obſervavit Clariſſimus Vir Venantius Philippus Pierſanctes Cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſter.

304. In Feſto B. M. V. de Monte Carmelo, quod etiam a Regularibus ſervari debet die 16. Julii, quamvis Officium recitetur juxta conceſſionem Bened. XIII. prout in Feſto S. M. ad Nives; tota tamen Miſſa, & non tantum Evangelium dicatur illa, quæ a Sede Apoſtolica approbata eſt, & quæ incipit *Gaudeamus omnes &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

305. Feſtum Principalis Patroni alicujus Diœceſeos a Regularibus eſt celebrandum ſub Ritu Duplici primæ Claſſis, & Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis, ſine Octavis, & degentes extra Civitatem, non tenentur ad Dedicationis Officium, S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.* & antea die 16. Junii 1708. *in Pariſien.*

306. Poſtquam S. Canutus pro Ordine Benedictino fixe eſt repoſitus ad 20. Februarii, poteſt pridie hoc elogium legi in Martyrologio -- S. Canuti Regis, & Martyris VII. Idus Januarii, non variata tamen diſpoſitione Martyrologii Romani. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.* Vide n. 314.

307. Quæſitum fuit: an ſi per Dedicationem Eccleſiæ, vel aliud Feſtum cadens in Dominica, impediatur initium Scripturæ talis Dominicæ, & per octavam non ſit locus pro ea, eo quod omnes dies ſint dies infra Octavam præter unam forte, quæ tamen habeat Lectiones de Communi aſſignatas, tunc tale initium ſit omittendum, vel potius reponendum in illo Feſto, omiſſis Lectionibus aſſignatis, & quid ſi illud ſit Duplex majus? Et reſponſum fuit: initium Scripturæ, aut transferendum eſt ad diem liberam, etiamſi poſt octavam hoc eveniat, aut anticipate legendum, ſed in Officio, pro quo aſſignatæ ſunt Lectiones de Communi, illæ ſunt legendæ. Quod faciendum eſt etiam in Duplici majori, juxta Rubr. Brev. de Lectionibus. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

308. In die Octava Dedicationis ſemper ſunt repetendæ Lectiones in primo Nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in primo Nocturno Officii de ipſomet Feſto Dedicationis. Rubr. Brev. de Lectionibus num. 9. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

309. Si in Dominica IV. poſt Paſcha legantur Lectiones Initii Epiſtolæ B. Jacobi Apoſtoli; In Feſto SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi legendæ erunt Lectiones ejuſdem Epiſtolæ, quæ occurrent dicendæ in illa Feria. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

350. Quando dies 8. Dedicationis impeditur per Feſtum majoris Ritus, & in ea occurrat Dominica, vel concurrat in primis, aut ſecundis Veſperis ſemiduplex, commemoratio diei octavæ facienda eſt ante commemorationem Dominicæ occurrentis, & Semiduplicis cujuſcumque occurrentis. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

311. Non poſſunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quæ ſunt conceſſa pro locis, & Eccleſiis particularibus ad eorum inſtantiam, at quando Officia prædicta ſint de præcepto pro aliquo Statu ſicuti ſunt Officia plura B. M. V. conceſſa a Sanct. Mem. Benedicto XIII. pro Statu Eccleſiaſtico affixa certis diebus, transferantur. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.* Vide n. 265. 278. & 279.

312. In omnibus Congregationibus Ordinis Benedictini poſt Feſtum Omnium Ss. 13. Novemb. celebratur ſolemnis Commemoratio omnium Defunctorum Confratrum dicti Ordinis, unde ſi die illa 14. Novemb. alicubi adſit Feſtum duplex translatum, ſive occurrens, fiet quidem officium de tali Feſto duplici cum Miſſa ſolemni poſt Tertiam, officium vero Defunctorum recitandum erit poſt Laudes, & omnes Miſſæ privatæ dicendæ erunt pro Defunctis Confratribus in paramentis nigris; Quapropter Commemoratio omnium Defunctorum non eſt transferenda in tali caſu. Ita S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.* Vide n. 158. 218. & 257.

313. Ubi Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis eſt Titulus Eccleſiæ, non eſt dicendum per totam Octavam, ſive Officium fiat de Octava, ſive de alio Feſto occurrente, Symbolum S. Athanaſii, ſed ſolum in ſolemni Feſto Ss. Trinitatis, & in die Oct. ejuſdem. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſild.* Vide n. 247.

314. Feſta illa, quæ a die obitus aliquorum Sanctorum translata, ſortita ſunt alium diem fixum, annuntianda ſunt iiſdem diebus, & verbis in Martyrologio Romano deſcriptis. Quod ſi eorum transferantur officia pridie, quam celebrentur, poteſt nunciari Feſtum illius Sancti, de quo ſequenti die agetur ſolemnis memoria. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

Vide num. 306. Vide etiam Guyetum *lib.* 2. *cap.* 14. de Annunciatione Feſtorum *quæſt.* 5. *n.* 3.

315. I. Quæſitum fuit, an Feſta Diœceſana occurrentia eodem die cum Feſtis Romanis præponenda ſint Feſtis Romanis ejuſdem Ritus, & ſolemnitatis, ex. gr. die 4. Decemb. Feſtum Diœceſanum S. Barbaræ occurrit cum Feſto duplici Romano S. Petri Chryſologi, dubitatur, & quæritur, quale Feſtum ſit prius celebrandum? Et reſponſum fuit: detur Decretum ſub die 12. Julii 1704. *in una Urbis.* Vide allegatum Decretum in noſtro indice *n.* 227. in quo reſolvitur cæteris paribus Feſtum Diœceſanum, & particulare præferendum eſſe Feſto univerſali, Vide n. 209. & 322. necnon Decretum ſub num. 194. & aliud ſimile emanatum die 16. Februarii 1737. *in Mechlinien. ad primum Dubium.*

316. II. Dum Semiduplex incidit in Feſtum habens octavam, vel in Dominicam infra octavam (non privilegiatam) & dies immediate ſequens non eſt impedita, ſed reſtat celebrandum duplex, v. gr. anno 1736. Feſtum Aſcenſionis Domini incidit in die 10. Maji, ſeu in Feſto Sancti Antonini, & remanet celebrandum Feſtum Sancti Petri Martyris, quod eſt duplex: Quæritur, an die 11. Maji, nempe immediate ſequenti celebrari debeat Feſtum ſemiduplex Sancti Antonini juxta Rubricam de Translatione Feſtorum num. 5. transferendo ulterius Feſtum S. Petri M. Rurſum quæſitum fuit, an de Feſto translato faciendum ſit officium die immediate ſequenti non impedito, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis Feſtum prius translatum? Ad utrumque reſponſum fuit affirmative, & juſſum fuit dari Decreta emanata ſub diebus 30. Septemb. 1679. & 16. Septemb. 1702. quæ Decreta dantur in noſtro Indice *ſub n.* 104. 105. & 226. Vide etiam alios ibi indicatos. S. R C. die 23. Junii 1736. *in Brugen.* idem omnino confirmavit die 16. Februar. 1637. *in Mechlinien. ad* 2. *Dubium.* Secundam tamen reſolutionem aliqui ad praxim non deducunt.

317. III. An die 23. Januarii in Feſto Deſponſationis Beatæ M. V. ſit facienda commemoratio Sponſi S. Joſephi tam in Officio, quam in Miſſa? Et reſponſum fuit: Servetur Rubrica, quæ habetur in Officio Deſponſationis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in eadem Brugen.* Vide Decretum clarius datum ſupra ſub num. 285. *in Einſilden.*

358. IV. Cum Feſtum S. Gregorii VII. ex mandato Benedicti XIII. celebrandum ſit die 25. Maji quo die antea celebrabatur Feſtum ſemiduplex S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; quæritur an hoc Feſtum habeat diem fixum, an vero

ſit

Digitized by Google

ſit transferendum in primam diem non impeditam? Et reſponſum fuit ei aſſignandam eſſe primam diem non impeditam. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in eadem Brugen.*

Vide num. 80. 254. & 260. idem omnino confirmatum fuit die 16. Februarii 1737. *in Mechlinien. ad quartum Dubium.*

319. V. An Feſtum Nominis B. M. V. in Diœceſibus Imperatori ſubjectis ſit duplex majus, prout in Breviario ponitur, an vero duplex ſecundæ Claſſis ob Indulgentias plenarias ab Innocentio XIII. conceſſas anno 1722. prout in Diœceſi Viennenſi? Et reſponſum fuit affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ita S. R. C. *in eadem Brugen.* & idem omnino confirmavit die 16. Februarii 1737. *Mechlinien. ad 5. Dubium.*

320. VI. An in Feſto S. Luciæ 13. Decembris in Officio poſſit legi nona lectio propria alicujus Sancti ſimplicis, ut de S. Judoco ſolet legi in hac Diœceſi, de quo illa die ſit commemoratio? Et S. R. C. reſpondit affirmative die 23. Junii 1736. *in eadem Brugen.* idem omnino confirmavit die 16. Febr. 1737. *in Mechlinien. ad 6. Dubium.*

321. VII. An die 18. Decembris in Feſto Expectationis Partus B. M. V. ſit finis Hymnorum: *Jeſu tibi ſit gloria &c.* ſicut in aliis Feſtis B. M. V. an non? Et reſponſum fuit: Servetur Rubrica. Ita S. R. C. die 23. Junii 1736. *in eadem Brugen.*

Vide aliud ſimile Decretum datum ſub num. 81. & idem omnino confirmavit die 16. Febr. 1737. *in Mechlinien. ad 7. Dubium.*

322. In Occurrentia Feſtorum ejuſdem Ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habebit Officium Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis, ſeu Religionis, tertium Diœceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ Univerſalis. S. R. C. die 23. Junii 1736. *in Einſilden.*

323. In Orationibus expungantur omnino cognomina, & Patriæ Sanctorum. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden.*

Vide Decretum emanatum die 22. Decembris 1629. datum ſub num. 50. in quo excluditur tantum Patria, non vero cognomen Sanctorum.

324. Octava S. Scholaſticæ (apud Benedictinos) quando de illa fiat Officium, impedit Preces &c. Quod ſi occurrat in Fer. IV. Cinerum, dicuntur Preces &c. ſed nihil fit de Octava, quæ terminatur ad primas Veſperas Fer. IV. Cinerum excluſive. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden.* Vide nn. 223. 124.

325. Quæſitum fuit, an conformiter ad Decretum S. R. C. de Commemoratione Octavæ S. Scholaſticæ in die Cinerum omittenda, etiam in Dominicam Paſſionis, infra Octavam S. Benedicti cadente, & ejuſdem Dominicæ in primis Veſperis ſit omittenda Commemoratio Octava? Et reſponſum fuit: in primis Veſperis facienda eſt Commemoratio de die infra Octavam, quando Octava celebratur poſt Dominicam Paſſionis, ſecus autem ſi dies Octava incidat in eamdem Dom. Paſſionis, quia propter Dominicam privilegiatam ceſſat Octava. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden.*

326. Feſtum Inventionis S. Crucis cadens in Dominicam, in qua celebratur Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, non poteſt transferri in diem immediate ſequentem, ſi hæc ſit Feſto Duplici, vel Semiduplici impedita, ſed debet reponi prima die non impedita. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſild.*

327. Si Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, ſive aliud ex Solemnioribus venerit in die Corporis Chriſti, Officium S. Joannis ſingulari privilegio transfertur in ſequentem diem a quocumque Officio duodecim Lectionum (nempe juxta Ritum Monaſticum, & juxta Ritum Romanum novem Lectionum,) etiam impeditam, cum commemoratione Octavæ; ſed in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fit Commemoratio tantum S. Joannis. Cætera vero Feſta ſolemniora occurrentia in dicta die Corporis Chriſti transferantur infra Octavam in primam diem non impeditam. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſild.*

Ideo Feſtum S. Joannis Baptiſtæ hoc privilegio gaudet, quia hoc idem Feſtum ea celebritatis ſignificatione celebatur, ut Presbyteri eo die ter Miſſam facere ſolerent, prout in die Nativitatis Domini nos peragere ſolemus, & hoc colligitur ex probatiſſimis Auctoribus. Ad hunc Ritum ſtatuendum pro eodem Officio, mota fuit S. C. etiam ex cauſa, & conſideratione peractæ Vigiliæ S. Joannis, quæ cum ſit præventio Feſti, requirebat proximiorem quantum fieri poteſt ipſi Feſto proprii Officii recitationem. Advertit etiam S. C. quod concurrente Feſto S. Joannis cum Feſto Dedicationis, declaravit ſecundas Veſperas celebrandas fore integras de S. Joanne cum ſola Commemoratione Dedicationis, quamvis Dedicatio Eccleſiæ ſit Feſtum Domini, ut videre eſt in Decreto emanato die 21. Auguſti 1688. in *Aquilejen.* ſuperius dato ſub n. 156.

Cætera autem Feſta ſolemniora, nempe primæ, vel ſecundæ Claſſis, quando occurrunt in dicta die Corporis Chriſti transferri debent infra Octavam in primam diem non impeditam juxta Decretum emanatum 30. Maji 1698. in *Ulyſſiponen.* datum ſub n. 198.

Hoc loco unum ſupereſt advertendum, quod ſicut Sacra Congr. circa Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, quando occurrit in Feſto Corporis Chriſti, in prædicto ſenſu interpretata eſt Textum Rubricæ X. ſic loquentis. *Si Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſta venerit in die Corporis Chriſti, transfertur in diem ſequentem cum commemoratione Octave &c.* Ita, inquam, eſt interpretata, ut prædictum Feſtum Sancti Joannis præferendum ſit cuicumque Feſto novem Lectionum, etiam occurrenti in die ſequenti, a quo dicta dies venit impedita; eodem modo intelligendum eſſe Decretum Clementis VI. allegatum a Gavanto *Sect. 7. cap. 4. n. 2.* ſtatuentis, quod ſi Feſtum Purificationis occurrat in Dominicis privilegiatis, transferendum eſt in feriam ſecundam, ſcilicet etiam ſi talis feria ſecunda eſſet impedita feſto novem Lectionum præſertim inferioris, vel æqualis Ritus; nam niſi hoc modo intelligatur Decretum Clem. VI. fruſtraneum videretur, nihil ſiquidem aliud præſcriberet, quam quod in prædicto eventu transferatur Feſtum Purificationis in feriam immediate ſequentem, ſi nullum feſtum in ea occurrat, de qua Translatione hoc modo facienda, nullum poteſt oriri dubium; neque ullum adderet privilegium pro tali feſto Clemens Papa VI. Præterea congruum valde videtur tale privilegium, ne ulterius protrahatur Officium Purificationis B. M. V. Vide alia Decreta S. R. C. in Append. Decr. ſub num. 347. & 364.

328. Feſtum Sacrarum Reliquiarum, quæ aſſervantur in Eccleſiis Ordinis Benedictini celebrandum eſt ab ipſis Monachis de præcepto, & quidem die 30. Octobris. S. R. C. 23. Junii 1736. *in eadem Einſilden.* Vide n. 303.

329. In ſecundis Veſperis S. Æmiliani Abbatis (quod eſt Duplex majus apud Benedictinos) quæ coincidunt cum primis Veſperis de feſto omnium Ss. Monachorum ejuſdem Ordinis, eſt facienda Commemoratio de S. Æmiliano, ſi Ritus id permittat, nulla habita ratione, quod ſit etiam ipſe unus ex iiſdem Sanctis Monachis, quorum feſtus Dies celebrari incipit in dictis Veſperis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in eadem Einſilden.*

330. Quando ob feſtum Ss. Nominis Jeſu contingat transferri aliud Officium Duplex ſecundæ Claſſis inferioris dignitatis, de eo debet fieri prima die non impedita. S. R. C. *in Einſilden.*

Feſtum B. M. V. de Monte Carmelo celebrandum eſt ab omnibus de præcepto, & ſervari debet Decretum emanatum 24. Septemb. 1726. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden.*

331. Feſtum Ss. Nominis Mariæ celebrandum eſt Dominica infra Octavam Nativitatis ejuſdem, & quando dies Octava Nativitatis incidit in Dominicam, nulla fit Commemoratio Octavæ, S. R. C. 23. Junii 1736. *in eadem Einſilden.*

332. In Officio S. Mariæ in Sabbato a Patribus Benedictinis facienda eſt Commemoratio S. Benedicti, non vero S. Scholaſticæ. Rurſus in Officio de S. Benedicto, quod iidem Monachi celebrare ſolent infra ſingulas Hebdomadas, non eſt facienda Commemoratio S. Scholaſticæ. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in eadem Einſilden.*

333. In Officio Ss. Sacramenti, quod recitatur ſingulis V. Feriis in Germania, & in Officio Immaculatæ Conceptionis, quod ex Indulto S. R. C. recitatur in Germania ſub Ritu Duplici in Sabbato, quoad Commemorationes in his faciendas, ſervetur Rubrica de Commemorationibus, & Commemoratio S. Benedicti (a PP. Benedictinis) fiat in Semiduplici, Simplici, & Feriis. Et quoad Officia S. Benedicti, S. Scholaſticæ, Ss. Sacramenti, & Immaculatæ Conceptionis, ſervetur Decretum diei 20. Martii 1706. quo prohibentur hujuſmodi Officia celebrari intra Quadrageſimam, Adventum, Quatuor Tempora, Ferias Rogationum, & Vigilias omnes ſive cum jejunio, ſive ſine jejunio. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in eadem Einſilden.*

334. In Officio votivo Immaculatæ Conceptionis, in Antiphona quæ dicit -- *Poſt partum Virgo inviolata permanſiſti* -- dici non poteſt *Immaculata*. Sacr. Rit. Congr. 23. Junii 1736. *in Einſilden.*

335. In Officio Defunctorum in Veſperis, & Laudibus dicendi ſemper ſunt Pſalmi appoſiti -- *De profundis*, & *Lauda, anima mea, Dominum*, & poſt Veſperas, & Laudes omittantur iidem Pſalmi tantum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden.* Vide num. 339.

336. Ex parte Cleri Eccleſiæ Toletanæ quæſitum fuit; an occurrente Feſto Duplici ſecundæ Claſſis Octavam habente cum Dominica Septuageſimæ, ſi (ſequentibus Feriis occupatis) transferatur ad ſequens Sabbatum: ſecundæ Veſperæ erunt ut in primis, aut in ſecundis Veſperis Feſti cum Commemor. Dominicæ in Sexageſima, aut erunt de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum Commemoratione diei Octavæ? Et quid ſi dies octavus habeat orationem propriam? Et S. R. C. Ponente Eminentiſſimo Zondadari reſpondit, ſecundas Veſperas Feſti fieri debere cum Commemoratione Dominicæ in Sexageſima; & in die Octavæ eſſe recitandam orationem propriam. Ita die 25. Septembris 1736. *in Toletana.*

337. Ex parte ejuſdem Cleri quæſitum pariter fuit: an ſtantibus Decretis de non addendo, mutando, vel retrahendo

in

in Breviario Romano; necnon Decretis Officiorum noviter apponendorum in corpore, in quibus præcipitur his verbis - *debeant*, *teneantur*, *agant*, in Officiis vero Provincialibus concluditur ſic - *valeant*, *poſſint*, *recitare poſſe cenſuit*, *conceſſit*, *annuit &c.* ſi autem in aliqua Eccleſia, præſertim Regularium, ſint tot Feſta, quod non poſſint nonnulla Semiduplicia translata adhuc recurrente anno reponi Semel in Biennio; in hoc ergo caſu quæſitum, inquam, fuit - an licebit omittere quæ ſunt de Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo conceſſis? Et Sacra Rit. Congr. reſpondit: *detur Decretum in Hiſpalen.* emanatum ſub die 26. Novembris 1736. Ita 15. Novembris 1736. Ita 15. Septembris 1736. *in eadem Toletana*.

338. Officia B. M. V. nempe Deſponſationis, Patrocinii, Translationis Almæ Domus, & Expectationis Partus a S. M. Benedicto XIII. die 23. Auguſti 1725. pro toto ſtatu Eccleſiaſtico conceſſa ſub Ritu Duplici majori celebrari debent. Ita declaravit, & ſervari mandavit S. R. C. die 15. Septembris 1736. *in una Dubiorum*.

339. Pſalmi: *Lauda, anima mea, Dominum &c.* & *De profundis &c.* omittantur in precibus poſt Officium in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitus, ſeu depoſitionis defuncti duntaxat; Cæteris autem diebus ſemper, & omnino dicantur. Ita S. R. C. die 3. Auguſti 1737. *in Nolana*. Vide n. 335.

Hujuſmodi Decreta *in Nolana*, & *in Einſilden.* confirmata fuerunt a S. R. C. die 8. Martii 1738. *in una Eremitarum Ord. Camaldul.*

340. Miſſam, & officium S. Julianæ de Falconeriis Fundatricis Tertii Ordinis Servorum B. M. V. cum Oratione, Hymno, & Lectionibus propriis ſecundi Nocturni ſub die 20. Martii 1728. præfatæ Servorum B. M. Religioni & Civitati Florentiæ conceſſum, in poſterum prout jacent ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, die 19. Junii ſub Ritu ſemiduplici recitari, & reſpective celebrari debere indulſit; ac ita in Miſſali, & Breviario Romano apponi mandavit S. R. C. die Martii 1738. approbante Clemente Papa XII. die 15. ejuſdem Menſis, & eodem Anno *in una Urbis & Orbis*.

341. Ex parte Patris Joſephi a Vernio Ordinis Minorum Cappuccinorum ſupplicatum fuit pro declaratione infraſcripti Dubii.

An Sancti, de quibus in toto Anni decurſu celebrari Officium non potuit, transferendi ſint ad annum ſequentem, vel potius eo anno ſint omittendi? S. R. C. inhærendo alteri reſolutioni in ſimilibus datæ ad inſtantiam Reverendiſſimi Archiepiſcopi Hiſpalenſis ſub die 26. Novembris 1735. reſcribendum cenſuit: Sanctos, qui in fine anni ſuperſunt, non eſſe ad annum ſequentem transferendos, ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrare non valeant, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandos eſſe tamquam Simplices: faciendo illorum Commemorationem, ut fit in ſimplicibus cum nona Lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum Lectionibus propriis ſecundi Nocturni ad modum unius: Et ita declaravit die 8. Martii 1738.

Hoc Decretum eſt conforme Decretis poſitis ſub num. 282. 337.

APPEN-

# APPENDIX ALIORUM DECRETORUM.

*Quorum notitia ad nos pervenit poſtquam coordinata erat ſuperior Series.*

342. CUm ex Privilegio Religio Servorum B.M.V. poſſit, & valeat recitare Officium Sanctiſſimi Sacramenti qualibet Feria V. & illud B. Virginis qualibet die Sabbati ſub Ritu Semiduplici, dummodo dicti dies non ſint impediti Officio novem Lectionum, & exceptis Adventu, Quadrageſima, & Vigiliis: Et cum multoties eveniat, quod ſit remittendum officium alterius Sancti, aliis de cauſa translatum, ideo Rector, & Patres Montis Senarii in Etruria ejuſdem Ordinis, ad tollenda multorum dubia ſupplicarunt S. R. C. pro declaratione: An dictis diebus dicendum ſit Officium translatum, vel potius Sanctiſſimi Sacramenti, & B. V. ex dicto Privilegio, prout hactenus conſueverunt? Et eadem S. R. C. reſpondit: translatum ulterius protrahi, & officium fieri juxta Privilegium, ſtante præſertim laudabili Conſuetudine &c. Ita S. R. C. die 22. Novembris 1664. *in una Etruriæ*.

343. De Patrono, ſeu Titulari Eccleſiæ debet fieri officium ſub Ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava a Clero eidem adſcripto, etiamſi Eccleſia non fuerit conſecrata, ſed tantum benedicta. S.R.C. 21. Junii 1710. *in una Cappuccinorum Provinciæ Lugaunen.*

344. Si contingat fieri officium de Feſto Semiduplici in Vigilia Omnium Sanctorum, non obſtante Commemoratione Vigiliæ, debent in Laudibus fieri Suffragia Communia: In Miſſa tamen debet dici Oratio *A cunctis &c.* Ita S. R. C. 21. Junii 1710. *in eadem Cappuccinorum*.

345. Feſtum S. Benedicti, quoties incidit in aliquam diem majoris Hebdomadæ, ab omnibus utriuſque ſexus ſub Regula S. Benedicti militantibus, transferendum eſt tam quoad Feſtum, quam quoad Chorum, (ut dictum eſt in Decreto allegato ſupra in Serie, emanato die 23. Jan. 1727.) Unde memorata Feria III. in tali eventu intelligitur dies propria prædicti Feſti, adeoque in ea officium S. Benedicti a dictis Monachis & Monialibus recitandum eſt, non obſtante occurrentia alterius officii, ſeu Feſti Ritus inferioris, immo etiam æqualis.

Inhærendo autem Privilegiis conceſſis a Clemente X. & X. Venerabili Benedictinæ Religioni, certiſſimum eſt, quod in prædicto caſu transfertur hoc Feſtum cum tota ſua Octava; immo & cum Indulgentia &c. ex conceſſione Innocentii Papæ XI. prout apparet in Diplomate Apoſtolico edito 26. ſeptembris 1699.

Si tamen hoc Feſtum incidat in Dominicam Paſſionis, transfertur tunc quoad Officium tantum infra ſuam Octavam in primam diem non impeditam ab alio Feſto, & poſtea ſequitur Octava celebranda a prædictis Monachis, & Monialibus eo ordine, quem nos indicavimus in noſtris Obſervationibus ad *cap. 8. ſect. 3. n. XVI.* & ſic Octava protrahitur uſque ad Nonam Sabbati ante Dominicam Palmarum incluſive, itaut Veſperæ ejuſdem Sabbati ſint de Dominica ſine ulla Commemoratione Octavæ, quæ deſivit ad Nonam.

Si autem occurrat hoc Feſtum in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, tunc celebratur cum tota Octava, ſed in eadem Dominica Paſſionis nulla ſit Commemoratio ejuſdem Octavæ, ut liquet ex Decreto dato ſupra a nobis ſub n. 325. *in Einſilden.* Et tunc dies Octava occurret in Sabbato Palmarum, in quo fiet utique de ipſa Octava uſque ad Completorium incluſive, & in ſecundis Veſperis Octavæ fiet Commemoratio Dominicæ Palmarum ſequentis.

Denique ſi hoc Feſtum celebretur in Dominica IV. Quadrageſimæ, itaut dies Octava incidat in Dominicam Paſſionis, tunc propter dictam Dominicam privilegiatam, ut declaratum fuit in dicto Decreto, ceſſat Octava ad Nonam Sabbati præcedentis, & nulla ſit Commemoratio dictæ Octavæ, neque in Veſperis Sabbati, quæ erunt de Feria, & a Capitulo de dicta Dominica, neque in eadem Dominica Paſſionis, quæ ita conſiderari debet a prædictis Monachis, ac ſi eſſet Feria IV. Cinerum, quæ occurrit aliquando infra Octavam S. Scholaſticæ.

Ad dirigendam Miſſam, & Officium pro dicta Octava vide ea, quæ exhibentur in Decreto, quod habetur in Serie Decretorum ſpectantium ad Rubricas Miſſalis ſub num. 687. in cujus initio poteſt addi, quod in Miſſis de Feria, in quibus ſit Commemoratio Octavæ Conceptionis B. Virginis, debet dici ejuſdem Præfatio.

APPEN-

# APPENDIX ALTERA DECRETORUM

*Quæ ſive ante, ſive poſt editam a Merato Seriem & Additionem, uſque in præſens ab eadem Sacra Rituum Congregatione emanarunt.*

346. OCtavarium Romanum a R. P. D. Bartholomæo Gavanto Cler. Regul. S. Pauli pro celebrandis cum octava feſtivitatibus jam pridem elaboratum, ac referente bon. mem. illuſtr. Card. Bellarmino a S.R.C. non ſemel laudatum, probatumque, ut recitari poſſit, ne diutius religioſi viri deſiderarent, eadem Congreg. poſſe imprimi ſeorſum a Breviario, unanimi Illuſtriſſimorum Patrum conſenſu decrevit 26. Febr. 1622. *in una Rubricarum*.

347. Si dies octava occurrat in Dominicis primæ vel ſecundæ claſſis, in quibus de octava facienda eſt tantum commemoratio, Veſperæ dicendæ ſunt (niſi concurrant cum alio feſto præcedenti) de officiu ſequenti cum commemoratione diei octavæ, ut in primis Veſperis Feſti: quia cum dies octava non habeat officium in die ſequenti, nec etiam convenit habere primas Veſperas in præcedenti, ut in ſimili caſu dicitur de Concurrentia officiu n. 10. S. R. C. 9. Novembr. 1622.

348. Servandus eſt, etiam mutato proprio Breviarin, & acceptato Romano, mos antiquæ & laudabilis conſuetudinis recitandi in choro officium parvum Beatæ Mariæ V. etiam in ſemiduplicibus, & Dominicis, non obſtante Rubrica Breviarii. S.R.C. 2. Jan. 1628. *in una Ordinis S. Benedicti Cathalaunia, Urbano VIII. 16. ejuſdem menſis, & anni approbante*, *Conſt.* Cum ſicut.

349. Propoſitum dubium pro parte Cathedralis Hiſpalenſis, nempe de quo feſto tranſlato potius agendum ſit, an de Patrono civitatis, qui eſt S. Iſidorus, an vero de Titulari, qui eſt Beatiſſima Virgo, Reſponſum fuit de digniori, nempe de B. Maria Virgine. Sac.R. C. 27. Aug. 1633. *in Hiſpalen.*

350. Poſtulantibus Syndico, & electis Terræ Aquavivæ facultatem celebrandi feſtum S. Antonii Patroni dictæ Terræ cum octava, non obſtante quod cum octava celebrarent in eodem nppido feſtum S. Euſtachii pariter Patroni, reſpondit de principaliori duntaxat Patrono celebrandum eſſe cum octava, S.R.C. 28. Martii 1639. *in una Terræ Aquavivæ Regni Neapolitani Barianæ Provinciæ*.

351. De Protecture principali civitatis debet celebrari officium cum octava per civitatem & diœceſim ſub ritu duplici primæ claſſis, tam apud Sæculares, quam apud Regulares utriuſque ſexus, ſed iſti ſine octava. S.R.C. 23. Maji 1639. *in Caven.*

352. Epiſcopus quando reperitur in aliquo oppido ſuæ diœceſis ob viſitationem, ſeu aliam ob cauſam, poteſt licite recitare officium Sanctorum, de quibus ex forma rubricarum, ſeu ex conceſſione Sac. Cong. eo quod ſiut Patroni, ſeu Titulares, in eiſdem oppidis recitatur, & ſic præcepto de recitando officio ſatisfacit. S. R. C. 14. 1643. *in una Dubior.*

353. Dum aliqua legata relinquuntur cum onere celebrandi officium alicujus Sancti ſub altiori ritu, quam qui a ſede Apoſtolica ei præſcribitur, licitum erit hujuſmodi officia ſolemnius celebrare quoad pompam extrinſecam, non autem quoad ritum Eccleſiaſticum. S. R. C. 14. Maji 1644. *in Decreto generali ab Urbano VIII. approbato*.

354. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod inter Veſperarum Divina, peculiari cuſtoditur ſacello, thurificari debet. S.R. C. 5. Septemb. 1648. *in Beneventana*.

355. Aotiphona in choro Cathedralis poſtquam primo loco data fuerit celebranti a cornu Epiſtnlæ, danda eſt ſecuodu loco primæ Dignitati ſive a cornu Evangelii ſive a cornu Epiſtolæ exiſtenti, & ſive interveniat ſive non prima Dignitas, quæ ſedet a dicta parte Evangelii, non obſtante allegata conſuetudine. S. R. C. 21. Mart. 1665. *in Senogallien.*

356. Feſtum Sanctorum Patronorum principalium Civitatis a Clero ſæculari Civitatiſmet celebrandum eſſe cum octava, a Regularibus vero ſine octava: in Diœceſi autem, ubi non adſit proprius loci Patronus, ſimiliter cum octava; at ubi colitur feſtum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel attenta conſuetudine, ſub duplici majori tantum ſine octava. S. R. C. 28. Septembr. 1658. *in Calaguritana*.

357. Cum ex parte Parochorum, Rectnrum, & Sacerdotum locorum & Terrarum, nempe di *Caneto*, *Carzagetto*, *Fontanelle*, *Caſtigl'one*, *Medole*, *Solferino*, *Oſtiano*, *e Volfongo*, Diœceſis Brixienſis, quæ ſunt ſitæ extra limites Status Veneti, Sac. R. C. humillime ſupplicatum fuerit, quatenus ipſis ad ſervandam uniformitatem in recitatione Officiorum Diœceſis Brixienſis, benigne impertiri dignaretur, ut officia Sanctnrum univerſo Dominio Sereniſſimæ Reipublicæ Venetiarum conceſſa, ac in poſterum concedenda, etiam in præfatis locis, & terris recitari valeant: Sacra eadem Congregatio, audita prius relatione Eminentiſſimi Epiſcopi, reſcribendum cenſuit: non indigere alia facultate. Die 7. Dec. 1673. *in Brixien.*

358. Officium ſemiduplex S. Benedicti omnibus tertiis feriis per hebdomadam conceſſum, non poteſt recitari in Adventu, Quadrageſima, & Vigiliis, Sac. Rituum Congr. 30. Sept. *in una Ordinis S. Benedicti Congr. Caſſin.*

359. Occurrente in ſupradicta feria tertia feſto ſemiduplici etiam tranſlato, vel die infra octavas, vel duplici primæ etiam & ſecundæ claſſis, recitandum eſt officium de ſemiduplici currente, de ſimili tranſlato, de die infra octavas, & de duplici quocumque tranſlato. S. R. C. 30. Sept. 1679. *in una Ordinis S. Benedicti Congr. Caſſin.*

360. Pro feſto S. Mathiæ Ap. deciſum fuit, quod in anno Biſſextili propria dies ſit vigeſima quinta Februarii, quæ alias eſt vigeſima quarta, ita ut ſi alicubi habeatur aſſignata dicta dies vigeſima quinta pro aliquo Sancto minoris ritus & dignitatis, iſte ſit transferendus illo anno in proxime ſequentem diem non impeditam: Nunc quæritur: An idem intelligi debeat de aliis Sanctis ſeu officiis occurrentibus in tribus ſequentibus diebus Februarii? Reſponſum fuit: Affirmative. S.R.C. 1. Mar. 1681. *in una Canonic. Reg. Later. ad ſextum Dubium*.

361. Feſtum Purificationis B. M. Virginis, quando occurrit in Dominicis Privilegiatis, niſi ſit titulus Eccleſiæ, quoad officium, & Miſſam in ſequentem diem transferendum eſt. S. R. C. 9. Auguſti 1681. *in Bergomenſi*.

362. Regulares tenentur celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis feſtum de Patrono principali loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, Patroni principalis regni, provinciæ, ſed ad octavam non tenentur. Sacra Rituum Congreg. 20. Mar. 1683. *in una Ord. Min. de Obſerv.*

363. Cum Sanctiſs. D. N. Innocentius Papa XI. per univerſam Eccleſiam celebrari præceperit Feſtum Ss. Nominis Mariæ Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem cum officio & Miſſa propria ſub ritu duplicis majoris: quod feſtum jam ante ex Indulto Apoſtolico, nonnullis in locis, cum Indulgentiis pro Chriſti fidelibus Miſſæ ſolemni intereſſentibus die 17. Sept. celebrabatur cum Officio & Miſſa propriis: Inſtitum fuit a S. R. C. declarari: Primo: An ceſſare debeat in dictis locis tam officium proprium, quam feſtum Ss. Nominis Mariæ jam antea a Sede Apoſtolica approbatum, ita ut idem feſtum dicta die 17. Sept. cum dicto officio & Miſſa propriis non poſſit amplius mutari? Secundo: An dictæ Indulgentiæ etiam cenſeantur ceſſare, an vero intelligantur tranſlatæ ad dictam Dominicam infra octavam B. M. Virginis? Tertio: An dictum officium & Miſſam pro dictis locis, aut Ordinibus Regularibus poſſint amplius reimprimi; ac illo poſthac poſſint iidem uti? Et S. C. ad dicta dubia reſpondit, ut infra. Ad primum: Ceſſare debere. Ad ſecundum: Indulgentias pariter ceſſare pro illa die; & pro tranſlatione ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo. Ad tertium: Non licere. Ead. Sacra Rituum Congr. 17. Junii 1684. *annuente Innocentio XI. in ſua Conſtitutione XVI. in fine*, quæ incipit: NUPER PRO PARTE.

364. Occurrente die Octava Dedicationis cum feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, faciendum eſt officium de octava, tranſlato officio Viſitationis. S. R. C. 21. Auguſti 1688. *in Aquilejen.*

365. Primæ lectioni ſecundi nocturni in feſto S. Thomæ de Villanova poſt verba, *Exacta pueritia*, *Completo*, *quo miſſus fuerat*, ſtatim addantur ſequentia, *ut alumnus in Collegio majori Sancti Idelfonſi*. Et poſt verba, *eodemque ſtatim reverſus eſt*, addantur, *Sacræ Theologiæ curſu confecto, adeo doctrina excelluit, ut in eadem Univerſitate cathedram aſcendere juſſus philoſophicas, theologicaſque quæſtiones mirabiliter explanaverit*. S.R.C. 31. Aug. 1697. *in decreto Urbis & Orbis*.

366. Infra octavam Sanctiſs. Corporis Chriſti poteſt recitari officium de duplici primæ & ſecundæ claſſis etiam tranſlato, non autem in die octava, in qua nec etiam poteſt recitari de duplici ſecundæ claſſis occurrente. S. R. C. 30. Maji 1699. *in Ulyſſiponen.*

367. Feſtum ſemiduplex incidens in Dominicam infra octavam non privilegiatam, debet transferri immediate in feriam ſecundam non impeditam, licet ſit reponendum quodcumque Officium etiam ex ſolemnibus. S. R.C. 19. Jul. 1700. *in Valentina*.

368. Ordini Eremitarum Diſcalceatorum Sancti Auguſtini Provinciæ Franciæ permittitur horas canonicas cantu Gregoriano canendi facultas. S. R. C. 29. Januarii 1701. *annuente Clem. XI. Conſtit. quæ incipit*: Nuper a Congregatione Vener. Fratrum, data Romæ die 29. Jan. 1701.

369. Non ſunt omittendæ in Suffragiis communibus commemorationes Ss. Salvatoris, nec Sanctæ Crucis in eorum Ec-

cleſiis titularibus, S.R.C. 23. Auguſti 1704. *in una Eremit. Camald.*

370. In Eccleſiis dedicatis ſub titulo Sanctæ Mariæ Angelorum, officium de hocce Titulari celebrandum eſt die Aſſumptionis B. M. cum octava ejuſdem. Ita Sac. Rituum Congr. 14. Maji 1707. *in una Pariſienſi*.

Notandum eſt, quod ſi in Ordine Fratrum Min. quædam Eccleſia ſit dedicata ſub ſupradicto Titulo Sanctæ Mariæ Angelorum, cujus feſtum occurrit die ſecunda Auguſti, illa die officium debet celebrari in toto Ordine, Ritu, & modo in Breviariis Minoritanis præſcriptis, ideſt, ut Duplex Majus de Communi Dedicationis cum Lectionibus propriis ſecundi Nocturni.

371. In tertia lectione propria ſecundi Nocturni pro Sancto Pio Papa Quinto, poſt illa verba: *Multis a Deo ejus interceſſione patratis miraculis*, addantur infraſcripta, nempe: *Quibus rite probatis a Clemente Undecimo Pontifice maximo Sanctorum numero adſcriptus eſt*. S. R. C. 1. Julii 1713. *in Decreto Urbis & Orbis annuente Clemente XI. die 8. ejuſdem menſis & anni in decreto quod incipit*: Cum Sac. R. C. *Tom. 8. Bull. Luxemburgi 1727. pag. 437.*

372. Ex parte Eccleſiæ Sancti Jacobi Incurabilium Urbis quæſitum fuit, an officium Viſitationis B. M. V. die 2. Julii, in qua feſtum Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ occurrit, celebrari poſſit die immediate ſequenti, etiamſi fuerit dies Dominica? Secundo quæſitum fuit ex parte ejuſdem Eccleſiæ, an item die immediate ſequenti diei 1. Auguſti etiam Dominica, celebrandum ſit officium S. Petri ad Vincula, cum hac ipſa die occurrat octava S. Jacobi? Et Sac. Congr. reſcripſit faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, in die immediate ſequenti, etiam in occurſu Dominicæ propter perpetuum impedimentum in propria die, juxta alterum decretum Sac. Rit. Congr. 2. Julii 1712. Eadem S. R. C. die 20. Novembr. 1717. *in una Urbis*.

373. Abbatiſſa & Monialibus Monaſterii S. Georgii Ordinis Sancti Benedicti civitatis Patavinæ, pro declaratione dubii circa modum celebrandi ſecundas Veſperas in Feſto S. Georgii titularis ipſarum Eccleſiæ, etiam Parochialis, concurrentes cum primis Veſperis Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, Sac. Rit. Congregationi humillime ſupplicantibus: Sacra eadem Rituum Congr. ſecundas Veſperas de S. Georgio ex integro celebrandas eſſe cum commemoratione Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis declaravit. Eadem S. R. C. 9. Aug. 1721. *in una Monialium S. Benedicti Civitatis Patavinæ*.

374. Sacra Rituum Congr. inſtante Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Barbadico Epiſcopo Patavino, cenſuit in fine ſextæ lectionis pro officio die feſti Sanctiſſimi Redemptoris, ſub die 26. Auguſti proxime præteriti, univerſo Dominio Sereniſſimæ Reipublicæ Venetiarum conceſſo, addi, & imprimi poſſe verba infraſcripta: *Ut autem accepti beneficii recordatio, & cultus erga Salvatorem noſtrum augeretur in dies, Officium proprium, & Miſſam ſub titulo Sanctiſſimi Redemptoris, quæ Innocentius XIII. Romanus Pontifex omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus Venetiis exiſtentibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſingulis annis, Dominica tertia Julii recurrente recitanda conceſſit, Benedictus XIII. itidem Romanus Pontifex ad totum Statum & Dominium Venetum extendit*: Si Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit; & Sanctitas ſua benigne annuit die 16. ejuſdem menſis, & anni. S. R. C. 9. Decemb. 1724. *in Patavina*.

375. Quando adeſt conſuetudo in aliqua Diœceſi celebrandi poſt feſtum Patroni principalis Eccleſiæ immediate annuam Dedicationem propriæ Eccleſiæ in proxima Dominica: ſi in tali Dominica inciderit feſtum primæ claſſis, tunc dicta annua Dedicatio debebit transferri ulterius in aliam diem non impeditam, etiamſi non ſit in eodem menſe. S. R. C. 6. Septemb. 1727. *in una Fulden.*

376. Decretum jam conceſſum Patribus Trinitariis die 12. Julii 1727. celebrandi Dominica ſecunda Octobris officium B. M. V. ſub titulo de Remedio, ad tollendas rixas & contentiones inter hos & Patres beatæ Mariæ de Mercede, accedentibus etiam particularibus inſtantiis Patris generalis Ordinis Prædicatorum, & Patris generalis Carmelitarum, revocandum eſſe ſtatuit S. R. C. die 21. Januar. 1730. *annuente Benedicto XIII.* die 29. Julii 1730. *Conſtit. quæ incipit*: Emanavit.

377. Officium Sanctæ Margaritæ de Cortona Ord. Min. cum Lectionibus ſecundi Nocturni, ac Oratione, necnon Ant. ad Benedictus, & Magnificat propriis, & Miſſa reſpective Clemens XII. approbavit pro die 25. Febr. ſub & Ritu ſemiduplici, recitandum ab utroque Clero Sæculari, & Regulari, & tantum in totam Italiam extendit cum decr. S. R. C. die 5. Maji 1736.

378. Dominica tertia poſt Paſcha, ubi celebratur feſtum Sancti Raphaelis Archangeli, in tertio nocturno recitetur Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi, nempe *Cum vellet Deus &c.* Sacra Rituum Congreg. 5. Maji 1736. *in Einſilden.*

379. Quando feſtum Sanctorum Philippi & Jacobi cadit in Dominica, tunc ultimum reſponſorium, quod eſt proprium dicatur loco penultimi, quod eſt de Dominica pro Benedictinis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſilden.*

380. Quando dies Octava Nativitatis B. Mariæ incidit in Dominica, in qua celebrari debet feſtum SS. Nominis ejuſdem, nulla ſit commemoratio Nativitatis. S. R. C. 23. Jun. 1736. *in Einſilden.*

381. In ſecundo triduo majoris hebdomadæ non poſſunt celebrari Exequiæ defunctorum, & officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Auguſt. 1736. *in Placentina.*

382. Clemens XII. Miſſam & officium proprium Sancti Aloyſii Gonzagæ e Societ. Jeſu pro Feſto ipſius diei 21. Junii omnibus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ſubjectis, nonnulliſque aliis Regnis, & Provinciis conceſſum ſub Ritu Duplici minori, dictum officium, & Miſſam ad omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles exiſtentes in tota Italia, & Inſolis adjacentibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub eodem Ritu impoſterum extendi mandavit. Die 10. Maji 1737.

383. Orationem & Lectiones ſecundi Nocturni proprias Sancti Vincentii a Paulo Congr. Miſſionis, & Miſſam cum Evang. Deſignavit Dominus &c. ut in Communi Evangeliſtarum, S. R. C. annuente Papa Clem. XII. pro die 19. Julii in officio dicti feſti ipſius Sancti ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu ſemiduplici recitari poſſe conceſſit, Die 7. Decembris 1737.

384. Serventur Rubricæ Miſſalis, & Breviarii, & Cæremonialis Epiſcoporum ad verba Invitatorii: *Venite adoremus & procidamus ante Deum &c.* ad verba Symboli: *Et incarnatus eſt &c.* & ad alia ſimilia genuflexionem requirentia, etiam a Cantoribus ad ambonem, aut chorum degentibus, dum ea proferuntur actualiter; ſic tamen, ut quando mora genuflexionis eſt brevis hæc fiat, quando autem mora eſt longa, ne plurium vocum uniſona modulatio inflectatur, genuflectendum erit ſub finem verborum. S. R. C. 8. Martii 1738. *in Ulyſſiponen. Occid. Regii Noſocomii.*

385. An Feria ſecunda poſt feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, in qua tamquam in ſede perpetua, & propria quotannis celebratur ſolemnitas SS. Myſterii uti Titularis, debeat cantari Miſſa ſolemnis de Sanctiſſima Trinitate cum *Gloria*, & *Credo* ratione rei gravis ob concurſum fidelium, licet ipſamet feria ſecunda impedita ſit feſto duplici, dempto claſſico. Reſponſum fuit. Pro gratia. S. R. C. 8. Martii 1738. *in una Ulyſſiponen. Occident. pro Confraternitate Clericorum Sæcularium in Eccleſia Regii Noſocomii.*

386. An officia pro animabus Confratrum extra diem obitus, ſeu depoſitionis, tertium, ſeptimum, & trigeſimum cum caſtro doloris, & concurſu Sacerdotum officiantium, habere debeant ritum duplex, vel ſemiduplex cum pſalmo, ac tribus orationibus? Reſponſum fuit: Serventur Rubricæ Ritualis Romani una cum noviſſimo decreto edito anno 1757. in Nolana, nempe duplicatio antiphonarum præter diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, & diem depoſitionis defuncti, fiat in diebus tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario tantum. Sac. R. C. 8. Martii 1538. *in Ulyſſip. Occidentali.*

387. Feria ſecunda poſt Dominicam infra octavam omnium Sanctorum, feſto duplici minori occupata, in qua pro animabus Confratrum cantatur Officium defunctorum cum ſolemnitate, debet pro gratia cantari Miſſa de Requiem: quod ſi anniverſarium prædictum contingat in feſto altioris ritus, debet illud præcedenti die celebrari. S. R. C. 8. Mart. 1738. *in Ulyſſip. Occident. pro Eccleſia Regii Noſocomii.*

388. Se alla benedizione che dall' Edomadario ſi dà nella ſeconda lezione del terzo notturno de' Santi al *cujus Feſtum* vel *quorum feſtum colimus*, debbaſi o no inginocchiare, ſtante che nell' altre ſette benedizioni, in alcune delle quali ſi nomina il divin Padre, il Figliuolo, e lo Spirito Santo, non ſi coſtuma tal genufleſſione? Reſp. negative. S. R. C. 6. Septembr. 1738. *in una Ord. Min. de Obſer. Ref. Sancti Franc.*

389. Frater Michael Angelus a Gallipoli Proc. Gen. Ord. Min. Obſer. Ref. S. Franciſci ſuppliciter exponit, quatenus recenter a S. R. C. conceſſa ſunt quædam officia Sanctorum alia Urbis & Orbis, alia aliquibus regnis, ditionibus, ſtatibuſque peculiaribus recitanda tum a ſæcularibus, tum a Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, quæ conceſſiones exprimuntur his verbis: *Recitari poſſe, fieri poſſe*, & cum ex Rubricis noſtri novi Breviarii approbatis a S. M. Innocentio Pp. XII. per Bullam, quæ incipit *Exponi nobis &c.* ſtatuatur, ut quotieſcumque ſit hæc expreſſio, *Recitari poſſe, fieri poſſe*, nihil aliud intelligatur, niſi officium ad libitum, hinc humiliter petit ab EE. VV. ut dignentur declarare, ante prædicta Officia cum tali expreſſione expreſſa, ſi incurrant in die impedita ab aliis officiis de præcepto Breviarii prædicti, non obſtantibus decretis S. R. C. de non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum, a nobis poſſit

poſſint transferri ad aliam diem, vel debeant omitti? Sacra autem Congregatio declaravit, prædicta officia acceptata, ſi occurrant diebus impeditis, non reputari debere tamquam mera officia ad libitum, ſed de præcepto, adeoque omnino transferenda. Eadem S. R. C. 6. Sept. 1738. *in una Ord. Min. Obſerv. Refor.*

390. Feſtum S. Joachim Patris B. M. V. quod celebratur 20. Martii, nunc ad ritum duplicem majorem, & ad Dominicam infra octavam Aſſumptionis translatum, & perpetuo affixum eſt per recens decretum anno 1738. die 3. Octobris emanatum, ne feſta de præcepto multiplicentur. Quod ſi alio officio juxta Rubricas impeditum fuerit, ad primam diem non impeditam transferendum erit. In quo decreto ad eumdem ritum duplicis majoris elevatum eſt officium S. Annæ ſecundum ritum ejuſdem conjugis pro die 26. Julii. Eadem S. R. C. 20. Septembr. 1738. *in Decreto Urbis & Orbis, approbante Clement. XII.* die 3. Octob. ejuſdem anni.

391. S. R. C. approbavit atque conceſſit Officium S. Joannis a Cruce Conſ. cum Lectionibus ſecundi Nocturni, ac Oratione propria, atque ad Eccleſiam univerſalem ampliavit pro die 24. Nov. ſub Ritu ſemiduplici recitandum ab utroque Clero Sæculari, & Regulari. Dei 3. Octob. 1738.

392. An in officio Tranſverberationis Sanctæ Thereſiæ debeat ad Matutinum recitari hymnus *Hac dies, qua candidæ*, vel potius de communi Virginum? & reſponſum fuit, debere recitari hymnos proprios, qui recitantur in feſto Sanctæ Thereſiæ, ſed loco: *hæc eſt dies qua candidæ*, dicatur in feſto Tranſverberationis: *Felix dies qua candidæ*. S. R. C. 29. Novemb. 1738. *in una Carthagenen. Hiſpan.*

393. In Commemorationibus communibus, ſive ſuffragiis Sanctorum per annum, dum fit de aliquo Sancto principali, cujus antiphonæ habent in fine *Alleluja*, ſi contingant verba, quibus exprimantur gaudium, victoria, & ſimilia, debet hæc *Alleluja* recitari, alioquin omittatur. S. R. C. 29. Novemb. 1738. *in una Carthagen. Hiſpan.*

394. Officium S. Felicis a Cantalicio Conf. Ord. Minor. Capucc. cum Lectionibus ſecundi, & tertii Nocturni, ac Oratione propriis noviſſime emanatis S. R. C. ad totam Italiam, Inſulaſque adjacentes ſub Ritu ſemidupl. recitandum die 21. Maji ab utroque Clero Sæculari, & Regulari extendit die 21. Martii 1739.

395. Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis montis Politiani exponit in illa Cathedrali vigere conſuetudinem, quandocumque cantentur Veſperæ feriales diebus Quadrageſimæ, Adventus, & jejuniorum, canendi etiam preces, quæ flexis genibus perſolvuntur alta voce cum deſinentia ad unumquemque verſiculum, prout in feſto ſimplici in commemorationibus, & ad antiph. B. M. V. ſcilicet a *fa* ad *re*, excepta oratione Dominica, quæ non canitur, ſed alta voce recitatur uſque ad verſic. *Et ne nos inducas* &c. quæ pariter canitur cum ſupradicta deſinentia: ita pſalmus *Miſerere* non cantatur, ſed recitatur alta voce & in eodem tono, ſicut ceteri verſiculi. Humillime quærit, an iſta conſuetudine ſervanda ſit, & quatenus quo modo, & forma dicendæ ſint. Et reſponſum fuit, non eſſe attendendam conſuetudinem aſſertam concinendi preces feriales ad Veſperas, & ad Laudes in diebus jejuniorum per depreſſionem vocis a *fa* ad *re*, ſed utendum tono, ac voce uniformi per ſimplicem *fa*. S. R. C. 9. Maji 1739. *in eadem Montis Politiani.*

396. Quod ſtatutum fuit per plura decreta Sacr. Rit. Cong. dicendum eſſe pſalmos *Lauda anima mea &c.* ad Veſperas, & *De profundis* ad Laudes pro defunctis, exceptis diebus commemorationis omnium Fidelium defunctorum, & depoſitionis defuncti, ſervandum erit etiam in illis Eccleſiis, ubi ex vi regulæ, ſeu ob adimplendas pias defunctorum voluntates totum Officium defunctorum ritu duplici recitare tenentur, ut fit diebus ſupra expreſſis, & in caſu affirmativo. S. R. C. 9. Maji 1739. *in una Ord. Erem. Camald. Cong. Montis.*

397. Quæritur an in dictis caſibus omittendum ſit Invitatorium, cum Rubrica Breviarii innuat, quod hoc dicatur die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum? Et reſponſum fuit, negative: nempe quod in officio defunctorum quando recitatur integrum, numquam omittendum ſit Invitatorium. S. R. C. 9. Maji 1039. *in una Ordin. Eremit. Camaldul. Congreg. Montis.*

398. Ex parte moderni Epiſcopi Polenſis S. Rit. C. pro declaratione infraſcripti dubii ſupplicatum fuit; nempe, Dignitates, Canonici, & Capitulum Cathedralis Polenſis, obtentu conſuetudinis, terminatis omnibus Horis Canonicis, etiam diebus feſtivis, in quibus nec horam Tertiam unquam canunt, niſi Pontificalia exercente Epiſcopo, recitaris anticipate hoc caſu Sexta, & Nona, Miſſam conventualem decantant. Itemque Miſſas pro defunctis a teſtatoribus legatas ante Matutinum, quoties contingunt, cum cantu celebrant. Cumque hæ conſuetudines reſiſtant Rubricis Miſſalis Tit. de hora celebrandi Miſſam, nec non cuidam decreto S. R. C. in una Catbac. die 18. Junii 1689. quæritur, an attenta conſuetudine tolerari queant hujuſmodi reſpectivæ anticipationes, & poſtpoſitiones Horarum, & ſolemnium Miſſarum cantatarum ſupramemoratæ? Et reſponſum fuit: Serventur omnino Rubricæ Miſſalis Romani ſub tit. xv. S. R. C. 9. Maji 1739. *in Polana.*

399. Anno itidem 1739. ſub die 9. Maji S. R. C. decrevit, ut officium S. Gertrudis Virg. Abb. Ord. S. Benedicti cum Lectionibus ſecundi Nocturni, ac Oratione propriis in Eccleſia univerſali die 15. Novembris recitetur ſub Ritu Dupl. Min. ac ejuſdem Miſſa reſpective celebretur.

400. Officium Translationis S. Januarii, quod in civitate, & diœceſi Neapolitana antiqua conſuetudine Sac. Rituum C. quoque roborata 1664. 16. Septembris, celebratur Dominica prima Maji ſub ritu duplici majori cum octava, vel ſecunda, ſi prima fuerit Dominica in Albis, occurrente cum feſto altioris ritus, vel majoris dignitatis, transferendum eſt a prima Dominica Maji ipſi tamquam propria die aſſignata in primam diem non impeditam; quoad octavam vero ſerventur Rubricæ. S. R. C. 11. Julii 1739. *in Neritonen.*

401. Non tenetur Capitulum Cathedralis pro inchoandis divinis officiis, quibus intervenire aſſolet Magiſtratus Civitatis multoties ad deferendas conſuetas oblationes, expectare ultra horam condictam. S. R. C. 11. Julii 1739. *in Senogallien.*

402. Capitulum, & Canonici celebrantes tam in Cathedrali, quam extra, poſtquam ingreſſi ſunt presbyterium pro Miſſis, vel Veſperis celebrandis induti pluvialibus, ſicut quoties procedunt ad ſedem, & redeunt ad altare ſeſe inclinant Cruci, Epiſcopo, & Canonicis exiſtentibus in presbyterio, ita quoque non debent ſe ſe vertere in presbyterio ad extra, & ſalutare Magiſtratum. S. R. C. 11. Julii 1739. *in Senogallien. inhærendo aliis reſolutionibus in ſimilibus pluries editis.*

403. Se la notizia di un nuovo Offizio di un Santo giungeſſe dopo la giornata ptopria aſſegnata, debba o nò farſi in quell'anno? Reſponſum fuit, affirmative quatenus evenire poſſit Officii recitatio tempore congruo, nempe quod a die pro officii recitatione a S. R. Congregatione præſcripto nondum habuerint dies feriati, ſeu vacantes, vel in feſto inferioris ritus impediti, in quibus juxta Rubricarum regulas hujuſmodi officium recitari potuerit, & minime fuerit recitatum; quod ſi ſecus, pro præſenti anno omittatur. S. R. C. 12. Julii 1739. *in Tropien.*

404. Transferendum eſt officium cadens in diem aſſignatam, & recitandum eſt de aſſignato, ut accidit in Tropienſi die S. Joannis a Cruce aſſignata Sancto Felici de Valois, cum hujuſmodi feſtum non debeat conſiderari ut translatum, ſed immutatum in aliam diem ſimiliter ſibi propriam perpetuo a Sacr. R. C. aſſignatam, & ſit ritus majoris S. Joannis a Cruce, cui ex vi Rubricarum de occurrentia competit translatio. S. R. C. 11. Julii 1739. *in Tropien. &* 1. Octob. 1740. *in Nolana.*

405. An Beata Rita de Caſſia poſſit eligi in Titularem Eccleſiæ publice erectæ in Hoſpitali Meliapurenſi Patrum Eremitarum Sancti Auguſtini: quia cum de Titulari cujuſvis Eccleſiæ debeant fieri ſuffragia in Laudibus, & Veſperis, quod eſt prohibitum quoad Beatos nondum canonizatos: item de Titulari fit officium cum octava, de Beatis vero non fit cum octava abſque ſpeciali privilegio? Reſponſum fuit non licere, niſi Pontificio indulto muniti aſſumere in Titularem propriæ Eccleſiæ Beatum. S. R. C. 23. Januar. 1740. *in Meliapuren.*

406. Titulum Eccleſiæ aſſumptum de Beato ſupprimi debet, & aliud pro eo de Sancto jam canonizato ſubſtitui. S. R. C. 23. Jun. 1704. *in Meliapuren. pro B. Rita de Caſſia.*

407. Officium Patrocinii B. M. V. in Dominica Novembris ab Ordinario loci aſsignanda, ſi per totum menſem a duplicibus primæ claſſis cum octavis Dominicæ ſint impeditæ, prædictum officium in hoc caſu non eſt recitandum in die alicujus octavæ, ſed transferendum pro gratia ſervatis Rubricis Breviarii Romani de Translatione feſtorum. S. R. C. 1. Octob. 1740. *in Nolana.*

408. Cum in die 22. Novembris occurrat octava S. Felicis Epiſcopi, & Martyris in Eccleſia Cathedrali Nolana, ideo transferendum feſtum S. Ceciliæ ſub ritu duplici, quia feſta, quæ amittunt diem propriam, & ſunt perpetuo translata, facienda ſunt in prima die non impedita a feſto novem lectionum tamquam die propria juxta decreta Sacræ Congregationis ſub die 5. Septemb. 1706. & per hoc aſsignata fuit dies 24. At quia eadem dies videtur noviſſime ab eadem Sacra Congregatione aſsignata feſto S. Joannis a Cruce, quæritur quale officium tranſferendum, S. Cæciliæ potius, an S. Joannis? Et reſponſum fuit, firmo officio S. Cæciliæ in die 24. Novembris, erit aſsignanda officio S. Joannis a Cruce dies alia, tamquam dies fixa, & perpetua ab Officio novem lectionum non impedita, S. R. C. 1. Octob. 1740. *in Nolana.*

409. Stantibus ſequentibus decretis pro officio corporis Chriſti, nempe omnibus feriis quintis per annum præterquam in Adventus, Quadrageſimæ, & Vigiliarum, ut in Nolana,



Digitized by Google

officio novem lectionum etiam tranſlato, non impeditis, ſit ſub ritu ſemiduplici officium juxta decretum S. R. C. 20. Martii 1706. Item ſi occurrat ſemiduplex ad libitum, poterit de illo fieri, ſi ſaltem in menſe recitandum ſit de hac commemoratione, alias officium fiat de commemoratione, relicto prorſus officio ad libitum. Eadem S. R. C. 24. Januarii 1682. Quæritur igitur, ſi in aliquo menſe omnes feriæ quintæ impeditæ fuerint a Sanctis novem lectionum, dummodo non eſſent ad libitum, commemoratio Corporis Chriſti in hoc caſu relinquenda erit ſecundum ſupradictum decretum, ſed ſi occurreret etiam officium tranſlatum, ſive duplex, ſive ſemiduplex, erit ne faciendum de dicta commemoratione, vel potius hac omiſſa, recitandum officium de Sancto tranſlato? Reſponſum fuit, occurrente quocumque officio novem lectionum etiam tranſlato, omiſſa recitatione officii Sanctiſſimi Sacramenti, faciendum eſt officium ea die occurrens, etiamſi dies ſit infra octavam S. C. R. 1. Octobr. 1740. *in Nolana*.

410. In officio votivo Sanctiſſimi Sacramenti, quod recitatur ex Indulto Apoſtolico, in reſponſoriis ad Matutinum, reſponſoriis brevibus horarum, verſiculis ad Magnificat & Laudes non debent recitari *Alleluja*, prout dicitur in officio feſtivo diei ſolemnitatis Corporis Chriſti. S. R. C. 10. Decembris 1740. *in Salisburgenſi ex parte Conciſtorii*.

411. Quando Dominica tertia poſt Paſcha, cui eſt affixum feſtum Patrocinii S. Joſeph ſecundæ Claſſis, occurrit feſtum altioris ritus, vel majoris dignitatis, ut feſtum Inventionis Sanctiſſimæ Crucis; transferendum eſt Officium de S. Joſeph in primam diem non impeditam, quæ tamen non ſit Dominica, S. R. C. 22. April. 1641. *in Vilen.*

412. Quando Dominica tertia poſt Paſcha occurrit feſtum Sancti Marci Evangeliſtæ, vel Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, debeat ne S. Joſeph cenſeri dignior prædictis, ex quo poſitus eſt in Litaniis ante omnes Apoſtolos poſt S. Joannem Baptiſtam, & decretum extat S. R. C. 22. Auguſti 1711. editum, quod dignitas perſonæ etiam attendi debet juxta ordinem Litaniarum, ita ut prædictum Patrocinium non cedat præfatis feſtis, vel debeat cedere, & omitti hoc anno, vel transferri ſaltem, ut ſupra dictum eſt? Reſponſum fuit negative quoad primam partem propoſitæ difficultatis: pro gratia quoad ſecundam partem, videlicet, quod officium Patrocinii S. Joſeph transferri poſſit in diem non impeditam, ſed extra Dominicam. Sac. Rit. Congregat. 22. April. 1741. *in Vilnen.*

413. Cum Dominica infra octavam Aſſumptionis Beat. M. Virg. celebretur in Regno Poloniæ feſtum Sancti Hyacinthi Patroni principalis duplex primæ claſſis cum octava, & eadem Dominica recenter ſit aſſignata perpetuo a Sac. R. C. feſto S. Joachimi, an poſſit licite celebrari 20. Martii, ut olim, cum hac Dominica numquam de eo officium fieri poſſit, vel transferri in aliam diem non impeditam, vel in Dominicam ante Nativitatem B. M. V. numquam impedibilem, cum Dominica poſt octavam Aſſumptionis ſit jampridem aſſignata tranſlationi Sancti Caſimiri: & ſi fieret de S. Joachimo 20. Martii, utrum ſit celebre ad populum, ſecundum decretum nuper emanatum 20. Septembr. 1738.? Reſponſum fuit faciendum eſſe officium in regno Poloniæ Dominica infra octavam Aſſumptionis de Sancto Hyacintho, quod eſt primæ claſſis, aſſignata firma die officio Sancti Joachimi, cujus feſtum non ſit de præcepto, quia tranſlato officio non transfertur feſtum, neque ejus feſtum poteſt celebrari ante Dominicam infra octavam Aſſumptionis. S.R.C. 22. Apr. 1741. *in Vilnen.*

414. Cum in regno Poloniæ Dominica poſt octavam Aſſumpt. Beat. M. Virg. ſit aſſignata pridem a S. R. C. tranſlationi S. Caſimiri Confeſ. & eadem Dominica perpetuo occurrat octava S. Hyacinthi Conſ. aſſignata firma die feſto tranſlationis S. Caſimiri, faciendum eſt Officium de die octava S. Hyacinthi in Dominica poſt octavam Aſſumptionis. S. R. C. 22. Apr. 1741. *in Vilnen.*

415. Cum de conceſſione officii Sanctar. Urſulæ, & Sociar. Virg. non conſtet a Sede Apoſtolica, & tamen omnes diœceſes de illa habeant officium duplex 21. Octobr. excepta diœceſi Gracovienſi; an licite poſſint omnes de illa tale officium habere, vel omnes diœceſes debeant ceſſare a tali recitatione? Et reſponſum fuit, ſatis vulgatum eſſe pluribuſque decretis firmatum, officia particularibus locis conceſſa, quantumvis Sanctorum in Martyrologio Romano expreſſorum, Sede Apoſtolica inconſulta non poſſe ab aliis recitari. Hinc cum ſermo ſit de officio, S. Urſulæ a S. R. C. approbato, ac non ſemel conceſſo, ejus extenſio experenda eſt, ut officium licite, ac valide recitetur in illis locis, in quibus præfactæ Sanctæ Urſulæ feſtum cum officio celebratur abſque S. C. indulto. S. R. C. 22. Apr. 1741. *in Vilnen.*

416. Serventur Decreta Sacræ Rituum Congregationis, quæ ſane aſſignatio alterius diei officio in perpetuum impedito fieri poteſt, Sac. Congr. inconſulta; abrogando alia contra hoc emanata S. R. C. 22. Apr. 1741. *in Vilnen.*

417. Cum in Ordine Carmelitarum Excalceat. feſtum Corporis Chriſti celebretur cum octava ad inſtar octavæ Epiphaniæ, in qua non admittuntur niſi duplicia occurrentia primæ claſſis; quæſitum fuit an octavæ inchoatæ ante feſtum Corporis Chriſti adveniente eodem feſto debeat ceſſare ſicut aliæ octavæ ceſſant a 17. Decembr. uſque ad Epiphaniam? Et reſponſum fuit; Si octava inchoata ſit ante feſtum Corporis Chriſti, eo adveniente octava eſt deſerenda. Quod ſi infra octavam occurrat feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis, de eo celebrabitur officium cum commemoratione octavæ occurrentis. Si vero infra octavam Corporis Chriſti occurrat feſtum ſecundæ claſſis nihil de eo ſit, ſed transfertur poſt octavam Corporis Chriſti, pereunte octava feſti tranſlati, ſi poſt octo dies a die ejuſdem feſti octava celebretur. S.R.C. 22. Aprilis 1741. *in Viln.*

418. Officium a Bened. XIII. conceſſum univerſo Dominio Regis Sardiniæ de Sancta Sindone habet locum in qualibet feria ſexta a duplici, vel ſemiduplici non impedita, & ſpecialiter in Quadrageſima, non vero ſuffragatur Indultum Adventus, Vigiliarum, & quatuor Temporum. S.R.C. 8. Julii 1741. *in Foſſianen.*

419. Reſponſorium ex teſtamento quotidie cantandum pro defunctis a Monialibus Monaſterii *das Chagas* poteſt cantari poſt Miſſam decantatam, exceptis diebus primæ, & ſecundæ claſſis, octavis eorumdem feſtorum privilegiatis, nec non tota hebdomada majori, in quibus diebus ne pia Teſtatoris voluntas defraudetur, recitetur privatim in choro a Monialibus prædictis, abſolutis horis canonicis. Sac. Rituum Congr. 8. Julii 1741. *in Lamacen.*

420. Obligatio audiendi ſacrum non reddit ſolemnitatem majorem, ſed relinquit officium in ſuo ritu: quare reponendum prius erit officium altioris ritus præ alio minoris, quamvis iſtud haberet annexum præceptum audiendi ſacrum; cum ſit peculiaris tantummodo prærogativa feſti Annunciationis B. M. V. & S. Joſeph, ex decretis cum Alexandri VIII. tum Clementis XI. quod iſta feſta ſic tranſlata quibuſque aliis feſtis tam tranſlatis, quam occurrentibus præferantur, quando cum illorum officio transfertur ſimul obligatio audiendi ſacrum. S.R.C. 2. Septem. 1741. *in Aquen.*

421. Officia tranſlata, quæ tantum ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, reponuntur non die immediate ſequenti libera, ſed juxta ordinem tranſlationis, ut ſcilicet prius celebretur Officium antea tranſlatum, deinde fiat de alio ſecundo loco tranſlato, & ſic ſucceſſive; ab hac tamen regula excipitur ſemiduplex occurrens in feſto habente octavam, vel in Dominica infra octavam, vel in feſto duplici infra octavam, quod ſemiduplex in præfatis tribus caſibus transfertur in diem immediate ſequentem, in qua agendum eſſet de octava: protrahendo ad aliam diem non impeditam aliud quocumque duplex, etiam primæ claſſis prius tranſlatum. Et decretum quod ſemiduplex occurrens in feſto duplici infra octavam non privilegiatam datum die 30. Septembris 1679. declaratur verum non apocryphum. S.R.C. 2. Septem. 1741. *in Aquen.*

422. Feſta duplicia, quæ coluntur a populo de præcepto, retinent eumdem ritum, quem alias haberent, ſecluſa qualitate præcepti, nec ſunt duplicia majora. Sacr. Rit. Congr. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

423. Duplicia majora habent lectiones primi nocturni vel proprias, vel de communi, non autem de Scriptura occurrente. Sacra Rituum C. 2. Septembr. 1741. *in Aquen.*

424. Qualitas feſtivitatis non eſt ratio, quod Veſperæ ſint, & dicantur integræ de tali feſto, niſi hoc Feſtum fruatur ſimul qualitate vel majoris dignitatis, vel ritus. S.R.C. 2. Septembr. 1741. *in Aquen.*

425. Secundæ Veſperæ Annunciationis concurrentes cum primis diei feſti S. Marci, recitantur integræ de Annunciatione ob præſtantiam dignitatis, non propter qualitatem præcepti. Idem dicendum de feſtis Domini. Sac. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

426. Officia Sanctorum ad libitum incidentia in die impedita in perpetuum non poſſunt figi, ſeu locari perpetuo in alia die ab Ordinariis locorum deſignanda, S. C. inconſulta: nec circa hoc verificatur decretum de anno 1703. revocans in hoc aliud decretum generale de anno 1682. S. R. C. 2. Septemb. 1741. *in Aquen.*

427. Debet fieri in tota diœceſi Officium cum octava Titularis Eccleſiæ cathedralis, aut Patroni. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

428. Hymnus *Iſte Confeſſor*, quando feſtum alicujus Confeſſoris habens octavam transfertur, ſed non ultra octo dies, dicendus eſt cum verſu, *meruit beatas ſcandere ſedes* ab iis tantum, quibus a Breviarii Rubrica injunctum eſt: nec prædicta mutatio fiet, quando Officium feſtivum Sancti habentis octavam, non ultra octavam transfertur, quia tota octava nihil aliud eſt, quam extenſio ipſius feſti, & ideo verſus idem per reliquos octavæ dies, qui forte ſupere-

pererunt, retinebitur. Sac. R. Congreg. 2. Septembr. 1741. *in Aquen.*

429. In feſto tranſlato Stigmatum Sancti Franciſci nulla eſt facienda mutatio in Hymno; quæ quidem mutatio ſervanda modo eſt in feſto S. Joachim, Dominica infra octavam Aſſumptionis celebrando, S. R. C. 2. Septembr. 1741. *in Aquen.*

430. Canonici extra Chorum Officium perſolventes non tenentur ad Pſalmos graduales, pœnitentiales, ad officium defunctorum, Beat. Mar. Virgin. &c. quæ quidem officia ſunt onera tantummodo ex præcepto implenda in Choro, Sacr. Rit. Congreg. 2. Septembris 1741. *in Aquen.*

431. Feſta, quæ perpetuo in aliam diem tranſlata ſunt & remiſſa, pronuntiari debent in Martyrologio eo ipſo die quo celebrantur, non eo quo notantur. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

432. Ubi feſtum Sancti Petri ad Vincula, vel Converſionis Sancti Pauli eſt Titulus Eccleſiæ, ſemper per octavam facienda eſt commemoratio diſtincta alterutrius prout in die feſto, non autem unica communis per antiphonam *Petrus Apoſtolus* &c. S. R. C. 2. Septembris 1741. *in Aquen.*

433. In feſto Sanctæ Tereſiæ lectiones primi nocturni ſunt de Scriptura, non vero de communi. S. R. C. 2. Septem. 1741. *in Aquen.*

434. In die octava Dedicationis Eccleſiæ lectiones primi nocturni ſunt de communi, & non de Scriptura. Sacr. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

435. Regulares etiamſi recitent officium juxta ritum Calendarii Cleri Sæcularis Civitatis, non tenentur ad recitationem officii de octava Patroni loci, vel Titularis principalis. S. R. C. 16. Septem. 1741. *Panormit. in una Ordinis Cler. Regul. Theat.*

436. Feſta Sanctorum, quibus conceſſa eſt octava perpetuo tranſlata, & ab aſſignato cuilibet illorum die perpetuo amota, celebranda ſunt ſine octava, ſi de ea nihil remaneat, vel cum reſiduo illius, ſi de ipſa aliqui tantummodo dies ſupererunt. S. R. C. 16. Septembris 1741. *Panormit. in una Ord. Min. de Obſerv. Ref. S. Franciſci.*

437. An tranſlatis feſtis quibus conceſſa eſt Indulgentia, attenta eorum perpetua tranſlatione, transferri etiam poſſit Indulgentia? ut multi prætendunt virtute Conſtitutionis Leonis X. quæ incipit, *Expoſuit*, ſub die 23. Julii 1518. in qua prope finem habentur hæc verba, *Ac volumus ut quoties dictarum feſtivitatum, & octavarum earumdem celebrationes qualibet ex cauſa, etiam extra tempus transferentur, etiam Indulgentiæ, dictas Eccleſias in feſtivitatibus hujuſmodi & per earum octavas viſitantibus pro tempore conceſſæ ad tempus celebrationis hujuſmodi ſint, & cenſeantur tranſlatæ.* Et reſponſum fuit: Tranſlato feſto unice quoad officium, non transfertur Indulgentia tali feſto conceſſa. Sacra Rit. Congregat. 16. Septembris 1741. *Panormit. in una Ordin. Minor. de Obſervant. Ref. Sancti Franciſci.*

438. Decreta, quæ ſtatuunt non eſſe transferendos ad annum ſequentem Sanctos illos qui in fine anni ſupererunt, intelligenda ſunt non ſolum de ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus, ſive ab accidentali, ſive a perpetuo occurrenti impedimento eorum celebratio fuerit impedita. S. R. C. 16. Sept. 1741. *Panormit. in una Ordin. Min. Obſerv. Ref. S. Franciſci.*

439. Non eſt omittendus in fine cujuſvis Horæ ℣. *Fidelium animæ* &c. quando poſt eam immediate dicitur Miſſa, ſed ſervandus admuſſim textus Rubricæ 30. Brev. Romani ſub num. 3. Sac. Rit. Congr. 14. April. 1742. *in Theſſalina.*

440. Adeſt conſuetudo in Regno Poloniæ celebrandi feſtum Sancti Hyacinthi in Dominica infra Octavam Aſſumptionis B. Mar. Virg. uti Patroni illius Regni cum Octava; ſed pro Eccleſia univerſali aſſignatum eſt in tali Dominica feſtum S. Joachim Titularis etiam Provinciæ Poloniæ cum Octava: ſupplicatum fuit, quale ex duobus debeat transferri? Reſponſum fuit a Sac. R. Congr. transferri feſtum S. Joachim ad ſequentem Dominicam poſt Octavam Aſſumptionis Beat. Mar. Virgin. quia feſtum Titularis Provinciæ debet cedere feſto Patroni Regni. Ita 9. Junii 1742. *In Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis Redempt. Captivorum.*

441. Il Veſcovo di Veroli con ogni maggior oſſequio rappreſenta all' EE. VV. che celebrandoſi il dì primo Maggio la feſta della Dedicazione della Cattedrale, da antico tempo fu fiſſato per la feſta de SS. Apoſtoli Filippo, e Giacomo il dì 5. di detto Meſe. Ed eſſendo poi ſtato ordinato l' Offizio di S. Pio V. credette il Clero di detta Città di dover traſportare detta feſta de' SS. Appoſtoli alli 11. dello ſteſſo meſe, e così ſi pratica preſentemente. E perchè alle volte detta giornata delli undici cade in Domenica, ſupplica perciò l' EE. VV. a degnarſi di preſcrivergli preciſamente, ſe debba in avvenire far celebrare la feſta de' SS. Filippo, e Giacomo il giorno dei cinque di Maggio, ſecondo era lo ſtile, o pure ſeguitare e farla celebrare il dì undeci, quantunque ſia Domenica. Che, ec.

S. R. Congr. reſpondit: De officio Sanctorum Apoſtolorum fieri debet die quinta ipſis jampridem aſſignata, etiam in occurſu Dominicæ, & die altera de Sancto Pio V. die ſcilicet XI. tamquam propria. Eadem S. R. C. 9. Junii 1742. *in Verulana.*

441. Modernus Epiſcopus Tergeſtinus S. R. C. humillime ſupplicavit, quatenus infraſcriptum dubium declarare dignaretur, nempe:

Singulis annis in diœceſi Tergeſtina die 19. Junii celebratur ritu duplici feſtum S. Nazarii Epiſ. & Confeſſ. ritu vero ſemiduplic. feſtum Sanctæ Julianæ de Falconeriis, & feſta SS. Achaji, & Soc. Mart. Quæritur inquam, an officium Sanctæ Julianæ de Falconeriis poſſit celebrari ſemper 23. Junii, & officium SS. Achaji, & Soc. Mart. die 20. Junii, quibus diebus aliunde deberet fieri officium de ea, ita ut dies 20. & 23. ſit dies tamquam propria eorumdem Sanctorum, ad excluſionem alterius tranſlati Sancti, qui poteſt aliquando contingere, & ſic de aliis, qui ſunt omnes ſimul 48. quolibet anno in præfata diœceſi: & inſuper an occurrentia ſimilia officia duplicia in die Dominico poſſint celebrari tali die, ac ſi eſſet dies illorum propria. Et reſponſum fuit affirmative in omnibus. S. R. C. 28. Julii 1742. *in Tergeſtina.*

443. Si feſtum alicujus Sancti erit, tamquam Patroni loci, electi a Clero, populo &c. illius loci cum approbatione Epiſcopi vigore Conſtitutionis Urbani VIII. anno 1642. quæ incipit: *Univerſa*, juxta decreta Sac. Rit. Congreg. tunc feſtum prædicti Sancti erit de præcepto obſervandum, & celebrandum ab incolis totius loci, etiam a ſuburbanis, alias negative. S. R. C. 15. Septembris 1742. *in Tridentina.*

544. Si feſtum prædictum erit de Patrono loci &c. officium erit celebrandum ſub ritu primæ claſſis cum octava ab omnibus Sacerdotibus ſæcularibus ejuſdem. Si vero feſtum &c. erit Titularis illius tantum Eccleſiæ parochialis, officium celebrandum erit ſub ritu primæ claſſis ab iis Sacerdotibus tantum cum octava, qui addicti ſint ſervitio Eccleſiæ illius parochialis, & non ab aliis. S.R.C. 15. Sept. 1742. *in Tridentina.*

445. Quando non conſtat Officia, quæ recitantur in aliqua diœceſi, a S. Sede Apoſtolica conceſſa eſſe, quæritur, an licite poſſint omnes diœceſes de illis talia officia habere, vel illæ diœceſes debeant ceſſare a tali recitatione. Et Sac. Congr. reſpondit: Serventur decreta edita ſuper officiorum recitatione. Qui autem particularia officia recitare deſiderant, inſtent pro illorum approbatione, & conceſſione. S. R. C. 1. Decemb. 1742. *Poloniæ in una Ord. Carmel. Excalceat.*

446. Feſta quæ ſunt ritus duplicis, non celebrantur ſub alio ritu, quam ritu duplicis minoris, niſi conſtet de diverſa conceſſione. Feſta tamen ſecundaria Patronorum minus principalium, ſi celebrentur cum ſolemnitate, habent in ſe naturam duplicis majoris, & qualitatem duplicis minoris, ſi abſque ſolemnitate peragantur. Symbolum autem in Miſſis recitandum non eſt niſi in iis Eccleſiis, in quibus aut ſacrum eorum corpus, aut inſignes Reliquiæ aſſervantur. S. R. C. 1. Decemb. 1742. *Polonia, in una Ord. Carmel. Excal.*

447. Cum ex Synodo Provinciali Regni Poloniæ anno 1628. die 22. Maji conſtitutum ſit, ut Feſta aliqua a Clero, & populo cultu, ac veneratione ſolemni celebrentur, quem ergo ratione talis ſolemnitatis ritum habere debent? quia aliquæ diœceſes tribuunt ipſis duplicem majorem, aliæ duplicem minorem, tamen in occurſu cum duplici minori dant illis integras utraſque Veſperas: proinde ob univerſitatem quis illis ritus debetur? Et reſponſum fuit: Ad obſervandam uniformitatem inſtent in S. R. C. pro elevatione officiorum a ritu duplici minori ad duplicem majorem in feſtis a provinciali Synodo Regni Poloniæ deſignatis, & interim ſerventur Rubricæ tam de occurrentia, quam de concurrentia feſtorum: quæ ex ritu officii, non autem ex apparatu, & concurſu propriam, & veram deſumunt ſolemnitatem. S. R. C. 1. Decemb. 1742. *Poloniæ in una Ord. Carm. Excalc.*

448. Cum ſub die 22. Aprilis 1741. obtenta fuerit facultas pro ſervanda in poſterum uniformitate in eremis ſub Dominio Reipublicæ Venetiarum recitandi officium Patrocinii Beatæ Mar. Virg. pro die 14. Novembris, utpote minime impedita ab alio officio; modo compertum eſt illam diem fuiſſe jam aſſignatam ab hac S. R. C. Sancto Andreæ de Avellino per decretum ſub die XI. Julii 1739. obtentum a Congregatione Caſſinenſi pro omnibus ſub regula S. Benedicti militantibus; ideoque dubitatum, an hoc non obſtante, poſſit recitari prædictum officium Patrocinii illa ipſa die 14. Et ſi non poſſit, ſupplicatur pro aſſignatione Dominicæ tertiæ Novembris? Reſponſum fuit: Poſſe recitari officium Patrocinii B. M. V. die 14. Novemb. & remitti ad aliam diem non impeditam officium S. Andreæ de Avellino. S. R. C. 19. Januar. 1743. *in una Ord. Erem. Camald. Montis Coronæ.*

449. Cum apud Camaldulenſes Montis Coronæ celebretur 16. Novembris Officium Sanctorum Martyrum Joannis, & Benedicti Eremitarum dictæ Congregationis jam a Sancta Sede ſpecialiter eis indultum ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & cum die ſequenti habeatur officium Sanctæ Gertrudis Virg. jam conceſſum poſt aliquot annos pariter ſub ritu duplici ſecundæ claſſis pro omnibus ſub regula S. P. Benedicti militantibus; dubitatur utrum ſtante Rubrica tit. xi. n. 2. in fine de Concurrentia, ſit præponendum cum ſecundis Veſperis integris officium dictorum Sanctorum Martyrum, utpote celebrandum tantum in dicta Congregatione Camaldulenſi, officio dictæ Sanctæ Gertrudis Virginis, quod celebratur generaliter tota in Religione Benedictina? Et reſponſum fuit, eſſe præponendum cum ſecundis Veſperis integris officium Sanctorum Martyrum officio Sanctæ Gertrudis, S. R. C. 19. Januarii 1743. *in una Congregat. Camaldulen, Montis Coronæ.*

450. Feſtum principale Sancti Romualdi apud Camaldulenſes eſt principale in die dormitionis ejus in Domino 19. Junii, non vero translationis ſui corporis die 7. Februarii, & feſtum hoc dormitionis tantum celebrandum eſt cum octava. S. R. C. 19. Januar. 1743. *in una Ordin. Eremit. Montis Coronæ.*

451. Cum in Eccleſiis Camaldulenſium Montis Coronæ non adſit conſuetudo celebrandi Miſſam poſt Nonam in feria quarta Cinerum, & cum rubrica, ac decreta præcipiant benedictionem publicam ſacrorum Cinerum fieri debere poſt Nonam, dubitatur an remitti poſſit ad aliud tempus, nempe poſt Tertiam, hæc benedictio, aliter poſt conſuetudinem apud illos introducta. Reſponſum fuit obſervandum eſſe decretum 22. Januarii 1701. in quo prohibitum fuit fieri Cinerum benedictionem poſt Tertiam, ſed ſervandas eſſe Rubricas, in quibus præſcribitur poſt Nonam. S. R. C. 19. Januarii 1743. *in una Cam. Montis Coronæ.*

452. Cum Rubrica, & decreta præcipiant Matutinum diei Commemorationis omnium Fidelium defunctorum recitari debere poſt Laudes officii currentis, & cum hæc ordinatio videatur pro Monachis Camaldulenſibus Montis Coronæ nimis oneroſa, quippe qui ad duas horas per noctem ſemper protrahant conſuetum Matutinum cum Laudibus, dubitatur an prædictum Matutinum defunctorum remitti poſſit ad ſummum mane ante Primam immediate, vel recitari permittatur in die feſtivitatis omnium Sanctorum poſt Completorium, uti ex antiqua conſuetudine moris eſt apud illos in ſimilibus. Reſponſum fuit obſervandum eſſe decretum 22. Januarii 1701. in quo præſcribitur non poſſe recitari in Choro Matutinum defunctorum in die omnium Sanctorum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. S. R. Congregatio 19. Januarii 1743. *in una Camaldulen. Montis Coronæ.*

453. Feſta Beatæ Cunegundis, ac Sancti Stanislai Kokſtæ, quibus pro Regno Poloniæ, magno Ducatu, adnexiſque Provinciis, Dominicam poſt 24. Julii, & 13. Novembris reſpective aſſignavit, non utique in ſubſequentem Dominicam transferenda, ſed ipſiſmet diebus 24. Julii, & 13. Novembris fore celebranda, quando ipſi dies in Dominicam inciderint, Sacra Rit. Congreg. 11. Maji 1743. *in Polon.*

454. Attenta dignitate perſonæ, licet æqualitas ritus ſit inter feſtum Sancti Marci, & Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, & S. Joſeph, officium vero de Patrocinio S. Joſeph eſt recitandum, ſi cum prædictis ſolemnitatibus occurrat, Sacra Rit. Congreg. 11. Maji 1643. *in Senen.*

455. Occurrente Patrocinio S. Joſeph cum S. Marco & Sanctis Apoſtolis Philippo & Jacobo, veſperæ non ſunt dimidiandæ, ſed perſolvendæ integræ de Patrocinio attenta dignitate S. Joſeph. Sac. Rit. Congreg. 11. Maji 1743. *in Senen.*

456. Patrocinium S. Joſeph non poteſt transferri ad aliam diem, quando non habet locum in Dominica tertia poſt Paſcha, ut in Senenſe, ob occurrentiam Feſti altioris ritus, vel dignitatis, ſed pro eo anno omittitur ex noviſſimo hujus Sacr. Congregat. decreto *in una Einſildenſi* 5. Maji 1736. Sac. Rituum Congreg. 11. Maji 1743. *in eadem Senen.*

457. In oratione *A cunctis*, & in Suffragiis præponendus eſt S. Joſeph Apoſtolis Petro & Paulo, ut præſcribitur in Litaniis majoribus. Sac. Rit. Congr. 11. Maji 1743. *in Senen.*

458. Primaria Feſta Sancti Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli attentis rationibus per P. Merati Sect. 3. cap. 10. num. 2. innixis decreto Sac. hujus Congregationis in Aquilejen. 21. Auguſti 1688. excludunt omnia alia feſta in ipſis occurrentia, excepta ſolemnitate Corporis Chriſti, Sac. Rituum Congreg. 11. Maji 1743. *in Senen.*

459. Poſtquam a Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Schalenſis in ſuo particulari Calendario aſſignata fuit dies decima Novembris Officio Dedicationis Baſilicæ Sanctiſſ. Salvatoris ob perpetuum impedimentum feſti altioris ritus S. Theodori occurrentis die nona ejuſdem menſis, ac ſubinde ex conceſſione Apoſtolica tali diei fuit aſſignatum officium S. Andreæ Avellini pro Eccleſia univerſali: quapropter Capitulum, & Canonici præfatæ cathedralis Sac. Rit. Congregat. demiſſe ſupplicarunt, an ipſi in prædicta die decima Novembris debeant recitare officium S. Andreæ Avellini, vel Dedicationis Baſilicæ Sanctiſſimi Salvatoris? Et reſponſum fuit; Fieri officium Dedicationis die decima ipſi jam pridem aſſignata, & ad aliam diem non impeditam transferri officium S. Andreæ poſtea conceſſum. Sac. R. C. 11. Maji 1743. *in eadem Schalenſi.*

460. Il Guardiano, e Religioſi Cappuccini di Vipacco nella Provincia di Stiria, dioceſe di Aquileja eſpongono riverentemente all' EE. VV. come eſſendo nato un dubbio circa il giorno anniverſario della Dedicazione della loro Chieſa, ſtantechè il documento della Congregazione della medeſima parla in queſti termini: *Conſecravimus anno 1643. ipſa Dominica quatuor Temporum poſt feſtum Exaltationis S. Crucis Eccleſiam &c.* e dandoſi alcuni anni, che fra l' Eſaltazione di S. Croce, e le quattro Tempora intermedia una Domenica: ſi domanda, ſe queſta Domenica che antecede le quattro Tempora, o quella che immediatamemente ſegue, debba conſiderarſi propriamente *ipſa Dominica quatuor Temporum*, nella quale ſi debba celebrare l' anniverſario di eſſa Conſecrazione.

S. Congreg. reſpondit: Dominicam quatuor Temporum eſſe illam, quæ Sabbatum quatuor Temporum immediate ſequitur; non eſt prorſus ambigendum. S. R. C. 31 Auguſti 1743. *in Aquilejen. in una Ord. Cappuc.*

461. An Regulares debeant celebrare feſta perpetuo translata in illis diebus in Calendario diœceſis auctoritate Ordinarii aſſignatis, tamquam propriis, quando in illis diebus non occurrat feſtum ſui Ordinis? Reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 7. Decembris 1743. *in Mediolan.*

462. An feſta perpetuo translata etiamſi ſint ſemiduplicia, transferri poſſint in dies infra octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de octava, tamquam in dies proprias. Reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 7. Decembris 1743. *in Mediolanen.*

463. In fixatione feſtorum attendi debet, quod præcipitur a Rubrica x. Breviarii Romani ſub n. 7. de Translatione feſtorum, ut ſcilicet prius agatur de duplici, poſtea de ſemiduplici, & inter plura duplicia quod eſt magis ſolemne prius celebretur, ſive ex ritu, ſive ex dignitate majoritas iſta ſolemnitatis proveniat; alioquin ſi ſint omnino æqualia, unum ante aliud reponatur, & ordine quo erant celebranda in propriis diebus: eadem enim militat ratio in fixatione, quæ probaret in translatione. S. R. C. 7. Decembr. 1743. *in Mediolanen.*

464. An poſt decretum 7. Decembris 1680. abrogatum ſit aliud decretum ejuſdem S. R. C. ſcilicet officia Sanctorum, quæ alicubi ſuperſunt de menſe Decembri, poſſint transferri in annum ſequentem? Reſponſum fuit: Poſterioribus hujus S. R. C. decretis, quibus cautum eſt, ut Sancti qui in fine anni ſuperſunt, non ſint ad ſequentem annum transferendi, abrogatum fuiſſe decretum 7. Decembris 1680. ideoque comprehendi ſub illis etiam Sanctos, qui in menſe Decembri occurrentes translati ſuperſunt, affirmare non dubitavit. S. R. C. 7. Decembris 1743. *in Mediolan.*

465. An ſit validum votum emiſſum anno 1726. in civitate Thermitana ob liberationem a ruinis Terræmotus, primo celebrandi tria feſta de præcepto, ſcilicet diem primam, ſecundam, & tertiam Septembris: ſecundo jejunandi die præcedente prædicta feſta: tertio numquam admittendi mulieres in ſcænis hiſtrionum, & theatris? Reſponſum fuit: votum ſuſtineri quoad perſonas tantum, quæ illud emiſerunt. S. R. C. 1. Februarii 1744. *in Panormitana.*

466. Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIV. ad inſtantiam Sereniſſimi Caroli utriuſque Siciliæ Regis ſub die decima Julii 1743. indulſerit univerſo Clero præfatorum regnorum, Officium, & Miſſam Beati Camilli de Lellis ſub ritu duplici ad libitum pro die 15. Julii; cumque eadem die occurrat officium diei feſti Sancti Enrici Confeſſoris ſub ritu ſemiduplici de præcepto; propterea Clerus diœceſis Barenſis ad tollendam omnem hæſitationem S. Rit. C. demiſſe ſupplicavit, quatenus benigne declarare dignaretur, quodnam ex duobus enunciatis officiis ſit transferendum? Et Sac. eadem Congr. cenſuit reſcribendum ad Dominum Secretarium cum Sanctiſſimo. Et facta de prædictis per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua decrevit: ut fiat officium de Sancto Enrico Confeſſore die 15. Julii, officium vero Beati Camilli non transferatur, ſed omittatur. Die 18. Aprilis 1744. *pro eadem Barenſi.*

467. Clerus alicujus Terræ non tenetur recitare Officium, & octavam Dedicationis Eccleſiæ matricis, niſi fuerit ipſius Eccleſiæ ſervitio, vel commoditati adſtrictus, aut in ea aliquod beneficium vel tenue poſſideat, vel beneficium ſimplex. S. R. C. 16. Maji 1744. *in Auximana.*

468. An

Digitized by Google

468. An Clerus alicujus Terræ poſſit, vel debeat recitare Officium cum Miſſa tam in die, quam per octavam Dedicationis Eccleſiæ Matricis, an ſint excludendi Sacerdotes alicujus Congregationis, qui habeant onus recitandi Divinum Officium more Canonicorum in propria Eccleſia, cujus Dedicatio occurrit, ſub cujus Cruce in proceſſionibus, quæ fiunt infra annum, promiſcue incedunt? Et reſponſum fuit non indigere reſponſione. S. R. C. 16. Maji 1744. *in Auximana.*

469. Presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Cortonæ expoſuerunt, quod cum feſtum Dedicationis eorum Eccleſiæ jam affixum quintæ Dominicæ poſt Pentecoſten concurrat hoc anno 1744. cum primis Veſperis Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli; propterea Sacræ Rit. Congregationi ſupplicarunt pro declaratione, quod, ex hiſce duobus feſtis ſit præferendum.

Reſponſum fuit; Faciendum eſſe totum de digniori cum commemoratione minus digni; ſcilicet totum de Dedicatione cum commemoratione Ss. Apoſtolorum, idque ſervandum eſſe in prælatione octavarum juxta Rubricas generales, etiam occurrente in Dominica quinta poſt Pentecoſten, Sacra Rituum Congregatio 16. Maii 1744. *in Cortonen. in una Presbyter. Sæcular. Oratorii Sancti Philippi Nerii.*

470. Occurrente die octavo Sancti Michaelis cum feſto B. M. Virg. de Roſario, faciendum eſt Officium de octava S. Michaelis, transferendo Officium, & Miſſam Roſarii ad primam diem non impeditam. S R. C. 20. Junii 1744. *in Albiganen.*

471. Prima dies proxime non impedita aſſignanda eſt cuilibet feſto a ſua die ob perpetuum impedimentum translato; ita ut dies illa impoſterum ſit tamquam dies propria & fixa feſti translati, juſtificatis tamen apud Epiſcopum loci Ordinarium translatorum numero, & cauſis, dierumque aſſignandorum ordine, ac qualitate. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Frinſingen.*

472. Uſus celebrandi quamplura feſta ſub ritu duplicis majoris ex eo quia ſunt celebria in populo, ut eſt in Cracovienſi, ſuſtineri non poteſt. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in eadem Cracovienſi.*

473. Feſta per annum duplicia, quæ ſulemniter celebrantur a Choro, & in populo ſunt de præcepto in concurrentia cum æqualibus quoad ritum, & dignitatem, poſſunt habere integras Veſperas ad ſenſum Rubricæ xi. Breviarii Romani num. 2. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Cracovienſi.*

474. Moniales Ordinariis locorum ſubjectæ non tenentur recitare Officia particularia Diœceſum; tenentur tamen recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, necnon de ejuſdem Eccleſiæ Dedicatione, non vero de eorumdem feſtorum octavis, niſi id ſpecialiter ipſis indultum ſit ex vi conceſſionis Apoſtolicæ, vel propriæ Conſtitutionis ab Apoſtolica Sede approbatæ. S. R. C. 22. Aug. 1744. *In Jannen. Monialium Ord. S. Claræ.*

475. Moniales Ordinis S. Claræ, ut petitum fuit in Januenſi a dictis Monialibus, novum Breviarium, & Calendarium pro Patribus Conventualibus editum poſſunt aſſumere, petita venia ab hac S. R. C. Eadem S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Januen.*

476. An Feſtum S. Joachim, ſi occurrat in Dominica in die octavæ Aſſumptionis, celebrandum ſit eadem die, vel potius ad aliam transferri? Reſponſum fuit ſervari Rubricam x. Breviarii Romani de Tranſlatione Feſtorum. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Romana.*

477. Non dedecet aſſignari feſtis etiam ſemiduplicibus a propria die ob aliquod impedimentum perpetuo translatis dies illos infra octavam non privilegiatam ab alio occurrenti feſto non impeditos, qui dies habeantur, & ſint impoſterum ſedes fixa talium translatorum. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Cracovienſi.*

478. Cum aliquod feſtum jam translatum iterum moveri ex neceſſitate contigerit a die ſibi ſemel aſſignata, non eſt opus, ut cetera alia feſta poſt ipſum translata a diebus ſibi reſpective aſſignatis denuo removeantur: niſi forte nova Calendarii conſtructio ex integro aſſumeretur. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi.*

479. Utrum Eccleſia particularis, quæ non poteſt facere de feſto in die aſſignata tamquam propria pro tota Diœceſi, poſſit, & debeat huic feſto aliam diem eligere tamquam propriam? Reſponſum fuit affirmative cum approbatione tamen Reverendiſſimi Epiſcopi loci Ordinarii circa electionem diei. Sacra Rituum Congreg. 22. Auguſti 1744. *in Cracovienſi.*

480. Ab antiquo feſtum Sanctorum Coſmæ & Damiani perpetuo a ſuo die translatum in Polonia appoſitum fuit pro prima die Octobris: poſtea feſtum S. Remigii conceſſum fuit ſemiduplex ad libitum. Nonne convenit aſſignare diem aliam iſtis Sanctis, puta tertiam Octobris, ut poſſit fieri de Sancto Remigio? Et in hoc caſu nonne ſatius eſſet ut in Cathedrali propter occurſum diei infra octavam Sancti Wenceslai fieret die prima Octobris commemoratio tantum S. Remigii in Officio de infra octavam, protrahendo illud Ss. Coſmæ & Damiani ad diem tertiam, ne multiplicentur dies proprii reſpective ad particulares Eccleſias? Reponſum fuit: Feſtum Ss. Coſmæ, & Damiani jam alias a propria die perpetuo amotum celebrari deinceps poterit tam in Cathedrali, quam in Diœceſi Cracovienſi die tertia Octobris, ut die prima agatur in Diœceſi de Sancto Remigio ad libitum, de quo in Cathedrali haberi poterit commemoratio tamquam de ſimplici in Officio de infra octavam S. Wenceslai inibi tantum occurrente. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi.*

481. Perpetuo transferri debet feſtum S. Annæ, quod celebre eſt in Polonia propter octavam nuper conceſſam de Beato Joanne de Dukla, ſupplicatur humillime, ut hoc feſtum fiat propria die cum commemoratione octavæ etiam Sancti Vincentii a Paulo apud RR. Sacerdotes Congreg. Miſſionis. Similiter contingit fieri die octava S. Stanislai Koſtka 25. Novembris cum translatione S. Catharinæ, quæ colitur celebriter ad populum, eadem gratia poſtulatur, ut ſcilicet fiat de Sancta cum commemoratione octavæ. Reſponſum fuit, pro gratia quoad Officium feſtivum Sanctæ Annæ die 26. Julii cum commemoratione octavæ tam Beati Joannis de Dukla, quam S. Vincentii a Paulo pro RR. Sacerdotibus Congregationis Miſſionum inſimul occurrentis. Quoad incidentiam vero diei octavæ S. Stanislai cum feſto Sanctæ Catharinæ ſervetur Rubrica de translatione Feſtorum. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi.*

482. Feſtum Sanctorum Martyrum Cornelii & Cypriani a propria die perpetuo amotum, die ſeptima infra octavam Dedicationis, non impedita ab alio feſto celebrari deinceps in Civitate Peruſina pro conventu Cappuccinorum poſſe non improbatur. S. R. C. 28. Novembris 1744. *in eadem Peruſina.*

483. Occurrente feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ in die S. Silveſtri, Officium S. Silveſtri non eſt transferendum ad annum ſequentem, ſed celebrandum in ipſomet die Dedicationis cum commemoratione ejuſdem S. Silveſtri. S. Rit. Congr. 23. *Jan.* 1745. *in Lunen. Sarzanen. Ord. Sancti Franciſci de Obſerv.*

484. Prima die menſis impedita duplici, aut ſemiduplici, cum ex præſcripto Rubricarum Officium defunctorum, & Miſſa conventualis de Requiem non ſit celebranda, Officium, & Miſſa hujuſmodi differenda ſunt ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas. S. R. C. 23. *Martii* 1745. *in una Eponegien.*

485. Quando plura Officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita, aſſignata cenſetur in perpetuum pro die propria feſti reſpective translati. S. R. C. 15. Maji 1745. *Poloniæ in una Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis.*

486. Feſta plura de præcepto eadem die occurrentia poſſunt ſtabiliri infra illas octavas privilegiatas, quæ hujuſmodi feſta occurrentia non excludunt, licet excludant translata, ut eſt octava Corporis Chriſti, quæ admittit duplicia occurrentia, non autem translata. Stabiliri autem non poſſunt infra eas octavas quæ hujuſmodi feſta occurrentia excludunt juxta regulas præſcriptas in Rubrica de octavis *n.* 3. S. R. C. 15. Maji 1745. *Poloniæ in una Ordinis Diſcalceat. SS. Trinitatis.*

487. Cum in die octava Beati Joannis de Dukla compatroni Regni Poloniæ incidat perpetuo feſtum S. Annæ genitricis Beatæ Virg. Mariæ, qui dies magna cum devotione populi frequentatur, quæritur an debeat fieri Officium de Sancta Anna cum commemoratione octavæ Beati Joannis de Dukla? Reſponſum fuit de die octava Beati Joannis de Dukla compatroni regni habendum eſſe officium, S. Annæ vero die prima non impedita habendum eſſe. S. R. C. 15. Maji 1745. *Poloniæ in una Ordinis Excalceat. Sanctiſſimæ Trinitatis.*

488. An non obſtante decreto primæ Septembris 1607. aut alio quocumque, poſſit quis in feſto omnium Sanctorum poſt ſecundas Veſperas, etiam Veſperas Vigiliæ defunctorum una cum Matutino & Laudibus recitare, facereque fructus ſuos, aut an obligetur ſub peccato obedire prædicto decreto, & ſecunda Novembris dictum Matutinum cum Laudibus recitare, facereque fructus ſuos? Et reſponſum fuit: Privata officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione abſolvi licite poteſt poſt veſpertinas horas feſti omnium Sanctorum; in Choro autem juxta Rubricas adimplenda eſt mane die ſecunda Novembris: niſi ut populi commodius, & frequentius in illis intereſſe poſſint, contraria jam faceret conſuetudo. S. R. C. 14. Sept. 1745. *in Ratiſponen.*

489. An univerſa Diœceſis teneatur ad celebrandum ſub rito primæ claſſis cum octava de feſto Titulari Eccleſiæ Cathedralis & Civitatis? Reſponſum fuit: Affirmative. Sac. R. C. 4. Septembris 1745. *in Pernambucen.*

490. Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis in diebus ſimpli-

pli-

plicibus, & ferialibus, non abrogata tamen conſuetudine, quæ in contrarium fortaſſe vigeret, tutò poteſt omitti, & in bona conſcientia. Sacra Rituum Cong. 14. Septemb. 1745. *in Pernambucen.*

491. An Clerici ſæculares Choro non adſtricti poſſint recitare de Sanctis Ordinis Carmelitani, ſi ſint ejuſdem Ordinis Tertiarii? Reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 4. Sept. 1745. *in Pernambucen.*

492. An Clerici ſæculares profeſſi in militare ordine D. N. Jeſu Chriſti poſſint recitare de Sanctis, de quibus recitant ejuſdem Ordinis Clauſtrales? Et reſponſum fuit, cum clauſula, dummodo non ſint Choro adſtricti. S. R. C. 4. Sept. 1745. *in Pernambucen.*

493. De Titulari Eccleſiæ Cathedralis in genere, commemoratio inter ſuffragia ſolummodo habenda eſt per illos qui ſunt de gremio Eccleſiæ; ſecus ſi eſſet inſimul Patronus Principalis. Sac. Rit. Congr. 4. Sept. 1745. *in Pernambucen.*

494. In Diœceſi Januenſi die 21. Novembris fit officium Patrocinii Beatæ Mariæ Virg. & in toto dominio ejuſdem fit etiam officium Patrocinii Beatæ Mariæ Virg. de Miſericordia die 18. Martii; quæritur an Clerus ſæcularis, & regularis oppidi Novarum Diœceſis Dertonen. in dominio Januen. poſſit, & debeat recitare utrumque officium conceſſum die 21. Novembris, & 18. Martii? Reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 29. Januarii 1746. *in eadem Dertonen.*

495. Vigore Decreti Sanctiſſimi D. N. Benedicti XIV. editi ſub die 12. Aprilis 1742. in actis Sacræ Congregationis exhibiti, poteſt Ordinarius Rhegienenſis Provinciæ Bononienſis, in feria quinta poſt Sexageſimam abſque alia ulteriori facultate, ſolemni pompa feſtum Sancti Aloyſii Gonzagæ cum communione generali, Indulgentia plenaria, & Miſſa ejuſdem Sancti celebrare juxta conſuetudinem, ac reſpective in perpetuum aſſignare Patribus Societatis Jeſu feriam prædictam poſt Sexageſimam pro celebratione prædictæ feſtivitatis pro ſpirituali populorum profectu. S. R. C. 19. *Januarii 1746. in eadem Rhegien. Provinciæ Bononien.*

496. Poteſt ulterius transferri Officium S. Raymundi de Pennafort ob occurrentiam fixam Deſponſationis, relinquendo diem 28. Januarii vacuam ut feſtum Nominis Jeſu ponatur illa die, & non celebretur in Quadrageſima, quando contingit illud transferri, ex eo quod Dominica ſecunda poſt Epiphaniam aſſignata huic officio, aliquando incidit in Dominicam Septuageſimæ. Sacra Rit. Congreg. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

497. Quando feſtum Purificationis occurrit in aliqua Dominica ſecundæ Claſſis, ejus officium transferendum eſt in feriam ſecundam immediate ſequentem, quamvis impeditam, tranſlato ab ea quocumque alio feſto, ne continuatio myſterii Dominicæ Incarnationis diu protrahatur. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien. in explic. Rubricæ Miſſa, de Bened. Candel.*

498. Semel, & pro ſemper aſſignare poteſt Ordinarius diem non impeditam extra Dominicam, & octavas Sanctorum, feſtis Sanctorum ad libitum, non immutata tamen lege Sanctorum ad libitum. S. Rit. Congr. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

499. Non poteſt continuari Officiorum recitatio, quæ conceſſa ſunt in aliquibus Diœceſibus ab aliquo tempore, ut ſunt de Sanctis Martyribus Gorcomienſibus 9. Julii, & de Sancto Eraſmo Epiſcopo & Martyre 3. Junii pro Belgio, ſub Ritu duplici ad libitum, cum nullum fundamentum ſit horum officiorum extenſionis ad regnum. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

500. Feſta ſimplicia perpetuo impedita, ita ut de illis nequidem commemoratio perpetuo fieri poſſit, non poteſt Ordinarius loci aſſignare certam diem aliam illis feſtis impeditis. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

501. Conſuetudo antiqua, & immemorabilis dicendi Officia de aliquo Sancto ſufficit ad licite continuandum ut illud recitetur, dummodo immemorabile reſpiciat feſtum in Romano Martyrologio deſcriptum, ſin minus negative. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

502. Cum inter cetera officia Patronorum Regni Sveciæ a Sacra Rit. Congregatione approbata, & ſub die 25. Maji 1616. extenſa ad Regnum Poloniæ, reperiatur feſtum Reliquiarum in Eccleſia Ripſalenſi, Dominica proxima poſt feſtum Sancti Matthæi celebrandum, & Diœceſes Regni Poloniæ varie celebrent illud, aliæ enim prædictum feſtum impeditum a feſto altioris, & æqualis Ritus in Dominica præfata occurente illo anno omittunt juxta Decretum a Sac. Rit. Congregatione emanatum ſub die 20. Martii 1653. Aliæ vero Diœceſes, non obſtante prædicto Decreto, transferunt illud in primam diem non impeditam ſecundum alia Decreta emanata ſub die 16. Septembris 1730. & ſub die 5. Maji 1736. & reſponſum fuit: Officium Reliquiarum quod celebratur prima Dominica poſt feſtum Sancti Matthæi, ſi talis Dominica fuerit Officio altioris ritus impedita, poterit in aliam diem non impeditam transferri. Sacra Rituum Congreg. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

503. Supplicarunt quid faciendum in Diœceſibus Cracoviæ, & Poſnaniæ, in quibus jam a tribus annis nihil fit de feſto Reliquiarum, quæ reperiuntur in Eccleſia Ripſalenſi juxta alia iterum Decreta ab eadem Sacra Rituum Congregatione ſub die 3. Junii 1617. & 12. Maji 1615. & 5. Aprilis 1625. ideo ad uniformitatem Diœceſum ſupplicatur humillime declarari, an debeat prædictum officium recitari, etſi impeditum ſit a feſto altioris ritus occurrente in præfata Dominica, vel poſſit ne transferri ad primam diem non impeditam non obſtante citato Decreto? Et reſponſum fuit: Officium Reliquiarum prædictarum, impedita Dominica a feſto altioris ritus, in diem aliam non impeditam transferri. Sacra Rituum Congregatio 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

504. Cum Officium Gratiarum actionis pro victoria de Turcis obtenta pro Polonia conceſſum ſit, atque approbatum a Sacra Rituum Congregatione ſub die 21. Januarii 1629. ſub ritu duplici, & Miſſa nulla ſit ordinata, varie illam Sacerdotes dicunt, alii dicunt votivam de Sanctiſſima Trinitate cum ſecunda oratione pro gratiarum actione, ut in Miſſali, alii vero Miſſam quidem dicunt de Sanctiſſima Trinitate, ſed orationem dicunt ex Officio, & quidem unicam, Evangelium etiam conforme officio non illud, quod eſt in votiva de Sanctiſſima Trinitate: ideoque ad tollenda dubia ſupplicatur declarari qualiter debeat dici Miſſa, an priori modo, an poſteriori, utpote in quo Miſſa eſt conformior officio? Reſponſum fuit: exhibeant officium conceſſum, ut ex ipſo deſignari poſſit Miſſa S. S. Rit. Congreg. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

505. Cum præſcriptum ſit dicendum eſſe officium de Dedicatione in ipſa die conſecrationis a Clero illius Eccleſiæ, quæ conſecratur, dubium eſt, utrum Epiſcopus conſecrans, etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem officium de Dedicatione; & reſponſum fuit negative quoad præceptum; poterit tamen, ſi velit, ex congruentia. Sacra Rit. C. 7. Maji 1746. *in Varſav.*

506. Expoſito Sanctiſſimo Sacramento in Altari majori dum ſub Magnificat in Veſperis idem Altare majus incenſatur, an debeant etiam incenſari alia Altaria, ex eo quod incongruum eſſe videtur relinquere in Altari expoſitum Sacramentum; & utrum thurificato Altari majori, ubi eſt expoſitum Sanctiſſimum, debeat etiam fieri thurificatio illius Altaris, in quo eſt reconditum Sanctiſſimum in ciborio? Reſponſum fuit, non eſſe thure adolenda alia Altaria, licet alibi Sanctiſſimum Sacramentum aſſervetur. Sacra Rit. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

507. Cum contingat ſæpius in Eccleſiis Regularium, vel aliis, præſertim in die obitus, ſeu anniverſario defunctorum, Miſſas celebrari a confluentibus Sacerdotibus, ſupplicatur declarari, an Sacerdotes, qui recitant officium de feſto duplici, confluentes ad Eccleſias ſive Regularium, ſive aliorum, ubi dicitur officium de ſemiduplici, poſſint ibi dicere Miſſas privatas defunctorum? Reſponſum fuit negative, Sacra Rituum Congreg. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

508. Recitantes officium de Martyre, & celebrantes in Eccleſiis, ubi dicitur de Confeſſore, utrum debeant ſe conformare in colore illis Eccleſiis etiam ſi nulla ibi ſit ſolemnitas? Reſponſum fuit affirmative, etiam quoad Miſſam quæ non poterit celebrari de Sancto Confeſſore, ſi color fuerit rubeus. Sacra Rituum Cong. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

509. Officium Sanctiſſimi Sacramenti, quod recitatur ex privilegio in feria quinta non impedita per annum a feſtis duplicibus, vel ſemiduplicibus, demptis quoque feriis Adventus, Quadrageſimæ &c. ſi occurrat in Veſperis cum alio officio ſemiduplici, dividit Veſperas a capitulo. S. R. C. 1. *Julii 1747. in Zagabrien.*

510. An quando feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis occurrit in Dominica privilegiata, ejus officium transferri debeat in feriam ſecundam immediate ſequentem, an in primam diem non impeditam feſto duplici, vel ſemiduplici? Reſponſum fuit: quando hujuſmodi caſus intervenerit, officium Purificationis eſſe transferendum in feriam ſecundam immediate ſequentem, quocumque feſto etiam æqualis, non tamen altioris ritus in eam incidente; & idem ſervandum mandavit, quando feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis occurrat in Dominica privilegiata; quod ſi in hebdomada majori, vel Paſchali, tunc Annunciationis officium pari cum privilegio in feriam ſecundam poſt Dominicam in albis transferri voluit; atque hoc Decretum generalibus Calendarii Romani Rubricis adjici præcepit Sacra Rituum Congreg. 20. Julii 1748. *in Decreto Urbis & Orbis.*

511. An in Eccleſiis ſub titulo Sanctæ Mariæ Angelorum fieri debeat die ſecunda Augusti officium cum Miſſa de Beata Maria Virgine, prout hactenus ſervatum fuit, vel potius feſtum Sanctæ Mariæ Angelorum ſit celebrandum die Aſſumptionis ejuſdem. Sacra Rituum Cong. re mature diſcuſ-

diſcuſſa ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Alexandri Albani reſcribendum cenſuit, ſervari ſolitum, nempe in caſu propoſito die ſecunda Auguſti faciendum eſſe officium cum Miſſa de Beata Maria Virg. titulari Eccleſiæ, prout in feſto ad Nives, præter lectiones ſecundi Nocturni, quæ ſumendæ ſunt ex ſecundo nocturno Nativitatis ejuſdem Beatæ Mariæ, mutato verbo *natali* in verbum *feſtivitate*, juxta Decretum editum die decima Junii anni 1690. in una Ord. Minor. de Obſerv. Sacra Rituum Congreg. 7. Septembris 1748. *in una Ordinis Cappuccinorum Provinciarum Calabriæ in Italia Sanctiſſimo Papæ Benedicto XIV, ſuppliciter porrecta & ad S. R. C. eadem die remiſſa*.

512. An Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, ad quam Regulares intra eamdem Civitatem conſtituti, ſub ritu duplici ſecundæ claſſis celebrandam tenentur, ultra illius octavam transferri poſſit ab iiſdem Regularibus, ſi prima dies altiori feſto, ſimulque tota reliqua octava aliis novem lectionum feſtis impedita ſit? Reſponſum fuit affirmative. S.R.C. 11. Januarii 1749. *in una Ord. Excalceat. S. Auguſt. Provinciæ Auſtriæ*.

513. Feſtum Patrocinii S. Joſeph occurrens in feſto altioris ritus transferri poteſt non obſtante Decreto 20. Martii 1683. Nam eadem Sacra Rituum Congregat. die 26. Novembris 1735. hanc declarationem edidit. Cum in tota Hiſpania ſit conceſſum, ut in tertia Dominica poſt Paſcha celebretur feſtum Patrocinii S. Joſeph ſub ritu duplici, quæſitum fuit, ſi cadat in illa die feſtum majoris ritus, an feſtum Patrocinii S. Joſeph ſit transferendum ad aliam diem? Et reſponſum fuit, transferri poſſe. Hæc declaratio facta pro regnis Hiſpaniæ valet etiam pro aliis regnis, quibus idem officium conceſſum eſt. Sacra Rit. Congreg. 11. Januarii 1749. *in una Ordinis Excalceator. S. Auguſtini Provinciæ Auſtriæ*.

514. An feſtum titulare Archiconfraternitatis Septem dolorum, quod pro Regnis, & Provinciis hæreditariis Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ ab utroque Clero ſub ritu duplici celebrari debere indultum eſt tertia Dominica Septembris, cum in Religione S. Auguſtini idipſum ſæpe impediatur ab octava Beatæ Mariæ Virginis, & S. Nicolai, ac feſtum S. Thomæ de Villanova eadem Dominica celebretur, poſſit ſimiliter transferri; præcipue quod hoc feſtum potius videatur repetitio alterius, quod feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis in Quadrageſima celebratur, prout patet ex oratione, & lectionibus ſecundi nocturni, quæ ſunt eadem. Reſponſum fuit affirmative. Quia pro Statibus Auſtriacis tale officium eſt de præcepto: dicitur enim in Decreto conceſſionis die 28. Auguſti 1734. *Recitari debere*. Officia autem de præcepto, licet ſint fixa certis diebus, ſi in his impediantur, transferri poſſunt juxta Decretum Sacræ Rituum Congreg. 5. Maji 1736. *in Einſild.* Sacra eadem Rituum Congreg. 11. Jannuar. 1749. *in una Ordinis S. Aug. Excalceat. Provinciæ Auſtriæ*.

515. An feſtum Sanctiſſimi Nom. Beat. Mariæ Virginis, quod pro regnis, & Provinciis Auſtriacis eſt duplex ſecundæ claſſis in occurrentia cedere debeat feſto S. Nicolai Tolentinatis, quod eſt duplex ſecundæ claſſis cum octava, præſertim cum illud Viennæ cum ſolemniſſima utriuſque Cleri proceſſione, maxima exteriori pompa, Indulgentiis etiam plenariis, ac ingentis populi concurſu, ob liberationem Viennenſis civitatis ab obſidione Turcarum celebretur? Reſponſum fuit negative. Octava enim non elevat ritum. In paritate autem ritus attendi debet tum major dignitas Beatæ Mariæ Virginis juxta Rubricam de concurrentia Officii tit. xi. n. 2. tum major ſolemnitas celebrationis, & populi concurſus juxta Dect. die 20. Martii 1683. in quo ſic: Si Officia, quæ recitari debent in aliquibus regnis, ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, an ſit præferendum Officium loci Officio in proprio religionis Calendario deſcripto? Reſolutum fuit, præferendum eſſe officium, quod cum majori ſolemnitate, & populi concurſu celebratur. S. R. C. 11. Jan. 1749. *in una Ordinis Sancti Auguſtini Excalceat. Provinciæ Auſtriæ*.

516. An ubi habentur inſignes reliquiæ plurium Sanctarum Virginum, & Martyrum e Societate S. Urſulæ, debeat de illis fieri Officium duplex 21. Octobris cum commemoratione Sancti Hilarionis, & Sanctarum Urſulæ, & Sociarum, vel poſſit aliis diſtinctis extra illum diebus de ſingulis illarum in particulari, prout hactenus alicubi die 17. & die 19. Decembris obſervatum fuit, recitari officium duplex? Quod ſi primum fieri oporteat, quæritur adhuc, an id faciendum, ubi feſtum Sanctarum Urſulæ, & Sociarum eſt duplex, vel ſemiduplex, aut hoc potius in aliam diem non impeditam transferendum ſit? Reſponſum fuit, fieri debere officium duplex de Ss. Urſula, & Sociis cum ſola commemoratione Sancti Hilarionis, ſicut fit Romæ in Patriarchali Eccleſia S. Mariæ Majoris, ubi aſſervatur caput unius ex ſociis Sanctæ Urſulæ. Et ita pariter fieri debet abſque ulla translatione in illis Eccleſiis, in quibus feſtum Sanctarum Urſulæ, & Sociarum aliunde eſſet duplex, vel ſemiduplex. Sacra Rituum Congregatio 11. *Januarii 1749. in una Ord. Sancti Auguſtini Excalc. Provinciæ Auſtriæ*.

517. Exorto dubio in Eccleſia Parochiali, & Collegiata Sancti Jacobi de Luprio Civitatis Venetiarum, an liceat die 2. Auguſti celebrari feſtum Sancti Petri ad Vincula, prout ab antiquo tempore conſuevit, eo quod præcedenti die perpetuo occurrat octava Sancti Jacobi Apoſtoli ejuſdem Eccleſiæ Titularis, an potius recitandum ſit officium Sancti Hermolai, quod paucis abhinc annis in Diœceſi Venetiarum ſub ritu ſemiduplici affixum fuit diei ſecundæ Auguſti: pro parte Capituli dictæ Eccleſiæ S. Rit. Cong. humillime ſupplicatum fuit, quatenus dignaretur declarare nedum quid in ſubjecto caſu ſit faciendum, verum etiam an poſſit aſſignari ſemiduplex infra octavam non privilegiatam? Reſponſum fuit ad primum. Die 2. Auguſti agendum eſſe in dicta Eccleſia Sancti Jacobi de Luprio Venetiarum de feſto S. Petri ad Vincula. Ad ſecundum Feſtum ſemiduplex a ſua die perpetuo amotum celebrari deinceps poteſt infra octavam non privilegiatam in die ipſi aſſignanda, tamquam ſedes illius fixa juxta Decretum 18. Novembris 1744. *in Peruſina*. Ead. S. R. C. 19. April. 1749. *in una Venetiarum*.

518. Il Compoſitore del Calendario per li Religioſi e Religioſe di S. Franceſco, ſotto l'obbedienza del Miniſtro Generale di tutto l'Ordine Serafico, umilmente eſpone, come leggendoſi nel Rituale del Padre Meratti alla ſeſſione 3. cap. 4. *de Feſto ſimplici* citato un Decreto del dì 22. Gennaro 1735. col quale la Sacra Congregazione aſſegna a Sant Teodoro Martire di rito ſemplice, per li Padri Minori Conventuali il giorno 12. Novembre, per l'impedimento perpetuo della Dedicazione della Baſilica Conſtantiniana, celebrata da eſſi ſotto rito di prima claſſe, e per le Monache del Terz'Ordine di S. Franceſco, quali celebrano Sant'Eliſabetta d'Ungaria ſotto l'isteſſo rito, come Padrona principale, e ſi aſſegna a S. Ponziano Papa, e Martire il giorno 20. dell'isteſſo meſe, ma non trovandoſi tal Decreto nel regiſtro della Segreteria, ſupplica l'EE.VV. a dichiarare, ſe ſi debba tale Decreto oſſervare tanto dalle ſuddette Religioſe, quanto per altre diverſe Chieſe dell'Ordine, nelle quali occorrono molti Santi del detto rito perpetuamente impediti, ovvero ſi debba nelle dette Chieſe laſciare totalmente la memoria di eſſi Santi: tanto più, che la rubrica generale, dove al titolo decimo *de Translatione feſtorum*, ſi legge al num. 8. *eo anno de eo non fit amplius*: parla de' Santi ſemplici impediti dalle feſte di prima claſſe mobili. Che della grazia ec.

Et Sacra Congregatio re mature diſcuſſa ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis Tamburini Ponentis reſcribendum cenſuit:

Si feſtum ſimplex perpetuo impeditur ob occurrentiam duplicis primæ claſſis, non eſſe ad aliam diem transferendum juxta Rubricas. S.R.C. die 18. Julii 1750. *in una Ord. Min. S. Franciſci*.

519. Regulares degentes in civitate tenentur ad Officium Dedicationis Cathedralis ſub ritu ſecundæ claſſis, extra civitatem & per totam Diœceſim, non tenentur, neque ad recitationem officii in die feſto. Sacra Rituum Congregatio die 19. Januarii 1752. *in una Ord. Carmelit. Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ*.

520. Cum in omnibus Diœceſibus Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, officio Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis aſſignata ſit dies Dominica in perpetuum, & in eadem Dominica recitetur quotannis, utrum aliquando apud Regulares occurrente in illa Dominica alio feſto altioris ritus, vel dignitatis, debeat prædictum officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis apud Regulares transferri in aliam diem non impeditam, etiam ultra duas ſeptimanas, an omitti juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis emanatum anno 1683. 20. Martii, & inſuper utrum cedere debeat prædictum officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis officio ſolemniori alicujus Religionis occurrenti eadem die Dominica ſub eodem ritu. Ad primam ejuſdem dubii partem, reſponſum fuit, transferendum eſſe ad primam diem non impeditam; ad ſecundam vero, ſervari Rubricam X. Breviarii Romani de Concurrentia Feſtorum num. 2. Sacra Rituum Congregatio die 29. Januarii 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalc. Provinciæ Poloniæ*.

521. Cum in Provincia Polonia & Lithuania ob occurſum in perpetuum cum feſto S. Stanislai Epiſcopi & Mart. Patroni principalis ex die 8. Maji officium Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli translatum in diem decimam Maji tamquam propriam recitabatur, quæritur utrum nunc cum Sacra Rituum Congregatio officio S. Antonini de præcepto ſemiduplici eamdem diem decimam Maji aſſignaverit pro univerſali Eccleſia, debeat cedere officium Apparitionis S. Michaelis Archangeli ad uniformitatem officio S. Antonini? Et reſponſum fuit: Officium jam translatum Apparitionis S. Michaelis Archangeli ob occurſum feſti S. Stanislai Epiſcopi Martyris, quod in Polonia ſub ritu duplici primæ claſſis celebratur, & perpetuo aſſignatum diei 10. Maji, non erit ulterius amovendum propter officium Sancti An-

cti An-

Eli Antonini Epiſcopi eo die in Eccleſia univerſali celebrandum, ſed firmo remanente officio Apparitionis, illud S. Antonini transferatur in primam diem non impeditam. S. R. C. 29. Jann. 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.*

522. Utrum occurrente aliquando feſto altioris ritus in Dominica ſecunda poſt Paſcha, in qua ex Indulto Sac. Rituum Congregat. recitatur in Polonia officium affixum huic Dominicæ Ss. Sepulcri, debeat ne prædictum officium Ss. Sepulcri transferri in aliam diem non impeditam, an omitti juxta Decret. in an. 1683. 20. Martii emanatum? Reſponſum fuit: Officium Ss. Sepulcri ſi occurrerit in feſto altioris ritus, non erit ad aliam Dominicam transferendum, ſed prorſus omittendum. S. Rit. Congr. 29. Januar. 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Excalc. Provinciæ Poloniæ.*

523. Cum in Regno Poloniæ ab immemorabili conſuetudine recitetur 28. Septemb. officium S. Wenceslai Martyr. ſub ritu duplici minori, & ſub eodem ſimiliter ritu duplici minori officium Translationis ejuſdem S. Wenceslai Martyris recitetur 5. Martii, utrum licite tolerari poſſit, ut feſtum principale, & ejus Translatio ſub eodem ritu celebretur, ſicut in Magno Ducatu Lithuaniæ officium S. Adalberti, & ejus translatio, & an debeat ceſſari a recitatione officii translationis S. Wenceslaii Martyris ſub ritu duplici in Regno Poloniæ, ſicut & in Lithuania a recitatione officii translationis S. Adalberti? Reſponſum fuit: Servetur ſolitum. S. R. C. 26. Jan 1752. *in una Ord. Carmel. Diſcalc. Provinciæ Poloniæ.*

524. Utrum Sacerdos ſæcularis vel regularis habens officium duplex, & quid ſi duplex primæ vel ſecundæ claſſis, celebrans in aliena Eccleſia ex devotione, ubi celebratur feſtum ſolemne, debeat ne celebrare Miſſam ſe conformando illi Eccleſiæ, ubi celebrat, etiam quoad ſolemnitatem, & colorem paramentorum? Utrum etiam Sacerdos ſæcularis, vel regularis habens officium duplex, & quid ſi duplex primæ vel ſecundæ claſſis celebrans in aliena Eccleſia ex obligatione in ſepultura ſolemni alicujus cadaveris, vel exequiis ſolemnibus, debeat ſe conformare illi Eccleſiæ celebrando Miſſam de Requiem? Reſponſum fuit: ſerventur Decreta alias edita in una, Tertii Ordinis Sancti Franciſci die undecima Junii 1701. Et Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, conformare ſe debent ritui Eccleſiæ, in qua celebrant. Sacra Rituum Congreg. 29. Januarii 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.*

525. Cum ex fundatorum voluntate muneris ſit quotannis ultra officium diei plura anniverſaria adimplere, & de pluribus feſtivitatibus Sanctorum officium cum Veſperis, & Miſſa celebrare, quæritur num Veſperæ dictarum feſtivitatum Ss. Pontificum v. gr. ſeu Virginum tempore Paſchali, ſi celebrentur, Antiphonæ Pſalmorum, & reliquæ dici debeant cum *Alleluja* ob citati temporis Paſchalis occurrentiam. Et ſimiliter in iiſdem Veſperis (utpote extra diem proprium earum feſtivitatum) ultimus Pſalmus eſſe debeat in ſanctis Pontificibus v. g. *Memento Domine David*, & in ſanctis Martyribus Pſal. *Credidi*, num vero Pſalm. *Laudate Dominum omnes gentes?* Reſponſum fuit: Quando ultra officium diei recitatur aliud de aliquo Sancto ex fundatorum voluntate, ſi tempus currerit Paſchale, ritum pro tempore convenit imitari addendo Antiphonis, Verſiculis & ſingulis reſponſoriis *Alleluja*, uno excepto B. M. Virginis officio parvo, in quo dum feriali conjungitur officio diei, nullum additur *Alleluja* ſecundum peculiarem illius rubricam juxta alias reſoluta; Pſalmi quoque Veſperarum erunt, ut jam alias deſignati in feſto, ſcilicet ut in primis, ſi primæ decantantur Veſperæ, ut in ſecundis, ſi ſecundæ. S. R. C. 26. Auguſti 1752. *in una Gadicenſi.*

526. Quæritur, num in Officio eidem Cathedrali Gadicenſi, & Clericis ejus Choro tantum adſcitis conceſſo nomine & privilegio dictorum Clericorum Cathedralis gaudere poſſint Clerici Curati, in eadem Eccleſia curam animarum exercentes, qui quidem eidem Choro de rigore non ſunt adſcripti? Reſponſum fuit: Servetur Decretum S.R.C. 30. Auguſti 1602. nempe: Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare officia, quæ in Choro propria dicuntur, S. R. C. 26. Auguſti 1752. *in eadem Gadicenſi.*

527. Officium S. Vincentii a Paulo Fundatoris Congregat. Miſſionum S. R. C. elevavit ad Ritum dupl. Min. die 12. Maji 1753.

528. Eſt conſuetudo in plurimis Poloniæ & Lithuaniæ Eccleſiis decantandi Officium parvum de Immaculata Conceptione B. M. V. ſunt inſuper in aliquibus Eccleſiis relicta pia legata ad hunc effectum, ut idem Officium parvum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. certis diebus publice decantetur, in tali caſu Rectores Eccleſiarum quid facere debeant cum idem officium ſit prohibitum? Reſponſum fuit: Dilata, & exhibeatur Officium. S. R. C. 22. Decemb. 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.*

529. Cum Archiepiſcopus Civitatis Bahiæ, alias Ss. Salvatoris nuncupatæ, occaſione controverſiæ in ſua Civitate exortis circa commemorationem faciendam inter Communia ſuffragia de Ss. Salvatore Titulari Civitatis prædictæ, ejuſque Cathedralis, ac de S. Franciſco Xaverio Patrono principali rite electo, & confirmato ejuſdem Civitatis, per ſupplicem libellum humillime ſupplicaverit Ss. Domino Noſtro Benedicto Papæ XIV. pro ſolutione ſequentium duorum dubiorum, ac Sanctitas ſua preces Oratoris S. R. C. remiſerit, prædicta dubia ab Eminentiſſimo Cardinali Tamburino ejuſdem Sac. Congregationis Præfecto, ac Ponente in ea propoſita fuerunt, nempe: An Archiepiſcopo prædicto liceat declarare per litteras Paſtorales Ss. Salvatorem non eſſe patronum, ſed ſemper fuiſſe & eſſe Titularem Civitatis Bahienſis, ejuſque Cathedralis; adeoque in poſterum pro Titulari habendum, & colendum ſub eodem ritu, quem nunc habet, & ſemper habuit quamdiu Patronus exiſtimabatur. Reſponſum fuit, audito prius voto ab Apoſtolicarum Cæremoniarum Collegii ſcriptis enarrato, typiſque vulgato: Licere prout in dubio. S.R.C. 16. Febr. 1754. *in eadem Bahien. ad primum dubium.*

530. An eidem ſupradicto Archiepiſcopo liceat declarare per litteras Paſtorales, S. Franciſcum Xaverium eſſe patronum principalem Civitatis Bahienſis rite conſtitutum; adeoque inpoſterum pro Patrono principali habendum, & colendum ſub eo ritu, qui Patronis principalibus Civitatum conceditur, ita ut infra annum in Officio divino, quando dicuntur Suffragia Sanctorum de eo, ut Patrono Principali fieri debeat commemoratio loco competenti, & propterea in Miſſa quando dicitur Oratio *A cunctis* ſub littera N. ejus nomen exprimi debeat? Reſponſum fuit: Licere prout in dubio, dummodo non omittatur in Metropolitana commemoratio Ss. Salvatoris, tamquam Titularis ejuſdem. S. R. C. 16. Febr. 1754. *in eadem Bahien. ad ſecundum dubium.*

531. Feſtum duplex ſecundæ claſſis, habens octavam, cadit in Dominica impedita officio altioris ritus, ſed ſine octava, quæritur utrum officium prædicti feſti, poſſit reponi in ſequenti Dominica, cum alias ſit octava ejuſdem feſti, & tota hebdomada ſit impedita, vel potius debeat fieri de Dominica, & dictum officium reponi prima die non impedita poſt dictam Dominicam? Reſponſum fuit: Negative quoad primam partem, Affirmative quoad ſecundam. S. R. C. 16. Febr. 1754. *in una Ord. Carmelit. Diſcalceatur. Urbis.*

## SS. D. N. BENEDICTUS XIV.

*in Conſtit.* Militantis Eccleſiæ.

532. Volumus, præcipimus, & mandamus, ut in Officii Divini Breviario, in feſto S. Leonis I. Papæ, & Confeſſoris Antiph. ad *Magnificat* in utriſque Veſperis ponatur ea, quæ incipit: *O Doctor optime*: In Miſſa autem dicatur Introitus: *In medio Eccleſiæ*, & poſt Collectam ſubſequatur Lectio libri Sapientiæ: *Juſtus cor ſuum tradet*, cum Graduali ut in Communi Doctorum; Poſt Evangelium vero dicatur *Credo*, reliqua ut in conſueta Miſſa propria de S. Leone. Atque ita per omnes Eccleſias, & reſpective ab omnibus, & ſingulis, qui ad Divini Officii recitationem tenentur, perpetuo ſervandum ſtatuimus, & decrevimus.

Die 15. Octobris 1754.

533. An Patres Provinciæ S. Mariæ de Arrabida debeant, vel poſſint continuare recitationem officiorum ſpecialium Calendarii Diœceſani, vel ab illa totaliter abſtinere? Reſponſum fuit; Negative ad primam partem. Affirmative ad ſecundam, & ſerventur Decreta Sac. Congreg. & Conſtitutiones Ordinis. S. R. C. 11. Jan. 1755. *in una Ord. Minorum Reformatorum S. Franciſci in Provincia S. Mariæ de Arrabida in Regno Portugalliæ.*

534. Cum Capitulum & Canonici Eccleſiæ Cathedralis Angelopolitanæ in Indiis Occidentalibus Sac. Rituum Congregationi humiliter expoſuerint, tam in eadem Cathedrali quam in tota Diœceſi adamuſſim obſervata fuiſſe Decreta, & ſignanter illud de anno 1735. præcipiens, quod Officia Sanctorum, quæ in fine anni ſupererunt, non ſunt transferenda ad annum ſequentem, ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſideranda ſunt tamquam ſimplicia faciendo illorum commemorationem, ut ſit in ſemiduplicibus cum nona lectione compoſita ex omnibus lectionibus propriis ſecundi Nocturni (ſi proprias habuerint) ad modum unius; ſed cum quidam Religioſus Matritenſis in Calendario typis dato, inter cetera adnotaverit circa ſupradictum Decretum, quod principium anni in hoc caſu a die illius feſti, non vero a menſe Januario computandum ſit; Ideo ad tollendum quodcumque dubium eidem Sac. Rituum Congregationi enixe ſupplicarunt, quatenus benigne declarare dignaretur, quod intelligen-

Digitized by Google

ligendum ſit de anno communi, qui incipit menſe Januario, & non aliter: Et Sacra eadem Congregatio ad relationem mei Secretarii, damnata Religioſi Matritenſis vana interpretatione, Capitulo, & Canonicis præfatæ Eccleſiæ Metropolitanæ reſpondendum cenſuit: Decretum diei vigeſimæ ſextæ Novembris 1735. eſſe intelligendum de anno vulgari & communi, qui a Calendis incipit Januarii. Et ita declaravit die 30. Auguſti 1755. *in eadem Angelopolitana in Indiis Occidentalibus*.

535. Quamvis juxta Rubricam generalem Breviarii & Miſſalis Romani in feſtis ritus duplicis primæ claſſis nulla die infra octavam fiat commemoratio; tamen hymni ad horas terminari debent v. gr. *Jeſu tibi ſit gloria*. Et in Miſſis Præfatio B.M.V. erit dicenda, ut pro feſto S. Hyacinthi patroni principalis Poloniæ decrevit S. R. C. 29 Novemb. 1755. *in Varmienſi*.

536. Si Officium infra octavam feſti S. Joachimi Patris B. M. V. in Polonia ex Indulto S. R. C. die 29. Januarii 1751. dato ad ritum duplicem primæ claſſis cum octava elevati, & in Dominicam 2. poſt octavam feſti Aſſumptionis B. M. V. tranſlati cum octava feſti Nativitatis B. M. V. concurrat, ut ſæpiſſime contingit, faciendum eſt officium de die infra octavam S. Joachimi, an vero infra octavam Nativitatis &c. Ratio dubitandi eſt quod etſi feſtum primæ claſſis præcedat aliud ſecundæ claſſis, attamen octava B. M. V. eſt pro univerſali Eccleſia, jam autem altera pro Polonia duntaxat, ſitque devotio fidelium ad Deiparam Virginem longe major. Reſponſum fuit: Recitandum eſſe officium de die infra octavam S. Joachimi. S. R. C. 29. Novemb. 1755. *in Varmienſi*.

537. Eccleſia Collegiata Loci Gutrenſtadt Diœceſis Varmienſis ſub titulo SS. Salvatoris, & omnium Sanctorum dedicata fuit, ſed cum potior titulus, nempe Sanctiſſimi Salvatoris illic nullam feſtivitatem haberet, Epiſcopus ordinavit, ut feſtum Transfigurationis Domini, quod in Octavario Romano per Bartholomæum Gavantum concinnato a S. R. C. die 19. Februarii 1622. approbato, & & Venetiis Typis Balleonianis anno 1733. impreſſo *Salvatoris* appellatione venit, dignitatem Tituli Eccleſiæ habeat, & officium de eadem Transfiguratione Domini ritu duplici primæ claſſis cum octava deinceps recitetur. S. R. C. dignabitur declarare, an hæc ordinatio ſit obſervanda, nulla quidem ex parte Capituli & Cleri præfatæ Eccleſiæ eſt oppoſitio, Epiſcopus tamen deſiderat, ut omnia auctoritate Sedis Apoſtolicæ fiant. In ſtatu Veneto Dominica tertia menſis Julii ritu duplicis ſecundæ claſſis recitatur officium SS. Redemptoris, quod quidem Salvatori ſynonymum eſt, ſed in Polonia præcitati officii uſus nondum obtinuit, Et reſponſum fuit: Servandum eſſe Decretum ejuſdem Reverendiſſimi Epiſcopi. S. R.C. 29. Nov. 1755. *in Varmienſi*.

538. Cum Reverendiſſimus Epiſcopus Varmienſis S. Rit. C. expoſuerit, quod Fratres Minores S. Franciſci de Obſervantia nuncupati Conventuum exiſtentes in ſua Diœceſi expunxerunt ab eorum Calendario feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ad cujus celebrationem tenentur ex præſcripto Decretorum, S. R. C. reſcripſit: Ut Reverendiſſimus Epiſcopus cogat eoſdem Fratres ad celebrationem feſti Dedicationis ſuæ Eccleſiæ Cathedralis ad formam Decretorum. Die 18. Dec. 1756. *in eadem Varmienſi*.

539. An civitas Calaguritana rigoroſe prout ante Indultum ſervare teneatur feſtum Sanctorum Hemeterii & Celedonii fratrum Martyrum; & civitas Calceatenſis ſervare eodem modo teneatur feſtum S. Dominici, vel utraque civitas utrumque feſtum ſervare teneatur. Et reſponſum fuit: Affirmative ad primam, Negative ad ſecundam. S. R. C. 26. Martii 1757. *in eadem Calaguritana ad primum Dubium*.

540. An oppida, quæ non habent peculiarem Patronum, ſervare teneantur feſtum Patronorum principalium Eccleſiæ Calaguritanæ, cui ſubſunt, ſeu potius feſta Patronorum utriuſque Eccleſiæ, nempe Calaguritanæ & Calceatenſis, Et reſponſum fuit: Negative ad utramque partem. Sac. R. C. 26. Martii 1757. *in eadem Calaguritana ad ſecundum Dubium*.

541. An oppida, quæ habent peculiarem Patronum, ſervare teneantur feſtum illius duntaxat, ſive potius omiſſo feſto ſui peculiaris Patroni, ſervare teneantur feſtum Patronorum Eccleſiæ Calaguritanæ cui ſubſunt, vel Eccleſiæ Calceatenſis huic principaliter unitæ, vel potius feſta Patronorum utriuſque, ſervato etiam feſto proprii Patroni? Reſponſum fuit: Teneri ſervare feſtum Patroni particularis loci duntaxat. S. R. C. 26. Martii 1757. *in eadem Calaguritana ad tertium Dubium*.

542. An Civitates Calaguritana & Calceatenſis ſervare teneantur, ultra feſtum Patroni proprii, feſtum Patroni principalis Provinciæ, in qua ſitæ ſunt. Et an oppida particularia Diœceſis Calaguritanæ ſive habeant, ſive non habeant Patronum proprium, ſervare teneantur feſtum Patroni proprii Provinciæ in qua reſpective exiſtunt, nempe S. Prudentii Epiſcopi & Confeſſoris Patroni Provinciæ Alacce, & S. Ignatii de Lojola Patroni Provinciæ Giupuzcos & Viſcajæ &c. Reſponſum fuit: Negative ad utramque partem. S. R. C. 26. Martii 1757. *in eadem Calaguritana ad quartum Dubium*.

543. Officium S. Stanislai Poloni Martyris Epiſcopi Cracovienſis, Patroni principalis Regni Poloniæ, quod a Clero ſæculari, & aliis in Polonia recitatur ſub ritu duplici primæ claſſis, a Patribus autem Carmelitis propter aliquod dubium ſive ſcrupulum tantum ſub ritu duplici minoris primæ claſſis: Utrum iidem Patres Carmelitæ in Polonia idem officium S. Stanislai teneantur recitare ſub ritu duplici majoris primæ claſſis, qui ritus æquivalet, & correſpondet ritui duplici primæ claſſis juxta Rubricas Breviarii Romani? Nec ne? Idem eſt dubium de S. Caſimiro. Reſponſum fuit: Teneri ad ritum duplicis majoris primæ claſſis. S. R. C. 26. Martii 1757. *in una Ordinis Carmelitarum Regni Poloniæ ad primum Dubium*.

544. Officium proprium de eodem ſupradicto Sancto debet recitari cum ſuis Antiphonis, lectionibus, Reſponſoriis &c. a Patribus Carmelitis in Polonia, prout recitatur a Clero ſæculari. S. R. C. 26. Martii *in una ejuſdem Ordinis Carmelitarum Poloniæ ad ſecundum Dubium*.

545. Utrum feſtum Sancti Joachim cum ſuo officio, quod per Decretum SS. D. N. Papæ Benedicti XIV. ex Dominica infra octavam Aſſumptionis B. M. V. tranſlatum eſt pro Dominica poſt octavam Aſſumptionis ejuſdem B. M. V. in Regno Poloniæ, ut ab omnibus hoc Decretum obſervetur in Polonia. Utrum etiam Patres Carmelitæ teneantur ad illud obſervandum propter uniformitatem cum aliis, nec ne? Reſponſum fuit: Affirmative. S. R. C. 26. Martii 1757. *in una Ordinis Carmelitarum Poloniæ ad tertium Dubium*.

546. Magiſter Cæremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Gadicenſis ſupplicavit, quatenus declarare dignaretur: an officium Patrocinii S. Joſephi quod privilegio & conceſſione particulari omnibus Hiſpaniarum Regnis indultum eſt celebrari ſub ritu duplici minori Dominica tertia poſt Paſcha, ſi concurrente in dicta Dominica ſicut accidit hoc præſenti anno 1757. feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, vel alterius Sancti ſub eodem ritu, dictum Officium Patrocinii S. Joſephi non tam celebrari, neque transferri, ſed omitti debeat, & quatenus affirmative: Supplicavit pariter pro declaratione, an licitum ſit & poſſit Reverendiſſimus Epiſcopus Gadicenſis idem officium transferre in aliam diem poſt citatam Dominicam tertiam, ut jam in ſimili ab hac Sac. Congreg. conceſſum fuit Archiepiſcopo & Capitulo Eccleſiæ Hiſpalenſis ſub die 26. Novembris 1735. Et reſponſum fuit: In hujuſmodi caſu officium Patrocinii eſſe omittendum ad formam rubricarum. S.R.C. 16. Julii 1757. *in una Gadicenſi*.

547. Facultas conceſſa Clero Regni Poloniæ transferendi Feſta nonnullorum Sanctorum ad Dominicas infra eorum octavas ob majorem populi concurſum; cum autem, ut ſæpe ſolet aliquod ex dictis feſtis incidat die Dominico, quæritur: An hoc caſu feſta SS. incidentia in diebus propriis aſſignatis pro Eccleſia univerſali, poſſint transferri ad Dominicas reſpective ſequentes. Et reſponſum fuit: Feſta prædicta celebranda eſſe in diebus propriis, non autem in Dominicis ſequentibus in caſu de quo agitur. S. R. C. 16. Julii 1757. *in una totius Cleri Regni Poloniæ*.

348. SS. D. N. Papa Clemens XIII. pro ſua erga S. Laurentium Juſtinianum pietate decrevit, ut ab omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur ſub Ritu ſemiduplici de præcepto die 5. Septemb. prædicti Sancti Officium, & Miſſa impoſterum recitari, & celebrari debeat. Die 12. Sept. 1759.

F. Cardinalis Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secret.

549. Conceſſo jam a SS. Clem. XIII. die 8. Aug. 1759. Officio & Miſſa de Communi Conſ. non Pont. B. Petri Acotanto ſub ritu dup. min. Clero Sæculari & Regulari Civitatis Venetiarum, modo ad novas preces Rev. Patriarchæ ſupradictæ Civitatis pro approbatione Lectionum ſecundi Nocturni, Orationis, Antiph. in primis Veſp. ad *Magnificat*, & *Benedictus*, Sanctitas Sua accurate reviſas & approbatas a S. R. C. recitari conceſſit. Die 13. Novemb. 1760.

550. Piis enixiſque precibus Sereniſſimæ Reip. Venet. pro extenſione ad Dom. Venetum Officii, Miſſæ, cum Lectionibus, Oratione, & Antiphonis B. Petri Acotanto die 13. Nov. 1760. pro Civitate Venetiarum approbatis. Sanctitas Clementis XIII. benigne annuit Die 10. Junii 1761.

# INDEX DECRETORUM SAC. CONGREG. RITUUM,

Ad Officium pertinentium, ad majorem Legentium commoditatem per materias concinnatus.

*Numerus indicat ſeriem cuicumque Decreto præfixam.*

## A

S. ÆMiliani officium pro Ordine S. Benedicti. n. 329.
*Alleluja* in officio parvo B.M.V. tempore Paſchali non addendum. 52.
*Alleluja* quando dicendum. 393.
*Alleluja* omittendum, quando officium celebratur extra tempus Paſchale. 293. 357.
Ad Verſiculum *Panem de Cælo* extra tempus Paſchale. 200.
*Alma Redemptoris &c.* non protrahenda, ſi transferatur officium Purificationis B. M. V. 114. & alia ibi indicata, & 179. 232.
S. Aloyſii Gonzagæ officium. 352.
Altare Privilegiatum. Vide Octava Defunctorum, & Indulgentia.
Angelorum Cuſtodum Feſtum. 56.
Officium. 103. 116. 208. 245. 277.
Ubi habeat Octavam? 217.
Angelorum, & Archangelorum officium in concurſu alterius duplicis Minoris. 277.
S. Annæ Feſtum de præcepto. 47.
Annunc. Feſtorum Translatorum in Martyrologio. 306. 314.
Annunciationis B. M. V. Feſtum, quod occurrit in Dominica privilegiata, vel in Hebdomada Majori, aut Paſchali. 364.
Antiphonæ in Choro dandæ primæ dignitati. 90.
Antiphonæ ad Laudes in Feſtis ante Nativitat. Domini. 30.
Antiphonæ Majores ante Nativitatem Domini. 30. 170.
S. Antonii Patavini concurrentia cum Feſto S. Baſilii Patroni. 149.
Apoſtoli & Evangeliſtæ ſunt ejuſdem qualitatis. 92. 239.
Aquilejæ tria Feſta ſucceſſive cum Octavis, nempe 24. 25. & 26. Julii. 156. Vide concurrentia officiorum.
Archipresbyter in Choro non habet regimen Chori. 21.
Aſſiſtentis Canonico officium faciendi ad Veſperas. 33.
Aſſiſtentes Epiſcopo duo Canonici. 30.
*Ave Regina Cælorum.* 49. 228. 232. ſemper dicenda die 2. Februarii, etiamſi transferatur Purificatio B. M. V. 114. 179.

## B

BEati ne aſſumantur in Titulares, niſi Pontificio Indulto. 405. aſſumpti commutentur in Titulum Sancti. 406.
Beati nondum Canonizati. Vide in officiis de Sanctis Locorum.
Benedictioni hebdomadarii pro ſecunda Lectione tertii Nocturni an genuflectendum? 87.
S. Benedicti facienda Commemoratio a Monachis ejuſdem Ordinis in officio S. Mariæ in Sabbato. 332. 333.
S. Benedicti Feſtum incidens in Hebdomada majori pro Ordine Benedictino. 270. In Dominica Paſſionis vel alia die. 325.
Benedictio Cinerum. 221.
Breviarii Romani uſus. 31.
Emendatur. 72.
Brixienſis Diœceſis officia extenſa ad loca vicina, licet extra Statum Venetum. 357.

## C

CAlaguritana, & Calciatenſis Civitas quomodo ſe gerant pro ſuis Sanctis propriis? 539. oppida iiſdem ſubjecta quos Patronos celebrare debeant? 540. Patroni particulares. 541.
Camaldulenſes in feria 4. Cinerum an poſt Tertiam, aut Nonam facere poſſint benedictionem Cinerum? 451.
faciant feſtum cum octava S. Romualdi 19. Junii, non vero 7. Febr. 450.
Præponere debent cum ſecundis Veſperis integris officium Ss. Joannis, & Benedicti Mart. officio S. Gertrudis. 449.
Canonici alta voce debent cantare. 5.
Canonicus Cathedralis in Dignitate Epiſcopali conſtitutus. 99.
Canonici extra Chorum non tenentur ad Pſalmos Grad. 430.
Canonicus Officium faciens, quando nequeat reſpuere aſſiſtentiam Clericorum? 33.
Cantor in Regimine Chori. 21.
S. Canuti Officium Semiduplex ad libitum pro Ordine S. Benedicti. 261. 306.
Capitulum Cathedralis expectare non debet ultra horam condictam. 401.
Canonici inclinant ſe Cruci, Epiſcopo, & Canonicis, non Magiſtratibus. 402.
Cappellani Epiſcopi quoad conformationem in recitatione Officii. 19.
Cappuccini, & alii Regulares, an uti poſſint Breviario conceſſo Fratribus Min. Obſerv. 240.
S. Caroli Feſtum occurrens cum octava Dedicationis Eccleſiæ. 188.
S. Caroli Officium duplex in Provincia Mediolanenſi. 36.
Celebrantes in aliena Eccleſia ſe conforment. 368. in Eccleſiis Regularium pro celebrando officio Defunctorum. 507. color adhibendus in Eccleſiis alienis. 508. ritui Eccleſiæ, in qua celebrant, ſe conforment. 524.
S. Claræ Virg. apud Franciſcanos. 245.
Clerici aſſiſtentes in defectu Cappellanorum & Beneficiatorum. 33.
Clerici adſcripti alicui Eccleſiæ, ſed Choro non obligati, ad Chori officia non tenentur. 526.
Clerici Regulares Theatini quoad officium cum octava Purificationis. B. M. V. 96.
Cognomina, & Patriæ Sanctorum expungenda in Orationibus. 323.
Commemoratio S. Petri, aut Pauli viciſſim, ubi alteruter eſt Titularis. 432.
Beat. M. V. inter Suffragia facienda in ejus Eccleſiis Titularibus, etiam in Choro recitetur illius officium parvum. 15. 151. 189.
Ss. Benedicti, & Scholaſticæ quando facienda a Monachis ejuſdem Ordinis. 332. 333.
S. Joſephi in officio Deſponſationis. B. M. V. pro Ordine Minorum. 255.
Quid ſervandum pro aliis? 285. 317.
octavæ in Veſperis Dominicæ Privilegiatæ. 48.
ſolita de Cruce, quando eſt Titulus Eccleſiæ. 44. 348.
Ss. Salvatoris. ib.
omnium Defunctorum confratrum Ordinis Benedictini. 312.
omnium Fidel. Defunctorum. 7. 22. 158. 205. 206. 218. 220. 257. & 312. 335.
Ss. Vitalis, & Agricolæ in primis Veſperis S. Caroli. 294.
Commemorationes Simplices ad Laudes, & Veſperas, quando ſunt variendæ. & quomodo? 295.
Communicatio Privilegiorum alicujus Religionis, non ſe extendit ad officium. 94. 102. 107. 238.
Concurrentia octavæ cum Dominicis primæ, vel ſecundæ Claſſis. 347.
Patroni cum Titulari. 349.
Patroai alicujus terræ cum Patrono oppidi. 350.
ſemiduplici, diei infra octavas, duplicis. 359.
Viſitationis B. M. V. cum Dedicatione. 372.
S. Georgii cum Dedicatione Cathedralis in Veſperis. 373.
Dedicationis cum Duplici primæ claſſis. 375.
S. Januarii cum Dominica in Albis. 400.
Oct. S. Felicis Epiſcopi cum feſto S. Ceciliæ. 408.
Officii Ss. Sacramenti per annum. 409. in eodem officio votivo ne addatur *Alleluja*. 410.
Patrocinii S. Joſeph cum feſto Inventionis Sanctæ Crucis. 811.
S. Marci cum S. Joſeph. 412.
S. Hyacinthi Patroni cum S. Joachimo. 413.
Octavæ S. Hacinthi cum S. Caſimiro. 414.
in Regno Poloniæ feſti S. Hyacinthi Patroni cum S. Joachimo Titulari. 440.
Officii Ss. Apoſtolorum cum S. Pio V. 441.
S. Julianæ de Falconeriis cum S. Nazario, & S. Achajo & 442.
S. Marci, Ss. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, & S. Joſeph, cum Patrocinio S. Joſeph. 854.
quid in eorum Veſperis? 455.
in Cathedrali Schalenſi S. Theodori cum Dedicatione Baſilicæ SS. Salvatotis. 459.
Dedicationis Eccleſiæ cum Ss. Apoſt. Petro & Paulo in primis Veſperis. 469.
Octavæ S. Michaelis cum feſto B. M. V. de Roſario. 470.
Feſti duplicis per annum ſolemnis in Choro, cum feſto populi de præcepto. 473.
S. Joachim cum octava Aſſumptionis. 476.
prima die menſis duplicis, vel ſem. officium Defunctorum differendum. 484.

B. Joan-

B. Joannis de Dukla Patroni Poloniæ cum feſto S. Annæ. 487.
S. Raymundi de Pennafort cum Deſponſatione, & Feſto Nominis Jeſu. 496.
S. Petri ad Vincula cum Octava S. Jacobi Apoſtoli Titularis. 517.
Dedicationis Eccleſiæ cum feſto Viſitationis. 364.
in Concurrentia Sanctorum transferendorum nil ponderis pro prælatione ex onere audiendi ſacrum. 420.
Veſperarum Annunciationis cum feſto S. Marci quid? 425.
Dedicationis propriæ Eccleſiæ in die S. Sylveſtri, officium non transferendum in annum ſequentem, ſed fiat eo die commemoratio. 483.
Patrocinii S. Joſeph cum SS. Philippo & Jacobo, omittendus S. Joſeph. 546.
in Concurrentia Officiorum quid faciendum. 156. 157. 167.
Confeſſores duplices non cedunt Martyribus duplicibus. 250.
*Confiteor* nihil immutandum a Monialibus. 68.
Non addendum nomen Inſtitutoris alicujus Religionis ob communicationem Privilegiorum. 238.
S. Conradi Lectiones propriæ, quibus conceſſæ. 38.
Conſecratio Eccleſiæ, num. 1. 69. 81. 83. 243. Vide Dedicatio.
Conſuetudo immemorabilis. 20.
Et antiqua ſervanda. 27.
Conſuetudo præintonationis Antiphonarum non immutanda. 25.
Conſuetudo triginta annorum pro Officio continuanda, quando. 199.
Conſuetudo antiqua recitandi aliqua Officia ſervetur. 501.
SS. Cornelii, & Cypriani, ac SS. Euphemiæ & Sociorum, qualis Commemoratio. 251.
Corporis Chriſti dies Feſta ſolemniora occurrentia excludit, & quomodo Feſtum S. Jo: Baptiſtæ. 327.
Corporis Chriſti Officium qualibet Feria V. ex conceſſione. 87. 342.
Cracoviæ feſtum SS. Coſmæ & Damiani perpetuo amotum, quomodo collocandum? 480.
*Cujus Feſtum colimus &c.* in Officiis Sanctorum Regularibus conceſſis intra annum, octava Benedictio. 91.
Non approbandum in Officio Septem Dolorum B. M. *Cujus transfixionem colimus.* ib.

D

DEcreta de Officiis approbatis Sanctorum nonnullorum, & de Officiis ad libitum. 57.
Decreta Sacræ Rituum Congregationis pro aſſignatione ſerventur. 417.
Decretum conceſſum PP. Trinitatis pro Officio B. M. de Remedio, revocatum. 376.
Dedicatio Baſilicæ Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum occurrens cum Octava Dedicationis aliarum Eccleſiarum. 242.
Baſilicæ Salvatoris extra Urbem. 95. 242.
Et in Urbe. 266.
Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in Civitate fit cum Octava, in Diœceſi ſine Octava. 42.
plurium Cathedralium unitarum. 227.
Dedicationis Eccleſiæ Feſtum non poteſt mutari ab Epiſcopo extra actum. 16.
Cathedralis quoad Regulares. 125. 176. 224. 305.
Extra Civitatem quo Ritu. 42. 214. 266.
Eccleſiæ Majoris Ordinis Hieroſolymitani ad omnes Religioſos ejuſdem Ordinis ubique locorum extenſio Officii, negata. 276.
Eccleſiæ Officium. 16. 17. 156. 187. 242.
Dedicationis octava die Lectiones primi Nocturni. 308. Vide Octava.
Defunctorum Matutinum in Commemoratione generali non cantandum pridie Veſperi. 7. 28. 220.
Defunctorum Officium. 7. 8. 9. 64. 205. 206. 335. 339.
Pro prima die Menſis non impedita. 8. 192.
Pro adimplenda voluntate Teſtatorum. 64. 129.
Pro Defunctis Officia extra diem obitus. 386.
Defunctorum in Officio quando omittendum invitatorium. 397
Matutinum ne recitetur in Choro in die omnium Sanctorum. 452.
privatim recitari poteſt poſt Veſperas omnium SS. in Choro non. 488.
Deſponſationis Beatæ Mariæ Virginis Officium. 255. 265. 285. 338.
Dies tertia Februarii non aſſignanda pro Sanctis Dupl. & Semid. 347.
Dies Novendiales ante Nativitatem Domini admittunt duplicia quæcumque. 170.
Dignitas. 21. 39. 90. 99.
Directorium Officii pro Diœceſi Januenſi. 262.
Aſſignatio dierum pro translatis. ibidem, & 264.
*Domine prævenisti &c.* Reſponſorium ſemper dicendum in Officio Simplicis Martyris, qui non effuſo Sanguine triumphavit. 178.



Dominica eſt Feſtum novem Lectionum. 41.
infra Octavam Aſcenſionis, ſi occurrat die 4. Maji 226.
IV. Quadrageſimæ. 283.
quæ ſupereſt poſt Epiphaniam, nec fieri poteſt poſt Pentecoſten. 184.
Septuageſimæ occurrente Feſto Duplici ſecundæ Claſſis cum Octava. 336.
quatuor Temporum eſt illa, quæ Sabbatum quatuor Temporum ſequitur. 460.
Privilegiata concurrente cum Feſto Purificationis Beatæ M. quid. 510.
Dominicæ anticipandæ aut omittendæ ſi cadant in die impedita novem Lectionum. 224.
S. Dominici Commemoratio in Officio S. Franciſci facienda a PP. Cappucinis. 209.
Domus Almæ Lauretanæ Translationis Officium. 265. 338
Duplex abſque alia expreſſione conceſſus alicui Officio, ſemper intelligitur Duplex minus. 144.
In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. 158. 218. ſed Miſſæ de Requiem. ib.
occurrens ante Octavam non privilegiatam, ſi transferendum, quomodo. 101.
translatum poteſt fieri Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis. 169.
Duplex majus habet Lectiones 1. Nocturni proprias, vel de Commun. 243.
Duplicia & Semiduplicia translata præferenda Officio S. Benedicti conceſſu ſemel in Hebdomada. 211.
Duplicia primæ Claſſis ſi incidant in Sabbatum duplici Minori occupatum, an duplex minus transferendum in Dominicam ſequentem. 254. 260. 262.

E

In ECcleſiis B. M. V. Angelorum die ſecunda Auguſti quid agendum? 511.
Epiſcopus in Viſitatione recitet Officium Oppidanorum. 352.
aſſignare poteſt fixam ſedem feſtis Sanctorum ad libitum. 498.
non tamen feſtis ſimplicibus perpetuo impeditis. 500.
Conſecrans non tenetur dicere officium de Dedicatione. 505.
cogat Regulares ad celebrationem feſti Dedicationis Cathedralis. 538.
Canonicus Cathedralis quoad primas Antiphonas in Choro & invocationem Spiritus Sancti in Capitulo. 99.
nihil addere poteſt Kalendariis, neque mutare Ritum, aut Rubricas Breviarii. 58.
Neque minus digno diem fixum aſſignare. 195.
Neque extendere ad ſuam Diœceſim Officium conceſſum pro Civitate. 24.
Regularis quale Officium recitare debeat. 18.
in Matutino Nativitatis Domini, ubi ſedere poſſit. 34.
Eremitis Diſcalceatis S. Aug. Franciæ, permittitur ad Horas Cantus Gregorianus. 308.
S. Eulaliæ officium. 35.

F

SS. FAbiani, & Sebaſtiani officium qualiter, ubi ſolus Sanctus Sebaſtianus eſt Titulus, vel Patronus. 210 273.
S. Felicis a Cantalicio officium. 356.
Ferentinæ Cathedralis nova Conſecratio. 243.
Feria IV. Cinerum ſi incidat in aliqua Octava. 123. 124. 324.
VI. in Paraſceve, vel Sabbato Sancto ſi occurrat Annunciatio B. M. V. 160. & 363.
VI. poſt Dominicam Paſſionis. Vide Officium ſeptem Dolorum B. M. V. 265. 269. 272.
VI. poſt Octavam Aſcenſionis permittitur officium ſemiduplex translatum. 169.
Feſta Domini præcedunt omnibus aliis. 250.
plura ejuſdem Ritus occurrentia, quæ præcedant. 322.
in Regno Poloniæ cum ritu ambiguo opus habent aſſignatione S. R. C. 847.
perpetuo translata transferri poſſunt in dies infra Octavas non privilegiatas. 462.
plura de præcepto eadem die occurrentia aſſignari poſſunt diebus infra Octavas. 486.
S. Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum SS. Petri, & Pauli excludunt omnia feſta, excepta ſolemnitate Corporis Chriſti. 458.
In Feſto, quod Feſtivatur a Popolo, vel de præcepto, vel devotione, utrum officium dici debeat duplex majus. 183.
Feſtum Kalendarii particularis occurrens cum Feſto Kalendarii univerſalis. 227.
duplex ante Octavam non privilegiatam, vel infra eam occurrens. 225.
Cadens in Feſto SS. Nominis Jeſu. 330.
noviter a Sede Apoſtolica inſtitutum pro univerſali Eccleſia, præponendum Feſto Diœceſano ejuſdem Ritus. 194.
Sed obſervanda alia poſteriora Decreta. 209. & alia ibi notata.

Feſtum SS. Trinitatis in feria ſecunda. 385.
S. Joachim ad Dominicam infra Octavam Nativitatis translatum. 390.
Annunciationis transfertur cum onere audiendi Miſſam. 419.
ſemiduplex incidens in Dominicam non privilegiatam. 366.
ritus duplex celebretur ut duplex minus. 445. Secundarii Patroni quid? 446.
ſimplex perpetuo impeditum, non eſt transferendum. 518.
in Fixatione Sanctorum quis ordo? 463.
Epiſcopi auctoritas, & approbatio neceſſaria. 479.
S. Franciſci Feſtum de præcepto, ubique. 46. ſed derogatum. ibidem.
S. Franciſci de Paula, ly *de Paula* non dicendum in Orationibus a Religioſis. 50.
S. Franciſci Xaverii Officium translatum ſpecialiter pro Eccleſia Societatis Jeſu Valletæ. 275.

G

Pro S. GAbrielis Arcangeli Officio, qualis octava Benedictio, Vide in Officio Sancti Gabrielis Arcangeli. 173.
Genuflexiones quando, & quomodo faciendæ. 334.
S. Gertrudis Virginis Officium & Miſſa. 357.

H

HEbdomadarius paratus in Choro. 53.
Quæ intonare debeat. 77.
Sine Stola. 84.
S. Honuphrii Officium, & Miſſa permittitur cum distinctione. 76.
Hymnorum emendatio. 72.
Hymnorum Expectationis Partus B. M. Virg. concluſiones. 281.
Hymnus S. Hermenegildi, & S. Martinæ. 291.
Hymnus &c. *Meruit Beatas*. Vide *Meruit Beatas*.
Hymnus *Iſte Confeſſor* per Octavam non mutat *Meruit beatas*. 428.
in Officio Stigmatum S. Franciſci translato. 429.
Hymni infra Octavas B. M. V. terminandi per *Jeſu tibi ſit gloria*. 535.
Horarum Canonicarum in Choro anticipatio, vel poſt poſitio, an licita. 398.

I

S. JAnuarii Officium pro Regno Neapolitano. 86.
Immaculatæ Conceptionis Officium. 333. 334.
Immaculata non poteſt dici pro Inviolata in Antiphona *Poſt Partum*. 334.
Indulgentia non transfertur cum Officio translato ad aliam diem. 106. niſi transferatur etiam quoad Forum. 106. Nec intuitu Altaris Privilegiati licet apponi Tabella, *Indulgenza per i Morti*. 93.
Initium Scripturæ ſi aliquod Feſtum cadat in Dominica, nec poſſit legi per Hebdomadam, quid. 307.
Intonatio Antiphonæ. 355.
Inventioni. S. Crucis cadens in Dominicam, in qua celebratur Feſtum Dedicationis Eccleſiæ. 326.
Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini audieritis*, tempore Paſſionis. 145.
S. Joachim Feſtum. 354.
S. Joannis Chryſoſtomi Lectiones primi Nocturni, quando variandæ. 296.
S. Joannis a Cruce Officium. 355.
S. Joannis de Matha Lectiones, quando variandæ in primo Nocturno. 296.
S. Joannis Nepomuceni Homilia tertii Nocturni. 300.
S. Joſeph Feſtum de præcepto ubique. 45. 256.
Officium translatum. 134. 172.
Nomen additum in Litaniis. 268.
Patrocinii ejuſdem in Hiſpania. 279.
Officium elevatum ad Dupl. primæ Claſſis ſine Octava Hiſpali. 284. Commemoratio in Officio Deſponſat. B. M. V. Vide Commemoratio.
S. Julianæ de Falconeriis Officium & Miſſa. 342.

K

KAlendariis nihil addi poteſt ab Epiſcopo. 58.

L

LAnceæ Feſtum indultum Germaniæ. 289.
Lectio de Simplici continens vitam duorum Sanctorum, ubi de uno tantum eorum fit Officium duplex ratione ejus Reliquiæ inſignis, quid. 100.
Lectiones duæ penultimæ quando cantandæ a Canonicis etiam ultimis. 39.
Primi & ſecundi Nocturni quando a Canonicis. 43.
Lectiones initii B. Jacobi Apoſtoli in Feſto SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum legendæ. 309.
Martyrii Sanctorum Machabæorum numquam omittendæ. 298.
primi Nocturni Feſti duplicis Majoris, quales. 80.
primi Nocturni Dominicæ IV. Quadrageſimæ. 283.
Quando variandæ in Feſtis SS. Jo: Chryſoſtomi, & Jo: de Math. 296.
Quando non variandæ. 297.
Prophetarum menſe Novembris dicendæ plures una die. 202. 203.
Ex legitima cauſa poſſunt omitti. 204.
Lectionibus pro feſto Sancti Thomæ de Villanova additum. 365.
S. Pii V. addita. 371.
SS. Redemptoris addita. 374.
S. Thereſiæ 1. Noct. de Scriptura. 433.
in die Octava dedic. 1. Noct. de Communi. 434.
Legata cum onere celebrandi Officium ſub altiori Ritu. 75.
Ad libitum Officia. 98. 120. 125. 126. 132. 133. 143. 153. 154. 168. 174. 196. 229.
Litaniæ Majores quando transferendæ. 54.
Litaniis nulli Sancti addendi. 73. 238.
Additio S. Joſephi. 268.
S. Luciæ in Officio an poſſit legi nona Lectio de Simplici. 320.
Sancti Ludovici Officium duplex de præcepto in Galliis. 183.
Occurrens cum Feſto S. Bartholomæi. 246.

M

MAgiſter Cæremoniarum. Vide conſuetudo præintonationis. 25.
SS. Marci & Marcelliani Mart. Duplex ratione Reliquiæ inſignis eorum unius. 259.
S. Marci Evang. Officium translatum. 239.
S. Margaritæ de Cortona Officium. 351.
S. Margaritæ Scotorum Reginæ Officium. 299.
S. Mariæ Ægyptiacæ Officium recitandi privilegium pro Civitate Neapolis. 131.
B. MARIÆ Virginis Officia.
S. Mariæ Angelorum in Titularibus. 162.
Debet celebrari die Aſſumptionis B. M. V. in ejus Eccleſiis Titularibus. 349.
In Eccleſiis Ordinis Min. quid. ibid.
Annunciationis officium translatum præcedit translatum Sancti Joſephi. 134.
Translatio ejuſdem Feſti. 160. 171. 229.
Feſtum ejuſdem Annunciationis occurrens in Dominicis Quadrageſimæ. 37. 362.
Conceptionis Feſtum. 180.
Dolorum. 97. 140. 219. 265. 269. 272.
Expectationis Partus. 233. 265. 281. 303. 321. 338.
De Mercede. 139.
De Monte Carmelo. 265. 267. 304. 330.
Nominis B. M. V. Officium. 148. 152. 153. 155. 216 253. 319. 331.
Patrocinii. 139. 222. 265. 338.
Præſentationis. 181.
Purificationis. 96. 114. 230. 327. & 364. & Vide Officium Purificationis.
Roſarii. 139. 258.
In Sabbato. 192. 213. 352.
Parvum Officium. 27.
*S. Maria ſuccurre miſeris* pro Suffragio B. M. V. in Eccleſiis ſub quocumque Titulo eidem dicatis. 190.
S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Officium. 271. 318.
S. Martinæ Hymnus. 291.
Martyrologium, Feſta translata, quomodo annuncianda. 306. 314.
Martyrum Duplicium cum Confeſſore duplici concurrentia. 250.
Matutinum Defunctorum, media nocte. 28.
*Meruit Beatas ſcandere Sedes*, Quando non ſint mutanda hæc verba. 128. 225.
*Miſereatur*, *&* *Confiteor* ad Primam. 26.
Miſſa in Altari, ubi eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum. 345.
Miſſalis, & Breviarii Romani uſus. 31.
Moniales in *Confiteor*. 68.
Non ſubjectæ Ordinariis locorum quoad Officia particularia Diœceſum. 147. 224.
Veniunt ſub nomine Regularium. ibidem.
Ordinariis ſubjectæ ad quæ Officia teneantur? 474.
Ordinis Sanctæ Claræ aſſumere poſſunt Breviarium Conventualium. 475.
cantare poſſunt Reſponſorium pro Defunctis. 418.
S. Monicæ Officium. 226.

N

S. NArciſi Officium quo Ritu in Regnis Hiſpaniæ. 193.
Natalitii dies Sanctorum qui ſint. 130.
Nativitas S. Jo: Baptiſtæ præfertur Dedicationi Eccleſiæ. 156. 327
Si cedat in diem Corporis Chriſti. 327.
SS. Nazarii, & Celſi officium in propria Eccleſia. 74.
Nomen Fundatoris addi non poteſt in Litaniis, & *Confiteor* ob ſolam communicationem Privilegiorum. 238.
SS. Nominis Jeſu officium. 263.
Duplex ſecundæ Claſſis cadens in hoc feſto, transferendum. 330.

O

OCcurrentia Dedicationis cum Patrono vel cum prima claſſe. 350.
Occurrentia plurimorum Officiorum eadem die. 109. 110. 111. 115. & alia ibi indicata. 153. 154. 159. 194. 198. 209.
Octava S. Benedicti apud Benedictinos. 325. 346.
Octava Corporis Chriſti. 95. 198. 200. 235. 248.
Dedicationis die impedita per Feſtum altioris Ritus, ſi in eo occurrat Dominica, vel Semiduplex in primis, aut ſecundis Veſperis, quid? 310.
Dedicationis Eccleſiæ cum octava Sancti Joannis Baptiſtæ. 156.
Dedicationis Ecclaſiæ occurrens cum Feſto Sancti Caroli. 188.
Quando mutari debeat Oratio, & qualis. 242.
S. Eliſabeth Reginæ in die Beatæ Delphinæ occurrens pro Franciſcanis. 121.
Feſtorum Beatæ Mariæ Virg. occurrens cum Duplici minori. 117. 167.
S. Joannis Baptiſtæ concurrens cum Feſto Dedicationis Eccleſiæ, vel de Patronis, aut cum eorum Octavis. 156.
Omnium Sanctorum dignior Dedicatione Eccleſiæ. 187.
Patroni Principalis occurrens cum Octava Beatæ Mariæ Virginis. 215.
pro Defunctis quando permiſſa. 93.
S. Scholaſticæ apud Benedictinos, 324.
non elevat ritum. 515.
Octavarium Romanum ſeorſim a Breviario imprimatur. 346.
in Octava Nativitatis quando incidit in Dominicam non fit commemoratio. 380.
infra Octavam Corporis Chriſti recitetur de Duplici, etiam translato. 366.
Octavæ inchoatæ ante feſtum Corporis Chriſti. 417.
Octava dies Sancti proprii cadens in Feſto Conceptionis. 180.
Vel in Feſto Præſentationis. 181.
Octavæ dies ſi in Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. 116.
Octavas celebrandi in Quadrageſima, privilegium. 123. 124.
Officia B. M. V. Vid. B. MARIÆ V. Officia.
conceſſa pro locis, & Eccleſiis particularibus affixa certis diebus, transferri non poſſunt. 311.
conceſſa ſemel in Hebdomada, vel in menſe, non ſunt celebranda in Adventu, Quadrageſima, &c. 119. 212.
de eorum intermiſſione cum Officio ad libitum. 133. 192.
non approbata, damnantur. 62.
particularia majoris Ritus, Feſtis Minoris Ritus etiam univerſalibus præferenda. 209. & alia ibi notata. 286. 287. 288. 315. 322.
Sanctorum, quæ de Menſe Decembris ſuperſunt, an fieri poſſint anno ſequenti. 108. 207. 282. 337. 341.
Sanctorum ad libitum occurrentia in Dominicis, &c. quando omittenda, quando transferenda. 122.
Sanctorum a Typographis quomodo imprimenda, 166.
ſemel in Hebdomada conceſſa non ſunt præferenda translatis. 231.
Non poſſunt recitari in Vigiliis, & quatuor Temporibus. 212. 236.
Nec in aliis diebus impeditis. 237.
Poſſunt recitari in Sabbato loco Officii Beatæ Mariæ V. 192. 213.
Vel Defunctorum pro prima die Menſis non impedita. 192.
Non comprehenduntur ſub nomine Sanctorum ad libitum. 278.
translata quomodo ſuis locis reponenda. 421.
Duplicia retinent eumdem ritum ſecluſa qualitate præcepti. 422.
non aſſignanda inconſulta Sacra Congreg. 426.
cum Octava perpetuo translata, & a ſuo die amota. 436.
particularia recitare cupientes impetrent facultatem. 445.
. Cunegundæ, & S. Stanislai Koſtkæ recitanda in Polonia 24. Junii & 13. Nov. 453.
quæ ſuperſunt Menſe Decembri non ſunt transferenda ad annum ſequentem. 464.
plura eodem die occurrentia aſſignentur certo diei, qui evadit proprius. 485.
SS. Martyrum Gorcomienſium, & S. Eraſmi non extendantur. 499.
de præcepto ſi ſuis diebus impediantur, transferri poſſunt. 514.
transferri poſſunt uſque in finem anni Communis, aliter fiat ut de Simplicibus. 534.
Officium S. Benedicti per annum. 358.
Purificationis Beatæ Mariæ Virg. occurrens in Dominicis Privilegiatis, transferendum in ſequentem diem. 361.
in Eccleſia S. M. Ang. quale, & quando. 370. 911.
Beatæ Virg. M. de Remedio pro Trinitariis, revocatum. 376.
Sanctæ Margaritæ de Cortona conceſſum pro tota Italia. 377.
S. Aloyſii Gonzagæ pro tota Italia extenſum. 382.
S. Vincentii a Paulo pro omnibus conceſſum. 383.
S. Joannis a Cruce pro omnibus extenſum. 391.
S. Felicis a Cantalicio pro tota Italia. 394.
S. Gertrudis pro Eccleſia univerſali. 399.
Sancti Januarii ſi concurrat cum Dominica in Albis. 400.
conceſſum præterita die illius Sancti, an illo anno omittendum. 403.
aſſignatum erit recitandum, non vero translatum. 404.
Patrocinii B. M. V. transferendum. 407.
S. Urſulæ & Soc. Virg. ſuſpenditur. 415. quomodo recitandum. 316
Titularis fieri debet in tota Diœceſi. 427.
de Patrono ſub ritu primæ claſſis cum Octava de Titulari quid? 414.
Patrocinii B. M. V. die 14. Nov. recitandum, translato Sancto Andrea. 448.
Patrocinii S. Joſeph occurrens cum feſto majoris ritus. 456. 513.
Sancti Enrici fiat 15. Julii, B. Camilli vero omittatur. 466.
Purificationis incidens in Dominicam ſecundæ claſſis transfertur. 497.
Officio S. Raphaelis aſſignatur Homilia S. Jo. Chryſoſtomi: *Cum vellet*. 378.
Transverberationis S. Thereſiæ aſſignatur Hymnus. 392.
Officii Recitatio quoad adſcriptos alicui Eccleſiæ. 2. & 3.
Quoad Tertiarios S. Franciſci Sæculares adſcriptos alicui Eccleſiæ. 4.
Quoad Epiſcopos Regulares. 18.
in Officiis de Sanctis Locorum, & de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria auctoritate ſtatuendum. 61. 66. 79.
in Officiis Sanctorum nihil addendum, vel minuendum. 163.
Parochi non tenentur ad recitationem Officii Divini in Choro; prout de jure antiquo tenebantur. 12. an omittens Divinum Officium teneatur reſtituere fructus reſpondentes oneri Parochiali. *ibid.*

Parochiales Eccleſiæ limitibus, & terminis diſtinctæ a S. Dionyſio Papa. 168. a S. Marcello in Urbe diſtributæ in 25. Titulos. 169.

Paſcha Chriſtianorum, in quo differat a Paſchate Judæorum. 19. celebrandum in die Dominico poſt decimam quartam lunæ primi menſis. *ibid.* cur inſtitutum, a quibus, & cur primitus Neophytis ex Judaiſmo converſis permiſſum, die ipſo lunæ XIV. *ibid.* Diſputationes ortæ ſuper die Dominico, & Decreta Pontificum Romanorum de eo celebrando in die Dominico. 19. & ſeq.

Luna XIV. ſi cadit in die Dominico Paſcha celebrandum ſequenti die Dominico. 19. Regula generalis ad reperiendam Dominicam, in qua Paſcha eſt celebrandum in Tab. præfixis Miſſali, & Brev. Romanis. 19. & 20.

Quæſtio aliquorum circa diem Paſchatis anni 1734. orta ex errore Typhographorum in conficiendis Tabulis Paſchalibus. 19. & 20.

Paſchatis diei Officii Ordo, & Ritus. 136.

*Pater noſter* in precibus ab Hebdomadario flexis genibus. 105.

Patripaſſiani, & ipſorum error. 109.

Patronus loci qualis. 57. & 58. a quibus debet eligi, & quibus cauſis intercedentibus. *ibid.* approbari debet a Sacra Congreg. *ibid.* differentia inter Patronum loci, & Patronum ſeu Titularem Eccleſiæ. 57. & 59. Patronus Eccleſiæ ſolet eſſe unus, vel multiplex ratione unius loci, non vero plures. 59.

Patronus Principalis loci, qualis ſit cenſendus. 60.

De Patrono Principali loci (ſicut de Tit. Eccl.) fit Duplex primæ Claſſis. 58. & 59. ſi plures habentur Patroni, neuter cenſendus Principalis, ſed omnes minus Principales, & Officium eſt ſolum de Duplici majori. 59. excepto caſu Indulti Apoſtolici. *ibid.* quando duo Patroni habentur unus totius Regni, alter Civitatis, aut loci intra ipſum Regnum, quid. *ib.* ſi occurrat eodem die. *ib.*

Quando ſit transferendus Patronus, ſeu Titularis. 58. Ritus quoad Veſp., & Lect. Patroni Principalis. *ibid.*


Offi-

Officia SS. Patronorum non poſſunt approbari a S. C. inconſulto Summo Pontifice. 58. approbata pro uno loco non poſſunt extendi ad alia loca, inconſulta eadem Sacra Congr. *ibid.*
Patronus ſemper præponitur Titulari. 43. ſi uterque occurrat eodem die. *ibid.*
Patroni loci Commemoratio in Suffragiis ante illam de Apoſtolis. 106. & 107. ſervanda tamen dignitas. *ibid.* ſi adſint plures Patroni quid. 108. ſumenda a die Feſti ejus. 106. quæ mutanda in Oratione, ſi ſumatur ex Feſto. *ibidem.*
Patronus loci ſi incidat in Sabbatum, quo faciendum eſt Officium de prima Dominica poſt Epiphaniam, quid. 128.
Patronus, ſeu Titulus Eccleſiæ ſi fuerit Feſtum S. Stephani, S. Joannis, vel SS. Innocentium poſt Natale Domini, quid agendum. 126. & 127.
Patronus Parochiæ non eſt Patronus loci. 59. ritus colendus a tota Clero illius. *ibid.*
Patronus Ordinis in toto Ordine, poſt Canonizationem gaudet omnibus, quæ conveniunt Patronis Principalibus locorum. 58. 106. & alibi.
An Chriſtus Dominus dici poſſit Patronus alicujus Eccleſiæ. 169. an plures Patroni eſſe poſſint. *ibid.*
Patronus, ſi occurrant eodem die Feſtum Patroni particularis, & alterius Regni, aut Provinciæ, de quo. 172.
Commemoratio Patroni principalis Ordinis inter Suffragia, an ante illam Titularis Eccleſiæ. 108.
Penſionarius non tenetur ad Officium Divinum recitandum, 8. tenetur tamen ad Officium B. M. V. alioquin non facit fructus ſuos. *ibid.* quod eſt intelligendum quando penſio eſt ſpiritualis & Eccleſiaſtica, non vero ſi penſio ſit mere temporalis. *ibid.*
Penſionarii extra Chorum quotidie tenentur recitare Officium parvum B. M. V. ſub pœna reſtitutionis fructuum. 174. eximuntur ſi recitent Horas Canonicas ratione Ordinis, ſeu Beneficii. *ibid.*
Peregrinatio non excuſat a recitatione Officii. 9.
Periculum vitæ excuſat a recitatione Officii. 9.
*Perſonæ* dictio, loco *Hypoſtaſis* in Divinis, quando uſurpari cæpta. 114. & ſeq.
Pierſanctes Venantius Philippus Apoſt. Cæremoniarum Magiſter laudatur. 178.
Pius V. Penſionarios ad recitandum Officium B. M. V. adſtrinxit. 8. & ſeq. cur ſubſtantiam & modum, atque formam Horarum Canonicarum præſcripſit. 9.
Conſuetudines celebrandi Officia, & Feſta in quibuſdam locis per Bullam, non omnes abrogavit, ſed Ritum, & modum ea celebrandi a Romano Breviario alienum. 16. & id contra nonnullos Auctores aliter aſſerentes probatur. *ib. Vide Conſuetudines.*
Omnes Leges Breviarii Romani primus inſcripſit Titulo Rubricarum Generalium. 21.
Addidit Homiliam Feriæ 3. Paſchatis in Officio. 136. Octavas Sanctorum poſt Natalem Domini ex Semidupl. Duplices fecit. 127. Hymnum ad Laudes Epiphaniæ mutavit. 128.
Abrogavit recitationem quotidianam Officii parvi B. M. V. ad quam tenebatur Clerus. 173.
Plurale in Breviario aliquando ponitur pro Singulari, econtra. 156. 165.
Pluviale in Veſperis ſuper Cottam ſine Stola. 185.
Pluviale, elevandum in fimbriis ab Aſſiſtentibus. 185.
Preces, earum Rubricæ. 104. quid. *ibid.* a Græcis primum compoſitæ. *ibid.* cur multiplicentur per Horas. *ibid.* cur in Dominicis ſtando dicantur. *ibid.*
Preces flebiles quæ, & cur in iis *Miſerere* dicatur. 104. quibus diebus dicendæ, & flexis genibus. 105. quot & quales orandi modos contineant. *ibid.* cur non dicantur in Duplicibus, infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniæ. *ibid.* diſtinctio earum in Laudibus, & per alias Horas a Pio V. Pontifice. *ibid.* cur non dicantur in quibuſdam Vigiliis. *ibidem.*
Preces Dominicales non recitantur in Officio Divino quoties in eo Preces dicuntur flexis genibus. 179.
Preces, & Suffragia, nunquam ſejunguntur ab Officio Feriali. 130. cur in Quadrageſima. 131.
*Pretioſa in conſpectu Domini &c.* poſt Lectionem Martyrologii, cur dicatur. 118. Ritus antiquitus. 121.
Prima Hora Canonica cur anticipetur in Officio Natalis Domini. 126.
Prima. Ejus Rubricæ, Ritus, antiquitas &c. 65.
Primicerius olim primam Antiphonam exordiebatur in Choro, & quali in loco. 85.
Privilegia unius Ordinis, quæ alteri communicantur, non ſe extendunt ad Officia, ſeu Feſta Sanctorum. 15. & ſeq.
Proceſſiones Rogationum, & earum Ritus. 186. & ſeq.
Profeſta appellatæ Vigiliæ a Græcis. 30.
In Profeſtis, ſeu in Feſtis Simplicium cum tribus Lectionibus omittebatur Hymnus *Te Deum*, jure tamen novo Breviarii Pii V. dicendus. 112.
Prophetæ Majores, & Minores, quot. 144.
Pſalmi. Eorum Rubricæ. 85. quid. 86. Pſalmus fere idem ac Hymnus. *ibidem.* differentia quæ. 87. Auctores Pſalmorum qui. 86. 89. Ordo triplex. 86. centrum Pſalterii, quod. *ibid.* Verſus, quot in toto Pſalterio. *ibid.* Ordo Pſalmorum, quo quiſque fuerit compoſitus. *ibid.* Ordo Eccleſiaſticus per totam Hebdomadam. *ibid.* Duodenarius numerus Pſalmorum in Feriali Officio unde. *ibidem.* numerus Pſalmorum in Matutinis de Feſtis ac de Feriis ex Decreto Gregorii VII. Papæ. *ibidem.* Pluralitas Pſalmorum, & mutatio unius in alium quid. *ibidem.* Cantus Pſalmorum Primitivæ Eccleſiæ renovatus a Clericis Regularibus. 87. Ritus canendi ab Apoſtolis derivatus. 89.
Pſalmos canendi in Eccleſia alternatim binis Choris, auctores fuerunt Flavianus, ac Diodorus Monachi. 83.
Pſalmos, & Hymnos canendi a Chriſto Domino, & Apoſtolis uſus ad nos pervenit. 7.
Pſalmi tres in Nocturno Paſchatis, quid. 136.
Pſalmi Graduales: Canticum graduum, & Aſcenſionis, idem. 179. unde. *ibid.* cur quindecim. 180. diſtribui poſſunt Myſteriis Roſarii. *ibidem.* Quando recitandi in Choro. *ibidem.* quando omittendi. *ibidem.* Indulgentia quinquaginta annorum illos recitantibus conceſſa a Pio V. *ibid.* Canticum Aſcenſionis cur dictum. *ibidem.* Cantica Elevationis dicta. *ibidem.* cur genuflectendum ad preces eorum. 183.
Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales cur in Quadrageſima. 131. Fer. 4. & 6. in Quadrageſima poſſunt anticipari in Veſperis. 139.
Pſalmi Pœnitentiales, cur ita dicti: numerus, & eorum antiquitas. 181. cur Septem. *ibid.* Innocentius III. juſſit recitari in Quadrageſima, & cur. *ibid.* Feriæ 7. aſſignati a Pio V. *ibid.* Ritus eos recitandi. *ibid.* cur non in Feſto novem Lectionum. *ibid.* Pſalmus poſt Litanias, & Orationes olim diverſe. *ibid.* extra Chorum nulla obligatio eos recitandi. *ibid.* Cuique eos recitandi Indulgentia 50. dierum conceſſa a Pio V. *ibidem.* cur genuflectendum. 183.
Pſalmus *Beati immaculati in via* diviſus pro minoribus Horis, eſt peculiaris Romanæ Eccleſiæ mos. 66. hunc morem ſervabat S. Benedictus Ananienſis. *ibid.*
Pſalmus *Confitemini* ad Primam cur non dicatur toto tempore Paſchali. 136.
Pſalmi *Lauda anima mea Dominum*, & *De profundis &c.* quando omittendi ſunt in Officio Mortuorum. 176. 178.
Pſalmus *Miſerere* in Matutinis Tenebrarum cur humili voce. 134.
Pſalmus *Venite*, cur & quomodo additus Invitatorio Officii. 76. Antiphona ante eum a quo præſcripta. *ibidem.* cur in die Epiphaniæ talis Pſalmus in principio Officii omittatur. *ibidem.* cur a Benedictinis decantetur. *ibid.* & 77.
Pſalterium Romanum differt a Pſalterio Romano Baſilicæ Vaticanæ. 86. Verſio Romana in quo differat ab aliis. 88. cur ſic appellata. *ibid.* Sancti Hieronymi Verſio Pſalterii non recepta. *ibid.* Correxit Hieronymus antiquam Latinam Verſionem, qua uſa eſt Romana Eccleſia, ſed non ab omnibus admiſſa. *ibid.* nova verſio a Sancto Hieronymo facta, emendatior eſt qua nunc utitur in Breviariis Romana Eccleſia. *ibid.* a Gallis primum accepta ad alias Nationes tranſivit. *ibid.* varius diverſarum Verſionum uſus in pluribus locis, & Eccleſiis. *ibid.* Pius Papa V. Breviarium Romanum ad uſum fere omnium Eccleſiarum reſtituit excepta Baſilica Vaticana, quæ Verſionem antiquam retinet. *ibidem.* & quædam aliæ Eccleſiæ extra Urbem. *ibidem.*
Pſalterium olim totum memoria cuſtodire debebant Presbyteri. 87. S. Gregorius Magnus Joannem Presbyterum, in Epiſcopum ordinare noluit, eo quod Pſalmos memoriter neſciret. *ibid.* ex Decreto Niceni Concilii id ſtatutum. *ib.* ſtudium fuit hoc veteris diſciplinæ Eccleſiæ. *ibid.* mos cantandi memoriter Pſalmos apud nonnullas Eccleſias, & Monachos. *ibid.*
Pſalterium totum olim quotidie a Clero recitabatur. 13. Libri Veteris, aut Novi Teſtamenti Laicis non permiſſi olim, præter Pſalterium, & Breviarium. *ibid.*

Q

QUadrageſimæ tempore, quid agere oporteat. 131. ejus Officium. *ibid.*
Quartodecimanorum Hæreſis initium, & error damnatus a Concilio Epheſino. 19.
Quignonii Franciſci Cardinalis Breviarium Romanum. Vide *Breviarium Romanum Cardin. Quignonii*, hujus Card. in edendo Breviario modeſtia, & laus. 15.

R

REgulares utriuſque ſexus Choro addicti tenentur recitare Divinum Officium, etiamſi non ſint in Sacris conſtituti, ex conſuetudine: ſecus ſi juridice ejiciantur: eorum obligatio incipit ab hora Profeſſionis emiſſæ. 8.
Regulares in Civitate, vel in Diœceſi commorantes non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœceſis,

vel quæ de conſuetudine recitantur in Choro. 9. Feſtum tamen Patroni principalis loci tenentur cum officio de eodem celebrare, non autem Octavam. *ib.* non tenentur ad Chorum, niſi ex vi Regulæ. 12.
Regulares tenentur ad officium ſolemne, & Feſtum Patroni principalis loci. 58. non vero ad Octavam *ib.* de patronis minus principalibus ſi non ſunt in Kalendario Romano, neque tenentur recitare officium. *ibid.* Patronos plures poſſunt habere. 60. de Patrono Parochiæ non tenentur ad officium. *ib.*
Regulares aliqui diverſis horis nocturnis Matutinum recitant. 63.
Regulares ad ſignum Salutationis Angelicæ ſi impediti ſint ob aliquod exercitium ſui Inſtituti, ſtatim ceſſato impedimento id præſtantes acquirunt Indulgentias. 73.
Regulares an teneantur celebrare officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis cum Octava in Civitate. 266. & 171. ſeu Patroni. Vide *Officium*.
Reliquia inſignis alicujus Sancti, cujus in ritu permittitur officium duplex, qualis eſſe debeat. 9. & 10.
Debet eſſe Sanctus in Martyrologio Romano deſcripti. 10. Officium ratione Reliquiæ inſignis conceſſum fit duplex per ann. 22. poteſt fieri tantum in Eccleſia ubi adeſt, 23.
Reſponſoria. Eorum Rubricæ, Ritus, &c. 69.
Reſponſorium nonum omittitur quando dicitur *Te Deum*. 100. cus in Dominicis octavum Reſponſorium eſt de Trinitate. *ib.*
Reſponſoria in Feſtis trium Lectionum, quo ordine, loco, & ritu deſumenda. 100.
Reſponſoria brevia Horarum. Rubrica eorum. 101. cur brevia dicantur. *ib.* cur in Reſponſorio ad Primam fiat variatio verſus aliquando. *ib.* quando concurrunt duo Verſus proprii, quid, & quomodo varianiur. *ib.* in Adventu quando variandi Verſus. *ibid.*
Reſponſorium primum in Dominica prima Adventus, a quo, & cur tres Verſus habeat, & repetatur a capite. 124. Reliquorum auctor S. Gregorius Papa. *ibid.*
Reſponſoria in officio Nativitatis Domini cur varia. 126.
*Rogationes* cur vocantur tres dies ante Feſtum Aſcenſionis. 138. Feria 2. Rogationum eſt Feria major, ſed non excludit officium novem Lectionum etiam translatum. *ib.* Ritus circa Feſta in ea occurrentia. *ibid.* Officia ex privilegio conceſſa ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadis, aut menſibus hac die locum non habent. *ibid.* nec etiam in 4. Rogationum. *ibid.* Veſperæ in dicta ſecunda Feria, & color Altarium, occurrente aliquo Feſto. *ibid.* Ritus Feriæ 3. Rogationum occurrente aliquo Feſto, *ib.* & ſeqq. Miſſæ cantandæ poſt Litanias Ritus. 139. Vide etiam *Litaniæ Majores*.
Roſarium B. M. V. recitantibus, ſeu etiam partem, quæ Indulgentiæ conceſſæ a Benedicto Papa XIII. 73.
Roſarii myſteria quomodo aptanda Pſalmis Gruadualibus. 180.
Rubricæ Generales Horarum Canonicarum. 21. Aliæ ſubſtantiales, aliæ accidentales, & quales ſint. *ibid.* a Pio V. aliæ mutatæ, & aliæ auctæ. *ib.* in quibus omittendis graviter peccatus. *ibid.*

## S

SAbbatum Palmarum habet Evangelium, quod hiſtorice contingit pridie Dominicæ Palmarum. 132.
Sabbato Sancto cur Veſperæ breviores. 134
Sabelliani, & ipſorum error. 109.
*Salve Regina, &c.* tribuitur Petro Compoſtellano, & juxta alios Hermanno Contracto. 121. ſtatim recepta, & in Divinis Officiis cantata. *ibid.* S. Bernardus Commentariis illuſtravit, eique addidit: *O Clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. ibidem* & 123. Gregorius PP. IX. decrevit recitari in Matutinis, & Veſperis. 122. cantata ab Angelis. *ib.* cur dicta *Cantico Nautica*. *ib.* ejus uſus antiquior in Eccleſia. 123. uſus ejus varius in Officio apud diverſas Religiones. *ib.* qualis fuit primum ab Hermanno Contracto compoſita, & quid in ea immutatum. *ib.* quo ſenſu B. M. V. appellatur Vita noſtra, & Spes noſtra. *ibid.* Vide *Antiph. B. M. V.*
Salutatio Angelica, ejus partes unde. 72. ultima verba *nunc, & in hora, &c.* ex conſuetudine Romana in Breviario, approbata a Pio V. *ibid.* verba *S. Maria Mater Dei, &c.* quando addita. *ibid.* Formula hujus orationis antiqua. *ibid.* hujus precationis antiquitas. *ibid.* uſus. *ibid.* Indulgentiæ ea recitantibus a Joanne Papa XXII. 173. a Benedicto XIII. *ib.*
Ante annum 1550. non dicebatur in Officio, & cur addita. 72. cur non in fine Horarum, ſed tantum in fine officii dicatur. *ib.*
Sancti Veteris Teſtamenti ab Eccleſia coluntus. 182. eorum variæ Eccleſiæ. *ib.*
Sancti deſcripti in Martyrologio æquivalenter Canonizati reputantur. 17.
Sancti nondum Canonizati non poſſunt inſeri in Litaniis. 178
Sanctus, cujus Reliquiæ inſignis intuitu permittitur officium Duplex, debet eſſe canonizatus, ſeu per immemorabile tempus publice, & univerſaliter cultus. 9. & 10.
Signum Crucis in principio Horarum Canonicarum diverſimode. 75. Vide *Crux*.
Solemniter celebrari Feſtum aliquod, quid importet. 16. & reſpectu regularium quid. *ibid.* explicatio illius vocis ſolemniter. 17. aliquando uſurpata ad ſignificandum Feſtum Semiduplex. *ibid.* Solemnitas Feſti deſumenda eſt ex Ritu officii, non ex apparatu, & concurſu. *ibid.*
Spinæ Coronæ Dominicæ inter Reliquias inſignes computantur, dummodo conſtet eſſe tales. 10. officium, & Miſſa conceſſa ob id Terræ Tarragæ, & alibi. *ibid.*
*Et cum ſpiritu tuo* quid. 103. cus dicatur, & non *tecum*. *ibid.*
Standum cur ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum dum dicuntur Horæ Canonicæ. 183. cur ad Cantica Evangelica, ac Orationes. *ibidem*. Quando ſtandum ſit in recitatione Horarum. 184
Standi, vel ſedendi in Choro, dum cantantur Antiph., & Pſalmi, varii uſus. 186. & 187.
Subdiaconi ſeptem conſtituti in Urbe a S. Fabiano PP. ut Notariis totidem imminerent ad colligenda Acta Martyrum. 118. cur. *ibid.*
Suffragia Sanctorum tempore Paſſionis. 132. cur omittuntur in Adventu. 124.
Symbolum Apoſtolorum quid. 73. ab Apoſtolis quomodo confectum, & cujus partis quiſque eorum fuerit auctor. *ibid.* cuſtoditum, nec unquam immutatum ab Eccleſia Romana. *ibid.* appellatur Regula Fidei. 74.
Ad omnes Horas recitari conſuevit Decreto Damaſi, nunc ex parte abrogatum. 73. cur quinquies recitatur in officio, & ſecreto. 74. cur in medio ad preces Primæ, & Completorii. *ib.* cur numquam totum clara voce, ut in Miſſa. *ib.*
Symbolum S. Athanaſii, ejus auctor, antiquitas. 112.
Symbolum S. Athanaſii in Dominicis ad Primam cur. 65. Theodulphus Abbas ejus explanationem edidit. 66.
Dicendum in Feſto SS. Trinitatis, & in die Octavæ tantum, quando celebratur cum Octava. 117.
Cur non dicatur in Dominica Paſchæ. 136.
Dum recitatus ſtare laudabilius eſt, 184.

## T

TAbella generalis Translationis Feſtorum communium, 49. ejuſdem explicatio.
Tabella Commemorationis Feriarum. 54.
Tabella Commem. Vigiliæ. 54.
Tabella Commem. Feſt. Simplicis. 54.
Tabella Commem. dierum infra Octavas. 55.
*Te Deum laudamus* an finis Nocturnorum, vel initium Laudum. 64. cur dicatur in officio de Dominica. 100. in Choro a Celebrante ſemper inchoandum. 185. niſi ſit alia conſuetudo. *ib.* Vide *Hymnus, Te Deum*.
S. Teleſphori PP. Officium quod duplex occurrit in Vigilia Epiphaniæ transfertur. 128.
Tempus Paſchale terminatur Sabbato Quatuor Temporum Pentecoſtes. 182. & ſeq.
S. Thecla V. M. cur in Commendatione Animæ. 182.
V. Thomaſius Joſeph Maria Cardinalis. 80.
Thuriferarii munus pro Veſperis ſolemnibus. 186. & ſeq.
Titularis Eccleſiæ eſt Sanctus ille, a quo denominatur Eccleſia. 167. & ſeq. aliquando Titularis dictus Pontifex, qui illam ædificavit. *ibid.*
Titulus Eccleſiæ quid, & in quibus differat a Dedicatione. 167. Tituli Cardinales, qui dicerentur olim Romæ. 167 Euariſtus PP. diviſit Titulos Presbyteris. *ib.* iterumque Dionyſius. *ib.* Tituli apud Gentiles qui? *ib.*
Titularis Eccleſiæ, in quibus differat a Patrono loci. 57. & 59. habet in ſua Eccleſia officium Duplex primæ Claſſis cum Octava. 58. Titulo Eccleſiæ ad aliam Eccleſiam translato, qui illius emolumenta percipit, quomodo officium illius Sancti recitare debeat. 58.
Titularis Eccleſiæ, ſi incidat in Sabbatum, quo faciendum eſt officium de prima Dominica poſt Epiph. quid. 128.
Titularis Eccleſiæ comm. in ſuffragiis, ante Apoſtolos. 106. & 108. ſervanda tamen eſt dignitas. 107. ſi adſint plures Titulares quid. 108. ſumenda a die Feſti ejus. 106 ſi Titulus ſit Omnium Sanctorum, facienda poſt Apoſtolos. *ibid.* quæ mutanda in Orationibus, quæ ſumuntur a Feſto, in quibus ſpeciale quid enunciatur de die, ſeu Feſto. *ibid.* quid in Vigilia Patroni ſeu Titularis, qui Vigiliam habet in Breviario. *ibid.*
Titularis, a Patrono, in quibus differat. 169. an plures Titulares, & Patroni quomodo eſſe poſſint. *ib.* De occurrentia eodem die Patroni, ac Titularis, quid quoad officium. *ib.* an poſſit mutari. 170.
De Titulo Altaris, in quo eſt beneficium, non poteſt

Bene-

ſeneficiatus officium recitare ſub Ritu majori, quam aſſgnato a Kalendario. 58. & 60.

ali Eccleſiæ olim appellati ab Epiſcopo, qui illas ædi-cabat. 168. Hujuſmodi varii Tituli Romæ. *ibid.* non anes Eccleſiæ, ſed inſigniores tantum Tituli appellatæ. *idem.* a Cardinalibus juriſdictione quaſi Epiſcopali re-ndæ. *ibid.*

us alicujus Religionis non cenſetur Patronus Religio- 60.

s Altaris intra Eccleſiam, quo Ritu. 60.

s Capellæ privatæ conſecratæ more Eccleſiarum pu-rum, an celebrandus ſub Ritu Duplici primæ Claſ- 60. & ſeq.

libri, ſeu Evangelii, ſeu Sermonis, vel Homiliæ, fficio ſemper legendus, niſi aliter notetur. 95.

tio Officii quid. 46.

tionis Feſtorum Rubrica. 41. Regulæ translationis ue Feſti occurrentis a 42. uſque ad 45. Decreta ſu-oc. 51.

tionis Feſtorum ejuſdem Ritus, in eorum repoſitio-tii attendenda prioritas Translationis. 151.

Translatio Feſti a tempore non Paſchali ad Paſchale, Officium erit Paſchale. 137. de Paſchali ad non Paſchale, prout in tempore non Paſchali. *ibid.*

Translatio Feſtorum, ſi transferatur Feſtum habens Octavam, poſt octo dies a die Feſti, Octava eo anno omittitur.

32. 37. Circa Feſtum Annunciationis B.M.V. cum transferri debet ad Fer. 2. poſt Dominicam in Albis, ubi eſt Titularis Eccleſiæ, debet fieri cum Octava, & cur. *ibid.*& ſeq. cujus Ritus quoad Lectiones 3. Nocturni. 38.

Feſta Duplicia plura translata habent locum juxta dignitatem quoad Ritum. 42. & 44.

Si æqualis ſit Ritus, prius fiet de eo, quod prius eſt in Kalendario. 45.

Si occurrant in Dominicis in Albis, vel Trinitatis, quid. 42.

Simplex numquam transfertur. 42. & 45.

Translatum a tempore Paſchali, non gaudet Officio temporis Paſchalis. 42.

Si occurrant duo Feſta ſimul ſub unius Feſti ratione, quorum unum eſt Patroni, ſeu Titularis, de hoc fieri debet, aliud transferendum. 42. & Ritus. *ibid.*

Si occurrant ſimul Patronus, & Titularis, fit de Patrono, & Titularis transfertur. 43. ſi Patronus vero ſit minus principalis, fit de utroque. *ibid.*explicatur melius hæc concluſio. 45.

Officii de tempore nulla proprie datur Translatio. 43.

Dies excludentes Feſtum quodcumque etiam primæ Claſſis, in iis occurrens. 43. & ſeq.

Feſta ad libitum non transferenda ratione officiorum indultorum a Sede Apoſtolica. 47. neque licet tranferre Duplex proprium Ordinis cauſa faciendi aliud Duplex ad libitum. *ibid.*

Translatio perpetua alicujus officii, quando occurrunt plura ejuſdem, ſeu diverſi Ritus de præcepto, eodem die an affigi poſſit diei proxime non impeditæ. 46. exempla diverſa afferuntur. *ibid.*

Officia de Duplicibus, & Semiduplicibus translatis habent locum in diebus infra Octavam non privilegiatam, non impeditis Feſto Duplici, aut Semiduplici. 43. & ſequenti.

An Feſta Semiduplicia translata locum habeant in Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis, & cur. 44. ſi occurrant in Dominica infra Octavam. *ibid.*

Semiduplicia ad libitum, quæ antea erant Simplicia, ſi occurrant in Dominica, de iis agendum, ac ſi forent Simplicia eo die. 45.

Feſtum S. Agnetis ſi transferendum ad diem 28. Januarii, vel ulterius quid. 44.

Officium translatum ſi per totum annum celebrari non poſſit, non eſt transferendum in annum ſequentem, ſed tamquam de Simplici de eo faciendum. 44.

Si transferantur Feſta S. Marci, & Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, de eo primum officium faciendum, quod prius in Kalendario proponitur, & cur. 36. in cæteris Feſtis translatis occurrentibus prius celebrandum de digniori juxta ordinem Litaniarum. *ibid.*

Translata aliqua Feſtivitate, non dicuntur translatæ Indulgentiæ pro die ipſius conceſſæ. 48. niſi pro iis Feſtis, quibus aſſignata eſt dies fixa, & tamquam propria, vel aliis ex ſpeciali Indulto Apoſtolico. *ibid.*

Translatio Feſtorum an requirat ut mutetur eorum lectio in Martyrologio. 118. ſi translatio Feſti facta ſit in perpetuum. 120.

*Tu autem Domine*, & non *Domne* cur dicatur in fine Lectionum. 95. Ritus antiquus hoc dicendi qualis. 98. an ſit genuflectendum. Vide *Genuflexio*. Ritus hujus genuflexionis, *ibid.* quoad ſuperiores ritus, *ibid.*

V

VAleſii opinio de Martyrologii Romani proprii uſu nonniſi poſt editionem ſub Sixto V. promulgatam, refellitur. 120.

Verborum in Breviarii Lectione pronuntiationis Productio, ſeu Correptio. 190. in Martyrologii Lectione. 191.

Verſus quid. 91. quomodo cantandi. *ibid.* cantantes Verſus ſe vertebant ad Orientem. *ibid.* poſt Nocturnos ante Lectiones cur. *ibid.* in fine Pſalmorum, & aliarum partium Officii. *ibid.* cur in Paſchate & Octava non habentur in Horis, & cur tempore Paſchali addatur *Alleluja*, *ibid.* cur Verſibus in Precibus non addatur *Alleluja*. *ibid.*

Verſus cur dicatur in Offic. Paſchatis ad Nocturnum, non vero ad Horas. 136.

Veſperæ. Earum Rubricæ. 67. unde, *ibid.* Lucernarium, & Lucernaris Hora, & duodecima, & Euchariſtia cur appellatæ. *ibid.* & ſeq. reſpondet Sacrificio Veſpertino Hebræorum. 68. ab Oratione quæ dicebatur dum lampades accendebantur, incipiebant Veſperæ. *ib.* Hymnus Prudentii *ad incenſum Cerei Paſchalis*, intelligendus de hac Veſpertina accenſione, *ibid.* *Veſpera* non eſt confundenda cum *Lucernario*, *ibid.*

Recitabantur ultima *Hora* diei, nempe duodecima. 68.

Primæ Veſperæ nobiliores ſunt ſecundis. 67. Myſteria quæ continent. *ibid.* cur in eis quinque Pſalmi. *ibid.* varia diverſorum Ordinum diſciplina. *ibid.* & ſeq. cur in Feſtis Sanctorum iidem Pſalmi qui in Dominica. 68 Capitulum, Hymnus, & Verſus quid, & cur. *ibid.* varius Ritus apud Monachos. 69.

Veſperæ cur ante primam Dominicam Quadrageſimæ, tempore conſueto, & poſt dictam Dominicam ante Comeſtionem. 138. extra Chorum non tenemur ad hunc Ritum. *ibidem.*

Veſperæ quomodo ordinandæ in Concurrentia duorum Feſtorum diverſæ Claſſis, & dignitatis. 41. Vide *Concurrentia*.

Veſperæ Octavæ Nativitatis Domini ſemper eaſdem Antiphonas habent, & cur. 226.

Veſperæ Sabbati, earum Ritus in Miſſa, & extra Miſſam. 134. cur breviores. *ibid.*

Veſperæ ſolemnes quibus Cæremoniis, ac Ritibus. 185. & 186.

S. Victor Papa ejus diſſidium cum Aſianis. 19.

Vigiliæ unde dictæ. 29. earum mentio apud antiquiſſimos Patres. *ibid.* Nocturnæ Vigiliæ in Cathedralibus præſertim Eccleſiis, & in aliquibus Parochialibus celebratæ. *ibid.* apud Ethnicos, & Judæos cuſtoditæ. *ibid.* Stationes Vigiliarum Militarium quot in nocte, & earum appellationes. 29. & ſeq. mentio Vigiliarum in Veteri ac novo Teſtamento. 30. ex quibus Chriſtianorum Vigiliæ in Eccleſiis falſo impeditæ a Vigilantio, acerrime a S. Hieronymo confutatæ. *ibid.* univerſaliter in conſuetudinem abierunt, non autem ob rationem impudicitiæ allatam a Polydoro Virgilio. *ibid.* laudabiliter obſervantur in Aurelianenſi, & Cenomanenſi Eccleſiis, & per univerſam Eccleſiam in nocte Nativitatis Domini. *ibid.*

Vigiliæ nomen ad ſignificandum Jejunium, quod ſervatur pridie Feſtorum ſolemnium. 30. olim non idem Vigilia ac Jejunium, neque jejunium ſubrogatum Vigiliis. *ibid.*

Vigiliæ quædam cum Jejunio, & pauciſſimæ ſine Jejunio, cur. 19. cur anticipetur Vigilia Dominicæ in Sabbato. *ibidem.*

Vigiliæ quoad officium, nihil de Vigilia in Feſtis primæ Claſſis. 29. Translato Jejunio in præcedentem diem ob Feſtum occurrens, officium Vigiliæ non eſt anticipandum. *ibidem.*

Vigilia occurrente in feriis Majoribus, neque Commemoratio de ea fit in officio. 29. Officio Vigiliæ addidit Pius V. Homiliam. *ibid.* An præter Vigilias in Kalendario expreſſas, liceat agere officium de Vigilia alicujus feſti proprii, puta Patroni. 30. Regula quando de Vigiliis non ſit facienda Commemoratio in Laudibus, *ibid.* & ſeq. cur aliquando fiat Commemoratio in Miſſa, non vero in officio. *ibid.* Vigiliarum diſtinctio. 31.

Vigilia translata in Sabbatum, ejus Lectio non transfertur in Martyrologio. 118.

Vigiliæ Ss. propriorum, an debeant annunciari in Martyrologio. 120.

Vigiliis, ſeu Stationibus Nocturnis reſpondent Tres Nocturni Matutini. 62. & 63.

Vigiliæ in adventu, quo Ritu in Miſſa, & officio. 145.

Vigilia S. Andreæ Apoſtoli, Ritus ejuſdem officii. 146. ſi in Adventu. *ibid.*

Vigilia Aſcenſionis non habet Jejunium. 139. ſi occurrat in ea feſtum primæ Claſſis, vel aliud novem Lectionum, quid. 140. ſi Simplex. *ibidem.* Ritus officii hujus feriæ. *ibidem.*

Vigiliæ Epiphaniæ ejus officii Ritus. 128. ſi in ea occur-

rat officium Duplex, quid, *ibidem*. Romæ in Patriarchalibus, de Sancto Teleſphoro Papa non fit, ſed transfertur. *ibid.* non fit in ea de Duplici translato. *ibidem*. Semiduplex transfertur poſt Octavam Epiphaniæ. *ibidem*. Æquiparantur in multis Vigiliæ Nativitatis Domini. *ibidem*. Privilegium ſingulare conceſſum Hiſpanis faciendi in hac Vigilia officium de Sancto Thoma Cantuarienſi. *ibidem*. excludit quodcumque officium translatum etiam primæ Claſſis. 44.

Vigilia Nativitatis Domini, ſi occurrat in Dominica 4. Adventus. 125. ſi venerit in Sabbato, ejus Ritus quoad Officium; & cur Duplex a Laudibus. *ibid.*

Vigilia Pentecoſtes privilegiata, & cum Jejunio. 141. non excludit Commemorationem Simplicis in ea occurrentis. *ibid.* Colores varii in Officio hujus diei. *ibid.* In Miſſis privatis etiam ante Nonam rubeus. *ibid.*

Vigilia S. Thomæ Apoſtoli ſi incidat in Feriam 4. Temporum, Ritus quoad Officium, & miſſam 147.

Vigilius Tapſenſis Epiſcopus, num auctor Symboli Athanaſiani. 116.

Vincentius Lirinenſis, num auctor Symboli Athanaſiani. 116.

Urbanus PP. VIII. Hymnos antiquos emendavit. 78.

Qui hymni ab eo relicti intacti ſunt. 78. Catalogus eorum, quos correxit per initia illorum. *ibid.*

Ordinariis quibuſcumque adimit facultatem addendi Kalendariis etiam propriis ulla Feſta, 145. cur id ſtatutum, *ibidem*.

Compoſuit Officium S. Martinæ. 148.

Uſuardus Monachus Martyrologium, cur copioſius reddidit. 119. ejus Editiones, quot, & quæ omnium pulcherrima, *ibidem*.

Wandelbertus Prumienſis Monachus Martyrologium metricum edidit, 119. ejus Editiones, *ibid.*

ORDO

# ORDO PERPETUUS
## ET GENERALIS
# DIVINI OFFICII

Recitandi juxta Rubricas Breviarii Romani,

## A PRÆCLARISSIMO GAVANTO

Jam ſtrictim compoſitus, & evulgatus anno 1625.

*NUNC VERO CORRECTIOR, ET LOCUPLETIOR; adjectis Sac. Rit. Congreg. Decretis uſque ad præſens emanatis, noviſque obſervationibus, & Additionibus*

## CAJETANI-MARIÆ MERATI

CLERICI REGULARIS, EJUSDEM SACRÆ RIT. CONGREG. CONSULTORIS.



Digitized by Google

# AD LECTOREM.

EDita fuere olim ſummo cum ſtudio Kalendaria perpetua pro recitandis Horis Canonicis ad uſum quarumdam Congr. Regularium, imo & ad uſum totius Orbis Eccleſiarum, quæ, ut ait Gav. jam ſuis temporibus inutilia reddita erant ob recognitionem Breviarii Romani factam a Clem. VIII. Hodie vero, propter innumera fere Decreta a Sac. Rituum Congr. emanata poſt Gavanti Ævum, illa Kalendaria multo magis inutilia omnino redduntur. Quapropter in gratiam, & commodum Eccleſiaſticorum, qui, quamvis periti in Sac. Ritibus, brevitate tamen gaudent; & præſertim eorum, qui ab Epiſcopis deputantur ad dirigenda quotannis Kalendaria ſuarum Diœceſum pro faciliori inſtructione ſui Cleri, non ſolum in recitandis Horis Canonicis, ſed etiam in Divini Sacrificii celebratione; ſequentes Tabulæ diligentiſſime elaboratæ a nobis hic exhibentur; ad normam quidem illarum, quas Gavan. multo tamen breviores ediderat uſque ab anno 1625. ſcilicet antequam ſuum Theſaurum Sacr. Rituum conficeret, & evulgaret. De his ſuis Tabulis ipſemet poſtea mentionem fecit *in tom. 2. ſui Theſauri ſect. 2. c. 2. de Kalendario*, ubi ait; *compoſuimus Ordinem Officii Divini perpetuum, & quam breviſſimum, aante Deo, dabimus pleniorem, & emendatiorem*. Hunc tamen Ordinem, quem prolixiorem promiſerat præſtantiſſimus Auctor, multis curis, & laboribus diſtentus, ut ibidem diximus in noſtris Obſervationibus, numquam edidit. Nos vero, ejus deſiderio ſatisfacere cupientes, qui ejuſdem Theſaurum locupletiorem in omnibus ſuis partibus edere ſtuduimus, etiam hunc Ordinem perpetuum Divini Officii pleniorem, & emendatiorem, cura præſertim, ac ſtudio Dominici Luchini, de quo alibi mentionem fecimus, in lucem emittimus: quo quidem Ordine, veluti certa, brevi, ac legitima methodo, perpetuo quiſque Eccleſiaſticus poterit recitare quotidie Horas Canonicas, & qui Sacerdotio inſigniti ſunt, Miſſam celebrare. Ut autem melius Tabularum ſequentium uſus intelligatur, apponere lubet hic nonnullas Prænotationes, & Regulas ad ſequentium Tubul. intelligentiam maxime conducentes. Sit igitur.

## NOTANDUM I.

INitio cujuſlibet Anni quærenda eſt Tab. propria dati Anni ex triginta ſex, quæ in hoc opere continentur: numerus enim Tab. invenietur cum ſequenti Tabula Paſchali perpetua, vel per Tabellam Temporariam provenientia a dicta perpetua, ut infra videbitur.

## NOTANDUM II.

SIcut Annus Biſſextilis habat duas litteras Domin. ita pro tali Anno duæ Tabellæ ſunt adhibendæ, una antecedens, altera ſubſequens, quæ pro Januar. & Febr. tantum ſerviet: antecedens vero a principio Martii uſque ad finem Anni adhibebitur; Et idcirco in fine Menſis Febr. omnium Tab. replicati ſunt dies, ſcilicet a die 22. uſque ad 28. cum hoc ſigno * pro Annis non Biſſextilibus; At pro Annis Biſſextilibus cum ſequenti ſigno ¶; relictis enim antecedentibus diebus cum * ſignatis, obſervandi ſunt dies a 23. uſque ad 29. Poſtea, relicta Tab. incipitur antecedens Tabula, incipiendo ab initio Martii, & ſerviet uſque ad finem Anni, ſicut docet ſequens Tab. Temporaria. Ex. grat. e regione Anni 1740. in columna Tab. Temporariæ reperiuntur num. 28. & 27. qui ſignificant in dicto Anno 1740. adhibendam eſſe Tab. 28. pro Januar. & Febr. alteram vero Tab. 27. antecedentem a principio Martii uſque ad finem Anni 1740. & ita etiam notatur in omnibus Tabulis in fine Febr. excepta Tab. I.

## NOTANDUM III.

IN omnibus ſequent. Tab. non ſolum deſcripſimus ea, quæ in Kalendario, & Brev. ipſo incertam habent ſedem, nimirum Dominicas, Officium B. M. in Sabbato, Feſta Mobilia, Translationes Feſtorum, Ferias Quatuor Temporum &c. ſed etiam omnia Feſta immobilia, & quæ certam habent ſedem, nimirum Natalitia Sanctorum &c. quæ continentur in Kalend. collocato ante prædictas 36. Tab.

## NOTANDUM IV.

RUrſus in ſequent. 36. Tabulis brevitatis gratia, id quod in Brev. & Miſſali clare notatur, nos prætermiſimus, v. gr. lectiones primi noct. de Scriptura hebdomadæ currentis &c. at quando occurrit aliqua mutatio lectionum, tunc notatur quid ſit recitandum; ideo ſæpe apponitur hæc verba, *ut in prop.* ſive, *ut in prop. loc.* vel particula *&c.* ut indicent, obſervanda eſſe cætera, quæ in textu Breviarii, & Miſſalis per extenſum habentur: ſicut etiam de *Gloria* in Miſſa, in qua ſemper dicitur, quando in Officio recitatum eſt *Te Deum*.

In omnibus Tab. reperies verba detruncata, quorum aliqua ſunt intellectu facilia; alia vero non ita clara, & horum catalogum hic ſubjicimus cum ſuis explicationibus.

*Explicatio Verborum, quæ in Tab. abbreviata leguntur.*

| | |
|---|---|
| Ap. | Apoſtoli, vel Apoſtolorum |
| Br. vel brev. | Breviario |
| c. al. | color albus |
| c. n. vel c. nig. | color niger |
| c. rub. | color rubeus |
| c. vir. | color viridis |
| c. viol. | color violaceus |
| commun. vel de com. | communi, vel de communi |
| Cr. | Credo |
| Ep. | Epiſcopi |
| feſ. vel feſt. | feſto, vel feſti |
| Gl. | Gloria |
| L. | Laudes, vel Laudibus |
| l. | lectio |
| ll. | lectiones |
| M. vel Mar. | Martyris |
| Mm. | Martyrum |
| Offic. ordin. | Officium ordinatur |
| (O. D.) | Officium Defunctorum |
| P. | Papæ |
| pr. vel 1. | primi |
| S. M. vel S. V. | Sancti Martyris, vel S. Virginis |
| SS. MM. | Sanctorum Martyrum |
| S. P. | Sancti Papæ, vel Sancti Pontificis. |
| ſeq. vel ſeqq. | ſequentis, vel ſequentium. |
| V. vel Virg. | Virginis |
| V. & M. | Virginis, & Martyris |
| ut in prop. loc. | ut in proprio loco in Breviario, & Miſſali. |
| un. M. | unius Martyris |
| ut ibi. | ut in Breviario, & Miſſali |
| ut pr. tribus Tab. hoc eſt | ut pr. tribus Tab. hoc eſt ut in I. II. vel III. Tab. in eod. Feſto |

* Hæc nota ſignificat ſequentes dies Februarii pertinere ad Annum non Biſſextilem.

*Gavant. Tom. II.*

† Hæc parva Crux indicat, ſequentes dies bis eſſe notatos, & ibi occurrere mutationem Officii uſque ad ſignum ¶

¶ Hoc ſignum indicat obſervationem aliquorum dierum in Annis Biſſextilibus, vel differentiis Officiis pro particulari Provincia.

## N O T A N D U M V.

Septem priores Tabulæ a nobis deſcribuntur omnino extenſæ, utpote comprehendentes expreſſe omnia ea, quæ requiruntur pro directione Divini Officii, & Miſſę celebrandæ in qualibet die; In ſequentibus vero Tabulis, nempe ab VIII. uſque ad XXXVI. contractiores fuimus, ne tedio eſſemus Lectori, eadem repetendo, quæ in prædictis ſeptem primis Tabulis ſufficienter, & abunde jam deſcripta ſunt. Ob eamdem rationem prætermittimus in iiſdem Tabulis, nempe ab VIII. Officia particularia Status Eccleſiaſtici, &c.

## N O T A N D U M VI.

Quando in Kalend. & in Tabulis notatur ſolum Duplex, ſignificat Duplex minus; In aliis autem Duplicibus altioris ritus notatur eorum qualitas, ſcilicet Duplex 1. Claſſis, 2. Claſſis, & Duplex majus. Item, in Duplicibus ſecundę Claſſis, quando occurrit fieri commem. alicujus S. Simplicis in Laudibus, tunc in Miſſis privatis fiet etiam commem. quę in Miſſa ſolemni, vel quæ habetur tamquam ſolemnis, omittitur.

## N O T A N D U M VII.

Reperiuntur in Tabulis aliquando hæc verba -- *Dom. vacat*, quæ ſignificant, quod licet dies ſit Dominica, nihil tamen de ea fit in Officio, nec Commem. Hoc vero accidit tantum a Nativitate Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ, et eo die fit Officium, prout notatur in ipſis Tabulis.

## N O T A N D U M VIII.

Qui Kalend. quotannis deſcribunt ad uſum Particularium Eccleſiarum, idem cum nobis notare debent, additis propriis Sanctis locorum, nempe Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, Patronis Principalibus, et minus Principalibus, &c. inhærendo ſemper Rubricis generalibus, & Decretis a S. R. C. emanatis; addere etiam debent Officia illa SS. quæ poſt hanc noſtram editionem a Summis Pontificibus; vel a S. R. C. forſan præſcribentur, recitari debere; vel jam præſcripta, ad altiorem Ritum elevabuntur. Quia in Statu Eccleſiaſtico, Veneto, alibi, recitatur aliquando Officium particulare, (quod non eſt conceſſum in toto Orbe) ex ſpeciali indulto S.R.C. Ideo, ad diſtinctionem officii univerſali Eccleſiæ a particulari, adnotantur dies pro univerſali Eccleſia cum ſigno †, & pro particularibus cum hoc ſignu ¶, in quibus (relictis diebus hoc ſigno † notatis) recitetur officium, prout deſcribitur a die notæ ¶ cum reliquis diebus Menſis linea incluſis, & cum commatibus in latere marginis notatis.

Dedic. Baſilicæ S. Salvatoris Romæ, & in ejus Diſtrictu celebratur Duplex 1. Claſſis cum ſua Oct. a Clero Seculari, a Regularibus vero Duplex 2. Claſſis ſine Oct. Iſte Diſtrictus Almæ Urbis comprehendit ſpatium quadraginta milliarum extra, & circa Urbem. Ita etiam Officium S. Alexii ſub Ritu Duplici cum ſuis novis Lectionibus, & orationibus proprię Miſſę: At officia S. Margaritę de Cortona ſemiduplex 23. Febr. ac S. Felicis a Cantalicio Conf. ſem. 21. Maji, & S. Marię Magdalenę de Pazzis Duplex 27. Maji, ac S. Aloyſii Gonzagę Duplex 21. Junii, ſunt extenſa per totam Italiam, & Inſulas adjacentes.

## N O T A N D U M IX.

Septem primę Tabulę ſint ſimilis reliquis viginti octo; quamvis in qualitate Dominicarum diſcrepent; Nam Tabulę 1. 8. 15. 22. 29. Item 2. 9. 16. 23. 30. Item 3. 10. 17. 24. 31. Item 4. 11. 18. 25. 32. Item 5. 12. 19. 26. 33. Item 6. 13. 20. 27. 34. Denique 7. 14. 21. 28. 35. ſunt ſimiles, quia eadem die Menſis, in qua eſt Dominica in I. Tabula, eſt quoque in 8. 15. &c. Et ita in aliis Tabulis, nam in ſimilibus Annis cadit eadem Littera Dominicalis; ſed Dominicę differunt in qualitate, & num. v.g. in Tab. I. 25. Jan. eſt Dominica Sexageſ. at in Tab. VIII. 25. Jan. eſt quidem Dominica, ſed Septuag. & in Tabula XV. currit Dominica tertia poſt Epiph. Ideo ſeptem primę Tab. abunde ſunt extenſę, cęterę vero, incipiendo ab VIII. breviori methodo ſunt exaratę, ut diximus, unde quod videtur in iſtis 28. Tab. deficere, invenitur in ſeptem primis Tabulis eamdem Litteram Dominicalem habentibus, prout notatur in principio Januarii, ac paſſim in corpore earum, & pręcipue circa finem Novemb. quando appropinquat Dom. ultima poſt Pentecoſten, & non occurrit aliqua mutatio Off. ideo, brevitatis gratia, detruncatur Tabula, & tunc reſumitur una ex ſeptem primis Tabulis, ut ibi notatur. Cum hac præcipua obſervatione non ſolum circa Lectiones Sacr. Scripturę, ſed etiam in nona Lect. Hom. & Commem. Feriæ, ut recitentur illæ occurrentes in propria Hebdomada uniuſcujuſque Tab. Ex.gr. in Tab. XV. 30. Jan. ita notatur: ℣ *Fer. 6. S. Martinæ V. & M. ſem. ut in Tab. I.* Hoc Feſtum in Tab. XV. cadit in Hebdomada Dom. 3. poſt Epiphaniam; igitur Lectiones Sacr. Scripturæ, quando currit Tab. XV. non accipiendę ſunt ex Hebdomada Sexageſ. quamvis citetur Tab. I. ſed accipiantur de Hebdomada Domin. 3. poſt Epiphaniam currente in Tab. XV. Et ita obſervetur pro cęteris Tabulis, ne fiat error in Lectionibus 1. Noct. ac in Antiph. & orationibus Domin. propriis.

Quando vero dati Anni Littera Domin. & Epacta ſunt eadem ac Littera Domin. & Epacta unius ex 36. Tabulis, hæc Tab. ſumenda eſt per extenſum ſine ulla mutatione, quia concordat in omnibus, & per omnia tam quoad qualitatem Domin. aliorumque Feſtorum Mobilium, quam etiam quoad Lectiones Sac. Script. ſecundum diſpoſitionem cujuslibet Hebdomadę, ut in proprio de tempore.

## N O T A N D U M X.

In omnibus Annis, in quibus hæ Litterę Domin. G, vel A occurrunt, numquam accidit, transferri debere ullam Domin. Epiphan. infra Hebdomadam; At quando occurrunt reliquę Litterę Dominicales, ſcilicet, B, C, D, E, F, ſemper una ex Domin. poſt Epiphan. infra Hebdomadam eſt anticipanda, vel facienda Commem. Quando vero omnes ſex Domin. poſt Epiphaniam habent ſuum locum, tunc anticipatur Domin. XXIII. poſt Pentecoſten, ut docet Rubrica.

## N O T A N D U M XI.

Quando in aliquibus Feſtis Sanctorum ultima illorum Lectio Homil. eſt omittenda, ut detur locus nonæ Lectioni Homil. vel Sancti ſimplicis; Si illa ultima Lectio, quæ eſt omittenda, ſit continuatio hiſtoriæ, vel in illa fiat mentio laudis illius Sancti, de quo fit officium, tunc illa Lectio nona non omittitur, ſed legitur conjunctim cum octava Lectione, & poſtea recitatur nona Lectio Homil., vel Sancti ſimplicis: ſed Rubrica ad hoc ſtricte non obligat, tamen Gav. *ſect. 5. c. 12. n. 18.* & Guyet. *l. 4. q. 2.* aſſerunt optime fieri ſi id obſervetur.

## N O T A N D U M XII.

In Vigiliis occurrentibus in Adventu, ſi occurrat Feſtum Duplex, vel Semidupl. fit Commem. Feriæ Adventus (de Vigilia nihil in off.) at in Miſſa poſt Commemorationem Feriæ Adventus, fit Commemoratio Vigilię, & ejus Evangelium legitur in fine, ut notatur *in tom. 1. part. 1. tit. 3. n. 6.*

## N O T A N D U M XIII.

In Feſtis Ss. Confeſſ. Pontif. & non Pontificum, brevitatis gratia, nihil innuimus in ſequentibus Tabulis, an in Hymno *Iſte Confeſſor* fieri debeat mutatio Verſiculi *meruit beatas* in *meruit ſupremos &c.* & idcirco hic ſubnectimus Catalogum omnium Ss. Confeſſorum, in quorum Feſtis fit mutatio dicti Verſiculi; advertendo, quod ſi Feſtum obitus Sancti alicujus Confeſſoris transferatur in proxime ſequentem diem ab ejus obitu (ut eſt Feſtum S. Franciſci Xaverii) & in primis Veſp. de eo celebretur totum Veſp. vel de eo fiat a Capitulo in primis Veſp. tunc tam in eiſdem, quam in Matutino, & in 2. Veſp. non mutatur Verſus, ut diximus in *tom. 2. p. 1. ſect. 8. c. 3. n. 2.* allegando Decretum 13. Jan. 1682. & in noſtra Serie ſub *n.* 128. Si vero in 1. Veſp. de Sancto illo Confeſſore ſola facta fuerint Commemoratio, ut in Feſto S. Hyacinthi, tunc in ejus officio dicitur Verſus *meruit ſupremos*.

### *J A N U A R I U S.*

14. Hilarii Epiſcopi Confeſſoris.
15. Pauli primi Eremitæ Confeſſoris.
24. Raymundi de Pennafort Confeſſoris.
27. Joannis Chryſoſtomi Ep. & Confeſſoris.
31. Petri Nulaſco Confeſſoris.

### *F E B R U A R I U S.*

4. Andreæ Corſini Ep. Confeſſoris.
7. Romualdi Abbatis Confeſſoris.
8. Joannis de Matha Confeſſoris.

### *M A J U S.*

5. Pii V. Papę Confeſſoris.
10. Antonini Ep. Confeſſoris.

### *J U N I U S.*

14. Baſilii Magni Ep. Confeſſoris.

### *J U L I U S.*

15. Henrici I. Imperator. Confeſſoris.
19. Vinceorii a Paulo Confeſſoris.

### *A U G U S T U S.*

4. Dominici Confeſſoris.
16. Hyacinthi Coofeſſoris.
31. Raymundi Nonnati Coofeſſoris.

### *S E P T E M B E R.*

2. S. Stephani Regis Coofeſſoris.
5. Juſtiniani Epiſcopi Coofeſſoris.
18. Thomæ de Villanova Epiſcopi Confeſſoris.

### *O C T O B E R.*

1. Remigii Epiſcopi Confeſſoris.
10. Franciſci Borgiæ Confeſsoris.
19. Petri de Alcantara Confeſsoris.

### *N O V E M B E R.*

20. Felicis de Valois Confeſsoris.
24. Joannis a Cruce Coofeſsoris.

### *D E C E M B E R.*

4. Petri Chryſologi Epiſcopi Confeſsoris.
7. Ambroſii Epiſcopi Confeſsoris.

Similiter in officio B. M. V. in quolibet ejus Feſto, & octava in fine Hymnorum ejuſdem metri dicitur: *Jeſu tibi ſit gloria &c.* ac etiam in Veſperis Feriæ Sextæ, quamvis de B. M. facta ſit tantum Commemoratio, & ad Primam in ℟. Brevi - *Qui natus &c.* Excipe tamen Officium, ſeu Feſtum Expectationis Partus B. Mar. V. in quo Hymni terminandi ſunt, ut terminantur alii de tempore; videlicet - *Virtus*, *honor*, *laus*, *gloria*, *&c.* ad Primam *Qui venturus*, *&c.*

## N O T A N D U M XIV.

Officium parvum B. M. V. recitatur in Choro quotieſcumque ſit officium feriale, vel de Simplici, excepta Vigilia Nativitatis Domini, Feriis Majoris Hebdomadæ, & Sabbato, quando ſit officium de Sancta Maria; vel ſæpius recitatur, prout viget laudabilis conſuetudo nonnullarum Eccleſiarum. Ordo recitandi dictum officium eſt, ut Matutinum cum Laudibus B. Mariæ recitetur ante Matutinum officii diei, dicto prius *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*; recitatur idem Matutinum cum Laudibus B. M. uſque ad *Benedicamus Domino* incluſive, quo dicto, abſolute inchoatur officium diei currentis. Hora Prima B. M. recitatur ante Martyrologium, ut in Breviario: Reliquæ Horæ B. Mariæ dicuntur poſt *Benedicamus Domino* aliarum Horarum officii currentis. Veſperæ vero Beatæ Mariæ, dicto prius *Pater noſter*, & *Ave Maria*, præponuntur Veſperis diei, ut dictum eſt in Matutino. Completorium tamen poſtponitur; ita ut dicto *Benedicamus Domino*, inchoetur *Converte nos Deus &c.* & concludatur de more cum Antiphona finali B. Mariæ juxta temporum varietatem. Hoc officium parvum B. M. V. varium eſt juxta temporum diverſitatem, ut notatur in Breviariis, & Diurnis. Tempore Paſchali dicitur ſicut ante Adventum, ſed ad *Benedictus*, ad *Magnificat*, & ad *Nunc dimittis* dicitur Antiphona *Regina Cœli &c.* Antiphonis autem, Verſibus, Invitatorio, & Reſponſoriis non additur in fine *Alleluja*. Tempore vero Paſſionis nulla fit detractio, ſed dicitur *Gloria Patri* in Invitatorio, & Reſponſorio tertio, ut in Feſtis Sanctorum. Si transfertur Feſtum Purificationis, non eſt ideo transferenda mutatio officii parvi B. Mariæ, quod ſolet dici poſt Feſtum Purificationis uſque ad Adventum, ſicut dictum eſt in noſtris Obſervation. in *ſect. 9. cap. 1. n. 4.*

## N O T A N D U M XV.

Officium Defunctorum recitatur in Choro qualibet ſecunda Feria Adventus, & Quadrageſimæ, quando officium fit de Feria. Extra tempus Paſchale dicitur prima die cujuſcumque Menſis non impedita ab officio novem Lectionum (quamvis translato) etiamſi fiat de Feſto ſimplici; ideo ſparſim in Tabulis apparet hæc nota (O. D.) Quando idem officium eſt recitandum, in Veſperis, licet Duplicibus, vel de Dominica præcedentis diei poſt *Benedicamus Domino*, intonatur Antiphona *Placebo Domino*, & dicuntur Veſperæ Defunctorum. Matutinum vero, ideſt unus nocturnus ſecundum ordinem Feriarum cum Laudibus dicitur poſt Laudes officii diei, niſi ſit alia conſuetudo Eccleſiarum. Extra tempus Paſchale in Miſſa de Feria, vel de Simplici, quæ correſpondet officio illius die, ſit Commemoratio Defunctorum cum Oratione *Fidelium* penultimo loco ponenda. In Feriis quoque ſecundis (extra Quadrageſimam, & extra tempus Paſchale,) & quando non eſt Duplex, vel Semiduplex in Miſsa, quæ correſpondet officio diei, ſit ſemper Commemoratio Defunctorum, ut ſupra. Cætera ſpectantia ad Miſsam Defunctorum vide in *tom. 1. part. 1. tit. 5.*

## N O T A N D U M XVI.

Pſalmi Graduales dicuntur in Choro ante Matutinum B. M. in Quadrageſima Feria 4. tantum cujuslibet Hebdomadæ non impedita officio novem Lectionum. Inchoantur abſolute: *Ad Dominum &c.* Primi quinque Pſalmi dicuntur ſine *Gloria Patri &c.* ſed in fine ultimi tantum dicitur *Requiem æternam &c.* Alii vero cum *Gloria Patri* in fine cujuslibet: Preces, & Orationes ſemper flexis genibus, poſtea dicitur *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo* pro inchoando officio B. Mariæ.

## N O T A N D U M XVII.

Septem Pſalmi Pœnitentiales cum Litaniis, Precibus, & Orationibus, recitantur flexis genibus in Choro qualibet Feria 6. Quadrageſimæ, (non impedita officio novem Lectionum) poſt Laudes officii diei, dicto *Benedicamus Domino*, intonata Antiphona *Ne reminiſcaris &c.*

## N O T A N D U M XVIII.

In Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi cantari debent plures Miſsæ in diverſis Anni temporibus, ſcilicet in Feriis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum; ſi Feſtum occurrat Duplex, vel Semiduplex, aut dies octava alicujus Sancti, vel etiam dies infra octavam Ss. Corporis Chriſti, cantantur duæ Miſsæ, una de Feſto poſt Tertiam, altera de Feria poſt Nonam. In Vigilia vero Aſcenſionis, ſi occurrat Feſtum Duplex, vel Semid. dicuntur tres Miſsæ: de Feſto poſt Tertiam, de Vigilia poſt Sextam, & de Rogationibus poſt Nonam; ſed in Vigiliis, quæ occurrunt infra octavam non privilegiatam, non dicuntur duæ Miſsæ, ſed tantum una Miſsa Conventualis, ac etiam omnes Miſsæ privatæ congruentius dicuntur de Vigilia cum Commemoratione octavæ, ut diximus *Part. 1. tom. 1. pag.* 41. non tamen excluſis Miſſis Votivis, & de Requiem.

Ita etiam prima die cujuſcumque Menſis (Extra Adventum, Quadrageſimam, & tempus Paſchale) non impedita officio Duplici, vel Semiduplici, ſi tamen occurrat Feſtum Simplex, vel Feria habens propriam Miſsam, vel reſumenda ſit Miſsa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, nec alia die deſumi poſſit, tunc dicuntur duæ Miſsæ, de Defunctis poſt Primam, & de Feſto Simplici, vel de Feria prædicta poſt Sextam. In Commemoratione etiam omnium Fidelium Defunctorum duæ dicuntur Miſsæ; de octava omnium Sanctorum poſt Tertiam, & de Defunctis poſt Nonam, ſervata ſemper lege uniuſcujuſque Miſsæ.

## R E G U L A I.

### *Pro Uſu Tabulæ Paſchalis Perpetuæ.*

„ Liturgiæ Sanctorum Patrum Jacobi Apoſtoli &c. *Antverpiæ*. 1560. in 8.
Salianus *Jacobus* S. J. Annales Eccleſ. Veteris Teſtamenti. *Pariſiis*. 1635. in fol. Tom. 6.
Salmaſius *Claudius*. Apparatus ad Libros de Primatu Papæ. *Lugduni Bat.* 1645. in 4.
Salon *Joannes*. De Romani Kalendarii nova Emendatione, ac Paſchatis Solemnitatis Reductione. *Florentiæ*. 1576. in 4.
De Sanctiſſimo Sacramento *Euſebius* Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. Tractatus de pertinentibus ad celebrationem jejunii Eccleſiaſtici quatuor Anni Temporum. *Romæ*. 1724. in 4.
Sanderus *Nicolaus*. Auctariolum ad Serrarium, Gretſerumque de Ritu Catholicarum Proceſſionum. *Ipris*. 1640. in 8.
Sandini *Antonius*. Hiſtoria Apoſtolica ex antiquis monumentis collecta. *Patavii*. 1731. in 12.
„ Hiſtoria Familiæ Sacræ. *ibid.* 1734. in 12.
„ Diſſertationes 12. ex Eccleſiaſtica Hiſtoria depromptæ. *Patavii*. 1726. in 12.
Sanrey. Paracletus, ſeu de recta illius nominis pronunciatione. *Pariſiis*. 1643. in 8.
Santolius Can. Reg. S. Victoris. Hymni novi tam ex Breviario Pariſienſi, quam ex Cluniacenſi excerpti. *Pariſiis*. 1685. in 4.
Sarnellus *Pompeus* Vigilienſis E. Epiſtolæ Eccl. diviſæ in decem Tomos. *Venet.* 1716. 1718. in 4. *Italice*.
„ Commentaria ad Ritus Miſſæ. *Ven.* 1725. in 4. *Italice*.
„ Antiqua Baſilicographia. *Neapoli*. 1686. in 4. *Italico*.
Sarnellus *Joannes Bernardus*. Vocabularium Eccleſiaſticum. *Romæ*. 1669. in 4.
„ Breviarium Eccleſiaſticum. *Romæ*. 1669. in 4.
Du Sauſſay *Andreas*. Panoplia Epiſcopalis. *Lutetiæ*, 1646. in folio.
„ Panoplia Sacerdotalis. *ibid.* 1653. in fol.
„ Panoplia Clericalis. *Pariſiis*. 1649. in fol.
„ Martyrologium Gallicanum. *Lutetiæ*. 1637. in fol. Tom. 2.
Schacchius *Fortunatus*. Ord. S. Auguſtini Theſaurus antiquitatum Sacro-prophanarum. *Hagæcomitum*. 1725. in fol.
Scharphantonius *Jo. Jacobus*. Animadverſiones ad Lucubrationes Canonicas Franciſci Ceccoperii. *Lucæ*. 1723. in fol. Tom. 2.
A Schelestrate *Emmanuel*. Diſſertatio Apologetica de Diſciplina Arcani. *Romæ*. 1685. in 4.
„ Antiochenum Concilium Auctoritati ſuæ reſtitutum. *Antverpiæ*. 1661. in 4.
„ Antiquitas Eccleſiæ diſſertationibus, Monumentis, ac notis illuſtrata. *Romæ*. 1692. 1697. in fol. Tom. 2.
Scriptores rerum Italicarum. *Mediolani*. 1723. in fol. T. 24.
Sedulius *Cælius*. Hymni. *Exſt.* in Hymnario ad calcem Pſalterii Thomaſii.
Serrarius *Nicolaus*. De Sacris Proceſſionibus. *Coloniæ*. 1607. & 1609. in 8.
„ Et inter Opuſcula junctim. *Moguntiæ*. 1611. in fol. T. 3.
Serry *Jacobus Hyacinthus*, Ord. Præd. Vindiciæ Ambroſii Catharini. *Patavii*. 1728. in 8.
„ Vindiciæ Vindiciarum Ambroſii Catharini. *ib.* 1730. in 8.
Sertala *Carolus*. Dertonenſis E. Explicatio myſtica Rituum Ambroſianorum ſpectantium ad Miſſæ celebrationem. *Dertonæ*. 1672. in 4. *Italice*.
Siccus *Anacletus* C. R. S. Pauli. De Hymnodia Eccleſiaſtica. *Antverpiæ*. 1684. in 8.
Sidonius *Apollinaris*. Opera cum notis Jacobi Sirmondi. *Pariſiis*. 1652. in 4.
Silos *Joſephus* Cl. Reg. Hiſtoria Clericorum Regularium. *Romæ*. 1650. 1655. & *Panormi*. 1656. in fol. Vol. 3.
Simeon Theſſalonicenſis. De divino Templo, & Sacris Ordination. *Exſt.* in Bibliotheca PP. Tom. 22.
Simon *Riccardus*. Epiſtolæ ſelectæ. *Amſtelodami*. 1731. in Tom. 4. *Gallice*.
Sirmondus *Jacobus* S. J. Opera. *Pariſiis*. 1699. in fol. T. 5.
„ Concilia antiqua. *Galliæ*, & *Pariſiis*. 1627. in fol. Vol. 3.
Smith *Thomas*. Epiſtola de Græcæ Eccleſiæ hodierno ſtatu. *Londini*. 1678. in 8.
Socolovius *Staniſlaus*. Ritus de Conſecratione Epiſcopi. *Romæ*. 1602. in 4.
Socrates *Scholaſticus*. Hiſtoria Eccleſiaſtica G. L. cum notis Henrici Valeſii. *Pariſiis*. 1668. in fol.
Solerius *Anſelmus*. De pileo, cæteriſque capitis tegminibus. *Amſtelodami*. 1672. in 12.
Souſa *Emmanuel Cajetanus* C. R. Expeditio Hiſpanica Apoſtoli S. Jacobi Majoris aſſerta. *Ulyſſipone* Occidentali. 1732. in fol. Tom. 2.
Spalatenſis *Thomas*. Hiſtoria Salonitanorum, & Spalatenſium Pontificum. *Exſt.* in Regno Dalmatiæ, & Croatiæ Joannis Luci. *Amſtelodami*. 1668. in fol.
Spelmannus *Henricus*. Concilia, Decreta, & Conſtitutiones Eccleſiarum Britanniæ, *Londini*, 1639. 1664. in fol. Vol. 2.
Spondanus *Henricus*. Continuatio Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Baronii. *Lugduni* 1678. in fol. Tom. 2.
Cæmeteria Sacra, ubi de Ritibus Sepulturæ apud Judæos, gentes, & maxime Chriſtianos diſſeritur. *Pariſiis*. 1638. in 4.
Statutorum Ordinis Carthuſienſis nova Collectio. *Correriæ*. 1681. in 8.
Suareſius *Joſephus Maria*. Diſſertatio de Ablutione Altarium. *Romæ*. 1702. in 8.
Svicerus *Joannes Gaſpar*. Theſaurus Eccleſiaſticus e Patribus Græcis. *Amſtelodami*. 1682. in fol.
Sybilla *Bartholomæus*. Ord. Præd. Speculum peregrinarum quæſtionum. *Venetiis*. 1575. in 8.
Sylvius *Franciſcus*. Opera omnia. *Venetiis*. 1726. in fol. Vol. 6.

TEntzelius *Wilhelmus Erneſtus*. Exercitationes ſelectæ, *Lipſiæ*, & *Francofurti*. 1692. in 4.
Theodoretus Cyri E. Hiſtoria Eccleſiaſt. cum interpretatione & notis Henrici Valeſii. *Pariſiis*. 1663. in fol.
„ Opera omnia cura Jacobi Sirmondi. *Pariſiis*. 1642. in fol. Tom. 4.
Theodorus Contrarienſis. Pœnitentiale cum notis Jacobi Petiti. *Pariſiis*. 1677. in 4. Vol. 2.
Theodorus *Lector*. Excerpta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. *Exſt.* cum Hiſtoria Theodoreti.
Theodotus Ancyranus. Expoſitio G. L. in Symbolum Nicænum interprete Luca Holſtenio. *Romæ*. 1669. in 8.
Theodulphus Aurelianenſis. Opera. *Exſt.* in Operibus Sirmondi. Tom. 2.
Theophanes. Chronographia cum notis Jacobi Goar, & Franciſci Combeſis. *Pariſiis*. 1655. in fol.
Tiers *Jo. Baptiſta*. Diſſertatio de retinenda in Eccleſiaſticis Libris voce *Paraclitus*. *Lugd.* 1669. in 8.
„ De expoſitione Ss. Sacramenti. *Pariſ.* 1677. in 8. T. 2. *Gallice*.
„ De ſuperſtitionibus. *ibid.* 1679. in 8. *Gallice*.
„ De Stola in Archidiacorum Viſitatione geſtanda a Parochis. *ibid.* 1674.

„ Diſ-

Diſſertationes Eccleſiaſticæ de Altaribus, & Choris Eccleſiarum. *Pariſiis*. 1688. in 8. *Gallice*.

„ De Feſtorum immutatione. *Lugd.* 1668. in 12.

Thomaſius *Joſephus Maria* Cl. Reg. & S. R. Card. Codices Sacramentorum. *Romæ*. 1683. in 4.

„ Antiqui Libri Miſſarum R. Eccl. *Romæ*. 1681. in 4.

„ Pſalterium cum Canticis & verſibus priſco more diſtinctum, argumentis, & orationibus vetuſtis, novaque Literali explicatione breviſſima dilucidatum. *Romæ*. 1697. in 4.

„ Reſponſoralia, & Antiphonaria Rom. Eccl. a S. Gregor. Magno diſpoſita cum Appendice monumentorum veterum, & Scholiis, *ibid*. 1686. in 4.

„ Officium Dominicæ Paſſionis in Fer. VI. Paraſceve majoris Hebdomadæ ſecundum Ritum Græcorum. *ib*. 1695. in 12.

Thomaſius *Ludovicus*. Vetus, & nova Eccleſiaſtica diſciplina circa Beneficia & Beneficiarios. *Pariſiis*. 1688. in fol. Tom. 3.

„ Tractatus de officio divino. *Pariſ.* 1686. in 8. *Gall.*

„ Tractatus de jejun. Eccleſiæ. *ibid*. 1680. in 8.

„ Tractatus de Feſtis. *ibid*. 1683. in 8.

Thuvillier *Antonius Vincentius*. Opera poſthuma Joannis Mabillonii, & Theodorici Ruinart. *Pariſiis*. 1729. Vol. 3.

Tillemontius *Sebaſtianus*. Monument. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. *Pariſiis*. 1701. &c. in Tom. 13.

Tonellus *Hippolytus*. Sacrum Enchyridion, ea quæ ad Sacrificium Miſſæ ſpectant ob oculos ponens. *Venetiis*. 1659. in 12.

Tonellus *Ludovicus*. Sæcula Auguſtiniana. *Bononiæ*. 1659. & ſeq. in fol. Vol. 8.

Trithemius *Joannes*. De Scriptoribus Eccl. *Exſt.* in Biblioth. Eccleſiaſtica Joannis Alberti Fabricii.

„ Chronicon Hirſaugenſe. *Typis Monaſt.* S. Galli, 1690. in fol. Tom. 2.

De Turrecremata *Joannes* Cardin. Diſputatio de azymo, & Fermentato, & de Tranſubſtantiatione. *Exſt.* in Conciliis Labbæi. Tom. 13.

„ Commentarii in Regulam Sancti Benedicti. *Coloniæ*. 1757. in fol.

Turrianus *Franciſcus*. Pro Canonibus Apoſtolicis, & Epiſt. Decretalibus Pontificum. *Florentiæ*. 1572. in fol.

Turrinus *Joannes Maria*. Directorium Sacrificantium, *Romæ* 1681. in 4.

VAllemontius N. Apologia, Rubricæ Miſſalis &c. Diſſertatio. *Pariſiis*. 1710. in 12. *Gallice*.

Valerius *Auguſtinus* Card. de Acolythorum diſciplina. *Veneriis*. 1571. in 24.

Valeſius *Henricus*. Diſſertatio de Martyrologio Rom. *Exſt.* in calce Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii.

Vardenveken *Franciſcus*. In Canonem Miſſæ. *Coloniæ*. 1644. in 12.

anEſpen *Zegerus Bernardus*. Opera omnia. *Lovanii*. 1692. in fol. Tom. 6. in 4. Vol. 3.

Vattar M. R. De Proceſſionibus Eccleſiaſticis, de earumdem antiquitate &c. & modo intereſſendi. *Pariſiis*. 170:. in 8. *Gallice*.

Uldaricus. Conſuetudines Cluniacenſes. *Exſt.* in Spicilegio Dacherii. Tom. 4.

Venantius *Carolus*. Praxis Sacrarum Cæremoniarum &c. *Viterbii*. 1710. in 4. *Italice*.

Vercellus *Angelus Maria* C. R. Quæſtiones Morales de Apoſt. Miſſionibus. *Venetiis*. 1650. in fol.

De Vert *Claudius* Monachus Cluniacenſis Explicatio literalis & hiſtorica Rituum Eccleſiæ. *Pariſiis*. 1708. & ſeq. in 8. Tom. 4. *Gallice*.

„ Diſſertatio de vocibus Miſſæ & communionis cum appendice de Agapis, Eulogiis, pane benedicto, ablutione &c. *ibid*. 1694. in 12. *Gallice*.

Ughellus *Ferdinandus* Ord. Ciſter. Italia Sacra. *Romæ*. 1644. &c. in fol. Tom. 9.

Victorinus Novellarienſis Ord. Capuccinorum. Synopſis Sacrorum Rituum in uſum FF. Minorum S. Franciſci Capuccinorum. *Placentiæ*. 1718. in 12.

Victorinus *Fabius Marius*. Reſponſio ad Candidum Arianum. *Exſt.* in Analectis Mabillonii. Tom. 4.

Vigilius Tapſenſis. Opera cum notis Chiffletii. *Exſt.* in Bibliotheca PP. Tom. 8.

De Vignolis. De Feſto Natalis Domini. *Exſt.* in Bibliotheca Germanica. Tom. 2.

Villette *Claudius*. Rationale Cæremoniarum Eccleſiaſticarum. *Rothomagi*. 1648. in 8.

Vinitor *Gerlacus*. Compendium Sacr. Rituum, & Cæremoniarum. *Coloniæ Agrippinæ*. 1721. in 12.

Vitalis *Oldericus*. Hiſtoria Eccleſiaſtica. *Exſt.* inter Scriptores Normannicos Ducheſnii.

Voellus *Guillelmus*. Bibliotheca Juris Canonici Veteris. *Pariſiis*. 1661. in fol. Vol. 2.

Voigtus *Gothofridus*. Thyſiaſteriologia, ſive de Altaribus Veterum Chriſtianorum. *Hamburgi*. 1709. in 8.

Voſſius *Gerardus Joannes*. Opera omnia. *Amſtelodami*. 1695. in fol. Tom. 6.

Urſaya *Dominicus*. Diſceptationes Eccleſiaſticæ. *Romæ*. 1716. 1717. 1719. deinde *Venet.* 1724. in fol. Tom. 9.

Urſinus *Vincentius*, *vide* Benedictus XIII.

Uſſerius *Jacobus*. De Romanæ Eccleſiæ Symbolo Apoſtolico vetere, aliiſque fidei formulis Diatriba. *Oxonii*. 1660. in 4.

„ Britannicarum Eccleſiarum antiquitates. *Dublinii*. 1639. in 4.

Uſuardus. Martyrologium cum notis Joannis Molani. *Lovanii*. 1568. in 4.

„ Idem, *Exſt.* inter acta Sanctorum Bollandi.

Wadingus *Lucas*. Annales Minorum. *Romæ*. 1731. in fol. Vol. 16.

Waltonus *Brianus*. Prolegomena in Sacra Biblia. *Tiguri*. 1663. in fol.

Wandelbertus. Martyrologium. *Exſt.* in Spicilegio Dacherii. Tom. 1.

Wimfelingius *Jacobus*. De Hymnorum, & Sequentiarum Auctoribus breviſſima Eruditionuncula. *Vetus Editio*.

„ Hymni de tempore, & de Sanctis, emendati, & interpretati. *Argentinæ*. 1513. in 4.

XImenes *Franciſcus* Cardin. *vide* Breviarium, & Miſſale Mozarabum.

ZAcagni *Laurentius Alexander*. Collectanea Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ. *Rom.* 1698. in 4.

Zacharia *Adrianus*. De Expoſitione Ss. Sacramenti. *Brixiæ*. 1663. in 8.

Zonaras *Joannes*. Annales G. L. cum notis Caroli Dufreſne Ducange. *Pariſiis*. 1686. in fol. Vol. 2.

*F I N I S.*

LYON

# THESAURUS
## SACRORUM RITUUM

*AUCTORE REV. PATRE*

## D. BARTHOLOMÆO GAVANTO

CONGR. CLER. REG. S. PAULI, S. R. CONGR. CONSULTORE &c.

*CUM NOVIS OBSERVATIONIBUS, ET ADDITIONIBUS*

## R. P. D. CAJETANI-MARIÆ MERATI

*Clerici Regularis, ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Conſultoris.*

**EDITIO NOVISSIMA,**

*CETERIS OMNIBUS CORRECTIOR, ET LOCUPLETIOR;*

Cui, præter quadringenta circiter alia Decreta, quæ ſive ante, ſive poſt editam a MERATO ſeriem uſque in præſens ab eadem Sac. Rit. Congregatione emanarunt, addita ſunt ex ipſomet GAVANTO

PRAXIS DIOECESANÆ SYNODI, ET VISITATIONIS EPISCOPALIS, ET MANUALE EPISCOPORUM, brevibus notis illuſtrata.

## TOMUS TERTIUS

Complectens PRAXIM DIŒCESANÆ SYNODI, ET VISITATIONIS, ET MANUALE EPISCOPORUM.

VENETIIS, MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA ZERLETTIANA,

Superioribus Annuentibus.

# PRAXIS EXACTISSIMA
## DIOECESANÆ SYNODI
Cum Theoria Celebrandæ,

**IN QUATUOR DISTRIBUTA PARTES:**

*In quibus, quid ante Synodum, in Synodo, poſt Synodum propriis cum formulis, & Doctorum Annotationibus, agendum, explicatur.*

AUCTORE

## D. BARTHOLOMÆO GAVANTO

*Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli & Sac. Rit. Congreg. Conſult.*

# A D L E C T O R E M.

*NObiliorem, utiliorem, jucundiorem haud ſcio, an habeat Epiſcopus actionem, ſi ea rite fit, quam Diœceſanam Synodalem, nobilior enim ea eſt, in qua Hierarchia tota, una ſimul, effulget Eccleſiaſtica. Utilior eſt, tum Decretorum Sanctione; tum ſcrutinio Synodali. Jucundior item ob varios ritus Apparatuum, Sacrificiorum, Proceſſionum, Precum, Concionum, Profeſſionis fidei, electionis Officialium Cleri, ſuffragiorum pro Defunctis, Acclamationum, & ejuſmodi, quæ omnia quaſi ſigillo claudit oſculum pacis ſuaviſſimum. Ea igitur Actio negligenda non eſt, immo exactiſſime peragenda; De qua ſcripſere pauci, & ii vel indicarunt potius quam pertractarunt, minus practice, non ſine præjudicio ſacrorum Rituum. Multa ſunt ſane quæ nos didicimus experientia comite, in Synodis Spoletana Card. Vicecomitis, in Peruſiana Comiteli, Derthonenſi Doſſena, Novarienſi Biſcapetrii, Laudenſi Segbitii, Imolenſi Millini, Interam. Geræ, altera Spolet. Caſtrucii, altera Peruſ., altera Comitoli; Neapoli. Cardin. Boncompagni, Peruſiana tertia Card. de Torres, & Eugubina Card. Carpinei, præclariſs Antiſtitum, quibus adfuimus adminiſtri minimi, ut diſceremus: unde collegimus hanc Praxim brevem, nobis ipſi uſui futuram, ut ſerviamus aliquando aliis Epiſc., ſed efflagitantibus amicis ad communem utilitatem non potuimus non eam dare publico prælo. Æquo tu animo, benigne Lector, accipe, & vale,*

DE

# DE NOMINE, ORIGINE, ET DEFINITIONE SYNODI DIOECESANÆ,

## PARS PRIMA,

### CAPUT PRIMUM,

1. CUM partes noſtræ eæ ſint præcipuæ, ut Praxim Diœceſanæ Synodi celebrandæ deſcribamus, in iis, quæ ad Theoriam potius attinent, non immoramur.

2. Eſt enim Synodus, Græce, Concilium latine, ſeu, cœtus, vel Congregatio, cap. 1. §. Synodus 15. diſt.

3. Et licet originem habere videatur ab Apoſtolis Act. 15. quia tamen ibi conveneeunt Apoſtoli, qui erant Epiſcopi, & ſeniores, deducimus originem Diœceſanæ Synodi libentius ab Act. 21. ver. 18. Anni Domini 58. ubi ſub Jacob. Epiſcopo Hieroſolymitano omnes ſeniores, Græce presbyteri, fuere collecti in cauſa S. Pauli, & Nota, quod de primo Apoſtolorum Concilio loquuti ſunt hoc modo, Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, qui ritus adhuc perſeverat apud nos, ut Concilia Provincialia, & Generalia dicantur congregata in Spiritu Sancto, quod prohibetur dici de Synodo Diœceſana; (1) qua de re monitus fuit quidam Epiſcopus a S. R. E. Card. qui ante Decreta Synodalia eo modo loquendi fuerat uſus, & prælo cum iiſdem verbis dedit.

4. Diœceſana vero Synodus eſt Congregatio legitima, quam facit Epiſcopus cum Clericis ſibi ſubditis in ſua Diœceſi, de iiſque in ea tractat, quæ curæ ſuæ paſtorali incumbunt, quæ definitio ſatis aperte patet.

### CAPUT II.

*De Indictione Synodi Diœceſanæ.*

1. SOlet indici tribus modis, primo ſolemniter in die Epiphaniæ, ex Cærem. Epiſcop. l. 1. c. 31. nimirum intra Miſſarum ſolemnia dum feſtivitates anni ſolemniores denunciantur populo, poſt Evangelium ab Archidiacono, ſeu Canonico, vel beneficiato, aut alio juxta conſuetudinem loci, pluviali induto in pulpito, vel ubi ſolet cantari Evangelium, juxta formulam, & cantum; quæ habentur in Pontificali p. 3. tit. De publicatione Feſtorum mobilium: quidam Epiſcopi pleniorem formulam dederunt cantandam; ſed a Pontificali nullo modo eſt recedendum.

2. Deinde in Kalendario non pauci edici jubent diem ipſam Diœceſanæ Synodi, ea die quæ occurrit in Kalendario, his & ſimilibus verbis Fer. ii. Dom. iii. poſt Paſcha Officium fit &c. Hac die conveniant omnes de Clero ad Synodum &c.

3. Per Edictum, duos ante menſes, vel unum ſaltem, ex Cærem. Epiſ. loc. cit. propoſita ſchedula, manu Notarii, ſeu Cancellarii ſubſcripta, Eccleſiæ Cathedralis affixa valvis ad præſcriptam formam in dicto Cæremoniali, quam dabimus infra una cum aliis Synodalibus formulis in 4. par. cap. 2. p. 3.

4. Pleniori forma utuntur omnes, quam vide infra, ex Actis præſertim Eccleſiæ Mediolanenſis, & Novarienſis par. 4. cap. 1. n. 4.

5. Adduot aliis in calce Edicti Præmonitiones aliquas, ut Clerus accedat inſtructior ad actiones Synodales; quod arbitrio Epiſcoporum relinquitur. Dabimus infra exemplum e Peruſina Synodo deſumptum, part. 4. cap. 2.

6. Quod ſi ob aliquod impedimentum ſit proroganda Synodus, opportuno tempore id fiat, ut moneatur Clerus ad formulam infra præſcribendam p. 4. c. 1. n. 5.

### ANNOTATIONES. §. 1.

1. *IN Edicto quatuor contineri ſolent; Epiſcopus indicens; Clerus, cui indicitur, tempus, & locus Actionis Synod.*

2. *Epiſcopum, intellige conſecratum, quod omnes fatentur item electum, & confirmatum, ex Enrico Botte de Synodo part. 1. q. 6. verſ. ſecundo acceſſorie qui ſequitur Innoc. in c. tranſmiſſum, de elect. quia invocatio Synodi eſt meri imperii: (2) item proviſum a Papa, nondum conſecratum, dummodo ſuas bullas expediverit: ut probat Jo. Ant. Maſſob. tract. de Synodo Diœceſ. cap. 2. dub. 1. num. 9. (3) item, qui liberam ſit adeptus poſſeſſionem Epiſcopatus: ex eodem Maſſobrio ibidem dub. 3.*

3. *An vero Capitulum, ſede vacante, poſſit convocare Synodum concedit, idem Mab. dub. 4. hoc eſt per Vicarium Capitularem, ex Declar. Congregationis citata ibid. & a Garzia de benef. p. 9. c. 2. n. 8. (4) Vicarius autem Epiſcopi non poteſt citra ſpeciale mandatum, ibid. cum Azor. inſtit. mor. p. 2. lib. 3. c. 54. q. 4. (5)*

4. *Nomine Cleri, qui tenetur ad Synodum venire, intellige ſubditos Epiſcopi, de quibus fuſe Maſſob. cap. 3. dub. 2. breviter dico: tenentur accedere primo Abbates habentes Capellas, vel populum ſubjectum Epiſcopo ſive ſint exempti, ſive non citra privilegium ſpeciale. 2. Regulares aſſumpti ad Eccleſias Parochiales. 3. Prælati ſæculares, quia appellatione presbyterorum comprehenduntur. 4. Parochi & alii Sacerdotes exercentes animarum curam, etiamſi ſint præſentati per exemptos. 5. Qui obtinent beneficia Simplicia. 6. Qui de conſuetudine per decennium introducta, accedere ſolent. 7. Vel per ſe, vel per procuratores. Hæc ex Maſſob. dub. 6. ubi ille fuſius.*

5. *Dubitant DD. extra jus conſuetudinis de Canonicis Eccleſ. Cathedr. & inferioris Collegiatæ, tum de aliis Sacerdotibus non beneficiatis, conveniunt autem, hoſce omnes teneri, ſi de reformatione morum agatur, aut de publicandis Decretis proximi Concilii Provincialis, vel de re concernente univerſum Clerum, ſeu Canonicos: multo ergo minus Diaconi, & inferiores Clerici tenentur aſcendere, niſi de conſuetudine, ſi adſit, vel de ſpeciali jure. Nam Mediolani tenentur omnes Sacris ordinibus initiati adeſſe Synodo.*

6. *Quod attinet ad tempus ſingulis annis admonet Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. de reform. celebrandam eſſe Synodum quod (heu) negligitur a multis, & tamen omittens celebrare Synodum venit ſuſpendendus ab executione Officii c. ſicut in fin. de acc. & ex Decl. Sac. Congr. 7. Martii 1590. nimirum per Archiepiſcopum cui ſubeſt, ex Maſſob. cap. 2. dub. 3. a n. 3. & Illuſtriſſimi patres Concil. Trid. Congregationis ajunt, eſſe de præcepto, ut quotannis fiat, niſi cauſa excuſet, quæ ſolet & debet afferri, in viſitatione liminum Apoſtolicorum. (6)*

7. *Porro tempus magis congruum videtur eſſe Paſchale tempus, quod probat Bott. p. 1. q. 8. cujus etiam rationes valide mihi placent, ea excepta, qua ille voluit extra tempora jejunio deſtinata celebrari Synodum, ne fiat cum jejunio: at in Synodo Mediol. 6. habetur hoc Decretum: videlicet jejunium, quod in Eccleſiaſticis his actionibus (loquitur autem de Synodalibus) olim inſtitutum fuit, ut ſervetis, hoc valde hortamur in Domino. Addo ego, quod prima Synodus loc. cit. Act. 21. celebrata fuit tempore Paſchali prope Pentecoſten, ut ex Apoſtolico,*

(1) Immo ne *Sancta* quidem nomine honeſtanda eſt Synodus Diœceſana. Vide Benedictum XIV. de *Synodo Diœceſana* (quod opus ſemper intelliges, ubi Benedictum XIV. in notis noſtris ad hanc *Praxim* citari contigerit) *Lib. 1. cap. 3.*

(2) Confer Bened. XIV. *Lib. 2. c. 5.* §. 5.

(3) Vide eumdem *ibid.* §. 6.

(4) Ad eumdem Lib. 2. cap. 12. qui *Gavanti* aliorumque ſententiam ita limitat §. 6. ut nimirum liceat Vicario Capitulari ſine ſpeciali mandato Synodum convocare, dummodo effluxerit annus a die ultimæ Synodi ab Epiſcopo habitæ.

(5) Confer eumdem *Lib. 2. cap. 8.*

(6) Vide eumdem *Lib. 1. cap. 6.*

*lico textu probatur aperte: & præterea Romæ celebratur Domin. ii. poſt Paſcha, in qua ideo legitur Evangelium de Paſtore bono, ex Ruper. lib. 9. cap. 1. Durando lib. 6. cap. 98,*

*8. Locus denique, quicumque ille ſit in Diœceſi eſt aptus, aptiſſimus autem eſt Eccleſia Cathedralis.* (1).

## CAPUT III.

### *De Epiſtolis Epiſcopi pro Synodo.*

1. IN Actis Eccleſiæ Mediol. habentur exempla literarum Epiſcopalium ad Vicarios foraneos, Teſtes Synodales, & ad Parochos: quas dabimus infra p. 4. c. 3.

2. Sed earum loco videntur ſufficere Præmonitiones eæ, quas ſupra ſignificavimus, capite præced. n. 5.

3. Scribebat S. Carolus etiam ad Regulares ut actionem Synodalem piis precibus adjuvarent: quod monitione breviori in ſcriptis ad unumquodque monaſterium tam virorum, quam feminarum tranſmiſſa, ſuppleri poteſt, Vide infra p. 4. c. 3. n. 3. & 4.

## CAPUT IV.

### *De Congregationibus ante Synodum.*

1. DIverſis diebus, & ob diverſas cauſas habendæ ſunt variæ Congregationes coram Epiſcop. qui in iis cum Rochetto & Mozetta in ſuis ædibus conſultores excipiet, omnes autem ſtatuta hora vocati conveniunt,

2. Epiſcopus ergo deputabit idoneum virum, qui referat in librum ea omnia, quæ in hiſce conventibus pertractantur: eum ego vellem qui futurus erit Secretarius Synodi,

3. Eliget ſex, vel octo partim Theologos, partim Canoniſtas, ſæculares, & regulares, quorum conſilio utatur in negotiis Synodalibus,

4. Me commodiori convocet omnes Curatos Civitatis, a quibus coram ſe, & prædictis conſiliariis exquirat ſtatum totius civitatis: at, quæ decernenda proponuntur in Synodo, ſcripto conſignentur a proponentibus,

5. Alia die accerſantur a Diœceſi Vicarii foranei, ſeu Archipresbyteri, ſeu primores Parochi, & eadem exquirat Epiſcopus, & eodem modo, ut ſupra, de ſtatu Diœceſis, poſt habitos in Diœceſi ſimiles conventus.

6. Laudabilis eſſet, ſi convocarentur alia die una ſimul omnes Regularium ſuperiores coram Epiſcopo, ut ii ſuppeditarent in genere peccata populorum, & opportuna remedia, quod prodeſſet quam maxime pro reſervatione caſuum utiliore.

7. Ex his, & ex Viſitatione proxima Civitatis, & Diœceſis, opera prædictorum conſultorum, haurienda eſt materia Decretorum Synodi, quæ debet eſſe de iis, in quibus ut plurimum peccatur; ſed de his paulo poſt agemus.

## CAPUT V.

### *De Ordine habendi prædictas Congregationes.*

1. STatuta hora, & per nuncios, ſeu ſchedulas vocatis vocandis in aula, ſeu cubiculo capaci Palatii Epiſcopalis, ante omnia Epiſcopus ſtans, aliis quoque ſtantibus, recitabit de libro Pontificali, ſeu de Tabella parata Orationem, Adſumus, &c. ſeu preces initio Congregationis, &c,

2. Sedentibus omnibus, legitur a Secretario Epiſcopi Catalogus eorum, qui debent intereſſe; ut notentur in libro hoc modo: Die.... menſe.... coram Reverendiſſimo D. N. Epiſcopo, & M. R. R. N. N. N. N,

3. Sedebunt autem ordine congruo, judicio Epiſcopi, pro jure dignitatum, titulorum, & cæteris paribus, jure promotionis antiquioris. Regulares poſt presbyteros ſæculares, inter ſæculares autem e prædictis conſultoribus primus locus Vicario Generali dandus erit, ſecundus illis, qui in cathedrali dignitatem habent, tertius Præpoſito Collegiatæ inſignis, qui præcedere debet Canonicum Cathedralis Eccleſiæ extra collegium ſuum procedentem, quod bene probat Caſſaneus in Catal. glor. mundi 4. p. conſid. 38. niſi aliud obſtet; quartus locus Canonico Collegiatæ inſignis, quintus Paroch. ſextus aliis, niſi forte quis ſit protonotarius, ſeu Doctor, cui in hujuſmodi conventibus cedunt aliqui ex prædictis, qua in re valet maxime conſuetudo locorum, ait Caſſaneus in 4. parte citata.

4. Expoſita cauſa convocationis ab Epiſcopo, interrogantur ſinguli de re propoſita ordine majoritatis, incipiendo a majoribus, qui facta debita Epiſcopo reverentia, reſpondent breviter, & prout res poſtulat, ad interrogata, ne tempus conteratur,

5. Notabit Secretarius, quæ notatu ſunt digna, Epiſcopi arbitrio.

6. Sed in Congregationibus Parochorum, Vicariorum Foraneorum, & Regularium conſultores prædicti Synodales ſedebunt hinc inde a latere Epiſcopi. Alii vero interrogati ſurgunt, & facta reverentia Epiſcopo debita, & conſueta (cum genuflexione, exceptis Canonicis) ſtantes dicant ſententiam ſuam: quos tamen fere ſtatim jubebit Epiſcopus ſedere, & caput tegere.

7. Actis de more gratiis ab Epiſcopo per conſuetas preces in fine congregationis dici ſolitas, dimittitur congregatio.

## CAPUT VI.

### *De conficiendis Decretis.*

1. DIſtribui poſſunt diverſi tituli materiarum Synodalium prædictos inter conſultores; ut quiſque ſuggerat, quod in Domino expedire judicaverit.

2. Caveatur a multitudine Decretorum.

3. Ea ſint de rebus, quæ ad plures attinent, non ad unum, aut alterum tantum.

4. Aliquando ſufficit ea in memoriam Cleri revocare, quæ in Conc. Trid. aut Provinciali, cui ſubeſt Clerus, aut alias a prædeceſſore Diœceſano ſancita ſunt; ſi hæc Decreta non ſufficiunt, fiat tandem Decretum novum. Plena ſunt Decretis optimis in quacumque re acta Mediol. Eccleſiæ, e quibus, & aliis Manuale Epiſcoporum per Aphoriſmos diſtributum dabimus in lucem, volumine brevi.

5. Si abrogandum eſt aliquod Decretum prædeceſſorum Epiſcoporum, fiat cum expreſſione cauſæ, ob eorum reverentiam,

### ANNOTATIONES. §. 2.

1. *NUmquam decernatur contra jus Pontificium, neque Provincialis Concilii Decreta.*

2. *De quibus autem poſſit Epiſcopus ſtatuere, & qua ratione, non eſt hujus loci diſputare, fuſe Maſſob. de Synodo cap. 4. a dub. 41. uſque ad 98. Breviter dico: ſit lex honeſta, juſta, poſſibilis ſecundum naturam, & conſuetudines patriæ, loco, & tempori conveniens, neceſſaria, & utilis ex Maſſob. dub. 52. ubi fuſius ille,*

6. Peritiori denique in hoc genere cura demandetur, ut Decreta ordine congruo, & Eccleſiaſtico ſtylo latino deſcribantur, in Synodo legenda.

7. Non enim placet ea deſcribi materno ſermone, in gratiam (ajunt) foranei Cleri; illud enim incommodum vitari poterit quod in Clero timetur ignorantiæ, ſi ad ſingula Decreta, vel certe ad potiora ſubſiſtat Lector, & Epiſcopus addat verba in commendationem Decret. quod præſtare ſolitus fuit Neapolio Comitolus Peruſiæ Epiſcopus; quem ſequutus eſt Illuſtriſs. D. meus Card. Boncompagnus in prima Synodo Neapolitana, paterne, & materne loquens cum ſuo Clero non ſine multo fructu.

8. Convocandum tandem erit coram Epiſcopo Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, ut de Canonicorum conſilio ſtabiliantur, non autem de conſenſu,

### ANNOTATIONES. §. 3.

1. *COnſilium Canonicorum eſt requirendum, alioquin Decreta non valerent, arg. c. quanto de die, quæ ſit a prel. niſi forte Epiſcopus præſcripſiſſet, hujuſmodi Conſilium non quærere ex Anchar. in repet. cap. 1. de conſtit. contra Hoſtien. de his, quæ a Prælato, qui putat contrariam conſuetudinem irrationabilem.*

2. *Piaſecius in praxi Epiſcop. p. 2. c. 2. n. 9. recenſet caſus ſex in jure expreſſos, in quibus requiritur conſenſus Capituli, & Primo quando vertitur intereſſe ipſius Capituli, Secundo, quando diminueretur auctoritas Eccleſiæ, Tertio, quando agatur de alienatione rerum Eccleſiæ, Quarto, quando de obligatione Eccleſiæ, Quinto, quando de præjudicio quoad ſubjectionem, vel limitationem conſenſus Capituli, Sexto, quando de ventilatione caſuum criminalium; ibi citantur textus.*

3. *Pro caſuum reſervatione in Synodo facienda, (quod valet, ut non expirent per mortem Epiſcopi) Sac. Congreg. Card. ſupra negotia Epiſcoporum admonuit Epiſcopos 26. Nov. 1602. ut atrociorum tantum, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent; neque ſuperflue illos caſus, qui Sedi Apoſtol. ſunt reſervati. Pauciſſimos item reſervent, eadem Congregatio apud Quarantam, Verbo Caſus reſervati, Vide eumdem, ibi, ubi explicat optime, quando expirent.*

## CAPUT VII.

### *De præparandis pro actione Synodali.*

1. AGendum eſt deinde cum prædictis Conſultoribus, vocatis etiam Magiſtris Cæremoniarum, & Sacriſta Cathedralis Eccleſiæ, de neceſſariis ad Actionem Synodalem. Hæc autem ſunt Hoſpitia pro Clero cum electione Præfecti, & coadjutoriorum.

Apparatus Eccleſiæ, & loci ſeſſionalis.
Diſtributio ſeſſionum,
Numerus Tabellarum.
Catal. Clerici vocandi rite ordinatus.
Habitus Cleri qualis, & ordo ſedendi,

Horæ

(1) Agit de loco fuſe Benedictus XIV. *Lib. 2. cap. 5.* quem adi.

Digitized by Google

Proceſſiones, prima, & ultima.
Horæ Canonicæ, & Miſſæ Synodales,
Muſicus cantus.

Quæ paulo ante diem Synodi ad excitandos populos agenda ſunt.

Officiales Synodi, hoc eſt, Actionis ipſius Synodalis,
Delectus Examinatorum, Judicum, Teſtium, Punctatorum, & Officialium Cleri, in Synodo approbandorum.

De ſingulis dicamus breviter, ut quiſque ſciat officium ſuum, & ſciat Epiſcopus aptiores deligere.

## CAPUT VIII.

### *De Hoſpitiis, & eorum Præfectis.*

1. HOſpitia deligenda ſunt in civitate, & caupones ii feligendi ſunt qui pietate aliis præſtant; quibus injungendum erit, ut prophanas imagines tollant de cubiculis, frugalem menſam ſuppeditent iis, qui ad alios non divertunt cives.

2. Præfectus autem deputandus erit cum aliquibus comminiſtris, ut in ea re invigilent, ædes inviſant; & ad quos recurrere queant ii, qui de Clero eorum opera egent ad hoſpitium ſibi parandum.

3. Laudandus eſt Meapolio Comitulus Epiſcopus Perruſiæ, qui menſam communem in ſuo Palatio, durante Synodo pauperibus de Clero ſuppeditabat, & aliquos item lectos parari curabat pro iiſdem; tum Ferdinandus Milinus Imolæ Epiſcopus, qui ad menſam ſuam vocabat per triduum mane Vicarios foraneos; & in aula Majori alias menſas ſterni jubebat Clericis egentioribus.

## CAPUT IX.

### *De Apparatu Cathedralis Eccleſiæ.*

1. ORnabitur Eccleſia feſtive, & ſolemni ritu, ut in capitulo de ornatu Eccleſiæ plene dictum eſt, ait Cær. Epiſc. l. 1. c. 3 1. uſque ad valvas incluſive.

2. Sedilia in ea diſponentur, inquit idem Cær. ut dignitates, & Canonici Eccleſiæ Cathedralis hinc inde a lateribus Epiſc. vel ante Epiſcop. ſemicirculum faciant, illud tamen prius placet magis, & eſt commodius ad functiones Synodales.

3. In media itaque navi Eccleſiæ paretur locus ſeſſionalis hoc modo, hinc inde affigantur auleis ſchedulæ patentes cum litteris grandioribus, continentes nomina locorum Diœceſis juxta ſcamna, pro Diœceſano Clero præparata, ordine ſervato ſecundum gradus locorum, ut quiſque ſciat, ubi ſedere ſuo loco debeat.

4. Circummuniatur ſeſſionalis locus, ita ut laici illuc intrare nullo modo poſſint.

5. Sedes Epiſcopi ſit alta tribus gradibus tapete contectis, & hinc inde ſedilia collocentur pro Diaconis aſſiſtentibus: paretur etiam menſa parva cum ſuo panno violaceo collocanda, facile ante Epiſcopum ſedentem pro Reliquiis, & ſcrutinio, de quibus infra.

6. Hinc inde in quadrum ſedilia longa pro Canonicis præparentur, veſtita panno viridi, alta unico gradu a pavimento, quod ſi adfuturi ſint alii majores Canonicis, veſtiri poterit prima pars ſcamni, quod a dextris Epiſcopi, & eidem vicinius eſt panno nobiliori, puta violaceo, aut alio ad differentiam in eodem ſcamno a Canonicis faciendam Abbates, Commendatarii, Protonotharii Apoſtolici, ſi utantur rochetto, & mantelletto ſedebunt poſt Canonicos in eodem ſcamno, a ſiniſtris Epiſcopi ſedentis, quod obſervatur Mediolani.

7. In fine ſedilium Canonicorum, facie verſa ad Epiſc. ſedebit juxta dexteram Epiſcopi Vicarius Generalis in ſede coriacea domeſtica cum parva menſa ſtrata panno, ut præſto ſit accedenti ad eum Clero pro variis cauſis; in eadem linea ſedebunt juxta ſiniſtram Epiſcopi ſcamno nudo ad menſam aliam ſimiliter veſtitam Promotor, & Secretarius Synodi cum Notario Epiſcopali, menſæ tegantur convenienti panno ad minus viridi.

8. Si Archiepiſcopus præeſt Synodo, collocetur in medio centro arcæ, quæ eſt inter Canonicorum ſedilia; ante ſedem Epiſcopalem ſeſſionalem, ſcabellum commune pro eo, qui geſtare debet Crucem Archiepiſcopalem in Synodo, cujus imago Crucifixi reſpiciet ſemper Archiepiſcopum.

9. Pulpitum amovibile pro lectione Decretorum collocari poterit prope menſam ad quam ſedet Secretarius Synodi, ut inde ſuppeditentur eidem, quæ ſunt legenda.

10. Hinc inde a tergo Canonicorum ſedilia erunt pro Clero Urbano: alia pro Foraneo occupabunt navim mediam, ita tamen, ut in medio juxta Epiſcopum ſit tranſitus omnino liber, & amplior ad eundum redeundumve, prout eſt opus. Nobilior Foraneus Clerus ſedebit in anterioribus ſcamnis, reliquus in poſterioribus.

11. Apparatum ſpectat ornatus Altaris majoris; colore quidem rubeo veſtietur, niſi aliud requirat ſolemnis Miſſa, de qua infra.

12. Excepta Miſſa, ut dictum eſt, paramenta omnia in actione Synodali coloris erunt rubri.

## CAPUT X.

### *De Diſtributione ſeſſionum.*

1. NUmerus ſeſſionum ex Pontificali ſolet eſſe trium: ad arbitrium Epiſcopi poteſt eſſe pauciorum ex eodem Pontificali; pendet autem hic numerus a rebus agendis in Synodo ipſa: ex Eccl. Actis Mediol. poteſt eſſe plurimum, quam trium.

2. Prima Synodus ab Epiſcopo celebranda eſſet ſumma cum majeſtate, & utilitate Cleri, & populi, ut effulgeat Eccleſiaſtica Hierarchia, & ideo nihil eſſet omittendum, quod ad perfectiſſimam Synodum, quam hic deſcribimus, attinere poſſit.

3. Ii etiam, qui non niſi tertio quoque anno Synodum convocant, eadem obſervare deberent.

4 Qui vero quotannis celebrant, una ſeſſione poſſunt abſolvere, quæ ſunt neceſſaria; omiſſis iis quæ ſunt ad ſplendorem cum utilitate tamen conjunctum.

5. Porro neceſſaria ſunt ea, quæ ad electionem ſpectant Examinatorum, Judicumque, & ad profeſſionem fidei ab omnibus Beneficiatis emittendam.

6. Non tamen placere poteſt ea Synodus, quæ per duas horas mane celebratur, ubi multus eſt Clerus, ſaltem per totum diem detineatur ille cum majori fructu.

7. Card. Palæotus in Archiepiſcopatu ſuo Bononienſi diſtribuit actiones Synodales pro una ſeſſione, pro duabus, pro tribus, cujus diſtributionis formulam dabimus infra in 2. parte.

## CAPUT XI.

### *De Tabellis Synodalibus.*

1. DEſcribenda eſt primo diſciplina Cleri in Synodo, & proceſſione ſervanda juxta formulas infra tradendas; & hæ Tabellæ ſolent imprimi, pluribuſque in locis Eccleſiæ Cathedralis, & Palatii Epiſcopalis pridie Synodi affigi. Vide in 4. p. c. 4. n. 1. 2. & 4.

2. Alia Tabella precum typis item editur diſtribuenda toti Clero, ad uſum primæ Proceſſionis ante Synodalem ſeſſionem, continet autem Hymnos, & Pſalmos; exemplum illius dabimus infra 4. p. c. 4. n. 3.

3. Tabella item exponitur impreſſa, quæ continet capita orationis, loco cit. n. 5.

4. Scrutinii alia poſt Præfectos eiſdem, ut infra, loc. cit. n. 6.

5. Acclamationum, ſi faciendæ ſint, multa exempla debent edi pro majori, vel minori numero Cleri, ut in 4. p. c. 11. n. 1. & 2. & hæ quinque Tabellæ prælo dari ſolent.

6. Aliæ parantur manu ſcriptæ: ejuſmodi ſunt; Formula profeſſionis Fidei brevior Juramentorum formulæ pro Examinatoribus, Teſtibus ſynodalibus, & Punctatoribus & hæ majuſculis exarantur characteribus, ut duo, vel tres ſimul eas legere queant ante Epiſcopum genuflexi. De quibus in quarta p. c. 5. toto.

7. Denique ſcribuntur in folio capita quædam orationis mentalis a Deputando cantanda, in fine cujuſque ſeſſionis, ad formam ut infra, deſcribendam, in quarta parte c. 10. toto, & hæ Tabellæ ſufficiunt.

## CAPUT XII.

### *De Catalogo Cleri vocandi.*

1. NEceſſarius eſt Catalogus eorum, qui ad Synodum Diœceſanam tenentur accedere, pro quo integre conficiendo monendi ſunt opportuno tempore Parochi, ut tam in Urbe, quam in Diœceſi quiſque tranſmittat ad Epiſcopum nomina eorum de Clero, qui in ſua Parochia degunt, neque ſolum nomina, ſed etiam cognomina, beneficiorum titulos, quos habent, & ordines ſacros, imo etiam Doctoratus, inſigniaque, & qualia habent.

2. Hiſce datis relationibus, deputari debent duo, vel tres, qui in ordinem redigant totius Cleri nomina, ut congruo quiſque loco vocetur.

3. Ordo is erit, ut primo nominetur Clerus Civitatis, tum Diœceſis. In Civitate Cleri ordo erit; ut primo Dignitates, & Canonici Eccleſiæ Cath. cum beneficiatis, & Capellanis, qui eidem actu inſerviunt, vel beneficii titulos ibidem habent: tum Clerici ſeminarii, & alii, qui Sacriſtiæ miniſtrant. Tum vocentur Canonici, & Clerus ſingularum Collegiatarum, ordine ſervato, dignorum, Eccleſiarum Rectores, Parochi, hoc eſt, Præpoſiti, Archipr. (niſi hi præcedant illos) Rectores, Vicarii perpetui, Vicerectores amovibiles; Beneficiati ſimplices, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ubi eſt conſuetudo, quod vocentur.

4. In Diœceſi hic erit ordo. Abbates, & Commendatarii primo, deinde Vicarii foranei, juxta dignitatis ordinem, ſeu promotionis antiquioris, & ſub quolibet Vicario vocetur totus ejuſdem Clerus, ordine prædicto, hoc modo, Vicarius loci N.

5. Si Collegiatæ adſint in Diœceſi, vocentur ante Vicarios foraneos, ordine dignitatis Collegiatarum, & cum Canonicis vo-

cetur totus Clerus affectus Collegiatæ ſive ratione beneficii ſive ſervitii.

6. Titulus cuique nominando permittatur, & poſt cognomen addatur (ſi ille eſt) Doctor in Sacra Theologia vel IV. titulus, & deinde beneficii.

7. Titulus Abbatum eſt: Perilluſtris, & multum Rever. Dignitatum, & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ apud nonnullos eſt idem in Provincia Mediolanenſi Dignitatum eſt, inſtitum R. D. Canonicorum vero, R. D. in Collegiatis Præpoſitus gaudet titulo R. D. & Canonici R. N. quæ diſtinctio rationi eſt conſona.

8. Rectores animarum prænominantur omnes vocabulo, Venerabilis presbyter N. Vicerectores amovibiles (ſi Regulares ſunt, Frater, vel Don. N. vocatur, ut Sacerdotes alii, Presbyter N. Diaconi, & Subdiaconi hoc modo. N. N. Diaconus, vel Subdiaconus. Clerici Beneficiati, N.Clericus beneficiatus S. N. Clerici Seminarii N. N. nomine, & cognomine tantum. Hæc ex Actis Eccl. Mediolan.

9. Protonotarii Apoſtolici, ſi qui adſunt, titulo M.R.D.digni ſunt: & additur in fine, J. U. D. & Protonot.Apoſtolicus.

10. Si quid erroris accidat in hac nominatione Cleri nemini fit injuria,ex vi Decreti, de quo infra, initio Synodi evulgandi.

11. Cæteris paribus inter æquales attenditur promotio ad Canonicatum, Rectoriam, Beneficium, Ordinem Sacrum.

12. Accidere poteſt, ut idem vocetur ſæpius ratione beneficiorum, quæ habet in pluribus locis, ſed hoc nihil refert; immo decet hoc modo eum nominari, ne beneficia Eccleſiarum confundantur, quæ certum locum habere debent. (1)

## C A P U T XIII.

*De habitu Cleri.*

1. HAbitus Epiſcopi in Miſſa Synodali erit Pontificalis, & coloris rubei: ſi celebrat ſolemniter, aſſumit omnia paramenta Pontificalia, uſque ad palium, excluſive; ſi eſt Archiepiſcopus, ex Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 16. ſi aſſiſtit, convenit, ut amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali, & mitra pretioſa indutus aſſiſtat Miſſæ, cum ſolitis Cæremoniis; eodem habitu ſemper aderit in ſeſſionibus Synodalibus. Baculum vero paſtoralem vel geſtet, vel geſtare faciat.

2. Dignitates, & Canonici parati adſint, ex Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 31. hoc eſt, pluvialibus Dignitates, Planetis, & Dalmaticis, Canonici, Presbyteri, & Diaconi, & ſi non ſunt diſtinctæ præbendæ; fiat tamen diſtinctio per paramenta. Congreg. Rit. 15. Martii 1608.

3. Coadjutores Canonicorum (quoniam, & ipſi una cum Coadjutis intereſſe debent) aderunt cum habitu Canonicali ordinario, non parati; ad diſtinctionem.

4. Collegiatæ non mutant habitum in Choro conſuetum. Præfecti Collegiatarum in Provinc. Med. ex Conc.Prov.V. una cum Canonicis Cathedralis pluvialia induunt, in Proceſſione prima, & ultima ex auctoritate. Conc.Prov. Epiſcop. Laudenſi conceſſit pluvialis uſum Præpoſitis non Collegiatarum, & Vicariis foraneis, ut eſſet inter Clerum, & Clerum aliqua diſtinctio inter eumdem; finita vero Proceſſione exuunt pluvialia.

5. Rectores Parochialium caputium geſtant ſupra cottam multis in locis; Neapoli ſtolam, ut dignoſcantur ab aliis, ſervanda eſt locorum conſuetudo.

6. Statuant Epiſcopi, quod expedire judicaverint ad Actionis Synodalis ſplendorem, & majeſtatem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ repræſentandam. (2)

7. Ordo vero ſedendi in Synodo eſt ille, quem ſupra ſignificavimus, tum c. 9. de apparatu n. 5. 6. 7. 10. tum c. 12. de catalogo Cleri. Urbanus enim Clerus hinc inde e tergo Canonicorum Cathedralis ſedere debet. Beneficiati, ſeu manſionarii, & Choro Cathedralis addicti, immediate in ſcamnis poſt Canonicos ejuſdem; non quia digniores ſint Canonicis Collegiatarum, ſed quia in ſervitio conjunctiores ſuis Canonicis eſſe debent. (3)

8. Collegiatarum vero Canonici ſedebunt hinc inde; totum Collegium primum a dextris Epiſcopi, ſecundum a ſiniſtris Epiſcopi, & ſic deinceps, & Prior Collegii ſedeat in ſcamno oblongo primus, propius Epiſcopo.

9. Parochi a tergo Collegiatarum, & alii de Civitate poſt Parochum.

10. Diœceſanus autem Clerus ſedebit in media navi ante faciem Epiſcopi, hinc inde, ita, ut in ſcamnis anterioribus, & juxta dexteram Epiſcopi, digniores Collegiatæ ſedeant: Parochi a tergo Collegiatarum, & alii a tergo Parochorum, ut ſupra diximus.

11. Viſitarius Epiſcopi, ſi eſt Protonotarius induat rochettum, & mantellectum: ſi non eſt, induat habitum, quem per Urbem defert, non pluviale.

12. Si Vicarius eſt Canonicus, ad Miſſam, & proceſſionem, induitur, ut Canonicus. Ad ſeſſionem Synodalem,uti Vicarius.

## C A P U T XIV.

*De Proceſſionibus Synodalibus.*

1. DUplex Proceſſio fieri ſolet, altera pro initio Synodi, quam ſignificat Cæremon. Epiſc. loco citato, altera pro fine ejuſdem, prout in Actis Eccl. Mediol.

2. Pro prima varius eſt ordo, nam aliqui ante Miſſam, alii poſt Miſſam. Conc. Prov. Mediol. 2. eam præmittit Miſſæ: ſtatuat Epiſcopus quidquid voluerit.

3. Solet a Vicario Generali fieri edictum de hac prima proceſſione, cujus exemplum dabitur in 4. p. c. 6.

4. Decernenda eſt Eccleſia, ad quam eundum ſit, & via, per quam eundum.

5. Item, qui Hymni, & Pſalmi, dum itur ſint cantandi, quorum Tabella editur, ut diximus ſupra c. 15. n. 2.

6. Præfertur una tantum Crux Cathedralis Eccleſiæ quam ſequitur totus Clerus, ordine retrogrado, quo in Synodo ſedent.

7. Dum itur, quiſque Clerus partialis cantare decet Hymnos, & Pſalmos; priore de illo Clero primum inchoante Hymnum.

8. Hora eſt præſcribenda Proceſſioni primæ, & evulganda valvis Eccleſiæ.

9. Clerici deputandi ſunt pro ordinanda Proceſſione, quotquot erunt neceſſarii.

10. Ultima vero proceſſio fit intra ambitum Eccleſiæ, vel paulo extra ſi multus eſt Clerus; & fit eodem modo, quo prima; ſed cantatur Hymnus, Te Deum.

11. Si ad Primam Proceſſionem Regulares, & Confratres convenire ſolent, id fiat.

## C A P U T XV.

*De Horis Canonicis, & Miſſa Synodalibus.*

1. HOræ Canonicæ in Cathedrali dicuntur celerius: & fere ſine cantu, ne impediatur actio Synodalis.

2. Veſperæ cantantur alicubi a toto Clero in cantu Gregoriano, alternatim, ab Urbano ex una parte, a foraneo Clero ex altera, cui convenit,ut aſſignentur duo manſionarii de choro, qui fortiorem habent vocem,qua moderari queant foraneorum voces ſæpius diſcordes, qui ritus fervorem in Clero excitat, & populum ædificat; interea quoque congregatur totus Clerus pro actione Synodali immediate poſt Completorium continuanda. Completorium autem debet dici a ſolis officialibus chori demiſſa voce: & interim poterit Epiſcopus pro ſeſſione parari.

3. Miſſa de die omitti poteſt licite, & pro ea cantari Miſſa Synodalis de Spiritu ſancto, quam præſcribit Cæremoniale; vel alia Miſſa, ut mox dicemus.

4. Si triplex ſit ſeſſio, prima die cantabitur Miſſa ab Epiſcopo, vel eo impedito, a prima Dignitate de Spiritu ſancto, ſecunda die a Canonico ritu pro Defunctis pro commem. Epiſcoporum, & Sacerdotum Defunctorum generali, tertia die ab alio Canonico pro gratiarum actione Miſſa de Sanctiſs. Trinitate. Acta Eccl. Mediol. ut nimirum Clerus Urbanus, & multo magis foraneus videat aliquando, & diſcat varios ritus, & cæremonias, Pontificales, Canonicales, & feſtivas, & pro Defunctis.

5. Pro Miſſa Pontificali poterit etiam Epiſcopus Miſſam planam facere, cum uſu tamen mitræ, dum a ſede accedat ad Altare, dum manus lavat, item eidem deſervient duo Canonici cum Dalmaticis, & Presbyter Aſſiſtens cum Pluviali, ii ſcilicet, qui Miſſæ ſolemni deſervire ſolent,

6. Miſſæ pro Defunctis aſſiſtat Epiſcopus in cappa: Miſſæ vero de Sanctiſſima Trinitate cum pluviali, & mitra: Abſolutionem autem Defunctorum faciet Epiſcopus in ſua ſede cum pluviali, & mitra ſimplici; ut vario ritu hæc fiant.

7. Communio Cleri facienda eſt in prima Miſſa, & intra eamdem ex pia multorum Epiſcoporum conſuetudine, qua de re in Præmonitionibus ſupra memorati moneris debet Clerus, quam etiam communionem Pontificale præſcribit.

8. Quæ attinent ad incenſationem Cleri, & pacem dandam eidem, dicemus in loco proprio, & cum de Magiſtris cæremoniarum, cap. 28.

9. Miſſa unicam Orationem habebit, cum Gloria, Credo, & Præfatione in cantu ſolemni; ſi Miſſa plana eſt, adhuc ea dici poſſunt, quia ſolemnis eſt aliquo modo, & pro re gravi; Poſt Nonam prædictæ Miſſæ dicuntur, quia ſunt Votivæ.

## C A P U T XVI.

*De iis, quæ cantanda ſunt a Muſicis.*

1. IN Miſſa Pontificali ſolemni muſicus cantus cum organo adhibendus de more, ſed, abſque mora.

2. In Miſſa plana Epiſcopi, dum ſecretas recitat preces, cantari poterunt ſacra cantica cum organo, & vocibus.

3. In Miſſa pro Defunctis, ſequentia, dies iræ, tantum ad arbitrium, & ſine organo.

4. In Miſſa de Sanctiſſima Trinitate, Gloria, Credo, Sanctus, & Agnus Dei, cætera in cantu Gregoriano, Organum pulſatur de more.

5. In ingreſſu Epiſcopi in Eccleſiam organum pulſatur, mane tantum.

6. In

(1) Quæ hoc capite ſummatim traduntur, fuſ: tractata habes a Benedicto XIV. lib. 3. c. 1. ad 9.
(2) Vide Benedictum XIV. lib. 2. cap. 11. (3) Confer ibid. cap. 10.

6. In Proceſſione poterunt cantari a Muſicis Hymni, Pſalmi, ut in Tabella propria, & in ultimâ Hymnus: Te Deum.
7. In actione Synodali, quotidie Hymnum Veni creator, cantabunt Muſici.
8. Iidem reſpondebunt Benedicenti ſolemniter Epiſcopo in fine totius Synodi; nihil præterea. Litanias prima die alicubi cantant Muſici.

### CAPUT XVII.

*De pergendis paulo ante diem Synodi.*

1. EX Cærem. Epiſcop. loc. cit. tribus proximis diebus Dominicis ante diem Synodi conveniens erit, ut tam in Eccleſia Cathedrali, quam in ſingulis Parochialibus per Concionatores, & Parochos denuncietur Synodus, populique ad devotionem, orationes, jejunia, ſacramentum pœnitentiæ, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem, aliaque pia opera excitentur: ut actio Synodalis, Deo opitulante, dignum ſortiatur exordium, felicemque, & fructuoſum progreſſum, & finem. Hæc ibi. Oratio, ſeu Miſſa de Spiritu Sancto a Clero in Feriis quintis dicenda erit.
2. Pridie diei conſtitutæ pro Synodo, ex eodem cæremoniali ibidem, pulſari debent campanæ tum Cathedralis, tum aliarum Eccleſiarum ſolemni ritu, & præſertim ſub noctem præcedentem, qua de re opportune monendi erunt Eccleſiarum Præfecti.
3. Eodem die affigetur ſchedula variis locis indicendæ Horæ pro Synodo, cujus formulam habes infra 4. p. c. 1. n. 6.

### CAPUT XVIII.

*De Officialibus Synodi.*

1. POſt conſultationem de prædictis in Congregatione Conſultorum facienda eſt electio Officialium Synodalium.
2. Sunt autem hi. Præfectus Hoſpitorum cum ſociis, de quibus actum eſt ſupra cap. 8.
Promotor unus, ſeu plures, Urbanus, & Foraneus.
Secretarius. Notarius, Coadjutor, ſive lector Decretorum, & Catalogi Cleri.
Præfecti diſciplinæ Clericalis, Synodalis, & Scrutinii.
Judices querelarum, & excuſationum.
Procurator Cleri, qui agat cum Epiſcopo nomine communi, ſi opus eſt.
Oeconomus pro cathedratico recipiendo.
Confeſſarii Cleri.
Magiſtri cæremoniarum cum adjutoribus Clericis.
Oſtiarii Synodi. Ut autem eligantur aptiores, eorum munera breviter hoc loco indicabimus, de quibus nondum locuti ſumus.

### CAPUT XIX.

*De Promotore.*

1. SIve unus ſit, ſive duo, ad libitum Epiſcopi, hi parandi erunt, ſaltem pluvialibus, niſi alter eorum ſit Canonicus Cathedralis Eccleſiæ, qui Canonicali utetur habitu ſecundum præbendam, & ordinem ſuum; & ſedebunt ad menſam, de qua diximus ſupra cap. 9. n. 7. erunt autem J.U.D.
2. Urgebunt actionem Synodalem, pro emittenda profeſſione fidei; pro Clero vocando, & Scrutinio ejuſdem pro electione Examinatorum, & Judicum; pro evulgatione Decretorum pro pœnis contra abſentes, & pro rogitu Notarii.
3. Verba propria, ſeu formulas dabimus infra in 4. p. c. 7. & cum loquuntur cum Reverendiſſimo Epiſcopo, cum appellare debeot titulo tantum Reverendiſſimi: quia actio eſt Eccleſiaſtica, ſi Archiepiſcopus, vel Cardinalis eſt, appellent etiam titulo Illuſtriſſimi. Abſit autem a Synodo curialis adulatio.
4. Major de duobus amborum nomine loquatur, ſtans a dextris alterius Promotoris.
5. Antequam loquantur, & poſtquam dixerint, profundam capitis inclinationem Epiſcopo faciant, neque diſcedant ad locum ſuum, donec Epiſcopus decretum fecerit verbo.
6. Recitent de folio, clauſo in libello aliquo decenti, & ornatu: quem ipſemet, qui legit, teneat, & alta voce, ut alii ſaltem viciniores, & plene audire poſſint.

### CAPUT XX.

*De Secretario Synodi.*

1. COnvenit, ut Secretarius eligatur e Canonicis Diaconis, ſi Ordo habetur diſtinctus; & paratus Canonicalibus indumentis agat cum Epiſcopo.
2. Ad eumdem ſpectat ordinare lectionem Decretorum juxta ea, quæ in Conſultorum congregatione præſcripta fuerunt, & item quid prius, quidve poſtea ſit agendum.
3. Socium ſibi eligat, qui ſibi miniſtret de menſa ad vicinum pulpitum, ſi quid occurrit legendum, & ejuſmodi: & ut, eo recedente, ſcripta, & calamos cuſtodiat in menſa.

4. Prævideat, quæ legere debet, ne erret, cunctetur, & legat alta voce, ut ſatis audiatur ab omnibus diſtincte, ut intelligatur. Vide formulas ejuſdem p. 4. c. 19. toto.
5. In vocatione Cleri vocabit ipſe nominatim Clerum Eccleſiæ Cathedralis; Collegiatarum autem inſigniorum reliquos vocabit ejus coadjutor, qui etiam leget reliqua Decreta, quando ſunt ita multa, ut levari merito ille debeat labore nimio legendi.
6. Secreto teneat nomina Officialium Cleri donec evulgentur; ne inde oriantur æmulationes, & incommoda: præſertim ubi plures ambiunt in Clero munia.
7. Curet affigi valvis Eccleſiæ ſchedulas pro initio Synodi pridie primæ diei; tum in Eccleſia, & in palatio Epiſcopali Tabellas de diſciplina Cleri, Diſtributionem ejuſdem pro ſcrutinio faciendo, de qua paulo infra; Catalogum Confeſſariorum Cleri tunc diſtribui: Tabellas alias opportuno tempore pro proceſſione, Scrutinio, Acclamationibus, & ejuſmodi per idoneos miniſtros.
8. Quæ lecturus erit, ea prius accipiat cum debitis reverentiis, ante, & poſt, ab Epiſcopo, cui eadem offert, & ab eo ſtatim recipiet poſt inſtantiam Promotorum; quibus inſtantibus, ipſe ſemper aderit.
9. Idem ſuggeret Epiſcopo, quæcumque agenda erunt; quo cum eodem communicabit in cubiculo, antequam deſcendat in Eccleſiam.
10. Præſcribet cantoribus muſicis, juxta ea, quæ ſupra duximus c. 16.
11. Idem ipſe, ſi non alius Canonicus aptior, cantabit ſtans prope ſedem Epiſcopi capita Orationis mentalis in fine Seſſionum.
12. Denique ejuſdem partes erunt, ut tota actio Synodalis exactiſſime cum Magiſtris Cæremoniarum peragatur, breviſſimo ſibi facto Indice totius actionis ab initio uſque ad finem, memoriæ cauſa, & promptioris executionis, cujus indicis formula dabitur infra p. 4. c. 12. ne quicquam in hoc genere deſideretur a nobis.

### CAPUT XXI.

*De Notario Synodi.*

1. CAncellarius Epiſcopalis ſolet eſſe Notarius actionis Synodalis, qui idcirco ſemper aderit prope menſam Secretarii, & in fine cujuſcumque Seſſionis rogatus a Promotore, ut conficiat inſtrumentum, &c. reſpondebit, ſe facturum, aſſumendo teſtes aliquos certos de Clero quorum nomina ſcribat in Actis.
2. Idem ſolet alicubi vocare Clerum ab eo loco, ubi deſinit Secretarius, & abſentes notare debet, ut puniantur, niſi excuſentur deinde a judicibus.
3. Ad eumdem attinet ſcribere in libro nomina eorum, qui fidei profeſſionem in Synodo emittunt, vel ſi multus foret numerus profeſſurorum, per ſchedulam affixam curet, ut moneantur profeſſuri fidem, quod ferant ſecum ſchedulam cum nomine, cognomine, beneficii titulo proprio, & ſtatim ac eam emiſerint, conſignet quiſque ſuam Cancellario, qui acu, & filo adhibito ſchedulas omnes colliget, conſervabit, & in librum referet, ut ſine tumultu ea profeſſio adnotetur. Formulam hujus rei habebis infra 4. p. cap. 1. n. 6.

### CAPUT XXII.

*De Lectore Decretorum.*

1. SEcretario datur adjutor ad ea multa munera, quæ ſunt ejus propria, & præſertim ad legendum ſi minus ille multa legere queat.
2. Dum legit Decreta, Epiſcopi præſertim, ad ſingula pauſam faciat, converſus ad Epiſcopum, qui forte circa illud, quod proxime lectum fuerit, ſenſum ſuum communi ſermone aperiet Clero: alioquin proſequatur.
3. Convenit, ut de gremio Cathedralis Eccleſiæ hic eligatur & firmiorem habeat vocem.

### CAPUT XXIII.

*De Præfectis Diſciplinæ Synodalis, & Scrutinii.*

1. ELigendi ſunt e Clero, tum Urbano, tum Diœceſano, ſi opus eſt, aliquot Sacerdotes ætate, prudentia, zelo, & diſciplina Clericali conſpicui, quorum opera tum Clerus univerſus contineatur in officio, tum promoveatur ad meliora.
2. Numerus is erit, qui ſufficiens eſſe poterit ad Scrutinium univerſi Cleri finiendum intra tempus Seſſionum Synodalium ea proportione, ut unicuique ſcrutandorum numerus aſſignetur, non ultra ſexaginta.
3. Ut autem una lingua loquantur omnes in judicio ferendo de veſtibus, barba, colore caligarum, & ejuſmodi, conveniant hi ſemel ante Synodum coram Epiſcopo, & juxta Tabellam Scrutinii conferant inter ſe quid communiter ſit cenſendum, ne contraria videantur ſentire, aut laxius alii aliis.

4. In

4. In hoc conventu dabitur cuique Præfecto Tabella Scrutinii ſancita, ut ſupra, c. 11. danda infra in 4. p. c. 4. n. 6. & præterea in Schedula aſſignabitur unicuique tum Cleri pars examinanda, tum locus, id eſt, Capella Eccleſiæ Cathedralis pro Scrutinio, quæ diſtributio Cleri, & Capellarum ſub tali, vel tali Præfecto, ut Clero pateat, in folio, ſeu foliis affixis in Eccleſia; etiam ipſi curent Præfecti ad formam deſcribendam in 3. p. c. 9. n. 11. prætor Secretarium. Habeant etiam Catalogum eorum quos quiſque ſcrutari debet.

5. Quiſque item Præfectus eligere poteſt ſcribam, ut notet reſponſiones ſubjectorum Scrutinio, ſed ipſemet ſcribat ea, quæ ſecreto communicantur, tamquam graviora.

6. Ut autem delatores aliorum ſecreto habeantur, & tamen ſi opus eſt, idem repeti poſſit circa ea, quæ depoſuerint contra alios, Præfectus adhibeat notas aliquas, quas ſolus ipſe noſcat, & delata nemini communicet, niſi Epiſcopo.

7. Scrutinium ſumet exordium a publicatione Decreti de ſcrutinio, & exerceri poterit etiam domi, extra ſeſſionem Synodalem.

8. Scribant de ordine, quo per catalogum quemque vocant; qui ſi habuerit omnia requiſita juxta Tabellam ſcrutinii, ſatis erit ſcribere; Habet omnia &c. ſin minus notentur ea tantum, in quibus quiſque defecerit.

9. Omnino notent qui ad ſcrutinium non accedunt, ut dent condignas pœnas.

10. In deſcribendo ſcrutinio ſi eadem forma cartæ utantur omnes, poterit in fine confici liber ſcrutinii, aſſervandus inter Acta congruentius.

11. Antequam dimittatur Synodus, valde utile erit, ut hi præfecti conveniant coram Epiſcopo, & ſummarie referant communiorem ſtatum totius Cleri, quod ſi quid in communi monendum erit, Decreto opportuno imminenti malo provideatur, antequam diſcedat Clerus.

12. Qui ex his Præfectis non habent in Synodo locum, aut ſedem propriam, puta, quia neque Canonici, neque Parochi ſint, ſedere poſſunt a tergo Vic. Gen. ut præſto quoque ſint cum eo ad procurandam diſciplinam Synodalem in Clero, juxta Tabellam ea de re redendam, ut ſupra; cujus præcipua cura Præfectis incumbit.

13. Peracta Synodo dabunt Epiſ. Acta in ſcrutinio diſtincte ſcripta cum catalogo eorum, qui tenebantur accedere, & eorum qui non acceſſerunt: & in fine totius ſcripturæ ſubſcribant propria nomina, cognomina, & titulum Præfecti Scrutinii.

## CAPUT XXIV.

### *De Judicibus querelarum, & excuſationum.*

1. DUo, vel tres una cum Vicario generali deputari ſolent ad audiendas controverſias, ſeu querelas, qui prout de jure, brevi tamen forma judicii adhibita, illas dirimant, & has adjudicent.

2. Iidem excipiant libellos ſupplices datos pro excuſatione abſentium examinandos deinde peracta Synodo.

3. Si quæ naſcuntur controverſiæ de ordine ſedendi, ſeu procedendi, iidem brevi manu componant, circa præjudicium ambarum partium. (1)

## CAPUT XXV.

### *De Procuratore Cleri.*

1. UT quiete, ſine tumultu, agantur omnia, ſolet alicubi deputari ab Epiſcopo Procurator Cleri, ad quem adeat Clerus, ut ejus nomine cum Epiſcopo communi nomine agat in Synodo, ſi quæ forte decernantur difficiliora, quod ſi Clerus eum elegerit ad alia negotia Cleri, ille ipſe poterit etiam ab Epiſcopo nominari; agat autem petita in Synodo venia ab Epiſcopo & cum debita modeſtia, & reverentia.

2. Quæcumque petierit nomine Cleri, petat in ſcriptis Secr. datis. Vid. in 4. par. c. 7.

## CAPUT XXVI.

### *De Oeconomo, & Cathedratico.*

1. QUicquid ſolvatur pro Cathedratico, quod varium eſt in variis locis, pro exigendo conſtituatur Oeconomus, & is eſſe ſolet Magiſter domus Epiſcopi.

2. Solent Epiſcopi quandoque condonare Cathedraticum, quod in Decreto erit exprimendum, ne fiat in præjudicium Epiſcopalis Cathedræ.

3. Eſt introductum in honorem Cathedræ Pontificalis quod alii vocant Synodaticum, quia ſolvitur in Synodo.

4. Regulariter duo ſolidi ſolvuntur in pecunia uſuali, ut patet ex conſuetudine communiori. & exactis Eccleſiæ Mediolanenſis Neapoli ex antiqua conſuetudine Caroleni 5.

5. In Provincia Mediol. ex actis ejuſdem Eccleſiæ, ſolvitur tantum a Parochis, alibi ab aliis quoque beneficiatis, attendenda erit locorum conſuetudo.

6. Non placet illa exigendi quotannis Synodaticum (niſi aliud conſuetudo poſtulet) omiſſa quotannis Diœceſ. Synodo.

## ANNOTATIO §. 4.

1. N*On poteſt Epiſcopus augere Cathedraticum. ex Decr. Cong. Card. ſuper negotiis Epiſc. in una Iſernien. 15. Jun. 1619.*

## CAPUT XXVII.

### *De Confeſſariis Cleri.*

1. EXpedit, & præſertim in prima Synodo, quod Epiſcopus remittat Clerum ſuum a Synodo bene purgatum a peccatis, illuminatum Decretis, & unitum ſibi & Deo; idcirco deputare poterit ſex, vel octo Confeſſarios ſæculares, & regulares cum omnimoda Epiſcopi facultate ad audiendas Cleri Diœceſani Confeſſiones.

2. Imo eiſdem communicare poterit facultatem quam habet in c. liceat. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. ut tollantur, ſi quæ ſint, ſecretæ irregularitates a Clero. (2)

3. Terminus autem prædictarum facultatum ſatis erit, a diebus ſex, vel octo ante Synodum, ad totidem dies poſt Synodum & pro Clero tantum.

4. Hi vero tempore Synodi conveniant in Eccleſia Cath. ante ſeſſiones, & poſt eas ut quocumque de Clero accedente audire poſſint, domi quoque eos audire poterunt, ſi ii velint: non autem tempore actionis Synodalis, omnino vero adſunt omnes pro Communione Cleri.

## CAPUT XXVIII.

### *De Magiſtris Cæremoniarum.*

1. DUo ſaltem Magiſtri Cæremoniarum eligi debent; quorum alter Epiſcopo tantum inſerviat, alter Promotoribus, & Secretario: uterque toti actioni Synodali.

2. Habeant igitur Indicem quiſque ſuum, & omnino concordem cum Indice Secretarii, de quo ſupra c. 10. n. 12. in quo tota ſeries, & ordo breviter indicetur, qualem infra ſuo loco dabimus in 4. part. cap. 12.

3. Publicari, & indici Synodum procurent in Feſto Epiphaniæ ad præſcriptum Pontificalis Romani, & ut ſupra c. 2. n. 1.

4. Tum adſint Congregationi conſultorum, de qua c. 7. & ſtantes, cooperto tamen capite, audiant, ut exequantur mandata; reverenter etiam ſuggerant, ſi quid occurrit prænotandum pro Synodali actione.

5. In primis autem eorum curæ ſit apparatus Cathedralis Eccleſiæ, de quo ſupra c. una cum Sacriſt.

6. Præterea, quæ ad habitum Cleri ſpectant, de quo c. 13. ad proceſſiones c. 14. ad Horas Canonicas, & Miſſas Synodales c. 15. ad muſicos concentus cap. 16. ad Campanarum pulſationem c. 17. n. 2. ipſi procurent.

7. Ad ea item, quæ infra præſcribuntur in actione Synodali diligenter attendant.

8. Cum Sacriſta agant pro præparandis iis, quæ neceſſaria ſunt ad Miſſas Synodales, & præter conſueta, parentur tria thuribula pro incenſando Clero.

9. Nam Diacono incenſante Clerum Cathedralis Eccleſiæ, fere ſtatim (incenſatis primo Canonicis) duo Thuriferarii incenſabunt Clerum, primo Urbanum, deinde Foraneum, hinc inde ambo ſimul, ſaltem unico ductu cuicumque ſedilium ordini, & eodem modo iiſdem dabunt pacem primo cujuſque ordinis ſedilium, & primus aliis de more.

10. Pro communione Cleri parari curent ſtolas pro Sacerdotibus rubei coloris, & vinum ſufficiens pro purificatione.

11. Cætera, quæ ad Miſſas ſpectant, fiunt de more: niſi quod in fine Miſſæ Epiſcopus dabit benedictionem, quam dabit in fine ſeſſionis, ex Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 31.

12. Pro abſolutione Defunctorum extenderetur pannus ante ſedem Epiſcopi, & accedente Subdiacono Miſſæ, cum Cruce, & Acolythis cum candelabris, fiet abſolutio de more, Oratio erit pro Sacerdotibus, & Epiſcopis, ut in Miſſa, vel alia commun.

13. In actione Synodali curent a Beneficiatis, ſeu aliis Cantoribus cantari Antiphonam, a Clero Pſalmum alternatim, partim ab Urbano, partim a Foraneo, ſedentibus; a duobus Cantoribus litanias, vel a Canonico parato, & Subdiacono Canonico Evangelium; a muſicis Hymnum, Veni creator, poſt inceptum ab Epiſcopo primum verſum.

14. Standum erit a Clero, quando ſtat Epiſcopus, ut in Pontificali, & præterea ad Acclamationes.

15. Genuflectendum erit ad primam Antiphonam ante Pſalmum, ad Litanias, ad primos verſus Hymni: Veni creator, ad benedictionem Epiſcopalem, & ad orationem mentalem.

16. Sedendum erit ad Pſalmum, ſermonem, & ad Lectionem Decretorum.

17. Ut autem omnes eodem tempore idem præſtent, eligantur ſex, octo, aut plures Clerici e grandioribus, vel e Seminario, vel e Clero, qui diſtributi per varia loca intra Clerum, moneant

(1) Vide Bened. XIV. lib. 4. cap. 5. (2) Caveat tamen Epiſcopus, ne prætatus Confeſſariis poteſtatem faciat abſolvendi ab hæreſi externa, quamvis occulta. V. Bened. XIV. l. 4. c. 1. §. 5.

neant quando ſtandum, quando genuflectendum, quando ſedendum ad nutum Magiſtrorum Cæremoniarum, qui manu elevata, depreſſa, & magis depreſſa, ſine clamore, tres illos ſignificabunt Clericis prædictis, & hi Clero voce ſubmiſſa.

18. Opportune præmoneant Clerum, de Pſ. qui cantandus erit prima, & tertia die, Salvum me fac Deus, de Feria v. initio; ſecunda die, Deus venerunt gentes, de eadem Feria penultimo loco Nocturni.

19. Si afferantur Reliquæ SS. pro juramento Examinatorum, quod Mediolani fit; eas procurent deferri a prima Dignitate, ſtola addita ſub pluviali, ſine velo longo, cum 4. intorticiis de Sacriſtia, ad Epiſcopum, qui cum Clero ſurgit: deinde cum mitra ſedens, & in gremio ambabus manibus, vel ſupra menſam eas tenens excipit juramenta; ſtabit Clerus ob reverentiam Reliquiarum, quæ eodem modo reportantur. Videant autem, ne Clerus expectet diutius, & quam par ſit, Sacras Reliquias.

20. Ordinandæ proceſſioni præerunt iidem Clerici, qui ſupra, ſeu alii, quibus viam præſcribent cæremoniarum Magiſtri, & terminum ejuſdem.

21. Curent etiam, ut in Altari majori ardeant ſex candelæ, durante ſeſſione Synod.

22. Hæc præcipua ſit attigiſſe ſatis Magiſtri nomen excitat ad omnia bene gerenda, & exactiſſime.

## CAPUT XXIX.

*De Oſtiariis Synodi.*

1. NOn ſolum ad portas Eccleſiæ claudendas tempore ſeſſionis Synodalis neceſſarii ſunt Oſtiarii, verum etiam ad excludendos laicos, ut pareſt ſine tumultu. Debent ergo eſſe viri graves, diſcreti, qui etiam poſſint admonere eos de clero, qui ſuis locis non ſedent, ſed per Eccleſiam forte vagantur, & fabulis inutilibus vacant.

2. Excludant autem laicos paulo ante quam inchoetur ſeſſio, & omnino nullum ibi permittant ſine conſenſu Epiſcopi.

3. Claudantur portæ cum clavibus, una excepta laterali, per quam ii, qui de clero ſunt, eant, & redeant pro neceſſitate corporali.

4. Ante ultimam proceſſionem aperiantur omnes portæ, ut populus introire queat ad laudes divinas pro gratiarum actione.

5. Si quem repererint contumacem laicum, eum deferant ad Epiſcopum, cujus mandatum exequantur promptiſſime, etiam ſi ſit pœnale.

6. De Clericis, qui ſibi non obediunt, agant cum Præfectis diſciplinæ Synodalis.

7. Numerus eorum erit ad arbitrium Epiſcopi, habita ratione portarum Cleri, & laicorum, qui convenire ſolent.

## CAPUT XXX.

*De Concionatoribus Synodi.*

1. PRo ſermone ad clerum datur materia in Pontificali, nimirum, de diſciplina Eccleſiaſtica, de divinis myſteriis, & de correctione morum in clero ſecundum ea quæ Epiſcopo videbuntur utiliora.

2. Et ibidem dicitur, quod fiat per virum doctum, idoneum, ſed hoc intellige, quando Epiſcopus ſermocinari nolit, quod cuperem maxime, ſi poſſit, certe commodius nunquam poteſt moneri, & moveri totus Clerus, quam in Synodo Diœceſana, excluſis laicis.

3. Alii recitari jubent Orationem latinam, quam non improbo; ſed convenit illa magis concilio Provinciali, quam Diœceſanæ ſynodo, ut autem omnes intelligant, & amplectantur ea, quæ ad Cleri mores attinent, hodie latine dicta minus efficiunt.

4. Prima, & ſecunda die præſcribitur ſermo in Pontificali, & poſt Venerabiles quod magis placet, quam poſt Evangelium, niſi forte Concionator de Evangelio ſynodali Thema ſumeret ad dicendum.

5. Non ultra dimidiam horam ſit ſermo ne impediatur actio reliqua Synodalis.

6. Datur concionatori benedictio ab Epiſcopo de more, ſed abſque indulgentiis, quæ non conceduntur, niſi in fine totius ſynodi.

7. Omnino vero Epiſcopus, antequam dimittat ſynodum verba faciat ad Clerum eo meliori modo, quo ſcit, & valet, paterne adhortans eum ad executionem Decretorum, locus autem opportunus erit, antequam aperiantur Eccleſiæ portæ pro ultima proceſſione, ex Conc. Provinc. 5. Mediol. & hæc de Officialibus ſynodi: tranſeamus ad Officiales Cleri.

## CAPUT XXXI.

*De Examinatoribus.*

1. DE Conſilio prædictorum conſultor. debet Epiſcopus ante Synodum deligere examinatores Cleri, Judices cauſarum, teſtes Synodales, & Punctatores Collegiatarum, & Cleri, tum alios Officiales ejuſdem Cleri, ſecundum variam locorum conſuetudinem ut ſuo tempore, & loco proponatur ſynodo.

2. Et primo examinatores ſunt in duplici differentia: nam ii, qui examinare debent promovendos ad beneficia curata, ſunt neceſſario approbandi in ſynodo, at alios ad examen ordinandorum, ſeu approbandorum ad audiendas Confeſſiones poteſt Epiſcopus eligere etiam extra ſynodum, & arbitratu ſuo.

3. Primi Ordinis ergo approbandi in ſynodo, plures proponi debent, ut ex iis ſaltem ſex a Clero approbentur, Conc. Trid. regula, ſeſſ. 24. c. 18. plures tamen ad honorem aliquorum approbari ſolent, & debent.

4. Qui aſſumuntur a regularibus proponatur Clero de nomine, & cognomine noti nedum Officii, quod habent, titulo ad pleniorem validitatem examini in concurſu Parochialium, & ne contingat ambiguitas, an valeat concurſus.

### ANNOTATIO. §. 5.

*NOminatio examinatoris ex titulo Officii, quod Regulares habent, v. g. Prior S. Dominici, Guardianus vel lector S. Franciſci efficit, quod approbatio facta a Clero non cadat; niſi ſuper eum, qui tempore Synodi erat Prior, ſeu Guardianus, ſeu Lector; non autem in ſucceſſores eorum iiſdem gradibus, quos ignorat Clerus, & Rota ſæpius declaravit, fuiſſe nullum illud examen in concurſu Parochiarum, in quo affuit ſucceſſor Examinatoris approbati tantum ex titulo, non de nomine, & cognomine, ut docet Garzia de beneſ. tom. 2. par. 9. cap. 2. dub. 22. fortaſſe valeret eo caſu, quo proponitur Prior S. Dominici, qui pro tempore fuerit, hoc enim modo approbatur ſucceſſor a Clero, quicumque ille fuerit.* (1).

5. Certe ii eſſe debent omnino, aut Magiſtri in Theologia, aut Doctores, vel ſaltem licentiati in jure Canonico; & ex ordine Mendicantium aſſumi poſſunt, ex prædicto Concilio, aut non Mendicantium Regularium, quod ſi deſint ejuſmodi, eligi poſſunt alii Clerici magis idonei, ex declar. Conc. Trid. quam recitat Maſſobr. in Praxi de concurſu, Requiſ. 11. dub. 2. in fine.

6. Pro quorum examinatorum approbatione duplex eſt modus; vel imprimendo eorum nomina in ſchedulis conjiciendis in urnam, cum notis A. R. nimirum Approbationis, & Reprobationis, electiſque compromiſſariis quod in Synodo fit Mediolanenſis, vel brevibus interrogando Clerum voce alta per Secretarium. Placent ne vobis? & hic modus hodie magis eſt communis inſignioribus civitatibus.

### ANNOTATIO. §. 6.

*STephanus Quaranta V. Synodus Trid. recitat litteras Sacræ Cong. Concil. Trid. datas die 13. Julii 1592. ad Patriarcham Venetiarum in quibus approbatur uterque modus, per vota ſecreta, ſeu aperta, eligendi examinatores in Synodo, ſemper tamen approbandi erunt cum majori parte ſuffragiorum vel cum dimidia, ut dicitur in Synodo 6. Diœceſ. Mediol. eorum, qui ſunt præſentes in Synodo legitime congregata, Lege Maſſob. in Praxi de concurſu, Requiſ. 11. dub. 7. & 8.*

7. Jurare debent Examinatores approbati, ex Conc. Trid. ad S. Dei Evangelia.

### ANNOTATIO. §. 7.

*NIhil refert, an ii jurent ſuper Evangelia, vel ſacras Reliquias Sanctorum puto S. Carolum introduxiſſe SS. Reliquias pro juramento, tum ut in Synodo appareat veneratio Sanctorum (continet etiam Synodus omnium fere Catholicorum dogmatum doctrinam, & praxim) tum vero etiam, ut novitate ritus examinatores excitentur magis ad obſervandum id quod ipſi jurant, relinquitur ergo arbitrio Epiſcopi, penes quem tamen Sancti Caroli auctoritas eſſe debet in hoc genere ſumma.* (2)

8. Abſentes jurabunt in manibus Epiſcopi, ſeu Vicarii Generalis extra Synodum: quod idem præſtabunt ii, qui pro tempore ſuccedent jam approbatis a Clero, ut dictum eſt in annotat. §. 5. antequam accedant ad examen, in concurſu parochialium Eccleſiarum.

### ANNOTATIO. §. 8.

*QUia dubitant Doctores, an ſingulis annis eligendi ſint, & & approbandi examinatores, addunt plerique hodie in fine Decreti, De Examinatoribus, hanc clauſulam, Quorum Officio durante, donec altera Synodus habetur, & valet Decretum; quid vero agendum ſit de mortuis omnibus Examinatoribus, ut alii ſubrogentur extra Synodum, ad nos non attinet, quia caſus extra Synodum eſt. Vide Maſſobr. l. cit. Requiſ. 12. dub. 2. & 3. ſeu Garziam de beneſ. p. 9. cap. 2. num. 8. & 73. ubi ex Clem. VIII. decreto docent, eos eligi poſſe cum conſenſu Capituli uſque ad tempus futuræ Synodi.*

CA-

(1) At hæc opinio, cui ſolum dubitanter Gavantus adhæret, nobis non arridet, inquit Bened. XIV. L. 4. c. 7. §. 5. ad munus quippe, ad quod eligitur induſtria perſonæ, non poteſt deſignari perſona incerta, cujus doctrina, prudentia, & probitas ignorantur.

(2) Et reve a morem jurandi ad Sanctorum Lipſana antiquum eſſe multis confirmat exemplis Bened. XIV. l. c. §. 6.

## CAPUT XXXII.

*De Judicibus Synodalibus.*

1. JUdices, quibus delegandæ erunt cauſæ e S. Sede Apoſtolica, vel ejuſdem legatis, debent eſſe omnino in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, aut Perſonatum obtinentes, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonici. Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 10.

2. Nec refert quod ii forte non ſint Doctores; quia poteſt deinde dari Aſſeſſor.

3. Quatuor ſaltem ex Conc. Trid. nominandi erunt, aut etiam plures, & hodie præſertim quam plures eligendi erunt ob conſtitutionem Gregor. XV. de Conſervatoribus editam anno 1621. ut Regulares e numero Judicum Synodalium eligere ſibi poſſint latiori facultate Conſervatores ſuos, ait Papa.

4. Horum approbatio fit eodem modo, quo Examinatorum, de quibus ſupra: neque tamen jurare tenentur, quemadmodum Examinatores: & ducant eodem modo.

### ANNOTATIONES. §. 9.

1. *CAnonici Regulares, aut Monachi, etiam ſi ſint in Cathedrali Eccleſ. non ſunt capaces delegationum Apoſtolicarum ex Archid. Geminian. & Butr. in cap. ſtatum 11. de reſcript. in 6.*

2. *Canonici Collegiatarum, etiam inſignium, alioqui Doctores non poſſunt eſſe Judices Synodales, etiamſi nullus Doctor reperiatur, nec eis aptior in Capit. Cathedralis & inter obtinentes dignitates ex declar. Sacræ Congr. Conc. Trident. quam recitat Maſsobr. de Synodo cap. 4. dub. 10. in fine.*

3. *Neque item Canonicus in Cathedrali diſpenſatus ſuper minori ætate, ut fuſe probat Maſsobr. loc. citat. dub. 11.*

4. *Poteſt eligi Judex Synodalis, Protonotarius Apoſtolicus, ex eodem Maſsobr. dub. 12. tum Vicarius Epiſcopi, dub. 13. hoc eſt, Generalis, non Foraneus.*

5. *An in Provincia Mediolanenſi debent nominari omnes Canon. Cathedral. Eccleſiarum Judices Synodales in gratiam Regularium illius Provinciæ, ex Decreto quod ego legi authentico apud Epiſ. Laudenſ. a Sacr. Congregat. Conc. Trident. edito die 27. Sept. 1614. & habetur infra p. 4. circa finem.* (1)

## CAPUT XXXIII.

*De Teſtibus Synodalibus.*

1. TEſtes Synodales dicuntur, quia in Synodo deliguntur alias electi extra Synodum, dicerentur tantum Teſtes publici: ii vero debent eſſe viri graves, zelo diſciplinæ clericalis illuſtres, forma facti Cleri, verbo & exemplo potentes.

2. Septem conſtituuntur, in Actis Eccleſ. Mediol. Conc. Provinc. ſed & plures arbitrio Epiſcopi pro amplitudine Diœceſis, aſſumi poſſunt.

3. Si palam nominantur, & adſint in Synodo, jurent ibidem, alias extra Synodum, ſi abſint; vel ſi ſchedulæ ſecreto habeantur.

### ANNOTATIO. §. 10.

*PLures Epiſcopi hodie non evulgant nomina Teſtium, ut liberius poſſint exercere munus ſuum, minori cum odio Clericorum quos deferre debent ad Prælatum, jurabunt ergo ibi ſecreto in manibus Epiſcopi.* (2)

## CAPUT XXXIV.

*De Punctatoribus.*

1. IN Collegiatis Punctatorum munus eſt notare abſentes ab Horis Canonicis, aut Miſſis, & ſolent eſſe duo; tum ut alter eorum ſaltem interſit; tum ut ambobus concordantibus, abſit ſuſpicio infidelitatis in notando.

2. Epiſcopus in Provincia Mediolanen. ex actis ejuſdem, in Prov. Concil. 1. debet alterum eligere, alterum Canonici. Uterque jurat, ex Concil. Mediol. Prov. 4. hic jurat in Capitulo, ille in Synodo, ex Concil. Mediol. Prov. 5. (3)

## CAPUT XXXV.

*De juramento Examinatorum Teſtium, & Punctatorum.*

1. JUramentum erit præſtandum mane, ex Conc. Provinc. Med. 4. & hoc. 4. ideo dicitur, ut ejus ratio habeatur in diſtributione partium totius actionis Synodalis.

2. Et eo modo, quo ſupra diximus de Examinatoribus, poterunt jurare Teſtes publice nominati, & Punctatores ab Epiſcopo delecti. (4)

## CAPUT XXXVI.

*De Officialibus Cleri.*

1. AD aliquorum præ aliis judicandam materiam, & pleniorem in Clero rerum notitiam, conſuevere Epiſcopi prudentiores diſtribuere officia Clericalia in Synodo pro conſuetudine locorum & varia neceſſitate rerum.

2. Declarantur itaque primo loco conſultores S. Officii, ſi penes Epiſcopum ſit tribunal, ut Neapoli.

3. Recognitores librorum imprimendorum.

4. Reviſores Indulgentiarum quæ a S. Sede Apoſtolica obtinentur.

5. Præfecti Muſicæ, ne in Eccleſiis prophana cantentur, aut indecora.

6. Syndici, ſeu Procuratores Cleri pro immunitate, & aliis.

7. Præfecti, & adminiſtratores Seminarii tum ſpiritualium, tum temporalium rerum.

8. Præfecti diſciplinæ clericalis in civitate, diſtributis claſſibus Clericorum.

9. Vicarii Foranei, & Priores Confraternitatum Parochorum.

10. Viſitatores generales.

11. Prior Doctrinæ Chriſtianæ.

12. Confeſſarii ſpeciales Clericorum minorum.

13. Præfecti Fabricæ Eccleſiaſticæ.

14. Advocati, & Procuratores pauperum.

15. Oeconomi beneficiorum vacantium.

16. Vicarius Monialium.

17. Præfecti funeralium.

18. Præfectus ſpiritualis carceratorum.

19. Præfecti Proceſſionum.

Pœnitentiarii minores Cathedralis.

Præfecti Chori.

Recognitores onerum Miſſarum.

Præfecti communium Cleri.

Diſpenſatores eleemoſynarum ex concionibus collectarum.

Recognitores kalendarii.

Reviſores adminiſtrationis locorum piorum.

Præfecti Confratriarum.

## CAPUT XXXVII.

*De Reductione Miſſarum.*

1. IN eadem Congregatione conſultorum præfatorum erit agendum ſi opus eſt de forma reducendi Miſſas, ſeu Anniverſaria, quæ ſcilicet ante Concilium Tridentinum impoſita fuerunt, irrationabilia tunc temporis effecta.

2. Nam de Miſſis poſt concilium relictis, facultas reducendi, commutandi & eas moderandi reſervata eſt hodie Summo Pontifici, vel Sacræ Congregationi Conc. Trid. ut initio Decreti dicitur, de celebratione Miſſarum, ſub Sanctiſſimo D. N. Urbano Papa VIII. die 21. Junii 1625.

## CAPUT XXXVIII.

*De Præſide abſente Epiſcopo.*

1. SI caſus accidat, quod Epiſcopus infirmetur, aut alio vocetur, neque velit prorogare Synodum in aliud tempus, videndum erit de Præſide ejuſdem Synodi: qua in re adduntur plura non aſpernenda.

2. Et quidem, ſi proroganda ſit in aliud tempus, erit hoc ſignificandum univerſo Clero formula propria, de qua infra in 4. p. cap. 1. n. 5.

3. Si nolit eam prorogare, Vicarius Generalis eam convocare poterit, de ſpeciali mandato Epiſcopi.

4. Verum, quid, ſi Vicarius non ſit Protonotarius Apoſtolicus, ſed vel Canonicus vel Præpoſitus Collegiatæ inferioris? qui caſus contigit Novariæ ſub Carolo Epiſcopo noſtri Ordinis a Baſilica Petri. Difficultas erat propter habitum in Synodo, quem decebat eſſe, vel parem, aut ſuperiorem habitu Canonicorum, non enim uti poterat ille Rochetto, & mantelletto; neque volebant eum Canonici Cathedralis Eccleſiæ ſedere ſupra ipſos cum pluviali, quæ erat veſtis propria præpoſi-

(1) Plura de his habes apud Benedictum XIV. *lib. 4. cap. 5.*
(2) Agit de Teſtibus Synodalibus, Benedictus XIV. *lib. 4. cap. 3.*
(3) Confer Benedict. XIV. *lib. 4. cap. 4.*
(4) Adi eumdem *ibid. cap. 7.*

poſiti Collegiatæ S. Gaudentii, tunc Vicarii: uti vero mantello communi longe minus eum decebat in Synodo.

5. Vocavit igitur Epiſcopus ægrotus Hieronymum Septalem Protonotarium Apoſtolicum quem cum litteris patentibus Præſidem Synodalem declaravit, & Congregationibus Synodalibus, de quibus hactenus, tum Synodali tractationi merito præfecit.

## C A P U T XXXIX.

*De Cæremoniis Synodalibus abſente Epiſcopo.*

1. Actum igitur eſt de cæremoniis adhibendis, præſente prædicto Præſide, abſente Epiſcopo, & auctore hujus operis actionem Synodalem dirigente.

2. Et quidem ſolemnibus Miſſis ille interfuit in Choro ſupra Canonicos; Præpoſito primam Miſſam cantante, & Canonicis reliquas duas; juxta Decreta Sacræ Rituum Congregat. relata a Genuen. in praxi Neap. c. 2. circa finem, & aliis.

3. Sedentibus deinde omnibus in loco ſeſſionali, ſedit ille tamquam Præſes, in medio Cleri in ſede coriacea ſupra unicum gradum, tapete ſubſtrato elevata, rochetto, & mantelletto indutus, cæteris Canonicis pluvialia, Planetas, & dalmaticas indutis: de quo tamen habitu dubitari poſſet, an parandi ſint, abſente Epiſcopo: & ego negarem; tum quia Epiſcopus abeſt, tum quia Præſidis prædictus habitus eſt inferior habitu Canonicorum ſolemni; debet autem præcedere tum loco, tum habitu. Certe ad Miſſam primam cappas geſtarunt Canonici ſupra rochettum, de more.

4. Lectæ fuerunt a Secretario Synodi patentes litteræ de conſtituto Præſide.

5. Qui ſtatim inchoavit Antiphonam, & reliqua addidit, ut in Pontificali.

6. Ad Evangelium benedixit incenſum de more, & Diaconum, cujus librum oſculatus eſt in fine, non tamen fuit incenſatus, quia non erat paratus pluviali.

7. Recitavit Orationes, & Hymnum inchoavit, Veni Creator.

8. Sermonem habuit ad Clerum de ſuggeſtu tertia die, & præclare.

9. Totam actionem Synodalem proſecutus eſt quam Epiſcopus præſtitiſſet, excepta benedictione in fine ſeſſionum, a qua abſtinuit.

10. Ad oſculum pacis recepit Clerum, ut ſolebat Epiſcopus.

11. In fine Proceſſionis ante Synodum Canonicus Hebdomadarius in cornu Epiſtolæ dixit Orationes preſcriptas in fine Hymnorum, & Pſalmorum.

12. Vicarius autem Generalis, in proceſſione quidem ibat cum ſuis Canonicis, uti Præpoſitus cum pluviali: at cum eodem pluviali in actione Synodali ſedebat in ſede alia parata pro Vicario Generali, de qua ſupra cap. 9. num. 7. quæ omnia obſervari poſſunt, quando, abſente Epiſcopo, Vicarius Generalis, & ſimul Protonotarius Apoſtolicus, præficitur Synodo cum mandato ſpeciali.

## C A P U T XL.

*De ultimo agendis pridie Synodalis actionis.*

1. His ita rite conſtitutis, pridie diei indictæ pro inchoanda Synodo, affigi debent ſchedulæ de hoc initio, pluribus in locis, ad formam infra præſcribendam, par. 4. cap. 1. num. 6.

2. Pulſandæ ſunt campanæ feſtivo ſonitu a primis Veſperis, ex cæremon. loco cit.

3. Habenda eſt coram Epiſcopo Præfectorum Scrutinii Congregatio, de qua ſupra cap. 23. num. 3.

4. Officiales quique ſe comparent ad propria munera diligenter præſtanda: quos ideo moneri curet Epiſcopus tum per Tabellam in loco publico affixam, tum ſingillatim per idneos viros, tanto ante, ut per octo ſaltem dies id certo ſciant, & prout ſupra iiſdem præſcriptum eſt agant diligentius.

5. Affigantur Tabellæ Diſciplinæ Synodalis, & Capitum orationis publicæ pro quibus ſcilicet orandum eſt a Clero tum in Palatio Epiſcopi, tum ad valvas Eccleſiæ Cathedralis, & infra eadem.

6. Dum Clerus ſingillatim ad civitatem venit, & Epiſcopum adit, ille benigne omnes excipiat; & ſi quid ſingillatim velint ſuggerere, libenter audiat.

7. Idem Epiſcopus cum Magiſtris Cæremoniarum eligat ſibi miniſtos de more pro Miſſa Pontificali, & aſſiſtentes Diaconos pro ſeſſione Synodi, ſi forte ii occupati ſint aliis muneribus ad Synodum ſpectantibus, qui alioqui deberent aſſiſtere.

8. Præſcribat horam conveniendi ad Synodum, tam mane, quam a prandio, & item terminandi ſeſſiones.

9. Proponatur edictum de proceſſione habenda per Vicarium Generalem, ut in 4. par. cap. 6.

10. Secretarius denique recognoſcat omnia, quæ imprimi, deſcribive curavit, juxta ea, quæ in Congregationibus Synodalibus fuerunt præordinata; & præſertim Tabellas omnes, ut ſupra, requiſitas, cum notula Officialium, catalogo Cleri, & Decretis in Synodo legendis.

DE

Digitized by Google

# DE ORDINE SYNODI DIOECESANÆ.

## PARS SECUNDA.

QUoniam in Pontificali deſcribuntur Ritus, & Cærem. Synodi tribus diebus, hoc eſt, tribus ſeſſ., celebrandæ; nec prohibetur tamen minori dierum numero Diœceſanam Synodum celebrari; ideo deſcripturi nos hoc loco totius Synodi ordinem, triplicem eumdem ipſum dabimus, pro trina, pro uplici, & pro unica ſeſſione.

*Ordo Synodi Diœceſanæ pro trina ſeſſione.*

### PRIMA SESSIO.

1. HOra indicta, Capitulo Eccl. Cathedralis cum Seminario, & univerſo Clero in aula Epiſc. congregato, deſcendit Epiſcopus ad Cathedralem Eccleſiam cappa indutus, ipſo Clero præcedente, Canonicis autem Epiſcopum ſequentibus.

2. Si eſt Archiepiſcopus deferri facit ante ſe Crucem, imaginem Crucifixi ipſum reſpicienteæ.

3. In porta Eccleſiæ aquam benedictam de more ſumit, & aſpergit ſe, & alios.

4. Organa pulſantur, & campanæ, interea orat ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti (quod non erit in Altare majori durante Synodo, ſi alias ibi aſſervatur) & ante Altare majus.

5. Cantatur Nona (ut alias Tertia in Feſtis) & induitur paramentis Pontificalibus.

6. Miſſa celebratur de Spirito Sancto, abſque ulla commemoratione, etiam Duplicis Feſti, ſeu Dominicæ, & ſine Evangelio in fine ex Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 31. incenſatur in ea totus Clerus.

7. Fit communio ejuſdem Cleri, ex Pontific. ſtolis rubeis aſſumptis a Sacerdotibus, qui forte non celebrarunt.

8. Non datur benedictio in fine Miſſæ, ex Cærem. loc. cit. ſed in fine ſeſſionis: finita Miſſa exuit Epiſcopus paramenta Miſſalia uſque ad Tunicellam incluſive, & accipit pluviale, ibid. Canonici retinent paramenta ut in Miſſa.

9. Peracta communione inchoatur Proceſſio, pro qua diſtribuuntur Tabellæ precum paulo ante Communionem Clerus autem ſub una tantum Cruce procedit.

### ANNOTATIO. §. 1.

*ALicubi fit proceſſio ante Miſſam, ex Conc. Prov. 2. Mediol. imo pridie ut Neapoli cum reliquiis S. Januarii, & Peruſiæ aliquando pro tranſlatione Reliquiarum S. Herculani, & S. Caroli. Communior uſus eſt, ut fiat poſt Miſſam, ut dum cantatur Miſſa conveniat Clerus totus opportune ad pleniorem Proceſſionem.* (1)

10. Si adeſt conſuetudo, quod conveniant etiam Regulares, & Confratres (quod fit, ubi Clerus non eſt multus) procedant ſub eorum Crucibus, & Vexillis.

11. Cum Cruce Cleri adſint candelabra cum candelis accenſis niſi adſit Crux Archiepiſcopalis, cui tantum candelabra, & defertur ante Canonicos tantum.

12. Quilibet primatum gerens in unaquaque Cleri parte, ſive Urbani, ſive Foranei, & quocumque nomine vocetur in medio Eccleſiæ ante Altare inchoet genuflexus cum ſuo Clero Hymnum; Veni Creator, idem faciat Epiſcopus.

13. Si proceditur ad aliquam Eccleſiam, puta Patroni loci, ibi cantatur Antiph. cum Verſu, & Oratione de eo ab Epiſcopo, alioquin recta reditur ad Cathedralem.

14. Poſt reditum ad Eccleſiam majorem Clerus ſua quiſque loca petit, & Epiſcopus remanet in loco Synodali apud ſedem ſibi paratam, ſeu faldiſtorium, ſi eſt Archiepiſcopus, qui Crucem ejus defert, remanet in medio, in loco ut ſupra parato.

15. Cum aliquantulum ſederint omnes, Diaconus, qui eſt a dextris Epiſcopi, ſtans, cantat verſus Clerum: Orate: iiſdem notis, quibus alias cantatur: Levate ex Actis Nov.

16. Genuflectunt omnes verſus altare, & orant mente modico ſpatio. Tum adhuc genuflexus Epiſcopus, ſine mitra, inchoat antiphonam Exaudi Domine: præintonante eo ad quem de more ſpectat: & dicitur tota genibus flexis.

17. Pſalmo inchoato: Salvum me fac Deus: ſedet Epiſcopus, accepta mitra; ſedet etiam Clerus, & alternatim ab Urbano & Foraneo cantatur Pſalmus. At Clerici deputati moneant Clerum, quando genuflectendum, ſtandum, & ſedendum.

18. Antiphona repetita, ſurgunt omnes; & Epiſcopus, depoſita mitra, & converſus ad Altare, dicit: Adſumus, ut in Pontificali.

19. Addit aliam Orationem, ut ibid. qua finita, accepta mitra procumbit ibid. ſupra faldiſtorium, aliis omnibus genuflectentibus, & cantores duo in medio Cleri poſt Epiſcopum dicunt Litanias, niſi eas cantent Muſici, ut ſup.

20. Dicto: Ut omnibus fidelibus, &c. Epiſcopus ſolus cum miniſtris ſurgit, & baculum ſiniſtra tenens, ſtans verſus Synodum dicit: Ut hanc, &c. ut in Pontificali, producitque ſignum crucis ſuper omnes; & iterum procumbit uſque ad finem Litaniarum.

21. Quibus dictis, ſurgunt omnes; & Epiſcopus depoſita mitra, dicit ſtans ut ſupra: Oremus: Et miniſtri: Flectamus genua: Levate (niſi ſit tempus Paſchale ſeu Dominica, argum. a ſimili in Benedictione candelarum in Miſſali) tum Orationem: Da quæſumus, &c.

22. Deinde ſedens cum mitra facie verſa ad Synodum, imponit incenſum in thuribulum & benedicit, more ſolito miniſtrante presbytero aſſiſtente naviculam, ut alias.

23. Duo Canonici Diaconali, & Subdiaconali veſtibus induti, ut in Miſſa, coloris rubei, benedictione de more accepta, una cum Acolythis candelabra deferentibus accedunt ad partem dexteram Epiſcopi, & juxta eam in plano Diaconus cantat Evangelium: Convocatis JESU &c. ſtantibus omnibus, & Epiſcopo baculum, ut alias, tenente inter manus.

24. Oſculatur librum Epiſcopus, & incenſatur, a Presbytero Aſſiſtente, de more.

25. Et ſtatim ſine mitra genuflexus verſus altare toto Clero genuflexo, incipit Hymnum: Veni creator: proſequente Clero, ſeu Muſicis cantoribus.

26. Finito primo verſu, qui conſtat ex quatuor verſiculis, ſurgunt omnes, & ſine mitra Epiſcopus ſtat verſus Altare uſque ad finem.

27. Oſtiarii, dum cantatur Hymnus, vel prius excludant laicos, & portas Eccleſiæ claudant.

28. Sedent omnes cum ſilentio, & Epiſcopus, accepta mitra, ſedens alloquitur Clerum alta voce: Venerabiles conſacerdotes, &c.

29. Poſt allocutionem vel prius (ait Pontificale) prout magis placuerit, hoc eſt poſt Evangelium, ſi de eo ſermo ſit habendus, accedit Concionator comitatus ab altero ex Cæremoniariis: & genuflexus ante Epiſcopum petit ab eo, ut alias, benedictionem ſine Indulgentiis.

30. Concionator non ultra mediam horam ſermonem habeat ad Clerum, & eo finito diſcedit.

31. Audiuntur querelæ, ex Pontificali, ſed uſus obtinuit quod deferantur ad Judices deputatos.

32. Secretarius igitur decreta ſecum ferens, comitatus a Cæremoniario accedit ad Epiſcopum, cui facta debita reverentia, offert Decreta, & quærit ab eo an ea nunc velit legi, quo annuente, & reddente folia Decretorum, facta rurſus reverentia Epiſcopo, tum Canonicis, aſcendit pulpitum & alta voce legit hæc verba, ſtans aperto capite,

### DECRETUM

*De Synodo incœpta.*

IN Nomine Sanctiſſimæ, ac individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

NOs N.N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſc. Sanctæ Eccleſiæ N. (addat alios titulos, Comitis, ſeu Principis, ſi quos habet). Ad Dei omnipotentis, ac Beatiſſimæ Virginis Dei matris, & Sanctorum Patronorum N.N. & N. laudem, noſtram Diœceſanam Synodum incipimus, faxit idem omnipotens Deus pro ſua miſericordia, precibuſque Virginis Beatiſſimæ, ac eorumdem Sanctorum, aliorumque, ut quemadmodum ſperamus, ex hoc ſacro cœtu lumen, & Spiritus omnes reportemus ad officia noſtra ſecundum voluntatem Dei peragenda.

33. Sed, & capite tecto legit alia Decreta pro initio Synodi, quæ hic ſignificabimus deſcribenda fuſius in 4. part. hujus voluminis, cap. 9. num. 2.

### DECRETUM

*De modo vivendi Synodi tempore.*

*QUoniam nihil fere, &c. pag. 24.*

(1) Vide Bened. XIV. lib. 5. c. 1. §. 2.

### D E C R E T U M

*De Miniſtris Synodalibus.*

CONſtituimus in hac noſtra Synodo, Promotorem M. R. N. N. Promotores Urbanum N. Foraneum N. cum titulis, ut de vocatione Cleri in Prima part. cap. 12. num. 6, præſcriptum eſt. Secretarium N. N.

Judices querelarum, & excuſationum, N. N. & N. N.

Præfectos diſciplinæ Synodalis, & Scrutinii N. N. N.

Præfectum Hoſpitiorum N. N. Coadjutores N. N. N.

Confeſſarios Cleri N. N. N. cum facultate noſtra abſolvendi a caſibus etiam Nobis reſervatis, durante hac Synodo uſque ad ..., menſis hujus, & pro Clero in Confeſſione audiendo tantum, ut quiſque redeat ad propria bene purgatus, & Deo magis conjunctus, ad utilitatem quoque populorum noſtræ Diœceſis.

Procuratorem Cleri N. N. qui ad Nos deferet quæcunque Clerus exoptat,

Oeconomum pro exigendo Cathedratico N. N.

Magiſtros Cæremoniarum, quibus omnes obedient N. N. & N. N.

Oſtiarios Synodi N. N. N. N. quibus item pareant omnes in eorum officio, Notarium N. N.

### D E C R E T U M

*De Præjudicio non afferendo.*

DEcernimus, &c. ut loco citato num. 4.

### D E C R E T U M.

*De non diſcedendo.*

VObis præterea omnibus, &c. ut loco citato num. 5.

### D E C R E T U M.

*De Oratione publica.*

QUoniam veteris eſt inſtituti, &c. ut infra loco citato, num. 6.

34. Deſcendit de ſuggeſtu, & una cum Promotore, ſeu Promotoribus accedit ad Epiſcopum.

35. Promotor inſtat pro fidei profeſſione, ſi duo ſunt, loquatur primus de ſcripto, ſed in numero plurali, ut in 4. parte cap. 7. n. 1. & cum titulo convenienti.

Cavit Sacroſanctum Concilium, ut omne, &c. loco nunc citato.

36. Epiſcopus reſpondet: Decernimus, mandamus ita fieri.

37. Diſcedunt illi, & Secretarius de ſuggeſtu legit ſedens in hæc verba.

### D E C R E T U M.

*De Profeſſione Fidei emittenda.*

SAcroſancta Tridentina Synodus illud &c. ut infra 4. par. c. 9. n. 7. & addit Decretum hac de re Conc. Trid. ut ib. Cogit temporum, &c.

### A N N O T A T I O. §. 2.

*IN Provincia Mediolan. legitur etiam Decretum Concil. Prov. primi: Verba ſunt: Sacri igitur Concilii Tridentini auctoritate &c. quæ item dabimus infra in fine 4. partis.*

38. Lectis Decretis addit idem Secretarius, Accedant igitur, &c. ut loco cit. n. 7.

39. Qui ergo ſunt profeſſuri fidem tunc accedant ad Epiſcopum, coram quo genuflexi permaneant, donec eorum nomine formula profeſſionis fidei de ſuggeſtu a Secretario ſtante, & aperto capite, legatur uſque ad ea verba excluſive: Sic me Deus adjuvet; Habetur infra in 4. parte loco citato num. 7.

### ANNOTATIONES. §. 3.

1. *NOtandum eſt non teneri Epiſcopum emittere profeſſionem fidei in prima Synodo Diœceſana, quia non habet ibi majorem, ſed in prima Synodo Provinciali; quia tamen Provincialis Synodus fere nunquam hodie celebratur, audiendi ſunt ii Epiſcopi, qui in prima ſua Synodo coram Deo genuflexi ante Altare, fidei profeſſionem emittunt, eſt enim actus ſummæ religionis, quo caſu ſtabit totus Clerus ob reverentiam genuflexi Epiſcopi, qui breviori formula, de qua infra, eam emittet, ut alii, tum ſedebit accepta mitra, ut alios profitentes excipiat, & Clerus ſedebit, exceptis profeſſuris. Pro juramento Epiſcopi teneant Diaconi Aſſiſtentes Miſſalem librum ante eum.*

2. *In Provincia Mediol. ex Concil. Prov. 1. tenentur profeſſionem fidei emittere in Synodo etiam ii, qui Synodum Diœceſanam convenire debent, & quia in ea Provincia, etiam ſacris ordinibus initiati tenentur convenire, ut in editis Mediol. & Novarien. patet, ideo iidem erunt invitandi a Secretario in præfato Decreto, extra eam Provinciam non tenentur niſi ii, quos nominat Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. (qui nimirum beneficia Parochialia, & alia beneficia Eccleſiaſtica habent, & qui in Synodo convenire debent) in prima Synodo emittere profeſſionem fidei, niſi provincialibus Decretis item alii teneantur.*

3. *Neque tamen omittentes id facere incurrunt privationem fructuum beneficiorum, ſed alias pœnas, ut probat Maſſobr. de Synodo cap. 4. dub. 39. num. 25.*

4. *Quod ſi adeſſe Synodo non poſſint, id præſtent per Procuratorem, & valet, ut pluribus idem Maſſobr. probat cum Barboſa dub. 49. modo fiat cum ſpeciali mandato ib. num. 43. ſed excuſari poteſt, qui excuſatur a Synodo.*

40. Tum bini, ſeu terni, aut quaterni ad Epiſcopum propius accedant, tenentem librum Evangeliorum, & legentes profiteantur formula breviori.

Ego N. recipio, promitto, &c. ut infra 4. p. c. 5. n. 1.

41. Singuli redeuntes Cancellario, ſeu Notario dent nomina, & cognomina cum titulis beneficiorum, in ſchedula, de qua ſupra par. 1. cap. 21. num. 3. pag. 27. ſi non habeant ſchedulam, curent ſua nomina ſcribi ab eodem Notario in libro ad id parato.

42. Solet eſſe hora tarda, & ideo de ſuggeſtu a Secretario indicitur continuatio Seſſionis his verbis, facto prius verbo cum Epiſcopo.

Decernimus, & indicimus continuationem hujus Seſſionis fore hodie hora ..,... in qua vocabuntur omnes, & Scrutinium Cleri fiet a Præfectis.

43. Poſtea Promotor inſtat, accerſito Notario contra contumaciam abſentium, his verbis.

Reverendiſſime Domine. Cum jam dies &c. ut infra 4. par. cap. 7. num. 2.

44. reſpondet Epiſc. Ita decernimus, ac jubemus.

45. Tum ad Notarium converſus Promotor pro rogitu actorum in hac ſeſſione hæc verba profert: ſi duo ſint, in num. plurali dicantur.

Ego N. N. hujus Synodi Promotor rogante N.N. Notarium Epiſcopalem ut de omnibus, & ſingulis in hac ſeſſione peractis unum, plurave conficiat inſtrumenta.

46. Reſpondet Notarius: Conficiam: præſentibus N. N. &c. addit in ſcriptis: hæc omnia fuerunt acta in publica Seſſione, ubi ſupra, adhibitis etiam teſtibus N.N. & N.N.

47. Contra contumaces abſentes per Edictum ad valvas agitur.

48. Sed pro diſceſſu legitur etiam hoc Decr. de ſuggeſtu a Sec. Ne quiſquam a loco, &c. ut in 4. p. c. 9. n. 9.

49. Exuit Epiſcopus Pontificalia, cappam induit, & data manu tantum benedictione Clero, poſt Orationem brevem in faldiſtorio recedit, quem Clerus Cathedralis Eccleſiæ tantum comitatur de more, & omnes diſcedunt.

50. Statim affiguntur Tabellæ diſtributionis Cleri, & Capellarum pro Scrutinio.

*Continuatio primæ ſeſſionis.*

51. A Prandio ſtatuta hora ſignificata per campanæ ſonum conveniunt omnes in Eccleſiam Cathedralem, cantantur Veſperæ cum Completorio a Clero Cathedralis, niſi ab utroque Clero cantandæ ſint, ut ſupra 1. par. cap. 25. numer. 2. Epiſcopo etiam præſente in cappa.

52. Deducatur Epiſcopus cum cappa a ſuo Capitulo in Cathedralem Eccleſiam, ubi de more orat ante Sanctiſſimum Sacramentum, & ante Altare majus, apud ſedem ſuam accipit Amictum, Stolam, Pluviale, Mitram, & Baculum: deſcendit ad ſedem Synodalem; Canonici item, alii parantur, ut mane.

53. Diaconus aſſiſtens a dextris cantat. Orate, & omnes genuflectunt; poſt modicum ſpatium ſurgit Epiſcopus, & dicit Orationem: Adſumus, ut in Pontificali, converſus ad Altare; ſi tempus eſt Paſchale ſtant & alii de Clero.

54. Sedent omnes cum ſilentio, & Promotor inſtat pro vocando Clero, pro Cathedratico ſolvendo, & Scrutinio peragendo his verbis:

Reverendiſſime Pater, & Domine. Sancitum eſt &c. in 4. par. c. 7. n. 4.

55. Secretarius de ſuggeſtu legit,

### D E C R E T U M.

*De Clero vocando, & Cathedratico ſolvendo.*

VOcabuntur omnes & ſinguli &c. ut in 4. p. c. 9. n. 10. & addit.

## DECRETUM

*De Scrutinio.*

SCrutinium Synodale &c. ut ibid. n. 11. & addit,

*Præfecti Scrutinii ita diſtribuantur per Capellas hujus Eccleſiæ cum Clero.*

R. D. N. ad Capellam S. N. vel Clerus N. conveniat ad Capellam S. N. ſub Præfecto N.

R.D.N. ad Capellam S. N. &c,

Qui pro ſua quiſque timorata &c. ut in 4.p.loc.cit.n.11.

Qui ad eos non acceſſerint, &c. ut ibid.

56. Dum vocatur Clerus Præfecti Scrutinii, ii maxime, qui ſunt ſcrutaturi partem Cleri poſtremam, ultimo vocandam, incipiant ſcrutinium, de quo 1. p. c. 23.

57. Clerus autem vocatus, ordine ſervato, de quo infra in 4. p. cap. 9. n. 12. cum debitis titulis, & honoribus: primo Clerus Civitatis, tum Diœceſis.

58. Secretarius vocabit, ut dictum eſt loc. cit. non ultra Clerum Civitatis, qui vocat, notet abſentes, linea ducta in calamo, etiamſi aliqui eos tunc ſtatim excuſent, quod deinde dijudicabitur. Vocati dicant altius: Adſum.

59. Oeconomus ad menſam aliquam in loco remotiori ab Ep., recipiat Cathedraticum, & notet ſolventes in libro.

60. Circa finem Seſſionis, hoc eſt, poſtquam vocati fuerint omnes, & ante Epiſcopum cum genuflexione tranſierint (niſi ſit ita multus Clerus, ut in craſtinum reliqua vocatio ſit differenda) datur ſignum cum campanula ſacriſtiæ, ut omnes ſcrutinio relicto redeant ad loca propria Seſſionis Synodalis.

61. Secretarius de ſuggeſtu indicit pro ſequenti die Offic. mortuorum his verbis; Edicimus præterea &c. ut in 4. part. cap. 9. num. 13.

62. Deinde indicit Seſſionem ſecundam bis verbis.

Decernimus, &c. ut in 4. p. c. 9. num. 14.

63. Promotor iterum inſtat contra contumaces abſentes, & pro rogitu, ut mane, paulo ſupra a n.43. uſque ad 47.

64. Diaconus aſſiſtens, ſeu Secretarius ad dexteram Epiſcopi cantat; Orate, genuflectunt omnes, etiam Epiſcopus cum Mitra, ut orent mente.

65. Idem Diaconus proponit capita Orationis mentalis cum deflexione vocis in ultima ſyllaba, a nota ſà ad notam re.

Fratres chariſſimi, toto &c. ut in 4. p. c. 10. n. 1.

Et inter ſingula capita interponit moram genuflexus, & Ipſe, recitando ſecrete Pſalm. Miſerere, poſt ſingula capita, cantat autem converſus ad Synodum.

Numerus capitum prædeterminetur ab Ep., ad tria ſaltem.

66. In fine orationis, manente Clero genibus flexis, Epiſcopus ſurgit, & de more benedicit ſolemniter Clerum ſine Indulgentiis.

67. Diſcedit cum Cappa, & Clero poſt eum.

*Finis Seſſionis Primæ.*

## SESSIO SECUNDA.

1. HOra indicta, & dato ſigno cum campana convenit Clerus in Eccleſiam majorem, ubi expectat Epiſcopum, qui Cappam indutus, comite Capitulo ejus, deſcendit in eamdem cum ſolitis aſperſione, & precibus ante SS. Sacramentum, & Altare majus.

2. Cantatur Miſſa a Canonico pro Defunctis, cum unica Oratione, Deus qui inter Apoſtolicos, Epiſtola, & Evangelium, ut in Miſſali in prima Miſſa, Sequentia alternatim dicitur a toto Clero, vel a Muſicis.

3. In fine Miſſæ extenditur pannus niger ante ſedem Epiſcopi, induitur Epiſc. Amictu, Stola, Pluviali nigro, & Mitra ſimplici, Subdiaconus cum Cruce, & Acolythis cum candelabris ſiſtunt ſe ad caput panni contra Epiſcop., alii duo Acolythi deferunt vas aquæ benedictæ cum aſperſorio & thuribulum cum navicula: Capellanus Miſſalem librum in quo continetur oratio ſcripta, ut infra.

4. In Choro cantatur reſponſorium longum Libera me &c. & reliqua fiunt de more: Oratio Miſſæ, vel Abſolute, ſed in numero plurali, mentione facta Epiſcoporum, & Sacerdotum tantum. Cantores duo dicunt; Requieſcant in pace; & amovetur pannus.

5. Mutat Epiſcopus veſtes nigras in rubeas, aſſumpto baculo deſcendit ad ſedem Synodalem, cum Canonicis indutis, ut heri.

6. Poſtquam ſederit aliquantulum, invitante Diacono aſſiſtente Clerum iis verbis: Orate; genuflectunt omnes, & Epiſcopus ſine Mitra inchoat ut heri, præintonante ſibi alio Antiphonam, Propitius eſto; qua finita, ſurgunt, & ſedent omnes tecto capite, dum cantat Pſalmum, Deus venerunt gentes, alternatim.

7. Repetita Antiphona, Epiſcopus depoſita Mitra ſurgit & ſtans verſus Altare dicit: Oremus Noſtrum &c. Mentibus noſtris &c. Deus qui nos &c.

8. Dicitur: Flectamus genua, vel omittitur, ut heri dictum eſt num. 21.

9. Cantatur Evangelium, ut heri, cum oſculo, & incenſatione Epiſcopi in fine.

10. Dicitur Hymnus: Veni Creator, ut heri, cum allocutione ad Clerum: Venerabiles.

11. Fit ſermo, ut heri.

12. Promotor inſtat pro electione Jud. & Examinatorum. Reverendiſſime, & Conc. Trid. &c. ut in 4. p.c.7. n.5.

13. Secretarius poſt Decretum Epiſcopi oretenus factum, ut ſupra, aſcendit ſuggeſtum, & ſedens legit Decretum Concilii Trid. ſeſſ. 25. c. 10.

Quoniam ob malitioſam &c. tum Conſtit. Bonifacii VIII. Statutum, ut in 4. p. c. 9. n. 15. & addit ſtatim.

Sacra Trid. Syn. &c. ut ibid. cum Conſt. Greg. XV. ibid. & ſtatim nominat judices cum ſuis titulis, & ibid.

14. Subdit: ex Decreto Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18.

Examinatores autem &c, uſque ad illa excluſive, peracto &c. ut in 4. p. c. 9. n. 16.

Et addit Trid. ergo Decretum &c. ut ibidem.

Nominatque Examinatores electos cum ſuis titulis.

15. Approbantur a Clero altero ex duobus modis, ut in 1. p. dictum eſt c. 33. n. 5. Brevius fit interrogando Placetne vobis? reſpondet Clerus, quicquid libuerit.

16. Addit Secretarius Decretum de Teſtibus Synodalibus.

Vetus eſt conſuetudo, &c. ut in 4. p. cap. 9. num. 17.

Nominat Teſtes, vel elevat ſchedulam ſignatam; in qua ſecreto habentur; & ait: Dignis de cauſis eos ſecreto haberi volumus.

17. Addit item: Decretum de Punctatoribus. Et quia ad Eccleſiaſticum &c. ut in 4. p. c. 9. n. 18.

Nominat Punctatores, ordine ſervato Collegiatarum.

18. Interim prima Dignitas portat de Sacriſtia ſacras reliquias velo tectas, cum 4. intorticiis ad Epiſcopum, qui una cum toto Clero Mitra retenta, congruam honoris ſignificationem adhibet, deinde ſedens eas recipit, vel in manibus, vel ſuper menſam parvam paratam, de qua in 1. p. cap.9. n.5.

19. Secretarius legit Decretum de jurejurando.

20. Examinatores, Teſtes &c. ut in 4. p. c.9. n.19. 20.

Accedunt autem Examinatores, Teſtes, ſi publicati ſint, & Punctatores ad Epiſcopum, & genuflexi, bini jurant juxta formulam, quam Magiſter Cæremoniarum illis offert legendam alta voce, ut a vicinis audiantur.

21. Tanguntur ab iis ſacræ Reliquiæ in fine, & hæ demum aſportantur eo modo, quo fuerunt allatæ.

22. Habes his formulas tres in 4. p. c. 5.

23. Addit Secr. Decr. de præſtando jurejurando ab abſent.

Qui examinatores &c, ut in 4. par. c. 9. num. 2. & deſcendit Secretarius.

24. Promotor inſtat pro Decretis legendis in Synodo: Rev. &c. quo diligenter, &c. ut in 3. par. c. 7. n. 6.

25. Secretarius poſt Decretum Epiſcopi de more factum oretenus, aſcendit ſuggeſtum, & ſedens legit primo Decreta Conc. Tridentini de reſidentia: Eadem Sacroſancta, & infra: Omnes Patriarchalibus &c. ut in 4. par.c.6.n.22. cum præcepto divino, & infra. Ne vero ea, &c. ut ib.

26. Si quæ alia legenda ſunt ex eodem Conc. Trid. legatur hoc loco.

27. Tum legantur Decreta Conc. Provincialis ultimo celebrati, ut publicetur Clero.

## ANNOTATIO. §. 4.

*NAm DD. volunt, ideo teneri Epiſcopum poſt ſex menſes a Conc. Provinc. ad convocandam Synodum Diœceſanam, lege Maſſobr. cap. 2. dub. 5. & 6.*

28. De aliis Decretis Papalibus jubeat Ep. hoc deinde loco legi, cujuſmodi ſunt Bulla Pii II. de Clericis male promotis, & Pii V. de confidentiis beneficialibus, quæ in Prov. Med. omnino legi debent ex Decr. Conc. Prov.3. & 5. habentur infra in 4. par. in calce, ſicut etiam legi debent ibid. ex Conc.1. & 4. de vit. & hon. Cl. ex Conc.1. de divinis Off. ex Conc.5. de Cleri diſcipl. Item Monitiones ex Conc.4.

29. Alia leguntur arbitrio Epiſcopi, ordine ſervato dignitatis Auctorum, ut poſt Bullas Pontificias legantur Decreta Sacr. Congr. Card. deinde Epiſc. Prov. ſeu Prædeceſſ. ultimo, quæ ſunt propria Epiſcopi celebrantis Synodum, ſive nova, ſive alias ſancita, prout voluerit.

30. Ne ommittatur publicatio compendioſa Bullæ Cœnæ Domini, cum caſibus Epiſcopo reſervatis, & cum prohibitione facta Confeſſariis, ne abſolvant.

31. Si ediderit Romæ decreta nova ad Clerum univerſum ſpectantia, ea curet evulgari Epiſcopus; ut Clerus non ignoret, & maxime foraneus.

32. Inter legendum explicet identidem Epiſcopus cauſas Decreti, quod legitur, & communi ſermone loquatur, ut omnes intelligant, quod ipſe decrevit.

33. Quare, & qui legit, pauſa facta, obſervet, an Epiſcopus velit loqui de eo: alioquin proſequatur lectionem.

34. Si multa legenda ſunt (ſed compilari multa a perito poſſent) Secretarius lectoris opera utatur, & partem legendorum in Seſſionem tertiam differre poterit, neque tamen in ea

dic-

dicatur Clero: Placet ne vobis? ex Declar. Congr. Concil. Trid. 27. Aprilis 1662.

35. Hora competendi indueitur continuatio ſeſſionis, & cætera fiunt, ut heri in ſeſſ. 1. a n. 42. uſque ad 47. incluſive.

36. Reaſſumpta cappa diſcedit Epiſcopus, & poſt eum Clerus.

*Continuatio Seſſionis ſecundæ.*

37. Omnia fiunt, ut heri a n. 51. uſque ad 54. excluſive.

38. Vel vocationi reliqui cleri vacandum erit, Scrutinioque ejuſdem, quando multus eſt Clerus.

39. Vel lectioni Decretorum incumbendum erit, hæc enim in cauſa ſunt, ut tres fiant Seſſiones.

40. Atque in his eadem ſerventur, quæ pridie n. 58. & 59. abſque nova præfatione, ſeu Decreto, aut inſtantia Promotoris.

41. Circa finem Seſſionis, dato ſigno cum Campanula, ut heri, redeunt omnes ad ſua loca, ſi ad ſcrutinium acceſſerint: & indicitur Tertia Seſſio, ut heri n. 62.

42. Promotor inſtat denuo contra abſentes & pro rogitu, & reliqua fiunt, ut heri a n. 64. uſque ad finem Seſſionis primæ; excepto quod mutantur capita Orationis mentalis, ut in 4. p. c. 10. n. 2.

*Finis Seſſionis ſecundæ.*

43. Poſt Seſſionem ſecundam conveniant Præfecti Scrutinii coram Epiſc. moniti a Secretario, ut ſummatim, & breviter inter ſe conferant, quibus in rebus communius peccatur contra Clericalem diſciplinam ex viſis, & auditis in Scrutinio, ut Epiſcopus, vel Decreto, vel exhortatione oretenus facta moneat Clerum, antequam dimittatur Synodus, cui collationi aderit etiam Secretarius.

## SESSIO TERTIA.

1. HOra indicta, & dato ſigno cum Campana conveniunt omnes, ut heri dictum eſt, & omnia fiunt, ut a n. 1. ad 12. dicitur: excepto, quod Miſſa cantabitur a Canonico de SS. Trinitate cum Oratione addita pro gratiarum actione ſub duplici concluſione.

2. Epiſcopus aſſiſtit indutus amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, ſtola, & pluviali albi coloris, mitra, & baculo, unde & incenſabitur initio Miſſæ, poſt Evangelium, nedum cum aliis poſt Offertorium.

3. Totus Clerus incenſabitur, ut in prima Miſſa dictum eſt.

4. Muſici cantabunt Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, & Agnus Dei, reliqua in cantu Gregoriano, Organum pulſabitur.

5. In fine Miſſæ non datur benedictio, ſed paratis Canonicis, & aſſumptis ab Epiſcopo paramentis rubeis, itur ad locum Synodalem.

6. Inchoatur Seſſio, ut prima die a n. 15. uſque ad 18. ſed mutantur orationes, ut in Pontificali.

7. Cantatur Evangelium proprium cum ſolitis cæremoniis, & poſt illud Hymnus: Veni Creator, ut dictum eſt in prima die a n. 22. uſque ad 27.

8. Dicitur venerabiles, & fit ſermo, ut ibid. 28. 29. 30.

9. Promotor inſtat, ut legantur, ſi quæ ſuperſunt legenda. Reverendiſs. Pater, & Domine.

Cum ea, quæ, &c. ut in 4. p. c. 7. n. 7.

10. Legit ergo Secretarius, quæ reſtant legenda. In Provincia Mediol. monitiones legi debent ex Conc. Prov. 4.

11. Promotor inſtat pro publicatione Officialium Cleri. Rever. Pater, & Domine: Ut facilius, &c. in 4. p. c. 7. n. 8. & publicantur.

12. Procurator Cleri petit reductionem Teſtatoribus, ſeu Anniverſariorum. Rever. Pater, & Domine, datur facultas &c. in 4. p. c. 8. n. 1.

13. Tum alia, ſi quæ velit Clerus, dato ſuplici libello in ſcriptis, cui Epiſcopus reſpondet, prout in Domino judicaverit.

14. Si nihil aliud agendum ſit, poteſt concludi ſeſſio tertia mane; alioquin indicitur continuatio ſeſſionis, ut prima die a n. 42. uſque ad 49. excepto 4.

15. Et a prandio fiunt eadem, quæ heri a n. 36. & ſeqq.

16. Finita vocatione, ſcrutinio, Decretorum lectione, & Officialium Cleri publicatione, Promotor inſtat pro concluſione Synodi ut in Prov. Mediol. pro [illegible] Synodi.

Rever. Pater, & Domine.

Cum omnia, &c. ut in 4. p. c. 7. n. 9.

Et antiquo Canone, & Decreto Provinciali, &c. ut in 4. p. pro Mediol. Prov. ibid. n. 10.

17. Secretarius legit Decretum de concluſione Synodi.

Synodi noſtræ, &c. ut in 4. p. c. 9. n. 24.

Addit in Prov. Mediol. aliam præterea futuram, &c. ut ibid. num. 25.

18. Promotor inſtat contra abſentes contumaces, & pro rogitu, ut prima die a n. 4. & 47.

19. Fit paſtoralis ſermo ab Epiſcopo ad Clerum circa Decretorum obſervantiam ex Provinc. Mediol. 5.

20. Deinde ab Oſtiariis aperiuntur portæ, & fit Proceſſio paulo extra Eccleſiam ſi opus eſt, ob numerum Cleri.

21. Cantatur Te Deum, inchoante primo qui in unaquaque parte Cleri primatum habere videtur.

22. Muſici cantores cantare poterunt intra Clerum Cathedralis hunc eumdem Hymnum, & pulſantur campanæ.

23. Poſt reditum in Eccleſiam petunt omnes loca ſua, ut prius.

24. Epiſcopus ſtans verſus Altare, ſtantibus & aliis, dicit, ut in Pontificali.

Oremus nulla eſt &c. & diſtribuuntur acclamationes, ſi faciendæ ſint.

25. Diaconus aſſiſtens cantat, ut alias: Orate; & genuflectunt omnes.

26. Proponuntur nova capita orationis mentalis, ut in 4. p. c. 10. n. 3.

27. Acclamationes fiunt, ſaltem in prima Synodo, ut aliquando fiant, & Cæremoniale non eas prohibet, ſed parcius adhiberi cenſet in Diœceſanis Synodis, (1) & licet Bononiæ fiant genibus flexis; Mediolani tamen, & alibi a Clero ſtante.

28. Diaconus ergo aſſiſtentium primus, aut alius aptior Canonicus, ad dexteram Epiſcopi ſtans, ſtantibus omnibus, & Epiſcopo cum mitra verſus Synodum cantat: Deo Patri, &c. ut in 4. part. cap. 11. n. 1. deſinens in ultima Syllaba per notas fa, re; niſi placeant aliæ ibid. n. 2.

29. Cui reſpondet Clerus, & deſinit iiſdem notis.

30. Finitis acclamationibus, ſedet Epiſcopus, & excipit Vicarium, Canonicos, & primores Cleri tam Urbani, quam Foranei ad oſculum pacis de more, & cum verbis: ℣. Pax tecum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

31. Qui deinde dabunt pacem per oſculum Clericis ſuis de more, ut in Miſſa.

32. Secretarius aſcendit ſuggeſtum, & legit Decretum de dimiſſione Synodi. Ad laudem Dei Omnipotentis, &c. ut in 4. p. cap. 9. num. 26.

33. Epiſcopus benedicit Clero, & populo ſolemniter, reſpondentibus Muſicis cantoribus, genuflexoque Clero uſque ad finem.

34. Publicantur Indulgentiæ per eum, cujus intereſt in Miſſa.

35. Diaconus aſſiſtens cantat, ut in Pontificali: Recedamus in pace. ℞. Clerus: In nomine Chriſti.

36. Deponuntur paramenta, & Epiſcopus, facta oratione ante Altare majus, cum cappa reducitur a toto Clero ad Palatium.

Finis totius Synodi Diœceſanæ.

*Ordo Synodi Diœceſanæ per duos dies diſtributæ.*

## SESSIO PRIMA.

1. DEſcribimus eumdem ordinem, quem præſcripſit Gabriel Palæottus Cardinalis Archiepiſcopus Bononienſis in ſuo Archiepiſcop. par. 4.

2. Summo enim mane cum cappa indutus Epiſcopus, deducitur ab univerſo Clero in Eccleſiam; ac facta ibi brevi oratione cantat Miſſam Pontificalem: ad cujus Offertorium ſolvitur Cathedraticum; Miſſa eſt de Spiritu Sancto.

3. Poſt Evangelium concio brevis habetur, communio Cleri fit ab Epiſcopo.

4. Finita Miſſa, pluviale induit, incipit Antiphonam, Exaudi, & facit, ut in Pontificali uſque ad Hymnum; Veni creator Spiritus, extra Eccleſiam.

5. In reditu ſedent omnes, & Epiſcopus ſermonem habet.

6. Tum leguntur Decreta de non offerendo præjudicio. De querelis, & excuſationibus conſtituendo Judices, & ut præſentes ſua nomina infra biduum deſcribi curent, & item de emittenda fidei profeſſione ſine inſtantia Promotoris.

7. Profeſſionem fidei emittunt ſinguli, qui debent; ii ſcilicet, qui beneficia obtinuerunt poſt præcedentem Synodum.

8. Deinde legitur de reſidentia utrumque Decretum Conc Trid. ut ſup.

9. Ad inſtantiam Promotoris finitur prima ſeſſio; & Epiſcopus benedicit ſolemniter, intimata ſecunda ſeſſione.

*A Prandio.*

Fit Scrutinium Synodale in Eccleſia abſente Epiſcopo.

## SESSIO SECUNDA.

1. COmitatus a toto Clero venit Epiſcopus cum cappa ad Eccleſiam: audit ſacrum celebratum a Canonico, neque fit proceſſio.

2. Poſt Evangelium Miſſæ habetur concio.

3. Finita Miſſa induit Epiſcopus Pluviale, & Mitram, & incipit Hymnum: Veni Creator, & poſtea ſermonem habet, vel ipſe, vel per alium.

4. Leguntur deinde Decreta de eligendis Examinatoribus, qui nominantur, & approbantur, jurant ſtatim ad Sancta Dei Evangelia. Approbatio fit per verba: Placent ne vobis?

5. Item

(1) Et re ipſa acclamationes factæ, inquit Benedictus XIV. *Lib.* [illegible] c. 1. §. 11. comperimus in Synodo Diœceſana Sutrina an. 1671. in Diœceſana Farfenſi an. 1685., in Synodo Diœceſana Montis Faliſci habita ab Epiſcopo Bonaventura, aliiſque non paucis.

5. Item Decretum de eligendis Judicibus Synodalibus, & publicantur.
6. Item de Teſtibus Synodalibus: ſed non evulgantur eorum nomina.
7. Item Decreta condita ab Epiſcopo de novo.
8. Tum nominantur ſinguli, qui debent intereſſe Synodo, & reſpondent; Adſum.
9. Promotor accuſat contumaciam abſentium, & inſtat pro fine Synodi.
10. Rogat item Notarium pro Actorum rogitu.
11. Fiunt Acclamationes.
12. Deinde cantatur Te Deum.
13. Benedicit Epiſcopus ſolemniter, cum Indulgentiis.
14. Cantatur Recedamus in pace, &c.
15. Redit ad Palatium Epiſcopus cum Capitulo, & Clero Cathedralis Eccleſiæ tantum.

*A Prandio.*

Finitur Scrutinium Synodale, & audiuntur Foranei ab Epiſcopo in Palatio.

*Ordo Synodi Diœceſanæ per diem unum ex eadem Archiepiſcopali.*

UNICA SESSIO.

1. Fiunt ea, quæ in prædicta Seſſione prima, a n. 1. uſque ad 5. excepto, quod Miſſam planam celebrat Epiſcopus, neque ſolvitur Cathedraticum in Miſſa.
2. Legitur Decretum, de non afferendo præjuditio, cum aliis, ut ſupra num. 6.
3. Emittitur profeſſio fidei, ut ſupra num. 7.
4. Leguntur Decreta Concilii Tridentini de reſidentia, ut ſupra num. 8. & alia Decreta Epiſcopi.
5. Item Decreta de Examinatoribus, Judicibus, Teſtibus, & eadem fiunt, quæ præcedenti ordine Bonon. ſeſſ. 1. n. 4. 5. & 6.
6. Poſtea ſolvitur Cathedraticum, monente Notario, a Parochis.
7. Tum vocantur omnes, qui intereſſe debent.
8. Promotor accuſat contumaciam abſentium, & inſtat pro fine Synodi.
9. Idem Promotor rogat Notarium pro Actorum fide.
10. Fiunt Acclamationes.
11. Cantatur Te Deum.
12. Benedictio ſolemnis datur cum Indulgentiis.
13. Dicitur Recedamus in pace.
14. Et redit Epiſcopus cum Capitulo, & Clero Cathedralis in Palatium cum cappa.
15. A prandio fit Scrutinium in Eccleſia, & audiuntur in Palatio Foranei.
16. Fiunt etiam Congregationes pro arbitrio Epiſcopi, de caſibus conſcientiæ, & de Cæremoniis. Hæc habentur in Archiepiſcopali Bononiæ, ubi quotannis hoc ordine cum unica Seſſione celebratur Synodus a Clero Bononienſi.

Pro Scrutinio Præfecti deputati ſtatim a prandio adſunt in Eccleſia majori quiſque in Capella aſſignata ſibi, ſupra quam affigitur ſchedula in hæc verba.

R. N. D. Præfectus Scrutinii pro Plebano S. N. & Parochiis SS. N. N. N. &c. ſed pro quarterio Portæ N. &c. Parochiis SS. N. N. N. &c.

Ad eam confluunt ii, qui debent, & interrogantur juxta Tabellam.

# DE IIS, QUÆ SYNODUM SEQUUNTUR.

## PARS TERTIA.

1. Peracta Synodo Diœceſana adhuc aliqua peragenda ſunt, ne fere inutilis tanta reddatur Actio; & duo præſertim, quæ ſuperſunt, hic examinanda; alterum eſt circa abſentes, nulla allata legitima excuſatione; alterum circa Decreta prælo danda, & executioni mandanda.

### CAPUT PRIMUM.

*De Pœna Abſentium.*

1. TAM ex vocatione Cleri, quam ex Scrutinio colligendi ſunt ii, qui a Synodo abfuerunt, vel a Scrutinio, vel ab utroque.
2. Poſſunt eſſe multæ cauſæ excuſantes; quas refert Botteus de Synodo part. 2. num. 56. eas dijudicent Deputati Judices de conſenſu Epiſcopi.
3. Pœna excommunicationis affici poſſunt culpabiles in hoc genere, ex eodem Bott. loco citato num. 50.
4. Et ampliat hanc pœnam etiam ad illos, qui veniunt, ſed non io termino competenti, quod intellige, quando veniunt, Synodo jam abſoluta.
5. Eadem pœna irrogari poſſunt ii, qui ad ſcrutinium non accedunt, ob Decretum in hoc genere promulgatum in Synodo ſupra in 2. p. ſeſſ. 5. num. 55. qui ad eos, &c.
6. Si quis per Procuratorem intervenit, non incurrit pœnam. Maſſobr. de Synodo cap. 3. dub. 6.
7. Nulla poteſt eſſe præſcriptio, quin minus venire teneantur, qui alioquin venire tenentur, ex eodem Maſſobrio loco cit. dub. 5.
8. Aliqui Epiſcopi vice cenſuræ irrogant pœnam quatuor aureorum locis piis applicandorum, quæ pœna eſt tolerabilior, & utilior (1).

### CAPUT II.

*De Validitate Decretorum.*

1. VAlere Decreta Synodalia nemini dubium eſt. Non enim pendent a conſenſu Cleri, ſed a conſilio ad ſummum Capituli, quod Epiſcopus non tenetur ſequi, ita reſpondet Sac. Concil. Trid. Patriarchæ Veneto die 27. Aprilis 1529. ubi explicat Pontificale (quod videtur velle conſenſum Cleri per verbum: Placet) non obligare Epiſcopum, ut conſenſum requirat Cleri.
2. Ligant autem, & Clerici, & Laici exiſtentes infra limites ſuæ Diœceſis, quod probat Maſſobr. de Synodo c. 4. dub. 77. 78. Plura idem ibidem.

### CAPUT III.

*De Editione Decretorum.*

1. PRælo dari Decreta Synodi, ut omnibus pateant, laudabile puto, & maxime utile, at non pauca deſiderari in ejuſmodi Editione.
2. Non enim placeat facere de Synodis Synodum (ut ajebat Carolus a Baſilica Petri Epiſcopi Novariæ) & cum delectu rerum ordo quoque Decreto eſt attendendus.
3. Et quidem omnia Decreta conveniunt cuique loco, plura in amplioribus Diœceſibus, pauciora in anguſtioribus, in quibus ſatis eſt ea decernere, quæ ut plurimum ibi poſſunt accidere.
4. Ordo Decretorum eſt duplex: alter eſt, qui pro dignitate materiæ; ſicuti altera eſt altera nobilior, ita nobiliori danda erit prima ſedes; alter eſt ex parte conditionis legum: nam Concilia Provincialia ſubſunt Generalibus, & Diœceſanæ Synodi Provincialibus.
5. Ordo igitur materiarum hic eſſe poſſet: ut primo de rebus, deinde de perſonis agatur. Rerum autem hic Ordo

*PARS PRIMA.*

DE Fide, & ejuſdem profeſſione.
De Hæreticis.
De Doctrina Chriſtiana.
De Sacra Scriptura, & ejus abuſu.
De Librorum impreſſione, venditione, & prohibitione.
De Prædicatione Verbi Dei.
De Præbenda Theologali.
De Blaſphemia, & ſocietate nominis Jeſu.
De Sacris Reliquiis, & imaginibus.
De Repræſentationibus ſacris.
De Miraculis novis.
De Veneficis, & magicis artibus.
De Feſtis diebus, & Vigiliis, & earum obſervatione.

*PARS SECUNDA.*

DE Sacramentis in genere.
De Baptiſmo, vaſis, &c.
De Confirmatione.
De Euchariſtia, ejuſque cuſtodia, & adminiſtratione.
De Celebratione Miſſarum.
De Pœnitentiæ Sacramento.
De Caſibus reſervatis.

De

(1) Confer de his omnibus Benedictum XIV. *lib.* 3. *cap.* 12.

Digitized by Google

De Ordine Clericnrum.
De Extrema Unctione.
De Matrimonio.
De Exorciſmis.
De Oratione 40. Horarum.
De Indulgentiis.
De Horis Canonicis, & Miſſa ſolemni.
De Chori diſciplina.
De Officialibus Chori.
De Muſico cantu.
De Reverentia Eccleſiis debita.
De Oratoriis.
De Proceſſionibus variis.
De Funeribus, & Exequiis.
De Sepulturiis.

*PARS TERTIA.*

DE Fabricis Eccleſiaſticis, Eccleſiarum, & Altarium &c.
De Archivio Cleri.
De Bonis Eccleſiaſticis, & Juribus.
De Legatis piis.
De Inventariis bonorum,
De Locationibus.
De Oblationibus.
De Decimis, & Primitiis,
De Immunitate Eccleſiarum.
De Beneficiis, & eorum collatione, permutatione, nnione, pluralitare.
De Penſionibus.

*PARS QUARTA*

DE Vicariis Foraneis.
De conventibus Cleri.
De Parochis, & eorum Juribus.
De eorum Reſidentia, & aliorum.
De Canonicis, & Diſtributionibus.
De Vira, & honeſtate Clericorum.
De Seminario Cleri.
De Clericalibus ædibus.
De Armis, ludis, ſpectaculis, & negotiis ſæcularibus fugiendis.
De Regularibus, & Exemptis.
De Monialibus, & earum Miniſtris.
De Monialibus, quæ dicuntur Pęnitentes.
De Confratriis laicorum.
De Societatibus mulierum,
De Locis piis.
De Monte Pietatis.
De Medicis.
De Ludimagiſtris.
De Peregrinis, & peregrinationibus.
De Quæſtuariis.
De Hiſtrionibus, & Cingaris.
De Judæis.
De Concubinariis, adulteris, &c.
De Meretricibus, & lenonibus.
De Uſurariis.
De Cauponis, Aleatoribus, &c.
De Taxa fori judicialis.
De Feriis.
De Officialibus fori Epiſcopalis.

De iis quæ generatim ſpectant ad obſervantiam Decretorum, pęnis, interpreatinne, &c. ſi quæ hic deſiderantur, revocari poſſunt ad unum ex prædictis titulis.

*6.* Alter item Ordo eſt adhibendus in Decretis de eadem materia, ut Decretis detur primus locus, quæ ſunt mere Concil. Trident. facta de eo mentione: ſecendus locus Decretis Provincialibus, ſi quæ ſunt: tertius Decretis Dięceſanis Prædeceſſoris: poſtremus propriis Epiſc. Decretis.

*7.* Præter citationem Auctorum, a quibus Decreta ſunt hauſta, ut dictum eſt, abſtinerem a citatione Doctorum, etiam in margine; legislator enim non tenetur cauſam dare, niſi in graviſſimis, & valde novis.

Onerant etiam aliqui Epiſcopi Clerum ſuum ad emendum librum Synodalem, in quo ſunt Edicta omnia Epiſcopalia, & Formulæ variæ, quæ non attinet ad omnem Clerum, quare cum diſtinctione eſſet agendum, ut Parochi tenerentur ad emptionem totius voluminis; alii ad eam partem, quæ communia Decreta Synodi complectitur, ſalvo meliori judicio.

*9.* Quod ſi in Edictis ſervaretur ille ordo, juxta quem debet per annum ea pubblicari intra Miſſarum ſolemnia, appoſito die, quo ei publicari debent, duplex inde orietur commodum; ut ſcilicet non ita facile obliviſcerentur Parochi evulgationis; tota Civitas cum Dięceſi eadem die audirent eadem contenta in Edictis. Diſtributio vero Edictorum fieri debet juxta qualitatem materiæ accommodatam tempori, ut de Matrimonio in Feſtis Natalitiis, de Quadrageſima paulo ante initium ejuſdem, & ejuſmodi ratione in aliis temporibus ſervata.

10. Placeret una cum Decretis Synodalibus edi Catal. SS. loci, & Epiſcop. cum breviſſima narratione rerum ab iis ſancte geſtarum.

## CAPUT IV.

*De Approbatione Decretorum Synodalium.*

NOn tenetur Epiſcopus, antequam præludentur, ea exhibere Civitati, ſeu Magiſtratibus ejuſdem: qui ſi deinde velint reclamare, id faciant poſtea cum Superioribus Epiſcoporum, ita Sac. Congr. Card. ſuper negotia Epiſcoporum in una Tifernat. 14. Aprilis 1615.

2. Neque tenetur ea Romam mittere ad ſacram Concilii Tridentini Congr., ad quam mitti debent Decreta Concilii Provincialis, ut Epiſcopo Oſtienſi reſpondit Cardin. Caraffa nomine prædictæ Congr. prid. Cal. Decembris 1586. Viſe Piaſecium in Praxi Epiſc. p. 2. c. 2. v. expeditis n. 12.

## CAPUT V.

*De Statu Eccleſiæ deſcribendo:*

1. EX viſitatione primum: tum ex Synodo, & Synodali Scrutinio hauritur integre totius Eccleſiæ ſtatus ab Epiſcopo, qui deſcribendus eſt, ut, cum ad limina Apoſtolorum Romam acceſſerit, ſeu Procuratorem miſerit, ſtatum Eccleſiæ ſuæ referre queat ad Sacram Conc. Trid. Congr.

2. Hærent autem multi hac re, & dum legerem Romæ varias hujuſmodi relationes, placuere mihi nonnullæ ſupra alias, quarum ſeriem dabo libenter de hoc loco, additis quibuſdam opportunis monitionibus.

3. Breviſſimo procemio utendum eſt, tacitis iis, quæ in laudem ſunt Epiſcopi circa diligentem, & laborioſam Viſitationem, & Synodum.

4. Quæ lævia ſunt, & nimis minuta, reticenda, & quę etiam ſæpius decantatą in aliis Relationibus. Prima tamen deſcriptio debet eſſe accuratior.

5. Scribendum quidem in prima perſona V.G. Viſitatuis Sacra limina Apoſtolorum hæc attulimus, ex quibus intelligi poteſt Eccleſiæ N. ſtatus, ſed in reliquo tertium narrandum eſt, ac ſi de tertia perſona ſit ſermo V. G. Habet igitur Eccl. N. varios fines, & limites Diœceſis, &c.

6. Et Ordo rerum narrandarum hic eſſe poteſt, primo de Civitate agatur, deinde Diœceſi, in Civitate prius de Eccleſiaſticis, quam de laicis, inter Eccleſiaſticis prius de Clero ſæculari, quam de Regulari, in Clero ſæculari prius de Cathedrali, quam de Collegiatis, & de his, quam de Parochiiś, & de his ante alias Eccleſias.

7. Fines, & limites Diœceſis varii cum vicinis Diœceſibus ſunt deſcribendi, deinde Eccl. Cathed. quoad materiam tum quoad perſonas, dignitates nimirum, & Canonicos, tum beneficia, Altaria dotata, ſacra ſupellex, SS. corpora, & reliquiæ inſigniores: Chori diſciplina, Feſta propria loci cum Officio *Divino*; redditus, onera, & ſimilia. Palatium, ædes Epiſcopi, & Canonicorum. Habitus eorumdem in Choro.

8. Collegiatæ quot, Canonicorum numerus, divina Officia, Onera, Habitus.

9. Parochiæ quot, ſæculares, & regulares, Redditus. Habitus.

10. Clericorum ſeminarium, unum vel plura. Conventus Cleri, ſi quis eſt.

11. Aliorum Sacerdotum numerus, & Clericorum Communia, ſeu Commutantia, quæ habetur alicubi.

12. Regularium virorum Monaſteria, Monialium item ſub Ordinario, vel Regularibus.

13. Confratriæ laicorum, loca pia Montes Pietatis, Hoſpitalia.

14. Oratoria, & ſcholæ Doctrinæ Chriſtianæ.

15. Functiones nobiliores per annum, ut conferentiæ caſuum conſcientiæ, & conciones, præter Quadrageſimales, & ejuſmodi.

16. In Diœceſi Collegiatæ quot Parochiæ, loca Regularium Confraternitates laicorum, &c. ordine, quo ſupra.

17. De qualitatibus populi in genere.

18. De Collegiis Doctorum, & De Academiis litterarum ſi quæ habentur.

19. De Foro, & Tribunali Epiſcopali.

# FORMULA SUMMARII

## Prædicti ſtatus Eccleſiæ.

### CAPUT VI.

Deſcribam, quem alias confeci, Laudenſis Eccleſiæ ſtatum, & Eccleſiæ Peruſinæ, ſub Epiſcopis Seghitio, & Comitulo, eorumdem juſſu.

Laudenſis Status hic erat Anno 1619.

Præpoſituræ ) ſine cura animarum 2.
cum cura animarum 8.
Collegiatarum 2.
Archidiaconatus 1.
Cantoria 1.
Archipresbyt. cum animarum cura 11.
Canonicatus ) cum reſidentia 23.
ſine reſidentia 27.
Abbatiæ ſæcul. 3.
Prioratus 3. Præceptoria 1.
Còmmend. 1.
Rectoria ) cum animarum cura 85.
ſine cura 11.
Parochiæ omnes 104.
Capellaniæ Tit. 104.
Clericatus Tit. 29.
Communantia Benefic. 1.
Beneficia omnia 213.
Manſionariæ 13.
Vicariatus Foranei 10.
Eccleſiæ omnes 160. hoc eſt
Collegiatæ, Parochiales ſimul 3.
Parochiales ) ſæculares 94.
regulares 7.
Aliæ ſæculares 17.
Regulares 28.
Monial. 11.
Oratoria Confratrum 140.
Loci ſacri omnes. 130.
Conſortium Cleri 1.
Sodalitas quædam Cleri 1.
Scholæ variæ laicorum 205.
Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ 127.
Loca pia 19.
Communantiæ 8.
Miſſæ quotidianæ annuæ ex obligatione 380.
Aliæ per annum ex obligatione 24927.
Totus Clerus cum Monialibus 1257.
Animæ communionis 57131.
Aliæ 34263.

Peruſianæ Status hic erat Anno 1622.

Collegiata 1.
Cum Archipresbytero, Archidiacono, & Canonicis 15.
Beneficiatis 15.
Clericis perpetuis 6.
Capellanis amovibilibus 8.
Et aliis juxta legata quædam, Pœnitentiaria cum duobus perpetuis coadjutoribus.
Clericis Regularibus S. Pauli.
Parochiæ in Civitate 36.
In ſuburbiis 9.
Sæculares 33.
Reliquæ Regulares, in Diœceſi 195.
Fontes baptiſmales in Civitate 4.
In Diœceſi 63.
Abbatiæ 17.
Sæculares 11.
Regulares 6.
Commendæ Militares 9.
Collegia Clericorum 4.
Beneficia ſine cura ) cum reſidentia in Civitate 27.
ſine reſidentia 15.
ſine reſidentia in Diœceſi 91.
Monaſteria virorum in Civitate 22.
In Diœceſi 26.
Monialium Monaſteria in Civitate 20.
Oratoria ) in quibus celebratur in civitate 21.
in Diœceſi 41.
ubi non celebratur, in civitate 3.
in Diœceſi 12.
Societas laicorum cum ſacco in civitate 36.
in Diœceſi 168. ſine ſacco in civitate 24.
in Diœceſi 102.
Montes pii 2.
Domus piæ 4.
Hoſpitalia 2. ægrotorum.
Hoſpitalia peregrinorum, in civitate 14.
in Diœceſi 41.
Collegium Scholaſticorum ſub Ordinario 1.
Totus Clerus 1255.
Sæcularium 405.
Regularium 850.
Monialium 1150.
Animæ laicorum commun. in civitate 12152. in Diœceſi 28949.
Omnes in civitate 19472. in Diœceſi 43322.
Omnes igitur 62804.

PARS

# PARS QUARTA,

## IN QUA TRADUNTUR VARIÆ FORMULÆ SYNODALES,

### Quæ ſignificata fuerunt in Præcedentibus.

### CAPUT PRIMUM.

*1. Pro indictione Synodi.*

FOrmula publicandi Synodi in Feſto Epiphaniæ cum Feſtis mobilibus habetur in cantu proprio in Pontificali partis tertiæ: initio,

*2. Alia Formula pro eodem die habetur in Actis Eccl ſ. Mediol, nimirum.*

HOc anno dilectiſſimi, ad Dei omnipotentis, Beatæque Mariæ ſemper Virginis, ac SS. NN. Patronorum noſtrorum laudem Synodus Diœceſana die .... niſi aliud Epiſcopali auctoritate Decretum fuerit adjutrice divina gratia, celebrabitur. Piis igitur veſtris precibus inſtate, ut Civitas & Diœceſis noſtra ſalutaribus vitæ Chriſtianæ inſtitutis augeatur, & ſuffragantibus eorumdem Sanctorum meritis, ex ais uberiores fructus in dies ferat in Domino. Amen.

*3. Formula Edicti pro indicenda Synodo, ex Cerem. Epiſcopor. lib. 1. cap. 31.*

Synodus Diœceſana N. per Rever. D. N. indicta hoc anno ...., menſe ..... die ..... Deo adjuvante in Cathedrali Eccleſia inchoabitur.

*4. Alia Formula Edicti ex Actis Eccleſ. Mediol. & Novarienſ.*

N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus N.

Synodum Diœceſanam hoc anno, Deo juvante habituri, ut SS. Patrum inſtituta, præceptaque ſequamur, neque pereat fructus ille, quem ex ea capere omnes poſſumus, Monemus in Domino, ac pœnis Sacrorum Cannoum, ſeu aliis ad arbitrium noſtrum propoſitis, jubemus in virtute Sanctæ Obedientiæ omnes etiam Regulares, qui in Diœceſi noſtra beneficia, etiam ſimplicia, ac cujuſvis generis vel titulo obtinent, vel alias inſerviunt, *a* eos item, qui ſacris ordinibus initiati ſunt ; omnes etiam , qui *b* in minoribus ſunt conſtituti, qui in babitu, & tonſura incedentes alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcripti ſunt & quoſcumque, quid de jure, vel conſuetudine Synodo hujus Diœceſis intereſſe debent, die .... menſis .... proximi in noſtram Cathed. Eccleſ. N. convenire, neque vero pro ſe alios mittere, niſi qui legitima cauſa ſint impediti, quam nobis probaverint. Volumus autem, ut hæc Synodi indictio affixa valvis Cathedralis Eccl., perinde omnes, & ſingulos intereſſe debentes afficiat, ac ſi fuiſſet ſingulis ſingillatim intimata. Dat. &c.

### ANNOTATIO. §. 1.

a *IN Provincia Mediolanenſi tenentur accedere Subdiaconi, & Diaconi quoque.*

b *In Diœceſi Peruſina, & aliis, vocantur etiam Clerici; ſtandum erit locorum conſuetudini.*

*5. Formulæ prorogandi Synodum.*

Synodum Diœceſanam, quæ juſſu noſtro indicta erat die ... menſe .... prorogamus dignis de cauſis, ac differimus ad diem .... menſis .... proxime futuram, vel in diem arbitratu noſtro ſtatuendam , & aliis litteris edicendam . Datum &c.

*6. Formulæ indicendæ Synodi pridie Seſſionis primæ.*

Craſtina die, quæ erit .... menſis .... anni .... Hora.

Omnes, qui Synodo intereſſe debent, adſint ſuperpelliceis induti in Palatio Epiſcopali ad deducendum Reverendiſſimum in Eccleſiam Cathedralem.

Qui, Beneficio obtento, nondum in Synodo profeſſionem Fidei emiſit, ferat ſecum ſchedulam, in qua ſcriptum ſit nomen, cognomen profeſſuri cum titulo Beneficii, quam, emiſſa profeſſione, tradet Magiſtro Actorum Epiſcopalium, ſeu Notario Synodali.

### CAPUT II.

*Formula Præmonitionum Cleri.*

1. UT inſtructior accedat Clerus ad Synodum, præmoneri debent de ſequentibus arbitrio Epiſcopi.

2. Accedant cum veſtibus talaribus, & birretis, & ſuperpelliceis mundis. Cannnici, & Parochi cum Eccleſiaſticis eorum inſignibus, omnes cum decenti tonſura.

3. Afferant literas, ſeu Bullas Beneficiorum ſuorum ii, qui adbuc in Viſitatione non exhibuerunt, ſub pœna aureorum .... pii loci applicandorum.

4. Qui ſine titulo Eccleſiis inſerviunt, ſive Curati, ſive Capellani nomine, & ii præſertim, qui Confeſſiones audiunt; litteras afferant facultatis, ſeu deputationis ſuæ.

5. Parochi deferant eorum nomina, qui peccata ſua non ſunt confeſſi, & in Paſchate ſacram Communionem non ſumpſerunt, excommunicatorum item, blaſphemorum publicorum, concubinariorum, conjugum diviſorum, & ſimilium perſonarum, quæ aliis ſcandalo ſunt, necnon abuſus tollendos, recenſeant quoque numerum animarum, quas habent in Parochia, quot defuncti ſunt ab ultima Synodo quot baptizati, quot matrimonio juncti.

6. Beneficiati, & Curati afferant Inventaria bonorum ſtabilium, & mobilium Eccleſiæ ſuæ, ſacræque ſupellectilis, qui nondum detulerunt, aut ſi habent, quæ addant, renovent, aut ſuppleant, & ut in librum referri queant, ea ſcribi curent in folio, charactere apto, & in charta uniformi, quam vocant, &c.

7. Afferat unuſquiſque Breviarium, & Kalendarium hujus anni cum nomine ſuo ſcripto in prima pagina.

8. Qui legitime impediti non venerint, tranſmittant tamen ad nos prædicta.

9. Die Dominica, quæ proxime Synodum præcedit, Parochi, qui præſertim Capellanos non habent, inquirant publice in Eccleſia, ſi qui ſint ægroti in Parochia, ut illos viſitent etiam non requiſiti; & eos commendent vicinis Sacerdotibus ſeu Regularibus, ne durante Synodo fiat eorum mora periculi occaſio, ubi vero non ſunt Sacerdotes, Nos quam primum conſulant, ut provideamus.

10. Ad Tabernas, ſeu cauponas in civitate ne divertant, Nobis inconſultis, aut Hoſpitiorum Præfecto; neque ad laicorum ædes, niſi propinquorum, & in Hoſpitiis a Nobis deputatis cibum ſument, & pernoctabunt.

11. Parochi interim ſæpius moneant populos ſuos ut uberem fructum a Deo piis precibus poſtulent, & ut die Dominico Synodum proxime antecedenti ad eumdem effectum rite confeſſi communicent; idemque multo magis præſtent Clerici, qui ad Synodum venerint, in prima Miſſa Synodali.

12. In feriis quintis ante Synodum a die .... Miſſæ de Spiritu Sancto fiant, vel Collecta dicatur, & in Feſtis diebus Parochi Litanias Sanctorum ante Miſſam cum populo recitent.

13. Vicarii Foranei, ſeu eorum Viceſgerentes adſint coram Nobis die .... cum notulis eorum, qui in ipſo Vicariatu intereſſe Synodo debent, quod idem faciant Parochi de civitate, notato cujuſque nomine, cognomine, ordine ſacro, titulo dignitatis, & beneficii.

### CAPUT III.

*Formulæ Epiſtolarum Synodalium.*

*1. Formula litterarum ad Vicarios Foraneos.*

MOlto *Reverendo* Vicario. Deſideriamo da voi conforme all'uffizio voſtro quelli ajuti maggiori, che potete portare alla ſanta azione Sinodale, e però, ſe a queſt'ora non avete finito di viſitare, e riconoſcere le Chieſe a voi raccomandate, conforme agl'ordini, e per poterci dare compita informazione di quanto biſognerà, non mancherete di compirlo con ogni diligenza.

Rivederete di nuovo gl'ordini, che in diverſi tempi abbiamo mandati, e ne procurarete in tanto l'eſecuzione, che potrete; acciocchè ce ne potiate dare compita informazione.

Intenderete i biſogni di tutte le Parochie, che ſono ſotto il voſtro governo per ricevere di qua le opportune provviſioni.

Portateci nota del voſtro Clero, e di quei che non riſiedono, e che non ſervono alle Chieſe, alle quali ſono aſcritti.

Avvertirete, s'alcuna coſa v'occorterà da dirci circa i Regolari.

Ci darete in ſcritto gl'abuſi, e mancamenti comuni del Clero, e popoli.

Provederete, che nel voſtro Vicariato reſtino perſone idonee a miniſtrar i Sacramenti per tutte le Parochie, ed avviſateci, ſe biſogna, prima di diſporre de'ſoggetti.

Avviſerete i Curati, che vengano iſtrutti per darci conto delle eſecuzioni ordinate nella ſua Cura, overo degl'impedimenti.

Avvertite, s'alcun Eccleſiaſtico tiene donna in caſa ſenza noſtra licenza, e rivedete tutte le licenze di queſto.

Darete ordine a tutti gl'Eccleſiaſtici, che portino al Sinodo le fedi de' loro Confeſſori di quanto ſpeſſo ſi confeſſano, e che ſi eſeguiſcano le noſtre promozioni già divulgate con l'Editto.

Non mancherete poi di ritrovarvi da noi almeno il giorno già ordinato; con che vi vi benediciamo. D. N.

*2. Formulæ litterarum ad unumquemque Teſtem Synodalem.*

Reverend. nobis admodum dilecte. Jam dies Synodo conſtitutus adventat, & quæ tunc per Nos decernenda erunt, prius accurate ſunt conſideranda.

Vix putamus te eorum oblitum, quæ in ſuperiori Synodo, ut Teſtis Synodalis ſolemni juramento ſpopondiſti: monemus igitur, ut lectis his noſtris, ſtatim, quæ ad officii tui partes ſpectant, aggrediaris, & omni diligentia, & celeritate expleas; & quæ referenda habueris, litteris conſignata ad nos mittas, ut mature poſſimus de his deliberare, ſi quid autem, coram, tibi erit agendum, Nos adeas ante diem Synodo conſtitutam, Datum. &c.

*3. Formulæ Epiſtolarum ad Regulares.*

REverendi Padri: Pax Chriſti. Siamo per celebrare il Sinodo del Clero di queſta Dioceſe con l'ajuto di Dio all ..... del preſente, nel quale è gran biſogno d'implorare la Divina Clemenza, che dia lume, e ſpirito a noi, ed a tutti i Miniſtri di queſta ſacra vigna.... per conoſcere gl' obblighi noſtri, ed adempirli, e che eſaudiſca l'orazioni, che unitamente li faranno. Ed ancora che confidiamo, che le RR. voſtre, come deputate da Dio ad ajutare queſto ſacro miniſterio a ſervigio di Dio, e benefizio dell'anime, e perciò ſoſtentati da' beni di queſto paeſe, non mancheranno di concorrere col ſuo ajuto a queſt'azione Sinodale, tanto principale fra tutte l'altre azioni Eccleſiaſt. ed importanti alla pubblica utilità di tutti i Fedeli, abbiamo tuttavia voluto dar alle RR. voſtre queſt'avviſo, acciocchè con l'orazioni, e ſacrifizi ſuoi vogliano accompagnarla; pregando Dio, che ſi degni eſſere in mezzo di tutti ſuoi miniſtri con darci lume di conoſcere bene gl'obblighi noſtri, e ſpirito d'adempirli; e riſguardare con la ſua ſolita miſericordia l'orazioni che li faranno, ed i ſagrifizj, che ſi offeriranno ad onore di S. D. M. e benefizio della Dioceſe tutta, ed anche della Chieſa Cattolica. Saranno dunque contente le RR. voſtre d'applicare a queſto fine i Sacrifizi loro, e dire la Colletta dello Spirito Santo, ed iſtituire orazione comune d'ogni giorno nel loro Convento, e ciò dalla ricevuta di queſta ſino che ſia licenziato il Sinodo. Ricordiamo ancora, ſe pure à biſogno, alle RR. voſtre l'edificazione da darſi da' Religioſi a tutti queſti Sacerdoti, e Chierici di fuori in quello che loro occorrerà di trattare ſeco: piacerà al Padre Superiore la ſera innanzi il Synodo, quando ſi ſuonerà al Duomo, far ſeguitare con le ſua campana, e dare un ſegno ſolenne, e lungo, e gl'invitiamo tutti ad accompagnare la Proceſſione che ſi farà la mattina del detto giorno ..... per principio del Sinodo all'ora .... La pace del Signore ſia ſempre con le RR. voſtre, alle quali c'offeriamo di buon cuore.

Dal Palazzo Epiſcopale a' dì .....

*Formula Epiſtolarum ad Moniales.*

REverende Madri: Pax Chriſti. Il Sinodo, che ſiamo per celebrare alli .... del preſente di queſta noſtra Dioceſe, azione molto importante a pubblico benefizio degl' Eccl., e laici: poiche ſi congregano in eſſa tutti i Sacerdoti, e Paſtori dell'anime per riconoſcere gl' obblighi e carichi ſuoi, a dimandar lume, e ſpirito da Dio per adempirli: e pregare unitamente S.D.M. per ſe ſteſſi, e per tutti i Fedeli della medeſima Dioceſe, anzi per tutta la Chieſa Cattolica, onde potete conoſcere figliuole, e ſorelle, che ancora a voi tocca la voſtra parte del Sinodo, come quelle che ſarete partecipi non ſolo di, quelle comuni orazioni, ma di particolari ancora, e per queſto, e più per eſſere voi ritirate fuori del ſecolo, e dedicate propriamente al ſervigio di Dio, aſpettiamo da voi in queſta occaſione calde, e continue orazioni, acciocchè ſi riportino in queſto Sinodo le grazie, che ſi deſiderano dal Signore a gloria ſua, per il che reciterete ogni giorno unitamente, cominciando ora, le Litanie, con aggiungerci i Santi che hanno i Corpi in queſta noſtra Dioceſe, e di più i tre giorni del Sinodo compartiate l'ore tra voi in modo, che dalla mattina alla ſera ſempre una di voi ſia nella Chieſa ad orare, procurando di farlo in tal modo, e con ſpirito tale, che ne rieſca ſpiritual giovamento al pubblico, ed a voi ſteſſe ancora: Col qual fine non vi benediciamo. Dal Palazzo Epiſcopale a' dì ....

## C A P U T IV.

*Formulæ Tabellarum imprimendarum.*

1. Formula Tabellæ de Synodali Diſciplina.

SAcerdotalis perſonæ officia Clerus ſecum cogitans, tum actionem quoque Synodalem, cui Spiritum Sanctum adeſſe confidimus, animo eſſe ſtudeat ſemper religioſis cognitionibus inſtructo, ad ea officia attento, qua ſacrum virum denique miniſtrum præſtare decet.

In cognitione earum rerum fixi Sacerdotes & Clerici, quarum cauſa huc venerunt, ne aliis negotiis implicentur.

Non ſolum a malo, ſed ab omni ſuſpicione, & ſpecie mali abſtineant.

In hoſpitio modeſtiam loquendo, edendo, atque adeo ſemper ſervent diligenter, præſertim ubi laici adſint.

Per plateas non vagentur, neque curioſe diſcurrant.

Orationi ſeſe deditos præſtent, ut ſibi, populiſque in actione Synodali auxilia ſalutaria a Deo impetrent.

Sacerdotes Miſſæ ſacrificium quotidie celebrent, non in Eccleſiis Monialium ſine noſtra facultate, ſeu Vicarii Generalis.

Ad Synodalem Seſſionem ſtatuta hora indicta ſollicite conveniant, non raptim, ſed graviter.

Bini quoad fieri poteſt conveniant, audito campanæ ſono.

Capitula, & Clerici Eccleſiarum Collegiatarum conveniant collegiatim, Cruce prælata.

Mane priuſquam conveniant, cibum ne capiant, ſed adſint jejuni.

Ubi convenerint Clerici Diœceſani, loco conſtituto in Capellis SS. NN. ſuperpelliceo mundo, aut alias veſtes pro beneficii ratione induant.

Decenter induti ad proprium Synodalem locum quiete veniant.

Ordine conſideant ad Præfectorum præſcriptum, ſeu Magiſtrorum Cæremoniarum.

Nec voce obſtrepant, neve collocutionibus mutuis operam dent.

Ne alia ratione rem Synodalem perturbent.

Silentio utantur, tum maxime, cum de ſuggeſtu aliquid edicitur, pronunciatur aut legitur, quod quidem attentiſſime audiant.

Omnes attenti ſint, & Clericis deputatis pareant, ut, cum ſtandum eſt, ſtent; cum genua flectenda ſunt, flectant, cum ſedendum, ſedeant.

Ne quis a ſuo loco diſcedat niſi abſoluta Seſſione, aut neceſſaria de cauſa, cum autem diſcedere neceſſe eſt, facultatem a Vicario Generali petat, reverſus ad eum veniat, antequam ſuo loco conſideat.

2. Seſſione abſoluta, omnes ſilentio utantur, nec quiſquam e loco ante diſcedat, quam Reverendiſs. Epiſcopus e Synodo abierit.

Nec vero raptim, turbulenterve, ſed graviter, decoroque inceſſu.

Caveant denique omnes quæcumque, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & Synodalis actionis dignitati, & loci venerationi minime conveniunt.

Præfecti Synod. diſciplinæ Tabellam hanc accuratiſſime ipſi exequantur, idemque a reliquis fieri omni diligentia curent.

Si quos, contra quam præſcriptum eſt, agere animadverterint, primum eos moneant, & corripiant: deinde, ſi non abſtineant, ad Vicarium Generalem deferant, ut Canonicæ ſubjaceant diſciplinæ.

*3. Formula Tabellæ precum in proceſſione prima.*

*H Y M N U S.*

VEni Creator Spiritus.
Ave Maria Stella.

Et alii de tempore Paſchali, ſi eo tempore celebratur Synodus.

Ad cœnam Agni providi, &c.
Clero Paſchali gaudio.
Triſtes erant Apoſtoli.
Et de Sancto Patrono.

*P S A L M I.*

EXultate juſti in Domino. Pſalm. 32. in Fer. 2.
Deus miſereatur noſtri. Pſalm. 65. in Laud. Dom.
Exurgat Deus. Pſalm. 67. in Fer. 4.
Quam dilecta tabernacula. Pſalm. 83. in Fer. 6.
Fundamenta ejus. Pſalm. 86. ibid.
Ecce quam bonum. Pſalm. 132. in Veſper. Fer. 5.

*Orationes in Eccleſia, ad quam itur.*

DE Spiritu Sancto. De Beata Virgine. De Sancto Titulari illius Eccleſiæ. Pro Eccleſia. Pro peccatis, & ejuſmodi.

*4. Formula Tabellæ diſciplinæ Proceſſionalis.*

QUi Crucem in Proceſſione fert, Clericus ſaltem ſit ſuperpelliceo indutus, ſervet in omnibus decorem tanti Vexilli, quod præfert; apte, decore, & recte ferat, graviter, & religioſe incedat.

Acolythi hinc inde, cum candelabris accenſis, & in anguſtiori loco præeant, Crucifer ſequatur.

Clerus ordine ſequatur cum reverentia, & religioſa devotione, ut exemplo ſuo excitetur populus ad orationem.

Sa-

Salutationibus non vacent, colloquiis inter ſe abſtineant, oculorum vagationem vitent.

Bini æque procedant, & ne minimum quidem ab ordine diſcedant.

Certum ſpatium ſemper ſervent inter ſe circiter decem pedum

In via nunquam ſubſiſtant, niſi juſſi a Præfectis.

Ne interrumpatur proceſſio, neque laici inteponatur, curent.

Chirothecas ne habeant; Pileum ne geſtent, neque flores in manu.

Hymnos, & Pſalmos canant ad præſcriptum, & de libro, ne errent,

Capite aperto ſint intra Eccleſiam. Ad altaria, quæ ſunt in via, & cum Sacræ imagines occurrunt, caput aperiant.

Omnia præterea in orando, procedendo, conſiſtendo, aut aliquid in proceſſione de more agendo, rite, & decore faciant, ad præſcriptum Præfectorum, quorum eſt omni diligentia cavere, ne quid errati committatur.

*5. Formula Tabellæ Capitum orationis publicæ in Synodo.*

ORent omnes pro Sanctiſs. D.N. Papa N. & pro Eccleſiæ Catholicæ Romanæ tranquilitate.

Pro N. Provincia, & ejus Prælatis, ſi Epiſcopus eſt ſub Provinciali.

Pro Sereniſſ; N. Rege, vel Duce.

Pro Chriſtianæ diſciplinæ augmento in hac civitate, & Diœceſi, & ubique locorum.

Pro ſalutari hujus Synodi ſucceſſu.

Pro conſtanti, perpetuaque cleri, populique, in bene, pieque agendo, perſeverantia.

Pro Miniſtris etiam, qui ad hujus Eccl. cultum adhibentur.

Pro perfecta omnium Decretorum executione.

Poſſunt etiam hæc capita vulgari lingua imprimi ad laicorum inſtructionem, ut, & ipſi orent pro iiſdem.

*6. Formula Tabellæ Scrutinii.*

*A Præfectis Capitulorum.*

An Miſſæ Conventuales, & Horæ Canonicæ celebrentur ad præſcriptum.

An Punctatores officium ſuum præſtent.

*A Parochis.*

An Orationes pro Synodo procuraverint, an Miſſa de Spiritu Sancto ſit celebrata?

An habeant ſermonem ad populum diebus Feſtis.

Quæ nundinæ diebus Feſtis habentur in propria Parochia?

An attulerint notulam eorum, qui non ſunt confeſſi, vel non communicati in Paſchate?

An ſtatum animarum renovarint.

An Doctrinæ Chriſtianæ docendæ dent operam?

An dederint notitiam blaſphemorum, concubinariorum, conjugum diviſorum, &c. & numeri animarum, defunctorum, baptizatorum, matrimoniorum, excommunicatorum?

An confecerint Cathalogum cleri in ſua Parochia juxta præmonitiones editas?

An onera Miſſarum habeant, & quæ?

An ſæpius confiteantur, & attulerint ea in teſtimonium?

An reſideant, ubi habitent?

An Rituali Romano utantur?

An evuigent jejunia, & Feſta?

An libros habeant Parochiales ad præſcriptum dicti Ritualis.

*A Beneficiatis.*

An attulerint litteras collationis, ſed hæ videantur extra ſynodalem ſeſſionem.

Quænam ſit eorum obligatio?

An inventaria confecerint bonorum?

An Decreta Viſitationis impleverint?

*A Singulis.*

An Breviarium cum Calendario habeant?

An confiteantur?

An ſuperpelliceum mundum?

An tonſuram?

An veſtem talarem.

An caligas, & collaria ad formam?

An calceos, birretum, annulos, capillos, barbam, quæ Clericum deceat?

An noverint cantum Gregorianum?

An aliquod occurrat in Clero, vel populo corrigendum.

## C A P U T V.

*Formulæ aliæ exarandæ majori charactere.*

*1. Formula Brevis Profeſſionis Fidei.*

EGo NN. recipio, promitto, ſpondeo, profiteor, deteſtor, anathematizo, voveo, & juro, ut in Decretis, &



Formula profeſſionis Fidei ex Bulla modo lectis, ſingula ſingulis referendo: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

*2. Formula jurisjurandi ab Examinatoribus præſtandi.*

EGo N.N. Examinatoris officium, quod ſuſcepi, promitto, ſpondeo, ac juro, me fideliter, & ſincere, quantum in me eſt, executurum; ſic me Deus adjuvet, & hæ Sanctorum Reliquiæ, ſi hæ adhibeantur.

*3. Formula juramenti a Teſtibus Synodalibus præſtandi.*

EGo N.N. Teſtis Synodalis a Reverendiſſimo Epiſcopo nominatus, promitto, ſpondeo, & juro, quod a modo in antea quicquid novi, aut audivi, aut poſtmodum inquiſiturus ſum, quod contra voluntatem Dei, aut rectam Chriſtianitatem in regione mihi commiſſa factum ſit, vel futurum erit, ſi in diebus meis evenerit tantum, ut meam cognitionem quocumque modo, ſi ſcivero, aut judicatum fuerit mihi ſynodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Reverendiſſimi Epiſcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celabo Reverendiſſimo D. Epiſcopo, aut ejus miſſo, qui hoc me interrogaverit; ſic me Deus adjuvet, & hæ Sanctorum Reliquiæ.

*4. Formula juramenti Punctatorum.*

EGo N.N. & promitto, & juro, me in Officio meo Punctatoris obeundo fidem, ac diligentiam præſtaturum ad præſcriptum Decretorum, & Tabellæ mihi a Reverendiſſimo Epiſcopo tradendæ, ſeu traditæ, ſic me Deus adjuvet, & hæ Sanctorum Reliquiæ.

## C A P U T VI.

*Formula Edicti de Proceſſione.*

NN. dell'una, e l'altra legge Dottore, Protonotario Apoſtolico, Vicario Generale della Corte Epiſcopale di N.

Dovendoſi nel giorno ..... di queſto meſe cominciare il Synodo Dioceſano alle ore ..., con queſto Editto, il quale affiſſo alla porta della Chieſa Cattedrale vogliamo, che così aſtringa ciaſcuno a chi ſpetta, come ſe gli foſſe perſonalmente intimato; avviſiamo tutte le Confratrie di queſta Città e Borghi; tutti li Conventi di qualſivoglia Religione dentro, e fuori di eſſa Citta (ſi ea eſt conſuetudo) e tutte le perſone Eccleſiaſtiche benefiziate, e non benefiziate di qualſivoglia ordine, ancora di prima tonſura, che abiti in queſta Citta e Borghi obbligate di ragione, o conſuetudine ad intervenire al Sinodo Dioceſano, che il detto giorno all'ore dette inſieme con il Clero Dioceſano a ciò dimandato, ſi trovino nella Chieſa Cattedrale le Confratrie con i ſuoi abiti, e Croci, i Regolari ſotto le ſue Croci, ſeguendo pero tutti la Croce della Cattedrale, ed ognuno abbia l'abito ſuo conveniente, e le cotte monde per accompagnare la proceſſione generale, che ſi farà per principio del Sinodo, dal quale ne ſperiamo bene univerſale a tutte l'anime di queſta Città, e Dioceſe. Avvertendo, che contra i contumaci ſi procedera con pene pecuniarie, e dell'interdetto, ſecondo le qualità loro. Dato nel Veſcuvato, ec.

## C A P U T VII.

*Formulæ pro Promotore.*

*1. Inſtantia Promotoris pro Fidei profeſſione.*

REverendiſſime Pater, & Domine. Cavit ſacroſanctum Concilium Tridentinum, ut omnes, qui beneficia Eccleſiaſtica conſecuti ſunt, & qui Synodo Diœceſanæ intereſſe debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei profeſſionem faciant, ac præſtent, prout illa Tridentini ſanctione expreſſum eſt.

Ideo ego N.N. hujus Synodi Promotor humiliter peto, requiro, ſanctionem illam legi, & ad præſcriptum ab iis, qui tenentur, omnia, & ſingula præſtari.

Si fuerint duo Promotores, in prædicta formula, & ſequentibus dicatur.

Nos N.N. & N.N. hujus Synodi Promotores humiliter petimus &c.

*1. Inſtantia contra abſentes, quam repetit Promotor bis in die, ut ſupra.*

REverendiſſime Domine. Cum jam dies.... menſis.... venit, qua omnes, & ſinguli Eccleſiaſtici Ordinis homines hujus urbis, & Diœceſis ad præſcriptum legitime moniti Synodo huic jam præſentes adeſſe debent: cumque multi non paruerint, ſed uſque adeo vel negligentes, vel contumaces fuerint, ut neque præſentes adſint, neque vero juſti impedimenti excuſationem, cauſamve, aut nuncium miſerint: Ideo pro mei muneris officio N.N. hujus Synodi Promotor eorum contumaciam accuſo, hocque inſto apud Reverendiſſimam Ampli-

tudinem tuam, ut citationem valvis hujus Eccleſiæ Cathedralis affigi, & cum iiſdem tamquam cum inobedientibus agi jubeat, prout juris eſt, & Sacr. Canonum ratio poſtulat.
Reſpondet Epiſcopus: Ita decernimus, ac jubemus.

*3. Inſtantia Promotoris pro rogitu Notarii, quæ bis in die facienda eſt.*

EGo N.N. hujus Synodi Promotor rogo te N.N. Notarium, & Cancell. Epiſc., ut de omnibus, & ſingulis in hac Seſſione peractis unum, plurave conficias inſtrumenta.
Reſpondet: Conficiam, præſentibus. N. N. &c.

*4. Inſtantia pro vocatione Cleri, Cathedratico, & Scrutinio.*

REverendiſſime Pater, & Domine. Sancitum eſt Conciliis Generalibus, & præcipue Concilio Tridentino quod omnes Eccleſiaſtici viri, qui jure, vel conſuetudine Synodo Diœceſanæ, quæ quotannis celebrabitur, etiam exempti, intereſſe debent, ſi negligentes fuerint, pœnas a ſacris Can. ſancitas incurrant. Quamobrem eos omnes ex ſuggeſtu publice vocari, & ſucceſſive Cathedraticum jure Diœceſano debitum a Parochis (& aliis de conſuetudine) perſolvi: tum ſcrutinium a Patribus ſapienter inſtitutum haberi humiliter peto; Eccleſiaſticoſque viros ſanctæ diſciplinæ eruditos aſſignari, qui Scrutinio diligenter incumbant.

*5. Inſtantia pro electione Judicum, & Examinatorum.*

REverendiſſime Pater, & Domine, Conc. Trid. Bonifacii VII. Conſtitutioni inhærens decrevi, ut in Conc. Diœceſanis aliquot perſonæ, dignitates, aut perſonatus habentes, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonici deſignentur deligenturve, quibus præter locorum Ordinarios cauſæ Eccl. ac ſpirituales, & ad forum Eccl. pertinentes auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum ejuſdem committatur. Decrevit inſuper alia Conſtitutione, Examinatores ſingulis annis Diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel ejus Vic. ad minus ſex proponi debere, ut in Parochialium Eccl. vacatione tres ex illis ab Epiſcopo deligendi cum eo examen perficiant. Quamobrem ego N.N. hujus Synodi Promotor humiliter peto, & inſto, tot perſonas, quot, & quales Conſtitutiones prædictæ poſtulant, & alioquin ad id aptas a Reverendiſſima Amplitudine tua deſignari, itaut in hac Synodo pro hujus Diœceſis amplitudine Examinatores & Jud. deligantus, qui hujuſmodi munus examinandi, judicandive, ex præſcripto Decretorum Concilii Tridentini præſtent omnino.

*6. Inſtantia pro Decretorum lectione.*

REverendiſſime Pater, & Domine. Quo diligentior, & cumulatior executio ſit tam Generalium, quam Provincialium (ſi ſub Provincia eſt Ep.) & Diœceſanorum omnium Decr. & Edict. adhuc edictorum ad hujus Eccleſiæ rationem bene gerendam, Ego N.N. hujus Synodi Promotor a Reverendiſſima Amplitudine tua peto, atque inſto, ſive turſus promulgari, ſive monita eorum executionis de ſuggeſtu, ut moris eſt, & alia omnia edici, & enunciari, quæcumque in hac Synodo Diœceſana pro prudentia, & charitate ſua Clero huic Diœc. edici, & promulgari conſtituit, quo idem Cl. inſtructior in dies fiat, & ſollicitudinis ſtudio inflammatior ſit ad omnem Eccl. diſciplinæ rectam, cumulatamque executionem, perpetuamque obſervantiam.

*7. Inſtantia pro continuanda lectione Decretorum.*

REverendiſſime Pater, & Domine. Cum ea, quæ cœpta ſunt legi, Clero ſint valde utilia, neque potuerint anguſtia temporis abſolvi, ego N. N. hujus Synodi Promotor, peto, & inſto, ea legi, quæ deſiderantur, antequam dimittatur Synodus.

*8. Inſtantia pro nominationem Officialium Cleri.*

REverendiſſime Pater, & Domine. Ad faciliorem hujus Eccleſiæ N. adminiſtrationem ſolent aſſumi in partem ſollicitudinis paſtoralis aliquot viri prudentes, & graves qui variis muneribus addicti Reverendiſſimam Amplitudinem tuam in animarum, & aliorum rerum cura non mediocriter juveut. Ideo Ego N. N. hujus Synodi Promotor peto, & inſto, eos de ſuggeſtu nominari, ut a Clero tum eorum merita, tum munia cognoſcantur.

*9. Inſtantia pro Concluſione Synodi.*

REverendiſſime Pater, & Domine. Cum omnia, quæ in hac Diœceſana Synodo agenda, & tractanda erant, divina auxiliante gratia, ad optatum finem perducta ſint, illud a Reverendiſſima Amplitudine tua peto, Ego N. N. hujus Synodi Promotor, ut ipſam Synodum concludere, & cum benedictione dimittere dignetur.

*10. Inſtantia pro indictione futuræ Synodi, quæ fit in Provincia Mediolanenſi.*

ANtiquo item Canone cautum eſt, ut proximam Synodum Diœceſanam in Seſſione Epiſcopus indicat: Ideo ego N. N. hujus Synodi Promotor humiliter inſto, Synodum Diœceſanam proxime futuram in hoc Synodali Conventu, omnibus, qui intereſſe debent, pronunciari, & indici.

## C A P U T VIII.

*Formulæ pro Procuratore Cleri*

*1. Formula pro Reductione Miſſarum ante Concilium Tridentinum, & Anniverſariorum,*

REverendiſſime Pater in Chriſto, & Domine. Datus facultas Reverendiſſimæ Amplitudini tuæ a Sacroſancto Concilio Tridentino, ut in Synodo Diœceſana, rebus diligenter perſpectis, poſſit pro ſua conſcientia in Eccleſiis ſuæ Diœceſis ſibi ſubjectis ſtatuere circa numerum Miſſarum, vel ob tenuem eleemoſynam, vel ob magnum Miſſarum numerum, ante Conc. Tridentinum a teſtatoribus relictarum; & item a Sacra Congr. Concilii ejuſdem Trident., circa Anniverſaria, & Officia Defunctorum, quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem expedire videatur; cum autem in Synodo non poſſint omnia examinari profundius; Ego N.N. hujus Cleri Procurator humiliter peto, & inſto apud Reverendiſſimam Amplitudinem tuam, ut eligantur idonei viri, qui prout erit opus una cum Amplitudine tua numerum prædictorum reducant.

2. Pro aliis rebus formet Procurator libellos ſupplices & legat eodem modo quo ſupra.

## C A P U T IX.

*Formula pro Secretario Synodi.*

*1. Formula Decretorum, quæ ſignificata ſunt ſecunda parte.*

Et poſt Decretum de initio Synodi, quod ibidem habetur, legitur hoc modo,

*2. Decretum de modo vivendi tempore Synodi.*

Quoniam nihil fere ſæpius, & divinis litteris, & Eccl. monumentis commendatum eſt, quam Clericalis ordinis hominum vitæ integritas, innocentia, fides, religio, pietas, virtutumque omnia ornamenta, quibus domus Dei potiſſimum excollitur; ideo Clerum noſtrum hic præſentem monemus, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri teſtamur, ut cum ſemper, tum maxime hoc tempore in verbo, in converſatione, in charitate laicis hominibus præluceat omni virtutum ſplendore. Tabellam igitur diſciplinæ Synodalis a nobis propoſitam diligenter obſervent: quæ eſt hujuſmodi.
Sacerdotalis perſonæ officia; &c. Habetur ſupra pag. 27. & 28. legatur uſque n. 2.

*3. Decretum de Officialibus Synodi habetur ſupra pag. 27.*

*4. Decretum de præjudicio non afferendo.*

Decernimus, ſi cui contigerit ſuo loco non ſedere, aut incedere, aut vocari, aut aliud quidpiam agere, propterea nemini novum jus acquiri, nec quicquam de cujuſque jure poſſeſſioneve detrahi; ſed in eo ipſo ſtatu permanere, in quo ante hanc Synodum eſſe reperiebatur.

*5. Decretum de non diſcedendo.*

Vobis præterea omnibus, & ſingulis, qui huic Synodo jure intereſſe debetis, pœna excommunicationis propoſita vetamus ut ne veſtrum quiſquam a Civitate N. diſcedat, antequam hæc noſtra Diœceſana Synodus de more abſoluta, ac dimiſſa ſit, niſi facultas a Vicario Generali ſibi ſit conceſſa; ſed huic Synodo, Synodalibuſque actionibus, ſeſſionibus, ac conventibus quibuſcumque, qui indicentur, omnes, & ſingulos vos intereſſe jubemus, eadem excommunicationis pœna propoſita.

*6. Decretum de oratione publica.*

Quoniam veteris eſt inſtituti, ſolemniſque ritus in Synodali conventu pro publicis rebus orationem fieri, quod his maxime temporibus faciendum eſt; ideo in omni prece, & a Sacerdotibus præſertim in Miſſæ ſacrificio bis diebus Synodalibus ad Deum orationem adhiberi edicimus: nimirum Pro S. D. N. &c. lege ut ſupra cap. 4. n. 5.

*7. Decretum de Profeſſione Fidei facienda.*

Sacroſancta Tridentina Synodo illud graviſſime ſancitum eſt, ut quicumque Eccleſiaſtica beneficia, obtinebunt, qui item ad Diœceſanam Synodum convenire debent, omnes in ea

ipſa

ipſa Synodo, ad quam primo convenient, profeſſionem fidei faciant. Verba Tridentini Concilii hæc ſunt, ſeſſ. 25. c. 2. Cogit, *& infra*, præcipit igitur S. Synodus, Patriarchis, Primatibus, Archiep., & omnibus aliis, qui de jure, vel conſuetudine in Conc. Provinciali intereſſe debent, ut ipſa prima Synodo Prov., poſt finem præſentis Conc. habenda, ea omnia, & ſingula, quæ ab hac Sancta Syn. definita, & ſtatuta ſunt palam recipiant: nec non veram obedientiam Summo Romano Pontifici ſpondeant, & profiteantur: ſimulque hæreſes omnes a Sacr. Can.¹, & Gen. Conc., præſertimque ab hac eadem Syn. damnatas, publice deteſtentur, & anathematizent,

Idem impoſterum quicumque in Patriarchas, & Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſunt promovendi in prima Synodo Provinciali, in qua ipſi interſuerint, omnino obſervent.

Quod ſi quis ex ſupradictis omnibus, quod abſit, renuerit, Epiſcopi Comprovinciales ſtatim Summum Pontificem admonere, ſub pœna divinæ indignationis teneantur, interimque ab ejuſdem communione abſtineant,

Cæteri vero omnes, ſive in præſenti, ſive in futurum, beneficia Eccleſiaſtica habituri, & qui in Synodo Diœceſana convenire debent, idem ut ſupra in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant, & obſervent, alias ſecundum formam Sacrorum Canonum puniantur,

*In Prov. Mediol. additur Decretum Conc. Prov. 1. Sacri igitur, &c. quod habetur infra in calce.*

Accedant igitur omnes, & ſinguli Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, vel ſacris ordinibus initiati (ſi nedicto vocantur) qui alias in Synodo non præſtiterunt, & fidei profeſſionem ex formula præſcripta a Pio IV. emittant, genuflexi in medio Clero ante Reverendiſſimum Epiſcopum.

*Idem Secretarius ſtans legit ex Bulla Pii IV.*

EGo N, firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S.R.E. utitur, videlicet Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex MARIA Virg. & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſione peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector: Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ legis, a JESU CHRISTO Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illa gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccl. Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione, recipio, & admitto omnia & ſingula, & quæ de peccato originali, & de Juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum proprium & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam, ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari ſimiliter, & Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccl. Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſt. Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia a ſacris Can., & Oecumenicis Conc. ac præcipue a ſacroſanta Trid. Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccl. damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Cathol. fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me, in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum.

*8. Decretum de continuatione Seſſionis primæ.*

Decernimus, & indicimus continuationem hujus ſeſſionis fore hodie, hora .... in qua vocabuntur omnes, & ſcrutinium fiat a Præfectis.

*9. Decretum de Diſceſſu.*

Ne quiſquam a loco ante diſcedat, quam Reverendiſſimus Epiſcopus e Synodo abierit; nec vero raptim, turbulenterve; ſed graviter, & decoro inceſſu.

Capitula, & Clerici Eccleſiarum Collegiatarum, ut collegiatim venerunt, ita recedant, prælata Cruce.

*10. Decretum de Clero vocando, & Cathedratico ſolvendo.*

Vocabuntur omnes, & ſinguli, quicumque ſint, qui huic Synodo Diœceſanæ præſentes adeſſe debent, qui certo Eccl. nomine univerſæ vocati ordine bini, & collegiatim ad Reverendiſſimum Epiſcopum recte accedant, qui reverentiam exhibeant, & quia ſinguli nominatim vocabuntur capite aperto, & ſtantes modeſta, altaque voce reſpondeant: Adſum.

Parochi redeuntes (& alii, qui ſolent) ad Oeconomum deputatum accedant, ſinguli que Cathedraticum ſolvant.

*11. Decretum de Scrutinio Synodali.*

Scrutinium Syn. a Patribus inſtitutum poſt Cleri vocationem a Præfectis agi decernimus, hoc eſt, dum alii vocantur, vocatorum fiat ſcrutinium: quod in Capellis hujus Eccl. ſic diſtributum fuit. Clerus Civitatis N. conveniat ad Capellam S.N. ſub Præfecto M.R.D.N.N. Archidiacono.

Clerus ejuſdem Civitatis N. conveniat ad Capellam S.N. ſub Præfecto R. D. N. Canonico.

Clericus Vicariatus N. conveniat ad Capellam S.N. ſub Præfecto, &c. & ſic deinceps juxta diſtributionem cujuſque tum Civitatis, tum Diœceſis, ut in 1. part. dictum eſt, cap. 23. n. 4.

Præfecti Scrutinii Synodalis pro ſua quiſque timorata, religioſaque conſcientia in veritate, ſinceritate, & juſtitia Scrutinium agant præſcriptum Tabellæ editæ, curentque apte & diſtincte notare, quæ repererint, & rebus a ſe notatis unuſquiſque ſubſcribat.

Si tempus deſit, peragunt ſcrutinium extra Synodalem ſeſſionem.

Qui ad eos non acceſſerunt pro Scrutinio perinde puniantur ac ii, qui ad hanc Synodum nulla juſta de cauſa impediti non venerint.

Interrogati vero ſi quid indecore vel reſponderint, vel egerint a Præfectis ipſis notentur, ut canonicæ ſubjaceantur diſciplinæ.

*12. Formulæ Cathalogi Cleri pro eo vocando. Dicat Secretarius titulum.*

Tit. Clerus Civitatis ſi Abbates vocandi ſunt, hoc loco, vocentur.

Tit. Clerus Eccleſiæ Cathedralis.

M. R. D. N. N. J. U. D. Prothonotarius Apoſtolicus Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis. R. D. N. N. Canonicus ejuſdem.

S. T. Doctor, & Pœnitentiarus D. N. N. Manſionarius ſeu Beneficiarius ejuſdem.

Venerabilis Presbyter N. N. Curatus ejuſdem.

Presbyter N.N. Beneficiatus ejuſdem.

Presbyter N.N. Capellanus amovibilis ejuſdem.

N. N. *Diaconus*, ſeu Subdiaconus,

Tit. Cleri Seminarii.

N. N.

N. N.

Tit. Clerici Sacriſtiæ Cathedralis.

N. N.

Tit. Collegiatæ Civitatis.

Tit. Collegiatæ S. N.

R. D.

Digitized by Google

R. D. N. N. Canonicus.
Tit. Parochi Civitatis.
Venerabilis Presbyter N. N. Curatus.
S.N.I.V.D. vel Theologus, ſi Regularis eſt F. N. vel Don. N. pro Curato S. N.
Tit. Presbyteri Civitatis.
Presb. N. N. Beneficiatus S. N. Presb. N. N.
Tit. Diaconi, Subdiaconi; & Clerici Civitatis.
N. N. Diaconus.
N. N. Subdiaconus,
N. N. Clericus.
Tit. Clerus Diœceſis.
Tit. Collegiatæ S. N. loci N.
R. D. N. N. Præpoſitus, & Curatus.
R. N. N. Canonicus.
Venerabilis Presbyter N. N. Curatus, ejuſmodi loci.
Tit. Vel Vicarius loci N.
R. N. N. Vicarius Foraneus,
Venerabilis Presbyter N. N. Curatus loci N.
Presbyter N. N. Beneficiatus S. N.
Presbyter N. N.
N. N. Diaconus, ſeu Subdiaconus,
N. N. Clericus.
Abſentes notentur linea ducta hoc modo.

### 13. *Decretum de Officio mortuorum.*

Edicimus præterea cras pro Sacerdotibus & Clericis, qui poſt ultimam Synodum obierunt, ſollemnem commemorationem fieri (ſi eſt in Provincia Mediolanenſi addat) ex Decreto Concilii Prov. quinti.

### 14. *Decretum de Seſſione ſecunda.*

Decernimus, & indicimus Seſſionem ſequentem fore craſtina die mane, quæ erit hujus menſis .... hora ....

### 15. *Decretum de Judicibus Synodalibus.*

Ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 10.

Quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque, ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia quibus cauſæ mandantur, uſque adeo haberi non poteſt: hincque interdum Judicibus, non undequaque idoneis, cauſæ in partibus delegantur; ſtatuit S. Synodus in ſingulis Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis, aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit: *Statutum*, & alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam poſt hac cauſæ Eccl., ac ſpirituales, & ad forum Eccl. pertinentes, in partibus delegandæ committantur: & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci, cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœc. Syn., itaut habeat unaquæque Diœc. quatuor ſaltem aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra qualificatas, quibus hujuſmodi cauſæ a quolibet Legato vel Nuncio, atque etiam a Sede Ap. committantur. Alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Ep. ad Summum Romanum Pontificem tranſmittant, Delegationes quæcumque aliorum Jud. aliis quamvis factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Admonet de hinc ſancta Syn. tam ordinarios, quam alios quoſcumque Judices, ut terminandis cauſis quanta fieri poterit brevitate ſtudeant: ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

*Tum additur Conſtitutio Bonifacii VIII.*

Statutum, & infra. Sancimus igitur, ut nullis, niſi Dignitates præditis, aut perſonatus obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, cauſæ auctoritatis litterarum Sedis Apoſtolicæ, aut Legatorum ejuſdem de cætero non committantur, nec audiantur alibi, quam in Civitatibus, vel Locis inſignibus, ubi poſſit commode copia peritorum haberi, *& reliqua*.

Sacra Tridentina Synodus jubet aliquos viros deligi, quales Summus Pontifex Bonifacius VIII. ſua conſtitutione præſcripſit aptos, atque idoneos, quibus cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus committi poſſint, ſed & Gregorius XV. præcipit in gratiam Regularium, qui ſibi Conſervatores ex Judicibus Synodalibus eligere debent, cujus Conſtitutionis verba hæc ſunt.

In futurum Sanctitas ſua hac generali, & perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuit, & decrevit, ut judices Conſervatores hujuſmodi, ſive principales, ſive ſubrogati, eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi, non ſolum habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimili rec. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris ſui, quæ incipit: *Statuti*, itaut vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant, ſed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis juxta decretum Concilii prædicti Judices electi, ſeu deſignati ſint. Quodque deinceps litteræ conſervatoriæ per Sedem Apoſt. concedendæ ſupraſcriptis tantum dirigantur, & quæ litteræ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujuſmodi, omniaque exinde ſequenda nullius ſint roboris, vel momenti, & nihilominus, qui ſecus, quam juxta formam ſuperius præſcriptam conſervatores hujuſmodi cum effectu eligere, nominare, ſed deputatis uti auſi fuerint, Regulares qui de voce activa, & paſſiva ſint ipſo jure privati, adeout habilitationem a nemine præterquam a Romano Pontifice conſequi valeant, reliqui vero aliis pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ puniantur & prædictorum omnium Conventus, & Monaſteria, ac loca hujuſmodi eorumque perſonæ ac bona careant Conſervatore ad annum, itaut illorum cauſæ interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognoſci, ac definiri debeant, cæterum ut latius pateat conſervatorum hujuſmodi deligendorum facultas, Sanctitas ſua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios: ut in Synodis Provincialibus, aut Diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates in prædicta Conſtitutione ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris contentas, & alioquin ad id aptas, deſignari procurent, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum.

Ut igitur ejuſmodi decreta exequamur, vobis proponimus hos (Juriſconſultos,) quibus cauſæ delegentur judicandæ, donec altera Synodus habeatur.

Si Canonici non ſint J. U. D. tace Juriſconſultos.
M. R. D N. N. Archidiaconum Eccleſiæ Cathedralis.
R. D. N. Canonicum.
R. D N. Protonotarium Apoſtolicum. In Provincia Mediolanenſi debet legi Decretum quoque Sacræ Congr. Concilii Tridentini 27. Septembris 1614. quæ decernit exemptionem omnium Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ. Habes infra in calce hujus 4. partis.

### 16. *Decretum de Examinatoribus.*

Ex Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 18. Examinatores autem ſingulis annis in diœceſana Synodo ab Epiſcopo vel ejus Vicario, ad minus ſex proponantur, qui Syn. ſatisfaciant, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Eccleſiæ, tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque ſuccedente alia vacatione aut eoſdem, aut alios tres, quos maluerit ex prædictis illis ſex eligat. Sint vero hi Examinatores Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia aut jure Canonico, vel alii Clerici, ſeu Regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam ſæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros, caveantque ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis, nec ante nec poſt accipiant, alioqui ſimoniæ vitium, tam ipſi, quam alii dantes, incurrant, a qua abſolvi nequeant; niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant & ad alia in poſterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non ſolum coram Deo, ſed etiam in Synodo Provinciali, ſi opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, ſi qui contra officium eos feciſſe compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri poſſint.

Tridentinum ergo decretum Nos volentes exequi pro Diœc. noſtræ amplitudine proponimus vobis hos RR. viros, qui munus hoc gerant quoad altera Synodus habebitur.

N. R. D. N. N. J. U. D. Protonotarium Apoſtolicum, Decanum Cathedralis.
R. D. N. N. Canonicum & Theologum Cathedralis.
R. P. F. Jo. N. Priorem S. Dominici, vel
R. P. Priorem pro tempore Sancti Dominici. Placet Vobis.

### 17. *Decretum de Teſtibus Synodalibus.*

Vetus eſt conſuetudo Sacroſanctis Canonum Decr. introducta, ut Syn. ſingulis Diœc. viri aliquot vita, & moribus graves, ac probati deligantur, qui animadvertant diligenter an aliquid in urbe, & Diœc. ſit quod corrigi, emendarive debeat; ac ſi quid tale cognoverint, id Nobis, vel Vicario noſtro Generali, aut Viſitatoribus noſtris ſignificent; interrogatique de aliqua re, quæ emendationem requirat, ſumma integritate referant. Nos igitur vetus illud probatiſſimum inſtitutum ſecuti, huic muneri proponimus, ac nominatim a Civitate, & Diœc. hos viros, quorum nomina ſequuntur.

In Civitate R. D. N. N. R. D. N. N.
In Diœceſi Venerabilem Presbyterum N. N. curatum, &c.
Vel quorum nomina dignis de cauſis ſecreto haberi volumus in hac ſchedula, erit autem obſignata ſigillo Epiſcopi & elevabitur; ut videatur.

### 18. *Decretum de Punctatoribus.*

Et quia ad Eccleſiaſticam diſciplinam conſervandam ſummopere Punctatoribus eſt opus, & de ea de re ſancita ſunt plura Decreta, hoc Punctatores delegimus.

R. D.

R. D. N. N. Canonicum in Cathedrali,
R. N. Canonicum in Collegiata S. N.

*19. Decretum de jurejurando.*

Examinatores, (Teſtes Synodales) ac Punctatores promulgati accedant ad Reverendiſſimum Epiſcopum, coram quo ex præſcripta formula, jusjurandum præſtent. Nota, ſi Teſtes habeantur ſecrete, in prædicto Decreto taceantur, & additur.

*20. Teſtes autem jurabunt ſecreto in manibus ejuſdem Reverendiſſimi.*

*21. Decretum de præſtando juramento abſentibus.*

Qui Examinatores (Teſtes Synodales) & Punctatores per Nos nominati, & deputati ſunt, ſi qui in Synodo ex præſcripto jusjurandum non præſtiterint, illud præſtent prout D. Vicarius Generalis mandaverit.

*22. Decreta de Reſidentia ſemper legenda, ex Concilio Tridentino.*

Ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 2. de Reformatione.

Eadem Sacroſancta & infra, Omnes Patriarchalibus, Primitialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quovis nomine ac titulo præfectos monet; & monitos eſſe vult ut attendentes ſibi, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant; implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus a ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant: Cum certiſſimum ſit, non admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit. At nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum eſt, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrena quæ cæleſtibus, ac divinis humana præferentes, in diverſis Curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſollicitudine, ovili derelicto atque ovium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos.

Placuit Sacroſanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum, atque hominum injuria pene in deſuetudinem abierunt, adverſus non reſidentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute præſentis Decreti innovat, ac ulterius, pro firmiori eorumdem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus, in hunc, qui ſequitur modum, ſtatuere, atque ſancire.

Si quis a Patriarchali, Primatiali Metropolitana ſeu Cathedrali Eccleſia ſibi quocumque titulo, cauſa, nomine, ſeu jure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu juſtis, & rationalibus cauſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis, extra ſuam Diœceſim morando, abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Eccleſiæ, pauperibus loci per Superiorem Eccleſiaſticum applicandorum pœnam ipſo jure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente vero contumacia, ut ſeveriori Sacr. Can. cenſuræ ſubjiciantur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſc. abſentes, Metropolitanum vero abſentem Suffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per litteras, ſeu Nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipſos abſentes prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, ſupremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis piis de Paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in domino noverit ſalubriter expedire.

*Ex eodem Concil. ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform.*

Cum præcepto Divino, & infra. Ne vero ea, quæ de reſidentia ſancte, & utiliter jam antea ſub fel. rec. Paulo III. ſancita fuerunt, in ſenſus a Sacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius Decreti 5. menſibus continuis abeſſe liceat illis; inhærendo, declarat Sacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primitialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quocumque nomine, & titulo præfectos, etiamſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſa reſidentia, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur; neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis, & modis infraſcriptis.

Nam cum Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, & Republicæ utilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent, & exigant; Decernit eadem Sacroſancta Synodus has legitimæ abſentiæ cauſas a B. Rom. Pont. aut a Metropolitano, vel, eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo, antiquiori reſidenti, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas, niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipub. officium Epiſcopatibus adjunctum: cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit; ad eumdem tamen cum Conc. Prov. ſpectabit judicare de licentiis a ſe, vel a ſuffraganeo datis, & videre ne quis eo jure abutatur, ut pœnis Canonicis errantes puniantur.

Interea meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia, nullum damnum accipiant: Quoniam autem qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia, non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt, ſacroſ. Synod. vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum, ſive interruptum extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum, tres menſes excedere, & haberi actionem, ut id æqua ex cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento, quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur; euſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Domin. Adv. Quadrag. Nativ. Reſur. Dom. Pent. item, & Corp. Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debeant; ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos alio vocent.

Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus Decreti diſpoſitionem abfuerit; ſtatuit ſacroſancta Synodus præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub Paulo Tertio impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, aut ipſo ceſſante per ſuperiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque Collegio, aut Fabricæ conceſſis. Idem omnino, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis, inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens, obtinet, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit, ita tamen, ut quandocumque eos, cauſa prius per Epiſcopum approbata, & cognita, abeſſe contigerit; Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant.

Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa non obtineant. Quod ſi per Edictum citati etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere, nec executionem hanc, quolibet Privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque beneficii, pactione, ſtatuto, etiam juramento, quacumque auctoritate confirmato, vel conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis ſuſpendi poſſe.

Poſtremo, tam Decretum illud Pauli III. quam hoc ipſum, in Conciliis Provincialibus, & Epiſcopalibus publicari Sancta Synodus præcipit, cupit enim, quæ a Deo ex Paſtorum munere, animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus mentibuſque infigi, ut impoſterum Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

23. In Provincia Mediolanenſi debent etiam legi, ex Decreto Conc. Prov. 3. Bullæ Pii II. de Clericis male promotis, Pii V. de confidentiis beneficialibus: quarum tenores imprimendi erunt in calce hujus 4. partis; ubi etiam de vita, & honeſtate Clericorum ex Conc. Provinc. 1. & 4. de div. Officiis, & Chori diſciplina ex Conc. 1. & 5.

In eadem Prov. Mediol. legi debent Monitiones ad Clerum, ex Decreto Concil. 4. Provincialis, quæ magis Epiſcopo placuerint, non omnes, videlicet.

Primo fratres, &c. quas dabimus in calce item hujus quartæ partis.

*24. Decretum de concluſione Synodi.*

Synodi noſtræ diœceſanæ N. Deo adjutore optatum finem videmus; quapropter eam cum gratiarum Deo actione concludendam eſſe decernimus, & concluſam enunciamus.

*25. Decretum futuræ Synodi, quod fit in Provincia Mediolanenſi.*

Aliam præterea futuram Synodum indicimus juxta Tridentinam ſanctionem habendam anno ſequenti ... die ... menſe ... niſi aliqua ex cauſa illam prorogari ad vos datis litteris, alias per Edictum publicum intellexeritis.

*26. Decretum de dimiſſione Synodi.*

Ad laudem Dei Omnipotentis, & B. V. Mariæ, ac S. N. Patroni noſtri, & aliorum noſtrorum Protectorum decernimus

Digitized by Google

mus Synodum dimiſſam : ac propterea cuique eandum eſſe ad proprias Eccleſias. Hortamur autem omnes vos, Fratres chariſſimi, ut tales vos præbeatis in miniſterio veſtro, quales maxime decet Sacerdoti ab omni mundanorum cura ſegregato : illudque maxime, cum redieritis, præſtandum erit, ut populus omnis vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportaſſe intelligat, id fiet ſi novo Spiritus Sancti lumine illuſtrati, quæ magna Synodorum eſt vis, ac virtus, cæteris in omni opere veſtro impoſterum prælucere ſtudueritis, & in omni parte Officii veſtri omnem diligentiam adhibueritis.

Hactenus Formulæ, & Decreta pro Secretario Synodi.

## C A P U T X.

*Capita Orationis mentalis in fine Seſſionum.*

1. *In fine primæ Seſſionis* : *Orate.*

*Per notas fa, re.*

Fratres chariſſimi *per notas, fa, mi, re, fa, fa Sequentia cantantur tardius.*

TOto corde converſi ad Dominum mentes ad Cœlum erigamus, & corporibus proſtrati hæc devote precemur, invocatis SS. Patronis, & Protectoribus hujus Diœceſis N. N. item SS. Martyribus N. N. cum cæteris Beatis, quorum corpora quieſcunt in hac Diœceſi, *terminatio fit per fa, re.*

Orate intimo corde, ut Dominus Peccatorum veſtrorum veniam vobis concedat, negligentiis indulgeat, ignorantiæ parcat, errata omnia condonet, quæ in Clericali diſciplina, in officiis Sacerdotalibus, multiplici errore commiſiſtis. Intimo charitatis affectu ſinguli pro Reverendiſſimo Epiſcopo, & omnibus, qui in hoc Clero continentur idem orate, orate invicem, ut ſalvemini, *terminatio fit ſemper, ut ſupra, & fit pauſa per unum Miſerere.*

Fratres chariſſimi, unanimes perſeverate in oratione, & petite a Patre miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, quem credimus eſſe in medio hujus Sacri cœtus, petite Spiritus Sancti dona, ut poſthac digne omnes ambulent vocatione, qua vocati ſunt, ut Sacramenta digne miniſtrent, verbum Dei cum fructu prædicent, animas ſollicite curent; religioſe vivant, in patientia poſſideant animas ſuas.

Fratres chariſſimi, unanimes orate pro SS. D. N. Papa... Chriſti Vicario, ut Sanctam Eccleſiam ſancte gubernet cum Sacro Card. Collegio : Orate pro S. Catholica, & Apoſtolica Eccl. Rom. toto orbe terrarum diffuſa, ut eam Deus conſervet, defendat, augeat, exaltet ad honorem, & gloriam ſuam.

2. *In fine ſecundæ Seſſionis.*

Fratres chariſſimi, unanimes orate, ut bonum, quod in nobis a Rever. Antiſtite noſtro, tam intenſo charitatis ſtudio, & officio requiritur, omnino exequamur, utque prompta cum eo ſollicitudine gradientes, digne ambulemus vocatione, qua vocati ſumus, omnique in opere bono creſcentes, obediamus ſtudiis Deo placitarum orationum.

Fratres chariſſimi, orate pro Rev. Epiſcopo Noſtro N. ut Divino Spiritu illuſtratus, & roboratus, una cum ſuis adjutoribus, & cum grege ſuo conſequatur vitam æternam.

Fratres chariſſimi, orate unanimes Spiritum Dominum Meſſis hujus, ut operarios mittat in meſſem ſuam, detque omnibus hujus vineæ N. operariis Spiritus Sancti ignem, ac lumen, demumque æternam mercedem.

*Ubi adeſt Provincia loco primi capitis Orationis in 2. Seſſione dicatur.*

Fratres chariſſimi, unanimes orate pro Provincia N. pro Illuſtr. Metropolitano, & pro omnibus Provinciæ Epiſcopis, un ſancte regant Eccleſiam Dei, ut flagella, perturbationes, contentiones omnes, & omnes adverſitates dignetur avertere, detque illis in tranquillitate, paceque Sancta Eccleſias ſuas gubernare.

3. *In fine tertiæ Seſſionis.*

Fratres chariſſimi, orate toto cordis affectu pro Imperatore, Rege Noſtro, Principibus, & Rectoribus temporalibus hujus noſtræ Diœceſis, ut cum pace, & ſalute communi munus ſuum exequantur, recta ſemper ſentiant, & operentur : Eccleſiæ defenſores ſe præſtent, & vitam ſempiternam mereantur.

Fratres chariſſimi, orate unanimes, ut Deus ſpiritum religioſæ obſervantiæ det omnibus viris regularibus hujus Diœceſis ad ſuam ſalutem, & ædificationem populorum : omnibus item Monialibus ad ſalutem ſuam, & aliorum.

Fratres chariſſimi, unanimes orate pro cunctis populis hujus Diœceſis, ut Deus conſervet Sanctam Fidem Catholicam, peccata eliminet, augeat devotionem, concedat abundantiam fructuum terræ ad eorum felicitatem.

*Si quid occurrat tempore Synodi, pro quo ſpecialiter ſit orandum, addatur capitibus prædictis, quæ licet, in tres dies ſint diſtributa, poſſunt tamen unoquoque die ſimul cantari, ut oretur eo triduo pro prædictis omnibus.*

## C A P U T XI.

*Formulæ Acclamationum.*

DEO Patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis & gratiæ, omnis laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

*Terminatio fit per fa, re.*

℟. Amen. Amen. Amen.

*Eodem modo fit terminatio, quo ſupra.*

Beatiſſimo D. Noſtro N. Papa N. Sanctæ, & univerſalis Eccleſiæ Pontifici, Chriſtiani nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, pax vera, diuturna proſperitas.

℟. Domine Deus SS. Patrem noſtrum Eccleſiæ tuæ conſerva, mitte illi auxilium de ſancto, ut eo gubernante, gentes omnes illuminentur, & quæ diſperſæ ſunt in unum Eccleſiæ tuæ ovile colligantur.

Reverendiſs. D. Epiſcopo noſtro, hujus Synodi Præſuli, ejuſque miniſtris ſalutaris vigilantia, in laboribus conſtantia, & felix exitus.

℟. Omnipotens Deus ſuper Antiſtitem noſtrum benedictionum tuarum dona perpetua multiplica.

N. Regi, & omnibus Principibus Chriſtianis Catholicæ religionis zelus, juſtitiæ, & pacis fœcunditas, & contra Chriſtianæ fidei hoſtes victoria.

℟. Princeps cæleſtis, terrenos Principes Catholicæ fidei, æquitatis, & concordiæ conſervatores, atque hoſtium noſtrorum exterminatores cuſtodi.

Civitati, & Diœceſi N. Tranquillitas, ſalus, & divinarum Gratiarum abundantia.

℟. Benedic Domine filios tuos, & eſto in circuitu populi tui ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Decretorum hujus Diœceſis obſervantiam ſalutarem, omnes, qui hic adſumus, unanimi voto a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara V.M. Domina noſtra, cum Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, & B. Patronis noſtris N. N. & omnibus Sanctis.

℟. Fiat, Fiat. Amen. Amen.

2. *Alia Formula Salernitana precationum, & declamationum ſimul.*

*Sacerdos.*

Oremus pro Beatiſſimo Papa Noſtro N.

*Chorus reſpondet.*

Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manibus inimicorum ejus.

*Sacerdos.*

Oremus. Deus omnium fidelium Paſtor, &c. Amen.

*Sacerdos.*

Oremus pro Rever. N. hujus Eccleſiæ Epiſcopo vigilantiſſimo.

*Chorus.*

Salvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te, mitte ei auxilium de ſancto, & de Sion tuere eum.

*Sacerdos.*

Oremus. Deus, qui licet ſis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſus operaris in minimis, concede N. famulo tuo Antiſtiti noſtro, ſacris convenienter ſervire myſteriis, atque in omnibus tua miſericordia protegat, quem Paſtoralis cura perterret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Sacerdos.*

Oremus pro omnibus Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, & Clericis, atque pro omnibus, qui in hac Synodo convenerunt.

*Chorus.*

Memento Congregationis tuæ Domine quam poſſediſti ab initio.

*Sacerdos.*

Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro univerſis

verſis

Digitized by Google

verſis ordinibus ſupplicantes, ut gratiæ tuæ munere in omnibus tibi gratibus fideliter ſerviatur. Per Chriſtum.

*Sacerdos.*

Oremus pro Sereniſſimo N, Rege noſtro Catholico.

*Chorus.*

Domine ſalvum fac Regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

*Sacerdos.*

Oremus. Quæſumus omnipotens Deus ut famulus tuus Rex noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit Regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa quibus, decenter ornatus, & vitiorum monſtra devitare, & ad te, quia via, veritas, & vita es, gratioſus valeat pervenire. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

*Sacerdos.*

Oremus etiam pro univerſis hujus Civitatis Chriſti fidelibus, & omnibus plebibus nobis commiſſis.

*Chorus.*

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos in æternum.

*Sacerdos.*

Oremus. Protende Domine fidelibus tuis dexteram cæleſtis auxilii, ut toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant conſequi mereantur. Per Chriſtum. ℟. Amen.

*Sacerdos.*

Dominus vobiſcum.
℟. *Chorus*. Et cum ſpiritu tuo.

*Duo Hebdomadarii.*

Benedicamus Domino.

*Chorus.*

Deo gratias. Deo gratias. Semper dicamus, Deo gratias.
Canonicus Synodi addit.
N. Epiſcopo ampliſſimo, Paſtori vigilantiſſimo, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ aſſertori perennes gratias.

*Chorus.*

Perennes gratias, incolumem, ſalvumque illum nobis Dominus diutiſſime cuſtodiat, atque conſervet.

*Idem Canonicus.*

Totius Synodi Clero, atque conventui pacem, concordiam, & gratiam a Domino.

*Chorus.*

Pacem, concordiam, & gratiam ſemper nobis Dominus concedat. Amen. Amen.

## CAPUT XII.

*Formula Indicis totius Actionis Synodalis pro Secretario, Promotore, & Magiſtris Cæremoniarum.*

### PRIMA SESSIO.

Clerus totus in Palatio.
Epiſcopus cum cappa deſcendit.
Paratur cum Canonicis.
Miſſa de Spiritu Sancto. Incenſatur Clerus.
Communio Cleri.
Non detur benedictio.
Proceſſio. Orate.
Antiph. Exaudi, genibus flexis.
Pſal. Salvum me fac, ſedent.
Orationes: Adſumus, &c.
Flect. genua Temp. Paſch. omittitur.
Oratio. Evangelium cum oſculo, & thure.
Veni creator.
Venerab. Sermo.
Decreta de initio Synodi, modo vivendi.
Miniſtris præ judicio de non diſcedendo
Oratione publica.
Promotor pro fidei profeſſione.
Secret. Decretum de eadem.

*Formulæ Profeſſionis Pii V.*

Genuflectunt profeſſuri. Brevis profeſſio ſuper Libro Evangeliorum.
Secret. pro continuatione ſeſſionis.
Promotor contra abſentes, & pro rogitu.
Secret. Decretum de diſceſſu, recedit Epiſcopus.

*A Prandio.*

Signum Campanarum. Veſperæ. Completorium, Epiſcopus in cappa. Paratur in fine amictu, Stola, Pluviali; Parantur Canonici.
Promotor pro vocatione Cleri, &c.
Secret. Decretum de eadem, &c.
Fit vocatio, & Scrutinium. Campanula pro fine.
Indictio Officii mortuorum, & Seſſionis, & Promotor contra abſentes, & pro rogitu.
Oratio mentalis. Orate, &c.
Epiſcopus benedicit ſolemniter, & diſcedit.

### SECUNDA SESSIO.

Clerus in Eccleſia, Canonici in Palatio, Epiſcopus in cappa uſque ad finem Miſſæ Defunctorum.
Abſolutio ſolemnis ad ſedem, cum panno, Cruce, &c.
Oratio. Abſolve.
Paratur pro Synodo cum Canonicis.
Antiphona, propitius, genibus flexis.
Pſal. Deus venerunt, ſedent.
Orationes. Evangelium. Veni creator.
Venerab. Sermo.
Promotor pro Judic. & Examinator.
Secret. Decret. de iiſdem.

*Proponuntur, & approbantur.*

Decretum de Teſtib. & Punctat. ib.
Sacræ Reliquiæ pro juramento.
Decretum de juramento, jurant Examinatores, Teſtes (ſi publici) & Punctat.
Decretum, ut abſentes jurent.
Promot. pro legendis Decretis de moribus.
Secret. Decreta Trid. de Reſidentia.
Concilii Prov. ultimi.
Et aliam.
Indictio continuand. Seſſ. recedunt.

*A prandio.*

Ut heri vocatur reliquus Clerus, vel legitur.
Promotor contra abſentes, & pro rogitu.
Oratio mentalis.
Benedictio ſolemnis.

### TERTIA SESSIO.

Clerus in Eccleſia, Canonici in Palatio,
Epiſcopus in cappa paratur cum Mitra ad Miſſam.
Miſſa de Trinitate. Incenſatur Clerus totus.
Sine benedictione in fine Miſſæ, mutat colorem paramentorum, parantur Canonici, Ant. Exaudi, & Pſ. ut in prima die
Orationes. Evangel. Veni Creator.
Venerab. Sermo.
Promotor pro reliqua lectione Decretorum.
Secret. legit Decreta.
Promotor pro publicatione Officialium Cleri.
Secret. publicat.
Procurator Cleri petit, &c.
Promotor pro concluſ. Synodi.
Secret. Decret. de eadem.
Promotor contra abſentes, & pro rogitu.
Sermo Epiſcopi.
Portæ aperiuntur.
Proceſſio cum Te Deum.
In reditu oratio nulla eſt: diſtribuuntur Acclamationes.
Oratio mentalis.
Acclamationes. Oſculum pacis.
Secret. legit Decretum de dimiſſione Synodi.
Benedictio Epiſcopi cum Indulgentiis.
Recedamus in pace.

Bulla, & Decreta varia legenda in Synodis Diœceſanis Provinciæ Mediolanenſis ex Decretis Provincialibus: quæ poſſunt utiliter legi, & in quacumque Synodo Diœceſana alterius Provinciæ.

*Decretum Concil. Provincial. 5. de profeſſione Fidei.*

Sacri igitur Concil. Trid. auctoritate innixi mandamus, ut omnes ii, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, vel impoſterum obtinebunt, & qui in Synodum Diœceſanam convenire

nire

nire debeat, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia, & ſingula a Sacro Concilio Tridentino definita, & ſtatuta ſunt, palam recipiant, veram obedientiam Summo Romano Pontifici ſpondeant: ſimulque hæreſes omnes publice deteſtentur, & anathematizent fidem profitentes juxta formulam in Conſtit. a S. D. N. Pio IV. Pont. Max. præſcriptam, etiam ſi antea in Diœceſana Synodo in Officium, ad exequendum juſſa Trid. Conc. alia quacumque ratione, & modo objerint.

Decretum Congreg. Card. Concil. Trident. de electione Judicum Synodalium.

*Die XXVII. Septembris Anni M. DC. XIV.*

SAcra Congregatio Card. Conc. Interpretum, cui id munus a Sanctiſs. D. N. injunctum eſt, auditis Illuſtr. Archiepiſcopis Med. ac Regularium Procuratoribus cenſuit Illuſt. Archiepiſc. Mediolan. ejuſque Comprovinciales Epiſcopos oportere ſingulis annis in Diœceſana Synodo Canonicos omnes tuæ cujuſque Cathedralis proponere, qui in Judices Synodales deputentur ad hoc, ut ex eis Regulares Provinciæ Mediol. poſſint, quos ſibi maluerint, in Judices Conſervatores eligere, ipſis vero Regularibus licere Conſervatores ſibi conſtituere tam ex prædictis Judicibus, quam ex aliis, quos Illuſtriſs. Archiepiſc. atque illius Suffraganei quotannis in Judices Synodales de ſuo cujuſque Clero deputaverint. Ac præterea Epiſcopo, atque illis Superiores, eorumque Generales Vicarios, prædictoſque omnes intra unam tantum, vel duas Dietas, prout illorum Privilegiis cautum reperitur. Rurſus Conſervatores, qui in præſentia Judices Synodales non ſunt, immutari debere, atque alios eligi juxta formam ſuperius præſcriptam, horum tamen Acta omnia ab ipſis hucuſque geſta, ſi modo ex hoc capite viribus careant, Sac. Congr. ad Cautelam confirmavit, juſſitque perinde valere, ac ſi a Conſervatoribus legitime deputatis proceſſiſſent. Cæterum quoad alia capita cenſuit ſeptimam Synodum Provincialem Mediolan. fore per omnia exequendam juxta litteras in forma Brevis Sanctiſs. D. N. D. ſignatas.

Horatius Cardinalis Lancellotus.

Loco ✠ Sigilli.

*Pii II. Bulla de Clericis male promotis.*

CUm ex ſacrorum ordinum collatione, & infra. Cum itaque ſicut fide dignorum relatione non niſi moleſte accipimus, quod nonnulli Clerici extra tempora e jure ſtatuta, quidam ante ætatem legitimam, aliqui vero ſine dimiſſoriis litteris contra ſanctiones Canonicas ſe faciant ad ſacros nes promoveri: Nos eorumdem temeritatem tali caſtigatione reprimentes, ut talis impoſterum committendi ſimilia aditus præcludatur, auctoritate Apoſtolica, præſenti conſtitutione perpetuo valitura, ſtatuimus & ordinamus, ut omnes & ſinguli, qui abſque diſpenſatione Canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante legitimam ætatem; vel abſque litteris dimiſſoriis etiam citramontani a citramontanis: præterquam ſi in hoc ultimo caſu per Cameram Apoſtolicam juxta ipſius ſtylum ordinati fuerint, ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum executione ordinum ipſo jure ſint ſuſpenſi; Et ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant, propter quam, ultra alias pœnas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis Eccleſiaſticis, quæ obtinent, poſſint jure privari.

*Pii V. Bulla de confidentiis Beneficialibus.*

INtollerabilis multorum perverſitas, & infra Quare nos volentes periculoſam talium audaciam novi juris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut ſi quis quacumque auctoritate Eccleſiam, vel Monaſterium, aut aliud beneficium Eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ, ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis cum egreſſu, vel acceſſu, etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud, etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus, eidem dimittendi, vel alteri poſtea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur ex eiſdem, hæc confidentia cenſeatur.

Itidem Ordinarius, vel alius Collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Eccleſiaſticum quovis modo vacans, ea conditione tacita, vel expreſſa, ut poſtea in alterum pro arbitrio Collatoris, ſeu alterius cujuſcumque contra juris communis ordinationem diſponatur, ſive ut de eo proviſurus, fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum conferentis vel cedentis aut alterius relinquat, & remittat, ſeu penſionem illi, vel illis, quem, vel quos idem Collator, vel cedens, vel alius per ſe, vel per alios ſcripto, aut verbo dixerit ſeu ſignificaverit, perſolvat; & pariter ſi a patrono etiam Laico, vel alteri præſentatori ſeu electori contigerit, aut contingat id fieri.

Ad hæc ſi Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alias a ſolutione jurium ipſius Cameræ vel etiam Cancelariæ Apoſtolicæ exemptus poſt reſignationem, vel ceſſionem alicujus extranei de Eccleſia, Monaſterio vel alio beneficio Eccleſiaſtico in ſe Apoſtolica, vel alia auctoritate factam, & admiſſam, illam, vel illud etiam confectis literis Apoſt. & poſſeſſione apprehenſa in eumdem reſignantem, vel cedentem, modico ſpatio interjecto, veluti duorum, aut trium menſium, retroceſſerit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retroceſſione fructus Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, aut Beneficii, vel eorum pars, ſeu penſio, ſeu quid aliud ſuper illis reſervatum, aut regreſſus, ſeu acceſſus, & ingreſſus ad illam, vel illud ipſi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto ſit, fueritve conceſſus.

Poſtremo ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſt, diſpenſatum eſt, denuo receperit quacumque auctoritate, Eccleſiam, Monaſterium, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum, quod ante, vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerit, in quovis horum caſuum confidentiæ pravitas ſit contracta, caſuſque hujuſmodi litteris prædictis comprehendantur, ac ſi illi ſpeciatim expreſſi fuiſſent, licet ipſum confidentiæ crimen alterius partis conſcientia ſit admiſſum.

Ad probandum vero plene confidentiarum abuſum, inter alias, etiam hæ preſumptiones, & conjecturæ habeantur legitimæ, videlicet.

Si quis poſt ceſſam a ſe Eccleſiam, vel Monaſterium, aut Beneficium, & publicatam reſignationem, ſeu ceſſionem, captamque a ſucceſſore poſſeſſionem, ſeſe in illa, vel illo, ſeu rebus, per ſe, vel alium, ſeu alios, de facto ingeſſerit, aut fructus perceperit, aut quicumque ſucceſſor illi, vel ejus propinquis ipſos, aut partem aliquam remiſerit eorumdem.

Si recipiens beneficium conſtituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos Procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimiſſi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si, vel ſola Procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus manſariorum ex parte dimittendis expeditio, quæ perſonam recipientis concernit, proſequuta ſit, ſimulque expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint.

Deoique ſi quis pro conceſſione alicui facta quacumque auctoritate, de beneficio Eccleſiaſtico, per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſerit, vel alias in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii, de facto, etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quandocumque.

Teſtes autem &c. Decernit ut duo teſtes valeant ſingulas præſumptiones, & conjecturas probare, & quod plures hujuſmodi præſumptiones, & conjecturæ faciant in prædictis plenam probationem.

Admittuntur criminoſi, & cæteri omnes, qui in caſibus ſimoniæ recipi poſſunt ad perhibendum teſtimonium.

Sed ne quis &c. Decernit tamdem hujuſmodi beneficia confidentiam conſecuta, reſervata exiſtere diſpoſitioni Apoſtolicæ, confidentiarios autem obtentis beneficiis, penſionibus, adminiſtrationibus, officiis, & dignitatibus privatos eſſe, ac inabiles ad quaſcumque in futurum reddi, prout privat, ac inhabiles ad futura decernit, ac in juris ſubſidium excommunicationis ſententia innodat, a qua nullus, niſi in mortis articulo conſtitutus, ab alio, quam a Romano Pontifice abſolutionis beneficium valeat obtinere.

*Pii V. Bulla de Horis Canonicis.*

EX proximo Lateranenſe Concilio pia, & ſalubris ſanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, Divinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officii, & temporis, ſuos non faciat, ſed eos, tamquam injuſte preceptos, in fabbricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione teneutur, cujuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei evidentius, atque expreſſius providere volentes, ſtatuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorum fructus amittat qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam: qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam: qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat; tametſi aliquis Choro adictus, non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones ſorte aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat, Is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem item ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat commiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. Aut quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus, percipit,

Digitized by Google

pit, eo modo prædicto ad dicendum officium parvum B. M. Virg. decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statuti, Declarationis, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnip. Dei, ac Beati Petri, & Pauli Apoſtoli ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dom. 1571. 12. Kal. Octobr. Pontificatus Noſtri Anno VI.

Cæſ. Glorierus.

*Decretum de vit. & honeſt. Cler. Collectum ex Concil. Prov. 1, & 4. hoc tit. & de div. Offic. ac ext. 5. die &c. Chori diſciplina.*

QUales eos eſſe oporteat, qui divino cultui ſacriſque Myſteriis conſecrati ſunt, cæleſtis Magiſter Chriſt. Dom. docuit illis verbis; vos eſtis ſal Terræ, & lux Mundi; itaque nihil illos agere, nihil gerere, nihilque præ ſe ferre oporret, quod non ſimplex, caſtum, integrumque ſit, ut modeſtiæ, morum ſanctitatis, ac virtutum denique omnium cæteris exemplum quaſi lumen ipſi præbeant: Quare Clericorum animis nil frequentius infigi oportet, quam Canones, Decreta, Conſtitutiones, vitæ honeſtas, ſanctitas.

Et quoniam in Conc. Prov. 1. §. pie & 4. tit. de vit. & honeſt. & 5. de Chori diſciplina multa hoc de genere præſcripta ſunt: Ideo eniîe in Domino hortamur, obſecramus omnes vos, ut aſſidue ipſum Concilium præ manibus habeatis, & quæ ibi præſcripta ſunt diligenter exequamini, præcipue vero illud Curatis cordi ſit, ut tres in hebdomada, aut eo etiam ſæpius, quo, vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini ſacrificii uſum poſtulabit; Miſſæ Sacrum faciant, porro cæteri Clerici ſingulis menſibus: Diaconi vero, & Subdiaconi, bis ſaltem Sacram Euchariſtiam ſumant in menſe; Parochi autem, quos in hoc negligentes viderint, ad Epiſcopum deferant.

Divinum Officium, qui beneficiati ſunt, vel ſacris initiati, ſine juſti impedimenti cauſa ne intermittant, memores, quod ultra mortalis peccati commiſſionem, beneficiorum ſuorum fructus etiam ſuos non faciunt, ſed tamquam injuſte perceptos in ejus Eccleſiæ fabricam, vel pauperum Eleemoſynas erogare debent: & quod ſi XV. dierum ſpatio bis illud omiſerint, jure beneficio privari poſſunt: ac proinde Nos monemus tenore præſentis Decreti omnes Beneficiatos, ut ad præſcriptum dicti Conc. Officium recitent, & nulla ratione prætermittant: Sacris vero initiati in hoc delinquentes nos ſeveros ultores experientur.

Clerici Catechiſmum Romanum, Sac. Conc. Trid. Provinciales, necnon Diœceſanas conſtitutiones omnino habeant. Kalendarium item pro regulando divino Officio juſſu noſtro editum ſibi comparent; ad ejuſque præſcriptum Officium divinum recitent.

Parochi nonnili librum Ritualem juſſu fel. rec. Pauli V. Editum in Sacramentis miniſtrandis adhibeant; ſummas caſuum conſcientiæ, & Sermonum libros pervolvant.

Omnes deferant Tonſuram; in habitu autem non ſit, nec exquiſitæ elegantiæ cultus, nec nimis abjecta negligentia, & affectatæ ſordes appareant: ſit procul habitus, & ornamenti novitas, ſerici veſtimenti ubique uſus abſcedat, & reliqua, quæ de Clericorum veſtitu] eodem in Concilio præſcripta, ſunt accurate exequantur.

*Monitiones, ex Conc. 4.*

1. PRimo, fratres, & filii in Chriſto chariſſimi memores perpetuo eſtote vocationis, qua vos dignatus eſt Dominus noſter.

Qua aſſidue recordatione, memoriaque excitati eam vos virtutem induite, ut videant alii quaſi lumen aliquod veſtram ſanctitatem elucere. Quæ ſi magna in aliis vitæ Chriſtianæ inſtitutis, requiritur ut certe in vobis, qui myſteriorum Dei miniſtri, divinæque gratiæ diſpenſatores eſtis, major ineſſe debet.

Et ſicut ſacro Ordine a reliquis hominibus ſejuncti eſtis, ita, a communi fidelium vitæ uſu ſejuncti, præcipuum quoddam, atque hoc præſtantius vivendi genus ſequimini, quo ordine dignitate præcellitis.

Cœleſtem in terris vitam, tamquam Angeli Dei, moribus veſtris exprimere uſque adeo ſtudete, ut a vobis divinarum virtutum exempla ad cæteros emanent.

Una anima confeſſione, unoque ſpiritu in iis elaborate, ut divino cultui, & cœleſtium rerum meditationibus, & orationi, & ſacrarum, Eccleſiaſticarumque litterarum ſtudiis vacetis, tum depoſitis ſæcularibus, vaniſque ſollicitudinibus ab omni vitio alieni, in via Domini recte ambuletis.

Charitatem in primis, quæ Seminarium eſt omnium virtutum, omni ſtudio amplectimini.

Humilitatem, Manſuetudinem, Patientiam, Juſtitiam, Temperantiam, officiaque Chriſtianæ pietatis reliqua colite. Quæcumque denique ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque ſancta, ac religioſa, ea cogitate, eaque agite.

Virtutes Sanctorum Patrum, quas præcipuas, & quaſi hæreditaria nobis admiratione reliquerunt, non adumbrare ſolum, ſed omnino exprimere certatim contendite.

Utque illi, ſic vos abſtinentiæ, & jejuniis dediti, clericalis diſciplinæ, ac vitæ caſtiſſimæ ſtudioſi, tum patriæ cœleſtis ſitientes, Deo ſervite aſſiduis divinarum laudum officiis, & in Eccleſia, quaſi in perpetua veſtra Sacerdotali, Clericalique ſtatione continenter verſamini.

Quæcumque demum de muneris veſtri partibus, de vitæ modo, vel Pontificum ſanctionibus, vel Oecumenicis Conciliis, vel Provincialibus, Diœceſaniſque Synodis, vel alia ratione præſcripta ſunt, ea vos ſervate, ac præſtare diligenter.

Omnes qui Canonicarum Horarum Officiis devincti eſtis, ſtatutas eas preces horarias recitate ad præſcriptam Kalendarii anniverſarii rationem ac ritum.

Nec vero negligenter, ſed attente, pie, decore, ſupplicique mente illas dicite.

Studioſe prætere legite quæ præſertim a B. Antonino Archiepiſc. conſcripta ſunt de negligentia in perſolvendis Horis Can. ut quæ eo nomine errata ſunt, omnino caveatis.

Expletis Canonicarum Horarum officiis, ſi quid in illis aut negligentia, aut alia culpa commiſeritis, paululum colligentes vos veniam a Deo petite.

2. Qui Sacerdotes eſtis, Miſſæ ſacrificium ſæpius facite ac religioſe. Ad illud faciendum parate vos omni pietate in tam alti myſterii meditatione toto animo defixi, & quo prius id faciatis, propriam conſcientiam diligenti, accurato, frequentique examine diſcurrite; tum ſingulis ſaltem hebdomadis, atque adeo ſæpius & omnino ſemper cum peccati mortalis conſcii eſtis, uni e confeſſariis Sacerdotibus, ad Cleri confeſſiones audiendas conſtitutis, confiteamini.

In ea Sanctiſſimi Sacrificii actione ab erroribus, vel leviſſimis omnino cavete.

Quæ illo pie, recteque celebrando præſcripta ſunt, ea vos ſtudioſe, diligenterque ſervate.

3. Diaconi, Subdiaconi, Clerici inferiorum Ordinum quicumque eſtis, quæ de confitendis ſæpe peccatis, de Communione frequenter ſumenda vobis juſſa ſunt, integre, & ſancte omnia, ut debetis, præſtate.

Confeſſarios Sacerdotes, per nos vobis conſtitutos, quos etiam tamquam vitæ veſtræ Duces, ac Magiſtros elegimus, adire.

Eccleſiaſticæ militiæ omnes vos adſcripti eſtis, ad pietatis, religioniſque exercitationes vos vocatos eſſe cognoſcite.

In omni in primis ſancta Oratione vos aſſidue exercete, tum in meditationis, tacitæque piæ orationis ſtudio ſingulis diebus certo temporis ſpatio, toto caſtiſſimi animi ſenſu incumbite.

Hæc ſanctis precibus cætera, ſupplices præſertim afflictis rei Chriſtianæ temporibus, orate Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, ut miſereatur populi ſui.

Ut fidelium animos, ad vitia fugienda, ad virtuteſque amplectendas S. S. ſui ardore inflammet.

Ut e Principum, Regumque animis evellantur, ſi quæ ſunt diſcordiæ ſemina.

Ut una animi confeſſione Chriſti Regnum propagare ſtudeant, unamque Dei gloriam, atque Eccleſiæ Matris defenſionem propoſitam habeant.

Quicquid vero temporis a Divinis Officiis, ab Orationis, contemplationiſque exercitatione, ab Eccleſiaſticis functionibus, & ab aliis neceſſariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in deſideria; nec vero in rerum novarum curioſitatibus illud conterite; ſed cum in ſortem Domini vocati ſitis, in ejus lege die, ac nocte meditemini.

Sacrarum igitur litterarum ſtudia diligentius colite, quæ uſque adeo complecti debetis, ut qui aſpernetur, contra eum dicat Dominus.

Quia tuam ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

Frequentes ad ſtatutas lectiones, & ad litterarum tractationes vobis præſcriptas convenite.

Attento animo in iis adeſte, atque in dies ad uberiorem ſacrorum ſtudiorum fructum progreſſionem aliquam habete, ut ad Epiſcopatum aliquando vocati, & diligentiæ, & doctrinæ teſtimonium detis.

Si qui eſtis, qui vel tarditate ingenii, vel ingraveſcente ætate magnum in litteris progreſſum habere non poteſtis, ne deſiſtite tamen primum oratione frequenti intelligentiam vobis neceſſariam a Deo petere; tum eo diligentius, pietatis, modeſtiæque ſtudium, ac Sanctorum morum diſciplinam incumbite, tum ſæpius Sacerdotes paſtores conſulite & Clericales, Sacerdotaleſque exercitationes convenite, & libentius, & frequentius.

Concionibus etiam, atque lectionibus ſacris, quæ in Eccleſia conſtitutis diebus habentur, cum omnes quidem eſtis, tum maxime quibus potiſſimum conciliaribus decretis juſſum eſt, quo decet habitu, frequentiſſime adeſte.

Lectione librorum ſpiritualium, & clericalium, qui probati ſint, animos menteſque veſtras paſcite.

Quatuor præſertim locos, ex catechiſmi Romani doctrina, de duodecim fidei Articulis, de ſeptem Sacramentis, de decem Præceptis, de oratione Dominica, in promptu, atque explicate habere omni ſtudio contendite.

Cum

Cum iis, & præceptorum Eccleſiæ cognitionem, & preces horarias recitandi peritiam, & Eccleſiaſticorum rituum, cæremoniarumque notitiam conjungite.

Pauculos libros quorum neceſſarius delectus vobis Decretis vel Provincialibus, vel Diœceſanis præſcriptus eſt habere, ne omittite, aut negligite.

Qui pro facultatibus, proque ſtudiorum ratione plures habere poſſunt, eorum optamus, & laudamus in iis comparandis diligentiam.

At libros de rebus jocoſis, ridiculis, obſcœnis, inanibus ad poeſiſque profanæ ſtudium pertinentibus, vulgari, aut latino ſermone conſcriptos, procul abjicite.

Ne vero muſicas cantiones ridicule, voluptuoſe, parumque publice exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex ſacris Bibliis legite; ac ſi per Eccleſiaſticas occupationes licet, qui apti eſtis, aliquid item ex Sanctorum Patrum opuſculis, Gregorii Magni Pontificis, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi, Bernardi, & aliorum, qui ſanctitatis, & doctrinæ laude in Eccleſia celebrantur.

In iis ad legendum, ſanctiſs. patrem Ambroſium Epiſcop. vobis potiſſimum proponite.

Illius præcipue librum de Sacerdotali dignitate legite, quo libro Eccleſiaſticos homines commonuit de perfectæ vitæ inſtitutione.

Libros item officiorum, quos ubi primam Epiſcopus is factus eſt, Cleri Mediolanenſis potiſſimum cauſa edidit, in manibus aſſiduis habete.

Hos, atque alios præterea libros de Sacerdotalis, Clericaliſque vitæ rationibus, & officiis, de animarum cura, de Chriſtianæ pietatis ſtudiis, & exercitationibus, deque aliis ejuſdem generis pie confectos, ita legite, ut quæcumque ad vitæ ſanctæ normam accommodata ex illis animadvertiſtis, ac didiciſtis, moribus exprimatis.

Conciliorum item Provincialium, & Diœceſanorum, Conſtitutiones, & Decreta non percurrite ſolum, ſed uſque adeo ſtudioſe legite, ut, quæ legeritis poſt etiam taciti vobiſcum aliquando mente reputetis, ac videatis ſimul non ſolum ſi quicquam eſt, quod contra illorum præſcriptum egeritis, verum ſi quid etiam aliud eſt quod ex eiſdem exequi præſtarive omiſeritis, aut neglexeritis. Quod ut præſtetis, curate omnino, atque efficite.

Eſtis, divina miſericordia, in Eccleſiaſtico ordine conſtituti, ad Gloriam Dei conſervandam propagandamque, ideo tum ordinis veſtri miniſterium, quod explere debetis, videte, tum illius dignitatem, ac decorum ſervate.

In inceſſu, ſtatu, geſtu ita vos præbete, ut ab ordine, quem ſuſcepiſtis, nomine, & ratione nullo ſane modo diſcrepetis, propoſito vobis B. Patris Ambroſii judicio, qui Clero adſcribi hominem recuſavit, propterea quod ejus geſtus, & inceſſus dedeceret

Habitu non exquiſito, non delicato nimis, non ſerico, ne ornamento quidem: rurſus non ſordido, non neglecto, ſed gravi, & talari, atque ejuſmodi tum domi, tum foris pro uniuscujuſque veſtrum ordinis, graduſque ratione utimini, ut a Decretis eo de genere editis, nulla in re, vel minima, diſcedatis.

Coronam, quod inſigne eſt ordinis clericalis, pro ratione ordinis, quo vos ſinguli initiati eſtis, latam, & conſpicuam deferte.

Parca, & frugali menſa contenti ſitis, & ſupellectili etiam modeſta, ac tenui potius.

Ab omni ſplendido apparatu, pompaque ſæculari abſtinete.

Quæcumque acu picta, varie intexta, aulæa item, periſtromata rejicite.

Imagines domi non profanas, ſed eas habete, quæ pietatis, ac religionis argumentum, & adjumentum præbeant.

In omni vita a faſtu, luxu, ambitu, ambitioneve, & a vanitate longe refugite. Nec verbis quidem præſcriptum vitæ modum pervertite.

Nihil ſcurriliter, nihil jocoſe, nihil indecore, nihil turpiter loquamini.

Abſint a vobis maledicta, obtrectationes, curioſitas, levitas, aſſentationes, ac nugæ, Temperantiæ clericalis diſciplinam vobis præſcriptam in reliquis etiam omnino tenete.

Commeſſationes, compotationes, convivia publica, laicaliave tum maxime, in quibus mulieres interſunt, evitate.

Hoſpites excipite, at illis excipiendis intra parſimoniæ fines vos continete, itaut clericalis frugalitatis non ſumptuoſi convivii teſtes illos habeatis.

A ludis, ſpectaculis, circulatorumque, atque id genus vilium hominum præſtigiis procul eſtote.

Arma abjicite.

Sic denique cor veſtrum corroborate, ut inania ſpectacula non appetat, a mundi ludis, atque ineptiis abhorreat.

Senſus autem veſtros ita dirigite, cum a Deo utiliter dati ſint tanquam rationis miniſtri, ne eos perperam adhibeatis, ſicut ſatellites cupiditatum.

Sit igitur veſter oculorum aſpectus ſimplex, & pudicus.

Aurium ſenſus caſtus, & prudens, caſta mens, caſti omnes ſenſus.

Vitæ, & morum conſuetudo caſta, & ſpiritualis.

Ad eorum Sacerdotum, qui in ejuſmodi vitæ ſtudiis, & diſciplina exercitati ſunt, familiaritatem vos adjungite, ex qua vobis veſtræ ad ſancte agendum progreſſiones conſtent.

Ad caſtitatem autem conſervandam munite omnem viam.

Legite propterea ſæpe illum beati Cypriani Martyris de ſingularitate Clericorum librum, qui vos in hac, ut in aliis inſtruet virtutibus.

Suſpectarum autem mulierum conſortium omnino vitate.

Cum aliis vero quibuſvis mulieribus, quamvis vel arctiſſimo conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo vobis illæ conjunctæ ſint, ne in eiſdem domiciliis ædibuſve ſimul habitare, niſi cum ex cauſa alicui veſtrum aliquando Epiſcupalibus litteris permiſſum ſit.

In famulatu laicorum ne ſitis, multo minus fœminarum, quamvis nobilium.

Ne vero illas Muſicam, litteraſve docete, niſi ſcripta nominatim facultate ab Epiſcopo permiſſum cuiquam ſit.

Ædes Eccleſiaſticas ne laicis locate, niſi conceſſu Epiſcopali.

Ac ne ipſas quidem patrimoniales locationi iis date, quorum vita, moreſve ſuſpecti ſint; Sæcularibus vero negotiis, ut eſt Sancti Pauli Apoſtoli documentum, ne vos implicate.

A cujuſvis generis mercatura quæſtuoſa, omni negotiatione prædiorum, conductione, tum aliis, ut provinciali Decreto vobis interdictum eſt, prorſus cavere.

Ne pecuniæ, lucrive avidi ſitis; nemo poteſt ſervire Deo, & mammonæ: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet, inquit Chriſtus Dominus.

Si qui pauperes eſtis, ne cupiatis divites fieri, ut ne incidatis in tentationes multas, & in laqueum diaboli.

Paupertatem veſtram, ne moleſte ferte, paupertatem dilexit, & docuit cœleſtis magiſter Chriſtus, qui naſcens in præſepio ponitur, & nudus in cruce moritur.

Scitote paupertati ſocias adjungi ſobrietatem, abſtinentiam, & reliquas virtutes, quibus prælucere oportet Miniſtros Dei.

Præponite vobis Sanctorum veterum patrum vitam, qui lucrum non ſpectabant, temporalia non quærebant; & nihil tamen iis deerat: imo in paupertate illis aliquando aliquid abundabat, quod aliis erogarent.

Ne igitur quia tenuem redditum habetis, lucrum quærite, nec quæſtum, vos appetendo injuriam veſtro ordini facitis, avaritiæ ſordibus volutati.

Non ſæculi vos mercatores, non mammonæ miniſtri eſtis, ſed Chriſti mercatores, nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ſed bonorum operum abundantia cum charitate juncta facite theſauros in cœlis.

Studete vos lucrari animas Deo, & cœleſte horreum augere.

Exemplo Sanctorum, vos paupertate, ſobrietate, ac parſimonia ita agite, ut non modo a ſupervacanearum rerum uſibus abſtinentes, ſed veſtro etiam defraudantes victu, Eccleſias veſtras, & Altaria exornetis, ſarta tecta habeatis, ſacra ſupellectili inſtruatis. Alienis item neceſſitatibus ſubveniatis, & pauperibus opitulemini.

4. Qui uberiores Eccleſiaſticos redditus habetis, Eccleſias e quarum prædiis fructus præcipitis, eo magnificentius, & auguſtius, quo amplioribus donis, boniſve, auguſtorique liberalitate illæ dotatæ ſunt, illuſtri ſtructura, præclaro opere reficite, egregiis muneribus exornate, tum omni Eccleſiaſticæ ſupellectilis apparatu inſtruite.

Chriſti viſceribus ſubſtantiam Eccleſiaſticam erogate, pauperibus ſcilicet, peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis: quibus egentibus, & eſurientibus cum ſubvenire poſitis, ſi alimenta neceſſaria denegatis, violatæ charitatis rei eſtis in conſpectu Domini.

Memores eſtote ejus, quod a Sanctiſſimo Patre Ambroſio ſcriptum eſt, quod fideles eo animo obtulerint Eccleſiæ miniſtris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati ſumma omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.

Vos item alii, quicumque eſtis, quorum fidei Chriſti patrimonium proprie ad divini cultus, pauperumque uſum commiſſum eſt, cavete, ne ambitione, aut cupiditate prolapſi, in alium quam cui addictum eſt, convertatis: idque propterea ſacrilegii rei, damnationem æternam ſubeatis.

5. Univerſi autem vos, & ſinguli Eccleſiaſtici ordinis homines, ut ſummatim complectamur, quæ muneris veſtri ſunt, vobiſcum frequenter recolite, miniſterium veſtrum explere ſtudete, ſanctiſſima ſtudia religionis, & officii veſtri rebus aliis potiora ducite. In rerum divinarum, ſacrarumque cognitione omni cura incumbite; quæ divina, quæ ſempiterna ſunt, divitiarum, & honorum, & terrenarum rerum cogitationibus abjectis, amplectamini: reſtincto cupiditatum ardore, integros, caſtoſque vos ſervate: mundi voluptates, quæ a divinis præceptis detorquent, declinate: prædiorum Eccleſiaſticorum, quæ non avaritiæ præda, ſed inſtrumenta charitati relicta ſunt, reddittu, & fructibus non abutamini: humanitati ſtudete, charitatis opera

ra

ta præſtate, induimini Dominum Jeſum Chriſtum: Sanctorumque ejus facta imitamini, & horum imitatione, & illius in primis divinis præceptis, inſtitutiſque conformati, in vocatione, qua vocati eſtis, digne Deo ambuletis, tum vitæ veſtræ ſplendore laicis hominibus lumen præferatis ad vitam ſancte inſtituendam, tum vos repoſitam vobis juſtitiæ coronam demum percipiatis.

5. Omnes præterea, & ſinguli qui hujus Eccleſiæ miniſterio adſcripti aliquo modo eſtis, & Diœceſim, & Eccleſias, quas in ea obtinetis, quibuſque adſcripti eſtis, ſtationes veſtras, in quibus manendum vobis ſit, parate.

In illis ipſis reſidete.

Eccleſiaſticas ipſas ædes habitate; ibique domicilium veſtrum vere conſtituite, & habete.

Debitis muneribus, atque oneribus ſatisfacite.

Alia item agite, ac præſtate ex præſcripta Conciliaribus Decretis fructuoſæ, ſalutariſque reſidentiæ ratione.

6. Quicumque item Clerici minorum ordinum eſtis in Eccleſiis, quibus adſcripti eſtis, ſinguli ordinis, quo initiati eſtis, functiones tali pietate obite: ut digni habeamini, qui deinceps altiorem gradum aſſecuti, Sanctæ Dei Eccleſiæ inſerviatis.

Nemo autem veſtrum, quicumque eſtis, ſi alicui functioni eſtis deputati, ab Eccleſiaſtica ſtatione, perſonaliſque reſidentiæ munere diſcedat, niſi cauſis per Epiſcopum probatis, & etiam diſceſſu literis expreſſo.

Hæc quæ communiter, atque univerſe vos moniti eſtis, ſinguli ſervate, ſtudioſe, ac diligenter.

7. At præterea ſigillatim, nominatimque vos, qui in Cathedrali Eccleſia dignitates obtinetis, Canonici item tum ejusdem Eccleſiæ, tum reliquarum quarumvis Eccleſiarum Collegiatarum, vel urbanarum, vel Diœceſanarum, quicumque ſitis in omni Canonicalis diſciplinæ officio ita agite, ut Canonice, nempe Canonum legibus ad vitæ veſtræ inſtitutum pertinentibus, & Conſtitutionum Provincialium, Diœceſanarumque rationi congruenter vivatis. Ideoque primo maxime ſtudete, ut in conſpectu Dei Omnipotentis puro corde, & caſto corpore miniſtretis.

Tum ſinguli vos ordinis, dignitatis, aut Canonicatui annexi functiones explete: Canonicaliſque muneris partes præſtate omnes in Choro, ſtatis horis aſſiſtite, & ad Deum pro fidelibus, pias, religioſaſque fundite precationes.

Dum eo loco eſtis, memores eſtote adeſſe C. J. D. cui ſervite cum timore, & tremore.

Non pigri, non ſomnolenti, non oſcitanter adeſtote, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis ſtatu.

Attente, ſtudioſe, rite, pie, religioſe, divinas laudes concelebrate; & pſallite Deo in conſpectu Angelorum, cantantes in cordibus veſtris Domino.

In Choro nemo privatim, nemo tacite officium recitet; ſed omnes pariter; quicumque adeſtis, ſenes cum junioribus, laudate nomen Domini in pſalmis, hymnis, & canticis.

A quibuſcumque colloquiis, & a litterarum, librorum lectionibus, atque omni vagatione abſtinete.

Pro temporis autem, & officii ratione ſedete, ſtate, genua flectite, caput operito, & inclinate.

Accurate demum omnia obſervate, quæ eo de genere vobis præſcripta ſunt, itaut veſtro exemplo aliis Sacerdotibus, Clericiſque, & recte, riteque pſallendi, & ſancte orandi, & pie agendi animum addatis.

In pſalmorum autem, canticorum, & hymnorum intelligentiam ſtudioſe incumbite: ut, dum pſallitis, pro ſenſuum ſanctiſſimorum, quos mente concepiſtis, ratione, vos ad omnem pietatis, devotioniſque affectum excitetis.

Non ordinariæ diſtributionis lucro adducti, ſed Dei Charitate, religioniſque cultu commoti, divinis officiis adeſte, ut vere, ex animoque pſalmi verba illa concinatis: Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum eſt.

Divinis officiis abſolutis, paululum omnes in Choro pie orate, inde abeundi ſigno per Præfectum dato, conſurgentes, quo ordine ad Chorum acceſſiſtis, eodem in Sacriſtiam redite, ubi cappas, qui illas induti eſtis, & ſuperpellicea ſine ſtrepitu ullo, aut ſuſurratione deponite.

Canonicales veſtros conventus ſtatutis hebdomadæ diebus capitulariter habete.

Omnes qui debetis, ad illos convenite.

Inde ne diſcedite niſi miſſione a capituli Præfecto impetrata.

Singuli ordine, & loco ſedete.

Sententiam modeſte dicite, & ſuo quiſque loco, non præpoſtere.

A verbis ſcurrilibus abſtinete.

In rebus conſultandis rixas, jurgia, & contumelias cavete.

In initio, & fine uniuſcujuſque Capituli ſtantes orationes dicite.

Priori loco tractanda proponite, quæ ad divinum cultum, ad ſpiritualis vitæ progreſſionem, ad Eccleſiaſticam diſciplinam tuendam, tum quæ ad rerum temporalium gubernationem pertinent, ne negligite.

Cætera hoc de genere toto ſervate, quæ Provincialibus conſtitutionibus vobis præſcripta ſunt.

Omnia in primis agite pace mutua, concordi voluntate, & charitate fraterna vos invicem diligite; Canonici enim eſtis, qui ſicut pro Collegii ratione ex antiquo inſtituto una in Collegiata Eccleſia, unoque item in Canonicali domicilio collocati fuiſtis, ita uno pacis, & charitatis fœdere, unaque animarum confeſſione conjunctiſſimi ſicut naſcentis Eccleſiæ miniſtri, quorum erat cor unum, & anima una, experiundo videre, ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt, quam bonum, & quam jucundum ſit, habitare fratres in unum.

8. Quicumque vero eſtis, qui inter Canonicos, Præpoſiti, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradumve obtinetis, ſicut honore, & dignitate præſtatis, ita virtutum exemplis, vigilantique in muneris, curæve partibus obeundis ſollicitudine prælucete.

Parochi præterea, cæteri quicumque eſtis, etiam Præpoſiti Archipresbyteri, aliive, qui animarum curam geritis, præter ea, quæ vos cum reliquo Clero communis univerſo monuimus, illa etiam, quæ præcipue de vobis decreta ſunt, præſtate omni ſollicitudine.

In primis oves, vobis concreditæ, cognoſcendæ ſunt, & appellandæ nominatim, paſcendæ, & cuſtodiendæ item.

Animarum igitur numerum in Catalogum redigite ad præſcriptam normam.

Eorum, qui baptizantur, qui item confirmantur, & compatrum etiam, qui adhibentur, nomina deſcribite.

Matrimonia in Codicem referte.

Parochiæ veſtræ incolarum vitam, & mores inveſtigate.

Indagate omni ſtudio, ſi qui hæreſi contaminati ſint, aut ſuſpecti: aut ſi qui ſint, qui hæreticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant, eoſque ſtatim denunciate.

Monete etiam populum, ut idipſum etiam præſtet, ad noſtri edicti præſcriptum, quod ſtatutis temporibus de more promulgate.

Perquirite de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.

Diſpicite, ſi qui e Parochiæ veſtræ finibus ad loca proficiſcantur, ubi impune prædicatur, quod a Catholica fide alienum eſt, tum etiam an ii profectionis facultate impetrata agant ad præſcriptum Decreti in Concilio Provinciali tertio promulgati.

Inveſtigate præterea de iis, qui in veſtra Parochia docent, eorumdemque mores, vitam, & fidem obſervate, ac reliqua de iis ipſis præſtate, quæ Conciliis Provincialibus præſcripta, juſſave ſint.

Videte, & cavete, ne ſuperſtitiones, magicæ cantiones, & hujuſmodi diabolicæ ſuperſtitiones in populo veſtro ſint.

Cognoſcite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, uſurarios, blaſphemos; & denunciate.

Cognoſcite etiam alios populorum corruptores, qui feſtis diebus non Deo, ſed aleis, ludis, choreis, diabolo ſerviunt, quique feſtorum diem cultum quovis modo violant, quales ſint, neque obſervant Pontificias, neque Provinciales de diebus feſtis colendis Conſtitutiones, aut Edicta Epiſcopalia.

Iſtos ab ea male agendi corruptela revocare, ac deterrere, omni pietatis officio ſtudete, tum Epiſcopo etiam, ſicut opus erit, ſignificate, ut præ curæ Epiſcopalis officio ſalutare remedium afferatur.

Rurſus agnoſcite etiam pauperes, viduas, pupillos, cæteroſque aliena ope egentes, quibus, & ſalutari conſilio, & conſolatione, & re ſubvenite, aut ſi minus re poteſtis, cohortatione alios accendite ad eos ſublevandos.

Sique illorum gravior inopia depoſcit, feſtis etiam diebus a fidelium liberalitate aliquid in Eccleſia colligendum curate, ut ab Epiſcopo præſcribatur, quod ipſis in eleemoſynam conferatur.

Seorſum etiam locupletes Parochiæ incolas convenite; quibus pauperum egeſtates proponite, & oſtendite eis divitias a Deo propterea etiam eſſe tributas, ut inopibus ſuccurrant.

Si qui autem potentiorum opibus in cauſa aliqua oppreſſi ſunt, illos unice, atque intime eorum patrocinio commendate, qui vel ex ſuſcepto officio id præſtare debent; vel quibus Epiſcopus hanc curam dederit.

Paſcite in primis populum vobis commiſſum prædicatione verbi Dei, ſalutaribus monitis, adminiſtratione item Sacramentorum, exemplo, & oratione.

In verba Dei exponendo plane obſervate, quæ Conſtitutione Provinciali, & aliis Concionatoribus, & vobis præſcripta ſunt.

Pueros feſtis, Dominiciſque diebus, in Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis inſtruite.

Provectioris ætatis homines ad eadem intelligenda invitate.

Patres, matreſque familias monete, ut filios, filias, cæteroſque quos in familia habent, ad ſtatutas Doctrinæ Chriſtianæ ſcholas ipſi conducant.

Confratrum, qui iis ſcholis adſcripti ſunt, operam ad hoc inſtitutum adhibete, curateque, ut mutua inter eos charitas, morumque diſciplina obſervetur.

Alios etiam ad tam pium opus amplectendum alacriores reddite, atque excitate, tum aſſiduis veſtris cohortationibus, tum promulgatione theſauri ſpiritualis indulgentiarum, iis conceſſi, qui iis ſcholis adſcribuntur, in illiſque operam navant.

Ne omittite diebus Feſtis inter Miſſarum ſolemnia aliquid ex iis, quæ in Miſſa leguntur, fidelibus exponere, & Sanctiſſimi illius Sacrificii myſterium aliquid explanare, & aliquando ſanctiores illius ſacrarum Cæremoniarum, rituumque rationes, & ſignificationes explicare, quo diligentius inſtructi in dies Sacroſancto illi Sacrificio religioſus interſint.

Docet item, quomodo fideles ſigno Miſſæ celebrandæ dato ſe corde contrito ad eam ſancte audiendam parent.

Curate, atque efficite perpetuis veſtris monitionum officiis, ut in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni ejus parte, utroque genu flexo præterquam in Evangelio adſint.

Inſtruite etiam eos, quam religioſe non ſolum in Miſſæ ſacro, verum etiam in divinis aliis Officiis verſandum.

Quando ſtandum, quando genua flectenda, quando aſſurgendum.

Quam valde, dum illa fiunt, celebranturve, fugendæ confabulationes, colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores, immo vero inanes cogitationes, quibus a pia meditatione, & myſteriorum, quæ aguntur, contemplatione, religioſaque oratione animus diſtrahitur; quam denique ſtudioſe vitanda reliqua omnia ab eorum Officiorum ſanctitate, & cultu aliena.

Rurſus quam ſancte item, quam religioſe, & quam demiſſo, humilique habitu in ſupplicationibus, litaniis, & ſtationibus verſandum ſit.

Qua reverentia, quove pietatis ſtudio in Eccleſiis, locisve ſacris manendum ſit, quæve ab illis procul abeſſe debeant, idque ex Sanctionibus Pontificiis, Conſtitutionibus conciliaribus, Epiſcopalibus præterea Edictis.

Qua etiam non ſolum intima religioſi animi præparatione, ſed externa etiam cultus pietate, modeſtia, humili genuflexione, & armis depoſitis, ad Sanctiſſimam Communionem, tam etiam ad cætera Sacramenta accedendum ſit.

Tum docete, ac monete, quomodo dies Feſti colendi, & ſanctificandi ſint.

Oſtendite indigniſſimum eſſe ſacris illis diebus non modo a nefariis operibus, illicitiſque negotiis non abſtinere; verum etiam religionis, ac pietatis opera non præſtare omni diligentia.

Ac præterea nefas eſſe ſacros dies ad maxima Dei beneficia colenda, ſummaſque ei laudes perſolvendas, ac debitum Sancti honorem tribuendum inſtitutos, ad illas traduci, quæ ab eo cultu abhorrent: qualia ſunt tripudia, ludi, choreæ, ſpectacula, quibus, ad turpes illecebras incitantibus, ſalutis humanæ hoſtis diabolus oblectatur:

Denunciate item ſtatuta Sacrorum Temporum jejunia, docete quomodo jejunandum, quæ peccati gravitas violandis ſacris jejuniis.

Quæ præterea Chriſtianæ pietatis officia in Sanctorum vigiliis.

Quam ſancte obſervandum quadrageſimale jejunium: ſtatutis autem ſolemnibus, vel Adventus, vel Septuageſimæ, vel aliorum temporum celebritatibus præmonete fideles, atque diligenter ex paſtoralium etiam litterarum præſcripta recitatione, ac ratione inſtruite ad ſacra illorum temporum myſteria, ſanctis pietatis officiis religioſe colenda.

Ut iis omnibus pro temporum, ſolemnitatumque ratione illi inſtrui poſſint, ſæpe monete, ut Dominicis, aliiſque Feſtis diebus, quemadmodum ſacra Tridentina Synodus optat, ad Parochialem Eccleſiam conveniant.

Qua in re ſæpius monitionem paſtoralem eo de genere frequenti populo legite.

Sæpe autem, ac diligenter eoſdem docete, quam aſſidue orandum ſit.

Quomodo, & tacita ſupplici mentis meditatione, & piis ſtatis orationibus precandum.

Quam ſtudioſe, ac religioſe ſuſcipiendum veſpertinæ communis orationis inſtitutum, quam diligenter illud ſemel ſuſceptum pie retinendum.

Ideoque cum alias ſæpe in anno eam orandi rationem, cum indulgentiis conceſſis per ſumma capita explicate: tum præcipue diebus Concilio Provinciali Tertio conſtitutis in maxima populi frequentia de ſcripto pronunciate, atque evulgate.

Dominicis diebus inſtruite populum, & monete, pro quibus oret, ut eſt in eodem Provinciali Concilio decretum.

Tum præterea, quas ſingulis hebdomadæ feriis, præcipuas precationes, Chriſtianaſque meditationes, atque in orando exercitationes ſibi propoſitas in promptu habere poſſit.

Quam ſæpiſſime vero ſermonibus veſtris populo proponite locos perpetuæ Chriſtianæ meditationis de Morte, de Judicio, de Inferno, de Gloria, & de præmio Paradiſi.

Monete præterea ſedulo, ac frequentiſſime patres, matreſque familias, ut liberos, familiamque ſuam ad pietatis, Chriſtianarumque virtutum diſciplinam religioſe inſtituant.

Ad hoc propterea patres familias inducite, ut de vitæ ſpiritualis ratione, & piis exercitationibus libros probatos domi ſuæ habeant; in quorum lectione verſentur, ſeſeque ac familiam inſtruant ad ſancte agendum.

De patrumfamilias officiis, familiæque inſtitutione, editam in Concilio Tertio Provinciali Conſtitutionem in Parochiali conventu legite, ſingulaſque ejus partes explicate.

Tum alia præterea docete, quæ opportuna exiſtimaveritis, quibus illi ſe, ſuamque familiam in Chriſtianæ vitæ inſtitutis, atque exercitationibus conforment.

In officinis etiam, & tabernis diſciplinæ, vitæque Chriſtianæ rationes obſervate: ſi quid autem, vel ab artificibus, vel ab inſtitutoribus operari, ſive committi, animadverteritis, quod diſſolutæ diſciplinæ ſit, id officinarum, tabernarumve dominos graviter monete, oſtenditeque ea in re officii ſui partes.

Eſtis participes, & ſocii laborum, curæque Epiſcopalis, & in meſſe Epiſcopo commiſſa, operarii eſtis, elaborate una cum eo, & contendite, ut populus, cujus cura geritur, tanquam purum triticum, auxiliante divina miſericordia, congregetur in horrea cæleſtia.

Depoſitum cuſtodi, inquit Apoſtolus Paulus: id vobis ſingulis dictum eſſe putate, ut in grege, tanquam depoſito fidei, curæque veſtræ commiſſo diligenter cuſtodiendo, ab omnique peccati labe conſervando, cogitationem, ſollicitudinem, curam, ſtudiumque omne collocetis.

Parochiæ igitur unicuique veſtrum concreditæ viciniam, cum a cæteris vitiis omnibus vos ſinguli ſollicite cuſtodite, tum curate etiam, ne odia, ſimulationes, inimicitiæ, factiones, temere jurandi, maledicendi, imprecandi, pravæ conſuetudines, ac ne detrectationes quidem in ea ſint.

At vitia in primis, & peccata, ad quæ populum procliviorem eſſe animadverteritis, reprehendite, atque exagitate.

Nec vero diſſimulate peccata: ſed annunciate populo ſcelera ajut: publice peccantes coram omnibus arguite, ut & alii timorem habeant.

Idque agite ſpiritu fortitudinis Domini, ut ſtrenui ejus milites, bonam militiam militate, nihil plane trepidantes.

Si ab increpatione, vos monet Sanctus Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia inſurgere reformidatis, non jam Dei lucra, ſed veſtra quæritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicujus generis contumeliis illud vel increpandi, vel palam arguendi officium deſerite, modo Chriſti, & animarum ſaluti ſerviatis.

Rurſus non aucupandæ hominum gratiæ ſtudio id agere deſiſtitis: ſervus Dei non eſſem, ſi hominibus placerem, inquit Apoſtolus.

Væ vobis tacentibus, aut diſſimulantibus, ſi grex curæ veſtræ commiſſus perierit, ſanguinem ejus de manibus veſtris requiret juſtus, & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, ne in increpationibus verba veſtra blandientia ſint, ſed, ut a Spiritu Sancto ſcriptum eſt, ſtimuli ſint, & quaſi clavi in altum defixi.

Inſtate opportune, importune, privatis etiam admonitionibus, conſiliis, correptionibus, objurgationibus, ut peccanto, adjutrice divina gratia, in viam ſalutis revocetis.

In uſum etiam ſancta ita revocate fraternam correctionem, ut non modo mutua Chriſtiana charitate vos ipſos corripiatis; ſed reliquos item præſertim Parochiæ incolas in charitatis, & correctionis officium recte doceatis.

Ad ſermonum vero, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, præcipue ex doctrina Catechiſmi Romani, in quo magna cum populorum veſtrorum ſalutari utilitate verſari diligenter poteſtis.

Neque ad hoc multiplicis veſtræ Eccleſiaſticæ tractationis genus negligite adjumenta, quæ aliunde utiliter capere poteſtis.

Cætera autem officia, quæ in Sacramentorum adminiſtratione, in aſſidua ad frequentem eorum uſum cohortatione, in ægrotum cura, in aliis Parochialis muneris functionibus, vobis Provincialibus, Diœceſaniſque Conciliis præſcripta ſunt, præſtate, atque exequimini accurate, ad earumque Conciliarium Conſtitutionum, Decretorumve normam omni obſervantiæ, atque obedientiæ ſtudio vos plane conformate.

Quæ vero Decretorum Provincialium, vel Diœceſanorum partes ad laicos, eorumque Chriſtianam diſciplinam attinent, quo ſæpius evulgatæ, atque inculcatæ, ſerventur diligentius; illas ſummatim vulgari ſermone expreſſas, crebro, prout uſu venerit, populis veſtris proponite, denunciate, explicate, atque in conſuetudinem inducite.

Quæcumque denique vel ad vos, vel ad laicos curæ veſtræ commiſſos pertinent ea Decreta quo maximo poteſtis ſtudio, in omnem executionem, diſciplinæque uſum introducite. Videteque in primis, ac perpendite, quæ ſint, & quam religioſa muneris veſtri partes: caveteque ut in officiis, & curæ veſtræ functionibus non modo quicquam vos non committatis, ſed ne omittatis quidem; cum in Sacerdotali vita, pro muneris, quod ſuſtinetis, ratione, tum graviores, tum longe plures, quam in cæteris hominibus eſſe poſſint, omiſſionis culpæ.

10. Vos præterea reliqui Sacerdotes, quicumque eſtis, quibus animarum cura non incumbit, cum alia omnia, quæ Eccleſiaſtici ordinis hominibus de divinorum officiorum cultu, de vitæ honeſtate, de ſtudiis, & vitæ ſpiritualis exercitationibus, præſcripta, aut monita generatim ſunt, tum, quæ nominatim, ſigillatimque ad præcipuam veſtram executionem attinent, præſtate omnino.

11. Vos

11. Vos item reliqui Clerici inferiorum Ordinum, quæcumque ad vos, vel nominatim, vel generatim ſpectant, agite omnia, ſicut Clericalis vitæ ratio, Canonum, & Conciliorum Decreta præſcripta poſtulant.

Chriſti eſtis, nempe de ſorte Domini, & ipſe Dominus ſors, pars ſcilicet veſtra; tales præbete vos, ut & ipſi poſſideatis Dominum, & poſſideamini a Domino, vereque dicatis, Dominus pars hæreditatis meæ.

Filii mei nolite negligere, vos elegit Dominus, ut ſtetis coram eo, & miniſtretis illi.

Videte igitur, quam valde intentos vos eſſe oporteat miniſteriis veſtris, & quam magna vitæ, morumque caſtitate.

Proborum hominum tantum, præcipue Sacerdotum, vitæ ſpiritualis laude præſtantium, familiaritate utamini; ex quorum conſuetudine, tum fructus vos capietis, tum Epiſcopus meliorem in die de vobis opinionem concipiat.

Majores veremini, & obſervate, eiſdemque recte monentibus obtemperate.

Præter latinæ linguæ, & litterarum ſtudia, Eccleſiaſticæ in primis diſciplinæ inſtitutionibus diligenter incumbite.

Sic demum vos moribus, & vitæ modeſtia probate, ut & a Parochis, & a Præceptoribus veſtris, tum etiam a populo bonum teſtimonium Epiſcopus habeat, voſque dignos judicet, quos majoribus Ordinibus adſcribat.

12. Vos vero qui vel Viſitationis munus geritis, vel Clericalis diſciplinæ curæ quovis nomine præfecti eſtis, vel in Diœceſi, Vicarii foranei conſtituti, in explendis muneris, atque officii vobis commiſſi partibus ſedulo invigilate, atque elaborate.

Onus, quod ſuſtinetis, quam grave ſit, quam plenus curis perpendite, tum quam in eo vobis committendo ſpem, fiduciamque Epiſcopus habuit, videte: tum efficite ut ejus expectationi reſpondeatis, vigiliarum veſtrarum, ſtudiis, aſſiduaque ſollicitudine.

Eccleſias, quæ in uniuſcujuſque veſtrum ratione ſunt, ſedulo viſitate, earumque partes ſingulas inſpicite.

Perveſtigate in uniuſcujuſque Parochiæ finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes, an flagitia, quibus Epiſcopali cura Epiſcopus medeatur, neceſſe ſit.

Univerſo Clero, pro rogatione commiſſa, invigilate diligenter: illudque in primis videte; ut in diſciplinæ Eccleſiaſticæ moribus, atque officiis ſe contineat, Clericaliſque moderationis legibus congruenter vivat.

Indecentem ejus habitum omnino rejicite: morum ſanctæ vitæ, ſacrarumque litterarum, & inſtitutionis Eccleſiaſticæ ſtudia, ſi quæ in eo langueſcunt, excitate.

Clerici autem minorum Ordinum, in hoc maxime vobis commendati ſunt, ut illorum omnes, tum in vitæ moribus, tum in litterarum, Eccleſiaſticæque doctrinæ ſtudiis progreſſiones, accurate exploretis, atque ut maxime poteſtis, paternis cohortationibus, atque objurgationibus, iiſque aſſiduis adjuvetis.

Eccleſiarum item cultum, nitorem, cæteraque ejus generis omnia curate veſtra diligentia, quæ totis in Chriſti viſceribus ab unoquoque veſtrum expetitur.

Quæcumque vero, vel Provincialium, Diœceſanarumque Synodorum Decretis, vel præcipuis inſtructionibus, vel Viſitationum juſſis præſcripta ſunt, ea omnia, ut reipſa præſtetur, ſtudioſe perpetuo agite.

Hæc omnia, & ſingula his monitionibus nominatim, ſingillatimque expreſſa, cuncta item reliqua, vel Conciliis Provincialibus, Diœceſaniſque ſancita, vel alio modo vobis præſcripta: vos omnes, ac ſinguli, quorum intereſt, quanto poteſtis amore, & pietate non amplectimini ſolum, & legite, ſed mente, animoque comprehendite, ſervate, omnique ſollicita executione præſtate; totoſque vos ad cohortationum, admonitionum, Decretorum, Conſtitutionum rationem accommodare. Quod omnes, ut faciatis, ſicut nos pro Epiſcopalis noſtri officii munere, vos in hoc Diœceſano conventu ex Concilii Provincialis præſcripto commune fecimus, ita etiam unumquemque veſtrum, per Unigeniti Filii Dei adventum, per ejus Crucem, perque animarum ſalutem obſecramus, obteſtamur, divinaque conſtitutione monemus. Rurſuſque vobis ipſis univerſis, & ſingulis edicimus, ſi quis veſtrum Conſtitutionibus, Decretiſque, vel Provincialibus, vel Diœceſanis, veſtra cauſa, non paruerit, contra eum nos actores eſſe Eccleſiaſticis, Canoniciſque Sanctionibus.

Cavete igitur ne quem vobiſcum paterne modo agentem, ſolliciteque monentem, & in conſpectu Dei vos hoc ſacro deprecantem, auditis, eumdem rurſus in hac vita non ſolum culpas veſtras animadvertentem, ſed in divino præterea judicio eaſdem accuſantem audiatis.

At ipſe Deus, & Pater noſter, & Dominus Jeſus Chriſtus dirigat vias veſtras in omni ſancta obedientia; rectet corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono: ita ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, per omnia ei placentes: ſicque ſanctis veſtrarum virtutum progreſſionibus probati, appareatis ante Deum, & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus Sanctis ejus. Amen.

# DISTRIBUTIO, ET INDEX HUJUS PRAXIS.

## PARS PRIMA.

*De iis, quæ ante Synodum agenda ſunt.*


Cap. 1. DE nomine, origine, & definitione Synodi Diœceſanæ. pag. 5
Cap. 2. De Indictione Synodi Diœceſanæ. ibid.
Annotationes. ibid.
Cap. 3. De Epiſtolis Epiſcopi pro Synodo. 6
Cap. 4. De Congregationibus ante Synodum. ibid.
Cap. 5. De ordine habendi prædictas Congregationes. ibid.
Cap. 6. De conficiendis Decretis. ibid.
Annotationes. ibid.
Cap. 7. De præparandis pro actione Synodali. 7
Cap. 8. De Hoſpitiis, & eorum Præfectis. ibid.
Cap. 9. De Apparatu Cathedralis Eccleſiæ. ibid.
Cap. 10. De diſtributione Seſſionum. ibid.
Cap. 11. De Tabellis Synodalibus. ibid.
Cap. 12. De Catalogo Cleri vocandi. ibid.
Cap. 13. De Habitu Cleri. ibid.
Cap. 14. De Proceſſionibus Synodalibus. ibid.
Cap. 15. De Horis Canonicis, & Miſſis Synodalibus. ibid.
Cap. 16. De iis, quæ cantanda ſunt a Muſicis. ibid.
Cap. 17. De Peragendis paulo ante diem Synodi. 9
Cap. 18. De Officialibus Synodi. ibid.
Cap. 19. De Promotore. ibid.
Cap. 20. De Secretario Synodi. ibid.
Cap. 21. De Notario Synodi. ibid.
Cap. 22. De Lectore Decretorum. ibid.
Cap. 23. De Præfectis Diſciplinæ Synodalis, & Scrutinii. ibid.
Cap. 24. De Judicibus querelarum, & executionum. 10
Cap. 25. De Procuratore Cleri. ibid.
Cap. 26. De Oeconomo, & Cathedratico. ibid.
Annotatio. ibid.
Cap. 27. De Confeſſariis Cleri Synodalibus. ibid.
Cap. 28. De Magiſtris Cæremoniarum. ibid.
Cap. 29. De Oſtiariis Synodi. 11
Cap. 30. De Concionatoribus Synodi. ibid.
Cap. 31. De Examinatoribus. ibid.
Annotationes. ibid.
Cap. 32. De Judicibus Synodalibus. 12
Annotationes. ibid.
Cap. 33. De Teſtibus Synodalibus. ibid.
Annotatio. ibid.
Cap. 34. De Punctatoribus. ibid.
Cap. 35. De Juramento Examinatorum, Teſtium, & Punctatorum. ibid.
Cap. 36. De Officialibus Cleri. ibid.
Cap. 37. De Reductione Miſſarum. ibid.
Cap. 38. De Præſide Synodi, abſente Epiſcopo. ibid.
Cap. 39. De Cæremoniis Synodalibus, abſente Epiſcopo. 13
Cap. 40. De ultimo agendis pridie Synodalis actionis. ibid.


## PARS SECUNDA.

*De ordine Synodi Diœceſanæ.*


Ordo Synodi Diœceſanæ pro trina Seſſione.
Prima Seſſio. 14
Annotatio. ibid.
Annotationes. 15
Continuatio primæ Seſſionis. ibid.
Seſſio ſecunda. 16
Annotatio. ibid.
Continuatio Seſſionis ſecundæ. 17
Seſſio Tertia. ibid.
Ordo Synodi Diœceſanæ per duos dies.
Seſſio Prima. ibid.
Seſſio Secunda. ibid.
Ordo Synodi Diœceſanæ per unum diem.
Unica Seſſio. 18


## PARS TERTIA.

*De iis, quæ Synodum ſequuntur.*


Cap. 1. De Pœna abſentium. ibid.
Cap. 2. De Validitate Decretorum. ibid.
Cap. 3. De Editione Decretorum. ibid.
Cap. 4. De Approbatione Decretorum Synodalium. 19
Cap. 5. De Statu Eccleſiæ deſcribendo. ibid.
Cap. 6. Formulæ Summarii prædicti ſtatus Eccleſiæ. 20


## PARS QUARTA.

*De Formulis variis ad prædicta.*


Cap. 1. Pro Indictione Synodi. 21
Annotationes. ibid.
Cap. 2. Formula Præmonitionum Cleri. ibid.
Cap. 3. Formulæ Epiſtolarum Synodalium. ibid.
Cap. 4. Formulæ Tabellarum imprimendarum. 22
Cap. 5. Formulæ aliæ exarandæ majori charactere. 23
Cap. 6. Formulæ Edicti de Proceſſione. ibid.
Cap. 7. Formulæ pro Promotore. ibid.
Cap. 8. Formulæ pro Procuratore Cleri. 24
Cap. 9. Formulæ pro Secretario Synodi. ibid.
Cap. 10. Capita Orationis mentalis. 28
Cap. 11. Formulæ Acclamationum. ibid.
Cap. 12. Formulæ indicis totius actionis Synodalis pro Miniſtris. 29
Bullæ, & Decreta varia legenda in Synodis Diœceſanis Provinciæ Mediolanenſis. ibid.
Decretum Congregationis Concilii Tridentini de electione Judicum Synodalium. 30
Bulla Pii II. De Clericis male promotis. ibid.
Bulla Pii V. De confidentiis Beneficialibus. ibid.
Bulla ejuſdem De Horis Canonicis. ibid.
De vita, & honeſtate Clericorum, ex Conc. Prov. 1. & 4. 31.
Monitiones Cleri, ex Concil. Prov. IV. ibid.


*FINIS.*

PRA-

# PRAXIS COMPENDIARIA
## VISITATIONIS EPISCOPALIS.

AUCTORE


## D. BARTHOLOMÆO GAVANTO

*Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli, & Sac. Rit. Congreg. Conſult.*


Digitized by Google

# AD LECTOREM.

*THEORIAM alij, alii Praxim, utramque non pauci; fuſe illi, confuſe hi; omnes autem (eorum pace dixerim) ultra metas puræ Viſitationis, de Viſitatione ſcripſerunt; nam definiendo res ipſas Viſitandas, diſputando, Doctorum axiomata referendo, Canones multos congerendo, ſuperflue interrogando, multa tamen omittendo utiliora, & quicquid fere ad Epiſcopi poteſtatem attinet, ad unum Viſitationis titulum revocando, implevere libros; puram ergo Praxim, & quæ præ manibus haberi poſſit in ipſamet Viſitatione; necnon eam tantum Theoriam, quæ ſatis eſſe poteſt ad communiores caſus, deſiderantibus plurimis, & a me utramque depoſcentibus, eam attigiſſe mihi videor, experientia teſte, in Imolenſi, & Peruſina Viſitatione, ſub Ferdinando Millino, & Neapolione Comitulo, quos honoris cauſa nomino, & hoc opuſculo brevi comprehendiſſe; in quo per Indices Praxim, per Annotationes Theoriam, ſufficientem utramque ad juvandam peritorum Epiſcoporum memoriam velut indice digito judicamus; ſi quid noviſti rectius iſtis, Candidus imperti; ſi non, utere mecum, & Vale.*

PRA-

# PRAXIS COMPENDIARIA

## VISITANDÆ CIVITATIS, ET DIOECESIS AB EPISCOPO.

### §. I.

*De Viſitatione in genere,*

TOTA ratio Viſitationis Epiſcopalis reduci poteſt ad ea capita, de quibus communis eſt Verſus: Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

1. Et quæſito: Quis? Reſpondeo: Epiſcopus ipſe, vel per idoneos miniſtros, ſi legitime impeditus fuerit, ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 3. hoc eſt, per ſuum Generalem Vicarium, aut Viſitatorem, ut ibidem dicitur.

2. Quæſito: Quid? Reſpondeo: loca, & perſonas juriſdictionis Epiſcopalis, de quibus infra in proprio Indice.

3. Quæſito Ubi? Reſpondeo: in propriis locis facienda eſt viſitatio locorum, & perſonarum, niſi hæ commodius alibi haberi poſſint, ex Concil. Tolet. 4. cap. 35.

4. Quæſito: Quibus auxiliis? Reſpondeo, tria mirifice juvare viſitationem Epiſcopalem: primum eſt, oratio viſitatoris, & viſitandorum ad Deum; alterum eſt Viſitatoris exemplum ad Clerum, & populum; Tertium eſt notitia neceſſaria Sacrorum Canonum, & præſertim in hoc genere Sacri Concil. Trid. quam in hac Praxi ſupponimus, dum Epiſcopo viſitandi rationem tantummodo indicamus.

5. Quæſito: Cur? Reſpondeo, finem Viſitationis eum eſſe, qui a Trident. Concil. præſcribitur, ſeſſ. cit. nempe ſanam, orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, & cætera ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere. Hæc ibi.

6. Quæſito: Quomodo? Reſpondeo: fuſius in tota hac Praxi.

7. Quæſito: Quando? Reſpondeo: ex Conc. Trid. loc. cit. ſingulis annis; vel ſaltem ut tota Viſitatio biennio compleatur, & ibidem infra, quam celerrime: quod S. Congr. Conc. Trid. reliquit arbitrio Epiſcopi, quem admonet debere tempus hoc eſſe moderatum, & diſcretum, ne graventur Viſitandi. Prima tamen vice diligentius erit agendum, in reliquis non erit diutius immorandum. His ergo poſitis Indices propono varios, ut brevius agam.

### §. II.

*Index eorum, quæ ſpectant ad Epiſcopum Viſitantem.*

1. NON modo debet viſitare loca, & perſonas, ſed etiam præſtare, quæ ſequuntur.

2. Abſolvere animas fidelium Defunctorum, ut in Pontificali.

3. Benedicere ſolemniter populo Viſitando, ut in eodem Pontificali, & cum Indulgentiis.

4. Sermonem habere ad eumdem populum de Viſitationis cauſa, fine, effectibus.

5. Miſſam celebrare, & diſtribuere Sacram Synaxim.

6. Miniſtrare Sacramentum Confirmationis.

7. Conſecrare Eccleſias, Altaria, Calices, benedicere paramenta, & alia Pontificalia facere, prout eſt opus.

8. Invitare quoſcumque ad ſuggerendum opportuna cum charitate, & veritate.

9. Non autem ſub pœna excommunicationis ad revelanda, quæ noverint; quod vetuit Sacra Congreg. Concil. ult. Martii 1588.

10. Ad extraneos actus non divertere, ut monet eadem Sacra Congreg.

11. Menſa frugali uti, adhibita lectione: illud ex Concil. Trid. loc. cit. Hoc ex decentia.

12. Cum pauciſſimis circumiſſe, quorum opera celerius compleri poſſit Viſitatio.



13. Itinerarium recitare genibus flexis initio itineris a loco ad locum.

14. Orare Veſperi publice in Eccleſia ante refectionem.

15. Viſitare infirmos, & in pauperes erogare pecuniam ad ædificationem.

16. A muneribus quibuſcumque abſtinere.

17. Notario ſuo, aut Secretario uti ad libitum, ex declar. Congreg. Conc.

18. Procurationem debitam accipere, hoc eſt, victum illius diei, quo viſitat, ex Conc. loc. cit.

### ANNOTATIONES.

*Circa decimum. Extraneos actus a Viſitatione intellige, qui neque attinent ad locorum, ſeu perſonarum Viſitationem Eccleſiaſticam, neque ad functiones ſupradictas Pontificales.*

*Circa* 11. *Fugiat Epiſc. hoſpitia laicorum, & eorum convivia, ex Prov. 4. Mediol.*

*Circa* 12. *expedit, ut Epiſcopus aſſumat miniſtros, quos etiam mittere queat ad viſitanda minora loca, ſeu ad ſupputandas rationes dati, & accepti, ubi opus eſt; quare inter eos eſſe poterit Oeconomus domus Epiſcopalis, Theologus Epiſcopi, & Magiſter Cæremoniarum, cum famulo a cubiculo, præter Archidiaconum, ſeu Canonicum J. U. D.*

*Si plures aſſumat, quam ſolita procuratio iis ſufficere poſſit, expendat Epiſcopus de ſuo, quod fuſe docet ex Pauor. Felic. in man. Viſitator lib. 1. tit. 15. Decem perſonæ computato Epiſcopo, & ſeptem jumenta conceduntur in Conc. Prov. 4. Mediol. inferioribus autem Viſitatoribus non ultra octo perſonas, & ſex jumenta, ſed his inferioribus longe minor ſufficere poteſt numerus.*

*Circa* 16. *Vilagut part. 1. in fine n. 21. citat Doctores, qui concedunt Viſitatoribus ea munera, quæ comedenda, ac conſumenda ſunt ibidem, nec alio aſportanda; ut jugum Domini ſit ſuave.*

*Circa* 17. *Idem Vilagut concedit a Notariis moderatum aliquid recipi poſſe pro eorum labore in ſcribendo, ſi non recipiant ſalarium de publico pro tali labore; & citat ibi S. Antoninum, & illud infert argum. a ſimili, quod a Conc. Trid. conceditur Notariis decima pars aurei pro dimiſſoriis litteris, &c. Verum non valet argumentum ab uno caſu ad alium, in quo expreſſe Concilium prohibet, ne ipſi Viſitatores, aut quiſquam ſuorum quicquam procurationis cauſa pro Viſitatione, aut alio quovis nomine nec pecuniam, nec munus quodcumque ſit, etiam ſi qualitercumque offeratur, accipiant, non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili, quid apertius? Zerola part. 1. V. Viſitatio idem docet.*

*Circa* 18. *Vide varios modos procurationis exigendæ, & pœnas dupli, & alias inflictas iis, qui amplius acceperint, in Conc. Trid. ſeſſ. &c. cit. & Navar. in Conſ. 2. incip. iterum pœna ſtatuta in c. exigit de cenſibus in 6. ſex notabilia affert. item Zerola part. 1. V. Viſitatio, §. 6. ubi excludit medicinas, ſumptus equorum, plures procurationes, ſi una die duæ viſitentur Eccleſiæ, & loca pauperum, ſeu Eccleſiæ pauper, quæ gratis ſunt viſitanda.*

*Præſtari tamen debent vecturæ quoque equorum a Viſitatis, nedum eorum pabula, quæ ſemper dari ſolent; quando vero Epiſcopus eget, & alioquin impediretur Viſitatio, ex Theſ. Fori Eccl. p. 2. c. 16. n. 43. per text. ibi cit. immo etiam diviti Epiſcopo præſtanda erant, ſi adeſt conſuetudo. Ibid. n. 44. & 55.*

*Quod attinet ad reſtitutionem, duplici in cap. exigit, renovatam in Conc. Trid. cit. ea erit intra menſem facienda, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ab Epiſcopo, ſuſpenſionis ab officio, & beneficio ab inferioribus: a laicis autem, ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & a communione Euchariſtiæ per extravag. Bened. XII. tit. de cenſ. donec duplum Eccleſiæ gravatæ reſtituerint, ubi etiam habetur, quod Epiſcopus tenetur de facto famulorum ſuorum: ſi ſciat, aut ratum habeat: neque valeat in his caſibus remiſſio donantium ulla,*

**Excuſat materia levis*, ex gloſs. in eod. cap. exigit. verb. munera, & exemplificat in exportatione caponorum, caſeorum, & flaſcorum vini, & ſimilium, quæ neque movent aliquem, neque faciunt (ait) donantem pauperiorem; totius tamen victualia tantum in proprio loco conſumendi recipiuntur.*

## §. III.

*Index librorum, quorum lectione juvari poteſt Epiſcopus in Viſitatione.*

1. POntificale Romanum, tit. Ordo ad viſitandas Parochias, part. 3.
2. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 3. & 4.
Seſſ. 7. cap. 7. & 8.
Seſſ. 13. cap. 1.
Seſſ. 14. cap. 4.
Seſſ. 21. cap. 8.
Seſſ. 22. cap. 8. & 9.
Seſſ. 24. cap. 3. 9. & 10.
Seſſ. 25. cap. 6.
3. Acta Mediolanenſis Eccleſiæ, par. 4.
4. Concilium Tridentinum, & Praxis hæc Compendiaria.
5. Mariani Socini, & Franc. Pavini Tractatus de Viſitatione.
6. Pauli Fuſci Epiſcopi Saenenſis libri duo de Viſitatione.
7. F. Filician Comenſis Epiſcopi Manuale Viſitatorum.
8. Annibalis Rochi Tractat. de Viſitatione.
9. Alphonſi Vilagut Caſſinenſis Speculum Viſitatorum.
10. Zerola part. prima, Verbo Viſitatio, in praxi Epiſcoporum.
11. Azor. Inſtitut. Moral. par. 2. l. 3. c. 40.
12. Lucæ Ant. Reſtæ Directorium Viſitatorum.
13. Michaelis Timothei Inſtructio Compendioſa Viſitandi Eccleſias.
14. Dominici Zucchineti Conſtitut. & Decreta Concil. ſex Prov. Mediol.
15. Pauli Salodii Praxis de Viſitatione.

Prædicti namque auctores tradunt varias doctrinas, & inſtructiones pro formandis rite opportunis Decretis de unaquaque re Eccleſiaſtica; quarum epilogum, & compendioſam Methodum, a nemine adhuc tentatam, propediem Deo dante, dabimus in lucem.

## §. IV.

*Index præparandorum a Viſitatore pro Viſitatione.*

1. EDictum generale proponitur pro generali Viſitatione cum electione, & publicatione Coadjutorum.
2. Præmonitiones fiunt per litteras ad Parochos, ut in Indice ſequenti.
3. Ferat ſecum Decreta poſtremæ Viſitationis, ut ſemper quærat, An exequutioni mandata.
4. Concilium Tridentinum, & Praxim hanc Compendiariam.
5. Pontificale Romanum cum Paramentis Pontificalibus, albi, & nigri coloris.
6. Decreta Provinciæ ſuæ, & Synodi Diœceſanæ, cum Edictis generalibus, &c.
7. Inſtructiones Fabricæ Eccleſiaſticæ, ſi adſint.
8. Indicem librorum prohibitorum.
9. Caſus reſervati ſummo Pontifici, & Epiſcopo.
10. Indices locorum, & perſonarum, quæ Viſitationi ſubjacent, ut infra §. 6. & 7.
11. Libellos diſtribuendos de Doctrina Chriſtiana, & alios ſpirituales.
12. Numiſmata ſacra a Summo Pontifice benedicta, cereos, Agnus Dei, ſacras Imagines, & ejuſmodi ad pietatem excitandam.
13. Præmittat Epiſcopus, ſi opus eſt, Concionatores, & Confeſſarios, & Cæremoniarum Magiſtros.
14. Faciat ſibi indicem præcipuarum quarumdam rerum, de quibus interroget, ex Indice 9. 11.

## §. V.

*Index præparandorum a Viſitandis.*

1. ORatio publica, &, ſi fieri poteſt, quadraginta horarum, indicatur a Parochis, ſaltem in locis inſignioribus.
2. Monitio populo fiat de proxima Viſitatione, cauſis, effectibus, & ritu, intra Miſſas lectis Paſtoralibus Litteris, ſi datæ ſunt, & moneatur populus ad revelandum ea, quæ correctione egent.
3. Invitetur populus ad Pœnitentiæ Sacramentum, ut de manu Epiſcopi ſumat Euchariſtiam.
4. Præparentur ii, qui confirmandi ſunt, paratis opportunis ſchedulis, in quibus ſcripta ſint nomina, cognomina Confirmandorum, Compatrum, & Parochiæ.
5. Frequenti campanarum ſono excitetur populus, maxime vero pridie Viſitationis.
6. Ex vicinioribus locis conveniant Confeſſarii approbati ad Confeſſiones audiendas.
7. Præparentur Hoſtiæ, & particulæ, vinum, mappæ, vaſa ad ſacræ Communionis uſum.
8. Ornetur Eccleſia, & paretur locus pro miniſtrando Sacramento Confirmationis.
9. Si quæ ſunt benedicenda, vel conſecranda, opportune parentur.
10. Pro cæremoniis Epiſcopalibus.

Umbella, ſeu Baldachinum in porta oppidorum inſigniorum, a nobilioribus loci geſtandum.
Crux ſine haſta ab Epiſcopo deoſculanda.
Tapes cum pulvino.
Thuribulum cum navicula.
Vas aquæ benedictæ cum aſperſorio.
Pluviale & ſtola coloris albi pro Rectore Eccleſiæ.
Scabellum genuale cum tapete, & pulvinaribus ante Altare majus.
Sedes præalta ſupra tres gradus, & ſub umbella, ſi fieri poteſt, a latere Evangelii, cum tapete ſupra gradus.
Goſſipium pro abſtergendo Chriſmate Sacro poſt Confirmationis Sacramentum, Panniculi duo, & vas aquæ ad hunc uſum ad lavandum, & tergendum frontem Confirmatorum.
Vas aliud pro colligendo goſſipio jam adhibito.
Occurſus Cleri totius, Confraternitatum Doctrinæ Chriſtianæ, & populi, intrante Epiſcopo, Litanias cantantium, aut Hymnos, & præſertim Canticum Benedictus.
Sex candelabra in Altari majori cum candelis circiter ſex unciarum.
Duo intortitia ad varios uſus.

11. In Sacriſtia exponatur ordine ſacra ſupellex, ut brevi cerni poſſit.
12. Ibidem libri ad uſum Eccleſiæ deſtinati, Miſſalia, Breviaria, Antiphonaria, Ritualia.
13. Index ſacrarum Reliquiarum cum ſuis teſtificationibus
14. Indulgentiarum, Altariſve privilegiati documenta.
15. Inventarium jurium, privilegiorum, & onerum Eccleſiæ, tum finium Parochiæ deſcriptio.
16. Statuta, ſi quæ ſunt, Eccleſiæ propria, & mores in Divinis Officiis, ſi differant ab aliis.
17. Inventarium ſacræ ſupellectilis.
18. Inventarium bonorum ſtabilium, & reddituum Eccleſiæ, Decimarum, & Oblationum.
19. Index Beneficiorum, quæ ſunt infra finem Parochiæ.
20. Index Eccleſiarum, Oratoriorum, Capellarum cum oneribus intra eoſdem fines.
21. Item Sodalitatum, Confratrium, Locorumque.
22. Item Monaſteriorum tam virorum, quam mulierum cum titulis propriis, & numero perſonarum.
23. Item Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Clericorum ſæcularium ejuſdem Parochiæ.
24. Item eorum, qui diſciplinam Eccleſiaſticam, ut Clerici fiant, ingrediuntur.
25. Item eorum laicorum, qui Eccleſiæ deſerviunt, in divinis Officiis, funeribus, &c.
26. Index bonorum fortaſſe uſurpatorum a laicis.
27. Index Miſſarum receptarum, & celebrandarum, & quibus factum ſit ſatis.
28. Index legatorum ſolutorum, & ſolvendorum ad pias cauſas relictorum.
29. Prompti habeantur codices Parochiales Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonio conjunctorum, ſtatus animarum & Defunctorum.
30. Decreta Synodalia, Edicta, Bulla in Cœna Domini, & caſus reſervati.
31. Index eorum, qui in Parochia ſua, de hæreſi ſuſpecti ſunt, blaſphemi, malefici, ſimoniaci, uſurarii, concubinarii, adulteri, notorie crimino ſi, & qui non communicantur in Paſchate. Item conjugum diviſorum, excommunicatorum, interdictorum, feſta violantium, aleatorum, & prohibitos libros habentium.
32. Index Medicorum, Ludimagiſtrorum, Obſtetricum, Pictorum, & Sculptorum, Bibliopolarum, Notariorum, Cauponum, & ſimilium perſonarum, de quibus noſſe debet Epiſcopus.
33. Et hæc omnia paranda erunt reſpective ab omnibus Viſitandis.
34. Alia ſunt paranda a quolibet de Clero, ut Ordinum inſtrumenta, Beneficiorum item; tum facultates datæ pro audiendis Confeſſionibus, Concionibus habendis, Miſſa certo loco celebranda, habitandi cum laicis, ancillave, ſeu extra ædes Eccleſiaſticas, locandi aliis eaſdem, exponendi capſulam pro eleemoſynis.
35. Tum libri perſonales, qui ſolent præſcribi Eccleſiaſticis, Miſſale, Breviarium, Kalendarium, Volumen Bibliorum, Homiliarum, Catechiſmus Romanus, & ejuſmodi.

§. VI.

§. VI.

*Index locorum ab Epiſcopo Viſitandorum.*

1. COnfici curet Epiſcopus a Cancellario Epiſcopali locorum indicem Viſitandorum, quem in Viſitatione perficiet, de quo ſupra §. præc. n. 19. & 20.

2. Hæc autem ſunt de ejuſdem immediata juriſdictione: primo Eccleſia Cathedralis.

3. Eccleſiæ Collegiatæ cum ædibus Canonicorum.

4. Parochiales cum ædibus Parochorum.

5. Beneficiatæ.

6. Quæcumque aliæ; etiam Sacella, Oratoria, ubi celebratur Miſſa, & Confratriæ. Trid. ſeſſ. 22. cap. 8.

7. Item ea Oratoria, quæ ſunt in viis, & ubi non celebratur Miſſa.

8. Hoſpitalia, & loca pia. ſeſſ. 22. cap. 8. & Collegia quæcumque ibid.

9. Monaſteria Monialium ſub Ordinario.

10. Alia ſunt loca cum limitatione viſitanda, nimirum.

11. Monachorum, & Regularium Eccleſiæ, ubi eſt animarum cura. Trid. ſeſſ. 7. cap. 7.

12. Monialium Monaſteria ſub Regularibus, quæ clauſuram habent. Trid. ſeſſ. 25. cap. 5.

13. Eccleſiæ, quæ ſunt nullius Diœceſis, a viciniori Epiſc. viſitantur, ſeſſ. 24. cap. 9.

14. Monaſteria virorum, ubi non viget regularis obſervantia, ſeſſ. 21. cap. 8.

15. Beneficia quæcumque, & qualitercumque commendata, ſeſſ. eadem.

ANNOTATIONES.

*CIrca primum. Nota ordinem Iudicis locorum fieri juxta diviſionem civitatis per Quarteria, ſeu Portas, ſeu Regiones, Diœceſis vero per Vicariatus, ſeu Plebanias.*

*Circa 8. non ſunt viſitanda Hoſpitalia & pia loca, quæ ſunt immediate ſub protectione Regum, ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 8. neque ea, in quibus aliter eſt cautum in fundatione, & expreſſe contra Epiſcopum. Collegia vero inſtituta pro ſuſtentatione ſtudentium pauperum ſunt loca pia. Vide Garz. de Benef. par. 5. cap. 1. n. 612. ſi aliquod oriatur dubium, viſitet Epiſcopus tamquam Sedis Apoſtol. Delegatus, ex eodem ibidem.*

*Circa 11. viſitari debeat etiam Eccleſia curata Equitum Hieroſolymitanorum, ex Decl. Sacr. Cong. 77. apud Vilagut. loc. cit. num. 6. non autem ubi habitat Generalis Ordinis, ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 11. de regul.*

*Circa 13. Si dubitatur, quis Epiſcopus vicinior, in Concil. Provinciali debet fieri electio a Prælato illius loci de aliqua perſona idonea, a qua ipſa Eccleſia nullius diœceſis viſitetur, ut docet Faſcus lib... cap. 8. num. 2. & electione facta, non poteſt mutari a ſucceſſoribus ex Declar. Congreg. 7. apud Vilagut. loc. citat. num. 8. ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 9. intelligo de Eccleſiis ſæcularibus. Diſtantia vero eſt menſuranda ab ipſa Cathedrali Eccleſia, ex Declarat. Congregat. ibidem.*

*Circa 14. Viſitari non debent Prioratus militum Hieroſolymitanorum, ex ſeſſ. 7. cap. 8. §. ubi Equites: quod ſi non vigeat obſervantia regularis, paterne monere debet Epiſcopus eorum Regularium ſuperiores, ut corrigant ea, quæ neceſſaria ſunt, & ſi intra ſex menſes ea non correxerint, tunc iidem Epiſcopi poſſunt viſitare, & corrigere, ex Trident. ſeſſ. 21. cap. 8. Nunc temporis viſitare poſſunt eas domos Regulares, in quibus duodecim non degunt, erectas, poſt Decretum Sac. Congreg. de Celebrat. Miſſarum 21. Junii 1625.*

*Circa 15. Comprehenduntur in Decreto Trident. etiam illa Monaſteria commendata, quæ ſunt perpetuo unita aliis Eccleſiis, vel piis locis, etiam ſi loca ipſa eſſent ſub regulari protectione, ex Sacra Congreg. ſeſſ. 21. cap. 8.*

§. VII.

*Index Perſonarum Viſitandarum.*

1. HAbeat Epiſcopus Indicem totius Cleri ſui cum nominibus, & cognominibus, juxta locorum diſtinctionem, quem complere poterit indice prænotato ſupra. §. 5. num. 23.

2. Sunt autem viſitandi Abbates.

3. Canonici.

4. Plebani.

5. Parochi.

6. Beneficiati.

7. Sacerdotes.

8. Initiati ſacris.

9. Clerici.

10. Moniales ſub Ordinario.

11. Adminiſtratores locorum piorum.

12. Confratres.

13. Quæſtores eleemoſynarum.

14. Officiales curiæ Epiſcopalis.

ANNOTATIONES.

*CIrca 2. intellige de Abbatibus ſæcularibus exemptis.*

*Circa 3. Non viſitantur Canonici exempti a S. Sede Apoſtol. quod ſi procedat Epiſc. extra actum Viſitationis generalis, eligi debeant duo de capitulo, de quorum conſenſu procedatur, ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 6. ſi nimirum Canonici ſint exempti; alios non exemptos viſitat Epiſcopus prout voluerit: ſed tamen in loco capitulari, ſeu alio commodiore, ut Sacra Congregat. reſpondit Epiſcopo Abulen. ad Octavum.*

*Circa 6. Fuſcus notat lib. 2. c. 7. quod nomine beneficii intelligitur Canonicatus, Præbenda, Dignitas, Perſonatus, Vicaria, Praſtimonium, Penſio ad vitam aſſignata pro titulo: immo, & beneficium de menſa, & Terra beneficialis ſeu ruralis, cujuſmodi Neapoli habeatur quia ſcilicet orare oportet pro anima relinquentis, & capellania.*

*In Declarationibus S. Cong. Conc. Trident. excipiuntur a Viſitatione ſubcollectores Cameræ Apoſtolicæ, licet beneficiati in reſponſ. ad Epiſc. Segobien.*

*Circa 11. Pia Univerſitatum loca non ſunt obnoxia redditioni rationum Ordinario ex Decl. Sac. Congreg. neque Adminiſtratores Regulares teneantur reddere rationem Monaſteriorum, licet pia loca dicantur.*

*Ratio quoque ſumptuum Fabricæ Eccleſiaſticæ, ſi aliter in inſtitutione ſtatutum ſit, non eſt reddenda Epiſcopo. Cæterum, etſi alii adminiſtratores reddere debeant, non tamen excluditur Epiſcopus, qui cum iis unicum habet votum in eorum abſolutione: alias non valet. Hæc Sacra Congregatio, in Declarat. ſeſſ. 22. c. 9. Vide, quæ diximus §. 6. circa octavum.*

*Circa 12. & 13. Favet Trid. expreſſe in d. cap. 9. ſeſſ. 22. Addo; poſſe Epiſcopum viſitare, & corrigere regularem extra Monaſterium degentem, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu munitum ex Trident. ſeſſion. 6. cap. 3. ſi tamen degerit ſine licentia ſuperioris, ut ibidem Sacra Congregatio, ex eodem Concil. ſeſſion. 25. cap. 14. de regul.*

*Item poſſe punire eum regularem tamquam deſertorem ſui inſtituti, qui ſine mandato Superioris in ſcriptis obtento repertus fuerit extra Conventus ſuos, etiam prætextu abeundi ad ſuperiores ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 4. niſi conſtet de notorio gravamine ait F. Eman. tom. 2. qu. 30. art. 3. qui præced. qu. art. 1. affert Decretum Sacræ Congregat. mitiorem in partem emanatum.*

*Cæterum in Viſitatione perſonarum ſatius erit, ſi Epiſcopus ſolus cum Notario quemque examinet, vel etiam in aliquibus ſine Notario, ut majori cum fiducia de abſentibus loquantur emendandis.*

§. VIII.

*Index, & Ordo agendorum in Viſitatione.*

1. NUnc deveniendum eſt ad ipſam Viſitationem, cujus ordo ex Pontificali Romano eſt.

2. Recipiatur Epiſcopus in locis inſignioribus ſaltem, proceſſionaliter, ut in Pontificali; non extra portam, ex Cærem. Epiſcopor. lib. 1. cap. 2.

3. In minoribus locis cum rochetto, & mozetta, oſculo Crucis in porta Eccleſiæ, incenſatione a digniore ex Clero viſitando, induto pluviali albo.

4. Epiſcopus autem genuflexus quidem oſculatur Crucem, ſed ſtans cooperto capite incenſatur.

5. Orat ante Altare; & apud Altare, quod oſculatur, benedicit populo ſolemniter.

6. Si hora eſt, celebrat Miſſam, vel audit, excipit Clerum ad obedientiam cum oſculo manus, in Miſſa ſermonem habet, & communicat.

7. Sex facit in ſermone, quæ habentur in Pontificali ſed arbitrio ſuo.

8. Fit confeſſio, & abſolutio generalis cum Indulgentia poſt ſermonem quam publicabit Canonicus, ſeu Parochus Eccleſiæ.

9. Induitur Epiſcopus amictu ſupra Rochettum, Stola, Pluviali coloris nigri, & Mitra ſimplici, facit abſolutionem Defunctorum Epiſcoporum, & aliorum, ut in Pontificali, ſive per Eccleſiam, ſive per Cœmeterium procedendo, cum Candelabris, Aqua benedicta, & incenſo; Clero cantante Pſalmos, & Reſponſoria.

10. Aſſumpta Stola, & Pluviali albo, accenſiſque intorticiis, viſitat Sacroſanctam Euchariſtiam, quam prius, & poſtea incenſat.

11. Depoſitis paramentis, viſitabit Baptiſterium, Olea Sacra, Sedes Confeſſionales, Reliquias Sacras, tum Altaria, Capellas, Sacras Imagines, Sacriſtiam, Cœmeterium, Baptiſterium autem, & Sacras Reliquias cum luminibus accenſis; & hæ incenſantur.

12. Poſtea ædes Eccleſiaſticas, Hoſpitalia, Confraternitates, & loca pia.

13. Pro Confirmatione miniſtranda paratur Pluviale, & ſtola albi coloris: ſicut etiam pro conſecratione, ſeu benedictionibus Pontificalibus rerum ſacrarum.

14. Audit confeſſiones, & querelas inquirit, ut opus eſt de converſatione Cleri, & populi; de rebus ſpiritualibus & temporalibus, de libris, & ornamentis.

Hæc

Hæc omoia ex Pontificali Romano, hoc eodem ordine; & paucis additis.

## ANNOTATIONES.

1. *Viſitare deberet prius familiam ſuam Epiſcopus, deinde alios orine, quem diximus, Cathedralem, Collegiatas, Parochiales, &c.*

2. *Prædictus tamen ordo eſt arbitrarius Epiſcopo præſertim ſi Veſperi veniat ad locum viſitandum, quo caſu fieri poterunt ea tantum, quæ uſque ad num. 6. ſunt prænotata; reliqua mane ſequenti.*

3. *Poterit etiam ad viciniora minime loca mittere coadiutores ſuos & convocare ad inſigniorem locum vicinos populos pro Confirmatione.*

4. *In Viſitatione Monialium audiet eas ad cratem, non intra ſepta Monaſterii.*

## §. IX.

*Index obſervandorum in Viſitatione locorum.*

1. DUÆ ſunt partes Viſitationis locorum; Deſcriptio eorumdem, prout ſunt, & præſertim cum defectibus; Ordinatio pro tolleodis defectibus.

2. In ipſo actu Viſitationis ſola ſufficit Deſcriptio. Circa finem Viſitatioois uniuſcujuſque Eccleſiæ maturæ fiant Ordinationes, & Decreta, ex deſcriptiooe hauſta, niſi accidat io aliquibus executio ipſa, ut dicemus in proprio Iodice §. 10.

Deſcriptio cooſiſtit in duobus; An ſit, & Quale ſit, juxta Indices, qui ſequuntur.

5. *De Sanctiſſima Eucbariſtia.*

Obſervet Epiſcopus, & Notarius, deſcribit, an ſint, qualia ſint, quæ ſequuotur.

Tabernaculum ligneum.
Conopæum, & an plura.
Veſtem interiorem.
Corporale ſtratum.
Pixidem.
Auro litamintus.
Velum.
Particulas.

Fragmeota.
Renovationem.
Clavem auratam.
Baſim tabernaculi vacuam.
Lampadem ardentem.
Tabernaculum geſtatoriunm pro Proceſſione.
Pyxidem pro infirmis.

Burſam cum chordulis albam pro rurali communiooe, ut a collo pendeat Pixis.
Umbellam.
Laternam.
Intortitia.
Velum pro humeris longum.

5. *De Baptiſterio.*

Qualis Fons.
Copnopæum.
Umbella.
Cancelli.

Imago Sancti Joaoois Baptiſtæ Chriſtum baptizantis.
Aqua.
Sacrarium vicinum.

Cochlear pro ioſundenda acqua.
Vas Oleorum Sacrorum.
Sal.
Lintei ad tergenda capita.

6. *De Oleis Sacris.*

Armarium in Eccleſia
A latere Evangelij
Cum inſcriptione majuſculis litteris.
Ornatus exterior, & interior.
Vas ſtanoeum iotra capſulam excorio

ambuſto, vel ligneam.
Bombacium madidum oleo, & ſiccum ſuperius.
Burſa violacea.
Ampullæ pro deferendis a Cathedr. Oleis.

Arcula, & clavis, ſi mittatur qui ea deferat.
Renovatio.
Combuſtio veterum.

7. *De Sedibus Confeſſionalibus.*

Sedes in publico.
Lamina forata.
Velum ſpiſſum.

Imago pia.
Bulla Cœnæ.
Caſus Epiſcopo reſervati ibidem affixi.

An claudi queat ipſa ſedes, ne laici ſedeaot.

8. *De Sacris Reliquiis.*

Armarium.
Veſtis interior.
Thecæ propriæ.

Nomina Reliquiarum.
Approbatio.
Expoſitio.

Claves.
Officia divina.
Feſta.

9. *De Altaribus.*

Altare majus.
Gradus ad illud.
Gradus in eo.
Ara lapidea.
Cooſecratio totius.
Tela cerata, immobilis.
Feneſtellæ oullæ.
Mappæ tres, vel una duplicata.
Earum Beoedictio.

Crux.
Candelabra.
Icon.
Statuæ.
Tabella ſecretarum.
Tela ſtragula.
Mutatio mapparum.
Palliaria.
Umbella.

Suppedaneum.
Feneſtra urceorum.
Cancelli.
Cereoſtata.
Campanula.
Clavus pro bireto Sacerdotis.
Pulvinaria.
Tabella ultimi Evangelii.

10.
Dos Altaris.
Patronus.
Onera Miſſarum.

Titulus beneficii.
Feſtum.
An Officium.

Privilegium Defunctorum.

11. *De Eccleſia ipſa.*

Chorus.
Crux magoa in medio, alto loco, cum Salvatore.
Sedes Epiſcopalis cum gradibus, & Umbella.
Naves Eccleſiæ.
Parietes.
Imagines Sanctorum.
Pulpitum.
Feneſtræ.
Sepulchra.
Sedes mulierum, & populi.
Diviſio ſexus.
Tectum.
Pavimentum.
Armaria.
Arculæ eleemoſynarum.

Vaſa Aquæ benedictæ.
Porta.
Super eam imago.
Crux in culmine.
Cæmeterium.
Clauſura.
Crux lignea.
Arbores nullæ.
Campanile.
Campanæ.
Earum benedictio.
Funes, ſcalæ.
Tectum.
Culmen.
Crux.
Pavimentum.
Oſtium.

Clavis.
Uſus earum.
An ad laicorum negotia.
Confeſſio ſub Altare majori.
Patronus.
An profana ſerveotur ibi.
Epitaphia iodecora.
Sepultura pro Clero.
Pro pueris.
Eccleſiæ titulus.
Dedicatio.
Feſtum utriuſque.
Officium quo ritu.
Alia Feſta propria.
Indulgentiæ.
Stationes.
Oratio Quadraginta Horarum.

De

13.

*De Choro.*

Sedes.
Legilia.
Antiphonaria,
Breviaria.
Martyrologium,
Calendarium,
Pontificale.
Cæremoniale.
Directiorum Chori,
Libri Proceſſionum.

14.

*De Sacriſtia.*

Armaria,
Arcæ.
Labrum ad lavandas manus,
Manutergia.
Oratorium.
Tabellæ precum ante, & poſt Miſſam,
Preces ad paramenta.
Miſſalia,
Calices.
Patenæ.
Purificatoria,
Corporalia & pallæ.
Vela.
Burſæ,
Cotyla Hoſtiarum,
Amictus.
Albæ.
Cingula.
Stolæ, Manipuli, & Caſulæ quinque colorum.
Feſtivæ.
Feriales.
Dalmaticæ,
Pluvialia,
Pallia.
Mappæ variæ.
Mappulæ ad manus tergendas,
Aliæ ad Communionis uſum.
Superpellicea.
Integumenta Miſſalium.
Signacula.
Pulvinaria pro Miſſali.
Alia pro genibus.
Imagines devotæ.
Tabellæ onerum, Feſtorum,
Vigiliarum.
Urceoli.
Pelviculæ.
Campanulæ.
Vaſa pro laicorum purificatione,
Supellex argentea.
Thuribulum cum navicula.
Crux Proceſſionalis.
Vexilla.
Vas pro aqua cum aſpergillo.
Tabella Pacis.
Inſtrumentum conficiendarum Hoſtiarum, & Particularum.
Cribrum pro particulis.
Vaſa florum fictorum.
Vaſa ad lavanda corporalia,
Piſcina ſacra.
Candelabrum Cerei Paſchalis,
Feretrum.
Panus mortuorum.
Legilia.
Libri.
Rituale novum.
Miſſæ rejectæ, non approbatæ,
Calendarium,
Portæ,
Claves.
Pavimeotum.
Feneſtræ tutæ.
Parietes.
Tectum.
Inventarium prædictorum.
Subterraneus locus pro vino Miſſæ.

15.

*De Ædibus Eccleſiaſticis.*

Incolæ,
Cohabitatin ancillarum,
Facioorofum latibulum.
Reparatin.
Diſtantia ab Eccleſia,

16.

*De Oratoriis.*

Ut ſupra de Eccleſia.
Adde,
Vexilla.
Crucem Proceſſionalem,
Cappas,
Baculos Priorum.
Libros precum.
Arculas eleemoſynarum,
Vabellam Indulgentiarum.
Aggregationis diploma.
Inventaria bonorum.
Orationes 40. horarum,
An Miſſæ ſolemnes.
Officium Divinum majus.

17.

*De Hoſpitalibus, & Locis Piis.*

Porta.
Inſcriptio.
Cellæ.
Diſtinctio ſexus,
Tabellæ onerum.
Supellex.
Inventarium,
Statuta.
Fundatin.
Privilegia,
Indulgentiæ.
Oratio 40. horarum,
Lecti.
Genus infirmorum,
Miniſterium.

18.

*De Oratoriis Viarum, ſeu Capellulis.*

Altaria nulla,
Imagines.
Clauſura beſtiis.
Reparatio,

19.

*De Monaſteriis Monialium.*

Clauſura.
Portæ.
Parietes,
Rotæ.
Feneſtellæ Communionis, & Confeſſionis.
Crates ferreæ duplices.
Collocutoria.
Feneſtræ.
De Eccleſia, ut ſupra.

## ANNOTATIONES.

1. AN poſſint oſtia frangi ab Epiſcopo Viſitante recuſantes Viſitari quo ad clauſuram. Vide Fuſcum de Viſitat. lib. 2. cap. 19. ubi ex profeſſo tractat, cum diſtinctionibus, & tandem concedit.

2. Impedientes quo minus Epiſcopus ſua utatur juriſdictione excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini num. 15.

3. Invocari poteſt brachium ſeculare, quod ſi neget, excommunicari poteſt, cap. 2. de maledicis, & c. 1. de Offic Ordin.

## §. X.

*Index decernendorum in Viſitatione locali, & materiali.*

PEritus Sacrorum Canonum Epiſcopus, Decretorum Synodalium, & communioris uſus Eccleſiæ Catholicæ, quædam ſtatim decernet, & in ipſo Viſitationis actu exequetur, quædam maturius, circa finem Viſitationis locorum & perſonaru.

1. Nam decernet ſtatim, & ſingillatim ea quæ ſequuntur.
2. Altarium demolitionem, ubi facienda eſt.
3. Ararum confractionem Veteris Chriſmatis & Oleorum combuſtionem.
4. Sepulcrorum amotionem, ſeu obſtructionem, ſi loco ſacro,
5. Amotionem bradellarum, ſedilium, & aliorum impedimentorum.
6. Item profanarum imaginum, aut rerum.
7. Lacerationem corporalium, purificatoriorum, & rerum indecentium ſine remedio.
8. Profanationem calicum, & patenarum; item Eccleſiarum, quæ fit, ut infra.
9. Clauſionem portarum lateralium.
10. Lacerationem Miſſalium, Breviariorum nimis indecentium.
11. Amotionem arborum a Cæmeterio, & locis Sacris.
12. Ramorum inciſionem, qui nocent parietibus Eccl.

*Ea vero, quæ maturius, & data opportunitate temporis, ſunt executione mandanda.*

1. Altarium reconcinnatio, & bardellarum.
2. Umbellæ conſtructio ſuper Altare.
3. Telaria Altarium lignea.
4. Septa Altarium.
5. Feneſtella pro urceolis.
6. Crux, Candelabra, & alia hujuſmodi, aſſignato congruo ſpatio temporis judicio Epiſcopi, & pœna pecuniaria, aut alia ad arbitrium, non autem cenſuris, vel certe, non latæ ſententiæ niſi ex maxima cauſa.

Alia denique ſunt, quæ reſervari debent, examinanda melius adhibitis etiam in conſulationem doctiſſimis viris, peracta

acta tota Viſitatione, ne diutius immorans Viſitator loca plus juſto gravet.

### ANNOTATIONES.

1. *Ex prædictis aliqua fieri debent ſumptibus Rectoris Eccleſiæ, aliqua populi ære, vel utriuſque.*

2. *Regula eſt in Act.s Eccleſiæ Med. ut cum Eccleſiæ redditus ſuppetunt commode ad omnes expenſas, non compellatur populus, niſi ad cœmeterii impenſam: præterquam ubi eſt conſuetudo populi etiam alia præſtandi, quæ retineatur.*

3. *Si vero non ſuppetunt fructus Eccleſiæ præter victum Sacerdotis, totum, quod deeſt Parochiali Eccleſiæ, ac ædibus Parochialibus in fabrica, ſupellectili ſacra, vel Cleri ſubſtentatione, curandum eſt impenſa Populi.*

4. *Altarium minorum inſtauratio, ex Decreto S. Caroli in Synodo Diœceſana IV. præſtanda eſt per eos, quibus ex fundatione, aliove jure, onus ejuſmodi impoſitum eſt, ſi nulli ii ſint, fiat eorumdem altarium cenſu, legatove pro Miſſa facienda relicto, ſi minus ſatis eſt, moneantur ii, qui ibidem habere jus ſibi perſuadent, ſi neque hi ſint, detur iis, qui ſponte velint, vel ii præſtent, quibus incumbit onus reliquæ Eccleſiæ, datoque certo termino amoveantur, & e altare majus, ſeu aliud transferantur. Hæc ibi.*

5. *Si partiendum eſt onus, aſſignentur Rectori potius, quæ pertinent ad paramenta, mappas, & reparationem Altaris majoris; populo, quæ ad fabricam.*

6. *Quæ attinent ad Sacram Euchariſtiam, dentur ſcholæ Corporis Chriſti cum facultate, ut quæſtuet ad hunc effectum.*

7. *In taxandis Capellani fructibus pro reparatione, & ornatu, habeatur ratio ne gravetur ultra id quod aſſignaretur mercenaria implenti onera Capellæ.*

8. *Ultimum remedium eſt ſuperſedere a toto ſervitio, vel ejus parte per aliquod tempus, quod impenderetur, ſi a mercenario præſtandum eſſet, aſſignetur pro impenſa, data facultate Titulari, ſi ſi ips eſſet, ſuſcipiendi oneris in alio altari, vel Eccleſia cum ſua eleemoſyna.*

9. *In iis, quæ minutiora ſunt, ut claves, corporalia, &c. non excuſetur Rector ullo quovis inopiæ prætextu, quo minus etiam negligente populo ab ipſo præſtetur.*

10. *De Eccleſiis profanandis, & diruendis. Vide Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 7.*

11. *Quæ Rector non potuit exequi morte præventus, ſuppleat hæres.*

## §. XI.
### Index obſervandorum in Viſitatione Perſonarum.

1. *In Viſitatione Canonicorum.*

Quæ ad Collegium communiter ſpectant.
Origo.
Numerus Canonicorum.
Dignitates quot, & quæ.
Habitus choralis.
Statuta.
Diſtinctio Præbendarum.
Reddi:us.
Diſtributiones.
Servitium.
Cantus.
Punctatores.
Theologalis.
Pœnitentiaria.
Doctoralis.

Officiales Capituli.
Conventus Capitulares.
Sigillum.
Acta.
Onera.
Miſſæ ſolemnes.
Horæ Canonicæ.
Chori diſciplina.
Conciones.
Anniverſaria.
Miſſarum numerus.
Officia propria.
Feſta.
Archivium.
Inventaria bonorum mobilium, immobilium.

Manſionarii, ſeu Capellani.
Habitus.
Merces.
Servitium.
Conſuetudines Eccleſiæ.
Proceſſiones.
Ritus.
Magiſter cæremoniarum.
Sacriſtia
Clerici.
Muſici.
Organiſta.
Alii.
Ratio redditum reddenda

2. A ſingulis exquirenda, ut infra de aliis Beneficiatis, & præterea, an minor ſit, 22. annis, vocalis ante Subdiaconatum an acceperit aliquid pro admiſſione novi Canonici.

*In Viſitatione Parochorum.*

3.
Ut de Beneficiatis infra.
Et præterea de indice, de quibus ſupra §. 5. num. a 18. uſque ad 34.
Item interrogentur de reſidentia,
Miſſa, frequenti Concione,
Feſtorum, Vigiliarum, Edictorum publicatione.
Doctrina Chriſtiana.
Veſperis.

Proceſſionibus.
Feſtis propriis.
Conſuetudinibus.
Conventibus menſtruis pro caſibus conſcientiæ.
Quot Parochias unuſquiſque habet.
Miniſtros ſufficientes.
An benedicat cineres, candelas, palmas.

In Triduo majoris hebdomadæ quid,
Hoſtia reſervata in Calice tecto.
Fontis benedictio, & Cerei Paſchalis.
Litaniæ majores, & minores.
Qua ratione.
Ritus in celebranda Miſſa ſolemni, & privata.
Benedictio domorum.
Repræſentationes piæ.

5.
De Sacramentorum adminiſtratione.
Circa compatres in Baptiſmo.

Obſtetrices peritas.
Cautionem in lecto pro infantibus.

An ultra tres dies differatur Baptiſmus.
An domi fiat.

6.
De Pœnitentiæ Sacramento.
Ante diem, vel noctu, an mulieres.

An alienos.

Cum ſtola.

7.
De Communione.
Puerorum inſtructione.

Apparatus.
Concurſus pro communione ægrotorum.

Frequentia.

8.
De Extrema unctione.
An renes mulierum ungantur.

Manus Sacerdotum qualiter requiratur.
Viſitatio infirmorum.

Commendatio animæ.

9.
In matrimonio.
Sponſalibus.
An conſenſus ſeparatim exquiratur.

Cohabitatio ſponſorum ante matrimonium.

Abuſus.
Ritualis uſus.

10.
In aliis functionibus.
Concione Quadrageſimali.

Victu, ædibus Concionatoris.

Mercede.

11.
De funeribus.
Qui mos.

Abuſus.
An altarium pallia adhibeantur.

An Viduæ Miſſas audiant.

12.
Examen fieri poteſt de Theoria Sacramentorum, judicio Epiſcopi.

Qui libri pro Doctrina.

A laicis de Parochi moribus.

13. *In Viſitatione Beneficiatorum.*

Nomen.
Cognomen.
Patria.
Æ:as.
B...ficii titulus.

Pluralitas beneficiorum.
Penſiones activæ.
Paſſivæ.
A quo collatio.
Quando.

Profeſſio fidei.
Redditus.
Onera.
Satisfactio.
Officium divinu m

Prædia.
Fines deſcripti.
Arbores cæſæ.
Alienatio.
Locatio.

An conſanguineis.
Inventarium.
Bullæ oſtendantur.
Pacta ſimoniaca.
Facultas celebrandi.

Miniſtrandi Sacramenta.
Renunciatio beneficii.
Publicatio.
Permutatio.
Unio.

14.

*In Viſitatione cujuſcumque de Clero.*

Nomen.
Cognomen.
Patria.
Ætas.
Patrimonium.
Servitium Eccleſiæ.
Ordo.
Habitus.
Tonſura.
Barba.

Annulus.
Capilli.
Caligæ.
Collaria.
Negociatio.
Venatio.
Arma.
Spectacula.
Larvæ.
Docere puellas.

Servitium laicorum.
Si exterus, Dimiſſoriæ litteræ.
Confeſſio frequens.
Miſſa, ſeu communio.
Cantus Gregorianus.
Muſicus.
Studia litterarum.
Habitatio.
Officium divinum, ſive parvum B. Virg.

15.

*In Seminario.*

Statuta.
Mores.
Magiſtri.

Rectores.
Adminiſtratores.

Redditus.
Numerus.

16.

*In Viſitatione Monialium.*

Statuta.
Obedientia.
Paupertas.
Caſtitas.
Clauſura.
Circuitus virorum intra ſepta.
Sacramentorum frequentia.
Chori diſciplina.
Silentium in Choro,
Dormitorio, & Refectorio.

Oratio mentalis.
Jejunia.
Flagella.
Officia, & labores communes.
Lectio Ad menſam.
Comites in loquutorio.
Laici ſine licentia.
Crates apertæ in Quadrageſima, & Adventu.
Electio Officialium.

Largitio munerum.
Victus communis.
Epiſtolæ.
Redditus.
Onera.
Satisfactio.
Capitulum culparum.
Negotiorum.
Rationes dati, & accepti,
Hæc in communi.

17.

Examinatur unaquæque de nomine.
Cognomine,
Patria,
Profeſſione,
Ætate in Monaſterio.
Dote allata,
Renunciatione.

Choralis, an converſa ſit.
Officium divinum, vel quod ejus loco.
Munus, & Officium.
Cella ſeparata.
Exercitia monaſterii communia.
Annuli.

Comæ.
Chirotecæ.
Canes.
Aves.
Speculum.
Inſtrumenta muſica.
Crepidæ Sæculares.

18.

De Prælata.
Officium moribus.
Magiſtra Novitiarum.
Vicaria.
A ſecretis.

Sacriſtiæ Præfecta.
Janitrice.
Oeconoma.
Adiutricibus.
Rotariis.

Officialibus minoribus.
Et præſertim ſupra prædictis num. 16.
Item de Confeſſario Ordinario, & Extraordinariis.

19.

*In Viſitatione Adminiſtratorum piorum locorum, & Confratriarum.*

Inſpiciantur libri rationum.
Expenſarum.
Locationum.
Contractuum.
An commeſſationes fiant.

An Officiales ſint debitores.
Qui alii debeant.
Legata nondum ſoluta.
Superflui ſumptus.
Juramentum Officialium.

Salaria miniſtrorum.
Quæſtores.
An cum campanula, ſeu tabella,
An artificio precum indecoro.
Conventio cum quæſtuariis.

20.

Eadem obſervantur in Montibus pietatis, præſertim ut uſuræ ſuſpicio arceatur.

21.

*In Viſitatione Officialium Cleri.*

Taxæ.
Scripturæ.
Pœnæ.
Depoſitarii fides, & cautela.
Munera judicum.

Nimia mora cauſarum.
Viſitatio carcerum.
Victus.
Expenſæ.

Cuſtodia.
Notariorum fides.
Vicarii profeſſio fidei.
Acceptio perſonarum.

22.

*In Viſitatione aliorum Laicorum.*

Ludimagiſtrorum mores.
Fidei profeſſio.
Medicorum acceſſus ultra tres dies ad inconfeſſos.
Bibliopolarum, indices librorum.
Examen aliorum ſit juxta Indicem §. 5.
num. 31. 32. arbitrio Epiſcopi.

Tripudii diebus feſtis.
Nundinæ.
Comœdiæ turpes.
Legata non ſoluta.
Quæſtuariorum abuſus.

Vagorum, & peregrinorum mores.
Notariorum fori laicalis imperitia.
Meretricum nimia licentia.
Cauponum publica vitia.
Viduarum, & pauperum neceſſitates.

23.

*In Gymnaſiis publicis.*

Statuta.
Mores.
Profeſſio fidei a Doctoribus, quæ curanda eſt ab Epiſcopis ex Sacra Congregar. Conc. ſeſſ. 25. cap. 2.
Item in docentibus Grammaticam, Arithmeticam, ex eadem ibidem.
Philoſophia falſa impugnanda, ex Concil. Lateranenſe.
Lectio Sacræ Scripturæ, ex Conc. Trident. ſeſſ. 5. cap. 1.

24.

*In Viſitatione piarum Fœminarum.*

Fundatio.
Leges.
Habitus.
Convictus.

Sacramenta.
Pia exercitia.
Redditus.

Clauſura.
Numerus.
Regimen.

De

25. *De Regularibus*.

Io domibus etiam Regularium, Renunciario bonorum, reclamatio de nullitate Profeſſionis, delicta extra clauſtra, Prædicatio Verbi Dei, publicatio cenſurarum, præcedentiæ lites, lectio Sacræ Scripturæ, ad Epiſcopum ſpectant, ſeſſion. 25. capit. 16. cap. 4. 14. 19. capit. 12. 23. ſeſſ. 5. cap. 1. & ultim.

§. XII.

*Index Decernendorum in Viſitatione perſonali*.

1. DEſcriptione perſonarum facta cum defectuum cujuſque mentione, ad Decreta venitur.

2. Quædam fiunt verbo, vel ſecreto, vel publice, ut cæteri timorem habeant, judicio Epiſcopi; cavendum tamen eſt, ne diminuatur auctoritas Parochi, vel Prælatæ Monialium, niſi gravius delictum aliter ſuadeat, in dubio ii defendantur ab Epiſcopo.

3. Quædam, quæ ſunt communia pluribus, ſi graviora ſiot, ſcripto decernantur, cum oblatione, ut legantur ſæpius, audientibus iis, de quibus agitur.

4. Quædam graviſſima, quæ probatione egent, accuſatore non probante, ne publicentur: teſtibus autem nolentibus deponere in ſcriptis, ſecreto fiat correctio.

5. Quædam rite probata puniantur, prout juris eſt præſertim contra non Reſidentes.

6. Nam initio ſeveritatem, in progreſſu diligentiam, in fine juſtitiam adhibere debet Viſitator. Parcius tamen Decretis agat, ne nimis multa vileſcant.

7. Io titulis Beoeficiorum illegitimis, ſi qoos repererit, utatur dilatione ad breve tempus, ut Eccleſiæ quam primum conſulatur, nedum Beneficiato fortaſſe excuſando.

§. XIII.

*Index, & Ordo deſcribendæ totius Viſitationis a Notario*.

1. IN actu Viſitationis ſcribat celeriter in foliis eo diſtinctiori modo, quo poteſt, & nihil omittat, præſertim Decretorum, quæ curſim quandoque fiuot a Viſitatore.

2. Relaturus deiode in librum, eum dividat in duas partes, cum his titulis: Viſitatio Civitatis, & Diœceſis.

3. Subdividat quamlibet partem in quinque partes. In Prima deſcribatur Viſitatio localis. In ſecunda Viſitatio Perſonalis. Io tertia Decreta omnia. In quarta Rationes dati, & accepti, cum redditibus locorum piorum, & Confratriarum. In ultima Acta judicaria ſcribantur contra delinquentes, ſeu debitores locorum piorum, & ejusdem.

4. In Viſitatione locali ſcribatur acceſſus Viſitatoris, quo die, menſe, & anno, quibus comitibus, quo modo receptus, quæ ſingillatim egerit uſque ad Viſitationem ipſam locorum: quæ deſcribentur ordine, quo facta eſt, juxta Indicem §. 8.

5. Si quæ decreverit, & exequutus fuerit Viſitator, ſtatim ex iis, quæ in Indice §. 10. ſtatim ibid. notet, ſi non executioni mandatum fuerit, referatur io 3. partem.

6. Viſitatio perſoealis eodem ordine, quo Iodice §. 11. deſcribatur.

7. Io tertia parte ſcribantur Decreta localia, & perſonalia ordine locorum ſervato in Viſitatiooe locali, addito ſpatio temporis, & pœna.

8. In quarta parte reſervetur omnis ratio reddita adminiſtrationum locorum piorum, ordine, quo ſupra.

9. Ultima pars continebit Acta judicialia, citationes, monitoria, ſequeſtra, examinationes teſtium, & actus judiciales, ſive civiles, ſive criminales Viſitationis.

10. Exemplum Decretorum cuique loco Viſitato relicto mandabitur Rectori, ut præterea eadem Decreta ſcribat in libro ad hoc deputato, ne folia pereant, quod accidere facile poteſt.

11. Deberent etiam in libello ſeparam, ſeu in fine cujuſque loci Viſitationis localis, Procurationes notari, ad poſterorum informationem.

12. Demum ea etiam notari, quæ ad Sacramentum Confirmationis, benedictiones, & rerum conſecrationes ſpectant, eo loci, quo peracta ſunt in eadem Viſitatione locali.

13. Notarius diligentior in fine Viſitationis civitatis, ſeu Diœceſis repræſentabit ſtatum Civitatis, ſeu Diœceſis diſtincte ad eam formam, quam nos præſcripſimus in Praxi celebrandæ Synodi part. 3. c. ult.

14. Fidelem, & ſinceram totius Viſitationis ſeriem, & acta, ne patiatur Notarius deſiderari: libris enim Viſitationum plena fides præſtatur, ut probat Vilagur poco ſup. cit. num. 34.

§. XIV.

*Index eorum, quæ adduntur & omittuntur Viſitatore inferiore viſitante*.

1. DAntur litteræ patente ab Epiſcopo cum ea facultate, quæ eidem videbitur opportuna: exemplum dabitur infra.

2. Leguntur hæ pateotes litteræ in uooquoque loco ante actum Viſitationis.

3. Omittuntur ea, quæ ad Pontificalem ſpectant dignitatem.

4. Stola ſupra cottam indutus facit abſolutionem defunctorum, viſitat Sanctiſſimam Euchariſtiam, Olea Sacra, Reliquias, & Baptiſterium.

5. Cætera ut ſupra.

6. Viſitationi finem imponet, ut infra.

§. XV.

*Index agendorum pro fine Viſitationis*.

1. DAntur Rectoribus locorum ſingulorum propria Decreta a Notario ſubſcripta: publicanda ab iiſdem Rectoribus, etiam aliis, ad quos pertinent.

2. Approbantur rationes adminiſtrationum redditæ, ſi bene fuerint redditæ, cum ſubſcriptione Viſitatoris, vel Deputatorum ab eo, vel Notarii; fiunt præcepta ut ſolvant ii, qui debent, iotra certum terminum, ſub pœnis dupli, & aliis.

3. Cauſæ criminales ſi lonetores ſunt, reſerventur foro Vicarii Generalis.

4. Eodem modo civiles, ſi finiri non queaot intra dies Viſitationis.

5. Vicariis Foraneis mandari poteſt, ut ſibi deſcribant in libello proprio Decreta omoia, quæ ſingillatim Clero ſui Vicariatus relicta ſunt, ut procurent executionem.

6. Diſtribuantur pia munera, libri ſpirituales, de quibus in Indice §. 4. num. 11. & 12.

7. Et recognoſcatur ratio ſumptuum pro victu factorum io Viſitatione loci.

8. Io Eccleſia ſtans Epiſcopus aote Altare in cornu Epiſtolæ dicit Pſalm. De profundis, Preces, & Orationem pro Defunctis, ut in Pontificali, in fine Viſitationis, & vadit.

ANNOTATIONES.

1. *QUid erit agendum, ſi fiat appellatio a Decretis Viſitationis? aut ſi allegetur ſuſpectus Epiſcopus?*

2. *Reſpondeo primo: non poſſe uti ſuſpectum recuſare, nec ulla allegatione ſuſpicionis impediri, quominus pœna extraordinaria, quæ morum correctionem, & emendationem reſpiciat, Viſitator afficere poſſit, ſunt eadem verba S. Congreg. Concil. Trident. ſeſſ. 7. c. 8.*

3. *Neque per appellationem impediri, vel ſuſpendi, eadem Sacra Congregat. ſeſſ. 24. cap. 10.*

4. *Reſpondeo ſecundo: ſi compilato proceſſu, formato judicio, ſervatis ſervandis, prout juris eſt, procedat Epiſcopus Viſitans, admittitur appellatio poſt diffinitivam, ita tamen, ut non ſuſpendat executionem, eadem c. 10. S. Congreg.*

1. QUicumque, & quocumque modo abortum fœtus animati procuravit, ſecuto effectu, homicidii pœnis puniatur. Sixtus V. *in Bulla* 1588.

2. Clerici beneficiis priventur, inhabileſque ſint ad beneficia, & ad Ordines, Ordinumque miniſteria. *ibid.*

3. Omnes præterea ſunt ipſo facto excommunicati. *ibid.*

4. Abſolutio non eſt reſervata Papæ Greg. XIV. *Bulla* 1591. Vide *Abſolutio num.* 36. *Degradatio num.* 13.

### *Abſolutio.*

1. POteſt Epiſcopus abſolvere ab omnibus caſibus, & cenſuris non reſervatis Papæ. DD. communiter apud Barb. *de pot. Epiſcopi alleg.* 50. *num.* 181.

2. Et quoſcumque ſibi ſubditos, ſaltem ratione habitationis pro majore anni parte, *ibid. num.* 182.

3. Poteſt Epiſcopus in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſum, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ abſolvere. Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 6.

4. Excipe caſus Bullæ Cœnæ Domini, ut patet, & alios reſervatos poſt Concilium, *ut infra num.* 15. & deciſum refert Suar. *tom.* 4. *diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 12. qui tamen de reſervatis poſt Concilium occultis non intelligi deciſionem docet *ibid. num.* 14. & neceſſariam eſſe derogationem Concilii, uti fit in Bulla Cœnæ *ibid.*

5. Quæ conceduntur Epiſcopo *in d. cap. liceat* a Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 6. negant inferioribus, licet habeant quaſi Epiſcopalem jurisdictionem. Deciſ. refert Garz. *de beneſ. part.* 7. *cap.* 11. *num.* 13. 17.

6. Negantur etiam iis Epiſcopis, in quorum regione non eſt receptum Concil. Trid. Deciſum refert. Barb. *alleg.* 39. *n.* 3.

7. Conceduntur Confeſſario Epiſcopi, ſi Epiſcopus egeat. Barboſ. *ibid. n.* 15. Deciſum refert Saar. *loco cit. n.* 15.

8. Abſolutio vero hæc ſacramentalis eſt, Dec. refert Garz. *p.* 11. *cap.* 10. *num.* 139. *in* 3. *dec.*

9. Non tamen Epiſcopus tenetur audire confeſſionem, ut a prædictis abſolvat, Navarr. *conſ.* 11. *de priv. p.* 2. *lib.* 5. *edit.* 2.

10. Controverſum eſt: an Epiſcopus poſſit eam committere aliis, affirmant de Vicario ſpecialiter deputato Nav. & Sanchez, limitat Henriq. quando caſus occurrit, & ſingillatim; alii facultatem hanc abſolvendi communicabilem dicunt, diſpenſandi, ut *in d. cap.* incommunicabilem. Vide Barboſ. *loco cit. num.* 11.

11. Occultum *in d. cap. dicitur*, quod non eſt notorium, licet ſciatur ab aliquibus. Barboſ. *num.* 1. 25.

12. Deductum ad forum contentioſum eſt illud, quod eſt denunciatum, ſeu poſt litis conteſtationem. Barb. *n.* 19.

13. Non probatum in fine cauſæ, erit occultum. Idem *ibid. num.* 32.

14. Forenſis poteſt abſolvi in caſibus *cap. liceat*, ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi commoratur, non autem a ſuo Epiſcopo abſente, Deciſum refert Garz. *pag.* 11. *cap.* 10. *n.* 139. *in* 3. *declar.*

15. Non poteſt Epiſcopus abſolvere a cenſuris reſervatis, incurſis propter ingreſſum in Monaſterium Monialium, etiamſi ſit occultus. Deciſum refert Riccius *in praxi reſol.* 544. *n.* 5. *in* 2. *edit.*

16. Poteſt abſolvere Epiſcopus percuſſorem Clerici ob levem injuriam. Syl. *Abſol.* 4. *num.* 1.

17. Non ob levem notoriam. Idem *ibid. num.* 2.

18. Poteſt abſolvere privilegiatus ob mediocrem injuriam, hoc eſt, ſi regularis verberet regularem, in mortis articulo conſtitutum; mulierem habentem capitales inimicitias; puerum impuberem; officialem arcentem turbam caſu percutientem Clericum; valde delicatum; pauperem; ægrotantem; ſenem, & valetudinarium; ſodales Clericos in communi viventes: janitorem: ſervum conditione: dubium: impeditum legitime ad iter: debilem membris. Sylv. *ibid. n.* 3.

19. Poteſt item ob enormem injuriam abſolvere ex prædictis eos, qui habent perpetuum impedimentum. Idem *ibid.*

20. Item & eos, qui temporale impedimentum habent; cum conditione tamen, ut ceſſante impedimento ſe præſentent ſedi Apoſtolicæ. Idem *ibid.*

21. Inferior Epiſcopo habens quaſi Epiſcopalem auctoritatem non poteſt abſolvere, neque ob levem injuriam. Id. *ib. n.* 5.

22. Prædictos etiam poteſt Epiſcopus abſolvere ab excommunicatione lata ob alias cauſas. Idem *ibid. n.* 6. Navar. *cap.* 27. *num.* 89. *in Manual.*

23. Etiam in caſibus Bullæ Cœnæ. Nav. *ibid.* & Suar. *loc. cit. ſect.* 3. *num.* 9. *contra Syl. loc. cit.*

24. Poteſt Epiſcopus abſolvere regularem percuſſorem Collegæ, ob mediocrem injuriam excommunicatum, ſi Prælatus non eſt Sacerdos, vel aliter Impeditus. Id. Syl. *ib. quint. n.* 1.

25. Idem & eum regularem, qui percuſſerit Clericum ſæcularem, ex quadam æquitate. Id. *ib. n.* 3. deficiente Prælato.

26. Poteſt etiam abſolvere Moniales exemptas, etiam pro enormi. Idem *n.* 4.

27. Et

27. Et poteſt etiam Abbatem, niſi injuria ſit enormis. Idem *ibid.*

28. Item poteſt Epiſcopus abſolvere eos regulares, qui ſeſe percutiunt extra clauſtra, ſecundum Hoſtien. *ibid. num.* 5.

29. Poteſt Epiſcopus, & eum, qui uxorem habet, & filios, quos in extrema neceſſitate relictos agnoſcit, vel qui curam animarum habet eum earum periculo, ſine Vicario. Barboſ. *de pot. Epiſc. alleg.* 41. *n.* 8.

30. Si prædicti poſſunt adire Legatum, vel Nuncium habentem facultatem Pontificiam, non poteſt Epiſcopus abſolvere. Idem *num.* 31.

31. Excommunicatus in foro exteriori ob percuſſionem Clerici, a Pœnitentiario Papæ ſecreto abſolutus, ſatisfacta parte, poteſt haberi ab Epiſcopo (ſi velit, & niſi urgeat pars adverſa rationabiliter) tamquam abſolutus, neque moleſtari. Navarr. *de pœnis, & remiſſ. conſ.* 26. *n.* 4.

32. Quæ ſit levis, mediocris, enormis percuſſio, vide infra *Violenta manus in Clericum.*

33. Poteſt Epiſcopus abſolvere ſubditum ſuum ab excommunicatione, etiam ſi ſint ambo, vel alter extra Diœceſim. Praxis Epiſc. *V. abſolutio ad* 7.

34. A ſententiis latis ab homine non poſſunt Confeſſarij abſolvere. Leo X. *Anno* 1518.

35. Tempore Jubilæi excommunicatus ab homine, ſi parti ſatisfecerit, poterit abſolvi, & communicare in Divinis in foro exteriori ad effectum tantum conſequendi Jubilæum: & deinde reincidit in excommunicationem. Pius V. *Anno* 1568. *in Declarat. perpetua pro Jubilæis, relata a Gutier. canon. quæſt. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 18.

36. Qui facultatem generalem habet abſolvendi a Caſibus reſervatis, non poſſunt tamen in caſu aborti animati fœtus procurati, effectu ſecuto, niſi per loci Ordinarium fuerit ſpecialiter deputatus. Ex Greg. XIV. Prov. 7.

37. Abſolutio Medicorum, qui ægrotos inconfeſſos viſitare perſeveraverint, Epiſcopo reſervatur, niſi ſecus alicubi judicetur. Prov. 7.

*Vide Confeſſiar. num.* 20. 47.

*Regularium jura ſub Epiſcopis n.* 75. 76. 79.

### *Agni cerei.*

1. NE minio, vel auro inficiantur, ſed albi deferantur. Grego. XIII. A. 1572.

2. Pœna impoſita eſt excommunicationis ipſo facto, non tamen eſt reſervata Papæ, *ibid.*

3. Neque venales proponantur ſub eadem poena. *ibid.*

4. Domi recondantur decenti loculo, a collo pendentes theca decenti includantur. Provinc. 5.

5. Neque laici eos tangant, neque forcipe, neque chirothecis, ſed Clerici in Sacris, *ibid.*

6. Unde non placet Sanch. *ſumm. mor. l.* 2. *c.* 43. *n.* 27. qui eos tangi a Fœminis concedit.

7. Non geſtentur in anulis, neque ſuſpendantur e ramis arborum, neque projiciantur in agrum, ſed eorum cera adoleatur ad ſuffumigationem contra tempeſtates. Prov. 5.

### *Alienatio rerum Eccleſiaſticarum.*

1. DUO copulative requiruntur, cauſa juſta in caſu licito, & ſolemnitas legitima. Paul. II. in *Bulla* 1468.

2. Cauſæ juſtæ ſunt quatuor, neceſſitas, utilitas, incommoditas, pietas. Quær. *V. alienatio n.* 3. *& ibi fuſius, & optime.*

3. Solemnitas legitima non eſt inconſulto Papa Paul. II. *ſupra.*

4. Aſſenſus Apoſtolicus præcedat contractum, & multo magis traditionem rei. Quar. *loc. cit n.* 8. 9.

5. Prohibentur locationes, & conductiones ultra triennium. *Paul. ſupra.*

6. Item emphiteuſes, quæ non ſunt a jure permiſſæ, neque de bonis ſolitis ab antiquo dari in emphyteuſim, neque cum evidenti Eccleſiæ utilitate. Idem *ibid.*

7. Item omne pactum, per quod dominium transfertur, conceſſio, hipotheca, infeudatio. Idem *ibid.*

8. Prohibita cenſetur permutatio etiam inter Eccleſiaſticos. Barb. *de pot. Ep. alleg.* 95. num. 57.

9. Prohibetur tranſactio, & compromiſſum de re Eccleſiæ incorporata. Quar. *loc. cit. n.* 20.

10. Prohibetur impoſitio ſervitutis, ceſſio jurium, actionum, litis, & cauſæ. Idem. *loc. cit.* 21. 22.

11. Item alienatio mobilium pretioſorum, Idem *num.* 24.

12. Neque poſſunt pignorari. Idem *ibid. n.* 27.

13. Conceditur alienatio fructum, & bonorum, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtantis temporis exiſtentia. *Paul. ſupra.*

14. Non prohibetur locatio ultra triennium, ſi adeſt conſuetudo. Pariſ. *conſ.* 98. *lib.* 4.

15. Non prohibentur bona confraternitatum, & Locorum Piorum ſine Epiſcopi auctoritate fundatorum. Barboſ. *alleg.* 75. *n.* 32., & Quar. *n.* 28.

16. Non valet conditio dantis, ut alienari poſſit res data ſine Solemnitatibus. Quar. *n.* 31.

17. Bona relicta Eccleſiæ incapaci, alienari poſſunt ſine ſolemnitatibus. Idem *num.* 32.

18. Arbores ſolo cohærentes prohibitæ cenſentur alienari. Idem *n.* 32.

19. De re nondum incorporata tranſactio fieri poteſt ſine ſolemnitate. Barboſ. *alleg.* 95. *n.* 63. Quar. *n.* 43.

20. Poteſt etiam repudiari Legatum, vel hæreditas nondum incorporata Eccleſiæ. Barboſ. *n.* 52. Negant alii *ibid. n.* 54. & apud Quar. *loc. cit. n.* 23.

21. Duæ conceſſiones in emphiteuſim ſufficiunt, ut dicatur ſolitum concedi. Quar. *n.* 40.

22. Cap. *Terrulas*, non fuit derogatum a Paul. II., neque a Trident. deciſum refert a Sac. Congreg. Quar. *n.* 41.

23. Sed tria concurrant, rei exiguitas, inutilitas Eccleſiæ, & neceſſitas alienationis. *ibid.*

24. Explicatur cap. *Terrulas*, de valore Scutorum 25. auri a Congreg. Epiſcop. 22. *Maji* 1601.

25. Summa neceſſitas, & celeritas negotii, quod non poſſit adiri Papa, poteſt excuſare a ſolemnitatibus. Idem. Quar. *num.* 42.

26. Remiſſio caducitatis poteſt fieri a ſolo Prælato, ſeu Rectore. Idem *n.* 44.

27. Pœnæ a Paulo II. ſunt nullitas contractus, excommunicatio tam contra alienantes, quam recipientes, interdictus ingreſſus Eccleſiæ ipſo jure quoad Pontificem, & Abbates, & poſt ſex menſes ſuſpenſio eo ipſo a regimine; & privatio ipſo facto illius Beneficii, cujus Bona ſunt alienata *in dicta Bulla.*

28. Abſolutio non eſt reſervata *ibid.*, & Quar. *num.* 49.

29. Delegatus male conſentiens alienationi inferior Epiſcopo eſt excommunicatus; Epiſcopus eſt ſuſpenſus ab executione Officii per Annum, & fit irregularitatis reus reſervatæ Papæ cum obligatione damni reſarciendi. Paul. II. *A.* 1645.

30. Qui dolo, fraude, ſcienter in damnum Eccleſiæ Decretum a Delegato extorſerit, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, & ad reſtitutionem damni dati tenetur. Idem *ibid.*

31. Poteſt Epiſcopus alienare, urgente ſumma neceſſitate pauperum, captivorum redemptione, & Papa non poteſt adiri. Barboſa. *d. alleg.* 75. *n.* 59.

32. Bona quæcumque juriſdictionalia ad Eccleſias inferiores ſpectantia prohibentur inveſtiri denuo, inconſulto Papa in deſcriptis. Urban. VIII. *A.* 1625. *

33. Sub pœnis interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ſuſpenſionis, interdicti a Divinis, excommunicationis, privationis dignitatum, beneficiorum, officiorum, vocis activæ, &c. correſpective contra varios Delinquentes. *ibid.*

34. Regularibus omnibus interdicta eſt alienatio, inconſulta Sede Apoſtol. ab Urb. VIII. 1624. ſub gravibus pœnis *ibidem.* *

35. Item iiſdem prohibetur acceptio pecuniæ ad cambium, vel mutuo cum ſolutione lucri ceſſantis, & damni emergentis. Congreg. Conc. *die* 21. *Martii* 1626.

36. Si contingat alienari Bona, quæ onus annexum habent perpetuum Miſſarum, in alia ſtabilia cum ejuſdem oneris repetitione, & annexione convertantur. Congr. Conc. *de celebr. Miſſ.* 22. *Junii* 1625.

37. Sub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, *ibid.*

38. Non licet vendere ſtabilia pro fabrica Monaſterii, Cong. Epiſc. 12. *Marti* 1619.

39. Neque vendere ſtabilia, ut ematur cenſus, eadem *ib.*

40. Neque alienari debet cenſus pro ſolutione æris alieni, eadem 19. *April.* 1619.

41. Neque poteſt alienari pecunia Eccleſiæ deputata ad emenda immobilia. Sylv. *Alienatio* 7. §. 8.

42. Quæ vero bona ſunt difficilis recuperationis, ſeu incerta, vel incognita, alienari poſſunt ſine ſolemnitate eo pacto, quod Laicus emptor ſuis expenſis, & periculo ea recuperet. Nald. *V. Bona num.* 9. *V. Bona Eccleſiaſt. num.* 1. 2. 5. 6. 23. 25.

### *Altare.*

1. IN conſecrata Eccleſia non poſſunt erigi Altaria, niſi de licentia Epiſcopi, neque ea deſtrui. Sylv. *altare n.* 2. in non conſecrata poſſunt. Azor. *pag.* 1. *lib.* 10. *c.* 7. *quæſt.* 9.

2. Ne Altaria conſtruantur, niſi cum cenſibus, qui ſatis ſint ad Sacerdotes, & Clericos ſuſtentandos eorum miniſterio idonei. Prov. 7.

3. Conſtructa dotentur, aut deſtruantur. *ibid.*

4. Quæ ſub dio ſunt, neque ſepta, neque ſepienda, demoliantur. Provinc. 1.

5. Nullum foramen habeant. Acta Mediol. Eccl.

6. Altaria portatilia debent eſſe capacia pedis Calicis, & Hoſtiæ conſecratæ. Sylv. *loc. cit. n.* 1.

7. Altaria majora Parochialium Eccleſiarum conſecrari debent. Provinc. 4.

8. Et incidatur memoria conſecrationis eorum in lapide. *ib.*

9. Non ſunt conſecranda ea, ſub quibus recondita ſunt cadavera mortuorum. Congr. Epiſc. 8. *Novemb.* 1599.

10. Poſſunt eodem die plura Altaria conſecraei. Sylv, *n.4.*

11. Pro reliquiis ne ponatur Corpus Chriſti. Sylv, *ibid,*

12. Reliquiæ locandæ in Altaei ſint Sanctorum ab Ecclefia appeobatorum. Congr. Epiſc. 13. *Septemb.* 1593.

13. Si enormiter lædatur Altare, aut ſigillum Reliquiarum frangatur, vel mota ſit junctura, qua menſa ſtipiti adhæret, eget nova conſecratinne. Barb, *de pot. Epiſc. alleg.* 27. *n.* 26.

14. Execeata Eccleſia, non execratue Altare. Sylv. *loco citato num.* 7.

15. Polluta Eccleſia, polluitur Altare, & non poteſt ibi celebrari. Idem *num. eodem.*

16. Umbraculum convenit appendi ſuper Altare, forma quadrata, niſi adſit ciborium ax lapide. Cærem. Epiſcoporum *loco citato.*

17. Teibus mappis veſtiatue, vel altera ex duabus duplicata. Miſſ. Rom. *Rubr.* 20.

18. Et iis benedictis, *ibid.*

19. Coronides ligneæ circum Altare prohibentur in Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 12.

20. Collocetue in eo Crux inter candelabra. Miſſ. Roman. *ubi ſupra.*

21. Etiam ubi aſſervatur Euchariſtia. Gavant. *in Theſauro Sac. Rit. t.* 1. *p. t. tit.* 20.

22. Et etiamſi in Icone pictus ſit Crucifixus. Idem *ibid.*

23. Tabella ſecretorum in eo ponenda eſt, Miſſal. Roman. *ſupra.*

24. Nihil in eo omnino ponatur, quod ad Miſſæ ſacrificium, vel Altaeis ornatum non pertineat. Idem *ibid.*

25. Tegantur Altaria omnia teiis ſtragulis. Acta Mediol. Eccleſiæ.

26. Menſuram Altarium, graduum, mapparum, & ornamentorum collegit, & deſcribit Gavantus *loco cit. par.* 5.

27. Lampadem ardere convenit ante unumquodque Altare, plures ante Altare majus. Cæremon. Epiſc. *loco cit.*

28. Ubi celebravit Epiſcopus proprius, ab alio ne celebretur ibi eodem die, ſine licentia ſaltem tacita. Conc. Antiſiod. c. 10.

29. A fortiori, ubi celebravit Legatus, vel Papa. Gavantus *loco cit.*

30. De Titulis Altarium niſi ſint in Kalendario Romano, nullum recitatur officium. Congr. Rituum 28. *Auguſti* 1628.

*V. Eccleſia num.* 10. 29. 30. 31. 32. 33. *Sepultura num.* 6.

## A D D I T I O.

1. Altaria de jurepatronatus ſine dote, paeamentis, &c. ſtatuto brevi teemino dotentur, ornenturque a Patronis, alioquin jure ſuo priventur hi, & ea demoliantur. *Congr. Epiſc.* 16. *Januarii* 1064.

2. In Eccleſia non conſecrata non eſt Altare conſecrandum ſine Papæ auctoritate. *Barboſa de jure Eccleſ. l.* 2. *c.* 7. *n.* 12.

3. Epiſcopo requiſito bis aut ter a Mendicantibus pro conſeceatione ſuorum Altaeium, & renuente, poſſunt ii adire quemcumque Epiſcopum, ex conceſſinne Sixti IV. quæ non eſt revocata in Trid. *Emman. Rodriq. in add. ſummar.* 3. *cap.* 19. *num.* 1.

4. Sede vacante Epiſcopali poteſt vicinior Epiſcopus conſecrare dicta Altaeia. *Idem ibidem.*

### *Alternativa Beneficialis.*

1. ALternativæ acceptatione recepta in Dataeia in aliquo menſe Apoſtolico non incipit illius uſus, niſi toto menſe peracto, ſecus, ſi in menſe Ordinarii. Barboſa de poteſtate Epiſc. *alleg.* 53. *num.* 38.

2. Menſes Aprilis, & Octobris ſemel facti Apoſtolici ob abſentiam Ordinarii ſemper remanent Apoſtolici, licet ipſe redeat de novo. *Idem ibid.*

3. Menſes Februarii & Auguſti, licet ſemel per abſentiam Ordinarii ſint facti Apoſtolici, deſinunt eſſe Apoſtolici redeunte Ord. ad Epiſcopatum. Idem *ibid.*

4. Menſes Junii & Decembris, nunquam ſunt Apoſtolici, licet Ordinarius non reſideat. Idem *ibid.*

5. Epiſcopus non reſidens in Diœceſi non gaudet alternativa. Deciſum eefert Riccius *in praxi deciſ.* 540. *in prima edit. vel reſol.* 462. *in ſecunda.*

6. Neque item, ſi abeſt ex cauſa a Concilio approbata, Deciſ. a Papa refert Garc. *de beneſic. part.* 5. *c.* 1. *in addit. n.*463.

7. Neque quando adeſt in obſequium ſummi Pontificis, Congreg. Epiſc. 11. *Sept.* 1584.

### *Anulus.*

1. ANulì uſus in Miſſa prohibetur Protonotariis non participantibus, & Doct. Con. Rit. 11. *Febr.* 1632.

2. Et Canonicis Cathedralium, eadem 20. *Nov.* 1628. in quibus Dignitates intellige.

3. Ab Epiſcopo geſtandus eſt in indice dextræ manus. Steph. Duran. *lib.* 2. *de Rit. cap.* 9.

4. Sed in Miſſæ celebratione in digito anulari ejuſdem dextræ manus. Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 7.

5. In gemma nihil ſculptum eſſe debet. Duran. *loc. cit.* & Prov. 4. *de ſacra ſupell.*

## A D D I T I O.

6. Ab Epiſcopo geſtandus in indice dexteræ manus. *Iſidor. Moſcon. de majeſt. mil. Eccleſ. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 8.

### *Appellatio.*

1. REus appellans in criminalibus, acta primæ inſtantiæ producat, ſine quibus non procedat Judex ad quem. Judex autem a quo intra dies 30. exhibeat acta gratis, alioquin ſine his terminetur cauſa. Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 3.

2. Non habet locum appellatio elapſo biennio, quando ob gravitatem cauſæ, vel partium cavillationes, non ſit definita cauſa a foro Epiſcopali, deciſum refert Fr. Leo *in Theſ. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 72.

3. Inhibitio numquam ſit Epiſcopis a Judice ad quem ſub pœna excommunicat. Zerol. *V. Appellatio ad ſeptimum.*

4. Non admittitue appellatio, niſi in tribus caſibus. Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. *de reform.* Ita Greg. 13. *in conſtit.* 24.

5. In cenſuris, lata ſententia cum affixione cedulaeum non impeditur per appellationem. Zerol. *loco cit. ad* 14.

6. Ad expenſas actorum transferendoeum tenetur appellans ſi pee Notarium acta ſint ſcripta. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. ſecus, ſi per Cancellarium Epiſcopi, de quo *ſeſſ.* 13. *cap.* 3.

7. Extat Decretum de hac materia Sacr. Congr. Epiſcopoeum 16. *Octobris* 1600, apud Quar. *ſupra num.* 20.

8. Et aliud item Congr. Concilii de gravamine indebitæ carceratinnis, quod ab eo appellari poſſit *ibid.*

9. Plura de appellatione. Quar.

*V. Archiepiſcopus a num.* 13. *ad* 21.

*Vide Vicarius Foraneus num.* 4.

*Vicarius Generalis num.* 24.

*Viſitatio Circa Canonicos exemptos num.* 18. *&* 19.

### *Aqua benedicta.*

1. ESt ceeti ordinis ejus benedictio: unde fieret irregularis, qui cenſuratus eam benediceret. Sylv. *num.* 4. *Aqua bened.*

2. Singulis Dominicis Miſſam Parochialem facturus aquam benedictam renovet, & aſpergat populum. Prov. 3.

3. In die ſancto Paſchatis, & Pentecoſtes non benedicitur, ſed aſpergitur Clerus, & populus cum aqua peidie benedicta, & eeſervata. Miſſale Romanum.

4. Non aſpergatur Altare, in quo publice apparet Euchariſtia, Miſſale Ambroſianum 1618.

5. Aſperſio domorum fiat in Sabbato Sancto, & in Vigilia Nativitatis Domini pro moee locorum. Prov. 6.

6. Neque ideo quidquam petatur, neque nutu exigatue. *ibid.*

7. Aqua non benedicta addita benedictæ in minori quantitate quam benedicta, efficitur benedicta, Sylv. *loc. cit. n.* 2.

### *Archidiaconus.*

1. NON tenetur eſſe Doctor, Magiſter, vel licentiatus, niſi curam habeat animarum, vel annexam juriſdictionem, & deciſum refert Garz. *p.* 7. *cap.* 7. *n.* 46. *&* 41. *& alii apud Barb. de pot. Epiſc. alleg.* 60. *num.* 60.

2. Duos habens Archidiaconatus dignitate pares poterit reſidere, in quo ſibi magis placuerit, Deciſum refeet Garz. *de beneſ. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 185.

3. Si alter eſt dignioe, tenetur in eo reſidere. Deciſum refertur. *ibid.*

4. Sede vacante per octo dies, qui dantur pro creatione Vicarii capitularis, Archidiaconus eſt de jure Vicarius, donec electus fuerit capitularis. Zerola. *in praxi Epiſc. p.* 1. *Archid.*

5. Poteſt ratione Viſitationis ei incumbentis, abeſſe ultea tres menſes, & lucrari fructus, ſi dari conſueverint abſentibus ex legitima cauſa, non tamen diſtributiones mere quotidianas. Deciſ. eefert. Garz. *d. cap.* 2. *n.* 332.

*V. Viſitatio inferiorum Epiſc. num.* 14. 7.

## A D D I T I O.

1. Si eſt prima dignitas debet facere Officium Presbyteri Aſſiſtentis, ſi eſt Sacerdos. *Congr. Rit.* 10. *Jan.* 1609. & recuſans eſt cogendus pœnis & cenſuris *eadem ibid. &* 28. *Maji* 1616.

2. Non poteſt aſſiſtere Epiſcopo in habitu prælatitio, non chorali, licet ſit Protonotarius *eadem* 6. *Martii* 1610.

3. Archidiaconus, qui ſuſtinet baculum Epiſcopi, debet incenſari poſt Diaconos Aſſiſtentes. *ead.* 28. *April.* 1607. quamvis ſit primus. *ead.* 19. *Januar.* 1608.

4. Dum eſt in Aſſiſtentia apud Epiſcopum, etiam extra Eccleſiam Cathedralem, cenſetur præſens in Choro *ead.* 14. *Mart.* 1608.

5. Viſitans jura ſuæ præbendæ non ammittit diſtributiones. Deci-

Digitized by Google

Deciſum referunt DD. *apud Barboſ. de Canonicis cap.5. n.15.*

6. Viſitans aliam Eccleſiam non ſuam in Diœceſi, ammittit. DD. *ibid.*

7. In funeribus cedit locum Archipresbyt.

*Archiepiſcopus.*

1. CEdit Primati, ubi Lotter. *de re benef. tit. 5. lib. 1. qu. 0. num. 33.*

2. Epiſcopus non Ordinatus in Civitate Metropolitana debet infra duos, vel tres menſes accedere, vel impeditus ſcribere ad ſuum Archiepiſcopum. Quar. V. *Archiepiſc. n. 5.*

3. Abſentia Epiſcopi eſt approbanda a Metropolitano. *Ib. ex Trid. ſeſs. 6. cap. 2. ſeſs. 25. cap. 1.*

4. Epiſcopo non reſidente ſine cauſa poteſt applicare fructus Fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci, & creſcente contumacia denunciare Papæ. Trid. ſup. & Pius IV. An. 1560.

5. Poteſt ſuſpendere, interdicere, & excommunicare Epiſcopum. Quar. *loc. citat. num.* 8.

6. Epiſcopum negligentem in eo, quod facere debet, poteſt compellere, *ibid.* & præſertim in erectione Seminarii, ejuſque conſervatione. Trid. *ſeſs.* 23. *cap.* 18.

7. Eſt Ordinarius Judex Epiſcoporum ſuæ Provinciæ. Quar. *num.* 10.

8. Eſt item Judex Vicariorum Generalium Epiſc. Idem *num.* 11. ſi delinquant in officio, *ibid.*

9. Habet juriſdictionem in ſubditos Suffraganei per appellationem in appellantem, & appellatum, illoſque, qui ſe ſponte offerunt liti ſuper illa re, de qua eſt quæſtio. Id. *n.* 53.

10. Non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, in civilibus, & criminalibus, *ibid.*

11. Poteſt abſolvere ad cautelam a cenſuris aliquando. Vide Quar. *ibid. num.* 14. *ubi fuſe.*

12. Papa mandante Epiſcopo id, quod poteſtate ordinaria facere poteſt, non impeditur appellatio ad Metropolitanum. Idem *num.* 18.

13. Et in caſibus illis, in quibus ante Concil. Trid. tamquam Ordinarius poterat Epiſcopus jure, & poteſtate, quæ traditur ei, etiam uti Delegato Papæ, *ſeſs.* 24. *cap.* 10. non poteſt declinare juriſdictionem Metropolitani. Deciſum refertur *in addit. ad Quar. ibid. num.* 18. *litt. E.*

14. Quomodo procedat Archiepiſcopus in cauſæ appellatione, fuſe, & optime Quar. *loc. cit. num.* 23. *& ſeqq.*

15. Propter negligentiam Epiſcopi devolvitur poteſtas ad Archiepiſcopum. Idem *num.* 21. & in quibus, *ibid.*

16. Niſi Epiſcopus ſit exemptus. Idem, *ibid.*

17. Idem dic de negligentia Capituli Sede vacante, *ibid.*

18. Poteſt deputare Vicarium Capitularem Eccleſiæ Suffraganeæ vacanti, ſi infra octo dies a morte Epiſcopi non eligatur. Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 18.

19. Ad querelam Epiſcopi tamquam Delegatus Papæ procedit contra Canonicos ſui Suffraganei ceſſantes a Divinis ſine cauſa. Quar. *ibid. auctor.* 25.

20. Poteſt Archiepiſcopus injungere Suffraganeis, ut per eorum Diœceſes ſervetur, quod ſervatur in Diœceſi Metropolitani. Idem *num.* 7.

21. In concurrentibus totam Provinciam poteſt exercere juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum. Idem *num.* 23.

22. Cum in Provincia ſuam juriſdictionem exequitur, poteſt punire ſubditos Suffraganei notorios injuriantes ſibi, nunciis, & familiæ ſuæ. Idem *ibid.*

23. Non poteſt concedere litteras dimiſſorias, neque exercere juriſdictionem Fori contentioſi in ſubditos Suffraganei, niſi in criminalibus notoriis, & contra impedientes ejus juriſdictionem. Quar. *auct.* 33.

24. Poteſt mittere quæſtores eleemoſynarum per totam Provinciam pro Fabrica Eccleſiæ Metropolitanæ. Idem *auctor.* 26. ſed cum litteris exhortatoriis, non compulſoriis, quæ offerri debent Suffraganeis, *ibid.*

25. Poteſt mittere Edictum in caſibus ad ſuam juriſdictionem pertinentibus, ſed congruit ſcribere Epiſcopis, ut illud publicent. Idem *auctor.* 26.

26. Poteſt viſitare Provinciam, & procurationem exigere, & eo caſu abſolvere pœnitentes, etiam a caſibus Epiſcopo reſervatis, & a Cenſuris, & diſpenſare in foro conſcientiæ, ſed cauſa cognita Viſitationis in Concilio Provinciali. Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 3. & Quar. *auct.* 33.

27. Poteſt in Viſitatione cum ſubditis Suffraganeorum uti facultate. Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 6. *liceat.* Doct. apud Barboſam *de poteſt. Epiſc. alleg.* 39. *num.* 19.

28. Non poteſt Viſitationem Provinciæ ſine licentia Epiſcopi ordinare, Chriſmare, degradare, vel ſimilia facere. Quar. *loc. cit. auct.* 30.

29. Neque circa ſubditum ſuum, neque in loco exempto, *ibid.*

30. Poteſt aliquibus Prædicationis officium interdicere, Idem *auct.* 34.

31. Poteſt cum duobus antiquioribus Suffraganeis in Provincia erigere unum, aut plura Collegia Seminarii, juxta Decretum Trid. *ſeſs.* 23. *cap.* 18.

32. Poteſt compellere Abbates, & Prælatos Regulares, negligentes, ut Prædicatio Evangelii fiat in Eccleſiis Parochialibus, in nulla Diœceſi exiſtentibus intra ſuam Provinciam. Trid. *ſeſs.* 5. *cap.* 2.



33. Item compellere Regulares, in cujus Provincia Monaſteria ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione ſita ſunt, negligentes exequi. Decr. Trid. *ſeſſ.* 15. *cap.* 8. *de Regular.*

34. Non poteſt ante receptionem Pallii, licet ſit conſecratus, nominari Archiepiſcopus, neque conſecrare Epiſcopos, neque convocare Concilium, neque Chriſma conficere, nec Eccleſias dedicare, neque Clericos ordinare. Quar. *V. Archiepiſcopus, auct.* 32.

35. Neque recipere proventus Eccleſiæ. Id. *ib. in Addition.*

36. Neque ante ſe Crucem deferre, *ibid.*

37. Recepto Pallio, eo non poteſt uti, niſi diebus notatis in Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 16.

38. Uti Pallio poteſt, etiam in loco exempto. Quar. *auct.* 32.

39. Et in Miſſa ſolemni Pontificali tantum, *ibid.*

40. Honorifice Pallium debet aſſervari, ſerico obvolutum, & in capſula intus, & extra pulchre ornata, vel ſerico obducta incluſum. Cærem. *ibid.*

41. Translatus Archiepiſcopus ad aliam Eccleſiam non poteſt uti Pallio ſui Prædeceſſoris, nec Translati, *ibid.* Si perdatur, petatur aliud a Papa.

42. Neque in Eccleſia renunciata poteſt uti, etiam de conſenſu Archiepiſcopi, vel Suffraganeorum. Add. ad Quar. *loc. cit. auct.* 22.

43. Debet autem ſepeliri cum eo in Provincia quidem circa humeros ſupra Planetam, extra vero, eo plicato, ſub ejus capite. Cærem. Epiſc. *loc. cit.*

44. Poteſt ante ſe deferri facere Crucem per totam Provinciam, etiam ſi locus ſit exemptus. Quar. *auct.* 28.

45. Niſi ſit præſens Legatus Papæ, aut Cardinalis non Legatus. Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 4.

46. Archiepiſcopus Titularis, ubi eſt tantum Epiſcopus, non poteſt deferre Crucem. Cong. Epiſc. 12. *Decemb.* 1595.

47. Poteſt in tota Provincia benedicere Populo, etiam in loco exempto, & ſolemniter, & privatim per viam. Quar. *auct.* 29.

48. Immo, eodem præſente, ceſſabit Epiſcopus Suffraganeus a privatis Benedictionibus. Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 4.

49. Poteſt Indulgentias in tota Provincia concedere, non in loco exempto. Quar. *auct.* 31. *V. Indulgentiæ num.* 4. 13.

50. Poteſt Divina quoque Officia in Pontificalibus celebrare etiam in loco exempto. Quar. *auct.* 30

51. Et habere Sedem pro Celebratione in Pontificalibus in cornu Epiſtolæ, cum Baldacchino. Cær. Ep. *lib.* 1. *cap.* 13.

52. Non cum Diaconis Aſſiſtentibus. Idem *ibid. cap.* 8.

53. Sed cum Diacono, Subdiacono, Aſſiſtente ex Canonicis; quia hi dantur coadiutori Suffraganeo a Sacr. Rit. Congr. die 45. Jan. 1585. ut refert Quar. in addit. *V. Archiep. num.* 51. *ad* 5.

54. Poteſt aſſiſtere Miſſæ ſolemni ſed ſine circulis Canonicorum Suffraganei. Cær. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 21.

55. Item omittuntur coram eo circuli Canonicorum ante Epiſcopum. Idem *ibid. cap.* 11.

56. Præſente Archiepiſcopo proprio, miniſtrante Epiſcopo; non genuflexi, ſed inclinati miniſtrent. Cær. Ep. *lib.* 1. *c.* 18.

*V. Subſidium charitativum, n.* 1. *Vicarius Generalis, n.* 3. 4.

## ADDITIO.

1. Non defert Crucem in viſitatione Nuncii Apoſtolici. *Congr. Rit.* 9. Martii 1593.

2. Debet rogare Nuncium, ut ſuo Populo benedicat, qui hoc remittat deinde Archiepiſcopo, *eadem ibid.*

3. Archiepiſcopus translatus ad Epiſcopalem Eccleſiam poteſt retinere nomen, ſeu titulum Archiepiſcopi, non Crucem, neque Pallium, *ead.* 16. *Octob.* 1604.

*Archivium.*

1. TEnentur Prælati facere Archivium bonorum Eccleſiaſticorum in ſuis Diœceſibus. Sixtus V. *Anno* 1587. *relatus a Quarant. V. Archivius.*

2. Omnino in Statu Eccl. Urbe, & Bononia exceptis. Id. Anno 1588. in *Bullar.*

3. Conſtituatur in Cathedrali cum duabus clavibus, quarum altera penes Epiſcopum. Prov. 5.

4. In Archivio Epiſcopali locus conſtituatur, ubi cauſarum, & judiciorum acta fori Epiſcopalis ſingulis annis confecta recondatur. Prov. 3.

5. Duabus ille locus claudatur clavibus, altera apud Epiſcopum, altera apud Cancellarium, *ibid.*

6. Notario inſtrumentorum, quæ confecit, exemplum ſumptibus habere liceat, *ibid.*

7. Notario mortuo, aut privato Officio ſuo quæcumque ſcripta confecit in eumdem locum referantur, cauſa non finita deferri poteſt relatio, *ibid.*

8. Defuncto Epiſcopo, clavis ejuſdem detur Vicario Capituli. Prov. 2.

9. In Archiviis Capitulorum duo Canonici præficiantur cum diverſis clavibus, & ad biennium, ita tamen, ut alter tantum per vices mutetur, & novus ſit cum antiquiori. Prov. 3.

10. Periculo ſuo aſſervando recipiant per inſtrumentum, & Succeſſoribus ſcripta conſignent coram Deputato a Capitulo, *ib.*

11. Inventarium idea fiat in Libro, *ibid.*

12. Ea, quæ ad Præbendas ſingulorum Canonicorum attinent, in illud inferantur, vel ſaltem exempla authentica, *ibid.*

13. Nec auferri, neque deſcribi quidquam liceat ſine conſenſu Capituli, *ibid.*

14. Si concedatur exſcribi, fiat in loco Archivii, ſeu Capituli coram Præfectis Archivii, *ibid.*

### ADDITIO.

In Archivio Epiſcopali hæc aſſervanda, ex Decreto *Sacri Conc. Trident.*

Proceſſus, & acta civilia, criminalia, & mixta facta in Foro Epiſcopali.

Sententiæ in iisdem cauſis latæ, compoſitiones cum reis requiſitis.

Præcepta, & Decreta quæcumque inter perſonas Eccleſiaſticas, aut etiam laicas in cauſis ſpiritualibus, vel alias ad Forum Eccleſiæ pertinentes.

Edicta cujuſvis generis.

Statuta, & ordinationes Eccleſiarum.

Mandata procuræ pro negotiis Epiſcopalibus.

Scripturæ mulctarum, & pœnarum.

Item ſupplicationum, & abſolutionum.

Acta Synodi.

Viſitationes Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum piorum cum Decretis.

Regiſtra Bullarum Apoſtolicarum ad eamdem Curiam directarum;

Collationes, & inſtitutiones Beneficiorum, rorumque concurſus, & renunciationes, ac permutationes, & ſcripturæ omnes beneficiales.

Inſtrumenta traditionis poſſeſſionis eorumdem, erectiones Parochialium, Beneficiorum, Capellaniarum, & Fontis Baptiſmalis.

Acta cognitionum, Canonizationum perſonarum, tam Eccleſiaſticarum, quam laicarum, ſeu mixtarum.

Scripturæ concernentes executionem Diſpenſationum Matrimonialium, & aliarum Litterarum Apoſtolicarum.

Remiſſiones denunciationum, divortia, & aliæ ſcripturæ Matrimoniales.

Explorationes voluntatum Novitiarum, licentiæ profitendi, & aliæ hujus generis ſcripturæ ad Moniales ſpectantes.

Interpoſitiones auctoritatis, & Decreti in renunciatione Novitiorum, & alienationibus aliarum perſonarum fori Epiſcopalis, & inſtrumenta dotis Monialium.

Licentiæ accedendi ad Monialium Munaſteria, aut in ea ingrediendi.

Scripturæ conſecrationis Eccleſiarum, Altarium, Cæmeteriorum, Campanarum, &c.

Item Profeſſionis Fidei.

Item Viſitationis liminum.

Scripturæ ordinationum, & collationis Chriſmatis.

Monitoria ad finem revelationis.

Approbationes Confeſſariorum, & Curatorum.

Dimiſſoriæ, & Commendatitiæ.

Licentiæ pro Parochis, Canonicis, & aliis Clericis abſcedendi a Diœceſi cum litteris teſtimunialibus.

Erectionis Seminarii.

Locationis in emphyteuſim bonorum Epiſcopatus, feudalium ejusdem menſæ, & aliorum Beneficiorum.

Hæc ex litteris ad Epiſcopum. Comen. 18. *Dec.* 1626.

Adde inventaria Bonorum Eccleſiaſticorum mobilium, & immobilium totius Diœceſis.

### *Aſtrologia.*

1. PRohibetur judiciaria, præterquam circa agriculturam, navigationem, & artem medicam. Sixtus V. An. 1585. Ordinarii arbitrio ſeverius puniantur Aſtrologi judiciarii, *ib.*

2. Libri de eadem prohibentur retineri, *ibid.*

3. Innovavit prædictam Conſtitutionem Urbanus VIII. *die* 1. *Aprilis* 1631.

4. Addidit contra eos, qui de Statu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu de vita, & morte Papæ, ejuſque conſanguineorum uſque ad 3. gradum incluſive, conſulunt Aſtrologos judiciarios, &c. ſeu eorum judicia etiam ſibi oblata recipiunt, vel utuntur, vel ſcienter retinent, vel alicubi oſtendunt, *ibid.*

5. Item contra eosdem Aſtrologos, qui judicia faciunt, aut a ſe, vel ab aliis facta ſcienter retinent, vel dant alicui, ſeu oſtendunt, aut de iis quovis modo tractant, *ib.*

6. Pœnas infligit excommunicationis latæ ſententiæ (non reſervatæ) ultimi ſupplicii, & confiſcationis Bonorum; Eccleſiaſticis vero excommunicationis prædictæ, privationis Beneficiorum, Officiorum, inhabilitatis perpetuæ, privationis, & ultimi ſupplicii, *ibid.* Epiſcopis autem, & majoribus Prælatis easdem citra ultimum ſupplicium.

7. Et Ordinarii locorum etiam reſpectu vicinorum locorum exemptorum, item Inquiſitores ſunt Judices in prædictis, extra Provincias Sedi Apoſtolicæ ſubjectas, *ibid.*

### *Auditores Rotæ Romanæ.*

VIde *Exempti, num.* 7. 8. *Functiones Epiſcopales numero* 25.

### *Baldachinum.*

1. POteſt Epiſcopus in Eccleſiis Regularium Pontificalia exercens erigere Baldachinum. Congreg. Epiſcop. 10. *Junii* 1603. *apud Quar. V. Privil. Regularium.*

2. Sine auro ter in anno ad ſummum, Pontificaliter celebrantibus Abbatibus Caſſinenſibus, conceſſit Sacra Congr. Rit. 29. *Januar.* 1628.

3. Idem Monachis Olivetanis, ead. 17. *Martii* 1629.

4. Idem pro Monaſteriis tantum S. Trinitatis, & S. Pancratii Civitatis Florentiæ, ead. 31. *Maji* 1629.

5. Idem pro Monaſteriis Cœleſtinorum, eadem 30. *Junii* 1629.

6. Marchiones Locorum prohibentur uti Baldachino in Eccleſia. Congr. Epiſc. 12. *Januarii* 1618.

### *Baptiſmus.*

1. ANte nonum diem baptizentur Infantes ſub pœna excommunicationis: & item ſi domi baptizentur, deferantur in Eccleſiam ad Catechiſmum. Prov. 1.

2. Nemo, niſi Parochus, ſolemniter baptizet, ſine conſenſu ejusdem, neque ante ortum, neque poſt Solis Occaſum ſine neceſſitate, Prov. 5.

3. Nec adminiſtretur extra Eccleſiam, neque in privatis Oratoriis ſine licentia Epiſcopi. Concil. 6. Conſtantinop. *cap.* 31.

4. Ad Cathedralem deferantur ii, qui a Sabbato Sancto ad Sabbatum in Albis, & a Vigilia Pentecoſtes ad Sabbatum ſequens fuerint baptizandi in Civitate. Prov. 4.

5. Ad aquam fundendam vas proprium, ſeu cochleare adhibeatur, & item ad excipiendam eamdem, & eam, qua manus Sacerdotis oleo inunctæ lavantur, *ibid.*

6. Aqua infuſa capiti ne recidat in Fontem, ſed in vicinum Sacrarium. Prov. 4.

7. Ne adhibeantur ornamenta ad pompam circa Infantes baptizandos, *ibid.*

8. Nomina Sanctorum tantum imponantur, *ibid.*

9. Unus tantum, ſive vir, ſive mulier, ad ſummum unus, & una baptizatum de Fonte ſuſcipiant, & Parochus eum, vel eos notabit in libro. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2.

10. Si fiat ſecus Parochi culpa, hic puniatur arbitrio Ordinarii, *ibid.*

11. Non poteſt Epiſcopus concedere, ut duo viri loco viri, & mulieris, aliquem de Fonte levent. Deciſum referunt Doct. apud Barb. *de pot. Epiſc. alleg.* 30. *num.* 41.

12. Duo Procuratores admitti poſſunt, viri, & mulieris. Deciſum refertur, *ibid. num.* 42.

13. Si plures ſuſcipiunt, omnes contrahunt cognationem, niſi conſtet, qui prius tetigit, aut quis fuerit electus. Deciſum refertur *ibid. num.* 48.

14. Procurator non contrahit cognitionem ſibi, ſed mandanti. Deciſum refertur *ibid. num.* 50.

15. Non oritur cognatio Spiritualis in Baptiſmo privato. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 62. *num.* 11.

16. Ne ſint Compares ii, qui fidei Sybolum ignorant. Prov. 4.

17. Neque ii, qui non ſunt Confirmati. Prov. 1.

18. Neque minores natu annis 14. Prov. 5.

19. Neque excommunicati, vel qui in Paſchate non communicarunt. Prov. 1.

20. Ne a laicis eo caſu tangatur Chriſma. *ibid.*

21. Neque plures ſimul baptizentur; & maſculus ante fœminam. Prov. 9.

22. Neque collocentur infantes in Altari, ut inde redimantur, *ibid.*

23. Non adſit Judæus, neque alius a fide alienus. Prov. 5.

24. Liber a Parocho, ad præſcriptum Ritualis Romani conficiatur, baptizatorum. Rit. Roman.

25. Referatur tandem in Archivium Epiſcopale. Prov. 1.

26. Obſtetrices, niſi edoctæ de forma Baptiſmi, non admittantur ad ejuſmodi munus. Prov. 5.

27. Cautio Epiſcopi judicio adhibeatur, ne infantes primo anno ſuffocentur. Prov. 6.

28. Ad preces pro puerpera dici conſuetas in Eccleſia ne domum mulieris Parochus adeat. Prov. 3.

29. Neque illi præbeatur benedictus Panis ſub hoſtiæ forma, *ibid.*

30. Pia precatione inducantur pueri prima vice in Eccleſiam ex Rit. Prov. 4.

31. Recolendus eſt quotannis Baptiſmi dies piis operibus. Prov. 6.

32. Fons autem baptiſmalis de lapide ſit, ſine rima. Prov. 4.

33. Bene muniatur aqua a pulvere, & tegatur albi coloris conopeo; ſepiatur cancellis. Adſit imago S. Joannis Chriſtum baptizantis. *ibid.*

34. Clavis fontis ſit apud Parochum tantum, *ibid.*

35. Mantilia duo munda ad abſtergenda capita, ſi afferantur, nova ſint, & in Eccleſiæ convertantur uſum. *ibid.*

36. Nul-

36. Nullum ſepulcrum ſit prope fontem. Prov. 6.
37. In Sabbato Sancto, & Pentecoſtes ad Fontis benedictionem conveniat ii, qui de more ſolent, debentve. Prov. 4.
38. Tres ſaltem ibi ſint Sacerdotes. *ibid.*
39. De Oleis, *vide Olea ſacra.*
*V. Interdictum n. 28. Irregularitas 33. 36. Sacramenta n. 3.*

*Beatorum, & Patronorum cultus.*

1. IN Sanctorum invocatione, Reliquiarum, & Imaginum veneratione, & ſacro uſu, tollatur omnis ſuperſtitio, turpis quæſtus, laſcivia, commeſſationes, & luxus, nihil prophanum, aut inhoneſtum appareat. Trid. *ſeſſ. 25. de invoc. Sanct.*

2. Non debent admitti nova miracula, neque Reliquiæ recipi, non approbante Epiſcopo. *ibid.*

3. Ad hæc approbanda adhibendi ſunt in conſilium Theologi, & alii pii viri. *ibid.*

4. Nemo, quicumque ille ſit, audeat per ſe, vel per alios capere informationes ſuper ſanctitate, & miraculis alicujus defuncti, neque ullo modo exquirere, neque obtinere ad hunc effectum extrajudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones ſub pœnis arbitrio Sacr. Rituum Congregat. eadem, *Decreto publicato 12. Martii 1631.* *

5. Poteſt Superior, Sacriſta, vel Officialis cujuſque Eccleſiæ recipere revelata miracula, ſive prophetiæ dona, ſub ſigillo ſecreti, ab ipſis tantum, in quorum gratiam contigiſſe narrabitur, *ibid.*

6. Et tenetur quamprimum eadem deferre, vel obſignata tranſmittere ad Epiſcopum loci cum expreſſa declaratione, quod eæ revelationes non faciunt aliquem probationis gradum, etiam cujuſvis longiſſimi temporis curſu. *ibid.*

7. Antequam declarentur Beati, nihil in locis publicis, ſeu privatis admittatur, indicans venerationem. Urb. VIII. *in Decret. S. Inquiſ. 13. Martii 1625.* *

8. Neque libri imprimantur de eorum geſtis, miraculiſque ſine recognitione Ordinarii, & Theologorum, & re prius communicata cum Sede Apoſtol. *ibid.*

9. Ad eorum ſepulcra non ardeant lampades, neque tabellæ alligentur ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. *ibid.*

10. Si deferantur tabellæ, ſeu alia indicia gratiarum, de conſenſu Ordinarii poſſunt acceptari cum atteſtationibus de re opportunis, & in loco ſeorſum ab Eccleſia cuſtodiantur. Id. Urb. VIII. *in alio Decreto eodem anno.* *

11. Excipiuntur ii, qui per immemorabile tempus, vel patrum teſtimoniis, vel longiſſimi temporis ſcientia, vel tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur, *ubi ſupra 13. Martii.*

12. Pœnæ Clero ſæculari imponuntur arbitrio Ordinarii, etiam privationis Officiorum, & ſuſpenſionis Ordinum. *ib.*

13. Regularibus autem privationis Officiorum, vocis activæ, & paſſivæ, & ſuſpenſionis a Divinis. *ibid.*

14. Impreſſores librorum, pictores imaginum, ſeu ſculptores, aliique artifices pœnis pecuniariis, & aliis arbitrio Ordinarii, ſeu Inquiſitoris, puniantur. *ibid.*

15. In patronos locorum eligi non poſſunt ii, qui dumtaxat ſunt Beatificati, nondum Canonizati. Congreg. Rit. 23. *Martii* 1630.

16. De Patrono Civitatis electio fieri debet per ſecreta ſuffragia a populo, mediante conſilio generali Civitatis, vel loci, & cum conſenſu Epiſcopi, & Cleri loci. *ibid.*

17. Idem ſervetur in Patrono Regni, qui pariter eligi debet per ſecreta ſuffragia ſingularum Civitatum. Prov. *ibid.*

18. Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competit facultas eligendi Patronos, niſi habeant ſpeciale mandatum, & adſit conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum. *ibid.*

19. Cauſæ electionis novorum Patronorum debent in Sacr. Congregatione deduci, & cauſa cognita ab eadem approbari. *ibid.*

20. Patronus principalis unicus eſto, ex Rubr. Brev. *tit. 7. num.* 1. & eſt primæ claſſis.

21. Patroni minus principales poſſunt eſſe plures. *ibidem tit. 1. num. 1.*

22. Horum Feſtum duplex quidem, ſed majus per Annum tantum, *in Tab. Br. Rom.*

23. Ad Feſtum Patroni, hoc eſt principalis, tenentur etiam Regulares, non autem ad Oct. Gregor. XIII. 30. *Dec.* 1573. Congr. Rit. 27. *Martii* 1628.

24. Officia Sanctorum Patronorum propria, inconſulto ipſomet Summo Pontifice non poſſunt approbari. Sixtus V. *Conſtit. 74. in Bullar.*

25. Sancti Titulares Capellarum, Altariumve, niſi ſint in Kalendario Romano, nullum habent officium ſine licentia Sedis Apoſt. Cong. Rit. 1628.

26. Solet concedere Sac. Rit. Congregatio Sanctis locorum Epiſcopis Officium duplex in tota Diœceſi; Martyribus locorum propriis idem: Civibus, probata eorum origine, duplex in Civitate tantum: SS. Archiepiſcopis non ultra Diœceſim, ut in Decretis pluribus 1628. 1629. 1630.

27. De Sancto Titulari Eccleſiæ Cathedralis ſolet etiam concedere Officium duplex primæ Claſſis in Civitate tantum, ſine Oct. extra Cath. *ibid.*

28. Translation. unicum Feſtum admittere ſolet, nimirum ultimæ, in teſtimonium præſentiæ Corporum. *ibid.*

29. Et Patroni quidem principalis ſub ritu duplici, aliorum vero ſemiduplici. *ibid.*

*V. Feſti dies num. 1. Imagines Sacræ num. 3. 4. 9. Libri prohibiti num. 14. Reliquiæ SS. per totum.*

A D D I T I O.

1. Non prius inquirat Epiſcopus generaliter ſuper vitæ ſanctitate alicujus, quam particulariter de illius virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo præcedat famæ comprobatio, prout prudentiæ Epiſcopi magis expedire videbitur. *Ex Decr. Congr. Rit. 12. Mart. 1632.*

2. Impedito vere Epiſcopo, cujus oneratur in hac re conſcientia, poteſt delegari Vicarius Generalis, vel alius in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, qui cum aliis ad minimum duobus doctis viris, uno Theologo, & altero graduato, vel licentiato in jure Canonico, rem totam peragere debet, ita ut omnia ſua nomina ſubnotent poſt ſubſcriptionem cujuſque teſtis, antequam diſcedant a loco examinis. *ibid.*

3. Teſtes omnes quæcumque habent, explanate, & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes redditas; neque eis recitentur quæ alias ipſi depoſuerunt. *ibid.*

4. Secreto retineantur acta completa, præſtito etiam juramento a Notario, & teſtibus, ſe nemini promulgaturos quicquid ipſi ſcripſerint, ſeu depoſuerint, vel de quibus interrogati fuerint, *ibid.*

5. De his actis certior reddatur ſummus Pontifex, & ea authentica tranſcripta, ſigilloque obſignata quamprimum mittantur ad S. Rit. Cong.

6. Originalia eodem modo conſignata, & in capſa clauſa pluribus clavibus, quæ diverſis arbitrio Epiſcopi cuſtodiendæ tradantur, in Archivio Epiſcopali conſerventur.

*Benedictio.*

1. BEnedictio Lapidis primarii pro ædificanda Eccleſia poteſt delegari Sacerdoti ab Epiſcopo. Rit. Rom. Pauli V.

2. Benedictio novæ Eccleſiæ, ſeu Oratorii, ut in eo dicatur Miſſa, ſi publicum eſt, committi poteſt Sacerdoti ab Epiſcopo, *ibid.*

3. Item, & novi Cæmeterii. *ibid.*

4. Simplex reconciliatio Eccleſiæ, ſeu Cæmeterii non conſecrati poteſt committi Presbytero in Dignitate conſtituto. Cong. Rit. 9. Febr. 1608. imo & ſimplici Sacerdoti. Rit. Rom. Pauli V.

5. Non poteſt Epiſcopus delegare Benedictionem paramentorum aliis. S. Rit. Congr. 14. Nov. 1615. & *ſæpius*, Sylv. *V. Benedictio num. 2.*

6. Abbates non poſſunt ea benedicere, quæ non ſunt ſuarum Eccleſiarum. *ſupra V. Abbas num. 29. 30.*

7. Neque Protonotarii paramenta quæcumque. Cong. Rit. 17. *Julii* 1527.

8. Benedicenda ſunt, amictus, alba, cingulum, manipulus, ſtola, caſula, corporale, mappæ Altaris (niſi a laicis mutuo accipiantur) non alia de neceſſitate. Sylv. *V. Benedictio n. 5.*

9. Amiſſa rerum forma, iterum benedicantur. *ibid. n. 6.*

10. Benedictio Monialium Virginum eſt tollenda. Congr. Epiſc. 5. Dec. 1597. *apud praxim novam Ep. p. 1. c. 2. n. 3.*

11. Virgo in matrimonium data viro, qui aliam duxit uxorem, poteſt benedici, ſi ita viget conſuetudo. ead. 8. *Maji* 1602.

12. In feſto Purificationis B. M. ne benedicantur eæ Candelæ, quas quiſque tunc ante diſtributionem geſtat in manu. Pr. 3.

13. Neque diſtribuantur, niſi præſentibus in Eccleſia, Candelæ benedictæ, & ad ægrotos tantum mittantur, *ibid.* & Cong. Epiſc. Anno 1581.

14. Cinerum benedictio, & diſtributio fiat etiam in Parochialibus Eccleſiis. Prov. 5.

15. Tabernaculum ligneum, in quo aſſervanda eſt Euchariſtia, ſtata prece prius benedicatur. Prov. 6.

16. Benedictiones Cæmeteriorum, Eccleſiarum, Altarium, & Campanarum, ſcribantur in libro, reponendo tandem in Archivio Epiſcopali. Prov. 4.

17. Antiquus ritus benedictionis ædium, quæ recenter ædificantur, vel ob alias cauſas reſtaurantur. *ibid.*

18. Non eæ ædes, in quibus habitant excommunicati, ſeu criminoſi publici. Prov. 5.

19. Pro hac benedictione neque ultro datum quid accipiatur. *ibid.*

20. Benedictio frequens manu data ab Epiſcopo excommunicato, dum per vias incedit, inducit irregularitatem. Suar. *De Cenſur. Diſp. 12. ſect. 2. num. 21.*

21. Benedictio a Sacerdote coram ſuo Epiſcopo non datur ſine licentia ejuſdem. Rub. Miſſ. *tit. 12. num. 3.* ubi neque coram majoribus Epiſcopo, idem jubetur.

22. Habens uſum Mitræ, & inſignium Pontificalium, & nullius Diœceſis exiſtens, immo habens juriſdictionem, & cognitio-

gnitionem omnium cauſarum, & jus viſitandi privative ad quemcumque Ordinarium, & qui in Miſſis, etiam privatis, benedicit cum Verſu, Sit nomen Domini, &c. ad inſtar Epiſcoporum: non poteſt tamen benedicere populo extra actum celebrationis. Congreg. Rit. 25. Maji 1624.

*V. Confraternit. n.* 18. 27. *Euchar. n.* 14. *Matrimonii celebratio n.* 49.

### *Beneficiorum Collatio.*

1. INtra ſex menſes Epiſcopus conferat beneficia. Doctores apud Barboſam *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 58. *n.* 1.

2. A tempore ſcientiæ vacationis numerentur. *n.* 5.

3. Hoc eſt, quo ſcire potuit, vel debuit. *n.* 6.

4. Menſes dies 30. continet, & ſecundum Kalendarium computari debent. *n.* 8. 9.

5. Elapſis ſex menſibus collatio devolvitur ad Superiorem Metropolitanum, & item ad Papam. *n.* 11.

6. Habilibus tantum perſonis conferantur. Trident. *ſeſſ.* 7. *capit.* 3.

7. Nepoti ſuo digno, omiſſo digniore, poteſt Epiſcopus conferre beneficium ob merita propria in Eccleſiam. Philiarch. *de off. Sacerd. p.* 2. *lib.* 4. *c.* 23.

8. Nullus initiatus prima Tonſura ante annum 14. poſſit obtinere beneficium ſimplex. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 6.

9. Aliter collatio eſt nulla. Deciſum 14. Auguſti 1586. refert Riccius *in praxi reſol.* 331. *n.* 3.

10. Sufficit annus 14. inceptus. Deciſum referunt DD. apud Barb. *ſup. alleg.* 60. *num.* 76.

11. Niſi in fundatione aliud ſtatuatur. Deciſum refertur, *ibid. n.* 77.

12. Collatio facta penitus illitterato eſt nulla. DD. apud Barb. *alleg.* 63. *n.* 1.

13. Scholaſteria nonniſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut licentiatis in ſacra pagina, vel jure Canonico, aut aliis idoneis, qui per ſe ipſos id munus explere poſſint, conferantur, ſub pœna nullitatis. Trid. *ſeſs.* 23. *c.* 18.

14. Notus Epiſcopo, quod ſit idoneus, poteſt abſens inſtitui. Deciſum refert Garz. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 23.

15. Probatio facienda in beneficio ab Epiſcopo *juxta c.* 9. *ſeſs.* 23. *& cap.* 13. *ſeſs.* 17. non habet locum in beneficiis ſimplicibus, quorum collatio libera ad inferiorem ſpectat. Deciſum refert Garz. *par.* 9. *cap.* 3. *n.* 19. *declar.* 4.

16. Examen non eſt neceſſarium in ſemel approbato in ſimili beneficio. DD. apud Barb. *alleg.* 60. *n.* 89.

17 Secus, ſi promoveatur ad beneficium ſuperius, vel ſimile in ampliori loco, *ibid. n.* 90.

18. Vel ſi dubitetur, quod dedidicerit, aut oblitus ſit eorum, quæ ſciebat. *ibid. n.* 91.

19. Qui ambitioſis, & multis precibus per ſe, vel per alios beneficium petit, eo facto ſit inhabilis ad omne beneficium per triennium. Prov. 1.

20. Eamdem pœnam luat ille, qui nondum vacans poſtulaverit. *ibid.*

*V. excommunic.* 38.

21. Ante collationem juret beneficiatus, neque ſe, neque alium pro ſe quidquam promiſiſſe, dediſſe, depoſuiſſe dandum cuiquam pro ipſo beneficio. *ibid.*

22. In ipſa collatione onera injuncta beneficiis ex erectione, fundatione, aut aliis Conſtitutionibus, ne minuantur, nihilque detrahatur, alter proviſio ſurrepitia cenſeatur. Trident. *ſeſs.* 25. *c.* 5.

23. Neque item imponatur onus contribuendi, præſtandive ad Eccleſiæ reparationem, miniſtrorumque ſuſtentationem; ſed his in Viſitatione deinde provideatur. Prov. 7.

24. In quacumque collatione, electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, admiſſione ad poſſeſſionem beneficii, vel diſtributionem, nullæ deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſioneſve fiant, niſi in uſus pios, approbante Ep. Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 14.

25. Qui ſe facit inſtitui in beneficium viventis, eſt infamis. Sylv.

*V. Beneficium* 3. *q.* 18.

26. An beneficia tenuiſſima, quæ non excedunt valorem 4. Ducatorum, vel devoluta ad Superiorem, vel vacantia in menſe Papæ, poſſint ab Epiſcopo conferri, affirmat, & probat Zerol. *in praxi Benef. ad* 3.

27. Commendare vero beneficia perpetuo, nemo poteſt inferior Papa. Barb. *ſupra alleg.* 57. *num.* 6.

28. Epiſcopus exiſtens extra Diœceſim poteſt conferre beneficia vacantia in Diœceſi, etiamſi ſit in Curia: ſed contigerit, ut ab Urbe exeat, & extra eam conferat: communis eſt. *in praxi Epiſcop. cit. V. Beneficia ad nonum.*

29. Conficiatur liber, in quo deſcribantur vacationes beneficiorum, & collationes, & a quo; qui in Archivio aſſervandus erit. Prov. 4.

30. In expediendis litteris beneficiorum Epiſcopalibus accipere aliquid ſimonia eſt. Sa *V. Simonia n.* 3.

*V. Alternativa per totum. Illegitimi num.* 3. *& ſeqq. Simonia num.* 2. 3. 4. 6. 7. 9.

### A D D I T I O.

1. Prælato, qui habet jus conferendi beneficia, negligente collationem, ea devolvitur ad Epiſcopum tamquam ad proximum Superiorem. *DD. apud Barboſ. de jure eccl. l.* 3. *cap.* 13. *num.* 109.

2. Non tamen, ſede vacante ad Capitulum. *ibid.*

3. Eadem devolutio accidit, ſi Regulares negligentes ſint in conferendis ſuis beneficiis, nimirum ad Epiſcopum loci, ubi ſunt beneficia. *ibid.*

4. Item ſi Capitulum negligat. *ibid. n.* 110.

5. Si Epiſcopus negligat ea beneficia conferre, quæ ad eum ſpectant proprio quodam jure, non autem jure ſpeciali, aut devoluto, tunc ad Capitulum ſit devolutio, & in ſecundo caſu, ad Superiorem Epiſcopi. *ibid. n.* 111.

6. Niſi Epiſcopus ſit exemptus, & Romano Pontifici immediate ſubjectus: quo caſu ad Papam devolvitur collatio. *ibid. n.* 112.

7. Poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut quis retineat beneficium obtentum tempore excommunicationis, quia non eſt reſervata Papæ hæc diſpenſatio, niſi Epiſcopus ſcienter illi contulerit. *ibid. n.* 143.

8. Excluduntur ab obtinendis beneficiis ſuſpenſi ab Officio, vel beneficio. *ibid. n.* 144.

9. Interdicti perſonaliter, irregulares, ſodomitæ, aleatores, bigami, & alii. *ibid. a n.* 145. *ad* 163.

10. Filius legitimus Clerici non poteſt obtinere beneficium immediate, quod habuit Pater, ſine diſpenſatione. Deciſum referunt *DD. ibid. n.* 161.

### *Beneficiorum Poſſeſſio.*

1. QUi proviſus a Sede Apoſtolica poſſeſſionem beneficii apprehendit, non expeditis litteris, & amittit beneficium, ſive jus ad illud, & ſit inhabilis. Paul. III. *Anno* 1534.

2. Liberum ſit cuique poſſeſſionem capere ſui beneficii, vel in Eccleſia, ubi eſt titulus; vel in prædiis, quæ maluerit ipſe, Notario præſente. Provinc. 4.

3. Qui beneficii poſſeſſionem acquirit, titulum Epiſcopo oſtendat intra menſem, ſub pœna dimidiæ partis fructuum unius anni. Provinc. 2.

4. De fructibus beneficiorum reſpectu prædeceſſoris, & ſucceſſoris. *Vide infra bona Eccleſiaſtica n.* 18. 19. 21 *& ſeq.*

### *Beneficiorum Parochialium Proviſio.*

1. ORdinarii collatores intra ſex menſes Beneficia parochialia rite conferant. Pius V. *Anno* 1567.

2. Vel intra quatuor menſes Papæ, aut collatoribus, ad quos ſpectant, perſonas idoneas electas ſignificent. *ibid.*

3. Sub pœna, quod omnimoda diſpoſitio eorum ſit reſervata Papæ. *ibid.*

4. Patronis autem datur optio, ut poſt ſemeſtre recurrant, vel ad Metropolitanum, vel ad viciniorem Ordinarium, vel ad Papam. *ibid.*

5. Vacante igitur Parochiali, Epiſcopus conſtituat Vicarium, ſi opus eſt, cum portione congrua fructuum. *Trid. ſeſs.* 24. *c.* 18.

6. Hoc eſt: quando non adſunt alii in Eccleſia, ſeu Parochi vicini, qui animarum curam gerant. Deciſum refert Garz. *p.* 9. *cap.* 2. *n.* 13.

7. Neque poteſt amplius commendari Eccleſia Parochialis. Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 18.

8. Quæ deputatio Vicarii ſemper attinet ad Epiſcopum, licet collatio ad quecumque alium. Deciſum referunt DD. cit. a Barboſ. *alleg.* 60. *n.* 3.

9. Edictum promulgetur, quo vocentur ad concurſum ut intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, nomina ſcribantur. Trid. *loco cit.*

10. Quod edictum fiat ſemper ab Epiſcopo loci, ubi eſt beneficium; quicumque ſit collator beneficii. Deciſum referunt DD. cit. a Barboſ. *alleg.* 60. *num.* 15. *&* 44.

11. Etiamſi Parochialis ſit nullius Diœceſis; & tunc ad Epiſcopum viciniorem ſpectat. Loter. *tom.* 1. *l.* 2. *quæſt.* 31. *num.* 64.

22. Niſi collator habeat jus cogendi Synodum. Deciſum refertur a Barb. *loc. cit. num.* 42. *V. Abbas n.* 42.

13. Decem Dies a Tridentino conceſſi pro examine, ne ultra alios decem prorogentur. Pius V. *ſupra*.

14. Poteſt admitti ad concurſum, qui jam habet beneficium curatum, qui ſi obtineat ſecundum, fiat concurſus pro primo tunc vacante. Congreg. Epiſc. 26. Aug. 1592.

15. Doctor, ſive licentiatus, & graduatus non excuſatur ab hoc examine. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *alleg. cit. n.* 86.

16. In parochialibus de Jurepatronatus Eccleſiaſtici præter nominatum a Patrono, poteſt Epiſcopus admittere alios ad concurſum. Deciſum refertur *ibid. n.* 16.

17. Qui tranſacto edicti tempore comparet, & res eſt integra, eſt admittendus. Deciſum refert Garz. *par.* 9. *c.* 2. *num.* 106.



Digitized by Google

18. Si unus tantum concurrat poterit ſolus examinari. Deciſum refert Ugolin. *de pot. Epiſc. cap.* 50. §. 10. *num.* 4. *V. Canonici Regulares num.* 1. *Familiaris Epiſcopi num.* 16.

19. Tres adſint Examinatores Synodales, Trid. *loc. cit.*

20. Non pauciores ſcilicet, quam tres. *ibid.*

21. Etiam in Parochialibus modici valoris. Deciſum referunt DD. cit. a Barboſ. *alleg. cit. num.* 38.

22. Fit examen circa ætatem, mores, doctrinam, prudentiam, & alia opportuna. *Trid. loc. cit.*

23. Non ſufficit circa doctrinam tantum. Deciſum refert Garz. *par.* 5. *cap.* 7. *num.* 11. *verſ. ad* 3.

24. Ætas debet eſſe 25. annorum inchoatorum, ut intra annum promoveatur ad Sacerdotium, DD. apud Barboſ. *alleg. cit. num.* 82. 83. *V. Legatus num.* 3.

25. Fiat in examine experimentum de cantus peritia, & Rubricis Divini Officii. Prov. 5.

26. Examen per concurſum ſi finiri nequit uno die, perficiatur altero, ſi timeatur de revelatione interrogationum, poſſunt hæ mutari die ſequenti. Congregat. Epiſcop. 20. *Julii* 1592.

27. Expedit deinde, ut Examinatores palam inter ſe vota ſua conferant, & deinde Notario dicant, ut ſimpliciter ſcribat approbatorum nomina. Deciſum refert Garz. *part.* 9. *cap.* 2. *num.* 107.

28. Præferri debet in concurſu, qui nullum obtinet beneficium, obtinenti. Rota 20. *Febr.* 1587. *deciſ.* 768.

29. Item minus doctus, idoneus tamen, doctiori, ſi ille moribus excellat. Deciſum referunt DD. cit. a Barboſ. *alleg. cit. num.* 102.

30. Electio ſemper eſt Epiſcopi. Deciſum refert Garz. *loco ante cit. num.* 108. 109.

31. Quando plures ſunt præſentati a laicis, fiat examen inter eos tantum, Epiſcopus eligat magis idoneum. Deciſum refert *part.* 9. *cap.* 2. *num* 256.

32. Magis idoneis conferri debent Parochiales Eccleſiæ, alias hi poſſunt appellare ad Metropolitanum, ſeu viciniorem Epiſcopum, & tandem ad Papam. Pius V. *ſupra*.

33. Eadem ſerventur in jurepatronatus mixto, & in mere Eccleſiaſtico. Trid. *loc. cit.*

34. Quod ſi Juſpatronatus ex duabus partibus ſpectet ad laicum, & pro una ad Eccleſiaſticum, idem fiat; ut in Eccleſiaſtico. Deciſum refert Garz. *p.* 9. *cap.* 2. *num.* 278.

35. Si vacet in menſe Papæ, Patroni Eccleſiaſtici nihil habent, ſed Epiſcopus eligit, & Romam mittit nomen, ut alias. Deciſum refert. Barboſ. *alleg.* 60. *cit. num.* 16.

36. Devoluto Jurepatronatus ad Ordinarium, ea vice fiat concurſus. Deciſum referunt DD. citat. a Barboſ. *loc. cit. n.* 18.

37. Concurſu juxta formam Concilii aliqua de cauſa effectum non habente, Epiſcopus debet novo concurſu providere. Navarr. *conſ.* 11. *de Reſcript. num.* 3. *&* 5. *part.* 2. *lib.* 1. *ed.* 2.

38. Si electus deſiſtat, novus concurſus eſt faciendus, non autem poteſt eligi alter ex iis, qui concurrerunt. Garz. *part.* 9. *cap.* 2. *num.* 211. 222.

39. Cæterum non fit concurſus in beneficiis Regularium, quæ Regularibus conferri ſolent. Deciſum refert. Garz. *p.* 9. *cap.* 2. *num.* 167.

40. Et Regulari Parocho minus digno poteſt alter ſubrogari, & debet ſi Epiſcopus velit. Congreg. Epiſcop. 11. *Decemb.* 1584

41. Neque in Parochialibus Regularibus habentibus curam animarum ſolitis commendari Sæcularibus. Deciſum refert Garz. *deciſ.* 2. *num.* 199.

42. Neque in vacatione Dignitatis, & Canonicatus cui eſt annexa animarum cura acceſſorie: Deciſum refertur, *ibid. num.* 193. & apud Barb. *loc. cit. num.* 26.

43. Neque quando animarum cura incumbit Canonicis Cathedralis, ſeu Collegiatæ Eccleſiæ, & per eoſdem cura exercetur. Deciſum referunt DD. cit. a Barb. *ibid. num.* 30.

44. Neque in reſignationibus factis in manibus Papæ in favorem certæ perſonæ. Deciſum referunt DD. apud Barb. *ib. n.* 21.

45. Neque in permutationibus veris, nec de ſimplici ad Curatum. Deciſum refert Garz. *d. cap.* 2. *num.* 165.

46. Examen eſt tamen neceſſarium in eo, qui non fuit alias examinatus. *ibid.*

47. Neque in Parochialibus acquiſita per regreſſum, ſi eam poſſederit. Deciſum refert *ibid. num.* 168.

48. Neque in Parochialibus litigioſis Doctores apud Barboſ. *loc. cit. num.* 37.

49. Neque in Parochialibus de jure patronatus laicorum. Trid. *loc. cit.* & Deciſum refertur DD. cit. a Barboſ. *loco cit. num.* 18.

50. Neque in jurepatronatus mixto requiritur concurſus. Deciſum refert 5. Febr. 1628. Vivian. *de jurepatronatus in Appendice ad cap.* 1. *lib.* 10.

51. Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarum non conferuntur concurſu, ſed ad eorum nominationem tantum, ad quos attinet deputare. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *ſupra num.* 32.

52. Niſi in Vicarium cura ipſa transferatur, & tunc fiet concurſus. Idem *ibid.*

53. Si Parochiales ita tenues ſint, ut totius prædictæ examinationis operam non ferant, aut nemo ſit, qui concurrat, aut ob apertas factiones poſſint excitari graviores rixæ, Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum Deputatorum conſilio ita judicet expedire, privatum aliud examen poterit exhibere. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18.

54. Proviſi de Parochiali Eccleſia per Papam tenentur ad juratoriam fidejuſſionem de reſidendo. Pius IV. *in Bulla ſua* 87.

55. Confirmans indignum ætate, ſcientia, moribus ad beneficium Curatum, perdit poteſtatem confirmandi primum ſucceſſorem, & a perceptione proprii beneficii ſuſpenditur, quouſque reſtituturus fuerit. Barboſ. *alleg.* 111. *num.* 20.

56. Quæ ſummam ducatorum centum non excedunt, nulla penſione graventur. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 13.

57. Non comprehenduntur in emolumentis, quæ proveniunt ab exercitio curæ animarum, ſi forte funeralia aſſignentur alicui. Congr. Epiſcop. 11. Sept. 1615.

58. Valor centum ducatorum requiſitus a Concilio intelligitur juxta morem cujuſque regionis. Deciſum refert Riccius *in Collect. dec. p.* 4. *Collectan.* 745. *in fine*, Congr. Concil. 13. *Julii* 1630.

## A D D I T I O.

1. Congrua portio Vicario aſſignanda *ex Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. intelligitur arbitrio Epiſcopi Deciſum refert Garz. *de benef. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 15.

2. Duorum aureorum, ajunt, ſingulis menſibus DD. apud Barboſ. *de Offic. Parochi p.* 1. *cap.* 2. *num.* 35.

3. Et num. 36. docent, caſu, quo Vicarius concurrat, & eligitur ut magis idoneus, debet ſtatim ceſſare ab exercitio curæ animarum.

4. Onera deducenda in Parochiali, ut centum ſcuta remaneant libera pro Rectore, ſunt onera neceſſaria, & ordinaria, Capellani, Clerici, Candelarum in feſto Purificationis B. V. manutentiones Sacriſtiæ, Cathedratici, Prædicatoris, Viſitationis Epiſcopi, Organi, Ceræ, Hoſtiarum, vini, olei, judicis, ordinarii. Rota ſæpius apud eumdem Barboſ. *loc. cit. p.* 3. *cap.* 29. *num.* 18. 19.

### *Beneficiorum Reſervatio.*

1. QUÆ curam animarum habent, Sede Papali vacante, poſſunt ab Epiſcopo conferri, DD. apud Barb. *alleg.* 57. *num.* 30.

2. Sede Epiſcopali vacante, reſervantur omnia Papæ. Pius V. Anno 1568.

3. Vacantia item ob crimen hæreſis. Idem Anno 1566.

4. Item collata perſonis contaminatis ob genus, hæreſim, apoſtaſiam a fide. Greg. XIII. Anno 1580.

5. Item recepta in confidentia. Pius IV. Anno 1564.

6. Item Parochialia collata, non ſervata forma. Pius V. Anno 1567.

7. Vacantia per privationem. Paul. III. *Conſt.* 67.

8. Vacantia per negligentiam Ordinarii, elapſo femeſtri, culpa ſua. Doct. apud Barboſ. *loc. cit. num.* 44.

9. Vacantia ob non publicationem, reſignationem. Greg. XIII. Anno 1583.

10. Eorum, qui ſe ipſos pro aliis examini ſupponunt, vel annuas penſiones offerunt pro conſuendis beneficiis, aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid conſequantur; vel quando impetrant pro ſe ipſis cum intentione illa reſignandi. Paulus IV. Anno 1557.

11. Vacantia ob non delationem habitus, & tonſuræ clericalis. Sixtus V. Anno 1589.

12. Quæ item reſervantur in regulis Cancellariæ, & ſolent eſſe hujuſmodi: nimirum.

13. Beneficia Officialium Sedis Apoſtolicæ.

14. Monaſteria virorum valorem annum 200. Florenorum auri excedentia.

15. Dignitates, & beneficia omnia poſt obitum quorumcumque collatorum uſque ad promotionem ſucceſſorum.

16. Omnes dignitates in Cathedralibus majores poſt Pontificalem, & principales in Collegiatis excedentes valorem 10. Florenorum auri.

17. Prioratus, Præpoſituræ, Dignitates conventuales, & Præceptoriæ generales Ordinum quorumcumque, ſed non militarium.

18. Familiarium Papæ, & Cardinalium, & continuorum commenſalium eorumdem.

19. Qui ſint familiares hi: Vide Barboſ. *alleg. cit. a num.* 106. *& deinceps*.

20. Collectorum, Subcollectorum Cam. Apoſtolicæ.

21. Curialium quorumcumque, Cubiculariorum, & Curſorum Papæ. Cubiculariorum honoris Pauli V. Anno 1617.

22. Beneficia Canonicalia Urbium Patriarchalium, & vacantia in Epiſcopatibus, Titulis, & Diaconiis Cardinalium e Romana Curia abſentium.

23. Vacantia per promotionem ad Patriarchatum, Archiepiſcopatum, Epiſcopatum, vel Monaſteriorum regimina.

24. Vacantia per execrabilitatem; nempe, quando retinetur beneficium ſecundum incompatibile cum primo.

25. Be-

Digitized by Google

25. Beneficia reſignata, dimiſſa, ceſſant aſſecutione novorum beneficiorum, quæ in ipſa aſſecutione erant vacatura.

26. Vacantia quæcumque, & ubicumque in menſibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maij, Julii, Auguſti, Octobris & Novembris, præterquam per reſignationem.

27. Niſi Ordinarii acceptarint gratiam oblatam a Papa conferendi beneficia ( aliis titulis non reſervata ) in menſibus Februarii, Aprilis, Julii, Auguſti, Octobris, & Decembris, quæ conceditur vere, & perſonaliter reſidentibus, mutuis hinc inde datis litteris.

28. Addunt Doctores alia reſervata; nimirum in Curia vacantia. Apud Birb. *alleg.* 57. *num.* 19.

29. Omnia beneficia, quæ per reſignationem, vel obitum, auctoritate Apoſtolica conferuntur cum Decreto, quod proviſus beneficium tunc obtentum in manibus Papæ intra duos menſes, aut aliud tempus reſignare teneatur. *ibid. num.* 45.

30. Vacantia per violationem ſequeſtri lite pendente in Curia Rom, *ibid, num.* 47.

31. Beneficia litigioſa per obitum vacantia. *num.* 49.

32. Ea item, quæ ſunt collata a Cardinalibus vigore indultorum, quando proviſi inter ſex menſes a die factæ proviſionis non impetraverint novas proviſiones a Papa. *ibid. num.* 52.

33. Vacantia per delictum offendentis litigantes in Curia Rom. eorumque Judices, Advocatos, Teſtes, vel Notarios, *ibid. num.* 55.

34. Menſis reſervatus Papæ incipit in media nocte primi diei, & durat uſque ad dimidiam noctem ultimi diei. Barboſ. *loc. cit. num.* 183.

35. Media nox attenditur ex Galli cantu horologiorum varietate. Garz. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 526.

36. Beneficium Juriſpatronatus mixti, in quo laici æqualem ſaltem babent partem vocum, non eſt reſervatum. Apud Barboſ. *ſupra num.* 144.

37. Neque beneficrum manuale. *num.* 152.

38. Neque Commenda. *num.* 154.

39. Neque de menſa Epiſcopali, Capitulari, Abbatiali. *num.* 155.

40. Neque Cnadjutoria. *num.* 156.

41. Neque ea, quæ ex creatione ſeu fundatione, aut aliis Conſtitutionibus aliquas qualitates, ſeu certa onera babent injuncta, ut in præbendis Theologalibus, & ſimilibus. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5.

### *Beneficiorum Pluralitas.*

1. UNum uni conferatur, ſi minus ſufficit ad vitam honeſte ſuſtentandam, licet aliud ſimplex conferri, dummodo utrumque non requirat perſonalem reſidentiam. Trid. *ſeſſ.* 24. *can.* 17.

2. Plura beneficia curata, aut incompatibilia retineri non poſſunt ſub pœna privationis ipſo jure. Idem *ſeſſ.* 7. *cap.* 4.

3. Duo Canonicatus ſunt incompatibiles. Deciſum refert Garz. *part.* 11. *cap.* 5. *num.* 381. *in* 3. *declar.*

4. Dignitas, cui additur Canonicatus, non poteſt obtinere alium Canonicatum, cui annexum eſt munus Pœnitentiarii. Deciſum refert Garz. *in add. ad ſuum tract. de Brnef. loc. cit. num.* 249.

5. Canonicus obtinens Dignitatem ſine Apoſtol. diſpenſatione, perdit Canonicatum. Deciſ. refert idem *d. cap.* 5. *num.* 144.

6. Habenti Beneficium ſufficiens poteſt aliud conferri, ſed babita poſſeſſione ſecundi, vacet primum. Deciſ. refert idem *ibid. num.* 283. *in* 2. *decl.*

7. Duo Beneficia ſimplicia ſub eodem tecto, quæ non requirunt perſonalem reſidentiam, & non ſunt ſufficientia, poſſunt conferri ab Ordinario *in praxi Epiſc. p.* 1. *V. Ben.* §. 7. *concl.* 6. Negant plures DD. Apud Barb. *allegat.* 62. *n.* 12.

8. Epiſcopus ex cauſa poteſt diſpenſare, ut quis habeat duo Beneficia difformia ſub eodem tecto, ſi quodlibet eorum ſit inſufficiens ad ejus ſubſtentationem. Deciſ. refert Garz. *d. cap.* 5. *num.* 377.

9. Diſpenſatus ad duo beneficia non intelligitur ſub eodem tecto. Flam. *lib.* 3. *qu.* 2. *num.* 125.

10. Beneficium ſitum in Capella, Clauſtro, Cæmeterio, ſeu ambitu, contiguis Eccleſiæ, cenſetur eſſe in eadem Eccl. Garz. *d. c.* 5. *num.* 259.

11. Cum Parochiali obtineri poteſt Monaſterium commendatum cum cura. Deciſ. referunt Gonz. *ad reg.* 8. *Canc. Gloſ.* 5. §. 8. *n.* 65. & Garz. *p.* 4. *c.* 4. *n.* 35.

12. Conſuetudo valet, quod quis duplici officio in una Eccleſia fungatur, puta Theſaurarii, & Canonici. Deciſ. refert Garz. *d. c.* 5. *num.* 245.

13. Si duo beneficia non ſufficiunt ad ſubſtentationem, non poteſt Epiſcopus conferre tertium, Garz. *d. cap.* 5. *num.* 249.

14. Habenti penſionem ſufficientem poteſt Ordinarius conferre beneficium. Deciſum refert Garz. *d. c.* 5. *n.* 371.

15. In judicanda beneficii inſufficientia nulla debet baberi ratio bonorum patrimonialium. Barb. *alleg.* 62. *n.* 11.

16. Qui exegerit fructus prioris beneficii retenti ſine diſpenſatione, duplum reſtituat. Prov. 4.

### ADDITIO.

1. Capellæ plures in eodem Altari ſub eadem invocatione cum diverſis oneribus Miſſarum, quæ antiquitus conferebantur pluribus Clericis non poſſunt retineri hodie ab uno ſine diſpenſatione Apoſtolica. Congr. Conc. 17. *Aug.* 1639.

2. Incompatibilitas plurium Beneficiorum ſequitur ex retentione, non ex conſequutione: & iden valet collatio tertii Beneficii ab Epiſcopo ultra duo inſufficientia, non autem retento ſine facultate Apoſtolica. Deciſum refert Baboſa *de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 189.

3. Si retineantur per triennium, vacant omnia. *ib. n.* 190.

4. Immo ſi ultra ſex menſes, vacant omnia. *ib. n.* 191.

5. Neque regula de triennali poſſeſſione juvat. Deciſum refertur *ibid. n.* 194.

### *Beneficiorum Reſignatio.*

1. PRocurans Epiſcopus ut Clerici beneficia renuncient, ſuſpenditur a perceptione fructuum ſuæ Eccleſiæ per triennium. Barb. *alleg.* 211. *num.* 19. boc eſt ſequuta renunciatione.

2. Reſignari poſſunt beneficia in manu Epiſcopi a ſenibus impotentibus ſervire.

| | |
|---|---|
| Valetudinariis. | Obtinentibus plura beneficia. |
| Corpore vitiatis. | Ingreſſuris Religionem. |
| Crimini obnoxiis. | Matrimonium contracturis. |
| Cenſuris irretitis. | Capitales inimicitias babentibus. |

Pius V. A. 1568.

3. Ne tamen ullo modo ſignificetur ſucceſſor, *ibid.*

4. Poteſt autem reſignans rogare Epiſcopum, ut conferat a ſe nominato. Barb. *de Pot. Ep. alleg.* 65. *num.* 50.

5. Probanda quoque eſt reſignationis cauſa. Garz. *p.* 11. *cap.* 4. *num.* 52.

6. Et poteſt reſignari ante adeptam poſſeſſionem. Barb. *loc. cit. num.* 16.

7. Non poteſt reſignari beneficium litigioſum, ſuper quo lis pendet. *ibid. num.* 19.

8. Niſi lis eſſet ſuper privatione Beneficiati, non autem, ut adjudicetur alteri. *ibid.*

9. Beneficium quoque de Jurepatronatus reſignari poteſt cum conſenſu Patroni. *ibid. num.* 20.

10. Poteſt autem Epiſcopus acceptare reſignationes beneficiorum ſuæ Diœceſis extra ſuam Diœceſim exiſtens. *ib. n.* 22.

11. Et item Beneficiorum reſervatorum, ſeu collationis Cardinalium, non tamen hæc conferre. *ibid. n.* 23. 24.

12. Porro non ante triennium a poſſeſſione Beneficiati reſignantis. Innocentius IX. relatus a Moſcnn. *de Majeſt. milit. Eccl. lib.* 1. *p.* 3. *c.* 2. *Rubr. de benefic.*

13. Si beneficium eſt titulus ordinationis, fiat de titulo in reſignatione mentio; alias, nulla eſt. Naldus *V. Renunc. n.* 21.

14. Fallit, ſi reſignans aſſequutus eſt aliud Beneficium ſufficiens ad congruam ſui ſubſtentationem. Deciſum refert Idem ibidem.

15. Unico contextu præſtetur conſenſus Ordinarii, cum zt reſignatio. Flam. *l.* 8. *q.* 9. *a n.* 117.

16. Non conferatur conſanguineis, affinibus, familiaribus reſignantium, aut recipientis reſignationes. Pius V. *ubi ſup.*

17. Sub pœnis nullitatis, ſuſpenſionis a beneficiorum collatione, electione, &c. reſervatur Papæ. *Ibid.*

18. Si ſuſpenſi auſi fuerint conferre, ipſofacto ſunt excommunicati reſervata Papæ abſolutione. *Ibid.*

19. Male reſignantes, & lites bujuſmodi proſequentes tenentur ad reſtitutionem, & ad omnia damna. Pius V. Anno 1560.

20. Publicatio fieri debet quarumcumque reſignationum, etiam ex permutatione intra ſex menſes citra montes, intra novem ultra. Greg. XIII. A. 1583.

21. Hoc eſt a die datæ conceſſionis gratiæ, qui poſtremo facta fuerit ex obtinentibus eamdem. *ibid.*

22. Fiat in Cathedrali, & in Eccleſia Beneficii, ſeu Eccleſia in pluribus ſit Beneficium; & inter Miſſarum ſolemnia, lectis litteris Apoſtolicis. *ibid.*

23. Si rurale eſt beneficium, fiat in Parochiali, intra cujus fines illud eſt, & Cathedrali. *ibid.*

24. Si non eſt aditus ad illas, in viciniori Cathedrali, vel Parochiali fiat. *ibid.*

25. Sub pœnis nullitatis, inhabilitatis &c. *ibid.*

26. In reſignatinnibus, quæ fiunt in manibus inferiorum Papæ, intra menſem negotium expediatur, & intra alios tres publicetur. *ibid.*

27. Sub pœnis prædictis. *ibid.*

*V. Cap. ſede vac. num.* 32.

33. *Ordines majores n.* 3. 4. 5. *Peſtis n.* 2.

### ADDITIO.

1. Intra menſem reſignatio debet expediri, boc eſt admiſſio, ſeu rejectio ejusdem; collatio vero fiat, prout de jure communi, *Barb. de jure Eccl.* 3. *cap.* 15. *num.* 113.

2. Publicatio reſignationis fit brevibus verbis; non legendo

do totam Bullam, nec eatum datam. *DD. cum Barb. ib. n.* 195.

3. Facta in Choro, non in Eccleſia, eſt nulla, *ibid.*

4. Ad valvas ſufficit ſimplex carta, in qua ſignificetur totum negotium Reſignationis, *ibid.*

5. Sufficit ad unam portam Eccleſiæ fieri, *ibid.*

6. Et Notarius referat ſe feciſſe juxta furmam Conſt. *Greg. XIII. ibid. n.* 196.

7. Non publicanti regula de triennali poſſeſſione non prodeſt, immo nec decennalis poſſeſſio, *ibid. n.* 197.

8. Probatio de non facta publicatione, ad effectum ut vacet beneficium, incumbit impetranti, ut vacet, *ib. n.* 99.

*Beneficiorum Permutatio.*

1. CONceditur Ordinariis juxta Sacros Canones. Pius V. Anno 1568.

2. Dubitat Megalius 3. *p. Inſt. Conſ. l.* 4. *cap.* 3. *n.* 43. ex verbis prædictæ Bullæ. An poſſint Epiſcopi permutare, & ad ſummum concedit, ſtandum eſſe conſuetudini.

3. In Permutatione beneficii, quod eſt titulus ordinationis, fiat mentio de titulo, alias eſt nulla. Naldus V. *renunc. n.* 21. *V. Ord. Major. n.* 6.

4. Et fiat publicatio, ut in præc. tit. *n.* 20. *& ſeq.*

5. In Menſe Apoſtolico fieri poſſunt ab Epiſcopo Permutationes. Cong. Ep. 24. *Maji* 1583.

6. Poſſunt etiam permutari beneficia jurisſpatronatus de conſenſu patronorum. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 29. *q.* 6.

7. In Permutatione duorum diverſæ Diœceſis requiritur utriuſque Epiſcopi conſenſus, & auctoritas. Azor. *l. c. q.* 8.

8. Ne fit Permutatio triangularis, ſed ſimplex inter duos. Nav. *conſ.* 43. *ſub titulo de Simon. n.* 3.

9. Si inæqualia ſunt, ceſſante pacto, poteſt Epiſcopus mandare, quod recipiens beneficium pinguius ſolvat aliquam penſionem alteri duraturam uſque ad coæquandos fructus, Id. *ibid. n.* 4.

10. Forma Permutationis: quod probentur cauſæ.

2. Examinentur permutaturi ab Epiſcopo. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18.

3. Fiat collatio idoneis repertis.

4. Litteræ ſimul expediantur.

5. Publicatio fiat, ut ſupra.

6. In poſſeſſionem eant cum fidei profeſſione. Ita Ugol. de poteſt. Epiſc. *cap.* 50. *num.* 3.

11. Dum expeditur Permutatio adminiſtrare poſſunt in ſuis Eccleſiis, quas reſignarunt. Flam. *lib.* 1. *q.* 7. *num.* 9. *V. Capitulum de ſede vac. n.* 38.

ADDITIO.

1. Non poteſt fieri Permutatio beneficii cum penſione, quam habet alter ſuper alio beneficio. *DD. cum Barboſ.* de *jur. Eccl.* 3. *cap.* 15. *n.* 179.

2. Neque cum pacto coram Epiſcopo, ut alter ſolvat omnes expenſas ad utramque Bullam neceſſarias, *ib. n.* 180.

3. Neque beneficia inæqualia addita penſione, aut alia re pretio æſtimabili, permutari poſſunt, probabilius, & tutius. *DD. apud Barb. ibid. n.* 181. Vide Manuale noſtrum in hoc titulo, *num.* 9.

*Beneficiorum Privatio.*

1. QUi Matrimonium contrahit per verba de præſenti validum, etiam ante copulam perdit beneficium. DD. apud Barboſ. *de pot. Ep. alleg.* 57. *n.* 202.

2. Judices Privationum, affines eorum, & familiares non poſſunt impetrare beneficia, quibus illi beneficiatos privant. Pius IV. Anno 1560.

3. Neque item Procuratores, & Solicitatores in eorum cauſa, *ibid.*

4. Sub pœna nullitatis, *ibid. Vide Cap. Sede Vac. n.* 41.

5. Suſpenſio a beneficio. *V. ſuſpenſio num.* 822.

*Beneficiorum Vacatia.*

1. VAcant beneficia varias ob cauſas, apud Barboſ. *alleg.* 57. 2. per obitum, *n.* 199.

3. Per reſignationem, *n.* 200.

4. Per aſſecutionem alterius incompatibilis, *n.* 201.

5. Per contractum matrimonii, *n.* 201.

6. Per ingreſſum Religionis, *n.* 208.

7. Per tranſlationem Prælati ad aliam Eccleſiam, *n.* 211.

8. Per promotionem ad Epiſcopatum, poſt adeptam poſſeſſionem, & facta conſecratione, *n.* 215.

9. Per militiam ſæcularem, *n.* 215.

10. Per pœnam, nimirum

11. Per omiſſionem habitus, & tonſuræ. Sixt. V. An. 1589.

12. Per non promotionem Parochi intra annum ad Sacerdotium. Barboſ. *ſup. n.* 209.

13. Per violentam ingreſſionem in poſſeſſionem beneficii, *num.* 220.

14. Per violationem ſequeſtri impoſiti vigore ſententiæ definitivæ in Romana Curia prolatæ in cauſa beneficiali, *n.* 221.

15. Per non oſtenſionem Tituli, cum monitus fuerit, *n.* 222.

16. Per non publicationem reſignationis. Gregor. XIII. Anno 1583.

17. Per non ſervatam formam Pii V. in proviſione Parochialium. *Barb. cit.* 245.

18. Per ſuppoſitionem ſui pro alio ad examen, aut oblationem penſionis, aut intentionem reſignandi contra Bullam Pauli IV. Anno 1557.

19. Per apprehenſionem poſſeſſionis ante litterarum Papæ expeditionem Jul. Anno 1553.

20. Per confidentiam. Pius IV. Anno 1569.

21. Per retentionem indebitam Scripturarum Cameræ Apoſtolicæ, ſeu non revelationem earumdem. Jul. III. An. 1552.

22. Per alienationem rerum Eccleſiaſticarum ſine ſolemnitate. Paul. II. Anno 1468.

23. Per offenſionem litigantium in Romana Curia, eorumque Judicum, advocatorum, Procur. Teſtium, Notariorum. Alex. VI.

24. Propter crimen hæreſis, *ubi ſup. Barboſ. n.* 228.

25. Obtenta per preces hæreticorum, *n.* 230.

26. Per crimen realis ſimoniæ, *n.* 231.

27. Per crimen læſæ majeſtatis, *num.* 233.

28. Per crimen falſitatis litter. Apoſt. *num.* 234.

29. Propter Sodomiam, *n.* 242.

30. Per carcerationem Clerici, ut reſignet Beneficium, *n.* 241.

31. Per occiſionem Rectoris ſuæ Eccleſiæ, *n.* 239.

32. Ob percuſſionem Epiſcopi, vacant beneficia in ejus Diœceſi, *n.* 237.

33. Ob percuſſionem Cardinalis, *n.* 225.

34. Ob Aſſaſſinium, *n.* 238.

ADDITIO.

1. Vacat Beneficium, ſi electus intra menſem a tempore electionis ei præſentatæ, vel a tempore ſibi præſtituto, non conſenſerit electioni de eo factæ. *DD. cum Barboſ. de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 26.

2. Item ſi Electus intra tres menſes poſt conſenſum electioni præſtitum non petierit confirmationem, *ibid. n.* 27.

3. Item quando electus, vel præſentatus ante confirmationem, vel inſtitutionem per ſe, vel alium ſe injecerit, vel adminiſtraverit, *ibid. num.* 27.

4. Item per repulſionem poſtulationis, vel electionis caſſationem, *ibid. n.* 29. 30.

5. Item ſi Beneficium habeatur pro derelicto per decennium, *ibid. num.* 33.

*Beneficiorum Unia.*

1. UNiones factæ a 40. annis citra confirmationem Tridentini Concilii examinari poſſunt ab Ordinario. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 6.

2. Ne fiant Uniones Beneficiorum diverſæ Diœceſis. Idem *ſeſſ.* 24. *cap.* 9.

3. Non poſſunt uniri plura beneficia ſimplicia. Riccius *in praxi reſol.* 610. *in* 2. *edit.*

4. Neque poſſunt uniri beneficia de Jurepatronatus. Deciſum refert Garz. *part.* 12. *cap.* 2. *n.* 210.

5. Et irritæ omnino ſunt Uniones factæ de beneficiis liberis ad Eccleſias Juriſpatronatus. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 9.

6. Quæ vero a 40. annis circa plenam incorporationem ſunt conſequutæ, nihilominus ab Ordinariis revideantur, & ſi opus eſt, ſeparentur, *ibid.*

7. Poteſt Epiſcopus ex cauſa legitima unire beneficia non exempta. DD. apud Barboſ. *alleg.* 66. *n.* 3.

8. Etiamſi eorum collatio vigore concordiæ ſpectet ad Capitulum. Idem *ibid.*

9. Poteſt unire etiam non perpetuo reſervata beneficia. Garz. *d. cap.* 2. *n.* 93.

10. Etiam devoluta Papæ per negligentiam, ignorantiam, ſeu abſentiam Prædeceſſoris. Rebuff. *de devolut. n.* 31.

11. Parochiæ, quæ certos fines non habent, ſed certum populum, & per certas familias diſtinguuntur, uniri poſſunt. Deciſum refert Garz. *d. cap.* 2. *n.* 88.

12. Poſſunt fieri Uniones perpetuæ, ab Epiſcopo Eccleſiarum Parochialium, & beneficialium propter Eccleſiarum paupertatem ſine præjudicio obtinentium. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 5.

13. Ne uniantur Parochiales Eccleſiæ Monaſteriis, Abbatiis, Dignitatibus, Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Collegiatæ, nec aliis beneficiis ſimplicibus, aut Hoſpitalibus, ſeu Militiis, & quæ ſunt unitæ revideantur. Idem *ſeſſ.* 24. *cap.* 13.

14. Neque pars fructuum Parochialis Eccleſiæ poteſt uniri alteri. Deciſum refert Garz. *d. cap.* 87.

15. Debent autem fieri uniones ob evidentem neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ. Garz. *ibid. n.* 108.

16. Et in perpetuum, non ad vitam. Barboſ. *loco cit. n.* 8.

17. Cum conſenſu Capituli. Garz. *d. cap. num.* 145.

18. Et ſufficit poſt Unionem. Id. *ibid. num.* 147.



Gavant. Tom. III.

19. Niſi adſit contraria conſuetudo, quæ excludat Capituli conſenſum. Idem *n.* 152.

20. Si Epiſcopus unit us Delegatus Sedis Apoſtolicæ, negant hunc conſenſum Nav. & alii, affirmant alii, deciſum refert Garz. *cit. n.* 158.

21. In unione facta ipſi Capitulo, requiritur auctoritas Papæ. Idem *n.* 168.

22. Secus ſi fiat ſingulis Præbendis ſingillatim. Idem *n.* 170.

23. Sed verius poteſt Epiſcopus unire omnibus ſimul. Deciſum refert idem *n.* 171.

24. Eorum denique, quorum intereſt, conſenſus eſt requirendus. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 6.

25. Unitum aſſumit deinde naturam, & privilegia, cui eſt annexum. Barboſ. *loc. cit. n.* 41.

*V. Abbas, n.* 50. *Cap. Sede vac. n.* 39. *Seminarium Clericorum a n.* 38. *ad* 44.

## A D D I T I O.

1. Non poteſt Epiſcopus unire beneficia affecta Sedi Apoſtolicæ. *DD. cum* Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 39.

2. Neque beneficia litigioſa, *ibid.*

3. Poteſt unire beneficium ſuæ Diœceſis non curatum alicui Religioni, & Monaſterio ſuæ Diœceſis, *ibid. n.* 36.

4. Poteſt unionem diſſolvere Epiſcopus, & revocare, ceſſante cauſa, ob quam facta eſt, vel quia redundat majus damnum Eccleſiæ, *ibid. in fine.*

5. Sed neceſſarius eſt Capituli conſenſus, & vocatio defenſoris cum cauſæ cognitione, *ibid.*

### *Beneficiorum mutatio.*

1. NE convertantur curata in beneficia ſimplicia. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16.

2. Neque poſſunt erigi ſimplicia in Canonicatus. Congr. Epiſc. 17. Aprilis 1584.

3. Pntest autem ex cauſa converti Eccleſia ſimplex in curatam ab Epiſcopo. Garz. *part.* 12. *cap.* 5. *n.* 2.

4. Non poteſt Epiſcopus derogare qualitatibus in beneficii fundatione appoſitis. Garz. *part.* 11. *cap.* 5. *n.* 344. & 371. concedunt alii poſſe, apud Monet. *de comm. ultim. vol. cap.* 10. *n.* 352.

5. Ex cauſa neceſſitatis, aut magnæ utilitatis Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus derogare, invitis etiam patronis. Lambert. *de Jurep. l.* 2. *p.* 1. *q.* 7. *art.* 38. *n.* 3. 7. 8. 12. & 15.

6. Novem regulas a derogante obſervandas ponit Monet. *ſupra a n* 533. *ad* 542.

7. Fundator Eccleſiæ, ſeu beneficii, ſeu hæres, vel ſucceſſor fundatoris, ſeu executor teſtamentarius ab eo deputatus cum conſenſu Epiſcopi, mutare poteſt ſtatum Eccleſiæ. Vivian. *de jurep. p.* 3. *lib.* 14. *n.* 14.

8. Formam mutationis. Vide apud Monet. *ubi ſup. c.* 11. *a n.* 451. ad 483.

## A D D I T I O.

Verius non poteſt Epiſcopus mutare Parochialem in Collegiatam. *DD. cum Barb. de jure Eccl.* 32. 2. 27. *c.* 6. *n.* 1. & *deciſum refert,* 2. *Junii* 1636. *Loter. de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 14. *n.* 49.

### *Bibliotheca Canonicorum.*

1. COnſtituatur cum Indice librorum. Prov. 4.

2. Præfectus eligatur ab Epiſcopo de Conſilio Capituli, *ibid.*

3. Duret ejus officium arbitrio Epiſcopi, *ibid.* Si alia ſit eligendi conſuetudo, ſervetur, *ibid.*

4. Ineatur ratio eam augendi, *ib.*

### *Blaſphemia.*

1. CLericus Deum, vel B. V. expreſſe blaſphemians, prima vice privetur fructibus beneficiorum unius anni Pius V. Anno 1566.

2. Pro altera vice beneficiis privetur, *ibid.*

3. Pro tertia vice omnibus dignitatibus, & in exilium mittatur, *ibid.*

4. Si caret beneficio, luat pœnam pecuniariam, vel corporalem pro prima vice; carceri detur pro altera: pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur, *ibid.*

5. Pro Blaſphemia in Sanctos, arbitrio judicis, habita ratione qualitatis Blaſphemiæ, & perſonæ, *ibid.*

### *Bona Eccleſiaſtica.*

1. EA quovis modo uſurpantes, ſeu impedientes, anathemati ſubjaceant, donec fiat reſtitutio; & abſolutio Papæ reſervatur. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 11.

2. Patronus autem privetur etiam Jurepatronatus, & Clericus, etiam beneficiis, & ab Ordinum exequutione ſit ſuſpenſus, etiam poſt abſolutionem prædictam, arbitrio Ordinarii, *ibid.*

3. Et hæc Decreta, quotannis evulgentur. Prov. 5.

4. Bona Confraternitatum, & Hoſpitalium erectoram ſine auctoritate Epiſcopi ſunt laicalia: ſi vero illius auctoritate, ſunt Eccleſiaſtica. Barb. *de pot. Ep. alleg.* 75. *n.* 32.

5. Locationes anticipatis ſolutionibus factæ in præjudicium ſucceſſorum, ſunt invalidæ. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 11.

6. Neque licet locare Juriſdictiones eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus; neque licet conductoribus per ſe, aut alios exercere, *ibid.*

7. Locationes ad longum tempus, ſeu ad 29. annos, aut bis 29. annos, irritæ ſunt, & nullæ, *ibid.*

8. Nemini liceat locare bona Eccleſiæ propinquis intra tertium gradum in emphyteuſim; aut ad tempus, etiam per ſuppoſitas perſonas ſine magna utilitate Eccleſiæ, judicio Epiſcopi, ſub pœna nullitatis, & aliis arbitrio Epiſcopi. Provinc. 5.

9. Neque etiam Patronis, neque iis, quorum ceſſione ea beneficia obtenta ſunt, niſi ut ſupra, alias mulctetur beneficiarius fructibus unius anni, quos inde capit. Prov. 2.

10. Solutio, quæ fit quotannis titulo emphyteuſis, vel ad longum tempus locationis, fiat per ſcripturam Notarii, addita cauſa, & quantitate pecuniæ, *ibid.*

11. Et inſtrumenta ejuſmodi ſpatio menſis tradantur Epiſcopo in Archivio ſervanda, *ib.*

12. Inveſtituræ feudorum renoventur a ſucceſſoribus cum juramento fidelitatis. Prov. 5.

13. In his renovationibus, omnia bona, & eorum fines nominatim in inſtrumento deſcribantur, *ib.*

14. Emphyteuta, vel colonus jurans ſolvere Canonem ſingulis annis, non ſoluto Canone, poterit ante biennium expelli. Nald. Emphyteuſis, *n.* 2.

15. Poteſt vice caducitatis duplicari Canon, ſeu fictus conſuetus. Mar. Antonin. *lib.* 1. *reſol.* 30. in *fine.*

16. Pœna caducitatis ne remittatur alicui, niſi ſervatis, quæ de jure. Prov. 1.

17. Beneficiatus ætate minor ne tradat adminiſtrationem ſui beneficii cuicumque ſibi ſanguine conjuncto, ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis Prov. 4.

18. Fructus inexacti cameram non ſpectantes, ſunt ſucceſſorum in beneficiis, etiam ſi maturati fuerint ante mortem. Jul. III. *Anno* 1550. & Urban. VIII. 5. *Aprilis* 1628. idem confirmavit.

19. Ubi vero eſt facta concordia cum Camera Apoſtolica, fructus maturi non exacti ſunt hæredum beneficiati. Vivian. *de jurepat. part.* 3. *lib.* 14. *cap.* 8. *n.* 17.

20. Beneficiati ſine licentia Epiſcopi quovis prætextu, non alienent pendentes beneficiorum fructus, niſi venditionis, aut locationis nomine; & tunc dilata ſolutione in id tempus, quo fructus eorum erunt a ſolo ſeparati, ſub pœna nullitatis, Prov. 1.

21. Pendentes fructus beneficiorum adjudicantur ſucceſſoribus in beneficiis, excepta parte colonica. Prov. 7.

22. Mortuo igitur beneficiato, conſtituatur Oeconomus opulentus ab Epiſcopo, apud quem deponantur omnes fructus, ad onera in primis adimplenda beneficii, *ib.*

23. Ne invadantur bona Clerici defuncti beneficiati pertinentia ad Eccleſiam, ejuſve miniſtros, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Prov. 2.

24. Et hoc Decretum ſemel in anno, evulgetur, *ibid.*

25. Eadem pœna extenditur ad eos qui nulla invaſione aſportant ſupellectilem, & ſcripta ad Eccleſiam ſpectantia, ex ædibus beneficiati defuncti, antequam fiat Inventarium a Deputato Epiſc. Prov. 3.

26. Et hoc quoque quotannis ſemel publicetur, *ibid.*

27. Succeſſori in beneficio prædicta dentur gratis, etiam ſi Clericus mortuus in iis aliquid expenderit, *ibid.*

28. Hæredes autem ne immaturos fructus a ſolo ſeparent, neque ligna cædant, neque aliud damnum ſucceſſori afferant; alias ab Epiſcopo reſarcire jubeantur, & graviter puniantur. Provinc. 7.

29. fructus a ſolo ſeparati, etiamſi nondum exacti, aut reconditi, maturi tamen, hæredibus dentur, *ibid.*

30. Si omnes ſunt ſeparati, hæredum quidem ſint, ii tamen oneribus beneficii faciant ſatis, *ibid.*

31. Si Parochialis Eccleſia ſit, vel beneficium cum reſidentia perſonali, ea pars ſucceſſori detur, quæ Ordinario videbitur ad ejus victum, & onera uſque ad novos fructus. *ibid.*

32. Fructus locationum, cenſuum, & ſimilium ad ratam temporis dividantur, *ib.*

33. Penſinnes debitæ peo fructibus ſimplici locatione, & loco fructuum ſolvendæ ad eum pertineant, ad quem fructus, ut ſupra pertinebunt, *ibid.*

34. Æs alienum ratione beneficii contractum per beneficiatum, cujuſmodi ſunt decimæ, penſiones non ſolutæ, ſalarium miniſtrorum, reparationes & ornamenta Eccleſiæ, ſi apparet contractum ſuperioribus annis, hæredes diſſolvant, *ibid.*

35. Si eo anno, quo obiit, pro rata fructuum, & temporis judicet Epiſcopus, ut una cum novis fructibus perſolvatur, *ibid.*

36. Inventaria fiant bonorum omnium, & jurium Eccleſiarum, coram teſtibus, & per Notarios. Prov. 1.

37. Mobilium item, & immobilium etiam Jurispatronatus, & quovis nomine adminiſtrantur. Prov. 4.

38. Duo exempla illorum fiant, alterum pro Eccleſia propria, alterum pro Archivio Epiſcopali. Prov. 1.

39. Renoventur, quando eſt opus, additis quæ de novo accedunt. *ibid.*

40. Ad utilitatem Cleri communem in Synodo Diœceſana eli-

Digitized by Google

e igantur aliqui a Clero Foraneo, qui cum Urbano agant ea iis, quæ ad univerſi cleri bona ſpectant, Prov. 1.

41. Et antequam Clerus Urbanus in hanc cauſam convocetur, moneantur ii electi, ut adeſſe poſſint: alias acta non poſſint eſſe detrimento Clero Foranen, *ibid.*

*V. Alienatio rerum Eccleſ. per totum Capitulum*, *num.* 29. 30. *Epiſcopus a n.* 26. *ad* 38. *Locorum piorum cura*, *n.* 4. *Ordines majores*, *n.* 14. *Seminarium Clericorum*, *n.* 45.

## A D D I T I O.

1. Poſſunt Canonici mutare paramenta ſine conſenſu Epiſcopi, & de mobilibus non pretioſioribus diſponere. *Congreg. Conc.* 23. *Auguſti* 1631.

2. Triennium in locationibus computandum eſt ex tribus fructuum collectionibus, itaut ſi ex quolibet triennio unus tantum fructus percipiatur, tunc triennium pro uno anno computari debebit, & locatio fieri poteſt uſque ad novennium. *DD. cum Barb. de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 73.

### *Cœmeteria.*

1. RESTITUANTUR, ubi non ſunt. Prov. 1.

2. Nullæ ibi ſint arbores, nec herba pabulo danda. Prov. 4.

3. Bene claudantur, & Cruce alta in medio poſita. Prov. 1.

4. Ubi poteſt extruatur ibi Capella, & adſit vas cum aqua benedicta, Prov. 4.

5. Stabula jumentorum inde diſtent, *ibid.*

6. Neque ibi tritura fiat, neque telæ extendantur, neque fabrile quid elaboretur, *ibid.*

7. Eccleſia polluta, cenſetur pollutum contiguum Cœmeterium, non e contra. Barb. *de pot. Epiſc. alleg.* 27. *n.* 29.

### *Calix.*

1. NON ex ære, neque auricalcho ſit; potius ex ſtamno. Conc. Rhem. *cap.* 6.

2. Negatur contactus illius iis, qui non ſunt in ſacris. Conc. Rom. 2. *cap.* 9.

3. Poteſt Epiſcpus ex cauſa dare licentiam Clerico, non in ſacris, tangendi vaſa Sacra. Ugol. *de pot. Epiſc. c.* 4. §. 11. *n.* 1.

4. Execratur, quando deauratur, niſi deauratio cadat propter uſum. Sylv. *Calix q.* 2.

5. Item ſi ſcyphus a pede ex toto ſeparetur, licet non ſit fractus, quia junctura eſt tornatilis, ſive ad vitem. Idem *ibid.* Negat Suarez.

6. Et quando amittit formam Calicis. Sylv. *loc. cit.*

### *Campanæ.*

1. IN Sabbato Sancto ne pulſentur Campanæ a quovis, antequam Cathedralis Eccleſia, vel matrix pulſaverit, ſub pœna 100. ducatorum. Leo X. *Anno* 1518.

2. Per Matricem intellige quoque Parochialem in Diœceſi, ante quam non poſſunt Regulares, neque Confratriæ ſuas Campanas pulſare. Cong. Rit. 9. *Febr.* 1608. *V. Eccleſia n.* 40. *Exequiæ n.* 37. *Interdictum*, *n.* 21. 27. *Oratio publica*, *n.* 16. 23. 26. 27. *Proceſſio n.* 21. 22. *Regularium jura ſub Epiſcopo n.* 50.

## A D D I T I O.

1. Poteſt Epiſcopus prohibere, ne Campanæ nondum benedictæ pulſentur. *Congr. Rit.* 4. *Jul.* 1614.

2. Etiamſi Collegiata habeat omnimodam præcedentiam ſupra Matricem, non tamen poteſt pulſare Campanas prius in Sabbato Sancto. *Congr. ead.* 23. *Febr.* 1619.

3. Si adeſt conſuetudo pulſandi Campanas nonniſi poſt Cathedralem, ſeu Matricem, obſervanda eſt, *ead.* 21. *Aug.* 1601.

4. Alias liberum eſt cuique ante, vel poſt, *ead.* 11. *Aprilis* 1601.

### *Canonicatuum Collatio.*

1. UBI Præbendæ cum diſtributionibus ſunt ita tenues in inſignibus Collegiatis, ut non reſpondeant decentiæ loci, & perſonarum, licet Epiſcopo cum Capituli conſenſu, vel beneficia ſimplicia non regularia iis unire, vel aliquibus ſuppreſſis cum patronorum conſenſu ad minorem numerum Canonicatus reducere. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15.

2. Proviſio Canonicatuum ne fiat, niſi iis, qui ætatem, & alias habent qualitates, ſub pœna nullitatis. Id. *ſeſſ.* 22. *c.* 3.

3. Nemo ad Dignitates, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi ſaltem 25. ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine laudabiliter vixerit. Id. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12.

4. Ad Dignitates infra Archidiaconum, vel beneficia ſine animarum cura Clerici idonei, & 22. annis non minores aſſumantur, *ibid.*

5. Decanatus non habet annexam obligationem Doctoratus, neque Magiſterii, Deciſ. refert Garz. *de beneſ. p.* 7. *c.* 7. *n.* 43.

6. Neque ſtatui poteſt in Conc. Provinc. quod Dignitates, & Canonicatus in Cathedralibus dentur tantum Graduatis. Deciſum refert idem, *ibid. num.* 45.



7. Principalis Dignitas in Eccleſia Collegiata exempta, cui Ordinaria juriſdictio cum omnibus juribus Epiſcopalibus competit, non debet neceſſario, ſed congruit, ut conferatur Doctori. Deciſum refert idem, *ibid. num.* 33.

8. In Dignitatibus Collegiatarum Eccleſiarum requiritur ætas 22. annorum. Deciſum refert Garz. *part.* 7. *c.* 4. *n.* 59. 62. Negant alii apud Barboſ. *alleg.* 60. *num.* 67.

9. Sit ætas 22. annorum completa in prædictis. Deciſum refert Garz. *d. c.* 4. *num.* 70.

10. Scholaſteria conferenda eſt Doctori, vel Magiſtro, vel licentiato in Theologia, ſeu Jure Canonico. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 18.

11. Nemo ad Dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiatur, niſi qui eo ordine, quem requirit Dignitas, &c. aut ſit initiatus, aut ea ſit ætate, ut initiari poſſit. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12.

12. Omnes autem Canonicatus, ac portiones in Cathedralibus habeant annexum Ordinem Presbyterii, vel Diaconatus, vel Subdiaconatus, *ibid.*

13. Quæ deſignatio fiat ab Epiſcopo cum conſilio Capituli, ita tamen, ut dimidia pars ſaltem ſint Presbyteri, *ib.*

14. Ubi laudabilior conſuetudo eſt quod plures, vel omnes ſint Presbyteri, omnino ſervetur, *ibid.*

15. Ubi nulla eſt ordinum diſtributio, ætas 22. annorum requiritur ad Canonicatum in Cathedralibus. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 60. *num.* 70.

16. In Collegiatis ſufficit ætas 14. Annorum. Deciſum refert, *ibid. num.* 71.

17. Canonicatus de Jurepatronatus laicorum ante Concilium Tridentinum fundatus, cum pacto, quod deſcendentes a fundatore poſſint illum obtinere, licet non ſint in ſacris, tenet. Deciſum fuit 29. *Novemb.* 1592.

18. In vacatione Pœnitentiariæ, ſeu Præbendæ Theologalis fiat concurſus, niſi ad Papam ſpectent. Prov. 5.

19. Ne creetur Canonicus ſupernumerarius ille, qui miniſterium navare debet, quod præſtare nequit cum officio Canonicali, *ibid.*

20. Canonicus per collationem liberam Capituli non debet ab Epiſcopo examinari. Deciſum refert Garz. *p.* 9. *n.* 19. *V. Beneſ. Paroch. Proviſio n.* 42. *Beneſ. Pluralitas n.* 3. 4. 5. *Illegitimi n.* 10. 12. 13. *Legatus n.* 4.

## A D D I T I O.

1. Dignitas nova in Collegiatis, quæ alias non reperitur in Eccleſia, non poteſt creari ſine licentia Papæ: Archidiaconatus, & ſimiles jam uſitatæ poſſunt creari cum conſenſu Capituli ab Epiſc. *DD. apud Barb. de jure Eccl. l.* 1. *c.* 12. *n.* 5.

2. Canonicatus ſupernumerarius non poteſt erigi ad futuram Præbendam. Deciſum refert Garz. *de beneſ. p.* 6. *c.* 2. *n.* 5.

3. Ætas in Canonico incipit a die Nativitatis ejus, non Baptiſmi. *Cong. Conc.* 4. *Decembris* 1627.

4. Ætas 22. annorum in Dignitatibus Cathedralis an debeat eſſe completa? Ajunt, Negant *DD. apud Barboſam de Can. c.* 13. *n.* 22.

5. Nemo poteſt habere duos Canonicatus. Deciſum referunt *DD. apud Barb. loco citato c.* 41. *n.* 16.

6. Si perſeverat cum duobus, amittit ambos. Deciſum referunt iidem *ib.*

7. Eodem modo obtinens Dignitatem perdit Canonicatum, ſi utrumque requirit Reſidentiam. Deciſum refert *Garz. de beneſ. p.* 11. *c.* 5. *n.* 244.

8. Non poteſt Epiſcopus concedere Canonicis Cathedralis habitum proprium, neque mutare. *Congreg. Rit.* 1. 1612.

9. Neque almutiam dare, *ead.* 25. *Jan.* 1602. 16. *Jan.* 1610.

10. Neque Cappam, *ead.* 10. *Januar.* 1604.

### *Canonicatuum Poſſeſſio.*

1. IN Poſſeſſione danda, neque fructus, neque diſtributiones, nec eorum pars retineantur ab Epiſcopo, Capitulo, Collegio, & aliis. Pius V. Anno 1570.

2. Neque nuper proviſi inducantur ad jurandum pro obſervandis hujuſmodi ſtatutis, & conſuetudinibus, *ib.*

3. Sub pœnis Epiſcopo ſuſpenſionis ab Officio Pontificali, reſervatæ Papæ, & aliis interdictis; & ſingularibus perſonis excommunicationis ſimiliter reſervatæ, *ib.*

4. Jurantes autem non ligantur, niſi pœna ejuſdem reſervatæ excommunicationis, *ib.*

5. Ubi vero fructus, vel diſtributiones piis uſibus ultra ſemeſtre tempus ſunt conceſſi, horum dumtaxat dimidia pars pio uſui tribuatur, *ib.*

6. Non tamen derogatur Privilegio, ſtatuto, conſuetudini, circa fructus, & diſtributiones inter vacationem beneficii, & collationem, ſive poſſeſſionem provenientes, ſi prædictis debeantur, *ib.*

7. Prohibentur munera, eſculenta, etiam nomine urbanitatis, ſeu honorarii extorta, & coacta. Prov. 7.

8. Item dulciaria multa. Deciſum refert Zerola *in praxi Epiſcop. p.* 2. *V. Poſſeſſio beneſ.* §. 5.

9. Proventus autem in hoc caſu ad Sacriſtiam debiti, vere in eadem inſumantur; quæ, ſi non egeat, in fabricam Eccleſiæ, vel aliud commodum transferantur ab Epiſcopo cum conſilio Capituli. Prov. 2.

10. Emittatur profeſſio fidei non ſolum coram Epiſcopo, ſeu ejus Officiali: verum etiam in Capitulo, ut quiſque faciat fructus ſuos. Trid. *ſeſs. 25. cap. 12. intellige in Cathedralibus.*
*V. Vide Profeſſio n. 2. ad 10. a 35. ad 39. Penſionum n. 4. 13.*

## ADDITIO.

1. Valet conſtitutio Epiſcopi, & Capituli ſolvendæ certæ pecuniæ ratione novæ poſſeſſionis Canonicatuum in fabricam Eccleſiæ, non in Notarios, Campanarios, & ejuſmodi: deciſum refert Garz. *de beneſ. part. 3. cap. 2. num. 198. deci. 9.*

2. Valet conſuetudo, ſtante diſpoſitione, ſeſſ. 24. cap. 13. Trid. de Reſ. ut fructus primi anni reſerventur hæredibus beneficiarii. Rot. *dec. 660. part. 4. diverſ.*

3. Item conſuetudo, quod fructus ſpectent ad Capitulum, donec Canonicus ſit Sacerdos. Cong. Conc. 6. Maji 1617.

4. Non cenſetur laudabilis conſuetudo, quæ eſt pro reparatione bonorum menſæ Capitularis in poſſeſſione capienda a Canonicis, deciſum refert Garz. *ſupra p. 2. cap. 1. n. 90.*

### *Canonicatuum Optio.*

1. CONſuetudo optandi in Præbendis diſtinctis non valet niſi poſt 40. annos, Monet. *de Optim. c. 2. qu. 2. n. 18.*

2. Poteſt Epiſcopus eam inducere in Beneficiis ſuæ collationis, idem *q. 3. num. 50.*

3. Domus Canonicales cadunt ſub Optione, *c. 3. q. 2.*

4. Non datur Optio in beneficiis in Curia vacantibus, aut reſervatis, aut devolutis ad Papam, aut de jurepatronatus, *ibid. quæſt. 3. & 4.*

5. Nec in reſignatione, ſeu permutatione, niſi illa ſit libera, non ad favorem alicujus, *quæſt. 5.*

6. Nec in habentibus annexum onus Pœnitentiariæ, & ejuſmodi, *q. 6.*

7. Poſſunt indiſtincte optari majores, & minores Præbendæ, *q. 7.*

8. Deſcenſus a majori Præbenda ad minorem in dignitate negatur. *ibid. c. 4. q. 1.*

9. Pœnitentiarium optare poſſe, & alios habentes onus proprium affirmant alii, alii negant: *ibid. n. 11.* affirmat Monet. *concl. 3.*

10. Antiquiores in receptione primo optant, *c. 5. q. 1.*

11. Excommunicatus optare poteſt, communior ſententia, *cap. 4. quæſt. 2.*

12. Abſens juſta de cauſa, etiam ſtudii, poteſt, *q. 3.*

13. Per procuratorem, ſeu conjunctam perſonam, *q. 4.*

14. Canonicus nondum Subdiaconus optare poteſt, *q. 5.*

15. Diſpenſatus ad beneficia in Collegiata poteſt, *q. 6.*

16. Cæcus factus poſtquam Canonicus, poteſt, *ib. concl. 4.*

17. Coadjutus optare poteſt, *q. 9. concl. 1. & 3.*

18. Coadjutor non poteſt, *ibid. concl. 2. & 4.*

19. Vitiatus corpore, & inhabilis ad Ordines annexos Præbendis, non poteſt, *quæſt. 6. concl. 1. & 2.*

20. Irregularitas præcedens receptionem Ordinis, aut beneficii impedit Optionem, *quæſt. 7. concl. 2.*

21. Irregularitas ſequens eamdem non impedit, *concl. 3.*

22. Ubi eſt diſtinctio Ordinum, intra ſuum quiſque Ordinem Dignitatum, Preſbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum poteſt optare, non ultra ſuum, *cap. 5. quæſt. 3. concl. 2.*

23. Ubi non eſt diſtinctio, poteſt dari Optio ad digniorem, *ibid.*

24. Indultum Cardinalium non derogat Optioni, *c. 8. concl. 6.*

25. Fieri debet Optio intra 20. dies a die ſcientiæ, *c. 6. q. 1. & 4.*

26. Idem tempus currit omnibus ea vice optantibus, *ib. q. 3.*

27. Et vacat Præbenda optantis, *q. 6. concl. 2.*

28. Qui optionis jure præbendam aſſequitur meliorem, moneat Epiſcopum intra menſem, ſub pœna dimidiæ partis fructuum unius anni. Prov. 6.

29. Male optans ſine ſua culpa, redire poteſt ad ſuam Præbendam. Monet. *ſup. c. 5. q. 5. concl. 2.*

*V. Pœnitentiarius, n. 19. Theologalis Præbenda, n. 5.*

### *Canonicorum Reſidentia.*

1. OBtinentibus Dignitates, Canonicatus, &c. non licet vigore ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes a ſuis Eccleſiis quolibet anno abeſſe ſalvis tamen iis ſtatutis, quæ longius ſervitium requirunt, Trid. *ſeſſ. 24. c. 12.*

2. Alioquin primo anno priventur dimidia parte fructuum quos fecerunt ſuos: ſi iterum, priventur omnibus fructibus: creſcente contumacia, juxta ſacros Canones procedatur. Id. *ib.*

3. Reſidere debent omnes Canonici, etiam Collegiatarum non inſignium. Deciſum refert Garz. *p. 3. c. 2. n. 197.*

4. Exceptis ruralibus prorſus deſtitutis, & in quibus numquam antea ſupra hominum memoriam ſolitum eſt reſidere; cui adeo tenues ſunt redditus, ut Canonicos aliunde non habeant, unde vivant, alere non poſſint. Deciſum refert, *ib.*

5. Conſuetudo immemorabilis non excuſat Canonicos a reſidentia in Collegiatis inſignibus. Deciſum refert idem, *ibid.*

6. Conſuetudo contrariæ abſentiæ trium menſium eſt magis attendenda. Deciſum refert idem, *ibid.*

7. Obtinens Canonicatum, & Monaſterium in Commendam ſine cura animarum reſidere debet in Canonicatu. Deciſum refert idem, *ibid. n. 285.*

8. Docentes Jus Canonicum in publica Univerſitate de licentia ejuſdem, gaudent Privilegio de percipiendis fructibus Præbendarum ſuarum in abſentia, quamvis Præbendæ ſint in Cathedrali loci, in quo docent. Deciſum refert Idem *ibid. n. 59. 60.* & ſine licentia Epiſcopi *n. 359. ad 4.*

9. Edocentes Sacram Scripturam. Deciſum 27. *Febr.* 1597.

10. Excuſatur item habens facultatem abſentiæ pro ſtudiis, ſi vere ſtudeat in publico gymnaſio. DD. apud Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg. 56. n. 24.*

11. Sed minor ſit 39. annis cum cœpit ſtudere. Deciſ. refert Garz. *d. c. 2. n. 82. 86.*

12. Et intra annum ad Subdiaconatum ſaltem promoveatur. Prov. 1.

13. Qui ad gymnaſium extra Diœceſim iverit, tenetur conſignare facultatem Epiſcopo loci, a quo de moribus, & a Doctore de litteris teſtimonia tranſmittat, alias dimiſſoriæ ſint nullæ. Prov. 3.

14. Singulo ſemeſtri ſcriptum Doctoris ſui exhibeat Epiſcopo de ſtudiorum progreſſu. Prov. 1.

15. Ad quinquennium tantum conceditur facultas abſentiæ pro ſtudiis. Deciſum referunt DD. apud Barb. *alleg. 56. n. 31.*

16. Ab eo die numerandum, quo cœpit ſtudere in gymnaſio publico. Prov. 1.

17. Hoc eſt, erecto per Papam, Regem, Principem. Barboſ. *loc. cit. n. 22.*

18. Et prædicta ſub pœna nullitatis licentiæ. Prov. 1.

19. Quam certe a ſuo Prælato obtinere debet. Pius IV. Ann. 1564.

20. Neganda eſt Parochis. Deciſum referunt Doctor. cit. a Barb. *loc. cit. n. 30.*

21. Si obtineatur licentia a Sede Apoſtolica, accedat etiam conſenſus Ordinarii. Monet. de diſtributionibus. *p. 2. q. 10. n. 9.*

22. Qui redierit a ſtudiis, menſis ſaltem ſpatio Epiſcopum de reditu moneat, ſub pœna abſentiæ. Prov. 1.

23. Coadjutus, & Coadjutor poſſunt abeſſe his tribus menſibus. Navar. *conſ. 1. n. 6. de Cler. ægrot.*

24. Habens Canonicatum & Parochialem, in qua non poteſt ob inimicitias ſine diſcrimine vitæ reſidere, non eſt cogendus, ſed in Canonicatu reſideat. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. ſupra *n. 130.*

25. Non excuſatur a reſidentia ille, de cujus titulo Canonicatus litigatur. Prov. 5.

26. Nec ille qui nondum ordine debito eſt initiatus, *ib.*

27. Neque ille, qui juſtam habet cauſam, ne initietur, *ib.*

28. Neque ille, qui tertiam fructuum partem in Diſtributiones contulit, aliis conferentibus, *ibid.*

29. Neque ille, cujus Beneficii magna pars fructuum ad alium jure ſpectat, *ibid.*

30. Tenentur autem intereſſe omnibus diebus & horis præter tres menſes, Garz. *d. c. 2. n. 235.*

31. Neque poſſunt juvari contraria ulla conſuetudine. Theod. Rubeus inter diſcept. Grat. *c. 298. n. 20.*

32. Et ille dicitur abeſſe, licet in loco ſteterit, qui a ſervitio Eccleſiæ abfuerit. Deciſum refert Garz. *d. c. 2. n. 322.*

33. Pro abſentia a jure conceſſa, non eſt neceſſaria Epiſcopi licentia, neque cauſa eſt aſſignanda. Deciſum refert idem, *ibid. n. 315.*

34. Ne tamen Chorus deſtituatur, laudabile eſt, quod per triduum quidem de licentia Præfecti abſint; ultra triduum, de licentia Epiſcopi. Prov. 1.

35. Poteſt etiam Epiſcopus excuſare aliquem ex cauſa legitima a reſidentia in Choro, *in cap. unico de Cler. non reſid. lib. 6.* ſine conſenſu aliorum Canonicorum. Deciſum refert Garz. *d. c. 2. n. 407.*

36. Immo poteſt ex cauſa legitima dare licentiam alicui, ut abſit per 4. menſes: Deciſum refert idem, *ibid. n. 408.*

37. Videat Epiſcopus ne omnes abſint eodem tempore, ſed quarta pars eorum tantum arbitrio Epiſcopi. Deciſum refert idem, *ibid. n. 315.*

38. Neque incidat abſentia trium menſium in maximas ſolemnitates. Deciſum refertur *ibid. n. 316.*

39. Tres item menſes abſentiæ poſſunt eſſe interpolati. Deciſum refertur *ibid. n. 306.*

40. Et valet abſentia trium menſium tantum, quando conſtitutiones Eccleſiæ requirunt ſervitium totius anni. Deciſum *ibid. n. 311.*

41. In ſingulis Collegiatis tres primi de Capitulo præſentes deferant ad Epiſcopum non reſidentes. Prov. 1.

42. Canonici contumaces cogantur reſidere. Trid. *ſeſſ. 21. c. 3.*

43. Non cenſuris, ſed alia via puniantur. *Congreg. Epiſc. 24. Julii* 1584.

44. Privandi ſunt Beneficio, ſi perſeverent. Deciſum refert Armendar. apud Barboſ. *loc. cit. alleg. 53. n. 146.*

45. Debent citari, & judex arbitrabitur, quamdiu expectare debeat ad executionem pœnarum. Deciſum apud Garz. *d. c. 2. n. 145.*

46. Pœna tamen Concilii contra Canonicos non reſidentes non procedit in Canonico ſimplici carente Præbenda; Ric. *in prax. reſol. 624. in 2. edit.*

47. Fi-

Digitized by Google

47. Fructus Præbendæ abſentium ultra tres menſes applicandi ſunt in uſum Eccleſiæ. Deciſum refert idem, *d. c. 2. n. 146.*

48. Poteſt Epiſcopus minuere hanc pœnam ante ſententiam, non autem in totum tollere. Garz. *ibid. num.* 150.

49. Reſidentes in Cathedrali non ſunt Parochiani illius Parochi in cujus Parochia domicilium habent. *Ugol. de pot. Epiſc. cap. 15. num.* 8.

*V. Reſidentia num 2. 3. 4.*

## A D D I T I O.

1. Poteſt Epiſcopus edicere, ne Dignitates, & Canonici ſine ejus licentia abeſſe poſſint, ne deſtituatur Chorus. *Cong.Conc.* 11. *Febr. & 19. Dec.* 1628. *apud Barboſ. de Canon. cap.* 20. *num.* 5.

2. Poteſt Epiſcopus ſtatuere, quota pars Canonicorum ab Eccleſia eadem tempore poſſit abeſſe. Deciſum referunt *DD. cum Barb. loc. cit. num.* 4

3. Qui interſunt divinis Officiis in feſtis tantum diebus, vel in præcipuis tantum ſolemnitatibus, cenſentur non reſidere, ita ut perdant etiam fructus Præbendæ, *deciſum refert Barb. ibid. num* 12. 20. *Apr.* 1602.

4. Ad colligendum ſervitium novem menſium, colligendi ſunt ipſi dies reſidentiæ, & ſervitii, ſive continui, ſive interpolati, *deciſum refert Garz. de benef. part. 3. cap. 2. num. 327. & Congreg. Epiſc. 25. Septemb.* 1584.

5. Pœnæ Conc. contra non reſidentes competunt iis etiam, qui majori ſervitio Eccleſiæ quam novem menſium ſunt adſtricti, ſi non reſideant, *deciſum refert idem ibid. n.* 144.

6. Antequam ad privationem in totum procedatur, expectandus eſt lapſus trium annorum, deciſum refert Barboſ. *loc. cit. num.* 17.

7. Poteſt reduci conſuetudo longioris vacationis ab Eccleſiæ ſervitio ad tempus præſcriptum a Conc. Trid. *Congr. Rituum 3. Novembris* 1602.

8. Poteſt Epiſcopus aſſumere ſibi duos de Collegiata Canonicos, non plures. *Congr. Conc. 9. Septemb.* 1628.

9. Vide ſeptem conſuetudines validas in hac materia apud Barboſ. *loc. cit. cap. 23. num.* 11.

### *Canonicorum Diſtributiones.*

1. PRo diſtributionibus, ſi nullæ ſint, aut tenues, ſeparetur tertia pars fructuum, Dignitatum, & Canonicatuum. Trid. *ſeſſ. 21. cap.* 3.

2. Sunt aſſignandæ omnibus Horis ne negligantur. Congr. Epiſc. *6. Nov.* 1584.

3. Portio certa, & congrua perpetua aſſignetur omnibus Officiis, & functionibus, Prov. 4.

4. Aptus ad Canonicalia Officia ſtatim recipiat diſtributiones. Prov. 2.

5. Ideo intra octo dies a Poſſeſſione fiat examen, *ibid.*

6. Admittatur autem cum his conditionibus. Prov. 4. Ut juret, ſe neque precibus, nec pretio, neque alia ratione curaſſe, quo minus examen fideliter fiat.

Deinde fiat examen de cantu, & muneribus Chori.

Et hoc fiat in Capitulo, duobus de eodem adhibitis, qui jurati de fidelitate eum examinent.

Demum ſecretis ſuffragiis decernatur a Capitulo, an admittendus ſit. Hæc ibi.

7. Idem fiat in admittendis Manſionariis, aliiſve miniſtris, delectis aliquot ex eorum ordine Capitulum decernat ut ſup. *ib.*

8. Si fiat, non ſervata hac forma, irritum ſit examen, & nullum. Prov. 7.

9. Si quis non idoneus receptus ſit, poteſt Epiſcopus adhibitis de Capitulo duobus cantus peritis, ab ipſo eligendis, iterum examinare illum, & repertum minus idoneum ſuſpendere a receptione diſtributionem, & experimentum differre arbitratu ſuo, *ibid.*

10. Prima vero Dignitas coram Epiſcopo, ſeu Vicario, & Præfecto Chori cum uno Canonico ſubeat examen, niſi Capitulum ipſum ſolitum ſit eamdem admittere, uti ſupra. Prov. 4.

11. Diſtributiones recipiant, qui ſtatis Horis interfuerint; reliqui careant his; excluſa quavis colluſione, aut remiſſione. Trid. *ſeſſ. 24. cap.* 12.

12. Gaudeant diſtributionibus hi: nimirum: Dignitas illa, quæ curam exercet animarum extra Civitatem, ſi illi juriſdictio, adminiſtratio, vel Officium non competat; & ſi nulla eſt conſuetudo, vel ſtatutum, ut dicta Dignitas non ſerviens, aliquid amittat quoad ad tertiam partem dictorum fructuum aſcendat. Trid. *ſeſſ. 22. cap.* 3.

13. Inſervientes Eccleſiis Parochialibus, & habentes legitima beneficia in Cathedralibus, quorum omnes fructus conſiſtunt in diſtributionibus, poſſunt omnes percipere: ſi nullæ præbendæ fuerint diſtinctæ, & omnes de communi percipiant, nec detur aliquid iis, qui divinis Horis non interſunt. Deciſum refert Garz. *p. 3. cap. n. num.* 114.

14. At, quando ſalvo debito ſervitio Parochialium, poterunt etiam inſervire Cathedrali, tunc non poſſunt percipere, niſi quatenus inſerviunt. Deciſum refertur *ibid.*

15. Qui animarum curam exercent, quæ illi Eccleſiæ, cujus ſunt Canonici, imminet, in actu nimirum exercendi Parochialia, gaudent. Deciſum refert Garz. *ib. n.* 335. & Congreg. Epiſc. 24. *Novembris* 1617.

16. Item miſſi ad Limina, ſeu comitantes Epiſcopum ad Urbem, ad eadem Limina, de fructibus Præbendæ, & Reſidentiæ lucrantur diſtributiones ex Decreto Sixti V. Deciſum referunt DD. citati a Barboſa *d. alleg. 53. n.* 159.

17. Item qui viſitant Eccleſias menſæ Capitulari unitas. Congreg. Epiſc. 14. *Octobris* 1598.

18. Item inſervientes Epiſcopo viſitanti, debent percipere duas partes diſtributionum; tertia amiſſa, ſi fructus omnes conſiſtunt in diſtributionibus. Deciſum refert Ricc. *reſ. 390. n. 4.*

19. Item Subcollectores, Advocati, Procuratores, Fiſcales, & Notarii in cauſis ſpoliorum, & jurium Cameræ Apoſtolicæ, eorum officio durante. Sixtus V. 8. *Maji* 1590.

20. Concilio generali intereſſentes, etiam miſſi nomine Capituli ſui. DD. apud Barboſam *ſupra num*, 198.

21. Duo Canonici electi juxta Trid. *ſeſſ. 5. cap. 6.* quando ſine fraude tempore Divinorum Officiorum occupantur in Proceſſibus contra aliquem Capitularem. Monet. *de diſtribut. part. 2. q. 8. num. 19. in ult. impreſſ.*

22. Item duo electi pro adminiſtratione Seminarii, idem *ib. n.* 17.

23. Item ii, qui præficiuntur recognoſcendis Indulgentiis. Idem *ib. n.* 16.

24. Item ii duo, qui debent adhiberi in iis providendis, quæ neceſſaria videbuntur circa Divina Officia, Eccleſiæque Miniſtros, ex Trid. *ſeſſ. 24. cap.* 12. Monet. *n.* 18.

25. Præſentes Congregationi S. Officii. Congregatio Epiſc. Anno 1584. apud Nald. *V. Officium S. Inquiſitionis.*

26. Item alii Canonici eligendi ad alia ex præſcripto Tridentini *ſeſſ. 26. cap. 5. & cap.* 8. & alibi: ſed privilegio opus eſſe puto, vel conſuetudine legitime præſcripta, aut ſtatuto a Sede Apoſtolica approbato, quale habetur Mediolani, Monet. *q. 21. n. 51. & ſeq.*

27. Examinatores gaudent qui cauſa examinis abſunt. Deciſum refert Zecch. *de rep. Eccl. tit. de beneficiatis n.* 13.

28. Viſitans Eccleſiam, jura, vel redditus ſuæ Præbendæ. Monet. *d. q. 1. n.* 63.

29. Qui invitus abeſſe jubetur ob peſtem, vel alium morbum. Idem *par. 2. q. 6. n.* 11.

30. Abſens pro utilitate Eccleſiæ, Deciſum refert Garzias *d. c. 2. n.* 362.

31. Senio confecti, ſi alias reſidere ſoliti ſint. Deciſum refert Monet. *p. 2. q.* 7.

32. Infirmi, etiam ex propria culpa, ſi reſidere ſoliti. Idem *q. 6. a n.* 19.

33. Et qui medicinæ cauſa longius eunt. Idem *ib. n.* 10.

34. Item qui abſunt legitime ſtudiorum cauſa, quando redditus omnes in diſtributionibus conſiſtunt, dempta tertia parte; & iis exceptis, quæ ſunt applicata Miſſis, & defunctorum Anniverſariis. Deciſum 13. Septembris 1595. Contrarium priori parti refert deciſum Monet. *p. 2. q. 10. n.* 23. quacumque facultate abſint.

35. Excommunicatus pro cauſa Eccleſiæ, & jurium defenſione. Gutier. *Canon. l. 1. cap. 1. n.* 142. 147.

36. Excommunicatus injuſte, ſi præſens eſt in loco beneficii. DD. apud Barboſam *l. c. n.* 173.

37. Suſpenſus injuſte, & interdictus. Monet. *p. 2 q. 15. n. 24.* 46.

38. Item carcerati non propria culpa. Id. *q. 5. n. 55. cum ſeq.*

39. Non gaudent diſtributionibus hi, qui ſacro Ordine debito non initiantur, licet differant ob litem de Canonicatu. Prov. 5. Vide Monet. *loco cit. q. 19. Concil.* 1.

40. Qui abeſt pro ſervitio Epiſcopi. Cong. Ep. 14. Aug. 1590.

41. Item inſerviens Epiſcopo extra Eccleſiam, ead. 15. Septembris 1584.

42. Item aſſociantes ſuum Prælatum volentem audire Miſſam, etiam in Cathedrali. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg. 53. n.* 141.

43. Item comitantes Epiſcopum alio, niſi Canonicatus conſiſtat in diſtributionibus, & tunc illud amittunt, quod inſervientibus accreſcit. Deciſum refert *ibid. 5. Decembris* 1596. & Congr. Epiſc. 9. Auguſti 1634.

44. Qui ex officio concionandi, legendive munere lectiones parant, niſi eo tempore, quo munus ipſum obeunt. Prov. 7.

45. Qui item abſunt per tres menſes, non lucrantur diſtributiones quotidianas diſtinctas a Præbendis. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg. cit. n.* 124.

46. Conſequuntur eas, ſi loco Præbendæ ſuccedunt. Ricc. *in praxi reſol. 390. n. 2. in 2. edit.*

47. Item non lucrantur ii, qui habentes Capellanias in titulum, celebrant eo tempore, quo cantantur Officia Divina. Deciſum referunt DD. citati a Barboſa *loco cit. n.* 134.

48. Niſi quando juſſa ſint a ſuo Superiore, qui tamen debet abſtinere. Deciſum refertur *ibid.*

49. Non excuſatur Epiſcopus abſens, & habens Canonicatum ſibi annexum. Congreg. Epiſcop. 12. Novemb. 1591. ſecus vero de fructibus Præbendæ, ſive maſſæ communis, quæ illi debetur omnino, eadem *ibid.*

50. Neque Vicarius Generalis præſens in Choro extra ſtallum, & ſine habitu Canonicali, eadem 16. Maji 1600.

51. Neque Vicarius Capitularis, aut alii adminiſtratores juſtitiæ, eadem 27. Sept. 1591.

52. Ne-

52. Neque Protonotarius Canonicus, ſi utatur in Choro Rocchetto ſub cotta, quo non utuntur alii. Congr. Rit. 12. Decembris 1626.

53. Excuſatur autem, ſi utatur ſubtana violacea, eadem 14. Jan. 1612. & 11. Decemb. 1627.

54. Neque ii, qui in Choro ſunt ſine habitu chorali. Pt. 4.

55. Neque ii, qui cum aliis non cantant in Choro, licet domi recitarunt Horas, DD. apud Barboſ. *loc. cit. n.* 131. 132.

56. Neque excuſantur Canonici ab Epiſcopo deputati ad confeſſiones audiendas in Eccleſia Collegiata non curata, ſi ea de cauſa abſunt a Choro. Congr. Rit. 25. *Januarii* 1619.

57. Qui ordine cum aliis Chorum non fuerit ingreſſus, dimidia parte diſtributionis ſequentia Horæ careat, cauſa non probata a Chori Præfecto. Prov. 5.

58. Qui officium inchoaverit, antequam alii ordine intraverint, careat diſtributione illius Horæ, *ibid.*

59. Qui non venerit in Chorum ante finem Capituli de B.V. ſi dicitur ejus officium, vel ante finem Pſalmi Venite; in aliis etiam Horis ante finem primi Pſalmi, pro abſente habeatur ab ea Hora, *ibid.*

60. Qui abfuerit ab Officio unius Horæ de B.V. careat diſtributione aſſignata Horæ eidem in Officio de Domino. Prov. 4. *ex doctrina* DD. apud Monet. *de diſtribut. part.* 1. *qu.* 3. *n.*6.

61. In Miſſa Conventuali, niſi venerit ante finem ultimi Kyrie, habeatur abſens a Miſſa. Prov. 5.

62. Peſtis cauſa, non lucrantur diſtributiones, qui abſunt, niſi probetur legitima conſuetudo. Deciſum refert Garz. *d. cap.* 2. *num.* 362.

63. Theſaurarius Capituli ne ſolvat cuiquam diſtributiones ſine mandato, & notula Punctatorum, multo minus contra juſtitiam. Prov. 4.

64. Abſentium diſtributiones cedant fabricæ Eccleſiæ, ſeu pio loco, arbitrio Ordinarii. Trid. *ſeſs.* 22. *cap.* 3.

65. Applicantur etiam reſidentibus. DD. apud Barb. *de pot. Epiſc. alleg.* 53. *num.* 152.

66. Hoc eſt; quando ſunt de fructibus communibus accreſcunt inſervientibus; quando ſunt de redditibus particularibus Dignitatum, & Officiorum, tunc applicantur pio loco. Philiarc. *l.* 1. *c.*14. quo modo concilientur loca præd. Conc. Trid.

67. De vi conſuetudinis in hac materia, fuſe, & optime, Monet. *loc. cit. par.* 2. *qu.* 12. *nota* 2. ubi favet abſentibus per trimeſtre tantum, *num.* 54. ſi eſt conſuetudo quadragenaria, & legitime præſcripta, ſed vide ſupra *num.* 45.

68. De diſtributionibus acquiſitis poteſt Canonicus libere teſtari. Monet. *ſup. p.* 3. *qu.* 2. *V. Archidiaconus*, *n.* 5. *Coadjutor. num.* 27.28. *Doctoralis Præbendarum n.* 3. *Miſſa Conventualis n.* 1. 9. 14. *Pœnitentiarius n.*29. *Proceſſio n.* 28. *Protonotarii n.*11.12. 13. *Punctatores*, *n.* 6. 7. *Seminarium Clericorum*, *n.* 27. *Spolia Clericorum num* 1. *Subſidium Charitativum*, *num.* 12. *Sequeſtrum num.* 3. *Suſpenſio num.* 23. *Theologalis Præbenda num.* 11. 12.

## ADDITIO.

1. Tertia pars fructuum deducenda ex Dignitatibus, & Canonicatibus pro diſtributionibus, intelligitur, deductis oneribus. *Congr.* 7. *Apr.* 1629.

2. Canonicus diſpenſatus in ætate debet admitti ad diſtributiones, *eadem* 10. *Julii* 1627. 13. *Jan.* & 15. *Sept.* 1629.

3. Procurator Capituli pro negotiis Capituli abſens lucratur diſtributiones. *Congr. Rit.* 21. *Auguſti* 1604.

4. Qui abeſt pro tuendis juribus Eccleſiæ, vel beneficii ſui, lucratur diſtributiones, deciſum refert Garz. *in addit. p.* 3. *cap.* 2. *n.*49. Adſit tamen licentia Prælati ſui, ex Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 1. ſine licentia docet Barboſ. *de Canon. cap.* 24. *n.* 25.

5. Privato injuſte debentur omnia. *Congreg. Conc.* 21. *Junii* 1625. & *Cong. Epiſc.* 26. *Maji* 1625.

6. Poteſt ille percipere diſtributiones, qui a Capitulo gratulationis cauſa mittitur ad Pontificem, vel Principem, vel Civitatem. Monet. *de diſtrib. p.* 2. *qu.* 11. *num.* 92.

7. In Provincia Mediolanenſi ex privilegio Apoſtolico 20. *Octobris* 1579. quilibet Canonicus qui Epiſc. Pontificalia munera, ſeu quicquid aliud ad Eccleſiam ſuam ſpectans in Civitate, vel Diœceſi exercenti, auxilio eſt, vel dum idem Canonicus Pœnitentiæ, vel Eucbariſtiæ Sacramentum miniſtrat, vel etiam rem facit ſacram in Cathedrali, ſi de juſſu Epiſcopi prædicta exerceat, diſtributiones, ac ſi præſens in Choro eſſet, lucratur, ita teſtatur Cæſar Specianus in Synodo Cremon.

8. Canonici Cathedralium, qui nondum fecerunt primam reſidentiam, neque fidei profeſſionem emiſerunt, non poſſunt haberi pro præſentibus, licet pro negotiis Capituli abſentes fuerint. Deciſum refert *Gar. de ben. p.*3. *cap.* 2. *n.*52.

9. Vicarius Canonicus in habitu Prælatitio amittit diſtributiones. *Cong. Rit. Aug.* 1605. 6. *Julii* 1614.

10. Etiam eas, quæ dantur ob Proceſſiones, ead. *ſæpe* 20. *Dec.* 1601. *Febr.* 1604. 16. *Julii* 1607. 7. *Aug.* 1616. 21. *Dec.* 1613. 1. *Octob.* 1614. 4. *Aprilis* 1620.

11. Idem dic de Canonico Protonotario, *ead.* 72. *Jan.* 1610. 28. *Jan.* 1612. 7. *Aug.* 1621.

12. Idem de eo, qui geſtat Rocchettum ſub cotta, alii commun. *ead.* 15. *Mart.* 1614.

13. Idem de eo, qui locum tenens Epiſcopi ſedet extra ſuum ſtallum, *ead.* 7. *Junii* & 20. *Nov.* 1612.

14. Abſentibus in ſervitio Papæ non debentur diſtributiones. *Cong. Conc.* 13. *Nov.* 1627.

15. Neque duobus iis Canonicis, quos poteſt Epiſcopus habere in ſui ſervitium: deciſum referunt DD. apud. Barb. *de can. cap.* 25. *n.* 5. niſi ex quadragenaria conſuetudine ex Sbrozio, & Monet. *de diſtribut. qu.* 8. *num.* 15.

16. Etiamſi ii duo Canonici comitentur Epiſcopum in Viſitatione. Deciſum referunt iidem *ibid.* apud Barb. *n.* 6.

17. Qui inſerviunt Epiſcopo celebranti Miſſam planam in Cathedrali, non lucrantur. *Cong. Conc.* 17. *Mart.* 1619. niſi teneantur ex conſuetudine. *Cong. Rit.* 28. *Apr.* 1608.

18. Abſens ſtudiorum cauſa non lucratur diſtributiones. Deciſum referunt DD. apud Barb. *loc. cit. n.* 10. 11.

19. Conciliantur loca Conc. Trid. de diſtributionibus *ſeſſ.* 21. *c.* 3. *ſeſſ.* 24. *cap.*12. & *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. ut hic ultimus textus loquatur in Dignitatibus, a quibus Ordinarius tertiam partem fructuum ſeparare poteſt, & dato, quod diſtributiones non ſint tenues, & a non ſervientibus amittantur, locis piis ſunt applicandæ. In aliis textibus dicitur, quod, quando diſtributiones ſunt tenues, ut negligantur, applicentur aliis præſentibus proportionabiliter. Deciſum referunt DD. cum Barb. *de jure Eccl. lib.*3. *cap.*18. *n.* 89.

20. Accreſcunt autem iis tantum, qui vere interſunt Horis Canonicis, non infirmis, neque aliis privilegiatis, *ib. n.* 90.

21. Non debentur Canonico diſtributiones, qui fuit Romæ pro negotiis Capituli contra Epiſcopum. *Congr. Conc. Avellina* 16. *Aprilis* 1633.

### *Canonicorum munera, & præſertim in Choro.*

1. QUibus onera ſunt annexa Miſſarum, Evangelii, Epiſtolæ cantandæ, ii infra annum Ordines ſuſcipiant. *Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 3.

2. Canonici recuſantes ſumere ſacros Ordines debitos, cum ætatem habent, poſt monitionem privari poſſunt ab Epiſcopo. Deciſum refert Garz. *p.* 4. *c.* 4. *n.* 22.

3. Poſſunt, & debent cogi ab Epiſcopo, ut per ſeipſos ſubeant annexa onera. Trid. *ſupra*.

4. Omnes per ſe, non ſubſtitutos, compellantur obire divina Officia, & Epiſcopo celebranti, aut Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſervire. Idem *ſeſſ.* 24. *cap.* 12.

5. Iidem in Choro Deum laudent reverenter, & diſtincte, & devote, *ibid.*

6. Quæ ad divina Officia ſpectant, Epiſcopus cum duobus, quorum unus ab Epiſcopo, alter a Capitulo deligatur, Canonicis providere poterit, niſi formula præſcribatur a Conc. Prov. Idem *ibidem*.

7. Licet Epiſcopus habeat annexum Canonicatum, non tamen tenetur obire functiones Canonical. Cong. Epiſc. 16. *Junii* 1601.

8. Cogendi ſunt Canonici ad cantandas Miſſas iis diebus, quibus debent, ex Inſtitutis, & conſuetudine Eccleſiæ ipſorum. Deciſum refert Garz. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 45.

9. Præfectus eligatur Chori ab Epiſcopo, vel ejuſmodi Officio fungatur ille, qui digniori loco ſedet. Prov. 4.

10. Amoveri poteſt ille arbitrio Epiſcopi, *ibid.*

11. Officia alio data nemo recuſet ſine cauſa, ſub pœna perdendi lucrum ſex menſium. Prov. 3.

12. Conſtituatur Hebdomadarius, qui ſi ſuo Officio defuerit, trium dierum diſtributionibus careat, quas Epiſcopus arbitrio ſuo, vel cæteris, operam Choro dantibus, dividat, vel in pium uſum conferat, tributa parte illi, qui ſupplevit. Prov. 1.

13. Prima Sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantum. Cong. Rit. 22. Aug. 1626.

14. Alii Officiales priventur diſtributionibus, qui per ſe non funguntur Officio, niſi ſint legitime impediti, & obtenta licentia a Præfecto, ſeu Ordinario. Prov. 1.

15. Abſente Epiſcopo, Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per eum, qui cantaturus eſt Miſſam. Congr. Rit. 12. Junii 1627.

16. Dignitates nolentes cantare pro abſente Epiſcopo, impeditæ legitime, poſſunt ſtare in ſtallis, eadem *ibid.*

17. Tabella adſit Horarum pro campanis pulſandis pro varia temporum ratione. Prov. 4.

18. Ne detur ſignum communium Officiorum ante ſignum Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ loci, excepto Matutino, quod non ubique eodem tempore dicitur. Prov. 1.

19. Matutinum Veſperi non dicatur, exceptis diebus ex inſtituto Eccleſiæ, *ibid.*

20. Dicatur in Choro, vel hyeme in Sacriſtia, vel alibi de licentia Epiſcopi, *ibid.*

21. Prima, oriente Sole, vel paulo poſt, *ibid.*

22. Horæ dividantur cum intervallo, *ibid.*

23. Pulſata campana, luminibuſque accenſis Officium ne differatur ad inſtantiam alicujus, & Hebdomadario abſente, Major jubeat alteri, ut incipiat. Congr. Epiſc. 18. Apr. 1617.

24. Quod præſcribitur in Cæremoniali, ut Canonici de Sacriſtia egrediantur bini, intelligitur in ſolemnitatibus. Cong. Rit. 12. Junii 1628.

25. Ad Majorem in Choro ſpectat intonare initium Officii, per Pater noſter, & idem, eo finito, dabit ſignum, ut incipiatur Hora. Congr. Epiſc. 18. Apr. 1617.

26. Idem dicet: Dies, & actus, &c. Adjutorium &c. Dominus nos Benedicat, &c. Noctem quietam, &c. Benedicat, & cuſtodiat,

dat, &c. Dominus det nobis ſuam pacem; niſi alia ſit conſuetudo. Ead. *ibid.*

17. Nemo, dum celebrantur Officia divina, extra Chorum cum cotta, vel ſine ea permaneat; neque in Choro ſcripturas legat, ſcribat, aut impertinentia agat, ſub pœna abſentiæ. Ead. *ibid.*

28. Nemo egrediatur, etiam expleto Officio antequam finis ſignum a Majore detur, *ibid.*

29. Plures, quam duo, pro qualibet vice ne deſerant chorum, aliis exiſtentibus in choro, & in egreſſu, ac regreſſu reverentiam Majori exhibeant, cauſam Punctatori ſignificent, alias punctentur, *ib.*

30. Ne chirothecæ in Choro adhibeantur. Prov. 4.

31. Neque pileus pro biretto, ſub pœna abſentiæ. Prov. 1.

32. Ad Horas omnes, ardeant in Altari duæ ſaltem Candelæ. Cong. Epiſc. 7. Aug. 1595.

33. Officium duplex, & Dominicale cum cantu recitetur, non ſolis verbis; Pſalmi ſine cantu in Matutino minus ſolemni poterunt dici: ad Laudes, ii cantentur. Prov. 4.

34. Conſuetudo cantandi omnia retineatur, *ibid.*

35. Cantanda a Muſicis prius probentur ab Epiſcopo. Pr. 3.

36. Laici Cantores ſint in habitu Clericali. Prov. 1.

37. Organum tantum, non alia inſtrumenta adhibeantur. Pr. 4.

38. Edantur Regulæ de diſciplina Chori, cum pœnis. Pr. 5.

39. Uniformitati conſulatur, in ſtando, ſedendo, genuflectendo, &c. Prov. 1.

40. Tabella item habeatur in Sacriſtia, in qua præſcribatur ſingulis, quid agendum ſit, *ibid.*

41. Quamvis Præbendæ non ſint diſtinctæ, convenit tamen, ut fiat diſtinctio pluvialium, planetarum, & dalmaticarum, in ſolemnioribus. Congr. Rit. 15. Mart. 1608.

42. Qui peccarit in hoc genere, diſtributiones amittat Horæ, in qua peccaverit. Prov. 1.

43. Magiſter Chori, vel Cæremoniarum ab Epiſcopo de conſenſu Capituli conſtituatur, communi ſumptu, ſi opus erit. *ib.*

44. Manſionarii in ſuo munere contumaces, vel negligentes, pro modo culpæ a præfecto Chori puniantur in diſtributionibus, *ibid.*

45. Se invicem revereantur Canonici, qui & venienti Canonico in Chorum aſſurgant. Cærem. Epiſc. l. 1. c. 18.

46. Et qui geſtant almutium, dum aſſurgunt, a ſcapulis ad brachia dimittant, *ibid.*

47. Canonico ſurgente, ut cantet Antiphonam, vel aliud faciat, ſurgent alii Canonici de eodem Choro. V. Cær. Ep. *ib.*

48. In feria 5. Cœnæ Domini communicent omnes Canonici, & alii ad Miſſam ſolemnem. C. Rit. 27. Sept. 1608.

49. In Miſſa etiam privata, abſtineant ab uſu annuli, eadem 20. Novemb. 1628.

50. In Sacramentorum adminiſtratione ne adhibeant rochettum, & cappam, ſi iis utantur in choro, ſed cottam, & ſtolam, eadem 12. *Julii* 1628.

Pro Canonico mortuo, Miſſa fiat conventualis. Prov. 4.

*V. Archivium.* n. 6. 12.

*Exequiæ Eccleſiaſticorum.* n. 4. 7. 11.

*Judex Synodalis.* n. 3. 4. 10.

*Miſſa Conventualis.* n. 1. 2. 24.

*Præcedentia.* n. 21. 28. 31. 32. 37. 38. 39.

*Proceſſio.* n. 6. 34.

## A D D I T I O.

1. Annus Canonici ad ordinem ſuſcipiendum incipit a die habitæ poſſeſſionis, dummodo per eum non ſteterit, quo minus antea poſſeſſionem perceperit. *Deciſum 13. Sept. 1631. refert Barboſ. de Canon. cap. 16. n. 7.*

2. Canonici digniores debent ſedere in ſedibus, quæ ſunt viciniores Epiſcopali ſedi. *Cong. Rit.* 15. *Mart.* 1608.

3. Canonici non debent aſcendere ad ſtallum Dignitatum, ſi abſint, *ead.* 18. *Mart.* 1618.

4. Canonicus locum tenens Epiſcopi debet in choro ſedere in ſuo ſtallo Canonicali, *ead. 7. Jun. & 10. Nov.* 1612.

5. Ante dignitates non debet poni pulvinar cum tapete, ſed ſedeant in ſuis ſtallis, ſicut Canonici; quandoque ratione Dignitatis poteſt dari pulvinar de corio tantum, *ead.* 24. *Mart.* 1612.

6. Canonicus Protonotarius in habitu Prælatitio ſedet ſeparatim ab aliis Canonicis, *ead.* 30. *Apr.* 1604. 23. *Mart.* 1619.

7. Ne geſtet Rocchettum ſub cotta, ſi alii cottam tantum, *ead.* 15. *Martii* 1614.

8. Neque Crucem militarem ſuper habitum Canonicalem, *ead.* 2. *Octob.* 1601.

9. Cantoris munus eſt diſtribuere lectiones, Antiphonas, & Prophetias, *ead.* 6. *Decembris* 1616.

10. Poteſt aſſumere Vicecantorem ab Epiſcopo approbatum, qui non ſit de iis, qui alioquin in Choro adeſſe debent, *ead.* 19. *Martii* 1611.

11. Canonici tenentur pſallere, alias non ſatisfaciunt obligationi ſuæ. *Congr. Concil.* 20. *Apr.* 1602. *Apud Barb. de Canon. cap.* 20. *n.* 13.

12. Poteſt Epiſcopus cogere Canonicos ad diſcendum cantum Gregorianum, etiam per ſubtractionem fructuum, *Cong. ead.* 6. *Maji* 1628. *apud eundem Barboſam.*

13. Alta voce debent cantare Canonici; ſed non poteſt eos Epiſcopus cogere. *Cong. Rit.* 23. *Nov.* 1602.

14. Officium in Choro dato ſigno eſt inchoandum, non expectato Vicario Generali, *ead.* 2. *Febr.* 1606. nec eſt inchoandum tamen ſtatim dato ſigno, ſed elapſa tertia horæ parte poſt ſignum datum, *ead.* 3. *Sept.* 1605.

15. Aquæ aſperſio facienda eſt ſigillatim quibuſcumque Dignitatibus, & Canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextro ſunt cornu, non unico ictu in circulum, *eadem* 20. *Decembris*, 1601. pro Eccleſia Peruſina.

16. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Miſſam ante Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, & deinde altera Dignitas minor illud geſtet in Proceſſione, *ead. ult. Jul.* 1623.

17. Diaconum, & Subdiaconum in Miſſa debere eſſe ejuſdem ordinis cum Celebrante, & contrariam conſuetudinem eſſe abuſum cenſuit *eadem* 7. *Sept.* 1593. 14 Februar. 1615. 8. *Febr.* 1631. 31. *Mart.* 1629. 8. *Mart.* 1631. In Veſperis ſervetur Cæremoniale Epiſcoporum *l.* 2. *c.* 3.

18. Canonici non debent inſervire per alios, niſi ſint legitime impediti, & tunc Dignitates per Dignitates, Canonici per Canonicos, *ead.* 18. *Mart.* 1602.

19. Vices Canonicorum, & aliorum inferiorum non ſupplent Dignitates, ſed bene inferiores pro Dignitatibus, *eadem* 3. *Junii* 1617.

20. Si vero Dignitas ex conſuetudine obtineat ſimul Canonicatum, vel portionem, debet munera his incumbentia facere, etiamſi talia ſint, a quibus Dignitates alioquin immunes ſunt, *eadem* 1. *Maji* 1602. 18. *Maji* 1602.

21. Dignitates, quæ habent Præbendas cum onere cantandi Evangelium, ſeu Epiſtolam, non tenentur miniſtrare inferioribus, *eadem* 10. *Januarii* 1604.

22. Diaconus, etiamſi ſit ex Dignitatibus, debet incenſare alios, & incenſare poſt Canonicos, & Magiſtratum ſæcularem, non autem Manſionarios, quos incenſare debet alius Capellanus, ſeu Magiſter Cæremoniarum pro loci conſuetudine, *ead.* 10. Junii 1600.

23. Cum Antiphonæ præintonantur, omnes ab utroque latere Chori ſurgere debent juxta Cæremoniale, non obſtante conſuetudine, *ead.* 23. *Martii* 1602.

### *Canonicorum munera erga Epiſcopum.*

1. EPiſcopo celebranti, aut Pontificalia exercenti, compellantur Canonici aſſiſtere, & inſervire. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12.

2. Etiamſi titulo vacationis abſint, & revertentes puniat Epiſcopus. Deciſum refert Garz. *p.* 3. *n.* 496.

3. Canonici Collegiatarum Eccleſiarum non tenentur inſervire Miſſæ Pontificali in aliena Eccleſia, neque intereſſe in Cathedrali in feſtis principalibus, deſerentes Eccleſiam propriam. Cong. Epiſc. 20. *Julii* 1692.

4. Aſſiſtentia, quæ fit ad Miſſam, & Veſperas, fiat cum pluviali. Congr. Rit. 3. *Auguſti* 1602.

5. Aſſiſtentia duarum Dignitatum ad ſedem Epiſcopi, congruit, quando Præbendæ non ſunt diſtinctæ, *eadem* 19. *Maji* 1607.

6. Ut parent ſe Canonici ad Miſſam Pontificalem, & alia, provideantur, vel communi ſumptu Capituli, vel alia ratione. Prov. 4.

7. Venientem Epiſcopum ad Horas Canonicas debent Canonici in habitu Canonicali ex ea aula vel camera, quam ad hoc deſtinaverit, comitari, & deducere. Cærem. Epiſc. *l.* 1. *c.* 15. Canonici in hoc caſu ſequuntur Epiſcopum bini, *ib.*

8. Non debent cogi ſub pœna excommunicationis ad aſſociandum Epiſcopum. Congr. Epiſc. 28. Maji 1584.

9. In porta Eccleſiæ dignior ex Capitulo porriget Epiſcopo aſperſorium cum oſculis. Cærem. ſup.

10. In porta Eccleſiæ Collegiatæ porriget ei aſperſorium prior Collegiatæ, non prima Dignitas in Cathedrali. Cong. Rit. 15. Martii 1608.

11. Inchoatis Horis, ſi venit Epiſcopus, obviam eant illi quatuor, aut quinque Canonici, ead. 4. Julii 1615.

12. Non debet aſſiſtens Epiſcopo deponere birretum de capite, ſed ipſe ſibi detrahit, eadem 21. Auguſti 1604.

13. Neque debent Canonici genuflectere ad ejus benedictionem, eadem 4. Maji 1612.

14. Ordinarie vero Canonici caput, & humeros profunde inclinant Epiſcopo. Cærem. Epiſc. *l.* 1. *c.* 18. id eſt, Cathedralis Eccleſiæ.

15. Beneficiati, & alii genuflectunt, *ibid.*

16. Epiſcopus non debet in Eccleſia ſalutare Canonicos aperiendo caput, ſed benedicendo manu, C. Rit. 10. Jan. 1604.

17. Circulum etiam faciunt ante Epiſcopum cum in Sacrario, vel alibi paramenta ſumit. Cærem. Epiſc. *l.* 1. *c.* 21.

18. Tum in Miſſa, cui interſit Epiſcopus, ad Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, *ibid.*

19. Niſi adſit Legatus, vel Metropolitanus, *ibid.*

20. Sed ipſi ſoli Canonici, non autem Vicarius Generalis. S. Rit. Congr. 28. Septembris 1630.

21. De ſupplendis vicibus Canonic. circa Epiſcopum, vide Cærem. Epiſcoporum *l.* 1. *c.* 26.

22. In egreſſu de Eccleſia poſt Concionem, ſi Officium Miſſæ adhuc reſtat finiendum, quatuor, aut quinque Canonici aſſocient Epiſcopum uſque ad portam, ſi vero eſt finitum, omnes comi-

ten-

Digitized by Google

ventur eum ad portam, & redeant in chorum ad Horas. Congr. Rit. 4. Julii 1615.

23. Si in mantello comitentur Epiſcopum Cardinalem, Canonici eant ante illum, ead. 4. Julii 1626.

24. Vicario Epiſcopi Cantanti Miſſam ſolemnem non miniſtrant Canonici; neque fit circulus ante ipſum. Congr. Epiſc. 8. Martii 1595.

*V. Coadjutor Epiſcopi*, *n.* 6. 10. 13.
*Functiones Epiſcopales n.* 17.
*Subſidium charitativum n.* 11. 12.
*Synodus Diœceſana n.* 19.

## A D D I T I O.

1. Tenentur Canonici in habitu canonicali accedere ad domum Epiſcopi, & illum aſſociare ad Eccleſiam cum cappa accedentem, & eumdem in reditu comitari. *Congreg. Rituum* ex debito 16. *Julii* 1605. 8. *Maji* 1617. 19. *Januar.* 1614.

2. Etiamſi diſtet per ſpatium 60. paſſuum, *ead.* 14. *Dec.* 1602. 5. *Julii* 1603.

3. Imo, & per ſpatium 110. paſſuum, *ead.* 10. *Jan.* 1604.

4. Item & per ſpatium 160. paſſuum, *ead.* 10. *Aug.* 1622.

5. Si vero Palatium longius diſtet, debet Epiſcopus aſſociari ex aliquo loco ac hoc deputato prope Eccleſiam, vel ex atrio Eccleſiæ, aut ſcalis, *ead.* 16. *Maji* 1601.

6. Sed in Solemnioribus tantum diebus, quibus cum cappa voluerit accedere ad Officia divina, ut aſſiſtat, *ead. Novembris* 1601. 4. *Julii* 1615.

7. Canonici hæc præſtent in iis feſtis, quæ numerantur in Ceremoniali Epiſcoporum, *l.* 2. *c.* 1. & 34. *ead.* 18. *Martii* 1623.

8. Et his diebus tenentur aſſociare Epiſcopum, licet non utatur cappa, quando pro loci conſuetudine, aut alias uti non ſolet cappa, aut ejus vice alium habitum deferre conſuevit, *ead.* 8. *Martii* 1600.

9. Sed ubi eſt conſuetudo, quod quoties Epiſcopus cum cappa accedit ad Eccleſiam, etiam in Feſtis per annum, ſemper eum aſſocient a camera deputata, & in reditu uſque ad portam Palatii, *ead.* 20. *Januarii* 1610.

10. Quæ dicta ſunt, intellige quoque de Dignitatibus, *ead.* 21. *Aug.* 1601.

11. In aliis caſibus ſatis eſt ſi aliqui occurrant ad oſtium Eccleſiæ, & abeuntem comitentur uſque ad oſtium, *ead.* 20. *Decemb.* 1601. 2. *Mar.* 1602. 24. *Octob.* 1604. 16. *Decemb.* 1606. 30. *Jan.* 1610. 12. *Martii* 1618. 19. *Jan.* 1619. 29. *Maji* 1621.

12. Debet Epiſcopus certam horam ſui adventus ſtatuere, & ſignificare, *eadem* 16. *Maji* 1601. 4. *Julii* 1615.

13. Et tun non veniente Epiſcopo, poterit officium inchoari, *ead.* 16. *Jan.* 1605.

14. Inchoatum officium veniente Epiſcopo ſatis eſt, ſi quatuor, aut quinque Canonici ei obviam eant, *ead.* 16. *Jan.* 1605.

15. Idem fiat, ſi poſt decantatum Evangelium concio habeatur, & tunc veniat Epiſcopus, *ead. ibid.*

16. Et finita concione, ſi diſcedat, tres, aut quatuor illum comitentur uſque ad portam Eccleſiæ, *ead. ibid.*

17. Si poſt finitam Miſſam velit diſcedere, & Hora ſit adhuc recitanda in Choro, Canonici omnes comitentur eum uſque ad potam Eccleſiæ, & redeant in Chorum, *ead. ib.*

18. Finito Officio, ſufficit, ut Canonici eum aſſocient extra portam Eccleſiæ, *ead.* 28. *Sept.* 1602. vel uſque ad primum atrium, ſeu portam domus Epiſcopi, quando eſt contigua Eccleſiæ, *ead. Junii* 1603. 5. *Januar.* 1603.

19. Non tenentur omnes Canonici aſſociare Epiſcopum ab eo Altari, in quo Miſſam planam celebravit, ad ſedem Epiſcopalem, ſi voluerit Miſſæ conventuali aſſiſtere, *ead.* 5. *Julii* 1603.

20. Neque tenentur, niſi ex urbanitate, aſſociare Epiſcopum venientem ad cameram capitularem, *ead.* 16. *Julii* 1605.

21. Dignitates tenentur aſſociare Epiſcopum cum Canonicis ex debito, licet Cœremoniale Epiſcoporum nominet tatum Canonicos, *ead.* 10. *Jan.* 1609.

22. Canonici non debent aſſiſtere hinc inde in eundo, niſi Epiſcopus ſit paratus cum Mitra, *ead.* 3. *Aug.* 1602.

23. Prima Dignitas debet aſſiſtere Epiſcopo celebranti, etiamſi ſit unica, *ead.* 12. *Decemb.* 1620.

24. Et dum aſſiſtit etiam in alia Eccleſia, cenſetur præſens in Choro, *eadem* 15. *Martii* 1608.

25. Duorum Canonicorum aſſiſtentia ſemper convenit Epiſcopo, ſive celebret ipſe, ſive aſſiſtat Divinis, *eadem* 10. *Maji* 1602.

26. Et eo magis quando eſt paratus cum Mitra, *ead.* 30. *Aug.* 1602. 21. *Aug.* 1604.

27. Et intelligatur de ordinario loci tantum, *ead.* 9. *Maji* 1606.

28. Debent hi duo eligi ex numero Diaconorum, ſi Præbendæ ſint diſtinctæ, *ead.* 23. *Maji* 1603.

29. Alias duæ dignitates poſt primam, vel duo Canonici digniores, *ead.* 1. *Julii* 1601.

30. Aſſiſtentes Epiſcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, *eadem Maji* 1602.

31. Et ante Dignitates thurificantur, *ead.* 20. *Septemb.*

32. Item & ante Magiſtratum, *deal.* 2. *Mar.* 1602.

33. Aſſiſtens Presbyter debet Epiſcopum thurificare ad ſedem, quicumque ille ſit, non Diaconus Evangelii, *ead.* 19. *Maji* 1607.

34. Conſuetudo, ut Dignitates, & Canonici mitram, gremiale, baculum, thuribulum, & ſimilia miniſtrent Epiſcopo, ſervanda eſt, *ead.* 5. *Junii* 1603.

35. Et Archidiaconus ſuſtinens baculum Epiſcopi thurificandus eſt poſt Diaconos Aſſiſtentes, *ead.* 28. *April.* 1607.

36. Etiamſi ſit primus Archidiaconus, & habeat alias prærogativas, *ead.* 18. *Jan.* 1608.

37. Non convenit, quod prima Dignitas aſſiſtat Epiſcopo apud ſedem, & ſecunda Dignitas pro prima penitus impedita aſſiſtat ad Altare, Epiſcopo Miſſam cantante, *eadem* 31. *Julii* 1632.

38. Ad regendum chorum deſtinatus non eſt dimovendus a Choro, ut aſſiſtat Epiſcopo, *ead.* 6. *Septemb.* 1603.

39. Celebrantes Miſſam Canonici coram Epiſcopo non debent ſedere in ſede cum poſtergali, ſed in ſcamno oblongo tapete, vel panno cooperto in latere Epiſtolæ, *eadem* 19. *Maji* 1614.

40. Epiſcopo Miſſam privatam celebranti in Cathedrali non tenentur Canonici aſſiſtere, ſi aſſiſtunt, amittunt diſtributiones, ſi eo caſu abſunt a Choro, *Congr. Conc.* 7. *Martii* 1619.

41. Niſi ex conſuetudine teneantur *Congr. Rit.* 28. *Aprilis* 1608.

42. Prima Dignitas det candelam Epiſcopo in Feſto Purific. B. V. *ead.* 28. *Maji* 1616.

43. Et Epiſcopus det candelam ſtatim primæ Dignitati ante Vicarium Generalem, *ead.* 14. *Junii* 1608.

44. Superveniente digniore Canonico, qui aſſiſtit minori, cedat illi locum aſſiſtentiæ, *ead.* 20. *Junii* 31. *Aug.* 1632.

45. aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione cinerum, candelarum, & palmarum, ſed quilibet accipiat ſecundum prærogativam Ordinis, *ead.* 23. *Maji* 1603. modo ſint omnes parati, qui præferuntur aliis non paratis.

46. Facienti Epiſcopo Ordinationes, privatim debetur aſſtentia. *ead.* 19. *Maji* 1607.

47. Diaconus, & Subdiaconus accipiunt pacem ab Epiſcopo celebrante, poſt Diaconi aſſiſtentes, *ead.* 15. *Mar.* 1608.

### *Canonicorum Ædes.*

1. HAbitent ibi Canonici. Prov. 1.

2. Qui foris pernoctaverit, mulctetur diſtributione unius diei. Prov. 3.

3. De nocte poſt primam horam ſine juſta cauſa non exeant, & eo caſu cum lumine. Prov. 1.

4. Si atrium claudi poſſit, una clave concludatur ab eo ſervanda, quem Epiſcopus elegerit. Prov. 4.

5. Quando aperienda porta, & claudenda, ſtatuat Epiſcopus, *ibid.*

6. Ne locentur exteris ſine licentia Epiſcopi, *ibid.*

7. Canonicorum Ædes Laicis locantes, cogendi ſunt locare, juſta mercede, Canonicis reſidentibus, itaut hi præferantur aliis; ceſſentque omnia privilegia inquilinatus. Deciſum refert Nal. *V. Canonicus n.* 18.

8. Reparentur fructibus Præbendarum. Prov. 1.

### *Canonici Regulares.*

1. IN actibus publicis, & privatis ſufficit, ut dimiſſa tantum ſuperiori veſte nigra, remaneant in Rocchetto abſque alio ſuperpelliceo, ſi concurrant cum Caſſinenſibus. Cong. Epiſc. 1. Septemb. 1603. * Decreto impreſſo, & hoc illis conceditur coram Epiſcopo in Congregationibus.

2. In Proceſſionibus publicis uti poſſunt Rocchetto, & ſuperpelliceo. Congreg. Rituum 28. Aug. 1628.

3. Non admittuntur ad concurſum, neque ad curam Parochialem ſine diſpenſatione Sedis Apoſt. Cong. Epiſcop. 1. Septemb. 1603.

*V. Fidei Profeſſio, n.* 5. *Judex Synodalis*, *n.* 6.

### *Capellanus.*

1. SEmel examinatus, & approbatus, quoad ſcientiam ab Ordinario, nulli examini deinde de ſcientia ſubjici debet. Congr. Epiſc. 7. Julii 1615.

2. Capellani Regii ſubduntur Epiſcopis, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11.

*V. Filii Clericorum illegitimi*, *n.* 9. 17. 19. *Horæ Canonicæ*, *n.* 3. *Miſſa*, *n.* 5. 6. 7. 8. & *ibi multa*. *Monialium Cura ſpiritualis*, *a n.* 31. *ad* 37.

### *Capitulum.*

1. EPiſcopus poteſt convocare Capitulum, & vota exquirere, & concludere, non Vicarius. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 1.

2. Et ad libitum, dummodo non proponat de re ad commodum ſuum, vel ſuorum ſpectante. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 73. *n.* 16.

3. Non

3. Non in iis caſibus poteſt, in quibus non poteſt eſſe Judex. *ibid.* Deciſ. refertur, *num.* 18.

4. Neque poteſt cogere illud in Palatio ſuo, ſi fieri ſolet in Sacriſtia, Congr. Epiſc. 1. Febr. 1583. & deciſum refert a Congr. Conc. Trid. Zerol. *p.* 2. *V. cap.* 2.

5. Idem poteſt facere Vicarius ex cauſa. Congr. Epiſc. 16. Maji 1600.

6. Major item Capituli convocare poteſt, quandocumque ſibi videbitur expedire pro ſervitio Eccleſiæ, diebus tamen ſolitis, & ad hoc deſtinatis; neque debet omittere, quando per Canonicos inſtatur, ut convocetur. Congreg. ead. 6. Octobris 1617.

7. Neque poteſt major de Capitulo impedire libertatem Capitulo faciendi Decreta, niſi quantum valet pro unico voto. Ead. 13. Mart. 1615.

8. Neque tempore Horarum Canonicarum poteſt cogi Capitulum, maxime ad exigendam rationem adminiſtrationis a Canonicis. Cong. Conc. 1. Febr. 1593.

9. Niſi adſit evidens neceſſitas, non fiat tempore divinorum Officiorum, ſub pœna, quod priventur diſtributione Horæ, ſeu Horarum, a quibus aberunt. Prov. 1.

10. Neque diebus feſtis convocentur, niſi probabilis cauſa intercedat. *ibid.*

11. Epiſcopus non habet vocem in Capitulo. Deciſum refert Barb. *loc. cit. num.* 17.

12. Niſi ſit Canonicus, & tunc ſedebit poſt Præſidem Capituli: Riccius in *Praxi dec.* 475. *num.* 7.

13. Vocem in Capitulo non habet, qui eſt Subdiaconus. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 4.

14. Poteſt tamen hic intereſſe Capitulo, ut diſcat, non tamen ſuffragium ferat. Congr. Epiſc. 15. Julii 1586.

15. Canonicus diſpenſatus in ætate, cenſetur diſpenſatus etiam in voce. Nald. *V. Canonic. num.* 1.

16. Habens duas voces in Capitulo non poteſt eas dividere, ſed uni, & idem dare debet. Idem *ibid. num.* 7.

17. Omiſſio profeſſionis fidei non privat Canonicum voce Capitulari. Deciſum a Congr. Conc. 27. Aprilis 1595.

18. Exeant de Capitulo ii, de quibus agitur. Congreg. Epiſc. 13. Mart. 1615.

19. Poteſt Capitulum mutare, declarare, revocare propria Decreta; dummodo eadem ſolemnitas intervenerit in prædictis, quæ in Decretis. Ead. *ibid.*

20. Non poteſt Capitulum, aut Clericus alicujus Eccleſiæ eligere ſibi Protectorem. Eadem 24. Auguſti 1594.

21. Officium commiſſum a Capitulo non recuſetur, alias quantum pecuniæ caperet, per ſex menſes ſerviendo Eccleſiæ, tantundem amittat. Prov. 3.

22. Non duret ultra biennium, niſi de Epiſcopi conſenſu ſine præjudicio privilegii, aut probatæ conſuetudinis. *ib.*

23. Capitula ipſa recipiant, & obſervent Decreta Conciliorum Provincialium ſuæ Provinciæ. Prov. 4.

24. De temporalibus agatur ita, ut quæ in uno Capitulo proponuntur, decernantur in ſeq. *ibid.*

25. Si non poteſt differri, triduo ſaltem ante, & res, & cauſa ſignificetur. *ibid.*

26. Si adhuc citius eſt agendum, præmoneantur omnes. *ibid.*

27. Ne bona confundantur, præbendæ ſingulæ Sancti alicujus titulo diſtinguantur, *ibid.*

28. Non tamen Canonici appellentur titulo Sanctorum, quod ſolis convenit Cardinalibus, *ibid.*

29. Non liceat Canonicis conducere bona Capituli, neque per interpoſitam perſonam ſub pœna nullitatis contractus, *ib.*

30. Neque eorum conſanguineis ſecundo gradu conjunctis, *ib.*

31. Pro lite ſuſtentanda nomine Capituli ſumatur pecunia e maſſa præbendarum, non diſtributionum. Congreg. Epiſc. 8. Maji 1590.

32. Cancellarius acta ſcribat in certo libro, qui in Archivio reponatur. Prov. 4.

33. Si non eſt Cancellarius, eligatur ad biennium, *ibid.*

34. Notarii opera adhibeatur in litibus, & inſtrumentis conficiendis. *ibid.*

35. Litteræ, quæ ad Capitulum dantur, a Capitulo aperiantur; ſed expediret eligere Capitulariter unum, aut alterum ex Canonicis, qui eas ſtatim aperiant. Congr. Epiſcop. 13. Martii 1615.

36. Sigillum Capituli conſervetur in capſula, quæ duabus clavibus obſignetur, quarum altera ſit apud electum a Capitulo, altera penes majorem Capit. Ead. *ibid.*

37. Capitulum Spirituale unaquaque hebdomada habeatur, in quo agatur de defectibus Chori, vita, & honeſtate Clericorum, lectis opportunis libris. Prov. 2.

38. Statа oratio, fiat ante, & poſt Capitulum. Prov. 3.

39. Singulis menſibus fiat, Epiſcopo præſente, *ibid.*

40. Teneantur Canonici adeſſe ſub certa pœna; *ibid.*

41. Ordine ſedeant cum habitu chorali, & modeſte ſe gerant, *ibid.*

42. Pro correctione Capituli exempti initio anni eligantur a Capitulo duo, de quorum conſilio, & aſſenſu Epiſcopus, aut Vicarius teneatur procedere uſque ad finem cauſæ: Notarius ſit ipſius Epiſcopi, & tribunal ejuſdem. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6.



43. Unum ſit tantum utriſque votum, & poteſt alter Epiſcopi accedere in caſu diſcordiæ, lege textum Trid. *loco citato.*

44. Contra Portionarium habentem vocem in Capitulo exempto, poterit Epiſcopus procedere ſine adjunctis. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 73. *num.* 10.

45. In criminibus ex incontinentia, & in atrocioribus ubi de fuga timetur, poteſt Epiſcopus initio ad ſummariam informationem, & neceſſariam detentionem procedere. Trid. *loc. cit.*

46. Nullum jus habet Capitulum eligendi Fiſcalem, licet habeat jus eligendi duos Canonicos, ut ſupra. Deciſum refert Barb. *loc. cit. num.* 8.

47. Epiſcopus autem poteſt aſſumere ſuum Fiſcalem, vel alium ad libitum deputare. Deciſum refertur *ibid.*

*V. Coadjutor, num.* 26. *Concilium Provinciale, num.* 10. 12. 55. *Interdictum, num.* 1. *Theologalis Præbenda, n.* 19. *Viſitatio inferiorum Epiſcoporum, num.* 2. *Viſitatio circa Canonicos exemptos per totum.*

## ADDITIO.

1. Licet Præſidens non ſit in ſacris, poteſt convocare Capitulum. *Cong. Conc. apud Garz. de benefic. p.* 3. *c.* 4. *n.* 26.

2. Capitularia negotia non poſſunt a Decano, prima Dignitate, vel aliquibus tantum Canonicis, cæteris non vocatis, decerni, nec extra locum Capitularem. *Congreg. Rit.* 7. *Octobris* 1619.

3. Neque eſt neceſſaria licentia Epiſcopi, ſi ſine ea convocari ſolet. *Congr. Epiſcop.* 20. *Auguſti* 1601.

4. Et quatenus eſt neceſſaria licentia juxta ſolitum non poteſt Epiſcopus cogere Canonicos ad dicendum, quæ negotia proponere velint, *ead.* 25. *Febr.* 1603.

5. Poteſt tamen cogere eos pœnis, & cenſuris ad præſtandam ſibi copiam Actorum Capitularium, *ead.* 6. *Mart. & 22. Apr.* 1596.

6. Vicarius Epiſcopi, eo abſente, non poteſt intervenire. *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *& deciſ. refert Maſſob. de Synod. cap.* 4. *dub.* 43. *num.* 35.

7. Si vero ſit de Capitulo, debet inde exire, ubi tractandum ſit de rebus ad ſuum, vel Epiſcopi commodum. *Congr. Ep.* 1. *Jan.* 1584.

8. Ubi permanere ſibi licet, ſedeat in proprio loco. *Aub. conſ.* 21, *vol.* 1. *contra Mariam voto* 101. *num.* 2.

9. Vicarius Capituli non Canonicus, ſede vacante, ſedere debet poſt primam Dignitatem. *Congr. Rit. menſe Septembris* 1630.

10. Canonicus Protonotarius in habitu Prælatitio non eſt recipiendus in Capitulo, *eadem* 6. *Martii* 1610.

11. Canonicus non in ſacris conſtitutus vocem in Capitulo non habet, neque hoc ipſum præſcribere poteſt, aut aliquo pacto acquirere. *Congreg. Conc.* 20. *April.* 1602.

12. Neque vocem activam. *Leſſ. de juſt. lib.* 2. *c.* 34. *n.* 105.

13. Ei, qui requiſitum Ordinem non habet, concedit vocem paſſivam. *Garz. part.* 3. *cap.* 4. *in addit. ſub num.* 15.

14. Neque in Capitulo Collegiatarum, licet in ætate minori poſſit eſſe Canonicus. *Cong. Conc.* 8. *Auguſt.* 1621.

15. Male promoti, donec ſuſpenſi, non habent vocem; Barb. *de can. cap.* 4. *num.* 1.

16. Neque cenſurati juſte. *Idem ibid. num.* 3. *& ſeq.*

17. Neque violantes interdictum perſonale, vel locale ſcienter. *Idem ibid. num.* 8.

18. Neque irregulares ratione Ordinis, *ibid. num.* 9.

19. Poteſt habere vocem Prælatus principalis Eccleſiæ Collegiatæ, licet non ſit in ſacris. *Garz. in addit. cap.* 5. *ſub num.* 26.

20. Non autem prima Dignitas, quæ in ſacris non eſt, licet poſſit convocare Capitulum. *Deciſum refert Garz. ib.*

21. Capitula ne fiant, dum celebratur Officium divinum. *Congr. Rit.* 17. *Nov.* 1600. ſi fiant, amittuntur diſtributiones; *ead. ibid.*

### *De Auctoritate Capituli.*

22. CONſenſus Capituli requiritur in adminiſtratione bonorum Eccleſiæ, quamvis ſoli Prælato conceſſa ſpecialiter videatur. *DD. cum Barb. de can. cap.* 42. *n.* 3.

23. Item in alienatione rerum Eccleſiaſticarum. *DD. ibid. num.* 7.

24. Item in unione unius Eccleſiæ alteri Eccleſiæ, ſeu Dignitati, vel Præbendæ alteri Epiſcopo facienda, vel ſaltem poſt unionem. *DD. ibid. num.* 8.

25. Etiam ubi unio fit ab Epiſcopo uti delegato Sedis Apoſtolicæ. *Deciſum refert Garz. de benef. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 158.

26. Item in omni negotio, quod concernit præjudicium Eccleſiæ Cathedralis, ſeu intereſſe Capituli, & in iis, quæ ſpectant ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, Barb. *loc. cit. num.* 14.

27. Conſilium vero Capituli requirendum eſt in Epiſcopi tractatibus, vel negotiis, ut in inſtitutionibus, & deſtitutio-

nibus benficeiorum, in diſpenſationibus, & confirmationibus, & in aliis Eccleſiæ negotiis arduis. Idem, *ibid. n.* 19.

28. Item in Proceſſionibus edicendis, dirigendis, & deducendis. *Congr. Rit.* 28. *Martii* 1628. 28. *Sept.* 1630.

29. Poteſt Capitulum ex maniſeſta, & rationabili cauſa, etiam Collegiatæ, nedum Cathedralis, ceſſare a Divinis ſi Epiſcopus conſentiat, DD. cum Barb., *loc. cit. num.* 25.

30. Expenſæ pro litibus capituli ſunt extrahendæ ex communi maſſa omnium redditurum Canonicorum, tam ratione diſtributionum, quam Præbendarum. *Congr. Conc.* 15. *Apr.* 1628. apud Barboſ. *loc. cit. cap.* 24. *num.* 24.

*Capitulum Sede Vacante.*

1. CUM primum Eccleſia vacaverit, a Capitulo indicantur ſupplicationes, & preces publice, & privatim pro bono Paſtora deligendo. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1.

2. Capitulum, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures decernat. Idem, *ib. c.* 6.

3. Item infra octo dies a morte Epiſcopi conſtituat Vicarium, vel exiſtentem confirmet. Idem *ibid.*

4. Octo dies currunt etiam a die ſcientiæ tranſlationis Epiſcopi ad aliam Eccleſiam. Deciſum refert Quar. *in ſumma Bullar. V. Capitulum Sede Vacante n.* 3. *Terminum*, &c.

5. Et ante deputationem adminiſtrabit totum Capitulum. Quaranta *ibid. n.* 2. *V. Archidiaconus*, *num.* 4.

6. Alioquin ad Metropolitanum devolvitur deputatio, vel ſi Metropolitana, aut exempta fuerit, ad antiquiorem reſpectu Metropolitanæ, ad proximiorem Epiſcopum reſpectu exemptæ, tam Oeconomi, quam Vicarii. Trid. *ſupra c.* 6.

7. Qui ſaltem in jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel alias idoneus. Idem *ibid.*

8. Poteſt eligi Curatus can. Congregatio Epiſcop. 19. Martii 1619.

9. Non Regularis perſona, eadem 8. Maji 1615. 12. Aprilis 1619.

10. Neque Archidiaconus alienæ Eccleſiæ, eadem 19. Maji 1617.

11. Si plures nominentur Vicarii, magis idoneus, & habens qualitates conedii erit præferendus. Deciſum refert Qu. *loc. cit. num.* 4.

12. Plures Vicarii eligi poſſunt, ſi adeſt conſuetudo legitima. Deciſ. refert Idem, *ibid. n.* 9.

13. Cæteris paribus erit præferendus idoneus de Capitulo, & non exterus. Deciſ. refert Idem, *loc. cit. num.* 6.

14. Si Canonicus non eſt, præfertur Vicarius Capitularis Archidiacono, & aliis. Barboſ. *alleg.* 34. *num.* 167.

15. Neque poteſt revocari. Deciſ. refert Ric. *in Collect. dec. p.* 5. *Collect.* 1602. *in fine*.

16. Et cauſa judicanda erit a Sacra Congregatione ſupra cauſis Epiſcoporum. Deciſum ab eadem refert Quar. *loc. cit.* 1. *Septembr.* 1603.

17. Electo Vicario, adhuc Capitulum retinet ſuum jus, nec abdicat, niſi exercitium juris. Idem *ibid. num.* 4.

18. Unde allegato Vicario ſuſpecto, Capitulum eliget arbitros, aut cauſam alteri committet. Deciſum refert Idem *n.* 5.

19. Salarium ei debetur non commune aliis. Idem *n.* 7. & Congr. Epiſcop. 15. Octobr. 1601.

20. Neque poteſt ſibi alium ſubſtituere, niſi ad modicum tempus, vel habeat a Capitulo facultatem, vel cauſa infirmitatis de conſenſu tamen Capituli. Idem Quar. *num.* 10. Poteſt in Provincia Mediolan. Prov. 6.

21. At Vicarius ceſſat, præfinito tempore a Capitulo Qu. n. 13.

22. Moriente Vicario etiam electo a Metropolitano, Capitulum poteſt alium eligere, *ibid. num.* 4.

23. Ceſſat auctoritas Vicarii, & Capituli, quando novus Epiſcopus acquirit poſſeſſionem, Idem Quar. *ib. num.* 13.

24. Tenentur Vicarius, & Oeconomus rationem reddere Epiſcopo etiam ſi a Capitulo ſint abſoluti. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 16.

25. Et item Capitulum ipſum de ſcripturis ad Eccleſiam pertinentibus. Idem *ibid.*

Poteſt Vicarius, ſeu Capitulum, quæ ſequuntur.

26. Infra annum a die vocationis poteſt dare licentiam ordinandi, aut litteras dimiſſorias arctatis non aliis. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 10.

27. Sub pœna interdicti, ſi aliis, & ordinatis in Majoribus ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Epiſcopi, & in minoribus nullitatis privilegii Clericalis. Idem *ibid.*

28. Arctatis poteſt etiam ex cauſa remittere interſtitia. Deciſ. referunt DD. apud Barboſ. *alleg.* 18. *num.* 6.

29. Item dare poteſt Dimiſſorias pro prima Tonſura illi, qui præſentandus eſt a Patronis ad Beneficium etiam intra annum. Congr. Epiſc. 3. *Januarii* 1594.

30. Item dare Teſtimoniales litteras obtinenti facultatem a Papa ſuſcipiendi Ordines de licentia Ordinarii, hoc eſt, de vita, & moribus. Navar. *conſ.* 19. *de temp. ordin.* apud Barboſ. *alleg.* 7. *n.* 14. & Quar. *loc. cit. quæſt.* 10.

31. Occurrente vacatione Parochiali poteſt edicere concurſum Vicarius, & ſine Capitulo facere quæ ſpectant ad Epiſcopum. Cong. Epiſcop. 3. *Februar.* 1604.

32. Poteſt recipere reſignationes Beneficiorum, ſi tria concurrant, quæ affert Barboſ. *alleg.* 66. *num.* 8.

33. Nimirum, quando fit ex cauſa neceſſitatis; quando collatio ſpectat ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, quando talis reſignatio & collatio, fiunt ante proviſionem factam de Prælato in Conſiſtorio, etiam antequam poſſeſſionem capiat, eadem habet Garz. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 256. & *cap.* 4. *num.* 75.

34. Item inſtituere Præſentatos a Patronis. Vivian. *de jure patr. part.* 2. *cap.* 12. *cap.* 2. *num.* 6.

35. Non poteſt conferre beneficia. Pius V. *Anno* 1568.

36. Niſi collatio ſpectabat prius ad Epiſcopum, & Capitulum. Quar. *loco cit.*

37. Poteſt Eccleſias commendare ad tempus, donec provideantur, *ibid.*

38. Dare licentiam ædificandi Eccleſiam, *ibid.*

39. Interponere auctoritatem in permutatione Beneficiorum, *ibid.* quando collatio partim ſpectat ad Capitulum, & partim ad Epiſcopum, vel quando collatio ſpectat ad tertium, non in aliis caſibus, *ibid.*

40. Poteſt unire Beneficia ex cauſa in omnibus caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus, dummodo nihil pereat de jure Epiſcop. *ibid.*

41. Poteſt privare Beneficiatos ſervatis ſervandis, *ibid.*

42. Poteſt viſitare Diœceſim, ſi neceſſitas adſit, aut vacatio longior. Quarr. *loc. cit.*

43. Poteſt diſpenſare cum illegitimis etiam ex damnato coitu, ad minores Ordines, & ad Beneficium ſimplex, cum cauſa, apud Barboſ. *alleg.* 45. *num.* 25.

44. Sed ad unicum tantùm Beneficium, *num.* 2.

45. Non ad dignitates, vel perſonatus, *num.* 29.

46. Nec in iis, quæ requirunt Ordinem ſacrum, *n.* 30.

47. Nec in Canonicatibus Cathedralis, *n.* 31. quod eſt verius ex Trid. quod requiritur in iis Ordo ſacer.

48. Poteſt Capitulum ut Epiſcopus, in *cap. liceat.* Concil. Trid. Barb. *alleg.* 39. *num.* 16.

49. Non poteſt concedere Indulgentias, *ibid.* affirmant alii tutius eſt, quod a capitulo concedatur alicui Epiſcopo, qui ſuo nomine id faceret. Quarant. *loc. cit.*

50. Item vocare alium Epiſcopum, & illi dare licentiam exercendi Pontificalia. Quar. *loc. cit.*

51. Succedit Epiſcopo in Juriſdictione ordinaria, non delegata, Quar. *ibid.* jure communi, & propria in juriſdictione contentioſa, vel neceſſaria. Idem, *ibid.*

52. Ubi Concil. Trident. committit aliquid Epiſcopis uti delegatis Sedis Apoſt. non poteſt Capitulum. Barboſ. *alleg.* 92. *num.* 17.

53. Poteſt exequi littera directa ad Vicarium Epiſcopalem ſub nomine Vicarii. Congreg. Epiſcop. 5. *Febr.* 1601. Negat Rot. *in una Ilerdeſi* 4. *Maji* 1588. *cor. Scraph.*

54. Item exequi in iis, quæ ſpectant ad Juriſdictionem, quidquid conceſſum erat Epiſcopo Defuncto per Bullas, aut Brevia, eadem Congr. 27. Januar. 1604.

55. Item mandare executioni litteras Epiſcopo Defuncto directas per Sacr. Congregationem, & ab eo non executas, eadem 10. Aprilis 1615.

56. Privilegium Doctorandi competens Epiſcopo non tranſit in Capitulum, Sede Vacante, Sbroz. de *offic. Vic. lib.* 2. *q.* 29. *n.* 6.

57. Si vero poteſt Epiſcopus uti jure communi Ordinario, tranſit. Idem *ibid. num.* 8.

*V. Archiepiſcopus*, *num.* 17. *Concilium Provinciale*, *n.* 54. *Synodus Diœceſana*, *num.* 2. *Teſtamentum*, *num.* 16.

## A D D I T I O.

1. Non poteſt eſſe Vicarius Capituli Parochus ruralis. *Cong. Epiſc.* 19. *Julii* 1519. ſed de civitate poteſt, *eadem ibid.*

2. Debet eſſe Doctor, alias electio eſt nulla, *deciſum refert Sbroz. de Offic. Vicarii lib.* 1. *quæſt.* 36. *n.* 12. *in addit.*

3. Neque debet eſſe Doctoratus a perſona privata, ſed ab Univerſitate. *Congreg. Conc.* 29. *Septembr.* 1620.

4. Neque poteſt eſſe Doctor Theologus, *eadem* 28. *Auguſt.* 1621.

5. A Capitulo electus poteſt ad tempus tantummodo exercere Juriſditionem, ead. apud Garz. *de benef. in addit. part.* 5. *cap.* 7. *num.* 37.

6. Melius eligitur abſolute. *Congr. Epiſc.* 29. *Octob.* 1587.

7. Poteſt mutari ex cauſa bene viſa Congregationi Epiſcoporum Rom. *ead.* 24. *Novemb.* & 26. *Octob.* 1603.

8. Vicarius electus a Metropolitano poteſt amoveri ad ejuſdem nutum. *Congr. Conc.* 29. *Septemb.* 1625.

9. Ætas 23. annorum in Vicario Capitulari poteſt permitti, ſed non expedit, *ead.* 11. *Auguſt.* 1614.

10. Non debet Vicarius Capituli ſedere in ſede Archidiaconi, ſed in alia ſede portatili, ſi velit uti habitu Vicariali. *Congr. Rit.* 10. *April.* 1601.

11. Non poteſt ſubſtituere novos Examinatores pro concurſu Parochialium in defectum abſentium, vel Defunctorum, auctoritate propria, *deciſ. refert* Sbroz. *de offic. Vic. in addit. lib.* 2. *qu.* 211.

12. Neque ſupprimere Beneficium, & unire Capitulo, *dec. refert* Garz. *p.* 12. *c.* 2. *num.* 68.

13. Ne-

13. Neque poteſt habere pro præſentibus Dignitates, vel Canonicos, qui numquam in Eccleſia reſederunt, & fidei profeſſionem non emiſerunt, decisum refert Garz. p. 3. c. 3. num. 32.

14. Neque poteſt exequi commiſſiones Apoſtolicas in forma dignum, & aliis directas Epiſcopo, vel ejus Vicario. Cong. Conc. 21. Aug. ſt. 1631.

15. Neque poteſt locare emolumenta provenientia ex juriſdictione, ſigillo, aut aliis undecumque, ſed debent futuro ſucceſſori reſervari, ead. 17. Apr. 1627.

16. Poſt annum a poſtrema Epiſcopi Viſitatione, quando nec de proximo Eccleſia eſt Providenda de Paſtore, poteſt viſitare omnia, quæ poterat Epiſcopus, ead. 3. Febr. & 10. Decemb. 1629.

17. Cum famulatu, æquitatu, &c. juxta Conc. Trident. eadem 10. Maji 1629.

18. Poteſt etiam viſitare Moniales non exemptas. Deciſum refert Garz. part. 5. cap. 7. n. 45.

19. Poteſt in iis etiam, in quibus datur Epiſcopis perpetua delegatio a Sede Apoſtolica, puta viſitare Moniales exemptas. Barboſ. de Canon. cap. 42. num. 107. & optime probat.

20. Poteſt concedere facultatem Epiſcopo extero Ordinandi ſuos ſubditos, non autem ſubditos Capitulo. DD. cum Barboſ. loc. cit. num. 124.

*Cardinalis.*

1. CORam quocumque Cardinali abſtineat Epiſcopus a privatis etiam benedictionibus. Cærem. Epiſcop. lib. 1. cap. 4.

2. Coram Legato Archiepiſcopus, etiam Cardinalis, deponat Crucem, ibid.

3. Et coram aliis Cardinalibus, ſi ipſe non eſt Cardinalis, ibid.

4. Mantellettum ab Epiſcopo non Cardinali aſſumitur coram quocumque Cardinali, ibid.

5. Mozzetta deponitur coram Legato, niſi contraria adſit conſuetudo, ibid.

6. Cuicumque Cardinali debetur Sedes Epiſcopalis prælata, eo caſu Epiſcopus in digniore loco Chori ſedeat, vel ex oppoſito in Sede humiliori. Idem ibid. c. 13.

7. Cardinalis Epiſcopus ſedeat cum alio Cardinali, etiam Legato, in ſedibus Cameralibus, ibid.

8. Cardinali etiam non Legato, venienti ad Eccleſiam, Epiſcopus ibit obviam uſque ad portam, & ei porriget aſperſorium, ibid. c. 15.

9. Celebrans Epiſcopus coram Cardinali, deferat eidem munia Epiſcopalia: ſi recuſet, ipſe præſtet, ibid. c. 4.

10. Celebrante Epiſcopo, ejuſdem liber non datur oſculandus Cardinali, ſed alius Codex, ibid. c. 29.

11. Cardinalis Epiſcopus celebrans omnia peraget ipſe coram Cardinali non Legato, ibid. c. 4.

12. Cardinalis Epiſcopus non celebrans, ſed Miſſæ præſens cum alio Cardinali deferat huic eadem munia, quæ ſi recuſet, vel remittat Celebranti, vel ipſemet peragat, ibid.

13. Sed pro Solemni Benedictione accedat ad Altare, ibid.

14. Non debet eſſe paratus Epiſcopus cum Mitra, alio Celebrante, ſi adeſt Cardinalis, ibid. c. 23.

15. Coram Cardinali in Miſſa nullus liber adhibetur ad legendum Introitum, c. 20.

16. Neque fiunt circuli Canonicorum, neque ante Legatum, c. 21.

17. Bis eo caſu thurificandus erit Epiſcopus, ibid. c. 23.

18. Si Cardinalis eſt tantum Diaconus, & veniat in Eccleſiam ſibi commendatam in Diœceſi Epiſcopi, Pluviali uti poteſt. Craſſus ibid. a. cap. 23.

19. Non poteſt benedicere populum, neque rem aliquam, nec ſimpliciter, nec ſolemniter, niſi ſpecialem habeat a Papa facultatem, ibid.

20. Nec in Miſſa benedicere incenſum, nec Miniſtris manum oſculandam porrigere; neque poſt Evangelium incenſari, nec aliud facere ultra gradum Diaconatus. Idem ibid.

21. In Miſſa privata Capellani coram Cardinali, & Epiſcopo, datur oſculandus liber Capellani ſibi Cardinali: ſi plures ſunt, nemini detur. Cæremon. Epiſcop. lib. 1. c. 30.

22. Cardinalibus extra Palatium Apoſtolicum, & abſente Papa, debetur a Clericis non Prælatis genuflexio. Cærem. Papæ lib. 3. Sect. 1. c. 19.

*V. Canonic. munera erga Epiſcopum, num. 23. Familiaris Card. num. 3.*

*Seminarium Clericorum, num. 25.*

*Caſus Reſervati.*

1. LIcet Epiſcopis reſervare ſibi graviora peccata, & illa præſertim, quibus excommunicationis cenſura eſt annexa. Trid. ſeſſ. 24. cap. 7.

2. A reſervatis in Bulla Cœnæ Domini, & Ordinarii locorum nemo poteſt abſolvere, abſolventes ipſo facto ſunt excommunicati, reſervata abſolutione Papæ, & privantur Officiis, Beneficiis &c. & inhabiles ſiunt &c. Confeſſiones item nullæ ſunt. Congr. Epiſc. 9. Januarii 1601.

3. Qui in Italia habent Privilegia invalida abſolvendi ab aliis reſervatis Papæ, non tamen poſſunt abſolvere in ſequentibus caſibus.

Violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, in terminis Bullæ Gregorii XIV.

Violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem.

Provocationis, & pugnæ in duello, in terminis, Concil. Trid. & Greg. XIII.

Inicientium manus violentas in Clericos, juxta cap. ſi quis.

Simoniæ realis ſcienter contractæ, & confidentiæ beneficialis, eadem 26. Nov. 1602. cum Clem. VIII.

4. Et nullo modo in prædictis, n. 2. & 3. ſive ſint ad forum exterius deducti, ſive non deducti, poſſunt abſolvere privilegiati, eadem ſub Paulo V. 7. Januarii 1617. * ubi etiam comprehendit cenſuras reſervatas Ordinario. Nald. Caſus reſerv. num. 15.

5. Privilegia contra prædictos caſus reſervatos Ordinariis locorum & Bullæ Cœnæ, non revixerunt per confirmationes Privilegiorum poſt Concilium obtentas, eadem Congreg. ſub Urb. VIII. 17. Nov. 1628.

6. Si quæ ſunt Privilegia in hac materia ſcilicet abſolvendi ab aliis reſervatis Papæ (exceptis Bullæ Cœnæ caſibus) extra Italiam, non ſunt ſublata, eadem ibid.

7. Non ergo reſervent Epiſcopi caſus Bullæ Cœnæ, neque ſpecialiter, Papæ reſervatos eadem 26. Novembris 1602.

8. Neque promiſcue eos, quibus eſt annexa excommunicatio nemini reſervata, niſi ob frequentiam, ſcandalum, aut neceſſariam cauſam aliquos nominatim, eadem ibid.

9. Neque eos, in quibus eſt neceſſaria reſtitutio, vel executio pro abſolutione, ibid.

10. Nec eos, qui verſantur circa res parvi momenti, & qui frequenter eveniunt inter idiotas, licet ſint mortifera, ead. ibid.

11. Nec in carnalibus, ubi adeſt periculum ſcandalorum, vel cadere poteſt ſuſpicio ob frequentem ad Ordinarios, eadem ibid.

12. Nec reſtitutionem incertorum ſibi reſervent, eadem 14. Junii 1619.

13. Nec eorum abſolutionem, qui nocte per Civitatem inhoneſte canentes, deambulant, ead. 6. Octobris 1615.

14. Nec eorum, qui violant dies feſtos, eadem 16. Januarii 1615.

15. Reſervent paucos, eoſque maxime neceſſarios, atrociores, & graviores, eadem 20. Novembris 1602. *

16. Caſus reſervati in Synodo ſunt perpetui: qui vero ſinguli annis extra Synodum, morte reſervantis expirant, niſi per ſucceſſores confirmentur. Zerola in praxi V. Caſus reſervati ad quartum.

17. Licentia abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſervatis dari poteſt viva voce. Congreg. Epiſcop. 26. Novemb. 1602. V. Abſolutio, num. 36. 37.

*Confeſſarius, n. 17. 33. Euchariſtia num. 30. Legatus, num. 6. 8. Pœnitentiarius, n. 22. Reſtitutio incertorum.*

*Cathedraticum.*

1. TAxa Cathedratici eſt duorum ſolidorum juxta valorem locorum, & conſuetudinem. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg. 86. num. 43. 44.

2. Non poteſt Epiſcopus imponere novam taxam nomine Cathedratici. Congr. Epiſcop. 15. Junii 1619.

*V. Viſitatio Epiſcopi, num. 41.*

*Cenſura, &c.*

1. LIceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.

2. Negatur hæc facultas inferioribus Epiſcopo, licet habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem. Deciſum refert Garz. part. 7. c. 11. num. 13. & 17.

3. Item iis Epiſcopis, in quorum regione non eſt receptum Conc. Trident. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. alleg. 49. n. 3.

4. Conceditur Confeſſario Epiſcopi, ſi hic indigeat. Barb. ibid. num. 15.

5. Cui conceditur a Papa abſolutio a Caſibus Papalibus, licet non intelligatur concedere Caſus in Bulla Cœnæ, conceditur tamen facultas abſolvendi a Cenſuris reſervatis Epiſcopo, quas ipſemet ſibi reſervavit. Suar. de cenſ. diſp. 7. ſect. 5. num. 11. 14. & 15.

6. Poteſt Epiſcopus diſpenſare a ſimonia occulta, non tamen rehabilitare ad obtinenda Beneficia, ſeu retinenda. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. loc. cit. num. 44.

7. Forenſis poteſt diſpenſari in prædictis ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi commoratur, non autem a ſuo Epiſcopo abſente. Deciſum refert Garz. p. 1. c. 10. n. 139. in 3. declar.

8. In diſpenſationibus prædictis poteſt ille tantum Epiſco-

pus, qui habet Juriſdictionem Ordinariam in eum, cui concedenda eſt diſpenſatio. Deciſum refert Idem *ibid.*

9. Poteſt, etiam ſi ſit extra ſuam Diœceſim, diſpenſare in prædictis. Barboſ. *alleg.* 39. *n.* 7.

10. Occultum in his dicitur, quod non eſt notorium, licet ſciatur ab aliquibus. Barb. *ibid. n.* 21. 25.

11. In fine cauſæ non probatum, eſt occultum. Idem *ibid. num.* 32.

12. Cenſuræ non debent publicari eo apparatu, & forma, quibus Romæ Bulla Cœnæ. Congr. Epiſc. 2. *Maji* 1601.

13. Publicatæ ab Ordinariis, nedum a Sede Apoſtolica, mandante Epiſcopo, publicentur a Regularibus in eorum Eccleſiis, & ſerventur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regular.* *V. Abſolutio per totum. Excommunicatio per totum. Legatus num.* 7. *Regularium jura ſub Epiſc.*

*Cenſus.*

*Vide Contractus.*

## A D D I T I O.

1. Tollit omnem contrariam conſuetudinem, & poſſunt Epiſcopi cogere contumaces juris remediis. *Congreg. Rit. menſe Decemb.* 1630.

2. Non tollit immemorabiles, & laudabiles conſuetudines, ſed abuſus, *ead.* 19. *Jan.* 1604. 10. *Aprilis & 19. Junii* 1614. 17. *Septemb.* 1611. 28. *Jan.* 1612. *Apr.* 1615. 30. *Jan.* 1616.

3. Et procedit in omnibus locis Chriſtianitatis totius 17. *Julii* 1606.

*Ceſſatio a Divinis.*

1. NON eſt Cenſura. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 56.

2. Debet major pars Canonicorum convenire cum Epiſcopo, ſeu Vicario ad decernendam hanc pœnam, *DD. in capit. quamvis de Offic. Ordin.*

3. Judex intra menſem debet monere Papam, ad quem debet pars, ad cujus inſtantiam ponitur, proficiſci, alias eſt nulla. Tolet. *loc. cit.*

4. Eo tempore prohibetur Euchariſtia, niſi per modum Viatici detur. Henriquex *l. V. interdictum cap.* 52.

5. Item prohibetur etiam Sacerdotibus Extrema unctio. Idem *cap.* 53.

6. Item ſepultura Eccleſiaſtica. Tolet. & Henriq. *ibidem loco cit.*

7. Epiſcopus poteſt, durante ceſſatione hac celebrare in Eccleſia, ubi ea poſita eſt. Savr. *lib.* 2. *decenſ. c.* 19. *num.* 5.

8. Non tamen poteſt Ordines conferre, niſi deficiant Sacerdotes, qui neceſſaria Sacramenta miniſtrent. Idem *ib. n.* 11.

9. Ille, in cujus contumaciam ponitur, debet ſolvere damna, & diſtributiones Canonicorum, eleemoſynas pro Defunctis, *de off. ord. in* 6. *c. ſi Canonici*, ſi vero injuſte, ſolvat Judex. Tolet. *ſup.*

10. Non enim in hoc caſu poſſunt Canonici percipere diſtributiones quotidianas. Monet. *de diſtrib. p.* 2. *q.* 16. *n.* 36. *concl.* 2.

11. Poſſunt tamen celebrari divina Officia in iis Feſtis, in quibus tempore interdicti. Idem *ibid. n.* 46.

*Cingari.*

1. VIdeat Epiſcopus, an Schiſmaticorum mores præſeferant. Prov. 5.

2. Quadrageſimæ tempore quomodo vivant, *ibid.*

3. Si publice offendunt, ab Eccleſia tempore Divinorum Officiorum ejiciantur, *ibid.*

4. Qui filios ſuos Cingaris vendunt, eo ipſo Excommunicationis pœnam incurrunt. Prov. c. 7.

*Clericus.*

1. NEc cuiquam liceat Clericalem habitum ſumere, antequam prima Tonſura initietur, ſine licentia in ſcriptis. Prov. 3.

2. Clericalis habitus ab Epiſcopis in Clero procuretur congruus uſque ad privationem Officiorum, & Beneficiorum incluſive. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6.

3. Quicumque Clericus debet omnino geſtare veſtes talares, & Tonſuram, ſub pœna amiſſionis Beneficiorum, & Penſionum ipſo facto. Sixtus V. Anno 1589.

4. Exceptis iis, qui non percipiunt de bonis Eccleſiaſticis ultra ducatos 60. aureos de Camera, *ibid.*

5. Habitus Clericalis poteſt eſſe brevior iter agentibus, & ruri habitantibus. Congr. Epiſc. 18. *Octob.* 1589.

6. Clericus pauper non habens habitum congruentem, excuſatur. Deciſum refert Ugol. *de pot. Epiſc. c.* 12. *num.* 3. *verſ.* 5.

7. Color niger ſemper adhibeatur, niſi alium requirat dignitatis gradus. Prov. 1.

8. Neque ſerico veſtimento domi, neque foris utantur, *ib.*

9. Laneus adhibeatur. Reticulo, aut ſub birretto, ut vocant, ne utantur, niſi valetudinis gratia, & ſine redimiculis, *ibid.*

10. Camiſias ad collum criſpas, & rugoſas, vel artificio elaboratas, & ad manus, rejiciant, *ibid.*

11. Collare ſimplex, & modice latum honeſte reclinetur.

12. Externa veſtis ſimplex & talaris erit, *ibid.*

13. Turgidis caligis, & diſſectis abſtineant; calceos, & crepidas ad elegantiam ne induant, *ibid.*

14. Torques, armillas, ac monilia reſpuant, annulum ne geſtent, niſi propter honoris gradum, quibus eſt conceſſus, *ibidem.*

15. Unicus ille ſit, non magni pretii, & eum deponant Miſſam facturi. Prov. 4.

16. In morte propinquorum lugubres veſtes more Laicorum ne induant, *ibid.*

17. Penſionem habens neque incedens in habitu, amittit Privilegium fori, licet non ſit monitus. Deciſum refert Garz. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 79.

18. Non tamen privatur Privilegio Canonis. Deciſum refert idem ibidem.

19. Clericus deferens habitum, non tenetur reſtituere id, quod percepit ex immunitate Eccleſiaſtica. Congreg. Epiſc. 3. Auguſti 1592.

20. Clericus rediens e bello poteſt reſumere habitum Clericalem, dummodo bellum fuerit juſtum, neque ſit ideo irregularis. Congreg. eadem 12. Januarii 1598.

21. Tonſuram Clericalem geſtent ad eam formam, quam ratio cujuſque Ordinis arbitrio Epiſcopi poſtulabit, & conſpicua ſit omnibus abraſo capillo. Prov. 1.

22. Clericorum minorum Ordinum Tonſuræ forma in orbem deducta late pateat unciis duabus. Prov. 5.

23. Subdiaconalis aliquanto anguſtior Diaconali: hæc tribus unciis, Sacerdotalis quatuor, *ibid.*

24. Vel corona Sacerdotis ad menſuram majoris Hoſtiæ. Conc. Palentinum ſub Urbano Sexto.

25. Corona Clerici ad menſuram minoris Hoſtiæ. Concil. Tolet. 4.

26. Corona Diaconi, & Subdiaconi, formæ mediæ.

27. Ille excuſetur, qui ob infirmitatem non poteſt deferre Tonſuram. Deciſum refert *Ugol. de pot. Epiſc. c.* 12. *n.* 3. *verſ.* 3.

28. Comam, & Barbam ne ſtudioſe nutriant. Prov. 7.

29. Barba in ſuperiore labro ita recidatur, ut pili in Sacrificio Miſſæ Sacramenta ſumentem non impediant, *ibid.*

30. Reſtituantur functiones Ordinum ab Oſtiaratu ad Diaconatum in Eccleſiis, ut in ſuo quiſque munere deſerviat, aſſignatis Beneficiis ſimplicibus, vel aliis proventibus. Trident. *ſeſſ.* 23. *can.* 17.

31. Si deſint initiati minoribus Ordinibus, ſuffici poſſunt etiam conjugati, non bigami, qui Tonſuram, & habitum Clericalem in Eccleſia geſtent. Idem *ibid.*

32. Proprium ſuperpelliceum ſinguli habeant. Prov. 5.

33. Non ſordidum, non lacerum, neque nimium in humeris elaboratum. *ibid.*

34. Neque cum eo extra Eccleſiam eant niſi ob Proceſſiones, vel aliud Officium Eccleſiaſticum. Prov. 3.

35. Non poſſunt cogi Clerici, ut Cathedrali inſerviant diebus feſtis, ſi ibi non habent Beneficia, ſalva tamen conſuetudine. Congr. Epiſc. 6. *Septemb.* 1593.

36. Neque debent cogi ad ſervitium Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis, ſed aliis pœnis, eadem 7. *Decemb.* 1582.

37. Curent Epiſcopi, ut Clerici Parocho juvent in Feſtis, & item alii Sacerdotes. Prov. 3.

38. Ordinatus ad titulum Patrimonii, ſeu Penſionis, ſedem non mutet ſine licentia Ordinarii ſub pœna interdicti ab exercitio ſacrorum. Prov. 7.

39. Iis qui non tenentur ad Reſidentiam, debent concedi Dimiſſoriæ, ut alio ſe transferant. Congreg. Epiſc. 5. Junii 1584.

40. Poſſunt ire per Diœceſim ſine licentia, eadem *ibid.*

41. Qui diſceſſerit cum Epiſcopi licentia, cum redierit, infra menſem certiorem eum faciat de ſuo reditu ſub pœna illegitimæ abſentiæ. Prov. 6.

42. Nullus Clericus peregrinus ſine commendatitiis litteris Ordinarii ſui ad divina celebranda, & Sacramenta miniſtranda admittatur. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 16.

43. In ſacris conſtituti Teologiæ, vel ſacris Canonibus dent operam, in ſtudiis generalibus. Leo X. *Anno* 1513.

44. Qui non Sacerdos Miſſam celebrarit, aut adiuverit Confeſſionem Sacramentalem, tradatur Curiæ ſeculari puniendus. Clem. VIII. *Anno* 1601.

45. Item exercens Ordinem, quem non habet, eſt deponendus, vel perpetuo ſuſpendendus, numquam ulterius promovendus. Sylv. *Ordo* 5. *quæſt.* 8.

46. Niſi ex ludo id faciat, vel ſine ſolemnitate, veſtibus, &c. idem *ibid.*

47. Qui Clericali ſtatione diſceſſerit, interdicatur Ordinum ſuorum munere, & aliis pœnis puniatur. Prov. 4.

48. Canones innoventur de Clericorum vita, honeſtate, doctrina, luxu comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac qui-

Digitized by Google

quibuſcumque criminibus, & negotiis Sæcularibus ſub pœnis arbitrariis Epiſcoporum, Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1.

49. Liberum ſit Presbyteris confiteri, cui voluerint ex approbatis. Congreg. Epiſcop. 15. *Octobris* 1601.

50. Arma non deferant, niſi forte ob juſtam cauſam in itinere, de licentia Epiſcopi, & ſecreto. Prov. 1.

51. Nullo modo baliſtam, haſtas, ſclopetum, tela, & ejuſmodi, *ibid.*

52. Perſonati non incedant, choreas non ſpectent; a venatione abſtineant, *ibid.*

53. Comœdiis, haſtiludiis, & ſpectaculis inanibus ne interſint, *ibid.*

54. Prohibentur globi, qui malleis ligneis impelluntur, & ludus pilæ majoris, *ib. V. Excommunicatio num.* 37.

55. Valetudinis cauſa parvæ pilæ ludus conceditur, non tamen publice, nec intercedat pecunia, *ibid.*

56. Ne inter epulas canant, minuſve inter nuptiales, aut laicales, *ibid.*

57. Convivia vitent, & cauponas, niſi in itinere, *ibid.*

58. Ne Advocati, Procuratoriſve nomine cauſas agant, niſi Eccleſiæ ſuæ, propinquorum, & miſerabilium perſonarum, concedente Epiſcopo, *ib.*

59. Ne in prophanis negotiis officium tabellionatus exerceant, *ibid.*

60. Ne autem medendi faciant, *ib.*

61. Ne aliena prædia, lucri cauſa, conducant, *ibid.*

62. Ne tutelam aliorum ſuſcipiant, *ibid.*

63. Neque a ſuis ſint instituti Tutores. Congreg. Epiſc. 14. *Junii* 1619.

64. Ne pro aliis fidejubeant. Prov. 1.

65. Ne alicujus Principis, aut alterius negotiorum ſint Procuratores, ſine licentia Epiſcopi, quotannis renovanda, *ib.*

66. Ne ſint in famulatu laicorum etiam Principum, in obſequiis Clericali munere indignis, ſine facultate in ſcriptis data, *ib.*

67. Ne ſint præcurſores, aut aſſeclæ fœminarum, nec eis diſcumbentibus aſſiſtant, ancillenturve, *ibid.*

68. Ne doceant mulieres, etiam illuſtres, legere, ſcribere, canere, aut ſonare, niſi ob ætatem, & mores approbarit Epiſcopus. Prov. 2.

69. Ne nocte poſt primam horam ſine juſta cauſa, & tunc cum lumine, de domo exeant. Prov. 2.

70. Ne habitent cum eis fœminæ quocumque vinculo cognationis, aut affinitatis conjunctæ, ſine conſenſu Epiſcopi, *ib.*

71. Ne locent ædes, nec ex parte, in quibus ipſi habitare ſolent, aut debent laicis perſonis, niſi Eccleſia prematur magna inopia, & ea domus judicio Epiſcopi, dividi poſſit, *ib.*

72. In iis, ſi concedatur locatio, prohibetur tamen ob nuptias, ſaltatio, comœdia, ſpectaculum. Prov. 1.

73. Neque tolerentur ibidem imagines indecoræ. Prov. 3.

74. In cauſis, ubi opus eſt, jurent Sacerdotes manu pectori admota; præſente tamen Superiore, tactis Scripturis. Prov. 5.

75. In cauſis civilibus in foro ſæculari examinari poſſunt, ſed juramentum prius præſtetur in Tribunali Epiſcopi. Congreg. Epiſc. 14. Aprilis 1615.

76. Poſſunt civiliter denunciare, aut querelare in officio damni dati, occaſione damnorum datorum in ſuis prædiis; juramentum tamen detur in foro Eccleſiæ, eadem *ib.*

77. Non debet ſe ſubdere examini coram Judice laico, ubi timetur, poſſe indirecte oriri criminalitatem, eadem 19. Julii 1619.

78. Clerici poſt delicta patrata confugientes ad Eccleſias gaudent beneficio immunitatis extra cauſam Bullæ Greg. XIV. ead. 24. Januarii 1617.

79. Neque poſſunt inde extrahi, præterquam in caſibus degradatione dignis; ſi fiat ſecus, reſtituantur, eamdem 17. Auguſti 1618.

80. Declaratio validitatis Clericatus ad Superiorem Epiſcopi, non ad inferiorem ſpectat, eadem 17. Novemb. 1617.

81. Non tenentur Clerici ad ſolutionem onerum impoſitorum pro Phyſico, Chirurgo, & Ludimagiſtro, eadem 2. Aug. 1619.

82. Clerici cultores agrorum ſuorum, ſeu conductores agrorum Eccleſiaſticorum, non debent moleſtari titulo negotiationis illicitæ, ead. 19. Jan. 1593.

83. Clericorum numerus ne ſit major, quam poſtulet Eccleſiæ ſervitium, in præjudicium pauperum Lucorum. Cong. Epiſc. 20. Julii 1592.

84. Clerici conjugati gaudent privilegio fori, etiam in civilibus præſertim in Regno Neapol. in quo adeſt conſuetudo, *teſte Borello. Doct. Regnicola in add. ad Cell. in Spec. Princ. Rub.* 11. §. *Videamus ad* 1. *verbo Conjugati*, & ita cenſuit S. Congr. ſuper controver. juriſdict. 27. Febr. 1630.

85. Iidem non incedentes in habitu, nec inſervientes divinis, non gaudent privilegio fori. Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 6.

86. Diaconi Selvatici in Regno Neapolitano ad ſummum quatuor poſſunt dari Cathedralibus, ſeu Eccleſiis Superioribus. Congregat. ſuper negotia Regni 10. Kalen. Julii 1623.

87. Collegiatis, & Parochialibus duo: aliis Eccleſiis, in quibus divina celebrantur, ſi Epiſcopo videbitur, unus, *ib.*

88. Qui gratis, & per ſe ipſos ſerviunt non criminoſi neque malæ famæ, *ibid.*

89. Hi non gaudent privilegio Canonis, fori autem in criminalibus omnino, & in civilibus quoad corporis diſtrictionem tantum; & immunitate ab oneribus perſonalibus, non ab aliis, durante ſervitio, gaudent, *ibid.*

90. Sine præjudicio majoris Privilegii, & immunitatis legitimæ, ſi alicubi habent, *ibid.*

91. Ordinarii in præmiſſis ſint judices, præterquam ſi agatur de majori Privilegio dubio; Papæ enim reſervatur, *ibid.*

92. Cum Clericis in jure aliquid præcipitur, aut prohibetur, intelligitur de iis, qui ſunt in ſacris, aut Beneficiati.

Sù *V. Clericus num.* 2.

*V. Fori Privilegium num.* 2. *& ſeqq. Hebræi n.* 45. *Juramentum n.* 45. *Monialium collocutio cum exteris. n.* 5. 6. *Sepultura. n.* 1. 2. *Spolia Clericorum, n.* 12. *Subſidium*.

*Charitativum n.* 13. *Theologalis Præbenda, n.* 15. 16. *Torneamentum, n.* 3. 6. *Tutela n.* 1. *Uſura, n.* 10.

## ADDITIO.

1. Prohibetur procurare, & advocare, ſeu patrocinari apud judicem ſæcularem. *DD. cum Barboſa de jure Eccleſ. l.* 1. *c.* 40. *n.* 83.

2. Advocare poteſt in cauſa propria, ſeu Eccleſiæ ſuæ, ſeu perſonarum miſerabilium. *DD. ibid. num.* 86.

3. Item in cauſa conjunctorum, ſi alium, & idoneum habere non poſſit. *ib. n.* 87. & conjunctorum etiam conjunctione ſpirituali, ut ſunt Concanonici, *ib.*

4. Item in cauſis vertentibus in Curia Romana, ubi de conſuetudine receptum eſt, ut etiam alieno nomine Clericus litiget. *ib. n.* 88.

5. Item in uno tantum negotio poterit advocare, & eo finito aliud aſſumere. *ib. Sextus.*

6. Item poteſt domi ſuæ conſilium in ſcriptis dare. *ibid. num.* 89.

7. Item ſi in minoribus eſt, nec habet ſtipendia Eccleſiaſtica, poteſt advocare: immo, & qui in ſacris, ſi non habet unde vivat, *ib. num.* 90. 91.

8. Notariatus, ſeu tabellionatus officium non poteſt exercere, præſertim in ſæcularibus negotiis, *ib. num.* 92.

9. Secus in ſpiritualibus, *ib. num.* 101.

10. Non poteſt, ſi in ſacris eſt, aut beneficium habet *ibidem num.* 93.

11. Secus, ſi in minoribus *num.* 98.

12. Et niſi in cauſa hæreſis, ſeu in Curia Eccleſiaſtica, *num.* 94. 97.

13. Et niſi contraria ſit conſuetudo exercendi Notariatus a Clericis, *ib. num.* 102.

14. Poteſt eſſe teſtis in Contractibus, & Teſtamentis, *n.* 107.

15. Tempore peſtis poteſt eſſe coram Judice ſæculari ſine licentia Epiſcopi, *ib.*

16. Poteſt vendere vinum ſuum, etiam minutim, cum advertentiis ab Epiſcopo præſcribendis, *Congregat. Epiſcoporum.* 5. *Maji* 1593.

17. Item vendere, & emere animalia neceſſaria ad cultum bonorum ſuorum quorumcumque, *ead.* 13. *Novembris* 1616.

18. Privilegio Canonis gaudet Clericus conjugatus cum unica, & virgine, incedens in habitu, & tonſura. *DD. com mun.*

19. Item uxor ejus, ſi manus injectio fiat ei in odium viri. *Carol. de Craſſ. de off. Cler. eff. num.* 115. *cum DD. ibi citatis.*

20. Item Clericus degradatus verbaliter tantum. *Barboſa cum aliis, de jure Eccleſ. l.* 1. *cap.* 39. §. 1. *num.* 6.

21. Non gaudet Clericus hæreticus, bigamus, immiſcens ſe enormitatibus, hoc eſt, faciens ſeditionem, prælia, aggreſſiones in populo. *Idem ib. n.* 8. 9. 11.

22. Neque Clericus minorum Ordinum dimiſſo habitu, & tonſura, negotiis ſæcularibus ſe immiſcens poſt trinam Epiſcopi monitionem. *Idem ib. n.* 11.

23. Neque is, qui per annum exercet artem ignominioſam, mimi, hiſtrionis &c. poſt trinam Epiſcopi monitionem, *ibid.* 13.

24. Neque, qui publice exercet Officium lanionis, aut cauponis, ſi conjugatus ſit, vel habitum dimiſit, poſt trinam Epiſcopi monitionem, *ibid. num.* 14.

25. Neque famuli, & filii Clericorum, etiam in caſibus, in quibus gaudent Privilegio fori. Idem *ibid. num.* 15.

26. Licet prohibeantur Clerici tutores eſſe; poſſunt tamen ſuſcipere tutelam proximorum conſanguineorum. *DD. cum Barboſ. de jur. Eccl. l.* 1. *c.* 39. §. 5. *num.* 73.

27. Et eo caſu poſſunt negotiari res pupilli, non tamen cauſa turpis lucri, *Congr. Concil. c.* 23. *Novemb.* 1619.

28. Tutelam honorariam quoque poſſunt ſuſcipere. *Gutier. in tract. de tutel. p.* 1. *c.* 1. *num.* 3. quæ excludit negotia ſæcularia.

29. Vide 7. Deciſiones. *Congreg. Conc. apud Barb. de jure Eccl. l.* 1. *c.* 40. *n.* 127. circa legitimam Clericorum negotiationem, *cum aliis ſex Deciſionibus ejuſdem S. Congr.*

30. Cap. Odoardus Privilegio non gaudet Clericus excommunicatus. *DD. cum Barboſ. loco citat. l.* 1. *c.* 39. §. 6. *num.* 18.

31. Ne-

31. Neque is, qui falſo aſſerit, ſe idoneas habere facultates, *ibid. n.* 19.

32. Neque dolo verſatus cum creditore, *n.* 20.

33. Neque Laicus, effectus Clericus, poſt debita contracta in fraudem, *n.* 21.

34. Neque Clericus exercens illicitam negotiationem, *n.* 22.

35. Neque qui debita contraxit ſpe hujus Privilegii, *n.* 23.

36. Neque qui ludo, vel luxurioſe bona conſumpſit, *n.* 24.

37. Neque condemnatus per tres ſententias conformes, *n.* 25. ubi alii hoc negant.

38. Neque obligatus in forma Cameræ, *n.* 29. ubi tamen alii oppoſitum docent.

39. Neque obligatus ad Penſionem ſolvendam. *n.* 27. ubi alii contra ſentiunt.

40. Neque conventus actione reali, *n.* 28.

41. Neque pro debito ex delicto, *n.* 29.

42. Neque debitor pauperioris, *n.* 30.

43. Neque debitor ratione depoſiti apud ſe facti, *n.* 31.

44. Neque hæres non confecto inventario, *n.* 32.

45. Neque qui adminiſtravit aliena bona, *n.* 33.

46. Neque perjurus, vel ſuſpectus de fuga, *n.* 34.

47. Neque qui negavit debitum, *n.* 35.

48. Neque Laicus fidejuſſor Clerici gaudet hoc Privilegio, *n.* 36.

49. Clericus fidejuſſor laici gaudeat, *n.* 37.

### *Clericus Concubinarius.*

1. CLericus concubinam, aut mulierem ſuſpectam in domo, vel extra detinere, aut cum ea conſuetudinem ullam habere non audeat. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 14.

2. Si monitus non abſtineat, tertia parte fructuum quorumcumque Beneficiorum, & Penſionum, ipſo facto ſit privatus, fabricæ Eccleſiæ, aut pio loco arbitrio Epiſcopi applicanda, *ibid.*

3. Si perſeveret poſt ſecundam monitionem, privetur omnibus fructibus, applicandis, ut ſupra, & adminiſtratione Beneficiorum arbitrio Ordinarii, *ibid.*

4. Si nihilominus eam non expellat; tunc Beneficiis, Officiis, Penſionibus perpetuo privetur, inhabilis efficiatur ad honores, Beneficia, & Officia, judicio Superiorum, *ibid.*

5. Si dimiſſam reperet, aut aliam ſibi adjungat, excommunicetur, *ibid.*

6. Et hæc cognitio cauſæ ad ipſos Epiſcopos ſpectet, qui ſine figura judicii procedere poſſint, *ibid.*

7. Clericis vero non habentibus Beneficia, imponatur pœna carceris, ſuſpenſionis ab Ordine, inhabilitatis ad Beneficia, & aliæ pœnæ juxta Canones, *ibid.*

8. Quæ de concubinatu, vel aliis impudicitiis Clericorum ſtatuta ſunt, ſervanda erunt, etiam ſi quis modo cum una, modo cum alia muliere impudica deliquiſſe comprehendatur. Prov. 6.

Non licet Epiſcopo bis diſpenſare cum Clerico ſuper crimine publico concubinatus. Ricc. *in praxi reſolut.* 396. *V. Sodomia, num.* 1. 2.

## A D D I T I O.

1. Eſt ipſo jure antiquo ſuſpenſus, quod innovatum eſt a *Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 14. & deciſum refert *Philibertus noſter Marchinus de ord. p.* 5. *c.* 13. *n.* 15.

2. Poteſt Epiſcopus abſolvere ab hac ſuſpenſione, non tamen poſt actum Ordinis diſpenſare poteſt ab irregularitate. *Idem ibid. n.* 19.

3. Concubina Clerici poteſt puniri ab Epiſcopo, ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 8. *de refor. matr.*

### *Cleri Conventus.*

1. PRocuratores Cleri ad omnia, quæ accidere poſſunt, ne fiant neque in Synodo: ſed tantum ad particularia negotia. Congr. Epiſc. 21. *Martii* 1589.

2. Curati Regulares tenentur intereſſe cum aliis Curatis Congregationi caſuum conſcientiæ, ead. 13. *Octobr.* 1592.

3. Confeſſarii ſæculares poſſunt cogi, ut interſint lectioni de caſibus conſcientiæ, eadem 9. Auguſti 1594.

4. Preſbyteri non curati non poſſunt cogi ad Congregationem caſuum conſcientiæ, ead. 16. Januarii 1601.

5. Singulis menſibus in Diœceſi modo in unam, modo in aliam Eccleſiam parochialem, Vicariorum foraneorum cura, Clerus cogatur: idque in orbem fiat. Prov. 2.

6. Non in Decembri, neque Januario, pro locorum, & temporum ratione. Prov. 4.

7. Tam in Urbe, quam in Diœceſi pro Conventu Cleri menſtruo edantur certæ regulæ, *ibid.*

8. Miſſam ſinguli celebrent: Miſſam Conventualem pro Defunctis, vel de Spiritu Sancto ſolemniter canteut, concinque ab uno ex iis habeatur. Prov. 1.

9. Fiat Proceſſio circa Cœmeterium, *ibid.*

10. In domo Parochi uno ferculo contenti cibum capiant, *ib.*

11. Aliquid legatur de caſibus conſcientiæ, ſeu Decretis utilioribus, ſeu agatur de communibus Cleri defectibus, *ibidem.*

12. Ne tamen fiant hi Conventus in die Feſto, neque in Feſto loci, ubi habendus eſt Conventus. Prov. 2.

13. Die Dominico, antecedente Conventum, moneatur populus, ut interſit, *ibid.*

14. Quæ vero quæſtionum explicationes habitæ erunt in iiſdem Conventibus, & ſi quæ minus explicatæ fuerint, eæ omnes ad Epiſcopum conſignatæ litteris Vicarii foranei mittantur, cujus judicio illæ approbatæ in codicem referantur, cuſtodiendum a Vicario Foraneo, *ibid.*

15. In feſtis locorum ne accedat Parochus ad alienam Eccleſiam, Miſſam facturus, ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis. Prov. 4.

16. Quæ licentia denda eſt iis tantum, qui omnibus conſideratis, neceſſarii videntur ad celebritatem, *ibid.*

17. Quatuor, aut ſex ad ſummum, niſi aliquando plures, adhibendi ſint ex legato, vel alia de cauſa, *ibid.*

18. Si alii Sacerdotes convenire poſſunt, ne accedant Parochi, & de his non ii, qui majorem populum habent, *ib.*

19. Abeunte Parocho ſubſtituatur alius Sacerdos approbatus ad Miſſam, & functiones Parochiales, *ibid.*

20. Vel præcedente Feſto die, moneat populum de abſentia, ob Feſtum alibi celebrandum, *ibid.*

21. Exteri Sacerdotes non admittantur, neque in Choro, neque in menſa, neque in eleemoſynis diſtribuendis, *ibid.*

22. Eligantur probati viri, a quibus Clerici inferioris Ordinis ſæpe convocati, vitæ Eccleſiaſticæ moribus inſtruantur. Prov. 2.

23. Eoſdem ſemel, & iterum, quotannis recognoſcat Epiſcopus coram ſe, ut progreſſiones eorum intelligat. *ibid.*

24. Singulis menſibus, vel alio ſtabilito tempore, teſtimonium ferant de Sacram. uſu, functionibus, & ſtudiis, & ſimilibus ad præſcriptam certam rationem, Prov. 4.

### *Coadjutor Epiſcopi, & aliorum.*

1. COadjutori Epiſcopi cum futura ſucceſſione non licet ingredi civitatem Pontificaliter. Congr. Rit. 31. *Jan.* 1591. apud Quar. in *Addit. V. Archiep. auct.* 17.

2. Neque debet uti Cruci prælata ante ſe Coadjutor Archiepiſcopi, ead. *ibid.*

3. Poteſt uti cappa exercens Pontificalia in Eccleſia, abſente Epiſcopo; eo autem præſente, uti debet mantelletto, & rocchetto, non mozzetta, etiam eo abſente, ead. *ibid.*

4. Non debet ſedere in Sede Epiſcopali, ead. *ibid.*

5. Coadjutori Epiſcopi debetur primum ſtallum in Choro, ſive ſedes cameralis, ead. 14. *Jan.* 1623.

6. Non ſedet Celebrans, niſi in faldiſtorio, neque habet Diaconos Aſſiſtentes, neque Canonici parantur, neque ponitur ſeptimum candelabrum, ead. 1. *Sept.* 1607.

7. Compellendi ſunt Canonici, ut Coadjutori Epiſcopi ſolemniter celebranti, & Pontificalia exercenti, aſſiſtant ſemper, eadem *apud Quar. ſupra.*

8. Idem Celebrans, præter Diaconum, & Subdiaconum debet habere Aſſiſtentem Canonicum pro libro, ead. 7. *Auguſti* 1627.

9. Non utitur baculo niſi in Ordinationibus, eadem 1. *Septemb.* 1607.

10. Non debent Canonici accedere ad circulos ante eum, ead. *apud Quar. ſupra.*

11. Decet, ut Coadjutor Epiſcopi confeſſionem faciat cum Canonico Celebrante, & ut in fine Miſſæ benedicat populo, ead. *ibid.*

12. Poteſt, de licentia tamen Epiſcopi, benedicere populo, dum per civitatem incedit, ead. *ibid.*

13. Decet maxime, ut Canonici prodeant obviam illi ad Eccleſiam Pontificaliter accedenti ad oſtium Eccleſiæ, eumque diſcedentem ad idem oſtium deducere, immo eſſet commendandum, ſi nonnulli Canonici ad ejus ædes accederent, ead. *ibid.*

14. Non poteſt largiri Indulgentias, niſi nomine Epiſcopi, ſi eas conceſſerit, ead. *ibid.*

15. Coadjutores cum futura ſucceſſione a Papa tantum deputari poſſunt. Fr. Leo *for. parte* 2. *cap.* 4. *n.* 77.

16. Debet dari Coadjutor Beneficiato minus idoneo. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 6.

17. A ſolo Epiſcopo datur. Doct. apud Bar. *all.* 63. *n.* 7. & datur Archidiacono, ſi eget. *Monet. de diſtribut. p.* 2. *q.* 1. *num.* 24. non autem poteſt Epiſcopus dare alii Dignitati, ſeu Canonico, idem *ibid. num* 26. quamquam hodie ceſſare videtur antiqua cauſa in Archidiacono, *n.* 28.

18. Poteſt dari ad tempus ob ſenium, vel morbum coadjuti. Garz. *p.* 5. *n.* 5.

19. Certa portio reddituum aſſignanda eſt Coadjutori. Azor. *part.* 2. *l.* 8. *c.* 4. *quæſt.* 1.

20. Si redditus non ſufficiunt prius provideatur infirmo Rectori. Ricc. *in Praxi reſol.* 44. *n.* 11. prius Coadjutori. Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *quæſt.* 9.

21. Coadjutor Archidiaconi eo abſente habet in Eccleſia ejuſdem prærogativas. Congreg. Rit. 28. *Auguſti* 1628.

22. Co-

22. Coadjutor Dignitatis ſedet in locn ſupra Canonicos. Garz. *par. 4. c. 5. n. 65.*

23. Coadjutor Canonici poſt omnes Canonicos ſedet. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 5. §. 9. n.* 101.

24. Coadjutor Canonici Præbendæ Presbyteralis ſedet ante Canonicos Diaconales. Leo *in Theſ. for. par. 2. c. 4. n.57. 58.*

25. Regulariter Coadjutor poteſt omnia quæ Coadjutus, *ib. num. 64.*

26. Habet vocem activam & paſſivam in Capitulo, prout alii Canonici. Rot. *in Salamantina Coadjutoriæ 5. Julii* 1594. *coram Pena.*

27. Coadjutor infirmus, vel legitime impeditus lucratur diſtributiones, non Coadjutus infirmus. Leo *ubi ſupra n. 65.*

28. Coadjuto excommunicato Coadjutor lucratur diſtributiones, niſi inſerviat pro ipſo Coadjuto ad ejusdem lucrum, idem *ib. n. 67.*

29. Forma Coadjutoriæ ſemper eſt conſideranda, idem *ib. num. 64.*

*V. Fidei Profeſſio, n. 8. Fori Privilegium, n. 14. Parochorum munera, n. 40. Viſit. circa Canonicos exemptos, n. 6.*

## A D D I T I O.

1. Non debet accendi ſeptimum candelabrum in Miſſa Pontificali Coadjutoris Epiſcopi. *Congregatio Rituum 5. Septembris* 1607.

2. Rectori leproſo dandus eſt Coadjutor. *DD. cum Barboſa de jure Eccl. l. 3. c. 10. n. 9.*

3. Item paralitico, *ib. n.* 10.

4. Et dementi, *ib. n.* 11.

5. Illiterato quoque, & imperito, *ibid. n.* 12.

6. Et propter auctam populi numeroſitatem, *n.* 17.

7. Item ſuſpecto de bonorum Eccleſiæ dilapidatione, *ib. n.* 20.

8. Coadjutoria, nulla facta mentione de obtentis beneficiis, quæ habent, vitiatur, & eſt nulla, Garz. p. 2. c. 5. in addit. ſub n. 130. dub. 38.

9. Ad titulum Coadjutoriæ nemo poteſt ordinari, niſi ratione illius habeat congruam ſubſtentationem, quaſi titulo Penſionis. Garz. *par. 2. c. 5. a n. 132. Monet. de opt. Canon. cap. 4. q. 8. n.* 169.

10. Coadjutor in Dignitate præcedit omnes Canonicos abſente Coadjutore. *Cong. Rit. 22. Octobris* 1619.

11. Et facit omnes functiones abſentis in ſtallo ejusdem, *ead. 12. Octobris* 1619. & 29. *Maji* 1621.

12. Coadjutor Canonici ſedet ultimus poſt Canonicos, vivente Coadjuto, *ead. 16. Septembris* 1605. 3. *Decembr.* 1616, 18. *Auguſti* 1618. 10. *Decembris* 1619.

13. Non obſtante quocumque ſtatuto, *ead.* 10. *Dec.* 1619.

14. Si non eſt in ſacris poteſt omnia facere, quæ ſine paramentis ſacris cum habitu Canonicali facere poſſet Coadjutus, *ead. 19. Decemb.* 1615.

15. Et ei tenentur Canonici inſervire in omnibus functionibus Coadjuti, *ead. 19. Jan.* 1609.

16. Non tenetur ad onera Canonicorum juniorum, poſt quos ſedet, *ead. 16. Septemb.* 1606. & 15. *Aprilis* 1606.

17. Non ſibi optat, ſed Coadjuto, *ead. 16. Septemb.* 1606.

18. Gaudet Coadjutor regula de annali, & triennali poſſeſſore, *ead. ibid.*

19. Poſſunt adeſſe Coadjutus in ſuo ſtallo, & Coadjutor in ultimo ſtallo, in Miſſis ſolemnibus & Proceſſionibus, *Bar. de Can. c. 29. n.* 54.

20. Coadjutor non intelligitur comprehenſus in ſtatuto, quod ex aliqua cauſa jubilare facit Canonicos. *Congreg. Rit. 15. Aprilis* 1606. *quicquid dicat* Garz. *p. 4. c. 5. n.* 89.

21. Excommunicato Coadjuto, ſeu juſte carcerato, Coadjutor nihil illi lucratur. *Congreg. Concil. 15. Decemb.* 1618, *Bar. de Can. c. 29. n.* 17.

22. Neque poteſt lucrari Coadjuto non ordinato de more, licet ipſe Coadjutor ſit ordinatus. *Congregatio Rituum 1. Decembris* 1629.

23. Coadjutus numquam obligatus ad intereſſendum, ſi Coadjutor legitime impeditus non interſit, lucratur tamen diſtributiones. *Congregatio Concilii 9. Novembris* 1630. *Barboſa cap. 29. num.* 45.

24. Non gaudet privilegiis, & indultis de percipiendis fructibus in abſentia, puta ratione ſtudii aut lecturæ in univerſitate. Garz. *par. 4. cap. 5. in addit. poſt n. 130. dub.* 30.

25. Non poteſt exercere officia, ad quæ Coadjutus eſt electus. Garz. *par. 2. cap. 5. addit. ſub num.* 88.

26. Ægrotans Coadjutor, aut legitime impeditus habetur pro præſente, ſi actu ſerviebat, *Idem ibid. num.* 70. 71.

27. In Capitulo, ubi agitur de Coadjuto poteſt adeſſe Coadjutor; & e contra Coadjutus, ubi agitur de Coadjutore, niſi agatur de ipſa Coadjutoria, Garz. *par. 4. cap. 5. num.* 103.

28. Extra Eccleſiam Cathedralem in abſentia Coadjuti, tamquam verus, & proprius Canonicus eſt cenſendus quoad præeminentias veris Canonicis convenientes. *Congregatio Rit. 15. Martii* 1608.

29. Poſt mortem Coadjuti debet Coadjutor capere poſſeſſionem, *ead. 21. Mart.* 1609. 30. *Jan. & 3. Jun.* 1616. 7. *Aug.* 1627.

30. Et tunc tantum tenetur ad fidei profeſſionem. *Barboſa loco cit. cap. 29. num.* 14.

31. Aſſignaturque illi ultima ſedes poſt omnes Canonicos: deciſum referunt *DD. apud Barb. de Canon. cap. 29. n.* 22.

### *Comites Palatini.*

*V. Exempti.*

### *Commutatio ultimarum voluntatum.*

1. EX juſta, & neceſſaria cauſa debet fieri ultimarum voluntatum commutatio: & ab Epiſcopis ſummarie cognoſcatur antequam executioni demandetur. Trident. *ſeſſion. 22. c. 6.*

2. Juſtas cauſas ſex affert Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 83. *a num. 7. & ſeqq.*

3. Non poteſt Epiſcopus commutare Defunctorum voluntatem. Barboſa *ibid. n. 2. & 3.*

4. Poteſt autem concurrente juſta, & rationabili cauſa legatum pium ad certum uſum relictum commutare in alium pium; quamvis tale legatum poſſit adimpleri. Syl. *legatum 4. q.* 12. Barb. *ſup. n.* 5.

5. An conſenſus hæredis requiratur, affirmat Abb. Negat Felin. apud Barb. *ibid.*

6. An etiam conſenſus Eccleſiæ, cui legatur, affirmat P. de Ubald. Negat Bartolus apud eumdem, *num. 6.*

7. Item poteſt, quando legatum eſt circa pium opus incertum. Monet. *de commut. ult. volunt. cap. 5. q. 11. n.* 341.

8. Item quando non ſufficit ad opus certum a Teſtatore deſignatum, idem *ib. n.* 330.

9. Item pro una vice, vel ad tempus, idem *ib. n.* 332.

10. Item poteſt concedere modicam dilationem, idem *ib. num.* 391.

11. Relictum factum pauperibus poteſt convertere in fabricam. Gennenſ. *Man. Paſt. cap. 73. n.* 5.

12. Relictum pro fabrica convertere in picturam, idem *ib. num. 6.*

13. Item poteſt exequi Teſtatoris voluntatem in alio loco, & alio modo, data negligentia illius Eccleſiæ, in cujus favorem Teſtator ordinavit. Monet. *ſup. n.* 335.

14. Item ſi urgeat neceſſitas commutandi, neque adiri poteſt Papa, idem *ib.* 348.

15. Licet pateat aditus ad Legatum, ſeu Nuncium, qui tamen careat facultate commutandi, *ib.* 352. 362.

16. Poteſt item, ſi pia voluntas non poteſt de facto impleri, & de conſenſu hæredis mutari, ut aliquo modo impleatur, idem *ib.* 322.

17. Immo, ſi non eſt omnino impoſſibile, ſeu valde difficile, *ib.* 334.

18. Etiamſi ex impoſſibilitate juris deficiat executio, *ib.* 339.

19. Dummodo Teſtator probabiliter ignoraverit impoſſibilitatem executionis, *ib.* 343.

20. Et niſi impedimentum ſit temporale, *ib.* 347.

21. Ex omiſſione Miſſarum, ſeu Officiorum non celebratorum, pecuniam quæ ſupereſt, poteſt Epiſcopus convertere in alium pium uſum ejusdem Eccleſiæ, *ib.* 469.

22. Non autem poteſt Epiſcopus commutare, quæ pertinent ad ſuam Cathedralem, menſamve, aut Capituli ſui, *ibid* 378.

23. Neque in iis, quæ ſpectant ad ſubditos inferioribus Prælatis, niſi ex horum negligentia, *ib.* 380.

24. Relictum pro ſubſtentatione pauperum, in redemptionem captivorum non poteſt mutare. *Genuenſis loco cit. n.* 8.

25. Relictum pro maritandis puellis non poteſt converti in uſum nondum nubilium, idem *ib. n.* 14.

26. Item ad certum uſum Eccleſiæ, nempe pro pilaſtris, non poteſt in alios uſus ejusdem Eccleſiæ, ſine cauſa, niſi aliquid ſuperſit, idem *ibid. num.* 16.

27. Cauſæ denique commutationis ſunt neceſſitas, & evidens utilitas. Monet. *ſupra cap. 6. quæſt. 2. num.* 81.

*V. Legatum num, 5.*

### *Conceptio B. Virginis.*

1. QUi dicunt, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos eos, qui defendunt Conceptionem cum peccato originali, vel econtra affirmant, peccare eos, qui colunt Feſtum Conceptionis, ſunt excommunicati, Sixtus IV. Pius V. Trident. *ſeſſ.* 5. & Paulus V. 31. *Auguſti* 1617. *

2. In publicis concionibus, lectionibus, & aliis actibus nemo audeat aſſerere Conceptionem cum peccato, & aſſerens contrarium non impugnet aliam opinionem; neque agatur de ea aliquo modo, ſub cenſuris, & pœnis prædictarum Conſtitutionum. Pius V. *ibid.*

3. Datur facultas Epiſcopis, & Inquiſitoribus contra tranſgreſſores, etiam Regulares, *ibid.*

4. Neque in colloquis privatis, ſeu ſcriptis audeat quis aſſerere Conceptionem cum peccato; neque de hac opinione affirmativa agere ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. Gregor. XV. 24. Maji 1622. * Dominicani tamen poſſunt inter ſe dumtaxat, non inter alios, neque cum aliis de materia ejus-

dem

dem Conceptionis differere: neque ſuper hoc moleſtari debent, idem 28. Julii 1622.

5. In Officio Feſti Conceptionis ejuſdem non aliud nomen, quam Conceptionis adhibeatur, ſub pœnis prædictis, idem *ſup.*

6. Cum facultate, ut ſupra, Ordinariis, & Inquiſitoribus contra quoſcumque, *ibid. V. Regul. jura ſunt Epiſcopis, n. 64.*

### *Concilium Provinciale.*

1. CElebretur quolibet triennio a Metropolitano, ſeu eo impedito, ab antiquiore Epiſcopo. Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 2.

2. Non ergo ab exempto Epiſcopo cogi poteſt, antiquiore ſuffraganeo. Deciſum refertur *in praxi Epiſcop. V. Conc. ad* 7.

3. Epiſcopi omnes, & alii, qui de jure, vel conſuetudine, tenentur convenire. Trident. *ſupra.*

4. Debent vocari, ita quod non vocatus non tenetur ire, niſi indictum fuiſſet frequens Concilium in præcedenti. Quar. *V. Concil. Prov. num.* 3.

5. Qui nulli Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Archiepiſcopum ſemel eligant, in cujus Synodo interſint. Concil. Trid. *ſupra.*

6. Hæc electio mutari non poteſt. Deciſum refert Quar. *loco cit. num.* 2.

7. Abbates habentes populum, & membra non exempta, a quibus appellatur ad Archiepiſcopum, tenentur accedere. Quar. *in Addit. ubi ſupra, num.* 2.

8. Abbates item habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & cogentes Synodum tenentur, *ib. V. Abbas, n.* 46.

9. Commendatarii quoque Epiſcopalem juriſdictionem habentes, *ibid.*

10. Capitula Cathedralium vocari debent, idem *ibid.*

11. Et eo magis, ſi vacat Sedes, *ibid. in add.*

12. Capitula habentia quaſi Epiſcopalem juriſdictionem ſunt vocanda. Deciſum refertur *ibid.*

13. De neceſſitate vocandi ſunt Epiſcopi, non alii. Quar. *ib.*

14. Hoc eſt, Ordinarii, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentes, *in add. ibid.*

15. Item electi, & poſſeſſionem adepti licet non ſint conſecrati Epiſcopi.

16. Sufficit vocatio per edictum, *ibid.*

17. Quamdiu Concilium non erit abſolutum, moram purgare poteſt Epiſcopus, *ib. n.* 4.

18. Non venientibus aliis, devolvitur auctoritas ad præſentes, *ibid. n.* 5.

19. Gravis neceſſitas excuſat abſentem, *ibid. num.* 6.

20. Qui ſubeſt duobus Metropolitanis, ſi eodem tempore ab iis vocetur, mittat ad alterum litteras cum Procuratore, *ib.*

21. Poſſunt compelli, ut veniant, *ibid. num.* 7.

22. Sub pœna ſuſpenſionis a communibus negotiis cum aliis Epiſcopis: & poſt trinam monitionem excommunicationis, *ibid.*

23. Poteſt Epiſcopus pro dicto acceſſu petere ſubſidium ab Eccleſiis, ſi pauper eſt, *ib. n.* 8.

24. Archiepiſcopus non poteſt petere aliquid a Prælatis ſub pœna quadrupli, *ibid.*

25. Litteræ Paſtorales Archiepiſcopi ab Epiſcopis promulgentur de Concilio celebrando. Prov. 6.

26. In die Epiphaniæ in omnibus Cathedralibus inter dies feſtos illud evulgetur. Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *c.* 31.

27. Item per unum ſaltem menſem ante, ad valvas Eccleſiæ Cathedralis, *ibid.*

28. Tribus proximis diebus Dominicis in Metropolitana, & Parochialibus inter Concionem publicetur, *ibid.*

29. Dominica die ante initium Concilii omnes communicent, & orent aſſidue pro tanto negotio. Prov. 4.

30. Quinta quaque feria Miſſæ dicantur de Spiritu ſancto a ſingulis Sacerdotibus in Provincia, & in Collegiatis cantentur. Prov. 2.

31. Vel ſaltem fiet commemoratio, ſi feſto impeditur. Prov. 4.

32. Singulis diebus Dominicis Proceſſio cum Litaniis in Collegiatis, & Parochialibus habeatur, *ibid.*

33. Et hæc fiat uſque ad finem Concilii. Prov. 2.

34. Imo, & ſingulis diebus a Dominica tertia ante diem Concilii dicatur collecta de Spiritu ſancto uſque ad finem Concilii. Prov. 6.

35. Quiſque Epiſcopus interea de conſilio ſuorum peritorum materiam inſtruat pro Concilio. Prov. 4.

36. Duobus ſaltem comitatus, Diacono, & Subdiacono accedat. Prov. 6.

37. Obviam cuique Epiſcopo eant Vicarii Generales, Prælati, & alii, quos mittet Archiepiſcopus per duo, aut tria milliaria, *ibid.*

38. Cum ingreditur, mula vectus decora non recuſet, rogatu, & conceſſu Archiepiſcopi, in via populo benedicere, *ibid.*

39. Ab Baſilicam majorem eat, oret, obvios in porta habens Canonicos, & Clericos ejuſdem, *ibid.*

40. Si occupati ſint in Choro, duo, quatuorve illi obviam eant, *ibid.*

41. Campanæ pulſentur, & niſi divina celebrentur, organa quoque cum pia cantus modulatione, *ibid.*

42. Inde ad Metropolitanum veniat, qui obviam procedens Epiſcopum benigne excipiat, *ibid.*

43. Paulo ante Concilium inſtituatur Oratio 40. Horarum in Metropolitana. Prov. 4.

44. Oratio ſine intermiſſione curetur a Regularibus, Monialibus in civitate. Prov. 6.

45. In tota Diœceſi idem præſtetur, *ibid.*

46. Imo & in tota Provincia Epiſcopi curent, *ibid.*

47. Congregationes Generales, quæ ſtatæ in ſingulas hebdomadas habebuntur, ſignificentur, tum campana, tum ſchedulis affixis. Prov. 4.

48. In Congregationibus utantur Rocchetto, & Mozzetta. Cæremon. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 3. & Archiepiſcopus ſtola rubea ſupra Mozzettam. Prov. 7.

49. Sedeant in Concilio ſecundum ordinationis ſuæ tempus Epiſcop. Cærem. Epiſc. *loco cit. cap.* 31.

50. Epiſcopus, qui fuit Archiepiſcopus, ſedebit immediate poſt Metropol. Quar. *in Addit. loco cit. num.* 9.

51. Exemptus ſedeat ſuper omnes ſuffraganeos Epiſcopos. Deciſum refert prax. Epiſc. *V. Concilium ad* 4.

52. Aliorum ordo in ſedendo habetur in Cæremon. *l.* 1. *cap. ultim.*

53. Abbates habentes quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, habent vocem deciſivam, *in Addit. ad Quar. ſup. n.* 3.

54. Capitulum Sede vacante habet vocem deciſivam per Vicarium Capitularem, *in Addit. ib.*

55. Capitula habent vocem conſultivam. Quarant. *ibid.*

56. Totum Concilium eſt Judex, non ſinguli, *ib. n.* 10.

57. Principalis Judex eſt Archiepiſcopus de conſilio aliorum, & conſenſu, idem *ibid.*

58. Et hoc modo pronunciare debet, *ibid.*

59. Poterunt aliis habere vocem etiam deciſivam, accedente conſenſu omnium ſuffraganeorum, *in Addit. ibid.*

60. Poteſt Suffraganeus impeditus conſtituere alium Suffraganeum cum ſpeciali mandato ad decidendum. Navarr. *conſil.* 3. *de Offic. Deleg. in antiquiſs.*

61. Vel potius ad præſentandum ſuum votum in ſcriptis ſuper aliquo particulari negotio, non in genere, Quar. *in Addit. ſupra num.* 10.

62. Statur majori parti, licet diſſentiat Archiepiſcopus. Quar. *ibid.*

63. Si nolit ille ideo pronunciare, recurrendum eſt ad Papam, *ib. n.* 10.

64. Cognoſcere autem poteſt de omnibus cauſis Eccleſiaſticis totius Provinciæ, *ib. n.* 11.

65. Etiam finito Concilio, ſi ante finem cœpta eſt cognitio, *ibid.*

66. Non poteſt cognoſcere de perſona Archiepiſcopi, niſi ad effectum monendi eumdem, *ib.*

67. Supplere poteſt negligentiam ejuſdem, & cognoſcere de cauſis appellationum, *ib.*

68. Item & de cauſis Metropolitanæ Eccleſiæ, *ib.*

69. Poteſt recuſari Concilium, & haberi ſuſpectum: & ſuſpectus Epiſcopus in aliquo caſu debet abeſſe, *ib. n.* 12.

70. Statuere poteſt juxta Canones; apponere pœnas, vel gravare, ſine præjudicio aliorum, *ib. n.* 13.

71. Ligantur ſubditi Epiſcopi ſuffraganei abſentis, & laici quoque, in materia ſpirituali, idem *ib.*

72. Item, & exempti vocati ad Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 24. *c.* 2.

73. Caveatur multitudo ſtatutorum, obligatio ad culpam, uſus cenſurarum nimius. Quar. *ſupra num.* 13.

74. Non obligantur Regulares exempti. Navarr. *conſ.* 2. *de ſepult. in antiq.*

75. Non poteſt Concilium Provinciale dare facultatem pœnitenti ſubdito Suffraganei eligendi Confeſſarium non approbatum a Suffraganeo ipſo. Deciſum refertur a Quar. *loco cit. die* 16. *Martii* 1581.

76. Ex Concilio Tridentino debet cognoſcere:

De profeſſione Fidei *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de ref.*

De Judicibus cauſarum *ſeſſ.* 25. *c.* 10.

De Divinis Officiis *ſeſſ.* 24. *c.* 12.

De tenuitate Cathedralium *ſeſſ.* 24. *c.* 13.

De Examinatoribus, & Beneficiis curatis, *ſeſſ.* 24. *c.* 18.

De Reſidentia, & licentiis, *ſeſſ.* 23. *c.* 1.

De promovendis ad Cathedrales *ſeſs.* 24. *c.* 1.

De Viſitatione earumdem, *ſeſs.* 24. *c.* 3. *&* *c.* 9. ſi dubitatur, ad quem ſpectet.

De Monaſteriis, negligente Epiſcopo, *ſeſs.* 25. *de Regularibus cap.* 22.

De locationibus contra Canones factis, *ſeſs.* 25. *cap.* 11.

De abuſibus Indulgentiarum, miraculis, Reliquiis *ſeſs.* 25.

De minoribus cauſis Epiſcoporum criminalibus, nam *ſeſs.* 24. *c.* 5. *&* *ſeſs.* 13. *c.* 8. excipiuntur graviores.

De collatione Beneficiorum indignis, *cap.* Grave, *de Præb.*

De officiis publicis datis perperam, vel Judæis, vel Paganis, *cap. cum ſit, de Judæis.*

77. Jejunium celebrent Epiſcopi cum ſuis familiis pridie diei Concilii. Prov. 4.

78. Veſperi campanæ pulſentur, quod item fiat pridie cujuſque ſeſſionis, *ibid.*

79. Im-

Digitized by Google

79. Immo in omnibus Eccleſiis a primis Veſperis per totam diem, & ipſa die ſequenti, quouſque Archiepiſcopus ingreſſus fuerit Eccleſiam. Cærem. Epiſc. *loco cit.*

80. Die ipſa Concilii celebrent Epiſcopi, item Sacerdotes omnes: reliqui communicent, & præſertim familiares, de manu Epiſcoporum. Prov. 4.

81. In prima ſeſſione Proceſſio ſolemnis fiat, convocato univerſo Clero, etiam Regulari, *ibid.*

82. Archiepiſcopi habitus erit Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Mitra pretioſa. Cæremon. Epiſcop. *loco cit.*

83. Habitus Epiſcoporum erit ſupra Roccbettum, Amictus, Pluviale, Mitra auriphrygiata, *ibid.*

84. Abbatum Benedictinorum erit Pluviale, Mitra ſimplex, *ibid. Vide Abbas, num.* 43.

85. Color Rubeus adhibetur, *ibid.*

86. Miſſa de Spiritu Sancto per Archiepiſcopum cantabitur, *ibid.*

87. Sermo latinus ab eodem habebitur. Prov. 4.

88. Epiſcopi triplici ductu incenſantur omnes. Zerol. *part.* 2. *V. Concilium Tert.*

89. In fine Miſſæ non datur ſolemnis benedictio, ſed in fine Seſſionis. Cærem. *ſup.*

90. Cætera, ut in Pontificali, & Cæremon. Epiſcoporum.

91. In aliis ſeſſionibus Miſſa, & ſermo ab alio Epiſcopo, qui a Metropolitano electus fuerit. Prov. 4.

92. Diebus feſtis mane ſaltem conciliares actiones omittantur, ut Epiſcopi Divinis Officiis vacent, *ibid.*

93. Decreto promulgato de Concilii initio, cantetur Hymnus, Te Deum. Prov. 6.

94. Feſtis diebus ſolemni ritu Miſſa ab aliquo Epiſcopo celebretur, & Concio præterea ab eodem, vel alio Epiſcopo ad populum habeatur, præſentibus aliis Epiſcopis, *ibid.*

95. Ad Veſperas item conveniant, & interſint ſacræ tractationi, quam Metropolitanus, vel alius Epiſcopus habuerit, *ibidem*.

96. Populus quoque ſupplicationibus obeat Eccleſias inſigniores; & audiat quotidie, vel ſaltem tribus feriis Conciones in Metropolitana, *ibid.*

97. Singulis diebus Clerus Civitatis in Capella Archiepiſcopali Clericales aliquas ſtudiorum exercitationes ineat ad præſcriptum, *ibid.*

98. Pro familiaribus Epiſcoporum Theologus Metropolitanus, ſeu alius explicet eis Pſalmos, vel ſacros alios libros, quo tempore Congregationes Epiſcoporum habentur, *ibid.*

99. Nullus Epiſcopus abeat ſine cauſa, & ſine licentia. Prov. 4.

100. Non poſſunt illicentiati recedere ante finem Concilii, ſub pœna excommunicationis, a qua abſolvuntur ab ipſa Synodo tantum. Quar. *in Addit. ſupr. num.* 41.

101. Si quis abiit, Procuratorem relinquat. Prov. 4.

102. Comprobatis Decretis in ſeſſione, Chorus canat, Te Deum. Prov. 6.

103. Antequam dimittatur Concilium legantur Sanctiones Tridentinæ, & aliæ, quæ ad mores attinent Epiſcoporum, & ex Pontificali promiſſiones factæ in eorum Conſecratione, Provinc. 4.

104. Epiſcopi ordine accedentes ad Altare majus in ultima ſeſſione, aſſentiendo ſubſcribant poſt Metropolitanum, *ib.*

105. Idem præſtent Procuratores antequam abeant, *ibid.*

106. Si non fecerint, excommunicationis pœnam incurrant, *ibid.*

107. Poſt acclamationes, & oſculum pacis, recedant in pace. Cærem. Epiſc. *loco cit.*

108. Non ſunt publicanda Decreta inconſulto Romano Pont. Sixtus V. *A.* 1584.

109. Poſtridie illius diei, quo ſeſſio ultima habita eſt, Miſſa ſolemnis fiat ab aliquo Epiſcopo pro defunctis Epiſcopis cum oratione latina, & abſolutione ſolemni 4. Juniorum Epiſcoporum. Prov. 5.

110. In diſceſſu Epiſcoporum, paulo ante quiſque eat in Eccleſiam Metropolitanam oraturus. Prov. 6.

111. Infra ſex menſes a reditu de Concilio debent Epiſcopi notificare Decreta Concilii approbata a Sede Apoſtol. Quar. *loco cit. num.* 14.

112. Alias incurrunt ſuſpenſionem ab Officio bimeſtrem. Barboſ. *alleg.* 111. *num.* 21.

113. Non poteſt Conc. Provinc. concedere Indulgentias ultra dies 40. Henriquez aſſerit de communi DD. *de Indulg. c.* 31. §. 4.

114. Generale poteſt concedere Indulgentias plenarias. Leo *in Theſ. fori Eccleſ. p.* 1. *cap.* 7. *n.* 17.

### ADDITIO.

Decreta Concilii Provincialis per approbationem, quæ fit Romæ a S. C. non intelliguntur confirmata a Sede Apoſtolica, ſed tantum permiſſa. *Congr. Conc. Trid.*

*Convenientibus ad Concilium Provinciale, Metropolitano, & Suffraganeo Cardinalibus hæc videntur obſervanda, quæ in Provinciali ſeptimo Mediolanenſi.*

1. MEtropolitanus ibit obviam Suffraganeo Cardinali extra urbem per duo circiter milliaria.

2. Si vehantur eadem lectica, præcedit Crux Archiepiſcopalis, & Suffraganeus in digniori loco ſedens, benedicet populo.

3. Si ſuper mulas equitant, ambo hinc inde benedicunt; quod præſtitit aliquando, me teſte, S. Carolus cum Cardinali non Suffraganeo veniente ad urbem.

4. Si rbeda vehuntur, non ſolet Crux præcedere.

5. In Congregationibus pro negotiis Synodalibus ſedent ambo pares in ſedibus nobilioribus, quam alii Suffraganei, & ſub baldachino: ſed dignior locus a dextris eſt Metropolitani: cujus etiam eſt totam actionem dirigere.

6. Stola adhuc adhibetur, ut ſupra, a Metropolitano; & Epiſcopi ſedent cum Rocchetto, & Mozzetta.

7. In Eccleſia paratur ſedes Cameralis æque alta cum pari baldachino ac ſedes Metropolitani, & ex adverſo in cornu Epiſtolæ, pro Suffraganeo.

8. In qua ſedet Cardinalis Suffraganeus tempore Miſſæ Pontificalia Metropolitanis, cum Cappa rubea, ſine aſſiſtentibus; accedunt tamen, quoties opus eſt, duo Canonici Cathedralis, ut exuant, induantque Cardinalem, & cum eo dicant, Confeſſionem, Introitum, Epiſtolam, Evangelium, & alia, quæ legit, & dicit Metropolitanus, in Sede ſua, exceptis Collectis, miniſtrantibus aliis librum, & candelam.

9. Epiſcopi retinent ad Miſſam Pluvialia, & Mitras, quæ, iis præſentibus, erunt e damaſceno ſerico: & incenſantur tantum duplici ductu, coram Cardinali.

10. In Proceſſionibus ad Eccleſiam, ſive pro Synodo, incedunt pares. Metropolitanus a dextris, & ſolus benedicens, cum Mazzeriis ſolitis ante Crucem Archiepiſcopalem.

11. Induunt ambo Pluvialia; cum Mitra auriphrygiata Suffraganeus: cum pretioſa Metropolitanus: & cum Amictu, Alba, Stola, &c. & eodem modo ſedent pares in ſeſſionibus publicis Concilii, ſupra tres gradus altiores Epiſcopis, ſine Baldachino pro ratione loci.

12. In Profeſſione Fidei emittenda, genuflectente altero, alter cum aliis ſtat ſine Mitra: ſedent mitrati ad Profeſſionem Fidei per Epiſcopos genuflexos emiſſam.

13. Cantante Miſſam alio Epiſcopo, ſeu Canonico, ſedent ambo illi in cornu dextro Altaris, in ſedibus cameralibus æqualibus, cum Cappa; Metropolitanus in digniori loco, prope Altare ſcilicet, ſine aſſiſtentibus, & ſine circulis Canonicorum: cum cæteris ritibus Cæremon. Epiſc.

14. Impedito Cardinali Suffraganeo, ne Congregationibus interſit, mittuntur duo Epiſcopi, ut votum illius exquirant, & ad alios reportent.

*V. Supra. V. Cardinalis, num.* 7. *& ſeqq.*

*V. Canonicatuum collatio, num.* 6. *Diſpenſatio, num.* 8. *Subſidium Charitativum, num.* 8.

### *Concilium Tridentinum.*

1. PRohibentur Gloſſæ, Commentaria, Annotationes, & Scholia ſuper Decreta Concilii Tridentini, præterquam a Deputatis a Papa. Pius IV. *Anno* 1563.

2. Sub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ iis Prælatis, qui prædicta ediderint, *ibid.*

3. Declarationes Concilii Tridentini non probant in Foro contentioſo, afferantur authenticæ cum ſigillo, & ſubſcriptionibus Officialium. Congreg. Concilii *in Decreto impreſſo die* 2. *Auguſti* 1631. *

4. Prohibentur omnino tranſactiones Concilii Tridentini in Gallicam, vel alias linguas. Congr. Concilii 2. Junii 1629. * Addit pœnas Indicis librorum prohibitorum. Congreg. Indicis 15. Novembris 1629.

5. Revocata ſunt omnia Privilegia in iis, quibus contrariatur Concilio Tridentino. Pius IV. 13. Martii 1565.

6. Ne exigantur juramenta contra Decreta Concilii Trid. ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, vel interdicti, vel excommunicationis pro varietate perſonarum, Papæ reſervata. Gregorius XIII. *Anno* 1584.

*V. Libri prohibiti, num.* 15. 16.

### *Concio Sacra.*

1. EPiſcopus concinnari poteſt in Eccleſiis Regularium. Congr. Epiſcop. 17. Januarii 1584.

2. Si concionatur Epiſcopus in propria Eccleſia, non poteſt prætendere eleemoſynam ſolitam dari aliis Concinnatoribus, eadem 30. Januar. 1615.

3. Quo tempore Epiſcopus concionem habet, nemo alius neque Regularis concionetur. Prov. 4. ex Decr. Clem. V.

4. Non poteſt Epiſcopus concinnari extra ſuam Diœceſim. Deciſ. a Clem. VIII. referunt DD. apud Barb. *alleg.* 76. *n.* 2.

5. Curati animarum feſtis ſaltem diebus populo prædicent. Trid. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4.

6. Iidem per ſe, vel per alios impenſis ſuis prædicent omnibus diebus feſtis, & in Quadrageſima, & Adventu quotidie,

vel ſaltem tribus hebdomadæ diebus, & aliis opportone, Epiſcopi judicio, *ſeſſ.* 24. *cap.* 4.

7. Qui e Parochis concionari neſcit, de ſcripto Homiliæ pronunciet. Prov. 1.

8. Parochi ad Altare concionaturi ſtabunt aperto capite, neque tunc Altaris candelæ extinguantur. Prov. 6.

9. Si pulpitum aſcendant inter Miſſarum ſolemnia, caſulam deponant, & eo caſu caput tegant, ſedeant, ut maluerint, *ib.*

10. Munus prædicationis committi poteſt per Epiſcopum etiam Clerico, qui non ſit in ſacris. Deciſum referunt DD. cit. a Barboſ. *alleg. cit. n.* 45.

11. Nullus ſæcularis, ſive regularis etiam in Eccleſia ſua contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 4.

12. Regulares in ſuis Eccleſiis non niſi approbati a ſuis Superioribus, & de licentia eorumdem cum benedictione Epiſcopi prædicare poſſunt. Idem *ſeſſ.* 5. *cap.* 2.

13. Extra ſuas Eccleſias concionaturi licentiam ab Epiſcopo cum benedictione petant, *ibid.*

14. Quæſtuarii neque per ſe, neque per alios prædicent, *ib.*

15. Concionatores quicumque ante, & poſt concionem Quadrag. adeant ipſummet Epiſcopum. Prov. 7.

16. Tenentur prædicatores benedictionem petere ab Epiſcopo quovis tempore, nedum in Quadrageſima, & Adventu. Congr. Epiſc. 16. Octobr. 1601.

17. Qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ſine licentia Epiſcopi, prædicare præſumpſerint, puniri poſſunt ab Epiſcopo. Gregor. XV. 5. Febr. 1622.

18. Item, & ii, qui in ſuis Eccleſiis, Ordinum ſuorum, non petita Epiſcopi benedictione, aut ipſo contradicente. Idem *ib.*

19. De Parochi licentia poteſt approbatus Concionatoe prædicare in Parochiali. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 76. *n.* 25.

20. Poteſt Ordinarius ab eiſdem exigere profeſſionem fidei, ſi ita videbitur expedire. Deciſum refert Fe. Leo *in Theſaur. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 9.

21. In Cathedrali ſolus Epiſcopus eligit, & deputat Concionatorem, ſublata omni conſuetudine immemorabili contraria. Deciſum refert Barboſ. *ſup. n.* 6.

22. Eſt autem in optione Epiſcopi, vel eligere, vel retinere conſuetudinem, ita ut ſi ipſe eligat, non compellat alios ad expenſas; ſi relinquat aliis electionem, ad expenſas eoſdem cogere poſſit. Deciſum refert idem *ibid. num.* 11.

23. In aliis Eccleſiis ad Epiſcopum pertinet electio impenſis eorum, qui illas præſtare tenentur, aut ſolent. Deciſ. refert *ib.*

24. Non tamen ſublata eſt immemorabilis conſuetudo, ubi facultas nominandi Prædicatorem in Eccleſiis non Cathedralibus alteri, quam Epiſcopo, competeret. Deciſum refert idem *ibid. num.* 6.

25. Citra conſuetudinem contrariam poteſt Epiſcopus eligere Concionatorem, ſed alimenta, & eleemoſynam eidem ipſe præſtare debet. Cong. Epiſc. 6. Febr. 1615.

26. Qui per ambitum quæſiviſſe locum concionandi deprehenſus fuerit, eo loco ne concionetur. Prov. 7.

27. Ordinaria Concio fiat poſt Evangelium. Prov. 4.

28. In laudem Defuncti non niſi poſt Miſſam, *ibid.*

29. Eo tempore non dicantur Miſſæ, neque Horæ Canonicæ, neque ſubmiſſa voce, neque in Altari ſubterraneo, *ib.*

30. Nocturnæ fiant Conciones. Prov. 3.

31. Cum ſolemnes Proceſſiones fiunt, Jubilæum, & ſimilia celebrantur, de iiſdem Conciones habeantur, *ibid.*

32. Idem fiat in Pentecoſte de Confirmatione, *ibid.*

33. Sacram Scripturam de communi SS. Patrum ſenſu interpretentur. Prov. 1.

34. Prædicans errores, aut ſcandala diſſeminans interdicatur ab Epiſcopo. Trid. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2.

35. Ne certum Antichriſti diem, aut Judicii prædicent. Leo X. Anno 1516.

36. Neque ſuas revelationes. Idem *ibid.*

37. Neque vitia Epiſcoporum, aut aliorum Prælatorum ſingillatim mordeat. Idem *ibid.*

38. Et hæc tria prohibentur ſub pœna excommunicationis reſervata abſolutione Papæ, *ibid.*

39. Ne hiſtorias apocryphas narrent, neque miracula non probata, neque ſabulas ineptas, neque hæreticorum opiniones referant apud imperitos. Prov. 1.

40. Ne quemquam nominatim, aut tacite illum deſignantes inſectentur, *ibid.*

41. Indulgentias ne publicent ſine conſenſu Epiſcopi, *ib.*

42. Non poſſunt commendare pauperes in propriis Eccleſiis ſine licentia Epiſcopi, ſed tantum propria Monaſteria. Cong. Epiſcop. 8. Maji 1602.

43. Neque collectam pecuniæ proponant, & in Diœceſi Vicarius Foraneus conſulatur. Prov. 6.

44. Neque liceat eleemoſynæ cauſa Concionatori ſe ipſum commendare; non tamen vetitum ſit piis hominibus de licentia Epiſcopi id facere, *ibid.*

45. Canonici, & Clerici Concioni ſæpiſſime interſint. Prov. 1.

46. Jubeantur adeſſe ſub pœnis arbitrariis. Prov. 2.

47. Et in habitu chorali. Prov. 4.

48. Viri a mulieribus dividantur. Prov. 1.

49. Qui Parochi Conciones non integras audiunt, ex quodam contemptu, graviter puniantur. Prov. 3.

50. Non poteſt Epiſcopus cogere populum mulctis, & pœnis ad audiendam Concionem in Parochiali. Deciſum refert Praxis Epiſc. *V. pred. ad* 4.

51. Poſſunt Regulares certo die prohiberi, ne concionentur, ut totus populus conveniat ad Cathedralem. Congreg. Epiſc. 17. *Novembris* 1592.

52. Neque poſſunt ſermocinari in congregationibus Sæcularium hora illa, in qua Epiſcopus ipſe prædicare voluerit, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari. Congr. Conc. *Decreto impreſſo* 1525. *Ram.*

53. Prohiberi quoque poteſt Concio non ſolita extra Cathedralem tempore Advent. & Quadrag. Congr. Epiſcop. 10. Febr. 1604.

54. Neque prohibere in Parochiali Conciones Quadrageſimales eo titulo, ut frequentior ſit populus in Cathedrali, eadem 20. Febr. 1601.

55. Populus detrectans ſubminiſtrare victum de more Concionatori, ſolitamque eleemoſynam, compellatur etiam interdicti pœna. Prov. 4.

56. Prædicatorum eleemoſynam ne univerſitates moderentur, Epiſcopi curent. Congr. Epiſc. 3. Julii 1590.

57. Si ex publico Civitatis ærario Concionatori ſolent eleemoſynæ dari, ea conſuetudo ſervetur. Deciſum refert Barb. *alleg.* 76. *num.* 13.

58. Nulla vero ex parte merces tribui ſolita Concionatori exigenda eſt a Penſionariis. Deciſum refert Barb. *ib.*

59. Ubi ſunt Hebræi in Sabbatis Conciones illis habeantur, non in loco ſacro, cura Ordinarii. Greg. XIII. An. 1584.

60. Conveniant illi a 12. Annis ſupra, ita ut tertia ſaltem eorum pars interſit, ſub pœnis interdicti commercii & aliis arbitrio Ordinarii. *ibid.*

*V. Archiepiſcopus*, *n.* 30. *Eucbariſtia*, *n.* 57. *Excommunicatio*, *n.* 34. *Exequiæ*, *n.* 58. 59. 60. *Interdictum*, *n.* 26. *Monialium cura ſpiritualis*, *n.* 38. 39. *Montes pietatis*, *n.* 3. *Quadrageſima*, *n.* 9. *Regularium jura ſub Epiſcopis*, *n.* 32. *& ſeqq. Suſpenſio*, *n.* 15. *Vicarius Foraneus*, *n.* 10. *Viſitatio Epiſcopi*, *n.* 36.

## ADDITIO.

1. Concionante Epiſcopo prohibetur aliorum Concio. *Cong. Conc.* 2. *Maji* 1629.

2. Non tamen Parochi, eo tempore prohibentur concionari, *eadem* 3. *Jun.* 1613.

3. Parocho Concionanti non tenetur univerſitas loci dare aliquid, quod ſolet aliis dari Concionatoribus, *ead.* 20. *Mart.* 1621.

### *Concubinarius.*

1. TEr admonitus ab Ordinario excommunicatur, nec abſolvatur niſi paruerit. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 8. *de Matr.*

2. Si neglexerit cenſuram, ſevere contra eum procedatur, *ib.*

3. Mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum Concubinariis publice vivunt, poſt tertiam monitionem puniantur ab Ordinariis, & extra locum, vel Diœceſim ejiciantur, *ibid.*

4. Semel ad Pœnitentiam, & Communionem admiſſi ſi in luto eodem peccatorum hæſerint, ne amplius ad Communionem admittantur, niſi emendati. Provinc. 1.

### *Confeſſarius.*

1. EPiſcopi vigore Privilegii, de quo *in cap. fin. de pæn. & remiſſ.* non poſſunt eligere ſibi Sacerdotem ſibi non ſubditum in Confeſſarium ſine approbatione proprii Ordinarii. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg.* 15. *n.* 9.

2. Neque poteſt Concilium Provinciale dare facultatem pœnitenti ſubdito Suffraganei eligendi ſibi Confeſſarium non approbatum ab ipſo Suffraganeo. *Vide ſup. Concil. Provincial. n.* 71.

3. Non poſſunt deputari Confeſſarii a laicis vigore juriſpatronatus. Congreg. Epiſc. 22. *Maji* 1615.

4. Parochi cenſentur approbati in Civitate, vel oppido, ubi ſita eſt Parochialis ad Confeſſiones audiendas; non autem paſſim per totam Diœceſim. Deciſum refert Praxis nova Epiſcop. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 10.

5. Et dimiſſa Parochiali, non habetur idoneus. Deciſum *ibid.* refertur.

6. Nemo, neque etiam Regularis audire poteſt Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum, niſi aut Parochiale habeat Beneficium, aut ab Epiſcopo per examen, ſi videbitur neceſſarium, approbetur. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15.

7. Neque alius, præterquam Epiſcopus, poteſt approbare Confeſſarios. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 25. *n.* 12.

8. Nimirum Epiſcopus loci, ubi auditur Confeſſio. *Navar. in Man. c.* 27. *n.* 266. Deciſum refert Campanil. *Rubric.* 12. *cap.* 13. *n.* 77.

9. Sublata ſunt Privilegia audiendi Confeſſiones ſine prævio examine. Urbanus VIII. Anno 1628. 12. *Septemb.*

10. Semel examinati, & approbati non debent iterum ab eodem Epiſcopo examinari, niſi a ſucceſſore, ſi velit. Pius V. Anno 1571.

11. Qui

11. Qui fuerint approbati ſine examine, poſſunt ſuſpendi, & examinari. Congr. Epiſc. 31. *Julii* 1615.

12. Poſſunt admitti ad tempus. Congr. Epiſc. 7. *Julii* 1594. & Deciſ. 2. *Julii* 1587. refert Confectus, *in ſumma tit.* 17. *cap.* 4.

13. Licentia ad beneplacitum revocari poteſt. Congr. Epiſc. 12. Martii 1519.

14. Expiratque mortuo concedente. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 6. §. 7. *in fine*.

15. Approbentur Confeſſarii in ſcriptis. Prov. 4.

16. Valet tamen approbatio in voce. DD. cit. a Barboſ. *loc. cit. num.* 10.

17. In facultate, quæ datur Confeſſariis, addatur ſemper clauſula, ne abſolvant a reſervatis. Prov. 7.

18. Non approbati, ſi audiant, excommunicati ſunt. Pr. 1.

19. Et Confeſſio eſt nulla. Prov. 3.

20. Prohibiti audire Confeſſiones, ſi abſolvant, tenet abſolutio, ſi fuerant approbati, niſi eis auferatur juriſdictio. Sà, *Conf. num.* 11.

21. Idem tabella Confeſſariorum approbatorum, ubi ſunt plures, habeatur in Sacriſtia. Prov. 1.

22. Regulares habeant teſtimonium ſuorum Superiorum. Prov. 4.

23. Non poſſunt Confeſſarii Regulares ſuſpendi ab audiendis Confeſſionibus, niſi ex nova cauſa, & ad Confeſſiones attinente; aut ob non ſervatum interdictum ab Epiſcopo poſitum. Congreg. Epiſcop. 20. Novemb. 1615.

24. Neque poteſt adimi facultas audiendi Confeſſiones omnibus ſimul unius Conventus, inconſulta Sac. Congreg. eadem *ibid.*

25. Prælati Regulares, ſeu alii Religioſi non approbati ab Epiſcopo non poſſunt audire Confeſſiones ſæcularium, qui ſunt de familia lato modo ſumpta, & ſerviunt Monaſterio. Deciſum refert Amendar. apud Barboſ. *alleg.* 25. *num.* 46.

26. Secus ſi vere ſunt de familia, & continui commenſales, *ibid.*

27. Poſſunt audiri ægroti in domibus eorum. Poſſunt tamen Epiſcopi ſub pœna ſuſpenſionis a Confeſſionibus audiendis præcipere, ut Confeſſarii moneant Parochos de audita Confeſſione. Congreg. Epiſcop. 1. Julii 1606.

28. Dent teſtimonium de audita Confeſſione ægrotorum pro Medico, & Parocho. Prov. 4.

29. In articulo mortis, præſente Parocho ſine cauſa non recuſando, non poteſt quilibet Sacerdos abſolvere. DD. apud Barboſ. *alleg.* 25. *num.* 51. ubi, & aliqui docent, poſſe.

30. Confeſſionalia, ne ſint in capellis, & cellulis, ſed in Eccleſia aperto loco. Prov. 7.

31. Sera claudantur, imagines piæ affigantur, lamina forata, & tenuis tela adhibeatur. Prov. 4.

32. Nulla ſit ibi capſula pro eleemoſynis, *ibid.*

33. Habeatur ibi Bulla Cœnæ, & Tabella caſuum reſervatorum, *ibid.*

34. Superpelliceum, & Stola adhibeatur. Prov. 5.

35. Regulares audiant cum habitu Chori, *ibid.*

36. Ne audiantur mulieres ante ortum ſolis, neque poſt occaſum. Prov. 1.

37. Neque in cellis, ſed in ſedibus tabella media, *ibid.*

38. Nec ſine cauſa in privatis ædibus, *ibid.*

39. Qui mulierem in Confeſſione extra ſedem ſolitam, in qua cratis ferrea, ligneave ſit, audierit, ipſo facto ſuſpenſus eſt a munere Confeſſarii. Prov. 7.

40. Reſtitutio incertorum Epiſcopo reſervatur. Prov. 4. *ibid. Vide caſus reſervati, num.* 12.

41. Non applicent ſibi pecuniariam pœnam. Prov. 3.

42. Neque ſibi dari patiantur, etiam pro Miſſis, *ibid.*

43. Neque pecuniæ diſtribuendæ ſuſcipiant onus, *ibid.*

44. Qui in ipſo miniſterio pecuniam, vel aliud acceperit, ipſo facto ſuſpenſionem a Divinis incurrit, licet ſponte detur. Prov. 7.

45. In Paſchate dent ſingulis teſtimonium de audita Confeſſione. Prov. 4.

46. Formula teſtimonii cura Epiſcopi imprimatur, *ibid.*

47. Non licet per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere. Congreg. Officii 19. Julii 1602.

48. Sollicitantes in confeſſione mulieres ubique puniantur. Pius IV. Anno 1561. Gregor. XV. 1612.

49. Sive ſint peccata inter Confeſſarium, & pœnitentem; ſive agat Confeſſarius, ut cum aliis fiant, ſive ante, ſive poſt immediate, ſeu occaſione Confeſſionis, ea etiam non ſecuta; ſive extra Confeſſionem in loco Confeſſionis, ſive ſermones, ſive tractatus habuerint, ſeveriſſime puniantur, *ibid.* (1)

50. Moneant Confeſſarii ſollicitatos teneri ad denunciandum ſollicitantes: alias graviter puniri poſſunt non monentes, ſeu negantes adeſſe obligationem revelandi, *ibid.* (2)

51. Qui criminis ſocius fuerit, aut quoquo modo particeps, ſciat ſibi eſſe interdictum munus audiendi eos, quos habuerit culpæ ſocios. Prov. 7. (3)

*V. Abſolutio, n.* 7. 34. *& ſeqq. Caſus reſervati, n.* 57. *Clericus, n.* 49. *Cleri conventus, n.* 3. *Conc. Provinciale, n.* 75. *Confraternitates, n.* 33. 34. *Doctrina Chriſtiana, n.* 16. 18. *Extrema Unctio, n.* 1. *Fidei Profeſſio, n.* 27. *Legatus, n.* 5. 8. *Regularium jura ſub Epiſcopis*, 15. 16. 18. 85.

ADDITIO.

1. Ex cauſa concernente Confeſſiones poteſt Epiſcopus ſuſpendere Confeſſarium approbatum abſolute, & revocare licentiam audiendi Confeſſiones. *Cong. Epiſc.* 30. *Aug.* 1630.

2. Ea item, ſi confeſſarius ſit ſcandaloſus, ita ut judicio Epiſcopi, cujus oneratur conſcientia, a Confeſſionibus ſit repellendus, aut ſuſpendendus, *eadem ibid.*

3. Præcipitur omnibus Ordinariis, ut in actu approbationis Confeſſariorum, eiſdem legatur, & intimetur Conſtit. Greg. XV. contra ſollicitantes, & præſertim, §. *ita Decr. S. Offic.* 3. *Octob.* 1626.

4. Qui ſollicitaverit ad turpia in Confeſſione, vel ante, vel poſt eam per quamcumque gratiam factam, vel faciendam non poteſt reſtitui, ut valeat Confeſſiones Sæcularium audire. *Congr. S. Officii* 2. *Decemb.* 1562. *apud Laur. de Franch. tom.* 1. *controv. quæſt* 4. de hac materia.

5. Neque ille, qui abjuravit alias ſecrete vel publice, aut alias quomodocumque, *ead.* 13. *Aprilis* 1630.

6. Qui de levi abjuravit, non eſt impeditus audire Confeſſiones, etiam Sæcularium, eadem *ibid.*

7. Si ſollicitati noluerint manifeſtare ſollicitantes, poteſt Epiſcopus dare auctoritatem Confeſſario recipiendi in ſcriptis cum juramento denunciationem perſonæ ſollicitatæ, quæ conſenſit, quam ſtatim tenebitur Confeſſarius deferre Epiſcopo, vel inquiſitori. Decr. S. Off. 27. Sept. 1624. per litteras datas ad Archiep. a Card. Millino.

*Confirmatio.*

1. DEbet miniſtrari cum pluviali, Stola, & Baculo. Congreg. Epiſcop. 19. *Februarii* 1585.

2. In die feriali poteſt miniſtrari, & a non jejuno. Sylv. *Confirmatio, qu. un.*

3. In Palatio Epiſcopi, ſeu loco honeſto, poteſt. Henriq. *lib.* 3. *Confirm. cap.* 6. §. 7. *in fine*.

4. Neque accedant ii, qui de aliena ſunt Diœceſi. Prov. 4. Sà, *Confirmatio, num.* 3.

5. Confirmans tamen non ſibi ſubditos non incurrit culpam, neque pœnam ex præſumptione, quod placeat Epiſcopo alieno. Henriq. *loco cit.* §. 6.

6. Minoribus ſeptennio ne miniſtretur, niſi aliud Epiſcopo videatur, ex cauſa. Prov. 1.

7. Poteſt puer trium annorum confirmari. Barboſ. *loco cit.* M. Ant. Genuenſ. *in Man. Paſt. cap.* 54. *num.* 3.

8. Muti, & ſurdi poſſunt confirmari. Barb. *loco cit. n.* 20.

9. Et perpetuo amentes. Idem *num.* 21.

10. Adulti prius peccata confiteantur, & jejunii confirmentur, ſi mane miniſtretur: caput etiam mundent. Prov. 5.

11. Stabunt adulti, ita ut pedem dextrum pedi compatris dextro quiſque ſuperponat, *ibidem*.

12. Mares primo, tum fœminæ confirmentur, *ibid.*

13. Mutandum nomen in melius, ſi primum non congruit, *ib.*

14. Confirmati frons abſtergatur a Sacerdote, tum a Clerico in ſacris lavetur, *ibid.*

15. Pannus Chriſmatis, ſi opus eſt, poterit iterum poni ſuper alium Confirmatum. Durand. *in Rat. lib.* 6. *c.* 84. *n.* 8.

16. Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Chriſtianæ Fidei rudimenta non edoctus, accedat ad hoc recipiendum Sacramentum. Pontiſ. Rom.

17. Patrinus debet eſſe alius ab eo, qui fuit in Baptiſmo. DD. apud Barboſam *alleg. cit. n.* 51.

18. De numero Patrinorum dic, ut ſupra in Baptiſmo cum Tolet. *in ſumm. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 11.

19. Non refert, an Patrinus ſit major ætate. DD. apud Barboſam *num.* 39. *loco cit.*

20. Ne ſint Monachi, vel Abbates, *cap. non liceat, de conſecr. diſt.* 4.

21. Neque excommunicati, interdicti, facinoroſi, aut ignorantes rudimenta Fidei. Pontiſ. Rom.

22. Sint Confirmati, Sylv. *Conf. n.* 4.

23. Nullus non præſentet niſi unum, aut duos, non plures, *ib.* & Pontiſ. Rom.

24. Nihil donetur a Patrinis. Prov. 1.

25. Deſcribantur Confirmati in libro, *ibid.*

26. Epi-

(1) Sacerdotes vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel illius occaſione, aut prætextu ad turpia ſollicitantes perpetuam inhabilitationem incurrunt ad Sacrificii celebrationem, uti & Sacerdotes abutentes Sacrificio Miſſæ ad ſortilegia. *Benedictus XIV. in Decreto die* 5. *Aug.* 1745.

(2) Denunciatio facienda eſt, etiamſi longum tempus poſt ſollicitationem effluxerit. *Benedictus XIV. in Conſt. anno* 1741.

(3) Etiam in articulo mortis, ſi alius Sacerdos, etiam ſimplex, neque ad Confeſſiones audiendas approbatus, ſine infamia, vel ſcandalo vocari, aut accedere poſſit. *Benedictus XIV. Conſt.* Apoſtolici muneris 1745. Quod ſi complex hujuſmodi Sacerdos prædictæ infamiæ, vel ſcandali pericula confingat, ubi non ſunt, vel hujuſmodi periculum removere neglexerit, cum poſſet, & ſic complicem abſolverit, valida quidem erit abſolutio, ſi Pœnitens fuerit rite diſpoſitus, Sacerdos Excommunicationem majorem Papæ reſervatam incurret, quemadmodum alius quicumque extra dictum mortis articulum complicem abſolvens. *Idem ibid.* Nulla autem erit complicis abſolutio extra prædictum mortis articulum. *Idem Conſt.* Sacramentum Pœnitentiæ 1741.

26. Epiſcopus exiens per villas, & oppida, ut Sacramentum Confirmationis miniſtret, a nemine eſt procurandus. Deciſum refert Barb. *alleg. cit. n.* 10. oppoſitum docent Genuenſ. *in Manual. Paſtor. c.* 35. *n.* 36. & Campan. *Rub.* 11. *c.* 26. *n.* 105.

27. Negligentia Epiſcopi notabilis in confirmando, mortale peccatum eſt. Sà, *V. Confirmatio, n.* 12.

28. Reiteratio Confirmationis an inducat irregularitatem; Ajunt; Negant DD. apud Barboſ. *alleg.* 30. *n.* 28. 29. 30.

*V. Interdictum, n.* 30. *Irregularitas, n.* 35. *Monialium receptio, n.* 36. *Sacramenta, num.* 3.

## ADDITIO.

1. Epiſcopus alienus miniſtrans hoc Sacramentum debet ab Epiſcopo Diœceſano provideri. Congr. Epiſcop. 15. Maji 1582. & apud Barboſ. *de jure Eccl. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 42.

2. Ordinatus ante Confirmationem, etiam ſcienter, non eſt irregularis. *Navar. in Man. cap.* 22. *n.* 9. *& Barb. de pot. Epiſc. alleg.* 2. *n.* 14. contra Majorum, & alios.

### *Confraternitates.*

1. UNa tantum ejuſdem generis, ſive a Regularibus, ſive a Sæcularibus in ſingulis locis inſtitui poteſt. Clem. VIII. Anno 1604.

2. Non licet Regularibus inſtituere Confraternitates cum uſu ſaccorum ſine Ordinario loci. Congr. Epiſc. *6. Dec.* 1616.

3. De conſenſu Ordinarii inſtituantur omnes, qui & ſtatuta probent. Clem. VIII. *ſup.*

4. Privilegia, & Indulgentias nominatim conceſſas communicare licet, non alias, cum recognitione earumdem ab Ordinario per duos de Capitulo Cathedralis Eccleſiæ facienda, *ib.*

5. Expediantur litteræ aggregationum.

6. Inſtitutionum gratis, *ibid.* ſeu ſub pœna privationis Officiorum, & nullitatis Actorum, *ibid.*

7. Confraternitates Sanctiſſimi Sacramenti ubique terrarum erectæ, vel erigendæ abſque nova conceſſione, communicatione, vel aggregatione participes ſunt quorumcumque privilegiorum, conceſſionum, indulgentiarum, & gratiarum Archiconfraternitati de Minerva conceſſarum, & concedendarum, ſtatim ac earumdem erectio Apoſtolica, vel auctoritate ordinaria facta fuerit Cong. Indulg. 15. *Febr.* 1608.

8. Facultates conceſſæ Dominicanis pro ſocietate Roſarii, locum non habent in ſocietatibus ejuſdem extra eorum Eccleſias. Congr. Epiſc. 13. *Maji* 1603.

9. Unicuique Confratriæ præficiatur idoneus Sacerdos. Pr. 6.

10. Officiales quotannis eligantur, & cum ſecretis ſuffragiis. Congreg. Epiſc. 18. *Julii* 1594.

11. Electio Officialium ad confratres, confirmatio ad Epiſcopum ſpectat, exceptis iis, quæ ſub immediata Regum poteſtate exiſtunt, eadem 11. Aug. 1617.

12. Fiat præſente Parocho, vel alio Sacerdote deputato ab Epiſcopo, niſi aliud Epiſcopo videatur. Prov. 5.

13. Nihil inde emolumenti accipiatur, neque Officiales ipſi eligant Succeſſores, Congreg. Epiſc. 24. Aprilis 1584.

14. Electione Officialium prorogata ſine Ordinarii licentia, acta omnia ſint deinceps nulla Prov. 7.

15. Ne admittantur in iis, qui doctrinam ignorant Chriſtianam. Prov. 5.

16. Neque homines facinoroſi, turpis vitæ, aut infamiæ labe notati, *ibid.*

17. Qui adſcripti, & moniti non ſe emendarint, amoveantur, *ibid.*

18. Amictus ne detur alicui, niſi præſente Parocho, vel alio Sacerdote, qui amictum ſtata prece benedicat, *ibid.*

19. Neque amictum domi, aut alibi, quam in ſchola aſſervet, & confratriæ dimittatur, quocumque caſu ille recedat. *ib.*

20. Arma ne quis gerat una cum ſacro amictu, *ibid.*

21. In Oratoriis Confratrum ne retineatur Euchariſtiæ Sacramentum. Congr. Epiſcop. 21. *Maji* 1594.

22. Si concedatur ibi ſervari Euchariſtiam, Sacerdos ibi ab Ordinario approbatus reſidrat, Prov. 7.

23. Neque apponatur oratio 40. horarum ſine licentia Epiſcopi. Congr. Epiſcop. 20. Aug. 1601.

24. Prohibetur item proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti. Pr. 7.

25. In Dominicis, & Feſtis diebus Miſſæ Sacrificium ne fiat ibi, niſi tempore, & hora ab Ordinario præſcribenda, *ib.*

26. Feria V. & Sabbato Sancto ne ibi Miſſa celebretur, neque cuiquam, ne ipſis quidem confratribus a Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis incluſive Euchariſtiam miniſtrare liceat, *ibid.*

27. Neque in Nativitate Domini, Aſcenſione, Pentecoſte, Aſſumptione B. V. & omnium Sanctorum Feſto, *ib.*

28. Nullæ benedictiones ibi fiant candelarum, ramorum, ovorum, & frugum, ſub pœna Sacerdoti benedicenti ſuſpenſionis a Divinis eo ipſo; Confratribus autem arbitrio Epiſcopi, *ibid.*

29. Officium B. V. tantum, & ſubmiſſa voce recitent, non autem cantent, *ibid.*

30. Veſperas eodem modo, *ibid.*

31. Officia recitent, vel ante, vel poſt Officia Cathedralis, & Parochialis Eccleſiæ, neque impediant Doctrinam Chriſtianam. Prov. 5.

32. Non benedictionem, neque thurificationem ſibi invicem, vel aliis impartiantur. Prov. 4.

33. Confeſſarii quicumque eligendi approbentur a Superioribus, & Ordinario: & abſolvere poſſunt juxta Privilegia Confraternitatum, quatenus ſunt in uſu, & non adverſantur, Trid. Concil. neque conſtitutionibus Pontificis Clemens VIII. *ubi ſupra.*

34. Non a caſibus Bullæ Cœnæ, nec a reſervatis Papæ, vel Ordinario loci, neque ab excommunicatione lata ab homine, neque in irregularitate diſpenſare poſſunt, *ibid.*

35. Eleemoſynæ colligi debent ab præſcriptum Ordinarii, remotis capſis, & menſis, *ibid.*

36. Neque liceat ſine licentia Epiſcopi quæritare eleemoſynam. Prov. 5.

37. Oneribus ſatisfaciant, aut in propria Parochiali, aut in Eccleſiis intra ejus Parochiæ fines ab Epiſcopo deſignatis, niſi teſtatores aliud ſtatuerint. Prov. 7.

38. Anniverſaria, & quæ ſeptimo, vel trigeſimo die fiunt Officia, in Parochialibus fiant, niſi habeant jus ſepulturæ. *ib.*

39. Et cum Parocho quoque præſente, qui Officium peragar, & quando ſcilicet ibi cadaver eſt ſepultum, *ibid.*

40. Duplicata eo caſu detur Parocho eleemoſyna, *ib.*

41. Parochus intra cujus fines eſt Eccleſia Confraternitatis, debet adeſſe funeribus, quæ fiunt in dicta Eccleſia, & idem debet cantare Miſſas ſolemnes, alioquin cantet Capellanus. Congreg. Epiſcop. 20. *Auguſti* 1601. *V. Parochorum munera, n.* 21.

42. Ne invitent Confratrem tacite, vel expreſſe, ut ſibi eligat ſepulturam in eorum Eccleſiis, in quibus eſt jus ſepulturæ, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Prov. 7.

43. Et quidquid inde detrimenti cœperit Eccleſia Parochialis, ſeu alia, cui ſepeliendi jus competebat, totum reſarciant, *ibid.*

44. Neque poſſint aſſociare funus ullum, niſi, qui obiit unus ſit ex ipſis, vel facultatem in ſcriptis obtinuerint ab Ordinario; quibus caſibus nihil conſequantur. *ibid. V. exequiæ n.* 29.

45. Pſalmodia ad mortuorum corpora, thurificatio, aquæ aſperſio laicis Confratribus ne permittatur. *ibid.*

46. Sepultura nemini in eorum Oratoriis, Eccleſiiſve concedatur, niſi Epiſcopo conſtet id ei licere; ubi vero jus ſepulturæ conceſſum eſt confratribus, nemini alio, neque jure electionis; ſed neque ipſis quidem confratribus; niſi per ſex menſes ante obitum ſint adſcripti. Prov. 5.

47. Ad ſolemnes Cleri proceſſiones accedant. Prov. 2.

48. Fiat proceſſio quotannis ab omnibus ſimul Confratern. in Civitate; in Diœceſi vero in propriis locis ſumpta ab iiſdem ſacra Communione, in gratiarum Actionem de dono indulgentiæ conceſſo a Sede Apoſtolica. Prov. 3.

49. Dignior locus detur antiquiori Confraternitati, quæ habitum prius aſſumpſerit de Epiſcopi, aut Papæ facultate, & ſolita fuerit antea obire ſupplicationes, licet tempore ſit inferior, & minoribus gaudeat Privilegiis. Prov. 6.

50. Cum proceſſiones agunt, Sacerdotem ſecum habeant. Prov. 5.

51. Neque Crucem, quæ per Clericos præferri ſolet, deferant, ſed imaginem Crucifixi, & Sanctorum. Prov. 7.

52. Nocturne obeant ipſi proceſſiones ſine licentia Epiſcopi, & cum certis regulis. Prov. 6.

*V. Indulgentiæ n.* 24. *Juſpatronatus. n.* 36. *Monialium Eccleſia, n.* 15. *Præcedentia, n.* 2. 3. *Proceſſio n.* 13. 49. *Seminarium Clericorum, n.* 33. *Viſitatio Epiſcopi, n.* 4. 23. 24. 25. 42.

## ADDITIO.

1. Confraternitati Roſarii non competit præcedentia ſuper alias, quæ ante illam habent habitum. Congreg. 9. Decembr. 1617.

2. Item dic de Confraternitate Corporis Chriſti in proceſſione ejuſdem, ead. 30. Septemb. 1628.

3. Non poſſunt Confraternitates in ſuis Eccleſiis per ſuos Capellanos facere ſolemniter calebrarare, confeſſiones audite, ſepelire, Sacramenta miniſtrare, & ſimilia, quæ ad ſolum Parochum ſpectant, ſine licentia Ordinarii, & Parochi, eadem 18. Maji 1602. 14. Januar. 1612.

### *Conſervatores.*

1. LItteræ Conſervatoriæ non ſuffragantur ad hoc, ut coram ſuo quiſque Ordinario in criminalibus, & mixtis cauſis non poſſit accuſari, & contra eum inquiri, *c.* 9. Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5.

2. In civilibus etiam cauſis, ſi ipſe auctor fecerit aliquem trahere in judicium, ei non licet apud ſuos Conſervatores judices, *ib.*

3. Litterarum Conſervatoriarum beneficium ultra quinquennium non valet, *ibid.*

4. Et durante quinquennio mutati non poſſunt, niſi ex cauſa legitima. Greg. XV. Anno 1621.

5. Expirat etiam Officium morte concedentis, niſi negotia ſint incepta, DD. apud Barboſ. *alleg.* 506. *n.* 50.

6. Vi-

Digitized by Google

6. Vicarii Generales non poſſunt eſſe Conſervatores. DD. apud Barboſ. *ibid. n.* 13. Affirmant alii poſſe, *ibid.*

7. Neque Priores, ſeu Guardiani, aut alii Regulares. Congr. Epiſcop. *6. Octob.* 1617. *apud Barboſ. ſupra n.* 15.

8. Debent autem eſſe Judices electi in Provinciali, vel Diœceſana Synodo. Gregor. XV. *ſupr.*

9. Alioquin per annum coram Ordinario cognoſcantur cauſæ, *ibid.*

10. Electio facta exhibeatur Ordinario infra duos menſes, alias coram eo agantur cauſæ, *ibid.*

11. Non poſſunt deputare Subconſervatores, DD. apud Barboſ. *ſupra n.* 4.

12. Neque habent juriſdictionem, niſi in caſibus, * in quibus Regulares ſunt rei; neque extra civitates, aut Diœceſes, in quibus deputantur. Greg. XV. *ſupra.*

13. Non tamen ſublata eſt facultas, quam habent Conſervatores defendendi Regulares a manifeſtis injuriis, ac violentiis, dummodo obſervent formam præſcriptam in Conſtitutionibus Innoc. IV. & Bonif. VIII. relatis *in c.* 1. *& fin. de Offic. deleg. in 6.* declar. Congr. Concil. edita *Anno* 1624. *

14. Conſtitutio Gregorii XV. de Conſervatoribus non afficit Religionem Jeroſolymitanam, niſi quoad Judices Conſervatores, eidemque Religioni adhuc ejuſmodi Judices Conſervatores eligendi competit. Congr. Concil. *6. Febr.* 1627. *& Urbanus VIII. 17. Febr.* 1628. *

15. Orta controverſia inter Conſervatorem, & Ordinarium ſuper juriſdictione, per arbitros judicetur. Trid. *ſupra.*

16. Et hi eligantur ante progreſſum cauſæ, Greg. XV. *ſupra.*

17. Nullum habeant proprium tribunal. Trid. *loco cit.*

18. In Mediolanenſi Provincia ſervetur Conſtitutio Gregorii XIII. Prov. 7. nimirum,

19. Quod iis in Curia tantum Epiſcopali, loci, ubi deputati ſunt, jus reddere teneantur, alibi minime, ne partibus quidem conſentientibus.

20. Cauſas, quæ judicialem requirunt indaginem, non debent attingere.

21. Sed eas tantum cognoſcant, quæ a jure ſunt conceſſæ de manifeſtis injuriis, & violentiis,

22. Neque facultatis fines excedant ſub pœna annuæ ſuſpenſionis ab Officio, & nullitatis proceſſus: pars autem excommunicationi ſubjaceat,

23. Orta controverſia præter arbitros, liceat Conſervatori ad ſuum confugere Superiorem.

24. In cauſis ne pronuncient, prout in cædula, neque habeant terminum pro ſervato; ſed libere ſententiam ferant, & de ſcripto publicent.

25. Pup[illegible] accipere non poſſint, ſi conſtitutum habent ſtipendium; [illegible] quin eas moderatas juxta taxam Greg. XIII. per manus Notarii, ſententia publicata.

26. Quicquid ultra taxam receperint, reſtituant; neque valet dantium remiſſio, liberalitas, aut gratia, etiam in foro conſcientiæ.

27. Depoſitio pecuniæ notetur a Notario quo die facta eſt.

28. Neque deponatur niſi poſt traditam Notario ſententiam.

29. Ante diffinitivam nihil omnino accipiant, neque pro interlocutoriis, aliiſve Decretis, neque pro legendis ſcripturis, & proceſſibus.

30. Aſſeſſores, ſeu arbitri, nihil eo nomine accipiant, ob viſas ſcripturas, aut deciſivum ſuffragium, & in foro conſcientiæ tenentur reſtituere.

31. Eſculenta, & poculenta triduo conſumptibilia non prohibentur accipi.

32. Advocatos, Procuratores, Solicitatores, qui cauſas apud ipſus agant, neque verbo nominent, aliove modo deſignent, neque domi in contubernio habeant.

33. Notario ſibi ſumant e Curiis tantum Epiſcopalibus.

34. Qui taxam ſui Ordinarii ſequantur, & exigant, præterquam in caſibus a Greg. XIII. expreſſis, in quibus, ſi taxæ minores ſunt Ordinariorum, eæ omnino ſerventur. Hæc omnia Gregor. XIII. *4. Jun.* 1580. * *V. Regularium jura ſub Epiſcopis, num.* 55. *ſeqq.*

## A D D I T I O.

1. Abbates Olivetani poſſunt eligi in Conſervatores. Cong. Conc. 2. Mart. 1610. ſi fuerint electi Judices Synodales.

*Contractus.*

1. SOcietates cum capituli ſalvo ſunt uſurariæ, etiam in caſu fortuito. Sixtus V. Anno 1586.

2. Sub pœna nullitatis prohibentur, & aliis uſuræ pœnis, *ib.*

3. Cenſuræ creari debet ſuper re immobili, fructifera, & certis finibus deſignata. Pius V. Anno 1589.

4. Item in pecunia numerata, coram Notario, & teſtibus in actu inſtrumenti, *ibid.*

4. Sine ulla conventione de caſu fortuito, *ibid.*

6. Cum libertate vendendi rem illam abſque laudemio, &c. & quomodocumque alienandi, *ibid.*

7. In venditione tamen præferatur dominus cenſus, & per menſem expectetur, *ibid.*

8. Pacta de lucro ceſſante ob moram ſolutionis ſeu alia ſimilia, nulla ſint, *ibid.*

9. Neque cenſus augeatur, neque novus creetur ſuper eadem re, vel alia pro cenſibus temporis præteriti, vel futuri, *ibid.*

10. Neque imponantur onera, quæ ſunt extra naturam hujus contractus, *ibid.*

11. Pereunte re in totum, vel ex parte, pro rata pereat cenſus, & pro rata poſſit extingui, *ibid.*

12. Pro extinctione fiat denunciatio ante duos menſes, & poſt denunciationem intra annum omnino ſalvatur pretium, *ib.*

13. Si non extinguatur, adhuc ſemper extingui poteſt, *ib.*

14. Neque pactum ullum fiat ob non extinctum cenſum, *ib.*

15. Aliter creati cenſus habeantur fœneratitii, *ibid.*

16. Res infructifera ea eſſe declaratur, quæ tota, vel ex parte infructuoſa perpetua redditur, non aliquibus annis. Pius V. 1570.

17. Neque prohibetur, quin poſſint repeti expenſæ, quæ fiunt litigando contra moroſum debitorem, *ibid.*

18. Neque prohibentur fidejuſſores, aut hypotheca bonorum pro evictione rei gravatæ cenſu, aut pro ſolutione cenſus, *ib.*

19. In caſu dotis aſſignandæ, non eſt neceſſaria pecunia coram Notario, & ſatis eſt etiam idonea ſchedula bancaria pro pecunia numerata, *ibid.*

20. Cenſus ſuper bonis Communitatum ſtatus Eccleſiaſtici non poſſunt excedere ſeptem pro centenario. Clem. VIII. apud Nalb. *V. Cenſus num.* 15.

*Convertitæ.*

1. COnſtitutiones Convertitarum ſerventur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de Reg.*

2. Numerus certus ne in iis conſtituatur, nec habeat locum in iis, quod loco dotis, & alimentorum in aliis Monialibus eſt decretum. Prov. 6.

3. In iis recipiendis ſufficit conſenſus majoris partis Capituli, *ibid.*

4. Item in iis admittendis ad profeſſionem, *ibid.*

5. Profeſſio emittatur ea ætate, eoque temporis ſpatio, quibus jure communi liceat, aut earum ſtatutis eſt cautum, *ib.*

6. Quæ poſt annum probationis non ſunt habiles ad profeſſionem, aut eam ſe emittere recuſant, e Monaſteriis, niſi cauſis jure permiſſis, ne ejiciantur; ſed tempus Novitiatus prorogetur, *ibid.*

7. Neque eæ, quæ non ſunt habiles ad Officium, etiamſi domus illa non egeat Converſis, contra inſtitutum repellantur, *ibid.*

*V. Monialium Clauſura, per totum.*
*Monialium educatio activa, num.* 4.
*Monialium cura temporalis, num.* 19.

*Corporale.*

1. EX lino debet eſſe, *cap. Conſulto de conſ. diſt.* 1.

2. Ex canabe fieri poteſt. Azor. *lib.* 10. *c.* 28. *q.* 8.

3. In extrema parte ejuſdem addi poteſt ſericum, & aurum. Suar. *3. part. diſ.* 81. *ſeſſ.* 6.

4. Crux acu pingi poteſt in anteriori parte. Acta Mediol. Eccl. *de ſacr. ſupellect.*

5. Benedicitur una cum palla. Pont. Rom.

6. Non debet tangi a laicis, nec a ſacratis fœminis, *cap. Sacratas diſt.* 23.

7. Neque lavari debet in vaſe communi. Ordo Rom.

8. Poſt primam lotionem poteſt tangi, & reparari a non ſacris, antequam iterum adhibeatur. Sylv. *V. Corporalia q.* 1.

9. Poſt uſum, & poſt lotionem non debet iterum benedici. Idem *ibid. q.* 2.

*Curiales.*

*V. exempti, num.* 3. 4.

*Decimæ.*

1. SOlvantur integræ ab iis, ad quos ſpectant. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12.

2. Qui eas ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec abſolvantur, niſi plena reſtitutione ſequuta, *ibid.*

3. Evulgetur hoc Decretum Concilii in Dominica prima Adventus. Prov. 1.

4. Non poteſt Epiſcopus alicui concedere immunitatem a Decimis per viam privilegii. Monet. *de Decim. c.* 5. *q.* 2. *conc.* 1.

5. Poteſt remittere Decimas, maxime ſuæ menſæ debitas ex juſta cauſa, *ibid.*

6. Item interponere Decretum, & conſenſum in compoſitione ſuper ſolutione Decimarum, *ibid.*

7. Decimarum Eccleſiaſticarum inveſtituras in perpetuum factas laicis, ſed minus legitime, declaret irritas Epiſcopus in earum recognitione. Prov. 3.

8. Privilegium conceſſum Religioſis aliis de non ſolvendis Decimis, etiam ex agris antiquitus cultis, non extenditur

ad

ad eas, in quarum poſſeſſione is eſt, cui de jure competunt Decimæ. Monet. *ſup. concl.* 3.

9. Conſuetudo nihil ſolvendi Eccleſiæ miniſtris, quantumcumque longa, non valet, quando miniſter ſuſtentari non poteſt in Parochia. *ibid. q.* 4. *concl.* 2.

10. Valet compoſitio inter Perſonas Eccleſiaſticas, ut Decimæ uni Eccleſiæ debitæ, ſolvantur alteri. Idem *ibid. qu.* 6. *concl.* 1. & 2.

11. Accedente conſenſu Epiſcopi, *ibid. concl.* 1. & 2.

12. Valet compoſitio, & tranſactio ſuper Decimis decurſis ſine conſenſu Superioris, *ibid. concl.* 3.

13. Non valet de futuris ſine conſenſu Papæ, *ib. concl.* 4.

14. Valet, ſi compenſetur Eccleſia aliis in rebus de conſenſu Epiſcopi, *ibid.*

15. Decimæ Epiſcopales poſſunt remitti perſonis Eccleſiaſticis de conſenſu Capituli. Idem *quæſt.* 7. *concl.* 1.

16. Non poteſt remitti Decima Parochialis alicui laico de conſenſu Epiſcopi, *ibid. concl.* 2.

17. Conſuetudo circa portionem, & quantitatem Decimæ attendenda eſt, *ibid. q.* 4. *concl.* 1.

18. Exactio Decimarum Capituli, etiam ab iis de Capitulo ad ſuum uſum conduci poteſt, facultate ab Epiſcopo data, cum gravis cauſa urgebit. Prov. 4.

19. Qui decimas debet, biduo ante moneat Rectorem, quam bona ſua in domum ſuam portet, niſi aliter ſit cautum. Prov. 3.

20. Debent inferri in horrea Clericorum, ubi ſine magno ſumptu, & labore id fieri poſſit. Monet. *cap.* 6. *q.* 1. *concl.* 5.

21. Non poſſunt aſportari fructus donec Clerici certiores fiant de collatione, niſi obſtet conſuetudo, *ib. concl.* 2. & 4.

22. Decimæ prædiales debent ſolvi ſtatim ac fructus collecti ſunt, *ib. q.* 2. *concl.* 5.

23. Decimæ perſonales regulariter in fine anni, *ib. concl.* 2.

24. Attenditur conſuetudo, *ibid. concl.* 4.

25. Non poſſunt propria auctoritate capi, ſed peti debent, *ib. q.* 3. *concl.* 4.

26. Poteſt Epiſcopus nomine cujuslibet Eccleſiæ Parochialis ſubjectæ ad Decimas agere, quando non eſt Curatus, qui agat. Idem *cap.* 7. *q.* 1. *concl.* 7.

27. Non ſolvens excommunicari poteſt, ac debet. Idem *ib. cap.* 8. *qu.* 5. *concl.* 1.

28. Poteſt judex ex officio procedere contra non ſolventem, *ib. q.* 6. *concl.* 1.

29. Cauſa Decimarum eſt executiva, appellatione remota, invocato etiam brachio ſæculari, nulla compenſationis habita ratione, *ibid. q.* 4. *tota*.

30. Si quæſtio ſit de Decimis inter Clericos cauſa eſt ſummaria, *ib. cap.* 8. *q.* 4. *concl.* 1.

31. In viſitatione poteſt Viſitator cogere ſubditos ad ſolvendum Parocho Decimas, *ib. d. q.* 6. *concl.* 2.

32. Poſſunt denegari Decimæ deneganti injuſte Sacramenta, *ib. cap.* 7. *q.* 1. *concl.* 11.

33. Poteſt Epiſcopus etiam Decimarum aſſignatione augere redditus Eccleſiæ Parochialis adeo exiguos, ut debitis nequeant oneribus ſatisfacere, *ib. cap.* 8. *q.* 8. *q.* 6. *concl.* 3.

34. Laicus conductor Decimæ debet conveniri coram Judice Eccleſiaſtico. Idem *ibid. q.* 1. *n.* 17.

## ADDITIO.

1. Clerici non tenentur ſolvere Decimam ſuorum Beneficiorum. DD. cum Barboſa *de jure Eccl.* 3. *c.* 26. §. 3. *n.* 8.

2. Sed bonorum ſuorum ſæcularium, quicumque ii ſint, licet non ſint ſubditi Parocho, *ib. n.* 10.

3. Pertinentes ad Eccleſiam Matricem non tranſeunt ipſo jure in Parochialem Eccleſiam noviter erectam, ſed remanent apud Matricem, niſi eas Epiſcopus novo Parocho aſſignaverit ad præſcriptum Conc. Trid. Cong. Conc. 11. Mart. 1617.

4. Decimæ ratione prædiorum acquiſitorum per Regulares ſolvendæ ſunt, donec doceant de ſufficienti privilegio, ead. 4. & 18. Decemb. 1627. 1. Sept. 1629. 13. Apr. 1630.

### *Degradatio.*

1. AN ſit neceſſaria Degradatio realis in caſibus, in quibus Clerici in minoribus ſunt puniendi a laico Judice: Affirmant, Negant DD. apud Barb. *alleg.* 110. *n.* 8.

2. Ad ſolemnem Clerici Degradationem, quot & qui concurrant. Vide Tr. *ſeſſ.* 13. *cap.* 4.

3. Epiſcopus electus, non conſecratus, non poteſt actualiter Clericum degradare. Barb. *de pot. Epiſc. alleg. cit. n.* 24.

4. Epiſcopus cognoſcit contra exemptos in omnibus criminibus requirentibus actualem Degradationem. DD. apud Barb. *ibid. num.* 28.

5. Aſſiſtentes Degradationi debent adeſſe in cognitione cauſæ, & in pronuncianda ſententia ferre ſuffragium, *ib. n.* 25.

6. Prælati Religioſorum non habent facultatem Degradandi ſuos ſubditos, *ibid.*

7. Verbalem Degradationem merentur adulterium, concubinatus, perſeverans poſt monitionem in ſimonia notoria, ſtuprum, inceſtus, furtum, perjurium, homicidium, etiam ſi ſit patratum ſolo conſilio, delictum, quo quis ſua culpa permittit decedere ſuum Parochianum ſine Baptiſmo, & alia, quæ inferunt irregularitatem. Monet. *de diſtrib. q.* 17. *n.* 6.

8. Realem merentur hæreſis, crimen falſi in litteris Apoſt. & conſpirationis in proprium Epiſcopum. DD. apud Barb. *c. l. n.* 11.

9. Item quando quis commiſit immane delictum, puta homicidium qualificatum: & in proditoriis, patricidio, fratricidio, combuſtione Eccleſiæ, aſſaſſinio, & ſimilibus, *ib. n.* 13.

10. Item non Ordinatus, Celebrans, vel ſacramentalem audiens Confeſſionem. Clem. VIII. 1. Decembris 1601.

11. Item ſolicitans mulierem in Confeſſione, ſi delictum ſit grave. Gregor. XV. *in ſuo Decreto*.

12. Item criminis nefandi reus. Pius V. in Bulla. *V. Si exercuerit*. Barboſ. *alleg.* 44. *num.* 25.

13. Item reus de abortu animato. Quaranta. *V. Abortus n.* 6.

14. Degradatum non poteſt reſtituere Epiſcopus. Sylveſt. *Degradatio quæſt.* 9.

15. Niſi verbaliter tantum Degradatum. Tolet. *lib. p. cap.* 50. *n.* 7.

### *Diaconi Selvatici.*

*V. Clericus, num.* 86.

### *Diſpenſatio.*

1. DIſpenſationes quacumque auctoritate concedendæ ſummarie recognoſcantur a locorum Ordinariis. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 5.

2. Fiant cauſa cognita, urgenti, & juſta ratione, ſumma maturitate, & gratia, aliter cenſeantur ſurreptitiæ. Idem *ſeſſ.* 25. *cap.* 18.

3. Circa Canones Pontificios, qui imponunt legem ipſis Epiſcopis, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi reperiatur hoc conceſſum. Sylv. *V. Diſpenſatio q.* 13.

4. Quoties in jure exprimitur, ut cum aliquo poſſit diſpenſari, & non dicitur, per quem, diſpenſare poteſt Epiſcopus. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 99. *num.* 4.

5. Et poteſt in materia levi. Sà, *Diſpenſatio num.* 9.

6. Diſpenſatio non impeditur, ſi dum Papa tribuit facultatem diſpenſandi, diſpenſandus iterum copulam habeat cum ea, pro qua impetratur Diſpenſatio. Bon... *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *propoſ. unic. num.* 4.

7. Diſpenſationem obtinentem cum ea clauſula: *juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus*: non tenetur eas Commiſſario ſignificare. Deciſum refert Nald. *Diſpenſatio n.* 18.

8. Archiepiſcopus non poteſt diſpenſare in Decretis Synodi Provincialis. Barboſa *de poteſt. Epiſc. Alleg.* 34. *n.* 8.

9. Epiſcopus poteſt diſpenſare in propriis Conſtitutionibus ſine cauſa. DD. apud eumdem *ibid. num.* 2.

10. Et in Diœceſanæ Synodi Decretis, *ib. n.* 3.

11. Niſi ille juramento ea firmaverit, *ibid. num.* 5.

12. Et niſi conſtitutio tranſierit in contractum in alterius commodum, *ibid. n.* 6.

13. Et niſi ſint confirmata auctoritate Apoſtolica, *n.* 7.

14. Poteſt diſpenſare cum illegitimo ad beneficium ſimplex, cui eſt unita Parochialis. DD. apud eumdem *alleg.* 66. *num.* 48. *Plura infra V. Illegitimi.*

15. Poteſt item ex cauſa in voto, & juramento, non in præjudicium tertii, cui ſit jus quæſitum; Mirand. *in Man. Prælat. tom. . q.* 47. *art.* 4. *concl.* 1.

16. Etiam electus, non conſecratus. Barb. *alleg.* 36. *n.* 6.

17. Reſpectu ſubditorum, non eorum, qui habitationem ibi tantum habent, ut ſcholares, *ibid. num.* 17.

18. Item in voto continentiæ, ſi detur urgens cauſa, & periculum in mora, ſi adeatur Papa, idem *alleg.* 37. *n.* 8.

19. Item in voto caſtitatis ad tempus, *ibid.*

20. Item de non contrahendo matrimonio, *num.* 17.

21. Item in voto virginitatis, ſi intendat ſolum fugere primum actum venereum, *num.* 18.

22. Item in voto ſuſcipiendi ſacros Ordines, *num.* 19.

23. Non poteſt in quinque votis, ſeu juramentis de Religione, caſtitate perpetua, peregrinatione in terram ſanctam, ad limina Apoſtolorum, & Compoſtellam. DD. communiter, etiam ſi ſint conditionata, *ibid. num.* 5.

24. In dilatione horum ad aliud tempus ſi vovens ſibi tempus præfinivit, poteſt diſpenſare. Barboſa *loc. cit. n.* 15. 16.

25. De voto peregrinationis ad Ædem Lauretanam, an ſit Papæ reſervatum? Affirmat Navarr. dubitat Suarez apud Barboſam *alleg.* 37. *num.* 3.

26. Si vota prædicta quinque fiant in pœnam alicujus peccati, an poſſit Epiſcopus diſpenſare? affirmant, negant DD. *ibid. n.* 7.

27. In matrimonii impedimentis ſolo jure Pontificio dirimentibus non poteſt Epiſcopus. Deciſum refert Garz. *de benefic. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 344.

28. In impedimentis, quæ non dirimunt contractum, poteſt, Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 17. *num.* 15.

29. Poteſt etiam in ſequentibus dirimentibus.

Primo, quando eſt occultum, bonaque fide matrimonium eſt publicum, nec ad Papam facilis eſt recurſus, neque poſſunt conjuges ſeparari. DD. apud Barboſam *alleg.* 35. *n.* 3.

Secundo ex magna neceſſitate, & urgentiſſima cum periculo infamiæ, &c. *num.* 5.

Ter-

Tertio, quando impedimenta ſuperveniunt matrimonio, & impediunt petitionem debiti, *n.* 8.

30. Si tamen adſit Nuncius Apoſtolicus habens facultatem diſpenſandi, ad hunc tutius recurritur, *num.* 10.

31. Vicarius Generalis ſine mandato ſpeciali non poteſt in prædictis, *num.* 13.

32. In dubio an res egeat diſpenſatione, poteſt Epiſcopus declarare, illam non deſiderari, vel ad cautelam diſpenſare, *n.* 18.

33. Poteſt item cum minoribus non habentibus requiſitam ætatem ad matrimonium, quando ſunt prope ætatem, & dubium eſt an malitia ſuppleat ætatem, *num.* 20.

34. Item cum eo, qui poſt votum ſimplex caſtitatis contraxit matrimonium ratum, ut poſſit petere debitum. Idem *alleg.* 37. *num.* 9.

35. Et cum eo, qui poſt matrimonium emiſit votum caſtitatis, ut poſſit petere debitum, vivente conjuge tantum, *n.* 10.

36. Et cum iis, qui mutuo conſenſu emiſerunt votum caſtitatis, ſi detur periculum incontinentiæ, & aditus ad Papam ſit diffitilis, *num.* 11.

37. Et cum eo, qui commiſit inceſtum, ut petat debitum, *n.* 12.

38. In diſpenſatione matrimoniali pœnitentia injuncta inceſtuoſo poteſt ab Epiſcopo delegato commutari ex cauſa. Deciſum Romæ refert Genuenſ. *in praxi Neapol. cap.* 20.

39. Qui poteſt diſpenſare, poteſt etiam commutare, non e contra. Barboſa *alleg.* 37. *num.* 21. & 25.

*V. Cenſura, num.* 1. *& ſeqq. Clericus concubinarius, n.* 9. *Irregularitas per totum. Ordines majores, num.* 45. *Regularium jura ſub Epiſcopis, num.* 77.

### *Doctor.*

1. EPiſcopus in dando gradu Doctoratus non ſervans Clementinam 2. *de Magiſtrat.* ſuſpenditur per ſex menſes a poteſtate dandi gradus, *ut ibid.*

2. Doctoratus a Comite Palatino in quacumque facultate nullius eſt nunc auctoritatis, quoad dignitates, & beneficia. Pius V. Anno 1565. apud Nald. *Doct. num.* 11.

3. Conferens gradum Doctoris, niſi ſub certa limitatione, ſit ſuſpenſus a collatione gradus. Barboſa *alleg.* 111. *n.* 38.

4. Theologus præcedit, poſt Canoniſta, deinde Legiſta, ultimo Medicus. Sylv. V. *Doctor, q.* 2.

*V. Cap. Sede vac. num.* 56. *Fidei Profeſſio, num.* 24.

### A D D I T I O.

Ratione Doctoratus inter Canonicos Presbyteros nulla datur præcedentia, nec præeminentia. *Cong. Rit.* 19. *Mart.* 1611.

### *Doctoralis Præbenda.*

1. CAnonici Doctoris hujus Præbendæ, officium eſt, defendere jura Eccleſiæ, ſive ſpectent ad bona, ſive ad præeminentiam Eccleſiarum. Garz. *de benef. tom.* 5. *p.* 5. *c.* 4.

2. Neque dari debet illi in hanc cauſam aliquod aliud ſtipendium. Idem *ibid.*

3. Sed debeat eo caſu haberi tamquam præſens in Choro. Idem *ibid.*

4. Si exit a loco, debetur conveniens ſtipendium pro itinere, &c. Idem *ibid.*

### *Doctrina Chriſtiana.*

1. IN Dominicis, & feſtis diebus in ſingulis Parochiis doceantur pueri fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes, ab iis, ad quos ſpectant, cenſuris etiam adhibitis contra eos, qui docere debent, Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 4.

2. Sodalitas Doctrinæ Chriſtianæ inſtituatur. Prov. 2.

3. Ubi non poteſt, duo, vel tres homines ad id aptiores eligantur, qui adjuvent, *ibid.*

4. Inſtituantur ſcholæ, etiam extra Parochiales Eccleſias, in locis commodioribus Prov. 4.

5. Conſtituantur loca ab Ordinariis, pro tradenda Doctrina Chriſtiana. Pius V. Anno 1571.

6. In ſingulis Vicariatibus conſtituatur aliquis Eccleſiaſticus, qui ſcholas viſitet, & tertio quoque menſe Vicarium Generalem certiorem faciat de earum ſtatu. Prov. 7.

7. Scholæ omnes eo ordine ubique inſtituantur, ut unum corpus conſletur ſub Urbano Priore Generali, *ib.*

8. A prandio convocentur pueri. Prov. 1.

9. Clerici quicumque Choro non addicti Parochum adjuvent. Prov. 5.

10. Graviter moneantur patres, & domini, qui negligunt eam doceri filios, & ſervos ſuos, iiſque Confeſſarii graviſſimam pœnam imponant, *ibid.*

11. Non poſſunt compelli pueri ad diſcendam Doctrinam Chriſtianam pœnis, & mulctis, ſed ii quorum intereſt docere. Deciſum refert Prax. Epiſcop. *V. Doctrina Chriſtiana* §. 3.

12. Muſicæ cantiones, ſymphoniaca inſtrumenta arceantur ab his ſcholis. Prov. 7.

13. Viſitentur a Præfectis ſcholæ, neque eo tempore, quo ſcholæ habentur, concio fiat. Prov. 3.

14. Indulgentiæ conceſſæ in hanc cauſam ſemel evulgentur ante Kalendas Maji, & in Kalendis ipſis fiat Communio cum Proceſſione generali, *ibid.*

15. Intra Miſſarum quoque ſolemnia Parochi recitent Orationem Dom. Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum repetente populo rudiori, & ſæpius explicent. Prov. 5.

16. Antequam confiteantur, eadem pœnitentes recitent, *ib.*

17. Quæ ſi neſcierint, & poſt certum tempus, ne audiantur, inconſulto Deputato ab Epiſcopo, ſeu Vicario Foraneo, *ibidem*.

18. Aliquibus remitti poteſt prædictorum recitatio, judicio eorum Confeſſariorum, quibus id Epiſcopus conceſſerit. Pr. 6.

*V. Confraternitates, num.* 31.

### A D D I T I O.

Poteſt Epiſcopus per viam præcepti pœnalis obſtringere Parochos ad docendum doctrinam Chriſtianam: non autem ſub pœna peccati mortalis. *Congr. Epiſcop.* 22. *Novemb.* 1592.

### *Duellum.*

1. QUI locum ad monomachiam in terris ſuis conceſſerint; eo ipſo ſunt excommunicati, & juriſdictione, dominiove loci, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19.

2. Si feudalia ſint, directis dominis ſtatim acquirantur, *ib.*

3. Si ex condicto permiſerint, aut non prohibuerint, mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, ſcienter miniſtrantes, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocii, eiſdem cenſuris ſubjaceant, quibus duellantes, etiamſi illi impediti pugnam non commiſerint. Greg. XIII. *Anno* 1582.

4. Qui pugnam commiſerint, & eorum patrini, excommunicationis, bonorum proſcriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnas incurrant, & uti homicidæ puniantur. Trid. *loc. cit.*

5. Si ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura, *ibid.*

6. Qui ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco convento monomachiam commiſerint, etiamſi nulli patrini, ſociive ad id vocati ſint, nec loci ſecuritas habita, nullæve litteræ provocatoriæ, aut denuntiationis chartulæ proceſſerint, cenſuris Concil. Trid. & pœnis tenentur, ac ſi certamen iniviſſent publico, & ſolito abuſu. Gregor. *loco cit.*

7. Extenduntur prædicta ad omnem locum. Clem. VIII. Anno 1592.

8. Et quomodocumque, & titulo quovis ineatur duellum, *ib.*

9. Et qui ſcripta in hanc cauſam dictarint, ſcripſerint, detulerint, affixerint, impreſſerint, ſubſcripſerint, ſeu verbo denunciaverint, *ibid.*

10. Non comprehenduntur hoc loco Epiſtolæ privatæ, quæ ordinarie ſcribuntur. Congr. Epiſc. 6. Septemb. 1593.

11. Qui conſilium, &c. ut ſupra num. 3. etiam effectu non ſecuto nec acceſſu, nec actu proximo ad pugnam, prædictas cenſuras, & pœnas ſubeant. Clem. *ſup.*

12. Excommunicatio eſt Papæ reſervata. Idem *ibid.*

13. Pœnæ aliæ privationis beneficiorum, officiorum, inhabilitatis ad illa imponuntur, *ibid.*

*V. Caſus Reſervati, num.* 3.

### *Eccleſia.*

1. ECcleſia nova ne conſtruatur ſine licentia Epiſcopi. DD. apud Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg. num.* 1.

2. Neque Regularium in loco non exempto. Idem *ib. n.* 3.

3. Attendatur autem præjudicium Parochialis Eccleſiæ, *ib. n.* 5.

4. Sufficit, quod Epiſcopi conſenſus ſit tacitus. Idem *loco cit. num.* 2.

5. In locis exemptis neceſſaria eſt licentia Papæ. Sylv. *V. Eccleſia, quæſt.* 1.

6. Non debet ædificari ſine dote; alioquin Epiſcopus de ſuo dotare debet. DD. Barboſ. *alleg.* 74. *num.* 2.

7. Quæ ſufficiat Rectori, & Clericis ad victum. Id. *ib. n.* 3.

8. Non poteſt Epiſcopus aſſignare fabricæ Eccleſiæ pauperis de fructibus ſuperfluis alterius Eccleſiæ, *ibid. n.* 17. concedit Sanchez cum aliis, *lib.* 3. *de matrimonio diſp.* 19. *n.* 14.

9. Non poteſt impedire ædificium Eccleſiæ ſufficienter dotatæ, ſine cauſa rationabili. Deciſum in Rota Rom. 28. Februar. 1591. *coram Mantica.*

10. Eccleſia ſufficienter dotata pro omnibus etiam Capellis, non eſt neceſſario dotanda unaquæque Capella. Nald. *Capellania, num.* 6.

11. Eccleſia mutari non poteſt de loco ad locum ſine licentia Papæ, & Epiſcopi. Barboſ. *alleg.* 26. *num.* 8.

12. Eccleſiæ collapſæ, vel quæ nequeunt inſtaurari, vocatis, quorum intereſt, transferri poſſunt in Matrices, aut alias vicinas arbitrio Epiſcopi cum beneficiis ſimplicibus, etiam de jurepatronatus, erectis Altaribus, cum oneribus priorum Eccleſiarum. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 7.

13. Reparationi Cathedralis ad Epiſcopum ſpectantis ſuppleat Capi-

Digitized by Google

Capitulum de ſuperfluis fructibus beneficiorum vacantium, Barboſ. *alleg.* 64. *num.* 5.

14. Vel compellantur Parochiani, *num.* 6.

15. Parochiales reficiantur ex fructibus; qui ſi non ſufficiant, cogantur Patroni, aut Parochiani, aut certe transferantur, ut ſupra. Trid. *loco cit. cap.* 7.

16. Populo nolente ſuam Eccleſiam inſtaurare, diruatur, Deciſum refert Ricc. *in praxi reſol.* 201.

17. Penſionarius tenetur pro rata ad reparationem Eccleſiæ, ſi non eſt liber ab onere. Nav. *conſ. un. de Eccleſ. ædif.*

18. Non ſunt profanandæ Capellæ ſine cauſa; & earum cementa potius tribuenda ſunt Eccleſiæ, quæ eſt caput dictarum Capellarum. Deciſum refert Ricc. *in praxi d. reſ.* 201.

19. Eccleſia diruta in profanos uſus, non ſordidos, erecta ibi Cruce, converti poteſt, Trid. *loco cit.*

20. Profanari non poteſt, ut fiat ibi domus pro Curato, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Congr. Epiſc. 6. Aug. 1601.

21. Lapides, cementa, ligna vendi poſſunt, laicis etiam, non tamen ad uſum ſordidum, Prov. 5.

22. Sacrilegii pœnas incurrunt, qui lapides, vel ornamenta e templis divinis eripiunt, ut ipſa in uſus proprios convertant. Sixt. IV. apud Nald. *Sacrilegium, num.* 13.

23. Transferantur eo caſu Reliquiæ Sanctorum, & Sacræ Imagines decenter. Prov. 4.

24. Oſſa item Defunctorum transferantur cum Pſalmis, *ib.*

25. Forma Eccleſiæ hæc eſſe debet.

26. Habeatur ratio proſpectus, ſitus, & ſeparationis ab ædibus, ut circumdari queat, *ibid.*

27. Ne a domibus vicinis pateat feneſtra in Eccleſiam, Cong. Epiſc. 5. Mart. 1619.

28. Imago Chriſti crucifixi magna in alto ſtatuatur. Pr. 4.

29. Altare majus Orientem ſpectet; ſi poteſt, *ibid.*

30. Altaria ne ædificentur ſub Organo, aut pulpito, *ibid.*

31. Neque ubi celebrans terga vertat Altari majori, *ib.*

32. Ubi fornix non eſt, tegmen altari fiat ſaltem e tela cærulea, *ibid.*

33. Sepiantur Altaria, *ibid.*

34. Sacrarium extruatur in Capella majori, aut prope Sacriſtiam cum ſera, & clave, *ibid.*

35. Suggeſtus congruit potius, ut ſit a latere Evangelii, *ib.*

36. Sedilia tantum communia fiant, *ibid.*

37. Et ſi fiant ad uſus proprios, nullum tamen jus acquiritur dominis eorum in Eccleſia. Sylveſter,

*V. Sepultura, qu.* 3. *ſecundum.*

38. Niſi dentur Patronis, honoris cauſa. Genuenſ. *in Praxi cap.* 32.

39. Vas aquæ benedictæ intus exiſtat, non foris, & a dextero latere ingredientis. Prov. 4.

40. Simplex Eccleſia unam tantum Campanam habeat, *ib.*

41. In frontiſpicio, & præſertim Parochialis Eccleſiæ, adſint imagines Sanctorum Titularium, *ibid.*

42. In Pavimento nulla Crux ſculpatur, *ibid.*

43. Sepulchra fiant Canonicorum, & Parochorum communia reſpective. Prov. 5.

44. Longe ab Altaribus extruantur Sepulchra. Prov. 4.

45. Nec in alto, & longe minus laicorum. Prov. 1.

46. Duplici tegumento claudantur, neque Sacra imago, neque Crux in iis ſculpatur. Prov. 4.

47. Veſtibulum ſaltem ante portam ſit pro Catechiſmo baptizandorum, *ibid.*

48. Arma, ſagittæ, & ejuſmodi ne appendantur in Eccleſiis. Congr. Epiſc. 19. Martii 1585.

49. Noctu cuſtodienda eſt. Prov. 1.

50. De forma cujuſcumque ex prædictis.

Vide inſtr. Fabr. Eccl. approbata in Prov. 3.

*V. Benedictio, num.* 1. 2. 4. 16.

*Juſpatronatus, num.* 3. 4.

*Subſidium charitativum, num.* 5.

## A D D I T I O.

1. Feneſtræ prohibentur in Eccleſia, per quas in eam proſpectus haberi poſſit. *Congreg. Epiſc.* 11. *Septembris* 1615. *& apud Barboſ. de jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 28.

2. Solus Epiſcopus eas habere poteſt. *Cong r. Rit.* 19. *Jan.* 1614.

### *Eccleſia Collegiata.*

1. PRobatur ex ſigillo, arca communi, ſtallis, congregationibus. DD. *apud Barboſ. de jure Eccleſ.* 2. *cap.* 6. *num.* 6.

2. Numerus trium Canonicorum ſufficit, *ibid. num.* 8.

3. Inſignis ea dicitur, quæ in loco inſigni, *ibid. n.* 15.

4. Statuta Eccleſiæ Collegiatæ quærenda ſunt a proprio Epiſcopo. *Congr. Rit.* 28. *Septemb.* 1602.

5. Poteſt Collegiata in proceſſionibus publicis deferre propriam Crucem, etiam præſente Capitulo Cathedralis, *eadem* 24. *Auguſti* 1609.

6. Canonici Collegiatæ non debent incedere parati in proceſſionibus, ſicut Canonici Cathedralis, *ead.* 19. *Maji* 1607.

7. Prior Collegiatæ, ſi intereſt in Cathedrali, incenſatur duplici ductu Thuribuli, ut Canonici Cathedralis, *eadem* 19. *Auguſti* 1619.

8. Eccleſiæ Regularium non ſunt Collegiatæ in odioſis. *Roderic. de quæſt. regul. tom.* 1. *q.* 43. *tit.* 12.

9. Sunt autem propriæ Conventuales. Innoc. IV. in Bulla ejuſdem 7. Bullarii, & in Clem. I. de celebrat. Miſſæ, *ex Conc. Viennen. Vide Cherub. in Comp. Bull. loc. cit. ſchol.* 1.

### *Eccleſiæ Conſecratio.*

1. NOn poteſt conſecrari, niſi ab Epiſcopo proprio, vel alieno de licentia proprii. Barb. *alleg.* 27. *n.* 1.

2. Neque ab Abbatibus eorum propria Eccleſia. Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *diſp.* 23. *quæſt.* 7.

3. Neque ea debet conſecrari, quæ ſine dote ex Barboſ. *loc. cit. num.* 3, alias tenetur Epiſcopus dotare. Vivian. *de jurepatron. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 16.

4. De novo reparata in totum, ut dicatur alia, verius eſt conſecranda. Barboſ. *ibid. num.* 13.

5. Reparata per partes non amittunt Conſecrationem. Azor. *part.* 2. *lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 11.

6. Pridie Conſecrationis populus jejunet, & ipſo die feſtum colat ſine opere. Prov. 4.

7. Ob impedimenta poteſt fieri ſine circuitionibus extra eam. Congreg. Rit. 17. Julii 1604.

8. Non debet fieri ſine Miſſa. Barboſ. *loc. cit. num.* 10.

9. Conſecrator in actu Conſecrationis poteſt ſtatuere alium diem pro Anniverſ. celebritate. Cong. Rit. 19. Febr. 1585.

10. Extra actum vero non poteſt mutari ab Epiſcopo, ead. 19. Octob. 1604.

11. Si concurrant plures Epiſcopi cum Archiepiſcopo ad Conſecrationem non poſſunt concedere plus, quam unus Epiſcopus, ſcilicet unum annum Indulgentiæ. Henriquez *de Indulg. cap.* 32. §. 1.

12. Pro Conſecratione Eccleſiæ poteſt Epiſcopus recipere procurationem. Genuenſ. *in Man. Paſtor. cap.* 35. *num.* 12.

13. Nihil novi ædificii fiat in Eccleſia Conſecrata, inconſulto Epiſcopo. Prov. 3.

14. Anniverſaria Conſecrationis Eccleſiæ dies ſolemniter agatur: ſi dies ignoratur, certus ſtatuatur, *ibid.*

15. Incidatur in lapide Conſecrationis memoria. Provinc. 4.

16. Unus teſtis ſufficit ad probandam Conſecrationem. Barboſ. *loc. cit. num.* 5.

17. Liber conficiatur, in quo Eccleſiarum Conſecrationes, & benedictiones ſcribantur, & in Archivio Epiſcopali reponatur. Prov. 4.

18. Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis habet Officium in tota Diœceſi, & Octavam in Civitate tantum. Congr. Rit. 2. Maji 1619.

19. Si Parochialis eſt feſtum, mane ſaltem abſtineant vicini ab officinis; ſi Collegiatæ, ab ejuſdem Clero fiat Officium. Prov. 3.

20. Si occurrant duo feſta Dedicationum, Cathedralis, & Eccleſiæ propriæ, in hac fiat de propria. Rot. Rom. *deciſio* 616. *part.* 1. *in Recentioribus.*

*V. Altare, num.* 1. *Benedictio, num.* 2. *Indulgentia n.* 11. 12. 15.

## A D D I T I O.

1. Si de Conſecratione dubitatur, ob vetuſtatem, & abolitionem monumentorum, poteſt conſecrari. *Facul.* 1. *apud Ciaconium Anno* 275. *pag.* 74.

2. Si incepta Conſecratione correptus morbo Epiſcopus deficiat, & præſertim antequam ungantur Cruces, reſumenda eſt a capite Conſecratio. *Cong. Rit.* 12. *Apr.* 1614.

### *Eccleſiæ Reconciliatio.*

1. POllnitur Eccleſia effuſione ſanguinis, & ſeminis peccaminoſa, & notoria. DD. communiter.

2. Item ob ſepultum ibidem excommunicatum, hoc eſt, notorium Clerici percuſſorem, vel denunciatum, niſi ſigna Pœnitentiæ dederit; eſt communis.

3. Item ob ſepultum infidelem, vel hæreticum. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæſt.* 1.

4. Non autem, ſi ſepeliatur ibi Catechumenus. Ugol. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 26. *num.* 5.

5. Eccleſia conſecrata non poteſt reconciliari, niſi per Epiſc. Azor. *loco cit. q.* 5.

6. Neque poteſt delegari ſimplici Sacerdoti. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 28. *num.* 56.

7. In caſu, de quo ſupra num. 3, erunt abradendi parietes. Azor. *loc. cit. verſ.* 5.

8. Abſente Epiſcopo, & longe diſtante poteſt idem ex cauſa juſta concedere, ut in Eccleſia conſecrata, & polluta ante Reconciliationem celebretur. DD. apud Barb. *ſup. n.* 61.

9. Tutius eſt in tali caſu concedere, ut in loco non Sacro celebretur, attento jure communi, vel poſt Tridentin. in privatis Oratoriis, aut locis deſtinatis ad Divina. Idem *ibid. num.* 62.

10. Eccleſia benedicta tantum, reconciliari poteſt per ſimpli-

ſimplicem Sacerdotem per ſolam aquæ luſtralis aſperſionem. Tol. *in ſum. lib. 5. cap. 8. n. 15. cum aliis.*

11. Non eſt neceſſaria benedictio aquæ ab Epiſcopo. Barboſa *loco cit. n. 56.*

12. Ante Reconciliationem nemo poteſt ibi ſepeliri. Sylv. *V. conſecr. 2. q. 9.*

13. Neque poſſunt ibi recitari Divina Officia. Idem ibid. *qu. 7.*

14. Si hodie polluitur Eccleſia, & ignoratur, & poſt octo dies ad notitiam venerit, intereaque fuerit celebratum, non eſt opus Reconciliatione, Alfonſ. Caſtr. *lib. 2. cap. ult. in fine de lege pœnal.*

15. Celebrans in Eccleſia polluta, quæ erat conſecrata, ab ingreſſu Eccleſiæ tantum eſt ſuſpenſus. Sylv. *V. conſecratio 2. q. 9.*

16. Prædicta de pollutione Eccleſiæ non habent locum in Oratoriis. Suar. *tomo 3. diſt.* 81. *ſect.* 4. *coll.* 8.

*V. Benedictio, n.* 4.

*Excommunicatio, n* 35.

*Eccleſiarum Reverentia.*

1. AB Eccleſiis muſicæ laſcivæ, ſæculares actiones, vana colloquia, deambulationes, ſtrepitus arceantur. Trid. *ſeſſ.* 22. *obſerv. in celebr. Miſſ.*

2. Vana, fæda, profana, ſtrepitus judiciorum, deambulationes, &c. dum Divina celebrantur, arceantur, Pius V. Anno 1566.

3. Sub pœna 25. aureorum, & aliis arbitrio Ordinarii, *ib.*

4. Qui ibidem impudica dixerit, ſeu fecerit, eadem pœna puniatur, & carceris per menſem, ſi cum mulieribus id acciderit, *ib.*

5. Qui eadem geſſerit cum aliis perſonis, pœnam luat aureorum decem, *ib.*

6. Capitula, Rectores, Vicarii, Sacriſtiæ, Oſtiarii, Cuſtodes moneant prædictos delinquentes, & Ordinariis deferant puniendos, alias duorum aureorum pœnam incurrant, *ib.*

7. Mendicantes ad Portam Eccleſiæ ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis negligentibus, & auri dimidii Parochis, *ib.*

8. Regulares deputent aliquem ad prædicta, alias ab Ordinario corripiantur graviſſime, & a Superioribus inobedientes puniantur, *ib.*

9. Capſæ, & cadaverum depoſita ſupra terram exiſtentia, amoveantur, *ib.*

10. Cuſtodes Eccleſiæ ne noctu quemquam in Eccleſia morari ſinant. Prov. 1.

11. Ne quid frugum terræ reponatur in Eccleſia. Prov. 4.

12. Ne affigantur res, ſeu ſchedulæ de rebus prophanis valvis Eccleſiæ, *ibid.*

13. Ne res venales ejus parietibus hæreant, *ibid.*

14. Ne ſuper Capellas, ubi celebratur, ſit locus ad dormiendum, vel habitatio prophana, *ib.*

15. Ne per Eccleſiam fiat tranſitus cum oneribus, *ib.*

16. Intra Presbyterium ne detur locus magiſtratibus, aut laicis Officialibus. Congreg. Epiſc. 12. *Jan.* 1604.

17. A Choro, & Sacriſtia laici arceantur. Pr. 1.

18. Ne Altaribus hæreant laici, neque fonti baptiſmali, *ib.*

19. Ne fodeant, neque ſtent averſi ab Euchariſtiæ Sacramento, *ib.*

20. Ne in Portis moreotur, *ibid.*

21. Ne ſcholæ Grammaticæ peo pueris ibidem fiant. Pr. 1.

22. Occiſorum cadavera ne in Eccleſiis ſuſpiciantur, ſed alio portentur. Prov. 1.

Turcæ, aut mancipia ne permittantur ibidem tempore Divinorum Officiorum. Congreg. Epiſc. 23. *Julii* 1603.

24. Canes venatici, volucres, haſtæ, ſclopeti ne inferantur in Eccleſiam. Prov. 1.

25. Diviſio ſexuum procuretur. Prov. 4.

26. Ad Capellas ſubterraneas ſtatuatur certum tempus pro mulieribus tantum, *ib.*

27. Velaro capite mulieres ſint in Eccleſia. Prov. 3.

28. Sub pœna Interdicti. *ib.*

29. Ne convocentur in Eccleſia ad conſultanda laicorum negotia. Coogr. Epiſcop. 3. *Februar.* 1604.

30. Ne in cœmeterio, ac ſi area eſſet, tritura fiat, neque telæ extendantur, neque ibi mulieres, aut alii fabrile quid operentur. Prov. 6.

*V. Immunitas Eccleſiaſtica, n.* 1. 2.

*Regularium jura ſub Epiſc. n.* 43. 47.

*Repræſentationes facta, n.* 1.

A D D I T I O.

1. Laici non debent in Choro ſtare, nec ſedere. *Congr. Rituum* 4. *Februarii* 1600.

2. Etiamſi ſint illuſtres, & de Magiſtratu, *eadem* 21. *Februarii* 1604. 24. *Octobris* 1609.

3. Et laicorum ſcamna, & loca moderari poſſunt arbitrio Epiſcopi, *eadem* 10. *Decembris* 1604.

4. Non poſſunt in Eccleſia examinari res, etiamſi extra locum immunem juramentum præſtetur, *Cong. Immun.* 7. *Decembris* 1632.

*Edicta.*

1. PONtificiæ Conſtitutiones Romæ editæ de novo, duobus ſaltem poſt menſibus in Diœceſibus evulgentur. Prov. 1.

2. Et in librum referantur a Cancellario Epiſcopi, *ibid.*

3. Satis erit, ſi affigantur certis locis publicis, niſi alius modus in Bulla præſcribatur. Prov. 3.

4. Vulgari ſermone, & ſummatim, ſi opus eſt. Prov. 4.

5. Idem fiat de Epiſcopalibus edictis. *ib.*

6. Certi dies ſingulis menſibus Kalendarii inſtar, notati ſtatuantur, quibus, vel Pontificia, vel Tridentini, vel Diœceſana, vel Provincialia Decreta a Parochis publicentur, *ib.*

7. Decretum Prov. 7. de ſumenda Euchariſtia in Paſchate, non alibi quam in Parochia, ſine licentia Epiſcopi, evulgetur in Quadrageſima. Prov. 7.

8. Decretum de Medicis ne inconfeſſos viſitent, publicentur Dominica 1. Adventus, *ibid.*

9. Decretum de Notariis pia legata non denunciantibus die Dominica ult. Adventus, & ſecunda Quadrageſimæ promulgetur. Prov. 3.

10. Aliud item de Confratribus invitantibus alios ad eligendam ſepulturam in Oratoriis Confratrum, evulgetur ſemel in anno, ſi Parochis expedire videbitur. Prov. 7.

*Epiſcopus.*

1. QUÆ attinent ad propriam Epiſcopi perſonam, hoc loco ſunt indicanda: nam alii tituli bujus operis ad eumdem pertinent.

2. Proviſus a Sede Apoſtolica ſine litteris Apoſtolicis recipiens adminiſtrationem ſuæ Eccleſiæ ſuſpenditur ab adminiſtratione fructuum ejuſdem: item recipientes, vel ei obedientes ſuſpenduntur a perceptione ſuorum beneficiorum, donec abſolvantur a Sede Apoſtolica. Barb. *alleg.* 111. *n.* 35.

3. In ingreſſu Epiſcopi delatores Baldachini incedant pedites, & capite nudo. Congr. Rit. 27. Julii 1624.

4. Proceſſurus cum Mozzetta, eam deponere debet coram Cardinalibus, etiam non Legatis, ex conſuetudine Italiæ, eadem 10. *Julii* 1621.

5. Et coram ſuo Archiepiſcopo, eadem 31. *Januari* 1626. niſi aliud ſit ſtatutum, ut in Prov. Mediol.

6. Proceſſurus cum Cappa, ſufficit, ſi ea induat in ea camera, in qua Canonici conveniunt, eadem 20. *Nov.* 1628.

7. Sedere poteſt in loco, quem ipſe voluerit. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6.

8. Poteſt Epiſcopus portare ſecum Altare Viaticum, & in itinere, & in quolibet loco ſuæ habitationis decenti Miſſam celebrare, vel celebrari facere, *c. ult. de Privileg. in* 6. *Ugol. de poteſt. Epiſc. c.* 2. §. 2. *num.* 4.

9. Etiam in aliena Diœceſi, non tamen Romæ. Deciſum refert idem Ugolin. *ib. lib.* 1. *cap.* 2. §. 2. *contra Navarum conſ.* 1. *de Privilegiis.*

10. Etiam ſi non ſit conſecratus. Suar. *de cenſ. diſp.* 28. *ſeſſ.* 2. *num.* 7.

11. Non poteſt Epiſcopus eligere ſibi Confeſſarium non ſibi ſubditum, qui a proprio ſuo Epiſcopo non ſit approbatus. Deciſum refert Riccius *in praxi deciſ.* 548. *num.* 2. & Ugol. *ſupr. num.* 4. *V. Abſolutio, num.* 7.

12. Poteſt in aliena Diœceſi facere ſibi deferre caudam. Sylv. *V. Patriarch. Tertium.*

13. Debet diebus feſtis celebrare. Nald. *Epiſcopus, n.* 9.

14. Pro ovibus applicare Sacrificium aliquando debet, Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1.

15. Reſideat, neque poteſt abeſſe ultra tres menſes. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 1. *& ſeſſ.* 23. *c.* 1.

16. Sub pœnis ibidem contentis.

17. Non tamen abſit in Adventu, Natali Domini, Quadrageſima, Paſchate, Pentecoſte, Feſto Corporis Chriſti, *ibidem.*

18. Nec in feſtis ſine juſta cauſa. Sà *Epiſcopus* 42.

19. Urgens neceſſitas, Chriſtiana charitas, reipub. evidens utilitas, debita obedientia, ſeu licentia in ſcriptis concedenda, & approbanda a Papa, vel Metropolitano, vel unico Epiſcopo, ſunt cauſæ legitimæ abſentiæ. Trid. *loco cit.*

20. Non licet abeſſe propter morbum perpetuum. Deciſum refert Barboſa *ſupra num.* 9.

21. Licet autem, ob perſecutionem ſuæ perſonæ, idem *ib. num.* 8.

22. Non poteſt emittere votum de peregrinatione longinqua ſine licentia Papæ. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 53. *num.* 22.

23. Neque ſine eadem intrare Religionem, *ibid. num.* 23.

24. Epiſcopus Canones non ſervans, aut non ſervare faciens, eſt perjurus. Sylv. *V. Epiſcopus quæſt.* 11.

25. Bona empta ex redditibus Epiſcopatus ipſo jure transeunt in dominium Eccleſiæ. Barboſ. *alleg.* 114. *num.* 17.

26. Bona Epiſcopi Titularis acquiruntur Papæ, idem, *ibid. num.* 21.

27. Poteſt Epiſcopus donare in vita, non cauſa mortis,

idem *ibid. num.* 32. 33. etiam Regularia. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 34. *c.* 3. *q.* 6. *n.* 60.

28. Poteſt conſervare patrimonium, & expendere bona Eccleſiæ in prophanoa uſus. Barboſa *ibid. num.* 36. negant alii, *ibid. num.* 38.

29. Epiſcopus Regulatis, neque de patrimonialibus, neque de acquiſitis poteſt teſtari, idem *ibid. n.* 20.

30. In vita non poteſt tam ample diſponere, quam Epiſcopus Sæcularis. DD. *ibid. n.* 22.

31. In infirmitate non poteſt quilibet Epiſcopus immoderatas facere eleemoſynas, idem *n.* 35.

32. Non poteſt Epiſcopus de bonia intuitu Epiſcopatus acquiſitis teſtari. Barboſa *alleg.* 114. *n.* 9.

33. Poteſt teſtari de aliis bona patrimonialibus ex induſtria ſua acquiſitia, quamvis ratione ordinis, puta ſi Vice-Rex, vel Nuncius fuerit, idem *ibid. n.* 10.

34. Habita licentiæ teſtandi a Papa non expirat ob mortem Papæ, *ibid. n.* 25.

35. Et poteſt condere plura teſtam. *n.* 26.

30. Licentia ſuperveniens poſt factum teſtamentum valet, *ibid. n.* 27.

37. Bona Epiſcopi Regularis ſine legitimo teſtamento debentur Eccleſiæ, non Monaſterio, *ibid. n.* 28.

38. Epiſcopus non ſervans ea, quæ ſtatuta ſunt a Joanne XXII. *in extrav.* 2. *de elect.* quoad perceptionem fructuum Epiſcopatus anni primi, & ſecundi, non relicta portione ſtatuta Succeſſori, ibidem, ſuſpenditur a Pontificalibus, & ingreſſu Eccleſiæ. Barboſa *ibid. n.* 32.

39. Ingreſſus Eccleſiæ prohibitus facit ne in Eccleſia poſſit celebrare Divina, & durante Interdicto, non poteſt Epiſcopus ſepeliri in Eccleſia, neque in cœmeterio, niſi pœnitentiam egerit, & fit irregularis, ſi in Eccleſia Divina celebret, *ibid. n.* 33.

40. Translatus ad aliam Eccleſiam non poteſt deferre libros, & alia, quæ in priori Epiſcopatu ex ejus redditibus, licet in morte ea velit reddere priori Eccleſiæ. Suarez *de relig. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 24. 25.

*V. Archiepiſcopus*, *n.* 2. 3.
*Benedictio*, *n.* 20.
*Suffraganeus Epiſcopus*, *n.* 1.
*Uſura*, *n.* 8.

## A D D I T I O.

Epiſcopus Regularis recuperat jus ſuccedendi, etiam quoad renunciata, ad favorem tamen ſuæ Eccleſiæ. *Congreg. Concilii* 11. *Jonuarii* 1631.

### *Euchariſtia.*

1. EXtra Parochiales Eccleſias non conceditur retineri aſſidue. Congreg. Epiſcop. 15. Jan. 1619.

2. Niſi a Papa. Deciſum refert Genuenſ. *in Praxi Neap. c.* 110.

3. Neque in Eccleſiis Tertiariarum, quæ profeſſionem ſolemnem non emittunt trium votorum, nec in clauſura vivunt. Congreg. Epiſc. 20. Dec. 1616.

4. In Parochialibus retineatur in Altare majori, eadem 6. Dec. 1594.

5. Pyxides ne ſint ebore, ex eadem 26. Julii. 1588.

6. Duæ ſint Pyxides in Parochialibus, altera pro infirmis, quæ cum ſacculo ſerico albo, & chordulia pro montibus ad collum appenſa, deſerviat. Prov. 4.

7. Tabernaculum panno albo ſerico veſtiatur intus, & conopæo albo foris, ritu Romano, *ibid.*

8. Clavia ſit penea Rectorem tantum, *ibid.*

9. In Tabernaculo nihil aliud aſſervetur. Congreg. Rituum 22. Febr. 1593.

10. Renoventur particulæ octavo quoque die, quinque ſaltem in Pyxide ſint. Prov. 4.

11. Hoſtias ne laicua homo, neque fœmina conficiant, *ib.*

12. Velo coloris albi Pyxidea ſemper veſtiantur. Rit. Rom. De Tabernaculn geſtatorio. *V. Proceſſio*, *n.* 36.

13. Ante Euchariſtiam ſemper ardeat lampas. Prov. 1.

14. Non adhibeatur contra grandinem, puta in valvis Eccleſiæ, benedicendu aerem. Prov. 3.

15. Decet magia, ut Solemnitas Corporis Chriſti celebretur in Cathedrali, a qua, & ad quam fieri debet Proceſſio. Deciſum refert Barboſa *alleg.* 22. *n.* 7. *V. Proceſſio*, *n.* 31. 39.

16. Non deferatur humeria, ſed manibus tantum. Congr. Rit. 2. Junii 1618.

17. Nec deferatur per vias Hebræorum. Congreg. Epiſcop. 22. Februarii 1593.

18. Feria V. Cœnæ Domini Clerus, & Canonici in Miſſa ſolemni communicent. Congr. Rit. 27. Septembris 1608.

19. Feria v. & vi. majoria hebdomadæ non deferatur extra Eccleſiam. Congreg. Epiſcop. 6. Auguſti 1591.

20. Feria vi. ejuſdem non deferatur noctu, & abrogata eſt conſuetudo, tamquam abuſus, eadem 22. Martii 1596.

21. Nemo ſumat in Paſchate Euchariſtiam extra Parochialem ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis. Prov. 7.

22. Communicans in hebdomada majore, vel infra octavam Paſchæ ſatisfacit præcepto. Eugen. IV. Anno 1446.

23. Qui ſatiafacit Paſchati in Parochiali, non tamen poteſt in ipſo die Paſchatis Euchariſtiam ſumere in Eccleſia Regularium non habentium curam animarum. Congreg. Concil. 23. Januar. 1586. 14. Martii 1615.

24. Famuli ſæculares in Monaſteriis degentes ad Parochialem in Paſchate ire debent. Congreg. eadem 20. Feb. 1576.

25. Qui abfuerit, doceat de facta communione. Prov. 3.

26. Concubinarii, fœneratores, & blaſphemi alias moniti arceantur a communione. Prov. 1.

27. Qui non communicarint, deferantur ad Epiſcopum, ad ſex dies poſt octavam Paſchæ. Prov. 1.

28. Non meretrices. Sà *Confeſſio*, *n.* 42.

29. Non deferens Parochus ob periculum mortia, ſeu non denuncians interdictos, excuſatur. Bonac. *deleg. diſp.* 2. *q.* 8. *punct.* 2. *n.* 10.

30. Interdicantur non communicati ab ingreſſu Eccleſiæ Pr. 1.

31. Ob ſolam omiſſionem Paſchalis Communionis, & confeſſionis poteſt Epiſcopus procedere etiam ad excommunicationem: & ſi velit, ad pœnas etiam pecuniarias: non autem expedit, ut ſibi reſervet hunc caſum. Congreg. Concil. 30. Juanuarii 1587.

32. Clerici præterea ſingulis menſibus, Diaconi, & Subdiaconi bis in menſe communicent; cujus fidem exhibeant tertio quoque menſe. Prov. 1.

33. Diaconis, & Clero communio detur ad Altare, Laicis remotius. Prov. 4.

34. Sacerdotibus addita Stola in modum Crucis. *Brac.* 3. *Canon.* 3.

35. Adoleſcentes peius examinentur. Prov. 1.

36. Miniſtretur Laicis cum diſtinctione ſexus. Prov. 5.

37. Miniſtrans Epiſcopus Euchariſtiam extra Miſſam, induat Pluviale cum Stola, Prov. 5.

38. Miniſtrans Euchariſtiam, vel inſerviens miniſtranti nihil omnino recipiat, neque a ſponte dantibus, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto. Prov. 7.

39. Neque pro eleemoſynis pelviculæ exponantur. Pr. 4.

40. Pro communicando ægroto pridie Veſperi detur etiam ſignum cum campana. Prov. 5.

41. Neque noctu ſine neceſſitate deferatur, *ibid.*

42. Parocho impedito, deferat ille, qui audire poteſt confeſſiones. Prov. 4.

43. Parentur neceſſaria, & munda apud ægrotum a ſodalibus Societatis. Prov. 5.

44. Umbella adſit cum luminibus, & campanula, *ibid.*

45. Pluviale adhibeatur in locis inſignioribus. Prov. 3.

46. Umbella ruralis ab uno geſtanda rite adſit, *ib.*

47. Duæ ferantur particulæ, altera pro reditu niſi loci diſtantia, aut alia cauſa aliud ſuadeat. Prov. 1. & 2.

48. Purificatio ne unquam detur in vaſe ſacro, neque formam Calicia habente. Prov. 1.

49. Reia capitali ſententia damnatis, etiam mane quando exequenda eſt, poteſt dari Euchariſtia. Congr. Epiſc. 26. *Junii* 1590. etiam non jejunis Emmanuel Sà, *Euchariſt. n.* 2.

50. Numquam deferatur ad ægrotos, ut eam tantum adorent. Deciſum refert Praxis Epiſc. *V. Euchar. ad quintum.*

51. Sodalitas Corporis Chriſti inſtituatur. Prov. 1.

52. Indulgentiæ pro aſſocianda Euchariſtia conceſſæ ſæpius publicentur. Prov. 1.

53. Non exponatur cum ſolemnitate a Regularibus ſine licentia Ordinarii. Cong. Rit. 26. *Februar.* 1628.

54. Pro perſonis particularibus exponatur in oſtiolo Tabernaculi, aut in Pyxide velata cum luminibus & aſſiſtentia. Congreg. Epiſc. 7. *Septemb.* 1598.

55. Putrefactis Hoſtiis, (quod abſit) in Pixide, cuſtos earum 30. diebus pœniteat. Sylv. *Euch.* 2. *quæſt.* 9. *ſextum.*

56. Qui incaute eam dimiſerit, licet nihil nefandum acciderit, tribus menſibus ab Officio ſuſpendatur. Idem *ibid. ſeptimum.*

57. Ne fiat concio coram Sacramento in Altari expoſito, capite tecto. Congr. Rit. 16. Febr. 1630.

*V. Benedictio*, *num.* 15. *Canonicorum munera*, *num.* 48. 50. *Ceſſatio a Divinis*, *n.* 4. *Confraternitates*, *num.* 21. *& ſeqq. Excommunicatio*, *num.* 49. *Interdictum*, *n.* 21. 31. *& ſeqq. Peſtis*, *num.* 6. 7. *Proceſſio num.* 32. *Regularium jura ſub Epiſcopis*, *num.* 22. *Regularium jura circa Tertiarios*, *num.* 2.

### *Examinatores.*

1. PRo concurſu Parochialium debent in Synodo eligi ſaltem ſex. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18.

2. Pro examine Confeſſatiorum, & Ordinandorum poteſt Epiſcopus eligere, quos voluerit. Gav. *de Synodo part.* 1. *cap.* 31.

3. Debent eſſe Magiſtri in Theologia, aut Doctores, vel Licentiati in jure Canonico. Trid. *loc. cit.*

4. Ex Ordine Mendicantium aſſumi poſſunt, *ibid.*

5. Ex Ordine aliorum Regularium. Gav. *loc. cit.*

6. Si deſint prædicti, poſſunt eligi alii Clerici magis idonei. Deciſum refert Maſſobr. *in Praxi de concurſu Requiſ.* 11. *dub.* 2. *in fine.*

7. No-

7. Nominandi Regulares de nomine, & cognomine, nedum de titulo officii; alias Succeſſor in officio non eſt legitimus Examinator. Rota apud Garz. *de beneſ. par. 9. c. 2. dub.* 22.

8. Debent jurare ad ſacra Dei Evangelia in Synodo Electi. Trid. *loc. cit.*

9. Durat officium, donec alia Synodus habeatur. Deciſum refert Fr. Leo *in theſ. fori Eccleſ. parte 2. cap. 3. n.* 25.

10. Mortuis Electis, poteſt Epiſcopus alios eligere extra Synodum de conſenſu Capituli uſque ad Synodum, ex Decr. Clem. VIII. relato a Garz. *d. c. 2. n.* 72.

11. Imo, ſi tempore concurſus nullus ſit Examinator, poteſt Epiſcopus deputare novos ſine Synodo. Rota 29. *Novemb.* 1594. *coram Litta apud Ritt. in Praxi reſolut.* 355. *in edit.* 2.

12. Tres debent eſſe in examine pro Parochialibus. Trid. *loco cit.*

13. Nec Examinator quemquam Collegæ commendet. Provinc. 5.

14. Non accedant, niſi vocati ab Epiſcopo, *ibid.*

15. Excludatur ille, qui privatum examinandum docuit, *ib.*

16. A ſtata prece incipiant examen, *ibid.*

17. Attendant veſtes, vultum, geſtus examinandi, *ib.*

18. Fiat examen circa ætatem, mores, doctrinam, prudentiam, & alia opportuna. Trid. *loc. cit.*

*Vide ſupra Beneſic. Parochialium proviſio a num.* 22. *uſque ad* 30.

19. Si vota ſunt paria, Epiſcopus vel Vicarius accedere poteſt, quibus maluerit. Trident. *loco cit.*

20. Idem fiat ſi vota ſint ſingularia, *ibid.*

21. In examine ad Ordines, ſeu Confeſſiones, aut Conciones, tres adſint. Prov. 5.

22. Et præſente Epiſcopo, ſeu Vicario ſi voluerit adeſſe, Prov. 4.

23. Non poteſt Epiſcopus ſtatuere aliquod ſtipendium, etiam minimum Examinatoribus Synodalibus: & ſi Synodus ipſa ſtatueret, Decretum eſſet nullum. Deciſum refert Garz. *d. cap. 2. num.* 374.

24. Caveant ne quidquam prorſus occaſione examinis Paroch. Eccleſiarum, nec ante, nec poſt accipiant, alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quam dantes incurrant. Trident. *loco citato.*

25. Nec abſolvi queant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque obtinebant, & ad alia impoſterum inhabiles reddantur, *ibid.*

26. In Synodo Provinciali, ſi opus erit, teneantur rationem reddere, & graviter puniri poſſunt, ſi quid contra officium eos feciſſe comperiantur, *ibid.*

*V. Beneſic. collat. num.* 16. *& ſeq.*

## ADDITIO.

1. Electi alias in Synodo, & non confirmati in poſteriori Synodo non ſunt idonei in examine beneficiorum Parochialium. *Congreg. Concilii* 13. *Julii* 1630. *& Barboſa de offic. Paroch. p. 1. cap. 2. n.* 67.

2. Si inter Examinatores aliquis adſit, qui non ſit Examinator Synodalis, concurſus eſt nullus. *Congregat. eadem Anno* 1629. & deciſum refert *Garz. de beneſic. q. 2. c. 2. num.* 83. 324. 341. *Barboſa loco cit. n.* 71.

Intellige ſi votum ſuum det cum aliis: ſecus ſi tantum interroget, & alii ſuffragia ferant, in numero debito.

### *Excommiſſæ.*

1. Super electione Papæ, & creatione Cardinalium ſponſiones, & Excommiſſæ prohibentur. Gregorius XIV. Anno 1591.

2. Sub pœna nullitatis, applicationis pecuniarium piis locis, privationis beneficiorum, inhabilitatis, excommunicationis reſervatæ Papæ, *ibid.*

### *Excommunicatio.*

1. Ad finem revelationis pro deperditis, aut ſubtractis rebus non inferatur, niſi ab Epiſcopo ex re non vulgari, & cauſa mature cognita. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 3.

2. Data a Vicario Generali pro perditis valet. Deciſum refert Barb. *alleg.* 96. *n.* 6.

3. Non valet. Deciſum referunt alii, *ibid.*

4. A Capitulo, ſede vacante, valet, *ibid. n.* 7. *&* 10.

5. Vicarius Apoſtolicus eam concedere poteſt per monitorium. Deciſum 26. Octobris 1590. apud Barboſam *n.* 10.

6. Poteſt Epiſcopus communicare hanc facultatem Vicario Foraneo, ſpecialiter, & expreſſe. Deciſum refert Barb. *ibid. num.* 9.

7. Inferiores Epiſcopo non poſſunt dare monitoria. Deciſum referunt DD. *ibid. num.* 12.

8. Debent dari in ſubſidium, deficiente omni alia probatione. DD. *ibid. num.* 14.

9. Et ad inſtantiam tantum partis, cujus intereſt, *ibid. num.* 19. *&* 24.

10. Cum ſpeciali mandato ad obtinendum, idem *n.* 22.

11. Non ad inſtantiam excommunicati, ſeu notorie criminoſi. Prov. 4.

12. Pro civili intereſſe, non pro criminali. Congreg. Epiſcop. 22. Aprilis 1616.

13. Non pro re omnino occulta. Prov. 4.

14. Neque pro re jamdiu amiſſa, ut veriſimile ſit non haberi de ea memoriam, *ibidem.*

15. In Curia Romana attenditur valor aureorum quinquaginta. Barboſa *loc. cit. n.* 30.

16. Non dentur contra aliquem impotentem ſatisfacere. Prov. 4.

17. Neque nominari debet perſona, quæ præſumitur rem habere. Barboſa *cit. n.* 33.

18. Poſſunt dari monitoria ante cœptam litem, & ea pendente, quoties jura permittunt, examinari teſtes, & articuli produci, idem *n.* 38.

19. Forma monitorii habetur apud Quar. *in ſumm. V. Excommunicatio ad finem revel.*

20. In monitoriis expeditis a Papa obſerventur verba, ſed poſſunt vulgari lingua publicari. Deciſum apud Quar. *ibid.*

21. Non promulgentur in feſtis ſolemnioribus Domini, & ſanctorum. Prov. 4.

22. Nec in loco, ubi timetur ejus contemptus, *ibidem.*

23. Pro executione Papalium monitoriorum, Vicarius nihil accipiat. Congregat. Epiſcop. 25. Octobris 1588.

24. Qui deponunt, non tenentur jurare. Barboſa *loc. cit. n.* 34.

25. Niſi in monitoriis juramentum decernatur, *ibid.*

26. Antequam feratur ſententia, habeatur relatio de promulgatione, locis, & temporibus; tum iterum de cauſa deliberetur. Prov. 2.

27. In cauſis judicialibus, quando executio realis, & perſonalis fieri poteſt, abſtineant a cenſuris, ſeu interdicto, ſed per mulctas pecuniarias, etiam contra laicos procedant. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3.

28. Si executio prædicta fieri nequit, ſitque erga judicem contumacia, tunc excommunicatio poterit inferri, *ibid.*

29. Eadem in criminalibus fieri poſſunt, & debent, ſi delicti qualitas id poſtulet, *ibid.*

30. Severa forma juris, *in cap. ſacro cap. contingit de ſent. excomm.*

31. Quam ſi omittat Prælatus inferior Epiſcopo, vel Epiſcopi Vicarius, ſine juſta cauſa, eſt interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem. Navar. *cap.* 27. *n.* 8.

32. Cauſas juſtas non præmittendi monitionem, lege in praxi Epiſc. *V. Excommunicatio.*

33. Non eſt imponenda excommunicatio ob feſtorum violationem. Congreg. Epiſcop. 16. Januarii 1615.

34. Neque contra non audientes quotidie Concionem in Quadrageſima, eadem 15. Martii 1583.

35. Neque contra polluentes Eccleſiam, eadem 10. Maji 1619.

36. Neque facile contra alloquentes Moniales, eadem 15. Januarii 1616. & 1. Septembris 1617.

37. Neque contra Clericos ludentes, aut ludere ſpectantes, eadem 5. Febr 1616.

38. Neque contra eos, qui practicas faciunt ad beneficia, antequam vacent, eadem 19. Januarii 1618.

39. Nulla excommunicatio debet ferri ab Epiſcopo Pontificaliter induto, neque debet pingi excommunicatus inter Dæmones, eadem 14. Novembris 1595.

40. Excommunicatus ab Epiſcopo, & denunciatus publicetur ad valvas Cathedralis, & Parochialis Eccleſiæ; tum a Curatis, & Diœceſanis, qui primo ſaltem Dominico die cujuſque menſis, illum populo denuncient uſque ad abſolutionem. Prov. 2.

41. Si Excommunicatus, vel interdictus publice, qui a Sacerdote Celebrante nominatim monitus, ut exeat de Eccleſia, auſerit permanere; excommunicationis novo vinculo irretitus eſt, ſedi Apoſtolicæ reſervatæ a Clemente V. Prov. 5.

42. Si tres menſes manſerit in eo ſtatu, illius nomen Epiſcopus denunciet reliquis Provinciæ Epiſcopis, tum illis, quorum Diœceſes ſunt finitimæ. Prov. 2.

43. Excommunicatus per annum inſordeſcens, habeatur tamquam de hæreſi ſuſpectus. Trid. *cit. ſupra.*

44. Statutum Epiſcopi valet, quod obſtinate perſeverans in excommunicatione, quolibet menſe ſolvat certam pecuniæ quantitatem. Genuenſ. *in man. Paſt. cap.* 65. *num.* 6.

45. Excommunicatio lata pro re gravi poteſt ſæpius aggravari ſingulis Dominicis, & feſtis, pulſatis campanis. Gen. *ib.*

46. Poteſt etiam prohiberi uxor, in caſibus gravioribus, ne communicet cum marito excommunicato, excepto debito conjugali. Sanchez *lib. 9. diſp.* 14. *n.* 7. *&* 13.

47. In omni Sacriſtia habeatur Tabella cum nominibus excommunicatorum, & interdictorum. Prov. 6.

48. Mittantur etiam eorum nomina ad Regulares, *ibid.*

49. Excommunicati paulo ante Paſcha, non ſunt moleſtandi, ſi non communicant in Paſchate. Congreg. Epiſcoporum 25. Maji 1601.

50. Summarium quoque excommunicationum, & qua de cauſa infligantur, communi lingua publicetur in Cathedrali, die primo Dominico Quadrageſimæ; & in iis Provincialibus, in quibus Epiſcopus cenſuerit. Prov. 5.

51. Nefas ſit ſæculari Magiſtratui prohibere Judici Eccleſiaſtico ne excommunicet, aut mandare, ut revocet excommunicationem latam, eo prætextu, quod prædicta non ſint obſervata: tum hæc cognitio pertineat ad Eccleſiaſticos. Trident. *ſeſſ. cit. cap.* 3.

52. Vitandi vero ſunt excommunicati in duplici genere tantum, percuſſores publici Clericorum, & publice denunciati. DD.

53. Notorius percuſſor dicitur, qui viſus eſt a ſex perſonis ſaltem. Navarr. *cap.* 25. *n.* 73.

54. Poteſt excommunicatus audire Concionem in Eccleſia. Abbas *in cap. reſponſio, n.* 2. *& 3. de ſent. excomm. V. Benedictio, n.* 18. *Beneſ. Reſignatio, n.* 18. *Bona Eccleſiaſtica, n.* 1. 23. 25. *Cenſuræ, n.* 12. 13. *Cingari n.* 4. *Concubinarius, n.* 1. *Gratiæ, n.* 1. 2. *Miraculum, n.* 3. *Monialium receptio, n.* 1. 2. 6. *Monialium alimenta, n.* 1. *Monialium communes leges, n.* 24. *Monialium educatio activa, n.* 1. *Montes Pietatis, n.* 3. 6. *Quadrageſima, n.* 4. *Sepultura, n.* 16. 23. *Torneamentum, n.* 1. 4. *Vicarius Generalis, n.* 28. 29.

*Exempti.*

1. UNiverſitates generales, Collegia Doctorum, ſeu Scholarium, & Regularia loca, necnon Hoſpitalia actu hoſpitalitatem ſervantia, & perſonæ prædictorum ſunt exemptæ. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5.

2. Item ii, qui Monaſteriis, Hoſpitalibus, Collegiis, aut Militiis privilegiatis actu ſerviunt, & intra eorum ſepta reſident, aut ſecundum regulam earumdem militiarum profeſſionem fecerint, idem *ſeſſ.* 24. *cap.* 11.

3. Nihil detractum eſſe Ordinariis intelligatur ex Privilegiis, ſeu titulis honorariis Protonotariatus, Comitis Palatini, Capellani Regii, aut ejuſmodi aliis, quo minus ii ipſis Ordinariis tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis plene ſubjecti exigant, *ibidem*.

4. Ex ratione Beneficiorum Ordinariis ſubjiciuntur omnes, etiam ſi reſideant in Curia Romana, aut familiares ſint Cardinalium, non obſtantibus quibuſcumque inhibitionibus, idem *ibidem*.

5. Referendarii non poſſunt excommunicari, vel interdici ab Epiſcopo. Zerola *parte* 2. *V. Referendarii*.

6. Neque ſubſunt Ordinariis una cum Capellanis, familiaribus, & ſervitoribus. Paul. III. Anno 1540. Sixtus V. Anno 1586.

7. Item, & Auditores Rotæ Romanæ ſunt exempti ab Ordinariis. Clemens VIII. Anno 1525.

8. Item & eorum loca tenentes, idem *ibid*.

9. Subcollectores Cameræ Apoſtolicæ, ſi non ſerviunt amplius, ſub Ordinario ſunt. Congregatio Epiſcopor. 1. Octobris 1602.

10. Epiſcopus reſidens etiam extra Viſitationis actum, poteſt punire exceſſus Clericorum Privilegiatorum, ut Delegatus Sedis Apoſtolicæ. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7.

11. Ex defectu juſtitiæ, ſi non poteſt haberi recurſus ad Papam, ſeu Superiorem Exemptorum, poteſt adiri Ordinarius. Barboſa *alleg.* 105. *n.* 67.

12. Poteſt Epiſcopus capere Exemptum, & remittere ad competentem, ſi fugæ ſit periculum, & quando non poteſt expectari auctoritas Judicis Exemptorum. DD. apud eumdem, *ibid. n.* 64.

13. Epiſcopo ſubduntur Exempti ad hoc, ut per eum poſſint denunciari, & mandari, ut evitentur, quando ſunt notorie excommunicati. DD. apud Barboſam *loc. cit. n.* 73.

*V. Concilium Provinciale, n.* 5. 51. 72. *Proceſſio, n.* 7. *Protonotarii, n.* 1. *Regularium jura ſub Epiſcopo, per totum. Subſidium Charitativum, n.* 16. *Synodus Diœceſana, n.* 11. 20. *Tertiarii, num.* 89. 90. *Viſitatio Epiſc. n.* 6. 12. 20. 24. 28. 29. 30. 32. 33. 34.

A D D I T I O.

Commiſſarii Fabricæ S. Petri ſubduntur Ordinariis locorum. Congreg. Epiſcop. 1. *Septembris* 1603.

*Exequiæ.*

1. SUb quovis prætextu non retardetur Sepultura mortuorum. Congreg. Epiſc. 5. Maji 1617.

2. Ante ſolis ortum, & poſt occaſum ne efferantur mortui ſine licentia Epiſcopi. Prov. 1.

3. Neque niſi poſt 12. horas ab obitu: qui vero repentina morte obeunt, non ante horas viginti quatuor. Prov. 6.

4. Hæredes Defunctorum poſſunt vocare numerum Sacerdotum ſibi bene viſum. Congreg. Epiſc. 5. Maji 1617.

5. Et ceram pro libito dare, eadem *ibid.*

6. Licet a Defuncto acceſſiri tantum Regulares jubeantur, non tamen excluditur proprius Parochus, eadem 24. Aprilis 1584.

7. In vocandis ad funus præferantur ii, qui ſunt de gremio Parochialis Eccleſiæ. Prov. 4.

8. Vocati adſint ipſi, neque habeatur ratio non vocatorum, etiamſi adſint, neque præſertim, nomine aliorum, *ibid.*

9. Ne efferantur a quoquam, nec etiam a Regularibus quibuſcumque quovis prætextu, non vocato, & expectato Parocho Defuncti, eoque præſente, niſi ipſe aliud permiſerit, vel adeſſe recuſet. Congreg. Epiſc. 12. Januarii 1600.

10. Non obſtante quacunque ſpeciali conſuetudine, eadem 1. Julii 1606.

11. Regulares conveniant ad Eccleſiam Parochialem, ſeu aliam, in qua Defunctus jacet, eadem 26. Auguſti 1616.

12. Totus Clerus conveniat in Eccleſiam ſaltem proximam ædibus Defuncti. Prov. 1.

13. Cruces tot adhibeantur, quot Collegiatæ vocantur, & ſub Cruce Rectoriæ procedant alii invitati Clerici, *ibid.*

14. Crux autem Parochialis regulariter deferri tantum debet, niſi probetur contraria conſuetudo canonice præſcripta. Congreg. Epiſc. 29. Julii 1616.

15. Regulares teneant locum ſolitum in Proceſſionibus. Prov. 1.

16. Curatus Regularis, ad cujus Eccleſiam defertur cadaver, procedat inter Curatos, & Regulares; & illi, quibus ille Curatus eſt, procedant loco ſuo. Congreg. Epiſcopor. 14. Auguſti 1643.

17. Duo Parochi, a quo, & ad quem funus effertur, etiamſi alter ſit Regularis, Cotta, & Stola induti pares incedant. Prov. 1.

18. At ſecus; ſi alter ſit in Dignitate conſtitutus, & cum ſuo Capitulo interſit, quia eo caſu alter Parochus præire Capitulo debet. Prov. 7.

19. Parochi Defuncti locus in funere, erit a ſiniſtris Superioris illius Eccleſiæ, ad quam defertur, Congreg. Epiſc. 2. Julii 1591.

20. Accenſæ candelæ deferantur a Clero, nec extinguantur niſi Officio abſoluto. Prov. 5.

21. Regulares, ad quos defertur, neque domi, neque in via Officium facere poſſunt, ut Parochi. Congreg. Epiſcop. 28. Octobris 1584.

22. Non portent laicum Eccleſiaſtici, neque inferiorem gradu Clericum, qui ſunt in Superiori. Prov. 6.

23. Diaconi Diaconum efferant, Sacerdotes Sacerdotem, *ibidem*.

24. Epiſcopum efferant Dignitates, & Canonici, *ibid.*

25. Recto tramite ad Eccleſiam Regularium ſunt deferendi Defuncti. Congreg. Epiſc. 11. Decembr. 1615. *Add. V. Sepultura, num.* 13.

26. Parochus deducet funus uſque ad Eccleſiam Regularium, in qua Regulares Officium circa cadaver peragent, niſi contraria adſit conſuetudo. Cong. Epiſc, 18. Junii 1591. 5. Junii 1615. 31. Jan. 1617.

27. Non inferantur in Eccleſiam inter Miſſæ majoris celebrationem. Prov. 1.

28. Omnes autem circumſtent, Officia celebrantes, *ibid.*

29. Neque a laicis Confratribus celebrentur. Prov. 6.

30. Miſſam, etiam Dominico die, cantare coram Defuncto licet, *ibid.* & Rit. Rom.

31. Taxa fiat ab Epiſcopo de ſingulis, quæ in hoc genere accidunt. Prov. 1.

32. Fiat Tabella, in qua præſcribatur cereorum numerus, & pondus, tum eleemoſyna, propoſitis pœnis, ut obſervetur. Prov. 7.

33. Pallium commune pro ferretro, aut ſumptibus populi, aut Cleri fiat, cui ideo dari debet aliquid ab hæredibus Defunctorum juxta taxam Epiſcopi. Prov. 1.

34. Comparatum detur deinde gratis. Prov. 4.

*V. Supellex Supra, n.* 1.

35. Pallium nobiliorum cedat in ornamentum Eccleſiæ tantum, non ad uſum Defunctorum. Prov. 1.

36. Pro Crucibus nihil omnino detur. Prov. 4.

37. Quod nomine campanarum, ſeu Sacriſtiæ datur, Epiſcopo concedente id vere in eos uſus inſumatur, *ibid.*

38. Qui Crucem tulerit, vel campanas pulſaverit, accipiat quod eo nomine ſtatutum eſt, *ibid.*

39. Qui ſunt in ſacris, æque habeant, ac Sacerdotes, *ibid.*

40. Cerei circum cadaver, & in Altaribus accenſi, Sacriſtiæ addicantur. Prov. 1.

41. Adhibeantur ii ad Miſſas, neque ullo modo vendantur ſine licentia Epiſcopi. Prov. 2.

42. Qui ſupererunt, Rectoris erunt, eorumve, ad quos de jure, *ibid.*

43. Excipiuntur ii, qui Clericis dantur, vel funeralium nomine, Cathedrali, & Parochiali, *ibid.*

44. Nulla pactio, neque pignus fiat; piæ tamen conſuetudines ſerventur. Prov. 1.

45. Et ad eas cogantur hæredes ab Epiſcopo. Prov. 2.

46. Pro loco, in quem mortuus infertur, ne quicquam prorſus exigatur, niſi pia adſit conſuetudo. Prov. 4.

47. Neque nomine Cœnotaphii, quod in medio Eccleſiæ ad pompam ex tabulis conſtruitur, *ibid.*

48. Pauperum cadavera gratis ſepeliantur. Congreg. Epiſc. 5. Maji 1617.

49. Neque Parochus, intra cujus fines aliquis alienæ Parochiæ occiſus eſt, alio transferri ejus cadaver prohibeat, nihilque ideo accipiat. Prov. 4.

50. Si vero translatio fit cum funere, liberum ſit ei uti jure, *ibid.*

51. At

51. Anniverſaria ne fiant die feſto, ſed eo caſu in præcedenti die. Prov. 6.

52. Vel in ſequenti die. Congregat. Rituum 27. Septembris 1608.

53. Tolerantur Miſſæ privatæ de Requiem in feſto Duplici, quod non eſt de præcepto, pro implenda voluntate Teſtatorum, eadem 3. Septembris 1607.

54. In Altari pro certis diebus privilegiato non poteſt dici Miſſa de Requiem in feſto Duplici de præcepto, eadem 24. Aprilis 1625.

55. In diebus, quibus prohibetur fieri de feſto Duplici, non debent dici Miſſæ de Requiem, eadem 28. Aug. 1627.

56. Die Dominico denuncientur a Parocho officia Defunctorum obeunda in Parochiali. Prov. 6.

57. Et Anniverſaria, etiam in Cathedrali, Prov. 6.

58. Nemini quemquam in funere laudare liceat, quem Epiſcopus non probarit in ſcriptis. Prov. 5.

59. Sermo haberi poteſt, & in Eccleſia tantum. Prov. 4.

60. Et finita Miſſa. Rubr. Miſſal. *tit.* 13. *n.* 6. *Ceſſatio a Divinis, num.* 6. *Confraternitates, num.* 44. 45. *Regularium jura ſub Epiſcopis, num.* 44. *& ſeqq.*

## ADDITIO.

1. Parochus debet vocare Clericos deſtinatos ab hæredibus, non alios. *Congr. Rit.* 8. *Auguſti* 1601.

2. Alias poteſt vocare quos maluerit, omiſſis etiam vicinioribus, *eadem* 7. *Septemb.* 1613.

3. Confraternitates non poſſunt accedere, niſi vocatæ expreſſe, & ſpecialiter, *eadem* 9. *Decemb.* 1617.

4. Et tunc non poſſunt erigere Crucem, eadem 22. Novembris 1631.

5. Vocati omnes ad ſonum debent convenire ad Eccleſiam Parochialem Defuncti, *eadem* 9. *Decemb.* 1617. 16. *Februarii* 1631.

6. Neque ſiſtere extra januam illius. *Congr. Epiſcop.* 13. *Novembr.* 1600. ſi capax.

7. Nemini licet deferre cadaver irrequiſito proprio Parocho, *Congr. Rit.* 18. *Auguſti* 1629.

8. Neque Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, *ead.* 26. *Nov.* 1631.

9. Si recuſet intereſſe Parochus requiſitus, poſſunt Defuncti ſepeliri in Eccleſia, in qua ſepulturam elegerunt, ſine præſentia Parochi, *eadem* 22. *Decemb.* 1629.

10. An ad Parochum ſpectet decernere viam per quam exportandus eſt Defunctus, uſque ad portam Eccleſiæ Regularium, in qua eſt ſepeliendus, *Congr. Epiſcop.* 4. *Jan.* 1594. 18. *Junii* 1591. 5. *Junii* 1515.

11. In funeribus unica Crux deferenda eſt illius Eccleſiæ, ad quam defertur cadaver, poſt quam debent incedere immediate perſonæ Eccleſiæ illius, deinde cæteri ſecundum antianitatem. *Congr. Rituum* 30. *Septembris* 1614. 22. *Novembris* 1631.

12. Dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, ſub cujus Cruce omnes, eo caſu, incedere debent, *eadem* 22. *Martii* 1631.

13. Et in hoc caſu Curatus, & Sacriſta Cathedralis Eccleſiæ, licet ſint amovibiles, debent præcedere Parocho Defuncti, eadem *ibid.*

14. Crux propriæ Parochiæ Defuncti deferenda eſt, ut ſupra; non autem antiquæ Parochiæ, ex qua diſmembrata fuit nova Parochia, de qua eſt Defuncti, eadem *ibid.*

15. Parochus ſæcularis deferat Stolam in Parochia etiam Regularium, dum Defunctus in eorum Eccleſia ſepelitur: & eodem modo in eodem caſu, & tempore Parochus Regularis in Parochia Defuncti, *ead.* 30. *Septembris* 1629. 29. *Januar.* 1629.

16. Omnibus in Eccleſiis Regularium ſive per ſe ipſos, ſive per alios ſæculares Officium fieri debet, non obſtante quavis contraria conſuetudine, *eadem* 12. *Martii* 1612. 5. *Julii* 1614. 23. *Martii, &* 12. *Octobris* 1619. 12. *Feb.* 2. *Martii,* 8. *Auguſti* 1629. 5. *Julii* 1631. ubi excluditur immemorabilis etiam conſuetudo.

17. Parochi non debent plus recipere pro tumulandis exteris, quam pro civibus. *Congr. Concil.* 27. *Martii* 1617.

18. Si deponantur in Parochiali, ut inde transferantur ad Eccleſiam Regularium, in qua elegerunt ſepulturam, nihil debetur Eccleſiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus, *Congr. Rit.* 23. *Martii* 1619.

19. Baronum Defunctorum regalia, quæ conſiſtunt in lecto, equo, pileo, enſe, annulo, calcaribus, debentur Epiſcopo, in cujus Diœceſi eſt Baronia: non autem illi, in cujus Diœceſi deceſſit. *Congr. Epiſcop. apud Jul. Lavor. var. lucubr. tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 204.

### *Exequiæ Eccleſiaſticorum.*

1. MOrtuo Summo Pontifice, in omni Eccleſia campanæ pulſentur; tum in Cathedrali, & Collegiatis Miſſa pro eo cantetur. Prov. 6.

2. Sacerdotes ſinguli Miſſam dicant, aut ſaltem Collectam in ea, *ibid.*

3. Mortuo Epiſcopo, Sacerdotes ſinguli per dies novem Miſſam pro eo faciant, aut Collectam recitent, *ibid.*

4. Capituli munus ſit monendi Diœceſanum Clerum; *ib.*

5. Exequiæ Epiſcopi deſcribuntur fuſe in Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 28.

6. Epiſcopus vivens Prædeceſſoris ſui proxime defuncti ſingulis annis in die obitus anniverſarium celebrare debet, vel ſaltem Miſſæ a Dignitate, vel Canonico celebratæ, intereſſe, & in fine ipſe debet abſolvere. Cæremoniale Epiſcoporum, *ibid. cap.* 36.

7. Canonico mortuo, ſumptibus Capituli fiat funus; tum Miſſa Conventualis, & Miſſæ privatæ a ſingulis Sacerdotibus illius Eccleſiæ. Prov. 4.

8. Parocho mortuo, Succeſſor quotannis Anniverſarium celebret pro eo cum Miſſa Parochiali. Prov. 6.

9. Infra Octavam Defunctorum arbitrio Epiſcopi, die non impedito, Canonicus, ſeu Dignitas Eccleſiæ Cathedralis celebrabit Miſſam pro animabus omnium Epiſcoporum, & Canonicorum Cathedralis Defunctorum. Cæremon. Epiſcop. *loc. cit. cap.* 37.

10. Clerus faciat Miſſas pro iiſdem. Prov. 3.

11. In Collegiatis fiat idem pro Canonicis illius Eccleſiæ, *ib.*

*V. Exequiæ, n.* 22. 23. 24. *Parochorum munera, n.* 46. 47.

### *Exorciſta.*

1. NE quis Exorciſtæ fungatur officio ſine licentia Epiſcopi. Prov. 1.

2. Neque duo ſimul exorcizentur. Prov. 4.

3. Mulieres ne tangantur ab Exorciſta, *ibid.*

4. Neque ullus quæſtus, aut percunctatio ad divinationem intercedat. Prov. 1.

5. In Eccleſia tantum exorciſmi fiant, paucis præſentibus, uno, ſaltem Eccleſiaſtico, neque ante ortum, neque poſt ſolis occaſum. Prov. 4.

*V. Monialium Cura Spiritualis, num.* 30.

### *Extrema Unctio.*

1. EXtremam Unctionem, & Viaticum, aliaque Sacramenta non poſſunt dare Confeſſarii iis, quorum audierint Confeſſiones, licet ii dicant ſibi ea denegari a Parocho. Leo X. Anno 1518.

2. Niſi denegatio ſit illegitima, & vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario facta doceretur, *ib.*

3. Religioſi non poſſunt miniſtrare hoc Sacramentum, nec etiam in neceſſitate, alias incidunt in Canonem Cler. relig. *de Privil,* Sylv. *V. Unctio.*

4. Licentiam dare poteſt prius Sacerdos, etiam ſi ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus. Sylv. *ibid. q.* 4.

5. Ne Pueris uſu rationis carentibus, neque mulieribus in partu, neque damnatis ultimo ſupplicio miniſtretur. Prov. 4. Senio confectis, non ægrotis, dari poteſt, *ibid.*

6. Una cum Viatico, ſi opus eſt, deferatur oleum infirmorum, *ibid.*

7. In via Pſalmi recitentur, *ibid.*

8. Sacculo ſerico violaceo de collo pendente feratur Olei vas, *ibid.*

9. Si Oleum aliud non ſacrum adhibeatur, iteretur unctio. Prov. 5.

10. Oleo veteri ſacro poterit uti Parochus in caſu neceſſitatis. Congr. Epiſcop. 20. Martii 1590.

11. Singulis menſibus reddatur ratio Deputato ab Epiſcopo de Defunctis, & Sacramentis miniſtratis. Prov. 4.

*V. Ceſſatio a Divinis, n.* 5. *Interdictum, n.* 38. 39. *Olea Sacra, n.* 12. 13. *Peſtis, n.* 8. *Regularium jura circa Tertiarias, num.* 3.

### *Familiaris Epiſcopi, vel Cardinalis.*

1. FAmiliaris, & commenſalis, idem; Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 9. continuæ, inquit, commenſalitatis.

2. Familiares Epiſcopi, laici, ſunt immunes a laica juriſdictione. Congreg. Epiſcop. 7. Junii 1595.

3. Cardinalis Presbyter poteſt conferre primam tonſuram, & Minores Ordines ſuis familiaribus. DD. apud Barboſam *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 5. *num.* 19.

4. Epiſcopus Titularis non poteſt ordinare ſuum familiarem. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 2.

5. Poteſt Epiſcopus ordinare familiarem ſuum, ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude ceſſante ſtatim re ipſa illi conferat. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 9.

6. Habet hoc etiam locum in minoribus, & prima tonſura. Navarr. *conſ.* 11. *de temp. ordinat,* & deciſum refert Armendar. *in addit. ad recompil. legum. Navarr. lib.* 1. *tit.* 18. *lib.* 7. *de Epiſcop. num.* 45.

7. Triennium ſufficit incœpiſſe, antequam eſſet Epiſcopus. Deciſum refert Garz. *de beneſ. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 83.

8. Debet eſſe continuum. Campanil. *in Div. Juris Canon. Rub.* 9. *cap.* 9. *num.* 12.

9. Beneficium ſtatim ei eſt conferendum. Deciſum refert Garz. *d. cap.* 5. *num.* 85.

10. Et

10. Et ſufficit Beneficium ſimplex in aliena Diœceſi. Congr. Conc. 26. Maji 1594.

11. Etiam ad titulum penſionis Ordinarii poteſt. Deciſum refert Garz. *d. c. 5. n.* 81. 82.

12. Etiam ad titulum Patrimonii pro neceſſitate, & commoditate Eccleſiæ Epiſcopi, & debet adſcribi illi Eccleſiæ. Deciſum refert idem, *ibid.*

13. Licet ordinandus ſit Ultramontanus, ordinari poteſt, ut ſupra. Congr. Epiſcop. 12. Januarii 1618.

14. Non poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare cum familiari ſuper illegitimitate, etiam ad minores Ordines, neque ſuper interſtitiis. Deciſ. refert. Garz. *loc. cit. num.* 86.

15. Poſtquam fuerit ordinatus titulo Beneficii collati, erit Epiſcopo ſubditus, & ſic cum eo diſpenſare poterit in interſtitiis. Deciſum refert Armandar. *loco cit. num.* 50.

16. Non poteſt admitti ad concurſum Parochialium, niſi per obitum. Deciſum refert Genuenſ. *in Praxi* 1. *edit. c.* 66. *V. Exempti, num.* 4.

## A D D I T I O.

1. Collatio Beneficii requiritur etiam ad primam Tonſuram familiaris Epiſcopi. *Barb. cum aliis de poteſt. Epiſc. alleg.* 5. *num.* 11.

2. Beneficium ſtatim conferendum, hoc eſt, intra decem circiter dies. *Monſel. cum aliis in ſumm. tract.* 2. *c.* 2. *num.* 9.

3. Ratio Ordinationis, & Litterarum dimiſſorialium ad alium Epiſcopum in caſu familiaris eſt eadem. *Barb. l. c. n.* 16.

4. Poteſt Epiſcopus diſpenſare in interſtitiis cum ſuo familiari, ſi reliqua a Conc. Trid. præſcripta adſint, DD. *cum Diana* 3. *tract.* 4. *de Sac, reſol.* 190.

### *Feſti dies.*

1. NON poteſt Epiſcopus ſacrare dies Feſtos iis, qui non ſunt auctoritate Apoſtol. relati in ſanctorum numerum. Sanchez *in præcepta Decal. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 9. & Azor. *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 26. *quæſt.* 14.

2. Solus Epiſcopus poteſt ſtatuere dies Feſtos, vocato populo, ut ab eo audiat, an nimis gravetur. Barboſ. *de pot. Epiſc. alleg.* 105. *num.* 36.

3. Poteſt indicere Feſta in Synodo ſine populi conſenſu. M. Ant. Genuenſ. *in praxi c.* 51. *ubi reſp. ad tex. in c. fin. de feriis.*

4. Poteſt Epiſcopus indicere Feſta uſque ad meridiem tantum, & populus tenetur audire Miſſam. Azor. *loc. cit. q.* 8.

5. Parciſſimus ſit Epiſcopus in inſtitutione Feſtorum. Sayrus *in clavi reg. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 16.

6. Colantur Feſta uſo, vel publico voto inducta. Prov. 3.

7. Feſta de præcepto communia toti Eccleſiæ ſunt Nativitatis Dom. Reſurrectionis, Aſcenſionis, Penteceſtes, Epiphaniæ, Corporis Chriſti: Circumciſionis Domini; Duæ feriæ poſt Paſcha, & Pentecoſten ſe hæc ex conſuetudine. Azor. *infra*. Aſſumptionis, Nativitatis, Purificationis, Annunciationis Beatæ Virginis, Nativitatis S. Joann. Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Natal. duodecim Apoſtolorum, S Stephani, Sancti Laurentii, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, Inventionis S. Crucis. Hæc Sylv. *V. Dominica, q.* 1.

8. De conſuetudine univerſali ſunt Feſta Sancti Nicolai, S. Antonii, Sanctæ Catharinæ, idem *ibid.*

9. Item SS. Innocentium, & S. Sylveſtri, ſtandum eſt conſuetudini, idem *ib.* & Azor. cum aliis *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 25.

10. De S. Martini Feſto idem docet Azor. *ibidem.*

11. Feſtum S. Marci non eſt de præcepto, jure communi. Azor. *ib.* niſi ubi eſt conſuetudo.

12. Feſtum S. Joſeph eſt ubique de præcepto. Greg. XV. Anno 1621.

13. Feſtum item S. Annæ. Idem Anno 1622.

14. Item Feſtum S. Franciſci. Congreg. Rit. die 3. Januar. 1627. & in Tabella eſt Romæ edita Anno 1651. de Feſtis ubique de præcepto.

15. Decreto evulgentur Feſta de præcepto, & de conſuetudine, vel voto, & in Kalendario notentur cum vigiliis de præcepto. Prov. 3.

16. Ea denunciet Parochus die Dominico præcedente: & doceat de agendis eo die, *ibid.*

17. Denunciet etiam Indulgentias, Stationes, Orationes, Proceſſiones, & Officia Defunctorum in Parochiali obeunda, *ib.*

18. Abſtineant ab opere ſervili; mercatus ne fiant; negotiationes, & judiciorum ſtrepitus quieſcant. Pius V. Anno 1566.

19. Licet diebus Feſtis dare operam rebus ad vitam neceſſariis tempore periculis, vel ubi neceſſitas urget, aut pietas ſuadeat judicio Ordinarii. Deciſum refert Quar. *V. Dies Feſti.*

20. Nundinæ occurrentes in die Feſto, quæ fiunt qualibet hebdomada, fiant in præcedenti feria; quæ vero ſemel in anno, tolerari poſſunt poſt celebratam Miſſam majorem. Congr. Epiſc. 10. Aug. 1592.

21. Ne fiat apparatus pro nundinis, mercatove, quæ in ſequentem cadant diem poſt Feſtum. Prov. 3.

22. Ne quid ematur, aut vendatur, præter id, quod ad victum illius diei, ſeu ad ægrotos attinet. Prov. 1.

23. Non tamen ea venalia prope Eccleſiam proponantur. Prov. 3.

24. Neque ibidem eorumdem tentoria, raſtrave ſint, quibus illa exponuntur, excepto pane, defendendo a Sole, vel pluvia, *ibid.*

25. Nec officinæ ſint apertæ, ſed oſtiolum tantum, *ib.*

26. Certa item hora vendendi præſcribatur, *ibid.*

27. Ne exigantur collectæ, taleæve in oppidis, & præſertim tempore Divinorum Officiorum, Concionis, Proceſſionis, Doctrinæ Chriſtianæ. Prov. 3.

28. Neque libri, imaginesque venales proponantur, *ibid.*

29. Neque ad aleæ uſum, larvæ, veſtes perſonarum vendantur, aut locentur, *ib.*

30. Neque comeſſationes in honorem Sanctorum, ludi, aliæve prophanæ actiones, neque comœdiæ, haſtiludia, ſpectacula fiant.

31. Saltationes, tripudia, choreæve ne fiant, dum Divina celebrantur Officia, *ibid.*

32. Ne circulatores, & ejuſmodi quidquam vendant, ne medicamenti quidem prætextu, *ibid.*

33. Tonſoribus, piſtoribus, ſutoribus, calcеariis, & ejuſmodi præſcribantur certæ regulæ, *ib.*

34. Eccleſiaſtici non ſuſcipiant iter, niſi urgenti de cauſa: Laici vero, vel prius audita Miſſa. Prov. 5.

35. Non excuſentur puellæ nubiles, aut viduæ a Miſſa audienda, cujuſvis conſuetudinis prætextu. Prov. 1.

36. Neque teſtes dicant teſtimonium, niſi in cauſis, in quibus licet die Feſto juramentum deferre: hæc etiam in foro laicorum ſerventur. Prov. 4.

37. Ne torqueantur rei, niſi criminis atrocitas illud exigat, *ibid.*

38. Cauſæ alimentorum tractari poſſunt coram Epiſcopo in die Feſto. Sa *Alimenta.*

39. Regulares ſervent Feſta, & jejunia pro locorum conſuetudine. Prov. 5.

40. Si dies Feſtus incidat in diem vigiliæ de præcepto, omnino ſervetur jejunium. Prov. 6.

41. Feſtum Sancti Titularis Eccleſiæ Parochialis colatur etiam cum vigilia, hortante Parocho ſuas oves. Prov. 3.

42. Poſt Veſperas, ſaltem de libro, vita Sancti Titularis enarretur, ex Auctore probato, *ibid.*

43. Si adſit Corpus, vel inſignis Reliquia, eo die, & campanarum ſono, & luminum apparatu Divina Officia celebrentur, *ib.*

44. Princeps, & Magiſtratus invitentur ad Eccleſiam Cathedralem in ſolemnioribus Feſtis, & ad Proceſſiones, *ib.*

45. Pro licentia operandi in die Feſto nihil imponitur titulo eleemoſynæ, niſi hortando. Congreg. Epiſc. 27. Novembris 1594.

46. Parochus non poteſt dare licentiam operum in die Feſto, niſi conſentiente Epiſcopo, eadem 18. Julii 1594.

47. Superiores laici non poſſunt dare licentiam, & ſi dent, nulla eſt, & poſſunt puniri ab Epiſcopo. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 105. *n.* 42.

48. Poteſt Epiſcopus procedere contra laicos non obſervantes Feſta: ex Bulla Pii V. *ſupra citata.*

49. Poteſt, & laicus Judex procedere contra eoſdem. Congreg. Epiſc. 21. Aug. 1615.

50. Pœna incurritur arbitrio Ordinarii, vel Magiſtratus, etiam amiſſionis animalium. Pius V. *ſupra.*

51. Præventioni ſit locus, *ib.*

52. Pro officinis apertis, rebuſve venditis, etiam pater, dominus, & artifex pœnam ſubeat. Prov. 5.

53. Non locentur pœnæ ex violatione Feſtorum, ſed applicentur Locis Piis, eo loci, in quo ſolvuntur. Congr. Epiſcop. 22. Maji 1590.

*V. Caſus reſervati, n.* 14. *Excommunicatio, n.* 21. 33. *Licentia, n.* 1. *Regularium jura ſub Epiſcopis, n.* 26.

## A D D I T I O.

1. Ad Vicarium potius foraneum, non ad Archipresbyterum ſpectat dare licentiam operandi die Feſto. *Congr. Epiſc.* 18. *Novembris* 1597.

2. Debet autem hæc de re licentia dari in ſcriptis, eadem 21. *Auguſti* 1651.

### *Fidei Profeſſio.*

1. PRoviſi de Beneficiis quicumque animarum curam habentibus, tenentur, a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes coram Epiſcopo, ſeu Vicario fidei facere Profeſſionem. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12.

2. Canonici, & Dignitates Cathedralium, & coram Epiſcopo, & in Capitulo tenentur, *ibid.*

3. Et Portionarii, qui ſunt de Capitulo. Ricc. *de jure perſon. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 57. alias minime, neque Capellani in Cathedrali, *ib.*

4. Etiam Canonici prædicti exempti, tenentur coram Epiſcopo, & Capitulo. Deciſum refert Garz. *part.* 3. *cap.* 3. *n.* 21.

5. Item

5. Item Canonici Regulares Cathedralium a die electionis, ſeu a quo admittuntur ad participationem maſſæ Capitularis. Deciſum refertur *ibid. n.* 16.

6. Sede Vacante non ſufficit fieri coram Capitulo, ſed coram ejus Vicario Capitulari. Garz. *ibid. n.* 27.

7. Si Epiſcopus, vel Vicarius fuerit in Capitulo, ſufficit quod ibi ſemel emiſerit coram iis. Deciſum refert Garz. *ibid. num.* 24.

8. Non tenentur Coadjutores Canonicorum, aut Dignitatum, niſi cum factus fuerit ſucceſſioni locus. Garz. *p.* 4. *cap.* 5. *num.* 76.

9. Neque tenentur in Capitulo facere Canonici, & Dignitates Collegiatarum. Deciſum refert Garz. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 13.

10. Sed ſufficit, ut faciant coram Vicario, etiam Epiſcopo non impedito. Garz. *ibid. num.* 23.

11. Commendatarii tenentur, ſicuti veri beneficiati. Garz. *p.* 4. *c.* 5. *num.* 20.

12. Item Vicarii perpetui. Ricc. *de jure perſon. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 12.

13. Item Vicarii temporales Eccleſiarum curatarum. Idem *cap.* 14. *n.* 1.

14. Non ii, qui ſine proprio titulo deputantur ad animarum curam. Idem *cap.* 13. *num.* 59.

15. Neque ille, qui obtinuit Eccleſiam alias curatam, ſed deſiit habere Parochianos. Idem *cap.* 14. *num.* 2.

16. Tenentur autem poſt adeptam poſſeſſionem, idem *n.* 50. & eam pacificam per menſes duos, idem *n.* 62.

17. Non excuſat ignorantia Concilii Tridentini, idem *n.* 47. licet excuſare poſſet ignorantia Bullæ Pii IV. vel ſi putaret in ea ſe non comprehendi, idem, *n.* 46.

18. Solet tamen Apoſtolica Sedes in caſibus ignorantiæ remittere pœnam, idem, *num.* 49.

19. Beneficiati omnes, & ii, qui in Synodo Diœceſana convenire debent, Fidei Profeſſionem faciant in prima Synodo, cui adfuerint. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 2.

20. Omnes ii, ad quos univerſitatum, & ſtudiorum cura, Viſitatio, & Reformatio pertinet, diligenter curent, ut Decreta Concilii Tridentini integre recipiantur, & ad eorum normam doceant, & initio cujuslibet anni ad hoc inſtitutum ſolemni juramento ſe obſtringant, *ibid.*

21. Publici Lectores, vel Magiſtri, & privati, etiam Grammaticæ, & liberalium Artium, tenentur ad fidei Profeſſionem faciendam. Pius IV. Anno 1564.

22. Et eſt in uſu hæc Bulla. Ricc. *de jure perſon. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 5. contra Sorbum, & Sanchez.

23. Item eligendi in Rectores, vel Cancellarios Gymnaſiorum. Pius IV. *loco cit.*

24. Item promovendi ad Doctoratus gradum, *ibid.*

25. Item ii, qui Aritmeticam, & Muſicam docent, ex declaratione Apoſtolica. Prov. 4. *V. Ludi Magiſtri, num.* 1.

26. Concionatores ſaltem ſemel. Prov. 5.

27. Confeſſarii omnes, Medici, Chirurgi, Advocati, & Procuratores ſancti Officii, *ib.*

28. Bibliopolæ, & Typographi. Prov. 6. *V. Librorum editio, num.* 21.

29. In novo Beneficio Parochiali, ſeu Canonicali debet de novo emitti. Deciſum refert Garz. *d. c.* 3. *n.* 17. 38.

30. Per ſe ipſum facere debet Beneficiatus, non per Procuratorem. Deciſum refert idem *n.* 74. & ultro ſe offerre debet. Ricc. *ſupr. num.* 18.

31. Poſſe per Procuratorem, docet Navarr. *conſ.* 11. *titulo de jurejur. num.* 2.

32. Sed cum ſpeciali mandato. Ricciull. *loco cit. num.* 30. & ſi velit Epiſcopus, idem *num.* 29.

33. Etiam ſi alia de cauſa alias emiſerit, idem *num.* 19.

34. Omiſſio hæc non privat Beneficiatum poſſeſſione, & juribus Beneficii. Deciſum referunt *in Add. Quar. V. Benefic. Poſſeſſio litt. B, in fine.*

35. Privat fructibus Beneficii. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12.

36. Abſque alia ſententia. Ricc. *ſup. num.* 43.

37. Fructibus Præbendarum, non Diſtributionibus. Deciſum refert Garz. *cap.* 3. *num.* 60.

38. Neque Defunctorum Anniverſariis. Ricc. *loc. c. n.* 53.

39. Niſi fructus omnes conſiſtant in Diſtributionibus, idem *n.* 54.

40. Neque prodeſt triennalis poſſeſſio quoad fructus percipiendos. Deciſum refert Garz. *loc. cit. num.* 34.

41. Et ſemper tenentur eam facere, idem *ib. n.* 29. *&* 30.

42. In Dignitatibus habentibus fructus diſtinctos a menſa Capitulari, ſunt applicandi fabricæ Eccleſiæ, ſi egeat, vel loco pio, arbitrio Ordinarii. Garz. *ibid. num.* 30.

43. Et generaliter fructus amiſſi ob hanc cauſam in uſus pauperum, vel fabricam Eccleſiæ impendi debent. Garz. *p.* 5. *c.* 3. *num.* 26.

44. Nec Epiſcopus poteſt condonare fructus amiſſos. Deciſum refert Garz. *p.* 3. *cap.* 3. *num.* 53.

45. Iis, de quibus ſupra num. 13. 23. 24. imponitur pœna nullitatis auctorum, & aliæ contra Rectores, & Superiores quoſcumque Univerſitatum, & Gymnaſiorum. Pius IV. *ſupra.*

46. Epiſcopus non exigens, nec recipiens a Doctoribus, & ſcholaribus Fidei Profeſſionem incurrit pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ. Pius IV. *ubi ſupra.*

47. Inferiores vero non recipientes, aut ſupra excommunicationis latæ ſententiæ, privationis Dignitatum, Beneficiorum, & feudorum incurrant pœnam, idem, *ibid.*

48. Receptio, promotio, electio, &c. ſunt nullæ. Idem *ibidem.*

49. Referantur in certum librum nomina eorum, qui Fidei Profeſſionem emiſerunt. Prov. 3.

*V. Capitulum, num.* 17. *Concio Sacra, num.* 20.

### *Filii Clericorum illegitimi.*

1. NON licet iis in Eccleſiis, ubi eorum Patres Beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam diſſimile Beneficium obtinere. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15.

2. Nec in dictis Eccleſiis miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus Beneficiorum Patrum habere, *ib.*

3. Reciprocæ reſignationes inter eos, fraude factæ, cenſeantur impoſterum nullæ, *ibid.*

4. Prohibitio Concilii habet locum in filiis naturalibus procreatis tempore, quo parentes eorum nondum erant effecti Clerici. Deciſum refert Garz. *p.* 7. *cap.* 3. *num.* 15.

5. Regula de triennali non habet locum in hac materia. Deciſum refert idem, *ibid. n.* 88.

6. Non poteſt Epiſcopus diſpenſare cum Illegitimis filiis Clericorum ad Beneficia Patrum. DD. apud Barboſam *alleg.* 65. *num.* 30.

7. Non poteſt filius Illegitimus obtinere Beneficium in ea Eccleſia, in qua Pater ejus ſine legitimo titulo illud idem obtinuit, & minus pacifice. Deciſum refert Garz. *loc. cit. num.* 59.

8. Non poteſt filius Illegitimus obtinere illud Beneficium, ratione cujus debet cantare unum verſiculum certo die in Eccleſia, in qua Pater ejus eſt Canonicus. Deciſum refert idem, *num.* 69.

9. Neque poteſt obtinere Beneficium, neque ſervire tamquam amovibilis Capellanus in Eccleſia, in qua Pater tamquam Capellanus amovibilis ſervivit. Deciſum refert idem *ibid. num.* 72.

10. Sufficit poſſeſſio Patris in Beneficio, licet non miniſtraverit, nec aliquid perceperit de fructibus Beneficii, ut excludatur filius ab alio Beneficio. Deciſum refert idem, *ibid. n.* 55.

11. Excluditur etiam filius quando Pater habuit ſolam ſedem in Choro ratione Dignitatis, quam in alia Eccleſia obtinebat. Deciſum refert idem, *ibid. n.* 66.

12. Neque poteſt filius, ut Cantor, Muſicus, ſeu Sacriſta miniſtrare, ubi Pater eſt Beneficiatus. Deciſum refert idem, *ibid. n.* 68.

13. Non excluditur filius, ſi Pater obtinuit quidem Beneficium, ſed litteram non expedivit, neque unquam poſſeſſionem cœpit. Deciſum refertur, *ibid. n.* 55.

14. Neque dicitur habuiſſe, qui proviſus, & litteris non expeditis, neque poſſeſſione capta, ceſſit alteri. Deciſum, *ibid. num.* 56.

15. Non prohibetur obtinere Eccleſiam filialem dependentem, ſeu unitam acceſſorie Eccleſiæ Matrici, cujus Pater fuit Rector, modo in ea non miniſtraverit; prohibetur autem obtinere unitam, æque principaliter, aut ſi in utraque Pater miniſtraverit. Deciſum refertur, *ibid. n.* 62. 63. 65.

16. Neque prohibetur obtinere Canonicatum, qui erat Portio tempore, quo Pater illum obtinebat. Achill. de Graff. *deciſ.* 1. *de fil. Presbyt.*

17. Neque prohibetur ſuccedere in Capellania, quæ fundari ſolet abſque Epiſcopi auctoritate, ut in ea accedant Clerici de parentela. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. *num.* 33.

18. Neque prohibetur Illegitimus laicus, cujus Pater nec Beneficium, nec Penſionem habet, ſed ut Cantor muſicus tantum in ea Eccleſia cantat, quin & ipſe cantare poſſit, *ib.* Deciſum refert Garz. *ſup. num.* 68.

19. Neque prohibentur Pater, & filius in eadem Eccleſia celebrare Miſſam, dummodo in ea non habeant Beneficia. Deciſum ibidem refertur, *num.* 73.

20. Et longe minus prohibentur habitare ſimul. Deciſum refertur, *ibid. n.* 74.

21. In Proceſſione poſſunt incedere Pater, & filius Beneficiati in diverſis Eccleſiis: ſi vero Proceſſio fiat ad Eccleſiam Patris, non poteſt ibi filius miniſtrare. Deciſum refertur, *ib. num.* 68. *in* 3. *declar.*

22. Penſio poteſt transferri in filium a Patre habente facultatem transferendi. DD. apud Barboſam *alleg.* 65. *n.* 27. *loco cit. num.* 34.

23. Nepos legitimus ex filio Illegitimo non comprehenditur in Decreto Concilii. Deciſum refert Garz. *dict. c.* 3. *num.* 22.

24. Et poteſt etiam nepos illegitimus ex filio Illegitimo obtinere Beneficium, quod avus habuit. Deciſum refert idem *ib. num.* 27.

## ADDITIO.

Legitimatus per ſubſequens matrimonium non poteſt obtinere Canonicatum in ea Eccleſia, in qua Pater. *Congreg. Concil.* 1625.

### *Fori Privilegium.*

1. PRivilegio Fori non gaudet, niſi qui Beneficium Eccleſiaſticum habet, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferi, alicuique Eccleſiæ de mandato Epiſcopi ſervit. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6.

2. Item qui in Seminario Clericorum, aut Schola, aut Univerſitate de licentia Epiſcopi verſatur, *ibid.*

3. Clerici conjugati gaudent, ſi alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati eidem ſerviant, & Clericali habitu, & tonſura utaotur, *ibid.*

4. Conjugati Clerici gaudent in criminalibus, & ii, qui cum unica virgine contraxerunt. Bonifacius VIII.

5. Aſſumptio Clerici alicui Eccleſiæ ab Epiſcopo facta oretenus ſufficit. Deciſum referunt Ricc. *in praxi fori Eccl. deciſ.*601. *in* 1. *edit.* & Barboſa *de poteſtate Epiſcop. alleg.* 12. *n.*13.

6. Sed pro majori parte ſerviat. Barboſa *ibid. num.* 14.

7. Et eidem illi non alteri. Idem *ibid.*

8. Duæ Miſſæ de Feſto, & de feria in Rubricis præſcriptæ, non debent omitti; neque poteſt omitti altera, etiam ſi celebrandum ſit Capitulum, eadem 6. Maji 1626. & 26. Januarii 1627.

9. Cum prædictæ duæ Miſſæ præſcribuntur, ambæ cantentur; & præterea, ſi occurrant, Anniverſaria fiant, ſub pœna perdendæ Diſtributionis, omnibus de Choro, toto ea die, & ſequenti. Prov. 4. *ex Miſſ. Rom.*

10. Miſſa Nativitatis Domini in Aurora non omittatur in Collegiatis, neque in Parochiali, ubi cantatur prima, & tertia Miſſa, *ibid.*

11. Qui

11. Qui benedicit Cineres, Candelas, Ramos, debet etiam cantare Miſſam ſequentem. Congr. Rit. 20. Febr. 1628.

12. Miſſa ſolemnis in Rogationibus Majoribus dicitur de Sancto Marco, ſi in Eccleſia ejuſdem terminatur Proceſſio, eadem 23. Maji 1603.

13. Miſſa ſolemnis pro re gravi ea eſt inter Votivas, prò qua convenit totus Clerus cum Epiſcopo, ead. 19. Maji 1607.

14. Qui Miſſam Conventualem cantare debet, & contemnit, vel negligit, diſtributione tridui careat, & ſuſpendatue a munere Ordinis ſui. Prov. 2.

15. Planetis plicatis in Miſſa uti poſſunt Regulares in Eccleſiis propriis inſignioribus. Congr. *apud Alaocar. in ſuo Cæremoniali*.

16. Si ob terræ frigiditatem populus veniat tarde pro ſolemni Miſſa, tardius etiam recitetur Hora Tertia, potius, quam decantetur poſt Sextam, eadem *apud eumdem ib.*

17. Celebrans, & Miniſtri ſedere poſſunt dum cantatur Epiſtola, & Graduale, eadem apud *eumdem ibid.*

18. Sedeat autem ille in loco parato, non in ſtallo, eadem 12. Junii 1627.

19. Beneficiati ſolemniter Celebrantes cum Diacono, & Subdiacono debent ſedere in eodem loco, ubi ſedent Canonici Celebrantes ſolemnem Miſſam, non obſtante quacumque conſuetudine, eadem 15. Januarii 1611.

20. Si quid cantatur in Miſſa præter ea, quæ habentur in Miſſali, prius probetur ab Epiſcopo. Prov. 3.

21. Hymnus Angelicus, Symbolumque non dicuntur in Votiva ſolemni, in qua paramenta violacea adhibentur. Congr. Rit. Maji 1607.

22. Symbolum totum canatur a Choro, non alternatim cum Organo. Prov. 3.

23. Presbyter Celebrans neminem thurificet, neque Diaconus det pacem Domino loci. Congr. Rit. 5. Julii 1614.

24. Canonici parati incenſantur ante Vicarium, eadem 6. Mart. 1620.

25. Beneficiati parati incenſantue ante non paratos, eadem 30. Auguſti 1602.

26. Vicarius non Prælatus duplici tantum ductu incenſatur, abſente Epiſcopo, eadem 14. Jan. 1617.

27. Vicario etiam Apoſtolico non datur trina incenſatio. Congreg. Epiſcop. 28. Aug. 1589.

28. Gubernatori Provinciæ thus, & pax dantur poſt Vicarium Epiſcopalem etiam abſente Epiſcopo, ead. 30. Junii 1502.

29. In aliis minoribus Civitatibus præſente Epiſcopo, dantue Gubernatori, & poſtea Vicario, ſed abſente Epiſcopo, prius Vicario, niſi Gubernator ſit Epiſcopus, ead. *ib.*

30. Gubernator non Prælatus incenſatur poſt Canonicos Aſſiſtentes, ante alios Canonicos Epiſcopo præſente: abſente vero, poſt Vicarium Generalem: etiam ſi ille ſit uxoratus, eadem 9. Maji 1606. 17. Novembris 1607.

31. Non incenſentur mulieres in Eccleſia ſolemnitate diſtincta ab aliis. Congreg. Epiſc. 26. Aprilis 1594.

32. Cum elevatur Sacramentum, detur ſignum campanis majoribus. Prov. 2.

33. Pax Diacono datur a Subdiacono poſt datam pacem in Choro, Epiſcopo præſente. Congreg. Rit. 17. Junii 1606. & 15. Martii 1608.

34. Diaconus, & Subdiaconus niſi celebrarint, communicent ſaltem in Feſtis. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 13.

*V. Precedentia*, *n.* 26. 27.

*Proceſſio*, *n.* 25.

## A D D I T I O.

1. Abrogata eſt omnis contraria conſuetudo non cantandi Miſſam de die ultra Votivam. *Congr. Rit.* 18. *Julii*, & 28. *Auguſti* 1628.

2. Dignitatibus hinc inde diſtributis in Choro, incenſantur eæ cum Canonicis ab una parte, deinde cum aliis Canonicis ab alia; non autem Dignitates omnes ſimul ante omnes Canonicos, eadem 7. *Decembris* 1601.

3. Thurificatio cum triplici ductu convenit uni tantum, & digniori; ideſt Epiſcopo, ead. 11. *Dec.* 1604. 15. *Nov.* 1614.

4. Abſente Epiſcopo, thurificatur Celebrans triplici ductu, ead. 9. *Maji* 1606. 30. *Jan.* 1616.

5. Vicarius Generalis ſedens in Choro ſupra Canonicos duplici ductu, non triplici, ſi tamen non ſit Prælatus, eadem 14. *Jan.* 1617.

6. Dignitatibus, & Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum in ſuis Eccleſiis, duplici ductu fit incenſatio; cæteris de Choro unico ductu, *eadem* 9. *Maji* 1606. 30. *Jan.* 1616.

7. Niſi Portionarii, & alii in omnibus, & per omnia æquiparentur Canonicis, ead. 21. *Martii* 1615.

8. Magiſtratus æque ac Canonici poſt eos æquis ductibus incenſantur, ead. 10. *Julii* 1600.

9. Et hoc in omnibus Eccleſiis, ubi conveniunt Canonici Cathedralis, & Magiſtratus, eadem 16. *Junii* 1607.

10. Nec non Canonici Collegiatæ ante Gubernatorem, & Officiales, eadem *Januarii* 1618.

11. Semper tota thurificatio facienda eſt cum unico thuribulo, ead. 21. *Julii* 1618.

12. Neque probatur duorum uſus in incenſatione perſonarum, eadem 15. *Martii* 1608.

### *Monetarii.*

1. AD Ordinarios locorum, ubi non eſt Legatus, vel Prolegatus, ſpectat cognitio cauſæ Monetariorum Eccleſiaſticorum, etiam Regularium. Urbanus VIII. Anno 1627.

2. Et ad viciniorem Ordinarium, ſi locus delinquenti. eſt exemptus, *ibid.*

3. Aureas, & argenteas Monetas tondentes, fabricantes, colorantes, adulterantes, erogantes, ſæculari Curiæ traduntur, *ibid.*

4. Detinentes, transferentes inſtrumenta, opem, & materiam præſtantes, triennium decennali pœna puniantur, *ib.*

5. Impedientes, ne procedatur, privantur eo ipſo Beneficiis officii, cum inhabilitate, amiſſione vocis activæ, & paſſivæ, excommunicantur, *ibid.*

6. Tenentur omnes conſignare acta, & ſcripturas requiſitâ a prædictis, *ibid.*

### *Monialium Monaſteria.*

1. NOva ne erigantur, quibus ad minus 300. ſcutorum redditus annuus non aſſignetue pro duodecim ſuſtentandis. Congreg. Epiſc. 27. Maji 1603.

2. Neque erigantur ſine conſenſu Ordinarii, eadem 13. Septembris 1583.

3. Neque ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Indulto, eadem 10. Aprilis 1615.

4. Neque erigantur niſi in locis muro cinctis, & ubi copia Confeſſariorum adeſt, aut facilitas conducendi Confeſſarium aliunde, eadem 15. Septemb. 1523.

5. Multiplicatio Monaſteriorum evitetur in iis locis, in quibus jam erecta laborant inopia, eadem *ibid.*

6. Prope Monaſteria tollantur omnes arbores altæ, eadem 13. Auguſti 1585.

7. Portæ duæ tantum concedantur, una jumentis, & vehiculis, altera aliis uſibus. Prov. 4.

8. Duabus clavibus unaquæque claudatur, altera apud Præfectam, altera apud antiquiorem Profeſſione, *ibid.*

9. Si expedire videatur, addatur vectis ab exteriore parte, clave commiſſa viro fideli. Prov. 6.

10. Tres rotæ, aut quatuor ad ſummum, ad Januam, in collocutorio, in Eccleſia pro ſacris veſtibus, & prope ſedem Confeſſionalem. Prov. 4.

11. Rota, quæ in Eccleſia, binas valvas ligneas habeat, interiores cum clave apud Præfectam, exteriores cum clave apud Capellanum ſervanda, ſive alium judicio Superioris, *ib.*

12. In collocutorio nullo modo ſit porta, per quam aditus ſit ad Monaſterium. Congr. Epiſcop. 12. Octobris 1592.

13. Oſtium collocutorii interius ſit ſemper clauſum, ejuſque clavis ſit apud antiquiorem earum, quæ Auſcultatrices dicuntur. Prov. 5.

14. Duo ferrei cancelli conſtruantur ibi, qui ſaltem palmo diſtent alter ab altero, *ibid.*

15. Intimo cancello verſus Moniales ferrea lamina appingatur, immobilis, cui ligneus pannus nigri coloris, ligneis tabellis affixus, inſtar feneſtræ, quæ aperiri poſſit, cum erit colloquendum, apponatur, *ibid.*

16. Lamina ſit perforata exiguis foraminibus, & in ea fieri poteſt quadrata feneſtellula, cujus clavis ſit apud Præfectam, neque aperienda erit, niſi Epiſcopo, vel Superioribus Ordinis, aut parentibus, & ſanguine conjunctis Monialium, aut Notario inſtrumentum confecturo, vel Concionatori, *ib.*

17. Clavis oſtii exterioris collocutorii committatur Confeſſario, vel pio viro, qui noctu, & certis diebus invigilent, ne collocutioni ſit aditus. Prov. 6.

18. Dormitorii locus ſit unus, clave noctu apud Præfectam ſervanda. Prov. 1. & 4.

19. Duo alia Monaſterii loca ſint communia pro veſtibus Monialium, & pro labore manuum. Prov. 4.

20. Caminus privatis cellis ne permittatur, & ubi eſt, obturetur, *ibid.*

21. Horti in anguſtiores fines concludantur, *ibid.*

22. Ea ſit clauſura Monaſterii, ut Monialibus ab externorum hominum aſpectu, & auditu liberis ſecure per Monaſterium ambulare liceat. Prov. 5.

23. Ædes proximæ ne locentur famoſis mulieribus, *ib.*

24. Neque in ea loca migrent Regulares viri, neve areas Monialibus proximas emant, unde Monialium aſpectus fieri poſſit, *ib.*

25. Quæ ſunt extra mœnia urbis, ſi ita videbitur expedire, transferantur intra Urbem. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de Regular. V. Monialium cura ſpiritualis*, *n.* 21. 26. *Viſitatio Epiſcopi*, *n.* 27.

### *Monialium Eccleſiæ.*

1. NE detur oſtium, per quod ex Monaſterio ſit aditus ad exteriorem Eccleſiam. Greg. XIII. Anno 1574.

2. Sanctiſſimum Sacramentum in publica tantum earum Eccleſia teneatur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 10.

3. Ante illud luceat lampas in Eccleſia interiori, & altera in exteriori, quando fores patent. Prov. 1.

4. Feneſtra, qua Sanctiſſimæ Euchariſtiæ elevatio proſpicitur, altius ne pateat cubitis duobus, & unciis duodecim; Late vero ut Altaris altitudo. Prov. 4.

5. Ea perpetuo panno lineo tecta ſit, qui tantummodo amoveatur, quando elevatur Sacramentum, neque Sacerdos ex Altari videre poſſit Moniales. Prov. 1.

6. Feneſtella pro Communione Monialium ita alta ſit, ut Sacerdos commode miniſtret ſtans, non genuflexus, Prov. 4.

7. Ejuſdem clavis perpetuo ſit apud Confeſſarium. Congr. Epiſc. 12. Jan. 1604.

8. Pro Sacris Reliquiis feneſtella conſtruatur in pariete exteriori cum tribus clavibus, una penes Epiſcopum, altera apud Confeſſarium, tertia apud Præfectam. Prov. 4.

9. Organum ne conſtituatur, niſi locus, in quo apte locetur, Superioris judicio ante probetur. Prov. 1.

10. Prohibentur alia inſtrumenta muſice, præter harpicordium, quod ad didicendam Organi artem adhibetur, *ibid.*

11. Præter Miſſam nihil ab aliis canatur, *ibid.*

12. Ne permittatur in Eccleſiis Monialium cantus ſimplex, vel figuratus a perſonis Sæcularibus. Cong. Epiſc. Anno 1593.

13. Si viget conſuetudo ſepeliendi Moniales in Eccleſia exteriori, permittatur, eadem 20. Septembris 1594.

14. In Sepultura Monialium, quæ intra clauſuram eſt, ne ſepeliantur extranei, eadem 1. Mart. 1585.

15. Ne inſtituantur ibi Confraternitates laicorum, eadem 6. Novembris 1595.

*V. Oratio publica, n. 13.*

*Monialium Clauſura.*

1. Clauſura perpetua decernitur a Pio V. Anno 1566.

2. Votum Clauſuræ venit ſub voto obedientiæ. Congr. Epiſc. 19. April. 1519.

3. Epiſcopi procurent Clauſuram Sanctimonialium; inobedientes, & contradictores compeſcant per cenſuras, & pœnas. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5.

4. Nemini Sanctimonialium poſt Profeſſionem liceat exire, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, *ibid.*

5. Pœna egredientibus eſt excommunicatio reſervata Papæ. Pius V. Anno 1569.

6. Excipitur cauſa incendii, lepræ, epidimiæ, de conſenſu Epiſcopi, & in ſcriptis approbata, & ad tempus, *ibid.*

7. Epidimiæ nomine intelligitur quicumque morbus popularis contagioſus. Congreg. Epiſc. 8. Novembris 1594.

8. Etiamſi Regularibus ſint ſubjectæ, debet Epiſcopus approbare cauſam. Pius V. *loco cit.* & DD. apud Barboſ. *alleg.* 102. *n.* 28.

9. Concedentes licentiam exeundi ſine cauſa, committentes, recipientes ſubjiciuntur prædictæ pœnæ cum privatione dignitatum, Officiorum inhabilitate, & aliis. Pius V. *ibid.*

10. Tectum Monaſterii eſt pars ejuſdem, Bonac. *de clauſ. Monial. q.* 1. *punct.* 1. *num.* 3.

11. Non poſſunt egredi januam Monaſterii ad claudendam ulteriorem januam, quæ patet exteris. Greg. XIII. An. 1573.

12. Neque exeant ad Congregationem. Congreg. Epiſc. 9. Octobris 1584.

13. Noviſiis non detur licentia exeundi ad videndos parentes, ead. 1. Sept. 1617.

14. Neque transferri poſſunt Moniales pro inſtructione novi Monaſterii, inconſulta Sede Apoſtolica, ead. 27. *Maji* 1603. & Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *loco cit. n.* 25.

15. Si concedatur tranſlatio, fiat in aurora. Deciſum refertur *ib. n.* 26.

16. A viris pravibus, & contagione propinquis. Prov. 5.

17. Si divertant alio, tam in exitu, quam in reditu 20. circiter miliaribus, ad Sacram Imaginem, vel ad conſanguineos: non violant clauſuram. Sanchez *de oper. mor. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 62.

18. Neque Converſæ poſſunt exire ad ornandum Altare in Eccleſia exteriori. Congr. Epiſcop. 27. Octobris 1592.

19. Poſſunt pro quæſtu egredi, ætatis ſaltem 40. annorum, non pulchræ; neque pernoctent foris, ead. 14. Aprilis 1615.

20. Idem conceditur Monialibus Converſis ſi egeant, & cum iiſdem conditionibus, eadem *ib.*

21. Neque plures, quam octo deſtinentur ad quæſtum, eadem 15. Sept. 1603. *&* *Anno* 1573. *apud Zechium de Repub. tit. de reg. cap.* 3. *n.* 55. *verſ.* 9.

22. Si deinde non egeant, ceſſent a quæſtu, eadem 14. Aprilis 1615.

23. Incorrigibiles ejici non poſſunt, neque transferri, inconſulta Sede Apoſtolica, eadem 17. Maji 1603.

24. Fugitivæ revocentur, & Epiſcopi judicio inter Converſas reponantur, impoſita debita pœnitentia. Provinc. 1.

25. In cauſis criminalibus ne educantur e Monaſterio, neque ad breve tempus, in aliud Moſterium, *ib.*

26. E contra nemini liceat ingredi ſepta Monaſterii Monialium ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Trid. *loc. cit.*

27. Non eſt tamen abſolutio reſervata Papæ, *ibid.* neque in Bulla Gregorii XIII. de cujus mente controverſia eſt inter Doctores; iis aſſentior, qui negant, eum reſervaſſe ſimplicem ingreſſum, ſine licentia, Summo Pontifici.

28. Fiat in ſcriptis licentia, ut ſupra, niſi ingrediatur una cum Epiſcop. Prov. 6. vel niſi periculum ſit in mora; tunc enim oretenus dari poteſt, immo & abſque licentia ingreſſus licet. Bonac. *q.* 4. *punct.* 3. *n.* 2. *V. Licentia n.* 8. 9.

29. Vicelegatus non poteſt ingredi ſine licentia Epiſcopi Congr. Epiſc. 9. *Martii* 1604.

30. Magiſtratus, & Deputati ad curam Monialium non debent ingredi cum Epiſcopo, niſi hic eos elegerit, eadem 5. *Martii* 1585.

31. Pueri, & puellæ cujuſvis minimæ ætatis non poſſunt admitti intra ſepta Monialium, eadem 12. *Febr.* 1585.

32. Ubi viget conſuetudo introducendi puellas habitum ibi ſuſcepturas, ut per biduum, aut triduum ſint ibidem, toleretur, eadem 12. *Junii* 1594.

33. Neque poſſunt admitti conſanguineæ ad viſitandas ægrotas, etiam in caſu mortis. Deiſum refert Rodriq. *tom.* 1. *quæſt.* 64. *n.* 11.

34. Dari debet licentia in caſibus tantum neceſſariis. Trid. *loc. cit.*

35. Statuit Epiſcopus quæ opera in Monaſteriis ingreſſum virorum neceſſarium requirant. Prov. 1.

36. Nulla de cauſa pernoctare poſſit quiſpiam in Monaſterio, propoſita pœna excommunicationis latæ ſententiæ, *ib.*

37. Confeſſarius non poteſt ingredi ad aſpergendum domum in Sabbatho Sancto, neque alio die. Cong. Ep. 4. *Sept.* 1596.

38. Neque ut comitetur Medicos, aut operarios, eadem 13. *Sept.* 1583.

39. Neque ut audiat Confeſſiones illius infirmæ, quæ poteſt accedere ad ſedem Confeſſionalem, *eadem ib.*

40. Neque item prætextu ſepeliendæ Monialis, aut Officium funerale peragendi, eadem *ibid.*

41. Neque item Proceſſionis cauſa. Prov. 5.

42. In caſibus, quibus Confeſſarius eget ſocio non eſt neceſſaria licentia pro eo expreſſa. Sanchez *ſup. l.* 6. *c.* 16. *n.* 47.

43. Adminiſtrata Extrema unctione relinquantur, a[illegible] Monialibus ad bene moriendum, & exeat Confeſſarius. Cong. Ep. 13. *Septemb.* 1583.

44. Neque Confeſſarius divagetur ad aliam partem Monaſterii, nec etiam occaſione viſitandi alias infirmas, ead. *ib.*

45. Chirurgi poſſuns ingredi in caſu neceſſitatis, etiam poſt ſignum veſpertinum ſalutationis Angelicæ, eadem 1593.

46. Quibus cura eſt Monialium, non poſſunt ingredi, niſi caſibus neceſſariis, cum ſenioribus, ac religioſis viris. Gregor. XIII. *Anno* 1582.

47. Sub pœna, Epiſcopis prima vice interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; tum a munere Pontificali; tum excommunicationis ipſo facto, non reſervatæ. Idem *ib.*

48. Aliis autem excommunicationis, & aliis pœnis. Idem *Anno* 1575. & reſervata abſolutio. *Abſolutio, n.* 55.

49. Epiſcopus non poteſt ingredi in Monaſterium non ſibi ſubditum, extra viſitationem clauſuræ, ſine licentia Superioris Monialium. DD. apud Barboſ. *alleg.* 102. *n.* 42.

50. Moniales præſumentes admittere alienos ſine licentia, vel cauſa, ut ſupra, ſubjiciuntur pœnis excommunicationis reſervatæ, & aliis. Greg. *ubi ſupra* 1575.

51. Præterea tribus menſibus carceri mancipetur ea, quæ introduxerit marem, vel fœminam ſine licentia, & ſingulis ſextis feriis, panis, & aqua tantum illi dentur, & ad annum velo privetur. Prov. 6.

52. Eamdem pœnam luent, quæ rotæ, & januæ præficiuntur. Præfecta, & quevis alia conſenſerit, *ib.*

53. Præfecta ſubjacet prædictis pœnis, ſi non impedient. Bon. *de clauſ. Mon. q.* 4. *punct.* 6. *n.* 16.

54. Licentiæ Papales revocatæ ſunt poſtremo a Paulo V. ingrediendi Monaſteria, converſandi, & cibum ſumendi ſub pœna excommunicationis reſervatæ Papæ.

55. Licentiæ impoſterum ſint nullæ, ſi non accedit conſenſus Monialium Capitulariter per ſecreta Suffragia. Urb. VIII. 27. *Octobris* 1624. apud Bonac. *de clauſ. q.* 4. *punct.* 5. *n.* 8.

56. Viſitare poteſt Epiſcopus clauſuram non ſibi ſubditam ſine aſſiſtentia Superiorum Monaſterii. Cong. Ep. 25. *Junii* 1596.

57. Etiam ſi nunquam alias viſitata fuerit, ead. 24. *Nov.* 1617.

58. Etiamſi alieno Epiſcopo ſit ſubjectum Monaſterium eo modo, quo Regularibus. Deciſum refert Barboſ. *alleg. n.* 6.

59. Et toties quoties expedire judicaverit. Barboſa *ib. n.* 5. *&* 7.

60. Et interrogare Moniales Regularibus ſubjectas de pertinentibus ad clauſuram. Congreg. Epiſcop. 25. *Febr.* 1583.

61. Et idcirco Monaſterium ingredi. Deciſum 28. *Aprilis* 1584. refert Barboſa *alleg. cit. n.* 8.

62. Neque permittat Epiſcopus deputari a Civitatibus aliquos qui comitentur Viſitatores Monialium Regularibus etiam ſubjectarum. Congreg. Epiſc. 22. *Januarii* 1616.

63. Poteſt Epiſcopus punire Regulares delinquentes circa clauſuram. Greg. XV. *Anno* 1622.

64. Recuſantibus viſitari quoad clauſuram, poſſunt oſtia frangi ab Epiſcopo. Piſcus *de Viſit. lib.* 2. *cap.* 19. *ubi plura.*

65. Poſſunt excommunicari tamquam impedientes juriſdictionem Epiſcopi; immo excommunicantur in Bulla Cœnæ, *ib. n.* 15.

66. Invocari poteſt brachium ſeculare; quod ſi negligat, excom-

excommunicari poteſt, *cap* 2. *de maledicis*, & *cap*. 1. *de offic. Ordin.*

67. Excuſatur a mortali ingrediens ad duos pedes, & ſtatim regrediens. Graff. *de caſ. reſerv. cap*. 5. *n*. 45.

*V. Caſus reſervati*, *n*. 3.

*Monialium receptio*, *num*. 26. 34.

*Monialium educatio activa*, *num*. 9. 54.

### A D D I T I O.

1. Licentia ingrediendi Monaſteria Monialium Regularibus ſubjectarum danda eſt ab Epiſcopo, & Superiore Regularium Monaſterii. *Congregat. Concil*. 13. *Novembr*. 1610. facto verbo cum Sanctiſſimo, & *Congr. Epiſc*. 26. *Aug*. 1591. & 21. *Febr*. 1617.

2. Idem in Diœceſi ſervetur, deputato aliquo, qui pro Epiſcopo agat, *ead*. 23. *Febr*. 1616.

3. Epiſcopus ſeu Vicarius primo loco ſubſcribat: in Diœceſi Superior Regularis primo loco, *ibid*.

4. Exceptis repentinis caſibus, inquibus alterius ſubſcriptio ſufficit, *ibid*.

5. Edicta vero de acceſſu ad Moniales ſubſcribenda ſunt ab Epiſcopo tantum, *ibid*.

6. Ubi vero eſt conſuetudo, quod Superioribus Regularibus non petatur licentia, ſervetur. *Congregat. Concil*. 21. *Maji* 1630.

7. Licentia eſt neceſſaria in ſcriptis, alioquin excommunicatio incurritur. *Barboſ. de jure Eccl. l*. 1. *cap*. 44. *n*. 112.

8. Excepto caſu repentino, *ibid. n*. 114.

9. Renoventur licentiæ Medicorum, Chirurgorum, & operariorum quolibet timeſtre. *Congr. Epiſc*. 28. *Mart*. 1588.

10. Ad conficiendum panem nullus ingrediatur; canes omnes, ſeu catelli in Monaſterio non admittantur. *Clem. VIII. apud Moſcon. de majeſt. milit. Eccl. lib*. 1. *par*. 4. *cap*. 4.

11. Fratres minores non poſſunt elegi ab Epiſcopo pro ſociis, ut ſimul ingrediantur Monaſterium Monialium. *DD. cum Barboſ. loc. cit. n*. 109. quia in eorum regula Summi Pont. licentia requiritur.

### *Monialium collocutio cum Exteris.*

1. EDictum Epiſcopi contra colloquentes cum Monialibus ſub pœna excommunicationis comprehendit etiam eos, qui adeunt Monaſteria Monialium non ſubjecta Epiſcopo exiſtentia in ſua Diœceſi, ſi fiat mentio etiam de exemptis. DD. apud Barboſ. *allegat*. 102.*n*. 74. 75. *V. Excommunicatio*, *n*. 36.

2. Licentia alloquendi Moniales Regularibus ſubjectas debet dari ab Ordinario, & Superiore Monialium ſimul. Cong. Epiſc. 15. *Febr*. 1595. niſi obſtet contraria conſuetudo.

3. Servetur conſuetudo, ſi eſt, quod detur licentia ab Epiſcopo, & Superiore Monialium exemptarum. Deciſum refert Quar. V. *Monaſt. Monial. a Congr. Conc.*

4. Non permittatur acceſſus ad Moniales ſub prætextu docendi ſonum cymbalorum, aut alterius inſtrumenti, aut muſicam, cantumve, ad crates. Congr. Epiſcop. 13. *Sept*. 1583.

5. Clericus frequentans Monaſteria Monialium, ſi monitus ab Epiſcopo non deſiſtat, eſt ſuſpendendus, *cap. Monaſteria de vita*, & *hon. cler.*

6. Poteſt etiam excommunicari, *cap. ut Clericorum*, *ibid*.

7. Patres, & matres Monialium poſſunt eas alloqui ſine licentia, non tamen in diebus prohibitis. Congr. Epiſc. 15. *Januar*. 1616.

8. Item filii Monialium proprias matres, eadem 15. *Martii* 1619.

9. Moniales ipſæ ne cum exteris loquantur ſine licentia Superiorum in ſcriptis. Prov. 1.

10. Pœna iis propoſita non loquendi cum exteris per tres menſes, etiam cum propinquis, eſt ſingulis ſextis feriis ſe flagellandi cum Pſal. *Miſerere*, *ibid*.

11. Abſtineant diebus Communionis, Feſtivis, tempore Adventus, Quadrageſimæ, & divinorum Officiorum niſi ex neceſſitate, *ibid*.

12. Præfecta aſſervet omnes licentias ſcriptas, quas quiſque feret, Epiſcopoque clauſuram Viſitanti, & quoties voluerit, eas exhibeat. Prov. 6.

*V. Hebræi*, *n*. 22. *Licentia*, *n*. 6. 7. *Monialium communes leges*, *n*. 24. *Regularium jura in Ordine ad Moniales*, *n*. 9. & *ſeqq.*

### A D D I T I O.

1. Epiſcopus non poteſt promulgare excommunicationem contra alloquentes Monialem Regularibus ſubjectam ſine licentia ipſorum, ſed alias pœnas poteſt imponere. *Congreg. Epiſcop*. 1. *Sept*. 1617. *apud Barb. de jure Eccleſ. lib*. 1. *cap*. 44. *n*. 168.

2. Subcollector ſine licentia Ordinarii alloquens Moniales poteſt ab Epiſcopo excommunicari. Deciſum refert *Barboſ. loc. cit, num*. 154.

### *Monialium Numerus.*

1. PRæfigatur Monialium numerus. Pius V. Anno 1566.

2. In tantum numerum conſtituatur, & conſervetur, qui vel ex redditibus propriis, vel ex conſuetis eleemoſynis commode ſuſtentari poſſit. Trid. *ſeſſ*. 25. *cap*. 3.

3. In numero Monialium comprehenduntur etiam Converſæ neceſſariæ. Congr. Epiſc. 6. Novembr. 1595.

4. Saltem quindecim Monialium ſit numerus, eadem 27. Maji 1603.

5. Epiſcopus debet numerum præfigere, etiam in Monaſteriis exemptis cum interventu Superiorum Regularium. Greg. XIII. Anno 1573.

### A D D I T I O.

1. Virgo non dicitur coacta ingredi Religionem, ſed tantum inducta, quando a patre inſtituitur hæres, ea lege, ut in Monaſterium ingrediatur: & niſi ingrediatur, inſtituit Monaſterium, & eidem filiæ relinquit aureos 25. pro alimentis. Deciſum refert *Nald. Virgo n*. 9.

2. Prohibentur munera, quæ erant ſolita dari in ingreſſu, ſeu ſuſceptione habitus; & quod ſponte offertur a conſanguineis in commune ſervetur; neque fiant convivia inter Moniales, & multo minus cum ſæcularibus. *Clem. VIII. apud Moſcon. de majeſt. mil. Eccleſ. l*. 1. *part*. 4. *cap*. 4.

### *Monialium Receptio.*

1. EXcommunicantor omnes, qui quomodocumque Virginem, vel viduam, vel aliam mulierem coegerint invitam ad ingrediendum Monaſterium, vel habitum ſuſcipiendum Religionis, vel ad Profeſſionem emittendam. Trident. *ſeſs*. 25. *cap*. 18.

2. Item ii, qui conſilium, auxilium, favorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte facere quoquo modo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint, *ibid*.

3. Non excommunicantur ii, qui per vim inductivam, non coactivam, coegerint virginem Monaſterium ingredi. Deciſum refert Barb. *alleg*. 104. *n*. 3.

4. Non impedit metus reverentialis patris nullis præcedentibus minis, & verberibus. Riccius *in praxi reſol*. 599.

5. Effectu ſecuto, Decretum Tridentini intelligitur, Barb. *n*. 7.

6. Excommunicantur & ii, qui voluntatem prædictarum, vel accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine juſta cauſa impedierint. Trid. *ubi ſupra*.

7. Viduam non convenit admitti ad habitum monachalem virginum. Congr. Epiſc. 29. Jan. 1585.

8. Nullo modo admittatur vidua, ut vivat ibi in habitu laicali. Deciſum refert Campanil. *Rubr*. 12. *cap*. 16. *n*. 31.

9. Illegitimo thoro nata non excluditur, Congreg. Epiſc. *Anno* 1592.

10. Tertia ſoror Monialis ne admittatur ſine licentia ſedis Apoſtolicæ, ead. 25. Maji 1595.

11. Supernumeraria non poteſt admitti ſine licentia Sacræ Congregationis, ead. 6. Februarii 1615.

12. Ad loca Vacatura non dentur expectativæ, ead. 6. Septem. 1604. & 12. Martii 1619.

13. Sub pœna Præfectis Monialium privationis Suffragii, ead. 6. Sept. 1604. & refert Campanil. *Rub*. 12. *cap*. 16. *n*. 14.

14. Ancillæ ne introducantur in ſervitium infirmarum, ſeu decrepitarum, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Congr. Epiſc. 22. Auguſti 1605.

15. Moniales S. Claræ regulariter non habent Converſas, eadem 12. Aprilis 1619.

16. Neque Moniales Sancti Franciſci, eadem 22. Novembris 1618.

17. Moniali defunctæ, alia ſubrogetur, non autem in ejus locum ſupernumeraria, eadem 19. Aprilis 1595. & 6. Septembr. 1604. *apud Camp. loc. cit.*

18. Murtua numeraria, etiam Converſa, ad reliquas Moniales ſpectat Capitulariter aliam admittere in ejus locum, ead. 6. Febr. 1615.

19. Quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, major ſit duodecim annis. Trid. *loc. cit. cap*. 17.

20. Habeat annum duodecimum completum, alias recurratur ad Sac. Congregationem. Congreg. Epiſc. 1592.

21. Neque habitum ſuſcipiat, antequam examinetur ab Epiſcopo, vel ejus Delegato. Trid. *loc. cit.*

22. Neque dentur Suffragia a Monialibus antequam fuerit examinata ab Epiſcopo, & data licentia in ſcriptis. Prov. 1.

23. Anno ſaltem, antequam examinetur, propoſitum ſuum aperiat Epiſcopo, Monialibus, & earum Superiori, *ibid*.

24. Et licet velit ingredi Monaſterium Regularibus ſubjectum, Epiſcopus tamen examinare illam debet. Congr. Epiſc. apud Barb. *alleg*. 100. *n*. 4.

25. Cum examen ſit puellæ, moneantur parentes, & alii de excommunicatione lata ſupra a Concil. Trid. 1.

26. Neque per plura Monaſteria vagari permittatur, ut inſpiciat, quem ſibi deligat locum. Prov. 4.

27. Sed interea confiteatur Confeſſario Monialium ſemel ſingulis menſibus, & probetur a Monialibus. Prov. 1.

28. Suffragia deinde dentur tacita, etiam in Monaſteriis Regularium curæ ſubjectis. Prov. 4.

29. Et duas partes ex tribus Suffragiorum ferat, *ib.*

30. Certe vota ſecreta debent excedere majorem Capituli partem, Congreg. Epiſcop. 1603.

31. Recepta ſtatim aſſumat veſtes pullas, nigras, vel fuſcas, vel albas, non ſericas valedicens mundo. Prov. 1.

32. Poſt ſex menſes a receptione dabitur ei Regularis habitus, niſi citius, vel tardius id judicarit Epiſcopus, & Monialium Superior, *ibid.*

33. Deducatur mane nulla pompa, & ſola introducatur in Eccleſiam, ubi Miſſa audita, & ſumpta Communione, veſtiatur a Superiore, vel Confeſſario, addito Sermone pio, *ibid.*

34. Ne idcirco ingrediatur Monaſterium, qui eam veſtit. Congr. Epiſc. 13. Sept. 1583.

35. Imponatur ei nomen Sanctæ, non gentilis fœminæ. Pr. 1.

36. Si facultas datur, prius Confirmationis Sacramentum ei miniſtretur, quam detur habitus. Prov. 3.

37. Non exeat amplius, niſi pœniteat habitus; ſi exit, nulla datur redeundi facultas. Prov. 1.

38. Præſcribat Epiſcopus expenſas, & ſumptus occaſione habitus. Deciſum refert Campanil. *Rub.* 12. *cap.* 16. *n.* 13.

39. Maneant Novitiæ in loco ſeparato. Cong. Epiſc. 1632.

*Monialium Novitiarum alimenta.*

1. EXcepto victu, & veſtitu Novitiæ illius temporis, quod eſt in probatione, nihil tribuatur Monaſterio de bonis ejuſdem, ſub pœna anathematis dantibus, & accipientibus. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16.

2. Tempore Novitiatus præbeantur alimenta a Conſanguineis, præter dotem depoſitam. Congreg. Epiſcop. 13. Septemb. 1583.

3. Præſcribat Epiſcopus alimentorum expenſas. Prov. 2.

4. Pecunia vero eo nomine decreta, re ipſa apud certum hominem idoneum deponatur, qui ſuppeditet neceſſaria, *ib.*

5. Anno probationis durante deponatur pecunia, quæ datur nomine dotis, ſeu alimentorum pro tota vita, & poſt Profeſſionem in bonis ſtabilibus, ſeu cenſibus implicetur. Congr. Epiſcop. 1581.

6. Solvatur in ære, non in bonis ſtabilibus, eadem 28. Martii 1588.

7. Deponatur penes idoneam perſonam, non affines, neque conſanguineos Monialium, eadem 5. Junii 1615.

8. Pro tertia Sorore duplicata portio debet ſolvi intra numerum præfixum, & ſuffragio carebit in Capitulo, quouſque altera ex duabus primis ejus Sororibus deceſſerit e vita, eadem 26. Aug. 1616.

9. Pro quarta Sorore triplicata portio danda erit, eadem *ib.*

10. Converſæ ſupernumerariæ ſolvant dotem Converſarum duplicatam, eadem 30. Septemb. 1616.

11. Duplex eleemoſyna ſignificat duplicatam ſummam ejus, quæ in receptione Monialis intra numerum dari conſuevit, ita tamen, ut, ubi ſumma minor eſt ducentis ſcutis, ibi ſaltem ſolvantur 400. & non minus, eadem 6. Septembris 1604. *apud Campanil. Rubr.* 12. *cap.* 16. *n.* 14.

12. Nulla fiat dotium differentia inter terrerias, & advenas, eadem 30. Sept. 1616.

13. Expendi poteſt dos in uſus communes Monaſterii neceſſarios: ſi vero ſit ſupernumerariarum; omnino in emptione bonorum ſtabilium convertatur, ead. 6. Jun. 1615.

14. Nulla renunciatio, aut obligatio valeat, niſi fiat cum licentia Epiſcopi, ſeu Vicarii intra duos menſes proximos ante profeſſionem. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16.

15. Nec intelligatur ſortiri effectum ſuum, niſi ſecuta Profeſſione. Idem *ibid.*

16. Si decedat Novitia, reſtituantur omnia, quæ ſecum attulit, & cogantur etiam per cenſuram. Trid. *ibid.*

17. Item fiat, ſi moriatur ante Profeſſionem. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 101. *n.* 40.

18. Deductis alimentis Novitiatus, *Azor. part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 9. *q.* 2.

19. Habitus Religioſus non eſt reſtituendus, ſed pretium. Deciſum refert Barboſ. *ſupra n.* 36.

*V. Monialium profeſſio*, *n.* 19.

ADDITIO.

1. Mulier, quæ diutius manſit in Monaſterio in habitu Novitiæ cum licentia permanendi educationis cauſa, poteſt valide donare ipſi Monaſterio, non obſtante Decreto Conc. Trid. quia non eſt Monialis. Deciſum refert Barboſ. *de jure Eccl. lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 236.

2. Facta renunciatio intra duos menſes, etiamſi differatur Profeſſio ex quacumque cauſa, adhuc valet. Deciſum refert *Armendar. lib.* 7. *de Regular. n.* 28. apud Barb. *loco cit. n.* 254.

*Monialium Profeſſio.*

1. ANnus probationis debet eſſe continuus intra clauſtra, non interpolatus. DD. apud Barb. *alleg.* 101. *n.* 23.

2. In anno biſſextili valida eſt Profeſſio poſt completos dies 365. Barboſ. *ibid. n.* 20.

3. Si novitia de licentia Superiorum exierit cum habitu curandæ valetudinis gratia, non interrumpitur idcirco annus. DD. *apud eundem ib. n.* 28.

4. Novitia exiſtens in articulo mortis ætatem habens legitimam, poteſt ante annum finitum profiteri, ut lucretur Indulgentias, ex Priv. Pii V. 21. Maji 1570. ſi convaluerit, tenetur annum explere. Beja *part.* 4. *cas. fin.*

5. Quæ emiſit Profeſſionem intra annum probationis, ad nihil eſt obligata, nec in foro conſcientiæ. Deciſum refert Garz. *part.* 11. *cap.* 9. *n.* 6.

6. Regulariter finito Novitiatu, aut profiteatur, aut ejiciatur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16.

7. Profeſſio ne fiat ante annum 16. expletum, & anno poſt habitum ſuſceptum completo. Idem *cap.* 15.

8. Alias ſit nulla, *ibid.*

9. Ante menſem Præfecta tenetur certiorem facere Epiſcopum tempore Profeſſionis, ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio, arbitrio Epiſcopi. Idem *ibid. cap.* 17.

10. De Profeſſione emittenda certior factus Epiſcopus intra 25. dies examen perficere tenetur, quibus exactis amplius ſe non intromittat. Deciſum referunt DD. apud Barb. *alleg.* 100. *n.* 3.

11. Vicarius non poteſt examinare, niſi Epiſcopo impedito, ex Trid. Barboſ. *ibid. n.* 8.

12. Fiat experimentum, an legere ſciat; alias non admittatur. Congr. Epiſc. 12. Jan. 1604.

13. Ut admittatur ab Epiſcopo ſufficit Teſtimonium Præfectæ, quod in Capitulo Monialium partium de ea admittenda obtentum fuit, ead. 11. Sept. 1615.

14. Fiat examen hoc ad crates. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *alleg.* 100. *n.* 6.

15. Si adeſt juſta cauſa, & certa ſuſpicionis, fiat examen in Eccleſia Monaſterii, vel alia. Deciſum refert Campanil. *Rubr.* 12. *cap.* 16. *n.* 15.

16. Inducta per vim in Monaſterium debet inde educi, ejus indemnitati provideri. Deciſum refertur apud Barboſ. *loc. cit. n.* 7.

17. Si opus eſt, debet ab Ordinario præfigi certus dierum numerus 10. vel 20. intra quem Novitia deliberet, an velit profiteri, *ibid.*

18. Ex cauſa differri poteſt Profeſſio ultra annum. Deciſum refert Rodriq. *tom.* 3. *q.* 15. *art.* 10.

19. Contradicente majori parte Monialium, non poteſt Epiſcopus admittere ad Profeſſionem. Bonac. *de clauſ. q.* 2. *p.* 10. *diff. cap.* 2. *§.* 6. *n.* 6.

20. Omiſſo examine prædicto, permittendæ ſunt tamen Profeſſæ in ſtatu ſuo. Deciſum refert Barb. *loc. cit. n.* 9. ita ut de Profeſſione non liceat dubitare ex hac omiſſione.

21. Si puella 12. annorum conjugata Religionem ingreditur, vir ejus cogendus eſt expectare per quatuor annos, donec illa Profiteatur. Barboſ. *alleg.* 10. 11.

22. Quæ Profeſſa eſt in anno 15. ætatis ſuæ, poſt quinquennium dicitur tacite Profeſſa. Cong. Epiſc. 21. Novemb. 1619.

23. Propinæ dandæ Superioribus in habitu & Profeſſione Monialium ſunt prohibitæ, non tamen eleemoſynæ, quæ hac occaſione per pactum dantur Sacriſtiæ, vel Infirmariæ, eadem 5. Nov. 1616.

24. Convivia ne fiant in foraſteriis Monialium a puellæ conſanguineis, nec in habitu, nec in profeſſione. Prov. 1.

25. Expenſæ pro Profeſſione taxentur ab Epiſcopo pro rebus neceſſariis. Deciſum refert Campan. *Rub.* 12. *c.* 16. *n.* 13.

26. Ritus induendi Moniales, & Profeſſionis emittendæ, Epiſcopi cura ſit uniformis. Prov. 5.

27. Profeſſio emiſſa ſcribatur in libro, & ſubſcribat Profeſſa, ſi ſcribere novit, tum Superior, qui eam admiſit. Pr. 1.

28. Sed poteſt etiam Abbatiſſa acceptare Profeſſionem. Bon. ubi ſupra *q.* 2. *punct.* 11. *diffic.* 2. *§.* 6. *n.* 3.

ADDITIO.

Poteſt Epiſcopus cenſuris, & pœnis ſibi bene viſis prohibere Abbatiſſis, Superioribus Regularibus Monialium, ne puella Profeſſionem emittat, niſi prius explorata illius voluntate ab Ordinario. Deciſum refert Barboſ. *de jure Eccleſiæ, lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 10.

*Monialium communes leges.*

1. SEdi Apoſtolicæ immediate ſubjectæ, etiam nomine Capitulorum S. Petri, vel S. Joannis ab Epiſcopis tanquam delegatis gubernentur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 9.

2. Ordinationes pro Monialibus cum ſuis declarationibus refert fuſe Quaranta *in ſumma Bullar. ex Decreto Sac. Cong. Epiſc. pro Regno Neapolitano.*

3. Priores in Profeſſione ſunt etiam priores in procedendo, licet receptæ fuerint poſt inferiores Profeſſione. Cong. Epiſc. 26. Junii 1615.

4. In Choro adſint ad Officia Divina cum habitu congruenti. Prov. 1.

5. Orationi mentali bis in die vacent per dimidiam horam, *ib.*

6. Semel ſaltem in menſe peccata ſua confiteantur, & Euchariſtiam ſumant, Trid. *loc. cit. cap.* 10.

7. Die-

7. Diebus Feſtis ſacræ ſedeant lectioni. Prov. 1.
8. Communitati ſtudeant in cibo, potu, ſomno, & veſtitu, *ibid.*
9. Tollatur omnis occaſio proprietatis, *ibid.*
10. In veſtiario communi omnes veſtes, Prov. 4.
11. Lectio ad menſam primam, & ſecundam adhibeatur, cum benedictione menſæ, & gratiarum actione. Prov. 12.
12. E cellis inania amoveantur, *ibid.*
13. Recognoſcantur libri earum a Superiore, vel Confeſſario, *ibid.*
14. Neque retineant, niſi probatos ab Epiſcop. Prov. 5.
15. Ter ſingulis annis Præfecta cum Diſcretis cellas viſitet, & cujuſque inquirat ſupellectilem. Prov. 1.
16. Prohibeant Ordinarii, etiam in Monaſteriis ſub cura Regularium, ne recreationis tempore utantur habitu virorum, neque armis ſe cingant, Cong. Epiſc. 17. Aprilis 1604.
17. Neque utantur veſtibus muliebribus ſæcularium fœminarum. Prov. 1.
18. Longe minus veſtibus ſacris. Prov. 4.
19. Neque ſcribant litteras, niſi ad Superiorem, & Epiſcopum, ſine licentia Præfectæ. Prov. 1.
20. Neque ad ſe miſſas aperiant, niſi Præfecta prius eas aperuerit, legeritve, *ibid.*
21. Sub pœna ſcribenti, vel recipienti, ne per duos menſes exeat e cella, & jejunet in ſextis feriis in pane, & aqua, *ibid.*
22. Si litteræ ſuſpicionem criminis habent, ea præterea privetur facultate loquendi cum exteris per ſex menſes, & velo, *ibid.*
23. Idcirco non habent privatim atramentum, nec calamum. Prov. 3.
24. Excommunicatio lata contra loquentes non includit mittentes litteras. DD. apud Barboſ. *alleg.* 102. *n.* 81. *&* 82.
25. Tollantur abuſus ſecendendi in cellam, veſtiendi veſtes lugubres in morte parentum. Cong. Epiſc. 12. Januar. 1604.
26. Exteris intra Monaſterium admiſſis eæ ſolum imperent, quas Præfecta elegerit: aliæ nec eos alloquantur. Prov. 4.
27. Facie ſint operta, cum ab aliis videri poſſunt, *ibid.*
28. Non alantur in Monaſterio boves, equi, jumenta. Pr. 1.
29. Alias Præfecta per tres menſes amoveatur ab Officio, *ib.*
30. Nihil in Monaſteriis aſſervetur tritici, & frugum ad uſum exterorum. Prov. 4.
31. Neque liceat depoſiti, aut cuſtodiæ cauſa habere pecuniam, gemmas, veſtes, vaſa florum. Prov. 1.
32. Neque cibum parent exteris, aut vendant eſculenta; exceptis rebus minimi momenti pro infirmis, & conſanguineis. Congr. Epiſc. 3. Jul. 1606.
33. Vetitum quoque ſit omnino dari aliquid per rotam, portamve, eleemoſynæ cauſa; ſed alia ratione fiat eleemoſyna judicio Epiſcopi. Prov. 4.
34. Præſcribat Epiſcopus rationem victus, & taxam, a quibus non recedat Præfecta, ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio, *ibid.*
35. Æs alienum ſupra quinquaginta aureos ne contrahatur, ſine conſenſu Deputatorum, aut etiam Epiſcopi, *ibid.*
36. Nec ædificium fiat ſine iiſdem. Prov. 1.
37. Legantur regulæ communes quotidie, ſaltem caput unum a primo ad ultimum, & deinceps eodem modo, Pr. 1.
38. Decreta quoque majorum ad Moniales attinentia, in communem linguam tranſlata, *ibid.*

*V. Horæ Canonicæ, num. 16.*
*Monialium Officiales, num. 39.*

## ADDITIO.

*Ex Conſt. Clem. VIII. apud Moſcon. de Majeſtat. milit. Eccleſ. lib. 1. part. 4. hæc jubentur.*

1. Litteræ ſeu Epiſtolæ nullo modo a Monialibus ſcribantur ſine licentia Superiorum, nec recipiantur, niſi prius lectæ fuerint a Præfecta Monaſterii.
2. Prohibeant Prælati, ne a Monialibus munera fiant aliis ſæcularibus, niſi, quæ charitatis cauſa judicaverit Præfecta, de bonis communibus, nomine, & de licentia Conventus, mellaria penitus abolenda, tantummodo eſculenta, & poculenta parva munuſcula concedantur eo modo, & forma, quibus ſupra.
3. Nulla Monialis audeat accipere aliquid de communi ſine licentia, neque Officiales poſſint aliquid expendere de bonis communibus ſine dicta licentia,
4. Nulla Monialis poſſit diſpenſare aliquid de bonis ſuis; & ſi quæ diſpenſationes fiant, nullæ intelligantur, & applicentur Monaſteriis,
5. Nulla item ponatur in Infirmaria, niſi juſſu Medici,
6. Prohibeantur cantus figurati, & inſtrumenta ad ſonum, organa in Eccleſia extra Clauſuram permittuntur, & Moniales per ſe ipſas dicant Officium divinum.
7. Nulla Monialis, vel alia perſona ſæcularis audeat celebrare facere in Eccleſiis Monialium privatas Miſſas, præter eas, quæ a Capellanis Deputatis celebrari ſolent, ſine licentia Ordinarii.
8. Unaquæque Monialis, ſola dormiat, & tot cellæ fiant, quot Moniales. *Hæc Clem. VIII.*

*Monialium Officiales.*

1. ELectio Abbatiſſarum, & Præfectarum fiat per vota ſecreta, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6.
2. Filia ſcænici, vel hiſtrionis non poteſt eligi in Abbatiſſam. Majol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 12.
3. Neque corrupta virgo, quantumvis pœnitens, & irreprehenſibiliter vivens ſine Papæ diſpenſatione, *ib. num.* 13.
4. Neque bigama, neque ea, quæ poſt votum caſtitatis prævaricata eſt, cum qua Epiſcopus non poteſt diſpenſare. Idem, *ibid. num.* 14.
5. Neque violans Interdictum. Idem, *ibid. num.* 46.
6. Neque vidua, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Congr. Epiſc. 15. Jul. 1616.
7. Illegitimo thoro nata non excluditur, quo minus Abbatiſſa poſſit eligi, ead. 1592. *contra Majolum loc. cit. n.* 10. 11.
8. Excluditur Monialis ambiens Præfecturam. Prov. 1.
9. Ne ſit minor 40. annis, & quæ octo annis poſt profeſſionem expreſſam laudabiliter vixerit. Trid. *loco cit. c.* 7.
10. Si nulla ſit cum prædictis qualitatibus, ex alio Monaſterio ejuſdem Ordinis eligatur. Idem, *ibid.*
11. Si incommodum eſt, eligatur ex iis, quæ 30. annum exceſſerint, & annis quinque poſt profeſſionem recte vixerint, Epiſcopo conſentiente. Idem, *ibid.*
12. In electione Præfectæ Monialium Regularibus ſubjectarum poteſt Epiſcopus intereſſe per ſe, vel per alium, una cum Superioribus earum, ſine impenſa earumdem. Greg. XV. Anno 1612.
13. Unde debet moneri, & expectari uſque ad tempus præfinitum ab Epiſcopo, ſi velit adeſſe; ſecus, eo non monito, vel non expectato, poterit ille punire Regulares. Cong. Conc. *Decreto impreſſo* 1626.
14. Jus tamen confirmandi Præfectas non datur Epiſcopis. Ead. *in declarat. impreſſa* 1623.
15. Qui electioni præeſt, aut ad Cancellorum feneſtellam accipit vota. Trid. *loc. cit. cap.* 7.
16. Debet eligi Abbatiſſa cum duabus partibus Suffragiorum ex tribus, niſi aliud habeat conſuetudo. Cong. Epiſc. 20. Nov. 1585.
17. Poteſt fieri per vota oretenus accepta a Superioribus cum duobus teſtibus. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *alleg.* 102. *num.* 46.
18. Ad Suffragia ægrotarum recipienda in hac electione non licet ingredi Monaſterium. Cong. Epiſc. 21. Jun. 1595.
19. Ultra triennium ne duret Officium, ſub pœna nullitatis. Greg. XIII. Anno 1583.
20. Neque Epiſcopus poteſt prorogare triennium. Cong. Epiſc. 20. Febr. 1615.
21. Et Decretum Greg. XIII. ſervetur in omnibus Monaſteriis, etiam militiarum, & Jeroſolymitanæ, ead. 22. Maji 1604.
22. Poſſunt tamen eligi ſingulis annis intra triennium, eadem 18. Septemb. 1595.
23. Vicaria ne ſit Soror Præfectæ, quæ neque ſit Diſcreta, neque Janitrix, neque Scriba, neque Cellerarıa. Prov. 1.
24. Diſcretæ quatuor ſint, & ſex ſi ultra 40. ſint Moniales, *ib.*
25. Vicaria, & Diſcretæ, ſi mos eſt, tacitis Suffragiis eligantur coram Superiore, aut ejus Miniſtro, *ibid.*
26. Satis eſt ſi cum pluribus votis dimidia parte, *ibid.*
27. Aliæ Officiales (niſi Monialium ſuffragiis creari ſolent) eligantur ab eo, qui electioni præeſt, una cum Confeſſario, Præfecta, Vicaria, & Diſcretis, *ibid.*
28. Monialis ambiens Officia directe per ſe, aut per aliam in Capitulo per tres ſextas ferias ad pedes ſingularum terram deoſculans, ſuam accuſet ambitionem, *ibid.*
29. Idem faciant eæ, quæ illi faverint, & Officio obtento priventur, arbitrio Superioris, *ibid.*
30. Duæ Moniales maturæ præficiantur Monialium laboribus, *ibid.*
31. Et curent in loco laborum adhiberi lectionem, *ibid.*
32. Duæ aliæ præficiantur cuſtodiæ tritici, & farinæ cum duabus diverſis clavibus, *ibid.*
33. Electæ ſuſcipiant Officia data, alioquin ſine juſta cauſa a Superiore probata ejuſdem arbitrio jure ſuffragii priventur, *ibid.*
34. Biennio durent Officia, aut, ubi eſt conſuetudo, ad ſummum triennio, vacent deinde tantumdem temporis, niſi ex gravi cauſa, judicio Superioris, *ibid.*
35. Amoveri tamen poſſunt ante tempus ob culpam ipſarum, *ibid.*
36. Præfecta in gravioribus negotiis conſulat ſuas Diſcretas, *ibid.*
37. In graviſſimis convocet Capitulum, in quo jus ſuffragii non habeant, niſi, quæ triennio moratæ fuerint poſt Profeſſionem, *ibid.*
38. Singulis tribus menſibus ad Capitulum referat ſummarie rationes dati, & accepti, quotannis autem Superiori, & Curatoribus Deputatis, *ibid.*
39. Arca pecuniæ communis habeatur cum duplici clave, altera apud Præfectam, altera apud majorem Diſcretam, *ib.*

40. Am-

40. Ambæ interſint cum ſcriba, ad deponendam, ſeu extrahendam pecuniam, *ibid.*

*V. Abbatiſſa*, *num.* 6. *Monialium Novit. alimenta*, *n.* 7.

## A D D I T I O.

1. Non excuſantur, ſi per ignorantiam Decreti Conc. Trid. eligant Abbatiſſam per vota non ſecreta, & electio eſt nulla, itaut neque Epiſcopus diſpenſare poſſit in hac nullitate. Deciſum referunt *DD. apud Barboſ. de jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 45. *num.* 6.

2. Non eſt Secreta electio, quando unum ſuffragium publicatur. *Rota apud eumdem*, *ibid. num.* 12.

3. Item, quando aliqui ex Electoribus unicam ſchedulam recipiunt unico nomine, & nomen Electi notum Scribæ, vel alteri reponunt in capſula, *ibid. num.* 13.

4. Item, quando accipiunt de manu Scribæ duas ſchedulas, & unam, quam voluerint, reponunt, alteram ſcindunt. Deciſum referunt *DD. ubi ſupra num.* 13.

5. Item, quando eligentes ſchedulam, reponunt aliquo ſigno notatam, ut innoteſcat ſcrutatoribus, vel uni ex illis, quod talis Elector eligit illum notatum in ſchedula. Deciſum referunt DD. *ibid. num.* 14.

6. Si diſcordant Moniales in electione, Epiſcopus aſſignet certum tempus, quo elapſo, poteſt Epiſcopus nominare, quam voluerit. *Congr. Epiſcop.* 20. *Novembris* 1585. *ubi ſupra num.* 27.

7. Votum dare non poteſt Epiſcopus, aut alius ſcrutator in caſu diſcordiæ. Deciſum refert *Lavor. var. Lucubr. tit.* 4. *cap.* 24. *num.* 42.

8. Electio Prioriſſarum S. Claræ per ſchedulas, & vota ſecreta fiat, alias eſt nulla. *Sixt. V. apud Em. Rodr. in addit. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 12.

9. Conſtitutiones Gregorii XIII. & Sixti V. de triennio Abbatiſſarum electione locum non habent in iis, quæ fiunt per præſentationem, & inſtitutionem. *Barb. loco cit. n.* 37.

10. Illegitima ſi eligatur in Abbatiſſam, vel Prioriſſam (ſecluſis Religionum Privilegiis) electio eſt nulla. Deciſam referuat *DD. cum Barboſ. loco cit. num.* 21.

11. Janitrices, Auſcultatrices, & Sacriſtæ ſint annorum 40. vel de ſenioribus Monaſterii, & ſeniores comitentur ingredientes Monaſterium. *Clem. VIII. apud Moſcon. de majeſt. milit. Eccl. lib.* 1. *p.* 4. *c.* 4.

### *Monialium Converſæ.*

1. PRO quæritando victu Monialium provideant Ordinarii de Converſis, aut piis perſonis. Pius V. Anno 1566.

2. Converſis minimum 40. annos natis, & a Superiore probatis facultas ſit exeundi pro neceſſariis negotiis, permittente etiam Præfecta. Prov. 1.

3. Cui etiam liberum ſit eas intra ſepta ſemper retinere; & erit laudabilius, *ibidem.*

4. Exeuntes prodeant binæ, neque longius procedant, quam ut ſe invicem aſpicere, & audire poſſint, *ibid.*

5. Si contingat ex urbe egredi, dormiant in eodem lecto, *ib.*

6. Caveant, ne in cujuſquam famoſæ perſonæ domum introeant, neque in locis ſuſpectis pernoctent, *ibid.*

7. Neque litteras, mandatave clam perferant, *ibid.*

8. Delinquentibus pœna ſit carcer, aut etiam gravior, *ibid.*

*V. Monialium clauſura*, *num.* 18. 19. 21. *Monialium receptio*, *num.* 14. 15. 16. *Monialium alimenta*, *num.* 10.

## A D D I T I O.

1. Nulla Monialis poſſit retinere converſas penes ſe, & numerus converſarum non excedat tertiam partem Monialium. *Clem. VIII. apud Moſcon. de Majeſt. mil. Eccleſ. l.* 1. *p.* 4. *cap.* 4.

2. Famulæ ſæculares pro ſervitiis particularium Monialium ne permittantur. Idem, *ibid.*

### *Monialium educatio activa.*

1. EXcommunicantur a Concilio Trid. eogentes fœminam ad Monaſterii ingreſſum, ut ibi ſæculari habitu retento educeretur, donec ætatis aptæ ſit Matrimonio. DD. apud Barboſ. *alleg.* 104. *num.* 5.

2. Nimirum effectu ſecuto, *ibid. num.* 7.

3. Ubi prohibitum eſt admitti puellas ad habitum Monachalem, ibi ne admittantur ad educationem. Cong. Epiſc. 28. Martii 1588.

4. Neque fiat educatio in Monaſterio Convertitarum, ead. 12. Martii 1619.

5. Quæ tuto domi non poſſunt ali, ſuppeditato victu, in Monaſteriis collocandæ ſunt, *ibid.*

6. Viduis, & aliis nobilibus non concedatur, niſi a Papa, ut in Monaſterio perpetuo vivant, & cum conſenſu Monialium. Deciſum referunt DD. apud Barb. *allegat.* 102. n. 67.

7. Determinatus numerus puellarum educandarum. Congreg. Epiſcop. 27. Maji 1603.

8. Ne admittantur ſine licentia Sac. Congr. Epiſcop. & cum conditionibus ab ea præſcriptis, eadem *ibid.*

9. Nimirum: ne ſint minores ſeptennio, neque majores annis 25. ſine ancillis ingrediantur, ſi ſemel egrediantur, ne poſſint redire: teneantur ad Clauſuram: recipiantur cum licentia in ſcriptis de conſenſu Abbatiſſæ: ſi ob ægritudinem de conſenſu Superioris Abbatiſſæ, & Monialium exierint, cum eorumdem conſenſu redire poſſunt: utantur veſtimento modeſtiæ virginalis, non ſint ſupra numerum: quolibet ſemeſtri anticipata ſolvatur portio pro alimentis: ſit locus ſeparatus a Monialibus pro earum dormitione, & operibus. Hæc apud Zer. *in Prax. V. Moniales.*

10. Et requiritur conſenſus Monialium ſingillatim, ut admittantur. Congr. Epiſcop. 4. Jan. 1608.

11. Neque permittatur, quod iiſdem dietim a parentibus tranſmittatur victus, ſed certa ſolvatur pecunia, ead. 27. Maji 1603.

12. Expleto ætatis ann. 25. Epiſcopus conſtituat terminum ad exeundum, vel habitum regularem ſuſcipiendum. Deciſum refert Fr. Leo *in Theſ. fori*, *p.* 2. *cap.* 16. *n.* 54. *& Barboſ. alleg.* 102. *num.* 65.

13. Quæcumque ex iis voluerit Monialis fieri, ad ſuos redeat, apud quos per menſem maneat, antequam examinetur ab Epiſcopo. Prov. 1.

14. Si infirmentur, & teſtari velint, dari debet licentia Notario, & teſtibus ingrediendi Monaſterium. Congregat. Epiſcop. 1595. *citata a Naldo V. Moniales*, *num.* 14.

### *Monialium Conſecratio.*

1. TOllenda potius eſt hæc Conſecratio. Congr. Epiſc. 5. Decembr. 1597. *teſte Praxi nova Epiſc. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. *ver. Virgines.*

2. Non conceditur Monialibus Ordinum Mendicantium, eadem 30. Sept. 1616.

3. Quæ conſecrandæ ſunt agant annum 25. ætatis completum, ead. *ib.*

4. Non debet ideo Epiſcopus ingredi Monaſterium, eadem 13. Septemb. 1583. *V. Monialium clauſura*, *num.* 12. 46.

5. Fiat Conſecratio ad feneſtellam Communionis, neque e clauſura egrediantur, ead. 30. Sept. 1616.

6. Epiſcopus non poteſt demandare Sacerdoti Conſecrationem virginum. Majol. *de irregul. lib.* 1. *cap.* 29. *n.* 38.

7. Sed tantum benedictionem. Ugol. *de poteſt. Epiſc. c.* 4. §. 11. *n.* 1. ſed benedictio eſt Conſecratio, mutato nomine virginitatis in alia honeſta verba, ſi vere non eſt virgo; & de hac loquitur Ugolin. *ibid. & cap.* 32. §. 1. *num.* 2.

### *Monialium cura ſpiritualis.*

1. EPiſcopus gubernet Moniales ſpirituali gubernio, non temporali. Cong. Concil. *ad ſeſſ.* 25. *cap.* 9.

2. Moniales invicem ſe percutientes, etiam exemptas, poteſt Epiſcopus abſolvere. Barboſ. *alleg.* 105. *num.* 55.

3. Viſitet quoad clauſuram omnes. *Vide ſupra*, *Monialium clauſura a num.* 56.

4. In viſitatione Monialium audiet eas ad crates, non intra ſepta Monaſterii. Gavantus *de Viſitat.* §. 8. *in Annot.*

5. De quibus examen fiat in viſitatione, compendio collegit Gavantus, *ib.* §. 11. a num. 16.

6. Confeſſarii ſint ætate provecti, & prudentes, qui ſemel ſaltem in menſe Moniales audiant, eiſque Euchariſtiam miniſtrent. Prov. 1.

7. Ordinarii triennio tantum durent. Congr. Epiſcop. 4. Julii 1594. & refert Campanil. *Rub.* 12. *cap.* 16. *num.* 5.

8. Etiam ii qui Regularibus ſubjectas audiunt, ead. 15. Februarii 1593.

9. Mutentur poſt biennium, & ad ſummum poſt triennium. Pr. 1.

10. Habentes curam animarum munere Confeſſarii Ordinarii Monialium fungi non poſſunt. Congr. Epiſc. 10. Apr. 1615.

11. Extraordinarius Confeſſarius bis, aut ter in anno offeratur Monialibus. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 10.

12. Deputentur Extraordinarii in communi, non in particulari pro hac, vel illa. Congr. Epiſc. 15. Febr. 1593.

13. Qui fuit Ordinarius aliquando, ne detur iiſdem ut Extraordinarius, niſi aliud Epiſcopo videatur. Prov. 3.

14. Monialium Regularibus ſubjectarum Confeſſarii Ordinarii, & Extraordinarii ſunt approbandi ab Epiſcopo. Gregor. XV. Ann. 1622.

15. Poſt debitam monitionem factam Superioribus poteſt eos Epiſcopus amovere, *ib.*

16. Nec ſatis eſt, quod ii ſint approbati ad laicorum Confeſſiones, ſed nova opus eſt approbatione. Declarat. Greg. XV. Anno 1623.

17. Neque approbatus pro uno Monaſterio cenſetur approbatus pro alio, *ibid.*

18. Aliter Confeſſiones ſunt nullæ, *ibid.*

19. Neque Extraordinarius pro una vice approbatus poteſt pluries eaſdem audire, *ibid.*

20. Non tenetur Epiſcopus ſignificare cauſam Superioribus, cur amoveat Confeſſarium, ejus tamen oneratur conſcientia, *ib.*

21. Confeſſionalia ne ſint in ſecretis, ſeu locis occultis, & remo-

Digitized by Google

remotis, ſed in Eccleſiis exterioribus. Congr. Epiſc. 29. Novembris 1605.

22. Ingredi poſſunt de licentia Superiorum ad adminiſtranda Sacramenta infirmis: quo caſu, duæ, aut tres ſeniores ſemper aſſiſtant. Prov. 5.

23. Etiam poſt datum ſignum Salutationis Angelicæ veſpertinum. Congr. Epiſc. 1593.

24. In aliis caſibus. *Vide ſupra Monialium clauſura a n. 37. ad* 44.

25. Ne morentur in domibus Monialium cibi capiendi cauſa, niſi confeſſionis tempore. Prov. 1.

26. In habitatione pro Confeſſario contigua Monaſterio ne ſint rotæ, crates, neque januæ, quibus eatur in Eccleſiam. Congreg. Epiſcop. 13. Septembr. 1583.

27. Neque lecti habeantur ibi, ead. 7. Martii 1617.

28. Non dietim victus illis ſubminiſtretur, ſed quædam pecuniæ ſumma quotannis conſtituatur, eadem 22. Aug. 1605.

29. Neque aliud communiter, ſeu privatim illis tribuatur, neque ii ſponte oblatum, aut donatum quidquam recipiant, propoſitis pœnis, non tamen cenſuris, eadem 29. Novembris 1605.

30. Si exorcizanda eſt a Confeſſario Monialis, habita licentia a Sede Apoſtolica, exorcizetur in Eccleſia exteriori clauſis januis, præſentibus fœminis honeſtis conſanguineis, vel aliis provectæ ætatis, neque alio divertatur, ead. 1. Julii 1606.

31. In ſepultura Monialium nullum jus competit Parocho, ſed tantum Confeſſario ead. 7. Jan. 1603.

32. Capellani Monialium approbentur a Superiore Monaſterii. Prov. 1.

33. Miſſam dicere poſſunt, quæ concordat cum Officio Monialium in choro, ſed ritu Romano, qui Romano utuntur Breviario, & Miſſa ſumpta de Communi, ſi propria non habetur in *Miſſali* Romano. Congr. Rit. 20. Nov. 1628.

34. Annuum ſtipendium certa ſumma pecuniæ detur, niſi Epiſcopus ejus loco dari triticum, vel vinum conceſſerit. Prov. 4.

35. Nihil accipiant, etiam quod uſui ſacro deſerviat, neve quid elaboratum, ac ne laborem quidem, opuſve, quod in veſtibus ſarciendis ponitur, *ibid.*

36. Neque ab ulla, niſi a Præfecta, ſeu ea, quæ ſacriſtiæ præeſt, celebrandi Miſſas munus ſuſcipiant, *ibid.*

37. Neque colloquantur cum Monialibus ſine licentia in ſcriptis, niſi cum iis, quæ ſacriſtiæ præſunt, & de neceſſariis, ad rotam Eccleſiæ. Prov. 1.

38. Concionatores dentur apti ſaltem bis in ſingulis menſibus ad cancellos collocutorii, vel Eccleſiæ, *ibid.*

39. Neque iis liceat cum Monialibus ſeparatim loqui, *ibid. V. Miſſa, n.* 8. 21.

### A D D I T I O.

1. Non licet Generali audire Confeſſiones Monialium ſui Ordinis ſine deputatione ſpeciali Epiſcopi. *Cong. Conc.* 13. *Nov.* 1627.

*Monialium cura in temporalibus.*

1. MOniales eæ, quæ vigore Inſtituti ſua bona ſtabilia non poſſederunt, impoſterum ea poſſunt retinere. Cong. Epiſc. 28. Martii 1588.

2. Omnia bona mobilia, & immobilia Conventui incorporentur. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 2.

3. Adminiſtratio bonorum ſit penes Officiales tantum, & hæ ſint amovibiles, *ibid.*

4. Mobilium uſus ſit pro neceſſitate cujuſque, & juxta ſtatum paupertatis, quam profitentur, *ibid.*

5. Quæ in his deliquerit biennio voce activa, & paſſiva privata ſit, *ibid.*

6. Quidquid acquiſierint, ad Abbatiſſam deferatur, quæ in primis ſubveniat, arbitrio ſuo, neceſſitatibus illius, cujus opera, vel contemplatione ſunt res datæ: reliquum convertatur in uſum communem. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *alleg.* 103. *n.* 3.

7. Si ære alieno gravatæ non habent unde vivant, veſtiantve, adſtringantur parentes, & conſanguinei uſque ad ſecundum gradum, nec non hæredes bonorum eorumdem parentum ad iis ſubveniendum. Congr. Epiſcop. 1592.

8. Prædia locentur, ſub haſta actione facta, niſi aliud magis expediat. Prov. 4.

9. Ne cogantur Moniales contribuere aliquid Seminario, ſi beneficia non ſint eis unita. Congreg. Epiſc.

10. Si quæ fiant alienationes, moneatur Epiſcopus. Prov. 4.

11. Inventarium bonorum, & jurium in archivio Epiſcopali aſſervetur, *ibid.*

12. Non poſſunt Ordinarii deputare Religioſos particulares cujuſcumque gradus in adminiſtratores bonorum Monialium. Congreg. Epiſc. 22. Auguſti 1605.

13. Procuratores Monialium quolibet trriennio mutari debent, ead. 31. Julii 1615.

14. Iidem quotannis ſuæ adminiſtrationis rationem reddant. Prov. 1.

15. Præfecta quoque deputatis curatoribus, *ibid.*

16. Eadem neminem admittat ad Monaſterii procurationem, vel famulatum, quem non probarit Epiſcopus, *ibid.*

17. Et eodem modo eligantur medici, tonſores, & alii Miniſtri, *ibid.*

18. Tranſlata Moniali ad aliud Monaſterium pro ejuſdem gubernatione, non licet transferre fructus dotales. Congreg. Epiſcop. 9. Octob. 1618.

19. Fugitiva Moniali inter Convertitas repoſita, dentur Monaſterio Convertitarum bona illius, ſed poſt ejus obitum priori Monaſterio reſtituantur. Prov. 6.

*V. Monialium clauſura, n.* 22. 25. *Monialium communes leges, n.* 34. 35. 36. *Monialium Officiales, n.* 37. 38. *Munerum largitio, per totum. Regul. jura in Ordine ad Monialium &c. n.* 14. 15. 16.

*Monitoria.*

*V. Excommunicatio.*

*Montes Pietatis.*

1. APprobantur cum ſolutione ultra ſortem pro Miniſtris, & rerum cuſtodia. Leo X. Anno 1515.

2. Moderata ſit tamen ſolutio, *ibid.*

3. Prædicantes contra Montes rite inſtitutos, ſeu diſputantes, ipſo facto ſunt excommunicati, *ibid.*

4. Epiſcopi ex Officio ſuo juxta ſacros Canones cognoſcant Eleemoſynas Montis Pietatis, ſeu Charitatis, & exequantur, non obſtantibus quibuſcumque, *ſeſſ.* 22. *cap.* 8.

5. Etiam ſi cura ad laicos pertineat, & exemptionis Privilegio ſint muniti, *ibid.*

6. In ſtatu Eccleſiaſtico excommunicantur omnes inferiores Epiſcopi, qui quovis prætextu, vel colore, præſumunt pecunias ad Montes pios attinentes in alios, quam in uſu pauperum, diſponere, cum obligatione reſtituendi. Paulus V. *apud Nald. Furtum, n.* 12.

*Munerum largitio vetita Regularibus.*

1. NIhil donare poſſunt Regulares utriuſque ſexus. Clem. VIII. Anno 1594.

2. Præter leviora, eſculenta, aut poculenta, ſeu ad devotionem ſpectantia, nomine communi, *ibid.*

3. Neque per ſe, neque per alios, *ibid.*

4. Neque Ordinariis ex cauſa benedictionis, habitus tradendi, aut profeſſionis Monialium, *ibidem.*

5. Neque ipſis Religioſis inter ſe, niſi minima, & cum licentia Superiorum in ſcriptis, *ibid.*

6. Prohibetur etiam erogatio pecuniæ in honorem alicujus, ſeu grati animi teſtificationem quovis modo ſignificandam, *ibidem.*

7. Quicumque recipit, tenetur ad reſtitutionem Monaſterio, *ibid.*

8. Pœnæ imponuntur dantibus, privationis Officiorum, inhabilitatis, vocis activæ, & paſſivæ, ipſo facto, furti, & ſimoniæ, *ibid.*

9. Quotannis legantur hæc coram Regularibus, & pro Monialibus in communem convertantur linguam, *ibid.*

*Notarius.*

1. POſſunt examinari ab Epiſcopo Notarii quicumque ii ſint; & inepti prohiberi ad tempus, & in perpetuum. Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 10.

2. Collegium Notariorum Curiæ Epiſcopalis, ſi multi ſunt, inſtituatur, quod certum numerum pro Diœceſis conditione contineat. Prov. 5.

3. Statuta conficiantur, ab Epiſcopo approbanda, *ibid.*

4. Idonei tantum per examen Epiſcopi recipiantur, *ibid.*

5. Rejiciantur ii, qui de jure non poſſunt eſſe teſtes, ut indigni, *ibid.*

6. Neque admittantur ii, qui 25. annum non attigerint, & quadriennium in Notariatus Officio integre, periteque non ſunt verſati, *ibid.*

7. Jurent ſe nihil dediſſe, vel promiſiſſe pro obtinendo hoc Officio, antequam admittantur, *ibid.*

8. Itemque quod fideliter munus hoc exercebunt, nihil recipient a litigatoribus, vel aliis eorum nomine, præter taxam Epiſcopi; non curabunt, ut ſibi cauſæ committantur; neque promotores erunt, vel Procuratores in cauſis, coram Epiſcopo, aut Vicario, eorumque Miniſtro, *ibidem*

9. Item quod omnes actus judiciales conſcriptos, & inſtrumenta, & omnia alia in cauſis producta in regeſtum referent debitamque copiam dabunt, ſine fraude, contenti taxata, *ibid.*

10. Itemque quod ſecreta Officii, & cauſarum nemini patefacient, præſertim dicta Teſtium, & conſilia Aſſeſſorum, donec ſententiæ latæ fuerint, & ſubſcriptæ, *ibid.*

11. Denique jurent, quod mandatis Epiſcopi parebunt, inſtituta Officii, & juſſa Officialium Collegii ſervabunt, & prædicta omnia ſine dolo inviolate præſtabunt, *ibid.*

12. Ori-

Digitized by Google

12. Originales proceſſus nemini deferant, niſi alicujus inopia aliud Epiſcopo ſuadeat, *ibid.*

13. Et tunc nonniſi in proprio pluteo, Archiviive loco, neque alio aſportari liceat, etiam de conſenſu partium, præterquam Judici cauſæ oſtendenda. Prov. 5.

14. Nihil edatur ſine licentia Vicarii ſub pœna amiſſionis Officii, *ibid.*

15. Denuncient legata pia poſt tres ſaltem menſes a morte Teſtatorum ſub pœna excommunicationis ipſo facto. Pr. 2.

16. Notarii quorumcumque locorum tenentur in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna privationis Officiorum, ac ſolutione dupli, revelare omnes diſpoſitiones in favorem Sac. Ædis Lauretanæ factas, vel faciendas intra octo menſes a die mortis Diſponentis, extra Italiam, intra vero, infra tres menſes, Pius V. *apud Naldum V. Eleemoſyna num.* 12.

17. Si autem diſpoſitio eſſet inter vivos, intra idem ſpatium a die ſolutionis faciendæ computandum, idem, *ibid.*

18. Quam breviſſime poſſunt, ſcribant rejectis ſupervacaneis, maxime in repetitionibus dignitatis judicum, vel litigatorum. Prov. 1.

19. In Criminalibus poteſt Epiſcopus uti Notario Criminali Civitatis, qui, ſi advena ſit, non excedat tamen taxam ſub quovis prætextu. Congreg. Epiſcop. 14. Apr. 1626.

20. Ubi non ſunt Notarii in Diœceſi, adhibeantur duo vitæ integritate probati homines, qui acta conſcribant, iiſque mercedis taxa major ne ſit, quam Notariis præſcripta. Pr. 3.

21. Cancellariæ ne vendantur, locenturve, nec earum nomine quidquam ſolvatur quotannis quovis prætextu. Prov. 1.

22. Tabella edatur eorum, quæ ſunt expedienda gratis. Pr. 5.

23. Pro litteris Dimiſſoriis, ſeu Teſtimonialibus Ordinum ſervetur Decretum Concil. Trident. *ib. V. Litt. Dimiſſoriæ, & Teſtimoniales*, *n.* 14. 45.

24. Munera quæcumque ne recipiant Notarii, prout in juramento ſupra poſito. Prov. 4.

25. Idem extenditur ad Scriptores Cancellariæ Epiſcopalis, Prov. 5.

26. Mercedem, quam acceperint, ſcribant in fine cauſæ, ſeu proceſſus, notatis diebus, quibus diviſim acceperint. Prov. 4.

27. De emolumentis Cancellariæ Epiſcopalis nihil prorſus utilitatis privatæ ad Epiſcopum, ejuſve menſam, aut Vicarium, alioſve niſi ad Cancellariam, Cancellarium, & Miniſtros perveniat, ſub pœna quadrupli in Eccleſiæ reſtaurationem, vel Sacriſtiæ uſum erogandi. Prov. 5.

28. Certus in eo habeatur liber proviſionum Eccleſiarum, Parochialium præſertim, aliorumque Beneficiorum, quæ examine adhibito conferunt, in quo ſcribantur acta examinis, dies vacationis, & modus, dies edicti, & prorogationis ejuſdem; nomina Examinatorum, & examinandorum, dies examinis, rejectorum, approbatorum, nomen Electi ab Epiſcopo, & his ſimilia, *ibid.*

29. In alio libro ſcribantur Confeſſarii, Concionatores approbati, ſeu rejecti cum nominibus Examinatorum. Item Ordinati, & alii, qui examini ſubjiciuntur, *ibid.*

30. Alia notabiliora, & criminalia quoque in tabellas referantur, *ibid.*

31. Notarii Epiſcopales tenentur omnino ſibi ſumere Judices, & alii in Litteris remiſſorialibus, & compulſorialibus Eccleſiaſticis deputati in iis exequendis. Prov. 7.

32. Notarius Epiſcopi gaudet Privilegio fori. Grat. *diſcept. cap.* 340. *tom.* 2. Et ſi delinquit, etiamſi ſit laicus, punitur ab Epiſcopo. Ricciul. *in praxi reſolut.* 471. *num.* 3. *V. Forum Epiſcopale*, *n.* 31. 59. 68. *Viſitatio Epiſcopi*, *n.* 48.

*Nuncius Apoſtolicus.*

1. NON debet exercere Divina in Eccleſia Archiepiſcopi ſine ejuſdem licentia. *Congr. Rit.* 9. *Martii* 1593.

2. Neque poteſt Ordinare Clericos illius Provinciæ Ordinibus Sacris ſine facultate Sedis Apoſtolicæ, ſub pœnis. *Conc. Trid. Congr. Conc.* 15. *Apr.* 1633. *Vide Archiepiſcopus.*

*Oblationes.*

1. OBlationum inſtitutum in Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſia ad Miſſæ Sacrificium conſervetur, & ubi non eſt, reſtituatur. Prov. 4.

2. Aliis in Eccleſiis interdicitur Oblatio, *ibid.*

3. Ad conſuetudinem retinendam Oblationum populi cogi poſſunt, non a Sacerdote, ſed ab Epiſcopo, cujus auxilium eſt implorandum. Sylv. *V. Decima q.* 2.

4. Non poteſt civitas per ſtatutum mutare ſolitas Oblationes, idem, *ibid. Secundum.*

5. Oblatio in Miſſa fiat dum cantatur Offertorium, & omnino, ante oblationem Hoſtiæ. Prov. 4.

6. Primo mares, deinde fœminæ offerant. Prov. 1.

7. Neque patena, ſed Crux, aut ſacra Imago ad oſculandum eo caſu præbeantur. Prov. 3.

8. A notorie criminoſis ne accipiatur oblatio. Prov. 4.

9. Nec ideo Sacerdos longe diſcedat ab Altari, minuſque per Eccleſiam eidem ire liceat ordinarie, *ibid.*

10. Offerentium commemoratio fiat in Miſſa, *ibid.*

11. Oblationes factæ in Miſſa Epiſcopi Celebrantis in aliqua Eccleſia Parochiali, ſunt Epiſcopi, niſi celebret ibi nimis frequenter. Genuenſ. *infra num.* 8. 9.

12. Oblatio facta in Cathedrali, niſi ad certos uſus ſiat, Epiſcopi arbitrio reſervatur. Prov. 4.

13. In Parochiali facta, ſeu in alia Eccleſia de licentia Superiorum intra fines Parochiæ, Parocho detur, *ibidem.*

14. Oblatio facta Capellæ, ſeu Altari, in dubio præſumitur facta intuitu Eccleſiæ, & eſt Rectoris, non Capellani. Gen. *in praxi Neap. cap.* 57. *q.* 2. *num.* 3.

15. Occurrente Feſto principali in die Dominico, Oblationes, ſi ad diverſos attineant, ratione Feſti, & Dominicæ, dividantur, idem, *ibid. num.* 11.

16. Pactio quævis de dividendis Oblationibus, irrita ſit, & puniatur. Prov. 4.

17. Neque locari poſſunt Oblationes futuræ, neque ſuper his contractus iniri, pœna gravi, etiam Parocho, impoſita, *ib.*

18. Neque imagines cereæ voti cauſa Oblatæ venditari poſſint ſæpius, inconſulto Epiſcopo, neque vendi, etiamſi ſint confractæ, *ibid.*

*V. Miſſæ ritus*, *num.* 22. *Uſura*, *num.* 13. 14.

## ADDITIO.

1. QUÆ fiunt tempore Jubilæi, vel anno ſancto in Eccleſia Cathedrali, ſpectant ad Archipresbyterum, cui incumbuit animarum cura; non ad Epiſcopum. *DD. cum Barboſa de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 37.

2. Quæ fiunt ad imagines depictas in pariete domus alicujus perſonæ privatæ, Parochiali Eccleſiæ debentur, intra cujus fines ſitus eſt paries, niſi offerens obtuliſſet contemplatione Domini domus, puta, quia pauper, &c. *ib. n.* 26.

3. Parocho nimirum, non Epiſcopo. Deciſum refertur, *ib. n.* 29.

4. Oblata Celebranti in Eccleſia, cedunt illius Rectori, *ibid. num.* 28.

*Olea Sacra.*

1. EPiſcopus duarum Civitatum debet conficere Chriſma, & Olea Sacra alternis annis in utraque, *cap. ex referente* 12. Grat. *diſcept. forenſ. tom.* 4. *diſcept.* 655. *num.* 74.

2. Tempore Interdicti poteſt publice conſecrari Chriſma, contra communem probat optime Barb. *alleg.* 35. *num.* 25.

3. Ad ejus conſecrationem omnino adſint ii, quos vocarit Epiſcopus. Prov. 1.

4. Ad Sacra Olea accipienda mittantur tres phialæ ſtanneæ intra capſulam, ita clauſæ, ut Miniſter ſolus Eccleſiæ Cathedralis eam aperire poſſit, nullus alius in via. Prov. 4.

5. Capſula corio ſit tecta, vel certe ſit lignea.

6. Ab eo referetur tantum, qui ſit in ſacris. Prov. 2.

7. In Cathedrali notetur in libro nomen illius, cui datur, *ibid.*

8. Regulares non aliunde, quam a propria Cathedrali Olea ſumant, alias puniantur. Prov. 6.

9. Et Ordinarii permittant Oleum Sacrum apud Regulares ad eorum uſum tantum. Congr. Epiſc. 13. *Julii* 1589.

10. In diſtributione Oleorum nihil recipiatur, ead. *Septembris* 1604.

11. Vetera Olea comburantur in lampade, quæ adeſt ante Sanctiſs. Sacramentum, bombice in ſacriſtia exuſto. Prov. 4.

12. In caſu neceſſitatis uti poterit Parochus Oleo veteri Sacra Congr. Epiſc. 20. *Martii* 1590.

13. Sacro Oleo novo deficiente, ſi aliunde non ſuppetit, guttatim infundatur Oleum non conſecratum. Prov. 4.

14. Duo vaſcula pro ſingulis Oleis adſint, quorum alterum, ut dictum eſt, ſit pro iis recipiendis, *ibid.*

15. Ubi plures Parochi in eadem Eccleſia, ibi plura vaſa ſint Olei infirmorum, *ibid.*

16. Inſcriptiones fiant hoc modo ſaltem in vaſis CHR. CATH. INFIR. *ibid.*

17. Thecæ vaſorum ſint ex corio, & intus ornatæ ſerico rubro, *ibid.*

18. Sacculus addatur, & pro Chriſmare albus, *ibid.*

19. Pro Oleo infirmorum ſit violaceus, cum cordulis, ut de collo pendens ad ægrotos deferri queat. Prov. 3.

20. Aſſerventur Olea in Eccleſia tantum, niſi quibus conceſſerit Epiſcopus Oleum infirmorum tenere domi ob diſtantiam domicilii, *ibid.*

21. Et eo caſu domi in feneſtella locetur panno ſerico veſtita intus, & ſub clave. Prov. 4.

22. Clavis Oleorum ſemper ſit apud Rectores Eccleſiæ, neque Clerico committatur, *ibid.*

23. Servetur in bambacio, quod defertur ad ægrotos. Rituale Rom.

*Oracula vivæ vocis.*

1. REvocata ſunt qualiacumque, & qualitercumque conceſſa. Gregor. XV. *Anno* 1622.

2. Exceptis iis, quæ ad ſupplicationem Regum, & quæ ad favorem Cardinalium; vel pro quibus Cardinales ipſi in ſcriptis teſtimonium præbuerunt, *ibid.*

3. Omnia

3. Omnia abolevit, & caſſavit, etiam ad inſtantiam Regum, & Imperatorum conceſſa, quibuſcumque Generalibus, Superioribus, etiam Societatis Jeſu Sæcularibus, & Regularibus. Urban. VIII. *Anno 1632.*

### *Oratio publica.*

1. NE fiat hæc Oratio coram Sacramento per 40. horas, niſi ubi aſſidue aſſervatur Euchariſtia, & ubi Epiſcopus conceſſerit. Prov. 4.

2. In Cathedrali quoties inchoatur Ordo, fiat cum apparatu majori, concurrente toto Clero, & populo; tum ad proceſſionem, tum ad Orationem, cum diſtributione horarum, & Sermonibus pluribus. *ibid.*

3. Non deferatur hac occaſione Euchariſtia per ambitum templi. Prov. 1.

4. Cerei minimum ſex, ad ſummum decem, lampades non plures tredecim, nec pauciores tribus. Epiſcopus concedere plures cereos poteſt. Prov. 1.

5. Per horam antequam in una Eccleſia terminetur, in altera inchoetur, ſi continuata eſt Oratio. Prov. 1.

6. Romæ biduo durat hæc Oratio, itaut mane inchoetur, & mane finiatur. Inſtruct. Rom. *de Horis* 40.

7. Cantatur Miſſa votiva de Sacramento, tum in initio, tum in fine Orationis, *ibid.*

8. In Feſto primæ, vel ſecundæ claſſis, ſive in Dominica privilegiata primæ, vel ſecundæ claſſis in Collegiatis, vel duæ Miſſæ cantentur feſtiva, & votiva, vel una de die cum commemoratione Sanctiſſimi Sacramenti. Gavantus 1. *Theſauri Sacr. Rituum*, *part.* 2. *tit.* 4. *n.* 14.

9. Habetur ritus proprius hujus Miſſæ, *ibid.*

10. Clerici ſaltem ſex interſint Proceſſioni. Prov. 4.

11. Duo ſemper aſſiſtant, quorum alter ſaltem ſit Diaconus, & noctu unus ſaltem in Sacris, *ibid.*

12. Diviſio ſexuum curetur; noctu vero nemo, niſi cuſtodes orantes, conveniant. Prov. 1.

13. In Eccleſiis Monialium, ſi fiat Oratio, noctu nemo prorſus intromittatur, & repoſita Euchariſtia orent in Choro Moniales, *ibid.*

14. Si noctu nemo poteſt aſſiſtere, recondatur Euchariſtia, & interdiu compenſetur Oratio, *ibid.*

15. Clauſa ſint Oſtia noctu, *ibid.*

16. Signa cum Campanis dentur pridie, & ipſo die. Prov. 4.

17. Sermones breves habeantur populo frequentiori, *ibid.*

18. Ne pelves, aut vaſa exponantur pro eleemoſyna, ſed capſulæ permitti poſſunt, *ibid.*

19. Extra ordinem, Oratio 40. horarum, ne fiat alicubi ſine Epiſcopi licentia. Prov. 2.

20. In Feria 5. Cœnæ Domini ſaltem unus Sacerdos, aut Sacris initiatus excubet in Oratione. Prov. 5.

21. In Feriis ſextis paulo ante horam nonam detur ſignum ſalutationis Angelicæ. Prov. 2.

22. In Sabbatis laudes B. Virginis per Antiphonam, Salve Regina, cantantur Veſperi in Parochialibus. Prov. 3.

23. Quotidie ſtatuatur oratio pro Defunctis prima hora noctis, dato Campanæ ſigno. Prov. 6.

24. Sabbatis quatuor temporum ſub veſperum conveniant populi ad Eccleſias Parochiales ad pias preces, tum pro ordinatis, tum pro Beneficiis acceptis. Prov. 4.

25. Imminentibus calamitatibus ea ratio ineatur, ut ſine intermiſſione fiat Oratio a Clero, & populo, Prov. 3.

26. Nimbis, procellisve imminentibus Campanæ ſonentur, ut fiant preces in Eccleſia, ſaltem a Clero. Prov. 4.

27. Pro temporum ratione certa hora ſtatuatur ad communem Orationem, etiam domi habendam, datis idcirco Campanarum ſignis. Prov. 3.

28. Stata prece, adhibeatur benedictio ante cibum, & poſt eum gratiarum actio, Prov. 5.

*V. Confraternitates*, *n.* 23. *Regularium jura ſub Epiſcopis*, *num.* 18. 20.

## ADDITIO.

1. Non tenentur Regulares accedere ad Eccleſias extra propria Monaſteria pro celebratione Orationis 40. horarum. Deciſum refert *Genuenſ. in praxi Neapol. cap.* 64. *num.* 3.

### *Oratorium.*

1. ÆDificatio, aut uſus Oratoriorum parcius concedatur. Prov. 1.

2. Ne ſit in partibus interiorum ædium, ſed ſeparatum ab aula, triclinio, cellis, *ibid.*

3. Neque ita anguſtum ſit, ut e feneſtris audienda ſit Miſſa, *ibid.*

4. Rarius ibi celebretur, & diebus conceſſis a Sede Apoſtolica tantum, *ibid.*

5. Quæ in viis extruuntur, ne ſint in campis, & ſint ſine Altari. Prov. 4.

6. Cancellis muniantur, & feneſtris clathratis, *ibid.*

7. Valvis etiam, & claves penes Parochum, *ibid.*



8. Neque extra, niſi in loco alto, pingantur ibi ſacræ imagines, *ibid.*

*V. Imagines ſacræ*, *num.* 14. 15. *Miſſæ*, *num.* 18. 19. 20. *Reliquiæ Sanctorum*, *n.* 45.

### *Ordo in genere.*

1. ORdinationes fiant ſtatis temporibus in Cathedrali, præſentibus Canonicis, publicæ, vel in digniori Diœceſis Eccleſia, ſi in Diœceſi ſit Epiſcopus. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8.

2. Ab alieno Epiſcopo nemo Ordinetur ſine teſtimonio Ordinarii de vita, & moribus. Idem *ibid.*

3. Dimiſſoriæ litteræ dari non poſſunt niſi ab Epiſcopis, intra quorum fines exiſtunt exempti. Idem *cap.* 10. *V. Litteræ dimiſſoriæ*, *n.* 1. 2. 3.

4. Diſpiciantur Ordinandorum genus, Perſona, ætas, inſtitutio, mores, doctrina, fides ab Epiſcopo, opera virorum prudentum, *ibid. cap.* 5.

5. Genus, nam poteſt Epiſcopus Ordinare ſubditum ſibi ratione originis, ſeu domicilii, ſeu Beneficii. DD. communitee.

6. Origo patris inſpicitur. Barb. cum aliis *alleg.* 4. *n.* 4.

7. Matris in illegitimo attenditur. Idem *ibid. num.* 15.

8. Expoſiti origo attenditur ex loco in quo fuit expoſitus. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 75. *n.* 12.

9. Domicilium eſt locus perpetuæ habitationis. Menoch. *conſ.* 329. *n.* 33.

10. Habitatio continua per decennium æquivalet domicilio. Barboſ. *loc. cit. num.* 28. 29.

15. Ratione Beneficii, ſi plura habet, quovis Epiſcopo illorum, Barboſ. *ibid. n.* 51.

12. Habita Beneficii poſſeſſione, nedum collatione, quæ ſola non ſufficit. Garz. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 16. 17.

13. Filii Hebræorum non excluduntur ab Ordinibus. Deciſum refert Armendar. *l.* 1. *tit.* 21. *l. unica n.* 6.

14. Poteſt etiam Epiſcopus Ordinare Novitios alibi natos, ſed degentes in Monaſterio Diœceſis, non autem poteſt eorum Abbas. Barboſ. *allegat.* 2. *n.* 8. & *allegat.* 4. *n.* 2.

15. Perſona, nam hi ſimpliciter Ordinari non debent. Illegitime nati. Neophyti intra biennium. Ricciul. *de jure perſon. cap.* 10. *n.* 9.

| | |
|---|---|
| Corpore vitiati. | Ebrioſi. |
| Inſigniter deformes. | Impudici. |
| Epileptici. | Minores natu. |
| Amentes. | Rudes, & ignari. |
| Servi. | Lapſi poſt Ordinem. |
| Infames. | Peregrini, & ignoti. |
| Perjuri. | Irregulares aliis modis. |
| Crimínoſi. | Cenſuris ligati. |
| Sollemniter pœnitentes. | Ratiocinii obligati. |

Hæc ex Prov. 4.

16. Ætas, de qua in titulis ſequentibus.

17. Doctrina: conveniant urbani ad examen feria 2. Diœceſani ante feriam quartam temporum. Prov. 4.

18. Ne examinetur, qui ſine habitu decenti acceſſerit. Provin. 5.

19. Examinatus ab Epiſcopo qui dat dimiſſorias, debet rurſus examinari ab Ordinante. Trid. *ſeſſ.* 12. *cap.* 11. & probat Barb. *alleg.* 7. *n.* 22.

20. Diſpenſatio interſtitiorum pertinet ad Epiſcopum Ordinandi, non ad Ordinantem. Congregat. Epiſcop. 9. Auguſti 1563.

21. Interſtitia ipſa attenduntur ſecundum eorum curſum, non autem per 12. menſes, eadem 15. Aprilis 1591. & DD. apud Barboſ. *alleg.* 18. *n.* 2.

22. Initiatus ab alieno Epiſcopo ferat teſtimonium de Ordine ſuſcepto. Prov. 4.

23. Nemo Ordinetur, qui Eccleſiæ, aut pio loco non adſcribatur, & ſi locum deſerat, Epiſcopo inconſulto, ei ſacrorum exercitium interdicatur. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 16.

24. Dominico die ante indictam Ordinationem in Parochialibus Proceſſio cum Litaniis habeatur. Prov. 2.

25. Præter Candelam nihil accipiatur non pannus, pecten, &c. Congr. Epiſc. 2. Januarii 1601.

26. Nihil item accipiatur ab Epiſcopo pro litteris dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus, aut ſigillo, neque ſponte oblatum, neque accipiatur a Miniſtris. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 1.

27. Pro ſingulis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, Notarii, ubi non viget contraria laudabilis conſuetudo decimam tantum aurei partem accipere poſſunt, dummodo ſalarium nullum ſit eis conſtitutum. Idem *ibid.*

28. Neque inde ullam partem emolumenti Epiſcopus habeat, *ibid.*

29. Regulares non profeſſi tenentur iiſdem legibus, quibus ſæculares in Ordinibus ſuſcipiendis. Pius V. Anno 1598. & Novitius dicitur habere domicilium in Diœceſi Novitiatus. Nald. *Ordo n.* 10.

30. Sub pœna ſuſpenſionis per annum Epiſcopus a collatione Ordinum. Pius V. *ubi ſupra.*

31. Finito anno, ceſſat ſuſpenſio abſque alia abſolutione.

32. Neque poteſt Epiſcopus ordinare Monachum exemptum ſine licentia proprii Abbatis, alias ipſo jure alienus eſt a Communione Epiſcoporum, & contentus ſit Communione ſuæ Diœceſis, Barboſ. *alleg.* 111. *n.* 17.

33. Regulares degentes in Monaſterio ſito in loco nullius Diœceſis debent Ordinari ab Epiſcopo viciniori, Nald. *V. Ordo n.* 26.

34. Dimiſſoriæ dentur a Superioribus Regularium. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. & probat Barboſ. *alleg.* 7. *n.* 31.

35. Sed ad Epiſcopum Diœceſanum, in cujus Diœceſi eſt Monaſterium Ordinandi. Clemens VIII. 15. Martii 1596.

36. Qui ſi fuerit abſens, vel non habiturus Ordinationes, ad alium dirigi poterit, facta in Dimiſſoriis mentione de abſentia, ſeu de non habenda Ordinatione. Idem *ibid.*

37. Sub Pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, Officii, & Dignitatis, & aliis arbitrio Papæ, reſervatis eidem, *ib.*

38. Epiſcopus præſens, per alium Epiſcopum Ordinationes habens, non dicitur abſens, & ideo Regulares alios ordinare non poteſt. Tamburin. *de jure Abbatum tom.* 2. *diſput,* 2. *q.* 18.

39. Examinandi vero ſunt Regulares ab Epiſcopo Ordinante, Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12.

40. Interſtitiorum remiſſio in Regularibus ſpectat ad Epiſcopum Ordinantem; cauſam approbare pertinet ad Superiorem Ordinandi, Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *alleg.* 18. *n.* 10.

41. Cenſuræ ratione Ordinationis ſunt, Qui extra tempora, vel ante ætatem legitimam, vel ſine Dimiſſoriis, ad Sacros Ordines ſe faciunt promoveri, ſuſpenſi ipſo jure ab Ordine. Pius II. Anno 1461.

42. Beneficiis item poſſunt privari, *ibid.*

43. Ordinatus ſine Dimiſſoriis Ordinarii ſui manet ſuſpenſus arbitrio Ordinarii ſui. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 2.

44. Neque cum Epiſcopus admittat, niſi idoneum repererit, & interim eum ſuſpendere poteſt ab Ordinum exercitio, & ne miniſtret, interdicere, *ibid. cap.* 3.

45. Prohibitus a ſuo Prælato, ne aſcendat ad Ordines, ex quacumque cauſa, etiam occulta, ſine ejuſdem licentia promoveri non poteſt; neque item reſtitui, ſi eſt ſuſpenſus a ſuis Ordinibus, *ibid. cap.* 1.

46. Conferens primam Tonſuram non ſuo ſubdito eſt ſuſpenſus a ſuius primæ Tonſuræ collatione per annum. Bonac. *de Sacram. diſp.* 8. *quæſt. un. punct.* 4. *n.* 29.

47. Conferens alios eidem, ſuſpenſus eſt per annum a collatione omnium Ordinum. Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 8.

48. Niſi probabiliter ignoret, Clericum eſſe alterius Diœceſis. Deciſum refert Navarr. *conſ.* 40. *de temp. Ord.*

49. Conferens invito primam Tonſuram ſuſpenſus eſt ipſo jure per annum a Celebratione Miſſæ. DD. apud Barboſam *alleg.* 111. *n.* 3.

50. Conferens infanti ſuſpenditur a collatione Clericalis Tonſuræ tantum, per annum, *ibid. DD. n.* 4

51. Idem, ſi illiterato, *ib. n.* 6. ſed non eſt in caſu hæc cenſura, Sà, *Verb. Suſpenſio, n.* 13.

52. Idem, ſi conjugato niſi velit ingredi Religionem, aut promoveri ad Sacros Ordines. Barboſa *loco cit. n.* 10.

53. Ordinans eodem die, vel duobus continuato jejunio ad duos Sacros Ordines, ſuſpenditur a collatione utriuſque, donec a Papa abſolvatur. Idem *n.* 12.

54. Ordinans Sacerdotem non idoneum ſuſpenditur a collatione Ordinis Sacerdotalis, *ibid. n.* 11.

55. Ordinans in aliena Diœceſi ſine licentia expreſſa Ordinarii loci, aut de ejus licentia ſibi non ſubditos, ſuſpenditur a Pontificalibus, & eſt reſervata Papæ. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 5.

56. Poteſt tamen Epiſcopus in aliena Diœceſi ſine licentia Diœceſani conferre primam Tonſuram ſubdito ſuo. Azutius *par.* 2. *leg.* 3. *cap.* 48. *q.* 5.

57. Ordinans eum, quem ſcit ſolemniter egiſſe pœnitentiam, vel ſcit eſſe bigamum, ſuſpenditur per annum a Celebratione Miſſæ. Barboſa *loco cit. n.* 15.

58. Ordinans aliquem accepto juramento, vel promiſſione de non inferendis moleſtiis ſuper ejus proviſione, per triennium eſt ſuſpenſus a collatione Ordinum, *ibid. n.* 18.

59. Ordinans ſimoniace, & conferens primam Tonſuram, ſuſpenſus eſt a Pontificalibus, & ab Eccleſiæ ingreſſu interdictus, cum reſervatione abſolutionis Papæ ipſi, & non Pœnitentiario, alias nulla eſt abſolutio. Sixtus V. Anno 1588. Clem. VIII. Anno 1595.

60. Si adhuc ſe ingeſſerit, privatus ſit ipſo facto, etiam Epiſcopatu, nedum Beneficiis, cum reſervatione Papæ, *ib.*

61. Titulares Epiſcopi, etiam in loco nullius Diœceſis aut exempto, conferentes Ordines, ſeu primam Tonſuram alicui non habenti Dimiſſorias, etiamſi habeant Privilegium promovendi quoſcumque accedentes, incurrunt ſuſpenſionem a Pontificalibus reſervatam Papæ. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 2.

62. Quomodo ſupplenda ſint omiſſa in Ordinatione. Vide Sylv. *V. Ordo* 2. *q.* 10. 11. 12.

*V. Abbas, n.* 35. *& ſeqq. Capitulum Sede Vacante, n.* 26. *& ſeqq. Ceſſatio a Divinis, n.* 8. *Familiaris Epiſcopi, n.* 3. *& ſeqq. Interdictum, n.* 40. *& ſeqq. Irregularitas, n.* 35. *& ſeqq. Simonia, n.* 9. 10. 11.

## ADDITIO.

1. Origo patris attenditur, ubi ſcilicet domicilium habuit Pater. *Sanchez cum aliis, de Matrim. l.* 3. *diſp.* 23. *n.* 3.

2. Domicilia duo quis habere poteſt in diverſis Diœceſibus, ſi fere æqualiter habitet in uno æſtate, in altero hyeme, & ſubditur duobus Epiſcopis. Barboſa *cum aliis, de pot. Epiſc. alleg.* 4. *n.* 38.

3. Feudatarii, licet alibi habitent, dicuntur habere Domicilium in loco feudi: item & filii eorum. Idem *ibid. n.* 35.

4. Perpetuum officium apud Principem ad jus Domicilii pro Ordinibus *leg. ſenatores, Cod. de incolis.*

5. Ratione Beneficii ſimplicis, immo & tenuis, juncto patrimonio, poteſt quis Ordinari. Barb. *ſup. n.* 44. 46.

6. Ordinatus ab uno Epiſcopo, quovis titulo, non poteſt alios Ordines accipere ab alio ſine licentia prioris Epiſcopi. Molfeſ. *in ſumm. tr.* 2. *c.* 2. *n.* 10.

7. Cum Regularibus mitius agi poteſt circa ſcientiam, quam cum ſæcularibus. Barboſa *loco cit, alleg.* 46. *n.* 14.

8. Regulares participantes in Privilegiis Greg. XIII. Societatis Jeſu, & Clem. VIII. S. Jo. in Portugalia, poſſunt Ordinari, non ſervatis interſtitiis, neque prævia functione priorum Ordinum, & extra tempora. Diana *tom.* 2. *mor. reſol. tract.* 2. *de dub. regul. reſol.* 31. 32. *&* 112.

9. Ordinatus per ſaltum eſt ſuſpenſus ab eo tantum Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit. Sylv. *V. Irregularitas, q.* 11.

10. Conferens Ordinem non ſuo ſubdito ſuſpenſus eſt a collatione Ordinis male collati tantum, per annum. Molfeſ. *cum aliis in ſum. tr.* 2. *c.* 2. *n.* 22. *contra Barboſ.* qui a collatione omnium docet eſſe ſuſpenſum.

11. Suſpenſio ob malam Ordinum collationem per Pium II. eſt Papæ reſervata. Barboſa *loco cit. alleg.* 17. *n.* 14.

12. Infantes expoſiti, cum adoleverint, habentur pro legitimis ad Ordines Sacros, niſi probetur oppoſitum. Diana 2. *p.* 1. *tr.* 1. *Miſcell. reſol.* 22.

### *Ordines Minores.*

1. Militibus. etiam quod non ſint præliati, denegatur prima Tonſura. Congreg. Epiſc. 30. Auguſti 1619.

2. Ultramontanis ne conferatur prima Tonſura, nec Ordo minor, niſi cum Dimiſſoriis prius recognitis a Nunciis, & poſtea a Vicario Urbis, ſub pœna promoventibus ſuſpenſionis ad annum a Pontificalibus; promotis autem perpetuæ ſuſpenſionis eo ipſo. Urban. VIII. Anno 1624.

3. Itali prima Tonſura, aut minoribus Ordinibus ab alieno Epiſcopo cum falſis Dimiſſoriis initiati non gaudent privilegio fori. Idem *ibid.*

4. Prima Tonſura non initientur, niſi prius confirmati. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4.

5. Fidei rudimenta ſciant, & legere, & ſcribere, & conjectura ſit probabilis, eos Deo ſervire velle. Idem *ibid.*

6. Afferant probationes de legitimo Matrimonio, ſeu diſpenſationem.

De origine, vel decennali domicilio.
De doctrina, & moribus a Parocho.
De Doctrinæ Chriſtianæ ſcholis frequentatis.
De Confirmatione.
De Spe ad ulteriora.
De frequenti Sacramentorum uſu. Hæc Prov. 4.
De ætate, debet eſſe 7. annorum, *cap. in ſingulis,* 77. *diſt.*

7. Poteſt autem conferri prima Tonſura qualibet die. Barboſ. *alleg.* 11. *n.* 19. & in aliena Diœceſi.

*V. Ordo in genere, n.* 59. *Sed cum Stola ſaltem.* Sà, *Ordo, num.* 31.

8. Ad minores Ordines, teſtimonium habeant a Parocho, & Magiſtro Scholæ. Trid. *loc. cit. cap.* 5.

9. Et præterea de Tonſura, vel Ordine ſuſcepto.
De functionibus præſtitis in Eccleſia, cui adſcripti.
De habitu Clericali aſſidue geſtato.
De Sacramentorum frequenti uſu. Hæc ex Prov. 4.

10. Ætas Acolythi 12. annorum expletorum. Moneta *de diſtrib. p.* 2. *q.* 19. *num.* 11.

11. Iis conferantur, qui latinam linguam intelligunt, quos ſcientiæ ſpes majoribus Ordinibus dignos oſtendat. Trident. *loc. cit. cap.* 11.

12. Per interſtitia temporum, niſi aliud Epiſcopo videatur. Idem *ibid.*

13. Conſuetudo conferendi ſimul primam Tonſuram, & minores Ordines retineri poteſt. Deciſum refert Amendar. *ad recop. legum. Navar. lib.* 1. *tit.* 18. *l.* 1. *n.* 57.

18. Laudabilius eſt conferre ſingillatim minores. Innuit Trident. *ſeſſ. cit. cap.* 11.

15. Poſſunt conferri in Feſtis de præcepto. Barb. *alleg.* 11. *n.* 18. Feſtis ſcilicet Diœceſis. Nald. *Ordo, n.* 2. In Feſtivis diebus duplicibus. *Pont. Rom.*

16. Sine Miſſa, etiam a non jejuno, ſed mane. Barb. *alleg.* 54. *n.* 16.

17. In domo Epiſcopali, & non Epiſcopali, non in loco interdicto. Idem *alleg.* 11, *n.* 20.

18. Uni-

18. Uni, vel duobus, videatur Ordinatio generalis. Sylv. *V. Ordo, 2. q. 6. ſecundum*. Pluribus, quam duobus, concedunt alii, *ibid.*

19. Habens animum non aſcendendi ad Sacros Ordines ob humilitatem, non facit contra Concilium. Navarr. *cap.* 25. *n.* 108. Secus, ſi ut fugiat forum laicale.

20. In regno Neapolitano antequam peima Tonſura, ſeu Ordines Minores dentur, publicentur a Parocho initiandorum nomina, & hic tranſmittat Teſtimonium de natalibus, ætate, moribus ad Ordinantem. Congreg. Cathedralium 10. Julii 1623.

21. Si dentur Dimiſſoriæ, dentur uni, & certo Ordinario ad electionem concedentis, cum mentione dictæ diligentię, *ib.*

22. Alias promotus ab executione collati, & a ſuſceptione Superioris Ordinis perpetuo ſuſpenſus ſit, & Ordinans, ſeu Dimiſſorias concedens a collatione Ordinum, eo ipſo per annum, *ibid.*

### *Ordines Majores.*

1. QUi Majoribus ſunt initiandi ad ſingulos Ordines ante menſem Epiſcopum adeant, qui committat Parocho, aut alteri, ut eos publicet in Eccleſia, & de natalibus, ætate, moribus, & vita inquirat, & teſtimonium tranſmittat. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 5.

2. Nemo admittatur ad Sacros Ordines, niſi eum ſufficienti Beneficio. Idem *ſeſſ.* 23. *cap.* 2.

3. Neque poterit reſignari, ſub pœna nullitatis, *ibid.*

4. Et admittens reſignationem debet eum alere. Pius V. Anno 1568. & Deciſum referunt DD. apud Barboſam, *alleg.* 19. *n.* 47.

5. Neque poteſt reſignare, licet cum juramento extet promiſſio. Deciſum refertur *ibid. n.* 46.

6. Neque poteſt permutari, nulla facta mentione de titulo. Deciſum referunt DD. apud eumdem, *ibid. n.* 43.

7. Neque poſſunt obligari fructus talis Beneficii, nec hypothecari, *ibid. n.* 28.

8. Poteſt Ordinari quis ad titulum Beneficii, cujus tamen fructus non percipiet, niſi poſt Sacerdotium. Deciſum refert Garz. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 110. & Barboſ. *alleg.* 19. *n.* 29.

9. Ad Patrimonii titulum, ſeu penſionis, non niſi peo neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum Epiſcopi, & ſit redditus certus, & ſufficiens. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2.

10. Non poteſt hoc Patrimonium, neque penſio alienari, niſi adſit aliunde victus, *ibid.*

11. Pactum, & conditio in Patrimonio de eo reddendo, cum ordinatus habuerit aliunde, unde vivat, non eſt contra Concilium. Garz. *d. cap.* 5. *n.* 169.

12. Et item ad vitam tantum Ordinandi. Congr. Epiſcop. 22. Aprilis 1596. *apud Naldum Ordo*, *n.* 17.

13. Alienatio Patrimonii, adveniente Beneficio ſufficiente, valet etiam facta ſine licentia Epiſcopi. DD. apud Barboſam *alleg.* 19. *n.* 88. 89. Negant alii, *ibid. n.* 90.

14. Bona hujus Patrimonii habent privilegia, quæ conceduntur a jure bonis Eccleſiaſticis, Barboſ. *ibid. n.* 91.

15. Publicetur hoc Patrimonium a Parocho, intra cujus limites major eſt illius cenſus. Prov. 4.

16. Qui promittit, & cui promittitur victus, donec aliunde habuerit, jurent, ſine dolo, & vere id fieri, pœna ſuſpenſionis propoſita, & inhabilitatis ad alios Ordines. Provinc. 5.

17. Neque hæc promiſſio admittatur niſi ob penuriam Sacerdotum, *ibid.* & Deciſum refert Barboſ. *cit. n.* 73.

18. Ob delictum non poteſt Patrimonium applicari Fiſco, ſed redeat ad eum, qui promiſit, ſub pœna nullitatis, *ib.*

19. Ordinari poteſt quis ad titulum donationis alicujus, ſi vera eſt, arbitrio Epiſcopi, neque poteſt alienari. Deciſum refert Garz. *d. cap.* 5. *n.* 79.

20 Item ad titulum Maſſæ tot Clerici Ordinari poſſunt, quot congrueneer ſuſtentati poſſunt, & tenentur inſervire Eccleſiæ, ac ſi eſſent Beneficiati. Congreg. Epiſcop. 16. Martii 1593.

21. Non poteſt Ordinari ad titulum menſæ Epiſcop. eadem 20. Febr. 1590.

22. Neque ad titulum Seminarii, niſi ob Beneficium Seminario unitum, vel ſub certa aſſignatione fructuum cauſa inſerviendi Beneficio unito Seminario. Deciſum referunt Garz. *d. cap.* 5. *n.* 104. & Barboſ. *alleg.* 19. *n.* 31.

23. Neque ad titulum inſignis litteraturæ. Deciſum refert Barboſ. *loco cit. n.* 72.

24. Neque ſi ex arte Muſica, vel alia poſſit habere, unde vivat. Deciſum refert Garz. *d. cap.* 5. *n.* 126.

25. Ordinatus ſine titulo non eſt ſuſpenſus, ſed Epiſcopus tenetur eum alere. Deciſum referunt DD. apud Barboſam, *alleg.* 20. *n.* 27.

26. Ordinatus ſine titulo, non promoveatur ad alios Ordines. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *ibid. n.* 22.

27. De familiaribus Epiſcopi. *Vide ſupra proprio titulo.*

28. Regulares titulo paupertatis Ordinantur, ſed jurent coram Epiſcopo ſe ſponte profeſſionem ſolemnem emiſiſſe, aut ratam habuiſſe. Prov. 5.

29. Examen pro majoribus Ordinibus fiat coram Epiſcopo, *ibid.*

30. Ad Subdiaconatum ne admittatur ante annum 22. ætatis. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12.

31. Et non niſi poſt annum a ſuſceptis Minoribus, niſi adſit neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitatis, *ibid. cap.* 11.

32. Neque admittatur imperitus Canoniearum Horarum. Prov. 5.

33. Doceat de Denuntiationibus factis in Eccleſia.
De ætate.
De cenſu cum publicatione ejuſdem.
De exercitationibus ſpiritualibus per dies aliquot.
De interſtitiis, ſeu cauſa diſpenſandi. Prov. 4.
De exercitio Minorum Ordinum. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 13.

34. Ad Diaconatum ne admittatur, niſi poſt annum a Subdiaconatu, arbitrio tamen Epiſcopi. Trid. *ibid.*

35. Neque ante 23. ætatis annum. Idem *ibid. cap.* 12.

36. Doceat de exercitio Subdiaconatus. Idem *ibid. cap.* 13.
De Denunciationibus.
De ætate. Prov. 4.

37. Ad Sacerdotium ne admittatur, niſi poſt annum a Diaconatu, niſi Eccleſiæ utilitas, ac neceſſitas aliud ſuadeat. Trid. *loco cit. cap.* 14.

38. Sit aptus ad docendum populum, ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, & ad miniſtranda Sacramenta. Item pietate, & caſtis moribus ſit conſpicuus. Trident. *ibid.*

39. Doceat de Denunciationibus.
De ætate,
De exercitationibus ſpiritualibus.
De interſtitiis, ſeu cauſa diſpenſandi. Prov. 4.

40. Regulares obſervent eadem, quæ ſupra, & examinentur ab Epiſcopo. Trid. *loco cit. cap.* 12.

41. Doceat de natalibus, & ætate.
De Ordine proxime ſuſcepto.
De progreſſione in Eccleſiaſtica diſciplina.
De miniſterio in Eccleſia.
De exercitio functionum.
De frequentia Sacramentorum.
De interſtitiis ſeu cauſa diſpenſandi, cujus judicium erit Epiſcopi. Prov. 5.

42. Duo Sacri Ordines, eodem die ne conferantur. Trid. *loco cit. cap.* 13.

43. Non niſi in Miſſa conferantur, *cap. Quod ſicut eleſt.*

44. Extra tempora, quando conceditur Ordinatio in diebus Feſtis, intellige, de præcepto, quia in privilegio dicitur: *in Dominicis, ſeu aliis Feſtis:* hoc eſt, quæ æquiparantur Dominicis.

45. Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ea cauſa poteſt diſpenſare. Trid. *cap.* 14. *V. Regularium jura ſub Epiſcopis, num.* 23.

### A D D I T I O.

1. Patrimonium poteſt conſtitui ſuper annuis perpetuis cenſibus, cum cautione, quod, ſi redimantur, pecunia ex Decreto Judieis deponatur apud idoneas perſonas ad effectum reinveſtiendi. *Cong. Conc.* 2. *Junii* 1629.

2. Patrimonium valet Clerieo aſſignatum a patre in bonis, quæ ſunt directi Dominii Eccleſiæ, & de quibus ſolvitur quædam rata fructuum in recognitionem, quatenus utile Dominium a patre transferri queat, & ad victum Clerici, ſufficiat, *ead.* 7. *Sept.* 1603.

3. Patrimonium non poteſt capi in executionem ob illata vulnera alicui ad reficiendas curationis impenſas, etiam ex Decreto judicis, & etiamſi nihil aliud poſſideat, *eadem* 5. *Febr.* 1604.

4. Ad Diaconatum non poteſt quis Ordinari, promotus ob utilitatem alicujus Eccleſiæ, ab alio Epiſcopo, ſub quo domicilium habet: ſed debet ab eo, qui eum Subdiaconum creavit; niſi cum hujus licentia diſceſſerit, *ex Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 16.

5. Ob multitudinem Ordinandorum, ſi deſit tempus, qui in Sabbato Ordinari non poſſunt in Sacris, continuato jejunio ab Ordinante, & Ordinandis, poſſunt Ordinari in ſequenti die Dominieo. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 12. *n.* 12. *Dian. tom.* 1. *tract.* 16. *reſol.* 28.

6. Non tamen in Sabbatho conferri poteſt unus Ordo Sacer, & alter in Dominica, continuato jejunio ſub pœna ſuſpenſionis Papalis. *Nav. in Man. cap.* 27. *n.* 71.

7. Qui obtinet a Papa Ordinari poſſe tribus diebus Feſtis, non poteſt in Sabbato quatuor Temporum, & in Dominica ſequenti duos recipere Ordines Sacros. *Suarez de cenſ. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 40. 42.

8. Tres dies Feſtos intelligi de duplicibus, non feriatis, docent *Rodriq. tom.* 2. *de Regul. quæſt.* 13. *art.* 5. *& Fagund. de quinque præc. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 12.

9. Sed Azor, cui adhæreo, *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 19. intelligit de feriatis a populo.

10. Licet Concilium Trident. in Ordinando ad titulum Patrimonii neceſſitatem, ac utilitatem requirat Eccleſiæ, tamen intellige illud, ac, pro vel, *Cong.* 17. *Mart.* 1619.

*Parochia.*

1. ITa diſtinguantur Eccleſiæ Parochiales, ut quiſque habeat proprium Parochum, & ubi non ſunt Parochiales Eccleſiæ, fiant quamprimum. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 13.

2. Quarum Parochialium fructus adeo exigui ſunt, ut debitis nequeant oneribus ſatisfacere, curet Epiſcopus per Beneficiorum non regularium unionem, aut primitiarum, vel decimarum aſſignationem, vel Parochianorum ſymbolum, aut alia ratione, ſufficienter eos augeri. Idem *ibid.*

3. Ubi populus eſt numeroſus, cui unus non ſufficit Rector, adjungantur alii, & cogantur Rectores. Idem *ſeſſ.* 21. *cap.* 4.

4. Ubi ob locorum diſtantiam Parochiani non ſine magno incommodo Sacramenta percipere poſſunt, & Divina Officia audire, novæ Parochiæ fiant, invitis etiam Rectoribus. Idem *ib.*

5. In erectione novæ Parochiæ, ſeu ſeparatione Parochianorum, non requiritur conſenſus Parochianorum. Ricciul. *in praxi reſol.* 466. *in* 2. *edit. n.* 6.

6. Neque conſenſus Parochi primæ Eccleſiæ, dummodo ſine illius præjudicio fiat. Deciſum refert Praxis nova Epiſc. *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 1.

7. Eccleſia ſimplex poteſt ex cauſa erigi in Curatam. Garz. *part.* 12. *cap.* 5. *n.* 2.

8. Non tamen Beneficium ſimplex in Curatum. Deciſum refert, ceſſante cauſa, & neceſſitete, Garz. *ibid. n.* 3.

9. Parochis novis aſſignetur competens portio, arbitrio Epiſcopi, ex fructibus ad Matricem Eccleſiam quomodocumque pertinentibus, & ſi eſt neceſſe, compellatur populus ad ſubveniendum. Trid. *loco cit. cap.* 4.

10. Parochiales collapſæ, etiam ſi jurispatronatus ſint, reficiantur ex fructibus quibuſcumque ad eas provenientibus. Idem *ibid. c.* 7.

11. Si non ſufficiunt, Patroni, & alii, qui fructus aliquos percipiunt, item Parochiani compellantur, aut ſi nimia eſt egeſtas transferantur ad Matricem, ſeu viciniores Eccleſias. Idem *ibid.*

12. Valent prædicta etiam in Parochialibus Regularium. Deciſum refert Franc. Leo *in Theſ. fori p.* 2. *c.* 2. *n.* 69.

13. Canonici reſidentes in Cathedrali, & Clerici ejuſdem cenſentur de Parochia Cathedralis, non autem de ea, in qua habitant. Nald. *Parochia*, *n.* 13.

14. Si non reſident, ſunt de ea, in qua habitant. Idem *ibid.*

*V. Benefic. n.* 11. 12. 13. 14.
*Beneſ. mutatio*, *n.* 1. 3.
*Decimæ*, *n.* 9. 16. 19. 33.

A D D I T I O.

In vim Decreti *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 4. non poteſt Epiſcopus erigere Coadjutoriam, ſed debet cogere Rectorem ad aſſumendum ſibi Sacerdotes neceſſarios pro miniſtrandis Sacramentis. Deciſum refert Barboſa *de jure Eccl.* 2. *cap.* 2. *n.* 10.

*Parochorum Reſidentia.*

1. REſidere cogantur omnino. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 2.

2. Etiam Regulares, Prov. 5.

3. Etiam ii, quorum inſtitutio pertinet ad inferiores Epiſcopos. Deciſum refert Garz. *part.* 3. *cap.* 2. *n.* 179. *in* 2. *&* 27. *decl.*

4. Reſideant in ædibus Eccleſiæ Parochialis, niſi aliud videatur Epiſcopo. Prov. 1.

5. Si non habent ædes proprias, conducant viciniores Eccleſiæ intra fines Parochiæ. Deciſum refert Garz. *loco cit. n.* 22. *decl.*

6. Quod extenditur etiam ad Subſtitutos, & Coadjutores neceſſarios. Prov. 4.

7. Si in ædibus Parochialibus Rector, & ſocius habitare nequeunt, aptior ex iis, judicio Epiſcopi, ibi habitet, alter in alia domo, *ibid.*

8. Capellani, & Coadjutores Parochorum inſtituti a Sede Apoſtolica tenentur ad perſonalem reſidentiam. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg.* 53. *n.* 78. *& alleg.* 63. *n.* 9.

9. Etiam ſi eſſent tres tantum incolæ, & ſi ibi fuerint duæ Eccleſiæ unitæ, reſidendum eſt in digniori, & intra urbem, ſi altera eſt extra; ſi neſcitur dignior, in frequentiori. Deciſum refert Garz. *loco cit. in* 14. *declar.*

10. Qui Parochialem, & Canonicatum, ſeu Dignitatem in Collegiata habet, reſideat in Parochiali. Pius V. Ann 1568.

11. Sub pœnis arbitrio Ordinarii, etiam privationis Beneficiorum, *ibid.*

12. Si Parochialis Eccleſia tribus, aut quatuor milliaribus diſtet a Civitate, in ea tamen habitare debet Rector, nec habetur pro reſidente, qui Dominicis tantum diebus illuc accedit. Deciſum refert Garz. *loco cit. in* 17. *decl.*

13. Nec poterit abeſſe Rector ille, cui datus eſt Coadjutor. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg.* 63. *n.* 8.

14. Qui Vicarium habet perpetuum, cui tota incumbit cura, non tenetur reſidere. Deciſum refert Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 6. *n.* 99.

15. Neque excuſat a reſidentia ſenectus. Deciſum refert Praxis nov. Epiſc. *p.* 1. *V. Reſidentia*, *verſ.* 9.

16. Neque Officium Inquiſitoris. Deciſum refert Gonzalez *loc. cit. n.* 265.

17. Neque Officium Subcollectoris Apoſtolici. Deciſum refertur *ib.*

18. Neque Officium Secretarii, ſeu Vicarii foranei. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *ſupra n.* 86. *alleg.* 53.

19. Neque negotium Epiſcopi. Deciſum refert Garz. *dict. c.* 2. *n.* 2. *in* 2. *declar.*

20. Neque quod ſit Magiſter Grammaticæ in Civitate, ſi diſtat Parochialis Eccleſia ultra duo milliaria. Deciſum refert idem *in* 19. *declar. loco cit.*

21. Etiam ſi relinquat ibi Vicarium idoneum. Deciſum refert Ricc. *in praxi deciſ.* 102. *in* 1. *edit. & reſol.* 393. *in* 2. *edit.*

22. Studendi cauſa non percipit fructus abſens Parochus. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg.* 53. *n.* 77.

23. Neque excuſat defectus domus, neque ſervitium Cathedralis, neque lis, conſtituto etiam Vicario idoneo. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *ib. n.* 85.

24. Excuſat cauſat inimicitiarum, & diſcrimen vitæ, ut poſſit abeſſe per annum, dato Vicario idoneo. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *ibid. n.* 89.

25. Item infirmitas; ubi non adeſt copia Medicorum, vel medicinarum, poteſt ab Epiſcopo dari dilatio Rectori trium, vel quatuor menſium, ut in locis vicinioribus curetur. Deciſum refertur in Praxi nova Epiſc. *V. Reſidentia*, *verſ.* 7.

26. Propter intemperiem aeris, Parochus aliunde oriundus de conſenſu Ordinarii, poteſt per quatuor menſes habitare alibi, relicto Vicario idoneo. Deciſum refert Garz. *loco cit. in* 4. *declar.*

27. Omnino ne evocentur alio, etiam ad Divina Officia, paulo ante Feſta Natalitia, & Paſchalia, Parochi, Prov. 1.

28. Itaque ultra bimeſtre regulariter ne abſint Parochi, & eo caſu cum licentia in ſcriptis, & Vicario approbato, & ex gravi cauſa. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1.

29. Valet Conſtitutio Epiſcopi cohibentis, ne Parochi abſint ultra duos dies ſine licentia. Deciſum refert Garz. *dict. cap.* 2. *n.* 23. *in* 2. *decl.*

30. Sub Pœna pecuniaria, quæ decimam dimidiam non excedat: non ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Deciſum refertur *ib.*

31. Abſentes illegitime peccatum mortale incurrunt, & pro rata temporis abſentiæ non faciunt fructus ſuos, qui debentur in foro conſcientiæ fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 1. ſine citatione. Deciſum refert Garz. *n.* 27.

32. Si contumaces ſint, uſque ad privationem Beneficii compellantur per cenſuras, & alia juris remedia. Idem *ibid.*

33. Procedens Epiſcopus per ſubtractionem fructuum contra Parochos non reſidentes, non tenetur ſervare intervalla omnia, quæ contra Epiſcopos ſtatuit Trid. Deciſum refert Garz. *ibid. n.* 32.

34. Neque conventio, neque compoſitio ulla valet circa fructus amiſſos. Trid. *loco cit.*

35. Neque vigore Bullæ Cruciatæ, ſeu alterius Privilegii Deciſum refert Garz. *loc. cit. n.* 26.

36. Vicecuratus non tenetur ad reſidentiam, ex edicto, quod fit ad Curatos. Congregatio Epiſcoporum 24. Januarii 1617.

*V. Canonicorum Reſidentia*, *n.* 20. 24. *Reſidentia*. *n.* 1. 5.

A D D I T I O.

1. De domibus pro neceſſaria Parochi habitatione intelligendum eſt idem, quod de Eccleſiis Parochialibus reparandis eſt deciſum. Refert deciſum *Barboſ. de off. Parochi p.* 1. *cap.* 13. *n.* 12.

2. Abſentiæ licentiam debet dare Epiſcopus, etiamſi collatio Parochialis Eccleſiæ ad inferiores, etiam Regulares, ſpectet. Deciſum refert *Garz. de Beneficiis*, *parte* 3. *cap.* 2. *num.* 179.

3. Niſi hi juriſdictionem habeant quaſi Epiſcopalem. Idem *ibidem.*

*Parochorum munera.*

1. FRequenter celebrent, itaut ſuo muneri ſatisfaciant. Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 14.

2. Offerant Sacrificium pro ovibus. *ibid. cap.* 1.

*V. Miſſa Parochialis*, *n.* 1. *& ſeqq.*

3. Juxta viri prudentis arbitrium. DD. cum Barboſa *allegat.* 24. *n.* 23. Negant teneri ad applicationem Sacrificii. Nald. cum aliis.

*V. Parochus*, *n.* 19.

4. Clericus adſit, populi etiam ſumptu, ſi minus ille poteſt ſuo. Prov. 4.

5. Prædicent populo omnibus diebus Feſtis. Trid. *ſeſſ.* 24. *capit.* 4.

6. Vim

6. Vim Sacramentorum, & uſum explicent inter Miſſarum ſolemnia. Idem *ibid. cap.* 7.

7. Jejunia, & dies Feſtos commendent, & evulgent. Idem *ſeſſ.* 25. *in fin.*

8. Decreta Matrimonialia Concil. Trid. publicent, & explicent. Idem *ſeſſ.* 24. *cap.* 1.

9. Præmoneant populum de Oratione, Proceſſione, Anniverſariis per hebdomadam, ſeu Exequiis faciendis. Prov. 3.

10. In Quadrageſima quotidie, vel tribus diebus per idoneos, expenſis ſuis, judicio Epiſcopi Conciones procurent. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4.

11. Ne omittantur Conciones eo prætextu, quia in Cathedrali eæ habentur. Prov. 7.

12. Sacramenta miniſtrent. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1.

13. In Baptiſmo non omnes lavantes de fonte admittant, niſi certos. Idem *ſeſſ.* 24. *c.* 2.

14. Liceat Parocho advenas, & peregrinos, quos intra finis ſuæ Parochiæ, vel ad breve tempus morari contigerit, etiam Paſchali tempore confitentes audire, niſi ii de induſtria eo diverterint, ne in propria Parochiali Sacramenta percipiant. Prov. 7.

15. In feſto Aſcenſionis ſignificent Epiſcopo eos, qui in Paſchate non communicarunt, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, *ibid.*

16. Contumaces autem, de mandato tamen Epiſcopi, Dominica 2. poſt Pentecoſten intra Miſſarum ſolemnia interdictos ea de cauſa denuncient, eorumque nomina valvis Eccleſiæ affigant, & intra dies quindecim curent, ut affigantur valvis Eccleſiæ Cathedralis, *ibid.*

17. Nuptias ipſi benedicant. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1.

18. Veſperas in diebus Feſtis recitent, etiam cum altero tantum, alta voce, ſtata hora. Prov. 3.

19. Horas Canonicas in ſollemnioribus Feſtis canant in Eccleſia, ubi id commode fieri poteſt, Epiſcopi judicio. Prov. 4.

20. Diebus Feſtis pueros fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes doceant. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *V. Doctrina Chriſtiana*, *n.* 1. 15

21. Ad Parochum pertinent functiones Sacerdotales in Eccleſiis, quæ ſub laicorum ſunt guberno, non ad Capellanos, neque ad Sacriſtam, nempe benedictiones Cinerum, Candelarum, Ramorum, Fontis Baptiſmalis, delationes Sanctiſſimi Sacramenti, Celebratio Miſſarum in Feria V. Cœnæ Domini, Aſperſiones Domorum, & quæ in Eccleſia fiunt die Dominico, Orationes 40. Horarum, & ſimiles. Congreg. Rit. 18. Maji 1602.

22. Librum Baptizatorum habeant. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2.

23. Item Matrimoniorum. Idem *ibid. cap.* 1.

24. Item librum, in quo omnium, qui in eorum Parochiis ſunt, nomina, ſexum, ætatem, & ſtatum habeant, Prov. 3.

25. Negligentes in conficiendis prædictis libris, & Defunctorum, decem aureorum pœna mulctentur. Prov. 7.

26. Habeant Homiliarum Summam Antoninam, vel aliam, præter libros communes Clericorum. Prov. 4.

27. Ad munera Parochialia compellantur, etiam Curati Regulares. Prov. 3.

28. Neque ſemper poteſt Parochus alterum ſibi ſubſtituere etiam approbatum, ad Confeſſiones ſuorum ſubditorum audiendas, Deciſum refert Campanil. *Rub.* 12. *cap.* 13. *n.* 61.

29. Illi etiam, idest, Regulares, tenentur adeſſe benedictioni Fontis Baptiſmalis in Sabbato Sancto, ſi tenentur alii, Congreg. Epiſc. 12. Decembris 1597.

30. Et debent habere ſocium Regularem in domo Parochiali, eadem 21. Junii 1595.

31. Curati Religionis Hieroſolymitanæ tenentur, & ipſi ad omnes functiones, ad quas Curati alii, ead. 28. Aprilis 1599.

32. Et accedere quoque ad Congregationes Caſuum conſcientiæ. Congreg. Concil. 18. Martii 1598.

33. Monentur præterea Curati omnes, ut deponant nimium affectum erga propinquos. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1.

34. Hoſpitalitatem ament. Idem *ibid. c.* 8.

35. Pauperum, & miſerabilium perſonarum curam paternam gerant. Idem *ſeſſ.* 23.

36. Ne pueros certa mercede pacta alant domi; Clericos autem, & pauperes Parochiæ pueros futuros Clericos, de conſenſu Epiſcopi, poſſunt. Prov. 4.

37. Neque ludum aperiant litterarum extra fines Parochiæ, *ibidem*.

38. Neque Cantoris, Muſicive munus in alia Eccleſia ſuſcipiant, ſine licentia Epiſcopi, *ibid.*

39. Neque aliud munus, quod impedire poſſit reſidentiam. Prov. 5.

40. Si illiterati ſint, poſſunt eis dari Vicarii, vel Coadjutores cum parte fructuum competenti. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 6.

41. Inter Rectorem, & ſocium emolumenta dividantur certa lege, judicio Epiſcopi. Prov. 4.

42. Servitia animarum, & Eccleſiæ non dividantur per hebdomadas, ubi ſunt plures Parochi, ſed omnes ſint, unus, *ibidem*.

43. Qui ſcandaloſe vivunt, poſt monitionem caſtigentur, & incorrigibiles priventur etiam Beneficiis. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 16.

44. Nullum tradant teſtificationis genus e libris Parochialibus deſcriptum ſine licentia Epiſcopi, niſi de natalibus, vel ætate. Prov. 3.

45. Morituro Parocho vicinior Sacramenta miniſtret, & mortui funus obeant univerſi Parochi regionis illius in qua degebat. Prov. 2.

46. Quiſque ex prædictis Miſſam pro eo faciet, & una omnes ad Miſſam pro eo ſolemnem convenient, die ſtatuta a Præfecto, ſeu Vicario foraneo: & hæc omnia gratis, *ibid.*

47. Succeſſor Parochi prædefuncti animam juvet celebrando quotannis Anniverſarium cum Miſſa pro eo. Prov. 6.

*Vide Baptiſmus*, *n.* 2. 10. *Cleri Conventus*, *n.* 2. 15. 18. 19. *Concio ſacra*, *n.* 5. 6. 54. *& ſeqq. Confeſſarius*, *n.* 4. 5. *Confraternitates*, *n.* 12. 38. *& ſeqq. Eucariſtia*, *n.* 4. *& ſeqq. Exequiæ*, *n.* 14. *& ſeqq. Matrimonii celebratio per totum. Miſſa*, *n.* 15. 66. *Monialium cura ſpiritualis*, *n.* 10. 31. *Oratio publica*, *n.* 22. 24. *Oratorium*, *n.* 7. *Ordo*, *n.* 24. *Peſtis*, *n.* 1. 2. 8. *Præcedentia*, *n.* 14. *Quadrageſima*, *n.* 5. *Synodus Diœceſana*, *n.* 12. 15. *Uſura*, *n.* 17.

ADDITIO.

1. Non cenſetur approbatus Parochus per tota Civitate, & Diœceſi. Deciſum referunt *Piaſec. in Praxi Epiſc. par.* 2. *cap.* 4. *n.* 10. *& Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg.* 25. *n.* 8.

2. Parochus Cathedralis Eccleſiæ non poteſt miniſtrare Sacramenta in aliena Parochia. *Congreg. Conc.* 20. *Sept.* 1618.

3. Parochus ſæcularis audiens Confeſſiones tenetur deferre ſuperpelliceum, & ſtolam. *Congr. Epiſc.* 8. *Nov.* 1588.

4. Parochus, ſecluſa Epiſcopi reſervatione, poteſt dare ſimplici Sacerdoti licentiam adminiſtrandi Sacramenta, excepto Pœnitentiæ. *Cong. Epiſc.* 20. *Aug.* 1502.

5. Neque ſine cauſa debet ei Epiſcopus hoc idem prohibere, eadem *ibid.*

6. Non poteſt Epiſcopus cogere Parochum, ut ſubminiſtret neceſſaria Presbyteris volentibus celebrare in Parochiali. *Congreg. Rit.* 1602.

*Patriarcha.*

1. PAtriarchæ ſunt quatuor proprie, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, & hic eorum ordo. Sylv. *V. Patriarcha*.

2. Alii proprie ſunt Primates, ut Aquilejenſis, Gradenſis, & hujuſmodi. Idem *ibid.*

3. Conferunt Metropolitanis ſuis pallium. Idem *ibid.*

4. Faciunt ante ſe ubique Crucem deferri, niſi in Urbe, & ubi eſt Papa, vel Legatus ejus utens inſigniis Papalibus, quæ enumerat Sylv. *ibid.*

5. Crux autem geminum lignum tranſverſarium habet, cujus ſuperius eſt brevius, inferius longius. DD. cit. a Barboſa *de poteſt. Epiſc. tit.* 3. *n.* 25.

6. Prædicta privilegia non competunt aliis minus proprie Patriarchis, ſed quatuor tantum ſupra relatis. DD. apud Barboſam *loc. cit. n.* 37.

*V. Subſidium charit. n.* 1.

7. Non poteſt tamen ſolemniter benedicere, niſi intra Diœceſim, non extra eam. Sylv. *ſupra*.

8. De eorum juriſdictione in Archiepiſcopos. Sylv. *ſup.*

9. Patriarcha habens aliquas Eccleſias immediate ſibi ſubjectas in aliena Diœceſi, non poteſt dare licentiam Pontificalium in iis ſine conſenſu Epiſcopi Diœceſis. Deciſum refert Riccius, *in Praxi fori poſt reſolut.* 495. *in notab. de mat. Epiſcop.*

*Penſio.*

1. NOn poteſt Epiſcopus per reſignationem reſervare alicui penſionem; quia reſignationes in favorem ſunt prohibitæ per Bullam Pii V.

2. Poteſt autem ex cauſa permutationis, ut ea ſit æqualis. Bulla Pii V. *cit. a Leon. in Theſ. Fori p.* 2. *c.* 7. *n.* 27.

3. Poteſt Epiſcopus ex juſta cauſa, puta pro bono pacis, vel ſtudio ſcholaris pauperis, vel in utilitatem Eccleſiæ reſervare Penſionem, & imponere. DD. cum Rot. apud Barb. *alleg.* 69. *n.* 15.

4. Item in collatione Beneficiorum per obitum vacantium & ad Epiſcopi collationem ſpectantium. Leo *ſupra n.* 29.

5. Non tamen ſuper quotidianis diſtributionibus; nec excedat tertiam partem fructuum Beneficii. Idem *ibid. n.* 30.

6. Omnino non excedat medietatem veri valoris Beneficii. Urbanus VIII. 24. Januarii 1624.

7. Ætas ſeptem annorum ſufficit ad Penſionem. Ricc. *in praxi*, *reſ.* 367. *in* 2. *edit.*

8. Obligatur Penſionarius ad Horas parvas B. Virg. Pius V. Anno 1571.

9. Sub pœnis, quas diximus ſupra.

*V. Horæ Canonicæ*, *n.* 29.

10. Si Penſio minor ſit ſexaginta ducatis de Camera, non tenetur ad Habitum Clericalem. Sixtus V. Anno 1589.

11. Penſionarius habetur pro Clerico beneficiato ad effectum Privilegii fori, ſi incedat in habitu. Deciſum refert Garz. *p.* 1. *cap.* 5. *num.* 70.

12. Il-

12. Illegitimi Clericorum filii non poſſunt habere Penſiones ſuper Beneficia, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 15.

13. Oneratus Penſione non debet ſolvere de fructibus Canonicatus gravati fabricæ, ſeu Sacriſtiæ, ſi ea eſt conſuetudo, niſi de fructibus, quos libere percipit, cum fidejuſſione ſolvendi reliquum, cum Penſio ceſſaverit. Prov. 2.

14. Penſio ſolvitur in fine ſemeſtris, non pro rata menſium, quibus vixit Penſionarius. Naldus *Penſio*, *n.* 9.

15. Non tranſit Penſio ad Succeſſorem in Beneficio, niſi a Papa reſervetur. Leo *ſupra n.* 31. & eſt neceſſarius conſenſus ejus, cui Beneficium Epiſcopus confert. Idem *ibid. num.* 36.

16. Extinguitur Penſio per Religioſam Profeſſionem, prout vacant Beneficia. Idem *ibid. n.* 73.

17. Penſio amittitur per contractum Matrimonii. DD. apud Barboſam *alleg.* 57. *n.* 207.

18. Extingui poteſt anticipatis aliquot ſolutionibus ſine auctoritate Papæ. Leo *ubi ſupra n.* 74. negat Moneta, *de diſtributi n.* 52. cum Navarro *cap.* 23. *n.* 111. & Nald. *Penſio*, *num.* 10.

19. Penſiones in Cancellariis Epiſcoporum aſſignatæ, niſi ſint juridicæ, tollantur. Prov. 1.

20. Incapacitas Beneficiorum, ratione homicidii, non extenditur ad Penſiones. Deciſum refert Riccius *in Praxi*, *deciſ.* 524. *n.* 4.

*V. Beneſ. Paroch. proviſio*, *n.* 56. *Pluralitas*, *n.* 14. *Beneſ. permutatio*, *n.* 9. *Concio ſacra*, *n.* 58. *Eccleſia*, *n.* 17. *Filii Clericorum illegitimi*, *n.* 22. *Fori privilegium*, *n.* 15. *Illegitimi*, *n.* 14. *Ordines majores*, *n.* 9. 10. *Seminarium Clericorum*, *n.* 34. *Subſidium charitativum*, *n.* 17.

### *Peregrinationes ſacræ.*

1. NUllus Sacerdos, aut Clericus ſine litteris, & benedictione Epiſcopi, ſe committat itineri, peregrinationis cauſa. Prov. 4.

2. In litteris exprimantur Comites, *ibid.*

3. Nec oſtiatim quæritet, niſi ex voto, vel alia cauſa ab Epiſcopo probata in ſcriptis, *ibid.*

4. Reverſus adeat Epiſcopum, ſeu Vicarium, *ibid.*

5. Laici eadem præſtent cum ſuis Parochis, *ibid.*

### *Perſonæ infames.*

1. ASſignato meretricibus loco in Civitate pro earum incolatu, extra fines illius ne habitent. Prov. 5.

2. Qui domum eis locaverit extra, excommunicatione puniatur, *ibid.*

3. Neque habitent prope Eccleſiam. Prov. 4.

4. Contra caupones, qui eas alunt in cauponis ad turpem quæſtum, agatur pœna interdicti, & aliis gravioribus. Provincial. 5.

5. Amictum aliquem habeant, quo dignoſcantur. Prov. 1.

6. Ne ultra diem commorentur in tabernis publicis, & cauponis, *ibid.*

7. Non eſt eis prohibenda auditio Miſſæ, neque Divinorum Officiorum. Congreg. Epiſc. 23. Julii 1602.

8. Vicelegatus non poteſt ejuſdem concedere larvæ uſum, quibus prohibuit Epiſcopus, eadem 9. Martii 1604.

*V. Benedictio*, *n.* 18. *Juſpatronatus*, *n.* 19. *Monialium Monaſteria*, *n.* 23. *Oblationes*, *n.* 8.

### *Peſtis.*

1. TEmpore peſtis tenetur Parochus miniſtrare Sacramenta ſaluti neceſſaria, vel dare ſuis expenſis, qui miniſtret. Sà *Parochus*.

2. Si Parochus hoc tempore renunciet Beneficium, non debet admitti renunciatio. Rodr. *in ſumm. Caſ. Conſ. par.* 2. *cap.* 37. *n.* 3. *ad ult.*

3. Deficientibus Curatis tenentur Sacerdotes deputati ab Epiſcopo, cui in Ordinatione promiſerunt obedientiam.

4. Epiſcopus tenetur curare Miniſtros Sacramentorum, etiam ſi multum debeat expendere. Bannes 2. 2. *quæſt.* 33. *artic.* 3. *dub.* 4.

5. Poteſt vendere bona Eccleſiæ in hanc cauſam. Idem *ibidem*.

6. Euchariſtia non debet miniſtrari cum inſtrumento. Acta Mediol. Eccl. *de cura peſtil. cap.* 15. *n.* 2.

7. Alii concedunt cum cochleari argenteo. Venerus in *Exam. Epiſc. lib.* 4. *cap.* 46. *n.* 47.

8. Ungi poſſe infirmum cum argentea virga, docet Nald. *Sacramentum n.* 7. *in fine*.

9. Poteſt Epiſcopus cum conſilio ſui Capituli, & Theologorum, & Medicorum diſpenſare, ut omnes tempore peſtis in Quadrageſima comedant carnes, & profuit Panormitanis. *Anno* 1725. Navarr. *conſ. final. de obſervat. jejunii cit. a Venero ſupra n.* 53.

10. Miſſæ celebrari poſſunt extra Eccleſias. Acta Mediol. Eccleſiæ *loco cit. cap.* 13. *n.* 6.

11. Veſtibus uti poterunt Miniſtri brevioribus, *ib. c.* 15. *n.* 4.

12. Plura de cura Peſtilentiæ, *ibid.*

### A D D I T I O.

1. Tenentur Parochi reſidere. Decreto Gregorii XIII. 20. *Decemb.* 1577. *apud Marchinum de bello dict. par.* 3. *c.* 2. *n.* 3.

2. Et tenentur miniſtrare Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ſaltem per alios. Idem *ibid.*

3. Non alia Sacramenta, ſi cum maximo vitæ periculo. *ibid. n.* 4.

4. Tempore magnæ Peſtilentiæ valde ſævientis, ceſſant omnes caſus reſervati, & omnes Sacerdotes, etiam non approbati, poſſunt abſolvere, *ibid. c.* 3. *n.* 3. 4.

5. Immo vero etiam coram approbatis, ſi non approbatus audit prius pœnitentem, *ibid. n.* 13.

6. Quilibet Sacerdos, & eo abſente, Diaconus poteſt miniſtrare Euchariſtiam peſte laborantibus, *ibid. c.* 8. *n.* 4. 5.

7. Nequaquam Clericus, neque laicus, *ibid. n.* 6.

8. Sacerdos, & Diaconus peſte laborantes poſſunt ſe ipſos communicare ſingillatim ſine miniſterio alterius, *ib. c.* 9. *n.* 4. 5.

9. Laicus abſente Sacerdote, tempore peſtis, poteſt abſolvere a Cenſuris, *ibid. c.* 12. *n.* 3. *& ſeqq.*

10. Perſonis Eccleſiaſticis non poteſt Princeps prohibere egreſſum e domo, vel Monaſteria claudere. Deciſum 21. *Januarii* 1631. *refert Marchinus p.* 4. *cap.* 2. *n.* 4. *in fine.*

11. Niſi titulo defenſionis naturalis, ne Eccleſiaſticus infectus peſte inficiat alios. Idem, *ibid. n.* 6

12. Neque poteſt Princeps deſtinare Monaſteria pro Lazaretis, inconſulto Romano Pontifice. Deciſum 21. *Januar.* 1631. *refert ibid. c.* 3. *n.* 31.

13. Niſi periculum eſſet in mora, & Papa diſtaret, *ibid. num.* 41.

14. Tenentur Regulares in penuria Sacerdotum miniſtrare Sacramenta vocati ab Epiſcopo. Idem *p.* 3. *c.* 1. *n.* 10.

15. Facultas exeundi e domo Regularibus datur non ab Epiſcopo, ſed a Nuntio Apoſtolico ſi ibi eſt, *ibid. c.* 3.

16. Cauſa item audiendi Confeſſiones fidelium intra domos eorum, vel ad januas, ſpectat licentiam dare ad Nuntium, *ibid. c.* 4.

17. Poteſt fieri Sacrum, Miſſave de licentia Epiſcopi in viis publicis. Idem *p.* 6. *c.* 1. *n.* 5.

### *Piæ Diſpoſitiones.*

1. EXecutiones omnino Piarum Diſpoſitionum ſunt Epiſcopi. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8.

### *Pœnitentiarius.*

1. IN omnibus Cathedralibus Pœnitentiarius inſtituatur ab Epiſcopo, cum unione Præbendæ proxime vacaturæ. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 8.

2. Præbenda vacatura unienda intelligitur extra menſem Papæ. Deciſum refert Garz. *in addit. ad p.* 5. *cap.* 4. *n.* 127.

3. Portio, quæ fit in Eccleſia, non poteſt erigi in Pœnitentialem Præbendam; ſed Canonicalis eſſe debet. Deciſum 31. *Maji* 1590. *a Cong. Concil.*

4. Poteſt per ſolum Epiſcopum conſtitui, ad quem quoque ſpectat electio perſonæ, quoties opus fuerit, exercentis tale Officium, neque requiritur conſenſus Capituli. Deciſum refert Garz. *part.* 5. *cap.* 4. *n.* 138.

5. Collatio Præbendæ uniendæ ab iis fieri debet, ad quos antea ſpectabat. Deciſum ibidem refertur.

6. Si contingat vacatio in Menſe Apoſtolico, vel alias Præbenda ſit reſervata, vel affecta, electio perſonæ Pœnitentiarii pertinet ad Papam. Deciſum refert Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 9. §. 2. *n.* 84.

7. Abſente Epiſcopo, Capitulum, ad quod Collatio ſpectat, non poteſt ſe intromittere in electione Pœnitentiarii, ſed expectetur electio ab Epiſcopo. Deciſum refert Garz. *ſupra n.* 143.

8. Negligente Epiſcopo, aut Vicario, poſt ſex menſes a die vacationis, electio devolvitur ad Capitulum. Barboſ. *alleg.* 55. *n.* 16.

9. Sede vacante, non poteſt Capitulum eligere, licet collatio ſit communis Capitulo, & Epiſcopo. Deciſum refert Garz. *loco cit. n.* 145.

10. Electio eo caſu ſpectabit ad Papam, etiam ſecluſa reſervatione. Deciſum refert idem *ibid. n.* 150.

11. Pœnitentiarius inſtitutus ante vacationem Præbendæ ei Officio unitæ, non habetur pro Canonico, neque vocem in Capitulo, neque locum habet in Choro. Deciſum refert Garz. *loco cit. n.* 111.

12. Tenetur tamen ita initiatus Officium exercere. Deciſum a Congr. Conc. 1. Martii 1598.

13. Fiat concurſus in collatione Pœnitentiariæ, niſi ſpectet ad Sanctiſſimum. Prov. 5.

14. Sit ille annorum 40. Magiſter, vel Doctor, aut licentiatus in Theol. ſeu jure Canonico. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 8.

15. Defectus ætatis 40. annorum non obſtat, ubi alia

aptior

Digitized by Google

aptior pro loci qualitate non repetitur. Garz. *loc.cit.n.*133.

16. Regulariter autem ætas 40. annorum debet eſſe completa. Idem, *ibid. num.* 35.

17. At ſufficit inchoata. Axor. *p.* 2 *lib.* 6, *c.* 5, *quæſt.* 6.

18. Eſt enim veluti Parochus totius Diœceſis. DD. apud Barb. *alleg.* 55. *num.* 19.

19. Ubi optantur Præbendæ, erecta Pœnitentiali, non poteſt optare Pœnitentiarius; neque ejus optari Præbenda. Deciſum refert Garz. *loc. cit. num.* 132. *&* *ſeqq.*

20. Non poteſt ſibi alium ſubſtituere in audiendis Confeſſionibus. Congr. Epiſc. 2. Octobris 1584.

21. Neque videtur poſſe delegare ſuam poteſtatem, nec generaliter, nec particulariter. DD. apud Barb. *alleg.* 55. *num.* 21. affirmat poſſe Navarr. *cap.* 17. *num.* 45.

22. Non poteſt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis expreſſe, niſi ſpeciatim Epiſcopus dederit illi facultatem. Deciſum refert Garz. *loc. cit. num.* 115.

23. Tenetur integras audire Confeſſiones, non autem ſolos caſus reſervatos. Congr. Conc. 21. Apr. 1587.

24. Debet aſſiſtere certis horis opportunis in loco, & ſede arbitrio Epiſcopi. Deciſum refert Garz. *loc. cit. numero* 118.

25. Adſit diebus Feſtis ſolemnibus, in Quadrageſima, Adventu, Quatuor Temporibus, Paſchate, Aſcenſione, ejuſmodi. Deciſum refert, *ibid. num.* 122.

26. Non debet manu virgam tenere, ſicut in Urbe. Barb. *loc. cit. n.* 28.

27. Si renuat audire Confeſſiones, puniri debet, & cogi. Deciſum refert Garz. *loc. cit. num.* 118.

28. Non tamen poteſt cogi ad majorem reſidentiam, quam alii Canonici, qui per tres menſes abeſſe poſſunt, dummodo non abſit eo tempore, quo pœnitentes frequentius accedunt. Deciſum refert idem, *ibid. n.* 122.

29. Habetur autem pro præſente in Choro, dum audit Confeſſiones, etiam extra ſedem Confeſſionalem. Deciſum referunt DD. apud Barb. *loc. cit. num.* 30.

30. Immo, & cenſetur præſens in Proceſſionibus, dum audit Confeſſiones. Deciſum refert Garz. *loc. cit. n.* 125.

31. Item, & in funeribus. Deciſum refert idem, *ib.*

32. Non cenſetur præſens, dum non audit, licet ſit in ſede Confeſſionali, & recitet Officium privatim. Deciſum referunt DD. apud Barb. *d. num.* 30.

33. Neque quando audit ante horam divinorum Officiorum, & poſtea hoc tempore celebrat Miſſam, aut privatim recitat Horas. Prov. 5.

34. Neque quando audit Confeſſiones extra Eccleſiam, etiam infirmorum. Garz. *loc. cit. n.* 125.

35. Qui tempore Paſchatis confitetur Pœnitentiario, ſatisfacit præcepto. Congr. Conc. 26. *Febr.* 1595.

### *Præcedentia.*

1. Controverſiæ omnes de Præcedentia inter Eccleſiaſticos, Sæculares, & Regulares, in Proceſſionibus, & aliis caſibus componantur ab Epiſcopo, amota omni appellatione. Trid. *ſeſſ.* 15. *cap.* 13. *de Regul.*

2. Inter Fratres, & inter Confratres ii præcedant, qui ſunt in quaſi poſſeſſione Præcedentiæ. Gregor. XIII. Anno 1583.

3. In dubio ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ; & qui Confratres uſi prius ſunt faccis, *ibid.*

4. In futurum qui novas domos alicujus Ordinis Mendicantium erigere volunt, ubi ſunt alii Mendicantes, ii ſunt poſteriores in Proceſſionibus, & publicis actibus, *ibid.*

5. Salvis juribus dictorum Ordinum, quando diverſa ſunt in Proceſſionibus, ſeu Conciliis generalibus, ſeu aliis actibus publicis, aut privatis, *ibid.*

6. Illud obſervetur regulariter, quod Romæ inter Regulares. Congreg. Epiſc. 16. *Aug.* 1519.

7. Conſuetudo prævalet Conſtitutioni Greg. XIII. eadem 8. *Julii* 1618.

8. Præcedentia Regularium intelligitur, quando Monaſterium eſt prius erectum, non ſimplex domus. Congreg. Epiſcop. 8. *Maji* 1584.

9. Canonici Lateranenſes præcedunt Monachos in Proceſſionibus. Pius IV. 23. *Septembr.* 1563. & Congreg. Epiſc. 30. *Maji* 1583.

10. Monachi Fulienſes præcedunt omnes Mendicantes. Cong. Conc. 23. *Junii* 1519. * Decreto impreſſo Romæ.

11. Fratres Prædicatores præcedunt reliquos Mendicantes. Pius V. & Greg. XIII. apud Fuſcum de Viſitat. *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 66.

12. Fratribus Obſervantibus Reformatis etiam ſine familia incedentibus, debetur Præcedentia a Regularibus aliorum Ordinum. Congr. Rit. 10. *Decemb.* 1629.

13. Capucini incedere poſſunt ſub Cruce aliorum S. Franciſci. Greg. XIII. Anno 1583.

14. Generaliter Rector in ſua Eccleſia præcedit alios quoſcumque non ſibi Superiores Ordine Hierarchico, puta Decanum, & Capitulum Collegiatæ, ad eam Eccleſiam accedentes. Rota apud Barb. *alleg.* 78. *num.* 38.

15. Latini Græcos præcedant. Congreg. Epiſc. 17. *Auguſti* 1618.

16. Abbas ſæcularis exemptus habens uſum mitræ, & baculi, præcedit Commendatarius, qui, & inter Abbates ſunt recipiendi ex declarat. Greg. XIII. *apud Genuenſ. in praxi cap.* 49.

17. Abbates præcedunt Canonicos Cathedralis non Collegialiter incedentes, Tambur. *de jure Abb. diſq.* 25. *qu.* 2. *V. Abbas num.* 42.

18. Item Protonotarios non participantes. Cærem. Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 23.

19. Item Vicarium Generalem Epiſcopi, ſi ſæculares ſint, pro conſuetudine tamen Eccleſiarum. Cærem. *loc. cit.* & Tamb. *loc. cit. qu.* 3.

20. Prælati poſt Epiſcopum incedant. Congreg. Rituum 12. Junii 1627.

21. Prælatus Referendarius Canonicus extra Eccleſiam præcedit alios Canonicos, & Dignitates, eadem 6. *Junii*, & 4. *Julii* 1626.

22. Vicarius Generalis debet præcedere Gubernatorem non Prælatum in temporalibus, etiam Epiſcopo præſente, eadem 28. *Apr.* 1607.

23. Item præcedit Abbatem Regularem. Congreg. Epiſc. 31. *Julii* 1525.

24. Vicarius Generalis in Proceſſione cum Capitulo incedere poteſt ante Epiſcopum. Cong. Rit. 12. *Junii* 1627.

25. In accipiendis cineribus, candelis, & palmis attendatur conſuetudo in Vicario, & Canonicis, eadem 15. *Martii* 1608.

26. Item in thurificatione, & aliis, ead. *ibid.*

27. Niſi Canonici ſint parati, ead. 19. *Maji* 1608.

28. Neque præcedit Canonicos paratos, eadem 6. *Martii* 1610.

29. Epiſcopus ſedens in Choro inter Canonicos, extra ſedem Pontificalem, Vicarius ſedeat in loco convenienti. Congreg. Epiſc. 15. *Maji* 1600.

30. Vicarius Capitularis, ſede vacante, ſi Canonicus eſt, ſedebit in loco ſuo poſt antiquiores. Rebuff. pract. ben. in for. Vicariatus, *n.* 27. & deciſum a S. Congr. Rituum, refert Riccius in *Praxi deciſ.* 475. *num.* 5.

31. Protonotarii Apoſtolici non participantes, debent cedere locum Canonicis Collegialiter incedentibus, ead. 23. Martii 1619.

32. Præcedunt autem Canonicos non Collegialiter incedentes, ead. 12. Julii 1628.

33. Ubi non eſt Collegium, ſedere poſſunt in presbyterio in habitu Prælatitio, & in Proceſſione incedere poſt Celebrantem, ead. *ibid.*

34. Debent item cedere locum Officialibus Epiſcopi, ead. 20. Aprilis 1604.

35. Iidem ſedebunt poſt Abbates, ead. 6. Martii 1601.

36. Priori Collegiatæ non competit Præcedentia ſupra Canonicos Cathedralis. Congreg. Rit. 19. Auguſti 1619.

37. Canonicus Collegiatæ in Romana Civitate eſt dignior Canonico Cathedralis alterius Civitatis. Deciſum refert Zerola, *part.* 2. *Vide Canonic.*

38. Inter Canonicos præcedant qui in Ordine Presbyterali Canonicatum Presbyteralem obtinent; deinde, qui Canonicatus Diaconales; poſtremi ſint alii, licet hi promotione ſint antiquiores prædictis, non obſtante conſuetudine. Sacra Rituum Congr. apud Ricc. in *Praxi dec.* 579. *num.* 2.

39. Inter æquales præcedit Canonicus prior in Poſſeſſione, non in Data. Riccius, *ibid. deciſ.* 580. *num.* 4.

*V. Coadjutor, &c. n.* 22. 23. 24. *Confraternitas, n.* 49. *Doctor, num.* 4. *Exequiæ, num.* 16. *& ſeqq. Vicarius foraneus, num.* 5. 6.

### A D D I T I O.

1. Epiſcopus Diœceſanus in ſua Eccleſia, & Diœceſi in conſecrationibus, & actibus Pontificalibus exercendis præferendus eſt aliis Archiepiſcopis, & Epiſcopis etiam anterioribus, excepto Metropolitano ejuſdem, licet alias debeat advenas honorare. *Congr. Rit. Januarii* 1609.

2. Epiſcopus Conſiliarius Regis ſedet eo caſu poſt alios Conſiliarios, vel certe non eos præcedit, ut Epiſcopus. *Ricc. in Praxi reſol.* 203. *num.* 3. *in fine.*

3. Si adſit in regio Senatu, vel Regalibus Cancellariis, alicujus litis propriæ, vel ſuæ Eccleſiæ cauſa, ſedebit inter Senatores ad ſiniſtram Præſidis. *Barb. de jure Eccl. l.* 1. *c.* 1. *num.* 35. *Decimoquinta.*

4. Epiſcopus Canonicus præcedit omnes Canonicos, & Dignitates in omnibus actibus. *Congr. Rit.* 11. *Julii* 1617. 13. *Novembris* 1621.

5. Coadjutores Epiſcoporum ſedent inter Epiſcopos loco ſuæ promotionis, *ead.* 20. *Septemb.* 1596.

6. Vicario præſente in choro, & Epiſcopo abſente ſi primum ſtallum detur Vicario in dextera Altaris, ſedebit in parte ſiniſtra prima Dignitas, ſecunda poſt Vicarium, *ead.* 15. *Septembr.* 1610.

7. Vicarius Capitularis, qui non eſt Canonicus in Capitulo

lo ſedere debet poſt primam Dignitatem, *ead. Septemb.* 1630. *apud Barboſ, Canonic.* 36. *num.* 8.

8. Canonici Cathedralis Eccleſiæ præcedunt Canonicos Collegiatæ, etiam in hac Eccleſia, non obſtante conſuetudine, *ead.* 2. *Octob.* 1597. 10. *Aug.* 1619.

9. Iidem præcedunt Curato in funeralibus, & aliis Proceſſionibus, ſtola induto, *eadem* 25. *Junii* 1611. 30. *Julii* 1616.

10. Non autem, ſi Canonici ſine Cruce, & conſenſu Capituli, uti ſinguli incedant, *ead.* 20. *Novembr.* 1603.

11. Canonici Cathedralis non Doctores in Congregationibus præferuntur Presbyteris Doctoribus, *eadem* 29. *Januarii* 1608.

12. Canonici Cathedralis ſunt in omnibus, & per omnia præferendi Magiſtratui ſeculari, quando non eſt de perpetuis, & majoribus, *ead.* 3. *Octobr.* 1615.

13. Et ideo ante Magiſtratum ſunt thurificandi, tam in Cathedrali, quam in aliis Eccleſiis, *ead.* 19. *Junii* 1605.

14. Referendarius Canonicus extra Eccleſiam præcedit etiam Dignitatibus, *ead.* 4. *Julii* 1626.

15. Canonicus paratus præcedit, etiam Decano, *ead.* 24. *Octobr,* 1609. 26. *Junii* 1610.

16. Canonici parati aſſiſtentes Epiſcopo præcedunt Vicario Generali, *ead.* 6. *Sept.* 1603, 13. *Martii* 1608. 27. *Feb,* 1610, 25. *Sept,* 1621. & *Congr. Epiſc.* 16. *Maji* 1600.

17. Et ſunt thurificandi ante Vicarium, *Congr. Rit.* 3. *Auguſti* 1602. 6. *Martii* 1610.

18, Poſita diſtinctione Præbendarum, in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, qui de novo obtinuerit Presbyteralem, debet præcedere habentes Diaconales, *ead.* 11. *April.* & 11. *Octob,* 1601, 23. *Martii* 1602. 17. *Junii* 1606,

19. Conſuetudo, ut obtineat locum ſecundum tempus admiſſionis, licet Præbendæ ſint diſtinctæ, quando omnes ſunt Presbyteri, & ſerviunt in celebrandis Miſſis, ſervanda eſt, *ead.* 10. *Jan.* 1604. 23. *Maji* 1603,

20. Qui Canonicatum dimiſit, & alium acquirit, ultimo loco ſedere debet, *ead.* 2. *Martii* 1609.

21. Collegiata inſignis ab ejus erectione præcedit aliis Collegiatis antiquioribus, *ead.* 24. *Martii* 1612.

22. Collegiata ſimplex præcedit Parochialibus, *ead.* 20, *Julii* 1602. 23. *Martii* 1619.

23. Etiamſi antequam erigeretur, illis cederet, *ead.* 25. *Februarii* 1606.

24. Canonici Collegiatarum præcedunt alios de Clero & ideo debent thurificari duplici ductu, Clerici Parochialium unico, *ead.* 19. *Januarii* 1613.

25. Iidem præcedunt Parochis in funeralibus, *ead.* 30. *Aug.* 1602. 2. *Aug.* 1603. 18. *Nov.* 1606. 9. *Maji* 1617. 14. *Aug.* 1618.

26. Præcedunt etiam omnibus Parochis in ſynodo, & Proceſſione, *ead.* 11. *Decemb.* 1613. 23. *Mart.* 1619. 4. *Apr.* 1620. *contra Steph. Gratian. Vide Barboſ. de Canon. cap.* 18. *num.* 68. & *de off. Parochi part.* 1. *cap.* 9. *num.* 9.

27. Canonici quicumque præcedunt Regularibus, etiam in eorum Eccleſiis *ead.* 12. *Martii* 1616. 31. *Martii* 1618.

28. Prior Collegiatæ, qui eſt caput Capituli, & Dignitas unica, cui ſolent a Sede Apoſtolica cauſæ committi, præcedit Canonico Cathedralis, *ead,* 20. *Dec,* 1601.

29. In Eccleſia Collegiata exempta, præſente uno Canonico Cathedralis cum Epiſcopo, & Abbate Collegiatæ ejuſdem cum ſuis Canonicis, prius incenſatur Canonicus, quam Abbas, *ead.* 7. *Febr.* 1604.

30. Prior abſque cura animarum Eccleſiæ Parochialis præcedit alios Beneficiatus antiquiores ejuſdem Eccleſiæ, tam intra, quam extra Eccleſiam, *ead,* 5. *Julii* 1631.

31. Inter plures Parochos, ſive Regulares, ſive ſæculares, attenditur prærogativa Eccleſiarum, non Regulæ, *eadem* 21. *Martii* 1609.

32. Inter Parochum a quo, & Parochum ad quem Defunctus effertur, præcedentia debetur Parocho ad quem, *ita Romæ fit, teſte Barb. de off. Parochi, cap.* 9. *num.* 13.

33. Cœleſtini præcedunt Olivetanis, *Rot, Rom.* 21. *Junii* 1625. *coram Burato dec.* 877.

34. Carmelitani in omni loco præcedere debent Fratribus de Mercede, *Congr. Rit,* 21. *Aug* 1604.

35. Capucini debent cedere iis Regularibus, qui ſub propria Cruce, & in proprio loco incedebant, antequam ipſi propriam Crucem deferrent, *ead.* 23. *Martii* 1619.

36. Mendicantes ubique cedunt Monachis, ead, *ibid.*

37. In materia præcedentiarum plurimum defertur conſuetudini. Rota apud Seraphinum *deciſ. ejuſdem* 964. etiamſi jus reſiſtat,

## *Proceſſio*,

1. POteſt Epiſcopus cum conſenſu Capituli conſtituere, & edicere quo, & qua proceſſiones dirigi, & ad quas Eccleſias perduci debeant. Deciſum refert Fr, Leo *in Theſaur. p.* .. *cap.* 2 *num.* 145.

2. Vicarius Generalis eandem habet facultatem in decernendis Proceſſionibus. Deciſum refert Barb, *alleg.* 78. *n.* 5.

3. Stati dies pro gratiarum actione de Beneficio accepto ſint, Dominica dies, & Feria 5. Prov. 4.

4. Pro calamitatibus, Feria 5. 6. & Sabbathum, *ibid.*

5. Fiant ſemper mane, ſi Epiſcopo videbitur. Prov. 7.

6. Ad publicas Proceſſiones etiam pro bono publico, & honore, poſſunt compelli Canonici, & alii Beneficiati, vel Officia Eccleſiaſtica obtinentes. Deciſum a Congreg. Conc. 17. Julii 1597.

7. Exempti omnes, tam Clerici ſæculares, quam Regulares, & Monachi quicumque ad publicas Proceſſiones vocati, accedere compellantur. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 13.

8. Iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt, idem *ibid.*

9. Et iis qui fere ultra medium miliare a civitate abſunt. Congr. Conc. 5. Maji 1592.

10. Et iis item, qui ſunt nullius Diœceſis, vel nullum Officium, ſeu Beneficium in Civitate, aut Diœceſi obtinent. Deciſum refert Barb. *loc. cit. num.* 23.

11. Monachi Caſſinenſes non tenentur ire ad Proceſſiones, niſi juxta ſolitum. Congr. Rit. 10. Junii 1602. & 30. Julii 1616.

12. Fratres Joannis Dei non tenentur ire ad Proceſſiones. Greg. XV. Anno 1591. in Bullario.

13. Confraternitates laicorum non tenentur ire, quas tamen Epiſcopus vocare poteſt. Deciſum ſæpius referente Quaranta. *V. Præcedentia in fine.*

14. Sacerdotes inſervientes Religionis Hieroſolymitanæ vocari debent, & compelli ad Proceſſiones. Deciſum refert Barb. *alleg.* 78. *num.* 11.

15. Nomine Proceſſionum generalium comprehenduntur Rogationes. Congr. Epiſc. 12. Martii 1601.

16. Generales Proceſſiones a Cathedrali incipiant, vel a majore loci Eccleſia, & eodem redeant, niſi aliud Epiſcopo videatur. Prov. 1.

17. Decernat Epiſcopus, qui e Clero pluvialia induant. Prov. 4.

18. Cruces ferant Clerici talari veſte induti cum duobus luminibus. Prov. 5.

19. Canonici Lateranenſes ferant Crucem cum velo, ſeu panno appenſo. Congreg. Rit. 14. Januarii 1617. Salva contraria conſuetudine.

20. Capucini ferre poſſunt Crucem propriam. Paulus V. Anno 1617.

21. Campanæ pulſentur dum exit, & redit Clerus Prov. 4.

22. Item in iis Eccleſiis, per quas tranſitur, *ibid.*

23. Muſica inſtrumenta ne permittantur, *ibid.*

24. Preces in Eccleſia, ad quam itur, fiant a Clero majori loci, niſi aliud ferat conſuetudo, *ibid.*

25. Item Miſſa ab eodem, ſi fiat ſolemnis, *ibid.*

26. Non accedentes etiam Regulares, poteſt punire Epiſcopus Cenſuris, & pœnis arbitrariis. Deciſum refert Barb. ſupra num. 25.

27. Qui non venerit ante invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, ſi Litaniæ cantantur, habeatur pro abſente. Prov. 1.

28. In iis, quæ fiunt majorum juſſu intra Eccleſiam, Canonicis, & aliis de Choro, ex communi cenſu reſidentiæ tantum detur, quantum dari ſolet iis, qui interſunt Horæ Tertiæ: ſi longior ſit Proceſſio, triplum detur. Prov. 4.

29. Alii Clerici pœnis mulctentur, *ibid.*

30. Si Eleemoſynæ idcirco ſint diſtribuendæ, fiat diſtributio, peracla tota Proceſſione, *ibid.*

31. Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti conceditur omnibus in quacumque die infra Octavam ejuſdem. Greg. XIII. Anno 1573.

32. In Proceſſione, quæ fit in Feſto Corporis Chriſti, Euchariſtia non deferatur humeris. Cong. Rit. 2. Junii 1618.

33. Deferatur a Celebrante, & in Veſperis diei Octavæ (ſi fit) ab eo, qui cantavit Veſperas, modo ſaltem ſit Canonicus in Collegiatis, eadem 12. Junii 1627.

34. Si Epiſcopus eo die non deferat Euchariſtiam, Canonici tamen induant Sacras veſtes, eadem 17. Martii 1628.

35. Non deferantur eo caſu Sanctorum Reliquiæ. Provinc. 4.

36. Tabernaculum geſtatorium habeat lunulam ſaltem argenteam auro litam, cum ſcuto ſuppoſito ejuſmodi operis, ut fragmenta Hoſtiæ colligi queant, *ibid.*

37. Umbella pretioſior adhibeatur, *ibid.*

38. Cerei in manibus Cleri ſint uniformes, *ibid.*

39. Priores Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti eant a latere umbellæ poſt Canonicos, non ante. Congr. Rit. 30. Jan. 1616.

40. Mares a Fœminis ſeparentur in Proceſſione. Prov. 1.

41. Non e feneſtris inſpiciant laici. Prov. 4.

42. Non exhibeantur ſpectacula in viis. Prov. 1.

43. Eſculenta, ac poculenta vendendi, aut deferendi tollatur abuſus, *ibid.*

44. Indulgentiæ, ſi quæ ſunt, prænuncientur a Parochis. Prov. 4.

45. In Proceſſionibus Regularium, ne ingrediantur eo caſu in Eccleſias Monialium ſibi ſubjectarum. Cong. Epiſc. 24. Novembr. 1617.

46. In

Digitized by Google

46. In eorumdem Eccleſiis habentibus clauſtra, fiant Proceſſiones intra clauſtra tantum. Cong. Rit. 26. Februar. 1628.

47. Si non habent clauſtra, fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Eccleſiæ portam, ſive per eamdem, eadem, *ibid.*

48. Extra ambitum Eccleſiæ non licet Regularibus facere proceſſiones, niſi de licentia, conſenſuve Parochi; ſalvis privilegiis, ſi quæ ſunt, eadem, *ibid.*

49. Proceſſiones Confraternitatum non debent extendi per vias, ſed circa muros Regularium, qui eas regunt. Congr. Rit. *ibid.* & Congr. Epiſc. 6. Auguſti 1591.

50. Sacrarum Imaginum Vexilla, ne Laicus ferat, ſi Clerus adſit, & poſſit ferre. Prov. 4.

51. Nulla ſimulacra B. V. Sanctorumve deferantur, ſed Imagines tantum ſerico panno depictæ, textilive opere elaboratæ, non obſtante inveterata conſuetudine. Prov. 7.

52. Liceat tamen Epiſcopo, certo loco, & tempore, & certis perſonis eam facultatem dare, ut Imagines, quæ apud populum peculiarem habent venerationem, circumferri poſſint, *ibid.*

*V. Confraternitates, num.* 24. 47. 48.

*Hebdomada major, num.* 5. 14.

*Regularium jura ſub Epiſcopis, num.* 37. 39.

## ADDITIO.

1. In proceſſionibus edicendis debet Epiſcopus ipſe petere conſilium, non conſenſum a Capitulo. Congr. Rit. 29. *Martii* 1628.

2. Abſente Epiſcopo, ſpectat ad Vicarium Generalem edicere, & dirigere proceſſiones cum conſilio Capituli. *Cong. Rit.* 28. *Septembr.* 1604.

3. Non obſtante, quod Capitulum, vel alii ſint in quaſi poſſeſſione contraria per longum tempus. *Congr. Conc.* 16. *Febr.* 1619.

4. Nec obſtante etiam immemorabili conſuetudine. *Cong. Rit.* 24. *Apr.* 1619.

5. Prima Dignitas habet munus ordinandi proceſſiones intra, & extra Civitatem, abſente Epiſcopo, & Vicario, *eadem* 10. *Jan.* 1597.

6. Presbyteri, & Clerici Cathedralis omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, & ſub una Cruce debent incedere, *eadem* 28. *Nov.* 1609.

7. Canonici in proceſſione intra Eccleſiam capite detecto, extra cum bireto in capite incedunt, *ead.* 30. *Martii* 1633.

8. Canonici Collegiatæ non debent incedere parati, ſicut Canonici Cathedralis, *eadem* 19. *Martii* 1607.

9. Teatini, Clerici Regulares S. Pauli vulgo Barnabitæ, Jeſuitæ, Pauperes Matris Dei Scholarum piarum non tenentur ire ad proceſſiones. Barb. *de jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 170. 171. 172.

10. Regulares quantumvis exempti, tenentur accedere ad proceſſiones omnes publicas, & conſuetas, aut indictas pro bono publico, & honore. Deciſum refert Barboſ. *ibidem num.* 158.

11. Fratres B. Jo: Dei tenentur accedere. *Cong. Concil.* 4. *Julii* 1615. *apud eumdem Barb. ibid. num.* 160. *Corrige, quæ diximus in Manuali in hoc titulo, num.* 12.

12. Debent omnes accedere in numero decenti, debito, & conſueto. *Congr. Rituum* 30. *Auguſti* 1602.

13. Pœnæ, & cenſuræ imponendæ ſunt Regularibus in particulari pro proceſſionibus, non in Decretis, & ſi deliquerint, non ab Epiſcopo, ſed a Sac. Congr. Epiſc. debent puniri, *ead. Congr. Epiſcop.* 20. *Maji* 1616.

14. Fratribus Dominicanis conceſſa eſt proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti in Dominica infra octavam Corporis Chriſti per vias ſolitas tantum, per quas inceperunt facere hujuſmodi proceſſionem. *Congr. Rit.* 24. *Novembris* 1615. 10. *Julii* 1629.

### *Protonotarii.*

1. PRotonotarii participantes ſunt exempti a juriſdictione Ordinariorum in omnibus, niſi in fragranti crimine deprehendantur. Sixtus V. Anno 1585.

2. Extra Curiam in Miſſa ſolemni poſſunt uti Mitra, & aliis quibuſcumque Pontificalibus inſigniis, etiam in Cathedralibus Eccleſiis de illorum Præſulum conſenſu, ſi præſentes ſunt, ſi abſentes, abſque eorum conſenſu, & eis irrequiſitis. Idem, *ibid.*

3. Item poſſunt facere ſibi celebrare Miſſam in loco convenienti, etiam non ſacro, & tempore cujuſvis Interdicti; cui intereſſe quoque poſſunt familiares eorum. Idem, *ibid.*

4. Si poſt decennium reſignaverint Officium Protonotariatus, adhuc per quinquennium gaudent prædictis privilegiis extra Urbem. Idem, *ibid.*

5. Nam in Urbe Rocbetto tunc non utuntur, ut prius, neque locum habent, ut antea. Idem, *ibid.*

6. Præcedunt adhuc quoſcumque Prælatos, exceptis Auditoribus Rotæ, & Clericis Cam. Apoſtol. Idem, *ibid.*

7. Sufficit, quod per triennium fuerint de Collegio Protonotariorum, ut gaudeant prædictis Privilegiis. Urbanus VIII. Anno 1629.

8. Poſſunt deferre pileum nigrum cum cordulis violaceis circumornatum, & etiam ſerico violaceo ſuffultum cum floccis, & ornamentis ejuſdem coloris. Congreg. Rituum 17. Febr. 1607.

9. Præcedunt, & ſedent poſt Epiſcopum ſupra Canonicos tam Patriarchalium in Urbe, quam Cathedralium extra Urbem, Cong. Rituum 4. Maji 1613.

10. Protonotarii Apoſtolici non participantes ſub Ordinariis ſunt tamquam delegatis Sedis Apoſtolicæ. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11.

11. Qui ex privilegio violaceis utuntur veſtibus, ſi Canonici ſunt, poſſunt deferre intimam veſtem violaceam ſub cotta, & almutia. Congreg. Rituum 14. Januarii 1612. & 11. Decemb. 1627.

12. Qui deferunt Rocchettum ſub cotta tanquam Protonotarii, & Canonici ſimul, non lucrantur diſtributiones, eadem 12. Decemb. 1626.

13. Non poſſunt uti habitu Prælatitio in Choro, ſi Canonici ſint, vel Dignitates; alias amittunt diſtributiones, eadem 17. Junii 1623.

14. In proceſſionibus, ſi non ſunt Canonici, poſſunt incedere cum mantelletto, & Rocchetto, eadem 19. Julii 1626.

13. Non poſſunt benedicere paramenta, eadem 17. Julii 1627.

16. Non poſſunt in Miſſa geſtare Annulum, eadem 11. Febr. 1623.

17. Neque debent ſumere paramenta de Altari, eadem 6. Martii 1610.

18. De loco, & ſede eorumdem.

*V. Præcedentia, num.* 18. 31.

*V. Judex Synodalis, num.* 8.

## ADDITIO.

1. Protonotarius de non participantibus poteſt uti mantelletto coloris violacei. Congr. Rit. 18. Julii 1626.

2. Neque poteſt prohiberi in Eccleſiis, & functionibus Eccleſiaſticis, ead. 28. Sept. 1530. & 5. Julii 1631.

3. Poteſt apponere pileum ſuper inſignibus. Deciſum refert 21. Aug. 1601. Barboſ. de jure Eccl. l. 1. c. 23. n. 29.

4. In civilibus eſt exemptus a juriſdictione Ordinarii quoad cauſas excedentes ſummam 25. Ducatorum ex Bulla 8. Leonis X. Deciſum refert. 14. Decembris 1630. *ibid. num.* 35.

5. Et licet ſervitio alicujus Eccleſiæ non ſit adſcriptus, incedens in habitu Clericali gaudet privilegio Fori, tam in civilibus, quam in criminalibus. Deciſum refert idem, *ibid. num.* 36.

6. Poteſt in Miſſa geſtare annulum, ſed ſine gemma. Congr. Rit. 21. Aug. 1601.

7. Protonotarius, qui ſit prima Dignitas, poteſt deferre in Choro Rocchettum cum mantelletto, eadem, *ibid.*

8. Poteſt eſſe Conſervator. Deciſum refert, Barb. loc. cit. c. 23. n. 28.

### *Punctatores.*

1. QUatuor ſunt; duo, quorum alter a Capitulo, alter ab Epiſcopo, notent abſentiam, & errata Canonicorum: tertius Manſionariorum: quartus, qui peccans contra Epiſcopi leges notet. Prov. 1.

2. Epiſcopus eligere poteſt, quem voluerit, idoneum Clericum, *ibid.*

3. Et poteſt cogere quoſcumque ad hoc munus, *ibid.*

4. Jurent initio Officii, & in Synodo Diœceſana, lectis prius Tabellis, ac eorum ſtatutis. Prov. 4.

5. Trimeſtre ſit eorum Officium, niſi prorogetur, *ibid.*

6. Singulis diebus ſi opus eſt, poſt Officium divinum errata ſingula exponantur a Punctatore, ut Præfectus dijudicet, niſi aliud Epiſcopo videatur circa hunc morem, *ibid.*

7. Singulis Hebdomadis duo primi conferant inter ſe quæ notarint, & concordent. Prov. 1.

8. Si diſcordent, Epiſcopus, aut Vicarius ſine forma judicii componat, *ibid.*

9. In fine anni fiat computatio coram Deputatis a Capitulo. Prov. 3.

10. Si aliquem injuria notarint, vel notandum prætermiſerint, ſatisfaciant de ſuo, & integras unius hebdomadæ amittant diſtributiones. Prov. 1.

11. Cuſtodiantur libri punctationum, & ſingulis menſibus Epiſcopo, & Capitulo, ſi videbitur, exhibeantur, *ibidem.*

## ADDITIO.

1. Poteſt Epiſcopus cogere Canonicos ad juramentum de Punctando fideliter in Choro. Congreg. Conc. 17. Martii 1619. apud Barb. de Canon.

### *Quadrageſima.*

1. IN Dominica Quinquageſimæ publicetur Decretum ſequens.

2. Qui poſt mediam noctem, quæ diem Quadrageſimæ præcedit, ſi cibis veſcitur prohibitis, aut perſonatus incedit, puniatur, arbitrio Epiſcopi, pœna Interdicti. Pr. 7.

3. Signum autem mediæ noctis exactæ Majori Campana detur, *ibid.*

4. In prima Dominica Quadrageſimæ publicentur excommunicationes omnes a Sacris Canonibus impoſitæ, & in Bulla Cœnæ præſertim, & quæ Epiſcopo ſunt reſervatæ, ſummatim. Prov. 3.

5. Parochi initio Quadrageſimæ convocent populos, & agant, ut concilientur diffidentes, concubinarii revocentur, aberrantes reducantur. Prov. 5.

6. Excitentur populi ad ſeveriorem morum diſciplinam in veſtibus, colloquiis, operibus pœnalibus, ſeparatione thori, venationibus, deliciis, & conviviis, *ibid.*

7. Dent ſe orationi, eleemoſynis, frequentiori Sacramentorum uſui, octavo quoque die, *ibid.*

8. Mane a forenſibus judiciis abſtineant. Prov. 4.

9. Concionis tempore officinæ ne pateant. Prov. 5.

10. Qui cibis vetitis veſcuntur, ne publice comedant, etiam a ſuis ſeparatim. Prov. 2.

11. Ne cibi vetiti venales proponantur, ſed certis tantum conſtitutis locis. Prov. 5.

12. Neque tabernarum valvis omnino patentibus, neque in foro, neque in via publica, *ibid.*

13. Neque niſi ab iis, qui vendendi facultatem habent, & in ſcriptis ab Epiſcopo, *ibid.*

14. Neque omnis carnis genus, niſi quod eſt uſui ægrotis, *ibid.*

15. Neque omnibus, niſi ſcripto emendi facultatem habentibus, quæ facultas ceſſet, cauſa ceſſante, *ibid.*

16. Facultas detur per dies decem, & iterum, & deinceps, *ibid.*

17. Cauponæ, Tabernarii ne dent cibos vetitos, niſi nominatos in licentia ſcripta, neque viatoribus quibuſcumque, *ibid.*

18. Neque patiantur aliunde coctos aſportari, *ibid.*

19. Pœnæ infligantur graviſſimæ violatoribus, *ibid.*

*V. Benedictio, num.* 14. *Excommunicatio, num.* 34. *Peſtis, num.* 9.

### *Quæſtores.*

1. QUæſtores ii ſunt, qui quæſtum ſibi referunt. Bald. apud Barb. *alleg.* 109. *num.* 6.

2. Regulares quæſtuantes extra loca, ubi habent Monaſteria, tenentur oſtendere Epiſcopo loci licentiam ſuorum Superiorum. Deciſum refert Barb. *num.* 8.

3. Laici non poſſunt quærere eleemoſynas pro aliqua cauſa, niſi cognita per Epiſcopum. Barboſ. *ibid. num.* 9.

4. Omnes Indulgentiæ quæſtuariæ revocatæ ſunt a Pio V, refert Barb. *num.* 12.

5. Pravi eleemoſynarum quæſtorum abuſus tollantur, & quæſtores excludantur. Trid. *ſeſs.* 21, *cap.* 9.

6. Et præſertim pro conſecutione Indulgentiarum. Idem *ſeſs.* 25. *Decr. de Indulg.*

7. Poteſt Epiſcopus eos licet exemptos incarcerare, excommunicare, & caſtigare. Barboſ. *loco cit. n.* 3.

8. Sedes Apoſtolica ſolet concedere cum his conditionibus:

Ne dicantur quæſtores, ſed collectores eleemoſynarum.

Ne publicent Indulgentias.

Ne concionentur. *V. Concio Sacra, num.* 14.

Ne circumferant privilegia, aut Reliquias.

Ne pulſent Campanulam, excepto Ordine S. Antonii Vien. aliave inſtrumenta.

Ne petant eleemoſynam tanquam debitam, aut ſolitam.

Nec ulla arte, prætextuve dicendæ orationes.

Ne utantur minis, nec imprecationibus,

Ne faciant ullam conventionem ſuper eleemoſynis, etiam pio loco utilem pro quo petunt. Zerol. *in Praxi part.* 1. *V. Quæſtores,*

Hæc eadem præſcribit Gregorius XIII. Ordini S. Antonii Viennenſ. Diœceſis Anno 1582. cui etiam prohibet benedictiones animalium in ſtabulis, & annis ſingulis peti jubet ab Ordinariis licentiam.

*V. Locorum piorum cura, num.* 12. *& ſeq. Regularium jura ſub Epiſcopis, num.* 48. 49.

### *Quarta Epiſcopalis, & funeralium.*

1. DE omnibus legatis, & relictis Eccleſiis exiſtentibus in Diœceſi competit quarta pars Epiſcopo, Sylv. *V. Canonica portio,* §. 4.

2. Et hanc non ſolvit hæres, ſed Eccleſia, cui legatum fuit, Covarruv. in *cap. Officii Teſtam. num.* 1. *circa ult.*

3. Non habet locum in funeribus ex charitate piorum locorum. Congr. Epiſc. 20. Nov. 1588.

4. Neque in legatis, eadem 17. Sept. 1585.

5. Præſertim in legato maritandi puellas, eadem 14. Sept. 1592.

6. Neque, quando relinquitur pauperibus in genere. Barb. *alleg.* 86. *num.* 11.

7. Neque in relictis pro ornamentis, cereis, fabrica Eccleſiæ, choro, pictura, calice, anniverſariis. Idem, *ib. n.* 13.

8. Neque quando legatur, ut omni anno fiat ſolemnitas alicujus Sancti, vel conſtituatur Præbenda, Altare, ac Pulpitum, &c. Idem, *num.* 25.

9. Neque quando quis donat Eccleſiæ in vita donatione inter vivos. Idem, *num.* 26. & Sylv. *loc. cit.*

10. In his, & aliis ſtandum eſt conſuetudini locorum. Covarr. *loc. cit.*

11. Quæ ſolita eſt perſolvi ante 40. annos, ac poſtea fuerit aliquibus conceſſa, eadem integre perſolvatur. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 13.

12. Non comprehendit Monaſteria ædificata a 40. annis citra, aut quæ in dies ædificantur, præſuppoſito quod fiat ejus Religionis, cui Sedes Apoſtolica indultum ſit, ut non teneatur eam ſolvere Epiſcopo. Deciſum refert Joann. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 5. *concluſ.* 2. *in fin.*

13. Quarta certorum Confraternitatum funera aſſociantium debetur Parocho, Congr. Epiſc. 15. Martii *1616.*

14. Quarta funeralium debetur Rectori, non Regularibus, etiamſi Rectoria ſit Sæcularis in Eccleſia Regulari, eadem 3. Julii 1615.

15. Non tenentur Clerici Regulares ad ſolvendum Epiſcopo quartam funeralium. Rot. 15. Januarii 1618. coram Decano. Nald. *V. Sepultura, num.* 14.

### A D D I T I O.

1. Stante conſuetudine in Civitate, quod jus ſepeliendi peregrinos, & viatores ſpectet ad Cathedralem; quarta funeralis non debetur Parocho, intra cujus limites viator retentus pro delicto, & habilitatus cum cautione decedit. *Cong. Conc.* 22. *Januar.* 1628.

2. An Confraternitates debeant ſolvere Epiſcopo quartam Canonicam, DD. affirmant, ſed verius negant, ſi meræ ſunt laicales, aut ex mera devotione auctoritate Epiſcopi inſtitutæ. Barb. *de jure Eccl. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 18.

3. Quarta funeralis Epiſcopi non poteſt locari. *Congr. Epiſc.* 14. *Decemb.* 1592.

4. Parocho debetur, ſeu etiam Sacerdoti animarum curam exercenti. DD. cum Barboſ. *loco cit. c.* 24. *num.* 19. 21.

5. Illius nimirum Eccleſiæ, in qua Parochianus ſolet recipere Sacramenta, caſu quo alibi audiret divina, *ib. n.* 24.

6. In caſu dubio: An debeatur Epiſcopo, vel Parocho, præfertur Parochus ex cauſa oneroſa, Epiſcopus ex cauſa lucrativa, *ibid, num.* 25.

7. Etiamſi Parochianus moriatur ob bellum, peſtem in villa, dummodo in Parochia domicilium habeat, *ibid. num.* 27.

8. Etiam, quando ægrotus mutat Parochiam, *ib. n.* 17.

9. Vel ægrotus cum bonis ſuis ad Religionem ſe transfert, pendente anno probationis, ſi in eo moriatur, *ibid. num.* 18.

10. Si poſtridie, quam ſepultum eſt cadaver, cum cereis &c. ſolemnis Miſſa cum majori quantitate cererum, de his quoque quarta debetur Parocho. *Congr. Epiſc. auditis partibus* 3. *Aug.* 1621.

11. De candelis, quas fratres, & alii presbyteri in funeribus geſtare ſolent in manibus, non datur quarta Parocho, ſed ſunt geſtantium. DD. apud Barb. *loc. cit. n.* 39. *& in ſeq.* plura habes de hac materia.

### *Referendorii.*

*Vide Exempti, num.* 5. *Functiones Epiſcopales, num.* 24. *Præcedentia, num.* 21.

### A D D I T I O.

1. Poſſunt celebrare, & facere celebrare circa auroram, & in locis interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſitis. *Sixtus V.* 10. *Kalend. Octob.* 1587. §. 11.

2. Cedunt locum Auditori confidentiarum. *Congr. Rit.* 6. *Decemb.* 1621.

### *Regularium virorum Monaſteria.*

1. NON poſſunt erigi nova Monaſteria, niſi vocatis aliorum Monaſteriorum Prioribus, & cognita cauſa, an ſine aliorum damno ea erigi poſſint. Greg. XV. Anno 1621. * Urb. VIII. Anno 1625. *

2. Vocatis etiam Prioribus Conventuum per quatuor milliaria diſtantium. Greg. XV, *ibid.*

3. Non

3. Nec niſi poſſint habitare, & ſuſtentari duodecim, idem *loc. cit.*

4. Vel conſtiterit Ordinario, totidem ibi ſuſtentari poſſe, Greg. XV. *ibid.*

5. Si nulli ſint ibi Regulares; accedat conſenſus incolarum loci, idem *ibid.*

6. Si detur appellatio, nihil interea innovetur, idem *ibid.*

7. Revocatæ ſunt licentiæ omnes pro fundandis locis Regularium. Urban. VIII. Anno 1624.

8. Et qui prætextu licentiarum revocatarum ſine licentia Ordinarii, & non ſervata forma Gregor. XV. prædicta fundarit, pœnam incurrit privationis vocis, Officiorum, inhabilitatis, & ipſo facto excommunicationis, idem *ibid.*

9. Non poſſunt ædificari Eccleſiæ Regularium in loco non exempto, ſine conſenſu Ordinarii loci. Barb. *alleg.* 26. *n.* 3.

10. Monaſterium, in quo nondum poſitus eſt Religioſorum Conventus, ſed ſolum nonnulli Religioſi deputati fabricæ, non eſt obligatum Clauſuræ. Deciſum referunt DD. *loco cit. num.* 15.

11. Item videtur dici poſſe de iis domibus, in quibus non vivitur in forma Conventus, nec ibi eſt Eccleſia cum Euchariſtia, niſi alias ſubjectæ fuerint Clauſuræ. Bonac. *loc. cit. num.* 5.

12. Si de Clauſtrorum finibus eſt dubitatio, per loci Ordinarium, & Superiores Regularium explicetur. Prov. 4.

13. Sacriſtia comprehenditur ſub clauſura. Congreg. Epiſcop. 18. Aprilis 1605. refertur etiam a Coroliano *de caſibus reſerv. part.* 2. *caſ.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 31. Negat Bonac. quando immediate ab Eccleſia in Sacriſtiam itur, *de clauſ. quæſt.* 5. *punct.* 1. *n.* 4. affirmat Sanchez *in op. mor. l.* 6. *cap.* 17. *num.* 7.

14. Horti, viridaria, vineæ, quæ Monaſteriis Regularium continentur ſunt adjuncta, ut ad ea a Monaſteriis aditus ſit, nulla via locove publico interjecto, Clauſtrorum finibus comprehenduntur.

15. Infirmariæ, ſeu domus deputatæ ad recipiendos infirmos, vel Religioſos, ut hoſpites, non obſtringuntur Clauſura. Deciſum refert Sanchez *loc. cit. n.* 19. & Sorbus.

*Ingredi*, *n.* 11.

16. Non poſſunt ingredi mulieres, niſi ad ea clauſtra, in quibus Miſſa, Officia, & Proceſſiones fieri ſolent. Pius V. Ann. 1566.

17. Sub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, idem *ibidem*.

18. Et Regularibus admittentibus fœminas, imponitur pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto, privationis Officiorum, inhabilitatiſque ad illa, idem *ibid.*

19. Quotannis ſemel hoc Decretum, & ſæpius arbitrio Epiſcopi publicetur. Prov. 3.

*V. Immunitas Eccleſiaſt. n.* 6.

*Regularium jura ſub Epiſcopis.*

1. ANte Profeſſionem nulla renunciatio valet, niſi cum licentia Epiſcopi, ſeu Vicarii. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regular.*

2. Poteſt Epiſcopus declarare nullam eſſe Profeſſionem factam ante annum ætatis 16. Deciſum referunt DD. apud Barboſ. *alleg.* 101. *n.* 1.

3. Et judicare de nullitate Profeſſionis ob alias cauſas, intra quinquennium a Profeſſione emiſſa, una cum Superiore Profeſſi. Trid. *loc. cit. cap.* 19.

4. Hoc eſt coram Epiſcopo loci, & Superiore Monaſterii, in quo facta eſt Profeſſio, dudecendæ ſunt cauſæ nullitatis. Deciſum refert Barb. *alleg.* 104. *n.* 12.

5. Superior non poteſt ſolus ſine Ordinario ejicere Profeſſum, ob nullitatem Profeſſionis. Deciſum anno 1618. refert Ric. *in praxi reſol.* 20.

6. Poteſt Epiſcopus compellere per Cenſuras, ut reſtituantur Novitio diſcedenti omnia, quæ attulerat. Trident. *loco cit. c.* 16.

7. Epiſcopis ſubduntur ii, qui neque Capitulis Generalibus, neque congregantur ad præſcriptum Conc. Trid. neque a Metropolitano convocantur, neque habent Ordinarios Viſitatores. Vide *loc. cit. cap.* 8.

8. Ubi non habitant duodecim in domibus fundatis poſt Decretum Urb. VIII. ii ſubduntur omnimodæ Juriſdictioni Epiſc. Urb. VIII. Anno 1625.*

9. Et valet hoc Decretum etiam extra Italiam, idem Anno 1626.*

10. Subduntur & ii, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, in iis, quæ ad eamdem curam pertinent. Trident. *loco cit. cap.* 1.

11. Neque ibi deputari poſſunt Curati etiam amovibiles, niſi de conſenſu Epiſcopi, & prævio examine, idem *ibidem*.

12. Exceptis Monaſteriis, in quibus habitant Capita Ordinum, vel Generales, vel Abbates, aut alii habentes Juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parocho, & Parochianos, idem *ibid.*

13. Subduntur item Epiſcopis loca, & perſonæ Militiæ S. Jo. Hieroſolymis in iis tantum, quæ concernunt curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem. Gregor. XIII. Anno 1584.

14. At reſpectu dictorum Militum Viſitationes, & Conſecrationes, & Benedictiones fiant gratis ab Epiſcopis abſque impenſa, & onere. Pius V. anno 1571.

15. In Sacramentorum qualibet adminiſtratione omnimode ſubjiciuntur Epiſcopis, uti delegatis Sedis Apoſtol. Gregor. XV. Anno 1622.*

16. Non tamen poſſunt præſcribere Regularibus, ut certis tantum in locis, temporibus, & perſonis miniſtrent Sacramentum Pœnitentiæ, vel reſtringere eorum Privilegia in miniſterio Sacramentorum, idem in Declaration. Anno 1623.*

17. Neque prædicta exequi poſſunt in perſonas Regulares particulares, idem *ibid.*

18. Atque hæc facultas Epiſcopis conceſſa non competit inferioribus Prælatis habentibus quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem, *ibid.*

19. Debent Epiſcopi approbare cauſam, quæ debet eſſe publica, exponendi a Regularibus Sanctiſſimam Euchariſtiam. Congreg. Epiſc. 27. Maji 1683.

20. Non autem cauſam privatam, dummodo e Tabernaculo non extrahatur Euchariſtia, & velata remaneat, ita ut nec Hoſtia videatur, ead. *ibid.*

21. Poſſunt Regulares habere apud ſe, pro ſuorum uſu, Oleum infirmorum, ead. 20. Febr. 1601.

22. Adminiſtrantes Sacramenta Euchariſtiæ, vel extremæ Unctionis, vel Matrimonii, infirmis, &c. ſine licentia Parochi, poſſunt ab Epiſcopis excommunicari. Ricc. *in praxi reſolut.* 210.

23. Debent ab Ordinario loci, cui a Superiore ſunt deputati, ſuſcipere Ordines. Barb. *alleg. n.* 58.

*Vide Ordo a n.* 29.

24. Item debent ab eodem petere Chriſma, Conſecrationem Eccleſiarum, & ea quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. Barb. *alleg.* 105. *n.* 65.

25. Item Cæmeterii Benedictionem, primi lapidis impoſitionem, & ſi bis aut ter requiſitus Epiſcopus loci negaverit alienus adiri poteſt. Leo X. Anno 1516.

26. Tenentur ad obſervantiam dierum Feſtorum ab Epiſcopo præceptorum. Trident. *ſeſs.* 25. *cap.* 12.

27. Non tamen tenentur ad Officia Feſtorum. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 105. *n.* 34.

28. Tenentur ad Officium de Patrono, non ad Octavam Congreg. Rituum 27. Martii 1628.

29. Poſſunt celebrare Miſſam in Eccleſia Sæculari de conſenſu ſolius Rectoris. Congr. Epiſc. 5. Januar. 1617.

30. Non tenentur expectare tempus Miſſæ Parochialis, ut celebrent in ſuis Eccleſiis, eadem 30. Jun. 1592.

31. Poteſt Epiſcopus cogere Regulares ut lectionem Sacræ Scripturæ in Monaſteriis ſuis habeant, ſi commode fieri poteſt, *ſeſs.* 5. *cap.* 1.

32. Concionari non poſſunt in propriis Eccleſiis ſine benedictione Epiſcopi, neque in alienis ſine licentia, & benedictione ejuſdem. Idem *ibid. cap.* 2.

33. In concionibus ad populum utantur Evangeliis, & Epiſtolis, quæ leguntur a Clero Sæculari ejus Eccleſiæ, ubi degunt. Congr. Conc. Anno 1604.* & Deciſum refert Quaranta. *V. Privilegia Regularium.*

34. Poſſunt Epiſcopi eos punire, qui prædicant in propriis Eccleſiis, Epiſcopo contradicente, vel ſine ejuſdem benedictione, aut in alienis ſine licentia. Greg. XV. Anno 1622.

35. Non debent impediri Regulares, quo minus in quadrageſima concionem habeant in ſuis Eccleſiis, etiam ſi non fuerit conſuetudo. Congregatio Epiſcoporum 5. Junii 1590.

36. Neque debet denegari benedictio pro concione ſine cauſa, eadem 22. Auguſti 1615.

37. Ad publicas Proceſſiones compelli poſſunt ab Epiſcopo, iis exceptis, de quibus ſupra, *Proceſſio*. Trident. *loc. cit. cap.* 26.

38. Ad Epiſcopum ſpectat componere controverſias de præcedentia. Idem *ibid. V. præcedentia.*

39. Exempti a Proceſſionibus, ſi tamen accedant, non idonee Epiſcopus poteſt eos deinde cogere. Nald. *Privilegium*, *n.* 3.

40. Non poſſunt publicare Indulgentias ſine Epiſcopi conſenſu. Trid. *ſeſs.* 6. *cap.* 3. *ſeſs.* 24. *cap.* 11.

41. Poteſt Epiſcopus cogere Regulares, ut in Offertorio Miſsarum Conventualium in Dominicis enuncient fidelibus Feſta, & jejunia, quæ occurrunt. F. Emanuel Rodriquez, *quæſt. Regul.* 1. *q.* 33. *art.* 7.

42. Cenſuræ, & Interdicta, etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo a Regularibus publicentur, & ſerventur. Trident. *loc. cit. cap.* 12.

43. Tempore Interdicti ab Epiſcopo non poſsunt Regulares admittere laicos ad divina, ſi privilegia conceſsa fuerunt ante Concil. Trid. Deciſum refert Garz. *part.* 5. *cap.* 4. *n.* 87. oppoſitum docent alii apud Barboſ. *allegat.* 105. *num.* 44.

44. Non poſſunt Regulares cum Cruce intrare Parochias ad levanda cadavera, niſi præmonito, & non recuſante Parocho; & tunc ſine illius, & Ordinarii præjudicio ſalvo antiquo uſu & pacifico. Leo X. Anno 1516.

45. In funeribus ſe conferant ad Eccleſiam Parochialem, & inde cum Parocho ad domum Defuncti. Congr. Epiſc. 26. Auguſti 1616.

46. Si cadaver eſt repoſitum in aliqua Eccleſia, ut inde transferatur alio, ſe conferant ad eamdem Eccleſiam, in qua eſt cadaver, eadem, *ibid.*

47. Diſputationes litterariæ Regularium extra Comitia generalia, ne fiant in Eccleſia, eadem 17. Januar. 1594.

48. Non tenentur Mendicantes petere licentiam ab Epiſcopo quæritandi, eadem 6. Octobris 1597. & Cong. Conc. Anno 1621. Decreto impreſſo. *

49. Sed tenentur quæſtores eorum oſtendere Ordinario licentiam Superiorum ſuorum. Deciſum Anno 1625. apud Barboſ. *alleg.* 105. *n.* 51.

50. Poteſt Epiſcopus punire Mendicantes habentes plures campanas, cum debeant eſſe contenti una. DD. apud Barb. *ibid. num.* 62. ſalva conſuetudine: ſed non poſſunt eos prohibere ne pulſent campanas pro Horis, & Miſſa, antequam pulſetur campana majoris Eccleſiæ. Cong. Conc. Decreto edito 1604.

51. In locis exemptis ſuæ Diœceſis, poteſt Epiſcopus facere ſolemnes Benedictiones, & divina Officia celebrare, idem, *ibid. num.* 66.

52. Oblati laici, qui degunt extra Monaſteria, non gaudent Privilegio fori. Cong. Epiſc. 22. Martii 1583.

53. Tertiarii mantellati, corrigiati, chordellati, & alii in omnibus Propriis habitantes, communionem in Paſchate, extremam Unctionem, & alia Sacramenta (excepto Pœnitentiæ) a proprio Parocho recipiant. Leo X. Anno 1516.

54. Non poſſunt Epiſcopi viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura; neque loca, ubi aſſervatur Euchariſtia, vel ubi confeſſiones audiuntur. Greg. XV. *in Decl. citato Anno* 1623.

55. In cauſis civilibus conveniantur Regulares coram Superioribus, vel eorum Conſervatoribus. Paul. V. *Anno* 1607.

56. Conſervatores eorum indicandi erunt Epiſcopu, qui debet eis idcirco præfigere terminum ad indicandum. Congreg. Epiſc. 28. Martii 1688.

57. Si non indicant, conveniri poſſunt a laicis coram Ordinario, eadem *ib.*

58. Conſervatores eorum non ultra duas dietas a loco ſuæ habitationis trahere alios ad ſe poſſunt. Leo X. *Anno* 1516. *Vide ſupra Conſervatores.*

59. In cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum poteſt Epiſcopus, tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, cogere Regulares debitores, extra Monaſterium degentes ad ſolvendum, licet in partibus habeant deputatum Judicem a Sede Apoſtolica. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 14.

60. Poteſt Epiſcopus compellere Regulares exemptos ad reddendam rationem coram ſe executionis teſtamentorum, & negligentes punire. DD. apud Barboſ. *alleg.* 82. *num.* 34.

61. Ex Defuncti juſtitia, ſi non poteſt haberi recurſus ad Papam, ſeu Superiorem exemptorum, poteſt adiri Ordinarius. Barboſ. *alleg.* 105. *num.* 67.

62. In criminalibus poteſt Epiſcopus capere, & remittere Regularem ad Competentem, ſi fugæ ſit periculum, & quando non poteſt expectari auctoritas Judicis Regularium. DD. apud Barb. *ib. n.* 64.

63. In cauſis hæreſis omnes Regulares ſubjacent Epiſcopis. Paul. V. 26. Septembr. 1606.

64. Et præſertim in cauſa Conceptionis B. V. Decretum S. Inquiſit. 31. Auguſti 1617. 24. Maji 1622. *

65. Et in cauſa ſolicitationis mulierum in Confeſſione, eadem Congr. S. Inquiſit. 30. Auguſti 1622. *

66. Extra Monaſterium degentes, ſi delinquant, ab Ordinario puniuntur. Trid. *ſeſs.* 6. *cap.* 3.

67. Qui ita notorie deliquerit, ut ſcandalo ſit populo; ſi non punitur a Superiore, ſed ad alium locum tranſmittitur, debet revocari ad priorem locum, ut Ordinario ſubjaceat. Clem. VIII. An. 1596.

68. Infra terminum ab Ordinario præfigendum, *ibid.*

69. Alias Epiſcopus loci, ad quem fuit tranſmiſſus, in eumdem ſevere animadvertat, ſive requiſitus a priore Epiſcopo, ſive informatus de delicto, *ibid.* ex Trident. *ſeſs.* 25. *cap.* 14.

70. Qui ſine mandato Superiorum in ſcriptis obtento a ſuis Conventibus recedit, ab Ordinario tamquam deſertor ſui inſtituti puniatur. Trid. *ſeſs.* 25. *cap.* 4.

71. Qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittitur, in Conventibus tamen habitet, alioquin ab Ordinario contra eum procedatur, idem *ibid.*

72. Qui ſine Priore cum aliis exiſtit in aliqua domo ad erectionem Monaſterii deſtinata, & deliquerit, ab Ordinario puniri poterit. Deciſum apud Barb. *allegat.* 105. *n.* 16.

73. Non autem poterit, ſi ſub Superiore cum aliis conventualiter vivat, Deciſum a Congreg. Concil. 24. Maji 1588.

74. Si incedunt ſine habitu extra Monaſterium; poſſunt ab Epiſcopo puniri. DD. apud Barboſ. *loc. cit. num.* 61.

75. Poteſt Epiſcopus abſolvere Regularem percutientem Clericum Sæcularem. Barb. *ib. num.* 52.

76. Et de æquitate Regulares exemptos ſe invicem percutientes. Idem *ibid. n.* 54. *alleg.* 41. *num.* 17. *&* 18.

77. Poſſunt Regulares ſe ſubjicere Epiſcopo quoad diſpenſationes Epiſcopales. Nald. *V. Irregul. num.* 30.

78. De licentia ſuorum Prælatorum, vel ea injuſte denegata. Sanch. *tom.* 1. *Decal. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 26.

79. Epiſcopus item abſolvit laicos percutientes Regularem, non Superior Monachorum. Barb. *alleg.* 105. *n.* 54.

80. Crimen aſſaſſinii impoſitum Militibus Hieroſolymitanis, ſeu eorum donatis, familiaribus, ſervitoribus, ſeu presbyteris eorum ſæcularibus, & aliis inſervientibus actu, ad Superiores eorum ſpectat, adjuncto loci Epiſcopo, excommunicationis lata ſententia contra alienos Judices. Clemens VIII. Ao. 1595. 18. Decemb.

81. Apoſtatæ debent ab Epiſcopo loci, ubi moram trahunt, capi, & conſignari Superioribus eorum. Urb. VIII. cum Congr. Conc. 21. Septembr. 1624.

82. Ejecti extra Religionem degentes ſint perpetuo ſuſpenſi ab exercitio Ordinum ſublata Ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, ſeu moderandi. Idem *ibid.*

83. In dandis litteris Teſtimonialibus projectis juxta Decretum, Greg. IX. *in can. fin. de regul.* oneratur conſcientia Ordinariorum. Idem *ibid.*

84. An Confeſſarii Sæculares poſſint audire Confeſſiones Regularium diſtinguit Ugol. *de poteſt. Epiſc. cap.* 7. §. 2. *num.* 9. Poſſe in Jubilæis generalibus: non poſſe in Bulla Cruciatæ, & ſpecialibus privilegiis laicorum ex Decretal. perpetuo Clementis VIII. Ann. 1599. renovata ab Urbano VIII. 1630. *

85. Et eodem modo poteſt, & non poteſt reſpective Regularis approbatus ab Ordinario audire Confeſſiones Regularium alterius Ordinis. Idem *ib.*

86. Tres Conſtitutiones Pii V. in favorem Regularium, revocatæ fuerunt a Greg. XIII. Ann. 1572.

87. Alia Pii V. in favorem Militum Hieroſolymitanorum fuit revocata in favorem Ordinariorum a Greg. XIII. Ann. 1580.

*Vide Archiepiſcopus*, *num.* 30. 32. 33. *Benef. Paroch. Proviſio*, *n.* 39. *& ſequentib. Cenſura*, *num.* 13. *Cleri conventus*, *num.* 2. *Concil. Provinciale*, *num.* 44. 74. *Concio Sacra*, *num.* 1. 3. 11. *& ſequentibus. Confeſſarius*, *num.* 6. 22. 23. *& ſequentibus. Confirmatio*, *num.* 20. *Confraternitates*, *num.* 2. 8. *Conſervatores per totum. Decimæ*, *num.* 8. *Eccleſia*, *n.* 2. *Euchariſtia*, *num.* 23. 24. 53. *Examinatores*, *num.* 4. 5. 7. *Exempti*, *num.* 2. *Exequiæ*, *num.* 9. 11. 15. 21. *Extrema unctio*, *n.* 3. *Fori Privilegium*, *num.* 8. 19. *Forum Epiſcopale*, *num.* 5. *Indulgentiæ*, *num.* 25. *Irregularitas*, *num.* 3. 16. 63. *Judex Synodalis*, *n.* 69. *Librorum editio*, *num.* 6. 9. *Licentia*, *num.* 4. *Litteræ dimiſſoriæ*, *n.* 8. 9. *Miſſa*, *num* 7. *Miſſæ ritus*, *num.* 1. 2. 4. *Miſſa Parochialis*, *num.* 11. *Miſſa Conventualis*, *n.* 15. *Monetarii*, *n.* 1. *Monialium Monaſteria*, *num.* 24. *Monialium Clauſura*, *num.* 8. *Monialium numerus*, *num.* 5. *Monialium receptio*, *num.* 14. *Monialium communes leges*, *num.* 16. *Monialium Officiales*, *num.* 12. 13. *Monialium cura ſpiritualis*, *num.* 8. 14. *& ſequentibus. Monialium cura in temporalibus*, *n.* 14. *Munerum largitio per totum. Olea Sacra*, *num.* 8. 9. *Ordo*, *num.* 29. *& ſequentibus. Ordines majores*, *num.* 28. 40. *Parochia*, *num.* 12. *Parochorum munera*, *num.* 27. 30. *Præcedentia*, *num.* 1. 2. *& ſequentibus. Proceſſio*, *n.* 7. *& ſequentibus. Quæſtores*, *n.* 2. *Quarta Epiſcopalis num.* 12. 15. *Reliquiæ SS. num.* 21. *Scriptura Sacra*, *num.* 4. 8. 10. *Seminarium Clericorum*, *num.* 30. 41. 42. *Sepultura*, *n.* 19. 20. *Synodus Diœceſana*, *num.* 15. 39. *Tutela*, *num.* 1. *Viſitatio Epiſcopi*, *num.* 10. 11. 12. 13. 14. 19. *& ſequentibus.*

## A D D I T I O.

1. Coram Epiſcopo, & Superiore Novitiatus, poteſt religio in re quinquennium agere pro nullitate Profeſſionis alicujus male Profeſſi. *Congr. Concil. petente noſtro Procurat. Generali* 1. *Sept.* 1635. *ut in Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 19.

2. Tenentur Regulares accipere Bullas Ordinum ſuſceptorum ab Epiſcopis, qui eos ordinarunt, & litteræ dentur gratis. Deciſum refert *Laurent. de Francis tom.* 1. *controv. inter Epiſc. & Regul. qu.* 35. *ſuper deciſ. de Ordin. Regul.*

3. Poſſunt audire Confeſſiones ægrotorum in eorum domibus, ſine licentia Parochorum, quos tamen monere debent de Confeſſione audita. *Cong. Epiſc.* 2. *Julii* 1585. 22. *Jan.* 1616.

4. Poſſunt Regulares miniſtrare Euchariſtiam, & extremam Unctionem hoſpitibus infirmis in eorum Monaſteriis ex privilegio Pii IV. conceſſo Cler. Regular. & confirmato a Pio V. *idem Febr.* 1567. *apud Pereg. p.* 1. *Compend. tit. communicare*, §. 3. *& per communicationem aliis. Peirin. tom.* 1. *Conſtit.* 1. *Julii* 2. *num.* 92.

5. Non poſſunt Regulares in Sabbato S. benedicere domos laico-

laicorum. *Cong. Conc.* 23. *Novembr.* 1619. *apud Barb. de Off. Paroch.* 12. *n.* 1.

6. Non prohibentur in eorum Ecclesiis admittere mulieres ad purificationem poſt partum. *Congreg. Concil. ad Archiepiſc. Bonon. apud Peirin. tom.* 2. *quæſt.* 7. *Pii V.* §. 12. *n.* 13. *ad* 9.

7. Neque prohibentur denunciare Feſta, & iejunia in ſuis Eccleſiis, *eadem* 2. *Julii* 1620. *Licet antea Congr. Epiſc.* 15. *Decemb.* 1603. limitaſſet, cum licentia Epiſcopi id fieri debere. *Barboſ. de Off. Parochi, cap.* 16. *num.* 26. *in fin. part.* 1.

8. Non poſſunt geſtare Pluviale, aut Stolam per alienam Parochiam. *Congreg. Concil. ad Archiepiſc. Bonon. ſupra ad* 3.

9. Non poſſunt in Feſto Corporis Chriſti Proceſſionem facere, quia dumtaxat in Cathedrali. *Congr. Rit.* 11. *Decembr.* 1613. 28. *Auguſti* 1615. *Febr.* 1617. *& Congr. Epiſc.* 27. *Junii* 1615.

10. Regulares extra Clauſtra decedentes ad eorum Eccleſias deferri debent, etiam Parochis inconſultis. *Congreg. Concil.* 2. *Julii* 1620. *apud Barboſ. de Off. Paroch. cap.* 26. *num.* 68.

11. Neque debent ſolvere jus Sepulturæ. *Congr. Epiſcop.* 22. *Maji* 1615. *apud eumdem ibid.*

12. Neque tamen poſſunt ducere funus Superiorum, Magiſtrorum, ſeu Theologorum per Parochias Civitatis, & vias cum pompa, *ead. apud Peirinum ſupra ad* 11.

13. Ne excedant taxam ab Epiſcopo præſcriptam in emolumenta, Parochialibus prohiberi poſſunt ab Epiſcopo. *Congreg. Concil.* 18. *Sept.* 1625. *apud Barboſ. de jure Eccl. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 145.

14. Poſſunt colligere a laicis fructus agrorum in eleemoſynam, antequam Curati colligant primitias, *ead. apud Peirinum loc. cit. ad* 13.

15. Superiores, qui ad præſcriptum * Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. tenentur facere certiores Epiſcopos de punitione Regularium extra clauſtra delinquentium, in ſcriptis facere debent. *Deciſum* refert 14. *Decembr.* 1630. *Barboſ. loc. cit. cap.* 43. *n.* 117.

16. Debet Epiſcopus abſolvere Regularem percuſſorem Clerici, eap. Religioſo, de ſententia excomm.

17. Facultas data Epiſcopo a Trid. ſupra cit. contra Regulares notorie delinquentes extra Clauſtra, vendicat ſibi locum, cum intra Eccleſiam delinquunt notorie, & cum ſcandalo. *Congr. Conc.* 16. *Septemb.* 1625.

18. Non poſſunt Regulares aggregare ſuæ Regulæ perſonas in articulo mortis conſtitutas. *Congreg. Rit.* 20. *Junii* 1619.

19. Neque poſſunt deſerere Monaſteria, ſeu loca jam ædificata, niſi in manibus Ordinarii. *Bonifac. VIII. & DD. cum Barb. de jure Eccl. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 45.

*Regularium jura in Ordine ad Moniales eorum.*

1. Circa clauſuram, Vide ſupra Monialium clauſura.
2. De Monialium Officialibus eligendis, Vide Monialium Officiales.
3. De Confeſſariis Monialium, Vide Monialium cura ſpiritualis.
4. Non poſſunt Regulares alloqui Moniales quaſcumque ſine licentia, ſub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto. Congreg. Epiſc. 5. Maji 1599. * & eſt reſervata clarius infra 1614. *
5. Et ſub reatu peccati mortalis, eadem 1. Julii 1606.
6. Comprehenduntur hoc Decreto Milites Hieroſolymitani, ead. 28. Jan. 1603.
7. Non tamen ligantur excommunicatione lata ab Epiſcopo contra alloquentes Moniales. DD. cum *Barboſ. alleg.* 102. *n.* 73.
8. Epiſcopi poſſunt punire, uti Sedis Apoſtolicæ delegati, Regulares alloquentes quaſcumque Moniales ſine licentia. Congr. Conc. Anno 1624. edito Decreto.
9. Iidem poſſunt concedere Regularibus, ut quater ad ſummum in anno poſſint alloqui Moniales conſanguineas in primo, & ſecundo tantum gradu. Eadem Anno 1623. Urban. VIII. ea annuente.
10. Non in Feſtis, Adventu, Quadrageſima, feria ſexta, ſabbatho, & vigiliis, *ibid.*
11. Et præſente Confeſſario, & Auſculatrice, dataque licentia in ſcriptis pro die, & hora; quæ in libris Epiſcopi notentur, *ibid.*
12. Si Ordinarii pluries conceſſerint, S. Congreg. judicium timeant, *ibid.*
13. Et eadem lege tenentur in hac re puellæ, & aliæ mulieres intra Clauſtra degentes, ead. 1590.
14. Adminiſtratores bonorum Monialium Regularibus ſubjectarum rationem reddant Epiſcopis, & Superioribus Regularibus. Greg. XV. Anno 1622.
15. Si male reddant, amoveri poſſunt ab Epiſcopo, facta prius monitione Superioribus prædictis, *ibid.*
16. Et poſſunt Epiſcopi punire malos Adminiſtratores dictorum bonorum, *ibid.*

**A D D I T I O.**

1. Regularis ſine licentia accedens ad Moniales Regularibus ſubjectas, & cum eis colloquens, poteſt ab Epiſcopo loci tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coerceri, & puniri. Deciſum refert *Lezana ſumm. q. Reg. c.* 25. *n.* 36.
2. Reperti alloquentes ſine licentia, conſignari debet carcerati eorum Superioribus, a quibus erunt declarandi privati voce activa, & paſſiva. *Congreg. Epiſc.* 17. *Julii* 1615.
3. Qui ſuperiores debent facere certiorem Epiſcopum, & S. Congregationem, *ead.* 7. *Mart.* 1617.
4. A pœnis pro allocutione Monialium non poſſunt abſolvi, niſi a Sede Apoſtolica, aut a S. Congreg. Epiſc. *eadem* 7. *Novembr.* 1605.
5. Confeſſarii extra actum Confeſſionis non poſſunt alloqui Moniales, ſub iiſdem pœnis, quibus alii, *eadem* 21. *Februarii* 1617.
6. Non comprehenduntur in hoc Decreto Provinciales, nec Miniſtri Provinciarum, neque Superiores, quibus Moniales ſubjectæ ſunt, *ead.* 1593. *apud Barboſ. de jure Eccl. lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 165.
7. Vicarius Fratrum comprehenditur, niſi abſente Priore vices illius agat, *ead.* 1. *Sept.* 1617.
8. Ubi Moniales Clauſuram non obſervant, Regulares loquentes eis extra clauſtra non incurrunt prædictas vocis pœnas, *ead.* 15. *Mart.* 1594.

*Regul. jura circa Tertiarias.*

1. Non poſſunt audire Confeſſiones earum, niſi fuerint approbati ab Ordinario. Congr. Epiſc. 1616.
2. Neque miniſtrare illis Euchariſtiam in die Paſchatis, eadem *ibid.*
3. Neque domi in infirmitate, neque extremam unctionem. Leo X. Anno 1516. *Vide infra Tertiarii.*

*Reliquiæ Sanctorum.*

1. Debet Epiſcopus recognoſcere Reliquias Sanctorum, & miracula: Trid. *ſeſſ.* 25. *de invoc. & ven. SS.*
2. Reliquiæ SS. recognoſcantur, adhibitis piis viris, idem *loc. cit.*
3. Scripta, tabulæ, litteræ, monimenta, teſtes, arcæ, ſchedulæ accurate recognoſcantur, unde translatæ, & hæc tuto aſſerventur in Archivio. Prov. 4.
4. Ipſæ Reliquiæ cernantur, non eæ tamen, quæ ſub Altaribus; niſi judicio Epiſcopi, *ibid.*
5. Scribantur in libro cum ſuis documentis aſſervando in Archivio Epiſcopali, *ibid.*
6. Alii inferiores Epiſcopo non poſſunt. Barboſ. *alleg.* 79. *n.* 9.
7. Non poteſt Epiſcopus approbare Reliquias, etiam ſancti antiqui nondum canonizati, & eas publice colendas exponere. Barb. *ibid. n.* 10.
8. Si vero ſint canonizati competit Epiſcopo approbatio illarum, poſſuntque exponi approbatæ. Azor. *par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 8. *q.* 8.
9. Si extat dubium, an ſint Sancti canonizati, vel Beatificati, ne exponantur adorandæ. Sanchez *tom.* 1. *decal. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 12. 29.
10. Reliquiæ etiam non approbatæ, ad ornatum Crucis in Cruce collocatæ poſſunt cum ea exponi, quaſi acceſſorie. Idem *ibid. n.* 17.
11. Antiquæ Reliquiæ habendæ ſunt ea veneratione, qua hactenus ſunt habitæ. Deciſum refert Barboſ. *loco cit. n.* 12.
12. Corpora Sanctorum nondum canonizatorum non poſſunt poni ſub Altari. Congr. Epiſc. 10. Junii 1587.
13. Sanctorum Corpora extra Altaria in arcis condita marmoreis, ut collocentur in eo Sacello, ubi aſſervatur Sanctiſſima Euchariſtia. Prov. 4.
14. Et clathris ferreis muniantur, *ibid.*
15. Ipſa corpora ſint involuta panno ſerico coloris apti ad Sanctum, cujus ſunt oſſa, *ibid.*
16. Tabella ænea cum nomine Sancti includatur, *ibid.*
17. Lampas ardeat aſſidue, niſi excuſet ægeſtas, *ibid.*
18. In vaſculis decoris collocentur. Prov. 1.
19. Vaſa, thecæ, arcæ, ſtata prece benedicantur. Pr. 1.
20. Claves duæ ſint, penes Epiſcopum, & Rectorem Eccleſiæ; ſi Univerſitas, aut alii laici habere ſolent, addatur tertia, *ibid.*
21. Ne exponantur nec etiam a Regularibus ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis, cum ejus approbatione, *ibid.*
22. Neque paſſim exponantur, ſed in feſtis ſolemnioribus, & Sanctorum, quorum ſunt Reliquiæ, *ibid.*
23. Nullo modo exponantur nudæ, nec ſine luminibus, *ibid.*
24. Nec educantur e loculis earum. Prov. 1.
25. Non quæſtus gratia exponantur, *ibid.*
26. Cum exponuntur, fiat Proceſſio a Clero Eccleſiæ, & cum luminibus, *ibid.*

27. An-

27. Antequam exponantur, vel oſtendantur, thurificentur, & idem fiat a Thuriſerario præeunte in Proceſſione. Provinc. 4.

28. Idemque fiat quando reconduntur, *ibid.* & cum Proceſſione, ut prius, *ibid.*

29. Deferantur ab induto Cotta, & Stola, vel etiam Pluviali, cum Hymnis in via, & orationibus in fine opportunis. *ibidem.*

30. In Altari Candelæ ſaltem quatuor colluceant, & cuſtodes Sacris Ordinibus initiati adhibeantur, *ibid.*

31. Horum opera, non laicorum coronæ admoveantur Reliquiis, ut eas tangant, *ibid.*

32. Cum a loco ſuperiori oſtenduntur populo, prædicta ratio ſervetur, excepta Proceſſione, *ibid.*

33. Ad ægrotos non portentur Reliquiæ SS. Prov. 3.

34. Neque radentur oſſa, ut raſura detur cum potu infirmis. Congreg. Epiſc. 17. Decemb. 1591.

35. Extractio Reliquiarum, ſeu translatio Corporum, & Reliquiarum, ſi perpetuæ tradita ſunt Sepulturæ, non poteſt fieri ſine auctoritate Papæ, vel Sanctæ Syn. Sylv. *V. Reliquia SS. q. 3.*

36. In Provincia Mediolanenſi extractio prohibita a Gregorio XIII. moderata eſt a Sixto V. ut ſufficiat licentia Epiſcopi, non Papæ. Congr. Epiſc. 16. Febr. 1588.

37. Ab uno loco ad alium ne transferantur ſine juſta cauſa, & facultate ſcripta Epiſcopi. Prov. 4.

38. Translatio Reliquiarum inſignium, judicio Epiſcopi, fiat cum ſolemni pompa, & pio cultu, *ibid.*

39. Cum pridiana recognitione, compoſitione in arca, aſſignatione clavium, & obſignatione, *ibid.*

40. Fiat cum apparatu viarum, ſono Campanarum, Proceſſione, Miſſa ſolemni, Concione, & expoſitione in Altari per diem integram cum debitis cæremoniis, *ibid.*

41. A Notario fiat inſtrumentum per acta ſingula, *ib.*

42. Si jumento, vel curru vehantur, decenter ſternantur, *ib.*

43. Quocumque iter fit, ſignificatio pietatis, & lætitiæ in Clero, & populo ne deſideretur, *ibid.*

44. Dies translationis, qua ultimo reponuntur, anniverſario Officio Divino de Sancto, cum licentia majorum, quotannis celebretur, *ibid.*

45. Si eſt Reliquia inſignis, Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illis pars, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva, & legitime, ut ſupra, approbata, fieri poteſt de Sancto, cujus eſt Reliquia, Officium duplex. Congreg. Rit. 8. Apr. 1628.

46. Privatim poteſt quilibet venerari Sanctum nondum Canonizatum, & ejus Reliquias colere. Barboſ. & Azor. *locis ſupra cit. n. 8. 11.*

47. In Oratorio privato retineri poſſunt Reliquiæ SS. de licentia Epiſc. Prov. 4.

48. In privatis ædibus, aut apud laicos non habeantur, *ibidem.*

49. Neque tangantur a laicis, neque per eos tractentur, *ibidem.*

*Repræſentationes Sacræ.*

1. PRohibentur fieri in Eccleſiis. DD. apud Barboſ. *alleg. 24. n. 25.*

2. Paſſio Salvatoris nullibi agatur. Prov. 1.

3. Neque Sanctorum martyria actioneſve, niſi de licentia Epiſcopi, *ibid.*

*Reſidentia.*

*Vide ſupra: Canonicorum Reſidentia, & Parochorum reſidentia.*

1. AD reſidentiam cogi poſſunt ab Epiſcopo Superiores Eccleſiarum Collegiatarum, licet habeant juriſdictionem in Canonicos. Deciſum refert Garz. *part. 3. cap. 2. n. 181.*

2. Sine conſenſu Ordinarii nulla valet diſpenſatio Apoſtolica non reſidendi etiam ratione ſtudii, Pius IV. Anno 1564.

3. Non reſidentium ultimæ voluntates annullantur, quacumque auctoritate ſuffultæ. Idem *ibid.*

4. Aliæ pœnæ non reſidentium habentur apud Sylv. *V. Reſidentia q. 5.*

5. Poteſt Epiſcopus applicare fructus non reſidentium fabricæ Eccleſiæ Parochialis, etiam ſi non indigeat, quæ poteſt in dies indigere. Deciſum refert Garz. *part. 3. cap. 2. num. 31.*

A D D I T I O.

1. Tenetur Epiſcopus reſidere, licet habeat coadjutorem. *Congr. Epiſc. 7. Sept. 1619.*

*Reſtitutio incertorum.*

1. POteſt Epiſcopus præcipere Confeſſariis, ne abſque conſilio ſuo reſtitutores abſolvant, aut diſtribuant. Navarr. *in Man. cap. 17. n. 92.*

2. Eſt facienda pauperibus; non pauperibus, vel melioribus, niſi de conſilio. Idem *ibid. n. 95.*

3. Non tamen poteſt Epiſcopus reſervare ſibi abſolute reſtitutionem incertorum. Congr. Epiſc. 14. Junii 1619.

*V. Uſura, n. 10.*

*Sacramenta.*

1. IN miniſtrandis Sacramentis adhibeatur ſuperpelliceum cum Stola. Prov. 1.

2. Laici, qui recipiunt Sacramenta, deponant arma. Pr. 3.

3. Et ii item, qui ſunt compatres in Baptiſmo, & Confirmatione, *ib.*

4. Pro Sacramentorum adminiſtratione nihil poteſt accipi hoc titulo, etiam a ſponte dantibus. Quod offertur ſponte pro Eleemoſyna, accipi poteſt. Congreg. Concil. 1. Februarii 1593.

*V. Interdictum, n. 21. 28. & ſeqq. Regularium jura ſub Epiſcopis, n. 22. Simonia, n. 12. 13. Uſura, n. 13.*

*Sal.*

1. SAL exterum in terris Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubjectis non poteſt emi. Greg. XIII. apud Nald. *Emptio, n. 17.*

*Scriptura Sacra.*

1. SAcrorum librorum editio evulgata in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus authentica habeatur. Trid. *ſeſſ. 24.*

2. Puniantur ab Ordinariis, qui Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquent, contra ſenſus S. Matris Eccleſiæ, & unanimem Patrum conſenſum. Idem *ibid.*

3. Ne de eadem verba uſurpentur ad irreverentiam, & contemptum, ad ſcurrilia, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, incantationes, divinationes, ſortes, libellos famoſos, ſub pœnis juris, & arbitrio Epiſcoporum. Idem *ibidem.*

4. Biblia vulgari lingua edita non poſſunt legi, neque retineri, neque Epiſcopi, neque Inquiſitores, neque Regularium Superiores dare queunt licentiam. Clement. VIII. *in Indice lib. prohib.*

5. Compendia hiſtorica Bibliorum, ſeu librorum Sacræ Scripturæ, vulgari idiomate ſcripta, eodem modo prohibentur. Idem *ibid.*

6. Verſiones novi Teſtamenti ab Auctoribus primæ claſſis indicis factæ, nemini concedantur. Idem *ibid. reg. 3.*

7. Deputati ad interpretationem ſacrarum litterarum compellantur ab Ordinariis, ut id præſtent. Trid. *ſeſſ. 5. cap. 1.*

8. In Monaſteriis Regularium lectio Sacræ Scripturæ procuretur ab Epiſcopo, ſi negligant Superiores, *ibid.*

9. Idem fiat in Gymnaſiis publicis, *ib.*

10. Approbentur prædicti ab Epiſcopo de moribus, & ſcientia, exceptis regul. *ib.*

*V. Regularium jura ſub Epiſcopis, num. 31. Theologalis Præbenda, num. 13.*

*Seminarium Clericorum.*

1. SIngulæ Cathedrales tenentur inſtituere certum numerum puerorum in loco convenienti eligendo ab Epiſcopo. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 18.*

2. Recipiantur ii, qui ad minimum 12. annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint, ac legere, & ſcribere noverint, quorumque indoles, & voluntas ſpem affert eos perpetuo Eccleſiæ ſervituros, *ibid.*

3. Pauperum filii præcipue eligantur; ditiores alantur ſumptibus ſuis, *ibid.*

4. Tonſura ſtatim, & habitu Clericali utantur, *ib.*

5. Miſſæ quotidie interſint, *ib.*

6. Singulis menſibus peccata confiteantur, & judicio Confeſſarii Communionem ſumant, *ibid.*

7. Cathedralibus, & aliis Eccleſiis diebus Feſtis inſerviant, *ibid.*

8. Doceantur ea, quæ videntur Epiſcopo expedire, *ib.*

9. Grammaticam, cantum, computum Eccleſiaſticum, aliamque artium diſciplinam: Sacram Scripturam, opportunaque ad Sacramentorum adminiſtrationem, rituum, & Cæremoniarum formas, *ibid.*

10. Catechiſmus Romanus perpetuo prælegatur. Provinc. 5.

11. De Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Sacris Ritibus, certis diebus inſtruantur, *ibid.*

12. Duorum Canonicorum adhibito conſilio ſeniorum,

quos

quos Epiſcopus elegit, hæc, & alia conſtituantur, Trident. *loc. cit.*

13. Leges præſcriptæ ſingulis menſibus coram omnibus legantur. Prov. 2.

14. Sæpius viſitentur. Trid. *loc. cit.*

15. Tertio quoque menſe ſaltem, ſi poteſt commode, viſitet Epiſcopus, & inquirat tum de magiſtris, tum de alumnis. Prov. 2.

16. Duo Canonici electi debent eſſe perpetui, neque poſſunt mutari ſine juſta cauſa. Deciſum refert Barb. *alleg.* 77. *n.* 31.

17. In Diœceſi ampla Seminaria plura haberi poſſunt, quæ tamen a primario Civitatis pendeant. Trid. *loc. cit.*

18. Quæcumque oriatur difficultas ob inſtitutionem, ſeu conſervationem Seminarii decernere poteſt Epiſcopus cum ſupradictis Deputatis, vel Synodus Prov. *ibid.*

19. Cogi poſſunt ad docendum in Seminario ii, qui Scholaſterias obtinentes munus habent annexum lectionis, & Doctrinæ, vel per ſe ſubſtitutos, *ibid.*

20. Si minus digni ſint, alios nominent; ſi neglexerint, deputet Epiſcopus, *ibid.*

21. Eligentur enim ſubſtituti a Scholaſticis, ſed ab Ordinario erunt approbandi, *ibid.*

22. Legata ut conducantur Grammatices, qui pauperes inſtruant, applicari poſſunt Seminario. Deciſum refert *praxis Epiſc. V. Seminarium.*

23. Redditus neceſſarii ſumi debent ab Epiſcopo cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alterum Epiſcopus, alterum eligat Capitulum; itemque aliorum duorum de Clero Civitatis, quorum alter ab Epiſcopo, alter a Clero eligi debet, ex fructibus beneficiorum, de quibus fuſe Trident. *loc. cit.*

24. Epiſcopus debet primum de ſua, & Capituli menſa contribuere, & poſtea alios cogere. Deciſum refert *in praxi. V. Seminarium*, Barb. *loc. cit. n.* 2.

25. Cardinales debent contribuere de fructibus beneficiorum in Diœceſi ubi eſt Seminarium. Deciſum refert Barboſ. *ibid. n.* 5.

26. Clerici Cameræ Apoſtolicæ non tenentur contribuere. Congr. Epiſc. 12. Maji 1604.

27. Canonici non tenentur contribuere de Diſtributionibus quotidianis. Deciſum referunt Moneta, & alii apud Barboſ. *ibid. n.* 13.

28. Hoſpitalia data in titulum, vel adminiſtrationem, ſi habent beneficia annexa, vel redditus Eccleſiaſticos, tenentur contribuere. Deciſum refert praxis Epiſcopalis. *V. Hoſpitale verſ.* 10. *dub.*

29. Hoſpitalia mere laicalia non tenentur. DD. cum Barb. *loc. cit. n.* 8.

30. Monaſteria Mendicantium non tenentur. Trident. *loc. cit. cap.* 18.

31. Nimirum Dominicani, Franciſcani, Eremitæ S. Auguſtini, Carmelitæ, Servitæ, Societas Jeſu, S. Franciſci da Paula, Jeſuati, Carmelitæ Diſcalceati. Barboſ. *loc. cit. num.* 14.

32. Equites Sancti Joannis Hieroſolymitani ſunt immunes a contributione Seminarii. Gregor. XIII, Anno 1580.

33. Confraternitates, ſi habent redditus Eccleſiaſticos, tenentur contribuere, etiamſi exiſtant intra Eccleſias Regularium. Deciſum refert Barb. *loc. cit. n.* 10.

34. Penſionarii tenentur pro rata Penſionis. Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 171. Monet. *de Decimis cap.* 9. *a num.* 83.

35. Sive Seminarium ſit erectum ante reſervationem Penſionum, ſive poſt. Deciſum refert Garz. *in addit. dict. n.* 171.

36. Non ſunt magis gravanda beneficia ſimplicia, quam curata. Congr. Epiſc. 27. *Octob.* 1603.

37. Decima vero ſolvatur ſingulis annis in duobus terminis. Prov. 1.

38. Poſſunt etiam uniri Seminario beneficia ſimplicia aliquot, etiam præſtimonia, & præſtimoniales portiones, etiam ante vacationem, & reſervata, ſeu affecta, nec impediri poſſunt per eorum reſignationem, unionem, & applicationem, Trid. *loc. cit.*

39. Non decernant, ut omnia ſimplicia uniantur, ſed aliquot; aliter non valet unio. Deciſum refert Ricc. *in praxi deciſ.* 492. *& reſol.* 383. *n.* 4. *in ſecunda editione.*

40. Nec uniri poſſunt beneficia ad collationem inferiorum ſpectantia, neque Canonicatus, neque Juriſpatronatus, etiam Eccleſiaſtici, non reſervata Sedi Apoſtolicæ poſt illorum vacationem, nec vacantia in menſe reſervato per Epiſcopum. Deciſum refert Franciſcus Leo *in Theſauro fori p.* 2. *cap.* 16. *num.* 23.

41. Uniones factæ Seminario non ſubſiſtunt, niſi poſt illius erectionem, & actualem educationem puerorum. Deciſum refert Gonzal. *ad reg.* 8. *Canc. gloſ.* 7. *num.* 68. Ricc. *reſol.* 380. *num.* 1. *a Rota.*

42. Emptio domus, aut creatio deputatorum non eſt erectio Seminarii. Rota 15. *Aprilis* 1622. *apud Barboſ. loc. cit. num.* 24.

43. Uniones factæ abſque conſilio quatuor Deputatorum non valent. Congr. Conc. 13. *Jan.* 1594. Franciſcus Leo *in Theſ. d. cap.* 16. *n.* 25.

44. Tenetur Epiſcopus adhibere in conſilium, non eos ſequi. Gonzal. *loc. cit. gloſſ.* 46. *n.* 74.

45. Bona, quæ fuerunt applicata Collegio pro educatione puerorum miſerabilium, ſi Collegium ſublatum ſit, debent applicari Seminario. *Barb. loc. cit. n.* 11.

46. De incertis redditibus nemo tenetur contribuere Seminario. Congr. Epiſc. 13. Maji 1586.

47. Adminiſtratio temporalis Seminarii tota ſpectat etiam ad quatuor Deputatos; ſed exactio ad ſolum Epiſcopum. Ricc. *de rel.* 380. *n.* 3.

48. Cogique poſſunt ad ſolvendum prædictos redditus per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia ab Epiſcopo, non obſtantibus quibuſcumque. Trid. *loc. cit.*

49. Rationes autem horum redditum quotannis Epiſcopo reddantur, præſentibus quatuor, ſcilicet duobus a Capitulo, & duobus electis a Clero. Idem *ibid.*

50. Seminario redditibus congruentibus conſtituto, & aucto, tantumdem de exactione remittatur pro rata parte redditum, quos impoſterum acceſſione beneficiorum, aliave ratione Seminarium habere contigerit. Prov. 5.

*V. Archiepiſcopus*, *n.* 6. *Fori privilegium*, *n.* 2. *Forum Epiſcopale*, *n.* 57. *Monialium cura in temporalibus*, *n.* 9.

## ADDITIO.

1. Clerici Seminarii non ſunt de corpore Cathedralis Eccleſiæ, licet in ea deſerviant. *Congregat. Rit.* 1. *Septembris* 1607.

2. Commendatarius, etiam Cardinalis, tenetur contribuere Seminario. Deciſum refert 3. *Decembr.* 1622. *Barboſ. de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 53.

### *Septuageſima.*

1. TEmpore Septuageſimæ, & ſequenti proponantur exercitationes piæ contra corruptelas illius temporis. Prov. 3.

### *Sepultura.*

1. SEpulcra Sacerdotum, & Clericorum, ubi fieri poteſt, a Sepulcris laicorum ſeparata ſint, & decentiori loco ſita. Rit. Rom.

2. Immo, & diſtincta pro Sacerdotibus, & aliis inferioris Ordinis, *ibid.*

3. Pro parvulis baptizatis habetur ſpecialis Sepultura, ſeu locus in Cœmeterio. Rit. Rom.

4. Sepulturæ locus honoratior licite vendi poteſt pluris abſque ſimonia, DD. cum Nardo *Sepultura*, *n.* 8.

5. Sed prohibita eſt Sepultura exiſtens ſupra terram a Pio V. Anno 1566.

6. Cadavera ne reponantur ſub Altaribus, neque ſub gradibus eorum, Congr. Epiſc. 6. Sept. 1593.

7. Pater eligere poteſt Sepulturam filio minori 14. annis dummodo electio fiat ante obitum ipſius. Congr. Epiſc. 27. Octobris 1587.

8. Poteſt eligere Sepulturam Dominus pro ſervo impubere, & pater pro filiis impuberibus, quando hoc habet conſuetudo. Sylveſt. *V. Sepultura*, *quæſt.* 7.

9. Limitat in filiis legitimis naturalibus adoptivis, vel arrogatis, non ſpuriis, vel naturalibus tantum, *ibid.*

10. Minores majorum ſepultura poni debent, ita volentibus majoribus, non obſtante Rituali Rom. Congreg. Epiſc. 21. Octobris 1616.

11. Non poteſt avus eligere pro nepote impubere. Sylv. *loc. cit.*

12. Multo minus frater, aut alius collateralis, nec pater pro filio pubere. Idem *ibid.*

13. Controvertitur inter DD. quodnam dicatur Sepulcrum majorum, Sylveſt. *loco cit. quæſt.* 8.

14. Uxor ſequitur maritum, & ultimum ſi plures habuit. Sylv. *ibid. Quintum.*

15. Viatores qui moriuntur, dum tranſeunt, ſepeliri debent in Cathedrali. Congregat. Epiſcop. 9. *Junii* 1592. in Parochia, inquit Sylv. *ibid.* Niſi conſuetudo ſit, quod in Cathedrali. Alii dicunt, *ibid.* eſſe locum præventioni.

16. Excommunicatus, etiam denunciatus dans ſigna pœnitentiæ in articulo mortis ſepeliatur in Eccleſia. Congregat. Epiſc. 27. Maji 1583.

17. Et ſufficit unus teſtis. Sylv. *loc. cit. q.* 9.

18. Si contingat ſepeliri aliquem in loco non Sacro, donec transferatur in locum Sacrum, apponatur Crux capiti illius. Rit. Rom. *de Exequiis.*

19. Sepultura in Eccleſiis Regularium non debetur illi, qui cum habitu Regulari petit tantum ſepeliri. Congreg. Epiſc. 3. *Novemb.* 1582.

20. Sepeliendi ſunt in Eccleſiis Regularium ii, qui coram teſtibus dumtaxat elegerint Sepulturam, *ibid.* eadem 11. Decembris 1615.

21. Sepeliens corpus ejus, qui alibi elegit Sepulturam violenter amittit jus, quod habebat, & tenetur reſtituere emolumenta, & corpus. Sylv. *quæſt.* 11.

22. Si Eccleſia eſt interdicta, ubi eſt ſepultura majorum, ſepeliuntur in Parochiali; ſi hæc interdicta, in Cathedrali; ſi omnes interdictæ, in Monaſterio proximiori, idem *q.* 8.

23. Privantur Sepultura Eccleſiaſtica, qui moriuntur in torneamentis; qui ſe occidunt; qui non ſunt confeſſi ſemel in anno, blaſphemi, notorii peccatores, uſurarii manifeſti, interdicti nominatim, & ab ingreſſu Eccleſiæ, excommunicati, & inſtituent Sacerdotem tutorem filiis. Sylv. *qu.* 9.

24. Sepelientes prohibitos prædictos peccant mortaliter, ſepelientes excommunicatos, interdictos, uſurarios, ut ſupra, excommunicati ſunt, idem *quæſt.* 11.

25. Si exempti ſepeliant excommunicatos, &c. poteſt Epiſcopus impedire, antequam ſepeliantur, non autem de facto ſepultum exhumare, idem, *ibid. q.* 16.

26. Nullum cadaver perpetuæ Sepulturæ traditum ex ulla cujuſvis Ordinis Eccleſia aſportari liceat, niſi de licentia Ordinarii. Rit. Rom. *de exequiis. V. Baptiſmi, n.* 39. *Confraternitates,* 42. 46. *Eccleſia, n.* 43. *& ſeqq. Eccleſiæ reconciliatio, num.* 12. *Exequiæ, per totum. Hebræi, num.* 26. *Interdictum, num.* 19. 44. *& ſeqq. Monialium Eccleſiæ, num.* 13. *& ſeqq. Tertiarii, num.* 8. 10. 11. 12. *Uſura, num.* 5. *& ſeqq.*

## ADDITIO.

1. PArochus debet interrogare infirmum de Sepultura in genere, non in ſpecie: An velit in Parochiali ſepeliri, alias electio non valet. *Ricc. in praxi p.*4. *reſol.* 293. *n.*30.

2. Filia minor, non obſtante novo Rituali, ſepelienda eſt in Sepulcro majorum illius in Eccleſia Fratrum. *Congr. Epiſcop.* 21. *Octob.* 1616.

3. Suſcipientes habitum a Guardiano, vel ab alio cui ille commiſerit, & cum eo decedentes ſunt tradendi Sepulturæ in Eccleſiis ejuſdem Ordinis, ſi Guardianus proptee habitus conceſſionem, & receptionem præmovit eorum cadavera. *Congr. Rit.* 11. *Decembr.* 1615.

4. Peregrinus decedens, dum eſt in via, ſepelitur in Cathedrali. *Congr. Epiſc.* 9. *Junii* 1592.

5. Excommunicatus notorius, ſi pœnitentiæ ſigna dederit in articulo mortis, ſepeliendus eſt in Eccleſia, *ead.* 9. *Jun.* 1629.

6. Sepultura non debet retardari ſub quovis prætextu compoſitionis quartæ funeralis, ead. 5. *Maji* 1617.

7. Non debet Epiſcopus dare licentiam exhumandi corpus ad hoc, ut laici ſumant indicia in criminalibus, *ead.* 22. *Novembris* 1619.

### *Sequeſtrum.*

1. LIte pendente datur facultas Judicibus decernendi Sequeſtra ſuper fructibus Beneficiorum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum, ſeu affectorum, & nulliter collatorum. Pius IV. Anno 1560.

2. Fructus Beneficiorum, lite pendente, deponi debent apud perſonam a Judice deligendam, contra quælibet ſtatuta. Pius V. Anno 1568.

3. Diſtributiones quotidianæ Canonicorum non poſſunt ſequeſtrari. Mon. *de diſtrib. part.* 1. *qu.* 9. *concl.* 1. niſi in quibuſdam caſibus, & cum moderatione, ne fame pereat Canonicus, *ibid. concl.* 3. 4. 5. 6.

### *Simonia.*

1. QUI pro Beneficiis obtinendis ſe exponunt examini ſimulate pro aliis, ſeu pro ſe, aut aliis cum oblatione penſionis annuæ, aut cum ſpe conſequendi Penſionem, ſeu commodum, ſeu ut aliis reſignent libere, vel cum penſione; eo ipſo ſunt excommunicati, & privati omnibus Beneficiis, inhabileſque facti ad omnia Beneficia. Paulus IV. Anno 1557.

2. Et collatio ejuſmodi eſt nulla, idem *ibid.*

3. Beneficia in confidentiam, aut ad effectum reſervationum ſibi poſtmodum cedentibus procurandarum, recipere nemo præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, Papæ reſervata. Pius IV. Anno 1564.

4. Et ſub pœna nullitatis, idem, *ibid.*

5. Caſus confidentiarum, modi eas probandi, teſtium qualitates, pœnæ privationis, inhabilitatis, excommunicationis, &c. fuſius habentur in Bulla Pii V. Anno 1569.

6. Qui dignitates acquiſierit per ſimoniam, ipſo jure ſit privatus, & inhabilis eſt ad eas, & alias obtinendas, idem Anno 1566.

7. Qui Beneficium, aut Officium Eccleſiaſticum, ſit illis eo ipſo privatus, & ad reſtitutionem omnium fructuum teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad alia, *ibid.*

8. Epiſcopum accipere aliquid pro expeditione litterarum Beneficii, ſimonia eſt. Sà, *ſimonia, num.* 3.

9. Qui Ordines, & Beneficia contulerit, pœnis a jure ſtatutis, quicumque ille ſit, puniatur. Trid. *ſeſs.* 24. *cap.* 6.

10. Qui convictus fuerit in conſequendis Ordinibus de Simonia, eo ipſo ſit ſuſpenſus ab eorum executione per decennium, & carceri per annum mancipetur. Pius V. ſupra.

11. Qui pluries convictus fuerit, præter ſupradictas pœnas, corporaliter puniatur, & ab Ordinibus degradatus, ejiciatur a conſortio fidelium. Trident. *loc. cit.*

12. Ne in Sacramentorum adminiſtratione ſimoniacum quid fiat, Ordinarii curent, & puniant graviſſime delinquentes. Idem, *ibid.*

13. Epiſcopus ſciens Sacerdotem ſuum ſubditum pro Sacramentis, aliquod præmium accipere a non ſponte dante, ſi corrigere negligit, ſuſpenditur ab Officio per bimeſtre. Barb. *alleg.* 111. *num.* 22.

14. Proponens item indicem caſuum, gratiarum, & indulgentiarum, ſoluto certo pretio, ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, & perceptione fructuum, reſervata Papæ. Idem *ib. n.*40.

15. Poteſt Epiſcopus abſolvere a ſimonia occulta. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6.

*V. Caſus reſervati, num.* 3. *Cenſura, num.* 6. *Litteræ Dimiſſoriæ, num.* 16. *Ordo, num.* 59. 60.

### *Sodomia.*

1. CLericus Sodomita curiæ Sæculari traditur puniendus. Pius V. Anno 1566.

2. Privatur omni privilegio Clericali, Officio, dignitate, & Beneficio. Idem Anno 1578.

*V. Degradatio, num.* 12. *Irregularitas, num.* 31.

## ADDITIO.

1. Bulla Pii V. eſt contra exercentes, quod ſignificat frequentiam actus. *Quar. V. Sod.*

2. Agentes tantum comprehenduntur. *Catet. V. Mollities.*

3. In caſibus Epiſcopo reſervatis includi patientes volunt, *Ricc. in praxi* 3. *reſolut.* 57. *n.* 7. *& Bonac. de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 11. *num.* 2.

4. Attendenda ſunt verba Decreti Epiſcopalis.

### *Spolia Clericorum.*

1. SPoliorum nomine non veniunt diſtributiones Canonici defuncti. Congr. Epiſc. 29. *Decembris* 1600.

2. Neque veniunt paramenta, vaſa, Miſſalia, Sacri Libri, res Sacræ, & alia ad uſum, & cultum divinum, etiam in Capellis privatis. Pius V. Anno 1567.

3. Et applicanda ſunt Eccleſiis, quibus beneficiati præferuntur, ita ut propria auctoritate eadem poſſint illa apprehendere. Idem, *ibid.*

4. Si Beneficiarus pluribus Eccleſiis præfuit, prædicta inter ea proportionabiliter dividantur, *ibid.*

5. Neque veniunt ſcamna, Cathedræ, areæ etiam ligneæ, menſæ, tabulæ, dolia vinaria, neque alia ſimilia ſupellectilia. Idem, *ibid.*

6. Neque bona illius, qui vivens non habuit redditus, ſeu penſiones ultra 30. Ducatos auri de Camera, niſi illicitæ negotiationis ſit reus, *ibid.*

7. Ubi non ſunt Collectores ſpoliorum pro Camera Apoſtolica, fructus beneficiorum in obitu beneficiatorum maturati, inexacti cum effectu, etiam ſponte oblati, ſpectant ad ſucceſſores in beneficiis, non ad hæredes. Julius III. An. 1550.

8. Debita contracta occaſione beneficiorum, quæ aliunde perſolvi nequeunt, ex eorum bonis ſolvantur, *ibid.*

9. Legata ad pias cauſas a beneficiatis in ſanitate conſtitutis facta, ſolvantur de fructibus, *ibidem.*

10. Regulariter ad Cameram Apoſtolicam ſpectant ſpolia Clericorum, ſi non adeſt facultas teſtandi. Paulus III. An. 1542.

11. Eidem applicantur fructus omnium beneficiorum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum, ſeu affectorum pro tempore vacantium. Pius IV. Anno 1561.

12. Clericorum item bona ex illicita negotiatione acquiſita. Idem Anno 1560.

*Vide ſup. Clericus, num.* 82.

13. In Regno Neapolitano quicumque fructus pendentes, etiam nondum ſeparati a ſolo, ſeu nondum exacti uſque ad diem adeptæ poſſeſſionis per ſucceſſores in eis maturandi pro rata temporis ad Cam. Apoſt. ſpectant. Sixtus V. An. 1589.

14. Spoliorum Subcollectorum cauſæ ad Nuncium pertinent. Congr. Epiſcop. 14. *Decembris* 1619.

### *Studia litterarum.*

*V. Canonicorum Reſidentia a num.* 8. *ad* 22.

### *Subcollectores.*

*V. Exempti, num.* 9. *Spolia Clericorum, num.* 14. *Viſitatio Epiſcopi, num.* 33.

### *Subſidium Charitativum.*

1. PAtriarcha, & Archiepiſcopus non poſſunt illud exigere a Clero Provinciæ extra Diœceſim. Barb. *alleg.* 87. *n.* 9.

2. Poteſt Epiſcopus compellere ſubditos ad illud ſolvendum ex manifeſta, & rationabili cauſa. Idem, *ib. n.* 5. 7.

3. Cau-

3. Cauſæ rationabiles ſunt Conſecratio Epiſcopi, vel ſolutio debitorum contractorum pro tuendo jure Eccleſiæ, *ibid. num.* 29.

4. Item magnæ expenſæ in negotiis communibus totius Diœceſis pertractandis, *n.* 30.

5. Fabrica quoque Cathedralis Eccleſiæ, *n.* 31.

6. Viſitatio liminum Apoſtolorum, *n.* 33.

7. Iter ad Papam, vel Regem pro utilitate ſuæ Eccleſiæ, vel Eccleſiæ Univerſalis, *n.* 30.

8. Iter ad Concilium Provinciale, *n.* 34.

9. Poteſt exigere etiam ſub excommunicationis pœna, *n.* 7.

10. Cum conſilio tamen Capituli ſui, & Clericorum, *n.* 11.

11. Canonici Cathedralis debent ſolvere, *n.* 43.

12. Non tamen de Diſtributionibus quotidianis; niſi aliud ſit ſancitum, *n.* 44.

13. Et Beneficiati tantum, *n.* 48.

14. Poteſt Epiſcopus aliquem eximere, *n.* 94.

15. Laici vero non debent, *n.* 42.

16. Neque exempti, *n.* 45.

17. Neque Penſionarii liberi ab omni onere, *n.* 32.

18. Taxa vero debet excedere ſummam factam in expeditione Bullarum Epiſcopi. Congreg. Epiſcop. 1. Martii 1583.

19. Neque majorem ſummam, quam a Benedicto XII. ſtatutum eſt, ſub pœna reſtitutionis, & alia arbitrio Superioris. Prov. 2.

*Vide Extravag.* 1. *de Cenſibus.*

*V. electiones.*

20. Ex urgenti cauſa, ultra taxam ſolitam. Barboſa *loc. cit. n.* 38.

ADDITIO.

1. COadjutor, ſeu Adminiſtrator datus Epiſcopo per Papam, vel Eccleſiæ Cathedrali vacanti, poteſt exigere e ſubditis hoc ſubſidium. Barboſa *de jure Eccleſ.* 3. *c.* 22. *num.* 19.

2. Item Commendatarius perpetuus Eccleſiæ Cathedralis, *ibid. n.* 20.

*Suffraganeus Epiſcopus.*

1. NOn tenetur extra celebrationem Concilii Provincialis, prætextu cujuslibet conſuetudinis, ad Metropolitanam Eccleſiam accedere, nec invitus cogi poteſt. Trid. *ſeſſ.* 24. *capit.* 4.

*Supellex Sacra.*

1. NE tumbis adhibeantur Altarium pallia. Prov. 4.

2. Pulvinaria Miſſalium ne genibus etiam Epiſcopi, ſupponantur. Prov. 5.

3. Ne transferatur ſacra quæcumque ſupellex ad profanum uſum. Prov. 1.

*Suſpenſio.*

1. QUinam incurrant Suſpenſionem, habes in variis titulis hujus Operis, collegit omnes caſus Sylv. *Suſpenſio*, *q.* 6. & Bonac. *diſp.* 3. *q.* 6. *punct.* 5.

2. Suſpenſus a Pontificalibus poteſt exercere juriſdictionalia, non quæ ſunt Ordinis. Sylv. *ibid. q.* 5.

3. Non fit irregularis exercendo Pontificalia ſine Miſſæ celebratione. Idem *ibid.* oppoſitum docet Angel. *ibid. cit.* ſed pendet ex illa controverſia, an Epiſcopatus ſit Ordo.

4. Suſpenſus a Sacramentorum perceptione, vel participatione contrafaciens non fit irregularis. Idem *ibid.*

5. Suſpenſus ab inferiori Ordine non poteſt exercere Ordinem ſuperiorem, non e contra, *ibid.*

6. Suſpenſus a collatione Ordinis inferioris, eſt etiam a collatione ſuperioris, non e contra, *ibid.*

7. Et in prædictis contrafaciens eſt irregularis, *ibid.*

8. Suſpenſus a Beneficio perdit fructus Beneficii, non facultatem adminiſtrandi in ſpiritualibus; vel temporalibus, *ib.*

9. Suſpenſus ab Officio non poteſt exercere juriſdictionem, non eligere, nec Beneficia conferre, *ibidem.*

10. Suſpenſus a Divinis Officiis, ſi interſit ut laicus, non fit irregularis, *ibid.*

11. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ; poteſt tamen celebrare extra Eccleſiam; & orare in Eccleſia, quando non celebrantur Divina Officia, *ibid.*

12. Poteſt etiam percipere Sacramenta extra Eccleſiam, *ibidem.*

13. Si audit Divina in Eccleſia, peccat, ſed non fit irregularis, *ibid.*

14. Suſpenſus ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus, & ſpiritualibus, non eſt ſuſpenſus ab Ordine, *ibid.*

15. Suſpenſus ab Officio Prædicationis, prædicando non fit irregularis, niſi ſit annexum Ordini, *ibid.*

16. Suſpenſus ſimpliciter, intelligitur ſuſpenſus a juriſdictione ſpirituali, collatione Beneficiorum, & electione, *ibid.*

17. Suſpenſus ſine loci determinatione intelligitur ubique etiam in Beneficiis alibi exiſtentibus. Bonac. *diſput.* 3. *q.* 6. *punct.* 3. *Prov.* 2. *de conſ.* Negant alii apud Sayrum *de conſ lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 21.

18. Suſpenſus per annum poterit ultima die anni biſſextilis celebrare. Sylv. *loco cit.*

19. Suſpenſio lata ad tempus, elapſo tempore, ceſſat abſque alia abſolutione. Bonacina *loc. cit. punct. ult.*

20. Item ea, ubi additur: *Donec ſatisfecerit*, ceſſat, data ſatisfactione. Idem *ibid.*

21. Poteſt Epiſcopus abſolvere a reſervata Papæ, ſi provenit ex delicto occulto. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 16.

22. Fructus beneficii pro tempore ſuſpenſionis convertendi ſunt in utilitatem Eccleſiæ. Sayrus *loc. cit. n.* 16.

23. Diſtributiones non ſunt fructus Beneficii regulariter; ideo vel dantur aliis intereſſentibus, vel ipſi ſuſpenſio a Beneficio, non a Divinis. Idem *ibid.* & *n.* 11.

*Synodus Diœceſana.*

1. EPiſcopus nondum conſecratus, ſi Bullas expedivit, poteſt eam convocare. Maſſobr. *de Synodo capit.* 2. *dub.* 1. *n.* 9.

2. Capitulum, Sede vacante, per Vicarium capitulare poteſt. Deciſum refert Garz. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 8.

3. Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt cum ſpeciali mandato. Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 45. *q.* 4.

4. Quotannis debet Epiſcopus eam celebrare. Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 2.

5. Omittens celebrare ſine cauſa eſt ſuſpendendus ab executione Officii. Congreg. Concil. 27. Martii 1509.

6. Per Archiepiſcopum, cui ſubeſt. Maſſob. *loco citato*, *dub.* 3. *n.* 3.

7. Cauſa debet afferri in Viſitatione liminum Apoſtolorum, *ibid.*

8. Paſchale tempus videtur eſſe magis congruum. Bott. *de Syn. par.* 2. *quæſt.* 8. & Gavant. *de Synodo par.* 1. *c.* 2. *annot.* 7.

9. Indicenda eſt in Feſto Epiphaniæ cum Feſtis mobilibus. Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 31.

10. Et per Edictum ſaltem ante menſem. Idem *ibid.*

11. Tenentur accedere etiam exempti omnes, qui alias ceſſante exemptione, intereſſe deberent, neque Capitulis Generalibus ſubſunt. Trid. *loco cit.*

12. Ratione Parochialium, aut aliarum Eccleſiarum ſecularium, etiam annexarum, ii tenentur qui earum curam gerunt. Idem *ibidem.*

13. Tenentur ergo Abbates habentes Capellas, vel populum ſubjectum Epiſcopo, citra Privilegium ſpeciale. Maſſob. *loco cit. dub.* 6. *V. Abbas*, *n.* 38. 39.

14. Prælati ſæculares. Maſſob. *ibid.*

15. Parochi omnes, etiam Regulares, etiam præſentati per exemptos, *ibidem.*

16. Qui obtinent Beneficia ſimplicia, *ibid.*

17. Qui de conſuetudine per decennium introducta ſolent accedere, *ibid.*

18. Vel per ſe, vel per Procuratorem, *ibid.*

19. De Canonicis dubitant DD. extra vim conſuetudinis. Vide Gavant. *loc. cit. annot.* 5.

20. Rectores, qui nullius ſunt Diœceſis, tenentur adire Synodum Epiſcopi, a quo poſſunt viſitari. Congreg. Concilii *ſeſſ.* 24. *cap.* 1.

21. Et ii denique obtinentes Beneficium in Diœceſi, in qua fit Synodus, in alia Diœceſi habitant *ex prædictis.*

22. Culpabiles prædicti poſſunt excommunicari. Bott. *loc. cit. n.* 50.

23. Et ampliatur pœna contra eos, qui veniunt, Synodo abſoluta. Idem *ibid.*

24. Nulla poteſt eſſe præſcriptio non veniendi. Maſſobr. *dub.* 5.

25. Pro Decretis in Synodo evulgandis conſilium Canonicorum eſt requirendum, niſi Epiſcopus præſcripſiſſet oppoſitum. Gavantus *cap.* 6. *ann.* 3. *n.* 1.

26. In ſex caſibus requiritur conſenſus Capituli. Vide Piaſec. *in Praxi Epiſc. p.* 2. *c.* 1. *n.* 9. vel Gavant. *loc. cit. n.* 2.

27. Ordinem ſedendi deſcribit Gav. *ibid. cap.* 8.

28. Paramenta coloris rubri in Epiſcopo, & Canonicis. Cærem. Epiſc. *loc. cit.*

29. Coadjutores Canonicorum utuntur habitu Canonicali. Gav. *loc. cit. c.* 13. *n.* 3.

30. Vicarius Generalis quo habitu utatur, ubi ſedeat, Vide *ibid. n.* 11. 12.

31. Proceſſio ſub una Cruce initio Synodi fit ad inſignem Eccleſiam. Prov. 2.

32. In Miſſa Pontificali Communio Cleri. Pont. Rom.

33. Officiales Synodi ſolent eſſe plures: Præfectus Hoſpitiorum, Promotor unus, aut duo, Secretarius, Notarius, Lector Decretorum, Præfecti Diſciplinæ Synodalis, & ſcrutinii, Judices querelarum, & excuſationum: Procurator Cleri, Oeconomi pro Cathedratico, Confeſſarii Cleri, Magiſtri Cæremoniarum, Oſtiarii Synodi.

34. De quorum muneribus ſingillatim. Gav. *a cap.* 19.

35. De Cathedratico. *V. ſupra in proprio titulo.*

36. De ritu ſtandi, ſedendi, genufleĉtendi in' Synodo. Gav, *loc. cit. c.* 28. *a num.* 14.

37. De concione in Synodo. Idem *c.* 30.

38. Eliguntur Examinatores Cleri, ſex ſaltem. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 28.

39. Examinator Regularis proponatur de nomine proprio, & cognomine. Garzia *p.* 9. *cap.* 2. *dub.* 22.

40. Debent eſſe Magiſtri in Theologia, aut DD. vel licentiati in jure Canonico. Trid. *loco cit.*

41. Si deſint ejuſmodi, eligantur alii de Clero magis idonei. Deciſum refert Maſſob. *in praxi de concurſu. Requiſ.* 12. *dub.* 2. *in fine.*

42. Poſſunt eligi per vota ſecreta, ſeu aperta. Deciſum 11. Julii 1592. *refert Quar. V. Synodum.*

43. A majori parte præſentium in Synodo approbentur. Maſſobr. *loc. cit. dub.* 7. & 8.

44. Jurentque electi ad S. Dei Evangelia. Trid. *loc. cit. ſupra examinatores.*

45. Judices item Synodales eligantur, ſaltem quatuor. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 10.

46. Debent eſſe in Eccleſiaſtica Dignitate, aut Perſonatum obtinere, aut Cathedralium Canonici, *ibid. Vide ſupra. Judices Synodales.*

47. Teſtes Synodales, ſaltem ſeptem eligantur. Prov. 5.

48. Punctatores eligantur. *V. ſupra Punctatores.*

49. Prædicti Teſtes, & Punctatores jurent. Prov. 4.

50. Alii Officiales poſſunt eligi, nimirum
Conſultores S. Officii
Recognitores librorum.
Reviſores indulgentiarum.
Præfecti muſicæ.
Syndici Cleri temporalium,
Vicarius Monialium.
Præfectus ſpiritualis carcerum,
Præfecti proceſſionum.
Præfectus Orationis publicæ.
Pœnitentiarii minores.
Præfecti diſciplinæ Clericalis,
Vicarii foranei.
Viſitatores.
Prior Doctrinæ chriſtianæ.
Confeſſarii Clericorum.
Præfecti fabricæ Eccleſiaſticæ.
Advocati pauperum.
Oeconomi Beneficiorum vacantium,
Præfecti Chori.
Recognitores onerum Miſſarum.
Præfecti Communium Cleri.
Diſpenſatores eleemoſynarum.
Recognitores Kalendarii.
Reviſores adminiſtratorum,
Præfecti Confratriarum.
Præfecti funeralium.

51. Fidei profeſſio emittitur in Synodo ab iis, qui nondum eam emiſerunt. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4.

52. Nimirum Beneficiati, *ibid.*

53. Et alii, qui tenentur ex Decreto. Prov. Med. 1.

54. Vel per ſe, vel per Procuratorem, cum ſpeciali mandato. Maſſobr. *dub.* 40. 43.

55. Evulgentur in Synodo Decreta ultimi Conc. Provincialis. Maſſobr. *dub.* 5. & 6.

56. Item Decreta Trid. de reſidentia, *ſeſſ.* 6. *c.* 1. & *ſeſſ.* 13. *c.* 1. ut *ibid.* dicitur.

57. In Provincia Mediolanenſi leguntur etiam Bullæ Pii II. de male promotis, & Pii V. de Confidentiis. Prov. 3. & 5.

58. Item de vita, & honeſtate Clericorum. Prov. 2. & 4.

59. Item de divinis Officiis. Prov. 2.

60. Item de Chori diſciplina. Prov. 5.

61. Item monitiones ad Clerum. Prov. 4.

62. In fine non interrogatur Clerus, per verbum: *Placet ne vobis.* Congr. Conc. 27. Apr. 1592.

63. Indicitur futura Synodus.

64. De Oratione publica, & acclamationibus, quæ in Diœceſana Synodo omitti poſſunt. Cærem. Epiſ. *lib.* 1. *cap.* 31. *Vide Gav. loco cit. p.* 2. *in fine,* & 3. *cap.* 10. & 11. Plurima idem toto opere citato.

65. Ligant Decreta Synodi Clericos, & laicos Epiſcopo ſubjectos. Maſſobr. *de Syn. c.* 4. *dub.* 77. 78. non autem delinquentes extra Diœceſim. Sà, *V. Lex* 32.

66. Non tenetur Epiſcopus exhibere civitati, ſeu magiſtratibus ejuſdem. Congr. Epiſc. 14. Apr. 1615.

67. Neque tenetur ea mittere Romam. Plaſec. *in praxi Epiſc. p.* 2. *cap.* 2. *n.* 12. *V. Caſus reſervati, n.* 16. *Diſpenſatio, n.* 9. *Vicarius foraneus,* 14.

*Tertiarii.*

1. TErtiarii habitantes in domibus propriis, ſubditi ſunt foro ſæculari. Congr. Epiſc. 17. Maji 1583.

2. Tertiariæ non viventes ſimul, Ordinario ſubjectæ ſunt, ead. 20. Martii 1584. 20. Decemb. 1616. *

3. Eædem habitantes in domibus propriis, non emittant votum [illegible], *ib.* habitandi, eadem 22. Mart. 1583.

4. Non veſtiantur habito Ordinis ſine licentia Epiſcopi, qui eas probet, & ſint ſaltem quadragenariæ, & quæ de ſuo poſſint ali, & cum affinibus in primo tantum gradu cohabitent, ead. 1616. *

5. Prohibentur iiſdem velum ſupra caput, quod ſuperjectum vocant, pectorale, id eſt, ſottogola, & ſcapulare, ne videantur eſſe Moniales, *ibid.*

6. Si opus eſt, compellantur ab Ordinariis, ut ea deponant, *ibid.*

7. Poſſunt extra Paſcha ſumere Sacramenta in aliis Eccleſiis, ubi voluerint, ead. 26. Junii 1615.

8. Viri qui Collegialiter vivunt, aut cum Clauſtralibus habitant, exempti ſunt ab Ordinario, quoad ſepulturam, & alia Privilegia. Congr. Epiſc. 1619. Congreg. Conc. 1608. edito Decreto. *

9. Mulieres Collegialiter viventes, ſeu cum Clauſtralibus degentes, ac mulieres, virginalem, ſeu cœlibem vitam ducentes, expreſſo voto non ſolemni, & ſub decenti habitu Regularium gaudent Privilegiis fratrum, quorum Tertiæ Regulæ habitum geſtant, Leo X. An. 1516. 1518.

10. Mulieres, quæ expreſſo voto caſtitatis, & cum habitu Tertiariarum vivunt, etiam ſi domi habitent ſuæ, exemptæ ſunt ab Ordinario, quoad ſepulturam, & alia Privilegia, ſe habent. Congr. Epiſc. 1616.

11. Non eligentes ſepulturam, ſepeliantur in communi earum ſepulcro, ſi adeſt; alias in Parochiali, ead. *ibid.*

12. Eæ quæ conditiones in Bulla aurea Pii IV. contentas adimpleverint, & habitum receperint, poſſunt, etiam invito, & minime requiſito Parocho, in Eccleſiis fratrum ſepeliri, ead. 31. Decembr. 1615.

*V. Eucharistia n.* 3. *Fori Privilegium, n.* 21. 23. *Regularium jura ſub Epiſc. n.* 53. *Regularium jura circa Tertiarias, per totum.*

*Teſtamentum.*

1. AD pias cauſas valet coram duobus teſtibus, etiamſi ſint mulieres. Sylv. *Teſtamentum.* 1. *q.* 7.

2. Pertinet ad judicem Eccleſiaſticum, idem *ib. Tertium.*

3. Relictum ad pias cauſas per ſolemne teſtamentum, revocatur per non ſolemne ad pias cauſas, idem *ib. Quartum.*

4. Licet inſtitutio facta per mutuum non valeat, tamen valet in relicto ad pias cauſas, idem *ib. Sextum.*

5. Poteſt quis decedere teſtatus, & inteſtatus in relictis ad pias cauſas, idem *ib. Quintum.*

6. Filius familias in adventitiis bonis, ſi uſusfructus eſt patris, diſponere non poteſt ad pias cauſas, idem *ib. q.* 4.

7. Si uſusfructus eſt filii, poteſt. Barb. Non poteſt Bald. quem ſequitur Sylv. *ib.*

8. Non poteſt prodigus ad pias cauſas poſt interdictum, idem *ib.*

9. Poteſt uſurarius publicus, & quicumque peccator notorius, idem *ib.* contra Bartol. cum Bald. & Pan.

10. Item damnatus ad mortem, ſi retinet bona uſque ad mortem, poteſt ad pias cauſas, idem *ib.*

11. Si non eſt pœnitens, nihil recipiat Eccleſia, *ib.* recipi poteſt, ait Sylv. *ib.*

12. Excommunicatus poteſt ad pias cauſas diſponere, *ib.*

13. Valet ultima voluntas ad pias cauſas, licet non inſtituatur ibi hæres, vel non adeatur hæreditas, vel deficiat alia ſolemnitas, idem *ib. q.* 5. *Tertium.*

14. Si dicat Teſtator: committo omnia bona mea arbitrio Titii, tenetur Titius ea diſtribuere in pias cauſas, id. *q.* 9. *Quintum.*

15. Poteſt Epiſcopus compellere executorem in legatis ad pias cauſas, ſaltem ut delegatum, ſi non accepta executione, idem *Teſtam.* 2. *q.* 3. *Primum.*

16. Sede vacante poteſt Capitulum eumdem compellere, *ib. Tertium.*

17. Intellige de Epiſcopo domicilii, niſi in loco originis eſſent facultates, *ib. Quintum,* ſi ibi ſit executor.

18. Vel de Epiſcopo executorem compellente, *ib.*

19. In legatis ſolvendis ad pias cauſas tempus eſt ſex menſium, *ibid.* ideſt, quoad pœnam ſolvendi intereſſe.

20. Executore non exequente poſt duas monitiones, in legatis ad pias cauſas devolvitur executio ad Epiſcopum, *ib. q.* 8. *Primum.*

21. Et devolvitur poſt annum a die mortis. *ib.*

22. Etiam quando executor non potuerit exequi, *ib.*

23. Devolvitur ad Epiſcopum executio quoque ad non pias cauſas poſt annum, *ib. Tertium.*

24. Non poteſt excludi Epiſcopus a Teſtatore in executione ad pias cauſas, *ib. Quartum.*

25. Neque prohibere poteſt Teſtator, non reddi rationem Epiſcopo ab executore, *ibid. Quintum.*

26. Poteſt negligens hæres privari tota hæreditate, *ib. q.* 10. *Quintum.*

*V. Bona Eccleſiaſtica, n.* 29. 30. *Canonicorum diſtributiones, n.* 68. *Epiſcopus, n.* 31. & *ſeqq. Forum Epiſcopale, n.* 21. & *ſeqq. Regularium jura ſub Epiſcopis, n.* 60. *Reſidentia, n.* 3.

*Theo-*

*Theologalis Præbenda.*

1. UBI non eſt, conſtituatur primo vacatura, vel alia ratione inſtituatur. Trid. *ſeſs.* 5. *cap.* 1.
2. Vacatura ſcilicet, non in menſe Apoſtolico. Deciſum refert Garz. *p.* 5. *cap.* 4. *num.* 164.
3. Ubi locus eſt optioni, ea erit Theologalis, quæ vacat poſt optionem. Deciſum a Cong. Conc. 6. Julii 1592.
4. Erecta Theologali Præbenda non poteſt optari a ſequenti Canonico. Deciſum refert Moneta *de optione c.* 3. *p.* 6. *n.* 129.
5. Neque obtinens eamdem poteſt optare aliam. Deciſum refert Garz. in *addit. ad d. c.* 5. *num.* 134.
6. Collatio Præbendæ pertinet ad inferiorem Epiſcopi, electio tamen perſonæ ad Epiſcopum. Deciſum refert Gonzalez, *ad reg.* 8. *Cancell. gloſs.* 9. §. 2. *num.* 83.
7. Inſtituatur etiam in Collegiatis, nedum in Cathedralibus primo vacatura ad hunc uſum. Prov. 1.
8. Quando vacat fiat concurſus, niſi ad Papam ſpectet collatio. Prov. 5.
9. Idoneis tantum conferatur. Trid. *loc. cit.*
10. Tempus, hora, & materia pro lectionibus remittitur arbitrio Epiſcopi. Deciſum 11. Januarii 1594.
11. Conceduntur Lectori Theologo Diſtributiones pro toto die qua legit. Deciſum refert Garz. *p.* 3. *cap.* 2. *n.* 158.
12. Si tamen Matutinum recitetur in Choro pridie diei quo legitur, tenetur eidem intereſſe. Deciſum refert idem *ibid.*
13. In Cathedrali ſaltem die Feſto legatur Scriptura ſacra, arbitrio Epiſcopi. Prov. 5.
14. Poteſt vacare menſe Julio, Auguſto, & Septembri. Deciſum refert Garzia *loc. cit. n.* 156. 157.
15. Scholares audientes in Cathedralibus non gaudent iiſdem Privilegiis, quibus alii in publicis Academiis. Deciſum refert idem *ibid.* n. 117.
16. Theologo legente caſus conſcientiæ, poſſunt cogi presbyteri ad eum audiendum. Congreg. Epiſcop. 16. Martii 1593.
17. Idem reſpondeat gratis Theologicis quæſtionibus ab Epiſcopo vel ab aliis conſultus. Prov. 5.
18. Theologali Præbenda vacante, poteſt Epiſcopus applicare fructus ei, qui interea ſupplet. Congr. Epiſc. 26. Januarii 1594.
19. Ubi viget conſuetudo, quod detur a Capitulo ſtipendium perpetuum Theologo, qui doceat, ea ſervetur, & poteſt conduci ad triennium. Congr. Conc. 14. Maji 1598.
20. Ubi non invenitur Canonicus Theologus, dandi erunt fructus totius Præbendæ Superiori alicujus Monaſterii qui Theologo ſuppeditet. Cong. Concil. 24. Maji 1591. *V. Ludimagiſtri, num.* 3.

ADDITIO.

1. ERectio Theologalis Præbendæ non fit in Cathedralibus Regularibus, ubi Præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſed cogendi ſunt Monachi, ut provideant de Lectore Theologo. *Cong. Conc.* 9. *Septemb.* 1573. *apud Barb. de canon. cap.* 27.
2. Fit in Collegiatis, quarum Præbendæ ſunt de Jurepatronatus laicorum Deciſ. refert *Garz. de benef. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 162.
3. Non eſt in optione Epiſcopi applicare primam Præbendam vacantem aſſignatam pro Pœnitentiario, ſed pro Theologo, ex Trid. *ſeſs.* 5. *c.* 1. ſi fiat ſecus, habenda eſt confirmatio a Papa.
4. Præbenda debet eſſe integra. Deciſum refert *Garz. loc. cit. num.* 128.
5. Si vacaverit Præbenda inſufficiens, poteſt Epiſcopus, altera vacante ambas applicare Theologo, dummodo Canonici habeant ſufficiens ſtipendium. *Cong. Concil.* 16. *Februarii* 1619.
6. Canonicus Theologus, qui reſignavit in manu Ordinarii Præbendam Theologalem, poteſt obtinere mediante optione pinguiorem Præbendam cum retentione ſui ſtalli in Choro. *Congr. Rit.* 2. *Sept.* 1597.
7. Stante conſuetudine in Cathedrali, ut per quemlibet Canonicum habentem Præbendam Canonicatui annexam obtineatur una ex Dignitatibus in eadem Eccleſia, quæ nullum habet emolumentum, ſed ſolum ſedet ſupra Canonicos, poteſt Canonicus Theologus dictam Dignitatem obtinere. *Cong. Conc.* 18. *Nov.* 1628.
8. Theologus ſedet in loco ſui Canonicatus. Deciſum refert *Garz. ad part.* 5. *cap.* 4. *num.* 111.
9. Poteſt Epiſcopus cogere Theologum ad legendum uſque ad privationem Præbendæ. Deciſum refert. *Barboſ. de canon. cap.* 27. *num.* 30.
10. Si ex infirmitate non poteſt legere, non tenetur ponere ſubſtitutum; quando vero eſt ponendus, electio eſt Epiſcopi. Deciſum refert. *Garz. p.* 3. *c.* 4. *num.* 159.
11. Non ſolum lucratur Diſtributiones legitime ob lectionem abſens, ſed etiam emolumenta alia intereſſentibus dari ſolita. *Congr. Conc.* 12. *Aug.* 1628.
12. Ad hanc lectionem Sacræ Scripturæ tenetur Clerus accedere, & ab Epiſcopo poteſt cogi, *ead.* 15. *Aug.* 1618.



*Torneamentum.*

1. TAurorum, & ferarum agitatio prohibita fuit ſub pœna permittentibus excommunicationis ipſo facto. Pius V. Anno 1567.
2. Qui obierit ibi cum feris congrediens careat Eccleſiaſtica ſepultura, idem *ibid.*
3. Clerici, ſi interſint, ſive Beneficiati, ſive in ſacris, excommunicatione puniantur, *ibid.*
4. Ordinariis præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ut impediant pœnis, & cenſuris, *ibid.*
5. In Regnis Hiſpaniarum prædictæ pœnæ ſunt revocatæ his conditionibus, ne fiat in diebus Feſtis, & ita, ut non poſſit alicujus mors ſequi. Greg. XIII. Ann. 1575.
6. In iiſdem Regnis eadem conceſſit Clem. VIII, adhortans Clericos, ne hac benignitate abutantur. Anno 1596.
7. Aliquo ibi occiſo, vel mutilato, irregulares ſunt omnes, qui illuc fuerant cauſa pugnandi, licet non occiderint, aut mutilaverint. Sylvius *V. Torneamentum.*
8. Epiſcopus diſpenſare poterit cum iis, idem *ibid.*
*V. Sepultura, num.* 23.

*Tutela.*

1. MIſerabilium perſonarum omnes Religioſi, Clerici, & Epiſcopi tenentur recipere Tutelam. Sylv. *Tutela q.* 3.
2. Epiſcopi non per ſe ipſos, ſed per Archipresbyterum, vel Archidiaconum, idem *ibid.*

*Vicarius Capitularis.*

*V. Capitulum Sede vacante.*

1. DDeputatus in cauſa hæreſis debet attingere annum ætatis ſuæ quadrageſimum; alias geſta per eum nulla. Sbroz. *de Vic. l.* 1. *q.* 35. *n.* 8. *V. Archivium, n.* 8. *Concilium Provinciale, n.* 11. 54. *Matrimonii impedimenta, num.* 29. *Præcedentia. num.* 30.

ADDITIO.

1. Non debet occupare ſedem primæ Digoitatis, ſed aliam ſedem portatilem. *Congr. Rit.* 11. *Apr.* 1601.
2. Non poteſt dare licentiam erigendi nova Monaſteria. *Congr. Conc.* 19. *Febr.* 1613.

*Vicarius Foraneus.*

1. AD hoc munus eligantur Archipresbyteri, Archidiaconi, & Præpoſiti, aliive in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti; ſin minus Rectores, qui ſunt apti. Prov. 2.
2. Et poſſunt amoveri arbitrio Epiſcopi, dabuntque pœnas, ſi male ſe geſſerint. Prov. 1.
3. Detur illius juriſdictio in cauſis civilibus pro moderata ſumma, & in criminalibus poſſint capere informationes ad Vicarium Generalem tranſmittendas. Congr. Epiſc. 9. Junii 1592.
4. A Vicario Foraneo datur appellatio ad Epiſcopum. DD. apud Barboſ. *alleg.* 54. *n.* 12.
5. Nullam habet præcedentiam ſuper alios ipſo antiquiores in Clero, ratione hujus Officii. Congr. Rit. ſæpe, & nuper 30. Junii 1629.
6. Exceptis Congregationibus, quas ipſe facit, in quibus ſedet primus: eadem 20. Dec. 1603.
7. Conventus Cleri ſingulis menſibus cogantur, ut de Cleri Conventu diximus. Prov. 2.
8. Librum cuſtodiant, in quo quæſtionum explicandarum, & explicatarum concluſiones approbatæ ab Epiſcopo deſcribantur, *ibid.*
9. Viſitent Regionem quiſque ſuam a die Sancti Martini uſque ad Feſtum Sancti Ambroſii, niſi longiori tempore ſit opus. Prov. 5.
10. Ante primam Dominicam Adventus mittant ad Epiſcopum indicem Parochorum, quibus minus idoneis ad concionem dandus erit Concionator in Quadrageſima. Prov. 7.
11. Hebdomada penultima ante Septuageſimam conveniant omnes coram Epiſcopo, niſi aliud præſcribatur. Prov. 5.
12. Antequam veniant, congregatis Parochis ſibi ſubditis, colligant ea, quæ referre debent Epiſcopo, *ibid.*
13. Cum redierint, quiſque ſuos iterum convocet, moneatque de quibus juſſerit Epiſcopus, *ibid.*
14. Feria ſecunda poſt oct. Paſchatis, ſi dies feſtus non eſt, alioquin prima die feriali, iterum convocent Parochos, & colligant, ſi quæ inciderunt poſt Domin. Septuageſimæ, & quæ item ad Epiſcopum pro Synodo referri oportebit, *ibid.*
15. Et licet Synodus non habeatur ob aliquam cauſam, prædicta tamen ne omittantur, *ibid.*
16. Publicatis interdictis iis, qui non communicarunt in Paſchate, curent tranſmitti eorum nomina ad Regulares, ut ſciant. Prov. 7.

## ADDITIO.

1. Non poteſt prohibere concanonicos, ne Capitulum faciant ſine ſua licentia contra uſum Eccleſiæ. *Congr. Rit.* 16. *Decembr.* 1616.

2. Nihil illi datur in funeralibus ratione Vicariatus, *eadem* 7. *Oct.* 1626.

### *Vicarius Generalis.*

1. NON poteſt Epiſcopus creare Vicarium ante apprehenſionem poſſeſſionis Epiſcopatus. Sbroz. *de Epiſcopi Vicario lib.* 1. *q.* 46. *num.* 19.

2. Tenetur autem eum creare, adepta poſſeſſione, & poteſt cogi, idem *ibid. num.* 3. nimirum a Metropolitano, dato certo termino.

3. Statuto termino, & elapſo, poteſt creari ab Archiepiſcopo. Idem *quæſt.* 57. ex Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 16.

4. Alii negant, teneri Epiſcopum ad electionem Vicarii, apud Barboſam, *alleg.* 54. *num.* 125.

5. Debet eſſe Clericus, ſaltem primæ Tonſuræ, DD. communiter apud Barboſam, *loc. cit. num.* 4.

6. Non Clericus conjugatus, *ibid. num.* 6.

7. Non bigamus, *ibid. n.* 11.

8. Non is, qui fuit Judex maleficiorum. Sbroz. *loc. cit. quæſt.* 41.

9. Non obligatus ad Reſidentiam Beneficii gratia. Pe. 5.

10. Debet eſſe Subdiaconus ſaltem. Prov. 6.

11. Annorumque 25. ætatis ſaltem. Sbroz. *loc. cit. q.* 35.

12. Expedit eum eſſe alienæ Diœceſis. Prov. 5.

13. Non paciſcatur Epiſcopus de annuo cenſu ſibi dando. Sylv. *Vicarius quæſt.* 7.

14. Sed illi conſtituat ſalarium. Idem *ibid.*

15. Poteſt Epiſcopus ad expediendas cauſas conſtituere duos principales Vicarios, dummodo tamen ii ſint in loco ubi ſedem habet. Barboſa, *loc. cit. num.* 126.

16. Ex quo fit, ut non poſſit creare duos Vicarios Generales in principalibus locis duarum Diœceſum æque principaliter unitarum. Idem, *num.* 129.

17. Juret antequam officium ſuſcipiat in manibus Epiſcopi ad præſcriptam formulam. Prov. 5.

18. Ordinariam habet juriſdictionem. Barboſa, *loc. cit. num.* 26. 27. negant alii, *num.* 30.

19. Eſt in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, *ib. n.* 135.

20. Et poteſt ideo eſſe Papæ Delegatus, *ibid. n.* 132.

21. Præcedit Archidiaconum, *num.* 144.

22. Et alios. *Vide ſupra præcedentia a num.* 22.

23. Habet facultates Epiſcopales, prout in mandato Epiſcopi. Barboſa *a num.* 60. *& ſeqq.*

24. Non datur appellatio ab eo ad Epiſcopum, *ib. n.* 46.

25. Nihil muneris accipiat ab iis, qui coram eo cauſas agunt. Prov. 3.

26. Neque pecuniæ quicquam pro viſione ſcripturarum ad cauſas, quæ apud eum aguntur, *ibid.*

27. Gratis omnia dentur etiam quoad ſcripturam. Prov. 4.

28. In abſolutione ab excommunicatione, ſi non eſt Sacerdos, ſatius eſſet eam committere Sacerdoti. Sbroz. *lib.* 2. *qu.* 162. *n.* 10.

29. Epiſcopo excommunicato, & denunciato, ſuſpenditur juriſdictio Vicarii. Barboſa, *loc. cit. num.* 146.

30. Expirat per mortem Epiſcopi civilem, ſeu naturalem, *ibid. n.* 151.

31. Neque poteſt cauſas inceptas proſequi, *n.* 156.

32. Non poteſt petere ſalarium non conventum a Succeſſore, pro ſervitio præſtito Prædeceſſori. Idem, *n.* 179.

33. Non ſyndicatur. Greg. XIII. Anno 1578. apud Genuenſ. *in Praxi cap.* 58. *nonæ editionis.*

34. Poteſt puniri ab Archiepiſcopo. Sylv. *Vicarius q.* 5. *Quintum.*

*V. Canonicorum Diſtributiones, n.* 50. *Munera erga Epiſcopum, num.* 24. *Capitulum, num.* 1. *&* 5. *Conſervatores, num.* 6. *Functiones Epiſcopales, num.* 21. *Judex Synod. n.* 7. *Litteræ Dimiſſoriæ, n.* 5. *Matrimonii impedimenta, n.* 22. 26. *& ſeqq. Miſſæ Ritus, n.* 11. 19. *Miſſa Conventualis, n.* 26. *Præcedentia, num.* 22. *& ſeqq. Proceſſio, num.* 2.

## ADDITIO.

1. Abſente Epiſcopo, habet primum locum ſuper omnes Dignitates non obſtante conſuetudine. *Congr. Rit.* 7. *Auguſti* 1610. 20. *Decembr.* 1614. 13. *Julii* 1619.

2. Vicarius, & Canonicus ſimul debens ſedere in ſuo loco Canonicali. *Abbas & alii cum Barboſ. de Canonicis.*

### *Vicarius Perpetuus.*

1. EPiſcopus inſtituat Vicarium perpetuum, ubi eſt opus. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 7.

2. In iis, quæ curam habent animarum tranſlatam in Vicarium perpetuum, aſſignetur eidem congrua portio fructuum, arbitrio Ordinarii. Idem *ſeſſ.* 25. *cap.* 16.

3. Secus, cum primum vacaverit, per ceſſum, ſeu deceſſum Vicarii, aut Rectoris, ceſſet Vicariæ nomen, & Beneficium prius recipiat animarum curam. Idem, *ibid.*

4. Portio aſſignanda Vicario perpetuo ſit major centum, neque minor quinquaginta ſcutorum, computatis incertis percipi ſolitis. Pius V. Anno 1567.

5. Conſtituatur in pecunia, ſeu fundo ſtabili, & habita ratione redditaum, & onerum loci, niſi tamen valor annuus ipſius Parochialis unitæ minor ſit quinquaginta ſcutis, *ib.*

6. Et tunc ſufficit aſſignare omnes fructus Vicario perpetuo, *ib.*

7. Vicarius perpetuus tenetur accipere a Sede Apoſtolica novam proviſionem ſuæ deputationis, *ibidem.*

8. Ejuſdem electio non eſt libera Ordinarii, ſed ad nominationem eorum, quorum ſunt Eccleſiæ unitæ, cum examine, & approbatione Ordinarii, *ibid.*

9. Onera Parochialia ad Vicarium perpetuum ſpectant, nulla ex parte ad Eccleſiam, Monaſterium, ſeu Locum Pium, quibus unita eſt Parochialis. Cong. Concil. 27. Martii 1594.

10. Non poteſt Vicarius perpetuus inſtituere ſibi alium Vicarium perpetuum. Sylv. *Vicarius qu.* 2. *Secundum.*

*V. Parochorum Reſidentia, & Munera.*

## ADDITIO.

1. Non poteſt Epiſcopus conſtituere Vicarium perpetuum, quando a tempore immemorabili unio facta eſt, & ex tunc conſtat Vicarios fuiſſe amovibiles, conſentientibus Ordinariis. DD. cum *Barboſ. de jure Eccl. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 6.

2. Neque quando unio facta eſt per viam concordiæ a Sede Apoſtolica approbatæ, *ibid. n.* 8.

3. Neque quando Beneficium unitum ſit Monaſterio Monachorum, aut Mendicantium. Pius V. 1. *Novemb.* 1567. *apud Quart. V. Vicarius perpetuus.*

4. Neque quando ex Privilegio remunerationis cauſa conceſſo Beneficium ſit unitum cum clauſula ponendi Vicarium amovibilem. Barboſa *loco cit. num.* 10.

5. Neque quando pro bono pacis, & ceſſatione litium, rectaque gubernatione expedit nihil innovari, *ibid. n.* 11.

6. Neque quando adeſt Privilegium conceſſum poſt Concilium Tridentinum inſtituendi Vicarium amovibilem, niſi abuſus irreptet, *ibid. n.* 12.

7. Eleemoſynæ Altarium, funerum, & ſimilium non debent numerari in congrua portione, *ibid. n.* 44.

8. Vicarius perpetuo adſcriptus Eccleſiæ Cathedrali eſt de corpore Cathedralis, & conſequenter incedit ſub illius Cruce. *Congr. Rit.* 21. *Martii* 1609.

### *Violenta manus in Clericum.*

1. MOdica percuſſio eſt pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, baculi, lapidis, quæ ad livorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effuſionem ſanguinis non excedit. Jo. XXII. apud Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 92.

2. Factum tamen, facti qualitas, percutiendi modus, & injuriandi, circumſtantia loci, perſonæ, attendatur, *ibid.*

3. Loci, ut theatro, vel foro, coram Prælato, vel Judice, in Eccleſia coram multis, vel in alio loco publico, *ibid.*

4. Perſonæ, ut Magiſter, Judex, Prælatus, Pater, Patruus, vel quis in Dignitate, vel Perſonatu conſtitutus, ab inferiori, vel humili, *ibid.*

5. In dubio circa metas potius eſt decernendum, quam ultra, *ibid.*

6. Percutiens Epiſcopum nondum conſecratum, non incurrit in Bullam Cœnæ. Nav. *Man. cap.* 27. *num.* 67.

*Vide Abſol. a num.* 16. *Caſus reſervati, n.* 2. *Excommu. num.* 52. *Monialium cura ſpiritualis, num.* 2.

## ADDITIO.

1. Privilegio Canonis gaudent Clerici, de quibus ſupra Clericus, *a num.* 18. *ad* 20.

2. Regulares omnes, Novitii, & Converſi. *DD. communis.*

3. Equites S. Jo. Hieroſol. S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ. Barboſa, *de jure Eccl. lib.* 1. *cap.* 39. §. 1. *num.* 24.

4. Non gaudent mulieres intrantes Monaſteria, in quibus Religio non eſt approbata. Idem, *ibid. n.* 18.

5. Neque Tertiarii, qui in propriis domibus habitant, *ibidem, n.* 22.

6. Neque Eremitæ, qui vagi dicuntur, & qui nec definitum, aut firmum vitæ modum, neque ſpecialem obligationem Eccleſiaſticam habent, *ibid. n.* 23.

7. Propinans venenum Moniali gravidæ, ut abortiatur, ea conſentiente non incidit in pœnam Canonis, *ibid. n.* 37.

### *Viſitatio Epiſcopi.*

1. EPiſcopus tenetur viſitare per ſe, vel Vicarium Generalem, vel alios idoneos Viros. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 3.

2. Singulis annis, vel ſaltem ut tota Viſitatio intra biennium compleatur. Idem *ibid.* quam celerrime, inquit.

3. Ar-

Digitized by Google

3. Arbitrio tamen Epiſcopi relinquitur, modo non gravetur nimium Viſitandi. Deciſum refert Barboſa *alleg.* 73. *num.* 39.

4. Viſitare debet Cathedralem, Collegiatas Eccleſias cum domibus Canonicorum, Parochiales beneficiatas, & alias ſibi ſubjectas, Sacella, Oratoria, Confratrias. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 8. & *ſeſſ.* 6. *c.* 4.

5. Item Hoſpitalia, & Loca pia. Idem *ſeſſ.* 22. *cap.* 8.

6. Non ea, quæ ſub immediata Regum protectione, *ibid.*

7. Capellas regias viſitare poteſt habentes curam animarum circa eamdem curam. Congregatio Epiſcoporum 27. Junii 1618.

8. Collegia quæcumque, etiam inſtituta pro ſuſtentatione ſtudentium pauperum. Garz. *par.* 6. *c.* 1. *n.* 612.

9. Si oriatur dubium, Judex eſt Epiſcopus, vel viſitet uti Delegatus Sedis Apoſtolicæ. Idem *ib.* Barboſa *alleg.* 75. *n.* 20.

10. Item Monachorum, & Regularium Eccleſias, ubi eſt animarum cura. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 7.

11. Etiam Equitum Hieroſolymitanorum. Deciſum refert Vilagut. *in ſpec. Viſitatorum*, *n.* 6.

12. Non autem Monaſterium cum animarum cura, ubi habitat Generalis Ordinis. Tridentinus *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Regularibus.*

13. Unitas Monaſteriis, quæ habent juriſdictionem cum animarum cura, poteſt viſitare circa curam. Deciſum refert Barboſa *alleg.* 74. *n.* 14.

14. Et Unitas illi Monaſterio, in quo habitat Generalis Ordinis, habentes curam animarum. Deciſum refert idem, *ibidem.*

15. Item Eccleſias, quæ ſunt nullius Diœceſis, Epiſcopus vicinior. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 9.

16. Si dubitatur de viciniori, qui ſit, in Concilio Provinciali eligat Prælatus loci idoneam perſonam. Fuſcus *de Viſit. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 2. ex Trid. *ib. c.* 9.

17. Et electione ſemel facta, a Suceeſſoribus non poteſt mutari. Deciſum refert Vilagut. *loco cit. n.* 7.

18. Diſtantia vero eſt menſuranda ab ipſa Cathedrali Eccleſia ad locum exemptum. Deciſum refert idem *ibid.*

19. Poteſt item viſitare Monaſteria virorum, ubi non viget Regularis obſervantia. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 8.

20. Non tamen Prioratus Equitum Hieroſolymitanorum. Idem *ſeſſ.* 7. *cap.* 8.

21. Poteſt & ea in quibus non habitant duodecim, erecta poſt Decretum Urbani VIII. *de Celebratione Miſſarum* 21. *Junii* 1625. *ibid.*

22. Item Monaſteria commendata, perpetuo unita aliis Eccleſiis, vel piis Locis, etiam ſub Regulari protectione. Congreg. Concilii *ad ſeſſ.* 21. *c.* 8.

23. Item Confraternitates laicorum erectas in Eccleſiis Regularium non obſtante quacumque contraria conſuetudine. Congreg. Epiſc. 17. Julii 1615.

24. Non Capellas earum in iiſdem Eccleſiis. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg.* 75. *n.* 13.

25. Poteſt cogere earum Adminiſtratores. Deciſum refert Gratian. *deciſ.* 188.

26. Item quæcumque Loca Pia, non erecta auctoritate Epiſcopi, ut mandentur executioni opera pia relicta. Deciſum refert Barboſa *alleg.* 75. *num.* 14.

27. Monaſteria Monialium Epiſcopo ſubjectarum. DD. communiter.

28. Item Monialium non ſubjectarum Epiſcopo circa Clauſuram. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5.

29. Licet antea nunquam viſitata fuerint. Congreg. Epiſc. 24. *Novembr.* 1617.

30. Etiamſi alieno Epiſcopo ſint ſubjecta. Deciſum refert Barboſa *alleg.* 102. *n.* 6.

31. Et interrogare poteſt Epiſcopus de pertinentibus ad Clauſuram. Congreg. Epiſc. 25. *Februarii* 1583. *V. de ſuo. Monial. Clauſura a n.* 56.

32. Quod attinet ad perſonas Viſitandas, excipe Canonicos exemptos, niſi ad formam. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 6.

33. Item Subcollectores Cameræ Apoſtolicæ, & Officiales Sedis Apoſtolicæ. Deciſum refert Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſs.* 51. *n.* 81. 82.

34. Et alios Clericos exemptos, ſi qui ſunt, ut patet.

35. Ordinem, & modum viſitandi edidit Auctor hujus operis *in Praxi compendiaria Viſit. Epiſc.*

36. Peccat Epiſcopus, qui in Viſitatione aliqua ratione non prævedat populo. Cajet. *V. Epiſcoporum peccata.* Genuenſ. *in Man. Paſtoram capitulo* 34. *num.* 3. niſi aliunde excuſetur.

37. In prima Viſitatione poteſt inquirere circa Bullas Beneficiorum, litteras Teſtimoniales Ordinum, ſcientiam, & approbationem Confeſſariorum; cæremonias Miſſæ; & ejuſmodi: in aliis Viſitationibus non item. Congreg. Epiſc. 23. Auguſti 1593.

38. Non poteſt Epiſcopus jubere edicto, ut detegant ſubditi occulta delicta, multoque minus propoſita pœna excommunicationis. Deciſum refert Barboſ. *alleg.* 72. *n.* 29.

39. Ubi de morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, querela interpoſita, etiam ad Sedem Apoſtolicam, non poteſt impedire, aut ſuſpendere executionem Decretorum. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 10.

40. Non poteſt Epiſcopus in Viſitatione recuſari tamquam ſuſpectus, niſi modum excedat. Deciſum referunt DD. apud Barboſam *alleg.* 73. *n.* 38.

41. Poteſt exigere Cathedraticum in Viſitatione, quod ſingulis annis exigi ſolet. Deciſum refertur *ibid. n.* 44.

42. Adminiſtrationis Locorum Piorum, & Confraternitatum reddenda eſt ratio Epiſcopo, ſi admittatur appellatio, non propterea impeditur, aut ſuſpenditur executio. Deciſum refertur *ibid. n.* 62.

*Vide ſupra locorum Piorum cura a n.* 19.

43. Procuratio in Viſitatione debetur Epiſcopo frugalis, & moderata, pro temporis tantum neceſſitate, & non ultra, Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 3.

44. Decem perſonæ, computato Epiſcopo, & ſeptem jumenta conceduntur. Prov. 4.

45. Fugiat Epiſcopus hoſpitia laicorum, & eorum convivia, *ibid.*

46. A muneribus abſtineat. Trid. *loco cit.*

47. Toleratur acceptio munerum, quæ conſumenda ſunt ibidem, nec alio aſportanda. Vilagut *par.* 2. *n.* 21.

48. Neque accipiantur munera ab Univerſitate laicorum. Genuenſ. *in Man. Paſt. c.* 33. *n.* 4.

49. Neque item a quoquam poſt finitam Viſitationem. Idem *ibid. n.* 5.

50. Quæ ſuperſunt Victualia, erogentur pauperibus loci Viſitati, *num.* 6.

51. Si plures perſonas aſſumat, quam ſolita procuratio iis ſufficere poſſit, expendat Epiſcopus de ſuo. Panorm. & alii apud Felicianum *in Men. Viſitat. lib.* 1. *tit.* 15.

52. Contribuant procurationi Viſitationis Regulares, qui Parochialem Eccleſiam Conventui unitam habent. Congreg. Epiſc. 27. *Auguſti* 1577.

53. Procuratio ad pecuniam redigendam non pendet ex arbitrio Viſitatoris, eadem 22. Januarii 1601.

54. Nec accipiatur in eo loco procuratio, ubi habitat Epiſcopus. Deciſum ſæpius refert Barboſa *alleg.* 73. *n.* 45.

55. Neque ab Hoſpitalibus, locis leproſorum, domorum Dei pauperum, & infirmorum, nec a paupere Eccleſia. Deciſum refert Leo *in Theſ. fori part.* 2. *cap.* 16. *a n.* 42.

56. Neque a Clericis pauperibus. DD. cum Barboſ. *loco cit. num.* 51.

57. Excluduntur medicinæ, ſumptus equorum, plures procurationes, ſi una die duæ viſitentur Eccleſiæ. Zerol. *par.* 1. *Viſit.* §. 6.

58. Neque Notarii poſſunt accipere quicquam pro labore. Trident. *loco cit.* contra Vilagut. *ubi ſupra*, concedentem aliquid moderatum, ſi non habent ſalarium. Negant Zerola *loco cit.* & *alii.*

59. Præſtari debent vecturæ quoque equorum a Viſitatis, ſi Epiſcopus vere egeat, & alias impediretur Viſitatio. Leo *Theſ. fori p.* 2. *c.* 16. *n.* 43.

60. Imo etiam diviti Epiſcopo, ſi adeſt conſuetudo. Idem *ibid. n.* 44. & 45.

61. Qui negant procurationem dare niſi ob evidentem paupertatem, poſſunt cogi ab Epiſcopo quidem, propoſita etiam excommunicatione, ab inferiore vero aliis remediis. Salod. *de Viſit. par.* 2. *c.* 1.

62. Ubi etiam probat, dari procurationem in ſignum ſubjectionis: unde licet Viſitator domi ſuæ comedat, poteſt tamen recipere procurationem: DD. citati, *ibid.* ſed titulus meræ ſubjectionis non mihi placet.

63. Si accipiat Epiſcopus ultra prædicta, non obſtante quavis remiſſione, ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, donec reſtituatur duplum, & intra menſem facienda eſt reſtitutio, ſub hac pœna. Trid. *loco cit. ex Decreto Benedicti XII.*

64. Reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ gravatæ, *ibid.*

65. Laici ad idem tenentur ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & a Communione Euchariſtiæ. *Id. cap. exigit, tit. de cenſ.*

66. Et Epiſcopus tenetur de facto famulorum ſuorum, ſi ſciat, aut ratum habeat, *ibid.*

67. Neque in his valet ulla donantium remiſſio, *ibid.*

68. Sufficit reſtituere ſimplum, etiam poſtquam incurrit. Navarr. *conſil.* 2. *de cenſ.* imo, ſi diſtulerit, ante menſem non incurrit. Zerola *par.* 2. *Viſitat. prim.* Sed oppoſita ſententia eſt communior, & tutior. Vide Nald. *Viſitare n.* 8.

*V. Regularium jura ſub Epiſc. n.* 14. 54.

ADDITIO.

1. Poteſt Parochus denuo examinari ab Epiſcopo recentiori, ex ſuſpicione ignorantiæ. *Congregatio Concilii* 6. *Auguſti* 1628.

2. Ubi habitat Generalis alicujus Ordinis, licet Curatus ſit ſæcularis, hic non eſt ſubditus Viſitationi Epiſcopi Ordinarii Diœceſis. Deciſum refert *Lezana in ſumm. q. Regul. cap.* 11. *n.* 9.

3. Viſitare poteſt tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus Parochialem ſubjectam Olivetanis, & Abbas poteſt condere Decreta cumulative cum Epiſcopo, ſed quatenus ſint contraria, debent prævalere Epiſcopi Decreta. Deciſum refert

29. *Ju-*

Digitized by Google

29. *Julii* 1628. Barboſa *de jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 21.

4. Item Parochiales unitas Monaſterio Canonicorum Regularium, licet Generalis babeat in eo loco Sedem ordinariam Prıncipalem. Deciſum refert 2. Maji 1595. Idem *ibid.*

5. Item Parochus S. Jo: Hieroſolymis curam animarum ſæcularium exercens, tenetur Epiſcnpus tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus viſitare gratis, & abſque impenſa, & nnere Rectorum. Deciſum refert 26. *Junii* 1627. Idem *ibidem*, *num.* 22.

6. Item in Eccleſiis Regularium animarum curam habentium viſitari poteſt, quomodo aſſerventur Euchariſtia, paramenta, Calices, & alia pro adminiſtratione Sacramentorum. Deciſum refert *Fr. Leop.* 2. *cap.* 31. *n.* 3. *& Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.* 74. *n.* 18.

*Viſitatio inferiorum Epiſc.*

1. ARchidiaconi, & alii inferinres, qui jus habent viſitandi, aſſumant Nntarium de conſenſu Epiſcopi. Trid, *ſeſſ.* 24. *cap.* 3.

2. Viſitatores a Capitulo jus habente Viſitationes deputandi, ptius ab Epiſcopo approbentur, *ibid.*

3. Neque ideo omittat Epiſcopus ſuam Viſitationem, *ib.*

4. Poteſt Epiſcopus præſcribere Archidiacono comitatum, & equitatum, ne ſit oneri Eccleſiis. Deciſum refert Barboſa, *ollegat.* 73. *n.* 39.

5. Infetiotibus Viſitatoribus non conceduntur perſonæ ultra octo, & ſex jumenta. Prov. 4.

6. Si accipiant ultra debitam procurationem, de qua in præcedenti titulo *a n.* 52. incurrunt ſuſpenſionem ab Officio, & Beneficio, Trid. *loco cit. ex Decreto Benedicti XIII.*

7. Archidiaconi, & alii inferiores infra menſem tenentur rationem reddere Epiſcopo Viſitationis factæ, & acta integra exhibere, non obſtantibus quibuſcumque. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 3.

8. Punitos a prædictis ſuper eadem re non poteſt Epiſcopus denuo punire. Barboſa *loco cit. n.* 31.

9. Patroni in iis, quæ ad Viſitationem ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum proventus attinent, ſe non immiſceant, niſi ex fundatione competat. Idem *ibid. V. Archidiaconus n.* 5.

*Viſitatio circa Canonicos exemptos.*

1. CAthedrales Eccleſiæ, quæ ante Concilium Trid. privilegio, exemptione, vel clio jure exemptæ erant a juriſdictione Epiſcopi, & illæ, quæ habent concordias confirmatas, debent viſitari ab Epiſcopo cum duobus de Capitulo, adjunctis a Capitulo electis. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6.

2. Intellige concordias firmatas ex certa ſcientia, non in forma communi. Deciſum 13. Novembris 1586. & refett Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 25. *n.* 14.

3. Si Adjuncti requiſiti negligant, vel recuſent procedere cum Epiſcopo, facultas procedendi contra aliquem ex Capitularibus exemptis petinens ad Epiſcopum non devolvitur ad eumdem. Deciſum refert apud Barboſam *alleg.* 73. *n.* 9.

4. Protonotarii exempti poſſunt viſitari ſine Adjunctis, licet habeant vocem in Capitulo exempto. Deciſum refertur *ibid. n.* 10.

5. Niſi contraria conſuetudo, vel ſtatutum. Deciſum refertur *ibid. n.* 11.

6. Contra Coadjutores non tenetur Epiſcopus cum Adjunctis procedere, niſi ex forma Coadjutoriæ colligatur oppoſitum. Deciſum refett Garz. *in addit. par.* 4. *cap.* 5. *n.* 96.

7. Poteſt etiam ſine Adjunctis procedere ad privationem Canonicorum ex cauſa, quod ordines ſuis Præbendis annexos non ſuſceperint. Deciſum refert idem *par.* 3. *cap.* 4. *n.* 22.

8. Item ſine Adjunctis poteſt corrigere, & punire peccata Capitularium, ea pœna, quæ morum magis emendationem, quam punitionem reſpiciat. Deciſum refert Barboſa *alleg.* 73. *n.* 13.

9. Item ſine Adjunctis poteſt viſitare Capitulares, bona, & eorum Adminiſtratores, vel cum quibus Adjunctis ſibi videbitur. Deciſum *ibid. n.* 14.

10. Et ſine iis viſitare corpus Eccleſiæ Cathedralis, Sacramenta, Reliquias, Veſtes, &c. Capellas, Capellanias, dotationes, Anniverſaria, Pia opera. Deciſum refertur *ib. num.* 15.

11. Debet autem Epiſcnpus viſitare per ſe ipſum, & quoties opus fuerit. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 4.

12. Non poteſt ſine Adjunctis proſequi delictum Canonici. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6.

13. Poteſt ſumere ſuum Notarium, non Capituli, *ibid.*

14. Et item Fiſcalem ſuum, vel alium quem voluerit. Idem *ibid.* ubi ait, in conſueto Tribunali.

15. Et in domo ſua. Idem *ibid.*

16. Carcer pro Canonicis ſit in loco decenti, *ibid.*

17. Quomodo ſe gerat Epiſcopus in pœnis eorum. Idem *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. nimirum, ut Paſtor.

18. Appellatio non datur quoad effectum ſuſpenſivum. Idem *ib.* niſi gravamen ſit irreparabile, *ſeſſ.* 24. *cap.* 10.

19. Licet Epiſcopus procedat uti Delegatus Sedis Apoſtolicæ: appellatio tamen fit ad Metropolitanum. Deciſum refert Praxis nova Epiſc. *p.* 1. *Viſit.* §. 3.

20. Adjuncti ſunt eligendi initio anni, & a ſolo Capitulo. Trid. *ſeſs.* 25. *cap.* 6.

21. Eorum auctoritas extenditur ſolum ad cauſas criminales, *ibid.*

22. Quandocumque vult poteſt Epiſcopus procedere contra aliquem, etiam extra Viſitationem, *ibid.*

23. Aſſenſus, nedum conſilium eorum, eſt neceſſarius, *ib.*

24. Non poſſunt recuſari, quia electi a toto Capitulo.

25. Eorum votum eſt unum, ſi diſcordent; & alter eorum adhæreat voto Epiſcopi, & fit ſententia. Trid. *ib.*

26. Si diſcordent ambo ab Epiſcopo, intra ſex dies Epiſcopus, & ipſi eligant tertium, aliter electio tertii devolvitur ad viciniorem Epiſcopum, *ib.*

27. Tertius electus accedat, cui parti voluerit, *ib.*

28. In delictis adulterii, concubinatus, & in atrocioribus & ubi de fuga timetur, poteſt Epiſcopus ſolus ad ſummariam informationem, & detentionem procedere, *ib. Vide ſupra, Clericus concubinarius.*

29. Ubi non eſt crimen grave, neque timetur fuga, Epiſcopus non poteſt, ex eod. *ibid.*

## ADDITIO.

1. POteſt Epiſcopus procedere ſine Adjunctis ad pœnas contra Capitulares non obſervantes diem Feſtum ab Epiſcopo edictum. *Congreg. Concil.* 7. *Sept.* 1630.

2. Item ſine Adjunctis exigere rationes ab Officialibus ex prævio Capitulo conſtitutis, Sede vacante, niſi velit criminaliter procedere. Deciſum refert Garz. *de Beneſ. par.* 5. *c.* 7. *n.* 23.

3. Contra coadjutores cum futura ſucceſſione non tenetur procedere cum Adjunctis niſi ex forma coadjutoriæ colligatur, illis conceſſa fuiſſe privilegia, quæ habent Canonici exempti. Deciſum refert *Garz. addit. part.* 4. *cap.* 5. *n.* 96.

*Votum.*

1. NOn poteſt Epiſcopus diſpenſare in Voto, quo aliena incerta devota ſunt in ſubſidium terræ Sanctæ, ut in alios uſus convertantur. Sylv. *Votum* 4. *q.* 8. *Quintum.*

2. Neque in Voto temporali Religionis cum quis obligatur intrare, non remanere, *ibid. Sextum.*

3. Neque in Voto intuitu perſonæ certæ vel loci, niſi urgente cauſa Archid. & alii. Affirmant alii, apud Sylv. *ib. q.* 6. Quartum.

4. Poteſt impoſita Pœnitentia a Papa traſmutare Votum. Idem *ib. Octavum.*

5. Item in Voto quo exiſtens in religione laxiori vovet ſtrictiorem, *ib. q.* 3. *Sextum.*

6. Et habens Votum ſimplex de arctiori tranſeat ad laxiorem, *ib.*

7. Votum peregrinationis, ad Ædem Lauretanam eſſe reſervatum Papæ, dixit Navar. & Nald. *Votum*, *num.* 32. allegat breve Greg. XIII. ſed nunc non attendi in praxi, docet Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *&* 11. *quæſt.* 4. *& alii cum Nald. ſupr.*

8. Voti reſervati qualitas, puta eundi pedibus ad Sanctum Jacobum, &c. non eſt reſervata Papæ. Nald. *Votum* 52.

9. Cauſæ diſpenſandi ſunt tres: malum, inutile, majoris boni impeditivum. Sylv. *q.* 6. *loc. cit.*

10. Diſpenſatio nihil loco Voti injungit. Navarr. *in Man. cap.* 12. *n.* 63.

11. Cauſæ commutandi ſunt, impoſſibilitas, ſeu incommoditas, vel major utilitas, arbitrio boni viri. Sylv. *ſupra.*

12. Et ſaltem ſit æqualitas in commutatione, *ib. q.* 8. *Secundum.*

13. Commutatio Voti ad locum pium tutius fit in favorem ejuſdem loci pii. Nald. *ſupra* 70.

14. Si ob calamitates a populo Votum Deo fiat, non ante, quam agatur cum Epiſc. Prov. 5.

15. Fiat deinde cum aliqua ſolemnitate, pridie veſperi dato Campanæ ſigno, adultis omnibus mane convenientibus Sacra Euchariſtia refectis, Proceſſione indicta, Miſſa celebrata, Concione devota habita Clero loci præſente, & poſt offertorium, *ib.*

16. Qui univerſitatis nomine ſunt delecti, genibus flexis coram Sacerdote Celebrante, in ſcriptis voti formulam præſcriptam pronuncient, *ibid.*

17. Inſtrumentum Voti a Notario confectum mittatur ad Epiſcopum, ut in Archivio ponatur, *ib.*

18. Si perpetuum eſt, in tabula lapidea incidatur, & indicetur, *ib.*

19. Ubi vero, puta ob peſtem, convenire non poſſunt omnes, alia ratio ineatur, donec fieri poſſint, quæ ſuprascripta ſunt, *ib.*

20. Vota populorum cenſentur obligare perpetuo ſucceſſores, ſi fiant cum auctoritate Epiſcopi, non in vim Voti, ſed præcepti Eccleſiaſtici. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 9. *fin.* Nald. *Votum*, *n.* 9. *V. Diſpenſatio*, *n num.* 18. *Legatus*, *num.* 2.

Uſu-

*Uſura.*

1. CAmbia ſicca damnantur, & ficta. Pius V. Anno 1571.

2. In realibus damnatur dilatio termini ſolutionis præſtitum, lucro recepto ex tacita, vel expreſſa conventione, ſeu etiam promiſſo tantum, *ib.*

3. Nec a principio, neque alias, audeant paciſci certum intereſſe, etiam in caſu non ſolutionis, *ibid.*

4. Neque fiant cambialiter, quam primis nundinis, ubi illæ celebrantur; ubi vero non celebrantur pro primis terminis juxta uſum locorum, *ibid.*

5. In terminis habeatur ratio longinquitatis, ſeu viciniatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, *ibid.*

6. Qui contra hæc fecerit, uſuræ pœnis ſubjiciatur, *ibidem.* (1)

7. Qui congeſtam undique pecuniam ita ad ſe redigunt, ut quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis contra exercentes monopolia conſtitutis ſubjiciantur, *ibid.*

8. Epiſcopus domos ſuas locans, vel ſua alio titulo concedens ad fœnus publice exercendum Uſurarum hominibus alienigenis, & alii non oriundis ex terris ipſorum, vel ſi eos in terris ſuis habitare permiſerit, ſuſpenditur. Barboſa *alleg.* 111. *num.* 24. *Vide locum.*

(1) Confer Benedicti XIV. Encyclicam de Uſuris 1745.

9. De aliis Superioribus in hac materia. Sylv. *Uſura* 9. *quæſt.* 22.

10. Clericus Uſurarius, vel hæres Uſurarii cogitur reſtituere Uſuras ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, & deputationis. Idem *Uſura* 6. *quæſt.* 8.

11. Uſurarius manifeſtus eſt, qui eſt notorius de jure, vel de facto, vel qui coram Sacerdote, & teſtibus in articulo mortis confeſſus eſt Uſurarium, & mandavit Uſuras reſtitui. Idem *Uſura* 9. *qu.* 1.

12. Poteſt publicari talis, etiam poſt mortem, *ib. qu.* 1.

13. Non eſt admittendus ad Sacramenta, neque ad oblationem, niſi idonee caveat pro reſtitutione, *ibid. qu.* 4.

14. Qui recipit oblationem, eſt ſuſpenſus ab officio, donec reſtituat ſpoliatis arbitrio Epiſcopi.

15. Careat Uſurarius manifeſtus Eccleſiaſtica ſepultura, *ib.*

16. Licet mandarit reſtitutionem, niſi re ipſa ſatisfaciat, aut pignoribus, aut fidejuſſione idonea data. Prov. 2.

17. Parochus ejuſmodi hominem ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradens, eſt excommunicatus, ex Conſtitutione Clem. V. Prov. 2. & Sylv. *loc. cit. qu.* 4.

18. Alias pœnas temporarias recenſet. Idem *ibid.*

19. Cautione data poſt mortem, poteſt ſepeliri in loco ſacro. Idem, *ib. qu.* 10.

20. Incertorum reſtitutio ejuſmodi hominum ſpectat ad Epiſcopum. Idem. *Vide Reſtitutio* 8. *quæſt.* 5.

21. Jurans non repetere Uſuras, poteſt ex nova cauſa admitti ad repetitionem. Nald. *Uſura*, *num.* 6.

*V. Contractus*, *num.* 15. *Teſtamentum*, *num.* 9.

*Finis Primæ Partis.*

M A

# MANUALIS EPISCOPORUM
## PARS SECUNDA.

## AD LECTOREM.

DESIDERAVERE non pauci, in calce Manualis noſtri Epiſcoporum, Bullas Pontificias, & Sacræ Romanæ Congregationis Decreta, prælo Romano jam data, & in eodem Manuali citata, notaque Aſteriſco iiſdem ipſis verbis, quibus in vulgus emanaverunt; quippe quæ, vel ad omnes non devenerunt; vel quia in foliis ſeparatim edita evanuerunt; vel quia in Bullario novo impreſſa, volumine grandi, incommode circumferri poſſunt. Ea igitur ſelegi, quæ præ manibus Epiſcoporum haberi debent, & Additionibus ejuſdem Manualis addidi, ordine temporum ſervato, quo a S. Sede Apoſtolica prodierunt: Videlicet

1. *DE executione Concilii Tridentini contra Regulares.*
2. *De Conſervatoribus Regularium.*
3. *De Exemptorum Privilegiis.*
4. *Dubia emanata cum Reſponſionibus.*
5. *De Conceptione B. Virginis Mariæ.*
✠ *Bulla Alexandri Papæ. VII. de eadem Conceptione.*
6. *De executione novorum Conventuum.*
7. *De ſollicitatione Mulierum in Confeſſione.*
8. *Revocatio licentiarum loca Regularia erigendi.*
9. *Contra male Ordinantes, & Ordinatos.*
10. *Definitio quoad Imagines nondum Canonizatorum.*
11. *Declaratio de eadem re.*
12. *De Celebratione Miſſarum.*
13. *Dubia de eadem re cum Reſponſionibus.*
14. *Approbatio Decreti pro Abbatibus in Miſſarum ſolemniis.*
15. *Revocatio licentiarum legendi Libros prohibitos.*
16. *Decretum de electione Patronorum.*

*Adjecimus Formulam conficiendi Inventarii bonorum Eccleſiaſticorum.*

# ADDITIONES NOVÆ
## AD MANUALE EPISCOPORUM.

### I.

De executione Concilii Tridentini contra Regulares non ſubditos Epiſcopo, extra Clauſtra notorie delinquentes, & de pœnis eorum Superiorum illos punire negligentium.

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Anno 1596. 23. Februarii.*

SUſcepti muneris ratio poſtulat, ut ea, quæ in ſacro Tridentino Concilio provide conſtituta ſunt, ab iis ad quos ſpectat, inviolate obſervari curemus.

Maturo ſane Conſilio ipſius Concilii Decreto proviſum eſt, ut quicumque Regularis non ſubditus Epiſcopo, intra Clauſtra degens, extra ea ita notorie deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, a ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſevere puniatur, & Superior de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minus ipſe a ſuo item Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

Verum quia experientia compertum eſt interdum in hujuſmodi Decreti executione nimis remiſſe procedi: cum enim Epiſcopus inſtat aliquem Regularem, eo, quo ſupradictum eſt, modo delinquentem, a ſuo Superiore puniri, ſæpe fit, ut Superior Regularem delinquentem ad alia ſuorum Ordinum loca, extra Epiſcopi Diœceſim, ex induſtria impunitum tranſmittat, atque etiam ipſe aliquando ad alias Provincias ſe conferat, nec ulterius ſuper delinquentis exceſſibus inquirat, & de ejus punitione Epiſcopum certiorem reddat. Unde nec Regularis delinquens nunc ab Epiſcopo puniri poteſt, eum extra ipſius Diœceſim exiſtat, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur.

Nos pro Paſtorali noſtra ſollicitudine, præfati Decreti executioni, quantum cum Domino poſſumus favere, & præmiſſis malis, ut par eſt, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium prædicti Concilii Interpretum ſententia: Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, omnibus, & ſingulis cujuſcumque Ordinis, & inſtituti Regularium, etiam Mendicantium Superioribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & Officiorum per eos obtentorum eo ipſo incurrendis pœnis præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum Decretum, quilibet ipſorum, Regularem non ſubditum Epiſcopo; intra clauſtra degentem, & extra ea ita notorie delinquentem, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſevere puniat, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, & alias Decretum ipſum, omnibus, & per omnia exequatur; Cæterum ſi Superior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimmo ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca, extra Epiſcopi Diœceſim, ut præfertur, tranſmiſerit: volumus, & ſimili motu, atque auctoritate decernimus, ut Superior inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac privationis Dignitatum, & Officiorum obtentorum, nec non & ſub inhabilitatis ad illa, & alia in poſtremum obtinenda, ac ulterius privationis activæ & paſſivæ vocis, ad quas a nemine præterquam a nobis, & a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, reſtitui poſſit, ipſo facto ſimiliter incurrendis pœnis,

ipſum Regularem delinquentem a loco ad quem tranſmiſſus fuit, revocare, & in quo deliquit conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quod ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, ut Ordinarius loci ad quam Regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci in quo deliquit ſimiliter requiſitus, vel alias de illius delicto informatus, ut præfertur, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus omnino exequi, & in Regularem delinquentem ſevere animadvertere poſſit, & debeat.

## II.

### De electione Judicum Conſervatorum pro Regularibus.

*GREGORIUS XV.*

*Anno 1621, 20. Septembris.*

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Gregorius Divina providentia Papa XV, ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus, & de voto Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, partim fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris ſui veſtigiis inhærendo.

Revocavit, ac nullas, & invalidas decrevit omnes, & quaſcumque Judicum Conſervatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes, tam in vim litterarum Conſervatoriarum, juxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, quam in vim quorumque privilegiorum perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum, Apoſtolica auctoritate conceſſorum, ſeu alias quocumque jure, vel titulo hactenus factas pro quibuſcumque Conventibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Joannis Hieroſolymitani Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut aliis quibuſvis piis, tam Sæcularibus, quam cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, ſeu Inſtituti, vel Societatis Regularibus, locis quantumvis exemptis, etiam de neceſſitate exprimendis, ſeu illorum perſonis, cujuſvis qualitatis, ſeu conditionis exiſtant.

In futurum vero Sanctitas ſua hac generali, & perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuit, & decrevit, ut Judices Conſervatores hujuſmodi, ſive principales, ſive ſubrogati eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolum habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimilis rec. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris ſui, quæ incipit: Statutum, itaut vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant; ſed etiam in Conciliis Provincialibus aut Diœceſanis juxta Decretum Concilii prædicti, judices electi, ſeu deſignati ſint.

Quodque deinceps litteræ Conſervatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ ſupraſcriptis tantum dirigantur, & ſi quæ litteræ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujuſmodi, omniaque exinde ſequenda nullius ſint roboris, vel momenti.

Et nihilominus qui ſecus, quam juxta formam ſuperius præſcriptam, Conſervatores hujuſmodi cum effectu eligere, nominare, ſeu deputare, aut electis, nominatis ſeu deputatis uti auſi fuerint: Regulares quidem voce activa, & paſſiva ſint ipſo jure privati, adeo ut habilitationem a nemine, præterquam a Romano Pontifice, conſequi valeant; reliqui vero aliis pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conventus, Monaſteria, ac loca hujuſmodi, eorumque perſonæ, ac bona, careant Conſervatore ad annum, itaut illorum cauſæ interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognoſci, ac deffiniri debeant.

Cæterum ut latius pateat Conſervatorum hujuſmodi eligendorum facultas, Sanctitas ſua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates in prædicta Conſtitutione ejuſdem Bonifacii Prædeceſſoris contentas, & alioquin ad id aptas deſignari procurent, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum.

Inſuper Sanctitas ſua inhærendo in hac parte Decreto ſimilis recordationis Gregorii Papæ XIII. etiam Prædeceſſoris ſui, ſtatuit, & ordinavit, ut Regulares, ac perſonæ hujuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam vero infra ſex menſes a die publicationis in Urbe præſentis Conſtitutionis inchoandos, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſervatores juxta formam ſuperius propoſitam.

Ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus hujuſmodi penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapſo, quamdiu Conſervatores ſecundum formam præſentis Conſtitutionis non elegerint, coram eiſdem Ordinariis conveniantur.

Quodque Conſervatores hujuſmodi ſemel legitime deputati, niſi ex legitima cauſa a Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout iiſdem Regularibus, & aliis ſupradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio a die deputationis, amoveri, aut mutari nullatenus poſſint, aut valeant.

Ad hæc ſtatuit Sanctitas ſua, ut coram ipſis Conſervatoribus Regulares, ac perſonæ ſupraſcriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios convenire, aut trahere non poſſint, itaut memorati Conſervatores in cauſis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant, ſed in iis tantum, in quibus rei extiterint, neque extra Civitates, ſeu Diœceſes in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere præſumant.

Si qua vero inter Judices Conſervatores hujuſmodi, & locorum Ordinarios controverſia ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma Juris electos ſuper juriſdictionis competentiam fuerit judicatum.

Quod ſi qui Conſervatores, ſive in hac parte, ſive alias quomodolibet ſuos limites exceſſerint, per annum ab Officio Conſervatoris hujuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars quæ hoc fieri procuraverit, ſententiam excommunicationis incurrat juxta formam alterius Conſtitutionis ejuſdem Bonifacii Prædeceſſoris, quæ incipit: Hac Conſtitutione, quam Sanctitas ſua omnibus, quæ præſenti Conſtitutioni non adverſantur, innovavit, & innovat.

Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominus Regulares, & alii ſupradicti in caſibus a jure permiſſis petant Judicem non ſuſpectum a Principibus, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus; dum tamen hæc tria copulative concurrant; videlicet ut Regulares, & alii prædicti ſint actores, non autem rei; utque agant contra laicum, aut contra Eccleſiaſticum, vel alias a juriſdictione ſæculari exemptum, atque ut cauſa, in qua Judex deputatur, fuerit prophana, non autem Eccleſiaſtica, & in ea juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem laicus ut præfertur, eligendus Judex competens exiſtat.

*Sequitur aliud Dubium ſuper prædicta Conſtitutione exortum, cum ſua declaratione.*

IN Conſtitutione de Conſervatoribus, edita a Sanct. mem. Gregorio XV, ex ſententia Sac. Cong. Conc. inter cætera ſtatutum eſt, ut coram Conſervatoribus Regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios convenire aut trahere non poſſint, itaut memorati Confeſſores in cauſis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant, ſed in iis tantum, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per hæc verba ſublata ſit facultas, quam habent Conſervatores defendendi Regulares & alios a manifeſtis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a ſuis poſſeſſionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti, ac frui impediuntur.

Sacra Congr. Cardin. Concilii Trident. Interpretum cenſuit, ejuſmodi verbis minime ſublatam fuiſſe facultatem quam habent conſervatores defendendi Regulares a manifeſtis injuriis, ac violentiis; dummodo obſervent formam præſcriptam in Conſtitutionibus Innocentii IV. & Bonifaci VIII. relatis in c. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.

C. Card. de Torres.

*Proſper. Fagnanus S. Cong. Secr.*

## III.

### De Exemptorum Privilegiis circa animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, Sanctimonialium Monaſteria, & Prædicationem Verbi Dei.

*GREGORIUS XV.*

*Anno 1622. 5. Febr.*

SAne Tridentinæ Synodi Decretis provide cautum eſt nullum Presbyterum etiam Regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale Beneficium habeat, aut ab Epiſcopo per examen, ſi illi videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat.

Necnon in Monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præterea, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia perſonæ, tam regulares, quam ejuſmodi curam exercentes, ſubſit immediate in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt ſita. Itemque ut Epiſcopi univerſi ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ in Monaſteriis ſibi ſubjectis Ordinaria; in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent; inobedientes, atque contrafacientes per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes.

Atque ut Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Eccleſiis vero quæ ſuorum Ordinum non ſunt nullo modo prædicare poſſunt ſine Epiſcopi licentia: contradicente autem Epiſcopo, nulli, etiam in ſuo-

ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicare quidem præſumant.

Verum quia experientia compertum Eccleſiaſtici regiminis rationem poſtulare, ut Decretis ejuſmodi aliquid adjungatur; matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quam Sæculares, quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum Sæcularium Monaſteriis, ſeu domibus Regularibus aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel beneficiis, ſive Regularibus ſive Sæcularibus incumbentium exerceant; ſive alias Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis, miniſtrent, prævia Epiſcopi licentia, & approbatione; ſive quoquomodo in dictæ curæ exercitio; aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerant in his, quæ ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, plene in omnibus ſubjiciantur. Ad hæc tam Regulares, quam Sæculares hujuſmodi nullis Privilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum ab Epiſcopo loci ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

Confeſſores vero, ſive Sæculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi ſi ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedetur, obtineant. Sed & Adminiſtratores bona ad ejuſdem Monaſteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus ſubjectarum pertinentia, ſive Regulares extiterint, ſive Sæculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo, ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoveant, iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit. Ac ſimiliter Epiſcopus, una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorumdem Monaſteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere; abſque ulla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.

Ac demum habeat Epiſcopus, tanquam dictæ Sedis Delegatus, auctoritatem coercendi, aut puniendi quoſcumque exemptos tam Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſiis, etiam quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerit. Itaut Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, in præominatas perſonas, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Viſitationem, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, uti ejuſdem Sedis Delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere libere, & licite valeant.

## IV.

*Subſequuntur aliquot Dubia ſuper prædicta Conſtitutione exorta.*

I. DUbitatur: An liceat Epiſcopis viſitare Altaria Regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum Sæcularium non incumbit, aut loca ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confeſſiones perſonarum Sæcularium?

II. An Epiſcopi poſſint Regularibus præſcribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel alias illorum privilegia reſtringere, ac moderari in Sacramentis adminiſtrandis?

III. An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos tam Sæculares, quam Regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius Diœceſis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus?

V. An per eamdem Conſtitutionem in illis verbis, poſſit Epiſcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatiſſarum, &c. electionibus per ſe, vel alium intereſſe, ac præſidere; jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur?

VI. An Confeſſores Monialium ante editam Conſtitutionem deputati, debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari?

VII. An Superiores Regulares ſimiliter ante ipſam Conſtitutionis publicationem electi, ſeu deputati, alia indigeant Epiſcopi approbatione pro Confeſſionibus Sanctimonialium ſibi ſubjectarum audiendis?

VIII. An Confeſſiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, ſeu deputati, vel confirmati poſt publicationem, & ſcientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Epiſcopi approbatione, ſint nullæ, atque irritæ, necne?

IX. An Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad Confeſſiones perſonarum Sæcularium audiendas, cenſeantur etiam approbati ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum?

X. An Regularis ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatus, Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii audire poſſit?

XI. An Confeſſores Regulares extraordinarii ſemel ab Epiſcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confeſſiones proxima vice infra annum ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini poſſint, virtute dictæ approbationis pluries tanquam Confeſſores extraordinarii earumdem Confeſſiones audire abſque Epiſcopi licentia?

XII. Cum in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, ut liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere ut amoveant Confeſſores Monialium, atque Adminiſtratores bonorum ad earumdem Monialium Monaſteria pertinentium: iiſque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit: An ejuſmodi cauſam Epiſcopus Superioribus Regularibus ſignificare teneatur?

XIII. An eadem Conſtitutio quæ ſupponit Epiſcopi juriſdictioni Regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem eorumdem Monaſteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero ſolum in notoriis, & cum ſcandalo populi?

*Subſequuntur Declarationes ad ſupradicta Dubia a Congregatione Card. S. Concilii Tridentini Interpretum datæ, & ab iſto, & Urbano VIII. ejus Succeſſore reſpective approbatæ.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Conſtitutionem ſanctæ memoriæ Gregorii Decimiquinti de Exemptorum Privilegiis, nequaquam ſubjicere Regulares Exemptos, quibus cura animarum perſonarum Sæcularium non incumbit, Epiſcoporum juriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cum in Sacramentis perſonis Sæcularibus adminiſtrandis iidem Regulares delinquunt ac propterea:

1. AD Primum Dubium reſpondit, Epiſcopis non licere in vim ejuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum Sæcularium, nec loca ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi Confeſſiones perſonarum Sæcularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Conſtitutionem nihil novi juris induxiſſe, nec ullam novam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe: Ideoque in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel alias illorum privilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari. Quod ſi aliunde Epiſcopis hujuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem Conſtitutione ſublatam.

Ad III. Cenſuit ejuſmodi facultatem non intelligi tributam Epiſcopis in perſonas nullius Diœceſis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Jus confirmandi Abbatiſſas minime fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum.

Ad VI. Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus poſſe poſt Conſtitutionem illarum Confeſſiones audire, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios vero Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos, poſſe, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confeſſionibus Sanctimonialium audiendis abſque alio examine, & approbatione Epiſcopi. Quod ſi contingat, ut illorum facultas a Sede Apoſtolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari.

Ad VII. Superiores Regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius Conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, poſſe, durante eorum Officio, pergere ſine alia Epiſcopi approbatione in Confeſſionibus audiendis illarum tantum, quæ ſponte ac proprio motu id ab eis petierint. Ac vero eos, qui poſt Conſtitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum Officiis, ſeu dignitatibus, expleto jam tempore a Conſtitutionibus, cujuſque Ordinis, vel alias legitime præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium Confeſſiones audire, niſi prius a Diœceſano Epiſcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.

Ad

Ad VIII. Confeſſiones hujuſmodi nullas, atque irritas eſſe.

Ad IX. Regulares generaliter ab Epiſcopo approbaros ad Confeſſiones perſonarum Sæcularium audiendas, nequaquam ceuſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas Confeſſinnes Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo appeobatum, minime poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii.

Ad XI. Cnnfeſſores extraordinarios ſemel deputaros, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe plures in vim approbationis ejuſmodi illarum Confeſſiones audire; ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputarionis contigerit.

Ad XII. Non teneri ejuſmodi cauſam ſignificare Superioribus Regularibus, ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam Sacra Congregatio ſerio oneravit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in diſtricto Dei Judicio rationem reddituri.

Ad XIII. Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis, nnn autem in nutoriis tantum, & cum populi ſcandalo.

*Quæ Sacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata fel. rec. Greg. XV. & S. D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbarunt.*

A. Card. Cajetanus.

*Proſper Fagnanus S. Cong. Secr.*

*Subſequuntur alia duo Dubia, ab eadem Congregatione declarata, & a S. D. N. approbata.*

AN Regularis abſque legitima licentia accedens ad Monaſterium Monialium Regularibus ſubjectarum, ibique in loco colloquiis deſtinato cum Moniali colloquens, a Diœceſano Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coerceri, & puniri poſſit?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Poſſe. Quam Congregationis ſententiam Sanctiſſimus Dominus Noſter Urbanus VIII. ad ſe relatam approbavit.

AN liceat Epiſcopo in vim Conſtitutionis ſanctæ mem. Gregorii XV. de exemptorum Privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt, ante tempus ipſi Epiſcopo ſignificatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit: Regulares ex eadem Coostitutione ita demum teneri Epiſcopo ſignificare diem electionis Abbatiſſæ, eumque uſque ad præfinitum tempus expectare, ſi antea ipſe expreſſe declaravit, ſe uti velle facultate ſibi hac in parte attributa, Abbatiſſarumque electionibus per ſe, vel per alium intereſſe ac præſidere. Poſt eam vero declarationem licere Epiſcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut die electionis eidem nnn prænunciata, ad Abbatiſſæ electionem procedunt.

Coſ. Card. de Tnrres.

*Proſper Fagnanus S. Cong. Secr.*

*Sanctiſs. D. N. CLEMENTIS*
*Divina Providentia Papæ X.*

Conſtitutio, in qua Regularium Privilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.

SUperna, &c.

Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere; prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem, nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, ne in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare, eoſque contravenientes ab illo tamquam a Sedis Apoſtolicæ Delegatu, cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis, in vim Conſtitutinnis fel. rec. Greg. XV. prædeceſſoris noſtri incipientis, *Inſcrutabili Dei providentia*, coerceri, & puniri poſſe; Epiſcopum tamen abſque juſta, atque rationabili cauſa contradicere non debere, & hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, vel ad crates Monaſteriorum, aut Sanctimonialium eorom juriſdictioni ſubjectarum, licet clauſis januis, & nullum ſæcularem ibi ingreſſum habere voluerint; Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſam Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt prædicare volentibus, illos tamquam ab Univerſitatibus aut a Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſnres per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine cnncedere conſueverint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum erit, & licentiam peædicandi ſemel iiſdem cnnceſſam ob rationabiles cauſas, licet occultas, Prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere; non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent.

Adhæc Regulares ab Epiſcnpo ad Cnnfeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint eidem Epiſcopo, a quo ipſi Religioſi jam fuerint approbati: & generaliter ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium Confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minime poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiunem pro una vice audieodas, haud poſſe, expleta Deputatione in viam approbationis hujuſcemodi, illarum Confeſſiones audire, ſed tnties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus Deputationis contigerit. Cæterum in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quam Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriurum, ſeu Collegiorum audire Confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui Commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis quoque & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporum, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad cæteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti arbitrio Ordinariorum, relinqui ipſos cum limitata facultata, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur probare, & admittere. Semel autem ab Epiſcopo approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi, quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque etiam infirmorum Confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem infirmorum Parochum certiorem reddere: & hoc illis ab Epiſcnpo ſub pœna ſuſpenſionis a facultate audiendi Confeſſiones præcipi: ſufficere tamen ut certioratiu hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutinni, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos; Regulares vero ad ejuſmodi Confeſſiones audiendas, prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo: ſecus autem ſi ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſnribus Epiſcopis approbatos non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab ejuſdem Confeſſinnibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias ipſis conceſſas revocari niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat, de qua tamen haud neceſſarium eſſe ut in Actis conſtet, neceam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedis Apoſtolicæ dumtaxat ubi eam aperiri poſtulaverit. Porro ſi Regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſte vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicin videantur a Confeſſionibus ſuſpendi, in quo ipſius Epiſcopi cooſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſam ad Confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quin minus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares a ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere a Confeſſionibus audiendis. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopi inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. Ex facultatibus per mare magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis etiam Jeſu, conceſſa factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per Confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares a Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concil. Trid. obtinuerunt, nequaquam reviviſſe Privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habeant, abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſervatis.

Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere; poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere; niſi eoſdem Pœnitentes noverit in fraudem reſervatioois ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtineoda migraſſe. Vigore ſupradicto dictorum Privilegiorum, nequaquam licere Regularibus etiam ſatisfacta parte abſolvere Pœnitentes a cenſuris, quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo.

Quinimmo cenſuris Eccleſiaſticis irretitus, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi a Regularibus fuerint abſoluti, quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis Privilegiis coram Epiſcopo ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur; ſi dictorum Privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe recurrendum ad Metropolitanum, ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio, prout per alias Conſtitutiones Prædeceſſoris noſtri &c. record. Clem. IV. ſtatutum fuit, eſſe exequendum.

Non obſtantibus quibuſcumque &c. etiam inſolitis caſibus.

Datum Romæ anno 1670. xi. Kal. Julii Pontificatus noſtri anno primo.

Nota: In propoſitionibus damnatis ab Alexandro VII. propoſitio duodecima videbatur limitata ad ſolos Mendicantes. Ita enim habet propoſitio: Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcopi facultate. At Clem. X. magis ample loquitur, dum abſolute ſic pronunciat. Ex facultatibus per mare magnum, aliave privilegia, cujuſcumque Ordinis, inſtituti, aut Societatis etiam Jeſu contentis, facta eis non eſt poteſtas abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis.

## V.

## De Conceptione B. Virginis Mariæ.

### GREGORIUS XV.

*Anno 1622. 14. Maji.*

SAnctiſſimus D. N. auditis votis Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, Decretum alias editum a fel. rec. Paulo V. ejus Prædeceſſore tenoris ſequentis, videlicet.

Sanctiſſ. D. N. poſt longam, & maturam diſcuſſionem, auditis votis Illuſtr. & Rever. DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, re accurate, ac diligenter perpenſa, provide conſiderans, quod quamvis in Conſtitutione fel. rec. Sixti IV. ſuper CONCEPTIONE Beatiſſimæ Virginis MARIÆ pro ſubmovendis inter Chriſti fideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, a S. Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Conſtitutione Sanct. mem. Pii Quinti ſuper eaſdem res, quas ſimiliter Sanctitas Sua innovavit cum quibuſdam proviſionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſervatione, relinquitur unicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi utramque partem, quod ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali; & dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod eadem B. Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, jurgia, & diſſenſiones. Propterea volens, hujuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præſentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularibus, & aliis quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus perſonis cujuſvis conditionis, ſtatus, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis, etiam ſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſario mentio facienda, ut impoſterum, donec articulus hujuſmodi a Sancta Sede Apoſtolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali; Contrafacientes autem eadem Sanctitas ſua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſub ipſo facto incurrendis; per hujuſmodi tamen proviſionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſupra diſpoſita. Ulterius ſub eiſdem cenſuris, & pœnis mandamus, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſſe mandavit, ut extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ Conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exacte obſerventur, perinde ac ſi præſens Decretum non emanaſſet. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter obſervari, non obſtantibus in hac parte ſupradictis Conſtitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus &c.

Hoc ſuo præſenti Decreto ex eiſdem cauſis evitandi ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordias in Populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, & ut accepit in aliquibus Regionibus jam ortæ ſunt ex ſermonibus privatis occaſione aſſertionis affirmativæ, extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, & ſcripta, mandans & præcipiens omnibus, & ſingulis ſupradictis, ne de cætero, donec articulus hujuſmodi a Sede Apoſtolica diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque in ſermonibus, & ſcriptis privatis audeant aſſerere, quod eadem Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen, quibus a Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis in quibus reperitur, præterquam quod in ſupradicto fel. record. Pauli V. & hoc ſuo Decreto diſpoſitum fuit.

Eademque Sanctitas Sua voluit, & expreſſe mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujuſmodi Decretis non adverſantur, Conſtitutiones Sixti Quarti, Alexandri Quarti, & Pii Quinti, ac Pauli Quinti ejus Prædeceſſorum ſuper Conceptione Beatæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exacte obſerventur, perinde ac ſi hujuſmodi Decretum non emanaſſet.

Et inſuper eadem Sanctitas Sua, cum Sancta Romana Eccleſia de Beatæ Virginis Conceptione Feſtum ſolemniter, & Officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quam cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit, ut in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio ac divino Officio celebrandis tam publice, quam privatim, non alio, quam Conceptionis Nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas Sua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus ac præfato Decreto ſuorum Prædeceſſorum ipſo facto incurrendis. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter obſervari.

Non obſtantibus in hac parte Conſtitutionibus ſupraſcriptis Decreto præfato Pauli Quinti, conſuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & ſingulis, quæ Prædeceſſores prædicti voluerunt non obſtare, ac aliis quibuſcumque in contrarium facientibus.

Volens, & decernens pro obſervatione, & executione præſenti Decretis, & omnium in eo contentorum, quod contra hujuſmodi tranſgreſſores etiam Regulares cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & Sæculares perſonas cujuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quam Sæcularis, tam Epiſcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarii locorum, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſevere animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi.

*Sequitur declaratio ſupradicti Decreti edita Anno 1662. 28. Julii.*

NOS Fratres Ordinis Prædicatorum, quos in viſceribus gerimus charitatis, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendarum; harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prædic. Fratribus, ut de cætero in quibuſcumque privatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejuſdem Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis diſſerere, & tractare, abſque ullo pœnarum in dictis Decretis contentarum incurſu libere, & licite poſſint, & valeant, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium, licentiam concedimus, & impartimur.

Sed quanti faciat S. Mater Eccleſia hujuſmodi Immaculatæ Virginis Conceptionem, SS. D. N. in ſequenti Bulla clementer oſtendit, & declarat,

*Sanctiſſimi D. N. ALEXANDRI, Divina Providentia Papæ VII.*

*Innovatio Conſtitutionum, & Decretorum in favorem Sententiæ, animam B. M. V. in ſui creatione, & in corpus infuſione a peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum.*

### *ALEXANDER Papa VII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

✠ SOllicitudo omnium Eccleſiarum, quam licet meritis, & viribus longe impares, D. O. M. voluntate, & providentia gerimus, id in Nos anxia tenet intentos, & vigilantes, ut ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate neceſſe eſt ut veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exorantur,

tur, atque exorta quam celerrime, & quam diligentiſſime amoveantur; nam iis per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus vero præbentur præſens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro noſtro Paſtoralis officii debito; & damnum ſummopere dolemus, & diſcrimine aſſidue utimur.

✠ Sane vetus eſt Chriſtifidelium erga ejus Beatiſſimam Virginem Mariam pietas, ſentientium ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jeſu Chriſti, ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præſervatam immunem, atque in hoc ſenſu ejus Conceptionis feſtivitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujuſmodi cultus poſt editas a fel. rec. Sixto Papa IV. prædeceſſore noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas S. Conc. Trid. innovavit, atque obſervari mandavit.

✠ Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erectas hoc Nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum Ordinem, & Confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem Indulgentias, itaut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam fere omnes Catholici jam complectantur.

✠ Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis in concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem Beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcandala, jurgia, & diſſenſiones, recolend. mem. Paulus Papa V. etiam prædeceſſor noſter vetuit horum opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publice doceri, aut prædicari.

✠ Quam prohibitionem piæ memoriæ Gregorius Papa XV. ſimiliter prædeceſſor ad privata etiam colloquia extendit, mandans inſuper in favorem ejuſdem ſententiæ, ut in *Sacroſancto Miſſæ Sacrificio*, ac divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

✠ Nihilominus, prout Venerabiles Fratres Epiſcopi fere omnes Hiſpaniarum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, datis ad nos litteris, expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi earumdem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad Nos Oratorem Venerabilem Fratrem Ludovicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad nos ſupplicationes Regnorum earumdem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam ſententiam, aut impugnare, aut vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus cultui, & feſto ſecundum illam præſtitum ita interpretari, ut fruſtrentur; imo Eccleſiam Romanam huic ſententiæ, & cultui, juxta illam Beatam Virginem exhibito favere negant, pios Chriſti fideles e ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando, unde offenſiones, ſcandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt, Paulus V. & Gregorius XV. noſtri prædeceſſores perdurant adhuc, & ex occaſione eorumdem adverſantium majora his incommoda imposterum prudenter, & merito timentur.

✠ Quapropter ſuper his tamen præfati Epiſcopi cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex ejuſque Regna Nobis pro opportuno remedio inſtantes ſupplicari fecerunt.

✠ Nos conſiderantes quod Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter celebrabat, ſpeciale, ac proprium ſuper hoc Officium olim ordinavit juxtam piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ a Sixto IV. prædeceſſore noſtro tunc emanavit; volenteſque laudabili huic pietati, & devotioni, & feſto, ac cultui ſecundum illam exhibito in Eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem numquam immutato, Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo favere, nec non tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi Beatam Virginem, præveniente ſcilicet Spiritus Sancti gratia, a peccato originali præſervatam, cupienteſque in Chriſti Grege unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſedatis offenſionibus, & jurgiis, amotiſque ſcandalis, conſervare ad præfatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejuſque Regnorum oblatam Nobis inſtantiam, ac preces, Conſtitutiones, & Decreta Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. editas in favorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato originali præſervatam fuiſſe, nec non, & in favorem feſti, & cultus Conceptionis ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & ſub cenſuris, & pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandamus.

✠ Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquomodo directe, vel indirecte aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, ſive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, auſi fuerint, præter pœnas, & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per præſentes ſubjicimus etiam concionandi, publice legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & paſſiva in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione privatos eſſe volumus, necnon ad concionandum, publice legendum, docendum & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere abſque alia declaratione; a quibus pœnis nonniſi a nobis ipſis, vel a ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint; necnon eoſdem aliis pœnis noſtro, & eorumdem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubjacere volumus, prout ſubjicimus per præſentes, innovantes Pauli Quinti, Gregorii Decimiquinti ſuperius memoratas Conſtitutiones, ſeu Decreta.

✠ Ac libros in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illa in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut ſupra, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli Quinti ſupra laudatum Decretum edita, aut impoſterum quomodolibet edenda prohibemus, ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſſe prohibitis haberi volumus, & mandamus.

✠ Vetamus autem Sixti Quarti Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant: cum a Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit Sixtus Quartus, aliique prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubjicimus, quas in contrafacientes huic noſtræ Conſtitutioni ſuperius infliximus.

✠ Volentes, quod contra hujus noſtræ Conſtitutionis tranſgreſſores, etiam Regulares cujuſvis Ordinis, & Inſtituti etiam Societatis Jeſu, & quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & Sæculares perſonas cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quam Sæculares, ut præfertur, tam Epiſcopi, & Prælati Superiores, aliique locorum Ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſtricte animadvertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iiſdem auctoritate, & tenore tribuimus, impartimur, eoſque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire diſtricte præcipimus, & mandamus.

✠ Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quibuſvis indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſvis perſonis quantacumque qualificatis & in quacumque etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & quavis alia dignitate, & honore conſtitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet conceſſis.

✠ Quibus omnibus, & eorum ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de eis, ipſorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes clauſulas, mentio habenda, aut alia exquiſita forma obſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque,

✠ Ut autem hæc noſtra Conſtitutio, & præmiſſa omnia ad eorum omnium, quorum intereſt, notitiam congruentius pervenire poſſint, in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis & Officialibus quibuſcumque, & aliis ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat, & pertinet; quatenus hujuſmodi noſtram Conſtitutionem ſingulis ſuæ Diœceſis, vel Diſtrictus Prædicatoribus, & aliis, & quibus expedire judicaverint, opportune inſinuent, & publicent, ac inſinuari, & publicari faciant, ne quis impoſterum quoquomodo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare.

✠ Volumus, & ſimiliter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præſentes Litteræ per aliquos ex noſtris Curſoribus in Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de urbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio, & publicatio ita omnes & ſingulos, ad quos ſpectet, afficiat, & arctet, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent, & quod illarum tranſumptis etiam impreſſis manu Notarii publ. ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus in judicio, & extra illud adhibeantur, quæ eiſdem præſentibus adhiberentur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Septembris 1661. Pontificatus Noſtri Anno VII.

*S. Ugolinus.*

## VI.

### De erectione novorum Conventuum Regularium.

*G R E G O R I U S  XV.*

*Anno 1622. 17. Aug.*

CUM alias fel. rec. Clemens Papa Octavus decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus cujuſcumque, præſertim Mendicantium Ordinis, in Civitatibus & locis eorum ordinariæ Juriſdictioni ſubjectis erigendos, impartiri non poſſe, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus, & locis exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus; & cauſa ſervandis cognita, in ejuſdem Civitatibus, & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus, ſine aliorum detrimento, commode ſubſtentari poſſe conſtiterit. Si vero ab eorum ſententiis ad Sedem Apoſtolicam provocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum ſuſpendere debere, quamdiu a dicta Sede in ea cauſa pronunciatum extiterit, ac alias prout in Decreto hujuſmodi plenius continetur.

Verum per piæ mem. Paulum Papam Quintum accepto, pleroſque ex Ordinariis prædictis, favore, vel nimia expoſcentium importunitate ad novos Conventus, ſeu Domos, præter, & contra tenorem prædicti Decreti erigendas, plerumque adduci, quo fit, ut, non habita debita eleemoſynarum ſeu redituum cujuſcumque Monaſterii, Conventus, ſeu Domus ratione, Monachi, ſeu Fratres, aut Religioſi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Eccleſiis deſtituatur, ibique regularis diſciplina, ut convenit, conſervari non valeat, Sacra Congreg. Illuſtriſſim. DD. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujuſmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eiſque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti hujuſmodi facultates, earumque etiam veriores, & in toto tenore dat. præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inferrentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis habens, vivæ vocis oraculo a S. D. N. Greg. Papa XV. habito, Decretum prædictum, quatenus opus ſit, innovat, & in uſum reducit.

Volens, quod de cætero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium cujuſcumque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Inſtituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamſi de illis particularis, expreſſa, & ſpecifica mentio habenda eſſet, in quacumque Civitate, vel Oppido, ſeu quocumque alio loco non erigatur, niſi ſaltem duodecim Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi inhabitare, ac ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis ſubſtentari valeant, ad Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conventuum, ſeu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, ſeu Inſtitutorum hujuſmodi non ſolum in prædictis, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumvicinis locis; ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel alias Ordinariis locorum conſtiterint, Religioſos Monaſterii, Conventus, ſeu Domus regularis ſic erigendæ, abſque detrimento Religioſorum in Monaſteriis, ſeu Domibus antea in Civitatibus ſeu locis hujuſmodi erectis, degentium, ibi in numero duodecim commode, & congrue manuteneri, & ali poſſe. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujuſmodi inſtituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur; Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, ac locorum incolæ, & habitatores, quorum votum & conſenſum requirant, ac adhibeant, hujuſmodi, duodecim Religioſos in Conventibus, ut præmittitur inſtituendis, commode alere, & manutenere valeant.

Si vero a Decreto, ſeu Decretis per Ordinarios prædictos in cauſis hujuſmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc, prout ex ea die, qua appellatio interponeretur ea ad eamdem Sacram Congregationem una cum toto negotio principali devoluta cenſeatur, appellationeque hujuſmodi pendente, nihil innovandum eſſe, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuſcumque in contrarium factis, non obſtantibus.

Romæ 17. Auguſti 1622.

Ant. Card. Saulius.

## VII.

### De Solicitatione mulierum in Sacramento Pœnitentiæ.

*G R E G O R I U S  XV.*

*Anno 1622. 30. Auguſti.*

STatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum, Regulares cujuſcumque Dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis Privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint; aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeveriſſime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & Territoriis per has noſtras litteras, etiam privative, quoad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuo Judices deligimus, ut ſuper his, contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquiſitionis hujuſmodi Conſtitutiones, Privilegia, Conſuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ab illa, nec non vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant: eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant.

Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum ſit difficilis probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ ſæculari, ut præfertur, reum tradendum eſſe, pronunciandi.

Non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes, ſeu ut præfertur tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis: quod ſi hoc Officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra, iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

## VIII.

### De licentiis loca Regularia erigendi.

*U R B A N U S  P A P A  VIII.*

*Anno 1624. 28. Auguſti.*

CUM, ſicut nobis innotuit, complures licentiæ, ſive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris per diverſos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Regularium Inſtitutorum Superiores, ſeu alios eorum nomine, ubique locorum Monaſteria, Domos, Collegia, Conventus, & alia loca regularia, quovis nomine nuncupata, ſervata dumtaxat Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum forma, de ſola Ordinarii licentia, ſeu etiam forſan non ſervata forma, & abſque licentia hujuſmodi, & contra Decreta a Sede Apoſtolica ſuper præmiſſis edita fundandi, erigendi, & inſtituendi importunis precibus, ſeu etiam Motu proprio, vel alias contentæ, & exortæ fuerint: Idcirco Nos omnes, & quaſcumque licentias, ac facultates hujuſmodi, literaſque deſuper tam ſub plumbo, quam in hujuſmodi forma Brevis deſuper expeditas, earumque tenore etiam veriores, & dat.

præſen-

præſentibus, ac ſi ſpecifice, & ſigillatim exprimerentur, & inſererentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum intertis habentes, juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus, Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & quaſcumque licentias, & facultates hujuſmodi, litteraſque deſuper tam ſub plumbo, quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque, & ſingula in eis quomodolibet contenta, & expreſſa, etiam quoad erectiones, fundationes, & inſtitutiones Monaſteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorum hujuſmodi, quæ ſuum nondum ſortitæ ſunt effectum, tenore præſentium perpetuo revocamus, caſſamus, abrogamus, & annullamus, viribuſque, & effectu prorſus evacuamus.

Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Inſtitutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæteriſque perſonis, ad quos ſpectat, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub privationis vocis activæ, & paſſivæ, nec non Officiorum quorumcumque ac inhabilitatis ad illa, & in alia quæ in futurum obtinent, nec non etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, ſeu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, & annullatarum, ſive alio quovis prætextu, vel cauſa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monaſteria, & Collegia, Domos, Conventus, & alia loca regularia hujuſmodi, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, ac ſervata in omnibus, & per omnia ſacrorum Canonum, & Concil. Trident. nec non Conſtitutionibus felic. recordat. Clem. VIII. quæ incipit: Quoniam ad inſtitutam ſub Dat. Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die xxiij. Julii MDCIII. ac Decretorum de Mandato ejuſdem Clementis, necnon fel. mem. Gregorii XV. Rom. Pont. prædeceſſorum deſuper editorum forma recipere, exigere, fundare, ſeu alias quomodolibet inſtituere, ſeu incœpta finire, & abſolvere audeant, ſeu præſumant.

Decernentes, præſentes Litteras etiam ex eo, quod cauſæ, propter quas illæ emanarint, expreſſæ, verificatæ, & juſtificatæ, aut quodcumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis conſenſerint, vel alias ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel cauſa de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus, vel controverſiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quovis gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu concedi nullatenus poſſe, ſed eas, ac omnia, & ſingula in eis contenta ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia, eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate fulgentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quo circa Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicanda faciant, & illa ab omnibus, ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſus, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

## IX.

### De male Ordinantibus, & Ordinatis.

### *URBANUS VIII.*

*Anno* 1624. 11. *Decembris*.

ALias ſiquidem fel. rec. Clemens Papa IV. Prædeceſſor noſter volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excommunicationis adſtricti, aut apoſtatæ, ſeu irregulares, vel alias Ordinum Sacrorum ſuſceptione indigni, ſuam patriam, in qua de his habebatur notitia fugientes, ſe in remotis partibus faciebant ad hujuſmodi Ordines promoveri; ſtatuit, ut nullus Epiſcoporum Italiæ de cætero aliquem ultramontanum Clericum ordinare præſumeret, niſi ab eodem Clemente Prædeceſſore, vel ab Epiſcopo, de cujus Diœceſi traxerat originem Ordinandus, vel in cujus Diœceſi Beneficiatus exiſtebar, per ejus patentes litteras cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolebat, ac nequibat ordinare, niſi ſpecialem licentiam haberet; eos vero, quos contra præmiſſa contigiſſet ordinari, manere voluit abſque ſpe diſpenſationis ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtinendæ ſuſpenſos; ac Ordinantes condigna pœnitentia puniri.

Cum autem non ſine gravi animi noſtri moleſtia, Nobis innotuerit, quamplures Ultramontanos ſuæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ad Ordines prædictos dimiſſorialibus litteris, ſeu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, ſeu etiam falſo, cum maximo bonorum omnium ſcandalo, ſe promoveri feciſſe, Nos innumeris, quæ ex minus canonica Clericorum Ordinatione hujuſmodi proveniunt malis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, prædictam Clementis Prædeceſſoris Conſtitutionem, cum omnibus, & ſingulis in ea contentis approbantes, & innovantes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Italia exiſtentibus tenore præſentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacumque cauſa, Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, alioſque quoſcumque Ultramontanos, & ex quibuſvis locis extra Italiam oriundi, non ſolum ad Sacros, ſed neque etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem promovere audeant, ſeu præſumant, niſi Dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum litteras a noſtris, & hujus Sanctæ Sedis Nunctis, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorumdemve Nunciorum, ſeu collectorum ſubſcriptiones a dilecto filio noſtro in Alma Urbe Vicario in ſpiritualibus generali ſimiliter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint; alias promoventes ad annum ab exercitio Pontificalium; promoti vero, perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis a Sede Apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo. Inſuper promotos hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis ſcienter ſe ad Ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pœnis.

Italos vero, ſi quos impoſterum Clericali charactere inſigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo, cum falſis Dimiſſoriis contigerit, etiamſi qualitatibus per Conc. Trid. Decretum, cap. 16. ſeſſ. 23. requiſitis præditi ſint, nihilominus, ſequuta tamen prius deſuper Judicis Eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minime gaudere, ſed ſæculari juriſdictioni, ut antea, plene in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe reſpective volumus.

## X.

### De Imaginibus nondum Canonizatorum a Sede Apoſtolica.

### *URBANUS VIII.*

*Anno* 1625. 13. *Martii*.

SAnctiſſimus D.N. ſollicite animadvertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, & ſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliſque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia, a Deo per eorum interceſſiones accepta, in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulcra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur.

Volenſque proinde hujuſmodi abuſibus, pro debito Officii Paſtoralis, occurrere, re etiam cum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus communicata, & mature conſiderata, ac diſcuſſa, declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum ſanctitatis, ſeu martyrii fama (quantacumque illa ſit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud, venerationem, & cultum præſeferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccleſiis tam Sæcularibus, quam Regularibus, cujuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur, & (ſi quæ appoſitæ ſunt) amoveantur, prout eas ſtatim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, ſive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres e vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus a Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoſcendis, Theologos, alioſque pios, ac doctos viros in conſilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, ejuſque reſponſum expectet: Revelationes vero, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus, hactenus ſine recognitione, atque approbatio-

tione hujuſmodi, impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum ſepulcra, vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas, atque Imagines, ex cera, aut argenteo, ſeu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, aut affigi, & lampades, ſive alia quæcumque lumina accendi, ſine recognitione ab Ordinario omnino, prout ſupra, facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis; quia aut per communem Eccleſiæ conſenſum vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii, coluntur.

Ut autem præmiſſa diligentius obſerventur, univerſis, ac ſingulis, tam Ordinariis, quam hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus diſtricte præcipit, ut in ſua quiſque Diœceſi, vel Provincia ſedulo pervigilent, ne ſine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaye contra ſuperius diſpoſita, fiant.

Tranſgreſſores vero, ſi Regulares fuerint, privationis ſuorum Officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, necnon & ſuſpenſionis a Divinis; ſi vero Clerici ſæculares, privationis pariter ſuorum Officiorum, ſuſpenſionis a Divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneque ſuorum Ordinum reſpective, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

Qui autem Libros impreſſerint, aut Imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquomodo effinxerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur, Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

## X I.

*Sequitur Declaratio prædictæ Prohibitionis.*

POſtmodum vero idem Sanctiſs. D. N. a quibuſdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines, quæ impoſterum offerei contigerit, recipere, & antea oblatas conſervare liceret, Sanctitas Sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam Divinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare; re prius cum Illuſtriſs. & Reverendiſs. D.D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus communicata præſenti Decreto declaravit, Quod ſicut nunquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, & Imaginum hujuſmodi, ita ut nulli deinceps hæſitationi locus relinquatur, ſtatuit inpræſentiarum, & decernit, ut quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumve alium publicum Sæcularem, ſeu Regularem, Tabellas & Imagines, aliudve ſimile quiſpiam detulerit, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel ad Beatos non adſcriptorum, quamvis cum martyrii, vel ſanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetraviſſe dixerit, liceat Eccleſiaſticis perſonis, Eccleſiarum, locorumve prædictorum curæ præpoſitis, Tabellas, & Imagines, ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia, ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcii fuerint, atteſtationibus recipere atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneatur, in ſecreto aliquo, ſeorſum ab Eccleſia loco, cuſtodire, ibidemque jam amota collocare, & aſſervare, ut ſi quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujuſmodi ſanctitatis qualeſcumque probationes, Apoſtolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Jo. Antonius Thomaſius
S. Rom. & Univ. Inquiſitionis Notarius.

## X I I.

De Celebratione Miſſarum.

*U R B A N U S VIII.*

*Anno 1625. 24. Julii.*

PRimo diſtincte prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſiquas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde, ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, plura ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferrentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuſcumque tam Sæcularibus, quam Regularibus, Sacra Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac præcepit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ, præſcriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimmo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id vero ut deinceps obſervetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tum Sæcularibus, quam Regularibus, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum Celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcipit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſiis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod onera hujuſmodi, cum nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta; ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam ſæcularibus, quam Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, a die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant penes ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna, ut ſupra, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio quibuſvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac Piorum Locorum, tam Sæcularium, quam Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtricte prohibet, ne impoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, Sæculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares vero ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin Sæcularis qui hujus prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis vero pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque activæ, ac paſſivæ, abſque alia declaratione incurrat.

Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis Celebrandis itademum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa, eleemoſynas pro Miſſis, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur.

Epiſcopus vero, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut Loco Pio incumbentibus; nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime conſtiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri ſuſcipere, quam antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, ut redditus qui Eccleſiis, & Locis Piis relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adjunctis, ſecundum mores cujuſque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe redituros.

Poſtremo Illuſtriſſimi Patres, non ſine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ Regularem diſciplinam evertunt, ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemoſynæ cujuſque Monaſterii; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis hac re edictis S. D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſa-

riis,

Digitized by Google

riis, Miniſtris Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus. Monaſteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtantium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, tam communes Monaſteriorum, Conventuum, & Domorum ejuſdem Provinciæ, quam etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem uſum, deinceps conferendas, decem annor. immediate præcedentium habita ratione, diligenter, & mature recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere.

Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis, proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra, detractis, ſedulo examinent, quot religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus, unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo regulari juxta regionis, & proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, redditutum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cujuſque familiæ, monaſterii, Conventus, ac Domus regularis in ſingula quaque Provincia certus eorum tantum perſonarum numerus, Patrum Capitularium votis, præſignentur quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperius, ſufficienter ali poſſint.

Ne vero Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quam par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat Sac. Congregatio, ut infra annum poſt proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque familiæ, ſingulorumque, Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeu Congregationis Generalis, vel Provincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Provinciales omnes, quam locales perpetuo ſervare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditutum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem hujuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſupra præſcriptum, quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium Officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque activæ, ac paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis Officia, & Gradus inhabilitatis perpetuæ eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apoſtolica infligendis pœnis, Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps vero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium, nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita in ſingulis ejuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant; ad præſcriptum Decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Porro, ne nullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna privationis Officii, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, id eſt Feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & Feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti præſentes Ordinationes in publica menſa perlegantur.

Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocumque honore, ac poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

## XIII.

### *Sequuntur Dubia, ac Declarationes aliquot ſuper prædictis Decretis.*

SUper primo Sacræ Congregationis Decreto de Celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit qui velit onus illi injunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, ut poſſit hujuſmodi onera moderari?

Secundo, ſuper ſecundo ejuſdem Congregationis Decreto, quo cavetur, celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ, præſcriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illas ab Offerente præſcriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellaniæ, legati, aut ſalarii, poſſint etiam Manualem eleemoſynam pro Miſſis Votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Miſſæ Sacrificio utrique oneri ſatisfacere?

Quinto, poſito, quod Teſtator relinquat ut celebrentur pro ejus anima centum Miſſæ, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ: Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an vero eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sexto, ſuper Tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum Celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfaciat.

Quæritur, An verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt privilegium.

Septimo, ſuper quarto ejuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, An permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium.

Octavo, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ideſt, An Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare teneatur Sacerdoti Celebranti dare ſtipendium ad rationem redditutum Beneficii?

Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna major ſolito pro Celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas Celebrandas committunt: An vero ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Undecimo ſuper quinto ejuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas vero Manuales, & quotidianas pro Miſſis Celebrandis) ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant &c.

Quæritur, An hoc Decretum prohibeat abſolute, quo minus accipiant novas eleemoſynas, quibus acceptis, non ſatisfecerunt; & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimo, quid ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret cum primum poterit.

Decimotertio, An pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quam eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem præcipitur?

Decimoquarto, An in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die Commemorationis omnium Defunctorum, & vulgo dicuntur (Caſſe de' Morti)?

Decimoquinto, An Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ devotionis, & concurſus poſſint eleemoſynas pro Miſſis Celebrandis accipere, ſi iidem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne alias cultus Eccleſiæ, & devotio, ac concurſus fidelium, ut ajunt, minuatur?

Decimoſexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum locorum, tam Sæcularium, quam Regularium, Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& aliis, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoſeptimo, ſuper ſeptimo ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

Quæritur: An ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimilis Decreti ſan. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redditutum cujuſque Religioſi, ſit denuo facienda, necne.

Decimo octavo, An Novitii, ad habitum Regularium admiſſi,

miſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus, ut ſupra, præfixione numeri, commode ali non poſſunt?

Decimonono, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita ut alioquin ſubſint juriſdictioni ordinariæ.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad Celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Cappuccinorum, ac Societates JESU?

Ultimo, An idem Decretum, ubi diſponitur, nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

*Subſequuntur Declarationes, ſeu Reſpoſiones ad ſupradicta Dubia.*

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi a S. D. N. attributa, ad ſingula dubia ſuperius propoſita, ad hunc modum reſpondit, videlicet

Ad primum: etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra, impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino prodeſſe judicaverit; Verumtamen ſi in ipſa Beneficii erectione expreſſe cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt eſſe validam, & obſervandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam, numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ,

Ad Tertium, teneri,

Ad Quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellaniæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis Celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad Quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum Celebrandarum, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, ita eſſe intelligenda.

Ad Septimum reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac Loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum, ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum Celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & Loca Pia alios non habent redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ ſacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſupra, deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab Offerentibus eleemoſynas.

Ad Octavum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt facere Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti Celebranti eleemoſynam congruam, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit,

Ad Decimum, debere abſolute integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti Celebranti, nec ullam illius partem ſibi retineri poſſe.

Ad Undecimum reſpondit, non prohibere abſolute; ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum Celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum Celebratione, id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis juxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad Decimumtertium has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum Celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis,

Ad Decimumquartum, comprehendi,

Ad Decimumquintum, Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſupra in reſponſione ad Duodecimum.

Ad Decimumſextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes,

Ad Decimumſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum ſacienda servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad Decimumoctavum, eſſe admittendos ad Profeſſionem ſi alias habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commode ali poſſint.

Ad Decimumnonum, cenſuit comprehendere.

Ad Ultimum, habere locum etiam extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

*Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.*

## XIV.

### De uſu Baldachini, & Miniſtrorum pro Abbatibus Caſſinenſis Congreg.

*URBANUS VIII.*

*Anno 1629. 11. Junii.*

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Monachorum Ordinis S. Benedicti Congreg Caſſin. alias Sanctæ Juſtinæ de Padua Procurator Generalis, quod alias a Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſacris Ritibus Præpoſitis, emanavit Decretum tenoris ſubſequentis, videlicet, &c.

Nunc demum Archiepiſcopus Florentinus ad Sacram Congregationem accedens inſtetit prohiberi Abbati S. Mariæ ejuſdem Civitatis Florentinæ Ordinis Caſſinenſis uſum Baldachini, & dictorum Miniſtrorum, & aliarum multarum Cæremoniarum in dedecus, & præjudicium ſuæ Archiepiſcopalis Dignitatis vigentium, & citato interveniente Patre Domino Dominico Pinello ejuſdem Congregationis Caſſinenſium Procuratore Generali, & partibus ſæpe ac ſæpius auditis, ac negotio diligenter diſcuſſo, referente Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Cardinale Pio, eadem Sacra Rituum Congregatio inhærendo dicto ultimo Decreto facto de Ann. 1618. cenſuit, & declaravit, licere Abbatibus Caſſinenſ. quando ſolemniter celebrant, quod in tribus ad ſummum Feſtivitatibus facere eis permittitur, uti Baldachino, ſine auro tamen, & pompa, & aliquibus etiam Miniſtris paratis ſacris indumentis. Quia vero numerus horum Miniſtrorum in aliquibus eorum Monaſteriis erat valde exceſſivus, vetuit, ac prohibuit, ne iidem Abbates ſolemniter, ut ſupra, Celebrantes, alios poſſint habere Miniſtros ſacris indumentis paratos, quam duos Diaconos, & Presbyterum aſſiſtentes, Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Evangelio, & Epiſtola, ac ſex ad ſummum alios, duos cum Pluvialibus, duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis coloris tempori convenientis: quoad reliqua vero in dictis Decretis de Ann. 1617. emanatis contenta, Sacra Congregatio eadem Decreta confirmavit, & quatenus opus ſit, innovavit, inhibens omnibus Abbatibus Caſſinenſibus, ac ſerio præcipiens, ut in reliquis omnibus ea ad unguem, & inviolabiliter obſervent; eorumque diſpoſitioni addidit, ut ſupradicti Abbates nullo modo debeant, nec poſſint habere, nec tenere ſedem ſuam Abbatialem fixam, & permanentem prope Altare, ut ſedes Epiſcopalis retineri conſuevit, minuſque liceat ſupradictis ſex Monachis paratis, ut ſupra, ſedere in ſedibus Choralibus, ut Canonicorum ſæcularium mos eſt, ſed Sedes pro Abbate ſolemniter celebrante retineatur in Eccleſia, iis tantummodo tribus diebus, quibus ipſe Abbas ſolemniter celebrat, dictique ſex Monachi parati ſedere debeant loco congruo juxta Eccleſiarum convenientem ſitum ſuper ſcabellis ad hunc effectum appoſitis panno laneo coopertis, die 29. Jan. 1628.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Dominicus prædictus plurimum cupiat præinſertum Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & inviolabiliter obſervetur, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri; Nos ejus votis hujuſmodi annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertum Decretum hujuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti, & quoſvis alios defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe dici, vel cenſeri poſſent, ſupplemus.

Decretumque hujuſmodi, nec non præſentes litteras cum omnibus in eis contentis ſemper, & perpetuo valida forma, & efficaci exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac eidem Congregationi, illiuſque Abbatibus, ac Monachis, & perſonis in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, neque illos a quoquam quavis auctoritate ſuper præmiſſis modo, impediri, moleſtari, inquietari, vel perturbari unquam poſſe, nec debere.

De

Digitized by Google

### X V.

De lectione Librorum prohibitorum.

*U R B A N U S   V I I I.*

*Anno 1631. 2. Aprilis.*

MOtu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura noſtra deliberatione, atque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi Libros quoſcumque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per Conſtitutiones Apoſtolicas, etiam ratione Aſtrologiæ judiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos quibuſcumque perſonis laicis, & Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Ordinis, Societatis, & Inſtituti exiſtentibus, ac quacumque dignitate, etiam Eccleſiaſtica fulgentibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocumque, & ex quacumque cauſa, tam in forma Brevis, quam aliter quomodocumque a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu a quibuſcumque aliis a Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen a Nobiſmetipſis per litteras Apoſtolicas etiam in forma Brevis, ſeu Chyrographum manu noſtra ſignatum, conceſſas, earum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione, revocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro revocatis, caſſis, & annullatis haberi, nullique ſuffragari.

Quinimmo libros per licentias hujuſmodi permiſſos legentes, aut habentes, pœnas ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Indicibus Librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

### X V I.

De electione Sanctorum in Patronos.

*Anno 1630. 23. Martii.*

SAcra Rituum Congregatio, Annuente Sanctiſſimo D.N. In electione Patronorum mandavit infraſcripta impoſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla ſit ipſo jure.

Primo, quod eligi poſſunt in Patronos ii ſolum, qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia a Populo, mediante Conſilio Generali illius Civitatis, vel loci, non autem ab Officialibus ſolum, & quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci.

Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia a Populo ſingularum Civitatum Provinciæ.

Et quod Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulterius interveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum.

Et Tertio, quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia ulla unquam tempore poſſit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio ſupradictum Decretum imprimi, & publicari mandavit.

Jo: Bapt. Card. Detus.

*Loco ✠ Sigilli.*

T. Tegrimus Secr.

*Formula conficiendi Inventarii Bonorum Eccleſiaſticorum.*

SCribatur ab unoquoque Eccleſiaſtico per manum Notarii, ſi fieri poteſt, & ab eodem Notario ſubſcribatur, alioquin ſcribat ipſemet Eccleſiaſticus, & ſubſcribat coram Sindico, ſeu Maſſario, aut alio Officiali loci, in quo ſunt bona: vel ſaltem coram duobus loci ſenioribus peritis, qui & ipſi ſubſcribant, ſi Notarius deſit: quod ſi ſcribere neſciant, alii eorum nomine tamquam rogati ſubſcribant, & ad Cancellarium Epiſcopalem accedant pro recognoſcendis eorumdem caracteribus.

Cancellario detur ob hanc cauſam conveniens ſtipendium taxatum ab Epiſcopo.

Inventaria omnia prædicto modo parata dentur Archiviſtæ Epiſcopali, a quo, qui dederint, de accepta ſcriptura teſtimonium in ſcriptis recipiant.

Duo exemplaria fiant uniuſcujuſque Inventarii, quorum alterum in Archivio Epiſcopali, alteram penes Rectorem Beneficii tuto cuſtodiatur.

Fiat autem Inventarium bonorum cujuſque Beneficii, licet Eccleſiæ fortaſſe ſint unitæ, ut appareat diſtincte, quæ bona ſint unius, & quæ alterius.

Charta uniformis adhibeatur ab omnibus, ut in librum redigi poſſint Inventaria juxta varios titulos, ſeu partes Diœceſis, & item numerus foliorum abundet: tum ut Cancellarii ſubſcriptione muniri poſſint: tum ut addi poſſint alia, quæ in dies addi contigerit.

Margines quoque late pateant per ſingulas paginas, ut in fine ſubduci poſſit ratio numeri rerum, vel pretiorum, uti fit in libris Mercatorum.

Ordo ſcribendi hic erit.

*In nomine Domini, Amen*

HOc eſt Inventarium omnium bonorum mobilium, ſtabilium, & ſemoventium fructuum, redituum, rationum, & actionum quarumcumque Eccleſiæ Parochialis S. N. Civitatis N. ſeu oppidi N. Diœceſis N. vel Eccleſiæ S. N. ſi non eſt Parochialis, Civitatis, ſeu oppidi N. factum die ... menſis ... Anni ... per D. N. Rectorem dictæ Eccleſiæ, & me Notarium publicum infraſcriptum in domo dictæ Eccleſiæ, coram, & juxta relationem præfati D. N. Rectoris & etiam N. & N. Seniorum hominum peritorum, & qui bene norunt ſtatum dictæ Eccleſiæ, medio juramento per me Notarium infraſcriptum eiſdem dato, ut dicant, & affirment pro veritate, &c. qui dicunt nihil aliud ad dictam Eccleſiam ſpectare, niſi quæ ſequuntur, videlicet

*Quod ſi a Rectore fiat Inventarium ſine Notario, dicat*

HOc eſt Inventarium &c. per me N.N. modernum Rectorem dictæ Eccleſiæ coram N. N. Sindicis, ſeu Officialibus dicti loci, peritis, & de ſtatu dictæ Eccleſiæ plenam habentibus notitiam, qui, & aſſerunt bona omnia, & actiones, & jura hæc eſſe, videlicet

*Facto hoc proœmio, deſcribatur primo Eccleſia cum ſuo titulo, ſitu, finibus, & partibus: hoc modo,*

PRædicta Eccleſia S. N. eſt in Civitate N. vel oppido N. penes viam a latere dextro, vel ſiniſtro, apud bona N. ab alio latere &c.

In ea ſunt tot Altaria, ſeu tot capellæ..

*Exprimantur tituli Altarium, ſeu nomina Sanctorum, cum dotibus eorum, nimirum*

PRimum, Altare majus nullum habet titulum, niſi quod eſt Eccleſiæ totius. Habet annexam obligationem tot Miſſarum quotidianarum, ſeu tot per omnem hebdomadam, ſeu quolibet menſe &c. prout conſtat ex inſtrumento rogato per N. publicum Notar. die... menſis... Anni...

*Scribantur omnia mobilia, & immobilia bona cujuſque Altaris, ſeu Capellarum, eo ordine quo Altaria extant in Eccleſia: Tum vero omnia mobilia ſacra, & non ſacra, quæ habentur in Eccleſia, & Sacriſtia, adnotata qualitate rei, pondere, numero, & pretio.* Verbi gratia

CAſula alba ex Damaſceno ſerico cum filamentis aureis &c. Duæ caſulæ rubei coloris ex cambelloto &c.

Calix argenteus, ſeu cum cuppa argentea, & pede ex auricbalco inaurato, ponderis librarum, & unciarum &c.

Mappa longa cubitorum tot: aliæ mappæ minores tot ulnarum.

*Si pondus haberi non poſſit, puta campanarum, ſcribatur pondus librarum circiter, vel deſcribatur altitudo, craſſities, cum litteris in gyro poſitis, & notis impreſſis in campana.*

*Ordo ille ſervetur, qui congruentior videbitur, ſcilicet a nobilioribus, Aureis, Argenteis, Sacris &c.*

*Facta deſcriptione Eccleſiæ, deſcribatur domus Rectoris, quæ ſit Eccleſiæ, cum mobilibus propriis ad uſum Rectoris, ex titulo Rectoris: ideſt*

DOmus pro habitatione Rectoris conjuncta eſt cum Eccleſia, fines illius ſunt, ab uno latere Eccleſia, ab alio Domus N. ſeu via, &c. Cellæ ſunt num... partem habitat Rector, aliam partem locat laicis pro pretio ſcutorum... annuo.

*In deſcriptione ſtabilium bonorum ſcribantur primo Domus, & apothecæ cum pretio locationum annuo, & eorum finibus.*

PRædium habet in loco nuncupato N. quod cohæret viæ publicæ ab uno latere, ab alio, &c. tot modiorum, ſeu perticarum, &c. pro more regionis annuos ejuſdem fructus ſcilicet eſſe ſcutorum...

In

*In Margine ſcribatur quantitas, ſeu numerus menſuræ 3. quæſt. 1.*

DAtum eſt in tertiam generationem, ad annos 29. ſeu donec N. vixerit, & quotannis Rector habet tritici modios . . . . ſeu vinum, ſeu nummos . . . . ut conſtat ex inſtrumento rogato per N. Notarium die . . . . menſis. . . Anni . . .

*Bona data in emphyteuſim, pro quibus ſolvitur canon pro recognitione directi dominii, ſcribantur eo modo, quo ſunt deſcripta apud emphyteutas, vel hoc modo.*

NOn poſſidet in tertiam generationem in anno 29. ſeu donec vixerit, ſeu domum ſeu prædium ſitum an. . . . & definitum variis finibus, nempe . . . pro quo ſolvit annuum canonem dictæ Eccleſiæ in recognitionem directi dominii ſolidorum, ſeu librarum, ſeu ſcutorum . . .

*De cenſibus hoc modo.*

PRædicta Eccleſia habet cenſum perpetuum ſcutorum . . . ſuper prædium, ſeu domum in tali loco, ut ex Inſtrumento rogato per N. Notarium die . . . . menſis . . . . Anni . . . .

*De animalibus in ſocietatem datis, hoc modo.*

PRædicta Eccleſia, ſeu Rector jus habet ſocietatis cum N, pro pecoribus, porcis, ſeu aliis animalibus. *Et exprimatur num.* Et quolibet anno redditus eſſe poteſt tot nummorum.

*De decimis colligendis, vel notentur ii omnes qui ſolvere ſolent; vel ſaltem earum quantitates exprimentur: hoc modo.*

PRædicta Eccleſia in decimis annuum habet redditum modiorum tot tritici, ſeu pecuniarum uſque ad ſummam circiter . . .

*Et adnotetur, ſi uſurpentur ab aliis decimæ; item ſi primitiæ ſint non decimæ. Addatur:* Quæ Decimæ, ſeu primitiæ ſolvuntur pro conſuetudine loci hoc pacto videlicet; *& ordine ſcribatur modus ſolvendi.*

*Denique fiat ſumma omnium fructuum Rectoribus; his verbis:*

PRædictæ Eccleſiæ, ſeu Rectoris annuus proventus aſcendere poteſt ad ſummam ſcutorum . . . e prædiis, domibus, cenſibus, & Decimis &c.

*Vicarii perpetui eadem præſtent ſingillatim, quæ ſupra, circa portionem prædiorum, aut redditnum eiſdem aſſignatorum, Adnotantes Inſtrumenta, ſeu litteras Apoſtolicas ſuper hac expeditas, monitione facta diei, menſis, & Anni.*

*Eadem quoque exequantur Capellani amovibiles, & exprimant ſalarium, mercedemve annuam, tritici, vini, olei, pecuniarum, &c. indicato Inſtrumento, & Notario, & a quibus ea ſibi dari debeant quando, & qua ratione.*

*Si vero annuus redditus non ſufficiat, & ideo ſuppleatur aliunde contribuentibus incolis loci, dicatur hoc modo.*

PRædicta Eccleſia pro alimentis Rectoris habet jus e[illegible] gendi, quæ illi ſunt neceſſaria contribuentibus loci [illegible]colis hac ratione &c. prout apparet ex Inſtrumento ro[illegible] per N. Notarium, die &c. Vel (ſi nullum adeſt inſ[illegible]mentum) ex legitima conſuetudine loci.

*Notentur etiam legata pia cum ſuis oneribus diſtricte; videlicet,*

PRædicta Eccleſia jure legati exigit quotannis a N. ha[illegible] de N. tot aureos nummos vigore teſtamenti N. & [illegible] netur Rector celebrare tot Miſſas, ſeu Anniverſarium d[illegible]

*Si Eccleſia gravetur penſione, eadem adnotetur, indic[illegible] quantitate, & facultate Apoſtolica, quando, & cui ſolvatur. Si quæ bona uſurpata fuerunt, dicatur.*

PRædicta Eccleſia prætendit habere jus ad quoddam p[illegible] dium uſurpatum ab N. in loco . . . . cujus fines ſ[illegible] &c. ſicut aſſerunt N. & N. ejuſdem loci, quibus vide[illegible] adhibenda fides.

*Si alienata ſint abſque diſpenſatione Apoſtolica, dicatur item,*

PRædicta Eccleſia læſa videtur in conceſſione prædii, ſ[illegible] permutatione, ſeu alio contractu, ſine facultate Apo[illegible] ſtolica.

*Si pendeant lites, dicatur, qua de re, quacumque cauſa pro Eccleſia ſint, & qui ſit Judex, & Notarius.*

Forma ſubſcriptionum, de quibus ſupra.

EGo N. Rector, ſupradictæ Eccleſiæ S. N. confeci prædictum Inventarium omnium rerum, & bonorum ſupraſcriptorum, quæ nunc temporis poſſideo, & pro fide, & veritate ſubſcripſi manu mea propria, die . . . menſis . . . Anni . . . & ita juro &c.

*Pro Sindicis, & Officialibus locorum.*

EGo N. Sindicus, ſeu Officialis loci N. præſens fui, dum factum fuit Inventarium rerum, & bonorum prædictorum, quorum ego notitiam habui, & (ſi ſciant poſſideri a Rectore omnia) ſcio, ea poſſideri nunc a Rectore; & in horum fidem ſubſcripſi manu mea propria, & ita juro &c.

*Pro iis, qui aliorum vice ſubſcribunt.*

EGo N. de mandato N. qui dixit, ſe affuiſſe prædicto Inventario dum fieret, rerum, & bonorum prædictorum, quorum ipſe aſſeruit, & juravit, ſe habere plenam notitiam, cum ipſe idem ſcribere neſciat, ejus nomine ſubſcripſi manu mea propria die . . . menſis . . . Anni . . . & ita juro &c.

F I N I S.